Digitized by Google

BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III
RACCOLTA
VILLAROSA
F
28
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

5-9.662

ANNALIVM
ECCLESIASTICORVM
VETERIS TESTAMENTI.

R. P.

IACOBI SALIANI
SOCIETATIS IESV

EPITOME.

Digitized by Google

Digitized by Google

ANNALIVM ECCLESIASTICORVM VETERIS TESTAMENTI EPITOME.

Ab ipsomet eorum Auctore
IACOBO SALIANO
Societatis IESV Presbytero,
fideliter accuratèque
confecta.

IN QVA, SICVT ET IN IPSIS ANNALIBVS, RES SACRÆ, *prophanæque quintuplicis Imperij, ab Orbe Condito ad Christi Domini Natiuitatem, & receptum in cœlum, per annos ferè singulos digeruntur, & explicantur.*

D. L. N. Soli Deo

COLONIÆ AGRIPP.
Apud IOANNEM KINCHIVM,
Sub Monocerote Veteri.
ANNO
M.DC.XXXVIIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

SERENISSIMO REVERENDISSIMO PRINCIPI FERDINANDO ARCHIEPISCOPO COLONIENSI,

S. ROM. IMPERII PER ITALIAM ARCHI-Cancellario, Epiſcopo Paderbornenſi, Leodienſi, Monaſterienſi; Adminiſtratori Hildesheimenſi, & Berchtesgadenſi, Principi Stabulenſi:

COMITI PALATINO RHENI: DVCI Vtriuſq; Bauariæ, VVeſtphaliæ, Angariæ, Bullioni: Marchioni Francimontano: Comiti Loſſenſi, Longienſi, Hornenſi: Legato nato Sedis Apoſtolicæ:

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.

DAtere, Sereniſſime Princeps Elector, vt illud Principum, Regũm, Imperatorumq; delitium, Hiſtoriam dico, quam orbis terræ domitor Alexander Macedo, Africæ fulmen Scipio, & ex Majoribus tuis, CAROLVS, vitæ Sanctimonia, ac rerum præclarè geſtarum excellentiâ verè MAGNVS, diu noctuque, ſinu, manibus, complexu fouebãt, ego, clientulorum minimus, genibus SEREN.ᵗᵘˢ V.ᵉ aduolutus, in principalem illam dexteram, principale munus reuerenter ac ſubmiſſè inferam. Habet enim hoc ſibi proprium illa vetuſtatis, temporum morumq; Regina, atque efformatrix Hiſtoria, vt neglectis humi repentium men-

CAROLVS M. Rex Boiariæ XVI. Anno DCCLXXXVIII.

tibus Eminentissimorum animis exponi velit atq; conspectui, ad quos cum virtute aviti spiritus & heroica Majorum indoles hereditate transijt. Siquidem eos facilius ad sectanda Avorum decora creditrix illa laudis atque gloriæ impellit. Aut si in Maiorum vestigia prono iam curriculo delatos inueniat, eos ipsos facinorum suorum nobilissimorum memoriâ, & iucundissima recordatione (Paria enim dum in alijs legimus, nostra in nobis admiramur) quodam quasi pabulo reficit & oblectat.

QVOD postremum faciet, vt opinor, apud SERENIT.rem V.am illa, quam R. P. IACOBVS SALIANVS è Societ. IESV, integerrimâ fide, probatissimaque auctoritate, ex vastis aliquot suis voluminibus in Compendium redegit ipse Author, Ecclesiastica Veteris Testamenti Historia, typis meis expressa. Leges in ea, SEREN.me PRINCEPS, constantissimam illam tuam, quam in Te Germania suspicit, & admiratur Pietatem, Dauidicæ æmulam; &, ne me diffundam in virtutum tuarum enumeratione, dum Compendium dedico, singula earum ornamenta, singulis Heroüm encomijs, Iosue, Samuelis, Iosaphati, notis quibusdam ad viuum expressa reperies. Quare huic audaciæ apud Clementiss. Principem meæ quidni impunè sit? imò, quidni has Sacræ Historiæ paginas, formis meis descriptas, sereno vultu excipiat Ille, cuius imaginem, non corporis, sed vitæ, sed consiliorum, sed animi in Sanctissimis iuxtà ac fortissimis viris adumbratam ad posteritatem transfundent? cui optimam tot Ecclesiarum, & Principatuum regendi normam, ac rationem, non in ære, aut ferro, aut picturæ beneficio, sed in litterarum monumentis immortali rerum ac verborum, copia impressam pulcherrimè spectandam exhibent?

CERTE, si Alexander Achillem suo ab Homero conscriptum, ne in somnis quidem, è manu deposuit; si Lycurgus rerum à Romanis gestarum seriem, eorumque ephemerides assiduè euoluit; si Africanus Scipio Xenophontis Cyropædiam, quam memoriâ comprehenderat, in grauissimarum deliberatione rerum nũquam non adhibuit; quo fauore Principem Prudentissimum, Pientissimumque FERDINANDVM, quâ beneuolentiâ, quo studio susceperũ censebo, illam, quæ vna omnes omnium Historiarum laudes complexa est, Diuinarum paginarum historiam? certissimam benignitatis Diuinæ obsidem, veritatis matrem, vitæ regulam, actionum optimarum propagatricem, Prudentiæ, ciuilis haud magis, quàm Ecclesiasticæ Metropolim, virtutum denique omnium certissimam, fidissimamque custodem, ac Magistram?

EVERTIT quidem impetuosissimus bellorum ciuilium turbo, qui etiamnum Germaniam inuoluit vniuersam, rem nostrã,

& censum librarium propemodum omnem, turbatis vnâ tempestate cunctis Typographiæ rationibus, ac aurum libris debitum neruo militari coëgit impendere; tamen vt bono etiam litterario consulerem pro virili, non recusaui, tùm alios Eruditorum, tum hunc viri doctissimi librum, in Germaniâ vix visum, à pluribus expetitum, omnibus vtilem, hoc afflicto rerum statu, publici iuris facere. Ad quod & illud instigauit me magnoperè, vt haberem, quo SERENISSIMVM ELECTOREM FERDINANDVM, quem librorum per me editorum Mecœnatem ante hac expertus sum, conuenirem humillimè, ac venerarer, essetque erga Principem optimum gratissimi monumentum animi ad memoriam posteritatis sempiternam: tum ob antiqua beneficia, tum ob recentissimum longè maximũ, Principis beneuolentiâ peculiari in meos deriuatum. Quod quicunq; oculis vsurpabunt, tot me SERENITATI V.ræ titulis obstrictum esse intelligent, quot litterarum apices, in diuulgando hoc accuratissimo Ecclesiasticorum Annalium volumine prælo me meo subiecisse conspexerint.

Vale SERENISS.me PRINCEPS ELECTOR, Clementissime Domine, & quo SERENITAS V.ra olim *Ludouici de Ponte*, ex eadem Societate Patris R.di, tum Meditationes, tum earum Compendium, primitias typographicæ industriæ meæ, SIBI à me dedicatas fauore complexa est; eodem hanc vitæ ac morum Magistram Historiam prosequere. Qui Ipse vitæ & morum nostrorum sacer es Magister, quippe Hierarcha, & germana forma Præsulis ouium suarum amantissimi. Quod dum dico, non me assentari velle vllus existimet. Siquidem Historia, vti nec assentationi componitur, ita nec eidem imprimitur, sed fidei duntaxat & veritati. Coloniæ Agrippinæ, ex officinâ meâ librariâ. Añó à nato Saluatore M.DC.XXXIX. prid. Kal. April.

SERENITATIS VESTRÆ

Deuotus Cliens

Ioannes Kinchius.

LECTORI BENEVOLO, ac breuitatis amanti S.

I. Autor scripsit Epitomē ac liberā dam fidē suam.

IN primo ipso Annalium nostrorum limine (Candide Lector) cum tibi primùm rationem redderem instituti mei, spoponderam non inuitus, etsi maiori gratificandi studio, quàm necessitatis, aut vtilitatis opinione, me eorum Epitomen, vel in tenuiorum gratiam, vel eorum, qui maioribus, aut necessarijs occupationibus distenti, multis, vt Neoptolemus ille, philosophari non possunt, aliquando confecturū, si eam vehementius à studiosis desiderari cognoscerem. Nunc autem decem istis duodecim ve annis, quibus ijdem Annales legi cognoscique potuerunt, tota pene Europa tot habuimus, talesque viros, qui Epitomam à nobis amica, sed quotidiana pene flagitatione postularent, vt victas denique manus dare, & fidem nostram liberare cogeremur. Alienior profecto eram, fateor, à dispendiosis hisce compendijs, non solum quia contractio & breuitas dignitatem non habet, vt ait Tullius, & multas legendi excludit illecebras; sed quod ea in perniciem legitimorum operum, procudi iampridem nasciique didicissem; vt propterea alia omnia cogitarem, & laborem meum, ac tempus, & si quam industriam aliò transferendum putarem. *In Præf. to cā. 6. num. 6.*

II. Quæ de Epitomis in vtramque partē dici possint.

Vrgebant illi nihilominus, res enim non semel in disputationis contentionem venit, & constanter affirmabant id malum vitari non posse hoc tempore, atque hoc pene infinito multarum gentium breuitatis amore, & impatientia studij prolixioris: multosque cum contrahendi laborem, inconsulto atque inuito autore partim iam aggressos, partim propediem aggressuros, qui rem minus fortasse feliciter confecturi essent, quam Autor ipse. Quibus cum responderemus, Epitomen quidem ab Autore confectam, gratiorem Lectoribus atque acceptiorem fore, non dubitantibus eum, in re qua de agitur intelligenda & contrahenda, cæteris palmam præreptarum, quamuis idipsum dubitatione non careat; dicebamus tamen neminem celerius, ac facilius, opus quod contrahendum suscipitur, autore proprio sepelire posse. Lector quippe non imperitus rerum æstimator, iure ac merito dicturus est, autorem operis alicuius non improbati abunde cognouisse quæ in eo memoria, vel lectione digna censeret, eaque in Epitomen suam coniecisse; cætera valere posse, blattis tineisque nutriendis. At de alio quopiam breuiatore recte dicet, ita quidem coarctator iste iudicauit; inuerit tamen ipsum adire autorem, atque consulere. Atque ita fiet, vt primarium ipsum opus apud studiosiores conseruetur & viuat.

III. An ne maiora opera pericli-centur.

At illi contra. Non absurde tu quidem ratiocinareris, inquiunt, de periculo amittendorum librorum. Et sanè magnis operibus metuendus esset interitus, nisi singulari Dei Prouidentia, erudito isti seculo, atque illi periculo arte typographica prouisum fuisset, quæ facili negotio, multiplicatis ad multa millia exemplaribus, annos, & bella, & incendia, & inundantes imbres, animosa prouocat ad certamen. Non ita res habet in manu scriptis codicibus, quorum, vt pauca olim extabant exemplaria, & in paucis erant Bibliothecis, facile eis afferebatur interitus, vt res ipsa docuit etiam in optimæ notæ scriptoribus, quorum vix vllus est, qui luculentam aliquam plagam ab edaci vetustate non acceperit; & longè etiam pluribus supremam cladem attulisset, nisi solers quæpiam diligensque prouidentia, chartis istis aut membranis calamo exaratis opem tulisset.

IV. Neminē ius doctū euadere.

Sed est nihilominus; inquiebam, quod studiosos à compendijs aut scribendis, aut lectitandis, cum integra ipsa volumina non desunt, merito deterreat; quoniam omnium confessione doctorum, nemo ijs ne mediocriter quidem doctus possit euadere. Hæc enim in pauca redacta facile præteruolant, neque altas defigunt in mente memoriaue radices, vt solet plena & accurata narratio, quæ causas, adiuncta, peristases, euenta, modosque rerum gestarum recenset; defluxum autem memoriæ, mera ignorantia consequatur necesse est. Videtis vt in istis opificum artificiis, non pauci dies delibandæ scientiæ, sed plurimi anni, atque adeo ad perfectionem aliquam, tota vita pertinaciter impendantur? Videtis pictores, statuarios, sculptores, aurifices, cæterosque paulo nobiliores artifices, operi quemque suo non immorari, sed immori? & erit nihilominus qui Medicinam vel Iurisprudentiam, Oratoriam, Historiam, Poëtim, variarum linguarum peritiam, Philosophiam, Theologiam, Mathematicasque disciplinas quasi per transennam imbuere contentus sit?

Instant

Instant illi rursum,&, Vtcunque,aiunt,ista dicãtur,negari profectò non potest,contractiores hasce narrationes posse repeti sæpius in subsidium memoriæ,cum ingentia volumina Lectores sua mole deterreant,ne ea vel semel legenda suscipiant. Et si verum fateri volumus,Epitome commode & ratione confecta, & ieiunitatem inter & vbertatem media,non tyronibus modo,sed eruditis quoque prodesse potest.Nam illi rudi quadam specie informantur eruditionis, & quasi initiantur, puta historiæ temporum rerumque gestarum , vt non vltra ignorent vter antecesserit Abrahamus an Dauid,Iulius Cæsar an Alexander: quæ prioribus seculis Imperia in orbe floruerint, quæ nationes diutius imperarint,quæ fines Imperij latius propagarint.At doctus ille, diu multumque in omni doctrinarum genere volutatus , cum decursum coactæ in angustum tractationis audiuerit,legeritue, facile memoria repetet , si qua cœperant esse fugitiua,& memoriæ thesauro postliminio restituet:auditis cursim assensum vel dissensum dabit:nec pœnitebit,beneficio breuiculæ lectionis,compendium facere laboris ac temporis.

V. Doctis nihilominus, indoctisque prodesse.

Nos igitur vel vtrisque gratificari, vel de vtrisque benè mereri cupientes, non cursim in hunc laborem incubuimus; præsertim cum nos tardiores, & ætas iam dudum reddiderit, & natura ipsa finxerit:sed tres ipsos annos in hac Sparta, atque etiam amplius collocauimus,dedimusque operam,non vt strictim omnia, & quàm breuissimè diceremus,sed vt optima quæque plenius,& totidem sæpe verbis, quibus in Annalibus eramus vsi; cætera,vel præteriremus planè,vel cogeremus in pauca:& nihilominus studiosum Lectorem ad Annales amandaremus,indicatis subinde locis, ex quibus res vberiùs explicatæ petendæ forent.Itaque vix vnquam , ac ne vix quidem , varias autorum opiniones congessi, nedum eorum verba descripsi,rarò etiam refutaui, sed sententiam,quam iudicaui probatissimam,amplexus,eam memor instituti studui constabilire paucis.Nonnulla tamen obiter,quæ ad rem non parum facere videbantur,Annalibus adieci,& in hanc eius deriuaui prolem : dumque illos in hac edenda perlegerem,eadem errata,quæ vel typographis,vel obrepserant ipsi mihi, non negligenti opera emendaui. Denique pleraque in vtroque opere, amicorum nonnunquã monitu , meliora feci : dedique operam,vt ne mihi , quasi sine liberis mortuo , alius quispiam etiam viuo suscitaret semen,cui alienum nomen,vestemque tribueret.Non enim parum interesse puto, vt Annalium,& Epitomes ipsorum,vnus idemque sit spiritus,idem sensus,idem,quantum fieri potest,orationis color ; nam eiusdem corporis eadem est constitutio,idem succus ac sanguis, quamuis alia atque alia ætate , non eadem sit corporis moles.

VI. Quid in hac Epitome ab Autore præstitũ.

Interim autem dum discessum paro, saluete, ac valete Lectores mei, & propitium mihi Numen vestris reddite precibus. Dumque inter legendum, res ieiuna locis aliquibus apparebit ac nuda, omni ornatu orationis, tanquam veste detracta , vos ipsos accusatore,qui famem copiæ prætulistis, non me, qui in Annalibus lautiorem mensam vltrò praueram, ad quam etiamnum adire licebit cum bona venia, etiam plenisque locis inuitante me, vt, si qua forte exorta est,depellatur fames , & sicubi quid obscurum fuerit, lucem accipiat pleniorem. Videte porro quorum vobis librorum Epitomen damus.

VII. Valedictio lectorib.

TOTVM OPVS ANNALIVM VETERIS TESTAMENTI IN Sex Tomos,siue Partes distributum est.

Primus Tomus *ab Orbe condito ad ortum vsque Mosis , annos bis mille quadringentos , & sexaginta tres omnino complectitur, totamq; Naturæ legem , libro Geneseos comprehensam.*

Secundus *à natiuitate Mosis,ad Pontificatum Heli,& Samuelem Prophetam progreditur : gesta Mosis,Iosue,Iudicumque duodecim comprehendit,& annis sex & triginta supra quadringentos circumscribitur. Ab Exodo,vsque ad Regum libros.*

Tertius Tomus *habet Regnum Israelitarum sub Saule , Dauide, & Salomone : Heli & Samuele præmissis , centum & sexaginta annorum decursu,ex Regum voluminibus , & Paralipomenon.*

Quartus *à diuisione Regni Israelitici sub Roboamo Rege,vsque ad Nabuchodonosorem, & captiuitatem Babylonicam euntem protenditur , ex ijsdem libris; additis Tobiæ, Iudithæ, & Prophetis eorum temporum , annis quadringentis & quinquaginta septem.*

Quintus *ab Imperio Cyri ducit exordium , & Persarum Imperium , magnamq; partem Macedonicæ dominationis amplectitur.Ibi Esdræ, Nehemiæ , Esther , & vltimi Prophetæ; & anni trecenti sexaginta duo.*

Sextus & postremus *à regno Antiochi Epiphanis, ad Christi Domini mortem decurrit , ad annos ducentos & octoginta, libris Machabæorum illustratur , Euangelici libri in suos digeruntur annos.*

Pri. 246.
Sec. 436.
Ter. 160.
Quart. 457.
Quin. 562.
Sext. 203.

Anni omnes quater mille, & octoginta sex. 4086.

FACVLTAS ET APPROBATIO.

EGo infra ſcriptus Societatis IESV in Prouincia Franciæ Præpoſitus Prouincialis, &c. permitto vt imprimatur liber, cui titulus, *Annalium Eccleſiaſticorum Veteris Teſtamenti Epitome*, à IACOBO SALIANO *Societatis IESV Presbytero*, edita, &c. Quam eiuſdem Societ. noſtræ aliquot Theologi examinarunt & approbarunt. Datum Pariſijs 1. Maij 1634.

Bartholomæus Jacquinotius.

COPIA PRIVILEGII.

CVM ex mandato Sacræ Cæſareæ Majeſtatis, omnibus & ſingulis Typographis, Bibliopolis, ac alijs quamcunq; librariam negotiationem exercentibus ſeriò, firmiterque inhibeatur, ne quiſquam libros vllos à Societatis noſtræ Patribus hactenus editos, aut in poſterum edendos, intra S. Rom. Imperij, Regnorum & Dominiorum Suæ Cæſ. Majeſt. hæreditariorum fines, ſimili, alioue charactere, aut formâ, ſiue in toto, ſiue in parte recudere, vel aliò recudendos mittere, aut alibi etiam impreſſos adducere, vendere & diſtrahere, clam ſeu palam, citra ſupradictorum Patrum conſenſum ac teſtimonium audeat, vel præſumat: Ego GOSVVINVS NICKEL Societatis IESV per Prouinciam Rheni Inferioris Prouincialis, concedo IOANNI KINCHIO Bibliopolæ Colonienſi facultatem excudendi EPITOMEN ANNALIVM ECCLESIASTICORVM VETERIS TESTAMENTI, R. P. IACOBI SALIANI Societatis noſtræ Theologi &c. Datum Coloniæ 24. Martij Anno 1639.

Goſvvinus Nickell.

ANNALIVM ECCLESIASTICORVM VETERIS TESTAMENTI EPITOME,

AB IPSOMET AVTORE FIDELITER ACCVRATEQ; CONFECTA.

APPARATVS AD ANNALES ECCLESIASTICOS.

DE STATV AVTORIS MVNDI *ante Mundi constitutionem.*

CAPVT I.

IN principio [a] *erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, hoc erat principio apud Deum.* Diuina planè vox, & diuino Euangelistâ dignissima, qua ora impia, & profana loquentium hæreticorum obstruãtur, Iesu Christi Domini nostri diuinitatem negantium, & à Ioseph, beatissimaq; Virgine initium accepisse garrientium: conceptum, natum, educarum more modòque cæterorum. Diuina vox, qua perditorum etiam hominum, qui in profundam peccatorum, atq; impietatis delapsi voraginem, ausi sunt insuper *dicere* [b] *in corde suo, non est Deus*, impudens facies, quodam quasi fulmine verberetur. Diuina denique vox, qua sublimiorem etiam ingeniorum studijs, & desiderijs satisfiat, in quorum corda antiquæ cogitationes ascendunt, & qui cum Propheta regio, [c] *annos æternos in mente habent.*

Principiò enim hoc oraculo profanus Cerinthus, qui tam abiectè de filio Dei, eodemq; hominis filio sentit, intelliget ab eo qui è dilectissimi magistri pectore, copiosè hausit abstrusa, & occulta diuinæ sapientiæ, atque naturæ, vt nobis sine paraboli structaret [d] *abscondita à constitutione mundi*; ab eo, inquam, intelliget ab vltima vsque æternitate, [e] *antequam quidquam faceret à principio*, fuisse Deum Patrem, & apud ipsum Filium eius, in quem essentiam suam totam, cum omnibus illius bonis, æterna generatione transfudit: fuisse Verbum eius, conceptum sapientiæ, diuinæ mentis actione vitali progenitum: imaginem eius, quæ non externos quosdam oris ductus, & lineamenta repræsenter, sed quæ *sit* [f] *figura substantiæ eius*, à patre ad eum repræsentandum procedens: fuisse splendorem gloriæ eius, & candorem lucis æternæ, coæuum ipsi fonti luminis, sine vlla motione, aut mutatione propagatum: eadem numero cum patre sapientia, potentia, bonitate præditum, cæteris que omnibus diuinæ naturæ attributis. Intelliget denique [g] *primogenitum omnis creaturæ*, cuius ortus omnem rerum creatarum productionem antecessit, quique illas ipsas initio temporum produxit ex nihilo, ad easpet peccatum corruptas, restituendas in integrum, humanam in vtero Virginis assumpsisse naturam, eamq; sibi indissolubili vinculo sociasse; in ea, quæ in sinu patris didicerat, reuelasse, mirabilia opera fecisse, & multò admirabiliora pertulisse.

Hoc ipso Ioannis oraculo Protagoræi sti, & Diagoræ Melij, & Theodori Cyrenaici, qui diuinum numen vel in dubium vocant, vel è medio nefariè tollunt, mendacij omnium scelestissimi, atq; impudentissimi arguuntur. Cum enim nihil à seipso factum esse possit, & in causis efficientibus progressio in infinitum dari non possit, ad vnam aliquam veniendum est, quæ non

[a] Num. 1. Euangelistæ oraculum de Autore mundi ante mũdi creationem.

[b] *Psal.* 13. 1.

[c] *Psal.* 76. 6.

II. Eo Cerinthus refellitur.

[d] *Matt.* 13. 35

[e] *Prou.* 8 22.

[f] *Heb.* 1. 3

[g] *Coloss.* 1. 15.

III. Et omnes Athei, quos ratio ipsa arguit falsitatis.

sit ab alia, & à qua facta sint omnia, quam vocamus Deum; id est Patrem, per Verbum suum, ac Spiritum sanctum omnia producentem: atque conseruantem. Illa porro causa, quæ ab alia non pendet, à qua sumere possit initium, necessariò semper fuit: semperque futura est, cum nulla sit causa potentior, quæ illi interitum afferre possit; sed ab ea vim omnem suam cætera perpetuò mutuentur, ac mendicent.

IV. Eodem personarum pluralitas in diuinis traditur.

Et diuina quidem natura inuisibilis & æterna, per hæc ipsius opera, quæ sub aspectum cadunt intellecta conspicitur, ita vt sint inexcusabiles ij, quorum corda eò insipientiæ progressa sunt, vt Deum non cognoscerent, vel cognitum debito honore fraudarent, vt testatur Apostolus, [h] Sapienti consentiens, [i] qui tanto ante dixerat, ab excellentia & pulchritudine rerum creatarum, potuisse earum conditorem agnosci, [k] *Cæli* quippe *enarrant gloriam Dei.* Verum quoniam creata omnia clamant quidem, *Scitote quoniam Dominus ipse est Deus, ipse fecit nos, & non ipsi nos:* [l] sed personarum numerum non produnt: quippe quæ à Deo vt vno, non autem vt trino profecta sunt: ideo Euangelista illum Creatorem non vna tantum, sed pluribus personis constantem denunciat. *In principio,* inquit, *erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, omnia per ipsum facta sunt,* quod de cœlis ante significauerat Dauid, *Verbo Domini,* inquit [m] *cœli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Et Moses vniuersè de omnibus, *In principio creauit Deus cœlum & terram,* [n] *& Spiritus Domini ferebatur super aquas.*

h *Rom.* 1. 20. 21.
i *Sap.* 13. 5.
k *Psal.* 18.
l *Psal.* 99. 3.
m *Psal.* 32. 6.
n *Gen.* 1.

V. Vbi esset Deus ante mundum cõditum.

Sed quid canit nostra hæc Aquila regia, quæ non solum nubes, sed vniuersos cœlorum globos transgreditur? quid, inquam, canit, quo satisfiat ijs, qui [o] *scrutantur etiam profunda Dei?* Qui etiam atq; etiam requirunt, vbi esset Deus ante mundum conditum, quæ eius regia, quod palatium, quis locus habitationis gloriæ eius, quid ageret seculis innumerabilibus, qui famuli ministrarent ei. Respondet Euangelista. In principio, antequam quidquam crearetur, Verbum fuisse, & ab omni retrò æternitate fuisse apud Deum patrem, & cum ipso, & in ipso, vnà cum Spiritu sancto egisse atque agere beatissimam vitam. Quibus consentanea scribunt Augustinus, [a] Basilius, [b] alijque sancti patres. Concinne [c] Tertullian. *Ante omnia,* inquit, *erat Deus solus & ipse sibi, & mundus, & locus, & omnia.* Docet iam Bernardus [d] cum ostendisset cœlum & terram diuina præsentia ac maiestate esse repleta, subdit. Alias vero vbi erat ante quam mundus fieret, ibi est; non est quod quæras vltra vbi erat, præter ipsum nihil erat, ergo in se ipso erat. Ex quo non inepte Poëta quidam:

o 1. *Cor.* 2. 10.
a *In Psal.* 122.
b *Hom.* 16. *de vanit.*
c. *l. contra Praxeam* c 5.
d *l.* 5. *de Consi.*

Dic vbi tunc esset, cum prater eum nihil esset,
Tunc vbi nunc, in se, quoniam sibi sufficit ipse.

VI. Quid cũ faceret.

Ante mundum igitur conditum ipse sibi regia erat, & palatium, nullo definitus loco, quippe nullus erat locus: ipse in seipso seculis innumerabilibus, & annis æternis sua sapientia, pulchritudine, bonitate fruebatur: intuebatur admirabiles perfectiones suas, cum inæstimabili gaudio, in quarum contemplatione producebat Verbum suum, & cum eo infinitum amorem personalem Spiritum sanctum. Cogitabat de condendo mundo suo tempore, & ciuitate Electorum: quos iam tum sigillatim intuens, ac benedicens summo amore complectebatur; de reparando, per incarnationem Verbi, humano genere per peccatum perituro, & in melioremstatum reuocando cogitabat. Hæc aliáq; id genus erant opera eius, hæ ipsius cogitationes antiquæ, quas per [e] *annos æternos in mente habuit,* te nulla extra se ad summam beatitudinem indigens: sicut nec factus est, omnium rerum creatarum accessione, beatior. Sed hæc ipsa, & id genus alia, luculentiùs suggerunt Annales ipsi, [f] illudque nominatim, fuisse tum Deum nihilominus, & esse nunc, pro sua immensitate, in infinita spatiorum inanitate, in qua hunc mundum condidit, plurimosque alios creare potuisset.

e *Psal.* 76. 6.
f *Apparat.* c 1. n. 20.

DE PRODVCTIONE MVNDI, eiusque autore.

CAP. II.

OMnia per ipsum facta sunt.) [g] Hæc est altera pars diuini oracli Ioannis Euangelistæ, quo omnium creatarum rerum productio Dei Verbo, quæ est increata Sapientia, tribuitur; sicut eidem postea earundem instauratio, per mysterium Incarnationis tribuetur. Neque tamen ea fuit Euangelistæ mens, vt Pater, aut Spiritus sanctus ab opere Creationis excluderentur. Indiuisa quippe sunt opera Trinitatis. Sicut enim in Deo vnus est in tribus personis intellectus, & vna voluntas, ita & vnica operatio, quæ ex directione intellectus, & voluntatis electione proficiscitur. Itaque Patri quoque creatio vel maximè tribuitur in symbolo Apostolorum ac Niceno, & eo quod in sancto Missæ sacrificio recitatur. Accedit Paulus Apostolus [h] *Nobis tamen,* inquit, *vnus Deus Pater, ex quo omnia.* Sed & Spiritum sanctum mundi creatorem agnoscit Esaias [i] cum recensita productione cœli, terræ, & aquarum, quibus omnia, quæ ex nihilo creata sunt, comprehenduntur, sicut & initio Geneseos, subdit. *Quis adiuuit Spiritum Domini, aut quis consiliarius eius fuit?* Agnoscens videlicet, & confitens Spiritum Domini rerum omnium opificem atque architectum.

g *Ioan.* 1.

I. Omnia per Verbum, totamque Trinitatẽ condita.

h 1. *Cor* 8. 6.
i c. 40. 13.

Quam veritatem non planè videtur antiquitas ignorasse, cum legamus Orpheum Lebetrium, mundum à tribus diis fabrefactum mystico poëmate decantasse, cæteroſque olim sapientes, poëtas, philosophos, theologos, Sibyllas, mundi autorem Deum mille locis enunciasse; quorum nonnulla testimonia, in Annalibus nostris, quos hîc contrahimus, seorsim reperies. Aristoteles autem etsi per manus traditam de mundi productione veritatem vehementer labefactare conatus est, asserta, omnisque studio probata vt putauit, eius æternitate, Deum nihilominus Mundi conditorem videtur agnoscere, ipsumque ex naturæ necessitate producentem. Scribit enim [k] *esse quoddam principium mouens immobile, atque actu, omnique ratione necessarium,* & addit ex tali principio *cælum ipsum, naturamque pendere.*

II. Tota antiquitas Deum Mundi autorem agnoscit.

k 12. *Metaph.* c. 7. *tex.* 38.

Quamuis autem nonnulli ex antiquis illis

III. Idq; certum est veritatis argumẽtum.

poëtis, imo & philosophis, non pauca falsa miscuerint acceptæ per manus veritati, tam ornãdi delectandiq; studio, quam illius occultandę, ipsum tamen narrationis solum ac fundamentum tam antiquum, tam latè per omnes gentes sparsum, atque fusum, quo Deus Mundi autor asserit̃, non potuit non esse certissimum. Nam opinio in quam omnes gentes consentiunt, vix potest esse falsa, vt autor est Arist. [1] Opiniones enim fabulosæ, quæ sæpe mentibus hominum insinuauere sese, nec fuerunt vnquam omnibus nationibus communes, & sensim sine sensu euanuerunt. At hæc opinio, & maximè communis in orbe fuit, & altiores in dies hominum mentibus egit radices. Neque mirum; falsæ enim opiniones duplici ex capite ortum habẽt, vel ex deceptione sensuum, vt qui solem pedalem, aut cœlum cæruleum putant, vel ex perturbatione affectuum, quibus persuasum est plerisq; in voluptate esse summum bonum. At hęc opinio cum ex sensuũ iudicio minime pendeat, nec humanis affectibus blandiatur, sed eos potius ratione contineat, & summi Dei non venerationem modo, sed etiam timorem inducat, non potuit, nisi ex certa ratione, aut originem, aut stabilitatem habere.

[1] *de Diuer. s. c. 1.* Opiniones falsæ vnde.

IV. Quod ratio quoque demõstrat. m Rõ. 13. 2 n *Prou.* 8. 31.

Quæ sunt à Deo, ait Apostolus [m], *ordinata sunt*, non potestates solum, sed plane res omnes. Ab illa vtique sapientia, cuius est illa vox [n], *Cum eo eram cuncta componens*; vt planè dementissimi cerebri sit tam admirabilem in rerum natura distributionem & ordinem, qui sui spectatores in stuporem ait, casui, fortunæue tribuere. Et cum nauim, horologium, picturam, vestem, ædificium, aut quoduis aliud arte factum, nemo sanus aut sobrius nisi artifici tribuat, quomodo maximæ, atque sapientissimæ industriæ opus, quale est mundus hic totus, alteri quam summo atq; sapiẽtissimo architecto tribuatur? Adde quod insita est omnium hominum mentib. illa de Deo notio, illum vt omnium rerum perfectissimum credamus, & omnium perfectionum quæ esse possunt abundantissimum: at nisi Deus esset causa rerum creatarum, vna illi de maximis perfectionibus deesset, quas in rebus creatis agnoscimus; nimirum esse causam, quod excellentiam quandam secum inuehit, vt docti omnes, indoctique consentiunt.

QVARE DEVS MVNDVM produxerit.

Cap. III.

I. Ordo dicendorũ

QVoniam & Scripturæ autoritas, & omniũ nationum consensus, & ratio ipsa confirmat Deum opt. max. mundi opificem atq; autorem esse; age videamus quænam illam intelligentem naturam causa impulerit ad magnum hoc productionis rerum opus: tum de tempore, modo atque ordine huius operis breuiter disputandum erit: sic enim ordine congruo ad susceptam de rerum productione cum Mose narrationem delabemur, quo scilicet spectat noster hic omnis apparatus.

Sap. 1. 14 Prima causa cõdendi mundum

Tres sunt de fine huius productionis sententiæ celebriores. Affirmat enim Sapiens [s] omnia fuisse à Deo creata vt essent; non autem vt ea mox pro potestate dissiparet, ac perderet. Nam, vt ibidem ille ait, *Deus mortem non fecit, nec delectatur in perditione viuentium.* Scitè enim Chrysippus, inquit M. Tullius, [b], *vt clypei causa inuolucrum, vaginam autem gladii, sic præter mundum, cætera omnia aliorum causa esse generalia.* Quæ sententia non ait mundum nullum ad extrinsecum finem, puta laudem & gloriam conditoris sui esse productum. Voluit n. eius architectus, vt, per creatarum rerum contemplationem, ad Creatoris cognitionem, venerationem, atque amorem, per quosdam quasi gradus ascenderemus. Sentit potius Vniuersum esse quoddam Totum, ex pluribus conflatum partibus, quarum singulæ sint propter actus & operationes suas, vt auris ad auditionem, oculus ad visionem; omnes autem propter perfectionem Totius. Sic recte dicitur vniuersum esse propter semetipsum, cum non sit pars alicuius totius, ad quod referatur.

An propter se conditus fuerit. b *l. 2. de Nat.*

Altera sententia Mundum hunc hominis causa conditum esse docet. Cum enim finis sit quid optimum, autore Philosopho; [c] nihil autem sit in hoc mundo aspectabili homine melius, consequens est vt eum eius finem esse fateamur. Dicì enim non potest propter spiritales illas mentes, licet sint homine præstãtiores, creatum esse Mundum, siue vt eius beneficio intelligant, siue vt conseruentur. Cum enim corpore vacent, neque victu egent neque vestitu ad conseruationem suistẽd neq; ad intellectionem, siue quia in Deo ipso melius obiecta vident, quàm in creatis rebus; siue quia Angelis ingenitæ sunt species quibus intelligunt, nec eas à rebus haurire coguntur. Aristoteles certe [d] nostri causa omnia parata esse fatetur, ideoq; nos eorum esse quodammodo finem. Exeadẽque sententia scribit [e] plantas esse animalium causa, & cætera animalia causa hominum: denique naturam, quæ nihil frustra facit, omnia hominum gratia fecisse.

II. Secunda propter hominẽ. c *l. 2. Phys.*

Nõ propter Angelos.

d *2. Phys. c. 2.* Confirmatur ex Arist. e *1. Pol. c. 5*

Nec dissentit Latinus Orator, [f] qui hominis causa cætera omnia, ipsum autem hominem ad iustitiam natum esse contendit. Lactantius hũc ipsum locum ex instituto tractans, [g] longa disputatione, & enumeratione rerum, quæ terra, mari, cœlo continentur, confirmat Stoicorum sententiam, putantium omnia facta esse propter hominem. Quibus cum Academici obijcerent multa pestifera, & homini noxia, quæ in rerum natura existunt; respondebant multa esse quorum vtilitas latet, eamque temporis progressu patefieri. Qua ille responsione repudiata, causam refert in diuinam prouidentiam, quę cum vni homini sapientiam inspirasset, proposuit etiam bona & mala, in quibus dijudicandis illa verlaretur, eiusque ductu vt bonis frui, ita & mala cauere posset. Gregorius Nissenus, libr. de hominis opificio, [h] pluribus docet omnia propter hominem esse condita. Quod cum Dauid, [i] tum Paulus ipse confirmat. [k] *Omnia vestra sunt*, inquit, *siue mundus, siue vita, siue mors, siue præsentia, siue futura: omnia enim vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei.*

III. M. Tull. Lactant. Nyssen. &c. f *l. de leg. ma trad. ad hominum, &c.* g *l. de Ira Dei c. 13. & 14.*

Quib. verbis commode nos quasi manu ducit Apostolus ad verissimam illam certissimamque sententiam, quam Sapiens aperte tradidit. *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus.* Nimirum sicut ipse vnus primum est princi-

h *Vniuersus creatorum thesaurus, &c.* i *Psal. 5.* k *1. Cor. 3. 22.* l *Prou. 16. 14.*

IV. Tertia causa condẽ-

di Mundū Deus ipse omnium finis.

m *In Apolog.*

n *l. de Ira Dei c. 14. Sicut mūdum, &c.*

V. Diuinum consiliū in condēdo mūdo

pium rerum omnium, & ad eum relatæ causæ omnes, principiaq; in affectis numerandę sunt: ita etiam vltimus est finis, ad quem fines omnes referuntur, & mediorum rationem induunt. Hunc mundum, inquit Iustinus Martyr,[m], non temere conditum esse dicimus, sed generis hominum causâ; ipsum vero hominem, vt esset Dei autoris sui. Quæ copiosius deducit Lactantius[n] eique consonat Epictetus.

Certe quod fuerit à principio cōsilium Dei, ex effectis intelligendum est, quibus tanto ante prouisus ad agēdum videatur inductus. Voluit nimirum sanctam Electorum omnium societatem in cœlo, quasi regiam quandam ciuitatem condere, cuius princeps esset ille idem, per quē facta sunt omnia, qui factus homo, Pater etiam fieret futuri seculi, & omnium hominum, qui æternam beatitudinem consecuti, diuinam potentiam, sapientiam, bonitatem, in omnem æternitatem prædicabūt. Eam vero felicitatem, quia mercedis nomine dare voluit, simul etiā voluit hunc Mundum esse quasi decurrēdi stadium, quasi armorum palæstram, & militiam, quasi vineam diurna vita huius contētione excolendam. Ad id meritum quasi necessaria erat gratia, filium suum futuri seculi patrem, & præsentis reparatorem dedit, qui pro suæ dignitatis infinitate, meritis locuples, & gratiarum omniū thesauris, easin omnes omnium seculorū mortales, vt caput in membra, vt fons in riuos, vt radix in truncum ramosque diffunderet. Sed quoniam nō spiritali tantum, sed terrena quoq; parte constamus, quarum ignobilior nobiliori famulatur, ad eamque, vt ad proximum finem refertur, hanc immensam rerum corporearum syluam produxit Deus, quæ homini seruiat, eum nutriat, vestiat, oblectet, & ad finem illum suum consequendum iuuet.

QVO TEMPORE MVNDI CONDITOR Mundum produxerit.

Cap. IV.

1. Mundus creat° in principio rerum, & temporū a *Gen.* 1. b *Prou.* 8. 21.

DE tempore, & quasi ætate Mundi concertantibus philosophis silentium imponere videtur Moses cum ait[a], *In principio creauit Deus cœlum & terram.* Quamuis enim principij vocabulum rerum ordinem hoc loco significare videatur, interprete Salomone[b], *initio*, inquit, *viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio.* Principium tamen temporis recte quoque significat: vt intelligamus non solum nihil aliud creatum ante cœlum & terram, non angelos, non informem materiam: sed etiam creationē cœli & terræ non fuisse ab æterno, quod aliqui ingenij subtilitate confisi, se demonstraturos confidebant, sed initium durationis habuisse; quandoquidem mox primus dies numeratur, & alij deinceps vsque ad productionem Adami, ex quo anni Mundi consequenter recēsentur. Certe concilium Lateranense definit[c] *Deū initio temporis vtramque simul de nihilo condidisse creaturam, angelicam & mundanam.*

c c. *Firmiter, de sūma Trin. & fide catholica.*

II. Nec fuisse ab æterno.

In principio ergo rerum & temporum factus est mundus; ab æterno autem is fuit[d], *qui solus habet immortalitatem & æternitatem.* Nāin æternitate mundi refutanda non est quod operam ponamus non necessariam, ne actum agamus. Quin etiā maxima pars Christianorū philosophorum eò progressa est, vt ne potuisse quidem esse ab æterno rem vllam creatam, siue spiritalē siue corpoream, omni ratione contendant.

d 1. *Ti.* 16.

Ad hunc etiam locum pertinet celebris illa controuersia de anni parte, in qua Mundus cōditus esse videtur. Sed præcipua est de Vere & Autumno controuersia. Autumno n. Scriptura videtur fauere, quæ dum agit de mense egressionis ex Ægypto, quem vocat mensem nouarum frugum, qui postea appellatus est Nisan. *Mensis iste*, inquit, *vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni.* Apparet novam eo loco fieri constitutionem de anno in vere inchoando, in memoriam accepti beneficij. Alium ergo mensem primum habuerunt Hebræi ad id vsq; tempus. Nam si is tam primus erat ab orbe cōdito, frustra statuebatur vt is primus esset in mēsibus anni. Deinde Eua fatetur arbores non floribus, vt verno tempore, ornatas esse, sed fructibus oneratas cum ait[f], *De fructu lignorum quæ sunt in Paradiso vescimur.* Fauet etiam huic sententiæ festum Tabernaculorum, quod constat septimo mense fuisse celebratum, quod Dominus in exitu anni celebrari iubet[g], quando fruges omnes de agro collectæ sunt. At exitus, vt in circulo, cohæret initio. Ideoq; Iudæi festum Tubarum, quod primo die Septembris celebrabatur, vocant caput siue principium anni: nec nisi ratione festorum, Nisan primūm mensium à Mose dici arbitrantur: in cæteris negotiis publicis, priuatisq;, annos à Tisri, siue Septembri numerari, quibus præit Iosephus[h].

V. An in Autumno fuerit creatus.

e *Exo.* 12.

f *Gen.* 3. 2.

g *Exod.* 23. 16.

h *l. 1. Ant. c. 4.*

V. An potius in vere

Quibus priusquam respondeamus, videamus quæ pro vere faciunt. Facit autē in primis quòd pro eo multo plures, præstantioresque sententiam dicunt, vt ij quoque fatentur, qui initium mundi Autumno tribuunt; quos inuenies in Annalibus[i] longo ordine numeratos. Probatio petitur ex Scriptura[k], *Germinet*, inquit, *terra herbam virentem, & lignum pomiferum faciens fructum*, quod veri maxime conuenire nemo negare potest. Ex eoque loco S. Damascenus[l] hanc sententiam probat, *Per solem*, inquit, *quatuor anni conuersiones constituuntur, quarum prima verna est, in qua Deus res vniuersas condidit, idque ex eo constat, quod nunc quoq; vere flores germinant.* Ex eodem quoque loco probat hanc sententiam Cyrillus Hierosol. & Theodoretus[m].

i *Appar. c. 4. num 6.*

k *Gil. c. 11. l. 1. de fid. c 7.*

m *in Exo*

V. Altera probatio.

Probatur quoq; hæc sententia ex 12. Exodi, quo ex loco prior quoque sententia probari videbatur. n *Mensis iste vobis mensium, primus erit in mensibus anni.* In Hebræo textu vtrumq; membrum caret verbo substantiuo. Septuagint. supplent tempus præsens ἐστὶν, quomodo legerunt Sancti Patres, qui ex hoc ipso loco initium Mundi verno tempori tribuunt, in quib. eminent S. Ambrosius[o], & S. Gregorius Nazianzenus[p], prout à Niceta quoque explicatur & plerisque Rabbinis, quos vterq; memorat. Eadem est Ruperti sententia[q]. Neq; est qui non facile videat Mundi origini & productioni rerum, Ver potius quam Autumnum conuenire, cum Ver ortui sit aptius, Autumnus interitui. Ver adolescentiæ respondeat, Autumnus senectuti: Sed hæc ex responsione argumentorū illustriora fient, atque certiora. Ille enim Exodi locus pro nobis facit, vt ex Ambrosio, &

n *Exo.* 12. 2.

o *l. 2. Hexæm. c. 4.*

p *Orat. 42.*

q *l. 4. in Gen. c. 25.*

Respōdetur loco Exodi.

Nazian-

Nazianzeno diximus. Nec textus hebræus aut græcus priori sententiæ fauet, latinus autem, qui cæteros illustrat, nihil nobis nocet. Significatur enim eum mensem, qui primus est ordine, atq; origine, deinceps primum fore etiam dignitate, propter Paschalem celebritatem, quæ cæteris festiuitatibus moderatur.

VI. Satisfit loco Gen.

Nec Eua huic sententiæ negotium facessit. Nam primum dicimus aliquid illo anno præter futurum ordinem, in fructuum acceleratione contigisse, vt Gregorio quoque de Valentia visum fuit [a]. Et experientia constat aliquando tepida hyeme, aut calidiore vere flores ac fructus, messes ac vindemias, vno aut altero etiam mẽse accelerari: quid mirum si illo anno cœlum nouum, & terra noua, Domini benedictione consecrata, in vsum primorum parentum, fructus optimos quàm citissimè, & quam abundãtissimè protulerit? Adde quod duæ tantum personæ nutriendæ erant, & facile est præcoces aliquos fructus in arboribus reperire, qui plures etiam hebdomadas aliorum maturitatem anteuertant. Sed neq; bestiæ tanto erant numero, vt non facilè reperire possent vnde viverent; cum alioqui [b] *neque serant, neq; metant, neq; congregent in horrea*, quibus tamen diuina prouidentia non vere tantum, terra vbiq; sponte germinante, sed per medias etiam hyemis glacies ac pruinas, liberalissime prouidet.

[a] d 5. q. 3. pun. 3.

[b] Matth. 6. 26.

VII. [a] Gen. 3. 2.

Puerile porro videtur illa primæ parẽtis verba [c] *de fructu lignorum, quæ sunt in Paradiso, vescimur*, in eam trahi sententiam, quasi illi omnium arborum fructibus in præsentia vterentur, cum illa tantum velit, permissum esse vsum omnium, sed temporib. suis, vt ex antithesi veriti fructus patet, quem nullo vnquam tempore liceret attingere. Quanquam Eua non ait se & conjugem suum de fructu omnium arborum comedere; erat eorum sapientiæ de omnibus eodem tempore edere velle, sed statis à conditore temporibus, vt nos nunc quoque facimus.

VII. Annus ciuilis in Autumno inchoatus. [d] Exod. 23. 16. Et qua de causa

Iam quod Iudæi, alijque populi orientales annum ab Autumno inchoarunt, ipsaque Scriptura anni finem [d] initiumq; in Autumno ponit, num propterea consequens est Mundum conditum in Autumno? Aliam eius rei causam maxime idoneam proferre possumus. Nam suã illi commoditatem, vsusq; populares sunt secuti. Cum enim plurimi essent in agricultura & pecoribus, Iudæi imprimis, collectis subinde tẽpus distractisq; frugibus, & collecta ex ijs pecunia, commodè contractus annuos locationum, cõductionum, emptionum, venditionum, aliosq; id genus celebrabant. Id quoq; Iudæis cõmodum fuit, tam in anno Iubilæi, quo agri ad pristinos Dominos, ex diuina lege reuertebantur: oportuit enim frugum collectione terminari, vt nouus possessor sementem in annum sequentẽ faceret. Sed nec annus sabbaticus nisi per sementem distinguebatur: vna enim à Septembri in alium Septembrem omittebatur. Nam quod priscum illum, quem memorat Iosephus, quidam ad mundi exordium referunt, male referunt: cum id Iosephus ad Ægyptiorum, de quibus proxime ante loquebatur, consuetudinem referat, quam Iudæi in Ægypto seruabant, & deinceps retinuerunt in contractibus suis; quamuis in festorum ratione aliud anni principium Moses Dei iussu constituerit.

Sed de his pro instituta breuitate satis; plura de illustri hac disputatione studioso lectori suggerent Annales ipsi, [e], vbi de cyclo solis & lunæ, & anno periodi Iulianæ, quibus Mundus fuerit conditus, inutilem ostendimus esse inquisitionem. Sed hanc nos cum illo poëtæ notissimo carmine claudimus; quod illi ex prisca traditione panxit [f].

[e] hoc 4. Appara tus.

[f] Georg. 1.

Non aliosprima crescentis origine Mundi
Illuxisse dies, aliumue habuisse tenorem
Crediderim, ver illud erat, ver magnus agebat
Orbis, & hybernis parcebant flatibus Eurи, &c.

QVOMODO A DEO MVNDVS *productus fuerit.*

CAP. V.

I. Mundu produ ctusne i an instãti

AD hunc modum pleraque pertinent, quorum nonnulla ad opificem ipsum, alia ad opus eius referuntur. Quæri enim potest, an libere produxerit, an vero, vt male putauit Aristoteles, ex necessitate naturæ. Deinde an generatione physica, an potius productione aliqua supernaturali: tertio in instantine, an cum temporis successione. Sed duabus illis quæstionib. omissis hoc loco, quæ ex ipsis Annalibus [g] peti possunt, tertiam dubitationem breuiter expendamus; quæ reipsa perit, An Deus Mundum sex dierum interuallo produxerit, iuxta Mosaicam narrationem, an vnico instanti; cum Scriptura quoq; dicat [h], *Qui viuit in aternum creauit omnia simul*. Quin & Moses postea [i], testatur eodem die non solum cœlum & terram, sed omne virgultum agri, & omnem herbam regionis esse productam: præsertim cum ne sol quidem esset adhuc, qui tres primos dies efficeret: nec illa temporis mora, & rerum distincta productio, & ornatus, diuinæ omnipotentiæ satis conueniat.

[g] c. 5. Ap

Vt vide potest.

[h] Eccli. 1 1. [i] c. 2. v. 4

II. Ite qui si cuntant.

Ita sentit Philo, Procopius Gazæus, & forte S. Augustinus, qui sex dies ad cognitionem angelicam refert, sed maxime Caietanus; qui in ea verba *fiat lux*, existimat vno die creata esse omnia; imo in principio diei artificialis Deum creasse omnia. Et quamuis Moses sex dies enumeret, vt perueniat ad septimam Dominicæ quietis, *secundum veritatem tamen*, inquit, *vnus tantum referendus erat dies, cum constet secundum diem non nisi repetitionem primi esse. Nec propterea finxit opera sex dierũ, sed accommodauit sex dies sex perfectionibus Vniuersi ordinatè se habentibus, ad significandum, quod res Vniuersi sunt à Deo dispositæ, ordinatæ, & consequenter se habentes inter seipsas, quemadmodum sex dies naturales.* Hæc ibi Caiet. qua capite quoque secundo inculcat.

III. An potis , lex , dierum ruccessione.

Verum hæc sententia à Scriptura aliena est; eique apertè vim facit: & communi sensui, & interpretationi sanctorum patrum repugnat. Si enim momento creata sunt omnia, qualis cõmunis sententia tradit post sex dies exitisse, sequitur non cœlum ex aqua, neque hominem ex limo terræ, sed ex nihilo esse productum: quæ enim puncto temporis creata sunt, ex nihilo creata sunt. Deinde si hæc omnia simul producta sunt, quomodo ordinate, & non potius confusissime à Mose digesta sunt? Nunc opor-

Absurd prioris sentẽti

tuit ante lucem corpora luminosa produci, & ante illa corpora firmamẽtum, in quo collocarentur? Quod si omnia simul cũ luce producta sunt, falsum est tenebras fuisse super faciem abyssi, neq; id de vllo instanti verum esse potuit. Neq; item terram fuisse inanem & vacuam, fuit n. in eodem instanti ornata plantis, arboribus, animalibus, æque ac post sextum diem: aliaque multa admittenda sunt, quæ sunt absurdissima.

IV. Respondetur obiectis ex Ii. Eccli. a *l.* 32. *Mer. a.* 19. b *Eccl.* 18. 1.

Audiendus potius magnus Gregorius, [a] qui ait Deum dici omnia vno die condidisse, licet Moses sex dierum mutatione variante, cuncta distinctè creata describat, quod rerum substantia simul creata sit, species autem non simul formatæ fuerint, verum sex dierum progressu. Nec Scriptura cum simul omnia creata dicit [b] cogit nos ad instans mathematicum, sed licet illud *simul* de certo spatio temporis, puta sex dierũ interpretari, quib. simul, id est, continenter, & sine vlla dierum interruptione produxit omnia. Quid etiam prohibet illud *simul* referre ad creationem propriè sumptam, quæ fit ex nihilo, qua ante primum diem cœlum, terra & aqua cum Angelis creata sunt, quæ fuerunt quasi materia omnium producendorum, iuxta ea quæ ex S. Gregorio iam diximus. Deniq; illud *simul* recte potest non ad temporis identitatem, sed ad cõmunem comprehensionem referri vt cum dicitur *simul insipiens & stultus peribunt*, id est; æque vtrique sunt morti obnoxij, nullus excipitur. Cui expositioni fauet Græca vox κοινῇ communiter, æquè, pariter.

V. Et ex 1. Genes.

Nam quod Moses ait eodem die creatũ non solum cœlum & terram, sed omne quoq; virgultum agri, facile est diem de tempore interpretari; vt cum ait Dominus exultasse Abrahamum vt videret diem eius, & Iudæos reprehendit, quod non cognouerint diem visitationis suæ. Tres autem illi dies, qui solis creationẽ præcesserint, per vicissitudinem lucis & tenebrarum facti sunt ab illa luce primigenia, sicut postea facti sunt à sole. Neq; verò diuinæ potentiæ quidquam derogat ista dierum successio. Sed fauet sapientiæ. Voluit enim mortales docere vt exemplo suo sex diebus operarentur, & septimo recolendis diuinis beneficijs vacarent, qua ratione Scriptura ipsa [c] crebro vtitur. Voluit quoque non solum potentiam in creando ex nihilo demonstrare, sed sapientiam etiam & libertatem, illa ipsa quæ creata fuerant ornando, & dirigendo per partes, prout placuit eius sapientissimæ voluntati. Alias quoque rationes Annales hoc loco suggerent.

Et rationi. Cur Deus sit vsus pluribus diebus. c *Exo.* 20. 31. & *alibi passim.*

QVO ORDINE MVNDVS, EIVSQVE partes producta fuerint: & primum de cœlo Empyreo.

CAP. VI.

I. Quænam à principio ex nihilo creata fuerint d *Gen.* 1. 1.

DVO sunt genera rerum à Deo: in hoc Mundi exordio, creatarum; quædam enim de nihilo, & per creationem præcisè sumptam extiterunt, cœlum videlicet, quod vocatur Empyreum, terra & aqua; cætera ex terra & aqua producta sunt postea. Priora illis Prophetæ verbis comprehensa sunt [d]; *In principio creauit Deus cœlũ & terram, terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi, & Spiritus Dei ferebatur super aquas*: cætera reliquo capite continẽtur. Itaq; Moses in principio narrationis suæ ponit ea quæ primum omnium creata sunt, quasi solum & fundamentũ molitionis sex dierum, quib. nullum tempus assignat: quoniam intelligi voluit ea non in tempore & cum motu esse generata, sed puncto temporis, & sine vlla successione fuisse creata. Dixi cœlum Empyreum: quoniam cœlum istud aspectabile, & stellis, aut planetis vndiq; colludens, ex nihilo creatum non est.

II. Cœlum empyreũ, & quale illud sit.

Postquam igitur aduenit istud instans æternitatis, in quo placuit diuinæ bonitati res extra se perducere, quibus se pro earum modo atque mensura communicaret, principium operum eius fuit cœlum empyreum, quieta atq; immobilis beatorum sedes, coruscans splendore mirabili, licet mortalibus oculis inaccessa. Empyreũ cœlum, inæstimabilis pulchritudinis theatrum, in quo sese Deus sanctis Angelis, atq; hominibus videndum præbet, sicuti est, eisq; immensas diuitias gloriæ suæ exhibet possidendas. Conueniebat enim diuinam sapientiam de fine cogitantem rerum à se creandarum, etiam locum corporeum beatis corporibus debitum principio producere, infinita illa maiestate dignum, & omnium electorum præstantissima ciuitate: & sicut à principio paratus est locus, qui esset carcer dæmonum, ita rationi consentaneũ fuit parari locum destinatum gloriæ beatorum, omnium opinione magnificentiorem: vt de ipso etiam loco accipiatur illud Apostoli, [e] *Nec oculus vidit, nec auris audiuit*, &c.

c 1. *Cor.* 2. 9.

III. S. Clemẽtis de eo testimonium.

Hæc fuit antiquissima S. Clementis sententia in Recognitionum libro, in quo refertur disputatio S. Petri cum Simone Mago: & inter alia dicitur à Petro, *Factum esse visibile hoc cœlum, quod aliquando resoluendum est propter præsentem vitam, vt esset interiectio quædã, & diuisio, ne quis forte indignus habitationẽ cœlestium, & Dei ipsius sedem videret, quæ sanctis solis, qui mundo sunt corde, videnda præparãtur. Nũc autem*, id est, agonis tempore, *inuisibilia esse placuit ea, quæ vincentibus ad præmium destinata sunt.* Et iterum Simone asserente satius esse vnum dicere cœlum in vniuerso mundo. *Non ita*, inquit Petrus, *Sed vnum quidem confiteri conuenit Deum, qui vere est: cœlos autem esse qui ab eo facti sunt, sicut & lex dixit: quoniam vnum cœlum sit superius, quo continentur etiam visibile firmamentum: illud esse perpetuum & æternum, cum iis qui habitant ibi: istud autem visibile in consummatione seculi resoluẽdum esse*, &c. quæ eò probabiliora sunt, quò similiora ijs, quæ à S. Petro in epistola canonica scripta legimus, & nullis hæreticorum sectis patrocinantur, ne forte liceat ab ijs corrupta suspicari.

IV. Et multorum patrum.

Eadem est Philonis in libro de Mundi opificio sententia, eadem Origenis & Ruperti, Theodoreti atque Procopij. Sanctorum item Hilarij, Augustini, Damasceni, Anselmi & Brunonis, Venerabilis Bedæ, Diodori Tharsensis, Hieronymi, maximeque magni Basilij, qui circa hoc ipsum cœlum, paulo etiam quàm par sit liberalior videri potest: quorum testimonia leges in ipsis Annalibus cum fide descripta. Denique pro eodem cœlo sententiam dicunt Alcuinus, Rabanus, Strabo, Magister sententiarum, S. Thom. cum omnibus doctoribus Scholasticis, frustra contradicẽte Caietano, qui

Quibus male repugnat Caiet.

negat tertium cœlum, ad quod raptus fuit Apoſtolus [a], eſſe cœlum empyreum, quod nullibi, in Scriptura reperiatur, ſed primum mobile. At reperiri in ipſo aditu Geneſeos communiſſima ſententia eſt, vt ex tot patrum teſtimonio patet. Eodemque modo tertium cœlum D. Pauli, Baſilius, Damaſcenus, & Theodoretus interpretantur, & alij *cœlum cœli* Dauidis [b], vt in prædictis teſtimonijs reperies.

a 2. Cor. 12.

b Pſal. 113. 16.

DE PRODVCTIONE ANGELORVM vbi, & quando facta fuerit.

CAP. VII.

I. Propoſitio de ordine Angelorum.

DE Angelis, quos in cœlo Empyreo creatos Doctores Theologi cum D. Thoma conſentiunt, deinceps, quæ ad principem hanc hiſtoriam mundi pertinent, breuiter explicanda ſunt. Tria porro ſunt quæ de eorum productione quæramus, quo ſcilicet tempore producti ſunt, quo loco, & quo in ſtatu. De ruina deinde dicemus duo, quæ ſcilicet eorum culpa fuerit, & quæ pœna: ijs prætermiſſis, quæ ſubtilioris ſunt diſquiſitionis, & alijs, quæ in Annalibus diligentius explicata, ab hac Epitome minore iactura abeſſe potuerunt. Ponimus autem eos ex nihilo eſſe productos ab omnium rerum opifice Deo, vt puros ſpiritus, & materiæ omnis expertes. Id enim nunc extra controuerſiam eſt: & à Pſalte regio confirmatur [c], *Qui facis*, inquit, *Angelos tuos ſpiritus*, id eſt, vt Gregorius interpretatur, *qui eos, quos ſemper habet ſpiritus, etiam cum voluerit Angelos facit.*

Qui ſunt puri ſpiritus.

c Pſal. 103. 4.

II. Plerique putarunt creatos ante mundum corporeum.

Plerique igitur antiquorum patrum Angelos ante mundum corporeum creatos fuiſſe cẽſuerunt, in quibus Ss. Baſilius [d] & Gregorius Nazianzenus [e], qui cenſent Deum primum angelicas & cæleſtes virtutes procreaſſe; Mundo autem ſpiritali creato, alterum hunc Mundum materia conſtantem condidiſſe. Gregorio nominatim Damaſcenus conſentit [f], ſicut Theodoretus [g], Baſilio. Eadem videtur Chryſoſtomi ſententia in Cate. in Iob, & maxime Origenis [h], Seueriani quoque apud Eugubinũ. Et Caſſiani [i], cuius verbis inductus videtur S. Thomas [k], qui in eius libri lectione multus erat, vt diceret Græcos omnes concorditer ſentire, Angelos ante mundũ corporeũ fuiſſe creatos. Nec deſunt Latini. Nam præter Caſſianum, qui ea de re negat quemquam fidelium dubitare, ita ſentiunt Sancti Hilarius, Ambroſius, Hieronymus, Iſidorus item, ac Venerabilis Beda. Diuus Auguſtinus [l], admodum anceps fuit.

d Hom. 1 in Hexa.

e Orat. 38.

f l. 2. c. 3. de fid. or.

g q. 5. & 6. in Gen.

h Trac. 9 in Matth. & hom. 1. in Gen.

i Collat. 8 cap. 7.

k 1. p. q. 61 a. 3. ad 1.

l l. 12. Conf. c. 15. l. de Gen. imperf. l. 11. de Ciu. c. 32.

Verior tamen tutiorque ſententia eſt, & poſt concilij Lateranenſis definitionem [m] omnium Catholicorum communis, Deum ſimul ab initio temporis vtramque de nihilo condidiſſe creaturam, ſpiritualem & corporalem, Angelicam videlicet & mundanam; & deinde humanam, quaſi communem ex ſpiritu & corpore conſtitutam. Cum ergo definit Concilium ab initio temporis ſimul cũ mũdo corporeo creatos Angelos, eam vtique damnat ſententiam, quæ ante tempus & mundum corporeum, cum quo tempus cœpit, conditos Angelos affirmat. Idem exigit perſpicua Moſis aſſertio [n], dicentis in principio creaſſe Deum cœlum & terram, id eſt ante alia omnia, vt eadem ſcriptura videtur interpretari, cum ait [o], *antequam quidquam faceret à principio*, quod mox explicans, & quaſi intuens locum Geneſeos, ſubdit, *antequam terra fieret, & cum nondum eſſent abyſſi*, quæ ſcilicet prima omnium creata ſunt. Atque ita hunc locum clare explicat Epiphanius [p], & Auguſtinus [q], magnus quoq; Gregorius [r]. Idem Theodoretum [s] ſentire neceſſe eſt, qui putat Angelos ſine loco eſſe non poſſe: quanquam mox in Baſilij ſententiam declinet.

III. Simul cum eo fuiſſe cõditos.

m c. Firmiter de S. Tri.

n Gen. 1.

o in Pſal. 8.

p Her. 65. cont. Samoſ.

q l. 11. de Ciu. c. 9. & l. 12. Moſ. c. 9. vel to. 5 q. 3. in can.

Hanc veritatem confirmat illa D. Thomæ ratio, quod cum Angeli pars ſint vniuerſi, cum toto vniuerſo creati debuerũt, & quia ex nihilo cum rebus ex nihilo factis. Hęc autẽ ratio priorem opinionem euertit: quia ſi Angeli ante mũdum corporeum conditi ſunt, vel multis ante ſeculis, vt ait Hieron. vel aliquandiu, ſi diu, ergo multis ſeculis in ſanctitate perſeuerarunt, nam ſtatim à lapſu detruſi ſunt in Tartarum; & ſic Angelorum via longiſſima fuerit, quæ breuior eſt quam hominum: ſi aliquanto ante, nulla id ratione factum apparet, cum ſimul creari potuerint, & reuera creatos eſſe Eccleſia definiũt, cuius definitioni omnino acquieuiſſent patres illi, qui prioribus ſeculis vixere, quando res minus fuerant exploratæ. Cætera quæ pro eadem opinione afferuntur leuiora ſunt: illud etiam Caſſiani [a] ineptum, ne quid grauius dicam, Deũ ne eſſet otioſus, aut ne non haberet in quos beneficia conferret, debuiſſe maturius Angelos creare. Nam quodcunque inſtans animo finxeris, ante cœli & terræ creationem, infinita ſpatia in æternitate accipi poſſunt, de quibus recurrat eadem dubitatio, donec peruenias ad æternitatem eis tribuendam: quod hæreticum eſt.

IV. Probatur ratione.

Reſelliũtur quæ contra faciunt.

a Col. 8. c. 7.

Iam vero de loco, in quo fuerint conditi non multa diſputatio eſt. Etſi enim Rupertus exiſtimat de hac quæſtione idem proportione dicẽdum, quod de loco in quo primus homo conditus eſt, quem conſtat extra Paradiſum creatũ [b], in eoque poſtea à Deo collocatum, omnes tamen fere Theologi cum S. Thoma [c] cenſent eo in cœlo empyreo creatos. Decuit quippe, vt ait Sanctus Doctor ait, Angelos, qui naturæ omni corporeæ longe præſtabant, eiuſque præſides futuri erant, in corpore nobiliſſimo produci. Quæ videtur fuiſſe mens Apoſtoli [d], *In ipſa condita ſunt vniuerſa, in cœlo & in terra, ſiue Throni, ſiue Dominationes*, &c.

V. Quo loco fuerint creati.

b Gen. 2. 7.

c 1. p. q. 61. a. 4.

d Coloſſ. 1. 16.

QVO IN STATV CREATI SINT Angeli.

CAP. VIII.

COnſequens eſt vt videamus an in ſtatu beatitudinis & gloriæ creati ſint Angeli, aut gratiæ potius, aut certè in puris, quæ dicuntur, naturalibus. Quã quæſtionẽ nõ ſatis clarè vel in ſacris literis, vel apud ſanctos Patres reperias definitam: adeò vt S. Auguſt. [e], quærat à S. Hieronymo, num Angeli, qui poſtmodum peccarunt, præſciuerint peccatum ſuum, quæ ſcientia ſine dolore eſſe nequiuerit, & quidem maximo, quique repugnet beatitudini. Quod ſupponit Angelos ante peccatũ fuiſſe beatos. Verum ea beatitudo ita accipienda non eſt, quaſi

I. An beati fuerint, & quatenus.

e Epiſt. 11.

f *Apoc.3*

II. Non supernaturali beatitudine

g *Isa 14. 14.*
h *Ezech. 28.12.*

Creati sunt in gratia.

i *Apparat. c. 8. & seq.*

III. Promeriti sunt beatitudinem suam.

k *Hæres. 64.*

IV. Pactum Dei cum Angelis.

l *Molina in 1 p. q. 63 a. 6. concl. 1. in fi.*

Quanta fuerit eorum via.

statum à conditione sua illam Angeli posse deciderint, sed quod ius ad eam propter gratiam, meritáque habuerint, certique fuerint se beatos fore, si in ea perseuerarent. Qui autem peccauerunt eo modo dicuntur beatitudinem perdidisse, quo filius familias exhæredatus à patre, dicitur hæreditatem, quam nunquam reipsa possederit, perdidisse. Quale est illud f, *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam*, tibi scilicet aut debitam, aut paratam.

Nam reuera beatitudine supernaturali, quæ in clara Dei visione consistit, nunquam fuisse potitos Angelos ante peccatum, ex eo constat, quod ea vitio, qua Deus sub ratione omnis boni clarè cernitur, omnem adimit peccandi facultatem. Sic ergo dicitur g *cecidisse de cælo Lucifer, & in Paradisi Dei deliciis fuisse* h, non quasi ea gloria spoliatus fuerit, aut delicijs quas aliquando degustauerit, sed quibus, nisi per eum stetisset, potuerat aliquando potiri.

Quamuis autem non defuerint, qui Angelos sine gratia & charitate supernaturali creatos dicerent, sed in statu merè naturali, communis tamen Theologorum doctrina eam sententiam tanquam longè probabiliorem complectitur, quæ Angelos in gratia creatos affirmat, vt Scripturæ, Patribus, & rationi magis consentaneam, vt in Annalibus i ostendimus.

Cum ergo conditæ fuissent mentes illæ nobilissimæ, & maximis naturæ gratiæque donis ornatæ, voluit earum conditor Deus, vt per nobilissimas rationes & vias, ad finem longè præstantissimum peruenirent. Est autem excellentius aliquid ex merito, quam ex munere obtinere. Meritum enim virtutem merentis commendat: at donum donantis liberalitatē. Quoniam ergo constituit Deus ita honorare seruos suos, quos intelligentia præditos fecerat, & arbitrij libertate donauerat, vt eis ex meritis, gratiæ illius innixis, beatitudinem conferre vellet, eisque gloriam tanquam *coronam iustitiæ*, non largiri sed reddere, etiam dicendum est Angelos beatitudinem, qua iam fruuntur, promeritos, sicut & homines; tacitumq; cū Angelis Dei pactum interuenisse, vt si datam sibi gratiam constanter retinerent, & cum ea fructus meritorum viæ suæ tempore colligerent, eo transacto æterna felicitate donarentur; sin secus facerent, & à Deo peccando auerterentur, eo priuati æternis suppliciis addicerentur.

Hæc est sententia Methodij apud Epiphanium k. *Liberam enim*, inquit, *etiam ipsis Angelis vtramque in partem habere voluntatem Deus constituit, sicut & hominibus, vt aut obedientes pacto, essent cum ipso, & acciperent beatitudinem, eaque fruerentur, aut non obedientes iudicarentur.* Eo igitur quasi contractu Deum inter & Angelos initio l, permissi sunt omnes sibi ipsis, atque arbitrij sui libertati, æquali omnibus viæ duratione attributa: qua bene vsi aliqui ad finem vsque viæ, simul in gratia confirmati sunt, & æternam beatitudinem consecuti. Mali contra, gratia per peccatum amissa, à Deo auersi, damnatiq; sunt. Quandiu autem fuerint Angeli in statu promerendi, ex eo colligi potest, quod nec creati sunt ante mundum corporeum, vt dictū est, & communis est Patrum sententia prius peccasse malos, quam primus homo crearetur; itaque pauciorum ad summum dierum viam illorum fuisse dicēdum est. Ita autem sensit D. Cyprianus m, Isidorus n Chrysostomus o, & Auctor libri de Mirabilibus sacræ Scripturæ, apud Augustinum p. Vide in eandem sententiam Castianum q, & Venerabilem Bedam r.

DE CVLPA ANGELORVM.

CAP.

PLerosque diuina gratia fuisse abusos satis constat, in primisque principem eorum Luciferum, quem plerique inuidia peccasse putant, plures autem superbia, quę inuidiam antecedit. *Nonnulli*, inquit Augustinus a *dicunt ipsum ei fuisse casum a supernis sedibus, quod inuiderit homini facto ad imaginem Dei. Porro hæc inuidia sequitur superbiam, non præcedit. Non enim causa superbiendi est inuidentia, sed causa inuidendi superbia*, &c. Cæterum qui inuidia censent Luciferum cecidisse, dimertum eius culpæ obiectum constituunt. Quidam enim Patres crediderunt illum doluisse, quod homo ad eandem cum Angelis felicitatem destinatus esset: alij quod ei creata omnia subiecisset. Alij denique malunt illum homini vnionem hypostaticam inuidisse; quorum sententias in Annalibus reperies b. Irenæi videlicet, & Tertulliani, Cypriani & Leonis, Basilij atq; Chrysologi.

Communissima tamen Doctorum sententia est superbiā peccasse Luciferum, eamque in eo fuisse positam, quod beatitudinem supernaturalem propriis viribus, sine Dei gratia obtinere desiderauerit. Quæ videtur mens Magni Gregorij c. *Relicto*, inquit, *eo cui debuit inhærere principio suum sibi adpetiit quodammodo esse principium. Relicto eo, qui illi vere sufficere poterat, se sibi sufficere posse iudicauit: & tanto magis infra se cecidit, quanto magis se contra gloriam sui conditoris erexit.* S. quoque Augusti. d, *Qui cum præsciret*, inquit, *Angelos quosdam per elationem, qua ipsi sibi ad beatam vitam sufficere vellent, tanti boni desertores futuros, non eis ademit hanc potestatem; potentius & melius esse iudicans etiam de malis benefacere, quam mala esse non sinere.* Eadem senserunt S. Ambrosius e, Isidorus f, & Cassianus g.

Est & alius, si tamen alius, superbiæ Angelicæ modus, notatus à Patribus, quod inordinatè optauerit præesse alijs, subesse nemini. *Et quippe*, inquit Gregorius h, *à quo conditus fuerat subesse despexit: ita enim Deus super omnia est, vt sub nullo sit. Leuiathan vero iste eius celsitudinis culmen aspiciens, sus peruersa libertatis appetitu, vt & præesse cæteris, & nulli subesse.* Et Augustinus i at illum quasi quodam tyrannico fastu elegisse gaudere subditis, quam esse subditum, sicque de spiritali Paradiso cecidisse. Vide in eandem sententiam S. Bern. k Hinc autem etiam colligi potest, primi omnium peccati autorem Luciferum, omnium Angelorum fuisse principem. Nam nisi eminentissimis naturæ & gratiæ donis cæteris omnibus præstitisset, parum probabiliter omnibus præesse, & nemini subesse desiderasset: nec alius inferior ipso tantam ruinæ materiam habuisset, nec facilè tantam inferiorum Angelorum multitudinem eadem apostasiæ barathrum, exemplo aut suasione deiecisset; tanto

numero

m *In 1 sent. tr 10. sen 7.*
n *l. de natur. & cont.*
o *hom. 12. in Gen.*
p *Sup 3. l. 1. c. 12.*
q *Cassian. 8 c. 10. 12 to. 8. lib 99. Var. 7. 9.*

1. An inuidia peccarint
a *l. 11. de Gen. ad lit. ca. 14.*

Et quomodo.

b *c. 9. App. n. 2.*

II. An potius superbia, & quomodo.

c *l. 34. Mor. c. 17.*

d *l. 12. de Ciu. c. 1.*

e *Epist. 35. & l. 1 Sent. c. 10.*
f *l. 12 c. 4.*

III. Alius superbiæ modus.
h *l. 34. a. 17.*

i *l. 14 de Ciu. c. 11.*

k *ser. 17. in Cant.* Lucifer omnium Angelorum primus. Multitudo desertorum.

numero: vt tertia pars ſtellarum, de cœlo in terram Draconis cauda detracta dicatur [k]. Plures tamen perſtitiſſe in officio quam peccaſſe merito D. Thomas opinatur. Eidem primatiæ Luciferi dignitati ſubſcribunt Tertull. [l], & non vno in loco Chryſoſt. [m], Hieron. item, [n], Gregorius [o], Origenes, Beꝛnardus, Iſidorus, & D. Thomas. [p]

k *Apoc.* 12.4.
l *l. 2 con. Marcio.*
m *hom. de Adam & Eua. & de lapſu primi hom. & 11 in Gen. in Pſal.* 43. 94. *Mor.* c. 13. *& l.* 32 *&c.*
n *p.* 1. *q.* 63 *a.* 7.

DE POENA ANGELORVM *deſertorum.*

CAP.

CVm primum Angeli à conditore ſuo ſuperbia defecerunt, ſtatim ſecuta eſt ſua pœna nocentes. *Nihil ille fecit*, inquit Bernardus [q], *nihil operatus, tantum cogitauit ſuperbia, & in momento, in ictu oculi irreparabiliter præcipitatus eſt.* Vtique irreparabiliter: quia quod hominibus mors eſt, hoc Angelis lapſus extitit. Poſt lapſum enim præcluſa eſt illis omnis reſipiſcendi facultas, quemadmodum & hominibus poſtquã ex hac vita migrarunt, vt ſcribit S. Damaſcenus [r], & cum eo Sanctus Thomas [s], ſcholaſticique Doctores.

I. Pœna irreparabilis culpã ſtatim ſecuta eſt.
q *Ser.* 1. *de Aduen.*
r *l.* 2. *c.* 4. *fi.*
s 1. *p. q.* 64. *art.* 2.

Multiplex porro pœna in dæmonibus à Doctoribus agnoſcitur; Prima eſt in intellectu, etſi enim cognitio naturalis in eis imminuta non eſt, quia dona naturalia in eis integra remanſerunt, vt autor eſt Dionyſius Areopagita [t]. Practica tamen, quæ ad bene operandum mouet, in eis non remanſit: quippe quę pendet ex rectitudine voluntatis, quæ in illis deprauata eſt, ità que deprauata, vt corrigi omnino non poſſit, nedum illi pœnitentiam aliquandò ſint acturi, quod ſenſiſſe Originem, autores grauiſſimi, Athanaſ. [u], Hieron. [x], Auguſt. [y] prodiderunt. Obſtinationis porrò, & impotentiæ pœnitendi cauſa in ſubſtractionem diuinæ gratiæ referenda eſt, ſine qua nihil boni fieri poteſt. Immutabili quippe decreto conſtituit Dominus, nunquam eis gratiam ad reſipiſcendum neceſſariã concedere, ſicut neque hominibus extra viam conſtitutis. Gratiam porrò ſuſtulit, non ſolum efficacem, ſed etiam ſufficientem quæ reprobis in hac vita conceditur; quia cum ea ſimpliciter dici poſſet eos poſſe ſaluari, imo velle Deum eos ſaluos facere. Dat enim reprobis in hac vita gratiam ex voluntate generali & antecedente dandi omnibus gloriam [y]. *Vult* enim *omnes homines ſaluos fieri.*

II. Eaque multiplex, in intellectu & voluntate.
t *c.* 4. *de Diu. no. p.* 4.
u *l. de com. eſſent.*
x *Ep. ad Fuſcum l. l.* 21. *de ciuit.*
Obſtinatio eorũ, eiuſque cauſa.
y 1. *Tim.* 2. 4.

Hæc porro immortalis, & quæ in bonum inflecti non poſſit dæmonum obſtinatio, ad pœnam damni pertinet; ſicut & priuatio diuinæ viſionis, quæ omnium conſenſu, ſumma eſt dæmonum, omniumque damnatorum pœna. Et rectè quidem. Si enim pœnam, vel damnum aliquod hoc maius eſſe neceſſe eſt, quò maiore bono priuat, certè cum, citra omnem controuerſiam, Deus ſit ſummum bonum, eius vtique priuatio ſummum erit malum; præſertim cum nullo fine terminari, nulla ratione mitigari poſſit: & in eos cadat, qui ad tantum bonum fruendum nati, maximis inſuper gratiæ donis fuerant ad illud conſequendum inſtructi.

III. Pœna damni.

Tertia eſt pœna doloris, quæ in dæmonibus veriſſima eſt, & longè grauiſſima. Affirmat enim Petrus Apoſtolus [z] Deum *Angelis peccantibus non pepercisſe, ſed rudentibus inferni detractos in Tartarum tradidiſſe cruciandos*; certe cruciatus hinc dolore eſſe non poteſt: qui non in paſſione corporea ſenſibus inimica poſitus eſt, ſed in quadam repugnantia voluntatis, malum cognitum & coniunctum repudiantis, ac propulſare modis omnibus ſatagentis. Cuius doloris magnitudinem ex eo ſuſpicari licet, quod nullam ibi delectationem patiatur, quæ tempiternum illum cruciatum aliquo modo mitiget.

IV. Et ſenſus, ſiue doloris.
z 2. *Pet.* 2. 4.

In hoc immenſo dolore includitur immortalis ille vermis conſcientiæ, qui eſt quaſi ſtimulus infixus in corde, & in memoria, reum perpetuò fodicans, & dolore tam ſæuo crucians, vt aliquos ad ſuſpendium impellat, vt de Iuda Iſcariote conſtat. Includitur ſera pœnitentia de amiſſa beatitudine, quam tam facilè acquirere potuerunt: & deſperatio infinita de reparanda tanta iactura, aut finiendis vnquam tot & tantis malis. Includitur carcere deteſtabilis, tenebricoſus, ſordibus fœtens cum æterna amiſſione libertatis. Includitur compulſio intellectus ad actualem & perennem pœnarum, & miſeriarum ſuarum conſiderationem; voluntatis autem ad iugem ac perpetem earundem horrorẽ, ac deteſtationem, vt auertere ſe à tali cogitatione non poſſit, aut omninò cogitare aliquid, niſi infauſtum, luctuoſum, execrandum. Includitur poſtremò ignis ille corporeus, qui miris modis, ſed tamen veris dæmones, animaſque damnatorum excruciat alligatas; tanquam ſeueriſſimum diuinæ animaduerſionis inſtrumẽtum. Dicente Domino, *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & Angelis eius.* Sed hæc accuratius tractata ſunt à nobis, in opere de Timore Dei [b].

V. Aliæ damnorum pœnæ.
b *l.* 1. *c.* 4. *n.* 6. *& ſeqq.*

DE AQVAE ET TERRAE PRODVCTIONE *primaria.*

CAP. XI.

IN explicanda creatione Mundi eò deuenimus diſputando, vt quo ſingulæ illius partes ordine productæ eſſent, tradere mus. Ab illis autem duximus initium, quæ ex nihilo per creationem preſsè ſumptum productæ ſunt, cœlum Empyreo, terra & aqua, vt ſupra expoſuimus [c]. Cum ergo de cœlo empyreo, eademque opera de Angelis, qui in eo creati ſunt, pro argumenti noſtri neceſſitate dixerimus, conſequens eſt vt de terra & aqua dicamus. Terram autem & aquã ex nihilo productas, ex hoc in primis loco Geneſeos agnoſcimus, & ex ſequentibus infertur; nullam quippe aliam productionis eorum mentionem Scriptura facit.

I. Eò deuenitur tractationis huius.
c *c.* 6. *n.* 3.

Aqua & terra ex nihilo productæ.

Ea veritas antiquorum ſcriptorum mentibus impreſſa fuit; qui cum chaos omnium rerũ antiquiſſimum facerent, quippe quod erat

Ante mare & terras, & quod tegit omnia cœlum.

Primum appellarunt, antiquum, πρώτιστον, id eſt, primum omnium, vel primum in primis, & antiquiſſimum. Nomine autem chaos terram & aquam permiſta intelligebant, quas Trimegiſtus in Pæmandro modo naturam quandam humẽtem inexplicabiliter turbatam, modo terram & aquam inter ſe commiſta; quæ coniuncta potius erant, aqua terræ globũ vn-

I. Quas ethnici dixere chaos, πάντων ἐγχυθὲν μιγάδων ἀπειρίθμητον.

dique suo complexu cohibente. Orpheus ἰλὺν vocauit, id est, limum, Hebræi quoque Aphar, id est limum, terram scilicet cum aqua confusam. Alij nomine chaos omnium elementorum confusionem intellexerunt, vt puëtæ exeodem Trismegisto, quæ nomine informis materiæ à pleriſq; antiquis, sancto maximè Augustino [d], appellata est, secuto Sapientem, qui ait Deum creasse orbem terratum *ex materia inuisa* [e], siue informi, vt est in græco.

Verum hæc de elementorum confusione sententia passim nunc improbatur: imo iam olim à S. Basilio [f] damnata est. Ipse autem, eumque secuti Ambrosius [g] & Damascenus [h], terram quæ à Septuag. dicitur inuisibilis & incomposita, vocatam dicunt inuisibilem siue inuisam, vel quia nondum erat creatus homo, qui eam spectaret, vel quia nondum lux producta erat, sine qua videri nihil potest. Incompositam vero siue inornatam vocant, quia carebat adhuc plantarum ornamentis. Illa porrò sententia ex eo improbatur, quod violenta interpretatione cœlum, terram, abyssum, & aquas ad informem materiam significandum trahit; cum his verbis nihil minus aut Iudæi, quos alloquebatur Moses, intelligerent, aut nos ipsi intelligamus, nisi iam hac opinione occupati, ac deprauati. Præterquam quod productionem aquæ & terræ à Deo ex ista informi materia factam probare non potest.

Maneat ergò terræ nomine intelligendũ esse quartum hoc elemẽtum quod calcamus: quod Deus quasi centrum mundi, rotundum planè ac solidum ex nihilo, sicut & cœlum condidit, abeóque immenso quodam spatio, & vndique æquali discreuit: quod spatium omne aquis pariter ex nihilo productis simul impleuit, vt terra vndequaque obruta planè deliteſceret, donec iubente mox Deo, semotis hinc & inde aquis, die tertio emergeret, plantis conuestita niteſceret, & mineralibus, cæteriſque mixtis eius viscera farcirentur.

Quod ad creationem aquarum attinet, etsi ea cum terra puncto temporis producta diuinitus intelligenda est, ne quis fortè æternam aquarum abyssum facere cogatur, cum nulla eius productio referatur, quærit Theodoretus cur Moses non docuerit nos, Deum creasse aquas. Et respondens, *Cum dixerit*, inquit, *terra autem erat inuisibilis & incomposita, & tenebræ erant supra abyssum, demonstrauit sum terra creatas esse simul aquas.* Idque confirmatur ex Apocalypsi, vbi de creatione pressè sumpta; rectè potest illud accipi, *Adorate eum, qui fecit cœlum & terram, mare, & fontes aquarum.* 16.14.7.

Nomen porro abyssi immensam quandam aquarum voraginem significat, vtpotè fundo carentem, vt exigit vocabuli notatio [k]. Sed audiamus Basilium [l]. *Erat inuisibilis terra, quam ob causam quæso? quia circumfusa vndique erat abysso. Quid Abyssus significat? copiosam aquam ad cuius fundum haud facile penetrari poterit deorsum versus. At complura corpora per tenuem & transparentem aquam scimus non raro videri. Quamobrem igitur pars terræ nulla tunc per aquas visendam se offerebat? quia eatenus lumine carebat aër: obtenebratusque adhuc erat, qui totam ambiebat aquæ naturam.* Sic Basilius, quẽ mirum est aëris hoc loco meminisse, cum de aëris creatione nondum quidquam dictum sit, nec dicatur deinceps: mox autem ex aquis educendus fuit, vt vapores, & venti & nubes, & pisces & volucres; ne sit opus eum ex nihilo productum existimare; cui ne locum quidẽ vllum sub cœlo empyreo abyssus relinquebat. Quin etiam ignis cælestesque orbes eumdem ortum habuisse suo loco dicetur.

Ad eam porro virtutem seminalem aquis impertiendam, vt fierent ad tam multas diuersasque res producendas idoneæ, *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Vel vt Hieron. in Traditionibus interpretatur, eis *incubabat, siue confouebat, in similitudinem volucris ouæ calore animantis. Ex quo intelligimus non de spiritu mundi dici, vt nonnulli arbitrantur, sed de Spiritu sancto, qui & ipse vinificator omnium à principio dicitur.* Hæc Hieron. Quam expositionem ex Syro quodam referunt Basilius atque Ambrosius: pro qua Martinengus sex & triginta Patrum testimonia in sua glossa magna recitat: quibus recentiores merito subscribunt. Cæteri autem vnde ventum istum producant non intelligo, aut cur primigenia luce faciant antiquiorem. Et de Apparatu hactenus.

[d] *lib. de Gen. cont. Manic. c. 16. & 17.* Alia significatio & vtrus ipsius chaos.

III. An terra inuisibilis, & incomposita, & cur ita dicta.

[e] *hom. 2. in hex.*

[f] *l. 1. h. 30. c. 6. & 7.*

[g] *l. 2. de fid. c. 10.*

IV. Terræ creatio.

V. Et aquarum.

[k] *vide l. 2 de Tsmo-ra Dei c. 1. n. 1. & seqq. 1 hom. 2 in Gen.*

VI. Abyssus quid ex Basilio.

Aër vnde.

VII. Spiritus sanctus incubat aquis.

EPITOME
ANNALIVM
ECCLESIASTICORVM
VETERIS TESTAMENTI

MVNDI ET ADAMI ANNVS PRIMVS, ANTE Christi ortum quater milleſimus quinquageſimus ſecundus.

DIES PRIMVS.

I. Diuina ſapientia elucet in opere ſex dierum.

EXplicata ſunt hactenus, quæ Deus Opt. Max. ex ſingulari bonitate condidit, cum extra ſe prodire quodammodo voluit, rebus cœleſtibus terreniſque producendis. Quo in opere ex nihilo puncto temporis creando, cum immenſam quoq; poteſtatem patefeciſſet, conſequens etiam fuit vt ijſdem rebus certo dierum ſpatio digerendis, atque ornandis parem ſapientiam demonſtraret. Ipſe quippe eſt, vt ait Ieremias [a], *Qui facit terram in fortitudine ſua, & præparat orbem in ſapientia ſua, & prudentia ſua extendit cœlos.* Ipſe eſt cui Propheta regius cum læta admiratione canit [b], *Quàm magnificata ſunt opera tua Domine, omnia in ſapientia feciſti.* Ipſe eſt, *qui illam* [c] large ac liberaliter *effudit ſuper omnia opera ſua.* Et harum quidem rerum accuratior contemplatio vt iucundiſſima eſt, ita digniſſima, in qua mortalium omnium, in quorum gratiam conditę ſunt, deſudet induſtria, vt in beneficentiſſimi Creatoris cognitionem altius quotidie aſſurgant, & in eiuſdem amorem vehementius incaleſcant.

a Ier. 10. v. 12.

b Pſ. 103. 24.

c Eccli. 1. 10.

Nobis tamen quibus alius ad excurrendum campus aperitur, pauca hæc libaſſe ſufficiat. Præſertim cum communibus adhuc tenebris circumfuſi, in terra, atque ignorantiæ noſtræ abyſſo, ſemiſomnes & ſemiſepulti iaceamus. Sed audiamus Elaiam [d], audiamus & Paulum excitantem [e], *Surge, qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus.* Audiamus denique principem prophetarum Moſem [f], *Dixitq; Deus, fiat lux, & facta eſt lux.* ſtatimque à ſuo conditore laudata eſt. *Et vidit DEVS lucem quod eſſet bona, & diuiſit lucem à tenebris*, corporum opacitate interiecta, *appellauitque lucem diem, & tenebras noctem, factumque eſt veſpere & mane dies vnus.* Ecce aqua & terra, quæ iacebant in tenebris viderunt lucem magnam, diuino imperio coruſcantem, & non abyſſum modo longè lateque permeantem, ſed ſuperficiem quoque terræ illuſtrantem. Lucem magnam, quam vera illa lux [g], *Qua illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, ex diaphano aquarum corpore productam, aut, vt viſum eſt aliquibus, ex empyreo cœlo quaſi expreſſam, & profuſam, nutu potentiſſimæ voluntatis ſuæ emiſit in lucem. Nihil enim deinceps ex nihilo productum à Deo, quod ſub aſpectum cadat, conſtanti doctorum communique conſentione firmatum eſt.

II. Atq; adeo primi diei, & productione lucis.

d Iſa. 26. v. 9.

e Eph. 5. 14.

f Gen. 1. 3. 4. 5.

Vnde producta.

g Ioan. 1. 9

Facta igitur eſt lux: conueniebat quippe magno lumini, & candori lucis æternæ, opificium ſuum à luce auſpicari, vt ait magnus ille Nazianzenus [h]. Sed quæ tandem fuit iſta lux; non ponam in varijs Patrum doctorumque ſententijs recenſendis, & expendendis operam longiorem. Pleriſq; ea merito ſententia probatur, quæ ipſis Scripturæ verbis in ſimplici, maximèque hiſtorico loquendi vſu acceptis maxime quadrat, vt lux, quæ primo die facta memoratur, vera lux ſit, meta qualitas, verum accidens à Deo in aquis, & ex aquis cum ſucceſſione productum, & in aquarum tractus ſucceſſiuè diffuſum. Ita prorſus ſenſit magnus Baſilius [a], *Prima Dei vox*, inquit, *Lucis naturam creauit, tenebras diſpulit, mundum illuſtrauit & exhilarauit*, &c. non ait corpus lucidum, aut luminoſum, ſed naturam lucis productam. Quarto enim duntaxat die *ſolis corpus eò conditum eſt, vt illi primigenia luci vehiculum eſſet*, vt idem poſtea [b] tradidit. Eadem multo ante ſenſit ac ſcripſit ſanctus ex Areopa-

III. Quæ fuerit iſta lux.

h Orat. 4.

a hom. 2.

b hom. 6.

go Dio-

c ἀχρωματον, de diuin. nom. c. 4.

go Dionysius[c]. *Lux enim ea est*, inquit, *etsi tum forma certe corporis carebat, quam diuinus ille Moses primos etiam illos tres dies nostros dixisse, ac distinxisse commemorat.* Vbi cum lucem dicit ἀχρωματον, formam vtique pro subiecto posuit; quomodo enim forma dicatur informis?

IV. Et quãta

Idem plane sensisse Gregorium Nazianzenum cum Niceta, Procopium Gazæum, Theodoretum, Anastasium Sinaitam: Idem Latinos Patres, Tertullianum aduersus Hermogenam, sanctosque Ambrosium & Augustinum, in Annalibus diligentius à nobis explicatum est[d]. Ex horum porro Patrum sententia habetur non solum lucis accidens ante Solem fuisse creatũ; moxque Soli traditum, sed lucem illam solari multo fuisse minorem, cum eam S. Ambrosius crepusculis conferat, Tertullianus lumen illud splendore solis impletum dicat: & S. Augustinus illam lucem appellet minus fulgentem diem. Quibus licentius assentimur, quam Theodoreto, qui lucem hanc exuberantem fuisse putat, adeo vt eius excessum animantium oculi non essent laturi: ideòque in patua & magna luminaria distributam. Denique, vt hunc concludamus locum, Ecclesia optima Scripturarum interpres, solius lucis productionem hoc primo die celebrat, cum canit.

d *dict. 1. nu. 4. 5. &c.*

Lucis creator optime
Lucem dierum proferens
Primordijs lucis nouæ
Mundi parans originem.

V. Eiusdem lucis motus in triduo.

Huius porro lucis motionem & cursum ex eo facilè colligere possumus, quod à Scriptura vocatur Dies, sicut & reliqui deinceps, quos posteà Sol dierum opifex produxit. Itaque consentaneum est eam lucem ab aliquo puncto orientis exortam, ad meridiem inflexisse cursum, & inde reuersus aquilonem reflexo in occasu occidisse, vt mox ad ortum reverteretur, vt Salomon de sole scripsit[e]. In positionibus autem istis designandis rationem habitam fuisse Chananitidis, in qua Dei populus, cui hæc à Mose scribebantur, habitaturus erat plerique censuerunt. Itaque admodum probabile est ab oriente Palestinæ lucem diffundi cœptam. Sic vt lucem DEVS produxerit duodecim horis à creatione cœli & terræ, & mox totidem horis nona lux hoc nostrum hemisphærium emẽsa sit, atque ita factus fuerit dies primus naturalis, cuius priorem partem tenebræ, posteriorem lux occuparit, vna sub quiete, altera sub motu fuerit: prior tempore imaginario, posterior autem vero mensurata sit. Atque ita nulla vi facta natiuis vocabulorum significationibus, verum plane esse monstratur, illud, *Factumque est vespere & mane Dies vnus*[f]. Idque confirmat Hebræorum consuetudo, dies suos à vespera inchoantium, & in eadem terminantium[g]. *A vespera*, inquit, *Dominus, vsque ad vesperam celebrabitis sabbata vestra*; eademque fuit ratio reliquorum dierum, consuetudine ab ipso exordio repetita.

e *Eccl. 1. 6.*

Qualis fuerit primus Dies

f *Gen. 1. 5.*

g *Leuit. 23. 32.*

VI. Fuisse Dominicum.

Hunc porro Diem fuisse Dominicum locupletes cœstis est S. Basilius[h], *Vnum illum*, inquit, *appellauit diem, qui seculi ipsius imago, qui dierum primitiæ, qui lucis coætaneus est, ipsum inquam sanctum Dominicum Diem, quem resurrectio Domini honore præcipuo affecit.* Sic Basilius: phrasi tamen Hebraica vnus pro primo sumitur. Ex illo porro Basilij loco videtur sumptus ille Hymnus quem Ecclesia Die Dominico canit.

h *Hom. 2 in Hex.*

Primo dierum omnium
Quo mundus extat conditus,
Vel quo resurgens conditor
Nos morte vitia liberat.

Et certe cum ab hoc Die septimus fuerit sabbati Dies, in quo Dominus requieuisse dicitur, necesse est primum fuisse Diem illum, quem Ethnici Diem solis, Christiani, ab ipsis Apostolorum temporibus[i], Dominicum appellamus.

i *Apoc. 1. 10.*

DIES MVNDI SECVNDVS.

OPus huius secundi Diei his verbis à Mose describitur[k], *Dixit quoque Deus; fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmamentum, diuisitque aquas quæ erant sub firmamento, ab iis quæ erant super firmamentum, & factum est ita: vocauitque Deus firmamentum cœlum; & factum est vespere & mane dies secundus.*

I. Creatio firmamẽti, orbiũq; cœlestium.

k *Gen. 1. 6. 7.*

Non exigua de cœlo secundo die condito inter Scriptores contentione certatur, dum alij perspicuis Prophetæ verbis adhærescunt; alij veras aquas supra cœlos non ferunt, ideoque ad violentas interpretationes confugiunt. Nam Moses tem planissimè explicarat, Deum iussisse in medio aquarum, siue in media abysso, quæ à cœlo empyreo ad terram vsque protet debatur, expandi solitum corpus, quod firmamentum & cœlum appellatum sit, cuius officium esset non solum dividere superiores aquas ab inferioribus, vt ait Scriptura, sed illas etiam, vt loquuntur Patres, sustentare. Providerat etiam Propheta, ne qua de hoc firmamento dubitatio exoriretur, apud eos qui firmamentum in medio aquarum aëriem interpretarentur, in quem coguntur nubes, quem sacræ literæ frequenter appellant cœlum; proviserat, inquam satis, cum aliquando post in eodem firmamento luminaria cœli, astra videlicet omnia, collocata dixit, quæ in aëre fixa non esse, ne cæci quidem ignorant. Et mirum sane est explicare eos hoc loco firmamentum aëreum, cum nullum in tota Scriptur. locum proferre possint, in quo aër firmamentum appelletur: & contra rationem sit vt firmamentum dicatur, id quod omni firmitate caret, quo nihil est mollius, flexibilius, liquidius, & ad quancunque figuram accipiendam aptius.

II. Quid firmamenti nomine intelligendum.

Loc. cit.

Non aëreũ

Cum ergo ex Scriptura constet in firmamento non solum Solem & Lunam, sed stellas etiam fuisse collocatas, oportet eo nomine intelligi tam cœleste illud corpus, in quo stellæ illæ fixæ sunt, quæ pari semper à se intervallo distant, & ab omnibus dicitur firmamentum, quam septem planetarum orbes. Eòque modo accepit firmamentum David[a], cum ait cœlos enarrare gloriam Dei, & opera manuum eius annunciare firmamentum. Vbi Hieronymus cœlum idem esse docet quod firmamentum. Sic vsurpauit & sapiens[b], qui Solem in firmamento ponit, & Moses hoc toto primo capite.

III. Sed omnes orbes cœlestes.

a *Ps. 18. 2.*

b *Eccl. 43.*

Ex aquis autem factam esse hanc omnem cœ-

IV.

lorum

Cœlos ex aquis addensatis factos. c.n.6.7. &c.

V. Qui cœlos aqueos crediderint Antiqui.

d *loc. cit.*

e c.8. de Trin. f 99.64. 65.66.

VI. Recentiores quoque g *in c.1.*

κοινὴ ἐκδοχή.

h *disp.2. c.vlt.*

lorum congeriem, præter ea quæ in Annalibus attulimus testimonia *c*, etiam illa ratio probat, quoniam in amplissimo interuallo, quod nunc octo, decemue orbes, aut etiam plures occupant, in quibus stellæ plurimæ tota terra maiores immersæ sunt, in hoc inquam, interuallo non fuerit vacuum toto primo die, neque aliud vllum corpus præter aquas, quas cum cœlo & terra creatas ex Scriptura declaratum est. Cum autem ex eadem constet cœlos solidissimos esse, & quasi ære fusos, intelligendum est aquas addensatas esse diuinitus, vt soliditatem reciperent. Itaque Oleaster, Caietanus, Pagninus vocem hebræam Rachiagh expansionem, siue extensionem significare aiunt, ad modum laminæ malleis diductæ, atque expansæ. Eam ergò condensationem aquarum sequebatur vacuum, quod natura summa cõtentione refugit; res enim addensatæ minorem requirunt locum: itaque id spatium sta timaere & igne, quæ sunt rariora corpora, repletum est, vsque ad aquas inferiores, quæ totam adhuc terram operiebant. Ex aqua porro rarefacta factus est aer, & ex aere ignis: aquarum natura efficaci Creatoris imperio celerrimè obsecundante.

Etsi autem Mosis simplex ac syncera narratio cœlos in medio aquarum, & ex aquis addensatis conflatos ostendat: Id tamen ex communi antiquorum Patrum consensu confirmari potest, quorum sententias in Annalibus fideliter recitauimus *d*: in quibus principem locum tenet Petrus Apostolus in secunda sua canonica, vbi cœlos ex aqua, & per aquam cõstitutos tradit, vt ibi accurate disputat Serarius vir in primis eruditus, Molina item, Martinengus, & alij. In libro autem primo recognitionum Clementis, id clarissime, & sine vlla deprauationis suspicione confirmat. Eum Tertullianus *e* totidem pene verbis expressit, vt alter ex altero fidem accipiat & firmitatem. Consentit S. Cæsarius in Dialogis suis *f*, & S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi tertia & nona. Theodoretus item q.11. & 14. in Genesim. Acacius, Seuerianus, Olympiodorus, & Gennadius in catena. S. Chrysostomus in Iobi 37. cum Anastasio Sinaita. Ille tamen fere naturam firmamenti refugit explicare, sicut & S. Augustinus, quem Vgo Victorinus videtur imitatus. Paulo obscurius S. Hieronymus ad Oceanum; clarius Iosephus & Beda, quem nonnulli Iunilium putant: Anselmus vterque, Cantuariensis inquam & Laudunensis, Magister sententiarum, & Autor historiæ scholasticæ.

Procopius Gazæus *g*, instar multorum esse possit. *Sunt qui perhibent*, inquit, *firmamenti naturam parum nobis esse compertam, quamuis via peruulgata omnium Theologorum ex aqua compactum esse tradatur.* Alludit Procopius ad Chrysostomum ac Basilium; nec tamen diffitetur ipse Basilius hanc sententiam de firmamento ex aquis, quasi in glaciem concretis, communem traditionem esse. Denique eandem sententiam plerique recentiores graues in primis viri amplectuntur. In his Delrio in hunc locum *h*, qui vt fatetur ipse, non finit à se veteris Ecclesiæ placitis abripi. Molina in opere sex dierum, Cornelius à Lapide, & Bonfrerius in opere secundi diei, Dionysius Carthusianus, Hieronymus ab Oleastro in hunc locum, Serarius in epist. 2. D. Petri, Martinengus in glossa magna, & nuperrime Tirinus in Genes.

His ergo, alijsque sanctorum Patrum, doctorumque sententijs sacræ Scripturæ apprimè consentientibus confirmati, statuere possumus firmamentum intelligendum esse cæleste corpus, syderibus postea nobilitatum, naturamque eius esse aqueam, vtpote ex aqua densata, & solidata productam idemque cœlũ aquas superiores ab inferioribus separare: ex quo etiam intelligitur eiusdem vtrasque esse naturæ; neque enim homogenea diuisione naturam mutant. Itaque si veræ sunt aquæ inferiores, quibus vtimur, veræ sunt & superiores, quæ his continuæ in abysso creatæ sunt & hodie interiectu cœlestium corporum separantur, vt Moses aperte scribit, cui Daniel *i* & Dauid semel iterumque subscribit *k*: quæ testimonia hanc ab Augustino vocem expressêrunt. *l Quomodo autem, & qualeslibet aquæ ibi sint, eas esse ibi minime dubitemus. Maior est quippe Scripturæ huius auctoritas, quam omnis ingenij humani capacitas.*

VII. Constabilitur cœlos esse aqueos.

Et aquas supra firmamentum.

i *Dan. 3. v.60.*
k *Ps. 103. & 148.*
l *l.2. de Gen. ad lit. cap 5.*

Quid porro absurdi est aquas elementares, nostrisque homogeneas ibi minimè corrumpi, sicut nec humana corpora post resurrectionem, ne in inferis quidem? Quid vereamur fateri cœlos omnes mobiles ex veris aquis cõflatos compactosque, ideoque natura sua interitui obnoxios, nullius tamen actione corrumpi posse, si ab eo discesseris, qui eos etiam in nihilum redigere possit *a*. Neque enim vllũ est aliud agens, quod cœlos contrarijs qualitatibus oppugnare possit, aut formam qua præditi sunt expellere. Quin etiam Molina *b* consonantius Scripturæ esse putat cœlos quoque sydereos in die iudicij innouandos esse, & perficiendos per aduentum nouæ formæ substantialis, ab eaque excellentiores proprietates profectum iri, vt Scripturæ propheticæ atque apostolicæ dicere videntur, quas non conuenit per violentas interpretationes ad Aristotelis placita detorquere.

VIII. Inferioribus homogeneas, quæ tamen nõ corrumpantur.

a *vide Delrio disp. 5. n. 41.*
b *disp.3. An cœli corrumpendi.*

Verum cum Deus & natura nihil frustra faciant, cui vsui aquæ supra cœlos? Respondeti potest non frustra esse, licet nos ignoremus vsum: ipse nouit qui talem illis assignauit locum. Non displicet illa Cornelij nostri cogitatio, forte ibi positas ad voluptatem sanctorum existentium in cœlo empyreo, vt aquis hisce crystallinis, & variegatis oculos eorum pascat: aquæ enim omnis figuræ, coloris, & ornatus sunt capaces, vt patet in iride, & vasis crystallinis. Quo etiam videtur Ioannes allusisse in Apocalypsi *c*. *Quoniam Agnus, qui in medio throni est, reget illos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum.*

IX. Quis aquarum super cœlestium finis.

c c.7.v. 17.

(*,*)

DIES MVNDI TERTIVS.

I. Opera diei huius.

DVobus magnis Dei operibus illuſtratur hic dies, congregatione aquarum in eum locum, quem nunc obtinent, qua tellus apparere cœpit, & indita terræ fœcunditate ad plãtarum omnium ipſiuſque terreſtris Paradiſi productionem. Prius opus à Moſe hoc loco verbis hiſce deſcribitur, *Dixit vero Deus* d, *congregentur aque, que ſub cœlo ſunt in locum vnum & appareat arida; & factum eſt ita, & vocauit Deus aridam Terram, congregationeſque aquarum vocauit Maria.* Poſterius autem partim hoc primo capite, partim ſequenti explicatur. Quo autem modo factum ſit vt terra nudaretur, vt animalium vſibus, hominumque inprimis deſeruiret, multa eſt apud antiquos recentioreſque ſcriptores diſputatio.

d *Gen.1.9*

II. Quomodo cõgregatæ ſint aquæ.

Mihi in primis probabilis viſa eſt S Baſilij ſententia, quę fuerat Tertulliani aduerſus Hermogenem, quam accuratè explicauit noſter Molina, & ad hiſtoriæ veritatem commodiſſimè, hoc fere modo e. Mundi opifex Deus terram à principio plane rotundam ac ſolidam, ſine montibus & vallibus, & in ſui Elementi puritate condidit, quam permiſit biduo aquis obrutam in medio mundi loco, quem eius grauitas poſtulabat, ſubſidere. Tertia vero die, quoniam finis ad quem mundus erat conditus, exigebat vt tellus magna ex parte ex aquis emineret, id hunc in modum perfectum eſt. Eleuauit omnipotenti vi ſua terræ globũ multis vndique locis, eademque opera factum eſt, vt montes multis in locis exilterent, ad quorũ radices valles deprimerentur: variæ quoque cauitates, tam in terræ viſceribus, quam in eius ſuperficie formarentur, in quas aquæ defluentes, ad vitandum vacuum, naturali ſeſe pronitate reciperent. Sicque terra facta eſt, non vbique ſolida, vt prius, ſed multis paſſim, magniſque cauernis perforata, & quaſi ſpongia aquis impleta, dilatata eſt, & longe quam antea maiorem occupauit locum.

e *diſp.11. de opere 6. dier.*

III. Terraque vbique patefacta.

Ea eleuatione non ſolum facta eſt Europa, Aſia, Africa, America, & quidquid eſt terrarum continentium ad polum articum atque antarticum; ſed quidquid etiam eſt inſularum in oceano, & mediterraneo mari, & omnino vbiquelocorum, vbi terra fluctibus eminet. Grãdiores porro cauitates occupauit oceanus, cum omnibus ſinubus ſuis, Arabico, Perſico, Indico, Gangetico, alijsque ad orientem, & occidentem ſolem, ad ſeptentrionem & meridiem. Occupauit & mare, quod in medias influit terras, vnde & nomen accepit, à columnis quæ dicuntur Herculis, vſque ad Syriam, cum omnibus quaſi reſtagnationibus in mare ſuperum, quod & Adriaticum, in Propontidem, Euxinumque pontum. Occupauit mare Caſpium, & Balticum, omniaque freta, lacus omnes, ac paludes cum fluminibus vniuerſis.

IV. Cui ſint aquæ in terra.

At cui tandem vſui? dicat aliquis. Nempe vt venarum inſtar eſſent in magno iſto terreno corpore, quod per ingentes hoſce aquæ ductus, quaſi alimento in viſcera recepto, & œcumenius redderetur, & pinguius. Has porro aquas fluminum ac paludum Deus nõ magno admodum interuallo disjunxit; tum vt plures per ſe terras vicinas irrigarent, dum vicinũ illæ humorem continẽter exugunt; tum vt facilius emiſſis vaporibus, quaſi collato certatim ſtudio, ſolis ac ſyderum actionibus deſeruirent, quorum vi elati vapores, in nubes obuio frigore concreſcerent, & in pluuias opportunè ſoluerentur. Sed & illud quoque fuit diuinæ prouidentiæ, vt montes, & conualles, & loca ſubterranea ad fontium productionem ita diſponeret, vt aptiſſimis interuallis fontes exorirentur, quorum coaleſcentibus riuulis, flumina fierent apta nauigijs, ſiue in itinerum commoditatem atque compendia; ſiue vt terra ipſa adeundi, & vltro citroque cõmeandi facilitate incitante, pene vbique ab hominibus, cæteriſque animantibus habitari poſſet: ſiue vt res quarum vno in loco ſat magna eſſet copia, in alias atque alias regiones in quibus earumdem eſſet penuria, commodè tranſportari poſſent.

Diuina circa eas prouidentia.

Vid. Conimb. in meteor. tr.9. & in 3. de cœlo c.5.q.3.

V. Eadẽ prouidentia circa terram.

Quota porro terræ pars extet ab aquis, & omneſne aquæ continuæ ſint, quóue modo flumina ex mari orta videantur, nec tamen Scriptura cum Ariſtotele pugnet, in Annalibus ipſis reperies: ea ſiquidem ſtudioſe lector hic indicata duntaxat, ſtudium breuitatis amputauit. Cæterum in hac eleuatione terræ diuina prouidentia multipliciter & intus eluxit & foris a. Primùm enim prouidit ne in multis hiſce cauernis, & aquarum receptaculis, in ſeſe tota terra corrueret atque ſubſideret, ſicque aquas exprimeret, quibus iterum terra mergeretur: Itaque longe maiorem in profundo terris ſoliditatem dedit, quam ad ſuperficiem; quod ijs qui puteos aut metalla effodiunt, aut ædium fundamenta iaciunt liquidó conſtat; ſentiunt enim terram quodammodo lapideſcere. Addo etiam cum Molina, Deum cum eleuaret Terram, vt aquæ in depreſſiora loca circunfluerẽt, ſimul etiam in centro terræ ingentem omnino cauitatem, & multo cæteris omnibus ampliorem aperuiſſe, vt illic eſſet locus tormentis impiorum deſtinatus, & à ſedibus beatorum longè remotiſſimus: eamque cauitatem materia ſempiternis incendijs idonea repleuiſſe.

a *Valer. de ſacra phil.3.c.*

Cauernæ inferorũ.

VI. Productio metallorum, & aliorum mixtorũ.

Hoc ipſo tempore è terreſtri materia metalla omnia cæteraque foſſilia, omniaque lapidum genera, & mixtorum vita carentium, diuerſis produxit in locis, licet productionis eorum peculiaris mentio in ſacra hiſtoria nõ fiat; neque enim apparet commodius tempus, quã vt ante plantas iſta producta ſint, vt fieret in iſtis ſublunaribus, ab imperfectioribus ad perfectiora progreſſio, ab elementis ad inanima mixta, ab his ad plantas, à plantis ad mutas animantes, piſces, atque volucres, à quibus ad perfectiora terræ animalia veniretur, vt in homine deniq; eorum omnium Domino, longeque perfectiſſimo, cũcta ſex dierũ opera finirẽtur.

VII. Terra ſuperior aquis.

Elucet etiam foris eadem prouidentia in hac eleuatione terræ. Eam enim proportionẽ ſeruauit Deus, vt terra vndique verſus mare & flumina declivis eſſet; quo factum eſt, vt ſicut hoc die tertio aquę ad aperiendam terram huc illucq; defluxerunt, ita deinceps flumina motu naturali vndiq; in mare decurrãt, per varios licet mæandros & flexus, dũ montiũ aut collium impedimenta deuitant. Itaque cum aquis terra ſit eminentior, nihil illi timendum eſt, ne ab

aquis

An possit ab eis obrui.

aquis nutu suo defluentibus obruatur, nec necessarium est eas perpetuo miraculo diuinitus retineri, etsi aliquando Scriptura sacra *b*, quæ se ad vulgi captum sensumque accommodat, id significare videatur. Vnicus item ex vtroque elemento factus est globus, cuius vnum est idemque centrum, sicut priusquam terra ex aquis extaret. Neque enim mutatio quædam loci, aquæ naturam & propensionem mutauit, vt quæ ante ad centrum vniuersi vergebat, nunc ad aliud centrum feratur, quasi ad alium quendam mundum pertineat.

b *Psal.* 103. *9. Iob.* 36. 8. *9. Prou.* 8 29. *Ierem.* 5. 22.

Vnus vtriusque globus.

Etsi autem properamus, addamus nihilominus hoc loco aliquid de salsedine maris. Deus enim, qui aquas omnes dulces initio creauerat, vt autor est Anastasius Sinaita *c*, cui Molina *d*, & Conimbricenses *e* assentiuntur, salsedine hoc tertio die perfudit Oceanum, magna adustarum exhalationum copia in ipsum congesta. Neque enim dubitandum est adustas huiusmodi exhalationes salsum saporem contrahere, vt ex sudore liquet. Id autem à diuina sapientia, cum vtriusque elementi vtilitate perfectum est. Terra enim, huiusmodi leuata exhalationibus, reddita est fœcūdior; aqua vero, & ad piscium nutritionem sapidior, & ad onera ferenda densior, & ad frigori resistendum validior, & ad putredinem vitandam instructior reddita est. Denique effectum vt sal inde collectum multis ac necessarijs hominum & brutorum vsibus deseruiret. Id quia perpetuum esse debuit, mare deinceps, additione similium exhalationum, quas Solis ardor, aliorumque altrorum actio continenter producit, eandem retinet amaritudinem. Partes enim subtiliores, dulciores que eliciuntur, quo fit etiam vt summa maris aqua salsior sit, quam profunda.

VIII. Salsedo maris, eiusque commoditates & causa.

c *l. 3. Hexaem. d disp.* 11. *c. 3.* e *tract.* 10. *in Meteora.*

Cum primum terra patefacta est, noluit Dominus aliquandiu otiosam & inertem iacere, sed eodem ipso die germinare iussit, plantasque producere, potenti omnino atque efficaci iussione. Eodem quippe verbo, quo eam germinare iussit, etiam fertilitatem indidit, & germinandi potestatem. Quomodo Christus *f* eum iubebat paralyticum surgere, tollere grabatum & ambulare, surgendi simul & ferendi lecti, & ambulandi præbebat facultatem. Statim ergo terra germinare cœpit, & inditum vigorem herbis propalam, frondibus, floribusq; testari, atque adeo fructibus, qui primo illi veri conuenirent, iuxta ea quæ superius disputata sunt à nobis *g*. Quò etiam non repugnantem trahas hoc loco Mosem, qui ait iussam terram lignum pomiferum producere, faciens fructū *iuxta genus suum*, vt scilicet non solum vt nux nuces & amygdalus proferret amygdalas; sed vt pro conditione temporum ac locorum, quibus huiusmodi plantæ naturaliter secundum genus suum gaudent, fructus darent. Itaque sicut non omnes locis omnibus, sic nec omnibus temporibus prouenire iussæ sunt.

IX. Terra iubetur germinare.

Supra speciem suā, locum, & tempus.

f *Matt.* 9 2. *&c.*

g *In appar. c. 4. n. 6.*

Non omittamus autem illam hoc loco quæstionem, quam plerique Patrum mouent, an herbæ virentis nomine, etiam herbæ noxiæ intelligendæ sint: & an lignum fructiferum etiam steriles arbores comprehendat. Eam dubitationem cum posuisset S. Augustinus *h* plane respondet, hæc in pœnam peccati contigisse, & consequenter die tertio nō prodijsse. Cui sententiæ adhæret Beda in Genesim, subscribunt Rupertus, Rabanus & Alcuinus. Rosas quoq; spinis hoc tempore caruisse credidit Basilius *i*, qui habet sibi cōsentientem de more Ambrosium *k*, Damascenum *l*, atque Procopium *m*.

X. Herbas noxias & arbores infrugiferas.

h *l. 1. de Gen. contra Manich. c. 13*

i *Hom. 8 exp. Hexa. c. 9. & 11*

k *l. 2 de fid. c. 10 in Luc. Gen.*

Verum & de plantis noxijs primum respondeamus, communissima nunc est probatissimaque sententia, omnes omnino arbores, plantasque à principio Dei iussu esse productas. *Et ecce*, inquit Basilius, *a, cum ijs quæ edules sunt, & nobis alendis opportunæ, exorta sunt mox ipsa etiam exitiales herbæ, venenosæque, cum frumēto cicuta, cum esculentis cæteris helleborus, aconitum, mandragora, atque papaueris succus.* Sic ibi Et longius postea, pleraque noxia reputari ait quæ non sunt vniuersæ noxia, sed quibusdam animantibus, cum sturni impune cicutâ vescātur, helleborus coturnicibus sit cibus. Et rursum quædam morbis vtilia sint, quæ nutritioni officerent. Idem sentiunt Theodoretus & Philo *b*, Nec S. Augustī. illi sententiæ semper adhæsit, sed in alio loco *c* fatetur omnes quidem plantas à principio fuisse productas, noxias tamen, post peccatum duntaxat homini in pœnam fuisse.

XI. Simul fuisse creatas. à *homo*

b *l. de n. de opif. c. l. 3. de Gen. ad lit. c. 18 & 61. c. 99. 9. 3*

Idque autoritas Scripturæ *d* videtur exigere: quæ habet Dominum die septimo ab omni opere producendo cessasse, quia deinceps non produxit aliquas plantarum nouas species, siue infrugiferarum, siue noxiarum. Et mox ibidem ante vllam peccati mentionem, imo ante productionem hominis dicitur Deum fecisse *omne virgultum agri, omnemque herbam regionis.* Qui omne dixit nihil excluſit: præsertim cum nec peccato hominis plantarum natura violata sit; nec absurdius sit ante peccatum noxias plantas, & infrugiferas nasci arbores, quàm serpentes, lupos, scorpios & dracones. Ex his autem intelligitur quid de rosarum spinis dicendum sit, quarum natura non magis mutata est quàm cæterarum plantarum: at spinæ ab interna plantę dispositione ipsi congenita promanant: qui est communis hominum sensus, atque iudicium.

XII. Prolati ex scriptura.

d *Gen. 1*

DE PARADISO TERRESTRI.

XIII. Quando productus fuerit.

HIs vniuerse de opere huius dici breuiter explicatis, ingrediendum est nobis in difficilem atque operosam de Paradiso terrestri disputationem. De quo primum dicimus eius productionem ad hunc tertium diem Mundi pertinere, etsi S. Basilius *e*, atque Hieronymus *f* dissentire videantur; quorum ille die sexto potius, iuxta seriem narrationis Mosaicæ: hic ante cœlum & terram Paradisum à Deo conditum significet. Verum Scriptura ipsa aperte significat se in eius descriptione rationem temporis non seruasse, cum post expositam hominis formationem ait g. *Plantauerat autem Dominus Deus paradisum voluptatis à principio*, quando scilicet iussit terram germinare herbam virentem, atque omne plantarum genus. Quod notauit etiam, Rupertus *h* qui tacito nomine sanctum Augustinum impugnat, qui libro sexto de Genesi ad literam, videtur sentire sexto die fuisse productum:

e *l. de Parad. f. in Trad. hebr.*

g *c. 2. 8.*

h *l. 1. in Gen. c.*

quamuis mox libro 8. ad hunc tertium Mundi diem eã productionẽ referat, vt cæteri passim.

XIV. Statuitur dies mũdi tertius

Neq; vlla causa videtur idonea, cur aut prius, aut posterius conditus dicatur, quam eo tempore, quo terra vniuersè germinare iussa est, & arbores, reliquasque plantas de sinu suo profundere, quibus maximè delicioſissimus ille locus constabat. Nec potest dici conditus post formatum hominem; sic enim dici non posset, Deum creato homine, ab omni opere producendo quieuisse. Sepositi autem Moses huius paradisi expositionẽ, sicut & peculiarem narrationem formationis, Adami & Euę, quamuis illa ad tertium diem, hæc pertineret ad sextum, quod hæ res maximè memorabiles essent, & fusius exponendæ, neque breui illi catalogo operum sex dierum inserendæ. Quod notauit etiam Bellarminus *i*, & minus à quibusdam animaduersum, eos induxit in fraudem, D. autem Hieronymus ex Hebræorum sententia, quorum ibi traditiones scribebat, locutus est.

i l. de grat prim hom. c. 11.

XV. Vbi fuerit conditus.

De loco vtinam tam certa dicere liceret: Omissis autem nunc quidem varijs opinionibus parum probabilibus, etsi autorum alioqui valde probatorum, existimamus à Deo conditum paradisum hunc circa Mesopotamiæ fines, in ijs regionibus quas Tygris & Euphrates præterlabuntur: quam sententiam viri graues, atq; eruditione præstãtes, amplexi sunt, & hoc ipso prætulerunt cęteris, quod paucioribus incommodis obnoxia sit, & sacro textui in primis cõsentanea videatur. Cum enim Scriptura dicat fluuium, qui egrediebatur à paradiso, inde diuisum in quatuor flumina siue capita, quorum duo sine controuersia sunt Tygris & Euphrates, certe satis docet illos non multum à Paradiso abfuisse. Nam ad hanc Mosis topographiam nihil pertineret longe distantium fluminum meminisse.

XVI. Videri in Mesopotamia.

Itaque crediderim in medio circiter Paradisi magnum quendam fontem siue gurgitẽ ascendisse de terra, de aquarum videlicet abysso, in terræ cauernis retrusarum, eundemque se mox quadripertitò, ad quatuor mundi plagas, diuisisse, effecisseque quatuor illa flumina, quæ à Mose memorantur. Cui expositioni Hebræum אד plurimum fauet, quod Hieronymus fontem, Oleaster inundationem, Cornelius gurgitem vertit. Est enim gurges profundus in aquis locus, in quo circumuoluitur ac versatur vnda, siue erumpens, siue influens atque absorbens. Adde Rupertum *k*, qui hunc fontem de abysso promanare ait, esseque quasi terræ mammam, in qua salsa Abyssi aqua lacteam dulcedinem assumat.

k l. 2. c. 25.

XVII. Voi primi homines habitarunt.

Præterea, vt recte Eugubinus, Pererius, & Cornelius argumentantur, in eo loco putandũ est fuisse paradisum, iuxta quem tam Adam, quàm eius filij familiaque habitauit, & multo deinceps tempore posteri, ante & post diluuium. Eo siquidem suauiter trahebat amor natalis soli generis humani, & eximia terræ paradiso proximæ fertilitas, acrisque gratissima saluberrimaque temperies, suppar ipsi paradiso: quæ causa fuit antiquis illis patriarchis tam longinquæ ac diuturnæ vitæ. Satis autem constat Adamum paradiso pulsum, iuxta eum habitasse cum suis. Nam Scriptura *a*, *Et emisit*, inquit, *eum Dominus Deus de Paradiso voluptatis, vt operaretur terram de qua sumptus est.* Illam ipsam terram, ait Chrysostomus *b*, de qua sumptus est. Quis autem dubitet Adamum iuxta paradisum formatum, vt inde mox in ipsum hortum inducerentur? idq; affirmat Aben-ezra apud Eugubinum. Nam iectione, inquit Chrysostomus, & propinqua habitatione castigatiorem, & in posterum securiorem faciẽs, reipsa docuit quãtus impostor fuerit dæmon.

a Gẽ 3. 23

b Hom. 18 in Gen.

Atqui satis constat ex cap. 4. 10. & 11. Geneseos primos illos patriarchas Mesopotamiæ, Assyriæ, Babyloniæ, siue Chaldææ regiones incoluisse. Certe Cain habitauit ad orientalem plagam Edem, vbi & condidit ciuitatem. Et ex Babylonia factam esse diuisionem in omnes terras argumento est turris Babel: & Scriptura, quæ ait profectos ex oriente, id est ex Armenia, in qua arca subsiterat, & habitasse in terra Sennaar. Fauet eidem sententiæ celebrata à Scriptoribus, Chaldæorum antiquitas, quam ipsi, liberali sane mendacio, ita auxerunt, vt ab origine sua, si superis placet, quadringenta & septuaginta annorum millia numerarent. Verum hæc obscuriora esse necesse est, cum Scriptura multa breuiter perstringat, multa vix innuat; à qua tamen vna necesse est nos edoceri. Adde tum nondum conditas ciuitates, nondum diuisas nominataſque regiones, nihil vt istis de rebus, præter probabilitatem afferri possit.

XVIII. Quod ex Scriptura confirmatur.

Huic quæstioni affinis est alia, extetne hoc, tempore ille paradisus, an iam pridem diluuio, aliòue casu, aut ipsa certe tot seculorum diuturnitate perierit. Existere necessario credunt illi omnes, qui in eo viuere Enochum & Eliam tradidere; grauissimi scilicet, antiquissimique Patres, in quibus Iustinus martyr, Irenæus, Athanasius, Hieronymus, Isidorus, alijque. Verum hac de re infra diligẽtius cum de Enochi translatione dicendum erit. Nunc autem cum negante sententia dicendum videtur, terram quidem illam, in qua Adamus aliquandiu habitauit, sepositio ornatu illo aduentitio, quẽ Deus illi loco in fauorem innocentię attribuerat, extare vtique, sicut & reliquas eiusdem elementi partes *c*, *Terra enim in æternum stat*. Illas autem illius loci delicias, ex arboribus & plantis, ex floribus, fructibusque omnis generis, ex aere temperatissimo, ex fontibus aquisque saluberrimis, & omnium rerum ordine, compositioneque mirabili, quæ ipsum deceret autorem, exoleuisse, siue id aquis diluuij tribuendum sit, siue ipsius architecti desertioni, & temporis edacitati, quod non patitur plantas multis seculis perdurare. Cum igitur hæc esset forma horti huius, formæque vi res ipsa subsistat, eaque sublata concidat, consequens est vt simpliciter fateamur istum paradisum nunc plane nullum esse.

c Eccl. 1. 4

XIX. Nõ videri nunc existere.

Quod ad eius formã, atque delicias.

Eum nihilominus cogitatione ingrediamur; sua enim admirabili, atque inusitata amœnitate iamdudum nos ad se allectat. In loco ergo ipso nihil arboribus æquè omnium sermone celebratum: in pomœrio vero, nihil fluminibus ex horto promanãtibus cognitione dignius, de vtriusque ordine breuiterque dicamus. De arboribus hæc habet Moses *d*. *Produxitq; Dominus Deus de humo omne lignũ pulchrũ visu, & ad vescendum suaue; lignum etiam vitæ*

XX. De Paradiso ipso, eiusque plantis.

d cap. 2. 9

in medio

in medio Paradiſi, lignumque ſcientiæ boni & mali. Vbi vides redintegrari narrationem productionis arborum, omniumq; plantarum, quæ tertio die facta eſt, & Paradiſo applicari. Notat autem Chryſoſt. beneficentiſſimum Dominũ operam dediſſe, vt hiſce plantis aſpectus delectaretur, & guſtus, tam omnium varietate & multitudine, quã eximia bonitate ſingulorũ. Neque vero mens eſt Moſis ſolas arbores frugiferas, quæ viſum oblectarent eſſe productas, ſed eas etiam, quæ ad delectationẽ tantũ vidẽtur productæ, cũ tamen multis præterea vſibus deſeruiant. Adfuiſſe enim cedros, & abietes, & platanos, fraxinoſque & alias id genus arbores ramis pulchras, & frondibus nemoroſas, & proceritate excelſas, ex allegoria Ezechielis *e* colligitur. Adfuiſſe quoque genus omne florum, quæ vtrumque illum ſenſum, & præterea odoratum iucundiſſima ſuauitate reficerent.

e c.31.8.9

XXI. Eximioq; horti pulchritudine.

Et hæc quidem, quæ Propheta attingit per ſumma capita, minimè dubiũ eſt diſpoſitione pulcherrima in diuino illo horto digeſta fuiſſe, atq; diſpenſata: flores, inquam, atq; arbores, vt ſingulorum venuſtati ordo perelegans, & mirifica diſtributionis varietas, & margines, & ambulacra, tum loco longè plurimũ ornamẽti, tum homini multum ſuauiſſimæ iucunditatis, afferrẽt: tantũq; ſuperaret in hoc genere principum virorum delicias hortẽſes, fortunataq: nemora; quantum decebat & ipſum Paradiſi artificem, cuius eſt hæc infinita potentia, ſapientia, effuſaq; benignitas; & illos quibus præparata erat illhęc habitatio, ſanctitate & innocentia Dei filios, principes vniuerſæ terræ: & illam cœli ſolique bonitatem, quæ totius orbis terrarum facile palmam ferebat. Quantum denique Paradiſus ille æternæ fœlicitatis requirebat, cuius ſpecimen aliquod, figura, atque adumbratio hoc terreſtri Paradiſo parabatur.

Vnde collecta.

XXII. Arbor vitæ eiuſq; fructus.

Nominatim autẽ duas nobis arbores Moſes commẽdat, lignum vitæ in medio Paradiſi collocatum; viuificam ſcilicet arborem, vitæ inſtauradæ, ac diutiſſimè conſeruandæ à Deo è terra iuſſam exiſtere, eo ex loco, in quo æquali vndiq; ſpatio, ab extremo Paradiſo diſtans omnium incolarũ vſibus cõmode deſeruiret. Iam quod ad fructus eius, veros vtique naturaleſq; fructus fuiſſe fateri neceſſe eſt; ſed eorum efficacitas ad immortalitatem, naturalis-ne fuerit, an ſupernaturalis meritò inquiritur. Si enim, vt diſputat Pererius *a*, hic effectus ſupernaturalis fuit, nihil prohibet, quo minus hæc arbor ſimilis cæterarum eſſet. Potuit quippe Deus effectum illum ſupernaturalem per quamlibet arborem efficere; quando non illa ipſa arbor, aut fructus eius, ſed Deus illi aſſiſtens id operabatur. Sin naturalis erat, & ex proprijs naturæ ipſius principijs emanans, conſentaneum eſt huiuſmodi arborem à reliquis omnibus ſpecie diuerſam fuiſſe, vt quæ tam diuerſum à reliquis producebat effectum.

a q.2. de hac arbor. n.63.

XXIII. Efficacitatẽ eius fuiſſe naturalem.

Naturalẽ cenſent Cornelius à Lapide *b*, Del Rio *c*, Torniellus *d*, Pererius *e*, qui laudat pro eadem ſententia Strabum, Hugonem à S. Victore, & D. Thomam *f*, quibus libenter ſubſcribimus. Exiſtimamus quippe fuiſſe hãc vim iſti arbori naturalem, vti eſt medica vis quædam in alijs arborum fructibus: ideóq; à vi natiua dictam arborem vitæ. Deinde quia poſt peccatum manſit eadem vis arbori, propterea-que Adam, ne ea vti poſſet, excluſus eſt à paradiſo: at ſi fuiſſet ſupernaturalis, & à ſpeciali Dei concurſu dependens, non affuiſſet illi poſt peccatum, fruſtraque à peccatore ſumptus fuiſſet ille cibus. Denique finita erat illa vis, & vitam præſtare poterat, longiſſimam illam quidem, non tamen æternam, vt communis eſt doctorum ſententia; at ſupernaturalis vis, cum ex rei natura & virtute non pendeat, ſed à diuinæ poteſtatis arbitrio, immortalitatem ſimpliciter præſtare potuiſſet. Sicque ſuauius ſe prodidit diuina prouidẽtia, cum effectui naturali, vitæ diu propugnandæ cauſam naturalem ei cõgruentẽ adhibuit, quam ſi perpetuo miraculo ad hunc effectum ſine neceſſitate vteretur, non ſecus ac ſi ad præſentiam ignis ipſe calefaceret, aut ingeſto cibo ipſe nutriret.

b in c.2. Geneſ. *c ibid.* *d in eodẽ act.* *e l.3. in Gen.q.40. n.78.* *f 1.p.q.97 art.4.*

Altera arbor vera ipſa quoq; ac naturalis fuit, ab ipſo rerum omniũ opifice producta, ſpecie ipſa viſenda, & quæ fructus ferret, qui edi ſuauiter poſſent, vel primorum parentum iudicio & experientia infelici. quam porro cauſam huius denominationis afferimus, aut quam ſcientiam boni & mali, de qua conſtet diabolum eſſe mẽtitum? Arbitror & promiſſam à diabolo, & ab hominibus expetitam ſcientiam aliquam humana maiorẽ, de rebus bonis & malis, qualẽ Deus habet. Ait enim *g*, *eritis ſicut dij ſcientes bonum & malum*, vt tentatio non ſit de ſcientia boni & mali ſimpliciter, ſed de multo maxima. Idque Dei verba confirmant, cum deceptis inſultans, cum ironia dixit; *Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt h, ſciens bonum & malum.* Arbitror etiam, cum communi doctorum ſententia, hanc arborem, ab cuẽtu tam futuro quam præterito, nomen eſſe ſortitam. Nam & Deus futuri præſcius, cum eius eſum prohiberet, ſic eam appellauit, & Moſes, ex eo quod acciderat homini comedenti ex eo fructu, idem nomen vſurpauit. Contigit autem homini propria experientia ſcire, quid inter bonum obedientiæ, quam feliciſſimus ille ſtatus comitabatur, & malum inobedientię, quæ tot bonorum iacturam inuehebat, intereſſet. Hæc eſt plane Auguſtini *i* ſententia, Theodoreti *k*, & Damaſceni *l*, Cyrilli *m*, Eucherij, & aliorum.

g c.3.5.

XXIV. Arbor ſcientiæ vnde dicta.

Qualem demonſtrauit ſcientiam promitteret *h c.3. 22.*

Hinc autem illud ſimul intelligitur, nõ fuiſſe hunc effectum illi arbori naturalem, ſed mere aduentitium, & cuiuis applicabilem, quã Deus ad probãdam hominis obedientiã eligere voluiſſet. Cuius autem ſpeciei fuerit nemo certo definire poteſt. quidam de ficu ex Adæ perizomatis ſuſpicantur; alij de malo, ceraſis, alijſque: quibus hoc meritò poſſit obijci. Nam cum de vnica arbore, quæ erat in medio paradiſi datũ ſit præceptum, poterat vtique eludi prohibitio in altera eiuſdem ſpeciei arbore, in caque facile vinci Satanę tẽtatio, in cuius fructu ipſum mẽdacij impune conuincerẽt. Quod minimè cõcedendum videtur, vt parum conſentaneũ diuinæ Legislatoris ſapientiæ; potiuſque dicendum arborem ſcientiæ fuiſſe ſingularẽ, & ſpecie à cæteris omnibus diſcretam. Idemq; etiam eodem iure de vitali illa arbore dici poſſet, cuius cum vis naturalis eſſet, vt ſupra demonſtratum eſt, alia eiuſdem ſpeciei & naturæ, & quod conſequens eſt efficacitatis, extra paradiſum reperiri potuiſſet, & flammeus gladius eludi.

i l.8. de Gen. ad lit c.6. & l.14 de Ciu.c.17. *k q.26. & 27.* *l l.2. de fi. c.11.* *m l.3. contra Iulian.*

XXV. Nõ fuiſſe hunc effectum illi arbori naturalem. Sed ſpeciei cuiuſdam ſingularis

Sicut & prior.

XXVI. Paradisi ons i- emque luuius.

Sequitur vt de fluuijs è paradiso erumpentibus, dicamus, si tamen prius eorum fontem, in medio paradiso profusè scaturientem, contemplati fuerimus. Fontem vtique magnum & profundum, atque ita aquis, abundantem, vt irrigaret, *vniuersam superficiem terræ*, aut circumpositæ, aut Asianæ, ad quam solam hæc flumina pertinent, vt mox dicetur. Quem porro fontẽ a vocauit, cum mox fluuium appellat, & quem dixerat ascendisse de terra, postmodum distinctius explicans quæ esset illa terra, ait egressum de Eden, siue de loco voluptatis, qui idem est paradisus. Vt sit sensus, Magnum illum fontem, qui propterea aquarũ abundantiam, & violentam eruptionem instar fluuij erat, in editiore paradisi loco emersisse, indeque defluentem per plurimos circumquaque alueos paradisum totum irrigasse, moxq; in quatuor capita confluxisse, pluribus scilicet alueis, pro loci vicinitate in vnum concurrentibus, versus quatuor mundi plagas.

a v.6.10.

XXVII. Qui 4. flumina ex vno propagata

Sed qui fieri potest vt ex vno fluuio quatuor illi propagentur, qui iuxta communem Geographorum consensum longissimè à se distãt? Nec satisfaciunt, qui putant diluuij Noetici aquis fluuiorum istorum origines vno in loco obrutas, in alijs longe dissitis erupisse. Nam Moses eorum situm describit. non quem à principio habuerunt; sed quem habebant dum ista scriberet, nongentis circiter annis à diluuio, ideòque tempore præsenti vbique vtitur. Assyrios etiam & Æthiopes memorant, qui erant tempore Mosis, nec nisi post diluuium exorti sunt. Si ergo Phison & Gehon, id est, vt plerique iam olim interpretati sunt, Ganges & Nilus, Tygris & Euphrates, vno ex capite Mosis tempore nascebantur, quæ tanta vsquam memoratur post natum Mosem rerum & fluuiorũ in Asia perturbatio, vt quatuor fluuiorum maximorum fontes ita distraherentur?

XXVIII. Phison non est Ganges.

Itaque Phisonem alium esse à Gange necesse est, idq; ex Scriptura, si attenderimus quem illi cursum tribuat facile intelligetur. Ait enim circumire omnem terram Heuilath: quæ Prouincia respicit Ægyptum, & pertinet ad desertum Pharan in Arabia; eamque Ismael, eiusq; filij incoluerunt, vt eadem Scriptura testatur a, vt nullo modo ad Indos, quos Ganges alluit, transferri possit. Eandem Prouinciam tempore Saulis Amalecitæ inhabitarunt, & Israelitis ex Ægypto ascendentibus, armati occurrerũt. Phison ergo, qui illam circuit Prouinciam in Arabia, non in India inquirendus est, quamuis eum geographicæ tabulæ non prodant, sed instar omnium tabularum est Moses, & Iesus Sirach in Ecclesiastico b, qui cum, post mille & ducentos annos à morte Mosis, prædicat, & quidem tam amplum, vt posset cum amplissima Salomonis sapientia comparari. Quid illi autem postea factũ sit, exarueritne absorptus à terra, & alueum cum nomine mutarit, geographis inquirendum relinquo. Satis nobis est docere illum non esse Gangem, sicut nec Gehonem Nilum, quamuis eum Moses dicat circuire terram Æthiopiæ.

a Gen. 21. & 25.

b c. 24. 45.

XXIX. Sequitur Nilus.

Sed Æthiopiam intelligit, non meridionalem illam, Israelitis prorsus ignotam, sed Arabicam, siue Madianiticam, diu à Mose cultam, ab Israelitisque lustratam. Nam ibi Moses Sephoram duxit vxorem, quæ cum esset Madianitis, vt ex 2. Exodi constat c, Æthiopissa tamen Numerorum 12. appellatur d. Sed hæc copiosius in Annalibus disputata reperies e. Sit ergo positum Phisonem & Gehonem duo fuisse flumina, quæ prope Tygrim & Euphratẽ exorta, cursu ad occidentem solem conuerso, Arabiam, & vicinas Iudæis prouincias irrigarunt, quæ à Mose hoc loco Geneseos e, nomine Heuilath & Æthiopiæ intelliguntur.

c c.2.13. 21.
d Die 3.n. 64.65.
e c.2.11. & seq.

XXX. De Tygri & Euphrate.

De tertio, & quarto fluuio, Tygri & Euphrate, nulla est quæstio peculiaris hoc loco, nisi quod ad eorum fontes attinet, qui in Armenia constanter à Geographis celebrantur, à Lucano autem in Perside f. De quibus illud cum S. Augustino g respondere possumus, ea flumina, quorum fontes noti esse dicuntur, alicubi isse sub terras, & post tractus prolixarum regionum, locis alijs erupisse, vbi tanquam in suis fontibus nata esse perhibentur. Cui consentit Hugo à Sancto victore, Seuerianus apud Lipomanum, Theodoretus h, Beda, Caiet. & alij. Lucanus i certe de Tygri.

f l.7. Pharſ.
g l.8. de Gen. ad lit.
h q.2. in Gen.
i l.7. Pharſ.

At Tygrim subito tellus absorbet hiatu
Occultosque legit cursus, rursumque renatum
Fonte nouo flumen, pelagi non abnegat vndis.

De Nilo eadem scribit Plinius k, & alij de alijs, de quibus consule Conimbricenses l. Et de Paradiso quidem terrestri hactenus, quod ad tertium hunc diem attinet. Si quid præterea de eo dicendum erit, postea cum hominis productione perstringetur.

k l.31.c.4 & 5.
l tract. 9. in Meteora c. 9. §. nõ pauci.

DIES MVNDI QVARTVS.

I. Quæ die quarto producta.

SEquitur productio cælestium luminariũ, Solis inquam, Lunæ, omniumq; stellarum, quæ die quarto à Deo conditæ, & in firmamento collocatæ sunt, vt aperte tradit Legislator, cum eorumdem astrorum officijs. Sex dierum circulum destinarat productioni mundi eius opifex Deus, quos si bipertito diuidas, vtriusque partis initium luci reperias attributum. Sed medius hic circulus, quasi annulus, rutilantibus astrorum gemmis ornatur. De quibus non leuis est recẽtiorum peripateticorum cum antiquis Patribus disputatio. Græcis inquam ac Latinis, qui primigeniam lucem quarto die soli attributam putant, vt ei quasi vehiculum esset. Hæc est sententia Magni Basilij. & Nazianzeni Gregorij, Maximi, Didimi, Damasceni, Apollinaris, Theodoreti, Athanasij, Nicetæ, Anastasij Sinaitæ, Procopij Gazæi, qui eam lucem igneam dixerunt, ex eaque Solem & Lunam, reliquaque astra facta esse crediderunt. Ad quos ex latinis accedunt Tertullianus, Ambrosius, Augustinus, quorum sententias in Annalibus m perscripsimus. Cum autem ex eorum constãtissima sententia dictum sit cælos ex aquis constitutos esse atque compactos, ijdemque vt mox dicetur, sydera ignea esse diserte pronuncient n, consequens etiam est doctrinam ipsorum peripateticæ parum esse consentaneam, quæ vult astra eiusdem esse cum suo orbe substantiæ ac naturæ, & quasi in ligno nodos; partes scilicet orbis

Lux Soli attributa.

m n.3. & seqq. Patribus cum peripateticis non conuenit.
n 4. & seqq.

denſiores,

Digitized by Google

densiores, atque compactiores.

II. Illorũ de ſyderibus ignea ſententia

Et vt omittam antiquiores philoſophos, qui Solem & Lunam reliquaque aſtra, modo ignitas nubes, modo ferrum candens, modo lapides ignis ardore flagrantes, & id genus alijs nominibus vocitarunt, vt fuſius tradit Theodoretus *o*, omittam & poetas, qui eam opinionem magno conſenſu carminibus celebrant, ethnicos inquam & Chriſtianos, cum quibus Eccleſia *p*.

o q. 11. in Gen. & ſerm. 1. de Pœnid.

p Hym. 3. veſp.

Quarto die qui flammam.
Solis rotam conſtituens &c.

Et alibi.

Iam Sol recedit igneus &c.

q l. de anima.

Cum Tertull. *q. Sol*, inquit, *corpus eſt, ſiquidem ignis, ſed quod aquila confiteatur, neget noctua.* S. Baſilius *r* ait deliras & aniles eſſe opiniones eorum, qui ſolem negent eſſe calidum, nec veram eſſe illorum ſententiam, qui Solem ignea natura præditum negant, Ambroſius Baſilium de more ſequitur *ſ*. Sed inſignis eſt Cyrilli *t* Hieroſolymitani ſententia. *Aqua eſt cælum & igneus in illo Sol, & Luna, & ſydera. Et quomodo ignea in aqua currunt? Quod ſi quis de hoc propter contrarias naturas dubitat, recordetur ignis illius in Ægypto, tempore Moſis exurentis in grandine, & conſideret ſapientiſſimum Dei opificium.* Adde Cæſarium & Theodoretum, Chryſoſtomum & Nyſſenum Gregorium, Procopium & Anaſtaſium Sinaitam, Arnobium, Lactantium, Anſelmum Cantuarienſem, Alcuinum & Bedam. Iſidorus id de Sole aſſerit, de cæteris tacet. Hugo Victorinus ſolem igneum, aſtra cætera facit aerea *a*.

r hom. 3. in Hexa

ſ l. 2. c. 3.

t Catecheſi 9.

a vide Annales n. 5. & 6.

III. Eorum auctoritate probabilis.

In hoc ergo tanto antiquorum Patrum cõſenſu, ſicut nihil vetat cæleſtes orbes ex aqua cõfectos cum ipſis fateri, ita & ſydera ex ignis ſubſtantia diuino artificio genita, in gratiam venerandę antiquitatis fateri probabile eſt; addita vtriſque forma, cui nulla vis, præter diuinam, interitum afferre queat. Probabilius nihilominus videtur, iuxta receptiſſima peripateticæ Philoſophiæ dogmata, aſtrorum omnium naturam à ſuorum orbium natura minimè diſcrepare, nec vllam eſſe in cœlis qualitatum pugnam aut violentiam. Sicut autem vim diuinam fatemur cælis aliquando interitum allaturam, idem quoque de aſtris nos credere par eſt: vt in nobiliorem ſtatum ab vltimo iudicio commutentur. Vt diligentius in Annalibus *b* explicatum eſt.

b n. 7. 8. & 9.

IV. Cœlos & aſtra olim corruptũ iri.

Quid lucidius Sole? ait Sapiens *c*, *& hic deficiet*, non vtique vulgari defectione luminis, ſed noua & inſolita inſtauratione mundi reſeruata; quo & illud referre licet *d*, *Stellæ cadent de cœlo.* Sed certiora teſtimonia referamus. Nam quod hęc ad aduentitiam immutationem elementorum plęrique referunt, cum cœlos accipiunt, in quibus nubes, & volucres vago curſu circumferuntur, vim afferre videntur apertæ D. Petri aſſertioni; qui cœlos ab elementis apertè ſecernit *e*, *Aduenient autem*, inquit, *dies Domini, vt fur, in quo cœli magno impetu tranſient*, hæc de veris cœlis accipienda ſunt, nam ſequitur, *elementa vero calore ſoluentur, terra autem, & quæ in ipſa ſunt, opera exurentur. Cum igitur hæc omnia*, puta cœli & elementa, quæ proximè dixerat, *diſſoluenda ſint, quales oportet vos eſſe in ſanctis conuerſationibus & pietatibus, expectantes & properantes in aduentum diei Domini, per quem cœli ardentes ſoluentur, & elementa ignis ardore tabeſcent:* ecce hic iterum cœlos ſepoſitos ab elementis, *nouos vero cœlos, & nouam terram ſecundum promiſſa ipſius expectamus.* Quis non videt violentam eſſe interpretationem, Cæli ardentes ſoluentur, cæli ſicut fumus liqueſcent, cæli magno impetu tranſient, id eſt purgabuntur, niteſcent, & quaſi à rubigine detergentur? Quomodo non eſt inanis denunciatio cœlos vt fumum liquefactum iri, ſi cœlos aerem accipimus, qui iam liquidus eſt, nullamque habet ſoliditatem. Sed hæc accuratius *f* in Annalibus noſtris.

c Eccli. 17 30.

d Luc. 21.

e 2. Petr. 3 10. Probatur ex D. Petro.

f loc. cit.

Sed redeamus ad Moſem, aſtrorum, ſolis præſertim & lunæ munera deſcribentem, quæ ſunt totidem quaſi fines, propter quos Deus ſydera produxit. Primus eſt terram alternatim diu noctuque illuminare, quin etiam aquas & aerem, & cœleſtes ipſos orbes. Alter finis eſt vt ſint in ſigna, non vana illa & coniectanea Aſtrologorum, quæ Dominus apud Ieremiã *g* reprehendit, ſed ſigna naturalia pluuiæ, ſerenitatis, ventorum, tempeſtatum &c. aut ſupernaturalia, qualia in victoria Ioſue *h*, in valetudine Ezechiæ *i*, in Chriſti morte *k* contigerũt, & in extremo iudicio contingent. Tertius vt ſint in tempora, puta quatuor illa quæ dicuntur anni tempora, quæ ſol ſuo curſu accedens ad nos, & recedens moderatur, ver, æſtatem, autumnum, & hyemem, vt Baſilius & Philo annotarunt, & quæ his connexa ſunt ſeminandi, plantandi, metendi, vindemiandi, aliaque plurima.

V. Aſtrorum officia.

g c. 10. 1.

h c. 10. 12.

i c. 38. 8. Eſaiæ.

k 1. Luc. 23. 44. 45.

DIES MVNDI QVINTVS.

AGgreditur deinceps diuinus interpres ad opus quinti Diei, quo productio auiũ & piſcium continetur, in aeris, & aquarum ornamentum, & quaſi ſupellectilem, & hominis mox venturi vſum, atque famulatum. Quintum porrò iam Dominus operatur ſuper aquas. Prima actio fuit in creatione abyſſi, cum facta eſt *l Vox Domini ſuper aquas multas.* Altera fuit in communicanda illis virtute productrice, & fœcunditate, cum *m Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*, & facta eſt, *Vox Domini in virtute.* Secuta eſt, *Vox Domini in magnificentia*, cum diuiſæ ſunt aquæ, & in medio earum expanſum eſt magnificentiſſimum illud firmamentum, cuius ſuperiora tecta ſunt aquis. Quarta fuit congregatio aquarum, quæ ſub cælo ſunt in vnum locum. Quinta eſt hodierna geminorum animantium ex aqua productio, qui eſt effectus datæ fœcunditatis, à Spiritu Domini incubante aquis.

I. Opera Domini ſuper aquas.

l Pſal. 28. 3. &c.

m Gen. 1. 2.

Ea fœcunditas tanta fuit, vt ex ijs non ſolum aeris latiſſimè fuſum elementum, vt de igne nihil dicam, ſed ipſa etiam orbium cœleſtiũ immenſa corpora producerentur, & nunc innumerabilia piſcium genera volucrumque, ad aeris & aquæ profunderentur ornatum. Quam multitudinem innuit ipſa vox Hebræa ſarath, qua diuinum præceptum elatum eſt, quæ nõ ſolũ producere, ſed ſcaturire, ebullire,

II. Fœcunditas aquarum.

& in magna copia gignere significat ; sed ipsa ouorum experientia, quæ quotidie videmus in piscibus, perspicuè demonstrat, adeo vt S. Ambrosius *n* dicat multo plura in mari, quam in terris animantia viuere Est enim aqua rerum productioni aptior, quoniam *o*.

n l 5. Hex c. 2.

o Ouid 1. Metam.

—— vapor humidus omnes
Res creat.

Ideoque Plinius *p* ait humoris luxuriem causam esse cur complura sint animalia in mari maiora terrestribus, & tam multiplicibus formis ac figuris, quæ est Aristotelis quoque sententia *q*. Cumque magna pars minorum piscium maiorum voracitati seruiat, necesse fuit, ne species aliqua periret, incredibili eos numero pullulare, & facilem in aquis vitam victumque reperire. Quo pertinet illud Psalmistæ *r*, *illic reptilia quorum non est numerus.*

p l 9. c. 1.

q l 3. de gener. anim. c. 11.

r Ps. 103. 25.

III. Pisces num ex solis aquis producti?

Neque tamen intelligendum est pisces, aues-que, ita ex aquis productas, vt cætera elementa nihil in eorum productionem contulerint, cũ ea vera esse corpora mixta nemo dubitet. Iam enim aquis permixta fuerat terra, & aqua terris, cum Deus terram excitauit ex vndis, eamque quasi spongiam repleuit ac fœcundauit aquis, quibus innatabat aer, igneo ac viuifico calore perfusus. Ex aquis tamen, quasi ex prædominante elemento, vt homo è terra, producta dicuntur : & super hæc omnia accedebat Sol, omnium corpore & vita constantium parens,

IV. Varia eorum genera.

Si quis porrò piscium non solum summa genera hodie producta percensere ; sed de ijs accuratè disserere studeat, inquit Basilius *a*, *perinde est, atque si quis aquæas vndas enumerare, aut metiri poculis aquas maris aggrederetur.* Pergens tamen nonnulla cursim enumerat. *In his* inquit, *ipsis sunt ea quæ in alto versantur, quæ littoribus gaudent, quæ submersa viuunt, quæque ad saxa natiuis testis inhærent, saxatilia, gregaria, solitaria, & bellua molis immensæ, & minutissimi pisces.* Addit & alia genera eorum, qui crustis includuntur, & qui molli carne præditi, quasi exarmati prædæ facile patent. Alios rursum qui oua pariant, alios qui viuos producant fœtus, &c. pluribus enim in hac descriptione Basilij nobilissimum excurrit ingenium: nec nos in hoc narrationis cursu par est esse lentos, memores nos epitomen scribere.

a Hom. 8. in Hexa.

V. Balænarum moles immensa.

Non omitto tamen vel obiter intueri illa cete grandia, quamuis ipso aspectu horrifica, quæ textus Hebræus Dracones magnos, Chaldæa paraphrasis Colubros magnos appellat: terrestribus scilicet periculo & magnitudine suppares ; sed multo etiam maiores esse balænas & cetos draconibus constat. Sed an vocum penuria Hebræi laborant? Audi enim Basilium. *Fecit Deus cete grandia, non quia squilla & halece maiora sunt cete, ideo magna sunt dicta, sed quia mole corporis maxima montibus exæquantur. Nam cum ad summam aquæ superficiem enatarint, instar insularum sæpe numero apparent. Hæc tamen tanta molis animantia, non ita oriri neque in littoribus degere, versarique solent, sed id mare inhabitant, quod Atlanticum nuncupatur.* Sic Basilius, quem imitantur S. Ambrosius, Theodoretus, Procopius, Isidorus. Plinius *b* ea piscium monstra vastissima in Indico mari collocat. *Plurima*, inquit, *& maxima in Indico mari animalia, è quibus Balænæ quaternum iugerum, præstes ducenum cubitorum : quippe vbi locusta quaterna cubita impleant, anguilla quoque in Gange amne tricenos pedes, &c.* Plurima enim apud illum leges. Illud ex eodem addo memorabile *c*, Iubam ad Cæsarem Augusti filium scripsisse, cetos sexcentorum pedum longitudinis, & trecentorum sexaginta latitudinis in flumen Arabiæ intrasse, idest, vt arbitror Arabicum sinum. Si enim crassities isti latitudini respondebat, quod flumen in Arabia eius capax.

b l 9. c. 3.

c lib. 32.

VI. Piscium & Volucrum affinitas.

Quod ad volucres attinet, earum productio piscium creationi coniungitur, propter magnam inter vtrosque cognationem. Nam plurima volucrum genera natant, & amphibia sunt, vt alcyones, mergi, fulicæ, arduæ, cygni, grues: & piscium progressio in aquis, instar est volatus auium in aere ; vtrisque alæ & branchiæ pro remis, & cauda pro gubernaculo, vt notauit Ambros. Et quoniam ab imperfectioribus ad perfectiora progreditur Mundi opifex, orsus à piscibus ad aues transit ; quarum perfectionem maiorem, maior organorum internorum externorumque distinctio significat, pluriumque sensuum etiam internorum vsus, vt, pleræque facilè edurentur, & sonos etiam suos in loquelam vertant. Inde ad terrena animalia, ipsumque hominem venietur.

VII. An aues è terra productæ.

De loco porro productionis auium, fautores textus Hebraici, editioni vulgatæ litem intendunt, simulque ipsis 70. Interpretibus, & Chaldaicæ paraphrasi, quod in Hebræo legatur, *& volatile volet super terram: vt non cogaris*, inquit Eugubinus, *ex aquis volatilia producere, separatim enim præcipitur vt aquæ ebulliant piscibus omnigenis, & vt volucres volent super terram.* Ex aquis tamen aues productas esse tam ratione quam experientia confirmat. Priorem nihilominus sententiam amplectitur Caiet. vultque ex terra fuisse productas. A quo non multum absunt Lipomanus, Catarinus, Vatmius, Rabbini, & in suis versionibus Montanus, Pagninus, Vatablus.

Aut potius ex aquis.

Verum & horum sensibus, & Hebraico textui præponderat vulgata editio Hieronymi ab Ecclesia probata, præsertim consentiens 70. Interpretibus, & Chaldaicæ paraphrasi. Nam & Græci dum legunt *volatilia volantia*, & Chaldæus *auem quæ volet*, eandem omnino sententiam retinent, & auium originem cum Hieronymo aquis tribuunt. Et satis absurdum est, si ex terra productæ sunt aues, vt ipsi volunt, earum productionem quinto diei traditam, & non sexto reseruatam. Cum Latino autem, Græcoq; textu non mirum est Latinos Patres, Græcosque sentire. Nam S. Ambrosius in hymno, quo Ecclesia semper vtitur *d*.

d ser. 5. ad Vesp.

Magnæ Deus potentiæ,
Qui ex aquis ortum genus
Partim remittis gurgiti,
Partim leuas in aera.

Demersa lymphis imprimens,
Subuecta calis irrigans,
Vt stirpe vna prodita
Diuersa rapiant loca

Nec aliter sensit in Hexam. *e* Idem sentiunt

e l. 5. c. 14.

f l. 1. in Genes.
g Hom. 3. in Gen.
h Lib. 9. de Mundi opificio.
k Hom. 8 l. 5. dist. decret.
m l. 1. c. 49. in Gen.
n l. 3. de Gen. ad lit. c. 3 & l. 6. cap. 5

VIII. Quanta varietate & copia.

o Loc. cit.

p lib. 6. de hist. anim. c. 1.

IX. Produxit perfectæ magnitudinis.

a Hom. 7
b l. 2. c. 13
c q. 17. in Gen.
d q. 46.

X. Nec bina tantũ, sed plurima.

e l. de opif. hom.
f disp. 10. in op. sex dierum.

XI. Præterquam in homine.

g l. 12. de Ciu. c. 21.

Cyrillus *f*, & Chrysostomus *g*, Damascenus *h*, & Philo *i*, qui propterea volucres vocauit germanas aquatilium, quem secutus est Basilius *k*. Eodem modo intellexerunt, atque interpretati sunt scripturam, Theodoretus *l*, Rupertus *m*, & qui multorum instar esse possit S. August. *n* quorum sententias in Annalibus leges.

Prima igitur auium productio diuina virtute atque imperio tanquam efficiente causa ex aquarum materia facta est: quanta autem varietate & copia, quis pro dignitate dixerit? Excurrunt in id argumentum Sancti Basilius, atque Ambrosius *o*. Illius inter alia hæc verba sunt. *Sunt tamen & in volucrum natura generum innumera differentia, quas sibi quispiam eodem transegerit modo, quo piscium etiam aliqua ex parte discrimina nos tetigimus. Vnum & idem commune volucrum nomen, infinitas autem inueniet differentias, & enarrabilem inter ipsas magnitudine, formis, coloribus, vita, moribus, actionibusque varietatem.* Inde multas recenset auium differentias, maxime ex alarum modo petitas, quas apud Aristotelem quoque leges *p*.

Perfecto hoc vtroque opere, Deus in eo sibi complacuit, bonumque pronunciauit, atq; vtrumque genus larga benedictione, ac beneficentia prosecutus est, vim illis ac propensionem multiplicationis impertiens, ad extremam vsque mundi periodum. Est autem idem hoc loco crescere, quod multiplicari, non enim Deus hæc animalia produxit imperfectæ magnitudinis, roboris, & ætatis, sed plane perfectæ, atque idoneę ad tibi simile producendum. Nam pauca tantum, & quidem bina in quaque specie producta censuerunt Basilius *a*, Lactantius *b*, Theodoretus *c*, Iustinus Martyr *d*, atque Procopius in Genesim.

Quibus resistunt S. August. l. 12. de Ciuit. c. 21. vbi perspicuè docet animalia tam soluaga, quàm gregalia, plura simul iussa esse exilire, Deum autem voluisse omnes homines ab vno capite promanare. Idem sensit Gregorius Nyssenus *e*, Moses, Bar-cepha Syrus, S. Ephrem, & recentiores, in quibus Molina. *f* Idque diuinæ liberalitati contentaneum est, & ipsius Scripturæ verbis, quibus iubetur vt aquę producant, id est scaturiant, & ebulliant in magna copia, piscibus volucribusque producendis. Id in duobus verbi causa halecibus aut delphinis; duobus passeribus vel lucinijs quî verũ esse possit? quomodo non diuturna atque immensa solitudo fuit in valtissimis marium tractibus, cum in exiguo tantum spatio esset quidquid erat vnius generis animãtium? Quid si Lucius in fluuio, aut Delphinus in mari pisciculum aliquem deuorasset, aut accipiter in aere passerem, aut ouem in terra carnifex lupus dilacerasset, antequam illa similem sibi procreasset, species vna, imò plurimæ mundo defuissent, nisi ad hæc vitanda infinita miracula introducantur. Pro quibus plurima in quoque genere indiuidua fateri à Deo condita, conuenientius videtur ac pulchrius.

Nec par est ratio humanæ speciei, in qua duos tantũ productos esse constat, apud quos mutuus amor naturali consanguinitatis vinculo colligandus erat, vt pluribus eodem loco differit S. August. *g* Nec facilè illis imminebat interitus, diuina gratia, & propria prouidentia, & bestiarum subiectione communitus. Neque par est regem, sicut subditos multiplicari. Nec iussit Dominus homines è terra erumpere, sicut volucres & pisces ex aquis scaturire, sed illos Deus sigillatim formare dignatus est, hos ab aquis turmatim magna copia profundi iussit.

DIES MVNDI SEXTVS.

ADest postremus Diuini opificij dies, quo innumerabiles animantium species, vltimo quasi Dei labore procreantur: eius nihilominus de quo veritas ipsa dicit h, *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor*. Nouas nimirum rerum formas ac species producere desijt, ab illis autem conseruandis gubernandisque nunquam cessauit. Quod notauit hoc loco magnus Basilius *i*. Bipertitum autem est huius diei opus: pars vna continet ortum pecudum ratione carentium; in altera sanctius his animal atque diuinius à Deo ipso formatur, & ab autore suo magnificentissimè locupletatur. De priore diuini huius operis parte hæc habet Moses. *k Dixit quoque Deus, Producat terra animam viuentem in genere suo, iumenta, & reptilia & bestias terræ secundum species suas. factumque est ita.* Idque tam in animantibus, quæ ex putri materia propter imperfectionem suam gigni possunt, quam in reliquis, quæ ex semine procreantur; vt hoc loco tradunt Tertull. *l*. August. *m*, Basilius *n*, & Ambros. *o*.

Horum porro animantiũ tria quasi summa genera scriptura constituit, iumenta, reptilia, bestias, de quibus elegans est Ruperti commentatio. *p Nota*, inquit, *diligenter præiudicio-rum Dei inuestigabilium prouidentiam. Ab vna namque specie, id est à reptili homo seductus est, ab vna id est à bestijs terræ iustè peccator idem infestatur: ab vna id est à iumentis, eiusdem miseri hominis debilitas, misericordia Dei refouente iuuatur.* Omisit Basilius hæc ipsa genera distinctius explicare. In variorum tamen animalium è terra productorum proprietatibus & naturis explicandis, quod in auibus, piscibusque ante præstiterat, eleganter immoratur. Nobis ad alia properantibus non licet ea in re moras trahere longiores. Illud tamen non omitto, idem de hisce animalibus dicendum videri, quod ante de volucribus, piscibusque dictum est; non bina scilicet tantum, sed magnam indiuiduorum copiam diuinitus productam, & fortè ad copiam, feminei sexus plures, vt Vielmio, & Ascanio Martinengæ placere video.

Iam verò quod ad species animalium è terra productorum attinet, non sunt omittẽdæ dubitationes duæ, altera de noxijs animantibus fuerintne tum à Deo immediatè productę; altera de speciebus, quæ dicuntur adulterinæ quæ ex diuersorũ specie animalium commixtione nascuntur, quales pleræque contingunt in siticulosis Africæ locis, vbi ad aquas ferè conueniunt, an scilicet hæ animãtium species Dei iussu in illa prima productione in lucem prodierint. Et quod ad priorem attinet, iam præiudicium in herbis noxijs arboribusq; sterilibus factum est, vt non sit opus Patrum per

rog:

Digitized by Google

rogare sententias. In eo enim passim consentiunt, vt quæ nunc noxia sunt, ante peccatum fuerint innoxia. Ita docent plurimi omnino Patres, Græci, Latinique. Vnus nobis Chrysostomus *q* sit instar omnium. *Neque enim*, inquit, *huiusmodi fera antea homini terribiles, nec ab eo fugienda, sed cicures & mansuetæ. Eas itaque deduxit Deus ad Adam, & ipse eis nomina imposuit. Serpens Euam alloquitur, & Eua non refugit; Postquam autem præteritum est mandatum, plurimum honori detractum est*

q *Hom. in Psal.* 148.

IV. Et quem ad finem.

Condita ergo fuerunt hæc animantia ab initio ad integritatem & perfectionem huius Vniuersitatis, in qua diuina Sapientia tot animalium species desiderari noluit: volùit potius, teste Lactantio, hominem sapientiam sibi datam diuinitus exercere, æstimareque, vt egregiè disputat S. Augustinus contra Manichæos, omnia pulchra esse conditori, licet minus appareat rem temerè spectantibus. Inuecto autem in mundum peccato, prouidit vt peccatoribus pœna essent; iustis autem patientiæ, & meritorum palæstra. Vt egregiè docent Sancti Basilius *f*, Ambrosius, atque Chrysostomus, qui ait non minus vtilitatis afferre mortalibus animalia quæ noxia dicuntur, quam mansuetas & cicures animantes. *Ista enim*, inquit, *sunt apta ad vsum corporis; hæc vero & tibi metum afferunt, & vt sis modestus, & temperatus efficiunt, & ad certamen instruunt, & peccatum primi parentis tibi in memoriam redigunt, & ostendunt quantorum malorum causa sit inobedientia.* Sic ipse, cui consentiunt Theodoretus, & Rupertus *a*. Adde postremò varios vsus, quos ab illis mutuamur, maximèque sanitatis, de quibus ijdem Patres consuli possunt.

vt l. 1. c. 16. de Gen.

f *Hom.* 7. *in Gen.*

a *In Gen.*

V. An etiam adulterina.

Quod ad alteram dubitationem attinet, de animalibus illis adulterinis, fuerintne à Deo creata hoc sexto mundi die, pars aiens probabilitate non caret, nec desunt rationes idoneæ quibus fulciatur, quas in Annalibus *b* accuratè propositas refutatasque reperies. Probabilior est enim contraria sententia, quæ est S. Thomæ *c*, qui ait has species non recens productas, post opus sex dierum, quia causaliter præcesserunt in illis operibus, in eorum videlicet creatione, ex quibus postea progenitæ sunt. Quæ est etiam Ruperti *d* sententia, & recentiorum, Molinæ *e*, Gregorij de Valentia, Vielmi apud Ascanium Mart. & Cornelij à Lapide, & aliorum, quibus libenter assentior. Nam quæ animalia Deus è terra immediate produxit, ea secundum species quæque suas produxit, at hæc non secundum species suas, sed alienas producuntur. Non enim mulus ad speciem equi vel asini pertinet: nec cerua & lupus similem sibi lyncem procreant, & ita de cæteris. Adde quod animalia quæ Deus creauit, voluit esse quasi semen cæterorum, ideoque crescere iussit ac multiplicari, quod adulterinis ittis animalibus, quæ sterilia sunt, conuenire non potest. Denique tota productio, quæ facta est ab aurore naturæ, secundum naturam est, illumque ordinem, quem ipse in illa constituit. At harum hybridum generatio contra naturam est, illiusque legitimum ordinem, & ad monstra pertinet, propterea que à Deo in lege *f* fuere prohibita.

b *n.* 7. & *seqq.*

Pars negans probabilior. c *q.* 73. *a.* 1. *ad* 3. *Lir.* 14. *in Gen.*

d *l.* 1. *c.* 57 & *in op. sexti diei disp.* 20. *disp.* 5. *q.* 3 *pun.* 6.

f *Leuit.* 19 19

DE HOMINIS CREATIONE.

VI. Eximia hominis dignitas.

AD alterum iam nobis diei sextæ opus aeundum est, opus diuinæ liberalitatis ac magnificentiæ, opus exquisitissimæ absolutissimæque sapientiæ; opus supremæ potentiæ, singularisque bonitatis. Neque enim vlla res est, in ijs omnibus quæ sub aspectum cadunt, & natura constant, in qua plura diuinæ maiestatis attributa se prodant, nulla quæ magis, vel ipsos Angelos eam contemplantes, mouere ad admirationem queat. Magnum plane opus, & magnus omnino dies, quo id perfectum est. Dierum enim præstantiam & magnitudinem, non ex Solis circa terram latione quatuor & viginti horis distincta metiri oportet, quippe quæ dies omnes pares inter se, & æquales facit, sed ex operum in eis patratorum dignitate, qualis est hominis productio, in statu longè pulcherrimo, atque beatissimo.

VII. Propositio futuræ narrationis.

Sed vt ad rem ipsam admoueamus manum, neque in campo immenso temerè diuagemur, eum sequemur in hac narratione ordinem, quem ratio ipsa temporis exigit, quę nobis esse debet antiquissima. Et quoniam Moses in hominis productione narranda primò catalogũ rerum sex diebus productarum breuiter texere voluit, ad quem cum duo eximia pertineret, Paradisi terrestris, & hominis productio, seorsim de vtroque sibi dicendum putauit, licet intelligeret Paradisum ad tertium diem, hominem ad sextum pertinere; nos totam huius diei narrationem, temporis ordinem secuti, digeremus, quem suis deinceps, vt res feret, locis confirmabimus.

VIII. Eadem ordine tẽporis.

Iussit Deus è terra produci terrena animantia g. *Producat terra animam viuentem, &c.* Productа sunt, & à Deo approbata, *factumque est ita*, &c. *Et vidit Deus quod esset bonum.* Diuina Trinitas de homine cum amplissima dignitate, & potestate producendo quasi deliberat, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram & præsit*, &c. Tum hominis productio in genere traditur, secundum vtrumque sexum, vt catalogus operum sex dierum breuiter expediatur. *Et creauit Deus hominem ad imaginem suam*, &c. Sed mox capite sequenti describitur particulariter productio viri secundum corpus è terra fictum, & inspiratam animam. h *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ*, &c. Factus homo in animam viuentem inducitur in paradisum triduo ante præparatum. *Plantauerat autem Dominus Deus paradisum*, &c. *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis*, &c. Deliberat Deus de producenda muliere in adiutorium Adami. *Non est bonum esse hominem solum; faciamus ei adiutorium simile sibi.* Interim animalia in hortum diuinitus inducuntur ad Adamum, vt agnoscat se socia necessaria carere, & animalibus sibi naturaliter subditis nomina tribuat. *Formatis igitur de humo cunctis animantibus*, &c. *Appellauitque Adam nominibus suis cuncta animantia*, &c.

g *Cap.* 1. *v.* 24. 25.

v. 26.

v. 27.

h *Cap.* 2. *v.* 7.

v. 8. & 15 *v.* 18.

v. 19. & 20.

IX. Ex ipso Mose digesta.

His ita confectis obdormiscit Adam: sopito accipit costam Deus ad formandam mulierẽ.

Ex ea

v.21. *Immiſit ergo Dominus Deus ſoporem in Adam*, &c. Ex ea Dominus ædificat mulierem, eam animat vt Adamum, & adducit ad eum. v.22. *Et ædificauit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam in mulierem, & adduxit eam ad Adam.* Agnoſcit eam Adam, vt os de oſſibus ſuis, & carnem de carne ſua. v.23.& 24. *Dixitque Adam hoc nunc os de oſſibus*, &c. Eam accipit vxorem, & legem matrimonij condit. *Quamobrem relinquet homo patrem ſuum*, &c. i *Cap.1. v.28.* Deus benedicit coniugibus, eiſque dat fœcunditatem, & dominium in animantia i. *Benedixitque illis Deus, & ait*; *Creſcite & multiplicamini*, &c. *& dominamini piſcibus maris*, &c. v.29.& 30. Deinde hominibus de cibo, cunctiſque animantibus liberaliter prouidet. *Ecce dedi vobis omnem herbam*, &c. *vt ſint vobis in eſcam & cunctis animantibus terræ*, &c. Eſum tamen fructus arboris ſcientiæ boni & mali prohibet vtrique ſub pœna capitis. k *Cap. 2. v.16.& 17.* *Præcepitque ei dicens, Ex omni ligno paradiſi comede, de ligno autem ſcientiæ*, &c. Et repetitur præceptum cap. tertio, vbi Eua ſibi quoque præceptum à Deo datum fatetur *De fructu lignorum*, &c. Viuunt aliquandiu in innocentia, ſine pudore nuditatis, l *C.3.v.2.& 3.* l *Erant autem vterque nudi*, &c. l *Ca.2.25*

X. Vſque ad diē ſeptimam, & tentationem.

Secutus eſt dies ſeptimus, & quies Domini, & diei ſanctificatio. m *C.2.v.1.& 3.* m *compleuitque Deus die ſeptimo opus ſuum quod fecerat, & requieuit die ſeptimo*, &c. *Et benedixit diei ſeptimo*, &c. Succeſſit poſt dies aliquot tentatio, & ruina & expulſio è paradiſo. n *C.3.v.1* n *ſed & ſerpens erat callidior cunctis animantibus terræ*, toto capite tertio. Et hic quidem fuit ordo rerum geſtarum circa hominem hoc tempore, qui etſi eſt perſpicuus ipſe per ſeſe, confirmabitur tamen ſuis locis, vt diximus, cum neceſſarium videbitur, aut opportunum. Nunc ſingula eodem ordine ſeruato videamus, initio ducto à deliberatione Domini de homine producendo, quoniam de animalium terreſtrium productione iam ſatis pro ſuſcepta breuitate dictum eſt.

XI. Deliberat Dominus de homine producendo. a *Ca.1.26*

Productis igitur hoc ipſo die ſexto innumeris animalium terreſtrium formis, ijſque probatis, maius opus moliens ait a, *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Duo tanguntur his verbis, quæ partim ſpectant ad ſuſcepti operis gloriam, partim ad Opificis maieſtatem. Eſt enim hæc quaſi conſultatio Dei, & deliberatio quædam de opere præſtantiſſimo patrando, qui tamen in cætera molitione rerum, aut mole, aut multitudine maximarum, orbium inquam cæleſtium cum aſtris & luminaribus ſuis, & omnium plantarum & animalium quæ cœlo, terra & fluctibus continentur, nuda iuſſione contentus fuit. Notatur hic quoque locus quaſi illuſtre teſtimonium ſanctiſſimæ Trinitatis. Nam Baſilius, b *Hom.10* b *Et quidem dixit nunc*, faciamus, *vt hoc inſigni agnoſcas Patrem & Filium, & Spiritum ſanctum. At poſterius*, fecit Deus hominem, *diuinam vt vnius maieſtatem. Sane vt vnius non eas quæ ὑποστάσεως dicuntur, hoc eſt ipſas tres perſonas, ſed quatenus id vnitatem concernit potentiæ, vt vnam in diuinis retineas gloriam & maieſtatem.* In quo S. Trinitas manifeſtatur.

XII. Propoſuit quid facturus eſſet Deus Pater, cum filio ſuo magni concilij Angelo, perquem facta ſunt omnia, & Spiritu ſancto, qui theſauros bonitatis ſuæ in hominem præ cæteris animantibus, erat effuſurus. Nunc videamus quid fecerit. *Et creauit Deus*, inquit Moſes, *hominem ad imaginem ſuam, maſculum & feminam creauit eos.* v.27. Hæc ille capite primo, de hominis productione ſummatim: ſed mox diſtinctius de formatione corporis humani, & animæ productione. c *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in faciem ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viuentem.* c *cap. 2.7* Ne quid autem mulier viro ſuo minus habere videretur, de illius quoque productione diuinum concilium celebratur. d *Dixit* enim *Dominus Deus, non eſt bonum eſſe hominem ſolum, faciamus ei adiutorium ſimile ſibi*, &c. d *c.2.v.18.*

XIII. Ordo productionis huius.

In iſta porro productione hominis, ſicut anima, quæ vel ſola, vel maxime diuinam præfert imaginem, corpus dignitate præit, ita corporis formatio animam tempore antecedit. Non enim anima, niſi in corpus iam diſpoſitum immittitur. De corpore igitur primum dicamus, in quo & materia eius, & membrorum conformatio conſideranda eſt, quæ diuitias ſapientiæ, prouidentiæ, & bonitatis diuinæ mirifice prædicat, & prodit. Materia porro terra eſt, vel limus terræ, vel iuxta Hebræum puluis terræ minutiſſimus, qualis ambulantibus adhæreſcit ex pulueruleuto ſolo. Quo pertinet illud, e *Quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Formauit igitur Deus hominem puluerem de terra, vel puluerem de terra in hominem, vel hominem de puluere terræ. Sed illud formare, in Hebræo Græcoque textu, eſt idem quod ab aliis dicitur fingere, plaſmare, figurare, quomodo ſcilicet figuli ſolent. Significat enim Tertullianus f Deum ipſum per ſe, non Angelorum opera, eam quaſi ſtatuam famulari manu elaboraſſe. Inde Adamum Sapiens, & deinceps alij πρόπλαστον dixerunt. Et Iob g. *Manus tuæ*, inquit, *fecerunt me, & plaſmauerunt me totum in circuitu*: alludens ad formationem Adami, ſicut & mater ſeptem martyrum Machabæorum: quod notauit Sanctus quoque Chryſoſtomus h.

Minimè porro ignorandum eſt, in Deo, qui ſpiritus eſt, metaphoricam manum intelligendam eſſe, vt placet D. Auguſtino i vbi prima fronte hanc aſſertionem videtur reijcere; ex eo maximè quod infra dicitur k, Deum formaſſe de humo omnia terræ animalia; ſed ibi formare idem eſt quod producere, vt notauit Oleaſter. Et rurſum Auguſtin. l. *Quid ergo nunc dicendum eſt, in eo quod ſcriptum eſt, Sufflauit Deus, niſi quia ſicut non manibus corporeis finxit, ita nec faucibus, labiiſque ſufflauit.* Verum de hominis formatione, quatenus dici poſſit à Deo facta, vel Angelis, conſule Pererium m vbi concedit ſimulacrum illud corporis humani ab Angelis figurari potuiſſe: ſed cum id niſi animæ beneficio; quæ ſolo à Deo eſt, non ſit corpus humanum, certe Angeli corporis humani effectores dici non poſſunt. n. Quia ergo puluis, propter diffluentem ſiccitatem, in ſolidum corpus conformari non poteſt, diuinus plaſtes puluerem aquæ miſcuit, & lutum fecit, quod Hieronymus, Tertullianum imitatus o, limum vocauit in editione

Corporis materia. עפר *Ghaphar*

e *ca.3.19*

Vaizer, πλάσιν

f *l.2.contra Marcion. Quis alius nunc in colore, &* g *c.10.*

h *Hom. in Gen.*

XIV. Deus hominis plaſtes

i *L.6.de Gen. ad lit.*

k *ca 2.*

117.c.

m *lib. n.92. 94.*

n *Vide Thom. p.q.91 2.ad 1 a.4.* o *l.de anim. 13.*

vulgata

Digitized by Google

vulgata. Hinc frequens illa comparatio figuli & luti in sacris litteris *p* & prophanis; sed egregiam dissimilitudinem notauit Gregorius Nissenus in illa verba, *faciamus hominem. Nunquid formauit hominem*, inquit, *quemadmodum è luto figuli aliquid effingunt, aut quemadmodum ex ære conflantes aliquid statuarij? Minime verò. Nam statua quidem extrinsecus tantum speciem ac similitudinem præfert, at opus formatum à Deo non est huiusmodi: sic enim hominem conflauit, vt omnes illius partes intus etiam formaret, atque distingueret.* Sic ipse.

p *Esa.* 45. 9. *ier.* 18. 6. *Rom.* 9. 20.

XV. Et tanquam ex 4. Elementis

Porrò terram, de qua formatus est homo, fuisse terram ruffam notauit Iosephus *q*, idque ipsum Adami nomen notat, quo nomine, non sine mysterio in Græca lingua quatuor mundi partes comprehenduntur, ἀνατολὴ Δύσις, ἄρκτος μεσημβρία. Facta est autem in productione Adæ mentio terræ, siue limi, aut luti ex terra & aqua coalescentis, etsi constat ex quatuor elementis: quia terra & aqua, secundum quantitatem & substantiam in homine abundant, licet alia in eo secundum virtutem prædominentur, vt ita posset esse aliqua mixtionis æqualitas, vt notauit S. Thomas *r*.

q *l.* 1. *Ant.* c. 1.

r 1. *p. q.* 91 *a.* 1.

XVI. Dei in humano corpore sapientia.

Iamdudum expectas, amice Lector, vt ex hoc quasi spineto educaris in amœniorem planiciem, in qua diuinam sapientiam agnoscamus, in humano corpore fabricando. Sed qui possum obsecro, ad Compendij compulsus angustias? præsertim cum in eo curriculo, studiosè permulti antiqui, recentioresque decurrerint, vt in opere Deo in primis, hominibusque glorioso. Et nominatim Ambrosius in Hexaem. *f* & toto libro de dignitate conditionis humanæ. Gregorius Nissen. libro de hominis opificio, & Orat. 2. in ea verba, *faciamus hominem.* M. Tullius *t*, ex quo nonnulla Lactantius, cum alibi, tum toto libello de Opificio Dei, vbi supplere se ait, quæ ille in quarto de Repub. lib. 1. de leg. alijsque locis magis tentauit, quam executus est. Adi etiam Nemesium *u* philosophum Christianum in lib. de Natura hominis, & ex Recentioribus Ludouicum Richeomum *x* in Valedictione animæ. Sed fortassis aliquod à me quoque in hoc quasi conuiuio symbolum petis. At ego in Annalibus *y* gessi morem voluntati tuæ, quæ huc breuitatis studio transferre non ausim, nec facilè contrahi possunt. Ea igitur tu ibi, vt spero, non sine vtilitatis fructu leges.

f l. 6. *ca.* 9

t à multis explicata *l.* 2. *de nat. Deor.*

u *l.* 9. *Bibl. Patr.* x *cap.* 49 *& seqq.*

y *n.* 15. *& seqq.*

XVII. Primi parentes quo ætate conditi.

Itaque de primorum parentum corpore hoc vnum fere superest, ea non infantilis ætatis ex terra vel costa fuisse producta, sicut hoc tempore ex maternis vteris educimur, sed ætatis perfectæ. *Facile enim fuit*, ait Augustin. *a*, *illi qui per ordinariam temporum moram vinum producit ex vite, & illud in Cana Galilææ puncto temporis produxit ex aqua, hominem etiam quem longo tempore format in vtero, & eductum longiore etiam ad perfectionem ætatis deducit, in ætate perfecta è terra producere.* Itaque rationi consentaneum est vtrumque in ætate perfecta esse creatum, apta ad productionem similis sui in eadem specie, sicut in cæteris animantibus factum apparet. Alioqui pene frustra eis dictum esset, *Crescite & multiplicamini*: quis enim id infantulo dixerit, qui neq; præceptum intelligere possit, neque exequi. Vtrum autem Adamus gigantæa corporis mole fuerit, disputat Pererius *b* in Genesim.

a *l.* 6. *de Gen. ad lit. c.* 13.

Veniamus nunc ad illud spiraculum vitæ, quod Deus in faciem hominis inspirauit: quâquam erat illud adhuc hominis simulachrum, non homo, donec illi anima vitam & naturam hominis tribueret. Cum autem constet animam ratione præditam vera à Deo creatione fuisse productam, quid causæ est cur inspirata dicatur, aut per inspirationem producta? An quia voluit Moses, innuere eam corpus non esse, sed spiritum? vnde Christus Dominus moriens in manus Patris commendauit spiritũ suum. An vt doceret philosophos eam non educi è potestate materiæ, vt cæteras, sed à solo Dei produci, vt halitus à solo spirante procisitur? quod mirificè cum Aristotelis *c* sententia congruit, asserentis animam extrinsecus aduenire. An vt intelligeremus eam non esse quandam diuinæ substantiæ particulam, sicut nec halitus de substãtia eius est, qui spirat respiratve, sed de aere infuso vel circumfuso vt rectè disputant Chrysostomus *d*, & Augustinus *e*. An vt per hieroglyphicum inspirationis facilitas diuinæ huius operationis ostenderetur, vt ait Theodoretus *f*. An etiam vt doceret eam simul creari, & in corpus infundi. Etsi alterum altero prius natura est. Postremo ea ratione significatur animum quodammodo ex ore Dei prodijsse, quod diuinæ gratiæ, sapientiæ, & vitæ factus sit particeps. Nam sapientia dicitur ex ore Altissimi prodijsse; & participando gratiæ eius, diuinæ naturæ fit consors.

b *l.* 4. *n.* 99. & 100. *Vide Aug. de Civ. l.* 13. *c.* 24.

XVIII. Anima cur inspiratione creata. 1. 2. Anima extrinsecus aduenit.

c *l.* 2. *de gen. ad lit. c.* 3. Ἐμφυσᾶν ἀναπνεῖν. 3. *d hom.* 13 *in Gen.* 4. *e l.* 7. *de Ge. ad lit. c.* 2. & *c.* 28. *in fine* 5. *f q.* 23. *in Gen.* 6.

Ferebatur porro hęc diuina inspiratio in faciem hominis, siue quia ibi omnium sensuum organa collocata sunt, quibus animal vitam, vitæque præsentiam patefacit; siue quia in facie tanquam in speculo imago animi dignoscitur, quippe quæ tristitiam, lætitiam, iram, timorem, admirationem, cupiditatem, desperationem, aliasque animi perturbationes prodit. Hinc illud. *Heu quam difficile est crimen non prodere vultu!* Hebræus textus pro facie habet nares, quæ scilicet sunt respirationis, de qua nunc agitur, organum; sed ex parte intelligendum est totum, ideoque 70. πνοὴν. Hieronymus faciem vertit.

XIX. Cur in faciem inspiratio facta sit.

Ad imaginem porro Dei, & similitudinem factus est homo, non secundum corpus, quo *comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis*, sed secundum animum, qui est substantia spiritalis, intellectu, voluntate, & libertate prædita, sicut Deus. Et hinc intelligitur triplex rerum ordo; primus est intelligentium, qui sunt meri spiritus, vt Deus & Angeli eius; secũdus est corporearũ, quę nihil nisi corporeum habent & materiatũ, vt cęli, elementa, mixta, plantæ, animalia: tertius est spiritu & corpore constantium, quo in ordine solus est homo, quem propterea horizontem vocamus rerum creatarum: Nyssenus autem *g* mixtum quendam mundum duobus mundis cognatũ, ex incorporea, immortali, & incorruptibili anima; & ex materiali, & aspectabili corpore, & ex quatuor elementis composito coagmentatum & iunctum, qui primum postremumque gradum attingit: imò ipsum Deum lucem inaccessibilem, & abyssum tenebrarũ materiam: ipsum Deum, spiritũ infinitum spiritu suo, &

XX. Imago Dei in anima.

Triplex rerum ordo.

Homo horizon rerum creatarum.

g 4. *de imm. & simil. Dei.*

latum ipsum ac puluerem terræ corpore suo, vt quartum eleuaretur ex vno tantum deprimeretur ex altero. Denique minuit illum paulominus ab Angelis, qui illum eodem die condidit, quo iumenta, reptilia, & bestias terræ: ne illi fortasse contingeret quod reprobis spiritibus, quorum excellentia, nulla humilitate degrauata, facta illis fuerat in ruinam.

XXI. Anima eodem gradu Deus & Angelus.

At, inquies, Deum & Angelos in eodem ordine graduque ponimus, repugnantibus Patribus, magnoque in primis Basilio [h], qui Iudæos refellit, qui diuinum colloquium, & deliberationem de homine fabricando, non inter personas diuinas, sed cum Angelis à Deo habitam mentiebantur; refellit inquam ex eo quod non sit eadem imago Dei & Angeli; ex quo etiam concludi possit, ne hominem quidem esse imaginem Dei. Respondetur autem filium Dei esse imaginem Dei, & splendorem gloriæ, & figuram substantiæ eius. Angelum autem & hominem non imaginem Dei esse, sed ad imaginem Dei accedere, quasi imaginem imperfectam, vt docet D. Thomas [i], quod videtur ex Augustino mutuatus: nec hominem ad imaginem Angelorum factum esse, cum sint conserui eius, nec eos habeant suæ creationis authores, vt recte argumentatur Basilius, Iudæorum malitia egregie repræsentatu, vt in Annalibus [k] leges.

h Hom. 9. in Hexaem.

i 1. p. q. 93. a. 1.

k an. 39.

XXII. Homo vniuersa ad imaginem Dei, in omnibus quibus bruta superat.

Porrò imaginem Dei ad solum hominis animum pertinere, perspicuè docent Ambrosius [l], Origenes [m], & Augustinus [n]. *Hoc*, inquit, *excellit in homine, quia Deus ad imaginem suam hominem fecit, propter hoc quod dedit ei mentem intellectualem, qua præstat pecoribus*, ex quo etiam pater pecora ad Dei imaginem non pertinere, vnde subdit. *Nam & pecora Deus fecit, sed non ad imaginem suam.* Eo denique pertinet illud Isaiæ [o]. *Cui ergo similem fecistis Deum, aut quam imaginem ponetis ei?* negat enim corporea, & arte facta hoc titulo decorari posse. Sed in qua re peculiariter hæc imago consistit? Vniuersè dici potest hominem esse ad imaginem Dei, secundum omnem rationem, qua, propter gradū intelligendi, cæteris animantibus antecellit: his quippe omnibus accedit ad Deum, qui naturam, intelligentē habet, in qua similitudo hæc, & imago consistit. Sed ea placet breuiter explicare sigillatim.

l 6. c. 8. imit. Tom. 1. in Gen. n. 16. de Gen. ad lit. c. 1. o. c. 40. 18.

XXIII. Primo in dominio. a hom. 10. in Gen. b Orat. contra Aet. Faciamus hominem. & lib. de spir. hom. cap. 4. c In similitudine diuinarum virtutum.

Et primo quidem cernitur in dominio, quod homini datum est in cæteras animantes; idque satis intelligitur ex Domini verbis, qui cum dixisset, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, quasi explicans, in quo ea ista esset, subdidit; *Et præsit piscibus maris, & volatilibus cæli*, &c. Idque ita intellexerunt S. Basilius [a], eiusque frater Gregorius [b], & Chrysostomus, & ex Latinis Sancti Ambrosius & Augustinus. Secundo sita est hæc imago in similitudine diuinarum virtutum. Ita Nyssenus pluribus, Origenes, Ambrosius & Bernardus. Tertio in modo existendi in rebus, vt ex S. Ambrosio, & Gregorio Nysseno constat: nimirum neque Deus, neque animus hominis, cum spiritus sint, circunscribuntur loco. Quarto in arbitrij libertate, Ita Nyssenus, Damascenus, atque Bernardus. Quinto in eius incomprehensibilitate, qua in comparatione latius excurrit idem Gregorius, & S. Ambrosius.

XXIV. 6. In vacatione materiæ & immort. 7. 8.

Sexto in vacatione materiæ, & immortalitate. Ita sentit Augusti. Et Eusebius Cæsariensis apud Lipomanum in Catena, Et Nyssenus in libro de hoc ipso argumento. Septimo in cognitione Dei, cui addi potest amor religiosusque cultus; nihil enim horum habet homo commune cum bestijs, vt acutè vidit in extremo suo Grullo Plutarchus. Itaque imaginem Dei interpretatur Nyssenus in libro de hominis opificio, & S. Bernardus explicatius, in Meditationibus suis, & S. August. tract. 8. in primam Iohannis epistolam. Denique eadem imago in humana sapientia ac prouidentia elucescit, quarum opē finem agnoscit actionum suarum, & media ad illum idonea scienter eligit; quod bestiæ minime possunt: & si quid in eo genere rectè faciunt, instinctu potius aguntur alieno, quam agant proprio & suo: neque reuera sciunt quid faciant, aut qua de causa faciant. Sed de his satis, quæ pluribus cum ipsis Patrum testimonijs in Annalibus [c] reperies. Verum hanc similitudinem, non tantum ad naturæ vnitatem, sed ad Trinitatem quoque personarum pertinere Scriptura ipsa significat, cum ait: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Quæ verba Sancti Patres, vt supra significauimus, magno studio de sanctissima Trinitate interpretantur. In quo autem huius imaginis ratio consistat, fuse disserit Gregorius Nyssenus [d] ex Methodio, & Augustinus [e]. Quibus breuitatis studio prætermissis, ex communi Theologorum sententia dicimus nullare magis hominem diuinam in se Trinitatem referre, quam cum intelligendo rem aliquam, eiusdem rei verbum producit: ex verbo autem, quod est quid amabile, & notitia procedit amor eiusdem. Sicut Deo Patre contemplante atque intelligente seipsum, producitur per eam intellectionem Verbum, qui filius est, verāque substantia Patris, inter quos vt summè perfectus atque amabiles, Amor producitur, qui est Spiritus sanctus, eadē cum vtroque substantia, sed distincta ab vtroque persona. Quæ similitudo in homine esset expressior, si verbum nostrum atque amor non essent accidentia: sed subsisterent ipsa per se, sicut in diuinis.

c à n. 40 ad 50.

XXV. Homini cum Trinitate si militudo

d 9. de Ima. & sim. Dei. e Epist. 102. Vt explicetur.

Neque absurdum est Verbum in sanctissima Trinitate vocari filium. Imò iustiore titulo id ei nomen conuenit, quam cuiquam filiorum hominum. Neque enim homo producit filium, quā homo est, & rationis particeps, aut præditus vi aliqua, atque operatione rationis, sed vt animal, atque ea vi præditus, quæ est illi communis cum brutis, quorum scriptura ipsa filios vocat [f], *vt pullum filium asinæ.* Sicut ergo quam maximè proprie filius hominis diceretur is, qui ab homine quatenus homo est, ratione & intelligentia præditus, esset genitus; Ita maximè propriè Verbum, Filius Dei appellari debet, eo quod à Patre vt intelligente, & per vim intelligendi productum est.

XXVI. Verbum maxime propriè filius.

f Zachar. 9. 9. & Matt. 21. 5.

XXVII. Quatenus corpus hominis ad imaginē Dei.

Quoniam verò neque diuina natura, neque personæ corporeæ sunt, neque in humano corpore illæ reperiuntur dotes, quibus ad diuinæ majestatis consortium assurgimus, ideo negamus hominis corpus esse ad imaginem Dei, nisi remote admodum atque improprie, nec secundum lineamenta figuraſque membrorum, sed potius secundum id quod in cœlum receptum est; denique quatenus in eo præstantia humanæ mentis elucescit, in qua propriè & per se est imago Dei. Ita S. Augustᵉ quem sequitur S. Thomasʰ, qui ait illam imaginem in corpore per modum vestigij repræsentari. Certè ad corpus quoq; aliquo modo pertinere imaginē Dei, docet hoc ipso loco Moses; qui cum de illa loqueretur, statim nihilominus subiecitⁱ, *masculum & fœminam creauit eos*: Et rursum posteaᵏ *Quicunque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius: ad imaginem quippe Dei factus est homo.* Si ad solam animam imago diuina pertinet, quid facit hæc ratio ad culpam effusi sanguinis exaggerandam, cum sanguis ad animam non pertineat?

e *l.* 83. *q.* 51. *& l.* 6. *de Gen. ad lit. c.* 12.

h 1. *p. q.* 93. *a* 6. *ad* 3.

i *c.* 1. 27.

k *c.* 9. 6.

XXVIII. Deus sub forma hominis, fabricatus est hominis corpus

Cæterùm non desunt qui arguant Eugubinum in sua Cosmopeia, & Hieronymum ab Oleastro, quod censeant Deum, in Adami corpore fabricando, speciem quandam humanæ ac corporeæ naturæ induisse, vt hominem ad illius similitudinem conformarer, quasi Dei imago corpore debeat, & non potius animo æstimari. Verum neutrius hæc mens fuisse videtur. Nam Oleaster ad summum voluit Deum finxisse corpus ad similitudinem assumpti à se corporis; in anima vero, diuinitatis imaginem procreasse. Nam inter alia, *Voluit*, inquit, *Dominus hominem se referre, & quantum ad corpus assumptum, & quantum ad spiritum, vt corpore corpus assumptum, anima vero spiritum, qui Deus est, monstraret.* Eugubinus autem cum eleganter excurrisset in describenda pulchritudine corporis à Deo assumpti, ad hominis corpus formandum, ita concludit. *Non exclusa igitur interiore mentis similitudine, ad illam quoque formosissimam speciem dicitur homo creatus, in qua creatu omnibus, homini se conspicuum spectabilemque exhibuit, vt creatorem suum omnibus modis cerneret, agnosceret, omnique posteritati prædicaret.*

l *Perer. l.* 4. *num* 33.

A *Valent. dis.* 7. *q* 3. *p.* 1. *ad fin.*

ab Oleastro.

Eugubinus.

XXIX. Filius Dei sub forma hominis.

Sed nec absurdum est ipsum Dei filium in humana forma Adamo apparuisse. Plerique enim Patrum senserunt multas visiones Patribus veteris Testamenti factas, ab ipso Verbo factas. Sanctus certè Augustinusᵃ, vt plurima Patrum testimonia taceam, ait se inconcusse credere, & intelligere, Deum non per diuinam naturam atque substantiam, sed per assumptam visibili specie sicuti voluit, ijs apparuisse quibus apparuit, quando per corporis oculos in Scripturis sanctis visus esse narratur. Hinc pertinet ille hymnus Ecclesiæᵇ, *Qui mundi in primordio Adam plasmasti hominem, cui tua imaginis vultum dedisti similem.* Imagini autem tam decoræ vt humanam omnem pulchritudinem superaret vt Eugubino placet, qui eam speciem ei persimilem dicit, quam Petrus vidit in monte Thabor, Moses in Sina, aut qualem Elias & Moses in Transfiguratione exhibuerunt, quando visi dicuntur *in maiestate.*

a *Ep.* 99. *& lib.*

b *Dominic. in. Alb.*

c *Luc.* 9. 29.

Expositis hactenus, quæ ad productionem corporis & animi Adami pertinent, sequitur vt eum in Paradisum deducamus, si prius tamen aliqua, de eximijs dotibus, quibus animo & corpore ornatus fuit, dixerimus. Quo de argumento, etsi pleni sunt omnium doctorum, tam antiquorum quam recentium libri, ne tamen in tanta copia lectorem planè ieiunum dimittamus, pauca quædam libabimus, quæ primi hominis dignitatem vehementer exaggerant, quinque ex capitibus petitam, sapientia & scientia, qua Deus intellectum eius ornauit; gratia & virtutibus, quibus ditauit voluntatem; immortalitate, dominio in animantia, & originali iustitia, quibus totum hominem mitificè decorauit.

XXX. Adami dotes quinque primariæ.

XXXI. Scientia rerum naturalium.

Deus igitur Opt. Max. qui hominem condiderat, vt esset non solum Dominus & princeps orbis terrarum, sed etiam parens totius humani generis ac magister, in eum liberaliter scientiam rerum naturalium infudit, quantam mortalium nemo, quamuis longa experientia consequi posset. Neque enim conueniebat, vt qui in ea supellectile, quæ ad corpus pertinet, liberalissimus fuerat, in scientia, quæ verum est animi pabulum, largienda parcus esset. Idipsum probant communiter Doctores ex impositione nominum animantium, quæ nisi ab eo qui naturam ipsorum & proprietates nosset, peritè fieri non poterat, vt præclarè docet Chrysostomus ᵈ. Sed vniuersè Hugo Victorinus ᵉ, *Rerum omnium, quæ cum homine, & propter hominem facta sunt, perfectam cognitionem hominem accepisse nulli dubium esse debet, quantum videlicet vel ad animæ eruditionem, vel ad corporalis vsus necessitatem pertinere videatur.* Sic ipse. A qua scientia, non latis scienter Caiet. astrorum cognitionem & elementorum excepit. Exciperet potius cognitionem futurorum contingentium, aut secretorum cordis, aut indiuiduorum omnium, quæ certa scientia naturali comprehendi non possunt. Cætera ita tenuit, vt amplitudine cognitionis, & certitudine mortales omnes antecederet.

d *hom.* 14. *in Gen.*

e *l.* 1. *de Sac. p.* 6. *c.* 13.

XXXII. Multorum quoque supernaturalium.

Supernaturali etiam scientia præditum oportuit, quandoquidem ad finem supernaturalem conditus erat, & de eo filios, nepotésque suos docere debebat. Fidem ergo habuit de Deo, non solum vt autore naturæ, sed donorum etiam supernaturalium, & remuneratore bonorum operum, per eadem bona, quæ naturæ gradum superant. Secundo fidem habuit distinctam & explicitam sanctissimæ Trinitatis. Tertio quia Deus ab æterno constituerat vt per Incarnationis mysterium homines finem supernaturalem æternæ salutis consequerentur, non oportuit Adamum, eiusve discipulos id mysterium ignorare. Itaque D. Thomas fatetur hominem ante peccatum habuisse explicitam fidem de Christi incarnatione, quatenus ad consummationem gloriæ referebatur, non autem ad redemptionem à peccato: non enim præscius fuit peccati sui, vt docet S. August. tum enim fuisset misertimus; quæ miseria cum florentissimo Innocentiæ statu cohærere non potest.

Etiam mysterij incarnationis.

Lyr. d. Gen. ad lit. c. 18.

Quarto sentiunt viri eruditi Adamo cognitam fuisse historiam conditionis & ruinæ

XXXIII. Conditionis item, ac

Ange-

ruinæ Angelorum.

Angelorum geminæ vtilitatis causa, diuini primum timoris, ne & ipse peccaret, & pari pœna plecteretur. Amoris item in Deum, à quo creatus erat, vt amissam ab ipsis fœlicitatem, ipse, eiusque posteritas consequeretur. Nec probabile est Deum homines hoc gemino fructu priuari voluisse. Denique tanta fuit Adami sapientia ac scientia, ante peccatum, vt in fraudem induci non posset, ne circa illa quidem quorum cognitio illi diuinitus data non erat: in ipsi enim sustinuisset assensum, neque temerè de illis pronuntiasset. Quod D. Augustꝰ & Doctoris Angelici doctrinæ [h] consentaneum est. Nam quòd Euam constat à serpente fuisse deceptam, nihil mirum: iam enim peccato superbiæ fuerat infecta. *Quando enim*, ait idem Augustꝰ [i] *his verbis* Serpentis, *crederet mulier à bona atque vtili re diuinitus se fuisse prohibitos, nisi iam ineſſet mentis amor ille propriæ potestatis, & quædam de se superba præsumptio, quæ per illam tentationem fuerat conuincenda, & humilianda.* Sic ipse. Et hæc de ornamentis intellectus.

g *l. de lib. Arb. c.12.*
h *1.p. q. 94.a.4.*
i *l.11. de Gen. ad lit. 30.*

Statura.

Complexio.

Sanitas & membrorum cõpositio.

XXXIV. Oroamẽta voluntatis Adami.

Iam quod ad voluntatem attinet, diuina gratia Adamus statim ab ortu suo donatus fuit, vt cum ea æternam beatitudinem promereri posset, quæ ipsi quoque proposita fuerat, quasi corona Iustitiæ. Cum ea vero simul infusa sunt dona Spiritus sancti, & illæ virtutes, quæ gratiam perpetuò comitantur; quarum officium est tam superiores, quam inferiores animæ vires rectè componere. Aderant autem cum aliqua differentia [k]. Nam quæ nullam supponunt imperfectionem, vt charitas, iustitia, &c. in eo tum habitu fuerunt, tum etiam actu; at quæ imperfectionem supponunt, illi felicissimo statui non congruentem, vt pœnitentia & misericordia, in eo habitu tantum fuerunt.

k D. Tho. *q 95.a.3.*

XXXV. Ipsiusque corporis.

Iam quod ad dotes, quæ ad corpus quoque pertinent, præter omnia illa ornamenta, quæ nunc quoque in humanis corporibus cernuntur, nobilitatis, pulchritudinis, roboris, staturæ, constitutionis corporis, optimæque dispositionis organorum, vt posset egregiè functionibus animi famulari; aliud etiam additum est, quod his omnibus præponderaret, impassibilitas, atque immortalitas. Nobilitas certè terreno corpori maior optari non poterat, quã habere parentem, atque architectum ipsum Deum: nulla glorioſior affinitas, quam animæ, quæ imaginem Dei indelebilem ferat, esse quasi coniugio iucundissimo, atque inseparabili copulatum. Nullã pulchritudo maior, quam vt illi quam similimus esset Adamus, qui fuit [a], *Speciosus forma præ filijs hominum*, qualem in Taboræo monte enituisse dicebamus [b], qualem decebat esse eam, quam Dominus Deus sua ipse manu figurasset, cum internas omnes externasque partes elegantissima proportione commensurasset: cui suo illo habitu suauissimo lucis fulgorem, atque amabilem coloris suauitatem dedisset.

Nobilitas.

Pulchritudo.

a *Psal. 44.*
b *n. 28. & 29.*

XXXVI. Robur.

Quantum porrò fuerit eius robur, quæ firmitas laterum, quis neruorum vigor, qui contextus musculorum, docet nongentorum & triginta annorum ætas, null, oquod sciatur, languore debilitata; eademque in multorum seculorum posteros propagata: etsi fortassis illam totius corporis firmitatem, nonnihil tum diuturna pœnitentia, tum tristitia multiplex, de tot tantisque bonis, sibi, suisque amissis, afflixit.

XXXVII. Immortalitas.

Quæ tamen omnia necesse erat tandem aliquando marcescere, & ad interitum vergere, vt exigit elementorum inter se pugnantium compages; nisi Deus hominem singulari munere immortalitatis, quæ maxime eiu pomi vitalis arboris constabat, ab interitu vindicasset; vt propterea istiusmodi immortalitas non esset impotentia moriendi, qualis est in anima rationali, in Angelis, & maxime in ipso Deo, sed potentia non moriendi, qualis modo in hominibus nulla reperitur: vt docet Augustinus [c]. Verum quoniam aliunde etiam morbi & interitus in hominem irruunt, quomodo funestæ causæ ab innocentiæ statu excluderentur consule Pererium [d] nos hunc locum breui illo Augustini elogio concludimus. *Mortalis erat conditione corporis animalis, immortalis autem* multiplici *beneficio conditoris.*

c *lib. 6. de Genes. ad lit. c. 25.*
d *l. 6. c. 25*

XXXVIII. Dominij in animantia.

Quod ad dominium in animantia, non prius quidem verbo datum est homini, quam producta esset Eua, vt ex ipsis Dei verbis apparet, quæ simul ad vtrumque coniugem diriguntur. Hoc ipso tamen datum est homini, quod ad imaginem conditus est omnium Domini & conditoris, vt supra dicebamus [e]. In signum autem tam destinati, quàm naturaliter debiti Adamo dominij, animantia ad ipsum, Eua nondum creata, Dominus adduxit, vt illis quasi seruis nomina imponeret, vt copiosè disputat Chrysost. [f]. Post Euam autem conditam, Deus vtrumque in huius dominij quasi possessionem misit. Id etiam legitimus ordo, quem Deus in rebus creatis constituerat, exigebat, vt creata omnia legitimo sibi ordine subiecta essent, imperfectiora perfectioribus, inferiora superioribus, humana diuinis; & essent sibi mutuò alia aliorum fines. Terra enim ad germinandum herbam exerit vires suas, herbæ vsui sunt animantibus brutis, eisque quodammodo seruiunt; bruta hominibus, homines Deo. Adde quod dominium sine ratione & prudentia, quibus bruta carent exerceri non potest;

e *n. 23.*
f *Hom. 14. in Gen.*

Ideóque iure ipso naturæ mulier, quæ minus prudentiâ valet, quam vir, audiuit g, *sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.*

g Gen. 3. 16.

XXIX. Quæ tributum homini pendunt.

Quin & illud quod aliqui olim ingratè insulseque iactabant, quasi idoneam in diuinam munificentiam querelam, quod hominem sine armis, sine vestibus, cæterisque rebus necessarijs produxisset, non tam aut illius parcitatem, aut huius inopiam prodit, quam eiusdem imperium atque dominium; in cuius, vt principis sui, vsum ac seruitutem, omnes animantes tributum perpetuo penderent. Præterquam quo mens & manus, quibus donatus est homo, instar sunt aliorum omnium, vt eleganter disserit Gregorius Nyssenus h. Neque si homo Dominus est mundi huius aspectabilis, ideò nulla re indigere debet, imò multis omninò, ad tantum imperium administrandum. Dei vnius summi omnium principis prærogatiua est, vt bonorum nostrorum non egeat, & è contrario eo indigeant vniuersa.

h *l. de opif. hominis. cap 7. & seqq.*

Psa. 15. 2.

XL. Quæ conciliarent obsequiũ animantium.

1.

Ad hoc porro obsequium conciliandum duo maximè valebant in statu innocentiæ; alterum erat singularis hominis solertia, atque industria in brutis edomandis: quod pendebat ex accurata cognitione naturarum, proprietatum, & propensionum huiusmodi animalium, quibus vtens homo facile illa mitigasset, & in propriam redegisset seruitutem, vt de ijs vsurpari posset, quod Sapiens de Dauide dixit k, *cum leonibus lusit quasi cum agnis, & in vrsis similiter fecit, quasi in agnis ouium.*

k *Eccl. 47. 3.*

2.

Alterum fuit eximia & singularis Dei circa hominem innocentem cura, quam per Angelos suos exercebat, qua fiebat vt animalia non solum homini non nocerent, sed illi etiam facile subjicerent sese. Cuius rei argumentum est illa omnium animantium ad Adamum deductio; & rursum illa, quæ, imminente diluuio, ad Noëmum virum iustum facta est. Quibus adde illam quam vocant æstimatiuam brutorum, apprehendentem hominis potestatem in particularibus rebus. Dominium autem hominis in homines fuisset, non quod seruituti, sed quod subiectioni oppositum est, vt eleganter docuit S. Thomas l: illa enim pœna peccati est, hæc necessaria est gubernationis bono.

3.

Dominiũ in homines quale.

l *1. p. q. 96. a. 4.*

Supereſt de quinque dotibus iustitiæ originis, quam ad totum hominem pertinere diximus, & facile intelligitur ex ijs, quæ præclarè differit Bellarminus m. Hominem scilicet naturaliter anima & corpore constare, quorum illa, vtpote spiritus, spiritalia naturaliter appetit, & cum Angelis cognationem habet. Corpus autem, quod illi est commune cum brutis, in sensibilia sibi cognata propendet. Ex quibus diuersis propensionibus, nascitur in vno eodemque homine pugna non leuis, & ex ea grauis ad bene agendum difficultas, dum vna propensio alteram impedit. Huic morbo ex conditione materiæ orto, vt diuina prouidentia mederetur, dedit homini donum insigne iustitiæ originis, qua veluti aureo quodam fræno, pars inferior superiori, superior Deo facile subiecta contineretur. Sic autem eo dono caro spiritui subiecta fuit, vt non posset ipso inuito moueri, neque ei rebellis fieri, nisi ipse fieret rebellis Deo: in potestate tamen spiritus, propter arbitrij libertatem, fuit rebellem fieri Deo, vel permanere obsequentem.

XLI. Iustitia originis totũ hominem componebat.

m *l. de grat. primi hom. cap. 5.*

Fuit autem hæc iustitia non vnus aliquis habitus, quo totus homo rectus ac perfectus euaderet, sed multorum habituum complexio, quibus omnes hominis vires, & facultates perficiebantur, & reddebantur idoneæ ad perfectè & expeditè exercendas actiones omnes naturæ suæ congruentes. Non poterat quippe vnus & idem habitus tam diuersas inter se corporis & animi facultates regere, aut in subiectis tam differentibus residere. Et sane multiplicia naturæ vulnera, quibus per peccatum afflictus est homo, id non obscure indicant; quæ Theologi cum Diuo Thoma a quatuor agnoscunt, vnum in intellectu obscurato, alterum in voluntate depraua ta, tertium in concupiscibili exardescente, quartum in irascibili languente; quæ sunt ignorantia, malitia, concupiscentia, & infirmitas: quibus iustitia originis per varios habitus medebatur: quorum complexio recte dicta est iustitia originis, iustitia quidem, quia erat perfectio totius hominis, omniumque facultatum eius, tam inter se, quam in ordine ad suos cuiusque actus, ratione cuius dicitur Deus fecisse hominem rectum. Dicitur originis, quod eam ab origine suo homo habuerit, & deinceps habituri essent omnes homines per originalem generationem, non quidem potestate seminis, aut vllius causæ naturalis, sed proximè à Deo sicut ipsam animam rationalem.

XLII. Non fuit vnicus habitus.

a *1 p. q. 85. a. 3.* Ostenditur ex naturæ vulneribus.

Alia quædam exterior homini excellentia conueniebat, ex loco, cuius fiebat incola præstantia & dignitate. Illico enim in Paradisum, triduo ante præparatum, inductus. Extra illum enim formatum esse constat, cum Moses aperte dicat hominem à Deo sublatum, & positum in paradiso voluptatis. *Extra paradisum quidem*, inquit Chrysostomus b, *formauit illum, sed mox introduxit, vt reipsa sensu beneficiorum frueretur, sciretque quantum illi honor esset concessus.* Vox introducendi παραγαγὼν, innuit speciem visibilem deducentis, de qua paulò ante dicebamus c. De terra porro vnde translatus est Adam, cum tacuerit Moses, constare non potest; præsertim cum nondum diuisæ ac denominatę essent regiones. Plerique agrum Damascenum, Iudæi terram suam ambitiosè suggerunt, neutrum satis probabiliter propter distantiam; statim enim cum nouo miraculo in hortum, per multa terratũ spatia transferendus erat. Cur autem eò translatus? Nimirum vt illic habitaret, & vt operaretur, & custoditet illum. Noluit otio Adamum torpescere, aut prosperitate insolescere, vt ait Chrysost. d sed rationem habere cum terra, & agricolarum innoxias degustare voluptates, laboriosa operatione secluſa. Voluit quoque hortum sibi custodire, ne ipsum peccando amitteret, vt eleganter tradit Augustinus e qui addit etiam à bestijs fuisse custodiendum, ne rebus eius nocerent.

XLIII. Homius excellentia ex loci præsentia.

b *hom. 13*

c *num. 28. 29.* Vnde translatus fuerit Adam.

d *hom. 14. in Gen.*

e *l. 8. de Gen ad lit. c. 9 & 10.*

Dum autem Adamus in horto solitarius inambulat, & delicias sibi à Domino Deo præparatas studiosè contemplatur, intuitus eum Dominus dixit apud se f. *Non est bonum esse hominem solum*: ab eo enim solo genus humanum propagari non poterat. Itaque de socia illi

XLIV. Deliberatio de condendamulie-re.

f *c. 2. 18.*

danda

danda quasi deliberans, vt productionem quoque fœminæ honoraret. *Faciamus ei*, inquit, *adiutorium simile sibi.* Id adiutorium ad solam liberorum procreationem refert Augustinus [g]; referunt quoque Ambrosius & Rupertus. Negat porrò idem Augustinus esse vllum aliud negotium, in quo non melius per virum, quam per mulierem prouideri possit. Audi & Hieronymum [h]; *Quod si propter dispensationem domus, & languoris solatia, & fugam solitudinis ducuntur vxores, multo melius seruus fidelis dispensat, obediens auctoritati domini, & dispensationi eius obtemperans, quam vxor quæ in eo se existimat dominam, si aduersum viri faciat voluntatem.* Sic ipse. Intelligi tamen possunt alia bona adiutorij nomine comprehensa, quæ Scriptura [i] de bona muliere celebrat, quæ eam vocat viri bonum, auxilium, gaudium, donum, benedictionem, coronam, vt notauit quoque hoc loco Lipomanus.

Hanc condendæ mulieris deliberationem, excepit deductio Animalium ad Adamum. iuxta ordinem Mosaïcæ narrationis, siue quia, vt placet D. Chrysostomo [k], voluit Dominus ostendere, ipsum quidem in animantibus multos inuenturum adiutores, adiutorium autem simile sibi nullum, propterea que tale aliquod esse producendum. Ideoque rectè subditur, *Adæ verò non inueniebatur adiutor similis eius.* Euâ autem productâ videtur dicere se tale adiutorium reperisse, cum ait, *Hoc nunc os de ossibus meis*, id est, mihi simillimum adiutorium, antea quæsitum nec inuentum. Siue quia volebat intelligi ab Adamo, in humana specie sicut in cæteris, vtrumque sexum debere inueniri, vt notauit Ambrosius [l]. Sed quomodo adducta sunt hæc animantia ad Adamum? Respondet Augustinus [m], visis quibusdam, quæ ministerio Angelorum ipsis obiecta sunt, suauiter mota ad Adamum se contulisse. Et quidem de singulis speciebus bina duntaxat, masculum scilicet & fœminam, quia id sufficiebat; vt notauit Ambrosius [n]. An autem pisces quoque ad Adamum per illa quatuor paradisi flumina adducti fuerint, res dubia est. Certè ad prædictum illum finem adduci non oportuit, cum sexus ægrè distinguatur in piscibus; & ad probationem dominij satisfuit præcipuis animantibus, tanquam sibi subditis, dari nomina; inde enim dominium in minora & imperfectiora facile intelligebatur.

Iam verò quod ad nominum impositionem attinet, quam ab Adamo factam Scriptura dubitare non sinit; dici potest Deum illustrasse Adami intellectum, non quidem ingerendo menti eius hæc nomina, sic enim non Adam, sed Deus ipse nomina imponeret, sed tribuendo vim eius intellectui, ad excogitanda diuersa nomina conuenienter naturis animalium. Sic longè post impleuit Dominus sapientia Beseleelem & socium eius, non solum ad egregie fabricanda opera sanctuarij, sed etiam ad excogitandum ingeniosè, quæ ad illius operis perfectionem faciebant. Idioma porrò, ad quod hæc vocabula pertinebant, à Deo inuentum fuisse, eoque vsum esse antequam formaret Adamum, eiusque cognitionem tam Adamo, quam Euæ cum reliqua scientia indidisse, autor est Tostatus [a], idque per firmam & habitualem cognitionem vocum, cum qua potuerunt tam explicitè loqui, quam post annos plurimos. Id autem idioma fuisse Hebræum docent vocabula propria, quæ primis illis temporibus vsurpata, tempore Mosis perseuerabant. Sed hæc pluribus in Annalibus [b], & apud Abulensem explicata reperies.

Sed longiori-ne tempore, an breui admodum facta est ista denominatio? Certum quidem est hoc sexto die fuisse inchoatam, ante ortum Euæ, an autem perfecta fuerit dubitari potest. Et videtur sane vero similius plus temporis huic negotio datum esse; quoniam ea nomina numero plurima, non fuerunt dictata quasi ex memoria factæ diuinitus reuelationis, sed excogitata; studiosè scilicet considerata natura, figura, proprietatibus, motu, alijsque effectis, vel adiunctis singulorum. Quæ est sententia Hugonis à Sancto Victore [c], imò & Sancti Augustini [d], & Ruperti [e]. Id ergo non fuit vnius horæ negotium, necerat quod cogeret hanc accelerati nomenclaturam. Nam quod aliqui eam perfectam putant ante formatam mulierem; sufficit ad textus veritatem rem tum fuisse inchoatam, & omnibus obiter perlustratis, Adamum non inuenisse in illis adiutorium simile sibi. Sequitur ergo iam Adami somnus, & Euæ formatio.

Immisit Dominus, ait Moses [f], *soporem in Adam.* Videndum est quis fuerit hic sopor, & qua de causa inductus. Et primum habuisse aliquid hunc somnum præter naturalem consuetudinem, ex eo indicatur quod dicitur immissus à Deo, cum alioqui sensim sine sensu obrepere soleat; & ex eo vel maxime quod plerique omnes antiqui Patres, qui hunc locum attigerunt, hunc somnum extasim vocant, præsertim Græci, secuti Septuaginta Interpretes, qui diserte hunc somnum extasim vocant, Aquila, Hieronymo teste κατάφορον, Symmachus κάρον, sicut & Chrysostomus: quibus & Latini consenserunt, Augustinus, Tertullianus, Hieronymus, Bernardus, & alij. Raptum etiam vocat Abulensis: Oleaster spasmum, & syncopem vocari posse putat, vt scilicet quam maximè auocatis sensibus, nullus esset sensus vel dolor ereptæ costæ. Quam causam immissi soporis tradunt Sancti Bernardus [g], Epiphanius [h] atque Chrysostomus [i]. Nullum autem fuisse dolorem ex eo patet, quod ne euigilauerit quidem. In quo mirabilis Dei potentia agnoscitur, vt notauit Magister. Quanquam potuit etiam vigilanti eripere, sine dolore, & maioris potentiæ miraculo vt disputat Tostatus [k]. Dormienti autem abstulit, siue quia sic res credibilior futura erat. Vulgus enim id facilius credet dormienti factum, quam vigilanti: siue quia noluit Deus Adamum esse spectatorem operis huius, & fabricæ vxoris suæ: siue quia sic commendabatur notitia, quam diuinitus accepit de vxore sua,

a *in c.13. Gen. q. 341 & 342.*

b *n. 100. & seqq.*

XLVII. Denominatio an breui facta.

c *Annot in Gen. c. 2.*

d *l. 9. de Gen. ad lit. c. 2. & 2. c. 35.*

f *c. 2. 21.*

XLVIII. Adami somnus qualis.

g *Serm. 2. de Septuag.*

h *Hæresi 48.*

i *Hom. 5*

k *in c.13. Gen q. 352.*

e *l. 9. de Gen. ad lit.* — XLV. Deductio animalium ad Adamum. *l. hom. 15.*

h *Lx. cont. Ionin. versus fin.*

i *Prou. 18. 22. vide alibi passim.*

l *l. de Parad. c. 11.*

m *l. 2. de Gen. c. 14.*

n *l. de Parad. c. 11.*

Quomodo facta.

An & pisces adducti.

XLVI. Nominū impositio.

Quomodo facta videatur.

Quo idiomate Deus, & primi homines vsi.

Ereptio costæ.

XLIX. Formatio Euæ historica.

l nn. 107 & segg.

facta ex ossibus, & carne sua.

Quod ad hanc porro formationem pertinet, duas ea de re opiniones reperio, excogitatas, vel adamatas ab hominibus eruditis, Eugubinum dico & Caietanum, quas accuratè in Annalibus nostris [l] examinatas, hoc loco, brevitatis causa, præterire cogimur. Illis ergo relictis, reiectisque opinionibus, veram & historicam, esse Mosis de productione mulieris narrationem profitemur; negamusque eam aliter, quam ipsa Scripturæ verba pronunciant, & Patres perpetuo interpretati sunt contigisse. Deum scilicet Adamo consopito costam vnam eripuisse, & quidem non siccam & nudam, sed cum adhærente carne, qualis in homine viuente reperitur; quod illa Adami verba perspicuè docent, [m] *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.* Et quidem siue ipsum per se Deum eripuisse, siue Angelico vtentem ministerio, sine vllo vel dolore, vel deformitate.

m c. 2. 23

L. An ex nuda costa.

Eam costam Dominus ita amplificauit nouæ adiectione materiæ elementaris, vt ad formandum totum Euæ corpus, in mole & quantitate perfectæ ætatis ipsius sufficeret: sicut tanto post Christus Dominus [n], ex quinque panibus hordaceis, tantam vim panum produxit, quanta necessaria erat ad victum multorum millium. Neque propterea dici debet Eua illa materia potius, quæ maior erat, quam ex costa producta: quoniam hæc costa primo & per se electa erat ad productionem mulieris, cætera adiectitia erant [o]. Sicut illa quinque millia virorum refecta dicuntur ex quinque panibus, non ex aduentitia materia in panes conuersa.

n Ioan. 6. 9 & Matth. 16. 9.

o D Tho. p 9. 2 9 a. 3.

LI. Cur ex viro producta mulier.

Quemadmodum autem ex viro producta est mulier, ad pacis inter homines, & vnitatis incitamentum, vt eleganter disputant Ambrosius [p], & Augustinus [q], eò quod vna sit omnium origo, vnum atque idem caput; ita ex viri latere educta est, ad sociales vitæ argumentum, ne si educta esset ex capite dominari viro cuperet: fiex pedibus, eam vt seruilem tractaret in modum, vt obseruauit Sanctus Thomas [r]. Addo ex Aristotele [s] ad hanc communionem firmandam prouisum esse diuinitus, vt sexus fortior infirmiori iungeretur, vt infirmior ad res custodiendas propter timorem esse aptior, robustior autem ad propugnandum propter fortitudinem vtilior: & vir parta foris afferret, quæ mulier conseruaret domi. Vir quietis impatiens domi, validus esset foris ad exercitationes & motus; mulier, quæ foris excubare non potest, operi domestico, liberisque educandis assiduitatem præberet. Vnam denique non plures Deus ex viro mulieres formauit, ad vxorum commendandam vnitatem, vt obseruauit Innocentius [t] III.

p l. de Parad. c. 10.
q l. 12. de Ciu. c. 26.
r 1. p. q. 91. a. 3.
s lib. 1. Oecon. c. 3.
t Innoc. 3. ca gaudemus, de diuortijs.

LII. Ad Adamum deducitur.

Euam longiusculè ab Adamo dormiente fabricatam, & spiraculo vitæ imbutam, animo scilicet rationali præditam, proindéque Dei imagine & similitudine ornatam, adduxit ad Adamum, idem illo, qui paulò ante animalia adduxerat, futuri coniugij paranymphus. Hinc statim Adam [u]. *Hoc nunc os ex ossibus meis*, &c. Quibus ex verbis infert homilia 15. Chrysostomus, Adamum, præter cæteram sapientiam, etiam prophetica gratia in exstasi diuinitus fuisse donatum, qui gestorum inscius, proclamarit eam mulierem ex ossibus, carnibusque suis sumptam esse. Simul etiam intelligendum est, eum qui sciret dictum à Deo non esse bonum hominem esse solum; in exstasi quippe didicerat vtique, quomodo, & quam ob causam formata esset Eua, in coniugium cum illa consensisse: & Euam vice versa pari consensu Adamum in virum acceptasse. Sed & diuinitus inspiratam legem de legitimo matrimonio condidisse [b], vt ex Euangelio constat.

u c. 2. 23.

b Mat. 19. 6 & Mar. 10. 9.

Ordo porro naturalis huius narrationis exigit, vt virum & mulierem in coniugium consentientes, Deus, qui eos coniungebat, etiam benediceret, non tam bene precando vt solemus nos, quam benefaciendo, eis scilicet fœcunditatem largiendo, vt fecerat iam terræ & aquis, & omnibus animantibus. Hanc benedictionem expressit Moses, cum primo capite [c], breuiter humani generis productionem perstrinxit. *Benedixit*, inquit, *illis Deus, & ait, Crescite, & multiplicamini, & replete terram.* Non prius datam benedictionem, quam vterque productus esset, & verba, quæ ad vtrumque referuntur, & res ipsa docet; quia vtrique necessaria erat benedictio. Constat enim altero coniugum sterili, nullam esse ex coniugio propagationem. Nec priuanda fuit Eua consolatione diuinæ benedictionis: quæ mox præcepti & comminationis particeps facta est.

LIII. A Deo benedicuntur.

c v. 28.

Sed conueniebat Deum Opt. Max. qui has conciliabat nuptias, & vtriusque parens erat, vtrique etiam amplum patrimonium, dotem dare, quoniam diuitem se negare non potebat, & eum liberalem totius mundi productio gratuitò facta prædicabat. Ergo præter iugentes omnino corporis animique dotes, quibus eos statim ab ortu suo cumulatè locupletauit, quas capitibus aliquot comprehensas supra perstrinximus [d], insuper illis quasi patrimonium dat vniuersam terram. [e] *Replete*, inquit, *terram, & subijcite eam.* Non vult eos subijcere sibi terram edomitis hostibus, qui nulli adhuc erant, sed ostendere illam sibi quasi dominis esse subiectam; vt vbique possent quasi in solo & fundo suo habitare, plantare, ædificare, &c. quæ licent singulorum locorum domibus: denique illud de se verissimè vsurpare [f], *Omnis locus quem calcauerit pes noster, noster erit.* Addit autem famulos, seruitiumque copiosum. [g] *Et dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli, & vniuersis animalibus, quæ mouentur super terram.* Neque obliuiscitur redituum annuorum, quibus dominorum vita, famulorumque sustentetur. [h] *Ecce dedi vobis omnem herbam, & vniuersa ligna, vt sint vobis in escam, & cunctis animantibus terræ*, &c.

LIV. Et amplo patrimonio locupletantur.

d n. 30. & segg.
e v. 28.
f Deut. 11. 24
g Gen. 1. 28. 29.
h Ibid.

Verum hæc ipsa paucis decursa, & quasi deuorata, iterum degustemus. Crescere iussit & multiplicari, & replere terram, non certi cuiuspiam impositione præcepti, idem quippe dictum fuerat piscibus auibusque, vt notauit Chrysost. [i] quas, vt rationis expertes, constat præceptis informari non posse, sed largitione

LV. Benedictio coniugum non habet præceptum.

i hom. 10. in Gen.

eximiæ fœcunditatis, quæ à duobus hominibus, non vicus aliquis, aut pagus, aut oppidum, sed totus terrarum orbis habitatoribus repleri posset. Ita profecto sensit S. Augustᵘˢ. [k] qui hic non præceptum vllum, sed donum nuptiarum agnoscit, simulque mulieriosos illos perstringit hæreticos, qui insana libidine prurientes, indicto continentiæ, quamuis Deo promissæ, bello, eam hoc loco, si superis placet, Domini ore damnatam mentiuntur. Nec minus eorum causam iugulat Moses qui Deum ipsum paranymphum nuptiarum facit, cum illi nuptias diaboli opus esse iactarent. In vtrosque passim antiquissimi Patres fortia tela vibrarunt, quos hic percensere contracti operis ratio non patitur.

Ad 14. de Gen. c. 21. Neque hîc præcēptionem cōtinentiæ.

LVI. Geminus hominis cibus. *Ier. 2, 25.*

De victu autem & vestitu quid dicemus? nihil sane nos vestitus remorabitur[l]; *Erant enim ambo nudi*: sed luce innocentiæ, & candida simplicitate tecti, vestibus non indigebant. Victus amplius retinebit, præsertim cum eo homini assignando, prohibitionem inseruerit, vt intelligeret, qui omnium Dominus factus fuerat, vnum se haberet Dominum factorem & conditorem suum. Geminus datur homini cibus, herbæ terræ, siue olera, & arborum fructus, sed datur homini brutisque communis, vt terrarum hic atque animantium Dominus intelligat, se in cibi necessitate brutis animantibus aggregatum, ad elationem animi quotidie comprimendam: simul agnoscat, qui magnus pater-familias prouidentia sua ita filios amplectatur, vt ab ea ne seruitia quidem excludat. *Aperis*, quippe, *manum tuam, & implet omne animal benedictione*, domesticum & ferum, abiectum & nobile, validum & infirmum, terrenum & volucre, nec est quod negligatur à bonitate eius. Quid ergo piscium nulla est hîc mentio? An quia Dominus meminisse voluit animalium, quæ cibum habent cum homine communem? Alioqui eorum æquè meminisset in assignando cibo, atqui in tradendo super eos dominio.

Communis cum brutis.

Psal. 144. 16. & 103 28.

LVII. Quibus alijs cibis vsus videatur.

Facile porro est intelligere hominem solis herbis frugibusque terræ, & fructibus arborum ante diluuium esse nutritum, propter eximiam eorum vim & bonitatem; quæ non solum necessitati faceret satis, sed appetitum etiam ita expleret, vt nihil præterea desideraretur: quanquam nihil dubito eos & lacte de pecoribus, & melle de apibus esse vsos: forte etiam non defuit natiuum saccarum, & manna, & id genus sponte ortæ deliciæ. Nec credibile est in tanta frugum copia, patres illos porcis suas inuidisse glandes; etsi id plerique antiqui, recentioresque, in aureo seculo solenne fuisse prædicarunt.

LVIII. Agriculturæ datus. *Ge. 2 15. & 3. 17. & Eccli. 29. 28. & 2. 39. v. 35.*

Nonnulli etiam vsum agriculturæ, illi ætati aureæ non rectè negarunt. Nam si Adamus terram, Scriptura teste, operabatur, nonne & terram sementi præparabat, & seminabat, & colligebat fruges, & ex tritico panes conficiebat? Nam *initium vitæ hominis*, ait Sapiens[b], *aqua & panis*, & post innocentiam perditam *vestimentum, & domus protegens turpitudinem*. Addit alio loco, sal, lac, panem similagineum, mel & oleum & vuæ botros: quæ si quis Adamo & primis illis hominibus valde conuenire dixerit nihil absurdi opinor dixerit. *Nam qua tanta est in hominibus perfectio*, ait Romanus orator[c] *vt iumenta frugibus glande vescantur?* Num putamus Adamum aut Euam ignaros artificij molendi, pinsendi, aut omnino conficiendi panis; qui delicatas omnes artes nouerant, nunnecessarias ignorabant? quidni & in vsum vocarent? Esum carnium, & vini potum non sane ignorabant, sed ab inconcessis, suo mox edocti malo, temperabant: vnde nec vini, ne carnis vlla mentio in citatis Syracidæ locis.

In Orat. Vsi sunt sane.

LIX. Quis ciborum carnuoris datus.

At difficilius est intelligere quî satis tum fuerit à Deo prouisum de cibo animalibus carnuoris, quorum natura mutata non est, per hominis peccatum. Existimo probandam hoc loco Caietani sententiam, Mosem herbarum duntaxat & fructuum arborum in victum hominum & animantium meminisse, quod hic sit communis animantium cibus, nec vllum sit animal, quod in fame his viuere non possit, vt tempore diluuij in arca probatum est. Tacuisse autem peculiarem cibum, de quo à Deo huiusmodi animalibus prouisum est, quod hic appetitus sit eis proprius non communis, quem describebat. Sicut autem non omnes hominis cibos tum concessos expressit, vt diximus[d], sic nec absurdum est quosdam quorundam animalium cibos fuisse præteritos.

d n. 57.

LX. Præceptum Adamo & Euæ datum.

In illo porro humano cibo visum est diuinæ sapientiæ, hominem quem aspectabilis huius mundi dominum constituebat, sibi præcepto imposito declarare subiectum. De quo postremo sexti huius diei opere quatuor illa nobis breuiter inquirenda sunt, quando, & quam ob causam datum fuerit homini hoc præceptum, quale id fuerit, & qua pœna sancitum. Et tempus quidem dubium facit series Mosaicæ narrationis: in qua præceptum hoc statim introductioni Adam in hortum subijcitur: & phrasis ipsa singulari elata numero, videtur exigere vt dicamus datum Adæ, antequam Eua produceretur, quæ fuit S. Ambrosij[e], & Chrysostomi[f] sententia. At S. Augustᵘˢ. anceps fuit, anceps quoque Pererius & Abulensis; probabilius tamen vterque putat Euam nondum fuisse productam, propter narrandi ordinem in textu seruatum, & ne tardante Domino dare præceptum, forte Adam de fructu prohibendo comederet; sicque sublata fuisset occasio Tentatori.

Quo tēpore.

e l. de Parad. c 12. & lib. de Instit. Virg. c. 4. f Hom. 34. in Gen.

LXI. Post Euæ cōditam. *g c. 3. 3.*

Ex aduerso pugnant tum versio Septuaginta interpretum, quæ fere plurali numero concepta est: tum verba Euæ[g], *Præcepit nobis Deus ne comederemus*, tum serpentis. *Cur præcepit vobis Deus ne commederetis* &c. Num oblitus esset versipellis, si Adamo soli locutus fuisset Deus dicere, cur præcepit Deus viro tuo, &c. vt significaret illam præcepto minime obligatam. Iosephus secutus Septuaginta idem affirmat, sicut & Gregorius Magnus[h], Rupertus[i], Caiet. Fonseca, Lipomanus, Eugubinus, Del Rio, Cornelius à lapide, & alij. Mihi certe probabilius videtur iam fuisse productam Euam, cum hoc præceptum datum est. Nam & fieri potuisse clarum est, iuxta ordinem rerum hoc die sexto gestarum, quem supra digessimus[k] & factum esse Septuaginta sua versione ducuere, & fieri decuisse apparet, vt tanto diligentius obseruaretur, quanto certior vterque esset de prohibitione diuina, quam ex eius,

h lib. 35. Mor. c. 10. i l. 2. c. 32.

k n. 7. 8. & 9. Et quam obrem.

ore ambo suis ipsi auribus accepissent. Nec series Mosaicæ narrationis hanc euertit sententiam, cum constet illum non semper rationem temporis habuisse, alioqui paradisi productionem die tertio, non autem post septimum enarrasset. Locutus autem est in singulari, quia nondum exposuerat formationem mulieris, nec decebat eam alloqui, quæ nondum erat. At Septuaginta vt innuerent non seruatum à Mose ordinem temporis, & singulari & plurali numero in eodem præcepto vsi sunt, sicut & Apostolus [l]. Nec necesse fuit statim inducto in paradisum Adamo dari legem, quia satis erat dari vtique, vt diximus, & tempus perbreue interiectum fuit.

[l] Galat. 6. 1. & 2.

LXII. Causa dati præcepti.

Causam dati præcepti hanc in primis sancti Patres agnoscunt, vt Deus se hominis Dominum ostenderet, quantumcumque is cæteris omnibus rebus imperaret. Ad id autem hoc præceptum valde aptum fuit, quippe quod datum est, non de malo aliquo vitando, vel bono faciendo, quod naturæ lex & recta ratio vitandum, aut faciendum dictaret, sed quod ex sola iubentis voluntate penderet, quod Chrysosto. sic explicat [m]. *Hæc facietat*, inquit, *Quasi Dominus aliquis liberalis, qui præclaras ades alicui concedit, pactâ quapiam in singulos annos pecuniolâ, qua illi moneantur habere se Dominum, ad quem directè ades illæ pertineant.* Voluit ergo Dominus hominem obedientiam exercere, & obediendo promereri fœlicitatem, quam ipsi quoque proponebat vt coronam iustitiæ; quæ mens est sanctorum Patrum; in primisque Augustini [n], atque magni Gregorij [o]. Ea porro inobedientia hoc maior agnoscitur; quo præceptum ipsum Domini iustius erat, & facilius. Quid enim iustius quam vna in re gratificari hominem Deo, à quo cuncta gratis acceperat? Quid facilius quam vnius duntaxat arboris fructu abstinere, cæteris omnibus, quæ infinitæ erant, eius arbitrio, potestatique permissis, vt ijs quando quoque modo placeret, vteretur?

[m] l. hom. 14.

Inobedientiæ grauitas.

[n] l. 8. de Gen. ad lit. c. 11. & lib. 13. de Ciuc. 20.

[o] lib. 15. Mor. c. 10. vers.

Quin & ipsa pœna capitalis, quæ huic præcepto erat imposita, appetitum ipsum frangere debebat, & intellectum docere, rem hic agi maximè seriam, cum eam ab optimo & sapientissimo parente profectam constaret, & in ea innumerabilium hominum salus, vel æterna damnatio verteretur. Itaque hæc pœnæ magnitudo valde auxit inobedientiam, & in re natura sua leuicula, mortiferum scelus inuexit. *Vbi enim*, ait Augustinus [p], *magna est inobedientia, pœna proposita, & res à Creatore facilis imperata quisnam satis explicet, quantum malum sit non obedire, in re facili, & tanta potestatis imperio, & tanto terrent supplicio?* Ostendit enim huiusmodi pœna quantum res cordi sit Legislatori, in cuius voluntate sua est vis ac vigor legis, Dei præsertim, cuius vnius voluntas regula est iustitiæ & æquitatis. Mortem autem corporis intelligi constat, ex interpretatione Apostoli Pauli [b].

LXIII. Quæ illi pœna imposita.

[p] l. 14. de Ciu. c. 15.

[b] Rom. 5. 12.

Tanta porro fuit diuina bonitas & clementia in huius vel interminatione, vel inflictione, supplicij, vt Deus reipsa minaretur duntaxat hominem peccati reum pristinæ suæ miseriæ & mortalitati restituere: ei scilicet, quæ ipsi, ex naturæ suæ principijs debebatur, & à qua iustitia originis, & lignum vitæ reddebat immunem. Sic ergo intelligendum est illud, *morte morieris*, id est ad naturalem moriendi necessitatem redibis, non autem quod statim moriturus erat, vt nongentorum & triginta annorum vita comprobatum est. Quod ad animam vero, cuius vita est gratia, mors peccatum, statim mortui sunt. Hoc porro præcepto primis parentibus imposito, finem accepit Dies mundi sextus; cum illi in magna vitæ puritate atque innocentia viuere cœperunt, magna consolatione & lætitia. Quo diei fine [c] *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*; quia præter singulorum bonitatem, accedebat illa bonitas ordinis & proportionis omnium membrorum istius magni corporis, quæ singulis affert aliquod extrinsecum bonitatis incrementum; ipsum autem totum ita perficit, nihil vt redundet, aut desit.

Quomodo mortui dicãtur.

[c] c. 1. 31.

DIES MVNDI SEPTIMVS.

I. Quies Dei septimi.

Igitur [d] perfecti sunt cœli & terra, ait Moses, *& omnis ornatus eorum, complenitque Deus die septimo opus suum quod fecerat*, non dicit quod faciebat; neque enim protraxit aliquod prædictorum operum ad diem vsque septimum, sed omnia perfecit die sexto extremo; septimus autem est terminus extrinsecus totius creationis: propterea que explicandi causa Septuag. *Et perfecit Deus*, aiunt, *in die sexta opera sua quæ fecit.* Itaque requieuit die septimo ab vniuerso opere quod patrarat, non quasi ex labore fatigatus, sed vt desinens noui aliquid producere, non cessans tamen omnia conseruare, atque gubernare vsque in præsentem diê. *Benedixit, dixit septimo, & sanctificauit illum, quia ipso cessauerat ab omni opere suo.* Adest igitur dies quietis & cessationis Dei, ab omni opere quod fecerat, non quod facere posset, si libuisset: dies benedictionis, id est, approbationis & laudis piorum operum, quæ huic diei destinata erant. Dies enim magnus & benedictus dicitur, propter opera quæ in ipso fiunt, dies sanctificationis, id est segregationis à profano vsu & dedicationis in cultum & honorem Dei: Dies contemplationis diuinorum operum, & gratiarum actionis: dies denique reparationis virium hominibus & iumentis addictis seruituti hominum. Eorum enim curam gerens clementissimus Dominus, non indignum putauit maiestate sua ita scribere in lege sua [e], *Septimo die cessabis, vt requiescat bos & asinus tuus, & refrigeretur filius ancillæ tuæ, & aduena.*

Eiusque commẽdatio.

[d] c. 2. 1. 2. & c.

[e] Exod. 23. 12.

II. Eius obseruatio mundo coæua.

Quamuis autem ex hoc perspicuum sit quam antiqua sit diei septimi sanctitas & obseruatio, non desunt tamen, qui eius obseruationẽ lege Mosis antiquiorem negent [f]. Rectius tamen est asserere iam inde à principio sabbatum fuisse celebratum: idque satis indicatur in ipsa lege, vbi dicitur, *Memento vt diem sabbati sanctifices.* Cur enim renouatur memoria, nisi ad significandum rem, quæ iam in antiquo vsu est, lege noua stabiliri? Neque est cur existimemus Adamum, aliosve Patriarchas non vnum aliquem diuino cultui dedicasse diem, prælucente naturæ lumine, & dictante tempus aliquod Deo colendo assignandum esse. Quis autem credat eos non potius exemplo Domini diem

[f] Tertul. l. contra Iudæos. 2 Vatabl. hic.

septimum

III. Adhominis ortu tempus per peccatum.

septimum, quam aliquem alium elegisse: Res autem ipsa, quæ in mores priorum abierat, lege Mosaica postea sancita est.

Et hactenus quidem de productione rerum, ipsiusque hominis actum est, sequitur vt de ipsius ruina cum Scriptura dicamus. Prius tamen inquirendum videtur, quanto tempore in illo felicissimo statu vixerit, quidque interea egerit; ad quem statum illa verba pertinent [p] *Erant autem vterque nudus, & non erubescebant.* De tempore tres reperio apud Cæsarium opiniones; vnam quæ diem vnum, necintegrum facit Adamum paradisi colonum: alteram, quæ sex illum diebus illi retinet; tertiam quæ quadraginta, quam & ipse amplectitur, cui etiam quartam addit, quam mauult recipere, quam Moses Bar-cepha declarat fuisse annorum triginta, quot scilicet Christus mortalem hic vitam Adæ peccatum luendo traduxit. Sed hæc minimè omnium probilis est, reliquarum trium media maximè videtur probanda. Neque enim rerum sexto die gestarum ratio patitur, vt eodem die tentatio contigerit, & omnia quæ illi coniuncta sunt, perfecta fuerint.

Q. 2. v. 21. Quando in paradisum inuectus.

IV. Non fuisse vnici diei moram.

Producta quippe sunt omnia terræ animantia, tum à Deo tanquam bona approbata. Initum est de homine producendo consilium, formatum de limo terræ corpus hominis, & inspirata anima viuificatũ: deducitur deinde in Paradisum. Rursus deliberat Deus de producenda muliere: animalia in hortum ad Adamum deducuntur, quibus & nomina sapienter excogitata imponit, quod opus non vnius aut alterius horæ quidam censuerunt, sed multorum dierum, aut longioris etiam temporis, vt superius [h] dicebamus. Deinde obdormiscit Adam, sopito costa eripitur, repletur caro pro ea. Eua ædificatur, Adam euigilat, deducitur ad eum mulier, agnoscitur, denominatur, conciliantur nuptiæ, datur vtrique benedictio, fœcunditas, & dominium in vniuersa animantia eis cunctisque animantibus; assignatur cibus; fructus arboris vnius sub pœna capitis excipitur. Si quid temporis eo die reliquum fuisse dicamus, quomodo id satis fuit Tentatori ad explorandum quomodo illi viuerent in horto, & qua ex parte opportuniores essent ad tentationem? id enim vna atque altera hora fieri vix potuit. At oporteret etiam non parum superesse temporis ad tentationem, cuius summa tantum refertur, & ad culpæ agnitionem, & ad vestes ficulneas, & ad latebras, & ad totum iudicium à Deo cum peccatoribus habitum, & ad eam, quæ mox secuta est, expulsionem. Denique ex ijs, quæ paulò post dicentur, de primorum parentum in horto consuetudine atque vsu, luculentis illa præpropera eorum culpa, & eiectio refelletur.

Gen. 47.

V. Sed potius octo, & qui ita sentiant.

Existimamus itaque probabilius Adamum & Euam octauo à sua productione die, feria sexta secundæ Mundi hebdomadæ peccasse, & paradiso eiectos fuisse. Ita sentit aut conijcit Pererius [a], Del Rio, Tornellus, Lipomanus in catena in Gen. & è Sectarijs Còdomanus. Eadem fuit sententia multorum, quos refert Cæsarius Adæ gesta memoriæ prodidisse. Cum enim sex dies memorant, primum quo creatus est, & vltimum quo peccauit, quasi inchoatos & imperfectos omiserunt. In eandem sententiã facile adduci potest S. Iren. [b], & quicunq; dixerunt Adamum eadem die qua creatus est peccasse, & ex horto eiectum esse, eadem videlicet specie non numero, eademque ipsa Christum, ad tollendum peccatum Mundi patiũm esse. Deinde non paucas horas, sed plures dies videtur exigere illa vox Euæ, *De fructu lignorum quæ sunt in paradiso vescimur*, quod significat non solum vesci possumus, sed etiam vesci solemus, vt narauit Perer. *Tale pomum* ait August. [c] *fuisse credendum est in illa arbore, cuius generis poma in aliis arboribus innoxia senserant. Mox dum Deus in hortum venisset*, inquit Iosephos [d], *Adamus antea cum Deo familiariter colloqui solitus, conscius sibi iniustitiæ, secedebat.* Et iterum. *Deus autem scisciabatur, quid ita prius delectatus sua consuetudine, nunc fugeret*, quæ videtur ille ex suorum Hebræorum sensu, & traditione retulisse.

a l. 5. c. 8. vnde in 1. a. 10. n. Confirmatur.

c l. 11. de Gen. ad lit. c. 31. d l. 1. Ant. c. 1.

Quoniam ergo positum est primos parentes diebus aliquod vitam egisse in horto illo amœnissima, age quam ibi vitam duxerint, siue quod ad corpus attinet, siue quod ad animam, inspiciamus. Primum nullis perturbationibus agitatos fuisse docet S. August. [e] quod alioqui non beati in illo beatitudinis loco, sed miseri fuissent, si timore, vel dolore, cæterisque malis vexarentur. Docet etiam nec cupisse lignum vetitum, nec consequenter timuisse mortem, quia talis cupiditas contra præceptum, fuisset peccatum, quod supponitur nondum irrepsisse. Tota autem Augustini phrasis, tapit longiorem in paradiso vitæ consuetudinem. Viuebant secundò sine confusione nuditatis, vt scriptura ipsa testatur [f]: sed eam mox peccatum inuexit, Deo ita disponente, vt ait Moses Barcepha g, vt verecundia instar fræni esset ad iuuandam voluntatem, quæ sola hunc affectum domare vix posset.

VI. Quam ibi vitam egerint.

e l. 14. de Ciu. c. 15.

1. f Gen. 2. g l. de paradiso p. 1. c. 20 post med.

Tertiò viuebant sine vlla necessitate corporis aut molestia, vt fuse & eleganter explicat Augustin. h. t. toto fere l. 14. *de Ciuit.* cap. præsertim 26. Quarto animalium cæterarumque rerum creatarum naturas contemplabantur. De animalibus, quibus Adamus nomina dedit naturis singulorum consentanea id satis constat, cur cæterarum quoque rerum, puta plantarum, metallorum, gemmarum, cœlorum ac syderum, naturas, proprietates admirabiles, naturam denique angelicam & humanam contemplari negligeret, nulla idonea causa fingi potest. Quæ est Lipomani sententia in catena in Gen. in ea verba, *Adduxit ea ad Adam*, vbi ita concludit, *Non ergo in paradiso otiosus fuit, sed pro maxima sapientia illi concreata rerum naturas soleter indagauit, vnde nec tam parua mora credenda est fuisse ei in loco illo.* Sic ipse.

3

VII. Sine vlla molestia 4. h l. 14. c. 26. Contemplantis rerum naturas.

Quintò viuebant spiritualibus contemplationis ac deuotionis delicijs delibuti, angelorum penè ciues, & domestici Dei. Id sine controuersia contigit in illa prima extasi, cum formata est Eua. Id etiam sæpius hoc medio tempore contigisse, non obscurè significat S. Gregorius i. *Peccãdo*, inquit, *extra semetipsum fusus, tam illa cœlestia patriæ gaudia, quæ prius contemplabãtur, videre non potuit. In paradiso quippe assueuerat homo verbis Dei perfrui, beatorum Angelorũ spiritibus cordis munditia, & celsitudine visionis interesse. Sed postquam huc cecidit, ab illo quo implebatur mentis lumine recessit.* Quæ verba apertè docent Ada-

§. VIII. Spiritualis item ac diuina.

i init. lib. 4. Dialog.

XII. Planéque prosternitur.

Hic penè iam victor dæmon, promptè atque audacter hæsitationem excutit, & timorem mortis: dissplicentiam verò præcepti, per calumniam vsque ad præcipientis odium conatur augere, quasi is inuidia in ipsos motus, scientia vehementer desiderabili priuare ipsos, nullo suo bono voluerit. *Nequaquam*, inquit [f], *morientes: scit enim Deus quiam quacunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut dij scientes bonum & malum.* Hic iam totum virus effundit impostor, incitans incautam mulierem ad ambiendam propriam excellentiam, vsque ad contemptum Dei, & auersam à sui creatoris amore, quam iste mendacij & inuidia, non minus falsò, quam impudenter accusat, ad amorem eius, qui ei vehementer vtilia & gloriosa suaderet, impellit. Itaque iam plane victa dat manus, anhelans ad illam Dei similitudinem, ad expetitam libertatem, nullis conditionibus circunscriptam, ad insolitam illam oculorum charitatem, ad scientiam boni & mali, quam non tam serpens, quam arbor, suo ipsa nomine polliceri videbatur; ad quam præsertim tam facilis erat via.

f c.3.4.

XIV. Præceptū violat.

Ne tamen temerè ad credendum progressa videretur, voluit fructum diligentius considerare, quasi iudicium latura, vtri palmam veritatis, Deone an serpenti tribueret [g]. Vidit igitur mulier arborem, sed alijs quam hactenus oculis, & qui manum ad decerpendum fructum dirigant, fructum gustui suauem, pulchrum oculis, & aspectu delectabilem. Quid multa? *tulit de illius fructu & comedit*, vnóque facto multiplex peccatum admisit: in quibus peccatum scandali luctuosissimum fuit, cum viro suo lapis offensionis facta est. Dedit enim viro suo, qui ne eam contristaret, comedit, & grauissimi peccati factus est reus, vt accuratè docet Augustinus [h], vsus comparatione Salomonis, qui idola veneratus est, ne suas, quas deperibat, delicias contristaret. Illa verò non solum offerebat viro pomum, sed à mortis etiam metu iubebat esse securum; cum eam quæ cōmederat, videret esse superstitem.

g *vide Rupt. l. 3. c 9.*

Et virum inducit in idem scelus.

h *l. 11. de Gen. ad lit c.42. & l.12 de Gen. c.10*

Nec mora [a], *aperti sunt oculi amborum; cumque cognouissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, fecerunt sibi perizomata.* Habes sic tristissimæ tragœdiæ agnitionē, quā mox luctuosa fortunę commutatio secuta est. Aperti sunt amborum oculi ad agnoscendam sataną fraudem, nuditatem, & turpitudinem suam, dudum benè tectam innocentia, nunc ficulneis foliis circumtegendam. Aperti sunt oculi, simulque patefacta est ianua, non solum pudori, sed etiam timori: vnde & audito sonitu superuenientis Domini, fugitiui serui expalluerunt, & criminis tanti conscij abscondérunt se à facie Iudicis sui. Quamuis ergo texissent, quæ magis pudori erant, puta ab vmbilico ad media crura: tamen & reliqua nuda diuino præbere conspectui, vel cum illis ipsis subligaculis apparere verebantur.

XV. Agnitio culpæ, & pudor.

a c.3.7.

Adest igitur paulò post iudex, & præsentiam suam à longè significat, puta strepitu pedum, qualis fieri solet à deambulantibus. Nam sequitur. *Et cum audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso.* Humana forma iuductum venisse Deum, in qua cum eis conuersari solebat & colloqui scribit [b] Augustinus, est enim hominis propria deambulatio. Eo strepitu, qui sponte excitabatur audito, & aura deferente reorum pulsabat aures [c], *abscondit se Adam, & vxor eius à facie Domini Dei in medio ligni paradisi.* Apparet densiorem aliquam syluam vmbra sua latebras peccatoribus præbuisse, non cogitantibus, præanimi perturbatione, se irritas latebras captare. Facile autem audiri potuit ille strepitus in tanta solitudine, præsertim à peccatoribus, pudore & metu exanguibus & mutis. Non statim affuisse iudicem merito Tostatus [d] arbitratur, ad dandum peccatoribus tempus colligendi sese aliquantulum à confusione illa, eóque qualicumque aduersus pudorem remedio vtendi, moxque redeundi ad salubrem agnitionem culpæ suæ, & propositum veniæ à Deo postulandæ, siue restituendi essent in gradum pristinum, siue non essent.

b l. 11. de Gen. ad lit. c. 42.

c c. 3. v. 8.

d q. 596. in c. 13. Gen.

Strepitum illum prænuncium excepit articulata vox: vocauit enim Dominus Adam dicens, *Adam vbi es?* Et forte iteratam expectauit vocem, vt è latebris emergeret & responderet roganti, ne noua culpa in non respondendo cōmitteretur. Et videbat quidem Deus coniuges, quamuis arboribus densis, & vmbra tectos, non minus quam in aperta planitie. Adamum tamen vocauit, quasi eum non videret, vt qui se humano more gereret, quibus abscondita non apparent, eademque est ratio cur quæsierit, vbi esset; nec adijt ad absconditos, sed euocauit ad se: ista enim interrogatio instar euocationis est ad subeundum iudicium: sicque suauiter datur opportunitas eliciendæ causæ latebrarum, & totius criminis manifestandi, ne ad præteritum pudorem, etiam verecundia deprehensionis accederet. Vnus euocatur, vterque prodit, vt ex societate minueretur pudor & metus: inde etiam forsasse mitigato timore, vt qui non statim audissent, furciferi, siccine præceptum meum contempsistis? Itáne ad impostorem me derelicto apostatæ profugistis?

XVII. Euocantur à Iudice.

Cum oportuisset autem Adamum, qui vt familiæ caput nominatim euocatus fuerat, ad reddendam rei gestæ rationem, in genua procumbere, & confusa singultu lacrymisque voce culpam fateri, veniam & misericordiam postulare, vt parabolicus ille prodigus, latebrarum causam profert timorem, seu pudorem ex nuditate profectum. Ex qua responsione vlteriorem Deus causam elicit & veriorem, peccatum scilicet, quod Adam tacebat, idque in medium profert. *Quis enim*, inquit, *indicauit tibi quod nudus esses, nisi quod ex ligno, de quo præceperam tibi ne comederes, comedisti?* Apparebat Adamum non veniam petere, sed excusationes ineptè prætexere; atque adeo causam absconsionis reijcere in Deum, qui eum creauerat nudum. At Deus hanc primam excusationem repellens, in ipsius retorquet autorem, cui peccatum probrosam ac pudendam reddiderat nuditatem.

XVIII. Adam nō petit veniā agnita culpa

Et oportebat saltem hoc tempore manifestato peccato, miserum hominem Deo supplicem fieri, & amissa prima veniæ impetrandæ occasione, quæ ex propria peccati confessione pendebat, non amittere secundam, quæ in humili eius agnitione, & lugubri veniæ postulatione consistebat: præsertim cum peccatum admissum nec vellet negare, nec posset: sed è

XVI. Iudicis aduētus, & reorū latebræ. *bl. 15. de Gen. c. 7.*

XIX. Ne post diuinam quidem manifestationē peccati.

contrario

contrito se iterum inconsultissimè excusando, peccatum à se in alium translaturus, & proximum incusat & Deum [e]. *Mulier*, inquit, *quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi.* Quasi dicat accusanda est mulier, quæ dedit, cuius precibus acquieui, eius scilicet quam mihi sociam dederas, quam si non dedisses adhuc viuerem innocens [f]. *Nunquid dixit Peccaui?* ait Augustinus, *superbia habet confusionis deformitatem, & non habet confusionis humilitatem.* Et mox [g], *Aduertamus quo morbo superbia laborent homines hodie, non nisi in creatorem conantes referre si quid egerint mali, tamen sibi velint tribui, si quid egerint boni.* Sic ipse; quibus alludit [h] Gregorius Papa, nisi potius ex eodem ambo spiritu hauserunt. Lamentatur quoque Rupertus [i], quod Adamus in pœnitentiæ lamenta non proruperit potius, quam ad excusandas excusationes in peccatis. Eum vide, suauissimumque Bernardum [k]. Cæterum quæ de huius culpæ manifestatione Scriptura docuit, Iosephus plurimis fœdissimisque erroribus inquinauit, quæ nos in Annalibus accuratè refutata, hoc loco breuitatis causa prætermittimus, quæ eruditum lectorem minimè forte legisse pœniteat. Nos ad reliquum de Adamo & Eua iudicium progrediamur.

XX. Mulieris accusatio.

Et dixit Dominus Deus ad mulierem [m], *quare hoc fecisti?* Peccati confessionem iam satis ex Adami responsione, & mulieris taciturnitate exploratam, prætermittit, vt eius causam requirat, vtroque interim supplicij expectatione suspenso, ne sibi statim moriendum esset, vt lex ante lata exigere videbatur. Quamuis autem interrogatio dationem fructus respiciat; causa enim Adæ adhuc agebatur; responsio tamen de sola comestione est, quod ad illam interrogationem nihil occurreret, quod directe responderi posset: propriam autem culpam, vrgente conscientia vltro confessa est, tam in eo vitium secuta, quam in venia non implorata. Notanda porro diuina bonitas ac sapientia, quæ non ante condemnauit Adamum, licet iam conuictum sceleris, ac confessum, quam interrogasset Euam, ne illa viri sui condemnatione audita, nullam sibi spem veniæ superesse crederet, quæ esset eiusdem non solum particeps, sed etiam origo peccati: quin potius, adhuc pendente iudicio, ad veniæ postulationem saltem ipsa confugeret, & lacrymis suis ac lamentis mitissimum iudicis pectus ad misericordiam infirmiot sexus infringeret.

Nec veniam petit.

XXI. Sed culpam regerit in serpentē.

Sed illa nunc à sinuoso serpente facta rigidior, male sermonum parcior, *Serpens decepit me*, inquit, *& comedi. Nec ista confitetur peccatum*, ait Augustinus [a] *sed in alterum refert, impari sexu, pari fastu.* Et mox. *Quanto melius vterque diceret. Ego dixi Domine misereris mei, sana animam meam, quia peccaui tibi. Ad hoc quippe requisiti fuerant*, vt ait Gregorius [b], *vt peccatum quod transgrediendo commiserant, confitendo delerent. Vnde & serpens ille persuasor, qui non erat reuocandus ad veniam, non est de culpa requisitus.* Non dixit Eua quare comederit, ingenti enim verecundia obstruebatur eius os, ne coram ipso Deo diceret, se illo cibo similem ei fieri voluisse. Vere deceperat eam serpens, tam vt comederet ipsa, quam vt daret viro. Vtrumque enim ille requirebat, cum vtrique diuinitatem infœlici comestione promitteret. Excusat etiam ipsa se, & culpam in serpentem transfert, ne propria & malitia, nullo incitante peccasse videatur: in vtroque Adamum imitata, vt culpa vtrusque leuiore facta, pœna etiam, quam sibi imminere sentiebant, diminueretur.

XXII. Iudex cū serpente agit.

Cum ergo Eua culpam suam in serpentem transferret, vt suam maritus in illam transtulerat prior, iudex reorum verba inquirendo secutus, ad serpentem transfert orationem; nec tamen quærit quare hoc fecerit: siue quia nihil ipse per se fecerat, sed totius rei ignarus, Satanæ, cuius tota culpa erat, organum fuerat, & is iam acceperat immutabilem damnationis sententiam, nec veniæ, vt primi parentes particeps esse poterat; nec vllum habebat, à quo se vel inductum, vel seductum causari posset. Siue potius, vt recte vidit Abulensis [c], quia non decuit interrogare serpentem, animal rationis expers, qui absente iam dæmone nihil respondere posset. Nec dici potest pari ratione non oportuisse eum alloqui pœnam infligendo, quia talis locutio non exigebat responsionem: & oportebat ab Adamo & Eua inflictionem pœnæ cognosci, ad eruditionem & satisfactionem suam, ne contra Deum obloquendo rursus peccarent, si nescirent autorem culpæ, sicut & ipsi affectum supplicio.

Nec cum interrogat.

Quid autem serpenti Dominus? quoniam huc iam est progressa narratio, qua ille pœna mulctatur? *Quia fecisti hoc*, inquit [d], *maledictus es inter omnia animantia, & bestias terræ, super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ. Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum, & semen illius, ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius.* Perspicuum est singula horum non nisi allegoricè dæmoni accommodari posse, serpenti autem omnino proprie. Animal quippe terræ est, & cum ijs comparari potest, & præ omnibus odiosus est, maledictus & detestabilis hominibus, super pectus suum graditur, & terram comedit, omnesque, vbi res tulerit, conamur eius caput conterere, & ipse pedibus nostris, quibus terram calcamus, in qua ipse volutatur, morsu & veneno nocere conatur. Sensus tamen à Deo intentus est allegoricus, vt maledictio in dæmonem contorta intelligatur: præsertim quod ad inimicitias serpentem inter atque mulierem, illiusque semen quas de Christo & B.V. dæmonis caput obterente, Patres plurimi magno consensu interpretantur.

XXIII. Serpentis condemnatio. & pœna.

Vide autem præclaram inter delictum & supplicium serpentis analogiam. In amicitiam enim hominis, & familiaritatem conatus est irrepere, fit eius odium & execratio; erexerat eum diabolus, vt cum muliere loqueretur, abijcitur in terram, & super pectus suum serpere cogitur; persuaserat esum pomi, ad esum pulueris condemnatur; fœminam in os intuitus, eius calcaneo nunc comdemnatur. Simpliciter autem neque dæmoni propter hanc tentationem, aliasue culpas nouæ pœnæ rogantur, quia extra viæ statum positus, nihil agit quod illi ad meritum, vel demeritum imputetur.

XXIV. An de mone, aut serpenti conueniat.

[e] c. 3. 12. Sed ex-cusat se.

[f] l. 11. de Gen. c. 35.

[g] & l. 14. de Ciu. c. 14. Nusquam hic erat. &c. hl. 4. Mor. c. 23. Excessus sui vitium &c. l. 3. c. 14. & 35.

[h] Serm. 1. de Omn. sanctis. in. 41 & segq.

[a] l. 11. de Gen. ad lit. c. 35. vide & 14. de Ciu. c. 14. & l. 2 mor. c. 13. vsq. 6.

[b] l. 2 mor. c. 13. vsq. 6.

[c] inc. 13. Gen. q. 688. & 689. vide etiam Chrys. hom. 17 in Gen. Greg. l. 33. Mor. c. 31.

XXVII. Quatenus corpus hominis ad imaginẽ Dei.

Quoniam verò neque diuina natura, neque personæ corporeæ sunt, neque in humano corpore illæ reperiuntur dotes, quibus ad diuinæ majestatis consortium assurgimus, ideo negamus hominis corpus esse ad imaginem Dei, nisi remote admodum atque improprie, nec secundum lineamenta figurasque membrorum, sed potius secundum id quod in cœlum receptum est, denique quatenus in eo præstantia humanæ mentis elucescit, in qua propriè & per se est imago Dei. Ita S. Augustᵍ quem sequitur S. Thomasʰ, qui ait illam imaginem in corpore per modum vestigij repræsentari. Certè ad corpus quoq; aliquo modo pertinere imaginẽ Dei, docet hoc ipso loco Moses; qui cum de illa loqueretur, statim nihilominus subiecitⁱ, *masculum & fœminam creauit eos*: Et rursum posteaᵏ *Quicunque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius: ad imaginem quippe Dei factus est homo.* Si ad solam animam imago diuina pertinet, quid facit hæc ratio ad culpam effusi sanguinis exaggerandam, cum sanguis ad animam non pertineat?

g *l. 83. qq. q. 51. & l. 6. de Gen. ad lit. c. 12.*

h *1. p. q. 93. a 6. ad 3.*

i *c. 1. 27.*

k *c. 9. 6.*

XXVIII. Deus sub forma hominis fabricatus est hominis corpus

Cæterùm non desunt l qui arguant Eugubinum in sua Cosmopœia, & Hieronymum ab Oleastro, quod censeant Deum, in Adami corpore fabricando, speciem quandam humanæ ac corporeæ naturæ induisse, vt hominem ad illius similitudinem conformaret, quasi Dei imago corpore debeat, & non potius animo æstimari. Verum neutrius hæc mens fuisse videtur. Nam Oleaster ad summum voluit Deum finxisse corpus ad similitudinem assumpti à se corporis; in anima vero, diuinitatis imaginem procreasse. Nam inter alia, *Voluit*, inquit, *Dominus hominem se referre, & quantum ad corpus assumptum, & quantum ad spiritum, vt corpore corpus assumptum, anima vero spiritum, qui Deus est, monstraret.* Eugubinus autem cum eleganter excurrisset in describenda pulchritudine corporis à Deo assumpti, ad hominis corpus formandum, ita concludit. *Non exclusa igitur interiore mentis similitudine, ad illam quoque formosissimam speciem dicitur homo creatus, in qua creatu omnibus, homini se conspicuum spectabilemque exhibuit, vt creatorem suum omnibus modis cerneret, agnosceret, omniqueposteritati prædicaret.*

l *Perer. l. 4. in 33. A Valent. dis. 7. q 3. pũ. 1 ad fin.*

ab Oleastro.

Eugubinus.

XXIX. Filius Dei sub forma hominis.

Sed nec absurdum est ipsum Dei filium in humana forma Adamo apparuisse. Plerique enim Patrum senserunt multas visiones Patribus veteris Testamenti factas, ab ipso Verbo factas. Sanctus certè Augustinusᵃ, vt plurima Patrum testimonia taceam, ait se inconcusse credere, & intelligere, Deum non per diuinam naturam atque substantiam, sed per assumptam visibili specie sicuti voluit, ijs apparuisse quibus apparuit, quando per corporis oculos in Scripturis sanctis visus esse narratur. Hinc pertinet ille hymnus Ecclesiæᵇ, *Qui mundi in primordio Adam plasmasti hominem, cui tuæ imaginis vultum dedisti similem.* Imagini autem tam decoræ vt humanam omnem pulchritudinem superaret vt Eugubino placet, qui eam speciem ei persimilem dicit, quam Petrus vidit in monte Thabor, Moses in Sina, aut qualem Elias & Moses in Transfiguratione exhiburuntᶜ, quando visi dicuntur *in maiestate.*

a *Ep. 99. & 111.*

b *Dominic in. Albu.*

c *Luc. 9. 31.*

Expositis hactenus, quæ ad productionem corporis & animi Adami pertinent, sequitur vt eum in Paradisum deducamus, si prius tamen aliqua, de eximijs dotibus, quibus animo & corpore ornatus fuit, dixerimus. Quo de argumento, etsi pleni sunt omnium doctorum, tam antiquorum quam recentium libri, ne tamen in tanta copia lectorem planè ieiunum dimittamus, pauca quædam libabimus, quæ primi hominis dignitatem vehementer exaggerant, quinque ex capitibus petitam, sapientia & scientia, qua Deus intellectum eius ornauit; gratia & virtutibus, quibus ditauit voluntatem; immortalitate, dominio in animantia, & originali iustitia, quibus totum hominem mirificè decorauit.

XXX. Adami dotes quinque primariæ.

Deus igitur Opt. Max. qui hominem condiderat, vt esset non solum Dominus & princeps orbis terrarum, sed etiam patens totius humani generis ac magister, in eum liberaliter scientiam rerum naturalium infudit, quantam mortalium nemo, quamuis longa experientia consequi posset. Neque enim conueniebat, vt qui in ea supellectile, quæ ad corpus pertinet, liberalissimus fuerat, in scientia, quæ verum est animi pabulum, largienda parcus esset. Idipsum probant communiter Doctores ex impositione nominum animantium, quæ nisi ab eo qui naturam ipsorum & proprietates nosset, peritè fieri non poterat, vt præclarè docet Chrysostomus ᵈ. Sed vniuersè Hugo Victorinus ᵉ, *Rerum omnium, quæ cum homine, & propter hominem facta sunt, perfectam cognitionem hominem accepisse nulli dubium esse debet, quantum videlicet vel ad animæ eruditionem, vel ad corporalis vsus necessitatem pertinere videatur.* Sic ipse. A qua scientia, non latis scienter Caiet. astrorum cognitionem & elementorum excepit. Exciperet potius cognitionem futurorum contingentium, aut secretorum cordis, aut individuorum omnium, quæ certa scientia naturali comprehendi non possunt. Cætera ita tenuit, vt amplitudine cognitionis, & certitudine mortales omnes antecederet.

XXXI. Scientia rerum naturalium.

d *hom. 14. in Gen.*

e *l. 1. de Sac. p. 6. c. 13.*

Supernaturali etiam scientia præditum oportuit, quandoquidem ad finem supernaturalem conditus erat, & de eo filios, nepotésque suos docere debebat. Fidem ergo habuit de Deo, non solum vt autore naturæ, sed donorum etiam supernaturalium, & remuneratore bonorum operum, per eadem bona, quæ naturæ gradum superant. Secundo fidem habuit distinctam & explicitam sanctissimæ Trinitatis. Tertio quia Deus ab æterno constituerat vt per Incarnationis mysterium homines finem supernaturalem æternæ salutis consequerentur, non oportuit Adamum, eiusve discipulos id mysterium ignorare. Itaque D. Thomas fatetur hominem ante peccatum habuisse explicitam fidem de Christi incarnatione, quatenus ad consummationem gloriæ referebatur, non autem ad redemptionem à peccato: non enim præscius fuit peccati sui, vt docet S. Augustᶠ. iam tum enim fuisset miserrimus; quæ miseria cum florentissimo Innocentiæ statu cohærere non potest.

XXXII. Multorum quoque supernaturalium.

Etiam mysterij incarnationis.

f *l. 11. d. Gen. ad lit. c. 18.*

Quarto sentiunt viri eruditi Adamo cognitam fuisse historiam conditionis & ruinæ

XXIII. Conditionis item, ac

Ange-

ruinæ Angelorum.

Angelorum geminæ vtilitatis causa, diuini primum timoris, ne & ipse peccaret, & pari pœna plecteretur. Amoris item in Deum, à quo creatus erat, vt amissam ab ipsis fœlicitatem, ipse, eiusque posteritas consequeretur. Nec probabile est Deum homines hoc gemino fructu priuari voluisse. Denique tanta fuit Adami sapientia ac scientia, ante peccatum, vt in fraudem induci non posset, ne circa illa quidem quorum cognitio illi diuinitus data non erat: in ipsis enim sustinuisset assensum, neque temerè de illis pronuntiasset. Quod D. Augustᵍ & Doctoris Angelici doctrinæʰ consentaneum est. Nam quòd Euam constat à serpente fuisse deceptam, nihil mirum: iam enim peccato superbiæ fuerat infecta. *Quando enim*, ait idem Augustⁱ *his verbis* Serpentis, *crederet mulier à bona atque vtili re diuinitus sa fuisse prohibitos, nisi iam inesset mentι amor ille propriæ potestatis, & quædam de se superba præsumptio, quæ per illam tentationem fuerat conuincenda, & humilianda.* Sic ipse. Et hæc de ornamentis intellectus.

g l. de lib. Arb. c. 12.
h 1. p. q. 94. a. 4.
i l. 11. de Gen. ad li. ca. 30.

XXXIV. Ornamẽta voluntatis Adami.

Iam quod ad voluntatem attinet, diuina gratia Adamus statim ab ortu suo donatus fuit, vt cum ea æternam beatitudinem promereri posset, quæ ipsi quoque proposita fuerat, quasi corona Iustitiæ. Cum ea vero simul infusa sunt dona Spiritus sancti, & illæ virtutes, quæ gratiam perpetuò comitantur; quarum officium est tam superiores, quam inferiores animæ vires rectè componere. Aderant autem cum aliqua differentiaᵏ. Nam quæ nullam supponunt imperfectionem, vt charitas, institia, &c. in eo tum habitu fuerunt, tum etiam actu; at quæ imperfectionem supponunt, illi felicissimo statui non congruentem, vt pœnitentia & misericordia, in eo habitu tantum fuerunt.

k D. Tho. 1 95. a. 3.

XXXV. Ipsiusque corporis.

Iam quod ad dotes, quæ ad corpus quoque pertinent, præter omnia illa ornamenta, quæ nunc quoque in humanis corporibus cernuntur, nobilitatis, pulchritudinis, roboris, staturæ, constitutionis corporis, optimæque dispositionis organorum, vt posset egregiè functionibus animi famulari; aliud etiam additum est, quod his omnibus præponderaret, impassibilitas, atque immortalitas. Nobilitas certè terreno corpori maior optari non poterat, quã habere parentem, atque architectum ipsum Deum: nulla glorioſior affinitas, quam animæ, quæ imaginem Dei indelebilem ferat, esse quasi coniugio incundissimo, atque inseparabili copulatum. Nulla pulchritudo maior, quam vt illi quam simillimus esset Adamus, qui fuitᵃ, *Speciosus forma præ filijs hominum*, qualem in Taboræo monte enituisse dicebamus ᵇ, qualem decebat esse eam, quam Dominus Deus sua ipse manu figurasset, cum internas omnes externasque partes elegantissima proportione commensurasset: cui suo illo halitu suauissimo lucis fulgorem, atque amabilem coloris suauitatem dedisset.

Nobilitas.

Pulchritudo.

a Psal. 44.
b n. 28. & 29.

Quantum porrò fuerit eius robur, quæ firmitas laterum, quis neruorum vigor, qui contextus musculorum, docet nongentorum & triginta annorum ætas, null, o quod sciatur, languore debilitata; eademque in multorum seculorum posteros propagata: etsi fortassis illam totius corporis firmitatem, nonnihil tum diuturna pœnitentia, tum tristitia multiplex, de tot tantisque bonis, sibi, suisque amissis, afflixit.

XXXVI. Robur.

Statura non solum recta fuit, vt cæteri mortalium, sed celsa atque erecta, qualem elegit, Dominus in Saulo primo rege populi sui, qualem decebat Imperatorem orbis terrarum. Et sanè communis est nunc sensus hominum, omnes illos Patriarchas grandiore statura fuisse præditos, vt ab ipso initio futuris corporum decrementis prouideretur. Iam vero attemperata illa humorum proportio, quam complexionem dicunt, si qua vnquam excellens in aliquo mortalium fuit, in primo certe atque secundo Adamo fuit, quoniam vterque immediatum habuit fabricatorem Deum, cuius omnia perfecta sunt opera: & qui, si quo alio in opere, hic certe omnia in numero, pondere, & mensura disposuit: cuius rei validum testimonium inuiolata vtriusque sanitas esse potest. Denique ne id quidem dubitandum est, quin organa externis internisque sensibus necessaria, perfectissimè digesta essent, vt quæ diutissimè vitæ functionibus, rectè constanterque obeundis, seruire oportebat.

Statura.

Complexio.

Sanitas & membrorum cõpositio.

Quæ tamen omnia necesse erat tandem aliquando marcescere, & ad interitum vergere, vt exigit elementorum inter se pugnantium compages; nisi Deus hominem singulari munere immortalitatis, quæ maxime esu pomi vitalis arboris constabat, ab interitu vindicasset; vt propterea istiusmodi immortalitas non esset impotentia moriendi, qualis est in anima rationali, in Angelis, & maxime in ipso Deo, sed potentia non moriendi, qualis modo in hominibus nulla reperitur: vt docet Augustinus ᶜ. Verum quoniam aliunde etiam morbi & interitus in hominem irruunt, quomodo funestæ causæ ab innocentiæ statu excluderentur consule Peterium ᵈ nos hunc locum breui illo Augustini elogio concludimus. *Mortalis erat conditione corporis animalis, immortalis autem* multiplici *beneficio conditoris.*

XXXVII. Immortalitas.

c lib. 6. de Genes. ad lit. c. 25.
d l. 6. c. 25

Quod ad dominium in animantia, non prius quidem verbo datum est homini, quam producta esset Eua, vt ex ipsis Dei verbis appareat, quæ simul ad vtrumque coniugem diriguntur. Hoc ipso tamen datum est homini, quod ad imaginem conditus est omnium Domini & conditoris, vt supra dicebamus ᵉ. In signum autem tam destinati, quàm naturaliter debiti Adamo dominij, animantia ad ipsum, Eua nondum creata, Dominus adduxit, vt illis quasi seruis nomina imponeret, vt copiosè disputat Chrysost. ᶠ. Post Euam autem conditam, Deus vtrumque in huius dominij quasi possessionem misit. Id etiam legitimus ordo, quem Deus in rebus creatis constituerat, exigebat, vt creata omnia legitimo sibi ordine subiecta essent, imperfectiora perfectioribus, inferiora superioribus, humana diuinis; & essent sibi mutuò alia aliorum fines. Terra enim ad germinandum herbam exerit vires suas, herbæ vsui sunt animantibus brutis, eisque quodammodo seruiunt; bruta hominibus, homines Deo. Adde quod dominium sine ratione & prudentia, quibus bruta carent exerceri non potest;

XXXVIII. Dominij in animalia.

e n. 23.

f Hom. 14. in Gen.

Ideóque iure ipso naturæ mulier, quæ minus prudentiâ valet, quam vir, audiuit [g], *sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.*

g Gen. 3. 16.

XXXIX. Quæ tributum homini pendunt.

Quin & illud quod aliqui olim ingratè insulseque iactabant, quasi idoneam in diuinam munificentiam querelam, quod hominem sine armis, sine vestibus, cæterisque rebus necessarijs produxisset, non tam aut illius parcitatem, aut huius inopiam prodit, quam eiusdem imperium atque dominium; in cuius, vt principis sui, vsum ac seruitutem, omnes animantes tributum perpetuo penderent. Præterquam quo mens & manus, quibus donatus est homo, instar sunt aliorum omnium, vt eleganter differit Gregorius Nyssenus [h]. Neque si homo Dominus est mundi huius aspectabilis, ideò nulla re indigere debet, imò multis omninò, ad tantum imperium administrandum. Dei vnius summi omnium principis prærogatiua est, vt bonorum nostrorum nonegeat, & è contrario eo indigeant vniuersa.

h *l. de opif. hominis. cap 7. & segg.*

Psa. 15. 2.

XL. Quæ cõciliarent obsequiũ animantium.

Ad hoc porro obsequium conciliandum duo maximè valebant in statu innocentiæ; alterum erat singularis hominis solertia, atque industria in brutis edomandis: quod pendebat ex accurata cognitione naturarum, proprietatum, & propensionum huiusmodi animalium, quibus vtens homo facile illa mitigasset, & in propriam redegisset seruitutem, vt de ijs vsurpari posset, quod Sapiens de Dauide dixit [k], *cum leonibus lusit quasi cum agnis, & in vrsis similiter fecit, quasi in agnis ouium.* Alterum fuit eximia & singularis Dei circa hominem innocentem cura, quam per Angelos suos exercebat, qua fiebat vt animalia non solum homini non nocerent, sed illi etiam facile subjicerent sese. Cuius rei argumentum est illa omnium animantium ad Adamum deductio; & rursum illa, quæ, imminente diluuio, ad Noëmum virum iustum facta est. Quibus adde illam quam vocant æstimatiuam brutorum, apprehendentem hominis potestatem in particularibus rebus. Dominium autem hominis in homines fuisset, non quod seruituti, sed quod subiectioni oppositum est, vt eleganter docuit S. Thomas [l]: illa enim pœna peccati est, hæc necessaria est gubernationis bono.

k *Eccl. 47. 3.*

1.

2.

3.

Dominiũ in homines quale.

l *1. p. q. 96. a. 4.*

XLI. Iustitia originis totũ hominem componebat.

Supereſt de quinque dotibus iustitia originis, quam ad totum hominem pertinere diximus, & facile intelligitur ex ijs, quæ præclarè differit Bellarminus [m]. Hominem scilicet naturaliter anima & corpore constare, quorum illa, vtpote spiritus, spiritalia naturaliter appetit, & cum Angelis cognationem habet. Corpus autem, quod illi est commune cum brutis, in sensibilia sibi cognata propendet. Ex quibus diuersis propensionibus, nascitur in vno eodemque homine pugna non leuis, & ex ea grauis ad bene agendum difficultas, dum vna propensio alteram impedit. Huic morbo ex conditione materiæ orto, vt diuina prouidentia mederetur, dedit homini donum insigne iustitiæ originis, qua veluti aureo quodam fræno, pars inferior superiori, superior Deo facile subiecta contineretur. Sic autem eo dono caro spiritui subiecta fuit, vt non posset ipso inuito moueri, neque ei rebellis fieri, nisi ipse fieret rebellis Deo: in potestate tamen spiritus, propter arbitrij libertatem, fuit rebellem fieri Deo, vel permanere obsequentem.

m *l. de grat. primi hom. cap. 5.*

XLII. Non fuit vnicus habitus.

Fuit autem hæc iustitia non vnus aliquis habitus, quo totus homo rectus ac perfectus euaderet, sed multorum habituum complexio, quibus omnes hominis vires, & facultates perficiebantur, & reddebantur idoneæ ad perfectè & expeditè exercendas actiones omnes naturæ suæ congruentes. Non poterat quippe vnus & idem habitus tam diuersas inter se corporis & animi facultates regere, aut in subiectis tam differentibus residere. Et sane multiplicia naturæ vulnera, quibus per peccatum afflictus est homo, id non obscure indicant; quæ Theologi cum Diuo Thoma [a] quatuor agnoscunt, vnum in intellectu obscuratio, alterum in voluntate depranata, tertium in concupiscibili exardescente, quartum in irascibili languente; quæ sunt ignorantia, malitia, concupiscentia, & infirmitas: quibus iustitia originis per varios habitus medebatur: quorum complexio recte dicta est iustitia originis, iustitia quidem, quia erat perfectio totius hominis, omniumque facultatum eius, tam inter se, quam in ordine ad suos cuiusque actus, ratione cuius dicitur Deus fecisse hominem rectum. Dicitur originis, quod eam ab origine suo homo habuerit, & deinceps habituri essent omnes homines per originalem generationem, non quidem potestate seminis, aut vllius causæ naturalis, sed proximè à Deo sicut ipsam animam rationalem.

a *1. p. q. 85. a. 3.* Ostenditur ex naturæ vulneribus.

XLIII. Homini excellentia ex loci præsentia.

Alia quædam exterior homini excellentia conueniebat, ex loco, cuius fiebat incola præstantia & dignitate. Illico enim in Paradisum, triduo ante præparatum, inductus. Extra illum enim formatum esse constat, cum Moses aperte dicat hominem à Deo sublatum, & positum in paradiso voluptatis. *Extra paradisum quidem*, inquit Chrysostomus [b], *formauit illum, sed mox introduxit, vt reipsa sensu beneficiorum frueretur, sciretque quantum illi honor esset concessus.* Vox introducendi παραγαγών, innuit speciem visibilem deducentis, de qua paulò ante dicebamus [c]. De terra porro vnde translatus est Adam, cum tacuerit Moses, constare non potest; præsertim cum nondum diuisæ ac denominatę essent regiones. Plerique agrum Damascenum, Iudæi terram suam ambitiose suggerunt, neutrum satis probabiliter propter distantiam; statim enim cum nouo miraculo in hortum, per multa terrarũ spatia transferendus erat. Cur autem eò translatus? Nimirum vt illic habitaret, & vt operaretur, & custodiret illum. Noluit otio Adamum torpescere, aut prosperitate insolescere, vt ait Chrysost. [d] sed rationem habere cum terra, & agricolarum innoxias degustare voluptates, laboriosa operatione secluſa. Voluit quoque hortum sibi custodire, ne ipsum peccando amitteret, vt eleganter tradit August. [e] qui addit etiam à bestijs fuisse custodiendum, ne rebus eius nocerent.

b *hom. 13*

c *num. 28. 29.* Vnde translatus fuerit Adam.

d *hom. 14 in Gen.*

e *l. 8. de Gen. ad lit. c. 9 & 10.*

XLIV. Deliberatio de condenda muliere.

Dum autem Adamus in horto solitarius inambulat, & delicias sibi à Domino Deo præparatas studiosè contemplatur, intuitus eum Dominus dixit apud se [f]. *Non est bonum esse hominem solum*: ab eo enim solo genus humanum propagari non poterat. Itaque de socia illi

f *c. 2. 18.*

danda

danda quasi deliberans, vt productionem quoque fœminæ honoraret. *Faciamus ei*, inquit, *adiutorium simile sibi.* Id adiutorium ad solam liberorum procreationem refert Augustinus [g]; referunt quoque Ambrosius & Rupertus. Negat porrò idem Augustinus esse vllum aliud negotium, in quo non melius per virum, quam per mulierem prouideri possit. Audi & Hieronymum [h]; *Quod si propter dispensationem domus, & languoris solatia, & fugam solitudinis ducuntur vxores, multo melius seruum fidelis dispensat, obediens auctoritati domini, & dispensationi eius obtemperans, quam vxor quæ in eo se existimat dominam, si aduersum viri faciat voluntatem.* Sic ipse. Intelligi tamen possunt alia bona adiutorij nomine comprehensa, quæ Scriptura [i] de bona muliere celebrat, quæ eam vocat viri bonum, auxilium, gaudium, donum, benedictionem, coronam, vt notauit quoque hoc loco Lipomanus.

Hanc condendæ mulieris deliberationem, excepit deductio Animalium ad Adamum, iuxta ordinem Mosaïcæ narrationis, siue quia, vt placet D. Chrysostomo [k], voluit Dominus ostendere, ipsum quidem in animantibus multos inuenturum adiutores, adiutorium autem simile sibi nullum, propterea que tale aliquod esse producendum. Ideoque rectè subditur, *Ada verò non inueniebatur adiutor similis eius.* Euâ autem productâ videtur dicere se tale adiutorium reperisse, cum ait, *Hoc nunc os de ossibus meis*, id est, mihi simillimum adiutorium, antea quæsitum nec inuentum. Siue quia volebat intelligi ab Adamo, in humana specie sicut in cæteris, vtrumque sexum debere inueniri, vt notauit Ambrosius [l]. Sed quomodo adducta sunt hæc animantia ad Adamum? Respondet Augustinus [m], visis quibusdam, quæ ministerio Angelorum ipsis obiecta sunt, suauiter mota ad Adamum se contulisse. Et quidem de singulis speciebus bina duntaxat, masculum scilicet & fœminam, quia id sufficiebat; vt notauit Ambrosius [n]. An autem pisces quoque ad Adamum per illa quatuor paradisi flumina adducti fuerint, res dubia est. Certè ad prædictum illum finem adduci non oportuit, cum sexus ægrè distinguatur in piscibus; & ad probationem dominij satisfuit præcipuis animantibus, tanquam sibi subditis, dari nomina; inde enim dominium in minora & imperfectiora facile intelligebatur.

Iam verò quod ad nominum impositionem attinet, quam ab Adamo factam Scriptura dubitare non sinit; dici potest Deum illustrasse Adami intellectum, non quidem ingerendo menti eius hæc nomina, sic enim non Adam, sed Deus ipse nomina imponeret, sed tribuendo vim eius intellectui, ad excogitanda diuersa nomina conuenienter naturis animalium. Sic longè post impleuit Dominus sapientia Beseleelem & socium eius, non solum ad egregie fabricanda opera sanctuarij, sed etiam ad excogitandum ingeniosè, quæ ad illius operis perfectionem faciebant. Idioma porrò, ad quod hæc vocabula pertinebant, à Deo inuentum fuisse, eoque vsum esse antequam formaret Adamum, eiusque cognitionem tam Adamo, quam Euæ cum reliqua scientia indidisse, autor est Tostatus [a], idque per firmam & habitualem cognitionem vocum, cum qua potuerunt tam explicitè loqui, quam post annos plurimos. Id autem idioma fuisse Hebræum docent vocabula propria, quæ primis illis temporibus vsurpata, tempore Mosis perseuerabant. Sed hæc pluribus in Annalibus [b], & apud Abulensem explicata reperies.

Sed longiori-ne tempore, an breui admodum facta est ista denominatio? Certum quidem est hoc sexto die fuisse inchoatam, ante ortum Euæ, an autem perfecta fuerit dubitari potest. Et videtur sane vero similius plus temporis huic negotio datum esse; quoniam ea nomina numero plurima, non fuerunt dictata quasi ex memoria factæ diuinitus reuelationis, sed excogitata; studiosè scilicet considerata natura, figura, proprietatibus, motu, alijsque effectis, vel adiunctis singulorum. Quæ est sententia Hugonis à Sancto Victore [c], imò & Sancti Augustini [d], & Ruperti [e]. Id ergo non fuit vnius horæ negotium, necerat quod cogeret hanc accelerari nomenclaturam. Nam quod aliqui eam perfectam putant ante formatam mulierem; sufficit ad textus veritatem rem tum fuisse inchoatam, & omnibus obiter perlustratis, Adamum non inuenisse in illis adiutorium simile sibi. Sequitur ergo iam Adami somnus, & Euæ formatio.

Immisit Dominus, ait Moses [f], *soporem in Adam.* Videndum est quis fuerit hic sopor, & qua de causa inductus. Et primum habuisse aliquid hunc somnum præter naturalem consuetudinem, ex eo indicatur quod dicitur immissus à Deo, cum alioqui sensim sine sensu obrepere soleat; & ex eo vel maxime quod plerique omnes antiqui Patres, qui hunc locum attigerunt, hunc somnum extasim vocant, præsertim Græci, secuti Septuaginta Interpretes, qui diserte hunc somnum extasim vocant, Aquila, Hieronymo teste κατανυξιν, Symmachus κηρον, sicut & Chrysostomus: quibus & Latini consenserunt, Augustinus, Tertullianus, Hieronymus, Bernardus, & alij. Raptum etiam vocat Abulensis: Oleaster spasmum, & syncopem vocari posse putat, vt scilicet quam maximè auocatis sensibus, nullus esset sensus vel dolor ereptæ costæ. Quam causam immissi soporis tradunt Sancti Bernardus [g], Epiphanius [h] atque Chrysostomus [i]. Nullum autem fuisse dolorem ex eo patet, quod ne euigilauerit quidem. In quo mirabilis Dei potentia agnoscitur, vt notauit Magister. Quanquam potuit etiam vigilanti eripere, sine dolore, & maioris potentiæ miraculo vt disputat Tostatus [k]. Dormienti autem abstulit, siue quia sic res credibilior futura erat. Vulgus enim id facilius credet dormienti factum, quam vigilanti: siue quia noluit Deus Adamum esse spectatorem operis huius, & fabricæ vxoris suæ: siue quia sic commendabatur notitia, quam diuinitus accepit de vxore sua,

[g] *Aug. l. 9. c. 1. de Gen. ad lit.*

[h] *l. 1. cont. Iouin. circa fin.*

[i] *Prou. 18. 22. & alibi passim.*

XLV. Deductio animalium ad Adamum.

[k] *hom. 15.*

[l] *l. de Parad. c. 11.*

Quomodo facta.

[m] *l. 2. de Gen. c. 14.*

[n] *l. de Parad. c. 11.*

An & pisces adducti.

XLVI. Nominū impositio.

Quomodo facta videatur.

Quo idiomate Deus, & primi homines vsi.

[a] *in c. 13. Gen. q. 341 & 342.*

[b] *n. 100. & seqq.*

XLVII. Denominatio an breui facta.

[c] *Annot. in Gen. c. 2.*

[d] *l. 9. de Gen. ad lit. c. 2. & 3.*

[e] *l. 2. c. 33.*

[f] *c. 2. 21.*

XLVIII. Adami somnus qualis.

[g] *Serm. 2. de Septuag.*

[h] *Hæres. 48.*

[i] *Hom.*

[k] *in c. 13. Gen. q. 352.*

facta ex ossibus, & carne sua.

XLIX. Formatio Euæ historica.

Quod ad hanc porro formationem pertinet, duas ea de re opiniones reperio, excogitatas, vel adamatas ab hominibus eruditis, Eugubinum dico & Caietanum, quas accuratè in Annalibus nostris [l] examinatas, hoc loco, brevitatis causa, præterire cogimur. Illis ergo relictis, reiectisque opinionibus, veram & historicam, esse Mosis de productione mulieris narrationem profitemur; negamusque eam aliter, quam ipsa Scripturæ verba pronunciant, & Patres perpetuo interpretati sunt contigisse. Deum scilicet Adamo consopito costam vnam eripuisse, & quidem non siccam & nudam, sed cum adhærente carne, qualis in homine viuente reperitur; quod illa Adami verba perspicuè docent, [m] *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.* Et quidem siue ipsum per se se Deum eripuisse, siue Angelico vtentem ministerio, sine vllo vel dolore, vel deformitate.

l *num.* 107 *& seqq.*

m *c.* 2. 23.

L. An ex nuda costa.

Eam costam Dominus ita amplificauit nouæ adiectione materiæ elementaris, vt ad formandum totum Euæ corpus, in mole & quantitate perfectæ ætatis ipsius sufficeret: sicut tanto post Christus Dominus [n], ex quinque panibus hordaceis, tantam vim panum produxit, quanta necessaria erat ad victum multorum millium. Neque propterea dici debet Eua illa materia potius, quæ maior erat, quam ex costa producta: quoniam hæc costa primo & per se electa erat ad productionem mulieris, cætera adiectitia erant [o]. Sicut illa quinque millia virorum refecta dicuntur ex quinque panibus, non ex aduentitia materia in panes conuersa.

n *Ioan.* 6. 9 *& Matth.* 16. 9.

o D *Tho.* p. 92 9 *a.* 3.

LI. Cur ex viro producta mulier.

Quemadmodum autem ex viro producta est mulier, ad pacis inter homines, & vnitatis incitamentum, vt eleganter disputant Ambrosius [p], & Augustinus [q], eò quod vna sit omnium origo, vnum atque idem caput; ita ex viri latere educta est, ad sociales vitæ argumentum, ne si educta esset ex capite dominari viro cuperet: sic ex pedibus, eam vir seruilem tractaret in modum, vt obseruauit Sanctus Thomas [r]. Addo ex Aristotele [s] ad hanc communionem firmandam prouisum esse diuinitus, vt sexus fortior infirmiori iungeretur, vt infirmior ad res custodiendas propter timorem esse aptior, robustior autem ad propugnandum propter fortitudinem vtilior: & vir parta foris afferret, quæ mulier conseruaret domi. Vir quietis impatiens domi, validus esset foris ad exercitationes & motus; mulier, quæ foris excubare non potest, operi domestico, liberisque educandis assiduitatem præberet. Vnam denique non plures Deus ex viro mulieres formauit, ad vxorum commendandam vnitatem, vt obseruauit Innocentius [t] III.

p *l. de Parad. c.* 10. q *l.* 12. *de Civ. c.* 26.

r 1 *p. q.* 92. *a.* 3. s *lib.* 1. *Oecon. c.* 3.

t *Innoc.* 3. *ca gaudemus, de diuort.*

LII. Ad Adamum deducitur.

Euam longiusculè ab Adamo dormiente fabricatam, & spiraculo vitæ imbutam, animo scilicet rationali præditam, proindéque Dei imagine & similitudine ornatam, adduxit ad Adamum, idem ille, qui paulò ante animalia adduxerat, futuri coniugij paranymphus. Hinc statim Adam [u]. *Hoc nunc os ex ossibus meis*, &c. Quibus ex verbis infert homilia 15. Chrysostomus, Adamum, præter cæteram sapientiam, etiam prophetica gratia in exstasi diuinitus fuisse donatum, quigestorum inscius, proclamarit eam mulierem ex ossibus, carnibusque suis sumptam esse. Simul etiam intelligendum est, eum qui sciret dictum à Deo non esse bonum hominem esse solum; in exstasi quippe didicerat vnde, quomodo, & quam ob causam formata esset Eua, in coniugium cum illa consensisse: & Euam vice versa pari consensu Adamum in virum acceptasse. Sed & diuinitus inspiratam legem de legitimo matrimonio condidisse [b], vt ex Euangelio constat.

u *c.* 2. 23.

In matrimonium contentiunt.

b *Mat.* 19. 6 *& Mar.* 10. 9.

Ordo porro naturalis huius narrationis exigit, vt virum & mulierem in coniugium consentientes, Deus, qui eos coniungebat, etiam benediceret, non tam bene precando vt solemus nos, quam benefaciendo, eis scilicet fœcunditatem largiendo, vt fecerat iam terræ & aquis, & omnibus animantibus. Hanc benedictionem expressit Moses, cum primo capite [c], breuiter humani generis productionem perstrinxit. *Benedixit*, inquit, *illis Deus, & ait, Crescite, & multiplicamini, & replete terram.* Non prius datam benedictionem, quam vterque productus esset, & verba, quæ ad vtrumque referuntur, & res ipsa docet; quia vtrique necessaria erat benedictio. Constat enim altero coniugum sterili, nullam esse ex coniugio propagationem. Nec priuanda fuit Eua consolatione diuinæ benedictionis: quæ mox præcepti & comminationis particeps facta est.

LIII. A Deo benedicuntur.

c v. 28.

Sed conueniebat Deum Opt. Max. qui has conciliabat nuptias, & vtriusque parens erat, vtrique etiam amplum patrimonium, dotem dare, quoniam diuitem se negare non poterat, & eum liberalem totius mundi productio gratuitò facta prædicabat. Ergo præter ingentes omnino corporis animique dotes, quibus eos statim ab ortu suo cumulatè locupletauit, quas capitibus aliquot comprehensas supra perstrinximus [d], insuper illis quasi patrimonium dat vniuersam terram. [e] *Replete*, inquit, *terram, & subjicite eam.* Non vult eos subijcere sibi terram edomitis hostibus, qui nulli adhuc erant, sed ostendere illam sibi quasi dominis esse subiectam; vt vbique possent quasi in solo & fundo suo habitare, plantare, ædificare, &c. quæ licent singulorum locorum dominis; denique illud de se verissimè vsurpare [f], *Omnis locus quem calcauerit pes noster, noster erit.* Addit autem famulos, seruitiumque copiosum. [g] *Et dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli, & vniuersis animalibus, quæ mouentur super terram.* Neque obliuiscitur redituum annuorum, quibus dominorum vita, famulorumque sustentetur. [h] *Ecce dedi vobis omnem herbam, & vniuersa ligna, vt sint vobis in escam, & cunctis animantibus terræ*, &c.

d n. 30. *& seqq.*

e v. 28.

LIV. Et amplo patrimonio locupletantur.

f *Deut.* 11. 24

g *Gen.* 1. 28. 29.

h *Ibid.*

Verum hæc ipsa paucis decursa, & quasi deuorata, iterum degustemus. Crescere iussit & multiplicari, & replere terram, non certi cuiuspiam impositione præcepti, idem quippe dictum fuerat piscibus auibusque, vt notauit Chrysost. [i] quas, vt rationis expertes, constat præceptis informari non posse, sed largitione

LV. Benedictio coniugum non habet præceptum.

i *hom.* 10. *in Gen.*

eximiæ fœcunditatis, qua à duobus hominibus, non vicus aliquis, aut pagus, aut oppidum, sed totus terrarum orbis habitatoribus repleri posset. Ita profecto sensit S. Augustᵘˢ. [k] qui hic non præceptum vllum, sed donum nuptiarum agnoscit, simulque mulieriosos illos perstringit hæreticos, qui insana libidine prurientes, indicto continentiæ, quamuis Deo promissæ, bello, eam hoc loco, si superis placet, Domini ore damnatam mentiuntur. Nec minus eorum causam iugulat Moses qui Deum ipsum paranymphum nuptiarum facit, cum illi nuptias diaboli opus esse iactarent. In vtrosque passim antiquissimi Patres fortia tela vibrarunt, quos hic percensere contracti operis ratio non patitur.

[k] l. 14. de Ciu. c. 21. Neque reprehensionem cõtinentiæ.

LVI. Géminus hominis cibus. Ie. 2. 25.

De victu autem & vestitu quid dicemus? nihil sane nos vestitus remorabitur[l]; *Erant enim ambo nudi*: sed luce innocentiæ, & candida simplicitate recti, vestibus non indigebant. Victus amplius retinebit, præsertim cum eo homini assignando, prohibitionem inseruerit, vt intelligeret, qui omnium Dominus factus fuerat, vnum se haberet Dominum factorem & conditorem suum. Geminus datur homini cibus, herbæ terræ, siue olera, & arborum fructus, sed datur homini brutisque communis, vt terrarum hic atque animantium Dominus intelligat, se in cibi necessitate brutis animantibus aggregatum, ad elationem animi quotidie comprimendam: simul agnoscat, quî magnus pater-familias prouidentia sua ita filios amplectatur, vt ab ea ne seruitia quidem excludat. *Aperis*, quippe, *manum tuam, & implet omne animal benedictione*, domesticum & ferum, abiectum & nobile, validum & infirmum, terrenum & volucre, nec est quod negligatur à bonitate eius. Quid ergo piscium nulla est hîc mentio? An quia Dominus meminisse voluit animalium, quæ cibum habent cum homine communem? Alioqui eorum æquè meminisset in assignando cibo, atqui in tradendo super eos dominio.

Communis cum brutis.

Pſal. 144. 16. & 103 28.

LVII. Quibus alijs cibis vsus videatur.

Facile porro est intelligere hominem solis herbis frugibusque terræ, & fructibus arborum ante diluuium esse nutritum, propter eximiam eorum vim & bonitatem; quæ non solum necessitati faceret satis, sed appetitum etiam ita expleret, vt nihil præterea desideraretur: quanquam nihil dubito eos & lacte de pecoribus, & melle de apibus esse vsos: forte etiam non defuit natiuum saccatum, & manna, & id genus sponte ortæ deliciæ. Nec credibile est in tanta frugum copia, patres illos porcis suas inuidisse glandes; etsi id plerique antiqui, recentioresque, in aureo seculo solenne fuisse prædicarunt.

LVIII. Agriculturæ editi. Ie. 2. 15. & 3. 17. b Eccli. 29. 28. & 39. v. 35.

Nonnulli etiam vsum agriculturæ, illi ætati aureæ non rectè negarunt. Nam si Adamus terram, Scriptura teste, operabatur, nonne & terram sementi præparabat, & seminabat, & colligebat fruges, & ex tritico panes conficiebat? Nam *initium vitæ hominis*, ait Sapiens[b], *aqua & panis*, & post innocentiam perditam *vestimentum, & domus protegens turpitudinem*. Addit alio loco, sal, lac, panem similagineum, mel & oleum & vuæ botros: quæ si quis Adamo & primis illis hominibus valde conuenire dixerit nihil absurdi opinor dixerit. *Nam qua tanta est in hominibus peruersitas*, ait Romanus orator[c] *vt inuenta frugibus glande vescantur?* Nunc putamus Adamum aut Euam ignaros artificij molendi, pinsendi, aut omnino conficiendi panis; qui delicatas omnes artes nouerant, nunc necessarias ignorabant? quidni & in vsum vocarent? Esum carnium, & vini potum non sane ignorabant, sed ab inconcessis, suo mox edocti malo, temperabant: vnde nec vini, ne carnis vlla mentio in citatis Syracidæ locis.

c In Oratore. Vsi sunt sane.

At difficilius est intelligere quî satis tum fuerit à Deo prouisum de cibo animalibus carnuoris, quorum natura mutata non est, per hominis peccatum. Existimo probandam hoc loco Caietani sententiam, Mosem herbarum duntaxat & fructuum arborum in victum hominum & animantium meminisse, quod hic sit communis animantium cibus, nec vllum sit animal, quod in fame his viuere non possit, vt tempore diluuij in arca probatum est. Tacuisse autem peculiarem cibum, de quo à Deo huiusmodi animalibus prouisum est, quod hic appetitus sit eis proprius non communis, quem describebat. Sicut autem non omnes hominis cibos tum concessos expressit, vt diximus[d], sic nec absurdum est quosdam quorundam animalium cibos fuisse præteritos.

LIX. Quis cibus carnuoris datus.

d n. 57.

In illo porro humano cibo visum est diuinæ sapientiæ, hominem quem aspectabilis huius mundi dominum constituebat, sibi præcepto imposito declarare subiectum. De quo postremo sexti huius diei opere quatuor illa nobis breuiter inquirenda sunt, quando, & quam ob causam datum fuerit homini hoc præceptum, quale id fuerit, & qua pœna sancitum. Et tempus quidem dubium facit series Mosaicæ narrationis: in qua præceptum hoc statim introductioni Adam in hortum subjicitur: & phrasis ipsa singulari elata numero, videtur exigere vt dicamus datum Adæ, antequam Eua produceretur, quæ fuit S. Ambrosij[e], & Chrysostomi[f] sententia. At S. August. anceps fuit, anceps quoque Pererius & Abulensis; probabilius tamen vterque putat Euam nondum fuisse productam, propter narrandi ordinem in textu seruatum, & ne tardante Domino dare præceptum, forte Adam de fructu prohibendo comederet; sicque sublata fuisset occasio Tentatori.

LX. Præceptum Adamo & Euæ datum.

Quo tẽpore.

e l. de Parad. c. 12. & lib. de Instit. Virg. c. 4.

f Hom. 34. in Gen.

Ex aduerso pugnant tum versio Septuaginta interpretum, quæ fere plurali numero concepta est: tum verba Euæ, *Præcepit nobis Deus ne comederemus*, tum serpentis. *Cur præcepit vobis Deus ne commederetis* &c. Num obliuius esset verspellis, si Adamo soli locutus fuisset Deus dicere, cur præcepit Deus viro tuo, &c. vt significaret illam præcepto minime obligatam. Iosephus secutus Septuaginta idem affirmat, sicut & Gregorius Magnus[h], Rupertus[i], Caiet. Fonseca, Lipomanus, Eugubinus, Del Rio, Cornelius à lapide, & alij. Mihi certe probabilius videtur iam fuisse productam Euam, cum hoc præceptum datum est. Nam & fieri potuisse clarum est, iuxta ordinem rerum hoc die sexto gestarum, quem supra digessimus[k] & factum esse Septuaginta sua versione ducuere, & fieri decuisse apparet, vt tanto diligentius obseruaretur, quanto certior vterque esset de prohibitione diuina, quam ex eius

LXI. Post Euã cõditam. g c. 3. 3.

h lib. 35. Mor. c. 10. i l. 2. c. 32.

k n. 7. 8. &c. Et quamobrem.

ore ambo suis ipsi auribus accepissent. Nec series Mosaicæ narrationis hanc euertit sententiam, cum constet illum non semper rationem temporis habuisse, alioqui paradisi productionem die tertio, non autem post septimum enarrasset. Locutus autem est in singulari, quia nondum exposuerat formationem mulieris, nec decebat eam alloqui, quæ nondum erat. At Septuaginta vt innuerent non seruatum à Mose ordinem temporis, & singulari & plurali numero in eodem præcepto vsi sunt, sicut & Apostolus [l]. Nec necesse fuit statim inducto in paradisum Adamo dari legem, quia satis erat dari vtique, vt diximus, & tempus perbreue interiectum fuit.

Galat. 6. & 2.

LXII. Causa dati præcepti.

Causam dati præcepti hanc in primis sancti Patres agnoscunt, vt Deus se hominis Dominum ostenderet, quantumcumque is cæteris omnibus rebus imperaret. Ad id autem hoc præceptum valde aptum fuit, quippe quod datum est, non de malo aliquo vitando, vel bono faciendo, quod naturæ lex & recta ratio vitandum, aut faciendum dictaret, sed quod ex sola iubentis voluntate penderet, quod Chrysosto. sic explicat [m]. *Hæc faciebat*, inquit, *Quasi Dominus aliquis liberalis, qui præclaras ædes alicui concedit, pactà quapiam in singulos annos pecuniolà, qua illi moneantur habere se Dominum, ad quem directè ædes illæ pertineant.* Voluit ergo Dominus hominem obedientiam exercere, & obediendo promereri fœlicitatem, quam ipsi quoque proponebat vt coronam iustitiæ; quæ mens est sanctorum Patrum; in primisque Augustini [n], atque magni Gregorij [o]. Ea porro inobedientia hoc maior agnoscitur; quo præceptum ipsum Domini iustius erat, & facilius. Quid enim iustius quam vna in re gratificari hominem Deo, à quo cuncta gratis acceperat? Quid facilius quam vnius duntaxat arboris fructu abstinere, cæteris omnibus, quæ infinitæ erant, eius arbitrio, potestatique permissis, vt ijs quando quoque modo placeret, vteretur?

l. hom. 4.

obedientiæ auctas. l. 8. de gen. ad l. c. 11. & l. 13. de Trin. c. 20. lib. 15. tor. c. 10. 153.

Quin & ipsa pœna capitalis, quæ huic præcepto erat imposita, appetitum ipsum frangere debebat, & intellectum docere, rem hic agi maximè seriam, cum eam ab optimo & sapientissimo parente profectam constaret, & in ea innumerabilium hominum salus, vel æterna damnatio verteretur. Itaque hæc pœnæ magnitudo valde auxit inobedientiam, & in re natura sua leuicula, mortiferum scelus inuexit. *Vbi enim*, ait August. [a] *magna est inobedientia, pœna proposita, & res à Creatore facilis imperata quinam satis explicet, quantum malum sit non obedire, in re facili, & tanta potestatis imperio, & tanto terrent supplicio?* Ostendit enim huiusmodi pœna quantum res cordi sit Legislatori, in cuius voluntate sua est vis ac vigor legis, Dei præsertim, cuius vnius voluntas regula est iustitiæ & æquitatis. Mortem autem corporis intelligi constat, ex interpretatione Apostoli Pauli [b].

LXIII. Illi æna im posita.

14. de n. c. 15.

Tanta porro fuit diuina bonitas & clementia in huius vel interminatione, vel inflictione, supplicij, vt Deus reipsa minaretur duntaxat hominem peccati reum pristinæ suæ miseriæ & mortalitati restituere: ei scilicet, quæ ipsi, ex naturæ suæ principijs debebatur, & à qua iustitia ligni, & lignum vitæ reddebat immunem. Sic ergo intelligendum est illud, *morte morieris*, id est ad naturalem moriendi necessitatem redibis, non autem quod statim moriturus erat, vt nongentorum & triginta annorum vita comprobatum est. Quod ad animam vero, cuius vita est gratia, mors peccatum, statim mortui sunt. Hoc porro præcepto primis parentibus impositio, finem accepit Dies mundi sextus; cum illi in magna vitæ puritate atque innocentia viuere cœperunt, magna consolatione & lætitia. Quo diei fine [c] *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*; quia præter singulorum bonitatem, accedebat illa bonitas ordinis & proportionis omnium membrorum istius magni corporis, quæ singulis affert aliquod extrinsecum bonitatis incrementum; ipsum autem totum ita perficit, nihil vt redundet, aut desit.

Rom. 5.

XIV. iamq; is ea rit.

Quomodo mortui dicãtur.

c c. 1. 31.

DIES MVNDI SEPTIMVS.

I. Quies Dei septimi. d c. 2. 1. 2. & c.

Eiusque commẽdatio.

Igitur [d] *perfecti sunt cœli & terra*, ait Moses, *& omnis ornatus eorum, compleuitque Deus die septimo opus suum quod fecerat*, non dicit quod faciebat; neque enim protraxit aliquod prædictorum operum ad diem vsque septimum, sed omnia perfecit die sexto extremo; septimus autem est terminus extrinsecus totius creationis: propterea que explicandi causa Septuag. *Et perfecit Deus*, aiunt, *in die sexta opera sua quæ fecit.* Itaque requieuit die septimo ab vniuerso opere quod patrarat, non quasi ex labore fatigatus, sed vt desinens noui aliquid producere, non cessans tamen omnia conseruare, atque gubernare vsque in præsentem diẽ. *Benedixit q; diei septimo, & sanctificauit illum, quia in ipso cessauerat ab omni opere suo.* Adest igitur dies quietis & cessationis Dei, ab omni opere quod fecerat, non quod facere potuerat, si libuisset: dies benedictionis, id est, approbationis & laudis piorum operum, quæ huic diei destinata erant. Dies enim magnus & benedictus dicitur, propter opera quæ in ipso fiunt, dies sanctificationis, id est segregationis à profano vsu & dedicationis in cultum & honorem Dei: Dies contemplationis diuinorum operum, & gratiarum actionis: dies denique reparationis virium hominibus & iumentis addictis seruituti hominum. Eorum enim curam gerens clementissimus Dominus, non indignum putauit maiestate sua ita scribere in lege sua [e], *Septimo die cessabis, vt requiescat bos & asinus tuus, & refrigeretur filius ancillæ tuæ, & aduena.*

e Exod. 23. 12.

II. Eius obseruatio mundo coæua. f Tertul. l. contra Iudæos c. 2 Vatabl. hic.

Quamuis autem ex hoc perspicuum sit quam antiqua sit diei septimi sanctitas & obseruatio, non desunt tamen, qui eius obseruationẽ lege Mosis antiquiorem negent [f]. Rectius tamen est asserere iam inde à principio sabbatum fuisse celebratum: idque satis indicatur in ipsa lege, vbi dicitur, *Memento vt diem sabbati sanctifices.* Cur enim renouatur memoria, nisi ad significandum rem, quæ iam in antiquo vsu est, lege noua stabiliri? Neque est cur existimemus Adamum, aliosve Patriarchas non vnum aliquem diuino cultui dedicasse diem, prælucente naturæ lumine, & dictante tempus aliquod Deo colendo assignandum esse. Quis autem credat eos non potius exemplo Domini diem

septimum

septimum, quam aliquem alium elegisse? Res ipsa, quæ in mores priorum abierat, lege Mosaica postea sancita est.

III. De hominis ruina per peccatum.

Et hactenus quidem de productione rerum, ipsiusque hominis actum est, sequitur vt de ipsius ruina cum Scriptura dicamus. Prius tamen inquirendum videtur, quanto tempore in illo felicissimo statu vixerit, quidque interea egerit; ad quem statum illa verba pertinent g, *Erant autem vterque nudus, & non erubescebant.* De tempore tres reperio apud Cæsarium opiniones; vnam quæ diem vnum, nec integrum facit Adamum paradisi colonum: alteram, quæ sex illum diebus illi retinet; tertiam quæ quadraginta, quam & ipse amplectitur, cui etiam quartam addit, quam mauult recipere, quam Moses Bar-cepha declarat fuisse annorum triginta, quot scilicet Christus mortalem hîc vitam Adæ peccatum luendo traduxit. Sed hæc minimè omnium probilis est, reliquarum trium media maximè videtur probanda. Neque enim rerum sexto die gestarum ratio patitur, vt eodem die tentatio contigerit, & omnia quæ illi coniuncta sunt, perfecta fuerint.

g 2. v 25 Quandiu manserit in paradiso.

IV. Non fuisse vnici diei moram.

Producta quippe sunt omnia terræ animantia, tum à Deo tanquam bona approbata. Initum est de homine producendo consilium, formatum de limo terræ corpus hominis, & inspirata anima viuificatũ: deducitur deinde in Paradisum. Rursus deliberat Deus de producenda muliere: animalia in hortum ad Adamum deducuntur, quibus & nomina sapienter excogitata imponit, quod opus non vnius aut alterius horæ quidam censuerunt, sed multorum dierum, aut longioris etiam temporis, vt superius h dicebamus. Deinde obdormiscit Adam, sopito costa eripitur, repletur caro pro ea. Eua ædificatur, Adam euigilat, deducitur ad eum mulier, agnoscitur, denominatur, conciliantur nuptiæ, datur vtrique benedictio, fœcunditas, & dominium in vniuersa animantia eis cunctisque animantibus; assignatur cibus; fructus arboris vnius sub pœna capitis excipitur. Si quid temporis eo die reliquum fuisse dicamus, quomodo id satis fuit Tentatori ad explorandum quomodo illi viuerent in horto, & qua ex parte opportuniores essent ad tentationem? id enim vna atque altera hora fieri vix potuit. At oporteret etiam non parum superesse temporis ad tentationem, cuius summa tantum refertur, & ad culpæ agnitionem, & ad vestes ficulneas, & ad latebras, & ad totum iudicium à Deo cum peccatoribus habitum, & ad eam, quæ mox secuta est, expulsionem. Denique ex ijs, quæ paulò post dicentur, de primorum parentum in horto consuetudine atque vsu, luculentis illa præpropera eorum culpa, & eiectio refelletur.

h num. 47

V. Sed potius octo, & qui ita sentiant.

Existimamus itaque probabilius Adamum & Euam octauo à sua productione die, feria sexta secundæ Mundi hebdomadæ peccasse, & paradiso eiectos fuisse. Ita sentit aut coniicit Pererius a, Del Rio, Torniellus, Lipomanus in catena in Gen. & è Sectarijs Cõdomanus. Eadem fuit sententia multorum, quos refert Cæsarius Adæ gesta memoriæ prodidisse. Cum enim sex dies memorant, primum quo creatus est, & vltimum quo peccauit, quasi inchoatos & imperfectos omiserunt. In eandem sententiã facile adduci potest S. Iren. b, & quidam dixerunt Adamum eadem die qua creatus est peccasse, & ex horto eiectum esse, eadem videlicet specie non numero, eademque ipsa Christum, ad tollendum peccatum Mundi passum esse. Deinde non paucas horas, sed plures dies videtur exigere illa vox Euæ, *De fructu lignorum quæ sunt in paradiso vescimur*, quod significat non solum vesci possumus, sed etiam vesci solemus, vt natauit Perer. *Tale pomum* ait Augustinus c *fuisse credendum est in illa arbore, cuius generis poma in aliis arboribus innoxia fuerant. Mox dum Deus in hortum venisset*, inquit Iosephus d, *Adamus antea cum Deo familiariter colloqui solitus, conscius sibi iniustitiæ, secedebat.* Et iterum. *Deus autem sciscitabatur, quid ita prius delectatus suæ consuetudine, nunc fugitaret*, quæ videtur ille ex suorum Hebræorum sensu, & traditione retulisse.

a l. 2. in Gen. ad 3. v. 8.

b l. 5. c. 23. vnde infra ann. 30. n. 7 Constitutus.

c l. 11. de Gen. ad lit. c. 31.

d l. 1. Ant. c. 2.

Quoniam ergo positum est primos parentes diebus aliquod vitam egisse in horto illo amœnissima, age quam ibi vitam duxerint, siue quod ad corpus attinet, siue quod ad animam, inspiciamus. Primum nullis perturbationibus agitatos fuisse docet S. Augustinus e quod alioqui non beati in illo beatitudinis loco, sed miseri futurus essent, si timore, vel dolore, cæterisque malis vti gerentur. Docet etiam nec cupisse lignum vetitum, nec consequenter timuisse mortem, quia talis cupiditas contra præceptum, fuisset peccatum, quod supponitur nondum impulisse. Tota autem Augustini phrasis, sapit longiorem in paradiso vitæ consuetudinem. Viuebant itaque secundò sine confusione nuditatis, vt scriptura ipsa testatur f: sed eam mox peccatum inuexit, Deo ita disponente, vt ait Moses Barcephas g, vt verecundia instar fræni esset ad inuandam voluntatem, quæ sola hunc affectum domare vix posset.

VI. Quam ibi vitam egerint.

e l. 14. de Ciu. c. 18.

1.

f Gen. 2. fi. g l. de paradiso p. 1. c. 20 post med.

2.

Tertiò viuebant sine vlla necessitate corporis aut molestia, vt fuse & eleganter explicat Augustin. h. l. toto fere l. 14. *de Ciuit. cap.* præsertim 26. Quarto animalium cæterarumque rerum creatarum naturas contemplabantur. De animalibus, quibus Adamus nomina dedit naturis singulorum consentanea id satis constat, cur cæterarum quoque rerum, puta plantarum, metallorum, gemmarum, cœlorum ac syderum, naturas, proprietates admirabiles, naturam denique angelicam & humanam contemplari negligeret, nulla idonea causa fingi potest. Quæ est Lipomani sententia in catena in Gen. in ea verba, *Adduxit ea ad Adam*, vbi ita concludit, *Non ergo in paradiso otiosus fuit, sed pro maxima sapientia illi concreata rerum naturas solerter indagauit, vnde nec tam parua mora credenda est fuisse ei in loco illo.* Sic ipse.

3

VII. Sine vlla molestia.

4. h l. 14. c. 26. Contemplantis rerum naturas.

Quintò viuebant spiritualibus contemplationis ac deuotionis delicijs deliburi, angelorum penè ciues, & domestici Dei. Id sine controuersia contigit in illa prima extasi, cum formata est Eua. Id etiam sæpius hoc medio tempore contigisse, non obscurè significat S. Gregorius i. *Peccãdo*, inquit, *extra semetipsum fusus, iam illa cœlestis patriæ gaudia, quæ prius contemplabãtur, videre non potuit. In paradiso quippe assuenerat homo verbis Dei perfrui, beatorum Angelorũ spiritibus cordis munditia, & celsitudine visionis interesse. Sed postquam huc cecidit, ab illo quo implebatur mentis lumine recessit.* Quæ verba apertè docent Ada-

§. VIII. Spiritualia item ac diuina.

i init. lib. 4. Dialog.

mum non exiguo tempore in statu innocentiæ perduralſe, quis enim de pauculis horis consuetudinem vsurpet? Denique transitum expectabant ex hac vita non expoliandi corpore, sed superuestiendi immortalitate. Interea vero *alebantur aliis cibis quos sumebant, ne animalia corpora molestiæ aliquid esuriendo ac sitiendo sentirent*, sic Augustinus[k] eam quam dixi diuturnitatem confirmans.

k *l. 1. de pec. mer. c. 2. & 3. & lib. 13. de Civ. c. 20.*

DIES MVNDI DECIMVS TERTIVS.

HÆc igitur erat primorum parentum in Paradiso vitæ ratio, istæ occupationes, ista felicitas, in qua ad octauum vsque diem, eundemque sextum secundæ mundi hebdomadæ, perseuerabant, diem ruina Mundi, & eiusdem postea reparatione insignem: in qua callidissimus Satan, quem iamdudum vrebat hominum non solum præsens, sed etiam futura fœlicitas, statuit Adamum, eiusque coniugem & cum ijs totam eorum posteritatem, omnibus bonis euertere, & in sempiternas præcipitare miserias. Sed priusquam sigillatim seriem certaminis huius, & tentationis exponamus, historiæ fundamentum ponendum est, quod nonnulli labefactare conati sunt. Negat enim Caietanus in hac tota pugna, qua parentes nostri prostrati sunt, serpentem vllo modo interuenisse, sed diabolum solum, qui serpentis nomine intelligatur, nec eius sermonem fuisse vocalem, qualis serpenti tribuitur, sed sermonem internæ suggestionis, quo diabolus serpere venenosa cogitatione incœpit, & eodem sermonis genere vniuersum istum dialogum inter serpentem & mulierem intelligendum esse.

I. Res diei huius.

Tentatio diaboli an intellectualis.

Altera opinio huic oppolita Hebræorum & nominatim Iosephi,[l] qui in hac tentatione omnia serpenti, nihil diabolo tribuunt, quòd Scriptura solius serpentis meminerit. Tanta enim fuit istorum cæcitas, quos superuenientis Messiæ fulgor excæcauit, vt putarint serpentem tum locutione, & intelligentia præditum fuisse, quibus instructus familiariter cum primis parentibus versatus sit, & esum vetiti cibi persuaserit. Moxque addit Iosephus, à Deo in eius malitiam irato, serpenti vocem ademptam, venenum linguæ eius inditum, & priuatum pedibus iussum per terram volutari. Et confirmari potest ista opinio; quia si à dæmone, non à serpente erat ista tentatio, nihil intererat assumere stupidum animal, vel astutum. Deus quoque post tentationem non fuisset indignatus in serpentem, sed in dæmonem; & dæmoni pœnas intulisset, non serpenti, qui culpa vocabat, non minus quam si quis obsessus à dæmone, ab eóque factus impotens sui, perpetraret cædem.

II. An vero solius serpentis.

l *Ios. ant. ca. 1.*

Confirmatur.

Dicendum nihilominus cum communi doctorum sententia, dæmonem verum ac solum huius tentationis autorem extitisse, organo veri serpentis vtentem. *Non est permissus diabolus tentare fœminam*, inquit Augustinus[m] *nisi per serpentem, nec virum nisi per fœminam, sed in serpente ipse locutus est, vtens eo velut organo, mouensque eius naturam, eo modo quo modo vere ille mouere, & moueri illa potuit, ad exprimendos verborum sonos, & signa corporalia, per quæ mulier suadentis intelligeret voluntatem.* Vides hic aperte vtramque opinionem prædictam, per singula pene verba reprehensam. Sed addit rursum capite sequenti; *Non itaque serpens verborum sonos intelligebat, qui ex illo fiebant ad mulierem, sicut nec ipsi homines cum dæmon in eis loquitur, ea passione cui exorcista requiritur, sciunt quid loquantur.*

III. An potius diaboli vtentis serpentis organo.

m *l. 11 de Gen. ad lit. c. 27. & 28.*

Quod autem idem Augustinus propterea serpentem dici putat sapientissimum, quia alieno iam spiritu, id est diabolo plenus erat, non persuasit Abulensi[b], qui ait Scripturam loqui de caliditate, quæ serpenti naturalis est, non de ea, quæ illi ex diaboli præsentia contingit. Comparatur enim serpens cum animantibus terræ, tanquam rebus sui generis, & sic comparatur secundum calliditatem, quæ animantibus naturalis est. Nec Scriptura supponit calliditatem à diabolo acceptam, quia nullam de diabolo mentionem facit; nec serpens diabolicæ calliditatis, quæ intellectualis est capax esse potest. De vero nihilominus serpente Scripturam loqui Augustinus vbique docet, cui assentitur Albinus quæstionibus *super Genes.* Chrysostomus *homilia 16. in eundem librum* vbi Iosephum de serpente intelligente aperte refellit, Rupertus[c], Theodoretus, Basilius & Epiphanius *in hæresi Ophitarum.* S. Cyrillus *l. 3. contra Iulianum.* Adde Ioannem Damascenum[d] & Venerabilem Bedam, omnesque scholasticos Theologos cum Magistro[e]. Quorum testimonia in Annalibus[f] magna ex parte reperies.

IV. Cur serpens callidus dicatur.

b *in c. 3. Gen. q. 436. & seq.*

c *l. 3. ca. 2 & 3.*
d *l. 2. de fi. c. 10.*
e *l. 2 sent. d. 21.*
f *die 13. n. 4. & seqq*

Plurimos itaque testes habemus Scripturam de vero serpente, vt dæmonis instrumento, esse locutam. Sed ipse Christus Dominus dæmonem totius fraudis architectum apertè docet, cum increpans Iudæos, *vos ex patre diabolo estis*, inquit, *& desideria Patris vestri vultis facere. Ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit.* Homicida vero ab initio non aliter fuit, nisi quia primos homines veneno suæ mortificauit inuidiæ, vt ait S. Leo. Nec alia de causa S. Ioannes diabolum vocat draconem & serpentem antiquum[g], nisi quia ab initio mundi serpentem induit in hominum ruinam. Quæ omnio Caietani opinionem apertè damnant, Pererius[h] certè eam non modo vt falsam, sed vt erroneam & temerariam ab omnibus catholicis abijciendam pronunciat. Iosephus autem Æsopicas fabulas narrare merito videatur. Quid enim magis ridiculum, quam serpenti vocem ademptam, quam nunquam habuit: recens venenum linguæ inditum, quo nunquam caruit; pedibus priuatum, quibus nunquam præditus fuit.

V. Per eum locutus est dæmon.

g *Apoc. 12. 9. & 20. 2*

Opinio Caiet. & Ioseph. qualis.

h *l. 6. in Gen. n. 12.*

Ad confirmationem porro breuiter dici potest, dæmonem quidem æquè per asinum ac per serpentem fallere potuisse. Sed Dei permissu electum serpentem, natura sua callidum & malitiosum, vt imperitæ multitudini probabilior esset oratio, cui credibilius fiat deceptam à versuto serpente mulierem, quam à stupido asello; præsertim cum hic non fieret expressa dæmonis mentio. Illa autem verba quæ maledictionem videntur importare, Tostatus i dicta fuisse putat, vt satisfactum videretur hominibus

VI. Resp. ad confirmationē.

i *q. 43. & 44.*

bus, de damno per serpentem recepto. Sed de hoc pœna postea dicendum erit. Nunc historiæ fundamento posito, ad ipsius historiæ expositionem veniamus.

VII. Dæmon insanam primorũ parentũ molitur.

Deum ergo Adamus cum vxore eum quam diximus vitam in paradiso ageret, ecce dæmon, quem, vt dixi, præsens primorum parentum fœlicitas vehementer affligebat, & spes futuræ beatitudinis, qua ipse exciderat, torquebat etiam vehementius, statuit versare dolos, & per fraudem, quoniam aperta vi nihil effici poterat, parentes nostros de gloriosissimo statu deturbare, & morti miserisque temporalibus ac sempiternis reddere obnoxios. Huc vt perueniat pleraque mente versat. Primum, vtrumne ambos aggrediatur an alterum? & quamuis vtrumque deijcere cogitabat, singulos tamen placebat inuadere, ne alter ab altero fulciretur.

Capita deliberationis eius.

2. Secundo quoniam placuit adoriri singulos, expendit virumne prius oporteat, an mulierem: Et videbat ille quidem potissimum primùm arcem deijciendam esse, alteram quippe mox sponte deditionem facturam: & pluris multo referre virum in fraudem induci, quoniam sola muliere peccante non peribat humanum genus, & decepta muliere periculum erat ne vir euaderet cautior, & conatus eius redderet irritos. Itaque gradatim ad Adamum venire statuit, nec nisi cum auxiliaribus Euæ copijs, quæ infirmior esset; & expugnatu facilior, & gloriæ appetentior, si à superbia tentandus esset aditus, & illecebrosior ad expugnandum vitium.

VIII. 3. Statuit tentare ea superbia.

Tertio examinat qua de re sit futura tentatio, & ad quod peccatum nouos paradisi colonos impulsurus. Et quoniam exemplo suo didicerat quam pellax sit superbia, & quam facile in eorum animos illabatur, quibus omnia ad arbitrium fluunt, quamque dulcis illis sit propria excellentia, quo Deus in altum euexerit, eo melle linire statuit sagittas suas. Quarto

4. considerat ecquam sit occasionem captaturus: & placuit ingenitum scientiæ appetitum exacuere, ad arborem scientiæ affectandam, vsque adeo, vt propterea & Dei præceptum, & mortis propositum supplicium aut contemnerent, aut tantisper obliuiscerentur.

5. deliberat ipse ne per se aut per intermedium aliquem sit in arenam descensurus: quia vero solus nisi per internas suggestiones agere non poterat, quæ vix quidquam momenti erant habituræ, propter internam hominis dispositionem longe compositissimam, animal quodpiam externis oculis moribusque obijcere statuit, ex cuius ore ipse loqueretur.

IX. 6. Curassumptus serpens.

Sexto de animali apud se inquirit, quodnam videatur ad institutum opportunius. Et perinde quidem sibi esse intelligebat quocunque tandem vteretur, siue naturali prudentia, siue simplicitate ornato, quoniam animalis astutia naturali vsus non erat, sed propria & sua. Verum non permisit Dominus Tentatorem assumere ouem, aut columbam, animalia sine fraude dolisque, ne ab animalibus admodum vtilibus postmodum abhorreremus, sed serpente, bestia alioqui noxia, & odiosa, & quam nosset Eua cæteras animantes calliditate vincere, vt facilius ab eo sibi cauendum crederet, vt notauit Augustinus [a]. Postremo in serpentem insinuat sese minime repugnantem, & explorat molles aditus adeundæ mulieris, & mollissima fandi tempora, cum vir meditabundus, in altera horti parte remotior inambularet. Ipsa etiam verba exquirit, quibus se in eius beneuolentiam insinuet.

7. [a] l. 11. de Gen. ad lit. c. 3.

X. Aditus tentationis.

Proprius itaque ad mulierem adiens, commodùm eam arborem scientiæ intuentem offendit, & in caudam erectus, statum eius prædicat fœlicissimum, atque ipsis prope cælitibus inuidendum: in eam ignitatem atque autoritatem euectos ait, vt eis cœlum terra, & omnia elementa deseruiant, omnia animalia placide famulentur; se quoque arbitrari fœlicem, si modo eius commodis seruire possit. Mutatur insignes animi corporisque dotes, pulchritudinem, robor, incolumitatem, vitam lætitiæ plenam, mortis expertem; rerum humanarum & diuinarum scientiam, atque libertatem. Vnum tamen aliquid deesse isti scientiæ atque libertati, quod si accesserit, fœlicitate in terris bonis omnibus cumulatissima fruituros. Hæc fuerit quasi introducto in illa verba *Cur præcepit vobis*. Plerique enim sentiunt, & est vero simillimum, non ita ex abrupto initium tentationi datum, idque ex hebræo, græco, chaldeáque paraphrasi sit certius [b]; nos interim cœpto itinere progrediamur.

b *vide Annal. die 13. n. 22.*

Cũ muliere colloquium habet *Gen. ad lit. c. 30.*

Mulier in cuius sinum sensim tam illabebantur laudes suæ: hanc enim primam in ea malilabem agnoscit Augustinus [c], quid tandem illud esset quod ipse desiderari putaret, exquirit. Respondet ille, videri deesse libertatem comedendi pro arbitratu de quolibet fructu paradisi; quippe quos obseruauerit à diebus aliquot ab illa arbore, quam gustu indicabat, abstinere; cum cætera animantia liberam habeant in omne ciborum genus potestatem, *Obstat*, inquit illa, *diuinum præceptum*. Et serpens illico [d], *cur præcepit vobis Deus vt non comederetis de omni ligno paradisi?* In hebræo, & græco, *cur dixit vobis*, eodem vbique sensu; nisi quod Tentator dubium reddere voluit, dictumne id tantum esset, an præceptum; & vt præceptum esset, diuinæ prohibitionis in mulieris animum occulrè instillabat. Exceptio enim quę plenam circumscribit libertatem, suapte natura odiosa est.

c *c. 3. 1.*

d *c. 3. 1.*

XII. Mulier labefactatur.

Pupugerat ergo mulieris animum dæmon, ostendens imminutam circa cibos hominis libertatem; & quia indefinitam ille proposuerat exceptionem, mulier perexiguam illam esse ostendit, ideóque neque tristitia, neque querela dignam e, *De fructu*, inquit, *lignorum, quæ sunt in paradiso escimur*, id est, vesci solemus, *de fructu vero ligni, quod est in medio paradisi, præcepit nobis Deus ne comederemus, & non tangeremus illud, ne forte moriamur*. Aperit aditum dæmoni mulier, ad eludendum mandatum Dei, quippe quæ illud sibi graue esse ostendit exaggerando verbis. Addit enim de suo, *& non tangeremus illud*. Et rursum dubiam facit pœnam, quæ simpliciter fuerat enunciata, quamquam Septuaginta illud *forte* non habent, quæ dubitatio ex displicentia præcepti nascebatur; quæ enim displicent, facile non credimus, aut reuocamus in dubium. Ergo mulier circa pœnam hæsitat, ne ea sit tantum comminatoria. Vt quæ culpam multum excedere videatur.

e *c. 3. 2. 3.*

XIII. Planéque prosternitur.

Hic penè iam victor dæmon, promptè atque audacter hæsitationem excutit, & timorem mortis: displicentiam verò præcepti, per calumniam vsque ad præcipientis odium conatur augere, quasi is inuidia in ipsos motus, scientia vehementer desiderabili priuare ipsos, nullo suo bono voluerit. *Nequaquam*, inquit [f], *moriemini: scit enim Deus quia in quacunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut dij scientes bonum & malum.* Hic iam totum virus effundit impostor, incitans incautam mulierem ad ambiendam propriam excellentiam, vsque ad contemptum Dei, & auersam à sui creatoris amore, quam iste mendacij & inuidia, non minus falsò, quam impudenter accusat, ad amorem eius, qui ei vehementer vtilia & gloriosa suaderet, impellit. Itaque iam plane victa dat manus, anhelans ad illam Dei similitudinem, ad expetitam libertatem, nullis conditionibus circunscriptam, ad insolitam illam oculorum charitatem, ad scientiam boni & mali, quam non tam serpens, quam arbor, suo ipsa nomine polliceri videbatur; ad quam præsertim tam faciliserat via.

[f] c. 3. 4.

XIV. Præceptū violat.

Ne tamen temerè ad credendum progressa videretur, voluit fructum diligentius considerare, quasi iudicium latura, vtri palmam veritatis, Deone an serpenti tribueret [g]. Vidit igitur mulier arborem, sed alijs quam hactenus oculis, & qui manum ad decerpendum fructum dirigant, fructum gustui suauem, pulchrum oculis, & aspectu delectabilem. Quid multa? *tulit de illius fructu & comedit*, vnóque facto multiplex peccatum admisit: in quibus peccatum scandali luctuosissimum fuit, cum viro suo lapis offensionis facta est. Dedit enim viro suo, qui ne eam contristaret, comedit, & grauissimi peccati factus est reus, vt accuratè docet Augustinus [h], vsus comparatione Salomonis, qui idola veneratus est, ne suas, quas deperibat, delicias contristaret. Illa verò non solum offerebat viro pomum, sed à mortis etiam metu iubebat esse securum; cum eam quæ cōmederat, videret esse superstitem.

[g] *vide Rupt. 3. c. 9.*

Et virum inducit in idem scelus.

[h] *l. 11. de Gen. ad lit. c. 42. & l. 12 de Civ. c. 10*

Nec mora [a], *aperti sunt oculi amborum; cumque cognouissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, fecerunt sibi perizomata.* Habes sic tristissimæ tragœdiæ agnitionē, quā mox luctuosa fortunę commutatio secuta est. Aperti sunt amborum oculi ad agnoscendam saranæ fraudem, nuditatem, & turpitudinem suam, dudum benè tectam innocentia, nunc ficulneis foliis circuntegendam. Aperti sunt oculi, simulque patefacta est ianua, non solum pudori, sed etiam timori: vnde & audito sonitu supervenientis Domini, fugitiui serui expalluerunt, & criminis tanti conscij abscondere sese à facie iudicis sui. Quamuis ergo texissent, quæ magis pudori erant, puta ab vmbilico ad media crura: tamen & reliqua nuda diuino præbere conspectui, vel cum illis ipsis subligaculis apparere verebantur.

XV. Agnitio culpæ, & pudor.

[a] c. 3. 7.

Adest igitur paulò post iudex, & præsentiam suam à longè significat, pura strepitu pedum, qualis fieri solet à deambulantibus. Nam sequitur. *Et cum audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso.* Humana forma indutum venisse Deum, in qua cum eis conuersari solebat & colloqui scribit [b] Augustinus, est enim hominis propria deambulatio. Eo strepitu, qui sponte excitabatur audito, & aura deferente reorum pulsabat aures [c], *abscondit se Adam, & vxor eius à facie Domini Dei in medio ligni paradisi.* Apparet densiorem aliquam syluam vmbra sua latebras peccatoribus præbuisse, non cogitantibus, præ animi perturbatione, se irritas latebras captare. Facile autem audiri potuit ille strepitus in tanta solitudine, præsertim à peccatoribus, pudore & metu exanguibus & mutis. Non statim affuisse iudicem merito Tostatus [d] arbitratur, ad dandum peccatoribus tempus colligendi sese aliquantulum à confusione illa, eóque qualicunque aduersus pudorem remedio vtendi, moxque redeundi ad salubrem agnitionem culpæ suæ, & propositum veniæ à Deo postulandæ, siue restituendi essent in gradum pristinum, siue non essent.

[b] *l. 8. de Gen. ad lit. c. 14.*

[c] c. 3. v. 5.

[d] *q. 196. in c. 13. Gen.*

XVI. Iudicis aduētus, & reorū latebræ.

[b] *l. 15. de Civ. c. 7.*

Strepitum illum prænuncium excepit articulata vox: vocauit enim Dominus Adam dicens, *Adam vbi es?* Et forte iteratam expectauit vocem, vt è latebris emergeret & responderet roganti, ne noua culpa in non respondendo cōmitteretur. Et videbat quidem Deus coniuges, quamuis arboribus densis, & vmbra tectos, non minus quam in aperta planitie, Adamum tamen vocauit, quasi eum non videret, vt qui se humano more gereret, quibus abscondita non apparent, eademque est ratio cur quæsierit, vbi esset; nec adijt ad absconditos, sed euocauit ad se: ista enim interrogatio instar euocationis est ad subeundum iudicium: sicque suauiter datur opportunitas eliciendæ causæ latebrarum, & totius criminis manifestandi, ne ad præteritum pudorem, etiam verecundia deprehensionis accederet. Vnus euocatur, vterque prodit, vt ex societate minueretur pudor & metus: inde etiam fortasse mitigato timore, vt qui non statim audissent, furciferi, siccine præceptum meum contempsistis? Itáne ad impostorem me derelicto apostatæ profugistis?

XVII. Euocantur à iudice.

Cum oportuisset autem Adamum, qui vt familiæ caput nominatim euocatus fuerat, ad reddendam rei gestæ rationem, in genua procumbere, & confusa singultu lacrymisque voce culpam fateri, veniam & misericordiam postulare, vt parabolicus ille prodigus, latebratum causam profert timorem, seu pudorem ex nuditate profectum. Ex qua responsione vlteriorem Deus causam elicit & veriorem, peccatum scilicet, quod Adam tacebat, idque in medium profert. *Quis enim*, inquit, *indicauit tibi quod nudus esses, nisi quod ex ligno, de quo præceperam tibi ne comederes, comedisti?* Apparebat Adamum non veniam petere, sed excusationes ineptè prætexere; atque adeo causam absconsionis reijcere in Deum, qui eum creauerat nudum. At Deus hanc primam excusationem repellens, in ipsius retorquet autorem, cui peccatum probrosam ac pudendam reddiderat nuditatem.

XVIII. Adam nō petit veniā agnita culpa

Et oportebat saltem hoc tempore manifestato peccato, miserum hominem Deo supplicem fieri, & amissā prima veniæ impetrandæ occasione, quæ ex propria peccati confessione pendebat, non amittere secundam, quæ in humili eius agnitione, & lugubri veniæ postulatione consistebat: præsertim cum peccatum admissum nec vellet negare, nec posset: sed è

XIX. Ne post diuinam quidem manifestationē peccati.

contrario

confitatio se iterum inconsultissimè excusando, peccatum à se in alium translaturus, & proximum incusat & Deum [e]. *Mulier*, inquit, *quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi.* Quasi dicat accusanda est mulier, quæ dedit, cuius precibus acquieui, eius scilicet quam mihi sociam dederas, quam si non dedisses adhuc viuerem innocens [f]. *Nunquid dixit Peccaui?* ait Augustinus, *superbia habet confusionis deformitatem, & non habet confusionis humilitatem.* Et mox [g], *Aduertamus quo morbo superbia laborent homines hodie, non nisi in creatorem conantes referre si quid egerint mali, tamen sibi velint tribui, si quid egerint boni.* Sic ipse; quibus alludit [h] Gregorius Papa, nisi potius ex eodem ambo spiritu hauserunt. Lamentatur quoque Rupertus [i], quod Adamus in pœnitentiæ lamenta non prorumpat potius, quam ad excusandas excusationes in peccatis. Eum vide, suauissimumque Bernardum [k]. Cæterum quæ de huius culpæ manifestatione Scriptura docuit, Iosephus plurimis fœdissimisque erroribus inquinauit, quæ nos in Annalibus accuratè refutata, hoc loco breuitatis causa prætermittimus, quæ eruditum lectorem minimè forte legisse pœniteat. Nos ad reliquum de Adamo & Eua iudicium progrediamur.

Et dixit Dominus Deus ad mulierem [m], *quare hoc feciſti?* Peccati confessionem iam satis ex Adami responsione, & mulieris taciturnitate explorata, prætermittit, vt eius causam requirat, vtroque interim supplicij expectatione suspenso, ne sibi statim moriendum esset, vt lex ante lata exigere videbatur. Quamuis autem interrogatio dationem fructus respiciat; causa enim Adæ adhuc agebatur; responsio tamen de sola confessione est, quod ad illam interrogationem nihil occurreret, quod directe responderi posset: propriam autem culpam, vrgente conscientia vltro confessa est, tam in eo virum secuta, quam in venia non implorata. Notanda porro diuina bonitas ac sapientia, quæ non ante condemnauit Adamum, licet iam conuictum sceleris, ac confessum, quam interrogasset Euam, ne illa viri sui condemnatione audita, nullam sibi spem veniæ superesse crederet, quæ esset eiusdem non solum particeps, sed etiam origo peccati: quin potius, adhuc pendente iudicio, ad veniæ postulationem saltem ipsa confugeret, & lacrymis suis ac lamentis mitissimum iudicis pectus ad misericordiam infirmior sexus infringeret.

Sed illa nunc à sinuoso serpente facta rigidior, male sermonum parcior, *Serpens decepit me*, inquit, *& comedi. Nec ista confitetur peccatum*, ait Augustinus [a] *sed in alterum refert, impari sexu, pari fastu.* Et mox. *Quanto melius vterque diceret: Ego dixi Domine miserere mei, sana animam meam, quia peccaui tibi. Ad hoc quippe requisiti fuerant*, vt ait Gregorius [b], *vt peccatum quod transgrediendo commiserant, confitendo delerent. Vnde & serpens ille persuasor, qui non erat reuocandus ad veniam, non est de culpa requisitus.* Non dixit Eua quare comederit, ingenti enim verecundia obstruebatur eius os, ne coram ipso Deo diceret, se illo cibo similem ei fieri voluisse. Vere deceperat eam serpens, tam vt comederet ipsa, quam vt daret viro. Vtrumque enim ille requirebat, cum vtrique diuinitatem infœlici comestione promitteret. Excusat etiam ipsa se, & culpam in serpentem transfert, ne propria & malitia, nullo incitante peccasse videatur: in vtroque Adamum imitata, vt culpa vtriusque leuiore facta, pœna etiam, quam sibi imminere sentiebant, diminueretur.

Cum ergo Eua culpam suam in serpentem transferret, vt suam maritus in illam transtulerat prior, iudex reorum verba inquirendo secutus, ad serpentem transfert orationem; nec tamen quærit quare hoc fecerit: siue quia nihil ipse per se fecerat, sed totius rei ignarus, Satanæ, cuius tota culpa erat, organum fuerat, & is iam acceperat immutabilem damnationis sententiam, nec veniæ, vt primi parentes particeps esse poterat; nec vllum habebat, à quo se vel inductum, vel seductum excusari posset. Sine potius, vt recte vidit Abulensis [c], quia non decuit interrogare serpentem, animal rationis expers, qui absente iam dæmone nihil respondere posset. Nec dici potest pari ratione non oportuisse eum alloqui pœnam infligendo, quia talis locutio non exigebat responsionem: & oportebat ab Adamo & Eua inflictionem pœnæ cognosci, ad eruditionem & satisfactionem suam, ne contra Deum obloquendo rursus peccarent, si nescirent autorem culpæ, sicut & ipsi affectum supplicio.

Quid autem serpenti Dominus? quoniam huc iam est progressa narratio, qua ille pœna mulctatur? *Quia feciſti hoc*, inquit [d], *maledictus es inter omnia animantia, & bestias terræ, super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ. Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum, & semen illius, ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius.* Perspicuum est singula horum non nisi allegoricè dæmoni accommodari posse, serpenti autem omnino proprie. Animal quippe terræ est, & cum ijs comparari potest, & præ omnibus odiosus est, maledictus & derestabilis hominibus, super pectus suum graditur, & terram comedit, omnesque, vbi res tulerit, conamur eius caput conterere, & ipse pedibus nostris, quibus terram calcamus, in qua ipse volutatur, morsu & veneno nocere conatur. Sensus tamen à Deo intentus est allegoricus, vt maledictio in dæmonem contorta intelligatur: præsertim quod ad inimicitias serpentem inter atque mulierem, illiusque semen quas de Christo & B.V. dæmonis caput obterente, Patres plurimi magno consensu interpretantur.

Vide autem præclaram inter delictum & supplicium serpentis analogiam. In amicitiam enim hominis, & familiaritatem conatus est irrepere, sit eius odium & execratio; erexerat eum diabolus, vt cum muliere loqueretur, abijcitur in terram, & super pectus suum serpere cogitur: persuaserat esum pomi, ad esum pulueris condemnatur; fœminam in os intuitus, eius calcaneo nunc comdemnatur. Simpliciter autem neque dæmoni propter hanc tentationem, aliasue culpas noua pœna irrogatur, quia extra viæ statum positus, nihil agit quod illi ad meritum, vel demeritum imputetur.

c c. 3. 32. Sed excusat se.

f l. 11. de Gen. c. 35.

g & l. 14. de Ciu. c. 14. Nusquam hic inuisa &c. h Hom. 30. in Euang. Ecclesiæ sus ciuitatem &c. i lib. 5. c. 14. & 15.

k Serm. 1. de Om. sanctis. in. 41 & 447.

XX. Mulieris excusatio. m c. 3. 31.

Nec veniam petit.

XXI. Sed culpam tegerit in serpente. a l. 11. de Gen. ad lit. c. 35. vide & 14. de Ciu. c. 14. b l. 2 mor. c. 33. in 6.

XXII Iudex ex serpente agit.

Nec eum interrogat.

c in c. 13. Gen. q. 688 & 689. vide etiam Chrys. hom. 17 in Gen. Greg. l. 33. Mor. c. 31.

XXIII Serpentis condemnatio, & pœna. d c. 3. 14. & 15.

XXIV. An de monstrari serpenti conueniat.

Neque serpenti, quia cum nulla in culpa fuerit, ne pœna quidem vlla puniri debuit, & vt maxime promeritus esset pœnam, eius natura non magis debuit mutari, quam hominis peccatoris, qui sola gratuita peccando perdidit. Serpens autem qui gratuita quæ perderet non habuit, ne pœna quidem vlla multari debuit; vt bene argumentatur Abulensis [c].

c in c. 13. Gen. q. 681.

XXV. Neutri pœnam propriè inferri.

Quod autem dicitur *maledictus eris*, non autem maledictus es, eò pertinet, vt mulier intelligat pœnam illi animanti tribui, itáque satisfieri pro deceptione sui. Reuera autem ipsum gradi supra pectus, & terram comedere, sunt quidem mala ipsius serpentis, sed naturalia, & non in pœnam data, sicut nec asino stupiditas, nec lupo voracitas, nec crudelitas leoni. Et serpens illo ipso tempore, quo illi à Deo maledictio denunciabatur, non incedebat erectus, nec incessit antea, nisi ad tempus, cum erectus à diabolo, cum Eua loquebatur, vt tanto facilius mox eadem Eua sibi persuaderet, illum in pœnam deceptionis, ad terram abiectum fuisse. Carebat autem pedibus, vt nunc, aut tam breues habebat, vt ijs non obstantibus, pectore & ventre terram euerreret, vt in quibusdam serpentibus cernimus. Et sicut non potest vlla deterior esse progressio animalis quam reptatio, sic neque deterior cibus quam terra: ideo in vtroque videtur serpens maledictus, eóque magis, quod in totam vitam id malum, non ad breue denunciatur.

XXVI. Inimicitiæ hominis cum serpente.

Postremo quod ad inimicitias istas attinet, quas Deus dicit se positurum inter mulierem & serpentem, satis intelligitur eas in sensu historico ad dæmonem non pertinere, quia inimicitiæ cum dæmone iam erant. Cum enim ex factis potius, quam ex verbis æstimandæ sint inimicitiæ, quod hostilius facinus ab infensissimo inimico patrari potest eo, quod à dæmone contra homines perpetratum est? Sed Deus posuit inimicitias inter homines & animantia, quæ illi dudum, tanquam legitimo Domino subiecerat, vt manente subiectione, obedientia solueretur, in pœnam solutæ ab homine aduersus Deum obedientiæ. Quod autem nominatim fit mentio serpentis, id ideo fit, quod serpens totius mali huius fuerat organum, & vt Euæ magis satisfieret, si nominatim de muliere diceretur, quod æquè cadebat in virum, quia Eua prior à serpente iniuria affecta fuerat. Consistunt porro hæ inimicitiæ in naturali quodam odio, tam hominis in serpentem, quam serpentis in hominem. Nam prima hominis cogitatio viso serpente est de illo perimendo, & de eius capite conterendo, & vice versa serpentis, vt apparet, de illo mordendo, & ope veneni sui occidendo.

XXVII. Serpens insidiator.

Addo verbum vnum de Serpentis insidijs. Insidiatur, quia timidus & astutus: timidum facit frigidum ac terreum temperamentum. Non solent autem timidi palam in hostem insurgere, sed clam, & ex insidijs; quo etiam illud pertinet. *Tu insidiaberis calcaneo eius*, à tergo scilicet, non à fronte adoriens. Astutum autem & Moses hoc ipso capite, & Christus ipse testatur, cum nos eius prudentiam imitari vult. Est autem astutorum insidiari, vt qui id peritissimè facere possunt; quin & serpens ex conditione corporis sui idoneus est ad insidias, vt qui humi iacens facile latêre possit. Sed an insidiabitur tantum, & non etiam mordebit & occidet? Optime respondet Abulensis. Id quidem verum esse, sed à Deo prætermissum; quia non pertinebat ad satisfactionem mulieris, sed potius ad consolationem serpentis, quod Deus non quærebat. Ideóque pessimum quod à muliere in serpentem fieri poterat, dixit, nimirum, *ipsa conteret caput tuum*, & contra minimùm quod à serpente fieri poterat, retulit, quod est insidiari calcaneo, quasi nihil aliud facere posset. Hoc enim requirebat maledictio, quæ dabatur serpenti, vt proferretur maximum quod pati poterat, & minimum quod agere ad vlciscendam iniuriam valebat.

Loc. cit.

XXVIII. Damnatio mulieris, & in ea Dei bonitas.

Venio ad sententiam latam aduersus mulierem, paucis quidem verbis comprehensam, sed multa mulieris mala continentem. Ea tamen mala, quæ fuit incredibilis Dei bonitas, huiusmodi sunt, ipsi vt naturæ ex principijs eius naturalibus conueniant, gratuitis duntaxat homini sublatis. Si enim in puris, vt vocantur, naturalibus Deus mulierem condidisset, multiplices forent eius ærumnæ & conceptus, filios in dolore peperisset, fuisset sub potestate viri, ipséque mulieri dominatus esset. Idemque de Adamo proportione dicendum est. Sed priusquam has tam mulieris, quam viri pœnas expendamus, aliquid de vtriusque peccati magnitudine ex Bellarmino [a] libabimus, apud quem omnia hæc sunt ordinatissima atque clarissima.

a l. 3. de Amiss gr. c. 9 & 10.

XXIX. Magnitudo peccati Adami ex septem capitibus.

Vtriusque igitur parentis peccatum magnum fuit atque multiplex, septem omnino malis actibus conflatum. Primus Adami malus actus fuit superbia, qua in sua maluit quam in diuina esse potestate, 2. amor coniugis inordinatus, cui dum grauis esse non vult, & molestus, Deum grauiter offendit. 3. infidelitas, qua Deo non credidit dicenti *morte morieris*, Et diabolo credidit, dicenti, *Eritis sicut dij*, quam infidelitatem S. Augustinus [b] sacrilegium vocat. 4. curiositas; aliqua enim illum sollicitauit experiendi cupiditas, cum mulierem videret, accepta illa esca, non esse mortuam vt ait Augustinus. [c] Quintus est peculiaris & expressa inobedientia, de qua eum Deus nominatim accusat. *Ex ligno de quo præceperam tibi ne comederes, comedisti* &c. 6. Excusatio peccati, cum quadam accusatione proximi & Dei, *Mulier quam dedisti mihi sociam* &c. 7. damnum proximo illatum, mors scilicet & peccatum in omnem posteritatem inuectum, quæ tangit Apostolus [d], dum ait in Adamo omnes mori.

b in Ench. c. 45.

c ibid.

d 1. Cor. 15. 22.

In peccato Mulieris primus actus fuit superbia, vt supra ex Augustino retulimus [e], apud quem etiam rea fit infidelitatis, qua serpenti credidit, & Deo non credidit: erata fortasse fuisse præceptum comminatorium duntaxat, non absolutum & irreuocabile. 3. actus fuit concupiscentia cibi prohibiti, nec concupiuit tantum, sed & tulit de fructu illius, & ad quartum expressæ inobedientiæ actum progressa, de eodem comedit. Nec eo contenta, virum ad peccandum induxit, qui est 5. actus: sextus autem excusatio peccati, siue translatio, *Serpens decepit me*. Postremus est ruina

XXX. Et totidem in peccato mulieris.

e l. 11. de Gen. ad lit. c. 30.

generis

generis humani, vna cum euersione viri. Nam vt ait Sapiens [f], *A muliere initium factum est peccati, & per illam omnes morimur.* Vter autem grauius peccarit, difficile dictu est; Adamus certe pernicioſus in genus humanum deliquit, magisque resistere debuit tentationi, qui muliere sapientior erat, & fortior.

f Eccl. 25. 33.

XXXI. Prima pœna eiusdem.

In horum peccatorum pœnis mulier prior audit. *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos, in dolore paries filios, & sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.* In pœnis non ponitur simpliciter conceptus, qui potius in Domini benedictione censetur, vt satis constat [g] ex æmulatione Rachelis & Liæ, sed conceptus ærumnosus, qualem puerperæ quotidie experiuntur, quo carituros erat status innocentiæ. Nec absurdum est in ærumnis conceptuum comprehendi, quod multi concipiantur futuri pabulum ignis æterni, cum si status innocentiæ perdurasset, soli prædestinati concepti forent, vt notauit Rupertus [h].

g. Genes. 30.

h l. 3. c. 22.

Altera pœna est dolor partus, qui naturalis est fœminæ. Laxanda quippe sunt claustra vteri, & seiũgenda, quæ inter se maxime cohærent, & compacta sunt; quod sine acerrimo doloris morsu fieri non potest, præsertim in muliere, quæ corpus tenerius habet, & tactum molliorem; vt merito filios suos appellare possit Benoni; id est, filios doloris sui [i]. Quin etiam nõ raro tantus est hic dolor, vt alterius, aliquando vtriusque matris inquam ac filij morte terminetur. In statu autem innocentiæ, vtero sine dolore laxato, ex peculiari Dei gratia, fœtus emissus esset in lucem. Ea gratia priuata mulier, vbi filios iræ Dei concepit, & cum multis ærumnis filios Adæ circumtulit, parit deniq; filios doloris sui.

Altera.

i Gen. 35. 18.

XXXII. Tertia, & qui subiectio dicitur in pœnam.

Quæ porro mulieris tertia pœna numeratur, quomodo mulieri pœna est subiectam esse viro suo, cum eam subiectionem constet in statu innocentiæ futuram, sicut & filiorum sub patre, & discipulorum sub magistro, & ciuium sub magistratu, & omnium rerum creatarum sub omnium creatore Deo? Sed ea subiectio non haberet rationem pœnæ, quippe vltro subiretur; quo modo dicit Apost. [a] legem non esse iusto positam, quia sponte sua, quæ sunt legis exequitur. Accedit quod vir nihil imperasset, quod non esset rationi consentaneum, & ad communem vtilitatem, ad quam vterque natura duce propenderet. Denique vtriusque fuisset vna mens, voluntas, appetitus, quandiu manerent diuinæ legis obsequentes. Nunc autem subijcitur velinuita, & ille non raro in eam exercet penè tyrannicum dominatum, nulla eum politica lege coercente: quod illa verba significant, *& ipse dominabitur tui* [b]: quæ tamen prænunciando à Deo dicta sunt, non iubendo, vt docet Tostat. [c] Iustum itaque fuit multiplicari ærumnas conceptuum mulieris, quæ suos fœtus ad multiplices parabat ærumnas: æquum fuit vt cum dolore corporis sui pareret, quos ferebat ad tot tantosque corporis animique dolores, vt dominantem vsque ad mortem experiretur virum, quem fecerat seruum mortis & peccati: & illum rigidum nunc sentiret, quem blanditijs ante perdiderat.

a 1. Tim. 1. 9.

b vide Aug. l. 11. de Gen. ad lit. c. 37 & Tostat. q. 387.

XXXIII. Pœna Adamo inflicta.

Sed nec ipse Adam impunè feret peccatum suum: illi quippe denũciatur multiplex labor & miseria, in subueniendo suis, suorumq; vitæ huius necessitatibus: hoc enim illi munus incumbit, mulieris ærumnis respondens. Adæ igitur dixit Dominus [d]. *Quia audisti vocem vxoris tuæ, mea nimirum posthabita, & comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo.* Hæc prima pœna est: significat autem illa vox sterilitatem, sicut benedictio fertilitatem. Quasi dicat etiam culta non feret, aut malignè feret: triticum vertet in siliginem, & continget illud

d c. 3. 17.

Grandia quin etiam committimus hordea sulcis,
Infelix lolium, & steriles dominantur auenæ.

Virg. Georg.

Putat Abulensis nihil in terræ fertilitate hac maledictione mutatum, sed reliquam terram minus fertilem productam fuisse quam paradisum; Itaque Adamum inde eiectum sensurum terram steriliorem, quasi maledictam, & nihil ex ea boni, sine multo labore collecturum, cui alioqui iucundissima, fructuosissimáque fuisset agricultura: quod est alterum malum, illis significatum verbis, *In laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ*, & rursum, *In sudore vultus tui vesceris pane.* Tertium malum. *Spinas & tribulos germinabit tibi.* Non in lenticetis tantum pullulabunt, sed in agro, atque horto tuo. Quæ seueris malignè prouenient, quæ non seueris copiosè germinabunt; sed huiusmodi erunt, quæ suffocent sementem tuam, quæ cruentent, quæ lacerent vestes tuas, idque non breui aliquo tempore, sed *donec reuertaris in terram de qua sumptus es, quia puluis es, & in puluerem reuerteris*, quod est postremum malum vtrique commune. Illis porrò verbis intelligimus illud, *Quocunque die comederis ex eo morte morieris*, nihil aliud significare, nisi morti certissimæ eris obnoxius. Itaque Adam diuinorum donorum magnitudine in superbiam elatus, oblitus est originis suæ, nunc in suum prostratus puluerem audit, *Pulvis es & in puluerem reuerteris*, quod non est iratæ iustitiæ, ait Rupertus [e], sed miserantis gratiæ, quod vitiatum hominem Deus mortalem esse voluit, ne scilicet immortali miseria in hoc exilio vexaretur.

c. 3. 17. et 19.

Et reliquæ pœnæ,

e l. 3. c. 23

XXXV. Pœna peccati originis.

Nondum hic pœnarum finis, siue in Adamo, siue in posteris eius, aliæ sunt multo maiores his, atque luctuosiores, quibus scilicet peccatum originis in Adami posteris ab vltore Deo vindicatur, quæ maxima ex parte in hanc vitam effusæ, in totam exundant æternitatem; nec in adultus tantum imitatores Adami, variis inquinatos sceleribus incumbunt, sed in infantulos diei vnius, qui ita peccato originis opprimuntur, vt tota eorum culpa sit, ab Adamo fuisse propagatos. Ex quo haud obscurè cognoscitur diuinæ iustitiæ magnitudo, & inæstimabile odium, quo diuina maiestas prosequitur hoc peccatum. Verum totum hoc argumentum in Annalibus hoc ipso loco non negligenter expositum [f] & diligentius etiam in opere nostro de Timore Dei pertractatum, in hac Epitome studio breuitatis omittimus, nuda ad eorum lectionem exhortatione contenti, quam speramus, Deo bene propitio, plerisque fructuosam fore.

f n. 78. & segq. ad 112.

g l. 5. c. 2. vsq. ad

Hîc ego ad Adamũ redeo, & vxorẽ eius, quos

XXXVI

Dominus, loco ficulneorum foliorum pelliceis tunicis indutos irrisit, manuque prehensos ex paradiso voluptatis eiecit. Non video autem cur Varablus prius irrisos dicat, quam indutos pellibus. Opportunior est enim locus irridentis postquam eos vili atque informi tegumento semitexit, quam ante. Vnde porro vestes istas pelliceas Dominus habuerit, an eas noua creatione produxerit, vt putauit Procopius[h], an potius ministerio Angelorum eas occisis ouibus parauerit, plerique quæsiuerunt: Et posterior sententia communis est, quam Abulensis amplectitur. Id autem ita factum; præter causam operiendæ nuditatis, quæ peccatoribus ignominiosa facta est, primo vt se mortales intelligerent, qui se mortuorum animalium exuuiis viderent circumfusos. Deinde vt aëris calidi frigidique intemperiem deinceps vitarent, quoniam mox ex amœnissimo illo, temperatissimóque loco extrudendi erant. Præterea vt hominibus demonstraret se potestatem illis facere, istiusmodi animalia in huiusmodi vsus occidendi. Addit Pererius[i], hac ratione Deum docere voluisse homines, licet peccatores, à sua prouidentia nequaquam exclusum iri, quandoquidem vestium illis necessariarum curam gesserit.

Ita vtroque induto, Dominus ad Adamum obiurgandum conuersus, is enim stultitiæ nomine in primis deridendus erat, qui maxime in culpa fuerat, & vera sapientia paulò ante potiebatur[k]. *Ecce Adam*, inquit, *quasi vnus ex nobis factus est sciens bonum & malum.* Agnoscunt hic penè omnes interpretes ironiam Domini alludentis ad serpentis verba, quibus diuinam similitudinem promittebat. Nec dissentit Augustinus[l], *Verba*, inquit, *hæc sunt Dei, non tam huic insultantis quam cæteros, ne ita superbiant deterrentis, propter quos ista conscripta sunt.* Pergit autem cum eadem ironia. *Nunc ergo ne forte mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ*, sicut videlicet sumpsit de ligno scientiæ, *& comedat, & viuat in æternum*, supple, prouidendum est: aliquod enim huiusmodi verbum subintelligendum est; nisi fortè placet gestu ipso, atque actione completam esse orationem: hoc modo, ne comedat & viuat in æternum, eijciamus eum de paradiso. Sed loco vltimorum verborum, Deus manu correptos eduxerit[a]. Vnde Moses eam actionem explicans subdit, *Et emisit eum Deus de paradiso voluptatis.*

Illud quoque prodit ironiam, quod prouidendum significat, ne qui Deo similis factus est in scientia boni & mali, fiat quoque immortalitate similis. Non enim magis fieri poterat immortalis, esu illius cibi cum peccator esset, quam scientia Deo similis per esum vetiti ligni: cui dissimulationi fauet illud *forte*; fauet & ratio, quia nec arbor vitæ poterat ex se dare æternam vitam, etiam innocentibus, sed tantum diuturnam, vt supra[b] ostensum est: nec Deus eos iam in peccatum prolapsos, sine morte euecturus erat in cœlum. Ergo ironicè dicitur, *Ne forte viuat in æternum.* Necessario enim morituri erant, quamuis eo fructu post peccatum vsi fuissent, & illi arbori vis naturalis esset ad prorogandam vitam. Addit Rupertus[c] misericordia Dei in homines factum esse, ne homo iam miser, per esum ligni vitæ fieret in perpetuum misser, per mortem non finiente miseria. *Parcamus, inquit, homini, & quia felicitatem perdidit, æternitatem quoque præripiamus infœlici, vt in neutro sit quasi vnus ex nobis, quibus est æterna felicitas, felix æternitas, sit illi temporalis miseria, vel misera temporalitas, vt tunc illi commodius reformetur æternitas, cum fuerit recuperata felicitas.* Sic ipse. Moyses autem,

Et emisit eum Dominus Deus de Paradiso voluptatis, vt operaretur terram, de qua sumptus est. Quia vero vtrumque eiectum constat, & mulier parum idonea est agriculturæ, supplet Rupert.[d] Et mulier operaretur circa cultum viri, de quo sumpta est. Quo autem abierit, & vbi habitauerit non satis constat. Refert Basil.[e] traditionem Hebræorum patriæ suæ fauentium. Hebræus tamen textus, cui respondet Latinus, nullam habitationis Adam mentionem facit. Nihilominus Septuag. ita interpretati sunt textum hebraicum, vt significent habitationem Adæ fuisse iuxta paradisum, κατοικισεν αὐτὸν ἀπεναντι τῦ παραδείσῦ τῆς τρυφῆς. *Et habitare fecit ipsum e regione paradisi voluptatis.* Eos secuti sunt Patres, maximè autem S. Chrysost.[f] in eaque re diuinam agnoscit in Adamum misericordiam. Sed & contra paradisum, inquit illum habitare faciebat, vt iugem dolorem haberet, quotidie cogitans vnde exciderit, & quem in statum se coniecerit. Et quamuis grauissimi doloris spectaculum erat, est tamen magnæ vtilitatis occasio, vt dolens continuo aspectu munitior & cautior esset in alijs &c. Idem fere habent Theodoretus[g] & Procopius: qui addit Deum delinquenti propinquum indixisse exilium, vtpote faceret reuocationis, & restitutionis in integrum.

Postremo eiecto Adamo cum vxore sua, collocauit Dominus ante paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ[h]. *Quia homo & diabolus*, inquit Hugo Victorin. in hunc locum, *vterque eiectus est, & ne alterutri illorum illuc iterum liceret intrare, contra vtrumque posita est custodia & offendiculum: Cherubim vt repellant diabolum, ignis vt hominem.* Refert autem Moses, statim ab egressu è paradiso, coniuges liberis operam dedisse. Id in peccati pœnam contigisse non obscurè significat S. Chrysostimus[i]. Idemque sentit Nyssen. Greg.[k]. Quin etiam existimat nullum in statu innocentiæ coniugij vsum futurum fuisse, sed ineffabili quodam modo, sicut Angelos multiplicatum iri. Idem sensit Procop. & Damasc.[l] qui addit Deum præuidentem lapsum hominis creasse masculum & fœminam, vt per cohabitationem genus humanum propagaretur; alioqui Deum alio quodam modo multiplicaturum homines[m]. Denique S. Hieron.[n] incertum esse ait an nuptiarum vsus futurus esset, non superueniente peccato.

Verum contraria sententia communis ac certa est. Nam Scriptura docet homines ante peccatum cum sexuũ diuersitate fuisse creatos, benedictionem vt multiplicarentur accepisse. Nec decuit diuinam prouidentiam prius hominis corpore ostendere vestigia pœnæ, quam in eo existeret vestigium culpæ. Adiutorium quoque diuinitus datum ante peccatum, in hunc vel maxime vsum, vel etiam solum homini datum est, vt supra[o] cum Augustino declaratum est: qui etiam lib. 1. Retract. in hanc concedit

Reg pellibus induuntur, & cur.

h *in c. 3 Gen. q. 22*

i *l. 9 num 177.*

XXXVII. Deridetur Adamus.

k *c. 3. v. 22.*

l *l. 11. 11. de Gen. ad lit. c. 29.*

a *vide Aug. l. 11. de Gen. ad lit. c. 40.*

XXXVIII. Privatur ligno vitæ.

b *die quarto. n. 23.*

c *l. 3. c. 28 29. 30.*

d *um misericordia.*

XXXIX. Ex paradiso eiicitur.

d *l. 3 c. 31.*

e *in c. 3. Esaiæ.*

Vbi habitauerit.

f *hom. 18. in Gen.*

g *q. 40. in Gen.*

XL. Præcluditur homini ac dæmoni aditus in paradisum.

h *vide Abulensem in c. 3. Gen. q. 25.*

Qualis generatio futura in statu innocentiæ

i *hom. 18. in Gen.*

k *l. de opif. hom. c. 17.*

l *l. 2. de fid. c. 3 & l. 4. c. 25.*

m *Euthym. in Psal. 50.*

n *l. 1. con. Iouin.*

XLI. Vera sententia.

o *n. 44. vide l. 1. Retract. c. 10. & 19.*

sententiam, & reuocans quæ alibi pro contraria dixerat. Denique sicut post peccatum per naturalem generationem communicatur peccatum originis, ita & ante peccatum per eandem communicanda erat iustitia originalis.

Responsio ad priorē.

Illa autem sententia à plerisque Patribus adamata est, inordinatum ardorem libidinis auersantibus, quem si exclusum iri cogitassent, vtique in veram hanc communemque sententiam consensissent. Nam modus ille multiplicationis Angelorum non solum ineffabilis est, sed etiam impossibilis, vt per mentis agitationem corpora producantur. At post resurrectionem cum nulla sit futura procreatio, nihil mirum si homines Angelis dicantur similes fore, qui nunc similes brutis generando fiunt, propter effrenatum ardorem libidinis, quem iustitia originis repressisset.

XLII. Caini cōceptus.

Quod autem primi parentes in paradiso à cohabitatione abstinuerint, id S. Augustinus refert ad exiguam in paradiso moram, aut ad expectatum diuinum super ea coniunctione mandatum. Sub egressum igitur è paradiso conceptus est Adami & Euæ primogenitus, neque ante, vt fuse docet Delrio in hunc locum. Sed neque diu distulisse credibile est, cum statim ab admisso peccato, libidinis intemperijs agitari cœperint. Accedebat amor & desiderium propagandæ prolis, multiplicandi generis humani, & corporum habitudo perfectissima, quæ conciliatrix est coniunctionis, nec diuino aliquo præcepto retradabantur, sed quadam potius admonitione inuitabantur. Nam Hebræorum fabulas de annis quindecim, aut etiam triginta continenter ab Adamo, quasi in luctu post eiectionem traductos, vt meram fabulam contemnendam putamus. Sed iam aliquando fine primo anno imposito, quo in materno vtero habitauit Cain, ad annum Mundi, & Adami secundum transeamus.

Mox ab eiectione

ANNVS MVNDI, ET ADAMI II. ANTE CHRISTVM 4051.

I. Ortus Caini, eiusq; tempus.

QVoniam positum est à nobis [a], iuxta communiorem probabilioremq; sententiam, Mundum initio veris fuisse conditum, & Adamum octauo à productione sua die peccasse [b], & paradiso eiectum fuisse, moxque Cainum fuisse genitum, consequens est illum sub initium Ianuarij in lucem editum, habita ratione annorum Iulianorum, si eos placet ad mundi exordium accommodare. Nam si audimus Iulium Hilarionem, 8. cal. Aprilis Mundus est conditus: sin Marianum Scotum, & Adonem Viennensem, feria sexta, qua natus est Adam, fuit 10. Cal. Aprilis, id est 23. Martij. Ergo dies culpæ & eiectionis, iuxta eā quæ supra disputauimus [c], est 3. Calend. siue 30. Martij. Mox secuta est Caini conceptio, quam post nonum mensem secuta est nativitas, quæ cadat in ipsum primum anni Iuliani diem, cum primus Mundi annos nondum esset euolutus, sed ad vernum æquinoctium produceretur. Nos tamen deinceps, quantum licebit, anni Iuliani, quo vtitur Ecclesia, rationem habebimus, neglecto ad faciliorem supputationem quadrante, quo alter ab altero differt.

a *Appar. c. 4. n. 4.*

b *die 7. f.*

c *ibidem.*

Neque vero dubium est in tanta fœcunditate, quantam naturæ recentis vigor, & cæterarum causarum concursus, & desiderium multiplicationis humanæ persuadent, statim Euam concepisse. Quin etiam libenter audio Genebrardum, cum Nangiaco & Rabbinis dicentem, eodem partu enixam Caini sororem, quam Caimanam quidam vocant [d], Methodius Deboram. Nam primi illi partus, inquit, fuere gemini, tergeminiue, & masculus & fœmina simul nascebantur, inter quos matrimonij nexus nondum erat prohibitus. Sic ipse. Quibus consentanea scribit Epiphanius [e]. Scriptura quæ mox Caini coniugis meminit, eius ortum tacuit, sicut & cæterarum, quæ in ortu marium comprehendi potuerunt. Illos quoque multiplices partus valde persuadet ciuitas à Caino condita, & à primogenito suo, vt videtur, appellata. Sed ea de re inferius [f] agetur,

II. Partum simplici fuisse editum.

d *hist. schol.*

e *hær. 36.*

Adam vero ait Moses *cognouit vxorem suam Euam, quæ concepit, & peperit Cain dicens, Possedi hominem per Deum.* Quæ verba significant Cainum fuisse Adami primogenitum. Illa enim hominis acquisitio, siue possessio primogenito conuenit. Si ergo alius quispiam ante Cainum natus fuisset, hoc illi nomen attributum esset, vt notauit sanctus Augustinus [g]. Notat etiam Euæ pietatem Chrysostomus [h], quæ puellum natum non naturæ, sed Deo acceptum refert, suamque gratitudinem declarat. Addit Abulensis ex his proprijs nominibus intelligi, sermonem habræum primum fuisse, quod in nullo alio idiomate horum nominum origo reperiatur. Nam perspicuum est Cain fluxisse à Canach, quod est acquirere & possidere, vt mirum sit Eusebium [i] Cainum æmulationem vertere, quod aduersus fratrem æmulatione inuidiáque flagraret.

f *A. m. 150. c. 4. 17.*

III. Ratio nominis eius.

g *l. 15. de Ciu. c. 15.*

h *hom. 18.*

MSV i *de præp. l. 11. c. 6.*

Hoc ipso anno sub Octobrem natus videtur Abel. Credibile enim est mox à partu Euam iterum concepisse, eamque simul & prægnantem fuisse & nutricem, vigore naturæ ad omnia sufficiente. Quod autem non nemo putat gemellos fuisse Cainum & Abelem, quod refert Procopius, nec asserit, Scripturam habet sibi repugnantem, quæ ait rursum Euam peperisse, id est alia vice, vel noua conceptione, vt explicat Abulensis, Del Rio, alij; licet conceptionis Abelis non fiat mentio. Neuter in secundo filio nominando scribitur philosophatus. Abelis tamen vocabulum propheticum quiddam atque ominosum sonat. Nam à Iosepho [k] Eusebio [l], Origene [m], Theodoreto [n], Hieronymo [o], Ruperto [p], aliisque passim exponitur luctus, quod parentibus suis luctum esset collaturus. Legerunt videlicet Abelis nomen cum א, non cum ה, vt hodie legitur, & vertitur vanitas, quasi iam vsurparet illud Dauidis, vniuersa vanitas omnis homo viuens.

Ortus Abelis, & & ratio nominis eius.

k *l. 1. Ant. c. 2.*

l *de Præp. l. 11. c. 6.*

m *tr. 26. in Matth.*

n *q. 59. in Gen.*

o *de nom. hebr.*

p *l. 3. in Gen. c. 34.*

Vtrouis autem scribatur modo, consultissime datum est infanti à parentibus nomen, non tam propter matris dolores in parturitione ipsius, quam ex præsentione quadam immaturæ mortis eius; seu potius ex acerbo Patris dolore, (priorem nominauerat mater) vt esset id nomen testimonium & monimentum luctus

V. Luctus Adami magnus & diuturnus.

in quo versatur. Si quis enim aliquando mortalium grauioris luctus causam habuit, is maximè habuit, qui posteritatem suam omnem, quasi capite damnatam morte mulctarat: tantóne magis lugere debuit, quo illa posteritas maior futura erat, pluresque ad æternam miseriam præsciti. Fuit autem hic luctus, non paucorum dierum aut mensium, sed multorum omnino seculorum, nec prius quam vita lugentis finem accepit. Sed vlterius etiam propagatus est. Nam in illo versabatur Lamech in natiuitate Noë, post mille & 57. annos à lapsu Adæ [q] Et Apostolus [r], post quatuor annorum millia exclamat lugens, *Infelix ego homo, quis me liberabit à corpore mortis huius!* Quod si ex reuelatione diuina cognoscebat Dei filium, non solum in carne ad mundi redemptionem venturum, quod minimè dubium est, sed mortem etiam per atrocissima, probrosissimáque supplicia, pro ipsius culpæ expiatione subiturum, apparet vtique hinc eum incredibilem quendam luctum, ac dolorem sensisse.

q *vide an.* 1057.
r *Rom.* 7. 24.

VI. Et quæ illi consolationis materia.

Nec tamen deerat illi consolationis, etiam medio in luctu, materia. Nimirum fruitio plurimorum donorum, tam naturalium, quæ illi singulariter data fuerant, vt principi ac magistro generis humani, quæ peccatum non sustulerat, quam supernaturalium, quæ vera pœnitentia iam restituerat: fidem dico, spem, charitatem, aliaque Spiritus sancti dona. Sed eminebat illa maximè consolatio, quæ ex Verbi Dei incarnatione efflorescebat: ex qua tanta in genus humanum dignitas, vtilitasque redundabat, vt non dubitarit sancta Dei Ecclesia, illud inspirante numine vsurpare. *O felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere redemptorem.* Sed & ipse Adam cum huius diuini mysterij ac beneficij crebro suos admoneret, vt in ea fide, ac spe viuerent, sine qua salui esse non possent, & qua vna omnia ipsorum sacrificia, oblationes, preces, sacramenta niterentur, non exiguum lætitiæ fructum delibabat.

VII. Quomodo liberi ab originis peccato purgarentur.

Denique subeorat illa vtrique parenti consolatio, quam subobscurè innuit mystica hæc nominum impositio, quæ videtur facta cum recens nati filij offerrentur Deo, & per parentum deuotionem ac fidem ab originis culpa purgati, Deo inimici esse desinerent. Constat enim ex communi Theologorum sententia, ante institutam circumcisionem, fide parentum infantes iustificari solitos. Quod si dixerimus fidem illam non potuisse prodesse paruulis, nisi particulari aliquo signo exteriori, puta oblatione vel sacrificio, illis applicaretur, quod esset legis naturæ sacramentum; minime dubitare conuenit quin Adamus diuinitus institutus, id quodcunque vel sacrificium vel oblationem, pro filijs suis, in expiationem peccati originis, magna cum fide & sensu pietatis obtulerit: eandemque sacram ceremoniam in filiorum filiarumque natalitijs semper vsurparit, quam mox filij eius ab eo didicerint, atque vsurparint. Quod S. Cyprianus [a] affirmat. Sed octauóne die, quo die postea instituta circuncisio, & datum nomen infanti? An potius primo, quandoquidem nulla erat ratio differendi, imo conueniebat infantem quamprimum reconciliari Deo, & de filio iræ fieri filium Dei.

a *in lib. de circumcisione.*

ANNVS MVNDI, ET ADAMI III. ANTE CHRISTVM 4050.

HAbet hic annus & plurimi sequentes, quos sigillatim rebus gestis distinguere non possumus, annuam multorum filiorum ac filiarum generationem: vt impleretur quod Euæ in primis ac nominatim dictum fuerat [b], *multiplicabo ærumnas tuas ac conceptus tuos.* Neque illud de innominatis filijs ac filiabus, *genuitque filios & filias*, ad ortum vsque Sethi, post annos videlicet & triginta differendum est, etsi id facere videatur Epiphanius, in hæresi, quæ est de Sethianitis [c]. Rectius enim sentiũt qui pene quotannis geminos, alterum marem, alteram fœminam produxisse putant, vt supra significatum est [d]. Ex quo intelligi facile potest quantam liberorum turbam Adamus ex vna Eua ipsi nongentis annis genuerit, vtique ad mille & octingentos. Quid si illa tergeminos aliquando tulit ob humorum copiam? Quid si ab alijs quoque mulieribus, filiabus vtique suis, nondum obseruatis cognationum gradibus, liberos suscepit?

I. Multiplicatio filiorum Adami.

b *Gen.* 3. 16.

c *n.* 39.

d *a.m.* 2. *n.* 1.

ANNVS MVNDI, ET ADAMI X. ANTE CHRISTVM 4043.

HOc ferme tempore credere par est studiosius notatam atque animaduersam à parentibus, Caini & Abelis idolem, in ipsa infantia ac prima pueritia efflorescentem: & ex vna timorem & luctum, ex altera spem & consolationem hausisse. Videbant in Caino non leuiter impressa vestigia peccati sui, qualia probabile est in principe omnium hominum reproborum emicuisse, & in conditore ciuitatis, quæ in peruerso sui amore fundata, & ex omni scelerum genere constructa, ædificaretur vsque ad contemptum Dei. Indolem asperam, querulam, intractabilem, in malum propensiorem, parentibus minime morigeram, & obsequentem, mendacem, sermonibus pijs ægre ac repugnanter aures præbentem, Dei cultum obiter & perfunctoriè vsurpantem, & eorum malorum semina ostentantem, quæ mox magno parentum luctu, & damno ipsius adoleuerunt. Denique [e] puer erat fortasse ingeniosus, neq; tamen sortitus animam bonam.

I. Indoles Caini. *Gen.* 4.

e *Sap.* 8. 19.

Abel contrà mitis erat atque tractabilis, mente candidus, vultu verecundus, lingua syncerus: nihil in eo simulatum, nihil duplex, insignis in fratrem natu maiorem obseruantia, in minores amor, in patrem matremque reuerentia, in Deum religio. Denique ille Esau, hic Iacobum à prima ætatula, tam moribus quam diuina destinatione referebat, vt significat S. Ambro. [f] in libro quem de vtroque conscripsit. Ignorabat hoc quidẽ Adã: neq; enim credibile

II. Abelis indoles.

f *c.* 1.

est ei sigillatim à Deo vnius prædestinationem, alterius reprobationem fuisse reuelatam: sed indicia quædam vtriusque, qualia nos quoque notamus, facile agnoscebat; nec tamen certi quippiam habebat, quia ignorabat quo vterque statu vitam clausurus esset extremam. In illo ergo priore diuinam iustitiam, vindictam, odium peccati: in hoc altero misericordiam, clementiam, placabilitatem animaduertebat. In illo Dominum ac seuerum iudicem exhorrescebat, in hoc mitissimum parentem amplexabatur: in illo lugens, quæ ventura erant formidabat, in hoc spe gaudens, & quæ tanta indoles promittebat ante præcipiens, se ipse consolabatur. Vtrumque agnoscebat suum, sed alterum quasi peccati sui pœnam, alterum quasi inchoatæ dudum pœnitentiæ fructum minime pœnitendum. Sic Adami vita in duobus hisce filijs luctu lætitiáque alternabatur, dum illi sensim adolescebant, alij identidem pullulabant, Eua perpetuo aut ferente vterum, aut parturiente.

Adami sensus.

ANNVS MVNDI, ET ADAMI 50. ANTE CHRISTVM 4003.

1. Mundi Iubilæus.

IN his decurrentium annorum maioribus quasi saltibus, placet in primo Mundi Iubilæo gradum figere, illumque Eusebium [f] imitando notare: in quo duorum fratrum ætas maturitatem quandam erat assecuta: & implebatur illud, fuit autem [g], *Abel pastor ouium, & Cain agricola.* Cæterùm Cain tametsi bonum semen domesticæ institutionis à parente Adamo quotidie accipiebat, ob terræ tamen propriæ malignitatem, infœlix lolium, atque adeo spinas & tribulos germinabat. Qualia vero fuerint eius vitia, non obscurè docuit Iudas Apostolus [h], cum enumeratis varijs quorundam hæreticorum sceleribus, subdit, *Væ illis qui in via Cain abierunt*: id est ipsam Caini viuendi rationem secuti sunt. Ergo isti Pseudoprophetæ Caini peccati in vita sua repræsentarunt, quæ idem Apostolus, & ante eum S. Petrus [i] seuerissima oratione accusarunt; superbiam, gulam, auaritiam, luxuriam maximè, blasphemiam, abnegationem fidei, introductionem sectarum perditionis, atque blasphemiæ. Præter illa minora, *murmuratores, querulosi, secundum desideria sua ambulantes.*

f Gen. 4. 2.

g Gen. 4. 2.

h In Can v. 11. Quæ Caini vitia.

i 2. Ep. 2. 9.

II. Vnde colligantur

Hæc porro vitia si non omnia in hoc tempus, in reliquam certe vitam quadrare, partim sequens Scriptura declarabit, partim fœdissima Caianorum vita, quam scribit Epiphanius [k], satis ostendit; vtrique enim eundem præceptorum diabolum habuerunt, quod de Caino significat Iohannes [l], cum ait eum ex maligno fuisse. De illis autem nihil amplius dicam; quam eam inter ipsos viguisse opinionem, quam fœdissimus quoque Carpocras docuit, non potuisse quemquam saluari, nisi per omnia scelerum genera cucurrisset. E quibus peccatis Caino maxime conuenit, introductorem esse sectæ perditionis & blasphemiæ, vt primum perditionis filium, imò omnium generis humani perditorum caput. Iosephus illum accusat auaritiæ, D. Ambrosius negligentiæ in diuino cultu: possumus etiam nos gulæ in esu carnium introducto, sed alius erit ea de re dicendi locus [a].

k hær. 38.

l 1. Iohan. 3. 12.

a Ann. m. 1657. n. 8 &c.

Abel interea vir sanctus & iustus, hoc quippe illum cognomine Christus Dominus honorauit, maiora in dies ponebat incrementa virtutum, Deo probatus & hominibus: quippe quem inuabat, propter mansuetudinem, cedere potius quam superare, & iniuriam accipere quam inferre. Et quoniam amabilis est virtus ipsa per sese, in parente Adamo mirabiles excitabat amores sui, & vtique debebat in fratre. Illius enim sanctitas, si qui recte saperet, in huius gloriam redundabat. Ipsa tamen lenitas contemptum, & dissimilitudo morum paulatim auersionem, in malo Caini animo gignebat, quæ facile occasione data in inuidiam, atque odium capitale prorupit. Cuius hæredes Caiani hæretici, *cum tenebrarum sint amatores*, inquit Epiphanius [b], *& malefactorum imitatores, ipsum Abel odio habent, Cain vero diligunt.*

III. Abelis sanctitas ingrata fratri.

b Hæres. 38.

Pertinere etiam videtur ad hoc tempus, quo incipiebant Adami filij atque discipuli multiplicati, tam agriculturæ & panificij, quam lanæ lineique textus opificia; architecturæ item, cæmentariæ, & lignariæ praxis atque frequentatio, vitæ necessitate inuitante, sicut & instrumentorum, quibus huiusmodi artes recte exercentur vsurpatio, Adamo scilicet inuentore atque opifice; neque enim peccatum, istarum illum rerum reddiderat imperitum, & ad vsum necessitas, pudorque nuditatis impellebant. Quis autem iure dubitare possit, in latissima illa rerum cognitarum sylua, primo homini, posterorum suorum magistro, diuinitus patefacta, illa quæ dixi artificia, ad victum vestitumque necessaria, fuisse contenta? Adde solertiam industriamque singularem, quali decebat illum esse præditum, quem Deus ipse interius exteriusque, ad omnem animi vsum, aptissimè conformasset, quique ætatem vixit, quæ infinita pene experientiæ par esset. Quamquam in sua mediocritatem potius, vt in luctu & pœnitentia, quam supra mediocritatem eum ædificasse, aut vestibus cæteràque supellectili vsum esse crediderim.

IV. Artes doctore Adamo exercentur.

Sed nec plurima quæ norat statim in praxim vsumque reuocasse; Progressu autem temporis, non exiguam Astrologiæ, cæterisque Mathematicis disciplinis, naturæque contemplationi operam dedisse nemo iure negauerit; multaque de stellis, ac planetis, eorum motibus, actionibus, viribus obseruasse, atque annotasse, neque sphæras aut astrolabia; aliáque id genus instrumenta ignorasse. Artem etiam conflandi ferri, cæterorumque metallorum, ad agriculturæ, architecturæ, reliquarumque mechanicarum vsum calluisse. Quibus non aduersantur quæ postea [c] de Tubalcaino Scriptura tradit, si quis attendat: neque plurimæ varijs ætatibus, apud varias gentes rerum inuentiones. Nihil enim vetat vnam eandemque rem à pluribus, nihil inter se communicantibus, inueniri. Ars enim typographica, exempli causa, multis seculis apud Sinas prius inuenta dicitur, quam apud Europæos. Sed de his pro-

V. Scientiæ quoq; excoluntur.

c c. 4. v. 22.

instituta breuitate satis. Redeamus ad fratres.

VI. Multiplicatio generis humani.

Ex eo quod scriptura Abelem ait fuisse pastorem ouium, eiusque memorat gregem, coniecturam ducit Caietanus admodum multiplicata generis humani Abele viuo, vt iam mortalibus vsui essent ouium greges, vtique ad vestitum laneum; an etiam ad victum? sed hæc postea[d]. Idem conijci potest ex Agricultura Caini, præsertim si copiosa fuit, vt apparet, qui, quasi ex perpetuo artificio, dicatur Agricola, quod exigui agelli cultori parum conueniret. Ipsum autem sub hoc ipsum tempus, anno circiter vitæ quinquagesimo, vxorem duxisse, quasi exacta iam adolescentia, admodum probabile est. Eam Epiphanius[e] Sauen dictam refert, Cedrenus & alij Asuam appellant sororem natu maiorem. At Tostatus in 4. Gen. ex Hebræorum traditione Calmanam vocat, quæ eodem quo ipse partu edita fuerit, quod in multis deinceps eodem modo contigerit. Verum vt dubium sit vxoris nomen, quin tamen soror ipsius fuerit dubium esse non potest. Nam aliæ nullæ erant, quod Scriptura maluit à nobis intelligi, quam à se destinctius explicari.

d *a. m. 611.*

Caini cõiugium.

e *hæres 39.*

f *q. 2. 9. & 10.*

VII. Abel an coniux fuerit.

Iam quod attinet ad Abelem, maior est de illius coniugio dubitatio. Nam Epiphanius[g] ait occisum à fratre nondum vxore ducta: cui consentit Autor mirabilium sacræ Scripturæ[h], adeóque eum virginem vocat. Rupertus negat genuisse liberos. Verum alia videtur fuisse mens S. Hieronymi, & Augustini. Nam cum Hieronymus libro 1. contra Iouinianum virginum & continentium exempla studiosissimè quæreret, eáque etiam exethnicorum libris emendicaret, nunquam Abelem in numero virginum, aut continentium collocauit, in quo tamen posuit Iosue, Melchisedechum, Eliam, Elisæum, Danielem & socios eius. Inauditum ergo id erat homini, qui omnia legerat, audiuerat, notauerat, retinebat. Augustinus[i] autem agens de ijs qui continentiam seruarunt: *hoc tamen*, inquit, *nemo fecisse ante diluuium reperitur.* Abelem sine dubio excepisset, si quo modo virginem permansisse existimasset.

g *hæres. 39.*

h *l. 1. c. 3.*

i *l. 15. de Ciu. c. 20.*

VIII. Ita videri

Non absurdè itaque dici potest Abelem circa hæc fere tempora vxorem duxisse, quam Abulensis, Comestor & alij ex Methodio vocant Delboram; sed & filios suscepisse, qui tamen in Scriptura, quæ tota in eius cæde narranda intenta erat, omissi sunt, præsertim cum illi ad Messiæ genealogiam non pertinerent. Quòd si Epipha. Autor Mirabilium, & Rupertus existimassent Abelem centum annos viuendo superasse, vt postea docebimus, vxorem vtique duxisse falsi essent nec probabile putarent, dilectissimum Deo virum, primo illo seculo benedictione fœcunditatis tam diu fuisse priuatum.

ANNVS MVNDI,

ET ADAMI 100.

ANTE CHRISTVM 3953.

1. Secundus Iubilæus.

ÆQuum est in hoc altero Mundi Iubilæo nonnihil subsistere, vt sacrificijs, & oblationibus duorum fratrum animo attendamus; non quasi nunc primum hoc pietatis munere functi fuerint, sed quod hoc maxime tempore, exeunte videlicet primo ab orbe condito seculo, quasi secularia sacrificia, tam ab Adamo, quam ab eius filijs frequentata videantur, Deo fortasse iam tum religionem quandam in quinquagesimum quemque annum, sicut & in diem septimum, inspirante. Nec credibile est Cainum primo statim Abelis sacrificio animaduertisse, non esse grata munera sua Domino, fratris autem accepta, ideoque capitali statim inuidia in fratrem exarsisse: multoque minus ad 30. circiter annos iram continuisse: non enim prius occidit Abelem. Dicendum potius Cainum progressu temporis id obseruasse, obscurius primùm, deinde apertius, postremóque certo cognouisse sibi infensum esse Deum, fratri autem amicum. Inde autem odio quodam in Deum, & æmulatione in fratrem concepta, statuisse ad illum vlciscendum, istum de medio tollere. Id scelestum consilium dum animo versat *concidit vultus eius*, vt postea dicemus.

Fratrum sacrificia.

Eorumq; disparitas

Quod autem dixi de progressu temporis aliquo modo ex Hebraico textu confirmatur, vbi habetur Cainum à fine dierum sacrificasse. Vbi plerique Hebraicè bene docti diem pro anno sumunt, voluntque singulis annis statuto tempore munus suum ad certum locum, qui publicè diuino cultui destinatus esset, attulisse: vt ita solennitas annua, qua ad colendum Deum publicè conueniebant, hac locutione significetur. Quod autem de loco dicunt, ex Hebræo textu confirmant, vbi non dicitur Cain obtulisse, sed attulisse de fructibus terræ munera Domino. Quamquam adducere pro offerre sumi potest, quod afferrentur ad Dominum, quæ illi in sacrificium offerebantur. Ipsa porro Scripturæ narratio de diuisis fratrum sacrificijs, significat iam bona inter fratres fuisse separata; & alterum, vel vtrumque potius separatam sibi familiam, cum vxore & liberis habuisse.

II. Certõe loco sacrificatum.

Quo autem monitore sacrificasse dicemus: Chrysostomus Cyril. Cassianus & Procopius, nullo alio impulsore eò venisse aiunt, quam lumine naturali, quo sciebant Deum, quamuis nulla re indigentem, nostris tamen muneribus honorandum esse; idque signum subiectionis esse atque dominij. Sed externo etiam monitore non caruisse hos fratres, Adamo scilicet parente, qui & præiret exemplo, exploratum, est. Itaque Hugo à S. Victore[a]; *Credimus*, inquit, *Deum docuisse Adam cultum diuinum, quo eius benecolentiam recuperaret, quam per peccatum transgressionis amiserat, ipsumque docuisse filios suos dare Deo decimas, & primitias.* Sacrificij porro nomine non victimas pecudum duntaxat accipi oportere, sed terræ quoque fruges, & quidquid Deo, in signum supremi honoris, atque dominij offeratur, satis ex hoc loco intelligitur, vbi vtriusque oblatio modo manus, modo sacrificium appellatur, consentientibus omnium linguarum codicibus. Et nominatim Cain apud 70. dicitur sacrificasse, quod illi maximè, vt primogenito, conueniebat.

III. Quo doctore Deo culeũ dixerunt.

a *in Genes.*

Sacrificiũ latè sumptum.

Quare autem vnius præ altero munera fuerint accepta à Deo, ita docet S. Cyrillus[b].

IV. Cur munera vnius præ altero suscepta.

b *l. 2. in Gen.*

Ergo

Ergo sacer, ac sapientissimus Abel, quæ in grege suo præstantissima erant, quæque æquissimo animo delecta fuerant, offerebat Deo, modumque sacrificandi haud ignorans, adipes quoque apponebat. At Cain non eo modo, sed contra, magna cum negligentia offerabat. Quæ enim ex tempestuis frugibus excellentiores essent, suis delicijs reseruabat; quæ vero deteriores haberentur, maximo Deo non erubescebat offerre. Philo [c], quem multum sequitur S. Ambrosius [d], tria in sacrificio Caini reprehendit, quod tardè obtulerit, quod non de primis fructibus, quod non optima quæque. D. Paulus [e], cum ait Abelem plurimam hostiam præ Caino obtulisse Deo, videtur intellexisse copiosiorem; ac præstantiorem; quo etiam erat longe superior fide, pietate, & religione in Deum, & venturum mundi Reparatorem, vt non mirum sit alterius sacrificium, præ altero fuisse acceptum Deo.

c *lib. de sacrif. Abel. & Cain.*
d *Lib. de iisdem fiat.*
e *Heb. 11. 4.*
a *Anno.*

ANNVS MVNDI, ET ADAMI 130. ANTE CHRISTVM 3923.

I. Ratio temporis cædis Abelis.

EXistimamus hoc anno Abelem à Caino fratre nefario scelere trucidatum, ab eóque primum mortem reipsa introductam in orbem terrarum, cum annum ageret Abel 129. vt qui natus est anno Adami secundo, vt ibi dictum est. Ante autem quam causam & modum, & effecta illius cædis exponamus, ratio temporis breuiter danda est. Dictum ergo annum confirmat ex Scriptura Caietanus, agente de Natiuitate Sethi. Is enim cum dicatur natus cum Adam annis 130. vixisset; dicatur quoque à Deo positus, & subrogatus in locum Abelis à Caino interfecti, videtur proximo à morte Abelis anno editus in lucem: si ponamus quod merito quisque concesserit, Adamum non abstinuisse coniugio, memorem illius dicti, *Crescite, & multiplicamini*, &c. neque Euam tam cito effœtam esse redditam, dicendum est singulis illam annis singulos filios, vel etiam geminos, vt supra dicebamus [f], produxisse. Et consequenter Sethum proximo à morte Abelis annos esse. Alioqui si quis immediatius natus fuisset, de illo, nõ de Setho, dicendum fuisset ab Eua [g], *Posuit mihi Deus semen aliud, pro Abel, quem occidit Cain.*

f *Anno 2. n. 2.*
g *Gen. 4 25.*

II. Causa eiusdem.

Causa cædis fuit ira atque inuidia Caini, sed eius occasio atque obiectum antecessit, quod Dominus ad munera Abelis respexisset, ad sua vero non respexisset. *Sed vnde scire poterat Cain*, inquit Hieronymus [h], *quod fratris sui munera suscepisset Deus, & sua repudiasset, nisi interpretatio illa vera esset, quam Theodotion posuit. Et inflammauit Dominus super Abel, & super sacrificium eius: super Cain vero, & super sacrificium eius non inflammauit. Ignem autem ad sacrificium deuorandum venire de cœlo, & in dedicationem templi sub Salomone legimus, & quando Elias in monte Carmelo construxit altare.* Sic Hieronymus. Quam Theodotionis interpretationem probat quoque Procopius Gazæus [i], & alij, & nominatim S. Cyrillus. *Quamobrem*

h *In 99. Hebræ.*

Inflammatio III. efficij.

i *In c. 4. Gen.*

ait [b], *ad munera Abel ignem cœlitus emissum consumere sacrificium effecit. Ad Cain autem, & ad sacrificia eius non respexit, non enim ignem assuetum oblatis emisit.* Nota autem verbum illud Cyrilli *assuetum* propter ea quæ de Sacrificandi consuetudine ab Adamo & filijs eius vsurpata supra diximus [c].

b *l. 2 in Gen.*
c *Anno 100. n. 1. &c.*

III. Cain irascitur, & à Deo monetur.

Hic Cain irascitur vehementer, non in culpam suam ad obtinendam veniam, sed in Deum à quo despiceretur, præ minore natu fratre: simulque fratri, quem sibi præferri vidit, diuinum fauorem, & gratiam inuidit. Vnde demisso capite, & deiecto vultu, quasi cœlum sibi aduersarium auersatus, è sacrificij loco abscessit indignans, animóque machinans facinus, quod pridem mente versabat; Nec eum statim deserit Dominus, sed monet [d], *Quare iratus es*, inquit, *& cur concidit facies tua? nonne si bene egeris recipies, si autem male, statim in foribus peccatum aderit? Sed sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius?* Monet, inquam, vt resipiscat, pro posita benefactis mercede, & pœna peccatis, quæ vel statim sequitur nocentem, vt conscientiæ aculeus; vel non ita multo post consequitur, iuxta illud,

d *cap. 4. 6.*

Raro antecedentem scelestum
Deseruit pede pœna claudo.

Horat.

Ne autem propter appetitum in malum pronum diffidat de victoria, arridet non defore vires, quibus appetitum subijciat rationi.

Sed quid ei profuit ista monitio? ait Augustinus [e]. *Nonne conceptum scelus in necando fratre, etiam post verbum diuinæ admonitionis impleuit? Nimirum quia*, vt paulò ante dixerat idem Sanctus, *in electis Spiritus sanctus operatur intrinsecus, vt valeat aliquid medicina, quæ adhibetur extrinsecus.* Nam visibili forma Deum cum illo locutum esse, ibidem affirmat Augustinus. Ergo ille malè animatus, ad fratrem conuersus, amicè, & dissimulata malitia; *Egrediamur*, inquit, *foras*, remotius videlicet à tabernaculis, aut ædibus, in quibus habitabant ne quid impedimento esset meditato facinori. Quæ verba, vt abhinc ab Hebræo, extant tamen apud 70. & Paraphrastem Hierosolymitanum, vnde ea delumpsit vulgatus interpres. Addit autem ille Paraphrastes, cum foris essent, inter colloquendum Cainum dixisse, non esse iudicium, neque Iudicem, neque seculum aliud, nullam iustis mercedem repositam, nullam impijs pœnam; mundum neque Dei bonitate creatum esse, neque prouidentia gubernari, quando ipsius oblatio reiecta fuisset, Abelis autem suscepta. Quæ cum Abel improbaret atque refelleret, rixa nata, insurrexit ille in fratrem, atque interfecit. Quæ disputatio si vera est, vt est sane probabilis, recte martyrem Abelem, cum plerisque antiquorum, dicere licebit.

e *l. 15. de Ciu. c. 7.*

IV. Fratrem abducit foras.

Postremum inter eos colloquium.

Sed quo telo percussum dixerimus? Pictores Caini manum vt plurimum armant mandibulâ, autore proprio indicio, Chrysostomus gladij meminit, Irenæus falce occisum significat, Prudentius falculo, Isidorus ferro prostratum dicit. Dicatur etiam si placet, ad manum habuisse rusticam aliquam ex agricultura furcam, siue ea lignea, siue ferrea fuerit, quam secum de more sine suspicione tulerit, quam in sanctissimum fratris pectus immiserit, vnde patefactis visceribus latè sanguis in terram

V. Cædes quo telo facta.

effusus est, vt Scriptura testatur: vnde refellitur suffocatio, quam aliqui introducunt. Sed quid facias male sanis Hebræis, qui volunt Abelem Caini morsibus dilaniatum, vt scribit Tostatus[f], qui eum mauult lapidibus oppressum. Addit Iosephus[g], illum abdidisse cadauer, ratum sic facinus occultum fore. Procopius ait illum humo cooperuisse corpus, ne appareret, sed sanguine facinus ipsum fuisse proditum.

f q. 6 in c. 4 Gen. g l. 1. Ant. c. 2.

Caini desperatio, & querela.

VI. Patefit scelus.

Non diu lætatus est Cain in scelere suo, si tamen lætatus est, & non statim conscientiæ tortor affuit. Monuerat quippe Dominus *statim in foribus affore peccatum*[h]. Sed mox etiam affuit peccati absconditi propalator, atque vltor Deus, qui salutis nefarij hominis curam gerens, eumque volens ad culpæ agnitionem adducere, miti oratione, *Vbi est*, inquit, *Abel frater tuus?* Poterat Cain audita huiusmodi interrogatione agnoscere, crimen suum esse deprehensum, Deo præsertim interrogante. Nihilominus in cumulum peccati sui, & mentitur coram Deo, & superbè respondet. *Nescio*, inquit, *num custos fratris mei sum ego?* At Deus simul & hominem conuincens, & admissi sceleris magnitudinem exaggerans, *Quid fecisti vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Huc allusit Apostolus[i] cum ait, per fidem Abelem defunctum adhuc loqui. Quid autem diceret ille sanguis, ex Iohanne Euangelista discendum est, qui se audisse refert animas clamantes voce magna, & dicentes[k], *Vsquequo Domine, sanctus & verus, non iudicas, & non vindicas sanguinem nostrum, de iis qui habitant in terra?* At sanguis Abelis celerem habuit auditorem & vindicem. Sequitur enim

h Gen. 4. 7.

v. 9. Caini pertinacia.

Ibid.

10.

i Hebr. 11. 4.

k Apoc. 6. 10.

Nunc igitur[l] *maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua, cum operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos; vagus & profugus eris super terram.* Homini terreno, cuius crimen terra prodat & accusat, quæ immani cæde nunc primum violata est, & imbuta impia effusione innocentissimi sanguinis, pœna è terra sumitur, quam ille magis nunc horreat, quam spiritalem & æternam. Prima ergo illius pœna est, quod futurus sit *maledictus super terram*, siue de terra, vt Hebræus & Græcus textus habent; quasi diceret terram imbuisti sanguine, terra vltionem de te repetit, & se tibi maledictam, id est sterilem præbebit & infœcundam. Altera est vt sit *vagus*, alia ex alijs loca crebro mutans, siue facili cuiusvis loci tædio, siue quod vnius loci sterilitatem pertæsus, alium atq; alium labori fœlicius respondentem quærat. Tertia vt *profugus* sit, fugiens scilicet nemine persequente, propter sceleris conscientiam, & internum timorem, quem fallax imaginatio semper amplificat, qui in corpus redundans, gemitus excutiat & tremorem. Nam 70. hoc loco habent φέυγων καὶ τρέμων, & qui eos secuti sunt Græci Patres, nominatim Chrysostomus, atque Procopius. Meritò autem credi potest hac quarta pœna tremoris vexatum Cainum, licet eam Hebræus textus, Latinusque non habeat; Deo 70. senioribus inspirante id scribere, quod operæ pretium esset nos non ignorare.

l cap. 4. 11.

VII. A Deo condemnatur.

Prima pœna. ἀπὸ τῆς γῆς

2.

3.

4. Tremor.

VIII.

Hic reus audita sententia damnationis suæ *Maior est*, inquit[a], *iniquitas mea, quam vt veniam merear*, siue vt est apud 70. *quam vt dimittatur mihi*: quæ verba, antiqui omnes Græci Latinique Patres de misericordia Dei desperantis esse profitentur. Recentiores autem sic exponunt, maiore me supplicio afficis, quam vt ferre possim. Omnes autem in eo conueniunt, vt improbam Caini querelam esse fateantur, siue Deum inclementiæ accuset, quod ignoscere nolit, siue iniustitiæ, quod maiorem pœnam inferat, quam pro magnitudine culpæ. Et addit quæ hac paraphrasi illustrantur. Ecce eiecisti me hodie, hac tua sententia à patrio solo, in quo natus & educatus sum, nec audebo sistere me, vti solebam, conspectui tuo, vt sacrificia offeram, quæ tibi ingrata esse perspexi: sed exul ero, nec tamen fiam loci alicuius incola, sed quo me feret impetus, ad notos ignotosque ibo, vnde & continget vt quilibet me, quasi erronem, & ex conscientia scelerum fugitiuum interficiat.

a Gen 4. 13.

IX. Dei in ipsum prouidentia. v. 15.

Verum Deus suam in ipsum prouidentiam verbis factisque demonstrat. Dixit enim illi Dominus, *Nequaquam ita fiet, sed omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur*, id est, grauissimas luet pœnas, qui videlicet sine autoritate legitima hominem, quamuis tanti reum facinoris, occiderit. Factis quoque demonstrat, quando posuit in eo signum, ne passim occideretur. Quod fuerit id signum omnes penè inquirunt, & vt in re admodum incerta nihil statuunt. Probabiliorem eorum puto sententiam qui tremorem corporis inditum diuinitus Caino velint, quoniam id fundamentum habet apud Septuag. & ab Hieronymo[b], Theodoreto, Eucherio[c], Ruperto probatur[d]. Et hactenus Abelis historia, & Caini scelus atque damnatio, quam multipliciter deprauauit Iosephus Iudæus[e], vt in Annalibus accuratè demonstrauimus[f], quod hic indicasse sufficiet.

b Ep. 125. ad Damas. q. 1.
c In Cat. Lepsm.
d l. 4. c. 9.
e l. 3. Ant. c. 2.
f n. 19 20 & seqq.

X. Abelis cũ Christo comparatio. 1.

Superest, vt ad Abelis nostri funus honorandum, eum cum Christo domino, tanquam figuram cum re figurata, componamus, tribus duntaxat è maiore copia, quam in Annalibus digessimus, hoc loco selectis. Primum compositionis huius caput est, quod Abel innocẽs à fratre nocentissimo per inuidiam, in campo, extra communis habitationis locum, immatura ætate occisus est. Quot verba, tot figuræ, totidemque mysteria. Noster Abel[h], *qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius*, Iudaïco populo, fratre suo secundum carnem, *neque enim confunditur eos vocare fratres*[i], per inuidiam, ne ipsi quidem Pilato ignoram, extra ciuitatem eiectus, ne ipso ætatis flore, in Caluariæ monte crucifixus est. Deinde Abelis sanguis in terram funditur, & è terra clamorem in cœlum, vindictam sceleris expetens. *Accessistis*, inquit Paulus[k], *ad Testamenti noui mediatorem Iesum, & sanguinis aspersionem melius loquentem, quam Abel*, veniam scilicet postulantem, & dicentem[l], *Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.*

g n. 16. & seqq.

h 1. Petr. 2. 22.

i Hebr. 2. 11.

2.

k Hebr. 12. 24.

l Luc. 23. 24.

Denique Abele occiso, parricida Cain frustra ad pœnitentiam prouocatur; nec tamen occiditur, sed ejicitur à facie terræ, & à conspectu Domini, & fit vagus & profugus, & signo tremoris, non tam ad tutelam, quam ad diuturnam notatur infamiam, dum misere & cor-

XI. Tertia similitudo.

pore

pore & animo peteat, fratre in regione iustorum quiescente, cum certa spe felicitatis æternæ. Iudæi quoque fratris sui Messiæ parricidæ, maxima ex parte obstinati, ad Apostolorum prædicationes obdurtuerunt, nec tamen funditus tot bellis & calamitatibus, tam diuturna & generali seruitute deleti sunt. Vt impleatur illud Dauidis oraculum [m], *Ne occidas eos, ne quando obliuiscantur populi mei. Dispergè illos in virtute tua, & depone eos protector meus Domine.* Ejiciuntur à facie terræ Sanctæ, in qua olim sacrificijs sibi Deum placabant, & à conspectu Dei: qui nunc stercus Iudaicatum solemnitatum [n], & sacrificiorum detestatur, lugentes irridet, vagos & profugos vbique persequitur, & insito timore ac fœtore notatos non miserabiles hominibus, sed execrabiles facit, dum miseri ac reprobi ad æternas miserias rapiantur. Addo etiam hoc loco, amice Lector, Abelis elogium, aut si mauis epitaphium, quasi à parente Adamo positum; quod, si quis fastidiosior fuerit, impune prætereat, aut quasi epitomen vitæ, eius qui hoc honoratur elogio memoriæ renouandæ causa, percurrat.

Dispersio Iudæorum. m *Psal.* 58. 12.

n *Malach.*

XII. Abelis Epitaphium.

EPITAPHIVM ABELIS, appensum, ad Mausolæum, ab Adamo in ipso cædis loco, dulcissimo filio excitatum.

QVIS tantus hoc loco, tamque sonorus clamor? Rogas? viator, adhuc inauditum tibi parricidium, à primogenito mortalium ausu nefario perpetratum? Iuit iam clamor cœlo, necdum in terris auditus est tibi? Vides puniceas nunc ac rubricatas, antea gramine viridantes glebas? ne fallare, non glebæ, sed linguæ sunt, quæ fraternam inuidiam, quæ furorem non repentinum, sed malitiam inueteratam clament: quæ implacabili gemitu pectora quatiant vtriusque parentis: quæ paternos oculos ad fletus quotidie integrandos prouocent: quæ reprobi hominis mentem malam, & primæuæ culpæ malignitatem demonstrent. At me magis decuit, O Deus, mortis autorem, mortem violentam ac præmaturam pati. Clamat effusus sanguis Abelem meum, gaudium & luctum meum, Abelem iustitiæ coryphæum, martyrij principem, confessorum primatem. Clamat Messiæ prodromum, expressamque vitæ ipsius, ac mortis imaginem, primum subterraneæ quietis ac domicilij cuem, qui longo ordine venientes iustos complexu excipias suo: expectans cum eis beatam spem atque aduentum gloriæ magni Dei. Posuit mœrens pater, cui à filio iustius positum foret. Anno ab ortu rerum CXXX. Ab Abele nato CXXIX.

XIII. Frilium Caini.

Non videtur longum temporis spatium inter condemnationem Iudicis, & rei pœnam intercurrisse. Nam statim à lata sententia subdit Moses egressum à facie Domini Cainum habitasse profugum in terra ad orientalem plagam Eden. Septuaginta, in terra Naid, siue Nod, vt notauit Hieron. [a], quam vocem ipse interpretatur fluctuantem, instabilem ac sedis incertæ, & significat eos appellatiuum nomen in proprium mutasse. Et fieri sane potest vt locus ille, ad quem orientem versus secesserat Cain, cum nomine careret postea à Caini profugio Nod, siue corrupto vocabulo Naid diceretur ω in α dissoluto. *Et vero locus ille*, ait Chrysostomus [b], *in quo habitauit Cain, perpetuæ memoriæ fuit, non illi soli, sed & seculis posteriorib⁹ ob tremorem & motionem. Nomen enim Naid Hebraica dictio est, & vertitur motio. Itaque vt crimen illius notum esset, etiam à loco, quasi in columna ærea scriptum, illic eum collocauit.* Ita Chrysostomus.

a *In trad. in Gen.* ex Aquila.

b *hom.* 20. *in Gen.* ex Aq.

ANNVS MVNDI, ET ADAMI 131. ANTE CHRISTVM 3922.

I. Ratio Chronologiæ generalis.

VIxit *Adam*, inquit Moses in catalogo Patriarcharum [c], 130. *annis, & genuit ad imaginem & similitudinem suam, vocauitque nomen eius Seth.* Annos numerat Scriptura duntaxat, nec eos aut inchoantes, aut prouectos, aut absolutos definit: de absolutis tamen videntur interpretanda, nisi aut textus ipse, aut certa ratio temporis aliud exigat, idque plurimorum grauium Scriptorum exemplo, qui cum primam ætatem vsque ad diluuium 1656. annis definiant, necessario annos expletos ponunt. Quoniam ergo Adamus centum ac triginta vixit annos, vt ait Scriptura, & genuit Sethum, dicemus post elapsos 130. annos natum esse Sethum, & primum eius annum esse Adami centesimum & trigesimum primum. Sed in hac primùm Sethi natiuitate grauis occurrit controuersia Græcos inter Hebraicosque numeros. Vbi enim vulgata editio, Hebraico textui consentiens, ait Adamum annos natum 130. genuisse Sethum; Græci habent Adamum vixisse 230. annos & genuisse filium, manifesta centum annorum diuersitate. Sed mox sequitur alia discordia, quæ totam vtriusque numeri summam parem facit. Vbi enim nos habemus Adamum à nato Setho, vixisse octingentis annis, Græci habent vixisse septingentis.

c Gen. 3. 5.

II. Diuersæ Hebræos inter & Græcos.

Er sanè satis constat plurimos antiquos Ecclesiæ Patres, quibus ferè soli Græci codices innotuerant, eos magno consensu esse secutos. A quibus tamen postea duo Ecclesiæ lumina Hieronymus, & Augusti. quibus Hebraicus textus innotuit, discessere. Hieronymus enim ex Hebraico fonte Latinam editionem molitus est: quæ nunc editio vulgata dicitur, & ab Ecclesia vniuersa recepta, summam autoritatem consecuta est. Cui nos libenter subscribimus; & quia necesse est vitro Catholico, & quia longè probabiliorem exhibet veritatem. Nam S Augusti. d Græcis codicibus quatuor maximè ex capitibus derogat fidem. Primo quia ex

Hebræa præfert Augusti. d *l.* 15. *de Ciu. c.* 11. & 12. *t.*

Græcorum chronologia necesse est dicere Mathusalem quatuordecim annis superuixisse diluuio, cum tamen certo constet, eum non censeri in illo octo animarum numero, quas S. Petrus [e] memorat. Secundo quia credibilius sit ab interpretibus erratum fuisse, quam in ea lingua esse falsum, vnde in nostram per Græcam Scriptura ipsa translata est. Tertio quia non sit probabile Iudæos, dum nobis inuident, mutasse quædam in codicibus suis, vt in nostris minueretur autoritas. Quis enim credat Iudæorum gentem, tam longe latéque diffusam, in hoc conscribendum mendacium vno consilio conspirare potuisse. & dum alijs inuident autoritatem, sibi abstulisse veritatem?

e 1. Pet. 3. 20.

2.

3.

4. III. Erroris origo.

Postremò ita concludit, *Recte fieri nullo modo dubitauerim, vt cum diuersum aliquid in vtrisque codicibus inuenitur, quandoquidem ad fidem rerum gestarum vtrumque esse non potest verum, ei linguæ potius credatur, vnde est in alteram per interpretes facta translatio.* Quomodo autem id numerorum dissidium contigerit, non constat. Suspicatur idem August. [f] cum primum de Bibliotheca Ptolemæi describi ista cœperunt, in codice vno erratum esse, ex quo dum cæteri describuntur, latius errorem in codices omnes emanasse. Primi autem codicis errorem, in aliquibus locis casu aliquo, & per imprudentiam contingere potuisse; in alijs autem ipsam errandi constantiam, non casum, sed industriam redolere. Quæ autem causa induxerit eum, qui de industria errorem induxit, fusè ibidem disputat August. Sed quæcumque fuerit Græcis errandi causa, nos vulgatæ editioni, præsertim cùm Hebræa consentienti adhæreamus.

f l. 15. de Ciu. c. 13.

IV. Sethi & Henochi natiuitas

Sed iam ad Sethi natiuitatem veniamus, cui æqualem adiungamus licet Caini primogenitum Enochum. Vtrumque enim eodem anno genitum ex eo colligimus, quod proximo à cæde Abelis anno iacturam eius suppleuit Dominus, vt supra dicebamus [g]: quodque legamus statim ab expulsione Caini, quæ anno proximè præcedenti facta est, Cainum cognouisse vxorem suam, eamque concepisse, & peperisse Henochum. Et forte in editione vulgata illud [h], *Cognouit quoque Adam vxorem suam*, respicit illud antecedens de Caino, *Cognouit autem Cain vxorem suam*, &c. Postò Setho nomen dedit mater, addita etiam ratione nominis, *Posuit*, inquit, *mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain.* Seth, inquit Hieronymus [a], propriè שת ἴσις, id est positio dicitur, quia posuerat eum Deus, pro Abel, fit enim à שת quod est ponere. ‖ Græcis Sethalij fundamentum, alij resurrectionem interpretantur, Epiphanius compensationem [b]. Nam ex eo, per Noë, quasi fundamento propagatus est Mundus, Cainitis, cæterisque Adæ filijs diluuio extinctis: In eo resurgere visus est Abel, & per illum Abelis iactura reparata est. Denique Sethi ortus parentibus consolationem attulit, si per illum Messiam, Mundi perditi restauratorem, recta linea aliquando nasciturum cognouerunt.

g a. m. 130 n. 1.

h c. 4. 25.

a in Trad. Hebr. שת Ratio nominis Sethi.

b Her. 74.

V. Caini progenies. c l. 15. de Ciu. c. 15.

De Henoch porro Caini filio, vsque ad Lamech Scriptura nihil tradit, *Noluit* enim *spiritus Dei*, ait August. [c] *in terrena ciuitatis generationibus tempora notare ante diluuium, sed in cœlestis maluit, tanquam essent memoria digniores.* Non est autem credibile Henoch fuisse Caini primogenitum, sed omissis cæteris, quos ante vel post Enochum genuit, illius tantum Scriptura meminit, ex cuius posteris natus est is, qui Caini parricidium vltus est. Sic etiam existimandum non est Sethum ad annum vsque centesimum quintum carnisse liberis, aut Enos vsque ad 90. aut Iared vsque ad 162. aut Mathusalem vsque ad 187. aut denique Noë vsque ad quingentesimum. Sed sicut postea dicuntur genuisse filios & filias, ita & ante valde credibile est genuisse, atque adeo necessarium, cum Cain tam maturè ex filijs ac nepotibus congregauerit ciuitatem. Cæteri enim Adæ filij, ac nepotes à Cainitis quasi excommunicatis abstinebant, vt fusè disputat Augustinus [d].

An soli primogeniti a Scriptura recensiti.

Cainitæ à cæteris secreti.

d l. 15. de Ci c. 8. & seqq.

ANNVS MVNDI, ET ADAMI 150. ANTE CHRISTVM 3903.

ÆDificauit Cain ciuitatem [e], vocauitque nomen eius ex nomine filij, Henoch, siue Henochiam: Quo autem potissimum anno hæc prima mundi ciuitas à Caino condita fuerit, nemo certo definire potest, in Scripturæ silentio, cum nulla extent Mosaicis antiquiora monimenta. Et Moses in hac prima ætate mundi, obiter tantum, & quasi aliud agens res impiorum attigerit. Quibusdam visum est genitum Henochum cum ciuitas conderetur, vt ea occasione ab illo nomen acciperet. Quam sententiam non planè improbat S. August. [f], quia non putat Henochum fuisse Caini primogenitum. Verum quoniam credibile est Cainum multorum iam non solum liberorum, sed etiam nepotum ante Henochum, centum minimùm annis, parentem factum esse, nullo modo arbitror initium ciuitatis huius vlterius, præsertim ad tertium, aut quartum seculum cum aliquibus, esse differendum. Sed ad tertium circitet Mundi Iubilæum pertinere, quo Henoch pueritiam egressus, partem comitari studiosius, eique ita placere cœperit, vt illius nomine ciuitatem recens conditam insignitet. Vt ibidem innuit S. Augustinus. Hanc etiam dilationem suadet, quod conueniat illam Dei prophetiam, *Vagus & profugus eris super terram*, fat multo tempore comprobari: Itaque Iosephus ait [g] eum multas regiones cum vxore, & reliqua scilicet familia, emensum esse.

e Gen 4. 17.

I. Prima ciuitas Henochia.

f l. 15. de Ciu. c. 8.

Quando condita.

Causas conditæ ciuitatis huius referre possumus duas, alteram inditum à Deo metum propter admissum scelus; cum ergo timeret, & fugeret nemine persequente, receptaculum, & quasi perfugium sibi construxit ac suis. Fortassis etiam tutum se à feris præstare voluit, si homicidam diuino instinctu persequebantur: Altera fuit, vt eo congereret quæ per vim ac latrocinia ipse, suique congregarent, quæ videtur Iosephi [h] mens, de Caini moribus, post Abelis cædem loquentis. Fratres videlicet suos Adamo genitos, eorumque filios ac nepotes latrocinijs vexare potuit: à quibus non tantum habitatione secretus erat, sed om-

Nec illud necessario. &c.

g l. 1. Ant. c. 2.

II. Quibusque de causis.

h l. 1. Ant. c. 2.

nium

ni vitæ consuetudine, tanquam à cæteris gladio huiuscè excommunicationis abscissus. Nec decrat rapinis materia, si non deerat timido rapiendi voluntas, terræ fruges, arborumque comportati fructus, armenta gregesque pecorum, eorumque pelles ac lanæ, rusticum insuper ac domesticum instrumentum, aliáque id genus.

III. Separatio Cainitarum à cæteris Adamitis.

Illa porro quam dixi separatio Cainitarum à cæteris Adamitis, Scripturæ Patribusque admodum consentanea est, sic vt omnes probi, iustitiæ cultores cum Adamo viuerent, qui à Scriptura [i] filij Dei appellantur; cæteri Caino geniti non dissimiles parenti, cum ipso morabantur, & filij hominum à Mose dicuntur, nec vlla erat inter eos, vt dixi, communicatio, vsque ad tempora vicina diluuio, quando iuncti coniugijs, eorum consuetudine illis similes effecti, eadem cum ipsis eluuione perierunt. Theodoretus [k] enim agens de Setho, & filijs eius. *Illi igitur*, inquit, *tanquam pij & boni cognominati sunt filij Dei. Separatum enim erat genus Sethi & non permiscebatur cum cognatione Cain, propter illatam ei ab omnium Deo maledictionem.* Et Procopius [l] ei consentiens, ait non fuisse contracta matrimonia inter Sethi & Caini liberos, tametsi isti illos pellicere non cessarent. Nec alia est [m] Epiphanij sententia.

i Gen. 6. v. 2. 4.

k q. 47. in Gen.

l in c. 4. Gen.

m hæres. 39.

IV. Henochia vbi condita.

Quo porro loco Henochia fuerit condita, nondum diuisis tunc, nominatisque regionibus, non constat, nisi à parte orientali Paradisi, quoniam eò secessisse Cainum memorat Legislator. Ideo qui in Mesopotamia illum constituunt, Henochiam in Assyria collocant, vt Genebrardus. Nam anni Viterbiensis fabulas missas facimus. In ea ciuitate quasi reges dominatos fuisse septem illos, qui à Scriptura de Caini progenie numerantur suspicatur Augustinus: nec affirmat. Meritò. Neque enim credibile est Cainum, qui vsque ad septimam progeniem vitam produxit, tam modestam, atque alienum ab ambitione fuisse, vt filijs, aut nepotibus imperio cedere voluerit.

An in ea reges.

n l. 15. de Ciu. c. 20.

V. Institutio Sethi.

De Sethi porro institutione puerili, quæ in hoc tempus cadit, hæc habet Iosephus [a]. *Hic à patre educatus, vbi ed ætatis venit, vt tam quod rectum est discernere valeret, virtutis studijs se totum dedidit: & cum ipse vir optimus euasisset, etiam nepotes sui similes post se reliquit.* Sic ipse. Et sane par erat eum, qui sanctissimo Abeli à Deo substitutus esset, qui secundum Adamum Ecclesiæ Dei, & ciuitatis Sanctorum caput erat, qui Christi Domini figura, etiam vitæ rudimenta ac fundamenta ponere, quæ tali fastigio responderent. Corpore quoque vehementer auctum esse, credere par est, si Methodio credimus, qui eum gigantem vocat, vt refert Raderus noster in chronico Alexandrino; & num. 5. refert ex fragmento cuiusdam Chronici ex Palatina Bibliotheca, Sethum quadragesimo anno ætatis subito raptum ab Angelo, & 40. diebus non fuisse vitum, eóque tempore diuinitus didicisse filios suos peccaturos, & Mundum aquis inundatum iti, ac præter paucos, periturum. Venturum etiam salutis authorem Christum, eáque parentibus exposuisse. In illo autem cum Angelo congressu cælesti splendore circumfusum, quem per reliquam vitam tenuerit. Quæ non sine causa veretur Raderus, ne ex Sethianorum hæreticorum libris excerpta fuerint, qui raptum ferebant Sethum, vt refert Epiphanius [b].

a l. 1. c. 3. Antiq.

Sethi raptus.

Suspectus. b hæres. 40 quæ est Archontici eorum.

ANNVS MVNDI, ET ADAMI 130. SETHI 5o. ANTE CHRISTVM 3873.

NOn inuenimus, sed elegimus hunc annum Sethi quinquagesimum, quem ipsius coniugio probabiliter dicaremus, quod erat tempus floreſcentis ætatis, aut si placet maturescentis primorum illorum Patriarcharum, quorum senectus vix post nongentos annos in vitæ huius stadio decursos, perueniebat ad metas. Eius coniugem Azuram vocat Epiphanius [c], ipsius Sethi sororem, eodem partu genitam. Ex ea porrò plurimos genuisse filios ante Enos, de quo mox dicetur, arbitramur. Is enim qui primus & solus in scriptura de filijs Sethi nominatur, primogenitus non dicitur. Omninò que assentimur Augustino [d] dicenti sibi credibilius videri primogenitos filios non commemorari à Scriptura hoc loco, sed quos successionis ordo poscebat, vt perueniretur ad Noë, à quo rursum ad Abrahamum videmus esse peruentum.

I. Sethi cõiugium & liberi.

c hæres. 39

Scripturâ non põit in catálogo primogenitos.

d l. 15 de Ciu. c. 16.

ANNVS MVNDI, ET ADAMI 230. SETHI 106 ENOS 1. ANTE CHRISTVM 3817.

VIxit Sethus centum & quinque annis, & genuit Enos, vt Moses [e] scriptum reliquit, quos si meminerit lector nos numerare absolutos, vt ante monuimus [f], non mirabitur Sethi centesimum sextum cum primo Enosi concurrere, sicut Sethi primus, centesimo trigesimo primo Adami congruit. Iam quod ad nomen noui huius Patriarchæ attinet, habemus eum à patre appellatum Enos, quæ vox hominem quidem significat, sed vt linguæ sanctæ peritiores affirmant, hominem miserum & ærumnosum, aut *virum dolorum & scientem infirmitatem*, vt de Messia dixit Esaias [g]. Quod videtur referendum ad molestias, quas tum Sethus cum suis à Cainitis patiebantur, quas suspicari quidem possumus ortas ex historia certò affirmare non possumus. Illud quidem constat perpetuum fuisse seculis omnibus, vt probos improbi varijs modis diuexarent. A diuina quippe prouidentia decretum est, vt non sine lucta in eius famulatu suscepta, bratium obrineamus, nec sine certamine triumphemus. Posuit enim æternam felicitatem, [h] *coronam iustitiæ, quam reddet nobis Dominus in illa die iustus iudex.*

I. Ortus Enos. e cap. 16. f a. m. 131. n. 1.

& ratio nominis.

g c. 53. n. 3.

h 2. Tim. 4. 8.

ANNVS MVNDI,
ET ADAMI 250.
SETHI 120. ENOSI 15.
ANTE CHRISTVM 3803.

HVnc quinti Iubilæi annum elegimus, in quem referremus illa Scripturæ verba, non minus ad Enosi laudem illustria, quam ad intelligendum obscura i, *Iste cœpit invocare nomen Domini.* Quòd eo tempore, quod nunc agebat Enos, radij luminis naturalis, & diuini clarius ineipiunt emicare. Et quoniam illa Mosis oratio multas ingerit difficultates, quæ à nobis quantum licuit in annalibus illustratæ sunt k, hic breuiter dicimus, Enosum dici id cœpisse, quod maiore quam antea studio, ac pietate fecerit: quomodo Noë dicitur cœpisse exercere terram, quam constat ab Adamo, & Caino agricola cultam, quia maiore quam ante studio atque industria eam coluit, vineasque plantauit. Sic de Nembroth dicitur, ipse cœpit esse potens in terra; potentes vtique fuerant gigantes ante diluuium, sed iste cœpit ingeniosius exercere dominatum à diluuio. Sic ergo Enos dicitur cœpisse inuocare, id est excellentius quam vulgò tum fieret, prædicando, verbi gratia, vel certas ceremonias, & precum formulas adhibendo, ex institutione patris sui: quæ videtur expositio omnium maximè probabilis, estque Ruperti, Lyrani, Abulensis, Lipomani, Del-Rio, Vatabli, Emmanuelis Sa, & nouissimè Boulducij. l

I. Qui Enos cœpit inuocare nomen Domini. i *Gen* 4. 26.

k *a m.* 250. n. 2. *& seqq* l *de Eccl. ante legem l.* 1. c. 10. *p.* 84.

l *de Eccl. ante legem l.* 1 c. 10. p. 84.

ANNVS MVNDI,
ET ADAMI 326.
SETHI 195. ENOSI 91.
CAINAN 1.
ANTE CHRISTVM 3727.

NOnagesimo Enosi anno absoluto natus est Cainan, quem propterea ineptum sit existimare Enosi primogenitum, etsi id Scriptura tacuerit. Cæterum cum Caini posteritas ita à Scriptura notata sit, vt tamen quantum quisque illorum vixerit non sit notatum; si personæ personis, & generationes generationibus componantur, Sethus Caino, pater scilicet Dei, patri filiorum hominum, Enos Enocho, inuocatur Domini, dedicatori terrenæ ciuitatis: & Cainan Irado, & Malaleel Mauiaëlo, & Iared Mathusaëlo, & Henoch, qui translatus est, polygamo Lamecho, qui Cainum reproborum patrem imprudens occidit, sibi è regione respondebunt. Quid autem ab istis tot annis gestum fuerit, ignotum nobis esse voluit diuina Sapientia, quæ aliquando in conspectu omnium mortalium omnia manifestatura est, cum a *cuncta adducet in iudicium.*

I. Ortus Cainan.

Responsus Patriarcharum

In Cainæ porro filio Malaleele, qui septuagenario patre natus est, aut in huius filio Iaredo, qui patre quinque annis minore ortus est, nihil est quod properantem Lectorem, scriptoremve remoretur.

a *Eccl.* 11. *fi.*

ANNVS MVNDI,
ET ADAMI 500.
SETHI 370. ENOS 265.
IAREDI 40.
ANTE CHRISTVM 3553.

ETsi in hac rerum ieiunitate currimus, Lector, vt vides, decimum tamen hunc Mundi Iubilæum notare placuit, de quo referente Radero ita scribit Methodius. *Quingentesimo anno in prima mundi chiliade, filios Cain abusos fuisse vxoribus fratrum suorum in fornicationibus nimijs.* Quod caue ad hunc præcise annum referas, sed ad eos quoque qui aliquot forte decurijs vel præcedunt, vel subsequuntur. Quod autem primum mundi millenarium, anno Iaredi quadragesimo, quem præfert anni huius index, pertransisse ait, id referre oportet ad Septuag. interpretum, quam Methodius sequitur, supputationem: in qua annus mundi millesimus exactè in Iaredi quadragesimum cadit. A qua vides Hebræam & vulgatam Scripturæ chronologiam toto semisse distare. Scribit idem Methodius sexcentesimo anno primi millenarij homines sexus vtriusque valde in libidinem fuisse profusos: id est, circa duodecimum mundi Iubilæum.

I. Decimus Iubilæus.

230. *Ada.* 230. *Seth* 190. *Enos.* 170. *Cainan* 165. *Malaleel.* 40. *Iared* 1000.

ANNVS MVNDI,
ET ADAMI 623.
SETHI 493. HENOCHI 1.
ANTE CHRISTVM 3430.

VEl ex hoc maximè loco refelluntur Hebraicæ nugæ de solis primogenitis in hac Patriarcharum serie recensitis. Quis enim credat in tantis viribus, & fœcunditate naturæ, Iaredum 162. annis liberis caruisse? Sed hæc alibi quoque disputata omittamus. De his temporibus scribit Epiphanius initio Panarij, peccata quidem plurima abundasse, hæreses tamen necdum orco extulisse nefandum caput. Hoc porro anno natus est Henoch, ab Adamo septimus, vir admodum illustris, sacrisque vtriusque Testamenti litteris celebratus, sed eæ laudes ad vitæ progressum, finemque pertinent, ad quos etiam locos commodius differentur. Hoc tantũ dicamus, cum Henoch dedicationem significet, quod nomen à pijs patentibus accepit in ortu suo, non leuem suspicionẽ dare existimandi eũ peculiari desiderio aut voto fuisse oblatũ Deo.

I. Primogeniti nõ sunt positi in catalogo Patriarcharum.

Enochi ortus & ratio nominis.

Idque

Idque secuta deinceps vita, in qua ambulauit cum Deo, & translatio, qua eum Deus quasi suum mortis immunem ad se transtulit, non obscurè demonstrat. Hoc munus iampridem debebatur Deo à filijs Dei, quando ante tot annos filij hominum, in condenda ciuitate hominem dedicauerant [b] mundo.

[b] Aug. l. 15. de Ciu. c. 17. & 19.

ANNVS MVNDI,

ET ADAMI 688.

HENOCHI 66.

MATHVSALÆ 1.

ANTE CHRISTVM 3365.

I. Enochi & Lamechi comparatio.

COncurrunt hoc quoque tempore duæ quasi bigæ familiarum duarum, videlicet filiorum Dei, & filiorum hominum, sub earum principibus Enocho & Lamecho, quorum ille ambulat cum Deo, hic vxoris vnius vinculis ferreis [c] non contentus, duabus alligatur. Ille mortis penè victor, & immortalitatis candidatus transfertur ad Deum: hic primi vltor parricidii pœnam expectat septuagies septies. De illo tria Scriptura tradit, vitæ sanctimoniam, viuendi apud nos finem, & scripta posteritati tradita. De hoc tum polygamiam ab ipso siue ortam, siue vsurpatam, tum agnitionem admissi facinoris apud vxores

[c] Aug. in Ps. 149. fi.

II. Enoch ambulat cum Deo.

Quod ad Henochum attinet, huius loci ac temporis est in primis singularis illa commendatio, qua dicitur ambulasse cum Deo, id est, vt explicant Septuaginta, εὐηρέστησε τῷ θεῷ, placuit Deo, vt habetur etiam apud Iesum Siracidem [d], & Apostolum [e], & Eusebium [f], alioſque passim [g]. Nimirum idipsum iam tum docebat Enochum Spiritus sanctus, quod postea Michææ [h] Prophetæ dictauit. *Indicabo tibi, ô homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te, vtique facere iudicium, & diligere misericordiam, & sollicitè ambulare cum Deo tuo.* Id est sanctè, inculpatéque viuere, eius non solum amicitia, sed etiam præsentia, & familiaritate frui: progressum in via virtutis perpetuo facere angelicam denique in terris vitam agere. Hæc enim in illa metaphora continentur, vt docet Eusebius eodem loco. Itaque in sanctissimorum quorumque virorum laude, eam phrasim Scriptura vsurpauit.

[d] Eccl. 44. 16.
[e] Hebr. 11. 5.
[f] De præp. l. 7. c. 8.
[g] Iren. l. 4. c. 30.
[h] c. 6. v. 8.

Quidque id sit.

III. Eadem locutio cur iterata.

Quod autem semel iterumque eadem sententia in Enocho vsurpata est, visum est Chrysostomo [i] ita factum, ne quis arbitraretur obstaculum virtutis esse coniugium. Siue, vt vult Caiet. ad explicandum, Enochum ab ineunte ætate in via Dei profecisse, & perseuerasse proficiendo ad finem vsque. Alij probabilius existimant subintelligi posteriore loco, *inquam*, hoc modo, *Ambulauit Henoch cum Deo, & vixit*, &c. *Ambulauit*, inquam, *cum Deo, & non apparuit*, &c.

[i] hom. 21.

Cur dictus exemplum pœnitentiæ.

Nam quod scribunt Procopius Gazæus, & Philo de Enochi pœnitentia, videri possunt secuti Ecclesiasticum apud Septuag. interpretes [a], *Et translatus est exemplum pœnitentia generationibus*, sed eius mentem non sunt assecuti. Mens enim Scripturæ est in eo loco, Enoch fore exemplum pœnitentiæ, non quo modo Dauid, aut Manasses, Petrus aut Magdalena, sed quo modo Iohannes Baptista, qui vita & lingua prædicabat hominibus pœnitentiam. Quod significatur in vulgata, in qua legitur, *vt det gentibus pœnitentiam*, aut certe, vt exponit Iansenius, significatur eum translatum, qui dum viueret erat omnibus exemplum pœnitentiæ, ad eamque agendam, omnes verbo exemploque adducebat.

[a] c. 44. 16. Καὶ μετεθέτη ὑπόδειγμα μετανοίας τοῖς γενεαῖς.

Venio ad Lamechum Caini sobolem, quem huc series generationum adegit: & hunc illi locum Hebræi quoque aſcribunt, quos refert Genebrard. qui & existimant Cainum à Lamecho pro fera occisum sub annum vitæ illius septingentesimum. Is autem hoc primo anno Mathusalæ, à septingentesimo tredecim tantum annis aberat. Hic Lamech non ille est Noëmi pater, ab Adamo nonus, sed filius Mathusaël, à Caino atauo sextus; quem aliqui Lamech, quasi Melech, per metathesim dictum putant. Hic est Lamech, in quo polygamia primum notatur, etsi fortasse non primus eam attentauit: polygamia inquam, non successiua, sed quæ plures simul vxores ferat: quod ipse apertè prodit, qui duas simul alloquitur, Hieronymus [b] eum primum digamum vocat, & ex ipso alij, quia in eo primum polygamiæ Scriptura meminit. Cæterùm qui hunc Lamechum acerbius insectantur, prouidere debent, ne ijsdem telis Abrahamum, Iacobum, Dauidem petant. Ideóque existimandum est illum, vt profanum hominem, nullo diuino monitu, aut dispensatione vsum: cæteros autem pios ac religiosos viros, non item.

IV. Lamech Cainita.

Polygamus.

[b] l. 1 contra Iouin. & Epist. 9. 11. 125 ad Dama.

Facinus porro Lamechi obscurè traditur, nititur autem historia ex Hebræorum traditione petita, quæ omissis quibusdam ineptijs, quæ diluuntur in Annalibus, sic habet. Cain iam admodum senex: vrbe Enochia animi gratia aliquando egressus, syluamque ingressus, inter densissima arbusta consedit. Lamech autem venationi deditus, eo tempore in sylua illa vagabatur, cum vnus de Lamechi famulis, ex foliorum & ramorum agitatione suspicatus illic feram latêre, herum admonuit, qui puero temerè fidem habens, iaculum in eum locum destinat, eiaculatur, & miserum lethali iaculo configit. Mox autem errore animaduerso, subita incensus iracundia, famulum obuio fuste vel arcu contrucidatum, & vibicibus oppletum relinquit: qui paulò post ex plagis, & contusione interijt. Quæ cum vxores accepissent, neque enim res tanta latêre poterat, timuerunt magnum aliquod toti familiæ infortunium, non ignaræ vulgo iactatæ comminationis Dei, aduersus eum, qui Cainum occidisset. Sed eas consolans Lamech, culpam quidem geminæ cædis agnoscit, & diuini oraculi repræsentat minas, quibus graui pœna Caini occisorem punitum iri contestatus fuerat: verum si quis Lamechum occiderit, multo grauius supplicium luiturum affirmat, nec immerito. Cainum enim iustius quam se interfici potuisse: quippe qui sciens & prudens

V. Caini cædis historia probabilis.

frattem interfeciſſet innocentem, ipſe autem per imprudentiam hominem nocentiſſimum peremiſſet. Ille maligno odio atque inuidia tabeſcens frattem ætate florentem ſuſtuliſſet, ipſe ex ſubita iracundia adoleſcentulum in flagranti crimine deprehenſum, caſtigare volens occidiſſet.

Iam quod attinet ad Lamechi liberos, quatuor duntaxat Scriptura memorat, Ioſephus autem 7. & Septuaginta, ex duabus ſuſceptos vxoribus; quod minime abſurdum eſt, cum poſt tot ſecula Gedeonem[a], ſeptuaginta filios ex pluribus vxoribus genuiſſe legamus: neque Achabum[d] regem pauciores. Nec tamen ille filiorum numeros ſatis conſonat ijs, quæ legimus apud S. Hieronymum[c]. *Referebat*, inquit, *mihi quidam Hebræus, in apocryphorum libris ſeptuaginta animas ex Lamech progenie reperiri, quæ diluuio deletæ ſint; & in hoc numero de Lamech factam vindictam, quod genus ipſum vſque ad cataclyſmum perſeuerarit.* Non conſonat inquam ſatis, cùm Ioſephus ſ ipſiuſmet Lamechi filios ponat ſeptuaginta ſeptem: ille autem Hebræus non filios tantùm, ſed nepotes quoque, & pronepotes, denique progeniem totam ex eo propagatam eo numero comprehendat.

Omiſſis porro alijs Lamechi liberis Scriptura binos tantum ex ſingulis vxoribus refert. Ex Ada Iabelem & Iubalem, ex Sella Tubalcain & Noëmam. Quorum omnium primus *fuit pater habitantium in tentoriis atque paſtorum*, id eſt, inuenit introduxitque in mores rationem & viam habitandi in paſtoritijs tabernaculis ad paſcendos greges, vt non incommodè pernoctarent paſtores in paſcuis, & vigilias obſeruarent ſuper greges ſuos. Breuius Ioſephus ait eum conſtruxiſſe tentoria, & vitam paſtoritiam adamaſſe. Iubal Iabelis vterinus frater pater fuit canentium cithara & organo, id eſt Ioſepho interprete, muſicæ operam dedit, pſalteriumque & citharam inuenit. Videtur vulgatus interpres omnia inſtrumenta muſica voluiſſe comprehendere, ſiue flatu, ſiue tactu reſonent: cum præſertim propria nomina inſtrumentorum illius ævi parum nota ſint. Hæc porro inſtrumenta non ignota videntur fuiſſe Adamo, ſed vt in luctu, in quo perpetuo vixit, non vſurpata. Interim autem à Cainitis excogitata, in vſumque vocata.

Tertius Tubalcain Sellæ & Lamechi filius *fuit malleator, & faber in cuncta opera æris ac ferri.* Textus Hebræus facit hunc eximium in acuendo & poliendo ære ac ferro: vt intelligamus non fuiſſe ipſum inuentorem æris ac ferri, quibus Adam & Cain ad colendam terram, Abel ad excoriandos agnos iampridem vſi fuerant, vt Caietano placet, ſed ea metalla, ad varios vſus, malleo in laminas produxiſſe: propterea videtur Ioſephus hoc artificium ad arma militaria traduxiſſe. Reliqua eſt Noëma, de qua, ait Lipomanus, incerto autore ferturam texturæ artem inueniſſe. Id affirmat Genebrardus, atque quod ingenioſa eſſet mulier à Scriptura præter conſuetudinem fuiſſe nominatam. Neque propterea cum Tertulliano[a] pugnabimus, qui alios lanificij autores ex profanis ſcriptoribus recenſet, Minervam, Arachnem, Mercurium; Nec Plinium[b] falſi arguemus, qui Ægyptis textilium inuentionem tribuit; cuidam autem Cyniræ Agriopæ filio metallorum æris in inſula Cypro. Nihil enim obſtat, vt alibi dictum eſt, eandem rem, diuerſis in locis ac temporibus, à diuerſis inuentam fuiſſe.

ANNVS MVNDI,

ET ADAMI 875.

MATHVSALÆ 188.

LAMECHI 1.

ANTE CHRISTVM 3178.

PRimus eſt hic Lamechi annus, qui cum Mathuſalæ, patris ſui anno 188. concurrit, cum 187. eiuſdem genitus fuiſſet, vt habet Scriptura. Africanus quoque, vt refertur in chronico Alexandrino, Hebræam & Latinam chronologiam apertè confirmat, tametſi Græcam ſequi ſoleat, atque accurata Geneſeos volumina oſtendere à Mathuſala 187. annos nato Lamechum fuiſſe procreatum. Idemque habet Ioſephus, & Euſebius[c], & Nicephorus Conſtantinop. Quo poſito iacet illa obiectio de Mathuſala quatuordecim annis diluuio ſuperſtite. Habemus ergo hic alterum Lamechum non mulieroſum & homicidam, ſed pium & inſignem in filijs Dei, cuius probitas in ſanctiſſimo Patriarcha Noë filio eius ſe prodit, qui & à patente ſuo Mathuſale pietatem hauſiſſe creditur. Is enim apud veteres Hebræos[d], à iuſtitia, ſapientia, & multarum rerum cognitione commendatur.

I. Lamechi ortus.

c *In exordio libri.*

d *Genes. ex R. Abraam in fuſc. myrrha.*

ANNVS MVNDI,

ET ADAMI 930. & vlt.

SETHI 800. LAMECHI 56.

ANTE CHRISTVM 3123.

ADeſt aliquando nobis annus ille, quo longiſſima primi parentis pœnitentia, fœlici exitu terminatur; quo veritas diuinæ ſententiæ, quo improbiſſimi dæmonis calumnia, circa hominum mortalitatem, digito tangitur. Moritur enim hoc anno primus homo, triginta ſupra nongentos natus annos, cum nullam neque infantiam, neque puritiam, neque adoleſcentiam tranſegiſſet, vt qui in ætate perfecta, atque ad generandum habili procreatus fuiſſet. Quod ſi eorum temporum pubertas proportione durationis reliquæ vitæ ſera erat, productuſque eſt Adam inſtar quinquaginta, vel 60. annorum, [e] vt aliqui non improbabiliter ſentiunt, dicendum profecto erit illum poſteros omnes ſuos, ſi non vitæ diuturnitate, certè ſenectute ſuperaſſe. Vidit autem poſteritatem ſuam vſque ad nonam, aut etiam decimam generationem, ſi Lamech anno

I. Obitus Adami.

e *Pere. in Gen. l. 7. n. 100. & ſeq.* Ad decimam generationem

vitæ sexto & quinquagesimo, quod valde credibile est, factus erat parens liberorum, qui silentio cum multis alijs prætereantur, quòd ad seriem Noëmi, Abrahæ, Dauidis & Christi Domini non pertinerent.

II. Multitudo liberorum eius.

Ingentem porrò liberorum manum, ac propemodum exercitum, ab Adamo ipso generatorum, admodum probabile esse dixerit, qui ætatis eius longinquitatem, qui robur corporis ac vigorem, qui tot terrarum ad ortum & occasum, ad austrum & septentrionem iacentium hominibus replendam solitudinem, qui desiderium satisfaciendi diuinæ voluntati, & augendi numerum filiorum Dei, quo flagrabat Adamus, attente consideraverit. Hoc tamen desiderium quasi infusa frigida reptimebat, & penè restinguebat multiplex animi eius mœror, quem alio loco [f] depinximus, multiplexque luctus in varijs liberorum casibus, qui in eius maximè caput redundabant: eo quod mortales omnes, etsi Cainitæ separati erant, vna quasi eius familia, dum adhuc erat in viuis, continebantur. Accedebant studium pœnitentiæ, vt ipsius ope ne pace aliquando è corpore dimitteretur, & [g] *educeretur à delicto suo.* Reprimebat etiam fortasse metus ille, ne filios gehennæ, & tenebrarum, pro filijs lucis produceret in lucem.

f m 2.n. & 6.

luctus iusdem.

Sap.10.

III. Reditur a pœnitentia.

& salus.

Cæterum quod ad Adami, quam dixi pœnitentiam, & luctum attinet, illum non solum sub mortem, sed toto etiam vitæ tempore pœnitentiam egisse de peccato suo, & salutem consecutum nunc omnes æquè consentiunt: etsi id olim hæretici Tatianitæ negauerit, quos eo nomine accusat S. Irenæus [h], Augustinus [i], & Epiphanius [k], Rupertus autem [l], etsi Tatianum agnoscat hæreticum, non dubitauit tamen dicere *saluationem Adami, & à multis libere negari, & à nullo satis firmiter defendi.* Ea tamen tuto nunc ab omnibus catholicis, certóque asseritur, validéque defenditur, cum id diserte asserat Scriptura canonica, quæ ait diuinam Sapientiam [m], *primum hominem eduxisse à delicto suo*, Eundem fuisse communem totius Ecclesiæ sensum, etiam D. Augustini tempore, idem Sanctus Doctor aperte testatur [n]: & quicunque assertionem de Adami damnatione, inter errores & hæreses Tatianorum & Encratitarum numerant, in quibus eminet Sanctus Irenæus [o], qui illum errorem blasphemiam vocat, atque Adamum diuinam sententiam, & pœnitentiam sibi impositam æquo, atque humili animo subiisse. Sed concludamus hunc locum eiusdem Sancti Patris elogio. *Erubescant*, inquit, *omnes, qui à Tatiano sunt, & concertant de Adam, quasi magnum aliquid lucrentur, si ille non saluatur.* Et mox. *Sic & si qui contradicunt saluti Adæ nihil proficiunt nisi hoc, quod semetipsos Hæreticos, & Apostatas faciunt veritatis, & aduocatos se serpentis, & mortis ostendunt.*

h n.7.8. & seq. ex Tertulliano. Irenæo.

c dic. 7.n. 5. Cypriano

Origene. Basilio. d tr. 35. in Matth.

e inc.3. Esa.

V. Epiphanio.

Athanas. Chrysost. Ambros. Augusti.

f Ep.17. ad Marcel. Hieronymo quoque.

Translatio Lipsanorum eius.

g In c.vlt. Iosue n.32.

h vide Annal. a. 930.n.10.

VI. Adami ad suos monita.

Sed iam locum sepulturæ Adami perquiramus. Nam eum S. Hieronymus [z], & aliqui eum secuti ambiguum reddiderunt: cum plerique omnes antiqui Patres magno consensu sepulchrum eius Hierosolymis, adque adeo in ipso Caluariæ monte collocent, quorum verba ipsa in Annalibus [b] fideliter protulimus; vbi primus sententiam dicit Tertullianus in carmine contra Marcionem, vbi ait eodem die & loco mortuum & sepultum, tam primum, quàm secundum Adamum. De die quoque & loco consentit Irenæus, quem supra retulimus [c] cum de mora Adami in Paradiso ageremus. Cyprianus de Resurrectione Christi, *Nos*, inquit, *ad Christum pertinentes, cuius sanguine conspersa creditur Adami Caluaria, qui sub loco, quo crux Domini fixa est humatus traditur ab antiquis*, &c. Cuius traditionis diserte meminit Origenes [d], S. Basilius [e], qui ante dixerat eiectum paradiso Adamum in Iudæa consedisse; *Prima etiam*, inquit, *mortuum hominem excepit, qui & illiceam, cui addictus fuerat, sententiam condemnationis plene est executus.* Subdit inde pluribus os capitis de fluente carne, nudum in loco reconditum, qui inde cranium, siue Caluaria nomen acceperit. Eius autem rei famam ab ipso Noë à diluuio fuisse propagatam.

Sanctus Epiphanius apertissimè ait se in libris reperisse Christum Dominum in Golgotha crucifixum esse & nô alibi, quam vbi corpus Adami iacebat. Accedit & S. Athanasius in fragmento de Christi Passione, S. Chrysostomus initio homiliæ 84. in 19. Iohannis, D. Ambrosius in ea verba Lucæ, *Qui vocatur Caluaria.* Idem habet S. Augustinus ser. 71. de Tempore. Nec retulisse contentus etiam approbans subdit. *Et vere fratres non incongruè creditur, quia ibi erectus sit medicus, vbi iacebat ægrotus: & dignum erat vbi occiderat humana superbia, ibi se inclinaret diuina misericordia: & sanguis ille pretiosus etiam corporaliter pulueres antiqui peccatoris dum dignatur stillando contingere, redemisse credatur.* Addamus etiam D. Hieron. [f] etsi alioqui proniorem in eam opinionem, quæ communi contraria est. *In hac vrbe*, inquit, *imò in hoc tunc loco, & habitasse dicitur, & mortuus esse Adam, vnde & locus in quo crucifixus est Dominus noster Caluaria appellatur, scilicet quod ibi sit hominis Caluaria condita, & secundi Adam, id est Christi sanguis de cruce stillans, primi Adam, & iacentis protoplasti peccata diluerit.* Verum de hac traditione pro instituto satis, si addidero Iacobum Edessenum apud Andræam Massium [g] referre Adami ossa, ne diluuio perirent, à Noë in arcam translata, & inde Semo, cui Syria in terrarum distributione obtigerat, commendasse, ab eóque in Caluariæ monte fuisse condita. [h]

Nunc illud videndum est, quod maiori etiam mihi videtur probabilitate niti, Adamum moribundum [illegible] præcipuos quosque filiorum ac nepotum, qui viderentur capita familiarum, ad se conuocasse; quod posteriora exempla, quæ ex ipsius instituto expressa merito videri possunt, & ratio ipsa satis docet. In eo cœtu, prænunciata, quæ sibi immineret, migratione ad Abelem dilectum suum, apparet eum exposuisse compendio, tam suam, quàm totius humani generis cladem, & promissam sibi suisque redemptionem, & verum Mundi principem Doctorem & Seruatorem Messiam, in cuius vnius venturi fide, ac spe salui esse possent. Illum vt Dei filium adorarent, vt summorum bonorum largitorem diligeret, vt pacis Deum inter & homines conciliatorem atque interpretem, de Sethi progenie nasciturum sperarent, illius vnius ope se ex Tartari faucibus ereptum iri crederent: eum

in quo versatur. Si quis enim aliquando mortalium grauioris luctus causam habuit, is maximè habuit, qui posteritatem suam omnem, quasi capite damnatam morte mulctarat: tantóque magis lugere debuit, quo illa posteritas maior futura erat, pluresque ad æternam miseriam præsciti. Fuit autem hic luctus, non paucorum dierum aut mensium, sed multorum omnino seculorum, nec prius quam vita lugentis finem accepit. Sed vlterius etiam propagatus est. Nam in illo versabatur Lamech in natiuitate Noë, post mille & 57. annos à lapsu Adæ

q *vide an.* 1057. r *Rom.* 7. 24.

q Et Apostolus r, post quatuor annorum millia exclamat lugens, *Infelix ego homo, quis me liberabit à corpore mortis huius!* Quod si ex reuelatione diuina cognoscebat Dei filium, non solum in carne ad mundi redemptionem venturum, quod minimè dubium est, sed mortem etiam per atrocissima, probrosissimáque supplicia, pro ipsius culpæ expiatione subituram, apparet vtique hinc eum incredibilem quendam luctum, ac dolorem sensisse.

VI. Et quæ illi consolationis materia.

Nec tamen deerat illi consolationis, etiam medio in luctu, materia. Nimirum fruitio plurimorum donorum, tam naturalium, quæ illi singulariter data fuerant, vt principi ac magistro generis humani, quæ peccatum non sustulerat, quam supernaturalium, quæ vera pœnitentia iam restituerat: fidem dico, spem, charitatem, aliaque Spiritus sancti dona. Sed eminebat illa maximè consolatio, quæ ex Verbi Dei incarnatione efflorescebat: ex qua tanta in genus humanum dignitas, vtilitasque redundabat, vt non dubitarit sancta Dei Ecclesia, illud inspirante numine vsurpare. *O felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere redemptorem.* Sed & ipse Adam cum huius diuini mysterij ac beneficij crebro suos admoneret, vt in ea fide, ac spe viuerent, sine qua salui esse non possent, & qua vna omnia ipsorum sacrificia, oblationes, preces, sacramenta niterentur, non exiguum lætitiæ fructum delibabat.

VII. Quomodo liberi ab originis peccato purgarentur.

Denique subeorat illa vtrique parenti consolatio, quam subobscurè innuit mystica hæc nominum impositio, quæ videtur facta cum recens nati filij offerrentur Deo, & per parentum deuotionem ac fidem ab originis culpa purgati, Deo inimici esse desinerent. Constat enim ex communi Theologorum sententia, ante institutam circumcisionem, fide parentum infantes iustificari solitos. Quod si dixerimus fidem illam non potuisse prodesse paruulis, nisi particulari aliquo signo exteriori, puta oblatione vel sacrificio, illis applicaretur, quod esset legis naturæ sacramentum; minime dubitare conuenit quin Adamus diuinitus institutus, id quodcunque vel sacrificium vel oblationem, pro filijs suis, in expiationem peccati originis, magna cum fide & sensu pietatis obtulerit: eandemque factam ceremoniam in filiorum filiarumque natalitijs semper vsurparit, quam mox filij eius ab eo didicerint, atque vsurparint. Quod S. Cyprianus a affirmat. Sed octauóne die, quo die postea instituta circuncisio, & datum nomen infanti? An potius primo, quandoquidem nulla erat ratio differendi, imo conueniebat infantem quamprimum reconciliari Deo, & de filio iræ fieri filium Dei.

a *in lib. de circumcisione.*

ANNVS MVNDI, ET ADAMI III. ANTE CHRISTVM 4050.

HAbet hic annus & plurimi sequentes, quos sigillatim rebus gestis distinguere non possumus, annuam multorum filiorum ac filiarum generationem: vt impleretur quod Euæ in primis ac nominatim dictum fuerat b, *multiplicabo ærumnas tuas ac conceptus tuos.* Neque illud de innominatis filijs ac filiabus, *genuitque filios & filias*, ad ortum vsque Sethi, post annos videlicet & triginta differendum est, etsi id facere videatur Epiphanius, in hæresi, quæ est de Sethianitis c. Rectius enim sentiũt qui pene quotannis geminos, alterum marem, alteram fœminam produxisse putant, vt supra significatum est d. Ex quo intelligi facile potest quantam liberorum turbam Adamus ex vna Eua ipsi nongentis annis genuerit, vtique ad mille & octingentos. Quid si illa tergeminos aliquando tulit ob humorum copiam? Quid si ab alijs quoque mulieribus, filiabus vtique suis, nondum obseruatis cognationum gradibus, liberos suscepit?

1 Multiplicatio filiorum Adami.

b *Gen.* 3. 16.

c. *nu.* 39

d *a.m.* 2. *n.* 2.

ANNVS MVNDI, ET ADAMI X. ANTE CHRISTVM 4043.

HOc ferme tempore credere par est studiosius notatam atque animaduersam à parentibus, Caini & Abelis idolem, in ipsa infantia ac prima pueritia efflorescentem: & ex vna timorem & luctum, ex altera spem & consolationem hausisse. Videbant in Caino non leuiter impressa vestigia peccati sui, qualia probabile est in principe omnium hominum reproborum emicuisse, & in conditore ciuitatis, quæ in peruerso sui amore fundata, & ex omni scelerum genere constructa, ædificaretur vsque ad contemptum Dei. Indolem asperam, querulam, intractabilem, in malum propensiorem, parentibus minime morigeram, & obsequentem, mendacem, sermonibus pijs ægre ac repugnanter aures præbentem, Dei cultum obiter & perfunctoriè vsurpantem, & eorum malorum semina ostentantem, quæ mox magno parentum luctu, & damno ipsius adoleuerunt. Denique e puer erat fortasse ingeniosus, neq; tamen sortitus animam bonam.

I. Indoles Caini. *Gen.* 4.

e *Sap.* 8. 19

Abel contrà mitis erat atque tractabilis, mente candidus, vultu verecundus, lingua syncerus: nihil in eo simulatum, nihil duplex, insignis in fratrem natu maiorem obseruantia, in minores amor, in patrem matremque reuerentia, in Deum religio. Denique ille Esau, hic Iacobum à prima ætatula, tam moribus quam diuina destinatione referebat, vt significat S. Ambros. in libro quem de vtroque conscripsit, Ignorabat hoc quidẽ Adã: neq; enim credibile

II. Abelis indoles.

fc. 2.

est ei sigillatim à Deo vnius prædestinationem, alterius reprobationem fuisse reuelatam: sed indicia quædam vtriusque, qualia nos quoque notamus, facile agnoscebat; nec tamen certi quippiam habebat, quia ignorabat quo vterque statu vitam clausurus esset extremam. In illo ergo priore diuinam iustitiam, vindictam, odium peccati: in hoc altero misericordiam, clementiam, placabilitatem animaduertebat. In illo Dominum ac seuerum iudicem exhorrescebat, in hoc mitissimum parentem amplexabatur: in illo lugens, quæ ventura erant formidabat, in hoc spe gaudens, & quæ tanta indoles promittebat ante præcipiens, se ipse consolabatur. Vtrumque agnoscebat suum, sed alterum quasi peccati sui pœnam, alterum quasi inchoatæ dudum pœnitentiæ fructum minime pœnitendum. Sic Adami vita in duobus hisce filijs luctu lætitiáque alternabatur, dum illi sensim adolescebant, alij identidem pullulabant, Eua perpetuo aut ferente vterum, aut parturiente.

ANNVS MVNDI, ET ADAMI 50. ANTE CHRISTVM 4003.

IN his decurrentium annorum maioribus quasi saltibus, placet in primo Mundi Iubilæo gradum figere, illumque Eusebium f imitando notare: in quo duorum fratrum ætas maturitatem quandam erat assecuta: & implebatur illud, fuit autem g, *Abel pastor ouium, & Cain agricola.* Cæterùm Cain tametsi bonum semen domesticæ institutionis à parente Adamo quotidie accipiebat, ob terræ tamen propriæ malignitatem, infœlix lolium, atque adeo spinas & tribulos germinabat. Qualia vero fuerint eius vitia, non obscurè docuit Iudas Apostolus h, cum enumeratis varijs quorundam hæreticorum sceleribus, subdit, *Væ illis qui in via Cain abierunt*: id est ipsam Caini viuendi rationem secuti sunt. Ergo isti Pseudoprophetæ Caini peccati in vita sua repræsentarunt, quæ idem Apostolus, & ante eum S. Petrus i seuerissima oratione accusarunt; superbiam, gulam, auaritiam, luxuriam maximè, blasphemiam, abnegationem fidei, introductionem sectarum perditionis, atque blasphemiæ. Præter illa minora, *murmuratores, querulosi, secundum desideria sua ambulantes.*

Hæc porro vitia si non omnia in hoc tempus, in reliquam certe vitam quadrare, partim sequens Scriptura declarabit, partim fœdissima Caianorum vita, quam scribit Epiphanius k, satis ostendit; vtrique enim eundem præceptorum diabolum habuerunt, quod de Caino significat Iohannes l, cum ait eum ex maligno fuisse. De illis autem nihil amplius dicam; quam eam inter ipsos viguisse opinionem, quam fœdissimus quoque Carpocras docuit, non potuisse quemquam saluari, nisi per omnia scelerum genera cucurrisset. E quibus peccatis Caino maxime conuenit, introductorem esse sectæ perditionis & blasphemiæ, vt primum perditionis filium, imò omnium generis humani perditorum caput. Iosephus illum accusat auaritiæ, D. Ambrosius negligentiæ in diuino cultu: possumus etiam vosgulæ in esu carnium introducto, sed alius erit ea de re dicendi locus a.

a *ann. m. 1657. n. 8 &c.*

III. Abelis sanctitas ingrata fratri.

Abel interea vir sanctus & iustus, hoc quippe illum cognomine Christus Dominus honorauit, maiora in dies ponebat incrementa virtutum, Deo probatus & hominibus: quippe quem iuuabat, propter mansuetudinem, cedere potius quam superare, & iniuriam accipere quam inferre. Et quoniam amabilis est virtus ipsa per sese, in parente Adamo mirabiles excitabat amores sui, & vtique debebat in fratre. Illius enim sanctitas, si qui recte saperet, in huius gloriam redundabat. Ipsa tamen lenitas contemptum, & dissimilitudo morum paulatim auersionem, in malo Caini animo gignebat, quæ facile occasione data in inuidiam, atque odium capitale prorupit. Cuius hæredes Caiani hæretici, *cum tenebrarum sint amatores*, inquit Epiphanius b, *& malefactorum imitatores, ipsum Abel odio habent, Cain vero diligunt.*

b *Hæresi. 38.*

IV. Artes doctore Adamo exercentur.

Pertinere etiam videtur ad hoc tempus, quo incipiebant Adami filij atque discipuli multiplicari, tam agriculturæ & panificij, quam lanæ lineique textus opificia; architecturæ item, cæmentariæ, & lignariæ praxis atque frequentatio, vitæ necessitate inuitante, sicut & instrumentorum, quibus huiusmodi artes recte exercentur vsurpatio, Adamo scilicet inuentore atque opifice; neque enim peccatum, istarum illum rerum reddiderat imperitum, & ad vsum necessitas, pudorque nuditatis impellebant. Quis autem iure dubitare possit, in latissima illa rerum cognitarum sylua, primo homini, posterorum suorum magistro, diuinitus patefacta, illa quæ dixi artificia, ad victum vestitumque necessaria, fuisse contenta? Adde solertiam industriamque singularem, quali decebat illum esse præditum, quem Deus ipse interius exteriusque, ad omnem animi vsum, aptissimè conformasset, quique ætatem vixit, quæ infinitæ pene experientiæ par esset. Quamquam infra mediocritatem potius, vt in luctu & pœnitentia, quam supra mediocritatem eum ædificasse, aut vestibus cæteràque supellectili vsum esse crediderim.

V. Scientiæ quoq; excoluntur.

Sed nec plurima quæ norat statim in praxim vsumque reuocasse; Progressu autem temporis, non exiguam Astrologiæ, cæterisque Mathematicis disciplinis, naturæque contemplationi operam dedisse nemo iure negauerit; multaque de stellis, ac planetis, eorum motibus, actionibus, viribus obseruasse, atque annotasse, neque sphæras aut astrolabia; aliáque idgenus instrumenta ignorasse. Artem etiam conflandi ferri, cæterorumque metallorum, ad agriculturæ, architecturæ, reliquarumque mechanicarum vsum calluisse. Quibus non aduersantur quæ postea * de Tubalcaino Scriptura tradit, si quis attendat: neque plurimæ varijs ætatibus, apud varias gentes rerum inuentiones. Nihil enim vetat vnam eandemque rem à pluribus, nihil inter se communicantibus, inueniri. Ars enim typographica, exempli causa, multis seculis apud Sinas prius inuenta dicitur, quam apud Europæos. Sed de his pro

* *c. 4. v. 22.*

instituta breuitate satis. Redeamus ad fratres.

VI. Multiplicatio generis humani.

Ex eo quod scriptura Abelem ait fuisse pastorem ouium, eiusque memorat gregem, coniecturam ducit Caietanus admodum multiplicata generis humani Abele viuo, vt iam mortalibus vsui essent ouium greges, vtique ad vestitum laneum; an etiam ad victum? sed hæc postea [d]. Idem conijci potest ex Agricultura Caini, præsertim si copiosa fuit, vt apparet, qui, quasi ex perpetuo artificio, dicatur Agricola, quod exigui agelli cultori parum conueniret. Ipsum autem sub hoc ipsum tempus, anno circiter vitæ quinquagesimo, vxorem duxisse, quasi exacta iam adolescentia, admodum probabile est. Eam Epiphanius [e] Sauen dictam refert, Cedrenus & alij Asuam appellant sororem natu maiorem. At Tostatus in 4. Gen. ex Hebræorum traditione Calmanam vocat, quæ eodem quo ipse partu edita fuerit, quod in multis deinceps eodem modo contigerit. Verum vt dubium sit vxoris nomen, quin tamen soror ipsius fuerit dubium esse non potest. Nam aliæ nullæ erant, quod Scriptura maluit à nobis intelligi, quam à se destinctius explicari.

d a. m. cit.

Caini cõiugium.

e haresi 39.

f q. 2. 9. & 10.

VII. Abel an coniux fuerit.

Iam quod attinet ad Abelem, maior est de illius coniugio dubitatio. Nam Epiphanius [g] ait occisum à fratre nondum vxore ducta: cui consentit Autor mirabilium sacræ Scripturæ [h], adeóque eum virginem vocat. Rupertus negat genuisse liberos. Verum alia videtur fuisse mens S. Hieronymi, & Augustini. Nam cum Hieronymus libro 1. contra Iouinianum virginum & continentium exempla studiosissimè quæreret, eáque etiam ex ethnicorum libris emendicaret, nunquam Abelem in numero virginum, aut continentium collocauit, in quo tamen posuit Iosue, Melchisedechum, Eliam, Elisæum, Danielem & socios eius. Inauditum ergo id erat homini, qui omnia legerat, audiuerat, notauerat, retinebat. Augustinus [i] autem agens de ijs qui continentiam seruarunt: *hoc tamen*, inquit, *nemo fecisse ante diluuium reperitur.* Abelem sine dubio excepisset, si quo modo virginem permansisse existimasset.

g haref. 39.

h Lt. c. 3.

i l. 15. de Ciu. c. 20.

VIII. Ita videri

Non absurdè itaque dici potest Abelem circa hæc fere tempora vxorem duxisse, quam Abulensis, Comestor & alij ex Methodio vocant Delboram; sed & filios suscepisse, qui tamen in Scriptura, quæ tota in eius cæde narranda intenta erat, omissi sunt, præsertim cum illi ad Messiæ genealogiam non pertinerent. Quòd si Epipha. Autor Mirabilium, & Rupertus existimassent Abelem centum annos viuendo superasse, vt postea docebimus, vxorem vtique duxisse falsi essent nec probabile putarent, dilectissimum Deo virum, primo illo seculo benedictione fœcunditatis tam diu fuisse priuatum.

ANNVS MVNDI, ET ADAMI 100. ANTE CHRISTVM 3953.

1. Secundus Iubilæus.

ÆQuum est in hoc altero Mundi Iubilæo nonnihil subsistere, vt sacrificijs, & oblationibus duorum fratrum animo attendamus; non quasi nunc primum hoc pietatis munere functi fuerint, sed quod hoc maxime tempore, exeunte videlicet primo ab orbe condito seculo, quasi secularia sacrificia, tam ab Adamo, quam ab eius filijs frequentata videantur, Deo fortasse iam tum religionem quandam in quinquagesimum quemque annum, sicut & in diem septimum, inspirante. Nec credibile est Cainum primo statim Abelis sacrificio animaduertisse, non esse grata munera sua Domino, fratris autem accepta, ideoque capitali statim inuidia in fratrem exarsisse: multoque minus ad 30. circiter annos iram continuisse: non enim prius occidit Abelem. Dicendum potius Cainum progressu temporis id obseruasse, obscurius primùm, deinde apertius, postremóque certo cognouisse sibi infensum esse Deum, fratri autem amicum. Inde autem odio quodam in Deum, & æmulatione in fratrem concepta, statuisse ad illum vlciscendum, istum de medio tollere. Id scelestum consilium dum animo versat *concidit vultus eius*, vt postea dicemus.

Fratrum sacrificia.

Eorumq; disparitas

Quod autem dixi de progressu temporis aliquo modo ex Hebraico textu confirmatur, vbi habetur Cainum à fine dierum sacrificasse. Vbi plerique Hebraicè bene docti diem pro anno sumunt, voluntque singulis annis statuto tempore munus suum ad certum locum, qui publicè diuino cultui destinatus esset, attulisse: vt ita solennitas annua, qua ad colendum Deum publicè conueniebant, hac locutione significetur. Quod autem de loco dicunt, ex Hebræo textu confirmant, vbi non dicitur Cain obtulisse, sed attulisse de fructibus terræ munera Domino. Quamquam adducere pro offerre sumi potest, quod afferrentur ad Dominum, quæ illi in sacrificium offerebantur. Ipsa porro Scripturæ narratio de diuisis fratrum sacrificijs, significat iam bona inter fratres fuisse separata; & alterum, vel vtrumque potius separatam sibi familiam, cum vxore & liberis habuisse.

II. Certóne loco sacrificatum.

III. Quo doctore Deo cultũ dicerunt.

Quo autem monitore sacrificasse dicemus: Chrysostomus Cyril. Cassianus & Procopius, nullo alio impulsore eò veniisse aiunt, quam lumine naturali, quo sciebant Deum, quamuis nulla re indigentem, nostris tamen muneribus honorandum esse; idque signum subiectionis esse atque dominij. Sed externo etiam monitore non caruisse hos fratres, Adamo scilicet parente, qui & præiret exemplo, exploratum est. Itaque Hugo à S. Victore [a]; *Credimus*, inquit, *Deum docuisse Adam cultum diuinum, quo eius benenolentiam recuperaret, quam per peccatum transgressionis amiserat, ipsumque docuisse filios suos dare Deo decimas, & primitias.* Sacrificij porro nomine non victimas pecudum duntaxat accipi oportere, sed terræ quoque fruges, & quidquid Deo, in signum supremi honoris, atque dominij offeratur, satis ex hoc loco intelligitur, vbi vtriusque oblatio modo manus, modo sacrificium appellatur, consentientibus omnium linguarum codicibus. Et nominatim Cain apud 70. dicitur sacrificasse, quod illi maximè, vt primogenito, conueniebat.

a in Genes.

Sacrificiũ latè sumptum.

IV. Cur munera vnius præ altero suscepta.

Quare autem vnius præ altero munera fuerint accepta à Deo, ita docet S. Cyrillus [b].

b Lt. in Gen.

Ergo

Ergo puer, ac sapientissimus Abel, quæ in grege suo præstantissima erant, quæque æquissimo animo delecta fuerant, offerebat Deo, modumque sacrificandi haud ignorans, adipes quoque apponebat. At Cain non eo modo, sed contra, magna cum negligentia offerabat. Quæ enim ex tempestiuis frugibus excellentiores essent, suis delicijs reseruabat; quæ vero deteriores haberentur, maximo Deo non erubescebat offerre. Philo [c], quem multum sequitur S. Ambrosius [d], tria in sacrificio Caini reprehendit, quod tardè obtulerit, quod non de primis fructibus, quod non optima quæque. D. Paulus [e], cum ait Abelem plurimam hostiam præ Caino obtulisse Deo, videtur intellexisse copiosiorem, ac præstantiorem; quo etiam erat longe superior fide, pietate, & religione in Deum, & venturum mundi Reparatorem, vt non mirum sit alterius sacrificium, præ altero fuisse acceptum Deo.

[c] *lib. de sacr. Abel. & Cain. & de iis quæ fiat. Heb. 11.*

[d] *Ambros. Nicen.*

ANNVS MVNDI, ET ADAMI 130. ANTE CHRISTVM 3923.

EXistimamus hoc anno Abelem à Caino fratre nefario scelere trucidatum, ab eóque primum mortem reipsa introductam in orbem terrarum, cum annum ageret Abel 129. vt qui natus est anno Adami secundo, vt ibi dictum est. Ante autem quam causam & modum, & effecta illius cædis exponamus, ratio temporis breuiter danda est. Dictum ergo annum confirmat ex Scriptura Caietanus, agente de Natiuitate Sethi. Is enim cum dicatur natus cum Adam annis 130. vixisset; dicatur quoque à Deo positus, & subrogatus in locum Abelis à Caino interfecti, videtur proximo à morte Abelis anno editus in lucem: si ponamus quod merito quisque concesserit, Adamum non abstinuisse coniugio, memorem illius dicti, *Crescite, & multiplicamini*, &c. neque Euam tam cito effœtam esse redditam, dicendum est singulis illam annis singulos filios, vel etiam geminos, vt supra dicebamus [f], produxisse. Et consequenter Sethum proximo à morte Abelis anno esse. Alioqui si quis immediatius natus fuisset, de illo, nõ de Setho, dicendum fuisset ab Eua [g], *Posuit mihi Deus semen aliud, pro Abel, quem occidit Cain.*

[f] *cap. 2. n. 2.*

[g] *Gen. 4.*

II. Causa eadem.

Causa cædis fuit ira atque inuidia Caini, sed eius occasio atque obiectum antecessit, quod Dominus ad munera Abelis respexisset, ad sua vero non respexisset. *Sed vnde scire poterat Cain*, inquit Hieronymus [h], *quod fratris sui munera susceperit Deus, & sua repudiasset, nisi interpretatio illa vera esset, quam Theodotion posuit. Et inflammauit Dominus super Abel, & super sacrificium eius: super Cain vero, & super sacrificium eius non inflammauit. Ignem autem ad sacrificium deuorandum venire de cœlo, & in dedicationem templi sub Salomone legimus, & quando Elias in monte Carmelo constituit altare.* Sic Hieronymus. Quam Theodotionis interpretationem probat quoque Procopius Gazæus [a], & alij, & nominatim S. Cyrillus. *Quamobrem* [b] *ad munera Abel ignem cœlitus emissum consumere sacrificium effecit. Ad Cain autem, & ad sacrificia eius non respexit, non enim ignem assuetum oblatus emisit.* Nota autem verbum illud Cyrilli *assuetum* propter ea quæ de Sacrificandi consuetudine ab Adamo & filijs eius vsurpata supra diximus. [c]

[h] *In qq. Hebr.*

[a] *Procop. Gaz. in Gen. 4.*

[b] *l. 2. in Gen.*

[c] *Ann. 100. n. 1. &c.*

III. Cain irascitur, & à Deo monetur.

Hic Cain irascitur vehementer, non in culpam suam ad obtinendam veniam, sed in Deum à quo despiceretur, præ minore natu fratre: simulque fratri, quem sibi præferri vidit, diuinum fauorem, & gratiam inuidit. Vnde demisso capite, & deiecto vultu, quasi cœlum sibi aduersarium auersatus, è sacrificij loco abscessit indignans, animóque machinans facinus, quod pridem mente versabat; Nec eum statim deseruit Dominus, sed monet [d], *Quare iratus es*, inquit, *& cur concidit facies tua? nonne si bene egeris recipies, si autem male, statim in foribus peccatum aderit? Sed sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius?* Monet, inquam, vt resipiscat, proposita benefactis mercede, & pœna peccatis, quæ vel statim sequitur nocentem, vt conscientiæ aculeis; vel non ita multo post consequitur, iuxta illud,

[d] *cap. 4. 6.*

Raro antecedentem scelestum
Deseruit pede pœna claudo.

Horat.

Ne autem propter appetitum in malum pronum diffidat de victoria, ait illi non defore vires, quibus appetitum subijciat rationi.

Sed quid ei profuit ista monitio? ait Augustinus [e]. *Nonne conceptum scelus in necando fratre, etiam post verbum diuinæ admonitionis implenit? Nimirum quia*, vt paulò ante dixerat idem Sanctus, *in electis Spiritus sanctus operatur intrinsecus, vt valeat aliquid medicina, quæ adhibetur extrinsecus.* Nam visibili forma Deum cum illo locutum esse, ibidem affirmat Augustinus. Ergo ille malè animatus, ad fratrem conuersus, amicè, & dissimulata malitia; *Egrediamur*, inquit, *foras*, remotius videlicet à tabernaculis, aut ædibus, in quibus habitabant ne quid impedimento esset meditato facinori. Quæ verba, vt abhinc ab Hebræo, extant tamen apud 70. & Paraphrastem Hierosolymitanum, vnde ea delumpsit vulgatus interpres. Addit autem ille Paraphrastes, cum foris essent, inter colloquendum Cainum dixisse, non esse iudicium, neque Iudicem, neque seculum aliud, nullam iustis mercedem repositam, nullam impijs pœnam; mundum neque Dei bonitate creatum esse, neque prouidentia gubernari, quando ipsius oblatio reiecta fuisset, Abelis autem suscepta. Quæ cum Abel improbaret atque refelleret, rixa nata, insurrexit ille in fratrem, atque interfecit. Quæ disputatio si vera est, vt est sane probabilis, recte martyrem Abelem, cum plerisque antiquorum, dicere licebit.

[e] *l. 15. de Ciu. c. 7.*

IV. Fratrem abducit foras.

Postremum inter eos colloquium.

Sed quo telo percussum dixerimus? Pictores Caini manum vt plurimum armant mandibulâ, autore proprio iudicio, Chrysostomus gladij meminit, Irenæus falce occisum significat, Prudentius sarculo, Isidorus ferro prostratum dicit. Dicatur etiam si placet, ad manum habuisse rusticam aliquam ex agricultura furcam, siue ea lignea, siue ferrea fuerit, quam secum de more sine suspicione tulerit, quam in sanctissimum fratris pectus immiserit, vnde patefactis visceribus latè sanguis in terram

V. Cædes quo telo facta.

effusus est, vt Scriptura testatur: vnde refellitur suffocatio, quam aliqui introducunt. Sed quid facias male sanis Hebræis, qui volunt Abelem Caini morsibus dilaniatum, vt scribit Tostatus[f], qui eum mauult lapidibus oppressum. Addit Iosephus[g], illum abdidisse cadauer, ratum sic facinus occultum fore. Procopius ait illum humo cooperuisse corpus, ne appareret, sed sanguine facinus ipsum fuisse proditum.

f q. 6 inc. 4 Gen.
g l. 1. Ant. c. 1.

VI. Patefit scelus.

Non diu lætatus est Cain in scelere suo, si tamen lætatus est, & non statim conscientiæ tortor affuit. Monuerat quippe Dominus *statim in foribus adesse peccatum*[h]. Sed mox etiam affuit peccati absconditi propalator, atque vltor Deus, qui salutis nefarij hominis curam gerens, eumque volens ad culpæ agnitionem adducere, miti oratione, *Vbi est*, inquit, *Abel frater tuus?* Poterat Cain audita huiusmodi interrogatione agnoscere, crimen suum esse deprehensum, Deo præsertim interrogante. Nihilominus in cumulum peccati sui, & mentitur coram Deo, & superbè respondet. *Nescio*, inquit, *num custos fratris mei sum ego?* At Deus simul & hominem conuincens, & admissi sceleris magnitudinem exaggerans, *Quid fecisti vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Huc alluſit Apostolus[i] cum ait, per fidem Abelem defunctum adhuc loqui. Quid autem diceret ille sanguis, ex Iohanne Euangelista discendum est, qui se audisse refert animas clamantes voce magna, & dicentes[k], *Vsquequo Domine, sanctus & verus, non iudicas, & non vindicas sanguinem nostrum, de ijs qui habitant in terra?* At sanguis Abelis celerem habuit auditorem & vindicem. Sequitur enim

h Gen. 4. 7.

v. 9. Caini pertinacia.

Ibid.

10.

i Hebr. 11. 4.

k Apoc. 6. 10.

Nunc igitur[l] *maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua, cum operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos; vagus & profugus eris super terram.* Homini terreno, cuius crimen terra prodat & accusat, quæ immani cæde nunc primum violata est, & imbuta impia effusione innocentissimi sanguinis, pœna è terra sumitur, quam ille magis nunc horreat, quam spiritalem & æternam. Prima ergo illius pœna est, quod futurus sit *maledictus super terram*, siue de terra, vt Hebræus & Græcus textus habent; quasi diceret terram imbuisti sanguine, terra vltionem de te repetit, & se tibi maledictam, id est sterilem præbebit & infœcundam. Altera est vt sit *vagus*, alia ex alijs loca crebro mutans, siue facili cuiusvis loci tædio, siue quod vnius loci sterilitatem pertæsus, alium atq; alium labori fœlicius respondentem quærat. Tertia vt *profugus* sit, fugiens scilicet nemine persequente, propter sceleris conscientiam, & internum timorem, quem fallax imaginatio semper amplificat, qui in corpus redundans, gemitus excutiat & tremorem. Nam 70. hoc loco habent σείων καὶ τρέμων, & qui eos secuti sunt Græci Patres, nominatim Chrysostomus, atque Procopius. Meritò autem credi potest hac quarta pœna tremoris vexatum Cainum, licet eam Hebræus textus, Latinusque non habeat; Deo 70. senioribus inspirante id scribere, quod operæ pretium esset nos non ignorare.

l cap. 4. 11.

VII. A Deo condemnatur.

Prima pœna. גנע ונד

2.

3.

4. Tremor.

VIII.

Hic reus audita sententia damnationis suæ *Maior est*, inquit[a], *iniquitas mea, quam vt veniam merear*, siue vt est apud 70. *quam vt dimittatur mihi*: quæ verba, antiqui omnes Græci Latinique Patres de misericordia Dei desperantis esse profitentur. Recentiores autem sic exponunt, maiore me supplicio afficis, quam vt ferre possim. Omnes autem in eo conueniunt, vt improbam Caini querelam esse fateantur, siue Deum inclementiæ accuset, quod ignoscere nolit, siue iniustitiæ, quod maiorem pœnam inferat, quam pro magnitudine culpæ. Et addit quæ hac paraphrasi illustrantur. Ecce eiecisti me hodie, hac tua sententia à patrio solo, in quo natus & educatus sum, nec audebo sistere me, vti solebam, conspectui tuo, vt sacrificia offeram, quæ tibi ingrata esse perspexi; sed exul ero, nec tamen fiam loci alicuius incola, sed quo me feret impetus, ad notos ignotosque ibo, vnde & continget vt quilibet me, quasi erronem, & ex conscientia scelerum fugitiuum interficiat.

a Gen 4. 13.

Caini desperatio, & querela.

IX. Dei ipsum prouidentia. v. 15.

Verum Deus suam in ipsum prouidentiam verbis factisque demonstrat. Dixit enim illi Dominus, *Nequaquam ita fiet, sed omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur*, id est, grauissimas luet pœnas, qui videlicet sine autoritate legitima hominem, quamuis tanti reum facinoris, occiderit. Factis quoque demonstrat, quando posuit in eo signum, ne passim occideretur. Quod fuerit id signum omnes pene inquirunt, & vt in re admodum incerta nihil statuunt. Probabiliorem eorum puto sententiam qui tremorem corporis inditum diuinitus Caino velint, quoniam id fundamentum habet apud Septuag. & ab Hieronymo[b], Theodoreto, Eucherio[c], Ruperto probatur[d]. Et hactenus Abelis historia, & Caini scelus atque damnatio, quam multipliciter deprauauit Iosephus Iudæus[e], vt in Annalibus accuratè demonstrauimus[f], quod hic indicasse sufficiet.

b Ep. 125. ad Damas. q. 1.
c In Gen. Lipom.
d l. 4. c. 9.
e l. 3. Ant. c. 2.
f n. 19. 20 & segq.

X. Abelis cũ Christo comparatio.

Superest, vt ad Abelis nostri funus honorandum, eum cum Christo domino, tanquam figuram cum re figurata, componamus, tribus duntaxat è maiore copia, quam in Annalibus digessimus, hoc loco selectis. Primum compositionis huius caput est, quod Abel innocès à fratre nocentissimo per inuidiam, in campo, extra communis habitationis locum, immatura ætate occisus est. Quot verba, tot figuræ, totidemque mysteria. Noster Abel[h], *qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius*, Iudaico populo, fratre suo secundum carnem, *neque enim confunditur eos vocare fratres*[i], per inuidiam, ne ipsi quidem Pilato ignotam, extra ciuitatem eiectus, ne ipso ætatis flore, in Caluariæ monte crucifixus est. Deinde Abelis sanguis in terram funditur, & è terra clamorem in cœlum, vindictam sceleris expetens. *Accessistis*, inquit Paulus[k], *ad Testamenti noui mediatorem Iesum, & sanguinis aspersionem melius loquentem, quam Abel*, veniam scilicet postulantem, & dicentem[l], *Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.*

1. g n. 26. & segq.

h 1. Petr. 2. 22.

i Hebr. 2. 11.

2. k Hebr. 12. 24.

l Luc. 23. 34.

Denique Abele occiso, parricida Cain frustra ad pœnitentiam prouocatur; nec tamen occiditur, sed ejicitur à facie terræ, & à conspectu Domini, & fit vagus & profugus, & signo tremoris, non tam ad tutelam, quam ad diuturnam notatur infamiam, dum misere & cor-

XI. Tertia similitudo.

pore

pore & animo pereat, fratre in regione iustorum quiescente, cum certa spe felicitatis æternæ. Iudæi quoque fratris sui Messiæ parricidæ, maxima ex parte obstinati, ad Apostolorum prædicationes obdurauerunt, nec tamen funditus tot bellis & calamitatibus, tam diuturna & generali seruitute deleti sunt. Vt impleatur illud Dauidis oraculum [m], *Ne occidas eos, ne quando obliuiscantur populi mei. Dispergè illos in virtute tua, & depone eos protector meus Domine.* Ejiciuntur à facie terræ Sanctæ, in qua olim sacrificijs sibi Deum placabant, & à conspectu Dei: qui nunc stercus Iudaicarum solemnitatum [n], & sacrificiorum detestatur, lugentes irridet, vagos & profugos vbique persequitur, & insito timore ac fœtore notatos non miserabiles hominibus, sed execrabiles facit, dum miseri ac reprobi ad æternas miseries rapiantur. Addo etiam hoc loco, amice Lector, Abelis elogium, aut si mauis epitaphium, quasi à parente Adamo positum; quod, si quis fastidiosior fuerit, impune prætereat, aut quasi epitomen vitæ, eius qui hoc honoratur elogio memoriæ renouandæ causa, percurrat.

[m] Psal. 58.

[n] Malach.

EPITAPHIVM ABELIS, appensum, ad Mausolæum, ab Adamo in ipso cædis loco, dulcissimo filio excitatum.

QVIS tantus hoc loco, tamque sonorus clamor? Rogas? viator, adhuc inauditum tibi parricidium, à primogenito mortalium ausu nefario perpetratum? Iuit iam clamor cælo, necdum in terris auditus est tibi? Vides puniceas nunc ac rubricatas, antea gramine viridantes glebas? ne fallare, non glebæ, sed linguæ sunt, quæ fraternam inuidiam, quæ furorem non repentinum, sed malitiam inueteratam clament: quæ implacabili gemitu pectora quatiant vtriusque parentis: quæ paternos oculos ad fletus quotidie integrandos prouocent: qua reprobi hominis mentem malam, & primæuæ culpæ malignitatem demonstrent. At me magis decuit, O Deus, mortis autorem, mortem violentam ac præmaturam pati. Clamat effusus sanguis Abelem meum, gaudium & luctum meum, Abelem iustitiæ coryphæum, martyrij principem, confessorum primatem. Clamat Messiæ prodromum, expressamque vitæ ipsius, ac mortis imaginem, primum subterraneæ quietis ac domicilij ciuem, qui longo ordine venientes iustos complexu excipiat suo: expectans cum eis beatam spem atque aduentum gloriæ magni Dei. Posuit mœrens pater, cui à filio iustius positum foret. Anno ab ortu rerum CXXX. Ab Abele nato CXXIX.

XII. Abelis Epitaphiũ.

Non videtur longum temporis spatium inter condemnationem Iudicis, & rei pœnam intercurrisse. Nam statim à lata sententia subdit Moses egressum à facie Domini Cainum habitasse profugum in terra ad orientalem plagam Eden. Septuaginta, in terra Naid, siue Nod, vt notauit Hieron. [a], quam vocem ipse interpretatur fluctuantem, instabilem ac sedis incertæ, & significat eos appellatiuum nomen in proprium mutasse. Et fieri sane potest vt locus ille, ad quem orientem versus secesserat Cain, cum nomine careret postea à Cainі profugio Nod, siue corrupto vocabulo Naid diceretur ω in α dissoluto. *Et vero locus ille*, ait Chrysostomus [b], *in quo habitauit Cain, perpetuæ memoriæ fuit, non illi soli, sed & seculis posterioribus ob tremorem & motionem. Nomen enim Naid Hebraica dictio est, & vertitur motio. Itaque vt crimen illius notum esset, etiam à loco, quasi in columna ærea scriptum, illic eum collocauit.* Ita Chrysostomus.

[a] *In trad. in Gen.* οὐκ ἀπὸ μέρους.

[b] *hom. 20. in Gen. ca. 4.*

ANNVS MVNDI, ET ADAMI 131. ANTE CHRISTVM 3922.

VIxit *Adam*, inquit Moses in catalogo Patriarcharum [c], 130. *annis, & genuit ad imaginem & similitudinem suam, vocauitque nomen eius Seth.* Annos numerat Scriptura duntaxat, nec eos aut inchoantes, aut prouectos, aut absolutos definit: de absolutis tamen videntur interpretanda, nisi aut textus ipse, aut certa ratio temporis aliud exigat, idque plurimorum grauium Scriptorum exemplo, qui cum primam ætatem vsque ad diluuium 1656. annis definiant, necessario annos expletos ponunt. Quoniam ergo Adamus centum ac triginta vixit annos, vt ait Scriptura, & genuit Sethum, dicemus post elapsos 130. annos natum esse Sethum, & primum eius annum esse Adami centesimum & trigesimum primum. Sed in hac primùm Sethi natiuitate grauis occurrit controuersia Græcos inter Hebraicosque numeros. Vbi enim vulgata editio, Hebraico textui consentiens, ait Adamum annos natum 130. genuisse Sethum; Græci habent Adamum vixisse 230. annos & genuisse filium, manifesta centum annorum diuersitate. Sed mox sequitur alia discordia, quæ totam vtriusque numeri summam parem facit. Vbi enim nos habemus Adamum à nato Setho, vixisse octingentis annis, Græci habent vixisse septingentis.

[c] *Gen. 3.5.*

I. Ratio Chronologiæ generalis.

Er sanè satis constat plurimos antiquos Ecclesiæ Patres, quibus ferè soli Græci codices innotuerant, eos magno consensu esse secutos. A quibus tamen postea duo Ecclesiæ lumina Hieronymus, & Augustin. quibus Hebraicus textus innotuit, discessere. Hieronymus enim ex Hebraico fonte Latinam editionem molitus est: quæ nunc editio vulgata dicitur, & ab Ecclesia vniuersa recepta, summam autoritatem consecuta est. Cui nos libenter subscribimus; & quia necesse est vtro Catholico, & quia longè probabiliorem exhibet veritatem. Nam S. Augustin. [d] Græcis codicibus quatuor maximè ex capitibus derogat fidem. Primo quia ex

II. Diuersæ Hebræos inter & Græcos.

Hebræi præfert Augustin.

[d] *l. 15. de Ciu. c. 11. & 12. t.*

Græcorum chronologia necesse est dicere Mathusalem quatuordecim annis superuixisse diluuio, cum tamen certo constet, eum non censeri in illo octo animatum numero, quas S. Petrus [e] memorat. Secundo quia credibilius sit ab interpretibus erratum fuisse, quam in ea lingua esse falsum, vnde in nostram per Græcam Scriptura ipsa translata est. Tertio quia non sit probabile Iudæos, dum nobis inuident, mutasse quædam in codicibus suis, vt in nostris minueretur autoritas. Quis enim credat Iudæorum gentem, tam longe latéque diffusam, in hoc conscribendum mendacium vno consilio conspirare potuisse, & dum alijs inuident autoritatem, sibi abstulisse veritatem?

e 1 Pet. 3 20.

1.

2.

3.

4. III. Erroris origo.

Postremò ita concludit, *Recte fieri nullo modo dubitauerim, vt cum diuersum aliquid in vtrisque codicibus inuenitur, quandoquidem ad fidem rerum gestarum* [f] *vtrumque esse non potest verum, ei linguæ potius credatur, vnde est in latinam per interpretes facta translatio.* Quomodo autem id numerorum dissidium contigerit, non constat. Suspicatur idem August. [f] cum primum de Bibliotheca Ptolemæi describi ista cœperunt, in codice vno erratum esse, ex quo dum cæteri describuntur, latius errorem in codices omnes emanasse. Primi autem codicis errorem, in aliquibus locis casu aliquo, & per imprudentiam contingere potuisse; in alijs autem ipsam errandi constantiam, non casum, sed industriam redolere. Quæ autem causa induxerit eum, qui de industria errorem induxit, fusè ibidem disputat August. Sed quæcumque fuerit Græcis errandi causa, nos vulgatæ editioni, præsertim cùm Hebræa consentienti adhæreamus.

f l. 15. de Ci. c. 13.

IV. Sethi & Henochi natiuitas

Sed iam ad Sethi natiuitatem veniamus, cui æqualem adiungamus licet Caini primogenitum Enochum. Vtrumque enim eodem anno genitum ex eo colligimus, quod proximo à cæde Abelis anno iacturam eius suppleuit Dominus, vt supra dicebamus [g]; quodque legamus statim ab expulsione Caini, quæ anno proximè præcedenti facta est, Cainum cognouisse vxorem suam, eamque concepisse, & peperisse Henochum. Et forte in editione vulgata illud [h], *Cognouit quoque Adam vxorem suam*, respicit illud antecedens de Caino, *Cognouit autem Cain vxorem suam*, &c. Porrò Setho nomen dedit mater, addita etiam ratione nominis, *Posuit*, inquit, *mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain.* Seth, inquit Hieronymus [a], proprie שת, id est positio dicitur, quia posuerat eum Deus, pro Abel, fit enim à שים quod est ponere. E Græcis Sethalij fundamentum, alij resurrectionem interpretantur, Epiphanius compensationem [b]. Nam ex eo, per Noë, quasi fundamento propagatus est Mundus, Cainitis, cæterisque Adæ filijs diluuio extinctis: In eo resurgere visus est Abel, & per illum Abelis iactura reparata est. Denique Sethi ortus parentibus consolationem attulit, si per illum Messiam, Mundi perditi restauratorem, recta linea aliquando nasciturum cognouerunt.

g a. m. 130 n. 1.

h c. 4. 25.

a in Trad. Hebr. שת Ratio nominis Sethi.

b Har. 74.

V. Caini progenies.

De Henoch porro Caini filio, vsque ad Lamech Scriptura nihil tradit, *Noluit* enim *spiritus Dei*, ait August. [c] *in terrena ciuitatis generationibus tempora notare ante diluuium, sed in cœlestis maluit, tanquam essent memoria digniores.* Non est autem credibile Henoch fuisse Caini primogenitum, sed omissis cæteris, quos ante vel post Enochum genuit, illius tantum Scriptura meminit, ex cuius posteris natus est is, qui Caini parricidium vltus est. Sic etiam existimandum non est Sethum ad annum vsque centesimum quintum caruisse liberis, aut Enos vsque ad 90. aut Iared vsque ad 162. aut Mathusalem vsque ad 187. aut denique Noë vsque ad quingentesimum. Sed sicut postea dicuntur genuisse filios & filias, ita & ante valde credibile est genuisse, atque adeo necessarium, cum Cain tam maturè ex filijs ac nepotibus congregauerit ciuitatem. Cæteri enim Adæ filij. ac nepotes à Cainitis quasi excommunicatis abstinebant, vt fusè disputat Augustinus [d].

An soli primogeniti a Scriptura recensiti.

Cainitæ à cæteris secreti.

c l. 15. de Ciu. c. 15.

d l. 15. de Ci c. 8. & seqq.

ANNVS MVNDI, ET ADAMI 150. ANTE CHRISTVM 3903.

ÆDificauit Cain ciuitatem [e], vocauitque nomen eius ex nomine filij, Henoch, siue Henochiam: Quo autem potissimum anno hæc prima mundi ciuitas à Caino condita fuerit, nemo certo definire potest, in Scripturæ silentio, cum nulla extent Mosaicis antiquiora monimenta. Et Moses in hac prima ætate mundi, obiter tantum, & quasi aliud agens res impiorum attigerit. Quibusdam visum est genitum Henochum cum ciuitas conderetur, vt ea occasione ab illo nomen acciperet. Quam sententiam non planè improbat S. August. [f], quia non putat Henochum fuisse Caini primogenitum. Verum quoniam credibile est Cainum multorum iam non solum liberorum, sed etiam nepotum ante Henochum, centum minimùm annis, parentem factum esse, nullo modo arbitror initium ciuitatis huius vlterius, præsertim ad tertium, aut quartum seculum cum aliquibus, esse differendum. Sed ad tertium circiter Mundi Iubilæum pertinere, quo Henoch pueritiam egressus, patrem comitari studiosius, eique ita placere cœperit, vt illius nomine ciuitatem recens conditam insigniret. Vt ibidem innuit S. Augustinus. Hanc etiam dilationem suadet, quod conueniat illam Dei prophetiam, *Vagus & profugus eris super terram*, sat multo tempore comprobari: Itaque Iosephus ait eum multas regiones cum vxore, & reliqua scilicet familia, emensum esse.

e Gen 4. 17

1. Prima ciuitas Henochia.

f l. 15. de Ciu. c. 8.

Quando condita.

Nec illud necessario, &c.

Causas conditæ ciuitatis huius referre possumus duas, alteram inditum à Deo metum propter admissum scelus; cum ergo timeret, & fugeret nemine persequente, receptaculum, & quasi perfugium sibi construxit ac suis. Fortassis etiam tutum se à feris præstare voluit, si homicidam diuino instinctu persequebantur: Altera fuit, vt eo congereret quæ per vim ac latrocinia ipse, suique congregarent, quæ videtur Iosephi [h] mens, de Caini moribus, post Abelis cædem loquentis. Fratres videlicet suos Adamo genitos, eorumque filios ac nepotes latrocinijs vexare potuit: à quibus non tantum habitatione secretus erat, sed om-

g l. 1. Ant. c. 2.

II. Quibusque de causis.

h l. 1. Ant. c. 2.

ni vitæ consuetudine, tanquam à cæteris gladio humanæ excommunicationis abscissus. Nec deerat rapinis materia, si non deerat timido rapiendi voluntas, terræ fruges, arborumque comportati fructus, armenta gregesque pecorum, eorumque pelles ac lanæ, rusticum insuper ac domesticum instrumentum, aliaque id genus.

III. Separatio Cainitarum à cæteris Adamitis.

Illa porro quam dixi separatio Cainitarum à cæteris Adamitis, Scripturæ Patribusque admodum consentanea est, sic vt omnes probi, iustitiæ cultores cum Adamo viuerent, qui à Scriptura [i] filij Dei appellantur; cæteri Caino geniti non dissimiles parenti, cum ipso morabantur, & filij hominum à Mose dicuntur, nec vlla erat inter eos, vt dixi, communicatio, vsque ad tempora vicina diluuio, quando iuncti coniugijs, eorum consuetudine illis similes effecti, eadem cum ipsis eluuione perierunt. Theodoretus [k] enim agens de Setho, & filijs eius. *Illi igitur*, inquit, *tanquam pij & boni cognominati sunt filij Dei. Separatum enim erat genus Sethi & non permiscebatur cum cognatione Cain, propter illatam ei ab omnium Deo maledictionem.* Et Procopius [l] ei consentiens, ait non fuisse contracta matrimonia inter Sethi & Caini liberos, tametsi isti illos pellicere non cessarent. Nec alia est [m] Epiphanij sententia.

i Gen. 6. v. 2. 4.

k q. 47. in Gen.

l in c. 4. Gen.

m hæres. 39.

IV. Henochia vbi condita.

Quo porro loco Henochia fuerit condita, nondum diuisis tunc, nominatisque regionibus, non constat, nisi à parte orientali Paradisi, quoniam eò secessisse Cainum memorat Legislator. Ideo qui in Mesopotamia illum constituunt, Henochiam in Assyria collocant, vt Genebrardus. Nam anni Viterbiensis fabulas missas facimus. In ea ciuitate quasi reges dominatos fuisse septem illos, qui à Scriptura de Caini progenie numerantur suspicatur Augustinus: nec affirmat. Meritò. Neque enim credibile est Cainum, qui vsque ad septimam progeniem vitam produxit, tam modestam, atque alienum ab ambitione fuisse, vt filijs, aut nepotibus imperio cedere voluerit.

An in ea reges.

n l. 15. de Ciu. c. 20.

V. Institutio Sethi. o l. 1. c. 3. Antiq.

De Sethi porro institutione puerili, quæ in hoc tempus cadit, hæc habet Iosephus [o]. *Hic à patre educatus, vbi eò ætatis venit, vt iam quod rectum est discernere valeret, virtutis studijs se totum dedidit: & cum ipse vir optimus euasisset, etiam nepotes sui similes post se reliquit.* Sic ipse. Et sane par erat eum, qui sanctissimo Abeli à Deo substitutus esset, qui secundum Adamum Ecclesiæ Dei, & ciuitatis Sanctorum caput erat, qui Christi Domini figura, etiam vitæ rudimenta ac fundamenta ponere, quæ tali fastigio responderent. Corpore quoque vehementer auctum esse, credere par est, si Methodio credimus, qui eum gigantem vocat, vt refert Raderus noster in chronico Alexandrino; & num. 5. refert ex fragmento cuiusdam Chronici ex Palatina Bibliotheca, Sethum quadragesimo anno ætatis subito raptum ab Angelo, & 40. diebus non fuisse visum, eoque tempore diuinitus didicisse filios suos peccaturos, & Mundum aquis inundatum iri, ac præter paucos, periturum. Venturum etiam salutis authorem Christum, eáque parentibus exposuisse. In illo autem cum Angelo congressu cælesti splendore circumfusum, quem per reliquam vitam tenuerit. Quæ non sine causa veretur Raderus, ne ex Sethianorum hæreticorum libris excerpta fuerint, qui raptum ferebant Sethum, vt refert Epiphanius [b].

Sethi rapti.

Suspectus.

b hæres. 40 quæ est Archontici eorum.

ANNVS MVNDI, ET ADAMI 180. SETHI 50. ANTE CHRISTVM 3873.

I. Sethi cõiugium & liberi.

NOn inuenimus, sed elegimus hunc annum Sethi quinquagesimum, quem ipsius coniugio probabiliter dicaremus, quod erat tempus floreſcentis ætatis, aut si placet maturescentis primorum illorum Patriarcharum, quorum senectus vix post nongentos annos in vitæ huius stadio decursos, perueniebat ad metas. Eius coniugem Azuram vocat Epiphanius [c], ipsius Sethi sororem, eodem partu genitam. Ex ea porrò plurimos genuisse filios ante Enos, de quo mox dicetur, arbitramur. Is enim qui primus & solus in scriptura de filijs Sethi nominatur, primogenitus non dicitur. Omninóque assentimur Augustino [d] dicenti sibi credibilius videri primogenitos filios non commemorari à Scriptura hoc loco, sed quos successionis ordo poscebat, vt perueniretur ad Noë, à quo rursum ad Abrahamum videmus esse peruentum.

c hæres. 39.

Scripturà non pòtuit in eâdem logo primogenitos.

d l. 15. de Ciu. c. 16.

ANNVS MVNDI, ET ADAMI 236. SETHI 106 ENOS 1. ANTE CHRISTVM 3817.

I. Ortus Enos.

VIxit Sethus centum & quinque annis, & genuit Enos, vt Moses [e] scriptum reliquit, quos si meminerit lector nos numerare absolutos, vt ante monuimus [f], non mirabitur Sethi centesimum sextum eum primo Enosi concurrere, sicut Sethi primus, centesimo trigesimo primo Adami congruit. Iam quod ad nomen noui huius Patriarchæ attinet, habemus eum à patre appellatum Enos, quæ vox hominem quidem significat, sed vt linguæ sanctæ peritiores affirmant, hominem miserum & ærumnosum, aut *virum dolorum & scientem infirmitatem*, vt de Messia dixit Esaias [g]. Quod videtur referendum ad molestias, quas tum Sethus cum suis à Cainitis patiebantur, quas suspicari quidem possumus ortas ex historia certò affirmare non possumus. Illud quidem constat perpetuum fuisse seculis omnibus, vt probos improbi varijs modis diuexarent. A diuina quippe prouidentia decretum est, vt non sine lucta in eius famulatu suscepta, bravium obtineamus, nec sine certamine triumphemus. Posuit enim æternam felicitatem, [h] *coronam iustitiæ, quam reddet nobis Dominus in illa die iustus iudex.*

e cap. 56. f a. m. 131. n. 1.

& ratio nominis.

g c. 53. n. 3.

h 2. Tim. 4. 8.

ANNVS MVNDI,
ET ADAMI 250.
SETHI 120. ENOSI 15.
ANTE CHRISTVM 3803.

HVnc quinti Iubilæi annum elegimus, in quem referremus illa Scripturæ verba, non minus ad Enosi laudem illustria, quam ad intelligendum obscura: *Iste cœpit invocare nomen Domini.* Quòd eo tempore, quod nunc agebat Enos, radij luminis naturalis, & diuini clarius incipiunt emicare. Et quoniam illa Mosis oratio multas ingerit difficultates, quæ à nobis quantum licuit in annalibus illustratæ sunt[k], hic breuiter dicimus, Enosum dicti id cœpisse, quod maiore quam antea studio, ac pietate fecerit: quomodo Noë dicitur cœpisse exercere terram, quam constat ab Adamo, & Caino agricola cultam, quia maiore quam ante studio atque industria eam coluit, vineasque plantauit. Sic de Nembroth dicitur, ipse cœpit esse potens in terra; potentes vtique fuerant gigantes ante diluuium, sed iste cœpit ingeniosius exercere dominatum à diluuio. Sic ergo Enos dicitur cœpisse inuocare, id est excellentius quam vulgò tum fieret, prædicando, verbi gratia, vel certas ceremonias, & precum formulas adhibendo, ex institutione patris sui: quæ videtur expositio omnium maximè probabilis, estque Ruperti, Lyrani, Abulensis, Lipomani, Del-Rio, Vatabli, Emmanuelis Sa, & nouissimè Bouldueij.[l]

I. Qui Enos cœpit inuocare nomen Domini. i *Gen* 4. 26.

k *a.m.* 250. *n.* 2. *& seqq* l *de Eccl. ante legem l.* 1. *c.* 10. *p.* 84.

l *de Eccl. ante legem l.* 1. *c.* 10. *p.* 84.

ANNVS MVNDI,
ET ADAMI 326.
SETHI 195. ENOSI 91.
CAINAN 1.
ANTE CHRISTVM 3727.

NOnagesimo Enosi anno absoluto natus est Cainan, quem propterea ineptum sit existimare Enosi primogenitum, etsi id Scriptura tacuerit. Cæterum cum Caini posteritas ita à Scriptura notata sit, vt tamen quantum quisque illorum vixerit non sit notatum; si personæ personis, & generationes generationibus componantur, Sethus Caino, pater scilicet Dei, patri filiorum hominum, Enos Enocho, inuocatur Domini, dedicatori terrenæ ciuitatis: & Cainan Irado, & Malaleel Mauiaëlo, & Iared Mathusaëlo, & Henoch, qui translatus est, polygamo Lamecho, qui Cainum reproborum patrem imprudens occidit, sibi è regione respondebunt. Quid autem ab istis tot annis gestum fuerit, ignotum nobis esse voluit diuina Sapientia, quæ aliquando in conspectu omnium mortalium omnia manifestatura est, cum[a] *cuncta adducet in iudicium.*

I. Ortus Cainan.

Responsus Patriarcharum

In Cainæ porro filio Malaleele, qui septuagenario patre natus est, aut in huius filio Iaredo, qui patre quinque annis minore ortus est, nihil est quod properantem Lectorem, scriptoremve remoretur.

a *Eccl.* 12. *fi.*

ANNVS MVNDI,
ET ADAMI 500.
SETHI 370. ENOS 265.
IAREDI 40.
ANTE CHRISTVM 3553.

ETsi in hac rerum ieiunitate currimus, Lector, vt vides, decimum tamen hunc Mundi Iubilæum notare placuit, de quo referente Radero ita scribit Methodius. *Quingentesimo anno in prima mundi chiliade, filios Cain abusos fuisse vxoribus fratrum suorum in fornicationibus nimijs.* Quod caue ad hunc præcise annum referas, sed ad eos quoque qui aliquot forte decenijs vel præcedunt, vel subsequuntur. Quod autem primum mundi millenarium, anno Iaredi quadragesimo, quem præfert anni huius index, pertransisse ait, id referre oportet ad Septuag. interpretum, quam Methodius sequitur, supputationem: in qua annus mundi millesimus exactè in Iaredi quadragesimum cadit. A qua vides Hebræam & vulgatam Scripturæ chronologiam toto lemisse distare. Scribit idem Methodius sexcentesimo anno primi millenarij homines sexus vtriusque valde in libidinem fuisse profusos: id est, circa duodecimum mundi Iubilæum.

I. Decimus Iubilæus.

230. *Ada.* 230. *Seth* 190. *Enos.* 170. *Cainan* 165. *Malaleel* 40. *Iared* 1000.

ANNVS MVNDI,
ET ADAMI 623.
SETHI 493. HENOCHI 1.
ANTE CHRISTVM 3430.

VEl ex hoc maximè loco refelluntur Hebraicæ nugæ de solis primogenitis in hac Patriarcharum serie recensitis. Quis enim credat in tantis viribus, & fœcunditate naturæ, Iaredum 162. annis liberis caruisse? Sed hæc alibi quoque disputata omittamus. De his temporibus scribit Epiphanius initio Panarij, peccata quidem plurima abundasse, hæreses tamen necdum orco extulisse nefandum caput. Hoc porro anno natus est Henoch, ab Adamo septimus, vir admodum illustris, sacrisque vtriusque Testamenti litteris celebratus, sed eæ laudes ad vitæ progressum, finemque pertinent, ad quos etiam locos commodius differentur. Hoc tantùm dicamus, cum Henoch dedicationem significet, quod nomen à pijs parentibus accepit in ortu suo, non leuem inspicionē dare existimandi eū peculiari desiderio aut voto fuisse oblatū Deo.

I. Primogeniti nō sunt positi in catalogo Patriarcharum.

Enochi ortus & ratio nominis.

- Idque

Idque secuta deinceps vita, in qua ambulauit cum Deo, & translatio, qua eum Deus quasi suum mortis immunem ad se transtulit, non obscurè demonstrat. Hoc munus iampridem debebatur Deo à filijs Dei, quando ante tot annos filij hominum, in condenda ciuitate hominem dedicauerant [b] mundo.

[b] *Aug. l. 15. de Ciu. c. 17. & 19.*

ANNVS MVNDI,

ET ADAMI 688.

HENOCHI 66.

MATHVSALÆ 1.

ANTE CHRISTVM 3365.

I. Enochi & Lamechi comparatio.

[c] *Aug. in Ps. 149. fi.*

COncurrunt hoc quoque tempore duæ quasi bigæ familiarum duarum, videlicet filiorum Dei, & filiorum hominum, sub earum principibus Enocho & Lamecho, quorum ille ambulat cum Deo, hic vxoris vnius vinculis ferreis [c] non contentus, duabus alligatur. Ille mortis penè victor, & immortalitatis candidatus transfertur ad Deum: hic primi vitor parricidii pœnam expectat septuagies septies. De illo tria Scriptura tradit, vitæ sanctimoniam, viuendi apud nos finem, & scripta posteritati tradita. De hoc tum polygamiam ab ipso siue ortam, siue vsurpatam, tum agnitionem admissi facinoris apud vxores.

II. Enoch ambulat cum Deo.

[d] *Eccl. 44. 16.*
[e] *Hebr. 11. 5.*
[f] *De præp. l. 7. c. 8.*
[g] *Item. l. 4. c. 30.*
[h] *c. 6. v. 8.*

Quidque id sit.

Quod ad Henochum attinet, huius loci ac temporis est in primis singularis illa commendatio, qua dicitur ambulasse cum Deo, id est, vt explicant Septuaginta, εὐηρέστησε τῷ θεῷ, placuit Deo, vt habetur etiam apud Iesum Siracidem [d], & Apostolum [e], & Eusebium [f], aliosque passim [g]. Nimirum idipsum iam tum docebat Enochum Spiritus sanctus, quod postea Michææ [h] Prophetæ dictauit. *Indicabo tibi, ô homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te, vtique facere iudicium, & diligere misericordiam, & follicitè ambulare cum Deo tuo.* Id est sanctè, inculpatéque viuere, eius non solum amicitia, sed etiam præsentia, & familiaritate frui: progressum in via virtutis perpetuo facere angelicam denique in terris vitam agere. Hæc enim in illa metaphora continentur, vt docet Eusebius eodem loco. Itaque in sanctissimorum quorumque virorum laude, eam phrasim Scriptura vsurpauit.

III. Eadem locutio cur iterata sit hom. 21.

Cur dictus exemplum pœnitentiæ.

Quod autem semel iterumque eadem sententia in Enocho vsurpata est, visum est Chrysostomo [i] ita factum, ne quis arbitraretur obstaculum virtutis esse coniugium. Siue, vt vult Caiet. ad explicandum, Enochum ab ineunte ætate in via Dei profeciſſe, & perseueraſſe proficiendo ad finem vsque. Alij probabilius existimant subintelligi posteriore loco, *inquam*, hoc modo, *Ambulauit Henoch cum Deo, & vixit*, &c. *Ambulauit*, inquam, *cum Deo, & non apparuit*, &c.

Nam quod scribunt Procopius Gazæus, & Philo de Enochi pœnitentia, videri possunt secuti Ecclesiasticum apud Septuag. interpretes [a], *Et translatus est exemplum pœnitentiæ generationibus*, sed eius mentem non sunt assecuti. Mens enim Scripturæ est in eo loco, Enoch fore exemplum pœnitentiæ, non quo modo Dauid, aut Manasses, Petrus aut Magdalena, sed quo modo Iohannes Baptista, qui vita & lingua prædicabat hominibus pœnitentiam. Quod significatur in vulgata, in qua legitur, *vt det gentibus pœnitentiam*, aut certe, vt exponit Iansenius, significatur eum translatum, qui dum viueret erat omnibus exemplum pœnitentiæ, ad eamque agendam, omnes verbo exemploque adducebat.

[a] c. 44. 16. Καὶ μετετέθη υἱὸς δίκαιος μετάνοια τοῖς γενεαῖς.

IV. Lamech Cainita.

Venio ad Lamechum Caini sobolem, quem huc series generationum adegit: & hunc illi locum Hebræi quoque aſcribunt, quos refert Genebrard. qui & existimant Cainum à Lamecho pro fera occisum sub annum vitæ illius septingentesimum. Is autem hoc primo anno Mathusalæ, à septingentesimo tredecim tantum annis aberat. Hic Lamech non ille est Noëmi pater, ab Adamo nonus, sed filius Mathusaël, à Caino atauo sextus; quem aliqui Lamech, quasi Melech, per metathesim dictum putant. Hic est Lamech, in quo polygamia primum notatur, etsi fortasse non primus eam attentauit: polygamia inquam, non successiua, sed quæ plures simul vxores ferat: quod ipse aperte prodit, qui duas simul alloquitur. Hieronymus [b] eum primum digamum vocat, & ex ipso alij, quia in eo primum polygamiæ Scriptura meminit. Cæterùm qui hunc Lamechum acerbius insectantur, prouidere debent, ne ijsdem telis Abrahamum, Iacobum, Dauidem petant. Ideóque existimandum est illum, vt profanum hominem, nullo diuino monitu, aut dispensatione vsum: cæteros autem pios ac religiosos viros, non item.

Polygamus.

[b] *l. 1 cont. Iouin. & Epist. 9. ad Damas.*

V. Caini cædis historia probabilis.

Facinus porro Lamechi obscurè traditur, nititur autem historia ex Hebræorum traditione petita, quæ omissis quibusdam ineptijs, quæ diluuntur in Annalibus, sic habet. Cain iam admodum senex: vrbe Enochia animi gratia aliquando egressus, syluamque ingressus, inter densissima arbusta consedit. Lamech autem venationi deditus, eo tempore in sylua illa vagabatur, cum vnus de Lamechi famulis, ex foliorum & ramorum agitatione suspicatus illic feram latére, herum admonuit, qui puero temerè fidem habens, iaculum in eum locum destinat, eiaculatur, & miserum lethali iaculo configit. Mox autem errore animaduerso, subita incensus iracundia, famulum obuio fuste vel arcu contrucidatum, & vibicibus oppletum relinquit: qui paulò post ex plagis, & contusione interijt. Quæ cum vxores accepissent, neque enim res tanta latére poterat, timuerunt magnum aliquod toti familiæ infortunium, non ignaræ vulgo iactatæ comminationis Dei, aduersus eum, qui Cainum occidisset. Sed eas consolans Lamech, culpam quidem geminæ cædis agnoscit, & diuini oraculi repræsentat minas, quibus graui pœna Caini occisorem punitum iri contestatus fuerat: verùm si quis Lamechum occiderit, multo grauius supplicium luiturum affirmat, nec immerito. Cainum enim iniustius quam se interfici potuisse: quippe qui sciens & prudens

vitæ sexto & quinquagesimo, quod valde credibile est, factus erat parens liberorum, qui silentio cum multis alijs prætereantur, quòd ad seriem Noëmi, Abrahæ, Dauidis & Christi Domini non pertinerent.

II. Multitudo liberorum eius.

Ingentem porrò liberorum manum, ac propemodum exercitum, ab Adamo ipso generatum, admodum probabile esse dixerit, qui ætatis eius longinquitatem, qui robur corporis ac vigorem, qui tot terrarum ad ortum & occasum, ad austrum & septentrionem iacentium hominibus replendam solitudinem, qui desiderium satisfaciendi diuinæ voluntati, & augendi numerum filiorum Dei, quo flagrabat Adamus, attente consideraverit. Hoc tamen desiderium quasi infusa frigida reprimebat, & penè restinguebat multiplex animi eius mœror, quem alio loco [f] depinximus, multiplexque luctus in varijs liberorum casibus, qui in eius maximè caput redundabant: eo quod mortales omnes, etsi Cainitæ separati erant, vna quasi eius familia, dum adhuc erat in viuis, continebantur. Accedebant studium pœnitentiæ, vt ipsius ope ne pace aliquando è corpore dimitteretur, & [g] *educeretur à delicto suo.* Reprimebat etiam fortasse metus ille, ne filios gehennæ, & tenebrarum, pro filijs lucis produceret in lucem.

[f] *Sam 2. n. 5. & 6.*

Luctus eiusdem.

[g] *Sap. 10. 2.*

III. Reditur na pœnitentia.

Cæterum quod ad Adami, quam dixi pœnitentiam, & luctum attinet, illum non solum sub mortem, sed toto etiam vitæ tempore pœnitentiam egisse de peccato suo, & salutem consecutum nunc omnes æquè consentiunt: etsi id olim hæretici Tatianitæ negauerit, quos eo nomine accusat S. Irenæus [h], Augustinus [i], & Epiphanius [k], Rupertus autem [l], etsi Tatianum agnoscat hæreticum, non dubitauit tamen dicere *saluationem Adami, & à multis libere negari, & à nullo satis firmiter defendi.* Ea tamen tuto nunc ab omnibus catholicis, certóque asseritur, validéque defenditur, cum id diserte asserat Scriptura canonica, quæ ait diuinam Sapientiam [m], *primum hominem eduxisse à delicto suo*, Eundem fuisse communem totius Ecclesiæ sensum, etiam D. Augustini tempore, idem Sanctus Doctor aperte testatur [n]: & quicunque assertionem de Adami damnatione, inter errores & hæreses Tatianorum & Enctatitarum numerant, in quibus eminet Sanctus Irenæus [o], qui illum errorem blasphemiam vocat, atque Adamum diuinam sententiam, & pœnitentiam sibi impositam æquo, atque humili animo subiisse. Sed concludamus hunc locum eiusdem Sancti Patris elogio. *Erubescant*, inquit, *omnes, qui à Tatiano sunt, & concertant de Adam, quasi magnum aliquid lucrentur, si ille non saluatur.* Et mox. *Sic & si qui contradicunt saluti Adæ nihil proficiunt nisi hoc, quod semetipsos Hæreticos, & Apostatas faciunt veritatis, & aduocatos se serpentis, & mortis ostendunt.*

[h] *l. c. 31.*
[i] *l. de hæres. n. 25.*
[k] *hæres. 46.*
[l] *l. 3. in Gen. c. 31.* Refutatur Rupertus.
[m] *Sap. 10. 2.*
[n] *Epist. 99.*
cum Tatianitis.
[o] *l. 1. c. 30. & 31.*

Sed iam locum sepulturæ Adami perquiramus. Nam eum S. Hieronymus [a], & aliqui eum secuti ambiguum reddiderunt: cum plerique omnes antiqui Patres magno consensu sepulchrum eius Hierosolymis, adque adeo in ipso Caluariæ monte collocent, quorum verba ipsa in Annalibus [b] fideliter protulimus; vbi primus sententiam dicit Tertullianus in carmine contra Marcionem, vbi ait eodem die & loco mortuum & sepultum, tam primum, quàm secundum Adamum. De die quoque & loco consentit Irenæus, quem supra retulimus [c] cum de mora Adami in Paradiso ageremus. Cyprianus de Resurrectione Christi, *Nos*, inquit, *ad Christum pertinentes, cuius sanguine conspersa creditur Adami Caluaria, qui sub loco, quo crux Domini fixa est humatus traditur ab antiquis*, &c. Cuius traditionis diserte meminit Origenes [d], S. Basilius [e], qui ante dixerat *eiectum* paradiso Adamum in Iudæa consedisse; *Prima etiam*, inquit, *mortuum hominem excepit, qui & illiceam, cui addictus fuerat, sententiam condemnationis plene est executus.* Subdit inde pluribus os capitis de fluente carne, nudum in loco reconditum, qui inde cranium, siue Caluaria nomen acceperit. Eius autem rei famam ab ipso Noë à diluuio fuisse propagatam.

[a] *Epist. 17. ad Marcellam.*

IV. Locus sepulturæ Adami, in monte Caluariæ

[b] *n. 7. 8. & seq.* ex Tertul. Irenæo.
[c] *die. 7. 8.*
Cyprian.
Origene Basilio.
[d] *tr. 35. in Matth.*
[e] *inc. 5. Esa.*

Sanctus Epiphanius apertissimè ait se in libris reperisse Christum Dominum in Golgotha crucifixum esse & nô alibi, quam vbi corpus Adami iacebat. Accedit & S. Athanasius in fragmento de Christi Passione, S. Chrysostomus initio homiliæ 84. in 19. Iohannis, D. Ambrosius in ea verba Lucæ, *Qui vocatur Caluaria.* Idem habet S. Augustinus serm. 71. de Tempore. Nec retulisse contentus etiam approbans subdit. *Et vere fratres non incongruè creditur, quia ibi erectus sit medicus, vbi iacebat agrotus: & dignum erat vbi occiderat humana superbia, ibi se inclinaret diuina misericordia: & sanguis ille pretiosus etiam corporaliter pulueres antiqui peccatoris dum dignatur stillando contingere, redemisse credatur.* Addamus etiam D. Hieron. [f] etsi alioqui proniorem in eam opinionem, quæ communi contraria est. *In hac vrbe*, inquit, *imò in hoc tunc loco, & habitasse dicitur, & mortuum esse Adam, vnde & locus in quo crucifixus est Dominus noster Caluaria appellatur, scilicet quod ibi sit hominis Caluaria condita, & secundi Adam, id est Christi sanguis de cruce stillans, primi Adam, & iacentis protoplasti peccata diluerit.* Verum de hac traditione pro instituto satis, si addidero Iacobum Edessenum apud Andræam Massium [g] referre Adami ossa, ne diluuio perirent, à Noë in arcam translata, & inde Semo, cui Syria in terrarum distributione obtigerat, commendasse, ab eóque in Caluariæ monte fuisse condita. [h]

[f] *Ep. 17. ad Marcel.* Hieronymo quoque.
Translatio Ipsi notum, eius.
[g] *in c. vi Iosue n.*
[h] *vide Annal. 910. n.*

VI. Adamii suos mi nita.

Nunc illud videndum est, quod maiori etiam mihi videtur probabilitate niti, Adamum moribundum præcipuos quosque filiorum ac nepotum, qui viderentur capita familiarum, ad se conuocasse; quod posteriora exempla, quæ ex ipsius instituto expressa merito videri possunt, & ratio ipsa satis docet. In eo cœtu, prænunciata, quæ sibi immineret, migratione ad Abelem dilectum suum, apparet eum exposuisse compendio, tam suam, quàm totius humani generis cladem, & promissam sibi suisque redemptionem, & verum Mundi principem Doctorem & Seruatorem Messiam, in cuius vnius venturi fide, ac spe salui esse possent, illum vt Dei filium adorarent, vt summorum bonorum largitorem diligeret, vt pacis Deum inter & homines conciliatorem atque interpretem, de Sethi progenie nasciturum sperarent, illius vnius ope se ex Tartari faucibus ereptum iri crederent: eum

iam assiduis precibus & sacrificijs colerent, vitam ex timore Dei, qui sit futurus iudex viuorum atque mortuorum traducerent: improborum consuetudinem, & vitarent ipsi, & suos vitare edocerent. Denique quod sibi fieri nollent, alteri ne facerent.

VII. Obitus & funus.

Et quoniam optatissimo illo innocentiæ statu, quem ipse aliquando degustasset frui vltra non possent, pœnitentiam patris sui imitarentur, vt post mortem, quoniam per peccatum mors intrasset in mundum, & statutum esset omnibus hominibus semel mori, & de vniuersa vita diuinum subire iudicium, feliciori etiam felicitate in cœlis aliquando fruerentur. Quæ cum ille, aliaque his similia dixisset, eisque magno cum animi sensu benedixisset, collegit pedes suos super lectulum, & obijt plenus dierum. Magnus autem fletus factus est omnium, & procumbentes super corpus patris sui, certatim osculabantur eum, neque à complexu venerandi corporis, quod diuina quondam formauerat manus, auelli poterant. Denique cum multo honore & pompa funeris, in Abelis Mausolæo, quod illi iampridem, ipse sibique constituxerat, sepelierunt eum. Ornamus nos quoque sepulchrum Patris nostri merito elogio, quod in Annalibus studiosus Lector inueniet.

VIII. Christi & Adami cõparatio.

Libemus tamen hoc loco in Abele inchoatam Christi Domini, cum sanctis Patriarchis, atque Adamo in primis omnium primo ac principe comparationem, plenius in Annalibus, quos hîc contrahimus, expressam. Adamus igitur diuina coagmentatus manu, factus est in animum viuentem; nouissimus Adam, nam & nominis communicatio facta est, quem Spiritus sanctus ex terra benedicta, & impolluta formauit in sanctissimæ Virginis vtero, non solum factus est in animam viuentem, sed in spiritum etiam viuificantem. Vterque sine semine, sine confusione pudoris, sine generatione, sine dolore procreatus: vterque nullum habuit patrem præter Deum, nullam matrem, nisi virginem terram, aut Virginem Mariam. Vterque nomen accepit à Deo, nomen nouum quod os Domini nominauit: vterque factus est pater futuri seculi, primus Adam prioris ac terreni secundus posterioris ac cælestis: vterq; nõ solum mundi propagator, sed etiam magister futurus & doctor, scientia, & sapientia repletus est; sed vnus intra modum, alter sine mensura omnes diuinæ scientiæ ac sapientiæ thesauros accepit.

1.

2.

3.

4.

IX. Ratione corporis.

Summa fuit corporis vtriusque perfectio, vt decebat immediatum vtriusque architectum Deum. Prior nullam sensit infantiam, pueritiam, aut adolescentiam, & prima ipsa die sua factus est vir, vtique in expressam posterioris figuram; de quo, etiam adhuc in vtero posito, dictum est, *fœmina circumdabit virum.* Vterque in delicijs paradisi Dei fuit, vnus ex gratia, alter ex natura; vnus ex culpa in suam suorumque miseriam eiectus est: alter emissus ex misericordia, ad totius Mundi salutem. Adamo data est Eua in sponsam vna vni, cum prius è latere dormientis esset educta, eamque dilexit, vt os suum, & carnem suam. Hoc sacramentum magnum est, in Christo, & in Ecclesia, quæ vna est, & è dormientis in cruce latere educta, quam Christus dilexit, & tradidit semetipsum pro ea. Adamo costa sublata est, & pro ea caro substituta, infirmitate carnea ossis firmitatem supplente. Ita Christus dedit sanctis martyribus suis, nobilissimis Ecclesiæ suæ membris, fortitudinem suam, qua roborati tormenta sua non solùm ferre, sed etiam contemnere atque irridere potuerunt. Ipse è contrario in agone suo cœpit pauere, tædere, ac mœstus esse. Sed de his, exempli causa, hoc loco satis.

1.

2.

3.

4.

ANNVS MVNDI 940.

SETHI 810.

EVÆ postremus.

ANTE CHRISTVM ORTVM 3113.

I. Obitus Euæ.

DEcimo à morte Adami anno, & Sethi filiorum eius quos Scriptura nominat natu maximi 810. Euam matrem generis humani obijsse scribit Marianus Scotus [a] in Chronico, eique assentitur Genebrardus & Feu-ardent. in S. Irenæum [b], idque ex Hebræorum traditionibus profectum credere par est. Ergo decennio marito ætate prouectior migrarit è vita, non obstantibus tot ærumnis conceptuum & parturitionum, tot doloribus partuum, & perpetua dominatione viri; Abelis morte, & diuortio Cainitarum, denique assiduo mœrore sceleris à se primùm admissi, quo morbis & peccatis, cæterisque huius vitæ miserijs aditum patefecisset. Et celebratior quidem est Adami apud Patres, quam Euæ pœnitentiæ & saluti suffragentur.

a *Heb. 1. chron.*

b *l. 5. c. 23. n. 7.*

II. Eiusque pœnitentia.

Diuus certè Irenæus, de Eua nominatim dicit, illam in pœnam peccati sui suscepisse tedia, & labores & gemitus, & tristitias partus, & seruitium, & increpationem Dei, sicut & virum suum, *ne maledicti à Deo in totum perirent*: animam scilicet & corpore, vt Cain & cæteri reprobi, sed corpore in terram abeunte, vsque ad resurrectionem, anima in pace quiesceret. Sanctus Epiphanius [c] de Euæ salute illud Apostoli [d] interpretatur, *saluabitur autem per filiorum generationem, si permanserit in fide & dilectione*, quia proximè ibi Apostolus de Adamo & Eua locutus fuerat. Sed qualiscunque sit probatio, de sententia ista Epiphanij clare constat. Tertullianus in libro de habitu muliebri, Euam non solum animo, sed etiam corpore & habitu pœnitentem repræsentat. Libro autem 2. aduersus Marcionem, vocat Adamum & Euam restitutionis candidatos, & confessione reuelatos, quibus propterea Deus non maledixeret, sicut serpenti.

c *Hær. 47*

d *1. Tim. 2. 15.*

Et Salus.

III. Eius fucus.

Honorificè porro à Patriarchis omnibus, secluſa tamen, vt arbitror, Caini progenie, Euæ parentatum fuiſſe, vt communi omnium mortalium matri de mortuæ: Euæ omnium viuentium, aut potius morientium, matri, rationi conſentaneum eſt. Sed ipſius quoque oſſa, cum Adami oſſibus condita, & translata fuiſſe facile credi poteſt: ſicut poſtea Abrahami & Saræ Lipſana [a], eodem ſepulchro condita fuere: eodem Iſaac [b] cum Rebecca coniuge, eodem Iacob [c] cum Lia: eodem Tobias ſenior & Anna [d] vxor eius, & Manaſſes cum Iuditha. Idemque ab ipſo Adamo & reliquis Patriarchis ſanctitatum merito credi poteſt, vt qui in vita coniuncti fuerant, ne poſt mortem quidem ſeparentur.

a Gen. 25. 10.
b c. 50. 31.
c c. 50. 13.
d Tob. 4. 5. & 14. 12.
e Iudith. 16. 28.

IV. Et comparatio cum B. Virg.

Expectas fortaſſis hoc loco Lector, vt Euam cum beatiſſima Virgine componamus. At longe promptius eſt atque expeditius antitheſim ex ſanctis Patribus colligere, quo nos iamdudum leuauit Caniſius noſter in opere Mariano [f]. Nonnulla tamen ſatis apertam atque illuſtrem ſimilitudinem habere videntur, cum aliqua, quod neceſſe eſt, diſſimilitudine. Nam Eua prima eſt omnium mulierum ordine temporum. Maria prima dignitate ac prædeſtinatione diuina. Sicut enim ſecundi Adami prædeſtinatio antecedit deſtinationem primi: ita ſecunda Eua prius à Deo electa eſt quam prima, vt eſſet meliore iure mater viuentium ſpiritu, quam illa corpore. Vtraque nobiliſſima mulierum, & corporis pulchritudine præſtantiſſima, vtraque miraculo nata, & ſine originis labe producta.

f l. 4. c. 14. 1. 2.

V. Ratione Abelis filij.

Eua primi Iuſtorum Abelis mater, eum in ætatis flore per inuidiam occiſum lamentata eſt, vt B. Virgo primum iuſtorum Chriſtum Dominum filium ſuum, & ipſum per inuidiam in ætatis flore crucifixum. Et ſicut Eua alterum filium Abelis loco à Domino accepit; vnde & dixit [g], *Poſuit mihi Deus ſemen aliud pro Abel, quem occidit Cain*: ſic B. Virgo alterum filium Iohannem Euangeliſtam accepit pro Ieſu, quem Iudæi parricidæ inuidia periti peremerunt. Accepit autem illo verbo adoptatum, *Mulier ecce filius tuus.*

g Gen. 4. 25.

ANNVS MVNDI 987.

SETHI 857.

HENOCHI 365. &c. vltimus.

ANTE CHRISTVM 3066.

I. Enochi chronologia. 622. 365. 987. 930. 57. 987.

CElebris eſt hic annus translatione mirabili Enochi Patriarchæ, vt ex Scriptura neceſſariò deducitur. Cum enim natus ſit anno mundi 632. eorumque annorum vltimus fuerit Enochi primus, oportet hoc anno trecentos ſexaginta quinque, quibus illum in terris verſatum Scriptura teſtatur, eſſe abſolutos. Maior etiam Hebræorum chronologia ſcribit Adamum ab Enocho ſepultum, vixiſſeque poſtea 57. annos: quos ſi 930. addideris, præſentem mundi annum conficies. Hoc ergo anno tranſlatio Enochi contingit, cum tot annos vixiſſet in terris, quot diebus ſol anni circulum metitur in cœlis. De quo, præterea quæ ſuperius de ipſius ſanctitate diximus [h], quærendum breuiter mortuus-ne fuerit necne, & ſi translatus in viuis, quò? 3. quem ad finem, 4. quæ eius ſcripta fuerint, 5. quæ eius ſimilitudo cum Chriſto.

h a. m. 688.

II. Translatus ſine morte. i Hebr. 5. 11.

Quod ad primum attinet D. Paulus [i] dubitare non ſinit mortuus-ne fuerit Enoch necne, qui diſerte aſſerat eum *non vidiſſe mortem*: ſimulque obſtruit ora falſa loquentium Hebræorum, & de illius morte ineptè garrientium: in quibus Aben-Ezra: & Hæreticorum, in quibus Temporarius & Capellus. Imo & quorundam Catholicorum, qui probabilius tantum putant eum non eſſe mortuum, vt Oleaſter & Eugubinus, qui relinquit in dubio, an cum corporea aſſumptus ſit: contra quos in Annalibus accuratè diſputauimus [k]. Hic illud quæro, num D. Paulus, rem quam aſſerit, probabilem tantum faciat [l], aut Sapiens, cum ait *Inuentem inter peccatores eſſe translatum*? quid opus fuit meminiſſe vitæ, ſi translatus eſt mortu[m]? Aut quid opus erat Moſen [m] aliter de Enocho, quam de cæteris hactenus commemoratis loqui? quos dixit mortuos, iſtum autem *non apparuiſſe, quia tulit eum Deus.*

k n. 2. & 3. Probatur ex ſcripturis. l Sap. 4. 10. m Gen. 5. 24.

III. Et patribus. Ireneo, Tertul. Clemente.

Certe S. Irenæus [n], vt his quoque ſanctos Patres curſim attingam, *Enoch*, inquit, *placens Deo, in quo placuit corpore translatus eſt, translationem iuſtorum præmonſtrans.* Tertull. [o] l. aduerſus Iudæos. *Nam & Enoch*, inquit, *Iuſtiſſimum non circumciſum, nec ſabbatizantem de hoc mundo tranſtulit, qui necdum mortem guſtauit, vt æternitatis candidatus* &c. quæ etiam inculcat in libro de Anima, & de reſurrectione carnis. Idem habet Clemens Romanus in Conſtit. Apoſt. & S. Chryſoſt. homil. 11. in Geneſ. S. Hieronymus contra errores Iohannis Hieroſolymitani, aliiſque in locis. P. D. Auguſtinus [q] contendens Adamum ante peccatum mortalem fuiſſe, nec tamen morituram. *Talem puto*, inquit, *habitudinem adhuc in corpore animali, atque mortali, etiam illis*, (Enoch & Eliæ) *qui ſine morte hinc translati ſunt, fuiſſe conceſſam.* Et alibi [r], *quo non dubitamus*, inquit, *in quibus nati ſunt corporibus viuere.* Adde Gregorium magnum [s] atque Nemeſium [t] & omnium clariſſime Epiphanium hæreſi 64. quæ eſt contra Origenem & in Anchorato. Afferri huc poſſunt omnes pene interpretes Apocalypſeos, tam antiqui quàm recentiores. Sed in re plane certa ſatis eſt teſtium.

n l. 5. c. 5. & l. 4. c. 30.
o c. 2.
Chryſ. Hieron.
p Ep 61. & 148. ad Marcel. & in pſal. 20.
q l. 1. c. 3. de pecc. mer.
Auguſt. Gregor. Nyſſen. Epiphan.
r lib. 1. de pec. orig. c. 23.
s l. 9. mor. c. 3.
t lib. 6. de nat. hom. c. 4.

IV. Quò ſit translatus. An in paradiſum Adami.

Quæramus potius quò translati ſint. Nam de vtroque vna eſt eademq; quæſtio, niſi quod hæc multo eſt præcedente difficilior. Magna enim pars eorum, qui ſine morte traslatos putant, de loco in quem translati ſunt plane tacent, id ſe ignorare ſignificantes. Non pauci tamen certum definiunt translationis locum, paradiſum terreſtrem, in quibus S. Irenæus [a], qui ait eam doctrinam eſſe presbyterorum, qui ſunt Apoſtolorum diſcipuli, quo vno teſtimonio plurima, eáq; grauiſſima continentur. Iuſtinus etiam martyr [b] agens de ijs, qui ſub Chriſti reſurrectione ſurrexerunt, & apparuerunt multis. *Quam ob cauſam*, inquit, *reſuſcitati illi denuo mortem non oppetiere, ſed in immortalitate manent, ſicut Enoch & Elias, cum quibus in paradiſo ſunt, reſtitutionem ſempiternam, quæ omnes immutabimur, expectantes.* Idem clare alibi-

a l. 5. cont. har. c. 5.
b q. 85. ad Orthod.

mat S. Athanasius, in Epistola de Nicena synodo contra Eusebium, & Isidorus in libro de vita & morte sanctorum, Procopius Gazæus in 1.4. Genes. alijque non pauci, quos refert apud Irenæum Feu-ardentius.[c].

Sed quid opus est pluribus, cum in Scriptura legamus[d], *Enoch placuit Deo, & translatus est in paradisum, vt det gentibus pœnitentiam.* Etsi enim vox paradisi non reperitur in græco textu, satis est tamen in latina vulgata reperiri, quam authenticam agnoscit, & ab omnibus vult haberi Concilium Trident. [e]. Iansenius in eum locum ait interpretem id addidisse de suo, secutum receptam in Ecclesia opinionem. Et Sixtus Senensis [f] hanc sententiam pro Ecclesiæ sententia, & diuinæ Scripturæ amplectitur. Porro non est necesse paradisum intelligere de loco, in quo habitauit Adamus, vt satis docuit Gregorius Magnus [g], & totidem verbis eum secutus Rupertus, cum aiunt in secretam quandam terræ regionem adductos, vbi in magna carnis & spiritus quiete viuerent: quo videlicet modo in paradiso viuebatur. Idemque satis clare docet Isidorus [h], explicans paradisum, æqualem habitationem beatæ terræ; quò etiam videtur allusisse Tertull. [i] in libro de Resurrectione carnis. Denique certum est paradisum non raro in Scriptura, pro quouis amœno, ac delicijs affluente loco sumi, & in libro Ecclesiastici nullo epitheto restringi vocem, ad illum Adami paradisum.

Vt ergo concludamus hunc locum, cum Scriptura facile explicari possit de quouis amœno loco, & ita fere à sanctis Patribus explicata fuerit, longéque probabilissimum sit nunc paradisum illum non extare, existimo de loco in quem aut Enoch hoc anno, aut Elias post annos 2152. translati fuerint, non liquere: quæ est etiam sententia Emanuelis [k] atque Pererij [l], qui totum hunc locum accuratissimè examinauit.

Sequitur vt translationis causas inquiramus: quas nonnulli minus probabiles afferunt; quibus omissis, arbitror primo raptum dici posse in figuram futuræ immortalitatis. Nam Tertullianus [m] cum de vtriusque translatione ageret, *cuinam*, inquit, *fides testimonium signant, nisi quæ credi oportet hæc futuræ integritatis esse documenta?* &c. fusè, quæ est D. quoque Thomæ sententia in Epistolam ad Hebræos [n]. Idem habet & Epiphanius in Anachorato, & S. Irenæus lib. 5. cap. 5. Alteram causam Sapiens suggerit, raptum enim ait, *ne malitia mutaret intellectum eius*; ne scilicet deprauaretur, ab improbis, apud quos legatione fungebatur. Nam Irenæus [o] *Enoch*, inquit, *placens Deo cum esset homo Dei, legatione ad Angelos fungebatur.* Angelorum nomine videtur eos intelligere, quos Moses paulò inferius [p] appellant filios Dei, & à quibusdam Angeli Dei dicti sunt, apud August. [q] & Philonem Iudæum [r], Sethi videlicet nepotes, religionis alioqui, ac pietatis cultores, qui vitæ licentia, atque impunitate admodum deprauati erant. Adeo igitur Enoch, de cuius sanctitate, & eximia apud Deum gratia constabat, missus est legatus Dei nomine, vt eos à flagitijs auocatos, ad studium virtutis accenderet.

Ergo etiam homines Dei discrimen adeunt, ne dum alijs prædicant, ipsi reprobi efficiantur. Itaque causa hæc priuatam spectat Enochi vtilitatem, quæ sequitur, publicam: & cum illa mundi attingat initia, hæc eius spectat interitum vt scilicet *det gentibus pœnitentiam* [s], id est, vt plerique interpretantur, vt vnà cum Elia Christum prædicet in fine mundi, & homines, Iudæos præsertim, ab adoratione diaboli & Antichristi, traducat ad veri Dei fidem & cultum. Quo spectat illud Tertulliani [t], *reseruantur morituri, vt Antichristum sanguine suo extinguant.* De eadem prædicatione lege S. Augustinum libro vigesimo de Ciuit. Dei c. 29.

Iam vero de prophetia, vel scriptis Enochi dicamus aliquid. Et primum ipsum prophetasse; quod non solum probabile facit illud Irenæi testimonium, de eius legatione ad Angelos Dei, sed indubitatum reddit Iudas Apostolus in epistola sua [u], *Prophetauit*, inquit, *& de hîs septimus ab Adam, dicens. Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis, facere iudicium contra omnes*, &c. quæ Iudas ait dicta in hæreticos sui temporis: quæ in sensu literali dicta videntur, contra improbos homines illius primæ ætatis; sed quia optime quadrant in hæreticos, de illis dicta dicuntur per accommodationem. Quo modo Christus Dominus dicebat Iudæis [x] *hypocritæ, bene prophetauit de vobis Esaias* &c. Itaque in sensu literali id iudicium accipi potest de diluuio tunc appropinquante; in accommodatitio vero, de eo iudicio quod nos quoque expectamus.

Eam prophetiam, sine scripto vllo, diuinitus Iudæ reuelari potuisse, quemadmodum, dicta factáque Adæ, & aliorum Patriarcharum Mosi reuelata fuerunt, satis patet, aut etiam traditione retineri, quod docet Tertul. de habitu mulierum. Certum nihilominus videtur Enochum prophetiam suam scriptis tradidisse, quia id plurimi, grauissimique Patres affirmant, in quibus D. August. [y] & Tertullianus [a] & Origines [b], qui non librum tantum Enochi memorat, sed libellos, quorum de argumento nonnulla in nostris Annalibus repeties [a]. Sed eos apertum est ab hæreticis fuisse depraua tos, inspersosque errores, eam maxime, qui est de dæmonibus mulierum corruptoribus, ex Mosi verbis perperam intellectis; in quem errorem plerique antiquorum impegerunt, in quibus Tertullianus [b], Lactantius [c], Iosephus [d], Clemens Alexandrinus, atque adeo Sancti Cyprianus, Irenæus, Iustinus martyr, in Apologia prima pro Christianis.

Superest vt quæ sit præsens translatorum vita dicamus. Id nisi coniecturis sciri non potest, nec inuenio meliorem D. Augustino coniectorem [f]. *Neque enim Enoch & Elias per tam longam ætatem senectute marcuerunt. Nec tamen eos credo iam in illam spiritalem qualitatem corporis commutatos, qualis in resurrectione promittitur, quæ in Domino prima præcessit. Nisi quia isti fortasse nec hîs cibis egent, qui sui consumptione reficiunt, sed ex qua translati sunt ita viuunt, vt similem habeant satietatem illis quadraginta diebus, quibus Elias ex calice aquæ, & ex collyride panis, sine cibo vixit. Aut si & hic sustentaculis opus est ita fortasse in paradiso pascuntur sicut Adam, priusquam propter peccatum exinde exire meruisset. Habebant enim quantum existimo, & deli-*

gnorum

---

c *vide Feu ardent. ad Irenæ l. 4 c. 30. n. 6 & l. 5. c. 5. n 2. & 3. d Eccli. 44. 16.*

V. Ex scriptura. e *sess. 4. fol. 5. Bibliothec. anno 36.* Alumue locum a. mœnum. g *hom 29 in Euang.*

h *l 3. in Gen c. 33. i c. 58.*

VI. De loco non liquere. k *Sa in Gen. c. 5. & in 4. Regum. c. 1.* l *in Gen. l. 3. q 5. & l. 7. des. vlt. q. 7.*

VII. Causæ translationis. I. m *l de resur. c. 58.*

n *in c. 11. Heb. 2. vers fin.* 2.

o *l. 4 c. 30.* Henochi legatio. p *c. 6. 2.* q *l. 15. de Ciu. c. 23.* r *l. de Gigant.*

VIII. 3

Ve det gentibus pœnitentiam. s *vide sup. a. m. 688. n. 3.*

t *l. de anim. c. 30.*

IX. Enochũ prophetasse. u *v. 14.*

x *Matt. 15. 7.*

X. Et scripto prophetiam tradidisse

y *l. 15 de Ciu. c. 23.* a *c. 3. de h. b. mul.* b *hom. 28. in Num. & in fi. l. 4. de princip. a n. 15. & 16.* b *c. 4 c. 10 2. c. 2.* c *l. 2. c. 15.* d *l. 5. c. 3. Ant.* e *l 3. & 5 Strom.*

XI. Quæ nũc translati vita. f *lib 1 de pecc. mer. c. 3.*

gnorum fructibus refectionem contra defectionem, & de ligno vitæ stabilitatem contra vetustatem.

Quod nos imitamur ieiunio, inquit Hieron. *illi possident Dei consortio, vescuntur cœlestipane, & saturantur omni verbo Dei, eundem habentes Dominum, quem & cibum.* Id est, vt arbitror quacumque re Deo visum fuerit vescuntur; aut Dei potestate sine cibo & potu, aut eorum appetentia, quasi in perpetuo ieiunio, perseuerant in viuis. Nec sane apparet commodior faciliorque ratio, qua illic sine cibi necessitate viuant, quam si Deus caloris actionem suspendat consumptricem humidi naturalis. Sed illo etiam Paradisi priuilegio fruuntur, autore Tertulliano [h], nullis vt vitæ huius miserijs, atque incommodis afflictentur, eamque vitam addicant hoc tempore, quam à resurrectione perpetuo possidebunt. Ait enim *hæc futuræ integritatis esse documenta.* Nec tamen putat Tertul. omnia esse paria. Constat enim nunc eorum corpora esse mortalia, & carere dotibus, quibus à resurrectione donabuntur, vt significauit paulò ante August. Denique, vt ait Gregorius [i] & Rupertus [k], in magna carnis & spiritus quiete viuunt, quod Epiphanius [l] vocauit in corpore spiritualiter existere.

Verum ne sine elogio dimittamus primum hunc, imo etiam postremum Christi Domini præcursorem, præsertim *integrum vitæ, sceleriſque purum*; qui & ipse translatus est à conspectu hominum, *Ne leui saltem maculare vitam femina posset*, certe vel in eo Christi figuram fuisse negari non potest, quod sicut Enoch, propter virtutis eminentiam, dictus est, præ cæteris bonis, qui tum viuebant, Deo placuisse; Ita Christus præ sanctis omnibus audiuit [m], *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Eius quoque prædicatio, qualis & Christi fuit. Nam Enoch, dum hic viueret, improbos ad pœnitentiam hortabatur, etiam legatione in eum finem obita: & vbi redierit, hominibus pœnitentiam prædicaturus est. Christus autem legatus, & autor reconciliationis Deum inter & homines, locum pœnitentiæ peccatoribus aperuit, tam prædicatione sua, quam eorum, qui pro eo legatione fungebantur. Et de Enocho hactenus.

XII. Quomodo cæteræ cibo, non egeant.

g *Epi.* 65. *ad Pamm.*

h *de resur. car. c.* 58. Accedunt ad cælicum vitam.

i *hom.* 19. *in Euang.*

k *in Gen. l.* 3. *c.* 31.

l *hæres.* 46

XIII. Fuit Christi figura.

m *Matt.* 17. 5.

ANNVS MVNDI 1000.

SETHI 870. LAMECH. 126.

ANTE CHRISTVM 3053.

TErminat hic annus primum Mundi millenarium, seculum decimum, Iubilæum vigesimum: estque à morte Adami septuagesimus, ab Enochi translatione 13. quem & notatum ab illis patriarchis, & varijs tum sacrificijs, tum ludis celebratum par est opinari. Eum Chronologi nonnulli notant, in quibus Marianus Scotus, sed nihil ad memoriam insigne annotant.

***

Iubilæus vigesimus.

ANNVS MVNDI 1042.

SETHI 912. & vlt.

ANTE CHRISTVM ORTVM 3011.

ADest annus vltimus Patriarchæ Sethi, duodecim enim supra nongentos annos illum vixisse Scriptura [a], quibus si addideris 130. quos vixerat Adam ante ortum Sethi, annos ab ortu terum 1042. exacte conficies. Moriturus ergo hoc anno Sethus, vir vtique sanctissimus, & princeps filiorum Dei, vt qui diuinitus in locum innocentis Abelis suffectus esset, in quo familia iustorum, sicut in Caino ciuitas impiorum fundata erat. Quem credibile est, vt prius Adamum, dum viueret pro sua autoritate & prudentia, virtutumque exemplis & monitis, filios ac nepotes suos in officio ad mortem vsque continuisse, Enoso in primis atque Enocho, qui pietatis laude florebant, æmulantibus. Mortuo autem Adamo, translato Enoch, mortuo denique Setho torrens mundans iniquitatis vltra retineri non potuit.

I. Sethi obitus.

a *Gen.* 5. 7. 8.

Itaque insignem nepotum Sethi deprauationem ad hunc vsque locum ac tempus, quo ille excessit è viuis distulimus. Fauet nobis Iosephus [o] dum ait filios Sethi *per septem generationes perseuerasse vnum Deum colentes, omnium rerum Dominum, semperque virtutis respectum habuisse. Procedente deinde tempore*, octaua scilicet generatione & deinceps, *à patrijs institutis degenerasse.* Octaua autem generatio à Setho cadit in Lamechi ætatem, in qua versamur, & sub qua Hebræi generalem hanc morum euersionem agnoscunt, vt notauit Genebrardus, & obscure significauit Lamechus ipse in natiuitate Noë filij sui, quæ post quindecim annos contigit. Nam de Caini posteris alia est ratio, quos idem Iosephus ait [a], superstite etiam tum Adamo, feleratissimos euasisse.

II. Deprauatio nepotum eius.

o *l.* 1. *Ant. c.* 4.

a *l.* 1. *c.* 2.

Ad hæc ergo tempora pertinet illa & personarum & vitiorum multiplicatio, de qua sexto Geneseos sit mentio [b], *Cum cœpissent homines multiplicari super terram, & filios procreassent, videntes filij Dei filias hominũ, quod essent pulchræ, acceperunt sibi vxores ex omnibus quas elegerant.* Non habita scilicet vltra ratione prohibitionis Adami, siue Sethi, vt mauult Abulensis [c], de non miscendis connubijs cum Cainitis, *Separatum enim erat genus Seth*, ait Theodoretus [d], *& non permiscebatur cum cognatione Cain propter illatam ei ab omnium Deo maledictionem.* Non apparet autem à quo, secundum Deum, prohibitio manarit conuenientius, quam à parente, quem ratio postulat in liberorum connubijs autorem fieri, nuptiasque respuere vel probare. Pergit autem Theodoretus explicare quomodo hæ nuptiæ conciliatæ fuerint; addit enim ad illecebram formæ, quam memorat Moses, & in qua Noëma, præter cæteras dotes, dicitur præstitisse, musicorum instrumentorum lenocinium, quæ Cainitę inuenerant, accessisse, atque ita ab impuris mulieribus, vt Israëlitas postea à Madianitis [e], omnem nequitiam accepisse, quæ fusius etiam reperies apud Cassianum [f], & S. Augustinum [g].

III. Commercio Sethinorum cum Cainitis.

b *Gen.* 6.

c *q.* 4. *in* 6 *Gen.*

d *q.* 47 *in Gen.*

c *Num.* 31

f *Collat. c.* 21.

g *l.* 15 *de Ciu. c.* 23.

IV. Qui Filij Dei.

Cæterum nomine filiorum Dei, & filiarum hominum intelligi Sethi & Caini posteritatem, plerique antiqui recentioresque sentiunt, vt merito communissima verissimáque sententia dici possit. Non desunt tamen etiam ex Hebræis, qui nomine filiorum Dei filios principum & magistratuum intellexerint. Nam vbi Aquila vertit υἱοὺς τῶν θεῶν, Symmachus interpretatur τῶν δυναστευόντων, quia huiusmodi sunt instar deorum in terris, & in Scriptura quoque appellantur dij. Quam expositionem plurimum probat Eugubinus, existimans hos Patrum potentia & autoritate confisos, nihil inausum reliquisse. At Lyranus & Abulensis id merito improbant, quod paucos ea explicatio comprehendat, cum Deus de malo, quod ad omnes pertineret, conqueratur [h]. *Vidit enim Deus terram esse corruptam, & omnem carnem corrupisse viam suam.* Plurimi denique antiquorum Patrum, qui in textu græco non filios Dei, sed Angelos Dei legerunt, intellexerunt Angelos illos apostatas, qui ex cohabitatione cum mulieribus genuerint gigantes.

h Gen. 6.

An veri Angeli.

V. Non fuisse dæmones.

Verum hæc opinio ex ignoratione angelicæ naturæ, & Angeli vocabulo non intellecto & apocrypho Enochi libro profecta; iampridem ab Ecclesia catholica proscripta est, & inter hæreses à Philastrio numerata, sæpius à D. Augustino [i] refutatur. D. Chrysostomus [k] hanc opinionem vocat fabulas omnia inconsideratè loquentium, & blasphemas voces hominum aduersus capita sua blaterantium. S. Cyrillus [l] vocat falsam prauissimorum hominum opinionem, eamque accuratè, atque erudite refellit. Theodoretus [m] etiam animosè. *Quidam nimis stupidi & stolidi, existimarunt eos Angelos esse, putantes sua forsan intemperantiæ patrocinium se habituros, si Angelos eiusdem criminis reos tenerent.* Alios etiam in Annalibus leges, qui omnes hoc fundamento nituntur, quod Angeli incorporei sint, isti autem de quibus est sermo, carnei. Vnde mox Dominus [n], *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est.* Et certe si hoc dæmonum fuisset peccatum & mulierum duntaxat, in dæmones, aut certe non in homines vniuersè diuina exarsisset ira quę tamen totum genus humanum diluuio perdidit, quia [o] *omnis caro corruperat viam suam.* Caro, inquam, qua spiritus angelici carent. Non ergo ab Angelis, siue dæmonibus procreati sunt gigantes, sed ab ijs hominibus, qui cum prius pietatis ac iustitiæ cultores extitissent, totos se in libidinem, & inconcessi coniugia profuderunt.

i q 3. in Gen. & l. 15. de Ciu. c. 23.
k hom. 22.
l in Gen.
l lib. 3. in Gen. init.
m q. 47. in Gen.

Idq; probatur.

n Gen. 6. 3.

o c. 6. 12.

VI. Gigantes quo primum tempore fuerint.

Sed inquiramus si possumus, quo primum tempore emerserint [p] *potentes illi à seculo viri famosi*: tam quales illi fuerint considerabimus. Sunt qui putent tum primum natos gigantes, *cum filij Dei filias hominum vxores acceperunt.* Eáque videtur prima fronte Scripturæ sententia, quæ dierum illorum diserte meminerit. Verum illa non negat etiam gigantes longe ante extitisse, si iuxta Hebræum Græcumque textum, & vtramque Chaldaicam paraphrasim legas, non, *postquam enim ingressi sunt, sed etiam postquam ingressi sunt.* In eam sententiam quam Pagninus & Lipomanus expressérunt. Gigantes fuerunt in terra in diebus ipsis, etiam postquam ingressi sunt filij Dei, &c. quasi dicat, ex his quoque coniugijs nati sunt; quæ est ipsius D. Augustini sententia [q]. Horum porro antiquitatem non obscurè significat vulgata, cum ait eos *à seculo* extitisse, id est, à mundi exordio, vt ibi [r] *à seculo non est auditum, quia quis aperuit oculos cæcinati, & sicut locutus est per os sanctorum, qui à seculo sunt prophetarum eius*, id est ab initio mundi, in illis enim prophetis est, Adamus ipse. Ergo gigantes *à seculo*, & ab ipsa rerum creatione fuerunt, id est Adam ipse, & Eua, & Cain, & Abel, & Seth, & reliqui procerissimæ staturæ fuerunt. Denique Baruch. [s] *Ibi fuerunt*, inquit, *gigantes nominati illi, qui ab initio fuerunt staturæ magnæ, scientes bellum.*

p 1. 6. 4.

q l. 13. de Ciu. c. 23.

r Ioa 9. 32 Fuisse ab initio.

s c. 3. 26.

VII. Eorum statura.

Quod igitur ad staturam istam attinet, Prophetæ isti astipulatur Theodoretus; qui eos παμμεγέθεις ἀνθρώπους id est homines prægrandes. Chrysostomus τοὺς ὑπερμεγέθεις τοὺς εὐμηκεῖς. Heroës prælongos. Quin & Dominus ipse apud Amos prophetam. *Ego*, inquit, *exterminaui Amorrhæum à facie eorum, cuius altitudo Cedrorum altitudo eius, & fortis ipse quasi quercus* Idque non de vno aliquo, vel altero, sed de toto Amorrhæorum populo traditur. Vt minus mirum sit lectum Og [u] regis eorum fuisse nouem cubitorum longitudinis. Si lectus fuit vno cubito rege ipso longior, cum cubitus sit vnius pedis cum dimidio, fuerit Og longitudinis duodecim pedum, quæ est duplo maior longitudo, quam sit eorum, qui nunc procera sunt statura. Certe duodecim Israëlitarum legati, qui visa referebant [a], *populus*, inquiunt, *quem aspeximus procera staturæ est.* In Hebræo *& omnis populus, quem vidimus in medio eius, viri mensurarum*, nimirum insolitarum. Septuag. vocant eos ὑπερμεγέθεις ἄνδρας viros supra modum longos, adeo vt illis comparati Israëlitæ, se quasi locustas reputarent.

t Ioa 9. 32 Fuisse ab initio.

s c. 3. 26.

u Deut. 3. 11. Et regis Og.

a Num. 13. 33. 34.

Ibid.

Quamuis autem statura excelsior ad dignitatem & pulchritudinem pertineat, vt de Saule [b] ex Scriptura constat, D. tamen Cyrillus [c] hisce gigantibus corporum deformitatem in pœnam libidinis tribuit. Et lib. 9. contra Iulianum ait illos fuisse aspectu fœdos, ac valde deformes, monstrosos, ac temerarios. Iosephus ait fuisse visu horribiles. Fuisse etiam robustos & bellicosos, iam ex Prophetis Amos & Baruch [d] indicatum est, quos Moses hoc loco à potentia, siue robore corporis celebrat. Cyrillus autem [e]; *Gigantes illos esse intelligimus qui horribiles visu, robore incomparabiles, indomiti, inuictique homines, ob corporum magnitudinem fuerunt, cæterosque propterea contemnentes*, cui robori subscribit Dauid [f], cum ait *& gigas non saluabitur in multitudine virtutis suæ.* Septuag. enim verterunt gibbor, id est potens, in gigantem, quasi quoddam roboris exemplar.

VIII. Fuisse deformes.

b 1. Reg. 10. 23 24
c l. 3. in Gen
Robustos & bellicosos.
d num. 6
e l. 3. cit.

f Psa. 32 16.

Viri bellicosi ac robusti facile in tyrannicam ferociam, ac violentiam delabuntur. Id tam proprium gigantum fuit, vt inde nomen accepisse, & in exemplum sumpti esse videantur. *Irruit in me* [g], ait Iob, *quasi gigas*, vbi ad notationem nominis alludere videtur, Nephilim enim ruentes siue irruentes significat, quod isti ferociter in alios impetum facerent. Itaque Symmachus, teste Hieronymo, Nephilim vertit βιαίους, id est, violentos, Aquila ἐπιπίπτοντας, & δυνατούς, id est, irruentes & insanabiles Arias terrore consternantes: quod præ fero-

XI. Feroces ac violentos.

g c. 16. 15.

tyrannorum more.

h c. 16. 14

cia

cia ac violentia sua propriis præsidentes omnia pervim tyrannico latrocinio agerent. Itaque & pro violentis tyrannis ab Esaia sumuntur h, *Morientes non viuant, gigantes non resurgant.* Etsi autem violentus ille ac ferox animus sine superbia esse non potuit, eius tamen à Sapiente nominatim accusantur i. *Sed & ab initio*, inquit, *cum perirent superbi gigantes*, ὑπερηφανεῖς, qui supra cæteros se conspiciendos præbebant. Quo referri potest quod hic à Moyse dicuntur *viri famosi.* Malæ vtique famæ, quam suis sibi facinoribus colligebant. Superbiam fouebat magnitudo corporum & robur, vt notauit k Theodoretus.

h c.14.6.

k q.48. in Gen.

X. Et in Deũ impios.

Denique superbiæ annexa erat impietas in Deum, est enim ad eam gradus. Vbi enim mortales superbè contempserunt, humanum supergressi modum, superos ipsos dictis factisque inuadunt. Hinc illud Theomachorum cognomen, & fabula affectati regni cœlestis. Sed quia *Deus superbis resistit*, nec est qui ei resistere possit, propterea & misere ipsi perierunt, & facti sunt alijs perditionis exemplum. Nam Sapiens l *in cœtu*, inquit, *gigantum commorabitur*, id est male peribit, vt olim gigantes. Ideóque Isaias illos in inferis collocat m, sicut & profani Scriptores omnes Sibylla quoque ait gigantes sceleratos, blasphemias polluto ore locutos. Et de gigantibus hoc loco satis. Sed antequam progrediamur ad alia, Patriarchæ Setho iusta parentalia non negemus, cum sciamus sanctos Epiphanium & Augustinum scribere, Sethum Christi Domini figuram gessisse.

l c. 22.16. Itaq; male perisse m 14.9.

XI. Sethus figura Christi.

Et certe res loquitur ipsa per sese, cum constet Sethum positum fuisse fundamentum ciuitatis Dei pro Abel: in figuram illius lapidis probati angularis, pretiosi, in fundamento fundati, vt loquitur Esaias n. Substitutus est Abeli, quasi in eius locum excitatus, vnde & Christi resurrectionem figurauit. Ex duobus namque illis hominibus Abele, qui interpretatur resurrectio, mors Christi, & vita eius ex mortuis præfigurata est, vt aiunt Augustinus o, & Isidorus p. Sed expressior est etiam figura in eo, quod propter eminentem sanctitatem, quasi Deus quispiam dictus & reputatus est, & filij eius filij Dei appellati. Christum autem Deum diserte appellat Esaias propheta q. De filijs autem eius, quos secundum spiritum genuit r, *Videte*, ait dilectus discipulus, *qualem charitatem dedit nobis pater, vt filij Dei nominemur, & simus*

n c.28. v. 16.

o l. 15. de Ciu. c. 18.

p In Gen. c.6. n.5.

q c.9.

r 1. Ioh. 3 1

ANNVS MVNDI 1057.

ENOS 822. NOE. 1.

ANTE CHRISTVM 2996.

I. Tempus ortus Noemi.

s A.M. 131.1.

t Gen.6. 9.

QVindecim annos interuenisse constat inter Sethi mortem, & ortum magni patriarchæ Noë, quem ponimus, natum anno 182. Lamechi patris expleto. Magni, inquam patriarchæ, & in paucis in Scriptura celeberrimi, vt diuina illa testantur Elogia s. *Noe vero inuenit gratiam coram Domino.* &, *Noe vir iustus atque perfectus*, & *Noe cũ Deo ambulauit*, aliaq; id genus, quę in progressu, & maxime in extrema eius vita notabimus. Nũc eius ortui attendamus, de quo illud Scriptura u memorat, Lamechum eius patrem ipse nomen indidisse, nulla facta matris, aut fratrum, sororumue mentione; sed nec quotus ordine generationis fuerit; quamuis primogenitum non fuisse, parentis ætas aperte clamet, eamque vocem omnes exaudiant, præter surdastros aliquot Hebræos, & si quos alios, quos vulgò vocant hebraizantes.

u c.5.29.

Ibid.

II. Ratio imposiri nominis.

Natum infantulum parens appellauit Noë, addit etiam rationem denominationis. *Iste*, inquit, *consolabitur nos ab operibus, & laboribus manuum nostrarum, in terra, cui maledixit Dominus.* Nam Noë cessationem & requiem interpretantur. Vaticinium hoc fuisse Chrysostomus a affirmat. Quod autem præuideret Lamech, vt non prophetasse duntaxat, sed etiam propheta fuisse intelligeretur, ita refert. Prædicit per appellationem pueri mala quæ totum humanum genus inuasura erant, vt vel timore castigati abducerentur à vitijs, & amplexarentur virtutem. Theodorus quoque apud Lipomanum, *Lamechi*, inquit, *in natiuitate filij sui Noe prophetat, quemadmodum Zacharias.* Idem habet S. Cyrillus & Procopius, qui hoc vaticinium ad Christum potius, quam ad Noë referendum putant: vtique in spiritali sensu: nam in literali, apparet rem ad agriculturam pertinere. Hæc est enim quæ manus hominum in terra laboribus exercet; & Opera agricolarum peculiariter appellantur.

a Hom. 21. in Gen.

III. Aliæ rationes nominis eiusdem.

Quidam nihilominus putant, vt refert Cajet. prædici Noëmum inuenturum rationem subiugandorum animalium, ad terram aratro proscindendam, ex quo labor hominum in fodiendo subleuetur. Sed fortasse hæc inuentio non huius temporis fuit. Neque enim Noë primus agricola fuit, sed ante mille annos Cain, & Adamus ipse, in quo plus etiam fuit scientiæ tam speculatiuæ quam practicæ, quam in Noë qui nullam habuit infusam, vt Adam. Res quoque ipsa parum digna videtur Prophetia, quamuis eam ad vini quoque inuentionem, aut ad esum carnium, aut ad iteratam etiam terræ benedictionem extendas. Ideo D. Hieronymus b Noë requiem interpretatur, quod sub illo omnia retro opera quieuerunt per diluuium. A quo non dissentiunt Ambros. c neque Chrysostomus d; quorum expositioni consentanea est requies & sabbatismus terræ, qui toto diluuij anno contigit, in quo terreni homines, vel inuiti, cessaturi erant à flagitijs, & sceleribus suis, ex quo iustis nascitura erat consolatio. Aut certe consolatio pertinet ad generis humani reliquias, quæ à Noë conternabuntur, & in arca requiescent, dum longe maxima pars mortalium diluuij fluctibus agitata peribit.

b In trad in Gen.

c Iust. de Arca Noe

d hom. 21 in Gen e vide 2. Paral 36.

ANNVS MVNDI 1140

NOE 84. ENOS, vlt.

ANTE CHRISTVM ORTVM 2913.

I. Enoch pietas & obitus.

EXplentur hoc anno nongenti & quinque anni Enos, quod ei vitæ spatium Scriptu-

tra tribuit, cum vixisset cum Adamo ann. 695. annis, & ab eo mortuo 210. cum patre autem Setho octingentis & septem annis, & post eum defunctum octo & 90. Feliciter autem atque in Domino obdormisse in senectute bona, quæ de eius laudabili vita Scriptura obiter, & velut per transennam significat, persuadent. Habet enim ab ea illustre probitatis elogium g, quod *ipse inuocare cœperit nomen Domini.* Ex quo etiam magnam laudem à sanctis Patribus est consecutus. Adeo vt S. Cyrillus ita de eo loquatur h. *Igitur ex Adam Seth post necem Abelu procreatus est, ex quo Enos ille, qui speranit inuocare nomen Domini Dei sui, quique ab illo hominibus, qui tum temporis aderant, Deus appellatus est. Nam cum incredibilem iustitiam eius animaduerterent, Deum protinus appellabant, atque ob eius admirandam virtutem dignum hac appellatione existimabant.*

Gen. 5. 11. Eius laus. dictus Deus. g c. 4. fi. h l. 3. in Gen. init.

II. Noëmi exordia.

Quid porro quatuor his & 80. annis Noë Patriarcha à Lamecho patre, alijsue didicerit, quid dixerit, fecerit que, quomodo puerilem ætatem, adolescentiam, iuuentutem transegerit, an vxorem duxerit, liberos genuerit, alto silentio sepultum esse voluit qui cætera quæ habemus Moysi reuelauit. Vt autem eximia eum virtute vixisse credatur, etiam antequam fieret præco diuinæ iustitiæ, rationi maxime consentaneum est, vt prior vita rite posteriori congrueret: eòq; maior esset vaticinantis autoritas, quo fuisset eius vita, ab ipsis initijs, ab omni labe remotior. Vt mirum sit non deesse qui dicant circa quingentesimum vitæ annum *Noe inuenisse gratiam coram Domino*, cum Scriptura eam laudem æque omnibus eius vitæ partibus attribuat. Sed & liberos genuisse antequam quingentorum esset annorum, & nuptias ad quingentesimum annum non distulisse, nemo prudenter negauerit. Valet enim eadem ratio in Noëmo, quam de prioribus Patriarchis affert D. Augustin. de præteritis prioribus eorum filijs. Certe S. Ambrosius ait Noë filiorum generatione abundasse, sed hi fuerint ante diluuium morte sublati, in bellis contra Cainitas & bellicosos gigantes.

Etiam que priores liberi.

i l. 15. de Ciu. c. 16. & 20. k l. de Noë c. 3.

ANNVS MVNDI 1235.

NOE 179.

ANTE CHRISTVM 2818.

ANnis post mortem Enos quinque & nonagintà, mortuus est filius eius Cainam & completi nongenti & decem anni vitæ eius, quos ei Scriptura l tribuit. Vixit autem cum patre suo Enos 815. annis, cum Setho ann. 717. cum proauo Adamo 605.

I. Mors Cainan. l c. 5. v. 14.

His temporibus præconem agebat iustitiæ pedetentim appropinquantis Patriarcha Noë. Neque enim centum tantum & viginti annis ante diluuium id comminatus est Dominus, sed multis ante seculis, cum eas minas, si Iosepho credimus m, etiam Adamus intentarit. De Noë vero ita Chrysostomus n, *Obstupescenda est ineffabilis longanimitas Dei, & prodigiosa hominum, qui tunc erant, ingratitudo. Ecce enim quingentis annis vixerat iustus ille, clamans, & testificans suo nomine futurum per vniuersum orbem diluuium, & neque sic a malitia abstinere voluerunt.* Verum nimis obscura fuisset ista prædicatio, si nominis solius fuisset, auribus præsertim & cordibus aggrauatis. Altius oportuit insonare iustitiæ præconem, vt si fieri posset, etiam à surdis exaudiretur. Ideo enim præconii similitudinem vsurpauit Petrus o, vt sonoram eius prædicationem, & quæ dormientes excitare posset, repræsentaret,

Noë præco iustitiæ

m l. 1. Ant. c. 4. n hom. 21. & 22.

o 2. Pet. 2. 5.

ANNVS MVNDI 1290.

NOE 234.

ANTE CHRISTVM ORTVM 2763.

MAlaleel quintus ab Adamo viam vniuersæ carnis ingressus est, anno vitæ suæ 95. supra octingentesimum, annis post patrem 55. post auum Enos 150. post proauum Sethum 248. Denique post Adamum 360. Fuit hic vnus de sex viris ante diluuium, qui omnes primæ ætatis Patriarchas viderunt, id est Adamum & Noë, cum omnibus intermedijs, quo priuilegio caruerunt Adam, Seth, Enoch, & Noë. De huius rebus gestis nihil in specie traditum repert. Interea perseuerant impij agere fanda, infandaque, vt scriptum est in carminibus Sibyllinis. Perseuerat vice versa Noë eos à sceleribus reuocare. *Verum cum videret illos sibi non parere*, ait Iosephus a *veritus ne & se & familiam suam interimerent, secedens cum suis in aliam regionem migrauit.*

I. Malaleelis ætas, obitus.

a l. 1. Ant. c. 3.

Ita Iosephus, quibus nemo prudenter adhibeat fidem. Quo modo enim Noë peccatores à sceleribus reuocabat, à quibus aufugerat metu? Quomodo non mercenarius dicendus erat b, & non *pastor bonus, qui animam suam dat pro ouibus suis?* sed ad hanc timiditate & ignauia Noëmum Chrysostom. diligenter expurgat c. Nam quod dicit eum fugisse impiorum societatem, ad diuersitatem vitæ pertinet, non locorum: quippe qui illum comparat scintillæ in medio mari positæ, quæ non solum extincta non sit, sed quotidie fulgentiori luce prodierit, omnes suis operibus docens. Quomodo quæso quotidie illuminabat improbos operibus suis, si ab illis in aliam regionem abscesserat? Quomodo præco iustitiæ surdis canebat, & mutis? Quod si in loca deserta non abibat, nonne vbique inueniebat improbos? quandoquidem, *Omnis caro corruperat viam suam.*

II. Noe aliò non migrasse. b Ioan. 10. c hom. 22.

ANNVS MVNDI 1400.

& 1422.

ANTE CHRISTVM 2653. & 2631.

MIratum opinor Iaredum cum se vidit mundi seculum decimum quartum, & lubilæum 28. superasse, mortalium que omnium, quorum extat memoria, antiquissimum, & quasi decanum viuere, imo etiam primum omnium parentem Adamum, quod nemini adhuc contigerat, iam decem annis viuendo superasse

I. Iaredi ætas, & obitus.

peraſſe. Fortaſſe & gemendo dixiſſe a *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt.* Cum autem iam 132. numeraret annos à morte patris ſui, periodus vitæ eius terminata eſt, nongentis & ſexaginta duobus annis circumſcripta, quem nemo præter filium viuendo ſuperauit.

ANNVS MVNDI 1537. NOEMI 481. ANTE CHRISTVM 2516.

NOtatur præſens annus à Script. nominatim. Hic enim ille eſt, in quo Deus definit tempus intra quod diluuium inundaturum erat orbem terrarum. Cum enim peccatores, in primisq; gigantes, qui membris viribusq; præfidebant, ne Deum quidē ipſum timerent, ſed bello etiam cœlites ſe inuaſuros ſtulte iactarent, vt Cyclops ille apud Homer. [c] pios autē, ipſumque Noë in primis irriderēt vndas diluuij perpetuo interuallo intra centum annos inducturum: illaq; aut illis ſimilia vſurparent, quibus poſtea ſceleratiludæi Eſaiam irridebāt: *expecta, reexpecta* &c. Denunciat Dominus diluuium terras intra centum & 20. annos diſſipaturum, neq; peccatoribus illis amplius omnino vitæ, ad extremum vſque interitum ſupereſſe: quæ communis eſt, & germana loci huius interpretatio, nominatim Aug. Hiero. Chryſ. Chaldæi Paraphraſtæ, & Sept. Interpretum aliorumque multorum; qua Ioſeph. Lact. Procop. Rupert. expoſitio euertitur, de vita mortalium deinceps ad 120. annos cōtrahenda; cuius falſitatē aperta experientia multorū deinde ſeculorū patefecit.

Sed nouā hic dubitationem ingerit S. Hier. [h] cum exiſtimat hoc tempus fuiſſe contractum reſectis 20. annis, quod illi pœnitētiam agere contemnerent: quod ſentit quoque Chryſoſt. [i] Eam opinionem recitat Rupert. [k] & forte probat. Occaſionem huic opinioni dedit, quod ab anno quingenteſimo Noë, cuius mentio facta eſt in fine c. 5. Gen. vſq; ad diluuium, quod conſtat anno ſexcenteſimo Noë immiſſum in terras, cētum anni duntaxat reperiantur. Verum hunc nodum facile diſſoluit S. Auguſt. [l] *Intelligendum eſt*, inquit, *hoc Deum dixiſſe, cum circa finem quingentorum annorum eſſet Noe, id eſt, quadringentos & octoginta vitæ annos ageret, quos more ſuo quingentos Scriptura vocet, nomine totius maximam partem plerumq; ſignificans.* Sic ipſe. Nec credibile eſt, quod ſentit etiam Emanuel Sà, hanc diuinam indulgentiam fuiſſe reſtrictam, cum dona Dei ſint ſine pœnitentia, & in peccatorum duritia extendat longanimitatem ſuam.

ANNVS MVNDI 1557. NOEMI 501. ANTE CHRISTVM. 2496.

IAm vigeſimus annus abierat, ex quo Dominus de impiorum hominum excidio ſententiam tulerat, quod illi tempus non in deponenda, ſed in confirmanda potius audacia male cōſumpſerant, cum Dominus nouum hoc anno incitamentum ad pœnitentiam inducere ſtatuit, quod perpetuo ante oculos obuerſaretur, & prædicationes Noëmi, & clamores ſuo ſilentio iuuaret, arcam inquam reliquijs humani generis, atque animantium conſeruandis deſtinatam, quæ vna res hunc annum celeberrimum facit.

Communis porro ſententia eſt arcam quingenteſimo anno vitæ Noë à Deo cōſtrui iuſſam, ſiue currente, vt aliqui volunt, ſiue abſoluto, vt nos ponimus, eamq; centū annis fuiſſe conſtructam. Id pro certo, & confeſſo ponit Origenes contra Celſum [a], ex quo totidem pene verbis S. Aug. [b] *Nec attendunt*, inquit, *centum annos, quibus arca illa fabricata eſt.* Et alibi, *Item quatur virum arca tam magna, centum annis potuerit fabricari, à quatuor hominibus, id eſt, Noe, & tribus filiis eius;* & reſpondet, facile fuiſſe alios adhibere fabros, qui mercede operis accepta, non curarent ſapienterne an inſipienter eam Noë moliretur. Idem ſpatium temporis etiam ex Scriptura colligit in opere contra Fauſtum c. Eiq; paſſim omnes ſubſcribunt; Qui autem contra ſentiunt, aut rem in dubium vocant; nihil ſolidi afferunt pro opinione ſua, vt in Annalibus oſtenſum eſt.

Sed priuſquam arcæ admoueamus manum, illud quod ſcribit Moſes de ortu filiorum Noë minimè negligendum eſt. Videtur enim eorum natiuitatem ad hunc annum referre, cum ait [d], *Noë vero cum quingentorum eſſet annorum, genuit Sem, Cham, & Iapheth.* At certum planè eſt non omnes hoc anno genitos. Nam Sem tantum poſt biennium natus eſt, vt conſtat ex 11. Gen. [e] & tamen primogenitus eorum fuit, vt poſtea docebimus. Verum non alia Moſis mens fuit in illo extremo c. 5. quam progeniem Noë ſicut & cæterorum Patriarcharum, in eodem catalogo contexere, priuſquam res ab eo geſtas in diluuio explicaret: docereque tres illos filios, per quos propagatum, & inſtauratum eſt humanum genus, ab eo ſuſceptos, cum iam quingentorum eſſet annorū, & non ante; nō aūt quod aut oēs, aut aliquis eorū anno patris quingenteſimo natus ſit; quę cōmunis eſt, & certa loci huius interpretatio.

Quoniam autem conſtruendæ arcæ cauſa fuit diluuium, diluuij cauſas Moſes breuiter exequitur, orſus ab cius efficiente cauſa Deo. Exhibet enim nobis Deum humano more immenſis hominum ſceleribus infenſum, ſed ita, vt qui tanquam ſeuerus iudex [g], *improbos à facie terræ delere conſtituat*, quaſi miſericors pater in ruina hominis quem creauit [h], *intrinſecus dolore cordis tangatur*, ſeque eorum more gerat, quos dum pœnitet feciſſe aliquid, infectum cupiunt quod fecerant, aut diſſoluunt. Hinc ergo illa, *pœnitet me feciſſe hominem. Et, delebo hominem quem creauī à facie terræ.* Et quia propter hominem creauerat animantia, vtrumque genus eadem ſententia animaduerſionis inuoluit. Sed quod fuit diuinæ indignationis obiectum?

Meritoria cauſa ſcelera mortalium. Omnia enim ſcelera illis verbis comprehenduntur, *Videns autem Deus quod multa malitia hominum eſſet in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore.* Singula verba hominum improbitatem vehementer exaggerant: ſicut & quod terra ſemel iterumque dicitur repleta iniquitate. Huc pertinent, quæ antiqui de ætate ferrea cecinere, quæque illi, noſque ſupra de gigantum moribus retulimus. Sed flagitia imprimis exundabant, quę Domino puritatis amantiſſimo ſtomachum mouebant; peccata, inquam, fœdæ libidinis, quæ toto 6. cap. Geneſeos ſignificantur, & nominatim illa quaſi contumelioſa hominū appellatione, *quia caro ſunt*, & *ſinis vniuerſe carnis venit coram me.* Et magna illa propagatione gigantum, ventri & gulæ ſeruientium,

Quo & quanto tempore facta.

a lib. 4. ſub med.

b l. 15. de Ciu. c. 27.

c l. 12. c. 18

d n. 3.

III. Tres Noë filij an nati anno patris 500 c. 5. 31.

e 11. v. 10.

IV. Diluuij cauſæ, efficiens Deus.

g c. 6. 7.

h v. 6. ibid

V. Meritoria, peccata hominum.

Præſertim luxuria.

& in magnam membrorum molem excrescentium. Illa deniq; tertio iterata corruptione carnis & terræ. Incitatus est ergo Dominus ad perdendum humanum genus, tum alijs hominum sceleribus, tum maximè carnis intemperantia, quæ hisce temporibus vbiq; summa cum licentia bacchabatur, Dei hominumue reuerentia neminem vltra retinente.

VI. Subiectũ hominis, & quæ illi seruiũt.

Et quoniam terra infecta erat sceleribus hominum, eisque peccantibus famulata fuerat, sicut & animantia, ideo non in hominem solum sed in terram etiam, & in animantia, vindex supremi iudicis sententia intorquetur [i]. *Delebo*, inquit, *hominem quem creaui à facie terræ, ab homine vsque ad animantia, à reptili vsque ad volucres cæli*, Et mox, *& ego disperdam eos cum terra*. Et iterum, *Ecce ego adducam aquas diluuij super terram, vt interficiam omnem carnem, in qua spiritus vitæ est subter cælum, vniuersa quæ in terra sunt consumentur*. Domus scilicet, & oppida, & ciuitates, & horti, & viridaria, omnis supellex, & vniuersa opera filiorum hominum. *Percant*, inquit Ambrosius [k], *cum homine omnia, propter quem nata sunt omnia, in suis diutiùs consumatur homo, cum sua dote moriatur*.

i Gen. 6. 7.

k Lib. de Noe c. 14.

VII. Eximitur Noe cum suis.

Neque tamen in ira sua obliuiscitur misericordiæ suæ, neque enim iustum, ijsdem quibus improbos fluctibus, obrui finit; imo illi etiam septem animas concedit, in semen generis humani, quas sit seruaturus incolumes. *Ponam*, inquit, *fœdus meum tecum, & ingrediere arcam tu, & filij tui, vxor tua, & vxores filiorum tuorum tecum*. Modus ergo liberandi eos à communi pernicie fuit arcæ constructio, quæ medijs in fluctibus impunè fluitans, gubernante Deo, & quasi signifera sub puppe magistro, inclusos seruaret incolumes. Arca dicitur, & non nauis, quia & figura, & vsu, arcæ similior erat quam naui. Nam nauis in ima carina restrictior sursum versus laxatur atque incuruatur, & ad proram acuitur, & supernè aperitur, & remis, aut velis vtrinque ad progrediendum impellitur. Arca plana erat in fundo in modum carinæ, sine vlla aut distinctione puppis, aut proræ, aut anterioris vel posterioris latitudinis diuersitate, eademque erat prorsus arcæ latitudo, ab imo vsque ad summum [m]. Tectum habuit quasi operculum, non tamen planum, sed in medio paulò eminentius, vt vtrimque aquæ decidentes defluerent. Nec oportebat velis aut remis vllam in partem agi, sed fluitare tantum super aquas, quæ paulatim intumescentes, eam è terra subleuarent.

Per Arcã quæ à naui differt.

m *vide Aug. l. 15. de Ciu. c. vlt.*

VIII. Arcæ materia.

Materia huius arcæ fuerunt ligna gopher, id est cedrina, vt quibusdam placet, etiam Chaldæo paraphrastæ, quæ diuturno humore non corrumpuntur, alij incertæ significationis vocem, pinum vertunt, aut abietem. Probabilius est Dominum materiam arcæ prudentiæ, & commoditati artificis reliquisse, & lignorũ formam vel figuram notasse; ideo vulgata ligna læuigata dixit, Septuag. verò quadrata. Læuigata fuerunt, vt commodius linirentur, nec defuerunt incastraturæ, vt asseres arctius iungerentur, quod forte Septuag. intellexerunt; sic enim asserum oræ quadrantur, tam quæ immittuntur, quam quæ admittunt. Denique rimæ omnes bitumine, materiauè pici aut resinæ simili, intrinsecus atque extrinsecus liniri iubentur Mansiunculas, siue, vt est in Hebræo, nidos statim memorat Scriptura, qui mox rectius intelligentur, cum de interna dispositione agetur. Prius ergo totius arcæ molem ac quantitatem consideremus.

IX. Amplitudo Arcæ.

Trecentorum cubitorum, ait Dominus [n], *erit longitudo arcæ, quinquaginta cubitorum latitudo, & triginta cubitorum altitudo eius*. Cubitum definimus cum communi vulgataque sententia, longitudine pedis vnius cum dimidio, quæ in hominibus staturæ satis proceræ reperitur, ab externo angulo inflexi brachij, vsque ad extremum digitum medium. Cum autem pes sit duodecim digitorum duntaxat, cubitus erit octodecim digitorum, nec plurium. Hac ergo arcæ longitudine & latitudine posita in ima carina sex quadrata fient, quorum latera singula sint 50. cubitorum. Si ergo 50. cubiti ducantur in sese, fient bis mille & quingenti cubi. siue cubiti quadrati; quoniam vero talia sex quadrata reperiuntur, sexcies bis mille & quingenti, conficient quindecim milllia cubitorum quadratorum. Sed eam summam tricies multiplicare oportet, quoniam altitudo arcæ non est vnius cubiti, sed triginta. Quindecim autem millia tricies multiplicata, efficiunt quadringenta & quinquaginta millia cubitorum, quæ est tota interior arcæ capacitas.

n Gen. 6. 15.

X. Arcæ tectum siue operculũ.

Quod ad tectum, siue operculum arcæ pertinet, Moses altitudinem eius cubito definit, cum ait, *in cubito consummabis summitatem eius*: vt scilicet ea summitas, siue id tectum sit fere in morem columnæ fastigatæ secundum longitudinẽ, vt vult Arias Montanus; aut sic, vt medium tecti faciat obtusissimum angulum, nec assurgat plus vno cubito supra patentes, rectâ, & ad perpendiculum excitatos. Aut denique tale sit tectum operculum, quale videmus in curribus obtectis corio, quos vulgò *carossis* appellamus. Existimo itaque arcam Noë, vt nomine ipso Latino, Græco, Hebraico, Arca appellata est, ita & forma illi fuisse per similem, æquali scilicet latitudine, ac capacitate infra, supraq; nec reliquo tantum corpore, sed operculo etiam similem. Arcam autem nemo vnquam fastigiauit in morem domus. Neque id necessarium fuit ad pluuiæ defluxum, præsertim grandioris, qualis hæc fuit, vt in carrucis quotidie experimur, quamuis neque pice, neque bitumine illitis. Periculosa etiam est illa tecti altitudo, quam quadrante latitudinis definiunt, & tempestatibus ad naufragium obnoxia. Denique tota arca præscriptam à Deo altitudinem superaret, qui eam iussit habere in summitate cubitum vnum non duodecim cum dimidio, quod est latitudinis quadrans.

Quale in curribus.

XI. Interior Arcæ distributio.

Interior porro distributio quæ fuerit, cum à Mose non describatur exactius, interpretes ita omnem habitationem dispertiunt, vt in tribus tabulatis, siue contignationibus ferè cõsentiat, & quidem præter fundum ipsum, & tectum. Subintelligenda enim est ima pars, quam agnoscit etiam Origenes [o], sentinæ destinata, & saburræ, ad libramentum arcæ, altitudine fere quatuor cubitorum. Eam cloacam tabulatum vnum operiebat, expansum secundum totam arcæ longitudinem & latitudinẽ, cui tres aulæ amplissimæ eiusdem longitudinis & latitudinis erant impositæ, quarum ima quadrupedibus deseruiebat, media vario commeatui, suprema hominibus, atque volucribus. Ima attollatur

o *hom. 2. in Gen.*

Sentina.

Aula ima & media.

ad de-

ad decem cubitorum altitudinẽ,& varijs manſiunculis,ſiue ſtabulis,pro quadrupedum magnitudine ac multitudine diſtinguatur, relictis opportune vijs,quibus aditi ac curari poſſint. Aulæ mediæ octo cubiti aſſignati poſſunt altitudinis, cum varijs interſtitijs ad vias & apothecas, in quibus fœni,palearum, frugumq; multa copia; fructuum quoque atque leguminum: pleraque etiam dulcis aquæ dolia,in potum, alioſq; multiplices vſus.

XII. Aula ſuprema.

Aula ſuprema reliquos octo cubitos explebat altitudinis,quos tectũ vno cubito augebat. Tripertito autẽ diuiſa fuiſſe videtur, vt media pars hominibus, extremæ duæ volucribus, partim feris,partim cicuribus deſeruirent. Quin & tres hæ minores aulæ,in varia cubicula, quatuor cõiugum paribus deſtinata, & domeſticas officinas cum neceſſaria ſupellectili, in varios item nidos auium diſcriminaræ erant. Feneſtra porro cuius nominatim fit mentio, hominum habitationi reſpondebat. Non deſunt tamen,qui plurib⁹ alijs locis, feneſtras ex lapide ſpeculari valde probabiliter collocent;etiã in ima aula, quæ magna ex parte aquis erat immerſa:multis item in locis ſcalas opportunas, ad aſcenſus deſcenſuſque neceſſarios, multos tubos ad demittendum animalibus commeatum, & deiectionem ſordium in ſentinam. In ima etiam aula porta fuit è regione ſtabulorum, quæ inſtar ſublicij pontis demitteretur, ad introducenda quadrupedia, & per commune vicum in ſua ſtabula immittenda; quæ deinde ſublata, apte & concinnè clauderetur,ne aquas admitteret.

Feneſtra Arcæ.

Porta ingreſſus.

XIII. Tota Arca ſatis ſuperque capax.

Ridendi porro ſunt ſiue Ethnici, ſiue hæretici antiqui,qui arcæ huius amplitudinem negabant tot animantibus capiendis capacẽ eſſe potuiſſe, cum ima aula diſtingui potuerit in trecenta & triginta tria ſtabula, quorum ſingula eſſent ſex cubitorum longitudinis,& totidem latitudinis, & decem altitudinis:cum tamen, qui de animalibus ſcripſere diligentius, vix centum & triginta ſpecies quadrupedum reperiant; inſectorum autem reptilium, ac ſerpentum vix triginta. Multa ergo erunt ſtabula inania, in quibus collocari poterunt animalia, quæ cederent in cibum carnivoris. Cætera item ſpatia abundè commeatui annuo,volucrum etiam,hominumque habitationi facile ſufficere potuiſſe, diligentius in Annalibus explicatum eſt [c]. Quod ad locum porro attinet,in quo arca conſtructa eſt, ſunt qui non improbabiliter putent eam ad radices Caucaſi ædificatam, ad materiæ commoditatem,& quidem in oculis improborum,vt id ædificium perpetuum eis eſſet ad reſipiſcendum monimentum,quæ eſt Chryſoſt. [d] & Ruperti [e] ſententia.

Vbi conſtructa. c a. m. 1197. n. 21. 22. &c.

d hom. 25. in Gen.

e l. 4. c. 16.

ANNVS MVNDI 1559.

NOEMI 503. SEMI 1.

ANTE CHRISTVM 2494.

I. Ortus Semi. Eum fuiſſe natu maximum.

INterim dum Arcæ materia ſtrenue comparatur, & cõportatur in deſtinatum cõſtructioni locum, Semus Noëmo naſcitur, fratrum, qui diluuio ſupertfuerunt,natu maximus. Quod ex ipſa Scriptura [a] perſpicue confirmatur, quæ habet eum biennio poſt diluuium cẽtum annorum fuiſſe; oportet ergo cum octo & nonaginta annis natum eſſe ante diluuium; id eſt,anno patris quingenteſimo tertio circiter ineunte. Et huic chronologiæ facile omnes conſentiunt. Illud tamen apud nonnullos controuertum eſt, fueritne Sem natu maximus horum trium, qui memorantur diluuio ſuperſtites. Nam quidam eam dignitatem Iapheto tribuunt, quamuis repugnante Scriptura,quæ Semum vocat [b] *fratrem Iapheti maiorem*: nam de Chamo [c] conſtat illum fuiſſe vtroque minorem. Sed illi in ſuam opinionem Scripturam trahunt, dum verunt illum locum Geneſeos decimi *fratrem Iapheti maioris*, nihil eis Hebræo textu fauente: repugnante autem verſione Hieron.& Pagnini, & vtraque paraphraſi Chaldæa. Septuaginta vero,qui nunc Iaphetum maiorem Semo faciunt, olim Semum faciebant maiorem. Sic enim illos refert Aug.[d] in Ciu.Dei, & Procop.in 10 Gen.

a Gen. 11. 10.

b Gen. 10. 21.

c c. 9. 24.

d l. 16. c. 3.

Denique paſſim antiqui Patres Sem primogenitum.,aut natu maximum appellant, vt Epiphanius [e] & Cyrillus [f], Auguſt. [g] qui ibidem Semum ſemel iterumque vocat maximum filium Noë. Hieron. etiam ad Euagrium. idem ex Hebræorum traditione refert, & paſſim omnes recentiores. Neque abſurdum eſt nullum de tribus natum eſſe anno patris quingenteſimo, licet Scriptura dicere videatur, Noë anno quingenteſimo genuiſſe [h] Sem, Cham, & Iaphet. Non eſt enim mens eius, aut omnes, aut vnum aliquem eorum illo anno natum eſſe, ſed omnes poſt annum patris quingenteſimum. Nam plerique omnes fatentur Chamum fuiſſe natu minimum,& Sem natus eſt, vt iam diximus, anno Noë 503. qui tamen Iapheto maior, vt ex Scriptura probatum eſt. Quoto autem anno patris Cham aut Iaphet nati ſint, non liquet. Neque id magni refert, cum horum duorum ætate ſacra chronologia non nitatur.

II. Confirmatur auctoritate.

e In Anchorato fub fi. f l. 4. in Gen.

g Epi. 146.

h Gen. 5. 32.

ANNVS MVNDI 1600.

NOEMI 544. SEMI 42.

ANTE CHRISTVM 2453.

I. Noe inſtitiæ præco,cum parentib. & filijs.

IN hoc trigeſimo ſecundo Mundi iubilæo gradum figimus; in quo dimidia iam pars & amplius temporis ad pœnitentiam conceſſi mortalibus inutiliter conſumpta, magnam præconi iuſtitiæ dicendi ſegetem præbebat, & teſtificandi aduentum Domini, & aduentantem iuſtitiam eius. Neque dubitandum eſt quin duo illi ſenes, Lamech & Mathuſalem, filij ac nepotis ſtudia pro vitili promouerent. Quin ne ſtudium quidem trium iuuenum, qui nunc forte quadragenarij erant defuiſſe crediderim, ad conuerſionem peccatorum procurandam, ex ſanctiſſimi viri domeſtica diſciplina. Neque tamen mulieres ipſorum vxores iuſtitiæ præcones agnoſco, vt viſum eſt Genebrardo, vbi Petrus [i] ait Deum cuſtodiſſe Noë *octauum iuſtitiæ præconem*, quaſi fuerint octo præcones; *octauum* enim referri oportet ad verbum *cuſtodiuit*, non ad præconem, hoc ſenſu, Deus cuſtodiuit octauum,qui fuit præco iuſtitiæ. Nec aliud voluit, quam quod priore epiſt. dixerat [k], *in qua pauci, id eſt, octo animæ ſaluæ facta ſunt*. Sic [l] 2. Machab. dicitur Iudas decimus ſeceſſiſſe in

i 2. c. 2. 5.

k c. 3. 20.

l c. 5. v. 27.

desertum locum, id est, ipsum cum nouem iocis, vt vulgo dicimus, *luy dixeſme*.

II. Eiusque animarũ zelus.

Zelus animarum in Noë maxime eminebat, vt qui maximè electus erat à Deo, ad procurandam pereuntis mundi salutem. Ille in primis, quod postea monebat Apost. commissum sibi verbum prædicabat, instabat, opportune arguebat, obsecrabat, increpabat, in omni patientia & doctrina. Erat enim tempus, quo sanam doctrinam non sustinebant; imo concionantem, quasi delirum senem deribebant, iuxta illud Sibyllæ [m].

--At illi vulgo videre monentem
Dicereque insanum dementatumque furore.

m *in Orac. Sibyl.* οἱ δὲ μὲν ἀσωφρονοῦντες ἐμανιάζον ἕκαστος &c.

Ad sua enim desideria coacernabant sibi magistros prurientes auribus, quæ scilicet blandas oratoris voces curiosè quærerent, iuxta illud Isaiæ, [n] *Loquimini nobis placentia, videte nobis errores.* Audire cupiebant, qui eos ad ludos & choreas agitandas, ad frequentanda conuiuia, ad celebrandas nuptias inuitarent, vt Christus ipse [o] significauit: quippe qui sibi de diuina bonitate, & patientia blandientes, minas in rem conuertum iri non credebant.

Et earum obstinata cœcitas.

n *Esa.* 30. 10.

o *Luc.* 17. 27.

ANNVS MVNDI 1651.

NOEMI 595. SEMI 93.

ANTE CHRISTVM 2402.

I. Obitus Lamechi parentis Noë.

MOrtuus est hoc anno Lamech Noëmi parens, expletis annis septem & septuag. supra septingentos, patre suo adhuc in viuis relicto, quod, nulli Patriarcharum adhuc ab orbe condito contigerat. Nam Abel & Cain violenta morte sublati sunt. Vidit autem Adamum ipsos quinquaginta sex annos, tot enim illo moriente natus erat Lamech: cæteros quoque, qui interfecti fuerunt, Patriarchas sepeliuit: vel hoc nomine fœlix, quod filium ea ætate sanctissimum genuerit; & mundi instaurationi diuinitus destinatum. Ingemuit videlicet, in hoc filij funere Mathusalem, qui iam auum suum tæredum, atque adeo mortales omnes viuendo superauerat, timens forte ne ad tristissimum diluuij cladem, aut illius certe spectaculũ, quod erat in ianuis reseruaretur. Sed si timor adfuit, timor tantum fuit; quamprimum enim, vt mox dicemus, defunctus est, nec tamen hoc anno, licet id S. August. sensisse videatur [a], in libro quæstionum in Genesim.

a q. 2. & l. 18. *de Ciu.* c. 11.

ANNVS MVNDI 1656.

MATHVSALÆ vlt. NOEMI. 600.

Annus diluuij, ANTE CHR. 2397.

I. Obitus Mathusalæ.

QVinto à Lamechi filij sui morte anno, mortuus est longæuus Mathusalem, anno ætatis suæ 969. inchoãte. Nam diluuium, ante quod ille mortuus est, initio anni cœpit [b], secundi videlicet mensis die 17. posito huius Patriarchæ annos à vere cum anno mundano inceptasse. Itaq; vere affirmauit S. Aug. [c] nullum eorum diluuio mortuum esse, quos de semine Seth propagatos Scriptura commemorat. Et iterum in eodem lib. [d] cum disceptaret de codicum Græcorum, & Hebræorum discordia in numero annorum, & ex Græcis confici ostendisset Mathusalem quatuordecim annis diluuio supervixisse, quo durante cum patre, qui translatus fuerat, vixisse putaretur, ita concludit. *Hanc opinionem vel suspicionem accipiat quisq; vt putauerit, certum est tamen non vixisse Mathusalem, post diluuium, sed eodem anno fuisse defunctum, si verum est quod de numero annorum in Hebræis codicibus reperitur.* De quorum veritate, ei consentiente vulgata, nunc nemo dubitat.

b *Gen.* 7. 11.

c *l.* 15. *de Ciu.* 24.

d & c. 11.

Sub huius ergo anni principium Matthusalẽ mortem tot annis, imo seculis desideratam, obuijs vlnis excepit; quoque magis sentiebat imminere diluuium, erant enim in exitu centum illi ac viginti anni à Deo assignati, hoc crebrius, maiorique cum sensu iterabat illud [e]. *Sufficit mihi Domine, tolle animam meam, neque enim melior sum quam patres mei.* Quorum scilicet omnium ætatẽ viuendo prætergressus iam fuerat, & quidem mundo supra omnes omnium ætates corruptissimo. Sic ille quidem senserit & dixerit; fuit enim in familia sanctorum ortus, & educatus ab Adamo, Setho & cæteris, quibuscum diutissimè vixit: paterna etiam sancti Enochi institutione supra trecentos annos excultus. Itaque & iustorum filiorum parens fuit, Lamechi & Noëmi. Denique vt scribit Rab. Abraham in fasciculo myrrhæ, commendatur apud veteres Hebræos à iustitia, & multarum rerum cognitione & sapientia: cui assertioni ætatis ipsa longinquitas, & piorum genus conciliat fidem.

II. Initio anni huius.

e 3. *Reg.* 19. 4.

Apud Genebr.

Addit Genebrardus ex R. Salomone diuina prouidẽtia factum, vt septem diebus ante aquarum inundationem moreretur Mathusalem, vt à nepote Noëmo, eiusque filijs, sancte sepeliri, & de more lugeri posset. Credibile etiã est reliquias eius tam recentes à funere, ab eodem Noëmo secum vnà cum Adami ossibus, iuxta ea quæ supra diximus, asportatas in arcam. Sed & eundem honorẽ patris sui Lamechi ossibus habuisse, quæ post diluuium terræ religiose mandarentur. Malit fortasse aliquis opinari, profunda quapiam & laxa in crypta, omnia ad tempus diluuij fuisse deposita, eamque diligenti obstructam cura ad uersus omnes vndarum incursus. Quomodo legimus tabernaculum fœderis, & aream, & altare incensi à Ieremia fuisse absconditum [f] in spelunca. Sed eam dissuadet opinionem illa cogitatio, quod nesciret Noë quam in partem terrarum ab arca transportandus esset cum familia sua; & an huiusmodi crypta, perierinatorum, & terrarum aggregatione obruta, & mundi facie varie commutata nusquam deinceps reperiri posset.

III. Septem diebus ante diluuium.

Eius ossa & Lamechi, & Adami recepta.

f 2. *Mach.* 2. 5.

Iam vero quod ad annum diluuij attinet, nemo pene dubitat, ne de Sectarijs quidem, si ab vno Scaligero discesseris, illum in annũ mundi 1656. incidisse, illumq; ipsum annum sua duratione tenuisse, qui idem fuit annus Noëmi sexcẽtesimus decurrens. Itaque chronologiam satis explicatã in Annal. [g] & alioqui minime controuersam omittamus, ponamusq; deinceps primũ à diluuio annum fuisse Noëmi 601. mundi autem 1657. Quoniã tamen huius anni menses & dies à Mose accuratè annotantur, non conuenit nos in ijs obseruandis esse negligentes. Mensis ergo inchoati diluuij secundus à Mose statuitur [h]. *Anno*, inquit, *sexcentesimo vitæ Noe, mense secundo, septimo decimo die mensis ruptæ sunt omnes fontes Abyssi magnæ.* Sicut enim dies decimus septimus ad proxime nominatum mensem, ita &

IV. Annus diluuij stabilitur.

g *Ann. m.* 1656.

h *Gen.* 7. 11.

mensis

mensis secundus ad proxime nominatum annum refertur, & quidem inchoatum, vt sequens sit sexcentesimus primus, prout à Scriptura [1] appellatur.

Vnde etiam colligitur, annos Noe cum annis Mundi concurrere, & vtrosque à Veris initio [k], iuxta communiorem chronologiam:, incipere. Quò respexit Ambros. [l] *Significatur*, inquit, *nunquam Deum eo numero vel tempore interitum hominum fuisse facturum, quo fecit exordium, nisi immanibus delictis esset offensus.* Dies porro fuit 17. non 27. vt in græco textu habetur, quem Iosephus, Ambros. Augustin. & alij antiqui secuti sunt. Nam prior ille numerus, qui, præter vulgatam, habetur in Hebræo textu, & Chaldaica paraphrasi, rectissimè congruit cum anno solari 365. dierum, id est 10. diebus abundantem, vt in Annalibus [m] accuratè demonstratum est, ac definitum annos quoq; qui diluuium præcesserunt, quique multo deinceps tempore secuti sunt, vocanturque patriarchales, non 360. dierum fuisse, vt putat Lauretius [n] sed 365. Nec enim apparet vlla ratio cur annus diluuij cæteris breuior fuerit, aut productior.

His breuiter hoc loco pro instituto explicatis, Mosaicam de diluuio narrationem persequamur. Cum mandata iamprídem à Domino Arcæ fabrica tandem esset absoluta, ventumque iam esset ad annum decretorium, quo supplicium de peccatoribus sumendum erat, mortuique essent omnes, quos neque perire diluuio, neque in Arca viuos seruari Dominus voluerat; septimo ante diluuium die, Deus iterum Noëmum alloquitur *o*, *Ingredere*, inquit, *tu, & omnis domus tua in arcam: te enim vidi iustum coram me in generatione hac.* Nusquam de iustitia filiorum aut vxoris, aut nuruum quidpiam dicit, siue quod ea vulgaris esset, siue quod intelligi volebat, se septem illas animas ipsi dare. In omni porro ista domo, quam memorat Dominus, neque serui neque ancillæ continentur: ac ne Enochus quidem Noëmi proauus vt ex principe Apostolorum certò constat *p*, qui Mosaicæ narrationi adhærens, ait octo tantum animas saluas factas esse in Arca. Vbi autem conseruatus fuerit, nouit Dominus qui conseruauit, quem æquè potuit in medijs vndis tunc, ac postea tres pueros in medio Babylonicæ fornacis intactos conseruare. In eo numero fuisse Sibyllam quandam innominatam, libro primo Sibyllinorum oraculorum traditur, quod viris eruditis fictitium non immerito creditur, sicut & nomina vxoris Noe, & nuruum eius.

Causam liberati Noë ponit Dominus iustitiam eius. Ex quo videtur consequens etiam è reliquis mortalibus plures, si iusti forent, liberatum iri. Neque tamen inde efficitur, omnes omnino, qui arca excluſi fuerunt, etiam adultos, corpore animoque perijsse. Nam S. Hieron. *a* exponens illa verba, *Non permanebit spiritus meus in hominibus istis in aternum, quia carnes sunt.* Vt habent Septuag. *In hebræo*, inquit, *scriptum est, non iudicabit spiritus meus homines istos in sempiternum, quoniam caro sunt. Hoc est, quia fragilis est in homine conditio, non eos ad æternos seruabo cruciatus, sed hic illis restituam, quod merentur.* Sic Hieron. Qui videtur existimare neminem perijsse. Credibilius tamen est maximam illorum partem in suis sceleribus extinctos, vt significat Chryſ. *b*. Paucos autem resipuisse, de quibus videtur locutus Apost. Petr. *c* vt sensit Hilarius in Psal. 118. & Rupert. *d* aperte. *Credendum est*, inquit, *aliquos hoc diluuio periisse, quorum eodem periculo mortis peccatum de lætum sit; plerosque autem ex eis, vtpote impios, ab illo temporali aquarum diluuio, ad æternum transijsse incendium.*

De paucis ergo illis resipiscentibus videtur locutus Petrus *e*, cum ait Christum in inferis prædicasse ijs, *qui fuerant aliquando increduli, cum fabricaretur arca*, quasi dicat, non fuisse semper incredulos; ergo ante mortem tales esse desierant, Nam post mortem *f vbi ceciderit lignum ibi erit.* His ergo Christus secundum animam prædicauit, eosque eduxit è carcere. Et sic planissimus est textus, qui alioqui ipsi Augustin. visus est obscurissimus. Et quomodo rationi consentaneum est, vt superueniente diluuio, & per 40. dies, noctesque totidem increscente, ex infinita hominum multitudine, qui aspiciebant horribilem illam mundi faciem, & prædicationem Noë factis ipsis impleri cernebant, nemo omnium sit inuentus, qui illud Dauidis impleuerit *g* *cum occideret eos, quærebant eum & reuertebantur* ? nemo qui ex animo ad Deum conuersus fuerit, qui veniam impetrarit, cui vexatio dederit intellectũ? Quin potius plerosq; arbitror suis sceleribus hanc tantam calamitatem retulisse, & in eorum satisfactionem mortem diuinitus immissam, cum rerum omnium suarum iactura, patienter subijsse, & post bis mille quadringentos & 30. annos in inferis à Christo Domino visitatos.

Declarauit quoq; hac ipsa die Dominus, quæ & quot animalia in arcam vellet admitti, non solum bina ex quauis specie, vt ante dixerat, sed septena de mundis, bina vero de immundis, id est, de mundis quatuor mares & tres fœminas puta 4. arietes & tres oues; vt tria paria propagationi seruirent, septimus autem cederet in sacrificium post diluuium. De immundis autem iussit vt mas vnus cum suo compari seruaretur; vt equus cum equa. Mundorum porro atq; immundorum denominatio per anticipationem vsurpata creditur, cum huiusmodi differentia in lege naturæ non fuisset, sed in ea tantùm quam Dominus in deserto vulgauit, vt sic facilius Iudæi, breuiusque intelligerent, quænam animalia in arcam admissa fuissent, vel excluſa. Nam si ratio naturæ ipsorum, & conditionis habeatur *h*, *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*, & in suo genere perfecta, qualia à bono, & perfecto Creatore condita fuerant.

Ad quid autem septem isti interiecti dies? An vt Noë improbos, mortique destinatos mortales postremum moneret, vt metu tanti, tamque vicini mali perculsi, ad pœnitentiam confugerent? Ita Chryſ. *i* & Ambr. *k*. An vt maturaret Noë reliqua in arcam comportare, quæ vel necessaria erant humanis vsibus, vel alioqui salua esse vellet? Pleraque enim sunt quæ non longinquam, sed pene quotidianam prouidentiam requirunt. An vt eo septiduo animalia cogeret in arcam? Quanquam cura erat recipiendi duntaxat venientia sponte sua, diuino instinctu, vel Angelorum ministerio; vt cum olim adducta fuerant ad Adamum, vt ab eo nominibus appellarentur suis. Etsi enim, ex tam insolenti animalium ad arcam conuentu, facile intellecturus erat Noe, quid sibi vellet ista sine

I. Gen. 8. 13.

V. Item anni tempus & dies.

k Vide supra Appar. c. 4. n. 3. & 4. & seq. l. c. 14. de Arca & Not.

Annus diluuij 365. dierum.

m a. m. 1656. n. 6. & 7. & in scol. n. 3. & 4.

n l. 7. c. 16. de doctr. temp.

VI. Septimus ante diluuium dies.

o c. 7. 1.

Octo tantum destinatur ad vitam.

Quid Enoch. p 1. Petr. 3. 20.

VII. Causa liberati Noe.

q 93. hebr.

An cæteri omnes perierint.

b hom. 25. in Gen.

c Ep. 1. c. 3. 20.

d l. 4. c. 6.

VIII. Aliquos suo more resipuisse.

e loc. cit.

f Luc. 11. 13.

g Psal. 77. 34.

IX. Animalia in arcam immissa.

h Gen. 1. 31.

X. Cui fini 7. dies interiecti.

i hom. 24

k l. de Arca c. 13

Feræ denouant ferinitatē.

venatione congregata præda; pertinuit tamen ad suauem Dei prouidentiam patrem familias, & patrem seculi futuri de re tota diuinitus præmoneri. Veniebant autem aut feritate deposita, aut certe ad tempus diluuij mitigata, vt putauit Philo in vita Mosis *l*, *Cum illæ viderunt instum*, ait Chrysostomus, *obliuiscuntur naturæ suæ, & insitam ferociam in mansuetudinem conuertunt*, &c.

Ex arca porro illa animantia censentur exclusa, quæ arcæ beneficio ad vitam tuendam non egerent. Dictum est enim *n*, *Ingredientur tecum, vt possint viuere*; Itaque arca exclusa sunt quæcumq; in aquis viuunt: tum quæ ex putri materia generari possunt, propterea enim Scriptura masculi & fœminæ vbique meminit: denique quæ sterilia sunt, quòd ex specie diuersis animalibus producantur, vt muli & mulæ, quæ in suis parentib. conseruabantur, vt notauit Augustin. *o* Cæterum cum animalia in arcam omnibus ex locis certatim confluerent, & in omnium oculis per demissum ostium, quasi ponte ductarium placide ingrederentur, oportuit plane obtenebratos esse mortaljum oculos, aut ad alia omnia, epulas scilicet, ludos, & connubia conuersos, vt non intimis sensibus afficerentur, nec imminentem cladem, talibus declaratam prodigijs, effugere conarétur. Sed pudet fortasse non paucos respicere, veritos ne à socijs, vt fieri assolet, timiditatis arguerentur, aut parum constantes in male suscepto vitæ instituto viderentur. Certe ex ipso euentu aperte constat neminem omnium, ne amicorum quidem aut propinquorum Noëmi tum respuisse; ad arcam enim cum ipso conuolassent. Sed *edebant p & bibebant, vxores ducebant & dabantur ad nuptias, vsque in diem, qua intrauit Noe in arcam, & venit diluuium, & perdidit omnes*, vt ait Dominus.

Cumque q transissent septem dies, aquæ diluuij inundauerunt super terram. Anno sexcentesimo vitæ Noe, mense secundo septimo decimo die mensis rupti sunt omnes fontes, &c. tum hic mensis Maius, vt diserte asserit Rupertus *a*, & perspicuè mitam à nobis diluuij chronologiam confirmat: Affert & magnum momentum Ambrosius *b*, & timul causam affert talis temporis à Deo electi. *Secundum*, inquit, *mensem veris temporis fuisse non ambigitur, quando augentur nascentia, ager parturit, terrarum pariter atque animantium fœtura se fundit. Tunc ergo fecit diluuium, quando dolor eorum maior foret, qui in sua abundantia punirentur, tunc vitio terribilior Dei*, &c. eam enim causam fusius sanctus Doctor exequitur, quam quoque supra in Apparatu *c* attigimus.

Proximæ diluuii causæ duæ à Mose memorantur, prior est quod rupti fuerint fontes Abyssi magnæ. Quos fontes, ipsamque abyssum sic interpretor, consentaneè illis, quæ supra in opere tertij diei diximus, de terra subleuata diuinitus in morem spongiæ, & aquis per varias cauitates influentibus, vt putem Deum, Angelorum ministerio (satis enim, vel Theodoreto teste *d*, constat, diluuium hoc ex meris causis naturalibus non contigisse) aquas è subterraneis terræ meatibus, plurimis ex locis eduxisse: aërem interea ex alto in eas cauernas, ad replendum vacuum, vi magna decurrisse, & ascendenti aquæ cessisse. Quod omnino sensit Rupertus, cum ait tantam aquarum molem inde venisse, quo abierant dicente Domino *f*. *congregentur aquæ, & appareat arida*. Eadem est mens Hieron. in quæst. hebraicis, Oleastri in c. 7. Gen. Itaque nomine Abyssi magnæ intelligimus hoc loco eam quam Moses initio Geneseos Abyssum vocauit, cuius magna pars terræ superfusa est, alia in eiusdem viscera penetrauit. Quoniam ergo hæc Abyssus in hoc diluuio, per varios meatus, largè se & violenter effudit, dicuntur rupti omnes fontes Abyssi, quia largius solito aquas profundebant, vnde flumina ab ortu ipso maiora nascebantur, & nouæ passim scaturigines erumpebant.

Posterior diluuij causa memoratur, quod cœli cataractæ, siue fenestræ, vt est in Hebræo, apertæ fuerint, in tanta scilicet imbrium densitate, vt non imbres ex nubibus, sed flumina è cœlo decurrere viderentur, & firmamentum, quod Deus fecit in medio aquarum, dissipatum esse videretur, vt ait Rupert. *e* Et sicut in magna siccitate cœlum in Scriptura clausum esse dicitur, ita in pluuia, cœli fenestræ, aut ianuæ, aut cataractæ apertæ dicuntur; vt non quasi è cribro stillare, sed plenis dolijs ex fenestris deorsum prouolui intelligantur. *Vndique*, inquit Ambr. *g*, *influentibus aquarum molibus conclusum genus humanum perurgebat*. Et paulò post, vocat hanc pluuiã *prolapsionem ingẽtium fluentorum*. Quæ etiam profani homines adumbrarunt, Lucanus *h*, Ouidius *i*, Seneca *k*, Philo *l* Iudæus, quos retulimus in Annalibus.

Continuauit pluuia totos quadraginta dies, quod pertinet ad ostendendam Dei in pereuntes misericordiam. Noluit enim homines incautos momento obruere, sed eos quasi per otium 40. diebus grassantem mortem animaduertere, vt pereundo, si vellent penitus non perirent. Exundans quoque mare huic cataclysmo seruiuit. Accellerunt enim in ipso mari scaturigines ex Abysso ebullientes, quibus ad exundationem iuuaretur; cui inundationi etiam Seneca assentitur *m*. Et sane difficile intellectu est, non increscente atque exundante Oceano, omnibusque maribus, vel maris insulas, præsertim remotissimas à continenti, aut terram ipsam totam tanto spatio obrui ac superari potuisse.

Peracto igitur septiduo, intromissisque animantibus in Arcam, commodùm Noë cum suis in eam ingressus est; eo tempore, quo cœlum omni ex parte nigrescens, & immensarum pluuiarum minax, crebris vndique fulguribus micabat; quo totus aër sonoris tonitruorum fragoribus subinde reboabat: quo pluuiales venti perflabant turbine terras; quæ etiam nouis forsse tremoribus quassabantur; quo denique plerique mortales metu pallebant, & mala conscientia vehementius perturbabantur; cum Dominus deforis clausit ianuam, *studiosè scilicet sepsit, ne eam vaga diluuij fluenta penetrarent*, vt ait Ambrosius *n*, neve vt Chrysostomo placet, *o*, ea quæ gerebantur foris, magno suo cum luctu, ac mœrore cerneret. *Quamquam enim*, inquit, *erant valde improbi qui pereunt, bonorum tamen virorum anima magna commiseratione tanguntur, si quando vident puniri homines*: præsertim cum grauia sunt & insolita flagella, quæ rerum etiam spectatorem horrore concutiunt.

XIV. Et immensæ pluuiæ.

XV. Cur diuturnæ.

Maris inundatio.

XVI. Ingressus Noë in arcam.

c *l.* 4. *c* 20. f Gen. 1. 9.

g *l. de Noe* h *in Mesanth.* i 1. *Met.* k *l*; *nat. qq c.* 27. l *l.* 2. *vita Mosis sub fi.*

m *loc. cit. 28.*

n *l. de Noe c.* 15. o *hom.* 25. *in Gen.*

Et

XVII. Spectaculum atrox pereuntium

Et sane horribile erat spectaculum hominum à recenti superbia, & insolentia ad magnam admirationem, ab admiratione ad ingentem sollicitudinem repente conuersorum: vt qui viderent domorum suarum tecta penetrari, grandine perrumpi, disijci procellis: cellaria nouis vndique fontibus ebullire, rapidos torrentes prono concursu parietes domorum, quasi arietes in singula momenta quatere, faciéque deijcere; familiam, remque domesticam, ruina simul & vndis obrutam, pessum ire. Luctuosissimum spectaculum seminudorum hominum, bacchantium ritu huc illucque discurrentium, & sua, deinde suos, postremo seipsos eripere festinantium, à circumfrementium vndarum, & magnis vndique voluminibus occurrentium, præsentissima calamitate atque pernicie: cum & arcæ iam clausa esset desoris ianua, & illam à conspectu immanes circumquaque imbres, & tanta mentis perturbatio, vel potius amentia, miserabiliter fustulisset.

XVIII. Noë misericordia.

Quæ vbique lachrymæ opem implorantium, quæ certamina tabulis se mutuo excludentium, qui clamores pereuntium, qui gemitus conclamatis in rebus, pacem à superis & veniam, pro anteacta vita postulantium. Non videbat hæc, & id genus alia complura Noë, neque exaudiebat? Somnus quippe maris ac fluctuum, arcæ latera vndique pulsantium, & densorum imbrium super tectum, & superiores arcæ partes continenter crepitantium, auditum omnem abstulerant. Accedebant ventorum coniuratorum fragores, & colluctantium nubium horrenda tonitrua. Omnia tamen quæ contingebant, aut contingere poterant hominibus desperatis, sibi animo fingebat vir sanctus, atque misericors, & quæ corporis non poterat, animi oculis, auribus repræsentabat.

XIX. Et preces pro pereuntibus non irritæ.

Ergo intimis affectis sensibus, & ad misericordiam commotus, cum suis ad humiles ad Deum preces conuertitur, & opem à diuino numine, lachrymarum imbre perfusus implorat, corporeque pereuntibus, animi salutem impetrare summa animi contentione conatur. Nec irritæ fuere preces, *multum enim valet assidua iusti deprecatio* a. Permulti enim, vt supra dicebamus, qui ad eam diem *incredduli fuerant, cum fabricaretur arca, & Dei patientia expectaretur* b; tum demum percutientes pectora sua, se fatebantur reos, plangebant præterita crimina, & necessitate in virtutum conuersa, suorum omnium, vitæque propriæ iacturam, in suorum peccatorum satisfactionem, offerebant Deo. Et reuertentes ad Dominum cum Dauide dicebant c, *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.*

a Iac. 5. 16.

b 1. Pet. 3. 20.

c Psal. 118.

XX. Triplex indicium aquarum inualescentium.

Interea *multiplicatæ sunt aquæ*, inquit Moyses, *& eleuauerunt arcam in sublime à terra.* Quod primum est indicium aquarum inualescentium, & magnæ iam inundationis, quod tantam molem, tantoque pondere degrauatam, abstractam à terra in altum extulerit. Quanquam credibile admodum est sapienter à Noëmo prouisum, tota vt arca per certa interualla super ingentes trabes imposita, aëreum primò, deinde aquas transcurrentes admitteret, vt facilius aqua inualescens, eam non alterum in latus impulsam euerteret, sed librata atque eleuata subuectaret. Addit & alterum indicium Moses: *Vehementer enim inundauerunt, & omnia repleuerunt in superficie terræ.* Id est, plana camporum, vt sola terrarum vltimarum, & soli montes ex aquis eminerent, & arca ferebatur super aquas, & super eas eminebat cubitis duobus & viginti, vt placet Hugoni à S. Victore, etsi alij aliter sentiant. Verum id ex Scriptura satis colligi non potest, cum magnitudo inclusi oneris incomperta sit, pro cuius pondere naues plus minusve degrauantur.

Alterum.

tam. 1.

XXI. Tertium. c 6. 7. 19.

Tertium ac summum indicium magnitudinis diluuij verbis illis declaratur. *Et aqua præualuerunt nimis super terram* c. In Hebræo, Chaldæo, & Græco geminatur particula *valde, valde*, vt intelligamus eas, supra modum & consuetudinem omnem, excreuisse; adeo vt *operti sint omnes montes excelsi sub vniuerso cœlo.* Quod præualuisse aquæ dicuntur, non solum intelligi potest de excrescentia, qua terræ omni, quantumuis cœlo vicinæ, superior atque excellior facta est: sed de eiectis etiam omnibus repagulis, ac molibus obiectis, eradicatis arboribus, si quæ vndarum cursibus obuiæ forent, deijciendisque quibusuis ædificijs. Et quadrat illud Ouidij. f

Et. Metam.

Si qua domus mansit, potuitque resistere tanto
Indetecta malo, culmen tamen altior huius
Vnda tegit, pressæque latent sub gurgite turres,
Iamque mare & tellus nullum discrimen habebant,
Omnia ponitus erant ——

Nimirum ex aquis omnibus, tam dulcibus quam salsis, effectum fuerat corpus vnum; vnde, vt notauit Caiet. non exiguum detrimentum accepit fœcunditas terræ. Salsedo enim humorem aëreum idoneum generationi absumit, & dum prohibet corruptionem, eadem via sterilitatem inducit.

XXII. Omnes omnino montes aquis opertos.

Quod autem idem opinatur hoc loco, non esse mentem Mosis affirmare, omnes omnino montes aquis opertos fuisse, sed eas tantum, qui sub cœlo aëreo, in quo nubes coguntur, reperti sunt, cæterorum vero, qui nubes superant, cacumina ab aquis intacta fuisse, hoc eius paradoxum, in Annalibus g autoritate, ratione, atque experientia ipsa accuratè refutauimus, quæ Lector consulet, si lubet. Hic ergo ponimus vt certum, omnes montes, quamuis excelsos, nullo prorsus excepto, aquis opertos fuisse, & quidem tanto incremento, vt quindecim cubitis altissimum quemque superarent, ne quod forte animal, quantumuis proceræ altitudinis, ibi euadere posset; aut necubi arcæ moles ingens, quasi in vado hæreret. Itaque *consumpta est omnis caro, quæ mouebatur super terram volucrum animantium, bestiarum, omniumque reptilium, quæ reptant super terram: vniuersi homines, & cuncta in quibus spiraculum vitæ est in terra, mortuæ sunt.* Nominatim terræ meminit, vt animalia, quæ in aquis erant, excepta intelligantur.

g n. 32. & seqq.

Potrò quod ait Moses h, *Obtinuerunt aquæ terram centum quinquaginta diebus*, intelligit tempus, quo neque creuerunt amplius, neque decreuerunt, sed in statu, quem vocant, consistentiæ

h c. 14

XXIII. Status quatuor mensium.

sistentiæ per manserunt, quem significat verbum *obtinuerát*. Quasi dicat totis 40. diebus contenderunt aquæ crescendo, & inualescendo, vt superarent terram; quod & consecutæ sunt, adeo vt quindecim ipsis cubitis supereminerent. Ea quasi victoria potitæ sunt 150. diebus, post quos aquæ minui cœperunt, vt ait Moses *i*, Excluduntur ergo ab illo dierum numero quadraginta dies pluuiæ. Nam Iosephus *k*, *cum pluuia cessasset*, inquit, *cœpit subsidere aqua ad dies* 150. Chrysostomus *l* idem sæpissimè, clarissimeque inculcat, Rupertus item *m*, & S. August. *n* qui iuxta Symmachi & Aquilæ interpretationem, significat aquas diluuij non creuisse 150. diebus, sed per illos dies in altitudine qua creuerant, permansisse. Adde quod ratio temporis exigit, vt isti 150. dies incipiant à finita 40. dierum pluuia; alioqui annus præsens minor erit cæteris spatio 40 dierum, quod in Annalibus *o* clarè demonstratum est.

i Gen. 8. 3.

k Lr. Ant. c. 4. à pluuia finita.

l hom. 25. in Gen.

m l. 4. c. 25

n l. 33. in Gen. q. 11.

o nu. 40.

Hactenus *p* ex diluuio strages vniuersi orbis, sequitur eiusdem instauratio, quam Moses à sublatis causis inundationis orditur, & causa diminutionis adducta. Vt autem intelligamus à Deo primum omnis boni, salutis, & reparationis initium, *Recordatus est Deus Noë, cunctorumque animantium, & omnium iumentorum, quæ erant cum eo in arca.* Vides diuinam boni tatem, quæ non solum hominis iusti recordatur, quamquam quid est homo, quod memor sit eius? sed brutorum etiam, vt eorum captiuitate tangatur, & maturet eos pristinæ restituere libertati. Adduxit ergo Dominus spiritum super terram, qualem cum mare rubrum Israëlitis aperuit. Ventum vehementem & vrentem, qui nocte vna magnum maris spatium vertit in siccum. Nec tat erat minui supernè aquas, si è fundo scaturire pergerent, aut nouis pluuijs diminutio repararetur. Itaque *clausi sunt*, ait Moses, *fontes abyssi, & cataractæ cœli, & prohibita sunt pluuia de cœlo.* Hoc iam factum fuerat quadragesimo die ab initio diluuij, vnde factum vt aquæ ipsos 150. dies terras sepultas tenuerint sine incremento, donec vento diuinitus excitato cœperunt minui.

p ca. 8. 1.

XXIV. Imminutio aquarũ ex diuina misericordia.

Porro hæc occlusio fontium, & prohibitio pluuiarum non absolutè accipienda est, alioqui neque ab eo tempore fontes vlli erumperent, neque pluuiæ rigarent terras, sed intelligendum est vtraque ordini, ac dispositioni pristinæ fuisse restituta. Et per illos ipsos fontes, qui ante rupti fuerant, ingentem vim aquarum in proprias terræ cauernas, paulatim se recepisse. aëre inde excluso, & sursum ebulliente. Id aperte Scriptura loquitur, cum ait, *Reuersa sunt aquæ de terra euntes & reuertentes*, de terra scilicet à principio destinata habitationi hominum & animalium, quo autem reuersæ, nisi in vacuata dudum terræ viscera. Audi Hieron. *a Nota secundum Ecclesiasten, quod omnes aquæ atque torrentes per occultas venas ad matricem abyssum reuertantur.* Nec aliter sensit Chrysostomus *b* hoc loco.

XXV. Quò redierint aquæ.

a In 99. heb. in Gen.

b hom. 26. in Gen. med.

Dum autem minuitur aqua, & arca fit terræ vicinior, intra tredecim dies factum est vt arca solo hæreret, nec vltra fluitaret. Id contigit septimi mensis die 27. vt est in Latinis Græcisque codicibus, & non 17. vt est in Hebræo. vt diligentius in Annalibus explicatum est. *c* Hæsit autem in montibus Ararat, siue Armeniæ vt interpretatur Hieron. quos montes Eusebius in Armenia superiore collocat, secus Persas. *Post diluuium*, ait Epiphan. *d*, *cum requieuisset arca Noë in montibus Ararat per mediam Armeniorum, & Cardyensium terram, in monte Lubac appellato: prima isthic hominum habitatio fit post diluuium.* Hos porro montes fuisse de altissimis existimandum est, alioqui hærente arca in minus altis, celsiores etiam apparere potuissent, cum tamen, non nisi post duos menses, cacumina montium cœperint apparere: initio videlicet decimi mensis à principio pluuiæ, à quo ad primum diem decimi mensis 265. dies numerantur, qui componunt integros nouem menses, quorum quinque sunt 29. dierum, cæteri pleni 30.

c nu. 46.

d init. Panar.

& quo in loco.

40. pluuiæ 150 stetit aqua. 10. septimi mensis 59. octobr. & 9. 265.

Etsi autem ineunte decimo mense montium cacumina cœperant apparere, reliquus tamen mundus aquis erat immersus: itaque Noë expectauit adhuc 40. dies, post quos aperta feneſtra dimisit coruum, ad explorandum an terra aperta esset. Id autem cognituras erat si non rediret, vt postea in columba contigit. At coruus egrediebatur & non reuertebatur, vt est in Vulgata, & apud Septuag. sed Hebræi negatione carent. Neutra tamen lectio falsa est, aut reijcienda. Nam verum est non reuersum coruum in arcam, sicut mox columba reuersa est, & in arcam immissa, sed mansisse foris, siue defixum in cadauere aliquo fluitante, vt August. *e* Chrysost. *f*, & Rupertus *g* censuere, siue supra tectum arcæ quiescendo. Et verum est, quod habent Hebræi; isse coruum & redisse, non tamen in arcam ingressum, sed circumuolitasse modo propius, modo longius, lætum ob recuperatam libertatem; aliquando etiam in tecto arcæ immoratum esse, & vicissim in cadaueribus cibum capiendo fluitasse.

XXVI. Area subsistit intra 15. dies diminutionis.

XXVII. Montũ cacumina apparent.

Coruus explorator dimittitur.

e q. 13. in Gen.

f hom. 26.

g l. 4. c. 13.

Cum ergo nihil certi Noë ex coruo cognosceret *h*, *emisit columbam post eum*, & quidem eodem die. Etsi enim mox dicitur *i*, *expectauit vltra septem diebus alijs rursus emisisse columbam*, non referuntur isti septem dies ad alios priores septem, sed ad 40. dies prius expectatos, quam coruus aut columba emitterentur Expectauit ergo Noë, non solum illos 40 dies, sed alios etiam septem. Emissa ergo post coruum columba, *cum non inuenisset vbi requiesceret pes eius*, eodem die *reuersa est ad eum in arcam*, & à Noë intromissa est, quia *aquæ adhuc erant super vniuersam terram* campestrem scilicet; nam cacumina montium quadragesimum iam diem apparebant. Et forte columba auerso à montibus volatu cursum direxit: eoque non repugnantem Mosem adducas licet. Non enim ait, non fuisse vbi requiesceret, sed eam non inuenisse.

XXVIII. Et mox columba. Gen. 8. 8. v. 10.

h v. 8.

i v. 10.

Quieuit ergo adhuc septem diebus Noe, post quos emisit columbam secundo; *k quæ ad eum rediit ad vesperam, portans ramum oliuæ virentibus foliis in ore suo.* Exiguum ramum esse oportuit, & tenerum, vt a columba defringeretur. Ad quod innuendum Hebræus textus folium vocauit, non ramum. Tenerum etiam & recens natum licet in medio aquarum probabile facit vernum tempus, quod iam appe

XXIX. Quæ secũdo dimittitur.

k v. 11.

tebat.

tebat. Cum enim vere inchoatum fuerit diluuium, idque annum vnum durauerit, oportuit etiam vere terminari. Vt autem decerperet columba ramusculum, apparet eam in arboris ramo consedisse, quod cum à columbis alienum sit, non male quis crediderit fuisse palumbem. Viso ramo *intellexit Noë quod cessassent aquæ super terram*: quia olea humilis est, & frigoris metuens non amat prælta loca: quia tamen terra valde limosa, & lutulenta erat, expectauit septem alios dies, qui reliqui erant adhuc de anno sexcentesimo Noë, *& emisit* tertiò *columbam, quæ non est reuersa vltra ad eum.*

Pigeon ramier.

ac tertio.

XXX. Ratio temporis anni huius exeunus.

Supereſt hoc loco grauis difficultas, cuius explicatio chronologiam noſtram valde confirmat. Nam ab initio decimi menſis vſque ad finem anni, tres integri menſes reperiuntur, id eſt 88. dies. At Moſes non ponit niſi 40. & bis ſeptem, vt dictum eſt, id eſt 54. Et tamen inde colligit totum annum expletum, cum ſubdit, *Igitur ſexcenteſimo primo anno, primo menſe prima die menſis*, &c. cum tamen 34. dies ad explendos tres menſes, ſiue 88. dies deeſſe videantur. Quæ difficultas ijs enata eſt, qui omnes menſes diluuij numerare voluerunt à principio anni ſexcenteſimi Noë, cum numerandi ſint à principio pluuiæ. Sic enim nulla naſcitur difficultas, niſi quod videntur debuiſſe abundare 46. dies, qui pluuiam præceſſerant, non 34. Cui reſpondetur, illos duodecim, ſeu verius vndecim dies, pertinere ad exæquandos menſes lunares cum ſolari anno; ſicque omnia exacte conueniunt.

29. 30. 29. 88.

SECVNDA ÆTAS.

ANNVS MVNDI 1657.

DILVVII 1. NOEMI 601.

ANTE CHRISTVM 2396.

I. Epiniciũ in 1. ætatis initiũ.

QVod felix, faustum, fortunatumque sit. Egreditur ex arca [a] S. Patriarcha Noë, & admirans & circumspectans ait. [b] *Ecce video cœlum nouum, & terram nouam, primum enim cœlum, & prima terra abijt, & mare iam non est.* Illud scilicet mare, quod omnia sola terrarum occupabat, nullis molibus, nullis littoribus retentum, quodque vniuersa regione, campestri minime contentum, supra altissimos ipsos montes euaserat, & quasi edomitis subiectisque terris, imperium indubitatum tenebat. Adest ergo primus reparati mundi annus, & qui dudum emortuus & sepultus aquis fuit, quodammodo reuiuiscit. Adest finis raciturni silentij omnium animantium in vniuersa terra. Adest initium secundæ mundi ætatis, qui præterita iam infantia pueritiam ingreditur, quam ad decimam quoque generationem perducat. Habuit prima illa ætas illud temporis interuallum, quod Varro, referente Censorino [c], vocabat ἄγνωστον, ab hominum principio ad cataclysmum priorem protensum, quod principium philosophorum erat altercatione controuersum, quod nobis est ex historica Moſis narratione clarissimum atque certissimum, etsi breui admodum narratione comprehensum.

a Gen. 8. 18
b Apoc. 21. 1
c c. 21. de die Nat.

Adest iam tempus alterum, quod ille à cataclysmo priore (quem appellat Ogygium, ad differentiam posteriorum, quem plerique Deucalionæum vocant) ad Olympiadem primam producit, quod, qui in eo multa fabulosa referuntur, μυθικὸν Varro appellauit, cuius durationem mille circiter & sexcentorum annorum fuisse putat. Ita Censorinus. Varro autem in hac mythica periodo non nisi viginti & duobus annis à vera, vt putamus, chronologia aberrat, vt suo loco docebimus, quos ipsos duos & 20. annos in maiore summa, ad rotundum numerum, videri potest neglexisse. Verum nos etiam à Varrone temporis distributionem secuti, hanc secundam ætatem ad Abrahami vsque initia producimus, & annis trecentis & octoginta duobus definimus. Habet autem etiam ipsa, si prophana Scriptorum monumenta inspicimus, ἀδηλα multa, ac pene omnia. Verum diuino planè beneficio Scriptura nobis suggerit humani generis reparationem, & eos ordine Patriarchas, per quos illud ad Abrahami ortum propagatum est. Accedit testamentum Noë cum distributione regionum omnium tripertita, origo præcipuarum nationum, diuisio linguarum, regnorum exordia, Hebraicæ gentis initium, & si qua sunt alia: quæ tamen Scriptura, ad alia properans, magna omnino breuitate perstrinxit. Inchoat autem hoc modo.

II. Temporum triũ ex Varrone distributio.

3278. i. O. iymp. 1656. diluuij

1622. mythica periodi.

Igitur ſexcenteſimo primo anno, primo menſe, prima die menſis imminuta ſunt aquæ. Ne te pœniteat, Lector, obseruare particulam illam primam. Significat enim proximè memoratis bis septenis diebus, impletum esse, ac plane adæquatum annum sexcentesimum vitæ Noë, vt ex dictis proximo anno patet; non tamen annum diluuij, cuius initium cum 40. dierum pluuia inchoatur. Deest itaque isti anno mensis vnus & sedecim dies, qui iam præterierant ante initium pluuiæ; quod tempus, dum expectat Noë præceptum egrediendi, expleuit in Arca. Quod autem ait, hoc loco imminutas aquas, ad imminutionis finem referendum est, post 129. diem, vt imminutæ, id est, exsiccatæ intelligantur, vt est in Hebræo, sic vt non nisi in suis alueis inuenirentur vltra. Itaque 46. dies ante pluuiam, 40. pluuiæ, 150. status aquarum, 129. imminutionis integræ, annum solarem exacte complent. Quod autem secundo menſe, & 27. die mensis terra dicitur arefacta, ille idem fuit dies exitus Noëmi ab Arca: sequitur enim statim præceptum egrediendi. Ex quo sequitur Noë in Arca mansisse annum vnum, & dies decem.

III. Finis anni ſexcenteſimi Noemi.

& diminutionis aquarũ.

46
40
150
129
365.

Sicut ergo Noë non nisi ex diuino præcepto ingressus est in Arcam, ita non nisi ex eiusdem præcepto egressus est, emisitque omnia animantia, paucis duntaxat sacrificij causa reseruatis. Notat S. Ambrosius [d] coniugum in Arca perseuerantem continentiam ab ingressu ad egressum vsque; idque admodum probabiliter. Nam vt ait Salomon [e], *Tempus amplexandi, & tempus longe fieri ab amplexibus.* D. tamen Chrysostomus [f] dicit Cham in Arca tempore diluuij genuisse Chanaan: forte quod paulò post dicitur pater Chanaan, quod tamen recte anticipationi tribui potest; nisi malis Chanaan pro Chananæis sumi. Et vero la-

IV. Egressio Noe & animaliũ ex arca.

d Lib. de Abr. c. 21.
e Eccl. 3. 5.
f hom. 28.

crymarum

chrymarum potius, & orationum id tempus fuit ad placandam diuinam iram horribilem in modum sæuientem: in luctu tot amicorum, cognatorum, propinquorum, qui fortunis omnibus euersi, corporis etiam animique iacturam faciebant.

V. Ædificat altare.

Egressus ergo Noë, cum vniuersa familia, in gratiarum actionem diuinæ erga se prouidentiæ & misericordiæ, ædificauit altare Domino, aut ex terra, congestis scilicet glebis, aut ex lapidibus potius impolitis, quale postea Dominus iussit à Mose g sibi excitari. Et quamuis S. Chrysostom. h dicat opere tumultuario excitatum, rationi tamen consentaneum est ad diuturnitatem operis firmiter fuisse compactum: & quidem non longe ab ipso loco vnde exscenderant, vt esset monimentum quoddam conseruatæ salutis: domque vndique eminens conspectui patet, memoriam diluuij mortalibus conseruaret. Quamuis autem prima hoc loco fiat mentio altaris in Scriptura, est tamen admodum rationi consentaneum prioribus seculis altaria in vsu fuisse, quæ diluuij vndæ dissiecerant, nec sine altaris forma, aut Adamum, aut Abelem, aut Cainum etiam sacrificasse; vt scilicet quod offerebant Deo, qui in altis habitat, in altum, vnde & altari nomen, versus Deum eleuaretur; quæ ipsa actio ad Dei honorem pertinet. Nam quæ contemnimus aut humi iacere patimur, aut abijcimus in terram.

g *Exod.* 20. 25.

h *Hom.* 27 θυσιαστήριον τοῦτο διαφέρον.

VI. In eoque offert holocausta.

In hoc altari Noë multiplex holocaustum obtulit Deo; nam plura holocausta Scriptura memorat, forte totidem obtulit, quot species erant mundorum animalium; fortasse etiam duo duntaxat, vnum de pecoribus, alterum de volucribus, sicque terna paria remanserunt ad sufficiendam prolem; nisi etiam in ipsa arca multiplicata sunt. Gratum fuisse Domino sacrificium testatur Moses illa metaphora i, *odoratusque est*, inquit, *odorem suauitatis*, testatur & illa promissio iureiurando firmata, vt ait Esaias k, *Nequaquam vltra maledicam terræ propter homines*; quos etiam exculat, culpam deriuans in naturæ infirmitatem, & pronitatem in malum, ab adolescentia sua. Quæ scilicet maximè se prodit, & propter intemperantiam profundit humana miseria, & carnis concupiscentia, cum cæteris perturbationibus: vt propterea gemens Propheta dicat a, *Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas, ne memineris.* Promittit quoque restitutum iri ordinem temporum, hoc diluuij anno perturbatum.

i *c.* 8. 21.

k *c.* 54. 9.

a *Ps.* 24. 7.

VII. Deus familiam Noë benedicit.

Non contentus autem Dominus securitatem à Diluuio in Noëmi persona promisisse mortalibus, qui ab eo & filijs eius propagandi erant, eos nominatim benedicit, tam spiritalia gratiæ dona multiplicans, quam copiosam fœcunditatem, ad multiplicandum humanum genus, indulgens. Et sicut olim, post impertitam Adamo fœcunditatem, dedit illi dominium in animantia, ita illud hoc loco dat Noëmo; adeo vt Chrysostomus dicat b, *Iustum Noë eandem benedictionem consequi, quam olim Adam, & ereptum recuperare principatum virtute sua*; imò ineffabili Dei clementia. Verum, vt supra dictum est, dominium mansit, obedientia non mansit. Itaque illic simpliciter dictum est *Dominamini.* Hic autem, *terror vester ac tremor sit super cuncta animalia terræ.* Idque experientia etiam docet, vt animalia quantumuis fera hominis vultum, & datam in se diuinitus potestatem reformident, nec in eum, nisi maiori aliqua vi impellente, vnquam inuadant.

Datque dominiũ in animalia.

b *hom.* 27.

De cibo autem, sicut in Mundi ortu, ita in eius instauratione homini prouidetur c. *Omne*, inquit, *quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum. Hucusque*, inquit S. Chrysostomus b, *inuitum edendarum carnium.* A qua tamen sententia plerique alieni sunt. Rem paucis ita definiendam puto, vt primum dicamus numquam in lege naturæ, siue ante diluuium, siue post, esum carnium fuisse prohibitum. Alioqui cum ius naturæ sit immutabile, nunquam eo cibo vti licuisset, quod Christi & Apostolorum vsus aperte refellit. Ac ne diuina quidem lex id vnquam prohibuit; Etsi enim Dominus assignauit in cibum omnibus animantibus olera & arborum fructus, ea tamen assignatio prohibitio non est, nisi forte dicamus, leones & lupos ad hanc ætatem carnibus abstinuisse. Declarauit ergo Dominus quis futurus esset ordinarius & vulgaris animantium cibus, vel ad tuendam vitam sufficiens, sine alterius exclusione, aut prohibitione.

VIII. Esum carniu m nunquam prohibitum.

c *Gen.* 9. 3.

b *hom. eadem.*

Dicimus secundo nunquam præceptum fuisse homini esum carnium, sed permissum, & quidem tacite ante diluuium, à diluuio autem aperte. Siue vt ea indulgentia ab eluuionis metu confirmaretur & recrearetur, siue vt maiori hominum imbecillitati subueniretur. Quæ clara est ex ipsa humanorum corporum infirmiore habitudine, quam tantam Rupertus agnoscit d, vt dicat fœlici adhuc, & infirmitatis experti homini, tenuem illum victum magis sufficisse, quam infirmo nunc & moribundo carnium esus esse possit. Sed res ipsa eo tacente loquitur, cum tanto contractiorem vitam factam esse videamus. Nemo enim eorum qui post diluuium nati sunt, quorum ætas perscripta sit, ad quingentesimum annum peruenit.

IX. Neque præceptum.

d *l.* 4. *in Gen. c.* 30.

Dicamus postremo non esse credibile homines siue iustos, siue iniustos, à carnibus ante diluuium abstinuisse. Nam isti cum inconcessas voluptates auidissime sectarentur, quomodo negligerent non negatas? eas præsertim, quæ ad gulam pertinent, & ventri ac libidini seruiunt, in quibus illi toti erant. De iustis autem quis credat vel Abelem, vel Sethum, aliosque viros pios, lanis ouium contentos, carnes earum volucribus ac feris proiecisse, nec iure audire debuisse, *vt quid perditio hæc* Nec apparet Adamum, alioſque deinceps Patriarchas, pœnitentiæ causa, carnibus sibi perpetuo interdixisse, neque sacrificijs aliquando participasse pacificis, ne viderentur Cainitis carnes immundas natura sua, aut à malo principio creatas, iudicare. Addit tamen Dominus exceptionem circa cibum, vetans vsum carnis cum sanguine; causam affert Chrysostomus e, vt scilicet post diluuium quoque mortales intelligant habere se Dominum, qui, vt olim Adamo, sic nunc Noemo eiusque filijs ac nepotibus pro arbitrio mandare possit, aut vetare quod lubeat.

In vsu temperasse apud iudæos, inuitosque

Nouum Dei præceptum.

e *hom.* 27.

Ex

XI. Testatur Deus se homicidij

Ex occasione porro præcepti illius delabitur ad detestationem homicidij. Quasi dicat Dominus, iuxta mentem Chrysostomi. Sicut sanguinem, qui in brutis est, instar animæ mihi segrego, nec volo in vsum vestrum cedere, ita & vitam & animam vestram nolo in potestate vestra esse, sed mea, *ad imaginem quippe Dei factus est homo*: ne forte licitum putetis humanum sanguinem, sicut & belluinum effundere. Itaque *sanguinem vestrum* tanquam rem iuris mei, *requiram de manu* etiam *bestiarum*; tantum abest vt hominem homicidij reum id crimen impunè ferre passurus sim. Huc pertinet illa lex f de boue lapidibus obruendo, qui hominem occidisset. At ne forte dicant filij Noe nos quidem cauebimus à cæde mutua, sed tu nos peccantes diluuio repetito perdes vniuersos. Dominus igitur ad humanum se raptum accommodans g, *Arcum meum*, inquit, *ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me, & inter terram, &c.* multis enim verbis confirmat Deus familiam Noe à timore diluuij. Quæ porro Iris prius erat signum pluuiæ naturale duntaxat, deinceps futura erat signum supernaturale, & ex diuino beneplacito, non futuri amplius Diluuij.

f Exod. 21. 28. 29.

Arcus in nubibus.

g c. 9. 13.

XII. Propagatio generis humani.

Cæterum cum Deus triplici illa benedictione hominum multiplicationem sibi cordi esse ostendisset, & ijs à quibus illa pendebat, magnam fœcunditatem liberaliter impertitus esset, dubitandum non est eos quamprimum liberis operam dedisse, atque hoc ipso primo anno diluuij liberis auctos esse, proximisque deinceps consequentibus. Quam ad assertionem nos inuitat Scriptura, quæ cap. 10. vbi recenset Semi filios, non ponit primo loco Arphaxad, sed tertio, præponens Aelamum & Assurem, non nisi quia maiores natu erant Arphaxado, quem alioqui par erat primo loco poni, quando ex ipso tantum ad Abrahamum texitur generatio Patriarcharum. Cum ergo biennio post diluuium natus sit Arphaxad, vt Scriptura testatur, quæ duos illi fratres præponit, vtique de eadem matre genitos, necesse est singulis denis mensibus ipsos emissos in lucem: sicque hoc anno Aelamum, sequenti Assurem, tertio deinde Arphaxadum natum esse. Eodem trium annorum ordine videntur geniti tres filij Iapheti, Gomer, Magog, & Madai: eodem & tres Chami filij, Chus, Mesraim, Phuth, & Chanaan: qui eodem ordine in primo quoque Paralip. recensentur, quos deinceps persequi non est necesse, vt Chronologiæ factæ minime vtiles.

Ordo filiorum Semi. &c

cap. 1.

XIII. Noe an susceperit à diluuio liberos.

Sed quid de ipso Noe dicemus? An trecentis adhuc & quinquaginta quos vixit annis liberis caruit? An Dei præceptum, & humani generis solitudinem tanto tempore neglexisse, aut denique illo præcepto diuina dispensatione fuisse solutum? Certe Caietanus, vt Anniani Berosi Titanas missos faciam, conijcit alios deinceps à Noe filios procreatos, quos Scriptura separat à tribus illis, qui de arca egressi sunt cum parente, cum ait *a. Erant ergo filij Noë, qui egressi sunt de arca, Sem, Cham & Iaphet*: alioqui enim superfluum erat addere illos egressos ex arca. Partem quoque aientem sequitur Torniellus, & si qui alij. At contraria sentencia plures habet authores, & notæ melioris: Negat enim non vno loco Chrysostomus b Noe alios à diluuio liberos suscepisse. In eademque sententia est Epiphanius in Panario c, & Abulensis, probatque ex eo Scripturæ loco. d *Tres isti filij sunt Noë, & ab his disseminatum est omne genus hominum, super vniuersam terram.* Oportet enim illos alios filios Noe fuisse steriles, quod absurdum est, aut aliquod aliud genus hominum, aliámue terram extitisse.

a Gen. 9. 18.

Non videtur.

b hom. 24 & 29.

c l. 1. Panar. sub init. d 6. 9. 19.

ANNVS MVNDI 1659.

DILVVII ET SECVNDÆ ÆTATIS 3. NOE 603.

ANTE CHRISTVM 2394.

EXpleto post diluuium biennio, sexto circiter huius anni mense, natus est Arphaxad de patre centenario, sicut de Abrahamo Isaac, & vtroque alterum seculum ineunte. Necesse est autem expletum ponere biennium, ne vnus desit annus ad ortum vsque Abrahami, vt contingit ijs, qui Arphaxadi ortum in secundo anno diluuij ponunt. Ad tertiumnobiscum ponit Iulius Hilarion in libello de Mundi duratione, & Nicephorus Constant. & Seder holam Hebræorum cum Abulensi, Matiano Scoto, Torniello, & aliquot sectarijs.

I. Arphaxadi ortus.

ANNVS MVNDI 1671.

DILVVII 15. NOE 615.

ANTE CHRISTVM 2382.

AD hunc circiter annum pertinere credimus, quæ Moses extremo capite nono scribit de plantatione vineæ, & ijs, quæ eam consecuta sunt, quamuis ea decennio post diluuium contigisse nonnulli putent. Nam Theodoretus ex Hebræis scribit primum omnium Chanaam in auum dormientem incidisse, & indecore nudatum animaduertisse, nec officiose, vt par erat, cooperuisse, sed irrisisse, totamque rem ad patrem cum risu detulisse; neque à patre increpitum de inhumanitate in parentem, sed & ipsum quoque derisisse, & fratribus suis deridendum propinasse, eáque de causa puerum Chanaan, improbissimæ derisionis authorem, fuisse abauo maledictione percussum. Quæ nemo non videt in duodecim annorum puerum rectius, quam in sex annorum infantem conuenire; nam cum is quarto loco à Chamo genitus fuerit, vt supra notauimus e, & quarto ad summum anno à diluuio, is nunc duodecimum decurrebat annum. Itaque Genebrardus ex Hebræis ait Chanaan fuisse adultum quando hæc contigerunt. Nec tane ratio congruentior afferri potest cur Chanaan maledictus fuerit, nisi quod paterni criminis non solum particeps, sed autor etiam, & origo fuerit.

I. Plantatio vineæ quando cõtigerit.

e an. 1. Diluu. n. 12.

Sed quod ad rem ipsam attinet, *cepit Noe*, inquit Scriptura f, *vir agricola exercere terram,*

II

f ca. 9. 20

cs plan-

Et quo modo vites in diluuio máserint.

& plantauit vineam: non recens à Deo conditam; sed quæ vites sparsim plantatæ, vuas tantum ad esum ministrabant, industria boni senis in vnũ locum consitæ, & diligenter cultę, etiam potum, vino inde expresso præbuerunt: vt ad vitæ humanæ delicias, cui carnium etiam vini potus iungeretur, vt aiunt Chrysostomus [g], atq; Hieronymus [h]. Diuina porro prouidentia factum est, vt vel violentia Diluuij fragilem fruticem, nec altis nixum radicibus, non euulserit, vel eiusdem diuturnitas non corruperit. Siue quod pleræque vites aquarum violentiæ obiectæ non fuerint: & veris tempore, etiam corruptarum vitium radices pullulare sponte potuerint [i], vt notauit Ambros. Interiectum est tempus suum, & vinea fructus vberes attulit, & liquore inde expresso, primus bibit senex. Neque enim periculosum erat experimentum, ætatique is honos debebatur, & industriæ, vt qui plantarat vineam, de fructu eius non solum ederet, sed etiam biberet.

[g] *hom. 29. in Ioan.*

[h] *l. de Noe c. 29.*

[i] *l. de Noe c. 29.*

III. Ebrietas Noë, & nuditas dormiens atq; irridenda.

Bibit ergo, & quidem paulo laxius, inexperta suauitate inuitante, vinoque victus, *nudatus iacuit in tabernaculo suo.* Non quidem sponte nudatus, vt Caluinus impudenter calumniantur, quem S. Cyrillus [k], Theodoretus [l], & Iosephus [m] facilè refellunt, dum somnum nuditatem illam antecessisse docent; sed casu, vt dormientibus, mero præsertim æstuantibus, contingit. Itaque intelligendum est illud, quod habetur in Hebræo, *& discooperuit se*, quæ phrasis etiam vulgò de fortuita denudatione vsurpatur. *Quod cum vidisset Cham pater Chanaan*, inquit Moses, *nunciauit duobus fratribus suis foris*, qui eum verecunde atque officiose cooperuerunt. In narrando impudenti filij in patrem facinore inseritur illa vox [n], *Pater Chanaan*, ad ingenerandum Iudæis odium in gentem Chananæorum, & turpissimos eorum mores; quoniam ad eos exterminandos, eorumque regionem inuadendam diuinitus mittebantur. Hinc autem intelligi potest, viros tunc vsos non fuisse feminalibus, quibus ea nuditas impedita fuisset.

[k] *l. 4. in Gen.*

[l] *q. 50. in Gen.*

[m] *l. 1 Ant. c. 6.*

[n] *Rupert. l. 4. c. 37. Tostat & Lyran.*

IV. Nepoti maledicit

Didicit autem Noe euigilans quid sibi contigisset, siue cæteris eius filijs rem ei vltro significantibus; seu potius quod se alieno pallio tectum animaduertit, causa inquisita didicit ordine rem totam. Moxque maledictionem vilissimæ seruitutis in pœnam vel imprecatur, vel prophetica voce denunciat nepoti suo Chanaan, & sub illius nomine Chananæis eius posteris. Abstinuit autem à Chamo filio, siue quia is non ita pridem fuerat à Deo benedictus, siue quia is in filij pœna satis puniebatur: siue quia noluit maledictionem in reliquos Chami filios, eorum vè posteros redundare. [o] Vice autem versa Semum & Iapheth um, qui erga se officiosi fuerant, benedictione prosequitur, eisque dominatum in Chananæos precatur, amplissimamque posteritatem; Iapheto præsertim, qui Europæorum parens fuit, qui Israëlitarum posterorum Semi spiritalem hæreditatem occuparunt.

Semo & Iapheto bene precatur.

[o] *Vid Hier. in qq. Hebr. & Rupert. l. 4. c. 38. & 39 Aug. quæst. l. 16. de Ciu. c. 1. & 2. & l. 17. c. 14. &c.*

ANNVS MVNDI 1694.

DILVVII 38. CAINÆ IVNIORIS 1.

ANTE CHRISTVM 2359.

I Proponit quæstio de iuniore Caina.

GRauissima est hoc loco, & multorum antiquorum Patrum, recentiorumque scriptorum controuersijs agitata quæstio, an Arphaxad genuerit Cainan, an Sale: siue quod eodem redit, vnéne generatio redundet in D. Luca, & 70. Interpretibus, an desit in Hebræo, & editione vulgata: quàue de causa, aut illi addiderint, aut isti detraxerint. Ea tamen quæstio paucis expediri posse videtur in hunc modum.

Asseritur pars affirmans & authoritate probatur.

Dicimus generationem Cainæ hoc loco inserendam esse; Nam eam deesse docet S. Lucas cap. 3. Euangelij sui, qui eam perspicue ponit, aitque Sale fuisse filium Cainæ, & nepotem Arphaxadi. Idem docent Septuaginta seniores spiritu Dei pleni, qui cap. 10 [a] aiunt Arphaxad genuisse Cainam, & ab isto ortum esse Salem. Et rursum cap. 11. non solum numerant Cainam in hac generationum serie, sed etiam diserte explicant, quo anno patris natus sit, qua ætate sua genuerit Sale, & quot annis post illum genitum vixerit.

[a] *versus 24*

II. Et ratione valida.

Cum ergo veritatis huius definitio, ex authoritate pendeat, & contraria sententia negante tantum authoritate niratur, certumque sit io huiusmodi probationibus nientem neganti præponderare, facile Lector æquus atque integer intelliget, cui sententiæ palma tribuenda sit; præsertim cum nulla iusta causa esse possit cur mendacium dicatur, at iusta esse queat, cur veritas bleatur, quam nos idoneam mox suggeremus; cum alij idoneam causam afferre nequeant inuectæ à Septuaginta, & confirmatæ à S. Luca falsitatis, quod argumentum nunquam soluent, qui contra sentiunt. Existimamus itaque cum doctissimis viris Moysem dedita opera, sed iusta ratione, hanc generationem transilijsse, quoniam statuerat à Noë ad Abrahamum decem generationum gradus duntaxat recensere, sicut fuerant decem ab Adamo vsque ad Noë; idque sequitur Iosephus [b], & alij vetustissimi Hebræorum, vt Genebrardus affirmat. Quo modo etiam videmus Matthæum Euangelistam tres tessaradecades animo complexum, in earum altera tres generationes præterijsse. Et Ioannem Euangelistam in Apocalypsi ex tribubus Israëliticis duodenario numero contentis, Danitican tribum prætermisisse; non obliuione vtique, sed certo mysterio.

Cur Moses Cainanum omiserit.

[b] *l. 1. Ant. c. 6. & sub fi. in Chron.*

Dicimus quoque Septuaginta Interpretes, & eos secutum S. Lucam, merito hanc Cainæ iuniotis generationem, non prætermisse, quia ad illas Mosis Decades non attendebant, sed statuerant exactum catalogum omnium omnino generationum ad Abrahamum ponere. Diuus autem Hieronymus in editione vulgata, fidelis interpretis functus offi-

III Non aũt Sept. ant S. Lucas.

cio

cio, eam omiſit. Etenim cum ex Hebræo fonte Latinam verſionem hauriret, debuit omittere, quod in Hebræis codicibus non repererat. E contrario S. Lucas quia Septuaginta ſequebatur, debuit ponere, quod apud eos legebat, & ſciebat veritati eſſe conſentaneum. Neque arguendi ſunt propterea Septuag. qui S. Auguſtino *a* aliiſque teſtibus, non nudos agunt interpretes, ſed afflati diuinitus, Paraphraſtes etiam, & Prophetas. *Meritò*, inquit, *creduntur Sept. Interpretes accepiſſe propheticum Spiritum, vt ſi quid eius autoritate mutarent, atque aliter, quam erat quod interpretabantur, discrent, neque diuinitus eſſe dictum dubitaretur.*

a l.15. de Ciuit. c.23

IV. Quâ ſimul in hunc Cainanũ ſcripſiant.

Illi ergo Spiritu ſancto ſuggerente Cainæ generationem repræſentarunt, quam poſtea Lucas Euangeliſta, eodem ſpiritu dictante, confirmauit: quos longo ordine ſecuti ſancti Patres, Græci Latinique Cainan in hunc Patriarcharum chorum admiſerunt; quibus plurimi recentiores nobiſcum ſubſcribunt, quos in Annalibus noſtris, ad 26. vel 27. reperies numeratos: ſimulque refutatas rationes, quibus vtitur Sectarius quidam, qui Septuaginta Interpretes arguit impoſturæ, & Euangelium corrigi cupit. Quo minus videtur hæc opinio probanda Catholicis: Satis enim conſtat hæreticos, ſpreta communi & regia Catholicæ fidei via, per abrupta ferri, & ſpiritu ſingularitatis ductos, deteriora ſequi. Quia verò iſta diſputatio maximè refert ad ſacram Chronologiam, ideo eam accuratius in præfatione tertij tomi ex occaſione tractauimus, vbi eam ſtudioſus Lector reperiet.

Capell.

V. Quis natiuitatis eius annus.

Cæteràm quod ad Cainæ & Arphaxadi annos attinet, exiſtimamus veros Septuag. Interpretum annos ſequendos eſſe, ſublatis videlicet centenis illis adiectitijs, qui in totam primam & ſecundam ætatem irrepſerunt, iuxta ea, quæ anno Mundi 131. diximus. Ergo Arphaxad genuit Cainan non anno centeſimo trigeſimo quinto, vt legitur in Græcis, ſed 35. eoque abſoluto, vt numerare ſolemus, id eſt circa initia trigeſimi ſexti.

Ortus Nẽrodi.

Sub hæc tempora natus videtur Nemrod ille nominatiſſimus, filius Chus, & Chami nepos. De quo Nemrodo ſeorſim Scriptura loquitur, propter eius eminentiam, vt ait S. Auguſtinus *d*, quæ & eius regnum memorauit, quo longe poſtea potitus eſt. Sub hæc porro tempora natum dicimus, ea coniectura ducti, quòd Nemrod ſit quartus à Noe, ſicut & Cainan, quem hoc anno natum ſatis explicatum eſt.

d l.16. de Ciu. c.3.

Ortus Zoroaſtris.

Non longe autem poſt natus videtur Zoroaſtres. Nam coæuos fuiſſe autor eſt Epiphanius ſub initium Panarij: quam etiam cauſam fuiſſe putat cur Nemrod idem cum Zoroaſtre à Græcis creditus fuerit. Sed de his poſtea pluribus, ſub initia Imperij Aſſyriorum, cuius Nemrod fundator fuit.

ANNVS MVNDI 1724.

DILVVII 68. CAINÆ 31.

SALÆ 1.

ANTE CHRISTVM 2329.

ECce 30. ipſos annos vacuos tranſilimus, inopia rerum, non vtique geſtarum, ſed ſcriptarum, vt libro 2. de Timote Dei admirantes notauimus *e*; eandemque penuriam patiemur ad diuiſionem vſque gentium atque linguarum, ipſumque Abrahamum Patriarcham. Hoc autem loco Sale ortum ponimus anno Cainæ patris eius trigeſimo abſoluto, iuxta ea, quæ paulo ante monuimus.

I. Ortus Sale.

c cap.4.n 3.4.5.

Interea quid ageret Noe, quid filij ac nepotes, nam multis iam liberis ac nepotibus his 68. annis à diluuio auctum fuiſſe oportet, vel etiam vbi habitaret incertum eſt. Satis diu atque adeo multis annis in montibus habitaſſe cum filijs, alijſque recenti adhuc cladis memoria pauidis, ſcribit Ioſephus *a*. At mihi probabilius videtur non multis diebus in montanis eſſe commoratos, quia illi parum idonei ſunt habitationi, præſertim altiſſimi, quales ij fuerunt in quibus arca requieuit. Quorſum etiam Noe emiſſis toties volucribus ſollicite quærebat an terra exſiccata eſſet, campeſtris videlicet, nam de montana id iamdudum conſtabat, niſi quia quamprimum in loca planiora deſcenſurus erat, vel illam ob cauſam, ne ſuis de promiſſione diuina diffidere, ac diluuium alterum formidare videretur. Credibile autem eſt Noe & filios, per annos aliquot, non multum ex loco vnde exſcenderant ex arca fuiſſe digreſſos, ſed in campeſtribus Armeniæ locis habitaſſe, ibique vineam, quæ non gaudet excelſis montibus, plantaſſe, quæ eſt ſententia S. Epiphanij ſub initium Panarij.

II. Habitatio Noe, eiuſq; filiorum.

a l.1. Ant. c.4.

ANNVS MVNDI 1754.

DILVVII 98. NOE 698.

SEMI 196. HEBER 1.

ANTE CHRISTVM 2299.

NAtus eſt hoc anno Heber, Hebræorum pater, vt ex ipſa notatione nominis docet Auguſtinus *b*, qui eum virum admodum illuſtrem fuiſſe ex eo colligit, quod extra ordinem à Moſe celebretur, adeo vt Sem ab Heber abnepote, non vice verſa Heber à Semo illuſtrari videatur. Quo modo Abraham & Dauid, & Moſes, & alij viri principes, in ſacra hiſtoria, & alij in profana, non ſolum filios ac nepotes, ſed etiam progenitores ſuos vehementer illuſtrarunt. Verba Moſis *c* ſunt. *De Sem quoque nati ſunt, patre omnium filiorum Heber, fratre Iapheth maiore*, id eſt, Sem quoque, qui fuit pater, ſiue atauus omnium, qui ab Hebere orti ſunt, & Iapheti frater natu maior, hic, inquam, Sem filios procreauit Aelam, Aſſur, &c.

I. Ortus Heberis viri illuſtris.

b l.16. Ci.c.3.

c cap.

Ex quo Hebræis nomen.

Non itaque frustra, inquit S. Augustinus, *ipse primus nominatus est in progenie veniente de Sem, & prolatus est item filijs, cum sit quintus nepos*, id est quintus à Semo, inserto Caina Hebetis auo, *nisi quia verum est quod traditur, ex illo Hebraos esse cognominatos, tanquam Heberaos: cum & alia possit esse opinio, vt ex Abraham tanquam Abrahas, dicti esse videantur. Sed nimirum hoc verum est, quod ex Heber Heberas, ac deinde, vna detracta littera, Hebræi appellati sunt.* Sic Augustinus, sed de Hebere alius erit dicendi locus.

ANNVS MVNDI 1788.

DILVVII 132. PHALEG 1.

ANTE CHRISTVM 2165.

I. Ortus Phaleg.

PEruenimus hoc anno ad tempus illud, quo terræ omnes atque maria, & omnino quidquid cœlorum ambitu continetur, in tres mundi principes Sem, Cham, & Iaphet, eorumque filios ac nepotes, autore Deo, administro Noë distributum est: Autore inquam Deo, qui sola terrarum, quæ rursum mortalibus dederat incolenda, hominibus atque animantibus repleri iusserat, dicens *d*, *Crescite, & multiplicamini, & replete terram.*

d Gen. 9. 1.

Et terræ diuisio, quæ duplex fuit.

Cæterum terræ diuisio hoc loco sumenda est, non quæ contigit cum construeretur Babylon & turris eius, quæ linguarum confusione nobilitata est, sed quæ à Noe Dei voluntate instituta est: qualis & à Iosue post occupatam Chananitidem facta este. Sicut enim tunc non statim à diuisione facta, in possessionem à singulis tribubus itum est, sed multo post tempore; ita quæ nunc sub ortum Phaleg facta est diuisio, non nisi diu post, occasione diuisionis linguarum, in rem deducta est. Duplex ergo terræ diuisio agnoscenda est, altera verbo, & quasi Noetico testamento facta; altera reipsa, in constructione Babylonicæ turris. Quamuis autem plerique alteram cum altera permisceant, atque confundant, tempore tamen sunt, ac natura distinctæ. Prior enim sub Phalegi ortum, altera incidit in mediam eius ætatem, vt merito ille à gemina diuisione nomen acceperit.

e Iosue 13. & 18.

II. Prior contigit in ortu Phaleg.

Priorem conferimus in natiuitatem Phaleg, sic enim eum appellauit Pater, *eò quod in diebus eius diuisa sit terra*, vt ait Moses *f*: Nam cum hæc terræ diuisio ad Babylonicam linguarum confusionem, & mortalium dispersionem trahi non possit, vt postea intelligetur, ortui Phaleg illam assignamus, quæ vere & propriè diuisio terræ fuit, & natura sua occupationem assignatarum prouinciarum antecedit. Adde quod hoc loco posita diuisio, nullam inuehit absurditatem; dilata vero, & confusa cum posteriore dispersione, longe maximam, vt suo loco dicemus. Certe Iosephus, vt cæteros taceam, quos in Annalibus retulimus *g*, ait natum Phaleg, dum habitationum distributio fieret. Et profecto nisi in ortu eius eam diuisionem contigisse dixerimus, nihil deinceps causæ erit, cur non in diebus cuiuscunque aliorum Patriarcharum, qui eodem cum illo tempore diu vixerunt, dici possit contigisse. Scio Heberem à plerisque dici Prophetam, circa impositionem nominis filij sui; sed vt Propheta non sit circa præsentem terræ diuisionem, potuit tamen esse Propheta circa terram posterius occupatam sub diuisionem linguarum, quæ sub eodem Phalego contigit.

f Gen. 10. 25.

Heber Propheta

III. Diuinitus instituta huius diuisio.

Hocergo anno Heberis 34. absoluto, & 35. ineunte, & diluuij 132. natus est Phaleg: quando Patriarcha Noë, cum videret nepotes suos in tantam iam excreuisse multitudinem, multis vt colonijs deducendis sufficerent: & ipse vicinam sibi ex hac vita migrationem, in tam longinqua senectute, speraret, diuinam eis de orbis habitabilis diuisione, mentem aperuit. Autor huius rei Epiphanius in Anchorato, vbi certam terræ diuisionem à Noë factam recenset, ab Eusebio in chronico mutuo sumptam, quæ tangitur in primo recognitionum Clementis, nec satis à plerisque probatur. At Iosephus *h*, & eum secutus Hieronymus, aliam diuisionem Scripturæ magis consentaneam instituit, quam breuiter referemus, ducto cum ipso à filijs Iaphet initio.

h 1. Ant. 6.

IV. Ex Iosepho & Hieronymo sors filiorum Iaphet.

Horum sedes, inquit, *à Tauro & Amano montibus incipientes, pertinebant in Asia ad amnem vsque Tanaim: in Europa, vsque Gades, in terris hactenus vacuis occupatas.* Sic ipse. Amanus autem mons, & deinceps Euphrates ascendendo in Septentrionem minorem Asiam à maiore diuidunt. Itaque Iosephus totam hanc regionem, multis magnisque prouincijs constantem, vt ex Ptolemæi tabulis patet, Cilicia videlicet, Armenia minore, Cappadocia, Galatia, Pamphilia, Lycia, Caria, Asia, quæ proprie minor dicitur, Phrygia, & Bithynia; detrahit Asiæ, vt adiungat Europæ, ad aliquam, vt apparet, partium æqualitatem. Quò etiam recte illud referre licet, *Dilatet Deus Iaphet, & habitet in tabernaculis Sem*: id est in parte possessionis eius, Asiæ videlicet, quæ tota Semo assignanda videbatur. Sed & partem eius aliam, Syriam videlicet, Chamo tribuit, ad compensationem fortasse multarum prouinciarum sterilium, quæ sunt in Africa.

i Gen. 9. 27.

V. Sors filiorũ Cham.

De filijs ergo Cham sic ait. *Chami vero filij Syriam, & regionem Amano, Libanoq; montibus hærentem obtinuerunt, quidquid eius ad mare vergit*, Mediterraneum scilicet, *occupando, & Oceanum vsque ditionis terminos proferendo*: & scilicet Ægyptum, Æthiopiam, & Africam vniuersam. Addit ergo Africæ totam Syriam, in qua sunt omnes prouinciæ Chananæorum, cum Arabia petræa, atque deserta: fortassis & felice eis cohærente, ad sinum vsque Persicum. Restat Sem, de quo idem Iosephus. *Sem vero tertio Noe filio*, aut verius primogenito trium, *filij fuerunt quinque, qui Asiam vsque ad Indicum oceanum, incoluere, ab Euphrate propagande ditionis initio facto.* Omnia igitur quæ eis Euphratem erant versus occidentem solem, ad Iaphet pertinuerunt. Quæ diligenter obseruanda sunt, ne postea regionem alicuius in alterius sorte inquiramus, aut collocemus. Sed hæc distributio quamuis, vt idem ait, autore

Et Semi.

g Phaleg. 1. nu. 3. ἐν ἀποδάσμῳ τῆς οἰκήσεως.

tore

tore facta Deo, multam habuit in executione cunctationem, & tergiuersationem, quæ plurimos annos absumpsit. Multa enim migrationem dissuadebant, vita inter amicos, affines, cognatos, cõsuetudo, atque commercium: horror ignotarum, & longinquarum regionum, nauigationum, naufragiorum, amor natalis soli, aliàque id genus.

b Beros. Annq Vitrè.

VI. Peregrinatio Noë sine probabilis.

Inducunt hic quidam *b* nauigationem Noëmi cum filijs, multisq; colonis, mare Mediterraneum ratibus circumlustrantis. Verum hæc peregrinatio non satis probabiliter excogitata est, vtpote minime necessaria, cum sors suam cuique partem assignaret, qualiscumque fuisset à Deo facta partitio, qui norat cuius maior futura esset posteritas, vt ei maiora spatia, ac latifundia assignaret. Deniq; per eius diuisionem prouidebatur, ne qua inter fratres contentio de iniqua diuisione nasceretur. Et contentioni medebatur sortitio, quæ Epiphanio teste *c* ad Rhinocorurã facta est, quod ipse ex eo conijcit, quod eum locum indigenæ vocent Nehel, quod sortem, hæreditatem, & torrentem significat.

Vbi facta sortitio.

c in Anacephal. Hær. 66.

ANNVS MVNDI 1800.

DILVVII 144. NOE 744.

SEMI 242.

ANTE CHRISTVM 2253.

TRigesimus sextus agitur Iubilæus annus, octodecim seculis expletis. Ad quod tempus referre possumus ortum posterioris filij Heber, nomine Iectan, tredecim posteà filiorum patrem. Etsi autem rationi consentaneum est, fuisse eum minorem natu, ex ipso quo recensetur ordine in Scriptura *d*, idque passim omnes affirment, cum Hebræis in Seder holam. Iosephus tamen *e* in Heberis filijs recensendis priore loco Iectan ponit, quem Iuctan vocat, ratus fortasse eum maiorem natu, quod omnino credidit S. Augustinus *f*. In quam illum opinionem induxit, quod putauit tempore, quo natus est Phaleg, non solum terrarum distributionem factam esse, sed confusionem quoque linguarum: quod requirit Iectam Phalego ipsos sexaginta annos esse maiorem, vt posteà dicetur. At nunc satis habebit temporis, ante diuisionem linguarum, vt tredecim familiarum pater esse possit.

I. Ortus Iectan.

d Gen. 10. 25. 1. Paralip. 1. 19.

e l. 1. Ant. c. 6.

f lib. 16. de Ciu. 11.

Octodecim post annis Phalegi 31. natus est Rheü, quem Septuag. & ex ijs Iosephus, Epiphanius, Augustinus, ipseque Lucas vocant Ragau, mutato gh ain in gamma, propter vocis & figuræ similitudinem, sed facta mutatione punctorum. Nemo fere in serie Patriarcharum isto est ignotior, & filio eius, nec nisi adstrexendam vsque ad Abrahamum chronologiam, memoratus videtur.

II. Et Rheü.

γ in γ.

ANNVS MVNDI 1850.

DILVVII 194. NOE 794.

ANTE CHRISTVM 2203.

COmmodùm nascitur nouus Patriarcha, anno Iubilæi trigesimi septimi, proauus Abrahæ, nomine Sarug, siue Serug. De quo Epiphanius cum idololatriæ originem inquirit, *Phaleg*, inquit, *genuit Rhagam. Huius filius Serug fuit, quod nomen prouocationem significat. Hoc vero tempore idololatriæ inter homines, ac gentilium superstitionis initium est factum, quemadmodum à maioribus accepimus. Tametsi nondum ad simulacra, celatosque lapides, aut ligna, aut argenteas aureasque statuas, alteriusue materiæ superstitiosus ille cultus adhæserat, nec aliud præter colores, atque effigies erat, in quo hominum mentes nouum per sese nequitiæ genus excogitarent, ac sponte sua, proprioque animi ac rationis impetu, pro honestate sibi scelerum turpitudinem adsciscerent.* Hæc ibi: quibus persimilia repetit in Anacephaleoli, additque illis imaginibus repræsentasse eos, qui olim apud ipsos in honore fuerant, aut tyrannos, aut præstigiatores, aut qui aliquid fecerant in vita memorabile.

I. Ortus Sarug Iubilæo 37.

Perso Petan.

Initium Idololatriæ ex Epiphanio.

Intelligendum autem est huiusmodi picturas natura tua indifferentes, ex bono fine gratitudinis, & conseruandæ memoriæ virorum illustrium, & eorum egregia facinora imitandi, fuisse laudabiles: sed rem paulatim dæmonum astu ad idololatriam deflexisse, attributa rebus inanimis diuinitate quadam, siue quod eis principes ius asyli tribuerent, siue quod ibi dæmones aliqua vulgo mira facitarent. Verum hæc non nisi post diuisionem gentium ac linguarum contigisse putantur, id præcipuè agente Nemrode. Serius autem vel ocyus, satis constat ex sacris litteris, hos ipsos Semi filios, & progenitores Abrahæ, & nominatim Thare, multitudini Deorum adhæsisse. Quanto id certius de filijs Chami, & Iapheti affirmari potest? In eo tamen numero non esse ponendum Heberem, satis ex ijs, quæ in eius ortu de eo dicta sunt, intelligi potest.

II. Imagines pictæ ei seruierũt.

Iosu. 24. 2.

ANNVS MVNDI 1850.

DILVVII 224. NOE 824.

SEMI 312.

ANTE CHRISTVM 2173.

NAscitur hoc anno *a* Sarugi filius Nachor, patris anno trigesimo expleto, vt numerare solemus. Viuebant autem omnes isti, & multiplicabantur in immensum, & diuina interueniente prouidentia, quæ terram habitatoribus repleri volebat, perpaucos occupabat immatura mors, multi gemini nascebantur, rari, aut nulli steriles erant.

a Gen. 11 24.

I. Ortus Nachoris.

De singulis quippe eorum, quos Scriptura memorat, scriptum est genuisse filios & filias: quod vtique de cæteris quoque omnibus familijs Noe intelligendum est.

II. Geminus Nachor.

Porrò auus & frater Abrahæ cognomines sunt, vtriq; enim nomen est Nachor: idque non neminem induxit in fraudem in illis Iosue verbis *b*, *Trans fluuium habitauerunt patres vestri ab initio, Thare pater Abraham, & Nachor.* Nam hic Nachor est filius Thare, non pater; Itaque in Hebræo, ad vitandum ambiguum geminatum est nomen patris, hoc modo, Thare pater Abraham, & pater Nachor.

b *ca.* 24. 2

III. Noe migrationē vrget.

Credibile porro est hisce temporibus, vt significat Iosephus *c*, plurimum fuisse Noemum in vrgenda migratione in colonias, filijs ac nepotibus suis diuinitus assignatas: eosque varijs causationibus, & tergiuersationibus vsos, non prius paruisse, quam Deus, sumpta ex eorum malitia occasione, eos vel inuitos diuisit, atque distraxit.

c *l.* 1. *Ant. c.* 4.

ANNVS MVNDI 1909.

DILVVII 253. NOE 855.

THARE 1.

ANTE CHRISTVM 2144.

d *Gen.* 11. 26.

VIxit *Nachor*, ait Moses *d*, *viginti nouem annis, & genuit Thare*, Abrahami parentem, sic vt trigesimus Nachoris sit primus Thare. De quo scribit Epiphanius *e*, eum in Turris ædificatione natum esse, additque idolorum cultum, qui per colores, & picturam Sarugi ætate inductus fuerat, artificio Thare auctum ac roboratum esse, eo statuas ex argilla, alijsque deinceps artificibus ex alia materia efformante. In huius autem sceleris pœnam, filium eius Aram ante ipsum mortuum esse, quod adhuc ter mille trecentorum ac, triginta duorum annorum spatio, & ad vigesimam humani generis ætatem non contigerat. Ex quo clarum est Epiphanium non solum Chronologiam Septuaginta esse secutum, si tamen pro 32. annis substitueris 42. sed etiam iuniorem Cainam ab eo insertum fuisse; vt qui ibidem Thare vigesima ab Adamo generatione collocet, quæ secluso Caina esset decima nona. Quæ licet ex Hebraica traditione scribat Epiphanius, constat nihilominus ex superioribus Lamechum Noemi patrem ante Mathusalem patrem suum esse defunctum. Nec credibile est totis 930. annis, quibus vixit Adamus, neminem naturali morte fuisse sublatum.

I. Ortus Thare.

e *init. Panar. l.* 1. *n.* 7. ὁ τῶν πρ. γοητείας.

Idololatriæ incrementa.

Cæterum libenter audio Epiphanium dicentem Thare in Turris ædificatione natum esse. Eo enim posito, quod videtur admodum probabile, cum linguarum confusionem statuamus anno Diluuij 275. oportebit tam apparatum materiæ totius ad ædificandum, quam ipsam constructionem ciuitatis & turris, duos circiter ac viginti annos tenuisse: neque minus requirebat temporis opus, mole ac magnitudine prope immensum, vt suo loco dicetur, & opere ipso magnificentissimum, & quidem non vt ad consummationem, & integram absolutionem operis, sed vt multum vltra initia perueniretur. Itaque Sanctus Augustinus *f* ait Ciuitatem ante linguarum confusionem, perfectam non fuisse, vsque in tantum modum, quantum superba cogitabat impietas. Denique mirabilius est centum annos in arcæ constructione positos, quam viginti duos in ædificatione immensæ ciuitatis ac turris. Nihil ergo absurdi est tot annos huic ædificationi tribuere, quibus Dei longanimitas & patientia reddebatur illustrior; tantoque illi magis punirentur, quanto maius opus, maiores conatus, impensæ, vigiliæ, laboresque diuturniores, irriti, atque inanes redderentur.

II. Ædificatio ciuitatis ac Turris Babel.

f *l.* 16. *de Ciu. c.* 4.

Nunc videndum nobis est, quinam, & qua occasione ædificarint, quo fine, quo loco, qua materia, atque forma, quæ omnia Scriptura summa breuitate perstringit. Quinam ergo proferuntur huius operis architecti? Tostatus *g* arbitratur omnes, qui tunc erant mortales, ædificationi huic incubuisse, etiam ipsum Noe, cæterosque iuniores Patriarchas, qui erant etiam tum omnes *in* viuis. Cuius rei non inanem ex ipsa Scriptura *h* coniecturam ducit, quæ de omnibus hominibus dicit, eos vno eodemque idiomate vsos, statimque subdit profectos de Oriente, nimirum eosdem omnes, & venisse in campum Sennaar. Idem probat illa vox, *antequam diuidamur in vniuersas terras.* Non enim pertinebat ad aliquos in vniuersas terras diuidi, sed ad omnes. Nec dissentit Epiphanius *i*, imo etiam distinctius rem prodit. Ait enim de tribus filijs Noe, duos & septuaginta extitisse principes, qui consilia de turris huius, ac ciuitatis extructione contulerint. Iosephus *k* primarium huius consilij autorem fecit Nemrodum, qui inter cæteros Noemi nepotes eminebat. Neque tamen propterea mihi persuaserit Abulensis Armeniam, in qua nati, educatique fuerant, vt monuosam, ab omnibus omnino fuisse desertam, quam ducentos iam & quinquaginta annos incoluerant, vbi domos construxerant, prædia acquisierant, supellectilem compararant: nec in paucis saltem amorem patriæ valuisse, qui nunc tam multos in locis longe asperioribus toto terrarum orbe, atque adeo in ipsa Armenia retinet.

III. A quibus suscepta.

g *q.* 3. *in c.* 11. *Gen.*

h *ca.* 11. 1. 2. 4.

i *Init. Panar.*

& quorū consilio.

k *l.* 1. *c.* 4

Armenia in plauè deserta fuerit.

Iam quod ad huius profectionis & ædificationis occasionem attinet, probabile est tam impulsu & exhortatione Noe, qui suos constanter vrgebat ad profectionem, in terras, quæ sibi sorte obtigerant; quam ipsis locorum, quæ iampridem incolebant, angustijs compulsos, laxiora ad habitandum spatia quæsiuisse. Sed non fuit in tanta multitudine mens omnibus vna; Et maxima quidem hominum pars, quæ animum ad ædificandum adiecit, eum spectabat finem, quem retulit Scriptura *a*, insigni scilicet aliqua & stupenda mole, nomen eorum, qui illum excitassent celebrare; Ciuitate videlicet ac Turri, cuius culmen ad cœlum pertingeret, quod monimentum esset separationis omnium

IV. Ædificandi occasio

& quis finis.

a *c.* 11. 4.

morta-

mortalium, qui ab humani generis instauratione, ad id tempus, vnius fere regionis spatio circumscripti permansissent. Qua in re negat Tostatus *b* istos architectos vllo modo peccasse, quod & opus natura sua esset indifferens, & ad finem referretur non malum.

b q.8. in 11 cap.

V. Præsertim impiorum. c l.1. Ant. c. 4.

Verum longe alium finem, si Iosepho credimus *c*, improbissimi quique Nemrodo duce in ædificando spectarunt, Bellum videlicet præpotenti Deo, per dementissimam superbiam gerere, seque tutos ab illius vi & inundatione seruare. At nihil apparet hactenus in Scriptura, quod tam horrendam malitiam ac dementiam probabilem faciat; quam Augustinus *d*, Abulensis *e*, ac Caluinus ipse refellit. Itaque longe probabilius est, & certius, Nemrodum cum cognatis, clientibus, & amicis suis, quod potentia præ cæteris, audacia, viribusque emineret, dominationem meditatum esse, & idoneum nactum locum in terra Sennaar, communi omnium opera, proprium sibi domicilium, honesto ac speciosо aliquo titulo, excitare voluisse. Hanc fuisse Nemrodi mentem exitus ipse declarauit. Ciuitas enim quæ ædificabatur, & quæ postmodum, ex euentu confusionis linguarum, nomen habuit Babel, siue Babylon *principium regni eius fuit*, vt affirmat Moses *f*.

d lib.16. de Ciu. c. 4. e q.6. in c. 11. Gen.

Nemrodi propositū.

f c.10. 10.

Quod ad locum attinet, duos assignat Scriptura terminos, orientem à quo profecti sunt, & terram Sennaar in qua ædificarunt. Orientis nomine plerique omnes Armeniam intelligunt, quod nimirum ibi arca substiterit, eaq; sit Babyloni orientalis. Verum nisi nos omnes geometricæ tabulæ, antiquæ recentioresque fallunt, Armenia plane Septentrionalis est Babylon. Itaque dicendum videtur, eos non rectè ex Armenia venisse Babylonem, sed per vagos circuitus, vt fit ab ijs, qui ignota loca terra marive explorant. Terra verò ad quam appulerunt dicta est Sennaar, ab euentu confusionis linguarum *g*, sicut & Babel, siue Babylon. Loci commoditas, & amœnitas præ Armenia, eos inuitauit ad subsistendum, & habitandum in eo. De cuius fertilitate legendus est Herodotus *h*. Strabo *i*, Plinius *k*, qui Babylonicum agrum totius orientis fertilissimum appellat.

VI. Armeniæ situs.

Terra Sennaar. g Hier. de loc. Heb.

h l.1. i lib.16. k l.6. c.26

Denique lateres habuere pro saxis, quod in Assyria magna sit lapidum penuria, vt ait Theodoretus *l*, bituminis autem magna copia, vtpote quod fontes vna cum aquis ibi eructent, & extra alueum eijciant. Semiramis quoque apud Diodorum Siculum, cum postea Babylonem magnificentius extrueret, murum lateribus bitumine conglutinatis coagmentauit, 50. orgyias altum, quæ mensura 6. pedum est. Opus autem ipsum ad nominis immortalitatem destinatum, non turris tantum fuit, etsi ea maximè celebratur, sed ciuitas etiam, vt habet Moses. Vt autem multæ essent turres in muro, qui ciuitatem ambiebat, in Vrbis ipsius medio vna erat insanæ substructionis, fortasse qualem describit Herodotus in medio templi Beli *m*, solida crassitudine simul & altitudine stadij, cui alia rursus superimposita turris, & huic subinde alia, ad octauam vsque, &c. Sanctus quoque Hieronymus *n* in Esaiam. *Arx*, inquit, *id est capitolium illius vrbis est turris, quæ ædificata post diluuium, in altitudine quatuor millia dicitur tenere passuum, paulatim de lato in angustias coarctata, vt pondus imminens facilius à latioribus sustentetur, &c.* Habes eius effigiem in Herodoto, Græco-Latino.

VII. Materia ædificij. l 9.58. extrema.

Turris Babylonica.

m l.1.

n c.14.22.

ANNVS MVNDI 1931.

DILVVII 275. NOE 875.

SEMI 373.

ANTE CHRISTVM 2122.

ADest aliquando tempus illud, quo potentium hominum superba atque inconsulta temeritas, dum vanitatis suæ immortale in terra monimentum relinquere cogitat, infœlici multiplicatione linguarum castigata, & multiplici addiscendorum verborum labore damnata est. Vnde illud etiam exortum, & propagatum est malum, vt homines, quamuis ex vno capite ac fonte procreati, nō locis tantum, & regionibus, quod necesse erat, sed animis quoq; cū linguarum separatione sæpenumero disiungerentur. Sicut autem Dominus, Diluuio mundum exterminaturus, ipsos centum & viginti annos ad pœnitentiam hominibus indulsit. Ita nunc, ex quo diuisio terrarum ipsius iussu, in ortu Phaleg facta fuerat, centum & viginti annis, paulòque amplius elapsis, cœperunt homines in Armenia emigrare, & in Babylonia per otium ædificantes, immemores coloniarum suarum, diuturnas trahere moras, immò vt Scriptura loquitur, habitare, cum Deus illos inde, vel inuitos expulit atque distraxit.

I. Tēpus cō fusionis linguarū.

Hunc porro annum huic cladi, qua linguæ vnius commercium ac communionem amisimus, assignamus Eusebij Chronologiam secuti, qui ponit primum annum Abrahæ concurrere cum 43. Nini, secundi Assyriorum Regis. Is ergo nascente Abrahamo duos iam & 40. annos regnauerat, Primus autem Belus 65. quos annos si coniunxeris, peruenies ad proxime sequentem annum Assyriorum primum, quem linguarum confusio, & familiarum separatio immediatè antecessit. Deinde cum Abraham natus sit anno patris sui Tharæ 130. vt ex Scriptura ipsa probabitur, si ab his annis Beli & Nini annos sustuleris, ad præsentem, qui est Tharæ 23. peruenies. Rursum ad præsentem annum, qui est Diluuij 275. si horum regum annos addideris, peruenies ad 382. à diluuio, & primus Abrahæ erit ab eo 383. Nini 43. & 108. regni Assyriorum; quam deinceps sequemur rationem temporum, à qua illi fere tantum dissentiunt, qui iuniorem Cainam omittunt, & Abrahamum septuagesimo patris anno natum volunt: qui eadem opera, sacram chronologiam annis nonaginta diminuunt.

II. Cōfirmatur ratio temporis.

Atenim illam in primis opinionem hoc loco infirmari necesse est, quæ diuisionem linguarum reuocat ad ortum Phaleg, & ab ea diuisionem terrarum tanto antiquiorem non distinxit, infirmati, inquam, illa ratione

III. Nō pertinere ad ortum Phaleg.

quæ S. Augustinum fatigabat. Cum enim Scriptura dicat natos Hebero filios duos *a*, *Nomen*, inquit, *vni Phaleg, eo quod in diebus eius diuisa sit terra, & nomen fratris eius Iectan.* Et cap. seq. *b Vixit Heber 34. annis & genuit Phaleg.* Si Phaleg, vt apparet fuit primogenitus, certe in ortu eius, quo dicuntur diuisæ linguæ, non erant nati 13. illi filij Iectan, qui tamen facti sunt totidem linguarum ac familiarum principes, cum ne pater quidem illorum tum natus esset. Si autem Iectan fuit primogenitus, vt Sancto Augustino placet *c*, cum constet Phaleg natu minorem natum anno Patris 34. oportet Iectan, intra illos quatuor & 30. annos, atque adeo multo pauciores, (nam Heber non paucos vixit annos antequam filios susciperet) nasci & adolescere, & producere 13. liberos, qui non pueri tunc essent, sed tam grandes iam familias haberent, vt in linguas proprias diuidi possent, & dignæ essent nominibus gentium, vt ait Augustinus, quod intra 34. annos, aut potius intra 14. si Iectan vigesimo patris anno natum dicamus, fieri non posse, nemo non videt.

a Gen. 10. 25.
b Gen. 11. 16
c De Ciu. l. 16. c. 11.

IV. Sed ad hoc ipsũ tempus.

Quæ incommoda, nonnullaque alia, quæ in Annalibus *d* expendimus, posita nostra chronologia euanescunt. Sit ergo positum, Phalegum, iuxta Scripturæ ordinem, esse Heberis primogenitum, in eiusque ortu terrarum diuisionem factam esse; diuisionem autem linguarum atque populorum factam sub medium vitæ Phaleg, id est 144. anno ipsius. Diluuij autem 275. qui est præsens annus, quem alijs quoque notis in indice eius insigniuimus. His ergo positis de re ipsa dicendum est. Cum autem de cõstructione ciuitatis & turris, quæ proxima causa sunt diuisionis linguarum, in primo anno Thare dictum fuerit, sequitur vt de confusione ipsa, & hominum in vniuersas terras dispersione, qui est eiusdem confusionis effectus, breuiter differamus. Et primum quam iusta pœna architectis istis inflicta fuerit, & quam contentanea diuinæ sapientiæ & bonitati.

d hoc anno n. 3.

V. Dei in hac cõfusione bonitas & sapientia.

Quæ enim pœna suauior à parente expectari possit, in liberos minus dictis suis audientes, quam sine cædibus, sine mutilatione & plagis, sine iracunda dissipatione laborioſi operis, atque adeo sine obiurgatione & querela eos adigere ad obtemperandum, nouasq; colonias deducendas: quæ coloniæ essent, si volentes abibant; aut varia exilia, & deportationes, si inuiti. Quod si hæc eorum culpa vanitas fuit, nonne sapienter plenum vanitatis opus, & inops solidæ, gloriæ, præter Dei voluntatem susceptum, infirmitate sua, Deo non sustentante, contabescit? Si superbæ mentis elatio, nonne confusione expianda fuit, ne superbè vnquam glorioſi isti iactare possent opus, quod imperfectum irrisi, confusique reliquissent. Si odium Dei hanc arcem erigebat aduersus Deum, nonne exarmandi erant inimici? nonne ex ipsa arce exigendi, & impia coniuratio animorum, iusta linguarum confusione castiganda?

VI. Cõfusione facta, an diuisio

Sed age quæ fuerit ista linguarum confusio, quomodo facta, quamque multiplex fuerit videamus. Nam Philo in libro de confusione linguarum, negat vllam confusionem contigisse, sed diuisionem. Nam Hebræam, quæ iam erat in sua puritate, atque integritat perstitisse: alias autem, quæ tum primum natæ sunt, confusas non fuisse ante quam essent. An in linguis confusio non fuit, sed in hominibus, propter repentinam exorientium linguarum varietatem, vt Pererio placet? An confusio linguarum, siue permistio idiomatum fuit, dum eodem in opere diuersarum familiarum homines versarentur, & mutatis repente linguis, vnus sermo efficeretur, in quo Hebræa, Græca, Latina, Germanica, Polonica vocabula mista, confusaque reperirentur, quorum nonnulla singuli intelligerent, nemo caperet vniuersa; sicque fieret vt *nemo audiret vocem proximi sui*, id est, alter alterum intelligere non posset, vt Lyrano quoque videtur. Denique diuisio linguarum recte dicitur, quandoquidem pro ratione diuersarum linguarum, à se inuicem diuisi sunt homines, qui lingua vtebantur, quæ diuersa esset à sua.

VII. Quomodo facta sit.

Quomodo facta sit fusius explicat Tostatus *e* ex quo Pererius *f*. Dico breuiter inductam primùm diuinitus in omnibus familijs obliuionem nativæ linguæ, id est, Hebraicæ, præterquam in Heber & Phaleg, in quibus ilia inuiolata permansit: tum intertam infusamque nouam linguam cæteris familijs, prout olim infusa fuerat Adamo, & vxori eius, adeo vt illam non minus haberent in promptu, quam si eam cum nutricis lacte didicissent. Ministerio porro Angelorum id factum fuisse scribit Origenes *g*, eorum scilicet, qui illorum populorum rectores futuri erant; adquos illa Dei dirigatur oratio; *h Venite, descendamus, & confundamus ibi linguam eorum, vt non audiat vnusquisque vocem proximi sui.* Quod absurdum esset de singulis hominibus interpretari, quasi quisque linguam huiusmodi loqueretur, quam nemo omnium præter ipsum intelligeret; id enim esset quingenta millia linguarum introducere, idque valuisset, non ad multiplicandos hominum cœtus, & ciuitates, sed ad omnes à se inuicem distrahendos.

e l. 16. n. 135. 136.
f l. 16. n. 18. Num.
g ho. 11. in Gen.
h Gen. 11. 7
operaAngelorum.

VIII. Per familias linguæ distinctæ.

Mosis ergo mens est factum esse, vt vnusquisque non intelligeret omnes, vt ante solebat, sed alij alios intelligerent, puta qui erant eiusdem familiæ, alios non intelligerent, qui erant diuersæ. Per familias ergo distinctæ sunt linguæ, idque significat Moses, cum filios Noë separat, *secundum cognationes & linguas*, & non secundum linguas duntaxat. In quo apparet Dei omnium conditoris & parentis bonitas, qui diuersitate linguarum parentes à liberis non plane distraxerit, vt inter eos remaneret societas, inter quos vnius eiusdemque linguæ commercium seruatum foret. Superest vt aliquid de numero linguarum, pro instituta breuitate dicamus.

IX. Numerus earum.

Eum numerum Scriptura nusquam prodit, sed illum plerique sancti Patres ex numero familiarum Noë à Mose commemoratarum colligunt: ex familia Iaphet 15. ex progenie Cham vnam & triginta: ex stirpe Sem viginti septem. *In summa igitur*, inquit Augustinus *i*, *omnes progeniti de tribus filijs Noe fiunt septuaginta tres; vel potius, quod postea*

i l. 16. de Ci. c. 3. & 11. Epiph. hær. 39 &

de-

demonstrabitur, septuaginta duas gentes tunc fuisse colligitur, non homines. Quod se demonstraturum promittit, exequitur aliquanto post, aitque vnam tantum fuisse linguam Heberis & Phaleg filij eius, nimirum Hebræam, quæ fuerat ad eam diem omnium communis: nec tamen omissum Phaleg, licet omittantur qui gentium & linguarum principes non fuerunt, propter tempus insigni euentu notatum. *Quia in diebus eius diuisa est terra.*

X. Fuisse duas & 70. Isa. 16. c. 3.

Priore autem ille loco subdit, quod minimè ignorandum est. *Propterea*, inquit, a *multorum filij non sunt commemorati, quia gentibus aliis nascendo accesserunt, ipsi autem gentes facere nequiuerunt. Nam qua alia causa, cum filij Iaphet octo numerentur, ex duobus eorum tantum filij nati commemorantur? Et cum filij Cham quatuor nominentur, ex tribus tantum, qui nati sunt adiiciuntur. Et cum filij Sem nominentur sex, duorum tantum posteritas adtexitur: nunquid cæteri sine filijs remanserunt? Absit hoc credere. Sed gentes propter quas commemorari digni essent, non vtique fecerunt, quia sicut nascebantur, aliis gentibus addebantur.* Ita S. Augustinus. *b* Eundem numerum duarum & septuaginta linguarum tradit Eusebius in Chronolog. & Epiphan. initio Panarij, idemque repetit hæresi 39. vbi de genere Chami ponit duces 32. de stirpe Sem quindecim, de Iaphet viginti quinque, vbi totus numerus idem est, partiales non item. In eundem numerum consentit Prosper Aquitanicus *c*, Hieron. Arnobius, Origenes, Beda, Marianus Scotus, Chronicum Alexandrinum, aliique recentiores. Quæ porro hunc numerum dubium faciant, quidque obiectionibus respondendum videatur, in Annalibus reperies. *d*

b quem vide etiam l. 16. c. 6. 32. 35. 25 72. *c* l. 2. de vocat. c. 4

d an. m. 1931. n. 16. & seq.

Hac ergo linguarum confusione, & hominum perturbatione indicta, *Non cœpta assurgunt turres e, pendent opera interrupta, minaque murorum ingentes, æquataque machina cœlo,* Nominatim autem turrim, non solum a latomis, & muralibus structoribus relictam, sed diuinitus etiam disiectam, plerique veterum tradidere. Iosephus sex Sibylla refert Deos turrim procellis immissis subuertisse,

XI. Cessat ædificatio, & turris diiicctæ. *e* Æneid. 4.

——*Vt terra deinceps*
Tota repleretur diuisis regibus——

quod scilicet colonijs, Nembrode auspice, vt dicetur anno sequenti. De turri etiam ventorum impetu euersa autor est Epiphanius *g*, Abydenus apud Eusebium de Præparat. *h*, & apud eundem Eupolemus. Quod si quæras cur Nemrod, qui post dispersas reliquias gentes Babylone substitit, cum popularibus suis intermissum opus non redintegrarit, dicendum videtur aut opus fuisse maius, quam vt à tam paucis hominibus perfici posset; aut potius homines præsentes magnitudine prodigij deterritos, aufos non fuisse opus absoluere, ne forte diuinitus grauiori aliqua pœna mulctarentur. Relictam porro ædificationem, per annos fere centum, ad Semiramidem vsque probabile est, quæ inchoatam ciuitatem Babel incredibili magnificentia, & magnitudine absoluit; turrim vero ipsam quoquo modo absolutam, in templo Belis incluſit, vt supra *i* ex Herodoti primo libro retulimus. Quæ autem cuique familiæ, vel genti terræ sortitione obtigerint, infinitior, atque impeditior est disputatio, quam requirat suscepti operis breuitas; itaque benuolum lectorem ad ipsos Annales *k* cum bona venia dimittimus.

f l. 1. ante c. 4.

g inic. Panar.

h l. 9. c. 14. & 17.

Antedintegrata a Nemrod.

i a. m. 1900. n. 7. Quæ cuique prouincia contigerit.

k an. m. 1931. n. & seq.

ANNVS MVNDI 1932.

NE 876. THARÆ 24.

BELI primi Assyriorum Regis 1.

ANTE CHRISTVM 2121.

I. Initium regni Babyloniæ

PRimus hic annus à diuisione linguarum, regnum Babyloniorum exorditur, quod in Assyriorum Monarchiam defuncto Belo commutatum est. Eius initium, qui apud scriptores prophanos exquiret, nihil certi reperiet, tanta est opinionum diuersitas. De duratione quoque *Scinditur incertum studia in contraria vulgus.* In quibus ne hoc loco lectorem moremur; ex Scriptura ipsa quam possimus firmitatem petamus, vt eius Imperij stabiliamus initia. Eo enim fundamento rite stabilito, cum per singulos annos, quasi per totidem gradus decurremus ad finem, facile erit intelligere quanta fuerit Imperij Assyriorum duratio. Inuenimus enim ad mortem vsque Sardanapali annos omnino 1304. qui est annus Mundi 3235. Ad mortem autem Assaraddonis, quando Imperium hoc plane excisum est, 1401. qui est annus mundi 3333. vt in illis ipsis locis ostendemus. Cæterum Assyriorum nomine in hoc regnorum exordio, etiam Babylonios comprehendimus, nec regnum istorum, quod vnius tantum Beli, siue Nemrodi fuit, ab Assyriorum Monarchia separamus, Eusebium secuti, quem & cæteri omnes deinceps habuerunt ducem.

Duratio Imperii Assyriorum

Illud autem statuamus in primis Imperium Assyriorum non cœpisse ante diuisionem gentium, siue familiarum, quæ à Noëmo Patriarcha propagatæ erant. Non fuisset enim hoc regnum Assyriorum, vel Arabum, vel Ægyptiorum, sed omnium hominum. Proprietas enim vt bonorum, ita & subditorum distinctionem supponit *Rex*, ait Chrysostomus l, *nondum omnino fuerat, cum nondum essent subditi.* Erant quidem distinctæ familiæ, quas Scriptura commemorat, & familiarum patres ac progenitores, sed locis parum admodum distinctæ erant ac pene confertim habitabant, nec quisquam eorum Dominum agebat, aut principem, sed parentem. *Nemrod autem cœpit esse potens in terra,* vt Scriptura *m* loquitur, quam potentiam eadem mox regnum interperatur, cum ait, *fuit autem principium regni eius Babylon,* &c. quod confirmat Chrysost. *n* Hieron. *o* Epiphanius *p*, Rupertus *q*, Augustinus *r*, & ante eos Iosephus *s*. Omnesque deinde recentiores Tostatus. Caiet. Peter. Oleaster, Del Rio, Bellarm. Gordonus, Genebrardus, & alij, qui omnes fatentur Nemrodum primum regem orbi terrarum cognitum.

II. Non cœpit ante diuisionem linguarum.

l hom. 2. in fi.

m Gen. 10. 8. 10.

n hom. 29 in Gen.

o in Trad. Hebr. in init Panarii.

p init Panarii.

q l. 4. c. 43.

r l. 16. de Ciu. c. 4. & 18 c. 2.

s l. 1. Ant. c. 4. & 6.

Et prophanis quidem scriptoribus ignotus est Nemrod, Belus autem nominatissimus, tanquam Babylonici, siue Assyrij fundator imperij, quod affirmant Abydenus, qui de Assyriorum rebus scripsit historiam, Eupolemus &

III. Nemrod idem cum Belo

Alexander Polyhistor apud Eusebium *e* ipseque Eusebius in chron. quem Hieron. & August. Isidorus & Beda, alijque passim sequuntur. Affirmat & Seruius in illud Virgilij

—— *Quæ Belus, & omnes A Belo soliti* ——

Sed facilis est omnium concordia, si ita colligamus rationem. Qui primus Babylonem condidit est Belus. At Nemrod primus Babylonem condidit, Ergo Nemrod idem cum Belo est. Vtraq; propositio plurimos habet testes, posterior autem Scripturam ipsam, omnesque eius interpretes. Quibus recte stabilitis, exsufflantur illæ Chaldæorum & Arabum, quæ ex Africano, & Manethone referuntur Dynastiæ, cum tredecim regibus, qui ante Belum siue Nemrodum in Babylonia annis 440. regnasse dicuntur. Sed & Ægyptiæ illæ, quarum quindecim ortum Abrahæ anteuertunt, vt refert Eusebius initio Chronici. In fabulis quoq; numerandum, quod de Vexore Ægypti rege, & Thanai rege Scythiæ tradit Iustinus, quos vult Assyriorum temporibus antiquiores esse.

Inducta igitur diuinitus diuisione linguarum, & subsecuta dispersione gentium, siue familiarum pro idiomatum diuersitate, in omnes vndequaque prouincias, populi singuli, vt ratio postulat, suas sibi res agere cœperunt, terras distribuere, vrbes moliri, ædificare domos, cæteràque meditari, quæ ad Reipub. vnius constitutionem pertinerent, & quidem ex illius directione & gubernatione, cuius auspicijs sese in viam dederant: illum agnoscere non parentem solum, sed gubernatorem etiam & principem: ad eum vltro communis boni procurationem ac prouidentiam deferre, dum singuli suis quisque commodis, ac necessitatibus attenti essent. Ille autem de communi item suffragio inferiores sibi substituere magistratus, qui crescentem paulatim multitudinem in minoribus oppidis, pagisque regerent. Numinis cultum, pro suo quisque arbitrio, aut pietate, alij verum, alij falsum inducere. Et sicut minime dubitari debet, quin in ea prouincia, quam Noë, Sem, aut Heber incoluerunt vera pietas ac religio, ipsis saltem superstitibus, perseueraverit, ita in reliquis paulatim ad superstitionem miseros mortales deflexisse, instigante malo dæmone, varijsque artibus illudente, satis superque constat.

Primus porro Nemrod, siue Belus occasionis opportunitatem secutus, vrbem quæ construebatur, regni sui principium constituit Babylonem, indeq; paulatim alias fuit etiam vrbes, quas memorat Scriptura *a* construxit. Ex qua etiam opportunitate perspicuum est regnum eius cæterarum familiarum, siue populorum principatum anteccessisse. Nam cæteris suæ cuique terræ adeundæ, agnoscendæ, occupandæ, construendæ erant: quod negotium non paucorum dierum, sed multorum mensium, aut etiam annorum fuit. Nemrod autem diu communi omnium opera vsus, suum sibi regnum præparauit, in eoque suos, quibuscum linguæ communione vtebatur, subditos habuit, qua metu, qua libera voluntate obsequentes. Itaque in hunc annum initium regni Babylonici referimus, idque deinceps per annos suos, regumque successiones, Eusebio duce propagabimus, nisi quando nos ab eo ratio certior, aut maior autoritas abducet.

VI. Quod defluxit in Assyrium

Sit ergo hic primus Babylonici regni annus, quod tamen Assyriorum deinceps vocabimus, quòd illud huius quasi semen aut fermentum quoddam fuerit, quòdque prouidendum sit, ne imperium quod proprie sub Nabuchodonosore Babylonicum fuit, cum his Imperij Assyriorum initijs, nominibus confundamus. Esto, inquam, hic primus annus, in quo non dubium est maximum studium à Nemrodo positum in vrbe sua regia exædificanda, & stabiliendo principatu suo. Nec facile crediderim illum, quamuis audacem, ac manu promptum præproperè aut suis, aut vicinis exhibuisse molestiam, eosq; priusquam in terra sua radices fixissent, ad longinquiores terras, quasi fugitiuos compulisse: etsi Hebræi tradunt vim hominibus ab eo illatam, cogente ad Idolorum cultum, & nominatim familiam Thare, ipsumque Abrahamum. Inepte sane, cum Abraham multis posterius annis natus sit, quam Belus, aut Nemrod viuere desijt.

ANNVS MVNDI 1933.

NOEMI 877. SEMI 375.

BELI, & Imperij Assyriorum 2.

ANTE CHRISTVM 2120.

EXistimamus ad hunc annum pertinere fundamenta ciuitatis ab Assur filio Semi conditæ. Cum enim, interueniente diuisione linguarum, cum familia sua Babylone egressus, in eam prouinciam immigrasset, quæ illi sorte contigerat, & quæ ab ipso deinceps Assyria est appellata, cœpit etiam, vel inuitante gloria, exemplo Nemrodi nepotis sui, vel etiam metu feri hominis atque violenti, de constituenda quamprimũ ciuitate deliberate, in qua ipse cum familia habitaret, seque & sua singuli haberent in tuto. Eá fortasse de nomine suo vocauit Assuriam, quam etiam viuente Belo incoluit, sed eo mortuo Ninus in Assyrios irruens, & vrbem, & regionem occupauit *b* Ipsam autem vrbem magnificentius exornatam, de nomine suo Ninum siue Niniuem appellauit. Vt autem non vltra differamus constructionem huius vrbis, monet vicinitas Assyriorum & Babyloniorum, & metus à vicino malo.

I. Vrbis Assyriæ conditus.

Quæ postea Niniue facta est.

b Vide Ann. mun. 1931. n. 54. & 60.

Armeniam quoque in primis habitatam & cultam, merito credi potest, priore patrum habitatione inuitante, ibique à Filijs Aram filij Sem ciuitates condi cœptas. Fauet Epiphan. *c* qui ait dextra ac sinistra dispersos aliquos, eò redijsse vnde discesserant, alios longius ad Orientem esse progressos. Nec differendi Ægyptij, qui se mortalium primos credidere, consentiente Herodoto. *d* Ædificauitque Mesraim Chami filius secundogenitus, vel Tanim, quam Masius vetustissimam totius Ægypti metropolim appellat, quam tamen Hebron septem annis præcessit, vt testatur Moses *e*, vel Memphin, vel potius Thebas. Nam Thebæi, vt autor est Diodor. Siculus, *f* vetustissimos omniũ mortalium se esse prædicant. Denique neque

II. Armenia ciuitatib⁹ frequentatur.

c Init. Panar. Græc. Lat. pag. 7

d l. 2. subinit.

e Num. 13. 23.

f l. 1.

Iapheti

Et filiæ eius nepotes Noemi.

Iapheti filios negligentes in ædificando fuisse putandum est: hisque temporibus condita videntur oppida, quæ prisci propter antiquitatem dijs tribuebant; iuxta illud

Hanc Ianus pater, hanc Saturnius condidit vrbem.
Ianiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen.

ANNVS MVNDI 1979.

NOEMI 923. SEMI 421.

NEMRODI, & Regni Assyriorum 48.

ANTE CHRISTVM 2074.

I. Tharæ filij quando nati. gen. *Adam.* 130.

VIxit Thare, inquit Moses, septuaginta annis, & genuit Abram, & Nachor, & Aran. Quoniam completos annos sumimus, vt monuimus non semel *g*, cum Thare vixisset 70. annis & inciperet primum & septuagesimum nec prius, genuit tres hosce filios; quamuis fortasse prius alios filios filiasque genuerit, non tamen hos tres, de quibus peculiari cura Mosi agendum fuit: quod ex his tota natio, & cognatio Abrahamitarum dependeat. Neque Mosis mens fuit affirmare tres illos hoc anno Thare fuisse natos: sicut neque supra, cum dixit, *Noe cum quingentorum esset annorum*, genuisse Sem, Cham, & Iapheth, sed tantum docere voluit, neque hos, neque illos, ante dictum annum fuisse genitos, sed postea: quæ est S. Augustini expositio *a*. Sed apertius etiam Caietanus in hunc locum. *Non est intelligendum*, inquit, *quod Thare septuagesimo anno genuerit istos tres filios, quoniam constat Abram post mortem patris, qui vixit ducentos & quinque annos, 75. annorum exisse de Haran, vt testatur Stephanus Act. 7. Hinc enim clare patet, quod ad minus 130. annorum erat Thare, quando genuit Abram.* b *Quod ergo hic dicitur quod vixit Thare 70. annis, & genuit istos tres, intelligendum est negatiue, quod non ante 70. annos incepit generare istos.* Hæc Caiet. accurate; cui consentit Lipomanus in Catena, & Sanctius in Acta Apost. Sed hac de re postea *c* diligentius agemus.

1 q 25. in Gen.

Nec 7. n 11 & 12.

c Anno Thare 130.

II. Abraham non fuit primogenitus.

a Aboulen. Iosa. Delr. 10

b in Seder Ieram c. 2 sed Aran. & quomodo id probetur.

Porro ex ætate Satæ pleriq; *d* recte colligunt Abrahamum non fuisse primogenitum Thare. Nam Sara iunior tantum erat Abrahamo decem annis. Fuit autem, vt constat, Arani filia. Si ergo Abraham fuit primogenitus, Aran fuerit vno anno minor, & sic oportebit eum octennem aut nouennem genuisse filiam Saram: quod absurdissimum est; etsi Hebræos huius absurditatis non pudeat. Reliquorum autem duorum Aranum natu maiorem fuisse persuadet ea ratio, quod non solum frater est Nachoris, sed etiam socer, ideoque instar patris fuit ipsi Nachori, non nati minor frater; Eademq; prorsus est ratio Abrahami, cui Aran dedit vxorem Saram filiam suam. Vtrique tamen in numerando postponitur, Abrahæ quidem, propter eminentem eius dignitatem: Nachori autem, quia hic floruit multitudine filiorum, Aran autem vnicum habuit. Nachor diu superstes fuit, Aran mortuus est ante patrem suum. Denique Aranum primogenitum agnoscit Procopius Gazeus, Theodoretus in Catena Lipomani, Caietanus & Delrius hoc loco, Salazar in cap. 4. Prouerb. Sanctius in ca. 7. Act. num. 12. Abulensis, qui etiam vt natum retineat Abrahamum anno 70. Thare, Aranum retrahit ad anteriores Thare annos, quod cum Scriptura & Augustini interpretatione pugnat.

ANNVS MVNDI 1996.

NOE 940. SEMI 438.

BELI 65. & vlt. Assyriorum 65.

ANTE CHRISTVM 2057.

I. Nemrod vel Beli obitus.

TErminat hoc anno Torniellus periodum vitæ Arphaxadi, alij probabilius existimant eum centum præterea annis fuisse superstitem, ad annum videlicet 438. vt eodem anno dicemus. Hoc potius anno Nemrod, siue Belus, & viuendi & regnandi finem fecit, iuxta Eusebij Chronologiam, quam passim omnes sequuntur, in primisque Hieron. & Augustin. & ex recentioribus Pererius *f*, Torniellus, Bellarminus, Gordonus *g*. Existimatur autem ad trecentos annos vixisse, vt qui sub annum Diluuij 38. natus sit, vt ibi diximus. Nam Cainam, qui totidem gradibus distat à Noë, ad tertium supra trecentesimum annum hoc tempore peruenerat. Scribit Plinius *h* hunc Belum, cui templum Babylone excitatum superius ex Herodoto dictum est, sideralis scientiæ inuentorem fuisse. Eam scilicet suos docuit Babylonios, & fortasse proprijs, vt fit obseruationibus amplificauit. Eamque ob causam Chronicon Alexandrinum: *Chus*, inquit, *procreauit Nemrod gigantem Babylonis conditorem, quem Persæ aiunt in cælum ordinem relatum, in astris apparere, quem vocant Orionem.* Sed de Beli apotheosi, quæ à Nino filio facta est, suo loco dicemus *i*.

f l. 15. n. 82 83.

g in hunc annum. Quàdiu vixerit.

h l. 6. c. 26.

i an. Nini 4.

ANNVS MVNDI 1997.

NOE 941. NINI 1. Regni Assyriorum 66.

ANTE CHRISTVM 2056.

I. Regnum Babylonium Assyrio iungitur.

TAmetsi hoc primùm anno Assyriorum imperium cum Nino eius principe, & ciuitate eiusdem Monarchiæ metropoli natum videri possit, & præcedentes 65. anni, Babyloniorum potius, quam Assyriorum fuerint, Eusebium tamen & Africanum, aliosque innumeros secuti, qui Belum aut Nemrodum primum huius imperij regem numerant, nec Babylonios in his initijs ab Assyrijs separant, quod Beli regnum fuerit quoddam huius imperij exordium, vt non semel diximus, primum Nini annum, non primum Assyriorum vocamus, sed sextum & sexagesimum.

II. Fit que num. in perium Assyrio rum.

Renascitur ergo cum nouo rege Babyloniorum, & mox Assyriorum imperium, quod viuo Belo modicæ prouinciæ finibus, agro scilicet Babylonico circumscriptum fuit; cui postmodum reliqua Mesopotamia, vicina Chaldæa,

& Assyria fuerunt adiunctæ, legitimis possessoribus, qui eas regiones aut à diluuio, aut à diuisione linguarum coluerant, seruire coactis. Quo de tempore recte illud Iustini accipias. *Fines Imperij tueri magis quam proferre mos erat, intra suam cuique patriam regna finiebantur. Primus omnium Ninus Rex Assyriorum veterem, & quasi auitum gentium morem, noua imperij cupiditate mutauit. Hic primus intulit bella finitimis, & rudes adhuc ad resistendum populos, ad terminos vsque Libyæ perdomuit.* Sed id de temporibus à diluuio accipiendum est. Nam ante diluuium quis affirmare audeat gigantes illos non intulisse bella finitimis? Addit autem de Nino Iustinus, eum magnitudinem quæsitæ dominationis continua possessione firmasse; domitisq; proximis, cum accessione virium fortior ad alios transiret, & proxima quæque victoria instrumentum sequentis esset, totius Orientis populos subegisse. Ita Iustinus, sed quo quidque tempore gesserit, nemo tradit. Quin etiam sunt qui querantur pleraque omnia, quæ ad diuersos Assyriorum reges pertinebant, vni Nino à Scriptoribus fuisse tributa.

Nini armis occupata Assyria.

III. Confirmatur ex Scriptura.

Ad hæc porro tempora pertinere potest illud Mosis, *Deterra illa*, Sennaar Babylonica, *egressus est Assur*, id est Ninus factus rex Assur, siue Assyriorum, vt supra *k* significatum est, & filijs Semi, qui eam possidebant, post mortem Beli, vi, aut metu subjugatis, *ædificauit Niniuem*; aut inchoatam potius à filijs Assur, magnificentius instauruit. Non contentus ergo Babylone in terra Sennaar ad Euphratem condita, etiam ad Tygrim condere, siue renouare ciuitatem instituit, vt quoniam Babel, iuxta quorundam interpretationem Beli patris præferebat nomen, hæc altera suum ipsius nomen ferret, quæ nihil illi de dignitate concederet. Ciuitatis enim magnificentiam memoratę à Moyse *plateæ ciuitatu* a innuunt; quo nomine etiam vicorum laxitatem licet accipere, & ipsum epithetum ciuitatis magnæ, quo ab eodem Moyse honoratur. Ex dictis licet intelligere hallucinatum Diodorum Siculum *b*, cum ait Ninum Assyriorum Monarcham, Arabum subsidijs instructum, numeroso cum exercitu Babylonios inuasisse adhuc belli rudes, ipsisque annui pensitationem tributi imperasse. Regem vero debellatum, cum liberis captiuum abduxisse, atque interemisse: quæ potius Assyrijs facta esse à Nino Babylone profecto, vt Moses significat, quam vice versa existimandum est. Factus est enim Assyriorum Imperator ipsis debellatis, & in monumentum victoriæ suæ, maluit Assyriorum rex dici, quam Babyloniorum; quòd hoc paternam, illud propriam virtutem commendaret.

Condirus Niniues.

a Gen. 10. 11.

b l. 2.

Nin⁹ Assyriorum nõ Babyloniorum dictus Imperator.

IV. Niniue quando condita, vel amplificata.

Credibilius etiam est Niniuem quamprimum condi, siue amplificari ac firmari cœptam, cum Ninus Assyria potitus est, sicut à patre Babylon initio statim regni condi cœperat; credibilius, inquam, quam post septendecim annos, debellatis iam longe lateque multis gentibus, vt putat Diodorus. Scriptura enim primum Nini opus, ex quo egressus est ex terra Sennaar, ponit Niniuæ ædificationem, sicut & Hieron. in cap. secundum Osee. Nec vlla suberat differendi causa, *Nino ipsi imperij ex oriente arcem habere festinante*, vt idem Diodorus ait. Eius autem magnificentiæ id indicium est, quod, vt ait idem, *tanta molu vrbem condere festinabat, vt non modo omnium tunc in orbe terrarum maxima existeret, sed etiam vt nemo posterorum tale quid aggressus, ipsum facile superaret.* Ex quo intelligitur Niniuem aliquando Babylone fuisse clariorem: sed varia vtrique vrbi ornamenta, & clades contigêre, quæ alternatim alteram altera gloriosiorem fecerunt, cum aliorum, tum maxime Semiramidis & Nabuchodonosoris opera. Sed de Niniue hoc loco satis, plura in Annalibus reperies *c*, & nominatim refutationem eorum, quæ dubiam faciant huius Imperij magnitudinem.

c hoc a.m. 1997. n. 5. & seq.

ANNVS MVNDI 2000.

NOEMI 944. NINI 4.

Imperij Assyriorum 69.

ANTE CHRISTVM 2053.

I. Ortus Nachoris filij Thare.

ANnum ab orbe condito bis millesimum, & quadragesimum lubdæum non placuit silentio prætertire; præsertim cum in hunc annum commode liceat Nachoris, filij Thare secundo geniti, natiuitatem referre. Nam secundo genitum esse, anno patris eius 71. docuimus. Nunc autem genitus totis 20. annis minor fratre suo Aran, gener eius decentius fieri potuit, quam si illi ætate suppar esset, aut etiam maior.

II. Beli apotheosis.

Placet & huc Beli apotheosim referre, cum Ninus debellatis iam, vt ait Diodorus, Babylonijs, aut potius Assyrijs, vt ex ipsa Scriptura docebamus, Armenis item ac Medis proximo biennio, relicta vni amicorum Mediæ satrapia administranda, ad reliquam Asiam suo imperio adiungendam, armis in occasum conuersis, animum adiecit. Verum par est existimare, eum in transitu nouam adijsse imperij sui sedem Niniuen, quæ tunc quoque ædificabatur, & aliquanto vetustiorem Imperij paterni arcem ac domicilium Babylonem: ibique partas iam celebrantem victorias, cœlo patrem inferre voluisse. D. Hieronymus *d* videtur existimare id contigisse postquam is m contra Zoroastrem magum prospere pugnasset. Alij in ipsum regni eius principium hanc apotheosim retulerunt, vt Torniellus. In re incerta placuit mediam quasi viam sequi.

d In c. 2. Osee.

III. Modus eius & simul ortus Idololatriæ.

Hoc ergo circiter tempore Ninus, vt ex plerisque Scriptoribus, Diuoque Hieronymo in primis colligitur, in frequenti procerum Babyloniorum conuentu, cum patrem suum Belum defunctum Babylonis ipsius, regnique Babylonici fundatorem vehementius, vt assolet, commendasset: atque eum non solum immortali apud posteros memoria, sed apud superos etiam immortalitate dignum prædicasset, statuam, quæ eum ad viuentis speciem, affabrè eleganterque repræsentaret, exhibuit, cui quasi viuenti deferretur honos; ad quam si quis reus confugeret, abripi non posset ad pœnam, sed cuiuscunque potius criminis veniam consequeretur; denique miserorum esset commune per-

fugium

fugium. Ea res defuncto diuinitatis opinionem facile conciliauit, & sub titulo Iouis, vel vt alijs placet, Saturni Babylonij Deus factus est, eique templum magnificentissimum Babylone à filio excitatum, varijsque sacrificijs dedicatum est, quæ ipsi Belo nouo Deo offerebantur.

IV. Quæ sacrificia Belo obiata. c in c. 46. Esaiæ.

Cuiusmodi autem essent ista sacrificia, ex S. Hieronymo c intelligi potest, *Confractus est*, inquit, *quem Græci Belum, Latini, Saturnum dicunt; cuius tanta fuit apud veteres religio, vt ei non solum humanas hostias captiuorum, ignobiliumque mortalium, sed & suos liberos immolarent.* Quod imitatos fuisse Israëlitas Hierosolymis, sæpe conqueritur Dominus per Prophetas, maximeque Ieremias f. *Aedificauerunt*, inquit, *excelsa Tophet, quæ est in valle filij Ennon, vt incenderent filios suos & filias suas igni.* Et rursum inferius g, *Et repleuerunt locum istum sanguine innocentum, & edificauerunt excelsa Baalim ad comburendos filios suos igni in holocaustum Baalim.* Vbi Hieronym. *Nulli autem dubium quin in templo Dei Baal idolum posuerint, siue in delubro, quod erat in valle filij Ennon, vbi & lucus Baal, & ara eius fuit, supra quam immolauerunt & incenderunt filios suos.* Nec mirum Baalis sacrificulos & prophetas in alios fuisse crudeles, cum seipsi cultris & lanceolis solemni ritu inciderẽt, & vulnerum sanguine perfunderent, vt Scriptura h testatur.

f c. 7. 31.

g c. 19. 4.

h 3. Reg. 18. 28.

V. Rursum de Apotheosi, & cultu idolorum. i c. 23. k cap. 2.

Sed propius ad rem nostram facit, quod scribit idem Hieronym. in Ezechielem i. *Ista*, inquit, *crebro in excelsis, & in templo Dei adorauit statuam Baalis, & cum Assyriis fornicata est. Idolum autem Baal, siue Bel, & vt apertius dicam, Belis Assyriorum religio est, consecrata à Nino Beli filio, in honorem Patris.* Et in Oseam k *Ninus in tantam peruenit gloriam, vt patrem suum Belum referret in Deum, qui hebraice dicitur Bel, & in multis prophetis, maximeq; in Daniele.* Et mox, *Hunc Sidonij & Phœnices appellant Baal.* Vt autem hoc initium Idololatriæ fuisse demonstret, subdit paulò post, *Didicimus exordium Dæmonis, imo hominis in Dæmonem consecrati: omnia enim idola ex mortuorum errore creuerunt.* Ita sanè; nam deinceps plerique principes Nini exemplum aut tulli, aut vltro volentesque imitati, toto terrarum orbe idololatriam inuexerunt, vt fuse in libro Sapientiæ a disseritur.

a c. 14. 12 & seqq.

ANNVS MVNDI 2006.

NOE 950. & vlt. THARE 98.

NINI 10. Imperij Assyriorum 75.

ANTE CHRISTVM 2047.

I. Noemi obitus.

AD extremam tandem metam curriculi sui, aut viæ potius longissimæ peruenit hoc anno magnus Patriarcha Noë, multis ac magnis casibus, si quisquam mortalium, tota vita vehementer exercitus. Etsi enim nonnullas aliquando degustauit consolationum, vt vulgus opinatur, delicias: multum tamen aduersæ res, quibus ille tot annis, imo tot seculis iactatus est, & numero & magnitudine præponderarunt. Id autem signum esse fuisseque semper electorum Dei, & sapientum consensus, & Christi ipsius diuina vox aperte confirmat; qui cum dixisset Ananiæ de Paulo, *vas electionis est mihi iste*, statim subiecit, *Ego ostendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* Potest in prosperis Noë numerari totius mundi dominium, vitæ diuturnitas, turba filiorum ingens, ad vndecimam vsque generationem, qua filij Thare continentur, inuentio vini, & totius humani generis conseruatio, atque instauratio.

Et prospera.

Verum hæc omnia homini iusto, inter iniustos peregrinanti, quid aliud afferunt quam dolorem? Vidit Patriarcha noster; ipsos sexcentos annos, qui diluuium antecesserunt, efferatos gigantum mores, barbaram Cainitarum improbitatem, Sethi progeniem ab auita disciplina longissimè aberrantem, & ipsos Dei filios cum filiabus hominum in fœdissimorum vitiorum barathrum ruere præcipites. Qua ex improbitate mortalium, senex non minorem tristitiam, quam ex imminenti pœna metum ac dolorem hauriebat. Quid enim ille sensit in illo diluuio, non solum in tot & tantis ædificiorum ruinis, calamitate camporum, animantium pernicie, sed etiam cum nocentibus, in strage innocentium paruulorum? Quæ mens, qui sensus, quis animus eius fuit, in illis clamoribus virorum atque fœminarum, fratrum ac propinquorum opem frustra implorantium & caetuatim pereuntium? Quæ omnia mala ille habuit animo præsentissima, sic vt neque aures, neque oculi dolorem augere posse viderentur.

II. Et aduersa ante diluuium.

Et illius tempore.

Adde pædorem annui carceris, & omnes diuturnæ nauigationis ærumnas. Adde ex area aliquando digresso, luctuolum spectaculum inanis terræ vastitatis ac squaloris; montes matinis ostreis asperatos, valles montium iacturis impletas, vbique solitudinem, ac triste silentium, rudera domorum, murorum parietinas, hominum strues fluctibus congestas, cæterorumque animantium olentes aceruos, denique communem totius mundi calamitatem, quam mutæ ipsæ pecudes sentire videbantur. Accessit postmodum in reperti vini noua lætitia, nouus mœror, ex ebrietate, nuditate, & indignissima Chami derisione, quæ patri maledictionis in genus suum, & imprecandæ seruitutis necessitatem extorsit. Quid illa filiorum ac neporum eius peruicacia, quæ fuit linguarum confusione castiganda, nonne multam tristitiæ segetem importauit parenti? vt omittam bellorum clades, in quibus vt in fratrum discordijs pater, vtrimq; vexabatur, victum ac victorem lacrymis prosequebatur.

III. Et deinceps.

Et in derisione Chami.

Accessit postremo cumulus malorum omnium apostasia à Deo, & publica seruitus idolorum, quam sub hæc Nini, vt diximus, tempora propalatam, credibile est afflictissimo seni, curis annisque confecto, præ tristitiæ magnitudine mortem attulisse. Pro magnitudine enim amoris, & venerationis in Deum suæ, abundantiore tristitia absorptus est: & petens à Deo animæ suæ vt moreretur, eadem mente & eadem pene voce cum Matathia b dicebat, *Va mihi! vt quid natus sum videre auersionem populi mei.* Deum qui te genuit dereliquisti, & oblitus es Domini creatoris tui: mutasti glo-

IV. Et inuecta publicè idololatria.

b 1. Mach. 2. 7 Gemitus eius.

riam

am tuam in idolum, dixisti ligno pater meus tu, & lapidi, tu me genuisti. Quo mihi adhuc uere? nimium iam nimium incolatus meus olongatus est: tolle animam meã Deus meus, pone eam iuxta te, quia credo videre bona omini in terra viuentium. Dixit & mortuus t plenus dierum in senectute bona, & apositus ad patres suos. Eius funus filiorum oimi religiosè curarunt: & sepulchro carben, quod vitæ epitomen contineret, inscriserunt.

Quemadmodum autem vitam Noë, vt ait aietan. ante diluuium Moses compendio deripsit, adeo vt nec locum habitationis eius, eque exercitationem tradiderit; ita vitam us post diluuium silentio inuoluit, nec locum i vixerit, aut vbi mortuus fuerit explicat, dum d magnum Patriarcham Abrahamum festiat, ad quem per Patriarcharum & ætatum adus, sine vlla in singulis gradibus mora deurrit. Ad quem quia nos quoque festinamus, agni huius Patriarchæ cum Christo Domino omparationem omittemus hoc loco: etsi tantamque insignis est ea similitudo, vt Isidorus a icere non dubitarit, Noë per omnia, omnesue actus suos Christum significare. Itaque pallelismum in vtriusque aduentu & ortu, in iniitia, & arcæ structura, in præconio iustitiæ, & eparatione mundi, in ebrietate, nuditate, irrione, & contemptu domestico, in maledictione filij vnius, & benedictione cæterorum, & si nibus alijs, ex ipsis Annalibus b studiosus lector petet.

ANNVS MVNDI 2014.

SEMI 456. NINI 18.

Imperii Assyriorum 83.

ANTE CHRISTVM 2039.

SCribit Diodorus Siculus, Ninum cum se ad reliquas Asiæ gentes bello domandas contulisset, septendecim annorum interuallo, omnes, præter Indos & Bactrianos, suæ potestati subiecisse, atque Assyriorum Monarchiæ adiecisse. Bellum autem Bactrianum, propter difficiles aditus, & virorum bellatorum in ea regione copiam, post multos ibi labores frustra exantlatos, in aliam occasionem distulisse. Hic ergo decimus octauus illius regni annus, primus eiusdem quietis fuit. Illis autem, præter superius memoratos subiugauit, vt Diodoro placet, Ægyptum, Syriam omnesque Asiæ minoris nationes, vsque ad Bosphorum, & Tanaim. In maiore vero, Hyrcanos, Persas, Parthos, Carmanos, Susianos, aliosque plurimos minoris notæ populos. Cui assertioni, quod ad Syriam attinet, fauet Iosephus c, qui ait cum Imperium Asiæ penes Assyrios esset, ab ijs regionem Pentapolitanorum cum suis regibus subiugatam, redditamque tributariam. Sed hæc posterius sub initia peregrinationis Abrahæ contigerunt, vt suo loco dicemus.

Quod si Diodoro fidē habere volumus, in rebus præsertim tam antiquis, quam ne ipse quidem admodum magnam sibi postulat, dicendum viderur Assyrios non semper, imo ne diu quidem imperium in hos omnes populos tenuisse: Ægyptios præsertim quos in Abrahæ, & cæterorum Patriarcharum peregrinationibus, apparet sui omnino iuris fuisse. Sicut Phœnices & Chananæos, Mosis & Iosue temporibus: quos alioqui reges Assyriorum non permisissent ab Israëlitis, omni auxilio destitutos, deleri; neque illi segnes in ope imploranda, toto ipso quinquennio, quo debellati sunt, extitissent.

ANNVS MVNDI 2026.

SEMI 468. NINI 30.

Imperij Assyriorum 95.

ANTE CHRISTVM. 2027.

HAbet hic annus dimidium temporum à mundi exordio vsque ad Christi Domini natiuitatem, quem natum ponimus anno ab orbe condito 4052. vt deinceps primus ipsius annus sit 53. supra quater millesimum, atq; ita consequenter. Hoc ergo recte, nec sine mysterio quodam moritur Phaleg, qui interpretatur diuisio, qui annus fuit ei ducentesimus nonus, à genito filio suo Rehu d. In eo notant Hebræi ætatem patrum, qui nati sunt à diluuio, pene dimidiatam fuisse. In diebus Phaleg, inquit Aben-Ezra, quibus collectus est ad Patres suos, tria insignia contigerunt, partitio terrarum, confusio linguarum, & dimidiatio annorum vitæ. Ex quibus etiam verbis intelligitur, minimè confundi partitionem terrarum cum confusione linguarum, quæ res multos fefellit, & in opiniones parum probabiles traxit, de quibus in ortu Phaleg, eiusque anno 144. dictum est.

I. Dimidiū temporū.

Obitus Phaleg.

d Gen. 11. 19.

ANNVS MVNDI 2027.

SEMI 496. NINI 31.

Imperij Assyriorum 96.

ANTE CHRISTVM 2026.

FVnebris quoque hic annus fuit morte Nachoris Patriarchæ, patris Thare, & aui Abrahæ. De hoc Genebr. *Moritur annorum 148. Recte, id enim ex textu sacro e perspicuum est. Abrahæ 49. Mundi 1998.* neutrum recte, vtrunque tamen consequenter. Ponit enim Abrahamum natum anno patris septuagesimo, quod mox refutabimus, & reijcit Cainanum Arphaxadi filium, quem nos cum Euang. Luca, & Septuag. interpretibus, & optimis quibusq; chronologis Catholicis recepimus. Pergit autem *Pater Chaldæorum ab aliquibus dicitur, nempe quia illic perpetuo mansit, neque traiecit fluuium ad quærendas nouas sedes, miretque auxit familiam ataui Arphaxad.* Imo Cainan potius, quem omisit, atauus est, aut vt verius dicam Salæ atauus est, ne omittatur Phaleg, qui anno proximo è vitis abierat. Reliquit autem moriens viuos septem è maioribus suis, vt f habetur in indice anni huius. Et hic erit nobis secundæ ætatis finis.

I. Nachoris obitus.

e Gen. 11. 24. 25.

f in Annalibus.

TERTIA

TERTIA MVNDI ÆTAS.

ANNVS MVNDI. 2039.

THARÆ 131. ABRAHÆ 1.

NINI 43. Imperij Aſſyriorum 108.

ANTE CHRISTVM 2014.

I. Ortus Abrahæ.

EXoritur hoc anno magna quædam lux in regione Chaldæorum, quæ paruis initijs micans, in tantum iubar euaſit, vt magnam terræ partem illuminarit. Adeſt enim magnus Abraham, Hebræorum aut verius Abrahamitarum gloria pater excelſus, multarum gentium non tam ſecundum carnem, quàm ſecũdum fidem pater *f*, in quem copioſiſſimè gratiæ ſuæ dona profudit omnium rerum Pater.

f Gal.3.7.

Et tertiæ ætatis exordium.

In Abrahami porro natiuitate plerique omnes initium tertiæ mundi ætatis conferunt, vt ait Abulenſis *g*, à quibus vt diſcedamus, ſatis idonea cauſa non occurrit. Hæc eſt ergo tertia mundi ætas, & quaſi adoleſcentia, in qua radij clariores emicant diuinæ lucis, & cognitionis: quo ipſo tempore, vt homo virium corporis, ita mundus hic potentiæ & regnorum, quorum initia his temporibus auſpicatur *h* Euſebius, alijque paſſim, incrementa cœpit.

g in c. 11. Gen. q. 29.

h in chron.

II. Abraham non eſſe natum anno patris 70.

Cæterum nunc prouidendum eſt nobis, qui ortum Abrahæ in centeſimum & trigeſimum Tharæ abſolutum reiecimus, vt eam temporis rationem ſtabiliamus aduerſus eos, qui eum anno patris ſeptuageſimo natum putant, eo quod Scriptura dicat vixiſſe Thare annis 70. & genuiſſe Abram, Nachor, & Aran. Quem tamen locum nihil eam opinionem iuuare ſupra demonſtratum eſt *a*, etſi aduerſarij ab ea ſe deiectos arce diſſimulent, oſtenſumque neq; tres illos viros eodem anno naſci potuiſſe, cum Aran aliorum duorum ſocer fuerit, & eius filia Sara decennio tantum *b* fuerit minor Abrahamo: neq; Moſis eam eſſe mentem, magis quam cum dixit, Noe, cum quingentorum eſſet annorum, genuiſſe Sem, Cham & Iaphet: cum ex ipſa Scriptura conſtet alium alio fuiſſe maiorem, & Sem non niſi 503 Noemi eſſe natum, vt ſuo loco docuimus *c*. Denique eadem ſententia poſita inexplicabiles difficultates exiſtunt, in quibus deſudant Hieronymus *d*, & Auguſtinus *e*, qui ad anacephalæoſin minimè neceſſariam confugere cogitur.

a Thare 71. anno.

b Gen. 17. v. 17.

c an. m. 1559. a. 1. 2.

d in trad. hebr. eg. 15. ſuper Gen. & lib. 16. de Ciu. v. 15.

III. Sed 130. quod probatur ex Scriptura.

Exiſtimamus ergo Abrahamum anno patris Thare centeſimo & trigeſimo abſoluto natum eſſe. Id ex ſacra hiſtoria aperte conſtat *f*, quæ ait ſeptuaginta quinque annorum fuiſſe Abrahamum, cum Dei iuſſu egrederetur de Haran, vt veniret in terram Chanaam. Ex eadem etiam conſtat inde exiſſe, poſtquam mortuus eſt pater eius, vt affirmat S. Stephanus *g*. Pater autem eius mortuus eſt anno ætatis ducenteſimo quinto, vt ſcribit Moſes *h*, ex quibus conſequens eſt Abraham natum eſſe anno 130 vitæ patris ſui. Cuius aſſertionis veritas hoc ipſo probabilior eſt, quod ea poſita omnes difficultates, quæ contrariam opinionem opprimunt, facile euaneſcunt, quod clariſſimum eſſe repertæ veritatis indicium author eſt Ariſtotelis *i*.

f Gen. 12. 4.

g Act. 7. 4.

h Gen. 11. 32.

i 4. Phyſ. t. 3.

Hoc telum vt declinent aduerſarij, pro vna migratione ex Haran in Chananitidem, geminam, atque adeo multiplicem excogitarunt. Aiunt enim Abrahamum anno 75. ætatis ſuæ, patris autẽ 135. profectum in terram Chanaam, vnà cum vxore, & Loto nepote, de qua migratione aiunt Moſem eſſe locutum. Alteram profectionem factam volunt ſexaginta annis poſt, quibus in Chananitide peregrinatus ſit, crebro reuiſens patrem, poſt cuius mortem, ita reliquerit Charan, vt eò nunquam reuerſus ſit, ſed habitauerit in terra Chanaan, & de hac profectione S. Stephani orationem interpretãtur.

Gemina migratio eius introducitur.

IV. Et quæ ei ſequãtur abſurda.

Verum hanc reſponſionem ſine vllo Scripturæ teſtimonio aut fundamento excogitatam, non pauca, neque leuia abſurda ſequuntur. Nam primo ſi Abraham natus eſt anno patris ſeptuageſimo, ergo moriente patre agebat annum 135. Ergo iam genuerat Iſmaëlem & Iſaacum; nam priorem genuit annum agens octogeſimum ſextum, poſteriorem autem cẽteſimum. At D. Stephanus ait translatum ipſum in terram Chanaan, eique promiſſionem factam de ea poſſidenda, *cum nondum haberet filium*. Eodem modo, cùm Abraham agebat 135. annum, Sara, quæ erat minor decennio, agebat 125. & tamen nõdum habebat filium ex S. Stephani ſententia, nondum concepe rat Iſaacum, quem tamen nonagenaria concepit, vt Moyſes ipſe teſtatur *l*. Quæ ratio valet etiam contra eos, qui putant Abrahamum totis 60 annis manſiſſe in Charam, vſq; ad mortem Tharæ. Nam ſi ad 135 annum manſit in Charam, ibi genuit Iſmaëlem & Iſaacum *m*, quos conſtat natos eſſe in Chanitide. In Charam quoque 99 annorum cum eſſet Abraham circumcidit ſe, ibidemque contra reges pugnauit, cæteraque omnia geſſit, quæ in Chananitide facta eſſe conſtat, cum nondum centeſimum annum ageret.

k Act. 7.5

l Gen. 17 17.

m Gen. 13. & c. 18

V. Et nominatim priorem

Quæro etiam de priore illa profectione, ſoluſne profectus ſit Abraham, ac cum omnibus ſuis, ſicut poſt mortem patris? Si ſolus, puta, relicta vxore, Loto, & tota familia apud patrem per annos ſexaginta, quomodo ex Sara in terra Chanaan genuit Iſaacum centenarius, id eſt quinto & vigeſimo anno peregrinationis ſuæ? quomodo quatuordecim annis ante, inuitatu eiuſdem Saræ, cum qua fuerat in Ægypto, ex Agare ancilla Ægyptia genuit in eadem Chananitide Iſmaëlem? Et ſi ſolus crebro reuiſit patrem, quomodo non plures profectiones admittendæ ſunt ante Tharæi mortem, & non vna tantum? Sin autem in iſta priore profectione, cum omnibus rebus ſuis perfectus eſt, cum annum ageret 75. vt ait Moſes *n*, quæro cum inuiſebat patrem, vbinam familiam deſerebat, cum illic ne paſſum quidem pedis poſſideret, ſancto Stephano teſte *o*? Apud quos? quid illi interea agitabant? fingenda ſunt omnia. Quod ſi omnia ſua ſemper circumduxit, vt Nomades Hamaxobij, tot profecto admittendæ ſunt profectiones integræ atq; perfectæ, quot ille vicibus adiuit patrem, & repetijt Chananitidem, ne Chananæis male crederet vxorem, Lotum, famulos, ancillas, greges, omnemque ſupellectilem. Nonne prodigij inſtar eſt, ſi hæc totis ſexaginta annis vt iſti aiunt, contigerunt, de ijs Moſem

n Gen. 12. 4.

o Act. 7.

penitus conticescere, qui omnia vestigia eius affectatus est in historia sua, & omnia pene loca notauit, in quibus castra metabatur?

VI. Aduersariorum inanis responsio

Quæris quid his respondeant aduersarij? Nimis hæc otiose quidem, inquiunt, hæc præposteræ curiositatis nimis enucleata diligentia, merito prudentibus viris ludibrium debet. Et rursum, hæc sunt iocularia, neque digna quibus respondeatur. Itane vero, verborum lenocinijs viris eruditis vos fucum facturos putatis? At hi satis intelligunt vos his tam facile respondere posse, ac flare simul atque forbere. Quid quod aperte ex Scriptura colligitur Abrahamum nihil cum cognatis suis, quos siue in Vr Chaldæorum, siue in Charam reliquerat, communicationis, ne per literas quidem, habuisse, cum post 50. annos, ex quo discesserat ex Haran, nuncium inde acceperit *p* de 12. filijs intra id tempus à Nachore ex Melcha & Roma susceptis. Si crebro Patrem adibat Abrahamum, quomodo ex vicino nepotum suorum ortum non discebat, vt necesse foret ei per nuncium, non vnius, sed duodecim filiorum sobolem simul nunciare? Denique si attente legimus Apostolum *q*, docet ille Hebræos, Abrahamum cum suis, in terra Chanaan semper habitasse vt peregrinum, & cum haberet tempus reuertendi ad suos, nunquam reuersum esse; imo ne de patria quidem, ex qua exierat cogitasse, aut eius memorem fuisse. Quis possit his sine peruicacia repugnare?

Abram ex Chananæa cum cognatis non communicauit.

p Gen. 22. 20.

q c. 11. 9.

VII. Nec eam nisi mortuo patre adijt.

Priorem quoque illam profectionem egregie refellit S. Chrysostom. *r* apertéque asserit Abrahamum non nisi mortuo patre adijsse Chananitidem. *Thare*, inquit, *socius filio peregrinationis esse voluit, & vt venit in Charan, & illic habitauit aliquandiu; vita hac excessit. Patriarcha autem tunc ad imperium Dei in Chananæam concessit. Denique non antea eum Deus inde euocauit, donec mortuus est Thara. Tunc enim illo defuncto, Dixit Dominus Abrahæ: Egredere de terra tua, &c.* Hæc ibi. Viden' vt inculcet Chrysostomus Abrahamum non exisse ex Haran, nisi defuncto patre, & tunc, & non antea, quod confirmat etiam hom. 36. Atqui, teste Mose, 75. annorum erat cum egrederetur de Haran, ergo ex Chrysostomo, & ipso Mose constat Abrahamum natum anno 130. patris sui. *Quanto tempore*, ait Caietanus *fuerit habitatio in Charan scriptum non est, ex verbis tamen Stephani a certum est quod Abraham moratus est in Charan, vsque ad mortem patris.* Nimirum S. Stephanus ait Abrahamum euocatum à Deo exisse de terra Chaldæorum, & habitasse in Charan. *Et inde*, inquit, *postquam mortuus est pater eius, transtulit illum* Deus *in terram istam*, id est commigrare fecit, mutatis sedibus, & domicilio, vniuersaque familia, & omnibus quæ possederant; idque 75 vitæ Abrahæ, ait Moles, quod interpretans Stephanus, *postquam*, inquit, *mortuus est pater eius.* Quæ verba plane superflua essent, ne quid dicam amplius, si transtulit illum totis 60. annis ante mortem patris.

r hom. 31. & rursus 36. in Gen.

a Act. 7. 4.

μετῳκισεν.

b An. m. 2039.

Sed hæc, aliaque in eandem sententiam pluribus disputata reperies in Annalibus *b*, vnde ista excerpsimus, pluribus fortasse quam requirat Epitome, sed ignoscet lector beneuolus, res enim magni momenti est, neque patiendum videtur sacram chronologiam totis 60. annis hoc loco misere iniusteque mutilari.

VIII. Propugnatores huius sententiæ.

Addo nihilominus cum bona venia lectoris quasi epimetrum, nomina propugnatorum huius sententiæ, qui venerunt in manus meas. Nam præter Moysem. D. Stephanum, & Paulum Apostolum, Sanctumque Chrysostomum, de quibus diximus Procopius Gazæus diserte asserit Abrahamum natum non instante anno septuagesimo patris sui, sed demum centesimo trigesimo anno Thare: additque eum à Mose primo loco nominatum, non vt primogenitum, sed vt primum, & præcipuum, & filiorum celeberrimum. Eadem sentit Theodoretus apud Lipomanum in Catena Geneseos. Eadem & Caietanus, & Torniellus in primis, qui pro eadem sententia laudat Iacobum Naclantum in libro arcanorum Christi, & tractatu de annis tertiæ mundi ætatis. Adde Pontacum in Chronicum Eusebij, Nicolaum Lyranum in 12. Geneseos, Baradium in Euangelia *c* Tirinum in chronico sacro cap. 14. Marzillam in paraphrasi in pentateuchum, Sanctium in Acta Apostolorum *d*, Bolducium de Ecclesia in legem *e*. Henricum Haruillæum in Isagoge chronologica, Bonfrerium in Genesim, Chronicum Alexandrinum, cum dicat Tharam mortuum anno 75. filij sui Abrahæ: quibus addere licet multos sectarios, quos in Annalibus *f* sepositimus. Denique nobiscum sentiunt quicunque integri, neque studio contradicendi occupati accuratius ista expenderunt. Planéque persuasum habeo si Hieronymo & Augustino occurrisset cogitare, Scripturam non cogere nos ad statuendum ortum Abrahæ in anno Tharæ 70; ut reuera non cogere docuimus, dicturos vtique eum natum tantum 75 annis ante mortem patris, eóque defuncto, ex Dei mandato, migrasse ex Haran cum tota familia, & in Chananitidem profectum, ibi perpetuo, immemorem patriæ peregrinatum esse, iuxta perspicuam Mosis, Stephani, Paulique narrationem. Et hæc hactenus, cætera quæ sunt huius loci breuius perstringamus.

Moses. Stephanus. Paulus Chrysostomus. Procopius Theodoretus. Caietanus. Torniellus. Naclantus. Tirinus. Pontacus Marzilla. Lyranus. Sanctius. Baradius. Bonfrerius. Bolducius. Haruillæus. Chronicon Alexand.

c tom. 1. l. 8. c. 9. n. 9.

d c. 7. 4. n. 11.

e c. 3. libro 3.

f sebol. 3. vbi ista numerantur.

IX. Ratio nominis Abrahæ.

Nominatus est hic Patriarcha noster Abram, id est interprete Hieronymo, & alijs pater excelsus, omine fausto & vero: vt qui inter omnes Patriarchas futurus erat maximus, & notatio nominis apertissima est, minimèq; ambigua, vtraque enim pars compositi vocabuli permansit integra, *Ab* enim pater est, & *ram* excelsus vel Eusebio μετεωρος sublimis *g*, quod nimirum dum Chaldaicam sapientiam profiteretur, in syderum, rerumque cœlestium contemplatione occupatus esset. Quidam Abrahamum interpretati sunt transitorem, alij aliter, causam errati in Annalibus *h* reperies. fuit autem natione Chaldæus, patria & habitatione Vræus, vnde sæpe legitur eductus, donec in Chananitidem Dei iussu emigrauit. Vr autem siue Vra & Vriæ, etiam Camerine dicta reperitur ab Eupolemo apud Eusebium.

g l. 11. de præp. c. 10.

h An. m. 2039. n. 16. & seq. 6.

Et patria.

ANNVS MVNDI. 2044.

ABRAHÆ 6. NINI 48.

Imperij Assyriorum 113.

ANTE CHRISTVM 2009.

I. Bellum contra Zeroastrem. i *l.* 2. k *l.* 1. *init.*

CIrca Nini annum 48. ponitur ab Eusebio Nini bellum contra Zoroastrem. Etsi autem de anno haud certo constet, ex Diodoro tamen Siculo *i* apparet postremum hoc Nini bellum fuisse, cui consentiens Iustinus k, *postremum*, inquit, *Nini bellum fuit cum Zoroastre rege Bactrianorum, qui primus dicitur artes magicas inuenisse, & mundi principia, syderumque motus diligentissime spectasse.* Eundem tum magum, tum magicæ superstitionis inuentorem memorat Plinius *l*, Clemens Alexandrinus, S. Epiphanius *m* S. Augustinus *n*, Eusebius, & alij. Nominatim autem Plinius ait Magiam in Perside à Zoroastre inuentam, idque inter autores conuenire, ibidemque magos ad tantam excreuisse potentiam, vt regum regibus, id est Persarum imperatoribus imperarent. Clemens quoque Alexandrinus ex Pythagora refert Zoroastrem magum Persam fuisse. Eusebius quoque l 1. de Præpar. extremo, citat eius sacrum Persicorum rituum commentarium, ex quo intelligitur eum illos in Perside commentarios edidisse. Inde autem Orientis interiora penetrans inquit Epiphanius, Bactra, Bactrorum oppidum erexit, indéque omnia, quæ in orbem inuecta sunt, scelera propagata dicuntur. Sic ipse.

Inuentore Magiæ l *l.* 30. *c.* 1. m *sub init.* Panarij. n *l.* 21. *de Civ. c.* 14. o *de Prep. l.* 1. *extremo, & l.* 10 *c.* 9. Origine Persam.

II. Quomodo gestum fuerit. p *l.* 1. *sub med.*

Quod ad bellum ipsum attinet scribit Arnobius p Assyrios inter & Bactrianos, Nino & Zoroastre ductoribus, non tantum humanis viribus, ferróque dimicatum esse, verum etiam magicis artibus, & ex reconditis Chaldæorum disciplinis. Diodorus ait immensas Nini copias extitisse: nec pauciores Bactrorum fuisse probabile est, cum idem ancipiti Marte aliquandiu pugnatum esse dicat. Et Ninum, post aduersum prælium, & ingentem suorum cladem, victorem euasisse, indeque regiam vrbem obsedisse, & industria Semiramidis occupasse, ideoque eam viro ereptam vxorem accepisse; virum autem, Menonem nomine, doloris impatientia, laqueo sibi vitam extorsisse. Ita Semiramis Assyriorum regina facta est, Ninus autem Bactrianorum thesauris potitus, rebusque ibi constitutis, exercitum Ninum, siue, vt ab Hebræis appellatur, Niniuem reduxit. Hæc pluribus Diodor. & Ctesias.

III. Mors Zoroastris. q *l.* 1. *Hist. fran. c.* 5.

Iustinus Zoroastrem in bello occisum significat, cæteri fere de morte tacent. Gregorius q tamen Turonensis, qui putat, parum sane probabiliter, hunc Zoroastrem fuisse Chus Chami primogenitum, ait eum ad Persas transijsse, ab ijsque Zoroastrem, id est viuentem stellam appellatum esse. Eundem ignem & stellas de cœlo deuocasse, & ignem adorare docuisse; denique immisso diuinitus igne fuisse cõsumptum, diuinosque illic honores adeptum esse. Legimus in chronico Alexandrino, illum precatum fuisse, vt fulmine ictus interiret: quod cum Persis facturum prænunciasset, monuisse que, vt collectos cineres suos seruarent, in pignus perpetuæ dominationis, inuocato Orione, è cœlesti flamma depastum, interijsse, illosque, quod iussi fuerant, executos esse.

ANNVS MVNDI. 2084.

ABRAHÆ 10. NINI 52. & vlt.

Imperij Assyriorum 117.

ANTE CHRISTVM 2005.

I. Nini mors.

ABsoluitur hoc anno, qui est decimus Abrahæ, Nini secundi Assyriorum regis quinquagesimus secundus & vltimus, vt placet Eusebio in Chronico, & Africano. De cuius morte hæc pauca Diodorus Siculus. *Suscepto ex Semiramide Ninya, successionem in regno vxori, è vita decedens, reliquit. Huic Semiramis in Regia sepulto, ingentem terræ aggerem altitudine nouem, & latitudine decem stadiorum, vt Ctesias author est, construxit. Cumque vrbs illa iuxta Euphratem,* aut potius Tygrim *b*, vt alibi dictum est *in planicie iaceat, moles instar cuiusdam arcis se per multa stadia inde conspiciendam offerebat. Et adhuc Nino diruta, & Assyriorum imperio per Medos soluto, extare dicitur.* Hæc ibi. Nini Epitaphium scripsit olim Phœnix quidem Poëta Colophonius, quod apud Athenæum *c* leges.

b *an.* 1. *Nini n.* 3.

c *l.* 12.

Hoc ipso anno Aran frater Abrahæ primogenitus genuit Lotum nepotem Abrahæ, vt Hebræis *d* placet. Vno enim anno præcessisse ortum Saræ tradunt. In cæteris autem, quæ ibidem ingerunt, minime probandi sunt, quãtumuis probante Genebrardo. *Abraham*, inquiunt, *anno duntaxat superauit Nachorem, & Nachor altero fratrem suum Aran, qui post septennium ab ablactatione accepit vxorem, anno certe vitæ octauo: hinc natus est Lot, sequenti demum anno Iescha, quæ & Sara.* Hæc ibi, quæ illi perquam imprudenter finxerunt, vt Abrahamo primogenituram assererent, & eius natiuitatem in anno patris septuagesimo retinerent, quod vtrumque refutatum est. Nam quod Genebrardus ait huiusmodi præproperas generationes non fuisse inusitatas apud Hebræos, suis locis Deo fauente refutabitur. Interim recipiamus, quod nihil habet incommodi, Lotum ante sororem suam Saram genitum fuisse; anno tamen patris sui non octauo, sed septuagesimo. Cum enim Thare omnium consensu genuerit vnum de tribus illis Patriarchis, & Aran cæterorum socer fuerit primogenitus, vt permulti sentiunt, perspicua est consecutio. Aran hoc anno patris 140. fuisse septuagenarium.

II. Ortus Loti ex Hebræorum chronico d *in Seder Olam.*

Reijcitur

Nascitur anno patris 70.

ANNVS MVNDI. 2004.

THARÆI 141. ABRAHÆ 11.

SEMIRAM. 1. Imperij Assyriorum 118.

ANTE CHRISTVM 2004.

I. Regnum Semiramidis cum ortu Ser concurri

HAbet hic annus initium regni Semiramidis, quæ prima mulierum omnium regnasse perhibetur, & maximum Assyriorum imperium tertio loco gubernasse, atque adeo

vehementer amplificaſſe, Habet & initium vitæ Saræ, vxoris maximi Patriarchæ, mulierum illius ævi celeberrimæ. Iſtam ſacri omnes Scriptores prædicant, illam profani; iſtam virtutibus nobilem, illam flagitijs. Hæc primum annum regni hunc habet, illa vigeſimum primum, vt ex eius morte intelligetur. Semiramidis primum hunc annum ponit Euſebius in chronico, ſecutus Africanum, cui & de numero annorum 42. regni conſentit. Saræ autem primum hunc annum Scriptura ſtatuit, quæ facit eam nonagenariam *e*, cum Abrahamus eſſet centenarius. Decem ergo iam annos Abrahamus expleuerat, cum illa primum inchoauit.

De regni porro Semiramidis initio Iuſtinus; Occiſo, inquit, Zoroaſtre, & ipſe Ninus deceſſit, relicto impubere adhuc Nino, & vxore Semiramide. Hæc nec immaturo puero auſa tradere imperium, nec ipſa imperium palam tractare, tot ac tantis gentibus vix patienter vni viro, nedum fœminæ parituris, ſimulat ſe pro vxore Nini filium, pro fœmina puerum. Nam & ſtatura vtrique mediocris, & vox pariter gracilis, & lineamentorum qualitas matri ac filio ſimilis. Hæc & plura ſiue Trogus, ſiue Iuſtinus: non magna ſine probabilitate. Nam & Ninyas infantulus erat, natus poſtremis Nini patris annis, bello contra Zoroaſtrem iam pene confecto. Nec erat qui eius ignoraret ætatem, ſicut & Nini matrimonium cum Semiramide. Quomodo ergo infantulus matri ſtatura, voce & cæteris ſimilis erat, quæ iam bis nupſerat, & ex priore marito duos minimùm liberos ſuſtulerat Hypaten & Hydaſpen, autore Diodoro, qui de eius obitu agens ait eam ſexaginta duobus annis vixiſſe, quadraginta duobus regnaſſe: primum itaque ac vigeſimum nunc annum agebat. Accedit quod eodem teſte Semiramis in Bactriano bello eximium iam dederat peritiæ bellicæ documentum. Itaque maius apud exercitum proprio nomine quam commentitio, & perſona propria quam aliena pondus autoritatis ad res gerendas erat habitura.

In primis eius operibus numeratur Babylon, cui Babylonia condendæ adiecerat animum, vt Diodoro placet atque Iuſtino. Verum vtrumque refellit Moſes, quæ Babylonem opus Nemrodi ſiue Beli facit. Itaque rectius dixerimus eam inchoatæ, necdum perfectæ vrbis muros magnifice excitaſſe, de quibus illi fere tantum agunt. Conſule Diodorum.

Iam quod ad Saram attinet, quam hoc anno natam conſtat, celebris eſt controuerſia filiane fuerit Tharæ, & ab eo ex ſecunda vxore genita; an vero neptis, & Arani filia. Et prior quidem ſententia probabilitate non caret, ex illa maxime Abrahami oratione, *vere*, inquit, *ſoror mea eſt filia patris mei, & non filia matris meæ*, a. Itaque ſentiunt Clemens Alexand. *b*, atque Hieronymus, qui putat nuptias huiuſmodi tum non fuiſſe prohibitas. Conſentiunt Caietanus, Lipomanus, ab Oleaſtro, & ſi qui alij.

Communior tamen & probabilior eſt opinio, quæ Saram filiam Arani, Abrahami neptem, ſororem Loti eſſe contendit. *Tulit*, inquit Moſes, *Thare Abram filium ſuum, & Lot filium Aran, filium filij ſui, & Sarai nurum ſuam, vxorem Abram filij, & eduxit eos de Vr Chaldæorum.* Si Sara eſſet filia naturalis Tharæ, non eam vocaret nurum ſuam, ſed filiam vocabulo amabiliore. Quod autem non vocat filiam Aran ſicut Lot, ratio eſt, quia maior ei dignitas accedit ex coniugio Abrahæ, ex quo facta eſt mater credentium, & totius populi Dei, quam ex filiatione Arani hominis fortaſſe infidelis, nulla certe dignitate inſignis. *Aranes*, inquit Ioſephus *c*, *relicto filio Loto, & filiabus, Sara & Melcha, in regione Chaldæorum eſt mortuus.* Et mox, *Neptes vere ex fratre duxerunt coniuges, Melcham Nachor, Saram Abrahamus.* Idem ſentit *d* Auguſt. ſimulque explicat illam Abrahami vocem. *Vxorem*, inquit, *ſuam dixit ſororem ſuam, nihil mentitus, erat enim & hoc, quia propinqua erat ſanguine: ſicut etiam Lot eadem propinquitate, cum fratris eius eſſet filius, frater eſt dictus.* Hieron. in cap. 20. Geneſeos anceps fuit, ſed alibi ſæpius *e* filiam Arani eſſe dicit, eumdemque eſſe cum Ieſca, vt quæ fuerit *Δεύτερος*. Eadem eſt D. Chryſoſtomi *f* & Procopij, & Hebræorum ſententia in chronico: eadem Lyrani & Toſtati, qui eam communem doctorum eſſe aſſerit, eadem Pererij, Tornielli, Genebrardi, Vatabli, Emanuelis, Del-rio, Cornelij à Lapide, Marianæ, & aliorum.

Explicatur porro hæc noſtra ſententia ex 11. Geneſ. in hunc modum. Cum Aran genuiſſet filium vnum nomine Lot, & filias duas Melcham & Saram, præmaturè mortuus eſt in Vra Chaldæorum, parente adhuc ſuperſtite, in quem propterea, vt communem patrem, orbatæ familiæ cura incubuit. Ergo puellas nubiles neptes ſuas, filiarum loco habens, elocauit eas, intra familiam ſuam, duobus filijs ſuis Abrahamo, & Nachori. In eo quoque paterna Tharæ prouidentia eluxit, quod cum diuino iuſſu ex Vr Chaldæorum Abrahamo abeundum eſſet, ipſe Thare grandæuus non comes, ſed dux & princeps profectionis ponitur *g*. *Tulit*, enim *Thare Abram filium ſuum*, &c. Nihil ergo mirum ſi Sara parentem agnoſceret Thare, & parentem appellaret, qui pater eſſet patris ſui, quique paſſim pater potius à nepotibus dicitur quam auus, qui, patre demorſuo, veri patris erga ſe munere fungeretur, à quo nuptui tradita eſſet, qui denique ſocer eſſet, qui nurui inſtar patris eſt, & dicitur pater. Quod autem Abraham dixit Saram filiam patris ſui eſſe, non autem matris, ſignificat Thare duas habuiſſe vxores, & ex vna ſuſtuliſſe Aran, ex altera Abrahamum. Itaque Abraham & Sara eundem agnoſcebant, & vocabant patrem Thare, licet is immediatus eſſet pater Abrahami, mediatus autem Saræ, ambo tamen diuerſam habebant matrem.

e l. 1. Ant. c. 6. & 7.

d l. 16. de Ciu. c. 12. & 19. Et qui ita ſentiunt.

e c. 11. Gen. & contra Heluid.

f Hom. 45

V. Qui dicatur filia Tharæ.

g Gen. 11. 31.

Duo vxores Tharæ.

ANNVS MVNDI. 2052.

THARÆ 144. ABRAHÆ 14.

SEMIRAMIDIS 4.

Imperij Assyriorum 121.

ANTE CHRISTVM 2001.

I. Matura pietas Abrahæ in monendo patre.

DEcimus quartus annus Abrahæ exhibet insigne pietatis ipsius in Deum monimentum. Nam Suidas ex Philone in politico, scribit Abrahamum natum annos quatuordecim Dei cognitione illustratum, patrem idola fingentem reprehendisse, quod homines, ob pernicioſum lucrum, seduceret; simulque contestatum esse, non esse alium Deum, præter cœlestem illum totius Mundi opificem. Itaque cum videret homines rebus creatis diuinum cultum deferentes, magno labore peregrinantem, verum Deum animo religioso exquisisse. Sic ille apud Suidam; nam apud Philonem in politico, siue in Iosepho, nihil tale reperies. Cum autem hoc siue Philonis, siue Suidæ testimonium faucat pietati Abrahæ, etiam ab ætate puerili, non videtur hoc loco negligenda illa quæstio, grauium virorum disputationibus agitata, fueritne aliquando Abraham deditus Idololatriæ.

II. An aliquando idola coluerit.

Partem aientem sequuntur S. Ephrem, S. Ambrosius, Philo Iudæus, qui in libro quem de Abrahamo scripsit, ait ipsum longo tempore Chaldæorum delirio, de astrorum diuinitate fuisse innutritum: quæ aliorum quoque Hebræorum sententia est: cui subscribunt Andreas Masius, Serarius, Magalianus in librum Iosue, propter illa verba Iosue h. *Trans fluuium habitauerunt patres vestri ab initio, Thare pater Abraham, & Nachor, seruieruntque dijs alienis.* Sicut ergo habitatio trans Euphratem conuenit non solum Tharæo & Nachori; sed etiam Abrahamo, ita & seruitus Deorum alienorum. D. quoque Paulus i de eo agens videtur dicere eum, cum antea fuisset impius, iustificatum fuisse. Impietas autem est seruitus idolorum, sicut pietas, verus Dei cultus. Sic autem maior apparet Dei bonitas & vocatio gratuita magni Patriarchæ.

h *Ioſ.* 24. 2.

i *Rom.* 4. 5

III. Non viderit.

Contrariam sequuntur Sancti Chrysostomus k & Augustinus l quorum ille. *Nam quia*, inquit, *prima ætate non secutus est errorem paternum, sed pietatem diuini cultus seruauit, ideo superna visitationem cito obtinuit, adhuc in Chaldæa existens*, &c. Augustinus autem vnam affirmat fuisse domum Thare, *in qua custodita fuerit plantatio ciuitatis Dei.* In quo autem custodita est, si ne in ipso quidem Abrahamo? Et aliquanto post conijcit Nachorem non exisse de Chaldæa, cum fratre, & parente; quia fortasse, inquit, à paterna & fraterna pietate defecerat, & superstitioni adhæserat Chaldæorum. Idem sentiunt Abulensis, Caietanus, & Carthusianus in eundem locum Iosue. Pererius & Cornelius à Lapide, Suidas, & Genebrardus, etsi parum constanter loquatur.

k *hom.* 36 *in Gen.* l *l.* 16 *de Ciu. c.* 12. & 13.

IV. Explicatur locus Iosue.

Neque vero Iosue huic sententiæ, quæ longe probabilior videtur, repugnat. In parentibus enim Iudæorum, qui seruierant dijs alienis, plures fuisse significat; quorum vnum Thare, exempli causa profert, quem ex progenie sua notiore describit, Abrahamo scilicet & Nachore fratre eius, quos non sui causa, sed obiter propter parentem nominat, neque quidquam de eorum pietate vel impietate dicit: sicut nec D. Paulus. Inepta enim est illatio, Abraham credidit ei qui iustificat impios, ergo fuit impius. Sed frustra etiam verentur religiosi homines, ne parum gratuita sit Abrahæ vocatio; nisi ille in voraginem idololatriæ prolapsus fuerit: & ab ea diuina miseratione traductus: quasi non maior sit diuina in eum gratia, quod in medio nationis prauæ, à Deo conseruatus sit integer vitæ, scelerisque purus.

ANNVS MVNDI. 2053.

THARÆ 145. ABRAHAMI 15.

SEMIRAMIDIS 5.

Imperij Assyriorum 122.

ANTE CHRISTVM 2000.

I. Cainani obitus.

POstremus est hic annus vitæ Cainani iunioris, quem ex D. Lucæ authoritate, & Septuag. interpretum sententia, inter Arphaxad & Salæ collocauimus, vt illius filium, & istius patrem; quæ de re cum satis disputatum sit ipsius Cainani anno primo, non est necesse plura hoc loco dicere. Moritur ergo Cainan patre & auo superstitibus; filijs etiam ac nepotibus vsque ad nonam ætatem. Etsi enim mortui fuerant Nachor & Phaleg, qui propterea in indicibus vltra non apparent, viuebant tamen adhuc plerique eorum fratres, ac sorores. Quoniam vero Hebræi Cainanum hunc, vt ignotum hominem præteriere, nihil de illius aut gestis, aut moribus prodidere.

II. Gesta Semiramidis.

Interim Semiramis Assyriorum imperium quintum iam annum administrabat, dum Nynias eius filius Monarchiæ successor adolesceret; sed & magnificè, vti iam cœperat, Babylone ædificabat. Ad hæc ergo & sequentia tempora referamus licet regias illas duas, siue arces, ad ortum vnam, ad occasum alteram, ex vtraque pontis regione ad oram fluminis ædificatas, vnde in totam vrbem prospectum, & quasi claues ad loca eius opportunissima habitura erat; quibus peractis, etiam cuniculum ab vna in alteram ripam sub fluuio, intra 260. dies construxisse, auerso interim in alium locum fluuio, leges apud Diodorum Siculum, sed suis minime distincta temporibus.

Obitus Rehu. a *a. m.* 3026.

Triennio autem post hunc annum mortuus est Rehu, pater Sarug, & filius Phaleg a. qui ante annos 30. mortuus reperitur, cuius & vitæ curriculum exacte adæquauit, nisi forte mensium aliquot discrimen fuit; vtrique enim 234. anni in Genesi tribuuntur. Reliquit autem hic in viuis quatuor ex progenitoribus suis, ex filijs autem ac nepotibus totidem generationes.

Nam Lot filius Aran nepos Abrahæ, nonum iam agebat annum, & Sara octauum, iuxta ea quæ de eorum ortu ſupra diximus *b*. De rebus autem ab eo geſtis magnũ eſt vbiq; ſilentium.

ANNVS MVNDI. 2068.

THARÆ 160. ABRAHAMI 30.

SEMIRAM. 20. Imperij Aſſyriorum 137.

ANTE CHRISTVM 1085.

ASſentior coniecturæ Tornielli coniugiũ Abrahæ cum Sara, quæ vigeſimum agebat annum, in hunc circiter annum conferentis, quo ille trigeſimum ætatis agebat. Idq; ex eo probabile redditur, quod omnes Patriarchæ, qui nati ſunt à diluuio, excepto Thare, circa trigeſimum annum filios genuiſſe reperiuntur. Nachor 29. Sarug 30. Rehu 32. Phaleg 30. Heber 34. Sale 30. Cainan 30. Arphaxad 29. Quanquam probabile eſt Thare ante ſeptuageſimum annum alios genuiſſe filios, qui omiſſi ſunt, quod ad ſeriem ſequentis hiſtoriæ non pertinerent. Itaque apparet Abrahamum circa hoc tempus vxorem duxiſſe, 40. annis antequam ex Vra vrbe diuinitus euocaretur; quo tempore longa experientia abunde probauit Saræ ſterilitatem. Eodem etiam tempore Nachor, ſi non prius, maior quippe natu erat quam Abraham, alteram Loti ſororem duxit, nomine Melcham, ex qua numeroſam ſuſtulit prolem, ſed aliquanto tardius. Nam Abraham anno 70. ætatis ſuæ ab eo digreſſus eſt, antequam Hus primogenitus eius naſceretur, vt apparet ex 22. Geneſeos, vbi id ei, tanquam res nondum cognita nunciatur. Niſi forte placet vnum aut alterum iam à Nachore ſuſceptum, ante profectionem Abrahæ; ipſi tamen omnes eodem nuntio, eademque opera quaſi ex catalogo numeratos.

Ad hæc tempora referas licet illa Diodori de Semiramide. *Cæterum*, inquit, *Semiramis alias etiam vrbes ad Euphratem & Tigrim condidit, vbi emporia illis conſtituit, qui merces è Media, & Pataracene, totaque vicinia important.* Referas & obeliſcum ex Armenię montibus exciſum 130. pedes longum, craſſum 25. qui 7. orbis miraculis annumeratur.

cum multis ſanctiſſimis Patriarchis. Nihilominus rem vtramque in partem admodum incertam, lectoris iudicio relinquimus, qui opinor affirmare non dubitabit, Abrahamum in eo in via recta retinendo, aut reducendo aberrantem plurimum ſtudij contuliſſe.

II. Alia Semiramidis opera.

Sub hæc tempora Semiramis perfectis Babylone, reliquaque Babylonia præclaris operibus, magnis in Mediam copijs mouit, vbique relinquens magnificentiæ ſuæ præclara monimenta. Nam ad Bagiſtanium montem, hortum duodecim ſtadiorum ambitu excitauit; & in ipſa rupe ſuam ſculpſit imaginem. Deinde ad Chaonem Mediæ vrbem alterum conſtruxit deliciarum locum, vbi non parum temporis conſumpſit, fœditati libidinum etiam crudelitatem adiungens. Amaſios enim omnes ſuos è medio ſuſtulit, cum maritum nullum vellet, ne haberet Dominum. Mortuos autem, ſi tamen mortuos, nam Africanus, vt refert Scaliger *a*, viuos infodiſſe ſcribit, & ſupra eos ingentes aggeres excitaſſe. Acceſſit magnificus in Ecbatanis aquæductus. Hæc illa fere geſſit in Media. Inde autem Perſidem, & cæteras prouincias omnes imperio ſuo ſubditas in Aſia peragrauit, & montibus rupibuſq; diuulſis, itinera magnis ſumptibus directa & plana reddidit. In locis contra planis aggeres educens, nunc ſepulchra ducibus extinctis conſtruxit, nunc vrbes in collibus condidit. Vniuerſam deinceps Ægyptum peruaſit, & Libyam magna ex parte in poteſtatem redegit, ibique rebus conſtitutis, Bactra cum exercitu ſe recepit. Hæc pluribus Diodorus.

Eiuſdem crudelis libido. *a c. 5. in Chron. in Euſeb. n. 7.*

ANNVS MVNDI. 2079.

THARÆ 171. ABRAHÆ 41.

SEMIRAM. 31. Imperij Aſſyrio. 148.

ANTE CHRISTVM 1974.

MOritur hoc anno Sarug proauus Abrahæ, Auus Tharæ expletis 230. vitæ annis: quam illi vitæ *a* periodum Scriptura tribuit. Hunc idololatriæ nomine accuſat Epiphanius, vt ſupra diximus *b*. Et Philo Iudæus referente Suida. A quibus diſſentit Generardus, propter Sarugi vitæ conſuetudinem

ANNVS MVNDI. 2086.

THARÆ 178. ABRAHÆ 48.

SEMIRAMIDIS 38. Imperij Aſſyr. 155.

ANTE CHRISTVM 1967.

SEgregamus à reliqua annorum turba 48. Abrahæ, ad quod vſque tempus Hebræi quidam, ſemen Chanaam verius, quam Abrahæ, cum ſordibus idolorum contaminatũ fuiſſe fabulantur; quibus propemodum aſſentitur Genebrardus, deceptus loco Ioſue, quem nihil obeſſe fidei, & conſtanti Abrahæ pietati, anno eius 14. docuimus. Vexatum porro à Chaldæis Abrahamum dicunt, atque adeo in ignem coniectum, quod ignem adorare nollet; à Deo autem liberatum, ab eis profugiſſe. In eo autem igne Aran fuiſſe conſumptum; quam traditionẽ merito fabulã vocat Hieron. *b* vndique enim nutat, eandemq; Auguſt. *c* improbauit, maluitque, pro ſtabiliẽdo anno nati Abrahæ, ad anacephalæoſin confugere. Cæteri autem deinceps pro fabula habuerunt, quæ ſola vnius voculæ homonymia nititur, quod Vr nomen vrbis, ignemque ſignificet. Ideóq; Septuag. ad vitandam homonymiam, Vr vertunt non πῦρ ſed χάραν. Nec Moſes Aranem exuſtum dicit aut occiſum, ſed mortuum, morte ſcilicet naturali; quæ ſi hoc anno contigit, centeſimo octauo vitæ eius contigit, vt qui ſeptuageſimo Tharæ anno natus ponatur.

I. Abraham an coniectus in ignem.

Vnde orta fabula. *b in trad. in Gen. c 9. 25. in Gen. & l. 16. de Ci. c. 25.*

Semi-

II. Semiramis bellum in Indos parat.

Semiramis autem quia magnis erat instructa copijs, quietis impatiens, bellum contra Indos mouere statuit, gentem longe maximam atque potentissimam. Itaque magnum sibi apparatum necessarium intelligens, nuncijs in omnes prouincias sibi subiectas dimissis, earum prefectis mandauit, nouos vt delectus haberent, magnamque vim armorum, atque nauium, quæ disjungi possent, rursumque coagmentari, compararent, vt terrestri itinere ad Indum fluuium deferrentur, & post triennium in Bactris magnificè instructi adessent. Hoc triennium cladem apud Indos antecessit, quam postremo anno Semiramidis, ex Diodoro apparet contigisse.

ANNVS MVNDI. 2090.

THARÆ 182. ABRAHAMI 52.

SEMIRAMI. 42. & vlt.

Imperij Assyriorum 159.

ANTE CHRISTVM 1963.

I. Num Abraham nunc ex Vra discesserit,

SVnt qui existiment hoc anno, qui est Abrahæ 52. ipsum Patriarcham Dei monitu ex Vr Chaldæorum excessisse: quæ opinio, anno eiusdem septuagesimo, in quem annum fere omnes de Chaldaica egressione consentiunt, refelletur.

II. Indicum Semiramidis bellum.

Huc autem pertinent res à Semiramide in Indica expeditione gestæ. Cum ergo immensas equitum peditumque copias triennio contraxisset, incredibilem etiam curruum & elephantorum multitudinem: quanquam non erant illi elephanti, sed viminea elephantorum simulacra, stramine referta, singulis camelis imposita, vt Diodorus & Suidas referunt, ne scilicet Indicis copijs, in quibus vis ingens elephantorum erat, vlla in re cedere videretur, ex Bactriana in Indiam mouit. Cui rex Indorum Stabrobates, post legationem, quæ de iniustitia suscepti contra se belli quereb atur, cum maiori etiam apparatu, & verorum in primis elephantorum exercitu, occurrit. Et primum nauali certamine in flumine Indo pugnatum est, vbi victoria Semiramidi tandem cessit. Post eam cladem Indus fugam simulans Semiramidem vltra fluuium allicit. Illa ponte Indo impositio copias traducit, instructoque exercitu, laruis elephantorum turbatis Indorum equis, Indos in fugam vertit: at reparatis viribus animisque, ficti elephanti verorum impetum ferre nequiuerunt. Rexque ipse late in Assyrios strage edita, Semiramidem infestus petit, & ictu non lethali vulnerat. Illa cum suis in fugam auertitur, & magna copiarum parte trans pontem reducta, eo abscisso, Indis facultatem abstulit insequendi: & permutatis captiuis, vix tertia exercitus parte salua, in Bactra remeauit. Hæc pluribus Diodorus & Suidas.

Vincitur, & abit in Bactra.

III. Eius interitus.

De morte autem ipsius, quæ illi, vt ait Diodorus, aliquanto post contigit, refert idem, eam insidijs filij regnare cupientis appetitam, nihil acerbi in eunuchum insidiatorem statuisse, vt iamdudum ab Hammone iussa fuerat, sed regno ipsi tradito, omnibusque ei, vt legitimo regi parere iussis, ex hominum conspectu se subduxisse, in columbam, si superis placet, conuersam. At Iustinus à filio interfectam ait, in fœdissima incestus voluntate deprehensam, quod S. quoque Augustinus *a* admittit. Ei sceleri fidem facit, tum cætera mulieris nequitia, tum ea quam Plinius *b* ex Iuba recitat. Et sane æquum fuit mulierem filij iussu mori, cuius imperio maritus occidisset, si ea vera sunt quæ alibi ex Æliano *c*, de impetrato ab ea quinque dierum imperio, retulimus. Hic Semiramidis finis fuit, cum toti Asiæ, exceptis Indis, duos & quadraginta regnasset annos, vixisset autem, Diodoro teste, sexaginta duos.

a l. 18. c. 2.

b l. 8. c. 42.

c l. 2.

ANNVS MVNDI. 2091.

THARÆ 183. ABRAHAMI 53.

NINYÆ 1. Imperij Assyriorum 160.

ANTE CHRISTVM 1962.

I. Ninyæ imperiū, & ignauia.

MOrtua Semiramide Ninyas filius eius, quartus Assyriorum rex imperare cœpit, patris nomen retinuit, modicè, differentiæ causa variatum, quem tamen Iustinus, sine vlla vocabuli inflexione nominat Ninum. Africanus & Eusebius Ninyam vocant & Ζήνιον cognominant, eique ambo octo & 30. regni annos attribuunt. Primum autem Eusebius cum 53. Abrahami componit. Is regnum adeptus, vt ait Diodorus, in pace illud administrauit, bellandi studio, & periculorum audacia nequaquam matrem imitatus. Nam in regia omne vitæ tempus exegit, sic vt à nemine, præterquam à concubinis, & Eunuchis conspiceretur. Quæ ignauia causa fuisse videtur, cur tamdiu matrem regnare permitteret. Quæ nunc quoque est multorum principum, præsertim infidelium vitæ ratio, qui se reges factos putant, non vt populos regant, atque tueantur, sed vt impune omnibus voluptatibus perfruantur, & subditorum bonis, atque corporibus, pro arbitrio abutantur. Interim quasi Dij quidam in gynecæis absconditi lateant, & à mortalium turba secreti, diuinam sibi venerationem, timoremque concilient.

II. Prudens eius institutum militare.

Ea Ninyæ viuendi ratio fuit, quam deinceps cæteri Assyriorum principes studiosè sunt imitati, vt Diodorus est author. Qui addit etiam prudenter à Ninya institutum, vt quotannis certus militum numerus singulis prouincijs imperaretur, qui in vrbe regia ipsi præsto essent, quibus post exactum annuum, alij eodem modo sufficerentur, prioribus exauctoratis, & in prouincias suas dimissis. *Quo instituto*, inquit, *tria consequebatur. Primum vt perpetuo exercitum haberet ad omnia paratum, si quis forte in re aliqua detrectaret imperium.* Alterum vt mutatione copiarum, plures in re militari exercerentur. Tertiùne diuturnitate consuetudinis intra duces ac milites coalesceret amici-

tia, quæ ad moliendas res nouas inuitaret. Hæc fere Diodorus. Iustinus autem, *Ninus*, inquit, *contentus elaborato à parentibus imperio, belli studia deposuit, & velut sexum cum matre mutasset, raro à viris visus, in fœminarum turba consenuit.* Pluribus hoc loco, & superioribus aliquot de regibus Assyriorum egimus, quod de illis in posterum magnum silentium est futurum, tam Scriptorum inopia, quam ignauia Imperatorum.

ANNVS MVNDI. 2096.

THARÆ 188. ABRAHAMI 58.

NINYÆ 6. Imperij Assyriorum 1957.

ANTE CHRISTVM 1957.

I. Obitus Arphaxadi & ratio temporis.

AD hunc vsque annum vitam Arphaxadi produximus, tametsi non ignoremus pleroſque 338 annos duntaxat illi tribuere, in quibus Torniellus. Primum quia 438 annos habent omnes Hebræi codices, quos perpetuo sequitur in sua versione Hieronymus, vt propterea mendum in numeros vulgatæ irrepsisse videatur. Secundo, quia plerique Latini codices hîc variam habent lectionem, & aliqui trecentos, alij quadringentos legunt. Tertio, quia is numerus, qui superat quadringentos, consentaneus est omnibus Græcis & Chaldæis. Quartò, quia Arphaxadi nepos & pronepos. Sale & Heber, vltra quadringentos annos vixere, nec agnoscitur tanta vitæ mortalium diminutio ante Phaleg, vt notarunt Hebræi. Quinto, quia hæc est, mens Sancti Augustini & Epiphanij cum aiūt primum de istis patriarchis Aranem mortuum esse ante patrem suum. At sic Arphaxad mortuus fuerit non solum ante patrem, sed etiam ante auum suum. Postremò, quia hæc est plurimorum interpretum ac Chronologorum sententia, quos retulimus in Annalibus *d*.

d an m. 2096 n. 2

II. Et sepultura.

Mortuus est ergo hoc anno Arphaxad, patre adhuc superstite, & secundum eum omnium Patriarcharum antiquissimus, cum iam filium Cainanum, & multos nepotes ac pronepotes præmisisset ad tumulum. De rebus ab eo gestis, aut ipsius moribus mirum silentium. Sepultus dicitur in Babylone, vt est in Romano martyrologio *e*, in quod sepulchrum & pater eius Sem post annos 62; & Ezechiel Propheta, post annos fere 1366. illati sunt, vt diximus anno Nabuchodonosoris 34 *f*

e 10. Apr.

f n. 15. a. n. 3462.

ANNVS MVNDI. 2105.

ABRAHAMI 67.

NINYÆ 15. Imperij Assyriorum 174.

ANTE CHRISTVM 1948.

cap. 14. 4.

PERERIVS in Genesim *g* existimat expeditionem Abrahæ ad recuperandum Lotum nepotem suum, circa annum octogesimum eiusdem Abrahæ contigisse, aliquot nimirum annis ante ortum Ismaelis, qui recensetur Genes. 19 sub Annum Abrahæ 85. Inde si 14. annos auferas, ante quos Codorlahomor subiugauit primùm Sodomitas, eisque fœderatos, quos & sibi tributarios fecit, ad præsentem annum Abrahæ 67. peruenies. Aliqui maluerunt eam expeditionem ad annum Abrahæ 83. vel 84. differre, quos nec reprehendo, nec sequor. Causam prioris huius belli Scriptura tacet, Libido dominandi, & auaritia facilè causas comminiscuntur, ad tenuiores inuadendos. Itaque sentit Hieronymus ab Oleastro, in illum locum Geneseos.

tapolitanis primi victoria.

ANNVS MVNDI. 2108.

THARE 200. ABRAHÆ 70.

NINYÆ 18. Imperij Assyriorum 177.

ANTE CHRISTVM. 1945.

I. Egressus Abrahæ de Vr.

SEptuagesimus annus Abrahæ celebris est exitu eiusdem ex Vr Chaldæorum, sicut 75. egressione ex Charan. Vterque exitus ex Scriptura certus est, posterior autem etiam tempus in ea notatum habet, at prior nō item. Fuisse tamen satis diuturnum tempus interiectum inter vtramque egressionem ex Scriptura aperte colligitur, quæ ait Abrahamum habitasse in Charan, & ibi substantiam possedisse, & fecisse animas. Id tempus quinque annorum fuisse, & Abrahamum de Vr Chaldæorum anno septuagesimo vitæ suæ egressum esse, ex Hebræorum traditione refert Genebrardus, cui Scriptores multi consentiunt. Et merito; neque enim probabile est vno eodemque anno Tharam cum Abrahamo exisse de Chaldæa, venisse in Charan ibique habitasse, multam substantiam acquisisse, multamque seruorum & ancillarum familiam: ibidem Tharam mortuum esse, eiusque funere expleto Abrahamum totam familiam, omniaque bona sua collegisse, & in terram Chanaan venisse. Nec Scriptura vsquam cogit hæc omnia in vnicum annum conferre: ne spatium quidem 430. annorum, inter promissionem factam Abrahæ, & legem latam interiectum. Id enim tempus à posteriore vocatione Abrahæ inchoandum est.

& habitatio quinquennii in Haran

II. Gemina vocatio Abrahæ, & qui differant a *Act. 7. 2. 4.*

Gemina enim extat Abrahæ in Scriptura vocatio, quæ multum inter se differunt. Primum locis. Nam prior in Vr Chaldæorum facta est, priusquam Abraham moraretur in Charan, vt testatur S. Stephanus Act. 7. *a* Posterior autem in Charan, post mortuum patrem, cum Deus illum transtulit in terram Chanaan, id est transferre iussit se suaque omnia ad peregrinandum illic, vt habet Stephanus ibidem. Differunt temporibus, nam prior facta est ante mortem Tharæ, posterior illo mortuo & sepulto. Differunt personis, quæ vocationem, siue iussionem exequuntur, priorem exequitur Thare *b*, qui dicitur tulisse Abram filium suum. Posteriorem ipsemet Abraham *c*, dicitur enim egressus de Haran; sicut præceperat ei Dominus. Si ergo exiuit de Haran, *sicut præceperat ei Dominus*, datum

b Gen. 11. 31.

est

est illi præceptum exeundi de Haran, sicut prius datum ei fuerat exeundi de Chaldæa. Differunt denique rebus: nam in priore iubetur exire de terra sua, de cognatione sua, de domo patris sui, quæ recte conueniunt habitanti in Chaldæa, non autem commoranti in Charam, quæ eius patria non fuit, in qua neque domum patris, neque terram, neque cognatos reliquit.

III. Vtraque necessaria dicap. 5. 9 in textu Græco.

Deinde vt necessaria fuit prior vocatio ad egrediendum ex Chaldæa, ita & posterior ad discedendum ex Haran, vbi diu Dei iussu substiterat, vt habetur in libro Iudith *d*. Cum ergo dudum illic habitaret, nec sciret quando Deo placeret vt inde recederet, noua monitione, & vocatione opus fuit, ad emigrandum in terram Chanaam, vt notauit Abulensis *e*. Ex quo intelligitur hanc secundam vocationem non arguere Abrahamum tarditatis, sed promptissimam potius obedientiam ostendere, qui exire iussus de Chaldæa, exijt: subsistere in Haran, substitit, proficisci in Chanaan, profectus est. Hanc geminam vocationem planissime tradit Chrysostomus homil. 36. in Genesim, plurimique alij, quos in Annalibus retulimus.

e q. 18. in 12. Genes.

Abrahæ obedientia.

IV. Rei gestæ series.

Rei porro gestæ series in priore vocatione ex vtroque Scripturæ loco petenda. *Deus gloriæ*, inquit Stephanus, *apparuit patri nostro Abrahæ, cum esset in Mesopotamia*, id est in terra Chaldæorum, vt ipse mox explicat, *priusquam moraretur in Charan. Et dixit ad illum. Exi de terra tua, & de cognatione tua, & veni in terram, quam monstrauero tibi. Tunc exijt de terra Chaldæorum, & habitauit in Charan.* Causam profectionis explicauit Stephanus, modum explicat Moses, dicens, *Tulit itaque Thare Abram filium suum, & Lot filium Aran, filium filij sui, & Sarai nurum suam, vxorem Abram filij sui, & eduxit eos de Vr Chaldæorum, venerunque vsque Haran, & habitauerunt ibi.* Causam aliam explicat Achior apud Holophernem; *Quoniam*, inquit, *noluerunt sequi Deos patrum suorum, qui erant in terra chaldæorum. Deserentes itaque ceremonias patrum suorum, quæ in multitudine Deorum erant, vnum Deum cœli coluerunt, qui & præcepit eis vt exirent inde, & habitarent in Charan.* In codice Græco additur de Chaldæis, *& ejecerunt eos à facie Deorum suorum, & fugerunt in Mesopotamiam, & habitauerunt ibi dies multos*, &c.

Familia Thare à Chaldæis vexata.

V. Deus primum apparet Abrahæ.

Deus erga vexatos pro confessione nominis sui consolaturus, siue ipse per se, siue per angelum suum, in specie quadam glorioſa, & illustri apparuit Abrahæ; propterea enim Deus gloriæ appellatur à S. Stephano. Caietanus ait dormienti apparuisse, & migrationem præcepisse a terra, & cognatione sua: nisi qui forte vltro comites peregrinationis esse vellent. Itaque Thare non solum comes, sed dux etiam factus est viæ, vti diximus, idque ob suum in filium amorem, vt ait Chrysostomus. *f* Quare autem Nachor patrem fratremque secutus nō fuerit, *cur putamus*, inquit August. *g* *nisi forte quod à paterna, & fraterna religione descuerat, & superstitioni adhæserat Chaldæorum?* Postea tamen venit ipse quoque in Charan, vbi, Iosepho teste *h*, postea cum fratre patrem defunctum sepeliuit. Nec tamen cum eo in Chananitidem abire voluit, diuina ita dispensante prouidentia, quæ solis Abrahamitis, & ne omnibus quidem, Chananitidem destinarat.

Nachor venit in Charan.

f hom. 36. in Gen.

g l. 16. de Civ. c. 15.

h l. 1. Antiq. c. 6.

ANNVS MVNDI. 2113.

THARE 205. & vlt. ABRAHÆ 75.

NINYÆ 23. Imperij Assyriorum 182.

ANTE CHRISTI ORTVM 1940.

I. Mors Tharæ & funus.

NObilitatur hic annus morte Patriarchæ Tharæ, filij gloria, quam propria longe clarioris. Mortis locum & tempus Scriptura notat; quam apud Septuag. dubiam declarat S. August. *i* vt scilicet 205 anni vitæ ipsius non transacti, sed finiti fuerint in Haran. Cæterùm de ætate Abrahæ sub mortem patris, satis disputatum est primo anno Abrahæ. Funus ab vtroque fratre, Abrahamo inquam, & Nachore curatum est, vt paulo ante ex Iosepho diximus. Restat de Tharæ explicanda breuiter hoc loco illa quæstio, fuerit-ne Thara cultor idolorum, nec-ne. Non enim desunt quæ in vtramque partem dicantur, & ancipitem Lectorem tenent.

i l. 16. de Civ. c. 14

An idola coluerit.

II. Pars affir.

Partem ergo aientem tuentur Hebræi apud Lyranum & Abulensem *a*, aiuntque eum in cultu idolorum tam perdite insaniisse, vt Abrahamum auersantem idololatriam apud Nemrodum accusaret, eiusque iussu in ardentem fornacem coniectus sit, ibique diuino beneficio incolumis perdurarit. Aran autem in eadem extinctus sit. Male quoque audit Thare hoc nomine apud Epiphanium & Suidam, & apud ipsum Iosue, qui eum annumerat patribus Israelitarum, qui trans Euphratem dijs alienis seruierant. Idemque videntur sentire Sancti Augustinus *b*, atque Chrysostomus *c*, qui etiam mortuum in infidelitate significat, & inter illum ac filium magnum chaos in inferis interiectum esse. Pro parte negante afferri potest ille ex Iuditha locus *d*, in quo dicuntur patres Israelitarum ejecti ex Chaldæa, quod idolis seruire nollent, & fugisse in Mesopotamiam. Atqui isti memorantur à Mose, non solum Abram, & Lot, sed etiam Thare. Idemque sentit August. quem paulo ante retulimus *e* memorans paternam fraternamque, id est, Tharæ atque Abrahami pietatem.

a in 11. Gen. q. 20.

b l. 16. d. Civ. c. 1.

c hom. 32 in Gen.

d c. 5. v. 7 in Græco

e An. m. 2108. n.

III. Tharæ initia de rectiora, licet laudabilia.

Conciliandæ videntur hoc modo ambæ sententiæ, vt dicamus Thare aliquando in Chaldæa idololatria fuisse contaminatum, sed mox diuinitus Abrahami opera fuisse conuersum, & cum eo in veri Dei cultu perseuerasse. Priorem huius assertionis partem confirmant verba Iosue, quæ non simpliciter affirmant Tharam fuisse idolorum cultorē, sed cum habitaret trans flumen. Posteriorem probat Abrahæ pietas in Deum, & in patrem suum: Dei quoque in Abrahamum amor, & in senem, qui pro eius cultu persecutionem passus, patria exularet. Quin etiam existimo causam commorationis Abrahæ in Haran cum patre suo fuisse, vt ne eum cito moriturum desereret spiritali auxilio destitutum, sed ad pie ac religiose

ligiosè moriendum iuuaret. Quin etiam ratio humanitatis ac iustitiæ postulabat, vt quoniam pater in gratiam filij patriam deseruerat, filius in gratiam patris institutam peregrinationem ad aliquod tempus differret. Iam quod ad insulsam illam fabulam, quam passim omnes reijciunt, recte dici potest insanire Rabinos, qui Taræum ita insaniisse putant, itaque omnem sensum humanitatis exuisse. Dicamus potius Thare plenum dierum, in senectute bona animam Deo, pro cuius honore vexatus fuerat, in manibus Abrahæ filij sui piè reddidisse, in fide, spe, & charitate venturi Messiæ.

Lyranus. Tostatus. Pererius.

ANNVS MVNDI. 2114.

ABRAHÆ 76. PROMISSIONIS 1.

NINYAS 24. Imperij Assyriorum 189.

ANTE CHRISTI ORTVM. 1939.

f Gen. 12. 4.

I Egressio Abrahæ ex Haran.

Septuaginta quinque annorum erat Abram, cum egrederetur de Haran, vt ait Moses *f*, quos de more absolutos numeramus, vt phrasis ipsa videtur exigere: qui enim septuagesimum quintum agit adhuc, est tantum septuagesimum quintum agit adhuc, est tantum septuaginta quatuor, & aliquot hebdomadarum, vel mensium. Itaque septuagesimus sextus primus est peregrinationis Abrahæ in terram Chanaan, primusque promissionis annus, quæ est Eusebij in Chronico sententia, & omnium qui eum sequuntur. Alioqui 85 Abrahę non erit dicimus repromissionis, quod affirmat Eusebius.

Altera Dei apparitio.

Mortuo itaque Thare, iustisque ei superiore anno persolutis, Abraham eo profectionis impedimento expeditus, intentus erat in diuinam voluntatem, si forte diuturniorem in eo loco moram exigeret: dicebatque in corde suo, *Domine quid me vis facere?* cum Deus illum iteratò monet, vt inchoatam atque intermissam peregrinationem redintegret, iuxta ea quæ de gemina vocatione supra disputauimus. *g*

g *Abrahæ* 70. n. 1. & 2.

II Fide & obedientia laudabilis.

In hac porro euocatione, & eductione Abrahæ de terra sua, multa virtus Abrahæ multa Dei magnificentia demonstratur. Fidem enim & obedientiam celebrat Paulus ipse, cum alibi sæpe, tum ad Hebræos *h* vndecimo, & quidem cæcam obedientiam eius, qui *exijt, nesciens quo iret*; & quantum in se fuit, patrem & patriam, & cognatos, & omnia deseruit, nisi ille sponte perfectionis comites esse voluissent, paratus abire solus, quos tamen vt reijceret, non habuit in mandatis; exijt, inquam, sine vlla spe mercedis. Non enim Deus, cum primum eum vocauit, ait *veni in terram*, quam dabo tibi, sed *quam monstrauero tibi*, vt S. Stephanus retulit, qui omnes plane promissiones omisit, significans fortasse, eas ad secundam vocationem, quæ est huius temporis pertinere, & quæ à Mose accuratè referuntur.

h ca. 11. 8.

i ca. 11. 2.

III Dei promissiones factæ Abrahæ.

Deus ergo qui hominum erga se charitatem mercenariam quidem esse non vult, mercede tamen carere non patitur, vltro ei mercedem offert omni expectatione maiorem. Etsi enim vaga & incerta peregrinatio liberorum procreationi solet officere, in præmium tamen obedientiæ, ei posteritatem copiosam pollicetur, *faciamque te in gentem magnam*, non carnalem tantum, quæ stellas cœli numero, & arenas maris æquet; sed spiritalem, vt futurus sit omnium credentium pater. Pollicetur deinde opes & copias, dignitatem, corporis incolumitatem, & vitæ diuturnitatem, *& benedicam tibi.* Hæc enim omnia benedictionis nomine continentur. Accedet fama & gloriâ, nominisque celebritas, *& magnificabo nomen tuum.* Denique omni benedictionum genere cumulatum iri significat, *erisque benedictus*, quod possumus ad benedictionem æternæ felicitatis referre. Addit etiam se in gratiam eius amicum fore amicis eius, id est beneficum: amicitia enim Dei in homines beneficentia est, *benedicam benedicentibus tibi.* Inimicis autem tuis & tuorum, hostis ero, eosque supplicijs afficiam, *maledicam maledicentibus tibi.* Denique quod omnium maximum est, *in te*, id est in semine tuo, quod nascetur ex te, *benedicentur vniuersæ cognationes terræ*, nimirum in filio Abrahæ, Iesu Christo Domino nostro, in quo pater *benedixit nos omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo* k *sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.*

k Ephes. 1. 3.

IV. Socij abeuntis ex Haran. l Gen. 12. 5. a Loturn adoptarit

Sed iam Abrahamum cum socijs abeuntem prosequamur. *Tulitque Sarai vxorem suam*, ait Moses l, *& Lot filium fratris sui*, quem non recte adoptatum ab Abrahamo Iosephus arbitratur, neque enim iuuenis erat, vt ille putat, vt qui vno anno senior erat Sara, vt est in chronico Hebræorum. Sara vero quæ 10. tantum annis erat iunior Abrahamo, agebat nunc sexagesimum quintum. Adde quod Abraham nusquam vocat Lotum filium, sed fratrem, quod factum oportuisset, si eum adoptasset in filium. Quin etiam constituisset eum hæredem bonorum suorum, non autem illum à se, quasi alterius familiæ patrem, segregasset. Tulit quoque secum Abraham, quasi nunquam reuersurus in Haran, vnde abibat, *vniuersam substantiam quam possederant, & animas quas fecerant in Haran* n. Pecora intelligit substantiæ nomine, hæ enim erant Patriarcharum diuitiæ, vt de Iobo, Loto, ipsoque Abrahamo constat, quamquam aurum quoque & argentum intelligere nihil vetat, vt ex alio loco Geneseos aperte constat.

n Gen. 13. 2.

V. Abrahæ numerosa familia.

Animas autem intelligit homines, non quos genuerat, decem enim annis adhuc liberis caruit, sed seruos & ancillas emptitias, & vernas ex illis magno numero natos. Onchelus in paraphrasi Chaldaica, animas quas fecerant interpretatur, quas subiecerant legi. Tradunt enim Hebræi Abrahamum viros, Saram vero mulieres in vero Dei cultu instituisse, atque ita eas Domino procreasse, iuxta illud Apostoli *b*, *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Existimatque probabile Tostatus, eos quos ibi ad veri Dei cognitionem cultumque traduxerant, cum abeuntibus esse profectos, in Chananitidem, vt magis ab eis erudirentur; & ne si in Haran remanerent, iterum ad idolorum cultum, impiorum consuetudine, aut vexatione transferrentur. Huic

b Gal. 4. 19.

multi-

& regnum fictitium.

multitudini comitum inferioris notæ, fauent illi 318. vernaculi ad pugnam expediti, & fabula Abrahamitici regni in Damasco, quam in Annalibus *c* refutauimus. Hîc tantum dico, si regnum fuit, paucorum dierum fuit. Hoc enim ipso anno non solum peruenit in Chanaan, sed in Ægyptum etiam profectus est peregrinus. Credimus itaque Damasci duntaxat ad vicinum pagum fixisse tentoria, ibique dies aliquot substitisse, ex quo deinde datum sit illi loco nomen, vocatusque sit, Abrahami domicilium, vt scribit ex Nicolao Damasceno Iosephus *d*.

c hoc anno, n. 9.

d l. 1. Ant. c. 7.

VI. Peruenit in Chananæam.

Cumque venissent, ait Moses, *in terram Chanaan, pertransiuit Abram terram vsque ad locum Sichem.* Septuag. habent, *& per ambulauit Abram terram in longitudinem ipsius, vsque ad locum Sichem.* Nimirum Damasco venit in Emath. Siue Reblata, qua venit etiam Nabuchodonosor in Iudæam; ex Emath autem vsque ad Bersabee, quæ respicit Ægyptum, terræ promissæ longitudo desumitur. Itaque non assentior Torniello existimanti Abraham venisse per eandem viam, per quam postea Iacob cum rediret de Mesopotamia: scilicet per montem Galaad, & Manaim, & Socoth, &c. Ea enim est latitudo terræ, non longitudo. Et sane, si quam fidem habemus Ptolemæi tabulis, venientibus ex Haran in Sichem, siue Neapolim, vt eam ille nominat, rectissima via est per Damascum. Porro Sichem & Sichima & Sichar, quæ post ruinam restaurata, dicta est Neapolis, admodum celebris est in Scriptura Fuit enim priscis temporibus metropolis Samariæ, sita in monte Ephraim, quam Abrahæ primum vestigijs nobilitatam; Ioseph ornauit sepulchro suo, & Iosue *e* moriturus totius populi comitijs, renouatóque cum Domino fœdere honorauit.

& Sichē.

e Ios. 24. 1.

VII. Et cōuallem illustrem.

Cum autem Abraham in Sichimis aliquandiu substitisset, vlterius meridiem versus progressus est, secundum longitudinem regionis Chananæorum, venitque in conuallem illustrem, quæ & vallis Saue, & vallis regis propter fertilitatem, & amœnitatem dicta est; quæ incipit à Bethsan, siue Scythopoli ad mare Galilææ, & extenditur secundum Iordanis decursum, vsque ad mare mortuum, eratque illustrissima, priusquam Dominus subuerteret Sodomam, medioque Iordane irrigabatur sicut paradisus Domini, vt ait Moses *f*. Dicitur autem is locus à Septuag. quercus excelsa, quod ea planicies quercetum haberet proceris arboribus consitum. In hac porro planicie, quam tum Chananæi late possidebant, apparuit Dominus Abrahæ in somnis, vt Cajetano placet, aut vigilanti, vt mauult Pererius, & dixit ei, *Semini tuo dabo terram hanc*; ex eaque promissione deinceps terra promissionis dicta est, quam etiam postea *g* sæpius iteratam reperiemus.

Adrich. & Brocard.

f Gen. 13. 10.

g c. 13. 14. & c. 15. 18 & c. 26. 3.

VIII. Tertia Dei apparitio facta Abrahæ, cum promissione terræ.

Cum ergo inter Chananæos peregrinaretur Abraham, sine lare, sine solo, sine domicilio, Deus eum consolari volens tertia eum apparitione dignatur. Prima enim in Chaldæa fuit, ad iubendam migrationem ex patria. Altera in Mesopotamia, ad eandem redintegrandam post mortem Tharæ: tertia ad eum in susceptæ peregrinatione consolandum, facta illi promissione terræ, in qua peregrinabatur; quam Patriarcha nomine posterorum suorum sic accipit, quasi iam tum in possessionem mitteretur. Erigit enim altare, quod sit grati in Deum animi monimentum, simulq; acceptæ, & acquisitæ possessionis indicium: denique consecratæ vero Deo regionis argumentum. Hæc est terra quam se ei monstraturum promiserat; nunc factis liberalior quam promissis, spondet se eius dominium ipsius posteritati traditurum. Neque altare solum excitat, sed in eo etiam Domino sacrificat, & cætera religionis officia Deo cumulate exhibet. vt Iosephus affirmat *h*, & alij post eum.

eiusque acceptatione.

Erigit primum altare.

h l. 1. c. 7.

IX. Altera commoratio, & altare ad Bethel.

Inde autem mouens progreditur in dicta conualle illustri, orientem versus simul & meridiem, tetenditque tabernaculum suum ab occidente habens Bethel, & ab oriente Hai: ædificauit quoque ibi altare Domino, & inuocauit nomen eius. Quidam vertunt, *& prædicauit alijs in eo loco Dominum*; itâque videtur legisse Chrysostomus *i*, cum ait, *Volebat hunc doctorem fieri, nunc quidem omnibus Palæstinis, paulo post autem etiam Ægyptijs*: idque valde consentaneum est tam pietati Abrahæ, quam zelo salutis animarum, quo feruebat. Neque vero ad Bethel quies est Patriarchæ; inde enim vltra progreditur ad meridiem Ægyptum versus: opportune. Nam facta est fames in terra; descenditque Abraham in Ægyptum, vt peregrinaretur ibi. Noua exoritur Iusti probatio, exercitatióque virtutis. Nam ad vitam instabilem: in solo ignoto, ignotis hominibus, ignota lingua, accessit ingens fames, quæ magnæ familiæ patri, ingentem sollicitudinem afferret.

Eius animarum zelus, i *hom. 31.*

& migratio in Ægyptum.

Hanc profectionem extremo hoc anno apparet contigisse. Nam Seder-Olam, *Is ipse est annus*, inquit, *quo exit Abram pater noster de Haran, est annus famu, cuius causa descendit in Ægyptum, vbi transegit tres menses.* Sic ibi. Extremum autem annum requirit non solum longitudo peregrinationis iam obitæ, ab Haran Damascum vsque, ac Sichem, & Bethel, sed sæpius etiam fixa refixaque tentoria. Accedebat etiam multitudo pecorum, mulierum, paruulorum, quos necesse erat lente progredi, & sæpe quiescere, ne; quod timebat Iacob, cuncti greges *k* *vno die morerentur.*

X. Extremo anno facta.

k Gen. 33. 13.

Ergo extremo anno descendit Abraham in Ægyptum. Sed dum maximè profectionem adornat, valde ancipiti cura distrahitur. Nam hinc fames iter non solum suadet, sed extorquet: è contrario metus mortis, vel dedecoris propter vxorem, ab eo vehementer auertit. Tandem visum est commodum Saram dissimulare vxorem, sororem fateri, vt Ægyptij spe coniugij fratrem colerent, qui virum interfecturi erant: quod tamen coniugium sperabat diuina prouidentia impeditum iri, sicut & factum est. Interim maluit vxorem exponere periculo incontinentiæ *a*, quam seipsum periculo mortis.

Sollicitudo Abrahæ pro Sara.

a *Vide Augustin. l. 16. de Ciu. c. 19.*

Mirum est autem mulieris celebrari pulchritudinem, quæ 65. annum superaret. An zelotypia mariti oculis illudebat? an potius Sara multum de pristina pulchritudine retinuerat, quæ caruerat ærumnis ac doloribus partuum? An etiam pulchra erat compara-

X. Sara pulchritudo.

tione

tione mulierum Ægyptiarum, quæ passim cute nigriore, capillo crispo ac breui, præminentibus labris, felleis oculis, dura carne erant, & toto corpore ad seruitutem nato? At *b* num tam præpostero iudicio futuri erant Ægyptij, vt homicidium præ adulterio leue crimen ducerent, & vt hoc vitarent, illud perpetrarent? Intelligebat potiùs Abrahamus Ægyptios neutrum crimen reformidaturos, sed per mariti cædem, qui alioqui impediturus, aut vlturus adulterium videbatur, tutam illos & facilem viam ad pudicæ matronæ dedecus munituros. Denique neque mentitus est, neque mendacium suasit Abraham, sed sororis vocabulo ambiguè vsus est, Ægyptijs eam vocem de germana sorore intelligentibus, Abrahamo vero de nepte, quæ soror quoque appellatur ab Hebræis. Hac ergo cautione muniti, extremo anno in Ægyptum perueniunt.

b *Abul. q. 29. in hūc locum.*

Abraham nec dicit, nec suadet mendacium.

ANNVS MVNDI. 2115.

ABRAHAMI 77.

NINYÆ 25. Imperij Assyriorum 184.

ANTE CHRISTVM 1938.

1. Abram ingreditur Ægyptum.

INgressus Abrahæ in Ægyptum obscurus esse non potuit, siue quod iam fama de tali viro præcurrerat, qui & sapiens, & opulentus, & grandis natu cum esset, plurimaque stipatus familia, deserta patria, in alieno solo peregrinaretur: siue quod hæc ipsa in conspectu iam posita, ipsa insolentia admiranda videbantur. *Cum itaque*, inquit Moyses, *c. ingressus esset Abram Ægyptum, viderunt Ægyptij mulierem quod esset pulchra nimis; & nunciauerunt principes Pharaoni, & laudauerunt eam apud illum, & sublata est mulier in domum Pharaonis*, vtique animo potius, quam corpore reluctante, vt quæ per vim abduci potuisset, & non ignoraret quantum ipsa, & vir eius adirent periculum. Cum autem Sara Regis vxor futura crederetur, & ob insignem pulchritudinem, plurimum gratia apud ipsum valitura, & idipsum quoque de ipsius fratre speraretur, plerique passim eius gratiam beneficijs sibi parare conati sunt. *Itaque Abrahamo bene vsi sunt propter illam*: Eodemque pertinet quod sequitur, *fuerunt que ei oues, & boues, & asini, & serui & ancillæ*: & in his Agar Ægyptia, *& asinæ & cameli.* Sed hæc à rege data Abrahamo sororio satis docet textus Hebræus, *Et ipsi Abram benefecit*, nimirum Pharao, *propter eam.*

c *c.* 12. 14.

Sara adducitur ad regem.

& Abrahæ benefit.

2. Deus subuenit Abrahæ.

Res erat ad vltimum iam adducta discrimen, cum Dominus famulo suo opportunissimè opem tulit, & vtrumque coniugem ab infamia & dedecore liberauit. Flagellauit enim Dominus Pharaonem plagis maximis, & domum eius, propter Sarai vxorem Abram. Quibus autem plagis? Explicat Philo *d*, *Tunc* scilicet cum Sara ad Deum precibus confugisset, *propitius Deus, factusque patientium iniuriam protector, graues pœnas & cruciatum infligit regi, ita vt amorum & voluptatum oblitus, longe diuersas agitaret curas: quemadmodum scilicet euadere posset è tormentis, quibus sine intermissione dies noctesque afflictabatur.* Ita Philo. *Itaque venator*, ait Theodoretus, *habens inter retia prædam, capta frui non potuit, quia morbus impediuit.* Neque alia mens S. Augustini fuit, neque Chrysostomi. Quæ ratio conseruatæ Saræ pudicitiæ, cæteris, quas Iosephus & alij Hebræi, & Eupolemo apud Eusebium *e* proferunt, longe præstat.

d *in li. de Abram.*

Quæ Pharaonis flagella.

e *lib. 9. de præp. c. 17*

Ergo Pharao Abraham euocat ad se, eique cum miti querela restituit vxorem suam. Et mirum sane videatur Pharaonem non acerbius cum Abrahamo expostulasse, aut etiam supplicijs exantlatis exacerbatum, supplicio in illum non animaduertisse. Sed nimirum qui eum de tota re docuit, etiam conterruit, ne asperius aliquid aut diceret, aut moliretur; vt de Labano in Iacobum ira fremente legimus *f*, & significat hom. 32. Chrysostomus. Imò & officiosum esse docuit, vt qui studiosè curarit, ne qua eis iniuria fieret a popularibus suis, quæ in regis ipsius caput redundaret. Neque parum etiam credibile est, factam illi potestatem multos camelos, atque asinos frumento onerandi, & exportandi in Chananitidem, quando illum muneribus ac diuitijs locupletatum scribunt Iosephus, atque Chrysostomus: consentanea ijs quæ mox à Moyse de auro & argento Abrahæ dicuntur. Quæ autem de tradita Ægyptijs ab Abrahamo Astrologia dicuntur, in Annalibus *g* refutata sunt.

III. Eius ad Abraham querela, & restitutio.

f *Gen.* 31. 29.

ac beneficentia.

Num docuerit Ægyptios.

g *An. Abrahæ* 77. n. 9.

ANNVS MVNDI. 2116.

ABRAHÆ 78.

NINYÆ 26. Imperij Assyriorum 185.

ANTE CHRISTVM 1937.

1. Abrahæ reditus ex Ægypto.

TRansacta in Ægypto hyeme, & bona parte veris, reuersus est Abraham in Chananitidem cum suis auctior familia, diuitijsque locupletior: regressusque est per easdem mansiones, & hospitia, per quæ in Ægyptum descendendo transierat, maximéque ad locum vicinum Bethel, & in eodem altari inuocauit nomen Domini: & videlicet sacrificium gratiarum actionis obtulit Deo.

II. Et separatio à Loto.

Narrat deinceps Moses separationem Abrahæ à Loto, ab Abrahamo propositam, conseruandæ charitatis gratia, patruum inter ac nepotem: quam vtriusque pastores rixando inter se labefactare poterant, dum suos, vt fit herus vterque pastores tuetur. Distuli porro ne hunc annum separationem hanc, quod crediderim non tam cito exortam contentionem inter pastores, nec cum exorta est repente ad heros dilatam, nec ad primam querelam, statim illatum de separatione sermonem, nec cum illatus est, statim executioni mandatum. Experimento enim didicisse poterat Lot, Deum sibi benefacere propter Abraham, cuius tamen petitionem pacis causa boni consulebat. Itaque cum iam dudum bonorum facta esset separatio, locorum quoque hoc tempore instituta est, ne deinceps alter alterius incrementis officere putaretur. Ita autem illa separatio intelligenda est, vt vterq;

seorsim vteretur conductis à Chananæis ædibus & pascuis: Isti enim Domini erant locorum, Abrahamus & Lot, aduenæ & inquilini.

III. Lot optio.

Quando ergo separatio necessaria videbatur, & senior iuniori optionem offerebat, ne quo modo se ab illo circumuentum suspicari posset, elegit Lot regionem circa Iordanem, quam idem fluuius irrigatione secundam reddebat, sicut Nilus Ægyptum, aut suus olim fluuius paradisum. Hebræi porro Loto vitio vertunt, quod apud Sodomitas habitare voluerit, qui a *pessimi erant, & peccatores coram Domino nimis*, vt ait Scriptura, id est publici peccatores, & de summa turpitudine infames: quæ si culpa fuit, non diu caruit pœna sua. Cæterum Philo dum studet Abrahæ, iniquior videtur in Lotum, in eumq; culpam deriuat pastorum inter se rixantium, quod ex Scriptura probari non potest: & cum Catholici scriptores sanctum appellare non dubitant. Vide Tostatum in hunc locum *b*.

a Gē. 13. 13

b q. 40. in c. 24.

IV. Quarta Dei apparitio & promissio facta Abrahæ.

Cum autem Lot ab Abrahamo separatus esset, noua facta est apparitio, & promissio Domini ad Abraham, vt is intelligeret prius factam ipsi promissionem, Lotum, eius-ve progeniem non comprehendere. Est autem hæc promissio terræ, superiore longe magnificentior. Cum enim ibi tantum dixisset *c*, *semini tuo dabo terram hanc*: hic, *Leua*, inquit *d*, *oculos tuos, & vide à loco, in quo nunc es*, circa Bethel *ad aquilonem & meridiem*, versus Syriam & Ægyptum, *ad orientem & occidentem*, versus Euphratem, & mare Mediterraneum, vt infra quoque repetitur *e*: *omnem terram quam conspicis, tibi dabo, & semini tuo vsque in sempiternum*. Quod non totum hoc spatium occuparint, culpa eorum fuit, vt alio loco dicetur. Non dedit quidem terram istam Abrahæ in persona propria, vt constat ex oratione S. Stephani *f*, vbi negat in ea terra datum Abrahæ, quantum est pedis vestigium. Ei tamen dedit, quia semini eius propter ipsum dedit.

c Gē. 13. 14
d Gē. 13. 14
e c. 15. 18.
f Act. 7. 5

V. Quę illis diuturnitas.

Sed quomodo in sempiternum, cum à mille & sexcentis pene annis ex ea terra funditus exterminati sint? *Et est sensus*, inquit Caietanus, *quamdiu erit semen tuum, dabo ei terram hanc, vnde cum desierunt esse semen Abrahæ, perdiderunt terram illam*. Et primum quidem maxima ex parte, quando inde translatæ sunt decem tribus. Deinde ex integro, cum à Nabuchodonosore euersa est Hierusalem, illicq; concessu Persarum, Græcorum, Romanorum precario habitarunt. Postremo inde sine vlla spe reparationis eiecti sunt, post Messiam suum scelestissime trucidatum. Tunc enim penitus desierunt esse semen Abrahæ, vereq; dictum est illis *g*, *vos ex patre diabolo estis*. Nam scite R. Salomon, vt refert Abulensis in hunc locum, dicebat Deum comparasse filios Abrahæ stellis cœli, & terræ pulueri, ad vtrumque eorum statum, virtutis scilicet, atque improbitatis designandum. Quamdiu enim iusti fuerunt, & diuinæ legis obseruatores, instar stellarum fuerunt, quas nemo lædere potest; quando autem facti sunt improbi, vt puluis terræ facti sunt, qui in omnem ventum dispergitur, & ab omnibus conculcatur, & impletur illud Dauidicum *h*, *Et comminuam eos, vt pulverem ante faciem venti, vt lutum platearum delebo eos*. Nam in omnes dispersi regiones, miserabilem vbique seruitutem seruiunt.

g Ioan. 8. 39. 44.

Filij Abrahæ stellę, & puluis.

h Ps. 17. 43

ANNVS MVNDI 2117.
ABRAHÆ 79.
NINYÆ 27. Imperij Assyriorum 186.
ANTE CHRISTVM 1936.

DAmus hunc annum nouæ Abrahami de migrationi, de qua Moses, *Mouens*, inquit *i*, *tabernaculum suum Abram, venit & habitauit iuxta conuallem Mambre, quæ est in Hebron, ædificauitq; ibi altare Domino*. Tertium hoc altare, nouum est testimonium pietatis Abrahæ, in gratiarum actionem de postrema apparitione, & promissione Domini, vt placet Chrysostomo *k*. Possumus etiam existimare Abrahamum, qui eo loco diutius habitaturus erat, (etsi ex diuino nutu pendens, ad omnem illius oris auram mobilis erat, ideoq; neque domos ad habitandum, neque agros ad perpetuum vsum suum emebat) de diuino primum cultu cogitasse, ad suam, totiusq; familiæ suæ ordinariam consolationem. Diuturnioris etiam moræ indicium est, quod nunc primum cum terræ huius incolis fœdus init, vt collatis studiis, viribusque, facilius ab hostium potentia, atque iniuriis sese tuerentur.

I. Abrahæ migratio in Hebr i Gē. 13 f

k Hom 3. in Gen.

Tres enim fratres, Mambre, cuius erat prædicta conuallis, Escol & Aner sibi fœdere copulauit, vt ex cap. sequenti *l* certum est. Idq; factum videtur hoc anno, quem numeramus 13. ex quo Chodorlahomor reges Pentapoleos sibi subiugarat: & quidem factum occasione rupti ab illis fœderis, cum Rege illo Elamitarum. Cum enim Hebron non multũ distaret à Pentapoli, veriti Hebronitæ principes, ne clades illorum in seipsos redundaret, libentes Abrahamum virum potentem, & sapientia celebrem, & bello fortem sibi aggregarunt *m*. Porro ab hac societate istorum quatuor principum nomen ciuitati Hebron datum, indicat ipsum nomen, quod vertitur Societas, quod alij *n* ab Heber ductum malunt. Ab iisdem quatuor viris eidem vrbi datum est nomen Cariath Arbe, id est Ciuitas quatuor. Sed ea de vrbe plura leges in Annalibus *o*, & apud Bolducium l. 3. c. 3. de Ecclesia ante legem. Vbi Cariath Arbæ, pro Cariath Abræ dici ait, quod ea ciuitas hoc nomen ab Abrahamo acceperit, à quo ibidem torquata militia instituta fuerit, eorum qui inde filij Enac, vel Enacim dicti sunt. Quæ si minus vera sunt, non sunt inconcinne inuenta.

II. Et fœdus initum cum Hebronitis l. c. 14. 1

m Sera in 14 Ios. Hebron vnde dicta.

n Bolduc. l. 2. c. 16

o Vide a m. 19. 1. 99. & h anno n.

ANNVS MVNDI 2118.
ABRAHÆ 80.
NINYÆ 28. Imperij Assyriorum 187.
ANTE CHRISTVM 1935.

PVgnat hoc anno Chodorlahomor, eiusq; socij reges contra Pentapolitas, quos expugnant & spoliant, moxq; ab Abrahamo, vice versa, expugnati spoliantur *a*. Ratio

I. Bellum Chodorlah. cõ Pentap a Gen. 14. 1. &

temporis ex iis pendet, quæ anno Abrahæ 67. diximus : est enim hic annus ab eo decimus quartus. De quo sic loquitur Moses : *Duodecim annis seruierant*, Pentapolitæ pendentes tributum regi *Chodorlahomor, & tertio decimo anno recesserunt ab eo* : pertæsi tributariæ seruitutis, *igitur decimo quarto venit Chodorlahomor*, &c. quibus verbis etiam causa belli huius continetur. Iterata assertio in seruitutem. Verum si mentis oculos in Pentapolitas conuertamus, & cogitemus *homines peßimos, & peccatores coram Domino nimis*, facile erit intelligere hæc verbera, non sine diuina prouidentia contigisse. Prima verba senserunt cum ante quatuordecim annos amiserunt libertatem ; secunda hoc anno, cum amiserunt omnia bona sua. Sed vide diuinæ prouidentiæ dulcedinem; antequam ad extrema procederet, Lotum ad eos misit, qui verbo & exemplo, illos ab immanibus flagitiis reuocaret : misit Abraham, qui amissa bona recuperaret & redderet. Vbi neque virgæ, neque oscula profuerunt, secutum est incendium.

Autores Belli huius fuerunt Persæ, qui & Elamitæ dicuntur, duce Chodorlahomore, cui suppetias tulerat Amraphel rex Sennaar, id est Babyloniæ, quæ hoc tempore subiecta erat Assyriis, apparet hunc, qui Rex appellatur, fuisse Babylonis gubernatorem, subiectum Ninyæ, qui omnia per præfectos suos administrabat, vt supra ex Diodoro diximus. Cæteri quoque Reges sub auspiciis regis Elamitarum in hoc bellum profecti sunt, vt Scriptura aperte significat, quamuis Amraphel dignitatis nomine primo loco ponatur. Hi ergo contra quinque ciuitatum reges arma sumpserunt, & conuenerunt in vallem syluestrem, consitis videlicet arboribus amœnam : quam vallem falsam ab euentu Septuaginta vocant *b* cui Vulgata consentiens, *quæ*, inquit, *nunc maris salis*, quod & mare mortuum dicitur, eo quod nihil in eo dicatur posse viuere. Antequam autem Pentapolitanos aggrederentur, populos illis ab oriente & meridie positos deuastarunt.

Quæ regiones cum valde late pateant, & totum pene Chananitidem ab oriente & meridie tangant, non potuerunt paucis diebus ab hostili exercitu percursari, ac deuastari. Ex quo intelligitur diuina in Pentapolitanos indulgentia, quę eos interea alieno malo sapere volebat, castigandi. Intelligitur etiam eorum vel ignauia, vel iustus metus, qui cum à tempore defectionis, ad bellum non dubium parati esse debuissent, & nunc alacres hosti venienti occurrere, vix tandem ex suis vrbibus egressi sunt, *& exeruntq; aciem contra eos* in suburbiis suis, nempe scilicet syluestri. Nimirum libido non molles solum & ignauos reddit homines, sed stupidos etiam ac vecordes. Ergo parant prælium in propinqua valle : cuius multos bitumine puteos idcirco memorat, quod is locus electus putetur, vt hostes locorum ignari, in eos per imprudentiam absorberentur; quod tamen potius plerisque Pentapolitanorum terga vertentibus, & præcipiti pauore fugientibus, factitio fuisse merito creditur.

Assyrij, hoc enim nomine Iosephus *c* omnes eos regulos comprehendit, obtenta victoria, non diu fugacibus hæsere tergis, sed ad prædam conuersi, tulerunt omnem substantiam Sodomorum, & Gomorrhæ, & reliquarum videlicet vrbium, & vniuersa quæ ad cibum pertinent, & abierunt. Egregie pugnatum ait Iosephus à Sodomitis contra Assyrios, quod de hominibus luxuria perditis parum probabile arbitror. Certe Scriptura non pugnam, sed fugam duntaxat, & casum memorat. Et Chrysostomus *d* ait Assyrios hostes suos, etiam aspectu suo in fugam vertisse, quæ est Philonis *e* quoque sententia. Abduxerunt autem & Lotum, qui habitabat in Sodomis, omnesq; fortunas illius. Quod à Deo permissum ait Chrysostomus, vt Patriarchæ virtus, & gratia apud protectorem Deum, in eo liberando monstraretur; qui fortasse illo non capto non sumpsisset arma : Et vt diuino iudicio patientur acquiescamus, dum permittit impios euadere laqueos venantium, & iustos in tentationem cadere. Nam his cum tentatione victoria præparatur, illi ad incendium reseruantur.

Assyriorũ victoria & præda.

d hom. 35. e li. de Abraham.

Sed iam Lotum cladi eripiamus. Quidam enim qui eam euaserat, rem nunciauit Abram Hebræo, περάτῃ habent Sept. allusione facta ad notationem vocis Heber, siue ad innuendum obiter genus Abrahæ, siue ad distinctionem principum Hebronitarum, qui hic memorantur, qui cum Abrahamo fœdus superiore anno pepigerant, vi cuius fœderis, nunc Abrahæ commilitones facti sunt, vt patet ex fine capitis huius; etsi Philo, vt glorioliorem reddat Abrahæ victoriam, commilitonibus caruisse dicat. Abram igitur clade nepotis sui cognita, *numerauit expeditos vernaculos suos trecentos decem & octo, & hostem persecutus est vsque* ad oppidum *Dan*; quod in extremis Iudææ finibus, ad Iordanis fontes situm est. Hic porro numerus famulorum Abrahæ, qui domi eius nati erant, aperte docet quanta esset eius familia. Nam illi, vt Caietanus notat, post Ambrosium atque Chrysostomum, electi sunt de multis ad pugnam idonei, relictis domi senibus, paruulis, inualidis, mulieribus, emptitiis etiam, vt Philoni placet, ad curam tot animalium, & domesticum ministerium necessariis.

V. Abraham parat liberare Lotũ

εἰκοσιτρεῖς.

Nec est quod Porphyrius aliquis, aut Iulianus Scripturam in hoc seruorum numero suspectam habeat. Recordetur Tiberium Minucium Romanum equitem quadringentos seruos domesticos armantem *f*. Turbam seruorũ M. Crassi, ad quingẽtos autore Plutarcho *g* excurrentem. Demetrium Pompeij magni libertum, cui quotidie seruorũ numerus, velut Imperatori exercitus, Seneca *h* teste referebatur. Hermetem præfectum vrbis, & Quinium Gallicanum, vtrumq; Martyrio coronatum: quorum ille in die sancto Paschæ 1250. seruos manumisit: iste quinque millia. Octo etiam millia Melania iunior apud Palladium, quæ, aliaq; plura studiosè collegit Laurentius Pignorius, in Commentario pererudito de Seruis. Sed omissis Hotis, redeamus ad Spartam.

VI. Eius seruorũ copia confirmatur.

f Diodor. l. 36. g in eius vita. h l. de tranquil. an. c 8

Quinque dierum fuisse hoc iter scripsit Iosephus *i*, idq; fere cum Adrichomij tabulis congruit. Cæterum vt Abrahæ fortitudini cooperaretur industria, *diuisit socios*, vt pluribus ex

VII. Abrahami prudẽtia & victoria.

i l. 1. Ant. c. 10.

locis

locis simul hostes incautos inuadens, & perturbationem inferret, & auferret elabendi facultatem. Deinde *nocte irruit super eos*, vt facilius inermes semi-somnes, quietos, & nihil minus, quam de hoste & pugna cogitantes, opprimeret: neque illi paucitatem hostium agnoscere possent, & consciam suscitare virtutem. Ergo cum omnia clamoribus, & confusione plena essent, & cuncta cædibus miscerentur, omne præsidium in nocturnis latebris, & fuga posuerunt: quos nihilominus sequenti luce, vt ait Iosephus *a*, *persecutus est* Abraham *vsque Hoba, quæ est ad Læuam Damasci.* Inde victor cum suis ad locum reuertitur, in quo hostem oppressérat, locum spoliis hostium, & præda, ab iis dudum ex tot populis corrasa & congesta, opulentum, *reduxitq; omnem substantiam, & Lot fratrem suum cum substantia illius, mulieres quoque & populum*; ne vno quidem suorum amisso, vt ait Philo, auctusq; ingenti equorum & iumentorum numero.

a Lib. 1. c. 10

Septuag. τὰς ἐκ νόμου equitatū.

Egressus est autem rex Sodomorum b, Baram ante vocauerat, qui se mortis periculo strenue fuga subduxerat, moxq; desolatam vrbem, fœdissimæ nequitiæ gancam, repetierat. Inde egressus, audita Abrahami victoria, venit *in occursum eius*; siue tam insignem gratulaturus victoriam, siue sua, suosq; è captiuitate reduces recuperaturus. Verum non vnus Bara venit obuiam Patriarchæ. Venit enim & *Melchisedech rex Salem, proferens*, siue offerens in sacrificium gratiarum actionis Deo *panem & vinum; erat enim Sacerdos Dei altissimi, & benedixit ei*; Abrahamo videlicet, à quo, vice versa, decimas omnium accepit, vt interpretatus est Apostolus *c*.

b Gen. 14. 1.

VIII. Abrahæ facta gratulatio.

c Hebr. 7. 2. Præsertim à Melchisedecho.

De hoc autem Dei Sacerdote, & rege Salem, quæ postea Hierusalem dicta est, non leuis est controuersia, fuerit-ne Sem primogenitus Noë, qui adhuc erat in viuis, vt ex anni huius indice constat. Partem aientem non pauci tuentur, Hebræi in primis apud Hieronymum *d*, & Isidorum; sed eam traditionem non esse valde antiquam argumento est Iosephus *e*, qui cum alioqui totus sit in laude suæ gentis, non tamen hunc aut Semum, aut ex Semi gente aliquem esse dixit, quæ est omnium Abraamitarum origo, sed Chananæorum dynastam, qui patria lingua Rex iustus appellatus sit. Eandem traditionem ignorauit & Philo, qui cum sæpius regem illum laudauerit, nunquam tamen ad suam gentem pertinere dixit.

d In Trad. in Gen. e l. 7. de Bello c. 13

IX. Eū fuisse Chananæum communi cōsensu f Ep. 126. ad Euagr.

Dicimus igitur Melchisedechum Chananæorum ex gente oriundum, alium ex Semo extitisse. Hæc communis Patrum sententia est. Nam Hieronymus *f*, *Verissime*, inquit, *ad Hippolytum, Irenæum, Eusebium Cæsariensem, & Emisenum, Apollinarem quoque nostrum, & Eustathium, qui primus Antiochena Ecclesiæ Episcopus, contra Arium clarissima tuba bellicum cecinit, & deprehendi horum omnium opiniones, diuersis argumentationibus ac diuersiculis, ad vnum compitum peruenisse, vt dicerent Melchisedech hominem fuisse Chananæum, regem vrbis Hierosolymæ*, &c. Idem sentit magnus ille Areopagita g, qui eum ex gentibus conuersum ait, Angelorum ministerio, sicut & seipsum. Idem Epiphanius, qui se id chronologica ratione demonstrasse putat. Idem Procopius, qui contrariam opinionem stultam putat, & impossibilem. Idem S. Martyr Ignatius; quem enim virginem fuisse asserit, omnino Semum fuisse negat. Idem Theodoretus, qui etsi genus eius ignotum ex Apostoli sententia fatetur, verisimile tamen putat eum ex illis ortum gentibus, quæ Palæstinam incolebant, vt qui ibi Rex esset, & Sacerdos. Idem Iosephus sensit, & sine dubio Philo, vt diximus. Idem Chronicum Alexandrinum & Suidas, qui etiam addit eum in Salem annis regnasse 113. perq; omnem ætatem fuisse virginem. Accedunt ex recentioribus, Pererius, Ribera, Iustinianus, Del-Rio, & alij.

g l. de Cœl. Hier. c. 9.

Probatur autem hæc sententia. Nam cum constet ex multis Scripturæ locis, totam Chananitidem à posteris Chanaan fuisse possessam, eamq; illis regionem sorte obtigisse, sicut Semo regiones vltra Euphratem, vt ex Iosepho, consentaneè Mosaicæ narrationi suo loco diximus, qui fit credibile, ait Pererius, aut Semum regnasse inter Chananæos, aut Melchisedech in Chananæorum regione Pontificatum & regnum obtinentem, non fuisse Chananæum? Accedit quod Melchisedech nullam habet in Scriptura genealogiam: Semus autem eam habet, per omnes maiores, posterosq; descriptam. Habet, aiunt aduersarij, genealogiam sub nomine Semi, non sub nomine Melchisedech; quasi de nomine quæstio sit, non de homine ipso: hominis autem, si ille fuit Sem, & genus & anni in Scriptura traduntur. Sed hæc aliaq; id genus in Annalibus pluribus refutata reperies.

X. Probatur ratione non esse Semum.

Maneat ergo Melchisedechum alium planè esse à Semo; ex quo etiam sequitur, Melchisedech non esse cognomen Semi, ipsi attributum, ad commendationem iustitiæ eius, sed esse nomen eius proprium, tametsi nominis significatio, personæ moribus, & virtuti congruat. Non defuit etiam nuper, qui noua metamorphosi Melchisedechum in Henochum mutare conatus sit, quem in præfatione quinti Tomi non negligenter refutauimus.

Neq; Henochum.

Obuiam ergo processit Abrahamo Melchisedech, etsi Sacerdotij dignitate superior, ex officiosa demissione animi, protulitq; panem & vinum, non nudi conuiuij gratia, frustra quippe fieret mentio Sacerdotij eius; neque ad subueniendum necessitati exercitus, is enim minime indigebat cibariis, quippe qui recuperauerat omnem prædam, Sodomis, aliisq; ex locis sublatam, in qua magna erat ciborum copia, vt nominatim Scriptura notauit. Illud tamen Iosepho, & alijs, qui hic tantum prophanum conuiuium agnoscunt, concedi potest, Melchisedechum, postquam vt Sacerdos panem & vinum Deo, in gratiarum actionem obtulit pro victoria, eosdem etiam panes sanctificatos, tam Abrahæ quam sociis eius, edendos præbuisse; vt multo post ab Achimelecho *a* Sacerdote factum legimus, in gratiam Dauidis. Abrahæ quoque, vt famulo Dei excelsi, beneprecatur, cuius opera cedant in laudem & gloriam altissimi Dei, cuius erat ipse Sacerdos. Tum

XI. Offert Deo sacrificij gratiarum actionis,

& cōuiuium populo.

a 1 Reg. 21

& Deum laudat, eiq; gratias agit, agnoscens à Domino exercituum victoriam de hostibus esse profectam.

XII. Abrahã dat ei decimas.

Vice autem versa nouus Imperator Pontifici dedit partem Deo dicatam ac debitam, decimas de tota præda hostibus erepta. Proprie autem sumendam hoc loco decimam, quidquid dicat Caietanus, docet Chaldæa Paraphrasis; quæ decimam interpretatur vnam ex decem: neque decima aliud significat quam eam partem, quæ nonam ordine sequitur: itaq; etiam Græce & Hebraice sumitur, puta de mancipiis decimum dedit, de equis & pecoribus decimum quodque: qui mos passim legitur ab Ethnicis obseruatus, dæmone perpetuo diuina sibi iura & gloriam arrogante. Sic Leuiticæ decimæ veræ erant decimæ, quibus hasce componit Apostolus *a*. Vt sine causa videatur Caiet. improprie decimam interpretari de aliqua portione, quæ solet dici decima, licet forte sit duodecima, vel decima quinta: videriq; possit studiosius patrocinari hominum parcitati, quæ durum putare cœpit, illi, à quo decem acceperat, vnicum reddere.

a Heb. 7. 4

XIII. Et qua de præda.

Videtur autem dedisse decimas de omni præda Assyriis erepta, cum Pentapolitanorum tamen consensu, in iis, quorum domini erant, quibus gratissimum esse debuit, de decem partibus amissis, nouem recuperare, & ponere in lucro, quod præter spem reciperent, non in damno, quod Domino, & eius sanctissimo Sacerdoti largirentur. Eius autem consensus, quem dixi, perspicuum dedit indicium Rex Sodomorum, cum professus est se personis, puta ciuibus, ac domesticis suis, contentum, cæteris omnibus cædere. Quod autem tam serio Abrahamus, atque adeo iureiurando adhibito, negat se quidquam sibi accepturum de Pentapolitanorum præda, causa est quod id Deo promiserat, dum proficisceretur ad bellum, siue vt eum in difficili victoria propitium haberet, siue vt homines intelligerent se tantum adiisse discrimen hominum salutis, non propriorum emolumentorum causa. Prudenter autem addidit, *ex omnibus quæ tua sunt*. Non enim diffitetur se prædam, quæ Barbarorum propria erat, in rem suam conuersurum. Duo tamen excipit, primo esculenta, quæ cum distingui non possent, à suis quoque famulis, pro sua parte consumpta fuerant: neque enim bobus triturantibus ora fuerant alliganda *b*. Secundo quæ in partem obueniebant sociorum fœderatorum, quorum iuribus nihil, sua ipsius abiit inentia, detractum volebat. Est enim in iure gentium, vt quæ iusto bello acquisita sunt, in dominium victorum transeant.

b Deut. 25. 4. 1 Cor. 9. 9

XIV. Et eius obit.

Cæterum, quoniam neque Melchisedecis initia, neque finis notus est nobis, neque vir clarissimus consuetis talium virorum elogiis carere debet, eius gloriam, quæ maxime posita est in ipsius cum Christo Domino similitudine, & 13. capitibus continetur, pius Lector in Annalibus nostris *c* reperiet explicatam; & in epitaphio, quod ex Apostolo Paulo *d* mutuati sumus, vt sepulchro inscribi possit, ne quis illud forte fastidiat.

c an. m. 2118. n. 44 & 1193. d Hebr. 7.

Et epitaphium.

Hic situs est sacerdos Dei altissimi Sacerdos, vir omnino magnus, aut verius miraculum virorum. Quippe qui licet sine patre fuerit, sine matre, sine genealogia vtrumque habuit parentem, & vtrumque genus. Qui initio dierum carens, longe post initium temporis factus est. Qui finem vitæ non habens, vitam ita morte concluserit. vt vitam assecutus sit, cuius nullus est terminus, nullus finis. Rex fuit, sed iustitiæ simul & pacis. Pontifex fuit, dicturq; Sacerdos in perpetuum; qui in diebus carnis suæ, obtulit Deo sanctum sacrificium, immaculatam hostiam panis & vini: quo sacrificio augustius diuinusq; Filii Dei, cui assimilatus est, dedicauit sacramentum. Non regnauit aut vixit, sed viuit & regnat cum eo, qui se dignatus est dicere Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech.

ANNVS MVNDI 2119.

ABRAHÆ 81.

NINYÆ 29. Imperij Assyriorum 188.

ANTE CHRISTVM 1934.

1. Tempus & modus visionis quintæ Abrahæ.

PAulo post prædictam victoriam, visionem Domini, quæ habetur decimo quinto Genes. Abrahamo contigisse, multorum sententia est. Quin etiam Iosepho & Chrysostomo, aliisque nonnullis visum est tam victoriam, quam visionem eodem anno contigisse. Rectius tamen visum est in præsentem annum visionem differre, post reditum Abrahami in Hebron, omniaq; pacata. Quanquam minime hoc loco de tempore litigandum censeo, cum neutram in partem tempus hic momentum vllum afferat ad turbandam Chronologiam, modo hæc visio post prædictum Bellum, & ante natiuitatem Ismaëlis collocetur. Eam autem noctu contigisse, ex eo facile colligitur, quod Dominus educit Abrahamum foras extra tabernaculum suum, eiq; cœlum ostendens, stellas numerare iubet, quas constat interdiu numerari non posse, quæ ipsa ostentio & eductio facile ostendit visionem totam ad externos sensus pertinere, & vigilanti contigisse, ministerio Angeli specie visibili apparentis. Etsi Caietanus eam ad internos referat, Abrahamo in quadam extasi, & altiore contemplatione defixo.

II. Dominus promissio. c Gen. 15. 1. &c.

Est porro hæc quinta visio facta diuinitus Abrahæ, in qua dictum est illi, *c Noli timere Abram, ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis*. Quid autem timebat Abraham? Rationi consentaneum est, eum apud se reputantem Assyriorum potentiam, quæ in proxima quatuor regum cæde irritata fuerat, aliquid humanitus passum fuisse, veritumq; ne illi, coactis maioribus copiis, in Hebron irruerent, seq; suosq; internecione delerent. At Deus Bellicum timorem illi eripit, spondens se illi instar clypei fore: hac enim metaphora vtitur Hebræus Græcusq; textus.

Abrahæ merita.

Anxium ergo Patriarcham Dominus cumulate consolatur, dum se eum immunem à damnis conseruaturum spondet, & vice clypei omnia periculorum tela depulsurum; deinde amplissima mercede cumulaturum labores eius Dei causa susceptos: præteritam patriæ & cognatorum derelictionem, præsentem peregrinationem, in erigendis diuino

cultui

cultui altaribus religionem, in parentis aliorumq; peccatorum confessione pietatem & zelum, in recte instituenda, gubernandaq; familia prouidentiam & curam, in aggrediendo reges confidentiam, in nepote liberando charitatem, in despiciendis Sodomitarum bonis magnificentiam, in toleranda vltra octogesimum annum orbitate longanimitatem, in credenda sperandaq; copiosissima posteritate diuinitus promissa inconcussam constantiam, atque firmitatem.

III. Prolis ex gemitu petit.

Ad hanc mercedis mentionem, statim memoria occurrit, quod maxime insederat animo Patriarchæ, vt scilicet prolem à Deo peteret, per quam eximia illa promissa complerentur, & quidem peteret cum familiari gemitu, & amica querela: *Domine Deus*, inquit *a, quid dabis mihi? ego vadam absque liberis*; quasi dicat: Quam ego hic mercedem sperem, cum consenescam orbatus liberis, quibus tamen repositæ sunt promissiones tuæ: Ego iis grandæuus non fruar, nec filijs quibus careo, relinquam. Itaq; *filius procuratoris domus meæ, iste Damascus Eliezer*, supple, erit heres meus, Apostrophes recte conueniens orationi plenæ affectuum: significans sibi aliquem de vernaculis suis in filium adoptandum, in quo diuina promissa impleantur. Hic bonus Dominus fidelis famuli commiseratione tangitur. Nam *statim sermo Domini factus est ad eum, dicens* b: *Non erit hic heres tuus, sed qui egredietur de vtero tuo*, id est quem genueris, *ipsum habebis heredem*. ex quo tam multos habebis filios, quot stellæ in cœlis lucent. Etsi enim definitus earum numerus ab antiquis Astrologis in constellationibus notatus sit, recentiores tamen nouis adiuti conspicillis, multo plures, in via, præsertim lactea deprehenderunt; sed Dominus ad vulgi captum suum sermonem attemperat.

Promittitur à Deo

a Gen.15.2

b Gen.15.4

IV. Abrahæ fides.

Credidit Abram Deo, & reputatum est illi ad iustitiam, magnumq; meritorum incrementum, neque enim tunc ex peccatore factus est iustus, qui iam plurimarum erat virtutum locuples, adeo vt se illi debitorem magnæ cuiusdam mercedis Dominus fateretur. Eam fidem celebrat Apostolus c, cum inter alia: *Et non infirmatus est*, inquit, *fide, nec consideauit corpus suum emortuum, cum iam fere centum esset annorum, & emortuam vuluam Saræ*. Hoc refert Apostolus ad natiuitatem Isaaci: nam Ismael, qui 14. annis cum antecessit, nihil ad Saram pertinet. Sed ecce tibi nouam dubitandi materiam. Cum enim ad promissionem seminis, quod stellis cœli numero & claritate conferri posset, Dominus etiam adderet iteratam terræ Chananæorum promissionem, quæ doceret non tam ereptam illi patriam, quam maiore melioreq; possessione commutatam, addidit: *Domine Deus, vnde scire possum, quod possessurus sim eam.* Hæc enim verba dubitationem redolent, hominisq; videntur signum aliquod requirentis, vt promissis habeatur fides. Nec alia videtur Zachariæ ad Angelum oratio, quam constat pœna fuisse mulctatam.

c Rom.4.19

V. An dubitarit. d Lib. 16. de Ciu. c. 26. Iosue lib. 5. c. 10

Respondeo, non videri dicendum cum Cyrillo *d*, Abrahamum aliquo modo dubitasse, neque enim pœna, vt Zacharias, aut castigatione caruisset. Dixerim potius cum Ruperto *e*, voluisse scire Abrahamum an conditionalis tantum esset ista promissio, quæ scilicet à posterorum culpis meritisve penderet; an vero id immutabili Dei decreto definitum esset. Sicut illa posteritas, quæ omnino immensa futura erat, & carnalium, & multo maxime spiritalium Abrahamitarum. Perpetua tamen terræ possessio, ex incolarum pietate pendebat, qua deficiente, ex ea paulatim expulsi, postremo funditus atque in perpetuum exterminati sunt. Firmat ergo Dominus promissam Abrahæ possessionem, fœdere cum eo inito, additis solennibus cerimoniis, quæ in huiusmodi pactis vsui erant, apud Chaldæos aut Chananæos, sacrificio scilicet certorum animalium, quæ parari iussit: sicq; finita est visio, abscessit Angelus, & superuenit dies.

e Rup. 4. in Gen.

VI. Dei cum eo fœdus

Is vt illuxit, nihil habuit antiquius Abraham, quam parare in sacrificium vaccam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium, turturem quoque ac columbam, quorum animalium mysteria in Annalibus *f* ex Theodoreto, aliisq; reperies. Ritus autem fœderis & sacrificij hic fuit: Assumpsit Abraham hæc animalia, ac jugulauit; tum ea per medium à capite ad caudam diuisit, & vtrasque partes destinato in loco, iuxta altare fortasse, ita composuit, vt medietates sibi inuicem responderent; relicto de more spatio in medio, per quod transirent, qui fœdus inibant. Et Dominus quidem sub specie ignis inter diuisiones illas transiuit, vt habetur in extremo capite *g*, & apparet idem ab Abrahamo factum fuisse. Manserunt toto die ita disposita cadauera, exspectante Abrahamo Dei aduentum, & interea prædatrices volucres abigente: donec sub occasum solis ingruentibus tenebris, magnus & tenebrosus horror inuasit Abrahamum, non solum vt præsentiæ Dei admoneretur, sed vt membrorum suorum mala, ipsemet eorum caput præsentisceret.

Ge.15.17

VII. Prædicti Ægypti seruitut

Præsentia porro Domini ea quoque se voce prodidit. h *Scito prænoscens quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, & subjicient eos seruituti, & affligent quadringentis annis.* Quod annorum spatium, non solum afflictionem & seruitutem Ægypti continet, quæ multo brevior fuit, sed etiam peregrinationem, vt S. Augustinus *i* hunc locum interpretatus est. Et quia semen, de quo est ista prædictio, est Isaac, iuxta illud *k*: *In Isaac vocabitur tibi semen*, ideo ab eius ortu inchoantur. Atqui ab anno natiuitatis Isaac, vsque ad annum egressionis ex Ægypto, quinque supra quadringentos annos computantur, vt fatetur Augustinus *l*, & series ipsa temporum aperte docet. Dicendum est illos quinque annos in maiore ac rotundo numero neglectos: quibus tamen additis ad viginti quinque, qui Isaaci ortum antecesserunt, fient integri 430. quos Moyses *m*, & Paulus *n*, distincte celebrarunt, quorum initium interprete Chrysostomo *o*, sumendum est, ex quo imperatum est Abrahamo, vt ex Charan egrederetur.

h Ge.15.13

i lib.16.de Ciu. c.2. k Ge.21.12. & Rō.9.7

l q.47.in Exod.

m Exo.12.40. n Gal.3.17 o Hom.3. in Gen.

Et quoniam Patriarcha tam diuturna vexatione posteritatis suæ, quam dilatione promissæ hæreditatis vehementer angi poterat, statim addit Dominus tria, quæ ad eius consolationem plurimum facerent. Primum

VIII. Super qua Deus Abrahamum co solatur.

promittit se gentem, cui seruituti erant, iudicaturum, multis scilicet verberibus ac plagis puniturum. Deinde egressuros nepotes suos *cum multa substantia*; ne scilicet quasi mancipia, sine vlla vtilitate sua, seruitute oppressi fuerint. Tertio non futurum ipsum huic obnoxium seruituti, vita in aliquot præterea sæcula producta, sed abiturum *in pace ad patres suos, in senectute bona.* Quæ verba consolationi valde congruunt. Vocat enim mortem profectionem ad patres suos, & eam dicit fore in pace, id est, non in afflictione, sed in multa rerum abundantia, *& in senectute bona*, non ærumnosa morbis aut curis, aut Deo malis operibus inuisa, sed pia, contenta, venerabili, qualis possit ab hominibus à Deo desiderari.

IX. Redit° cõtigit quarta ætate.

Hæc, quod ad ipsum pertinet Patriarcham; nam, quod ad eius posteros, videtur Dominus mollire voluisse quadringentos illos annos, cum ait eos huc quarta generatione redituros. Magna enim ex parte filij Iacob, qui cum patre in Ægyptum ingressi sunt, quarta generatione cum Moyse sunt egressi. Nam Ruben primogenitus Iacob, genuit Phallu, ex quo ortus est Eliab, pater Namuel, Dathan & Abiron, qui egressi de Ægypto in deserto periere. Leui quoque genuit Caath patrem Amram, ex quo Moyses & Aaron. Iudas etiam genuit Phares, ex quo Esron, qui fuit pater Caleb, socij Iosue in exploranda Chananitide. Didicit porro Abraham rationem dilationis, vt ait Theodoretus *a*, ne quis suspicaretur, ob numerosam incolarum multitudinem, non potuisse Dominum Deum eis tradere dominium illius terræ. Causam refert in nondum completas Amorrhæorum iniquitates: qui & subdit aliam rationem, quod in illis terris nonnulli viri boni adhuc existerent, qui Dei vltricem iram adhuc retinerent. Puta Melchisedech rex Salem, Abimelech rex Geraræ, quibuscum multos etiam viros bonos vixisse, par est credere, populo in vtramque partem principes suos imitante.

a q. 61.

ANNVS MVNDI 2124.

ABRAHÆ 86.

NINYÆ 34. Imperij Assyriorum 193.

ANTE CHRISTVM 1929.

I. Cõiugiũ Abrahæ cũ Agare. b Gen. 16. 3.

Hic est annus coniugij Abrahami cum Agare ancilla Saræ *b*, quæ *dedit eam viro suo vxorem, post annos decem quam habitare cœperant in terra Chanaan*, vt Scriptura loquitur. Exactos autem fuisse hosce annos, phrasis quoque Hebræa significat, quæ habet, *à fine*, siue *post finem decem annorum*. Ergo vndecimo inchoante, qui est præsens annus. Ex qua temporis diuturnitate non exigua Saræ virtus agnoscitur, cuius nulla querela, nulla obmurmuratio auditur, post tot promissa facta diuinitus semini Abrahæ. Nec minorem hac ipsa de causa virtutem Abrahæ Chrysostomus *c* agnouit. At Sara, quæ meminerat nullam sui factam fuisse in diuinis promissis mentionem, neque dictum qua ex muliere filium susceptura esset Abraham, videtur existimasse se, & sterilem & vetulam, huic muneri à Deo minime destinatam, sed alteram quampiam, cuius ipsa fœtum in filium adoptaret. Itaque ancillam, domo ac genere Ægyptiam, religione Hebræam, vt ait Philo, nomine Agarem, ad gignendum habilem, *dedit viro suo vxorem, si forte*, inquit, *saltem ex illa susciperet filios.* Vxorem quidem vocat, quæ tamen non ad omnia iura connubij vocaretur, sed ad suscipiendam prolem, ideoq; non materfamilias, sed concubina vocaretur.

c hom. 48. in Gen. Cur has nuptias Sara concilianerit

II. Non sine afflatu diuino Abram Polygamiæ consensit

Perspicuum est, honestissimam matronam non suasisse viro adulterium; sed diuina inspiratione impulsam, polygamiam suasisse, & communem circa prolem charitatem, magno animo natiuę mulierum zelotypiæ antetulisse. Abraham quoque vir iustus, qui acquicuit deprecanti, & cuius virtus longe ab iniusto concubitu abhorrebat, merito creditur diuina inspiratione inductus, in has inferioris ordinis nuptias consensisse, quibus diuina promissa, in Saræ sterilitate & senectute impedita, commode expediri possent. Itaque Philo ait Abrahamum, vbi Agar facta est grauida, deinceps abeius abstinuisse congressu: idq; probabile fit ex eo, quod nullam deinceps ex ea prolem suscepisse legatur, neque omnino ex vlla alia, vsque ad decimum tertium abhinc annum; eximia vtique continentia: contra quam hominem sanctum acuere poterant diuina promissa, de innumerabili posteritate ex ipso propaganda.

III. Nec noua fuit hæc dispensatio.

Cæterum diuinam interuenisse inspirationem, quæ à naturali lege coniugij duabus personis definiti, absolueret, omnium pene consensu constat; cuius cum non facta sit in Abrahamo peculiaris mentio, creditur antiquior fuisse, etiam in viris piis, ac Deum timentibus. Videtur certè Sara hanc polygamiam, non vt rem nouam & inusitatam, viro suo proposuisse, sed vt vulgo vsitatam, passimq; frequentatam. Itaque Pererius existimat huiusmodi dispensationem statim à diluuio factam esse Noë eiusq; filiis, ad generis humani multiplicationem. Eius consuetudinis testis est Augustinus *d*, cuius vi hanc Abrahæ cum Agare coniunctionem à crimine vindicat: *Quando mos erat*, inquit, *crimen non erat; & nunc propterea crimen est, quia mos non est*: & lib. 3. *e* de Doctr. Christiana, ait *sufficiendæ prolis causa inculpabilem fuisse consuetudinem, vt plures simul vxores vir vnus haberet.* Deinceps autem huiusmodi consuetudo ita inoleuit, vt Mosaica lex superueniens, quæ multo laxiora in hominum moribus astrinxerat, eam tamen laxitatem non tolleret, sed firmaret *f*: quippe quæ tam odiosæ quam dilectæ vxoris liberos, pro legitimis filiis & hæredibus haberi voluerit: & regibus *g* plures concesserit, plurimas prohibuerit. Nimirum nihil ad perfectum adducebat lex; donec veniret Legislator *h* nouus, qui eã laxitate sublata, iterum stabiliret illud *i*: *Erunt duo in carne vna*

d l. 12. cõt. Faust. c. 47

e cap. 22.

Et scripta lege probata.

f Deut. 21. 15. 16.

g Deut. 17. 17.

h Matth. 19. f. 6.

i Gen. 2. 24

Concepit ergo mulier, & fortunatior effecta, facta est insolentior; ancillam se oblita

IV. Agar à conceptu insolescit

est,

est, quæ bono fruebatur, quod videbat à domina tamdiu frustra desiderari. Despexit itaq; dominam suam: id enim solemne est seruis & maxime ancillis, quæ multam habent in re familiari administrationem, aut gratia apud herum valent: multæ enim sunt in respondendo, in obloquendo, in excusando, in iactando seipsas. Quam morum mutationem Sara non ferens, suspicata mariti gratiam ei animos facere, querelam ad eum defert de ancilla sua, quod ab ea despectui habeatur; additq; denique, *iudicet Dominus inter me & te*, quasi dicat, de alienis in me iniuriis, tu iudex & vltor esse debes, at de tuis contra me, Deum appello iudicem. Quo animosior fuit hæc mulieris oratio, ac suspicatior, eo maior fuit viri virtus, quando se iniuste à coniuge accusari sine iracundia passus est, sed ira trementem eius animum molli responsione fregit: *Ecce*, ait, *ancilla tua in manu tua est, vtere ea vt lubet.*

Sara quæritur.

v.6.

V. Et vexat ancillam, quę fugit

Sara igitur læta stare à se maritum suum, accepta potestate strenue vtitur, ancillam dies noctesq; labore vexat, & cessantem verbis castigat & plagis: *Affligente igitur eam Sarai fugam iniit.* Quid aliud faceret inquies? neque enim seruitio exire licebat. At summitteret dominæ rigidam ceruicem; præsidio, atque armis humilitatis vteretur, virtutis omnium gratiosissimæ & potentissimæ ad molliendos animos, quantumuis efferatos. Fugit autem ex Hebron meridiem versus, circa ea loca, quæ postea filius eius incoluit, & sane, vt apparet, & notauit Hieronymus *a*, patriam cogitabat; verum iter moliebatur per loca deuia, ne facile à persequentibus fugitiua reperiri, & à fuga retrahi posset. Cum ergo Angelus Domini eam inuenisset iuxta fontem aquæ, siti fortasse atque itinere fatigatam, rogasletq; vnde veniret, & quo vaderet, fatetur mulier se fugere à facie dominæ suæ, declinare videlicet iram atque acerbitatem eius; sicut Dauidem legimus fugisse à facie Saulis.

a in quæst. Hebr.

Ei⁹ cũ Angelo colloquium

Hic Angelus Domini, *reuertere*, inquit, *ad dominam tuam, & humiliare sub manu eius.* Addidit etiam fortasse promissionem maioris lenitatis & mansuetudinis Saræ aduersus ipsam. Nam id affirmat Iosephus, addit etiam intentasse minas si vltra pergeret. Addidit certe consolationem, camq; multiplicem; Primo ex spe innumerabili posteritatis. Secundo commiseratione, cum ait Deum vidisse afflictionem eius, propterea q; velle, vt filium, quem paritura erat, vocaret Ismaelem, quæ vox exauditio Domini interpretatur, Hieronymo interprete, Iosephus autem εἰσάκουστον vertit. Tertio repræsentatione morum eius, quibus redderetur hominibus formidabilis, vtpote ferus instar onagri, solitudinis incola, durus & agrestis, ignarus vrbanitatis, mutua damna vicinis inferens atque accipiens: qui dicuntur nunc quoque Agarenorum, vulgo Arabum & Saracenorum mores. Denique significat impauidum habitaturum non in vrbibus muratis, sed in tabernaculis, è regione vniuersorum fratrum suorum, qui ex Abrahamo erant orituri.

VI. Cõsilium & consolatio.

Cum autem Angelus hac oratione reditum Agari persuasisset, perfunctus legatione sua, ex oculis mirantis euanuit, ita tamen, vt illa à tergo recedentem videret, simulq; sensu pietatis affecta, eodem loco inuocauit Dominum, cuius personam Angelus repræsentabat, dicens: *Tu es Deus qui vidisti me*, id est, afflictionem meam, qui desolationis meæ in solitudine misertus es. Deinde secum ipsa: *Profecto*, inquit, *hic vidi posteriora*, dorsum scilicet, *videntis me*, cuius oculis nuda & aperta sunt omnia. Ex ea porro visione, quæ ad fontem siue puteum facta est, locus appellatus est *Puteum viuentis & videntis me.* Inde reuersa domum, dominis reconciliata est, narratis, vt apparet, quæ sibi in solitudine contigissent; quod ex eo colligitur, quod natum postea filium, Abraham Ismaelem vocauit, prout didicerat ab ancilla.

VII. Reditus Agaris ad heros.

ANNVS MVNDI 2125.

ABRAHÆ 87.

NINYÆ 35. Imperij Assyr. 194.

ANTE CHRISTVM 1928.

PEperit b *Agar Abræ filium, qui vocauit nomen eius Ismael.* Id factum anno Abrahæ 87. ineunte. Nam *86. annorum erat Abram*, ait Moyses, *quando peperit ei Agar Ismaelem*; expletos enim annos sumimus, vt non semel monuimus; idq; phrasi Scripturæ admodum congruit, & historiæ sequenti. Oportet enim eum hoc anno natum esse, vt quando circumcisus est, tredecim annos impleuerit, vt habetur 17. Genes. Ergo octogesimus septimus Abrahæ est primus Ismaelis, & ita deinceps: quem in serie Chronologica ponimus, quoniam tempus ortus eius à Mose notatum habemus, licet per Isaacum sanctius Abrahæ semen propagandum sit. Etsi hoc tempore Abraham putauerit in Ismaele, quod reliquum erat promissionis, adimplendum, vt ait Chrysostomus *c*. Cuius rei probabilitatem auget promissa Agari ex Ismaele innumerabilis posteritas, quæ vtiq; ad Abrahamum ipsum pertinebat.

I. Ortus Ismaelis.

b *Gē. 16.1*

v.25.

c *hom. 33*

ANNVS MVNDI 2128. & 29.

ABRAHÆ 90. & 91.

ARII 1. Imperij Assyr. 197. & 98.

ANTE CHRISTVM 1925. & 24.

FInem viuendi hoc anno, simul & imperandi fecit Ninyas, filius Nini & Semiramidis, quartus à Belo rex Assyriorum, cum octo & triginta regnasset annos, iuxta Eusebij Chronologiam; in cuius anni exordio retulimus quę de eo apud Diodorum Siculum reperiuntur; Ei proxime successit Arius ordine quintus, etsi Latini Eusebij codices cum quartum appellãt, omisso Belo; qui tamen cur prætermittatur, nulla nobis causa est, etsi Eusebio esse potuerit, qui Chronologiam ab Abrahamo ordiri, & sigillatim per singulos ãos digerere statuerat, nec antiquiora, nisi compendio tradere. Interea infantulus Ismael crescit: in eo Abram &

I. Ninyæ Obitus.

Arij 1.

Sara suam consolantur senectutem; Agar laeta ex vexatione modestior, gaudet in sinu.

ANNVS MVNDI 2138.

ABRAHÆ 100.

ARII 10. Imperij Assyriorum 207.

ANTE CHRISTVM 2915.

SEcularis annus Abrahæ pleraque complexus est, hendit decimo septimo Geneseos, & tribus quentibus comprehensa, primum nouam Domini apparitionem, in qua facta est mutatio nominis Abrahæ, & iterata, siue confirmata promissio; qua Dominus viam munit ad initutionem circumcisionis, tum filium ei ex ara promittit, ad quam benedictiones factæ Abrahamo pertineant. Confirmat nihilominus promissionem de Ismaele factam in gratiam Abrahæ. Sequitur ipsa circumcisio totius eius familiæ. Accedit exhibita sub Abrahamo tribus angelis hospitalitas, & promissio filij Saræ in annum proximum: deprecatio item Abrahæ ro Pentapolitis, totaq; de eorum clade, & Lot liberatione narratio. Denique alterum Patriarchæ circa vxorem suam, apud regem Abimelechum periculum, dissimulatio, liberatio, perquam similis, quæ ante annos tres & viginti in Ægypto contigerat; quæ omnia hoc eo anno contigisse ex sequentibus intelligetur. Quæ priusquam expendamus, ratio temporis explicanda est.

Videmur enim repugnare Scripturæ 4, dicens hæc contigisse, postquam Abraham nonaginta & nouem annorum esse cœperat. Verum hæc phrasis nihil nobis repugnat Scripturæ: nisi velimus eam secum pugnare, quæ mox Abrahamum centenarium vocat, quod proprie & exacte loquendo, non nisi illi conueniat, qui 99. annos expleuerit, & centesimum sit ingressus. Exacte autem hic loqui Scripturam in numerando, patet, cum non rotundos, vt vocant, numeros per decadas persequatur, sed tactos etiam per vnitates intra decades, subtilius recensear. Hinc est quod paulo ante 86. annos retulit, & paulo post tredecim, & hoc loco nonaginta nouem. Cumq; mox Ismael dicatur impleuisse 13 annos cum circumcisus est, non potuit eos impleſſe, nisi pater 99. implesset, cum primus Ismaelis coitus cum 86. Abrahę. Denique qui aliter sentiunt, non videntur animaduertere magnum esse discrimen inter incipere 99. annos, & incipere esse 99. annorum; prior enim phrasis vltimum annum inchoatum, posterior absolutum ponit. Et de tempore hoc loco satis.

Cum ergo Abram natus iam esset annos nonaginta nouem, Dominus ei iam sextum apparuit, & quidem specie visibili atque corporea; idq; toti narrationi congruit, neque conuenit ab externis sensibus ad internos, sine necessitate confugere. Facta est autem hæc apparitio ad institutionem circumcisionis, quę esset signum externum fœderis initi Deum inter & Abrahamum, quod capite 15. continetur, & ad annunciandum Isaaci ortum in proximum annum. Et quia rem difficilem ac molestam sensibus præceptarus erat, ingerit atque inculcat antiqua promissa: *Et multiplicabo te vehementer nimis.* Et mox, *eroq; pater multarum gentium*; tam secundum carnem, quam secundum spiritum. Et rursus, *faciamq; te crescere vehementissime, & ponam te in gentibus, regesq; ex te egredientur.* Iterat & promissionem Chananitidis: *Dabo q; tibi, & semini tuo terram peregrinationis tuæ*: vt scilicet tu ius ad rem habeas, illi autem ius in re, ipsamque terram possideant.

Vt autem fidem ac spem Abrahæ Dominus magis magisq; stabiliat, & ille Dei promissorum magnificentiam perpetuò memoria retineat, idoneum illi, & congruum ad eam rem monimentum, in nominis sui amplificatione præbet. Vbi ergo hisce promissis Deus in Abrahamo obediendi alacritatem excitauit, circumcisionem, quam sub nomine pacti ac fœderis adhuc texerat, aperte proponit, & quasi legem perpetuo valituram promulgat. *Circumcidetur ex vobis omne masculinum.* Hæc summa legis est, quæ distinctius explicatur, *& circumcidetis carnem præputij vestri*; additur finis, *vt sit in signum fœderis inter me & vos.* Nimirum esse vos populum mihi fœderatum, segregatumq; à cæteris gentibus, quæ vero Deo non seruiunt, neque eum patrem agnoscunt, ex quo hæreditatem accipiant. Alius quoque finis est ad significandum Messiam secundum carnem ex genere Abrahæ producendum esse. Qui vterque finis docet antiquatam nunc esse circumcisionem, cum iam & Messias venerit, & populus Dei non modica prouincia, linguaq; definitus sit, & à cæteris discretus, sed ad nationes omnes, mundumq; vniuersum diffusus; iuxta illud: *Euntes in mundum vniuersum*, &c. vt nullo separationis signo vltra opus sit.

Additur in hac ipsa lege circumstantia personarum, ad quas illa pertinet; vt serui quoque tam emptij, quam domi nati ea comprehendantur, & quicumque non fuerit de stirpe Abrahæ, qui tamen proselytus ad eam transcribi voluerit. Et serui quidem ac vernæ circumcidendi erant, dominorum enim fuorum possessio erant, quod de mercenariis famulis dici nequit, qui propterea, nisi Iudæi fieri vellent, non circumcidebantur. Temporis quoque periculosis ponitur octauus dies, ne ante id tempus dolorem vulneris, infanculi fine vitæ discrimine ferre non possent. Postremo firmatur lex interminatione supplicij, *Masculus cuius præputij caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit.* Id est non censebitur in populo Dei, vt qui signo careat fœderis à Deo initi cum populo suo; populo electorum, ex semine Abrahæ congregando, vt qui maneat filius iræ, carens remedio ad expiationem peccati originis, diuinitus tradito Abrahamitis.

Circumcisionis lege ita constituta, ad eius duritiem molliendam, subdit Dominus ingentem materiam gaudij, tam ipsi Abrahæ, quam Saræ, vniuersæq; familiæ; & nominatim Sarę, quę non solum gloriosiore deinceps nomine honoranda erat, sed & fœcunditate. Ait enim: *Et benedicam ei*, id est ex sterili fœcun-

dam

IV. Institutio circumcisionis.

V. Ad quos pertineret

Quæ pœna sanciat v. 14.

Eiusq; causa.

VI. Promittur ex Sara filius.

dam reddam. Nam *ex illa dabo tibi filium, cui benedicturus sum, eritque in nationes*, siue caput & radix multarum gentium, *& reges populorum orientur ex eo.* Quid autem Abraham ad tam lætum, tam glorioſum, tam inſperatum nuncium? *Cecidit in faciem ſuam*, vltro proſtrauit ſe *& riſit, dicens in corde ſuo. Putaſne centenario naſcetur filius, & Sara nonagenaria pariet?* Non fuit hic riſus index diffidentiæ, vel incredulitatis, ſed inſperatæ, & ſuperfundentis ſe lætitiæ, vt paſſim Sancti Patres interpretantur; alioqui reprehenſione non caruiſſet, quam non effugit Sara, vt ex ſequentibus intelligetur. At riſum Abrahæ vſque adeo non improbauit Dominus, vt propterea voluerit, inde naſcituro filio nomen dari vt Hieronymus aſſirmat.

v. 17.

VII. An dubitarit Abraham

Cum autem Abraham verſaret animo promiſſionem diuinam, dubitaſſe videtur Caietano, non de diuina potentia, ſed quo ſenſu verba diuina accipienda eſſent, ideoque adiecit, *vtinam Iſmael viuat coram te.* Quaſi dicat, de noua prole hominis centenarij, & mulieris nonagenariæ, Domine Deus, non ſane ſatis intelligo quid velis, aut quid ſtatueris: vnum oro vt ea proles, quam ante annos tredecim ex Agare ſuſcepi, incolumis perſeueret, in eamque benedictiones tuas transfundas. At Dominus volens omnem Patriarchę adimere dubitationem, promiſſionem cum aſſeueratione, quæ in Hebræo Græcoque textu, & Chaldaica paraphraſi habetur, confirmat in hanc ſententiam. Ne ambigas quæ vis ſit orationis meæ, & an myſticè & parabolicè locutus ſim, an nuda & ſimplici narratione vſus, vere tibi aſſero, ac ſine vlla ambiguitate ſpondeo fore, vt Sara vxor tua pariat tibi filium, & vocabis nomen eius Iſaac, in monimentum lætitiæ, qua affectus es hoc accepto nuncio. Conſtituam & pactum meum illi in fœdus ſempiternum, quod ſcilicet tecum ferij de multitudine poſteritatis, de poſſeſſione terræ Chanaan, de ſemine, in quo benedicendæ ſunt vniuerſæ cognationes terræ, confirmabo & renouabo cum illo, eiuſque poſteris ne eam fœlicitatem ambias Iſmaeli.

VIII. Promiſſio pro Iſmaele a *Gē.* 25. 13

Quamquam ad Iſmaelem quod attinet, exaudiui te, nō ſolum vt viuat, ſed floreat etiam, & filiorum multitudine abundet, & duodecim duces generet. Recenſentur hi duces infra nominatim, vocanturque tribuum ſuarum principes *a*. Denique concludens orationem ſuam ſpondet Saram anno proximo parituram Iſaacum. Quibus dictis abſceſſit atque euanuit Angelus; Abraham autem è veſtigio, eadem ipſa die ſe & Iſmaelem, reliquamque familiam omnem circuncidit, in qua facile quadringēti erant tam alienigenæ emptitij, quam ex ijs domi nati, eximia vtique & ſua & ſuorum obedientia, in re minime facili, imo quæ vulgò inutilis, ac ridicula videri poterat. Ex eo autem quod Iſmael decimo tertio anno circumciſus eſt, Arabes, vt ait Ioſephus *b*, non octauo die, vt lex præcipit, ſed poſt decimum tertium annum circumciſionem celebrant, gentis ſuæ autorem imitantes.

Abraham ſe ſuoſq; circumcidit.

b *l. 1. c. 12*

IX. Ratio temporis cladis Sodomorum &c.

Sequitur clades Sodomorum eiuſdemque ſceleris cognatarum ciuitatum; idque ex eo conſtat, quod illi ipſi Angeli, qui ad eas perdendas proficiſcebantur, Saræ partum in annum proximè ſequentem pronunciant, ſicut paulò ante Abrahæ reuelatum fuerat. Sed merito quis dubitarit, an Abraham rem totam ad vxorem retulerit. Et circumciſionem quidem ignorare non potuit, quæ ad tam multos pertineret, ex eaque tota domus aliquot diebus ægra decumberet. Illam autem promiſſionem, ſi à marito iam didicerat, vnde mox ille riſus, rem vt nouam & improbabilem eleuantis? Si non didicerat, quomodo rem tacebat vxori, quæ ſine ipſa confici non poterat? An didicerat, & non credebat, vt noua fuerit reuelatione opus? In re vtramque in partem ambigua, exiſtimarim Abrahamum rem iſtam ad hanc vſque apparitionem tacuiſſe, ſiue pudore aliquo retentum, propter multorum annorum deſuetudinem, & à vetula ſterilique continentiam: ſiue quod propter circunciſionis dolorem, differre oporteret; ſiue quod rem totam diuinæ prouidentiæ, quæ diſponit omnia ſuauiter, permittendam putaret.

An Abraham Saræ promiſſū Iſaac nuntiarit

X. Apparitio ſeptima, & mita Abrahæ hoſpitalitas. c *Gē.* 18. 1.

Neque illa Patriarchæ deſiderium, aut expectationem fefellit *c*. *Apparuit* enim *ei Dominus in conuallę Mambre*, quæ eſt prope vrbem Hebron, *ſedenti*, ſub meridiem *in oſtio tabernaculi ſui*, & expectanti vt erga peregrinum aliquem officium hoſpitalitatis exerceret. Itaque apparuerunt ei tres viri, qui publica via prope ipſum gradiebantur, *quos cum vidiſſet, cucurrit in occurſum eorum de oſtio tabernaculi, & adorauit in terram*, inclinans ſe venerabundus vſque ad terram. Vtra mirabilior virtus in tanto viro, & longa ſenectute venerabili, humilitas erga ignotos iuuenes, quales apparuiſſe Chryſoſtomus ſuſpicatur: an charitas qua incitante, non expectauit dum illi vltro ſe offerrent, & à Patriarcha peterent vt cibo reficerentur: non miſit quempiam famulorum, quos habebat ad manum, vt eos inuitaret ad prandium; non lento ac ſenili gradu proceſſit obuiam, ſed feſtinauit, imo *cucurrit* ad eos inſtar adoleſcentuli, & tanquam ingens aliquod accepturus beneficium, non daturus; vt pulchrè differit Chryſoſtomus *d*.

d *hom.* 41 *in Gen.*

XI. Inuitat ad hoſpitiū tres Angelos.

Vt ad hoſpites peruenit, oratione ad eum conuerſa, qui inter cæteros oris, aut cultus dignitate præſtare videbatur. *Domine*, inquit, *ſi inueni gratiam in oculis tuis, ne tranſeas ſeruum tuum*, ſubſiſte paululum, dum auſpitio accipiar. s. Et ne vnum tantum inuitare videatur, cæteros negligere, aut inſtar vmbrarum ducere, vniuerſe cunctis offert hoſpitalitatem, quam magna verborum humilitate extenuat. *Afferam*, inquit, *paruillum aquæ, & lauate pedes veſtros, & requieſcite ſub arbore.* Apparet ad patulam quandam arborem affixas ſedes, in quibus velit ſedere hoſpites ſuos, dum curabit deferri aquam, & ablui pedes eorum. Neque enim hoſpites ipſi de via feſſi ſibi pedes abluebant, ſed id erat officium famulorum, totum autem conuiuij apparatum vocat *buccellam panis*. Cibos ergo, & ſimilaginem panem celeriter apparatum offert conuiuis ſuis, ipſe vero ſtabat coram eis ſub arbore: an vt miniſtraret ipſemet potum & quæcunque opus eſſent conuiuis? nec præ humilitate menſæ comes eſſe voluit, vt notat *e* Chryſoſtomus.

Vers.

e *hom.* 41 *vide an. ſeq. n.* 1.

Sed illi mox de referenda hoſpitalitatis gratia cogitant. Accerſitur Sara, qua ad oſtium tabernaculi ſtante, & audiente à tergo eorum,

XII. Qui prōmiſerunt Saræ filiū.

ait An-

Angelus ad Abrahamum, *Reuertens veniam te tempore isto, vita comite, & habebit filiũ Sara ox tua* Nulla tamen est mentio in Scriptura uersionis eius, post natum Isaac, de ea tamen, æ cum asseueratione promittitur, dubitare on licet. Sara tamen de implenda promissio- e dubitauit, ac risit, vires potius naturæ in- ita, quam beneplacitum omnipotentis Dei; d risus occultus fuit, vtpote à tergo conuiua- m, & summissus, vt probabiliter negari pos- t. Negauit enim se risisse, existimans risum on fuisse animaduersum. Sed ea mendacij ab ngelo arguitur, cum confirmatione promis- onis, qui etiam significat se diuinę voluntatis iussionis interpretem, cui in promptu sit fa- cre quidquid libuerit. Nunquid Deo, inquit, uidquam est difficile, vt anui conceptum & artum dare non possit?

Peracto prandio *surrexerunt* hospites de nensa, actisque Deo. & hospiti de more gra- ijs, *direxerunt oculos contra Sodomam*; sed & ressus. Nam *Abraham simul gradiebatur deduens eos*, aliquantisper, vt solent officiosi hospi- es. Qua beneuolentiæ, & honoris exhibitio- e commotus, qui primas hactenus egerat in ac fabula, inter eundum ait. *Num celare potero braham quæ gesturus sum*, cum is quantumcun- que se se abijciat *futurus sit in gentem magnam, ac obustissimam, & benedicendæ sint in illo omnes nationes terræ*, per Messiam, qui ex ipso oriturus lt. Sed hinc etiam triplex manatura erat vtili- as. Prima, quod Abraham de causa futuræ nimaduersionis edoctus, illam non fortunæ & casui, vt solent infideles, sed diuinæ iustitiæ ttributurus sit, & suos in Dei timore institu- urus, alieno vt malo sapiant, & iuste ac sancte iuant. Altera, quæ non exprimitur, est vt A- raham impendentem præuidens calamitatẽ, ro ea auertenda, magno charitatis affectu ntercedat, & iustis præbeat in posterum imi- ationis exemplum. Tertia, vt hinc digito tan- i possit, quanti Deus iustos faciat, quantaque n amicorum suorum gratiam, erga grauissi- nos peccatores indulgentia vtatur.

clamor, inquit, a *Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum st nimis.* Duæ tantum ciuitates nominantur è quinque, quæ reliquas vt potentia & opibus, ita flagitijs anteibant: vt significat Chrysostomus Et in Ezechiele *b* Sodoma ponitur quasi mater siue Metropolis, reliquæ appellantur filiæ. Est autem clamor, clara & constans fama, cum homines aliqua de re non mussitant in angulis, sed clare & aperte vbique loquuntur, aut conqueruntur: qualis fuit Israelitarum clamor, quem ad se quoque Dominus peruenisse dicit. Dum autem Angeli se aiunt descendere velle, & de criminis veritate inquirere, Iudices docent, ne nisi re plane explorata, sententiam ferant. *Conuerterunt* autem illi *se inde, & abierunt Sodomam* versus. Videtur significare Moses, Angelos conuertisse se ad Abrahamum, qui vna gradiebatur, ad ei valedicendum, eumque remittendum ad tabernaculum suum. Sed ab Abrahamo tantisper retenti sunt, dum pro peccatoribus illis oraret.

Quæ oratio plena est suauissimæ atque ingeniosissimæ charitatis *c*, dum specie iustorum seruandorum, vult etiam peccatoribus veniam obtinere. Et primo quidem præ se fert solis le iustis incolumitatem flagitare, puta 50, si forte reperiantur; tum delabitur eò, vt non illi soli à clade eximantur, sed vt propter illos toti ciuitati, puta Sodomorum, vbi Lot habitabat, veniam imploret, tum propter 45. tertiò propter 40 quartò propter triginta, quinto propter viginti, denique vsque ad decem deuentum est: quos oportet non esse inuentos Sodomis, sed vnum tantum Lot cum filiabus; qui propterea inde educti sunt. Infantuli autem quid? ne ipsi quidem iusti erant, sed filij iræ, & peccato originis obnoxij. Neque enim parentum infidelium fide, aut sacrificijs dæmonibus oblatis, miselli poterant iustificari. *Abijitque Dominus postquam cessauit loqui ad Abraham*, & quidem cum socijs, sed mox regresso in locum suum Abrahamo, ille, qui Domini personam sustinuerat, reuolauit in cœlum, *Duo* d reliqui *Angeli vespere Sodomam venerunt.* v. 33.

Quæ autem peccata illam, eiusque socias perdiderint, facile est ex Scriptura colligere: Eminent autem libido præpostera, superbia, gula, quam Ezechiel *e* vocat saturitatem panis, & abundantiam, qui luxus quoque est in affluentia rerum omnium. Accedebat otium, inhumanitas, iniustitia & contumeliosa improbitas in homines, & impietas in Deum, quę in Annalibus paulò fusius explicantur *f*. Hæc ergo crimina Sodomam, sociasque ciuitates in perniciem egerunt: hæ causæ horribilis deflagrationis & tragœdiæ, quæ seculis omnibus iustissimum terrorem incutiat. Diuina porro factum est prouidentia, vt nefarij homines in illos ipsos contumeliosi essent, quos modis omnibus placatos oportuisset; vtpote quorum manibus diuina fulmina commissa erant. Et vice versa Lot nihil minus cogitans, in illos officiosos fuit, à quibus maximum accepturus erat beneficium.

XVI. Quæ fuerint eorũ peccata.

d c. 19. 1.

e c. 16. 45

f n. 35. & seqq. ad 44.

Venerunt ergo *duo Angeli Sodomam vespere* d, *sed ante Lot in foribus ciuitatis*, & scilicet patris exemplo præstolante, vt aliquem peregre venientem hospitio acciperet. Nam cum *vidisset eos, surrexit, & iuit obuiam eis. adorauitque pronus in terram.* Eximia quadam specie commendabiles fuisse apparet, qui ita dudum ab Abrahamo, & nunc à Loto, tam in primo congressu, quam in sermonis progressu honorarentur. Iosephus *g* vocat adolescentes forma præstantes. Id videlicet hircos illos in furorem egit, impulsum etiam internum in vtroque Patriarcha par est confiteri, & opinionem de ijs humano fastigio superiorem. Præuenit etiam eos Lot, veritus ne in malum inciderent hospitem. Sed ad summissionem actionis, adiecit insigne verborum modestiam. Dixit enim, *Obsecro domini, declinate in domum pueri vestri*, ibique pernoctantes recipite consueta hospitalitatis officia; *& mane proficiscemini in viam vestram*. At illi *minime*, inquiunt, *sed in platea manebimus.* Ex quo apparet hæc in æstate contigisse, quando solent iuuenes noctes sub die obambulantes traducere.

XVII. Angeli Sodomis à Loto excipiuntur.

g l. 1. c. 11.

Non dicunt se alterius cuiuspiam hospitium accepturos, ne illum illi inurbanè prætulisse viderentur. Lot autem qui sciebat neminem esse in tam execrãda ciuitate, ad quem possent tuto diuertere, multo autem minus in pla- ea

XVIII. A populo obsidentur.

ab im-

ab improborum petulantia & contumelijs immunes fore, non inuitauit vltra, sed *compulit illos oppidò, vt diuerterent ad eum.* Ingressisque domum illius fecit conuiuium, & coxit azyma, similagineos scilicet panes, vt in prandio Abraham. *Prius autem quam irent cubitum, viri ciuitatis vallauerunt domum, à puero vsque ad senem, omnis populus simul.* In Hebræo est, *omnis populus ab extremo*, scilicet vrbis; cò enim concurrerent ab extremis vrbis locis. Omnis ergo ciuitas *Circumfusa ruit, certatque illudere captis.* Vt non mirum sit diuinam patientiam, tam truculentarum bestiarum immanitate victam, cessisse iustitiæ. Necdum finis: vocauerunt quippe Lotum, eumque nequitiæ suæ, quam canina impudentia palam eulgabant, participem esse voluerunt, & hospitij, & naturæ iurium violatorem.

XIX. Lot eos placare conatur.

At bonus hospes pro suis peregrinis sollicitus, negligens sui, foras vocatus egreditur, post tergum occludit ostium, ne receptum quidem liberum sibi relinquens, ne isti Corybantes facto impetu domum irrumperent: tum blanda oratione furentes mitigare nititur, paratum se potius exhibens ad ferendã domesticam ignominiam, quam ad iura hospitalitatis atrociore scelere violanda. Multa his hoc loco à plerisque Loto intenditur, de filiabus oblatis insanis illis cynædico furore bacchantibus. Qua in re valde assentior Caietano, Lotum furentem populum hyperbolica summissione placare, voluisse, certum non acceptaturum populum huiusmodi oblationem, quod filiæ eius sponsæ erant ciuium Sodomæ, & quidem, vt apparet, Primariorum. Itaque non magis peccasse videtur, quam Dauid cum dixit Ionathæ a, *si est iniquitas aliqua in me, tu me interfice, & ad patrem tuum ne introducas me.* Eadem hyperbole dixit Ruben Patri b, *Duos filios meos interfice, si non reduxero illum tibi.* Et Moses Deo, *dele me de libro tuo quem scripsisti.* Eadem fortasse Paulus d optauit esse anathema à Christo pro Iudæis, sed redeamus in viam.

Quomodo filias offerat, nec peccet.

a 1. Reg. 20. 8.

b Gen 42 37.

c Exod. 32. 32.

d Rō. 9. 3.

XX. Illi cæcitate percutiũtur.

Nihil illi persuasi, insanire pergunt, abscedere à ianua iubent, verbis insultant, intentant minas. Denique vim faciebant Loto vehementissimè, iamque prope erat vt effringerent fores. *Et ecce miserunt manum viri*, aperto tantisper ostio, *& introduxerunt ad se Lot*, etsi poterant incolumen inter furiosos conseruare, vtpote quos iam cæcitate percussuri erant, & inhabiles ad ei nocendum reddituri. Introducto Loto, clausoque ostio, *eos qui foris erant percusserunt cæcitate à minimo vsque ad maximum, ita vt ostium inuenire non possent.* Eam cæcitatem Septuag. ἀορασίαν vocant, quæ nullum oculis vitium inferebat, sed ostium videre prohibebat, eo nullam speciem visibilem ipsorum oculis emittente. Ergo cum alia viderent, ostium videre non possent, nec suam agnoscerent cæcitatem, ostium frustra quærendo defatigati, irrisi irritique abierunt.

XXI Angeli Lotum prò cognatis eius monent.

His angustijs Lot expeditus opera suorum hospitum, quibus vnis maxime timuerat, non ægrè agnouit eos, quos adhuc homines crediderat, super homines esse. Illi autem qui eum à maiore etiam malo liberare cupiebant, monent vt omnes suos, qui eum affinitate, aut consanguinitate contingerent, ex vrbe secum educeret. *Delebimus enim* inquiunt, *locum istum, eo quod increuerit clamor eorum coram Domino, qui misit nos, vt perdamus illos.* Obedit Lot Angelis, & ea ipsa nocte domo egreditur; generos adit qui filias eius accepturi erant: iubet de lecto surgere, & ab imminenti clade liberari. At miseri, quibus vltimus esset ille dies, ludere illum, non serio loqui credentes, salutare consilium aspernati sunt. Nullum quippe videbant apparatum ad tam vicinam cladem. Ideo illum, visis quibusdam, aut panico terrore ludificatum putabant, qui nocturnus obambularet, & turbaret alienam quietem.

v. 13.

Qui negligunt monentem.

Lot infecta re domum redit, & fortasse nonnihil, propter recentia generorum ludibria, de imminente clade subdubitans; fortasse etiam amore bonorum suorum in vberrima regione retentus, vt differit Rupertus e, & gemina quasi compede præpeditus, lentior redditus cunctabatur, adeo vt pene per vim ab Angelis domo eductus sit: iucunda gratiæ retributione. Nam per amicam vim domum inducti fuerant, vt immunes fierent à peccatorum petulantia: Nunc, vice versa, ab ijs per vim Lot educitur domo, vt immunis fiat à peccatorum pœna. Quid plura? dissimulante, siue cunctante illo, apprehenderunt manum eius, & manum vxoris, ac duarum filiarum eius. Terni videntur exisse, vno Angelo medio inter coniuges, altero inter filias incedente, eductisque extra ciuitatem, *Salua* inquiunt Loto, *animam tuam; noli respicere post tergum, nec stes in omni circa regione, sed in monte saluum te fac.*

XXII. Lot cunctatur.

e l. 6. in Gen. c. 10

Cum do ctis educitur.

Prohibetur Lot, cæterique domestici, retro in hac fuga respicere, siue ad significandum summa festinatione opus esse, quæ respectando impeditur, siue ad maiorem detestationem pereuntium, quos Dominus ne bonorum quidem virorum aspectu, nedum commiseratione dignatur. Siue ad docendum oportere timentes Deum à locis personisque impuris celeri se fuga propripere; siue ad reuerentiam iudiciorum Dei, quæ licet humana æstimatione atrocia videantur, minime tamen curiosè respectanda sunt, sed cum Dauide potius demissa ceruice dicendum f, *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.* Prohibentur etiam in circumposita regione subsistere, quia tota vallis funditus perdenda erat, in qua erant quinque ciuitates, vt probat nomen pentapoleos, Sodoma, Gomorrha, Adama, Saboim & Segor. Sed Segor, quæ prius Bala dicebatur, & nomen Segor, id est parua, Loto pro ea deprecante sortita est, in extrema erat valle, in aditu montium, ad quos clades non erat peruentura; sed cum pro ea rogaret Lot, causatus difficultatem adeundi montes homini seni, ductorique fœminarum, veniam impetrauit. Statuerat quidem Dominus non subuertere illud oppidum præuisis Loti precibus, ideoque illum ad orandum incitauit, quod si non orasset, vtique illa perijsset, aliudque de illa decretum in diuina mente antecessisset.

XXIII. Cur retro aspicere prohibeatur.

f Psal. 18.

Lot erat protegor

v. 21.

Dixit ergo Angelus. *Ecce etiam in hoc suscepi preces tuas, vt non subuertam vrbem pro qua locutus es.* Quoniam ergo factus es voti compos, *festina, & saluare ibi, quia non potero facere quidquam, donec ingrediaris illuc.* Non explicat

XXIV. Et voti compos iubetur ad eam festinare.

tione mulierum Ægyptiarum, quæ passim cute nigriore, capillo crispo ac breui, præminentibus labris, felleis oculis, dura carne erant, & toto corpore ad seruitutem nato? At ὁ num tam præpostero iudicio futuri erant Ægyptij, vt homicidium præ adulterio leue crimen ducerent, & vt hoc vitarent, illud perpetrarent? Intelligebat potiùs Abrahamus Ægyptios neutrum crimen reformidaturos, sed per mariti cædem, qui alioqui impediturus, aut vlturus adulterium videbatur, tutam illos & facilem viam ad pudicæ matronæ dedecus munituros. Denique neque mentitus est, neque mendacium suasit Abraham, sed sororis vocabulo ambiguè vsus est, Ægyptijs eam vocem de germana sorore intelligentibus, Abrahamo vero de nepte, quæ soror quoque appellatur ab Hebræis. Hac ergo cautione muniti, extremo anno in Ægyptum perueniunt.

ANNVS MVNDI. 2115.

ABRAHAMI 77.

NINYÆ 25. Imperij Assyriorum 184.

ANTE CHRISTVM 1938.

INgressus Abrahæ in Ægyptum obscurus esse non potuit, siue quod iam fama de tali viro præcurrerat, qui & sapiens, & opulentus, & grandis natu cum esset, plurimaque stipatus familia, deserta patria, in alieno solo peregrinaretur: siue quod hæc ipsa in conspectu iam posita, ipsa insolentia admiranda videbantur. *Cum itaque*, inquit Moyses, c. *ingressus esset Abram Ægyptum, viderunt Ægyptij mulierem quod esset pulchra nimis; & nunciauerunt principes Pharaoni, & laudauerunt eam apud illum, & sublata est mulier in domum Pharaonis*, vtique animo potius, quam corpore reluctante, vt quæ per vim abduci potuisset, & non ignoraret quantum ipsa, & vir eius adirent periculum. Cum autem Sara Regis vxor futura crederetur, & ob insignem pulchritudinem, plurimum gratia apud ipsum valitura, & idipsum quoque de ipsius fratre speraretur, plerique passim eius gratiam beneficijs sibi parare conati sunt. *Itaque Abrahamo bene vsi sunt propter illam*: Eoque pertinet quod sequitur, *fueruntque ei oues, & boues, & asini, & serui & ancillæ*: & in his vigar Ægyptia, *& asinæ & cameli*. Sed hæc à lege data Abrahamo sororio satis docet textus Hebræus, *Et ipsi Abram benefecit*, nimirum Pharao, *propter eam*.

Res erat ad vltimum iam adducta discrimen, cum Dominus famulo suo opportunissimè opem tulit, & vtrumque coniugem ab infamia & dedecore liberauit. Flagellauit enim Dominus Pharaonem plagis maximis, & domum eius, propter Sarai vxorem Abram. Quibus autem plagis? Explicat Philo *d*, *Tunc* scilicet cum Sara ad Deum precibus confugisset, *propitius Deus, factusque patientium iniuriam protector, graues pœnas & cruciatus ingessit regi, ita vt amorum & voluptatum oblitus, huc illuc diuersas agitaret curas: quemadmodum facile euadere posset è tormentis, quibus sine intermissione dies noctesque afflictabatur.* Ita Philo. *Itaque venator*, ait Theodoretus, *habens inter retia prædam, capta frui non potuit, quia morbus impediuit*. Neque alia mens S. Augustini fuit, neque Chrysostomi. Quæ ratio conseruatæ Saræ pudicitiæ, cæteris, quas Iosephus & alij Hebræi, & Eupolemo apud Eusebium *e* proferunt, longe præstat.

Ergo Pharao Abraham euocat ad se, eique cum miti querela restituit vxorem suam. Et mirum sane videatur Pharaonem non acerbius cum Abrahamo expostulasse, aut etiam supplicijs exantlatis exacerbatum, supplicio in illum non animaduertisse. Sed nimirum qui eum de tota re docuit, etiam conterruit, ne asperius aliquid aut diceret, aut moliretur; vt de Labano in Iacobum ira fremente legimus *f*, & significat hom. 32. Chrysostomus. Imò & officiosum esse docuit, vt qui studiosè curarit, ne qua eis iniuria fieret a popularibus suis, quæ in regis ipsius caput redundaret. Neque parum etiam credibile est, factam illi potestatem multos camelos, atque asinos frumento onerandi, & exportandi in Chananitidem, quando illum muneribus ac diuitijs locupletatum scribunt Iosephus, atque Chrysostomus: consentanea ijs quæ mox à Moyse de auro & argento Abrahæ dicuntur. Quæ autem de tradita Ægyptijs ab Abrahamo Astrologia dicuntur, in Annalibus *g* refutata sunt.

c lib. 9. de prap. c. 17

III. Eius ad Abraham querela, & restitutio.

f Gen. 32. 29.

ac beneficentia.

Num docuerit Ægyptios.

g Ad Abraham 77. n. 9.

ANNVS MVNDI. 2116.

ABRAHÆ 78.

NINYÆ 26. Imperij Assyriorum 185.

ANTE CHRISTVM 1937.

TRansacta in Ægypto hyeme, & bona parte veris, reuersus est Abraham in Chananitidem cum suis auctior familia, diuitijsque locupletior: regressusque est per eadem mansiones, & hospitia, per quæ in Ægyptum descendendo transierat, maximéque ad locum vicinum Bethel, & in eodem altari inuocauit nomen Domini: & videlicet sacrificium gratiarum actionis obtulit Deo.

I. Abrahæ reditus ex Ægypto.

Narrat deinceps Moses separationem Abrahæ à Loto, ab Abrahamo propositam, conseruandæ charitatis gratia, patruum inter ac nepotem: quam vtriusque pastores rixando inter se labefactare poterant, dum suos, vt fit herus vterque pastores tuetur. Distuli porro ne hunc annum separationem hanc, quod crediderim non tam cito exortam contentionem inter pastores, nec cum exorta est repente ad heros dilatam, nec ad primam querelam, statim illatum de separatione sermonem, nec cum illatus est, statim executioni mandatum. Experimento enim didicisse poterat Lot, Deum sibi benefacere propter Abraham, cuius tamen petitionem pacis causa boni consulebat. Itaque cum iam dudum bonorum facta esset separatio, locorum quoque hoc tempore instituta est, ne deinceps alter alterius incrementis officere putaretur. Ita autem illa separatio intelligenda est, vt vterq;

II. Et separatio à Loto.

ſeorſim vteretur conductis à Chananæis ædibus & paſcuis: Iſti enim Domini erant locorum, Abrahamus & Lot, aduenæ & inquilini.

III. Lot optio.

Quando ergo ſeparatio neceſſaria videbatur, & ſenior iuniori optionem offerebat, ne quo modo ſe ab illo circumuentum ſuſpicari poſſet, elegit Lot regionem circa Iordanem, quam idem fluuius irrigatione fœcundam reddebat, ſicut Nilus Ægyptum, aut ſuus olim fluuius paradiſum. Hebræi porro Loto vitio vertunt, quod apud Sodomitas habitare voluerit, qui a *peßimi erant, & peccatores coram Domino nimis*, vt ait Scriptura, id eſt publici peccatores, & de ſumma turpitudine infames: quæ ſi culpa fuit, non diu caruit pœna ſua. Cæterum Philo dum ſtudet Abrahæ, iniquior videtur in Lotum, in eumq; culpam deriuat paſtorum inter ſe rixantium, quod ex Scriptura probari non poteſt: & cum Catholici ſcriptores ſanctum appellare non dubitant. Vide Toſtatum in hunc locum *b*.

a Gē. 13. 13

b q. 40. in c. 11.

IV. Quarta Dei apparitio & promiſſio facta Abrahæ.

Cum autem Lot ab Abrahamo ſeparatus eſſet, noua facta eſt apparitio, & promiſſio Domini ad Abraham, vt is intelligeret prius factam ipſi promiſſionem, Lotum, eius-ve progeniem non comprehendere. Eſt autem hæc promiſſio terræ, ſuperiore longe magnificentior. Cùm enim ibi tantum dixiſſet *c*, *Semini tuo dabo terram hanc*: hìc, *Leua*, inquit *d*, *oculos tuos, & vide à loco, in quo nunc es*, circa Bethel *ad aquilonem & meridiem*, verſus Syriam & Ægyptum, *ad orientem & occidentem*, verſus Euphratem, & mare Mediterraneum, vt infra quoque repetitur *e*: *omnem terram quam conſpicis, tibi dabo, & ſemini tuo vſque in ſempiternum*. Quod non totum hoc ſpatium occuparint, culpa eorum fuit, vt alio loco dicetur. Non dedit quidem terram iſtam Abrahæ in perſona propria, vt conſtat ex oratione S. Stephani *f*, vbi negat In ea terra datum Abrahæ, quantum eſt pedis veſtigium. Ei tamen dedit, quia ſemini eius propter ipſum dedit.

c Gē. 17. 7
d Gē. 13. 14
e c. 15. 18.
f Act. 7. 5

V. Quę illi⁹ diuturnitas.

Sed quomodo in ſempiternum, cum à mille & ſexcentis pene annis ex ea terra funditus exterminati ſint? *Et eſt ſenſus*, inquit Caietanus, *quamdiu erit ſemen tuum, dabo ei terram hanc, vnde cum deſierunt eſſe ſemen Abrahæ, perdiderunt terram illam*. Et primum quidem maxima ex parte, quando inde translatæ ſunt decem tribus. Deinde ex integro, cum à Nabuchodonoſore euerſa eſt Hieruſalem, illicq; conceſſu Perſarum, Græcorum, Romanorum precario habitarunt. Poſtremo inde ſine vlla ſpe reparationis eiecti ſunt, poſt Meſſiam ſuum ſceleſtiſſime trucidatum. Tunc enim penitus deſierunt eſſe ſemen Abrahæ, vercq; dictum eſt illis *g*, *vos ex patre diabolo eſtis*. Nam ſcite R. Salomon, vt refert Abulenſis in hunc locum, dicebat Deum comparaſſe filios Abrahæ ſtellis cœli, & terræ pulueri, ad vtrumque eorum ſtatum, virtutis ſcilicet, atque improbitatis deſignandum. Quamdiu enim iuſti fuerunt, & diuinæ legis obſeruatores, inſtar ſtellarum fuerunt, quas nemo lædere poteſt; quando autem facti ſunt improbi, vt puluis terræ facti ſunt, qui in omnem ventum diſpergitur, & ab omnibus conculcatur, & impletur illud Dauidicum *h*, *Et comminuam eos, vt pulueremam ante faciem venti, vt lutum platearum delebo eos*. Nam in omnes diſperſi regiones, miſerabilem vbique ſeruitutem ſeruiunt.

g Ioan. 8. 39. 44.

filij Abrahæ ſtellæ, & puluis.

h Pſ 17. 34

ANNVS MVNDI 2117.
ABRAHÆ 79.
NINYÆ 27. Imperij Aſſyriorum 186.
ANTE CHRISTVM 1936.

DAmus hunc annum nouæ Abrahami demigrationi, de qua Moſes, *Mouens*, inquit *i*, *tabernaculum ſuum Abram, venit & habitauit iuxta conuallem Mambre, quæ eſt in Hebron, ædificauitq; ibi altare Domino*. Tertium hoc altare, nouum eſt teſtimonium pietatis Abrahæ, in gratiarum actionem de poſtrema apparitione, & promiſſione Domini, vt placet Chryſoſtomo *k*. Poſſumus etiam exiſtimare Abrahamum, qui eo loco diutius habitaturus erat, (etſi ex diuino nutu pendens, ad omnem illius oris auram mobilis erat, ideoq; neque domos ad habitandum, neque agros ad perpetuum vſum ſuum emebat) de diuino primum cultu cogitaſſe, ad ſuam, totiusq; familiæ ſuæ ordinariam conſolationem. Diuturnioris etiam moræ indicium eſt, quod nunc primum cum terræ huius incolis fœdus init, vt collatis ſtudiis, viribusque, facilius ab hoſtium potentia, atque iniuriis ſeſe tuerentur.

I. Abrahæ migratio in Hebrō i Gē. 13 ſ.

k Hom 34 in Gen.

Tres enim fratres, Mambre, cuius erat prædicta conuallis, Eſcol & Aner ſibi fœdere copulauit, vt ex cap. ſequenti *l* certum eſt. Idq; factum videtur hoc anno, quem numeramus 13. ex quo Chodorlahomor reges Pentapoleos ſibi ſubiugarat: & quidem factum occaſione rupti ab illis fœderis, cum Rege illo Elamitarum. Cum enim Hebron non multū diſtaret à Pentapoli, veriti Hebronitæ principes, ne clades illorum in ſeipſos redundaret, libentes Abrahamum virum potentem, & ſapientia celebrem, & bello fortem ſibi aggregarunt *m*. Porro ab hac ſocietate iſtorum quatuor principum nomen ciuitati Hebron datum, indicat ipſum nomen, quod vertitur Societas, quod alij *n* ab Heber ductum malunt. Ab iiſdem quatuor viris eidem vrbi datum eſt nomen Cariath Arbe, id eſt Ciuitas quatuor. Sed ea de vrbe plura leges in Annalibus *o*, & apud Bolducium l. 3. c. 3. de Eccleſia ante legem. Vbi Cariath Arbæ, pro Cariath Abræ dici ait, quod ea ciuitas hoc nomen ab Abrahamo acceperit, à quo ibidem torquata militia inſtituta fuerit, eorum qui inde filij Enac, vel Enacim dicti ſunt. Quæ ſi minus vera ſunt, non ſunt inconcinne inuenta.

II. Et fœdus initum cum Hebronitis. l c. 14. 13.

m Serar. in 4 Iojue Hebron vnde dicta.

n Bolduc. l. 2. c. 10.

o Vide an. m. 19. n. 99. & hoc anno n. 4.

ANNVS MVNDI 2118.
ABRAHÆ 80.
NINYÆ 28. Imperij Aſſyriorum 187.
ANTE CHRISTVM 1935.

PVgnat hoc anno Chodorlahomor, eiusq; ſocij reges contra Pentapolitas, quos expugnant & ſpoliant, moxq; ab Abrahamo, vice verſa, expugnati ſpoliantur *a*. Ratio

I. Bellum Chodorlah. cōtra Pentap. a Gen. 14 1. 2. &c.

temporis ex iis pendet, quæ anno Abrahæ 67. diximus : est enim hic annus ab eo decimus quartus. De quo sic loquitur Moses : *Duodecim annis seruierant*, Pentapolitæ pendentes tributum regi *Chodorlahomor*, *& tertio decimo anno recesserunt ab eo* : pertæsi tributariæ seruitutis, *Igitur decimo quarto venit Chodorlahomor*, &c. quibus verbis etiam causa belli huius continetur. Iterata assertio in seruitutem. Verum si mentis oculos in Pentapolitas conuertamus, & cogitemus *homines peßimos*, *& peccatores coram Domino nimis*, facile erit intelligere hæc verba, non sine diuina prouidentia contigisse. Prima verba senserunt cum ante quatuordecim annos amiserunt libertatem ; secunda hoc anno, cum amiserunt omnia bona sua. Sed vide diuinæ prouidentiæ dulcedinem; antequam ad extrema procederet, Lotum ad eos misit, qui verbo & exemplo, illos ab immanibus flagitiis reuocaret : misit Abraham, qui omissa bona recuperaret & redderet. Vbi neque virgæ, neque oscula profuerunt, secutum est incendium.

eiusque causa.

II. Qui belli socij.

Autores Belli huius fuerunt Persæ, qui & Elamitæ dicuntur, duce Chodorlahomore, cui suppetias tulerat Amraphel rex Sennaar, id est Babyloniæ, quæ hoc tempore subiecta erat Assyriis, apparet hunc, qui Rex appellatur, fuisse Babylonis gubernatorem, subiectum Ninyæ, qui omnia per præfectos suos administrabat, vt supra ex Diodoro diximus. Cæteri quoque Reges sub auspiciis regis Elamitarum in hoc bellum profecti sunt, vt Scriptura aperte significat, quamuis Amraphel dignitatis nomine primo loco ponatur. Hi ergo contra quinque ciuitatum reges arma sumpserunt, & conuenerunt in vallem syluestrem, consitis videlicet arboribus amœnam : quam vallem falsam ab euentu Septuaginta vocant *b* cui Vulgata consentiens, *quæ*, inquit, *nunc mare salis*, quod & mare mortuum dicitur, eo quod nihil in eo dicatur posse viuere. Ante quam autem Pentapolitanos aggrederentur, populos illis ab oriente & meridie positos deuastarunt.

b Gē 14.3.

III. Ignauia Pentapolitanorū.

Quæ regiones cum valde late pateant, & totam pene Chananitidem ab oriente & meridie cingant, non potuerunt paucis diebus ab hostili exercitu percursari, ac deuastari. Ex quo intelligitur diuina in Pentapolitanos indulgentia, quę eos interea alieno malo sapere volebat, & emendari. Intelligitur etiam eorum vel ignauia, vel iustus metus, qui cum à tempore defectionis, ad bellum non dubium parati esse debuissent, & nunc alacres hosti venienti occurrere, vix tandem ex suis vrbibus egressi sunt, *direxeruntq; aciem contra eos* in suburbiis suis, valle scilicet syluestri. Nimirum libido non molles solum & ignauos reddit homines, sed stupidos etiam ac vecordes. Ergo pararunt prælium in propinqua valle : cuius multos bituminis puteos idcirco memorat, quod is locus electus putetur, vt hostes locorum ignari, iis per imprudentiam absorbeantur; quod tamen potius plerisque Pentapolitanorum terga vertentibus, & præcipiti pauore fugientibus, exitio fuisse merito creditur.

c l. 1. Ant. c. 9.

IV. Assyrios fuisse hoc enim nomine Iosephus *c* omnes istos regulos comprehendit, obtenta victoria, non diu fugacibus hæsere tergis, sed ad prædam conuersi, tulerunt omnem substantiam Sodomorum, & Gomorrhæ, & reliquarum videlicet vrbium, & vniuersa quæ ad cibum pertinent, & abierunt. Egregie pugnatum ait Iosephus à Sodomitis contra Assyrios, quod de hominibus luxuria perditis parum probabile arbitror. Certe Scriptura non pugnam, sed fugam duntaxat, & casum memorat. Et Chrysostomus *d* ait Assyrios hostes suos, etiam aspectu suo in fugam vertisse, quæ est Philonis *e* quoque sententia. Abduxerunt autem & Lotum, qui habitabat in Sodomis, omnesq; fortunas illius. Quod à Deo permissum ait Chrysostomus, vt Patriarchæ virtus, & gratia apud protectorem Deum, in eo liberando monstraretur; qui fortasse illo non capto non sumpsisset arma : Et vt diuino iudicio patientur acquiescamus, dum permittit impios euadere laqueos venantium, & iustos in tentationem cadere. Nam his cum tentatione victoria præparatur, illi ad incendium reseruantur.

Assyriorū victoria & præda.

d hom. 35. e lib. de Abraham.

Sed iam Lotum cladi eripiamus. Quidam enim qui eam euaserat, rem nunciauit Abram Hebræo, περάτῃ habent Sept. allusione facta ad notationem vocis Heber, siue ad innuendum obiter genus Abrahæ, siue ad distinctionem principum Hebronitarum, qui hic memorantur, qui cum Abrahamo fœdus superiore anno pepigerant, vi cuius fœderis, nunc Abrahæ commilitones facti sunt, vt patet ex fine capitis huius; etsi Philo, vt glorioliorem reddat Abrahæ victoriam, commilitonibus caruisse dicat. Abram igitur clade nepotis sui cognita, *numerauit expeditos vernaculos suos trecentos decem & octo*, *& hostem persecutus est vsque* ad oppidum *Dan*; quod in extremis Iudææ finibus, ad Iordanis fontes situm est. Hic porro numerus famulorum Abrahæ, qui domi eius nati erant, aperte docet quanta esset eius familia. Nam illi, vt Caietanus notat, post Ambrosium atque Chrysostomum, electi sunt de multis ad pugnam idonei, relictis domi senibus, paruulis, inualidis, mulieribus, emptitiis etiam, vt Philoni placet, ad curam tot animalium, & domesticum ministerium necessariis.

V. Abraham parat liberare Lotū

οἰκογενεῖς.

Nec est quod Porphyrius aliquis, aut Iulianus Scripturam in hoc seruorum numero suspectam habeat. Recordetur Tiberium Minucium Romanum equitem quadringentos seruos domesticos armantem *f*. Turbam seruorū M. Crassi, ad quingētos autore Plutarcho *g* excurrentem. Demetrium Pompeij magni libertum, cui quotidie seruorū numerus, velut Imperatori exercitus, Seneca *h* teste referebatur. Hermetem præfectum vrbis, & Quinium Gallicanum, vtrumq; Martyrio coronatum: quorum ille in die sancto Paschæ 1250. seruos manumisit: iste quinque millia. Octo etiam millia Melania iunior apud Palladium, quæ, aliaq; plura studiosè collegit Laurentius Pignorius, in Commentario pererudito de Seruis. Sed omissis Ilotis, redeamus ad Spartam.

VI. Eius seruorū copia confirmatur.

f Diodor. l. 36.
g in eius vita.
h l. de tranquil. An. c. 8.

Quinque dierum fuisse hoc iter scripsit Iosephus *i*, idq; fere cum Adrichomij tabulis congruit. Cæterum vt Abrahæ fortitudini cooperaretur industria, *diuisit socios*, vt pluribus ex

VII. Abrahami prudētia & victoria.

i l. 1. Ant. c. 10.

locis

locis simul hostes incautos inuadens, & perturbationem inferret, & auferret elabendi facultatem. Deinde *nocte irruit super eos*, vt facilius inermes semi-somnes, quietos, & nihil minus, quam de hoste & pugna cogitantes, opprimeret: neque illi paucitatem hostium agnoscere possent, & conscium suscitare virtutem. Ergo cum omnia clamoribus, & confusione plena essent, & cuncta cædibus miscerentur, omne præsidium in nocturnis latebris, & fuga posuerunt: quos nihilominus sequenti luce, vt ait Iosephus *a*, *persecutus est* Abraham *vsque Hoba, quæ est ad Lænam Damasci.* Inde victor cum suis ad locum reuertitur, in quo hostem oppresserat, locum spoliis hostium, & præda, ab iis dudum ex tot populis corrasa & congesta, opulentum, *reduxitq; omnem substantiam, & Lot fratrem suum cum substantia illius, mulieres quoque & populum*; nc vno quidem suorum amisso, vt ait Philo, auctusq; ingenti equorum & iumentorum numero.

a l. 1. c. 10

Septuag. τὰς ἵππους equitatũ.

Egressus est autem rex Sodomorum b, Baram antevocauerat, qui se mortis periculo strenue fuga subduxerat, moxq; desolatam vrbem, fœdissimæ nequitiæ gantam, repetierat. Inde egressus, audita Abrahami victoria, venit *in occursum eius*; siue tam insignem gratulaturus victoriam, siue sua, suosq; è captiuitate reduces recuperaturus. Verum non vnus Bara venit obuiam Patriarchæ. Venit enim & *Melchisedech rex Salem, proferens*, siue offerens in sacrificium gratiarum actionis Deo *panem & vinum; erat enim Sacerdos Dei altissimi, & benedixit ei*; Abrahamo videlicet, à quo, vice versa, decimas omnium accepit, vt interpretatus est Apostolus *c*.

b c. 14. 17.

VIII. Abrahæ facta gratulatio.

c Hebr. 7. 2. Præsertim à Melchisedecho.

De hoc autem Dei Sacerdote, & rege Salem, quæ postea Hierusalem dicta est, non leuis est controuersia, fuerit-ne Sem primogenitus Noë, qui adhuc erat in viuis, vt ex anni huius indice constat. Partem aientem non pauci tuentur, Hebræi in primis apud Hieronymum *d*, & Isidorum; sed eam traditionem non esse valde antiquam argumento est Iosephus *e*, qui cum alioqui totus sit in laude suæ gentis, non tamen hunc aut Semum, aut ex Semi gente aliquem esse dixit, quæ est omnium Abraamitarum origo, sed Chananæorum dynastam, qui patria lingua Rex iustus appellatus sit. Eandem traditionem ignorauit & Philo, qui cum sæpius regem illum laudauerit, nunquam tamen ad suam gentem pertinere dixit.

d in Trad. in Gen. e l. 7. de Bello c. 18

IX. Eũ fuisse Chananæum communi cõsensu. f Ep. 126. ad Euagr.

Dicimus igitur Melchisedechum Chananæorum ex gente oriundum, alium ex Semo extitisse. Hæc communis Patrum sententia est. Nam Hieronymus *f*, *Vertime*, inquit, *ad Hippolytum, Irenæum, Eusebium Cæsariensem, & Emisenum, Apollinarem quoque nostrum, & Eustathium, qui primus Antiochenæ Ecclesiæ Episcopus, contra Arium clarissima tuba bellicum cecinit, & deprehendi horum omnium opiniones, diuersis argumentationibus ac diuerticulis, ad vnum compitum peruenisse, vt dicerent Melchisedech hominem fuisse Chananæum, regem vrbis Hierosolymæ*, &c. Idem sentit magnus ille Areopagita *g*, qui eum ex gentibus conuersum ait, Angelorum ministerio, sicut & seipsum. Idem Epiphanius, qui se id chronologica ratione demonstrasse putat. Idem Procopius, qui contrariam opinionem stultam putat, & impossibilem. Idem S. Martyr Ignatius; quem enim virginem fuisse asserit, omnino Semum fuisse negat. Idem Theodoretus, qui etsi genus eius ignotum ex Apostoli sententia fatetur, verisimile tamen putat eum ex illis ortum gentibus, quæ Palæstinam incolebant, vt qui ibi Rex esset, & Sacerdos. Idem Iosephus sensit, & sine dubio Philo, vt diximus. Idem Chronicum Alexandrinum & Suidas, qui etiam addit eum in Salem annis regnasse 113. perq; omnem ætatem fuisse virginem. Accedunt ex recentioribus, Pererius, Ribera, Iustinianus, Del-Rio, & alij.

g l. de Cal. Hier. c. 9.

X. Probatur ratione non esse Semum.

Probatur autem hæc sententia. Nam cum constet ex multis Scripturæ locis, totam Chananitidem à posteris Chanaan fuisse possessam, eamq; illis regionem sorte obtigisse, sicut Semo regiones vltra Euphratem, vt ex Iosepho, consentaneè Mosaicæ narrationi suo loco diximus, qui fit credibile, ait Pererius, aut Semum regnasse inter Chananæos, aut Melchisedech in Chananæorum regione Pontificatum & regnum obtinentem, non fuisse Chananæum? Accedit quod Melchisedech nullam habet in Scriptura genealogiam: Semus autem eam habet, per omnes maiores, posterosq; descriptam. Habet, aiunt aduersarij, genealogiam sub nomine Semi, non sub nomine Melchisedech; quasi de nomine quæstio sit, non de homine ipso: hominis autem, si ille fuit Sem, & genus & anni in Scriptura traduntur. Sed hæc aliaq; id genus in Annalibus pluribus refutata reperies.

Neq; Henochum.

Maneat ergo Melchisedechum alium plane esse à Semo; ex quo etiam sequitur, Melchisedech non esse cognomen Semi, ipsi attributum, ad commendationem iustitiæ eius, sed esse nomen eius proprium, tametsi nominis significatio, personæ moribus, & virtuti congruat. Non defuit etiam nuper, qui noua metamorphosi Melchisedechum in Henochum mutare conatus sit, quem in præfatione quinti Tomi non negligenter refutauimus.

XI. Offert Deo sacrificiũ gratiarum actionis,

Obuiam ergo processit Abrahamo Melchisedech, etsi Sacerdotij dignitate superior, ex officiosa demissione animi, protulitq; panem & vinum, non nudi conuiuij gratia, frustra quippe fieret mentio Sacerdotij eius; neque ad subueniendum necessitati exercitus, is enim minime indigebat cibariis, quippe qui recuperauerat omnem prædam, Sodomis, aliisq; ex locis sublatam, in qua magna erat ciborum copia, vt nominatim Scriptura notauit. Illud tamen Iosepho, & aliis, qui hic tantum prophanum conuiuium agnoscunt, concedi potest, Melchisedechum, postquam vt Sacerdos panem & vinum Deo, in gratiarum actionem obtulit pro victoria, eosdem etiam panes sanctificatos; tam Abrahæ quam sociis eius, edendos præbuisse; vt multo post ab Achimelecho *a* Sacerdote factum legimus, in gratiam Dauidis. Abrahæ quoque, vt famulo Dei excelsi, beneprecatur, cuius opera cedant in laudem & gloriam altissimi Dei, cuius erat ipse Sacerdos. Tum

& conuiuium populo.

a 1. Reg. 21.

& Deum laudat, eiq; gratias agit, agnoscens à Domino exercituum victoriam de hostibus esse profectam.

XII. Abrahã dat ei decimas.

Vice autem versa nouus Imperator Pontifici dedit partem Deo dicatam ac debitam, decimas de tota præda hostibus erepta. Proprie autem sumendam hoc loco decimam, quidquid dicat Caietanus, docet Chaldæa Paraphrasis; quæ decimam interpretatur vnam ex decem: neque decima aliud significat quam eam partem, quæ nonam ordine sequitur: itaq; etiam Græce & Hebraice sumitur, puta de mancipiis decimum dedit, de equis & pecoribus decimum quodque: qui mos passim legitur ab Ethnicis obseruatus, dæmone perpetuo diuina sibi iura & gloriam arrogante. Sic Leuiticæ decimæ veræ erant decimæ, quibus hasce componit Apostolus *a*. Vt sine causa videatur Caiet. improprie decimam interpretari de aliqua portione, quæ solet dici decima, licet forte sit duodecima, vel decima quinta: videriq; possit studiosius patrocinari hominum parcitati, quæ durum putare cœpit, illi, à quo decem acceperat, vnicum reddere.

a Heb. 7. 4

XIII. Et qua de præda.

Videtur autem dedisse decimas de omni præda Assyriis erepta, cum Pentapolitanorum tamen consensu, in iis, quorum domini erant, quibus gratissimum esse debuit, de decem partibus amissis, nouem recuperare, & ponere in lucro, quod præter spem reciperent, non in damno, quod Domino, & eius sanctissimo Sacerdoti largirentur. Eius autem consensus, quem dixi, perspicuum dedit indicium Rex Sodomorum, cum profectus est se personis, puta ciuibus, ac domesticis suis, contentum, cæteris omnibus cædere. Quod autem tam serio Abrahamus, atque adeo iureiurando adhibito, negat se quidquam sibi accepturum de Pentapolitanorum præda, causa est quod id Deo promiserat, dum proficisceretur ad bellum, siue vt eum in difficili victoria propitium haberet, siue vt homines intelligerent se tantum adiisse discrimen hominum salutis, non propriorum emolumentorum causa. Prudenter autem addidit, *ex omnibus quæ tua sunt*. Non enim diffitetur se prædam, quæ Barbarorum propria erat, in rem suam conuersurum. Duo tamen excipit, primo esculenta, quæ cum distingui non possent, à suis quoque famulis, pro sua parte consumpta fuerant: neque enim bobus triturantibus ora fuerant alliganda *b*. Secundo quæ in partem obueniebant sociorum fœderatorum, quorum iuribus nihil, sua ipsius abstinentia, detractum volebat. Est enim in iure gentium, vt quæ iusto bello acquisita sunt, in dominium victorum transeant.

b Deut. 25. 4. 1 Cor. 9. 9

XIV. Et eius obit.

Cæterum, quoniam neque Melchisedecis initia, neque finis notus est nobis, neque vir clarissimus consuetis talium virorum elogiis carere debet, eius gloriam, quæ maxime posita est in ipsius cum Christo Domino similitudine, & 13. capitibus continetur, pius Lector in Annalibus nostris *c* reperiet explicatam; & in epitaphio, quod ex Apostolo Paulo *d* mutuati sumus, vt sepulchro inscribi possit, ne quis illud forte fastidiat.

c an. m. 2118. n. 44 & seqq. d Hebr. 7.

Et epitaphium.

Hic situs est frommus Dei altissimi Sacerdos, vir omnino magnus, aut verius miraculum virorum. Quippe qui licet sine patre fuerit, sine matre, sine genealogia verumque habuit parentem, & vtrimque genus. Qui initio dierum carens, longe post initium temporis factus est. Qui finem vitæ non habens, vitam ita morte concluſit, vt vitam assecutus sit, cuius nullus est terminus, nullus finis. Rex fuit, sed iustitiæ simul & pacis. Pontifex fuit, dicturq; Sacerdos in perpetuum; qui in diebus carnis suæ, obtulit Deo sanctum sacrificium, immaculatam hostiam panu & vini: quo sacrificio augustius diuinusq; Filii Dei, cui assimilatus est, dedicauit Sacramentum. Non regnauit aut vixit, sed viuit & regnat cum eo, qui se dignatus est dicere Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech.

ANNVS MVNDI 2119.

ABRAHÆ 81.

NINYÆ 29. Imperij Assyriorum 188.

ANTE CHRISTVM 1954.

1. Tempus & modus visionis quintæ Abrahæ.

PAulo post prædictam victoriam, visionem Domini, quæ habetur decimo quinto Genes. Abrahamo contigisse, multorum sententia est. Quin etiam Iosepho & Chrysostomo, aliisque nonnullis visum est tam victoriam, quam visionem eodem anno contigisse. Rectius tamen visum est in præsentem annum visionem differre, post reditum Abrahami in Hebron, omniaq; pacata. Quanquam minime hoc loco de tempore litigandum censeo, cum neutram in partem tempus hic momentum vllum afferat ad turbandam Chronologiam, modo hæc visio post prædictum Bellum, & ante natiuitatem Ismaëlis collocetur. Eam autem noctu contigisse, ex eo facile colligitur, quod Dominus educit Abrahamum foras extra tabernaculum suum, eiq; cœlum ostendens, stellas numerare iubet, quas constat interdiu numerari non posse, quæ ipsa ostensio & eductio facile ostendit visionem totam ad externos sensus pertinere, & vigilanti contigisse, ministerio Angeli specie visibili apparentis. Etsi Caietanus eam ad internos referat, Abrahamo in quadam extasi, & altiore contemplatione defixo.

II. Domini colloquio. c Gen. 15. 1. &c.

Est porro hæc quinta visio facta diuinitus Abrahæ, in qua dictum est illi, c *Noli timere Abram, ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis*. Quid autem timebat Abraham? Rationi consentaneum est, eum apud se reputantem Assyriorum potentiam, quæ in proxima quatuor regum cæde irritata fuerat, aliquid humanitus passum fuisse, veritumq; ne illi, coactis maioribus copiis, in Hebron irruerent, seq; suosq; internecione delerent. At Deus Bellicum timorem illi eripit, spondens se illi instar clypei fore: hac enim metaphora vtitur Hebræus Græcusq; textus.

Abrahæ merita.

Anxium ergo Patriarcham Dominus cumulate consolatur, dum se eum immunem à damnis conseruaturum spondet, & vice clypei omnia periculorum tela depulsurum; deinde amplissima mercede cumulaturum labores eius Dei causa susceptos: præteritam patriæ & cognatorum derelictionem, præsentem peregrinationem, in erigendis diuino

cultui

cultui altaribus religionem, in parentis aliorumq; peccatorum conuersione pietatem & zelum, in recte instituenda, gubernandaq; familia prouidentiam & curam, in aggrediendo reges confidentiam, in nepote liberando charitatem, in despiciendis Sodomitarum bonis magnificentiam, in toleranda vltra octogesimum annum orbitate longanimitatem, in credenda sperandaq; copiosissima posteritate diuinitus promissa inconcussam constantiam, atque firmitatem.

III. Prolē ex gemitu petit.

Ad hanc mercedis mentionem, statim memoria occurrit, quod maxime insederat animo Patriarchæ, vt scilicet prolem à Deo peteret, per quam eximia illa promissa complerentur, & quidem peteret cum familiari gemitu, & amica querela: *Domine Deus*, inquit *a, quid dabis mihi? ego vadam absque liberis*; quasi dicat; Quam ego hic mercedem sperem, cum consenescam orbatus liberis, quibus tamen repositæ sunt promissiones tuæ: Ego iis grandæuus non fruar, nec filijs quibus careo, relinquam. Itaq; *filius procuratoris domus mea, iste Damascus Eliezer*, supple, erit hæres meus. Apostropesis recte conueniens orationi plenæ affectuum: significans sibi aliquem de vernaculis suis in filium adoptandum, in quo diuina promissa implerentur. Hic bonus Dominus fidelis famuli commiseratione tangitur. Nam *statim sermo Domini factus est ad eum, dicens* b: *Non erit hic hæres tuus, sed qui egredietur de vtero tuo*, id est quem genueris, *ipsum habebis hæredem*. ex quo tam multos habebis filios, quot stellæ in cœlis lucent. Etsi enim definitus earum numerus ab antiquis Astrologis in constellationibus notatus sit, recentiores tamen nouis adiuti conspicillis, multo plures, in via præsertim lactea deprehenderunt; sed Dominus ad vulgi captum suum sermonem attemperat.

Promittitur à Deo

a Gen. 15. 2

b Gen. 15. 4

III.

IV. Abrahæ fides.

Credidit Abram Deo, & reputatum est illi ad iustitiam, magnumq; meritorum incrementum; neque enim tunc ex peccatore factus est iustus, qui iam plurimarum erat virtutum locuples, adeo vt se illi debitorem magnæ cuiusdam mercedis Dominus fateretur. Eam fidem celebrat Apostolus c, cum inter alia: *Et non infirmatus est*, inquit, *fide, nec consideranit corpus suum emortuum, cum iam ferè centum esset annorum, & emortuam vulnam Saræ*. Hoc refert Apostolus ad natiuitatem Isaaci: nam Ismael, qui 14. annis eum antecessit, nihil ad Saram pertinet. Sed ecce tibi nouam dubitandi materiam. Cum enim ad promissionem seminis, quod stellis cœli numero & claritate conferri posset, Dominus etiam adderet iteratam terræ Chananæorum promissionem, quæ doceret non tam ereptam illi patriam, quam maiore meliorēq; possessione commutatam, addidit: *Domine Deus, vnde scire possum, quod possessurus sim eam*. Hæc enim verba dubitationem redolent, hominisq; videntur signum aliquod requirentis, vt promissis habeatur fides. Nec alia videtur Zachariæ ad Angelum oratio, quam constat pœna fuisse mulctatam.

c Rom. 4. 19

V. An dubiterit.

d l. 1. cont. Iul. in fi. & l. 5. c. 10

Respondeo, non videri dicendum cum Cyrillo d, Abrahamum aliquo modo dubitasse, neque enim pœna, vt Zacharias, aut castigatione carnisset. Dixerim potius cum Ruperto e, voluisse scire Abrahamum an conditionalis tantum esset ista promissio, quæ scilicet à posterorum culpis meritisve penderet; an vero id immutabili Dei decreto definitum esset. Sicut illa posteritas, quæ omnino immensa futura erat, & carnalium, & multo maxime spiritalium Abrahamitarum. Perpetua tamen terræ possessio, ex incolarum pietate pendebat, qua deficiente, ex ea paulatim expulsi, postremo funditus atque in perpetuum exterminati sunt. Firmat ergo Dominus promissam Abrahæ possessionem, fœdere cum eo inito, additis solennibus cerimoniis, quæ in huiusmodi pactis vsui erant, apud Chaldæos aut Chananæos, sacrificio scilicet certorum animalium, quæ parari iussit: sicq; finita est visio, abscessit Angelus, & superuenit dies.

e Rup. l. 3. in Gen. c. 15.

VI. Dei cum eo fœdus.

Is vt illuxit, nihil habuit antiquius Abraham, quam parare in sacrificium vaccam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium, turturem quoque ac columbam, quorum animalium mysteria in Annalibus f ex Theodoreto, aliisq; reperies. Ritus autem fœderis & sacrificij hic fuit: Assumpsit Abraham hæc animalia, ac jugulauit; tum ea per medium à capite ad caudam diuisit, & vtrasque partes destinato in loco, iuxta altare fortasse, ita composuit, vt medietates sibi inuicem responderent; relicto de more spatio in medio, per quod transirent, qui fœdus ineebant. Et Dominus quidem sub specie ignis inter diuisiones illas transiuit, vt habetur in extremo capite g, & apparet idem ab Abrahamo factum fuisse. Manserunt toto die ita disposita cadauera, exspectante Abrahamo Dei aduentum, & interea prædatrices volucres abigente: donec sub occasum solis ingruentibus tenebris, magnus & tenebrosus horror inuasit Abrahamum, non solum vt præsentiæ Dei admoneretur, sed vt membrorum suorum mala, ipsemet eorum caput præsentiscceret.

f Gen. 15. 9.

g Gen. 15. 17.

VII. Prædictio Ægyptiæ seruitutis

Præsentia porro Domini ea quoque se voce prodidit. h *Scito præscientia quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, & subjicient eos seruituti, & affligent quadringentis annis.* Quod annorum spatium, non solum afflictionem & seruitutem Ægypti continet, quæ multo breuior fuit, sed etiam peregrinationem, vt S. Augustinus i hunc locum interpretatus est. Et quia semen, de quo est ista prædictio, est Isaac, iuxta illud k: *In Isaac vocabitur tibi semen*, ideo ab eius ortu inchoantur. Atqui ab anno natiuitatis Isaac, vsque ad annum egressionis ex Ægypto, quinque supra quadringentos annos computantur, vt fatetur Augustinus l, & series ipsa temporum aperte docet. Dicendum est illos quinque annos in maiore ac rotundo numero negiectos: quibus tamen additis ad viginti quinque, qui Isaaci ortum antecesserunt, fient integri 430. quos Moyses m, & Paulus n, distincte celebrarunt, quorum initium interprete Chrysostomo o, sumendum est, ex quo imperatum est Abrahamo, vt ex Charan egrederetur.

h Gen. 15. 13.

i lib. 16. de Ciu. c. 24

k Gen. 21. 12 & Rom. 9. 7

l Gal. 3. 17. Exod. 12. 40.

m Exo. 12. 40.

n Gal. 3. 17

o Hom. 37 in Gen.

VIII. Super qua Deus Abrahamum consolatur.

Et quoniam Patriarcha tam diuturna vexatione posteritatis suæ, quam dilatione promissæ hæreditatis vehementer angi poterat, statim addit Dominus tria, quæ ad eius consolationem plurimum facerent. Primum

promittit se gentem, cui seruituti erant, iudicaturum, multis scilicet verberibus ac plagis puniturum. Deinde egressuros nepotes suos *cum multa substantia*; ne scilicet quasi mancipia, sine vlla vtilitate sua, seruitute oppressi fuerint. Tertio non futurum ipsum huic obnoxium seruituti, vita in aliquot præterea sæcula producta, sed abiturum *in pace ad patres suos, in senectute bona.* Quæ verba consolationi valde congruunt. Vocat enim mortem profectionem ad patres suos, & eam dicit fore in pace, id est, non in afflictione, sed in multa rerum abundantia, *& in senectute bona*, non ærumnosa morbis aut curis, aut Deo malis operibus inuisa, sed pia, contenta, venerabili, qualis possit ab hominibus à Deo desiderari.

Hæc, quod ad ipsum pertinet Patriarcham; nam, quod ad eius posteros, videtur Dominus mollire voluisse quadringentos illos annos, cum ait eos huc quarta generatione redituros. Magna enim ex parte filij Iacob, qui cum patre in Ægyptum ingressi sunt, quarta generatione cum Moyse sunt egressi. Nam Ruben primogenitus Iacob, genuit Phallu, ex quo ortus est Eliab, pater Namuel, Dathan & Abiron, qui egressi de Ægypto in deserto periere. Leui quoque genuit Caath patrem Amram, ex quo Moyses & Aaron. Iudas etiam genuit Phares, ex quo Esron, qui fuit pater Caleb, socij Iosue in exploranda Chananitide. Didicit porro Abraham rationem dilationis, vt ait Theodoretus *a*, ne quis suspicaretur, ob numerosam incolarum multitudinem, non potuisse Dominum Deum eis tradere dominium illius terræ. Causam refert in nondum completas Amorrhæorum iniquitates: qui & subdit aliam rationem, quod in illis terris nonnulli viri boni adhuc existerent, qui Dei vltricem iram adhuc retinerent. Puta Melchisedech rex Salem, Abimelech rex Geraræ, quibuscum multos etiam viros bonos vixisse, par est credere, populo in vtramque partem principes suos imitante.

a *hom.31. in Gen.*

Cur has nuptias Sara conciliauerit

ANNVS MVNDI 2124.

ABRAHÆ 86.

NINYÆ 34. Imperij Assyriorum 193.

ANTE CHRISTVM 1929.

Hic est annus coniugij Abrahami cum Agare ancilla Saræ *b*, quæ *dedit eam viro suo vxorem, post annos decem quam habitare cœperant in terra Chanaan*, vt Scriptura loquitur. Exactos autem fuisse hosce annos, phrasis quoque Hebræa significat, quæ habet, *à fine*, sine *post finem decem annorum.* Ergo vndecimo inchoante, qui est præsens annus. Ex tanta temporis diuturnitate non exigua Saræ virtus agnoscitur, cuius nulla querela, nulla murmuratio auditur, post tot promissa facta diuinitus femini Abrahæ. Nec minorem ex ipsa de causa virtutem Abrahæ Chrysostomus *c* agnoscit. At Sara, quæ meminerat nullam sui factam fuisse in diuinis promissis mentionem, neque dictum qua ex muliere filium susceptarus esset Abraham, videtur existimasse se, & sterilem & vetulam, huic muneri à Deo minime destinatam, sed alteram quampiam, cuius ipsa fœtum in filium adoptaret. Itaque ancillam, domo ac genere Ægyptiam, religione Hebræam, vt ait Philo, nomine Agarem, ad gignendum habilem, *dedit viro suo vxorem, si forte*, inquit, *saltem ex illa suscipiam filios.* Vxorem quidem vocat, quæ tamen non ad omnia iura connubij vocaretur, sed ad suscipiendam prolem, ideoq; non materfamilias, sed concubina vocaretur.

b Cap. 16. 3.

c *hom.31. in Gen.*

II. Non sine afflatu diuino Abram Polygamiæ consensit

Perspicuum est, honestissimam matronam non suasisse viro adulterium; sed diuina inspiratione impulsam, polygamiam suasisse, & communem circa prolem charitatem, magno animo natiuę mulierum zelotypiæ antetulisse. Abraham quoque vir iustus, qui acquieuit deprecanti, & cuius virtus longe ab iniusto concubitu abhorrebat, merito creditur diuina inspiratione inductus, in has inferioris ordinis nuptias consensisse, quibus diuina promissa, in Saræ sterilitate & senectute impedita, commode expediri possent. Itaque Philo ait Abrahamum, vbi Agar facta est grauida, deinceps abeius abstinuisse congressu: idq; probabile fit ex eo, quod nullam deinceps ex ea prolem suscepisse legatur, neque omnino ex vlla alia, vsque ad decimum tertium abhinc annum; eximia vtique continentia: contra quam hominem sanctum acuere poterant diuina promissa, de innumerabili posteritate ex ipso propaganda.

III. Nec noua fuit hæc dispensatio.

Cæterum diuinam interuenisse inspirationem, quæ à naturali lege coniugij duabus personis definiti, absolueret, omnium pene consensu constat; cuius cum non facta sit in Abrahamo peculiaris mentio, creditur antiquior fuisse, etiam in viris piis, ac Deum timentibus. Videtur certè Sara hanc polygamiam, non vt rem nouam & inusitatam, viro suo proposuisse, sed vt vulgo vsitatam, passimq; frequentatam. Itaque Pererius existimat huiusmodi dispensationem statim à diluuio factam esse Noë eiusq; filiis, ad generis humani multiplicationem. Eius consuetudinis testis est Augustinus *d*, cuius vi hanc Abrahæ cum Agare coniunctionem à crimine vindicat: *Quando mos erat*, inquit, *crimen non erat; & nunc propterea crimen est, quia mos non est*: & lib. 3. *e* de Doctr. Christiana, ait *sufficiendæ prolis causa inculpabilem fuisse consuetudinem, vt plures simul vxores vir vnus haberet.* Deinceps autem huiusmodi consuetudo ita inoleuit, vt Mosaica lex superueniens, quæ multo laxiora in hominum moribus astrinxerat, eam tamen laxitatem non tolleret, sed firmaret *f*: quippe quæ tam odiosæ quam dilectæ vxoris liberos, pro legitimis filiis & hæredibus haberi volucrit: & regibus *g* plures concesserit, plurimas prohibuerit. Nimirum nihil ad perfectum adducebat lex; donec veniret Legislator *h* nouus, qui ea laxitate sublata, iterum stabiliret illud *i*: *Erunt duo in carne vna*

d *l* 12. *c*ōf. *Faust. c* 47

e *cap.* 12.

Et scripta lege probata.

f *Deut.* 21. 15. 16.

g *Deut.* 17 17.

h *Matth.* 19. *f.* 6.

i *Gen.* 2. 4

Concepit ergo mulier, & fortunatior effecta, facta est insolentior; ancillam se oblita

IV. Agar à concepto insolescit

est,

est, quæ bono fruebatur, quod videbat à domina tamdiu frustra desiderari. Despexit itaq; dominam suam: id enim solemne est seruis & maxime ancillis, quæ multam habent in re familiari administrationem, aut gratia apud herum valent: multæ enim sunt in respondendo, in obloquendo, in excusando, in iactando seipsas. Quam morum mutationem Sara non ferens, suspicata mariti gratiam ei animos facere, querelam ad eum defert de ancilla sua, quod ab ea despectui habeatur; additq; denique, *iudicet Dominus inter me & te*, quasi dicat, de alienis in me iniuriis, tu iudex & vltor esse debes, at de tuis contra me, Deum appello iudicem. Quo animosior fuit hæc mulieris oratio, ac suspicatior, eo maior fuit viri virtus, quando se iniuste à coniuge accusari sine iracundia passus est, sed ira trementem eius animum molli responsione fregit: *Ecce*, ait, *ancilla tua in manu tua est, vtere ea vt lubet.*

Sara quæritur.

v.6.

V. Et vexat ancillam, quę fugit

Sara igitur læta stare à se maritum suum, accepta potestate strenue vtitur, ancillam dies noctesq; labore vexat, & cessantem verbis castigat & plagis: *Affligente igitur eam Sarai fugam iniit.* Quid aliud faceret inquies? neque enim seruitio exire licebat. At summitteret dominæ rigidam ceruicem; præsidio, atque armis humilitatis vteretur, virtutis omnium gratiosissimæ & potentissimæ ad molliendos animos, quantumuis efferatos. Fugit autem ex Hebron meridiem versus, circa ea loca, quæ postea filius eius incoluit, & sane, vt apparet, & notauit Hieronymus *a*, patriam cogitabat; verum iter moliebatur per loca deuia, ne facile à persequentibus fugitiua reperiri, & à fuga retrahi posset. Cum ergo Angelus Domini eam inuenisset iuxta fontem aquæ, siti fortasse atque itinere fatigatam, rogasletq; vnde veniret, & quo vaderet, fatetur mulier se fugere à facie dominæ suæ, declinare videlicet iram atque acerbitatem eius; sicut Dauidem legimus fugisse à facie Saulis.

a in quæst. Hebr.

Ei⁹ cũ Angelo colloquium

VI. Cõsilium & consolatio.

Hic Angelus Domini, *reuertere*, inquit, *ad dominam tuam, & humiliare sub manu eius.* Addidit etiam fortasse promissionem maioris lenitatis & mansuetudinis Saræ aduersus ipsam. Nam id affirmat Iosephus, addit etiam intentasse minas si vltra pergeret. Addidit certe consolationem, eamq; multiplicem; Primo ex spe innumerabili posteritatis. Secundo commiseratione, cum ait Deum vidisse afflictionem eius, propterea q; velle, vt filium, quem paritura erat, vocaret Ismaëlem, quæ vox exauditio Domini interpretatur, Hieronymo interprete, Iosephus autem εἰσάκουστον vertit. Tertio repræsentatione morum eius, quibus redderetur hominibus formidabilis, vtpote ferus instar onagri, solitudinis incola, durus & agrestis, ignarus vrbanitatis, mutua damna vicinis inferens atque accipiens: qui dicuntur nunc quoque Agarenorum, vulgo Arabum & Saracenorum mores. Denique significat impauidum habiturum non in vrbibus muratis, sed in tabernaculis, è regione vniuersorum fratrum suorum, qui ex Abrahamo erant orituri.

VII. Reditus Agaris felix.

Cum autem Angelus hac oratione reditum Agari persuasisset, perfunctus legatione sua, ex oculis mirantis euanuit, ita tamen, vt illa à tergo recedentem videret, simulq; sensu pietatis affecta, eodem loco inuocauit Dominum, cuius personam Angelus representabat, dicens: *Tu es Deus qui vidisti me*, id est, afflictionem meam, qui desolationis meæ in solitudine misertus es. Deinde secum ipsa: *Profecto*, inquit, *hic vidi posteriora*, dorsum scilicet, *videntis me*, cuius oculis nuda & aperta sunt omnia. Ex ea porro visione, quæ ad fontem siue puteum facta est, locus appellatus est *Puteus viuentis & videntis me.* Inde reuersa domum, dominis reconciliata est, narratis, vt apparet, quæ sibi in solitudine contigissent; quod ex eo colligitur, quod natum postea filium, Abraham Ismaelem vocauit, prout didicerat ab ancilla.

ANNVS MVNDI 2125.

ABRAHÆ 87.

NINYÆ 35. Imperij Assyr. 194.

ANTE CHRISTVM 1928.

PEperit *b* *Agar Abræ filium, qui vocauit nomen eius Ismael.* Id factum anno Abrahæ 87. ineunte. Nam *86. annorum erat Abram*, ait Moyses, *quando peperit ei Agar Ismaelem*; expletos enim annos sumimus, vt non semel monuimus; idq; phrasi Scripturæ admodum congruit, & historiæ sequenti. Oportet enim eum hoc anno natum esse, vt quando circumcisus est, tredecim annos impleuerit, vt habetur 17. Genes. Ergo octogesimus septimus Abrahæ est primus Ismaelis, & ita deinceps: quem in serie Chronologica ponimus, quoniam tempus ortus eius à Mose notatum habemus, licet per Isaacum sanctius Abrahæ semen propagandum sit. Etsi hoc tempore Abraham putauerit in Ismaele, quod reliquum erat promissionis, adimplendum, vt ait Chrysostomus *c*. Cuius rei probabilitatem auget promissa Agari ex Ismaele innumerabilis posteritas, quæ vtiq; ad Abrahamum ipsum pertinebat.

I. Ortus Ismaelis. *b Gen. 16. fi*

v.15.

c hom. 39

ANNVS MVNDI 2128. & 29.

ABRAHÆ 90. & 91.

ARII 1. Imperij Assyr. 197. & 98.

ANTE CHRISTVM 1925. & 24.

FInem vluendi hoc anno, simul & imperandi fecit Ninyas, filius Nini & Semiramidis, quartus à Belo rex Assyriorum, cum octo & triginta regnasset annos, iuxta Eusebij Chronologiam; in cuius anni exordio retulimus quę de eo apud Diodorum Siculum reperiuntur; Ei proxime successit Arius ordine quintus, etsi Latini Eusebij codices eum quartum appellãt, omisso Belo; qui tamen cur prætermittatur, nulla nobis causa est, etsi Eusebio esse potuerit, qui Chronologiam ab Abrahamo ordiri, & sigillatim per singulos años digerere statuerat, nec antiquiora, nisi compendio tradere. Interea infantulus Ismael crescit: in eo Abram &

I. Ninyæ Obitus.

Arij 1.

& Sara suam consolantur senectutem; Agar facta ex vexatione modestior, gaudet in sinu.

ANNVS MVNDI 2138.

ABRAHÆ 100.

ARII 10. Imperij Assyriorum 207.

ANTE CHRISTVM 2915.

I. Summa capita rerum anni huius.

SEcularis annus Abrahæ pleraque comprehendit decimo septimo Geneseos, & tribus sequentibus comprehensa, primum nouam Domini apparitionem, in qua facta est mutatio nominis Abrahæ, & iterata, hinc confirmata promissio; qua Dominus viam munit ad institutionem circumcisionis, tum filium ei ex Sara promittit, ad quam benedictiones factæ Abrahamo pertineant. Confirmat nihilominus promissiones de Ismaele factas in gratiam Abrahæ. Sequitur ipsa circumcisio totius eius familiæ. Accedit exhibita ab Abrahamo tribus Angelis hospitalitas, & promissio filij Saræ in annum proximum: deprecatio item Abrahæ pro Pentapolitis, totaq; de eorum clade, & Loti liberatione narratio. Denique alterum Patriarchæ circa vxorem suam, apud regem Abimelechum periculum, dissimulatio, liberatio, ei perquam similis, quæ ante annos tres & viginti in Ægypto contigerat; quæ omnia hoc ipso anno contigisse ex sequentibus intelligetur. Quæ priusquam expendamus, ratio temporis explicanda est.

II. Ratio temporis confirmatur ex c. 17. 1.

Videntur enim repugnare Scripturæ, dicenti hæc contigisse, postquam Abraham nonaginta & nouem annorum esse cœperat. Verum hæc phrasis nihil nobis repugnat Scripturæ: nisi velimus eam secum pugnare, quæ mox Abrahamum centenarium vocat, quod proprie & accubo loquendo, non nisi ille continet, qui 99. annos expleuerit, & centesimum sit ingressus. Exacte autem hic loqui Scripturam in numerando, patet, cum non rotundos, vt vocant, numeros per decades persequatur, sed actos etiam per vnitates intra decades, subtilius recenseat. Hinc est quod paulo ante 86. annos retulit, & paulo post tredecim, & hoc loco nonaginta nouem. Cumq; mox Ismael dicatur impleuisse 13. annos cum circumcisus est, non potuit eos implesse, nisi pater 99. implesset, cum primus Ismaelis cubiculatæ cum 87. Abrahę. Denique qui aliter sentiunt, non videntur animaduertere magnum esse discrimen inter incipere 99. annos, & incipere esse 99. annorum; prior enim phrasis plenum annum inchoatum, posterior absolutum ponit. Et de tempore hoc loco satis.

III. Sexta Dei apparitio facta Abrahæ, & promissiones.

Cum ergo Abram natus iam esset annos nonaginta nouem, Dominus ei iam sextam apparuit, & quidem specie visibili atque corporea; idq; toti narrationi congruit, neque conuenit ab externis sensibus ad internos, sine necessitate confugere. Facta est autem hæc apparitio ad institutionem circumcisionis, quę esset signum externum fœderis iniri Deum inter & Abrahamum, quod capite 15. continetur, & ad annunciandum Isaaci ortum in proximum annum. Et quia rem difficilem ac molestam sensibus præceptura erat, ingerit atque inculcat antiqua promissa: *Et multiplicabo te vehementer nimis.* Et mox, *eriq; pater multarum gentium*; tam secundum carnem, quam secundum spiritum. Et rursus, *faciamq; te crescere vehementissime, & ponam te in gentibus, regesq; ex te egredientur.* Iterat & promissionem Chananitidis: *Daboq; tibi, & semini tuo terram peregrinationis tuæ*: vt scilicet tu ius ad rem habeas, illi autem ius in re, ipsamque terram possideant.

IV. Institutio circumcisionis.

Vt autem fidem ac spem Abrahæ Dominus magis magisq; stabiliat, & ille Dei promissorum magnificentiam perpetuò memoria retineat, idoneum illi, & congruum ad eam rem monimentum, in nominis sui amplificatione præbet. Vbi ergo hisce promissis Deus in Abrahamo obediendi alacritatem excitauit, circumcisionem, quam sub nomine pacti ac fœderis adhuc texerat, aperte proponit, & quasi legem perpetuo valituram promulgat. *Circumcidetur ex vobis omne masculinum.* Hæc summa legis est, quæ distinctius explicatur, *& circumcidetis carnem præputij vestri*; additur finis, *vt sit in signum fœderis inter me & vos.* Nimirum esse vos populum mihi fœderatum, segregatumq; à cæteris gentibus, quæ vero Deo non seruiunt, neque eum patrem agnoscunt, ex quo hæreditatem accipiant. Alius quoque finis est ad significandum Messiam secundum carnem ex genere Abrahæ producendum esse. Qui vterque finis docet antiquatam nunc esse circumcisionem, cum iam & Messias venerit, & populus Dei non modica prouincia, linguaq; definitus sit, & à cæteris discretus, sed ad nationes omnes, mundumq; vniuersum diffusus; iuxta illud: *Ibunt in mundum vniuersum*, &c. vt nullo separationis signo vltra opus sit.

Eiusq; causæ.

V. Ad quos pertineret.

Additur in hac ipsa lege circumstantia personarum, ad quas illa pertinet: vt serui quoque tam emptitij, quam domi nati ea comprehendantur, & quicumque non fuerit de stirpe Abrahæ, qui tamen proselytus ad eam transcribi voluerit. Et serui quidem ac vernæ circumcidendi erant, dominorum enim suorum possessio erant, quod de mercenariis famulis dici nequit, qui propterea, nisi ludæi fieri vellent, non circumcidebantur. Temporis quoque periistasis ponitur octauus dies, ne ante id tempus dolorem vulneris, infanti fine vitæ discrimine ferre non possent. Postremo firmatur lex interminatione supplicij, *Masculus cuius præputij caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit.* Id est non censebitur in populo Dei, vt qui signo careat fœderis à Deo iniri cum populo suo; populo electorum, ex semine Abrahæ congregando, vt qui habeat filium iræ, carens remedio ad expiationem peccati originis, diuinitus tradito Abrahamitis.

Quæ pœna sanctum v. 14.

VI. Promittitur ex Sara filius.

Circumcisionis lege ita constituta, ad eius duritiem molliendam, subdit Dominus ingentem materiam gaudij, tam ipsi Abrahæ, quam Saræ, vniuersæq; familiæ; & nominatim Sarę, quę non solum glorioſiore deinceps nomine honoranda erat, sed & fœcunditate. Ait enim: *Et benedicam ei*, id est ex sterili fœcun-

dam

dam reddam. Nam *ex illa dabo tibi filium, cui benedicturus sum, eritque in nationes*, siue caput & radix multarum gentium, *& reges populorum orientur ex eo.* Quid autem Abraham ad tam lætum, tam glorioſum, tam inſperatum nuncium? *Cecidit in faciem ſuam*, vltro proſtrauit ſe *& riſit, dicens in corde ſuo. Putaſne centenario naſcetur filius, & Sara nonagenaria pariet?* Non fuit hic riſus index diffidentiæ, vel incredulitatis, ſed inſperatæ, & ſuperfundentis ſe lætitiæ, vt paſſim Sancti Patres interpretantur; alioqui reprehenſione non caruiſſet, quam non effugit Sara, vt ex ſequentibus intelligetur. At riſum Abrahæ vſque adeo non improbauit Dominus, vt propterea voluerit, inde naſcituro filio nomen dari vt Hieronymus aſſirmat.

v. 17.

VII. An dubitarit Abraham

Cum autem Abraham verſaret animo promiſſionem diuinam, dubitaſſe videtur Caietano, non de diuina potentia, ſed quo ſenſu verba diuina accipienda eſſent, ideoque adiecit, *vtinam Iſmael viuat coram te.* Quaſi dicat, de noua prole hominis centenarij, & mulieris nonagenariæ, Domine Deus, non ſane ſatis intelligo quid velis, aut quid ſtatueris: vnum oro vt ea proles, quam ante annos tredecim ex Agare ſuſcepi, incolumis perſeueret, in eamque benedictiones tuas transfundas. At Dominus volens omnem Patriarchę adimere dubitationem, promiſſionem cum aſſeueratione, quæ in Hebræo Græcoque textu, & Chaldaica paraphraſi habetur, confirmat in hanc ſententiam. Ne ambigas quæ vis ſit orationis meæ, & an myſticè & parabolicè locutus ſim, an nuda & ſimplici narratione vſus, vere tibi aſſero, ac ſine vlla ambiguitate ſpondeo fore, vt Sara vxor tua pariat tibi filium, & vocabis nomen eius Iſaac, in monimentum lætitiæ, qua affectus es hoc accepto nuncio. Conſtituam & pactum meum illi in fœdus ſempiternum, quod ſcilicet tecum ferij de multitudine poſteritatis, de poſſeſſione terræ Chanaan, de ſemine, in quo benedicendæ ſunt vniuerſæ cognationes terræ, confirmabo & renouabo cum illo, eiuſque poſteris ne eam fœlicitatem ambias Iſmaeli.

VIII. Promiſſio pro Iſmaele a *GE.* 15. 13

Quamquam ad Iſmaelem quod attinet, exaudiui te, nõ ſolum vt viuat, ſed floreat etiam, & filiorum multitudine abundet, & duodecim duces generet. Recenſentur hi duces infra nominatim, vocanturque tribuum ſuarum principes *a*. Denique concludens orationem ſuam ſpondet Saram anno proximo parituram Iſaacum. Quibus dictis abſceſſit atque euanuit Angelus; Abraham autem è veſtigio, eadem ipſa die ſe & Iſmaelem, reliquamque familiam omnem circuncidit, in qua facile quadringẽti erant tam alienigenæ emptitij, quam ex ijs domi nati, eximia vtique & ſua & ſuorum obedientia, in re minime facili, imo quæ vulgò inutilis, ac ridicula videri poterat. Ex eo autem quod Iſmael decimo tertio anno circumciſus eſt, Arabes, vt ait Ioſephus *b*, non octauo die, vt lex præcipit, ſed poſt decimum tertium annum circumciſionem celebrant, gentis ſuæ autorem imitantes.

Abraham ſe ſuoſq; circumcidit.

b *Lib. c.* 12.

IX. Ratio temporis cladis Sodomorum &c.

Sequitur clades Sodomorum eiuſdemque ſceleris cognatarum ciuitatum; idque ex eo conſtat, quod illi ipſi Angeli, qui ad eas perdendas proficiſcebantur, Saræ partum in annum proximè ſequentem pronunciant, ſicut paulò ante Abraha reuelatum fuerat. Sed merito quis dubitarit, an Abraham rem totam ad vxorem retulerit. Et circumciſionem quidem ignorare non potuit, quæ ad tam multos pertineret, ex eaque tota domus aliquot diebus ægra decumberet. Illam autem promiſſionem, ſi à marito iam didicerat, vnde mox ille riſus, rem vt nouam & improbabilem eleuantis? Si non didicerat, quomodo rem tacebat vxori, quæ ſine ipſa confici non poterat? An didicerat, & non credebat, vt noua fuerit reuelatione opus? In re vtramque in partem ambigua, exiſtimarim Abrahamum rem illam ad hanc vſque apparitionem tacuiſſe, ſiue pudore aliquo retentum, propter multorum annorum deſuetudinem, & à vetula ſterilique continentiam: ſiue quod propter circunciſionis dolorem, differre oporteret; ſiue quod rem totam diuinæ prouidentiæ, quæ diſponit omnia ſuauiter, permittendam putaret.

An Abraham Saræ promiſſũ Iſaac nunciarit

X. Apparitio ſeptima, & mira Abrahæ hoſpitalitas. c *Gen.* 18. 1.

Neque illa Patriarchæ deſidetium, aut expectationem fefellit *c*. *Apparuit* enim *ei Dominus in conuallę Mambre*, quæ eſt prope vrbem Hebron, *ſedenti*, ſub meridiem *in oſtio tabernaculi ſui*, & expectanti vt erga peregrinum aliquem officium hoſpitalitatis exerceret. Itaque apparuerunt ei tres viri, qui publica via prope ipſum gradiebantur, *quos cum vidiſſet, cucurrit in occurſum eorum de oſtio tabernaculi, & adorauit in terram*, inclinans ſe venerabundus vſque ad terram. Vtra mirabilior virtus in tanto viro, & longa ſenectute venerabili, humilitas erga ignotos iuuenes, quales apparuiſſe Chryſoſtomus ſuſpicatur: an charitas qua incitante, non expectauit dum illi vltro ſe offerrent, & à Patriarcha peterent vt cibo reficerentur: non miſit quempiam famulorum, quos habebat ad manum, vt eos inuitaret ad prandium; non lento ac ſenili gradu proceſſit obuiam, ſed feſtinauit, imo *cucurrit* ad eos inſtar adoleſcentuli, & tanquam ingens aliquod accepturus beneficium, non daturus; vt pulchrè differit Chryſoſtomus *d*.

d *hom.* 41 *in Gen.*

XI. Inuitat ad hoſpitũ tres Angelos.

Vt ad hoſpites peruenit, oratione ad eum conuerſa, qui inter cæteros oris, aut cultus dignitate præſtare videbatur. *Domine*, inquit, *ſi inueni gratiam in oculis tuis, ne tranſeas ſeruum tuum*, ſubſiſte paululum, dum auſpitio accipiar. Et ne vnum tantum inuitare videatur, cæteros negligere, aut inſtar vmbrarum ducere, vniuerſe cunctis offert hoſpitalitatem, quam magna verborum humilitate extenuat. *Afferam*, inquit, *paruillum aquæ, & lauate pedes veſtros, & requieſcite ſub arbore.* Apparet ad patulam quandam arborem affixas ſedes, in quibus velut ſedere hoſpites ſuos, dum curabit deferri aquam, & ablui pedes eorum. Neque enim hoſpites ipſi de via feſſi ſibi pedes abluebant, ſed id erat officium famulorum, totum autem conuiuij apparatum vocat *buccellam panis.* Cibos ergo, & ſimilaginem panem celeriter apparatum offert conuiuis ſuis, ipſe vero ſtabat coram eis ſub arbore: an vt miniſtraret ipſemet potum & quæcunque opus eſſent conuiuis? nec præ humilitate menſæ comes eſſe voluit, vt notat *e* Chryſoſtomus.

Vt.4.

e *hom.* 41 *vide an. ſeq. n.* 1.

XII. Qui promittunt Saræ filiũ.

Sed illi mox de referenda hoſpitalitatis gratia cogitant. Accerſitur Sara, qua ad oſtium tabernaculi ſtante, & audiente à tergo eorum,

ait An-

ab improborum petulantia & contumelijs immunes fore, non inuitauit vltra, sed *compulit illos oppidò, vt diuerterent ad eum.* Ingressisque domum illius fecit conuiuium, & coxit azyma, similagineos scilicet panes, vt in prandio Abraham. *Prius autem quam irent cubitum, viri ciuitatis vallauerunt domum, à puero vsque ad senem, omnis populus simul.* In Hebræo est, *omnis populus ab extremo*, scilicet vrbis; cò enim concurrerent ab extremis vrbis locis. Omnis ergo ciuitas *Circumfusa ruit, certatque illudere captis.* Vt non mirum sit diuinam patientiam, tam truculentarum bestiarum immanitate victam, cessisse iustitiæ. Necdum finis: vocauerunt quippe Lotum, eumque nequitiæ suæ, quam canina impudentia palam euulgabant, participem esse voluerunt, & hospitij, & naturæ iurium violatorem.

XIX. Lot eos placare conatur.

At bonus hospes pro suis peregrinis sollicitus, negligens sui, foras vocatus egreditur, post tergum occludit ostium, ne receptum quidem liberum sibi relinquens, ne isti Corybantes facto impetu domum irrumperent: tum blanda oratione furentes mitigare nititur, paratum se potius exhibens ad ferendã domesticam ignominiam, quam ad iura hospitalitatis atrociore scelere violanda. Multa lis hoc loco à plerisque Loto intenditur, de filiabus oblatis insanis illis cynædico furore bacchantibus. Qua in re valde assentior Caietano, Lotum furentem populum hyperbolica summissione placare, voluisse, certum non acceptaturum populum huiusmodi oblationem, quod filiæ eius sponsæ erant ciuium Sodomæ, & quidem, vt apparet, Primariorum. Itaque non magis peccasse videtur, quam Dauid cum dixit Ionathæ a, *si est iniquitas aliqua in me, tu me interfice, & ad patrem tuum ne introducas me.* Eadem hyperbole dixit Ruben Patri *b*, *Duos filios meos interfice, si non reduxero illum tibi.* Et Moses Deo, *dele me de libro tuo quem scripsisti.* Eadem fortasse Paulus *d* optauit esse anathema à Christo pro Iudæis, sed redeamus in viam.

Quomodo filias offerat, nec peccet.

a 1. Reg. 20. 8.

b Gen. 42. 37.
c Exod. 32. 32.
d Rō. 9. 3.

Nihil illi persuasi, insanire pergunt, abscedere à ianua iubent, verbis insultant, intentant minas. Denique vim faciebant Loto vehementissimè, iamque prope erat vt effringerent fores. *Et ecce miserunt manum viri*, aperto tantisper ostio, *& introduxerunt ad se Lot*, etsi poterant incolumen inter furiosos conseruare, vtpote quos iam cæcitate percussuri erant, & inhabiles ad ei nocendum reddituri. Introducto Loto, clausoque ostio, *eos qui foris erant percusserunt cæcitate à minimo vsque ad maximum, ita vt ostium inuenire non possent.* Eam cæcitatem Septuag. ἀορασίαν vocant, quæ nullum oculis vitium inferebat, sed ostium videre prohibebat, eo nullam speciem visibilem ipsorum oculis emittente. Ergo cum alia viderent, ostium videre non possent, nec suam agnoscerent cæcitatem, ostium frustra quærendo defatigati, irrisi irritique abierunt.

XX. Illi cæcitate percutiũtur.

His angustijs Lot expeditus opera suorum hospitum, quibus vnis maxime timuerat, non ægrè agnouit eos, quos adhuc homines crediderat, super homines esse. Illi autem qui eum à maiore etiam malo liberare cupiebant, monent vt omnes suos, qui cum affinitate, aut consanguinitate contingerent, ex vrbe secum

XXI. Angeli Lotum præcognitis eius monent.

educeret. *Delebimus enim* inquiunt, *locum istum, eo quod increuerit clamor eorum coram Domino, qui misit nos, vt perdamus illos.* Obedit Lot Angelis, & ea ipsa nocte domo egreditur; generos adit qui filias eius accepturi erant: iubet de lecto surgere, & ab imminenti clade liberari. At miseri, quibus vltimus esset ille dies, ludere illum, non serio loqui credentes, salutare consilium aspernati sunt. Nullum quippe videbant apparatum ad tam vicinam cladem. Ideo illum, visis quibusdam, aut panico terrore ludificatum putabant, qui nocturnus obambularet, & turbaret alienam quietem.

v. 15.

Qui negligunt monentem.

Lot infecta re domum redit, & fortasse nonnihil, propter recentia generorum ludibria, de imminente clade subdubitans; fortasse etiam amore bonorum suorum in vberrima regione retentus, vt differit Rupertus *e*, & gemina quasi compede præpeditus, lentior redditus cunctabatur, adeo vt pene per vim ab Angelis domo eductus sit: iucunda gratiæ retributione. Nam per amicam vim domum inducti fuerant, vt immunes fierent à peccatorum petulantia: Nunc, vice versa, ab ijs per vim Lot educitur domo, vt immunis fiat à peccatorum pœna. Quid plura? dissimulante, siue cunctante illo, apprehenderunt manum eius, & manum vxoris, ac duarum filiarum eius. Terni videntur exisse, vno Angelo medio inter coniuges, altero inter filias incedente, eductisque extra ciuitatem, *Salua* inquiunt Loto, *animam tuam; noli respicere post tergum, nec stes in omni circa regione, sed in monte saluum te fac.*

XXII. Lot cunctatur.

e l. 6. in Gen. c. 10

Cum do meticis educitur.

Prohibetur Lot, cæterique domestici, retro in hac fuga respicere, siue ad significandum summa festinatione opus esse, quæ respectando impeditur, siue ad maiorem detestationem pereuntium, quos Dominus ne bonorum quidem virorum aspectu, nedum commiseratione dignatur. Siue ad docendum oportere timentes Deum à locis personisque impuris celeri se fuga proripere; siue ad reuerentiam iudiciorum Dei, quæ licet humana æstimatione atrocia videantur, minime tamen curiosè respectanda sunt, sed cum Dauide potius demissa ceruice dicendum *f*, *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.* Prohibentur etiam in circumposita regione subsistere, quia tota vallis funditus perdenda erat, in qua erant quinque ciuitates, vt probat nomen pentapoleos, Sodoma, Gomorrha, Adama, Saboim & Segor. Sed Segor, quæ prius Bala dicebatur, & nomen Segor, id est parua, Loto pro ea deprecante fortita est, in extrema erat valle, in aditu montium, ad quos clades non erat peruentura; sed cum pro ea rogaret Lot, causatus difficultatem adeundi montes homini seni, ductoriique fœminarum, veniam impetrauit. Statuerat quidem Dominus non subuertere illud oppidum precibus Loti precibus, ideoque illum ad orandum incitauit, quod si non orasset, vtique illa perijsset, aliudque de illa decretum in diuina mente antecessisset.

XXIII. Cur retro aspicere prohibeatur.

f Psal. 18.

Lot erat præcegor.

v. 21.

XXIV. Et voti compos iubetur ad eam festinare.

Dixit ergo Angelus. *Ecce etiam in hoc suscepi preces tuas, vt non subuertam vrbem pro qua locutus es.* Quoniam ergo factus es voti compos, *festina, & saluare ibi, quia non potero facere quidquam, donec ingrediaris illuc.* Non explicat

apertius

apertius quid facturus esset, ne cum terreat & cõtristet, festinare etiam iubet, vt ipsa progredientium festinatio alias cogitationes excluderet, præsertim de respiciendo retro. ad quod horrendi pereuntium clamores facile induxissent Lotum. cum eadem clade, in quam incidit vxor eius. Nam in hoc itinere, cum appropinquarent portis oppidi Segor, in ipsis eius suburbijs, iamque cœlum vltrices flammas ostentaret, & inciperent horrendum mugire tonitrua, mulier, quæ progrediebatur lentius, aut gressu properabat anili, victa curiositate mulebri, conuertit se retro. vt horribile spectaculum tantisper oculis vsurparet, cum statim *conuersa est in statuam salu*, celeresque inobedientiæ, & curiositatis pœnas dedit: Loto interea cum filiabus vrbem propere subeuntibus, neque domesticam cladem animaduertẽtibus.

Vxor eius in statuam salis versa.

XXV. Quæ mire perdurat.

De loco in quo mulier in statuam salis versa est, ipsoque salis cumulo, ita scribit Benjaminus Iudæus in suo itinerario. Ex monte autem ipso oliuarum Sodomiticum mare conspicitur à mari verò illo ad cumulum satis, in quem Loti vxor conuersa est, duæ leucæ sunt. Constat enim adhuc cumulus ille, qui à gregibus aliquando lambendo imminutus, denuo ad pristinam crescit molem. Sic ille, quæ tanto ante Tertull. in carmine de Sodoma eleganter notauerat. Sic enim ait.

Ipsaque imago sibi formam sine corpore seruans
Durat adhuc. Etenim nuda statione sub æthram,
Nec pluuijs dilapsa situ, nec diruta vento.
Quin etiam si quis mutauerit aduena formam
Protinus ex sese suggestu vulnera complet.

XXVI. Subuersio vrbium.

Hanc porro cladem Moyses paucis hisce verbis describit. *Sol egressus est super terram, & Lot ingressus est Segor, Igitur Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem à Domino de cœlo, & subuertit ciuitates has*, & alias præterea duas, Adamam & Seboim, quæ in Deuteronomio *a*, & Osea *b* memorantur; & *omnem circa regionem, vniuersos habitatores vrbium, & cuncta terræ virentia*. Theodoretus *c* addit pagos plurimos eadem ignea pluuia exarsisse. Non enim dubium est in vberrimo solo frequentes pagos extitisse. De numero vrbium aberrant Solinus *d*, Strabo *e*, Stephanus, Tacitus *f*: nec mirum, cum Iosephus quoque *g*, Egesippus, Andræas Matius quinque vrbes deflagrasse scribant, quod vulgò plerique omnes dicunt & sentiunt, cum tamen ex eo numero eximenda sit Segor, quæ Loti precibus effugit incendium. Dicitur tamen ignis in pentapolim descendisse, Sapientiæ 10. 6. quia reuera quinque vrbes fuerant incendio destinatæ.

a c.19.23
b c.11.8.
c q.69.
d c.48.
e l.16.
f l.5 Hist.
g l.5. de Bell. c.5.

XXVII. Gemina cladis causa efficiens.

Clades omnibus eadem, eaque gemina, è cœlo & terra. Nam crebri ignes excutiuntur è nubibus, fulmina coruscationibus æquãtur, quæ tectis flammas injiciunt, cum tonitribus horrendo fragore reboantibus: statimq; ignea pluuia, ex sulphure, seu pice & sale liquatis viri omnes ac plateæ planicieſque camporum inundantur, flammasque concipiunt, quibus homines & animantia, cunctaque plantarum genera exuruntur. Terræ autem tribuenda est subuersio ciuitatum, quam Scriptura crebro inculcat, quam factam possumus intelligere, terra, per ingentes terræ motus, vastis hiatibus discedente, & in profundum abeunte, aquis subterraneis eius locum subeuntibus. Itaque contra insensatos cœlum & terra pugnarunt. Nimirum cœlum peccatorum suorum clamore fatigarant, & terram detestabili nequitia diuturnaque polluerant. Itaque tota illa regio, cum habitatoribus suis, funditus perijt, & quæ dudum fuerat quasi paradisus Domini, facta est vindictæ Domini monimentũ, incredibili fœtore ex aquis virulentis, & amarore ac salsedine & grauitate intolerandis exhalante, nihil vt ibi viuere possit. Si quid autem plantarum in vicino viuit, fructusue edit, in cinerem vanescit ac fumum, vt pulchre describit Tertull. in carmine de Sodoma.

Tota regio subuertitur.

Tota rogus regio est, &c.

XXVIII. Quamdiu duraſit hæc clades h *Thr.* 4. 6.

Quamdiu durauerit hoc incendium, quantoue tempore subuersio facta sit, non satis cõstat. Etsi enim Ieremias Sodomam momento subuersam dicat *h*, id tamen momentum dicitur comparatione aliquot annorum quibus Ierosolyma, obsessa, debellata, euersa est. Et credibile est aliquot horis duraſſe supplicium, dum ad omnia remedia irrito conatu curritur. Valuit etiam mora ad pœnam, eiusque causam agnoscendam, & crimina per pœnitentiam detestanda: Abraham tamen, qui mane consurrexisse dicitur, venisseque ad locum, vbi prius cum Angelis steterat, non vidit descendentem pluuiam, sed *ascendentem fauillam*, id est fumum flammæ permixtum. Fumo ergo cum flamma exundante, & aerem terrasque obscurante fiebat, vt non satis discerni posset, quis esset vrbium, totiusque regionis status, quem tamen luctuosissimum esse constabat Interea nesciebat quid Loto factum esset, neque cum donatum fuisse precibus suis adhuc didicerat.

XIX. Lot abit ex Segor in montem. i c.19.30.

Sub idem autem tempus *ascendit Lot de Segor* i, ex vicinitatis timore perterritus, quòd eò quoque fauilla & terræ motus, qui reliquas vrbes subuertebãt, peruenirent; memor etiam Angeli, qui prius cum iusserat in monte salũ fieri, quam de Segor assentiretur. Ascendit igitur in montem cum filiabus suis, & nactus speluncam, è diro spectaculo auersam, in eam se abdidit. Et quamuis non parcebatur oppidulo, nisi in gratiam Loti, non tamen ipso in montem abeunte, Segor in pristinam meritæ damnationis sententiam reuoluta est. Verum Dei dona sunt sine pœnitentia: & perseuerauit indulgentia, quam sine conditione largitus fuerat diuinus interpres. Cæterum quod pater ex Segor abiens futurum timuit, filiæ iam factum esse leuiter crediderunt, eandemque calamitatem totum mundum occupasse, sicut olim diluuium; aiunt enim nullum virorum in terra mansisse. Itaque patre super ea re inconsulto, temerarium sibi consilium stultè acceperunt, & stultius executæ sunt.

Eoque filiæ abutuntur.

XX. Abraham abit in Gerara, & qua de causa.

Reliqua est hoc anno Abrahæ peregrinatio in Palestinam, cuius causam cum Moses non expresserit, occasionem dedit coniecturis. Ego sane crediderim, nó aliam illi migrationis causam fuisse, è loco, in quo & gloria, & diuitijs, & benevolentia, & fœdere incolarum principum florebat, quam diuinam iussionem, quæ illius virtutem exercere, & illum peregre vitam ducere volebat; quod non obscure docet hoc

loco

k hom. 45.

loco Chrysost. *k* Cum ergo tota Patriarchæ peregrinatio, ab exitu de Vr Chaldæorum vsque ad mortem, ex Dei nutu, & directione pependerit, hanc quoque illi oportet ascribere, qui primum illi dixit, *Exi de terra tua.* Præsertim cum hæc commoratio in Geraris diuturnior futura esset. Volebat autem Dominus non solum merita eius augere, sed diuersis populis sancti viri virtutem, & pietatem in exemplum proponere. Est autem credibile Abrahamum plenum fidei feruore, & obedientiæ promptitudine, ei obsecundante Sara, ante digressum ex Hebron, filium promissionis Isaac genuisse, eodem tempore, quo filiæ Loti ex parente, Moabitarum, & Ammonitarum, autorem conceperunt. Nam pridie facta est mentio feruoris diei *l*, & sub arbore sumptum est prandium, loco ventis peruio, & vmbra opaco, vt in æstate fieri solet.

Prius gignitur Isaac.

l c. 18. v. 1.

XXXI. Aduentus Abrahæ in Gerara.

Abit ergo Abraham ex Hebron, & proficiscitur. *In terram australem* Ægyptum versus, *& habitauit inter Cades & Sur, & peregrinatus est in Gerari.* Breui compendio narrat Moses hunc aduentum, & transmigrationem Patriarchæ in Gerara. Vbi cum se diutius mansurum putaret, haberetque copiosam familiam, quoniam in paruulo regno, tanquam peregrinus aliquis latere non poterat, nec inussum & improuisum, in fines alienos adire, ac pene irruere conueniebat, exigit ratio vt fateamur, missum esse ad regem Abimelechum ab Abrahamo legatum, oraturum vt sibi liceret, bona cum eius venia, in regno ipsius, sine cuiusquam iniuria commorari. Eam orationem regi pergratam fuisse non parum probabile est, quippe qui frequenti fama accepisset, (Est enim Hebron vicina Geraræ 14. fere horarum itinere) qui vir & quantus esset Abraham, quanta probitate, fortitudine, opibus. Existimauit ergo eius commorationem, & sibi decoram, & regno fructuosam fore, Itaque respondit perhumaniter, persibi gratum, perque iucundum eius aduentum fore: amicitiam autem, ac vitæ consuetudinem, etiam gratiosiorem. Veniret ad se ad vrbem regiam, cum illic, non quasi peregrinum aut subditum, sed instar germani fratris habitaturum.

XXXII. Qui exceptus fuerit à rege.

Credidit Abraham, venit ad regem cum Sara, & aliquot præcipuis domesticorum, beneuole accipitur, indeque familiariter requirit rex, quæ esset matrona illa, quem habebat comitem. Abraham suum illud antiquum seruans, *Soror*, inquit, *mea est.* Abimelech autem cupidus ineundæ affinitatis cum Abrahamo, eam optauit habere coniugem. Solent enim principes ambire matrimonia, quibus potentiores fiant, cum alioqui non desint eis mulieres in regnis suis, ætate amabiles, ac pulchritudine præstantes. Itaque nulla hoc loco fit mentio pulchritudinis Saræ, quæ olim in Ægyptiaca peregrinatione celebrata fuerat. Optauit ergo vxorem habere sororem Abrahæ, vt Abrahamum haberet fratrem, id est commilitonem in bello eximium bellatorem, in pace consiliarium antiqua probitate, ac prudentia virum; in rerum penuria cognatũ, cuius essent opes minimè contemnendæ, qui denique in prosperis & aduersis rebus, præsidio esset & ornamento.

XXXIII. Curque is optarit Saram coniugem

Hæc igitur animo versans Abimelech, misit viros honoratos ad Abrahamum, qui cum eius, affinitatem non respuentis, bona venia, Saram ipsius, vt ferebat, sororem, ad se quasi futuram coniugem adducerent, quam tamen interea apud se haberet intactam, dum eius virtutem & mores, non indignos regio thalamo, cognitos haberet atque perspectos. Hæc eò dicimus, quod necesse sit sat multum temporis versatam Saram in domo regia, antequam sciretur eam esse Abrahæ coniugem, vt plaga sterilitatis, quæ extremo vigesimo capite memoratur, in tota regis familia sentiretur. Nec alia ratio probabilior apparet, in Mosis silentio, qua & ducta fuerit, & tamen intacta permanserit; tulit enim eam quasi sponsam, & futuram coniugem, non quasi vxorem in præsens, Deo ita disponente, & forte regionis consuetudine id ferente.

XXXIV. Agnoscit diuturtur eam coniugatam. a c. 20. 3 Genes.

Cum autem iam tempus adesset, quo eam in vxorem erat ducturus, ne fieret Sara duorum maritorum coniux, venit Deus ad Achimelech per somnium nocte, & ait illi *a En morieris propter mulierem quam tulisti, habet enim virum.* Subintelligenda est hoc loco illa particula; *si reddere nolueris*, quæ inferius additur. Nam tulisse bona fide mulierem in coniugium, nulli obligatam viro, criminosum non fuit; at vbi agnouit coniugatam, retinere capitale fuit. Etsi enim tum licuit vni viro plures habere vxores, nunquam tamen licuit vni mulieri ad plures viros pertinere. Itaque Abimelech omnem à se culpam in eos transfert, qui iniuriam accepisse videri poterant. quem virum etiam probum fuisse, ac timentem Deum, ex tota Mosis narratione facile intelligi potest; certe Ambrosius *b* eum fidelem appellat. Theodoretus *c* etiam iustum, vt qui ab iniuria hominibus inferenda, etiam ignotis & peregrinis abhorreret, & adulterium, tanquam peccatum grande, & sibi regnoque suo pernicioſum, detestaretur.

b l. 1. de Abra. c. 3. q. 62. in Gen.

XXXV. Ac iubetur reddere.

Nunc ergo, inquit Dominus, *redde viro suo vxorem, quia Propheta est, & orabit pro te, & viues.* Quasi dicat Magni vir est meriti apud me, & eo familiariter vtor, ac futurorum cognitione glorifico. Itaque eius precibus exoratus incolumem te seruabo, & vxor tua, cæteræque fœminæ à sterilitate curabuntur; neque enim alium morbum intelligit, vt infra dicetur; addit autem ad præceptum minas. *Si autem nolueris reddere, scito quod morieris tu, & omnia quæ tua sunt.* Quibus monitis, & denunciationibus territus Abimelech, statim summo mane surrexit, *& vocauit omnes seruos suos*: ex quo intelligitur fictam esse regis ægritudinem, etiam medicis, si superis placet, desperatam, quæ non prohibuerit, quo minus primo diluculo surgeret, domesticos conuocaret, vt eis visa per quietem, auditaque referret. *Qui timuerunt etiam ipsi*, quoniam ad ipsos quoque minæ pertinebant. De eorum ergo consilio, vt ait Iosephus, Abrahamum accersit, & cum eo expostulat, quod ipsius dissimulatione tantum non factum fuerit, vt adulterij pœnas immeriti luerent.

Respondet Abraham afferens primò dissi-

mulationis causam, & in hominis peregrini non reprehendendam. *Cogitaui mecum, dicens; forsitan non est timor Dei in loco isto, & interficient me propter vxorem meam.* Non quod grauius putarent adulterium homicidio, sed quod adulterij vltorem timerent; quo de medio sublato, nullo Dei timore coerciti, impune se peccaturos sperarent. Secundo ostendit se iusta cautione vtentem, veritatem eclasse, non tamen esse mentitum, vtendo verbis, iuxta morem in sua gente vsurpatum, qui fert vt qui eundem patrem, licet non proxime, agnoscunt, fratres dicantur & sorores, vt supra in simili causa dictum est. *Alias*, inquit, *& vere soror mea est, filia patris mei*, mediante Aran, *& non filia matris meæ*, quia genitus fuerat Aran, ex alia vxore Tharæ. Postremo ad molliendam dissimulationem, addit suum id consilium, non ipsius Abimelechi causa recens fuisse susceptum, sed tampridem, in omnem huiusmodi euentum, inter coniuges institutum: puta ex quo in Ægyptum descenderant.

Hac responsione cum Abimelecho satisfactum esset, Dei præterea minas à se suisque auertere cupiens, & Abrahami gratiam, & orationes, ad depellendam sterilitatem, impetrare; tulit oues & boues, seruos & ancillas, & dedit Abraham, reddiditque illi Saram vxorem suam hoc necessitatis fuit, illud humanitatis, & beneuolentiæ. Postremo liberam facit ei habitandi potestatem, quouis in loco ditionis suæ. Inde ad Saram oratione conuersa; *Ecce mille argenteos dedi fratri tuo*, non sine ironia id dictum est, sicut & illud, *hoc erit tibi in velamen oculorũ, ad omnes qui tecum sunt*, quasi dicat, eme tibi potius velamen, quo caput obnubas vt omnes agnoscant te esse nuptam. Sunt autem mille argentei sicli, totidem semiunciæ argenti, quæ in ære gallico hoc tempore sunt 27. solidorum cum dimidio. Itaque mille sicli, siue argentei, sunt quingentæ vnciæ, respondentque 1375. Francis Gallicis *a*, aureis autem 458. cum triente, quæ fusius in Annalibus *b* disputata reperies. Et iuxta hanc æstimationem, & valorem pecuniarum, deinceps siclos, aliasque monetas peregrinas, in nostrates transferemus.

Vt autem hanc Abimelechi historiam, simulque res anni huius concludamus. Accepit Abraham munera, eoque Deum orante *sanauit Deus Abimelech, & vxorem, ancillasque eius, & pepererunt. Conclauerat enim Deus omnem vuluam domus Abimelech, propter Saram vxorem Abrahæ.* Perspicuum est hanc muliebrem pœnam esse, nec Regi conuenire. Sed is sanatus dicitur quoniam tota domus, cuius erat ipse paterfamilias, sanata est: nec potest esse caput sanum toto corpore languente.

(*)

ANNVS MVNDI. 2139.

ABRAHÆ 101. ISAACI 1.

ARII 11. Imperij Assyriorum 208.

ANTE CHRISTVM 1914.

ADest annus singularis, atque inusitatæ lætitiæ, in domo Patriarchæ Abrahæ, in natiuitate Isaac, eoque maioris, quo diutius expectata fuerat, & ardentioribus votis expetita *c Visitauit enim Dominus Saram, sicut promiserat, & implenit quæ locutus est.* Hæc visitatio benedictio est, & fœcunditas sterilis, & grandæuæ mulieris, quę diuinam veritatem, & prouidentiam circa singularia rerum humanarum prodit, factis vberiorem, ac lætiorem quam promissis. Potest quoque accipi hæc visitatio, de Angelo visitante Abrahamum & Saram, iuxta eius promissionem *d*, vt eis ortum filij gratularetur, quæ alioqui scripta non est, etsi merito facta credatur. Sed prior expositio magis placet. Concepit ergo Sara, & peperit filium in senectute sua. Nonagesimo anno concepit sub ætatem *e*, vt colligitur ex initio cap. 18. & peperit 91. sub veris initia.

Vocauitque Abraham nomen filij sui, quem genuit ei Sara, Isaac, & circumcidit eum octauo die, sicut præceperat ei Deus, in generali lege circumcisionis *f, cum centum esset annorum; hac quippe ætate patris natus est Isaac.* Annos expletos sumendos esse supra probatum est; atque ita primus Isaaci, est patris 101. sicque særa Chronologia, quæ Isaaco deinceps nititur, bellissime progredietur. *Dixitque Sara, Risum fecit mihi Deus.* Et risum quidem Isaacus significat, ait Eusebius *g*, vt hoc suo nomine castam illam, sanctamque lætitiam repræsentaret, quam amicis suis Deus, tanquam singulare munus, ac præmium pollicetur. Pergit Sara. *Quicumque audierit corridebit mihi*, congratulabitur mihi, fierque particeps gaudij mei. Hoc indicium est virtutis Saræ, & Abrahæ, quod ab omnibus amarentur, ex quo futurũ erat, vt eis cum charitate collatarẽtur. Quis putasset fore vt aliquando nuncius deferretur ad Abraham, Saram ei seni lactare filium? & veritate lactationis excludi, quod quis de suppositio partu suspicari posset.

Magno autem cum gaudio totum lactationis tempus Saram transegisse, & res loquitur ipsa per sese, & sancti Patres Chrysosto. *h* August. *i* alijque significant. Hebræi autem tantam lactis vbertatem illi à Deo concessam aiunt, vt pluribus etiam infantibus nutriendis sufficeret. Certum quidem est Deum non parcè liberalem esse; sed fundamentum, quo nituntur infirmum est, quod scilicet Scriptura plurali numero vtatur, & filios dicat non filium. Id enim idiotismo tribuendum est, qui enallagem numeri admittit, etiam vulgò vsurpatam, quod plerique notarunt interpretes.

XXVI. Abrahamum excusat dissimulationem, 11.

12.

17. 12. 13.

XXVII. Abimelech dat munera Abrahæ. 14. Et Saræ munera.

Framiunt 10. solidorũ numeri vncia 55. dist filius sive semiuncia 27. cum dimid. 2 n. 100. & seqq.

XXVIII. Et diuinitus sanatur.

I. Ortus Isaaci.

c c. 21. 1. Gen.

d c. 18. v. 10.

e vide supra n. 30.

II. Ratio nominis.

f c. 21. 5.

g de Præp. Euan. l. 11 c. 6.

III. Lactatur Isaac h hom. 46 i serm. 68 de tem.

ANNVS MVNDI 2143.

ABRAHÆ 105. ISAACI 5.

ARII 15. Imperij Assyriorum 212.

ANTE CHRISTVM 1910.

I. Quando ablactatus Isaac. k ex trad. Hebr.

IN varijs de anno ablactationis Isaaci sententijs, illam elegi quam ab Hieronymo *k* ex Hebræis relatam, probatamque video, de quinto anno currente: quamuis legamus sanctam Machabæorum matrem triennio filios lactasse; dum enim vita productior fuit, consentaneum est lactationem fuisse diuturniorem, contractior autem fuit tempore Machabæorum, post mille videlicet septingentos & quadraginta circiter annos: & satis constat res diutius duraturas, tardius assequi perfectionem suam. Itaque tardius etiam fortassis eis dentes, ad solidiorem cibum necessarijs succrescebant.

II. Cum conuiuio.

De hac porro ablactatione nihil aliud habet Moses, quam creuisse puerum, & ablactatum esse, fecisseque Abrahamum grande conuiuium in die ablactationis eius. Id autem Hebræis solenne fuisse, etiam ex Samuelis historia demonstratur, ex qua etiam clarius intelligitur illud ad gratias Deo agendas referri. Cur autem in die Circumcisionis non fieret, conuiuium, in signum lætitiæ, quod infans aggregatus esset in numerum filiorum Dei, sicut nunc fit plerisque in locis in baptismate paruulorum, causam non reperio, nisi id placet consuetudini datum. Circumcisio enim recens instituta fuerat, consuetudo autem conuiuij in ablactatione, antiqua, & à maioribus recepta per manus; infante primùm inter conuiuas, vt apparet, sedente, eorumque cibos pro suo modulo, participante.

ANNVS MVNDI 2144.

ABRAHÆ 16. ISAACI 6.

ARII 16. Imperij Assyriorum 213.

ANTE CHRISTVM 1909.

I. Ejectio Ismaëlis, eiusque tempus. a in trad. Hebr.

HAbet hic annus ejectionem Ismaelis cũ matre sua, quam plerique in hunc annum referunt, cum Isaac iam quinque annorum esset, nimirum expletorum, & sextum esset ingressus. Præit fere Hieronymus *a*, vbi cum dixisset quinto infantis anno ablactationem factam fuisse, addit, post ablactationem, Ismaelem cum matre domo expulsam esse. Et cum nihil cogat illos statim à conuiuio ejicere, possumus sane cum Torniello, & alijs, eiusdem anni finem expectare. Ita temporis ratio à Scriptura firmatur: cum enim Dominus dixerit semen Abrahæ quadringentis annis afflictum iri *b*, quod à sancto Stephano *c* iteratur, idque de semine eius per Isaac intelligatur; ab hoc autem anno ad exitum de Ægypto, anni 400. numerentur, oportet hunc annum primũ esse Afflictionis, quando Ismael persequens Isaacum, vt loquitur Apostolus *d*, domo ejectus est. Deinde cum à promissione primum facta Abrahæ, vsque ad legem datam, anni 430. ab eodem Apostolo *e* numerentur, & hic annus sit 31. Promissionis, oportet etiam primum esse eorum quadringentorum, qui sequuntur. Sed de tempore satis; plura in Annalibus reperies.

b Gen. 15. 13.
c Act. 7. 6.
d Gal. 4. 29.
e Gal. 3. 17.

II. Et causa, & quis ludus Ismaelis. f Gen. 21. 9. 10.

Huius ejectionis causam Moyses in hæc verba refert *f*. *Cumque vidisset Sara filium Agar Ægyptiæ ludentem cum Isaac filio suo, dixit ad Abraham; Ejice ancillam hanc, & filium eius: non enim erit hæres filius ancillæ, cum filio meo Isaac.* Ex hac ratione Saræ apparet Ismaelem vigesimum iam annum ingressum, maiores quam pro filio ancillæ, spiritus assumptisse, & se pro hærede, & primogenito gerentem, Isaacum quinquennem contempsisse, & crebra illusione vexasse. Ita hunc locum intellexit Paulus Apostolus *g*, cum hunc ludum persecutionem vocauit, Is, inquit, *qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum qui secundum spiritum.* Itaque Paulum ibid. Hieronymus intellexit, & in trad. Hebr. Et vox Hebræa non tam ludentem, quam insultantem, & superbè, contumelioseque tractantem significat, eodemque modo eandem infra vsurpat vxor Putipharis, in accusatione Iosephi *h*. Talis fuit ludus famulorum Abner & Ioab *i*, qui in mutuam multorum cædem euasit.

g Gal. 4. 29.
h c. 39. v. 14.
i 2. Reg. 2. 14.

III. Molestia Abrahæ super Ismaele.

Durè accepit hoc Saræ verbum *Abraham pro filio suo Patriarcha*, inquit Chrysost. *bene affectus erga Ismaelem molestè accipiebat, quæ à Sara dicebantur. Neque enim de Agar multum sollicitus erat, sed erga puerum ita afficiebatur, vtpote adhuc adolescentem.* Meminerat quoque eximias sibi de eo promissiones factas, eundemque, vtpote a se genitum, non poterat aspernari, nedum exturbare domo, cum matre sua. Cum ergo hæc ejectio Abrahamum male haberet, affuit ei per visum nocturnum Deus, qui crebro virtutem eius duris exercebat rebus, eique dixit. *Non tibi videatur asperum super puero, & super ancilla tua; Omnia quæ dixerit tibi Sara audi vocem eius, quia in Isaac vocabitur tibi semen.* Cui scilicet promisi terram hanc, & in quo benedicentur omnes nationes terræ. *Sed & filium ancillæ faciam in gentem magnam, quia semen tuum est.* Significat ergo Dominus hanc Saræ postulationem, non ex inconsulta mulieris iracundia, sed ex diuina inspiratione profectam, volente Domino illum ab adolescentia longe ab Isaaco secludere; ne cum ætate crescente ferocia, Isaaco legitimo hæredi dominari conaretur.

Et diuina eius consolatio.

IV. Dimittit matrem cum filio.

Abraham cui nihil erat antiquius, quam diuinæ voluntati in omnibus rebus obtemperare, surrexit mane, & tollens panem & vtrem aquæ, imposuit scapulæ eius, tradiditque puerum, & dimisit eam. Magna hæc videtur Abrahæ erga vxorem concubinam, & susceptum ex ea filium parcitas, atque duricies. Sed fortasse hoc quoque iussit Dominus, quod deinceps vtriusque curam in se susciperet; vt sentiunt Theodoretus *k*, & Abulensis, qui tamen hanc parcitatem

k q. 71. in Gen.

transfert in Saram parum æquam in Agarem, & Ismaelem, cui tamen Dominus hac in re voluerit Abrahamum obsequi, sed addit etiam mox à discessu eorum, Abrahamum eis copiose necessaria subministrasse: idque propter loci vicinitatem, facile fuisse, & propter naturæ coniunctionem, oportuisse. Neque si Deus à principio eis per Angelum prouidit, id perpetuum fuisse putandum est; & non potius deinceps Abrahamum recordatum esse, se patrem esse ac maritum. Denique qui in alienos, ignotosque benignus erat, in suos non factus est ferreus.

Cum ergo abijsset Agar, errabat in solitudine Bersabeæ, qui locus est in extrema Chananitide, ad meridiem, Ægyptum versus, & postea ex euentu id nomen accepit. Cumque consumpta esset aqua in vtre, *abiecit puerum subter vnam arborum, quæ ibi erant*, quam Septuag. vocant abietem. Non abiecit autem, quasi illum ferret in brachijs infantulum, qui annum iam vigesimum attigerat, sed deseruit cum ingenti mœrore eum, qui vltra progredi non poterat, viribus, pro ariditate sitis, exhaustis; quod ei nihil opis afferre posset. Ea tanta sitis indicat hanc dimissionem factam fuisse æstiuo tempore, quo citius aqua defecit in aridis, ac siticulosis locis. Et quia oculi augent dolorem, abijt ab eo quantum potest arcus iacere: & sedens contra leuauit vocem suam, & fleuit: sed flebat etiam puer, & Dei vt apparet, implorabat opem, ex pia & domestica institutione Patriarchæ.

Et exaudiuit Deus vocem pueri in gratiam patris, misitque Angelum, qui afflictis ostenso puteo ferret opem, moneretque matrem, vt curam gereret Adolescentis, ex quo numerosa posteritas oritura erat. Hoc enim maior habenda est cura Iuuentutis, quo ad maiora destinatur. Et apparet illos ad aquam illam diutius esse commoratos, eoque conuchere solitos, quæ ipsis ad victum erant necessaria. Hinc Abrahamo prospiciente, vt ex Abulensi dicebamus *a*; inde adolescente venationem exercente. Factus enim est iuuenis sagittarius, vt ait Moses *b*. Addit Iosephus *c* Agarem in pastores incidisse eorumque benignitate miseriam euasisse. Inde autem aliquantum progredientes, habitarunt in deserto Pharan, quod Israelitæ ex Ægypto reduces celebre reddiderunt. Interea Isaacus domi versabatur, sub exactissima parentum cura, vt filius benedictionis, dum Ismael syluestrem in desertis locis vitam ageret, nullius admodum cura munitam. Ergo ille mitis, iste ferox, pro educationis diuersitate redditus est.

ANNVS MVNDI 2145.

ABRAHAMI 116. ISAACI 16.

ARII 26. Imperij Assyriorum 223.

ANTE CHRISTVM 1899.

SVb trigesimum Ismaelis annum contigisse arbitramur coniugium eius, de quo Moyses *d*, *Habitauitque in deserto Pharan, & accepit illi mater sua vxorem de terra Ægypti*. Cui chronologiæ conciliant fidem ortus aliquot Patriarcharum, qui in Scriptura memorantur orti, sub annum trigesimum parentum suorum *e*: Et credibile est hoc coniugium non ignaro Abrahamo coaluisse, & patrem filio munera, non minus quam postea Ceturæ filijs, largitum esse. Porro nomen vxoris Ismaelis nusquam apparet in sacris literis.

d Gen. 21. 21.

e Gen. 11. 14. & seq.

II. Fœdus Abrahæ cum Abimelecho. f 21. 22.

Eodem tempore fœdus inijt Abraham cum Abimelecho, vt ait Moyses *f*, explicato Ismaelis coniugio. Nec video cur anteuertendum sit hoc fœdus, & ex eo loco mouendum, quem ei dedit series Mosaicę narrationis. Diuturnam enim Abimelechi experientiam innuunt illa verba, *Deus tecum est in vniuersis quæ agis*, quæ videlicet causa excitauit hunc regulum ad ambiendum hoc fœdus. Apparet etiam interuenisse iurgia inter Abrahæ regisque famulos, quæ ad Dominos delatæ, inimicitias inter vtrumque, & quæ ex inimicitijs oriri solent, procreare potuissent. Quibus Abimelech occurrere studens, & à se, regnoque suo potentem aduersarium auertere, cum amicum habere voluit, ac fœderatam. Quod fidem etiam conciliat ijs, quæ, de expetito ab eo Saræ coniugio, supra dicebamus. Et forte inaudierat aliquid de terra illi, eiusque posteris promissa diuinitus. Ideoque pro se posterisque suis cum Abrahamo pacisci voluit.

III. Contrahitur, & iureiurando firmatur.

Assumpto ergo secum Phicol principe exercitus sui, quasi teste ineundi fœderis, Abrahamum adit, eique ingenue fatetur se motum fœlicitate eius, & diuina in eum benecicentia, ad quærendam non tam amicitiam, quæ pridem parta erat, quam fœdus, quod ad seram vsque posteritatem pertineret, quod iureiurando, cæterisque ceremonijs sanciretur. Abraham consentit in fœdus, promittitque se iuraturum. Sed ne qua fortasse in animis simultas resideret, expostulat prius Abraham de accepta à seruis regis iniuria, qui puteum, quem foderant Abrahamitæ, illi per vim abstulerant. At rex negat se culpæ conscium vel participem extitisse, sed paratum potius ad ius cuique suum reddendum, si res ad eum delata fuisset. Excusationem accipit Abraham, vt ostenderet querelam non ex odio, sed iustitiæ zelo profectam, memor præteritæ Regis erga se liberalitatis: & ipse Regi oues & boues liberaliter largitur, vicissimque Rex ei locum, in quo erat puteus, & spatium aliquod circumpositum dedit, in quo mox Abraham plantauit nemus.

Mutua munera.

IV. Ritus fœderis.

Percusseruntque ambo fœdus, seruando solemnitatem, vt ait Tostatus, quæ olim in fœderibus seruabatur, vt scilicet aliquot animalia occiderentur, eisdemque diuisis, inter diuisiones; ab ijs qui fœdus inibant, transiretur, iuxta ea quæ supra dicta sunt *g*, de fœdere Deum inter & Abrahamum inito. Seorsim autem septem agnas statuit Abraham, quas regi dedit, *in testimonium*, inquit, quoniam ego fodi puteram istum, de quo scilicet inter ipsos iurgatum fuerat, & qui deinceps ex reipsa nomen accepit Bersabee. His gestis illi regressi sunt ad suos in Gerara. Abraham vero

g A. m. 2119. n. 65.

Puteus & Nemus Abrahæ.

possessor

possessor putei, & loci circumiacentis, plantauit in eo nemus, in quo, vt aiunt Hebræi, solebat excipere peregrinos, illosque ad veri Dei cultum adducere. Innuitur etiam ibi altare extruxisse, cum dicitur ibi inuocasse nomen Domini Dei æterni.

ANNVS MVNDI 2156.

ABRAHÆ 118. ISAACI 18.

ARII 28. Imperij Assyriorum 225.

ANTE CHRISTVM 1897.

I. Salæ obitus. b *Gen.* 11. 4. 15.

EXplentur hoc anno tres & triginta supra quadringentos annos Salæ, quem ei vitæ cursum Scriptura *b*, supra in catalogo Patriarcharum attribuit. Itaque moritur hoc anno, relicto in viuis adhuc proauo suo Semo, quamuis 165. annis natu grandiore.

i v 10. & 11.

Sed is quoque biennio post viuendi finem fecit, anno diluuij 502. vt patet ex 11. Gen. *i* & proxime dicturi sumus.

ANNVS MVNDI 2158.

ABRAHÆ 120. ISAACI 20.

ARII 30. & vlt. Imperij Assyriorum 227.

ANTE CHRISTVM 1895.

I Semi obitus.

HOc denique anno moritur Semus, omnium Patriarcharum antiquissimus, atque adeo, quod scripto sit proditum, omnium mortalium, qui ab obitu Noe patris eius in viuis fuere. Eius enim fuisse primogenitum in ipsius Semi ortu docuimus. Sepultus dicitur in Babylone, vt habetur in Romano martyrologio, decimus Aprilis. Ex quo etiam coniectura ducitur, Semum alium plane fuisse à Melchisedecho, qui apud Chananæos, tam longe à Babylone vixit, regnauit, vtique & sepultus est. Sed de hoc argumento *k* alio in loco pluribus à nobis disputatum est. Et quoniam diu admodum vixit, coęuos habuit plerosque, tam ante quam post diluuium. Vixit enim ante diluuium cum patre, auo, & proauo annis fere centum. A diluuio autem, spatio quingentorum annorum, vndecim, duodecimus generationes vidit, si iam primogenitus Ismaelis natus erat.

A.m. 1551. 2.

k *A. m.* 2118. n. 8. 9. 10.

II. Eius præstantia & virtutes.

Vir fuit eximiæ virtutis, adeo vt potuerit Melchisedech existimari, quem constat fuisse sanctissimum. Virtutem probat illa in parentem Noemum reuerentia, quam illustriorem reddit alterius fratris in patris dedecore petulantia; probat & collata in eum Patriarchæ sanctissimi benedictio, in qua singulari priuilegio Dominus, Deus Semi appellatur, sicut postea Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob. Benedictio, quam merito existimare possumus, non in externa solum bona, sed large in corpus, vt diutissimè, & in animam, vt sanctissimè viueret, redundasse. Indicat retenta in eius vnius familia, vera pietas, veruque Dei cultus, alijs pene omnibus in idololatriam prolabentibus. Pene omnibus dixi; Nam satis constat Melchisedech & Abimelech Chananeorum regulos, cum magna vtique parte subditorum suorum, veri Dei cultores extitisse. Quod si in posteris maledicti Chanaan tales viri reperti sunt, minime dubitandum videtur, quin in Iapheti filijs ac nepotibus, plerique haustam à Noemo pietatem fouerint, ac propagarint.

Benedict. ab Noe.

III Eiusdem gloria. a c. 49. 19

Sed virtuti Patriarchæ huius respondit gloria. *Seth* enim *& Sem*, vt ait Ecclesiasticus *a*, *apud homines gloriam adepti sunt, & super omnem animam in origine Adam.* Id est inter omnes filios Adam. Quia, vt recte notauit Iansenius, sicut Seth post Adam primus est piæ generationis pater, vsque ad diluuium, cum frater eius pater esset impiorum: Ita & à diluuio post Noe, Sem factus est primus parens sanctæ generationis Patriarcharum, ex quibus Christus ipse natus est, cum eius frater Cham impius parentis irrisor, primus esset impiorum pater. Hanc vtriusque gloriam refert Bolducius *b* ad supremam illis temporibus in Ecclesia Dei dignitatem, vt Sethus ante diluuium post Adamum, Sem à diluuio post Noe summum gesserint pontificatum. Glorioſus ergo Sem, & inclytus iuxta nomen suum; & in eo maximè, quod Christum ipsum, omnium nepotum eius longe glorioſissimum, adumbrarit, qui viderit semen longæuum, qui zelo pro patris honore commotus sit, qui semen piorum à diluuio segregarit, & Iapheti progeniem exceperit in tabernaculis suis, sicut Christus excepit gentilium populos in Ecclesiam suam.

b De Eccl. ante legē l. 2. c. 2.

Putatur pontifex.

IV. Aralius Rex Assyr.

Hoc ipso anno trigesimus & vltimus expletur annus Arij quinti Assyriorum regis, cui proximo anno successit Aralius filius eius tenuitque ad annos quadraginta; vtrumque affirmant Eusebius, & Africanus. Crediderim etiam hoc vel sequenti anno natam esse Rebeccam Isaaci vxorem, vt infra dicemus.

ANNVS MVNDI 2163.

ABRAHÆ 125. ISAACI 25.

ARALII 5. Imperij Assyriorum 232

ANTE CHRISTVM 1890.

I. Sacrificium Isaac quadō cōtigerit Gen. 22. l. 1. Ant. c. 13.

INsignis est hic annus in paucis admirabili Abrahæ & Isaaci Patriarcharum obedientia, quam vterque exhibuit Deo, ille vsque ad mortem dilectissimo filio inferendam; iste se, tam inusitato sacrificio, hostiam religioſissima deuotione offerendo. Quo porro tempore id contigerit certatur inter Chronologos; communior & verior opinio, & quæ nullis vrgetur incommodis, est Isaacum egisse tum annum circiter vigesimum quintum. De anni tempore proditū est ab Hebræis, id primo die septimi mēsis cōtigisse *c*, quo die institutus est à Moſe festus tubarū dies, in quo earū clāgore conuocabatur populus ad audiendā legē. Dicunt autem Hebræi huiusmodi tubas fuisse

Vt traditur Iosephus c Esdræ 1. 8. 2.

cornuas, in memoriam liberati à sacrificio Isaaci, & immolati pro eo arietis, qui cornibus vepreto hæserat implicatus. Quo etiam referunt illiud Dauidis *d* excitantis ad laudandum Deum. *In tubis ductilibus, & voce tubæ cornea.* Hæc de tempore.

d *Psal.* 97. 6

II. Quæ illius causæ.

1.

De ipsa primum occurrit inquisitio causarem grauissimæ tentationis huius. Principio voluit Dominus, ad gloriam suam, & ad gloriã amici sui, admirabiles eius virtutes patefieri omnibus gentibus. Nam ingens gloria Domini est habere famulos, qui tanti faciant imperium eius, vt ad ipsius nutum omnia impedimenta perrumpant, omnia naturę iura transcendant. Et ingens gloria est Abrahami tanta in Deum fide extitisse, omne vt humanæ rationis iudicium in eius obsequium redigeret; tanta obedientia, vt non parceret vnigenito suo, sed eum sua ipse manu iugularet; tanta spe, vt per eundem nihilominus speraret diuinas promissiones implendas esse: tanta charitate, vt suum omne gaudium illi consecraret, paratus reliquam omnem vitam in domestico luctu, in populari infamia traducere: tanta fortitudine, vt paterno amore percalcato, innocentissimum, maximèque amabilem filium mactare non dubitaret. Voluit quoque Dominus Abrahamum seruum suum vsque adeo honorare, vt eius fidei, & obedientiæ meritis deberentur, quæ Deus hactenus se donaturum ipsi, & posteris eius, ex mera liberalitate promiserat: idque ostendunt ea verba *e*, *Quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicam tibi*, &c. addito etiam aduentu Messiæ. Nam concludens ait, *& benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ.* Voluit denique Dominus extare clarissimum exemplar, atque ideam illius sacrificij quod aliquando vnigenitus eius, pro salute mundi, Hierosolymis impleturus erat: quando Æternus Pater proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, vt ait Paulus Apostolus *f*.

2.

e *Gen.* 22.

3

f *Rom.* 8. 32.

III. Tentatio Abrahæ grauissima.

Tentauit ergo Dominus Abraham, eoque modo se gessit erga ipsum, quo solent homines, cum de alijs volunt experimentum accipere. Tentauit inquam, eique præceptum imposuit, longe grauissimum atque difficillimum. *Tolle*, inquit, *filium tuum vnigenitum, quem diligis, Isaac, & vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum, super vnum montium, quem monstrauero tibi.* Singula pene verba præcepti difficultatem amplificant, sicut præclare docent omnes sancti Patres, Ambrosius, Augustinus, Rupertus, Chrysostomus, Gregorius Magnus & in primis Origenes *a*. Vt merito dici posset, *certamen forte dedit illi, vt vinceret* b. Terram porro visionis vocat conspicuum locum, qui longe lateque prospectum habeat in subiectas vndique terras, ex quibus etiam facile videri possit. Id autem recte conuenit terræ, in qua Ierusalem, & templum Salomonis, postea ædificatum est. Nam cum Ierusalem loco esset totius Chananitidis eminentissimo, adeo vt vndique in eam vrbem ascenderetur, templum erat in loco totius vrbis altissimo, & monte plures in colles assurgente. Nam qui meridiem respicit dictus est Sion, qui occasum Golgotha, qui septentrionem Acra, qui ortum Moriach, quod erat commune totius montis nomen: quem ei collem se ipsi ostensurum dicit, vbi videlicet propius accessissent.

a *Hom.* 8.

b *Sap.* 10. 12.

Sed quid ad hæc Abraham? nihil excusat, nihil obmurmurat, nihil obsecrat in tam luctuoso negotio, nihil cunctatur, sed ad celerem executionem fertur, de nocte consurgit tacitus, parat quæ sacrificio erant necessaria, addit ad Isaacum comites duos, statimque se dat in viam. Nec tamen imprudenter. Deus enim omnium difficultatum præscius, dedit ei plenissimam, certissimamque cognitionem, id præceptum à se profectum esse. *Tertio c autem die eleuatis oculis vidit locum procul*: & ex columna ignis, vt Hebræi dicunt, à Deo excitata in loco, in quo Isaacum oportebat immolari, agnouit locum illum à Deo electum ad sacrificium, aut interiore certe afflatu, sine quo columna ignis ambigua fuisset. Omnibusque simul progressis vsque ad radices montis Moria, ibi subsistere iussi sunt famuli cum asino, & lignis Isaaci humeris impositis, *ipse Abraham portabat in manibus ignem & gladium.* Quam triste spectaculum parenti præscio futurorum.

IV. Eiusdem obedientia mirabilis

c *Gen.* 22. 4.

Ecce autem nouum telum, ad senile pectus perfodiendum, eo acerbius, quo mollius ac blandius, Cum enim duo simul progrederentur, puta in montis ascensu, *dixit Isaac, patri suo. Pater mi.* Sufficiebat hoc verbum, ait Chrysostomus *d*, *ad tusti viscera lacerandã. At ille respondit, Quid vis fili? ecce*, inquit, *ignis & ligna, vbi est victima holocausti? Dixit autem Abraham, Deus prouidebit sibi victimam holocausti fili mi.* Sic ille dissimulãs. Quæ enim mens, qui sensus Abrahę fuit, dum intuetur in vultum innocentis filij, nihil mali suspicantis, & mox paterna manu morituri? Cuius viscera, nedum mitissimi parentis, non dilaceraret illa tam candida, tam simplex, tam mitis interrogatio? Quomodo non strangulabat incluſus dolor, cum in dissimulatione perseuerandum esset, nec liceret afflictissimo Patriarchæ in rugitum magni clamoris erumpere; aut saltem gemitu ac lacrymis, cor, ingenti mole tristitiæ oppressum, aliquantulum exonerare. Et quãta gratia credimus misericordem Deum eius animam sustentasse, vt par esset ferendo oneri, neque penitus tristitiæ fluctibus absorberetur?

V. Et colloquium cũ filio.

d *hom.* 47

Reliquus est postremus tragœdiæ huius actus, in quo res è luctuosissimo statu, in lætissimum commutatur. Peruenitur ad locum, quem Dominus ostenderat Abrahæ: ibi opere tumultuario altare construitur, desuper ligna componuntur, victima cædenda est. Quæ fuerit tum Abrahæ ad filium oratio, reliquit Moyses piæ hominum meditationi, quam Iosephus copiose suppleuit *e*. At Isaac non tam patris oratione, in tam horrifico, atque insperato nuncio, quã diuina interius motione persuasus, nihil queritur, nihil reluctatur, sed incredibili animi fortitudine roboratus, deponit vestimẽtũ, procũbit in genua, manus offert ad vincula, corpus ad cædem, ascendit in struem lignorũ rogo paratũ, patri valedicit illacrymãs animam commendat Deo, gladio iugulũ præbet. Nihilo segnius pater filium super ligna,

VI. Præparatur Isaac ad sacrificium.

e *Lib. Ant. ca.* 13.

commodè

commodè ad accipiendum ictum, & ligna sanguine aspergenda, componit: accipit gladium extenditque manum, non vt vibret in ceruicem, sed vt more immolaturum pecudum immergat in iugulum; pro vt Hebræa quoque vox, & Græca requirit. Et Chrysost. *f* ait Patriarcham gladium per collum pueri immisisse.

f hom. 47 sub fin.

VII. Et liberatur.

At extrema iam ventum erat; & poterat Isaac, iam mortis horrore exanimatus, oculis caligine circumfusis concidere, corde vitali calore destituto; cum ecce ex insperato intonat de cœlo vox, quæ inhibet filij cædem, prædicatque sat magnum captum esse de Patriarchæ in Deum fide, atque obedientia experimentum. Et Abraham sollicitus de sacrificio Domini, mutata licet hostia peragendo, circunspiciens vidit post tergum arietem, angelico vtique ministerio delatum, arbustis implexum, ne effugere posset, & à Deo præparatum, vt promissionem serui sui impleret, qui dixerat, Deum sibi de hostia prouisurum. Illum ergo assumit, offertque holocaustum pro filio, tanto maiore vtriusque lætitia, quãto propius vterque à cæde ferenda, inferendaque abfuerant. Eo peracto, apparet iterum Angelus, Deique personam gerens, propter huius obedientiæ clarissimum facinus, antiquas promissiones factas Abrahæ iureiurando confirmat, hoc est, tam stabiles atque immobiles futuras testatur, ac quæ inter homines iureiurando firmata sunt. Sicque redit Abraham ad famulos cum filio, *abieruntque Bersabee simul, & habitauit ibi*, vtique cum familia sua.

merces obedientiæ.

ANNVS MVNDI 2164.

ABRAHÆ 126. ISAACI 26.

ARALII 6. Imperij Assyriorum 233.

ANTE CHRISTVM 1889.

I. Nuncius ad Abraham ex Mesopotamia.

CErtum annum assignare non possumus nuncio accepto ex patria ab Abrahamo, ideoque seriem Mosaicæ narrationis secuti, illud inter oblationem Isaaci, & mortem Saræ collocabimus. Libet autem suspicari Abrahamum, post liberatum à morte Isaacum, & spes suas diuinitus etiam iureiurando firmatas, lætitia exultantem, suos, qui erant in Mesopotamia, gaudij sui participes facere voluisse, & ad eos, in recenti re, misisse nuncios. Nachorem autem, vice versâ, de rebus suis nuncios ad Abrahamum fratrem suum misisse. Quæ à Mose relata sunt, vt genus Rebeccæ, quæ postea in vxorem data est Isaaco, intelligeretur, & item Rachelis & Liæ, quæ Iacobo Patriarchæ nupserunt.

II. Abraham non communicauit cum suis.

Hoc porro nuncium, de duodecim filijs à Nachore genitis, apertè ostendit nullam fuisse Abrahami cum Nachore communicationem, ex quo discesserat ex Haran, anno ab hinc quinquagesimo primo. Quod valide etiam roborat chronologiam nostrã, de morte Tharæ ante digressum Abrahæ ex Haran. Nam si eo viuo discesserat, quomodo cum tot is quinquaginta annis non inuisebat? Illum, inquam, qui pater erat, qui spiritali eius auxilio vehementer indigebat, qui eius vnius amore incitatus, patriam grandis natu reliquerat, & longinquam susceperat transmigrationem. Sin autem inuisebat, quomodo octo filios ex Melcha, quatuor ex Roma, omnes nepotes suos à fratre Nachore ibidem susceptos ignorabat; vt nunc illi tanquam noua, & ignota nuncientur? *Nunciatum est Abrahæ*, inquit Moses *a*, *quod Melcha quoque*, & non solum Sara ipsius germana, *genuisset filios Nachor fratri suo.* In his autem numeratur Hus primogenitus, de cuius stirpe putat Hieronymus Iobum fuisse propagatum *b*, atque ita Chaldæum fuisse, siue Haramæum, quem tamen Idumæum fuisse Septuaginta testantur. Sed hæc controuersia alio discutietur loco.

a c. 22. 20

b in trad. Hebr.

III. De Rebeccæ ortu opinio Rabbinorum.

Hoc ipso anno vigesimo sexto Isaaci, volunt Rabbini natam esse Rebeccam; sed more suo nihil probant: & credibilius est ante aliquot iam annos ortam fuisse. Alioqui decimo quarto annos ætatis nupsisset Isaaco quadragenario. At maiorem natu videtur exhibere historia Geneseos, vt quæ aquatum mittitur, fert hydriam in scapula, & decem camelis hauriat aquam. Itaque non temerè opinor, ei quatuor aut quinque annos addiderimus, vt supra anno Isaaci vigesimo primo significauimus.

ANNVS MVNDI 2175.

ABRAHÆ 137. ISAACI 37.

ARALII 17. Imperij Assyr. 244.

ANTE CHRISTVM 1878.

I. Obitus Saræ.

SAræ morte ac funere celebratur hic annus. *c* Cum enim illa marito suo decennio minor fuerit, & 127. ætatis viuendi finem fecerit *d*, necesse est eam anno 137. Patriarchæ fuisse defunctam, quod notauit Augustinus *e*. *Et mortua est in ciuitate Arbee, quæ est Hebron, in terra Chanaan. Venitque Abraham vt plangeret & fleret eam*, merito fleret eximia virtute mulierem, bonum quo rarius, hoc & lacrymis dignius. Venit autem Patriarcha ex Bersabee, vbi habitabat, vt proxime dictum est *f*. Nec Saram alibi, quam cum marito, & filio habitasse, putandum est. Qua vero occasione, vel causa Sara Hebrone fuerit, ibique mortua sit, non liquet. Apparet Abraham cum tota familia Hebronem Dei voluntate remigrasse, etsi id diserte non scripserit Moses, sed ex Saræ morte coniiciendum reliquerit. Nec Deus seruum suum, quem volebat esse peregrinum, diutius in eodem loco moras sinebat trahere longiores. Et iam Bersabee *g*. colonus fuerat diebus multis.

c Gen. 17. 17.

d c. 23. 19.

e l. 16. de Ciu. c. 32.

f c. 23. 19.

g c. 21. fi.

II. Venit ad funus Abraham.

Venit ergo Abraham ex vrbe Hebron, quia sepulchra erant extra ciuitatem, & quidem cum vestitu funebri, & comitatu multorum, qui ad eum consolandum venerant, venit inquam ad locum, vbi depositum fuerat cadauer, quod sepulturæ mandaretur, vt eo loco

funebri oratione, planctuque dolorem suum declararet, & mortuam commemorandis illius virtutibus dilaudaret. Et fletus quidem, vt notarunt Pererius & Abulensis, veri doloris erat, planctus autem honoris ac solennitatis, personis illustribus deferri solitus. Quomodo Dauid planxit Saulem & Ionatham *b*, cæsos in montibus Gelboe, & lugubre carmen ipse composuit, quod ab Israelitis in funeribus decantaretur. Ideoque Dominus minatur Ioachimo filio Iosiæ, in pœnam scelerum suorum, fore, vt non plangeretur *i*. *Non plangent, eum*, inquit, *væ frater & væ soror, & non concrepabunt ei, væ Domine, & væ inclyta, sepultura asini sepelietur*, &c. Addebant & complosionem manuum, & percussionem pectoris, aliaque, quæ in Annalibus *k* breuiter persecuti sumus.

ceremoniæ funeris.

b 2. *Reg.* 1 17.

i Ierem. 22.18.

k n. 3. & 4.

Sed redeamus ad Abrahamum, qui cum surrexisset ab officio funeris, locutus est ad filios Heth. Incolæ loci huius erant Hethæi, quos inter filios Chanaan Moyses *l*, secundo loco memorat. Ab his Abraham primum vniuerse petit, sibi vt liceat habere in eorum agro locum aliquem, in quo defunctæ vxoris corpus sepeliat. Illi vltro offerunt sepulchra sua, vt vnum ex omnibus eligat, in quo sepeliat mortuam, spondentque neminem id prohibiturum. At Abraham, qui nolebat Saram in profanis infidelium sepulchris condere, petit certum sibi locum vendi, quem deinceps vt proprium possideat, in eoque perpetuum sepulturæ locum sibi suisque obtineat. Is locus fuit spelunca duplex, quam possidebat Ephron, filius Seor Hethæus, cuius pretium edixit rogante Abrahamo, quadringentos argenti siclos, quos si ad nostratem pecuniam reduxeris, conficient 550. Francos, quoniam siclus semiuncia est argenti, vt supra dictum est *m*. Eam *pecuniam appendit Abraham*, & ita confirmatus est ager, & antrum, quod erat in eo, Abrahæ, in possessionem sepulchri

III Abraham emit locum sepulturæ. *l Gen.* 10. 15.

m c. 20. 16 *A m.* 2138. *n.* 37

Possumus nos quoque imitatione Abrahami, cohonestando Saræ funeri operam aliquam ponere; funeri matris credentium, cuius eximia plane laus est incomparabilem Virginem adumbrasse, & illi similem dici posse, nomine, fide, gratia, fœcunditate, expetita prole, peregrinationibus, coniugio, pulchritudine, honore, amissione ac recuperatione filij, & multarum similitudine virtutum. Denique Sara à principe Patriarcharum, magno cum honore sepelitur. B. Virgo à Patriarchis noui Testamenti, cum hymnis & canticis, magnaque gloria tumulatur: neque illic abfuit Isaac filius eius; neque hic desideratus est Iesus, filius eius, qui eam in cœlum, ad beatam immortalitatem assumpsit. Sed hanc comparationem in paucula hic verba contractam, inuenies in Annalibus paulo latius explicatam. Addo hic strictim eiusdem laudatiunculam, seu breuem vitæ epitomen, quæ in duplicis speluncæ fronte appendi possit, cum bona Lectoris venia, hunc in modum.

IV Laudatio Saræ.

Vide Annal. n. 9. *& seqq.*

Mulierem fortem si forte quæras Lector, procul & de vltimis Chaldææ finibus eductam hæc spelunca claudit. Saram fortissimam, nobilissimamque mulierem, adeoque principem non familiæ vnius, sed maximi lectissimique populi, non populi, sed gentium plurimarum. Nam ad illam quoque pertinet, Benedicentur in te omnes gentes. Iacet in hac spelunca duplici dilectissima coniux Abrahæ, digna planctu, lacrymisque maximi Patriarchæ; mulier plane fortis in deserendo natiuo solo, patrioque cœlo, cum Dijs patrijs, patriaque domo, amicis cognatisque, certa perpetuæ peregrinationis, exilijque sempiterni. Fortis in sterilitate ad XC. annos patienter toleranda, & promissa prole ipsos 25. annos expectanda. Fortis in periculis, atque omni tentatione superior: vt merito confidat in ea cor viri sui, dum regi Ægyptio, atque Palæstino eam credit, & illa se ex eius arbitrio, vxorem vtrobique dissimulat, & sororem vocat. Fortis in peregrinationibus annorum duorum supra sexaginta *a*, è Chaldæa in Mesopotamiam, in Chananitidem, in Ægyptum: indeque rursum in terram Chanaan, & ibi in Sichem, in Bethel, in Hebron, in Geraris, in Berfabea, & rursus in Hebron, vbi peregrinationibus morte aliquando terminatis, ad sinum Patriarcharum profecta, ipsi Abrahamo parauit locum, anno ætatis 127, ab orbe condito bis millesimo 175. Ante ortum Virginis matris, cuius clarissimus typus fuit, 1863.

a à 65. ad 127.

V Epitaphium.

ANNVS MVNDI 2178.

ABRAHAMI 140. ISAACI 40.

ARALII 20. Imperij Assyriorum 247.

ANTE CHRISTVM 1875.

QVadragesimo Isaaci anno eius matrimonium contigisse omnes æquè consentiunt. Præit enim Scriptura *b*. *Abraham*, inquit, *genuit Isaac, qui cum* 40. *esset annorum duxit vxorem Rebeccam*. Et poteramus annos hic quoque numerare completos, vt hoc anno poneretur legatio in Mesopotamiam matrimonij causa, sequenti ipsa matrimonij celebritas, quæ, quia vno fere verbo à Scriptura perstringitur, ipsa autem legatio late describitur, visum est vtramque in hunc annum conijcere. Tarditas porro huius matrimonij admiratione non caret: cum præsertim grandæuus Abraham nihil æquè expeteret, quam videre quamprimum ex Isaaco nepotes; quod ipsum de Sara æquè affirmari potest. Existimo sane Patriarcham ea in re diuinam expectasse monitionem, quia promissum diuinitus semen, peculiari Dei prouidentia, administrabatur. Ex qua illud etiam profectum est, vt vxores Chananitides ab hoc coniugio repellerentur, & puella de ipsiusmet Patriarchæ cognatione eligeretur. Accedere potest illa ratio, quod cum Rebecca diuinitus huic matrimonio destinata esset, non ante monuit Dominus Abrahamum de cõiugio, quam illa adoleuisset, quæ nunc decimum octauum, vel 19. agebat annum, vt supra *c* notauimus.

I Coniugij Isaaci, eiusque tempus. *b Gen.* 25. 20.

c A.m. 2164. *n.* 3.

II. Eius interpres Eliezer.

Huius negotij eligitur interpres ab Abrahamo non ipsemet Isaac, ad quem res maximè pertinebat, & cuius consensus in matrimo-

nium

nium, certamq; mulierem necessario requirebatur, sed domesticus famulus. Ac ne consulitur quidem Isaacus, quod patri certissimum esset, cum in paterna potestate fore. Accedit quod cum vnigenitus ei esset Isaac meritò prudenterq; veritus est, nequid ei in longinquo itinere humanitus accideret, & interim ipse suauissima dilecti sui consuetudine priuaretur. Illum porro famulum vocat Moyses seniorem domus Abrahæ, qui præerat omnibus quæ habebat; creditumq; fuisse ille Damascus Eliezer, cuius superius *d* facta est mentio; Eum enim fidelissimum Abrahæ, ac dilectissimum apparet ex eo, quod de illo constituendo hærede, filiorum defectu, cogitaret. Tanti tamen duxit esse negotium, quod illius fidei ac prudentiæ committebat, vt ab eo iusiurandum exigeret, de accipienda vxore de cognatione sua, & non de filiabus Chanaam. Præsertim cum in eius arbitrio poneret vxorem, quam apud Nachorem acciperet, quæ plurimæ ex octo filiis Malchæ natæ esse poterant. Nisi forte placet Abrahamum alia sigillatim mandasse, quæ non sint à Moyse mandata literis.

d Gen. 15. 2.

III. Abrahã ab eo iuramẽtum exigit.

Ea porro ceremonia, manus ad femur Abrahæ admouendæ, famulum adiurabat per Dominum cœli & terræ, quia is de semine Abrahæ nasciturus erat, vt patres omnes, Catholiciq; Doctores interpretantur: reiectis Iudæis, qui id in honorem circumcisionis factum volunt. Quoniam vero iubebat Abraham deduci puellam in Chananitidem, quærit Eliezer, quid facto sit opus, si ea nolit ex patria demigrare, an eo deducendus sit Isaac. De priore respondet Abraham, fore vt puella non sit detrectatura migrationem, Angelo Domini rem suauiter administrante. Quoniam tamen liberæ semper remanent mortalium voluntates, subdit: *Sin autem mulier noluerit sequi te, non teneberis iuramento, filium meum tantum ne reducas illuc.* Tunc enim videlicet exquiremus à Deo, quid fieri placeat. Abhorrebat nimirum Patriarcha ab ea gente, quæ antiquo Noë maledicto tenebatur, & post annos aliquot funditus erat exterminanda. Ideoq; non oportebat cum ea semen Abrahæ permisceri atque confundi, ne cum ea simul interiret. Idemq; etiam obseruauit Iacob *e*.

Cur abhorret à filiabus Chanaan

e Gen. 27. 46. & 28. 1. 2.

IV. Cui vsui 10 cameli

Præstitit iuramentum Eliezer matrimonij procurator. *Tulitq; decem camelos de grege Domini sui*, quibus partim munera prætiosa portarentur, vt ex sequentibus patet *f*, vbi de aureis argenteisq; vasis, & prætiosa vesta fit mentio; partim etiam procuratoris comites, de quibus infra *g* fit mentio. Et in reditu noua nupta, cum eius comitatu deuehenda erat, & multa supellectile. *Profectusq; perrexit in Mesopotamiam ad vrbem* Haran, in qua habitabat *Nachor* frater Abrahæ, qui ibi quinquennium cum patre fuerat commoratus. Iamq; peruentum erat ad propinquum vrbi puteum, cum Eliezer de suo negotio sollicitus, & humanæ prudentiæ diffidens, ad diuinam recurrit prouidentiam, quæ futurum hoc matrimonium, pro sua in Abrahamum beneuolentia, moderabatur: petitq; vt ex certo quopiam euentu, ex ipsius afflatu profecto, intelligat, quamnam Deus elegerit in vxorem Isaaci. Eum euentum ipse proponit: vt scilicet ea puella à Deo electa agnoscatur, quæ sibi potum petenti libenter tribuat, & insuper vltro camelis offerat.

Fe. 24. 15.

g v. 59.

Votum Eliezer.

Id desiderium ac postulatum fuisse legitimum, Deoq; acceptum, atque adeo ipso inspirante conceptum, ideoq; ominosæ superstitionis minime accusandum, euentus ipse patefecit. In eodem etiam agnoscitur Procuratoris huius prudentia, quam Chrysostomus obseruauit. Cum enim sciret mores Abrahami & Isaaci ad hospitalitatis officia propensos, hanc ipsam animi inclinationem optauit in vxore & nuru dominorum suorum, vt tanto esset felicius matrimonium, quo magis inter se coniugum mores congruerent. Agnoscitur & prompta atque officiosa Rebeccæ charitas, quæ nec ignotum repulit virum, neque vespertinum tempus excusauit, quo vrgebatur ad reditum, nec iteratum hauriendi laborem detrectauit; nec morata est puellas reliquas, quibuscum venerat recedentes, sed libenter atque officiose quod petebatur, dedit: & ad benignitatem obsequij etiam verborum gratiam & modestiam adiunxit, sed & camelis vltro potum dedit, Eliezere rem totam, cum iucundissima admiratione contemplante, & rebus ipsis agnoscente, exauditam fuisse orationem suam.

V. Ex diuina inspiratione factum.

Rebecca officiosa.

Iamq; probabantur puellæ mores, forma, ætas, reliquum erat genus, quoniam Abraham expetebat nurum de cognatione sua, quod vbi illa patefecit, & hospitij commoditatem indicauit, vicissimq; petiit quis ipse esset. Tunc ille vna eademq; opera, & Deo gratias agens, & petitioni satisfaciens *a*, *Inclinauit se, & adorauit Dominum, dicens: Benedictus Dominus Deus domini mei Abraham, qui recto itinere perduxit me in domum fratris domini mei*, Nachoris scilicet. Itaque cum iam plane ipsi satisfactum esset, nec vltra dubitaret, quin Rebecca electa esset à Deo, in vxorem Isaaci, tum demum, quasi in pignus matrimonij, dona quæ protulerat, inaures scilicet aureas, & armillas, illi dedit. Quæ cum illa domi nunciasset, introductus est domum cum comitatu suo, & camelis, moxq; expositi à quo, & quam ob causam venisset, quoque modo deprehendisset diuinam Rebeccæ electionem; postremo requirit à Labano & Bathuele virginis fratribus, an in hoc matrimonium consentiant. Illi respondent diuina prouidentia negotium administrari, itaque suum non esse negare consensum; Sed & Rebecca præsens silentio consentiebat, posteaq; apertius rogata, dixit se paratam abire cum Eliezer matrimonij pronubo, atque interprete.

VI. Eliezer gratias agit Deo.

a Ac. 24. v. 26

Dat Rebeccę munera, eius cognati innuptias cõsentiũt

Habito puellæ & parentum consensu Eliezer gratias agit Deo, de negotio fœliciter transacto, *prolatisq; vasis argenteis & aureis, ac vestibus dedit ea Rebecca pro munere.* Vasa vocat Moses mundum muliebrem, quem ei, nomine Isaaci sponsi sui, largiebatur. Fratribus quoque eius ac matri dona obtulit. Patris nusquam hîc vlla mentio: quo fit vt merito putetur mortuus: initoq; conuiuio ibi pernoctarunt. Ea nocte transacta Eliezer dimissionem petit. At puellæ mater, ac fratres saltem

VII. Dona Isaaci Rebeccæ & cognatis.

Redit a liquãdiu tardatu.

tem decem dierum moram postulant, quibus ille resistebat: dies tamen aliquot abstulisse probabile est, quibus vale diceretur propinquis atque cognatis, quorum magnus erat numerus, quibus antidoralia pararentur, & necessaria puellæ ac comitibus eius supellex: quibus denique tam Eliezer, & socij eius, quam cameli à longo itinere modice reficerentur.

VIII. Rebeccæ discessus cũ nũcio.

Transactis itaque diebus aliquot, paratoq; commeatu, Mater, fratresq; dimiserunt Rebeccam, & nutricem eius, quam codices nonnulli vocant Delboram, ab eaq; aiunt non solum lac in infantia, sed puerilem etiam institutionem accepisse. Puellæ quoque honorariæ eam secutæ sunt, vt habetur in sequentibus, quæ forte fuerunt ancillæ in dotem datæ; vt mirum sit eam nuperrime ancillari modo aquatum iuisse, & aqua onustam reuertisse. Abulensis ait eum morem fuisse Hebræis, vt puellæ etiam opulentarum familiarum, ante nuptias domi, quasi ancillæ famularentur. c *Dimiserunt autem & seruum Abrahæ, & comites eius, imprecantes prosperа quæque sorori suæ*, consentaneè ei promissioni ac benedictioni, quam postremò Dominus Abrahæ dederat. d *Soror nostra es*, inquiunt, *crescas in mille millia, & possideat semen tuum portas inimicorum suorum.* Dominetur scilicet in ciuitatibus eorum, vt solent qui portas vrbium habent in potestate, earumq; propugnacula. e *Igitur Rebecca & puellæ illius ascensis camelis secuti sunt virum, qui festinus reuertebatur ad Dominum suum.*

c v. 59. Fratres sorori prosperа imprecantur. d c. 22. 17

e v. 61.

IX. Habitatio Abrahami, & Isaaci.

Eo autem tempore deambulat Isaac per viam, quæ ducit ad puteum, cuius nomen est Iuuentus & Videntis, ei ab Agare impositum f, *habitabat enim in terra Australi.* Eam supra g Moses vocauit Geraram. Sed dubium est, an illic adhuc habitaret Abraham, quem supra dictum est Hebronem remigrasse, vbi & sepelinit Saram, quæ ibidem mortua fuerat h: & difficile creditu est Isaacum a patre habitatione longius seiunctum fuisse. Dicendum igitur videtur, Abrahamum post sepultam vxorem, iterum in Gerara rediisse, ibiq; cum filio habitasse, & quidem ante missum famulum in Mesopotamiam. Nam is recta venit in prouinciam Geraræ, ad quam pertinet puteus prædictus. Illic autem inuenit deambulantem, aut, vt est in Hebræo, reuertentem per viam, quæ ducit ad puteum. Nam egressus fuerat ad meditandum in agro inclinata iam die. Sic enim Hieronymus i interpretatur ἀδολεσχῆσαι, Septuag. Interpretum, spiritualem scilicet mentis non corpoream membrorum exercitationem; cui etiam consentit Augustinus k.

f c. 16. 14. g c. 20. 1. h c. 23. 2.

i *in Trad. Hebr.*

k q. 68.

X. Occursus Isaaci & Rebeccæ

Regrediens igitur Isaac domum, *cum eleuasset oculos, vidit camelos venientes procul. Rebecca quoque conspecto Isaac, descendit de camelo*, cum prius interrogasset Eliezerum, quis esset, qui in occursum eis veniret: cognouit quippe à longe camelos suos Isaac, & suspicatus est, quod res erat, & venit obuiam suis. At Rebeccà, vt accepit eum esse Isaacum paratum sibi virum, *accepit cito pallium, & operuit se*, vel pudoris causa, quod sponso suo ex improuiso, atque inopinate appareret, vel vt eo theristro, aut peplo esset ornatior. Seruus occurrit prior, significans vno verbo adesse cognatam ac coniugem suam Rebeccam. Quam Isaac peramanter salutat, osculatur, amplectitur, introducitq; in tabernaculum Saræ matris suæ, quod illi pater inhabitandum tradiderat. Ex quo significatur fœminas seorsim à viris habitasse. Et accepit eam vxorem, ratum habendo, quod eius nomine Eliezer in Mesopotamia transegerat. Addit Moses Isaacum ita dilexisse Rebeccam, vt dolorem, ex morte matris acceptum, temperaret. Ingentem illum fuisse necesse est, qui in pectore filij quadragenarij, post triennium viueret. Eum ergo amorem Isaac deinceps in vxorem transfudit; & illa in locum Saræ amando successit.

Accipit eã vxorẽ.

ANNVS MVNDI 2179.

ABRAHAMI 141. ISAACI 41.

ARALII 21. Imperij Assyriorum 248.

ANTE CHRISTVM 1874.

I. Abrahæ coniugium cũ Cetura a l. *Ant* c. 14. & 15

Coniuncta narratio gemini matrimonij Isaaci & Abrahami, significat alterum alteri, breui interiecto tempore successisse: quamuis Iosephus a, hoc nouum Abrahami coniugium statim à morte Saræ recenseat, cum Scriptura saltem triennium interiiciat. Accedit Demetrius apud Eusebium b, qui ait Abrahamum annos natum centum & quadraginta duxisse Ceturam, quæ est nostra Chronologia. Sed quæ causa nuptiarum nouarum, & quæ noua vxor. Nam leuem certe fuisse causam oportet, cum iam Abrahamus duos suscepisset liberos, & vtrique infinita soboles promissa diuinitus fuisset: & de ipso centenario verè dixerit Apostolus c corpore illum fuisse emortuo, cur nihilominus animum ad nuptias applicuerit.

b *De prap. l. 9. c. 19.*

c *Rõ. 4. 19*

II. Quę illi causæ videantur.

Suspicatur non improbabiliter Caietanus, & post illum Pererius, Abrahamum præfecisse domui suæ Isaacum, tanquam hæredem ex asse destinatum; ipsum autem seorsim cum Cetura mansisse, quam vxorem acceperit, vt senectutis suæ curam gereret, & eam familiam, quam sibi ipse retinuerat, administraret fidelius, quam simplex ancilla. Cui rei fidem conciliat, quod in aduentu Rebeccæ, nulla fit mentio Abrahæ, sed tota res ad Isaacum refertur, quasi iam à patre separatum, nouumq; deinceps patrem-familias. Existimo nihilominus Abrahamum ad id diuino monitu adductum, vnde rationes humanæ prudentem hominem fortasse deduxissent: Deoq; placuisse, etiam extra populum Dei Chananitidis hæredem, multiplicari ex dilecto famulo suo nationes, quæ regiones, forte iam tum parum cultas, frequentarent. Nec falsum est quod ait Apostolus, Patriarcham emortuo fuisse corpore, cum credidit se geniturum Isaacum; sed illud etiam verum, eum tunc diuinitus accepisse facultatem, quæ ad vltimam vsque senectutem vigeret, vt sex filij ex Cetura susceptі docuere.

III. Quę fuerit Cetura

Quæ autem fuit hæc Cetura? mulier primo florentis ætatis; facilius enim fuit ex huiusmodi fœmina senem liberos suscipere, quam ex vetula, neque miracula sine necessitate multiplicare par est. Hebræi quidam Ceturam eandem cum Agare fuisse putant. Inepte, erat enim vetula hoc tempore, vt quæ filium haberet annos natum 55. & mox filij non concubinæ, sed concubinarum memorantur, qui ab Isaaco fuerint separati. Non crediderim Chananæam, ne coniugia, quæ verbis in filio repudiarat, factis in seipso approbasse videretur. Ergo malim ancillam Ægyptiam fuisse, sicut & Agarem, aut ex Ægyptia domi natam. Quoniam autem ex magno ancillarum domi natarum grege, vna ab Abrahamo electa est, quæ de ancilla fieret vxor, non dubium est eam multis naturæ donis præstitisse, vt recte Abrahæ senectutem fouere, eius familiam administrare, & in ea Dei cultum conseruare, atque amplificare studeret.

IV. Eiusq; filij ex Abrahamo

Narrat deinceps Moyses quos susceperit Abraham ex Cetura liberos, ac nepotes; sex videlicet filios, nepotes aut pronepotes decem. Etsi non dubium est, multo plures extitisse; nam de sex filiis, duorum tantum proles recensetur. Et credibile est, saltem hos decem, ante mortem Abrahæ, intra quinque & triginta annos, esse natos; quorum tamen ortus, gesta, mortes Scriptura obruit silentio, quod ad populum Dei, qui ex Isaaco propagandus erat, non pertinerent. *His omnibus filiis ac nepotibus*, ait Iosephus *d*, *Abrahamus deducendi colonias autor fuit, occupaueruntq; Troglodyticam regionem, & Arabiæ felicis quidquid ad mare rubrum pertinet.*

d l. 1. Ant. c. 15.

ANNVS MVNDI 2190.

ABRAHAMI 152. ISAACI 52.

ARALII 32. Imperij Assyriorum 259.

ANTE CHRISTVM 1863.

I. Sterilitas Rebeccę.

HOc tempore multiplici iam prole, non solum Ismaël, sed Cetura quoque lætabantur, gemebant Isaac & Rebecca, exactis iam in coniugio annis duodecim sine liberis. Quid Abraham, qui videbat ancillæ filios multiplicari, liberæ desiderari: & quinquagesimum iam annum sine liberis illum agere, cui promissi erant innumerabiles? Exspectabat vtique fideliter & constanter; & sperabat, vt arbitror, non visurum se mortem, donec eius sobolem videret, per quam diuinæ promissiones à se transfunderentur in posteros Chananitidis possessores. Verum Isaac & Rebecca non gemebant tantum, sed continentibus precibus diuinam implorabant clementiam, vt sterilitati remedium afferre dignaretur. Nam de Isaaco dicitur aliquanto post *e*, *Deprecatusq; est Isaac Dominum pro vxore sua, eo quod esset sterilis.* Septuag. habent deprecabatur, ne semel tantum illum orasse putemus. Viginti annis, ait Chrysostomus *f*, perseuerauit orans & deprecans Deum, & tunc tandem assecutus est quod desiderabat.

& pro ea preces.

Isaac. c. 25. 21.

f hom. 49. & 50.

ANNVS MVNDI 2198.

ABRAHAMI 160. ISAACI 60.

ARALII 40. Imperij Assyriorum 267.

ANTE CHRISTVM 1855.

I. Cõcept' Rebeccę.

ADest annus eximiæ consolationis & lætitiæ sanctis Patriarchis Abrahamo & Isaaco; sed & Rebeccæ illius nurui, & huius vxori, eoq; maioris, quo diutius exspectata fuerat, & expetita. Annus quo diuina miracula in fœcundanda sterili renouantur: quo Rebecca post vigesimum sterilitatis annum, geminos ex Isaaco concepit. Id admirans Chrysostomus *g*: *Quare*, inquit, *cum & ipsa, & vir eius vitæ fuerint eximiæ, & ambo multæ probitatis, sterilis fuit? Et vt discas rem miram, non solum ipsa sterilis fuit, sed & mater Iusti Sara, neque mater eius sola, sed & nurus Rachel vxor Iacob. Quid sibi vult iste sterilium chorus?* Causam mox subjicit, *vt cum videris virginem Dominum parientem, ne sis incredulus, sterilis virgini viam parat, & ideo steriles istæ fuerunt, vt credatur virginitatis partus.* Hæc ille fusius, quibus addit Theodoretus *a*, voluisse Dominum ostendere, genus Israëlitarum non naturali successione, sed gratia & fauore suo esse multiplicandum.

g hom. 45 Sterilitas matronarum cui finis.

a q. 47. in Gen.

II. Gemini in vtero colluctãtur.

Dominus porro, qui merita supplicum excedit & vota, Rebeccæ conceptum dedit, sed exspectatione maiorem: geminos enim concepit; sed collidebantur, vel, vt alij vertunt, colluctabantur in vtero eius paruuli. Certum est autem, illum motum colluctantium, siue colludentium, matri cruciatum attulisse; & quidem tantum, vt pene conceptionis tandiu expetitæ pœniteret. Hinc illa vox dolentis, *si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere?* Certum est etiam, eos præternaturali motu in vtero, in figuram & omen futurorum, decertasse, vt consultus super ea re Dominus mox explicauit *b*. *Perrexit* enim Rebecca, *vt consuleret Dominum*, vt ait Moses, sed neque quo adierit, explicauit: neque ad quem: ideoq; vtrumque incertum. Chrysostomus *c* Sacerdotem Domini ab ea consultum putat, quem plerique Melchisedechum fuisse arbitrantur: alij Heberem, qui annos adhuc nouemdecim in viuis fuit, & prophetiæ dono donatus creditur. De loco, Theodoretus ait Patriarchas solitos construere altaria, in locis in quibus habitabant, ideoq; verisimile esse illam ad vnum ex illis supplicasse Deo, & ita didicisse quæ futura erant; quæ est Diodori quoque Tharsensis, & Procopij Gazæi sententia, cui recentiores Interpretes *d* subscribunt.

Rebecc: Domin consulit b c. 25. 2

c hom. 3 in Gen.

d Pere Del. Ri

Responsum accepit Rebecca, duas gentes, duosve populos in vtero matris esse, quod scilicet ad ipsorum capita, & stirpem attineret; easq; inter se hostili animo futuras, quando earum principes, iam ab ipso vtero, in quo colluctabantur, animos alienos à se mutuo, ac diuisos ostenderent. Sed eius pugnæ victoriam iuniori aliquando cessuram, & maiorem minori seruum siue subditum fore.

III. Oracu de gen na pro

Quod

Quod postea Dauidis temporibus contigit suo loco dicemus e. Ea porro diuisio in vtero exorta, in egressu etiam patuit, quando alter alterius egressum impedire conabatur: deinde studiis plane diuersis tota vita, moribusq; discreparunt.

e An. m. 1994. n. 1 & 16.

Obitus Aralij.

Hic porro annus postremus est regni Aralij, quando illi 40. tantum annos Eusebius, Africanum secutus, attribuit, sine vlla rerum ab eo gestarum commemoratione.

ANNVS MVNDI 2199.

ABRAHAMI 161. ISAACI 61.

IACOBI 1. XERXIS, siue

BALANÆI 1. Imperij Assyriorum 168.

ANTE CHRISTVM 1854.

I. Ortus Esau & Iacob. Ge. 25. 26.

NAscuntur hoc anno magni duorum populorum principes Esau & Iacob: & oraculi de ipsis editi veritas incipit agnosci. Tempus confirmat Moses f, cum ait sexagenarium fuisse Isaac, quando nati sunt illi paruuli annos nimirum 60 explerat; tum primum enim vere sexagenarius dici potuit. Itaque primus annus paruulorum concurrit cum patris 61. & aui 161. quo modo Eusebius quoque hos annos ordinat. Qui in libris de Præparat. Euang. g scribit de Isaaco quæ huc pertineant, & insignem eius continentiam demonstrent. Ait enim eum vnam duntaxat vxorem duxisse, & semel tantum liberis operàm dedisse, *Quæ*, inquit, *vnica vice gemina prole suscepta, mutuam cum vxore consuetudinem circumscripsisse fertur, exemplo continentiæ singulari.* Sic ipse: quæ videntur ab Apostolo h confirmari. Ex quo tamen colligi non potest, cum semel tantum liberis operam dedisse. Quomodo enim vxoris sterilitatem agnouisset, aut quomodo Deum non orasset frustra pro vxore, à qua ipse abstineret?

f Gen. 25. 20.

g lib. 7. c. 8

h 1 Pet. 3. 7

II. Qualis vterq; in ortu, & ratio notis ipsorum. Ge 25. 24

De puerorum natiuitate hæc habet Moses i: *Iam tempus pariendi aduenerat, & ecce gemini in vtero eius reperti sunt. Qui prior egressus est, rufus erat, & totus in morem pelliis hispidus, vocatumq; est nomen eius Esau.* Duo hic notantur in Esau, quibus futuri eius mores repræsentantur, color rufus, & villosa cutis. Ex colore dictus est Edon, quod illi nomen postea confirmatum, cum pro coctione rufa primogenituram vendidit. A pilis, quibus præter morem aliorum infantium, qui toto corpore glabri nascuntur, opertus ferarum in morem prodiit, asperitas eius, feriq; mores præsignantur; eiq; nomen Seir datum est, quod Iosephus, Hieronymus, & Lyranus pilosum interpretantur: idq; signum est fortitudinis. Protinus alter egrediens plantam fratris tenebat manu, & idcirco appellauit eum Iacob, qui scilicet ei nomen indidit, siue pater is fuit, siue mater, quasi dicat supplantatorem, in signum futuræ deceptionis in acquirenda primogenitura, & interuertenda benedictione, quod ipsemet Esau in querela obseruauit ac prodidit.

i Ge. 25. 24.

III. Septimus à Belo rex Assyriorum Balanæus, siue Balæus cognomento Xerxes, quem S. Augustinus antiquiorem vocat k, ad differentiam opinor, alterius Balæi iunioris, qui tertius ab hoc regnauit annis duobus & quinquaginta: aut potius posterioris Xerxis Persarum regis, sui exercitus magnitudine, & cladis in Græcia acceptæ nobiliori: quem hic antiquior Xerxes, plus mille & trecentis annis antecedit. Hic ergo siue Xerxes, siue Balæus prior, Imperij Asiatici clauum hoc anno regendum accepit, tenuitq; Eusebio teste annis triginta. Cæterum Africanus eum Balanæum tantum vocat, & in regibus Assyriorum, vnicum Balæum agnoscit, ordine decimum. Hoc ipso anno Eusebius Argiuorum regnum inchoat, sub Inacho primo eorum rege per annos quinquaginta. Inde illi Phoronæum eius filium subjicit, & alios duodecim, qui omnes regnauerunt annis 544. vsque ad Perseum, qui regnum Argiuorum Mycenas transtulit.

Imperiũ Balæi, qui & Xerxes k lib. 18. de Ciu. c. 3.

ANNVS MVNDI 2200.

ABRAHAMI 162. ISAACI 62.

IACOBI 2. XERXIS 2.

Imperij Assyriorum 269.

ANTE CHRISTVM 1853.

I. Distributio bonorũ Abrah.

HIc annus est quadragesimi quarti Iubilæi, & secularis annus vigesimus secundus, quo apparet Abrahamum, qui iam vigesimum secundum agebat annum in Ceturæ coniugio, non solum sex illos filios, qui à Mose memorantur, ab illa suscepisse, sed eosdem factos iam adolescentes ratio postulat. Huc ergo non male referre possumus distributionem bonorum Abrahæ, ab eo factam concubinarum filiis, Agaris videlicet & Ceturæ. *Dedit*, inquit Moses a, *Abraham cuncta quæ possederat Isaac; filiis autem concubinarum largitus est munera, & separauit eos ab Isaac filio suo, dum adhuc ipse viueret, ad plagam Orientalem.* Continent hæc verba quoddam quasi testamentum magni Patriarchæ, quo hærede constituto eo filio, quem ex Sara susceperat, reliquis septem filiis, quos ex duabus concubinis susceperat, portionem aliquam bonorum suorum distribuit. Quod si iam res suas sibi habebat Isaac, vt Caietano placet, consentaneè iis, quæ supra dicta sunt b, hæc distributio facta fuerit de bonis, quæ ipse Abraham sibi reseruarat in matrimonio Isaaci, cum sua omnia illi daret, vt dicebat Eliezer apud Rebeccam c, quæq; ab eo tempore diuina benignitate acquisiuerat.

a c. 25. 5. 6

b A. Abraha 141. n. 2

c Gen. 24. 36.

II. Isaaci hæreditas opulenta d Ge. 33. 18 & c. 23. 33.

Ad Isaacum ergo pertinuerunt, si qua fuerunt Abrahami bona immobilia, vt sepulchrum in Hebron d, cum agro circumposito: vt puteus ille Bersabee cum adiacente nemore e. Reliqua autem fuerunt, qualia solent esse peregrinantium, mobilia scilicet, qualia refert Eliezer apud parentes Rebeccæ. Quam opulentus autem hoc tempore fuerit, hinc æstimari potest, vt ait Pererius f, quod annis ante obitum suum amplius nonaginta,

f n. 27.

cum

by Google

cum ex Ægypto rediit, dictus est dives valde in possessione auri & argenti *g*, & vsque adeo abundasse gregibus, armentis, seruitiis, vt coactus fuerit à Loto separari, quod eos simul terra capere non posset. Addemox debellatos quatuor reges, acquisitamq; prædam. Denique, nulla affectus iactura, creuit semper; adeo vt diceret Rex Abimelech *h*: *Deus tecum est in vniuersis quæ agis*, nec alienum à dignitate sua duceret cum eo inire fœdus, quod ad seram vsque posteritatem perduraret. Hæc ergo pene omnia ad hæredem Isaacum transierunt.

g Gen. 13. v. 5. &c.

h Gen 21.22

III. Munera filiorum Agar & Ceturæ.

Eiusdem generis erant, quæ Ismaeli, cæterisq; filiis dedit; quæ etsi erant magna per se, & eo non indigna, qui Princeps Dei audiebat, nihil tamen erant ad Isaaci hæreditatem, vt nomen potius munerum, quam hæreditariæ donationis mererentur. Assignauit autem eis habitationem, longius ab Isaaco; quoniam norat eos vehementer multiplicatum iri, propterea q; fore, vt eos eadem terra non caperet. Ergo separationem ipse anteuertit, quam poterat maiore autoritate ac suauitate perficere. Deinde prudenter agnoscebat fore, vt fratres Isaaci ipsi inuiderent, si quotidie haberent ob oculos, quod vnus ipse à patre plura quam reliqui omnes simul, accepisset, quod futurum erat seminarium rixarum atque iurgiorum. Neque tamen eis pater faciebat iniuriam, quoniam Deus, qui eum locupletarat, Isaacum volebat hæredem, cæteros autem leui portiuncula hæreditatis aspergi. Accedebat quod terra Abrahæ promissa diuinitus, ad solos Isaaci posteros pertinebat. Postremo illi concubinarum filij, qui à veri Dei cultu discessuri erant, posteros Isaaci peste Idololatriæ infecissent, si Isaacidis permixti habitassent. Sed hæc pluribus Abulensis *i*, atque Pererius.

1 Cur eos ab Isaaco separarit pater.

2.

3.

4.

i In Annal. n. 3. & 4.

ANNVS MVNDI 2213.

ABRAHAMI 175. & vlt.

ISAACI 75. IACOBI 15.

XERXIS 15. Imperij Assyriorum 282.

ANTE CHRISTVM 1840.

I. Obit Abrahami.

A Dest centesimus Abrahamiticæ peregrinationis, & diuinæ promissionis annus, eiusdemq; vitæ 175. & vltimus. *Fuerunt* enim, vt ait Moses *k*, *dies vitæ Abrahæ centum septuaginta quinque anni, & deficiens mortuus est in senectute bona, prouectæq; ætatis, & plenus dierum; congregatusq; est ad populum suum.* Itaque impletum est quod pridem illi prædixerat Dominus *l*. *Tu autem ibis ad patres tuos in pace, sepultus in senectute bona.* Moritur Abraham, defitq; vt homo, sed in senectute bona, vt sanctus, ideoq; congregatur ad populum suum, cœtum videlicet sanctarum animarum, quæ illuc ab Abele descenderant; Corpus autem in spelunca duplici, in qua ipse pridem sepelierat vxorem Saram. Morte porro placida defunctus est, non violenta & præpropera, vt iuuenibus contigit, sed viribus paulatim præ senio deficientibus.

k Gē 25. 7

l Gen 15. 15

Hic ergo finis est vitæ magni Patriarchæ, vitæ hinc quidem modis omnibus laudatissimæ, inde autem innumeris molestiis ac tentationibus exercitæ. Cuius vt nullum illustre facinus sacris literis proditum haberemus, hoc ipso tamen vir maximus, & inter heroas veteris Testamenti longe clarissimus habendus esset, quod à Deo Opt. Max. electus est, qui esset Pater credentium, & populi Dei Patriarcha; atque adeo illius Pater & typus, qui populi Dei & electorum omnium est in cœlo Princeps. Requirit profecto tanta dignitas admirabilem in Deum fidem, spem inconcussam, & animum in Deum & proximum eximia charitate flagrantem: hęc ipsa sunt primaria sancti Patriarchæ ornamenta. Requirit religiosissimam pietatem, patientiam incredibilem, obedientiam omnibus retro sęculis inauditam. Hæ quoque sunt laudes & decora magni Abrahami. Requirit heroicam fortitudinem, generosum rerum humanarum contemptum, officiosissimam hospitalitatem, sui ipsius abiectionem ac demissionem animi singularem; expressit hæc, aliaq; omnia, quæ in magno viro desiderari possunt, gestis suis mirabilis Abraham. Merito vt exclamet Ambrosius *m*: *Magnus plane vir Abraham, & multarum virtutum clarus insignibus, quem votis suis philosophia æquare non potuit. Minus est quod illa finxit, quam quod iste gessit, maiorq; ambitioso eloquentiæ mendacio, simplex veritatis fides.* Quin & Scriptura ipsa *n* admirans ait: *Abraham magnus pater multitudinis gentium, &: Non est inuentus similis illi in gloria.*

PROMISSION. 100

II. Eiusq; laudatio.

m In l. de Abra. c. 1.

n Eccli. 44. 20.

Sed hæc diducta latius, rebusq; ab eo gestis accuratiore diligentia explicata, in Annalibus ipsis reperies *o*; quæ in funere & laude coryphæi Patriarcharum, vsurpare potuerunt filij eius Isaac & Ismael, cum sepelierunt eum in spelunca duplici, quæ sita est in agro Ephron filij Seor Hethæi, è regione Mambre, vt scribit Moses *p*. Vt autem dubitare non licet, quin duo isti filij Abrahæ natu grandiores, & dignitate potiores, parenti optimo iusta cumulate persoluerint; ita dubitare non possum, quin & hi, & Cęturæ filij, & multa turba famulorum morienti affuerint, vt ex ore sanctissimi viri decedentis, monita postrema salutis haurirent, siue sua ipsi sponte, siue Abrahami ipsius conuocatione. Cuius exemplum deinde Iacob nepos *q*, qui nunc decimum quintum agebat annum, fuerit imitatus. Inuitant ad id credendum illa Domini verba: *Scio*, inquit *r*, *quod præcepturus sit filiis suis, & domui suæ post se, vt custodiant viam Domini, & faciant iudicium & iustitiam.* Inuitant exempla posterorum eius, & consuetudo patrum, qui grandæui in senectute bona moriuntur, quæ in Annalibus adumbrata *s*, hoc loco breuitatis causa prætermisimus: sicut & duodecim capita similitudinis eius cum Christo Domino, eamq; admodum expressam atq; illustrem.

III. Sepelitur à filiis, o n. 1. & seqq.

quib⁹ dat monita salutis.

p Gē. 25. 9

q Gen. 49

r Gē. 18. 19

s n. 13. 14. & seqq. n. 20.

ANNVS MVNDI 2214.

ISAACI 67. IACOBI 16.

XERXIS 16. Imperij Assyr. 283.

ANTE CHRISTVM 1839.

I. Augetur bonis Isaac.

POst obitum Patriarchæ Abrahæ, *benedixit Deus Isaac filio eius, qui habitabat iuxta puteum nomine Viuentis & videntis*, vt ait Moses *b*. De temporalibus vtique bonorum incrementis agit, quæ à rudi Hebræorum populo, cui hæc primum scribebantur, pene sola cogitabantur. Quanquam valuisse etiam parentis demortui, pro dilectissimo filio apud Deum preces, vt spiritalibus quoque augeretur bonis, minime dubitandum est. Illa porro bonorum incrementa cum in multiplici pecorum fœtu, in copiosis terræ frugibus, earumq; fructuosa distractione, aliisq; id genus rebus agnoscantur, quæ spatium temporis requirunt, ideo hæc incrementa, non ad hunc annum dumtaxat, sed ad sequentes quoque pertinere censemus. Habitabat porro Isaac circa prædictum puteum, ad aquæ commoditatem, iam à tempore coniugij sui cum Rebecca, vt ex superioribus intelligitur *c*.

b Gen.25.11

c c.24.62

ANNVS MVNDI 2217.

ISAACI 79. IACOBI 19.

XERXIS 19. Imperij Assyr. 286.

ANTE CHRISTVM 1836.

I. Obitus Heberis, eiusq; vitæ diuturnitas.

EXpletur hoc anno vitæ periodus Heberi attributa in voluminibus sacris *d*, quæ fuit annorum quatuor & sexaginta supra quadringentos, conflata ex 34. annis, quos vixit ante genitum Phaleg, & quadringentis triginta, quos deinde vixit: etsi Græci codices varij sint, & ab Hebræis, Chaldæis, Latinisq; dissentiant. Moritur ergo hoc anno Heber, qui vnus ex omnibus Patriarchis secundæ ætatis superarat, reliquis omnibus ante Abrahami obitum, qui tertiæ ætati dedit initium, morte sublatis. Toti pene secundæ ætati coæuus fuit, ab atauo Noëmo, ad Thare atnepotem. In tertia vero ætate vixit cum Abrahamo, Ismaële, Isaaco, & vtriusque filiis. Eius itaque ætas tredecim generationibus respondet, aut etiam pluribus, si ratio habeatur filiorum Ceturæ. Quod totum tempus in magna rerum varietate decurrit.

d Gen.11. 16.17.

II. In multa casuum varietate.

Vidit diuisionem terrarum à Noe institutam, vidit & linguarum atque populorum, &, vt erat Propheta, in filij sui denominatione prædixit. Vidit impiorum Chami filiorum progeniem, & in primis violentam Nemrodi tyrannidem. Vidit pene generalem veri Dei cultus prolapsionem: eundemq; in Abrahamo excusitatum, atque instauratum. Vide de filiis ac nepotibus suis, sex generationum ortus atque interitus, in quorum singulorum funeribus incolatum suum prolongatum gemebat, quod ille superstes esset, à quibus, vtpote iunioribus, sepultura mandandus videbatur. Vidit flagrantem bello Syriam primùm: deinde incendio cœlesti Pentapolim, totamq; circumpositam regionem. Vidit totum Orientem, Nini, Semiramidis, aliorumq; Imperatorum armis, turbatum, afflictum, seruituti mancipatum. Quibus casibus credibile est virum sanctum sæpe illa verba vsurpasse: e *Tolle Domine animam meam: neque enim melior sum quam patres mei.*

e 3. Reg. 19.4.

III. Fuit vir insignis,

Virum insignem fuisse Heberem, iam ex iis, quæ eius anno primo, & 35. dicta sunt, intelligi potest. Magno autem in pretio fuisse apud posteros, denominatio ex eo sumpta, & in omnem transfusa posteritatem, aperte declarat. Moses Abrahamum ipsum Hebræum vocat, etiam nato iamdudum Israelitarum cognomine, tum Patriarcham Iosephum, tum omnes vniuersè Iacobi posteros Hebræos appellat. Quid autem ab eo quinq; pene seculis gestum fuerit, ignoratur. Etsi Bolducius *f* in sua Ecclesia ante legem, eum fuisse Pontificem illis temporibus, gessisseq; pontificatum annis nouem & quinquaginta scriptum reliquit. Idem existimat Isaacum sacerdotio Melchisedechiano initiatum, cum Isaac annum ageret septuagesimum, Iacobus autem decimum, quæ cum noua sint, accuratam profecto probationem requirũt; & ponunt Semum eundem esse cum Melchisedecho, quod nobis non probatur; vt qui eum Chananæum, cum communi Doctorum sententia, iudicemus, vt supra docuimus *g*.

An & Pontifex.

f Bol. l.2.c.10.

g c.11.11 n.16.17.

ANNVS MVNDI 2218.

ISAACI 80. IACOBI 20.

XERXIS 20. Imperij Assyr. 287.

ANTE CHRISTVM 1835.

I. Studia duorũ adolescentũ, Esau, Iacobi.

VAluit hic annus, alijq; nonnulli tam antecedentes, quam consequentes ad duorum fratrum studia diuersa declaranda. *Quibus adultis*, inquit Moses *h*, *factus est Esau vir gnarus venandi, & homo agricola. Iacob autem vir simplex habitabat in tabernaculis.* Adolescere dicuntur pueri & adulti, per illos annos quos comprehendit Adolescentia, quæ vigesimo primo terminari dicitur. Quo maxime tempore diuersa studia, quæ primis iam annis emicabant, efferunt se apertius, ac profundunt. Itaque Esau natura ferocior atque ingenio agresti, à pueritia ruri multus erat; & capiendis auibus ferisq; capiebatur, famulosq; habebat ad sua studia obsequentes: Isaaco primum dissimulante, qui sciret nihil inuita dicendum faciendumve Minerua: deinde etiam approbante, cumq; illo nomine diligente. *Isaac enim*, teste Mose *a*, *amabat Esau, eo quod de venationibus illius vesceretur*; quæ fuerunt illi præludia artis militaris: vt olim Nemrodo, & postea Dauidi, Cyro, aliisque. *At* Rebecca diligebat Iacob, quia mitis animus mulieri magis congruebat.

h a GT 25.28

II. Et Iacobi, cur dicatur habitasse in tabernaculis.

Iacob autem natura mitis, ingenijq; facilitate præstans, mitiora studia & occupationes frequentabat, domi assiduus. Propterea enim dicitur habitasse in tabernaculis, cum id Esau

quoque

quoque conueniret, sed in iis erat infrequens. Iacob autem, quo sua ipsum ferebat indoles, animo magis excolendo, quam exercendo corpore occupabatur. Hebræi hæc tabernacula scholas interpretantur, in quibus manebat Iacob addiscens sapientiam & Dei timorem, vt referunt Lyranus & Abulensis, qui ex iisdem, aiunt fuisse duo huiusmodi tabernacula, alterum Melchisedechi, qui erat sapiens & sacerdos Dei altissimi: alterum Heberis, qui erat propheta, & res diuinas docebat, apud quem Iacob annis quatuordecim habitarit, aut iuxta Chronologiam nostram, ad annum vsque decimum nonum. Chaldæus paraphrastes huc alludens: *Iacob*, inquit, *erat vir integer, & minister domus doctrinæ.* Ludum enim litterarium Hebræi vocant domum doctrinæ. Bolducius *b* ædem sacram interpretatur, in qua Iacob fuerit quasi æduuus. Existimo ego hic tabernacula numero multitudinis vsurpata, tria illa comprehendere, domum priuatam, domum doctrinæ, & ædiculam sacram orationi destinatam. Etsi ægre adducor vt credam, grandæuum regem egisse ludimagistrum, aut Heberem in Chananitidem, transmisso Euphrate penetrasse.

Quæ videntur triplicia.

b l. 3. c. 6.

III. Iacob simplex & rectus.

Quod autem Iacob simplex à Mose dicitur, S. Augustc interpretatur hominem sine dolo & fictione, & minime malum; quæ simplicitas calliditati opponitur; nec male Iacobo conuenit. Fuisse enim hominem fraudibus opportunum, satis declarat commutata vxor primo die nuptiarum. Nec proprio dolo fraternam benedictionem abstulit, sed materno. Et vero erat de filiis lucis, quibus filij sæculi huius prudentiores sunt: qui externam speciem fingunt pro arbitrio, ac figurant, cui quia interior non respondet, ex duplici quasi facie duplices appellantur. Cæteri vero, quorum cor vultui respondet, quasi ex vnica facie, simplices dicuntur, quæ laus est Iobi *d* viri simplicis & recti, & Iacobi hoc loco *e*, & superius Abimelechi *f*.

c q. 47. in Gen.

d Iob 1. 1. e Gen. 25. 27 f Gen. 20. 6

ANNVS MVNDI 2223.

ISAACI 85. IACOBI 25.

XERXIS 25. Imperij Assyriorum 292.

ANTE CHRISTVM 1830.

I. Ratio temporis venditæ primogenituræ.

ELegimus hunc annum venditioni primogenituræ Esau, non vt certum, sed vt probabilem. *Ponamus*, inquit Augustg, *ipsos iuuenes circa viginti annos fuisse*, cum scilicet alter vendidit, alter emit primogenituram. At Pererius existimat non fuisse 30. annis minores, mediam nos sumamus sententiam, Torniello quoque probatam. Sectarius quidam ad quadragesimum annum distulit; sed probabilius est feruida hæc 25. annorum ætate, quam maturiore 40. annorum despuisse, vilem vt eleam nobilissimæ prærogatiuæ anteferret.

g q. 75. in Gen. Bibliander

Rem gestam Moses in hæc verba retulit: *Coxit autem Iacob pulmentum*, lenticulæ scilicet Ægyptiæ, vt ait Augustin. *h*: *Ad quem cum venisset Esau de agro lassus, ait, da mihi de coctione hac rufa, quia oppidò lassus sum.* At Iacob, qui intentus erat in occasionem recipiendæ primogenituræ, quam sibi diuinitus destinatam ex matre didicerat: *Vende*, inquit, *mihi primogenita tua*, siue ius primogenituræ, quod multiplex erat.

h in Ps. 46.

II. Iura illi octo.

Octo collegit Abulensis hoc loco. Primum, quod primogeniti erant Sacerdotes: ideoq; tribus Leuitica Sacerdotalis facta est, loco primogenitorum omnium, qui Deo dicati erant. Nec tamen soli primogeniti erant Sacerdotes: Nam Abelem & Abrahamum sacrificasse constat, nec tamen fuisse primogenitos. Alterum, quod primogenitus reliquos antecedebat in mensa, & lautius accipiebatur, vt patet ex ordine, quo fratres in Ægypto *i* à Iosepho dispositi sunt. Tertium, cæteri fratres à primogenito benedicebantur, & illi benedictionem cum humili corporis inflexione recipiebant; iuxta illud: *k Incuruentur coram te filij matris tuæ.* Quartum, veste pretiosa in festiuitatibus, & actionibus solennibus vtebantur, quam vestem, Sacerdotalem Hieronymus ex Hebræis interpretatur. Quintum, dominium quoddam in fratres, quasi principes exercebant. Nam Isaac, *esto*, inquit *l*, *dominus fratrum tuorum.* Sextum, duplices partes hæreditatis consequebantur. Hinc est quod cum primogenitura è Ruben translata esset in Iudam *m*, & Ioseph, ille imperio in fratres donatus est, iste princeps duarum tribuum factus est. Septimum, primogeniti redimebantur quinque siclis, quasi speciali ratione ad Deum pertinentes. Deniq; à parentibus morientibus benedicebantur, vt sic gubernationi domus, quasi patres familias quodammodo initiarentur. Quo pertinet illud Isaaci ad Esau primogenitum *n*, *vt benedicat tibi anima mea, antequam moriar.*

i Gen. 43. 33

k Gen. 27. 29

l Ibid.

m 1 Paral. 5. 1. 2.

n Gen. 27. 4

Ex quibus patet, hoc primogenituræ ius, quod etiam Sacerdotium continebat, neque vendi ab Esau, neque emi à Iacobo potuisse: neque istum reuera emisse, sed sibi debitam, sicut à matre didicerat, ab iniusto possessore recuperasse; Verbum autem venditionis molliendum est in hanc sententiam: Cedo mihi prætensum ius tuum primogenituræ, vt gratificer tibi de hoc edulio. Ille turbatus cupiditate sua, nec satis attendens quid faceret, aut certe putans hac cessione quamuis iureiurando firmata, quasi ridicula & à ludibundo facta, nihil sibi de suo iure decessurum, *accepto pane & lentis edulio, comedit & bibit* o; quæ verba significant prandium fratri à Iacobo subministratum. *& abijt parui pendens quod primogenita vendidisset.* Non ipsum ius primogenitorum parui pendens, sed venditionem quasi nugatoriam & irritam, & quam si opus foret, ipsemet ferro irritaturus esset: nam & postea minatus est se fratrem occisurum. Quod ergo in Hebræo & Græco dicitur contempsisse primogenituram, explicandum est, cum ita se gessisse, quasi eam contemneret, quod eam pro re contemptibili commutarit.

III. An venditi dent primogenituram, eo amq; contemserit

o Gen. 25. 34

ANNVS MVNDI 2228.

ISAACI 90. IACOBI 30.

XERXIS 30. & vlt. Imperij Assyr. 297.

ANTE CHRISTVM 1825.

I. Obitus Xerxis.

MOritur hoc anno Xerxes, qui Balanæus quoque, & Balæus dictus reperitur, à Belo, vt diximus, septimus, à Nino apud Eusebium sextus, ab iis qui Nemrodum diuersum à Belo faciunt, octauus.

Sub hunc nonagesimum Isaaci annum contigit fames, cuius meminit Moses initio c. 26. quæ compulit Isaacum ad Abimelech regem Palæstinorum in Gerara, vbi & diebus plurimis habitasse Scriptura *a* testatur, antequam Esau quadragenarius vxores duceret. Obseruanda quoque diuina erga Isaacum prouidentia, quæ eum, sicut Abrahamum eius parentem, peregrinationum labore voluit exercere, & ad eas vel fame vrgente compellere.

Gen. 26. 8.

II. Isaaci primus exilium in Palæstinã

Narrat ergo Moses ortam famem circa ea loca, quæ Isaac incolebat, ad eamq; vitandam statuisse Isaacum in Ægyptum, exemplo patris sui, peregrinationem suscipere; sed hæc illo cogitante, Dominum illi apparuisse, edixisseq; vt peregrinaretur in Geraris, quod & fecit. Moses autem prius profectionem narrauit, quam apparitionem, qua profectio dirigebatur; eaq; in itinere existenti facta videtur. Nam si eo iam peruenisset, non dixisset ei Dominus: *Quiesce in terra quam dixero tibi*, sed quiesce in terra hac. *Orta* ergo est *fames super terram* illam, quæ deserto vicina erat, nimirum circa puteum viuentis & videntis, quam satis sterilem fuisse probabile est, vt tanto magis in illis locis Dei erga Isaacum beneficentia agnosceretur. Dubium autem est an hic Abimelech sit idem cum eo, apud quem ante annos 90. peregrinatus est Abraham. Nam locus & nomina personarum, tam regis quam principis militiæ eius, conueniunt: atque ita sensit Iosephus & Chrysostomus *b*, non repugnante Augustino. Temporis tamen interiecti longinquitas, & res ipsa contrarium valide suadent. Non enim tam facile credidisset Isaaco Abimelech, à patre eius iam deceptus, & longe acriori expostulatione contra ipsum esset vsus. Fuerit ergo hic Abimelech prioris illius filius, sicut & Phicol dux militum. Nisi placet illa nomina appellatiua fuisse dignitatum, non propria personarum, vt nonnullis placet.

Ad Abimelechũ, Regem Geraris fuerit.

b Idem. 31.

III. Dominꝰ apparet Isaaco.

Dum autem adit Abimelechum Isaac, vt inde breuiore ac commodiore via Ægyptum petat, apparet ei Dominus, vetatq; descendere in Ægyptum: nec tamen indicat, quo eum abire velit, sed suspensum tenet, & ex suo nutu pendentem, ad maioris virtutis exercitationem. *Quiesce*, inquit, *in terra quam dixero tibi, & peregrinare in ea.* Verum in Hebræo, Chaldæo & Græco legimus: *Habita in terra quam dicam tibi. Peregrinare in terra hac.* Quæ verba non ad geminam apparitionem pertinent, sed ad eandem, sic vt priora verba requirant Isaacum paratum ad Domini nutum, ad habitandum vbiuis terrarum; posteriora locum præsentis habitationis definiant. Repetit porro promissiones factas Abrahæ, easdemq; in gratiam Isaaci confirmat; adeoq; nobilius illam benedictionem, quæ per ipsius progeniem deriuata, in omnes nationes effundenda erat, quoniam Isaac magna pars illius obedientiæ fuerat, quæ promerita erat eam mercedem.

IV. Isaac de vxore dissimulat. c Gen. 26. 6. 7.

Mansit itaque Isaac in Geraris c. Qui cum interrogaretur à viris loci illius super vxore sua, respondit, Soror mea est. Timuerat enim confiteri, quod sibi esset sociata coniugio, reputans ne forte interficerent eum, propter illius pulchritudinem. Et tamen quinquagesimum iam annum viuebat in coniugio, & octauum vitæ supra sexagesimum complebat annum. Erat autem Isaaco soror, id est cognata more Hebræorum, & instar neptis, filia scilicet consobrini sui Bathuelis, & nepris patrui sui Nachoris. Timuit autem etiam ipse, ne Palæstini capti amore Rebeccæ, ipsum interficerent, ne quis adulterij vindex superesset.

ANNVS MVNDI 2229.

ISAACI 91. IACOBI 31.

ARMAMITRIS 1. Imperij Assyr. 298.

ANTE CHRISTVM 1824.

I. Regnum Armamitris. d *l. 18. de Civ. c. 3.*

IMperio Assyriorum rex nonus sufficitur Armamitres, Eusebio septimus ordine, Nobis octauus, sicut & D. Augustino *d*, qui huius successorem Belochum nonum appellat. Etsi enim Eusebij Chronologiam vbique sequitur. Visum tamen ei est, non à Nino, sed à Belo horum regum seriem inchoandam esse: quem nos libenter secuti sumus ducem.

Patefit dissimulatio Isaaci. e *Gen. 26. 8.*

Existimari autem non temere potest, ad hunc annum pertinere patefactam Isaaci & Rebeccæ dissimulationem. Ait enim Moses *e*, id contigisse *cum pertransissent dies plurimi.* Cum ergo ambo essent in tabernaculo suo, *prospiciens rex per fenestram, vidit eum iocantem cum Rebecca vxore sua.* Familiarior vtique fuit ludus quam cum sorore, cum amplexibus scilicet & osculis. Caue autem putes factum coniugalem, ne vtrumque summę imprudentiæ accuses, vel impudentiæ, qui aut è longinquo se spectandos præbuerint, & alienos oculos cynica procacitate neglexerint, aut per stultitiam non vitarint.

II. Querela regis.

Cum ergo maritalem licentiam agnouisset Abimelech, expostulauit cum Isaaco de mendacio, vt putauit, & periculo adulterij, cuius reatum tantum non induxisset in regnum. Necesse est hunc regem, eiusq; populum magnam omnino de grauitate adulterij opinionem animo concepisse, quando etiam per ignorantiam admissum existimarint, ingens aliquod malum, non solum in facinoris reum, sed in totum etiam regnum inuecturum fuisse. Itaque proposito mortis supplicio id scelus interdixit. At Isaac vitato periculo intelligens diuinæ voluntatis esse, vt in Geraris longiores traheret moras, contulit agros, in quos sementem iecit, bene de diuina benignitate, etiam tempore sterilitatis sperans, & colligit eo-

Profect⁹ Isaaci.

dem

dem centuplum, atque adeo intra trimeſtre ſpatium, ſi de hordeo cum Septuag. ſementem intelligas, aut de tritico intra annum. *Benedixitq; ei Dominus.*

ANNVS MVNDI 2233.

ISAACI 95. IACOBI 35.

ARMAMITRIS 5. Imperij Aſſyr. 302.

ANTE CHRISTVM 1820.

I. Inuidia Palæſtinorum in Iſaac.

TRibus hiſce quatuorve annis contigit Iſaaco, quod benedictioni Domini ſubiungit Moſes *a*: *Et locupletatus eſt homo, & ibat proficiens atque ſuccreſcens, donec magnus vehementer effectus eſt. Habuit quoque poſſeßiones ouium & armentorum, & familiæ plurimum.* Exigunt enim hæc verba diuturnum tempus, & plurium potius annorum, quam menſium. Quod autem dicit de pecorum & familiæ copia intelligendum eſt, præter ea, quæ habuit cum venit in Gerara. Plures quoque annos fœlicitatis requirere videtur Inuidia, quam iugis ac perpes, non vnius anni profectus accendit: nec ſolent agri in vnum annum conduci. Demus ergo ſuccreſcenti inuidiæ triennium. Nam quarto non ſe vltra continuit inuidia Palæſtinorum aduerſus peregrini hominis incrementa, ſed ex latibulis pectoris prodiit foras, atque erupit. Cum enim multis pecorum atque armentorum gregibus adaquandis, & ad multiplices vſus ampliſſimæ familæ, aquarum copia vehementer neceſſaria eſſet, in terra præſertim ſiticuloſa, qualis eſt Geraritarum, vicina deſertis locis *b*, omnes puteos, quos foderant ſerui patris illius Abraham, illo tempore obſtruxerunt, implentes humo.

a Gen. 26. 13

Eaq; diuturna.

b Gen. 26. 15

II. Quem & aq; penuria vexãt.

Magna omnino fuit iſta vexatio, qua fiebat vt agri fruges q; ſiti exareſcerent, homines & iumenta in quærenda aqua, & ex remotiſſimis locis ſubuectanda conſumerentur, aut ſumptibus in emenda ab ipſis aqua grauarentur. Id erat hominem factis ipſis ad migrationem compellere. Sed cum id non ſatis eſſet, Iſaaco contra inuidam hominum improbitatem laborioſa patientia decertante: non erubuit rex ipſe Abimelech migrationem imperare. *Recede*, inquit, *à nobis, quoniam potentior nobis factus es valde.* Et ſcilicet periculum eſt ne opprimamur à te; &, vt aiebat Pharao *c*: *Si ingruerit contra nos bellum, addatur inimicis noſtris.* Improuide vtique, cum hominem potentem, eundemq; virum bonum & probatum, conciliare ſibi, atque officiis demereri ſatius fuerit, quam offendere, & ad vltionem opportuno tempore exigendam prouocare. Non eſt tamen credibile, tanta inhumanitate vſum Abimelechum, alioqui non improbum, vt è veſtigio migrare compelleret, ſed opportunam tempeſtatem, & ſpatium temporis ad expedienda ſua cum Palæſtinis negotia, deniq; quod ſufficeret migrationi maximæ familiæ, elargitum fuiſſe.

c Exod. 1. 10

Et migrare compellunt.

Nam quod infra *d* queritur Iſaac apud ipſos, ſe expulſum fuiſſe, id, vt in querela, cum aliqua amplificatione dictum videtur. Itaque nihil prohibet, quo minus diſceſſum Iſaaci in ſequentem annum differamus.

d Gen. 26. 27

ANNVS MVNDI 2234.

ISAACI 96. IACOBI 36.

ARMAMITRIS 6. Imperij Aſſyr. 303.

ANTE CHRISTVM 1819.

I. Migrat Iſaac ex Geraris.

DIſceſſit Iſaac vel ex Gerara ciuitate, vel ex agro vicino, proceſſitq; vlterius Orientem verſus, ad torrentem, ſiue vallem Geraræ, vt habitaret ibi. Et puteos, quos olim ſerui Abrahæ in eo loco foderant, & illo mortuo, Philiſthæi ingeſta terra obſtruxerant, ea rurſum egeſta, inſtaurauit. Idq; ſapienter, vt notauit Abulenſis *e*. Primum, quia cum iam olim illic aquam reperiſſet Abraham, probabile erat ibi etiam nunc repertum iri, neque eam alio effugiſſe. Deinde, quia terram molliorem facilius erat egerere, quam intactam perfodere. Denique, iuſte & minore inuidia poſſeſſionem paternam repetebat. Addit Del-Rio id ita factum, vt gratam patris memoriam recoleret ac veneraretur, ideoq; eadem nomina reuocaſſe. Veriſimile autem eſt, iſtos puteos à Palæſtinis ſibi fuiſſe vindicatos, non ſine egregia Iſaaci patientia, qui eos amittere maluit, quam litigare. Nam ſi illi manerent, nihil erat neceſſe nouos effodere, effodiſſe tamen nouos, noua nomina ex nouis euentis aperte docent.

e in c. 26.

Inſtaurat puteos veteres.

II. Et effodit nouos.

Quatuor autem memorat Moſes, quorum duos vitandæ contentionis cauſa dimiſit Iſaac, tertius pacificus fuit, quem vocauit latitudinem; quia tamen is gregibus omnibus, & numeroſæ, lateq; ſparſæ familiæ par eſſe non poterat, *aſcendit ex illo loco in Berſabee, vbi apparuit ei Dominus in ipſa nocte.* Non diſtulit diu conſolationem, poſt vexationem Geraritica, & puteos per iniuriam ereptos; renouans promiſſiones factas Abrahæ. Ideoque, vt is locus, qui ex diuina apparitione honore dignus erat, deinceps religioſus fieret, Deo illum conſecrauit, erecto altari, in quo is coleretur; & ibidem inuocauit nomen Domini: fixisq; tentoriis iuſſit ſeruos ſuos circa eum locum fodere quartum puteum. Recte autem notat hoc loco Toſtatus Iſaaci pietatem, qui prius Deo erexit altare, quam ſibi ipſi extenderet tabernaculum. Et hæc hoc anno geſta. Tot enim veterum ac nouorum puteorum effoſſiones, ſibi ordine ſuccedentes, etiam numeroſam operarum manum vnum annum tenere potuerunt. Cætera itaque opportunius anno ſequente.

Deus eũ cõſolatur

ANNVS MVNDI 2235.

ISAACI 97. IACOBI 37.

ARMAMITRIS 7. Imperij Assyr. 304.

ANTE CHRISTVM 1818.

I. Fœdus Isaaci cum Abimelecho.

REferimus in hunc annum fœdus, initum Isaacum inter & Abimelechum; quod rationi consentaneum est satis longo tempore dilatum esse, dum non solum feruor ex accepta iniuria resedisset, sed dolor etiam expulsionis tempore ipso mitigatus esset. Causam optati quæsitiq; fœderis hanc refert Iosephus *f*, quod putaret Abimelech Isaaci fortunas contra se augeri; cum quo parum syncere consuetudinem habuerat, neve acceptas iniurias vlciscereturVenit porro Abimelech cum duobus optimatibus Phicole & Ochozatho, quam vocem Hieronymus alicubi turbam amicorum interpretatur, in Vulgata tamen tanquam proprium nomen vsurpat. Eos à principio Isaac seueriore voce atque vultu accipit *g*. *Quid*, inquit, *venistis ad me, hominem quem odistis, & expulistis à vobis?* Illi amice respondent, se agnitione diuinæ in eum beneuolentiæ ac beneficentiæ incitatos, ad eum venisse fœderis incundi causa, vt mutuo ab iniuria abstineant. Significat autem rex se inscio iniuriam, quæcumque in ipsum illata est, factam fuisse, quo modo pater eius olim obiurgationem Abrahæ excusarat *a*. At Isaac pro innata mansuetudine facile placatus acquieuit petitioni, hospites conuiuio accipit *b*, *& post cibum & potum surgentes mane iurauerunt sibi mutuo*, & videlicet reliquas fœderis cæremonias adhibuerunt, *dimisitq; eos Isaac pacifice in locum suum.*

f Li. c. 18.

g Gen. 26. 27

a c. 21. 26

b c. 26. 31.

II. Puteus ad Bersabee

Communem lætitiam ex inito fœdere, eoq; inreiurando firmata, auxit priuatæ commoditatis lætitia, renunciantibus famulis inuentam aquam in puteo, quem fodiebant, vocauitq; eum Abundantiam, siue quod in eo aqua copiose scaturiret, siue quod significaret se duobus ex puteis, aquarum abundantia, in omnes familiæ vsus deinceps fruiturum.

ANNVS MVNDI 2238.

ISAACI 100. IACOBI 40.

ARMAMITRIS 10. Imperij Assyr. 307.

ANTE CHRISTVM 1815.

I. Vxores Esau. c Gen. 26. 34

HIc est quadragesimus annus filiorum Isaac, ad quem vsque cœlibes vterque vixerunt; sed longe diutius etiam Iacob, vt ex sequentibus patebit *c*: *Esau vero quadragenarius duxit vxores; Iudith filiam Beeri Hethæi, & Basemath filiam Elon eiusdem loci.* Ita Moses. Neque tamen credibile est vtramque simul duxisse, licet vtramque postea simul habuerit, sed prioris sterilitati, nullam enim ex ea prolem suscepisse reperimus, posteriore ducta prouidisse, vt Hebræus quoque textus, Græcusq; innuunt. Quantum autem temporis inter vtrasque nuptias interiectum fuerit, diuinare non possumus. Nam si sterilitatis causa posteriorem duxit, apparet aliquot annis probatam compertamq; fuisse sterilitatem: sin alia de causa, pauci fortasse dies interfuere; sicut de Lia & Rachele constat. Eas dynastarum inter Chananæos filias fuisse autor est Iosephus *d*; quod probabile facit Isaaci opulentia, cuius Esau erat primogenitus.

d l. 1. Ant. c. 17.

Mores vero Esau probabile faciunt quod idem affirmat, & ex eo Chrysostomus, inconsultis parentibus vxores istas Hethæas ab eo ductas. Quæ fidem aliquam accipiunt, ex eo quod ait Moses *e*, ambas offendisse animum Isaac & Rebeccæ. Idq; siue propter improbatam cognationem cum alienigenis: siue propter morum peruersitatem, siue propter religionis dissimilitudinem, ex qua Esau in periculum Idololatriæ trahebatur. Fortasse etiam offendebant, quia duæ erant, & inter se vt fit rixabantur: cum Isaac & vnam semper habuerit, & vt erat mitissimus, diligeret pacem, malletq; iacturam facere quam litigare: vt in causa puteorum perspectum est. Et hæc causa fuit cur Iacob, à quo benedicta progenies sperabatur, Chananitidas vxores accipere prohibitus sit; Deo harum mulierum improbitate bene vtente, & patientiam Isaaci molestiis domesticis exercente. Cuius sęcularem annum prodit annus præsens, sacrificiis, vt apparet, sanctaq; lætitia à viro sancto celebratus.

II. Patentib. ei ingratæ, & cur.

e Gen. 26. 35

ANNVS MVNDI 2258.

ISAACI 120. IACOBI 60.

ARMAMITRIS 30. Imperij Assyr. 327.

ANTE CHRISTVM 1795.

I. Diluuiũ Ogygiũ quando cõtigerit.

HOc anno, qui est millesimus & vigesimus ante principium Olympiadum, quod cadit in primum annum Ioathan regis Iuda, vt suo loco docebimus, contigit in Attica regnante Ogyge indigena, Diluuium Ogygium, vt autor est Africanus apud Eusebium *f*, qui & sententiæ suæ laudat autores Hellanicum atque Philochorum, rerum Atticarum scriptores, Thallum item & Castorem, Diodorum Siculum & Alexandrum Polysthorem. Atqui primus Ioathan est ter millesimus ducentesimus septuagesimus octauus ab orbe condito, ex quo numero si auferas mille & viginti, existet præsens mundi annus. Ante annos vrbis conditæ, ait Paulus Orosius *g*, mille & quadraginta, in Achaia sæuum diluuium, vastatione plurima totius pene prouinciæ fuit, quod quia Ogygis, qui tunc Eleusinæ conditor & rex erat, temporibus effusum est, nomen loco & tempori dedit. In annis ante V. C. rotundum numerum ponere volunt Orosius, sunt enim omnino mille & quadraginta tres, quoniam à prima Olympiade ad vrbem cond. sunt anni 23.

f l. 10. de Præp. c. 10 edit. Gra. Lat.

3278. 1020. 2258.

g l. 1, c. 7.

S. Augustinus *h* triplex diluuium memorat, & hoc Ogygium, vt tempore, sic & magnitu-

h l. 18. de Civ. c. 8.

dine

II.

Medium fuit inter Noëticũ & Deucalioneum.

dine medium fuisse censet. *Ogyges*, inquit, *ipse quando fuerit, cuius temporibus etiam diluuium magnum factum est, non illud maximum, in quo nulli homines euaserunt, nisi qui in arca esse potuerunt, quod gentium nec Græca, nec Latina nouit historia, sed tamen maius quam postea tempore Deucalionis fuit, inter historiæ scriptores non conuenit.* Deucalionæum autem diluuium, quod Eusebius refert in annum Mosis 67, posterius est Ogygio, annis ducentis septuaginta duobus. Contigit enim anno mundi 2530. vt in eodem anno docebimus.

2530. 2258. 272.

1 *tom. 2. Annal.*

ANNVS MVNDI 2261.

ISAACI 123. IACOBI 63.

ARMAMITRIS 33. Imperij Assyr. 330.

ANTE CHRISTVM 1792.

I. Obitus Ismaëlis.

COncluditur hoc anno Ismaëlis vitæ periodus, 137. annis à Mose *k* delimita: par omnino vitæ curriculum fuit Amrami patris Moysis, & Leui Patriarchæ *l*. Illes ab eo gestas obuoluit Scriptura silentio, scripsit tamen vnde suspicemur eas multas fuisse, atque memorabiles, cum ait *eum fuisse hominem ferum, & manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum* decertasse. Certe non sine bello magna parte Arabiæ potitum esse, nouaq; nomina locis sibi subiectis imposuisse, credendum est. Altera pars diuinæ de Ismaële prænunciationis, quæ est de multitudine posterorum eius, & multis habetur locis *m*, & impleta ostenditur Gen. 25. *a* vbi duodecim filij eius, totidem tribuum principes memorantur.

k Gē 25. 17 l Exod. 6. 16. 20.

Gesta eius & posteri

m *maxime* Gen 16 10.

a Gē 25. 13 & Par. 1. 29.

II. Eius mors qualis.

De morte ipsius hæc habet Scriptura: *Et facti sunt anni vitæ Ismaelis* 137. *deficiensq; mortuus est*, morte scilicet naturali, minimeq; violenta, vt de Abrahamo quoque dictum est. Quod autem additur *coram cunctis fratribus suis obisse*, Hieronymus interpretatur, *in manibus omnium filiorum suorum, superstitibus liberis, & nullo prius morte præcepto*: quod ad magnam vitæ huius fœlicitatem videtur pertinere. Nam quod ad futuram attinet, Hebræi colligunt eum pie defunctum, & ad Abrahamum patrem suum esse profectum, quod hic dicatur appositus ad populum suum, sicut antea de Abrahamo ipso dictum fuerat, & postea in funere sanctorum virorum vsurpatur. Rectius tamen probari videtur ex eo loco, vbi Abraham Deum alloquens *b*: *Vtinam*, inquit, *Ismael viuat coram te.* Quæ oratio, ex mente religiosissimi Patriarchæ, etiam ad æterna futuræ vitæ bona pertinebat. Et tamen Dominus mox subdit se Abrahamum super Ismaele exaudisse, quod Rupertus notauit *c*. Religiosa quoque funeris Abrahæ curatio, dat non inanem Genebrardo coniecturam, ipsum quoad vixit Abraham, pietatem coluisse. Atqui Ismael in morte patris nonagesimum agebat annum; credibile est etiam reliquam vitam in eodem Dei cultu traduxisse, memorem mandatorum patris sui. Et quoniam naturali morte paulatim extinctus est, in cœtu filiorum suorum, etiam ratione consentaneum est ipsum, patrem suum extremo illo tempore imitantem, cum pœnitentia & timore Dei obiisse; vt deinceps mundo mortuus, viueret coram Deo; vt optarat & rogauerat Abraham. Itaque in re incerta rectius arbitror in mitiorem, melioremq; partem propendere, & cum Domino dicere *d*, *Nemo te condemnauit* Ismael, *neque ego te condemnabo.*

b Gē 17. 18 Videtur saluus.

c l. 5. c. 36.

d Ioā. 8. 11

ANNVS MVNDI 2266.

ISAACI 128. IACOBI 68.

ARMAMITRIS 38. & vlt.

Imperij Assyriorum 335.

ANTE CHRISTVM 1787.

I. Obitus Armamitris.

FInem affert hic annus & regno & vitæ Armamitris, octaui à Belo Assyriorum regis, qui est quintus à morte Ismaelis annus; & Esaij 68. qui cum multos ex vxoribus suis liberos susciperet, Iacob nihilominus ei æqualis, stupenda profecto continentia, perseuerabat cœlebs.

Initium Belochi.

Sequenti autem anno Belochus huius nominis primus, ordine nonus Assyriorum rex, capessit Imperium, rexitq; annis triginta quinque, vt Eusebio placet. Nam secundus Belochus illi successit decem regibus interiectis.

ANNVS MVNDI 2276.

ISAACI 138. IACOBI 78.

BELOCHI PRISCI 10.

Imperij Assyriorum 345.

ANTE CHRISTVM 1777.

I. Ratio temporis benedictionis Iacobi

HIc est annus surreptæ à Iacobo benedictionis, & fugæ in Mesopotamiam, cum annum ageret septuagesimum septimum, & iniret 78. Pater autem eius Isaac 137. absoluisset, vt habet Demetrius apud Eusebium *e*. Et res clara est, cum ex ipsa Scriptura constet eum anno patris sexagesimo natum esse. Illum porro Iacobi annum ita colligit Abulensis. Iacob erat 130. annorum, quando iletit coram Pharaone *f*, tunc autem Ioseph annum agebat 39. Nam triginta annorum erat cum iletit coram Pharaone *g*, & septem anni fertilitatis, & duo sterilitatis erant elapsi. Si ergo à 130. annis, 39. sustuleris, remanent vnus & nonaginta, quæ erat ætas Iacobi, quando genuit Iosephum, quem ex Rachele suscepit, postquam seruisset Labano quatuordecim annis; qui si auferantur ex vno & 90. remanebunt 77. quos sumimus absolutos. Absoluerat ergo septuagesimum & septimum annum, quando benedictionem obtinuit; à quo mox in Mesopotamiam abiit, ad declinandum fratris furorem.

e l. 9. de Præp. c. 21

f Gē. 47. 9

g Gē 41. 46 & 45. 11.

Digitized by Google

II. Cur Isaac voluerit benedicere Esau.

Senuit ergo Isaac, & caligauerunt oculi eius, & videre nonpoterat. Fit mentio senectutis, & quidem, vt putabat Isaac, decrepitæ, vt causa benedictionis vltro oblatæ intelligatur; fit & caliginis, & cæcutientium oculorum, vt causa deceptionis agnoscatur. Accersit Esau, quem habebat pro primogenito, eumq; iubet venatu sibi quærere ac parare cœnam. Ex quo illud quoque intelligitur mansuetissimum Isaacum: etsi vxoribus Esau, & illi ipsi filio, qui eas iniussus acceperat, pridem infensum, ipsum tamen nunc eo iure priuare noluisse, quod prior nascendo acquisiuerat. Ad eam autem benedictionem, eum per opus obedientiæ & charitatis in parentem conuenienter disposuit. Ille nihil cunctatus, dum ad patris iussionem implendam proficiscitur, Rebecca, quæ Iacobum diligebat, eiq; benedictionem ambiebat, vt quæ sciebat ius primogenitorum illi diuinitus esse concessum. Audiuerat quippe, h *maior seruiet minori*, rem ad ipsum defert, & destinatam à se maiori fraudem aperit, hœdinis carnibus ferinæ substituendis. In quo, vt ait Abulensis *i*, non dedit consilium ad furandum rem alienam, sed industriam ad liberandum ius suum, de manu iniusti detentoris.

Rebecca Iacobo benedictionem ambit.

h *Gē* 25.23

i *in c.* 27. *Gen. q.* 3.

III. Et fraudē parat.

Nihilominus cunctatur Iacob, veritus ne deprehensus in fraude, maledictionem sibi loco benedictionis accersat. Mater autem, ad quam delatum fuerat oracultum, certa de optato rei exitu: *in me sit*, inquit *k*, *ista maledictio, fili mi.* Ille persuasus curriculò gregem adit, duosq; affert hœdulos, non vt senex ambos comederet, cum vnus abunde sufficeret: sed duæ pelles necessariæ erant, altera ad nuda colli protegenda, altera ad circumtegendam vtramque manum. Ergo parat Rebecca cibos, *sicut velle nouerat patrem illius, & vestibus Esau valde bonis, quas apud se habebat domi, induit eum.* Vestitu scilicet pretiosiore, quali primogeniti, siue sacrificando, siue in actione quapiam solemni vti solebant, quam mater in quapiam arca ex lignis odoratis, aut cum herbis floribusve odoriferis asseruabat, *pelliculasq; hœdorum circumdedit manibus, & colli nuda protexit*, quæ scilicet membra senis attrectationi erant exposita, genas & mentum barba protegebat: *Dedit q; pulmentum, & panes quos coxerat, tradidit.*

k *Gē* 27.13.

v. 14. 15.

IV. An Iacob apud patrē fit mentitus v. 19.

Ita persona quasi ad theatricam actionem composita, venitur ad Senem. Et: *Ego sum*, inquit Iacob, *primogenitus tuus Esau, feci sicut præcepisti mihi, surge, sede, & comede de venatione mea: vt benedicat mihi anima tua.* Atqui nec venatio hæc erat, nec ferina, sed hœdina caro: neque præceperat illi quidquam Isaac, nec fecerat ipse, quod se fecisse dicebat: denique vt iure primogenitus esset, Esau tamen non erat. Neque sane facile video cur ingenuam confessionem leuioris mendacij cum plerisque viris pietate atque eruditione præstantibus, quos in Annalibus *a* retulimus, admodum reformidare debeamus, cum simplex & perspicua verborum sententia eam requirat: neque ad vllam absurditatem trahat ista confessio: & pleræque excusationes violentæ sint, & literalem sensum deserant. Dici tamen posset, in gratiam optimi Patriarchæ, Iacobum dicere se Esau, non simpliciter & absolute, sed vt primogenitum, quia talis habendus erat apud homines, qualis diuina dispositione erat apud Deum. Fecit Iacob quod pater, interprete Rebecca iusserat. Quidni autem venatio metaphorice sumatur, vt hœdi in agro capti, sicut & lepores venatio appellentur? & quidem cum quadam ironia, quæ sine dubio mendacium non est.

a *an. m.* 2267. *n* 7

Neque tamen ea verba nisi animo valde anxio protulit Iacob, vt ait Chrysostomus *b*, cogitans quam periculosam fabulam ageret. Maxime autem, vt par est credere, intremuit, cum post sat multam locutionem, quæ fraudem sono vocis prodebat, audiuit illud à patre: *Accede huc, vt tangam te fili mi, & probem vtrum tu sis filius meus Esau, an non.* Verum diuinus fauor, præsens necessitas, & antegressa animi comparatio ipsum confirmabant. Accessit ergo ad patrem, & palpato eo, dixit Isaac, *vox quidem, vox Iacob est, sed manus, manus sunt Esau*, quem valde hispidum fuisse necesse est, vt tactu ab hirsuto hœdo discerni non posset; & quidem ab homine in probationem attento. Neque eum prophetia exemit à fraude, quia spiritus propheticus non semper adest Prophetis. Hac ergo imbutus opinione, parans se ad benedicendum filium. Comedit, bibit, osculatus est eum. Et, vt sensit ex proximo vestimentorum fragrantiam, benedicere cœpit illi, qui præsens aderat, eaq; vestimenta ferebat, non illum cuius illa erant. Anterior Senis intentio ferebatur in Esau, immediata vero in hunc præsentem, quæ est vtique mens & sententia Chrysostomi *c* in hunc locum.

V. Quā anxius in periculo.

b *hom.* 55.

Decipitur Isaac.

c *hom.* 55.

Est autem hæc benedictio: d *Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti & vini. Et seruiant tibi populi, & adorent te tribus: Esto dominus fratrum tuorum, & incuruentur ante te filij matris tuæ. Qui maledixerit tibi, sit ille maledictus, & qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur.* Alludere videtur Isaac ad benedictionem quam Dominus dederat Abrahæ. Licet autem ista benedictio, ex iis quæ supra diximus, de primogenitorum priuilegiis facile intelligatur, hic nihilominus tria obseruari possunt. Primum filio imprecatur Isaac abundantiam frugum terræ, quæ ex beneficio cœlorum influxu, & terræ bonitate pendet. Secundo honorem & venerationem apud externos. Tertio autoritatem, dominium ac iurisdictionem in domesticos, ac suos, quæ in posteritate Iacobi potius, quam in ipso censentur implenda: neque enim plures habebat fratres, neque plures filios matris suæ. Ipse potius Iacob incurnatus est ante Esau, & cum dominum appellauit, vt sequentia docebunt. Iacobo tamen promittuntur, quia ipse erat caput ac principium eorum in quibus ista erant implenda.

VI. Et benedixit Iacobo.

d *Gē* 27. 27

Sequitur deinceps fraudis agnitio. Nam *vix Isaac sermonem impleuerat, & egresso Iacob foras, venit Esau, coctoq; de venatione cibos intulit patri.* Et agnita deceptione *Expauit Isaac stupore vehementi*, & vltra quam credi potest, admiratur, nec tamen se deceptum esse conqueritur, inquit Augustinus *e*, imo confestim reuelato sibi intus in corde magno sacramento, deuitat indignationem, confirmat benedictionem: *& erit*, inquit, *benedictus.* Ille nihilominus

VII. Fraus ab Esau & Isaaco agnoscitur.

e *l.* 16 *de Ciu. c.* 37.

cum

cum clamore magno, & grauissima in fratrem indignatione patrem semel iterumq; vrget vt benedictionem obtineat. Respondet pater se Iacobo dedisse benedictionem, quæ primogenito competebat, cum iuribus suis, ideoq; non posse se ipsi dare, cum non posset vterque esse primogenitus, & Iacob Dei dispositione factus esset primogenitus: & capax diuinarum promissionum, quæ Abrahamo factæ fuerant, eius præsertim, quæ erat de benedictione omnium gentium, à qua Esau penitus excludebatur. Benedictionem tamen inferioris notæ non recusauit pater, & magno cum fletu eiulanti dedit: quam minime irritam fuisse, quæ de eo deinceps narrat Scriptura, cumulate docebunt.

Nec reuocatur benedictio.

VIII. Odiũ Esau, & fuga Iacobi.

Hinc porro natum est ingens odium Esau in Iacobum, adeo vt statueret fratri necem inferre, cum primum pater mortuus esset, quod breui fore videbatur. Quod cum innotuisset Rebeccæ, accersito fugam suadet ad Labanum fratrem suum; Isaaci quoque consensum obtinet, vt ille abeat, tam fratris iram vitaturus, quam vxorem acceprurus de cognatione sua, & Chananitidas vitaturus. Quod cum seni placuisset, ac datam Iacobo benedictionem iterasset *f*, quamprimum illum in Mesopotamiam quasi fugitiuum dimisit, vel solum, vel perexiguo comitatu, & rerum inopi; vt postea rediens Deo gratulabundus diceret, se cum baculo transisse Iordanem, tunc autem cum duabus regredi turmis. Dum autem festinus progreditur, magnisq; itineribus Haran petit, solis occasu, & tenebris maturius oppressus est, quam vt posset in oppidum aliquod diuertere. Ideoq; idoneum sub dio quieti locum capit, lapidemq; vice puluilli capiti subiicit, eodemq; in loco sumpto, vt consentaneum est, ex farcinula cibo potuq; dormiuit.

f Gen. 28.

IX. Mysticæ scalæ visio.

In somnis autem celebratissimam illam scalam, mysteriisq; plenissimam vidit, quæ cœlum terræ, diuinitatem humanitati, in Messiæ persona coniungebat: in summo Deus erat æterni Verbi Pater, in imo Iacob, eiusdem secundum carnem progenitor. Interiecti gradus sunt personæ, per quarum generationem ortus est Christus. Sic eam visionem Sapiens *g*, videtur intellixisse, cum ait Dominum ostendisse Iacobo profugo regnum Dei. Nimirum propter visum Deum, quasi regni eius regem, & Angelos quasi aulicos mandatis eius obsequentes, vota hominum deferentes ad Deum, & Dei beneficia deferentes ad homines. Accepit & promissiones patri auoq; factas, de promissione Chananitidis, de copiosa posteritate, ipsoq; Messia, in quo benedicendæ erant omnes tribus terræ, ex ipsius semine orituro. De peculiari denique Dei erga ipsum cura & prouidentia.

g c. 10. 10

X. Gratulatio Iacobi memoria. a. m. 3114.

Euigilans autem Iacob ex diuina apparitione, locum illum religiosum esse intellexit, & à Deo peculiariter electum, vt ibi honoraretur, & merito. Iam enim ibi ante 163. annos Abraham Deum audiuerat dicentem: *Semini tuo dabo terram hanc*, & ibidem erexerat altare. Verum nunc religiosior etiam & augustior reddebatur hic locus, ex tam illustri visione, in qua dedit illi Dominus scientiam sanctorum, vt ait Sapiens *b*, qua cognitione illustratus, tulit lapidem quem suppositerat capiti suo, *& erexit in titulum fundens oleum desuper.* Non significatur ibi erectum altare, aut sacrificatum, sed illum ipsum lapidem vtique non magnum, humi infixum erexisse in modum cippi, vt esset monimentum diuinæ visionis, vt ex hac peregrinatione reuersus, ibi Deum iterum honoraret: quod & fecit. Nã Gen. 35. apparet illi Dominus, iubetq; non instaurare, sed facere altare Deo, qui apparuerat ei quando fugiebat Esau. Instillauit autem oleum in summo lapide, in honorem Christi sibi reuelati, qui ab vnctione nomen accepit, & lapide, siue petra figuratus est.

b Sap. 10. 10.

PROMISSION 164. Et erect. cippus in monimentum.

Hisita peractis, additoq; voto de peculiari famulatu suo, quo promissæ sibi peculiari Dei prouidentiæ responderet, progreditur Mesopotamiam versus, reliquumq; iter septem vel octo diebus confecit. Ergo ad oppidum Haran peruenit, vbi sescitatus de familia auunculi sui, agnouit Rachelem consobrinam suam, quæ gregem pascebat, cui vt gratificaretur, solito maturius reuoluit lapidem ab ore putei, aut certe ad eius, quæ sola tunc exspectabatur, aduentum, Iacob vna cum cæteris pastoribus lapidem amouit, vt ait Chrysost. *c* Et adaquato grege, præ teneritudine affectus erga consanguineam, eleuata voce fleuit, significauitq; se esse cognatum, nepotem scilicet Bathuelis, & filium Rebeccæ. Quo accepto nuncio Rachel festina rem nunciauit patri, qui protinus cucurrit obuiam filio sororis suæ, *complexuq; cum, & in osculo ruens duxit in domum suam*, vbi cum susceptæ peregrinationis causas duas accepisset, declinationem fraterni furoris, & desiderium contrahendæ cum eo affinitatis, *respondet* Laban. *os meum es, & caro mea*, id est consanguineus & propinquus; significans tutum ipsum apud se fore, & nuptiarum affinitatem facile coalituram.

XI. Peruenit in Haran, excipitur à Labano auũculo.

c hom. 55.

Agitq; de nuptiis.

Mense autem euoluto, dixit ei Laban: *Num quia frater meus es*, id est nepos ex sorore, *gratis seruies mihi: dic quid mercedis accipias* Significat iam gratis, aut sine vlla pactione seruire cœpisse mense illo, neque enim credibile est mensem comedendo & fabulando consumptum, probante Labano an foret vir industrius, antequam quicquam cum ipso pacisceretur. *Habebat vero duas filias, nomen maioris Lia, minor vero appellabatur Rachel. Sed Lia lippis erat oculis.* Hebraice teneris & delicatis, Septuag. infirmis, qui scilicet vehementia obiecta ferre non possent, & si connitantur, abeunt in lachrymas, quod ad quandam lippitudinem pertinet. *Rachel autem erat decora facie, & venusto aspectu. Quam diligens Iacob, ait, seruiam tibi pro Rachel, filia tua maiore septem annis.* Licet enim ex opulenta familia oriundus esset, illiusq; destinatus esset hæres; inops tamen rerum, ac pene nudus inde proripuerat se; ideoq; famulatum offert futuro socero, ad contrahendas coëmptione nuptias, loco pecuniarum & munerum. Consentit Laban; & *melius est* inquit, *vt tibi eam dem, quam alteri viro, mane apud me.* Nec tamen vicissim quicquam spondet in dotem, parcus in promissis, & in promissorum exhibitione fallax. Sponsalibus ita contractis, nuptiæ, congressusque maritalis in septennium integrum differuntur. Quæ porro in huius anni historia contra Scripturam peccata sint, à Iosepho in Annalibus *d* accurate reperies emendata.

Eiq; à patre despõdetur.

XII. Offert ℔ Rachele septẽnii famulat°

d n. 11. & seqq. & n. 12. & seqq.

ANNVS MVNDI 2277.

ISAACI 139. IACOBI 79.

BELOCHI PRISCI 11.

Imperij Assyriorum 346.

ANTE CHRISTVM 1776.

I. Tempus nouarum nuptiarũ Esau.

INter narrandum profectionem Iacob in Haran, inserit Moses *e* nouas Esau nuptias in familia Ismaelis, ex quo non inepte coniici potest, eas cito ab eius discessu fuisse celebratas; Eas nihilominus in hunc annum probabiliter distulimus, quod credibile sit cum Iacobi profectionem, quæ consulto celabatur, non tam cito didicisse, & absentia cognita, potuit aliquamdiu & locum & causam ignorare: qua etiam intellecta, non est necesse eum statim nouarum nuptiarum cogitationem suscepisse, vel eam in rem deduxisse.

e Gen. 28. 6. &c.

II. Earumq; causa.

Videns ergo *Esau quod benedixisset pater suus Iacob*, posteriore scilicet benedictione, quæ fuit prioris confirmatio, vt vult Abulensis, in effectum felicium nuptiarum, quarum nulla facta fuerat mentio in priore benedictione, quasq; prohibuerat eum cõtrahere cum filiabus Chananæorum, ratus se patri gratificaturum, & suis, vt ait Iosephus *f*. si vxorem de sua cognatione acciperet, *iuit ad Ismaelem*, familiam scilicet Ismaelis, nam ipsemet ante annos quindecim è viuis excesserat *g*, & sororem Nabaioth patruelis sui duxit vxorem, quæ hoc loco Maheleth *h*, inferius autem Basemath appellatur *i*, ex qua postea Esau Rahuelem suscepit. Non constat satis autem an huiusmodi matrimonio speraucrit se benedictiones aui sui ac patris, à Iacobo ad se posteroq; suos deriuaturum.

f Lr. c. 17

g a. 2126

h c. 28. 9.

i 6. 36. 3. 4

III. Obitus Rebeccę.

Anno proxime sequenti tradunt Hebræi *k*, & ex his Genebrardus, Rebeccam, anno filiorum suorum octogesimo esse defunctam, cum octodecim circiter annis virgo vixisset, viginti sterilis, mater 80. Moritur Rebecca absente Iacobo, gaudio cordis sui, marito lecto affixo, & Esau, vt credi potest, fellcum in illam animum retinente, ob amissam eius opera benedictionem, nec eius senectutem obsequio debito ac reuerentia subleuante. Cumq; illius vxores tam ante Rebeccæ animum offendissent, rebelles atque immorigeræ ipsi extitissent, vt Chaldęus interpretatur, facile intelligi potest, ista fraude interueniente, deteriores factas esse, cum in ea re se marito gratificari arbitrarentur. Itaque quæ nuper dicebat *a*: *Tædet me vitæ meæ propter filias Heth*, superueniente etiam Ismaelitide, non meliore fortasse prioribus, breui tempore, non tam senio, vt ferebant illa tempora, quam mœrore animi extabuisse merito credi potest, & parum fortassis honorata elata in sepultura. Eius nihilominus funus ornare studuimus in Annalibus, tam eius cum B. Virgine parallelismo, quam appenso in spelunca duplici Epitaphio.

k l. 1. chron.

a Gen. 27. 46

ANNVS MVNDI 2283.

ISAACI 145. IACOBI 85.

BELOCHI PRISCI 17.

Imperij Assyriorum 352.

ANTE CHRISTVM 1770.

I. Matrimoniũ Iacobi cum Rachele.

QVadrat in hunc annum illud Scripturæ *b*: *Seruiuit Iacob pro Rachel septem annis, & videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.* Maiori quippe ac diuturniori dignam putabat: quamuis si rationem sui haberet, amoris magnitudo, cuius est rei amatæ fruitionem optare, & dilata spe affligi, id tempus valde diuturnum reddebat, quæ est S. Augustini *c* mens in hunc locum. Dixitq; ad Laban: *Da mihi vxorem meam, quia iam tempus impletum est, vt ingrediar ad illam.* Vxorem vocat, quia iam à principio septennij intercesserat consensus contrahentium, & verum erat matrimonium, sed ex eorundem consensu, matrimonij consummatio in septem annos suspensa fuit *d*. Expleta vero iam conditione, & sublato omni impedimento, ad externam decentiam celebratæ sunt nuptiæ, & conuiuium cum multa amicorum frequentia.

b Gen. 29. 20

c q. 88. in Gen.

d vi. Abu. q. 2. & 3.

II. Labani fraude interpellatur.

Sed mox subsecuta est fraus Labani, maiori filia in locum minoris substituta. Eam ad rem tenebrarum opportunitatem captauit, cum id tempus, ex laudabili consuetudine non nectendæ fraudi destinatum esset, sed vt virginali verecundiæ consuleretur. Fuit etiam fraudi ritus obnubendi, seu velandi sponsam, ex quo nuptiarum tractum est nomen. Quod autem nocte ipsa fraus patefacta non fuerit, silentio & modestiæ virginis, & sponsi minime curiosæ simplicitati tribuendum est. Et peccauit sane Lia, quæ in grauissimam fraudem, multisq; criminibus implicatam consensit. Sed nihil ad Labanum. Nam illi puellaris simplicitas, & impositum parentis mandatum, & spes futuri matrimonij, & pudor contemptus nonnihil patrocinari potest.

Lię culpa

III. Et multiplici Labani crimine.

Laban vero, præterquam quod autor fuit & causa peccati filiæ suæ, fit ejus leno, cum eam producit in stuprum ei, quem sciebat non esse maritum. Fit reus adulterij, qui filiam suam permittit coniugato viro; incestus quoque, quia Lia affinis erat Iacobi in primo gradu, vtpote vera soror veræ illius coniugis Rachelis. Fiebat & reus pellicatus, si eam Iacob ducere noluisset vxorem, vt poterat non ducere, nec vitiatam vellet abiicere, eam pellicem habiturus erat. Sed fuit insuper reus perfidiæ, pacta & promissa, etiam cum graui seruitutis onere coniuncta, violando: quod vnum crimen accusat in socero Iacob: *Nonne pro Rachel*, inquit, *seruiui tibi, quare imposuisti mihi?* fuit & iniustitiæ reus in Rachelem, cui rapiebat maritum, si is monogamus esse, & consulere honori Liæ voluisset: in Iacobum, quem in odiosas coniiciebat nuptias: in Liam, quam amissa virginitate, infamia & meretricij periculo obiecit.

IV.

Neque vero vim vllam habet illa excusatio: *Non est in loco nostro consuetudinis, vt minores*

Qui ineptè factum excusat:

ante tradamus ad nuptias. Nam vel nulla erat talis consuetudo, sed eam ipse fingebat, vt odiosam vxorem genero obtruderet, & eum vel inuitum diutius in suo famulatu retineret: vel si erat, eam iam ante septennium ipse violarat, Rachelem promittendo, ac re ipsa dando in matrimonium, & mox cum offensione hominum, Rachelis nuptias, quam iuniorem esse constabat, publice celebrando. Denique ea consuetudo si obseruanda fuit, cum fraude & iniustitia, cæterisq; criminibus obseruanda non fuit. Quibus omnibus malis remedium offert Laban, vt vtramque habeat vxorem, & Liam quidem iam nunc, per mutuum consensum in matrimonium, quo præcedens culpa honestaretur, Rachelem vero post septiduum conuiuij nuptialis. Sed ea tamen conditione ac lege, vt septem alios annos pro ipsa socero suo famularetur, priore septennio pro coëmptione Liæ computato.

Et remedium offert

V. Quod accipit Iacob.

Acquieuit socero Iacob, *& hebdomada transacta Rachelem duxit vxorem, cui pater Balam ancillam dedit*, sicut ante Zelpham dederat Liæ. Scribunt Hebræi *e* Liam & Rachelem fuisse gemellas, & vtramque in his nuptiis annum egisse vigesimum secundum. Nec obstat quod Lia dicatur maior, sicut Esau maior Iacobo appellatur, licet gemini fuerint, quod ille & illa ex vtero materno priores egressi fuerint. Fuit autem hæc Bala, si autori Testamenti Patriarcharum *f* credimus, filia Rhethæi fratris Deboræ nutricis Rebeccæ, quæ Bala eadem die qua Rachel nata est. Hęc ibi. Pergit autem Moses de Iacobo dicere illum tandem potitum optatis nuptiis, amorem sequentis priori prætulisse. Et merito sane, vel hoc titulo, quod Lia consensisset in fraudem, & matrimonium cum ea pene coactum fuisset: potitus est autem post septiduum, vt ex Mose constat, non post septennium, vt ait Iosephus, qui S. Chrysostom. *g* induxit in fraudem.

e Sedar Olam c. 2 Lia & Rachel geminæ. Bala ancilla.

f c. 8.

g hom. 58

Dum autem Iacob secundo septennio Labano famulatur, suscepit intra eos annos de quatuor mulieribus duodecim liberos, septem de Lia, vnum de Rachele, & quatuor de duabus ancillis. Qua in re difficultas est propter Liam, quæ septennio septem liberos peperit, & tamen tamdiu parere cessauit, dum Zelpha eius ancilla duos peperit, nec tamen vlla earum geminos edidit. Itaque necesse est Liam vno anno duos peperisse, alterum initio, in fine alterum: nec necesse est ad partus septimestres confugere, cum chronico Hebræorum. Ponamus ergo, vt placet Demetrio apud Eusebium *h*, & Abulensi, Liam denis quibusque mensibus filium concepisse ac peperisse, intra 40. menses peperit Ruben, Simeonem, Leui & Iudam. Deinde per 14. menses cessauit concipere ac parere, quo interim spatio Zelpha concepit ac peperit Gad, & concepit Aser. Reliqui sunt 30. menses, quibus Lia concepit ac peperit Issachar, Zabulon & Dinam. At Rachel post sex annos secundi septennij concepit ac peperit Iosephum. Eius autem ancilla Bala, dum Lia cessaret parere, concepit ac peperit Dan & Nephtali. Quem totum natiuitatum ordinem in Annalibus *a* per suos menses digestum reperies, vt deinceps in singulis non necesse sit immorari.

VI. Secundo septenio Iacob 12. liberos suscipit.

h L. 9. c. 21 Cr. Lat.

a a. m. 2285 n. 11. & seqq.

ANNVS MVNDI 2286.

ISAACI 148. IACOBI 88.

BELOCHI PRISCI 20.

Imperij Assyriorum 355.

ANTE CHRISTVM 1767.

I. Iudę ort⁹ ex Lia.

Q*Væ* vt *concepit* Lia, *& peperit filium, & ait: Modo confitebor Domino, & ob hoc vocauit eum Iudam, cessauitq; parere.* Et sane maiorem, opinor, æstimatione sua confessionis & laudis segetem Lia in hoc filio consecuta est, quandoquidem is fuit, de quo Saluator mundi oriturus erat: qui Liam dilectæ viro Rachel prætulit, pro eximio suo in animi demissionem amore, qua illa hanc antecedebat. Contigit porro Iudæ natiuitas quarto mense anni huius, iuxta ea quæ supra posita sunt. Quo tempore Rachel mirum in modum afflicta, se matrem vel vnius filij fieri non posse, quę æmulam suam quatuor iam filiis lætam aspiceret, apud virum suum vocem effudit doloris sui testem. *Cernens* enim, inquit Moyses *b*, *quod infæcunda esset, inuidit sorori suæ.* Non quod doleret de fœcunditate eius, aut cuperet eam sterilem fieri, aut filios eius interire, sed quod se miseram in eius comparatione agnoscens, de malo suæ sterilitatis doluit, dixitque, *da mihi liberos alioquin moriar.*

Luctus Rachelis

b Gen 30 1. &c.

II. Et querela ad maritum

Nec tamen existimandum est, illam tanto oppressam dolore, vt manus sibi violentas se illaturam minaretur, sed diceret duntaxat, vitam sibi grauissimam fore, & mortem optabilem. Iratus est autem Iacob in eam, quod præ animi ægritudine, non agnosceret fœcunditatem c. a Deo donum Dei, neque id à marito pendere, vt poterat animaduertere in sororem suam. Itaque respondet, *Num pro Deo, id est loco Dei ego sum, qui priuauit te fructu ventris tui?* Nihilominus desiderio prolis accensa statuit ancillam suam, vt Sara olim Agarem *c*, suo loco substituere. *Habeo*, inquit, *famulam Balam, ingredere ad illam, vt pariat super genua mea*, quem scilicet mihi imputem, quem gestem super genua mea, & de ipso, tanquam si meus esset, gaudeam. Vtique ratiocinabatur filios Balæ proprios sibi fore, sicut eorum mater ad se pertinebat. Nec timuit ne Bala, vt olim Agar, insolesceret, quia illa ægritudo animi cæteras omnes cogitationes, curasq; absorbebat.

c Gē. 16. 1 Cui sua det nouas nuptias.

III. Et persuadet.

Iacob autem etsi satis habebat vxorum, homo minime mulierosus, vt qui ipsos 84. annos sine muliere exegisset, & vna contentus cum esset, duabus per fraudem fuisset implicatus: nunc tamen ne dilectam Rachelem vehementer afflictam cogeret, si id negaret, animi dolore contabescere, in tertias consensit nuptias, in quas non libido, sed prolis amor, ipsas quoque mulieres impellebat. Itaque nouum initum est coniugium inferioris ordinis: statimq; Bala concepit, & intra hunc ipsum annum peperit, dixitq; Rachel: *Iudicauit mihi Dominus*, vel ius meum mihi reddidit; ideoq; filium vocauit Dan, id est iudicium. Nec multo post leuata fœtu Bala, rursum ex Iacobo concepit, sed partus ad sequentem annum pertinet.

Oritur Dan ex Bala.

AN-

ANNVS MVNDI 2287.

ISAACI 149. IACOBI 89.

BELOCHI 21. Imperij Assyr. 356.

ANTE CHRISTVM 1766.

I. Trahitur Iacob ad nuptias. d *Cap.* 30 *v.* 9 & *seq.*

HOc quoque anno in nouas nuptias pertractus est Iacob *d*. Videns enim Lia Balam ancillam sororis suæ secundò ferentem vterum, se autem plurimos iam menses, præter pristinum morem non concipere, timens ne mutata forte ipsa sterilescceret, Rachel autem, ope ancillæ suæ filiis abundaret, institit orare coniugem, vt ne se deteriore conditione vellet esse quam sororem: & si quid de ipso bene merita esset, cui quatuor iam filios procreasset, ancillam suam Zelpham loco suo substituere ne grauaretur, vt sic via panderetur implendis Dei promissis, de semine eius stellarum & pulueris instar multiplicando. At Iacob haud dubie à principio difficilem se præbuit, iubens Liam quatuor filiis esse contentam, si forte compressa generandi vis non reflorescat. Ne tamen odij & dissensionis materia inter sorores oriretur, & Lia querelis dies noctesq; Iacobum obtunderet, se infelicem, se despectam, se odio habitam iactaret, illumq; in eam ingratum, quæ princeps ipsum multa iam prole parentem fecisset, denique acquieuit vxori Iacob, & quartæ mulieris factus est coniux, nulla id tum lege prohibente, & consuetudine permittente, vt contra Faustum fuse disserit Augustinus *e*.

II. Ortus Nephtali ex Bala. *e Lib. 22. c. 47.*

Zelpha igitur facta Iacobi coniux quamprimum concipit, & dum fert vterum, extremo anno paritura, Bala filium alterum ex Iacobo dominæ suæ Racheli parit. Quo illa mire exhilarata: *Comparauit me*, inquit, *Deus cum sorore mea, & inualui.* Quia nimirum licet illa quatuor filios peperisset, ipsa autem duos haberet, quos duceret suos, parem tamen se illi, atque superiorem apud maritum ducebat, & illius amore, & propriæ formæ dignitate. Itaque vocauit eum Nephtali, quod vertitur Æquiparatio.

Et Gadi ex Zelpha

Extremo anno Zelpha quarta Iacobi coniux parit filium, quem Lia læta suscipiens dixit, *feliciter*, quasi dicat, quod fœlix faustumq; sit, & vocauit eum Gad. Neque multo post Zelpha iterum concepit, quem anno sequenti pareret.

III. Lia quintum concipit.

Iamq; ferme sesqui annus à natiuitate Iudæ abierat, cum Lia rursum concepit. Cuius conceptus occasionem recitat Moses, egressum Ruben in agrum tempore triticeæ messis, sub finem videlicet veris, reperisseq; mandragoras, quas messores fortasse inuentas puerulo deliderant & coloris pulchritudine capto, dederant, easq; ille detulit matri, quas cum vidisset Rachel, appetiit, partemq; earum à sorore postulauit, quæ iratæ similis: *parum ne tibi videtur*, inquit, *quod præripueris maritum mihi, nisi etiam mandragoras filij mei tuleris?* Quibus ex verbis Liæ, & responsione Rachelis intelligitur Iacobum recte vices & tempora distribuisse reddendi debitum vxoribus suis, ne pax domestica turbaretur. Itaque Rachel cupiditate mandragorarum, quas forte putauit vtiles ad maternam habitudinem rite ad conceptum disponendam, cessit tempus suum Liæ, quæ propterea maritum ad se inuitauit, sed addidit multas ad Deum preces, denique concepit quintum filium, quem proximo anno edidit in lucem.

ANNVS MVNDI 2288.

ISAACI 150. IACOBI 90.

BELOCHI 22. Imperij Assyr. 357.

ANTE CHRISTVM 1765.

I. Ortus Issachari.

IAcob sexto posterioris septennij sui anno tres suscepit liberos, vnum ex Zelpha ancilla Liæ, sub extremum annum, quæ eum vocauit Aser: duos autem ex ipsamet Lia; priori nomen dedit Issachar, sub huius anni principium, quod persuadet tempus conceptus eius, quod fuit triticeæ messis, quæ in Iudæa sub mensem Maium cadebat. Itaque natus videtur Issachar sub finem Februarij, aut initio Martij. Vox ea mercedem significat, dicente Lia: *Dedit Deus mercedem mihi, quia dedi ancillam meam viro meo*, vt scilicet plurimi filij Iacobo nascerentur, id bonum propriæ voluptati præferendo.

II. Zabulõis & Aseris.

Nec diu otiosa stetit Lia; quamprimum enim iterum concepit, vt ait Abulensis, & consequenter in fine huius anni sextum filium peperit, & ait, *dotauit me Deus dote bona*, dotem enim vocat multitudinem filiorum, quam tum magnam ducebant felicitatem, vt ex nomine Gad & Aser intelligitur, quem Zelpha nono huius anni mense edidit, dum Lia sextum ferret in vtero Zabulon. Zelphæ porro filium magno cum gaudio excepit, vt illa eius verba testantur: *Hoc pro beatitudine mea; beatam quippe me dicent mulieres, propterea appellauit eum Aser*, quod beatitudinem interpretantur. Eoq; pertinet illud Dauidis *a*, qui in humana Deum timentium felicitate ponit: *Vxor tua sicut vitis abundans, in lateribus domus tuæ; filij tui sicut nouellæ olivarum, in circuitu mensæ tuæ.*

a *Psal.* 127

ANNVS MVNDI 2289.

ISAACI 151. IACOBI 91.

IOSEPHI 1.

BELOCHI 23. Imperij Assyr. 358.

ANTE CHRISTVM 1764.

I. Ratio temporis

ABsoluitur hoc anno alterum septennium seruitutis Iacobi apud Labanum socerũ, quo duobus insuper liberis auctus est, Lia postremum, Rachele primum pariente, quod vtrique contigit sub huius anni finem. Nam Lia in fine præcedentis peperierat, & sub hunc ineuntem concepit. De Rachele autem dicitur, quod Iosepho ex eo nato Iacobus socerum adierit, obtinendæ dimissionis causa, quod vtique

vtique ante tempus de quo conuentum fuerat inter eos, non feciſſet. Primum tamen Ioſephi annum plerique ad ſequentem referunt, quia licet hoc anno natus ſit, totus tamen fere primus eius annus cum ſequente decurrit. Nos tamen, vt cœpimus, in eo anno natos ponimus hoſce Patriarchas, quo reuera nati ſunt. Prior nata eſt Dina, in cuius ortu præter morem tacet Lia, Dinæ tamen nomen cum Dan & origine & ſignificatione conſentit.

Ortus Dinæ.

Recordatus quoque Dominus Rachelis exaudiuit eam; & aperuit vuluam eius. Sublato concipiendi impedimento: ex quo intelligitur Ioſephum non ſine miraculo fuiſſe conceptum, nec ſine ingenti gaudio in lucem editum, dicente matre, *Abſtulit Deus opprobrium meum*, amiſſa ſine fructu coniugij virginitate. *Et vocauit nomen eius Ioſeph*, teſtificans alterum quoque filium ſe deſiderare, *dicens, Addat mihi Dominus filium alterum.* Nam Ioſeph additionem, ſiue augmentum vertitur: quamquam Vatablus mauult vertere *Addet*, vt ſpiritus propheticus in Rachele indicetur. Hic eſt ille Ioſeph parentis vtriuſque deliciæ, flos pudoris & honeſtatis Patriarcharum decus, gloriæ & ſaluti totius populi ſui deſtinatus.

II. Ortus Ioſephi ex Rachele.

ANNVS MVNDI 2290.
ISAACI 152. IACOBI 92.
IOSEPHI 2.
BELOCHI. 24. Imperij Aſſyr. 359.
ANTE CHRISTVM 1763.

I. Diſceſſum molitur Iacob.

PAtriarcha Iacob euolutis iam 14. annis à ſuo ingreſſu in Meſopotamiam, quatuor vxoribus & duodecim liberis auctus, patriæ, & parẽtum ſuorum reuiſendorum ſtudio permotus, ſocerum adit, ei vale dicturus, bonaque ipſius cum venia diſceſſurus. Eam tamen non impetrauit, diuina prouidentia recte omnia diſpenſante, ne cum tot infantulis aliquod in via diſcrimen adiret, neue rerum inops patriam contemptus repeteret. *Dimitte me*, inquit, *vt reuertar in patriam, & ad terram meam. Da mihi vxores & liberos meos, pro quibus ſeruiui tibi, vt abeam.* Manebat enim adhuc hæc tota Iacobi familia in ſoceri domicilijs, vnde exire non oportebat inſalutato hoſpite; & ne ſorte cauſaretur, ſibi parum ſatisfactum eſſe, ſubdit Iacob. *Tu noſti ſeruitutem qua ſeruiui tibi*, quam ſcilicet fideliter, quam tibi vtiliter, quam mihi laborioſe.

II. Quem Laban tetinet.

Quod ingenuè agnoſcens Laban, *Inueniam*, inquit, *gratiam in conſpectu tuo. Experimento didici quia benedixerit mihi Deus propter te, conſtitue mercedem tuam, quam dem tibi.* Vt ſcilicet maneas adhuc apud me, & gregum meorum curam geras. Valde quoque ſe vtilem ſocero fuiſſe affirmat Iacob, ſed inde aliam infert concluſionem, nimirum æquum eſſe, vt prouideat etiam domui ſuæ. Etſi enim ſciebat ipſe non expedire ſibi adhuc in patriam reuerti, nonnihil tamen ſe difficilem ad aſſentiendum præbet, quod hominis ingenium durius, illiberaliuſque cognoſceret, ſicque facilius mercedem, quam petiturus erat, obtineret.

Quali porro inter ſe conditione conuenerint ſubobſcurè explicatur in textu. Eſt tamen loci huius iſta ſententia. Nolo tecum, ait Iacob, de pecuniaria mercede paciſci, aut vt quippiam eorum quæ poſſides in me transferas, ſed caſui, & incerto euentui committam mercedem meam, ſi conſenſeris paſcam iterũ, & cuſtodiam pecora tua. Percenſe omnes greges tuos, & ſepara cuncta oues varias, & ſparſo vellere, quas longius abductas trades paſcẽdas filijs tuis, mihi autem trades paſcendas vnius coloris oues. Ex quibus ſi qui naſcentur agni vel hędi ſparſo vellere, ad me pro mercede mea pertinebunt. Ea mihi ego ſeponam: quo in numero, ſi quam repereris non maculoſam, ſed vnius coloris furti merito me argues: omnia enim, quæ vnius coloris erunt, tua erunt. Labã libẽter conditioni acquieuit, vt qui ſciret alba ex albis, nigra ex nigris, & varia ex varijs gigni, & perrarum eſſe vt maculoſa ex non maculoſis oriantur. Separauit ergo greges omnes varij coloris, & nigri, vt eſt in Hebræo, reliquos autem, id eſt albos dedit Iacobo paſcendos. Et poſuit ſpatium itineris trium dierum inter ſe & generum, ne quis ex vicinitate pecoris naſceretur dolus.

III. Pactum inter vtrumq; initum.

IV. Iacobi artificium ad greges variandos

Iacob autẽ diuinitus edoctus egregio artificio vſus, fecit vt ex albis varij naſcerentur. Virgas enim ex aliquot arboribus ſumptas ex parte decorticauit, vt partim albæ partim viridis eſſent, eaſq; poſuit in canalibus, vbi adaquabãtur greges. Oues igitur dum eas virgas in conſpectu haberent, quãdo ex arietibus concipiebant, varios & maculoſos fœtus concipiebant, ſuoq; tempore pariebant. Si qua tamen nihilominus nigra prorſus, aut alba naſcebantur, ad Labanum pertinebant, ſola autem varia ad Iacobum. Verum ne quo modo fraus patefieret, neq; Laban omni pene fętura priuaretur, virgas aliquãdo non obiecit oculis ouium vel caprarum, quando ſcilicet fœtura deterior naſcitura erat, quę vocatur ſerotina ſiue poſterioris temporis; obiecit autem in priore fœtura, quæ verni temporis eſt, multòq; præſtantior. Ita factum eſt vt plurima, & optima quæq; pecora Iacobi eſſent, cætera Laban acciperet: ille mirũ in modum ditaretur, iſte autem minueretur.

V. Quo verſat Labanum ſub inde pacti mutantem.

Id cum Laban animaduertiſſet, nec cauſam noſſet, mutabat pactum, volens vt quæ vnius coloris eſſent Iacobi fierent, varia vero ad ſe pertinerent. Tunc vice verſa Iacob ſerotinis virgas decorticatas obijciebat, primitiuis autem non obijciebat, ſicque rurſum meliora quęque in mercedem eius tranſibant. *Quid plura?* inquit Hieron. *vſq; ad vices decem ſemper à Laban pecora ſuit, ſine Iacobi mutata conditio eſt, & quodcumq; ſibi propoſuerat vt naſceretur, in colorem cõtrarium vertebatur.* Hanc porro artem didicit Iacob ab Angelo *a*, volente Domino vt merces Iacobi, non ſolum huic ſex annorum labori. Sed 14. præcedentium, quibus pro vxoribus ſeruierat, reſponderet: & conueniebat non indotatas accipere vxores. Ergo Deo prouidente mercedem his annis cõſecutus eſt quæ priora damna ſuppleret. *Ditatus eſt* enim *vir ultra modum, & habuit greges multos, ancillas & ſeruos, camelos & aſinos.* Hæc videlicet emit ex pretio venditarum ouium, quæ deinde, ſub ſua, ſuorumque manu multiplicata ſunt.

a c. 31. 10. 11.

ANNVS MVNDI 2295.

TERTIÆ ÆTATIS 257.

ISAACI 157. IACOBI 97.
IOSEPHI 7.
BELOCHI PRISCI 29.

Imperij Assyriorum 364.

ANTE CHRISTVM 1758.

1. Rursum Iacob discessum molitur

IN hac vicissitudine fallaciarum, dum Iacob mercedem suam artificiosè multiplicat *b*, & Laban multa gemens super generi quæstu, & iactura sua, pactam mercedem decem vicibus commutat, toti sex anni abierunt; sextum tamen ad initum cum vxoribus consilium fugæ seponamus licet. Est ergo hic annus vigesimus commorationis in Haran, sub cuius extremum consilium inijt de deserendo Labani famulatu, & reditu in patriam, qui anno proximo contigit. Susceptæ porro profectionis tres causas memorat Moles, murmur filiorum Laban inuidentium Iacobi incrementis: tristitiam ipsius Labani, contra cuius spem ac desiderium, conatumque omnem, mirifice auctus esset. Postremo diuinam iussionem, dicente sibi Domino, *Reuertere in terram patrum tuorum, & ad generationem tuam, eroque tecum.* Vt te in reditu, à Labano & Esau protegam, & in patria domesticis in malis insuperabi eum.

b *Gen.* 31.

1. Quem locum recitat Eusebius.

Et quoniam res suauiter confici non poterat, sine mulierum consensu, Rachelem & Liam in agrum in quo pascebat greges, euocauit, eisque causas susceptæ reuersionis declarauit, latius explicans iniurias sibi a Labano irrogatas, quarum cognitione mulieres ab affectu paternæ consuetudinis, & patriæ sensim diuellebantur. Vt autem eas quoque ad huiusmodi erga diuinam prouidentiam adduceret, in longinquo, ignotoque itinere suscipiendo significat qua ratione factum fuerit, vt tot greges in pacta mercede acquireret, diuina scilicet reuelatione, sine qua Iacob, vel eam artem ignorasset, vel ea vti in tantum Labani detrimentum ausus non fuisset, vt ait Abulensis. Sed id iusse heri posse intellexit, cum audiuit à Domino c. *Vidi omnia quæ fecit tibi Laban:* quæ reuelatio initio lex annorum vitimorum contigit; vltima autem reuelatio, qua profectio mandabatur, hoc postremo anno contigit, quæ erat potissima susceptæ profectionis causa.

c *Gen.* 31. 12.

Iis intellectis Rachel & Lia consentientes marito, de patre suo etiam ipsa conqueruntur, quod ab eo vt ancillæ, nō vt filiæ acceptæ sint. Nam filiæ aut dotem præsentem accipiunt, aut paternæ hæreditatis partem expectant, cum ipsæ pro seruitute septenorum annorum venditæ sint, eiusque seruitutis fructus non in filiarum, vt oportebat, sed in patris emolumēta cesserit. *Sed Deus tulit*, inquiunt *opes patris nostri*, non quæ eius essent, sed quas ille alioqui erat lucraturus, *& eas tradidit nobis ac filijs nostris*, per illam videlicet variandi velleris artem. Postremo consensum præbent ad profectionem, *omnia*, inquiunt, *quæ præcepit tibi Deus, fac.* Quo ille consensu vxorem habito, strenue profectionem parat.

1. Ac persuadet.

ANNVS MVNDI 2296.

TERTIÆ ÆTATIS 258.

ISAACI 158. IACOBI 98.

IOSEPHI 8.

BELOCHI 30. Imperij Assyriorum 365.

ANTE CHRISTVM 1757.

1. Ratio tēporis, & Iacobi emigratio.

TRansactis *a* iam viginti annis in Mesopotamia in soceri famulatu, Iacob nonagesimum octauum ingressus annum demigrat ad suos. Eam chronologiam Iacobus ipse constituit cum Labano mox in iurgio exprobrat se 14. annis ei seruisse pro filiabus eius, & sex pro gregibus *b*, ijque absoluti sumendi sunt; propterea que Seuerus Sulpitius ait Iacobum clam profectum vigesimo primo fere anno quam aduenerat, id est vigesimo primo inchoante. Iacob igitur habito vxorum consensu, dum imminet in occasionem idoneam ad discessum, se suosque, ac sua omnia occulte præparat. Eam percommodam Dominus obtulit, cum Laban ad tondendas oues suas, quæ tridui à Iacobo aberant, profectus esset. *Surrexit itaque Iacob & impositis liberis, ac coniugibus suis super camelos* inscio socero *abijt*: ne ille per vim aut fua retineret, aut suos: iuxta illud quod postea Laban vsurpauit in iurgio, *filiæ meæ & filij, & greges tui, & omnia quæ cernis mea sunt*, id est à me profecta.

a *Gen.* 31. 17.
b *c.* 31. 41.

11. Cum omnibus rebus suis, & furto Rachelis.

Personis in camelos impositis, congregauit, *tulitque omnem substantiam suam, ac greges, & quidquid in Mesopotamia acquisierat, pergens ad Isaac patrem suum in terram Chanaan.* Viuebat quippe adhuc bonus senex, qui ante 20 annos mortem sibi imminere arbitrabatur; cui etiam non pauciores supererant in multa patientia extrahendi Sed *Rachel* in discessu insscio marito *furata est idola patris sui*, vel propter valorem, si aurea erant, vel argentea, quæ loco esset mundi muliebris; vel vt patrem ab idolorum cultu liberaret, vt sentiūt Basilius *c*, Theodoretus *d*, & Nazianzenus, qui Liam furti quoque conscium facit: quamuis Chrysostomus *e* eas adhuc idolis addictas fuisse putet, repugnante Iosepho *f*.

c *in prin prem.*
d *q.* 89.
e *hom.* 57
f *l.* 1, *c.* 18. *med.*

12. Persequitur Laban Iacobum.

Iamque Iacob cum omnibus suis Euphrate *transmisso pergebat contra montem Halaad, cum die tertio nunciatum est Laban quod fugeret Iacob.* Tridui dilabant oues quę tondebantur. Cum itaque discessit Iacob, famulus aliquis ad herum abijt expositurus fugam, qua ille audita assumptis fratribus suis, cognatis scilicet, siue in loco tonsionis, siue in Haran vbi habitabat ipse, *persecutus est eum diebus septem*, intra quos *comprehendit eum in monte Galaad.* Erat enim ille cum suis expeditus in equo, Iacob autem cum multa familia, gregibusque impeditus; itaque dies septimus Labani,

erat

erat decimus aut duodecimus Iacobi. Eum vt vidit à longe, dilata in posterum diem querela, vidit in somnis dicentem sibi Deum, *Caue ne quidquam asperè loquaris contra Iacob*, id est facias. Verba enim pro factis sumuntur. Et reuera ab verborum asperitate, & minis non abstinuit, cum forte illum spoliatum bonis omnibus male mulctare statuisset. Furti enim hominem, aut sacrilegij potius arguit, stultitiæ, inhumanitatis plagiarium denique appellat, qui filias clam parente, abegerit, & in longinquam terram abducat, aliaque id genus.

Dei in eum prouidentia.

Labani querela.

IV. Iacobi responsio

Respondet Iacob, quod inscio te profectus sum, timui ne violenter auferres filias tuas, quæ est tacita accusatio tyrannici dominij. *Quod autem furti me arguis, apud quemcunque inueneris Deos tuos, necetur coram fratribus nostris.* Non præcipientis est id verbum, sed permittentis, ex fiducia bonæ conscientiæ. Filios & cognatos Labani fratres appellat, siue propter antiquam ab Thare consanguinitatem siue propter nouam affinitatem, ex coniugio Rachelis & Liæ. Ergo ille scrutatur tentoria Iacobi & Liæ, & vtriusque famulæ, antequam veniret ad Rachelem, diuina vtique prouidentia, vt expleta fere curiositate, & spe amissa quidquam reperiendi, negligentius deinceps quæreret, & facilius falleretur. Furtum sub clitellis cameli vnius seruatum est, ei insidente Rachele, & menstrua simulante.

Laban quærit idola sua.

V. Quem Iacob accusat vicissim.

Cum autem res ipsa innocentiam Iacobi prodidisset, in iustam commotus iram, exprobrauit Labano iniquam furti calumniam, quã sua ipse diligentia refellisset: exprobrauit & fidelem, laboriosam, ac diuturnam industriam suam, in maligni, atque austeri hominis famulatu, decies que mutatam mercedem: exprobrauit denique improbam atque ingratam nocẽdi bene de se merito genero voluntatem, quam ipse nõ sponte sua repressisset, sed Deus, quem coluit Abraham, & quem timuit Isaac, irritam reddidisset. Hic Laban sedatior, nulla recriminatione, aut excusatione vtitur, sed ineundo fœderi viam muniens, *filiæ meæ*, inquit, *& filij, & greges tui, & omnia quæ cernis mea sunt*, id est ex me profecta, si tibi tuisue nocere voluero, mihi ipsi, rebusque meis nocuero. *Veni ergo, & ineamus fœdus, vt sit in testimonium inter me & te.* Cupit extare aliquid, quod testetur initum fœdus de non nocendo sibi mutuo. Id autem monimentum fuit congestio magnorum lapidum, non in acumen erectorum, vt solent congeri acerui, sed in longum ac latum, vt etiam mensæ loco esse posset, super quo, in signum redintegratæ beneuolẽtiæ, comederũt. Deumque testem, suo vterque more inuocauerunt. Postridie bene mane ab inuicem digressi, Laban in Haran regressus, Iacob in Chananitidẽ progressus est *g*: Mons autem ipse ex eo tumulo siue aceruo, deinceps mons Galaad, id est tumulus testis appellatus est. Sed nos dimisso Labane, iter Iacobi in Chananitidẽ assectemur.

Fœdus ineunt in monte Galaad.

g c.31.49.

IV Occurrũt Angeli Iacobo. *h* Gen.32. 1.

Iacob ergo *abijt itinere quo cœperat, fueruntque ei obuiam Angeli Dei* h, *quos cum vidisset ait, Castra Dei sunt hæc. Et appellauit nomen loci illius Mahanahim, id est castra.* Hebræi quidam aiunt hos Angelos fuisse custodes prouinciæ Chanaan, qui Iacobo de aduentu suo gratularentur, quod eum sperarent animabus fructuosum fore. In huius autem rei memoriam, excitata est postea eodem in loco vrbs, eius regionis minutissima, atque pulcherrima separata Leuitis *a*, in tribu Gad, vbi regnauit Isboseth filius Saulis. *b* Hac visione bene animatus Iacob, sperauit fore vt Dominus *immitteret Angelos suos*, aut, vt est in Hebræo, castra metaretur *in circuitu timentium eum.* c Nec tamen deserendam duxit humanam prudentiam, quę requirebat ne temere se fratri committeret, quem sciebat violentum, & sibi non sine causa infensum, sed eum demissione animi & muneribus placaret.

a *Iosue* 21.37.
b 2. *Reg.* 2. 8.
c *Ps.*33.8

Ergo primum ex eodem castrorum loco misit nuncios in Idumæam honoris causa, qui fratrem suo nomine salutarent, & de statu rerum suarum docerent, ne eum vt inopem sibi oneri fore crederet, aut dedecori. Esau quoque vice versa, vt retulerunt legati, venit obuiam fratri, cum quadringentis viris, & quidem armatis, vt ait Iosephus *d*, siue ad sumendam de eo vltionem, quod timebat Iacob, siue ad ostentandam potentiam suam, ampliusque honorandum fratrem, vt vult *e* Abulensis. Eo nuncio territus Iacob *diuisit populum qui secum erat, & greges in duas turmas, dicens. Si venerit Esau* infestus *ad vnam turmam, & percusserit eam, alia turma, quæ reliqua est*, in qua scilicet cariora, ac pretiosiora quæque, *saluabitur*, id est saluari poterit fugiendo; aut ei parcet Esau, priori cæde satiatus. Inde ad preces conuersus diuinum implorat auxilium, commemorandis eius in se beneficijs, quæ ad ipsum quoque pertineat conseruare.

VII. Mittit ad fratrem nuncios.

d *Ia. c.* 15

Et suos bipertito diuisit.

e *in hunc locum.*

Patriarcha, propitiato sibi precibus Deo, Esau placare satagit muneribus iteratis, seponit enim quinque greges quingentis & sexaginta numero capitibus, *& misit per manus seruorum suorum singulos seorsim greges*; quos eodem die mature præmittit, cum mandatis animi summissione, & suauitate plenissimis. *Præcesserunt itaque munera ante eum. Ipse vero mansit nocte illa in castris*, eo scilicet in loco, vbi Angelorum occursu honoratus fuerat. Illic intempesta nocte surgens traduxit totam familiam suam in tres partes distributam in vado torrentis Iacob, vt sensim progrederentur, sic vt vtraque ancilla cum filijs earum essent in principio, periculo videlicet propiores, Lia vero, & filij eius in secundo loco *f*. Rachel autem & Ioseph nouissimi. *Traduxitque omnibus, quæ ad se pertinebant*, gregibus scilicet & familia, & ipsomet etiam transgresso, vsque ad locum, qui postea dictus est Phanuel, ipse ibi mansit solus ad orandum, dum tota familia aliquantulum antecedit, quam mox facile consecuturus erat.

VIII. Et quinque greges dono præmittit

f c.33.2.

Et ecce vir luctabatur eo cum vsque mane, id est vsque ad exorientem solem, vt habetur in textu: quæ lucta & oratio vnius circiter horæ fuerit, à transitu omnium rerum suarum. Hic porro luctator creditur ipsius Patriarchæ Angelus custos, qui viri formam indutus, Iacobum ad luctam paratus inuadit, ille, tametsi octo & nonaginta natus annos, valide reluctatur, nec se à colluctatore deijci patitur. Nec mirum est Angelum Domini, cui nulla vis in terris comparari potest, vni tamen viro eique seni præualere non potuisse.

IX. Luctatur cum Angelo.

Nimirum sicut ex dispensatione diuina corpus efformauit humano simile, ita & vires assumpsit hominis vnius viribus suppares, ex quo factum est vt Iacobum superare non posset: ex quo idem conijcere potuit se à fratre suo minime superatum iri, vt notauit Theodoret. *g* qui addit, ne superbiret, quasi Deum superasset, attactu femoris se volentem victum fuisse indicauit, vt qui solo attactu ei torporem induxerit, & quidem non perpetuum. Putat enim Abulensis eum mox post ortum solis à claudicatione sanatum.

Et percussus claudicat *g* 1.71. in Gen.

X. Obtinet ab eo benedictionem.

Iacob autem cum ne eo quidē dolore victus cederet, neque enim luxatio illa ossis, neruique distorsio sine dolore esse poterat, sed comprehensum colluctatorem tenere pergeret. *Dimitte me*, inquit Angelus, *iam enim ascendit aurora*, atque adeo valde inclaruit dies, propinquus enim erat ortus solis, & tempus huic luctæ à Deo destinatum finitum erat, neq; eam à viatoribus, iam clara luce videri oportebat. Et Iacob *non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* Sensit vtique diuinitus illustratus se cum Angelo esse luctatum, quē cum superiorem agnosceret, & timeret ne parum reuerenter se cum eo gessisset, ab eo benedici voluit, in signum illibatæ beneuolētiæ, & vt ea sibi præsidio esset, in proximo fratris congressu. Hic Angelus Iacobum de nomine suo interrogat, eique nouū Israelis nomen attribuit, obtētę victorię monimentū.

Et nomen nouum.

XI. Angelus de nomine rogat. h *vide Iud* 13.18

Cum autem Iacob vicissim Angeli nomen exquireret, vt eum deinceps honoraret, atque in periculis inuocaret, audiuit, *Cur quæris nomen meū.* In quibusdam codicibus Græcis Latinisq; additur, *quod est admirabile* h, & apud plerosque antiquos scriptores legitur. Cur autem noluerit aperire nomen suum, ipse nouit qui tacuit. Neque est probabile eos carere nomine, quod eis ratione indiuiduæ suæ substantiæ cōueniat, quod illis diuinitus in sua creatione fuerit inditū, quod ipsi & norint, & vsurpent inter sese. Etsi autem ignota sunt nobis, ei tamen explorata sunt, *qui nouit multitudinem stellarū, & omnibus eis nomina vocat* i, nobisque tunc innotescent, quando erimus *sicut Angeli Dei.* Angelus porro, qui Iacobo nominis sui cognitionē negauit, nō negauit benedictionē, qua roboratus est, & excussus à fratre timor; idq; mox ipse innuit, cū ait, *Vidi Deum facie ad faciem, & salua facta est anima mea.* Euanescente autem Angelo, vocauit Iacob eum locum Phanuel, id est facies Dei, quod ibi Angelum, qui Deum repræsentabat, sub humana specie vidisset; indeque exoriente sole progressus nonnihil claudicans, ad suos quos dudum præmiserat, peruenit.

Nomina Angelorum.

1 *Ps.* 146.

XII. Occursus fratrum *k c.* 33. 1.

Eleuans autem Iacob oculos suos k, vt prospiceret quam longissime posset, *vidit venientē Esau, & cum eo quadringentos viros, diuisitque filios Liæ & Rachelæ, ambarumque famularum.* Non tum primum diuisit, id enim iam pridie factum fuerat, sed iussit omnes datum sibi ordinem ac locum accuratē seruare. Et hi quidē tres ordines ad posteriorem turmā pertinebant: prior enim gregum erat cum seruitijs, qui bipertito diuisi fuerant, vt dictum est supra *a*, & dudum antecesserant. Primus ordo personarū fuit Zelphæ & Balæ cum quatuor liberis earum. Secundus Liæ cum suis septem, tertius Rachelis cum Iosepho. Liberos porro suis matribus adiūxerat, ardentius, pro suo in illos affectu, deprecaturas. Sed ipse hanc totam posteriorem turmam antecessit; nam sequitur *& ipse progrediens adorauit pronus in terram septies*, siue reuera septies, siue indefinitè aliquoties.

a 32.7.8

Eam animi corporisque demissionem admirans Esau, & muneribus, & verborum, quibus iam vti fuerant famuli Iacobi, lenitate placatus cucurrit ipsemet, *Esau obuiam fratri suo, amplexatus est eum, stringensque collum eius, & osculans flenit.* Conjectisque mox in sequentem familiam oculis, cum didicisset ad fratrem pertinere, omnes ordine suo venerati sunt Esau. Qui rursum interrogauit de turma quinque gregum muneri destinatorum. Etsi enim rem ipsam à pastoribus didicerat, inquirit nihilominus à Iacobo, vt occasionem habeat vrbanæ recusationis. Vrgente tamen Iacobo illa admisit, quibus acceptis offert se suosque fratri suo itineris comites, quos ille humanissime recusat, intelligens eos sibi oneri potius quam honori, aut vsui futuros, causatus infirmitatem familiæ suæ, omnes cum bona venia, multaque verborum summissione dimisit.

XIII. Cōplexus colloquium, &c.

Quod autem ait se paulatim secuturum fratrem in Seir, quò tamen non est profectus, S. Augustin. *b* ait cum mutasse sententiam, quamuis vere & ex animo promisisset, veritus ne illic diutius detineretur à fratre, & redintegrata beneuolentia leui quapiam occasione disiungeretur. Ergo Esau quamprimum domum reuersus est, Iacob autem eo dimisso venit in Socoth, vbi reliquum hunc annum & sequentem commoratus est, vt volunt Hebræi in Seder Holam: in Salem autem pluribus annis hæsit, vt postea dicemus. Scribit Procopius Iacobum habitantem in Socoth munera ad parentem misisse; crediderim potius detulisse, quod Scriptura præteriens, merito nobis conijciendum reliquit.

XIV. Promissio profectionis Iacobi in Seir. b *q.* 106. *in Gen.*

Adijt Hebronem.

ANNVS MVNDI 2298.
ISAACI 160. IACOBI 100.
IOSEPHI 10.
BELOCHI. 32. Imperij Assyr. 367.
ANTE CHRISTVM 1755.

CVm Iacob octodecim fere menses māsisset in Socoth, vbi sibi domum ædificarat, & gregi suo tentoria fixerat, vt est in Hebræo, inde mouens, transmissoque Iordane *transiuit in Salem vrbem Sichimorum, quæ est in terra Chanaan.* Non autem in Bethel, vt Rabbini putant; cò enim non nisi post Sichimorum stragem, Dinamque oppressam profectus est. Dicendū est igitur Iacobum octo annis mansisse in Salem, dum illa nubilis facta est, ageretque annū decimum sextū, vt postea ex Alexandro Polyhistore docebimus. Affirmat quoque S. Augustin. *c* Iacobum cum suis diu mansisse ad oppidum Salem, dum filij eius, qui paulò ante paruuli & teneri dicti sunt *d*, iuuenes fierent, vt vrbem Sichimorum delere possent; intereaque agrum emisse, tabernaculum constituisse, aram intruxisse &c. Polyhistor apud Euseb. *e* ait Iacobum

I. Profectio & habitatio in Salem oppidi.

c *q.* 108. *in Gen.* d *c.* 33. 33. e *l.* 9 *de Prap. c.* 21 *Cre. Lat.*

bum

bum annis decem iuxta Emmorem habitasse, sed isto decennio etiam habitatio in Socoth continetur. Hæc de temporibus, quod postea quoque firmabitur.

Erat autem hæc Salem in agro Sichimorum cis Iordanem, in tribu Manasse: Iacob autem non in vrbe, sed iuxta oppidum habitauit, siue quia capax non erat tantæ multitudinis, siue quia cũ Idololatris habitare nolebat, emitque eam agri partem, in qua fixerat tabernacula, à filijs, id est subditis Hemor. Quod porro hoc loco Hemor dicitur pater Sichem, cum S. Stephan. *f* vocet eum filium Sichem. Sanctius & alij, geminum Sichem agnoscunt, vnum antiquiorem à quo vrbs nomen acceperit, alterum iuniorem illius nepotem, qui Dinam violauit, & causa fuit subsecutæ cladis. Sed agri pretium valde exiguum videtur. Quid enim sunt centum agni ad agrum vnum iuxta vrbem situm? præsertim cum magnum eum fuisse oporteat, ad tentoria tã magnæ familiæ excitanda. Abulensis putat agrum illum vili pretio emi potuisse, ob ciuium infrequentiam. Nam Sichem inferius ait ciuibus suis, terram spatiosam & latam cultoribus indegere. Sed hæc copiosius in Annalibus *g* explicata reperies.

Vide porro Patriarchæ pietatem. Vt enim agrum emit, ibi erexit altare, & inuocauit super illud fortissimum Deum Israel: super illud videlicet sacrificium obtulit, & Deo suo altare consecrauit, & inscripsit sub titulo *ara fortis Dei Israel*. Vide hic Caiet. & Del-rio Cæterum hoc anno moritur Belochus Assyrius Imperator.

Vbi ea sita fuerit.

Geminus Sichem.

f Act. 7. 16.

Iacob emit partẽ agri.

g in hunc annum.

Erigit altare Deo.

Mors Belochi.

ANNVS MVNDI 2302.

ISAACI 164. IACOBI 104.

IOSEPHI 14.

BALÆI 1. Imperij Assyriorum 371.

ANTE CHRISTVM 1751.

EXtincto proximo anno Belocho prisco expletis 35. regni annis, Balæus imperio Assyr. successit, quod tenuit annis duobus & quinquaginta, qui nonus à Nino est, decimus autem à Belo. Quidam hunc Balæum secundũ siue iuniorẽ appellarũt, propter Xerxem, qui & Balæus dictus, vt diximus *h* initio regni eius.

Ad hunc circiter annum, quo ad finem vergente, Ioseph decimum quartum ingressurus erat, existimamus pertinere quæ Moyses de Iosephi pueritia narrat. Non enim omnia illo eodem anno, quo venditus est, contigerunt *k*. licet eodem loco narrata sint *i*, sed Moses inuidiæ causas ex alto repetijt, quod notauit etiam Torniellus, præsertim cum nihil adhuc de rebus eius dixisset. Id ex multis intelligi potest. Nam primo Rachelis mors, quæ iam dudum à Mose c. 35. narrata fuerat, nondum tempore somniorum Iosephi contigerat, cum Iacob dicat. *Num ego, & mater tua adorabimus te super terram?* Rursus cum dicitur causa eximia dilectionis Iosephi, quod pater ipsum in senectute genuisset, indicatur Beniaminum nondum fuisse natum, cuius tamen Natiuitas à Mose iam recentita fuerat, alioqui hæc causa dilectionis in Beniaminum potius, quam in Iosephum congrueret. Denique Moses ipse significat, accusationem fratrum factam à Iosepho adhuc puero, venditionem autem decimo septimo contigisse. Sic enim vertit Pagninus a *Ioseph cũ esset natus septendecim annos pascebat cum fratribus suis pecudes; & erat puer cum filijs Bilhah, & cum filijs Zilpah vxorum patris sui, retulitque Ioseph infamiam &c.* vbi vox *puer* non ad priora, vt in Latino, sed ad posteriora refertur. Cui separationi Hebræi textus, Græci codices, Latinique consentiunt, etsi id parum vulgò ab interpretibus animaduersum, aut notatum.

a c. 37. 2.

Hoc ergo circiter anno, cum Ioseph adhuc puer esset versabatur cũ filijs Balæ & Zelphæ, Dan scilicet & Nephtali, Gad & Aser, qui ferè à reliquis, tanquam filij ancillarum contemnebantur, vt aiunt Lyran. & Tostatus, ad quorũ consolationem Ioseph filius vnicus vxoris dilectæ, sese humanissime adiungebat. Cæterum quod accusati dicuntur à Iosepho fratres sui apud patrem crimine pessimo, quod scilicet ab illis, ex inuidia singularis in eum amoris paterni, vexaretur. Non necesse est hic infamia peccata comminisci; inuidia enim crimen satis magnum est, & vero merito pessimum dicitur, vtpote charitati virtutum omnium præstãtissimæ directò oppositum. Singularis autem ille amor cum ex alijs causis oriebatur, tum ex ea quam refert Moses, eo quod in senectute genuisset eum *b*; Etsi enim omnes in patris senectute geniti fuerant, erit enim annorum 85. cũ genuit primogenitum suum Ruben, id tamen Iosepho conuenit in primis, qui vltimus omnium natus fuerat: neque enim Beniaminus adhuc natus erat, vt ante dixi, quæ est etiam Torniellj *c* sententia. Adde quod filius erat vnicus dilectæ Rachelis, multisq; votis ab vtroque parente expetitus; præter egregias eius corporis animique dotes.

III. Accusat fratres apud patrem.

Qui odio atque inuidia in eum concitantur.

b a.m. 2283.

c a.m. 2036.*n.*

Signum eiusdem amoris, simulque ætatis puerilis argumentum est, quod Iacob fecit ei tunicam polymitam, id est multis licijs textã, & quidem diuersorum colorum, propterea enim Septuag. variam tunicam vertere, siue licijs per certa interualla artificiosè, inter stramẽ & subtegmen intextis, siue adiectis ad limbum, aliaque idonea loca diuersi coloris fasciolis. Erat autẽ & talaris, & manicata, vt ex Aquilæ & Symmachi versione intelligitur. Cũ ergo hac tunica insignis Ioseph fulgeret inter fratres, eorum perstrinxit oculos, quibus in eum magis, magisq; doluerunt. Accesserunt & somnia, quæ maioris odij fomitem præbuerunt, quæ possumus in annos sequentes differre.

IV. Iosephi tunica polymit.

ANNVS MVNDI 2303.

ISAACI 165. IACOBI 105. IOSEPHI 15.

BALÆI 2. Imperij Assyriorum 372.

ANTE CHRISTVM 1750.

HOc initio adolescentiæ Iosephi, nam decimus quartus annus erat in cursu, & decimus quintus imminebat, Iacob, vt duris filiũ quãuis vtrique parenti charissimum, assuefaceret cũ labori ligandorũ manipulorũ in sole feruido applicabat, quando eidem somniũ manipulare contigit, quod & fratribus puerili alacritate retulit. *Putabã*, inquit, *nos ligare manipulos in agro, & quasi consurgere manipulum meum, & stare, vestrosq; manipulos circunstantes adorare*

V. Iosephi somnia.

I. Initium Balæi

h a.m. 2199. *n.* 3.

II. Iosephi pueritia. *i c.* 37. *a.m.* 2306. *n.* 10.

manipulum meum. Apparet autem hoc somnium ad diuersum à prædicta fratrum accusatione, tempus pertinere. Illa enim ad quatuor tantũ pertinebat, quibus cum tunc morabatur, hoc autem, & sequens somnium ad omnes refertur, & innuũt communem commorationem, & opus in agris. Priore somnio audito *fratres* qui iam *oderant eum, nec poterant ei quidquam pacifice loqui*, cum stomacho responderunt. *Nũquid rex noster eris, aut subijci nostræ ditioni tuæ.*

II. Alterum somnium Ioseph. A. M. 2094.

Alterum Iosephi somnium ad sequentem annum referre possumus *d*. Etsi enim nihil super ea re certo affirmare possumus, non inani tamen ducimur coniectura, id sub annum Iosephi decimum sextum contigisse. Nam somniorum memoriam recentem fuisse conuenit tempore venditionis, quæ incidit in annum eius 17. vt diximus, dicebant enim. *Ecce somniator venit, venite occidamus eum.* Aliud ergo somnium vidit, quod dum fratribus exposuit, ignem, vt aiunt, camino addidit. *Vidi*, inquit, *per somnium quasi Solem & Lunam & stellas vndecim adorare me. Quod cum patri suo, ac fratribus retulisset, increpauit eum pater suus, & dixit, Quid sibi vult hoc somnium quod vidisti? Num ego & mater tua, & fratres tui adorabimus te super terram?* Reprehendit senex puerilem, vt apparebat, vanitatem, vt fratrum odium, quod in eum accendebatur, dilecti filij obiurgatione leniret.

III. Num Rachel adhuc obiisset.

Tam perspicua porro ac diserta mentio matris Iosephi, valide confirmat nostram Chronologiam, quæ Rachelem hoc quoque anno, retinet in viuis; eius autem mortem, & Beniamini natiuitatem in sequẽtem annum differt. Nodus autem de stellis vndecim, quem nectit Caiet, vnde inferri videtur natum iam huius somnij tempore Beniaminum, facile Dina dissoluet. Cur enim illi minus stellę nomen, quam fratribus eius conueniat? Nam hæc quoque cum patre in Ægypto fuit, & fratrem suũ cum cæteris venerata est. At mater Iosephi cum in Ægypto non adorauit, diu videlicet ante defuncta. Sententia tamen huius vaticinij est, Iosephum ad tantam dignitatem euectum iri, vt propter eam, etiam à patre & matre, illi ciuilis adoratio deberetur: & si ad ignotum venissent, vt eius fratres, etiam adoraturos. Quæ est expositio S. Chrysostomi *e*.

ham. 6

ANNVS MVNDI 2035.
ISAACI 167. IACOBI 107.
IOSEPHI 17.
BALÆI 4. Imperij Assyr. 374.
ANTE CHRISTVM 1748.

I. Violatio Dinæ, & vltio temeraria.

FInitur hoc anno decimus sextus Dinæ & Iosephi annus, & inchoatur decimus septimus vtriusque, quo grauissima calamitas Patriarcham afflixit, & insignem eius patientiam vehementer exercuit; eoque vehementius, quod ipsius calamitatis remedium ipsa calamitate tristius ac luctuosius fuit. Contigit enim hoc anno Dinæ violatio, & vrbis Sichimorum vastitas inde consecuta. Tempus accurate cõfirmatur à Demetrio apud Eusebium *a*, vbi ait corruptam fuisse Dinam à Sichem filio Emmor, annos agentem sexdecim, & quatuor menses: qui menses decimum septimum inchoant vt dixi: quæ ratio temporis eadem proportione valet in annis cæterorũ Iacobi filiorum, quos in Annalium indicibus proferimus.

a l. 9. de præp. Euang. Lat.

II. Occasio facinoris. *b l. 1. Ant. c. 18. cp. 108. in Gen.*

Occasionem facinoris eius Moyses paucis explicat. Egressam videlicet Dinam, vt videret mulieres regionis illius. Iosephus *b* ait venisse in vrbem cum celebritas quædam ageretur apud Sichimitas, vt videret cultum mulierum regionis illius. Cum Dina, vt ait Aug. *c* ad eam venisset ætatem, vt amicas iam habere posset, condiscere voluit filias loci illius. Septuag. κατοπτεῦσαι, significantes, non simplicem hanc visionem fuisse, sed familiarem consuetudinem, qua personarum studia & mores addiscuntur. Sed magno suo malo didicit. Cum enim eam vidisset Sichem filius Hemor Heuæi, princeps terræ illius, adamauit eam, illius pulchritudine captus, & raptam vi oppressit. Eam iniuriam cum illa intoleranter ferret, tristem blanditijs lenire conatus est, spe maxime coniugij, quo culpæ & dedecori remedium quod poterat afferretur. Quod illam non respuisse ex eo fortasse colligi potest, quod Sichem quamprimum tam patrem suum adijt, vt eam sibi coniugem acciperet, quam ipsius interuentu, puellæ parentem Iacobum, vt id coniugium gratum haberet, ac ratum, etsi præpropere, atque intemperanter consummatum.

c ad cam ætatem

Cui remedium quæritur a nuptijs.

III. Dolosus fratrum in eas consensus.

Interea vero Iacob rem didicit rumore nuncio, ac dissimulauit, donec filij è pascuis reuerterentur. Qui audito quod acciderat, irati sunt valde. Nihilominus petit Hemor à patre ac fratribus puellæ eam in vxorẽ filio suo, & vniuersę cõnubiorum, & regionis ipsius communicationem, Israelitas inter atque Sichimitas. Vtriusq; instat etiam Sichem, & se ad omnia dotis onera, muneraq; paratum exhibet, in pœnam ac satisfactionem peccati sui. Respondêrunt filij Iacob Sichemo & patri eius, consensuros se in nuptias, & habitaturos deinceps cum eis, & vtrosq; in vnum eundemq; populũ coalituros, si ritum circuncisionis admitterẽt; alioqui affinitatem coalescere non posse, sed cum sorore sua discessuros; dissimulantes interim meditatam sæuitiam. Acquiescunt Hemor & Sichem, & circuncisionem toti populo persuadent. *Et ecce die tertio, quando grauissimum vulnerum dolor est, Simeon & Leui arreptis gladijs ingressi sunt vrbem confidenter, interfectisque omnibus masculis, Hemor & Sichem pariter necauerunt, tollentes Dinam de domo Sichem sororem suam.*

Qui vrbẽ replent cædibus.

IV. Qui præcipui autores cladis.

Non est existimandum à duobus illis iuuenibus totam delectam fuisse ciuitatem, sed duos illos plurimę familię famulorũ ductores fuisse, & simul cum illis miseros Sichimitas, ex vulnere circuncisionis inualidos, facile cõfodisse. Cæteri fratres, qui cædis participes esse noluerunt, prædæ tamen fuerunt, in quã vnam prius fortasse cõsenserant. Etsi Theodotus apud Eusebium *d* dicat reliquos fratres re cognita venisse auxilio duobus primis: quod tamen ad solam prædam pertinere potest; subdit enim & ciuitatem populati sunt. Illis ergo egressis de domo Sichem, irruerunt super occisos cæteri filij Iacob, & depopulati sunt vrbem in vltionem stupri. Oues eorũ, & armenta, & asinos, cunctaq; vastantes, quæ in domibus, & in agris erant. Paruulos quoque & vxores eorum duxerunt

d l. 9. cit. Eiusdem oppidi depopulatio.

captiuas

captiuas. Verum cum cædes, & deprædatio iniustæ fuerint, credendum est Iacobum, vt resciuit & potuit, captiuos omnes liberos dimisisse, & quæ supererant bona illis restituisse.

V. Damnatur à Ieabo facinus.

Improbasse autem vehementer sanctum virum, hunc filiorum suorum furorem, apertè intellectum est, non tam hoc loco, efferatis adhuc illorum animis, quam in fine vitæ, cum singulos benediceret abiturus. Certe Pererius vt eorum zelum non arguit, propter Iudithã *e*, quæ illum commendat, nouem tamen grauissimorum scelerum eos reos facit: trium ante cædem, totidem in ea, & rursum aliorũ trium post ipsam. Primum quod inconsulto parente, propria autoritate hoc facinus aggressi sunt, vt ipse postea significauit *f*. Alterum fuit mendacium perniciosissimum, & cum pessimo dolo coniunctum. Tertium fuit sacrilegium, quando ad dirum facinus sacramento circumcisionis abusi sunt, quo nihil erat apud eos religiosius. Quartum fuit barbara & ferina crudelitas, in ijs occidendis, qui circumuenti, & ad se defendendum inualidi erant. Quintum iniustitia maxima, pœna culpam vehementer excedẽte, pro qua illi idoneam satisfactionem obtulerant. Sextum innocentium innumerabilium cædes, cum perpauci, aut forte vnus tantum fuisset in culpa.

e c.9.2.

f Gen 49. 5.

VI. Decem crimibus cumulatum

Post cædem septimo loco secuta est rapina bonorum, quando non exsatiati tam multiplici cæde, etiam vrbem totam, & agros diripuerunt. Octauum, quod si qui eidem euaserunt, in seruitutem abstracti sunt. Nonum quod patrem, totamque eius familiam in summum internecionis discrimen adduxerunt. Vnde eos mitius quam pro tanto scelere increpans, g *Turbastis me*, inquit, *& odiosum fecistis me Chananeis, & Pherezæis habitatoribus terræ huius. Nos pauci sumus, illi congregati percutient me, & delebor ego, & domus mea.* Et vtique fecissent, nisi adfuisset singularis Dei erga Iacobum prouidentia, & protectio: iuxta illud h, *Cumque profecti essent, timor Dei inuasit omnes per circuitum ciuitates, & non ausi sunt persequi recedentes.* Addi potest & decimum crimen impœnitentiæ. Nam à patre obiurgati, culpam non agnoscunt, neque patrem reuerentur, neque ipsum Deum, quem tot sceleribus violauerant; sed audacter Patri respondent. *Nunquid vt scorto abuti debuerunt sorore nostra?* Itaque eam pertinaciam grauiter accusat moriturus pater i. *Maledictus*, inquit, *furor eorum, quia pertinax, & indignatio eorum, quia dura.*

g c.34.30

h c.35.5.

i Gen. 49 7.

VII. An zelus eorum bonus.

Iam vero quod ad zelum Simeonis, & fratrum eius attinet, non desunt viri graues qui censeant Iuditham, quæ erat de tribu Simeonis, putasse quidem eos diuino zelo motos fuisse, nec tamen necessarium esse mulieres, quamuis sanctissimas, omnes sacras historias accuratè tenuisse. Autor autem libri fideliter recitauit eius verba, & de fide tantum est ipsam illa sensisse, atque dixisse. Cæterum tanta est horum scelerum turpitudo, vt Iudæos, imprimisque Iosephum *a* vehemẽter eorum pudeat, ob eamque causam historiæ veritatem, quamuis sacris litteris perspicuè consignatam, admodum peruertant, vt in Annalibus *b* ostendimus. Dum autem hæc strages tota late regione rumore nuncio circumfertur, Deus siue Iacobi incolumitati prospiciens, siue nolens eum diuturniorem in eodem loco moram trahere, iubet eum ascendere in Bethel *c*, & ibi habitare, atque excitare altare Deo, qui apparuerat ei, dum fugeret in Mesopotamiam, fraterno furori declinando.

k c.9.2.3.

a l.1. Ant. c.18.

b c.13. & 15.

Iacob Dei iussu abit in Bethel.

c c.35.1.

Iacob nihil cunctatus conuocata omni domo sua, iubet abijcere idola, quæ ex recenti videlicet præda collegerant, siue quæ adhuc retinuerat Rachel, vt plerique putant. Non fit tamen verisimile Pererio, hoc tempore apud Rachelem fuisse idola Labani; neque decennio aut Iacobo ignota esse potuisse, aut tolerata. Dederunt ergo ei omnes Deos alienos, & omnia simulachrorum ornamenta, quę inaurium nomine comprehenduntur. At ille ea liquefacta in altam fossam iuxta terebinthum infodit, nulli vt vsui deinceps forent, in detestationem idolo latriæ. Quod tamen ex abundantia feruoris potius, quam ex necessitate factum videtur. Legimus enim Dauidem tulisse coronam Melchon idoli Ammonitarum de capite eius, & inuenisse in ea auri talentum, & pretiosissimas gemmas, & inde sibi fecisse diadema. Sanctificata familia, vasisque conclamatis ũ Salem versus Bethel tuto profecti sunt, Domino in tutelam Iacobi, terrorem vicinis populis immittente. Venit igitur Iacob Luzam, quam mox vocauit Bethel, siue Domum Dei, ædificauitque ibi altare; & si non prius, tunc certe vota in discessu promissa persoluit.

VIII. Idolis fusis ac defossis.

1. Par. 20.2.

Eodem tempore mortua est Debora nutrix Rebeccæ. Etsi enim mentio temporis non est in Hebræo, explicandi tamen causa à Hieronymo ex reipsa additum est: quia interiecta hoc loco mortis eius narratio, satis indicat hoc eam tempore contigisse. Hanc nutricem communiter sentiunt interpretes, in quibus Caietanus, mortua Rebecca adijsse Iacobum, siue pertęsam vxorum Esau, siue studio videndi filias Laban, neptes Rebeccæ, & filios earum exosculandi: cui desiderio cum satisfeciisset, grandis natu, nec multo minor Isaaco, diem obijt extremum. Sepulta est autem ad radices Bethel subter quercum: vocatumque est nomen loci illius. *Quercus fletus*, ob solennem videlicet complorationem in honorem Deboræ factam.

IX. Obitus Deborę, & sepultura.

Sepulta Debora, apparuit iterum Deus Iacob, benedixitque ei, ac nomen Israelis confirmauit, vt deinceps non vocaretur solum Iacob, sed etiam Israel, quod in posteris eius locum habuit, qui Israelitæ non Iacobitæ dicti sunt. In hac autem apparitione, quæ ordine septima fuit, Dominus renouauit pristinas benedictiones, tam ei quam patribus eius impertitas, eoque facto visus est ab eo recedere, & in altum tendere; qui motus innuit hanc visionem sensibilem fuisse, & non imaginariam duntaxat. Ille vero erexit titulum lapideum in loco, quo locutus fuerat ei Deus, libãs super eum libamina, & effundens oleum, vocansque nomen loci illius Bethel. Videtur sane credibile lapidem ante annos 30. à Iacobo erectum in titulum, disiectum fuisse ab hominibus loci religionem ignorantibus: nunc

X Deus septimum apparet Iacobo.

Qui consecrat Bethlehẽ.

autem à Iacobo iterum consimili ceremonia restitutum, veteri etiam loci denominatione renouata.

ANNVS MVNDI 2306.

ISAACI 163. IACOBI 108.

IOSEPHI 18. BALÆI 5.

Imperij Assyriorum 375.

ANTE CHRISTVM 1747.

I Vctuosis præcedentis anni rebus, hoc anno Patriarchæ nostro luctuosiora succedunt. Dilectissimam quippe Rachelem coniugem in dolore partus amittit: amittit & Iosephum filium ex ea susceptum, delicias & gaudium cordis sui. Sed priorem illam iacturam nouus filij ortus attemperat. vt ait Chrysostomus *d*: hoc vulnus nullam curam, nullam consolationem admittit. Accessit & Rubeni cum Bala flagitium,& Iudæ cum muliere Chananitide coniugium inauspicatum. Ad quæ priusquam aggrediamur ratio temporis reddenda est,& occurrendum accusationi,quod Iosephi venditionem anno eius decimo octauo constituere videamur,quam Scriptura *e* dicit decimo sexto contigisse. Dicimus ergo, vt supra significatum est, nos horum Patriarcharum annos sumere inchoatos. Itaque iuxta supputationem Demetrij apud Eusebium *f*, Iosephus & Dina inchoant hoc anno decimum octauum per quatuor menses, octo priores pertinent ad decimum septimum, quo anno currente venditionem contigisse, exacto iam decimo sexto, cuius meminit vulgata editio, facile omnes consentiunt.

Porro ad Rachelis obitum hoc anno constituendum, & consequenter primum Beniamini annum,series ipsa nos Mosaicæ narrationis adduxit. Eandemque Chronologiam egregie Demetrius ille confirmat. Ait enim Patriarcham Luza, vel Bethele digressum, Ephratam siue Bethleemum petijsse, ibique Rachelem susceptο Beniamino, diem supremum obijsse, postquam annos tres ac viginti cum ea Iacobus vixisset. Sic ipse: quod ad amussim cum Chronologia nostra congruit, qui eius matrimonium ad annum Iacobi 85. retulimus *g*. Hebræi quoque in suo Chronico sex mensibus Iacobum in Bethel mansisse tradunt, & videlicet ibidem hyemem transijsse. Nam Moses testatur *h*, Iacobum verno tempore venisse in terram, quæ ducit Ephratham, ibique Rachelem parturientem obijsse. Et de verno quidem tempore nobis facessunt negotium, qui Hebræo textui plus æquo fauent, qui vocem Hebræam in varias significationes trahunt. Sed bene habet, quod non parum ipsi inter se dissentiunt. Interim ergo dum conueniant, vulgatam editionem sequamur, quam in Tradit. Idem Hieronymus confirmat.

Iacob ergo *egressus* *i* de Luza siue Bethel, *venit verno tempore ad terram, quæ ducit Ephrata, in qua cum parturiret Rachel, ob difficultatem par-*

tus periclitari cœpit. Dixitque ei obstetrix, Noli timere, quia & hunc habebis filium. Idonea consolatio, & consentanea illi voto *k*. *Addat mihi Dominus filium alterum.* Voti rea fit, sed eo diutius gaudere non potuit, *Egrediente* siquidem *anima præ dolore, & imminente iam morte vocauit nomen filij sui Benoni*, id est filius doloris mei, Pater vero eum vocauit Beniamin, id est, filius dexteræ. Additæ sunt ab Hieronymo vocum interpretationes. *Mortua est ergo Rachel, & sepulta est in via, quæ ducit Ephratam, hæc est Bethleem:* à qua mille fere passibus distat eius sepulchrum, provt Pagninus vertit vocem Chibrath. Burchardus autem distare ait, quantum arcus vnus iacere solet. *Erexitque Iacob titulum super sepulchrum eius. Hic est titulus monumenti Rachel, vsque in præsentem diem.* Extabat videlicet titulus ille ad id tempus, quo hæc à Mose scribebantur, id est ad 238. annos, si hæc scripta sunt primo anno exitus Hebræorum ex Ægypto.

De Rachelis porro monimento scribit Abulensis, corpus quidem humi defossum fuisse, sed factum illi à Iacobo cenotaphium ex duodecim satis magnis lapidibus, in memoriã 12. filiorum suorum,& in extremo posuit lapidem, qui hic dicitur erectus in titulum, in pyramidem acuminatum, qui à transeuntibus terram illam, inquit, peregrinis nostris adhuc visitur. Bredembachius addit inueniri iuxta sepulchrum lapillos quosdam omnino nigros, quos peregrini colligunt, quod dicantur conducere mulieribus ad faciliorem partũ. Mortua porro est anno ætatis non trigesimo sexto, vt Hebræi quidam dicunt, sed minimum quadragesimo quinto. Nam si, vt ijdem aiunt, vigesimo secundo nupsit, & viginti tribus mansit cum Iacobo, vt ex Demetrio diximus, clarum est eam ad 45. peruenisse. Et certe prior ille numerus valde probabilis est, erat enim Rachel nubilis, quando petita est à Iacobo, puta 15. annorum, quibus addendi sunt priores septem anni famulatus Patriarchæ.

Par erat nos quoque hoc loco, nisi compendiariæ breuitati studeremus, in ornando Rachelis funere, aut sepulchro, nostro muneri non deesse: quandoquidem neque paucis, neque leuibus in rebus beatissimam Virginem à Rachele repræsentatam nemini dubium esse potest. Isti comparationi ipsum Rachelis nomen congruit, congruit & præstantia formæ, & sterilitas fœcunditati copulata,& duo filij, altero lætitiæ, doloris altero, aliaque multa capita, quæ in Annalibus *a* non negligenter exposita reperies, addito insuper breui Epitaphio.

Porro Iacob cumulate perfunctus officio funeris dilectæ sibi Rachelis iuxta Bethleem, *egressus inde fixit tabernaculum trans Turrim gregis*, versus austrum progrediendo ad Hebron. Nam Chrysostomus *b*, *Vlterius iterum procedit Iustus, anhelans paulatim venire ad locum, vbi habitabat Isaac.* Eam turrim,quæ mille passibus à Bethleem distare dicitur, Hieronymus *c* ait locum esse pastorum iuxta Bethleem, vbi vel Angelorum grex in ortu Domini cecinit, vel Iacob pecora sua pauit, loco nomen imponens: vel quod verius est, quodam vaticinio futurum iam tum mysterium

monstra-

Ex. de rap. c. 21

hom. 60. in Gen.

l. 37. 2.

A.m. 2183.

c. 35. 36

כִּבְרַת *Chibrath*

Ibid. 35.

k Gen. 30. 24.

Sepulchri locus.

IV. Esusque forma.

Rachelis ætas.

V. Et commendatio

a A.m. 2306. a.10. & *segq.*

VI Iacob ad Turrim gregis, & quæ illa fuerit.

b *hom. 60.*

c *in trad. Hebr.*

Rubeni cum Bala flagitium

monstrabatur. Ibi Iacobum aliquandiu subsitisse, docet quod subdit Moses, *Cumque habitaret in illa regione, abijt Ruben, & dormiuit cum Bala concubina patris sui.* Matris Dan & Nephtali: *quod Iacobum minime latuit*; & simul ingenti eum mœrore afflixisse necesse est, tam propter illius peccatum grauissimum, quàm propter dedecus suum, & probrum mulieris, ac filiorum eius: peccatum quod natura auersatur, & mox lex diuina *d* fœuere prohibuit. *Qui dormierit cum nouerca sua, & reuelauerit ignominiam patris sui, morte moriantur ambo, sanguis eorum sit super eos.* Et Apostolus *e* etiam infidelibus abominatum scribit.

d *Leuit.* 18.8. & 20.11.

e 1. *Cor.* 5

Vel. Quam molestum Patriarchæ.

Atque haud scio an hoc Rubeni facinus, cum insigni diuini numinis iniuria coniunctum, grauius Iacobum, quam mors Rachelis afflixerit, quæ nudam iacturam habuit, eamque vnius filij accessione compensatam. Dolorem eius Scriptura coniectandum reliquit: at Septuag. paraphrasi attigerunt, habent enim. Et audiuit Israel, & malum visum est coram eo; adeo vt moriturus eum graui maledictione percelleret, quæ in eum effusa, in posteros etiam redundaret. Autor Testamenti Patriarcharum scribit Beniamin defuncta matre suxisse Balam, quæ tamẽ ante 20. annos vltimum filium pepererat. An forte concepit ex Ruben, & fœtu mortuo, inuenta est idonea, quæ Beniamino lac daret. Idem Autor scribit Iacobum ab se Balam abdicasse, nec vltra, à filio suo vitiatam, attingere voluisse. Sicut postea Dauid concubinas *f* ab Absalone violatas, regno restitutus inclusit, neque eas vnquam postea cognouit.

Bala nutrix Beniamini abdicatur à Iacobo.

f 2. *Reg.* 20.3.

VIII. Iacob venit ad patrem cum tota familia.

Postremo venit Iacob cum tota familia sua, *ad Isaac patrem suum in Mambre ciuitatem Arbee, hæc est Hebron, in qua peregrinatus est Abraham, & Isaac*, vt ait Moses *g*. Dixi cum tota familia; nam iampridem, ex quo sese ab Esau expedierat, inuiserat patrem suum: eaque de re Iacobi pietas in parentem optimum, bene de se meritum, dubitare non sinit. Et par quidem est credere gubernatam à Iacobo familiam patris, in senio & oculorum caligine decumbentis, & Rebecca matre ante annos aliquot mortua; non per se quidem, qui copiosissimam haberet, quæ ipsius requirebat præsentiam, sed per fidum aliquem procuratorem, vt olim Abraham. Tandem vero hoc anno vnam ex duabus factam esse familiam apparet. Sed ita tamen, vt greges & armenta, quæ præ multitudine locus vnus capere non poterat, diuersis pascerentur locis, quæ etiam causa fuerat, vt Esau à Iacobo *h*, Loth ab Abrahamo *i* secederet.

g *Gen.* 35. 27.

h *cap.* 36. 6. 7.

i *ca.* 13. 9.

IX. Mittit filios Sichimum cum gregibus.

Ergo breui, diuina nixus prouidentia pastores cum gregibus dimisit in Sichimorum agrum, in quo prædium ante aliquot annos emerat, simul etiam prudenter existimans, incolarum ira metu compressa, eò magna ex parte redijsse. Neque diu distulit etiam filios Liæ & ancillarum eo mittere, qui præsidio illis essent, si res postularet, & parentem suum apud ipsos repræsentarent. Nec minus interea ipse de eorum incolumitate sollicitus, Ioseph ad eos inuisendos dimittere statuit, mox renunciaturum quo in statu res essent. Nolebat enim illum diutius apud fratres morari, quos ipsi parum æquos non ignorabat. Missus itaque de valle Hebron, venit in Sichem, vbi cum non reperisset fratres, circumquaque oberrans quærebat illos, & cognito eos abijsse in Dothaim, duodecimo à Sebaste siue Samaria milliario, aquilonem versus, vt ait Hieronymus in locis, ad eos profectus est.

Et ad eos Ioſephum

Qui cum vidissent k *eum procul, antequam accederet ad eos, cogitauerunt illum occidere, & mutuo loquebantur, Ecce somniator venit, venite occidamus eum, & mittamus in cisternam veterem, dicemusque fera pessima deuorauit eum, & tunc apparebit quid illi prosint somnia sua.* Non omnium hoc consilium fuit; nam Ruben & Iudam in alia fuisse sententia, docent quæ sequuntur. Videtur autem in primis Simeonis & Leui, qui in Sichimis non ita pridem sicarios egerant: & à patre *vasa iniquitatis bellantia* dici meruerunt. Certe non sine causa postea in Ægypto Simeon, dimissis cæteris, detinetur in vinculis: quod notatum etiam est in Testamento Patriarcharum, vbi Gad quoque nominatur eiusdem consilij architectus. Id autem dissuasit Ruben, suadens potius demitti illum in cisternam, vt inde mox ereptum redderet patri; existimans fortasse hanc fore commodissimam viam ipsum sibi reconciliandi: idque admodum probabile est, Graue est enim filio non perfrictæ frontis, sentire parentem iure infensum sibi.

k 1. 17. 18

X. Qui de illius exde deliberãt

Confestim igitur vt peruenit ad fratres suos, nudauerunt eum tunica talari & polymita. Cum oportuisset, ait Chrysostomus *a*, *illos occurrere fratri & amplexari, & quomodo se pater haberet inquirere: illi quasi bestiæ quædam, vbi agnum conspicatæ sunt, insiliunt.* Non habetur ex hoc loco Iosephum duplici veste exutum fuisse, & plane nudum demissum in cisternam, vt quidam putauerunt; vna enim eademque erat talaris & polymita: vnde Tigurina ex Hebræo, nudauerunt eum tunica sua, tunica illa varia, qua erat indutus. Dimiserunt ergo eum, cum interiore tunica, *in cisternam veterem, quæ non habebat aquam*: vt scilicet ibi fame extingueretur; quasi minus in culpa futuri, quam si gladium in fraternum iugulum immersissent: cum tamen eum longe crudeliori morte ac diuturniori cruciatu essent necaturi. Omittuntur porro hoc loco Iosephi preces & lachrymæ, quarum ipsimet parricidæ in Ægypto postea meminerunt, dicentes inter se: b *Merito hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum, videntes angustiam animæ illius, dum deprecaretur, nos, & non audiuimus: idcirco venit super nos ista tribulatio.*

a *hom.* 6. *in Gen.*

b *c.* 42. 21

XI. Comprehendunt, denudãt, & in cisternam dimittunt.

Irritæ igitur fuerunt afflictissimi Iosephi lacrymæ, irritæ fratris innocentissimi preces, modo singulos, modo vniuersos, per ipsum Deum parentemque deprecantis, & ad eorum genua lamentabiliter accidentis. Nihil ferrea pectora mouit mixtus frigido sudore pauor, decori, & quod caput est, integerrimi adolescentuli, & anxietas animi, quasi in mortis agone constituti. Miserunt ergo eum in cisternam, quam profundam fuisse oportet, ne inde posset euadere: ideoque fune religatus sensim demissus est, non ab vno Ruben, vt ait Iosephus *c*, sed à pluribus, vt Scriptura testatur. Et quia Ruben venditioni non interfuit,

c *l.* 2. *Ant. c.* 3.

XII. Contempris eius lacrymis, ac precibus.

vt mox secuta eius lamentatio docet: Iosephus ait illum aliò profectum ad quærenda pascua. Reliqui sederunt ad sumendum cibum: moxque viderunt Ismaelitas mercatores venientes de Galaad; illac videlicet ex Arabia transeuntes. Nam Ismaelitæ non habitabant in Galaaditide, sed ibi emebant, quæ ferrent in Ægyptum.

XIII. Et Iudæ consilio venditur d c.37.26

Hac oblata occasione *dixit Iudas fratribus suis* d, *Quid nobis prodest si occiderimus fratrem nostrum*, fame videlicet, & rerum omnium penuria, *& celauerimus sanguinem ipsius*? Num iactare valebimus nos eius somnia, & spes dominationis irritasse? *Melius est vt venumdetur Ismaelitis, & manus nostræ non polluantur; frater enim, & caro nostra est.* Consilium venditionis sancti iuuenis à Iuda proficiscitur, bona vt apparet intentione. Voluit enim minore malo seruitutis, maius cædis malum impedire. Minus enim malum, vt alibi diximus, ratione maioris, habet aliquam rationē boni. *Acquieuerunt fratres sermonibus illius, & prætereuntibus Madianitis negotiatoribus, extrahentes eum de cisterna vendiderunt eum Ismaelitis* 20. *argenteis, qui duxerunt eum in Ægyptum.* Valent porro 20. argentei sicli iuxta initam à nobis supputationem 27 Francis Gallicis cum dimidio. Alia de hoc Iosephi venditi pretio leges in Annalibus. Hic addo ex Testamento Patriarcharum e Gadum ibi fateri se cum Iuda vendidisse fratrem 30. aureis, *de quibus*, inquit, *decem furtim subtraximus, viginti autem ostendimus fratribus nostris*, &c.

20. sicl.

e *ca.9 & in Annal. an 1306. schol.8.*

XIV. Ruben luctus pro fratre.

Interea vero dum ducitur in Ægyptum Iosephi, reuertitur Ruben ad cisternam, vbi non inuento Iosepho, scissis vestibus pergit ad fratres suos, ratus illum per suam absentiam interemptum esse, & ait, *Puer non comparet, & ego quo ibo?* vt scilicet cum inuenire possim? cognito autem quid accidisset, ait Iosephus *f*, eum lugere desijsse. Consilium autem simul inierunt, quomodo Iosephi casum ita patri notum facerent, vt à se criminis suspicionem omnem amolirentur. Itaque occurrit fingere eum à fera pessima deuoratum: ideoque tunicam eius, illam scilicet polymitam, antiquum inuidiæ incitamentum, in sanguine hœdi quem occiderant, tinxerunt, mittentes *qui ferrent ad patrem, & dicerent. Hanc inuenimus: vide vtrum tunica filij tui sit, an non.* Dederunt perferendam aliquibus rei totius ignaris: nec testes calamitatis, quæ ad primum hoc nuncium parentem oppressura erat, esse voluerunt, vt ipsi mox dissimulata re tota, eum consolarentur. Addit Liber Testam. *g* Patriarcharum omnes simul sub pœna capitis edixisse, ne quis hoc mysterium reuelaret patri, ijsque minis deterritum Zabulonem rem patri aperire ausum non fuisse.

f l.2. c.3.

Consiliū & modus renunciandi rem patri.

g cap.6.

XV. Iacobi luctus pro filio.

Cum autem tunicam *agnouisset pater*, exclamans *ait* h; *Tunica filij mei est, fera pessima comedit eum, bestia deuorauit Ioseph. Scissisque vestibus indutus est cilicio, lugens filium suum multo tempore. Congregatus autem cunctis liberis eius, vt lenirent dolorem patris, noluit consolationem accipere, sed ait, descendam ad filium meum lugens in infernum.* Quasi dicat, erit mihi luctus ille perpetuus, nec me ad mortem vsque deseret, qua superueniente, descendam ad filium meum, in quo Abel & Adam, Noe & Abraham, & omnes iusti congregantur, in subterraneis locis, dum veniat qui venturus est, qui eductos de domo carceris, deducat secum in lucem sanctam, & beatam immortalitatem. Hæretici locorum subterraneorum hostes, infernum hic sepulchrum interpretantur, quasi Iacob putaret filium in spelunca duplici Abrahami, & non in ventre ferarum sepultum esse, vt ad illum demigrare posset.

h c.37.33.

XVI. Altera Iosephi venditio

Patriarcha porro perseuerante in fletu; Madianitæ vendiderunt Ioseph in Ægypto Putiphari Eunucho Pharaonis magistro militum. Hoc eius officium satis indicat Eunuchi nomen non significare quod primū audita eà voce solet occurrere, sed regis cubicularium, vt plerique hic interpretantur: idq; notatio ipsa nominis indicat; præsertim cum eius non solum vxor, sed etiam filia postea memorentur. In Testamento Patriarcharum habetur Iosephum in Ægypto mansisse tribus mensibus & diebus quinque, apud depositarium mercatorum: donec venderetur vxori Putipharis centum nummis aureis: fides sit penes authorem. Circa hanc porro Iosephi venditionem, nec pauca, nec leuia peccauit Iosephus *a*, ex quorum refutatione illustrior fit sacræ historiæ veritas, vt ex Annalibus ipsis intelligetur.

a *n.38 39 & 1094.*

Pertinet porro ad hoc ipsum tempus matrimonium Iudæ, cum filia hominis Chananæi, qui dictus est Sue. Nam Moses explicata venditione Iosephi, statim subdit Iudam eodem tempore venisse Odollam, ibique vxorem duxisse, quam ipsam temporis notam habent codices omnes Græci, Latini, Hebraici, Chaldæaque paraphrasis. Hoc ergo anno cum vigesimus Iudæ in cursu esset, & post aliquot menses vigesimus primus accepturus esset initium, Iudas duxit vxorem, ex qua sub initia 21. anni filium suscepit, vt dicemus. De hoc coniugio hæc habet Moyses b. *Eodem tempore descendens Iudas à fratribus suis*, cum quibus conatus fuerat consolari parentem suum acerbissimo luctu prostratum, *diuertit ad virum Odollamitem nomine Hiram.* Qui fuit hospes Iudæ, in ciuitate Odolla, quæ fuit in tribu Iuda, cuius regem nomine Dabir interfecit Iosue. Ibi *Iudas vidit filiam hominis Chananæi vocabulo Sue.* Quod nomen Septuag. tribuunt filiæ, Hebræi autem patri, vt ex affixo masculino liquet, & mox ex versu duodecimo. Autor Testam. *c* Patriarch. eam vocat Bethsue. Ibique fatetur Iudas se transgressum mandatum Domini, & patrum suorum in huiusmodi nuptijs, ideoque Deo vindice non lætatum fuisse in filijs eius. Apparet certe inconsulto parente has coaluisse nuptias, qui meminisset se missum in Mesopotamiam, ne vxores acciperet Chananæas. Ab ea nihilominus sub finem anni huius suscepit filium, quem vocauit Her.

XVII. Iudæ matrimoniū cum Chananitide

b ca.38.1.

Contra Dei & suorum voluntatē

c cap.4.

Suscipit ex ea Her.

ANNVS MVNDI 2307.

ISAACI 169. IACOBI 109.

IOSEPHI 19. BALÆI 6.

Imperij Assyriorum 376.

ANTE CHRISTVM 1746.

1. Ortus Onan secundi filij Iudæ.

COncipit hoc anno iterum vxor Iudæ, & parit filium, quem pater vocauit Onan, quæ vox mœrorem sonat. Quod autem huic denominationi causam vel occasionem dederet incompertum est; mœrorem certe non vulgarem dedisse patri in morte sua, dum domesticum funus funere cumulat, nemini dubium est. Ioseph autem erat in Ægypto, sed an in vinculis per annos 13? Ita putauit Demetrius *d* apud Eusebium; atque adeo S. Chrysost. *e* & Hebræi in suo Chronico. Verum certior est communiorque sententia, Iosephum triennio tantum in carcere fuisse detentum: & aliquot annis prius in Ægypto vixisse, in eo statu quem describit Moses in hæc verba.

d *de Præp. l. 9. c. 21.* e *hom. 8. in Ep. ad Eph. & hom. 63 in Gen.*

Igitur Ioseph f ductus est in Ægyptum, emitque eum Putiphar eunuchus Pharaonis princeps exercitus, vir Ægyptius, de manu Ismaelitarum, à quibus perductus erat. Eosdem negotiatores modo Ismaelitas vocat *g*, modo Madianitas. Nimirum binomines fuerunt, & alterum nomen à Madian filio Abrahæ & Ceturæ, alterum ab Ismaele eorundem locorum incola, & domino acceperunt; prius tamen nomen frequentius est in sacris litteris. Pergit, *fuitque Dominus cum eo, & erat vir in cunctis prospere agens. Habitauitque in domo Domini sui, qui optime nouerat Dominum esse cum eo, & omnia quæ gereret, ab eo dirigi in manu eius.* Hæc vtique aliquot annorum experientiam requirunt. Nec fuit sapientiæ Putipharis, viri toto regno primarij, homini ignoto & adolescentulo totam familiam statim committere. Sed primum, vt ingenuis moribus adolescentem, tametsi conditione seruum, honeste ac liberaliter habuit, eiusque expertus est fidem, obedientiam, & maiorem, quam pro ætate, prudentiam. Agnouit etiam in rebus gerendis felicitatem, testem diuini in eum fauoris, atque præsentiæ.

f *cap. 39.*

1 Ioseph us hero gratiosus.

g *c. 37. 28. 36. ea 37. 25. 27. & ea. 39. 1.*

2 eiusque prospera administratio.

Interea proximo anno nascitur tertius Iudæ filius, quem mater appellauit Sela, *eoque nato parere vltra cessauit*, vt ait Moses *h*.

3 Ortus Selæ filij Iudæ

h *c. 38. 5.*

ANNVS MVNDI 2312.

ISAACI 174. IACOBI 114.

IOSEPHI 24. BALÆI 11.

Imperij Assyriorum. 281.

ANTE CHRISTVM 1741.

1. Iacob Ioseph. *i c. 37. 34.*

IVgebat hoc quoque tempore Iacob filium suum Ioseph, cum quippe *luxit multo tempore*, vt ait Moses *i*. Nec consolationem à reliquis filijs admittebat. Beniamin tamen, qui diuinitus illi in locum demortui, & à bestijs dilacerati, sub idem tempus datus videbatur, nonnihil eius leniebat dolorem, iam factus septennis, & idonæus vt grandæuum exhilararet parentem.

Quo ipso tempore videtur Iosephus, cum iam euasisset in virum, & Domino suo fidem, industriam, probitatem satis probasset, ab eodem domus suæ negotijs fuisse præpositus *k*. *Benedixitque Dominus domui Ægyptij propter Ioseph: & multiplicauit tam in ædibus, quam in agris cunctam eius substantiam, nec quidquam aliud nouerat nisi panem, quo vescebatur.* Opulentior videlicet factus est Putiphar, crescente domi familia, supellectile, pecunijs: foris autem pecoribus, villis, frugibus. Cumque huius fœlicitatis conciliatorem agnosceret Iosephum, ei quasi sibi ipsi fidem habebat, adeo vt nullam ab eo dati & accepti rationem, magis quam à semetipso exigeret: sed cura vacuus totus à Iosephi administratione penderet, edere tantum ac bibere contentus.

Ioseph præficitur domui Putiphar. k *cap. 39. v. 4.*

Agebat hoc tempore annum vigesimum octauum Leui, quo anno Autor Libri Patriarch. scribit ipsum vxorem duxisse; nomine Melcham, ex eaque tres suscepisse liberos, Gerson, Caath, & Merari. Quæ cum nihil habeant quod Scripturæ, aut rationi repugnet, neque certiora suppetant, non video cur repudientur. Duxerit ergo vxorem hoc anno Leui, ex qua Gersonem primogenitum proximo anno, si placet, susceperit. Nam Caath nonnisi trigesimo quarto, vt suo loco dicemus.

11. Leui duxit vxorē *cap. 3.*

ANNVS MVNDI 2316.

ISAACI 178. IACOBI 118.

IOSEPHI 28. BALÆI 15.

Imperij Assyriorum 385.

ANTE CHRISTVM 1737.

AD hunc circiter annum quo Ioseph vigesimum septimum agebat, & 28. erat inchoaturus, passim referunt Iosephi carcerem Scripturæ interpretes *a*. Nec vox adolescentis, qua Scriptura vtitur hoc loco, valde fauet ijs, qui statim anno 17. vel 18. Iosephum putant ad flagitium inuitatum: cum etiam pueri nomen grandioribus viris in Scriptura tribuatur. Nec credibile est Putipharem puero, vel adolescenti 17. annorum, totam familiam, copiosam in primis atque opulentam commisisse, vt paulo ante dicebamus *b*. Vice autem versa hoc vinculorum tempus apprimè cum Scriptura congruit, quæ ferme triennium carceris exigit, vnum scilicet, quo custos carceris agnitos Iosephi mores dilexit, & ei tantam habuit fidem, vt ei omnes, qui erant in vinculis committeret. Tum duo subsecuti sunt anni, vsque ad somnium Pharaonis *c*, & Iosephi trigesimum annum, de quo Genes. 41.

1. Ratio temporis carceris Iosephi. a *cap. 39. v. 10. & c. 41. v. 12.*

b *num. 2,07. n. 1.*

c *ea. 41. 1. & 46.*

11 Eiusque causa.

Notissima est horum causa vinculorum, quippe quæ quotidie, cum eximia laude cõti-

nentiæ

nentiæ Ioſephi, & probro mulieris Ægyptiæ, iteratur: cuius nefariæ cupiditati flamma parata erat iuuenis famulus *pulchra facie, & decorus aſpectu*, Poſt multos ergo dies illa coniecit oculos ſceleris nuncios in Ioſeph, poſt annos ſcilicet decem, cum prius illum amaret vt filium, vt eſt in Teſtam. Patriarch. Sed ille amor paulatim deprauatus eſt, cum cum ætate iam, induſtria ac virtute florentem, ex mariti ipſius ore magnificere cœpit, & toti familiæ præpoſitum agnouit: & inſuper ex facie ingenua, atque liberali, quæ Ægyptiam deformitatem accuſaret, amore dignum ſenſit. In Hebræo non fit mentio temporis breuioris aut longioris, ſed habetur tantum mulierem poſt hæc, id eſt poſt illam Ioſephi exaltationem, & eximiam apud herum gratiam & fidem, iniectis in eum procacibus oculis, inſanire cœpiſſe, nec contentam aſpectu prodere furorem, ſuum, etiam verbis propalaſſe.

III. Ioſephi odeſti- contio.

Quæ cum innocentiſſimus iuuenis, non cũ iuſta indignatione & conuitio, ſed modeſte, pro ſua in dominam veneratione repulliſſet, exaggerata etiam, ſua in herum humaniſſimum, ſi ſecus faceret, ingratiſſima perfidia, propoſito denique vltore ac vindice flagitiorum Deo. Illa nihilominus furere, ille conſtanter adulterium auerſari pergebat, & vt in Hebræo eſt, non ſolum flagitium reſpuebat, ſed omnino eſſe cum ea, fabulando ſcilicet, ſtudioſe deuitabat, ſiue conſiderando ſemetipſum, & ipſe tentaretur.

tuſque m her- tamen

Accidit autem quadam die vt intraret Ioſeph domum, & operis quippiam abſque arbitris faceret, id opus Orchelos interpretatur, inueſtigationem rationum dati & accepti: cum illa non adhibet vltra verborum blanditias, ſed impudentia meretricia, eum veſte apprehenſum, ad facinus tantum non compelleret. Et certe firmiter tenuiſſe apparet, quando ſanctus ac modeſtus iuuenis ſatius duxerit veſtem deſerere, quam vi aliqua aduerſus heram vti, vt illam ex eius manibus extorqueret: non cogitans, vt apparet, pallium fore vlui mulieri nequam, in calumniæ argumentum.

IV. t fuga.

Relicto ergo in manu eius pallio fugit, & egreſſus eſt foras, è cubiculo ſcilicet, vt ait Ioſephus, aut etiam ex ædibus, ne illum Medea iſta vbique ſequeretur: fugientem autem victoria ſecuta eſt, quam tanti facit Chryſoſt. *d* vt eam miraculo Babylonicæ fornacis anteferat. Verum Deus, in hac periculoſiſſima lucta victorem, tentare pergit, eumque in graue famæ ac vitæ diſcrimen adducit, qui famæ ac vitæ, Dei timorem, amorem pudicitiæ; & in herum reuerentiam ac fidem antetuliſſet. Cum enim vidiſſet mulier veſtem in manibus ſuis, & ſe eſſe contemptam, non ferens opprobrium, & confuſionem ſuam, inſanum amorem in odium implacabile conuertit: & hoſtem ſuum, primum apud domeſticos iniuſta infamia onerat: deinde apud maritum attentati adulterij accuſationem occupat, *& in argumentum fidei, retentum pallium ei oſtendit. Quibus auditis*, ait Moſes, *Dominus nimium credulus verbis coniugis, tratus eſt valde.*

hom. 61

ulieris alumnia

V. redulitas iurasti.

Ad credulitatem hanc excuſandam, addit Ioſephus mulieris lacrymas, & antiquum in maritum amorem. Accedebat non ſolum retentum pallium, ſed anticipata quoque, de mulierum præ viris pudore ac verecundia, vulgaris ac probabilis opinio. Sed cum nihilominus iniuſtæ atque inconſultæ temeritatis accuſant, quod diligentius, in re tanti momenti, veritatem non indagarit, quod reo locum defenſionis non dederit, quod decem ipſos annos probata ſerui modeſtia, fide, innocentia, dubiam ſaltem ipſi accuſationem non reddiderit, quod non pulchritudo viri, non flos ætatis iuuenilis, non Ægyptiæ mulieris deformitas ſuſpectam reddiderit. Ille igitur *iratus tradidit Ioſeph in carcerem, vbi vincti regis cuſtodiebantur*, ſed flagris prius probe cæſum, ac ſubſannatum, vt ait autor *a* Teſtam. Patriarcharum: qui etiam addit illum laudaſſe Deum in domo tenebrarum, & alia quæ apud eundem leges.

In carcere detinetur.

a cap. 11.

Quod autem ſolùm dicitur à Moſe Ioſephum clauſum in carcere manſiſſe, plenius explicat Dauid b. *Humiliauerunt*, inquit, *in compedibus pedes eius, ferrum pertranſiit animam eius, donec veniret Verbum eius.* Non ergo ſolum in carcerem, ſed etiam in vincula coniectus eſt, & pedes compedibus, & corpus ferreis catenis conſtrictum eſt. Quin etiam D. Chryſoſtomus *c* ad peculiarem Dei in Ioſephum prouidentiam refert, quod ab hero non ſit iuſſus occidi. At ipſius autem patientiam ſingularem, quod cum ſibi conſcius eſſet innocentiæ ſuæ, non vehementius expoſtularit, vt eiuſmodi vincti ſolent, ſed Dei ſubſidium patienter expectarit. Neque fruſtra expectauit. Nam dum veniret tempus libertatis & exaltationis eius, *fuit Dominus cum Ioſeph*, vt ait Moſes *d*, *& miſertus illius, dedit ei gratiam in conſpectu principis carceris. Qui tradidit in manu illius vniuerſos vinctos, qui in cuſtodia tenebantur, & quidquid fiebat ſub ipſo erat. Nec nouerat aliquid, cunctis ei creditis. Dominus enim erat cum illo*, non minus in carcere, quam in domo Putipharis, *& omnia opera eius dirigebat.* Philo ait Ioſephum tanta in carcere virtutum exempla edidiſſe, vt etiam facinoroſis illis miraculo eſſet, credentibus ad ſuæ calamitatis ſolatium, eum ſibi virum datum fuiſſe. Et hæc ad primum carceris annum pertinent.

VI. Coniicitur Ioſeph in carcerem, ferroque vinciatur.

b Pſ. 104. v. 18.

c hom. 61

Fit gratioſus apud cuſtodem carceris.

d cap. 39. 21. 22.

ANNVS MVNDI 2317.

ISAACI 179. IACOBI 119.

IOSEPHI 29. BALÆI 16.

Imperij Aſſyriorum 386.

ANTE CHRISTVM 1736.

CVm Ioſeph vnum circiter annum in carcere tranſegiſſet; contigit vt duo eunuchi Pharaonis in carcerem compingerentur. Annum, inquam, vnum: non enim multo minus temporis videtur exigere, non ſolum adepta familiaritas cuſtodis regij carceris, ſed etiam fiducia, vt ſcilicet ille non dubitaret fidem Ioſepho, & propria libertate, & vinctorum omnium beneuolentia antiquiorem fore. Itaque hic eſt ſecũdus annus carceris Ioſephi,

I. Secundus carceris eius annus.

in quo

in quo eunuchorum illorum ſomnia interpretatus eſt, à qua interpretatione, poſt annos duos ſomnia Pharaonis, & Ioſephi liberatio contigerunt. Et in hanc chronologiam merito conſentiunt, qui triennium in carcere Ioſephum detentum volunt, in quibus Abulenſis, Pererius & alij, qui nobiſcum etiam de anno Iſaaci & Iacobi ſentiunt.

II. duo regis Eunuchi in carcerē tonecti.

Dominus autem paulatim præparans ac præſtruens Ioſephi libertatem atque exaltationem, non contentus eum in carcere, ſicut antea in ædibus Putipharis morum probitate clareſcere, & gratia apud dominos plurimum valere, voluit eundem prophetica futurorum cognitione illuſtrem reddere. Cui rei occaſionem dedit culpa quæpiam duorum aulicorum in regem admiſſa, ob quam in carcerem, in quo erat Ioſephus, conjecti ſunt: quorum vnus præfectus erat piſtorum, alter pincernarum: quos cuſtos carceris Ioſepho tradidit, qui & miniſtrabat eis: ex quo intelligitur eos non vulgaris fuiſſe dignitatis. Ambo autem aliquanto poſt tempore ſomnia nocte vna viderunt, tam ſuis officiis, quam rerum euentui congruentia; quæ cum eos triſtes, & rerum exſpectatione ſuſpenſos tenerent, nec exire ad conſulendos ſomniorum conjectores liceret, obtulit operam ſuam Ioſeph, confiſus Deum (cuius eſt cognitio futurorum, atque prædictio) ſibi reuelaturum, quæ illis per ſomnia obſcurius indicaſſet.

Futura per ſomniū vidēt.

III. expoſitio prioris ſomnij.

Præpoſitus pincernarum narrauit prior ſomnium ſuum, de viſa vite cum tribus palmitibus, ex quibus, iuxta naturam vitis, gemmæ primum erumpebant, quæ paulatim dilatatæ frondeſcebant, & fructus emittebant minutos, qui & ipſi florebant & grandeſcebant, & ad maturitatem perducti, à pincerna in calicem Pharaonis exprimebantur, & regi ab eodem porrigebantur ad potum. Reſpondet Ioſeph compendio, nec ſingula reddit ſingulis. *Tres*, inquit, *propagines, tres adhuc dies ſunt, poſt quos recordabitur Pharao miniſterij tui, & reſtituet te in gradum priſtinum, dabiſq; ei calicem, iuxta officium tuum, ſicut ante facere conſueuerat.* Pro tam fœlici autem certoq; nuncio, cuius veritas intra triduum comprobaretur, eam gratiam poſtulat, vt ille apud Pharaonem memor ſit interpretis ſui, bene de ſe meriti, & in primis innocentis, vt qui furto ſublatus ſit de terra ſua. Tacet autem qui fuerint iſti plagiarij, vt fratrum ſuorum honori parcat: pariq́ue patientia mulieris adulteræ *e*, per cuius calumniam erat in carcere, ſilet nefarium ſcelus.

e Chryſoſt hom. 63.

IV. Myſterij effectus horum ſomniorum

Videns autem piſtorum magiſter quod prudenter ſomnium ſocij diſſoluiſſet, proponit ſomnium ſuum, ſperans & ipſe lætam interpretationem, quoniam cætera omnia paria videbantur, Dominus idem, præfecturæ ſimiles, culpæ, vt apparet, non diſſimiles, quoniam in eundem ambo carcerem conjecti fuerant: vterque mox diuinitus futura obſcure præuidet, vterque poſt triduum educitur è carcere, ſed vnus ad regium miniſterium, alter ad ſuſpendium. In figuram electorum atque reproborum, quorum aliquando in non diſſimili vita diſſimillimus eſt exitus: vt in latronibus, qui cum Chriſto morte affecti ſunt, luce clarius cernitur. Apparet autem ab hoc viſa tria caniſtra viminea, in quibus farina deferri ſoleret, in quorum imo ac medio erant panes candidi, ex polline confecti, in ſupremo autem varijcibi, qui fiunt arte piſtoria, ad quos aduolabant aues, vt cibum inde ſumerent. Cui Ioſeph, *tria caniſtra tres adhuc dies ſunt, poſt quos Pharao auferet caput tuum, ac ſuſpendet te in cruce, & lacerabunt volucres carnes tuas.* Itaq; tertio die contigit, ſicut prædixerat vates: cuius nihilominus pincernarum præfectus oblitus eſt, Deo famuli ſui patientiam exercente, & ad maiora poſt biennium, & magnificentiora reſeruante.

Poſteriùs ſomnium eiusq́ue expoſitio.

ANNVS MVNDI 2318.

ISAACI 180. & vlt.

IACOBI 120. IOSEPHI 30.

BALÆI 17. Imperij Aſſyr. 387.

ANTE CHRISTVM 1735.

I. Obitus Iſaaci, & ratio temporis. a G. 35. fi.

Completi ſunt, ait Moſes *a*, *dies Iſaac* 180. *annorum, conſumptuq́; ætate mortuus eſt, & appoſitus eſt populo ſuo ſenex, & plenus dierum, & ſepelierunt eum Eſau & Iacob filij ſui.* Hæc ille retulit ſtatim poſt explicatum aduentum Iacobi in Mambre, licet toti duo & viginti anni inter illum aduentum, & hunc obitum interiecti fuerint. Coniunxit enim, quia nihil deinceps de Iſaaco narraturus erat. Conſentit porro Iacobi ætas periodo vitæ Iſaaci, quia Iacob ſexagenario patre natus eſt *b*. Nec repugnat Ioſephi ætas. Nam is oblatus eſt Pharaoni non ineunte anno trigeſimo, ſed exeunte, id eſt ſequenti. Anni quoque Promiſſionis congruunt, quæ facta eſt anno Abrahæ ſeptuageſimo quinto, quos ſi detrahas à 280. qui ſunt anni tertiæ ætatis, quæ in ortu Abrahæ inchoatur, reperies ducentos quinque, quos & index noſter, & Euſebij chronicon ſuggerit.

b G. 25. 26

In Annal.

II. Lōga eiꝰ patientia

Valde porro credibile eſt, virum ſanctiſſimum & viſu & viribus deſtitutum, filiis ſuis rerum adminiſtratione relicta, cæteris negotiis expeditum, vni Deo, cum multa patientia, quamplurimos annos vacaſſe. Nam cum iam in benedicendo Iacobo, ætatis ſuæ centeſimo trigeſimo octauo, tam parum videret, vt ipſum à fratre, niſi tactu diſcernere non poſſet, certe in denſis tenebris 42. annos, qui ſecuti ſunt, vixiſſe merito exiſtimari poteſt. Sed tanto magis illuminabat animum eius pater luminum, de cuius virtutibus atque operibus iam à iuuentute ſua meditari didicerat *c*. Cumq́; non ignoraret futurum aduentum Meſſiæ, & ſe nominatim electum inter omnes filios patris ſui, vt in ſemine ſuo omnes nationes benedicerentur, vtique exultabat animo, & roborabatur in infirmitate ſua: & futura cum præſentibus, typica ſua cum Chriſti Domini veritate componens,

c G. 24. 69

Chriſti figura fuit multiplex.

mirum in modum consolabatur. Cuius vt nos quoque aliquo modo participes essemus, parallelismum Isaaci cum Christo instituimus in Annalibus nostris *d*, sedecim capitibus comprehensum, quo religiosum Lectorem, breuitatis causa, remittere cogimur. Vbi & breue vitæ ipsius compendium in Epitaphio eiusdem reperiet.

d a. m 2318 n. 4 & seq

III. Ortus Caathi.

Mortem sancti senis excipit noui Patriarchæ natiuitas, vt illius quasi vacuum locum pronepos impleat. Caathum dico filium Leui secundo genitum: Amrami patrem, auum Mosis & Aaronis. De cuius ortu cum multæ sint admodumq; discrepantes sententiæ, vt in Annalibus docuimus *e*, hic Epiphanij sententiam elegimus, qui in Anchorato ait, Caath natum anno patris trigesimo quarto. Ad quem accedit Author Testament Patriarcharum, qui habet annum 35. Quæ sententia cum nihil habeat incommodi, vt suo loco docebimus *f*, & authorem habeat idoneum, aliis etiam probata sit, eam nos quoque amplexi, hunc annum primum Caathi statuimus.

e n. 16.

f a. m 2437

ANNVS MVNDI 2319.

IACOBI 121. IOSEPHI 31.

BALÆI 18. Imperij Assyr. 388.

ANTE CHRISTVM 1734.

I. Res anni huius.

SVb huius anni finem explet Iosephus vitæ suæ trigesimum, quando iussu Pharaonis eductus è carcere, somnia illius explicauit. Ad hunc quoque annum pertinet separatio Esau à Iacob, quæ à Mose post Isaaci mortem facta narratur *g*, einsque occasione genus ipsius Esau, & incrementa; ad retundendum fastum Iudæorum, qui Idumæos oderant, & omnes gentes præ se contemnebant: ad Idumæos tamen Iobum virum clarissimum, nec vlli fortasse Hebræorum antiquorum secundum pertinere ostendemus. Schema porro vxorum Esau, & filiorum ex iis susceptorum in Annalibus digestum reperies. Cum autem hactenus Esau partim in Chananitide, partim in Seir habitasset, mortuo patre terram Chanaan filiis Iacobi destinatam, diuino instinctu penitus deseruit, ne iurgia inter ipsos, aut bella inter ipsorum posteros nascerentur, & arctior esset Israëlitarum habitatio, si non exigua terræ portio ab Idumæis occupata esset. Ea separatio hoc anno facta existimatur, vt series Mosaicæ narrationis indicat. Et ratio videtur postulare, vt viuo patre locum non plane desereret, ne parum officiosus erga moribundum senem fuisse videretur, eo penitus derelicto.

g Gen. 36.

Esau separatio à Iacobo.

II. Eiusq; causæ. h Ge. 36. 6

Tulit, inquit Moses *h*, *Esau vxores suas, & filios & filias*, quas tamen non nominauit Moyses, *& omnem animam domus suæ, & substantiam & pecora, & cuncta quæ habere poterat in terra Chanaan, & abiit in alteram regionem, recessitq; à fratre suo Iacob*; diuitis scilicet inter duos fratres paternis bonis, vt habet hoc loco Abulensis. Diuites autem erant valde ipsi per se, vt de Iacobo constat in suo reditu, & de Esau pariter, qui recusabat munera fratris, dicens se habere plurima. Additis autem Isaaci bonis, quæ magna fuisse valde, Palæstinorum inuidia iampridem docuerat *i*, neque apparet vllo aduerso casu fuisse imminuta, sed maiora potius in dies incrementa cepisse: fratris vtriusque opes vehementer auctæ erant, propterea q; *simul habitare non poterant, nec sustinebat eos terra peregrinationis eorum, præ multitudine pecorum.*

Opes Isaaci. i Gen. 26. 12-13.

III. Familiæ Esau.

Inde autem excurrit Moses in filios, familiasque Esau, additis etiam aliquot ducibus Horræorum, siue quod eis Idumæi successerunt, vt Israelitæ Chananæis, siue quod aliqui iuncti essent affinitate cum Esau, in cuius liliis nullus vnquam ortus est sanctissimo lobo illustrior, viro, ipsius Dei testimonio, incomparabili, cuius tamen non parum controuersum est genus. Et vere dignus est, de quo non septem vrbes Græciæ, sed vniuersæ mundi prouinciæ decertent. Eum quidam Chananæum faciunt, alij Israelitam, tertij Nachoritam, postremi Idumæum. Sed priores duæ opiniones obscuros habent autores, propugnatorem neminem, probabilitatem fere nullam. Tertia inuentores habet Hebræos, propugnatorem Hieronymum, Rupertum & alios aliquot; quam sententiam accuratius in Annalibus *a* refutatam reperies, præsertim contra gloriosum quendam vernaculum.

a a. m 2319 n. 6 & seq

IV. Iobum fuisse Idumæum testantur Septuag. b c. 36. 32

Quarta ergo sententia communissima est, & eorum in primis, qui hæc non obiter attigerunt, sed perquam studiose perscrutati sunt. Et primum ecce tibi Septuaginta testes *b*, qui hunc locum Geneseos vnanimes de Iobo interpretantur. Aiunt enim eum in terra Ausitide habitasse, sic enim vocant terram Hus, in finibus Idumææ & Arabiæ. *Et primus erat*, inquiunt, *ei nomen Iobab. Cum autem accepisset vxorem Arabissam, genuit filium, cui nomen Emmon. Erat autem ipse ex patre quidem filius Zara, de filiis Esau, matre Bosorra, ita vt ipse sit quintus ab Abraham*, exclusiue scilicet, vt notauit Epiphan. init Panarij. Isaac enim primus est, secundus Esau, tertius Rahuel, quartus Zara, quintus Iobab. Pergunt autem numerare reges Idumæorum, vt in Vulgata habentur, & Iobab interpretantur Iob. Scimus S. Hieron. *c* notare hæc verba in Hebræo non haberi. Non propterea tamen magna autoritate carent. Nam ipsemet Hieron. *d* ait eos quædam addidisse, vel ob decoris gratiam, vel Spiritus Sancti autoritate; quæ plenius etiam profitetur S. Augustinus cum alibi, tum in lib. de Ciuit. *e* Dei.

b LXX. Interp. Gr. Lat c l. 1. in Iob

c in Trad. Hebr.

d Præf. 2. in l. Paral

e l. 18. c. 42. & 43.

V. Et antiq. Patres. a l. de Demonst. c. 6

Hac Septuaginta interpretum sententia posita, non mirum est hanc opinionem fuisse olim quoque communissimam? Certe hinc Eusebius *a* ait Iobum gemina ætate superiorem Moyse, hunc enim septimum esse ab Abraham, Iobum autem quintum. Quæ habet etiam S. Epiphan. init. Panarij, & S. Athanasius in Synopsi. Aristæas quoque apud Eusebium *b*, Origenes *c* eandem sententiam

ample-

amplectitur, eandem & S. Augustinus, S. Chrysostomus *d*, Theodoretus *e*, Gregorius Magnus initio præfationis in Iob. S. Ambrosius *f*, Isidorus *g*, alijq; multi, quos in Annalibus recensemus. Cui etiam sententiæ fidem conciliant cognomina trium amicorum Iobi, quæ petita sunt ex vrbibus Idumææ. Quæ oppida transferenda essent cum terra Hus in Mesopotamiam, vt ait Abulensis, quandoquidem ille Hus filius Nachor nunquam inde cognoscitur emigrasse. Neque tamen virum tantum à Mose prætermissum dixerimus, sed Iobab priore suo nomine appellatum.

d hom. 2. de Lazaro c. 9 10. in Gen.
e in c. 9. ad Rom.
f l. de vita & m. f. c. 24.

VI. Ad quod tẽpus pertineat.

Quibus positis consequens est Iobum ad hæc circiter tempora, aut potius paulo inferiora pertinere. Id ex his dignosci potest. Esau anno vitæ suæ 79. duxit vxorem Maheleth, ex qua sequenti anno potuit suscepisse Rahuel, qui vigesimo quinto genuerit Zara, isq; post totidem annos Iobab, anno Esau 130. Iacob autem anno vitæ suæ 88. genuit Iudam, qui quadragesimo secundo genuit Phares, vt posthea dicemus: ex quo sequitur Phares genitum anno Iacobi, siue Esau 130. sicq; Phares & Iob sub eundem annum nati fuerint. Quod si probauerimus, absurdum merito fuerit, quod à quibusdam dictum est, Dinam Iacobi filiam Iobi vxorem fuisse, quæ Iobo totis triginta nouem annis maior fuerit. Vt omittam parum probabile Iobum virum magnum inter Orientales omnes, accipere voluisse vxorem infamem & constupratam. Et de Iobo hoc loco satis, redeamus ad Iosephum.

nec habuit vxorem Dinam.

VII. Præsens Iosephi ætas.

Itaque Ioseph expletis 30. annis oblatus est Pharaoni. Tum enim quis proprie 30. annorum dicitur, cum eos expleuit. Et Iosephus eosdem annos expletos affirmat. Simul etiam expleti erant anni duo, à liberatione præpositi pincernarum. Nam ea recitata, statim subdit Scriptura, post annos duos vidisse Pharaonem somnium, quod fuit huiusmodi *h*. Dormiens Pharao putabat se iuxta Nilum stare, ex quo emergebant septem vaccæ pingues, quæ pascebantur in locis humentibus, atque herbidis, remotius à fluminis alueo. Totidem aliæ ex eo ascendebant, sed macie confectæ, quæ in ipsa amnis ripa tenuem carpebant cibum: quod alludebat iam ad fertilitatem & sterilitatem Ægypti. Nam in tenui incremento Nili, sterilis erat Ægyptus: tenue autem incrementum significabatur, cum animalia in ipsa ripa pasci videbantur: & contra cum in locis remotioribus, & Nili humore abundantibus. Denique macilentæ septem, illas priores deuorare visæ sunt. Expergefactus Pharao rursum dormiuit, & vidit alterum somnium materia diuersum, significatione vnum & idem, de septem spicis plenis, totidemq; tenuibus, & vredine percussis.

h cap. 41 Gen. 1. Sõnium Pharaõis

VIII. Frustra consulti coniectores.

Mane facto Pharao sollicitus conuocat coniectores somniorum, eis narrat somnia suâ, nec inuenit qui interpretetur. Non fuit, Domino mirabiliter prouidente, qui posset aliquid probabiliter fingere, etsi est hoc genus hominum ad garriendum promptissimum, & ad mentiendum expeditissimum. Sed Deus stupidos omnes reddidit & elingues, donec pincernarum præfectus rediret in memoriam coniectoris sui, & apud regem suam in eum ingratitudinem fateretur, narraretq; quam ille vere ac fideliter somnium suum, suiq; socij exposuisset, euentu ipso interpretationis veritatem confirmante. *Protinus ad regis imperium eductum de carcere Iosephum totonderunt, ac veste mutata obtulerunt ei.* Neque enim fas erat, lugubri cultu atque vestitu, regi sistere sese, vt perspicuum est ex libro *i* Hesteris. Ergo in Ægypto promissa neglectaq; cæsaries signum erat luctus: in Idumæa vero è contrario, Iobi exemplum docet tonsionem capillorum ingentis luctus argumentum præbuisse. Hinc illud apud Michæam *k*: *Decaluare & tondere super filios deliciarum tuarum*, &c.

Euocatur ad Pharaonẽ Ioseph

Tõsio signum lętitiæ & luctus.

i c. 4. v. 2.

k c. 1. v. 16

Adducto Iosepho, *Vidi*, ait Rex *a*, *somnia, nec est qui edisserat, qua audiui te sapientissime conjicere.* At Ioseph, & pro modestia, & pro veritate, Deo laudem attribuens, ab eo interpretationem esse profitetur; additq; prosperam fore interpretationem; ex quo infert Abulensis *b*, Iosepho, antequam Pharaoni sisteretur, tam somnium, quam eius interpretationem fuisse reuelatam. Nisi malis eam vocem bene ominantis esse, non asseuerantis. Id somnium vti accurate recitauit Rex, respondit Ioseph regis somnium re geminum, significatione vnum atque idem esse, & vtroque portendi, quæ Deus mox in Ægypto facturus esset. Missurum scilicet septem annos vbertatis magnæ in vniuersam terram Ægypti; eosq; exceptum iri à totidem annis tantæ sterilitatis, vt obliuioni tradatur cuncta retro abundantia. Geminum porro somnium, ratione diuersæ materiæ, indicat magnam fore tam copiam, quam inopiam pecoris ac frumenti, quibus vita maxime sustentatur. Additq; Ioseph hoc à Deo firmiter atque immobiliter decretum esse, & velociter impletum iri: proximo enim anno septennij fertilitas inchoata est.

a 41. 25. 28.

b in hunc locum.

IX. Pharao proponit Iosepho sua sõnia.

Quæ ille interpretatur.

Porro Ioseph, vt eximiam ostendit sapientiam in denunciatione futurorum, ita & eximiam prudentiam in prouidendo futuris. Primo, quia suadet vnum aliquem frumentationi cum summa potestate præfici, ne inter plures potestate pares, nascente zelo atque discordia, res tota turbetur. Secundo, quia autor est vt sit vir aliquis ad intelligendum sapiens, & industrius ad agendum. Tertio, quia per plures præpositos illi viro subiectos res confici vult, quoniam vnus quantumuis sapiens & industrius, pluribus locis ac negotiis, quæ eodem sæpe tempore conficienda sunt, par esse non potest, nec plures satis congruenter, nisi ab vno dirigantur. Quarto, quia collectionem frugum quam suauissimam suggerit. Vt scilicet Rex iubeat quintam partem frugum à dominis pretio accipi, & reseruari, cum fortasse in magna abundantia dimidia pars illis suffectura esset. Nimirum vt possent etiam ipsi, non solum de reliquo viuere ac seminare, sed etiam reseruare frumenta si vellent in futuram famem. Quinto, quia

X. Et regi prudentissimum dat consilium.

vult omne frumentum, quod quis diuendere vellet, sub Pharaonis potestate recondi, & in vrbibus Ægypti seruari, omni videlicet exportatione extra regionem prohibita. Denique, quia vult quamprimum inchoari istam diligentiam, sub primam scilicet messem, quæ præsentis anni sementem sequebatur.

XI. Quo frumēta diu seruarentur.

Neque vero putandum est, Iosephum parum prudenter seruari velle frumenta in annos quatuordecim, intra quos corrumperetur. Merito enim credi potest, ita congesta frumenta, vt per suos annos distincta & digesta essent. Vt scilicet primo anno famis frumenta primi anni abundantiæ venderentur, & secundo secundi, & ita deinceps: sicq; per septem annos tantum reseruarentur. Accedebat ad conseruationem, quod non condebatur excussum triticum, sed manipulatim collectum, vt in suis spicis ac naturalibus folliculis melius conseruarentur; vtq; iumentis pabulum eadem opera conderetur, quibus in fame vsui futura erant omnia frugum purgamenta: camq; in rem ingentia horrea construxit. Quæ cum tam sapienter Iosephus Regi suggessisset, visum est Pharaoni & optimatibus eius, vt rei frumentariæ cum summa potestate præficeretur, qui abundantiæ & sterilitatis annos recte dispensaret: quasi diceret, ne abundantibus bonis res per negligentiam pereant, aut ne illis deficientibus pereamus ipsi.

Præficitur Iosephus rei frumētariæ.

XII. Et multiplicitet à Rege honoratus. cc.41.40

Nec eam potestatem dedisse contentus, *Tu eris*, inquit *c*, *super domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet, vno tantum regni solio te precedam*, & quæ sequuntur de exaltatione Iosephi, quam si diligentius expendere voluerimus, octo eam priuilegiis constare inuenietmus. Nam principio publice pronunciatur à Rege spiritu Dei plenus, ac sapientia supra humanum fastigium. Secundo regio palatio & omnibus regni negotiis secundum Regem præficitur, sic vt omnia eius mandata populus venerabundus excipiat. Tertio, in signum datæ potestatis, dat ei Rex annulum signatorium, vt regio nomine edicta, diplomata, & quascunque regias litteras pro arbitratu suo conficiat, signet, promulget. Quarto, vt primariæ autoritati cultus externus respondeat, preciosissimis eum vestibus ornat, & collo torquem aurcam circumponit. Quinto iubet eum in secundum regis currum conscendere, vt omnes intelligerent eum esse à Rege secundum. Sexto, vt id esset manifestius, iussit clamare præconem, vt omnes coram eo genu flecterent. Septimo, nomen illi honorificentissimum indidit Saluatoris mundi, eo quod orbem terræ ab imminentis famis exitio liberarit. Denique honorauit illum nobilissimo coniugio filiæ Putipharis Sacerdotis Heliopoleos, qui alius ab eo fuit, à quo emptus fuerat.

XIII. Eximia commutatio fortunæ Iosephi. d.1.c.40.

Exaltauit ergo Pharao Iosephum vehementer, diuinæ circa illum prouidentiæ ignarus deseruiens, & mirabili antithesi posterioribus incrementis anteriora damna compensans. *Pro compedibus*, inquit Rupertus *d*, *in quibus humiliauerunt pedes eius, torquem aureum susceptit: pro pallio, quo in manu adulteræ relicto, nudus effugit, stola byssina, Deo iudice indutus est; pro seruili nomine regium gestat annulum, & pro carceris humilitate, super altum sedet imperij currum.* Sic ipse. Quibus adde factum esse diuinitus, vt qui accusatus fuerat à muliere, tanquam spiritu nequitiæ & adulterij plenus, nunc à Rege ipso, summisq; regni proceribus spiritu Dei plenus, & incomparabili sapientia ornatus prædicetur. Qui vinctus in carcere famulabatur, nunc in regio palatio, atque adeo in omni Ægypto præsit, etiam Dynastis ipsis. Cuius verba contemptim, & cum increpatione accipiebantur, nunc eiusdem mandata populus, manu ad os admota, in signum venerationis accipiat. Qui supplex ad fratrum procubuerat pedes, habet iam populum vniuersum, & mox fratres suos coram se in genua procumbentes. Pro repudiato flagitioso adulterio, coniugio nobilissimo fruitur. Denique pro tredecim annis tam angusti carceris quam seruitutis, in amplissimo regno octoginta annorum obtinet principatum, cui, sicut & fertilitati, sequens annus initium dabit.

ANNVS MVNDI 2320.

IACOBI 122.

IOSEPHI 32. Principatus in Ægypto 1.

BALÆI 19. Imperij Assyr. 389.

ANTE CHRISTVM 1733.

I. Primus annus fertilitatis & principatus.

ADest primus annus principatus Iosephi Patriarchæ, primus item Ægyptiæ fertilitatis, quæ trigesimo primo Iosephi anno currente inchoatur, vt non semel significatum est. Chronologiam nostram confirmat Eusebius, apud quem in Chronico 122. Iacobi, est primus principatus Iosephi, & Balæi Assyrij 19.

Hoc itaque tempore *a* egressus est Ioseph ad terram Ægypti, & circuiit omnes regiones eius, vt cognosceret eum omnis Ægyptus, cui propositus a Rege fuerat, & vice versa Ægyptios ipse aliquo modo cognosceret: & vt constitueret in singulis ciuitatibus præfectos ad colligendas fruges, & vt inspiceret quæ loca essent commodiora, vt in iis horrea construi, & frumenta diutius possent commodiusq; seruari. Vt autem integri manipuli, vt hic significat Moses, & non excussa grana duntaxat, tanto tempore toti regno asseruarentur, imo & quæ circumpositis regionibus sufficerent, ingentia plane, ac valde crebra horrea, & villæ regiæ esse debuerunt; in singulis videlicet vrbibus, vt vnaquæque ciuitas suum commeatum, & annonam conseruaret, & magnis itinerum sumptibus, molestiisq; parceretur. Eorum horreorum multa vestigia Benjaminus in suo Itinerario *b* se vidisse testatur, quæ post tria fere annorum

a c.41.45. Ioseph lustrat Ægyptum.

construit horrea.

b Rep. 20. 1 vixit sub ann. Chri 1561

rum millia proderent antiqui operis firmitatem.

II. Abundantia tritici.

Ait porro Moses, tantam fuisse tritici abundantiam, *vt arenæ maris coæquaretur, & copiâ mensuram excederet*; siue numerum, vt est in Hebræo, nam manipuli numerantur. Quanquam Moyses significat pene non dignatos esse numerare manipulos, sed rudi & liberali æstimatione eos distribuisse, siue quintam partem præfectis regiis, siue aliis quibus venderent. Agnoscit hic hyperbolem S. Augustinus, quam auget etiam Orosius, cum hanc abundantiam non solum insolitam, sed etiam fastiditam vocat. Auxerunt & Rabini dicentes tantam fuisse copiam manipulorum, vt plurimos passim Ioseph proiiceret in Nilum, vt secundo flumine varias in prouincias delati, populos de immensa frumenti apud Ægyptios copia edocerent. Sed id stultum plane commentum est; tum quia Nilus, ex quo semel ingreditur Ægyptum, nullos alios lustrat populos, sed intra terminos Ægypti septem ostiis in mare euoluitur: tum quia huiusmodi iactura & culpabilis esset, vt patet, & inutilis, cum omnes facilius per cursores, & citius & certius edoceri possent.

Inepte ab Hebræis exaggerata.

III. Ortus Manasses 46.41.50

Hoc circiter anno *c* primo principatus Iosephi, ad incrementum fœlicitatis eius, natus ei creditur filius primogenitus. Certe ex serie Mosaicæ narrationis, atque illius aperta assertione constat, vtrumque filium Iosephi, tempore fertilitatis esse natum. Alioqui nihil erat causæ, cur Moses narrationem de susceptis filiis, narrationi abundantiæ annorum insereret, nec alium in locum tempusve differret. *Vocauitq; nomen primogeniti Manasses, dicens, Obliuisci me fecit Deus omnium laborum meorum, & domus patris mei.* At quomodo tam cito, tam diuturnorum laborum atque ærumnarum potuit obliuisci? Auxesis quædam hæc est, ad significandum præsentem felicitatem priores ærumnas non compensare solum, sed etiam obruere, vt ne tantillum quidem appareant; quæ autem non apparent, facile obliuioni traduntur, vt sæpe in mortuis experimur. Sic superius ab ipsomet Iosepho dicebatur, tantam fore sterilitatem post septennium, *vt obliuioni tradatur cuncta retro abundantia.* Intendunt hic sectarij sanctissimo Patriarchæ iniustissimam litem super hac obliuione, sed eam litem reperies in Annalibus *d* accurate profligatam, & in autoris sui caput iusta accusatione reiectam.

& ratio nominis eius.

c.41.v.30

d a.5.&6

IV. Ortus Ephraim.

Alterius porro filij ortum, in secundum principatus Iosephi annum, fertilitatis item secundum referre possumus, iuxta ea quæ paulo ante diximus, qui postea, sicut & Manasses, Patriarchæ nomen & dignitatem accepit ab auo. Constat autem vtrumque ex eadem matre natum, cum nusquam alia Iosephi vxor, præter Ascenetam, reperiatur, & vterinos Moyses ipse fatetur *e*. Quod Eusebius *f* primo de Demonstratione confirmat. *Nomen quoque secundi*, ait Moyses, *appellauit Ephraim, dicens, Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ*, siue humilitatis, aut afflictionis, vt alij verterunt. Et quia Ephraim vox est multitudinis, eam Vatablus fructificationes, siue incrementa vertit. Agnoscit ergo Ioseph, pio & grato in Deum animo, suam magnitudinem non à sua, vel humana cuiusquam industria, sed à diuina benignitate fuisse profectam, à qua donatus fuerat spiritu prophetiæ, & ad tantam beneuolentiam Regis animus incitatus: idq; vult in filij sui nomine ab vltima posteritate agnosci ac prædicari.

e s 41.v.50 Thus.9.

Grates & pius Iosephi animus

ANNVS MVNDI 2323.

IACOBI 125.

IOSEPHI Princ. 4.

BALÆI 22. Imperij Assyr. 592.

ANTE CHRISTVM 1730.

I. Ratio temporis filiorum Iudæ

ÆGyptus nobis aliquantisper deserenda est, tametsi quartum iam annum omnibus terræ bonis ad satietatem circumfluat, vt Chananitidem inuisamus: vbi reperiemus Her primogenitum Iudæ annum decimum octauum inchoantem, nimirum 21. patris natum, vt suo loco dictum est, maritum Thamari datum: nec vlterius, cum autore Testamenti Patriarcharum, differendum ad quadragesimum Iudæ annum. Ea enim Chronologia temporis vrgetur angustiis. Non enim satis esset temporis, vt ante ingressum in Ægyptum, tertius Iudæ filius creuerit, & adultus non sit Thamari datus, & illa propterea furtim ex Iuda susceperit filios. At nostra Chronologia nihil habet præproperum aut coactum in istis filiorum generationibus.

II. Et quo digerendū

Existimamus itaque totum hoc tempus filiorum Iudæ ita digerendum, vt neque nimium cito patres fiant, & tamen Phares & Zaram ante descensum in Ægyptum nascantur in terra Chanaan, vt exigit narratio Mosis in capite 38. Geneseos. Hoc autem recte fiet, si hoc anno Iudæ 38. Her ducat vxorem Thamar, eoq; mortuo, sequenti, qui erit quintus fertilitatis, eam ducat Onan, quo pariter breui extincto, manfit Thamar vidua in domo patris sui multo tempore, puta biennium aut aliquanto amplius, vsque ad primum annum famis, quo Thamar filios per fraudem ex socero sustulit, quos secundo anno famis edidit in lucem: sub cuius finem, aut sequentis initium Iacob cum suis omnibus in Ægyptum descendit. Ita nobiscum sentiunt, quicunque volunt Iudam eodem tempore, quo venditus est Ioseph, vxorem accepisse, vt plana & aperta Mosis narratio exigit initio capitis eiusdem.

Gen.38.

III. Her accepit vxorē Thamarē

Hoc ergo anno, quo Iudas initurus erat vitæ annum trigesimum octauum, & Her primogenitus eius decimum octauum, dedit ei pater suus vxorem Thamarem, quam quidam ex Palæstina, alij ex Mesopotamia oriundum putant. Sed vndecumque fuerit

misera, tam infœliciter ei mariti, quam Iudæ filij sui contigerunt. Fuit enim *Her nequam in conspectu Domini*, ad innuendam speciem peccati, cuius hic erat reus. Nequam enim fere de homine impuro, sicut nequitia de flagitiosa libidine vsurpatur. Etsi autem crimen eius Scriptura non prodit, id tamen ex fratris scelere, & similitudine pœnæ dignosci potest. Autor Testamenti Patriarcharum ait ab Angelo peremptum tertia die nuptiarum in nocte, & noluisse illum ex ea suscipere liberos, propter astutiam matris suæ: à qua scilicet id consilium profectum esset, odio Thamaris alienigenæ. At interpretes communiter sentiunt, istum, vt diutius frueretur insigni vxoris pulchritudine, quæ parturitionibus deteritur atque defloresçit, impedisse generationem, semen extra vas naturale fundendo. Flagitio vel hoc nomine grauissimo, quod nullos adhuc liberos susceperat, & propter ætatem adhuc adolescentem, diu quod quærebat, obtinere poterat, nisi vitam quam in prole impediebat, ab autore vitæ propere perdere cogeretur.

v. 7. qui mox occiditur

IV. Ortus Belę primogeniti Bęjamini.

Moriente porro Iudæ primogenito, existimamus Benjaminum illi ætate parem, primogenitum suum Belam genuisse, & deinceps cæteros, qui in Scriptura memorantur, quos ad suos annos referre non possumus. Nec omnes ex vna muliere natos tempus affirmare patitur, quod quinque duntaxat annorum est, vsque ad descensum in Ægyptum, quando decem eius filij numerantur.

ANNVS MVNDI 2324.

IACOBI 126. IOSEPHI 5.

BALÆI 23. Imperij Assyr. 393.

ANTE CHRISTVM 1729.

I. Onan iubetur suscitare semẽ fratri mortuo.

MOrtuo Her, atque adeo in probroso ac pudendo scelere diuinitus occiso, post luctum parentis & aui, nam in eum quoque hæc mala recidebant, quæ neque ignorare poterat, neque iis cognitis non vehementer dolere; Dixit Iudas ad Onan filium suum secundo genitum: *Ingredere ad vxorem fratris tui, & sociare illi, vt suscites semen fratri tuo.* Apparet perantiquum fuisse hunc morem, ab eodem vtique traditum, Hebræis, à quo postea in lege sancitus est, vt familiarum perpetuitati, & legitimæ hæreditatum successioni consuleretur. Volebat ergo Iudas vt Onan ex more sociaretur viduæ fratris sui, & susceptos ex ea liberos defuncto fratri attribueret: sicq; futurum erat, vt qui primus ex Onan & Thamare nasceretur, filius Her censeretur, & patrem cum iure primogeniti repræsentaret. Quoniam vero Her carente liberis, Onan fiebat primogenitus in domo Iudæ patris sui, nolebat Onan gignere filios in locum fratris, malens eius nomen extingui liberorum defectu, & se suosq; deinceps, quos ex propria suscepisset vxore, in primogeniti iura succedere.

Cur id recuset.

Ergo si quando ingressurus esset ad vxorem fratris sui, semen fundebat in terram, ne liberi fratris nomine nascerentur. Sed breui affuit sceleris vltor Dominus, *& percussit eum, quod rem detestabilem faceret.* Recte Vulgata significauit id crimen non semel, sed sæpius perpetratum, eiusq; malitiam facinoris atrociore vocabulo expressit, quod multa in se peccata comprehenderet. Verum meritas nefarius adolescens pependit pœnas. Non enim distulit Dominus aliquem immittere Asmodæum, qui eum in flagranti aliquando scelere deprehensum suffocaret, & flagitiosam animam in barathrum pertraheret. Atque ita factum est, vt qui fratri filios inuidebat, ipse sine filiis moreretur, & careret omni semine, qui fœde semine abutebatur: & fratri sociaretur in funere, qui ei sociabatur in culpa. Quanquam hoc grauius iste peccabat, quod peiori ex causa simile admittebat scelus, vt qui ex inuidia & ambitione non debiti iuris, alter ex inordinato desiderio delectationis peccaret. Cæterum *a* quæ hic de ista liberorum suscitatione commode dici possent, in Annalibus non negligenter explicata reperies: sicut & defensionem Iudæ contra Caluini calumnias.

II. Eiusdem nequitia.

diuinitus punitur.

a a. an. 2314. n. 5. & 6. & 9, & 10

Mortuo Onan, dixit Iudas *b*, Thamari nurui suæ: *Esto vidua in domo patris tui, donec crescat Sela filius meus: timebat enim ne & ipse moreretur, sicut fratres eius.* Ex quo videtur posse colligi, Iudam ignorasse nequitiam filiorum suorum, propterea q; dicti fuerint *nequam in conspectu Domini*, id est Deo tantum conscio, vt explicat Abulensis. Et sane huiusmodi flagitia tenebras quærunt, vtpote opera tenebrarum. Sed Deus voluit rem omnibus manifestam esse atque testatam, ad reprimendam, terrore præsentis supplicij, hominum petulantiam. Putauerit ergo Iudas causam mortis filiorum fuisse ætatis infirmitatem, ideoque voluerit tertium filium suum fieri robustiorem ante coniugium; quod sentit etiam hoc loco Abulensis. Et sane decimum sextum tantum agebat annum Sela, iuxta Chronologiam supra constitutam *b*. Quare fictitium arbitramur, quod quidam putant, eum à Thamare, quasi male ominata fœmina, abhorruisse, timuisseq; immaturam ætatem; nam de ætate id verum erat, & facile poterat certo constare. Et quamuis fateamur metum esse suspicacem, decet tamen dubia magnorum virorum facta & voluntates, in meliorem partem interpretari.

III. Iudas recusat Selã Thamari b c. 38. n. 11.

& quare.

b an. Iudæ 39. n. 1 & 2.

In sequentem porro annum, qui fertilitatis est sextus, referre licet mortem Esau patrui omnium Patriarcharum, si quid Autori Testamenti eorum credimus, apud quem ita loquitur Iudas: In anno quadragesimo vitæ meæ superuenit nobis Esau frater patris nostri, in prælio graui & forti, & cecidit in arcu Iacob, & delatus est mortuus in montem Seir. Nos autem persecuti sumus filios Esau &c. Describit obsessos in ciuitate, & ad graue tributum coactos: quorum fides sit penes autorem. Etsi autem legimus apud Malachiam Dominum di-

V. Mors Esau.

centem:

centem: c *Dilexi Iacob, Esau autem odio habui*, quod repetitur ab Apostolo *d*, idq; plerique sententiam reprobationis, & æternæ damnationis continere arbitrantur, adeo vt nomen Esau antonomastice pro reprobo accipiatur: non desunt tamen *e*, qui vero simile putent ipsum Esau saluum esse, & de posteris eius nonnullos: & Malachiam de populis duobus, non de singularibus personis agere, amoremq; illum & odium, ad bona malaq; temporalia, non æterna referri.

c *Mala* 1.3 d *Rō.* 9.13. An repto busfuerit

e *Corn. à Lap. in ep. ad Rom. Tirinnius* c.36.v.14

ANNVS MVNDI 2327.

IACOBI 129. IOSEPHI 8.

BALÆI 26. Imperij Assyr. 396.

ANTE CHRISTVM 1726.

1. Primus annus sterilitatis, &c. 41. v 53

HIc est primus annus Ægyptiæ sterilitatis ac famis, in quo Ioseph sub anni finem inchoaturus erat ætatis 39. De quo famis initio Moses *f*, *Transactis*, inquit, *septem vbertatis annis, qui fuerant in AEgypto, cœperunt venire septem anni inopiæ, quos prædixerat Ioseph, & in vniuerso orbe fames prænaluit, in cuncta autem terra AEgypti panis erat.* Quam dicit Moses vniuersi orbis famem, Philo & Iosephus de toto mundo interpretantur. Passim tamen interpretes, de multis in orbem regionibus accipiunt, puta Arabia, Palæstina, Chananitide, Syria, Æthiopia, Cyrenaica, & si quibus aliis. Alioqui maximam mundi partem, quæ propter infinitam terrarum, mariumq; distantiam, ab Ægypto iuuari non poterat, fames absumpsisset. Etsi autem primo anno maligne admodum terra in Ægypto fruges protulit, non tamen statim populus clamauit ad Pharaonem: quia multæ erant apud quamplurimos præcedentium annorum reliquiæ, quibus vtcunque sustentati sunt Ægyptij. Sed apparente mox secundi anni sterilitate, perquam modice abundante Nilo, ad regiæ fores queruli confluxerunt.

Quam ea late pateret.

II. Mors vxoris Iudæ.

Hoc ipso anno, quo Iudas quadragesimum secundum, Sela 19. annum agere incipiebant, contigit tam mors vxoris Iudæ, quam conceptus Thamaris ex eodem. De priore Autor Testam. Patr. *g* ait vxorem Iudæ, quam vocat Bethlue, accepisse viro inscio Selæ vxorem Chananitidem, ideoq; Iudam illi maledixisse, & eam mortuam in malitia filiorum suorum. At Moses hoc tantum *h*, *Euoluti*, inquit, *multis diebus mortua est filia Sue, vxor Iudæ.* Et quidem sub anni initium: nam aliquanto post ad tonsores ouium suarum profectus est. Ea porro mors, vt plerique notarunt, refertur in gratiam Iudæ, ne mox adulterium commisisse putetur. Ergo Iudas post defletam vxorem, ex qua tres susceperat liberos, consolatione susceptæ, resumptaq; negotiorum suorum tractatione, quam tempore luctus mos erat intermittere, nec multum in publico versari, vt hoc loco significatur, ad tonsores ouium suarum ascendit: quod cum Thamari nunciatum esset, *depositis viduitatis vestibus, assumpsit theristrum*, quod est tenue quoddam operimentum ad cultiorem habitum pertinens, quod illa maxime assumpserat, vt eo obducta, non facile agnosci posset.

g *cap.* 4.

h *c.* 38. 12.

III. Thamar furtim ex socero concipit. v. 14.

Itaque *mutato habitu sedit in biuio itineris, quod ducit Thamnam*, quem locum Adrichomius collocat in tribu Dan, aitq; fuisse oppidum Philisthinorum, in via iuxta Ptolemaidem & Gazam, iuxtaq; eam leonem à Samsone discerptum. Causa porro sedendi fuit, vt à socero decepto susciperet liberos, *eo quod creuisset Sela, & eum non accepisset maritum*, & compos voti facta est, accepta promissione hœdi, & interea arrhabone annuli, armillæ, & baculi. Del-Rio improuidam hominis cupiditatem accusat, qui pro vno hœdulo talia pignori opponat, nec cogitet quæ sit huiusmodi mulierculatum fides. Quid plura? *concepit, abiit, depositoq; habitu quem sumpserat, induta est viduitatis vestibus.* Misit hœdum Iudas, vt reciperet pignora, nec inuenta est quæ redderet. Quæ Iudas noluit diligentius perquirere, maluitq; eam ferre iacturam, ne res euulgata eum contemptiorem redderet, aut deridendum propinaret, vt qui talia peccaret, taliaque pignora ob rem perexiguam imprudenter opponeret.

IV. Cõcept⁹ iñotescit. Dánatur Thamar à Iuda.

Post tres autem menses nunciatum est Iudæ, Thamarem nurum suam vterum ferre, & res facile notari potuit, vtero ex gemellis intumescente. Quo audito, *producite eam*, ait Iudas, *vt comburatur* Non ferebat ille sententiam, vt quibusdam placet, sed volebat abduci in carcerem, & ibi ad partum vsque seruari; postea vero legitimi Iudicis sententia, vsitata illis locis, & propria adulterorum pœna puniri. Cum enim ex promissione Iudæ & consuetudine, Sela esset sponsus eius, videbatur adulterium admisisse. Alij *a* putant à Iuda quasi prætore familiæ Iacobi, latam sententiam, quæ statim executioni mandanda esset, sicq; adulterinus fœtus crudeliter cum adultera periret: iniqua admodum sententia, & contra iura naturæ: accedente etiam damnatione mulieris inauditæ. Et hæc sententia, licet textui propior sit, ab ea tamen refugit animus; nec credibile videtur Iudam ad tantam crudelitatem contra adulterinum fœtum prorupisse, sed eius oblitum, incogitanter de matre pronunciasse.

a *Corn. à Lap.*

V. Iñotescit autor cõceptus.

Ergo *cum duceretur ad pœnam*, vel suo tempore, & post partum subeundam, vel statim, vt contingit in manifesto crimine, nec probationis egente, misit ad socerum suum relicta apud se pignora, quæ probabant Thamarem ex Iuda concepisse. Qui agnitis muneribus ait: *Iustior me est, quia non tradidi eam Sela filio meo.* Non appellat vtrumque iustum, sed vtrumque in culpa esse fatetur, se autem in maiore. At nonne illa prudens ac sciens commisit incestum, Iudas autem fornicationem duntaxat? Respondeo, ex ea parte maiorem Thamaris esse culpam: sed si solus spectetur finis, minore in culpa est Thamar, quam solus amor prolis ad eam fraudem impulit, Iudam sola libido. Et forte putauit Thamar defectum Leuiri à socero suppleri posse. Deinde Iudas, si non causa peccandi illi fuit, certe occasio fuit, non dando illi promissum filium. *Attamen vitra non cognouit eam*: auersatus scilicet incestam copulam: nec

Vter maiore in culpa.

eam filio dedit, vtpote à se cognitam: Sed illi alteram prouidit vxorem, ex qua multos fuscepit liberos; familia enim Selaitarum in Scriptura memoratur *b*. Sicq; absoluta est Thamar ex compensatione criminis, Iuda vel absoluente, si id eius muneris fuit, vel actionem deserente: quoniam ita vterque peccarat, vt Iudas per ignorantiam, Thamar per acceptam iniuriam excusabilis videretur, vt ait Abulensis. Porro mulieris partus ad initia sequentis anni videtur pertinere, cum conceptus ad Maium, quo fere primum pariunt oues, referendus videatur.

b Num. 26. 20 Absolutio Thamarit.

VI. Prima fratrum in Ægyptū profectio

Ad hunc autem ipsum annum, & quidem exeuntem pertinet prima profectio filiorum Iacob in Ægyptum. Dico exeuntem; quia non prius sentiri potuit fames; aliquid enim in messe collectum fuerat in Chananitide: quod dum consumitur, mature & ante frigus de annona cogitandum fuit. Altera vero ad sequentem pertinebit; quoniam inter vtramque sat magna intercessit dilatio, qua consumpta sunt quæ ex Ægypto delata fuerant: post quam pater ipse cum tota familia sua in Ægyptum descendit. Cum ergo *creseeret quotidie fames*, vt ait Moses *c*, *aperuit Ioseph vniuersa horrea*, id est initium venditionis fecit, in omnibus vrbibus, in quibus frumenta congregarat, *& vendebat Ægyptiis; nam & illos oppresserat fames*. Et quidem pretio non vili, sed conueniente tempori sterilitatis, quod ille pretium præfectis sibi subiectis indicebat. *Omne ǫ̃ prouincie* circumpositæ *veniebant in Ægyptum, vt emerent escas, & malum inopia temperarent*. In quibus, vt cæteros omittamus, fuerunt Chananæi.

c c. 41. 56.

VII. Excitantur à parente. d c. 41. 2. & 3.

Nam Iacob, audiens frumenta in Ægypto esse venalia *d*, nec domesticis tantum & indigenis, sed alienis quoque gentibus, *dixit filiis suis: Quare negligitis?* quid cunctamini, nec mature prouidetis imminenti necessitati? *Audiui quod triticum venundetur in Ægypto, descendite, & emite nobis necessaria, vt possimus viuere, & non consumamur inopia*. Descenderunt igitur fratres Ioseph decem, vt emerent frumenta in Ægypto. Retinuit quippe Iacob Benjaminum natu minimum, ne quid illi mali, sicut pridem vterino eius fratri, contingeret: & ne solus ipse, sine cuiusquam filiorum suorum solatio, domi remaneret, eius præsertim quem dilecta Rachel in lucem cum acerbissimo dolore ac morte profuderat. Philo filium vnum domi retentum dicit, propter ætatem nondum peregrinationi maturam: immemor illum iam factum aliquot filiorum parentem.

VIII. Cur plures frumentarum dimissi.

Sed quare, inquies, mittuntur decem, cum duo tresve cum famulis aliquot & iumentis abunde sufficerent. An vt possent consilio & præsidio sibi esse inter barbaras gentes, & si vsus foret, vim vi repellere, latronibus vias in fame percursantibus: Agarenis etiam & Arabibus, per quos erat transitus, ex rapto viuentibus? Itaque plures etiam amici aut vicini confluebant, & simul conficiebant iter. Nam mox dicuntur Iacobitæ ingressi Ægyptum, *cum aliis, qui pergebant ad emendum*. An vt eo maiorem ipsis copiam frumenti exportare liceret, quo plures esse probarentur? An quia singuli suas sibi familias habebant, quibus seorsim consulerent: & per seipsos malebant, quam per fratres sua tractare negotia? In cuius rei signum, infra sua cuique pecunia redditur, nec quasi communis in vnius tantum sacco deponitur. Sed vrgebat inprimis diuina prouidentia, quæ manipulum iam erexerat, quem cæteri omnes circumstantes adoraturi erant: à qua etiam profectum est, vt Benjamin retineretur domi, vt fabula, quæ exhibebatur, maioribus turbis implicaretur, in pœnam fratrum plagiatiorum.

1.

2.

3.

Itaque ingressi sunt Ægyptum. Et quia ad Iosephi nutum frumenta populis vendebantur, eum fratres adeunt, & quasi Ægypti progem, magna corporis summissione venerantur. Agnoscit eos Ioseph, sed agnitio mutua non fuit. Multum enim erat mutatus ab illo, quem ante viginti annos vendiderant Ismaëlitis; mutata facies tam diuturno tempore, inducta barba, & cultus corporis Ægyptius, mutata vox atque lingua. Accedebat dissimulandi studium, & fratrum alienissima à rei veritate cogitatio: forte etiam Deus aliquid, ad impediendam huiusmodi agnitionem influebat, vt Christus Dominus discipulis euntibus in Emmaus. Certe Philo, Deus, inquit, aut vultum eius mutauit in augustiorem speciem, magistratu summo dignam, aut mentes intuentium hebetauit, quo minus cernerent, aut quæ cernebant, agnoscerent.

IX. Ingressi Ægyptū ignotum fratrē venetantur.

Ergo quasi alienos & ignotos alloquitur. Neque id solum, sed quos sciebat grauissimi in se criminis reos, verborum primum asperitate perturbat; frons, oculi, gestus, motus corporis ad seueritatem compositi, institutæ castigationi seruitur. Quam etiam seueritatem acuebat ille metus, ne forte Benjaminum, quem in fratrum turba non videbat, persimili paterni amoris inuidia vendidissent, aut etiam occidissent. Itaque eò paulatim eos interrogationibus adducit, vt genus suum omne, familiamq; declarent, indeq; occasionem accipit imperandi, vt ille adduceretur ad se. Interrogat ergo qui sint, vnde veniant, quid quærant. Ad quæ cum illi timide vt fit, humiliterq; respondissent, quod res erat: ille causam aduentus de industria deteriorem in partem interpretans, *exploratores*, inquit, *estis, vt videatis infirmiora terræ, venistis*, id est immunita, & nuda præsidiis, & ad accipiendum hostem magis opportuna. Et putat Abulensis eos ansam præbuisse Iosepho vocandi exploratores, quod per varia ciuitatis loca excurrebant, si forte venditum Iosephum reperirent, vt ad patrem reducerent. Sciebat quidem Ioseph eos non esse exploratores, sed ita ironice loquebatur, cum tamen illi rem agi maxime serio putarent, nec ille simulationem vllo modo præ se ferret.

X. Quos illos asperius accipit.

Sed quid facit, inquies, ad diluendum insidiarum crimen, illa oratio *a*: *Duodecim serui tui fratres sumus, filij viri vnius in terra Chanaan, minimus cum patre nostro est, alius non est super?* facit vtique, primo quia simplex veritas narrata cum circumstantiis suis, ex quibus confirmari possit, multum valet ad asserendam innocentiam. Nam rei tergiuersantur, & dissimulant, nec plura fatentur, quam de ipsis quæratur. Secundo, quia non est credibile patrem vnum, si quid male cogitaret, tanto discrimini decem filios obiicere voluisse. Tertio, quia se filios priuati

a c. 42. 13.

XI. Narrant statum & conditionē suam.

uati cuiuspiam viri prædicant, non famulos potentis alicuius Principis, qui possit cum exercitu in Ægyptum inuadere. Denique quia in vicina regione se habitare fatentur, ex qua facile sciri possit, vnde mendax oratio refellatur. At Ioseph, qui flagrabat desiderio videndi veterini fratris, & suspectam habebat fratrum in illum inuidiam, simulat se eos conuicturum mendacij in numero fratrum: proindeq; ostensurum indignos fide in accusatione repellenda, & consequenter exploratores esse, aut pro exploratoribus merito haberi posse.

Ioſephi de Benjamino ſuſpicio.

XII. Iubet eũ ad ſe adduci.

Vt autem res maxime serio agi videretur, primo iusiurandum adhibet, *Per salutem*, inquit, *Pharaonis non egrediemini hinc, donec veniat frater vester minimus.* Dimissurus quidem erat eos, sed non omnes, & ita intellexit iurando, ideoq; nec periurus fuit. Est autem iusiurandum, quod vocant precatorium, quasi dicat: Ita sit saluus Pharao, sicut ego facturus sum quod asserо, quod si non fecero, reus sim contemptæ salutis Principis. Secundo tradidit omnes custodiæ tribus diebus, quasi per otium eos in quæstionem daturus, vt ait Iosephus *b*. Nec in eo quicquam admisit iniustitiæ; meriti quippe erant pœnam longe grauiorem, vt ex lege Mosis intelligi potest *c*. Et ipse ius quoddam autoritatis in fratres suos diuinitus accepisse videbatur, vt ex eius somniis suspicari licet, ad eorum culpas, præsertim in patrem, digna animaduersione puniendus; vt mitis admodum potius, quam seuerus censeri possit.

b *l.* 2 *Ant. c.* 3.

Tridno fratres habet in vinculis.

c Exod. 21. 16.

Ad quam etiam lenitatem pertinet, quod omnes in eundem carcerem coniecit, vt sese mutuo consolarentur, rebusq; suis vna prospicerent; aut etiam vt mutuo se affligerent, qui se mutuo ad fraternam iniuriam fuerant exhortati, & gustum aliquem caperent angustiarum, in quas fratrem coniecerant immerentem, & tribus diebus carceris triplex consultatio puniretur, de morte, de cisterna, de venditione. *Die autem tertio eductis de carcere, ait, facite quæ dixi, & viuetis.* Et tamen valde mitigat latam ante sententiam; pro vno enim quem patiebatur abire, nouem dimittit, & pro nouem quos retinebat, retinet vnum duntaxat, ne & plures macerarentur vinculis, & tanto maiore tristitia affligeretur communis parens: & pluribus familiis noxia esset tam diuturna patrum absentia. Consenserunt illi conditioni, & sententiæ mitiori expectatione sua; vt scilicet licere ferre domum empta frumenta, & abducere ad se fratrem natu minimum, interea vnum ipsorum in vinculis fore.

Lenitas in eo ſdē.

Cur vnicum retinuerit.

Atque ita Ioseph consecutus est quod in primis optauerat, vt illi ad culpæ suæ agnitionem venirent. Nam *locuti sunt ad inuicem* d: *Merito hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum, videntes angustiam animæ illius, dum deprecaretur nos, & non audiuimus, idcirco venit super nos ista tribulatio.* Vexatio ergo dedit intellectum, vt aliquando peccati sui grauitatem sentirent. Et quoniam horum omnium ignarum credebant illum Principem, quæ ab illo ferebant, referebant ad criminum vindicem, atque vltorem Deum. Hic Ruben, qui dissuaserat cædem, & venditionis ignarus fuerat: *Nunquid non dixi vobis*, inquit, *nolite peccare in puerum, & non audistis me? en sanguis eius exquiritur*: putabant quippe

XIV. Agnoscũt se reos. d c. 42. 21

Rubeni exprobratio.

mortuum, & se mortis innocentis reos. Quod illi non contenti in carcere deplorasse, etiam coram Iosepho inter se lamentabantur; quia *nesciebant quod intelligeret Ioseph, eo quod per interpretem loqueretur ad eos.* Auertitq; se parumper ac fleuit, naturali humanitatis affectu simulationis artificium vincente. Quanto humanior Ioseph fratribus suis. Illi ad lachrymas innocentis adolescentuli, eiusdemq; fratris immites obduruerunt. Hic ad parricidarum gemitus frangitur, & pœnitentibus illachrymatur: in expressam vtique ac viuentem figuram eximiæ Dei in peccatorem pœnitentem suauitatis atque dulcedinis.

Ioſephi lacrymæ.

XV. Simeon ligatur coram fratribus. e c. 24. 24 25.

Sed & alia mox dabit Iosephus suæ in fratres misericordiæ argumenta, non verbis, sed factis ipsis *e*. Interea *reuersus locutus est ad eos, tollensq; Simeonem ligauit illis præsentibus*, vt fraterna charitate commoti accelerarent reditum, & quam primum Benjaminum adducerent, vt ait Chrysost. *f* Vinculis tamen solutum post discessum fratrum, & liberali custodia tentum scribunt Theodoretus *g*, & Abulensis in hunc locum. Quoniam vero hæc erat quædam punitio, debuit ad Iudicis arbitrium infligi, & quidem in illum in primis, qui magis erat in culpa. Is erat Simeon, vt Hebræi dicunt, cuius illa verba fuisse volunt: *Ecce somniator venit, venite occidamus eum*, &c. quibus consentit Autor Testam. Patriarch. *h* & Philo *i*, Theodoretus *k* atque Gennadius *l*. Qui idem in clade Sichimitarum maxime omnium peccasse censetur, vt suo loco dictum est.

f Hom. 64.

g q. 102. in Gen.

h c. 2.

i in l. de Ioseph.

k q. 102. in Gen.

l in Cat Lipom.

Ligato & abducto in carcerem Simeone, *iussit ministris*, ait Moses, *vt implerent eorum saccos tritico*, sine numero videlicet aut mensura, sed quantum facci caperent; iussit quoque vt reponerent pecunias singulorum in sacculis suis, datis supra cibariis in viam: ne scilicet saccos aperire cogerentur, antequam peruenissent domum, dati sunt eis panes & alimenta, tam hominibus quam iumentis: quæ seorsim iussa & facta fuerunt, siue vt tristibus læta miscerentur, siue vt eos metu & inopinatæ rei euentu suspensos teneret, ne qua illis calumnia in Ægypto strueretur; sicq; afflictione noua veteris culpæ pœnas luere pergerent. Discreditur, *aperтоq; vnus sacco, vt daret iumento palulum in diuersorio, contemplatus pecuniam in ore sacculi*, rem ad fratres retulit, qua obstupefacti, turbatiq; sunt, præsertim cum singuli pecuniam suam eodem modo locoq; reperissent. Nam infra, cum venissemus, inquiunt, ad diuersorium, aperuimus saccos nostros, & inuenimus pecuniam in ore saccorum. Et reposita iisdem in saccis pecunia, vt patet ex eo quod mox coram Iacobo contigit, *mutuo dixerunt, quidnam est hoc, quod fecit nobis Deus?*

XVI. Dimittũtur cũ liberalitate

Deniq; peruenerunt ad patrem, quem non diu filiorum exhilarauit aduentus, cum vnius absentiam, eiusq; causam didicisset. Narrauerunt enim ei omnia quæ sibi accidissent, tam in Ægypto, quam in via. Ad cuius rei probationem cum frumenta singuli in cõspectu patris effunderent, singuli reperierunt in ore saccorum ligatas pecunias, quas scilicet reposuerant in diuersorio, non ausi quicquam attingere, donec in patris conspectum veniissent, vt ab eo discerent, quid facto esset opus; neque ta-

XVII. Perueniunt ad patrem.

men

men minus admirati sunt domi, nondum admiratione, quæ in diuersorio nata fuerat, exhausta. At Iacob de Benjamino dimittendo, magis quam de pecunia restituenda sollicitus. *Absque liberis*, inquit, *me esse feciſtis*. Phrasis est dolentium more amplificantis miserias suas. *Ioseph non est super, Simeon tenetur in vinculis, & Benjamin auferetis. In me hæc omnia mala recidérunt.* Quasi dicat: Hæc vos modice tangunt, quia fratrum gratia rara est, nec paterno affectui vllo modo respondet. Itaque sublatis iam mihi duobus filiis, ad tertium, quem scitis mihi esse chariſſimum, perdendum festinatis.

A quo Benjaminum postulant

XVIII. Nec obtinet, quamuis obtestante Rubene.

Cui respondet Ruben, duos filios meos interfice, si non reduxero illum tibi. Hæc quoque hyperbolica est oppignoratio, qualis fuit Loti offerentis filias suas, vt suo loco diximus *a*. Hinc porro apparet, duos tum filios duntaxat à Rubene susceptos, quamuis quintum & quadragesimum iam annum agente. Non enim ait duos de filiis meis, neque ea partitio vlla in lingua reperitur. Philo quoque duos tantum Rubenis filios memorat: quod obseruandum est pro stabiliendo eorum numero, qui cum Iacobo in Ægyptum descenderunt. Cæterum Iacob, qui dubius adhuc esse videbatur in assentiendo petitioni filiorum, nunc præcise negat ascensum. *Non descendet*, inquit, *filius meus*, qui scilicet vnus mihi de dilecta Rachele supersit, *vobiscum. Frater eius* vterinus *mortuus est, & ipse solus remansit. Si quid ei aduersi acciderit in terra ad quam pergitis, deducetis canos meos cum dolore ad inferos.* Luctu conficietis atque obruetis senectutem meam. Hæc hoc anno gesta.

a Gen. 19. 8.

ANNVS MVNDI 2328.

IACOBI 130. IOSEPHI 9.

IOBI 1. BALÆI 27.

Imperij Assyriorum 397.

ANTE CHRISTVM 1725.

I. Res anni huius.

SEcundus Ægyptiæ sterilitatis annus habet natiuitatem Phares & Zaræ filiorum Iudæ & Thamaris: ortum quoque Iobi celeberrimi patientiæ miraculi. Habet & alteram Patriarchatum profectionem in Ægyptum, & ibi turbas maiore cum tristitia & anxietate redintegratas, sed agnitione subsecuta, in admirationem & lætitiam commutatas. Accessit regiæ familiæ congratulatio, & Iacobi in Ægyptum euocatio; nam migratio ad sequentis potius anni principia pertinet. Demetrius enim apud Eusebium *b* ait tertio anno famis id contigisse, ineunte scilicet, & secundo, qui nunc agitur, absoluto: in quo ipsemet Ioseph, *Adhuc*, inquit, *quinque anni residui sunt famis* c.

b De Præp. l. 9. c. 21.

c c. 45. 11.

II. Thamaris partus & ortus Phares.

Porro sub huius anni initia partum Thamaris contigisse, tempus conceptionis, de quo superiore anno dictum est, satis docet. Instante autem partu gemini in vtero apparuerunt, huc ab obstetrice, siue ab ipsa matre variis motibus deprehensi. Plerique duorum infantium luctam in vtero agnoscunt, qualem Esau & Iacobi *d*, Scriptura memorat, quibus fauet Chaldæus paraphrastes, cum ait, quam multa fortitudo tibi est vt prævalueris? quod significat contentionem antegressam. Hinc autem Iudas iamdudum intelligere potuit, non Thamaris, sed filiorum suorum culpam fuisse, quod illa prius non concepisset. In ipsa porro effusione infantium vnus protulit manum, in qua obstetrix vittam coccineam ligauit, dicens, ille egredietur prior. *Illo vero retrahente manum, egressus est alter*, cui Dominus primogenituram destinarat, & quem Dominus vnum de primogenitoribus filij sui esse volebat. Itaque obstetrix, quæ sua spe ac prædictione se frustratam videbat, in prioris egressu, *quare*, inquit, *diuisa es propter te macerie?* Maceriam vocat membranas, quibus in vtero obuoluuntur infantes. Huiusmodi sepem aperuit Zara, cum brachium protulit, quasi prior exiturus, sed apertum exitum frater occupauit, & euasit in lucem prior. *Et ob hanc causam vocatum est nomen eius Phares*, quod diuisionem significat, aut rupturam, vt explicatum est à Daniele *e* in causa Baltassaris regis Babylonis.

d Gen. 25. 22.

e Dan. 5. 28.

III. Et mox Zara.

Postea egressus est frater eius, in cuius manu erat coccinum, quem appellauit Zara, id est Oriens, quod scilicet prior oriri cœpisset, & tamen postero tantum die ortus esset, vt ait Sulpitius *f*, quamuis alij minus interuallum interceſſisse putent. Cæterum quoniam hoc capite continetur initium regiæ familiæ Iudæorum, eius principia lectoris oculis in schemate proposuimus in Annalibus *g*, quæ hic breuitatis causa prætermisimus. Ibidem reperies nominatim notatos illustres quosque ex eadem tribu viros, qui in Scriptura celebrantur. Sed instar omnium est Iesus Christus Dominus noster secundum carnem, & sanctissima eius Mater, ac sponsus Ioseph, quorum generationis series à duobus Euangelistis perscripta est.

f L. 1. hist. sacra.

g a. m. 3128 n. 4. 5 & 6

IV. Ort. Iobi

Sequitur vt de ortu sanctissimi Iobi dicamus, quem probabiliter hoc anno natum esse, Iacobi 121. disseruimus, quæ est Hebræorum sententia in Seder Holam, & Genebr. in Chron. Nec repugnant qui natum dicunt anno quo Iacob descendit in Ægyptum, quoniam intra illius anni circulum natus esse potuit *h*. Notari autem merito potest diuina prouidentia circa prouinciam Chananæorum, quam totiam ordine seculis voluit illustrari clarissimorum virorum sibi succedentium præsentia & patrocinio. Antecessit Melchisedech, inde Abraham, Isaac & Iacob: & isto mox in Ægyptum transituro cum suis, suscitat Iobum merito sanctissimis viris annumerandum, qui eius suppleat vices: donec veniat Moses cum populo suo: ad id enim fere tempus ipsius Iobi vita protenditur: vt eius amicos viros vtique probos omittam, Idumææ ciues, & Iudææ finitimos; quod de aliis quoque regionibus proportione quadam suspicari possumus, qui sciamus diuinam prouidentiam in necessariis non deesse. Sed redeamus ad Iacobum.

h Vide Pinad. in Iob

V. Fames & Iudas Iacobum vrgent. a. c. 43. 1.

Qui dum cunctatur petitioni filiorum acquiescere *a*, *interim fames omnem terram* Chananæorum *vehementer premebat*: consumptisq; cibis, quos ex Ægypto detulerant, dixit Iacob ad filios suos, vt redirent in Ægyptum, ad emendum iterum triticum. Eam occasionem Iudas arri-

arripuit ad peruincendum patrem vt Benjaminum socium profectionis daret. Ad quod negotium Iudas præ cæteris idoneus fuit, vt qui maiores natu gratia apud parentem, atque autoritate vincebat. Is omnium nomine respondet, paratos quidem se ad suscipiendum iter, ad quod ipsa famis necessitas, & alterius fratris captiuitas compellebant, sed id non solum irritum, sed etiam perniciosum fore, nisi secum Benjaminum deducerent: alioqui & mandatum proregis Ægypti contempsisse, & se mendaces atque exploratores fateri viderentur: & quod erat consequens, omnes se suppliciis mactandos offerrent, nedum fratrem vinculis eximerent, aut frumenti coëmendi acciperent potestatem. Dixerat enim Ioseph *b*, *fratrem vestrum minimum ad me adducite, vt possim vestros probare sermones, & non moriamini.*

b c.42.16 18.20.

VI. Qui diu reluctat tandem cedit.

Reluctatur adhuc Israël, & suos arguit imprudentiæ, quod indicassent Ægyptio se alium habere fratrem, ex quo factum sit, vt grandæuus pater dilectissimo filio priuari cogeretur. Illi imprudentiam istam studiose purgant. Denique ad eripiendum patri timorem alterius filij amittendi, fideiussorem se Iudas offert, pro eo patri restituendo, sub imprecatione reatus perpetui in parentem criminis, siue pœnæ & exprobrationis. Et addit *c*, *si non intercessisset dilatio, iam vice altera veniissemus.* Ex quo intelligi potest menses aliquot inter vtramque peregrinationem intercurrisse, & hanc ad adultum iam secundum annum famis pertinere. Quibus non tam persuasus quam famis necessitate coactus Iacob tandem cedit iubetq; aliqua munera ad placandum proregem, qui durius cum ipsis egerat, vt laxaret Simeonem, quem habebat in vinculis, & remitteret Benjaminum. Duplicem quoque pecuniam eos ferre iubet, quæ scilicet necessaria erat præsenti emptioni, & quæ inuenta fuerat in ore saccorum, ne id forte per imprudentiam famulorum potius, quam ex Domini liberalitate contigisset. Postremo eis bene precatus, cum gemitu Benjaminum, cæterosq; omnes à se in Ægyptum dimittit.

c c.43.10.

Et Benjaminum dimittit.

VII. Illi in Ægyptum perueniunt

Illi magnis itineribus ad corrigendam proximam tarditatem in Ægyptum perueniunt, *& steterunt coram Ioseph, quos cum ille vidisset, & Benjaminum simul*, non est eos tunc allocutus, negotiis, vt par est credere, impeditus; id enim voluit maiori otio perficere. Nihilominus ad se vocato dispensatore domus suæ, ei in aurem insusurrat, vt eos domum introducat, instruatq; conuiuium. *Quoniam mecum*, inquit, *sunt comesturi meridie.* Fecit ille quod sibi fuerat imperatum, & peregrinos introduxit domum. Illi vt domi se clausos viderunt, & in austeri hominis potestate, extemplo, vt timor est suspicax, existimarunt se propter pecuniam, cum tritico secum exportatam, furti calumniam passuros, & pro ficto crimine, vero seruitutis supplicio affectum iri. Itaque rem quamprimum, prout gesta fuerat, dispensatori domus aperiunt. Qui eos consolans, ait *d*: *Nolite timere, Deus vester & Deus patris vestri dedit vobis thesauros in saccis vestris.* Ita videlicet didicerat à Iosepho respondendum esse, si quid huiusmodi ab eis referretur ad ipsum. Nisi enim iam totius rei conscius fuisset, non esset ausus in re subita, inconsulto Domino huiusmodi responsum dare; aut dicere se pecuniam ipsorum recepisse, atque habere apud se, quam apparet non fuisse modicam. Fideliter igitur subseruit fabulæ, quam Dominum suum agere videbat: ex cuius etiam præscripto non petitum adhuc à fratribus Simeonem ad eos eduxit, qui futurus erat conuiuij particeps. Denique omnes monet de voluntate Domini sui, vt cum eo sub meridiem omnes cibum sumant.

Et suspitione infamantur.

d c.43.23 Oeconomus fabulæ tonus conscius.

VIII. Mutua Iosephi cũ fratribus cõgressio

Dum tempus aduenit, curat dispensator eorum pedes ablui, & iumenta curari; ipsi autem munera parant, quæ decenter proregi offerant, à quo insperata beneuolentia accipiuntur. Ingreditur domum Ioseph. At illi munera tenentes in manibus, fratrem prono in terram corpore adorauerunt, somniorum veritatem factis ipsis abunde comprobantes. Ille autem clementer resalutatos interrogauit de Patris sospitate, & vterino fratre: super quo præsente, amoris teneritudine commotus ad lachrymas, in cubiculum interius festinanter recepit se, vt fleret semotis arbitris, illud duntaxat effatus: *Deus misereatur tui, fili mi.* Rursusq; lota facie egressus continuit se, iussitq; cibos inferri mensis, Ioseph seorsim & solus in vna mensa sedet, in altera è regione fratres eius, in tertia Ægyptij alij, qui fuerant inuitati. Separatus fuit Ioseph honoris causa, Hebræi autem, consuetudinis Ægyptiæ, quæ illicitam reddebat mensæ cum Hebræis communionem, quod pastores essent, vt postmodum refertur. Negat Philo cibos lautos fuisse appositos, quod conuiuatori non placeret vti deliciis in publica penuria.

Et lachrymæ ob Benjaminum

IX. Duo admirantur Hebræi.

Duo autem contigerunt hoc loco fratribus, quæ admirarentur. Alterum quod cum eis Ioseph loca ad considendum assignasset, cuique cum locum, casu vt putabant attribuit, quem ætatis singulorum ordo requirebat. Cum enim modica esset inter eos ætatis differentia, excepto Benjamino, mirum eis visum est ab homine ignaro ita ordinari potuisse. Altera admirationis causa fuit, quod cum singula fercula à ministris Iosepho afferrentur, quę ille deferri ad hospites suos nominatim iuberet, honoratior enim fuit fercula à magistro conuiuij, ad hospites mitti de mensa sua, quam à ministris pro suo arbitratu distribui. Animaduersum denique est, quæ ad Benjaminum essent delata, quinque partibus superare ea, quæ vnicuique aliorum data fuissent. Quæ illi admirati sunt, nescientes quare huic natu minimo præ cæteris tantam beneuolentiæ significationem exhibuisset.

X. Struitur in fratres calumnia

Interim autem, dum illi mirantur, conuiuantur & potant, Ioseph eis tristitiæ molem ingentem parat, quæ omnem vini ac conuiuij hilaritatem, non multa aqua, sed multo etiam felle atque absynthio diluat. Nam dum illi absoluto ad quietem se recipiunt, (neque enim fit vlla cœnę mentio, meridianum fortasse conuiuium plurium horarum, instar prandij & cœnæ fuerit) præcepit Ioseph *a* dispensatori domus suæ impleri saccos hospitum suorum frumento, quantum capere possent, & apponi pecuniam singulorum in summitate sacci, scyphum autem suum argenteum, & pretium tritici quod dederat Benjaminus, in ore sacci eius. Volebat Ioseph experiri, vt passim fatentur interpre-

a c.44.1.

Cui fini.

terpretes, quo essent animo fratres sui in Benjaminum, in mortis aut seruitutis periculo deprehensum: & simul hac, pro ipsius capite fortunisque, tristitia luctuque, antiquam eorum in se inuidiam, improbamq; tristitiam expiare.

XI. Quo rei cõposita ipsis inscius.

Neque mirum videri debet, aut improbabile, neminem fratrum interfuisse, dum mensuratur triticum, dum implentur sacci, dum immittitur pecunia & scyphus: præsertim cum iam præter expectationem pecuniam frumento liberaliter adiectam reperissent. Nam & proxima hilaritas, cum qua accepti fuerant, nihil mali suspicari patiebatur, aut scrutari quid illi facerent. Adde quod sentiebant se in manu potentis, atque in speciem austeri hominis esse, cuius nutu omnia fieri non dubitabant, neque audebant tantillam præ se ferre diffidentiam, ne forte illi stomachum, magno aliquo malo suo, mouerent. Scitum enim est, non esse irritandos crabrones. Executus est omnia magna cum fide ac prudentia dispensator, intentioni Domini sui diligenter subseruiens; tametsi videbat innocẽtibus ingentem strui calumniam: sed fortassis ab eodem etiam didicerat, rem vltra metum ac periculum non processuram.

XII. Læti abeunt.

Ergo orto mane dimissi sunt, cum asinis atque oneribus suis; vtique admodum læti, quod fratrem recepissent, quod Benjaminum reducerent, quod gratis prius frumentum accepissent, quod hilariter ac peramanter accepti essent, quod fidem parẽti datam liberaturi, quod incredibili eũ gaudio cumulaturi essent. Iamq; vrbe exierant, & processerant paululum, cum

Retrahũtur domũ cum calumnia.

Ioseph accersito dispensatore domus *b*, *Surge*, inquit, *& persequere viros, & apprehensis dicito: Quare reddidistis malum pro bono? Scyphus quem furati estis, ipse est in quo bibit Dominus meus, & in quo augurari solet, pessimam rem feciſtis.* Sacrilegium quippe, & non nudum furtum admissum erat, modo res veritate niteretur. Accelerat œconomus cum armata manu, ad hoc ipsum comparata, ne illi possent, aut auderent vim vi repellere. *Et ecce agmen equitum*, ait Iosephus *c*, *repente illos circumuenit, inter quos erat famulus, qui scyphum in sarcinam indiderat. Eos ergo dispensator facile assecutus, propere circumfundit armatis, & atrocibus dictis inuadit.*

b c. 44. 4

c l. 2. Ant. c. 3.

XIII. Quã illi repellunt

Illi tãm atroci atque inopinato perculsi nuncio, accusationem tamen, vt valde improbabilem, humili oratione repellunt: *Quare sic loquitur*, inquiunt, *Dominus noster, vt serui tui tantum flagitij commiserint?* Pecuniam quam inuenimus in summitate saccorum, reportauimus ad te de terra Chanaan, & quomodo consequens est vt furati simus de domo Domini tui aurum vel argentum? Maiorem pecuniam, quam impune retinere potuimus, è longinquo reportauimus integram, vltroq; obtulimus, quomodo cum certo mortis & infamiæ, vel seruitutis discrimine, vas vnum argenteum attingere ausi simus? Sed addunt etiam ex ingenti

at fiducia innocẽtiæ reũ morti addicunt.

fiducia innocentiæ: *Apud quemcunque fuerit inuentum seruorum tuorum quod quæris, moriatur, & nos erimus serui Domini nostri.* Multum omnino cedunt de iure suo. Primum quod ad criminis inuestigationem; non enim aiunt, quicunque criminis huius conuictus fuerit, sed apud quẽcunque inuentus fuerit scyphus; cum tamen inueniri posset apud innocentem, vt reuera contigit. Deinde quod cum reum vnum pœnam ferre par esset, non dubitant offerre supplicio vniuersos. Tertio quod reo longe maiorem, quam pro culpa pœnam assignant; cum furtum capite puniri non soleat.

XIV. Scyphus apud Benjaminem deprehenditur.

Hic procurator ita reorum sententiam probat, vt multum mitiget. Vult enim illum vnum qui in crimine deprehensus fuerit, pœnas dare, nec in caput innocentium alienum facinus redundare: nec mortis, sed seruitutis tantum pœna plecti vult furem. *Itaque festinato deponentes in terram saccos, aperuerunt singuli*, quos scrutatus, incipiens à maiore vsque ad minimum, inuenit scyphum in sacco Benjamini. Palam videlicet, atque ordine in oculis dispensatoris saccos suos aperiebant singuli, ne furtum interim subduxisse putarentur. Ætatis ordinem in scrutando seruari voluit, quia maior in maioribus malitia præsumitur; sicq; melius latent insidiæ structæ Beniamino. Nulla porro fit mentio pecuniæ, quæ iterum reperta fuerat in ore saccorum. Putauerunt fortasse verum esse quod eis pridie à dispensatore dictum fuerat *d*: *Deus vester dedit vobis thesauros in saccis vestris.* Sed maior animi motus hunc minorem oppressit.

d c. 43. 23

XV. Ergo reditur in oppidum.

Itaque scissis vestibus, præ animi dolore, & confusione probrosi criminis, in quo deprehensi videbantur, *onerati rursum asini, reuersi sunt in oppidum*: non tam fratris cupiditatem suspectam habentes, quam externas insidias, vt ait Philo. Rabbi tamen Salomon, vt refert Abulensis, existimat fratres Beniamini male eum verbis verberibusq; mulctasse, furem & filium furis appellando, Rachelis scilicet, quæ furata fuerat Deos patris sui, cædendo colaphis, vellendo cæsariem, aliisq; id genus contumeliis affecisse; quod non caret probabilitate, si eum crediderunt huic culpæ affinem: non credidisse tamen Philo significat; licet propter probationis euidentiam, eam nunquam negarint. Ergo ad ciuitatem reuersi sunt omnes; in coq; experientia didicit Ioseph, quod quærebat. Vtrum scilicet fratres cæteri relicturi essent Benjaminum in potestate procuratoris, & sine eo discessuri ad patrem: an vero omni studio, pro eius liberatione pugnaturi, vti factum est.

XVI. Iudas cũ fratribus Iosephũ adit.

Primus Iudas, qui Benjaminum in suam receperat fidem, & cæteris constantior erat, atque animosior, cum fratribus ingressus est ad Ioseph, necdum enim de loco abierat, ex quo dispensatorem dimiserat ad comprehendendos fratres, expectans reditum eorum, nec vltra differre volens agnitionem sui, *omnesq; ante eum pariter in terram corruerunt*, siue postulantes veniam, siue se eius arbitrio ad pœnam offerentes, & ingentem animi consternationem ipso silentio demonstrantes. Nihilominus Ioseph vultu ac voce ad seueritatem compositis: *Cur sic*, ait, *agere voluistis? an ignoratis quod non sit similis mei in augurandi scientia?* Ex qua scilicet facile mihi fuit deprehendere furtum, quod vos occultum fore suspicabamini. Loquitur autem ex Ægyptiorum opinione, quibus persuasum erat cum, non diuino afflatu, sed superstitione magica, exposuisse somnia, & prospexisse futura: & nunc furti autores cognouisse: quæ cum ironice dicantur, sine mendacio dicuntur, vt placet S. Augustino *a*.

a lib. 15. in Gen.

Hic

XVII. Oratio Iudæ pro Beniamino.

Hic Iudas, *Quid respondebimus*, inquit, *Domino meo, vel quid loquemur, aut iustè poterimus ostendere? Deus inuenit iniquitatem seruorum tuorum. En omnes serui sumus Domini mei, & nos, & apud quem deprehensus est scyphus.* Significat Deum vltorem esse peccati cuiuspiam singularis, & ob illud nunc in hasce angustias esse redactos. Efficax autem erat hæc oratio ad veniam, etiam in vero crimine, obtinendam, quæ nihil aut excusat, aut negat, sed agnoscit crimen, & vltro se suosq; addicit seruituti; cum tamen non deessent firmæ coniecturæ, quibus innocentia rei probaretur: quibus omnibus omissis, ad diuinam prouidentiam culparum vindicem confugiunt, quæ antiquum aliquod ipsorum peccatum, ignoti sceleris infamia, ac pœna castigare velit: cuius decreto submittentes sese, vltro se omnes addicunt seruituti, libertate, patria, parente, fortunis omnibus, in expiationem non admissi criminis, cuertendi, atque expoliandi.

XVII. Vrget vehementer Iosephum ad cõmiserationẽ

At Ioseph. *Absit à me*, inquit, *vt sic agam; qui furatus est scyphum, ipse sit seruus meus, vos autem abite liberi ad patrem vestrum*: cuius personam Iudas libenter arripuit, ad vehementem motum concitandum, quem multo vehementiorem opinione sua inferebat. Et in summa tota hæc eius oratio eò ferebatur, vt ostenderet Beniamini retentionem, propter tenerum optimi parentis in eum amorem, ætate confecto seni, qui nullo modo huic affinis sit culpæ, perniciem allaturam. Ideoq; orat vt eius loco, ipsemet qui eum in suam receperat fidem, addicatur seruituti. Plena est suauissimis motibus oratio, & ad commiserationem magis, quam ad exactissimam veritatis rationem composita. Quin & singulæ pene voces emphasim habent, & animi summissionem spirant, quæ virtus potentissima est, ad animos quantumuis exulceratos dolore, ad mollitudinem traducendos.

XIX. Inopinata culpæ confessio.

Quid illa confessio, & ante duos & viginti annos vsurpatæ excusationis euulgatio, apud illum ipsum, quem vnum maxime celare voluissent, quali & quanto cum sensu in Iosephi animum illapsa est? *vos scitis quod duos mihi genuerit vxor mea*, Hæc quippe primaria Iacobi vxor fuit, & sola ab ipso quæsita; *egressus est vnus, & dixistis* b, *Bestia deuorauit eum, & hucusque non comparet; si tuleritis & istum, & aliquid ei in via contigerit, deducetis canos meos cum mœrore ad inferos.* Non dixerant fratres Iosephi feram pessimam deuorasse Ioseph; sed pater ipse: ideoque in Hebræo hoc loco est, *de quo dixi.* Verum illi tunicam eius dilaceratam, & sanguine conspersam ostendentes, id non verbo, nisi forte patris verba repetendo, sed facto dixerunt.

b c.37. v.33.

XX. Ambit seruitutẽ Iudas in gratiam patris. c.44.33.

Valde quoque morata est illa vox, & ad intentionem Iosephi, mirum in modum, licet ab ignorante composita c. *Ego proprie seruus tuus sum, qui in meam hunc recepi fidem, & spopondi dicens, nisi reduxero eum, peccati reus ero in patrem meum omni tempore.* Vbi videtur hoc argumentum latere. Si reus est peccati, qui inuitus, & sine culpa non stat promissis, quanto magis is, qui voluptate sua causa est violatæ fidei, & pietatis in parentem. Quid hoc ordine iustiæ pulchrius? ait Rupertus d, *Nempe qui hic seruitio se addicit, ipse est cuius consilio in seruum venundatus est Ioseph.* Latet etiam alterum argumentum ab vtilitate petitum. Quod ipse Iudas ætate matura, sit futurus vtilior seruituti, ideoque non otiosè pueri nomen hic sæpius iteratur. *Manebo*, inquit, *seruus tuus pro puero, in ministerio Domini mei; & puer ascendat cum fratribus suis*, quem Philo e quoque vocat puerum, & rerum imperitum; vt scilicet & facilius reputaretur innocens, & quasi parum vtilis, facilius dimitteretur. Sed eminet etiam hoc loco exemplum egregium pietatis filij in parentem, qui eius dolorem ac lacrymas, exilio proprio antetulerit ac seruituti.

c c.44.33.

d l.9. c.9.

e l. de Ioseph. τὸν ἱστορικὸν ἀγῶνα τοῦ βίου.

XXI. Et cõcludens paternam pietatem inculcat.

Poltremo infigit iterum validius telum illud gratiosissimum, à filij in parentem pietate petitum. *Non enim possum redire ad patrem meum, ne calamitatis, quæ oppressura est patrem meum, testis assistam.* Quæ sine dubio, vt Flauius quoque significat, supplicum more; cum lacrymis & singultibus, & communi fratrum omnium, præsertim Beniamini, comploratione dicebantur. Accedebant discissæ vestes, & capilli lacerati, & gestus omni ex parte miserabilis, iuxta illud, *Omnes ante eum pariter in terram corruerunt.* Iosephi genua prostrati complectebantur, terram capitibus, manibus pectora feriebant, agebant denique quæcunque suggerit desperationi proximus dolor. Vt minime mirum sit quod statim sequitur, *Non potuisse vltra Iosephum cohibere sese*, quando lectores ipsi, ad quos res non pertinet, ex philanthropia lacrymas tenere vix possunt, sed *saxeis etiam pectoribus*, vt ait hoc loco Rupertus, *lacrymas gemitumque eliciunt.*

Cum violento gestuum motu.

XXII. Mutua fratrum agnitio. sc 45.1.2. &c.

Non ergo ait Moses, *se poterat vltra cohibere Ioseph* f, *multis coram adstantibus*; qui scilicet ad noui criminis accusationem confluxerant. *Vnde præcepit vt egrederentur cuncti foras, & nullus interesset alienus agnitionis mutuæ.* Adhuc enim fuerat non mutua. Excusit autem ab eo loco domesticos, non quod vellet ignorari eos esse fratres suos; id enim mox publice professus est: sed quod eos nollet habere lacrymarum suarum spectatores; neque testes secreti criminis, de plagiaria venditione sui. Digressis itaque omnibus Ægyptijs, & ad fores, vt fit, auscultantibus, *Eleuauit vocem cum fletu, quam audierunt Ægyptij*, & peruolante mox fama, domus omnis Pharaonis, *Et dixit fratribus suis, Ego sum Ioseph, adhuc pater meus viuit?* Hæc ille Hebræa voce, & sine interprete, ad maiorem fidem.

XXIII. Pharao Iacobum euocat.

Quæ vox etsi omnes perturbationum fluctus sedare, omnes tenebras poterat sua luce dispellere, attonitos tamen, & quasi stupore defixos ex insperato reddidit, vt ne hiscere quidem in conspectu eius potuerint. In multis autem animi motibus regnabat timor, cuius propterea nominatim fit mentio, & conscientia videlicet facinoris in venditione perpetrati. Quod cum non dubitarent graui supplicio dignum, & se in illius potestate cernerent, in quem tam grauiter deliquissent, timorem ex calumnia falsi criminis, in metum iusti supplicij pro veriore, grauioreque flagitio commutabant: idque mox actum iri formi-

Curme derat Ioseph.

dabant, vt furtum poculi in crimen pelagij verteretur. Huic timori sapienter medicinam facit Ioseph: tum lenitate verborum, nam clementer. *Accedite*, inquit, *ad me?* tum timoris causam auertendo, Nam cum prope accessissent, quod nollet exaudiri foris admissi quondam aduersum se criminis manifestationem. *Ego sum*, ait a, *Ioseph frater vester, quem vendidistis in Ægyptum. Nolite pauere, neque vobis durum esse videatur, quod vendidistis me in has regiones*, vt scilicet in ijs quoquo modo perirem; *pro salute enim vestra misit me Deus ante vos in Ægyptum.*

a c.45.4.

XXIV. Eosque cõsolatur diuino consilio exponendo.

Idonea vtique consolatio, ex eo quod diuinæ prouidentiæ subseruierint, eorum crimen in magnum bonum conuertenti. Sicut enim peccatorem valde contristat graue aliquod damnum ex peccato emergens, ita & consolari potest bonum inde ex diuina sapientia & bonitate elicitum, vt quantum de suo peccato dolent, tantum admirabile Dei consilium demirentur & prædicent. Id consilium vberius declarans b, *Biennium est*, inquit, *quod cepit fames esse in terra*, quo scilicet vtroque frumentum à me accepistis, in remedium famis, sub finem scilicet primi anni, & sub finem secundi, quo hæc apparet contigisse, cum iam duæ sementes irritæ, duæ messes inanes abijssent: nam subdit, *Et adhuc quinque anni restant in quibus nec arari poterit nec meti*, propter soli siccitatem, exceptum semen non fouentis, & exsugentis potius, quam multiplicantis. *Præmisit que me Deus, vt reseruemini super terram, & escas ad viuendum habere possitis.* In hoc porro Dei consilio explicando, solutis habenis modestiæ ac pietatis Caluinus excurrit, quæ in Annalibus ipsis c castigata reperies, sicut & quæ Iosephus in hac pulcherrima historia licentius deprauauit.

b c.45.4.

c num. 45 & seqq.

XXV. Ioseph patrem euocat in Ægyptũ.

Omittimus enim, quia longa nobis restat via; & festinare iubet is, quem Deus fecit principem in omni terra Ægypti. *Festinate*, inquit, *& ascendite ad patrem meum*, & dicetis. Hæc mandat, id est nunciat filius tuus Ioseph. Deus fecit me Dominum vniuersæ terræ Ægypti, descende ad me ne moreris & habitabis in terra Gessen, terra ad pecorum pastum commodissima. Ea in extrema Ægypto est, & habet ab occidente Nilum, ab ortu sinum Arabicum, à Septentrione Arabiam. Addit & aliam causam efficaciorem, ad pelliciendum Iacobum in Ægyptum. *Erisque iuxta me tu, & filij tui, & filij filiorum tuorum, oues tua, & armenta tua, & vniuersa quæ possides:* vt qui non sis remigraturus in Chananitidem. Et ne cunctetur quasi fames in exitu sit, nunciari etiam iubet, quinque annos famis adhuc superesse, qua vrgente fieri possit vt & ipse pereat, & vniuersa quæ possidet: si videlicet visum esset Pharaoni, non vltra frumenta externis populis, sed solis incolis Ægypti vendere.

XXVI. Confirmat veritatem persuasæ d Gen. 45 11.

Quoniam vero oportebat fratres eius quam maxime persuasos esse de veritate personæ suæ d, vt eam patri quoque persuaderent, ad eandem confirmandam redit. *En oculi vestri*, ait, *& oculi fratris mei Beniamin vident quod os meum loquatur ad vos*, patria scilicet lingua, & absque vllo interprete, vt nuper. Quod argumentum vt satis firmum sit, ponendum est Ægyptios linguam Hebræorum minime calluisse. Nec mirum, cum ea paucorum esset duntaxat, & aduenarum in Chananitide. Addit & alterum argumentum ex demonstratione naturalis affectus in consanguineos. Omnes enim amãter amplexatur, initio ducto ab eo, qui illi erat omnium charissimus: omnes osculatur, & plorat super singulos: simulque isto quasi pignore iniuriarum obliuionẽ, & veram reconciliationẽ confirmat. *Post quæ ausi sunt loqui ad eũ* e, depositio timore, quẽ fraterna charitas pepulit foras.

e c.45.15

XXVII. Agnitio innotescit Ægyptijs.

Hęc dum Iosephum inter & fratres in cubiculo gerũtur, *auditum est, & celebri sermone vulgatum in aula regis, venerunt fratres Ioseph. Et gauisus est Pharao, atque omnis familia eius*: secutaq; sunt conuiuia, optimatibus Ægypti eos conuiuijs, & publica gratulatione excipientibus, vt aiunt Flauius & Philo. Ioseph quippe virtus eximia illos reddebat amore dignos. Itaque Pharao non dissimili amore incitatus, inculcat eadem quæ iam mandauerat Iosephi, ac promiserat suis: suoque nomine præcipit ac promittit. Et quidem cumulatius. *Venite*, inquit, *ad me, & ego dabo vobis omnia bona Ægypti, vt comedatis medullam terræ*, id est fruamini optima, & fertilissima terræ parte. Præcipit etiam rex, vt tollerent plaustra, ad subuectionem paruulorum suorum, ac coniugum, totiusque supellectilis. Quæ omnia Ioseph diligenter est executus. Dedit & cibaria in itinere, præter frumentum, quo iam onerata erant iumenta, vt illic aliquandiu, dum profectionem adornant, viuere possent, & amicos iuuare, & superflua pretio distrahere; *singulis quoque iussit proferri binas stolas*, vnam viliorem, quam domi ferrent, aliam pretiosiorem, qua amicti prodirent in publicum. *Beniamino vero*, quem singulariter amabat, & ad modicum contristauerat immerentem, *dedit trecentos argenteos, cum quinque stolis optimis.* Nec obliuiscitur Senis; *tantumdem enim pecunia, & vestium misit patri suo; addens & asinos decem, qui subuecherent ex omnibus diuitijs Ægypti, & totidem asinas triticum in itinere, panesque portantes.* Denique valedicens monet ne iracscantur in via; altero nimirum alterum de Iosephi iniqua venditione accusante.

Et fratrũ metus.

Abul. Delrio.

Ioseph liberalitas in suos.

XXVIII. Ad patrẽ reuerti diu non obtinens fidem.

Illi ergo *ascendentes ex Ægypto, venerunt in terram Chanaan ad patrem suum Iacob*, eique nunciarunt Ioseph filium eius viuere, & dominari in omni terra Ægypti. *Quo audito Iacob, quasi de graui somno euigilans, tamen non credebat eis.* Recte. Cum enim de eo prius mentiti fuissent, hoc tempore vera dicentes, non merebantur fidem; & quamuis id vno ore affirmarent omnes, verebatur tamen ne ex composito ad eum consolandum fabulam afferrent ex Ægypto. Itaque illi ad fidem faciendam versi, *referebant omnem ordinem rei.* Quæ dum narrantur, & per vniuersas Iacobi familias late funditur lætissima illa vox, *Ioseph vivit, & ipse dominatur in omni terra Ægypti*, appulerunt currus, & plaustra, & asini cum muneribus, quæ famuli ductabant, nam fratres aliquantulum antecesserant. Quæ cum vidisset bonus Senex fidem denique adhibuit filijs suis, & omni dubitatione summota *revixit spiritus eius*, qui elanguerat in tam inopinato nuncio. Nisi placet hoc referre ad

totum tempus, quo mortuum luxit Ioſephum, quo propior mortuo videbatur, quam viuo; quo modo id intellexit Chryſoſtomus *a*. Reuiuiſcens ergo ait, *Sufficit mihi, ſi adhuc Ioſeph filius meus viuit, vadam & videbo illum antequam moriar.* Non ſperat ſe diu victurum cum eo, ſed nouum Ægyptiæ peregrinationis laborem ſatis fructuoſum putat, ſi filium ſuum videre poſſit, paratus quamprimum mori.

a hom. 65 in Gen.

ANNVS MVNDI 2329.

IACOBI 131. IOSEPHI 10.

Moræ in Ægypto 1.

BALÆI 28. Imperij Aſſyriorum 398.

ANTE CHRISTVM 1721.

I. Rat. temporis. *b c.47.9.*

IAcobi ætas ex ipſius ad Pharaonem verbis, confirmatur *b*. Proxime enim poſt eius in Ægyptum appulſum, ad regem introductus ait ſe eſſe centum & 30. annorum, quos cum pleriſque chronologis, ſumimus abſolutos. in quibus eſt Euſebius, qui etiam hunc annum decimum vocat Ioſephi principatus. Quod autem eundem vocat ſecundum famis, de exeunte vel abſoluto accipiendum eſt. Alioqui non dixiſſet paulò ante Ioſeph ſupereſſe quinque annos famis. Certe Demetrius apud eundem Euſebium *c*, hoc ipſo, qui famis apud Ægyptios tertius erat, cunctam eorum familiam in Ægyptum migraſſe autor eſt, annos natum 130.

c De Præp. l.9.c.21.

II. Deſcenſus in Ægyptum: lætus prædicitur.

Hic eſt ergo celebris ille annus deſcenſus Iſraelis & Iſraelitarum omnium in Ægyptum, in diuturnam plurimorum annorum peregrinationem, cuius vt initia lætiſſima, ita extrema moleſtiſſima fuerunt: & tamen ingreſſus paucorum fuit, exitus innumerabilis multitudinis. Initium ſub mitiſſimo ac liberaliſſimo rege, plenum benevolentiæ ac tranquillitatis fuit: finis ſub tyranno crudeliſſimo, atque ingratiſſimo, plenus odij, cædium atque turbarum. Hic paruuli & vxores Hebræorum deducuntur in curribus & plauſtris, illic abijciuntur in fluctus, & matres fœtibus orbantur ſuis. Hic Iſraelitæ euocantur vltro, ne fame in Chananitide moriantur: illic eijciuntur ab inuitis Ægyptijs, mortem metuentibus ab Angelo exterminatore. Ad hunc porro locum maxime pertinet, celebris, nec parum impedita quæſtio, de numero perſonarum, quæ hoc anno in Ægyptum deſcenderunt, quam vt inſtitutum noſtrum exigit, breuiter expediemus; quamdiu autem illic manſerint in exitu cum Moſe dicturi.

III. Iacob migrat cum ſuis *d c.46.1.*

Euolutis itaque diebus aliquot *d*, à ſecundo reditu Patriarcharum ex Ægypto, quibus & illi aliquantulum quieuere, & profectio non exigui temporis, ſed tranſmigratio omnium perſonarum, omniumque rerum ad tot familias pertinentium tranſportatio, præparata eſt, Iacob ſubhuius circiter anni principia, ſe in viam dedit *cum omnibus quæ habebat.* Ad eam quippe nunc ſuſcipiendam compellebat imminens quinque adhuc annorum fames, perſuadebat Ioſephi videndi deſiderium, inuitabat commoditas profectionis, & Dominus interius incitabat. Neque enim dubitandum eſt conſultum à ſancto Patriarcha Dominum ſuper tanto negotio: ſed Deum contentum intime edocere in præſentia, apertam reſponſionē ad locum Berſabee diſtuliſſe, cum iam eſſet in via, & bidui ferme cōfeciſſet iter. Ibi ergo mactauit victimas Deo patris ſui Iſaac *e*, qui ſcilicet illi apparuerat in eodem loco, vbi & altare ædificauerat: quemque iam olim Abraham *f*, religioſum fecerat, inuocato ibi nomine Domini Dei æterni, erecto altari, & plantato circum nemore.

e Gen.26 25. f c.21.33.

IV. Deus illi apparet. *g c.46.3.*

Peracto ſacrificio audiuit Deum per viſionem noctis, vocantem ſe & dicentem ſibi *g*. *Ego ſum fortiſſimus Deus patris tui*, recte fortiſſimi nomen aſſumit, quia ſequitur, *noli timere deſcendere in Ægyptum, quia in gentem magnam faciam te ibi.* Ex quo intellexit ſe ſuoſue ibi diuturnas tracturum moras. *Ego deſcendam tecum illuc, & ego inde adducam te*, id eſt populum ex te ortum huc reuertentē. Triplicem illi fauorē pollicetur, tam ipſi quam toti familiæ communem, in profectione, commoratione, & reditu. Sed addit peculiarē gratiam, quod ei morienti dilectiſſimus Ioſeph adfuturus ſit, & omnia pietatis officia erga ipſum cumulatiſſime expleturus. *Ioſeph quoque*, inquit, *ponet manum ſuas ſuper oculos tuos*, & quem videre cupis ante mortem, videbis ad extremam vſque vitæ periodum, cum ille abeunte anima claudet tibi oculos, nihil vltra mortale videre cupientes.

V. Catalogus familiæ eius. 1. *Iacob.* 5. *familia Ruben.* 7. *famil. Simeonis.* 4. *Fa. Leui.* 6. *famil. Iudæ.* 5. *Fam. Iſſachar.* 4. *Famil. Zabulon.* 1. *Dina.*

Surrexit autem Iacob à pureo iuramenti; tuleruntque eum filij, cum paruulis & vxoribus ſuis, in plauſtris, quæ miſerat Pharao ad portandum ſenem, & omnia quæ poſſederat in terra Chanaan. Ad eum vſque locū venit fortaſſe Iacob aſino, vel camelo vectus: deinceps autem in plauſtro commodius compoſitus eſt, & delatus in Ægyptum cum omni ſemine ſuo. Tranſtulit autem ſecum omnia bona ſua mobilia, retinuit autem poſſeſſionem terræ, quam emerat à filijs Hemor in Sichem. Et quam auus Abraham à filijs Heth in Hebron, neque ea loca cuiquam vendidit. Vnde poſtea ex Ægypto in ſpeluncam Hebroniticam ad ſepulturam deportatus eſt. Catalogus autem perſonarum quæ ingreſſæ ſunt Ægyptum, conſcriptus à Moſe ſic habet. Primus eſt ipſe Iacob, tum Ruben cum 4. filijs; Simeon cum ſex, Leui cum tribus, Iudas cum quinque, Iſſachar cum quatuor, Zabulon cum tribus, & Dina, qui omnes vocantur filij Liæ, numero 32. quibus additus Iacob fiunt 33.

Subdit deinceps Moſes filios Liæ & Zelphæ, licet filij Balæ ancillæ Rachelis prius geniti fuerint, ne filios Liæ naturales, ab adoptiuis ſepararet. Prior autem filiorum Zelphæ fuit Gad cui 7. filij aſſignantur; poſterior Aſer, ſecum ducit 4. filios, vnam filiam, & nepotes duos. Vtraque familia ſedecim perſonis conſtat, quæ ad filios quoque Liæ referuntur. Sequuntur filij Rachelis duo Ioſeph & Beniamin. Prioris duos Moſes filios memorat in Ægypto natos, Manaſſem & Ephraim, quibus Septuaginta 5. filios addunt, Manaſſi duos

V. Reliqui eiuſdem catalogus *Gen.30. 10.*

8. fa. Gad 8. fam. Aſer.

16.

5. fam. Ioſeph.

11. *famil. Beniam.* 14. 2. *fam. Dan.* 5. *famil. Nephtali filij Lea* 32 *Zelpha* 16. *Rachelis* 11. *Balæ* 7.

Ephraimo tres, Beniamino autem 10. hæc filij siue nepotes à Mose tribuuntur. Sequuntur duo filij Balæ Dan & Nephtali, quorum prior vnicum habet filium, posterior quatuor. Itaque filij Balæ omnes numero 7. Enumeratis porro cunctis Iacobi filijs, iuxta distinctionem vxorum eius, subditur à Mose ista conclusio.

Cuncta animæ, quæ ingressa sunt cum Iacob in Ægyptum, & egressa sunt de femore illius, absque vxoribus filiorum eius 66. In quo numero non comprehenditur ipse Iacob, neque Ioseph, & filij eius duo, qui iam erant in Ægypto. Conflatur autem hic numerus ex 32. filijs Liæ, 16. filijs Zelphæ, 11. filijs Rachelis, & septem filijs Balæ. Vt autem tam Iacob ipse, quam Ioseph cum filijs comprehendantur, subdit Moses. *Omnes animæ domus Iacob, quæ ingressæ sunt in Ægyptum fuerunt* 70. additis videlicet quatuor ad prædictam summam. At Septuag. qui addunt familiæ Ioseph quinque filios, conficiunt numerum 75. personarum vniuersæ domus Iacob: quem numerum habet S. Stephanus *a* in Actis Apost. In hoc porro numero non ponuntur vxores Iacob, neque filiorum aut nepotum eius; neque plurimi famuli, cum filijs & vxoribus eorum, imo neque filiæ aut neptes Patriarcharum, præter duas: quorum omnium numerus haud dubie maior erat, quam eorum qui distincte numerati sunt. Omittimus porro pleraque dubia circa hunc catalogum, quæ studiosus lector in Annalibus *b* reperiet; sicut & stemmata familiarum Patriarchalium, & primarios quosque viros qui in singulis floruerunt.

66.
70.

VII. Numerus vniuersus 70. vel 75.

a *Act.* 7. 14.

b *An. M.* 2329. *fuse.*

Cum autem Iacob vicinus esset Ægypto, ne importune vel in aulam se daret, vel in regnum inussus irruisse videretur, Iudam præmisit ad Iosephum, qui nunciaret ei adesse patrem, vt sibi mutuo sub ingressum Ægypti occurrerent. Occursus futurus erat in terra Gessen, vbi & habitatio, quam non sine causa Ioseph elegerat, & Israelitis destinarat. Primum quia ager ille pinguis erat in primis ac fertilis, vel Pharaonis ipsius testimonio. Secundo, vt quamuis in Ægypto habitarent, ab Ægyptijs tamen, quantum fieri posset habitatione semouerentur & moribus; & constanter in veri Dei cultu perseuerarent. Tertio ne molesti essent Ægyptijs, si in medio eorum versarentur pastores ouium, quos illi detestantur, vt scripsit ipse Moses *c*. Neque tamen existimandum est omnes Aegyptios excluſos fuisse à terra Gessen. Nam Hebræi abituri petierunt vasa aurea & argentea, non solum ab amicis, sed etiam à vicinis. Denique vt quando ex Aegypto in Chananitidem remigrandum foret, facilius sese ac citius ab Aegyptijs expedire possent: ne in media Aegypto intercepti, à furentibus Aegyptijs circumfusi delerentur: quod postea ad mare rubrum tentarunt.

VI. I. Iacob nunciat aduẽtum tuum Ioſepho.

Cur electa Gessen habitationi Israelitarũ

c Gen. 46 34.

IX. Occursus eorũ ne cessarius.

Decebat autem hunc occursum fieri, qui in Iacobi ac Iosephi honorem redundabat. Honorificum enim erat Iacobo, filium habere Aegypti proregem, qui ipsi honoris causa procederet obuiam. Ad Iosephi quoque honorem pertinebat talem habere patrem, qui ab Aegypti prorege honorari mereretur. Deinde oportebat plerosque ex antiquis colonis terræ Gessen Hebræis loco cedere, agris inquam, ac pascuis, vbi tentoria figerent, & pecora sua nutrirent: quod vt pacifice fieret, ac sine tumultu populi alioqui turbulenti, supremi secundum Regem magistratus autoritas necessaria videbatur. Præterea ibi maturius ac commodius mutua, filium inter ac parentem, agnitio fieri poterat, quam in medijs aulæ turbis. Postremo vt tam Iacob, quam filij eius prænonerentur à Iosepho, qui sese cum rege aulicisque gerere oporteret; quid petituri, quidue respondituri essent.

X. Mutuus eorum cõplexus, & fletus.

Ioseph accepto de patris aduentu nuncio, siue à Iuda primum, siue à speculatoribus & veredarijs, iunxit currum suum, ascenditque obuiam patri suo in Gessen, ad ciuitatem Heroum, vt aiunt Septuag. quod ibi viri nobiles ac bello clari habitarent, in regni scilicet finibus, ad custodiam eius. Cum primum Ioseph patrem vidit, irruit super collum eius, & inter amplexus fleuit; fleuit & senior; & inter lacrymas *d*, *Iam lætus*, inquit, *moriar, quia vidi faciem tuam, & superstitem te relinquo.* Inde fratres reduces salutauit ac complexus est. A complexu ventum est ad colloquia, à colloquijs ad conuiuium; cumque redeundum illi esset ad Pharaonem, eique referendus suorum aduentus, eos monet vt interrogati à Rege, respondeant se pastores esse, eique vni negotio operam dare, vt verbis cũm Iosepho consentiant, vt in terra Gessen, seorsim ab Aegyptijs habitare possint: qui pastores ouium uetestantur.

d Gen. 46 30.

Cur Ioseph Voluerit eos haberi pastores.

Constat nihilominus fuisse apud Aegyptios pastores ouium. Nam Pharao ipse *e* Iosepho dicebat, *si nosti in eu esse viros industrios, constitue eos magistros pecorum meorum*, populus quoque ouibus & bobus abundabat, quos quinto anno famis pro frumento apud Iosephum commutauit, vt suo loco dicetur. Volebat porro Patriarcha suos haberi pastores, vt indigni bellica gloria, aut etiam inepti ad arma censerentur: sicque non mitterentur ad militiam, & à se inuicem distraherentur. Quæ ipsa causa fuit, cur mox iturus ad Regem, quinque de fratribus suis specie ipsa cõtemptibiliores assumpsit: nẽ si præstantiores regi visendos præbuisset, aulicis officijs, aut militiæ ascriberentur: in extremis autem probabilior fiebat oratio Iosephi, eos nihil præter pastoritiam callere: quamuis hic fratrum contemptus in suum ipsius contemptum redundaret.

XI. Ægyptij pecora nutriebãt c. 47. 6. 17.

Ingreditur ergo Iosephus ad Regem, eiq; aduentum totius paternæ familiæ nunciat, cum omnibus ipsorum bonis, ne forte quasi mẽdici, oneri fore putarẽtur Aegyptijs, atq; in terra Gessen subsitisse; quasi præstolantes quid fieri placeret. Simul etiam significat conuenire vt illic permittantur habitare, præsertim cum pascuus esset locus, & ipsi pecoribus abundarent. Ergo cũ Rex scisciteretur ab eis, quid haberent operis, ipsi, vt à Iosepho didicerant, pastores sese professi sunt; idque negotium patrũ fuisse, atq; auitũ: quærere se nunc pecoribus pascua, quæ dudũ in Chananitide exaruissent: ideoque rogare, vt bona cum eius venia, illic habitare liceret, vbi ex itinere substitissent. Acquieuit Rex, & ad Iosephum cõuersus per quã liberaliter optionẽ illi dat cuiusuis prouinciæ

XII. Ioseph suos introducit ad regẽ.

Ægypti; suaque etiam pecora ipsius arbitrio fratribus committenda permittit.

XIII. Ipsumque Iacobum.

Post hæc introduxit Ioseph patrem suum ad Regem, & statuit eum coram eo. At bonus senex non ignorans Reges, quamuis infideles atque improbos, Dei vicarios esse in terris, Deum in Pharaone, quasi viua imagine veneratus est, eique plurimam imprecatus fœlicitatẽ Deo, vt par est credere, tam benigni erga se principis salutem commendauit. Pharao verò grandæuum ac venerabilem senem contemplatus, *Quot sunt*, inquit, *Dies annorum vitæ tuæ*, id est anni, siue dies annales. Cui respondit senex, *Dies peregrinationis meæ centum triginta annorum sunt, parui & mali, & non peruenerunt vsque ad dies patrum meorum, quibus peregrinati sunt.* Vide vt se maioresque suos peregrinos agnoscat, quales Deus eos esse voluerat *a*. Paucis porro annis vixisse se ait comparatione maiorum suorum. Nam cum putaret se iam ad lethi fores peruenisse, meminerat patrem 180. annis vixisse, auum 175. proauum ad ducentesimum quintum peruenisse: eosque ipsos annos suos malos, id est ærumnosos fatetur, & merito. Tota quippe vita eius laborum atque ærumnarum plena fuit, vt notauit Chrysost. *b* De quibus insigniores duodecim, quasi totidẽ Herculeos labores in Annalibus *c* collegimus.

Dies eius quomodo pauci, & mali. *a Gen. 13. 13.*

b hom. 65 & l. 1. de Prouid. c. n. 71. huius anni.

Porro Iacob cum regem iterum honorifice consalutasset, cum suis *egressus est foras, Ioseph autem patri, ac fratribus suis dedit possessionem in Ægypto, in optimo terræ loco Rameses, vt præceperat Pharao.* Ita Moses *d*. Ex quo apparet oppidum Rameses fuisse in terra Gessen, de qua locutus fuerat Rex. Sed nondum ei loco id nomen inditum fuerat, neque vrbs ædificata, vt patet ex initio Exodi *e*: quod Hieronymus quoque in locis Hebraicis confirmat.

XIV. Habitant in Gessen siue Rameses. *d c. 47. 11.*

e c. 1. 11.

ANNVS MVNDI 2330.

IACOBI 132. IOSEPHI 11.

BALÆI 29. Imperij Assyr. 399.

ANTE CHRISTVM 1723.

I. Quartus annus famis. *fc. 47. 12.*

SEquitur quartus annus famis *f*, ad quem, tresque reliqnos, quod attinet ad Israelitas, illa Mosis verba pertinent, *Et alebat eos, omnemque domum patris sui, præbens cibaria singulis*, & quidem gratis. Non enim parcior factus fuerat aut tenuior, quam annis præcedentibus, quibus pecuniam remisit in patriam in ore sacorum. Idque phrasis ipsa Hebraica significat, quæ ait dedisse cibaria *secundum os paruulorum*, id est quantum minimus quisque de familia volebat, vel, vt alij rectius, pro ratione & numero paruulorum, vt scilicet plus illi familiæ daretur, in qua plura erant ora manducantiũ. Ex quo intelligitur gratis eum dedisse frumenta; alioqui dicendum fuisset dedisse pro quantitate pecuniæ, non pro numero manducantium. Idque ex eo confirmatur, quod cum de reliquis agitur, quasi per antithesim fit nominatim mentio pecuniæ. Idque arbitror non sine Regis consensu factum, cuius voluntate in Ægyptum descenderant. Alioqui, ecquid vtilitatis ex tam laboriosa migratione consecuti essent, si æquè ibi suis sumptibus victuri erant?

Israelitæ gratis nutriuntur.

Quod ergo attinet ad Ægyptios, reliquosque populos, *in toto*, inquit Moses *g*, *orbe panis deerat, & oppresserat fames terram, maxime Ægypti & Chanaan.* E quibus omnem pecuniam congregauit pro venditione frumenti, & intulit eam in Ærarium regis. Quod de hoc, & tribus annis præcedentibus intelligendum est. Cum enim frumentum, vt in fame, carissimè venderetur, omnium pecuniam quadriennio corrasit, vt nulla pene ad reliquos vsus in populi manibus reperiretur. Verum non sibi corrasit, sed Regi. *Tanta fide*, inquit Philo *h*, *vsus est in administrandis negotijs publicis, vt cum ratio temporum plurimas occasiones ei præbuisset* ad congerendam pecuniam, potuisset que facile ditissimus sui seculi euadere, totum argentum, aurumque è frumenti pretio collectum retulit in thesauros regios, ne dragma quidem substracta, contentus donis, quibus eum Rex remunerabatur. Eandem fidem commendat S. Augustin. *i*.

II. Cæteri omnem pecuniam tuam cõsumunt. *g v. 13.*

Fides Iosephi *h l. de Ioseph.*

i q. 139. in Gen.

ANNVS MVNDI 2331.

IACOBI 133. IOSEPHI 12.

BALÆI 30. Imperij Assyriorum 400.

ANTE CHRISTVM 1722.

I. Quintus annus famis.

EXeunte quarto seculo Imperij Assyriorum, quintus annus famis vexabat Ægyptum, & vicinas circumquaque prouincias, easque pecoribus spoliauit, quando iam argentum eas defecerat. Cum ergo, ait Moses, defecissent emptoribus pretium, venit cuncta Ægyptus ad Ioseph, missis ad eum vndequaque procuratoribus: dicens, *da nobis panes*, id est frumentum, quo conficiamus panes, quare morimur coram te deficiente pecunia? Quibus ille respondit, *Adducite pecora vestra, & dabo vobis pro eis cibos, si pretium non habetis. Quæ cum adduxissent, dedit eu alimenta pro equis, & ouibus, & bobus, & asinis: sustentauitque illos eo anno, pro commutatione pecorum.* Iam diximus Ægyptios pecora nutriuisse: quæ deinceps Ioseph nutriebat paleis, quas vna cum frumento manipulatim collegerat, partim etiam longius amandauit vendenda, quæ putauit esse superflua: aut ipsis etiam Ægyptijs nutrienda conseruandaque tradidit, dato pabulo, vt essent eorum, non vt ante domini, sed custodes. Credibile autem est, vrgente quintum iam annum fame, multa omnis generis pecora partim ab ipsis dominis consumpta, fames enim omnia vertit in cibum, partim etiam cibi penuria extincta.

Cõsumit pecora.

(*.*)

ANNVS MVNDI 2332.
IACOBI 134. IOSEPHI 13.
BALÆI 31. Imperij Aſſyriorum 401.
ANTE CHRISTVM 1721.

Venerunt quoque anno ſecundo a, id eſt vertente anno à datis pecoribus in commutationem frumenti, qui fuit ſextus famis: venerunt inquam Ægyptij fame oppreſſi. Nam de ipſis hoc loco vel ſolis, vel maxime agi, ſequentia, quæ ſunt de acquiſitione terræ Ægypti, ſatis docent. Et dixerunt Ioſepho *Non celabimus Dominum noſtrum, quod deficiente pecunia, pecora quoque defecerunt; nec clam te eſt, quod abſq; corporibus & terra nihil habeamus. Cur ergo moriemur te vidente? Et nos, & terra noſtra tui erimus.* Hoc vltimum & maximum pretium eſt, quo miſeri Ægyptij à dira ſeſe neceſſitate famis expediunt, proprijs terris, propriaque libertate diſtractis; vt deinceps Ægyptus ita Regis Ægyptij fiat, vt ipſius vnius ſit, in eamque non ſupremum ius modo, & directum, ſed vtile quoque conſequatur: & homines pro ſubditis, ſerui & mancipia fiant. Quod ipſi vltro profitentur; ſubdunt enim. *Eme nos in ſeruitutem regiam, & prabe ſemina, ne pereunte cultore, terra in ſolitudinem redigatur.*

Acquieuit Ioſeph, & acquiſiuit tam ipſos, quam terras eorum, debuitque deinceps omnes tanquam famulos domeſticos alere, omni eorum labore atque opera, in Pharaonis vtilitatem cedente. *Emit igitur Ioſeph* b, ait Moſes, *omnem terram Ægypti, vendentibus in ſingulis poſſeſſiones ſuas pra magnitudine famis.* Nec mirum videri debet pretium poſſeſſionum in hunc & ſequentem annum non ſuffeciſſe, vt pro ijs alerentur. Nam deficientibus emptoribus, permodicum erat earum pretium, frumenti autem maximum, quale omnino venditori placuiſſet. Itaque venditis poſſeſſionibus ſeipſi vendiderunt. *Subiecitque Ioſeph terram Pharaoni, & cunctos populos eius à nouiſſimis terminis Ægypti, vſque ad extremos fines eius.* In Hebræo textu, & Chaldæa paraphraſi, habetur, *Populum vero tranſire fecit ad vrbes ab extremitate termini Ægypti, vſque ad extremitatem eius.*

Quod ita explicat Ioſephus c, cum omnes poſſeſſiones in ius Regis deueniſſent, alium alio migrare fecit, quo certius eſſet regium dominium. Clare Caietanus, *Sanat litera Ioſephum in ſignum tam ſeruitutis Ægyptiorum, quam proprietatis terra acquiſita Pharaoni tranſtuliſſe populos, de agro vnius ciuitatis, ad agrum alterius, vt ſic agnoſceretur Pharao proprius Dominus ſingulorum agrorum, mutando colonos. Et ipſi Ægyptij huiuſmodi facto profiterentur ſe eſſe non ſolum ſubditos, ſed etiam ſeruos Pharaonis.* Sic ipſe. Hinc autem etiam factum eſt, vt omnes Ægyptij exules eſſent, atque extorres à proprijs ſedibus; ne deinceps Iſraelitis, quaſi exulibus & peregrinis inſultare poſſent. Vide Rupertum d in hunc locum.

Porro cum dixiſſet Moſes totam terram Ægypti Ioſephi induſtria Pharaoni acquiſitam, excepit illico terram ſacerdotum, *quæ à Rege tradita fuerat eis*, vt habet vulgata editio, quod à cæteris abeſt, poſita tantum cauſa cur ſacerdotes non fuerint compulſi vendere terram ſuam Regi, ſicut cæteri; quam etiam perſpicue expreſſit Hieronymus; ſubdit enim, *Quibus & ſtatuta cibaria ex horreis publicis prabebantur, & ideo non ſunt compulſi vendere poſſeſſiones ſuas.* Egregia vtique, vehementerque laudabili liberalitate, atque pietate in Deum, ſi verum ei agnoſcere ac colere contigiſſet, cuius miniſtros à communi calamitate eximios eſſe volebat; ſuumque exiſtimabat illis præbere temporalia, à quibus ſpiritalia recipiebat, & publicè alere, publico Dei famulatui deſtinatos. Cum autem iſti ſacrificuli nequiſſimi eſſent omnis ſuperſtitionis incentores & ſtupidiſſimæ omnium idololatriæ mancipia, quid facturum putemus iſtum regem, ſi illi & veri Dei cognitio contigiſſet, & in ſanctos ſacerdotes, qui eum religioſe colerent incidiſſet? Vide in hanc ſententiam Theodoretum e atque Chryſoſtomum. f

Alteram quoque huius priuilegij cauſam afferunt interpretes, quod Aſtrologiæ, ac cæteris mathematicis ſcientijs operam darent Ægyptij ſacerdotes; cui aſſertioni patrocinatur Ariſtoteles initio Metaphyſicæ, Cheræmon Stoicus apud Hieronymum l. 2. contra Iouin. Diodorus Siculus lib. 1. verum de hiſce Ægyptiorum doctoribus nobis ſermo recurret, cum de Moſis inſtitutione dicendum erit. Interim vide quæ hoc loco in Annalibus, ſcripſimus vbi refutatos reperies, qui ſacerdotis nomen hoc loco ad miniſtros regios transferunt. A Ioſepho quoque defenſam iſtam in ſacerdotes benignitatem, contra improbam, ac temerariam Caluini accuſationem.

ANNVS MVNDI 2333.
IACOBI 135. IOSEPHI 14.
BALÆI 32. Imperij Aſſyrior. 402.
ANTE CHRISTVM 1720.

ESt hic annus ſeptimus ac poſtremus famis Ægyptiacæ. De quo Philo, *Incunte anno egeſtatis ſeptimo accitis agricolis, iam enim vbertatis ſpes affulgebat, dedit hordeum & triticum ad ſementem, diligenter cauens ne quis hac in alium vſum verteret.* Sic ipſe. Verum credibilius eſt ſingulis annis iactam in terram ſementem, quamuis tenuis omnino meſſis redderetur, Nilo tenuiter arua rigante. Neque repugnant ea Patriarchæ verba. *Et adhuc quinque anni reſtant, quibus nec arari poterit nec meti*, ſolito ſcilicet more, cum ſpe minimè dubia copioſæ meſſis; cum his ſeptem annis tam maligne terræ votis agricolarum reſponderit, vt parum pro nihilo reputaretur. Adde quod alioqui terra in ſolitudinem redacta fuiſſet; quod vitandum eſſe iam præterito anno Ægyptij Ioſepho dicebant. Itaque exiſtimandum eſt nunquam plane defertam fuiſſe agriculturam, ſed Ægyptios prioribus quinque annis agros ſuos tempo tritico ſeuiſſe, duobus autem ſequentibus, cum & agri & perſonæ in dominium Pharaonis tranſiſſent, traditum Ægyptijs frumentum, quod tam ipſorum victui, herus enim ſeruo victum debet, quam ſationi neceſſarium erat.

Itaque ad vtrumque hunc annum, ſextum inquam & ſeptimũ egeſtatis pertinere arbitror illa verba Ioſephi. *En vt cernitis, & vos, & ter-*

ram

a 1. Venerunt ſecundo anno famis. c. 47. v. 18.

b 11. Vendunt Ægyptij terras ſuas, & ſi bertatem 19. 20.

c 12. Seruitus & transmigratio Ægyptiorum. c. 12. Ant. c. 2.

d Lege 20 Gen. c. 20

e 1. 16. f Hom. 65.

e 1. 16. f Hom. 65.

v. Qui dediti mathematicis. Abul. Caten.

1. Agricultura non ceſſaſſe ad ſeptennium

11 Liberalitas Ioſephi.

cum Ægyptijs.

ram veſtram Pharao poſſidet, accipite ſemina, & ſerite agros, vt fruges habere poſſitis. Sed vide liberalitatem. *Quintam*, inquit, *partem Regi dabitis, quatuor reliquas permitto vobis in ſementem, & in cibum familijs & liberis veſtris.* Regia plane Ioſephine, an Pharaonis, an vtriuſque beneficentia? Suggeſſit Regi Ioſephus, conſenſit Ioſepho Rex, populus vniuerſus beneficium accepit. Cum enim tota plane meſſis ad eum pertineret cuius erat ager, & ſementis, & agricolæ, neque iſti quidquam ex ea præter tenuem victum ſibi vendicare poſſent, quatuor eis partes conceſſit, quintam quotannis Regi pendi iuſſit, vt deinceps non tam coactos ſeruos, quam benevolos haberet ſubditos.

III. Eorum gratus animus.

Ad tam inopinatum, tamque munificum nuncium mirè exhilarati Ægyptij, *Salus noſtra*, inquiunt, *in manu tua eſt, reſpiciat tantum nos Dominus noſter, & læti ſeruiemus Regi.* Quaſi dicant, Reſtituiſti nos in vitam, dignare tantum iſta nos proſequi benevolentia, & ſi videatur, beneficij loco nobis erit ſeruire Regi. Qui eſt populi conſenſus in propoſitam à Ioſepho conditionem ac legem. Itaque *ex eo tempore*, ait Moſes, *vſque in præſentem diem in vniuerſa terra Ægypti regibus quinta pars ſoluitur. & factum eſt quaſi in legem, abſque terra ſacerdotali, quæ libera ab hac conditione fuit?* Vtpote quæ diuendita non fuerat, nec in regium dominium tranſierat, Regi ipſis de victu ſolito more gratificante. Ex quo agnoſci poteſt ſingularis Ioſephi ſapientia, qui cum maxima populi gratia, tantum illi tributum impoſuerit, & liberalitas, qui de mancipijs emptitijs penſionarios fecerit vel cenſuales. Induſtria denique in augendis mirum in modum reditibus regijs: vt iure ac merito Rex, eiuſque populus vniuerſus Iſraelitas fouere omnibuſque beneficijs proſequi, in gratiam Ioſephi debuerit in omnes annos conſequentes.

Singularis Ioſephi ſapientia.

Tempus cõtractus huius.

Hæc autem conſtituta ſunt, Ioſepho interprete, inter populum ac Regem, nõ poſtquam ceſſauit fames, vt putauit Flauius, ſed illa adhuc perſeuerante, quæ populum tractabiliorem, & ad quamuis conditionem accipiendam faciliorem reddebat.

ANNVS MVNDI 2338.

IACOBI 140. IOSEPHI 19.

BALÆI 37. Imperij Aſſyr. 407.

ANTE CHRISTVM 1715.

1. Annus tertiæ ætatis 100. Sparta condita.

HOc trecenteſimo ab ortu Abrahami, eodemque tertiæ ætatis anno, nam tertiam ætatem in magni illius Patriarchæ natiuitate inchoauimus: Sparta celeberrima poſterioribus ſeculis ciuitas, in Peloponneſo à Sparto filio Phoronei conditur, à quo & accipit nomen. Author Euſebius in Chron. vbi habes confirmatam noſtram temporis rationem de anno Promiſſionis 225. & principatus Ioſephi 19. & ætatis Iacobi & Abrahami, & regni Balzi Regis Aſſyriorum.

Sequenti autem Author libri Teſtamenti Patriarch. ſcribit natum fuiſſe Merari, anno ſcilicet quinto & 50. patris ſui Leui, additque matrem eius in eo pariendo mortuam, ideoque filium ab amaritudine appellatum eſſe Merari. Verum ſi is cum patre ingreſſus eſt in Ægyptum, vt fert catalogus Moſis a, oportet in numeros irrepſiſſe mendum, & forte pro 55 legendum 45. qui eſt annus deſcenſus in Ægyptum. Niſi placet etiam hunc numerari antequam natus eſſet.

Ortus Merari.

a Gen. 46. 11.

ANNVS MVNDI 2345.

IACOBI 147. & vlt.

IOSEPHI 26.

BALÆI 44. Imperij Aſſyriorum 414.

ANTE CHRISTVM 1708.

HAc ætate mundi, mortuus eſt Iacob Patriarcharum pater. Sic enim habet Moſes b. *Habitauit Iſrael in Ægypto, id eſt in terra Geſſen, & poſſedit eam, auctuſque eſt, & multiplicatus nimis. Et vixit in ea decem & ſeptem annis, factique ſunt omnes dies vitæ illius* 147. *annorum.* Quod porro dicitur Iacob poſſediſſe terram Geſſen, totum pro parte accipiendum eſt. Nam in Hebræo & Græco eſt, hæreditarunt, ſiue poſſeſſiones habuerunt in ea. Emerunt ſcilicet agros & vineas & domos à vendentibus fame compulſis, cum ipſi non carerent pecunia, & gratis frumentum acciperent, vt ſupra declaratum eſt. Etſi ergo precario illuc à Pharaone introducti ſunt, emptione tamen in iura vendentium ſucceſſere, & optimo iure facti ſunt poſſeſſores: quamuis eos Caluinus precarios poſſeſſores appellet, quem vt Scriptura refelleret, voce hæreditandi vſa eſt; ſignificans pari iure quo hæredes ſolent, factos eſſe dominos bonorum, quæ emerant.

1. Annus mortis Iacobi.

b Gen. 47. 27.

Quid in Ægypto poſſederit.

Cumque appropinquare cerneret c diem mortis ſuæ, Iacob, *vocauit filium ſuum Ioſeph*, orauitque impenſius, vt poſt mortem ſuam transferret corpus ſuum in terram Chanaan, ſepeliendum in ſepulchro patrum ſuorum; nec orauit ſolum, ſed promiſſionem datam iureiurando firmari voluit. *Pone*, inquit, *manum tuam ſub femore meo*, qua ceremonia ſignificabatur iuſiurandum edi per eum qui aliquando de ſemine Iacobi naſciturus erat, vt ſupra quoque *d* in iuramento Eliezeri explicatum eſt. Eam porro flagitauit translationem, ſiue vt eam terram, quaſi Dei promiſſionem, & donum ſe magni facere oſtenderet, ſiue vt ſpem filiorum eõ aliquando reuertendi firmaret, cuius & ipſe, & patres eius, vel mortui poſſeſſionem cæpiſſent. Accepto à filio iureiurando, Iacob adorauit Deum conuerſus ad lectuli caput; ſiue propter iuriſiurandi religionem, quam proxime Ioſephus vſurparat; ſiue gratias agens Deo, qui Ioſepho inſpirarat,

II. Cõſtituit ibi, iureiurando de ſepultura ſua. c c. 47. 29

d cap. 24.

Et adorauit ad lectuli caput.

vt sibi de transferendo in Chanaan corpore suo assentiretur, & iureiurando confirmaret: Mysterium autem adoratæ summitatis virgæ in Annalibus e non negligenter explicatum reperies.

e n.4.&5

III. Ioseph patrem moribundum adit cum filijs a Gen. 48 1.2. &c.

His ita transactis redijt Ioseph ad Pharaonem in regiam, Iacob autem remansit domi, vbi non ita multo post in supremam ægritudinem incidit. *Nunciatumque est Ioseph* a, *quod ægrotaret pater suus, qui assumptis duobus filijs Manasse & Ephraim ire perrexit*; agebat ille annum vigesimum sextum, ille 25. Neutrum tamen liberos adhuc genuisse putat Hieronymus, quod alioqui ducti fuissent etiam ipsi ad senem, vt morientis benedictionem assequerentur. Verum ne aliorum quidem filiorum paruuli, ad eum deducti sunt, quorum magnam multitudinem fuisse constat. Nam, vt paulo ante dictum est, in Ægypto auctus est Iacob, & multiplicatus nimis. Vidit scilicet ingentem nepotum syluam, omnibus ex filijs suis succrescentem, ad consolationem suam, & diuini oraculi comprobationem. Et hanc ipsam multitudinem causam fuisse arbitror cur excluderentur, & benedicerentur in patribus suis.

IV. Vt ab eo acceptus. b Gen. 48 2. *vide Chrys. hom. 66. & Rupert. l. 9. c. 21.*

Dictumque est Seni, Ecce filius tuus Ioseph venit ad te b *Qui confortatus* ex aduentu filij, quem amore & honore prosequebatur; & ex nouo prophetici spiritus vigore, *sedit in lectulo*, in quo æger, & defectis iam viribus prius iacebat. Et ingresso ad se refert Domini apparitionem & promissionem terræ Chanaan sibi factam, cum suscepta patris benedictione iret in Mesopotamiam, vt doceat se inde ius adeptum esse regionis illius diuidendæ in filios suos, in quorum propterea numerum recens adlegit duos, volens eorum, in primaria diuisione terræ, rationem haberi, sicut & cæterorum. Id illa verba significant. *Duo ergo filij tui, qui nati sunt tibi in terra Ægypti, antequam huc venirem ad te, mei erunt, Ephraim & Manasses, sicut Ruben & Simeon reputabuntur mihi.* In Hebræo & Græco, *mei sunt*, quasi dicat, iam nunc eos habeo non nepotum, sed filiorum loco hæredes eos habere volo, quamuis in Ægypto genitos, sicut & reliquos filios, imò & inter præcipuos. *Reliqui autem, quos genueris post eos, tui erunt. & nomine fratrum suorum vocabuntur in possessionibus suis*, id est ad alterutram tribum pertinebunt. Hæc ergo causa fuit cur non vna deinceps esset tribus Ioseph, sed duæ, quarum capita essent duo eius filij, Ephraim & Manasses.

Adoptat duos filios Ioseph.

V. Cur meminerit mortis Rachelis.

At importuna videtur hoc loco mentio mortis Rachelis & sepulturæ, præsertim cum præcedentibus pro ratione annectatur. Respondeo probari hoc loco consentaneum esse duos filios Iosephi, Rachelis nepotes, quæ præmatura morte obierit, ac sepulta sit, in filios Iacobi assumi, loco illorum, quos illa gignere potuisset, si diuturnior ipsi vita contigisset. Quæ fuit omnino Ruperti sententia. c *l. 9. c. 23* *Idcirco*, inquit c, *hi duo filij tui mei erunt, vt mortua coniugi semen suscitem, & suppleam adoptione, quod minus habui naturali generatione. Videns autem filios eius, dixit ad eum, Qui sunt isti, Oculis enim Israel caligabant præ nimia senectute, & clare videre non poterat. Respondit Ioseph, filij mei sunt, quos donauit mihi Deus in hoc loco. Adduc, inquit, eos ad me, vt benedicam illis. Applicitosque ad se deosculatus, & circumplexus eos, dixit ad filium suum. Non sum fraudatus aspectu tuo, insuper ostendit mihi Deus semen tuum.* Viderat quidem eos ante annos 17, sed puerulos. Neque enim credibile est tanto tempore nunquam à Iosepho patri oblatos, cui id spectaculum erat iucundissimum: sed perquam diu visos non fuisse, vt qui non cum auo in Gessem, sed cum patre in aula versarentur; magna interim facta in se, & in illis mutatione. Non admodum iam caligabat oculis senex, & illi in viros euaserant.

VI. Benedicit filijs Ioseph.

Cumque tulisset eos Ioseph de gremio patris sui: nam iubente patre, ambo vicissim ad aui genua sedentis acciderant, quos recepit ad se pater, vt eos congruè ad accipiendam aui benedictionem componeret: prius autem adorauit pronus in terram, siue honorans patrem, siue adorans Deum, quoniam ab vtroque futura erat benedictio, quam filijs ambiebat. Itaque vtrumque composuit, vt Manasses primogenitus recta paternæ dexteræ, cuius erat aliqua in benedicendo ceremonia, Ephraim sinistræ responderet. Sed Iacob de industria decussauit manus, agnoscens spiritu prophetico eum, qui naturali ordine prior erat, posteriorem fore. Quod videns, necdum tamen intelligens Ioseph, grauiter accepit, voluitque commutare parentis manus, existimans maiorem benedictionis efficaciam, tam ex diuina dispositione, quam ex intentione parentis, huic ceremoniæ esse coniunctam. Nec tamen euicit, respondente Patriarcha, *Scio fili mi, scio. Et iste quidem erit in populos, & multiplicabitur*; idque docuit euentus. Nam filij Manassis non vnicam, vt cæteræ tribus, regionem in sortem suam, sed geminam obtinuerunt, alteram trans Iordanem cis à Mose datam, alteram cis flumen à Iosue; *Sed frater eius minor maior erit ille.* Nam tribus Ephraim facta est caput decem tribuum, & regni, quod postea Israelis appellatum est. Et Iosue glorioliissimus Imperator de tribu Ephraim, introduxit populum Dei in terram Chanaan, eamque diuinitus subiugauit, & Dei populo diuisit.

Detrusatis brachijs.

VII. Inuocatio sanctorum stabilitur.

Bene autem precatur Iacob iuuenibus istis, inuocato super eos, non solum Deo aui & patris sui, & suo, sed Angeli custodis sui, qui eruit eum de cunctis malis; vt oculi aureique Caluino doleant, cæterisque sectarijs, quibus inuocatio Sanctorum fœtet: quin & prædicit fore, vt inuocetur nomen suum super eos, quemadmodum Abrahami & Isaac. Quod in praxim deduxit Moses, qui ad placandum Deum populo suo, sic orabat d, *Recordare Abraham, Isaac, & Israel seruorum tuorum*, vocans scilicet in auxilium, & patrocinium causæ suæ, merita trium Patriarcharum, qui Deo placuerant, sicut nos sanctos Apostolos, ac Martyres Christi Domini. Sed hunc in locum in Annalibus e diligentius explicatum reperies. Postremo autem Iacob nepotibus suis amplam imprecatur posteritatem, vt fiant in gentes & populos, adeo vt in exemplum assumantur, cum quis alicui filiorum multitudi-

d Deut. 9. 27.

e n. 17.

nem

Morę in Aegyp. 17

nem imprecari voluerit. Ipsi autem Iosepho, in signum grati animi, dedit terram Sichimorum, quam sibi acquisierat, tuleratque de manu Amorrhæi in gladio & arcu suo, id est iure belli, vt Hieronymus interpretatur, habetque prouerbij locum, de re multo labore parta.

VIII. Benedictiones Patriarcharum.

Quoniam vero cœperat Patriarcha filijs benedicere, eisque denunciare futura; reliquos ad se Patriarchas aduocauit, vt illis annunciaret, *qua ipsis uentura essent in diebus nouissimis*, siue in futurum, quæ quia prophetica magis sunt, quàm historica, in hoc compendio prætermittentur à nobis, excepta nihilominus benedictione Iudæ, quæ omnium grauissima est, maximeque necessaria, breuiter tamen vt Epitomen decet. *Iuda*, inquit, à laude & confessione iure nomen accepisti, nam *te laudabunt fratres tui*, vt omnium maximum atque fortissimum, & victorem inimicorum tuorum. Id auget ac declarat comparatione cum leone qui rapta præda, super eam quiete accubat, minime formidans ne quis eum suscitare audeat, ad propugnandum pro præda sua, quippe qui impune id non sit aggressurus. Vt ergo leo constanter præda potitur sua, ita Iudas regia dignitate potietur.

Præsertim Iudæ.

IX. Ea prædictio exponitur.

Non enim *auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec ueniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.* Quod oraculum, cum optimis quibusque interpretibus, quos alibi recensui, sic explico. Non auferetur penitus, & sine spe restitutionis regnum de tribu Iuda, ex quo semel illi collatum fuerit, & in qua pene mansit à Dauide vsque ad Cyrum, aut omnino de gente Iudæa: nam qui Babylone redierunt ad regnum Iuda, non ad regnum Israel, siue decem tribuum pertinuere, & Iudæi ab eodem Iuda sunt appellati; qui quoniam reges non fuerunt, hoc loco Ducum nomine censentur: & hi in Iudæa quo quo modo rerum potiti sunt, ipsius regiæ tribus voluntate, electione, atque consensu; vt propterea ipsa tribus Iuda regnare censeretur, etiam cum Machabæi Leuitici generis rem Iudaicam administrabant. Donec Herodes à Iudæorum gente plane alienus, non Iudaici populi consensu, sed tyrannica Romanorum potentia, dominationem occupauit in Iudæos: quando Christus Messias, qui mittendus erat, omniumque gentium quarum futurus erat Seruator, erat expectatio, natus est. Tunc enim plane atque irreuocabiliter sceptrum tam de Iuda, quam de Iudæis ablatum est, nec quisquam, eorum arbitrio aut voluntate, Iudæis imperauit, vsque in hanc diem.

Quomodo non defecit sceptrum de Iuda.

X. Occurritur obiectioni.

Huic tamen expositioni videtur officere, quod in ea nomen Iuda præcisè non accipimus de tribu Iuda, de qua tamen perspicuum est Patriarcham hoc loco esse locutum, prout à cæteris tribubus distinguitur. Respondeo cum Pererio & Cornelio, dici posse præcisè Iudam regnasse, & sceptrum in ea præcisè tribu stetisse, quandiu illius consensu ac voluntate, Iudæus aliquis, id est ad regnum Iuda pertinens regnauit: in quo erant Leuitæ ac Beniaminitæ, & si qui aliarum tribuum ad illud se aggregarunt; relicto regno Israelis. Sicut regnum Polonicum permanere dicitur, quandiu Regni proceres regem sibi suo iure deligunt. Qua potestate si eos Turca priuaret, sibique eam occuparet, regnum illud concidisse diceretur. Eum porro qui mittendus erat esse verum Messiam Saluatorem mundi, ne Iudæi quidem, præter paucos, negant. Sed cum illum sibi animo aliter depinxissent, quam fuerat à Prophetis prænunciatus, venientem neque agnouere, neque recepere: dicente Euangelista a, *in propria uenit, & sui eum non receperunt*: & Christo ipso b, *quia non cognouisti tempus uisitationis tuæ.* Ergo alium expectant quem recipiant, pseudomessiam Antichristum.

a Ioan. 1 v. 11.
b Luc. 19 44.

Dicitur porro Messias Christus Dominus *Expectatio gentium*, siue Aggregatio gentium, & ab Aggæo c *desideratus cunctis gentibus*, eadem sententia: Aggregantur enim omnes ad eum quem desiderant. Nimirum, quia non solis Iudæis mittebatur, vt ipsi opinabantur: ex qua opinione illud quasi perabsurdum iactabant d, *Nunquid in dispersionem gentium iturus est, & docturus gentes?* Quamuis enim antiqui Prophetæ ipsis ferme solis missi essent, Messias tamen, vel maxime gentibus mittebatur, quarum vocatio ab omnibus fere Prophetis prædicta fuerat, Dauide maxime & Esaia, quorum ille e, *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam*, &c. hic autem f, *Ecce dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ*, quarum primitiæ fuerunt Magi, qui eum adoraturi ex oriente venerunt. Quamuis autem non sit expectatio, aut desiderium incogniti boni, & hæ gentes ante Christi aduentum g *ambularent in tenebris, & regione umbræ mortis*, expectabant tamen ac desiderabant, appetitu non elicito, sed innato, quo modo terra in sterilitate desiderare dicitur, aut expectare pluuiam de cœlo.

XI. Christus expectatio gentium.
c cap. 2.
d Ioan. 7 35.
e Psal.
f Esa. 49.
g Esaia 9. 2.

Expleta filiorum benedictione Iacob, sepulturam corporis sui, quam à Iosepho impetrarat, vniuersę nunc ab omnibus filijs petit, vt & ipsi hoc supremum officium, quamuis laboriosum, parenti non denegent. *Ego*, h inquit, *congregor ad populum meum*, populum scilicet Sanctorum, qui vita sancti expectant sub terris Saluatorem mundi. *Sepelite me cum patribus meis in spelunca duplici, quæ est in agro Ephron Hethæi contra Mambre, in terra Chanaan, quam emit Abraham cum agro ab Ephron Hetheo, in possessionem sepulchri.* Ibi sepelierunt eum, & Saram vxorem eius. Ibi sepultus est Isaac, cum Rebecca coniuge sua, ibi & Lia condita iacet. In Hebræo habetur eam ab ipso Iacobo sepultam: Et ibi, inquit, sepeliui Liam. Pergit. *Finitisque mandatis, quibus filios instruebat* de migratione sua ad populum suum, deque electo à se loco sepulturæ, placide se ad mortem composuit, *collecto super lectulum pedibus.* Nam sederat in lectulo prius, demissis è lecto pedibus, vt commodius Iosephum venientem exciperet, eiusque filios amplecteretur, ac benediceret. Secuta est inde reliquorum fratrum benedictio, & de sepultura mandatum, quibus expletis, pedes in lectulum rursus intulit, & ob

XII. Iacob petit officium sepultu in Hebr. h Gen. 49.

& mortuus.

dormiuit

dormiuit in Domino, *appoſituſque eſt ad populum ſuum.*

XIII. Fletur. & imagitur.

Vtique quod ad animam attinet, ſecundum quam adijt cæterorum ſanctorum cœtum. Nam de corpore mox ſubſequitur accurata narratio, ſed antecedit fletus. Nam Ioſeph cernens patrem mortuum *i, ruit ſuper faciem eius, flens, & deoſculans eum*, atque adeo eius oculos claudens, vt Dominus promiſerat ſeni, ſimulque paterno amori vicem reddens, in quo cum nemini fratrum cederet, primus eum effudit foras: inde ceratim cæteri, Iudas præſertim ac Beniamin, qui quamuis in amando ſuppares, primum tamen locum Proregi conceſſerunt. Qua naturalis affectus exhibitione expleta, *præcepit* Ioſeph *ſeruis ſuis medicis*, ita vocat pollinctores, & funeratores, & omnino condiendorum cadauerum peritos quæ peritia in Ægypto quondam maxime viguit; *præcepit*, inquam, *ſeruis ſuis vt aromatibus condirent patrem; quibus iuſſa explentibus tranſierunt* 40. *dies, iſte quippe mos erat cadauerum conditorum*, quem ex Herodoto, & Diodoro Siculo petere licet; quæ tamen non crediderim in hoc funere vniuerſe obſeruata, ſed pro arbitrio Proregis, quid in hac re decorum ac rectum eſſet obſeruantis, vt in Annalibus *a* explicatum eſt, vbi & Caluini in Ioſephum criminationem, circa hanc condituram, infregimus.

i Gē 50.1

ann. 46. & 47.

XIV. Petit Ioſeph per ac i os com. meatum ad funus. *b* Gen. 50 4.

Expleto planctus tempore, locutus eſt Ioſeph ad familiam Pharaonis *b*, vt commeatum ſibi ad comitandum paternum funus impetrarent. Tanta gratia ac dignitate vir non adit ipſe Regem, ſed mittit interpretes, aut quia is erat Ægypti mos, vel ne functus ad regem accederet, vel vt benuolentiam experiretur aulicorum, & gratiam apud regem. Difficile enim impetrandam putabat vel abſentiam ſuam, qui omnia in regno adminiſtraret, vel translationem corporis, quod forte Pharao, ob amorem filij, & ſanctitatem patris, recondi voluiſſet in honorato quopiam Ægypti loco. Denique ingenuo pudore præditi homines verecundius pro ſe quippiam petunt, pro amicis autem, animoſius atque decentius. Ergo *ſi inuenio*, ait, *gratiam in conſpectu veſtro, loquimini in auribus Pharaonis, eo quod pater adiurauerit me, dicens, Ecce morior, in ſepulchro meo, quod fodi mihi in terra Chanaan ſepelies me.* Fodere hic Chaldæa paraphraſis interpretatur præparare. Lyranus quoque & Abulenſis aiunt Iacobum ſibi & Lix peculiare ſepulchrum præparaſſe in illo agro, quem Abraham iampridem emerat, quod iampridem ſenſit quoque S. Auguſt. *c*

c q. 170. in Gen.

XV. Abit mul to cum comitatu

Aſcendam igitur, inquit Ioſeph, *& ſepeliam patrem meum, ac reuertar*, ſicque Regi metum adimit de non redeundo. Ideoque facile audiuit ab eo. *Aſcende, & ſepeli patrem tuum, ſicut adiuratus es. Quo aſcendente ierunt cum eo, omnes ſenes domus Pharaonis, cunctique maiores natu Ægypti: Domus Ioſeph cum fratribus ſuis*, nempe tribuum capitibus, *abſque paruulis, & gregibus, atque armentis, quæ dereliquerunt in terra Geſſen*, quaſi obſidum loco. *Habuit quoque in comitatu currus & equites, & facta eſt turba non modica*, vt triumphus bene potius, quam funus videri poſſet. Veneruntque ad aream Atad, ita dictum agrum, quod rhamnis & carduis circumuallatus eſſet. Eſt autem is locus, qui poſtea, Hieronymo teſte, dictus eſt Beth-agla, tertio ab Hierico lapide, eſtque cis Iordanem Hieroſolymitis, Moſi autem, qui illum fluuium non tranſiuit, trans Iordanem. Apparet autem Ægyptios non tranſiſſe Iordanem irrito labore: nec per deſertum, ſed per Gazam recta tritaque via, eo veniſſe. Ibi ergo celebrauerunt exequias, planctu magno atque vehementi, ſeptem dierum ſpatio. Quod cum vidiſſent Chananæi, dixerunt, Planctus magnus eſt Ægyptijs. Et idcirco vocatum eſt nomen loci illius, *Planctus, Ægypti* ſiue Abel Meſrain.

Luctus Ægypti.

Finito luctu delatum eſt corpus in Hebron, ibique ſepultum; vbi & nos par eſſet ſepulchralia deſigere ornamenta. Quidni enim magno Iacobo, magno Patriarcharum Patriarchæ, filio Iſaaci, nepoti Abrahæ, vtriuſque virtutum, promiſſionum, ac benedictionum hæredi? cuius benedictiones confortatæ ſunt benedictionibus patrum eius; confortatæ ſunt, imo & præualuerunt: Superauit enim vtrumque multitudine prolis, ſuperault & præſtantia. Ex eo enim vno vniuerſus Dei populus propagatus eſt. Ab illis autem etiam Iſmaelitæ, & Madianitæ, & Idumæi, mancipia idolorum. Superauit & reuelationum copia, & perſpicuitate, vt prædictiones factæ filijs ſuis abundè declarant; præſertim quæ ad Chriſtum pertinent. Nam cum illis tantum promiſſum eſſet fore, vt in eorum ſemine benedicerentur omnes gentes, Iacobo inſuper reuelatum eſt, Chriſtum de Iuda eſſe naſciturum, eumque expectationem gentium, mundi Saluatorem, & deſiderium collium æternorum fore. Quo enim propius temporum decurſu veniebatur ad Chriſtum, hoc etiam apertius atque illuſtrius eius myſteria verbis factiſque vulgabantur.

XVI. Sepelitur & laudatur.

anteferetur patri cus.

Sed quoniam Patriarchæ, vita & factis magis, quam verbis & lingua Chriſtum venturum demonſtrarunt, id in Iacobo quoque ex nouemdecim capitibus petita ſimilitudine in Annalibus breuiter oſtendimus, ex quibus hic duo triaue capita, cum bona venia feſtinantis Lectoris, ſubijciemus. Nam Iacob nondum natus in vtero materno luctatur cum Eſau, qui prior erat oriturus, & victoriam obtinet ac principatum: diuino enim oraculo pronunciatum eſt maiorem ſeruiturum minori. Duo erant filij Dei, primogenitus angelus, ſecundo genitus homo, vterque diuinæ hæreditatis ac benedictionis capax. Et introducit Dominus in orbem terræ filium ſuum hominem factum, & ait, *Adorent eum omnes Angeli Dei*, vt maior ſeruiat minori. Naſcitur Iacob, mox que humili domeſticóque obſequio, parentibus in tabernaculis deſeruiens, illius referebat imaginem, qui ipſos 30. annos parentibus obſequioſiſſimum exhibuit famulatum; vterque eximiè dilectus matri, vterque abditus domi, vterque coruſcantem diuinarum gratiarum fulgorem, humili vitæ conſuetudine occultauit.

XVII. Eius cum Chriſto ſimilitudo. In eo quod maior i præteritur.

& eius domeſtico famulatu.

Iacob filius opulenti patris, auique, quaſi pauper, ſolus, & nudus egreditur è paterna domo: & hoſpitio carens in agro pernoctat

XVII In paupertate.

sub dio, terram pro lecto habens, & lapidem pro ceruicali, super eum nihilominus diuina contemplantem angeli Dei ascendunt ac descendunt. Nonne in figuram illius d, *qui cum dines esset propter nos egenus factus est, vt illius inopia diuites essemus*: qui in natiuitate hospitio caruit, & in peregrinationibus suis non habuit vbi reclinaret caput suum. Denique, vt ait Augustinus e, quod Iacob per figuram in somnis viderat, hoc de se Dominus in Euangelio prædicabat f, *Videbitis cœlum apertum, & angelos Dei ascendentes & descendentes super filium hominis.*

d 2. Cor. 8. 9.

e Serm. 79. de Temp. fine. t. 31

XIX. Et diuitijs.

Etsi autem pauper erat Iacob, mox tamen & ipse diues factus est, & Labanum in tenui olim re vehementer locupletauit. Nihil habebat mundus, vt meditatur Rupertus g, ante Redemptoris aduentum, nisi modicum legalis scientiæ, quam pauci nouerant, & modicum carnalium cæremoniarum, quarum ritu vmbratico perpauci vnum Deum vtcunque colebant. At veniente Christo mundus vniuersus vera Dei cognitione locupletatus est: quem Deus ad introitum Christi, omni benedictione spiritali benedixit, peccata sustulit, dona Spiritus sancti largitus est. Ipsum autem Christum, qui semetipsum exinaniuerat, *Deus exaltauit, & dedit ei nomen, quod est super omne nomen.* Et sicut ita ditatus est Iacob, vt diceret, *In baculo meo transiui Iordanem istum. & nunc cum duabus turmis regredior*; quo ipso tempore venerunt illi obuiam Angeli Dei. Christus torcular calcauit solus, mox autem exaltatus à terra, turmas gentilium ac Iudæorum ad se traxit. Et in cœlum ascendens, turmam animarum sanctarum, quas à subterraneis locis eduxerat, secum ducens, regressus est in cœlum: cui etiam occurrerunt multæ myriades Angelorum, eius victoriam prædicantium, & dicentium, *Quis est iste, qui ascendit de Edon, tinctis vestibus de bosra?*

g l. 7. c. 26 27. &c.

& reditu in patriã.

XX. Timor fratrum Iosephi. a c. 50. 14

Hoc perfunctus pietatis officio Ioseph. cum fratribus atque vniuerso comitatu in Ægyptum reuertitur a. Eò postquam peruẽtum est, communi parente quasi propugnaculo sublato, ex conscientia sceleris antiqui, nouus redintegratur timor. Timent enim fratres Iosephi, *& mutuo colloquentes, ne forte*, inquiunt, *memor sit iniuriæ, quam passus est, & reddat nobis omne malum quod fecimus*; *mandauerunt ei*, non per filios Balæ, vt Hebræi putant, sed, vt arbitror, per Beniaminum vterinum fratrem longè dilectissimum, & criminis illius penitus, immunem. Mandati sententia hæc fuit. Præcepisse Iacobum filijs suis, suo vt nomine Iosephum orarent, vt fraterni in se criminis obliuisceretur, idque ipsum illos suppliciter orare. Fictum hoc Iacobi præceptum, plerique merito sentiunt. Dixisset enim Iosepho id ipse per sese, tum maximè, cum filios congregatos benedixit. Non duxit tamen necessarium eius rei meminisse, Iosephi sui lenitati, atque placabilitati confidens: ratus quoque bene obductam silentio atque oblivione cicatricem, noxia commemoratione refricandam non esse. Id tamen illi necessarium putarunt, Iosephi animum fortasse ex implacabili quorundam aulicorum iracundia metientes.

Quibus auditis Ioseph, in argumentum fraternæ charitatis, dulcissimæque beneuolentiæ lachrymatus est, anxio fratrum mœrori, timori, atque pœnitentiæ condolescens; quæ videbat post decimum septimum, atque adeo quadragesimum annum in ipsorum animis renouari. Eos ergo, metum omnem abstersurus accersit ad se. Qui cum timidè venissent, *proni adorantes in terram dixerunt, serui tui sumus.* Quasi dicant, Si perdideris nos, vt possunt domini seruos, commodis officies tuis, famulos tuos, seruosque perdideris. Quæ cum illi pallente vultu, anhelo pectore, trementibus membris dicerent. *Nolite timere*, ait Ioseph, *Num Dei possumus resistere voluntati?* &c. Ad speciem factum excusat, ne illi mœrore nimio, aut metu absorbeantur: nec tam factum ipsum ex natura sua, & mala fratrum voluntate æstimat, quam ex bono, quod Deus elicuit, propter quod & illud permittere voluit; iuxta ea, quæ supra contra Caluinum disputata sunt in Annalibus.

XXI. Qui eos cõsolatur

v. 19.

XXII. Et persecerat eos pascere.

Excusata vtcunque fratrum culpa, rursum animum eorum excusitat, promittens suam in eos deinceps quoque beneficentiam. *Nolite timere*, inquit, *ego pascam vos, & parvulos vestros*; nedum scilicet malum pro malo reddam; aut solitam saltem subtraham liberalitatem. Nec largior promissis, quam factis fuit. Nam Philo, Confirmatis, inquit fratribus; facta conuenientia dictis addidit, nihil omittens, quod ad eorum commoda pertineret. Quæ liberalius etiam Flauius noster amplicauit, vt magnas etiam possessiones illis largitum esse dicat.

ANNVS MVNDI 2353.

IOSEPHI 34. IOBI 26.

BALÆI 52. & vlt. Imperij Assyr. 422.

ANTE CHRISTVM 1700.

1 Balæi obitus.

IN hac rerum gestarum, aut scriptorum potius tam sacrorum, quam profanorum penuria, aut potius inanitate, quæ à Patriarchæ Iacobi morte, vsque ad Iosephi obitum protenditur, non habent Chronologi vbi pedem certò figant, nisi in aliquot regum initijs atque finibus. Qualis est hic annus, qui Balæi decimi Assyriorum regis imperium vitamque concludit. Decimum eum cum S. Augustino b diximus; tametsi Eusebius in Chronico ipsum appellet nonum, vtpote qui Belum primum omnium Assyriorum regum prætermiserit. Est hic quoque annus initium septemdecim seculorum, quæ ante Christi Domini ortum nobis decurrenda superfunt.

b l. 18. de Ciu. c. 4.

Tempus ante Christũ.

Sub hæc tempora, vt refert S. Augustin. a Argiuorum rege Argo, à quo & nomen acceperunt regnante, suis cœpit vti frugibus Græcia, & habere segetes ex propria agricultura, quæ delatis hactenus aliunde frugibus, vixerat. Eo nimirum tempore Ceres illuc venisse perhibetur, cui frugum inuentio in Attica tribuitur.

11. Argus & Ceres. a l. 18. c. 6 de Ciu.

Hac

Iſraelitæ cum Ioſeph morãtur

Hoc ipſo tempore florebant in Ægypto, & vehementer multiplicabantur Iſraelitæ, eos tum diuina prouidentia, tum Ioſephi potentia, prudentiaque protegente: Amoſi autem in Ægypto annum iam vigeſimum ſecundum regnante, vt habet Euſebij chronicon. Ad quæ ipſa tempora illud Dauidicum referre licet b, *vt erudiret principes eius ſicut ſemetipſum, & ſenes eius prudentiam doceret.* Quamuis enim hæc eruditio ad priora quoque tempora pertineat, nunc tamen erat efficacior, cum diuinitus acceptæ ſapientiæ, humana quoque experientia.

b *Pſ.*104. 22.

Anno porro ſequenti Altadas, quem Africanus Sethin appellauit, imperij Aſſyriorum habenas ſuſcepit, ordine vndecimus, cuius res geſtæ, ſicut & cæterorum, incognitæ.

ANNVS MVNDI 2357.

IOSEPHI 38. IOBI 30.

ALTADÆ 4. Imperij Aſſyriot. 426.

ANTE CHRISTVM 1696.

1. Iobi à puero mores.

AGebat hoc tempore Iob in terra Hus, annum vitæ circiter trigeſimum, iuxta ea quæ ſuperius *c* diſſeruimus, vitamque ducebat multis virtutibus illuſtrem; qualem ipſemet deſcribit *d*, nominatim autem miſericordia in pauperes. *Si negaui*, ait, *quod volebant pauperibus, & oculos viduæ expectare feci. Si comedi buccellam meam ſolus, & non comedit pupillus ex ea. Quia ab infantia mea creuit mecum miſeratio, & de vtero matris meæ egreſſa eſt mecum.* Cum ergo ab infantia benignitatem in pauperes, quorum tunc ingens erat copia, natus enim eſt ſub initia famis, quæ Iſraelitas compulit in Ægyptum, ad quem videtur alludere, non deſtitit eandem viam deinceps inſiſtere, ſicut & in reliquarum virtutum curriculo, exerceri, quas eodem in loco ipſe commemorat. Fortaſſis autem hoc tempore rerum potiebatur domi, defuncto Balac, ſiue Bela filius Beor cui ſucceſſit, vt habetur 36. Geneſ. *e* & apud Septuag. in fine libri Iob.

c *a.m.* 2328.
d *c.*31. 16 *& ſeqq.*

e *Gen.*36. 33.

Sub hoc ipſum tempus, quo Iob trigeſimum agebat annum, credibile eſt eum vxorem duxiſſe *f*, quam Septuag. aiunt fuiſſe Arabiſſam, nomine Boſorram, ſiue vt habet Ariſtras *g* apud Euſeb. Baſſara: ex qua ſuſcepit filium Emmon, puta primogenitum, deinde per aliquot annos reliquos nouem, in quibus filiæ tres, vt habetur initio libri eius. Coniugium autem eius cum Dina, quod Rabini finxerunt. Septuag. interpretum autoritate refellitur: præſertim cum illa, ſi nunc in viuis fuit, 69. annorum fuit: quod ſupra *h* quoque notauimus.

II. Eiuſdem coniugiũ

f *Vide a. m.* 2319. *n.* 1. & 4.

g *lib.* 9. *de Præp. c.* 25

h *Ib. n.* 6.

(*„*)

ANNVS MVNDI 2385.

IOSEPHI 66. IOBI 58.

ALTADÆ 32. & vlt. Imperij Aſſyriorum 454.

ANTE CHRISTVM 1668.

I. Altadi obitus.

ABit hoc anno à vita atque imperio Altadas, expletis circiter triginta duobus annis, quos illi aſſignauit Euſebius. Eius nullam fecit mentionem S. Auguſt. *i* de Ciuit. Dei, quod eius tempore nihil videretur contigiſſe, quod ad ſacram hiſtoriam pertineret. Satis tamen conſtat hoc tempore Iobum, cuius magna frequenſque laus eſt in ſacris litteris, octauum nunc & quinquageſimum annum agentem, bonis omnibus, cum magna vitæ ſanctitate, & innocentia abundaſſe, tempore tentationis pedetentim appropinquante. Eam enim Hebræi in ſeptuageſimum vitæ ipſius annum referunt.

i *l.*18. *c.*6. *vel* 7.

II. Mamythi initium.

Anno proxime ſequenti duodecimus Aſſyriorum Rex Mamythus Altadæ ſucceſſit, ſub cuius regno Ioſephum obijſſe author eſt Auguſtinus *k*. Verum eum non Mamythum cum Euſebio, quem ſequi ſolet, ſed Hormaſcum vocat. Atqui Mamythum quoque habet Africanus, & Caſſiodorus, & perexiguo diſcrimine libri omnes tam manu ſcripti quam editi; eiq; conſtanter triginta regni annos tribuunt. Quod autem dicitur Syris & Ægyptijs cœpiſſe eſſe formidini, nec patris ignauiam imitatum eſſe, id à nouo Beroſo profectum eſt, cui impune licet non credere. Sicut & Autori Teſtamenti Patriarch. cum ait Gad centeſimo vitæ ſuæ anno eſſe mortuum. Erratum enim in numeros irrepſiſſe illud arguit, quod communi receptoque omnium conſenſu Hebræi dicunt Ioſephum primum omnium filiorum Iacob eſſe defunctum, cuius vita ad decimum quartum ab hinc annum propagatur.

k *l.*18. *de Ciuit. c.*7

Amrami ortus.

Itaque hoc anno, qui eſt Caathi filij Leui ſexageſimus nonus, ponimus natum Amramum filium eius, Moſis parentem, ſecuti Demetrium apud Euſebium libr. 9. de Præpar. Euang. *l* qui ait anno Amrami decimo quarto mortuum eſſe Ioſephum. Totidem autem ſuperſunt ad finem vitæ, ac principatus eius.

l. 21. *extremo ed. Gra. Lat.*

ANNVS MVNDI 2398.

IOSEPHI 79. IOBI 71.

MAMYTHI 13. Imperij Aſſyr. 467.

ANTE CHRISTVM 1655.

I. Tempus certaminum Iobi.

SEptuageſimus primus annus adeſt ſanctiſſimi Iobi, tanto interuallo à Chriſti Domini ortu diſtans, quantum fuit ſpatium ab orbe condito ad diluuium: in quem annum plerique omnes ſcriptores, qui hac de re meminere, ipſius certamina referunt. Certe Athanaſius in Synopſi agens de libro eius,

Moræ in Ægyp. 70.

Paſſus eſt, inquit, cum eſſet annorum ſeptuaginta. Cyrillus Alexandrinus in commentariis in Iob, apud Anaſtaſium Nicenum *a*: *Ex iis*, inquit, *quæ dicit Scriptura, licet exacte coniectare, quod ipſe ſeptem annos egerit in tentatione, 70. annos natus in initio tentationis.* Quam temporis rationem pleriſque recentioribus probatam ſequemur. In iis Pererius, Pineda, Del-Rio, Torniellus, & ſi qui alij. Verum autem ipſemet Iob libri ſui autor fuerit, & Moſes interpres, non ſatis conſtat. Cur autem à Moſe verſus fuerit in Hebræum, ita docet autor Commentariorum in Iob, apud Origenem *b*. *Inuenimus*, inquit, *in antiquorum dictis, quod cum magnus ille Moſes in AEgyptum à Deo fuiſſet miſſus, & vehementem afflictionem filiorum Iſrael videret, & conſolari eos minime valeret, vehementes illos atque terribiles Iobi dolores, pro conſolatione illis enarrauerit, & in Scriptura eos ponens, cum adhuc eſſent recentiores, illi populo dederit*, &c. quæ videtur etiam ſenſiſſe Polychronius.

a In qq. in Scrip. q. 31 to. 1. Bibl. Patrum.

Libri autor, & interpres.

b Lib. 1.

II. Iobi fœlicitas.

Dominus ergo, qui ſanctiſſimum virum Iobum, in medio nationis prauæ Idumæorum elegerat, in quem eximios gratiarum & virtutum heroicarum theſauros effuderat, noluit eos occultari ſub modio, ſed acceptiſſimum ſibi virum, aſperrima tentatione probatum, illuſtrioremq; redditum extulit in ſublime, vt luceret omnibus, qui deinceps in domo Domini ſæculis omnibus verſarentur. Hic ergo vir cum internis animi bonis erat egregie locuples, tum externis vehementer abundabat. Principio ſeptem filiis tribusq; filiabus, egregiæ omnes indolis, habuit inſtructam domum; quorum ſingularis erat in parentem obſeruantia, & inter ſe amor atque concordia. Accedebant naturales illæ diuitiæ, ſeptem millia ouium, tria millia camelorum, boum iuga quingenta, quingentæ aſinæ, numeroſumq; ſeruitium, domi foriſq; neceſſarium. Quibus rebus omnibus, toto Oriente inter Arabes, Idumæosq; omnes, maximus atque clariſſimus effectus eſt.

III. Cœt⁹ Angelorum, c *Sap.* 2. 24

Hanc tantam fœlicitatem æquis oculis ferre non potuit is, cuius inuidia iam olim mors *c* penetrauit in orbem terrarum, ſed in occaſionem eius funditus euertendæ erat intentus. Quadam ergo die, vt exponit Pineda, Tirinus & alij, ſancti Angeli, illius regni hominum, & filiorum Iobi cuſtodes, in eum ipſum locum conuenerunt, in quo duo illi Iobi tutelares verſabantur. Eum locum Sathan quoque circumibat. Concilium videbatur, & quaſi iudicum conſeſſus, cui præſidebat ſuperior quidam Angelus, Dei vice, ac nomine. Ibi cum de Iobi, totiusq; familiæ ipſius ſanctitate, tanquam ab amicis ac patronis ageretur, affuit & Sathan, in Angelum lucis ſe transformare ſtudens. Quem facile agnitum is, qui Dei gerebat vices, interrogat vnde veniat, & an conſiderarit Iobum, virum, qui mortales omnes vitæ innocentia longe poſt ſe reliquerat. Quæ cum aduerſarius negare non poſſet, eo confugit, vt quæ à Iobo recte fierent, in deteriorem partem interpretaretur; quaſi Iob non vera erga Deum pietate illi ſeruiret, ſed quaſi bonorum temporalium mercede conductus: quæ ſi illi tollantur, inquit, nihil reueritus diuinam faciem, illius prouidentiam ac bonitatem aperte criminaturus ſit. Quibus ille verbis haud obſcure Iobum expoſcebat ad ſingulare certamen.

à dæmone aditur

Angelus autem Dei vicem gerens, qui Iobi fortitudinem exploratam haberet, nihil cunctatus eum conceſſit aduerſario, ſua ipſius manu probandum, atque excutiendum, tam ampla cum poteſtate, vt omnia quæ ad ipſum pertinerent, ipſo vno excepto, ſibi permiſſa intelligeret. Ea facultate accepta, è ſacro cœtu proripit ille ſe: & quadam die cum filij ac filiæ Iobi cibum de more ſumerent in domo primogeniti, venit primus nuncius, quo cladem à Sabæis illatam referret, abductis quingentis boum paribus, & quingentis aſinis, & famulis interfectis. Et ſicut non eſt abſurdum ipſummet Sathanam egiſſe nuncium, ita & Sabæos ad hanc prædam impuliſſe. Cum autem immotus perſiſteret vir Dei, ſuamq; in Deum fiduciam retineret, ad illam labefactandam venit ſecundus nuncius, qui diceret, ignem Dei cecidiſſe de cœlo, & tactas oues puerosq; conſumpſiſſe, de ſeptem millibus ouium nullam ſupereſſe; de multis famulis euaſiſſe ipſum, vt tantam calamitatem nunciaret.

IV. Iobus illi permittitur ſuis bonis ſpoliandus.

1. Clades.

2.

Sed & illo adhuc loquente, de induſtria enim dæmon nullum dabat ſancto viro reſpirandi locum, neque tempus animum colligendi aduerſus dolorem: Venit ergo tertius nuncius, qui retulit, Chaldæos feciſſe tres turmas, & inuaſiſſe tria illa millia camelorum, in totidem vt apparet turmas diſgregata, eaq; cæſis famulis abegiſſe. Reliqua erat quarta plaga, quæ hominem cæteris vehementius affligeret, & iam ex triplici impulſu, in ruinam, vt credi poterat, propendentem plane proſterneret: horribilis videlicet ſeptem filiorum, ac trium filiarum clades, quæ ab illo immiſſa videbatur, cuius imperium venti ac turbines, & ſpiritus procellarum exequuntur; à quibus concuſſa vndique domus, momento, ne quis elabi poſſet, hilariter conuiuantes oppreſſit; & videlicet filiorum vxores, & filiarum viros. Cum enim ſuas quique domos ac familias haberent, in quibus viciſſim excipiebantur conuiuæ, videri poſſunt & nurus, & generi quicunque ibi aderant, ſimul contrucidati, atque extincti in domo primogeniti. Neque omiſſi videntur à Moſe, ſed nomine filiorum ac filiarum comprehenſi. Famulos quoque eadem clade confectos apparet, quando hic quoque nuncius ſe ſolum cladem effugiſſe nunciat.

V. 3. Clades cõtinẽter nũciatur.

4. cædes filiorum ac filiarum;

generorũ ac nurũ

Hic Iob ſiue à ſede regia, ſiue à menſa, cui forte accumbebat, ſurrexit, & quaſi ex certo animi propoſito, non ex magnitudine perturbationis, regias dilacerauit veſtes, quaſi à ſe abiiciens, vt indueret lugubres. Abraſit etiam caput pro more Idumæorum grauiter lugentium, & pro blaſphemis vocibus, ad quas eum aduerſarius intus vrgebat, philoſophicam illam, aut potius diuinam effudit vocem *d*: *Nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc.* Quaſi dicat, Non ego prædones moror, Arabes, vel Chaldæos, non fortunam arguo vel caſum, non dæmones ipſos malorum omnium architectos, Deum ipſum agnoſco flagellan-

VI. Iobi in hac priore lucta cõſtantia

d Iob. 1. 21

amici Dynastæ tam nouo rumore icti, qui domi ægrotantem per nuncios de more visitarant, eodem per sese ipsi tum venere. Itaque Olympiodorus amicos longo denique interuallo ad Iobum venisse dicit. Et Septuaginta ad idem respexere tempus, cum de vxore Iobi, quam certissimum diaboli telum vocat Chrysostomus *c*, ita loquuntur. Cum autem multum tempus processisset, dixit ei vxor sua, quousque sustinebis, &c. *Considera*, inquit Chrysostomus, *mulieris cum scelere coniunctam calliditatem, quemadmodum à temporis diuturnitate statim ducat exordium.* Et mox: *Tempus*, inquit, *ipsum tua verba refellit, quod cum sit iam diuturnum, mala tamen ipsa non tollit.* Hæc ipse: quæ nemo non videt rectius in septennium, quam in aliquod breue tempus conuenire.

Ab amicis visitat.

c hom. 18 in 1. Cor.

ANNVS MVNDI 2399.

IOSEPHI vltimus. IOBI 2.

MAMYTHI 14. Imperij Assyr. 468.

ANTE CHRISTVM 1654.

I. Ratio tẽporis de Iosephi obitu.

VLtimus est hic Iosephi annus, quo octogesimum expleuit principatus annum, vitæ autem centesimum decimum, anno superiore inchoatum. Eaq; in re nobis cum Eusebio conuenit, sicut & in anno Promissionis, & tertiæ ætatis, & Mamythi Regis Assyriorum. Ei tamen in eo assentiri non possumus, quod hinc statim inchoat Hebræorum seruitutem, quam ad centesimum quadragesimum quartum producit, qui sit Mosis octogesimus. Nam Scriptura *a* aperte docet, non statim à Iosephi morte Hebræos affligi cœpisse, aut seruire, sed prius mortuos fuisse ait omnes fratres eius, omnemq; cognationem illam: atqui ex eadem Scriptura *b* constat Leui, qui nunc centesimum decimum quintum agebat, ad 137. peruenisse. Ergo saltem de illa summa annorum seruitutis duo & viginti anni detrahendi sunt. Eadem sentiunt scribuntq; Hebræi in maiore suo Chronico.

a Exo. 1. 6

b Exo. 6. 16

II. Iosephi obitus, & familia. c c. 50. 22.

De morte porro Iosephi hæc habet Scriptura: c *Et habitauit in AEgypto cum omni domo patris sui, vixitq; centum & decem annis.* In eodem vtique regno habitauit Iosephus cum fratribus, non tamen in eadem prouincia. Illi quippe in Gessen, ipse in vrbe regia, vt Ægypti Proregem decebat: quo etiam moribundum eos euocasse par est credere. Spatio autem octoginta annorum principatus sui, *Vidit filios Ephraim vsque ad tertiam generationem.* Vidit nimirum Edom, filium Sutalaam, filij Ephraim. *Filij quoque Machir, filij Manasse nati sunt in genibus Ioseph*, qui scilicet eos recens natos suis excepit genibus. Quoniam vero à Mose dicitur Iosephus sub mortem fratribus suis esse locutus, putant Hebræi omnes tum fratres Iosephi fuisse superstites, primumq; omnium Iosephum è viuis excessisse, Leui autem postremum, vt est in maiore eorum Chronologia *d*, quod satis probabile videtur, licet ex Scriptura non accipiat firmitatem.

Moza in Ægyp. 71.

d Seder Holam c. 3.

Cum ergo Iosephi ætas & principatus extremas attigisset metas, ad mortem se comparans, conocatis ad se fratribus, *Post mortem meam*, inquit *e*, *Deus visitabit vos, & ascendere vos faciet de terra ista, ad terram quam iurauit Abraham, Isaac, & Iacob.* Quidam existimant, denunciationem diuinæ visitationis, esse prædictionem seruitutis; quoniam visitatio in sacris litteris tam consolantis est, quam castigantis. Verum quod subditur, *& ascendere vos faciet*, quod expositionis causa subditur, ne ambigua voce turbarentur, ostendit benignam & salutarem intelligi visitationem. Nec opus erat, tristiore vaticinio præpropere affligi Hebræos in Ægypto. Imitatur porro Ioseph parentem Iacobum, in adiurandis fratribus de transferendis Lipsanis suis ex Ægypto, quod postea Moses fideliter executus est *f*. Veritus, vt ait Chrysostomus *g*, ne Ægyptij corpus iusti haberent in Idololatriæ & impietatis occasionem. Nec statim transferri iussit; ne Ægyptij, pro sua in Iosephum reuerentia & amore, id prohiberent: essent autem Israelitis pignus promissæ visitationis & emigrationis ex Ægypto: vtq; idem dux esset reditus ex Ægypto, qui eos in Ægyptum induxerat.

III. Extremũ cũ fratribus colloquium. e v. 23.

Trãsferri cupit corpus suum in Chanaanitidem.

f Exo 13. 19

g hom 67

Cæterum, etsi Moses scribit conditum aromatibus Iosephi corpus, repositumq; in loculo in Ægypto, nihil est necesse propterea existimare Iosephum honorifice ab Ægyptiis fuisse tumulatum, ex tenero in ipsum affectu, vt ait Abulensis. Id enim Moses non significat, & is honor atque affectus rectius fratribus, filiis ac nepotibus tribui potest, quorum longe maior erat in ipsum amor atque obligatio, & huiusmodi sumptibus facile pares esse poterant. Quidam in marmoreo loculo positum putant; alij in ligneo, puta cedrino vel cypressino. Et vtrumque verum esse potest, & capsa lignea in marmoreo potuit includi tumulo, vt inde, cum res exigeret, efferri atque asportari posset.

IV. Conditus à suis.

Iosephi porro verissimis iustissimisq; laudibus Hebræi minime se pares esse posse crediderunt, quando in tam glorioso argumento tam ieiunos sese, tamq; aridos exhibuerunt. Nam disertissimus Hebræorum Philo, corporis eius formam, linguæ facundiam, mentis prudentiam celebrauit, aut tribus potius verbis perstrinxit. Flauius autem hoc tantum *h*: *Vir admirabilis virtute præditus, in omnibus negotiis prudens, & potestate bene vsus: quibus artibus factum est, vt neque externum genus, neque calamitas, de qua diximus, quidquam officeret, quo minus ad summam dignitatem euheretur.* Hæc illi.

Iosephi laus ieiunior ab Hebræis.

h l. 2. Ant c. 4. fin.

Omittunt ergo admirabilem illam aduersus insanam mulierem continentiam prædicare, quam singulæ locorum, personarum peristases, pene prodigiosam reddunt. Omittunt dulcissimam illam in condonanda tanta, tamq; atroci, ac diuturna fratrum iniuria placabilitatem, non quæ vix exorari

V Alia pleniora à cõtinentia, placabilitate.

le denique, flectiq; muneribus, officiis, lachrymisq; patiatur; sed quæ vltro se reis offerat, quæ propriis se lachrymis, & lactea verborum lenitate prodat: quæ capitalem improbissimorum reorum culpam excuset, extenuet, & quantum fieri potest, aliò transferat: indulgentissimum denique patronum inimicorum, non fortem ac vehementem actorem agat.

Pietate in Deum.

Omittunt constantem illam pietatem in Deum, quam neque plagiaria venditio, neque ignominiosa seruitus, neque ærumnosus carcer, neque facinorosorum hominum, & idololatrarum conuictus, imo neque octoginta annorum principatus vel tantillum labefactarunt. Nam post tam multos blandientis fortunæ, fæuientisq; flatus, moriturus suam in Deum fidem, spem, charitatem abunde testatam reliquit, dum diuinum à fratribus iusiurandum exigit, dum diuinam spondet visitationem, & in spem futuræ vitæ in terram sanctam transferri se postulat. Denique dum eius prædicat bonitatem, qui alienum crimen in multorum, atque adeo eorum ipsorum bonum salutemq; conuertit, qui illud nefarie perpetrarant.

VI. Charitate in fratres.

Omittunt singularem illam charitatem in fratres, quam ego sane non crediderim ab illa, quamuis eximia, liberalitate metiendam, qua ipsos pene 80. annos, cum totis ipsorum familiis, plures scilicet hominum centurias enutriuit. Nam post mortuum ac sepultum patrem dicebat *i*: *Ego pascam vos, & parvulos vestros*: non ab illis in mutua agnitione lachrymis, mitissimisq; complexibus æstimandam: sed, mirum dictu, ab illa ipsa vexatione, qua ingeniose, charitas quippe ingeniosa est, fratres suos ad proprij criminis agnitionem, ac deplorationem adduxit, vt dicerent, nam iterare dulce est *k*: *Merito hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum, videntes angustiam animæ illius, dum deprecaretur nos, & non audiuimus, idcirco venit super nos ista tribulatio.* Et rursum: *Nunquid non dixi vobis, nolite peccare in puerum, & non audistis me? En sanguis eius exquiritur*: à vindice criminum videlicet, atque vltore Deo. Hæc enim charitas animas immortales, aliquo scelere contaminatas, ac mortuas emaculat, ac vitæ reddit. Illa vero liberalitas curat ista corpora, mille morbis, sordibusq; obnoxia, & aliquando moritura.

i Gen. 21.

k c. 42. 21 22.

VII. Modestia & demissione animi.

Omittunt, aut certe vix attingunt, illam in summa fortuna, non solum moderationem, ex qua fiebat, vt nihil esset in verbis eius superbum, in vultu sæuum, in oculis minax, in incessu arrogans, in tota actione & gubernatione violentum; sed demissionem animi plane singularem, quæ illum Ægypti Proregem, illum ex Regis prædicatione mundi Saluatorem: illum qui in regio curru, in stola byssina, in torque aurea, in Regis annulo signatorio, flectentibus vbique genua populis circumferebatur; illum qui in frequentissimo optimatum ac Dynastarum consessu, audierat sibi dicentem Regem *a*: *Ego sum Pharao: absque tuo imperio non mouebit quispiam manum aut pedem in omni terra Ægypti.* Illum, inquam, eo adducebat animi demissio singularis, vt minime verecundaretur fratrum, generisq; sui humilitatem agnoscere: & coram ipso Rege, auspiciisq; prædicare vitam pastoritiam, quam illi detestabantur, & extremos fratrum in conspectum Regis adducere: tametsi eorum abiectio, & plebeia vitæ ratio, in Iosephi ipsius contemptum ac dedecus aperte redundabat: vt minime mirum sit olim puerulum, patris delicias, vxoris dilectæ primogenitum, cum filiis Zelphæ & Balæ ancillarum, potius, quam cum liberis Liæ ingenuæ, frequentem fuisse.

a Gen. 41. 44.

VIII. Dono prophetiæ, & patientiæ.

Omittunt prædicare diuinum illud prophetiæ donum, in enarrandis somniis diuinitus immissis, in prouidendis enunciandisq; futuris, quod vt illi, ex iniquissima fratrum inuidia, tristissimam calamitatem intulit, ita illum ex diuina bonitate ac munificentia, in supremum pene rerum humanarum fastigium extulit. Omittunt incredibilem illam fortitudinem, atque inæstimabilem patientiam, qua in eius pectore dominante, non induxit animum 13. ipsos annos, per litteras aut internuncios plagiarios accusare fratres apud dilectissimum parentem: non ab eo in molestissimis ærumnis suis, exilio, infamia, carcere, seruitute, capitisq; discrimine, auxilium implorare, consolationem vicissim dare, atque accipere: sed Dei iudicio, cui visum fuerat opportunum, alterum latere miserum, alterum mœrere miserabilem, constanter obsecundare. Quin etiam toto triennio potuit Proserpinam illam, in sua iustissima causa non accusare, non iniustissimum crimen diluere; contentus obiter, vnoq; verbo, semel suam innocentiam contestari.

IX. Prudentia mirabili.

Omisi ego pene Prudentiam, in qua Patriarcha nolter vehementer excelluit, in qua celebranda totus est Philo, qui in Iosepho viri politici omnium absolutissimi specimen exhibere conatur. Si quid tamen à nobis quoque lector desiderat, repetat memoria *b* mirabilem eius prudentiam in consilio congregandi frumenta sex capitibus eminentem. Eminet & in suis in terra Gessen, non solum optimo terræ loco collocandis, sed quantum fieri poterat, seorsim ab infidelium turbis, simulq; à publicis belli pacisq; muneribus, sub regiorum pastorum titulo eximendis. Eminet in probanda fratrum suorum, in Benjaminum vterinum suum, de capite periclitantem, charitate, & persona sua diutius tegenda, & dissimulanda. Eminet denique vel maxime in acquirenda tota Ægypto Principi suo, cum omnium subditorum ære, pecoribus, agris, ipsaque libertate singulorum, sine cuiusquam querela, murmure, aut tumultu. Et rursus in acquirenda subditorum omnium in Principem beneuolentia, cuius indulgentiæ, ac liberalitati fortunas suas omnes, seipsos, suamq; libertatem debere se verissime fatebantur.

b Ex Iosephi 31. m. 10.

X. Et similitudine cū Christo. c l. 8. c. 12.

Omittam ego quoque hoc loco tam expressam Iosephi cum Christo Domino similitudinem, tam illustrem atque insignem imaginem, vt minime dubitet Rupertus *c* dicere, Iosephum tota vita sua ab ortu ad interitum præclare repræsentare Saluatorem, quæ nos in Annalibus ad vnum & viginti capita retulimus, hoc autem loco prætermisimus, iis contenti

quæ

quæ de virtutibus eius paulo ante diſſeruimus, quæ Epitaphij quoque inſtar erunt.

Eſt porro hic ſecundus annus tentationis magni Iob; in quo ingraueſcente malo, nullius pene erat aut noctu aut interdiu quietis particeps, vt ipſe cap. 7. *d* ſignificat. Vt illi non male accini poſſet illud Dauidicum *e*: *Dominus opem ferat illi ſuper lectum doloris eius, vniuerſum ſtratum eius verſaſti in infirmitate eius.*

d c. 7. 3. 4.
e Pſ. 40. 4

ANNVS MVNDI 2410.

PROMISS. 288. IOBI 74.

MAMYTHI 16. Imperij Aſſyr. 470.

ANTE CHRISTVM 1652.

I. Clades Ephraimitarum.

ANnus hic quartus certaminum Iobi, dat initium quadrageſimo nono Iubilæo, & vigeſimo quinto ſæculo ab ortu rerum. Ad quod tempus referendam putamus cladem Ephraimitarum, quæ totam pene familiam inopinato caſu extinxit, vt habetur cap. 7. *f* primi Paralip. vbi numerantur nouem filij Patriarchæ Ephraim à Gethæis occiſi. Nam omnes eodem patre fuiſſe genitos ex eo conſtat, quod alioqui Ephraim vidiſſet octo aut nouem filiorum ſuorum ætates, quod fuit illo tempore inauditum: quo tempore in Ioſephi fœlicitate poſitum eſt, quod tertiam vidit generationem filiorum Ephraim *g*. Quin & illi omnes quaſi iuuenes ſimul ad bellum proceſſiſſent, abauus ſcilicet & proauus, cum abnepote & pronepote. Nec obſtat modus loquendi Scripturæ, qui nonnullos induxit in fraudem. Illa enim repetendo ſæpius *filius eius*, viſa eſt ſignificare ſeriem generationum; quod tamen Hebraicæ phraſi tribuendum eſt, quæ aliquando illa repetitione gaudet. Et ita eum locum explicant Abulenſis *h*, Serarius *i*, Mariana *k*.

f v. 20. 21 & 22.

g Gen 50. 23

h 47 in 47
i in com. in Ioſue.
k in c. 7. 1 Par. v 20

II. Quando cõtigerit.

Hanc porro cladem ad hoc tempus diſtuli, quo Ephraim iam octogeſimum ſupergrediebatur annum, vt iam nouem filios bellatores habere poſſet, & nihilominus nouæ generationi habilis eſſet. Accedit quod credibile eſt viuo Ioſepho Ægypti Prorege, Gethæos id facinus non fuiſſe aggreſſuros, ne omnes Ægypti vires ad ſuam vnam ciuitatem perdendam traherent. Nec tamen hanc cladem vltra diſtulimus, ne deeſſet tempus progenitoribus Ioſue, qui eodem loco mox recenſentur, qui nihilominus temporis anguſtijs valde coarctantur. A Beria enim vſque ad Ioſue natiuitatem ſeptem ſunt generationes, & anni duntaxat nonaginta. Nisi forte aliqua confuſio in tot proprijs nominibus contigit. Nam Latina Græcis Hebraicisq; non plane conſentiunt.

Beria. Thale, Thaan, Laadan, Ammiud Eliſama, Nun. Ioſue.

Dicendum præterea, illa verba Scripturæ *a*: *Occiderunt autem eos viri Geth indigenæ, quia deſcenderant*, ſcilicet Gethæi, *vt inuaderent poſſeſſionem eorum*, ſiue greges & pecora eorum, vt eſt in Hebræo & Græco, in hanc ſententiam accipienda eſſe, vt dicamus Gethæos è Palæſtina populos, aſſuetos ex rapto viuere, deſcendiſſe in Ægyptum prædarum cauſa: & in Ephraimitas, qui primi in terra Geſſen occurrerunt, aut primi animoſe ſeſe certamini intulerunt, irruiſſe, eosq; omnes, dum frater fert opem fratri, interfeciſſe. Ita merito ſentit Serarius noſter. Primo, quia Gethæi prædones erant, non Ephraimitæ; deinde, quia prædones iſti dicuntur deſcendiſſe, vt inuaderent poſſeſſiones eorum. Atqui ex oppido Geth, & reliqua Palæſtina deſcenditur in Ægyptum; & vice verſa ex Ægypto aſcenditur in Palæſtinam. Fauet etiam, quod dicuntur deſcendiſſe ad inuadenda pecora eorum, vtique Iſraelitarum, quorum poſſeſſiones erant pecora. Denique non eſt credibile paucos Ephraimitas, ſeorſim ab aliis Iſraelitis, Ægypto abire, & bellicoſiſſimam gentem, ſtaturæ gigantææ inuadere voluiſſe, & poſſeſſiones eorum occupare; quod ne poſt ſubactam quidem reliquam Chananitidem, temporibus Ioſue, vel Othonielis auſi ſunt. Quod ſi Gethæos inuaſores dixeris, & Ephraimitas, dum incautius ſua tueri conantur, circumuentos, atque interfectos fuiſſe, omnia recte conſentient.

III. Gethæi inuaſerũt Ephraimitas, nõ contra.

a 1 Par. 7. 21

Hac tanta clade accepta, *Ephraim pater eorum luxit diebus multis, & venerunt fratres eius*, Manaſſes videlicet, & alij filij ac nepotes Iacob, *vt conſolarentur eum*. Tranſacto luctu, vt repararet orbitatem, quamuis eſſet octogenarius, *ingreſſus eſt ad vxorem ſuam; quæ concepit, & peperit filium ſuum, & vocauit nomen eius Beria, eo quod in malis domus eius ortus eſſet*, iuxta notationem vocis eius.

IV. Ortus Beriæ.

ANNVS MVNDI 2403.

PROMISS. 290. IOBI 76.

MAMYTHI 18. Imperij Aſſyr. 472.

ANTE CHRISTVM 1650.

I. Hebræorũ traditio de obitu ſingulorum Patriarch.

DIctum eſt ſupra ex traditione Hebræorum, Ioſephum primum omnium filiorum Iacob eſſe defunctum. Ex eadem habetur mortuum hoc anno Simeonem anno centeſimo vigeſimo vitæ ſuæ *b*. Cæterorum quoque Patriarcharum vitæ periodum, quam Scriptura non tradidit, ex eadem traditione *c* mutuabitur. Eſt enim admodum rationi conſentaneum notatos à ſenioribus, per manusq; traditos annos ſingulorum Patriarcharum, principum tribuum ſingularum. Cum autem hoc anno 290. Promiſſionis factæ Abrahamo, Euſebij Chronicon ponat primum annum Miſpharmutoſis Ægyptiorum regis, eiq; ſex & viginti regni annos tribuat, ex eo ſequitur ſub eius regno omnes Patriarchas Iacobi filios mortuos eſſe, vno excepto Ioſepho, quo facilius fuit extremos vitæ ipſorum annos notare.

b In Seder Holam. c Teſt. Patriarch.

II. Simeonis vita & mores.

De Simeone porro nihil admodum occurrit in Scriptura, quo eius celebretur funus. Nam quæ à Iuditha memorantur, quam vim habeant ad commendationem zeli eius, diximus, cum de cæde Sichimitarum ageremus.

Mora in Ægyp. 71.

Motæ in Ægy. 76

Extat in eum morituri patris querela, & accusatio verius, quam benedictio. Moses eius tribum, in benedictione tribuum præterijt. Nec sine causa ipsum elegit Ioseph ex omnibus fratribus, quem in vincula in Ægypto compingeret. Certe in libro Testam. Patriar. Simeon accusat se præ cæteris inuidiæ in Iosephum, & voluntatis occidendi ipsum, seq; diuinitus punitum fatetur, aliaq; id genus. Nominatim autem repositum eius corpus in theca lignea minime obnoxia corruptioni, & in Hebron clam Ægyptijs esse translatum, quorum sit apud Autorem fides

Sextus Iobi annus.

Hoc porro anno sanctissimus Iobus sextum iam annum cum morbis acerbissimis luctabatur, & corpori ægre cohærentem animam trahebat.

ANNVS MVNDI 2404.

IVDÆ 119. & vlt. IOBI 77.

MAMYTHI 19. Imperij Assyr. 473.

ANTE CHRISTVM 1649.

I. Obitus Iudæ. d *Vide in 1 Paral. 5. 2. & ibi Vatab. & Abul.* e *Seder Holam zuta. Test Patr. c. 40*

MOritur hoc anno Iudas Patriarcha, ordine natiuitatis quartus, dignitate facile primus, quando primogenituræ ius Rubeni ereptum *d*, Iudas quod ad principatum, Iosephquod ad duplicem portionem, Leui quod ad sacerdotium obtinuit. Mortem eius præterijt Moses, quam 119. anno Hebræi *e* tradunt contigisse. Nec sane à nobis silentio prætereundus est, quem eximijs laudibus extulit moriens pater; quem à fratribus laudatum iri affirmauit, quem Deus ipse fratribus omnibus antetulit, quando ex eius familia nasci voluit mundi Saluatorem, & magnam partem regum & principum, qui Dei populum gubernarunt, quorum aliqui fortitudine, pietate, sapientia, diuitijs principes omnium pene ætatum antecesserunt: cuius tribum ita benedixit Dominus, vt omnium numerosissima semper fuerit.

II. Eiꝰ regiæ virtutes.

Quoniam ergo Iudas diuina prouidentia regiæ tribus progenitor ac parens fuit, regijs cum virtutibus Dominus commendabilem reddidit. Fortitudine in primis; nam Scriptura *f* testatur eum inter omnes fratres suos fortitudine præstitisse, & vt ostenderet eam regiam esse virtutem, illico subdit; *de stirpe eius principes generati sunt.* Eiusdem fortitudinis causa, eum catulum leonis appellat Iacob, & in ea similitudine explicanda diutius immoratur. Requiritur in Principe prudentia rerum gerendarum, populi in eum amor & veneratio, & singularis Dei fauor, qui illum in principem eligat atque tueatur, amor & cura subditorum, qui illi à Deo commissi sunt, zelus denique iustitiæ; quæ omnia in Iuda præstitisse Scriptura dubitare non sinit. Addamus & animi demissionem ex Testam. Patriarch. virtutem in plebe modicam, in regibus ac principibus plane regiam. Prohibuisse enim dicitur, ne in pretiosa veste sepeliretur, neque exenteraretur, quod pertinet ad f 1 Par. 5. 2

conditionem Ægyptiorum Dynastis frequentatam, qualem viderat Iacobo & Iosepho multa cum magnificentia impensam. Denique vt reduceretur in Hebron.

III. Eius conf. filiũ rendit. ionis an criminosum.

Neque vero laudi eius officere arbitror, quod ab illo profectum est consilium de venditione Iosephi. Neque enim simpliciter venditionis illius auctor fuit, sed id tantum vere affirmauit, melius esse vendi Iosephum, in spem aliquam futurorum, quam in cisterna dira fame, frigore, illuuie cruciatum certo necari. Huiusmodi enim mors longe peior est, atque crudelior; quamuis dura atque aspera seruitute. Ergo cum seruitutem suasit paratis occidere, minus malum suasit, ad auertendum maius. Illud autem malum, comparatione huius, habet rationem boni. Nec tamen in animo est eius cum Thamare negotium excusare, quod Moses Deo inspirante, tam accurate descripsit, ad obstruenda ora Iudæorum, & superbiam retundendam magno supercilio iactantium Patriarchas suos. *Ecce*, inquit Rupertus *a*, *os illorum obstruit alienigena Thamar, & adulterinus Iudæ concubitus, vnde Duces suos, Principes suos, Reges suos, Prophetas suos, & seipsos emanasse, si dissimulare velint, palam conarguantur. Omnis gloria gentis, cuncta nobilitas populi huius ex hoc adulterio profluxit.* Respexit fortasse Rupertus Iosephum ista dissimulantem, & silentio suo frustra obruere conantem; quæ sacræ litteræ tam aperte in lucem protulerunt. Idem Rupertus *b* benedictionem Iudæ Christo Domino pluribus accommodat.

Quæ in Iuda improbata ad dedec. Iudæorũ.

a l. 8. c. 38

b l. 9. c. 28 29. 30.

ANNVS MVNDI 2405.

AMRAM 20. IOBI 78.

MAMYTHI 20. Imperij Assyr. 474.

ANTE CHRISTVM 1648.

I. Extrema Iobi certamina.

ADest aliquando tempus Iobi resurrectionis, quando decurso septennali calamitatum non curriculo, sed longissimo difficillimoq; spacio, cum Dauide canere potuit: *c Deus quis similis tibi? quantas ostendisti mihi tribulationes multas & malas, & conuersus viuificasti me. Multiplicasti magnificentiam tuam, & conuersus consolatus es me.* Verum glorioſa hæc epinicia, postrema pars diuturni certaminis, postremusq; Tragœdiæ actus antecessit, priore huius anni parte, posteriore victoria secuta est. Quod ad temporis diuturnitatem, & septennem tentationis periodum attinet, iam supra *d* diximus, quæ nos in hanc sententiam adducerent. Quibus addi potest, voluisse Dominum Sathanæ os penitus obstruere, ne is posset aliquid super temporis breuitate cauillari, vt notauit Chrysost. *e* Quantacumque enim vexatio maximam capit ex propinquo fine consolationem. Cum ergo Dominus absolutissimæ patientiæ exemplar mortalibus, in hoc famulo suo exhibere statuisset, æquum fuit vt eius fortitudo, hac longanimitatis gloria non careret.

c Ps. 70. 20

in fine septennij. de 2398 n. 11.

e Ep. 1 ad Olympiad.

Septi-

II. Effertur in ſterquilinium vt deteſtādū cadauer.

Septimus igitur peragebatur annus, quolobus, in aſperrimæ tentationis fornace, tanquam vas auri ſolidum probabatur, & dum alij ex alijs morbi naſcebantur, ita glorioſum & inuictum athletam exercebant, vt illum vnum non frangerent, cæteris, etiam in alieno corpore, intolerabiles viderentur: ita peſtilentiſſimus vlcerum fœtor naribus, ita diurni nocturniq; planctus auribus, ita multiplex vermium ſcaturigo, & fœda ſanies vndiq; defluens, omniaq; contaminans, horribilis ſpectatorum oculis videbatur. Ergo de exportando foras in ſterquilinium cadauere deliberatur, eoque, vt apparet, non inuito ſtatuitur: effertur, ſeruulis & ſandapilariis, contagionis metu, vultum auertentibus, in fimo deponitur, omnibus cum tanquam ominoſum ſpectrum auerſantibus: vbi inuictus athleta ebullientem vndique cum vermibus putredinem teſta radebat, & terræ glebas ſanie perfundebat.

III. Vbi ab vxore impia obiurgatione vexatur.

Dedecus hoc ac probrum inhumanę crudelitatis, & patientiæ incomparabilis gloria, ne diuturna foret, diabolicum vxor remedium excogitat, ſi ſe ipſe, poſt vlcericem in Deum blaſphemiam, ſe interimat: ſic nimirum tam diuturnis malis facile & expeditum remedium inuentum iri. Huc quidem à principio ſpectabat Sathan, ſed viri virtutem reueritus, metuensq; pro victoria confuſionem, ſeptem annorum tormenta tanquam idoneas diſpoſitiones præmiſit, quibus contrucidatus ac diſcerptus, vltimum hunc impetum, quaſi à commilitante vxore profectum, ferre non poſſet. Verum Iob, qui nullam hactenus in acerbiſſimis doloribus ediderat vocem, audita mulicre, quæ tanquam vnguis in vlcere, crudelius in virum ſuum quouis cacodæmone ſæuiebat, vultu ad ſeueritatem compoſito *f*, *quaſi vna*, inquit, *de ſtultis mulieribus locuta es*, vſque adeo ſtultum conſilium ſuggeſſiſti. *Si bona ſuſcepimus de manu Dei, mala quare non ſuſcipiamus?* Æquum eſt enim nos de manu diuinæ prouidentiæ æque vtramque recipere fortunam. Cæterum non prius ſcelcratum mulieris conſilium Iobo ſuggeſtum fuit, quam ille ſub dio, ab hominum cœtu excluſus, iaceret in ſtercore. Id tum ex ordine narrationis vulgatæ intelligitur, tum ex pleniore mulieris narratione, quę habetur in Græcis, ex qua cognoſcitur morborum diuturnitate conſumpta fuiſſe, quæ Sathan reliqua fecerat; adeo vt cogeretur vxor eius & famulari, & corrogare ſtipem, vt mariti neceſſitati ſuccurreret. Vt teſtantur Baſilius, Chryſoſt. & Olympiodorus in Catena.

f c. 2. 10.

Eius mēdicitas.

IV. Amicorū Iobi aduentus.

Hic erat Iobi rerum ſtatus, qui conſcios omnes in ſtuporem agebat, omniumq; ſermonibus longe lateq; circumferebatur, videri hominem in Auſitide, aut hominis potius ſpectrum in ſterquilinio, hominis quondam beati, nunc in tantam deuoluti miſeriam, vt de ea vix quiſpiam oculis ipſe ſuis credere poſſit. Quæ cum ad amicos Iobi, rumore nuncio perlata eſſent *g*, *condixerunt ipſi inter ſe, vt pariter venientes, quiſque de loco ſuo, viſitarent eum, & conſolarentur*. Non enim ante vltimum hunc tentationis actum ad Iobum venerunt. Inuenerunt quippe eum extra oppidum in ſterquilinio, ad extremum vſque ſpiritum cum morbis & impuriſſimo ſpiritu luctantem, vt ex ſerie textus patet. Et perſpicuum eſt amicorum cum Iobo diſputationes, tum Dei quaſi præſidis ſententia definitas, tum fortunæ Iobi commutatione terminatas. Aduenium itaque amici Iob, vt in aduerſis veræ amicitiæ officia perſoluant.

g c. 2. 11.

Cumq; ad vrbis mœnia propinquarent, hominem in ſterquilinio ſedentem conſpicati, non agnoſcunt. Accedunt propius, deformatum totum, & priſtina oris dignitate turpiſſimo vlcere, morboq; obliterata, vix Iobum eſſe credunt, cœlum ſuſpiciunt, Dei occultam & humanis mentibus imperuiam prouidentiam venerantur. Rurſum conuerſis in Iobum oculis, cum ingenti clamore & ciulatu lachrymas edunt, veſtibusq; diſciſſis, puluerem capitibus aſpergunt, & eum tanquam mortuum lugent, quem ipſis quoque mortuis miſerabiliorem vident. Humi ſe quoque abijciunt, atque ſedenti in terra, & in tanta calamitate iacenti, aſſident ſeptem diebus, totidemq; noctibus, non niſi breuiſſimo tempore, ad neceſſaria vitæ munera digreſſi, ad multam vſque noctem ſeſſitantes, ſummo diluculo iterum reuertentes, vt explicat Olympiodorus. *Nemoq; loquebatur ei verbum*, quoniam nullam tam ingentibus ærumnis parem verbis conſolationem afferre ſe poſſe cognoſcebant. At vbi Iob prior aperuit os ſuum ad deplorandam calamitatem ſuam, eius orationem amici viciſſim exceperunt; contenti nunc eius miſerijs angi, & vt par eſt credere, veſte obtegere, & cibo aliquo recreare.

V. Cōſpect⁹ prim⁹, cū ſeptidui ſilentio.

Septem ipſis diebus in triſti ſilentio euolutis, Iob ad ſuas, humaniq; generis deplorandas miſerias aggreditur, quas amici eius non diuinæ probationi, ſed eius antactæ vitæ peccatis attribuunt, quod improbum atque impium videatur exiſtimare, Deum inſontem aliquem ſupplicio afficere. Quibus reſiſtens Iob vitę ſuæ innocentiam pertexere cogitur, docereq; non male cum Dei ſapientia & benignitate congruere, quod innocentem ærumnis exerceat, improborum ſupplicia differat, nec in eos ſemper in hac vita animaduertat. Quę cum prolixa oratione, pluribusq; certaminibus diſputata fuiſſent, Deus adeſt, finem contentionibus impoſiturus, cum manifeſtis preſentiæ ſuæ argumentis. Nam repente excitatur tempeſtas & procella, quæ omnibus ſilentium impoſuit, omnes ad audiendum excitauit. Deinde procellæ ſtrepitu remiſſo, in nube, quæ Iob vertici videbatur imminere, quaſi ſolium Dominus erexit, ex quo vox edita eſt, quæ ab omnibus adſtantibus audiretur.

VI. Iobi cum amicis diſputatiōes

In ea oratione Dominus, diuinam circa res humanas prouidentiam, ex rebus naturæ mirabilibus Iobo atque eius amicis exponit, quorum conſideratione Iob, imperitiam verborum ſuorum agnoſcit, & ſummiſſius confitetur, quod pleraq; valde obſcura de rebus ſublimioribus & diuinis pronunciarit: quod mentem ſuam, ſine amicorum offendiculo, expromere non potuerit, eisq; occaſionem præbuerit ſiniſtre aliquid de diuina prouidentia cogitandi. Denique quod inſipienter locutus ſit *a*, & quæ vltra modum excederent ſcientiam ſuam. *Idcirco*, inquit, *ipſe me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla & cinere*. Cumq; mox

VII. Dominus Iobum erudit

a c 42.3,6

Mortæ in Æg. 77

à Domino amici Iobi reprehendantur, Eliu tamen, qui ambitiosius Domini causam egisse videbatur, non est reprehensus. Iob autem dignus habitus est, qui sub specie quadam Deum videret, audiretque, & ab eo rerum suarum, suaq; afflictionis arcanum edoceretur. Vnde cœpit non solum animo vehementius, sed etiam corpore paulatim recreari.

VIII. Iobi victoria, & restitutio in integrũ

Nam Sathan quamprimum turpissime victus abscessit, qui pestifero halitu illatos à se morbos, doloresq; sustentabat: moxq; eos Dominus propitia iussione difflauit, & corpus pristinæ, aut meliori etiam restituit sanitati. Quin etiam cum iustitiam eius palam commendasset, & ipsius amicis, precibus eius, & sacrificiis placatus, veniam dedisset, constans huius mutationis fama vniuersam Husitanam prouinciam late peruagata, acciuit cognatos, amicos, subditos, quos pridem Iobi calamitates excusserant, qui, Deo illos interius permouente, ad debita cognationis, amicitiæ, subiectionis officia reuerterunt. Ergo in regias illum ædes reducunt, conuiuium celebrant, eumq; consolantur super omni malo, quod ei Dominus intulerat: ac certatim muneribus eius inopiam leuant, & dignitatem ornant; quæ Deus celeriter mirum in modum ita amplificauit, vt breui 14. millia ouium possederit, & sex millia camelorum, mille iuga boum, & mille asinas: priorum scilicet bonorum numero geminato.

IX. An priore vxore retinuerit Iob videri.

Suscepit deinde plurimos liberos; sed ex eademne: an ex diuersa vxore? Quidam ex diuersa putant. At Olympiodoro visum est ex eadem: quæ proculdubio est S. Luciani martyris, apud existimatum Origenem, in vtroque opere in Iob, vt qui pie mulieris verba interpretabatur. Probabilius autem videtur eadem vxor. Siue quia neque de morte, neque de repudio, quod nondum fortasse in hominum irrepserat mores, quidquam Scriptura significet. Siue quia cum mulieris huius culpa linguæ fuerit, quæ in eo sexu admodum lubrica esse solet, & seuera fuerit à viro obiurgatione castigata, non videtur is vlterius in animaduertendo processisse. Siue quia qui amicis ignouit, à quibus longa fuerat verborum contentione vexatus, eisq; Deum sacrificiis placauit, non videtur iram aduersus mulierem retinere voluisse, quæ ab illo, ad extremam vsque calamitatem, non defecit, eiq; tam molestum, tamq; asperum famulatum septem ipsos annos exhibuit: & quondam regina, in eius obsequium & sustentationem, ancillam agere, & stipem cogere non dubitauit. Nam si ad omnes vxorum stultas querelas, improbasq; voces diuortia inducantur, infinitum sit negotium, vixq; vlla reperiatur domus, quæ ab hoc morbo sit libera. Denique non videtur Iobus ipse, aut Moses, qui nouos liberos exposuit, nouam vxorem silentio pressurus.

X. Ex eaq; nouã sustinuit, plẽ.

Ex eadem ergo vxore, & animo & corpore peculiari Dei beneficio reflorescente, suscepit septem egregios filios, tresq; insigni pulchritudine filias, nec geminati sunt, vt ij, quos inuidia diabolí extinxerat, non perijsse vt cætera, sed apud Dominum adhuc viuere intelligerentur, quod notarunt D. Basilius *b*, & August. vtq; eis gemina hæreditas constitueretur, pro ea quæ ante tentationem filijs parata fuerat. Sed nos iam virum sanctissimum atque probatissimum, maximis animi delitijs, in secura præteritorum malorum recordatione perfruentem; corporis item externisq; bonis, cum lectissima sobole abundantem, ad centum & 40. quos superuixit annos, dimittamus, quando illi in Ausitide, Deo bene propitio, merito parentandum erit. Interea in Ægyptum reuertamur, vbi in aliquot Patriarcharum funera breui interuallo incurremus.

ANNVS MVNDI 2406.

RVBEN 124. & vlt. IOBI 79.

MAMYTHI 21. Imperij Assyr. 475.

ANTE CHRISTVM 1647.

I. Rubeni obitus, eiusdemq; virtutes.

HOc anno mortuum Rubenum Iacobi primogenitum Hebræi Chronologi tradunt, cui præterea vnum annum addit Testam. Patriarch. Hic est Ruben, qui sicut Ioseph ille ab Arimathea, cuius laus est in Euangelio, non consenserat consilio & actibus fratrum suorum, in cæde, aut venditione Iosephi. Quin potius in illa ipsa fratrum coniuratione, enituit eius in Iosephum charitas, & in parentem fides, cum nitebatur eum liberare de manibus eorum; & specie demittendi eum in cisternam, cupiebat ereptum reddere patri suo. Hinc ille cum scissis vestibus eiulatus *a*; *Puer non comparet, & ego quo ibo?* Enituit & paterna, vtpote primogeniti, in fratres omnes beneuolentia, quando pro Benjamino, in quo communis totius familiæ vertebatur salus, filios suos in mortem oppignorare non dubitauit. Hic est Ruben, qui primus vltricem Dei manum in fratres suos agnoscens, dicebat *b*: *Nunquid non dixi vobis, nolite peccare in puerum, & non audistis me? Ecce sanguis eius exquiritur.* *a* Gen. 37. 30 *b* c. 42. 22

II. Rubeni crimen.

Quod autem Rabini quidam facinus Rubeni, quod pater tam perspicue, tamq; seuere damnauit, excusare moliuntur, suo more insulsi sunt, si non videant se dum filio patrocinantur, in parentem accusatores insurgere. Dicitur autem in prædicto libro Testamenti, à morte in theca repositus, donec eum referrent ex Ægypto filij eius, & sepelirent in Hebron, in spelunca duplici cum patribus suis. Quod Iosephus *c* aperte confirmat, agens de Iosephi sepultura. *Reliqui etiam fratres*, inquit, *vita feliciter exacta, in Ægypto sunt mortui, quorum corpora filij & nepotes in Hebronem relata sepelierunt.* Hoc ergo, quasi in singulorum funere, dictum intelligatur. *c* l. 2, c. 4.

III. Obitus Issacharis 2409. &c

Triennio post, qui fuit annus Mundi 2409. mortuus est Issachar annos natus 122. ijsdem Hebræis, quos sæpius nominaui, autoribus, cuius vita & mores in obscuro sunt, præter ea quæ scribit Autor Testamenti; vtrum vere omnia, aliorum esto iudicium. In penuria, etiam non optime fruges victui cedunt.

Et Zabulonis.

Biennio post, qui fuit Annus Mundi 2411. mortuus est Zabulon sextus Liæ filius, anno vitæ centesimo vigesimo quarto, qui vt proxime

x in Cat. Epist. 110, ad Honoratũ, & alij apud Coneliũ & Sanctam.

xime Issacharem nascendo secutus est, ita proxime secutus est moriendo. Commendat in eo liber Patriarcharum affectum commiserationis in pauperes & afflictos, præsertim erga fratrem suum Ioseph, cum eum reliqui perdere statuerent.

VI. Obitus Dani.

Anno proxime sequenti, qui fuit Mundi 2412. & habitationis in Ægypto 84. Dan filius Balæ abiit ex hac vita, anno ætatis 127. vt est in minore Chronico Hebræorum: in Testamento tamen habetur annus eius vltimus 125. Fuit hic, sicut & reliqui, qui matre ingenua caruerunt, vt ortu, sic & vita obscurior: at in posteris eius nonnulli illustres, vt Samson. Tribus eius, secundum tribum Iudæ, fuit omnium numerosissima.

Et Aseris

Anno vero Mundi 2413. qui fuit trecentesimus ab euocato ex terra Chaldæorum Abrahamo, promissáq; Chananitide, finem viuendi fecit Aser, cum vixisset annos 126. vt est in illo Chronico, cui potius adhæreo, quam Testamento, quod ei 120. duntaxat attribuit.

Obitus Mamythi Regis.

Aseri biennio superuixit Mamythus duodecimus Assyriorum Rex; mortuus enim est anno Mundi 2415. & regni sui trigesimo, Imperij vero Assyriorum 484.

ANNVS MVNDI 2416.

AMRAM 31. IOBI 89.

MACHALÆI 1. Imperij Assyr. 485.

ANTE CHRISTVM 1637.

1. Machalæus 13. Imperator Assyriorum.

HIc Assyriorum Imperator à Belo decimus tertius Machalæus passim in optimis quibusque libris appellatur. In Græco tamen Eusebio, & in tertia Africani dynastia vocatur Aschalius. Et hic octo ipsi duntaxat & viginti regni annos tribuit, Eusebius autem quem sequimur 30. cui Cassiodorus, & alij recentiores consentiunt.

Est hic ipse annus Benjamini vltimus, vt est in eodem Chronico Hebræo. *Benjamin*, ait, *centum & vndecim vixit, ita vt moreretur circiter viginti sex annis ante Leui.* Quid ergo? num Leui sex & viginti anni vitæ adhuc superfunt? imo quinque duntaxat. Dicendum itaque fuit eum viginti & sex annis minus vixisse quam Leui, qui vixit 127. vt Scriptura testatur *d*.

d Exo 6. 16. 137. 26. 111.

II Mors Benjamini.

Moritur ergo hoc anno Benjamin minimus natu filiorum Iacob, filius dexteræ patri. Racheli autem matri filius doloris; imo & patri, cum de eo in Ægyptum deducendo magna contentione disputatum est. Quin & fratribus quoque ingens doloris obiectum fuit, & frater doloris dici potuit, cum falsi criminis conuictus, exposcebatur ad seruitutem. Hic est, qui post multas omnium Patriarcharum preces, in Ægyptum denique missus est, ad liberandum Simeonem, qui in carcere detinebatur; ad propulsandum crimen, quod in omnes intendebatur, & ad cibariorum copiam in fame obtinendam; quo abeunte: Ego, inquit pater, *quasi orbatus absque liberis ero.* Christi similitudinem res loquitur ipsa per sese. Quis enim non recordatur illas omnium Patriarcharum & Prophetarum orationes & preces: *Rorate cæli desuper*, &c. *Vtinam dissuperes cælos; Obsecro Domine, mitte quem missurus es. Saluare tuum expectabo Domine*, & alia id genus passim obuia. Is missus est in mundi huius Ægyptum, ad liberandos patres, qui in carcere subterraneo detinebantur, ad commune mundi peccatum tollendum, ad nutriendas pauperum suorum animas, vero pane, qui de cœlo descendit, doctrina scilicet, & carne sua. Quo descendente de cœlo, cum esset vnigenitus, dicere potuit pater: *Ego quasi orbatus absque liberis ero.* Neuter enim vere orbatus fuit.

In multis Christo similis.

Hic est ille Benjamin, innocens simul & reus, sed reuera innocens, & ad speciem externam reus, super quem plorauerunt omnes fratres sui, & is maxime, cui ille erat omnium coniunctissimus, atque charissimus, quiq; propter scelus fratrum suorum afflixit eum, cum perillustri Seruatoris figura. Qui cum sanctus esset, innocens atque impollutus, impositis in ipsum fratrum suorum peccatis, factus est reus; super quem non solum discipuli, quos fratres suos appellare dignatus est, sed Angeli quoque pacis, quomodo nos id capere possumus, amare fleuerunt; atque illi erat coniunctissimus atque charissimus, Pater æternus, qui propemodum in cruciatibus eius & morte gemens, *propter scelus*, inquit, *populi mei percussit eum.* Sed de his hoc loco satis.

III. Et nominatim in passione.

Biennio post, qui fuit annus Mundi 2418. mors Nephtali & Gadi contigisse videtur. Scribunt enim Hebræi, in maiori suo Chronico, non fuisse inter Patriarchas, qui minus vixerit Iosepho, neque vllum qui Leui viuendo superarit. Oportet igitur intra hos paucos annos, qui supersunt vitæ Leui, Nephtali & Gad esse defunctos. Eorum vitæ periodum omisit referre id Chronicum, quod cæterorum protulit. Reperitur tamen in illo quem toties memorauimus testamento, mortuus Nephtali anno 132. vitæ suæ. *Conuenientibus*, inquit, *filiis suis septimo mense, ipso sano existente*, iussit apparari conuiuium magnificum, &c. Et post exhortationem factam filiis, epulatus, operuit faciem suam, & mortuus, ac translatus in Hebron. Hæc ibi. Quod ad Gad attinet, non recte in eodem libro dicitur mortuus anno centesimo vitæ, sic enim obiisset ante Iosephum: quia tamen eius obitum alibi certo collocare non possumus, hic eum cum Nephtali, cui ætate par ab exortu fuit, collocemus licet *a*. Ambo fuerunt ex ancilla geniti, Nephtali ex Bala Rachelis, Gad ex Zelpha Liæ: quorum res gestæ perobscuræ scriptorum inopia permanserunt.

Vide Ann hoc anno 2418.

IV. Obitus Nephtali & Gadi.

Gadi obitus.

a Gen 30. 8 11.

ANNVS MVNDI 2421.

AMRAM 6. IOBI 94.

MACHALÆI 36. Imperij Assyr. 490.

ANTE CHRISTVM 1632.

I. Obitus Leui.

LEui, qui tertius ex Lia Iacobo Patriarchæ natus est in Mesopotamia, ad annum 137. viuen-

Mortæ in Ægypto.

Mortæ in Ægy. 120

viuendo peruenit; Id in Exodo Scriptura *b* testatur; cui famulatur assertio Testamenti Patriarch. & Chronici H. bræorum. Seuera est parentis in eum benedictio *c*, hominis iustissimo grauissimi criminis odio incitati, cuius Leui in primis particeps ac patrator fuit. Eius familia postea nec certo loco sedit, vt reliquæ, nec numero magna fuit. Nam cum in reliquis à 20. annis & supra reperta sint in deserto supra 50. aut 60. hominum millia; de Leuitis ab vno mense & supra, fuere tantum in priore censu viginti duo millia *d*, in posteriore viginti tria *e*; quod vix aliarum tribuum quadranti respondet: prouidente Domino, ne qui à reliquis tribubus sustentandi erant, nimia multitudine oneri essent.

b Exo 6.16

c Gen 49.5

d nu. 3.39

e n. 26.62

II. Eius tribus Sacerdotio diuinitus addicta

Eam nihilominus tribum maxime honorauit Dominus, qui eam singulariter assumpsit & sanctificauit sibi, dicens *f*: *Ego tuli Leuitas à filiis Israel, pro omni primogenito, qui aperit vuluam in filiis Israel, eruntq; Leuitæ mei*, mortisq; pœna intentatur omnibus aliis, cuiuscunque tribus, si quis ad sanctuarium fuerit ausus accedere. Ex hac ergo tribu omnes Sacerdotes, summiq; Pontifices orti sunt, qui multis sæculis Iudæorum Rempubl. administrarunt, omnium principe ac ductore Aarone & filiis eius.

f n. 3. 12. & 8.16.

ANNVS MVNDI 2428.

AMRAM 43. IOBI 101.

MACHALÆI 13. Imperij Assyr. 497.

ANTE CHRISTVM 1625.

I. Obit Manasses & Ephraim

CIrca hunc annum centesimum habitationis Israelitarum in Ægypto, probabiliter putamus defunctos Ephraim & Manassen filios Ioseph ad dignitatem Patriarchatus ab auo Iacobo adscitos: quoniam satis constat eos mortuos antequam excitaretur in Hebræos persecutio, ad cuius initia post aliquot annos peruenturi sumus. Sit ergo hic annus funeris duorum filiorum Ioseph, quos patris eximiæ sanctitati coniuncta summa dignitas, matrisq; nobilitas, cæteris tribuum patribus aliquo modo præstantiores reddit, qui pastore ouium nati, pastoritiam vitam ad mortem vsque transegere. Hi sunt qui ab Ægyptia muliere nobili, & ad veri Dei cognitionem traducta, in lucem editi, populos gentium repræsentant, quos genuit verus Ioseph Christus Dominus, assumpta sibi sponsa Ecclesia, ex media Ægypti gentilitate, & in diuinorum mysteriorum cognitionem euocata.

II. Lauseorũ

Illud etiam in his fratribus duobus prædicandum videtur, quod cum alter alteri auo benedicente prælatus esset, & quidem iunior seniori, quamuis patre viam ad querelam quodammodo præmonstrante, non exanduit tamen is, cui iniuria facta videri poterat, cum annum tunc ageret vigesimum sextum: sed ambo, quod quidem sciatur, suaui fraternæ charitatis vinculo colligati perseuerarunt, vti fuerant sancta parentis institutione à teneris educati.

In annum porro Mundi 2437. Torniellus Caathi mortem refert, vt ante exortum noui Regis, qui cœpit Israelitas affligere, reperiatur è viuis abiisse. Idcoq; illius ortum retulit in vigesimum primum annum patris. At nos, qui Epiphanium sequimur, eius obitum ad decimum tertium ab hinc annum differemus. Neque enim, quod ille putat, Scriptura exigit vt Caath mortuus fuerit, vel cognatio illa, quam memorat ante exortum regis illius, sed antequam ille inciperet Israelitas vexare, quod primo statim anno regni facere cœpisse probari non potest, cum soleant reges quantumuis sæui, non prius durius tractare subditos suos, quam solida iecerint imperij fundamenta. Ac ne necesse quidem est Caathum ante initium seruitutis extinctum. Nam quod de omni illa cognatione dicitur, facile de maxima parte accipi potest. Ergo tota illa cognatio, siue generatio ipsis coæua Patriarchis, quæque in Ægyptum cum Iacobo descenderat, è viuis excesserat, cum exorta est ab Ægyptio rege vexatio.

A. m. 2437

III. Caathi mortem huc non pertinere

ANNVS MVNDI 2438.

TERTIÆ ÆTATIS 400.

PROMISSIONIS 325.

MACHALÆI 32. Imperij Assyr. 507.

AMENOPHIS Regis Ægypti 1.

ANTE CHRISTVM 1615.

I. Ratio temporis

POnemus deinceps in Chronologia nostra reges Ægyptiorum, vsque ad exitum Israelitarum ex Ægypto, iuxta Eusebij Chronicum. Id enim sæpe deinceps narrationi vsui erit. Nostrum porro annum tertiæ Ætatis, quæ est ab ortu Abrahæ, Promissionis item annum, qui est 75 annis posterior, & regum Machalæi & Amenophis, perspicue confirmat Eusebius: qui etiam adunguem congruit cum nostro anno moræ in Ægypto, qui est 110. Suscepit itaq; hoc anno in Ægypto regni gubernacula Amenophis, siue Amenoptes: vnum autem supra triginta annos regnum tenuit, vt habet ex Manethone Africanus, & ex Africano Eusebius: nec dissentit Iosephus, qui in priore contra Apionem 130. annos ac menses decem attribuit. Eo regnante oportet Israelitarum seruitutem initium accepisse, cum ex eodem Eusebio constet sub hoc rege natum Mosem, quem ex ipsa Scriptura perspicuum est in durissima Ægypti seruitute natum: meritoq; recentiores pene omnes in eo consentiunt, & quicunque ex antiquis secuti sunt Eusebium.

Amenophis.

II. Rex nouus in Ægypto.

Quo autem sui regni anno Hebræos vexare cœperit, nemo quod sciam prodidit, vt impune liceat huius initium mali, ad Caathi finem differre. Vt tanto semper verius sit dictum illud Mosis, vniuersos Iosephi fratres, omnemq; illam cognationem, siue ætatem, ante seruitutem fuisse mortuam. Hic est ille Rex nouus, qui ignorabat Iosephum, vtpote ante an-

nos 40. mortuum, quiq; iniquioribus oculis cœpit Israelitas intueri, & eorum fœlicitati non solum inuidere, sed eam etiam formidare, & post aliquot annos atterere atque vexare. Rex nouus, non diuersæ cuiusdam familiæ, vt putauit Iosephus, repugnante Eusebio, Africano, Manethone, qui hanc eandem Diospolitanorum Dynastiam, per 15. aut 16. regum seriem producunt, quorum fere medius est hic Amenophis, sed noui potius cuiusdam in Hebræos animi, quiq; nouam suos subditos gubernandi rationem, & à dudum consueta diuersam vsurpauit atque inuexit.

ANNVS MVNDI 2445.

AMRAM 60. IOBI 118.

MACHALÆI 30. & vlt. Imperij Assyr. 514

AMENOPHIS 2.

ANTE CHRISTVM 1608.

I. Obitus Machalæi

HOc anno Machalæus decimus tertius Assyriorum rex vita fungitur, expletis circiter 30. regni annis, quos illi tribuit Eusebius in Chron. Etsi Africanus illi 28. duntaxat assignet.

Initium Sphæri.

Illi proximo anno substituitur Spheræus, qui in Græco Eusebij dicitur Sphærus, sicut apud Africanum, qui eum duos & viginti annos regnasse vult. Eusebius autem viginti duntaxat. Nimirum qui duos addiderat Machalæo, eos nunc Sphæro detrahit, sicq; æquantur anni vtriusque Principis. Pro Sphæro Saphrum leges apud S. Augustinum *a*, metathesi vnius elementi.

a l. 18. de Ciu. c. 5.

ANNVS MVNDI 2450.

AMRAM 65. IOBI 123.

SPHÆRI 5. Imperij Assyr. 519.

AMENOPHIS 13.

ANTE CHRISTVM 1603.

Mors Caathi.

TErminat hic annus Iubilæum quadragesimum nonum, sicut & periodum vitæ Caathi aui Mosis, quem 133. annos vixisse, ex capite sexto Exodi constat *b*. Cæterum ad hoc vsque tempus eius vitam produximus, Epiphanium secuti, vt supra diximus *c*, nihil veriti ne sacris libris repugnaremus, aut Caathum in annos seruitutis coniiceremus, cuius initium in annum sequentem distulimus, quo Torniellus genitum suspicatur Aminadab, vnum de progenitoribus Seruatoris.

b c. 6: 18.

c a. 2437 vide Annot. Caath c. 10.

ANNVS MVNDI 2451.

AMRAM 66. IOBI 124.

SPHÆRI 6. Imperij Assyr. 520.

AMENOPHIS 14.

SERVITVTIS 1.

ANTE CHRISTVM 1602.

I. Initium seruitutis Israëlitarum. d Exod. 1.

INchoamus Iubilæum ab orbe condito quinquagesimum, populo Hebræorum luctuosissimum *d*, quando mortuo Iosepho, & vniuersis fratribus eius, & omni cognatione illa, vehementerq; iam multiplicatis Israelitis, surrexit Rex nouus, noui scilicet & maligni in Hebræos animi; qui animus se sub media eius tempora maxime prodidit. Recte autem dicitur ignorasse Ioseph, id est memoriam acceptorum à Iosepho beneficiorum obliterasse. Iam enim iam centum & octodecim anni abierant. Ipse autem Iosephus ante annos 50. mortuus erat; nec solet apud mortales tam viuax esse accepti beneficij memoria. Nec cogitabat imprudens Amenophis potentem & numerosum populum benevolentia melius, quam acerbitate in officio contineri: nec tam sapienter aut vtiliter tolli subditis potestatem nocendi, quam voluntatem.

II. Ei⁹ causæ ex parte ipsorum.

Vsus est autem Deus improba Regis istius & Ægyptiorum voluntate, ad Iudæorum peccata punienda, siue Iosephi venditionem, vt Hebræi aliqui non temere existimarunt; siue idololatriam, qua in Ægypto fuisse contaminatos, assertor est Iosue *e*, dum populum moriturus alloquitur: *Auferte Deos*, inquit, *quibus seruierunt patres vestri in Mesopotamia & in Ægypto, & seruite Domino.* Ezechiel quoque *f* ait Samariam & Hierusalem fornicatas in Ægypto in adolescentia sua. Fornicationem autem dici in Scriptura idololatriam notissimum est, & ita ibi Prophetam explicat Hieronymus. Et ea causa fuerit cur tam seuere egressis prohibita fuerit idololatria, & ipsi tam facile mox in deserto, & in terra Chanaan in idola defluerent. Merito igitur serui facti sunt, qui filij erant eorum, qui innocentissimum Iosephum seruituti manciparant, Deo puniente patrum peccata in filiis, vsque ad quartam generationem. Sed & iustum fuit, vt qui sponte seruirent idolis, seruituti idololatrarum subderentur inuiti, & qui pecudes colerent, vt pecudes mactarentur.

e c. 24. 14.

f c. 23. 3. & 21.

III. Ex parte Dei.

Quin etiam arbitror cum Abulensi *g*, permisisse Deum Hebræos tam atroci ab Ægyptiis seruitute premi, vt tanto maiori odio impuros eorum mores, barbarasq; superstitiones auersarentur, ardentiusq; ad promissam à Deo patribus eorum regionem aspirarent, neque eos in Ægyptum redeundi, vlla vnquam cupido incesseret. Deinde, vt multiplex daretur occasio vero Hebræorum Deo maxima edendi prodigia, quibus & idolorum vanitas proderetur, quæ cultores suos ab eis protegere non possent, & Ægyptiorum scelera, & obstinatio puniretur: & diuina potentia ostende-

g q. 7. in c. 1. Exod.

retur.

retur. Israëlitarum autem populus diutinam erga se bonitatem expertus summo ipsum amore prosequeretur, summa denique Dei bonitas & sapientia mundo innotesceret, quæ de magnis malis magna bona eliceret.

IV. Ex parte Ægyptiorum. Metus.

Iam vero in Ægyptiis tres causas Scriptura notat huius inferendæ seruitutis, metum, inuidiam & odium. Metuebant enim ne si forte ingrueret contra se bellum, Israëlitæ, qui soli exercitum conflare non auderent, hostibus sese Ægyptiorum adiungerent, eisq; expugnatis, & spoliatis ex Ægypto abirent. Quibus verbis significatur, vt notauit Rupertus *a*, fuisse ab Israëlitis frequenti sermone vsurpatam, suam ex Ægypto, autore Deo, migrationem: quam illi omni studio impedire volebant, ne iis commodis priuarentur, quæ ab Hebræis seruientibus colligebant, qui eis arces & pyramides ingentes, & vrbes vilissimorum mancipiorum more sine vlla mercede ædificabant. Addit etiam Iosephus *b*, metuisse eos propter cuiusdam Ægyptij vatis prædictionem: qui Regi prænunciasset, nasciturum per id tempus apud Israelitas quendam, qui olim res Ægyptiorum grauiter esset afflicturus; Israelitas contra euecturus, si modo ad adultam ætatem peruenisset. Eaq; denunciatione perterritum regem edixisse, vt quicquid masculini sexus apud Israelitas nasceretur, abiiceretur in flumen.

a *l. 1 Exod. c. 4.*

b *l. 2 Ant. c. 5.*

V. Inuidia.

Vrebat etiam Ægyptios inuidia, & quidem gemina ex duplici obiecto. Nam Israelitæ & numero plurimi erant, & corporibus animisq; fere Ægyptiis præstabant. Quod ad numerum attinet, multiplicati sunt in Ægypto Hebræi pene in immensum. Vt enim in vbere solo, cœloq; propitio, omne frugum & animantium genus, ita in Principum beneuolentia, in bonorum abundantia, in benedictione diuina, *filij Israel creuerunt, & quasi germinantes multiplicati sunt*, ait Moses *c*, *ac roborati nimis impleuerunt terram.* Id satis intelligi potest ex libro Numer. *Fuerunt*, inquit Moses *d*, *omnis numerus filiorum Israel per domos & familias suas, à vigesimo anno & supra, qui poterant ad bella procedere sexcenta tria millia virorum, quingenti quinquaginta.* Et tamen, vt recte notauit Pererius *e*, extra hunc numerum fuit vniuersa tribus Leui, quæ non est recensita cum reliquis; fuerunt item omnes infantes, pueri & adolescentes infra annum vigesimum, quorum, comparatione vlterioris ætatis, maxima est multitudo. Fuit quoque extra illum numerum sexus muliebris, quem fuisse tunc numerosissimum apparet, quod sæpe pluribus mulieribus vir vnus matrimonio iungebatur. Nec eo numero inclusi sunt senes inualidi atque imbelles vtriusque sexus, quorum ingentem fuisse numerum, dubitandum non est, cum permulti centesimum annum supergrederentur. Itaque nonnulli, bene subducta ratione, non temere concluserunt, vniuersam illam Hebrææ gentis multitudinem, ad tricies centena hominum millia peruenisse.

c Exo. 1.7 Multitudo Hebræorum maxima.

d *c. 1. v 45*

e *Disp. 1. in Exod.*

VI. Eorumq; fœlicitas. *f l. 1. Ant. c. 5.*

Alterum obiectum inuidiæ Ægyptiorum erat florentissimus Hebræorum status, etiam secluſa multitudine. Ægyptij, ait Iosephus *f*, gens delicata, & ad laborem segnis, voluptatibus solum, & captandis vndecunque lucris dedita male volebat Hebræis, quod per inuidiam ferre æquo animo illorum felicitatem non poterat. Opibus enim, vt idem ait, labore & industria quæsitis abundabant. Verum hac industria multo fuerat efficacior peculiaris Dei in Hebræos benignitas, quæ large effusa in omnia, quæ ad ipsos pertinebant, copiosissimum illis incrementum dabat. Accesserat 80. annorum Iosephi in ipsos munificentia, quę non solum omnium tributorum atque onerum reddiderat immunes, sed etiam, iuxta Pharaonis promissionem, dederat Hebræis omnia bona Ægypti, vt comederent ipsam medullam terræ. Dolebant ergo Ægyptij multis se rebus Israelitis cedere. Neque enim eis tantum multitudinem & fœcunditatem inuidebant, sed animi quoque industriam, corporum robur & dignitatem, & externorum bonorum copiam. Nam Ægyptiis propter eorum incontinentiam, & præproperam libidinem, præter deformitatem, minora erant & infirmiora corpora. In Hebræis contra procera, plena, firma, pulchra & ad omnem humanum vsum idonea.

Ægyptiorũ mores

VII Odiũ Ægyptiorũ in Hebr. *g Aversa a offic. Cic. h Exo. 1. 13 i Exo 14. 17*

Supererat odium metui, atque inuidiæ cognatum. *Oderint*, inquiebat ille *g*, *dum metuant. Oderant*, ait Moses *h*, *filios Israel Ægyptij, & affligebant, illudentes eis.* Oderant quippe ac detestabantur pastores ouium, quæ erat ipsorum vitæ conditio; cum è contrario Ægyptij gloriarentur multitudine equorum & curruum *i*. Odium quoq; ex religionis disparitate nascebatur, vt docet l. 1. contra Apionem Iosephus. Quamuis enim aliqui Israelitarum idololatriæ scelere polluerentur, plerique tamen eam infamiam execrabantur. Huius odij testis est Dauid, & quidem ita, vt eius autorem facere videatur ipsum Deum, cum ait *k*: *Conuertit cor eorum vt odirent populum eius, & dolum facerent in seruos eius.* Nimirum Deus vsus est iure suo, nec suis bene facere destitit, etsi videret Ægyptios inde occasionem peccandi sumpturos: & prębendo malis obiectum odij, dicitur cor eorum ad odium conuertisse, quoniam obiecta facultates huc illucq; mouent atque conuertunt. Vide in eum locum Augustinum, Caluini blasphemiam, de autore peccati Deo, egregie refutantem.

k *Ps. 104.* An à Deo profectũ.

VIII. Cõsilium opprimẽdi Israëlitas.

His ergo animi morbis ægrotabant Ægyptij, cum Rex conuocatis: *Venite*, inquit, *& sapienter opprimamus eum.* Quasi dicat, Ne publica in eos clade sæuiamus, ne tumultum in populis, nobis damnum creemus, sed quasi aliud agendo, eos laboribus atteramus, vt simul & ipsi deprimantur, & nos erigamur, & inualescamus. Hanc sapientiam dolum vocat Dauid. Cum ergo id consilium Regi atque optimatibus placuisset, dissimulanter datum est initium seruituti, qua Hebræi in fortunæ bonis, & corporibus, & animis ipsis vexarentur. Cumq; tribus quasi gradibus, atque temporibus, seruitutis huius calamitas sumpserit incrementa, vt ex sequentibus intelligetur, primus hic gradus, qui medios huius Regis annos occupauit, tam late patuit, nihil vt à damno, & miseria immune esset. Nam quod ad copias attinet & fortunas, tributorum magnitudine cosinanes atque exangues reddiderunt, l *Præposuit enim eis magistros operum, vt affligerent eos oneribus*; quos plerique interpretantur publicanos, & tribu-

In fortunæ bonis

l Exod.

torum

butorum exactores, à quibus ſupra modum grauabantur. Deinde cum laborum magnitudine vexarentur, maligna tamẽ eis merces, aut nulla potius reddebatur; eis enim, quaſi ab ergaſtulo mancipijs, abutebantur, cum eos tributis exinanitos, cum ſoluendo non eſſent, in piſtrinum compingerent.

IX. Ipſiſque corporibus.

Sicq; corpora ipſa, quod eſt alterum ſeruitutis huius malum, vexabantur. Cum enim intolerandis laboribus, & genere ipſo indigniſſimis, & numero longe plurimis obruerentur, quippe *ad amaritudinem* m, vt ait Moſes, *perducebant vitam eorum operibus duris luti & lateris, omnique famulatu, quo in terra operibus premebantur.* Vaſtaſque moles vrbium atque turrium in cœlum tollere iuberentur: atq; adeo, vt quidam Hebræi prodiderunt, cogerentur miſeri fœces & ſtercora ex vrbibus euerrere, & cophinis impoſitam ſuis deferre humeris, atque exportare, iuxta illud Dauidis b, *Diuertit ab oneribus dorſum eius, manus eius in cophino ſeruierunt.* Si quid peccatum eſſet, flagellis ſeruilem in modũ accipiebantur, aut niſi diurnum penſum, licet iniquiſſimũ, quotidie perſoluerent. Non enim propoſitum erat præfectis operum opus ab infœlicibus, ſed vitam extorquere, cum de induſtria opus exigerent, quod illi explere non poterant. Quamuis autem plerique tota Ægypto paleis conquirendis excurſarent, aliquos tamẽ ferreis catenis oneratos apparet: eo enim alludit Dominus, cum ait c. *Ego Dominus Deus veſter, qui confregi catenas cervicum veſtrarum, vt incederetis erecti.* Quæ pœna fortaſſe fugitiuorũ fuit, aut eorum qui ob delictum aliquod rapiebantur ad flagrum, aut qui ex vno loco in alium operis cauſa circumducebantur.

m Exo. 1. 14. Ad cophinum compulſi, a Ezech. poëta apud Euſ. l. 9. c. 28. de Prep.

b Pſ. 80. 7

Flagris, & catenis vexati.

c Lev. 26. 13.

Iam vero præfecti operum maximũ afferebant momentum ad huius acerbitatem ſeruitutis. Nam præterquam quod flagri pœnam non infimæ plebi, aut capite cenſis duntaxat inferebant, ſed ijs etiam qui præerant operibus filiorum Iſrael; præcipuis ſcilicet Hebræorum; qui quaſi proletarij ad hanc militiam, dirumq; tyrocinium trahebantur: in quo tam crudeliter cædebantur, vt plerique ſub verberibus animas exhalarent; quos etiam, vt ait Philo in vita Moſis, inſepultos proijciebant extra terminos, & lugeri ac ſepeliri prohibebant. Tanta denique erat eorum inhumanitas, vt cũ multa haberent Iſraelitæ quæ conquererentur, quaſi exterorum omnium obliti, de ſolis operũ præfectis lamentarentur d. Animis poſtremo affligebantur, cum male atque ignominioſe multati, etiam irriſione vexabantur. Hoc quippe auctarium plagis addebant, quod generoſis animis eſt ipſis plagis acerbius. Audiebant videlicet impij, contemptores deorum, apelles & verpi, piaculares, terræ onera, alijſque huiuſmodi contumelijs pulſabantur, quas Philo memorat e. Denique ex Artapano recitat Euſebius iuſſiſſe regem, vt alia ab Ægyptijs veſte ludæi vterentur, vt facilius cognitis, impune quilibet inſultaret. Sed hæc, aliaque generis eiuſdem, plenius referunt Annales.

X. Præfectorũ inhumanitas.

d Exo. 5. 7 Vt animis affligerentur Iſraelitæ.

e Lt. de vita Moſis.

Hic antiquiſſimus fuit, maximéq; diuturnus Iſraeliticæ ſeruitutis gradus, vt qui ab huius Regis medio, vt putamus orſus imperio, vſque ad exitum ex Ægypto perſeuerauit: centum ſcilicet propemodum annis. Hinc enim vſque ad octogeſimum Moſis, anni duo & nonaginta numerantur. Quamuis Ioſephus, & ſibi, & alijs omnibus repugnans, niſi mẽdum irrepſit in numeros, dixerit in eum modum per annos quadringentos fuiſſe laboratum. Reges porro qui deinceps ſunt ſecuti Amenophim, eius veſtigijs inſtitiſſe poſtremus ipſe annus docet, in quo & onera, & præfecti onerum, & lateres, & paleæ, & flagella inculcantur. Quamuis credibile non ſit omnia quæ diximus in primum ſeruitutis annum cadere. Sub vnum tamen aſpectum ſubijcienda duximus, quæ certam temporis notam non habent.

XI. Diuturnitas huius ſeruituris. Ab am. m. 2451.

Ad ab. m. 2543.

ANNVS MVNDI 2452.

AMRAMI 67. IOBI 125.

SPHÆRI 7. Imperij Aſſyrior. 521. AMENOPHIS 15.

ANTE CHRISTVM 1601.

SVb hunc annũ contigiſſe arbitramur illud quod initio c. 2, Exo. habetur. Egreſſum ſcilicet virum de domo Leui, & acceptiſſe vxorem ſtirpis ſuæ. Fuit vir ille Amram Leuita, & vxoris nomen Iochabetha, vt perſpicue tam in Exodo f quam in Numeris g traditũ eſt. Quo præciſè anno coniugium hoc contigerit, nemo quod ſciam tradidit. Non poſui autẽ prius, eo quod Moſes ſignificet Amram duxiſſe vxorẽ, exorta iam ſeruitute: admodumque probabile eſt tam tardam liberorum Amrami procreationem, tardo cõiugio aſcribendam eſſe. Neq; tamen exiſtimandum eſt connubium hoc etiam tardius contigiſſe; poſt edictum videlicet de proijciendis infantulis in profluentem, quamuis id ſeries Moſaicæ narrationis exigere videatur, idq; putarint Rupert & Abul. Voluit enim Moſes in primo Exodi coniungere, & ſub vnum quaſi aſpectum dare quæcunque ad ſeruitutem pertinebant, ante quam ad aliam narrationem aggrederetur, quod indicare voluit Hieronymus addita particula *Poſthæc*.

I. Amrami cõiugium cum Iochabetha.

f Exod. 6. 20.

g Num. 29. 59.

Quod ad Iochabetham attinet, quidam Hebræi nugantur, dum eam ab ipſomet Leui genitam putant, neq; vident in quos ſe abſurditatum laqueos hoc poſito induant. Dicendum potius cum Hieron. h, eam fuiſſe Amrami patruelem, id eſt filiam patrui, puta filiam Gerſonis vel Merari, ſic enim Hebræam vocem *Dode* Septuaginta interpretantur: aiunt enim Amrã duxiſſe vxorem filiam fratris patris ſui. Conſentit Demetrius apud Euſebium i, qui eam vocat filiam τοῦ θείου id eſt patrui, vel certe auunculi. Itaque quod 26. Numerorum dicitur filia Leui, eodem modo accipiendum eſt, quo Ephraim & Manaſſes dicuntur filij Iacob, & Chriſtus Dominus filius Dauid.

II. Patruelis ſua, & coniuncta.

h Exod. 6. 20. Ιωχαβὲδ ἡ ἀδελφὴ τοῦ πατρὸς αὐτῆς.

i l. 9. de Prep. c.

Author Teſtamenti Patriarch. k ait filios Patriarcharum retuliſſe eorum oſſa in Hebron anno 91. ante egreſſum ex Ægypto, indeque redijſſe in Ægyptum, donec à Moſe educti ſunt. Ille autem nonageſimus primus eſt Mundi 2451. idemque vndecimus ante ortum Moſis. Nec ſane video quare hæc traditio vera eſſe non poſſit, cum ea res in occulto facta eſſe dicatur; & à paucis ſine apparatu fieri potuerit, vt in tempore afflictionis, & ſeruitutis. Non

III. Oſſa Patriarcharum exportant in Chanaitidem.

k c. 8. fi.

retulerunt autem eadem opera Ioſephi ipſa-
na, quia non prius id factum oportuit, quam
Deus Iſraelitas viſitaſſet, eos aſſerturus in li-
bertatem *l*: quod tempus nondum aduenerat,
ac ne natus quidem erat is, per quem tam glo-
riosum facinus patrandum erat. Ioſephus *m*
quoque prius relata oſſa Patriarcharum ait,
quam Ioſephi, quæ translata ſunt dum Hebræi
ex Ægypto populariter emigrarent.

l Gen. 50. 24.
m l. 2. ant. c. 4.

ANNVS MVNDI 2465.

AMRAM 71. IOBI 129.

SPHÆRI 11. Imperij Aſſyriorum 525.

AMENOPHIS 19.

ANTE CHRISTVM 1597.

I. Alter gradus ſeruitutis

HOc circiter anno ſexto ſeruitutis, & A-
menophis 19. altero gradu progreſſam
putamus Pharaonis in Hebræos tyrannidem,
cum præcedentium malorum incremento. Sex
enim annorum experientia ſufficiebat ad pro-
bandum, an laborioſa ſeruitus procreationem
impediret, an contra multi paruuli quinquen-
nes, aut ſexennes reperirentur, qui eum conatum irritum certo argumento comprobarent.
Certe ad hunc etiam annum referamus licet
illud n. *Quanteque opprimebant eos, tanto magis multiplicabantur, & crescebant* Quo cognito
Rex barbarus compendioſiore viâ ad Hebræorum interitum progredi ſtatuit. Clam enim
vocatis ad ſe obſtetricibus Hebræorum, non
omnibus quidem, ſed duabus earum primarijs,
quarum nomina Moſes grati animi cauſa immortalitati commendauit, Sephora & Phua, vt
per eas Regis imperium cæteris innoteſceret;
quo ferebatur vt ſub tempus partus infantes
maſculos Hebræarum mulierum interficerent, & crimen ſuum matris abortionem, vel
lethalem aliquem defectum interpretarentur,
fœminas autem reſeruarent.

n Exod. 1. 12.

Mandatur obſtetricibus cædes infantum.

II. Ægyptias fuiſſe, nõ Hebræas

Occultam eſſe oportuit hanc conſpirationem, alioqui Hebrææ puerperæ ſibi ab Ægyptijs ſtudioſe cauiſſent, eaſque neque aduocaſſent vnquam, neque vltro ſe offerentes admiſiſſent. Scio eſſe qui has obſtetrices Hebræas
eſſe putarint, ſed eas Ioſephus aperte vocat Ægyptias, quæ ob cognationem gentis ſuæ, edictum regium minime contempturæ viderentur: cui paſſim aſſentiuntur Scripturæ Interpretes. Quomodo enim tam demens fuiſſet
hic tyrannus, vt tam crudele præceptum ipſis
Hebræis mulieribus tutò committi poſſe putaret, quæ naturali commiſeratione erga genus ſuum affectæ, nunquam operam ſuam ad
illud delendum collaturę eſſent. Quid illis verbis, *Non ſunt Hebrææ, ſicut Ægyptiæ mulieres: ipſæ enim obſtetricandi habent ſcientiam, & priuſquam veniamus ad eas, pariunt*; nonne apertè oſtendunt, ſe non fuiſſe de genere Hebręorum, cum
ab eis ipſæ ſeparent ſeſe, eiſque opponant.

III. Cur fœminæ ſeruarẽtur

Voluit autem Rex, vt notat Abulenſis, ſeruari fœminas: primo ne ſi nemo ſeruaretur, ſed
diceretur omnes fœtus enaſci mortuos, res facile patefieret. Deinde quia multiplicatio mulierum Hebræarum, non inferebat timorem
Ægyptijs, cum illæ arma non tractent. Accedebat quod ipſis ad libidinem ſuam abuſuri
erant, vt quæ multum Ægyptias, pulchritudine vincerent. Denique ingenioſiores erant ad
lanificium aliaque opera muliebria.

Tertium ſit regis imperiũ.

Timuerunt autem obſtetrices Deum; & non fecerunt iuxta præceptum regis Ægypti, ſed conſeruabant mares. Iniecit nimirum Deus vehemẽtem
aliquem terrorem iſtis mulieribus, vt apprehẽderent ſe, aut morte diuinitus, aut grauiſſima
qua piam calamitate percuſſum iri, ſi id facinus
attentarent. Aut ſi mauis emolliuit muliebre
ingenium, alioqui natura tenerum, vt miſericordia erga infantulos tangerentur, qui præter
innocentiam propriam, nullam parentum ſuorum culpam proprio interitu expiaſſent.

ANNVS MVNDI 2457.

AMRAMI 72. IOBI 130.

SPHÆRI 11. Imperij Aſſyriorum 526.

AMENOPHIS 20.

ANTE CHRISTVM 1596.

I. Mariæ ortus, & amarioris ſeruitutis a *Sedor hol. c. 3.*

HEbræorum chronologiam *a* de Mariæ
ſororis Moſis natiuitate ſequimur, quæ
ſeptennio natu grandiorem fratre affirmat.
Ideo enim volunt ſeruitutem Iſraelitarum annos 87. duraſſe, & poſt eos ſolutam, quia ad 80
Moſis, quos Scriptura ipſa commemorat, ſeptem Mariæ annos aggregant. Quod autem
ijdem opinantur ſeruitutis initium in Mariæ
ortum incurrere, vt propterea Maria ab amarore, id eſt amara ſeruitute dicta fuerit & omnino 87. annos tenuiſſe, nec ſibi ipſis, nec veritati, vt arbitror; ſatis conſentiunt. Nam eodem
ipſo capite à morte Leui cœptos affligi Iſraelitas affirmant, qui iam à 35. annis obierat. Niſi
forte volunt in ortu Mariæ ſeruitutem non
ſimpliciter inchoatam, ſed amariorem, quando
mandata eſt obſtetricibus cædes paruulorum.
Quem nos ſeruitutis gradum in annum ſuperiorem retulimus; priorem autem non ad
ipſius Leui mortem, ſed Caathi filij eius probabilius, vt credo, coniecimus.

ANNVS MVNDI 2461.

AARONIS 1. IOBI 134.

SPHÆRI 16. Imperij Aſſyriorum 530.

AMENOPHIS 24.

ANTE CHRISTVM 1592.

I. Ortus Aaronis.

DVm illuditur ab obſtetricibus Amenophis, & ab eo viciſſim Iſraelitæ onerum
grauitate vndecimum iam annum crudeliter
opprimuntur, naſcitur ex Iochabetha Aaron
Leuita, ſummo Hebræorum pontificatui diuinitus deſtinatus. Dubium porro eſt an Aaron ſicut & Moſes, periculum mortis adierit.

Nam Rupertus constare ait vtrumque natum post illud impij Pharaonis edictum, de proijciendis masculis in flumen. Sed cum series Mosaicæ narrationis, addita voce *Posthæc*, induxerunt in fraudem, qua de re diximus anno Amrami 67. Rectius ergo Lyranus negat Aaronem subijsse periculum interitus, quod nondum id edictum promulgatum esset; quod Chronicum Alexand. contigisse ait, eo ipso anno quo natus est Moses.

II. Qui est ab Abraham septimus.

Est porro Aaron sicut & Moses ab Abrahamo septimus *b*, sicut Philo, Iosephus, & Clemens Stromateus prodiderunt. Sed testimonium his maius ex Scriptura ipsa habemus, ex qua constat Aaronem patrem habuisse Amramum, auum Caath, proauum Leui, abauum Iacob, atauum Isaac, tritauum Abrahamum. Vide seriem ætatum in margine ordine digestam. Valde itaque fallitur Genebrardus in sua Chronol. cum ait Mosen forte ab Abrahamo decimum esse, quo ipsum compulit singularis opinio, de totis quadringentis annis commorationis Israelitarum in Ægypto.

b. Abraham. 2. Isaac. 3. Iacob. 4. Leui. 5. Caath. 6. Amrã. 7. Aaron. & Moses. 8. Eliazar. 9. Phinees &c.

ANNVS MVNDI 2463.

AARONIS 3. IOBI 136.

SPHÆRI 18. Imperij Assyriot. 532.

AMENOPHIS 26.

ANTE CHRISTVM 1590.

I. Tertius Hebraicæ seruitutis gradus.

CVm aliquot iam annorum experientia Pharao Amenophis didicisset Hebræos in dies multiplicari vehementius, nullam de filiorum cædibus, aut famam, aut querelam exaudiri, sensit præceptum datum obstetricibus minime obseruatum fuisse. Quas propterea cum ad se euocasset, & cum eis de præcepti violatione expostulasset, meditatam diu, vt par est credere, responsionem attulere, non esse Hebræas sicut Ægyptias mulieres; illas obstetricandi peritiam habere, & sine ope Ægyptiarum obstetricum parere. Quo significabant se non euocari ab Hebræis ad hoc ministerium, sed eas per sese huic necessitati satisfacere, cum tamen eas & euocatas fuisse, & seruasse mares Moyses ipse testetur. Quamuis autem in verbis earum passim mendacium officiosũ agnoscant interpretes, fortasse tamen non dixisse mendacium, sed veritatem celasse duntaxat probari potest. Tota enim earum responsio vera est, tametsi ad mentem regis iniqui elata non est. Nam non esse Hebræas, sicut Ægyptias mulieres, vtique verum est. Verum quoque eas obstetricandi scientiam habuisse, saltem aliquas. In tanta enim Hebræarum mulierum multitudine, & tam frequẽtatis partubus, quis credat nullas hanc peritiam didicisse? Quid in deserto? nonne Ægyptijs obstetricibus annis 40. caruerunt?

Obstetrices non esse mentitas.

II. Cuius rei mercedẽ à Deo acceperint.

Verum quoque fuit pleraſque mulieres Hebræas parere solitas priusquam prædictæ obstetrices accederent, vel proprio vigore vsas, vel sociarum Hebræarum ope adiutas; licet Rex de omnibus forsasse Hebræis mulieribus id intellexerit. Neque dixerunt se non adfuisse parientibus Hebræis, quod fuisset vtique mendacium, sed id Regi existimandum relinquere. Quamuis autem in earum verbis mendacium fateremur, Non tamen propterea consequens est id approbatum esse a Deo, aut mercede affectum; sed timorem Dei, quo illæ permotæ abstinuerunt à peccato, vt docet S. Aug. in libro contra mendacium *a*: imo & Moyses *b* Et *quia*, inquit, *timuerunt obstetrices Deum, ædificauit eis domos.* Quæ merces tam de bonorum temporalium copia, quam de filiorum fœcunditate, ex vi sermonis Habraici explicari potest. Et sane diuinæ bonitati ac sapientiæ consentaneũ fuit, vt quæ ex Dei timore alienos seruarant liberos, ipsæ à Deo liberos, & domus siue familiæ suæ propagationem acciperent. Et quæ conseruando mares mortis discrimen adierant, vitam perquam diuturnam, longa posterorum successione reciperent.

a c. 15. & seq. b Exod. 1. v. 21.

III. Edictum de mergẽdis infantibus. c. c. 1. fi.

Quoniam ergo occultus interficiendorum paruulorum conatus irritus apparebat *c*, *præcepit*, inquit Moyses, *omni populo suo, dicens, quidquid masculini sexus natum fuerit, in flumen proijcite, quidquid fœminini reseruate* Barbarum plane, ac ferale edictum, siue quod innocentes crudeliter interficit, in quorum gratiam nocentibus potius parcendum erat: siue quod infantulos necat, qui amorem & beneuolentiã, certe quidem misericordiam suo candore, & simplicitate conciliant. Adde quod parẽtibus, nulla eorum culpa eripit, quod neminem excipit, quod nullo temporis spatio crudelitatem circumscribit, nisi quod vniuersæ nationi interitum attulisset. Causam quoque huic edicto dedisse Iosephus ait *d* vatem quendam sacrorũ scribam, vt supra tetigi *e*, qui regi prænunciauit nasciturum per hoc tempus apud Israelitas, qui aliquando res Ægyptiorum vehementer affligeret, Israelitarum autem in altum eueheret. Cuius vaticinij nullum vsquam ipso duntaxat excepto, vestigium extat, nisi si qui illud ex ipso transcripserunt.

d l. 2. Ant. c. 5. e n. 1. seruit. n. 4.

IV. Ægyptijs non Hebræis impositum

Impositum est autem hoc præceptum solis Ægyptijs, quod absurdum esset sperare tam atrox mandatum à parentibus ipsis in filios obseruatum iri. Et omnino magnum quiddam erat vt ipsi tantã iniuriam ab Ægyptijs patienter ferrent, neque in arma furenter irruerent. Et sicut ad prius facinus obstetrices Ægyptias elegit, non Hebreas, ita ad hanc cædem, Ægyptios, non Hebræos sibi obtemperaturos putauit. Et ita id præceptum Moyses ipse intelligi voluit, cum non dixit tantum, *præcepisse omni populo*, sed addidit, *suo*, scilicet Ægyptio, ad distinctionem Hebraici. Nec obstat quod parentes ipsi Mosem exposuerunt. Neque enim id illi fecerunt vt regi parerent, in flumen enim abiecissent, sed vt ne periret, & quoquo modo euaderet eorum manus, qui eum in flumen ad certam mortem proiecturi erant. Optabilior enim parentibus erat dubia filij vita, quam indubitatus interitus: meliusque illi consultum putauerunt, si in manus Dei potius, quam in manus hominum incideret.

V. Sed id irritum fuit.

Sed diuina prouidentia ferale barbari huius tyranni spem fefellit omnem. Diuina enim benignitate factum est vt laboribus & ærumnis Hebræi insigniter crescerent, vtque obstetrices,

trices misericordes in infantes, & ingeniosæ in tyranno illudendo redderentur. Denique vt impium hoc edictum breui tempore irritum fieret, atque vna cum tyranni morte, quæ intra quintum annum contigit, antiquaretur, vt recte plerique existimarunt *f*. Certe minime obseruatum fuisse ad finem vsque seruitutis, ac ne diu quidem, ex eo constat quod tam multi paruuli, infra vigesimum annum, ex Ægypto cum patribus suis exierunt.

f Rupert. Torniel Corn. à Lap.

VI. Finis tertiæ ætat., & ratio temporis

Atque ita finem tertiæ mundi ætati imponimus, quæ à natalibus Abrahæ exorsa, in ortu Mosis, & initijs durissimæ seruitutis Hebræorum terminatur, omniumque Patriarcharum maximos, atque clarissimos, sex generationibus, & annis 425. comprehendit. Neque mirabere nos hoc loco tertiæ ætati fixisse metas. Nam è multis Chronologis, qui priora tempora per ætates digessere, vt nemo est qui in prima, aut secunda ætate dissentiat; nam prima ab ortu rerum, ad populorum interitum, altera à Noemo ad Abrahamum omnium consensu protenditur; ita in tertia terminanda multæ sunt Scriptorum, discrepantesque sententiæ. Nonnulli eam ad Dauidem producũt, Ado Viennensis, Beda, Marianus Scotus. Alij ad exitum Hebræorum ex Ægypto, vel datam legem, vt Ioannes Lucidus, Torniellus, & alij fortasse aliter. Eadem consequenter est in cæteris Ætatibus dissentio. Nobis visum est tertiam Ætatem exitu omnium Patriarcharum concludere: quartam Legislatore Mose, Iudicibusque Hebræorum definire. Quintam Regibus, à Saule vsque ad Babylonicæ captiuitatis finem. Sextam Pontificibus, cæterisque populi Rectoribus ad Christi Domini natiuitatem. Ex quo nos ad finem vsque seculorum, & mundi occasum agimus septimam. Octaua denique ab vltima resurrectione corporum, partim in delicijs, partim in supplicijs in omnem propagabitur æternitatem.

Distinctio octo ætatum.

QVARTA MVNDI ÆTAS, Quæ est Iudicum Hebræorum.

ANNVS MVNDI 2464.

AARONIS 4. MOSIS 1.

SPHÆRI 19. Imperij Assyriorum 533.

AMENOPHIS 27.

ANTE CHRISTVM 1589.

I. Initius totius.

ILlustrem atque in primis memorabilem hunc annum facit magni Iudæorum Legislatoris ortus, vniuersæ genti votis omnibus expetendus, quando in eius vita & virtute totius populi salus ac libertas, ex diuina prouidentia vertebatur. Natus est hoc anno Moses ad opera mirabilia, toroque orbe celeberrima singulariter destinatus, conseruatus atque educatus, vt primus hic annus ipsius, & plerique consequentes cumulate docebunt: nihil vt necesse sit hoc loco in ea reprobanda diutius immorari. Quartam autem ætatem à Mosis natiuitate, sicut tertiam ab ortu Abrahæ, inchoamus, iuxta ea quæ proximo anno disseruimus. Et sicut illius ætatis tertiæ quasi exordium quoddam & apparatus fuit id tempus, quod diuinam Abrahæ vocationem antecessit; ita & quare huius, quod tempus ortum inter & legationem Mosis ex monte Sina in Ægyptum interiectum est prolusio quædam erit, quæ inconcinne separaretur à legitimo cantu.

II. Ratio temporis. *a l. 9. de Præp. c. 21 Græ. Lat.*

Amrami porro nonum supra septuagesimũ numeramus annum, secuti Demetrium apud Eusebium *a*, vbi dicitur natus annis 14. ante mortem Patriarchæ Iosephi, à qua hic annus est 65. quibus adde 14. & existet ille Amrami annus quem diximus, & quem præfert index anni huius. In anno porro promissionis, & vtriusque regis belle nobis cum Eusebio conuenit, alijsque passim. Quod certa ratio etiam exigit. Nam cum à promissione ad exitum 430. annos reperiri oporteat, certè eam summam 350. qui præcesserunt, & 80. qui nunc inchoantur exacte conficiunt. Eodem modo habitatio in Ægypto ex communi sententia 215. annorum fuit: eum numerum 135. anni iam confecti, & 80. qui supersunt, & hoc anno inchoantur rite complent. Denique de anno Mosis, vt cætera argumenta missa faciam, Cyrillum habemus affirmantem natum Mosem post Abrahamum anno 425. nimirum absoluto, vt patet ex indice præcedentis anni.

b in Annal.

III. Nascitur Moses in ipsem magnam.

Cum ergo Ægyptiæ tyrannidis violenta tempestas multos iam annos populum Dei iactaret vehementius: & recens edictum Amenophis, à quo nondum euolutus erat annus (propterea que Chronicum Alexandrinum illud in hunc annum refert) certissimum exitium vniuersæ genti minaretur, magnus omnino claritatis & spei fulgor, in terra Gessen, nascente Mose cœpit exoriri: Etsi perpaucis in quantam ille spem nasceretur cognitum foret. Cognitum tamen fuisse parentibus Iosephus affirmat, Domino per somnum Amramum edocente; cui reuelationi aliquid fidei ex scriptura conciliabimus aliquanto post. Subdit autem Iosephus, his per visum cognitis Amramum experrectum narrasse hoc vxori, *Quæ res*, inquit, *vtrique sollicitudinem auxit*: iam enim non puero tantum timebant, sed ne quo pacto promissa fœlicitas intercideret. *Sed mox oraculo fidem fecit mulieris partus, quæ tam facile est enixa, vt obseruatores fefellerit, nihil sentientes eorum, quæ in vulgaribus puerperijs sentiri solent.* Ita Iosephus.

c l. 2. c. 5. Domino reuelante.

IV. Forma decorus. *d c. 2. 2. e Hebr. c. 11. 23. f Act. c. 7. 20.*

Fuisse autem forma decorum & elegantem traditur in Exodo *d*, vbi à Septuaginta ἀστεῖος dicitur, quos secuti sunt SS. Paulus *e* & Stephanus *f*. Sed hæc oris dignitas, & totius corporis pulchritudo, natiuum parentum amorem accendit, vt spreto regis edicto infantem tribus mensibus absconderent. Sed quid est quod Apostolus non naturali amori, sed fidei hoc tribuit? *fide*, inquit, *Moyses natus occultatus est mensibus tribus à parentibus suis, eo quod vidissent elegantem infantem.* Plerique interpretes hanc fidem interpretantur, prudentem coniecturam ab externa specie ductam, fore vt hic infantulus in magnum virum

euaderet

Fide occultatur g hom. 26 ad Hebr.

euaderet. Ita sentit Chrysost. g, & cum secuti Theophyl. & Oecum. Sed melius dici videtur Paulum alludere ad oraculum, quod Iosephus memorat. De quo ille iterum. *De Deo vero certam spem habebat prouisurum, vt oraculi veritatem euentus indicaret.* Eam expositionem in illum Pauli locum probant nostri Cornelius & Iustinianus, confirmantque ex D. Stephani verbis, de quibus alibi commodior erit dicendi locus *h*. Posito igitur hoc oraculo, cum eximia infantis pulchritudine, potuerunt Mosis parentes, diuino præsertim impulsu acti, diuinum aliquid in infante agnoscere, & existimare eum Deo cordi & curæ esse, eumque etiam in fiscella scirpea seruaturum, quod pertinet ad fidem.

h ex Mos. 40. n. 4

V. Tribus mensibus

Cur autem longiori tempore seruatus non fuerit, rationem affert Lyranus, quæ ex Iosepho & Philone probabilitatem habet, quod Ægyptij custodes tertio quoque mense scrutarentur domos, & periculum erat ne dum vni consulere studeret, ipsi necis eius fierent accessio: præsertim cum infans validiore in dies, ac clariore vagitu se proderet. Quoniam ergo in eam ventum erat necessitatem, vt incertę morti puerum committere præstaret, quam illum totamque familiam tyrannico furori obijcere, quo ei modo maxime consulere possent, deliberarũt. Denique fabricati sunt fiscellam scirpeam, siue arculam iunceam, & linierunt eam bitumine ac pice, vt leuis materia facile innataret aquis, neque tamen aqua interiora penetrans, suffocatum infantem demergeret: quę in hac noua nauicula, super publica priuataque calamitate gementes incluserunt, & exposuerunt in carecto ripæ fluminis. Est autem carectum locus caricibus consitus, & palustris, vnde Septuaginta positum aiunt in palude iuxta fluuium, in vnam aliquam earum quas Nilus restagnans efficit, ne scilicet fluminis impetu raperetur.

Exponitur in fiscella ad oram fluminis.

VI. Nec proijcitur in profluentem.

Quo magis mirum est Iosephum puerum à parentibus in flumen proiectum esse, & filiam regis iussisse missis natatoribus, fluitantem lectulum ad se in ripam extrahi. Putauit fortasse rem non satis admirationis habituram, nisi pro palustri ripa, flumen ipsum, pro vna è famulabus natatores substitueret, aut non recte posse dici puerum Moysem ex aquis extractũ, nisi quem parentes ad madentem ripam collocarant, ipse misericors in flumen proijceret. Iacebat ergo in fiscella infantulus, ad oram fluminis, stante procul Maria sorore eius, & rei exitum præstolante. *Ecce autem*, ait Moses *descendebat filia Pharaonis vt lauaretur in flumine, & puellæ eius gradiebantur per crepidinem aluei.* Hæc fuit occasio à diuina prouidentia præparata, in salutem primùm, deinde etiam in gloriam famuli sui, qui in regiam ascitus familiam regiam etiam institutionem sortiretur.

VII. A filia Pharaonis, accipitur. i l. 2. Ant. c. 5. k Hæres. 78. fi.

Hanc regis filiam Thermutim vocat Iosephus *i*, quam S. Epiphanius *k* filiam Amenophis fuisse ait, & pro Dea cultam ab Ægyptijs, puta Iudæis in Ægypto natis, quod Mosem sustulerit, atque educarit. *Quę cum vidisset fiscellam in papyriane*, locus est papyris consitus, quod genus est fruticis, *misit vnam è famulabus suis, & allatam aperiens, cernensque in ea paruulum vagientem, misertaque eius ait, de infantibus Hebræorum est hic.* Id autem æstimare potuit non solum ex præsenti Israelitarum statu, sed etiam ex circumcisionis indicio, quam octauo die acceperat. Et quia, vt ait Philo, non videbatur tutum confestim eum in regiam ferre, & interim nutrice opus habebat, cogitanti superuenit soror pueri, quæ non longe aberat. & edocta à matre, *vis*, inquit, *vt vadam & vocem tibi mulierem Hebræam, quæ nutrire possit infantulum? Respondit, vade; perrexit puella & vocauit matrem suam* Cui illa, *Accipe ait puerum istum, & nutri mihi, ego dabo tibi mercedem tuam.*

Matri nutriendus datur.

VIII. Diuina in Iudæos prouidentia.

Vide quam pulchre illudat Ægyptijs diuina prouidentia: vt quo tempore illi cogunt Hebræos sibi sine mercede in durissimis operibus seruire, Dominus efficiat vt vltro mercedem præbeant Hebrææ mulieri, optatum ac debitum ministerium filio suo exhibenti. Et dum pueros in ruinam Israeliticæ gentis interimũt, vnum in suam ruinã proprijs sumptibus educent. Auget hæc Iosephus episodio fastidiæ ab infante mamillæ mulierum Ægyptiarum, quæ vt non consentanea sacris literis, delicatioribus fastidium mouent. Quo porro tempore à Regina vocatus sit Moyses dubium videtur. Significat enim Scriptura *a* id factum, postquam adultus ab ea fuit adoptatus. Philo autem & Iosephus, hanc denominationem factam aiunt, cum datus est puer nutrici: quod credibilius est, ne tanto tempore nomine careret puer. Scriptura vero temporis ordinem in narrando non semper obseruat. Vocatus est porro nomine Ægyptio, quod Hebraice interpretatum redditur Moyses, id est extractus siue Extractio. Sic superius vertit Pharao Iosephi nomen, & appellauit vocabulo Ægyptiaco, quod Latine interpretatum significat Saluatorem mundi. Clemens porro Alexandrin. *b* ait Moysem à parentibus in circumcisione vocatum Ioachim.

Tempus & ratio nominis Moses. a c. a. 10.

b l. 1. Strom.

IX Sphæri obitus Mamyli successio. A. m. 2466

Annus proxime sequens, qui fuit Mundi 2465. vigesimus atque vltimus fuit Sphæri regis Assyriorum, cui anno 66. successit Mamylus, ad annos 30. qui fuit decimus quintus à Belo. Nutriebat autem interea Iochabetha metu libera, imo gaudio triumphans filium & alienum & suum, dum amotus à lacte Reginæ redderetur. Retinuit autem illum apud se, quantum decorè & probabiliter lactare illum potuit, & materno amore, & infantuli gratia inuitante.

ANNVS MVNDI 2467.

AARONIS 7. MOSIS 4.

MAMYLI 2. Imperij Assyr. 536.

AMENOPHIS 30.

ANTE CHRISTVM 1586.

POst tertium ætatis annum, vt ait Iosephus *c*, cum iam à lacte amotus esset Moses, reddit ascititiæ matri filium suum vera mater, multis vt credere par est, cum precibus Deo commendans. Nec sane video quidquam obstare, cur non existimare possimus Iochabethã.

1. Ablactatus Moses reginæ redditur. c l. Ant. c. 5.

vel hoc tempore, vel etiam præcedente, ad commendandum studium, & industriam suam erga puerum, quem videbat Reginæ charissimum, rei veritatem patefeciſſe; & tamen perlibenter infantem donaſſe illi, quę perituro vitam dediſſet, quamque Deus circa puſionem prouidentiæ ſuæ adminiſtram elegiſſet. quarto igitur ætatis anno, quando infantuli gratiores parentibus eſſe, atque iucundiores incipiunt, *admirandam*, vt ait Ioſephus, *gratiam ei Deus addidit, vt nemo eſſet adeo tetricus, qui viſa Moſis pulchritudine non obſtupeſceret.* In qua pulchritudine & eximia indole ſatis præſidij putauit eſſe Ioſephus in puero, & ſatis cauſæ in Principe ſterili, aut certe prole deſtituta, vt eum ipſa adoptaret in filium, & Patri regnanti in ſucceſſorem offerret.

& ab ea adoptatus

Philo Pharaonem à filia deceptum ait, fingente puerum hunc à ſe genitum, cui Auguſtinus *d*. & Niſſenus *e* aliquo modo fauent, ſed retinenda eſt adoptio, quam habet editio vulgata *f*, Hebræo, Græcoque conſentanea, quæ eſt communiſſima ſententia, antiquorum & recentiorum ſcriptorum. Iuſtini, Baſilij Clementis, imo & Niſſeni, & Auguſtini. Nec illi repugnat Apoſtolus *g*, cum ait Moſem negaſſe ſe filium filiæ Pharaonis, quæ negatio videtur ſupponere rem occultam, qualis erat illa fictio, non apertam, qualis eſt adoptio. Reſpondeo enim cum Ribera, & alijs, iſtam negationem non verbo nũciatam ſed facto, hoc ipſo quod ſe Moſes ſeparauit ab Ægyptijs, & aggregauit Hebræis, theſauris illorum neglectis, & horum iniurijs & paupertate adamata. Quæ autem de regio diademate impoſito puero, & ab illo in terram proiecto & conculcato, & Sacrorum ſcriba eum ad necem depoſcente narrat Ioſephus, merito cenſentur in fabulis. Sicut & quod aliqui Hebræi addiderunt, de prunis ori admotis ab infantulo, indeque impeditioris linguæ facto, quæ in Annalibus *h*. Lector refutata reperiet.

II Quomodo Moyses negauerit ſe eius filiũ d *ſer.* 89. *de temp.* e *l.* 3. *de vita Moſis.*

f *Exo.* 2. 10.

g *Hebr.* 11 24. 25.

An diadema calcarit.

loc. cit.

h *n.* 5. 6. &c.

Qualis autem fuerit eius in aula regis educatio facile quiuis intelligit: illud tamen Philonis non vulgare eſt, *Ita nactus*, inquit, *educationem regum nequaquam infantium more delectabatur aſſentationibus, iocis, luſibuſque quamuis indulgenter haberetur ab educatoribus, ſed tam tum modeſtiam, grauitatemque præferens, malebat audire ſpectareque vtilia.* Sic ille. Cur autem Deus Moyſem in aula regia nutriri atque educari voluerit, has ſuggerit cauſas Pererius, Prima quod nemo alius vel Hebræorum, vel Ægyptiorum, præter filiam regis, auſus eſſet contra tam atrox regis edictum Moſem naufragio eripere, conſeruare & educare. Deinde quia regali cura educatus, euaſit in virum non ruſticanis, & agreſtibus moribus præditum, ſed elegantibus ac regijs: qualibus decebat informari ampliſſimæ olim gentis moderatorem. Denique vt maiore apud Ægyptios auctoritate polleret, cum apud eos deſtinata diuinitus legatione fungeretur.

II. Educatio Moſis in aula.

Et in eo Dei Prouidentia.

Anno porro ſequenti, qui fuit mundi 2469 extincto barbaro ac crudeli Amenophi, Orus illi in Ægyptio regno ſufficitur, quem mitiorem fuiſſe hoc ipſo credere par eſt, quod ipſo regnante ac conniuente, edictum de proijciendis in flumen infantulis antiquatum eſt, vt paulò ante dicebamus. Euſebius annis ipſum octo ac triginta regnaſſe tradit. Africanus ex Manethone 37. Ioſephus ex eodem 36. & menſes quinque. Sed in re modica Euſebium deferere non placet.

III. Regnum Ori in Ægypto. A. m. 2469.

ANNVS MVNDI 2468.

AARONIS 8. MOSIS 5.

MAMYLI 3. Imperij Aſſyriot. 537.

AMENOPHIS 31. & vlt.

ANTE CHRISTVM 1585.

MOritur hoc anno Amenophis regni ſui trigeſimo primo & vltimo, inuecta in regnum ſuum, & ſtabilita per octodecim annos ſæuiſſima Hebraici populi ſeruitute. Eo porro mortuo, apparet etiam antiquatum decretum de proijciendis in Nilum infantibus. Id enim ſi perſeueraſſet, vix milleſima pars Iſraelitarum eo tempore ſuperfuiſſet, quo ductore Moſe educti ſunt ex Ægypto; cum tamen ipſo egreſſionis tempore *i* nominatim fiat mentio paruulorum à Moſe, apud ipſum Ægypti regem. Itaque ſentiunt Torniellus, Cornelius à Lapide, & alij. Antiquatum autem Thermuti, vt veriſimile eſt, in gratiam Moyſi ſui, annitente, vt is maturè de populo ſuo inciperet bene mereri.

I Mors Amenophis. Eius decretum antiquatũ

i *Exo.* 10. 9. 10 & 11. 1. 37.

ANNVS MVNDI 2470

AARONIS 10. MOSIS 7.

MAMYLI 5. Imperij Aſſyrior. 539. ORI 2.

ANTE CHRISTVM 1583.

SEptimus ætatis annus initijs liberalis inſtitutionis, quæ animi educatio eſt, communi hominum iudicio deſtinatur, vſuque ipſo frequentatur; quando pueri iudicio vti incipiunt, & eſſe doli capaces. Hunc ergo annũ Moſaicæ eruditionis initijs conſtituamus licet. Et quoniam S. Stephanus affirmat Moyſem *eruditum fuiſſe omni ſapientia Ægyptiorum*, de ea diligentius eſt à nobis in Annalibus, in hoc ipſo mundi anno diſputatum, ex Clemente præſertim Alexandrino, Philone & Diodoro Siculo, quæ hoc loco iterare inſtituta breuitas, non permittit. Ea porro videntur in primis cognitione digna, quę ad hieroglyphicam pertinent, omneſque illius partes, quarum pulcherrima veſtigia reperiuntur in pleriſque Moſaicæ legis inſtitutis. Ibidemque refutata reperies, quæ Philo de Græcis Moſis doctoribus in Græcorum gratiam commentus eſt, quæ cum tota patrum antiquitate pugnant.

I Moſis inſtructio Poetica.

De Ægyptiorum ſapientia.

Non prætereunda tamẽ, ſed ponderanda potius arbitror illa Philonis verba, cum ait Moſem à vicinis Aſſyrias literas, & Chaldaicam de cœlis ſcientiam didiciſſe, & quidem nõ ab Aſſyrijs aut Chaldæis, ſed ab Ægyptijs & præfecturis Ægypto proximis, & paſcuis Ægypto

II. A patre Amramo videtur edoctus.

vicinis,

vicinis, vnde præceptores iniuſſi, & ſponte ſua ad docendum ſe offerebant. Hos ego vicinos auſim dicere Hebræos, incolas terræ Geſſen, quæ paſcuis abundabat, qui non Hebraicarum tantum litterarum, ſed Chaldaicarum etiam & Aſſyriarum periti erant, quandoquidem ex Chaldæa Aſſyrijs vicina oriundi erant. In his autem vltro ſe offerentibus magiſtris, valde ſuſpicor fuiſſe Amramum pueri patrem, qui ſeptimo anno Moſis quintum ſupra octogeſimum agebat annum, non ætate ſolum, ſed etiam ſcientia, vt Leuitam decebat, venerabilem, qui cum auo ſuo Leui, qui in Chaldæa & Meſopotamia diu vixerat, ad triginta quinque annos fuerat diuerſatus. Quin etiam ſuaui diuinæ prouidentiæ diſpoſitioni conſentaneũ id fuerit, vt ſimul cum litteris veram à teneris pietatem animo imbiberet; & qui lac à ſua ipſius matre infantem ſugere voluit, puram & lacteam Dei ſapientiam à patre hauriret.

Quod ſi huic coniecturæ aſſentiri placet, etiam Aaronem fratrem ei condiſcipulum dare poſſumus. Domeſtica certe diſciplina inſtitutum dubitare non conuenit, diuina id agente prouidentia, quæ ipſum ad ſummum pontificatum deſtinarat, edito etiam ſuper ea re oraculo, vt Ioſephus *a* affirmat.

Eius autem in omni eruditione profectus teſtis eſt Philo *b*, qui cum dixiſſet, pleroſque præceptores ad Moſen docendum partim accerſitos veniſſe, partim etiam ſponte ſe obtuliſſe, *Eos*, inquit, *intra modicum tempus ille ſuperauit, natiua docilitate inſtitutionem præcurrens, vt reminiſci videretur, non diſcere, in rebus difficilioribus de ſuo aliquid comminiſcens. Nam præclara ingenia multa circa ſcientias noua comminiſcuntur.* Hæc ille. Quæ S. Baſilius in Eſaiam, & ante eum Clemens Alexandrinus, imitatus eſt. Hæc autem ſtudia, tam multa, tamque multiplicia, non paucos Moyſi annos occuparunt.

Quo ex Philone elici tur.

Sicut & Aaron.

a *l. 2. Ant. c. 5.*

III. Profectus Moſis.

b *l. 1. de vita Moſis.*

ANNVS MVNDI 2478.

AARONIS 18. MOSIS 15.

MAMYLI 13. Imperij Aſſyriorum 547.

ORI 10.

ANTE CHRISTVM 1575.

I. Moſis adoleſcentia.

INit hoc tempore Moſes adoleſcentiam, cuius bona pars, vt credere par eſt, in liberali & litteraria inſtitutione collocata fuit: Creſcente tamen corpore, in nobilibus adoleſcentibus armorum & militiæ rudimenta ponuntur. Quod in Moſe quoque obſeruatum minime dubium eſt, præſertim ſi in expeditione, quæ dicitur, Æthiopica, factus eſt Imperator. Verum non ſolum arma hoc tempore tractaſſe docet Philo, cum ait, *Egreſſus deinde pueritiam, magis curam intendit, non vt quidam fræna laxans concupiſcentijs, quamuis non deeſſent incitamenta plurima, quæ ſe vbertim offerunt in regum domibus, ſed ſobrietate atque temperantia, tanquam habenis quibuſdam eas cohibens, ne impetu nimio ferrentur, &c.*

ANNVS MVNDI 2485.

MOSIS 22. AARONIS 25.

MAMILI 20. Imperij Aſſyr. 554.

ORI 17.

ANTE CHRISTVM 1568.

I. Moſis iuuentus. *cl. 2. Ant. c. 5.*

AMRAMI ſecularis annus incurrit in principium Moſaicæ iuuentutis, quam ſignificant illa verba Ioſephi c, *Poſtquam adoleuit Moſes, & ad florentem peruenit ætatem, breui ſuæ virtutis ſpecimen edidit*: in bello videlicet Æthiopico, de quo ibidem narrationem inſtituit, nec tempus illius diſtinctius tradit, ſicut neque Artapanus *d*, qui eius meminit. Chronicon Alexandrinum ad annum Moſis 31. id diſtulit, vbi & nos de eo mentem noſtram aperiemus.

c *L. 9. de Prap. c. 27 Gra. Lat.*

II. Idem verbis & operibus potens. e *Act. 7. 22.*

Ad hoc porro tempus illud S. Stephani elogium *e* de Moſe referri poteſt, vbi dicitur *potens in verbis, & in operibus ſuis.* Id enim non ſolum tempus illud intuetur, quo verbis ſignisque contra Pharaonem decertabat, aut populum in Ægypto regebat, ſed anteriora etiam reſpicit. Significat enim fructum eruditionis acquiſitæ in Ægypto. Sic enim habet: *Et eruditus eſt Moſes omni ſapientia Ægyptiorum, & erat potens in verbis, & operibus ſuis.* Verborum potentiam merito quiſque eloquentiam interpretetur, quæ multiplici rerum cognitione ſuſtentatur, additaque verborum copia effloreſcit. Quia tamen ipſe ſe, à primis etiam annis, verbis abundaſſe negat *f*, propterea δύσαρος ὁ λόγος, idem erit atque efficax in perſuadendo, quique verborum pondere potius & grauitate valeat, quam curſu & volubilitate orationis. Operum autem facultatem tota deinceps Scriptura declarat, quam nos pro temporum ratione aſſectabimur. Nam quæ ab Artapano apud Euſebium *g* Moſis opera atque inuenta referuntur, erroribus referta ſunt: quæ nihilominus in commodum ſenſum in Annalibus *h* trahere conati ſumus.

f *Exod. 4. 10.*

Moſis opera.

g *l. 9. c. 27*

h *An. Moſ. 22.*

ANNVS MVNDI 2491.

MOSIS 28. AARONIS 31.

MAMYLI 26. Imperij Aſſyriorum 560.

ORI 23.

ANTE CHRISTVM 1562.

I. Ortus Ioſue.

ANnus Moſis vigeſimus octauus cũ primo Ioſue magna ex parte concurrit. Sic enim annus primus Egreſſionis, qui eſt octogeſimus primus Moſis, erit 54. Ioſue: & centeſimus Moſis cum 73. Ioſue concurret, & illius 120. & vltimus cum huius 93. conueniet, quibus ſi addas annos 17. gubernationis poſt obitum Moſis, totam explebis vitæ Ioſue periodum centum & decem annis circumſcriptam. Hunc ei annum natalem eſſe volunt, quicunque ei 17. vel 18. gubernationis annos

porro circunspectio, & vitatio conciorum, non est argumentum vsurpatæ potestatis, vt notat Abulensis. Nam legitimi iudices cum verentur vim maiorem, clam de reis supplicium sumunt.

i q. 9. in Ex. ad 2. & 3.

Quantacúque autem circunspectione vsus fuerit Moses in occultanda cæde, vitare tamen non potuit quin res manaret in vulgus, atque adeo ad Regem ipsum deferretur. Nam sequenti die incidit in duos Hebræos rixantes, quos interdum gratiam redintegrare conaretur, moneretque ne qui fratres essent, inter se odissent, aut iniuriam inferrent & nonnullum eum reprehenderet, qui inferebat iniuriam, & percutiebat proximum suum: nam vsque ad verbera res progressa erat. Ille ad priorem culpam, hanc etiam alteram adiecit, vt sapientem monitorem contumeliosè repelleret, diceretque k *Quis te constituit principem & iudicem super nos?* Quo verbo per iram effuso, satis ostendit nondum intellectum Hebræis, Mosem à Deo electum, per quem illis salutem daturus esset: atque adeo iam tunc legitima illum potestate instructum fuisse. Sed addidit etiam: *Num occidere me tu vis, sicut heri occidisti Ægyptium?*

V. Vulgatus.

k Exod. 2. 14.

Ea nimirum vox incussit Moysi metum. *Quomodo*, inquit, *palam factum est verbum istud?* Nec tam sibi ab Hebræis metuebat, quam ab Ægyptijs & rege ipso, ad cuius aures non dubitabat rem perventuram: præsertim cum eius erga se gratiam valde labefactatam sentiret. l Et ecce *audiunt Hebræi sermonem hunc, & quærebat occidere Moysem.* Erat enim exacerbato in eum animo, propter abdicatam regiam adoptionem, & proditum genus suum, & suam in Hebræos, quos rex oderat, animi propensionem: Regium autem animum aulici, qui sibi adulabantur, quantum poterant exasperabant, ipsique regi ex ambitione formidolosum reddebant, vt Philo eleganter tradit. Iosephus eadis apud Regem accusatum scribit b. Quidam Rabbini scribunt Mosem non solum quæsitum à Rege ad mortem, sed etiam à ministris eius comprehensum, adductumque ad regem, iussum capite truncari, sed ministris regijs cæcitate percussis, Mosem euasisse. Nec aliud reperias huius fabulæ fundamentum, quam quod Scriptura dicit Mosem *de conspectu regis* fugisse, quod necesse sit prius venire in conspectum, quam de conspectu fugere: quasi phrasis illa physice, & non moraliter accipienda sit.

l Et Moses timet.

l Exod. 2. 15.

Regem in Æthiopia

b l. 2. Antiq. c. 9. Nec capitis laesit.

Successit ergo Mosis in finitimam Arabiam, vbi tutius degere poterat, vt ait Philo, aut potius, vt Scriptura ipsa loquitur, fugit. Nec tamen incomitatus, idque suadet acta ad id tempus vita in familia regia; & parentum, amicorum, consanguineorum, de quibus omnibus bene meritus erat, beneuolentia, & magna, quam fulciebat in futurum, expectatio. Iosephus tamen scribit eum per solitudines fugientem inedia laborasse, & quamuis nusquam inueniret alimenta, inediam patienter superasse. Oblitus suæ videlicet Reginæ in Æthiopia coniugis, & constructæ Hermopoleos, quo se reciperet, & exercitus sibi adiungendi, quo tueretur sese, per solitudines fugam arripuit. Arabiam ergo desertam vterque intelligit, in qua Madianitæ & Amalecitæ, sæpe in Scriptura celebrati. Eam prouinciam Basilius eruditè Æthiopiam appellauit, respiciens ad vxorem Mosis Madianitidem, eandemque Æthiopissam ab ipso Mose nuncupatam. Diuino porro consilio factum est, vt eò potissimum Moses confugeret, vt inde vxorem ex progenie Abrahami acciperet; & vt in deducendo quondam populo, non esset planè earum solitudinum insolens.

V. Fugit in Arabiam

in qua Madianitæ.

c Num. 12. 1

ANNVS MVNDI 2504.

MOSIS 41. AARONIS 44.

SPARETI 9. Imperij Assyr. 573.

ORI 36.

ANTE CHRISTVM 1549.

I. Mosis apud Madianitas commoratio.

EST hic primus annus commorationis Mosis apud Madianitas, & vt apparet ex ipsa serie Mosaicæ narrationis, etiam coniugij. *Fugiens*, inquit d, *de conspectu eius moratus est in terra Madian, & sedit iuxta puteum.* Quæ Iosephus explicans, narrat Mosen inedia & calore fatigatum, cum iam vrbem Madienam in prospectu haberet, tempusque meridianum esset, ad puteum quendam quietis causa sedisse, ibique greges ouium filiarum Ietro inuitis pastoribus adaquasse, ex eoque beneficio datam occasionem matrimonio, quod statim ab ipso narratur. Scriptura tamen haud obscure significat, rem hanc non statim in ipso itinere, & Mosis primo aduentu contigisse, sed aliquanto post tempore. Prius enim quam dicat sedisse iuxta puteum, ait moratum esse in terra Madian. Et Philo narrationem suam ad hunc sensum accommodat. Vbi enim dixit Mosen in Arabiam secessisse, vitæ ibi gestæ rationem exponit, tum demum subdit pastoritiam illam concertationem, sub id tempus contigisse. Nec necesse est vnicam fuisse ad puteum sessionem, & in prima statim rixam illam exortam esse.

d Exod. 2. 15.

II. Eiusque vitæ ratio

officiose adest filiabus Iethro.

Ibid.

Demus ergo tempus aliquod Mosi ad quietem, & aliquam in Madianitide moram, in qua iuxta Philonem, reputans se ab infesto rege elapsum, & nouam regionem ingressum, nec moribus indigenarum assuetum, conatus fuit quietus latere, ideoque pastoritiam vitam libenter aggressus est, quamuis insuetam, & sub aulica longe abhorrentem: in qua nondum Deo satis vacare potuerat, & sibi. Cum ergo aliquando fatigatus sedisset iuxta puteum superuenere septem filiæ Sacerdotis Madian, id est viri principis inter Madianitas, ad hauriendam aquam, demissisque per funem vrnis certatim hauriebant, fundebantque aquam in proximos alueos, donec implerentur, Moyse ipso eas officiosè iuuante. Cumque cuperent adaquare greges suos, *superuenere pastores, & eiecerunt eas*, alieno scilicet labore per vim fruituri. *Surrexitque Moyses, & defensis puellis, adaquauit oues earum.* Nec caret probabilitate illos tresve pastores ab vno peregrino repulsos, atque eiectos fuisse. Ait enim Philo, istos vehementi verborum increpatione territos, cessisse, quam iuuabat species ipsa Mosis dignitate

gnitate plena, & quæ militiæ ducem aliquem saperet, à quibus rudis & imparata pastorum manus sibi male metuit. Quid si ne solus quidem fuit, & incomitatus? Sed mulieres quoque pastorum timorem augere potuerunt. Nam formidolosus est ceruorum exercitus duce leone.

III. A quo acceptus hospitio.

Adaquatis gregibus domum lætæ maturius reuertuntur, & insperatum peregrini hominis beneficium patri denarrant: qui desiderio captus videndi hominis, qui de ignotis, cum periculo suo, bene mereri non dubitaret. *Vbi est*, inquit, & obiurgans, *quare dimisistis hominem? nec* inuitastis ad sumendum apud nos cibum? *vocate eum vt comedat panē*, & hospitio accipiamus eum. Quid multa? reuersæ ad fontem, in propinquo illum inueniunt, & patris sui verbis persuasum, domum deducunt. Raguel autem hominis in Ægypto nati primum speciem, mox etiam mentem admiratus, dat illi vnam de filiabus vxorem, vt ait Philo. Iosephus quoque primo statim congressu Mosem ait in filium adoptatum, id est generum. Sed ratio ipsa, Scriptura non repugnante, postulat, vt idoneam aliquam moram inter hospitium hoc & coniugium interijciamus, ne Raguelem quamuis in copia filiarum, aut Mosem, prudentes vtique viros, in re magni momenti, præproperæ festinationis arguamus.

IV. Quomodo celebrarint nuptias.

Intelligi ergo potest, atque etiam debet, nō primo statim congressu cogitatas, propositas, perfectasque nuptias, sed homine ad hospitiū euocato, qui se prior officiosum, ac iustitiæ amantem ostenderat, & erat alioqui honesta specie, atque liberali, Raguelem ex eo super mensam inquisisse, quò eum ferret iter, quid negotij tractaret, quidve animo destinaret: auditoque nihil eum certi adhuc statuisse, rogasse etiam, quoniam cum acceperat perquam familiariter in haurienda gregibus aqua se gessisse; velletne apud ipsum, sicut olim apud Laban Iacob, cum honesta mercede famulari: eumque annuisse, animaduersa hospitis sui antiqua probitate, totiusque familiæ honestate: dum interea Dominus negotium de populo suo à seruitute eximendo maturaret. Neque annuisse tantum, sed fidem etiam suam atque operam iureiurādo firmasse. Et ita coniugium non ad multos solum menses, sed annos etiam differri potest: præsertim cum Moses, quadragesimo abhinc anno, filium habuerit infantulum incircumcisum; imo vtrumque filium, nec plurium extat memoria, adeo paruum, vt mater & filij eodem asino portarentur.

V. Iethro princeps in Madianitide.

De Raguele porro, qui & Iethro frequentius appellatur, & Sacerdos Madian, facile intelligi potest eundem & Sacerdotem fuisse, vt à Hieronymo & Sept. appellatur, omnesque passim Græci ac Latini scriptores consentiunt, & principē, vt eum perpetuo vocat Chaldæus paraphrastes. Vtrum autem veri Dei Sacerdos esset, an idolorum non satis constat. Video plerosque in eam conuenire sententiam, vt à principio Idolis seruisse dicant: deinde autem cum generum ex Ægypto reducem adijt, Deique mirabilia in Ægypto facinora didicit, veri Dei factum esse cultorem. At durum videtur, & difficile creditu, Raguelem ipsos 40. annos cum Moyse conuersantem, nunquam oculos veritati aperire voluisse; aut Mosem ipsum ad tam necessarium negotium omnem operam atque industriam non contulisse; ne in eum quadret illud Apostoli a, *Si quis suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negauit, & infideli deterior.* Ita existimo illum maturius generi opera, ad veri Dei cultum esse traductum; aut etiam veram in Deum fidem ab Abrahamo ad Iecsan filium eius, & Dadan nepotem, indeque ad Raguelem patrem Iethro fuisse propagatam, & perpetuo in eadem familia conseruatam. Auget hanc probabilitatem coniugium Mosis, & tam facile contracta cum Raguele affinitas. Sed alius occurret postea b, hac de re dicendi locus.

a 1. Tim. 5.8.

b A. m. 2544. m. 725. &c.

VI. Aaronis coniugiū.

Quoniam vero de Mosis coniugio, sine certa temporis nota proxime egimus, ex occasione de Aaronis quoque coniugio, non magis certi temporis, breuiter dicamus. Apparet enim eum iam vxorem duxisse, cui non contigerit hactenus aut habitationem, aut vitæ conditionem mutare, & fuerit ætate prouectior Mose. & quatuor filios ante exitum ex Ægypto genuerit, qui sub primum egressionis annum recensentur: nec desint qui affirment Eleazarum, qui tertius illius filius fuit, & primus in pontificia dignitate successor, vxorem ante exitum ex Ægypto duxisse. Nec sane iuuenem hunc esse oportuit, cum eodem ipso tempore princeps principum Leuitarum, diuino oracului constitutus sit. Accepit autem Aaron sibi vxorem Elizabetham c, filiam Aminadab, sororem Naason de tribu Iuda, non autem de tribu Leui: iam tum prouidente Domino, vt tribus Regia & Sacerdotalis in mysterium iungerentur. Quoniam Christus Dominus, verus Rex & Sacerdos, ex vtraque coniuncta nasciturus erat. Vnde beatissimæ Virginis cognata erat Elizabeth de filiabus Aaron. Nondum autem erat à Deo lata lex de accipienda vxore ex eadem tribu, ne possessiones confunderentur: quæ tamen Leuitas non attigit; quippe qui per omnes tribus dispersi erant, nec proprias, vt cæteri, possessiones habebant.

c Exod. 6.23.

& affinitas cum tribu Iuda.

ANNVS MVNDI 2506.

MOSIS 43. AARONIS 46.

SPARETI 11. Imperij Assyr. 575.

ORI 38. & vlt.

ANTE CHRISTVM 1547.

I. Ori Ægyptij regis obitus.

ORus Ægypti rex hoc anno regnandi vi-uendique finem fecit. Quo fere tempore Chenephres Ægypti regulus, qui, vt scribit Artapanus d apud Eusebium, Israelitas vexauerat, sub hoc ipsum tempus, puta fugæ Mosis ex Ægypto, & eius in Madianitide coniugij, Chenephres inquā primus omniū mortalium elephantia perijt; eo quod iussisset Iudæos sindones indui, laneæ vestis vsu prohibito, quò facilius in eos, hoc à cæteris cultu distinctos, sæuire posset: qui scilicet passim sub vestium

d de Præp. L. 9. c. 27. p. 414. Gra. Lat.

simili-

retur. Israëlitarum autem populus diuinam erga se bonitatem expertus summo ipsum amore prosequeretur, summa denique Dei bonitas & sapientia mundo innotesceret, quæ de magnis malis magna bona eliceret.

IV. Ex parte Ægyptiorum. Metus.

Iam vero in Ægyptiis tres causas Scriptura notat huius inferendæ seruitutis, metum, inuidiam & odium. Metuebant enim ne si forte ingrueret contra se bellum, Israëlitæ, qui soli exercitum conflare non auderent, hostibus sese Ægyptiorum adiungerent, eisq; expugnatis, & spoliatis ex Ægypto abirent. Quibus verbis significatur, vt notauit Rupertus *a*, fuisse ab Israëlitis frequenti sermone vsurpatam, suam ex Ægypto, autore Deo, migrationem: quam illi omni studio impedire volebant, ne iis commodis priuarentur, quæ ab Hebræis seruientibus colligebant, qui eis arces & pyramides ingentes, & vrbes vilissimorum mancipiorum more sine vlla mercede ædificabant. Addit etiam Iosephus *b*, metuisse eos propter cuiusdam Ægyptij vatis prædictionem: qui Regi prænunciasset, nasciturum per id tempus apud Israelitas quendam, qui olim res Ægyptiorum grauiter esset afflicturus; Israelitas contra euecturus, si modo ad adultam ætatem peruenisset. Eaq; denunciatione perterritum regem edixisse, vt quicquid masculini sexus apud Israelitas nasceretur, abiiceretur in flumen.

a *l.1 Exod. c.4.*

b *l.2 Ant. c.5.*

V. Inuidia.

Vrebat etiam Ægyptios inuidia, & quidem gemina ex duplici obiecto. Nam Israelitæ & numero plurimi erant, & corporibus animisq; fere Ægyptiis præstabant. Quod ad numerum attinet, multiplicati sunt in Ægypto Hebræi pene in immensum. Vt enim in vbere solo, cœloq; propitio, omne frugum & animantium genus, ita in Principum beneuolentia, in bonorum abundantia, in benedictione diuina, *filij Israel creuerunt, & quasi germinantes multiplicati sunt*, ait Moses *c*, *ac roborati nimis impleuerunt terram.* Id satis intelligi potest ex libro Numer. *Fuerunt*, inquit Moses *d*, *omnis numerus filiorum Israel per domos & familias suas, à vigesimo anno & supra, qui poterant ad bella procedere sexcenta tria millia virorum, quingenti quinquaginta.* Et tamen, vt recte notauit Pererius *e*, extra hunc numerum fuit vniuersa tribus Leui; quæ non est recensita cum reliquis; fuerunt item omnes infantes, pueri & adolescentes infra annum vigesimum, quorum, comparatione vlterioris ætatis, maxima est multitudo. Fuit quoque extra illum numerum sexus muliebris, quem fuisse tunc numerosissimum apparet, quod sæpe pluribus mulieribus vir vnus matrimonio iungebatur. Nec eo numero inclusi sunt senes inualidi atque imbelles vtriusque sexus, quorum ingentem fuisse numerum, dubitandum non est, cum permulti centesimum annum supergrederentur. Itaque nonnulli, bene subducta ratione, non temere concluserunt, vniuersam illam Hebrææ gentis multitudinem, ad tricies centena hominum millia peruenisse.

c Exo. 1.7 Multitudo Hebræorum maxima.

d *c.1.v.45*

e *Disp.1. in Exod.*

VI. Eorumq; fœlicitas.

Alterum obiectum inuidiæ Ægyptiorum erat florentissimus Hebræorum status, etiam secluſa multitudine. Ægyptij, ait Iosephus *f*, gens delicata, & ad laborem segnis, voluptatibus solum, & captandis vndecunque lucris dedita male volebat Hebræis, quod per inuidiam ferre æquo animo illorum felicitatem non poterat. Opibus enim, vt idem ait, labore & industria quæsitis abundabant. Verum hac industria multo fuerat efficacior peculiaris Dei in Hebræos benignitas, quæ large effusa in omnia, quæ ad ipsos pertinebant, copiosissimum illis incrementum dabat. Accesserat 80. annorum Iosephi in ipsos munificentia, quę non solum omnium tributorum atque onerum reddiderat immunes, sed etiam, iuxta Pharaonis promissionem, dederat Hebræis omnia bona Ægypti, vt comederent ipsam medullam terræ. Dolebant ergo Ægyptij multis se rebus Israelitis cedere. Neque enim eis tantum multitudinem & fœcunditatem inuidebant, sed animi quoque industriam, corporum robur & dignitatem, & externorum bonorum copiam. Nam Ægyptiis propter eorum incontinentiam, & præproperam libidinem, præter deformitatem, minora erant & infirmiora corpora. In Hebræis contra procera, plena, firma, pulchra & ad omnem humanum vsum idonea.

f *l.1. Ant. c.5.*

Ægyptiorũ mores

Supereſt odium metui, atque inuidiæ cognatum. *Oderint*, inquiebat ille *g*, *dum metuant. Oderant*, ait Moses *h*, *filios Israel Ægyptij, & affligebant, illudentes eis.* Oderant quippe ac detestabantur pastores ouium, quæ erat ipsorum vitæ conditio; cum è contrario Ægyptij gloriarentur multitudine equorum & curruum *i*. Odium quoq; ex religionis disparitate nascebatur, vt docet l.1. contra Apionem Iosephus. Quamuis enim aliqui Israelitarum idololatriæ scelere polluerentur, plerique tamen eam infamiam execrabantur. Huius odij testis est Dauid, & quidem ita, vt eius autorem facere videatur ipsum Deum, cum ait *k*: *Conuertit cor eorum vt odirent populum eius, & dolum facerent in seruos eius.* Nimirum Deus vsus est iure suo, nec suis bene facere destitit, etsi videret Ægyptios inde occasionem peccandi sumpturos: & prębendo malis obiectum odij, dicitur cor eorum ad odium conuertisse, quoniam obiecta facultates huc illucq; mouent atque conuertunt. Vide in eum locum Augustinum, Caluini blasphemiam, de autore peccati Deo, egregie refutantem.

VII Odiũ Ægyptiorũ in Hebr.

g *Attius apud Cic. offic.*

h *Exo.1.13*

i *Exo14.17*

k *Ps.104.*

An à Deo profectũ.

His ergo animi morbis ægrotabant Ægyptij, cum Rex conuocatis: *Venite*, inquit, *& sapienter opprimamus eum.* Quasi dicat, Ne publica in eos clade sæuiamus, ne tumultum in populis, nobis damnum creemus, sed quasi aliud agendo, eos laboribus atteramus, vt simul & ipsi deprimantur, & nos erigamur, & inualescamus. Hanc sapientiam dolum vocat Dauid. Cum ergo id consilium Regi atque optimatibus placuisset, dissimulanter datum est initium seruituti, qua Hebræi in fortunæ bonis, & corporibus, & animis ipsis vexarentur. Cumq; tribus quasi gradibus, atque temporibus, seruitutis huius calamitas sumpserit incrementa, vt ex sequentibus intelligetur, primus hic gradus, qui medios huius Regis annos occupauit, tam late patuit, nihil vt à damno, & miseria immune esset. Nam quod ad copias attinet & fortunas, tributorum magnitudine eos inanes atque exangues reddiderunt, l *Præposuit enim eis magistros operum, vt affligerent eos oneribus*; quos plerique interpretantur publicanos, & tributorum

VIII. Cõsilium opprimẽdi Israëlitas.

In fortunæ bonis

l *c.11.*

butorum exactores, à quibus ſupra modum grauabantur. Deinde cum laborum magnitudine vexarentur, maligna tamẽ eis merces, aut nulla potius reddebatur; eis enim, quaſi ab ergaſtulo mancipijs, abutebantur, cum eos tributis exinanitos, cum ſoluendo non eſſent, in piſtrinum compingerent.

IX. Ipſiſque corporibus.

Sicq; corpora ipſa, quod eſt alterum ſeruitutis huius malum, vexabantur. Cum enim intolerandis laboribus, & genere ipſo indigniſſimis, & numero longe plurimis obruerentur, quippe *ad amaritudinem* m, vt ait Moſes, *perducebant vitam eorum operibus duris luti & lateris, omnique famulatu, quo in terra operibus premebantur.* Vaſtaſque moles vrbium *a* atque turrium in cœlum tollere iuberentur: atq; adeo, vt quidam Hebræi prodiderunt, cogerentur miſeri fœces & ſtercora ex vrbibus euerrere, & cophinis impoſitam ſuis deferre humeris, atque exportare, iuxta illud Dauidis b, *Diuertit ab oneribus dorſum eius, manus eius in cophino ſeruierunt.* Si quid peccatum eſſet, flagellis ſeruilem in modũ accipiebantur, aut niſi diurnum penſum, licet iniquiſſimũ, quotidie perſoluerent. Non enim propoſitum erat præfectis operum opus ab infœlicibus, ſed vitam extorquere, cum de induſtria opus exigerent, quod illi explere non poterant. Quamuis autem plerique tota Ægypto palcis conquirendis excurſarent, aliquos tamẽ ferreis catenis oneratos apparet: eo enim alludit Dominus, cum ait c. *Ego Dominus Deus veſter, qui confregi catenas ceruicum veſtrarum, vt incederetis erecti.* Quæ pœna fortaſſe fugitiuorũ fuit, aut eorum qui ob delictum aliquod rapiebantur ad flagrum, aut qui ex vno loco in alium operis cauſa circumducebantur.

m Exo. 1. 14. Ad cophinum compulſ. a Ezech. poëta apud Euſ. l. 9. c. 28. de Prep. b Pſal. 80. 7

Flagris, & catenis vexati.

c Leu. 26. 13.

X. Præfectorũ inhumanitas.

Iam vero præfecti operum maximũ afferebant momentum ad huius acerbitatem ſeruitutis. Nam præterquam quod flagri pœnam non infimæ plebi, aut capite cenſis duntaxat inferebant, ſed ijs etiam qui præerant operibus filiorum Iſrael; præcipuis ſcilicet Hebræorum; qui quaſi proletarij ad hanc militiam, dirumq; tyrocinium trahebantur: in quo tam crudeliter cædebantur, vt plerique ſub verberibus animas exhalarent; quos etiam, vt ait Philo in vita Moſis, inſepultos proijciebant extra terminos, & lugeri ac ſepeliri prohibebant. Tanta denique erat eorum inhumanitas, vt cũ multa haberent Iſraelitæ quæ conquererentur, quaſi exterorum omnium obliti, de ſolis operũ præfectis lamentarentur *d*. Animis poſtremo affligebantur, cum male atque ignominioſe multati, etiam irriſione vexabantur. Hoc quippe auctarium plagis addebant, quod generoſis animis eſt ipſis plagis acerbius. Audiebant videlicet impij, contemptores deorum, apelles & verpi, piaculares, terræ onera, alijſque huiuſmodi contumelijs pulſabantur, quas Philo memorat *e*. Denique ex Artapano recitat Euſebius iuſſiſſe regem, vt alia ab Ægyptijs veſte Iudæi vterentur, vt facilius cognitis, impune quilibet inſultaret. Sed hæc, aliaque generis eiuſdem, plenius referunt Annales.

d Exo. 5. 7 Vt animis affligerentur Iſraelitæ.

e Lr. de vita Moſis.

XI. Diuturnitas huius ſeruitutis. *Ab an. m. 2451.*

Hic antiquiſſimus fuit, maximéq; diuturnus Iſraeliticæ ſeruitutis gradus, vt qui ab huius Regis medio, vt putamus orſus imperio, vſque ad exitum ex Ægypto perſeuerauit: centum ſcilicet propemodum annis. Hinc enim vſque ad octogeſimum Moſis, anni duo & nonaginta numerantur. Quamuis Ioſephus, & ſibi, & alijs omnibus repugnans, niſi mẽdum irrepſit in numeros, dixerit in eum modum per annos quadringentos fuiſſe laboratum. Reges porro qui deinceps ſunt ſecuti Amenophim, eius veſtigijs inſtitiſſe poſtremus ipſe annus docet, in quo & onera, & præfecti onerum, & lateres, & paleæ, & flagella inculcantur. Quamuis credibile non ſit omnia quæ diximus in primum ſeruitutis annum cadere. Sub vnum tamen aſpectum ſubijcienda duximus, quæ certam temporis notam non habent. *Ad an. m. 2543.*

ANNVS MVNDI 2452.

AMRAMI 67. IOBI 125.

SPHÆRI 7. Imperij Aſſyrior. 521. AMENOPHIS 15.

ANTE CHRISTVM 1601.

SVb hunc annũ contigiſſe arbitramur illud quod initio c. 2, Exo. habetur. Egreſſum ſcilicet virum de domo Leui, & accepiſſe vxorem ſtirpis ſuæ. Fuit vir ille Amram Leuita, & vxoris nomen Iochabetha, vt perſpicue tam in Exodo *f* quam in Numeris *g* traditũ eſt. Quo præciſè anno coniugium hoc contigerit, nemo quod ſciam tradidit. Non poſui autẽ prius, eo quod Moſes ſignificet Amram duxiſſe vxorẽ, exorta iam ſeruitute: admodumque probabile eſt tam tardam liberorum Amrami procreationem, tardo cõiugio aſcribendam eſſe. Neq; tamen exiſtimandum eſt connubium hoc etiam tardius contigiſſe; poſt edictum videlicet de proijciendis infantulis in profluentem, quamuis id ſeries Moſaicæ narrationis exigere videatur, idq; putarint Rupert & Abul. Voluit enim Moſes in primo Exodi coniungere, & ſub vnum quaſi aſpectum dare quæcunque ad ſeruitutem pertinebant, ante quam ad aliam narrationem aggrederetur, quod indicare voluit Hieronymus addita particula *Poſthæc*.

I. Amrami cõiugium cum Iochabet a f Exod. 6. 20. g Num. 29. 59.

Quod ad Iochabetham attinet, quidam Hebræi nugantur, dum eam ab ipſomet Leui genitam putant, neq; vident in quos ſe abſurditatum laqueos hoc poſito induant. Dicendum potius cum Hieron. *b*, eam fuiſſe Amrami patruelem, id eſt filiam patrui, puta filiam Gerſonis vel Merari, ſic enim Hebræam vocem *Dode* Septuaginta interpretantur: aiunt enim Amrã duxiſſe vxorem filiam fratris patris ſui. Conſentit Demetrius apud Euſebium *i*, qui eam vocat filiam τοῦ θείου id eſt patrui, vel certe auunculi. Itaque quod 26. Numerorum dicitur filia Leui, eodem modo accipiendum eſt, quo Ephraim & Manaſſes dicuntur filij Iacob, & Chriſtus Dominus filius Dauid.

II Patruele ſua, & cõ amita. h Exod. 6. 20. θυγατέρα τοῦ ἀδελφοῦ τοῦ πατρὸς αὐτῆς. i l. 9. de Prep. c. 21

Author Teſtamenti Patriarch. *k* ait filios Patriarcharum retuliſſe eorum oſſa in Hebron anno 91. ante egreſſum ex Ægypto, indeque redijſſe in Ægyptum, donec à Moſe educti ſunt. Ille autem nonageſimus primus eſt Mundi 2453. idemque vndecimus ante ortum Moſis. Nec ſane video quare hæc traditio vera eſſe non poſſit, cum ea res in occulto facta eſſe dicatur; & à paucis ſine apparatu fieri potuerit, vt in tempore afflictionis, & ſeruitutis. Non

III Oſſa Patriarcharum exportantur in Chanaã. k c. 2. ſ.

retulerunt autem eadem opera Ioſephi lipſana, quia non prius id factum oportuit, quam Deus Iſraelitas viſitaſſet, eos aſſerturus in libertatem *l*: quod tempus nondum aduenerat, ac ne natus quidem erat is, per quem tam gloriosum facinus patrandum erat. Ioſephus *m* quoque prius relata oſſa Patriarcharum ait, quam Ioſephi, quæ translata ſunt dum Hebræi ex Ægypto populariter emigrarent.

l Gen. 50. 24. *m* l. 2. ant. c. 4. fi.

ANNVS MVNDI 2465.

AMRAM 71. IOBI 129.

SPHÆRI 11. Imperij Aſſyriorum 525.

AMENOPHIS 19.

ANTE CHRISTVM 1597.

I. Alter gradus ſeruitutis

HOc circiter anno ſexto ſeruitutis, & Amenophis 19. altero gradu progreſſam putamus Pharaonis in Hebræos tyrannidem, cum præcedentium malorum incremento. Sex enim annorum experientia ſufficiebat ad probandum, an laborioſa ſeruitus procreationem impediret, an contra multi paruuli quinquennes, aut ſexennes reperirentur, qui eum conatum irritum certo argumento comprobarent. Certe ad hunc etiam annum referamus licet illud n. *Quanteque opprimebant eos, tanto magis multiplicabantur, & creſcebant* Quo cognito Rex barbarus compendioſiore viâ ad Hebræorum interitum progredi ſtatuit. Clam enim vocatis ad ſe obſtetricibus Hebræorum, non omnibus quidem, ſed duabus earum primarijs, quarum nomina Moſes grati animi cauſa immortalitati commendauit, Sephora & Phua, vt per eas Regis imperium cæteris innoteſceret; quo ferebatur vt ſub tempus partus infantes maſculos Hebræarum mulierum interficerent, & crimen ſuum matris abortionem, vel lethalem aliquem defectum interpretarentur, fœminas autem reſeruarent.

n *Exod.* 1. 12.

Mandatur obſtetricibus cædes infantum.

II. Ægyptias fuiſſe, nō Hebræas

Occultam eſſe oportuit hanc conſpirationem, alioqui Hebrææ puerperæ ſibi ab Ægyptijs ſtudioſe cauiſſent, eaſque neque aduocaſſent vnquam, neque vltro ſe offerentes admiſiſſent. Scio eſſe qui has obſtetrices Hebræas eſſe putarint, ſed eas Ioſephus aperte vocat Ægyptias, quæ ob cognationem gentis ſuæ, edictum regium minime contemptura videretur: cui paſſim aſſentiuntur Scripturæ Interpretes. Quomodo enim tam demens fuiſſet hic tyrannus, vt tam crudele præceptum ipſis Hebræis mulieribus tutò committi poſſe putaret, quæ naturali commiſeratione erga genus ſuum affectæ, nunquam operam ſuam ad illud delendum collaturę eſſent. Quid illis verbis, *Non ſunt Hebrææ, ſicut Ægyptiæ mulieres: ipſæ enim obſtetricandi habent ſcientiam, & priuſquam veniamus ad eas, pariunt*; nonne apertè oſtendunt, ſe non fuiſſe de genere Hebręorum, cum ab eis ipſæ ſeparent ſeſe, eiſque opponant.

III. Cur fœminæ ſeruarētur

Voluit autem Rex, vt notat Abulenſis, ſeruari fœminas; primo ne ſi nemo ſeruaretur, ſed diceretur omnes fœtus enaſci mortuos, res facile patefieret. Deinde quia multiplicatio mulierum Hebræarum, non inferebat timorem Ægyptijs, cum illæ arma non tractent. Accedebat quod ipſis ad libidinem ſuam abuſuri erant, vt quæ multum Ægyptias, pulchritudine vincerent. Denique ingenioſiores erant ad lanificium aliaque opera muliebria.

Irritum fit regis imperiū.

Timuerunt autem obſtetrices Deum; & non fecerunt iuxta præceptum regis Ægypti, ſed conſeruabant mares. Iniecit nimirum Deus vehemētem aliquem terrorem iſtis mulieribus, vt apprehēderent ſe, aut morte diuinitus, aut grauiſſima qua piam calamitate percuſſum iri, ſi id facinus attentarent. Aut ſi mauis emolliuit muliebre ingenium, alioqui natura tenerum, vt miſericordia erga infantulos tangerentur, qui præter innocentiam propriam, nullam parentum ſuorum culpam proprio interitu expiaſſent.

ANNVS MVNDI 2457.

AMRAMI 72. IOBI 130.

SPHÆRI 12. Imperij Aſſyriorum 526.

AMENOPHIS 20.

ANTE CHRISTVM 1596.

HEbræorum chronologiam *o* de Mariæ ſororis Moſis natiuitate ſequimur, quæ ſeptennio natu grandiorem fratre affirmat. Ideo enim volunt ſeruitutem Iſraelitarum annos 87. duraſſe, & poſt eos ſolutam, quia ad 80 Moſis, quos Scriptura ipſa commemorat, ſeptem Mariæ annos aggregant. Quod autem ijdem opinantur ſeruitutis initium in Mariæ ortum incurrere, vt propterea Maria ab amarore, id eſt amara ſeruitute dicta fuerit & omnino 87. annos tenuiſſe, nec ſibi ipſis, nec veritati, vt arbitror; ſatis conſentiunt. Nam eodem ipſo capite à morte Leui cœptos affligi Iſraelitas affirmant, qui iam à 35. annis obierat. Niſi forte volunt in ortu Mariæ ſeruitutem non ſimpliciter inchoatam, ſed amariorem, quando mandata eſt obſtetricibus cædes paruulorum. Quem nos ſeruitutis gradum in annum ſuperiorem retulimus; priorem autem non ad ipſius Leui mortem, ſed Caathi filij eius probabilius, vt credo, coniecimus.

I. Mariæ ortus, & amarioris ſeruitutis a *Sedar hol. c. 3.*

ANNVS MVNDI 2461.

AARONIS 1. IOBI 134.

SPHÆRI 16. Imperij Aſſyriorum 530.

AMENOPHIS 24.

ANTE CHRISTVM 1592.

DVm illuditur ab obſtetricibus Amenophis, & ab eo viciſſim Iſraelitæ onerum grauitate vndecimum iam annum crudeliter opprimuntur, naſcitur ex Iochabetha Aaron Leuita, ſummo Hebræorum pontificatui diuinitus deſtinatus. Dubium porro eſt an Aaron ſicut & Moſes, periculum mortis adierit.

I. Ortus Aaronis.

Nam Rupertus constare ait vtrumque natum post illud impij Pharaonis edictum, de proijciendis masculis in flumen. Sed cum series Mosaicæ narrationis, addita voce *Posthæc*, induxerunt in fraudem, qua de rediximus anno Amrami 67. Rectius ergo Lyranus negat Aaronem subijsse periculum interitus, quod nondum id edictum promulgatum esset; quod Chronicum Alexand. contigisse ait, eo ipso anno quo natus est Moses.

II. Qui est ab Abrahamo septimus. b1. a *Abraham.* 2. *Isaac.* 3. *Iacob.* 4. *Leui.* 5. *Caath.* 6. *Amrã.* 7. *Aaron. & Moses.* 8. *Eleazar.* 9 *Phinees &c.*

Est porro Aaron sicut & Moses ab Abrahamo septimus *b*, sicut Philo, Iosephus, & Clemens Stromateus prodiderunt. Sed testimonium his maius ex Scriptura ipsa habemus, ex qua constat Aaronem patrem habuisse Amramum, auum Caath, proauum Leui, abauum Iacob, atauum Isaac, tritanum Abrahamum. Vide seriem ætatum in margine ordine digestam. Valde itaque fallitur Genebrardus in sua Chronol. cum ait Mosem forte ab Abrahamo decimum esse, quo ipsum compulit singularis opinio, de totis quadringentis annis commorationis Israelitarum in Ægypto.

ANNVS MVNDI 2463.

AARONIS 3. IOBI 136.

SPHÆRI 18. Imperij Assyrior. 532.

AMENOPHIS 26.

ANTE CHRISTVM 1590.

I. Tertius Hebraicæ seruitutis gradus.

CVm aliquot iam annorum experientia Pharao Amenophis didicisset Hebræos in dies multiplicari vehementius, nullam de filiorum cædibus, aut famam, aut querelam exaudiri, sensit præceptum datum obstetricibus minime obseruatum fuisse. Quas propterea cum ad se euocasset, & cum eis de præcepti violatione expostulasset, meditatam diu, vt par est credere, responsionem attulere, non esse Hebræas sicut Ægyptias mulieres; illas obstetricandi peritiam habere, & sine ope Ægyptiarum obstetricum parere. Quo significabant se non euocari ab Hebræis ad hoc ministerium, sed eas per sese huic necessitati satisfacere, cum tamen eas & euocatas fuisse, & seruasse mares Moyses ipse testetur. Quamuis autem in verbis earum passim mendacium officiosũ agnoscant interpretes, fortasse tamen non dixisse mendacium, sed veritatem celasse duntaxat probari potest. Tota enim earum responsio vera est, tametsi ad mentem regis iniqui elata non est. Nam non esse Hebræas, sicut Ægyptias mulieres, vtique verum est. Verum quoque eas obstetricandi scientiam habuisse, saltem aliquas. In tanta enim Hebræarum mulierum multitudine, & tam frequẽtatis partubus quis credat nullas hanc peritiam didicisse? Quid in deserto? nonne Ægyptijs obstetricibus annis 40. caruerunt?

Obstetrices non esse mentitas.

II. Cuius rei mercedẽ à Deo acceperint.

Verum quoque fuit pleraſque mulieres Hebræas parere solitas priusquam prædictæ obstetrices accederent, vel proprio vigore vsas, vel sociarum Hebræarum ope adiutas; licet Rex de omnibus forsasse Hebræis mulieribus id intellexerit. Neque dixerunt se non adfuisse parientibus Hebræis, quod fuisset vtique mendacium, sed id Regi exilium indum relinquere. Quamuis autem in earum verbis mendacium fateremur, Non tamen propterea consequens est id approbatum esse a Deo, aut mercede affectum; sed timorem Dei, quo illæ permotæ abstinuerunt à peccato, vt docet S. Aug. in libro contra mendacium: imo & Moyses *b Et quia*, inquit, *timuerunt obstetrices Deum, ædificauit eis domos.* Quæ merces tam de bonorum temporalium copia, quam de filiorum fœcunditate, ex vi sermonis Hebraici explicari potest. Et sane diuinæ bonitati ac sapientiæ consentaneũ fuit, vt quæ ex Dei timore alienos seruarant liberos, ipsæ à Deo liberos, & domus siue familiæ suæ propagationem acciperent. Et quæ conseruando mares mortis discrimen adierant, vitam perquam diuturnam, longa posterorum successione reciperent.

a c. 15. & seq.

b Exod. 1. v. 21.

III. Edictum de mergẽdis infantibus. c c. 1. fi.

Quoniam ergo occultus interficiendorum paruulorum conatus irritus apparebat *c*, *præcepit*, inquit Moyses, *omni populo suo dicens, quidquid masculini sexus natum fuerit, in flumen proijcite, quidquid fœminini reseruate* Barbarum plane, ac ferale edictum, siue quod innocentes crudeliter interficit, in quorum gratiam nocentibus potius parcendum erat: siue quod infantulos necat, qui amorem & beneuolentiã, certe quidem misericordiam suo candore, & simplicitate conciliant. Adde quod parẽtibus, nulla eorum culpa eripit, quod neminem excipit, quod nullo temporis spatio crudelitatem circumscribit, nisi quod vniuersæ nationi interitum attulisset. Causam quoque huic edicto dedisse Iosephus ait *d* vatem quendam sacrorũ scribam, vt supra tetigi *e*, qui regi prænunciauit nasciturum per hoc tempus apud Israelitas, qui aliquando res Ægyptiorum vehementer affligeret, Israelitarum autem in altum eueheret. Cuius vaticinij nullum vsquam ipso duntaxat excepto, vestigium extat, nisi si qui illud ex ipso transcripserunt.

d l. 2. *Ant. c. 5.* e n. 1. *seruit. n. 4.*

IV. Ægyptijs non Hebræis impositum

Impositum est autem hoc præceptum solis Ægyptijs, quod absurdum esset sperare tam atrox mandatum à parentibus ipsis in filios obseruatum iri. Et omnino magnum quiddam erat vt ipsi tantã iniuriam ab Ægyptijs patienter ferrent, neque in arma furenter irruerent. Et sicut ad prius facinus obstetrices Ægyptias elegit, non Hebreas, ita ad hanc cædem, Ægyptios, non Hebræos sibi obtemperaturos putauit. Et ita id præceptum Moyses ipse intelligi voluit, cum non dixit tantum, *præcepisse omni populo*, sed addidit, *suo*, scilicet Ægyptio, ad distinctionem Hebraici. Nec obstat quod parentes ipsi Mosem exposuerunt. Neque enim id illi fecerunt vt regi parerent, in flumen enim abiecissent, sed vt ne periret, & quoquo modo euaderet eorum manus, qui eum in flumen ad certam mortem proiecturi erant. Optabilior enim parentibus erat dubia filij vita, quam indubitatus interitus: meliusque illi consultum putauerunt, si in manus Dei potius, quam in manus hominum incideret.

V. Sed id irritum fuit.

Sed diuina prouidentia feralẽ barbari huius tyranni spem fefellit omnem. Diuina enim benignitate factum est vt laboribus & ærumnis Hebræi insigniter crescerent, vtque obstetrices,

trices misericordes in infantes, & ingeniosæ in tyranno illudendo redderentur. Denique vt impium hoc edictum breui tempore irritum fieret, atque vna cum tyranni morte, quæ intra quintum annum contigit, antiquaretur, vt recte plerique existimarunt *f*. Certe minime obseruatum fuisse ad finem vsque seruitutis, ac ne diu quidem, ex eo constat quod tam multi paruuli, infra vigesimum annum, ex Ægypto cum patribus suis exierunt.

f Rupert. Torniel. Corn. à Lap.

VI. Finis tertiæ ætatis, & ratio temporis

Atque ita finem tertiæ mundi ætati imponimus, quæ à natalibus Abrahæ exorsa, in ortu Mosis, & initijs durissimæ seruitutis Hebræorum terminatur, omniumque Patriarcharum maximos, atque clarissimos, sex generationibus, & annis 425. comprehendit. Neque mirabere nos hoc loco tertiæ ætati fixisse metas. Nam è multis Chronologis, qui priora tempora per ætates digessere, vt nemo est qui in prima, aut secunda ætate dissentiat: nam prima ab ortu rerum, ad populorum interitum, altera à Noemo ad Abrahamum omnium consensu protenditur; ita in tertia terminanda multæ sunt Scriptorum, discrepantesque sententiæ. Nonnulli eam ad Dauidem producũt, Ado Viennensis, Beda, Marianus Scotus. Alij ad exitum Hebræorum ex Ægypto, vel datam legem, vt Ioannes Lucidus, Torniellus, & alij fortasse aliter. Eadem consequenter est in cæteris Ætatibus dissentio. Nobis visum est tertiam Ætatem exitu omnium Patriarcharum concludere: quartam Legislatore Mose, Iudicibusque Hebræorum definire. Quintam Regibus, à Saule vsque ad Babylonicæ captiuitatis finem. Sextam Pontificibus, cæterisque populi Rectoribus ad Christi Domini natiuitatem. Ex quo nos ad finem vsque seculorum, & mundi occasum agimus septimam. Octaua denique ab vltima resurrectione corporum, partim in delicijs, partim in supplicijs in omnem propagabitur æternitatem.

Distinctio octo ætatum.

QVARTA MVNDI ÆTAS, Quæ est Iudicum Hebræorum.

ANNVS MVNDI 2464.

AARONIS 4. MOSIS 1.

SPHÆRI 19. Imperij Assyriorum 533.

AMENOPHIS 27.

ANTE CHRISTVM 1589.

I. Ortus Mosis.

ILlustrem atque in primis memorabilem hunc annum facit magni Iudæorum Legislatoris ortus, vniuersæ genti votis omnibus expetendus, quando in eius vita & virtute totius populi salus ac libertas, ex diuina prouidentia vertebatur. Natus est hoc anno Moses ad opera mirabilia, totoque orbe celeberrima singulariter destinatus, conseruatus atque educatus, vt primus hic annus ipsius, & plerique consequentes cumulate docebunt: nihil vt necesse sit hoc loco in ea reprobanda diutius immorari. Quartam autem ætatem à Mosis natiuitate, sicut tertiam ab ortu Abrahæ, inchoamus, iuxta ea quæ proximo anno disseruimus. Et sicut illius ætatis tertiæ quasi exordium quoddam & apparatus fuit id tempus, quod diuinam Abrahæ vocationem antecessit; ita & quare huius, quod tempus ortum inter & legationem Mosis ex monte Sina in Ægyptum interiectum est prolusio quædam erit, quæ inconcinne separaretur à legitimo cantu.

II. Ratio temporis. *a l. 9. de Præp. c. 21 Gra. Lat.*

Amrami porro nonum supra septuagesimũ numeramus annum, secuti Demetrium apud Eusebium *a*, vbi dicitur natus annis 14. ante mortem Patriarchæ Iosephi, à qua hic annus est 65. quibus adde 14. & existet ille Amrami annus quem diximus, & quem præfert index anni huius. In anno porro promissionis, & vtriusque regis belle nobis cum Eusebio conuenit, alijsque passim. Quod certa ratio etiam exigit. Nam cum à promissione ad exitum 430. annos reperiri oporteat, certè eam summam 350. qui præcesserunt, & 80. qui nunc inchoantur exacte conficiunt. Eodem modo habitatio in Ægypto ex communi sententia 215. annorum fuit: cum numerum 135. anni iam confecti, & 80. qui supersunt, & hoc anno inchoantur rite complent. Denique de anno Mosis, vt cætera argumenta missa faciam, Cyrillum habemus affirmantem natum Mosem post Abrahamum anno 425. nimirum absoluto, vt patet ex indice præcedentis anni.

b in Annal.

III. Nascitur Moses in spem magnam.

Cum ergo Ægyptiæ tyrannidis violenta tempestas multos iam annos populum Dei iactaret vehementius: & recens edictum Amenophis, à quo nondum euolutus erat annus (propterea que Chronicum Alexandrinum illud in hunc annum refert) certissimum exitium vniuersæ genti minaretur, magnus omnino claritatis & spei fulgor, in terra Gessen, nascente Mose cœpit exoriri: Etsi perpaucis in quantam ille spem nasceretur cognitum foret. Cognitum tamen fuisse parentibus Iosephus *c* affirmat, Domino per somnum Amramum edocente; cui reuelationi aliquid fidei ex scriptura conciliabimus aliquanto post. Subdit autem Iosephus, his per visum cognitis Amramum experrectum narrasse hoc vxori, *Quæ res*, inquit, *vtrique sollicitudinem auxit*: iam enim non puero tantum timebant, sed ne quo pacto promissa fœlicitas intercideret. *Sed mox oraculo fidem fecit mulieris partus, quæ tam facile est enixa, vt obseruatores fefellerit, nihil sentientes eorum, quæ in vulgaribus puerperijs sentiri solent.* Ita Iosephus.

c Ant. c. 5. Domino reuelante.

IV. Forma decorus. *d Act. c. 7. 20. e Hebr. c. 11. 23. f Act. c. 7. 20.*

Fuisse autem forma decorum & elegantem traditur in Exodo *d*, vbi à Septuaginta ἀστεῖος dicitur, quos secuti sunt SS. Paulus *e* & Stephanus *f*. Sed hæc oris dignitas, & totius corporis pulchritudo, natiuum parentum amorem accendit, vt spreto regis edicto infantem tribus mensibus absconderent. Sed quid est quod Apostolus non naturali amori, sed fidei hoc tribuit? *fide*, inquit, *Moyses natus occultatus est mensibus tribus à parentibus suis, eò quod vidissent elegantem infantem.* Plerique interpretes hanc fidem interpretantur, prudentem coniecturam ab externa specie ductam, fore vt hic infantulus in magnum virum

euaderet

f de occultatur *g hom. 26 ad Hebr.*

euaderet. Ita sentit Chrysost. *g*, & cum secuti Theophyl. & Oecum. Sed melius dici videtur Paulum alludere ad oraculum, quod Iosephus memorat. De quo ille iterum. *De Deo vero certam spem habebat prouisurum, vt oraculi veritatem euentus indicaret.* Eam expositionem in illum Pauli locum probant nostri Cornelius & Iustinianus, confirmantque ex D. Stephani verbis, de quibus alibi commodior erit dicendi locus *h*. Posito igitur hoc oraculo, cum eximia infantis pulchritudine, potuerunt Mosis parentes, diuino præsertim impulsu acti, diuinum aliquid in infante agnoscere, & existimare eum Deo cordi & curæ esse, eumque etiam in fiscella scirpea seruaturum, quod pertinet ad fidem.

h an Mos. 40. n. 4

V. Tribus mensibus

Cur autem longiori tempore seruatus non fuerit, rationem affert Lyranus, quæ ex Iosepho & Philone probabilitatem habet, quod Ægyptij custodes tertio quoque mense scrutarentur domos, & periculum erat ne dum vni consulere student, ipsi necis eius fierent accessi: præsertim cum infans validiore in dies, ac clariore vagitu se proderet. Quoniam ergo in eam ventum erat necessitatem, vt incertę morti puerum committere præstaret, quam illum totamque familiam tyrannico furori obijcere, quo ei modo maxime consulere possent, deliberarũt. Denique fabricati sunt fiscellam scirpeam, siue arculam iunceam, & linierunt eam bitumine ac pice, vt leuis materia facile innataret aquis, neque tamen aqua interiora penetrans, suffocatum infantem demergeret: quę in hac noua nauicula, super publica priuataque calamitate gementes incluserunt, & exposuerunt in carecto ripæ fluminis. Est autem carectum locus caricibus consitus, & palustris, vnde Septuaginta positum aiunt in palude iuxta fluuium, in vnam aliquam earum quas Nilus restagnans efficit, ne scilicet fluminis impetu raperetur.

Exponitur in fiscella ad oram fluminis.

VI. Nec proijcitur in profluentem.

Quo magis mirum est Iosephum puerum à parentibus in flumen proiectum esse, & filiam regis iussisse missis natatoribus, fluitantem lectulum ad se in ripam extrahi. Putauit fortasse rem non satis admirationis habituram, nisi pro palustri ripa, flumen ipsum, pro vna è famulabus natatores substituueret, aut non recte posse dici puerum Moysem ex aquis extractũ, nisi quem parentes ad madentem ripam collocarant, ipse misericors in flumen proijceret. Iacebat ergo in fiscella infantulus, ad oram fluminis, stante procul Maria sorore eius, & rei exitum præstolante. *Ecce autem*, ait Moses *descendebat filia Pharaonis vt lauaretur in flumine, & puellæ eius gradiebantur per crepidinem aluei.* Hæc fuit occasio à diuina prouidentia præparata, in salutem primùm, deinde etiam in gloriam famuli sui, qui in regiam ascitus familiam regiam etiam institutionem sortiretur.

VII. A filia Pharaonis, accipitur.

i Ls. Ant. c. 5.

k Hæres. 78. A.

Hanc regis filiam Thermutim vocat Iosephus *i*, quam S. Epiphanius *k* filiam Amenophis fuisse ait, & pro Dea cultam ab Ægyptijs, puta Iudæis in Ægypto natis, quod Mosem sustulerit, atque educarit. *Quæ cum vidisset fiscellam in papyrione*, locus est papyris consitus, quod genus est fruticis, *misit vnam è famulabus suis, & allatam aperiens, cernensque in ea paruulum vagientem, miserta eius ait, de infantibus Hebræorum est hic.* Id autem æstimare potuit non solum ex præsenti Israelitarum statu, sed etiam ex circumcisionis indicio, quam octauo die acceperat. Et quia, vt ait Philo, non videbatur tutum confestim eum in regiam ferre, & interim nutrice opus habebat, cogitanti superuenit soror pueri, quæ non longe aberat. & edocta à matre, *vis*, inquit, *vt vadam & vocem tibi mulierem Hebræam, quæ nutrire possit infantulum? Respondit, vade; perrexit puella & vocauit matrem suam* Cui illa, *Accipe ait puerum istum, & nutri mihi, ego dabo tibi mercedem tuam.*

Matri nutriendus datur.

VIII. Diuina in Iudæos prouidentia.

Vide quam pulchre illudat Ægyptijs diuina prouidentia: vt quo tempore illi cogunt Hebræos sibi sine mercede in durissimis operibus seruire, Dominus efficiat vt vltro mercedem præbeant Hebrææ mulieri, optatum ac debitum ministerium filio suo exhibenti. Et dum pueros in ruinam Israeliticæ gentis interimũt, vnum in suam ruinã proprijs sumptibus educent. Auget hæc Iosephus episodio falliditæ ab infante mamillæ mulierum Ægyptiarum, quæ vt non consentanea sacris literis, delicatioribus fastidium mouent. Quo porro tempore à Regina vocatus sit Moyses dubium videtur. Significat enim Scriptura *a* id factum, postquam adultus ab ea fuit adoptatus. Philo autem & Iosephus, hanc denominationem factam aiunt, cum datus est puer nutrici: quod credibilius est, ne tanto tempore nomine careret puer. Scriptura vero temporis ordinem in narrando non semper obseruat. Vocatus est porro nomine Ægyptio, quod Hebraice interpretatum redditur Moyses, id est extractus siue Extractio. Sic superius vertit Pharao Iosephi nomen, & appellauit vocabulo Ægyptiaco, quod Latine interpretatum significat Saluatorem mundi. Clemens porro Alexandrin. *b* ait Moysem à parentibus in circumcisione vocatum Ioachim.

Tempus & ratio nominis Moſis. *a c. 2. 10.*

b l. 1. Strõ.

Annus proxime sequens, qui fuit Mundi 2465. vigesimus atque vltimus fuit Sphæri regis Assyriorum, cui anno 66. successit Mamylus, ad annos 30. qui fuit decimus quintus à Belo. Nutriebat autem interea Iochabetha metu libera, imo gaudio triumphans filium & alienum & suum, dum amotus à lacte Reginæ redderetur. Retinuit autem illum apud se, quantum decorè & probabiliter lactare illum potuit, & materno amore, & infantuli gratia inuitante.

IX Sphæri obitus Mamyli successio. A.m. 2465

ANNVS MVNDI 2467.

AARONIS 7. MOSIS 4.

MAMYLI 2. Imperij Assyr. 536.

AMENOPHIS 30.

ANTE CHRISTVM 1586.

I. Ablactatus Moses Reginæ redditur.

POst tertium ætatis annum, vt ait Iosephus *c*, cum iam à lacte amotus esset Moses, reddit ascititiæ matri filium suum vera mater, multis vt credere par est, cum precibus Deo commendans. Nec sane video quidquam obstare, cur non existimare possimus Iochabethã,

c l. Ant. c. 5.

vel hoc tempore, vel etiam præcedente, adcommendandum studium, & industriam suam, erga puerum, quem videbat Reginæ charissimum, rei veritatem patefeciſſe; & tamen perlibenter infantem donaſſe illi, quę perituro vitam dediſſet, quamque Deus circa puſionem prouidentiæ ſuæ adminiſtram elegiſſet. quarto igitur ætatis anno, quando infantuli gratiores parentibus eſſe, atque iucundiores incipiunt, *admirandam*, vt ait Ioſephus, *gratiam ei Deus addidit, vt nemo eſſet adeo tetricus, qui viſa Moſis pulchritudine non obſtupeſceret.* In qua pulchritudine & eximia indole ſatis præſidij putauit eſſe Ioſephus in puero, & ſatis cauſæ in Principe ſterili, aut certe prole deſtituta, vt eum ipſa adoptaret in filium, & Patri regnanti in ſucceſſorem offerret.

& ab ea adoptatus

Philo Pharaonem à filia deceptum ait, fingente puerum hunc à ſe genitum, cui Auguſtinus *d*, & Niſſenus *e* aliquo modo fauent, ſed retinenda eſt adoptio, quam habet editio vulgata *f*, Hebræo, Græcoque conſentanea, quæ eſt communiſſima ſententia, antiquorum & recentiorum ſcriptorum. Iuſtini, Baſilij Clementis, imo & Niſſeni, & Auguſtini. Nec illi repugnat Apoſtolus *g*, cum ait Moſem negaſſe ſe filium filiæ Pharaonis, quæ negatio videtur ſupponere rem occultam, qualis erat illa fictio, non apertam, qualis eſt adoptio. Reſpondeo enim cum Ribera, & alijs, iſtam negationem non verbo nũciatam ſed facto, hoc ipſo quod ſe Moſes ſeparauit ab Ægyptijs, & aggregauit Hebræis, theſauris illorum neglectis, & horum iniurijs & paupertate adamata. Quæ autem de regio diademate impoſito puero, & ab illo in terram proiecto & conculcato, & Sacrorum ſcriba eum ad necem depoſcente narrat Ioſephus, merito cenſentur in fabulis. Sicut & quod aliqui Hebræi addiderunt, de prunis ori admotis ab infantulo, indeque impeditioris linguæ facto, quæ in Annalibus *h*. Lector refutata reperiet.

11 Quomodo Moyſes negauerit ſe eius filiũ. *d ſer. 89. de temp. e l. 2. de vita Moſis.*

An diadema calcarit.

f Exo.2. 10.

g Hebr.11 24.25.

loc. cit.

h n.5.6. &c.

Qualis autem fuerit eius in aula regis educatio facile quiuis intelligit: illud tamen Philonis non vulgare eſt, *Ita nactus*, inquit, *educationem regum nequaquam infantium more delectabatur aſſentationibus, iocis, luſibuſque quamuis indulgenter haberetur ab educatoribus, ſed tam tum modeſtiam, grauitatemque præferens, malebat audire ſpectareque vtilia.* Sic ille. Cur autem Deus Moyſem in aula regia nutriri atque educari voluerit, has ſuggerit cauſas Pererius, Prima quod nemo alius vel Hebræorum, vel Ægyptiorum, præter filiam regis, auſus eſſet contra tam atrox regis edictum Moſem naufragio eripere, conſeruare & educare. Deinde quia regali cura educatus, euaſit in virum non ruſticanis, & agreſtibus moribus præditum, ſed elegantibus ac regijs: qualibus decebat informari ampliſſimæ olim gentis moderatorem. Denique vt maiore apud Ægyptios auctoritate polleret, cum apud eos deſtinata diuinitus legatione fungeretur.

II. Educatio Moſis in aula.

Et in eo Dei Prouidentia.

Anno porro ſequenti, qui fuit mundi 2469 extincto barbaro ac crudeli Amenophi, Orus illi in Ægyptio regno ſufficitur, quem mitiorem fuiſſe hoc ipſo credere par eſt, quod ipſo regnante ac conniuente, edictum de proijciendis in flumen infantulis antiquatum eſt, vt paulò ante dicebamus. Euſebius annis ipſum octo ac triginta regnaſſe tradit. Africanus ex Manethone 37. Ioſephus ex eodem 36. & menſes quinque. Sed in re modica Euſebium deſerere non placet.

III. Regnum Ori in Ægypto. A. m. 2469.

ANNVS MVNDI 2470

AARONIS 10. MOSIS 7.

MAMYLI 5. Imperij Aſſyrior. 539. ORI 2.

ANTE CHRISTVM 1583.

SEptimus ætatis annus initijs liberalis inſtitutionis, quæ animi educatio eſt, communi hominum iudicio deſtinatur, vſuque ipſo frequentatur; quando pueri iudicio vti incipiunt, & eſſe doli capaces. Hunc ergo annũ Moſaicæ eruditionis initijs conſtituamus licet. Et quoniam S. Stephanus affirmat Moyſem *eruditum fuiſſe omni ſapientia Ægyptiorum*, de ea diligentius eſt à nobis in Annalibus, in hoc ipſo mundi anno diſputatum, ex Clemente præſertim Alexandrino, Philone & Diodoro Siculo, quæ hoc loco iterare inſtituta breuitas, non permittit. Ea porro videntur in primis cognitione digna, quę ad hieroglyphicam pertinent, omneſque illius partes, quarum pulcherrima veſtigia reperiuntur in pleriſque Moſaicæ legis inſtitutis. Ibidemque refutata reperies, quæ Philo de Græcis Moſis doctoribus in Græcorum gratiam commentus eſt, quæ cum tota patrum antiquitate pugnant.

Moſis inſtitutio Puerilis.

De Ægyptiorum ſapientia.

Non prætereunda tamẽ, ſed ponderanda potius arbitror illa Philonis verba, cum ait Moſem à vicinis Aſſyrias literas, & Chaldaicam de cœlis ſcientiam didiciſſe, & quidem nõ ab Aſſyrijs aut Chaldæis, ſed ab Ægyptijs, & præfecturis Ægypto proximis, & paſcuis Ægypto

II. A patre Amramo videtur edoctus.

vicinis,

ANNVS MVNDI 2468.

AARONIS 8. MOSIS 5.

MAMYLI 3. Imperij Aſſyriot. 537.

AMENOPHIS 31. & vlt.

ANTE CHRISTVM 1585.

MOritur hoc anno Amenophis regni ſui trigeſimo primo & vltimo, inuecta in regnum ſuum, & ſtabilita per octodecim annos ſæuiſſima Hebraici populi ſeruitute. Eo porro mortuo, apparet etiam antiquatum decretum de proijciendis in Nilum infantibus. Id enim ſi perſeueraſſet, vix milleſima pars Iſraelitarum eo tempore ſuperfuiſſet, quo ductore Moſe educti ſunt ex Ægypto; cum tamen ipſo egreſſionis tempore *i* nominatim fiat mentio paruulorum à Moſe, apud ipſum Ægypti regem. Itaque ſentiunt Torniellus, Cornelius à Lapide, & alij. Antiquatum autem Thermuti, vt veriſimile eſt, in gratiam Moyſi ſui, annitente, vt is maturè de populo ſuo inciperet bene mereri.

I. Mors Amenophis. Eius decretum antiquatũ.

i Exo.10. 9.10 & 6.11.37.

vicinis, vnde præceptores iniussi, & sponte sua ad docendum se offerebant. Hos ego vicinos ausim dicere Hebræos, incolas terræ Gessen, quæ pascuis abundabat, qui non Hebraicarum tantum litterarum, sed Chaldaicarum etiam & Assyriarum periti erant, quandoquidem ex Chaldæa Assyrijs vicina oriundi erant. In his autem vltro se offerentibus magistris, valde suspicor fuisse Amramum pueri patrem, qui septimo anno Mosis quintum supra octogesimum agebat annum, non ætate solum, sed etiam scientia, vt Leuitam decebat, venerabilem, qui cum auo suo Leui, qui in Chaldæa & Mesopotamia diu vixerat, ad triginta quinque annos fuerat diuersatus. Quin etiam suaui diuinæ prouidentiæ dispositioni consentaneũ id fuerit, vt simul cum litteris veram à teneris pietatem animo imbiberet; & qui lac à sua ipsius matre infantem sugere voluit, puram & lacteam Dei sapientiam à patre hauriret.

Quo deo Philone elici tur.

Sicut & Aaron.

Quod si huic coniecturæ assentiri placet, etiam Aaronem fratrem ei condiscipulum dare possumus. Domestica certe disciplina institutum dubitare non conuenit, diuina id agente prouidentia, quæ ipsum ad summum pontificatum destinarat, edito etiam super ea re oraculo, vt Iosephus *a* affirmat.

a l. 2. ant. c. 5.

III. Profectus Mosis.

Eius autem in omni eruditione profectus testis est Philo *b*, qui cum dixisset, plerosque præceptores ad Moses docendum partim accersitos venisse, partim etiam sponte se obtulisse, *Eos*, inquit, *intra modicum tempus ille superauit, natiua docilitate institutionem præcurrens, vt reminisci videretur, non discere, in rebus difficilioribus de suo aliquid comminiscens. Nam præclara ingenia multa circa scientias noua comminiscuntur.* Hæc ille. Quæ S. Basilius in Esaiam, & ante eum Clemens Alexandrinus, imitatus est. Hæc autem studia, tam multa, tamque multiplicia, non paucos Moysi annos occuparunt.

b l. 1. de vita Mosis.

ANNVS MVNDI 2478.

AARONIS 18. MOSIS 15.

MAMYLI 13. Imperij Assyriorum 547.

ORI 10.

ANTE CHRISTVM 1575.

I. Mosis adolescentia.

INit hoc tempore Moses adolescentiam, cuius bona pars, vt credere par est, in liberali & litteraria institutione collocata fuit: Crescente tamen corpore, in nobilibus adolescentibus armorum & militiæ rudimenta ponuntur. Quod in Mose quoque obseruatum minime dubium est, præsertim si in expeditione, quæ dicitur, Æthiopica, factus est Imperator. Verum non solum arma hoc tempore tractasse docet Philo, cum ait, *Egressus deinde pueritiam, magis curam intendit, non vt quidam frœna laxans concupiscentijs, quamuis non deessent incitamenta plurima, quæ se vbertim offerunt in regum domibus, sed sobrietate atque temperantia, tanquam habenis quibusdam eas cohibens, ne impetu nimio ferrentur, &c.*

ANNVS MVNDI 2485.

MOSIS 22. AARONIS 25.

MAMILI 20. Imperij Assyr. 554.

ORI 17.

ANTE CHRISTVM 1568.

I. Mosis iuuentus. *cl. 2. ant. c. 5.*

AMRAMI secularis annus incurrit in principium Mosaicæ iuuentutis, quam significant illa verba Iosephi c, *Postquam adoleuit Moses, & ad florentem peruenit ætatem, breui suæ virtutis specimen edidit*: in bello videlicet Æthiopico, de quo ibidem narrationem instituit, nec tempus illius distinctius tradit, sicut neque Artapanus *d*, qui eius meminit. Chronicon Alexandrinum ad annum Mosis 31. id distulit, vbi & nos de eo mentem nostram aperiemus.

a l. 9. de Præp. c. 27 Græ. Lat.

II. Idem verbis & operibus potens. *e Act. 7. 22.*

Ad hoc porro tempus illud S. Stephani elogium *e* de Mose referri potest, vbi dicitur *potens in verbis, & in operibus suis.* Id enim non solum tempus illud intuetur, quo verbis significque contra Pharaonem decertabat, aut populum in Ægypto regebat, sed anteriora etiam respicit. Significat enim fructum eruditionis acquisitæ in Ægypto. Sic enim habet: *Et eruditus est Moses omni sapientia Ægyptiorum, & erat potens in verbis, & operibus suis.* Verborum potentiam merito quisque eloquentiam interpretetur, quæ multiplici rerum cognitione sustentatur, additaque verborum copia efflorescit. Quia tamen ipse se, à primis etiam annis, verbis abundasse negat *f*, propterea δύσκατος εἰς λόγους, idem erit atque efficax in persuadendo, quique verborum pondere potius & grauitate valeat, quam cursu & volubilitate orationis. Operum autem faculteatem tota deinceps Scriptura declarat, quam nos pro temporum ratione assectabimur. Nam quæ ab Artapano apud Eusebium *g* Mosis opera atque inuenta referuntur, erroribus referta sunt: quæ nihilominus in commodum sensum in Annalibus *h* trahere conati sumus.

f Exod. 4. 10.

Mosis opera.

g l. 9. c. 27
h An. Mos. 22.

ANNVS MVNDI 2491.

MOSIS 28. AARONIS 31.

MAMYLI 26. Imperij Assyriorum 560.

ORI 23.

ANTE CHRISTVM 1562.

I. Ortus Iosue.

ANnus Mosis vigesimus octauus cũ primo Iosue magna ex parte concurrit. Sic enim annus primus Egressionis, qui est octogesimus primus Mosis, erit 54. Iosue: & centesimus Mosis cum 73. Iosue concurret, & illius 120. & vltimus cum huius 93. conueniet, quibus si addas annos 17. gubernationis post obitum Mosis, totam explebis vitæ Iosue periodum centum & decem annis circumscriptam. Hunc ei annum natalem esse volunt, quicunque ei 17. vel 18. gubernationis annos

attribuunt. Qua de re suo loco diligentius dicendum erit.

11. Eiusque cum illustre.

Nascitur ergo hoc anno Iosue, de tribu Ephraim, vir plane illustris, ac maximus aliquando futurus Imperator, Mosis diuina electione successor, & primus populi Dei, post Legislatorem moderator & Iudex, eiusque in Chananitidem introductor. Et ne ipsum nouum hominem putes, habes auum eius Elisaman, Ephraimitarum omnium principem, & in eius exercitu quingentos supra quadraginta millia pugnatorum: patrem vero Nun, fuit vtique patris, vt ait Serarius *a*, in eadem dignitate successorem. Porro Nun à Septuag. & cæteris Græcis Scriptoribus Naue dicitur, qui filio imposuit in circumcisione nomen Osee, pro qua Septuagint. habent Auses, siue Ause, quod tribus & quinquaginta annis retinuit, donec à Mose ad explorandam terrã cum socijs missus est, & Iosue appellatus *b*, vtroque nomine salutari, vtrumque enim significat Saluatorem. Qua de re vide copiosam Serarij nostri *c* disputationem.

a *l.1. Ios. v.1.*

Naũῆ, A'uεν. vel A'ωῆς.

b *n.13. 16*

c *l.1. in Ios. c.2. q. 3.6. & seqq.*

ANNVS MVNDI 2494.

MOSIS 31. AARONIS 34.

MAMYLI 29. Imperij Assyriorum 563. ORI 26.

ANTE CHRISTVM 1559.

CHronicum Alexandrinum in annũ Mosis trigesimum primum, *hoc ipsius anno*, inquit, *Moses vrbem Hermopolim condit, & bellum cum Æthiopibus toto decennio gerit*; intra quod videlicet vrbs condita est. Nam Artapanus *d* in lib. de Iudæis apud Euseb. ait Heliopolitas referre bellum hoc decennio gestum: propterea que Moysem, & qui cum eo erant, ob expeditionis longinquitatem, vrbem in eo loco condidisse, & Ibym in ea consecrasse, quod ea noxia hominibus animalia perimat, eamque Hermopolim, siue Mercurij ciuitatem appellasse. Chronicum autem Alexandrinum vrbem ait dictam à Mose Merrhim in eius honorem, quæ ipsum ex aquis extulerat, tum defunctæ, ac supra Ægyptum sepultæ. Quæ cum ijs quæ scribit Iosephus non satis consentiunt, & sunt quasi appendix quædam Æthiopici belli, quod Iosephus accuratè persequitur, & nos in Annalibus *e* accurata diligentia examinauimus.

1. Hermopolis & bellum Æthopicum

d *lib. 9. de Præp. c. 27*

In ea porro sententia nunc quoque sumus, vt totam illam narrationem commentitiam, esse credamus, poeticis fabulis, aut rabinicis per similem, quibus solenne est in homonymo aliquo Scripturæ vocabulo, ineptarum fundamenta iacere fabularum. Quoniam enim de vxore Mosis Æthiopissa ex Scriptura *f* constabat, isti fundamento cætera inædificata sunt. Egregio viro, qui in regiam familiam esset ascitus, datam constat vxorem Æthiopissam, reginam esse oportuit, vt personæ dignitas seruilis nationis humilitatem subleuaret. Causa probabilis quærenda fuit, ex bello probabili vicinos inter populos Ægyptios atque Æthiopas inuenta est. Itaque irruerant in Ægyptum Æthiopes, conflatum est bellum, fit belli Dux Moses vir in regiam familiam adoptatus, armorum minime insolens, egregie dimicat, vincit, rem Æthiopicam ad extrema deducit, denique pax componitur fœdere nuptiali.

e *an. Mos. 31.* 11 Vnde orta ea fabula.

f *Num. 12*

Hæc omnino Ruperti mens fuit *g*, cum ait ex occasione vocis Æthiopissæ, huiusmodi fabulam scriptores Iudaicos tradidisse, & facile contemni, quia de Scriptura non habet autoritatem. Fictitium quoque totum hoc bellum Theodoretus existimat *h*, ac fabulam vocat. Eugubinus hoc bellum, & vxorem ex eo Moysi partam fabulosissima esse existimat; mentiri etiam Apollinarem, qui duas tribuerit Mosi vxores, & ab illis scriptoribus hæc esse ficta. Idem putauit Faustus Manichæus apud Augustinum *i*. Pererius hanc narrationem merum Iosephi, vel aliorum Iudæorum commentum vocat Caiet. *Alij*, inquit, *mulierem Æthiopissam fuisse ex interiore Æthiopia existimant, de qua Iosephus scribit multa inutilia relatu, nec satis credibilia.* Beroaldus *k* animosius eandem narrationem cæteris Iosephi commentis, sic enim loquitur, & fabulis infinitis aggregat: quem alio in loco *l* ob similem fictionem non solum in sua Repub. peregrinum, sed egregie impudentem & mendacem demonstrare contendit. Quam multa autem etiam improbabiliter ficta in eodem commento fuerint, in nostris Annalibus *m* reperies.

III. Et qui ita sentiunt.

g *l. 2. in Num. c. 33. & 34.*

h *q. 22. in Num.*

i *l. 22. cõt. Faust. c. 5*

k *l. 4. Chrõ. c. 6*

l *& l. 3. c. 8. vbi de templo Salam.*

m *an. m. 2494. n. 15. & seq.*

Anno proxime sequenti qui fuit Mundi 2495. Mamylus trigesimum & vltimum regni annum impleuit. Cui anno 2496. successit Sparetus, vt est apud Eusebium & Africanum, qui est à Belo decimus sextus, & ad quadragesimum, vel 42. vt Africano placet, regnauit annum. De quo quæ vulgo traduntur ex nouo Beroso sunt, & fide carent.

IV. Mamyli obitus. Spareti initium.

ANNVS MVNDI 2498.

MOSIS 35. AARONIS 38.

SPARETI 3. Imperij Assyr. 567.

ORI 30.

ANTE CHRISTVM 1555.

INcidit in hunc annum Mosis 35. primus Cecropis Athenienſium primi regis annus, apud Eusebium in chronico. & in Præfatione: vbi post aliquam de Mosis antiquitate disputationem, ita concludit. Itaque sine vlla ambiguitate Moses & Cecrops, qui primus Athenienſium rex fuit, ijsdem fuere temporibus. Porro iste est Cecrops Diphyes indigena. Sub quo primum in arce oliua orta est, & Athenienſium vrbs ex Mineruæ appellatione sortita nomen. Hic primus omnium Iouem appellauit, simulachra reperit, aram statuit, victimas immolauit, nequaquam illiusmodi rebus in Græcia vnquam visis. Cætera quoque quæ apud Græcos mira iactantur, posteriora Cecropis annis deprehenduntur. Si autem

I. Athenienſium rex Cecrops.

Idololatriam in Græciam inuexit.

tem

tem Cecropis, consequenter & Mosis, qui cum Cecrope fuit. Sic Eusebius. Vult ergo inuentam in Græcia à Cecrope Idololatriam, aut ex Ægypto potius, omnium prouinciarum superstitiosissima inuectam. Quamuis enim eum vocet indigenam, Ægyptium tamen fuisse asserit, cum ait dictum Diphyes, quod cum esset Ægyptius, vtramque tamen linguam, Ægyptiam scilicet & Græcam teneret Sed de Cecrope, & cæteris Athenienſium regibus, plura ex antiquis collecta scriptoribus, in Annalibus circa hunc annum, & scholijs eiusdem reperies.

Diphyes.

ANNVS MVNDI 2500.

MOSIS 37. AARONIS 40.

SPARETI 5. Imperij Assyr. 569.

ORI 32.

ANTE CHRISTVM 1553.

1. Iubilæus quinquagesimus.

QVinquagesimus annus ab orbe condito quinquagies euolutus quinquagesimum Iubilæum hoc anno absolutum exhibet, & simul annum quinquagesimum Israeliticæ seruitutis, qui tamen nullam afferet miseris libertatem, vt quæ ad tertium adhuc & quadragesimum differtur annum. Nec mirum est multum ab hoc numero annorum seruitutis Eusebium distare, qui eam statim ab obitu Iosephi inchoarit, quod Scripturæ minime consentaneum est. Non enim solus Ioseph, sed omnes etiam fratres eius, omnisque illa cognatio obierat, antequam exoriretur Rex ille nouus, qui dedit initium seruituti.

ANNVS MVNDI 2503.

MOSIS 40. AARONIS 43.

SPARETI 8. Imperij Assyriorum 572.

ORI 35.

ANTE CHRISTVM 1530.

1. Ratio temporis

HOc anno, inquit Eusebius, Moses Ægyptia commoratione relicta, in solitudine philosophabatur. Eodem respexit Basilius, cum ait Mosem Ægyptiacis tumultibus derelictis, in Æthiopiam, Madianiticam videlicet esse profectum, ibique maximum à cæteris rebus otium nactum, totos 40. annos contemplationi rerum indulsisse. Distinctius tempus expressit S. Stephanus a, *cum*, inquit, *impleretur* ii 40. *annorum tempus*. Nec video cur non proprie ea verba sumamus de anno nondum plane expleto, sed ad finem vergente: vt scilicet eadem & fugam extremo anno quadragesimo vitæ Mosis contigisse dicamus, quando desiderium inuisendi fratres suos Israelitas subijt animum eius, qui partim habitabant in terra Gessen, partim in alijs Ægypti locis erant, laborioſi operis causa, dispersi Ex quo intelligitur Mosem ad hoc vsque tempus in regia ciuitate ac palatio, vt regis filium habitasse. Cur autem tam diu distulerit, non aliam arbitror fuisse causam, quam quod non prius illam ei mentem Deus iniecerit.

a Act. 7. 23.

Moses ad annũ 40. sulicus.

Ergo qui dudum occultè parentes suos ac fratres inuisebat, aperte deinceps, atque in omnium oculis illos adijt. Sic enim videtur accipiendum illud b, *Egressus est ad fratres suos*. Quis enim credat Mosem, qui se Hebræum certo sciret, & apud parentes triennium nutritus fuisset, qui, vt credimus, à parente scientijs liberalibus eruditus, & quod caput est, ad vnius Dei cultum, veramque pietatem esset informatus, ad quadragesimum vsque annum hæc humanæ pietatis officia distulisse? & si palam adire eos, vitandæ popularis offensionis gratia, non auderet, non saltem clanculum pedem in eorum ædes intulisse? Nec parentes tantum adijt, sed fratres tota Ægypto dispersos. *Quos verbis*, inquit Philo c, *quantum poterat subleuabat, præfectos subinde admonens vt moderarentur, laxarentque nimiam in vrgendo duritiam: Operarios vero, vt præsentem statum fortiter ferrent, neque animis cum corporibus deficerent, sed sperarent mutationem in melius*.

II. Palam egreditur ad suos.

b Exod. 2. 11.

c l. 3. de vita Mosis.

Dum hæc charitatis officia studiosius obit Moses, contigit virum Ægyptium quendam de Hebræis in illius oculis percutere, & molestissimo labori etiam plagas ingerere. Hunc Ægyptium Philo aliquem de præfectis fuisse scribit cæteris duriorem, atque immaniorem, cuius crudelitatem ille exaggerat ad leuandam cædis inuidiam: quidam illum adulterij reum faciunt, quod iterum iactare non dubitaret. Verum eam cædem Scriptura neque excusat, neque defendit, simplici narratione contẽta d. *Cum circunspexisset*, inquit, *hinc atque illinc, & nullum adesse vidisset, percussum Ægyptium abscondit fabulo*. Percussionis modus exprimitur à Seuero Sulpitio. *Cum virilis*, inquit, *annos ageret, conspicatus Hebræum ab Ægyptio pulsari, permotus dolore, fratrem ab iniuria vendicans, Ægyptium calce percussum interemit*. Idque multo credibilius est, quam Rabi Salomonis figmentum, qui hominem occisum ait, edito à Mose nomine tetragrammato, ad quod isti solent, tanquam ad Deum ex machina confugere, nec tamen faciunt fidem.

III. Ægyptiũ perimit, & quæ causa cædis.

d Exod. 2. 12.

Quod ad iustitiam cædis huius attinet, repudiatis Rabbinorum inuentis, dicendum est cum communiore, veraque sententia, ideo Moysen à crimine immunem esse, quod iam tum iudiciariam à Deo potestatem accepisset, ad regendum, ac protegendum populum suũ, quamuis nondũ satis euulgatam. Idq; probat S. Augustinus e, Rupertus f, D. Thomas g, Abulensis, Lyranus, alijque recentiores, in quibus Sanctius in Acta h, ex verbis S. Stephani dicentis, existimasse Moysem Israelitas intelligere, quod ipse iamprudem ex patre suo didicerat, Deum ad salutem populi sui ipsum destinasse, simulque ei auctoritatem ac iurisdictionem dedisse. Adde quod in regiam ascitus familiam, & regni candidatus, satis iuris, vel humano iudicio, in illum Ægyptium habebat, ad illum puniendum, coram se impudenter ac contumelioſe peccantem. Sic Phinees nõdum sumino insignis Sacerdotio; diuino zelo incitatus, publicum scortatorem interemit. Illa

V. Quæ tuitio.

e q. 1. in Exod. f l. 1. c. 10. in Ex. g 11. q. 60. a. vlt. ad 2. h ca. 7. v. 62.

porro

porro circunspectio, & vitatio conscriorum, non est argumentum vsurpatæ potestatis, vt notat i Abulensis. Nam legitimi iudices cum verentur vim maiorem, clam de reis supplicium sumunt.

i q. 9. in Ex. ad 2. & 3.

Quantacúque autem circunspectione vsus fuerit Moses in occultanda cæde, vitare tamen non potuit quin res manaret in vulgus, atque adeo ad Regem ipsum deferretur. Nam sequenti die incidit in duos Hebræos rixantes, quos inter dum gratiam redintegrare conaretur, moneretque ne qui fratres essent, inter se odissent, aut iniuriam inferrent: & nominatim eum reprehenderet, qui inferebat iniuriam, & percutiebat proximum suum: nam vsque ad verbera res progressa erat. Ille ad priorem culpam, hanc etiam alteram adiecit, vt sapientem monitorem contumeliosè repelleret, diceretque k *Quis te constituit principem & iudicem super nos?* Quo verbo per iram effuso, satis ostendit nondum intellectum Hebræis, Mosem à Deo electum, per quem illis salutem daturus esset: atque adeo iam tunc legitima illum potestate instructum fuisse. Sed addidit etiam: *Num occidere me tu vis, sicut heri occidisti Ægyptium?*

V. Vulgatus.

k Exod. 2. 14.

Ea nimirum vox incussit Moysi metum. *Quomodo*, inquit, *palam factum est verbum istud?* Nec tam sibi ab Hebræis metuebat, quam ab Ægyptijs & rege ipso, ad cuius aures non dubitabat rem perventuram. Præsertim cum eius erga se gratiam valde labefactatam sentiret. Et ecce l *audiuit Pharao sermonem hunc, & quærebat occidere Moysem.* Erat enim exacerbato in eum animo, propter abdicatam regiam adoptionem, & proditum genus suum, & suam in Hebræos, quos rex oderat, animi propensionem: Regum autem animum aulici, qui sibi adeo timebant, quantum poterant exasperabant, ipsique regi ex ambitione formidolosum reddebant, vt Philo eleganter tradit. Iosephus eadis apud Regem accusatum scribit b. Quidam Rabbini scribunt Mosem non solum quæsitum à Rege ad mortem, sed etiam à ministris eius comprehensum, adductumque ad regem, iussum capite truncari, sed ministris regijs cæcitate percussis, Mosem euasisse. Nec aliud reperias huius fabulæ fundamentum, quam quod Scriptura dicit Mosem *de conspectu regis* fugisse, quod necesse sit prius venire in conspectum, quam de conspectu fugere: quasi phrasis illa physice, & non moraliter accipienda sit.

l Exod 2. 15.

Regem in ea re acerbo

b l. 2. Ant. c. 5 Narratus fuerat.

Secessit ergo Moses in finitimam Arabiam, vbi tutius degere poterat, vt ait Philo, aut potius, vt Scriptura ipsa loquitur, fugit. Nec tamen incomitatus, atque suadet acta ad id tempus vita in familia regia; & parentum, amicorum, consanguineorum, de quibus omnibus bene meritus erat, benevolentia, & magna, quam sustinebat in futurum, expectatio. Iosephus tamen scribit eum per tot annos fugacem inedia laborasse, & quærentem nusquam inuenire alimenta, tredecim patientia superasse. Oblitus suæ videlicet Reginæ in Æthiopia coniugis, & constructæ Hermopoleos, quo se reciperet, & exercitus sibi addicti ulnini, quo tueretur sese, per solita armes fugam arripuit. Arabiam ergo desertam vterque intelligit, in qua Madianitæ & Amalecitæ, sæpe in Scriptura celebrati. Eam prouinciam Basilius eruditè Æthiopiam appellauit, respiciens ad vxorem Mosis Madianitidem, eandemque Æthiopissam ab ipso Mose c nuncupatam. Diuino porro consilio factum est, vt eò potissimum Moses confugeret, vt inde vxorem ex progenie Abrahami acciperet; & vt in deducendo quondam populo, non esset planè earum solitudinum insolens.

Fugit Mos Arabiam

in qua Madianitæ.

c Nū. 12. 1

ANNVS MVNDI 2504.

MOSIS 41. AARONIS 44.

SPARETI 9. Imperij Assyr. 573.

ORI 56.

ANTE CHRISTVM 1549.

I. Mosis apud Madianitas commoratio.

EST hic primus annus commorationis Mosis apud Madianitas, & vt apparet ex ipsa serie Mosaicæ narrationis, etiam conjugij. *Fugiens*, inquit d, *de conspectu eius moratus est in terra Madian, & sedit iuxta puteum.* Quæ Iosephus explicans, narrat Mosen inedia & calore fatigatum, cum iam vrbem Madienam in prospectu haberet, tempusque meridianum esset, ad puteum quendam quietis causa sedisse, ibique greges ouium filiarum Iethro inuitis pasturibus adaquasse, ex eoque benefacto datam occasionem matrimonio, quod statim ab ipso narratur. Scriptura tamen haud obscure significat, rem hanc non statim in ipso itinere, & Mosis primo aduentu contigisse, sed aliquanto post tempore. Prius enim quam dicat sedisse iuxta puteum, ait moratum esse in terra Madian. Et Philo narrationem suam ad hunc sensum accommodat. Vbi enim dixit Mosen in Arabiam secessisse, vitæ ibi gestæ rationem exponit, tum demum subdit pastoritiam illam concertationem, sub id tempus contigisse. Nec necesse est vnicam fuisse ad puteum sessionem, & in prima statim rixam illam exortam esse.

d Exod. 2. 15.

II. Eiusque vitæ ratio

Demus ergo tempus aliquod Mosi ad quietem, & aliquam in Madianitide moram, in qua iuxta Philonem, reputans se ab infesto rege elapsum, & nouam regionem ingressum, nec moribus indigenarum assuetum, conatus fuit quietus latere, ideoque pastoritiam vitam libenter aggressus est, quamuis insuetam, & sub aulica longe abhorrentem: in qua nondum Deo satis vacare potuerat, & sibi. Cum ergo aliquando fatigatus sedisset iuxta puteum superuenere septem filiæ Sacerdotis Madian, id est viri principis inter Madianitas, ad hauriendam aquam, demissisque per funem vrnis certatim hauriebant, fundebantque aquam in proximos alueos, donec implerentur, Moyse ipso eas officiosè iuuante. Cumque cuperent adaquare greges suos, *superuenere pastores, & eiecerunt eas*, alieno scilicet labore per vim fruituri. *Surrexitque Moyses, & defensis puellis, adaquauit oues earum.* Nec caret probabilitate iuos tresve pastores ab vno peregrino repulsos, atque eiectos fuisse. Ait enim Philo, istos vehementi verborum increpatione territos, cessisse, quam iuuabat species ipsa Mosis dignitate

officiose adest filiabus Iethro.

Ibid.

gnitate plena, & quæ militiæ ducem aliquem saperet, à quibus rudis & imparata pastorum manus sibi male metuit. Quid si ne solus quidem fuit, & incomitatus? Sed mulieres quoque pastorum timorem augere potuerunt. Nam formidolosus est ceruorum exercitus duce leone.

III. A quo acceptus hospitio.

Adaquatis gregibus domum lætæ maturius reuertuntur, & insperatum peregrini hominis beneficium patri denarrant: qui desiderio captus videndi hominis, qui de ignotis, cum periculo suo, bene mereri non dubitaret. *Vbi est*, inquit, & obiurgans, *quare dimisistis hominem?* nec inuitastis ad sumendum apud nos cibum? *vocate eum vt comedat panē*, & hospitio accipiamus eum. Quid multa? reuersæ ad fontem, in propinquo illum inueniunt, & patris sui verbis persuasum, domum deducunt. Raguel autem hominis in Ægypto nati primum speciem, mox etiam mentem admiratus, dat illi vnam de filiabus vxorem, vt ait Philo. Iosephus quoque primo statim congressu Mosem ait in filium adoptatum, id est generum. Sed ratio ipsa, Scriptura non repugnante, postulat, vt idoneam aliquam moram inter hospitium hoc & coniugium interijciamus, ne Raguelem quamuis in copia filiarum, aut Mosem, prudentes vtique viros, in re magni momenti, præproperæ festinationis arguamus.

IV. Quomodo celebrarint nuptias.

Intelligi ergo potest, atque etiam debet, nō primo statim congressu cogitatas, propositas, perfectasque nuptias, sed homine ad hospitiū euocato, qui se prior officiosum, ac iustitiæ amantem ostenderat, & erat alioqui honesta specie, atque liberali, Raguelem ex eo super mensam inquisisse, quò eum ferret iter, quid negotij tractaret, quidve animo destinaret: auditoque nihil eum certi adhuc statuisse, rogasse etiam, quoniam eum acceperat perquam familiariter in haurienda gregibus aqua se gessisse; velletne apud ipsum, sicut olim apud Laban Iacob, cum honesta mercede famulari: eumque annuisse, animaduersa hospitis sui antiqua probitate, totiusque familiæ honestate: dum interea Dominus negotium de populo suo à seruitute eximendo maturaret. Neque annuisse tantum, sed fidem etiam suam atque operam iureiurādo firmasse. Et ita coniugium non ad multos solum menses, sed annos etiam differri potest: præsertim cum Moses, quadragesimo abhinc anno, filium habuerit infantulum incircumcisum; imo vtrumque filium, nec plurium extat memoria, adeo paruum, vt mater & filij eodem asino portarentur.

V. Iethro princeps in Madianitide.

De Raguele porro, qui & Iethro frequentius appellatur, & Sacerdos Madian, facile intelligi potest eundem & Sacerdotem fuisse, vt à Hieronymo & Sept. appellatur, omnesque passim Græci ac Latini scriptores consentiunt, & principē, vt eum perpetuo vocat Chaldæus paraphrastes. Vtrum autem veri Dei Sacerdos esset, an idolorum non satis constat. Video pleroſque in eam conuenire sententiam, vt à principio Idolis seruisse dicant: deinde autem cum generum ex Ægypto reducem adijt. Deique mirabilia in Ægypto facinora didicit, veri Dei factum esse cultorem. At durum videtur, & difficile creditu, Raguelem ipsos 40. annos cum Moyse conuersantem, nunquam oculos veritati aperire voluisse; aut Mosem ipsum ad tam necessarium negotium omnem operam atque industriam non contulisse; ne in eum quadret illud Apostoli a, *Si quis suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negauit, & infideli deterior.* Ita existimo illum maturius generi opera, ad veri Dei cultum esse traductum; aut etiam veram in Deum fidem ab Abrahamo ad Iecsan filium eius, & Dadan nepotem, indeque ad Raguelem patrem Iethro fuisse propagatam, & perpetuo in eadem familia conseruatam. Auget hanc probabilitatem coniugium Mosis, & tam facile contracta cum Raguele affinitas. Sed alius occurret postea b, hac de re dicendi locus.

a 1. Tim. 5.8.

b A. m. 2544. & 2545. &c.

VI. Aaronis coniugiū.

Quoniam vero de Mosis coniugio, sine certa temporis nota proxime egimus, ex occasione de Aaronis quoque coniugio, non magis certi temporis, breuiter dicamus. Apparet enim eum iam vxorem duxisse, cui non contigerit hactenus aut habitationem, aut vitæ conditionem mutare, & fuerit ætate prouectior Mose. & quatuor filios ante exitum ex Ægypto genuerit, qui sub primum egressionis annum recensentur: nec desint qui affirment Eleazarum, qui tertius illius filius fuit, & primus in pontificia dignitate successor, vxorem ante exitum ex Ægypto duxisse. Nec sane iuuenem hunc esse oportuit, cum eodem ipso tempore princeps principum Leuitarum, diuino oraculo constitutus sit. Accepit autem Aaron sibi vxorem Elizabetham c, filiam Aminadab, sororem Naason de tribu Iuda, non autem de tribu Leui: iam tum prouidente Domino, vt tribus Regia & Sacerdotalis in mysterium iungerentur. Quoniam Christus Dominus, verus Rex & Sacerdos, ex vtraque coniuncta nasciturus erat. Vnde beatissimæ Virginis cognata erat Elizabeth de filiabus Aaron. Nondum autem erat à Deo lata lex de accipienda vxore ex eadem tribu, ne possessiones confunderentur: quæ tamen Leuitas non attigit; quippe qui per omnes tribus dispersi erant, nec proprias, vt cæteri, possessiones habebant.

c Exod. 6.23.

& affinitas cum tribu Iuda.

ANNVS MVNDI 2506.

MOSIS 43. AARONIS 46.

SPARETI 11. Imperij Assyr. 575.

ORI 38. & vlt.

ANTE CHRISTVM 1547.

I. Ori Ægyptij regis obitus.

ORus Ægypti rex hoc anno regnandi vi-uendique finem fecit. Quo fere tempore Chenephres Ægypti regulus, qui, vt scribit Artapanus d apud Eusebium, Israelitas vexauerat, sub hoc ipsum tempus, puta fugæ Mosis ex Ægypto, & eius in Madianitide coniugij. Chenephres inquā primus omniū mortalium elephantia perijt; eo quod iussisset Iudæos sindones indui, lanea vestis vsu prohibito, quò facilius in eos, hoc à cæteris cultu distinctos, sæuire posset: qui scilicet passim sub vestium

d de Præp. l. 9. c. 27. p. 414. Gra. Lat.

simili-

similitudine antelatebant. Cæterum etsi mens regis huius hac in re mala fuerit, res tamẽ ipsa in huiusmodi hominibus damnari non potest, quam multis in locis à Christianis Principibus prudenter vsurpari cernimus: siue vt signo quasi Caines notati confundantur, & resipiscant; siue vt ne eorum blasphemiæ, quas scelesti in Christum Dominum continenter euomunt, aliaque peccata, Christianis, apud quos viuunt, tribuantur: siue vt, tanquam periculosi religioni ac bonis moribus; à fidelibus agnosci possint, ac vitari. Quæ rationes, aliæque id genus, vt in hæreticis quoque valent, ita vbi illi tolerantur, merito vsurpari possent.

II. Ortus Caleb.

Cadit etiam in hunc annum ortus Calebi viri egregij, & Iosue in exploranda Chananitide socij, nec semel in Scriptura commendati; in hunc, inquam, annum cadit. Si enim 40. erat annorum, quando misit eum Moses de Cadesbarne, vt consideraret terram, vt ipsemet apud Iosue testatur *e*, qui fuit annus secundus ab exitu Israelitarum ex Ægypto, & Mosis 82. vt suo loco patebit, certe hinc ad illam legationem anni 40. numerantur.

e c.14.7.

ANNVS MVNDI 2507.

MOSIS 44. AARONIS 47.

SPARETI 12. Imperij Assyr. 576.

ACENCHRIS 1.

ANTE CHRISTVM 1546.

I Acenchris regina.

ORI in Ægypto successor nobis negotium facessit. Nam qui vulgo rex creditur, à Iosepho lib. 1. contra Apionem Regina, vtpote Ori filia traditur, eique regni anni duodecim, vnusque insuper mensis attribuuntur. Nec repugnat Eusebius, nisi quod mensem istum missum fecit. Verum cum admodum perturbata sit Ægyptiorum regum series, neque ijdem in Iosephó, Africano, Eusebio reperiantur, neque par in singulis annorum numerus, vt in primo anno Amenophis demonstratum est *f*, neminem habemus Eusebio certiorem ducem, quem deinceps passim omnes in re chronologica sunt secuti. Itaque eum sequemur vt cœpimus, donec nos ab eo certa ratio, aut Scripturæ authoritas abducat.

f a. m. 2438.

2508.

II. Pseudoprophetæ in Ægypto.

Anno sequenti, qui fuit Mundi 2508. ab obitu Iacobi patriarchæ 163. Iosephi autem 110. scribit Rabbi Abraham in Cabbala historica, prodijsse in Ægypto Pseudoprophetas, ex filijs Ephraim & Gaalad, & seduxisse Israelitas. & interfectos esse. Addit que Genebrardus ex eadem secta videri Iannem illum & Mambrem *g*, qui Paulo Apostolo teste, Mosi in Ægypto restitere. Sed illud incredibilius, quod idem è Thalmudica mendaciorum officina refert, Hebræos vniuersè religionem auitam, ex Ægyptiorũ conturbernio dedidicisse: solam stirpem Leui eam studiosè retinuisse. Non potuit hic Leuita laudare tribum suam, nisi cum insigni mendacio & cõtumelia totius gentis suæ. Quis enim id illi de Iosue Ephraimita, nisi magna cum temeritate concesserit? quis de alijs plurimis, qui tum erant in viuis, de quibus omnibus temere iste, & sine vlla probatione pronunciat.

g 2. Tim. 3. 8.

ANNVS MVNDI 2514.

MOSIS 50. AARONIS 54.

SPARETI 19. Imperij Assyr. 583.

A CENCHRIS 8.

ANTE CHRISTVM 1539.

I. Ortus Naasson.

NOn paucos deinceps transcurremus annos inanes scriptorum inopia, donec ad exitum ex Ægypto peruenerimus, quod intra annos triginta continget. Refert in hunc annum Torniellus Naasonis filij Aminadab natiuitatem, vt is in exitu eà sit ætate, quæ principi præcipuæ & maximæ tribus conueniat, & decorè Mosi, & Aaroni in ea recensenda iungatur, quæ erit 30. circiter annorum.

An pastoritia regni præludium.

His interim annis præerat Moses gregibus Raguelis, & suis & alienis ignotus, ad principatum sese præparans, vt Philoni placet, qui artem pastoralem idoneum ad regnum præludium esse arbitratur. Super qua re nostram si placet velitationem in nostris Annalibus hoc ipso anno leges, quam spero, vel ipsa breuitate, placituram

II. Moses in solitudine philosophatur.

Quid rerum autem Moses in solitudine ageret, non difficile est intelligere, Eusebius certe, ac Basilius *b*, & ille ipse pastoritiæ vitæ patronus Philo, cum ibi philosophatum scribunt. Pererius existimat in illo otio Mosem scripsisse librum Geneseos, & item librum Iob, vt Hebræos asperrima seruitute vexatos, dupliciter consolaretur, & confirmaret, tum exemplo patientiæ Iob, & secutæ felicitatis eius, tum exemplis maiorum suorum Abraham, Isaac & Iacob; reuocandisque in memoriam promissis Dei, de ipsis seruitute liberandis, & introducendis in terram Chanaan ipsis promissam. Sic ipse. Conuenit vtique tempori, ac diuturno otio coniectura. Non desunt tamen, qui post exitum ex Ægypto scriptam à Mose Genesim putent, cum cæteris libris, & quidem in Cadesbarne, vbi multo tempore populus vniuersus consedit. At multa deinceps facta sunt *c*, quæ libris Mosaicis continentur, cum illa mansio fuerit decima quinta dũtaxat, & omnino numerentur 42. Quod si apparitio Domini in Rubo initium fuit reuelationum diuinarum, quæ Mosi factæ sunt, & illa octogesimo eius anno contigerit, vt dicetur, non potuit hoc tempore scripsisse Genesim, quam discere sine diuina reuelatione non potuit. De libro porro Iobi, communior est sententia, Iobum ipsum libri Autorem esse *d*, Mosem autem interpretem.

Au scripserit Genesim.

b Vide Ann. in an. Mosis 40.

c Vide indicem l. 1. voce Mansio & an. Mosis 81. n. 198.

d a. m. 1598. n. 1.

(*.*)

ANNVS MVNDI 2518.

MOSIS 55. AARONIS 58.

SPARETI 23. Imperij Aſſyr. 587.

ACENCHRIS 12. & vlt.

ANTE CHRISTVM 1535.

I. Obitus Acechris

DVodecimus atque vltimus eſt hic annus Acenchris filiæ Regis Ori, vt Ioſepho & Manethoni placet, cui ſucceſſit frater eius Rhatotis ad annos nouem. Forſan deiecit hic è regno ſororem, quod ab eadem recuperatum fuerit poſt annos nouem, & rurſum adminiſtratum annis duodecim, & menſibus quinque; & inde regnarit alius mulieri cognominis, annis duodecim & menſibus tribus. Sed hæc valde incerta ſunt, imo falſa; non enim congruere poſſunt cum Moſaica hiſtoria, quæ Regem Ægypti vndis obruit in exitu Hebræorum, qui 25. tantum annis abeſt, non triginta tribus & amplius, quos illi tres principes capiunt.

9. 12. 5. 14. 3. 33. 8.

II. Achoris ſiue Rathotis rex Ægypti

Anno ergo ſequenti, qui fuit Mundi 2519. Rex Ægypti factus eſt Achoris, vt habet Euſebius in Chronico, apud quem etiam legitur in Græco Athoris, quod fortaſſis eſt rectius; propius enim abeſt à Rathoris, ſeu potius Rathotis Ioſephi, & à Raths Africani. Regnum autem tenuit ad annos nouem, vt placet Ioſepho, Manethoni & Euſebio, qui regis huius primo anno initium regni Decalionis ponit.

ANNVS MVNDI 2522.

MOSIS 59. AARONIS 62.

SPARETI 27. Imperij Aſſyr. 591.

ACHORIS 4.

ANTE CHRISTVM 1531.

Mors Amrami.

MOritur hoc anno Amramus Moſis & Aaronis pater, cum annum vitæ ageret 137. vt Scriptura *e* teſtatur, qui anni ex Moſis 59. & 78. patris, cum illum genuit, conflantur.

e Exo 6. 20

& Iocha-betha.

Quando porro Iochabetha eius vxor Moſis mater obierit, incompertum eſt. Laudat vtriuſque egregiam fidem Apoſtolus *f*, quod ea confirmati filium ſuum occultarint, neglecto Regis edicto: perſuaſi infantulum à diuina prouidentia conſeruatum iri, iuxta vaticinium de ipſo editum. Quin etiam eximiam vtriuſq; induſtriam prædicatione dignam duxerim, qua factum arbitror, vt à matre educationem primam, à patre inſtitutionem puerilem ſit conſecutus, vt ſuo loco explicatum eſt.

f Hebr. 11. 23

ANNVS MVNDI 2527.

MOSIS 64. AARONIS 67.

SPARETI 32. Imperij Aſſyr. 596.

ACHORIS 9. & vlt.

ANTE CHRISTVM 1526.

I. Alter Iobi ſæcularis annus

ILluxit iterum ſanctiſſimo Iobo ſæcularis annus, dum diuina bonitas ei cumulate rependit fœlices annos, pro ijs quibus viderat mala: annos quibus continenter implebantur areæ frumento, & vino atque oleo torcularia redundabant, dum reddit illi annos cum ingenti fœnore, quos ei ingenioſa dæmonis inuidia corruperat.

Obitus Achoris.

Eſt autem hic annus vltimus regni Achoris, ſiue Rathotis, vt ſupra ſignificatum eſt, vtrum autem etiam vitæ, non liquet.

2528. Cenchris regnum.

Anno deinceps ſequenti, qui eſt Mundi 2528 Euſebius Ægypto præficit Chenchrem, alijs Cenchrem, cui dat ſedecim regni annos; additurq; in Latinis codicibus, ex Hieronymo, vt apparet: *Iſte eſt Pharao Chencres, qui contradixit per Moyſen Deo, atque in mari rubro obrutus eſt.* In priore tamen Euſebij libro, quem Scaliger edidit, hæc leguntur: *Vndecimus* (videlicet Dynaſtæ Dioſpolitanorum, in qua numerat ſedecim reges) *Chencheres annis ſedecim regnauit, Huius tempore Moyſes Iudæos ex Ægypto abductos deduxit.* Isq; fuit Cecropis 45.

ANNVS MVNDI 2530.

MOSIS 67. AARONIS 70.

SPARETI 35. Imperij Aſſyr. 599.

CENCHRIS 3.

ANTE CHRISTVM 1523.

I. Deucalionis diluuium.

DEucalionæum Diluuium hiſtorijs, poëtarumq; fabulis celebratum, anno Cecropis 33. qui eſt Moſis 67. ab Euſebio poſitum eſt: & à S. Cyrillo l. 1. contra Iulianum, adiuncta deflagratione Phaëthontis: vtramque enim cladem, Euſebium imitatus, coniunxit, ſicut & Clemens Alexandrinus, & Paulus Oroſius. Coniuncta enim fuiſſe ipſæ Hygini & Arati fabulæ docent. Aiunt enim immiſſum à Ioue diluuium, ad reſtinguendum incendium à Phaëtonte excitatum: & in eodem pleraque ad imitationem Noetici diluuij adumbrarunt, à quo octingenti iam & 74. anni abierant. Diſtat autem ab Ogygæo, quod anno mundi 2258 collocauimus, 272. annis.

Lactant.

II. Mors Spareti. Regnum Aſcatadis

Quinquennio poſt, qui fuit annus Mundi 2535. mortuus eſt Sparetus Rex Aſſyriorum, expletis 40. regni annis, cui proximo anno ſucceſſit Aſcatades, qui eſt à Belo decimus ſeptimus. Euſebio, qui Belum omiſit, 16.

Seruitutis, p. & vlt.

ANNVS MVNDI 2538.

MOSIS 75. AARONIS 78.

ASCATADIS 3. Imperij Assyr. 607.

CENCHRIS 11.

ANTE CHRISTVM 1515.

I. Ort° filiorũ Moysi.

VLtimis hisce annis pastoritiæ vitæ Mosis nati sunt ei filij duo, Gersam & Eliezer, ex Sephora Madianitide filia Raguelis. Vltimis, inquam, hisce annis, quod ex eo constat, quoniam ambo, vt supra dicebamus *a*, super asinum imponuntur, dum Moses reuertitur in Ægyptum, vtpote qui tanquam paruuli ambulare nequeant, vt pleriq; notarunt. Nec viri aut iuuenes dicuntur imponi super equos aut asinos, sed ascendere & equitare. Quin & Septuag. eos vocant παιδία, id est infantes & parvulos. Et D. August. *b* eos vocat infantes, & vehiculis impositos dicit, & mox Sephoram ad patrem reuersam cum paruulis. Accedit quod Eliezer alter filiorum circumcisus nondum erat, cum cœpit Moses proficisci in Ægyptum, & in itinere à matre circumcisus est. Nullo enim modo credendum est, Mosem diuinum de circumcisione mandatum, in tanto otio plures annos neglexisse. Priori nomen indidit, in memoriam peregrinationis suæ, posteriori, in gratiarum actionem diuinæ erga se beneficentiæ.

a an. Mosi 41.

b q. 11. in Exod.

II. Institutio Areopagi & ratio nominis.

Anno sequenti, qui est Ascatadis quartus, & Mosis septuagesimus sextus, in Græco Eusebij Chronico legitur, Areopagus nomen accepit, & iudiciorum locus constitutus est. Quod tamen M. Tullius, & alij Soloni tribuunt, qui prioris Cyri temporibus nongentis & 50. ab hinc annis vixit. Respondet Aristoteles *c* nonnulla duntaxat à Solone in eo Senatu fuisse immutata. De nomine autem ipso ipsiusq; nominis causa non modica controuersia est. Nam aliqui vicum Martis appellant, alij pagum, collem alij, vel saxum Martis appellant, quæ conciliari hoc modo possunt *d*. Existimo primum saxeo illi colli natiuum nomen τῷ πάγῳ fuisse tributum, deinde habito ibi de Marte iudicio, dictum Areopagum, indeq; locum venerationi habitum, vt religiosum, & Deorum consilio consecratum: ideoq; ibi ædificatum templum, in quo causæ capitales agerentur, quod à Iuuenale *Curia Martis* appellatur. Credibile est deinceps vicina circumquaque loca priuatis iudicum ædibus exædificata, factumq; vicum, aut vrbis regionem, quæ tota Areopagus diceretur. Quoniam vero vicus Latinis etiam pagus dicitur, inde factum vt Martius vicus, etiam Martius pagus diceretur, vocabulo ex Græco & Latino confecto, cum aliud sit πάγος apud Græcos, aliud κώμη: & Latina vox pagus, non à Græca πάγος, quæ collem significat, sed à πηγὴ, seu fonte, dorica dialecto deriuetur, quod circa fontes pagi & villæ constituantur.

c Arist. πῶς γὰρ ἐκλείπει ἡ, ἑξακισχίλιοι καὶ ἐνενήκοντα ἔτη κατὰ τὸν Εὐδοξον ἐν τῷ α. de Rep. c. 12.

d vide an. m. 3460. p.

ANNVS MVNDI 2543.

MOSIS 80. AARONIS 83.

ASCATADIS 8. Imperij Assyr. 612.

CENCHRIS 16.

ANTE CHRISTVM 1510.

I. Prolusio in annum Mosis 80

CLarissimus, longeq; celeberrimus illuxescit annus, qui durissimam Hebraici populi seruitutem complet & terminat, vtpote quadringentesimus ac trigesimus à diuina promissione facta magno Patriarchæ. Hic est annus, quo Ægyptus Israelitarum nouerca non mater, eos ex vtero suo gemens atque vlulans, & tantum non moriens profudit, & multo cum sanguine & cruciatu abiecit in desertum. Hic est annus, cuius initium montani rubi ardore mirabili coruscans, media, extremaq; omnibus propemodum calamitatum generibus, decem plagis comprehensis, affectum iri prænunciabat. Hic est annus retributionis Domini in crudeles Ægyptios, quo multiplicibus attriti sunt cladibus, sicut innocentes Israelitas diu attriuerant: quo omnia propemodum rerum creatarum genera, in suam perniciem armata senserunt, qui populum omnium creatori Deo seruientem perdere, funditusque delere conati sunt. Sed prolusum iam satis, ad rem ipsam aggrediamur, si prius pauca quædam, quæ ad rationem temporis pertinent, exposuerimus, vberiore tractatione ad Annales reiecta.

II. Ratio téporis firmatur. *e* Gal. 3. 17 *f* Exod. 12. 40

Dicimus itaque hoc anno absolui & expleri quadringentos illos & 30. annos, quos Moses vocat, non promissionis vt Apostolus *e*, sed habitationis Israelitarum in Ægypto. Sic enim habet *f*. *Habitatio autem filiorum Israel, qua manserunt in Ægypto, fuit* 430. *annorum, quibus expletis eadem die egressus est omnis exercitus Domini, de terra Ægypti.* Quæ verba Iosephus *g* interpretans initium horum annorum, non à descensu Iacobi in Ægyptum, sed à migratione Abrahami in Chananitidem inchoat. *Reliquerunt*, inquit, *Ægyptum mense Xanthico, Luna* 15. *anno* 430. *postquam Abraham pater noster in Chananæam venit, & post Iacobi migrationem in Ægyptum anno* 215. *Moses vero annum agebat octogesimum, & frater eius Aaron triennio erat maior.* Sic ipse. Quibus Chronologia nostra exacte respondet, etiam de ducentis & 15. annis moræ in Ægypto; quam ille præcedenti capite voluerat esse quadringentorum annorum, male intellecto loco Geneseos *a*, *Scito prænoscens, quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, & subjcient eos seruituti, & affligent quadringentis annis.* Quod tempus tam peregrinationem, quam seruitutem comprehendit, interprete Augustino *h*, & Septuaginta *i* Interpretibus, ducto initio à vocatione Abrahæ, cum 75. esset annorum. Itaque Eusebius vocat hunc annum eius 505. qui idem est 405. ab ortu Isaac, qui à centenario patre ortus est, & vigesimo quinto à vocatione eius.

Anni Promissionis *g* l. 2 Ant. c. 6.

& mora in Ægypto.

a c. 15. 13.

h in 4. q. 47 in Exo. *i* Exod. 12.

Quod

II. Esse hũc annũ Mosis 80. incuntem.

Quod attinet ad annos Mosis, dicimus annum eius octogesimum sumendum esse currentem, non expletum, sic vt anni 40. deserti, ab octogesimo primo inchoentur. Et quamuis fieri vtcunque possit, vt plagæ Ægyptiacæ, & egressio ex Ægypto in vnum & eundem annum cadant, qui sit primus commorationis in deserto, videtur tamen longè probabilius, vt vnus circiter annus hisce decem plagis tribuatur, qui sit vltimus quadringentorum, & 30. annorum Promissionis, siue Mosis octogesimus, ex parte tamen redundet in principium sequentis anni, habita ratione annorum Iulianorum. Ita sentiunt Hebræi in Seder Holam *d*, vbi aiunt toris septem diebus Deum locutum cũ Mose in rubo, septimum autem incidisse in 15. Nisan, siue Martij, quo tempore aiunt, anno proxime sequenti egressi sunt Israelitæ de Ægypto. Et rursum: *Percussi sunt vicissim Ægyptij decem plagis per duodecim menses.* Sic illi. Quod sentiunt quoque Genebrardus, Caietanus, Dionysius Carthus. *e*, Serarius in Iosue *f*, Comestor cap. 19. in Exodum, vbi de occisis animalibus agens, ait fortasse has plagas multo tempore contigisse, vt interim animalia potuerint aliunde aduehi. S. Prosper ait tertiam plagam sciniphum media æstate Ægyptios morsu pestifero infestasse, & Iosephus *h* grandinem in ver adultum incidisse, quod supponit annuum circiter harum plagarum tempus.

Quandiu Ægypti plagæ duraverint. *d* c. 3. & 5.

e in c. 9 Exo. c. 4. 9. 1.

f 1. p. c. 36

g 2. Ant. c. 5

III. Probatur duravisse annum.

Et reuera difficile est intelligere, qui omnes equi, asini, cameli & boues, qui erant in agris Ægypti, peste consumpti essent, vt Exodi 9. scriptum est, & tamen post paucos dies sexcenti iungerentur currus, & tanta equitum copia armaretur, quæ formidabilis esset sexcentis millibus bellatorum. Quin etiam affliguntur vlceribus, & vesicis turgentibus postero die homines & iumenta, quæ pesti superfuerant, & rursum sequenti die magna ex parte grandine pereunt: nonne necesse est inter istas plagas, multos non solum dies, sed hebdomadas etiam, mensesq; intercessisse, vt curari vulnera, & aliunde comparari iumenta possent? Vnde constat, vnico die ranas Ægyptijs fuisse molestas, vnico die congregatas in immensos aggeres, & inde terram computruisse? vnico die locustas ita deuorasse omnia, vt nihil omnino virens in vniuersa Ægypto relinqueretur? Præsertim cum diuturnitas plagæ valde pertineat, vel ad grauius affligendum, vel ad pertinaciam edomandam. Denique, vt alias coniecturas omittam, sublatis singulis plagis, & data requie, quamdiu dissimulasse Pharaonem, quamdiu tergiuersatum fuisse putemus, metu alterius plagæ, quam sæpe causas morandi texuisse, vt solent qui aliquid neque negare audent, neque volunt concedere.

IV. Nõ repugnat sententiæ nostræ S. Lucas. *i* 1. 23. & 39

Hinc ergo deducimus, annum Mosis octogesimum non fuisse expletum, cum is adijt Pharaonem, sed inchoatum duntaxat, quo anno magna pars plagarum afflixit Ægyptios, postremis in sequentis initia dilatis. Neque pugnat nobiscum S. Lucas *i* Actorum 7. cum ait Moysem, cum impleretur ei 40. annorum tempus, adijsse fratres, & fugisse in Madianitidem; & expletis ibi alijs 40. annis, apparuisse illi Angelum in monte Sina, in rubo ardenti. Non pugnat, inquam, nobiscum. Idem enim est expletis annis, ac dum explerentur. Explentur autem 40. anni ab ipso initio quadragesimi, decursis iam 39. Et hæc est phrasis huius Euangelistæ; Cum enim ait *k*: *Et postquam consummati sunt dies octo, vt circumcideretur puer*, non significat eum circumcisum die nono, absoluto die octauo, sed cum consummaretur, ac perficeretur illud octiduum, & ipse dies octauus aduenisset. Et rursum idem Lucas paulo post: *Postquam l impleti sunt dies purgationis Mariæ*, id est dum implerentur, ipso quadragesimo die, non autem eo elapso. Sic cum ait *m*: *Cum complerentur dies Pentecostes*, non significat finem diei quinquagesimi, sed initium, & horam diei tertiam. Pari modo expleti anni 40. dicuntur, toto illo anno quadragesimo, quo explentur, non initio quadragesimi primi. Sed de his satis.

k Luc 2. 21

l v. 22.

m Act. 2. 1 15.

V. Causæ apparitionis, & legationis.

Deinceps igitur ad octogesimi huius anni Mosis initia regrediamur, & Mosen à diuina in monte Sina visione in Ægyptum secuti, officiose apud Pharaonem assectemur, nec ab eo vllo calamitatum metu digrediamur. Dominus enim cum ipso est, nec fidelem legatum, eiusve socios, barbari regis furori permittet.

Huius apparitionis ac legationis causam quasi excitantem ponit Moses *n* clamorem Israelitarum, quo Dominus ad commiserationem flexus, suscitauit eis Saluatorem. Vt sæpius deinceps Iudicum temporibus. Altera causa legationis est, quod adesset tempus implendi promissa sanctis Patriarchis *o*. Vidit nimirum quadringentos illos annos, quibus peregrinari oportebat, & affligi semen Abrahæ, esse in exitu: adesse tempus Iudicij & animaduersionis in gentem cui seruierant, & reddendæ mercedis populo, qui tam diuturnam seruierat, tamq; inhumanam seruitutem. Denique, peculiarem sibi populum, semen amicorum suorum Patriarcharum segregatum habere voluit à peccatoribus Ægyptijs, erga quem eximiæ beneuolentiæ, atque singularis prouidentiæ argumenta semper extarent: quod maxime in educendo populo ex Ægypto, in deducendo per Arabiæ solitudines, & introducendo in Chananitidem, patefactum est: & deinceps in gubernando, aduersis vicissim ac prosperis intermixtis, prout eorum culpæ, aut pœnitentia exigebat.

n Exo 2. 23 & c. 3. 7. Gen. 15. 13. 18.

o Deut. 7. 6. 7. 8.

VI. Eiusdem locus.

Iam quod ad locum apparitionis huius, eam cõtigisse constat in interiore deserto ad montem Dei Horeb; id enim diserte affirmat Moyses *p*. Meminit etiam deserti S. Stephanus *q*, sed montem vocat Sina, sicut & Paulus Apostolus *r*, & Moses ipse pluribus locis. Hieron. in locis Hebraicis, ait duobus nominibus eundem montem dici, quod scilicet duplici iugo separetur, quorum inferius dicatur Horeb, superius autem Sina; idq; Iosephus *s* innuit, cum ait montem Sina omnium esse in ea regione celsissimum, illi ergo cedebat Horeb, vt humilior, ita pascuis lætior, eoq; gregem duxerat Moses. Vocatur autem mons Dei, siue

p Exo. 3. 1

q Act. 7. 30. & 38.

r Gal. 4. 24. 25.

Vt differant Sina & Horeb.

s Ant. c 5

quod esset ab antiquo religiosus, vt Iosepho placet; vel potius per occupationem ita dictus est, propter admiranda, quæ Deus ibi mox dicturus erat atque facturus: nullo enim ante hoc tempus diuino mysterio nobilitatus fuerat, vt Moria Abrahæ sacrificio, aut Bethel visione Iacobi. Itaque propter diuinam præsentiam, sese tunc singulari modo conspicuam exhibentem, mons Horeb, mons Dei & terra sancta dicta est.

VII. Apparitio Dñi.

Apparuit itaque Mosi *a Dominus in flamma ignis de medio rubi, & videbat quod rubus arderet, & non combureretur. Dixit ergo Moyses, vadam, & videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus.* Vides non temere irruentem, sed deliberantem apud se, & visionem religiose admirantem, nedum contemnentem; neque mox reprehensa est eius audacia a Domino, vt ait Iosephus *b*; sed monitus est ipse simpliciter de religione loci, & honore illi debito, ob Dei præsentiam. Etsi autem Dominus apparuisse dicitur, & plerique antiquorum eum Filium Dei fuisse putent; certum tamen est eum fuisse Angelum, Dei vices gerentem, vt est in Hebræo Græcoque textu, & Chaldæa paraphrasi, vtque intellexit D. Stephanus *c*, qui cum Angelum vocat, & nihilominus eius vocem, Domini appellat vocem. Cui Philo formam aspectabilem non recte attribuit. Neque enim magis formauit Angelus simulachrum aliquod, quam postea cum toto populo audiente locutus est. Et tamen *non vidistis*, inquit Moses *d*, *aliquam similitudinem in die, qua locutus est vobis Dominus in Horeb, de medio ignis, ne forte decepti facietis vobis sculptam similitudinem aut imaginem*, &c. Ita Legislator.

a Exod. 3. 2. 3

b Ant. c. 5

Id est Angeli eius vicarij.

c Act. 7. 32 38.

d Deut. 4. 16

VIII. Eumq; videri Michaelem.

Probabile autem est, hunc Angelum, qui Dei maiestatem repræsentabat, & non suo, sed eius nomine loquebatur, fuisse Archangelum Michaelem, qui nunc in rubo, postea in monte Sina Mosi apparuit; & deinde Iosue successori eius, cum introducturus esset Hebræum populum in promissam terram. Nimirum quia hæ apparitiones, non priuatim ad illas tantum personas pertinebant, sed ad vniuersum Hebraicum populum, qui tum erat Ecclesia Dei, cuius cura primaria Michaëli Archangelo demandata semper fuit. Vnde is dicitur apud Danielem *e* stare pro filijs Hebraici populi. Et nunc de eo canit Ecclesia: *Archangele Michael, constitute principem super omnes animas suscipiendas.* Fuisse porro verum & germanum in hoc Mosaico rubo ignem, non speciem ignis, qualis in ea columna, quæ noctu super Israelitarum castra apparebat, minime dubitandum est. Ardebat quippe, sed consumentem eius actionem in illud arbustum prohibebat Deus; sicut in fornace Babylonica, ne exureret socios Danielis.

e c. 12. 1.

ver. Ignis in rubo.

IX. Moses mutatur, & adire eo gitat.

Moses, tam insolito prodigio excitatus, *Vadam & videbo*, inquit, *visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus.* Non miratur ardere rubum: facile quippe suspicari potuit a pastore aliquo, positas ibi prunas flammam in arida materia concepisse, sed miratur non consumi ardendo; quod ostendit Mosem aliquantisper hoc spectaculum contemplatum esse, moxq; adire parantem audisse iterato se vocari, monerique de loci sanctitate propter diuinam præsentiam, quæ non solum in cœlo, sed in rubo sterili veneratione digna sit, & calceamentorum depositione prodatur. Quæ erat cæremonia illis populis vsitata, eiusq; vestigium extat in Sacerdotibus Dagonis, non calcantibus limen, in quo iacuisset Deus eorum capite manibusq; truncatis. Et nunc quoq; Saraceni, non nisi depositis ad fores calceis adeunt fana sua. Hac denunciatione Moses factus attentior & in Deum locumq; ipsum religiosior, cum horrore quodam audit: *Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac & Deus Iacob. Abscondit* quippe *faciem suam*, veritus aspicere contra Deum. Quem postea eodem in loco religiose imitatus Elias *f*, audito sibilo auræ tenuis, operuit vultum suum pallio. Illos autem Patriarchas non tantum propter eximiam sanctitatem nominauit, sed vel maxime, quia illis terram Chanaan promiserat, quam nunc tradere eorum posteris Mose ductore statuebat, simulq; se promissionis obligatione liberare.

Docetur de religione loci ob Dei præsentiam.

f 3 Reg. 19. 13

X. Deus cauſam aperit euocati Mosis.

Hoc quasi exordio vsus Dominus, rem ipsam aperit *g*: *Vidi*, inquit, *afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem eius audiui, propter duriciem eorum qui præsunt operibus, & scio dolorem eius descendi, vt liberem eum de manibus Ægyptiorum.* De hac seruitia præpositorum operibus, quæ præ cæteris omnibus malis, quibus Hebræi in Ægypto premebantur, singularis erat causa querelarum, & ex qua maxime seruitutis acerbitas dependebat, diximus superius in ipso aditu seruitutis. Isti autem duriciei suam opponit lenitatem, & in filios amicorum suorum philantropiam, quos liberare velit a dira populi barbari tyrannide: & eductos ex angustijs terræ Gessen, collocare in terra tam bona, vt lacte & melle fluere videatur; tam spatiosa, vt ea sex populi facile capiantur, Chananæi, Hethæi, Amorrhæi, Pherezæi, Heuæi & Iebuzæi. Eam tamen totam permodicis terminis circumscribi. Author est eiusdem inhabitator Hieronymus *h*, qui ait, illam a Dan vsque Berlabee, vix 160. passuum millibus in longum tendi, id est, leucis Gallicis fere quinquaginta, vel 70. vt placet Adrichomio, qui latitudinem a Ioppe vsque ad Medaba, quæ iuxta in extrema tribu Ruben, viginti quinque vnius horæ milliaribus definit.

g Exod. 3. 7

Angustiæ terræ sanctæ.

h Epist. ad Dardanü

XI. Eumq; legatum instituit ad Pharaonem.

Descendit ergo Dominus, vt liberet populum suum. Sed per quem? non enim sua ipsius manu tyrannum frangere atque eliminare statuit, sed per inermem vnius pastoris manum, a quo multiplici verbere fatigatus, & subiecto populo spoliatus, mannis denique fluctibus obruatur. *Veni*, inquit, *& mittam te ad Pharaonem, vt educas populum meum, filios Israel de Ægypto.* Auxilium autem suum pollicetur hoc ipso, quod se descendisse ait ad liberandum populum. Vterque igitur erit populi liberator, Deus inquam & Moses. Ille vt causa princeps atque primaria, iste tanquam instrumentum;

V. to.

ille

ille quam maxime agens, atque in opus influens; hic vicariam adhibens atque administram manum.

XII. Eiusdem prima ex animi demissione cunctatio.

Sed is primum ex animi demissione cunctatur: *Quis sum*, inquit, *ego, vt vadam ad Pharaonem, & educam filios Israel de Ægypto?* Quasi dicat, magnum est negotium, & meis viribus longe impar, legatione fungi ad tantum Regem, & quidem in causa odiosissima. Nec minus arduum innumerabilem multitudinem ferocis Tyranni manibus ereptum, in longinquam regionem traducere, in qua deinde tot populi debellandi. Dominus autem volens animosum reddere legatum suum: *Ego*, inquit, *ero tecum*, nihil vt tibi virium, aut sapientiæ, aut eloquentiæ, aut gratiæ cuiusquam, ad bene fungendum hoc munus, deesse possit. a *Et hoc habebis signum quod miserim te, cum eduxeris populum meum de AEgypto, immolabis Deo super montem istum.* Promittit effectum liberationis populi certo futurum, idque confirmat ex altero posteriore euentu futuro, sacrificio videlicet in gratiarum actionem Deo ibidem offerendo. Quasi dicat, non solum perficies quod dico, sed redux & incolumis de re perfecta mihi gratias ages.

a v.12.

XIII. Altera cũctatio ex parte populi.

Iam satisfactum erat Mosi circa primam cunctationis causam, ex propria infirmitate profectam; alteram nunc affert ex parte populi, ad quem liberandum mittitur, qui minime crediturus sit Mosem à Deo ad se missum, quem ne de nomine quidem norit. Respondet Dominus ad vtrumque; nam & nomen suum illum docet, & spondet fore vt populus sit illi fidem habiturus: imo etiam cum eo Regem Pharaonem aditurus. *Et audient*, inquit b, *vocem tuam, ingredierisq; tu & seniores Israel ad Regem AEgypti*, &c. De nomine autem ita respondet: *Ego sum qui sum; sic dices filiis Israel: Qui est, misit me ad vos.* Quasi dicat; ille qui solus est ens necessarium, ens independens, ens infinitum, ens omnium perfectionum abyssus ac pelagus immensum, à quo cœlum omne ac natura dependet. Quamuis autem diuinum esse atque existere omnem temporis rationem transcendat, omni tamen tempori aut durationi, quæ cogitatione fingi potest, æque respondet. Itaque Ioannes c salutem precatur fidelibus, ab eo qui est, qui erat, & qui venturus, seu futurus est. Cui ipsum esse perfectissimum atque absolutissimum, ab omni retro æternitate competit, cuius summa est, & immutabilis essendi constantia; qui denique ita nunc actu est, vt eodem modo perpetuo sit futurus.

b v.18.

Maxime proprium Dei nomen.

c Apoc.1.8 & 4.8.

XIV. Alterum Dei nomen.

Non contentus autem Dominus prius illud maiestatis nomen expressisse, addit alterum benevolentiæ, quod à rudi populo facile capi, & libenter audiri possit, cum se Deum Patriarcharum vocat. Sed vt totum hoc negotium verecundanti ac fugitanti Mosi Deus facile reddat & expeditum, etiam verba ipsa suggerit, quibus & ad seniores populi sui, & ad Regem Ægypti vtatur. Et ad optimates quidem congregatos hæc dici mandat: *Dominus Deus patrum vestrorum apparuit mihi, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob, dicens: Visitans visitaui vos, & vidi omnia quæ acciderunt vobis in AEgypto, & dixi vt educam vos de afflictione AEgypti, in terram Chananæi*, &c. Ad Regem autem ipsum hac oratione vti vult: *Dominus Deus Hebræorum vocauit nos, ibimus viam trium dierum in solitudinem, vt immolemus Domino Deo nostro.* Neque tamen negat vlteriorem viam, neque reuersionem pollicetur. Et cum Pharao ea dare dubitaret d, nihil respondit Moses: nimirum mentiri nunquam licet, tacere veritatem aliquando licet. Tanto quoque iustior Dei in Pharaonem animaduersio apparet, tantoq; maior illius pertinacia, quo minora ab eo, ac faciliora petebantur. Si enim aperte peterent quod volebant obtinere, tanti videlicet populi migrationem, ex qua magna pars reditum regiorum pendebat, iusta negatio videri poterat, & iniusta postulatio atque punitio.

Seruitutis vlt.

Quõ Molestridũ petiturus sit ad sacrificãdũ d Exo 8.27

XV. Pharaonẽ nisi coactũ non cessurum e Exod.3. 19.11.

Quoniam vero Moses quærere à Domino poterat, quid facto esset opus, si ille, vt credibile erat, diuinis nollet obtemperare mandatis, occurrit Dominus quæstioni, dicens: e *Sed ego scio, quod non dimittet vos Rex AEgypti, vt eatis, nisi per manum validam*, id est valida vi coactum. *Extendam enim manum meam, & percutiam AEgyptum in cunctis mirabilibus meis, quæ facturus sum in medio eorum, post hæc dimittet vos.* Et ne forte diceret, se rerum omnium inopes abituros, quoniam in Ægypto fuerant à Tyrannis omnibus bonis euersi, & ex infinito labore lateritio, plagis duntaxat & ærumnis aucti. *Dabo gratiam*, ait Dominus, *populo huic coram AEgyptiis, & cum egrediemini, non exibitis vacui. Sed postulabit mulier à vicina sua, & ab hospita sua vasa argentea & aurea, ac vestes, ponetisq; eas super filios ac filias vestras, & spoliabitis AEgyptum.* Et quidem sine vlla iniustitia, siue quia hæc illis laborum merces debebatur f, siue quia acquisitos ibi agros domosq; dimittebant; siue quia *Domini est terra & plenitudo eius*, vt ea cui libuerit, dare possit.

Hebræos spoliaturos Ægyptum.

f vide a.m. 2451.m.10

Nondum factum erat Mosi satis. Quamuis enim perspicue Dominus omnes illi aditus subterfugiendæ huius prouinciæ præclusisse videretur, dixisseq; fore vt crederent ei Israelitæ, sesecq; comites legationis adiungerent: Isti enim optimates intelligebant tempus promissæ à Domino libertatis appetere, & ad id munus Mosem diuinitus destinatum, vt significat S. Stephanus g: instat nihilominus: *Non credent*, inquit h, mihi, *neque audient vocem meam, sed dicent, non apparuit tibi Dominus.* Quod non ad optimates Israelitarum referendum est, ne Mosem Deo non credidisse fateamur, sed ad reliquum populum, in quo multi erant dura ceruice & incircumcisis cordibus atque auribus, propterea q; ad signa veniendum fuit. Deus ergo humanæ sese infirmitati accommodans, signorum ipsi potestatem facit, cuius illi geminum dat experimentum, virgam eius conuersam in colubrum, & rursum in virgam reuersam, & manum lepra infectam, moxq; restitutam sanitati. Sapienter vtique in virga & manu, quæ illic Moses habebat in promptu,

XVI. 3. Cũctatio, quæ data signorum potestate tollitur.

g Act 7.21 h Exod.4. 1.2.

Seruitutis vlt.

edita sunt hæc signa, quasi præludia futurorum, quoniam ipse, instar manus, futurus erat Dei generale instrumentum prodigiorum, & virga ferrea incredulum Pharaonem, & populum eius, cum legitima auctoritate, percussurus.

XVII. Tertium signũ dilatum in rem præsentem.

Alterutrum signum satis erat efficax ad persuadendum populo diuinam Mosi missionem, sed præmittit vtrumque, immo addit etiam tertium. Quod si nec duobus quidem his signis crediderint, neq; audierint vocem tuam, sume aquam fluminis, Nili scilicet, apud quem priora duo signa ediderit coram ipsis, & effunde eam super aridam, & quidquid hauseris de fluuio, verteturin sanguinem. Itaque factum est *coram populo, & credidit populus*, vt infra dicitur i, non autem in ipso monte coram Domino, vt dixit Iosephus. Nondum tamen satis persuasus erat Moses, vt sibi legationis onus imponi pateretur. Ideoq; suam loquendi imperitiam causatur, *Obsecro Domine non sum eloquens ab hesterno & nudius tertius*, &c. Quasi dicat. Obsecro Domine ne mittas me. Non enim sum eloquens, quales oportet esse eos, qui verba facturi sunt apud principes, neque vnquam disertus fui. Tu quoque nosti me non esse eloquentem, vel ex eo tempore, quo locutus es ad seruum tuum. Natura enim tardus sum ad loquendum, & lingua impedita. Inferius quoque se incircumcisum labijs vocat.

i c.4.30.

4. Cunctatio, ex sermonis imperitia

XVIII. Moses laborat linguæ defectu.

Et videtur Moses reuera aliquo loquendi defectu laborasse. Nec Dominus id negat, fatetur potius, dum ei dat socium Aaronem fratrem, dicendi peritum, qui futurus sit eius interpres. Denique illa verba *a*, *quis fecit os hominis? aut quis fabricatus est mutum?* tacitam habent concessionem infirmitatis in Mose, cum significatione, in promptu esse autori naturæ, omnem defectum eius & imperfectionem tollere. Recte nihilominus eum potentem verbis appellat S. Stephanus *b*, vt supra diximus; quo scilicet modo Paulus *c* imperitum sermone se appellat, sed non scientia, qua ad persuadendum efficax & fortis fuit. *Perge igitur*, inquit Dominus, *& ego ero in ore tuo, docebo q; te quid loquaris.*

a Exod.4.11 ex Ger.31.5

b Act.7.22

XIX. Postrema oneris deprecatio. d c.4.13.

Postremam hoc loco Moses deprecationem obluctans adhibet *d*, *Obsecro*, inquit, *Domine mitte quem missurus es.* Ad quam merito iratus est Dominus. Iam enim quartum excusabat ac detrectabat prouinciam. Cumq; omnibus excusationibus cumulate satisfactum esset, nunc simpliciter onus in alium quempiam transferri cupit. Quæ oratio etsi indefinita est, fauet tamen antiquæ Patrum expositioni, de missione Messiæ; quem cum Moses non ignoraret fore aliquando populi Dei liberatorem, cum tanquam omnium aptissimum, maximeq; idoneum mitti, ad hoc negotium perficiendum, ciusq; aduentum accelerari postulabat. Refert Pererius *e* in his Patribus Iustinum, Tertullianum, Cyprianum, Eusebium, Basilium & Rupertum, cuius est hæc oratio *f*: *Tandem nobis aperuit quid vellet, quo tenderet totiesexcusando, Moyses. Mitte, inquit, Domine quem missurus es. Quem enim Dominus missurus erat, cum hæc diceret, nisi illum, qui nunc missus est, quem Patriarcha Iacob annunciauerat expectationem fore gentium, & desiderium collium æternorum.*

e Diss 3. in c. 4.

f l.1. in Exod. c.18.

Nihil porro in hanc sententiam respondet Dominus, vtpote intempestiuam, sed humanæ sese infirmitati attemperans, non mero imperio vtitur, sed addit, quæ allicianr, vt suauius obtemperetur. Dat enim societatem collaborantis hominis, & ab ea tate sapientis, & à propinquitate fratris, & à genere religiosi, & a natura facundi, à quo honorifice amanterq; accipiatur. *Aaron*, inquit *g*, *frater tuus Leuites, scio quod eloquens sit, ecce ipse egredietur in occursum tuum, vidensq; te lætabitur corde.* Addit & præsentissimum auxilium suum, vtrique paratum ad dicendum agendumque. *Loquere*, inquit, *ad eum, & pone verba mea in ore eius*, vult scilicet immediatè cum Mose agere, *& ego ero in ore tuo, & in ore illius, & ostendam vobis quid agere debeatis.* Nec ostendet tantum, sed sicut futurus est in ore ad loquendum; sic & in manu ad agendum mirabilia. Vnde subdit: *Virgam quoque hanc sume in manu tua, in qua facturus es signa.* Non quod haberet virga hæc naturalem vllam efficientiam miraculorum, sed moralem duntaxat, vt ad eius per Mosem applicationem, à Deo miracula fierent: ideoq; & virga Mosis dicitur, & Dei *h*. Sed erat etiam eadem virga signum percussionis Ægypti, & tributæ Mosi ad gubernandum potestatis: virga enim vtriusque hieroglyphicum est.

g Exod.4.14

Virga mortale miraculorum instrumentum.

h Exod. 4.3. & 17.9

Hactenus Mosis cum Domino disputatio: deinceps enim persuasus sese ad profectionem parat. Redit è deserto in vrbem, *ad socerum suum, dixitq; ei, vadam & reuertar ad fratres meos in Ægyptum, vt videam si adhuc viuant.* De Aarone videtur loqui numero multitudinis, nisi forte comprehendit Mariam, aut si quos alios genuit Amram, quos Scriptura prætermiserit. Nam de populo Israelitico non dubitabat eum viuere. *Cui ait Iethro: Vade in pace.* Vtique hæc conclusio fuit longioris sermonis. Multa enim supplenda sunt, vel ex vera charitate in generum, filiam, nepotes; vel ex officiosa vrbanitate, ne sibi coniunctissimos non dimisisse rogatum, sed iratum expulisse vulgo iactarent. Nisi forte Deus hanc nouam tentationem Mosi præcidisse dicendus est; sicut & priuatum illum ab Ægyptijs metum: cum dixit ei in vrbe Madian, mortuos esse omnes, qui quærebant animam eius. Plerique enim cum iampridem pessime oderant, non tam ob interfectum Ægyptium, quam ad tollendum futuræ seditionis & prænunciatæ defectionis autorem. Sed illis paulatim temporis longinquitate extinctis, & Mosis memoria & antiqua gratia obliuioni tradita, nullam offensionis causam peculiarem, ex propria persona, sed communem tantum ex odiosa gente afferebat.

XXI. Mosi profectionẽ adornat.

Non apparet autem ex Scriptura Mosem socero veram proficiscendi causam aperuisse; vtpote sibi gloriosam, vt notauit Rupertus *i*. Quod tamen factum Iosephus neque obscure, neque improbabiliter significat; in longiore videlicet illa, quam dixi, sermocinatione. De liberis porro eius Scriptura sic loquitur, quod supra quoque suo loco notauimus, vt eos infantes eo tempore fuisse significet. *Tulit ergo,*

XX. Datur ei socium Aaronem fratrem.

g Exod.4.14

Virga mortale miraculorum instrumentum.

h Exod. 4.3. & 17.9

XXI. Mosi profectionẽ adornat.

& cõmeatum petit

XXII. Parat abire cũ suis

i l.1. in Exod. c.19.

inquit,

inquit, *Moses vxorem suam, & filios suos, & imposuit eos super asinum, reuersusq; est in Ægyptum.* Intelligebat vtique Domini legatus diuturnam se inire viam, reditumq; fore tardiorem, qui suos secum omnes ferre parabat, fortassis & sua. Sed mox Dominus, sublatis hisce impedimentis famuli sui libertati prouidit. Portauit autem *in manu sua virgam Dei*, qua scilicet Deus mirabilia sua facturus erat.

XXIII. Tria illi in itinere contigerūt. 1. Dei instructio de summa negotij.

Reuertenti porro in Ægyptum Mosi tria in primis memoranda contigerunt. Primum apparet ei Dominus, rursum enim instruens de summa negotij sui, quod positum erat in exigenda populi Hebræi a Pharaone dimissione, & eiusdem obstinatione, per diuersas plagas, edomanda: nominatim autem per primogeniti Regis cædem. In quo venustam tam rerum quam verborum paranomasiam licet agnoscere. Non reddis mihi filium meum, ego tibi auferam tuum: afflixisti primogenitum meum, ego interficiam primogenitum tuum. Recte autem dicitur Dei primogenitus Israel propter populum Christianum, quem secundo genuit per Iesum Christum vnigenitum suum, qui in filios Israelis & Abrahæ commutati sunt, Israelitis in filios Esau reprobatis, abdicantibus à se iura primogenitorum, dum abdicant & occidunt Messiam, qui venerat in *gloriam plebis suæ Israel.* Primogenitus quoque, quia ante hoc tempus pauci erant, qui Deo seruiebant, & hinc inde dispersi, nec coaluerant in populum, vt in Ægypto, vbi geniti omnes & educati fuerant, & facti erant populus vnus.

Israël Dei primogenitus.

XXIV. Quo Deus indurauit Pharaonē

Quod autem hoc primum loco Dominus induraturum se ait cor Pharaonis, ex quo futurum erat, vt non dimitteret populum, intelligendum est obiter, Deum non esse causam efficientem obdurationis: (Est enim grauissimum peccatum, cuius Deus autor esse non potest; sed hominem veram esse ac propriam obdurationis suæ causam. Deum tamen dici obdurare peccatorem, indulgenter eum tractando, & non puniendo. Vnde improbus sumit occasionem peccandi, & accumulandi peccata peccatis, & eis pertinacius inhærendi. Deus autem hac indulgentia vtitur, & gratiam qua conuerteretur negat, vel propter illius peccata, aut propter inscrutabilia iudicia sua, quæ plerumque sunt occulta, nunquam tamen iniusta, vt ait Augustinus *a* hunc locum, & alia similia examinans. Quomodo autem iniustus sit Deus, qui gratiam non dederit inimico, cui illam non debet, sed pœnam multiplicem ac sempiternam?

a serm. 83. de Temp.

XXV. Occursus Angeli ob puerū non circumcisum.

Alterum quod Mosi in Ægyptum reuertenti contigit, est occursus Domini, siue Angeli volentis Mosem interficere, propter filium eius incircumcisum; si tamen Mosem. Nam Tertull. *b* filium ait in discrimine mortis fuisse, non Mosem. Et reuera lex infanti pœnam comminatur, non parenti. Et quamuis nulla esset in infante culpa, vel causa cur occideretur, ob circumcisionem omissam, cuius culpa non penes ipsum, sed penes parentes residebat, omissa tamen circumcisione, adhuc erat in originali culpa, & filius iræ, & morte dignus, non solum temporali, sed etiam æterna, vt qui delendus esset de populo electorum, ad quem congregatus est Abraham. Communior tamen est probabiliorq; sententia, Mosem periculum mortis adijsse, ob omissam circumcisionem, quod eius potius esset circumcidere quam vxoris, & reuera circumcidisset, nisi graui, vt aiunt Hebræi, morbo correptus, aut intentato Angeli gladio territus, id munus exequi nequiuisset. Credibile autem esse differre voluisse circumcisionem, dum in Ægyptum peruentum esset, ne quid ex ea periculi infantulo in itinere crearetur. Quæ causa fuit *c* cur postea Israelitæ, in 40. annorum peregrinatione, incircumcisi permanserint.

b Tertull. lib. 4. contra Iudæos. *c* Iosue 5. 6

Seruitutis vlt. Periculū Mosis.

XXVI. Mater infantē circumcidit.

Cognouit mariti periculum Sephora, eiusq; causam, ideoq; statim ad remedium accurrit, & acutissima petra circumcidit præputium filij sui. Quare autem non cultro, qui magis erat in promptu, præsertim cum huiusmodi sectiles lapides, neque ex lege, neque ex vsu communi vsurparentur: res ad singularem iussionem Angeli referri potest. Idipsum autem præputium abiecit ad pedes mariti sui, dicens: *Sponsus sanguinum tu mihi es.* Quasi dicat: Ego te mihi sponsum denuo acquisiui, non dote pecuniaria, sed sanguine filij mei. Liberaui enim te circumcidendo filium, à morte, quæ tibi ab Angelo imminebat. Quo dicto dimisit maritum mulier, & ad patrem cum filijs redijt, vt ex posteriore historia *d* constat, quæ deductam à patre Sephoram cum filijs ad Mosem, aperte testatur. Et plane pertinuit ad diuinam prouidentiam, vt notauit Augustinus *e*, vt Moses in tali tantoq; negotio tractando, vxoris filiorumq; onere leuaretur. Quin etiam S. Epiphan. *f* tradit Mosem, postquam Prophetæ munus accepit, vxoris vsu abstinuisse.

d Exo. 18. 1 Dimittitur mater cum filijs *e* q. 12. in Exod. & ser. 86. de temp. *f* hæres. 78

Supererat tertium, quod Mosi ante ingressum Ægypti contigit, occursus videlicet Aaronis fratris eius. Cum enim Dominus Mosi promisisset Aaronem egressurum in occursum eius, & ministrum quodammodo atque interpretem ipsius fore, apparuit in Ægypto, monuitq; vt officij causa fratri illuc venienti prodiret obuiam. *Vade*, inquit *g*, *in occursum Moysi in desertum. Qui perrexit obuiam ei in montem Dei, & osculatus est eum.* Montem Dei vocat Sina, vel Horeb, nomine posterius celebrato Iudaïs. Vtrum autem hic occursus factus sit ante discessum Sephoræ, vel post, non satis liquet. Credibilius tamen est Aaronis occursum prius contigisse, eiusq; suasu dimissam mulierem, puerosque, cum tam decentiore comitatu instructus esset. Alioqui solus plane fecisset iter Moses, quod videtur inconueniens. Nec absurdum est Mosem progressum fuisse cum familia itinere diei vnius vel dimidij, occursus enim Angeli contigit in diuersorio, & tamen contigit Mosem reperiri à fratre in monte Sina. Nam Madian magis ab Ægypto distat, Orientem versus & Septentrionem, quam mons Sina, ad cuius latus transitur descendendo in terram Gessen, in qua tunc habitabat Aaron.

XXVII. Occursus Mosis & Aaronis.

g Exo. 4. 27

Ante dimissam Sephorā.

Narrauitq; Moses toto itinere Aaroni fratri, omnia verba Domini, quibus miserat eum. Quod scilicet illi, quantumuis cunctanti ac reluctanti, imposuisset munus; quid sibi auxilij ab Aarone pollicitus esset; quantam dedisset edendorum miraculorum potestatem. Aaron vice versa narrabat quomodo ipsum

XXVIII. Eorū colloquia.

Domi-

Dominus euocasset, vt ei veniret obuiam, & quæ per diuturnam ipsius absentiam in Ægypto contigissent, paratumq; se obtulit ad implendam Domini voluntatem, quæ sibi per ipsum innotuisset, sicq; se mutuo ad hanc prouinciam bene gerendam animabant.

XXIX. Et ingressus in Ægyptum.

Sic ingressi, ait Philo, *Ægyptum vnanimiter, primum senioribus gentis clam conuocatis, indicant oraculum. Dei miseratione instare libertatem, & migrationem ad sedes meliores: idq; ipsum Deum polliceri, offerreq; se ducem itineris.* Addit Scriptura hanc orationem ab Aarone factam fuisse, vt iam interpretis munere fungeretur. Addit & miracula in conspectu filiorum Israel perpetrata, à Mose videlicet, etsi verba textus ad Aaronem referri videantur. Ita enim, ait Cornelius, partita erant à Deo munia Mosis & Aaronis, vt Moses suo imperio mandaret, & faceret signa; Aaron mandata Dei & Mosis, tanquam dux verbi eloqueretur. Credidit itaque populus tam prodigijs à Mose perpetratis, tribus scilicet illis, quæ iussus erat coram populo facere, quam Aaronis orationi, quæ factam in monte Oreb reuelationem continebat, & prolixam Dei in populum suum beneuolentiam, qua incitatus legatos ad eum de sua libertate destinasset. Ergo fide ac spe pleni, gratias agentes Domino de promisso beneficio, cum inflexo vertice, atque incuruato corpore adorauerunt, Mosemq; & Aaronem, tanquam eius legatos, legitima autoritate atque potestate præditos agnouerunt atque amplexi sunt, sese in eorum potestate fore pollicentes, vt ait Iosephus *h*.

Ab optimatibus & populo recipiuntur.

h Ante 5

Et hactenus quidem prolusiones quædam, & apparatus ad legitimum cum Pharaone certamen: nunc ad rem ipsam veniendum est. Et primum quidem à Mose & Aarone quasi fecialibus, Dei veri legitimiq; principis nomine, populus Israeliticus à Pharaone, tanquam iniusto possessore repetitur. Is alienum reddere superbe detrectat: neque id modo, sed solito etiam contumeliosius in alienos subditos, crudeliusq; sæuit. Itaque decernitur bellum, denunciatur & geritur. Sed hæc paulo distinctius videnda sunt.

XXX. Ambo Pharaonẽ adeunt.

Et ab eo cõmeatũ petunt. *a Exo. 5. 1*

Rebus domi cum Hebræo populo bene constitutis, Moses & Aaron, & si qui forte de senioribus, Pharaonem quamprimum adeunt *a*, & Dei atque Imperatoris sui mandata denunciant. Iubere illum dimitti populum suum in desertum, non vt ibi composito exercitu, Ægyptum armati atque infesti repetant, sed vt festum diem sacrificiis diuino numini rite celebrandis agitent.

XXXI. Quẽ rex indignãs recusat.

b l. 9. de Præp. c. 27 Cyr. Lat.

At Rex, *quis est Dominus*, inquit, *vt audiam vocem eius, & dimittam Israel? Nescio Dominum, & Israel non dimittam.* Indignatur Pharao esse aliquem de subditis suis, qui coram se, aliquem alium à se Dominum Israelitarum vocet, & qui eius etiam nomine Regi ipsi grauissimum aliquid atque odiosissimum dissimulanter imperet, vt propterea Artapanus apud Eusebium *b*, falso quidem, non tamen absurde scripserit, Pharaonis iussu Mosem in vincula fuisse coniectum. Sed is cuius nomine legatione fungebatur, eum nunc ac deinceps perpetuo protexit, ne tanquam imminutæ maiestatis reus, & seditionis flabellum, ad supplicium Regis imperio illico raperetur. Nihilominus Moses non minus constans in susceptо tam arduo consilio, quam fuerat in suscipiendo formidolosus, instar apud Regem pro dimissione populi, sed oratione aliquanto molliore. *Deus*, inquit, *Hebræorum vocauit nos, vt eamus viam trium dierum in solitudinem, & sacrificemus Domino Deo nostro, ne forte accidat nobis pestis aut gladius.*

Nulla hic, vt ante, iussio, sed suasio & preces; deinde circumscribitur ad breue tempus commeatus: denique additur non solum æquitas obtemperandi Deo, sed etiam necessitas, ob periculum imminens animaduersionis. At rex nihil istis commotus, reijcit à se Dei legatos, quasi operariosin munere suo cessatores, quiq; reliquos ad eandem ignauiam excitent; itaque ad onera sua abire iussos à se dimittit; populum asperius etiam tractaturus. Ratus enim hanc Hebræorum postulationem, esse hominum, non à lassitudine quietem, sed à lasciuia obambulationem ambientium, eorum laborem vehementer augeri iubet, & idem nihilominus exigi pensum, eo quod multitudo laborantium succreuerit, ideoq; diminutus sit labor singulorum. Nam *multorum manibus grande leuatur onus.* Vult ergo Rex, vt quoniam Hebræi in medijs laboribus pullulant, eorum labor subtracto auxilio geminetur: nimirum partita operarum multitudine, vt non omnes in luto laborent, vt antea, sed pars in conquirendis tota Ægypto palcis, pars lateribus conficiendis desudet.

XXXII. Et reijcit à se legatos.

Et oneribus populũ grauat

Ergo præfecti operum regio accepto mandato, Hebræis Regis nomine dixerunt *c*: *Non do vobis paleas, ite & colligite, sicubi inuenire poteritis, nec minuetur quicquam de opere vestro. Dispersiq; est populus per omnem terram Ægypti ad colligendas paleas.* Non dicit ad emendas paleas, puta in manipulos colligatas; sed ad colligendas vel quisquilias, quæ vento circumferebantur, vel stipulas, quæ in agris hærebant, eucllendas. Ex quo intelligitur & longo & misero labore vexatos, non viros solum, sed mulieres quoque & paruulos, vt accinere parodice liceret *d*, hlij colligunt stipulas, & mulieres quisquilias, & patres subigunt lutum, ignemq; succendunt, vt faciant lateres Regi Pharaoni, & eum ad æquitatem & misericordiam prouocent. Sed contrarium infœlicibus contigit, *flagellati enim sunt qui præerant operibus filiorum Israel ab exactoribus Pharaonis.* Quod à Iosepho & Philone prætermissum est. Puduit enim eos verberationis ignominiosæ, qua seruilem in morem non fustibus vt ingenui, sed loris ac flagris nudato corpore pulsabantur. Et vero etiam veriti sunt ne antiquum exemplum Græcis Latinisq; auribus inferentes, nouum Romanis dominis incitamentum, in Iudæorum terga ignominiosè sæuiendi præberent.

XXXIII. Colligũt Hebræi paleas cõficiendis lateribus *c Exo. 5. 11*

d Isai 7. 18

Eorumq; præfecti cæduntur

Nec illi cum gaudio ad suos recipere sese, quod digni habiti essent, pro diuino mandato nulla sua culpa contumeliam pati, sed adito rege, apud eum vociferati sunt, à quo profecta erat iniuria, qui tamen remedium adhibere poterat. ideoq; cauti non palam eum accusant, sed, ne ipsum offendant, culpam in regios ministros derinant. At Rex importunus ac ferus, insultandi occasione accepta: *Vacatis*, inquit, *otio, & idcirco dicitis, Eamus, & sacrificemus*

XXXIV. Qui voci ferantur apud Pharaonem.

Irrita querela.

Domi-

Seruitutis vlt.

Domino. Sed tolerabilis esset irrisio, si aliquam secum injustę vexationis imminutionem afferret; at eadem inculcantur opera, & idem videlicet cessatoribus supplicium. Lætabatur quippe perfecisse se, vt Hebræi alia omnia cogitarent & peterent, quam sacrificia & festos dies. Itaque sine vlla spe clementiæ & humanitatis exclusi, Deum cum gemitu, Mosemq; compellant, quod in vtriusque iniuriam ac contumeliam noua vexatio redundabat. Nam egredientes præfecti Hebræorum à Pharaone, *occurrerunt Moysi & Aaroni, qui stabant ex aduerso* palatij, expectantes quem habituræ essent exitum præfectorum querelæ.

XXXV. Iudæi, apud Mosē & Aaronē murmurant.

Ergo Præfecti amaro animo, & sine vlla spe remissionis à Pharaone digressi, obuios legatos querulis vocibus inuadunt, Deum vindicem iniuriæ ab eis, vt arbitrabantur, imprudenter, acceptæ requirunt, qui eos apud Pharaonem & seruos eius, quorum è nutu penderent, execrandos reddiderint, & gladium Regi præbuerint, quo occiderentur; occasionem videlicet dederint vexationis acerbioris. Quæ prima est Israelitarum aduersus Dei famulos Mosem & Aaronem querela atque obtrectatio: & quidem perquam iniusta, & quæ in ipsum Deum caderet, quem probe intelligerent, vel prodigijs eruditi, postulationis totius legationisq; autorem; vt iam nunc dicere possent ei: *Non contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum.* Sed hic eius prudentia potius, animiq; moderatio cernitur, qui acerbam orationem hominum graui dolore, animiq; perturbatione frementium, pro potestate non compescuit, sed silentio vsus, dedit locum iræ, & ad Deum confugit *f*: *Domine*, inquit, *cur afflixisti populum istum? quare misisti me? Ex eo enim quo ingressus sum ad Pharaonem, vt loquerer in nomine tuo, afflixit populum tuum, & non liberasti eos.*

Numum Hebræorum murmur. Mosisq; prudentia & moderatio. ℣Exo 16.8

℣Exo 5.22

Hæc oratio est filij ad patrem magna cum fiducia æstum cordis sui promentis, & auxilium implorantis. Eum dicit afflixisse populum suum, quod occasione legationis huius acerbius vexatus fuerit, & id fieri iusserit, ex quo maior afflictio sit consecuta. Quam ideo permisit Dominus, sub ipsum ex Ægypto egressum augeri, vt illis immanius contra Israelitas sæuientibus, & Deus tanto iustiorem haberet causam fœuere in eos animaduertendi: & Iudæi tanto vehementius ab eis, eorumque moribus auerterentur, nec exurgentibus asperis, de reditu in Ægyptum cognationem vnquam admitterent. Interea Mosem animo ægrum Dominus consolatur *a*; dicens Pharaonem ingentibus plagis, quales valida manus & robustum brachium solet imponere, compulsum, non solum dimissurum populum, sed etiam ad exitum compulsurum.

XXXVI. Qui apud Deum gemit.

a Exo. 6.1

Dat etiam Dominus mandata Mosi *b*, quæ deferat ad Israelitas consolandos plena promissionis ac spei. Tria enim maxime gloriosa atque expetenda pollicetur, primum se populum de ergastulo Ægyptiorum magnifice educturum; alterum se assumpturum eum in populum peculiarem, & fore ipsorum Deum, quod in monte Sina lege data facturus erat: tertium se promissam patribus eorum Chanaanitidem, daturum ipsis possidendam. Qua in re apparet suauissima Dei clementia, qui hominum infirmitati indulgens, ne afflictis afflictionem accumulet, proximam obmurmurationem, nulla aut obiurgatione verborum, aut factorum animaduersione castigat *c*, *dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam*. Moses autem, etsi non ignorabat, quomodo male affectus populus hæc esset accepturus, prompte tamen obtemperat, congregat populum, Dei mandata exponit, sed illi *non acquieuerunt ei*, non defectu fidei, sed quod *propter angustiam spiritus, & opus durissimum* animum ad illa non applicarent; præsentia enim magis quam futura sentiebant & animo capiebant.

Diuina Israelitarū cōsolatio ad tripli ci promissione. b Exo 6.6

c Esa 11.24 Qui cōsolationem non admittunt.

Pupugit Mosem hoc Israelitarum tædium, pusillíq; animi ægritudo, quam ἀλγοψυχίαν Sept. dixerunt. Hieronymus *angustiam* spiritus angorem. Animus quippe dilatatur in lętis, in duris constringitur & quasi coarctatur. Hunc Mosis sensum aperiunt verba sequentia. Cum enim illi rursum apparuisset Dominus, iussissetq; petitionem suam apud Pharaonem iterare; respondit Moses non sine gemitu *d*: *Ecce filij Israel non audiunt me, & quomodo audiet Pharao, præsertim cum incircumcisus sim labiis?* Hoc colloquium extremo iterum capite repetitur, propter insertam chronologiam trium filiorum Iacob, Rubenis, Simeonis & Leui, ad quam Moses & Aaron pertinebant, qua tota de re Tomo primo Annalium *e* cumulate disputatum est. Sed Dominus nonnullo tædio affectum Mosem, excitare pergit atque extollere: *Ecce*, inquit *f*, *constituit te Deum Pharaoni, & Aaron frater tuus erit Propheta tuus.* Quasi dicat; tantum abest vt velim te Pharaonem formidare, vt velim te illi esse formidabilem, quasi quendam Deum, qui habet in homines vitæ & necis potestatem. Cuius timoris Pharaonis à Mose haud leue argumentum est, quod tot tantisq; calamitatibus cum populo suo affectus, nunquam manus in eum mittere ausus est, ac ne asperius quidem hominem appellare, aut comminari, nisi post nonam denique acceptam plagam.

XXXVIII. Mosi mœror & gemitus apud Deū.

d Exo. 6.12.

e a.m 2139 a 34 & seq

f Exo. 7.1. Qui eum cōsolatur Mosem Pharao timet.

In hac porro consolatione, renouat Dominus memoriam signorum & prodigiorum, quę mox facturi erant Pharaone postulante, vt se probarent illius nuncios, cui Israelitę seruirent, & cui creata omnia famularentur ad nutum. Et quoniam parum efficax futura erat hęc signorum editio in conspectu Pharaonis, ne quid aut Israelitæ, aut ipsimet legati turbarentur, Dominus præcautione quadam vtens iterat illud de indurationc *g*: *Ego indurabo cor eius*, inquit, *& multiplicabo signa & ostenta mea in terra Ægypti, & non audiet vos*, quoniam per ea signa mollior futurus non erat Regis animus, pia voluntate cum intellectu ad credendum & obtemperandum non colludente, sed durior, affectu improbo libertatem ad se non inuitam trahente. Credibile autem est inaudisse Pharaonem aliquid de miraculis, quæ Moses in conspectu Israelitarum patrarat, ideoq; ab eo postulasse, vt signis, se à Deo Hebræorum missos oratores, ostenderent inani potius cupiditate videndi prodigia, illisq; contradicendi, vt res ipsa docuit, quam obsequendi voluntate.

XXXIX. Miracula edi iubet, licet irrito euentu

g c.7.3. Indurato Pharaone

Nil cunctatus Moses, & ad fratrem conuer-

XL.

sus,

Seruitutis vlt.

Virga Mosis in verũ colubrũ versa.

Et Magorũ quoq;

h q. 21. in Exod. c. 7. & 8. k 1. p. q 114 a. 4.

l l. 9. c. 27 Gra. Lat.

XLII. qui cõtra sentiant. m dial. cõ Tryph. q. 86.

o ã. Mosi vo. n. 115. & seqq. Prior sentẽtia probatur.

XLI. qui Magi Mosi restiterint. a 2. Tim. 3.

b apud Euseb. l. 9. de Præp. c. 8. Gra. Lat.

XLIII. Indurato Pharaone venitur ad plagas

cPs. 77. 49

XLIV. Prima plaga aquæ in sanguinẽ vertit.

XLV. Intẽtatur & tria ei damna.

1. dExo. 7. 17

2.

3.

Imponitur.

ius, *Tolle*, inquit, *virgam tuam, & proijce eam coram Pharaone, & vertatur in colubrum*, quod cum fuisset Aaron coram Pharaone ac seruis eius, versa est virga in colubrum. Nemo dubitare potest, virgam vere in draconem, vera metamorphosi fuisse conuersam ab eo, cui natura omnis obtemperat, & cui velle & posse idem est. Qui enim de nihilo fecit omnia, quomodo non facile in præiacentem materiam nouas dispositiones ac formam inducet? At de Magorum serpentibus dubia semper ac controuersa res fuit. Parti aienti Scriptura valde fauet. Quo enim modo dicit virgam Aaronis versam fuisse in colubrum, ita de Magis, *proiecerunt q*, inquit, *singuli virgas suas, quæ versæ sunt in dracones*, & subdit, *sed deuorauit virga Aaron*, quæ scilicet prius virga fuerat, *virgas eorum?* id est colubros ex virgis item factos: eodem semper modo de vtrisque loquens, vt vtramque veram conuersionem esse oporteat, aut vtramque fallam: quæ est S. Augustini argumentatio in hunc locum *h*, & l. 3. de Trinit. *i*, quem sequitur S. Thomas *k* non vno in loco, Eadem sentit Theodoretus, & Philo Iudæus, & Artapanus in Præparatione Eusebij *l*, & passim D. Thomam secuti recentiores, quorum aliqui volunt ibi genitos dæmonum opera serpentes, alij virgarum loco suffectos.

In contraria sententia est Iustinus martyr, *m* & Autor quæstionum, & respon. ad orthodoxos *n*, Tertullianus lib. de anima c. 37. Ambrosius, Nyssenus, Hieronymus, Iosephus, Rupertus, Sedulius, quorum mentem, suis ipsorum verbis expressam, in Annalibus reperies *o*. Prior tamen sententia videtur probabilior, vt Scripturæ magis consentanea, quæ sine aperta necessitate in tropos ac figuras trahenda non est. Pro qua illa etiam ratio valet, quod credibile non est, Magorum fraudem istam non agnitum ac manifestatum iri à Mose; neque Deum in re tanti momenti permissurum fuisse, vt à Magis legatus vterque deciperetur. Si ergo decepti non sunt, quomodo neuter præstigias prodidit, sed ambo obmutuerunt? An quia videbant sibi non creditum iri? Dubiam saltem rem fecissent, & testimonium perhibuissent veritati.

Qui autem fuerint isti Magi atque malefici, nominatim ab Apostolo Paulo explicatum est: a *Quemadmodum*, inquit, *Iannes & Mambres restiterunt Moysi, ita & hi resistunt veritati.* Idq; Paulum traditione accepisse, Chrysostomus & Theodoretus autores sunt, vel certe ex reuelatione diuina. Horum tamen meminit Numenius Pythagoræus, *b* 3. de bono *b*. Sed quo tempore iste vixerit aut scripserit, ignoratur. Sic autem habet: *Deinceps vero Iannes & Iambres*, (sic enim habet, sicut & Septuag. non autem Mambres) *Ægyptij rerum sacrarum Scribæ, claruerunt eo tempore, quo Ægypti finibus eiecti fecit Iudæi, veri omnium iudicio rerum magicarum scientia nemini concedentes. Quippe ambo communi Ægyptiorum consensu electi sunt, qui Musæo duci Iudæorum, cuius apud Deum potentissimæ preces erant, sese opponerent; adeoq; grauissimas quasque calamitates, a Musæo in Ægyptum inuectas, dissoluere ac dissipare posse videbantur.* Refert Genebrardus, Talmuditas hos duos nominare Magorum in Ægypto tunc principes, qui Moysem derriderent, quasi ferret polcas in vrbem frugum, vel, vt nos dicimus, *noctuas athenas.*

Sed iam ad Pharaonem reuertamur; qui cum animaduertisset eadem prodigia à suis facta fuisse, quibus Moyses gloriari videbatur, indurauit cor suum, & legatorum verba contempsit. Itaque à verbis venitur ad verbera. Dominus enim decem grauibus plagis totam Ægyptum ordine percutit ac diuexat; addita deinde vndecima omnium grauissima, quæ exitum Israelitarum subsecuta est, Rege cum numerosissimo exercitu in Erythræo sinu submerso. Hæ porro plagæ primo in campum Taneos, id est in regiam ipsam domum, & ciuitatem incubuere, quibus in locis scelerum colluuies maxime regnare solet: indeq; in totam regionem non lenta contagione irrepserunt, sed totam pene momento peruolarunt; immissione facta per Angelos malos *c*, vt ait Dauid, id est malorum siue calamitatum effectores, quorum ministerio in puniendo vsus est, vt pridem in dispergendis Sodomitis, & longe post in delendis Assyriorum copijs, tempore Ezechiæ Regis.

Prima ergo plaga, qua Ægyptus afflicta est, fuit conuersio aquæ in sanguinem. Iussit enim Dominus mane Moysem occurrere Pharaoni, ad ripam fluminis inambulanti, cum virga sua prodigiorum effectrice, vt suis ipse oculis prodigium vsurparet, aquæ in sanguinem conuersæ, vt facilius hominis peruicacia expugnari posset. Cum itaque Pharao matutinis horis ad oram fluminis inambularet, occurrunt ei Moses & Aaron, simulq; iterant Dei iussionem, & arguunt, quod vsque ad præsens obedire noluerit. Quibus verbis innuitur, plurimos iam à Mose in Ægypto consumptos esse dies, & fortasse menses, dum sibi fidem apud suos prodigijs verbisq;, conciliat, aditum ad Regem quærit, impetratque, cumq; per interualla monet, ne ad petitæ rei molestiam, addi cogeret petendi importunitatem, malletq; secum suauiter à Domino, quam per vim agi. Quia tamen eum Dominum agnoscere detrectarat.

In hoc, inquit *d*, *scies, quod ego sim Dominus, ecce percutiam virga, quæ in manu mea est, aquam fluminis, quæ vertetur in sanguinem.* Vt autem obtemperet, quantum mali hæc plaga inuectura sit, ostendit. Primum enim dicit morituros in eo sanguine pisces, vtpote qui valde piscium temperamento aduersetur: quæ tamen vita erat maximæ partis Ægyptiorum, præsertim tenuiorum. Secundo prædicit fore vt computrescant aquæ, Nilo Mosaicæ virgæ verbere cruentato. Mortuis enim infinitis piscibus, & in tabem defluentibus, necesse fuit corrumpi aquas ac computrescere. Tertio afflictum iri vehementer Ægyptios, dum aquę penuria sanguinem, & quidem corruptum bibere cogentur, eiusq; insuper tetro odore inficientur. Ita dictum factumq; coram Pharaone, & seruis eius. Neque aquæ solum fluminis ita corruptæ sunt: Iussus est enim Aaron extendere manum non solum super Nilum, sed vniuersę *super aquas Ægypti, & super fluuios eorum, & riuos ac paludes, & omnes lacus aquarum*: atque adeo quæ domi in vasis erant collectæ. Nimirum initium mali à Nilo factum, tum clades ad omnes Ægypti aquas propagata est.

Quasi

XLVI. Idipsum Magi æmulantur

Quasi autem id parum esset mali, indulsit Deus Magis, vt publicam calamitatem amplificarent ipsi, quos oportebat potius in remedium incumbere. *Fecerunt q́*, ait Moyses, *similiter Malefici Ægyptiorum incantationibus suis*, fuisse autem verum sanguinem à Magis factum, sicut & veros dracones, credibilius est, quam aliunde à dęmonibus adductum & suppositum sanguinem. Putat autem S. Augustinus *e*, eos aquas ex terra Gessen accepisse, quoniam locus, in quo habitabant Israelitæ, erat ab hisce plagis immunis: aut certe transacto septiduo, ab eis aquas conuersas. Interim autem, dum aquæ petuntur aliquanto longius, dęmonibus licuit dispositiones sanguinis aquis illis ingerere. Cum ergo Magi non frustra æmulati fuissent diuina legatorum prodigia, *induratum est cor Pharaonis*, ne scilicet crederet huiusmodi conuersionem diuinitus ab Aarone factam, quam malis artibus viderat à suis Magis expressam. Ideoq́; *nec audiuit eos, sicut præceperat Dominus, auertitq́; se* à conspectu legatorum, *& ingressus est domum suam*: consultius rebus suis populiq́; facturus, si sanguinem in pristinam naturam conuerti curasset à Magis, si quo modo id facere potuissent.

e q. 23. in Exod.

Ideoq́; induratur Pharao.

XLVII. Quis potus septiduo Ægyptiis.

Quoniam vero septiduum perseuerauit hęc clades, & constat Ægyptios, neque sanguinem de fluuio potare potuisse, neque à potu penitus abstinere, quærat aliquis, quomodo huic tantę & hominum & iumentorum necessitati prouiderint; præsertim cum nihil pluuiæ de cœlo decideret, neq; aqua vlquam appareret. Respondet Moses fodisse omnes Ægyptios per circuitum fluminis aquam vt biberent, sed irrito, vt ait Philo, labore, sanguine instar fontis salientis, quasi ex vulnere emicante: alioqui facile eluderetur hæc plaga, si innumerabiles fossæ veram aquam præbuissent. Dicendum videtur cum Tostato aquam effossam in circuitu fluminis non fuisse veram aquam, sed sanguinem è fluuio deriuatum per subterraneas venulas, per quas transiens ita excolebatur, vt crassitiem illam, & ei adhærentem colorem, saporem q́; minueret, & quoquo modo potabilis redderetur; maneret tamen sanguis reuera, cum natura eius traiectione illa non mutaretur.

XLVIII. Et quis Israelitis.

Quid interim factum Israelitis? si aquæ fuerunt in terra Gessen, vt Augustinus inquirendo potius quam affirmando dixit, facilis est responsio. Nam ea Ægyptij facile potiri potuissent. Nec solum ratio exigit, vt siti afflicti non fuerint Israelitæ, sed Scriptura quoque *a*, quæ ait *filios Israel abundasse, & lætos esse, cum inimici illorum, à defectione potus sui, pœnas darent*. Dici potest cum Iosepho, solis Ægyptijs aquas versas in sanguinem: Hebræis autem pristinam retinuisse naturam, dulcemq́; fuisse atque potabilem. Quod licet cum plurimis perpetuisq; miraculis coniunctum sit, admodum tamen probabile videtur. Pertinet enim ad diuinæ prouidentiæ & benignitatis erga populum suum declarationem, tum maxime ad illi gratificandum effusæ; & ad Ægyptiorum pudorem, & aduersum tantam maiestatem non iniustum metum. Quomodo autem post septimum diem impositus sit huic plagæ finis, Scriptura non tradit, Philo ait *b* Ægyptios Mosem suppliciter inuocasse, & illo deprecante, Deum misertum esse percuntium, & fluuium suæ naturæ restituisse.

a Sap. 11.5

Finis primæ plagæ b In vita Mosis.

Respirante modicum Pharaone cum populo suo à plaga sanguinis & siti, puetorum instar, quam ob causam tam grauiter vapulassent, obliti; quasi ex vna clapsi pœna, in aliam incurrere non possent, ad ingenium rediere. In primisq́; Pharao promissionem suam, quam Moyses prætermisit, rescidit, & acerbius etiam, quasi hanc vlturus plagam, Hebræos vexauit, vt Philo, Iosephus & Artapanus testantur: vnde necesse est & populi querelas ad Mosem, & Mosis ad Dominum extitisse. Dominus ergo altera plaga percussurus Ægyptum, Regem præmoneri iubet de imminenti calamitate, nisi diuinæ pareat voluntati; ranis vndique ebullientibus, & omnia molestissime replentibus, quæ ad terrorem distinctius explicat, vt resipiscat, neque necesse sit minas in rem conferre. Credibile tamen est, Regem huius magnitudinem mali non apprehendisse, sed perpusillam aduersariorum gentem, quam Deus Hebræorum suscitaret aduersum se, irrisisse ac contempsisse; cuius tamen infirmitas, quoniam ab ea vincendus erat, in summum illius contemptum redundabat.

Extendit igitur Aaron, Domino ac Mose iubente, manum virga armatam super aquas Ægypti, & ascenderunt ranæ, operueruntq́; terram Ægypti. Nilus videlicet singulis fluctibus, quibus ad terram allidebatur, multarum ranarum examina fundebat, quibus omnes primum ripæ fluminis opertę sunt; indeq́; sensim viæ omnes & campi, omnisq́; agrorum, vinearum, pratorum superficies, ranis inundarunt, moxq́; vilias & pagos, & vrbes & domos, & penetralia saltu inuaserunt. Audi Iosephum: *Ranarum vis immensa terram eorum populabatur, refertum erat & fluuius, vt aqua inde, non nisi sanie earum vitiata hauriri posset, immorientibus earum plerisque, atque imputrescentibus. Plena erat & terra turpi limo, ex quo enascebantur, rursumq́; in eundem resoluebantur. Quin & domesticum victum fœdabant in esculentis atque poculentis nusquam non repertæ, & in cubilibus quoque passim oberrantes, ita vt omnia fœterent, putore è ranis mortuis exhalante infecta.* Ita Iosephus, nec pauciora Philo, in vita Mosis.

Ex quibus facile intelligitur, Ægyptios hanc plagam longe molestissimam habuisse, cum nec foras prodire possent, omnibus vijs ranarum examinibus constratis, nec manere domi, eadem lutulętarum bestiarum lue tecta omnia peruadente: non edere liceret, non bibere, non dormire, nō quicquam agere, quin ranæ in eos insilirent, vultum, vt erant lutulentæ, turpi limo fœdarent, in oculos, in os ipsum, in interiora vestium importunissime inuaderent, lectos cateruatim peterent: quin ne ignem quidem reformidantes, furnos etiam, & bullientes ollas saltu adirent, gabatas, lances, cyathos edentium ac bibentium impeterent, oculos fœditate sua, aures perpetua coaxatione, nares fœtore, manus pedesq́; horrore putredinis intolerabiliter cruciarent. Quod si in his etiam ranis non solum familiares illæ, quæ in lacunis coaxant, sed aliæ etiam venenatæ, quas rubetas vocant; bufones etiam ranis cognati, tanto maior fuit ista calamitas. Nec absurdum

est

est has quoque ranas multiplicatis maniplis, bellum pro Hebræis contra Ægyptios gessisse, quamuis maxima pars aquatilium ranarum fuerit, quas propterea Scriptura memorauit, cæteras tamen puniendo magis idoneas, non negauit.

LII. Magi quoque ranas producunt.

Cæterum quasi non sufficeret hæc ab Aarone illata Ægyptijs clades, permisit eam Deus à Magis, suis incantationibus augeri; facile autem fuit eas ex putri materia educere, eduxerunt autem exiguo aliquo numero, quod ad id artis ostentationem sufficeret, vt ait Cornelius; nec tamen eas aut expellere malis artibus suis, aut finem plagæ quoquo modo imponere potuerunt. Neque enim Pharao ad legatos remedij causa confugere coactus fuisset. Sed nec vice versa ranas suas in Hebræos immittere valuerunt, cum ea clades nullo modo Iudæos attigerit, vt Ægyptij intelligerent cladem suam non casui, sed diuinæ vindictæ ascribendam esse, quæ ranas ad eos tantum dirigeret, quos oportebat punitos, vt notauit Nyssenus in vita Mosis.

LIII. Quã diuturna fuerit plaga ranarum.

Multos autem dies hanc plagam perseuerasse, plerique merito censuerunt. Si enim vnius duntaxat diei fuisset illa molestia, vix ad optimates, seruorum ministerio illis aditũ studiose obstruente, peruenisset, atque adeo recreatio potius data videretur Ægyptijs, quam inflicta plaga, cuius aculeus in molestia diuturnitatis consistit. Quis denique sibi persuaserit superbissimum Ægypti regem, breuissimi temporis victum molestia, ad humiles descendisse preces, & percussoribus suis supplicem factum esse; qui, vt plerique censent, quibus fauet Scripturæ silentium, septiduana sanguinis plaga ad eas adactus non est? Ergo Pharao diuturno ac permolesto edomitus malo, euocatis ad se Moyse & Aarone a, *Orate*, inquit, *Dominum, vt auferat ranas à me, & à populo meo, & dimittam populum, vt sacrificet Domino.* Quamdiu cunctatum regem putas, quamdiu alia expertum omnia, priusquam ad hanc primam descenderet humilitatis vocem? Agnoscit Dominum, agnoscit vltorem, legatos de pace mittit, obedientiam pollicetur, in eius sacrificia, cultumq; consentit. Et quidem citra fictionem, vt arbitror, quia plaga sentiebatur: quamuis effectu, propter animi leuitatem, minime secuto.

a Exod. 8.

LIV. Moses liberationẽ regi promittit.

Promittit Moses liberationem à ranis, eiusq; modum ac tempus, quod in regis arbitrio constituit. Certus quippe de diuina, in hoc toto plagarum negotio, voluntate, sibiq; data prodigiorum potestate, & magna in Deum fiducia eo non consulto promittit, quod illum non dubitabat impleturum, qui voluntatem timentium se facit. Tempus autem regis permittit arbitrio, ne is arbitraretur Moysem certis quibusdam temporum momentis, aut stellarum concursibus, aut constitutis à dæmone diebus aut horis esse alligatum; sed quasi terrenum quendam Deum super dies horasq; & creatarum rerum ordinem diuinitus esse constitutum. Distulit autem rex depulsionem plagæ in alterum diem, vt sic experiretur, an per se interea ranæ deficerent, sicq; hoc malum casui potius, quam diuinæ in se animaduersioni tribueret: sin autem precibus Mosis duntaxat victæ cederent, Deum agnosceret verberantem.

Conditionem accepit Moses, & cum fratre à Pharaone egressus *b. clamauit ad Dominum*, feruida scilicet ad Deum oratione vsus est, *pro sponsione* amouendarum *ranarum* intra tempus quod condixerat Pharaoni. *Fecitq; Dominus iuxta verbum Moysi: & mortuæ sunt ranæ de domibus & de villis & de agris, & tantum in flumine remanserunt*, quod valuit ad metum renouandæ plagæ. *Congregauerunt q; eas in immensos aggeres, & computruit terra*, vt hoc esset huius plagæ monimentum, ne illius facile obliuiscerentur: esset & epimetrum mali; Nam ranis tetram mephitim exhalantibus, Ægyptij tetro odore affligebantur, donec eas partim in flumen proijcerent, partim in præaltis fossis, terra lapidibusq; obruerent.

b c. 8. 12.

LV. Cessatio plagæ.

Videns autem Pharao quod data esset requies, idq; dierum aliquot cessationem à malis exigere videtur, vt id vniuerso in regno animaduerti posset, Regiq; innotescere, *qui ingrauauit cor suum*, & non audiuit eos, sicut præceperat Dominus. Consentaneum est aliquot abijsse dies, dum Rex legatorum conspectum declinat, respondere cunctatur, neque stare volens promissis, nec aperte negare, & mox nouam sibi accersere calamitatem. Neque enim hic Rex tam stupidus fuit, vt præterita statim oblitus, nihil sibi aut paris aut grauioris mali imminere cogitaret.

Pharao indurat.

LVI. Tertia plaga scinipbum.

Ergo dum cunctatur ac fugitat, aliquot abiere dies. Ad quod suspicandum inuitat, quod ad tertiam plagam sine vlla comminatione vel denunciatione ventum est. Eam Moses ita describit: Dixitq; Dominus ad Moysem, loquere ad Aaron: *Extende virgam tuam, & percute pulueremem terræ, & fiant sciniphes in vniuersa terra Ægypti, & facti sunt sciniphes in hominibus & iumentis.* Id animal est molestissimum, ait Philo, quamuis minutum admodum. Nam non solum superficiem cutis lædit pruritu noxio, verum etiam interiora, per aures naresq; penetrat: inuolat & in oculos nisi quis caueat. Sed quî caueri poterant tam dira examina? *Hoc animal*, inquit Origenes, in hunc Exodi locum, *pennis suspenditur per aera volitans, sed ita subtile est & minutum, vt oculi visum, nisi acute cernentis, effugiat: corpus tamen cum insederit, stimulo acerbissimo terebrat; ita vt quem volitantem videre quis non valeat, sentiat stimulantem.*

LVII. A Magis frustra tentata.

Moysem & Aaronem, hic quoque imitati sunt Magi, sed frustra, eorum artibus diuinitus impeditis: quod ipsimet significasse videntur, dum dixerunt, *digitus Dei est hic*, impediens scilicet maleficia, qui ante permiserat, vt sic Dei potentia & dæmonum imbecillitas magis appareret, qui ne minima quæque nisi Deo permittente possunt: ideoq; colubros & ranas & sanguinem producere potuerunt, sciniphes autem non potuerunt. Quærit autem Philo cur tantulis animalculis Deus affligeret Ægyptios, non autem maioribus & nocentioribus. Respondetq; Deum voluisse incolas castigare, non tollere. Ostendere quoque potentiam suam. Homines enim, dum bella gerunt, auxilia sibi asciscunt potentissima, quibus suam suppleant infirmitatem. Deus autem omnipotens, & nullius opera egens, si quando vult tanquam instrumentis quibusdam vti ad

exi-

exigenda supplicia, non valida eligit, quorum robur minime curat, sed vilia, atque infirma, &c.

LVII. Quarta plaga omnis generis muscarum.

Noua sequitur plaga, si tamen noua, & non potius prioris tum continuatio, tum amplificatio. Neque enim aut à Pharaone petita, aut à Mose promissa, aut à Deo facta legitur huius plagæ cessatio. Nec opus erat tollere scniphes, vnam muscarum speciem, cum mox omne muscarum genus in Ægyptios educendum esset, ideoque cœnomyia vocatur à Græcis, & non cynomyia id est musca canina. A priore tamen distinguitur, & quarta numeratur, quia cum noua denunciatione fit, & noua diuersarum à primis immissione *c* muscarum. Sic enim habet Dei ad Pharaonem mandatum. *Dimitte populum meum vt sacrificet mihi. Quod si non dimiseris eum, ecce ego immittam in te, & in seruos tuos & in populum tuum, & in domos tuas omne genus muscarum, & implebuntur domus Ægyptiorum muscis diuersi generis, & vniuersa terra in qua fuerint. Faciamque mirabilem in die illa terram Gessen, in qua populus meus est, vt non sint ibi muscæ. Et scias quia ego Dominus in medio terræ*

c Ps. 104. 31.

LIX. Non ferarum aut serpentū

Plana est & aperta narratio, Quia tamen in Hebræo non fit nominatim mentio muscarum, sed mixtionis, variorum scilicet animalium, quidam mixtionem diuersarum ferarum, vt leonum & luporum, alij serpentum & scorpionum, viperarum & lacertorum congeriem interpretati sunt. Rectissimè tamen Hieronymus in editione vulgata, Hebræum textum ex Græco exponens, mixta hæc infecta, & nominatum diuersi generis muscas interpretatus est. Etsi enim Hebræam vocem gharob Septuaginta. κυνομυῖαν verterunt, vna specie omnium molestissima cæteras omnes amplexi: eosque secutus sit Philo, qui huius animalis appellationem ex musca & cane, duobus impudentissimis animalibus ductam scribit. S. tamen Hieronymus, *Cœnomyia*, inquit, *non vt Latini interpretati sunt, musca canina dicitur, per y Græcam literam, sed iuxta Hebraicam intelligentiam, per diphthongon debet scribi, vt sit κοινομυῖα, id est omne genus muscarum, sed Aquila* πανομυῖαν, *id est omnimodam muscam interpretatus est.* Hæc ibi.

ערב

cœnomyia *Ep. extrema ad Sunia & Fastllam*

LX. Magnitudo plagæ huius.

Infinita ergo muscarum omnis generis examina, quasi auxiliares legiones scniphibus adfuerunt, quæ per domos, vicos, plateas, agros, Ægyptumque vniuersam effusa, intercubile dictu est quantum molestiæ, doloris, & impatientiæ hominibus & iumentis intulerint. Inuadebant miseros Ægyptios muscæ obstinatissimæ, nullamque corporis partem, ad quam volatu, grassave peruenire possent, intactam vel innoxiam, mordendo, pungendo, perforando relinquebant, vitam in morsu potius, quam morsum paratæ relinquere. Naares, inaares, in os, intraque vestes furtim illapsæ, longe acerbissimum aculeum infigebant, faciemque maxime, omni ex parte monstrose extuberantem reddebant. Nec dubium etiam est eorum equos & armenta; nam iumentorum præcedens plaga meminit, quæ non acceperat finem, vt diximus, sic in rabiem acta, freno, vinculis, aut claustris retineri non possent, quin se, suosque equites, doloris impatientia, saltu in præceps ferrent, ac perderent. Nam multos muscarum morsibus periisse Scriptura *b* testatur.

Quæres nihilne remedij Ægyptij contra tam importunem pernicien quæsierint, aut repererint. Respondeo, satis perspicuè haberi semel iterumque in Sapientia *c* Salomonis *d*, Ægyptios flammis contra hæc animalia, sed irrito certamine depugnasse. *Quodam enim tempore*, ait, *mansuetabatur ignis, ne combiberentur, quæ ad impios missa erant animalia: sed vt ipsi videntes ferirent, quorum Dei iudicio patiuntur persecutionem.* Et rursum. *flammæ è contrario corruptibilium animalium non vexauerunt carnes coambulantium*, impunè videlicet inter flammas ambulabant, muscæ, vespæ, crabrones, eisque flammæ insigni miraculo parcebant, sicut muscæ ipsæ Israelitis.

His ergo Pharao malis adactus, Moysem ad se, & Aaronem vocauit, vt ijs medicinam aliquam facerent: erant enim & genere suo; &, vt arbitror, duratione molestissima. Probrosum enim erat homines, pecudum instar, bestiolarum aculeis, quasi stimulis agitari, & œstro percitos doloris impatientia, tanquam lymphatos huc illuc que circumcursare. Durationem autem colligere licet, vel ex eo quod quarta hæc plaga, cum præcedenti continuata est, neque media vlla quiete subleuata; vel ex eo quod illiusmodi malorum efficacitas in perseuerantia vexationis maxime sita est, vt supra *e* de diuturna ranarum molestia dicebamus. Vocatis autem legatis, *ite*, inquit *f*, *& sacrificate Deo vestro in terra hac*, nimirum in terra Gessen, intra Ægypti fines. Ex quo apparet Iudæos non fuisse permissos in Ægypto Deo suo sacrificare; alioqui nihil gratiæ offerret Pharao, quo plagæ huic imponeretur finis. At Moses, *non potest*, inquit, *ita fieri*, nimirum sine periculo nostro, & scandalo vestro. *Abominationes enim Ægyptiorum immolabimus Domino Deo nostro*, non quæ Ægyptij execrationi habeant, sed quæ execratione digna sint, quamuis ab Ægyptijs numinis instar colantur. Nam sequitur, *quod si mactauerimus ea, quæ colunt Ægyptij, lapidibus nos obruent.*

Cum ergo intellexisset Pharao non posse diuinum sacrificium in Ægypto celebrari, nec nisi eo concesso, posse intolerabilem muscarū calamitatem cessare, integræ postulationi assensum præbere cogitur, siue id ex animo faceret, siue ficte, ad cladem duntaxat terminandā. Quò videtur respexisse Moyses, dum ait *g*, *Egressus à te orabo Dominum, & recedet musca a Pharaone, & a seruis suis, & a populo eius eras verūtamen noli vltra fallere, vt non dimittas populum sacrificare Domino.* Apparet vtique Pharaonem quando plagis adactus aliquid promittebat, vere habuisse animum exequendi, quæ promittebat, vti supra significauimus, quamuis mox plaga cessante rediret ad ingenium, idque ex ipsa Scripturæ phrasi colligit Abul. *h* Cum enim iteratur aggrauatum esse cor Pharaonis, signum est prius emollitum fuisse: frustra enim diceretur indurari si perpetuo fuisset indurātum, nisi dicas durius semper, atque intractabilius fuisse redditum. Quidquid sit Moses stetit promissis, non stetit Pharao, abiere muscæ, perseuerauit obstinatio

LXIV. Quinta plaga, pestis animantium.

Itaque secuta est quinta plaga, qua Dominus i, *iumenta Ægyptiorum in morte concluſit*, vt ait regius Vates. Nam ingraueſcente corde Pharaonis, ad noua flagella, ſi illis forte miteſceret, redeundum fuit. Imminentem tamen cladem, pro ſingulari bonitate ſua, quaſi non cum hoſte, ſed cum amico ageret, illi denũciari voluit, in hæc verba k. *Dimitte populum meum, vt ſacrificet mihi. Quod ſi adhuc renuis, & retines eos, ecce manus mea erit ſuper agros tuos, & ſuper equos, & aſinos, & camelos, & boues & oues, peſtis valde grauis*, id eſt ſuper pecora quæ ſunt in agris vt eſt in Hebræo. Græco, & Chaldæa paraphraſi. Et ne id forte caſui tribuatur, ſed diuinæ electioni, præmonet Iſraelitas ab ea clade fore immunes, ſimulque certum definit tempus inferendæ cladis. Hic Moſes compendio vſus, omittit quid ipſe Domino reſponderit, quomodo regem adierit, quid ab eo vel excuſationis, vel reſponſi acceperit, contentus plagam ipſam paucis ita perſtringere. *Fecit ergo Dominus verbum hoc altera die, & mortua ſunt omnia animantia Ægyptiorum: de animalibus vero filiorum Iſrael, nihil omnino periit*

i *Pſ.77. 50.*

k *c.9.1.2*

LXV. An prorſus omnium.

At nonne ſuperfuerunt Ægyptijs animalia, quæ ſequentibus cladibus perirent? An dicendum eſt mortua tantum animalia, quæ erant in agris, vt prædictum fuerat, & notauit Emanuel: in vrbibus autem & villis, & ſtabulis intacta fuiſſe. Sicut in clade grandinis certum eſt contigiſſe. Quoniam vero prædixerat Moyſes nihil omnino periturum ex pecoribus Iſraelitarum, animaduerſa tanta Ægyptiorum animantium pernicie, miſit Pharao nuncios in terram Geſſen, ad videndum quid illis contigiſſet, forſan etiam ad inuadendum. Sunt enim Ægyptij natura furaces, & tum Hebræos pene pro mancipijs habebant, quorum bona omnia ad heros pertinent. Accedebat inueteratum odium, & inuidia recens, quod propter ipſos tantis calamitatibus afficerentur, a quibus ipſi ſoli eſſent immunes. Fortaſſe igitur Iſraelitæ iumentis ac pecoribus ſuis, magna ex parte ab iſtis Tyranni miniſtris ſpoliati ſunt, quæ poſtea ſequentibus plagis in manu Ægyptiorum male perierunt. Denique b *ingrauatum eſt cor Pharaonis & non dimiſit populum*, ſed retinuit cum omnibus rebus ſuis, vnde hæc illi iactura compenſaretur.

a *c.9. 19 &c.*

b *c.9.v.7*

LXVI. Sexta plaga vlcerũ.

Sequitur ſexta plaga vlcerum, magna ipſa per ſeſe, atque haud ſcio an præcedentium omnium maxima, vt quæ non externa bona detrimentis attriuerit, ſed ipſum hominum corpus non leuibus muſcarum puncturis, ſed grauibus vlceribus, & veſicis turgentibus affecerit. Sed malum hoc ex ipſo Domino intentante cognoſcamus. *Tollite*, inquit, *plenas manus cineris de camino, & ſpargat illum Moſes in cœlum coram Pharaone, ſitque pulvis ſuper omnem terram Ægypti. Erunt enim in hominibus & iumentis vlcera & veſicæ turgentes in vniuerſa terra Ægypti.* Recte ad inferendam hanc plagam ſumitur cinis ſeu fauilla ex adultione orta, quoniam morbos igneos paritura erat. Non dicit ſparſum iri à Moſe fauillam ſuper omnem terram Ægypti, qui enim id fieri poterat? propterea que ventum addidit Philo, quo perflante pulueri mixtus ſpargebatur, & homines & iumenta in quos cadebat contactu peſtifero exulcerabat. Quanquam nihil eſt neceſſe phyſicam efficacitatem huic cineri tribuere, cum huiuſmodi plagæ enaſcerentur in membris, neque pulueri neque cineri expoſitis. Angeli potius percuſſores, ad hanc cineris diſperſionem, quaſi conditionem ſine qua res non fieret, inferebant plagam, & varijs in locis commotabile, furunculos, bubones, carbunculoſque excitabant, cum acri dolore, qui deinde rupti, in vlcera, pure diffluente vertebantur.

v.8.

Moralis cineris efficacia.

LXVII. Ne huic quidem cladi Pharao cedit.

Hæc neque denunciata, neque inflicta Pharaonem admodum commouerunt, præſertim ſi corpus eius, vt putat Cajet iſta plaga non tetigit, etſi erat ipſe Ægyptiorum omnium facile nocentiſſimus; neque vlla cæterarum, ſi ab ea diſceſſeris, quæ eum in rubro mari ſubmerſit. Exiſtimauit enim ſatius eſſe hanc quoque plagam ferre, quę ſicut reliquę breui finiretur, quam tantum ſubditorum numerum, ex quibus ingentes hauriebat vtilitates, in perpetuum, vt verebatur amittere. Et iam eius animus atque aures ad minas omnes, atque verbera occalluerant, facile tamen ſuſpicari potuit quantum eſſet hoc malum, cum eo correpti malefici, qui ei adſtabant, non poſſent, præ vlcerum dolore, conſiſtere. Quanquam voluiſſe eos diſſimulare credere par eſt, ne vel inurbani coram rege fierent, vel potentiæ aduerſariorum ſuorum Moſis & Aaronis, probroſum contra ſe teſtimonium darent.

Ea malefici affligũtur.

LXVIII. Diuturna fuiſſe.

Fuiſſe hanc plagam ſatis diuturnam ex eo conijcere licet, quod lente ſerpebat malum & incrementa capiebat. *Videbatur enim*, ait Philo, *vnum vlcus à vertice vſque ad imos pedes, his quæ membratim ſparſa erant ſerpigine in vnum coeuntibus.* Et conſtat huiuſmodi furunculos plurium dierum eſſe ſolere, ante quam percurrentur. Plagæ autem ceſſationem, quam idem Philo precibus legati ſupplicantis attribuit, id effeciſſe apparet, vt noui tumores non exorirẽtur, veteres autem paulatim curarentur. Licuit hic Ægyptijs animaduertere diuini iudicij æquitatem, ac meminiſſe in his corporum ſuorum tumoribus, & veſicis turgentibus diſruptis, non ſolum tumoris animi, & ſuperbiæ deiectæ diuinitus ac depreſſæ, ſed flagellorum etiam quibus liuentes reddiderant ſcapulas Iſraelitarum. Ergo pro vibicibus puſtulas, & diruptionem cutis, pro attrita & contuſa carne apoſtemata, & vlcera in carne, & pro paucis plurima pertulerunt. Iudæi ad latericias fornaces crebras adultiones ſenſerant, iſti fornacis inſperſi fauilla turpi ſcabie, atque adurente impetigine toto in modum reſpergebantur. Et qui dudum graui eos labore attriuerant, nunc præ vlcerum & furunculorum acerbitate, non laborare, non ſtare, non ambulare, ne iacere quidem ſine dolore, aut quieſcere permittebantur.

Eius ceſſatio.

Æquitas diuini iudicij aduerſus Ægyptios.

ANNVS MVNDI 2544.

MOSIS 81. EXITVS AB ÆGYPTO.

ET DATÆ LEGIS. 1.

IOBI 217. & vlt. AARONIS 84.

ASCATADIS 9. Imperij Assyrior. 613.

CENCHRIS vlt.

ANTE CHRISTVM 1509.

I. Ratio temporis.

EX ijs quæ initio præcedentis anni diximus intellectum est Promissionis annis absolutis consequens esse, vt seruitus Israelitarum finem accipiat, & libertas in exitu ex Ægypto initium sumat, quæ diuina lege quamprimum regatur: quæ duo hoc ipso anno inchoari, tum Paulus Apostolus a, qui post 430. promissionis annos datam legem affirmat, tum tertius Regum liber confirmat, qui ab hoc exitu ad fundamenta templi Salomonis 480. annos enumerat; quam temporis rationem eum hoc initio recte congruere, postremus ille annus, Deo bene iuuante, docebit. Hunc quoque postremum esse Iobi annum in huius fine declarabimus. Cenchrem quoque postremo nominamus, quia in eius initio mortuus, est, nec regni sui decimum septimum auspicatus est.

a Gal. 3. 17.

II. Cur totius plagæ in duos annos distrahamus.

Vnum superest ad rationem temporis cur scilicet Ægypti plagas in duos annos distrahamus, & quatuor postremas, grandinis, locustarum, tenebrarum, & mortis primogenitorum, in hunc vsque annum distulerimus. Responsio in promptu est. Docuimus enim superiore anno pluribus, non vnius aut alterius mensis fuisse decem hasce plagas, sed anni fere vnius, qui superiore anno, vere circiter inchoatus, eodem quoque propemodum incunte, quartadecima scilicet luna ab æquinoctio terminatur. Grandinis autem plagam, & quæ eam consecutæ sunt in hunc annum reiecimus, quia ex Mose constat eam contigisse cum iam linum & hordeum è terra ita extulerant sese, vt in calamos assurgerent, qui grandine dissecarentur & dissilirent. Et cum Moses ait hordeum fuisse virens, de herba vtique non loquitur, quæ semper est virens, sed de spica virente & virentibus granis instructa. Ieaque Abulensis & Cornelius hanc calamitatem mense Februario non immerito contigisse putant.

III. Præmature denunciatur vltima plaga.

Priusquam autem ad septimam plagam transeatur, præmittuntur quædam, quæ partim ad decimam plagam referri debent, qua primogenita tam hominum quam pecorum, Angelo percutiente, peste deleta sunt; partim etiam ad ipsius regis & populi eius interitum in mari rubro: quæ plagæ quia erant omnium maximæ atque grauissimæ, præmaturè ad flectendam duritiam cordis illius principis, denunciantur. Septima vero cum huiusmodi obiurgatione denunciari iubetur b. *Ad-*

b Exod 9 17.

f Finde septimæ grandinis.

huc retines populum meum, & non vis dimittere eum. Ecce pluam cras hac ipsa hora grandinem inæstimabilem nimis, qualis non fuit in Ægypto, a die qua fundata est, vsque in præsens tempus. Neque ea monitione contentus, Regem improbum, eique simillimum populum monet, vt res suas imminenti cladi subducant, quasi non foret eorum iudex, sed indulgens ac prouidus pater. Ait enim. *Mitte ergo iam nunc, & congrega iumenta tua, & omnia quæ habes in agro. Homines enim & iumenta & vniuersa quæ inuenta fuerint foris, nec congregata de agris, ceciderit que super ea grando, morientur.*

IV. Ægyptiorũ stupor

Sed vide mortalium stuporem aut fastum; Plerique enim, quamuis tot iam eruditi verberibus, aut non crediderunt, aut neglexerunt, ne timidiores fuisse, aut Deo Hebræorum obtemperasse viderentur. Ieaque derelictos in agris seruos, & iumenta contrita grandine perdiderunt. Neglexit & Rex Pharao, corde in dies duriore, & exæcatiore mente, Itaque condicto tempore. *Extendit Moyses virgam in cælum; & Dominus dedit tonitrua, & grandinem, ac discurrentia fulgura super terram, pluitque Dominus grandinem super terram Ægypti; & grando & ignis mixta pariter ferebantur; tantæque fuit magnitudinis, quanta ante nunquam apparuit in vniuersa terra Ægypti, ex quo gens illa condita est.* Id est ex quo terra Ægypti post diluuium cœpit habitari; & ex quo posteri Noe ad eam terram profecti, illam incoluerunt, & gentis Ægyptiacæ duce Mestraino filio Chami, nepote Noemi, authores & parentes fuere, quod sub diuisionem gentium contigit atque linguarum, anno à diluuio 275. & à præsenti anno 613. Nam si qui ante diluuium illic habitabant, Ægyptij non erant. Sed pergit Moses.

v. 23. Decidit grando inusitata.

V. Septem quasi loris flagelli septimi.

Et percussit grando in omni terra Ægypti cuncta quæ fuerant in agris, ab homine vsque ad iumenta, cunctamque herbam agri percussit grando, & omne lignum regionis contrigit. Hæc Moyses, quibus similia in Psalmis, & Sapientia Salomonis continentur, aut etiam supplentur. Quæ ita distingui possunt, vt septimum hoc Dei flagellum, septem funibus, seu loris in Ægyptum sæuierit; primum tonitribus horrendis; nam tonitrua à Mose primo loco memorantur, & Pharao ijs conterritus primùm petit orari Dominum, *vt cessent tonitrua Dei.* Nam horrificum in modum nigrescente cœlo, colluctantibus cum procella nubibus, tonitrua horribiliter perstrepebant, atque omnem in partem clarissimo fragore reboabant; vt non solùm audacissimi quique terrerentur, sed inusitata etiam, ac subinde ingruente sonorum violentia, obsurdescerent. 2. Tonitribus de more fulgura iungebantur, quibus crebro coruscantibus, inexpectato fulgore perstringebantur oculi, & auribus imminens tonitru nunciabatur.

1. Tonitrua.

Fulgura.

3. Tertium fuit horribilis grando, quæ in hac plaga maxime desæuijt, vt propterea cæteris obscuratis, passim hæc grandinis plaga memoretur, siue propter inauditam eius magnitudinem, siue propter magnitudinem inusitati ab ea illati, de quo dicemus paulò post. Quarto loco secundum diram grandinem desæuijt ignis, quem eructabant nubes,

VI. Grando præcipua.

4.

Ignis & fulmina.

& iaculabantur in terras, ibique mirabilibus modis infesti discurrebant, comburendo, liquando, diuidendo, diruendo vt in decimis illis de cœlo ignibus crebrò cernitur. Quinto pluuia quoque in hac plaga sæuiebant. Negant quidem Abulensis & Pererius mixtam pluuiæ grandinem decidisse, sed grandinem solam, vt esset nocentior, neque eius ictus pluuia mollireturr.

Pluuia quę dubita cit.

5.

VII Ex Scriptura confirmatur c.9.33 & 34.

Verũ Scriptura sæpe pluuiæ seorsim à grandine meminit, hoc ipso enim capite c, *Cessarunt*, inquit Moses, *tonitrua & grando, nec vltra stillauit pluuia super terram*, & mox. *Videns Pharao quod cessasset pluuia, & grando, & tonitrua.* Separat quoque grandinem à pluuia Sapiens pluribus in locis Ex quibus liquet veram pluuiam intelligi oportere, cuius est stillare, & ignem extinguere. Estque admirabilius ignem in aqua pluuia non extingui, sed inardescere, quam in concursu grandinis. Nec obstat quod grandinis impetum pluuia solet infringere, quod tum alienum erat à Dei consilio; potuit enim pluuia & grando, alternatim cum igne descendere: potuit & grando tanta præsertim contra vim pluuiæ seruare vim suam, vt pluuia contra ignis ardorem conseruabat suam; & nix & glacies igne non tabescebant. Pluuijs, sexto loco valde probabiliter addit Philo ventorum procellas, atque tempestates. Artapanus etiam apud Eusebium d, ait terræ motus noctu extitisse, multosque hiatus, vt qui hos effugerent grandine interirent, & qui vitarent grandinem, vastis terræ hiatibus absorberentur.

Non impediuit grandine neque ignem.

ventorum procellas.

& hiatus terræ.

d Euseb. præp. c. 2

VIII. Cladis huius effecta a Exod. 9 25.

Huius cladis 4. effecta reperio. Primum est cædes hominum ac iumentorum, quos tam dira tempestas in agris, in flumine, in itineribus, & omnino sub dio reperit. Id tradit Moses a, cum ait grandine percussa cuncta quæ fuerunt in agris, ab homine vsque ad iumentum. Ait secundo perdidisse omnem herbam agri, herbæ nomine tam sponte natas, quam hominum satu comprehendens, quarum alias protriuit vt linum & hordeum, quæ in culmum iam assurrexerant, alias obruit vt triticum & far, & quæcunque tardius oritura in herba erant, quia omnia in Ægypto simul sata fuerant, etiam quæ hic verno tempore seruntur. Ait tertio grandinem omne lignum regionis confregisse: quod explicans Dauid b, *Et occidit in grandine vineas eorum, & moros eorum in pruina.* Et rursum, *Et percussit vineas eorum, & ficulneas eorum, & contriuit lignum finium eorum.* Potest etiam arborum confractio fulminibus tribui; id enim non infrequens est; præsertim cum grando & ignis pariter mixta ferrentur; cui cladi etiam ventorum procellæ, turbinesque seruiebant. Addit Artapanus c crebris terræ motibus omnes domos, plurimaque templa concidisse. Horrenda igitur fuit hæc clades, multisque quasi flagellis vna desæuiens, vniuersam Ægyptum terrore, damnisque grauissimis compleuit.

1. a 2.

b Ps 77. 47. & 104. 33.

4. c l. 9. c. 27 Gra. Lat.

IX Pharao fauidus Motem euocat.

Denique tantum hæc mala vel damni vel terroris Ægyptijs incusserunt, ipsique Pharaoni, vt Dominum valde formidaret, sibiq; placatum vellet cum, cuius nutui ignis, grando, nix, glacies spiritus procellarum in perniciem hostium eius obsecundarent. Misit itaque Pharao seruos suos ad Moysem & Aaronem, culpam suam, ex seruili præsentium pœnarum mœrore, & desiderio liberationis agnoscens: Euocatisque dixit d, *Peccaui etiam nunc. Dominus iustus, ego & populus meus impij. Orate Dominum vt desinant tonitrua Dei, & grando, vt dimittam vos: & nequaquam hic vltra maneatis.* Non est autem existimandum Pharaonem hic omnimodam populi dimissionem pollicerì, cum legati Domini nunquam eam petierint, sed solum commeatum in diem tertium sacrificandi causa. Quis enim credat difficilem debitorem ac tenacem, pollicerì amplius, quam à creditore postuletur? Spondet ergo populum, statim à cessatione plagæ, sine vlla dilatione, ad solenne totius populi sacrificium dimissum iri; sperans nihilominus, atque intendens reuersionem, quam legati dissimulabant.

d c. 9. 27. 28. Culpam agnoscit.

Dimissio ne ipsi det

X. Acquiescit Moses, & orat.

Acquieuit petitioni Moses; imo præter postulatam orationem, intrepidè promittit se exauditum iri: vt intelligat Pharao quantus sit ille Dominus--*cui militat æther. Et coniurata ventunt ad vota procella.* Spem etiam addit & timorem pro conseruatione frugum, quæ grandine læsæ non fuerant. Quid multa? Orauit Moyses, cessauit grando, atque tonitrua, *& Pharao auxit peccatum.* Recte, erat enim semper in culpa, sed ea perpetuo nouis peccatis augebatur. *Et ingrauatum est cor eius, & seruorum illius, & induratum nimis.* Vertebant sibi opinor laudi, & constantiæ tribuebant quod tam multa, tamque grauia perpessi, non frangerentur animis neque flecterentur. Sicut qui castrum, aut ciuitatem aliquam ab hostium oppugnatione defendunt, quo asperiora, sine deditione tolerant, hoc vulgò glorioſiores euadunt. At tolerantia nullam habet, nisi in causa honesta, fortitudinis laudem, sed iustam peruicaciæ, & obstinationis accusationem.

Induratus Rex.

XI Octaua plaga locustarum c. 10. Exod. 3.

Ventum est ad octauam plagam locustarum e, siue, vt est apud Dauidem & Septuag. Bruchi & æruginis. Eam plagam iubet Dominus denunciari Pharaoni cum querela, & minis. Duo enim mala valde grauia in pœnam peruicaciæ comminatur, vastitatem omnium frugum, fructuum & herbarum totius Ægypti; & molestiam à locustis, ei similem quam antea fuerant à ranis perpessi, Quibus denunciatis, *auertit se, & egressus est à Pharaone*, fortasse commotior, quod videret eum nec petitioni acquiescere, nec terreri minis. Verum tam denunciatio, cui præcedentes plagæ maximam conciliabant fidem, quam subitus legatorum egressus, quasi ad verbera præparanda, Ægyptijs Regi assistentibus metum incussit, & adegit vt petitioni Mosis, vel inuiti fauerent, dicerentque f, *Vsquequo patiemur hoc scandalum?* Quandiu erunt nobis isti Hebræi in ruinam & interitum? *dimitte homines, vt sacrificent Domino Deo suo. Nonne vides quod perierit Ægyptus?* ex plaga præsertim postrema, quæ maximum terrorem, ac calamitatem intulerat.

Ægyptij commouentur.

e c. 10. v. 7. 8.

Itaque siue sponte sua, siue iussu Regis reuocauerunt Moysen & Aaronem. Quibus Pharao, *Ite, & sacrificate Domino Deo vestro. Quinam sunt qui ituri sunt?* Paucos enim putabat ituros sacrificandi causa: quorum ia-

XII. Pharao primùm tantum dat commeatum.

cturam, si forte non redirent, tanti emendam non putabat: credens insuper se eos, retentis pignoribus facile reuocaturum. At Moyses, *cum paruulis*, inquit, *nostris, & senioribus pergemus, cum filijs & filiabus, cum ouibus & armentis. Est enim solennitas Domini Dei nostri*, à qua nefas sit quenquam abesse. Distinctius enumerat singula, vel ne eum in rem ventum fuerit, Rex odiosius cauilletur, vel ad quandam insultationem improbi serui, qui verberibus incipiat edomari, fastumque inclinata ceruice deponere. Respondit nihil dominus, *Sic Dominus sit vobiscum, quomodo ego dimittam vos, & parvulos vestros.* Quæ est imprecatio huic æquualens. Ita faueat vobis Deus vester, quomodo ego vos liberos abire permittam. *Cui dubium est quod pessimè cogitetis?* Fallere scilicet nos, non reuertendo peractis sacrificijs; aut bellum nobis inferre tot cladibus exhaustis, vbi nullos ex vestris obsides apud nos habuerimus. Itaque liberos & vxores retinere cupit, quorum amor domum parentes, maritosque reuocaret. Itaque subdit *Ite tantum viri, & sacrificate Domino: hoc enim & ipsi petistis.* Statimque eiecti sunt de cõspectu Pharaonis, vel ne coargueretur falsitatis, vel quia gestũ videbat non acquiescẽtiũ.

non se-nuncicẽte Moſe.

XIII. Locustæ Ægyptũ opertiunt & vastant

Ergo venitur ad supplicium. Nam iussu Domini *extendit Moyses virgam super terram Ægypti, & Dominus induxit ventum vrentẽ tota die illa & nocte, & mane facto ventus vrens leuauit locustas. Quæ ascenderunt super vniuersam terram Ægypti, & sederunt in cunctis finibus Ægyptiorum innumerabiles, & mox, Operuerunt que vniuersam superficiem terræ vastantes omnia.* In Hebræo habetur obscuratam esse terram, ex quo Chaldæus Onchelos collegit radios solis locustarum multitudine, quasi densa nube obuelatos; & alij interpretes vocant *locustarum nubem.* Sed parum id erat, nisi sequeretur vastitas, quam intulerunt deuorantes omnia. Nam sequitur, *Nihilq; omnino virens relictum est in lignis, & in herbis terræ, in cunctis Ægypto.* Quod autem ait à locustis consumpta, quæ grando reliquerat, miserabilem Ægypti faciem oculis mentis obijcit, & incunte vere tristiorem, quam in asperrima bruma. Itaque quam maxima ex parte grando deformauerat, locusta penitus perdidit, dum quę illa lacerauerat, aut obruerat, ista radicitus consumpsit. Sed & domi, vt prædictum fuerat, ranarum & muscarum molestias ita renouauit, vt Pharao ipse hanc miseriam mortem appellaret.

XIV. Pharao legatos reuocat, & plagæ finem imperat. a c.10. v. 16.17.

Nam qui nuper e conspectu suo Moysem & Aaronem indignabundus ciecerat, reuocauit eos vel inuitus, dicens a, *Peccaui in Dominum Deum vestrum, & in vos*, dum scilicet toties fefelli datam fidem, & toties contra eum, à quo à clade liberabar obstinatus, atque ingratus obdurui: vosque ipsos perfidiæ meæ testes habui. *Sed nunc dimittite peccatum mihi, etiam hac vice, & rogate Dominum Deum vestrum, vt auferat à me mortem istam*, plagam scilicet locustarum, quæ mihi meisque instar mortis est. Quam peccati agnitionem atque confessionem etiam in homine impio atque infideli, ita probauit Dominus, vt amicis suis pro eo intercedentibus, illum mox ea plaga liberaret. Nam *flare fecit ventum ab occidente vehementissimum, & arreptam locustam proiecit in mare rubrum: non remansit ne vna quidem in cunctis finibus Ægypti.* Cũ enim diuino instinctu sese vndique in altum tollerent, vi venti abreptæ sunt omnes, ne opus esset eas in aggeres immensos congregare.

XV. Nec emendatur

Sed num indulta venia insanos emendauit: Visus est ventus, qui locustas vastatrices vniuersę regionis in rubrum mare dispulerat, eiusdem quoque vastitatis sensum, & memoriam Ægyptijs abstulisse, itaque ad pristinam stultitiam rediere; Rex in primis, de quo iterum Scriptura suum illud quasi intercalare carmen occinit. *Et indurauit Dominus cor Pharaonis*, non data illi gratia, qua efficaciter moueretur ad standum promissis, *nec dimisit filios Israel.* Sed nec Dominus finem flagellis imposuit. Merito sane. Redintegrante quippe Pharaone peruicaciam suam, Dominus ad nouum supplicium inferendum accingitur, & quidem per breui, vt apparet, interposita mora. Nam sine vlla vel comminatione vel denunciatione iubetur Moses extendere manus in cœlum: ne si diuturna foret cessatio, persuaderet sibi Pharao Deum Hebræorum sua pertinacia superatum, cessisse victoriam, quod ille fortasse futurum sperabat.

v. 20.

XVI. Venitur ad nouam plagã tenebrarum

Necesse autem est hanc nonam plagam sub initium Martij, vel nouam lunam Æquinoctij contigisse, vt post eam terminatam, aliquot dies Ægyptijs ad respirandum dati sint immunes à plagis, in quibus faciliores redderentur ad gratificandum Israelitis, & mutuo danda vasa aurea & argentea, & vestem pretiosam, ad suam solennitatem celebrandam. Nam vt quis benefaciat, & gratificetur illi, à quo, vel propter quem vapulat, dum vapulat, incredibile videtur: factam autem hanc vasorum commodationem, inter nonam & decimam plagam, postea cum Augustino docebimus. Nonam autem Moses describit hisce verbis diuinitus imperatam. *Extende manum tuam in cœlum, & sint tenebræ super terram Ægypti, tam densæ, vt palpari queant.* Imperium illico impletum est. *Extendit*, enim, *Moyses manum in cœlum*, quasi prohibiturus lucem, quæ inde in mortales effunditur, *& factæ sunt tenebræ horribiles in vniuersa terra Ægypti tribus diebus* &c.

XVII. Sex circũdè mala.

Quatuor in hac plaga notantur, quæ si recte cognita fuerint, ostendent eam fuisse omnium opinione maiorem, additis præsertim duobus alijs malis, quæ tum à Scriptura ipsa, alijs in locis, tum à Philone memorantur: quæ hic perstricta paucis, accuratius in Annalibus explicata reperiuntur. Primum est densitas & magnitudo tenebrarum, quæ in Hebræo vocantur obscurissimæ, in Chaldæo nocturnis tenebris densiores, in Græco caliginosæ, in omnibus linguis palpabiles; non quidem ratione sui, sunt enim priuatio, quæ sub tactũ non cadit, sed in sua causa, aere scilicet vsque adeo ad densato, ac constipato, humidis ac frigidis vaporibus infusis, vt in aqueam soliditatem declinaret, vt neque ventorum procella, quæ tum sæuiebat, vt aiunt Septuag. dissiparetur, neque luminj ac flammis penetrabilis esset, vt Scriptura ipsa testatur b. *Et ignis quidem nulla vis*, inquit, *poterat illis lumen præbere, nec sydorum limpidæ flammæ illuminare poterant illam noctem horrendam.* Sic ibi.

1. Densitas tenebrarum.

b Sap. 17.5

XVIII.

Erant autem hæ tenebræ nõ solũ densissimæ

sed etiam horribiles, quod erat alterum earum malum, siue quia, inquit Rabanus, semper tenebras comitatur horror, & quanto minus discernit quis, quæ circa se sunt, tanto magis metuit, vndique aduersa pauitans. Seu potius propter *horribiles visiones* c, dæmonibus eis prodigiosa phantasmata obijcientibus, quibus formidolosissimo horrore concutiebantur, aut vt nonnullis interdum contigit, exanimabantur. Nam Sapiens d ait personas tristes illis apparentes pauorem præstitisse; apparuisse & subitaneos ignes, qui ex ipsis forsan spectris emicabant, ad maiorem incutiendum terrorem. Sed hoc erat ista quasi coruscatio formidolosior, quod non ex longinquo apparebat, vt fulgura, sed proxime afflabat oculos, ac pene adurebat. Somnium quoque quem tenebræ ipsæ conciliabant, inquietum habebant, & visis terrificis interruptum, quibus ingruentibus animo linquebantur præ timore, & quo quisque loco ex eo timore decidisset, immobilis ibi quasi carcere conclusus reddebatur, vt ait idem Sapiens.

Tertium quod huius magnitudinem supplicij exaggerat, est quod in dira illa ac diuturna nocte, auditus Ægyptiorum horrificis quatiebatur sonis, siue quos spectra illa edebant, siue qui quoquo modo intra illam remugiebant caliginem. Nam Sapiens e ait omnia quæ poterant vndecumque exaudiri, eis horrificum terrorem incussisse. Nimirum sontes carcere detenti, quoties strepitum aliquem ad ianuam audiunt, ad mortem suis sceleribus debitam, rapi se suspicantur. Quartum huius cladis incommodum à Mose tangitur, à Sapiente dilatatur, *Nemo*, inquit ille, *videt fratrem suum*, vt scilicet aliquid ab eo posset, aut consilij aut consolationis accipere, *nec mouit de se loco in quo erat*, non quod pedes manusue mouere non possent: nam hic aer non erat crassior effectus aqua, in qua huiusmodi motus fieri possunt, imo & respirationi deseruiebat, alioqui omnes suffocati fuissent. Non mouebant tamen se loco, vel quia cum omni luce carerent, nesciebant quo, in tanta mentis ac rerum perturbatione, ruituri essent: vel quia terrificis paufacti monstris, metuebant, si se loco mouissent, ne peius aliquid offenderent; itaque quasi in carceribus singuli concluſi tenebantur, vt fusius apud Sapientem leges, a.

Quinta huius mali perfectas fuit diuturnitas eius. Prædicta enim incommoda, spectrorum præsertim, ignium, sonorum, cæcæ ac palpabilis caliginis, famis ac sitis, ac confusionis rerum omnium, tanta fuerunt, vt perexiguum tempus intolerabile videri posset. Diuturnitas autem trium dierum, totidemque noctium, magnam rerum desperationem afferebat, & timorem, ne omnia in antiquum confusionis chaos redigerentur. Sextum denique huius plagæ malum ex loco petitum est, quod non exiguo aliquo loco definitæ erant illæ tenebræ, sed vniuersam Ægyptum, excepta terra Gessen, occupabant; nec ea quidem tota, cum Ægyptij Iudæis mixti habitarent; idque alijs quoque locis videtur contigisse, in quibus Hebræi operis causa famulabantur. Quod videtur innuere Moses, cum nulla facta mentione terræ Gessen, *Vbicunque*, inquit, *habitabant filij Israel, lux erat*. At supra eam prouinciam diserte nominauit, cum de grandine ageretur, quæ Israelitarum possessiones ac pecora non violasset; quod nusquam alibi quidquam possiderent Hebræi, etsi alibi lateres pyramidesque fabricarentur.

Huius plagæ finem sic memorat Moyses b. *Vocauit Pharao Moysem & Aaron & dixit eis. Ite sacrificate Domino: oues tantum vestræ & armenta remaneant, paruuli vestri eant vobiscum.* Non petit cessationem tenebrarum, vt supra grandinis, & locustarum: ex quo datur intelligi, tenebras post triduum, vltrò Dei voluntate dissipatas, & emergente luce missam ad Pharaonem legationem istam, ad maius etiam aliquod malum vitandum; sicut post mortem primogenitorum, misit ad Moysem, dimisitque populum, veritus ne mortem primogenitorum, generalis omnium interitus sequeretur. Sperauit quoque se, qui iam recens ad dimissionem paruulorum præbebat assensum à Moyse impetraturum, vt sine gregibus & armentis, nisi pauculis ad sacrificium necessarijs, abirent, sequeque eos postmodum, hoc retento pignore, reuocaturum in Ægyptum. Sed eam Moses conditionem non accipit; *præsertim*, inquit, *cum ignoremus quid debeat immolari donec ad ipsum locum peruenerimus.* Verum hæc aperta dissimulatio erat; Etsi enim non expressérat Deus, quid aut quomodo sibi sacrificari vellet, multa tamen habebant animalia, quæ inepta erant ad sacrificia, equos, asinos, mulos, camelos &c. Vt quasi insultando dictum videri posset, *non remanebit ex eis vngula*.

Itaque planè intellexit Pharao Hebræos omnia sua secum velle abducere, quod statuissent in Ægyptum non reuerti. Nec tulit hanc dicèdi libertatem, neque imminentem bonorum, quæ spe deuorauerat, iacturam. Dolebat insuper se diris flagellis seruilem in modum excruciatum cogi, seruos olim suos, non solum liberos dimittere, sed multis etiam bonis circumfluentes; vt in summa populi sui penuria, quã plagæ intulerant, & hominibus priuarentur, & bonis. Itaque hunc animi dolorem, Deo peculiari gratia cum eo non concurrente, conquoquere non valuit, negauit facturum quod petebatur. Quin iram etiam adiunxit, & minas. *Recede*, inquit, *à me & caue ne vltra videas faciem meam: quocunque die apparueris mihi, moriêris*: & acquieuit Moses, quod ita speraret vterque futurum. Apparet tamen Moysem post aliquot dies, non solum vidisse Pharaonẽ, sed cum eo etiam fuisse collocutum: cum Rex post eædem primogenitorum, eam cum fratre euocauit, iussitque surgere & egredi, nisi placet hanc collocutionem per internuncios factam esse: aut quod malim, intellexisse Mosem, non aditurum se sponte regem ad cladem aliquam intentandam, aut inferendam.

Interim autem dum apud Pharaonem versaretur Moyses, allocutus est eum Dominus c, vel per internam illuminationẽ, vel per secretã Angeli apparitionem: à quo edocetur de plaga vltima, & secutura dimissione: Iterauit & præceptũ de spoliandis Ægyptijs, significans adesse tempus illius exequendi. *Dices ergo*, ait, *omni plebi*, clam videlicet, & de aure in aurem, ne res Ægyptijs innotesceret, *vt postulet vir*

ab

---

c. Horror ex spectris terrificis.

e *Deut.* 4. 34.

d *Sap.* 17. 4. 6. Igneisque;

XIX. 3. Ex horrificis sonis. 4. Ex immobilitate. e c. 17. 17 18.

a c. 17. *fuse.*

XX. 5. Ex diuturnitate.

6. Ex loci amplitudine.

XXI. Qui huic plagæ finis impositus. b Exo. 10. 24. 25.

Pharao retinere cupit pecora Hebræorũ

XXII. Iracitur agnoscens eos penitus abire velle.

v. 28.

XXIII. Dominus Mosem secreto edocet. c Exo. 11. 1

ab amico suo, & mulier à vicina sua, vasa argentea & aurea, & ne irritam putent fore postulationem, subdit is, qui corda hominum habet in manu sua, se daturum gratiam populo coram Ægyptijs ad impetrandum.

De vasorum mutatione, &c.

Denique inspirat eodem tempore Dominus Moysi, vt regi plagam cædis primogenitorum denunciet, & quæ eam sint secutura: quod & ipsis Domini verbis facit, addita circunstantia temporis, & personarum. Facta autem videtur ista denunciatio, non pridie cladis ipsius, sed nono die primi mensis, vt existimat Abulensis. Decimo autem sepositerunt sibi Israelitæ agnos paschales; undecimo & duobus subsecutis mutuati sunt vasa ab Ægyptijs: Decimo quarto extremo primum pascha sacrificatum, & agni sanguine superliminaria intincta, postesque portarum, agnusque solenni ritu comestus est. Inde inchoatur Lunæ decimus quintus dies, in cuius media nocte primogenita occiduntur: & primo diluculo exeunt Hebræi ex Ægypto.

Denunciatur plaga decima primogenitorum.

Dispositio horum decem.

XXIV. Ea denunciatio regis iram monet.

Cum ergo Moses vltra denunciationem tanti mali, etiam magnifice prædicaret clamores, & vlulatus Ægyptiorum, in summa atque innoxia Hebræorum tranquillitate; insuperq; optimatum Ægyptij regis erga se humilitatem, infimasque preces ad petendum id quod nunc recusarent, vehementer iratus est Pharao, ita vt ejiceret à se Moysem, cum terribili mortis interminatione dicens, *Recede a me, & cave ne vltra videas faciem meam*, &c. vt supra diximus *d*, vbi à Scriptura per anticipationem posita fuerunt *e*. Vt autem egressus est è conspectu Pharaonis, à quo nullum certum responsum acceperat, occurrit illi Dominus omnium futurorum præscius, dixitque ei, *Non audiet vos Pharao, vt ea occasione multa signa fiant in terra Ægypti.* Vel tametsi multa fiant miracula, ideoque inutile est ea deinceps multiplicare. Iuit autem Moyses in terram Gessen, moniturus populum de mutuo accipiendis vasis ab Ægyptijs, cæterisque peragendis, quæ capite duodecimo continentur. Expectaturus quoque tempus, quo Dominus minas in facta conuerteret.

d num. 11 e cap 10. v. 28.

XXV. Causæ mutuo datorum vasorum.

Non est autem quod quisquam arbitretur proximam grauissimæ cladis denunciationem, importunam fuisse ad gratiam mutuo accipiẽtibus necessariam. Cum enim ea per Ægyptum celebrata esset, docuissetque iam toties experientia non abire in ventum irritas Mosis & Aaronis minas, perterrefacti Ægyptij, Hebræos sibi deuincire voluerant, gratuita & beneuola mutuatione vasorum, & vestium, rati hoc verum fore mutuum, vt precibus apud Deum suis, hanc primogenitorum quam formidabant calamitatem, vel à tota Ægypto, vel à suis ipsi capitibus nomine gratitudinis & liberalitatis auerterent. Dedit præterea Dominus gratiam populo coram Ægyptijs *a*, vt cõmodarent eis; ea enim gratia, videbantur Hebræi amore & honore, & quibusvis beneficijs dignissimi, adeo vt Ægyptij, iuxta Hebræum textum, Israelitas induxerint ad petendum, offerendo benigne sua, & incitando vt confidenter peterent, vt notauit Caiet.

Vt à denunciata cæde extinerentur.

a 6, 12. 36.

XXVI. Mosis ad

Hac autem gratia maxime valuit Moses quod ipsemet non obscure significat illis verbis *b*. *Fuitque Moyses vir magnus valde in terra Ægypti, coram seruis Pharaonis, & omni populo.* Cum enim proxime egisset de gratia, quam Dominus daturus erat Hebræis, ad impetrandum quæ peterent, vult intelligi datam fuisse Moysi longe maximam, apud aulicos & optimates præcipuè, qui huiusmodi pretiosa supellectile abundant, vt præ omnibus & peteret ab Ægyptijs, qui eum reuerebantur, & impetraret. Sicque hunc locum plerique explicant, & Abulensis in primis, qui addit ex Aben-Ezra quosdam de Iudæis, qui cernebant Moysem maxime ab Ægyptijs honorari, nec minus eius potentiam formidari, ipsius nomine plurima petijsse mutuo ab Ægyptijs, & impetrasse. Et vt apparet lætabantur datam sibi hanc occasionem de eo bene merendi, eiusque gratiam aucupandi. Hinc autem nata videtur fabula, quæ apud Iustinum quoque legitur *c* de sacris Ægyptiorum à Mose furto sublatis.

b cap. 11. 3.

c libr. 36.

XXVII. Israelitæ cur non acceperint mutuo pecunias.

Sed videamus quid hac freti gratia Israelitæ mutuò acceperint, quando, à quibus, & quo iure. Et primum nulla fit mentio pecuniarum, eiusque rei duplicem affert causam Abulensis. Prior est quia cum dissimulatus esset discessus, & specie solennis sacrificij peragendi discederetur, vasa preciosa ei vsui futura erant, non pecuniæ, quarum postulatio voluntatem penitus abeundi, Ægyptijs prodidisset. Deinde pecuniæ non erant futuræ necessariæ ad cibos, aut alios vitæ vsus, quia iter facturi erant per solitudines, neminemque inuenturi, à quibus illa sibi præsenti pecunia comparare possent. Et vt maxime eo confluerẽt Madianitæ, Agareni, Amalecitæ, cæteræque vicinæ gentes, pecunia Ægyptiorum extra Ægyptum vsui fortasse non fuissent. Vasa autem aurea atque argentea suum semper retinebant valorem, & præterea vsui futura erant ad fabricanda vasa tabernaculi. Et hoc quidem loco *d* vasa tantum aurea & argentea memorantur; alibi autem *e* adduntur etiam vestes, quo nomine panni pretiosi, peristromata, pelles & purpura, lineæ telæ, aliaque id genus continentur; sicut in vasis, torques & monilia, aliaque multiplex gaza comprehenditur, quæ arcæ testamenti, & tabernaculo *f*, & vestibus pontificijs conficiendis adhibenda erant.

Sed vasa, & vestes, &c.

d ca. 11. 2.

e c. 3. & 12.

f Item l. 4 c. 49.

De tempore iam diximus videri mutuationem hanc factam esse diebus inter nonam decimamque plagam interiectis; quod perspicue affirmat Augustinus *g*, & Rupertus *h*. Sic vt nullo modo velint post decimam plagam esse mutuatos, quamuis post eam, per repetitionẽ siue anacephalæosin, alieno loco recitetur illa mutuatio; Et illud, *cum egrediemini postulabit mulier*, &c. Non ad horam egressionis restringendum est, sed profectionis tempus, ad dies aliquot, quibus illa parabatur, extendendum est, nec tanti momenti negotium ad tam importunum tempus differẽdum fuit. Quamuis autem vicinorum tantum mentionem fecisset Dominus, de cæteris tamen non negauit, in quibus hospites & amici totius regni, & non soli Gessenitæ, qui cum Hebræis habitabant, continentur. Quin etiam admodum probabiliter putat Oleaster, magnam partem mulierum Hebræarum, quæ ancillarum officio fungebantur apud dominas Ægyptias, ab eis ma-

XXVIII. Quando facta mutatio.

g q. 45. in Exod.

h L. 2. in Exo. c. 18

Et à quibus.

gnifice ornatas fuisse, ad ipsarum celebritatem honestandam, in eoque diuitias suas ostentare voluisse *vt contingere solet*, inquit, *in festo D. Virginis de Rosario.*

XXXIX. Et quo iure donatione diuina.

Nam quod ad iustitiam spoliatorum Ægyptiorum attinet, repudianda primum videtur Iosephi opinio, de rebus hisce dono acceptis, cum spoliatam Ægyptum scriptura dicat; repudianda & Philonis, qui pene prædones appellat contribules suos, sed agnoscendum Dei opt. max. summum in res omnes, maximumque Dominium, cuius voluntate ac liberalitate facti sunt Domini eorum omnium, quæ mutuo acceperant. Accedit communis illa ratio scriptorum antiquorum atque recentium, de recepta solutione fraudatæ diu mercedis eorum, quibus tanquam mancipijs abusi fuerant. Quique & rebus suis, quas in Ægypto relinquebant, commutasse dici possunt. Nam à principio Regis concessu, & Iosephi proregis interuentu, in Gessem collocati, multos ibi agros, villas, domosque acquisierunt, multamque in ijs rusticam atque vrbanam supellectilem, quæ omnia cum hospitibus suis relinquerent, quæ fortasse valorem superabant eorum quæ auferebant, permutatio potius, quam spoliatio facta videri potest.

XL. Institutio anni sacri &c.

Mutuatio pretiosæ supellectilis, quædam fuit ad exitum populi Hebraici, tam seuera ad hanc diem contentione procuratum, præparatio, & quasi viaticum. Sed alia insuper quædam exitum istum præcesserunt; institutio videlicet anni sacri, & celebritatis Agni Paschalis, in memoriam acquisitæ libertatis, per imminentem primogenitorum Ægypti cædem. Tertium fuit signum aspergendi sanguinis ad superliminaria ostiorum, & vtrumque postem, ad vitandam præparatam hostibus suis cædem. Quartum autem est ipsa decima plaga, quam post horas aliquot secuta est egressio Israelitarum ex Ægypto. Quæ omnia capite 12. continentur, & à nobis, pro instituta breuitate, decurrenda sunt. Nam studioso lectori amplioris cognitionis appetenti, licebit ad ipsos Annales recurrere.

XLI. Duplex anni principium Exod. 12. 2.

In Nisan

Et Tisri

c *ca.* 4. *in* 8. & 9.

De anno sacro hoc vnum habet Scriptura, *Mensis iste vobis principium mensium, primus erit, in mensibus anni.* Quibus verbis instituit Dominus, vt ratio totius anni, quod ad rem sacram, diesque festos attinet, ducatur ab hoc mense, in quo vere incunte Pascha celebratur. A Paschate autem cæteræ solennitates, quæ immobilem nõ habent sedem, suum tempus locumque sortiuntur, & olim apud Hebræos, & nunc quoque apud Christianos. Quod ad rem autem profanam pertinet, apud illos, aliasque pleraque gentes, annum à mense Tisri, siue Septembri, aut vniuersè ab æquinoctio circiter autumnali inchoari solitum, iam in horum Annalium Apparatu *a* declaratum est, vbi disputabamus nihil ex hoc Exodi loco afferri, quo Mundi exordium in Autumnum reijci debeat; imo Veri potius ex hoc ipso loco esse tribuendum, nihilque Iosephum contra nos scribere: cum dixit, ita hunc mensem primum esse constitutum, vt in cæteris Moyses priscum retineret modum ac ritum; non Hebræorum, qui nondum in populum vnum coaluerant, sed Ægyptiorum, apud quos tot annos versati corum se consuetudini, vt par erat, hac in re attemperarant.

XLII. Hoc primũ anno facet annus initiatus.

Hoc ergo primum tempore, quo Israelitæ in populum liberum coalescebant, propriũ anni ordinem, in ijs, quæ ad Deum pertinent, à Deo acceperunt. Ante enim quam in Ægyptum descenderent tam pauci erant, vt populus dici nõ posset. Demum in Ægypto insigniter multiplicati, peregrini, & alienæ reipub. incolæ, postremo serui facti sunt. Egressi autem ac libertatem consecuti, suo iure ac principe, suisque mox legibus ac ritibus vtentes, etiam propriũ anni ordinem, ac modum in diuinis habuerũt. Voluit quippe Dominus hũc populum suum, quantum fieri potuit, vt legibus omnibus, ritibus, ac institutis, ita & temporum, ac festorum distributione, ab alienigenis differre, vt tanto magis ab eorum idolis ac superstitionibus auerterentur. Et si in reliquis, in quibus commercia cum gentibus exercentur, communem vsum, communemque commoditatem collectarum frugum retinuerint.

XLIII. Celebritas agni Paschalis, eiusque prima circunstantia vt decima die præparetur.

Sequitur institutio celebritatis Agni Paschalis, in qua quatuor circunstantiæ à Scriptura notantur. Prima est, vt decima die primi huius mensis Nisan, præpararetur agnus per singulas domos & familias, qui exeunte decima quarta sacrificaretur. Vtique maturius; vt si quid interea vitij in eo deprehenderetur, alius substitui posset in eius locum. Prouisum etiam fuit populo tantum, tamque negotiosum iter paranti, ne in multa negotiorũ turba, postremo vel penultimo die, agnus qualis requirebatur, non facile inueniretur, aut omnino præceptum Domini obliuioni traderetur. Quæ causa fuit aliquibus existimandi hoc præceptum tunc tantum obligasse Iudæos, non autem posteros: alij contra sentiunt, vtique probabilius; ideoq; Christum Dominum, ad eam figuram implendam, eodem decimo die cum triumpho ingressum Hierosolymam, post dies quinque immolandum, quo die Iudæi magna cum lætitia Paschalem agnum domo excipiebant.

XLIV. 2. sit agnus vel hœdus.

b *c.* 22. 21

Altera huius sacrificij circunstantia pertinet ad ipsam victimam, id est agni vel hœdi conditiones, defectu enim agni, hœdus legitima fuit hostia. Prima conditio fuit vt esset absque macula, id est sine vitio, integer & perfectus. Nec tamen colorum varietas prohibetur, ex qua oues maculosæ dicuntur, sed quæ in Leuitico maculæ designantur, b *si cæcum fuerit si fractũ, &c.* Altera vt sit masculus, quia tam Hebræo quam Latino vocabulo sæpe vterque sexus comprehenditur. Tertia vt sit anniculus, id est intra primum annum constitat, nec maior anno sit, nec minor octo diebus: septem enim diebus debuit esse sub vbere matris, die autem octauo, c deinceps offerri Domino potuit, vt in lege præceptum est.

c *Leu.* 22. 27.

XLV. 3. vt sacrificetur ad vesperam.

Iam quod ad tempus sacrificij pertinet, constat non inchoante, sed exeunte decima quarta Lunatum esse celebratum. Alioqui, cum deinceps post sacrificium comederentur azymi panes, dicendum esset fas fuisse comedere eos decima quarta orta, eamque fuisse primam diem azymorum; quod falsum esse ex Leuitico perspicuum est, vbi solemnitas d azymorum decimo quinto die dicitur inchoari, quod & alibi quoque inculcatur.

d *cap.* 23 3. 6.

Quod

Quod autem dicitur agnum immolandum ad vesperã, in Hebræo est inter duas vesperas, quas certum est accipi non posse de initio & fine decimi quarti dici, sed tantum de tempore ad finem illius accedente. Sed prior vespera est cum sol, maiore iam diei parte decursa, vergit ad occasum, verbi gratia sub horam tertiam à meridie, quæ Hebræis nona dicitur, Italis vigesima prima: posterior vespera sequitur occasum solis, sicut primum mane, siue aurora illius ortum antecedit. Inter has ergo vesperas, id est inter solem vergentem ad occasum, & solem occiduum debebat immolari agnus, & hoc est quod Chaldæus intelligit, cum pro duabus vesperis ponit duos soles. Et hunc Hebræorum vsum perspicue tradit Iosephus *e* *Cum dies festus adesset*, inquit, *qui Pascha vocatur, quando a nona quidem hora, vsque ad vndecimam hostias cædunt*, &c.

Nec negligendus est numerus conuiuarum, quem ibidem expressit, ait enim contubernia, non pauciorum fuisse quam decem virorum, multos autem vicenos conuenisse. Cui numero repugnare videtur Scriptura cum ait *f* consuere debere ad eandem cœnam cum numerum, *qui sufficere posset ad esum agni*. Ita vt comedant singuli ad saturitatem ait Abulensis. Atqui decem viri, nedum viginti, necessarij non sunt ad vescendum agnum anniculum: imò ne ad vitulum quidem. Retineamus tamen denarium numerum, sed ita vt eo omnem ætatem sexumque eiusdem familiæ comprehendamus. Numerosiores autem familiæ, vel de suis commodabant minoribus; quales esse solent nouorum coniugum, vel alios adiungebant cibos; vt videtur in familia Christi Domini contigisse.

Reliqua est quarta huius celebritatis circunstantia, quæ ad ipsum agni esum pertinet. Is enim cum iugulatus esset, reseruato ad aspersionem, vel intinctionem sanguine, detracta pelle extrahebantur intestina, & lauabantur vt possent torreri, tum cæteræ carnes, nihil amplius diuisæ, ne ossa frangerentur, simul assabantur, & quidem perfecte, vt nulla pars semicruda relinqueretur, iuxta illud g, *Non comedetis ex eo crudum quid*, ne scilicet semicoctum inter comedendum verteretur in nauseam, & abijceretur. Et quia assatio citius perficitur quam elixatio, ideo festinantibus, assis potius quam elixis carnibus vti conueniebat. Ad quam etiam festinationem repræsentandam pertinet, quod accincti ad iter, & cum festinatione comederent, imo & quòd ossa non frangerent, ad excutiendam medullam. Denique nihil volebat Legislator in posterum diem reseruari; partim quia id ad integritatem sacrificij pertinebat; partim quia summo mane abituri erant, ante iniquum comedendi tempus. Ergo reliquias igne consumebant.

Comedebatur porro Agnus cum azymis panibus, & lactucis agrestibus. Azymos panes requirebant angustia temporis, & festinata necessitas abeundi, priusquam massa fermentari posset: sed Deus necessitatem in mysterium vertit. Voluit enim Iudæos septiduo huiusmodi pane vesci *a*, licet minus ad gustum suaui, minusque ad nutritionem vtili, in memoriam vitæ in Ægypto transactæ. Eodem pertinent *b* lactucæ agrestes, quam cichorium aliqui putant. Reliqua fuit intinctio siue aspersio sanguinis. *Sument*, inquit Dominus. *de sanguine agni, & ponent super vtrumque postem*, quorum alteri adhærent cardines, in alterum sera & pessuli immittuntur, *& in superliminaribus*, vt scilicet Angelus percutiens Ægyptum ab Hebræorum domibus abstineat. Eam autem aspersionẽ, siue intinctionem fieri voluit cum fasciculo hyssopi; quæ sunt diuinis plena mysterijs, nec properantibus explicanda. Sunt qui putent hanc cæremoniam non fuisse deinceps obseruatam. Recte vtique, si necessitatis causa, & non memoriæ, & gratitudinis fuisset vsurpata.

Hoc autem munus illius erat, qui primas agebat in sacrificio. Ait enim Philo *c* hoc tempore plebeios homines non vt alias adducere victimas ad altare, mactandas à Sacerdotibus, sed iubente lege, gentem totam sacrificare, & pro se quemque mactare hostiam suis manibus, & quemque se pro Sacerdote gerere. Iosephus *d* quoque ait omnes sacrificasse, id est licet non assent Sacerdotes neque Leuitæ, & sanguine domos lustrasse aspersas hyssopo. Rationi tamen consentaneum est patrem familias, aut eum qui eius gerebat vices, Sacerdotale munus in hoc sacrificio obijsse, reliquis instar Leuitarum adiuuantibus, eique honorem, vt par erat, deferentibus. Hunc omnem sacrificij, & profectionis apparatum, excepit decima plaga, quæ iampridem cunctantem Pharaonem cum suis in dimittendis Israelitis, ad eos eijciendos denique perpulit.

Ventum igitur erat ad decimum quintum mensis Nisan, aut ad priorem eius partem nocturnam, & Israelitæ, tantæ rei expectatione suspensi, domi se continebant. Ægyptij autem multos iam dies plagis immunes, aut secuti dormiebant, aut certe alia omnia cogitabant, cum *e* *in noctu medio percussit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti, a primogenito Pharaonis, qui in solio eius sedebat*, ad parentis scilicet latus, honoris & beneuolentiæ causa, *vsque ad primogenitum captiuæ, quæ erat in carcere*, siue in pistrino, vel ergastulo. *& omne primogenitum iumentorum*. Hanc cladem Sapiens *f* in prædicandis diuinis laudibus celebrat, additque nõnulla, vel ex certa traditione patrum, vel ex reuelatione diuina, quæ à Mose prætermissa fuerant, horrificas scilicet visiones, & tristia somnia, ipsis sub mortiferam percussionem immissa. Nimirum exterminatores Angeli sese Ægyptiorum phantasiæ videndos exhibuerunt, aspectu terrifico, stricto ferro imminentes, eisque causa mortis enunciata, *ne miseri quare mala patiebantur, perirent*, inuisibilem, eamque mortiferam plagam intulerunt. Qua accepta huc illucque semiuiui, quasi lymphati ferebantur, & cum acerbissimo dolore, ac tristi eiulatu, mori se in vltionem Israeliticæ seruitutis, & nominatim cædis paruulorum, quos in flumen abiecerant, miserabiliter testabantur, dum Hebræi sacrificarent, diuinasque laudes decantarent.

Scribunt Philo ac Iosephus agminatim à populo in regiam factos esse concursus, scissis vestibus, & maximis vociferationibus exigente, ne vltra in Ægypto detinerentur Hebræi,

quos

e *L. 7. de Bel. Iud. c. 17.*

XLVI. Numerus conuiuarum.

f *Exod. 12. 4.*

XLVII. Quomodo comedendus agnus.

g *c. 12. 9.*

XLVIII. Cum azymis & lactucis agrestibus.

a *Deut. 16. 3.*

b *Exod. 12. 8.* Intinctio sanguinis.

XLIX. Quis sacrificaret.

c *L. 3. de vita Mos. & in l. de Decalogo subfi. d l. 2. Ant. c. 5.*

L. Decima plaga infligitur.

e *Exod. 12. 29.*

f *Sap. 18. 14.*

LI. Populus compellit abire

quod Mosaicæ narrationi consentaneum est. Ait enim g, *Surrexitque Pharao nocte, & omnes serui eius, cunctaque Ægyptus, & ortus est clamor magnus in Ægypto, neque enim erat domus, in qua non iaceret mortuus.* Quid si in aliqua domo nullus erat primogenitus? Quidam interpretantur, non fuisse domum, in qua esset primogenitus, in qua non esset funus; itaque particulam *fere* subintelligunt. Abulensis autem nullam hic agnoscit hyperbolem, sed nomen primogeniti diducit latius; vt eo intelligantur non solum filij familias primo nati, sed omnes quicunque fuerant aliquando primogeniti, quamuis essent patres familias, & centum annorum. Sicque contingebat vt in eadem domo moreretur pater & filius, quia vterque primogenitus fuerat patri suo. Alij etiam primogenitos accipiunt tam mares, quam fœminas; & siue respectu parentis vtriusque essent primogeniti, siue alterius tantum, sicque facile erat etiam plures in vna domo reperire primogenitos, Vnigeniti quoque primogeniti sunt.

Quo autem mortis genere perierint facile intelligitur ex prima denunciatione plagæ huius, quæ habetur cap. 9. Exod. h, *Nunc enim extendens manum percutiam te*, in filio tuo primogenito, *& populum tuum peste, peribisque de terra*: & Iosephus ait pestem illa nocte absumpsisse primogenita Ægyptiorum. Et videtur quidem Sapiens *i* innuere eos gladio fuisse trucidatos. Verum gladius in Scriptura de quolibet violentæ mortis genere non raro vsurpatur. Et constat tempore Dauidis occisa esse peste septuaginta millia virorum, Dauid tamen vidit Angelum Domini euaginato gladio percutientem Ierusalem *k*, qui præcipiente Domino cõuertit gladium suum in vaginam. Omnes certe primogenitos istos eodem mortis genere perijsse, ex libro Sapientiæ clarum est. *Similiter*, inquit, *omnes vno nomine mortis mortuos habebant innumerabiles.*

Non ipsum porro Dominum per se percussisse Ægyptum, certum est, sed Angelum, qui in Dei persona loquitur; nam legimus *l*, *& non sinet percussorem ingredi domos vestras, & lædere.* Quin & rectius creditur plures fuisse Angelos vastatores, quam vnum, qui tam breui tempore, in tam ampla regione, tot domibus, oppidis, ciuitatibus tot primogenitos inquisierint, atque occiderint. Fuisse porro Angelos bonos, quamuis mali, id est noxij à Dauide *m* vocentur, probabilius est. Nec nouum est, aut insolens in Scriptura, per bonos Angelos vexari ac puniri scelleratos Assyrios, Sodomitas, Herodem, &c. Ac ne has ipsas Ægyptiorum plagas omnes à dæmonibus perpetratas dici possit, ne Sathanam, qui pugnabat pro Magis, aduersus Sathanam ipsum, dicamus. Illud autem, *non sinet ingredi domos vestras*, non malam Angeli voluntatem significat, quæ a Deo impedienda sit, sed promptitudinem Dei mandatis obtemperandi, æque aduersus malos ac bonos, vt in Sodomis, vbi non dubium est plurimos infantulos innocentes, communi parentum deflagratione perijsse.

Accessit quasi epimetron plagæ huius, quod Dominus vt fuerat paulo ante comminatus, in cunctis Dijs Ægypti *b* iudicia fecit, quæ Sept. vltionem vocant. Hebræi autumant, aut Hieron. *c*, quod nocte, qua egressus est populus, omnia in Ægypto templa destructa sunt, siue terræ motu, siue ictu fulminum. Quæ quasi per nebulam inaudierat Lysimachus ille Iudæorum hostis apud Iosephum *d*, qui ait Moysem Iudæorum exulum ducem suis authoribus fuisse vt Ægyptiorum templa & altaria, quot quot inuenirent, euerterent, idque illos strenue factitasse, & vibem à se conditam ex re ἰ. φόνου nominasse: postea vero probri vitandi causa ἱερὸν λεγεῶν vocauisse; Sic ille nugator. Probabile autem est Serapidi primatio Ægyptiorum Deo contigisse, quod Azotio Dagoni, qui in conspectu arcæ miserè truncatus, ac deformatus iacuisse legitur. Ex quo affirmemus licet, fuisse hanc plagam Ægyptijs, non solum incredibili detrimento, sed maximo etiam probro atque dedecori, in summa illorum ignominia, quos vt Deos summo honore prosequebantur.

Ex his denique intelligi potest, quam afflicta tunc ac prostrata res fuerit in Ægypto; quamque luctuosa facies totius regionis, villarum, oppidorum, ciuitatum, dum nihil herbarum in campis, nihil in agris segetum, nihil in arboribus frondium, nedum pomorum vsquã cerneretur; sed funditus interijssent omnia, mœstis deplorata colonis. Quomodo non lugerent infelices Ægyptij, pecudibus in stabulis, filijs in ædibus, Deorum simulachris in templis disturbatis, occisis, suffocatis? Cum nec Deos suos miseri, nec homines haberent, ad quos consolationis causa confugerent, quia *luctus vbique, pauor, & plurima mortis imago.* Cum vbique intermortui morientium gemitus, & morientibus adstantium ciulatus mixti confusique resonarent; & ex ædibus, in vicos omnes, fora, plateas, templa, campos, syluasque redundarẽt. Cum interim Hebræi hymnos canerent, festosque dies celebrarent; nec in eos propter quos tam dira, tamque inaudita patiebantur, indignationem suam effundere auderent, veriti reliquorum omnium qui supererant exitium, ac supremam internecionem.

Cæci qui non viderent quantus esset ille Deus, quamque præ omnibus idolorum quisquilijs, timore, supremoque cultu dignus, cuius manus tam dura esset super ipsos, & super Apim Deum ipsorum. Neque tamen cæci omnes; Plerique enim, qui hactenus illatas plagis venesicijs, & malis artibus tribuebant, Deum verum pro Iudæis, tanquam patrem pro lilijs pugnantem, in hac denique plaga cognouerunt, vt Sapiens ipse testatur *e*. Alij etiam Sapientiores ad veri Dei cognitionem, & Hebræorum religionem, ceremoniasque transierunt, eisque se peregrinationis comites adiunxerunt. *Quidam*, inquit Philo. *pietatis amore se Hebræis adiunxerant, & erant qui tot contemnus castigationibus profecerant in melius.* De quibus nox aliquid cum Moyse dicemus. Sicq; nos ad egressum filiorum *Israel de Ægypto, domus Iacob de populo barbaro*, rerum series ipsa deduxit.

Accepta enim tanta calamitate, recentissimo adhuc & calente vlcere, *surrexit Pharao nocte* terribili & concito excitatore suscitatus surrexerunt *& omnes serui eius*, domestici & aulici, & mox certatim Ægyptus vniuersa.

Voca-

g c.12. 30

Multitudo primogenitorum occisorum.

LII. Peste periisse. h v 15.

i Sap.18. 16.

k 2. Par. 21 15. 16. 27.30.

LIII. Angeli percussores boni erant. l c.12. 23.

m Ps.77.

a Luc.11. 18.

LIV. Dei vltio in deos Ægypti. b Exod.12. c Epist. ad Zabolam

d l.1. extremo contra Apionem

LV. Misera Ægypti facies.

LVI. Salus aliquibus fuit.

e Sap.18. 13.

LVII. Pharao euocat Hebræos.

Vocauitque Pharao nocte ipsa intempesta Moysem & Aaronem, quos in ipsa regia tum fuisse quidam putant. Verum credibilius est eos in terra Gessen, in oppido Rameses tum fuisse, quo ad agnum immolandum, omnes ex tota Ægypto Iudæi confluxerant, indeque ex Ægypto proxima luce egressuri, se ad iter accingebant. Oportet ergo eos ibi, cum populo suo, Agnum paschalem comedisse, vt suis verbo & exemplo, in tanto sacrificio tum primum instituto, præiret, tum principibus populi matutinam proximi diei profectionem inculcasse, eisque rem totam, & per eos præpositis inferioribus commendasse, ac se quieti dedisse. Superuenit interea media nox, in qua exorta in palatio clades, totaque Ægypto propagata, & vulgata est.

è Rameste

Liplana Iosephi asportantur.

a *Exod.* 13 19.

b *A. m.* 2499.

c *Exo.* 13. 18. An Hebræi armati abierint.

LVIII. Et Israelitas dimittit cũ rebus suis.

Qui primus malum sensit Pharao, primus vociferari cœpit ac furere, misitque ad Moysem nuncios, qui curriculo illi regis nomine dicerent f. *Surgite, & egredimini a populo meo vos, & filij Israel: ite, immolate Domino sicut dicitis. Oues vestras & armenta assumite vt petieratis, & abeuntes benedicite mihi.* Ita Pharao postrema denique plaga victus, atque edomitus. Nulla enim, vt antea, exceptione vtitur, sed vniuersè petitioni acquieuit, vt scilicet viam trium dierum proficiscantur in solitudinem, ibique Deo suo ritu solenni sacrificent, & videlicet postea reuertantur propitiato sacrificijs Deo. Non dimittebat in perpetuum, vt supra diximus, quoniam nunquam id Moyses aut Aaron postulauerat. Nec par est credere Pharaonem suis hostibus plus gratiæ conferre voluisse, quam ipsimet peterent, vt supra dicebamus: Nec tamen reuerti iussit, ne nouas ea res induceret moras, & nihil ipse, præter noua supplicia, acquireret altercando. Itaque maluit id, quasi minime dubium, tacitum relinquere.

d *Sap.* 10. 19.

Nec meminit reuersionis, & cur.

LIX. Ægyptij vrgent Hebræorum discessum

Cum videret autem populus Hebræis à Rege factam abeundi facultatem, vrgebant & ipsi hunc exitum, tum quia metuebant ne diuina vindicta repente inuolueret vniuersos, dicebant enim *omnes morientur.* Tum quia fortasse verebantur ne Pharao sententiam mutaret, quem nossent principem, in quo inconstantia, & duricies animi ex æquo certarent. Itaque Ægyptij vrgebant Israelitarum exitum, metu exitij sui. Huius festinationis indicium est, quod nihil obsonij in viam præparare potuerunt g, ac ne panem quidem, sed coactus est populus conspersam farinam, & aqua tantum madefactam auferre, & ligatam in pallijs, humeris imponere. Non ait Scriptura nihil eos cibi cuiusquam secum detulisse, sed tum præparare potuisse, præ festinatione, quod non impedit ne præcedentibus diebus præparârint, & iumentis, vna cum supellectili, præsertim pretiosa mutuo sumpta, imposuerint, quam Ægyptij in hac tanta rerum perturbatione, vel non sunt recordati, vel non sunt ausi repetere, cum dedissent illa mutuo in sacrificium, quod post triduum in solitudine celebrandum erat; ne hæc suspicax & præmatura repetitio contentionem pareret, quæ moram iniiceret profectioni, vel nouam quampiam Ægyptijs conciliaret calamitatem.

g *Exod.* 12 34. 39.

Quis eorum commeatus.

LX. In hac nihilominus festinatione non est oblitus Moses Lipsanorum Ioseph a, sed ea secum abstulit, vt ille moriens mandauerat, ante annos 144. b Mirum autem est Moysem dicere filios Israel armatos c ascendisse de terra Ægypti. Inermes enim fuisse Philo & Iosephus multis locis affirmant. Et parum probabile est Ægyptios tempore seruitutis Hebræis arma permisisse, cum eorum solam multitudinem formidabilem putarent Putat Abulensis Hebræos arma habere permissos, cum sacrificandi causa abirent, & celebritatis honestandæ causa, multa secum pretiosa mutuo accepta deferrent, vt se, & illa à latronibus tutarentur. Dici quoque potest, voces illas, *& armati ascenderunt*, non ad primum istum profectionis diem restringendas esse, sed ad illum referendas, quo spolia impiorum acceperunt, vt ait Sapiens d, quæ diuina prouidentia, vel ventus, vel æstus maris in alterum littus ejecerant; in spolijs autem armati exercitus, omnia armorum genera repererunt. Ex Hebræo textu colligitur eos quinos fuisse progressos. Sed de his hoc loco iam satis, illuxescit, abeundum est.

LXI. Mansio prima Rameste

Cum ergo Hebræi sub huius mensis initia, certe ante decimum eius diem, de sacrificio paschali, & profectione moniti, vndique hisce diebus in terram Gessen, atque in oppidum Rameses confluxissent, primam ibi mansionem, per tempus aliquod, ad horam vsque discessus habuerunt: & ibi ad iter, vt tempus tulit, per suas turmas distributi, cum prima luce, Moyse & Aarone ducibus, egressi sunt.

Sex profectionis circunstãtiæ primæ temporis

Sex porro huius profectionis circunstãtias notant Moses e. Prima est temporis 430. annorum à promissione videlicet facta Abrahæ, vsque ad finem seruitutis. Neque annum notare contentus, etiam mensem notant & diem. *Profecti*, inquit f, *de Rameses mense primo, decima quinta die mensis primi, altera de Phase*, id est postridie celebrati paschatis, & quidem nocte, vt est in Deuter. g id est summo mane, aut certe nocte inchoata est profectio, sed ea in tanta multitudine, necessario ad multam atque adeo totam lucem tenuit, sed ita tamen vt eadem die egressus sit omnis exercitus Domini de terra Ægypti, vt in Exodo h scriptum est.

e *Exod.* 12 40.

f *Nũ.* 33. 3

g *c.* 16. 1.

h *c.* 12. 41

LXII. Secunda loci.

Secunda est circunstantia loci Rameses, quæ fuit vna de ciuitatibus, quas Hebræi in sua seruitute vel condiderant, vel instauraraot. Ibi magna ex parte videntur contigisse, quæ de mansionibus Moyses Numer. 33. tradidit: vt scilicet illic collocati per turmas suas castra metarentur, vt in exercitu fieri solet, & tabernacula tentoriaque figerent. Immensam enim abeuntium multitudinem, cum impedimentis suis vnum oppidum non capiebat, sed circunquaque in pagis & villis & agris tabernacula collocarant, vt sine causa Tostatus Rameslen è numero mansionum excludat. Tertia est numeri, *Profectique sunt*, ait Moses i. *de Rameste in Socoth*, id est versus Socoth, *sexcenta ferè millia peditum virorum, absque paruulis, sed & vulgus promiscuum innumerabile ascendit cum eis.* Quæ sic explicat Philo. Erant viri demigrantes supra sexcenta millia. Reliquæ turbæ senum, puerorum, mulierum iniri non poterat numerus. Huc accedebat seruitiorum multitudo promiscua, & quasi suppositicia. Hos

Tertia multitudinis.

i *c.* 12. 37

Hebræi

Hebræi susceperant è fœminis Ægyptijs paterno generi contributos, quidam etiam pietatis amore se adiunxerant.

LXI. Quinta valetudinis

Plerique Scriptores Hebræi nominis inimici, scriptis prodiderunt expulsos Israelitas tanquam leprosos, morbidos, pollutos, scabie & impetigine sordidos, quos Iosephus contra Apionem studiosè refellit. Sed eos Dauid mendacij aperte arguit. *Et eduxit eos*, inquit *k*, *cum argento & auro, & non erat in tribubus eorum infirmus.* Quæ fuit singularis Dei in tanta multitudine prouidentia; eaque factū est, vt omnes valentes & alacres, omnes ad maximum ac difficillimum iter expediti reperirentur. Est ergo hæc quarta circunstantia valetudinis.

k Ps. 104. 37.

Quinta diuitiarum.

Quinta fuit diuitiarum, quæ ad corporis sanitatem, animique lætitiam accedebat. Ad eas enim opes, quas tetigit Dauid, recensuit Moyses, quæ fuerunt quasi priora spolia Ægyptiorum, accesserunt oues & armenta & animantia diuersi generis multa nimis, quę Dominus custodierat ac multiplicarat, cum Ægyptiorum pecora, peste, fame, grandine, cæterisque plagis interirent, Gloriam denique proficiscentium Hebræorum glorioſe prædicat Moyses *l*, cum exisse ait, *filios Israel in manu excelsa*, id est per opera mirabilia, quæ Dominus excelsus patrauerat, *videntibus cunctis Ægyptijs, & sepelientibus primogenitos, quos percusserat Dominus.* Et progrediebantur de luce palam, quasi castrorum acies ordinata, & quasi triumphum agentes de cæsis profligatisque Ægyptijs, cum ipsorum Diis.

Sexta gloria l Nū. 33. 3

Cum autem iam populus esset in itinere, primo ipso profectionis die, Dominus Mosem alloquitur, triplicemque constituit legem, primam de nonnullis paschalis sacrificij ritibus, à cuius participatione omnes excludit, qui Hebræi non essent, aut proselyti. Alteram de sanctificandis sibi omnibus primogenitis; tam hominum quam animalium. Ideoque mox filios separauit Leuitas, loco primogenitorum totius populi, cum pecoribus ipsorum, loco primogenitorum animalium. Tertiam de vsu azymorum septem diebus in memoriam egressionis huius, & durissimæ seruitutis, & pauoris, qui illis accidit intra septiduum, persequentibus eos Ægyptijs, & domum retrahere cupientibus. Cæterum hic ritus azymorum non pertinuit ad tempus peregrinationis in deserto, quando manna eis loco panis fuit, & omnis obsonij.

XLI. In itinere tres leg. à Deo constituuntur. de paschæ ritibus.

De primogenitis sanctificandis.

De vsu Azymorū

Sequitur vt Israelitas, quos in viam produximus, afficiamus, tametsi longam & laboriosam, eodem vitæ duce & comite, qui eis totius peregrinationis dux fuit & comes, qui hospitia illis, siue mansiones assignauit, & pro arbitrio suo eos in singulis retinuit, & ab illis abduxit. Abstinebimus tamen hoc in compendio ab expansis per singulos dies mensibus, notandisque ijs, quæ in singulis, non toto solum itinere, sed postea etiam contigerunt; re quamuis perutili ac iucunda, sed huiusmodi labore nostro, in Annalibus studioso Lectori frui licebit.

LXV. a Deut. 32. 10. b Ier. 2. c Ipsius nōi.

In hoc porro itineris ingressu duo considerada sunt, primum via; qua deducit Dominus populum suum, per terram scilicet desertam, *per locum horroris, & vastæ solitudinis.* Deinde quo modo se illi viæ ducem præbuerit: præsertim cum existimemus columnam ignis & nubis minime dilatam fuisse vsque ad tertiam mansionem, in qua primùm fit eius mentio. Ducit ergo Dominus populum, non via rectissima, atque breuissima, versus Gazam, cæteramque Palæstinorum regionem, quæ Ægypto à Septentrione cohæret, & Patriarchis diuinitus promissa fuerat, sed orientem versus, & mare rubrum; *Reputans*, ait Moses, *ne forte pœniteret eum, si vidisset aduersum se bella consurgere, & reuerteretur in Ægyptum*, vt scilicet si Hebræos timor Dei ac reuerentia in officio non contineret, maxima viarum difficultas, à temeritate reuertendi in Ægyptum eos deterreret. Eam causam euenta ipsa comprobarunt; cum audito exploratorum nuncio, dixerunt inter se d, *Constituamus nobis ducem, & reuertamur in Ægyptum.* Et rursum flentes ex ignauia, ac vociferantes dixerunt e, *Vtinam mortui essemus in Ægypto*, &c.

dduxit populum per breuiorē viā.

Et quamobrem

c Exod. 13. 17.

d nū. 14. 4.

e Ibid.

LXVI. Imbelles Hebræi.

Nimirum Hebræi non erant assueti bellis, sed nati omnes educatique in seruitute, seruiles gerebant animos, ignauos ac meticulosos: Philistæi autem pugnaces in primis erant, ac bellatores inclyti, vt multis seculis experti sunt Israelitæ. At enim erat in promptu Domino eos à Philistæis protegere, sicut liberauerat ab Ægyptijs, eisque victoriam contra Philistæos, sicut contra Amalecitas concedere. Responderi potest Deum præscium impietatis, & ingrati populi huius, voluisse incolumes reseruare Philisthæos, aliasque gentes, vt ab ijs punirentur à sceleribus suis. Adde quod pugnantibus contra Philistæos superuenissent Ægyptij, vt à fronte ac tergo conciderentur. Ex parte autem Mosis, si quis quærat cur rectum iter non tenuerit, illud rectissime dici potest, integram atque adæquatam causam fuisse diuinam voluntatem, quæ illi erat instar omnis rationis. Eam autem, ex familiari cum Deo consuetudine, in momenta prope singula, exploratam habebat.

LXVII. Viæ dux columna nubis & ignis.

Accedebat apertissimum Dei dirigentis iter argumentum, columna ignis & nubis, quæ ad modum pertinet, quo Deus se huius viæ ducem præbebat, de qua vt re cognitione dignissima, nonnulla explicanda sunt, primum an vna eademque fuerit columna ignis & nubis. Deinde an vna eademque nubes abæstu protegens, & monstrans iter, 3. quæ earum forma & natura, 4. quod officium, quis earum motus & quies, quis motor, denique quando cœperit aut desierit motus. Quod ad primum attinet, Scripturæ admodum consentaneum est, non duas, sed vnam eandemque fuisse columnam ignis & nubis, quæ vna ex parte lucebat nocte instar ignis, interdiu autem nubes cernebatur, antecedens ac dirigens iter. Nam de vnica nube diu noctuque Israelitis inseruiente, sic loquitur Moses f. *Si fuisset nubes à vespere vsque mane, & statim diluculo tabernaculum reliquisset, proficiscebantur; & si post diem & noctem recessisset, dissipabant tentoria. Si vero biduo, aut vno mense, vel amplius, manebant in eodem loco, nec proficiscebantur.* Denique in mari eadem columna nubis, qua respiciebat Ægyptios, tenebrosa erat, qua Hebræos, illustris.

vna eadē que fuit

f Num. 9. 20. &c.

Neque

EXIT. AB ÆGYP. I

LXVIII. Diuersa tamen à nube protegente.

Neque tamen eadem nubes protegebat ab æstu, sed duæ fuerunt diuersis admodum officiis destinatæ. Eas Moses aperte distinguit: *Audierunt*, inquit *g*, *habitatores terræ huius, quod nubes tua protegat illos*, nimirum ab ardoribus exurentibus solitudines, quaquauersum scilicet effusa super eos, *& in columna nubis præcedas eos per diem, & in columna ignis per noctem*, quę cum esset ad modum columnæ figurata, angustior erat, quam vt hominum tricies centena millia operiret. Necesse porro fuit huiusmodi fuisse ipsius figuram, vt ei columnæ nomen propter similitudinem aptari posset, & huiusmodi naturam, vt nubes quoque merito dici posset, illam figura erectam, hanc materia colorq; nubis demonstrabant: multum tamen distabat à cæteris nubibus, vt quæ lucidior esset, ac densior, vt figuram columnæ facilius retineret, cum aliæ nubes figuram ventis impulsæ subinde mutent, mutent & motum, quem hæc habebat, minime ventis obnoxium. Illæ nihil habent præter naturam. Istæ præter naturæ ordinem productę, nec naturali modo conseruabantur, neque mouebantur, vt quæ Angelum motorem ac conseruatorem haberent ad ipsos annos quadraginta. Sed hæc in Annalibus *h* accuratius atque distinctius.

g Nū 14.14

earum forma.

h n. 173. & seqq.

LXIX. Et diuersum officium.

Cum itaq; ea esset huius nubis figura quam diximus, cui columnæ nomē non male conueniret, satis intelligi potest eam minus idoneam fuisse ad castra à solaribus radiis protegenda. Neque enim oportebat eam esse quasi velum late expansum super populum, sed quasi vexillum antecedens, iterq; demonstrans. Cumq; Hebræi Orientem versus progrederentur, nubes quæ eos à sole protectura erat, debuit ad solis cursum commeare, & ab Oriente in Meridiem, & inde rursum in Occidentem iter in orbem inflectere, sicq; contrariis motibus agitari, ne populum quem protegebat, magna ex parte solis ardoribus exponeret.

Nubem non fuisse verū ignē sed fulgori igneo similem. I Nū. 9.15

Ignea porro columna ambiguo nobis fulgore rutilat, quod eam Scriptura modo ignem & columnam ignis appellet, modo non ignem simpliciter, sed quasi speciem *i* ignis. Et Doctores ferme consentiunt non fuisse verum ignem, seu rutilantem fulgorem, qualis apparet in nubibus densioribus, in quas sese opportune radij solares insinuant. Nec apparet ratio, cur si fuisset verus ignis, quasi species ignis appellaretur. Quod si fuisset verus ignis, multa necessario miracula multiplicarentur circa naturalem eius actionem & motum, quæ breuitatis causa prætermitto, cum sufficiat isti columnæ nubis sub noctem fulgorem ignis infundere. Et hactenus de natura columnæ huius.

LXX. Varia officia columnæ huius. 1. præire viam. Exi 13.21

Sequitur officium eius, quod multiplex fuit. Primum præire viam, & deducere per vastas illas solitudines. *Dominus*, inquit Moses *k*, *præcedebat eos ad ostendendam viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis, vt dux esset itineris vtroque tempore*, si quando noctu iter faciendum erat. Quam esset autem necessarius viæ dux, satis docet ipse Dominus apud Ieremiam Prophetam *l*. *Et non dixerunt*, inquit, *vbi est Dominus, qui ascendere nos fecit de terra Ægypti, qui traduxit nos per desertum, per terram inhabitabilem & inuiam, per terram sitis & imaginem mortis, per terram in qua non ambulauit vir, neque habitauit homo.* Et quamuis Moses, qui tot annos loca ista lustrauerat, non esset ignarus viarum. Ductu tamen diuino indigebant, qui volebat eos aliquas ibi moras trahere, vel ad accipiendam legem in monte Sina, & Chananitidem eius auspiciis inuadendam.

k Deu. 1.33.

l c. 2. 6.

LXXI. Quō duceret.

Ducebat autem hoc modo postquam Tabernaculum Domini excitatum est, cui columna illa insidebat, quasi super basim posita. Cum ergo mouebatur Tabernaculum, illa eo deserto ad initium castrorum transferebat se, & locum ad vexillum Tribus Iudæ occupabat: & versus eum locum, ad quem tendebat columna nubis, vniuersa castra iter suum dirigebant. Cum autem quiescendum erat, recedebat à vexillo Tribus Iuda, & ab anteriore castrorum parte, referebat se in medium castrorum locum, vt supra Tabernaculum resideret, quod siue cum procederetur, siue cum cessaretur, medium semper occupabat locum. Cum autem columna nubis motu suo signum proficiscendi dedisset, tum iussu Mosis filij Aaron Sacerdotes clangebant tubis, quarum sono monebatur populus ad colligenda vasa migrandi causa; omnibusq; ad iter expeditis, leuabant Sacerdotes Arcam Domini. Cumq; eleuaretur Arca, dicebat Moses *a*: *Surge Domine, & dissipentur inimici tui; & fugiant, qui oderunt te, à facie tua.* Cum autem deponeretur, aiebat: *Reuertere Domine ad multitudinem exercitus Israel.*

a Nū 10.35

LXXII. a. Officiū illuminare nocte.

Alterum columnæ huius officium erat tenebras noctis lucis suæ fulgore dispellere. Tam longe autem lateq; fulgebat, vt cuncta Hebræorum castra vsquequaque collustraret, nec egerent Hebræi lumine lucernarum, sed clare omnia viderent, similiter vt in die. Neque tamen propterea iter noctu fecisse credēdi sunt, licet aliqua Scripturæ loca id innuant, sed tantum eo fulgore potuisse Israelitas, si quando res ferret, puta imminentibus Ægyptiis, in transitu maris, iter noctu peragere. Eius certe lucis beneficio potuerunt nocte ab vno tabernaculo ad alterum, sicut in vrbibus, per vicos, à domo in domum, lucente luna commeare.

Gazæus, Abul. Perer.

LXXIII. Duplex nubis ges ordinaria & breuior

Nubes igitur vsui erat motu suo, vt de itinere moneret, illudq; dirigeret; sed vsui etiam erat quieti, & quidem dupliciter. Alteram enim habebat quietem statam & ordinariam modici temporis, puta sub meridiem ad capiendum cibum, & aliquam à labore itineris. Neque enim credibile est, totum diem sine vlla quiete à tam multiplici populo, in quo tot mulieres, pueri, senes, confectum fuisse, vt de gregibus & armentis & onerariis iumentis taceam. Sed nec cibos ad victum coquere sine quiete potuerunt. Coquebant autem panes & carnes, quamdiu eas habere potuerunt, sed & manna ipsum & pleraſque victimas. Stata quoque & ordinaria fuit quies singulis noctibus, quibus neque explicabantur tentoria, neque figebantur. Altera columnæ quies erat extraordinaria & longior, cum positis castris fixisq; tentoriis populus vniuersus vno in loco, quasi in statiuis militaribus subsistebat; quod per annos 40. bis & quadragies contigit, vnde totidem mansiones numerantur *b*. Et quia inexploratum erat populo, diune an breui tempore aliquo in loco subsi-

Extraord. & longior.

b Num. 33.

stendum esset, *erant filij Israel* perpetuo *in excubiis Domini* c.

c Num. 9. 18. &c.

LXXV. Columnæ motor Angelus.

Iam quod ad motorem columnæ huius attinet, cuius erat tam multiplex ac multiformis motus, perspicuum est eum minime fuisse naturalem, vel ab interiore forma, sed ab externo motore, angelica videlicet virtute, fuisse profectum. Idq; perspicue Scriptura docet d: *Tollensq; se angelus Dei, qui præcedebat castra Israel, abijt post eos, & cum eo pariter columna nubis, prioradimittens post tergum stetit inter castra Ægyptiorum & castra Israel.* Eodemq; modo alibi in rem præsentem, iter agentium viribus se attemperabat, quod nisi ab intelligente motore fieri nequibat.

d Ex. 14. 19

LXXV. A primo die mouere cœpit.

Quando autem apparere cœperit hæc columna aut desierit, dubium videtur, præsertim cum ea non ante mansionem tertiam memoretur in Scriptura. Verum Moses vniuersę pronunciat e, *nunquam defuisse columnam nubis per diem, neque columnam ignis per noctem coram populo* Nunquam defuit, inquit, nimirum quandocunque necessaria fuit. At nemo non videt statim à principio fuisse necessariam, ne statim à tanuis aberrarent, ignorantes qua vellet Deus iter inchoare; necessariam quoq; donec transgressi deserta omnia reperirent quos possent de via sua consulere. Denique necessarium in primis fuit illi meticuloso populo, & diuinæ bonitati ac prouidentiæ consentaneum, vt statim à principio, cum inexperti facile dubitant, persuaderentur se Deo curæ esse, diuinis auspiciis viam ingredi, eiusq; ductu ac præsidio vniuersum iter confecturos.

e Ex. 13. 21

LXXVI. Progressio ad secundam mansionē Socoth.

Deus igitur eductis ex Ægypto Israelitis, eis custodem ac ductorem Angelum quamprimum liberaliter largitur, & quasi tenellis adhuc filiis sapientem pædagogum, quem lucis ac nubis circumambit amictu. Is ergo celeriter initium castrorum anteuolans occupat, vniuerso populo excelsam columnam molliter antecedentem contemplante, & post eam mirifica, vt consentaneum est, alacritate progrediente, susceptum iter versus Socoth dirigit f. secundæ mansioni destinatum locum. Eius à Rameśse distantiam non inuenio notatam: æquum est credere paucis tantum milliaribus abfuisse. Videntur autem illi per integrum diem subtitisse, vt sese ac sua circumspicere ac recte componere possent, qui raptim è Rameśse cum prima luce eiecerant se, & res suas confusas & incompositas extulerant. Id colligitur ex Chronico Hebræorum, vbi dicitur tres dies vsque in Etham, qui tertiæ mansionis est locus, ab Hebræis fuisse consumptos. Primo ergo die venerunt in Socoth, vbi primum vniuersi & toti populo tendunt tabernacula, vnde & inditum loco nomen, ibiq; posito vno die, tertio inde migrantes g in Etham peruenerunt.

f Ex. 12. 37

g c. 13. 20.

LXXVII. Tertia in finibus Etham. h c. 33. 7. 8

Tertia ergo die ad vesperam ad Etham peruenerunt, extrema videlicet solitudinis, cui proprium est id nomen, & late etiam vltra mare rubrum protenditur, vt ex 33. Numer. *h* intelligi potest. In eo loco biduum posuere Israelitæ, quartum scilicet & quintum Azymorum. Nam sexto dixit Dominus Mosi: *Loquere filijs Israel, Reuersi* versus meridiem & Ægyptum & littus rubri maris, *castrametentur è regione Phihahiroth*, & quidem *supra mare*, id est proxime ad eius littus. Quid opus erat Mosen de itinere moneri, cum præiret Angelus cum columna nubis? Quia præter exspectationem videbantur reduci in Ægyptum, ne de suo ductore diffiderent. Eodemq; modo, post reditum exploratorum *a*, dixit Mosi, *erat monete castra, & reuertimini in solitudinem.* Captabat autem Dominus occasionem traducendi Hebræos per mare rubrum, & demergendi in eo Ægyptios. *Quarto die*, ait Seder Olam, Azymorum scilicet & profectionis, *nuntiatum est Regi AEgyptiorum quod fugisset populus. Quinto & sexto persecuti sunt AEgyptij filios Israel, & vbi illuxit septimus, descenderunt ad mare.*

a Num. 14. 25

LXXVIII. Regē pœnitet dimissionis & persequi statuit.

Cum ergo transactus esset dies tertius, & Hebræi nullum indicium reditus præ se ferrent, Exploratores Pharaonis, qui eorum profectionem obseruabant, *nunciauerunt Regi populum fugere*, id est de reditu non cogitare, sed potius de vlteriore itinere. Etsi enim reuersi erant ad mare, post tertiam mansionem, id Pharao interpretabatur diuinitus factam, vt *coarctati in terra* à vicino littore, *& conclusi deserto*, eius manus euadere non possent. Ergo *b immutatum est cor Pharaonis, & seruorum eius super populum, & dixerunt: Quid voluimus facere, vt dimitteremus Israel, ne seruirent nobis?* Cui stultitiæ Sapiens insultans, ait c: *Adhuc inter manus habentes luctum, & deplorantes ad monumenta mortuorum, aliam sibi assumpserunt cogitationem inscientiæ, & quos rogantes proiecerant*, vim scilicet aliquam precibus adiungentes, *hos tanquam fugitiuos persequebantur.* Vt eos male fortasse mulctatos retraherent in seruitutem. Et forsan arbitratus est se recte agere aduersus eos, qui fidem de triduo datam violassent, magno regni sui detrimento.

b Exo. 14.

c Sap. 19. 3

LXXIX. Et quibus sit vsus equis. d v. 6.

Quibus autem cum copiis eos persecutus sit, sic explicat Moses *d: Iunxit ergo currum, & omnem populum suum assumpsit secum; tulitq; sexcentos currus electos, & quidquid in AEgypto curruum fuit, & duces totius exercitus. Excurrit*, ait Philo, *summa celeritate properans, vt fugientes improuisos opprimeret.* Idcoq; malim plus temporis positum in cogendis copiis, minus in perlequendo, & assequendo non multum antegressos, & lente progredientes. Sed nonne equi omnes vel grandine, vel peste in Ægypto perierant? Respondeo periisse, quæ erant in agris, vt ex iisdem locis patet e: at qui domi seruabantur, incolumes ad vndecimam plagam reseruati sunt, & potuerunt ab eo tempore plurimi aliunde adduci, quoniam plagæ vnius minimum anni fuerunt, vt diximus f.

e Exod 9. 3. & 19.

f an. Mos. 2. n. 64. 65 lib. n. 2. 3

Cum ergo statuisset Dominus Pharaonem cum omnibus suis in mari Erythræo submergere, iussit suos sexta die illucescente iter ad mare reflectere, vt vterque exercitus ad locum à Deo certamini, & Ægyptiorum internecioni destinatum veniret. Exercitus Israelitarum habebat à fronte mare, à tergo hostium exercitum in Phihahiroth, à dextris autem & à sinistris Magdalon & Beelsephon, cum asperis & præruptis rupibus, vt conclusi vndique neque fugere possent, neque pugnare aude-

LXXX. Hebræi iter ad mare reflectunt.

auderent. g *Cumq; appropinquasset Pharao*, inquit Moses, *leuantes filij Israel oculos, viderunt Ægyptios post se, & timuerunt valde.* Philo ait occupatos tum in parando prandio. Crediderim tamen vespertinum hunc fuisse cibum potius, quam meridianum: idq; suadet Iosephus, cum ait persequendo defatigatos, consultius existimasse pugnam differre in sequentem diem: quam videntur non dilaturi, si totum pomeridianum tempus superfuisset.

g v. 10 & c

Ibiq; ab Ægyptijs deprehendūtur.

Neque timuerunt tantum, sed clamauerunt ad Dominum, auxilio humano destituti. Eum tamen clamorem, infestam contra Deum admurmurationem interpretatur Abulensis. Et certe in eum hæc obtrectatio redundabat, quem, in tot tantisq; prodigiis, videbant autorem egressionis huius, & perpetuo miraculo quotidie habebant ducem atque ductorem suum, admirabili prouidentiæ suauitate erga ipsos vtentem. Nihilominus Mosem contumelioſa increpatione inuadunt. *Forsitan*, inquiunt *h*, *non erant sepulchra in AEgypto, ideo tulisti nos vt moreremur in solitudine.* Apparet amara irrisio; pergunt: *Quid hoc facere voluisti, vt educeres nos ex AEgypto? Nonne iste est sermo, quem loquebamur ad te in AEgypto, dicentes: Recede à nobis vt seruiamus AEgyptijs.* Videntur alludere ad tempus illud, quo primum Moses & Aaron petierunt à Pharaone dimissionem *i*, quando is acerbius eos affligi iussit.

LXXXI. Et clamāt ad Dñm.

& Mosen increpant

h Exod. 14 11. 12.

i Exo. 5. 21

Hic Moses eximia patientia & animi magnitudine præditus, populum consolatur, & metum abstergit. *Nolite timere*, inquit *k*, *state, & videte magnalia Domini, quæ facturus est hodie. AEgyptios enim quos nunc videtis, nequaquam vltra videbitis vsque in sempiternum*: eo scilicet in statu, quo vobis damno, aut formidini esse possint. Visuri enim erant, sed mortuos, ad spolia detrahenda. Pergit: *Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis*; meri spectatores eritis, & quiescetis, sublata materia querelarum. Non cessabat interea Moses intentissima supplicatione Deum orare, vt populo suo, in ipsa vltima rerum desperatione constituto, ferret opem. Cui Dominus: *Quid clamas ad me? loquere filijs Israel vt proficiscantur.* Id est, parent se ad iter per medium maris: castra quippe metati erant supra mare, stabantq; in ipso littore. Nam sequitur: *Tu autem eleua virgam tuam, & extende manum tuam super mare, & diuide illud, vt gradiantur filij Israel in medio mari per siccum.* Quasi dicat, expediant se ad iter, quod tu eis aperies, gradiantur per viam, quam tu illis straueris. *Ego autem indurabo cor AEgyptiorum, vt persequantur vos.* Tollam videlicet eis metum tam ingentis, tamq; imminentis periculi, vt putent pari se iure ac prærogatiua vobiscum vsuros. *Et glorificabor in Pharaone, & in omni exercitu eius, & in curribus, & in equitibus eius*, quos glorioſe deleuero, & victorem, ac Dominum exercituum me demonstrauero.

LXXXII. Qui eos cōsolatur

k v. 13. 14

De iubet eum ape rire mare

Dum Dei iussu monetur à Mose populus, ecce alterum monitorem. Nam sustulit *l* se *Angelus Dei, qui præcedebat castra Israel*, prout in præcedentibus profectionibus facere cœperat, nunc autem præter solitum *abijt post eos, & cum eo pariter columna nubis, priora dimittens, post tergum steterit, inter castra AEgyptiorum, & castra Israel*, vt tenebrosa nube interiecta illi præcedentes Hebræos videre non possent, neque inuadere hostem quem non viderent. Sed eadem columna ex parte Israelitarum clarescente, & radios vsque ad initium castrorum eiaculante, Israelite iter quo graderentur, facile viderent. At Moses sentiens Hebræorum exercitum angelica obuallatum custodia, virga percutiens mare, iter sæculis omnibus inauditum aperuit. Angelus enim Domini hinc & inde late vndas summouit, vt media via tam ampla per maris profunda relinqueretur, quantam tanta hominum multitudo requirebat, quo intra noctis vnius spatium in oppositum maris littus euaderet.

LXXXIII. Ductor Angel⁹ locū mutat

l c. 14. 19.

Moses virga ma re aperit.

Sed quia fundum maris perpetuis demersum aquis cœnosum fortasse, certe ex humore perpetuo ad iter lubricum futurum erat, ac molestum, Hebræis in littore subsistentibus, immisit Deus ventum vrentem, quem Septuag. & Philo Austrum vocant, in Hebræo autem textu & Chaldæa paraphrasi dicitur ventus orientalis, qui flabat è regione in faciem Israelitarum, & arenosum solum facile siccum reddidit atque calcabile. Hoc enim vnum à vento effectum est, vt siccaret solum, & daret idoneam fabulo firmitatem: non autem vt vndas ipsas à superficie ad fundum vsque, versus alterum littus protruderet, aut ad alterutrum reiiceret latus. Quod naturalis causa facere potuit, id per eam Dominus perfecit; vbi autem vis omnis naturæ deficiebat, ibi superiores virtutes adhibuit. Quod autem Moses exsiccationem vento tribuere videtur, intelligendum est dum flaret ventus, eam statim à Deo, ad eleuationem virgæ Mosaicæ, & extentionem manus eius, fuisse perfectam, vt recte à Philone explicatum est: qui addit mare à virga fuisse percussum, quod Moses prætermisit.

LXXXIV. Fūdum à vento exsiccatur.

Itaque ingressi sunt Israelitæ pedites, viam nullius vnquam pedibus tritam. *Per medium ficci maris*, ait Moses *a*, *erat enim aqua quasi murus, à dextra eorum & læua*, tamdiuq; ambulauerunt, Deo vires & alacritatem administrante, vt sub initium quartæ vigiliæ, id est sub horam à media nocte tertiam, vt consentaneum est æquinoctio, magna ex parte ad alteram ripam euaderent. Hoc iter Sedulius eleganti carmine descripsit:

LXXXV. Israēlitæ ingrediūtur mare.

a Exi 14. 29

Peruia diuisi patuerunt cærula ponti,
Ingeminum reuoluta latus, nudataq; tellus
Cognatis spoliatur aquis, ac turba pedestris
Intrat in absentis pelagi mare, peruiq; profundum
Sicca peregrinas stupuerunt marmore plantas.
Mutauit natura viam, mediumq; per æquor
Ingrediens populus rude iam baptisma gerebat.

Hebræi quidam, & alij eos secuti, existimarunt populum hunc 12. viis pro numero tribuum suarum, mare transisse, totidemq; diuisiones in mari factas, propter illud Dauidis *b*: *Qui diuisit mare rubrum in diuisiones.* At Theodoretus, & alij passim Interpretes, explicant diuisiones, quasi duas partes diuisas, quia

LXXXVI. Nō 12. viis sed vnica

b Ps. 135. 13

vt tantam aquarum copiam, quanta tanto populo necessaria erat, in dulcedinem verteret, sed diuinam vim ad illius præsentiam operatam esse. Maximè quia huiusmodi mutatio repente facta est, vt ait Abulensis, quod naturali actioni non conuenit. Porro relatiuum *eius* referri potest non ad lignum, sed ad Altissimum. Et poterat Dominus æquè ad virgæ prodigijs glorioſæ contactum, aquam dulcem reddere, sed maluit inutili ac syluestri ligno vti, vt tanto magis rudis populus Dominum Deum suum miraculi autorem agnosceret. Ergo hanc posteriorem sententiam vt probabiliorem amplectemur.

XCVIII. Sexto mansio, & quot dierum fuerit quint.

Sed iam ad sextam mansionem transeamus: quandiu autem in quinta suauissimis ac mirabiliter sanatis aquis vsi fuerint Hebræi, certo definiri nequit. Conijcimus tamen eos ibi totos sex dies substitisse, vt tres dies laboris & sitis repensarentur senis, & demigratio transacto sabbato, in primum hebdomadæ, ac mensis Iiar diem caderet. Sequitur ergo sexta mansio, de qua ita Moses d, *Venerunt autem in Elim filij Israel, vbi erant duodecim fontes aquarum, & septuaginta palmæ, & castrametati sunt iuxta aquas.* At Philo; *Ad hunc*, inquit, *modum extincta siti, voluptas geminata contigit: quandoquidem quoties præter spem incidit, maiorem affert voluptatem. Impletis deinde hydrijs discesserunt, tanquam epulari in festiuissimo conuiuio.* Et mox, *Atque ita peruenerunt in stationem secundam*, à transitu scilicet maris rubri, nam ab Ægypto sextam, *aquas habentem & arbores, cui nomen Elim erat, riguam duodecim fontibus; apud quos erant septuaginta palmæ ramosæ, ac virentissimæ, bonum omen gentis afferentes*, &c. Sic Philo, quæ omnia peruersè ac maligne retulit Iosephus.

d Exo. 15 27.

Vide Ana. Mos. 81 n. 263. & 264. e l 3. Ant. c. 1.

Cæterum quantam hic moram fecerint, non est memoriæ proditum. Ex octaua tamen f, ad quam peruenisse constat decimo quinto secundi mensis, & ijs quæ paulo ante diximus, de mora facta in Mara, colligimus Hebræos quindecim dies partim in hac statione sexta, partim in septima sequente posuisse. Idque consentaneum est dulcedini, quam Dominus in hac peregrinatione filijs suis demonstrabat: vt maiorem eius temporis partem in hac peramœna statione retinuerit. Sub digressum autem consentaneum est hydrias non secus atque instatione Mara, aquis fuisse repletas, instinctu eius, qui eos proxime deducturus erat ad mare. Abeamus itaque à palmis atque fontibus, adeamus iterum mare.

XCIX. Quod ité sexta. f Exo. 16. 1

Septima quippe mansione fixerunt tentoria super mare rubrum, vt habetur in catalogo mansionum g, quam Moses hoc loco videtur omisisse, quod nihil in ea ad memoriam insigne contigerit; neque tamen omittere voluit in eo libro, in quo mansionum numerum exactè recenset. Eam S. Hieronymus vocat Iam-Suph, quod ad mare rubrum facta sit. *Et quæritur*, inquit, *quomodo post transitum maris rubri, & fontis Mara, & Elim, rursus ad mare rubrum venerint. Nisi forte in itinere pergentibus sinus quidam maris occurrerit, iuxta quem castrametati sint. Aliud est enim transire mare, aliud in proximo figere tabernacula.* Et paulò post transiens ad alteram interpretationem. *Verum*, inquit, *Iam-Suph apud Hebræos ex mari rubro compositum est. Suph autem & rubrum & scirpus vocatur, vnde possumus suspicari, quod venerint ad paludem quandam & lacum, qui & carecto, & iuncu plenus fuerit. Quod autem omnes aquarum congregationes, Scriptura sancta mare vocet nulla dubitatio est.* Hæc ipse. Posteriorem porro interpretationem fateor mihi probabiliorem videri, quòd nouus hic maris sinus versus Arabiam non satis consentiat cum tabulis geographicis. Et sane fateor permihi quidem verum videri tantum descensum versus meridiem, ad septentrionem profecturis. In hac statione reliquum primi mensis ab exitu ex Ægypto transactum est. Nam decimo quinto Iiar peruentum est ad octauam mansionem, in deserto Sin.

C Septima Hebr. Suph, id est, ad mare rubrum. g Num. 33 10.

Ep. 127. de 42. ill. manſ.

Vel ad eundem.

Itaque profecti de mari rubro, ait Moses a, *castrametati sunt in deserto Sin, quod est inter Elim & Sinai.* Hi termini deserti Sin capiunt totam eius amplitudinem, in qua mansiones quinque contigerunt, quarum hæc, quæ secunda est, à communi loco proprium nomen accepit. *Sciendum*, inquit Hieronymus, *quod omnis vsque ad montem Sinai, Eremus Sin vocetur, & ex tota prouincia etiam locus mansionis nomen acceperit, sicut Moab tam verbis quam prouincia nomen est. In hac solitudine quinque mansiones sunt, Iam-Suph, de qua supra diximus, & Eremus Sin, & Daphca, & Alus, & Raphidim, de quibus loquemur in consequentibus.* Hæc Hieronym. Addit Moses tempus, quo ad hanc octauam mansionem peruentum est, propter singulare beneficium Mannæ, quod in ea dari diuinitus cœpit, diem quintum decimum mensis secundi, id est integro mense ab egressione ex Ægypto, quæ contigit decimo quinto primi mensis, qui Nisan dictus est, vt hic secundus Iiar.

a Num. 33 10. & Exo. 19. 1.

CI. Octaua mansio in deserto Sin.

Vna de quinque eiusdem solitudinis.

Iam quod ad rem in hac mansione gestam attinet, eam sic Moyses orditur b. *Et murmurauit omnis congregatio filiorum Israel contra Moysen & Aaron in solitudine.* Multi seorsim in circulis, vt fit, prius murmurauerant, quam vniuersa populi congregatio diceret, *Vtinam mortui essemus per manum Domini in terra Ægypti*, ijs scilicet plagis, quibus plerique Ægyptij periere, *quando sedebamus super ollas carnium, & comedebamus panem in saturitate. Cur eduxistis nos in desertum istud, vt occideretis omnem multitudinem fame?* Totis triginta præteritis diebus, nam Hieronym. hunc vocat trigesimum primum, totus paulatim consumptus fuerat commeatus, neque enim vllus ad hanc diem facta fuerat famis aut cibi mentio, sed penuria præsens, & futuræ desperatio acrem molestiam, ac tristitiam toti populo peperit, quam reddidit amariorem collatio cum præterita copia, & quidem eò vsque, vt querelas iniustissimas exingratorum pectoribus exculeret, verbo quidem contra Moysem & Aaronem, re autem ipsa contra Deum. Vnde mox ipse Moses, *Audiuit Dominus murmur vestrum contra Dominum: nos vero quid sumus, quia murmuratis contra nos?*

CII. Murmurat Isra el tum pro cibo. b c. 16. 2.

Vere

CIII. In giarū, & aduersus Dominum.

Vere contra Dominum. Eos enim reuera Dominus de Ægypto eduxerat in manu excelsa, & traduxerat per mare rubrum, & ad eam diem quotidie deducebat, præeunte columna nubis. Totam ergo Domini circa se prouidentiam aspernabantur atque damnabant, & flagellorum ac diræ seruitutis obliti, ollas carnium lurcones recordabantur. *Sed quoniam intelligebat*, vt ait Iosephus, *non de nihilo populum concitatum, ad preces & supplicationes confugit, & conscensa quadam specula, opem Dei, rebus per inopiam afflictis deposcebat.* Quibus exoratus promittit Dominus coturnices in proximam populi cœnam, erat enim vespera, manna vero in sequentem matutinum diem. Qui cibus quia perpetuus futurus erat atque ordinarius, eius promissio differtè à Domino facta ponitur, cum præcepto colligendi certam quotidie mensuram, excepto die sexto, quo duplex colligenda erat in singula capita, vt die septimo quieti, & diuino cultui vacaretur. Nihilominus Moyses tam exprobationem murmurationis, quam nunc attigimus, quam promissionem coturnicum & mannæ, vna cum prædicto præcepto, ad populum cum fratre Aarone refert.

c16.8.12.

CIV. Qui eis mittit manna. v.4.

Promissio Domini est huiusmodi. *Ecce ego pluam vobis panes de cœlo, egrediatur populus, & colligat quæ sufficiunt per singulos dies; vt tentem eum, vtrum ambulet in lege mea, an non.* Vt scilicet notum hat quinam præceptis meis obtemperent, aut qui ea violent colligendo plusquam oportet, & quando non oportet. Pergit, *Die autem sexto parent quod inferant*, in tabernacula sua, *& sit duplum quam colligere solebant per singulos dies.* Ea promissione accepta, *dixerunt Moyses & Aaron ad omnes filios Israel. Vespere scietis quod Dominus eduxerit vos de terra Ægypti*, per singularem videlicet effectum prouidentiæ erga vos suæ, *& mane videbitis gloriam Domini*, in manna pane angelico vobis administrando. *Audiuit enim murmur vestrum contra Dominum.* Eademque causa tam singularis liberalitatis, mox secundo ac tertio iteratur.

CV. Singulari in ingratos beneficentia.

Mirabilis prorsus, ac diuina bonitate digna vindicta! Murmurat populus, non tam contra Moysem, quam contra Dominum ipsum: & Deus quasi eximio aliquo prouocatus obsequio, insignem illi liberalitatem parat. Populus contra innocentes & benefactores lapidationem, si Iosepho credimus, intentat, Deus contra incredulos & rebelles nō pluit lapides, par pari referens, & saxis saxa retundens, sed delicioſum manna, & coturnices. Populus impie ac mendaciter ollas carnium, & saturitatē Ægyptiacam Moſi exprobrat, oblitus flagellorum, quibus dies noctesque cædebatur; & Dominus quasi iusta esset querela, & æquum esset eorum non solum necessitati, sed etiam gulæ quodammodo famulari, delicatiores ei carnes coturnicum submiſtrat, vt Sapiens *d* non vno in loco gratulabundus confitetur. Ideoque admirans Dauid *e*, *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus, escam dedit timentibus se.* Imo & murmurantibus contra se, Quid facturus est bonis, & obsequentibus famulis suis, qui improbos ac tumultuantes tam indulgenter tractat?

d Sap. 16. & 19 11.
e Psal. 110. 4.

CVI. Vespere coturnix castra cooperit. f Exod. 16 v. 13.

Hæc indulgentia hoc erit illustrior, quo melius angelici panis, quo querulos istos enutriuit, naturam, vsum, proprietates cognouerimus; si prius de coturnicibus, quæ prius datæ sunt, aliquid dixerimus f. *Factum est ergo vespere*, sub occasum scilicet Solis, *& ascendens coturnix cooperuit castra.* Ex humiliore videlicet Ægypti regione veniebat, & ex Arabico maris sinu, eodem fortasse impellente vento Africo, qui postea in sepulchris concupiscentiæ immensam detulit vim coturnicum, vt suo loco dicemus. Significat autem Philo quotidianum fuisse hoc aucupium: cui fauere videtur Scriptura, cum ait, *Dabit vobis Dominus vespere carnes edere, & mane panes in saturitate.* Vno enim eodemque orationis tenore ac filo, carnes Dominus, panesque pollicetur: at perpetua futura erat liberalitas panum, ergo & carnium; & Hebræi quorum querelę Deus satisfacere voluit, æquè vtrumque conquerendo postulauerant.

An quotidianum fuerit aucupium.

CVII. Hoc tempore semel tantū datæ coturnices.

Verum hæc opinio videtur eorū, qui vtramque coturnicum liberalitatem confuderunt; nam rem tam memorabilem Scriptura non tacuisset, quæ huiusmodi locutione significare voluit, Deum semel quidem daturum carnes populo, sed quæ in plures cœnas sufficere possent, itaque factum videtur. Præterea non dixit Dominus eos vno vespere habituros carnes, licet vno tantum vespere collecturi erant. Sic etiam in decima tertia mansione, semel tantum confluxerunt coturnices, sed tanta copia, vt quisque colligeret, quod in mensem integrum sufficeret; ergo pluribus vesperis comederunt carnes, & mane saturati sunt panibus. Qui panis, vt mox patebit, cum instar esset omnis cibi, merito illo præsente, atque affatim affluente, coturnices suis se locis continuere. Nec Hebræi ordinariam annonam carnium postulabant, sed suam infelicitatem, ex contentione cum priore fortuna, quæ hac ex parte videbatur optabilis, cum querela repræsentabant, nec tamen sine culpa, vt pluribus in Annalibus *a* explicatum est. Et de vespertino cibo peregrinantium Israelitarum hactenus.

Sed abundanter in aliquot dies.

a Ex Cyr. in Ioan. l. 3. c. 34.

Quod ad matutinum attinet, qui deinceps vespertinus quoque factus est, sic enim Scriptura describit b. *Mane quoque ros iacuit per circuitum castrorum: cumque operuisset superficiem terræ, apparuit in solitudine minutum, & quasi pilo tusum, in similitudinem pruinæ super terram.* Si tempus quæritur, quo diuinitus manna dabatur, mane fuit, primo scilicet diluculo, vt ante solis ortum colligi posset; nam cum incaluisset sol, liquescebat. Si natura, appellatur ros, quia decidebat vt ros & cum rore, vt habetur in libro Numer. *c* Ne tamen liquidum fuisse putes, instar guttarum roris, mox additur, fuisse in similitudinem pruinæ, siue roris concreti ac cō gelati. Si quæritur locus, non depluebat intra castrorum vicos, aut super eorū tabernacula, ne bona pars eius sordes contraheret, ac periret: sed in circuitu castrorum, ne longe petendo cibum populus fatigaretur; sicque omni ex parte Dominus prouidi & indulgentis patris familias numeros explebat.

CVIII. Manna depluit Hebræis. b Exo. 16. 13.

Quando.

Quæ eius natura c v. 31. 9.

Quo loco decisteret.

Nam si copia quęritur operiebat superficiem terræ, magna scilicet latitudine ac profunditate, pro multitudine populi innumerabilis. Ideoque Chaldęus paraphrastes ait coacernatum fuisse, instar pruinæ super terram, & Philo σωρηδὸν aceruatim iacuisse ait rorem profundū

CIX. Quanta esset

ὑφ' ὕσον βαθίναι ἢ πολλὴν

gnifice ornatas fuisse, ad ipsarum celebritatem cohonestandam, in eoque diuitias suas ostentare voluisse *vt contingere solet*, inquit, *in festo D. Virginis de Rosario.*

XXXIX Et quo iure de natione diuina.

Nam quod ad iustitiam spoliatorum Ægyptiorum attinet, repudianda primum videtur Iosephi opinio, de rebus hisce dono acceptis, cum spoliatam Ægyptum scriptura dicat; repudianda & Philonis, qui pene prædones appellat contribules suos, sed agnoscendum Dei opt. max. summum in res omnes, maximumque Dominium, cuius voluntate ac liberalitate facti sunt Domini eorum omnium, quæ mutuo acceperant. Accedit communis illa ratio scriptorum antiquorum atque recentium, de recepta solutione fraudatæ diu mercedis eorum, quibus tanquam mancipijs abusi fuerant. Quique & rebus suis, quas in Ægypto relinquebant, commutasse dici possunt. Nam à principio Regis concessu, & Iosephi proregis interuentu, in Gessem collocati, multos ibi agros, villas, domosque acquisierunt, multamque in ijs rusticam atque vrbanam supellectilem, quæ omnia cum hospitibus suis relinquerent, quæ fortasse valorem superabant eorum quæ auferebant, permutatio potius, quam spoliatio facta videri potest.

Permutatione.

XL. Institutio anni sacri &c.

Mutuatio pretiosæ supellectillis, quædam fuit ad exitum populi Hebraici, tam seuera ad hanc diem contentione procuratum, præparatio, & quasi viaticum. Sed alia insuper quædam exitum istum præcesserunt; institutio videlicet anni sacri, & celebritatis Agni Paschalis, in memoriam acquisitę libertatis, per immolatum primogenitorum Ægypti cædem. Tertium fuit signum aspergendi sanguinis ad superliminaria ostiorum, & vtrumque postem, ad vitandam præparatam hostibus suis cædem. Quartum autem est ipsa decima plaga, quam post horas aliquot secuta est egressio Israelitarum ex Ægypto. Quæ omnia capite 12. continentur, & à nobis, pro instituta breuitate, decurrenda sunt. Nam ita diuoso lectori amplioris cognitionis appetenti, licebit ad ipsos Annales recurrere.

XLI Duplex anni principium 1. c. 12. 2.

Deanno sacro hoc vnum habet Scriptura, *Mensis iste vobis principium mensium, primus erit, in mensibus anni.* Quibus verbis instituit Dominus, vt ratio totius anni, quod ad rem sacram, diesque festos attinet, ducatur ab hoc mense, in quo vere ineunte Pascha celebratur. A Paschate autem cęteræ solennitates, quæ immobilem nõ habent sedem, suum tempus locumque sortiuntur, & olim apud Hebræos, & nunc quoque apud Christianos. Quod ad rem autem profanam pertinet, apud illos, aliasque pleraſque gentes, annum à mense Tisri, siue Septembri, aut vniuersè ab æquinoctio circiter autumnali inchoari solitum, iam in horum Annalium Apparatu a declaratum est vbi disputabamus nihil ex hoc Exodi loco afferri, quo Mundi exordium in Autumnum reijci debeat; imo Veri potius ex hoc ipso loco esse tribuendum, nihilque Iosephum contra nos scribere: cum dixit, ita hunc mensem primum esse constitutum, vt in cæteris Moyses pristinum retineret modum ac ritum; non Hebræorum, qui nondum in populum vnum coaluerant, sed Ægyptiorum, apud quos tot annos versati, eorum se consuetudini, vt par erat, hac in re attemperarant.

In Nisan

Et Tisri

a c. 4. in 8. & 9.

Hoc ergo primum tempore, quo Israelitæ in populum liberum coalescebant, propriũ anni ordinem, in ijs, quæ ad Deum pertinent, à Deo acceperunt. Ante enim quam in Ægyptum descenderent tam pauci erant, vt populus dici nõ posset. Demum in Ægypto insigniter multiplicati, peregrini, & alienæ reipub. incolæ, postremo serui facti sunt. Egressi autem ac libertatem consecuti, suo iure ac principe, suisque mox legibus ac ritibus vtentes, etiam propriũ anni ordinem, ac modum in diuinis habuerũt. Voluit quippe Dominus hũc populum suum, quantum fieri potuit, vt legibus omnibus, ritibus, ac institutis, ita & temporum, ac festorum distributione, ab alienigenis differre, vt tanto magis ab eorum idolis ac superstitionibus auerterentur. Et si in reliquis, in quibus commercia cum gentibus exercentur, communem vsum, communemque commoditatem collectarum frugum retinuerint.

XLII Hoc primo anno facet annus institutus.

Sequitur institutio celebritatis Agni Paschalis, in qua quatuor circunstantiæ à Scriptura notantur. Prima est, vt decima die primi huius mensis Nisan, præpararetur agnus per singulas domos & familias, qui exeunte decima quarta sacrificaretur. Vtique maturius; vt si quid interea vitij in eo deprehenderetur, alius substitui posset in eius locum. Prouisum etiam fuit populo tantum, tamque negotioſum iter parauit, ne in multa negotiorũ turba, postremo vel penultimo die, agnus qualis requirebatur, non facile inueniretur, aut omnino præceptum Domini obliuioni traderetur. Quæ causa fuit aliquibus existimandi hoc præceptum tunc tantum obligasse Iudæos, non autem posteros: alij contra sentiunt, vtique probabilius; ideoq; Christum Dominum, ad eam figuram implendam, eodem decimo die cum triumpho ingressum Hierosolymam, post dies quinque immolandum, quo die Iudæi magna cum lætitia Paschalem agnum domo excipiebant.

XLIII Celebritas agni Paschalis, eiusque prima circunstantia: vt decima die præpararetur.

Altera huius sacrificij circunstantia pertinet ad ipsam victimam, id est agni vel hœdi conditiones, defectu enim agni, hœdus legitima fuit hostia. Prima conditio fuit vt esset absque macula, id est sine vitio, integer & perfectus. Nec tamen colorum varietas prohibetur, ex qua oues maculosæ dicuntur, sed quæ in Leuitico maculæ designantur, b *si cæcum fuerit si fractũ, &c.* Altera vt sit masculus, quia tam Hebræo quam Latino vocabulo sæpe vterque sexus comprehenditur. Tertia vt sit anniculus, id est intra primum annum consistat, nec maior anno sit, nec minor octo diebus: septem enim diebus debuit esse sub vbere matris, die autem octauo & deinceps offerri Domino potuit, vt in lege præceptum est.

XLIV. 2. fit agnus vel hœdus.

b c. 22. 21

c Leu. 22. 27.

Iam quod ad tempus sacrificij pertinet, constat non inchoante, sed exeunte decima quarta Luna fuisse celebratum. Alioqui, cum deinceps post sacrificium comederentur azymi panes, dicendum esset fas fuisse comedere eos decima quarta tota, eamque fuisse primam diem azymorum; quod falsum esse ex Leuitico perspicuum est, vbi solemnitas d azymorum decimo quinto die dicitur inchoari, quod & alibi quoque inculcatur.

XLV. 3. vt sacrificetur ad vesperam.

d cap. 23 5. &c.

Quod

Quod autem dicitur agnum immolandum ad vesperã, in Hebræo est inter duas vesperas, quas certum est accipi non posse de initio & fine decimi quarti diei, sed tantum de tempore ad finem illius accedente. Sed prior vespera est cum sol, maiore iam diei parte decursa, vergit ad occasum, verbi gratia sub horam tertiam a meridie, quæ Hebræis nona dicitur, Italis vigesima prima: posterior vespera sequitur occasum solis, sicut primum mane, siue aurora illius ortum antecedit. Inter has ergo vesperas, id est inter solem vergentem ad occasum, & solem occiduum debebat immolari agnus, & hoc est quod Chaldæus intelligit, cum pro duabus vesperis ponit duos soles. Et hunc Hebræorum vsum perspicue tradit Iosephus *c* *Cum dies festus adesset*, inquit, *qui Pascha vocatur, quando a nona quidem hora, vsque ad vndecimam hostias cædunt*, &c.

Nec negligendus est numerus conuiuarum, quem ibidem expressit, ait enim contubernia, non pauciorum fuisse quam decem virorum, multos autem vicenos conuenisse. Cui numero repugnare videtur Scriptura cum ait *f* confluere debere ad eandem cœnam eum numerum, *qui sufficere posset ad esum agni*. Ita vt comedant singuli ad saturitatem ait Abulensis. Atqui decem viri nedum viginti, necessarij non sunt ad vescendum agnum anniculum: imò ne ad vitulum quidem. Retineamus tamen denarium numerum, sed ita vt eo omnem ætatem sexumque eiusdem familiæ comprehendamus. Numerosiores autem familiæ, vel de suis commodabant minoribus; quales esse solent nouorum coniugum, vel alios adiungebant cibos; vt videtur in familia Christi Domini contigisse.

Reliqua est quarta huius celebritatis circunstantia, quæ ad ipsum agni esum pertinet. Is enim cum iugulatus esset, reseruato ad aspersionem, vel intinctionem sanguine, detracta pelle extrahebantur intestina, & lauabantur vt possent torreri, tum cæteræ carnes, nihil amplius diuisæ, ne ossa frangerentur, simul assabantur, & quidem perfecte, vt nulla pars semicruda relinqueretur, iuxta illud g, *Non comederis ex eo crudum quid*, ne scilicet semicoctum inter comedendum verteretur in nauseam, & abijceretur. Et quia assatio citius perficitur quam elixatio, ideo festinantibus, assis potius quam elixis carnibus vti conueniebat. Ad quam etiam festinationem repræsentandam pertinet, quod accincti ad iter, & cum festinatione comederent, imo & quod ossa non frangerent, ad excutiendam medullam. Denique nihil volebat Legislator in posterum diem reseruari; partim quia id ad integritatem sacrificij pertinebat, partim quia summo mane abituri erant, ante illorum comedendi tempus. Ergo reliquias igne consumebant.

Comedebatur porro Agnus cum azymis panibus, & lactucis agrestibus. Azymos panes requirebat angustiæ temporis, & festinata necessitas abeundi, priusquam massa fermentari posset: sed Deus necessitatem in mysterium vertit. Voluit enim Iudæos septiduo huiusmodi pane vesci *a*, licet minus ad gustum suaui, minusque ad nutritionem vtili, in memoriam vitæ in Ægypto transactæ. Eodem pertinent *b* lactucæ agrestes, quam cichorium aliqui putant. Reliqua fuit intinctio siue aspersio sanguinis. *Sument*, inquit Dominus, *de sanguine agni, & ponent super vtrumque postem*, quorum alteri adhærent cardines, in alterum sera & pessuli immittuntur, *& in superliminaribus*, vt scilicet Angelus percutiens Ægyptum ab Hebræorum domibus abstineat. Eam autem aspersionẽ, siue intinctionem fieri voluit cum fasciculo hyssopi; quæ sunt diuinis plena mysterijs, nec properantibus explicanda. Sunt qui putent hanc cæremoniam non fuisse deinceps obseruatam. Recte vtique, si necessitatis causa, & non memoriæ, & gratitudinis fuisset vsurpata.

Hoc autem munus illius erat, qui primas agebat in sacrificio. Ait enim Philo *c* hoc tempore plebeios homines non vt alias adducere victimas ad altare, mactandas à Sacerdotibus, sed iubente lege, gentem totam sacrificare, & pro se quemque mactare hostiam suis manibus, & quemque se pro Sacerdote gerere. Iosephus *d* quoque ait omnes sacrificasse, id est licet non essent Sacerdotes neque Leuitæ, & sanguine domos lustrasse aspersas hyssopo. Rationi tamen consentaneum est patrem familias, aut eum qui eius gerebat vices, Sacerdotale munus in hoc sacrificio obijsse, reliquis instar Leuitarum ministrantibus, eique honorem, vt par erat, deferentibus. Hunc omnem sacrificij, & profectionis apparatum, excepit decima plaga, quæ iampridem cunctantem Pharaonem cum suis in dimittendis Israelitis, ad eos ejciendos denique perpulit.

Ventum igitur erat ad decimum quintum mensis Nisan, aut ad priorem eius partem nocturnam, & Israelitæ, tantæ rei expectatione suspensi, domi se continebant. Ægyptij autem multos iam dies plagis immunes, aut securi dormiebant, aut certe alia omnia cogitabant, cum *e* *in noctis medio percussit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti, à primogenito Pharaonis, qui in solio eius sedebat*, ad parentis scilicet latus, honoris & beneuolentiæ causa, *vsque ad primogenitum captiuæ, quæ erat in carcere*, siue in pistrino, vel ergastulo, *& omne primogenitum iumentorum*. Hanc cladem Sapiens *f* in prædicandis diuinis laudibus celebrat, additque nõnulla, vel ex certa traditione patrum, vel ex reuelatione diuina, quæ à Mose prætermissa fuerant, horrificas scilicet visiones, & tristia somnia, ipsis sub mortiferam percussionem immissa. Nimirum exterminatores Angeli sese Ægyptiorum phantasiæ videndos exhibuerunt, aspectu terrifico, stricto ferro imminentes, eisque causa mortis enunciata, *ne inscij quare mala patiebantur, perirent*, inuisibilem, eamque mortiferam plagam intulerunt. Qua accepta hucillucque semiuiri, quasi lymphati ferebantur, & cum acerbissimo dolore, ac tristi ciulatu, mori se in vltionem Israeliticæ seruitutis, & nominatim cædis paruulorum, quos in flumen abiecerant, miserabiliter testabantur, dum Hebræi sacrificarent, diuinasque laudes decantarent.

Scribunt Philo ac Iosephus agminatim à populo in regiam factos esse concursus, scissis vestibus, & maximis vociferationibus exigente, ne vltra in Ægypto detinerentur Hebræi,

quod

sive inter duas vesperas.

c l. 7. de Bel. Iud. c. 17.

XLVI. Numerus conuiuarum.

f Exod. 12. 4.

XLVII. Quomodo comedendus agnus.

g Deut. 12. 9.

XLVIII. Cum azymis, & lactucis agrestibus.

a Deut. 16. 3.

b Exod. 12. 8. intinctio sanguinis

XLIX. Quis sacrificaret. c Lib. de vita Mos. & in l. de Decalogo subfi. d l. 2. Ant. c. 5.

L. Decima plaga infligitur.

e Exod. 12. 29.

f Sap. 18. 14.

LI. Populus concurrit ad regem

quod Mosaicæ narrationi consentaneum est. Ait enim g, *Surrexitque Pharao nocte, & omnes serui eius, cunctaque Ægyptus, & ortus est clamor magnus in Ægypto, neque enim erat domus, in qua non taceret mortuus.* Quid si in aliqua domo nullus erat primogenitus? Quidam interpretantur, non fuisse domum, in qua esset primogenitus, in qua non esset funus; itaque particulam *fere* subintelligunt. Abulensis autem nullam hic agnoscit hyperbolem, sed nomen primogeniti diducit latius; vt eo intelligantur non solum filij familias primo nati, sed omnes quicunque fuerant aliquando primogeniti, quamuis essent patres familias, & centum annorum. Sicque contingebat, vt in eadem domo moreretur pater & filius, quia vterque primogenitus fuerat patri suo. Alij etiam primogenitos accipiunt tam mares, quam fœminas; & siue respectu parentis vtriusque essent primogeniti, siue alterius tantum, sicque facile erat etiam plures in vna domo reperire primogenitos, Vnigeniti quoque primogeniti sunt.

Quo autem mortis genere perierint facile intelligitur ex prima denunciatione plagæ huius, quæ habetur cap. 9. Exod. h, *Nunc enim extendens manum percutiam te*, in filio tuo primogenito, *& populum tuum peste, peribisque de terra*: & Iosephus ait pestem illa nocte absumpsisse primogenita Ægyptiorum. Et videtur quidem Sapiens i innuere eos gladio fuisse trucidatos. Verum gladius in Scriptura de quolibet violentæ mortis genere non raro vsurpatur. Et constat tempore Dauidis occisa esse peste septuaginta millia virorum, Dauid tamen vidit Angelum Domini euaginato gladio percutientem Ierusalem k, qui præcipiente Domino conuertit gladium suum in vaginam. Omnes certe primogenitos istos eodem mortis genere perijsse, ex libro Sapientiæ clarum est. *Similiter*, inquit, *omnes vno nomine mortis mortuos habebant innumerabiles.*

Non ipsum porro Dominum per se percussisse Ægyptum, certum est, sed Angelum, qui in Dei persona loquitur; nam legimus l, *& non sinet percussorem ingredi domos vestras, & lædere.* Quin & rectius creditur plures fuisse Angelos vastatores, quam vnum, qui tam breui tempore, in tam ampla regione, tot domibus, oppidis, ciuitatibus tot primogenitos inquisierint, atque occiderint. Fuisse porro Angelos bonos, quamuis mali, id est noxij à Dauide m vocentur, probabilius est. Nec nouum est, aut insolens in Scriptura, per bonos Angelos vexari ac puniri sceleratos Assyrios, Sodomitas, Herodem, &c. Ac ne has ipsas Ægyptiorum plagas omnes à dæmonibus perpetratas dici potest, ne Sathanam, qui pugnabat pro Magis, aduersus Sathanam diuisum a dicamus. Illud autem, *non sinet ingredi domos vestras*, non malam Angeli voluntatem significat, quæ a Deo impedienda sit, sed promptitudinem Dei mandatis obtemperandi, æque aduersus malos ac bonos, vt in Sodomis, vbi non dubium est plurimos infantulos innocentes, communi parentum deflagratione perijsse.

Accessit quasi epimetron plagæ huius, quod Dominus vt fuerat paulo ante comminatus, in cunctis Dijs Ægyptijs iudicia fecit, quæ Sept. vertionem vocant. Hebræi autumant, aut Hieron. c, quod nocte qua egressus est populus, omnia in Ægypto templa destructa sunt, siue terræ motu, siue ictu fulminum. Quæ quasi per nebulam inaudierat Lysimachus ille Iudæorum hostis apud Iosephum d, qui ait Moysem Iudæorum exulum ducem suis authoremi fuisse vt Ægyptiorum templa & altaria, quotquot inuenirent, euerterent, idque illos strenue factitasse, & vt bonis à se conditam, ex re *i. pœna* nominasse: postea vero probri vitandi causa *ἀπὸ τοῦ λοιμοῦ* vocauisse; Sic ille nugator. Probabile autem est Serapidi primatio Ægyptiorum Deo contigisse, quod Azotio Dagoni, qui in conspectu arcæ miserè truncatus, ac deformatus iacuisse legitur. Ex quo affirmemus licet, fuisse hanc plagam Ægyptijs, non solum incredibili detrimento, sed maximo etiam probro atque dedecori, in summa illorum ignominia, quos vt Deos summo honore prosequebantur.

Ex his denique intelligi potest, quam afflicta tunc ac prostrata res fuerit in Ægypto; quamque luctuosa facies totius regionis, villarum, oppidorum, ciuitatum, dum nihil herbarum in campis, nihil in agris segetum, nihil in arboribus frondium, nedum pomorum vsquâ cerneretur; sed funditus interijssent omnia, mœstis deplorata colonis. Quomodo non lugerent infelices Ægyptij, pecudibus in stabulis, filijs in ædibus, Deorum simulachris in templis disturbatis, occisis, suffocatis? Cum nec Deos suos miseri, nec homines haberent, ad quos consolationis causa confugerent, quia *luctus vbique, pauor, & plurima mortis imago.* Cum vbique intermortui morientium gemitus, & morientibus adstantium eiulatus mixti confusique resonarent; & ex ædibus in vicos omnes, fora, plateas, templa, campos, syluasque redundarēt. Cum interim Hebræi hymnos canerent, festosque dies celebrarent; nec in eos propter quos tam dira, tamque inaudita patiebantur, indignationem suam effundere auderent, veriti reliquorum omnium qui supererant exitium, ac supremam internecionem.

Cæci qui non viderent quantus esset ille Deus, quamque præ omnibus idolorum quisquilijs, timore, supremoque cultu dignus, cuius manus tam dura esset super ipsos, & super Apim Deum ipsorum. Neque tamen cæci omnes; Plerique enim, qui hactenus illatas plagis veneficijs, & malis artibus tribuebant, Deum verum pro Iudæis, tanquam patrem pro filijs pugnantem, in hac denique plaga cognouerunt, vt Sapiens ipse testatur e. Alij etiam Sapientiores ad veri Dei cognitionem, & Hebræorum religionem, ceremoniasque transierunt, eisque se peregrinationis comites adiunxerunt. *Quidam*, inquit Philo, *pietatis amore se Hebræis adiunxerant, & erant, qui tot continuis castigationibus profecerant in melius.* De quibus mox aliquid cum Moyse dicemus. Sicq; nos ad egressum filiorum *Israel de Ægypto, domus Iacob de populo barbaro*, rerum series ipsa deduxit.

Accepta enim tanta calamitate, recentissimo adhuc & calente vulnere, *surrexit Pharao nocte* terribili & funesto excitatore suscitatus surrexerunt *& omnes serui eius*, domestici & aulici, & mox certatim Ægyptus vniuersa.

Voca-

f c. 11. 30

Multitudo primogenitorum occisorum

g Epist. ad Fabiolam

d l. 1. extremo contra Apionem

L. II. Pestè periisse. h v. 15.

i Sap. 18. 16.

k 2. Par. 21. 15. 16. 27. 30.

L. III. Ang li percussores boni erant Ge. 12. 23.

L. V. Miseræ Ægypti facies.

L. VI. Saluti aliquibus fuit.

l Exod. 12. 23.

m Ps. 77.

n Sap. 18. 15.

2 Luc. 11. 18.

L. IV. Dei vltio iridebis Ægyptiis

b Exod. 12.

L. VII. Pharao euocat Mosem.

Vocauitque Pharao nocte ipsa intempesta Moysem & Aaronem, quos in ipsa regia tum fuisse quidam putant. Verum credibilius est eos in terra Gessen, in oppido Rameses tum fuisse, quo ad agnum immolandum, omnes ex tota Ægypto Iudæi confluxerant, indeque ex Ægypto proxima luce egressuri, se ad iter accingebant. Oportet ergo eos ibi, cum populo suo, Agnum paschalem comedisse, vt suis verbo & exemplo, in tanto sacrificio tum primum instituto, præiret, tum principibus populi matutinam proximi diei profectionem inculcasse, eisque rem totam, & per eos præpositis inferioribus commendasse, ac se quieti dedisse. Superuenit interea media nox, in qua exorta in palatio clades, totaque Ægypto propagata, & vulgata est.

Rameſſe

LVIII. Et Iſraelitas dimittit cū rebus ſuis. f c. 12. 31.

Qui primus malum sensit Pharao, primus vociferari cœpit ac furere, misitque ad Moysem nuncios, qui curriculo illi regis nomine dicerent f, *Surgite, & egredimini a populo meo vos, & filij Israel: ite, immolate Domino sicut dicitis. Oues vestras & armenta assumite vt petieratis, & abeuntes benedicite mihi.* Ita Pharao postrema denique plaga victus, atque edomitus. Nulla enim, vt antea, exceptione vtitur, sed vniuersè petitioni acquieuit, vt scilicet viam trium dierum proficiscantur in solitudinem, ibique Deo suo ritu solenni sacrificent, & videlicet postea reuertantur propitiato sacrificijs Deo. Non dimittebat in perpetuum, vt supra diximus, quoniam nunquam id Moyses aut Aaron postulauerat. Nec par est credere Pharaonem suis hostibus plus gratiæ conferre voluisse, quam ipsimet peterent, vt supra dicebamus: Nec tamen reuerti iussit, ne noua ea res induceret moras, & nihil ipse, præter noua supplicia, acquireret altercando. Itaque maluit id, quasi minime dubium, tacitum relinquere.

Nec meminit te nationis, &c cat.

LIX Ægyptij vrgent Hebræorum diſceſſum

Cum videret autem populus Hebræis à Rege factam abeundi facultatem, vrgebant & ipsi hunc exitum, tum quia metuebant ne diuina vindicta repente inuoluere vniuersos, dicebant enim *omnes morsemur.* Tum quia fortasse verebantur ne Pharao sententiam mutaret, quem nossent principem, in quo inconstantia, & duricies animi ex æquo certarent. Itaque Ægyptij vrgebant Israelitarum exitum, metu exitij sui. Huius festinationis indicium est, quod nihil obsonij in viam præparare potuerunt g, ac ne panem quidem, sed coactus est populus conspersam farinam, & aqua tantum madefactam auferre, & ligatam in pallijs, humeris imponere. Non ait Scriptura nihil eos cibi cuiusquam secum detulisse, sed tum præparare potuisse, præ festinatione, quod non impedit ne præcedentibus diebus præpararint, & iumentis, vna cum supellectili, præsertim pretiosa mutuo sumpta, imposuerint, quam Ægyptij in hac tanta rerum perturbatione, vel non sunt recordati, vel non sunt ausi repetere, cum dedissent illa mutuo in sacrificium, quod post triduum in solitudine celebrandum erat; ne hæc suspicax & præmatura repetitio contentionem pareret, quæ moram iniceret profectioni, vel nouam quampiam Ægyptijs conciliaret calamitatem.

g *Exod.* 12. 39.

Quis eo tam comparatus.

LX. In hac nihilominus festinatione non est oblitus Moses Lipsanorum Ioseph *a*, sed ea secum abstulit, vt ille moriens mandauerat, ante annos 144. *b* Mirum autem est Moysem dicere filios Israel armatos *c* ascendisse de terra Ægypti. Inermes enim fuisse Philo & Iosephus multis locis affirmant. Et parum probabile est Ægyptios tempore seruitutis Hebræis arma permisisse, cum eorum solam multitudinem formidabilem putarent. Putat Abulensis Hebræos arma habere permissos, cum sacrificandi causa abirent, & celebritatis honestandæ causa, multa secum pretiosa mutuo accepta deferrent, vt se, & illa à latronibus tutarentur. Dici quoque potest, voces illas, *& armati ascenderunt*, non ad primum istum profectionis diem restringendas esse, sed ad illum referendas, quo spolia impiorum acceperunt, vt ait Sapiens *d*, quæ diuina prouidentia, vel ventus, vel æstus maris in alterum littus ejecerant; in spolijs autem armati exercitus, omnia armorum genera repererunt. Ex Hebræo textu colligitur eos quinos fuisse progressos. Sed de his hoc loco iam satis, illuxerit, abeundum est.

Lipsana Iosephi aportantur.

a *Exod.* 13. 19.

b *A. m.* 2599.

c *Exo.* 13. 18. An Hebræi armati abierint.

d *Sap.* 10. 19.

Cum ergo Hebræi sub huius mensis initia, certe ante decimum eius diem, de sacrificio paschali, & profectione moniti, vndique hisce diebus in terram Gessen, atque in oppidum Rameses confluxissent, primam ibi mansionem, per tempus aliquod, ad horam vsque discessus habuerunt: & ibi ad iter, vt tempus tulit, per suas turmas distributi, cum prima luce, Moyse & Aarone ducibus, egressi sunt.

LXI Mansio prima Rameſſe.

Sex porro huius profectionis circunstantias notauit Moses *e*. Prima est temporis 430. annorum à promissione videlicet facta Abrahæ, vsque ad finem seruitutis. Neque annum notare contentus, etiam mensem notauit & diem. *Profecti*, inquit f, *de Rameſſes menſe primo, decima quinta die menſis primi, altera de Phaſe*, id est postridie celebrati paschatis, & quidem nocte, vt est in Deuter. *g* id est summo mane, aut certe nocte inchoata est profectio, sed ea in tanta multitudine, necessario ad multam atque adeo totam lucem tenuit, sed ita tamen vt eadem die egressus sit omnis exercitus Domini de terra Ægypti, vt in Exodo *h* scriptum est.

Sex profectionis circunſtantiæ prima temporis

e *Exod.* 12. 40.

f *Nū.* 33. 3

g c. 16. 1.

h c. 12. 41

Secunda est circunstantia loci Rameses, quæ fuit vna de ciuitatibus, quas Hebræi in sua seruitute vel condiderant, vel instauraranat. Ibi magna ex parte videntur contigisse, quæ de mansionibus Moyses Numer. 33. tradidit: vt scilicet illic collocati per turmas suas castra metarentur, vt in exercitu fieri solet, & tabernacula tentoriaque figerent. Immensam enim abeuntium multitudinem, cum impedimentis suis vnum oppidum non capiebat, sed circunquaque in pagis & villis & agris tabernacula collocarant, vt sine causa Tostatus Rameſſen è numero mansionum excludat. Tertia est numeri, *Profectique sunt*, ait Moses i. *de Rameſſe in Socoth*, id est versus Socoth, *ſexcenta fere millia peditum virorum, abſque paruulis, ſed & vulgus promiſcuum innumerabile aſcendit cum eis.* Quæ sic explicat Philo. Erant viri demigrantes supra sexcenta millia. Reliquæ turbæ senum, puerorum, mulierum iniri non poterat numerus. Huc accedebat seruitiorum multitudo promiscua, & quasi suppositicia. Hos

LXII. Secunda loci.

Tertia multitudinis.

i c. 12. 37.

Hebræi susceperant è fœminis Ægyptijs paterno genere contributos, quidam etiam pietatis amore se adiunxerant.

LXIII. Quarta valetudinis

Plerique Scriptores Hebræi nominis inimici, scriptis prodiderunt expulsos Israelitas tanquam leprosos, morbidos, pollutos, scabie & impetigine sordidos, quos Iosephus contra Apionem studiosè refellit. Sed eos Dauid mendacij aperte arguit. *Et eduxit eos*, inquit *k*, *cum argento & auro, & non erat in tribubus eorum infirmus.* Quæ fuit singularis Dei in tanta multitudine prouidentia; eaque factũ est, vt omnes valentes & alacres, omnes ad maximum ac difficillimum iter expediti reperirentur. Est ergo hæc quarta circunstantia valetudinis.

k Psal. 104. 37.

Quinta diuitiarum.

Quinta fuit diuitiarum, quæ ad corporis sanitatem, animique lætitiam accedebat. Ad eas enim opes, quas tetigit Dauid, recensuit Moyses, quæ fuerunt quasi priora spolia Ægyptiorum, accesserunt oues & armenta & animantia diuersi generis multa nimis, quę Dominus custodierat ac multiplicarat, cum Ægyptiorum pecora, peste, fame, grandine, cæterisque plagis interirent. Gloriam denique proficiscentium Hebræorum glorioſe prædicat Moyses *l*, cum exisse ait, *filios Israel in manu excelsa*, id est per opera mirabilia, quæ Dominus excelsus patrauerat, *videntibus cunctis Ægyptijs, & sepelientibus primogenitos, quos percusserat Dominus.* Et progrediebantur de luce palam, quasi castrorum acies ordinata, & quasi triumphum agentes de cæsis profligatisque Ægyptijs, cum ipsorum Diis.

Sexta gloriæ l Nũ. 33. 3

Cum autem iam populus esset in itinere, primo ipso profectionis die, Dominus Mosem alloquitur, triplicemque constituit legem, primam de nonnullis paschalis sacrificij ritibus, à cuius participatione omnes excludit, qui Hebræi non essent, aut proselyti. Alteram de sanctificandis sibi omnibus primogenitis; tam hominum quam animalium. Idcoque mox sibi separauit Leuitas, loco primogenitorum totius populi, cum pecoribus ipsorum, loco primogenitorum animalium. Tertiam de vsu azymorum septem diebus in memoriam egressionis huius, & durissimæ seruitutis, & pauoris, qui illis accidit intra septiduum, persequentibus eos Ægyptijs, & domum retrahere cupientibus. Cæterum hic ritus azymorum non pertinuit ad tempus peregrinationis in deserto, quando manna eis loco panis fuit, & omnis obsonij.

XLIV. In itinere tres leges à Deo cõstituuntur, de paschæ ritibus.

De primogenitis sanctificandis.

De vsu Azymorum.

Sequitur vt Israelitas, quos in viam produximus, afficiamus, tametsi longam & laboriosam, eodem vitæ duce & comite, qui eis totius peregrinationis dux fuit & comes, qui hospitia illis, siue mansiones assignauit, & pro arbitrio suo eos in singulis retinuit, & ab illis abduxit. Abstinebimus tamen hoc in compendio ab expansis per singulos dies mensibus, notandisque ijs, quæ in singulis, non toto solum itinere, sed postea etiam contigerunt; re quamuis perutili ac iucunda, sed huiusmodi labore nostro, in Annalibus studioso Lectori frui licebit.

LXV. a Deut. 32. 10. b Iere c 2. c Deus non

In hoc porro itineris ingressu duo consideranda sunt, primum via; qua deducit Dominus populum suum *a* per terram scilicet desertam, *per locum horroris, & vastæ solitudinis.* Deinde quo modo scilli viæ ducem præbuerit: præsertim cum existimemus columnam ignis & nubis minime dilatam fuisse vsque ad tertiam mansionem, in qua primùm fit eius mentio. Ducit ergo Dominus populum, non via rectissima, atque breuissima, versus Gazam, cæteramque Palæstinorum regionem, quæ Ægypto à Septentrione cohæret, & Patriarchis diuinitus promissa fuerat, sed orientem versus, & mare rubrum; *Reputans*, ait Moses *c*, *ne forte pœniteret eum, si vidisset aduersum se bella consurgere, & reuerteretur in Ægyptum*, vt scilicet si Hebræos timor Dei ac reuerentia in officio non contineret, maxima viarum difficultas, à temeritate reuertendi in Ægyptum eos deterreret. Eam causam euenta ipsa comprobarunt; cum audito exploratorum nuncio, dixerunt inter se *d*, *Constituamus nobis ducem, & reuertamur in Ægyptum.* Et rursum flentes ex ignauia, ac vociferantes dixerunt *e*, *Vtinam mortui essemus in Ægypto*, &c.

Et quamobrem

c Exod. 13. 17.

d Nũ. 14. 4

e Ibid.

LXVI. Imbelles Hebræi.

Nimirum Hebræi non erant assueti bellis, sed nati omnes educatique in seruitute, seruiles gerebant animos, ignauos ac meticulosos: Philistæi autem pugnaces in primis erant, ac bellatores inclyti, vt multis seculis experti sunt Israelitæ. At enim erat in promptu Domino eos à Philistæis protegere, sicut liberauerat ab Ægyptijs, eisque victoriam contra Philistæos, sicut contra Amalecitas concedere. Responderi potest Deum præscium impietatis, & ingrati populi huius, voluisse incolumes reseruare Philisthæos, aliasque gentes, vt ab ijs punirentur à sceleribus suis. Adde quod pugnantibus contra Philistæos superuenirent Ægyptij, vt à fronte ac tergo conciderentur. Ex parte autem Mosis, si quis quærat cur rectum iter non tenuerit, illud rectissime dici potest, integram atque adæquatam causam fuisse diuinam voluntatem, quæ illi erat instar omnis rationis. Eam autem, ex familiari cum Deo consuetudine, in momenta prope singula, exploratam habebat.

LXVII. Viæ dux columna nubis & ignis.

Accedebat apertissimum Dei dirigentis iter argumentum, columna ignis & nubis, quæ ad modum pertinet, quo Deus se huius viæ ducem præbebat, de qua vt re cognitione dignissima, nonnulla explicanda sunt, primum an vna eademque fuerit columna ignis & nubis. Deinde an vna eademque nubes ab æstu protegens, & monstrans iter, 3. quæ earum forma & natura, 4. quod officium, quis earum motus & quies, quis motor, denique quando cœperit aut defierit motus. Quod ad primum attinet, Scripturæ admodum consentaneum est, non duas, sed vnam eandemque fuisse columnam ignis & nubis, quæ vna ex parte lucebat nocte instar ignis, interdiu autem nubes cernebatur, antecedens ac dirigens iter. Nam de vnica nube diu noctuque Israelitis inseruiente, sic loquitur Moses *f*. *Si fuisset nubes à vespere vsque mane, & surrexisset diluculo, & tabernaculum reliquisset, proficiscebantur; & si post diem & noctem recessisset, dimittebant tentoria. Si vero biduo, aut vno mense, vel amplius, manebant in eodem loco, nec proficiscebantur.* Denique in mare eadem columna nubis, qua respiciebat Ægyptios, tenebrosa erat, qua Hebræos illustris.

vna eadẽque fuit

f Num. 9. 20. 21.

Neque

EXIT. AB ÆGYPT.

LXVIII. Diuersa tamen à nube protegente.

Neque tamen eadem nubes protegebat ab æstu, sed duæ fuerunt diuersis admodum officiis destinatæ. Eas Moses aperte distinguit: *Audierunt*, inquit *g*, *habitatores terræ huius, quod nubes tua protegat illos*, nimirum ab ardoribus exurentibus solitudines, quaquauersum scilicet effusa super eos, *& in columna nubis præcedas eos per diem, & in columna ignis per noctem*, quę cum esset ad modum columnæ figurata, angustior erat, quam vt hominum tricies centena millia operiret. Necesse porro fuit huiusmodi fuisse ipsius figuram, vt ei columnæ nomen propter similitudinem aptari posset, & huiusmodi nãturam, vt nubes quoque merito dici posset, illam figura erectam, hanc materia colorq; nubis demonstrabant: multum tamen distabat à cæteris nubibus, vt quæ lucidior esset, ac densior, vt figuram columnæ facilius retineret, cum aliæ nubes figuram ventis impulsæ subinde mutent, mutent & motum, quem hæc habebat, minime ventis obnoxium. Illæ nihil habent præter naturam. Istæ præter naturæ ordinem productę, nec naturali modo conseruabantur, neque mouebantur, vt quæ Angelum motorem ac conseruatorem haberent ad ipsos annos quadraginta. Sed hæc in Annalibus *b* accuratius atque distinctius.

g Nũ 14.14

earum forma.

b n. 173. & seqq.

LXIX. Et diuersum officium.

Cum itaq; ea esset huius nubis figura quam diximus, cui columnæ nomẽ non male conueniret, satis intelligi potest eam minus idoneam fuisse ad castra à solaribus radiis protegenda. Neque enim oportebat eam esse quasi velum late expansum super populum, sed quasi vexillum antecedens, iterq; demonstrans. Cumq; Hebræi Orientem versus progrederentur, nubes quæ eos à sole protectura erat, debuit ad solis cursum commeare, & ab Oriente in Meridiem, & inde rursum in Occidentem iter in orbem inflectere, sicq; contrariis motibus agitari, ne populum quem protegebat, magna ex parte solis ardoribus exponeret.

Nubem non fuisse verũ ignẽ sed fulgorẽ igneo similem. i Nũ. 9.15

Ignea porro columna ambiguo nobis fulgore rutilat, quod eam Scriptura modo ignem & columnam ignis appellet, modo non ignem simpliciter, sed quasi speciem *i* ignis. Et Doctores ferme consentiunt non fuisse verum ignem, seu rutilantem fulgorem, qualis apparet in nubibus densioribus, in quas sese opportune radij solares insinuant. Nec apparet ratio, cur si fuisset verus ignis, quasi species ignis appellaretur. Quod si fuisset verus ignis, multa necessario miracula multiplicarentur circa naturalem eius actionem & motum, quæ breuitatis causa prætermittimus, cum sufficiat isti columnæ nubis sub noctem fulgorem ignis infundere. Et hactenus de natura columnæ huius.

LXX. Varia colũnæ huius officia. 1. præire viam.

Sequitur officium eius, quod multiplex fuit. Primum præire viam, & deducere per vastas illas solitudines. *Dominus*, inquit Moses *k*, *præcedebat eos ad ostendendam viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis, vt dux esset itineris vtroque tempore*, si quando noctu iter faciendum erat. Quam esset autem necessarius viæ dux, satis docet ipse Dominus apud Ieremiam Prophetam *l*. *Et non dixerunt*, inquit, *vbi est Dominus, qui ascendere nos fecit de terra Ægypti, qui traduxit nos per desertum, per terram inhabitabilem & inuiam, per terram sitis & imaginem mortis, per terram in qua non ambulauit vir, neque habitauit homo.* Et quamuis Moses, qui tot annos loca ista lustrauerat, non esset ignarus viarum. Ductu tamen diuino indigebant, qui volebat eos aliquas ibi moras trahere, vel ad accipiendam legem in monte Sina, & Chananitidem eius auspiciis inuadendam.

k Exi 13.21

l c. 2. 6.

LXXI. Qũo duceret.

Ducebat autem hoc modo postquam Tabernaculum Domini excitatum est, cui columna illa insidebat, quasi super basim posita. Cum ergo mouebatur Tabernaculum, illa eo deserto ad initium castrorum transferebat se, & locum ad vexillum Tribus Iudæ occupabat: & versus eum locum, ad quem tendebat columna nubis, vniuersa castra iter suum dirigebant. Cum autem quiescendum erat, recedebat à vexillo Tribus Iuda, & ab anteriore castrorum parte, referebat se in medium castrorum locum, vt supra Tabernaculum resideret, quod siue cum procederetur, siue cum cessaretur, medium semper occupabat locum. Cum autem columna nubis motu suo signum proficiscendi dedisset, tum iussu Mosis filij Aaron Sacerdotes clangebant tubis, quarum sono monebatur populus ad colligenda vasa migrandi causa; omnibusq; ad iter expeditis, leuabant Sacerdotes Arcam Domini. Cumq; cleuaretur Arca, dicebat Moses *a*: *Surge Domine, & dissipentur inimici tui; & fugiant, qui oderunt te, à facie tua.* Cum autem deponeretur, aiebat: *Reuertere Domine ad multitudinem exercitus Israel.*

a Nũ 10.35

LXXII. 2. Officiũ illuminare nocte.

Gazam. Abul. Perer.

Alterum columnæ huius officium erat tenebras noctis lucis suæ fulgore dispellere. Tam longe autem lateq; fulgebat, vt cuncta Hebræorum castra vsquequaque collustraret, nec egerent Hebræi lumine lucernarum, sed clare omnia viderent, similiter vt in die. Neque tamen propterea iter noctu fecisse credẽdi sunt, licet aliqua Scripturæ loca id innuant, sed tantum eo fulgore potuisse Israelitas, si quando res ferret, puta imminentibus Ægyptiis, in transitu maris, iter noctu peragere. Eius certe lucis beneficio potuerunt nocte ab vno tabernaculo ad alterum, sicut in vrbibus, per vicos, à domo in domum, lucente luna commeare.

LXXIII. Duplex nubis gestordinaria & breuior

Nubes igitur vsui erat motu suo, vt de itinere moneret, illudq; dirigeret; sed vsui etiam erat quieti, & quidem dupliciter. Alteram enim habebat quietem statam & ordinariam modici temporis, puta sub meridiem ad capiendum cibum, & aliquam à labore itineris. Neque enim credibile est, totum diem sine vlla quiete à tam multiplici populo, in quo tot mulieres, pueri, senes, confectum fuisse, vt de gregibus & armentis & onerariis iumentis taceam. Sed nec cibos ad victum coquere sine quiete potuerunt. Coquebant autem panes & carnes, quamdiu eas habere potuerunt, sed & manna ipsum & pleraſque victimas. Stata quoque & ordinaria fuit quies singulis noctibus, quibus neque explicabantur tentoria, neque figebantur. Altera columnæ quies erat extraordinaria & longior, cum positis castris fixisq; tentoriis populus vniuersus vno in loco, quasi in statiuis militaribus subsistebat; quod per annos 40. bis & quadragies contigit, vnde totidem mansiones numerantur *b*. Et quia inexploratum erat populo, diune an breui tempore aliquo in loco subsi-

Extraordinaria & longior.

b Num. 33

stendum esset, *erant filij Israel* perpetuo *in excubijs Domini* c.

c *Num.* 9 18. &c.

LXXV. Columnæ motor Angelus.

Iam quod ad motorem columnæ huius attinet, cuius erat tam multiplex ac multiformis motus, perspicuum est eum minime fuisse naturalem, vel ab interiore forma, sed ab externo motore, angelica videlicet virtute, fuisse profectum. Idq; perspicue Scriptura docet d: *Tollensq; se Angelus Dei, qui præcedebat castra Israel, abijt post eos, & cum eo pariter columna nubis, priora dimittens post tergum stetit inter castra Ægyptiorum & castra Israel.* Eodemq; modo alibi in rem præsentem, iter agentium viribus se attemperabat, quod nisi ab intelligente motore fieri nequibat.

d *Ex* 14.19

LXXV. A primo die mouere cœpit.

Quando autem apparere cœperit hæc columna aut desierit, dubium videtur, præsertim cum ea non ante mansionem tertiam memoretur in Scriptura. Verum Moses vniuersę pronunciat e, *nunquam defuisse columnam nubis per diem, neque columnam ignis per noctem coram populo* Nunquam defuit, inquit, nimirum quandocunque necessaria fuit. At nemo non videt statim à principio fuisse necessariam, ne statim à ianuis aberrarent, ignorantes qua vellet Deus iter inchoare; necessariam quoq; donec transgressi deserta omnia reperirent quos possent de via sua consulere. Denique necessarium in primis fuit istiusmodi ticuloso populo, & diuinæ bonitati ac prouidentiæ consentaneum, vt statim à principio, cum inexperti facile dubitant, persuaderentur se Deo curæ esse, diuinis auspiciis viam ingredi, eiusq; ductu ac præsidio vniuersum iter confecturos.

e *Ex.* 13.21

LXXVI. Progressio ad secundam mansionē Socoth.

Deus igitur eductis ex Ægypto Israelitis, eis custodem ac ductorem Angelum quamprimum liberaliter largitur, & quasi tenellis adhuc filiis sapientem pædagogum, quem lucis ac nubis circumambit amictu. Is ergo celeriter initium castrorum anteuolans occupat, vniuerso populo excelsam columnam molliter antecedentem contemplante, & post eam mirifica, vt consentaneum est, alacritate progrediente, susceptum iter versus Socoth dirigit f, secundæ mansioni destinatum locum. Eius à Rameste distantiam non inuenio notatam: æquum est credere paucis tantum milliaribus abfuisse. Videntur autem illi per integrum diem subtitisse, vt sese ac sua circumspicere ac recte componere possent, qui raptim è Rameste cum prima luce eiecerant se, & res suas confusas & incompositas extulerant. Id colligitur ex Chronico Hebræorum, vbi dicitur tres dies vsquè in Etham, qui tertiæ mansionis est locus, ab Hebræis fuisse consumptos. Primo ergo die venerunt in Socoth, vbi primum vniuersè & toti populo tendunt tabernacula, vnde & inditum loco nomen, ibiq; posito vno die, tertio inde migrantes g in Etham peruenerunt.

f *Ex.* 12.37

g *c.* 13.20.

LXXVII. Tertia in finibus Etham. h *c.* 33.7.8

Tertia ergo die ad vesperam ad Etham peruenerunt, extrema videlicet solitudinis, cui proprium est id nomen, & late etiam vltra mare rubrum protenditur, vt ex 33. Numer. *h* intelligi potest. In eo loco biduum posuere Israelitæ, quartum scilicet & quintum Azymorum. Nam sexto dixit Dominus Moſi: *Loquere filijs Israel, Reuersi* versus meridiem & Ægyptum & littus rubri maris, *castrametentur è regione Phihahiroth*, & quidem *supra mare*, id est proxime ad eius littus. Quid opus erat Mosem de itinere moneri, cum præiret Angelus cum columna nubis? Quia præter exspectationem videbantur reduci in Ægyptum, ne de suo ductore diffiderent. Eodemq; modo, posti reditum exploratorum a, dixit Moſi, *eras mouete castra, & reuertimini in solitudinem.* Captabat autem Dominus occasionem traducendi Hebræos per mare rubrum, & demergendi in eo Ægyptios. *Quarto die*, ait Seder Olam, Azymorum scilicet & profectionis, *nuntiatum est Regi AEgyptiorum quod fugisset populus. Quinto & sexto persecuti sunt AEgyptij filios Israel, & vbi illuxit septimus, descenderunt ad mare.*

a *Nū.* 14.25

LXXVIII. Regē pœnitet dimissionis & persequi statuit.

Cum ergo transactus esset dies tertius, & Hebræi nullum indicium reditus præ se ferrent, Exploratores Pharaonis, qui eorum profectionem obseruabant, *nunciauerunt Regi populum fugere*, id est de reditu non cogitare, sed potius de vlteriore itinere. Etsi enim reuersi erant ad mare, post tertiam mansionem, id Pharao interpretabatur diuinitus factam, vt *coarctati in terra* à vicino littore, *& conclusi deserto*, eius manus euadere non possent. Ergo *b immutatum est cor Pharaonis, & seruorum eius super populum, & dixerunt: Quid voluimus facere, vt dimitteremus Israel, ne seruiret nobis?* Cui stultitiæ Sapiens insultans, ait c: *Adhuc inter manus habentes luctum, & deplorantes ad monumenta mortuorum, aliam sibi assumpserunt cogitationem insipientiæ, & quos rogantes proiecerant*, vim scilicet aliquam precibus adiungentes, *hos tanquam fugitiuos persequebantur.* Vt eos male fortasse mulctatos retraherent in seruitutem. Et forsan arbitratus est se recte agere aduersus eos, qui fidem de triduo datam violassent, magno regni sui detrimento.

b *Exo.* 14.

c *Sap.* 19.3

LXXIX. Et quibus fit vsus equis. d *v.* 6.

Quibus autem cum copiis eos persecutus sit, sic explicat Moses *d: Iunxit ergo currum, & omnem populum suum assumpsit secum; tulitq; sexcentos currus electos, & quidquid in AEgypto curruum fuit, & duces totius exercitus.* Excurrit, ait Philo, *summa celeritate properans, vt fugientes improuisos opprimeret.* Idcoq; malim plus temporis positum in cogendis copiis, minus in persequendo, & assequendo non multum antegressos, & lente progredientes. Sed nonne equi omnes vel grandine, vel peste in Ægypto perierant? Respondeo periisse, quæ erant in agris, vt ex iisdem locis patet e: at qui domi seruabantur, incolumes ad vndecimam plagam reseruati sunt, & potuerunt ab eo tempore plurimi aliunde adduci, quoniam plagæ vnius minimum anni fuerunt, vt diximus f.

e *Exod* 9. 3. & 19.

f *Ian. Mol.* 80. n. 64. 65 *Ibi. n.* 1.

Cum ergo statuisset Dominus Pharaonem cum omnibus suis in mari Erythræo submergere, iussit suos sexta die illucescente iter ad mare reflectere, vt vterque exercitus ad locum à Deo certamini, & Ægyptiorum internecioni destinatum veniret. Exercitus Israelitarum habebat à fronte mare, à tergo hostium exercitum in Phihahiroth, à dextris autem & à sinistris Magdalon & Beelsephon, cum asperis & præruptis rupibus, vt conclusi vndique neque fugere possent, neque pugnare aude-

LXXX. Hebræi iter ad mare reflectunt.

EXIT. AB ÆGYP.

auderent. g *Cumq; appropinquasset Pharao*, inquit Moses, *leuantes filij Israel oculos, viderunt Ægyptios post se, & timuerunt valde.* Philo ait occupatos tum in parando prandio. Crediderim tamen vespertinum hunc fuisse cibum potius, quam meridianum: idq; suadet Iosephus, cum ait persequendo defatigatos, consultius existimasse pugnam differre in sequentem diem: quam videntur non dilaturi, si totum pomeridianum tempus superfuisset.

g Ibiq; ab Ægyptijs deprehenduntur.

LXXXI. Ire clamãt ad Dñm.

Neque timuerunt tantum, sed clamauerunt ad Dominum, auxilio humano destituti. Eum tamen clamorem, infestam contra Deum admurmurationem interpretatur Abulensis. Et certe in eum hæc obtrectatio redundabat, quem, in tot tantisq; prodigijs, videbant autorem egressionis huius, & perpetuo miraculo quotidie habebant ducem atque ductorem suum, admirabili prouidentiæ suauitate erga ipsos vtentem. Nihilominus Mosem contumelioſa increpatione inuadunt. *Forsitan*, inquiunt *h*, *non erant sepulchra in AEgypto, ideo tulisti nos vt moreremur in solitudine.* Apparet amara irrisio; pergunt: *Quid hoc facere voluisti, vt educeres nos ex AEgypto? Nonne iste est sermo, quem loquebamur ad te in AEgypto, dicentes: Recede à nobis vt seruiamus AEgyptijs.* Videntur alludere ad tempus illud, quo primum Moses & Aaron petierunt à Pharaone dimissionem *i*, quando is acerbius eos affligi iussit.

& Mosen increpant h Exod. 14. 11. 12.

i Exo. 5. 21

Hic Moses eximia patientia & animi magnitudine præditus, populum consolatur, & metum abstergit. *Nolite timere*, inquit *k*, *state, & videte magnalia Domini, quæ facturus est hodie. AEgyptios enim quos nunc videtis, nequaquam vltra videbitis vsque in sempiternum*: eo scilicet in statu, quo vobis damno, aut formidini esse possint. Visuri enim erant, sed mortuos, ad spolia detrahenda. Pergit: *Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis*; meri spectatores eritis, & quiescetis, sublata materia querelarum. Non cessabat interea Moses intentissima supplicatione Deum orare, vt populo suo, in ipsa vltima rerum desperatione constituto, ferret opem. Cui Dominus: *Quid clamas ad me? loquere filijs Israel vt proficiscantur.* Id est, parent se ad iter per medium maris: castra quippe metati erant supra mare, stabantq; in ipso littore. Nam sequitur: *Tu autem eleua virgam tuam, & extende manum tuam super mare, & diuide illud, vt gradiantur filij Israel in medio mari per siccum.* Quasi dicat, expediant se ad iter, quod tu eis aperies, gradiantur per viam, quam tu illis straueris. *Ego autem indurabo cor AEgyptiorum, vt persequantur vos.* Tollam videlicet eis metum tam ingentis, tamq; imminentis periculi, vt putent pari se iure ac prærogatiua vobiscum vsuros. *Et glorificabor in Pharaone, & in omni exercitu eius, & in curribus, & in equitibus eius*, quos glorioſe deleuero, & victorem, ac Dominum exercituum me demonstrauero.

LXXXII. Qui eos cõsolatur k v. 13. 14

Dñs iubet eum apertre mare

Dum Dei iussu monetur à Mose populus, ecce alterum monitorem. Nam sustulit *l* se *Angelus Dei, qui præcedebat castra Israel*, prout in præcedentibus profectionibus facere cœperat, nunc autem præter solitum *abijt post eos, & cum eo pariter columna nubis, priora dimittens, post tergum stetit, inter castra AEgyptiorum, & castra Israel*, vt tenebrosa nube interiecta illi præcedentes Hebræos videre non possent, neque inuadere hostem quem non viderent. Sed eadem columna ex parte Israelitarum clarescente, & radios vsque ad initium castrorum eiaculante, Israelite iter quo graderentur, facile viderent. At Moses sentiens Hebræorum exercitum angelica obuallatum custodia, virga percutiens mare, iter sæculis omnibus inauditum aperuit. Angelus enim Domini hinc & inde late vndas summouit, vt media via tam ampla per maris profunda relinqueretur, quantam tanta hominum multitudo requirebat, quo intra noctis vnius spatium in oppositum maris littus euaderet.

Ductor Angel⁹ locũ mutat l c. 14. 19.

Moses virga mare aperit.

Sed quia fundum maris perpetuis demersum aquis cœnosum fortasse, certe ex humore perpetuo ad iter lubricum futurum erat, ac molestum, Hebræis in littore subsistentibus, immisit Deus ventum vrentem, quem Septuag. & Philo Austrum vocant, in Hebræo autem textu & Chaldæa paraphrasi dicitur ventus orientalis, qui flabat è regione in faciem Israelitarum, & arenosum solum facile siccum reddidit atque calcabile. Hoc enim vnum à vento effectum est, vt siccaret solum, & daret idoneam sabulo firmitatem: non autem vt vndas ipsas à superficie ad fundum vsque, versus alterum littus protruderet, aut ad alterutrum reiiceret latus. Quod naturalis causa facere potuit, id per eam Dominus perfecit; vbi autem vis omnis naturæ deficiebat, ibi superiores virtutes adhibuit. Quod autem Moses exsiccationem vento tribuere videtur, intelligendum est dum flaret ventus, eam statim à Deo, ad eleuationem virgæ Mosaicæ, & extentionem manus eius, fuisse perfectam, vt recte à Philone explicatum est: qui addit mare à virga fuisse percussum, quod Moses prætermisit.

LXXXIV. Fũdum à vento exsiccatur.

LXXXV. Israelitæ ingrediũtur mare. a Exi 14. 29

Itaque ingressi sunt Israelitæ pedites, viam nullius vnquam pedibus tritam. *Per medium ficci maris*, ait Moses *a*, *erat enim aqua quasi murus, à dextra eorum & læua*, tamdiuq; ambulauerunt, Deo vires & alacritatem administrante, vt sub initium quartæ vigiliæ, id est sub horam à media nocte tertiam, vt consentaneum est æquinoctio, magna ex parte ad alteram ripam euaderent. Hoc iter Sedulius eleganti carmine descripsit:

Pernia diuisi patuerunt cærula ponti,
In geminum reuoluta latus, nudatq; tellus
Cognatis spoliatur aquis, ac turba pedestris
Intrat in absentis pelagi mare, perq; profundum
Sicca peregrinas stupuerunt marmore plantas.
Mutauit natura viam, mediumq; per æquor
Ingrediens populus rude iam baptisma gerebat.

LXXXVI. Nõ duodecim sed vnica

Hebræi quidam, & alij eos secuti, existimarunt populum hunc 12. viis pro numero tribuum suarum, mare transisse, totidemq; diuisiones in mari factas, propter illud Dauidis *b*: *Qui diuisit mare rubrum in diuisiones.* At Theodoretus, & alij passim Interpretes, explicant diuisiones, quasi duas partes diuisas, quia

b Psal. 135. 13.

Primus ingreditur Moses

mari bifariam fecto, pro vno, facta sunt duo maria. Sic Abraham dicitur transisse inter diuisiones sacrificij sui, id est inter partes eius diuisas. Diuiso autem mari primum Mosem insolitam iisse viam, qui & mari propior erat, & fide instructior probabilius est, quam Aminadabum principum tribus Iuda, quod Hebræi quidam crediderunt, non minus hallucinati, quam cum opinati sunt Hebræos quodam circuitu in mari facto ad idem littus reuertisse, quos omnes in Annalibus *c* reperies accuratius refutatos, totamq; rem diligenter explicatam.

Nec fact° in mari circuitus

c an. Mos. 81. n. 110. & seqq.

LXXXVII Ægyptij Hebræos in mari sequuntur.

Non est porro existimandum omnes Israelitas totam illam latitudinem sinus Arabici emensos, ante quam Ægyptij eos intra profunda maris prosequerentur; quin potius videntur pone subiisse, sequentes columnam nubis, quæ progredientem exercitum Hebræorum subsequebatur, vt illum illustraret, & hos tenebrosa nube à videndo atque inuadendo prohibebat; non autem à persequendo, & apertam maris viam ingrediendo: quin inuitabat potius ad sequendum progressione sua. Interim ergo dum sequuntur Israelitas, caliginosæ nubis protectione munitos, illi certatim in aduersum littus euadunt: & prout paulatim Israelitæ mare deserebant, ita Ægyptij maris alueo recepti priora litora deserebant, cum omnibus intra complexum maris conclusis, effudit Dominus conglobatas aquas super eos, sicq; & præsentis itineris temeritatem, & antiquæ obstinationis malitiam submersi luerunt: sed modum huius diuinæ vltionis breuiter ex Mose discamus.

Et fluctibus hauriuntur.

LXXXVIII Quo id modo cõtigerit. d v. 24 &c

Iamq; aduenerat, inquit *d*, *vigilia matutina*, hora scilicet tertia vel quarta, quando iam totus exercitus Pharaonis intra maris alueum continebatur, vt dixi, *Et respiciens Dominus super castra Ægyptiorum, per columnam ignis & nubis interfecit exercitus eorum.* Ille Domini, siue Angeli aspectus significat columnam nubis quasi se aperuisse, vt Angelus in ea latens, per coruscum lumen se ostenderet, & visibilem castris Ægyptiorum præberet: quod Philo aperte confirmat, cum ait ex nube extremum agmen protegente, ignearn Numinis effigiem emicuisse, & quidem inimico ac minaci vultu, quod illa quoque verba confirmant: *Dominus pugnat pro eis contra nos. Quo portento perterriti*, ait idem Philo, *Ægyptij tumultu ac trepidatione complebant omnia, turbatis præmetu ordinibus, incursantes inse inuicem, ac sero frustraq; conantes fugere.*

LXXXIX Angel° ex nube apparet, & pugnat.

Simul enim ex densa illa & caliginosa nube crebri ignes emicuere, infremuere tonitrua, fulmina cum diro fragore erupere, cum lapidibus igneisque telis, quibus rotæ curruum subuertebantur, equites excutiebantur ex curribus, omnia damnis ac confusione miscebantur. Hæc erat præuia supremæ calamitatis tempestas, ab Angelo ex ignea nube contra Ægyptios pugnante effusa; cumque grauius etiam aliquid non sine causa timeretur, *Dixerunt* ad inuicem, *fugiamus Israelem, Dominus enim*, quem horribilem ex nube coruscante videbant, *pugnat pro eis contra nos*, contra quem hactenus toties magno nostro malo pugnauimus. Pugnandum nihilominus nunc quoque, quoniam in hanc arenam ingressi estis. *Et ait Dominus ad Mosen, Extende manum tuam super mare, & reuertantur aquæ ad Ægyptios, super currus & equites eorum. Cumq; extendisset Moses manum*, cum virga scilicet, *contra mare, reuersum est primo diluculo ad priorem locum: fugientibusq; Ægyptiis occurrerunt aquæ*, ex Ægyptiaco littore proruentes, obstructo egressu in primis, *& inuoluit eos Dominus in mediis fluctibus.* Sic vt tantæ cladis ne nuncius quidem superfuerit. Ex quo intelligitur, ne Regem quidem, qui vna cum suis mare fuerat ingressus, & erat omnium nocentissimus, cladi superfuisse, quicquid Manetho apud Iosephum *a* scripserit.

Vndę refluunt in locũ suũ.

a l. 1. cõtra Apiõ. Gra. Lat. p. 1043

Hæc itaque postrema est, omniumq; grauissima Ægyptiorum plaga, quæ superioribus omnibus addita clare demonstrat, quam violentum sit brachium Dei, aduersus principes inimicos pugnantis, & quam graui ruina eorum superbiam dexteræ suæ virtute prosternat. Hæc est funestissima catastrophe Ægyptiacæ tragœdiæ, decem grauissimis plagis, quasi totidem actibus celebratæ. Hæc est materia glorioissimi triumphi, omnibus Scripturæ monimentis, omnibusq; sæculis decantati; quo incomparabilis illi Iesu Christi de Sathana Ægypti huius principe triumphus, ante annos mille & quingentos, perquam expresse repræsentatus fuit. Hoc argumentum lætitiæ populi Dei, epiniciorum, præanum & canticorum, quæ à Mose primum inchoata sunt. Deinde a Maria sorore ipsius, vniuersoq; populo, Deo magnifice persoluta, in omnes ætates fuerunt propagata.

XC. Epinicia super diuina victoria.

XCI. Cantica Hebræorum.

Hebræi stupentes, inquit Philo, *quod prodigiosam, insperatamq; sine sanguine victoriam nacti essent, & videntes hostem delerum momento temporis, duos choros alterum virorum, alterum mulierum statuerunt in littore, cecinerunt q. Deo hymnos gratulatorios, Mose carmen viris præeunte, ipsius vero sorore mulieribus.* Cuius cantici argumentum tangit Moses, cum ait: *Liberauitq. Dominus in die illa Israel de manu AEgyptiorum*; perfecta videlicet, atque integra libertate. Etsi enim magnifice fuerant educti ex Ægypto, rebus eius plane accisis; quamdiu tamen viuebat Rex, cæteriq; illorum inimici, & poterant ipsi retrahi in pristinam; aut deteriorem seruitutem, plane liberi dici non poterant. Nunc autem b *viderunt AEgyptios mortuos super littus maris*, Arabicum videlicet, *& manum magnam quam exercuerat Dominus contra eos. Timuitq. populus Dominum, & crediderunt Domino, & Moysi seruo eius.* Sed nec fides diturna fuit, nec timor. Nam post triduum in Mara murmurauerunt.

b v. 30. 31

Lætitiam etiam auxit vilitas. Nam *inimicus qui dixerat c: Persequar & comprehendam, diuidam spolia, implebitur anima mea, euaginabo gladium meum, interficet eos manus mea*: ipse diuina manu interfectus est, & gladium suum cum vagina præbuit inimicis suis, & spoliis suis vlquequaque

XCII. Spolia detracta ægyptis. c Exod. 15. 9

dita-

ditauit. Quod Sapiens *d* quoque lætabundus cecinit, *Inimicos illorum demersit in mare, & ab altitudine inferorum deduxit illos*: ex profundo scilicet maris quo fuerant obruti quamprimũ emergere eos fecit, atque ebullire, & fluitare, & in littus eijci, præter naturam & consuetudinem maris; non solum vt quamprimum Hebræi solito gaudio & securo fruerentur, sed vt ne spolia quoque corrumperentur. Vnde subdit Sapiens, *Ideo iusti tulerunt spolia impiorum*, quibus multo facti sunt ditiores, quam ex priori præda, quam à multo paucioribus corraserant in Ægypto. *Ea spolia detracta è mortuorum cadaueribus in vnum congregata, Moyses viritim distribuit*, vt ait Iosephus *e*. Et probabile est Ægyptios magno cum fastu, cum pretiosa veste, annulis, torquibusque aureis, vel suo, vel diuino nutu persecutos esse Hebræos, vt illis tanquam mancipijs, in herili ornatu, facilius terrori essent, & mox extincti eos locupletarent, quos terrere voluerant.

d c.10.19. 20.

e l.2. Ant. c.7.fi.

XCIII. Profuit alijs gentibus hæc victoria.

Neque vero vnius huius diei vel temporis, beneficij huius vtilitas fuit, Voluit enim Dominus tam insignis victoriæ, tam in rerum natura, quam in scriptis Sacrosanctis sempiternam extare memoriam, vt ea omnes gentes commonerentur diuinorum iudiciorum, & in Pharaonis supplicio, vellent.

Discere iustitiam monita, & non temnere diuos. Id didicerant Philisthæi, & Ammonitæ, aliæque gentes, apud quas Hebræi aliquando versati fuerant, id ipsum maris fundum aperte loquebatur. Audi enim Orosium. f *Extant etiam nunc certissima horum monimenta gestorum. Nam tractus curruum, rotarumque orbitæ, non solum in littore, sed etiam in profundo, quousque visus admittitur, perutdentur. Etsi forte ad tempus vel casu, vel curiositate turbantur, continuo diuinitus in pristinam faciem ventis fluctibusque reparantur, vt quisquis non docetur timorem Dei propalatæ religionis studio, ire eius transactæ vltionis terreatur exemplo.* Sic Orosius, alijque multi.

f l.1.c.10. Eius in fundo maris vestigia.

XCIV. Profuit & Hebræis. Eius exemplo Deus inculcauit.

Vt autem populum suum perpetuo in officio contineret, & saluberrimis identidem præceptis instrueret, voluit viuidam perpetuo huius beneficij esse memoriam. Propterea enim Agni paschalis celebritas instituta est, & initium anni sacri, eiusdem liberationis memoriæ consecratum: propterea sanctificatio, & consecratio primogenitorum, & septenum dierum azymi panes, & septenæ deinceps feriæ tabernaculorum. Hoc ipse prodigium, ac beneficium in capite legis suæ descripsit, quasi primarium suæ titulum dignitatis; vt quandiu Decalogi lex, quæ nullis vnquam seculis obliteranda erat, ante oculos venturi populi versaretur, tandiu huius quoque victoriæ duraret memoria, singulis horis momentisque refricanda. Quid quod Dominus illius commemoratione triumphi, mille prodigijs abundantis, in grauissimis offensionibus placabilem sese, atque exorabilem præbuit? Prorsus quasi in liberando populo suo Dominus beneficium non dedisset, sed accepisset. Sed iam redeamus in viam, & Israelitas triumphantes gaudio, vtpote vitæ iam ac libertatis securos, & geminis Ægyptiorum spolijs locupletes, in deserto Ethan, siue Sur inuisamus.

Die sexta sub vesperam vterque exercitus ad mare rubrum peruenerat. Nocte autem, quæ fuit initium diei septimi, vsque ad auroram contigit transitus Israelis, & submersio Ægyptiorum. Facta autem aliqua in littore mora, siue in gratijs agendis Deo, spolijsque detrahendis atque diuidendis, siue in reficiendis cibo somnoque corporibus, & sarcinis omnibus ad longius iter disponendis, columna nubis populum suo tempore ad profectionem monet & antecedit, triduumque sine castrorum metatione, non tamen sine ordinaria quiete, ad cibum interdiu, & somnum noctu capiendum deducit. Est autem admodum credibile primum illius tridui diem circa mare rubrum fuisse consumptum; & statim secundi diei diluculo exercitum Domini versus Mara iter arripuisse, per desertum Sur, siue Ethan ambulando, neque aquam potabilem toto triduo inuenerunt. *Et venerunt in Mara*, ait Moses a, *nec poterant bibere aquas de Mara, eo quod essent amaræ, vnde & congruum loco nomen imposuit, vocans illum Mara, id est amaritudinem.* Putat Abulensis dici non inuentas aquas, quia modicè reperiebantur, nec satis abunde ad restinguendam sitim, hominum & iumentorum: neque enim triduo sine potu viuere potuissent. At Iosephus *b* ait præmonitum à Mose populum; secum aquas detulisse.

XCV. Quinta mansio in Mara.

a Exo.15. 23. &c.

b l.3. Ant.c.1.

Cum ergo post triduum castrametandi signum datum esset, nec adessent aquæ necessario potui conuenientes, frustrata spes, & necessitas querulas populi voces excussit. *Et murmurauit populus contra Moysem, dicens, Quid bibemus?* Magnam fuisse hanc Israelitarum querelam, quam fortasse consulto dissimulauit mansuetissimus Moses, tam ex magnitudine triduanæ molestiæ sitis, eamque labor itineris acuebat, conijci potest, quam ex populi pronitate ad murmurandum. Cum ergo ad Maram plerique omnes lamentarentur, magisque inuenta amara aqua, propter irritam expectationem affligerentur; quam si nullam plane reperissent, *Clamauit ad Dominum Moyses*, magna scilicet animi contentione preces fudit, pro diuino auxilio, in tanta populi totius necessitate impetrando. *Qui ostendit ei lignum, quod cum misisset in aquas, in dulcedinem versæ sunt. Sine vis ea*, inquit Philo Iudæus, *natiua fuit, hactenus ignorata, siue tum primum ad præsentem vsum est indita.*

XCVI. Ibi præsidium murmuratur, quæ est 2. murm.

Duas tangit opiniones Philo, circa modum sublatæ ex aquis amaritudinis, & vtramque probabilem. Pro vi naturæ facit ille locus Ecclesiastici, vbi cum dixisset Altissimum creasse de terra medicamenta, subdit iuxta textum Græcum. c *Nonne à ligno indulcata est aqua, vt cognosceretur vis eius ab homine?* Quod si nulla vis fuisset in eo ligno ad hunc effectum, perinde erat quoduis lignum in aquam injicere, aut virgam illam mirabilium effectricem, & non singulare aliquod à Deo nominatim indicatum. At qui non naturali virtute, sed diuino miraculo amariciem ex aquis abstersam putant, asserunt non potuisse lignum illud tanta virtute naturaliter esse præditum.

XCVII. Duo modi abstersæ amaritudinis.

c c.38 4.5

vt tantam aquarum copiam, quanta tanto populo necessaria erat, in dulcedinem verteret, sed diuinam vim ad illius præsentiam operatam esse. Maximè quia huiusmodi mutatio repente facta est, vt ait Abulensis, quod naturali actioni non conuenit. Porro relatiuum *eius* referri potest non ad lignum, sed ad Altissimum. Et poterat Dominus æquè ad virgæ prodigijs glorioſæ contactum, aquam dulcem reddere, sed maluit inutili ac syluestri ligno vti, vt tanto magis rudis populus Dominum Deum suum miraculi autorem agnosceret. Ergo hanc posteriorem sententiam vt probabiliorem amplectemur.

XCVIII. Sexta mansio, & quot dierum fuerit quint.

Sed iam ad sextam mansionem transeamus: quandiu autem in quinta suauissimis ac mirabiliter sanatis aquis vsi fuerint Hebræi, certo definiri nequit. Conijcimus tamen eos ibi totos sex dies substitisse, vt tres dies laboris & sitis repensarentur senis, & demigratio transacto sabbato, in primum hebdomadæ, ac mensis Iiar diem caderet. Sequitur ergo sexta mansio, de qua ita Moses d, *Venerunt autem in Elim filij Israel, vbi erant duodecim fontes aquarum, & septuaginta palmæ, & castrametati sunt iuxta aquas.* At Philo; *Ad hunc*, inquit, *modum extincta siti, voluptas geminata contigit: quandoquidem quoties præter spem incidit, maiorem affert voluptatem. Impletis deinde hydrijs discesserunt, tanquam epulati in festiuissimo conuiuio.* Et mox, *Atque ita peruenerunt in stationem secundam*, à transitu scilicet maris rubri, nam ab Ægypto sextam, *aquas habentem & arbores, cui nomen Elim erat, riguam duodecim fontibus; apud quos erant septuaginta palmæ ramosæ, ac virentissimæ, bonum omen genti afferentes*, &c. Sic Philo, quæ omnia peruersè ac maligne retulit Iosephus.

d Exo. 15 27.

Vide Ant. Mos. 81 n. 163. & 164. et 3. Ant. c. 1.

Cæterum quantam hic moram fecerint, non est memoriæ proditum. Ex octaua tamen f, ad quam peruenisse constat decimo quinto secundi mensis, & ijs quæ paulo ante diximus, de mora facta in Mara, colligimus Hebræos quindecim dies partim in hac statione sexta, partim in septima sequente posuisse. Idque consentaneum est dulcedini, quam Dominus in hac peregrinatione filijs suis demonstrabat: vt maiorem eius temporis partem in hac peramœna statione retinuerit. Sub digressum autem consentaneum est hydrias non secus atque instatione Mara, aquis fuisse repletas, instinctu eius, qui eos proxime deducturus erat ad mare. Abeamus itaque à palmis atque fontibus, adeamus iterum mare.

XCIX. Quod ité sexta.

f Exo. 16. 1

Septima quippe mansione fixerunt tentoria super mare rubrum, vt habetur in catalogo mansionum g, quam Moseshoc loco videtur omisisse, quod nihil in ea ad memoriam insigne contigerit; neque tamen omittere voluit in eo libro, in quo mansionum numerum exactè recenset. Eam S. Hieronymus vocat Iam-Suph, quod ad mare rubrum facta sit. *Et quæritur*, inquit, *quomodo post transitum maris rubri, & fontis Mara, & Elim, rursus ad mare rubrum venerint. Nisi forte in itinere pergentibus sinus quidam maris occurrerit, iuxta quem castrametati sint. Aliud est enim transire mare, aliud in proximo figere tabernacula.* Et paulò post transiens ad alteram interpretationem *Verum*, inquit, *Iam-Suph apud Hebræos ex mari rubro compositum est. Suph autem & rubrum & scirpus vocatur, vnde possumus suspicari, quod venerint ad paludem quandam & lacum, qui & carecto, & iuncu plenus fuerit. Quod autem omnes aquarum congregationes, Scriptura sancta mare vocet nulla dubitatio est.* Hæc ipse. Posteriorem porro interpretationem fateor mihi probabiliorem videri, quòd nouus hic maris sinus versus Arabiam non satis consentiat cum tabulis geographicis. Et sane fateor permihi quidem verum videri tantum descensum versus meridiem, ad septentrionem protecturis. In hac statione reliquum primi mensis ab exitu ex Ægypto transactum est. Nam decimo quinto Iiar peruentum est ad octauam mansionem, in deserto Sin.

C. Septima Iam-Suph, id est d mare rubrum.

g Num. 33 10.

Ep. 127. de 42. de mans.

Vel ad paludem.

Itaque profecti de mari rubro, ait Moses a, *castrametati sunt in deserto Sin, quod est inter Elim & Sinai.* Hi termini deserti Sin capiunt totam eius amplitudinem, in qua mansiones quinque contigerunt, quarum hæc, quæ secunda est, à communi loco proprium nomen accepit. *Sciendum*, inquit Hieronymus, *quod omnis vsque ad montem Sinai, Eremus Sin vocetur, & ex tota prouincia etiam locus mansionis nomen acceperit, sicut Moab tam vrbis quam prouinciæ nomen est. In hac solitudine quinque mansiones sunt, Iam-Suph, de qua supra diximus, & Eremus Sin, & Daphca, & Alus, & Raphidim, de quibus loquemur in consequentibus.* Hæc Hieronym. Addit Moses tempus, quo ad hanc octauam mansionem peruentum est, propter singulare beneficium Mannæ, quod in ea dari diuinitus cœpit, diem quintum decimum mensis secundi, id est integro mense ab egressione ex Ægypto, quæ contigit decimo quinto primi mensis, qui Nisan dictus est, vt hic secundus Iiar.

a Num. 33 10. & Exo. 19. 1.

CI. Octaua mansio in deserto Sin.

Vna de quinque eiusdem solitudinis.

Iam quod ad rem in hac mansione gestam attinet, eam sic Moyses orditur b. *Et murmurauit omnis congregatio filiorum Israel contra Moysen & Aaron in solitudine.* Multi seorsim in circulis, vt fit, prius murmurauerant, quam vniuersa populi congregatio diceret, *Vtinam mortui essemus per manum Domini in terra Ægypti*, ijs scilicet plagis, quibus plerique Ægyptij periere, *quando sedebamus super ollas carnium, & comedebamus panem in saturitate. Cur eduxistis nos in desertum istud, vt occideretis omnem multitudinem fame?* Totis triginta præteritis diebus, nam Hieronym. hunc vocat trigesimum primum, totus paulatim consumptus fuerat commeatus, neque enim vllaad hanc diem facta fuerat famis aut cibi mentio, sed penuria præsens, & futuræ desperatio acrem molestiam, ac tristitiam toti populo peperit, quam reddidit amariorem collatio cum præterita copia, & quidem eò vsque, vt querelis iniustissimas exingratorum pectoribus excuteret, verbo quidem contra Moysem & Aaronem, re autem ipsa contra Deum. Vnde mox ipse Moses, *Audiuit Dominus murmur vestrum contra Dominum: nos vero quid sumus, quia murmurastis contra nos?*

CII. Murmur ipsa ei-rum pro cibo.

b c. 16. 2.

CIII. In murmurū, & aduersus Dominum.

Vere contra Dominum. Eos enim reuera Dominus de Ægypto eduxerat in manu excelsa, & traduxerat per mare rubrum, & ad eam diem quotidie deducebat, præeunte columna nubis. Totam ergo Domini circa se prouidentiam aspernabantur atque damnabant, & flagellorum ac diræ seruitutis obliti, ollas carnium lurcones recordabantur. *Sed quoniam intelligebat*, vt ait Iosephus, *non de nihilo populum concitatum, ad preces & supplicationes confugit, & conscensa quadam specula, opem Dei, rebus per inopiam afflictis deposcebat.* Quibus exoratus promittit Dominus coturnices in proximam populi cœnam, erat enim vespera, manna vero in sequentem matutinum diem. Qui cibus quia perpetuus futurus erat atque ordinarius, eius promissio diserte à Domino facta ponitur, cum præcepto colligendi certam quotidie mensuram, excepto die sexto, quo duplex colligenda erat in singula capita, vt die septimo quieti, & diuino cultui vacaretur. Nihilominus Moyses tam exprobationem murmurationis, quam nunc attigimus, quam promissionem coturnicum & mannæ, vna cum prædicto præcepto, ad populum cum fratre Aarone refert.

c16.2.12

CIV. Qui eis mittit manna. v.4.

Promissio Domini est huiusmodi. *Ecce ego pluam vobis panes de cœlo, egrediatur populus, & colligat quæ sufficiunt per singulos dies; vt tentem eum, vtrum ambulet in lege mea, an non.* Vt scilicet notum fiat quinam præceptis meis obtemperent, aut qui ea violent colligendo plusquam oportet, & quando non oportet. Pergit, *Die autem sexto parent quod inferant*, in tabernacula sua, *& sit duplum quam colligere solebant per singulos dies.* Ea promissione accepta, *dixerunt Moyses & Aaron ad omnes filios Israel. Vespere scietis quod Dominus eduxerit vos de terra Ægypti*, per singularem videlicet effectum prouidentiæ erga vos suæ, *& mane videbitis gloriam Domini*, in manna pane angelico vobis administrando. *Audiuit enim murmur vestrum contra Dominum.* Eademque causa tam singularis liberalitatis, mox secundo ac tertio iteratur.

CV. Singulari in ingratos beneficentia.

Mirabilis prorsus, ac diuina bonitate digna vindicta! Murmurat populus, non tam contra Moysem, quam contra Dominum ipsum: & Deus quasi eximio aliquo prouocatus obsequio, insignem illi liberalitatem parat. Populus contra innocentes & benefactores lapidationem, si Iosepho credimus, intentat, Deus contra incredulos & rebelles nō pluit lapides, par pari referens, & saxis saxa retundens, sed deliciosum manna, & coturnices. Populus impie ac mendaciter ollas carnium, & saturitatē Ægyptiacam Mosi exprobrat, oblitus flagellorum, quibus dies noctesque cædebatur; & Dominus quasi iusta esset querela, & æquum esset eorum non solum necessitati, sed etiam gulæ quodammodo famulari, delicatiores ei carnes coturnicum subministrat, vt Sapiens d non vno in loco gratulabundus confitetur. Ideoque admirans Dauid e, *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus, escam dedit timentibus se.* Imo & murmurantibus contra se, Quid facturus est bonis, & obsequentibus famulis suis, qui improbos ac tumultuantes tam indulgenter tractat?

d Sap. 16. & 19. 11.
e Ps. 110. 4

CVI. Vespere coturnix castra cooperit. f Exod. 16 v. 13.

Hæc indulgentia hoc erit illustrior, quo melius angelici panis, quo querulos istos enutriuit, naturam, vsum, proprietates cognouerimus; si prius de coturnicibus, quæ prius datæ sunt, aliquid dixerimus f. *Factum est ergo vespere*, sub occasum scilicet Solis, *& ascendens coturnix cooperuit castra.* Ex humiliore videlicet Ægypti regione veniebat, & ex Arabico maris sinu, eodem fortasse impellente vento Africo, qui postea in sepulchris concupiscentiæ immensam detulit vim coturnicum, vt suo loco dicemus. Significat autem Philo quotidianum fuisse hoc aucupium: cui fauere videtur Scriptura, cum ait, *Dabit vobis Dominus vespere carnes edere, & mane panes in saturitate.* Vno enim eodemque orationis tenore ac filo, carnes Dominus, panesque pollicetur: at perpetua futura erat liberalitas panum, ergo & carnium; & Hebræi quorum querelę Deus satisfacere voluit, æquè vtrumque conquerendo postulauerant.

An quotidianum fuerit aucupium.

CVII. Hoc tempore semel tantū datæ coturnices.

Verum hæc opinio videtur eorū, qui vtramque coturnicum liberalitatem confuderunt; nam rem tam memorabilem Scriptura non tacuisset, quæ huiusmodi locutione significare voluit, Deum semel quidem daturum carnes populo, sed quæ in plures cœnas sufficere possent, itaque factum videtur. Propterea quæ non dixit Dominus eos vno vespere habituros carnes, licet vno tantum vespere collecturi erant. Sic etiam in decima tertia mansione, semel tantum confluxerunt coturnices, sed tanta copia, vt quisque colligeret, quod in mensem integrum sufficeret; ergo pluribus vesperis comederunt carnes, & mane saturati sunt panibus. Qui panis, vt mox patebit, cum instar esset omnis cibi, merito illo præsente, atque affatim affluente, coturnices suis se locis continuere. Nec Hebræi ordinariam annonam carnium postulabant, sed suam infelicitatem, ex contentione cum priore fortuna, quæ hac ex parte videbatur optabilis, cum querela repræsentabant, nec tamen sine culpa, vt pluribus in Annalibus a explicatum est. Et de vespertino cibo peregrinantium Israelitarum hactenus.

Sed abunde ter in aliquot dies.

a Ex Cyr. in Ioan. l. 3. c. 34.

Quod ad matutinum attinet, qui deinceps vespertinus quoque factus est, sic enim Scriptura describit b. *Mane quoque ros iacuit per circuitum castrorum: cumque operuisset superficiem terræ, apparuit in solitudine minutum, & quasi pilo tusum, in similitudinem pruinæ super terram.* Si tempus quæritur, quo diuinitus manna dabatur, mane fuit, primo scilicet diluculo, vt ante solis ortum colligi posset; nam cum incaluisset sol, liquescebat. Si natura, appellatur ros, quia decidebat vt ros & cum rore, vt habetur in libro Numer. c Ne tamen liquidum fuisse putes, instar guttarum roris, mox additur, fuisse in similitudinem pruinæ, siue roris concreti ac cōgelati. Si quæritur locus, non depluebat intra castrorum vicos, aut super eorū tabernacula, ne bona pars eius sordes contraheret, ac periret: sed in circuitu castrorum, ne longe petendo cibum populus fatigaretur; sicque omni ex parte Dominus prouidi & indulgentis patrisfamilias numeros explebat.

CVIII. Manna deplute Hebræis. b Exo. 16. 13.

Quando.

Quæ eius natura c c. 11. 9.

Quo loco decideret.

Nam si copia quęritur operiebat superficiem terræ, magna scilicet latitudine ac profunditate, pro multitudine populi innumerabilis. Idcoque Chaldęus paraphrastes ait coacernatum fuisse, instar pruinæ super terram, & Philo σωρηδὸν aceruatim iacuisse ait rorem profundū

CIX. Quanta cuiusq; ὑπόστασις καὶ πλῆθος

Quæ illius forma.

d *Exod.* 16. 35. qui color

e *Num.* 11. 7.

qui sapor.

f *Exod.* 16 35.

g *Num.* 11. 8.

ac multum. Si forma, minutum quiddam fuit, siue grana minuta, qualia sunt coriandri *d.* aut oryzæ. Si color, grana alba erant sicut triticum aut oryza amoto furfure, aut salix sublato cortice, ideoque dicitur fuisse manna quasi semen coriandri album, id est folliculo suo nudatum. Alibi *e* dicitur coloris bdellij, id est gemmæ albæ, & colluicentis instar niuis, aut pruinæ. Idcoque ibi Septuag. aiunt manna speciem habuisse crystalli. Philo λευκοράντ vocat. Si denique sapor, gustus eius erat *f* quasi similæ cum melle, prius videlicet quam coqueretur: nam vbi coctum fuisset, saporis erat *g* quasi panis oleati, vt dicitur in libro Numerorum.

CX. Vnde mãnę nomẽ

h *Psal.* 67. 10.

Duplici porro beneficio Israelitis promisso diuinitus, & altero in præsentia liberaliter accepto, alterum bona spe pleni, in matutinum tempus expectabant. Itaque mature expergefacti h. *pluuiam voluntariam* in circuitu castrorum, segregatam hæreditati Domini circunspiciunt, *dicunt que ad inuicem. Manhu, quod significat, quid est hoc? Ignorabant enim quid esset.* Non ait scriptura populum vocasse id quod videbant, Man, siue Manhu, sed dixisse mutuo, *Manhu? quid hoc?* Inquirendo videlicet nomen, non imponendo. Itaque non rectè nonnulli, secuti Dauidem Kimhi, Man verterunt donum, quod scilicet Dominus pollicitus fuerat. Huiusmodi enim interpretatio admirationem tollit & interrogationem? neque rationi quadrat, quam Scriptura subijcit, *Donum hoc, ignorabant enim quid esset.* Sed de nomine, & natura mannæ pro instituto satis, eius deinceps vsum, & proprietates videamus.

CXI. Vsus mãnæ in cibum alsum, elixum, crudum.

i *Num.* 11 8.

k *in ff. Num.*

Explicat hunc vsum ipse Moses. *Circuibat populus*, inquit, *& colligens illud frangebat mola, siue terebat in mortario, coquens in olla, & faciens ex eo tortulas, saporis quasi panis oleati.* Cum autem tortulæ, siue placentæ in olla non coquãtur, sed potius assentur in furnis, significatur manna & elixari solitum & assari, vt notat Caiet. *k* Poterat tamen neque fractum, neque coctum comedi: coque vescebantur non solum homines, sed etiam iumenta, vt obseruat Bellarm. *l* Satis enim clarum est quotidianorum ciborum reliquias, micas & frustula à domesticis animalibus participari, cumque neque fœnum haberent, neque auenam, aut hordeum, oportebat armenta etiam manna vesci. Sicut & aquam, miraculo è petra elicitam, iumenta quoque bibebant.

l *to. 2. d. 2. c. 17.*

CXII. Tres præcepta circa illium vsum.

1.

Ad eundem mannæ vsum eius distributio pertinebat, de quo tria præcepta Moyses diuinitus tradidit, primum vt mensura Gomor in singula capita colligatur, vt si quid minus de illa mensura in familia aliquis sumpserit, hoc alteri detur, cui illa mensura fortasse non sufficeret; & reliquias superesse oportebat, quæ animalibus darentur. Eam mensuram quatuor mannæ libras continuisse Cornelius putat. Quantumcumque autem quis aceruum, aut quantulumcumque non mensurando collegisset, totidem gomor, nec plura, nec pauciora reperit, quod erant capita in illa familia. Alterum præceptum fuit, vt nihil mannæ in sequentem diem seruaretur, vt omnes à quotidiana Dei prouidentia & liberalitate penderent, quod cum a quibusdam male prouidis violatum esset, postridie vermibus scatere

2.

cœpit; licet die sabbathi conseruaretur. Nam tertium fuit, vt die sexto colligeretur, quod illo, & sequenti die vsui esset, ne quies diei sabbati violaretur. Nec feria tantum sexta colligebatur, sed parabatur etiam, vt coctum edi posset; ideoque dies sexta dicta est parasceue. Quod cum factum esset, nihil corruptionis inuentum est in eo, quod reseruatum fuerat in diem sabbathi.

3.

parasceue

CXIII. Aduentitius mannæ sapor probatum.

a *Num.* 11 31.

Huius porro mannæ sapor non solum naturalis fuit, de quo diximus aliquid, sed aduentitius. Nam improbis valde insipidum videbatur, vnde & dicebant a, *nauseat anima nostra super cibo isto leuissimo.* Si tamen vitium in lingua erat & palato, & non potius in voluntate peruersa, & imaginatione corrupta, qua displicere solent omnia, quæ ab ijs fiunt, quos non diligimus. Et fieri potest vt Deus improbis, præsertim murmuratoribus, etiam naturalem illum siue crudi siue cocti mannæ saporem, in pœnam sustulerit, malosque seruos furfuraceo pane cibarit, & animo ægros, quasi corpore morbidos, legitimo suauissimi cibi sapore priuarit. Nam ex vndecimo Numer intelligitur ita improbis desipuisse Manna, vt præ eo porri, cœpe, & allia appetenda viderentur.

v. 5.

CXIV. Et contra Iustorum

b *Sap.* 16. 20. 21.

Erat & alius aduentitius ac supernaturalis sapor, qui magnificè à Sapiente *b* describitur. *Paratum*, inquit, *panem de cœlo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suauitatem.* Atque hoc modo fiebat, vt quo quisque cibo frui vellet, eius saporem & gustum in manna reperiret. Quod subobscure innuit Iosephus *c* cum ait, huiusmodi fuisse huius panis gustum vt qui eum haberet, alium non desideraret. Ieiunè sanè, ac parcè. Audiamus potius eundem Sapientem prædicta, licet admodum clara, tamen quia mirabilia confirmantem. *Substantia enim tua*, id est panis ille quem mirabiliter subsistere faciebas, & qui te volente homines sustentabat, *dulcedinem tuam quam in filios habes ostendebat, & deseruiens vnius cuiusque voluntati, ad quod quisque volebat conuertebatur.* Diuina plane vis dignitasque plena Deo, & nisi sacris literis aperte constaret, plane incredibilis, vt se Deus ad innumerabilem hominum multitudinem quotidie, imo singulis horis ita attemperaret, vt in vnico cibo centum sapores disparatos in palato produceret, & in stomacho, membrisque omnibus nutrimentum generaret.

c *l. 3. Ant. 6. 1.*

CXV. Et qui ita sentiant.

Quæ quò admirabiliora sunt, hoc maiorem apud antiquos recẽtioresque Scriptores dubitandi causam peperere, solisne bonis ea gratia, an vero communiter omnibus, atque indiscriminatim concederetur. Priorem sententiam amplectuntur Augustinus atque Hieronymus, Origenes, magnusque Gregorius, aliique recentiores, quos in Annalibus retulimus, quibus fauent illa verba textus. *quam in filios habes dulcedinem*, quod nomen in peccatores ingratissimos, & in Deum murmurantes non cadit. Etsi enim passim Hebræos iustos vocat & filios, comparatione Ægyptiorum, diuina tamen gratia præditos videtur significare, cum non contentus dicere, *vt scirent filij tui*, addidit, *quos dilexisti Domine.* Itaque illa particula vniuersalis, *vnusquisque*, in illa sententia, *& deseruiens vnicuiusque voluntati*, cum restri-

ctione

ctione bonorum intelligenda est; sicut è contrario cum restrictione reorum illa Mosis in Exodo: *Occidat vnusquisque fratrem & amicum & proximum suum*, videlicet reum. Itaque iacet hæc prima ratio eorum qui contra sentiunt.

CXVI Refutatur contraria sententia.

At erant, inquiunt, cætera externa Dei beneficia in deserto æque probis improbisque communia, coturnices, aqua de petra, columna ignis & nubis, quidni & manna? At non negamus quod externum in manna fuit, id omnibus fuisse commune, suauitas autem & sapor varius occultus fuit, sicut & voluntas appetentis. Nam quod aiunt tam probos quam improbos alliciendos fuisse hac esca, ad non concupiscendas Ægypti delicias, parum videtur efficax. Alliciebantur enim mali ne tanta delectatione priuarentur, quam vel ipsi degustarant, si quando boni fuerant, vel à bonis ipsi quotidie discere poterant. Sed hæc aliaq; id genus, pluribus in Annalibus reperies explicata. *d* Sicut & illud, an manna non sapore solum, sed substantia etiam in quem quisque proborum voluisset cibum conuerteretur; id enim verbum conuersionis videtur exigere, sicq; fiet manna expressior typus Eucharist cę transsubstantiationis. Verum neque Græca vox κατεκρᾶτο, neque Latina *conuertebatur*, sine *transtemperabatur*, vel vt habet Vatablus, *se temperabat*, substantiæ conuersionem requirit, eiq; saporis attemperatio satisfacit. Adde quod non vltra Manna fuisset sed alia quælibet species animalis aut cibi. Sed & typus Eucharistiæ egregie seruatur, vt sicut in manna erat sapor carnis sine carne, & accidens sine sua substantia; ita in Eucharistia est sapor panis & vini, sine pane aut vino, & accidentia vtriusque substantiæ absque alterutra substantia. Vide hic quoque Annales *e*.

d Mos. 81. *d* 107. *& seqq.* Mãna nõ substãtia sed tantũ saporis mutatũ.

e n. 313 *& seqq.*

Sequitur nona mansio, quam existimo postremo secundi mensis die contigisse; fuit in Daphca, vt est in catalogo mansionum *f* quam sicut & sequentem, quæ fuit in Aius, Moses omisit in Exodo, sicut & Iosephus & Philo, quod nihil in iis memorabile contigisset. Refero autem in extremum iter mansionem nonam, vt tempus iis agendis suppetat, quæ ante diem datæ legis accidisse, in Raphidim mansione vndecima memorantur; vrget quippe nos secundum sabbatum in deserto Sin celebratum, & aduentus populi in Sina. Itaque sic istos dies digerimus, vt primo die tertij mensis, qui dicitur Siuam, populum è Daphca deducamus in Alus, secundo de Alus in Raphidim, vbi eodem vespere aquæ penuria laboratum est: postridie pugnatum est contra Amalecitas, qui fuit tertius Siuam, quarto autem mature venerunt ad montem Sina, vbi quarto & quinto die Dei iussu præparati sunt, vt die sexto, qui fuit quinquagesimus siue Pentecostes, legem acciperent.

CXVII. Nona mansio & decima. *f* Nũ 33.12

CXVIII. Mansio 11. in Raphidim.

Veniamus igitur cum Israele in Raphidim, mansionem vltimam deserti Sin; vt supra ex Hieron diximus, in qua duo præcipua contigerunt. Primum est sitis, & propter eam populi murmuratio, preces Mosis, liberalitas Dei. Alterum est res gesta contra Amalecitas; nam aduentus Iethro in alium differendus est locum. Cum primum igitur ventum est in Raphidim, sitiuit populus siti vt aflolet, ex viæ labore contracta, cumq; ibi non esset aqua populo ad bibendum, rixari de more cœpit aduersus ducem suum præ aquæ penuria, & murmurauit contra Mosem, dicens *a*: *Cur fecisti nos exire de Ægypto, vt occideres nos & liberos nostros ac iumenta siti?* Apparet in hac querela Hebræorum istorum improbitas ac pertinacia, cum in medio ipso cursu beneficiorum Dei, quibus mirabiliter fouebantur, in media luce miraculorum, quæ omnium oculos perstringebant, in sua penuria, non ad humiles preces, vt ratio & natura postulant, sed ad superba iurgia, querelasq; conuertantur, quasi iniuriam aliquam à Deo aut Mose illius famulo & duce suo paterentur; neque ad fiduciam, in iam toties experta Dei prouidentia, & gratuita bonitate erigantur, sed ad eum tentandum insolescant, dicentes *b*: *Estne Dominus in nobis, an non?* Dubitant videlicet de diuina præsentia & gubernatione, eiusq; experimentum captant, in aqua ipsis largienda: nec Mosis erga Deum gratiam in remedium suæ necessitatis implorant, sed contra mansuetissimum principem pene vsque ad lapidationem efferantur.

aExo 17.3

b v.7.

CXIX. Moses recurrit ad Dñm. *Ibid.*

Vnde sequitur: *Clamauit autem Moyses ad Dominum, dicens: Quid faciam populo huic? adhuc paululum, & lapidabit me.* Videbat nimirum frementem iracundia populum, & necessitatem suam vt grauem iniuriam apprehendentem, & exigentem vt is qui ipsos è solo patrio eduxisset, & per inuias solitudines traduceret, de rebus necessariis prouideret. Perinde ac si is qui alicui vnum aut alterum beneficium contulit, etiam ad tertium obligetur? sed esto. Num propterea armatæ preces adhibendæ sunt?

Qui eum mittit ad petram Horeb. *c* 17.5.

Et ait Dominus ad Moysen c: *Antecede populum, & sume tecum de senioribus Israel, & virgam qua percussisti fluuium, tolle in manu tua, & vade.* Percusserat Aaron fluuium non Moses, sed vtriusque opera communia erant, & ambo quasi vnicum Dei instrumentum censebantur. Iubetur autem antecedere populum, aut transire coram populo, non solum vt intelligat nihil sibi ab eo metuendum, Dei protectione eum circumuallante, sed vt nos intelligamus longius à castris positam fuisse illam petram, quæ percussa profudit aquas; quæ tamen mox versus castra in Raphidim, ad vsum totius populi & iumentorum decurrerent. Hebræi autem tradunt eam petram quatuor milliaribus abfuisse, & totis 40. annis tanquam fluuium per omnes mansiones profluxisse; iuxta illud Apostoli *d*: *Bibebant de consequente eos petra*, id est de aqua petræ, quæ eos sequebatur, quocunq; demigrarent, vt hydrias replere vltra & circumferre nihil esset opus.

d 1. Cor. 10.4.

CXX. Cum senioribus.

Noluit porro Dominus hoc miraculum coram vniuerso populo efficere, eos tamen fide dignos testes adhibuit de senioribus populi, à quibus cęteri de miraculo in eorum vsum diuinitus facto docerentur. quanquam heri potest vt petra illa in eminenti aliquo loco percussa sit, qui longe lateq; à populo videri posset, fideq; fortasse & Sapiens *e* & Philo *f* hanc petram ἀκρόπετραν appellarunt. *En ego stabo*, ait Dominus, *ibi coram te supra petram Horeb*, quasi expeditus ad efficiendum miraculum ad ictum virgæ tuæ. *percutiesq; petram, & exibit ex ea aqua, vt bibat populus*, & scilicet pecora quoque,

e Sap. 11.4 *f* l. de vita Mosis. Petra percussa fundit aquas

&in

& iumenta, pro quibus etiam conquesti fuerant. *Fecit Moyses ita coram senioribus Israel.* Et èvestigio petra dehiscens, ait Iosephus *g*, aquam euomuit copiosissimam ac limpidissimá. Sicq; affatim extincta siti, extincta est murmuratio, & excitata gratiarum actio pro accepto beneficio. Voluit porro Dominus in hac tentatione sitis Hebræos prudenter æstimare tum abundantis aquæ beneficium, si præsertim, vt videtur, perpetuum fuit, tum etiam quanta Ægyptios, in eorum gratiam, afflictione vexasset, dum, aquis in sanguinem versis, eos siti cruciauit, & ad eruentam potionem adegit, vt à Sapiente *h* annotatum est.

g l. 3. c. 1. *f* Perpetuas.

h 11. 4. 5

CXXI. Amalecitæ Israelitas inuadunt.

Deinceps de Hebræorum pugna atq; victoria contra Amalecitas dicendum est. Erant Amalecitæ Arabiæ petræ populi, ab Amalec nepote Esau oriundi. Nam Eliphas primogenitus Esau genuit Amalec ex Thamna concubina. Non constat quidem sub quo eorum rege bellum hoc susceptum sit, opinatur Serarius hunc fuisse Husam *i* Themanæum, qui in regno Amalecitarum siue Idumæorum Iobo patientiæ laude clarissimo successerit, qui hoc ipso anno egressionis Israelitarum ex Ægypto mortuus est, vt postea dicetur. Verum docendum esset Idumæos & Amalecitas non solum origine gentis eosdem esse, sed etiam populis, atque adeo sub eodem rege vixisse. Belli causam hanc Philo memorat. *Regionis eius rex populationem agrorum metuens, excita oppidatim iuuentute, opposuit se, vt arceret eos à transitu. Quod si armis viam sibi aperire conarentur, aggrederetur integris viribus, & recenti milite, fessos itineribus & commeatuum inopia, aquarumq; penuria, quibus illi necessitatibus alternatim laborabant.* Quibus simillima scribit Moses in Deuteronom. *k* At abundabant nunc quidem manna, & aqua de petra. Sed vterque tempus aliquanto laxius accepit.

i Gen. 36. 11

causa belli prima.

k c. 2. 7. 11

CXXII. Alia confertim.

Alteram huius belli causam in diuinam iustitiam referre possumus, Hebræorum ingratam murmurationem punientem, vt ipsi quoque Hebræi Rabbini agnoscunt, insanam præsertim illam vocem, qua de diuina præsentia dubitabant, quam in aspectabili columna perpetuo ducem habebant, & quotidianum cibum potumq; largientem. Sic quoque prouidebat Dominus, vt adepta victoria Israelitis animi adderentur, ad futura prælia, vt à Deo in periculis recurrerent, & ab eo, vt nuper in mari rubro, victoriam expectarent, vt ne otio torpescentes vitia & seditiones fouerent. Denique vt Iosue militiæ rudimenta poneret, nec nouus ad bella contra Chananæos, Amorrhæosq; procederet.

Hui⁹ populi vires *Iud.* 4. 13

Huius porro populi vires obiter describit Eliachim sacerdos Domini magnus *l*, *Memores estote*, inquit, *Moysi serui Domini, qui Amalec confidentem in virtute sua, & in potentia sua, & in exercitu suo, & in clypeis suis, & in curribus suis, & in equitibus suis, non ferro pugnando, sed precibus sanctis orando deiecit*, &c. vsos nihilominus insidiis ait Chaldæus *m* paraphrastes, consentanee iis, quæ à Mose in Deuteronom. *n* scripta sunt.

l Num 1 Reg. c. 15. 2. *n* Deut. 25 18

Quid interea Moses? a *Re per exploratores cognita*, inquit Philo, *non longe ab hoste castra metatus est, delectu iuniorum habito*, viros potentes siue robustos Septuag. vocant: neque enim omnia castra temere ad arma ruere oportebat. At Iosue ipsos elegit non Moses, vt ex textu patet. Sed satis elegit Moses, quos Iosue iussu eius elegit. Pergit: *Imperatorem his Iesum præficiens vnum è minoribus ducibus*, imo primarium ducem, id enim ὕπαρχος apud Philonem hoc loco significat, & quasi proregem. Neque enim Iosue vnus de minoribus ducibus æstimari potuit. Nam si ætatem cogites, quartum iam & quinquagesimum agebat annum: si negotij magnitudinem, primum omnino bellum à rudibus contra potentissimos gerebatur hostes: si personæ dignitatem, eum Deus in successorem Mosi destinarat: si virtutem, Mosi intimus erat & longe charissimus. Ipse autem Moses cum Aarone & Hur ascenderunt super verticem collis, qui ad montem Horeb pertinebat, ex quo scaturiebat aqua mirabilis.

Israelitarum delectus contra eos. ἄνδρας ἐπιτηδείους. Duce Iosue.

CXXIV. Moses cũ fratre & Hur mõtem ascẽdit.

Recte autem ad orandum ascendit Aaron frater Mosis, vir summo sacerdotio destinatus, quem propterea decebat ab humano sanguine fundendo abstinere, sed precibus suis Deum bellatoribus exorare; accedebat ætas 84. annorum, parum idonea ad ferendum graue Martis onus. Ascendit & Hur maritus Mariæ sororis vtriusque, quæ cum ageret nunc annum 88. facile est intelligere eius coniugem fuisse admodum grandem natu; vt alium omnino eum fuisse necesse sit ab eo *b*, qui fuit Calebi exploratoris filius. De ipsa porro pugna hæc habemus ex Mose, fecisse Iosue quæ iusserat Moses, omnibusq; recte dispositis pugnasse contra Amalecitas; & vice versa fecisse Mosem quod muneris erat sui, extensisq; in cœlum brachiis, Deum pro victoria, magna ac diuturna contentione orasse. Fatendum tamen est totam rem in illa contentione animi positam non fuisse; alioqui flaccescente corpore & brachiis, poterat vis animi non deficere, imo & augeri, iuxta illud Pauli *c*: *Cum infirmor tunc potens sum.* Et Christus *d*: *Factus in agonia prolixius*, vtique & vehementius *orabat*, adeo vt sudore sanguineo toto corpore manaret. Itaque non fuisset opus brachia erigere & sustentare, sed renouare animum & confirmare.

b 1. Paral. 2. 19. Quo modo ἀπέλις manibus orauit.

c 2. Cor. 12. 10

d Luc. 22. 43

CXXV. Extentio manuum victoriæ conditio.

Placet itaque Caietani expositio, vt ad eam brachiorum extensorum cæremoniam, Deus victoriam alligare voluerit; & ipsis eleuatis aut demissis victoriam efficere, vel fugam permittere. Manifesto vtique indicio in cruce Domini Iesu Christi, in qua ipse brachia expandens & orans, ad extremum vsque spiritum, solis occasu repræsentatum, perseuerauit, victoriam de hostibus nostris positam esse. Sic eleuatio clypei Iosue contra oppidum Hai mysterium fuit, quoniam Deus statuerat victoriam dare interueniente signo illo visibili, vt Deus ipse autor victoriæ aperte agnosceretur. Dubia nihilominus videri potest, non quidem extentio manuum, sed illius modus. Omnes enim qui expressum hoc signum crucifixi dixerunt, quorum magnus est numerus, manus extensas crucifixi in morem intelligunt. Atqui Moses non ait extendisse se manus, sed *leuasse*, quo modo habetur in Hebræis, Græcis, Latinisq; Codicibus, & Chaldæa paraphrasi. Idem habet Iosephus & Philo, qui ait eum manus extulisse in cœlum, non ad ortum vel occasum

Nõ in latiũ, sed in alium.

a l. 1. de vita Mosis.

exten-

extendisse. Apertius etiam c S. August. *Aduertite*, inquit, *fratres, Moyses manus quidem leuat, non tamen extendit: cui ergo seruabatur vt manus extenderet, nisi Domino nostro Iesu Christo, qui extensis in cruce vniuersum orbem complexurus, brachia pietatis expandit? Moyses ergo leuauit manus, & licet non expanderit, tamen ipsa eleuatione mysterium crucis ostendit.* Denique Caietanus: *Et quia*, inquit, *Moyses virgam Dei in manu tenebat, non praeter rationem creditur, cum manus eleuatas sic habuisse, vt inter vtramque volam virgam teneret extensis manibus versus cælum.* Sic ipse. Fauco equidem illi inuentioni, quæ Christum Dominum ita cruci affigit, vt brachia nihilominus cœlum versus, & supra caput ipsius extendantur.

c *serm. 39 de temp.*

CXXVI Neminē in pugna cecidisse. f *Ant. c. 2*

Vtrum autem hæc pugna tam propitium habuerit Deum, nullus vt Hebræus ceciderit, Scriptura non tradit; Iosephus *f* affirmat, idq; admodum probabiliter, siue quia Domini erat victoria hæc, & perfecta sunt opera eius, siue quia in hac prima pugna voluit excitare animos populi sui ad fiduciam in Deum in reliquis præliis. Nam si Iosue & seniores Israel, post sex & 30. milites de exercitu suo cæsos in oppugnatione Hai, vsque adeo afflicti sunt, etiam post multas victorias, vt scinderent vestimenta sua, & toto die coram arca Domini humi strati iacerent, nonne nunc afflicti fuissent in simili aliqua iactura? Occisos tamen constat Hebræorum nonnullos ab Amalecitis, si non in pugna, certe in pridiana excursione. Nam in Deuter. *g* legitur Amalec extremos agminis Israelitici cecidisse, qui lassi residebant, aut qui tardius cæteros sequebantur, vt interpretatur Onchelos. Oportuit quoque non plane impune abire murmurationem, cuius isti fortassis autores fuerant; quod sentit quoq; Serarius *h*: qui etiam suspicatur Regem ipsum Amalecitarum occisum, vel grauiter saucium. Is autem videtur communi gentis nomine dictus Amalec. Nam mox *i* legimus Iosue fugasse *Amalec & populum eius.*

g *c. 25. 18.*

h *l. 1. in Iosue c. 3. q. 17*

i *Exo. 17. 13*

CXXVII. Dei mandatum de extirpandis Amalecitis.

Hanc victoriam tria consecuta sunt, mandatum Dei de Amalecitis exterminandis, hostium spolia, gratiarum actio. Quod ad primum, iubet Dominus Mosem dicere Iosue, statutum sibi esse delere funditus Amalecitas, vt ne memoria quidem eorum reliqua futura sit, non quidem in libris, sed in hominum, de re præsenti loquentium, sermonibus; quo modo multis quoque Chananæorum populis contigit, quorum sola nomina extant in sacris literis, ipsi à facie terræ deleti sunt. Iubet enim hoc ipso loco *k* Dominus, hoc suum decretum contra Amalec in libro scribi, ad memoriam destinatæ à Deo vltionis retinendam. Ea partim sub Saule / Rege contigit, regnante apud eos Agago, partim sub Dauide, post vastatum ab ipsis oppidum Siceleg.

k *Exo 17. 14* Quando impletū.

l *1 Reg. c 15 & c. 30.*

CXXVIII Mirabile Dei in eos odiū.

Mirabile porro fuisse Dei in Amalecitas odium agnoscitur, non solum ex seueriſſima vltione, quam Dominus Sauli mandauit aduersus illos, ob quam non exacte exercitam, Regem à se electum abdicarit, cumq; ab Israelitico regno, cum tota sua posteritate repulerit; sed maxime ex peccato, in quod tanto supplicio animaduertebatur. Quod scilicet armati occurrerint innumerabili aduenarum multitudini, ciq; in via restiterint; metuentes ne suam illi regionem inuaderent. Voluit nimirum Dominus ostendere quantum esset odium suum in principes & potentes, qui in peregrinos & aduenas, afflictosque, viros præsertim innoxios, crudeles sunt & inhumani. Quales fuerunt etiam Ægyptij, qui proxime omnibus afflicti cladibus, maris denique fluctibus hausti periere. Ex eo autem quod habetur in textu, illos non timuisse Deum, afflictorum videlicet perfugium, coniici potest Amalecitas accepisse à Deo nuncios, vt populum suum abire permitterent, innoxium eius transitum fore, alioqui se vltorem futurum, pariaq; illos cum Pharaone respondisse, *Quis est Dominus, vt audiam vocem eius?* Nec contenti tutari sua, etiam iniuriam facere aggressi sunt. Denique Serarius putat alia quoque multa peccasse Amalecitas, quæ Deus vlcisci vellet huius occasione peccati.

In gratiā miserorū

CXXIX Amalecitarum spolia. a *Ant. c. 2*

Quod attinet ad hostium spolia, ea fortasse magnificentius à Iosepho *a* quam verius describuntur: apparet tamen fuisse non pœnitenda: consentanee iis, quæ a Scriptura, de donariis populi ad tabernaculi fabricam, aliumq; Dei cultum, oblata in Exodo, Leuitico, Numerisq; recensentur. Sicq; ad gemina de Ægyptiis spolia opima, tertia de Amalecitis accesserunt. Postremo in gratiarum actionem partæ victoriæ, ædificauit Moses altare, & vocauit nomen eius *Dominus exaltatio mea*, siue vt habent Septuaginta cum Philone, Dei sine *diuinum refugium*. Non desunt qui Hebræam vocem *miraculum* vertant, quasi dicerent diuino miraculo testando erectum fuisse altare. Idq; videtur voluisse Onchelos, cum ait: *Et immolauit super eo coram Deo, qui fecerat ei miracula.* Non meminit quidem victimarum Moses sed hoc ipso sacrificia insinuantur, quod eriguntur altaria, quę suapte natura ad sacrificandum Deo instituta sunt. Sicq; impletum est quod anno superiore dixerat Dominus *b*: *Cum eduxeris populum de Ægypto, immolabis Deo super montem istum.*

Gratiarū actio. χαταφυγὴ Θεοῦ.

Altare.

b *Exo 3. 12*

CXXX. Māsio 11. in Sina.

Sequitur mansio duodecima, omnium nobilissima, & rebus in ea gestis celeberrima, & vna vel altera excepta, temporis diuturnitate longissima, in qua diuina lex maximo cum apparatu, à Deo, per interuentum Mosis, Israelitis data est: quo vno capite innumera alia continentur. *Hoc tantum* cum c Hieronymo *dicam, quod media pars Exodi, & totus Leuiticus liber, & Numerorum præcepta non modica, & per singulas populi tribus distributio, & oblatio principum in hac mansione descripta sunt, multorumq; voluminum disputatio huic loco sufficere vix posset.* Sic Hieron. vt Lectori minime mirum videri debeat, si fuerimus in tanta rerum copia, aliquanto longiores. Non erimus, vt spero, verbis copiosi, sed rebus, & in iis ipsis, pro instituto breues. Præsertim cum existimemus plerosque non contentos ista Epitome, ipsos Annalium fontes non frustra adituros.

c *Ad Fabiolam in 12. mansione.*

In ipso autem aditu, ingerit Moses de tempore, quo in Sina peruentum est, dubitationem *d*. *Mense tertio*, inquit, *egressionis Israel de terra Ægypti, in die hac venerunt in solitudinem Sinai.* Ergo eodem primo anno. Caue autem tertium mensem accipias, quasi post duos integros

CXXXI Ratio temporis d *Exo 19. 1*

gros exactos, vnus enim fere mensis cum dimidio tantum abierat. Nam certo constat dimidiam partem primi, ante egressum Israelitarum, qui incidit in 15. Nisan, fuisse transactam. Tum secutus est integer mensis nomine Iar, ordine secundus in anno sacro. Adest ergo mensis tertius nomine Sinan, qui, cum reliquo anno, in hac mansione transactus est totus. Quem autem diem significet, cum ait *in die hac* obscurum est. Probabilis est illa interpretatio, vt *in die hac* sit idem, quod in eadem die, scilicet tertia, vt sit sensus, venisse mense tertio, eademq; die, nempe tertia mensis eiusdem. Probabilius tamen est, vt eadem dies referatur ad mansionem Raphidim, vt dicat Moses, eadem die qua populus digressus est ex Raphidim, peruenisse in desertum Sinai, quatuor enim milliaribus duntaxat à se distabant, vt ait Genebr. in Psal. e Quæ omnino videtur mens ipsius Mosis. Nam ambiguam vocem statim explicat dicens: *Nam profecti de Raphidim, & peruenientes vsque in desertum Sinai, castra metati sunt in eodem loco.* Rationem enim reddit cur eodem die peruenerint de Raphidim in Sina, videlicet propter vicinitatem.

Quid sit *in die hac*

e Psal. 77. n. 16. & 20

CXXXII. Quo die peruentū in Sina. f n. 364 & seqq. præsertim 368 Exo. 17. 5.

Fuit autem hic dies mensis huius quartus, & ab exitu quadragesimus octauus, vt in Annalibus *f* accurate demonstrauimus; nec anguttiis temporis coarctamur, vt aliqui verentur, sed eleganter tota res quadrat. Nam principio Moses populum antecessit, vt Dominus iusserat, reliquo populo paulatim duce columna subsequente, erat enim horum locorum peritissimus, & festinabat adire Dominum in Sina. Ergo mature quatuor illa milliaria confecit, eoq; peruenit, vt apparet, tertia hora ante meridiem; moxq; ascendit in montem; vbi iussus est à Domino renunciare populo, an vellent ei obedire, eumq; habere Dominum: & scilicet ab eo postmodum legem & vitæ rationem accipere. Descendit Moses rem populo nunciaturus, qui iam ad montem Sinai castra metabatur, hora vt apparet duodecima. Ibi conuocatis maioribus natu, exposuit quæ mandauerat Dominus. Cui respondit populus: *Cuncta quæ locutus est Dominus, faciemus.* Regreditur ad Dominum in montem Moses, hora si lubet secunda post meridiem, ab eoq; audit: *Vade ad populum, & sanctifica illos hodie & cras, & sint parati in diem tertium*, quam sanctificationem mox explicat Moses, abstinentiam ab vxoribus. Redit ad populum hora quinta, grandioribus iam diebus, eisq; continentiam indicit in reliquum illum diem quartum, & quintum sequentem: dum die sexto veniat cum maiestate Dominus in montem ad enunciandam legem.

Distributio dierū ante legē.

CXXXIII. Populus castra locat circa montem. 15. 29. 44. 48.

Populus ergo peruenit ad montem Sinai, eodem die quo profectus fuerat ex Raphidim, quarto die mensis tertij, 48. ab exitu ex Ægypto, à die videlicet oblati manipuli, vt postea explicabitur. Ibi deductrice nube subsistente, prima cura fuit castra metari, & figere tentoria è regione montis Sinai, sic vt illi, pro ingenti multitudine sua, fere vndiq; circunfunderetur. Erant tamen castra stadiis aliquot à monte dissita. Nam paulo post habetur, eductum populum de castrorum loco, in occursum Dei, stetisse ad radices montis. Ergo inter montem & castra non exiguum erat spatium, vt tanta multitudo progrederetur vndique, & facta monti propior, terminos in circuitu eius haberet, qui eam ab ascensu vndique prohiberent.

CXXXIV. Moses ascēdit ad Dominū a Exo 19. 3

b Exo. 3. 5

Moses autem ascendit ad Deum *a*, dum populus aduentabat ad desertum Sinai, vt paulo ante dicebamus, *vocauitq; eum Dominus de monte*, id est de montis vertice, quo non audebat ascendere, quia pridem audierat: *Ne appropies huc* b, *locus enim in quo stas, terra sancta est.* Ergo verecundantem euocat ad se Dominus, eaq; populo mandari nunciat, quæ eius erga se beneuolentiam conciliare poterant; quod scilicet eos tutos atque incolumes conseruasset, quasi extra teli iactum, super alas aquilarum, ad nubes vsque euolantium, dum Ægyptij totis corporibus diuinæ iracundiæ sagittas excipierent, vt populus cogitans se Deo esse curæ, ab eoq; diligi, ei sese non coacte, sed libenter addiceret, dederetque. Ideoq; ante omnem terrorem, qui Decalogi promulgationem comitatus est, quiq; libertatem consensus minuere poterat, voluit hanc fieri legationem. Addit & promissa in futurum, Israelitas fore sibi in peculium de cunctis gentibus, in regnum sacerdotale, & gentem sanctam: quasi dicat eos speciali amore & cura prosequendos, & præ cæteris populis honorandos, vt sanctos & electos ex omnibus, tanquam Deo consecratos.

Fit interpres fœderis.

CXXXV. Deiccēdit ad populū, eiq; Dei mandata exponit.

Ita dimittitur ex monte Moses: & officio fidelis functus interpretis, conuocatis maioribus natu populi, & tribuum ac familiarum principibus, qui totum populum repræsentabant, & ex quorum authoritate reliqui, arbitrioq; pendebant, eis Dei mandata exposuit, & simul vtique docuit, quantus esset hic Dei fauor, quamq; dignus, qui non omnibus solum studijs ac laboribus, sed omnium etiam rerum iactura emeretur. Quibus auditis, nihil enim erat quod in re tam vtili, honorifica, modisq; omnibus expetenda deliberando cunctarentur, responderunt vniuersi, *cuncta quæ locutus est Dominus, faciemus.* Regressus est illico in montem Moses, verba populi ad Deum referens, liberumq; consensum eius in agnoscendo accipiendoque Deo in Dominum suum. Eum consensum Dominus ratum habens, legatum suum remittit ad populum sanctificandum, & parandum in diem tertium, quo die Dominus descensurus esset, coram omni plebe super montem Sina.

Acquiescit populus, & Moses ad Dominum redit.

CXXXVI. Qui iubet cōstitui populo terminos. c Ex 19. 23

Præcepit etiam Dominus constitui terminos populo per circuitum ad montis radices, qui essent ad reuerētiam maiestatis, quasi cancelli quidam, vltra quos, mortis pœna proposita, progredi nō liceret profano populo. Quod autem sequitur *c*, *cum cœperit clangere buccina, tunc ascendant in montem*, difficilem habet explicationē. Nam tunc minime omnium ascendendum erat. Cum illo enim clangore buccinæ Deus descensurus erat in montem. Crediderim hanc ironicam esse permissionem, quæ ex pronunciationis modo intelligatur, quasi subintellecta voce, *si ausint*, significans eos tunc ita territum iri, auditu & visu eorum, quæ tunc contingent, vt nullo modo tunc ausuri sint prope accedere. Vnde capite sequenti dicitur, Hebræos stetisse procul, perterritos & pauore

Quid sit, *tunc ascendant.*

concus-

concussos. Nec aliena est ista orationis figura, à magna S. Prophetæ cum Deo familiaritate. Sic Philistæi illi, qui in statione sua erant, dicebant Ionathæ & armigero eius, *Ascendite*, supple si audetis, & ostendemus vobis rem. Et Micheas, *Ascende*, inquit, *in Ramoth, Galaad*, quasi dicat, non ascendes si sapis. Itaque nunquam populus, neque ante sonitum buccinæ, neque post, legitur ascendisse montem. Cum his mandatis descendit Moses de monte, eaque studiose executus est.

1. Reg. 14. 12.
3. Reg. 22. 35.

CXXXVII. Terrificus in monte apparatus d *Exod.* 19. 16.

Iamque aduenerat dies tertius d, à colloquio Domini cum Mose, idemque sexus à mensis initio, & ab exitu Hebræorum, aut potius à secundo Azymorum die e, quo manipulus spicarum colligebatur, quinquagesimus, *& mane inclaruerat, & ecce cœperunt audiri tonitrua, & micare fulmina, & nubes densissima operire montem, clangorque buccinæ vehementius perstrepebat.* Itaque ad terrorem omnia concurrebant, isq; se ab auribus, oculisque ingerebat, vt intelligerent adesse eum cui ad nutum omnia famulantur, agique rem maximam, maximeque seriam; itaque *timuit populus, qui erat in castris*, neque præ timore audebat egredi è tentorijs: nedum in montem ascendere. Eduxit ergo eos Moyses in occursum Dei, vt subditi solent ire obuiam principi suo, eique se suaque offerre. *Et steterunt* attoniti *ad radices montis*, inter castra sua, & terminos a Mose constitutos: itaque factum oportuit, ne qua res populum ab audiendo vel videndo impedire posset. Nec terrorum finis.

d *Exod.* 19. 16.
e *Vide* Ann. *Mosis anno* 81. n. 161. *& seqq. &* 381. *& 82.*

CXXXVIII. Eius ignis innoxius f *de Præp. l.* 8. c. 10.

Totus, quippe, *mons Sinai fumabat, eo quod descendisset Dominus super eum in igne, & ascenderet fumus ex eo, quasi de fornace.* Ait Aristobulus apud Eusebium f fuisse hunc verum ignem, toto tamen monte innoxium extitisse, neque quidquam omnino consumpsisse. Sicut nimirum anno superiore rubus ardebat, nec tamen consumebatur. Pergit Moses, *eratque mons omnis terribilis*; pro quo plerique ex Hebræo notarunt dici, montem contremuisse. Quod Dauid aperte confirmat g. *Terra mota est etenim cœli distillauerunt, à facie Dei Sinai.* Obscurius Paulus ad Hebræos h. *Non enim accessistis ad tractabilem montem*, id est contactum, siue quem Deus tetigerit: agit autem de hoc ipso monte Sina. Notant enim Hebræi quando montes diuina potentia contremiscunt, dici à Deo leuiter tangi, sicut chordas in lyra, iuxta illud i, *tange montes & fumigabunt.*

f *Gal.* 3. 19.
g *Ps.* 67. 9. ἐσείσθη ὄρη.
h *Heb.* 12. 18. προσῳ μιῳ ὄρει
i *Ps.* 143. 5.

CXXXIX. Moyses cum Deo colloquitur. k *Exo.* 19. 9. *& 19.*

Ad hoc spectaculum Israelitis metu palpitantibus, Moyses confirmatior cœpit loqui ad Dominum in totius populi conspectu, sic enim ait, *Moyses loquebatur, & Dominus respondebat ei*: iuxta promissionem illam k. *Iam nunc veniam ad te in caligine nubis, vt audiat me populus loquentem ad te, & credat tibi in perpetuum.* Conscensa igitur parte aliqua montis, in qua videbatur à populo, cum Deo loqui cœpit. Quæ autem verba vtro citroque dicta fuerint, Scriptura tacuit: nisi quod Dominus in ipso montis vertice positus, *Mosem vocauit in cacumen eius.* Quo cum ascendisset, iussus est à Domino descendere, & contestari populum, ne forte vellet transcendere terminos monti circumpositos, ad videndum Dominum: propter diuturnam videlicet Moysi absentiam, postquam desijssent micare fulgura, & audiri tonitrua, ex quo futurum erat vt huiusmodi temeritas plurimæ multitudinis morte lueretur.

A quo sum iam euocatur.

CXL. Rursum dimittitur ad cohibédam populi curiositaté. *a n.* 136.

At Moses diuini colloquij suauitate captus, respondet non videri necessarium redire ad populum, ad eum monendum iterum, ne vllo modo audeat ad montem ascendere. Id enim est quod ait. *Non poterit vulgus ascendere*, id est non audebit iuxta expositionem, quam supra, dedimus *a* circa istum ascensum, & simulatam Domini permissionem. Perstat nihilominus in sententia Dominus, iubetque Moysem rursum descendere ad populum; quod ne illi graue esset, statim subdit mandatum de monte repetendo, adducto secum Aarone fratre *b*; admonito prius non solum populo, & promiscua multitudine, sed etiam sacerdotibus, qui alioqui solent accedere ad Dominum, ne sibi licere putent transgredi terminos vniuerso populo præfinitos, ne & ipsi diuinitus morte super sua temeritate, mulctentur. Videtur quoque iussisse Mosem ad populum descendere, vt cum eo esset dum Decalogus proclamaretur. Qui autem essent isti sacerdotes, cum nondum institutum esset Aaronis & filiorum eius sacerdotium. Vide in Annalibus *c* hoc loco.

b *id factū c.* 24.
c *n.* 388.

CXLI. Deus siu. Angelus intonat præcepta Decalogi. d *l. de Decal.* e *Act.* 7. 38. f *Gal.* 3. 19.

Cum peruenisset Moses ad populum, eique diuinam prohibitionem inculcasset, Deus ad populum iuxta montem extra tentoria circūfusum decem legis præcepta terribili & perquam sonora voce intonuit, angeli ministerio efformata: per quem datam esse populo legem, non solum Philo *d*, sed Stephanus *e* quoque & Paulus Apost. *f* tradiderunt. Moses tamen sæpe affirmat Deum locutum esse, & tradidisse legem populo suo. Nimirū Angelus, quasi Domini legatus, eius personam gerit, eiusque vice loquitur. *Hinc est*, ait Magnus Greg. *quod Angelus qui Moysi apparuisse describitur, modo Angelus, modo Dominus memoratur. Angelus videlicet, propter hoc, quod exterius loquendo seruiebat. Dominus autem dicitur, quia interius præsidens loquendi efficaciam ministrabat.* Locutus est ergo Dominus audiente populo decem præcepta decalogi, prout Exodi 20. recitātur. Quæ cum maxima, maximeque terrifica voce personarent, cūctus populus adstabat admiratione defixus, audiens voces siue tonitrua, & sonitum buccinę: videns ignem maximum, è medio cuius erumpebant voces, montemque fumantem, videns lampades, siue fulgurantes nubes. Bis autem ista terrifica memorantur, quod sermonem Dei tum antecesserint, tum secuta sint; quæ vero auditionem populi non impediebant, fumus, flamma, nubes, caligo, Deo loquente perseuerabāt.

Perterrito populo

CXLII. Qui rogat Deum ne cum per interpretem agere g *Exod.* 20. 18.

Cum igitur ista terrifica, absoluta legis promulgatione repeterentur, perterritus, ac pauore g concussus populus stetit procul, vel vt est in Hebræo *mouit se*, siue *retrocessit*, vt scilicet abderet se in sua tabernacula, veritus ne Deus iterum simili modo loqueretur. Itaque dixerunt Moysi, *loquere tu nobis, & audiemus: non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur.* Quæ copiosius in Deuteronomio *h* à Moyse repetuntur, vbi etiam dicitur hanc postulationem factam ab omnibus principibus tribuum, & maioribus natu. Respondit au-

h *c.* 5. 23. 24. *&c.*

tem Moyses populo, *Nolite timere, vt enim probaret vos venit Deus*, id est perterrefaceret timore salutari, nam sequitur, *& vt terror illius esset in vobis, & non peccaretis.* Maxime enim necessarius erat Hebræis iltis timor, quos neque amor, neque beneficia ex eo profecta, satis ad hanc diem in officio continuerant. Nihilominus *accessit Moses ad caliginem, in qua erat Deus*, referens quid populus desideraret, vt scilicet Dominus Moyse internuncio vteretur; quod Deus probauit; & occasione petitionis huius promisit *i* se suscitaturum de medio populi prophetam, qui Dei nomine locuturus esset, *quem qui audire noluerit*, inquit, *ego vltor existam.* Quæ de Christo Domino dicta fuisse Petrus Apostolus *k* & Stephanus protomartyr testantur.

Promittit Dominus Christum

i Deut. 18 17.

k Act. 3. 22. & 7. 37.

CXLIII. Redit Moses ad populum

Hac ipsa sermonum vice iterauit Dominus quæ dicta fuerant in Decalogo, de non excitandis alienorum deorum simulacris, sed erigendo sibi altari terreo, vel lapideo de insectis lapidibus, ad offerenda super eo populi sacrificia. Quæ breuiter Dominus locutus, remittit Mosem ad populum adhuc stantem, ante sua tabernacula, & expectantem quid Moses referret à Domino. Retulit autem probari à Domino ipsorum desiderium, seque ipso interprete ad eos vsurum, donec insignem *l* illum prophetam mittat. Et addidit *Vade, & dic eis, Reuertimini in tentoria vestra*, prandio scilicet corpora vestra refecturi. Illud autem quod illico subjecit. *Tu vero hic sta mecum*: idem est ac si diceret mox à reditu fratribus mecum aliquanto diutius: timui enim ibi stare nō poterat & adire populum, ac monere, vt se in sua tentoria referret.

l Deut. 5 28. & 18. 17.

CXLIV. Et rursus ad Deum vbi partē legis accipit.

A prandio regreditur in montem Moyses, & accipit à Deo quæ tribus Exodi capitibus *m* continentur. Paulo ante vesperam Moyses à Domino dimittitur, sed cum mandato, vt ascendat iterum, postridie scilicet, cum Aarone & cæteris, qui capite 24. memorantur. Eadem vespera *n* narrauit Moyses populo, quæ illi dixerat Dominus, & quæ ab eis obseruari volebat. Cui respondit vna voce populus, tribuum scilicet principes, ac maiores natu, se omnia facturos, quę Dominus imperasset. Proxima nocte Moses scripto mandauit *vniuersos Domini sermones*, quæ scilicet mandata à cap. 20. ad 24. continentur. Atque ita transactus est dies sextus. Septimo autem *mane consurgens edificauit altare ad radices montis, & duodecim titulos*, iussitque primarios de populo iuuenes offerre sacrificia, & sanguinem pacificorum partim fudit super altari, partim lecto fœdere sparsit in populum: quę matutinum tempus facile tenuere.

m Exod. 24. 12. 13.

n Exod. 24. 3.

v. 4.

Quæ acta die septimo.

CXLV. Id est postridie promulgatæ legis.

A prandio ascendit Moses & Aaron cum duobus filijs, & Septuaginta de senioribus Israelis, qui viderunt obiter Dominum, atque à longe. Moyses autem propius accessit; illi mox dimittuntur. Sed Moyses à Domino mādatum accipit, vt mox redeat ad diuturniorem moram, accepturus tabulas lapideas scriptas à Deo. Descendit ergo Moses cum socijs, disposuitque domui suæ ad diuturniorem morā, & fuit hic dies septimus, quo facta est confirmatio legis. Die octauo mane ascēdit in Montem Moyses cum Iosue ministro suo, relictis Aarone & Hur, quasi vicarijs in locum suum ibique cum eo mansit sex diebus, die autem septimo, qui fuit decimusquartus tertij mensis, ingreditur Moses caliginem, & fuit in monte 40. diebus & 40. noctibus, comprehensis videlicet illis sex diebus in monte positis, ante quam Moyses admitteretur in caliginem. Inchoantur enim hi 40. dies ab octauo tertij mensis Siuam, & terminantur 17. Tammus, qui est quartus mensis, quando Moses de monte descendit, & confregit tabulas lapideas.

Quid die octauo.

Sed his breuiter decursis, & sub vnum quasi conspectum positis, nonnulla regustanda videntur. Quorum primum sit, cur scripto lex ista mandata sit. Nam Moses multiplici populi consensu legis acceptantis habito, quasi Scriba Domini, in publicas tabulas retulit initum fœdus, ad memoriam posteritatis sempiternam, ad quam scripto propagaretur obligatio, quam patres pro se, posterisque suis suscipiebant, de prædictis legibus, iudicijsque seruandis. Sed & Dominus ex parte sua, Decalogum in lapideis tabulis ipse descripsit, vt memoriale perpetuum esset populo, initi cū Deo fœderis. Scribi etiam oportuit prædicta omnia Dei mandata, vt in confirmationem fœderis, tam liber ipse, quam populus sanguine aspergi posset. Denique vt in manibus populi aut seniorum eius, in diuturna Mosis absentia, extaret legis exemplar, vt eam per otium recognoscere, meditari, & addiscere possent, atque in praxim, prout res ferret, reuocare: nec si delinquerent per negligentiam, obliuionem tot præceptorum causari possent.

CXLVI. Cur scripto mandata lex.

1.

2.

3.

4.

Ritus autem confirmati fœderis, quo diuina inspiratione, vel præcepto vsus est Moses hic fuit. *a* Mane consurgens ædificauit altare ad radices montis, quasi in confinio ditionis eorum, qui fœdus inibant; & altare quidem vnicum fuit, sed singulis tribubus suos cippos, titulos, vel columellas erexit, quibus impositū altare niteretur, aut quæ ipsum ornamenti vel testimonij causa circunstarent, & quidem omnia de lapidibus impolitis, vt tam lex ipsa in altari, quem temporis angustiæ in titulis illis exigebant: simulque indicabatur fœdus cum 12. tribubus ictū esse, in quo immobiliter omnes starent, quodque aduersus omnes impios, ac fœdifragos, constanter, fortiterque tutarentur. Misit deinde totidem iuuenes, primogenitos principum in quaque tribu, ad quos tunc ius sacrificandi, quasi naturalibus sacerdotibus competebat, vt ait Abul. *b* Et ratio exigebat vt in re honorifica ij eligerentur, qui iure gentium & naturæ, cæteris præstare censentur. Idem quoque probabiliter putat singulos vitulos à singulis in holocaustum oblatos, multo autem plures in pacificas victimas, si populus vniuersus particeps lætitiæ factus est.

CXLVII. Ritus cōfirmati fœderis.

a Exod. 24. 4.

b 9. 8. & 9. in 24. Exod.

Dum autem victimæ pacificæ & holocaustæ iugulantur, nam sanguis quoque ex victima holocausti educebatur, *tulit Moses dimidiam partem sanguinis, & misit in crateras, partem autem residuam fudit super altare*, quasi Deus quoque quem altare repræsentabat, sanguine respergendus esset, & contractu cum populo, per effusum sanguinem confirmando, obligādus esset. *Assumensque volumen fœderis, legit audiente populo*, quæ fuit ipsa legis promulgatio, cui

CXLVIII. Sanguinis aspectio.

c Leu. 17. 11.

populus iterato Deo spopondit obedientiam. Moyses vero sumptum è crateribus sanguinẽ respersit in populum, per tribus familiasq; distinctum, siue singulas ipse obeundo, circumferens sanguinẽ, siue quod mauult Tostat. ipse populus per turmas propius ad altare accedebat, ibiq; aspersus abibat, locumq; dabat alteri. Addit autem Paulus *d*, in hac quam vocat primi testamenti, siue legis Mosaicæ dedicationẽ, hircorum quoq; sanguinem, aquam, lanã coccineam, & hyssopum ex Maiorum traditione; vt sanguis immissa aqua facilius flueret, & reliqua instar peniculi lustralis essent; addidit & libri aspersionem; valet autem sanguis ad confirmationem pacti, quod mors, quæ sanguine repræsentatur, ad firmitatem testamenti.

d *Hebr.* 9 18.19. Quædam ex Paulo supplẽtur

CXLIX Visio Domini ab Aarone & filijs eius, ac senioribus.

His mane patratis Moses ex Dei mandato cum fratre & filijs eius, & 70. de senioribus redit in montẽ, eos enim volebat Dominus aliquatenus spectatores fieri gloriæ suæ, vt populus, qui multũ ex eorum autoritate pendebat, magis magisq; de Dei maiestate eruditus, eum vnum honore supremo, timoreq; prosequeretur. Ascenderunt autem vsq; ad medium circiter montis, vt ait Hugo à S. Vict. & adorauerũt procul *e*, vt Dominus Moysi ante mãdauerat. Viderunt autem vt nonnulli putant illustrem aliquam & radiantem nubẽ, per quam Dominus præsentiam suam testaretur. Alij autem, & quidem probabilius, putant Deum humana forma, nimirum specie magnifici cuiusdam principis apparuisse: cum Moses, licet speciem qua visus est Dominus non expresserit, pedum tamen eius, & pauimenti, quasi strati lateribus saphirinis; meminerit: vt humanam naturam innuere videatur. Nam quod in Deuteron. *f* dicitur Israelitas non vidisse aliquam similitudinem in Horeb, id de conferta multitudine, & visione publica, non priuata sapientum intelligendum est; quos ætas, & sapientia, ab idololatria reddebat tutiores.

e *Exo.* 24. 1

f *Deu.* 4. 15

CL. Ab ipso Mose.

Augustiore autem forma apparuisse Moysi existimat Caiet. ex eo quod in Deuteron. *g* scriptum est Deum apparuisse in hisce desertis locis cum sanctorum millibus, id est infinito sanctorum angelorum apparatu. Putat etiam Pradus apparuisse magnifico in curru, quem Cherubini quatuor quadruplici specie insignes ductarent, eo modo quẽ vidit ac descripsit Ezechiel initio vaticinij sui. Certe Moyses plurima sibi fuisse demonstrata, quæ ad arcam & Cherubinos, totumq; tabernaculum pertinebant non obscure significat, cum ait sibi à Deo fuisse dictum h. *Inspice, & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* Non enim deinceps scriptum apparet quando illi, illa omnia monstrata fuerint. Subdit autem, nihil ex hac visione spectatoribus incommodi creatũ esse, sed eos ad solita vitæ munera redijsse; propter illud i. *nõ videbit me homo & viuet.* Absoluta porro visione, redierunt omnes in castra, ibiq; dixit Moyses senioribus, vt ibi expectarent, id est præstolarentur absentiæ suæ diuturniori, donec cum Iosue, quem assumebat sibi socium, reuerteretur ad eos. Interea si quid natum esset quæstionis, ad Aaronem & Hur referretur.

g *Exo.* 33. 22.

h *Exo.* 25. 40.

i *Exod.* 33 20.

CLI. Moses redit in montem cũ Iosu

Rebus ita constitutis, ascendit Moyses cum Iosue ministro suo in montem Dei, quẽ statim nubes operuit ac circũfudit, & ab aspectu populi secreuit vtrumque. In montis autem cacumine erat caligo, in qua latebat Dominus: prodebat tamen se per speciem ignis ardentis, inde erumpentis in altum, vt à populo cerneretur ex castris. Et erat locus aliquis, vt apparet ex 19 Exodi *a*, in quo manebat Moyses, donec à Domino in montis verticem euocaretur. Illic totis sex diebus substitit, purificans animam suam à terrenis cogitationibus, & præparans ad secretiorem cum Deo communicationem. Verum autem impastus atque impotus, dubitatio est. Qui enim putant præter hoc sex dies Moysem 40. diebus, totidemque noctibus ibi perdurasse, etiam concedunt eum, sociumque eius his sex diebus manna victitasse, & aqua de Horeb defluente bibisse: quia constat Mosem tantum diebus 40. ieiunasse. Verum his repugnat solennis Hebræorum, atque vniuersalis traditio, omniaque eorum calendaria, quæ tradunt decimoseptimo mensis quarti, Moysem descendisse de monte, & acceptas à Deo tabulas confregisse: ex quo fit vt octauo die tertij mensis illuc ascenderit, cum Scriptura 40. tantum dies isti Mosis ieiunio tribuat & eundem numerum frequenter *b* inculcet, & nusquam 46. qui numerus, saltem in exprobratione, non fuisset à Moyse prætermissus.

a *v.* 19 & 20.

Vbi 40. diebus ieiunus manet.

b *Deut.* 9 *v.* 9. 11. 12.

CLII. Dominus iubet sibi confici sanctuariũ

Quoniam vero populus hic, non erat perpetuo permansurus in loco, in quo legem acceperat, sed per varias stationes ad terrã Chananæorum, post multos denique annos peruenturus, voluit Dominus sibi à populo confici Sanctuariũ; quo nomine Tabernaculũ, Atriũ, & Arca, omnisque supellex sacra continetur, quod instar esset Templi cuiusdam mobilis, in quo ipse habitaret, & quod vna cum toto populo Hebræo circunferri posset. Et vero necessarium erat vt Deum, cui sese Hebræi addixerant in populum, cui se inito fœdere consecrarant, à quo legem acceperant, cuius maiestatem, ad terrorem vsque, signis externis agnouerant, non interiore tantum cultu, sed externo etiam, qui homini corpore & animo constanti conuenit, religiose colerent, supplicesq; venerarẽtur. Externus autem cultus præclarũ aliquem, & tamen religiosum requirit apparatum, qualem cernimus hic diuinitus imperatum. Quæ enim diuino cultui consecrata sunt, magni fieri, atque honorari debent, ideoque à vulgari & communi vsu secreta esse oportet, ne veniant in contemptum, & profana fiant, quod isti populo rudi, & toto externis rebus addicto, necessarium in primis fuit.

Et quam obrem.

CLIII. Populo cõtribuente ex triplici præda.

Vt igitur de Sanctuario, pro instituta breuitate, præcipua quæque libemus, ad eius constructionẽ iubet Dominus peti a populo, vt de multa pretiosa supellectile, quam ab Ægyptijs, in egressu ex Ægypto, & in eorum funere, atq; exitio corraserant, & nuper in Amalecitana victoria acquisiuerãt, diuersa donaria quasi primitias Deo sponte offerrent, ad Sanctuarium construendũ. Noluit autem Dominus imponi præceptum largitionis huius, conscius optimæ ac liberalissimæ voluntatis, quam ipsemet instillabat, & sese reipsa prodidit, cũ facta promulgatione, tam effuse populus largitus est omnia, vt præconis voce debuerit prohiberi. *c* Nimirũ intelligebant honorari se, à quibus Deus ipse, ad cultum suum, aliquid accipere dignaretur:

c cc 36. Exod.

& æquum esse aliquid illi ponte offerre, a quo vniuersa liberaliter accepissent, & longe plura deinceps essent accepturi; quoniam nostra ipse liberalitate neque vinci vult, neque potest.

CLIV. Arca fœderis, ritusque visus.

Orditur autem à prima ipsa ac nobilissima parte sanctuarij Arca fœderis, quę quasi thronus Dei futura erat, & locus vnde oracula funderentur, ad quam honorandam cætera, quæ quoque modo Sanctuario deseruiebãt, referebantur omniaquæ denique apud Iudæos, non solum tempore peregrinationis huius, sed plurimis postea seculis, vsque ad templi & vrbis cladem, Dei vices gerebat in terris. Hanc arcam compingi iussit ex lignis Setim, quam Cedri speciem esse volunt, maxime duram atque compactam, & pene corruptionis expertem. Eius longitudinem esse voluit duos cubitos & semis, tres videlicet pedes, totidemq; quadrantes: latitudinem cubitum & dimidium, siue pedes duos cum quadrante: altitudinem autẽ latitudini parem. Recte porro, vt arbitror, existimat Caiet. integram plane fuisse arcam quatuor lateribus, fundo, & operculo constantẽ Cum enim Dominus arcã exigit, profecto exigit integram: ideoque non magis de operculo, quam de fundo dubitandũ est. Certe ex lege *d* habetur, vas quod non habuerit operculũ immundũ esse, quod sordibus contrahendis esset obnoxium; quidni in arca valeat, quã ab omni immunditia longissime abesse oportuit? Nam Propitiatorium pars arcæ non erat, neq; enim eadem materia cõstabat, neq; adhærebat arcę, sed eminebat al. quantum super eam, elatum manibus Cherubinorũ, & eorum alis ex vtroque latere tectũ, sic vt esset quasi sedes Domini, arca vero scabellum pedum eius Paral. 28. 2.

Propitiatorium.

d *Num.* 19. 15.

CLV. Arca primum habebat operculum e *Vide An. Mos.* 81. n. 432 f *l. 3. Ant* c. 6.

Quoniam vero arcam aperiri oportuit, vt in eam inferrentur, & efferrentur, quæ Deus iussisset, oportuit operculum cum reliquo arcæ corpore coniungi, sed nexibus opinor aureis *e*, aureaque sera; ne minor his esset honos, quam circulis, quibus circumferebatur. Ita sentit Iosephus *f*, Tostatus, Caiet. Villalpandus, Emanuel Sa. Circuli autem ad Arcæ latera breuiora affixi erant, in quos vectes aureis obuoluti bracteis immittebantur; ad latera inquam breuiora, idque valebat ad dignitatem vt pars latior occurrentibus appareret: & ad gestandi commoditatem, quaternis hominibus vectibus humeros subijcientibus. Propitiatorium porro, quod dixi, à Deo iubetur fieri ex auro solido, atque mundissimo, eiusdem cum arca longitudinis atque latitudinis, propterea q; arcæ operimentum dicitur. Id sustentabatur & vtroque latere breuiore, sicut & arca, manibus Cherubinorum, qui & ipsi aurei erant, stabãtque super basim aliquam, cui arca quoq; insidebat; neq; enim par est credere, eam humi deponi solitam. Manibus, inquam Cherubinorũ sustentabatur propitiatorium; probo quippe eam Cherubinorum formam, quam Hieron. Pradus in primum Ezech. eleganter expressit, Neq; enim alæ ad id munus erant satis idoneæ; præsertim cum ad obumbrandum propitiatorium destinarentur, ne appareret Angelus *g*, qui Dei loco in aereo corpore loquebatur.

Propitiatorij materia, & vsus.

f *Ios. l. 3. Ant* c. 6.

g *Tost. in* c. 25. q. 22

CLVI. Mensa panum propositionis.

Sequitur mensæ designatio, in qua proponendi erant panes coram Domino, ex quo dicebantur propositionis panes: quã iubet Dominus fieri de lignis Setim, sicut & arcam, pariq; modo laminis aureis obtegi, & quidem infra supraque sicut arca intus & foris, sic vt nusquam ligna apparerent, ne in pedibus quidem, imo neque in vectibus. Definit Dominus longitudinem eius duobus cubitis; latitudinem vno, altitudinem cubito & semisse, vultque in circuitu eius adiungi limbum aureum, siue oram artificiosè prominentem, cui corona altitudinis palmæ, siue quatuor digitorum imponatur, vt inclusos panes contineat, & à lapsu prohibeat: quod vt facilius fieret, altera etiam corona subtilior isti imponebatur, quam Hieron. vocauit aureolam. Nitebatur hæc mensa quatuor pedibus in 4. eius angulis, in quorum suprema parte & breuioribus lateribus, erant affixi aurei circuli, in quos vectes immittebantur, ad eam cum res ferret, circumferendam. Huic autem mensæ cum vasa quædam, tum panes propositionis imponebantur, numero duodecim, singuli a singulis tribubus oblati, duobus ordinibus distincti, altitudinis palmi vnius, ideoque in Hebræo & Chaldæo placentæ vocantur. Iosephus vult fuisse azymos, à Leuitis per singulas hebdomadas præparatos, quos deinde sacerdotes Domino, non sine thure, offerebant. Fuisse autem singulos admodum magnos pondus docet, decem, aut vt alijs placet 13. librarum cum dimidio.

Eiusque mensuræ.

Et annuli gestatorij

CLVII. Candelabrum. a *Num.* 436. & *seqq.* b *to. 2. l. 4* c. 58. & *seqq.* c c. 61. Eiusque lucernæ ad mensã obuersæ. d *Exod.* 25 37. e eiusdem loci. e c. 8. 2.

Vide plura in Annalibus *a*, vbi & operosiorem candelabri fabricam explicatam reperies, ex mente præcipue Villalpandi *b*, qui eam apposite ad Scripturæ sententiam repræsentauit, Sculptor tamen in lucernis eius ab autore discessit *c*. Figuram enim lucernis dedit, qua omnem vndiq; locũ ex æquo illuminant, cũ Deus voluerit, vt lumen ad mensam propositionis obuerterent, quasi lumen cœnanti Domino. vt ait Cornelius, præbituræ. Id Scriptura significat, cum ait ita ponendas lucernas super candelabrum d, *vt luceant ex aduerso*, id est vt mensam aduersam, siue è regione positam illuminent; quod ipsum ex libro Numer. *e* apertissimum est: vbi & habetur lucernas contra boreã respexisse, nimirum quia ex parte aquilonari Tabernaculi erat Mensa, in meridiana vero candelabrũ, vt distinctius habetur in Exodo *f*.

f c. 26. 35.

CLVIII. Lucernas nocte tantum luxisse.

Etsi autem properamus, vt vides, erudite lector, non tamen omittam plane quæstionem illam, perpetuone lucerent hæ lucernæ septem, an nocte tantum. Dicimus autem ex Scriptura satis cõstare, nocte tantum luxisse. Cum enim Exod. 27. *g* iussisset Dominus accipi oleum ab Israelitis *vt ardeat*, inquit, *lucerna semper*, idque ambiguum esset, an de diebus ac noctibus accipiendum esset, an de omnibus tantum noctibus, subdit. *Et collocabunt eam Aaron & filij eius, vt vsque mane luceat coram Domino* Verbum quidem *luceat* abest ab Hebræo, sed à S. Hier. explicandi causa merito additũ est; ad quid enim lucerna accenditur, vt habẽt Sept. nisi vt luceat? & cur definitur tempus, vsque ad quod lucere debeat, nisi vt intelligatur tũc extingui oportere? Sic in Leuit. *h* vbi dicitur habendũ oleũ *ad concinnãdas lucernas iugiter*, in Hebræo Græco, & Chaldæo habetur, *ad accendendas lucernas sẽper*, siue indesinẽter, & suis perpetuo temporibus.

g v. 20. & 21.

h c. 24. 2, 3 v. 7.

CLIX. Ex scriptura probatur.

Hæc autẽ tempora habẽtur Exo 30. vbi iubetur Aarõ adolere incẽsũ super altare thymiamatis

mane

ἐκκαυσαι isaiæ 4.

mane. Quando, inquit, *componet lucernas incendet illud, & quando collocabit eas ad vesperum, vret thymiama sempiternum coram Domino.* In Hebræo, & apud Sept. in priore loco est aptare lucernas, in posteriore accedere; neque vsquam reperietur fuisse accensas mane, sed extinctas. Nam Samuel dicitur dormisse in templo, *antequam lucerna extingueretur*, cum vocatus est à Deo, quæ periphrasis est noctis, in qua ardebant lucernæ, quæ nondum erant extinctæ, quod nondum aduenisset mane. Sic rex Abia exprobrans exercitui Ieroboami defectionem à Domino, & cultum idolorum i, *Est*, inquit, *apud nos candelabrum aureum, & lucernæ eius, vt accendantur semper ad vesperam.* Cur non dixit mane, & vespere, sicut de oblatione holocaustorum proxime dixerat? De accensione autē matutina nulla vsquam mentio, quia tunc extinguebantur, & aptabantur, vt sine mora vesperi accenderentur. Vt autem nulla esset ratio, cur noctu potius, quam interdiu lucerent, præceptum Domini instar omnis rationis habebat. Clarum tamen est tabernaculum admisisse lumen, per velū anterius reflexū, & aliquo vsque eleuatum, quo penitus nocte carebat.

2. Paral. 13. 15.

CLX. Altare thymiamatis.

Expositio candelabro transit Scriptura ad Tabernaculum, quod differre possumus, dum reliquam eius supellectilem expediamus. Sequitur igitur altare thymiamatis, quod mediū erat candelabrum inter & mensam, in citeriore parte tabernaculi, quod Dominus iubet fieri *de lignis setim, habens cubitum longitudinis & alterum latitudinis, id est quadrangulum, & duos cubitos in altitudine, cornua ex ipso procedēt*, quod significat huius altaris cornua non fuisse adiectitia; sed ex eodem ligno eminentia. Nimirum ad quatuor altaris angulos quatuor tigilla erecta erant, quæ in imo pedum officio fungebātur, in summo in cilindri formam acuebantur super altare, quæ dicuntur illius cornua: inter quæ erat focus siue craticula, in quam prunæ ardentes immittebantur, & super eas thymiama. Quidam tamen ipsi craticulæ imponunt thuribulum æneum, in quo prunæ arderent, vnde si quid desiliret, in craticulam excauatam caderet, quod verebātur ne aurum igne liqueseeret, erat enim aurea vel auro tecta; sed irrito, vt arbitror, timore; siue quia non ardebat perpetuo ignis in eo altari, sed bis quotidie tantum, & ad breue tempus; siue quia modicus ignis sufficiebat exurendo thymiamati; siue denique quia aurum, non minus quam æs, resistit igni.

An haberet thuribulum.

CLXI. Eius constructio.

Quatuor porro illa tigilla, quibus altare sustentabatur, transuersis rigillis, quæ erectis per incastraturas immitterentur, supra infraque connectebantur ad firmitatem. Inde totum opus asseribus primum setinis, deinde laminis aureis operiebatur: postremo aureola corona per gyrum totius altaris, quadrata forma circunducebatur. Vt autem circunferri posset, in duobus lateribus oppositis infixi sunt annuli aurei, sub medium altitudinis altaris, in quos immitterentur vectes auro tecti. Iam vero situs huius altaris satis perspicuus est apud Mosem k, ait enim positum contra velum, quod pendet ante arcam fœderis; nimirum inter candelabrum & mensam panum, in ea parte tabernaculi, quę dicitur Sancta. Obscurus autem est situs eius apud Paulum l, qui altare hoc, quod vocat thuribulum aureum, eodem in loco quo arcam fœderis, & propitiatorium, nimirum post secundum velū in sancto sanctorū collocat, sed popularis est ille loquendi modus Apostoli, in quo habendi vox diuersimode sumitur, proprie, cum de arca testamenti loquitur, minus proprie cum de altari thymiamatis, quod peculiariter suffumigando oraculo destinatum erat. Vsui porro fuit hoc altare bis quotidie. Incendebatur enim in eo mane sub auroram thymiama, eodem tempore quo extinguebantur lucernæ, & aptabantur in vesperum; & rursum vespere, quando eædem lucernæ accendebantur, vt tota nocte lucerent.

k Exo. 30. 6. & 40. 24.

l Ad Heb. 9. 3. 4.

Eius circuitus situs, & vius.

CLXII. Altare holocaustorum, eiusque cōstructio m Exo. 29 fusè, & 38. c. 35. 16. & ca. 39. 39.

Huic altari adiungamus alterum, quod erat holocaustorum *m*. Materia illius prima erant ligna setim, sicut & reliquæ sanctuarij supellectilis; altera erat æs, quo vndique vestiebantur ligna, contra vim ignis, & aeris iniurias; erat enim perpetuo sub dio hoc altare. Tribus cubitis assurgebat è terra, vt sine difficultate sacerdotes in eo imponerent victimas, neque gradibus ad illud; contra Dei præceptum, opus foret. Extendebatur autem in longum ac latum per quinos cubitos, ita vt totus eius ambitus esset triginta pedum. Nec alia fuit ratio cornuum huius altaris quam præcedentis, sed proportione seruata magnitudinis, obeliscī eius è rigillis in altum assurgentes, quæ vocantur altaris cornua, & crassiores esse debuerunt, & longiores. Iam craticula reticulata, quæ in medio altaris erat, sic intelligenda est, vt tota altaris moles per medium altitudinis secaretur, cuius pars superior altaris nomen retinebat, inferior craticula dicebatur, quia gestando reti æneo potissimum facta fuerat, eratque quasi basis altaris, supra quam ipsum altare insidebat, sed ita vt craticula ipsum altare indueret, vt in calamaria theca inferior pars induit superiorem, vide huius altaris imaginem in Annalibus *a*.

Quomodo craticula eius in medio

a 10. 1. p. 231.

Super summum huius craticulæ expansum erat æneum rete, pertingens ad mediam altaris altitudinem, vt esset quasi solum, super quod ignis & ligna, & victimæ imponerentur. In quatuor porro externis angulis huius craticulæ, paulò infra æneum rete, affixi erant quatuor annuli æneī, in quos vectes immittebantur, vt vna eademque opera, tam craticula, quam altare illi impositum circumferrentur; neque enim alios annulos habuit altare, per quos deferri posset, vt Hugo à Sancto Victore *b* obseruauit. Quoniam vero in perpetuo incendio periculum erat ne æneæ laminæ concalefactæ colliquescerent, vel inclusas ligneas tabulas accenderent, atque consumerent, intra ipsa latera altaris, quidam parietes ab imo ad summum è terra argillosa, vel ex lateribus, aut lapidibus impolitis extructi erant vt essent quasi aliud altare terreum vel lapideum in altari æneo inclusum, vt illi præcepto eadem opera satisfieret c, *Altare de t. f. a facietis mihi.*

CLXIII. Cur vsui eius rete æneum.

b in c. 27. Exod.

Altare de terra.

c Exo. 20 24. Altare in ar tomacis.

Erat itaque hoc altare instar exiguæ fornacis quadratæ, bibertitò per æneum rete diuisæ, cuius pars superior ignem intra suam cauitatem, ligna, victimasque exurendas acciperet:

inferior autem vsque ad terram vacua faúillam exciperet, cinereſque defluentes, quæ per oſtiolum auferrentur, per quod aer ſubintrans igni fouendo ſeruiret.

CLXIV Labrum æneum. d *Exo.*30 18. & c.38. 8

Reliquum eſt in hac ſacra ſupellectili, vt minora vaſa mittamus, labium æneum *d*; quod Hebræi concham, Græci lutherem vocant, quod factum fuiſſe dicitur e *de ſpeculis mulierum quæ excubabant in oſtio tabernaculi.* Erant hæc ſpecula ænea, quibus olim vſæ mulieres, quæ vanitati remiſſo nuncio, cultui Dei ſeſe addicebant, & inſtrumenta quibus mundo ſeruierant, Deo conſecrabant. Quanta illius eſſet capacitas traditum non eſt: de vſu autem eius ita diſſerit Dominus. *Facies & labrum æneum cum baſi ſua ad lauandum.* Et mox, *& miſſa aqua lauabunt in ea Aaron & filij eius manus ſuas ac pedes, quando ingreſſuri ſunt tabernaculum teſtimonij, & quando acceſſuri ſunt ad altare, vt offerant in eo thymiama Domino, ne forte moriantur.* Pedes lauabant, quia nudis pedibus per tabernaculum miniſtrabant. Abulenſis ait ibi quoque abluiſſe inteſtina pecorum immolandorum. Hæc ablutio vt commode fieret, in concha ſiue labro debuerunt eſſe emiſſariæ fiſtulæ cum ſuis epiſtomijs, per quas educeretur aqua cum liberet in vſum diuerſorum. Debuit & ad baſim conchæ eſſe peluis ingens, in qua plures per orbem ſimul ablui poſſent, vel abluere victimas, moxque aquam ſordidam effundere. Eius locus erat atriũ ſub dio, vt poſſent ablui, priuſquam ingrederentur in Tabernaculũ. Sic enim legimus. *Poneſque illud inter tabernaculum teſtimonij, & altare*, holocauſtorum videlicet, quod in atrio quoque erat, ſed vicinius populo, labrum autem propius oraculo.

Eiuſque vſus.

& ſitus.

CLXV. Partes tabernaculi geminæ.

Abſoluta ſupellectili Tabernaculi, de ipſo breuiter dicamus, iuxta ea quæ habentur Exodi 26. Conſtabat ergo tabernaculum duabus partibus, vna molliore, ex cortinis ſeu velis, ſagis & pellibus, quæ proprie ipſum tabernaculum conficiebant, & tabernaculum in textu vocantur: altera ſolidiore, ex tabulis ſetinis erectis per tria latera, & apte inter ſe connexis, ipſique tabernaculo firmiter ſuſtentando deſtinatis. Vt autem res ipſa ſit apertior; ſtatuendum eſt quoddam quaſi ſeptum, tribus parietibus ligneis conſtans, duobus longioribus 30. cubitorum ſingulis, vno verſus auſtrum, altero verſus aquilonem, tertio breuiore decem cubitorum, qui ab occaſu prædictos duos longiores claudat, parte orientali aperta remanente. Hoc ſeptum quaternis quaſi velis Dominus operiri iuſſit. Primo byſſino precioſiore, altero cilicino, tertio de pellibus arietinis, poſtremo de pellibus hianthinis taſſorum, vt eſt in Hebræo.

Eiuſque conſtructio.

CLXVI. Quatuor eiuſdem velæ, primum & eius amplitudo.

Primum fuit ex linea tela contextum, cuius ſtamen byſſus tenuiſſima, ſed ad firmitatem retorta, cui vario ſubtegmine coloris hyacinthini, purpurei & coccinei, opere phrygionico illuſum erat, ad Cherubinos alatos repræſentandos: eius telæ latitudo quatuor cubitorum erat, longitudo 28. ſed decem telarum latitudines aſſutæ erant, vt fieret ingens quoddam velum 40. cubitorum, qui reſpondebant toti longitudini huius ſepti, illi autem 28. latitudini eiuſdem. Alterum velum fuit ex tela quæ dicitur cilicina, ex pilis caprarum texta, quam quidam interpretantur *du camelot*, alij *de l'eſtamine.* Et hoc velum erat priore amplius, nam vndecim ſagis, ſiue telis quaternos cubitos latis conſtabat, ideoque 44. cubitis longum erat, latum autem 30. Itaque cum primum velum a parte meridiana & aquilonari terram non attingeret, vno cubito quauis ex parte deficiente, hoc cilicinum terram vtrinque tangebat. Sed longitudo eius attrahebatur duobus cubitis ad frontem tabernaculi, totidem etiam cubiti à parte occidentali humi iacebant. Cætera duo tegmina ex pellibus coagmentata erant; prius ex pellibus arietinis rubricatis, quas vulgo dicimus *de marroquin*: poſterius ex taxorum pellibus violacei coloris, quod quia poſtremum erat tabernaculi totius operimentum aduerſus omnes cœli iniurias, craſſum fuiſſe videtur. Longitudines ac latitudines horum operimentorum Scriptura prætermiſit: ſed ratio poſtulat vt tabernaculum vndique operirent, quia vndique debuit ab aeris incommodis protegi. Et cum ſuperiora duo vela bipertito diuiſa eſſent, hæc arbitror diuiſione caruiſſe.

A cilicinum

Tertium & quartum ex pellibus.

CLXVII. Tres eius lignei parietes. *Ioſ. 3. Ant. c. 5.*

Quod attinet ad tres illos parietes ligneos, quibus hæc vela ſuſtentabantur, ij compoſiti erant ex aſſeribus ſetinis, longitudinis decem cubitorum, latitudinis vnius cubiti cum dimidio, craſſitudinis vero 4. digitorum *ſi*, vt ait Ioſephus. Duo parietes ad auſtrum & boream tricenorum cubitorum erant, & 20. aſſeribus conſtabant. Tertius paries, qui contra occaſum tendebatur denis cubitis in altum latumque extendebatur, quanta fuit latitudo totius ſpatij interiecti. Et ſenis quidem aſſeribus conſtabat hic paries, qui quoniam nouem tantum cubitis extendebantur, deerat cubitus vnus, qui bipertito diuidebatur in duas tabulas arctiores, quæ vtrumque angulum aptè, firmiterque connectebant. Nam in tabularum craſſitie, præſertim angularium, duæ incaſtraturæ fiebant ex vna parte, quæ ſunt cauitates in ligno, ex altera totidem cardines, ſiue manus, vt ab Hebræis vocantur, quæ in huiuſmodi cauitates immitterentur: vulgo dicimus *tenons & mortaiſes.*

CLXVIII. Binæ tabularum baſes earumque diſpoſitio.

Circuli aurei & vectes.

Singulis tabulis ſubiectæ erant binæ baſes argenteæ, quæ ex ſuperiore parte erant excauatæ, vt in earum cauitates, tabularum inferni cardines ſeſe inducrent, ex inferiore vero planæ, vt humi commodè inſiderent. Eſt autem veriſimile haſce baſes omnes ad maiorem ornatum ac firmitatem, ſeſe ad latera contigiſſe, vt quaſi vna quædam eſſet baſis triginta cubitorum longitudinis, & vnius fortaſſe latitudinis, vt ſuis diuiſæ ſectionibus, & facile ferri, & tractari ſine offenſione poſſent. Ex quo illud etiam commodi exiſtebat, nihil vt eſſet ſub erectis tabulis vacuum, nulliuſque aditus per foramina ſoricibus, lacertis aliiſue animalculis in tabernaculum pateret. Iuſſit quoque Dominus ſingulis parietibus vel tabulis affigi circulos aureos, in quos vectes immitterentur, non vt ijs tabernaculum circumferretur, ſed vt cùm erectum eſſet, firmius totum ſtabiliuſque conſiſteret. Certa autem atque idonea erat diſtantia circulorum & vectium, vt verbi gratia annuli, circuliue duo in tabularum extremis, reliqui in æquali à medio extremoque

diſtantia

distantia ponerentur, Vectes vero quatuor in ordinibus circulorum, quintus in medias ipsas tabulas sine circulis immitteretur, vt recte Arias Montanus expressit, & ex Hebræo textu Emanuel & Mariana notarunt.

CLXIX. Tabernaculum intus, tres tantũ auro tectum. *Ioseph. l. 3. Ant. c. 5.*

Dubium autem est an totum tabernaculum, omnesque eius tabulæ, intus & foris auro tectæ fuerint. Respondeo, id Scripturam non explicare, Iosephum *a* autem affirmare tabernaculum laminis aureis intus & extra fuisse consuetum: cui Scriptura videtur fauere, quæ circulos aureos exigit, & vectes ipsos laminis aureis obtectos fuisse tradit. Non minus autem honoris debitum videtur tabulis, quam vectibus & annulis. Nihilominus existimo Tabernaculum intus duntaxat fuisse aureum. Et sane vereor vt tantum auri apud Hebræos in deserto inueniri potuerit, vt præter tot aurea vasa minora & coronas, & altare aureum, & arcam fœderis auream, & propitiatorium ex auro purissimo, & Cherubinos aureos duos, & candelabrum centum & viginti quinque librarum auri, & mensam, & columnas nouem auro tectas, & aurea capitella totidem, tanta tabernaculi moles bis aureis laminis obtegeretur. Deinde cum exterior tabernaculi facies nusquam pateret, sed quatuor perpetuo velis tecta esset, videtur significare Scriptura internam tantum tabernaculi faciem aureis laminis coruscasse. Idque ex eo confirmari potest, quod in primo velo byssino, aurei annuli positi sunt, in secundo autem ænei, quia illi videri poterant ab existentibus in tabernaculo, isti autem infra supraque tecti erant.

CLXX. Circuli & vectes in parte interiore collocati.

Quoniam ergo circuli tabularum iubentur ex auro fieri, & vectes omnes auro tegi, consentaneum est rationi tam circulos, quam vectes ex interiore parte tabernaculi fuisse collocatos, vbi auro omnia collucebant, non foris vbi inutilis esset ornatus eorum. Intus autem quaterno totius tabernaculi circunductu, ornatui tabularum seruiebant, & firmitati. Quaterno inquam circunductu, quoniam quintus vectis per medias adactus tabulas circulis non indigebat, neque aureo integumento. Nam de hoc vecte medio, sic habetur in Hebræo *b*. *Et vectis medius in medio tabularum pertransiens à fine ad finem.* Et rursum alibi c. *Et fecit vectem medium ad penetrandum in medio tabularum ab extremo ad extremum.* Eodemque modo habetur apud Septuagint. & Chaldæum paraphrastem. Videtur autem hic vectis, sicut & cæteri ex multis partibus coagmentatus, vt in disiungendis incastraturis, cum emigrandum erat, ex suis etiam pixidibus facile educerentur.

b Exo. 26 28.

c Exo. 36. 33.

CLXXI. Velum & 4. columnæ ante Oraculum.

Iussit quoque Dominus confici vela duo, prius quod sanctum à Sancto sanctorum diuideret, huic decem cubitos accipiens, reliquis viginti Sancto relictis: posterius claudebat Tabernaculum, & ab atrio secludebat. Illud ex eadem materia constabat, quo primum velum byssinum, ex eoque pendebat laqueolis in aureos illius annulos insertis. Expansum autem erat ante columnas quatuor Setinas, quarum capitella erant aurea, ipsum corpus inauratum, & bases argenteæ; ijsque velum hoc sustentabatur, si forte ventus ab oriente effusus illud perflaret, & ventilatum, arcam fœderis & propitiatorium cum Cherubinis nudaret. Sustentabatur ijsdem columnis pondus velorum, quæ totum tabernaculum tegebant, ideoque capitellis suis tabularum altitudinem æquabant. Ita porro dispositæ erant, vt per earum interuallum Pontifex cum ornatu suo oraculum adire posset. Posterius velum, alteri omnino simile atque par, quinque columnis innitebatur, in quorum capitellis erant vncini, quibus hoc velum appendebatur. Erant autem ita dispositæ, vt duæ vtrimque adhærerent initijs tabularum, reliquæ tres ita consistebant, vt quatuor aditus in Sancta Sacerdotibus præberent. Et de Tabernaculo hactenus, transeamus ad Atrium.

Velum & 5. columnæ ante Sanctum

CLXXII. Atrij capacitas & columnæ.

Id centum cubitis patebat in longitudinem *d*, in latitudinem quinquaginta. In eius medio stabat tabernaculum, quod distabat quidem, vt ait Philo *e*, æquali spatio à tribus septi partibus, videlicet à lateribus, & à tergo, id spatium erat viginti cubitorum. Quod vero circa vestibulum erat reliquum, quo capacius esset sacrificiorum, amplius patebat per integros quinquaginta cubitos. Claudebatur autem totum hoc atrium velo byssino quod columnis 60. sustentabatur, quarum 20. australi lateri, totidem boreali deputantur, denæ autẽ ortui & occasui. Sed in ijs digerendis plerique decepti sunt, vt in Annalibus *f* demonstrauimus. Oportet autem, vt numerum & situm columnarum, quem habet Scriptura retineamus, vt vnam & viginti columnas ad austrum, totidemque ad aquilonem constituamus, tum nouenas in ortu & occasu, & sic nulla bis numerabitur, & 60. intercolumnia reperientur, & in occasu hinc & inde quindeni cubiti cum ternis columnis, & in medio introitu atrij viginti cubiti, ingressui hominum, & victimarum destinati, cum 4. columnis, vt scriptura postulat, constituentur, prout in imagine depingi curauimus.

d Exo. 27 9. & seq.

e l. 3. de vita Mos.

Earum dispositio

f A. Mos. 32. n. 507 & seqq. Imago p. 251. reperitur in prima editione.

CLXXIII. Cingebatur velis eorumq; altitudo.

Cingebatur igitur hoc atrium velis & columnis: vela erant plurima, incertæ quidem longitudinis singula omnia tamen in quatuor lateribus ad trecentos cubitos extendebantur, altitudo quinque cubitorum vbique fuit. Erantque hæ cortinæ omnes byssinæ, ex bysso retorta & candida, excepto medio spatio lateris orientalis ad viginti cubitos. Hæc enim vela quatuor, quæ alij quinque credidere, è bysso quidem erant *a*, sed varijs coloribus, plurimoque artificio opere phrygionico illusa, sicut & totum velum primum tabernaculi. Præscripta vero est ha c altitudo diuinitus, vt populus extra atrium, tabernaculum, quod erat duplo altius, aliquo modo videre posset. Nec fuit cortina hæc humilior, ne quisque omnia facile videre posset, quæ toto in atrio gerebantur, sicque necessaria rudi populo reuerentia minueretur. Erant porro vela omnia immobilia, quandiu in eadem mansione moras trahebant, exceptis ijs, quæ erant in introitu. Et sursum quidem columnarum capitellis, vel vncinis in eis affixis alligabantur, infra vero earundem basibus.

a Exo. 26 1. & 27.

CLXXIV. Columnæ [illegible]

Columnas intra septum & vela omnes merito appingunt. Nam quæ in tabernaculo sunt eundem habent situm, vt vela à columnis, cõtra ventum [illegible] sustentem sa beatentur, & [illegible]

tum atrio præbeant, qui interiori potius domui, quam exteriori congruit. Materiam columnarum dubiam Scriptura reliquit. S. Hieron ambiguitatem sustulit *b*, easque æneas fuisse dixit, sicut & Iosephus *c*. Et quidem non ex solido, sed ex crassiore ære fuisse crediderim, vt gestationi consuleretur, & firmitati. At quid faciemus editioni Hieronymi, in qua habetur *omnes columnas atrij per circuitum vestitas fuisse argenteis laminis, capitibus argenteis, & basibus aneis?* Respondeo nullam esse de basibus, aut capitellis controuersiam, de Scapis autem columnarum, ex Hebræo Græco, & Chaldæo intelligitur, eos cincturas habuisse argenteas, id est angustis argenti bracteis spirarum aut zonarum in morem cinctas fuisse non totas argento tectas. Sed de his hoc loco satis.

b Exo. 38 19. & 3. Reg. 7. 3.

c l. 3. Ant. c. 3.

d Ex. 27. 17.

CLXXV Vocatio Aaronis & filiorum ad Sacerdotium c. 28. Ex. 1.

Explicato porro tabernaculo, & circumfuso atrio, & omni prope eius supellectile breuiter descripta, ad eiusdem Sanctuarij mobilisve templi ministros conuertenda est cum Scriptura *e* narratio; in qua primum occurrit Aaronis & filiorum eius vocatio ad Sacerdotium per hæc verba, *Applica ad te Aaron fratrem tuum, cum filijs suis, de medio filiorum Israel, vt Sacerdotio fungantur mihi.* Quo autem modo consecrâdi essent, deinceps explicatur *f*. Et quoniam induendi prius erant vestibus sacris, præsertim Pontifex, ab ijs ducit initium. Et primum occurrit superhumerale, sic enim vertit Hieron. ἔφωδ Septuag. interpretum. Hebræi Ephod appellant, quæ vox pallium, atque extimam vestem reliquis superinductam significat. Et quia bipertitum erat, & pars vna humeros, altera pectus tegebat, ideo à Philone *g* textum pectorale thoracis specie, à Iosepho pectoris indumentum *h* appellatur. Iungebatur autem *i* pars anterior posteriori in summitate vtriusque humeri, per vittas varij coloris, quibus & gemmæ duæ illigabantur, quas Septuag. Smaragdos, Iosephus Sardonicas vocat, mira pulchritudine & magnitudine, vt in singulis sex nomina Patriarcharum insculpi possent.

Eorum vestes f c. 28. 29.

Ephod.

g ὕφασμα διπλοῦν. Sic

h ἔνδυμα τῶν ἱερέων Exod. 28. 7.

Materiam huius Ephod sic Scriptura tradit, k *Facient autem super humerale de auro, & hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & bysso retorta, opere polymito.* Quæ Hieronym. *l* ad Fabiolam sic explicat. *Auri lamina, id est bracteæ mira tenuitate tenduntur, ex quibus secta fila torquentur, cum subtegmine trium colorum, hyacinthi, cocci, purpuræ, & cum stamine byssino, & efficitur palliolum miræ pulchritudinis, perstringens fulgore oculos.* Sic ipse. Fila videlicet aurea, cum sericis trium colorum artificiose in subtegmine variabantur, vt flores, aliæque figuræ effingerentur. Non fuit amplum, neque laciniosum hoc vestimenti genus, sed arctum, vnde Philo thoracis specie, Hieronymus palliolo, Iosephus tunicæ specie fuisse dicit, eique manicas tribuit, quas cæteri partim sustulerunt, partim omiserunt; idem longitudini eius cubitum tribuit, alij ad vmbilicum fere demittunt vtrimque, vt balthæo præcingeretur. Limbum habuit latitudinis cuiusdam totam Epomidis oram ambientem, quem texturam vocat Hieronymus, in vulgata, quod non aliunde ei assueretur, vt solent aurei vel serici limbi, sed simul cum veste texeretur: cui & teniæ quoque ad latera sub axillis apponebantur, vt anterior pars posteriori adstringeretur.

CLXXVI Ephod gemmæ humeris impositæ. Exod. 28. 9.

Huius superhumeralis duo præcipua erant ornamenta, Gemmæ, & Rationale. De Gemmis hæc habet Scriptura. m *Sumes duos lapides onychinos, & sculpes in eis nomina filiorum Israel, sex nomina in lapide vno, & sex reliqua in altero, iuxta ordinem natiuitatis eorum. Opere sculptoris, & calatura gemmarij, sculpes eos nominibus filiorum Israel, inclusos auro, atque circundatos.* In hoc duodenario numero Leui non est prætermissus, nec Ephraim & Manasse positi, sed eorum loco Ioseph pater eorum. Nam Leui non excludebatur à numero, neque Ephraim & Manasse inserebantur, nisi cum de sortibus & possessionibus agebatur, vt recte notauit Abulensis *n*; nam Leui nullam habebat, & Ioseph habebat duas. At in re diuina naturalis ordo natiuitatis seruabatur, ad quem filij Ioseph non pertinebant,

n q. 10. in c. 28.

In priore itaque lapide, qui scapulæ dexteræ intidebat, tres insculpti erant versus, in quorum singulis duo nomina sculpta erant, in primo Ruben & Simeon, in altero Leui & Iudas, in tertio Dan & Nephtalim. In posteriore Sardonicche ad lævam, in tribus item ordinibus erant Gad & Aser, Issachar & Zabulon, Ioseph & Beniamin. Qui ordo etiam in Rationali seruatus est, ad quod nos res ipsa deducit,

In quibus insculpta nomina s. Historia Iacob.

CLXXVII Rationale eiusque materia forma.

Alterum ergo Epomidis ornamentum, fuit quod Græci Logion, Latini Rationale, Hebræi Hosen, siue Essen vt habet Iosephus, id est pectorale, additur *iudicij*, siue quod Pontifex iure dicundo eo vteretur, siue quod a Pontifice eo induto, de diuina voluntate iudicium ferri poterat. Materia eius eadem quæ Ephodi fuit, de forma, *Quadrangulum*, ait Dominus *o*, *erit & duplex, mensuram palmi habebit, tam in longitudine, quam in latitudine.* Ergo quadratum erat & duplex, ne facile rumperetur, & facile sine ruga pondus inclusarum auro gemmarum ferret. Ex quo etiam minus probabilis sit lacuna Iosephi in superhumerali, quam in Annalibus *p* refutauimus. Rationalis huius duo erant ornamenta præcipua, alterum ex duodecim pretiosis lapidibus, alterum ex aureo circunquaque apparatu. *Pones in eo*, ait Scriptura *q*, *quatuor ordines lapidum. In primo versu erit lapis Sardius, & Topazius, & Smaragdus*, in quibus singulis singula erant nomina filiorum Iacob, nimirum Rubenis, Simeonis, & Leui, iuxta ordinem paulo ante descriptum. In secundo versu Carbunculus, Saphiris & Iaspis, & in ijs Iudas, Dan, & Nephtalim. In tertio Ligurius, Achates, & Amethystus, in quibus sculpti Gad, Aser, & Issachar. In quarto Chrysolithus, Onychinus, & Beryllus, ibique Zabulon, Ioseph, & Beniamin.

o Exod. 28. 16.

p Nũ. 527 & ornamenta, ex pretiosis lapidibus a Exod. 28. 17.

CLXXVIII Aureo apparatu catenularum annulorum &c.

Aureus apparatus Rationalis positus erat in catenulis, annulis, vncinis, & palis, quibus singuli lapides inclusi erant, Catenæ non simplices erant a Sardonicche humerali, vsque ad Rationale, sed duplices, sic vt à summo humero ad pectus descenderet, ibique ad annulum rationalis insertæ, redirent ad locum vnde descenderant, vbi vncinis, qui in palis Sardonycharum affixi erant, inserentur. Etsi au-

tem

tem pendebant hæ catenæ ex sardonicharum palis: tribuuntur tamen Rationali, quia ad illud sustentandum factæ erant. Manebat ergo Rationale suspensum ante pectus Pontificis, vt in terram defluere non posset, sed prouidendum etiam fuit ne fluctuaret, dum Sacerdos sacris operando, se aliquam in partem inflecteret. Cui incommodo prouisum fuit, infixis duobus annulis in duobus angulis inferioribus Rationalis; & rursum totidem alijs, ad latera Ephod, ipsiusque Pontificis affixis, prope baltheum, qui, inserta in vtrosque annulos vitta hyacinthina, connecterentur; sicque Rationale immobiliter tam supernè per catenulas, quam infernæ per vittas superhumerali adhæreret.

ad retinendum Rationale.

CXXC. Vrim in eo erat, & Thummim.

Supereſt huius Rationalis vsus, ad quem pertinent decantata illa Vrim & Thummim, id est doctrina & veritas, interprete Hieron. vel vt alij, illuminationes & perfectiones. Et multi quidem insigni eruditione interpretes, censuerunt Vrim & Thummim nihil aliud fuisse quam prædictos lapides pretiosos, quos in Annalibus accurate refutauimus *b*, quod id non parum, ad rem obscuram illustrandam, valeret. Existimamus autem hæc ipsa verba Vrim & Thummim, siue scripta, siue sculpta fuisse in Rationali, sicut in Tiara Pontificis scriptum fuit, *Sanctum Domino*. D. certe Augustin. *c* in quæst. in Exod. ait. Difficile quidem esse inuenire in quali re vel metallo poneretur super Rationale, *demonstratio & veritas*, posse tamen intelligi litteris impositas super λογεῖον Non dubitat Augustin. scriptas fuisse has voces in Rationali, sed de metallo aut materia dubitat, cui inscriptæ fuerint. Hugo à S. Vict. putat scripta in textura ipsius Rationalis. Eádem fuisse Philonis sententiam, & aliorum Hebræorum docemus in Annalibus. Quæ est etiam Bellarmini & Cornelij à Lapide opinio, atque adeo Ruperti, Cyrilli, & Comestoris.

b lib. 535. & seqq.

Rationali adscriptæ voces.

c q. 117.

loc. cit.

Cum autem Rationale duplex esset, dubium est intusne inclusæ essent eæ voces, an propositæ foris. Existimo foris fuisse descriptas, tũ quia intus inclusæ non haberent eum vsum, quem intendebat Dominus, monendi Pontificem, sicut positæ in conspectu: tum quia foris seruiebant etiam ad ornatum. Erant enim, vt ait Bellarminus, scriptæ litteris aureis in medio Rationalis. Et poterant vtique in medio, & in lateribus, varijs exarari, ac depingi modis, cum satis spatij in palmi amplitudine suppeteret, quamuis singulæ gemmæ haberent instar auellanæ maioris. Crediderim tamen in lateribus dextro potius & sinistro, quam superiore vel inferiore fuisse descriptas. Nam cum Rationale esset æquilaterum, ordo rectus minus occupabat spatij quam perpendicularis quippe in illo terni erant lapides, in illo quaterni. In vno itaque latere ad perpendiculum scriptum fuit *Vrim*, in altero illi respondente *Thummim*: idque vel in tenui lamina vtrimque extensa, vel sine lamina, in ipso textu Rationalis opere plumario.

CXXCI. Ad latera perpendicularia 12. lapidum.

Fuit & alius quidam vsus Rationalis *d* ad futura diuinitus prænoscenda, vel ad iudicandum aut inonendum, idque non per supernaturalem quendam lapidum fulgorem, quem à Iosepho fictum in Annalibus docuimus, eundemque tam interrogantibus, quam respondentibus prorsus inutilem. Sed Dominum quærenti Pontifici prædixisse futura, aut ad rogata respondisse, dum Ephod & Rationale indutus, eum siue suo, siue alieno nomine cõsuleret: ita vt Ephod & Rationale essent non instrumentum, sed causa moralis, vel conditio, sine qua non fieret hoc reuelationis genus. Et tamen etiam eo adhibito nõ fiebat aliquando reuelatio, prout diuino numini collibitum fuisset. Nam in primo Regum dicitur Dominum non respondisse Sauli, *neque per Sacerdotes, neque per Prophetas*: Pro Sacerdotibus, legitur in Hebræo Vrim. Si quæras quomodo id fieret? Audiebatur, inquit Del-rio, à Sacerdote sic induto interna quædam, vel externa quandoque locutio, vel oracului, quod ipse postea interroganti manifestaret. Qui tamen reuelationis modus, alius erat ab eo, qui ex Propitiatorio fundebatur. Nec plura de Ephod & Rationali hoc loco, etsi re accuratiore cognitione digna; quia non plura requirere videtur Epitome, ad commonendum potius, quam ad docendum destinata.

Ephod & Rationale causa moralis reuelationis.

d 1. Reg. 23. 9. & 30. 7.

CXXCII. Ad eorum fulgor tutori præmunitus. *d* Ad Mosis 28. n. 544-45. & seqq.

CXXCIII. Tunica pontificia eius nomina.

Sequitur Pontificia tunica hyacinthina: quam Hebræus pallium, Chaldæus interulam, Septuag. & Philo in vita Mosis ὑποδύτην, siue subuculam vocant: quòd scilicet sub Ephod, & super strictam tunicam gestaretur. Iosephus χιτῶνα, sicut & Philo lib. de Monarchia appellarunt; nec desunt qui prætextam nominent, & supparum. Materia erat hyacinthus, siue fericum hyacinthinum, vt ait Caiet. aut lana violacei coloris, vt alij malunt, qui color cæruleus quoque dicitur, & aereus, & suauerubentis hyacinthi.

& forma.

Quod ad formam illius attinet, omnes Iudæi Pontificis, quæ circunferuntur imagines, hanc tunicam ad mediam fere tibiam producunt, puto, vt alteram tunicam interiorem, quam vocant ocellatam, oculis exhibeant. Etsi autem in textu Mosaico eius longitudo non definitur. Sapiens tamen, & Septuag. eosque secuti Philo Iosephus, alijque antiqui, & recentiores talarem fuisse asseuerant. Certe in libro Sapientiæ *a*, vt cæteros omittam, *vestis poderis* Aaronis celebratur, *in qua totus erat orbis terrarum*. Septuag. quoque interpretes, ὑποδύτην ποδήρη, id est tunicam ad pedes vsque promissam vocant. Lorinus tamẽ quasi vtrosque concilians ait, quamuis talaris dicatur, non adeo tamen longam fuisse, vt aliam interiorem tunicam æquaret, nisi prout comprehendebat tintinnabula, & malogranata. Dici etiam potest talarem dici, id est oblongam, & valde promissam, comparatione Ephod, quod tam breue erat, vt modice vltra zonam descenderet. Sic Iosephi tunica talaris dicitur, & ab Aquila ἀσταγάλιον, quam tamen aliquanto breuiorem, & viæ non incommodam possumus accipere. Illa autem vestis poderis libri Sapientiæ, ad vtramque tunicam, tam byssinam, quam hyacinthinam pertinet, vt ibi notat Iansenius.

a c. 18. 24

CXXCIV. Tunicam manicas vtroque in latere habebat assutas, eadem ex materia & colore, vt tradit Hieron. *b* ad Fabiolam: in superiore autem parte *capitium*, id est scissuram, siue foramen, quo emittendum erat caput collumque cin-

b lib. 3. epist. 128.

gendum

gendum, vt in Sacerdotalibus tunicis, quas vocamus *Albas*. Quibus respondet hæc tunica, sicut Ephod Casulæ, quæ est vestis extima sacrificantis. Totam autem hanc scissuram, qua emittendum erat caput, limbus obibat, ad firmitatem, non assutus, sed *textilis per gyrum eius*, vt ait Scriptura *e*: id est in texenda tunica textoris arte geminatus, vt aliquando *fieri solet in extremis vestium partibus*. Reliqua sunt in hac tunica extrema malogranatorum & tintinnabulorum ornamenta, quorum illa opere textili, aut consutili confecta erant, & tribus variata coloribus hyacinthino, coccineo, atque purpureo. Tintinnabula vero erant aurea, alternatim posita, non dispari mole, sed pondere. Philo flores addidit, sed eos ex ipsismet malis punicis enatos, aut in limbo intextos. Numerum tintinnabulorum & malogranatorum Scriptura tacet. Hieronymus ex Hebraica traditione, vt apparet, 72. tintinnabula ponit, totidemque malogranata. Eum sequitur Isidorus. At Prosper quinquagena constituit; quem numerum Clemens Alexandrinus *d* vehementer auxit.

e Exo. 28. Malogra & tintinnabula.

d l. 5. Strō ad 560.

CXXCV. Tiara Pontificia.

Sequitur Tiara Pontificia, quæ Mitra quoque & Cidaris, & Galerus, & pileus Sacerdotalis appellatur. Materia byssina fuit, siue linea, tam pilei Pontificis quam reliquorum Sacerdotum: imo & forma eadem præter laminam. Audi Hieronymum ad Fabiolam. *Rotundum pileolum, quasi sphæra media sit diuisa, & pars vna ponatur in capite.* Et mox, *non habet acumen in summo, nec totum vsque ad* extremam *comam, caput tegit*, sed tertiam partem à fronte inopertam relinquit; atque ita in occipitio vitta constrictum est, vt non facile labatur ex capite. Est autem byssinum, & fabre opertum linteolo, vt nulla vestigia acus extrinsecus appareant. Sic ipse ex Iosepho *e*. Sed isti pileo imponebat Pontifex laminam auream, in qua sculptum erat opere cælatoris *Sanctum Domino*, eademque inferius vocatur lamina sacræ venerationis, in Hebræo vero & Chaldæo, corona sanctitatis. Coronam quoque vocat Ecclesiasticus *f*, quod maiorem capitis partem ambiret, & ab aure per frontem ad alteram circumduceretur aurem, & ad ipsam alligaretur tiaram. Literæ porro ipsæ videntur in auro fuisse excauatæ, quæ mox colore coccineo aut cæruleo replerentur, vt ipsa coloris diuersitate magis apparerent.

e l. 3. c. 8. Eiusque lamina.

f c. 45. 14

CXXCVI Tunica interior.

Sequitur tunica interior, quæ & stricta dicta est, ad differentiam superioris hyacintinæ, ex qua tintinnabula pendebant. Fuit autem byssina ex tela duplicata contexta, Pontifici ac Sacerdotibus communis. Formam refert Iosephus in hunc modum. *g* *Id indumentum est tunica talaris corpori adstricta, habens manicas circa brachia, & ipsas strictas, quæ accingitur circa pectus, paulo inferius axillu.* Et infra, *sed tunica nusquam sinuatur, habetque circa ceruicem amplam aperturam, cuius oræ vncinis à pectore, & à tergo committuntur.* Sic ipse, & ex eo Hieron. Nec dubium hasce tunicas, præsertim Sacerdotales, fuisse candidas, vt si quando vel victimarum sanguine aspergerentur, vel alio modo sordescerent, ablui possent. Sed nec defuit ornatus aliquis, ab ipso textore inductus, qualem in mappis & mantilibus crebro cernimus, & in fericis vestibus, quas vulgò dicimus Damascenas. Et hæc videtur mens eorum, qui hanc tunicam ocellatam vocauere.

g l. 3. Ant. c. 8.

Ad Fab

Astringebatur autem hæc tunica zona, quæ in Scriptura *h* dicitur Balteus. *Accingitur*, ait Iosephus, *zona lata digitos quatuor, intus inani ita contexta, vt serpentis exuuium videri possit. Floribus etiam punicis picturatur, purpureis, hyacinthinis & byssinis. Stamen vero è sola byssо constat, quæ semel atque iterum circa pectus reuoluta, ad talos vsque desinit ad ornatum.* Quod in Pontifice non est necessarium, cum hæc tunica tota a superiore hyacinthina tegatur. Zona vero Pontificis proprie Balteus dicitur qui arte plumarij confici iubetur, eodem plane artificio, quo superhumerale, nisi quod in Balteo nulla fit auri mentio, sed colorum duntaxat, forte ne auro fieret zona rigidior, quod tamen Iosephus addidit, à quo penitus recedunt, qui fibulatum volunt hunc Balteum, quem ille, sicut & Sacerdotalem zonam, ad pedes vsque demittit.

CXXCVII Zona eius & Balteus

h Exod. 28. 40.

Restant feminalia, siue femoralia Pontifici ac Sacerdotibus communia, de quibus non dedignatur Dominus ista præcipere. Facies & feminalia linea, *vt operiant carnem turpitudinis suæ, a renibus vsque ad femora*, quæ tota tegebantur vsque ad genua, vt ait Hieron. *& vtentur eis Aaron & filij eius, quando ingredientur tabernaculum testimonij: vel quando appropinquant ad altare, vt ministrent in sanctuario*, intelligit altare holocaustorum, quod erat in atrio, in quo frequentissimum erat Sacerdotum ministerium, *ne iniquitatis rei moriantur.* Vides paucis verbis præscriptam huius vestimenti materiam, finem, formam, vtendi tempus, & locum, & pœnam præcepto impositam. Iosephus ex byssо retorta conficit hæc subligacula, tum ad firmitatem, tum vt melius tegantur, quæ pudor, & lex diuina tegi postulant. Addit Hieron. sub vmbilico vehementer adstringi, ne casu aliquo defluant. Neque tamen hinc sequitur Sacerdotes alibi non esse vsos feminalibus, sed linea ista sacro ministerio destinata erant. Tibialium cum nulla fit mentio, apparet nudis pedibus in atrio ministrare solitos; non tamen, vt plerisque placet, sine calceorum soleis, siue sandaliis, vt propterea necesse esset ad concham pedes abluere, ante ingressum tabernaculi.

CXXCVIII Feminalia.

Ad Fab. loc. cit.

loc. cit.

Tibialia.

Expeditis breuiter quæ ad Sanctuarium pertinent, vestesque sacras, consecratio sequitur Pontificis, atque Sacerdotum. Exodi enim 29. iubet Deus vt Moyses Aaronem, & filios eius consecret Sacerdotes, hoc ritu. Primo lauet eos aqua ad ostium tabernaculi, ad labrum scilicet quod est inter altare holocaustorum, & tabernaculum. Secundo induat Aaronem, & filios suis quemque vestibus. Tertio fundat oleum super caput Pontificis. Quarto consecrentur, vel, vt loquuntur Hebræi, implentur manus eorum, id est dantur eis in manus quod offerant Deo puta vitulus cum certis ceremonijs immolandus, itemque duo arietes, partim in holocaustum, partim in hostiam pacificam, & in ea oblatione maxime posita est Sacerdotalis consecratio. Quinto septem diebus offerunt vitulum expiationis, comeduntque azymos panes, cum carnibus

CXXCIX Consecratio Pontificis & Sacerdotum.

hostiæ

hostiæ pacificæ. Subdit postremo ritum consecrandi altaris, per vnctionem & immolationem duorum agnorum septiduo, quæ immolatio deinceps perpetuo perseueret, in matutinam ac vespertinam oblationem commutata.

CXC. Hebræi Domino vectigales.

Voluit porro Dominus non solum certos homines in populo suo cultui suo consecrari, sed totum ipsum populum, cū ad certam peruenisset ætatem, sibi fieri vectigalem, vt sicut cæteri populi certi pēsitatione tributi, se principibus suis subditos profitentur, eosque pro legitimis agnoscunt: Ita Hebræi certa pecunia persoluta, Deum quasi legitimum regem ac principem agnoscerent, & vitam suam quasi Deo debitam redimerent, pœna proposita nisi facerent. Cumque immanes quidam sumptus Sanctuario construendo, faciendi essent, neq; sufficiens videretur, quę sponte populus erat oblaturus, ostendit Dominus vnde sumptus accipiendi, ac supplendi essent. Voluit denique Dominus congregari pecunias in thesauros domus suæ, in ordinaria sacrificia, in victum vestitumque Leuitarum, & alios publicos legitimosque sumptus. Quoties porro exigendum esset id tributum nō definiuit Dominus, sed id prudentiæ summi magistratus reliquit; definiuit autem pecuniam, dimidium sicli *a*, & ætatem, ingressum in annum vigesimum.

Alij fines pecuniæ colligēdæ

a *idest* 13. *sol.* 3. 4. *quia sicl us est* 27. *sol.* 1. 2.

His ita constitutis de artificibus *b* prouidet, ad peragenda ingeniosè omnia, quæ præscripta fuerant, quos propterea impleuit intelligentia & scientia, ad excogitandum & exequendum omnia, in quibus principem locum tribuit Beseleeli, nepoti Hur de tribu Iuda: cique socium adiungit Ooliab de tribu Dan, sed & alios inferiores artifices instruxit sapientia. Ne autem existimarent Israelitæ totum hoc opus Sanctarij, cuius Deus ipse Ideam Moysi præmonstrasset, quodque Dei cultui esset omni ex parte consecratum, primo quoque tempore ita exequendum esse, vt dum penitus perfectū esset, nullo vnquam tempore cessandum esset, opportune renouat memoriam obseruandi Sabbati *c*, vt intelligerent eo die ab hoc opere, quantumuis pio ac religioso, vacandum esse, ne occasione illius plerique seruilibus sese operibus dederent. Ita ratiocinatur Abul. qui etiam existimat sermones hosce omnes, qui in monte Sina, Deum inter & Moysem habiti sunt, interruptis vicibus esse habitos, quia visum est Domino 40. dies in eos impendere; quibus completis *d*, dedit Mosi tabulas lapideas, scriptas digito Dei.

CXCI. Dominus artifices ornat sapientia.

b *Exod.* 31. 1. *&c.*

vacandum in sabbato

c *Abul. in c.* 31. 9. 8. *&* 9.

d *Exod.* 31 *fi. & Deut. c.* 9. 11.

Interim autem dum decurrunt isti 40. dies, Hebræi vitulum aureum conflarunt, atque adorauerunt. Id factum mense quarto iam à nobis definitum est, qui initium 40. dierum ab octauo Siuan, qui tertius est, auspicati sumus: quo die Moses cum Iosue ascendit in montem, isti autem dies decimo septimo quarti mensis, qui Tammuz dictus est, finiuntur. Verum hæc adoratio, quoniam non simul suscepta & perpetrata est, sed plures tenuit dies, vt mox intelligetur, & Moses nullum regressioni definierat diem, quoniam id ex vnius Dei nutu, ac voluntate pendebat, dicamus cum Tostato *e* existimasse populum Moysem duodecim, aut 15. dies abfuturum. Cum autem 20. aut 30 iam dies abijssent, nullusque de eo nuncius deferretur in castra, nusquam ipse appareret, rati eum nunquam reuersurum: simulque à tam formidabili Domino, qualem paulò ante agnouerant, sibi male metuentes, & mitiorem aliquem, quales paulò ante coluerant in Ægypto, affectantes, dixerunt Aaroni f, *Surge fac nobis Deos, qui nos præcedant. Moysi enim huic viro, qui nos eduxit de terra Ægypti, ignoramus quid acciderit.*

CXCII. Confectio Vituli aurei, eiusque causa

e *q.* 2. *in* 32. *Exod.*

f *Exod.* 32 1. 2. *&c.*

Hic Aaron tam improuiso, tamque inopinato ictus nuncio, & vim pene paratam animaduertens, Scriptura enim ait populum congregatum fuisse aduersus Aaronem; non increpauit populum, neque negauit facturum quod ille postulabat, sed suasit aliquot adhuc expectari dies, intra quos, si ille non reuertisset, voti compotes fierent, vt Ozias *g* ille tempore Iudithæ & Holofernis: reputans fi forte interea hic populi resideret furor. Sed ille mox impatiens moræ, frequens, quasi coniuratione facta, ad Aaronem redit, & armatas affert preces. Vnde S. Augustt. h *Aaron erranti populo ad idolum fabricandum non consensit inductus*, siue persuasus, *sed cessit obstrictus*, id est coactus. Is ergo rei disturbandæ, vt sperabat, nouam comminiscitur viam. *Tollite*, inquit, *inaures aureas de vxorum, filiorumque, & filiarum vestrarum auribus, & afferte ad me.* Ratus videlicet id nunquam impetratum iri, sicque se ab odiosissimo facinore liberum fore: Addunt Tertullianus *i*, & Ambrosius *k* postulatos quoque virorum annulos. Sed vicit expectationem improbitas obstinata; negotium domi, seu facile, seu difficulter, expediunt, expediunt tamen, & postulatas inaures & Aaronem deferunt.

CXCIII. Rogatus Aaron, constituit ac procrastinat.

g *Iudith.* 7. 23.

h *l.* 14. *de Ciu. c.* 11.

i *l.* 1. *cont. Iudæos.*

k *Epist.* 56. *ad Romanum.*

Hoc deiectus præsidio Sacerdos, aliud occupat in operis ipsius, atque artificum lentitudine positum, si quo modo interea Moses apparcat, & nefarium consilium dissipet. Quæruntur artifices, præscribitur ac suscipitur opus, *periculosæ plenum opus aleæ*, paratur fornax & typus ex argillosa terra, breuique vt æstate in media exsiccatur. Liquefit aurum, & in typum infunditur, postridieque refrigerato metallo, vitulus apparuit; quo celeriter ab artificibus expolito, vrgebat quippe homines malus dæmon, propriaque nequitia, & noui Dei auida populi multitudo, quæ foras productum, & in hominum oculis positum, læta ac ludibunda suscipiens. *Hi sunt*, inquiunt, *Dij tui, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Glorioſissimum Dei beneficium metallo tribuentes, & mutantes gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum. *Quod cum vidisset Aaron, ædificauit*, aut ædificari permisit *altare coram eo*, & præconis voce indici solennitatem in posterum diem, qui quadragesimus fuit à discessu Mosis, quique reducem ipsum cum Iosue reddidit suis.

CXCIV. Denique conficitur

CXCV. Aaron in eo grauiter peccat a *Vide in Annal. num.* 588 *&* 1099.

Cuius priusquam zelum in hoc tollendo, atque expiando facinore explicemus *l*, ægre me contineo ab accusando incredibili Iudæorum in hoc scelere stupore, & multiplici improbitate. Ac ne Aaronem quidē, quāuis metu mortis consensum præbuisse fateamur populariibus suis, à graui peccato excusare possumus, aut debemus, qui gloriosam potius mor-

tem

tem oppetere debuit, quam tanto facinori vllo modo seruire. Itaque mox à Mose grauiter reprehensus est: quin & Deus ipse in eum vehementer indignatus est. Audi enim Moysen *b*, *Aduersus Aaron quoque vehementer iratus Dominus, voluit eum conterere, & pro illo similiter deprecatus sum.* Ergo qui eum à culpa liberant, eamque inuentionem sibi valde gratulantur, videant quomodo Mosem cum obiurgantem, & Deum ipsum in eum valde iratum, imo & disperdere volentem excusent. Præsertim si sponte sua ædificauit altare coram idolo, & præconis voce clamari iussit in diem sequentem Domini solennitatem, Dei scilicet recens facti, vt fert communis interpretatio, cui etiam nomen tetragrammaton attribuit.

b *Deut.* 9 20.

CXCVI. Israelitæ vitulum adorant, eique sacrificant.

Isti ergo idololatræ ad scelus alacres atque expediti, mane surgunt, & super nouum altare, Vitulo vitulos offerunt in holocaustum, pacificasque victimas, de quibus mox epularentur. Sederunt enim manducare & bibere, & surrexerunt ludere. Choreas scilicet circa idolum vndique agitare, cum profanis cantilenis & vociferationibus, quæ mox a descendente Mose auditæ sunt, vidit deinde vitulum & choros, nimirum ducentiam choreas circa idolum: quas etiam Philo agnouit, & in potu ebrietatem, vino, vt apparet, ex vicina Madianitide accersito.

Dominum Mos. aperit *c Exod.* 32.7.

Hic erat populi status, hæc rerum confusio in castris, cum Dominus rem Mosi patefecit. *Vade*, inquit *c*, *descende, peccauit populus tuus, quem eduxisti de Ægypto.* Indignus scilicet qui vocetur populus meus, quem perfidus & fœdifragus, per turpissimam idololatriam cito abiecit à se; cuius tu in percutiendo mecum fœdere, legatus atque interpres factus es. Admissam enim idololatriam declarat, per omnes illius gradus, mente, cum ait eos cito recessisse de via recta diuinorum mandatorum, opere, conflando sibi vitulum, deinde cum adorando externo corporis motu, accessisse sacrificia, lingua denique in blasphemas voces erupit, singulare Dei in se beneficium, muto vitulo ac sensus experti, impudentissimo mendacio tribuendo.

CXCVII. Moses veniam petitur.

Ingemuit videlicet mitissimus Moses, simulque ad implorandam misericordiam clementissimi Domini ac parentis totus incubuit; nec mediocri vsus sapientia, nihil ad excusandum facinus, nihil ad minuendum prætexit. At Dominus quasi nulla esset emendationis spes in populo peruicaci ac rebelli, & ad idololatriæ perfidiam prono, quemque præuideret identidem, ad tam immane facinus, tanquam suem ad volutabrum reuersurum. *Cerno*, inquit, *quod populus iste dura ceruicis sit, dimitte me*, iam enim Dominum intentius orare cœperat, & sese torrenti indignationis eius opponere, *vt irascatur furor meus contra eos, & delcam eos, faciamque te in gentem magnam.* Id est, vt ipsemet alibi *d* interpretatur, constituam te super gentem, quæ hac maior sit & fortior. Nihilominus Moses perseuerat orans, neque diuinæ monitioni acquieuit: ostendit potius diuinam hic gloriam maxime agi, quæ à blasphemis infidelium linguis vindicanda sit; agi & promissorum fidem, quando terra Chanaam sine vlla conditione bonitatis posterorum, patribus promissa fuerit.

d *Deut.* 9. 14.

Placatusque est Dominus, ait Moses *e*, *ne faceret malum, quod locutus fuerat aduersus populum suum*, quodque facturus erat, nisi tantus patronus interuenisset. Neque tamen Moyses videtur nunc agnouisse Dominum placatum esse. Non enim mox ad Deum reuersus diceret, *Aut dimitte eu hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti.* Exhibuerit ergo se Dominus Moysi quasi nutantem & cunctabundum, & inter punitionis aut veniæ sententiam alternantem. Quoniam tamen Deus iusserat, vt descenderet ad populum, paruit, aliquam satisfactionem in populo, pro tam atroci scelere facturus; sicque iratum Dominum de sententia tam seueræ animaduersionis deducturus. Reuersus est ergo Moses de monte, portans duas tabulas testimonij in manu sua. Duæ enim fuerunt, vt in altera præcepta ponerentur, quæ ad Dei cultum pertinebant; in altera seorsim quæ spectabant ad populum.

e *Exo.* 32. 14.

CXCVIII. Dominus placatur, & dissimulat.

vers. 31.

CXCIX. Moses redit in castra.

Dum autem tacitus, ac curarum plenus Moses de monte regreditur, Iosue, quem ex itinere socium resumpserat, audito populi vociferantis tumultu, de militia militaris homo cogitans, memor etiam Amalecitarum Israelitas nuper inuadentium. *Dixit ad Moysem, vlulatus pugnæ auditur in castris; Qui respondit, non est clamor adhortantium ad pugnam, neque vociferatio compellentium ad fugam, sed vocem cantantium ego audio*, choreas scilicet cum cantu agitantium coram vitulo aureo. Cumque appropinquasset ad castra, vidit vitulum & choros, iratusque valde proiecit de manu tabulas, & confregit eas ad radicem montis. Hæc prima est vltio sumpta de populo, vt eum diuino illo munere, ac monimento priuaret, indignos eo reputans homines idololatria; & comessatione contaminatos. Simul etiam confractione tabularum, sicut alias laceratione vestium fieri solebat, iniuriam in diuinam maiestatem, publicè, & quasi solenni ritu contestans.

Cõfringit tabulas.

CC. Vitulum dissipat *f Deut.* 9. 21.

Altera vltio sumpta de populo, est ipsius vituli dissipatio. *f Peccatum autem vestrum, quod feceratis*, sic vitulum hunc appellat Moses, *arripiens igne combussi, & in frusta comminuens, omninoque in puluerem redigens proiecit in torrentem, qui de monte descendit.* Aureum *combussit vitulum*, liquefecit videlicet, vt totam eius figuram funditus deleret, mox in massam redactum *contriuit vsque ad puluerem*, quem sparsit in aquas, quæ ex petra Horeb iugi miraculo defluebant; cumque aliam aquam, quam biberent, non haberent, fecit vt suum ipsi vitulum vel inuiti biberent, intelligerentque sibi mox luendam tanto crimini debitam pœnam, & ebibendum calicem, quem miscuerant sibi. Notant enim Lyranus & Abulensis ex Rabbinis, hoc ad examen, & manifestationem reorum pertinuisse, ne temere mox à Leuitis innoxij pro noxijs occiderẽtur: itaque aquas illas puluere aureo conspersas inflationem reis & languorem intulisse, innocentibus autem fuisse innoxias. Sicut in sacrificio zelotypiæ *a*, quæ amarissimæ nihil innocentibus nocebãt: aut certe rei, vt ait Rupertus *b* aureis

Rei potione proditi.

Aben-Ezra, & *Salom.*

a *Num* 5 11. &c.
b *l.* 4. *in Exo.* c. 27

prominue-

prominebant labijs, quibus innoteſcebant percuſſoribus, & cædebantur.

CCI. Fuerint ne vitulus integer, an vituli caput.

Hic finis nefandi ac deteſtabilis vituli, quem ſacrilega impietas excogitauit, timiditas ignaua procudit, temulentia diuinis honoribus affecit, zelus diuinæ gloriæ redegit in puluerem. Dubium autem eſt fuerit-ne hic vitulus integer, an vituli duntaxat caput, vt videtur ſenſiſſe Tertullianus, Cyprianus, Lactantius, Hieronymus multis in locis, Ambroſius quoque & Auguſtin. & non pauci recentiores. Exiſtimo tamen integrum fuiſſe vitulum: ſic enim perpetuo à Scriptura vocatur. Et Apis, quem imitati ſunt Hebræi, teſte Philone, S. Clemente, Tertulliano, atque Lactantio, integer erat iuuencus, non caput eius; neque enim apparuiſſet in eo alba à tergo macula. Itaque neque Hebræis ſatisfactum fuiſſet; ſi pro integro Api, illius nudum exhiberetur caput. Patres autem illi, præſertim Tertul. & Hieronymus, quos cæteri fere ſunt ſecuti, caput pro integro corpore ſumpſerunt: ſicut cum dicimus ſceleſtum caput, pro homine ſceleſto, & tot capita cenſa eſſe, pro tot hominibus. Quin & illi ipſi Patres ſæpius vitulum, quam vituli caput appellauere.

CCII. Moyſes Aaronem obiurgat.

Sed vt ad hiſtoriam redeamus, grauiter obiurgat Aaronem Moſes, quod publico populi peccato ſeruierit, quod impedire etiam obeunda morte debuiſſet. Cui Aaron humiliter ex propriæ culpæ agnitione reſpondet, rem nude ac breuiter exponens, imo ex parte prætermittens, quæ pro ſua excuſatione facere videbantur. *Ne indignetur*, inquit, *Dominus meus.* At frater erat, & natu minor, & incircunciſus labijs: pergit. *Tu enim noſti populum iſtum*, quo impulſore & aduerſum me congregato peccaui, *quod pronus ſit ad malum*, non ſolum idololatriæ, quæ nunc primum erupit in deſerto, ſed ad omne ſcelus, vt ſcilicet ſine Doctore aut hortatore peccatum ſponte ſuſcepiſſe intelligatur. Hauſit nihilominus etiam ipſe aquam aureo puluere inſperſam, vt putat Abulenſis; ſed innoxius, ne qui ſummo Pontificatui deſtinatus erat, perpetuæ huius criminis infamiæ ſubiaceret. Id ergo præcauens Dominus, voluit eum ſola fratris obiurgatione, & priuato animi dolore caſtigari: non exiſtimante populo illum eſſe noxium, qui inuitus impulſuſque metu deliquiſſet.

Hauſit aquam in noxius.

CCIII. Spoliatione inſultum ſe prodiit.

Sequitur animaduerſio in reos. Videns enim Moyſes manifeſtum eſſe qui eſſent in populo rei. Id enim Aaron minime dubium reliquerat, ſpoliando eos inauribus ad fabricandum idolum: viri enim boni nihil ad id ſcelus contribuerant, ſed illis potius reſtiterant, eóſque auerſari fuerant. Cum ergo in medio aduerſariorum manifeſte rei, conuictique tenerentur, *Stetit in porta caſtrorum Moſes*, &c. Hoſtes ergo hic vocat non Madianitas, vel Amalecitas, ſed Hebræos innocentes, qui in reos tanquam hoſtes inſurrecturi erant. At inquies, multi fortaſſe erant peccatores, multique item innocentes, qui nunquam inaures habuerant; At de ijs dici poteſt, eos poſtea diuina animaduerſione periiſſe. Nam mox ſequitur, *Percuſſit Dominus populum pro reatu vituli, quem fecerat Aaron.* Deinde aliud etiam ſignum reatus petebatur ex aquis aureis, vt diximus; quod ab hac ſpoliatione confirmabatur, & iudicio perforatæ auris.

CCIV. A Leuitis cæduntur magno numero.

Itaque Moyſes, *Si quis eſt*, inquit, *Domini, iungatur mihi*; quaſi dicat. Qui verus Dei cultor eſt, & pro eius gloria zelo mouetur, accedat ad me, vt de peccatoribus vltio ſumatur. Et accendit Dominus animos Leuitarum, quos ſibi iam in Sacerdotium ſacrumque famulatum deſtinarat, zelo diuini honoris, vt poſtea Phineem, & odio idololatriæ, & cõgregati ſunt ad Moyſem; quos ille iuſſit arripere gladium, & tranſire per medium caſtrorum, & obuios quoſque peccatores occidere, nulla conſanguinitatis aut affinitatis ratione habita. Quantum autem animi Leuitis Deo inſpirante acceſſit, tantum peccatoribus deceſſit, nemo vt auderet ad ſui defenſionem arma corripere, grauioris fortaſſe ſupplicij metu. Et cum Leuitæ conglobati eſſent, & armis inſtructi; illi ſparſi, improuidi, ſemiebrij, atque vt in ludis & choreis, inermes, facilis erat & expedita victoria, cæſaque ſunt ea die ad tria & viginti hominum millia. In Hebræo tamen & Græco, tria tantum cæſorum millia cenſentur, omiſſa voce viginti. Qua de re vide Cornelij coniecturam hoc loco.

CCV. Qui & laudantur.

Quo facto à Moſe audierunt Leuitæ, *conſecraſtis manus veſtras hodie Domino*, ſanguine ſcilicet initiati reorum, ſicut Sacerdotes ſanguine arietum conſecrantur; & reorum cædem, quaſi acceptabile ſacrificium iuſtitiæ, Domino obtuliſtis. Putauit Philo c Sacerdotium Leuitis, in præmium ſumptæ de idololatris vltionis fuiſſe attributum, concinnitatem, quãdam ſecutus. Quem meminiſſe oportebat, electos diuinitus Leuitas, & nominatim Aaronem cum filijs ad Sacerdotium, priuſquam patraretur hæc cædes, aut flagitium ipſum à populo admitteretur, vt ex 28. Exodi clarum eſt. Quin etiam cum Dominus aſſumpſit Leuitas, ad ſuum in tabernaculo famulatum, nuſquam huius eorum officij, aut meriti meminit, ſed tantum quod eos ſibi in locum primogenitorum vindicarit. Atque ita abijt quadrageſimus ille dies Moſaicæ commorationis in monte; dies infauſti nuncij, & querelarum, dies, gemituum & lachrymarum, dies indignationis & confractionis, dies gaudij & chorearum, dies ludorum & epularum, dies exprobrationis & funerum.

c *l.3. de vit. Moſ.*

nec ideo ſi norati Sacerdotio.

d *Num.3. vt. 13. 41. &c.*

CCVI. redit Moyſes in mõte, ad placandum Dominum.

Necdum tamen vacabat à metu populus, ſed inſuper vindicem Dei iram non ſine cauſa formidabat. Itaque *e facto altero die locutus eſt Moyſes ad populum. Peccaſtis peccatum maximum, aſcendam ad Dominum ſi quo modo quiuero eum deprecari pro ſcelere veſtro*, In Hebræo, ſi forte expiem orando pro peccato veſtro. Ex quo patet, quod ſupra diximus a, Moyſi nondũ plane conſtitiſſe Dominum fuiſſe placatum. Reuerſus eſt ergo Moſes ad Dominum, vt veniam populo impetraret, ibique alios rurſum quadraginta dies orans ac ieiunus permanſit, quod ipſemet aperte non ſemel profeſſus eſt. Ipſius eſt enim illa oratio. b *Iacui coram Domino 40. diebus ac noctibus, quibus eum ſupplicitèr deprecabar, ne deleret vos, vt fuerat comminatus*, &c. Et rurſum hæc. c *Ego autem ſteti in monte ſicut prius, quadraginta diebus ac noctibus,*

e *Exod.32. 30.*

a *n.198.*

Ad quã draginta dies.

b *Deut. 9 25.*

c *Ibi.c. 10 10*

exaudiuitque me Dominus etiam hac vice, & te perdere noluit. Vbi vides & orandi causam, & diuturnitatem orationis perspicuè confirmari Quibus Moysi, verbis, meo iudicio, vim asserunt, qui hos 40. dies positos in precibus putat adobtinendas nouas tabulas; clariora enim verba sunt, quam vt alio torqueri possint; resque ipsa docet prius oportuisse veniam & vitam obtinere, quam tabulas: quæ ipsæ posterius pari orandi studio, & ieiunandi diuturnitate obtentæ sunt, vt Exodi 34. perscriptum est.

Non esset hyperbole.

g 9. 147. in Exod.

CVII. Initium secundi quadragenarij retunij Moſis. d *n.* 624. & *segq.*

Existimamus igitur omnino Scripturæ consentaneam hanc secundam 40. dierum in monte moram, quæ initium ducit à decimo octauo quarti mensis, & vigesima octaua quinti terminatur, vt in Annalibus *d* per singulos expansorum mensium dies notauimus. De initio perspicuum est Moysen postridie à confracto vitulo & cæsis idololatris conuocasse populum, atque de admisso maximo peccato obiurgasse, moxque ad Dominum ad obtinendam populo veniam ascendisse. Sic enim Scriptura loquitur, e *Facto autem altero die*, id est postridie, siue, vt est in Hebræo, Chaldæaque paraphrasi, die crastino, *locutus est Moyses ad populum, Peccastis peccatum maximum. Et nunc ascendam ad Dominum*, &c. Aduerbium temporis est in Hebræo, Chaldæo, & Septuag. licet abfit à vulgata. Et erat causa accelerandi. Periculum enim erat in mora, ne interea Dominus nondum, vt putabatur, placatus, noua quapiam plaga sæuiret in populum. De fine autem huius secundæ quadragesimæ suo loco dicetur.

e *Exod.* 32. 30.

CCX. Aliud Moſis argumentū ad placādum Dominum.

h *Deut.* 9. 26. i *Exod.* 32. 31. 32.

Exod. 33.

CCVIII. Vt se in monte iterum gesserit.

Repetit ergo montem Moyses, populi sui causam acturus apud Dominum. Nec proditum est literis solusne, an cum Iosue illuc ascenderit, & an Aaronem & Hur sicut prius vicarios suos reliquerit, à quibus populus in spem veniæ erigeretur, & in odium culpæ præcedentis. Proditum tamen est qua demissione animi, qua mentis corporisque contentione, qua longanimitate & perseuerantia, quam flagranti denique charitate Deo preces fuderit. Hinc illa quæ superius attigimus. *Et iacui coram Domino* 40. *diebus ac noctibus*, in Hebræo vis maior exprimitur. *Et prostrauit me ad facies Domini* 40 *diebus, & 40. noctibus, quibus meipsum prostraui.* Quod autem paulò post fletisse se ait in oratione, si placet ad corporis habitum referre, dicemus prophetam partim stantem, partim prostratum, aut genibus nixum, interdum etiam fortasse sedentem, tam diuturnum tempus in oratione posuisse. Nam vbi legimus f, *& perseueraui in monte* 40. *diebus*, in Hebræo est, *& sedi in monte.* Et sicut toto eo tempore nihil manducauit aut bibit, vt ibidem scriptum est, Deo vim caloris naturalis cohibente, ne humorem natiuum consumeret: ita & credibile est nullo cum somno fuisse oppressum, qui magna ex parte ob cibi vigestionem requiritur, Deo non permittente, corporis vigorem ac vires, iugi ac continenti mentis contentione dissipari.

n. 209.

f Deut. 9. 9.

CCIX. Quantis precibus Deo charitas.

Sed nihil est illa charitate diuinius, à qua illa verba effusa sunt, quæ cuporem deinceps omnibus seculis attulerunt. *Aut dimitte ei hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti.* Dicimus autē quod alibi quoque iam significauimus, hyperbolicam esse locutionem, indicem immensi desiderij: quæque rigide, & vt verba sonant, accipi non debeat, neque à dicente, neque ab audiente accipi soleat; vt cum Dauid dicebat Ionathæ, *Si est iniquitas aliqua in me, tu me interfice. & ad patrem tuum ne introduxeris me.* Ita Moses vult deleri de libro vitæ, nisi Dominus populo ignosceat, quod tamen simpliciter non vult, sed iuxta g S. Augustin. ita ratiocinatur. Aut deleturus es me de libro tuo, aut populo isti parciturus. At non delebis me de libro tuo, ergo populo isti peccatum remittes. Hyperbolem autem illa innuunt quæ subdit, *Animaduertendum est*, inquit, *quantum malum in illo peccato perspexit Moyses, quod tanta cæde crediderit expiandum, qui eos sic diligebat, vt pro eis illa verba Deo funderet.*

Supponit autem eadem ratiocinatio, multoque magis illa Scripturæ verba, *Dele me de libro tuo quem scripsisti*, Moysem certam habuisse, atque exploratam diuina reuelatione prædestinationem suam; etsi ignoremus quando ea facta fuerit. Fuit autem hæc tam incensa prophetæ charitas telum potentissimum, quo diuinam clementiam expugnauit. Iterauit etiam illa veniæ incitamenta *h*, quæ prius attulerat, cum Dominus ei primum populi idololatriam patefecit *i*, quia expertus fuerat huiusmodi argumentis non parum labefactatam vltricem Numinis seueritatem. Hanc scilicet vltionem damnum vleiscentis esse atque iacturam. Id enim esse perdere ac profligare hæreditatem suam, irritos reddere labores suos gloriosasque victorias. Esse id obliuioni tradere fidelissimos amicos suos, eorumque apud se merita, & inimicis materiam ad insultandum ac blasphemandum præbere. Priori argumento respondet Dominus neminem nisi ex propria culpa de libro vitæ deletam iri. Posteriori autem videtur illis verbis fieri satis. *Tu autem vade, & duc populum istum quò locutus sum tibi: Angelus meus præcedet te*, quæ vberius proximo statim capite referuntur.

CCXI. Domini responsio

Quibus verbis Dominus non tam dimittebat à se Moysem, quam tacite spondebat se non deleturum funditus populum, sed effecturum, vt terram patribus eorum promissam consequerentur, sed alio à se ductore. Cum autem ait, *ascende de loco isto tu, & populus tuus*, non autem populus meus, præ se fert irarum reliquias, multòque magis cum paulò ante minatus est, se in die vltionis visitaturum hoc scelus populi eius. Denique cum negauit se ascensurum cum populo, *Ne forte*, inquit, *disperdam te in via, quia populus duræ ceruicis es.* Sic enim populum quasi præsentem alloquitur. Quasi dicat, Tuâ omnino interest ne iocium me habeas peregrinationis tuæ: quippe qui sis populus ceruicosus, rebellis, obtrectator, & pronus ad malum. Itaque pro inolita consuetudine tua ea perpetrabis, quæ ego coram me fieri non sustinens repentina te vltione consiciam. Hæc ad popularem captum dicta sunt, vt-pote rudi populo enunciandā per Moysem. Contra tamen nititur Moyses, quia intelligebat istis verbis negari singularem quandam Dei in hunc populum prouidentiam; eumque communi, quam per Angelos exequitur, contentum fore.

negat se ascensurū cum populo isto, &c cur.

Digressio in textu scripturæ

Deinceps autem à versu quarto vsque ad duodecimum, vbi dicitur Iosue non recessisse de tabernaculo, inseruntur per quandam digressionem, quæ contigerunt in castris, cum hæc Dei iussu nunciata sunt populo, post reditum Mosis, vna cum secundis tabulis, vt accuratius in Annalibus explicatum est *a*, quæ propterea ad suum locum, tempusque reseruabuntur. Cum ergo Moses seueriorem hãc Domini orationem, ac denunciationem audiuisset, ad blandas conuersus preces. *Præcipis vt educam populum istum, & non indicas mihi quem missurus es mecum*, qui scilicet possit ac velit facere mirabilia sicut tu, quod erat petere ductorem ipsum Deum sicut prius, sed obscure & vniuersè, relicta applicatione ipsi Domino, vt explicat Abulen. pergit, *Præsertim cum dixeris, noui te ex nomine, & inuenisti gratiam coram me.* Non est in Scriptura, vbi aut quando hæc Moysi à Domino dicta fuerint, vt notauit Augustin. *b.* Constat autem nosse ex nomine aliquem esse familiariter nosse: quomodo principes subditos suos vniuerse cognoscunt, plerosque de facie; nominatim autem, non nisi familiares & amicos.

an 628. & 629. vide infra n. 138.

Blandæ Mosis preces.

b q.153. in Exod.

CCXIII. Quomodo Moses Deo notus ex nomine.

Sæpius autem Deus Moysen nominatim compellarat, ex quo ipsum ex ardenti rubo vocauerat, eique sese familiarem exhibuerat: præsertim in continenti illa quadraginta dierum consuetudine, vbi etiam videtur ipsi dixisse, multum illum valere gratia apud ipsum Deum: quod Moyses nunc experientia ipsa probari cupit, petens ostendi sibi faciem eius, id est, vt exponit Tostatus, Deum seipsi lætum exhibere, sicut ante adorationem vituli. In Hebræo est, *fac me nunc scire viam tuam*, &c. in hanc sententiam. In eo cognoscam valere me gratia apud te, si docueris me viam tuam, præcedendo videlicet nos per teipsum, & faciem, siue præsentiam tuam demonstrando, per mirabilia opera tua. Nihil autem ipsum sibi singulariter petere, sed populo suo duntaxat, illa verba quæ statim subduntur ostendunt, *respice populum tuum gentem hanc*, quasi dicat, agnosce quæso Israelitas vt populum tuum, & vt talem cum rege. Hinc autem intelligi potest, neque Moysem petijsse, neque Deum ipsi concessisse visionem diuinæ essentiæ, quam difficultatem studiosus lector reperiet diligentius in Annalibus *c* explicatam.

c n.643. & seqq.

CCXIV. Moses nõ petijt videre diuinam essentiam.

Hic illud tantum dicam, Si Moses petijt videre ipsam Dei faciem, quid est quod Dominus acquiescens voluntati eius non dixit faciem meam ostendam tibi, sed *facies mea præcedet te*, quod ad deductionem per desertum pertinet, non ad diuinæ essentiæ contemplationem. Quod si hic petijt illiusmodi visionem, cum audierit mox, *verbum istud quod locutus es faciam*, quid est quod iam voti compos rursum petit ostendi sibi gloriam Dei, & audit, *Faciem meam videre non poteris?* Facies ergo quæ hic negatur gloria est, quæ illic promittitur, præsentia, & societas viæ est. Quam cum petijt, non minus propterea optauit Angelum Domini de more in columna nubis & ignis viæ ducem perseuerare; idque satis illi erat, dummodo Deus nihil de sua in populum beneuolentia ac protectione minueret; idque nomine præcedendi populum, & ambulandi cum eo intellexit.

Cum ergo Moses petijsset à Domino ostendi sibi faciem eius, præcuntem, scilicet, protegentem, ac mirabilia in gratiam populi sui patrantem, respondet Dominus, *facies mea præcedet te, & requiem dabo tibi.* Fit ergo Moses voti compos, Domino voluntati eius acquiescente, & insuper promittente fore, vt medios inter hostes tutus futurus sit, & requiem in terra promissa, illis edomitis obtenturus. Quæ verba quia Dominum populo suo reconciliatum ostendebãt, adeoque paratum ad eadem erga populum beneficia, miracula, prouidentiam denique vniuersam: eadem sibi Moses confirmari desiderans, iterat petitionem suam, ne forte nomine faciei aliud quidpiam in Domini promissione intelligatur. *Si non tu ipse præcedas*, inquit, *ne educas nos de loco isto*, Satius enim esset in hac horribili solitudine ætatem agere, tua protectione munitos, quam ea destitutos, in terra lacte & melle manante, obrui barbarorum telis. Sed quia Dominus solius Mosis, omisso populo mentionem fecerat, bonus pastor eius nominatim mentionem inducit. *In quo enim*, inquit d, *scire poterimus ego & populus tuus, inuenisse nos gratiam in conspectu tuo, nisi ambulaueris nobiscum, vt glorificemur ab omnibus populis, qui habitant super terram?* Et Dominus assentiens, *Et verbum istud quod locutus es faciam*, idque in gratiam tui, *inuenisti enim gratiam coram me, & teipsum noui ex nomine.*

CCXV. Sed solitam Dei prouidentiam idque inculcat.

d Exod 33. 15. 16.

& Dominus ei assentitur

Hic Moses rebus ex animi sententia fluentibus factus alacrior, atque ad petendum animosior. *Ostende*, inquit, *mihi gloriam tuam.* Quam petitionem non de diuinæ essentiæ visione, vt plerique putauerũt, sed de aspectabili quodam Domini conspectu intelligendam cum grauissimis theologis arbitramur. Is enim Angelus, qui cum Moyse loquebatur, & Domini personam sustinebat, nube tectus, & amictus caligine loquebatur. Optauit ergo Moses amoto hoc velamento, monstrari sibi faciem illam illustrem, & gloriam quam in assumpto corpore habebat. Idque ex euentis patet. Fatetur enim Tostatus e vidisse Mosem, nec tamen plene ac perfecte, sed ex parte tantum quasi humanum quoddam corpus ex aere conformatum tanto coruscans fulgore, quantum humanus oculus, aut corporis humani temperies ferre non posset. Corpus, inquam, non spiritalem aliquam substantiam. Ad corpus enim pertinent facies & tergum, manus dextera vel sinistra, transitus & protectio, siue obtectio, quæ in hac visione memorantur. Itaque corpoream totam hanc visionem fuisse, cum doctissimis quibusque arbitramur.

CCXVI. Moses petit videre gloriam Angeli secum loquentis

e q 17. in 33. Exod.

eamque corporeã

Sed his obstare videtur illa Domini oratio, *Ego ostendam omne bonum tibi*, quod videtur soli diuinitati conuenire. Verum si Hebræum textum, Græcumque consulamus, Chaldæamque paraphrasim, hic de diuinitate non agitur. Habent enim magno consensu mentionem transitus, qui rerum corporearum est, non diuinitatis, quæ vbique est. *Ego transire faciam*, inquit Hebræus, *omne bonum meum super faciem tuam*: eodemq; modo Onchelos. Septuag. vero apud August. *f Ego transibo ante te in gloria mea.* Quod consentaneum est ei quod sequitur, *cum transibit gloria mea ponam te in foramine petræ*, &c.

CCXVII. Quomodo ea dicatur omne bonum

f q.154. in Exod.

Sententia itaque huius loci est. Ego quidem totus coram te transibo, cum tota gloria, quam habet hoc corpus, quod assumpsi: totum tamen non ostendam, quia vibrantem ex facie fulgorem, citra mortis discrimen ferre non posses: vt ex sequentibus magis intelligetur. Quæ est expositio Abulensis, Vasquesij, Cornelij. At Hieronymus in vulgata transitum in ostensionem vertit, quia Dominus transeundo ostendit sese: simul etiam operam dedit vt locum haberet interpretatio de visione diuinitatis, quam communem sciebat plurimorum patrum.

CCXVIII Signa vt visionis huius transeuntis. Eiusque modus.

Quoniam ergo Dominus promisit visionem sui in transitu, eius signa Mosi dat, per verba transeuntis & modum transeundi. Cum enim ait, *Et vocabo in nomine Domini coram te*, &c. Idem est ac si diceret, cum transibo coram te in speluncam ingresso, inclamabo nomen Domini, vt scias me transire, atque respicias. Inclamabo autem diuina nomina, qualia sunt dominator Dominus, clemens, misericors & similia: quæ vsurpauit cum hanc promissionem impleuit, vt habetur capite seq. *a* Deinde explicat quo modo dorsum Angeli transeuntis visurus sit, non visa facie quam mortalis oculus ferre non posset, in hunc fere modum *b*. Est hic in monte hoc rupes excauata in quam intrabis, dumque ego transibo cum gloria & fulgore meo, dextera mea obtegam ingressum speluncæ, ne tu faciem transeuntis contempleris. Vbi autem modice os speluncæ prætergressus fuero, amouebo manum meam, & præbebo me tibi a posteriore parte contuendum. Nomine autem manus Abul. densam quandam nubem intelligit, quæ ad nutum Angeli obstrueret os speluncæ, ab eaque recederet. Nam proprie dicta manus minor erat, quam vt ianuam illam claudere posset. Et cum proportione reliqui corporis esset illustris, illuminaret speluncam, & antequam illi applicaretur, radij faciei in speluncam infusi vultum quoque Mosis illustrarent.

a *Exo.* 34

b *Abul.* 9 18. & 19 *in cap.* 33

CCXIX Dominus dimittit Mosem ad nouas tabulas c *Exod.* 34. & *Deut.* 10.

Iamque agebatur quadragesimus dies secundi iciunij quadragenarij Mosis, qui dies incidit in vigesimum octauum quinti mensis, qui ab Hebræis dicebatur Ab; cum iam Dominus populo placatus mandat Moysi vt descendat de monte *c*, & paret tabulas lapideas instar priorum. Sicut enim Domino populum à se abdicante, atque abijciente frustra erant leges, & ideo confractæ fuerant. Ita Domino populo suo reconciliato, leges ab eo populus recipere debuit, quæ illum Domini populum esse, & ab eo regi testarentur. Iussit quoque fieri arcam ligneam *d*, in quam nouas tabulas inferret, & quam primum cum eis ad se redire in montem Sinai, ibi diutius cum Domino mansurum. Quin & vetat ipsum quem quam sibi socium assumere, ne Iosue quidem, vt videtur, quia Moysi in gloriosa specie, vt promiserat; sine vllis arbitris apparere voluit. Et ad maiorem excitandam reuerentiam, vetat pecora pasci in solo, quod iacebat castra inter & montem.

In arcul. reponendas d *Deut.* 10.2.

CCXX. Mota populum in motu retinet. e *Exod.* 32.33.

Accepto commeatu descendit Moyses de monte, inuenitque populum, exterritum ijs, quæ post priores 40 dies acciderant, & insuper plaga, qua Dominus reliquias idololatrarum e Moyse absente sustulerat, sese in officio continuisse. Nec tamen prudens populi rector, qui intelligebat eum in timore, quem proxima tragœdia excitarat, retinendum esse, statim à descensu reconciliationem populo patefecit; Sed prima cura fuit dare curam idoneis hominibus lapideas tabulas præparandi, & arcam quæ eas apte contineret. Altera cura fuit conuocare populum duplici de causa, prior renouandæ prohibitionis ascendendi in montem, posterior vt populum magna expectatione suspensum doceret, quo loco res suæ apud Deum essent: pereundum ne omnibus quamprimum foret, an venia impetrata esset. Moyses autem vt eos & à desperatione reuocaret, & iusto in timore contineret, renunciauit populo statuisse Dominum, iterumque confirmasse daturum se ipsis terram illam lacte & melle manantem, iampridem patribus eorum promissam, sed vt populum pœnitentia & luctu ad nouas tabulas præpararet, addidit dixisse Dominum non ascensurum se cum eo, quod populus duræ ceruicis esset, & periculum esset, ne disperderet eos in via: iussisseque eos deponere ornatum suum, siue lugubri veste indui, *vt sciam*, inquit, *quid faciam tibi.*

f *Exod.* 33 4.

CCXXI. Et lugens ornatum deponit.

Audiens f autem *populus sermonem hunc pessimum*, quo videbatur Dominus peculiarem populi sui prouidentiam deponere, *luxit, & nullus ex more indutus est cultu suo*, idque vt apparet vsque ad reditum Mosis de monte cum nouis tabulis, quod indicium erat deleti peccati, & redintegratæ gratiæ Deum inter & populum suum. Videtur autem hoc ipso die contigisse, quod subdit Moses de translato tabernaculo extra castra. Nam id ad castigationem populi vehementer pertinebat, vt ille quasi interdictus sacris maneret, & communione priuatus. Nec tamen statim à reditu cum nouis tabulis relatum est id tabernaculum intra castra, vt ex Scriptura ipsa aperte colligitur, donec nouum illud ac nobile tabernaculum excitatum est Hoc autem quod non recens factum, sed translatum dicitur, fuit vel priuatis Mosis precibus; vel publicis ac communibus destinatum. Cum enim multa esset Mosis cum Domino familiaritas, certum est huiusmodi colloquia solitudinem amare atque silentium. Ideoque Iuditha *g*, in superioribus domus suæ, secretum sibi cubiculum præparauerat.

Et tabernaculum abdicit à castris.

g *ca.* 8. 5.

Magis tamen placet fuisse locum communibus populi precibus destinatum. Nam vbi legimus in vulgata, *Et omnis populus, qui habebat aliquam quæstionem, egrediebatur ad tabernaculum fœderis extra castra.* In Hebræo, Græco, Chaldæoque legitur, omnes qui quærere aut consulere vellent Dominum, eo se contulisse, pro consuetudine videlicet iam ab egressu ex Ægypto vsurpata. Accedit & ipsa denominatio, dictum est enim Tabernaculum fœderis, siue conuentus, quod eo populus, quasi in Ecclesiam confluceret. Sacer itaque fuit non profanus hic locus, in quo Aaron manna reseruauit coram Domino. In quo leuiro obtulit holocausta, & cum cognato suo comedit coram Domino. In quo Moses Dei iussa populo declarabat, vbi populi petitiones referebat ad Deum, & Dei ad populum responsa, reddebat senioribus, quæ illi ad populum referebant. Vbi

CCXXII Cuiusmodi illud fuerit.

Eo populum orationis causa cõuentui solitum.

deni-

denique Dominus cum Moyse facie ad faciem loquebatur, quemque Iosue minister Mosis, quasi æduuus seruabat. Hoc ergo tabernaculum orationi destinatum, Dominus, aut ex illius afflatu Moses, procul extra castra abduxit, vt se à populo etiam tum abalienatum atque abstractum ostenderet. Abductum autem bis mille cubitis à castris Rabini prodiderunt.

a Exod. 34.4

CCXXIII. Moles ascendit ad montem in tertiã mansionem quadragenariam.

His ita peractis *a*, paratisque cum arcula tabulis, Moses nocte, id est summo mane consurgens, ascendit in montem Sinai, & ecce nubes gloriæ Domini, quæ aliquanto spatio supra verticem montis eleuata manebat, demisit se ad verticem montis, vt ibi Dominus, aut Angelus potius, qui eius vices gerebat, Moysi se conspiciendum præberet, vt nuper ei promiserat. Vt ergo Moses peruenit ad montis verticem, Deo inspirante, & per nubem descendente in speluncam ingressus est, statimque illius aditu nube obscurato, & transeunte gloria Domini, exauditus est clamor, eius vtique qui promiserat se vocaturum in nomine Domini, & simul cum signo transitus sui edocturum, quomodo inuocandus esset Dominus, quibusque titulis afficiendus. Auditis ergo hisce Dei titulis, & simul cum verbis Domino transeunte, & nubé ex aditu speluncæ, vt ante conuenerat amouente, exijt Moyses *b*, & vidit à tergo Angelum eximio fulgore radiantem, festinusque Moyses curuatus in terram pronus & adorans petit sibi confirmari petitionem degradiendo cum populo suo.

Renouat petitionẽ pro populo suo. b c.34. 8.

CCXXIV. Deus que renouat promissionem.

Rursumque Dominus acquiescens petitioni, spondet se populi ducem ac protectorem fore, idque ingentibus miraculis probaturum. *Signa faciam*, inquit, *quæ nunquam visa sunt super terram, nec in vllis gentibus, vt cernat populus iste in cuius es medio, opus Domini terribile quod facturus sum*: Quod ad tempora Iosue referendum est. Subdit enim, *Obserua cuncta quæ hodie mando tibi*, quasi renouato fœdere, quod populus, nuper in vitulo fœdè perruperat. Quasi dicat, hæc vna cura tua sit, vt obserues legem meam. *Ego autem ipse, ejciam ante faciem tuam Amorrhæum, & Chananæum*, & cæteros populos. Cum his autem iam nunc vetat iniri amicitias, fœderaue nuptiarum; imo eorum aras destrui, statuasque confringi, quod maxime valet ad disiungendos animos, quos communio religionis deuincit. Deinde inculcat præcepta quædam superius tradita de obseruanda solennitate Paschali cum ritibus suis, de primogenitis, de Sabbato, de triplici solennitate, quibus apparere debeant Israelitæ coram Domino, in loco, quem elegerit. De alijs quoque nonnullis monet *c*, quæ postea Moses populo diuersis vicibus enunciauit, & in scripta retulit, vt iussus fuerat, ad memoriam posteritatis, vsumque perpetuum.

Darque diuersa præcepta

c Exo. 34 27.

CCXXV. Annus Sabbaticus quando institutus.

In his porro nihil æque nobis cognoscendum videtur, atque annorum Sabbaticorum & Iubilæorum institutio, & ratio, quæ habetur Leuitici 25. vbi dicitur Dominum locutum esse Moysi, in monte Sinai, quæ de ijs præscribuntur. Et vt ab anno Sabbatico ducamus initium; illius enim institutio paulò videtur antiquior, ad eumque ipsum diem pertinet, quo lex promulgata est: non tamen visum est, quæ natura coniuncta sunt, tractatione distrahere. De anno ergo septimo ita lex habet in Exodo d. *Sex annis seminabis terram tuam, & congregabis fruges eius. Anno autem septimo dimittes eam, & requiescere facies, vt comedant pauperes populi tui, & quidquid residuum fuerit, edant bestiæ agri. Ita facies in vinea, & oliueto tuo*: quæ plenius in Leuitico e repetuntur. Quæ lex nihil est aliud quam eximia demonstratio diuinæ bonitatis, quæ cum omnium rerum sit procreatrix, eas etiam conseruatas cupit. Ergo quoniam quiete animantium corpora reficiuntur, ostendit Dominus sibi esse curæ, etiam ipsius terræ quietem, vt Iudæi intelligerent, tanto magis sibi seruorum & ancillarum suarum quieti humaniter consulendum esse, cum Deus ipse non duxerit indignum prouidentia sua, diem quietis brutis animantibus, & terræ ipsi annum requietionis assignare.

d c.25.2

Requies terræ in eo lubetur. c.25. Dei bonitatis signum.

Sed illud in primis hoc loco expendendum est, ad annosne sacros, qui inchoantur à Nisan, an ad vulgares qui à Tisri initium ducunt, id est vere vel Autumno, anni Sabbatici, atque Iubilæi inciperentur. Communissima autem est, ac verissima pro Autumno, ac mense Tisri sententia. Cum enim primarium hoc huiusce legis caput, ad quietem terræ pertineat, per annum vnum, tunc anni initium sumi oportuit, cum agricolæ incipiunt rationem de integro habere cum terra, illam proscindendo ac seminando, quod septimo mensi conuenire nemo ignorat. Accedit quod si hi anni mense primo inchoarentur, & contingeret annum Iubilæum biennio ante, vel post Sabbaticum celebrari, Iudæi quinque annorum messe caruissent; quod incommodum, posito initio horum annorum in Autumno, nullum erat, vt clare in Annalibus demonstratum est *f*. Quamuis autem dies ipse septimi mensis in controuersia sit, quibusdam primum, qui fuit clangoris apud Iudæos, alijs decimum, qui fuit expiationis eligentibus, pronior sum ad existimandum, ipso primo die mensis, cum clangore tubarum tam Sabbatico, quam Iubilæo anno initium datum fuisse, nec vnum mensem ab Hebræis in duos annos fuisse distractum. Præsertim cum ex calendario Hebraico certum sit, primum diem Tisri, qui erat tubarum, anni communis initium fuisse, propterea que *Ros Hassana*, id est caput anni dictum fuisse.

CCXXV Iuchoabatur in Autũno & quar

f n.681. & seq.

Et prim die sept mi mensis, qui dictus e put ann

Quæ autem in hac terræ quiete cessare iuberentur, ex ipsa Scriptura *g* colligitur. Prima est ipsa terræ proscissio, atque satio; nam in Leuitico aperte habetur, *agrum non seres*. Itaque nec messis expectanda erat, quod si quid sponte ferebat humus, ex deciduis granis, nominatim cautum erat ne metteretur à Dominis, sed pauperibus dimitteretur. Altera est putatio vinearum, quæ terræ proscissioni respondet, parique ratione de messe & vindemia iudicandum est. Vineis aggregantur oliueta in Exodo, vt pariter illo anno inculta dimittantur. Eademque ratio valere videtur in pomarijs, ac viridarijs: arborum quoque plantationẽ Iosephus interdictam scribit.

g c.25. 4

CCXXVII. Capita legis ann sabbatici i terra nec semi nãda, ne colligen dæ fruge Eadem ratio vineæ, olueto rum, po marioru tum. *l.3. Ant c.10.*

De hortis non videtur idem esse intendum, sed suos ab vnoquoque coli potuisse, qui intra ciuitates domosque clausi erant; Quod lex de agris & arboribus loquatur, quarum fructus in propatulo positi, omnibus hominibus atq; brutis expositi sunt. Nisi forte muros eorum, aut sepes, aut ostia diruere cogebantur, vt à brutis omnia pessum darentur. Quæcumque autem leguminum, aut frugum genera, in campis seri, metique solent, ea interdicta fuisse intelliguntur.

An & hortorum.

CCXXIIX Alterum caput de personis, & earum libertate a *Exo.* 21. 2.

Sequitur alterum legis huius caput, quod pertinet ad personas: earum scilicet libertatem, æs alienum, & lectionem legis. De libertate ita loquitur Dominus in Exodo a. *Si emeris seruum Hebræum, sex annis seruiet tibi, in septimo egredietur liber.* Sed hic annus septimus ab emptione serui non numerabatur, sed constans erat atque immutabilis. Itaque si anno primo à Sabbatico emebatur, seruiebat sex annis, si secundo quinque, si tertio, quatuor, & ita de cæteris. Idque intelligendum est quacumque ex causa Hebræus ille libertatem amisisset. Alia erat ratio alienigenarum, quibus septimus annus non afferebat libertatem, sed hæreditario iure transmittebantur ad posteros, aut venundabantur. Quod si manserant apud Hebræos, ad ritus Iudaicos, facti proselyti, conuertebantur, masculi per circumcisionem, fœminæ per applicationem ad Iudaicos ritus, vt pluribus docet Abulensis b in Leuiticum.

Quæ ratio alienigenarum.

b *cap.* 25. 9. 26. & 27.

Iam quod ad æs alienum attinet, ius erat Hebræis nouarum tabularum ex diuina lege. *Septimo*, inquit c, *anno facies remissionem, quæ hoc ordine celebrabitur. Cui debetur aliquid ab amico vel proximo ac fratre suo, repetere non poterit, quia annus remissionis est Domini. A peregrino & aduena exiges, ciuem & propinquum repetendi non habebis potestatem.* Quod de commodatis rebus, aut furto ablatis, aut depositis, quæ Dominum eundem seruant, intelligendum non est, sunt enim perpetuo restitutioni obnoxia. Monet autem Legislator ditiores ne tardiores sint in dando mutuo tenuioribus, appropinquante anno remissionis, quo periturum erat mutuo danti. *Ne clamet*, inquit, *contra te ad Dominum, & fiat tibi in peccatum.* Sed conarentur potius eos remittendis debitis subleuare, & ad pinguiorem reuocare fortunam. Supereſt legis lectio in annum septimum indicta, vt accurate in Deuter. d præceptum est. in solennitate Tabernaculorum, fiebatque a summo Pontifice, vt Iosepho e placet: valebatque hæc lectio tum ad alia, tum ad illud maxime, vt cum iura septimi anni memoria repeterentur audiendo, ad praxim facilius deducerentur, neque per potentiorum auaritiam neglecta, paulatim obliterarentur. Hæc de anno Sabbatico, nunc de Iubilæo pauca dicamus. Quot scilicet constaret annis, quæ illius propria essent, & quomodo tam septimus, quam quinquagesimus annus à Iudæis obseruaretur.

CCXXIX Quæ debitorum remiserit c *Deut* 15 1.

Et quo:ü

Lectio legis inni septimi. d *c.* 31. 10 e *l.* 4. *Ant. c. vlt.*

Quod igitur ad numerum annorum Iubilæi, ipsi sacri codices Latini, Græci, Hebraici, qui annum quinquagesimum Iubilæo tribuunt, summa qua pollent autoritate, summòque consensu, iure nos si quid sapimus, meritòque frangant; cui nonnulli, & quidem fere sectarij, studio nouitatis, & nescio quam numerorum concinnitatem secuti, quadragesimum nonum antetulerunt; vt quia septimus dies hominum quieti diuina lege destinatus fuit, septimus annus agrorum quieti, sepies septimus possessionum alienatarum restitutioni attributus dicendus sit. At Scriptura minime ambigua est, *Numerabis*, inquit f, *tibi septem hebdomadas annorum id est septies septem, quæ simul faciunt annos quadraginta nouem*: & subdit, *Sanctificabisque annum quinquagesimum, & vocabis remissionem cunctis habitatoribus terræ tuæ: ipse est enim Iubilæus.* Et rursum ibidem, *Reuertetur homo ad possessionem suam, & vnusquisque rediet ad familiam pristinam, quia Iubilæus est, & quinquagesimus annus.* Hæc clariora sunt, quam vt studio contradicendi obscurari possint. De industria enim exactissime hoc loco, maximèque proprie Scriptura locuta est, ne populum ancipitem relinqueret vtrum duorum annorum Dominus elegisset in Iubilæum; quadragesimum nonum, an quinquagesimum.

f *Leu.* 25. 8. 9 10.

CCXXX. Multisq; scriptoribus probatus.

Accedit communissimus Synagogæ & Ecclesiæ sensus, atque consensus; pro illa testimonium dicunt Iosephus & Philo Iudæi, quos retulimus in Annalibus, aliique Rabbini apud Lyranum atque Serarium, quos Eusebius se professetur g sequi, & quem vicissim quamplurimi sequuntur. Pro qua etiam sententia stare computum Æthiopicum fatetur Scaliger præcipuus contrariæ opinionis propugnator, itemque Africanum atque Epiphanium. Quibus adde Sanctos Cyprianum atque Cyrillum, Ambrosium, & Augustinum, Gregorium magnum, atque Hieronymum. Adde & Originem, Bedam, Cassiodorum, Isidorum & Marianum Scotum: quibus subscribunt inferioris ætatis scriptores innumerabiles, quorum plerosque ibidem retulimus h. Accedat illa quoque ratio. Si enim Iubilæus annus est quadragesimus nonus perpetuo in annum Sabbaticum incurret. Quo posito frustra Scriptura vetaret seri aut meti in anno Iubilæi: satis enim erat id de anno septimo præcepisse.

g *in Chron. an.* 51. *Abra.*

h *an. Mos.* 81. *n.* 696

Quod attinet ad Iubilæi priuilegia, primum fuit vt Hebræis omnibus liber esset accessus, & reditus ad possessiones suas. Itaque si quis vrgente penuria vendiderat agellum suum, poterat eum quocunque tempore redimere, pretio emptori restituto, computatis fructibus ex eo tempore, quo venditus fuerat: quod si non posset redimere, emptor manebat Dominus agri vsque ad annum Iubilæi i, in quo sine vllo pretio agellus redibat ad pauperem, ipsius olim Dominum. Idque licet multæ intermediæ venditiones interuenissent k: sicque pauperes facilius ad pinguiorem fortunam redibant, quæ erat vna causa legis huius, quæ condita erat in fauorem pauperum. Altera erat ne tribus & familiæ, quibus à principio possessiones sorte distributæ fuerant, confunderentur. Circa venditionem domorum aliud ius erat. *Nam qui vendiderit domum*, ait Legislator, *intra vrbis muros, habebit licentiam redimendi, donec vnus impleatur annus. Si non redemerit*

CCXXXII Iubilæi prærogatiuæ prædiorum recuperatio.

i *Leu.* 25. 15. & *seq.*

k *Abul. ibid.*

CXX Iubilæum so anno tum non 49. fuisse ex Scriptura.

quid de domibus lutis.

& anni circulus fuerit euolutus, emptor possidebit eum, & posteri eius in perpetuum. & redimi non poterit etiam in Iubilæo, quæ autem erant in agris, agrorum iure censebantur.

CXXXIII. Libertatis acquisitio.

Alterum priuilegium Iubilæi erat circa libertatem seruorum Hebræorum, qui liberari quidem poterant anno septimo. Verum quia contingebat, vt seruus inita seruitute acciperet vxorem ab Hero suo, & gigneret filios & filias, si is anno septimo liberari vellet, vxor eius & filij remanebant apud Dominum, ipse autē exibat solus *l*. Sin autem cum vxore & filijs liberari vellet, annus ei quinquagesimus expectandus erat, & quidem aure anno septimo perforata; eaque seruitus erat instar pretij, quo vxorem ille suam liberosque redimebat. Propria quoque erat Iubilæi, & non solius anni sabbatici illa proclamatio *m*, quæ fiebat primo die mensis septimi, quo die diximus *n* videri solitum inchoari tam annum septimum, quam quinquagesimum, eoque etiam illum clangorem tubarum illi dici addictum referri: licet etiam in memoriam liberati Isaaci clangeretur. Et quidem tubis corneis propter arietem hærentem cornibus, eius loco sacrificatum. Tubę quoque personabant illo ipso die, propter neomeniam, iuxta illud Dauidis a, *Buccinate in neomenia tuba*. Nihil tamen obstat cum clangorem fieri solenniorem, & cum maiore aliqua pompa, ineunte anno septimo, & rursum quinquagesimo. Sed hic iterum peculiariter *b* clangor excitabatur die decimo mensis eiusdem, qui dicebatur Expiationum, in memoriam reconciliati Numinis, post adoratum vitulum. Nam eo ipso die dimittebantur cornicines per omnem regionem Israelitarum ad denunciandum Iubilæum inchoatum iam à decem diebus.

l Leuit. 25. 40. & Exo. 21. 6.

Proclamatio Iubilæi

m Leuit. 23. 24.

n supra n. 226.

Die primo & decimo Tisri

a Ps. 80. 4

b Leuit. 25. 9.

CXXXIV. Vt obseruati fuerint hi anni a Iudæis.

Quod ad horum annorum obseruationem attinet, constat eos in deserto non fuisse obseruatos, cum adhuc peregrinarentur, nec possessiones haberent quas colerent. Vbi autē Chananitidem occuparūt, apparet ex querela Domini super ea re, eos raro ac maligne obseruatos, siue ob auaritiam potentiorum agris quietem, seruis libertatem pauperibus nouas tabulas concedi non ferentium, siue ob legis contemptū, cum subinde ad idola à vero Deo deficerent, siue ob bella, crebraque sub vicinis populis seruitutes, captiuitates, atque exilia, quæ vltore Numine patiebantur. Sicut tanto ante præuiderat ac prænunciauerat Dominus. *c* Ea denique fuit ratio posteriorum temporum à captiuitate Babylonica, quibus semper aut Persarum, aut Græcorum, aut Romanorū iugum pertulere, quibus attriti, tributisque vexati, vix respirandi, nedum totis annis quiescendi spatium habuere. Eius tamen nonnulla obseruatio diuina prouidentia conseruata est, vsque ad Christum Dominum & in eius gratiam. Cum enim constaret eum de tribu Iuda, & Dauidis familia nasciturum, nisi per annos Iubilæos possessiones ad antiquos dominos redijssent, tribuum & familiarum possessiones confusæ fuissent, nec sciretur quæ ad Iudam, aut Dauidem pertinerent. Post Christi autem aduentum tota illa distinctio supersflua fuit; ideoque in lege noua antiquata est.

a Leu. 26. 34. Disperdidit &c.

Cur denique, antiquati.

CXXXV. Redit Moses in castra.

Sed redeamus ad Moysem, eumque ex tertia in monte commoratione, in planiciem aliquando campumque deducamus. His ergo multisque alijs Deum inter & Moysem, intra dies 40. transactis, propheta rediturus ad suos ita concludit. *Fuit ergo ibi cum Domino quadraginta dies & quadraginta noctes, panem non comedit & aquam non bibit*, id est ab omni plane cibo potuque abstinuit, nec deteriore fuit habitudine corporis post primum, quam post quadragesimum diem. Quam valetudinis cōstantiam comparat Abulensis *d* cum ea quam nunc retinent Elias, & Enoch, qui iam tot seculis sine cibo & potu perseuerant, & sine senectute veterascunt, æque viuidi ac vegeti, ac cum primū illuc translati sunt. Quod autem subditur e, *Et scripsit in tabulis verba fœderis decem*, dubium facit huius scriptionis autorem. S. Cyprianus *f*, & S. August. *g* Mosem scriptorem agnoscūt, propter ea verba, quæ paulò ante leguntur *h*, *Scribe tibi verba hæc* &c. At initio capitis huius Dominus promiserat se scripturum legem, sicut priorem in nouis tabulis. Et in Deuteron. *i* de Deo loquens *scripsit*, ait Moyses, *in tabulis, iuxta id quod prius scripserat, verba decem* &c. At minime dubia est prior scriptio, ergo neque posterior. Cæterum multiplex fœdus in his libris continetur, quorum præcipuum habetur in decalogo quem Deus angelico ministerio scripsit: cætera Moysem scriptorem habuerunt; vt placet Abulensi. *k*

d in 34. Exo. post. q. 23. Cum tabulis a Deo scriptis.

e Exo. 34. 28.

f q. 165. in Exod.

g Serm. de Spir. sancto.

h Exo. 34. 27. v. 1. & 10. & 4

Descendit ergo Moyses postremū de monte Sinai nono die septimi mensis, qui fuit vltimus tertij ieiunij quadragenarij, vt in expansis huius anni mēsibus Annales nostri ostendūt *l*, cum duabus nouis tabulis facie rutilante, expiato peccato vituli adorati; ex quo factus est dies hic *Kippur*, id est Expiationis *m*. Contigit autem reditus Mosis sub vesperam diei noni, quando festi dies inchoabantur, & factus est dies decimus expiationis, vt ex Leuitico liquet *n*. Ergo populus vestimenta luctus ad eam diem gestata deposuit, lætusque Moysi diu expectato occurrit. Nec obstat hunc diem à Deo afflictioni, & luctui fuisse destinatum, nōdum enim ea lex fuerat promulgata. Nec tamen relatum est in castra tabernaculum, quod alterum iam iamque conficiendum erat; nec graue populo erat, extra castra non magno interuallo, se orationis causa conferre.

k post. q. 23. & 24.

CXXXVI. Quod tempus festi ritus.

l n. 707. & 708.

m Leu. 16. 29.

n Leu. 23. 32. Cum publica lætitia accepit.

Quod si lætus Moysi reditus ad populi consolationem valuit, non defuit quod admirationem moueret, imo & concitaret timorem *o*. Nam Moyses *ex consortio sermonis Domini*, inscius faciem retulerat fulgurantem: & intentiores lucis radios, quasi cornua ex vtroque frontis angulo emittentem. Itaque ad tam nouum spectaculum Israelitæ, atque adeo ipse Aaron cum principibus synagogæ, timuerunt prope accedere, atque adeo retrocesserunt. At quomodo id dicitur *ex consortio sermonis Domini* contigisse. Nam iam sæpe cum Domino collocutus fuerat, atque adeo bis quadragenis diebus, nulla vultum luce afflatus. Itaque putat Abulensis, eum non tam ex consortio diuinæ collocutionis, quam visionis illius illustrissimæ, quam illi angelus in monte exhibuit, fulgoris illius participem esse factum, cum prius ignem tantum, nubem, & caliginem vidisset in angelo colloquente. Eo porro pertinebat hæc gloria, vt intelligeret populus, quantum

CXXXVII. Fulgor vultus Mosis.

o Exod. 34. 29.

Quæ eius causa.

Moses gratia valeret apud Deum, maiorique cum veneratione prosequeretur: nec vltra contemptim diceret p, *Moysi huic viro, qui nos eduxit de terra Ægypti, ignoramus quid acciderit.*

p *Exod.* 32. 1.

CCXXVIII. Fuisse deinceps perpetuo q *Exod.* 34. 5.

Fuisse autem hunc non vnius aut paucorum dierum fulgorem ex eo patet, quod Scriptura deinceps de eo, tanquam de re ordinaria loquatur. Moysem enim ait q solitum vultui suo velamen obtendere cum loqueretur ad populum, & illud deponere cum ad Dei colloquium in tabernaculum rediret. Quin etiam tota deinceps vita huiusmodi radios perseuerasse apparet, quod cum ij signum essent diuinæ in legatum suum beneuolentiæ, non erat rationi consentaneum id signum tolli perseuerante beneuolentia, quam ponimus vsque ad finem vitę perduraſſe. Quod si eam gloriam Dominus ei post tempus aliquod sustulisset, existimasset rudis populus eum non vltra gratum atque acceptum Deo; itaque vt erat ceruicosus & contumax, non vltra se illi reddidisset obsequętem. Est autem hoc tempus, quod supra alieno loco quasi per parenthesin r insertum fuerat, de Mose adeunte tabernaculum extra castra, & populo ei assurgente, & tergum aspiciente, donec ingrederetur tentorium vbi Dominus aliud edebat indicium suæ cum Mose amicitiæ, quod vidente populo *columna nubis*, quæ altius in aere pendere solebat, *descendebat & stabat ad ostium, loquebaturque cum Moyse, cernentibus vniuersis, quod columna nubis staret ad ostium tabernaculi. Stabantque ipsi, & adorabant per fores tabernaculorum suorum*, diuinam præsentiam ex descensu nubis agnoscentes. *Loquebatur autem Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum.*

Et quare

r *Exo* 33. 9. *vsque ad* 11. *vt de supra n.* 218.

CCXXX. Moses congregat populum

Restitutis ergo rebus in integrum, quas vitulus aureus turbauerat, atque disiecerat, congregauit populum Moses, vt illi enunciaret, quæ iam ante primis illis quadraginta diebus à Deo acceperat in mandatis. Id videtur vndecimo die septimi mensis contigisse. Ad vesperam enim dici noni, quo explebantur postremi 40. dies venit Moses in castra, & à paucis, præter domesticos visus est. Postridie honoris causa venerunt ad eum tam Aaron, quam principes synagogæ, perque eos admonitus est vniuersus populus, vt postridie certum in locum conuenirent, ad audienda quæ Dominus præscripserat a. *Igitur congregata omni turba filiorum Israel*, enunciauit quæ Dominus fieri iusserat ad constructionem Sanctuarij, omnemque eius apparatum, qui supra à vigesimo quinto capite præscriptus, deinceps compendio traditur. Quæ dum à Moyse declarantur, incăluit vniuersæ multitudinis animus ad largiendum omnia, quæ operi sacrosancto necessaria erant, vsque ad *armillas, & inaures, & annulos & dextralia*. Denique *omne vas aureum in donaria Domini separatum est*. Nimirum ne liberaliores erga Dæmonem pro vitulo aureo, quă erga Deum pro eius Sanctuario fuisse viderentur. Imo maculam illam prorsus delere voluisse visi sunt, quando artifices b compulsi sunt venire ad Mosem, & ille populo per præconem denunciare, vt nihil vltra offerret.

a *Exo.* 35. 1. Eiq; nunciat constructionem Sanctuarij.

Liber alitas populi

b *Exo.* 36. 4.

CCXL. Qui artifices.

Artifices autem prius nominatim a Deo appellatos, & eruditos omni arte atque industria ad diuinum opus, populo denunciat, & operibus præficit, quibus etiam alij egregij artifices adiuncti sunt seque vltro obtulerũt ad faciendum opus, quod Scriptura c, ad caput vsque quadragesimum persequitur, & iam superius per partes suas explicatum est satis. Non omittam tamen auri summam à populo collatam cum Mose referre *Omne aurum*, inquit, *quod expensum est in opere Sanctuarij. & quod oblatum est in donarijs viginti nouem talentorum fuit, & septingentorum triginta siclorum*, quæ summa redacta ad pecuniæ gallicæ æstimationem ascendit ad trecenta sexaginta quinque millia quingentos & quadraginta vnum aureos, & solidos 40. vt in Annalibus explicatum est, vbi argenti quoque & æris æstimationem reperies. Huic autem liberalitati seruiebat, quod nihil isti populo ad victum vestitumque expendendum erat, vt septimum iam mensem experti fuerãt, & deinde ad quadragesimum vsque annum eorum filij probauerunt. Accessit his plurima lanea, linea, ligneaque materies, plurimus pellium, gemmarum, & pretiosorum lapidum apparatus: in quibus dum artifices non pauci magno studio elaborant, quinque circiter menses abierunt, vt postea intelligetur.

c *Exo.* 38. 24.

Quanta vis auri cõtributa

CCXLI. Moses dimittit populi controuersias

Interea porro Moses boni principis & pastoris munus in regendo populo, eiusque controuersijs componendis exequitur. Nam in tam diuturna eius absentia, multa quotidie in tanta populi multitudine exorta sunt dubia, quæ ad reditum Mosis ab ordinarijs iudicibus reiecta fuerant. Dum ergo in his multus est Legislator, venit ad ipsum Iethro cognatus eius. Etsi enim prius res à Mose narrata est, ad hoc tamen tempus certum est pertinere aduẽtum soceri Mosis. Nam temporis angustiæ non patiuntur, vt ante legem datam venerit, vt in d Annalibus accurate docuimus; post legem autem nullum tempus hoc cõuenientius occurrit. Quin etiam si satis attendimus, Moyses ipse testis est e socerum post acceptas à Deo leges aduenisse, vt qui illi dicat se populum totis diebus ex Dei præceptis, legibusque iudicare, eumque illa docere; quod à Philone libro de temulentia & nominum mutatione notatum est. Adde quod Scriptura testatur Iethro obtulisse holocausta & hostias: vtique pacificas, de quibus mox epulati sunt, quæ sacrificiorum distinctio non erat ante datam legem. Denique Tribuni & Centuriones, qui hortatore Iethro instituti sunt, ante discessum ex monte Sina sunt instituti, sub huius anni finem, vel sequentis initium, vt suo loco dicetur.

Tempus aduentus Iethro.

d *n.* 720. 11. 12.

e *Exod.* 18. 16.

CCXLII. Qui eius comites.

Cum ergo *audisset Iethro*, Sacerdos Madian, id est vir in Madianitide primarius, vt supra f explicatum est, & Moysi socer, omnia quæ fecerat Deus Moysi, & Israeli populo suo, tulit Sephoram, quam Moyses in Ægyptum proficiscens remiserat, & duos eius filios Gersam & Eliezer, & venit ad generum in desertum ad Montem Dei Horeb. Duxit quoque secum Hobab filium suum, qui patre domum redeũte cum Mose remansit, eius precibus acquiescens. Noluit autem Iethro, vt prudentem virum decebat, generum improuiso aduẽtu opprimere, sed principis populi honori cõsulens, cum de aduentu suo præmonuit, vt ab eo fierent, ac pararentur, quæ vtrumque decebant. Quo egresso in occursum cognati, mutuis

f *An. Moysi* 41.

Confirmatus in fide vera.

ambo

ambo honoris ac beneuolentiæ officijs decertarunt. Cumque Moyses sermonem instituisset de mirabilibus Dei operibus, in liberando populo suo, quibus illum pridem ad veri Dei fidem traductum confirmare cupiebat, valde admirans *g* in vocem laudis ac confessionis erupit: qua se verum Dei cultorem ostendit.

g *c.18.10.*

CCXLIII. Nec fit proselytus

Nec tamen, vt docet Abulensis, alijque eum secuti, factus est proselytus Iudæorum neque circunciſus, ideoque neque ad Mosaicæ legis obseruationem *h* obligabatur: & poterat sine ea, in fide veri Dei, & venturi Messiæ saluus esse. Accedit quod apud Madianitas obseruari non potuissent, quæ pertinebant ad ceremonias Mosaicæ legis. Nec Israelitæ hominem circunciſum, & debitorem vniuersæ legis, permisissent redire ad suos, apud quos eam obseruare non posset, & periculum adiret recidendi in patrias & auitas superstitiones. Cum ergo redierit ad suos *i*, vt in fine capitis habetur, intelligitur eum liberum à Iudaicis obseruationibus remansisse. Quod autem Hebraico ritu sacrificauit, se veri Dei cultorem ostendit: quod autem sacrificauit, licet ad Leuiticam tribum non pertinuerit, ostendit se iura naturæ in Deo colendo retinere velle, quæ sacrificia certis personis non alligauit. A sacrificijs autem ad epulas ventum est. *Venerunt* enim *Aaron, & omnes seniores Israel, vt comederent panem cum eo coram Deo.* Id est iuxta tabernaculum, in quo sacrificatum fuerat Deo, quod tunc erat extra castra, cuius custodem agebat Iosue *k*, vt alibi dictum est.

h *Gal.5.3*

i *Exo.18. fi.*

sacrificia ius. epulæ.

k *Exo.33. 11.*

CCXLIV. Iethro Mosem de inutili labore moner.

Postridie aduentus Iethro a, *sedit Moses vt iudicaret populum, qui assistebat Moysi à mane vsque ad vesperam*, mirabili Legislatoris populique patientia. Quod videns Iethro monuit generum, ne se minime necessario labore conficeret; quin illum potius cum primarijs de populo viris partiretur: rem futuram & ijs qui eligerentur minimè grauem, sed gratam potius & honorificam, & populo, ipsique valde fructuosam, cum illius negotia citius expedirentur, & ipse plus temporis ad vacandum Deo, grauioribusque negotijs habiturus esset. Circa præpositos autem ac præsides duo monet; alterum de virtutum ornamentis, quibus insignes esse debebant, vt rectè iudiciario munere fungerentur; alterum de idonea inter ipsos alternaque subiectione.

a *Exo.18. 15.*

CCXLV. Conditiones iudicum eligendorum.

Vult itaque eos esse viros potentes, siue viros virtutis, vt est in Hebræo, id est fortes, strenuos atque magnanimos, iuxta illud Sapientis b, *Noli quærere fieri iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates*, 2. timentes Deum, Septuag. θεοσεβεῖς, id est religiosos ac pios; qui scilicet intelligant se obnoxios reddendæ *c* Deo rationi, & quidem perquam seueræ. Tertia iudicum virtus est veritas, cuius vt amatores esse debent, ita omnem hypocrisim, fraudem, simulationem vitare, fictosque ac duplices corde auersari. Denique eligi vult qui oderint auaritiam, quæ ius fasque omne perrumpit. *Principes tui* d, ait Dominus, *infideles, socij furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones.* Vt mirum non sit si pauperi & pupillo non iudicent, & causa viduæ, quæ explere nequit eorum auaritiam, non ingrediatur ad illos.

b *Eccli. 7.6.*

c *Sap.6.4*

d *Esa.1.23*

CCXLVI.

Ad vitandam autem confusionem, vtque tota gubernatio ad vnum reuocetur caput, suadet vt iudicum, ac magistratuum maiores alios, alios minores constituat, sibique inuicem subiectos ac subalternos *e*, *Constitue*, inquit, *ex eis Tribunos*, siue millenarios iuxta Hebræum & Sept. ex quo intelligitur hos alios esse à principibus Tribuum, in quibus multa millia continebantur: pergit, *& Centuriones & Quinquagenarios, & Decanos, qui iudicent populum omni tempore.* Et quidem ita, vt à minoribus ad maiores certis in causis ius appellationis esset, vt pluribus disputat Abulensis *f*. Quo audito, probatoque consilio, Moyses populum conuocauit, retulitque, vt habetur initio Deuteron. *g* se vniuerso populo gubernando parem esse non posse, propter immensam eius multitudinem ideoque petere vt viros de tribubus suis darent sapientes, & gnaros, & probatæ conuersationis, qui constituerentur populi iudices. Cumque populus respondisset, id sibi placere, *Tuli*, ait Moyses *de tribubus vestris viros sapientes, & nobiles, & constitui eos principes* siue præpositos, *tribunos* &c.

Estne in. iudicio e *vers.* 8.

f *q.11. in c.18. Exo.* g *c.1. 10* Ita Moses ad populũ refert.

Dubium relinquit Moyses à quo facta fuerit horum iudicum electio, à populone, an à Moyse. Et apparet ab vtroque factam; à populo primum, propter illud, *Date ex vobis viros* &c. alioqui dicturus videbatur, Eligam, vel accipiam ex vobis. Deinde à Mose, eo quod ait se tulisse, siue elegisse de tribubus viros, &c. sed ita vt populus eligeret binos vel ternos ad singula officia, ex quibus Moyses vnum acciperet, quem magis probaret. Et certe conueniebat populum, in hac electione per communia suffragia, honorari, & ab eo potestatem iudicibus super negotia sua tribui, vt de priuatis personis publicæ fierent, earumque iudicijs acquiescere cogerentur, qui suam in eos potestatem transtulissent. Cumque optimi quique eligendi essent, & probatæ in populo conuersationis, vt ait ipsemet Legislator *h*, conueniebat populum, qui eos ex communis vitæ consuetudine cognitos habebat, ipsos eligere. Quomodo autem facta videatur illa hæc electio, quæ fuerit singulorum iurisdictio, quæ Mosis propria, quando, quamque diu hæc officia singuli exercerent, & an transmitteret ad filios suos, breuiter & diligenter explicatum reperies in Annalibus *i*, fusissime autem apud Abulensem *k*.

CCXLVII. Electi a populo & a Mose.

h *Deut. 1 13.*

i *An. Mo. sis 81 n. 338. 719. & seq. k in 18. 2 10. q. 7. & seq.*

Illud tamen non omittam, esse qui hoc tempore magnum illud Hebræorum concilium institutum putent, quod Synedrium posterioribus temporibus dictum est. Verum id concilium Hierosolymitanum fuit, vnius & Septuag. virorum, vt tradunt Thalmudistæ apud Galatinum. Quod illi potius concilio successit, quod Dei iussu electum est a Moyse seniorum Septuaginta, quibus Dominus de spiritu Mosis communicauit. Nam istis tribunis & centurionibus successerunt Iudices singularum ciuitatum, de quibus præcepit Dominus l. *Iudices & magistros constitues in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus tuus dederit tibi, per singulas tribus tuas, vt iudicent populum iusto iudicio, nec in alteram partem declinent.* Capite autem sequenti *m* præcipitur vt si iudicium in ciuitatibus expediri non possit, ad summum pontificem eiusque concilium recurratur. Et multiplex fuit in-

CCXLVIII. Hi magistratus alij à Synedrio.

l *Deut. 16 18.*

m *c.17.* Et qui differant

ter

ter vtrosque discrimen. Nam illi authore aut suasore Iethro instituti sunt, illi iubente Deo electi, etsi vtrique ad leuandum grauiore onere Moysem. Isti anno primo creati sunt, in mansione duodecima in Sina, illi anno secundo in mansione 13. in sepulchris concupiscentiæ. Istorum nec certus præscribitur numerus, nec ætas, illorum autem maxime. Iubet enim Dominus congregari 70. viros de senioribus. Isti de omni plebe, singulisque tribubus eliguntur, quod de illis præscriptum non est, vt qui aliquando futuri erant omnes de tribu Iuda, & Ierosolymitæ, & magna ex parte de familia Dauid, quos propterea Herodes interfecit.

C.CL.XLIX. Iethro quando recessit

Sed redeamus ad Iethro, virum de Hebræorum Republica, optime, vel hac institutione, meritum: cuius dimissionis Scriptura nullam adhibet temporis notam, mihi admodum probabile videtur Iethro cum omni suo comitatu apud Mosem mansisse quandiu in Sina substiterunt. Cum autem Deo iubente, & nube progrediente vasa cœpta sunt conclamari, tum demum Raguelem reditum ad suos vrgere apud generum institisse, vt domui suæ senior, ex longo iam interuallo prospiceret: nec iustam petitionem à Mose repudiatam esse, qui cum iam menses aliquot de rebus diuinis satis erudierat. Filius tamen eius Hobab, rogante Mose, cum ipso, & sorore, & nepotibus suis, discedente patre remansit, vt suo loco dicemus.

CCL. Iobi obitus & ætas.

Superest nobis hoc anno fœlix sanctissimi Iobi ad Deum transitus, cuius ætatem ex Hebræo textu latinoque consentiente consignatam Septuaginta dubiam reddiderunt, errato fortasse in numeros illapso: communis autem sententia cum B. Iobo 140. annos vitæ attribuat, post exantlatas septennij calamitates, ijque anni duplices ad priores annos fuerint, consequens est vt statim a Septuagesimo anno in arenam contra dæmonem certamenque descenderit, in eoque septem annis, vt suo loco docuimus, summa animi corporisque contentione collocatis, ad 217. annum, quem nunc agimus viuendo peruenerit a. *Vixit* ergo *Iob postbæc*, ait Scriptura, 140 *annis, & vidit filios filiorum suorum vsque ad quartam generationem*, etiam ipso Iobo, si placet, non numerato. Cuius eximiam sanctitatem & innocentiam Deus ipse in Scriptura prædicat, cum elogio mirabili. Negat enim illi similem in terram repertum, eo ipso tempore, quo Ioseph cæterique Patriarchæ, atque adeo Iacob ipse viuebat.

a c.42. 16

C.L. Mira eius innocentia, multiplex qi

Quin etiam ipsum, t audiente atque approbante Domino, dicere non dubitauit b, *donec deficiam non recedam ab innocentia mea; iustificationem meam, quam cœpi tenere, non deseram, neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea.* Vbi Origenes *Mirifica tuffi fiducia, qua non modo eius vita superior, sed ærumnosi etiam temporis conditio nitebatur, vt dicere non dubitaret, quod deinde Paulus vsurpauit, nihil mihi conscius sum.* Nunquam videlicet cum conscientia, quasi grauioris culpæ reum carpserat. Nec opinor est vlla virtus, quam beatissimo isti viro vindicare non possimus, certissimisque ex eius libris testimonijs comprobare. Neque sane mirum. Cum enim à Deo in Principem, Patriarcham, & Prophetam electus fuerit, in Martyrem, Doctorem, atque Sacerdotem, oportet illum tot tantarumque dignitatum ornamenta propria diuinitus accepisse: regiam animi magnitudinem aduersus potentes, humanitatem & mansuetudinem aduersus tenuiores, iustitiam & sapientiam aduersus omnes. Patriarcha fuit, populi Deum extra Israelitas colentis, siue genus illius spectes, siue viuendi rationem, qua multiplex figura fuit Christi Domini.

b *Iob.* 27. 5 o.

Rex fuit.

Patriarcha

C.CL.II. Propheta.

Prophetam plerique sanctorum Patrum celebrant; sed vt omnes tacerent, illud tamen oraculum, quod de resurrectione corporum admirabili claritate profudit, illum meritissimò Prophetis aggregat. Martyrem illum ità celebrat Chrysostomus c, vt sexcentis martyribus æquet. Neque tamen ex sola suppliciorum acerbitate, sed etiam ex eorum causa martyrij coronam promeruit. Neque solum martyribus, sed ipsis etiam Apostolis parem, aut superiorem etiam arbitrari videtur, quæ in Annalibus d non negligenter disputata reperies, quæ hic missa facere cogimur, memores institutæ breuitatis. Fuisse tamen quasi quendam gentium Apostolum ac magistrum, non solum vita sanctissime, qua mundo illuxit, sed doctrina de incarnatione Domini, de peccato originis, de resurrectione mortuorum aperte patefecit. Denique sacerdotem, ipsum sacrificandi munus, crebrius pro filijs amicisque iteratum satis ostendit. Nihil ergo mirum Iobum, tot titulis illustre caput, eius etiam præclarissimum typum extitisse, in quem omnes omnium tituli dignitatum cadunt. Sed eam quoque comparationem breuitatis causa hic omittamus.

Martyr. c *Hom. 1. in 2. ad Cor.*

Apostolus & doctor gentium. d *n. 760. & segq.*

Sacerdos

ANNVS MVNDI 2545.

AARONIS 85. Pontificatus 1.

MOSIS 82.

ASCATADIS 10. Imperij Assyrior. 614.

ANTE CHRISTVM 1508.

I. Transitus ad alterũ annum.

EXpeditis aliquando rebus ad primum annum egressionis pertinentibus, & amplissima negotiorum sylua peragrata, ad alterum eiusdem peregrinationis annum, propitio, vt speramus, numine, aggredimur. Annum religionis & sanctitatis, annum obtrectationum & querelarum, annum animaduersionum & vindictarum diuinarum. Nam erigitur in eo, atque dedicatur Sanctuarium cum omni apparatu suo: Aaron cum filijs suis, totaque Leuitica tribus addicitur Deo: varij festi dies partim instituti confirmantur, partim recens instituuntur, numeratur populus, castrorum, tribuumque singularum stationes, per circuitum Sanctuarij constituuntur, Maria murmurat, mittuntur exploratores, & in eorum reditu populus vniuersus grauissima seditione turbatur: quæ suis quæque locis, quanta fieri breuitate decurrentur.

II. Quantum perfectum fuerit Sanctuarium.

Quoniam vero nihil habemus hoc anno prius ipsa perfectione Tabernaculi, quod superiore anno sub medium septimi mensis inchoatum,

choatum primum anni Iuliani mensem, & bonam secundi tenuit, ab ipso Sanctuario ducamus initium. Perfectum est itaque totum opus Sanctuarij versus finem mensis Adar, qui est Hebræorum duodecimus & Februario nostro respondet. Aliquot enim dies, à perfecto iam opere, requirit illa Domini iussio a, *Mense primo prima die mensis eriges Tabernaculum*; quæ si facta fuisset vltimo, aut penultimo die Adar, dixisset Dominus, Crasaut perendie eriges Tabernaculum. Duodecimo igitur mense ad finem vergente artifices *obtulerunt Tabernaculum* b, vel, vt est in Hebræo, attulerunt ad Mosem, non quidem reipsa, non enim necessaria erat transportatio, donec erigi deberet, sed verbo significarunt perfecta ac parata esse omnia. Itaque apparet Moysem eo fuisse profectum, quo omnia asseruabantur, vt quæque fuerant absoluta. *Quæ postquam Moyses cuncta vidit completa, benedixit eis*: bene precatus est illis à Domino, vel, vt alij interpretantur, collaudauit eos, de opere sancto, studiose; accuratèque perfecto. Addit Iosephus c præmia illis à Mose, pro cuiusque meritis esse distributa, in primisque Beseleeli, qui fabrilis artis palmam tulerat.

a Exo. 40 2. Et Mos. ab artificibus obtin. um. b Exo. 39 32.

c l. 3. Ant. c. 9.

III. Erigitur, & suo quidque loco constituitur. d Exo. 40 15. 16 Heb erigi fecit.

Interea aduenit primus ille primi mensis dies d, diuinitus erigendo tabernaculo destinatus, in quo Moses diuinorum mandatorum obseruantissimus, *erexit illud* artificum vtique manu, *& posuit tabulas ac bases & vectes*, quibus sustentabantur ac connectebantur tres tabernaculi parietes, meridianus, aquilonaris, & occiduus, *statuit que columnas* quatuor, quibus diuidebatur oraculum ab æde reliqua & quinque columnas in aditú Sancti, *& expandit tectum super* totum *tabernaculum*, *impositio desuper operimento* quadruplici, quod toti tabernaculo instar tecti fuit. *Posuit & testimonium in arca*, duas scilicet tabulas lapideas, in testimonium initi cum populo fœderis, *& oraculum desuper*, propitiatorium scilicet, cum Cherubinis, illud hinc & inde gestantibus, & illud expansis alis obumbrantibus. *Cumque intulisset arcam in tabernaculum* extremum, versus occasum, quæ pars totius ædis sanctissima, deinceps Sancta sanctorum dicta est; *appendit ante illam velum* illud picturatum, quod ex tecto pendebat, & columnis quatuor sustentabatur, ita vt eas obtegeret, exceptis capitellis. Nam è superiore parte vacuum erat interuallum, per quod fumus ex altari thymiamatis transmittebatur in Sanctum sanctorum.

d Exo. 40 15. 16 Heb erigi fecit.

VI. Quæ facta in Sancto.

In altera vero ædis parte quæ dicta est Sancta, *posuit mensam ad plagam Septentrionalem extra velum* oraculi, *ordinatis coram propositionis panibus* in duos scilicet ordines digestis, quorum vterque senos habebat congestos panes, cum reliquo apparatu. E regione autem mensæ, in parte australi posuit candelabrum, locatis *per ordinem lucernis*, & accensis, vt est in Hebræo. In medio vero vtriusque *contra velum* & propius ad velum posuit altare aureum, sed extra penitius illud sacrarium quo claudebatur arca: *& adoleuit super eo incensum aromatum. Posuit & tentorium in introitu tabernaculi testimonij.* Velum videlicet vario artificio picturatum, ad quinque columnas, quæ erant in aditu tabernaculi. Inde aliquanto longius in atrio constituit altare holocaustorum, in quo holocaustum obtulit, & sacrificia. Inter autem hoc altare & ipsum tabernaculum constituit labrum siue concham, quam impleuit aqua. Ibique deinceps Moyses & Aaron & filij eius, cum ingrederentur in tabernaculum, manus lauabant ac pedes.

Erexit, denique *atrium per gyrum tabernaculi & altaris*; columnas scilicet sexaginta cum basibus suis, & capitellis, & velis ad centum cubitos longitudinis, & 50. latitudinis, vt supra descripsimus e, *ducto in introitu eius tentorio*. Intelligit aulæum illud 20. cubitorum, opere plumario elaboratum, quod tribus medijs columnis suis sustentabatur, & per quod aditus erat in atrium. Erectionem totius sanctuarij subsecuta est vnctio, siue sanctificatio eius. Nam ab artificibus erigi oportebat; non enim exigui operis id fuit, at inunctum profanis hominibus non licebat attingere f. Itaque Dominus prius Sanctuarium erigi iussit, deinde oleo inungi, cum vasis suis. Vnctio autem proprie sumenda est, vt sacro illo vnguento, quod præscripserat Dominus g, res non leuiter aspergerentur, sed perfunderentur; quod valde suadet ingens illius vnguenti copia, cuius aridæ materiæ pondus mille & quingentorum siclorum fuit. Mensuram autem Hin, quæ fuit olei, 160. vncijs æstimat Cornelius.

V. Et quæ in atrio. e Ant. l. Exitus n. 172. & 173.

Omnia vnctione consecrantur. f c. 40. 8. & 9. vide & Nu 7. 1.

g Exo. 30 23. &c.

Subdit hic Moyses diuinam vniuersi operis approbationem, per singularem demonstrationem præsentiæ suæ in nube lucida. Hoc enim approbantis indicium est, sicut auersio & discessus improbantis. Subdit & Aaronis & filiorum eius, simulque altaris holocaustorum consecrationem, quæ hoc mensis initio inchoata, tenuit per septem dies, quibus, pœna mortis proposita, in atrio Sanctuarij excitato tabernaculo, quod quinque personis sufficeret, dies noctesque perstiterunt, cibo ibi ac potu & somno sumpto. Hosce autem omnes ritus consecrationis, non est necesse pluribus, persequi festinantes, cum ea ex Annalibus h, à studiosis peti possint; & sacræ potius historiæ à nobis, quam antiquatæ Hebræorum ceremoniæ expectentur. Nec tamen ab his licet penitus abstinere, cum his sæpe historiæ sacræ coniunctæ sint.

VI Diuina operis approbatio, consecratio Aaronis & filiorum eius.

h n. 14. & seqq.

Nam cum iam abijssent septem consecrationis dies, octauo die huius mensis primi, quo Aaron cœpit fungi ministerio pontificatus sui, certa quædam sacrificia præparauit, quæ mox cælestis ignis absumpsit, tum ad honorandum Aaronem, tum primum pontificio munere fungentem, tum etiam ad approbanda coram toto populo sacrificia, quæ ab eo deinceps crebro volebat offerri; tum denique ad conciliandam diuino cultui, ipsique Deo in primis laudem & venerationem. Sicut autem in hoc Synagogæ ortu Deus voluit miraculis firmare veritatem, ac sanctitatem legis & ceremoniarũ quorum ipsemet autor erat, neque deinceps idem miraculum iteratum est. Ita in ortu legis euangelicæ, & praxi eius, descendebat Spiritus Sanctus sub specie ignis, aut columbæ in eos qui baptizabantur, quod miraculum stabilita fide fieri desijt.

VII. Aaron incipit operc pontificc. eius sacrificia igne diuino consumuntur

Sed hunc diem toti populo lætum, Aaronis autem familiæ gloriosum, tristissimus exitus

funestauit,

funestauit. Cædes videlicet illata diuinitus duobus filijs Aaronis, quam in hunc diem octauum consecrati Pontificis, Hebræi magno consensu referunt; etsi totam hanc consecrationem octo diebus antecuertunt. Eaque videtur omnino scripturæ sententia, quæ eadem plane narratione tam emissionem cælestis ignis, quam conflagrationem Nadab & Abiu coniunxit, eamq; temporis rationem plurimi amplectuntur interpretes. Causam porro tam seueræ animaduersionis a multis in locis Scriptura prodit, oblationem ignis alieni, id est profani, quo in atrio Sanctuarij carnes coquebantur, non sacri ex altari holocaustorum, vt iubebat Dominus, accepti: idque vel ex imprudentia qualis solet contingere ijs, qui noui sunt in aliquo munere, vel ex oblitione præcepti, vel ex quodam contemptu, si rati sunt perinde esse quouis igne vt, vt putat Abul. melius quam Rabbini, qui eos arbitrantur ex ebrietate peccasse. Id autem propterea suspicantur, quod mox Dominus Aaroni præcepit, ne ipse aut filij eius, vinum, aut aliud biberent, quod inebriare posset, quando intrarent in tabernaculum. Verum id Scriptura refellit *b*, quæ negat Israelitas, nedum sacerdotes, totis 40. annis vinum vel siceram bibisse. Cornelius ait eos, viso igne cœlitus in altare delapso, perturbatos, non fuisse ausos ad altare accedere, vt inde ignem acciperent, sed aliunde raptim accepisse. quod videtur innuisse *c* Scriptura cum ait, eos arripuisse thuribula sua.

VIII. Cædes filiorum Aaronis quando & vbi facta. In Chron. & Caled.

Causa eius al. exit. c. 10. 1. c. 16. 1. Num. c. 3. 4 c. 26. 61. 1. Par. 24. 2.

Ab ebrietas.

b Deut. 29. 6.

c Leu. 10. 1.

Ea pœna quæ humano iudicio seuerior videri possit, voluit Dominus ostendere quantæ curæ sibi sit, vt quæ ad sacrum pertinent cultum, rite religioseque obeantur, quando modicam, vt apparet, culpam, capitalem ipse iudicauerit. Voluit quoque exemplo tam tristi, à principio timorem populo duræ seruicis incutere; ne si culpam in sacro ministerio dissimularet eo tempore, quo cuncta solent exactius obseruari, studio pietatis in ipsis initijs feruente, insignis sensim negligentia, diuina instituta turbaret. Neque mirum in lege seruitutis ita factum, cum in lege gratiæ suppari exemplo Ananias & Saphira subita morte prostrati fuerint, dum metu ac diffidentia humanitus stimulante, aliquid sibi non de alieno rapere, sed de suo reseruare voluerunt. Existimat Abulensis *d* hos sacerdotes, in ipsa mortis inflictione, de peccato dolentes ab æternis cruciatibus fuisse liberatos. Mortui autem sunt, non in atrio, dum adirent tabernaculum, sed in ipso tabernaculo, dum offerrent thymiama ante altare thymiamatis. Itaque Dominus non cogitatum sacrilegium, sed reipsa perpetratum puniuit, igne ab ipso altari, aut, vt alijs placet, è propitiatorio erumpente.

IX. Eiusdem causa ex parte Dei.

d q. 13. in c. 10. Leu. Admonati sunt.

At quæ mens Mosis, quis sensus fuit in tam tristi carissimorum sibi capitum funere? certe hominis, qui Dei gloriam omnibus humanis affectibus fortiter anteferret. Nam ad Aaronem tanta perculsum clade conuersus. *Hoc est*, inquit *e*, *quod locutus est Dominus, Sanctificabor in ijs, qui appropinquant mihi, & in conspectu omnis populi glorificabor.* Quasi dicat, Sanctum me ostendam, & sanctitatis amantem, dum puniam eos qui sanctitatem violant, & contra eos qui sacrum ministerium profanant, coram omnibus gloriosus ac terribilis apparebo. Vbi autem Dominus id dixerit, nusquam legitur. Nam alia quoque Dominus priuatim Moysi reuelauit, quæ ipse in scripta non retulit. Sed neque illud de igne profano prohibito, aut sacro imperato facile reperies. Quid autem Aaron? his auditis *tacuit*, quantauis mœstitia, vel luctu saucius, partim diuinæ acquiescens voluntati, partim quia in sacro amictu lugere non licebat. Internum tamen animi luctum extremo hoc capite *f* apertè confitetur; quod abest ab Hebræo, & paraphrastice additum est in versione Hieronymi: neque is vetabatur, sed externus tantum *g*, qui nudatione capitis sese, vel vestium laceratione prodebat.

X. Quæ hæc mens Mosis.

e Leu. 10. 3.

Et Aaronis.

f Leu. 10. 19.

g Leu. 10. 6.

Sequitur funus, de quo tria breuiter tangit Legislator, à quibus sepulti fuerint, vbi, & quomodo. Quod ad primum, vocauit ad se Moyses cognatos suos, Misaelem & Elisaphan filios Ozielis patrui sui, quos iussit auferre corpora mortuorum de conspectu Sanctuarij. Decebat enim Leuitas Leuitis iusta præstare, & quidē proximos potius quam remotos; Quoniam autem non licuit Aaroni, reliquisue filijs eius id obire munus, cognati proximi assumpti sunt, qui iussu Mosis Sanctuarium ingredi potuerunt. Iussi sunt autem cadauera efferre extra castra. Intra castra enim mortuos sepelire non licebat, nedum in Tabernaculo vbi iacebant, aut atrio Sanctuarij; in quod ne ingredi quidem licebat ei, qui cadauer contigisset. Intra castra vero sepelire non licuit, quia loca sepulchris dicata religiosa censebantur, neque in ijs opera vilia & sordida, sicut in priuatis habitationibus licebat exercere: qui mos in consuetudine potius, quam in lege fuit; & nunc quoque apud infelices Iudæos perseuerat. Sepultos autem cum vestibus in quibus ministrabant in Sanctuario, Abulensis *h* existimat. Eo quod scriptum est, *Tulerunt eos sicut iacebant vestitos lineis tunicis.* Et sane crediderim eos cum illis vestibus elatos foras. Sed ijs mox nudatos, & sindone inuolutos, terræ mandatos fuisse, vt fieri solet in funeribus sacerdotum.

XI. A quibus sepulti.

Vbi.

Ab cum sacris vestibus.

h q. 11. in c. 10. Leu.

Sub hos ergo primi mensis dies sepultura illa filiorum Aaron celebrata est; eaque postridie mortis facta videtur, cum honorifica fuerit, vt Iosephus ait *i*, & vniuersi populi luctu decorata, vt iusserat Moyses. Sub eosdem etiam dies mandata est a Domino *l* celebratio secundi paschatis eodem ipso die, quo primum fuerat in Ægypto celebratum, & cum ijsdem ritibus; Itaque factum est decimoquarto die, vniuerso populo anniuersarium libertatis suæ diem cum gaudio celebrante. Cum autem contigisset quosdam immundos esse propter contactum cadaueris, propterea que non possent cum cæteris celebrare pascha, consultus Dominus, iussit illos, alios que deinceps legitimo impedimento occupatos, eam celebritatem in sequentem mensem, diemque eius decimum quartum differre. Apparet autem hosce immundos super anima hominis, siue hominum, fuisse Misaelem & Elisapham, quorum immunditia ex funere cognatorum ad decimum sextum primi mensis extendebatur. Res certe ipsa, & tempus coniecturam iuuant. Et etsi illi viri primarij, qui per se Moysem adire possent, & confidentius cum ipso agere. Nec ob-

XII. Secundum Pascha Hebræorum.

i l. 3. Ant. c. 9.

k Leu. 10 6.

l Nu. 9. 1.

Eiusdem dilatio in mensem alterum.

Quæ dilationis occasio.

stat

stat quod de vnico funere agatur: facile enim intelligitur enallage numeri, cum ad immunditiam eadem esset ratio vnius & plurium mortuorum.

XIII. Sacrificiũ & celebritas expiationis.

Proxime post mortem filiorum Aaronis, & occasione cladis illius instituit Dominus sacrificium & celebritatem expiationis, quæ tamen non hoc tempore, sed die decimo septimi mensis celebrabatur: quo die ius erat summo Pontifici intrare in Sanctum Sanctorum, idque cum multo ceremoniarum apparatu, sacrificiorum, vestiumque delectu, quæ perspicue Leuitici decimosexto perscribuntur. Fuit autem hæc solennitas expiationis, non peculiaris alicuius peccati, sed omnium populi totius. Sic enim in lege scriptum est a. *Et expiet Sanctuarium ab immunditijs filiorum Israel, & a præuaricationibus eorum, cunctisque peccatis.* Idque ibidem aliquoties iteratur. Dicitur autem contaminari Sanctuarium in æstimatione humana, quando aliquid contra eius honorem, ac reuerentiam committitur: neque Deo, qui singulari modo illi adest, ibique colitur debita veneratio exhibetur. Id quia tripliciter fieri poterat, vel per contractam sine culpa legalem immunditiam, vel per culpam malitiosa voluntate commissam, vel denique per peccatum aliquod ex ignorantia, humanaue imbecillitate admissum: ideo dicitur Sanctuarium expiari ab immunditijs filiorum Israel, & à præuaricationibus eorum, cunctisque peccatis.

a *Leu.*16. *v.*16. 21. 25.30.

Triplicis culpæ.

XIV. Blasphemiæ crimẽ

Alia pleraque sub hoc ipsum primi mensis tẽpus, in quo adhuc versamur acciderũt Moysi dicta & mandata diuinitus, quæ libro Leuitici continentur, quæ quia parum ad institutũ nostrum pertinent, Scripturæ interpretibus relinquemus. Ea dum populo à Moyse promulgantur, contigit nefarium hominem Dominum blasphemare, vt in vigesimo quarto Leuitici b, perscriptum est. Id enim scelus ad hunc mensem pertinere ex eo colligitur, quod liber hic librũ Num. antecedat, qui à secundo huius anni mẽse ducit initium. Scriptura genus eius refert ex Ægyptio & Israelitico mixtum: tribum ex matre Danitica; crimen maledictum in Deum, occasionem iurgium in castris cum viro Israelita, eòque, vt ait Philo, Sacerdote, ex quo significatur illum per iram in blasphemas prorupisse voces. Iurgij autem materiam Rabbini non vnam comminiscuntur, quas apud Abulensem leges c. Quid multa? rapitur ad iudicium, in vincula conijcitur, consulitur Dominus, quia etsi constabat satis crimen morte expiandum, nondum tamen in specie traditum erat, quæ pœna tanto tamque inopinato crimini deberetur. Iussit Dominus blasphemũ educi extra castra, ne illius impuro sanguine contaminarentur, & omnes qui audierant vocem execrandam, manus suas capiti sontis imponere, & mox vniuersum populum illum saxis obruere. Quam pœnam in posterum legitimam esse sanciuit.

b *Leu.*24 10.

c *v.*9. *in* c 24. *Leu* & pœna.

XV. Census populi eiusque causa

Hæc de Leuitico, sequitur Numerorum liber. Antequam autem populus fœdissima vituli adoratione contaminaretur, iam dixerat Dominus d Moysi, futurum vt populus suo iussu numeraretur, eum nunc statim initio secundi mensis censeri iussit e. Cum enim paulò post ex monte Sina, loco duodecimæ mansionis, emigrandum esset, multisque annis per vastissimam solitudinem oberrandum, oportuit populum numerari, & in sua quemq; familia, tribuq; censeri, singulisque tribubus, pro sua amplitudine, locum circa tabernaculum assignari. Est autem hæc tertia populi numeratio, cui successit & quarta. Prima fuit in ipso exitu de Ægypto, in qua reperta sunt sexcenta fere millia peditum bellatorum, absque paruulis & mulieribus, & multitudine promiscua innumerabili, quæ ascendit cum eis. Altera facta est post descensum Mosis de monte Sina, antequam Sanctuarium construeretur, quæ iussa reperitur Exodi 30. f & perfecta 38. g in qua reperta sunt sexcenta & tria millia 550. qui vigesimum annum egerant. Tertia hoc loco præscribitur, post sextum scilicet mensem à præcedente h; in eaque eadem omnino virorum summa collecta reperitur, totidem omnino ad vigesimum annum progressis, quot decesserant, qui eum annum erant prætergressi. Quarta sub finem peregrinationis 40. annorum instituta est post mortem illorum omnium, qui in tertia censi fuerant. Ea 26. numerorum describitur, in eaq; censa sunt capita bellatorum sexcenta millia, & insuper mille septingenta & triginta.

d *Exo.*30 12.

e *Nũ.*1.2.

Primus census.

f *v.*12.

g *v.*25. Secundus Tertius

h *Num.*3 32.

Quartus.

XVI. Quæ causa tertij census.

Hæc autem tertia numeratio in qua versamur, necessaria fuit, non solum vt numerus personarum haberetur, sed vt sciretur etiam quot viri ad quamque tribum pertinerent; ideoque per domos, & familias, & cognationes cuiusque tribus, Dei iussu numerati sunt. Censui autem ex eiusdem Domini electione præfuerunt Moyses primum & Aaron, tum duodecim tribuum principes, qui nobilissimi dicuntur, quia cæteris omnibus eiusdem tribus principibus præerant, & quia in aliqua insuper domo & familia primi erant. Itaque vnus & idem, puta Naasson erat princeps in domo Aminadab, & in familia Phares, & in tribu Iuda. Leuitica porro tribus, quæ decima tertia est, in hoc censu prætermissa i est, quia, vt alibi ex Abul. notauimus, in rebus mere temporalibus, qualis est distributio possessionum, militiæ onera, & similia, tribus Leuitarum à tribubus eximitur. Itaque vetuit Dominus eos cum cæteris militiæ destinatis numerari, quia statuerat eos suo cultui mancipare, bellicorum onerum immunes. Accedit quod Leuitæ alio quodam modo numerandi erant, ab vno scilicet mense, vt infra dicetur, non vt cæteri ab anno vigesimo.

Tribus Leuitica cur in cẽsu omissa i *Num.*1. 49.

XVII. Officia Leuitarum obiter.

Officium porro Leuitarum breuiter perstringit Dominus cum ait k, *Constitue eos super tabernaculum testimonij, & cuncta vasa eius, & quidquid ad ceremonias pertinet*, quibus verbis etiam sacerdotes comprehenduntur, tria vero quæ subdit officia, simplices Leuitas attingunt. *Ipsi portabunt tabernaculum, & omnia vtensilia eius, & erunt in ministerio, ac per gyrum tabernaculi metabuntur. Cum proficiscendum fuerit deponent Leuitæ tabernaculum, cum castrametandum, erigent. Quisquis externorum*, id est non Leuitarum, *accesserit, occidetur.* Etsi autem constituti iam erant sacerdotes super tabernaculum, hoc ipso quod erant consecrati, non frustra tamen dicitur *constitue eos*, id est constituti sunto. Nam infra cap 3. dicitur, *Aaron & filios eius constituet super cultum sacerdotij*, quamen iam superiori mense constituti fuerant

k *v.* 50. & 51.

XVIII. Quis locus tribuum circa Tabernaculum.

Peracto Israelitarum censu, constituit Dominus quo quæque tribus loco castra metatura esset, ne qua in tanta multitudine confusio nasceretur, néue contentio in loco eligendo existeret, ambitione stimulante. Ergo ad singulas mundi plagas tres tribus constituit, quarum vna primaria erat, & medium tenebat locum, aliæ duæ latera eius claudebant, & simul cum ea vna castra constituebant. Tres itaque tribus ad partes orientales Sanctuarij castra fixerunt; Tribus scilicet Iuda, Issachar, & Zabulon: inter quas primatus datus est Iudæ, ideoque hæ tribus vocatæ sunt *Castra Iuda*. Et hi primi egrediebantur, & ducebant agmen cum proficiscendum erat. Nam orientem versus iter habebant. Totidem tribus meridianam plagam occupabant, & Sanctuarij latus meridianum claudebant, Ruben scilicet, Simeon & Gad, quæ vocata sunt *castra Ruben*, propter principatum eius super socias tribus: & hi secundo loco dabant se in viam. Ad occidentem positæ sunt tribus Ephraim, Beniamin & Manasse, quorum princeps erat Ephraim, iuxta Iacobi prærogatiuam. Quartum latus ex parte Aquilonari stipabant Dan, Aser & Nephtalim, quarum Dan principatum gerebat, vt quæ omnium esset post Iudam numero maxima.

XIX. Quis sacerdotum & Leuitarum.

Locus autem Leuitis assignatus est in medio duodecim tribuum, sic vt proximi essent Sanctuario. Mosi & Aaroni pars orientalis, qua aditus erat ad Sanctuarium, attributa est. Ad meridiem autem inter castra Ruben & Sanctuarium, Caathitæ locati sunt. Ad occidentem Gersonitæ à tergo tabernaculi. Ad septentrionem denique Merarítæ. Rebus ita constitutis, iubet Dominus *a* congregari Leuitas, & sisti coram Aarone, vt ministrent ei, in ijs quæ ad Sanctuarium pertinent, prout suum quisque officium ab eo acceperint. Et ne quid iniuncti ab eo muneris recusare possint, vult eos ad Aaronem, eiusque filios sacerdotes pertinere, tanquam rem propriam & suam, iure legitimæ donationis. Ait enim, *Dabisque dono Leuitas Aaron & filijs eius* nomine videlicet meo. Sed nec poterant vllam à Sacerdotibus exigere mercedem, aut de certo ad seruiendum tempore contendere cum eis, quia res tota à diuina institutione pendebat, qui illos sibi præ cæteris loco primogenitorum vindicabat, vt mox dicetur. Dicuntur nihilominus tradi ab Israelitis, quia ad Deum pertinebant, vt pars populi sui. Ad Israelitas vero, vt pars ad totum: Totum autem de parte pro communi bono statuit arbitratu suo.

a *Num.* 3. 6. &c. Leuitæ donantur Aaroni & filijs eius.

XX. Tribus Leui ad ses sacras eligitur

Quoniam vero peculiaribus quibusdam ceremonijs ac ritibus coli se Dominus, sibique seruiri cupiebat, neque omnes ei ministerio necessarij erant, aut idonei, nec conueniebat omnes sacra tractare, ne communitate ipsa vilescerent, quosdam è toto populo elegit, quos illi muneri destinaret, quique totius populi vices supplerent. Et quia libertas populi, morte in primis primogenitorum Ægypti parta fuerat, voluit Dominus eius autor beneficij, in eius rei memoriam, & quasi mercedem, peculiari titulo suos fieri primogenitos populi sui, quibus pepercerat, dum primogenitos Ægyptiorum perderet, quod ipsemet crebro testatur *b*. Sed quia Domino visum non est conuenire, omnes domos familiasque Israelitarum suis spoliare primogenitis, eorum loco integram tribum Leuiticam elegit, quam cultui suo addiceret. Vitandæ autem confusionis gratia prouidit Dominus vt sicut in cæteris tribubus, iure natiuitatis suæ erant principes familiarum, domorum, ac tribuum; ita in hac electione diuina vnus esset princeps Aaron summus sacerdos, & in cæteris quoque Leuitarum familijs diuina electio obseruaretur, non ordo naturæ.

b *Num.* 3. 13. & c. 8. 17. In eaque alij aliis præponti.

XXI. Cur non retinuerit sibi Deus primogenitos.

Sed quid causæ fuit, inquies, cur non primogenitos ipsos retinuerit, & si tribum maluit, cur non Rubeniticam potius elegit, cum Ruben esset primogenitus, quam Leuiticam. Respondetur causam fuisse multitudinem, qua nutrienda populus grauari poterat. Nam primogeniti reliquarum tribuum totam tribum Leuiticam superarunt 273. etiam non numeratis Leuitarum primogenitis. Tribus autem Ruben triplo aut quadruplo Leuiticam superabat, in qua ab vno mense & supra reperta sunt tantum 22. millia & 300. in Rubenitica vero à vigesimo anno inuenta sunt 46. millia quingenti. Quantus ergo existeret numerus, si ab vno mense numerarentur? Quod si Leuitæ ab anno vigesimo numerati fuissent vix ad sex septemue millia ascendissent, vt merito putat Abulensis. An voluit Dominus iam tum significare, carnalem multiplicationem in personis sibi dicatis, minus gratam sibi, quam spiritalem, etsi tunc non aliter Leuitæ, ipsique Sacerdotes, quam vulgari generatione propagarentur, cum cæteris omnibus tanto excessu supra Leuitas benedixerit. Nempe iam tum cogitabat Leuitas c, *qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo* nascerentur.

Aut tribū Ruben.

c *Ioā.* 1. 13

Numerati sunt ergo ab vno mense Leuitæ *d*, eo quippe tempore offerri Deo ac redimi solebant primogeniti, quorum ipsi locum subibant. Diuisique sunt Leuitæ tripertito, pro numero filiorum Leui. Primus fuit Gerson, cuius familiæ duæ conficiunt summam septem millium & quingentorum. Alter erat Caath, auus Mosis & Aaronis, qui in quatuor familijs habuit octo millia & sexcentos. Tertius Merari in duabus familijs habuit sex millia ducentos. Quæ summæ non efficiunt viginti duo millia duntaxat, vt habetur Numero tertio capite vers. trigesimo nono. Sed præterea trecentos. Respondetur ex communi interpretum sententia, trecentos illos Leuitas, qui in eo numero subticentur, fuisse primogenitos qui cum eo nomine Deo iam debiti essent, non debuerunt numerari, vt supplerent locum aliorum primogenitorum. Non enim æquum est debitum solui de bonis creditoris. Illi autem 273. primogeniti, quibus tribus Leuitica superabatur, quinque siclis in singula capita redempti sunt.

XXII. Leuitæ ab vno mēse numerantur. d *Num.* 16. 18. 7100. 8600. 6200.

Quot omnino fuerint.

Duo de Leuitis dicenda supersunt, quod eorum officium, & quæ consecratio. Officium circa Sanctuarium duplex fuit, alterum cum illud in mansione aliqua subsistebat; alterum verò cum columnæ monitu, ductu-

XXIII. Officium Leuitarū in mansionibus.

que

que aliò transferendum erat. In statione igitur Sacerdotes ministrabant Sanctuario, sacrificando in altari holocaustorum, accendendo, extinguendo, componendo lucernas mane & vesperi, offerendo incensum in altari thymiamatis, & panes propositionis in mensa. Leuitæ autem seruiebant ministerio, cum omnia sacerdotum iussu præpararent, hostias, panes, oleum, thymiama, aliaque id genus. Idque valde conueniebat, siue ad maiorem Sacerdotum venerationem, quibus Leuitæ quasi æditui ministrabant, siue ad eorum paucitatem subleuandam, & Leuitas occupandos. Alterum Leuitarum ministerium erat a, *excubare in custodijs tabernaculi testimonij*, tanquam custodes personæ, vel domus regiæ: ideo enim proxime Sanctuarium castra metabantur; vt ex vicinitate loci essent expeditiores ad accipienda, & exequenda sacerdotum mandata.

a *Num.* 1. 15. & 18. 3

XXIV. An excubarent cantando in Sanctuario.

Cum autem excubare, ad vigilias noctis plerumque pertineat, dubitat Abulensis *b* an Leuitæ noctem in quatuor vigilias partirentur, ad custodiam ædis sacræ: itaque factum fuisse videtur; quia & decorum per se id fuit, & in tanta Leuitarum multitudine, minime onerosum. Nec desunt qui nocturnas Deo preces cantasse putent, eundemque vsum ad Salomonis templum esse deriuatum. Eòque pertinet ille psalmus, qui ad Sacerdotes Leuitasque dirigitur c. *Qui statis*, inquit, *in domo Domini, in atrijs domus Dei nostri, in noctibus extollite manus vestras in Sancta, & benedicite Dominum.* Itaque credibile est excubitores Leuitas in atrio Sanctuarij, aut sub dio, aut sub aliquibus tabernaculis in eum finem excitatis, Deo laudes cecinisse, & orasse pro vniuerso populo *d*: simulque obseruasse ne quis non Leuita adiret atrium Sanctuarij, ne dum ipsum Tabernaculum. Huic enim excubandi officio coniuncta fuit custodia tabernaculi *e*, vasorumque eius, ne quod scilicet periret, vel corrumperetur; ne quid à vento, ab igne; à pluuia male acciperetur: ne quid ab hominibus, vel pecoribus, quæ ducebantur ad sacrificium, per imprudentiam, aut violentiam frangeretur, macularetur, laceraretur, &c.

b in c. 3. *Num. post q. 7.*

c *Ps.* 133. 1. 2.

d *Num.* 8 19. Custodia Leuitica Tabernaculi.

e *Nu.* 3. 8.

Iam quod attinet ad officia Leuitarum, dum aliò migrandum erat, ea cap. quarto perscribuntur, vbi Dominus Leuitas in tres familias distributos iubet numerari à trigesimo anno ad quinquagesimum. Quod ea ætas & valida sit ad ferenda onera, & prudens ad caute ac reuerenter sacrarium Domini tractandum. Officium *f* ergo Caathitarum fuit Arcam fœderis triplici velamento à Sacerdotibus obuolutam gestare humeris; mensam item & candelabrum cum suis vtrumque vasis; altare quoque holocaustorum, cum omni eius instrumento: idemque de labro æneo, licet non ponatur nominatim, in generali locutione comprehensum est. His autem præfectus erat Eleazar filius Aaronis, qui sua cuique onera diuidebat. Familiæ vero Gersonitarum *g* officium fuit portare cortinas & vela omnia, tam tabernaculi quam atrij: idque sub cura & directione Ithamaris, à quo singuli sciebant cui deberent oneri mancipari. Sub eiusdem cura erant & Meraritæ, quibus cura columnarum & tabularum, tam atrij quam tabernaculi, cum basibus suis & capitellis, demandata fuit.

XXV. Leuitæ ex certo tempore diuersi numerantur.

f *Nu.* 4. 4

Et certis officijs deputantur.

g *Num.* 4 24.

Secuta est deinceps *h* Leuitarum consecratio, iuxta ordinem à Mose obseruatum. Et primo iussit Dominus purificari Leuitas, aspersione aquæ lustrationis siue expiationis; non ad immunditiam aliquam legalem purgandam: sic enim non fuisset illis integrum adire Sanctuarium; sed in omnem euentum si qua forte immunditia ignoranter contracta esset. Accessit & pilorum abrasio; & ablutio vestium, quam apparet antecessisse, quod ea sit operosior, & siccari debuerint. Inde facta est oblatio duorum boum quibus Leuitæ imposuerunt manus, & sacerdotibus immolandos præbuerunt, quorum vnus cessit in holocaustum, alter in expiationem peccati. Deinde applicati sunt Leuitæ coram tabernaculo fœderis, & quidem propter multitudinem per turmas aliquot, quibus populus imponebat manus, ideft principes tribuum, domorum, & familiarum, qui populum vniuersum repræsentabant. Quæ manuum impositio signum erat populum eos à proprio Domino abdicatos, ad Dei dominium transferre, sicut in animalibus, quæ offerebantur Deo fieri solebat, & Leuitæ ipsi paulò ante fecerant. Aaron autem mediator Deum inter & homines, eos à populo acceptos offerebat Deo, eiusque ministerio addicebat; ipsique vicissim in hostiam viuentem seipsos offerebant Deo.

XXVI. Leuitarũ consecratio, eiusque ritus

h *Num.* 8

Transeamus ad oblationes principum, quas arbitramur octauo die secundi mensis inchoatas, absolutis dinumerationibus, & dispositionibus tribuum singularum, censu item ac consecratione Leuitarum, cum assignatione officiorum in singulas eorum familias. Nam Scriptura *i* tradit eos qui obtulerunt fuisse *præfectos eorum, qui numerati fuerant.* Antecessit ergo hanc oblationem numeratio, siue census populi, quem constat initium *k*, primo die secundi mensis. Deinde obtulerunt hi duces plaustra illa & boues, qui vsui essent Leuitis in transuectione Sanctuarij, eisque iussu Domini distributi sunt, iuxta officiorum necessitatem; ergo distributio officiorum Leuiticorum has oblationes antecessit. Quid quod in offerendo seruatus est ordo, non natiuitatis singulorum, aut dignitatis, sed vexillorum, prout ea Dominus aliquanto ante digesserat?

XXVII. Ratio temporis oblationis principum.

i *c.* 7. *v.* 2

k *Num.* 1 *c.* & 18.

Denique nostræ sententiæ ratio temporis fauet. Videtur enim expectandum fuisse tempus aliquod, quo artifices, qui vix paucos ante dies immensam tabernaculi fabricam expleuerant, resumpto spiritu tot donaria aurea & argentea duodecim ducibus necessaria fabricarentur, quæ facile mensem vnum requirere fatebitur, qui rem ipsam prudenter expenderit. Adde importunum videri offerri solenni ritu sacrificia, à nouo pontifice, nouisque sacerdotibus immolanda, priusquam aut ipsorum, aut altaris expleta esset consecratio. Recte autem conuenit ab octauo die mensis secundi datum oblationibus initium, vt ijs deci-

XXVIII. Confirmatur dies octauus secundi mẽsis.

mo nono mensis ciuitem, absolutis, postulare ex deserto Sina, & mansione duodecima migraretur. At enim, aiunt, cum Scriptura l, pugnamus, quæ ait factas oblationes in die qua Moses erexit tabernaculum, & vnxit &c. quod in primum diem primi mensis cadit m. Respondemus inchoatas oblationes eodem die, non numero, sed specie, vt cum iubentur Iudæi celebrare sabbatum, in die n qua requieuit Dominus ab omni opere suo; & celebrare Phase in deserto, in die qua exierunt de Ægypto. Et nos dominicam diem, in die, qua resurrexit Dominus, quotannis & quot hebdomadis celebramus. Sic ergo ea die qua erectum est consecratumque tabernaculum oblata sunt hæc munera; quia sicut octaua die primi mensis illa tota ceremonia peracta est, ita octaua die secundi mensis ista est inchoata.

l c. 7. init. Respondetur obiectioni. m Exod. 40. 1. n Exo. 20 11.

XXIX Prior oblatio 12. principũ

Obtulerunt ergo principes tribuum, nomine totius populi, tex plaustra cum duodecim bobus, ad deuehendam magnam partem eorum, quæ ad Sanctuarium pertinebant, quoties Deus ex vna statione migrationem imperasset: quæ tecta erant, vt quæ plaustris imponerentur ab aeris iniurijs munita essent. Quæ cum Moses iussu Dei suscepisset, Gersonitis duo plaustra & quatuor boues dedit, quod vniuersum eorum onus leuius esset. At Meraritis vix 4. plaustra sufficiebant, propter multitudinem & pondus tot columnarum, quæ totum cingebant atrium, præter nouem, quæ erant in ipso tabernaculo, cum suis basibus & capitellis, & pondus tot tabularum quibus ipsum constabat tabernaculum: vt dicendum profectæ videatur bonam horum onerum partem humeris Meraritarum fuisse circumlatam. Nec placet eos pleraque imposuisse iumentis. Nisi par fuit ratio Caathitarum, quos Deus iusserat humeris comportare onus, quod eis à Sacerdotibus impositum fuerat. Quam legem cum Oza Dauidis tempore a violasset, eam culpam repentina morte luit.

a 2. Reg. 6 7-8.

XXX. Posterior in 12. dies distributa vasa singulorum.

Hanc oblationem excepit altera, & tempore diuturnior, & dignitate præstantior. Hoc ipso ergo die octauo secundi mensis obtulerunt vniuersi principes donaria sua; sed Dominus iussit singulos singulis diebus offerre, vt quo diuturnior esset celebritas, eo esset & magnificentior. Primo ergo die Nahasson princeps tribus Iudæ obtulit acetabulum argenteum pondo 130. siclorum. Vox Hebræa, vt plerique interpretes notarunt, significat scutellam magnam & latam, Septuaginta verterunt discum. Nec dubium est eximiam peluim 130. siclis argenteis, id est 65. vncijs, confici potuisse. Accessit Phiala argentea 70. siclorum, siue 35. vnciarum argenti. Fuit autem oblatus tam discus ille, quam phiala hæc plena similà conspersa oleo in sacrificium. Tertium vas fuit mortariolum aureum pondo siclorum decem, plenum incenso. Vox Hebræa significat vas paruum & concauum, in modum cochlearis fabrefactum, ideoque eam vocem quidam verterunt cochlear: mirum tamen videtur cochlear vnum decem siclos, siue quinque vncias pependisse.

τρυβλιον.

Præter hæc vasa quæ futura erant vsui Sanctuario, obtulit Nahasson bouem, arietem, & agnum anniculum in holocaustum, hircumque pro peccato, hostiam expiationis: & in sacrificia pacifica boues duos, arietes quinque, hircos & agnos anniculos totidem. Deinceps autem cæteri principes tribuum ordine vexillorum seruato, donaria sua paria omnino, singulis quique diebus obtulerunt. Et apparet rem ex composito esse factam ad æmulationem vitandam; & secutos esse tam in ordine offerendi, diuinam de ordine progrediendi in peragranda solitudine dispositionem, quam in rebus ipsis quæ offerrentur, Dei institutum, qui nulla ratione habita diuitum vel pauperum, voluit omnes primogenitos quinque siclis redimi, & omnes qui transissent in numerum, dimidio sicio censeri. Etsi fortasse ista donaria non tam principum quam totius tribus erant, quæ per manus principis offerebantur Deo. In singulis autem tribubus plerique pauperes erant, & nonnulli diuites.

XXX. Et hostiæ omnino; omnino paria.

Sub hoc tempus cum vicina esset migratio ex mansione duodecima, iuxta seriem Mosaicæ narrationis, iussit Dominus fieri tubas argenteas b. *Fac tibi*, inquit, *duas tubas argenteas ductiles, quibus conuocare possis multitudinem, quando mouenda sunt castra.* In Hebræo inserta est coniunctio, vt hic iam non vnicus, sed geminus tubarum vsus ponatur, ad conuocandum multitudinem cum opus esset, & ad monendum de migratione. Hunc geminum vsum consequenter explicat, posito discrimine soni ad cogendam promiscuam multitudinem, & solos principes populi, vt ad populum conuocandum vtraque tuba, ad monendos præsides vnica resonaret. Quod enim in vulgata legimus, *si semel clanguerit*, In Hebræo, Græco, Chaldæoque legitur, *si vna tuba.* Sonus autem hic planus erat & vniformis. Alter vsus erat ad mouenda castra: tunc autem concisus erat clangor, cum multiplici depressione & elevatione sonorum, & diuturnior. Eoque primo clangore tubarum monebatur tribus Iuda; cum duabus socijstribubus ad mouenda castra. Qui cum iam se in viam darent præuia columna nubis, repetebatur tubarum sonus eodem modo, monebaturque Ruben cum suis qui erant ad meridiem, vt emigrarent. Eodemque modo Ephraimitæ, & postmodum Danitæ migrare iubebantur.

XXXII. Tubæ argenteæ. & earũ vsus prior. b Num. 10. 1.

Posterior

Tubicines autem erant Sacerdotes, subdit enim Dominus, *filij autem Aaron sacerdotes clangent tubis; eritque hoc legitimum sempiternum in generationibus vestris.* Ergo & in deserto, & deinceps in bellis, vt in Iericuntino Sacerdotes hoc officio functi sunt. Cum enim tubæ sacræ essent, non poterant à profanis hominibus tractari. Iubet autem Dominus hunc ritum esse perpetuum, non quidem quod ad geminum illum vsum, qui dictus est, qui in deserto duntaxat est vsurpatus, sed ad alios, de quibus subditur. *Si exieritis ad bellum de terra vestra, contra hostes, qui dimicant aduersum vos, clangetis vlulantibus tubis, & erit recordatio vestri coram Domino Deo vestro, vt eruamini de*

XXXIII. Sacerdotes erant tubicines v. 8.

Alij tubarũ vsus in bello. v. 9.

manibus

manibus inimicorum vestrorum. Accommodat se Dominus ad humanum morem. Homines enim talibus signis admoniti, solent memoria repetere, quæ agenda sunt: militum quoque turmæ certis signis huc illucque à ducibus euocantur, ad opem ferendam exercitui aliqua in parte laboranti. Est & alius vsus pacificus. *Si quando*, inquit, *habebitis epulum, & dies festos & calendas, canetis tubis super holocaustis & pacificis victimis, vt sint vobis in recordationem Dei vestri*, qui præcepit hunc ritum, nequid in eis præter decorum, & reuerentiam Domino Deo debitam, tanquam eius obliti, admittatis.

Et face. v.30.

XXXIV. Migratio ex deserto Sinai. a *Num.* 10.11.

Sed iam tempus est vt à monte ac deserto Sinai, clangentibus tubis, arca & columna nubis præcedentibus, viamque aperientibus digrediamur a. *Anno secundo*, inquit Moses, *mense secundo, vigesima die mensis eleuata est nubes de tabernaculo fœderis.* Hoc primum profectionis signum, & initium emigrandi ex mansione duodecima, in qua per annum vnum lunarem demptis 14. diebus, Israelitæ substiterunt. Cum enim quarto die mensis tertij in Sina peruenissent *b*, vertente anno, vigesimo secundi abierunt. Eleuata est autem nubes, mouente eam Angelo qui erat in propitiatorio, versus solitudinem Pharan, vt propterea posset Aaron cum filijs suis intrare in Sancta Sanctorum, & obuoluere arcam & propitiatorium, cæteramque supellectilem Tabernaculi, vt superuenientes Caathitæ eam inuolutum gestarent; reliqui autem Leuitæ sua plaustra onerabant. Interea tubæ argenteæ migrationem concisiore sono denunciabant, populusque vniuersus colligere sarcinas, plaustra, immentaue onerare, & se ad iter accingere.

b vide *supra ante praced. n.* 134.

XXXV. Prima acies triũ tribuum.

Perseuerante autem tubarum sono, filij Iuda primi castra mouerunt per turmas suas, Moxque eodem modo tribus Issachar & Zabulon, quas simul progressas esse oportet idoneo spatio interposito, vt in tanta multitudine tempori consuleretur. Idque Dominus cap. 2. 9. significat, vbi post recensitas tres tribus, ait, *& hi per turmas suas primi egredientur.* Eodemque modo de Rubenitis, cæterisque vexillis, ait secundò loco, tertio & quarto egredi oportere, seruatis nihilominus familiarum ordinibus in quaque tribu. Denique non aliter magnæ copiæ progrediuntur, quæ sicut in varijs oppidis sub diuersis ducibus commorantur, ita signo migrationis ab Imperatore dato, diuersis & proprijs omnes vijs ad condictum locum tendunt. Sic ergo prima castra progressa sunt, vnaquaque tribu suis impedimentis seorsim in medium coniectis, cum turba imbellium personarum.

Quę simul progressa.

XXXVI. Eas secuti Gersonitæ & Merarię.

Quod ad Leuitas attinet, non simul omnes, vt putat Abulensis, sed bibentitò diuisos processisse arbitramur, familias quidem duas Gersonitarum & Meraritarum post castra Iudæ, Caathitas vero post tribum Ruben eiusque socias. Primum quia ipsos in hunc modum Scriptura separauit, quæ hos omnes ordines accuratè distinguit. Accedit ratio commoditatis. Ex eo enim quod illi antecedebant, fiebat vt quamprimum substitissent nubes, signumque nouæ stationis dedissent, ad erigendum tabernaculum essent ex propinquitate promptiores, dum Caathitæ paulatim cum suis oneribus aduentarent, & in erectam iam sacram ædem, ipsi sacram supellectilem immitterent. Gersonitæ itaque & Meraritæ statim post primam aciem profecti sunt cum oneribus & plaustris suis tribum Iudæ proxime sequentes non alias duas, quia iter populosissimæ tribus erat satis amplum: Nec conueniebat iam separatos à Caathitis, à se inuicem seiungi, cum alteri sine alteris Sanctuarium erigere non possent, sine Caathitis autem possent.

XXXVII. Secunda acies Rubenitarum &c.

Itaque hæ Leuitarum familiæ erant in itinere, cum tubicines renouato clangore, secundum aciem migrationis admonent. Ea Rubenitarum, fuit penes quos vexillum secundum erat, eosque Simeonitæ & Gaditæ comitabantur. Etsi enim æque vicini erant primæ acici Danitæ ac Rubenitæ, & æque vtrique Sanctuarij latera claudebant, Rubenitæ tamen ratione primogenituræ antecesserunt, & cum socijs triplici via progressi sunt, in primæ acici vestigijs pedes ponentes. Caathitæ autem tribum Ruben pone sequebantur, sacram supellectilem inuolutam humeris portantes, suam vero domesticam supellectilem, in plaustris iumentisque, sicut cæteri, deducebant.

Eã sec. tæ. Caathi

Etsi autem Moyses & Aaron cum filijs suis ad Caathitas pertinebant, non eundem tamen cum ijs, saltem hoc primo triduo, locum occuparunt. Subdit enim Moyses paulò post c. *Profecti sunt ergo de monte Domini viam trium dierum: arcaque fœderis Domini præcedebat eos, per dies tres prouidens castrorum locum.* Si ergo arca fœderis Domini antecedebat exercitum, par est existimare Moysem cum duobus filijs Caathitis, & Aaronem pontificem cum duobus filijs sacerdotibus ab illa minime abfuisse, & munus illius gestandæ depoposcisse à parentibus, atque impetrasse. Antecesserunt autem & alij Caathitæ non pauci, qui per vias hunc laborem subirent, simulque duos totius populi principes Legislatorem atque Pontificem officij causa comitarentur.

Moyses & Aaron eã arca præcesserunt c 10.33.

Videtur autem arca non solum hoc triduo, sed deinceps perpetuo exercitum antecessisse. Nam Scriptura tanquam de re ordinaria & consueta loquens d, *Nubes quoque Domini*, inquit, *super eos erat per diem cum incederent.* Et subdit continenter, cumque eleuaretur arca dicebat Moyses, *Surge Domine, & dissipentur inimici tui, & fugiant, qui oderunt te à facie tua. Cum autem deponeretur aiebat. Reuertere Domine ad multitudinem exercitus Israel.* Quæ verba aperte docent arcum cum nube, in qua erat Angelus Domini, antecedere solitam exercitum Israelitarum; & mox in mansionibus, orante Moyse, reuerti solitum ad destinatum in media populi multitudine locum, cui frustra diceretur *reuertere*, si è media multitudine mota non fuisset. Rectius igitur columna nubis antecedens imminebat arcæ, quam Moyses & Aaron comitabantur, & subsistente nube, Moyses ad Angelum in illa latentem conuersus

XXXVIII. Deinceps perpetuo columna cum Angelo & arca antecedebãt exercitũ. d v.34.

aiebat,

aiebat. *Reuertere Domine*; & simul subsistente vniuerso exercitu, arca & nubes in medium exercitum reuertebantur, ibique in Sanctuario manebant, donec signum migrationis daret eleuata nubes, atque progrediens; quando & arca eleuata dicebat Moyses, *Surge Domine, & dissipentur inimici tui.*

XXXIX. Tertia Ephraimitarum & quarta Danitarū acies.

Progressos Caathitas excipiebat tertius tubarum clangor atque vlulatus, quo exciti Ephraimitæ cum socijs in viam se dabant, Rubenitarum, Simeonitarum, & Gaditarum vestigijs inhærentes. Et postremo Danitæ eodem modo ad quartum tubarum sonum, iter cum socijs carpere cœperunt. Et apparebat Ephraimitas, qui ad occidentem castra fixerant, & à primis castris remotissimi erant, vltimos etiam profecturos: verum id honori Iosephi tributum videri poterat, quem Ephraim representabat.

XL. Hobab commeatum petit, & retinetur. a *Num.* 10. 29.

Sub hunc Mosis cum vniuerso populo discessum de solitudine Sinai *a*, Hobab filius Raguelis Madianitæ, qui & Iethrò cognatus Moysi, ei quasi rediturus ad suos valedicit, ne se fortasse comitem viæ intrudere videretur: sed à Moyse rogatus vt ne ipsos desereret, acquieuit eadem cum Israelitis sorte ac spe viuere. Mirum est autem Moysem, qui in columna nubis Angelum habebat ducem, cognatum requirere ductorem viæ, quam ipse ad 40. annos lustrauerat. Existimarim sane hæc à Mose non sine Ironia & politica vrbanitate dici, dum se ad eius captum & mores accommodat; quæ mens est magni Gregorij in tertia partæ curæ pastoralis, vbi supponit illum ad veri Dei fidem nondum fuisse conuersum; quod parum probabile videtur, posita conuersione Raguelis patris eius, & tam diuturna cum Mose consuetudine vitæ. Denique Moses non simpliciter cum ductorem populi futurum intelligit, sed instar ductoris, vt si aliunde non esset via Moysi explorata, aut definita diuinitus, ipse populo ducendo sufficere posset.

Per officiosam vrbanitatem.

XLI. Tridui protectio & ex labore murmur. *Quintū murmur Israelitarum.*

Profecti sunt itaque Israelitæ de monte Domini, arca Domini triduo præeunte totum exercitum. Neque tamen existimandum est totis tribus diebus, nullam ad cibum aut somnum captam fuisse quietem, sed per triduum non fuisse explicatum tabernaculum, aut tentoria & sarcinas, quasi ad diuturniorem moram; quod plerosque ignauos in querulo populo, compulit ad querelas: fortasse quod longiora essent singulorum dierum itinera, aut quod non fuisset datus intermedius aliquis ad quietem dies. Ergo antequam ad stationem decimam tertiam peruentum esset b. *exortum est murmur populi, quasi dolentium pro labore contra Dominum*, qui scilicet populi ductor erat in nube, & progrediendo, iter longius producebat, quam plerique de populo desiderassent. *Quod cum audisset Dominus*, qui populi vires, & iniustam querelam agnoscebat, *iratus est*, eique intolerabilis visa est ignauia, post vnius anni veternosam quietem; quæ pronior esset ad murmurandum contra Dominum, quam ad petendas ab eo vires, qui est *in labore requies, in æstu temperies, in fletu solatium.*

b *Num.* 11. 1.

XLII. Ex murmure in conuiuium.

Ergo *accensus in eos ignis Domini*, à Domino scilicet vel cælitus emissus, vt aiunt Hebræi, vel e terra excitatus, vt mauult Abul. *c qui deuoraut extremam partem castrorum*, eos scilicet qui tædio itineris è singulis tribubus subsistebant. Grassante incendio, clamauit populus ad Moysem, qui paterna in populum commiseratione incitatus, *orauit ad Dominum, & absorptus est ignis*, vel extinctus, vel aliquo terræ hiatu deuoratus. *Vocauitque* Moyses, ab hoc euentu, *loci nomen Incensionem, eo quod incensus fuisset contra eos ignis Domini.* Et hæc quidem deflagratio videtur in ipso itinere contigisse, & ignauos cessatores corripuisse. Deinde vero siue occasione huius incendij, siue absoluto iam triduo à Deo primùm destinato, substitit columna nubis, & ex fronte castrorum in medium agmē cum arca regressa, signum vniuerso populo castra metandi dedit, in loco, qui ab euentu postea *Sepulchra concupiscentiæ* dictus est.

c 9. 4. *in c.* 11. *Nū.*

XLIII. Mansio in Sepulchris concupiscentiæ.

Quibusdam visum est vnum atque eundem esse locum Incensionis & Sepulchrorum. Verum probabilius videtur diuersas historias, diuersis locis contigisse, & diuersa obiecta duabus distinctis querelis occasionem dedisse. Vnum fuit desiderium carnium. Quod autem videtur vtramque historiam coniunxisse Hieronymus, cum ait *vulgus quippe promiscuum* &c. illud *quippe* non reddit rationem sed connectit, pro quo Chaldæus habet *Porro*. Nulla quoque est in Hebræo ætiologia, nulla in Septuag. Interp. Neque obstat quod nulla reperitur mentio Incensionis huius in catalogo Mansionum *d*. Neque enim nos dicimus illum locum in mansionum numero esse, sed tantum esse in hoc triduano itinere, Israelitarum querela, & incendio nobilitatum, dum ad decimam tertiam stationem iretur.

d *Num. c.* 33. *toto.*

XLIV. Ibique obtrectatio desiderio carnium. *Sextum murmur.*

Vix ergo castra posita fuerant, vix flamma proximæ castigationis extincta, cum populus turbulentus, ad consueta obtrectationum arma, contra Deum & Moysem conuersus est. Querelæ initium à promiscuo Ægyptiorum vulgo, quod cum Israelitis de Ægypto ascenderat, sumptum est, quod flagrauit desiderio carnium. Sed malum illico serpere latius cœpit in populum, seruilemque plebem, quæ solo fere manna victitabat, neque pecoribus sicut potentiores abundabat. Itaque animis vocibusque, atque adeo lacrimis coniunctis, dicere cœperunt. *Quis dabit nobis ad vescendum carnes?* Hoc solum est & fundamentum querelæ. Sequitur eius amplificatio, per exprobrationem longe absurdissimam piscium, & cucumerum, & peponum, quæ se comedisse aiunt *in Ægypto gratis*, quæ miseri durissima seruitute, & flagellis seruilem in modum cæsi redimebant. Qualis obsecro est hic non male affecti corporis, sed peruersi, atque impotentis animi morbus, hortenses illas allium & porrorum quisquilias, pani candidissimo ac suauissimo anteferre? Hic autem animi morbus, non verbis tantum, sed, puerilem etiam in modum, fletu sese, eiulatuque prodebat. Non enim contenti erant in corde suo, aut cum domesticis taciti gemere, sed ægritudinem animi sui proferebant foras, & notam vicinis suis ac transeuntibus esse cupiebant, vt res in seditionem verteretur.

Cū exprobratione. *vers.* 5.

Iratusque est furor Domini valde e, vt mox ex magnitudine vltionis intellectum est. *Sed & Moysi intolerandæ res visæ est*: intolerandos esse

e *Num.* 11. 10.

videlicet

Ira Domini, & Mosis gemitus ad eũ.

videlicet tam peruersi populi mores. Itaque ad consuetam in huiusmodi tempestatibus anchoram confugiens, ait ad Dominum. *Cur afflixisti seruum tuum? quare non inuenio gratiam coram te? & cur imposuisti pondus vniuersi populi huius super me?* Gemit Moses sub pondere, & quod inuitus suscepit, libens optat deponere, idque loco eximiæ gratiæ se accepturum profitetur. Sed vide diuinam in talem populum humanitatem. *Nunquid ego concepi omnem hanc multitudinem, vel genui eam, vt dicas mihi, Porta eos in sinu tuo, sicut solet portare nutrix infantulum, & defer in terram, pro qua iurasti patribus eorum.* Hæc enim oratio malitiam populi huius ostendit, qui in Deum & Mosem, tam suauiter, tamque paterne in eum agentes, tam superbe insolescerent, & animam non seueri principis, sed mitissimi parentis affligerent. Quoniam vero satis intelligebat Moses, Deum nolle vniuersam populi huius curam in alium transferre, quandam oneris leuationem petit, vt eo in plures diuiso, leuius fiat. *Non possum,* inquit a, *solus sustinere omnem hunc populum, quia grauis est mihi.*

Petit leuationem oneris sui

a *Num.* 11 14.

XLVI An Moses adiutores tam haberet.

Sed, inquies, solusne ferebat, qui iam Soceri consilio onus in multos tribunos, centuriones, aliosque minores iudices diuiserat? Nec deerat præterea principes tribuum & familiarum. Quin etiam iam 70. Seniores, de quibus Exodi 24. videntur partem aliquam curæ pastoralis sustinuisse, ideoque in montem ad videndum Deum, cum Aarone ipso, & filijs eius adijsse. At isti videntur fuisse tantum consiliarij Mosis, qui vt ei aliquod consilij lumen afferrent, negotiorum tamen molem ac multitudinem non minuebant. Et successoribus potius Mosis vsui futuri erant, quam ipsi, propter singularem eius cum Deo communicationem. Illi autem centuriones & tribuni minuebant vtique Mosaicum onus, dum de minoribus causis, sine Mosis cognitione, ferebant sententiam. Sed præterquam quod hæ ipsæ controuersiæ poterant ad ipsum appellatione deuolui; supererant grauiores cuiuscunque generis essent, quæ ad ipsum pertinebant, & insuper spiritales omnes, quæ ad Deum vel legem spectabant. Accedebant etiam quæ prophetici iuris erant, qualia erant consulere Dominum, & responsa referre ad populum. Denique tanquam spiritalis omnium pater, curam gerebat animarum omnium, in tanta præsertim Sacerdotum paucitate.

XLVII. Dominus Molem subleuat.

Ergo Dominus onus Mosaicum subleuaturus, iubet eum congregare Septuaginta viros ætate & prudentia seniores, ipsi populoque probatos, qui mox diuino spiritu ornati, populi onus cum ipso sustentent, & causas, quæ ad vnum Mosem referebantur, ipsi pro gratia sibi data dijudicent. Apparet autem eos populi suffragijs electos: sic enim intelligi poterat qui essent populo probati. Ab electione ducti sunt ad ostium tabernaculi, vti iusserat Dominus, ibique singuli spiritum prophetiæ acceperunt, & prophetauerunt, nec eo dono deinceps priuati sunt, quin cum vellent & opus esset, eo vti possent. Cæterum nulla spiritus diminutio in Mose facta est, sed eiusdem spiritus communicatio. Itaque illud b *Auferam de spiritu tuo*, idem est quod accipiam de Spiritu sancto meo quem dedi tibi, non ex riuulo tuo, sed ex fonte suo: Spiritum propheticum dedi tibi, dabo & eis, vt eadem instructi gratia plures portetis, quod tu portabas vnus. Et hoc modo hanc acceptionem, siue communicationem intellexit S. Cyprianus in sermo. de Spiritu Sancto. Spiritum autem diuinum appellat spiritum Mosis, vt intelligat adiutores eius præstantiore aliquo spiritu minime donatum iri, sed eiusdem rationis; quod dubium esset, si dixisset, dabo ei de spiritu meo, vt notauit Abulens. c. Vtrum autem isti essent Moysi subordinati, & deinceps eorum successores successoribus Mosis d, in Annalibus explicatum est.

Additis socijs nec imminuto spiritu Mosis.

b *Num.* 11 17.

c q. 43. *post med.* d *an. Mos.* 32. n. 151. & 152.

Alterum Mosaicæ querelæ caput erat, quod populo carnes importune flagitanti satisfacere non posset. Promittit ergo Dominus e, sed postridie daturum populo carnes, non in vnum alterumve diem, sed in mensem integrum; & eorum voluntatem, in propriam ipsorum perniciem, impleturum, *Donec*, inquit, *exeat per nares vestras*, ex ingurgitatione, *& vertatur in nauseam.* Quibus ea respondit Moses, quæ dubitationem aliquam de diuina promissione saperent. Dici potest, vt alias responsiones omittamus, Mosem aliquo modo peccasse, id enim haud dubie ostendunt illa Domini verba, *Nunquid manus Domini inualida est?* minus tamen quam verba ipsa f præ se ferunt; propter ingentem animi perturbationem, ex multitudine curarum, & tædio iniustissimæ populi querelæ, qua factum est, vt minus attenderet verbis suis, & multa cum cordis amaritudine loqueretur. Vt propterea Dominus in eum indulgentior fuisse videatur.

XLVI. Dominus promittit carnes.

e *Num.* 11 18.

ibiq; Moses peccat

f *Num.* 11 23.

Venit igitur Moyses g, *& narrauit populo verba Domini, congregans Septuaginta viros circa tabernaculum*, nempe in atrio, & quidem reductis in eius aditu velis, vt populus spectator esset eorum quæ fiebant, & viros diuino spiritu afflatos maiore deinceps honore prosequeretur. *Descenditque Dominus per nubem*, columnam scilicet nubis, quæ ad perpendiculum pendebat in aere supra tabernaculum, ex eaque locutus est Dominus ad Moysem, vtique ipsis audientibus, & vt apparet de eorum officio, vel se eos constituere populi iudices, & Mosis coadiutores: simulque afflari sunt prophetico spiritu, quali præditus erat Moyses, eoque in eis requiescente, prophetare cœperunt, Deo laudes & cantica dicendo, aut occulta & ab hominum cognitione remota enunciando. Vnde vulgò intellectum est, eos diuinitus ad hoc officium esse delectos. Quod autem in Vulgata legimus eos *non vltra cessasse*, scilicet prophetare, in Hebræo vero *non vltra addidisse*, id est non vltra prophetasse, conciliare possumus, cum Abulensi, posito duplici prophetiæ vsu. Aliquando enim prophetare est futura prædicere, incerta & occulta diuinæ sapientiæ patefacere, sicque vno tantum die prophetarunt, vt volunt Hebræi & Septuag. Alias prophetare nihil aliud requirit, nisi vt Deus loquatur homini, vel inspiret ei aliquo eorum modorum, qui duodecimo Numer. ponuntur, idque populo consulenti enunciet, quod deinceps in Septuag. viris perpetuum fuit.

g v. 24.

XLIX. Septuaginta spiritu Domini replentur

An & quatenus cessarint prophetare.

L. Eldad & Medad absentes prophetãt h v. 26.

Remanserant h *autem in castris duo viri, quorum vnus vocabatur Eldad, & alter Medad*, non ex contumacia Moysi resistendo, sic enim diuino spiritu indigni facti essent, sed ex humilitate potius, se regiminis oneri & honori subducendo; aut fortasse quod casu aliquo non fuissent admoniti cum cæteris. Ergo cum adhuc essent in tentorijs suis, quo tempore cæteri spiritu prophetiæ afflati sunt, super eos quoque spiritus requieuit, & prophetauerunt sicut cæteri. Quo animaduerso *cucurrit puer:* quem Hebræi putant fuisse Gersonem filium Mosis, & nunciauit Moysi, quid in castris contigisset. Quæ cum audisset Iosue, & insuper tantam prophetarum turbam Moysi circunfusam videret, humano erga magistrum zelo incitatus, eum monet, vt eos prohibeat prophetare. At ille contra admonitus est à Mose, ab huiusmodi æmulatione, quæ in viros quoque iustos cadit, cum decipiuntur specie recti, desistere, & magistrum potius imitari, qui vera charitate, quæ non quærit quæ sua sunt, in Deum proximumque feruens, eam gratiam toti populo desiderauit, sciens spiritualia bona communicatione non minui, sed augeri. Ex qua Mosis admonitione perspicuum est Iosue, quamuis electum & bonum, non caruisse culpa.

Zelus Iosuæ à Mose reprimitur

Reliqua est altera pars diuinæ promissionis de largiendis affatim populo carnibus. De qua ita Moses, i *Ventus autem egrediens à Domino arreptas trans mare coturnices detulit, & demisit in castra, itinere quantum vno die confici potest, ex omni parte castrorum per circuitum, volabantque in aere duobus cubitis altitudine super terram.* Vides paratum diuinitus aucupium, deliciosum, facile, copiosum. Vsus est Dominus ministerio venti, quem in eum finem suscitauit, vt sæpe alias. Ergo impulsore vento, *Vespere ascendit coturnix, & operuit castra.* Fuit hic ventus Africus Dauide teste a, *Transtulit*, inquit, *austruum de cælo, & induxit in virtute sua Africum*, quem constat ex occidente flare, austrum inter & zephyrum, ac proinde recta coturnices in Arabiæ deserta detulisse. In plerisque codicibus Hebræis Græcisque significatur coturnices eductas esse, vel euolasse è mari, vt olim omnia ex aquis volatilia, cui expositioni fauet immensa, ac pene incredibilis harum auicularum copia, quantam nunquam alias fortasse totus terrarum orbis eodem tempore habuit.

LI. Dominus dat populo coturnices i *Num.* 11 31.

a *Ps.* 77. 26.

Hoc enim loco Moses ait coturnices non solum demissas in castra, fatigatas scilicet, & à vento derelictas, ne longius auterrentur, sed vndequaque in circuitu castrorum itinere vnius diei diffusas, adeo vt quacunque ex parte castrorum quis vellet iter facere, spatio diei vnius conferta coturnicum agmina reperiret. Immensam quoque multitudinem expressit Dauid, cum has auiculas pluuiæ guttis, & puluerì terræ, & arenæ maris comparauit *b*. Nec minus est illud copiæ argumentum, quod populus toto die illo, & nocte, ac die altero congregauit coturnicum, qui parum decem coros quod licet non de singulis personis, sed familijs intelligatur, (non enim singuli seorsim viuebant, aut sibi victum parabant) ad incredibilem ascendit multitudinem, vt in Annalibus docuimus *c*. Non dedit oues aut boues, quod suspicabatur Moses, quos potentiores sibi contentiose raperent, & fraudatis tenuioribus gregatim abigerent, sed aues quas sibi quisque facili aucupio venaretur, & aues pingues, delicijs idoneas, iucundissimique saporis. Et cum petitioni populi huius satisfacere posset dando coturnices ad vnum diem, aut ad vnicam cœnam, vt in deserto Sin *d*. Voluit nihilominus Dominus obstruere ora loquentium iniqua, & dare auiculas per mensem integrum tanto populo, donec verterentur in nauseam, & ab ingurgitatis per ora naresque eructarentur: boni autem ijs affatim delectarentur.

LII. Immensa copia, & ad mensẽ vnum.

b *Ps.* 77. 27. Et pluit super eos, &c.

c *A. Mos.* 82. 9. 166

d *Exo.* 16. 33.

Non enim solos improbos, qui seditiose flagitauerant carnes coturnicibus abundasse, & epulatos esse, sed omnem omnino populum, ex eo colligitur, quod non solum murmuratoribus, sed populo vniuerso promiserit carnes. Neque enim æquum erat improbos lucrum ex peccato accipere, bonos eo priuatos ad inuidiam, & querelas incitari. Adde quod cum mali bonis permixti essent difficilis fuisset aliorum ab alijs separatio. Quid quod boni non ignorabant se hac Domini indulgentia; sine peccato frui posse, licet male ab hominibus desideratæ fuissent carnes, atque postulatæ, seque cibo cum malis, non etiam culpæ communicaturos. Hæc pluribus Abulensis: qui etiam addit ne malos quidem comedendo peccasse, licet desiderando petendoque peccauissent. Quia cum Deus istos cibos toti populo dedisset, vt manducaret, si peccatum esset manducare, obligarentur ad non manducandum, sicut ad non peccandum: Absurdum autem est, Deum dare cibos, quos nulla interueniente prohibitione, nemo possit attingere. Nam & manna quod murmurando impetratum fuerat, sine peccato quotidie sumebatur.

LIII. An peccatum sit à bonis, malisve comedẽdo coturnices.

Neque vero consequens est eos peccasse comedendo, quia scriptum est e, *adhuc carnes erant in dentibus eorum, & furor Domini concitatus est in populum.* Non enim præsens culpa, sed præterita puniebatur; idque significatur cum dicitur populum sepultum in sepulchris concupiscentiæ, non qui carnes comederat, *sed qui desiderauerat.* Qua autem pœna ea culpa castigata fuerit, non explicat Moyses, neque Dauid, vterque tamen suspicionem dedit, eos ex crapula perijsse, vt hic quoque illud valeret f, *per quæ peccat quis, per hæc & torquetur:* sicut toties supra in Ægyptiorum pœnis obseruatum est: & recens Nadab & Abiu, qui in igne peccarant, incendio periere: vt & mox apparebit in seditione Core, in qua ignis egressus à Domino interfecit 250. viros, qui incensum illegitimè offerebant. Hanc sententiam confirmant illa Scripturæ verba, *donec exeant per nares ipsorum*, videtur enim prædici punitionis modus; sicut & sepulchrorum denominatio: dicta enim sunt concupiscentiæ, siue guloforum, quod scilicet eorum gula punita fuerit, congrua debitaque pœna. Neque otiose dictum est, *adhuc carnes erant in dentibus eorum*, sed cum emphasi, ad significandum illas ipsas carnes eis interitum attulisse, qui *manducauerunt, & saturati sunt nimis.*

LV. Qua pœna castigati in ea crapula petierint.

e *Num.* 11 33.

f *Sap.* 11. 17.

Dum carniuori Iudæi coturnicibus saginantur ac puniuntur, & Septuaginta g seniores sua

LV. g *Num.* 11 33. & 34. & 29. 20.

inceptant

In conceptescentia lepulchris extremo mense sepeliuntur

inceptant officia, pene ad finem tertij mensis ventum est, impleta Domini promissione, qui se istis obtrectatoribus in mensem integrum carnes daturum spoponderat. Postremi tamen dies poliri videntur in sepeliendis mortuis, *percussit enim Dominus populum plaga magna nimis.* Neque de numero constat, etsi Seuerus Sulpitius 23. millia perijsse tradat, quod translatum videtur ex historia de punitis vituli adoratoribus. Initio itaque quarti mensis columna nubis eleuatur supra tabernaculum, argenteæ tubæ vasa conclamant, & Israel purificatus gulosorum & obtrectatorum cæde, quasi tetro & morbido sanguine leuatus, alacrior iter Chananitidem versus arripuit, & quarto die in Haseroth peruenit, ibique mansit donec soror Mosis Maria à lepra curata est. Post populi enim obtrectationes aduersus Mosem, Maria quoque in fratrem, occasione Sephoræ Æthiopissæ, siue Madianitidis, obloquta est, vt patientia & mansuetudo innocentissimi hominis, domi forisque tentata, magis magisque clarescceret, & Dei in eum benevolentia omnibus illustrius innotescceret.

Haseroth mansio 23

LVI. Iurgium Mariæ & Sephoræ. *b* Nū. 12. 1. 2. &c.

Iurgium domesticum Mariam inter & Sephoram contractum *b* fuisse facile omnes concedunt, satis apparet, vt Rabinorum fabulas omittamus, Sephoram mariti causa, quem prophetarum maximum vere prædicabat, sese Mariæ sorori eius prætulisse, vtque Moyse absente; quod cum Maria, quæ Sephoram præ se contemnebat, iniquo animo ferret, Mosis prophetiam eleuare cœpit & habuit causæ suæ aduocatum Aaronem. Itaque ambo cum Sephora rixantes, *num per solum Moysem*, inquiunt, *locutus est Dominus? nonne & nobis similiter est locutus?* Maiore autem in culpa fuisse Mariam, eaque Aaronem vix leuiter aspersum, non solum ex pœna, qua sola Maria affecta est, intelligitur, cum Aaron leui tantum fuerit reprehensione perstrictus, sed etiam quod, in commemoranda obloquutione, prima nominatur Maria, quæ alioqui postponi debuisset fratri, summi præsertim Pontificatus dignitate fulgenti. Augetur etiam huius magnitudo culpæ ex conditione personæ quæ offenditur, quæ præterquam quod erat totius populi princeps, omnes mansuetudine superabat.

LVII. Dominus in Mariã & Aaronẽ iratscitur.

Ergo Mose domesticum iurgium ex animi lenitate dissimulante, Dominus causam eius suscipit, & cum cum fratre ac sorore alloquens, *Egredimini*, ait, *vos tantum tres ad tabernaculum fœderis.* Erant fortasse in tabernaculo Mosis, & iubentur soli adire tabernaculum fœderis, ne Aaroni palam facta obiurgatio eius imminueret autoritatem, eaque vulgo vilescceret. Imo ne Moysem quidem præsentem esse voluit reprehensioni, quæ erat cum eximia eius laude coniuncta. Nam cum descendisset Dominus in columna nubis, stetisseque in introitu tabernaculi, seorsum à Moyse Aaronem & Mariam euocauit, vbi volens factum eorum comprimere, ostendit quanto eos interuallo Moses prophetiæ dono antecederet. *Si quis*, inquit, *fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad eum.* Duos tangit prophetiæ modos, prior est cum Dominus per Angelum suum apparet alicui, sub aliqua forma visibili, eique aliquid diuinitus reuelat; posterius cum species quæ sunt in hominis phantasia per somnum ita disponit, vt det cognitionem rei, quam vult à Propheta intelligi. Prior ille modus visio dicitur, posterior auditio, quod audire sibi videatur, quæ in phantasia repræsentantur, quæ tamen reuera non audit, alioqui non dormiret.

Duo modi prophetiæ.

LVIII. Mosis præ cæteris excellentia.

At non talis, inquit, *seruus meus Moyses, qui in omni domo mea*, populo scilicet meo, cuius eum quasi patrem-familias constitui, *fidelissimus est*, nec gloriam meam arrogat sibi. Et quia principes solent talibus familiariter vti, addit, *Ore enim ad os loquor ei, & palam, & non per ænigmata, & figuras Dominum videt.* Clarius nimirum ac manifestius, quam cæteri omnes. Neque enim negat se prioribus illis modis cum eo agere, sed intra eandem communicationis formam multo illustrius, vt Aaron & Maria intelligant se illi æquari non posse, *Quare ergo*, inquit, *non timuistis detrahere Moysi seruo meo*, qui cæteros prophetas vsque adeo antecedit? quare nihil veriti estis meipsum offendere, in persona mihi amantissimi ac fidelissimi capitis? simulque iratorum in morem, nullo expectato responso *abijt*, nube quæ descenderat rursum ascendente. Nec ira offensa est, quod attinet ad Aaronem, nisi in subito & inexpectato post obiurgationem discessu. Nam de Maria sequitur.

LIX. Maria leprã patitur.

Et ecce Maria apparuit candens lepra, quasi nix. Cumque respexisset eam Aaron, & in eius pœna eximiam Dei erga se clementiam agnoscceret, qui sacrorum principem immundum reddere noluisset; aut etiam ex proprij timore periculi pœnitens, humiliter Moysen pro ea rogat, & pro vtroque veniam petit. *Obsecro*, inquit, *Domine mi, ne imponas nobis hoc peccatum, quod stulte commisimus.* Fratrem erat ne consentiat in vindictam offensæ in se commissæ, & pœnam quam Dominus infligere cœperat. Pergit autem, *ne fiat hæc quasi mortua*, quales videlicet sunt leprosi ab hominum conuersatione secreti, *& vt abortiuum quod projicitur de vulua matris suæ*, tanquam scilicet fœda res & execrata, qualis etiam est leprosus. Ex quo intelligitur admodum horribilem fuisse hanc lepram; præsertim cum subdatur: *ecce iam medium carnis eius deuoratum est a lepra*, per totum scilicet corpus celeriter serpente. In Hebræo tamen hoc dimidium consumptæ carnis, non ad Mariam, sed ad abortiuum refertur, quod Hieronymus explicando Mariæ, pro qua similitudo afferebatur, accommodauit.

vers. 11. Orat Aar. pro ea.

LX. Et Moyses ipso

Mitissimus autem Moses, quem de industria Dominus adesse voluerat, vt ad eum frater statim confugeret supplex, facile exoratus clamauit ad Dominum dicens, *Deus obsecro sana eam.* Didicerat enim in seipso in monte Sinai, quam id ei in promptu esset, & sperabat se, cuius in gratiam hæc pœna inflicta fuerat, iniuriam remittente, Iudicem quamprimum à supplicio temperaturum. Nec irrita fuit supplicatio, cum pœna, quæ totius vitæ futura erat, vt postea regis Oziæ, septidui duntaxat fuit. Significat porro Dominus non conuenire, vt statim, & ante egressum è Sanctuario, quod optabat Moyses, illa sanaretur, nec eius morbus efferretur in vulgus: quod oporteret

mulieris vanitatem deprimi, & confusione emendari. Confert autem Dominus se Patrifamilias, Mariam filiæ, sputum lepræ. Sicut enim conspūtatio non totam perfundit faciem, sed sparsim varijs eam in locis inquinat, sic & lepra non vniuersam opplebat fœminam, sed plurimis vndique postulis eam fœdam ac tumentem reddebat.

LXI. Eius lepra septiduo perseuerat.

Quoniam vero Dominus dixit, *Separetur septem diebus extra castra, & postea reuocabitur*, nec dixit, postea mundabitur, quidam existimant eam statim ad Moysi preces fuisse sanatam; communior tamen probabiliorque sententia est, Mariam non ante septimum diem fuisse sanatam; id enim eius intererat, & populi vniuersi. Nam illius fastus deinceps in perpetuum comprimebatur, cum ea labes nulla posset tergiuersatione celari, vtpote omnium oculis obiecta septiduo: Et populus ipse facilius in officio erga Moysem suo continebatur, dum cerneret culpam in eum admissam, etiam in sorore, turpissima septidui lepra castigatam. Ipse autem Moyses suæ consolationi, & priuatam sororis, & publicam totius populi vtilitatem libenter antetulit. In illa autem reuocatione in elligitur antecedens: non enim non sanata reuocaretur. Post septimum itaque diem & sanata, & reuocata est ad communem habitationem, moxque populus de mansione Hazeroth profectus est.

LXII. Mansio 15 in Rethma, luctuosa.

Sequitur itaque decima quinta mansio, vna inter alias memorabilis, in qua vniuersa Hebræorum gens non solum in summum est adducta discrimen; populo impijs obtrectationibus Deo patientiam propemodum extorquente, sed reipsa sexcenta & tria hominum millia, & insuper quingenti, & quinquaginta immatura morte damnati sunt, & luctuoso præterea quadraginta annorum exilio mulctati. Et vt a loco mansionis ducamus initium, nonnihil in eo dubitationis existit, quod initio 13. Numer. habetur populum profectum de Hazeroth, fixisse tentoria in deserto Pharan. At in catalogo mansionum *a* dicitur populus de Hazeroth venisse in Rethma. Respondet Hieronym. Rethma, sicut & pleraque loca sequentium mansionum, esse partes immensæ solitudinis Pharan, quam aiunt ad vndecim dierum iter longè latèque fusam. At quid est quod missi dicuntur exploratores ex Cadesbarne *b*, quos constat ex hac mansione missos? An quia Rethma obscurior erat locus, quam Cadesbarne ciuitas Moabitarum, eique vicinus. Itaque in catalogo mansionem vbi loca accurate percensentur, nulla statio, aut mansio in Cadesbarne ponitur.

a Num. 33 18. in mans. 15.

b Deut. 1. 20. & Ios. 14. 7.

LXIII. In quod tempus cadat.

Quod ad tempus attinet, iuxta stabilitam superius Chronologiam *c*, Israelitæ in neomenia quarti mensis, relictis sepulchris concupiscentiæ, venerunt versus Hazeroth, quo die quarto peruenerunt. Quinto ponamus licet Mariam murmurasse, & leprosam factam esse: ea res populum ad septiduum in eadem statione detinuit, duodecimum scilicet diem. Decimo tertio vasa conclamata sunt, & itum versus Cadesbarne in Rethma, ad quem vsque locum iter quatridui fuit. Ergo eo peruentum est decimo sexto die ad vesperam. Decimo septimo captum est consilium de exploranda Chananitide, & post triduum aut quatriduum, vt Hebræis placet, in paranda profectione positum, vigesimo die quarti mensis profecti sunt, & quadragesimo denique reuerterunt, qui in sexti mensis initium cadit, quod potest ad Augustum pertinere.

c sup. n. 55

LXIV. Cōsilium explorandæ terræ nō à Deo profectū.

Iam vero quod ad explorandæ terræ consilium attinet, varia Scripturæ loca rem dubiam faciunt. Nam 13. Numer. videtur Dominus eius consilij autor extitisse. At ex Deuteron. *d* apparet Populum consilij huius autorem fuisse. Volebat enim Dominus vt Angelo suo ductore, in Chananitidem inuaderet, neque de victoria dubitaret. *Vide terram*, aiebat Moyses, *quam Dominus Deus tuus dat tibi; ascende & posside eam. Noli timere, nec quidquam paueas.* Et rursum inferius, *Ascendite*, inquit *e*, *& possidete terram, quam dedi vobis.* Non ait explorate, sed adite, occupate, possidete auspicijs meis. Hæc erat Domini voluntas. Vide nunc quæ populi mens fuerit. *Accessistis f ad me omnes*, ait Moses, *atque dixistis, Mittamus viros qui considerent terram, & renuncient per quod iter debeamus ascendere*, Id autem erat diffidere de diuina promissione & auxilio, ideoque subdit Moses *g*, *contempsistis imperium Domini Dei vestri, & non credidistis ei, neque vocem eius audire voluistis.*

d ca. 1. 22.

e ca. 9. 23

f ca. 1. 22. Deut.

g e 9. 23.

LXV. Missi permittente, sed à populo.

Hic Moses Dominum de more consulit, qui in pœnam importunæ prudentiæ, diffidentiæ, atque inobedientiæ, permisit peregrinationem istam, quam prouidebat in magnam populi cladem cessuram; dicens *h*. *Mitte viros qui considerent terram Chanaam*, &c. Quo audito Moses, ignorato, vt probabile est, infelici exitu istius profectionis, consensit populi voluntati. Itaque illud *mitte* non imperantis est Dei, sed permittentis. Sic Elisæus acquiescens voluntati eorum, qui ad Eliam quærendum mittere volebant 50. viros, dixit *mittite*, cum tamen reuera nollet vt mitterent. In huius permissionis signum in Hebræo, Græco & Chaldæo legitur, *Mitte tibi viros*, id est ex iudicio & arbitrio tuo, vt ait Caietanus, non ex imperio meo. Recta quoque ratio cum hac missione pugnabat. Vtilis est enim periclitatio, & perquisitio, si quando res in deliberationem cadat; at hic nullus erat deliberationi locus. Accipienda enim erat illius terræ possessio, quæcunque tandem esset, & quantumcunque laboriosa futura esset illius occupatio, nec alterutra de re disceptandum, aut dubitandum fuit. Quandoquidem ex vna parte Dominus *i* sæpe affirmauerat, terram se eis daturum lacte & melle manantem, ex altera se pugnaturum pro ipsis.

h Num. 13. 3

4. Reg. 2 17.

Ratio eius rei.

i Exo. 23 29.

Electi sunt autem non ipsi tribuni, aut primi principes tribuum, qui supra tam primo, quam septimo capite numerati, sed alij in suis quique tribubus viri primarij, ijdemque fortes atque industrij: in quibus fuerunt clarissimi duo, Iosue minister Mosis de tribu Ephraim, & Caleb de tribu Iuda. De tribu autem Leui electus est nemo; quia illi non competebat hæreditas à reliquis tribubus separata. Dat porro Moses exploratoribus duo in mandatis, vt considerent qualis sit terra, quæ eis promissa est, quasi Deus falli posset aut fallere, qui eam toties commendasset, & qualis populus habitator

k LXVI. Qui fuerint hi exploratores.

eius:

eius: quæ duo mandata Philo partitur in triplicem considerationem, populorum, vrbium, & agri ipsius. His instructi mandatis *l*, *exploravuerunt terram à deserto Sin, vsque Rohob intrantibus Emath.* Quæ est totius regionis longitudo à meridie ad Septentrionem. *Ascenderuntque ad meridiem, & venerunt in Hebron*, quæ erat in montanis Iudææ, in qua Dauid septem annis regnauit. Ibi autem cum habitabant *Achiman, & Sisai, & Tholmai filij Enac*, id est gigantes de stirpe gigantæa, ad quos postmodum exploratores alludent. Et putantur aliqui, ex hac Enacinorum gente, quæ in plures fuit diuisa familias, ex Hebrone in Ægyptum profecti, vrbem Tanim, quam Zoan Hebræi vocant, vel condidisse, vel incoluisse, vbi eorum posteri tribus istis coæui à plerisque Israelitarum videri potuerunt.

l *Num.* 13 22. Terram lustrant Gigantes Hebronitæ.

LXVII. Fructus terræ Chanaan. m v. 24.

Memores porro exploratores accepti mandati, de terræ fructibus afferendis m, *pergentes vsque ad torrentem Botri. absciderunt palmitem cum vua sua, quam portauerunt in vecte duo viri.* Ficus quoque & malogranata inde tulerunt, quæ credibile est vuæ proportione respondisse, in euidens fertilissimæ regionis argumentum. Ratio autem postulat vt hi fructus non nisi in reditu collecti fuerint, vt recentes populo monstrarentur, nec eos oporteret toto itinere circumferre. Reuertuntur itaque, sed diuersis affecti modis. In itinere enim, vt ait Philo, inter eos conuenire non poterat, quid de communi sententia populo renunciarent, ne seditio exoriretur: sed minus etiam post reditum, magno ipsorum, & totius populi malo, conuenit, vt mox patebit.

m v. 16. 27. 28.

LXVIII. Reditus exploratorum in Rethma.

Reuersi n ergo *sunt exploratores terra, post* 40. *dies omni regione circuita.* Non videntur tamen traiecisse Iordanem, quod ea regio ad Chananitidem proprie non pertineret. Reuersi inquam, *venerunt ad Moysen & Aaron, & ad omnem cœtum filiorum Israel in desertum Pharan*, id est in Cades, priuatum magni deserti loco. Sumitur autem hîc Cades pro Cadesbarne; nam hæc ad decimam quintam mansionem pertinet, Cades vero ad trigesimam tertiam. Cadesbarne autem pro Rethma, ei vicino, vt diximus o, sed ignotiore loco sumitur. Pergit Moses, *Locutique eis, & omni multitudini ostenderunt fructus terra, & narrauerunt dicentes, Venimus ad terram ad quam misisti nos, que reuera fluit lacte & melle, vt ex his fructibus cognosci potest.* Et hæc est responsio ad prius mandatum, quæ quo vehementius populum allicere potuit, hoc cum magis potiundi difficultas absterruit, atque contristauit. De altero enim mandato ita respondent. *Sed cultores fortissimos habet, & vrbes grandes, atque muratas.* Illos autem cultores, siue propugnatores fortissimos ita explicant, *Stirpem Enac vidimus ibi*, quales scilicet in Ægypto, in ciuitate Tanim iam viderant: alioqui enim non intelligeret populus quales homines describerentur. Pergunt, *Amalec habitat in meridie, Hethæus & Iebusæus & Amorrhæus in montanis, Chananæus vero moratur iuxta mare, & circa fluenta Iordanis*, id est possidet regionem campestrem, itaque acerrimis hostibus plena sunt omnia.

n v. 26.

o n. 62.

Detrahūt de terra.

LXIX. Murmur excitatur,

Inter hæc Caleb compescit murmur populi, qui oriebatur contra Moysen. Primus se offert ad compescendam seditionem Caleb, & animo & ætate florens, quadragesimum enim tunc agebat annum, vt ipsemet, Iosue 14. testatur, sed & dignitas nobilissimæ omnium tribus, ad quam pertinebat, ei faciebat animos, vt diceret, *Ascendamus* a, *& possideamus terram, quoniam poterimus obtinere eam.* Neque tamen dubitandum est eo ipso tempore Iosue ministrum Mosis in hac seditione, quæ in magistrum suum concitabatur, præclarè se gessisse, vt deinceps intelligetur. Primam tamen laudem Scriptura Calebo tribuit. Alij vero qui fuerant cum ipsis, & omnia humano iudicio timore deprauato metiebantur, dicebant, *nequaquam ad hunc populum valemus ascendere.* nisi volumus ab eo male mulctari, *quia fortior nobis est.* Quin etiam detraxerunt terræ, quâ inspexerant apud filios Israel, dicentes, *Terra quam lustrauimus deuorat habitatores suos*, id est laboriosissimè exercetur, & colitur. Quoniam enim negare non poterant vtilissimè coli, ad asylum ignauorum confugiunt. Sic enim natura comparatum est, vt quis ea vilipendat, quæ obtinere non potest, vt in sua se iactura consoletur. Quò pertinet illud Dauidis b, *Et pro nihilo habuerunt terram desiderabilem.*

Qui Caleb resistit.

a *Num.* 13 31. &c.

b *Ps.* 105. 24.

LXX. Habitatorum magnitudine terrentur.

Et quia difficile erat de terra illa probabiliter mentiri, redeunt ad propugnaculum querelæ suæ. *Populus quem aspeximus procera statura est, Ibi vidimus monstra quædam filiorum Enac de genere gigantæo, quibus comparati, quasi locustæ videbamur.* Omnia malignè in maius attollunt, vt populum auertant à voluntate adeundi regionem, ad quam Deus eos deducebat. Huic porro sementi respondit seges. Nam primus ille iræ impetus solutus est in lacrymas socias querelarum, & lamenta in spem irritam, & labores iam tot mensibus frustra exantlatos. Nec tacitus fuit ille fletus, sed publicus & sonorus. *Omnis* quippe *turba*, ex animi impotentia, & amaritudine cordis *vociferans fleuit nocte illa*, vtique deteriore fletu, quam cum nuper carnium desiderio lurcones ciularent. Rursum autem cum prima luce ardescens ira fletus absterserit, & quæ prius in solum Moysen intumuerat, in eius quoque fratrem inflammatur, sic vt ipsi, metu lapidationis, ne hiscere quidem auderent, sed sese in terram coram omni multitudine prostrauerint, vel ad eos sedandos, vel ad Numen ipsis infimis precibus placandum.

Plorant.

Irritantur in Moysen & Aaron.

At illi ita irritantur in benefactorem Deum, vt nullam vitæ conditionem sua duriorem putent; adeo vt mortem in durissima Ægypti seruitute, & fornace ferrea, aut in vasta solitudine anteferant atque appetant, persuasi sibi alioqui violenta morte pereundum; filijs autem suis atque vxoribus in turbi ac miserabili seruitute consenescendum. Sed addunt consilium dignum hominibus in Deum impijs atque rebellibus. Nam vt stomachum moueant ei, qui inde ipsos eduxerat, ita inter se deliberant, *Nonne melius est reuerti in Ægyptum? Constituamus nobis ducem*, Mose scilicet vel deserto, vel interfecto, *& reuertamur in Ægyptum*: abiecta per apostasiam Domini lege, omnique aduersus Deum pietate proculcata. Nec vident insani, sibi integrum non esse reuerti in Ægyptum, seque à Deo vicissim desertos, & ab

LXXI. Et in Deū ipsum de præ enī ditione tus.

Nū 14. 3. Vtinam mortui, &c.

Quam insipienter redire in Ægyptum moliātur.

omni

omni commeatu imparatos, dira fame in reditu perituros, aut etiam Deo, & hominibus inuisos, ignitis pestilentiæ iaculis, quæ Dominus postmodum intentat, aut gladijs Amalecitarum, vel Madianitarum, vel cæterorum Arabum trucidatum iri.

LXXII. Iosue & Caleb lapides intentant

Denique Iosue & Calebo legationis socijs bene monentibus, cum ingenti vlulatu non solum obstrepunt, sed illos ipsos, quos sua virtus, & præcedentia in Rempub. merita, quos dignitas generis, & quod caput est, pietas in Deum reddebat honore dignissimos, lapidibus obruere aggrediuntur: & apparet facturos, nisi derepente apparens gloria Domini, nefarium atque immane consilium disiecisset. *Apparuit* enim *gloria Domini super tectum fœderis cunctis filijs Israel.* Eam gloriam interpretatur Abulensis, insolitum in columna nubis fulgorem, & vibrantes ex illa radios ad populi terrorem, aut alia quæpiam formidolosa signa. Species ergo flammantis præter solitum nubis, stupefactos cohibet, & iniustissimam iracundiam, iniustissimum timorem conuertit, vt qui facile poterant Sepulchra concupiscentiæ, & ignem extrema castrorum deuorantem meminisse. Dixit ergo Dominus ad Moysen, & quidem audiente, vt apparet, plurima multitudine, cuius intererat perterrefieri, & suum alijs communicare terrorem.

Apparēte Dei gloria terrentus.

Nū 14. 11

LXXIII. Moses orat pro populo.

Vsquequo, inquit Dominus, *detrahet mihi populus iste? quousque non credet mihi, in omnibus signis, quæ feci coram eis? feriam igitur eos pestilentia, atque consumam.* At Moses expertus efficacitatem orationis illius, qua repræsentabat Domino, in sumenda vltione de populo suo, etiam eius gloriam apud infideles in discrimen adduci, eodem nunc quasi clypeo vtitur, ad protegendum populum suum. Quamdiu autem in orando perseuerauerit non satis constat. Apparet tamen perseuerasse quousque audiuit, *Dimisi iuxta verbum tuum*, id est, non delebo vniuersos pestilentia, vt fueram comminatus, idque do precibus tuis; neque permittam gloriam meam imminui apud Ægyptios, aut Chananæos, quod tu suspicaris, imo vniuersam terram gloria mea implebo, dum vbique audientur, quæ ego postea in gratiam populi mei perpetraturus sum. Nihilominus non impune feret hic populus violatam maiestatem meam. In eos enim in præsens animaduertam, qui grauiore culpa tenentur obstricti, vtpote, *qui viderunt maiestatem meam* in monte Sina, *& signa quæ feci in Ægypto, & solitudine, & tentauerunt me iam per decem vices, nec obedierunt voci meæ: non videbunt terram pro qua iurauí patribus eorum.* Addit autem iusiurandum, vt decretiminutabilitas intelligatur, tam circa ea quæ glorioſe facturus est in Chananitide, quam in exclusione obtrectatorum, infra annum vigesimum.

Exorat, cum secuto decreto in obtrectatores.

LXXIV. Iubetur regredi in solitudinem.

Quod autem Dominus ait, se decies ab hoc populo tentatum, recte plerique pro multoties posítum esse crediderunt, alij tamen non male decem huius populi querelas, siue obmurmurationes numerant, quas in Annalibus habes. Laudat deinde Dominus nominatim Calebum, eique mercedem pietatis, ac fidelitatis promittit. vniuersum autem populum reuerti iubet in solitudinem. *Quoniam*, inquit a, *Amalecites, & Chananæus habitant in vallibus, Crastinus mouete castra, & reuertimini in solitudinem per viam maru rubri.* Priora verba exponi recte possunt, quasi dicta per exprobrationem ironicam, alludendo ad verba illa exploratorum, *Amalec habitat in meridie*, &c. Et quia consilium capiebatis reuertendi in Ægyptum, agite, insistite viam Ægypti; neque tamen eò peruenietis, sed moriemini in solitudine. Fuit porro necessarium moneri populum de itinere, licet columnam nubis haberent ducem, ne forte rebelles eam regredientem ad meridiem sequi nollent.

a Num. 14. 25.

Iterat porro Dominus prædictam condemnationem de non adeunda Chananitide, contrahendo eam ad annum vigesimum. Nam prius dixerat nullum eorum, qui detraxerant Domino, visurum promissam terram. Nunc autem, *Omnes*, inquit, *qui numerati estis à vigesimo anno & supra, & murmurastis contra me, non intrabitis terram.* At fieri potuit vt de iunioribus plurimi cum parentibus murmurassent; sed eorum pœna in diuturnam peregrinationem fuit commutata. Ad priorem tamen sententiam pertinent, quicunque Leuitarum, aut mulierum, aut promiscui vulgi, rei fuerant murmurationis, & numerati non fuerant, quorum haud dubiè plurima fuit multitudo, quorum cadauera, cum numeratis illis, in solitudine iacuerunt. De iunioribus autem Israelitis ita decernit. *Parvulos* b *autem vestros, de quibus dixistis, quod præda hostibus forent, introducam, vt videant, & possideant terram quæ vobis displicuit.* Ita tamen vt *vagi sint in deserto annis quadraginta, quibus portabunt fornicationem vestram*, apostasiam, siue defectionem à Deo vestro, donec consumantur cadauera patrum in deserto. *Iuxta numerum quadraginta dierum, quibus considerastis terram, annus pro die imputabitur, & 40. annis recipietis iniquitates vestras*, intra 40. annos luetis pœnam debitam iniquitatis vestræ. Ille tamen numerus duobus fere annis, ex indulgentia Iudicis, imminutus est, id est, à quo discessum est ex Ægypto ad præsentem diem. Et hæc quidem de vniuersi populi pœna.

LXXV. Sententia gemina condemnationis explicatur.

b v. 31, 32.

Voluit interim Dominus in eos, qui huius omnis tragœdiæ autores atque actores extiterant, erantque eam ob causam omnium nocentissimi, ad aliorum etiam terrorem atque exemplum, accelerata vltione animaduertere. Igitur, ait Moses c, *omnes viri, quos miserat Moyses ad contemplandam terram, & qui reuersi murmurare fecerant contra eum omnem multitudinem, detrahentes terræ, quod esset mala, mortui sunt, atque percussi in conspectu Domini.* Subitam hæc verba mortem significant, dum scilicet adhuc appareret vindex gloria Domini super tabernaculum fœderis: vel proximè post latam sententiam, vt solent latrones in agris, à Prætectis rerum capitalium condemnari. Genus mortis Moyses tacuit, Philo ait decem exploratores absumptos esse pestilentia, cum populo, qui eorum ignauiæ adhæsit. Rabbi Salomon ait linguas eorum fluxisse veneno, inflatisque subitam mortem attulisse. Caietanus suspicatur diuino igne coram tabernaculo Domini fuisse combustos, effuso videlicet in eos coram omnibus, è columna nubis incendio.

LXXVI. Decem exploratorum pœna.

c vers. 36

Idque

Idque magis valuit ad terrorem populi, quam pestilentia.

LXXVII. Pleriique inuito Domino pugnam ineunt.

Supereſt vltimus tragœdiæ huius actus, quo bona pars populi huius, paulò ante male timida, nunc præpoſtera audacia præceps, debitam ſibi mortem videtur accelerare voluiſſe: ſiue exiſtimauerunt diuinam in ipſos ſententiam, non decretum immutabile, ſed comminationem eſſe duntaxat, ſiue contenebrati animis arbitrati ſunt ſe, ſiue propitio, ſiue non propitio Domino, victores euadere poſſe, & in Chananitidem violenter irrumpere; ad bellum infeliciter progreſſi, ex eo infelicius regreſſi ſunt. Audita ergo Domini ſententia, viſoque in ſubita Exploratorum morte vltricis iræ principio, *Luxit populus nimis.* Et mane primo venerunt ad Moyſen dicentes, *Paratiſſimus aſcendere ad locum de quo Dominus locutus eſt, quia peccauimus*: & nunc armis animiſque inſtructi, peccatum admiſſum emendare volumus, fortique obſequio ignauam rebellionem corrigere. Sic *ſtulti dum vitant vitia, in contraria currunt.*

a c.14.25. b c.1.46.

d *verſ.* 42

LXXVIII. Et Moyſe repugnante.

Quibus Moyſes, *Cur d tranſgredimini verbum Domini, quod vobis non cedet in proſperum? Nolite aſcendere, non enim eſt Dominus vobiſcum, ne corruatis coram inimicis veſtris.* Nec periculum tantum, ſed certam denunciat cladem. *Amalecites & Chananæus ante vos ſunt, quorum gladio corruetis, eò quod noluerit is acquieſcere Domino*, iubenti nunc reuerti in ſolitudinem, non aſcendere, & pugnare. e *At illi* nihilominus *contenebrati aſcenderunt in verticem montis* malitia quippe eorum, & ſuperbia, qua tumebant, excæcarat eos, ne bene monenti obtemperarent, & placida poſtmodum morte interirēt, & non cū nouo inobedientiæ peccato gladio infidelium perirent. Aſcenderunt autem, Arca teſtamenti Domini, & Moyſe non recedente de caſtris, neque cæteris de populo Deum timentibus. Quis porro temerariæ pugnæ exitus? *Deſcendit Amalecites & Chananæus, qui habitabat in monte*, qui Amorrhæus in Deuteronomio *f* vocatur, *& percutiens eos atque concidens, perſecutus eſt eos vſque Horma.* Quæ vrbs poſtea duce Ioſue in poteſtatem Iſraelitarum venit, rege eius interfecto. Et in huius cladis vltionem, ad illum vſque locum Ioſue *g* perſecutus eſt quinque regulos Amorrhæorum, & ipſos cum ſuis copijs internecione deleuit. Reuerſi à pugna, *plorauerunt coram Domino, nec audiuit eos, nec voci eorum voluit acquieſcere*, vt in Deuteron. ſcriptum eſt.

e v.44.

Et victi concidunt. f c.1.44.

g Ioſ.10. ſ.17.26.

eap.1.45.

ANNVS MVNDI 2546.

AARONIS 2. MOSIS 83.

ASCATADIS 11. Imperij Aſſyrior. 615.

ANTE CHRISTVM 1505.

1 Egreſſio e Rethma infuoſa.

EGredimur è Rethma manſione decima quinta, dum ingenti totius populi luctu, ad Arabicas arenas, & inhoſpita ſaxa, quaſi ad metalla in totam vitam damnati, deſperata maximæ parti poſſeſſione Chananitidis, tot tantiſque laboribus quæſitæ, tot laudibus ab ipſo Deo celebratæ, tot promiſſis antiquis retro patribus confirmatæ, & ſub ipſum in eam ingreſſum, quaſi facto in portu naufragio, infeliciter amiſſæ. Accedebat & gemina clades recens accepta; altera diuinitus in decem exploratoribus repentina morte ſublatis, alijſque, vt ait Philo, cum eis: altera cum ab hoſtibus fuſi fugatique, & vſque ad Horma conciſi fuerunt. Inde ergo cum præuaricatore populo ad manſionem decimam ſextam tranſimus: in qua etiam nouum inchoamus annum. Dubia tamen eſt ratio temporis, cum in lib. Numer. *a* ſcriptum ſit, *cras mouete caſtra, & reuertimini in ſolitudinem.* In Deuter. *b* autem legamus Iſraelitas poſt exploratorum cladem, manſiſſe *in Cadesbarne multo tempore.* Rethma vero, vt diximus, fuit iuxta Cadesbarne.

II. Non tam cito facta

Dicendum videtur in primis, illud *Cras* non ſumendum eſſe præciſe pro die proxime ſequenti. Poſtridie enim iuſſionis illius populus aſcendit in verticem montis, & qui inde elabi potuerunt, confuſi ſemineceſque redierunt, vnde nec ſtatim ad iter, quod inuiti ſuſcipiebant, parati fuerunt. Cras ergo recte exponetur propediem, aut primo quoque tempore, vt cum apud Eſaiam dicitur c, *Edamus & bibamus, cras enim moriemur.* Quod ſi placet eam vocem proprie accipere, dicendum erit eam ſignificare quid factum oportuit, ex iuſſione Domini, non quid factum ſit, ex populi, pugnam præpoſtere ambientis, peruicaci voluntate. Itaque dandum fuit aliquid temporis ſepulturæ decem exploratorum, & eorum, qui in hac infelici pugna perierunt. Dandi fuerunt etiam dies aliquot fugitiuis, vt ſe vel ex plagis curarent, vel ex pauore colligerent; aut ex labore recrearent. Denique nihil erat quod vrgeret profectionem, cum totum Iſraelitarum negotium deinceps eſſet, conſumere tempus huic exilio deſtinatum: vt propterea reliquum tempus anni ſecundi, manſioni decimæ quintæ dixerimus tribuendum, cui etiam longius tempus, ſine vllo incommodo, tribui potuiſſet.

c Eſai.22.13.

III. Rethma differt à Cadesbarne.

Iam vero exiſtimandum non eſt idem eſſe manere in Rethma, & in Cadesbarne in multo tempore. Nam Cadesbarne non fuit vnius manſionis locus ſicut Rethma, ſed multarum, ſicut deſertum Pharam. Potuerunt ergo diu manere in, ſiue prope Cadesbarne, nec tamen diu manere in Rethma. Sed inde digreſſi per vicinas manſiones diu circumire Cadesbarne & montes Seir, vt dicitur in Deuteronomio. *d*

d c.2.init Ordo rerum geſtarū hoc tempore.

Cæterum, quod ad res geſtas hiſce temporibus, certum quidem videtur, ea quæ deinceps aliquot libri Numerorum capitibus continentur, vſque ad mortem Mariæ, ad proximos 37. annos pertinere; quo autem quidque loco, vel tempore contigerit, neque ex Scripturæ, neque ex idoneorum Scriptorum teſtificatione conſtat, vt propterea ad coniecturas ex vocabulorum notatione recurratur; quoniam videmus ex diuerſis euentis, certa quibuſdam locis indita fuiſſe vocabula, vt Mara, Incenſio, Sepulchra concupiſcentiæ. Quod ſi quid

c c.15.32.

certo quopiam Scripturæ loco narratur, quod aliò referri oportere non constet, ratio postulat vt inde non transferatur; quod de cap. 15. Numer. *c* dixerim, in quo, post aliqua præcepta cæremonialia, narratur animadversio in violatorē Sabbati, quam in Remmomphares mansione decima sexta contigisse putamus, vt series narrationis Mosaicæ postulat.

Mansio 16. Remmomphares.

IV. Historia lignatoris in sabbato.

Historiam Moyses in hunc modum recensēt; *Factum est*, inquit, *cum filij Israel essent in solitudine* Pharan, *& inuenissent hominem colligentem ligna in die Sabbati, obtulerunt eum Moysi & Aaron, & vniuersæ multitudini* conferti populi, qui tabernaculo erat circunfusus. *Qui recluserunt eum in carcerem*, vincula scilicet ei iniecerunt. *nescientes quid super eo facere deberent.* Non ignorabant quidem dictum à Domino f, *Custodite Sabbatum meum sanctum est enim vobis: qui polluerit illud morte morietur; qui fecerit opus in eo, peribit anima illius de medio populi sui.* Res tamen ad Dominum relata est, vel quia dubitabant de genere mortis, vt aiunt Philo & Abulensis, vel potius quia modica videbatur esse culpa pauperculi hominis paucula lignorū fragmenta ad accendendum ignem in Sabbato colligentis, & durū videretur leuem noxam supplicio capitis expiare. *Dixit* nihilominus *ad Moysen Dominus, morte moriatur homo iste, obruat eum lapidibus omnis turba extra castra.* Quod & factum est, sicque seuero exemplo sancita est obseruatio Sabbati, sicut & cultus Sanctuarij morte filiorum Aaronis.

f Exod. 31 14.15.

Dei iussu lapidibus obruitur.

V. Iudæi fimbriati.

Exposita porro cæde huius intempestiui lignatoris, subdit Moses præceptum Iudaico populo datum, de faciendis fimbrijs per angulos palliorum suorum, siue, vt quidam explicant, per oram & limbum superiorum vestium, quibus assuerentur vittæ hyacinthinæ, siue cærulei coloris, vt essent memoriale diuinæ legis obseruandæ. Cuius vt se cultodes egregios ostentarent Scribæ & Pharisæi g; *Dilatabant phylacteria sua, & magnificabant fimbrias.* Eum nihilominus ritum Christum ipsum retinuisse, sicut & reliquum populū liquet ex varijs Euangelij locis. Erat etiam hęc fimbriarum appositio ad distinctionem, vt Iudæi non solum intus in corpore per notam circuncisionis, sed etiam foris per palliorum fimbrias à cæteris gentibus distinguerentur: & ipsimet habitu se Iudæos, id est veri Dei cultores profiterentur. Verum hoc præceptum ante ingressum in Chananitidem, in vsu non fuit, vt docet Abulensis *h*, nimirum soli erant in solitudine, nec aderant populi alienigenæ, à quibus Israelitæ distinguerentur. Cæterum tres mansiones, aut etiam plures facile capit tertius hic annus. Remmomphares, Lebna, & Resa.

g Matth. 23.5.

h 9.50. & 54.

Tres mansiones anni huius.

ANNVS MVNDI 2547.

AARONIS 3. MOSIS 84.

ASCATADIS 12. Imperij Assyr. 616.

ANTE CHRISTVM 1506.

1 i Num. 16 toto.

AD hunc quartum annum exitus ab Ægypto, seditionem Core *i*, & sociorum eius referendam putamus. Suadet ordo ipse seruatus à Moyse, qui sine certa ratione mutari non debet, neque ad illud transferri tempus, quo primùm Aaron ad montem Sinai constitutus est Pontifex, cui ambitiosus Core inuideret. Apparet enim tantam seditionem diu compositam fuisse atque meditatam, non subito quodam motu exortam. Cuius rei non leue argumentum suggerunt 250. thuribula, quibus vsi sunt seditiosi quæ illi sibi confici curarunt: non enim erant Sanctuarij, sed ipsorum propria, vt ex textu liquet, & quidem ænea, cum illa essent aurea. Nec Moses aut Aaron consecrata Deo thuribula seditiosis hominibus vtenda præbuisset. Dilatam etiam ad hoc tempus seditionem ex eo fit credibile, quod à constituto Pontifice Aarone, alia ex alijs continenter admissa crimina Deum vltorem ita senserunt, vt populo perterrefacto, ipsi seditiosi meditatum facinus differre cogerentur, ne non in Aaronem aut Moysen, sed in ipsosmet, qui Dei exacuebant iracundiam, & vindictam accersebant, ira populi verteretur. Denique Iosephus *a*, non de paucis diebus, aut mensibus, sed de longiori vtique tempore inducit dicentem Moysen, hactenus Aaronem Pontificatu legitime functum esse, quæ laus in breui tempore nulla est. Sed iam ad rem ipsam aggrediamur, ab eius autoribus, & causis exorsi.

Seditio Core quando exorta.

a lib. 4. Ant. c. 2.

II. Primarij eius autores.

Primarij seditionis huius autores hoc loco memorantur Core, Dathan, & Abiron, quorum primus ad tribum Leuiticam, alij ad Rubenitas pertinebant: à quibus ducenti illi ac quinquaginta viri, in eiusdem criminis societatem adiecti sunt. Prima tamen origo mali in vnius Core caput refunditur, qui primus ab ipso Mose, inter fontes passim memoratur, & à cæteris scriptoribus, quasi signifer coniurationis agnoscitur. Hic ergo seipsum primo à Moyse & Aarone distraxit; tum ad partes suas tres primarios viros de tribu Ruben, Dathan & Abiron fratres, & Hon filium Pheleth allexit, à quibus cæteri in eandem perniciem tracti sunt, quos arbitror ad tribum Leui & Rubenis pertinuisse, quoniam res eorum agebatur, & sequebantur tribuum suarum duces, fueruntque eiusdem pœnæ participes.

III. Quod seditiosorū cōsilium.

Fuit Core filius Isaar fratris Amram; ideòque fratruelis Mosis & Aaronis, quorum dignitati ambitione stimulante inuidens, res nouas moliri cœpit, vt Aarone de summa dignitate deiecto, Pontificatum inuaderet. Id quia difficile omnino fore videbatur, Mose fratre ipsius rerum potiente, de illo quoque de principatu deturbando statuendum fuit, & spe illius obtinendi, alij ad consiliorum societatem trahendi. Ad id in primis idonei visi sunt Rubenitæ, qui illud sibi, iure paternæ primogenituræ, meritò vendicare posse videbantur. Ergo consilium cum prædictis principibus de tribu Ruben communicat, ostendens ipsis, vt filijs primogeniti Israelis, in populo principatum deberi, non Moysi, cui, cum sit de tribu Leuitica, Sacerdotium sufficere possit. Quin & indignum pontificatu Aaronem videri, qui in adoratione vituli maxime idololatria pollutus fuerit, & nuper pene cum Maria lepra contaminatus.

Si mutuas sibi operas præstare velint, vtrosque voti compotes fieri posse, cum immortali sua, & familiarum suarum gloria in omnem posteritatem. His consentanea sunt quæ Iosephus & Philo, & Moyses ipse de hac seditione scripserunt.

IV. Aliæ seditionis causæ, & inuitamenta.

Vsit etiam Core vehementius inuidia in Elisaphan, vt notauit Abulensis. Facilius enim erat tolerare Moysen & Aaronem sibi prælatos, cum essent filij Amram primogeniti Caath, quam Elisaphan filium Oziel *b* quarto geniti Caath, qui tamen reliquis omnibus Caathitis, secundum Eleazarum prælatus erat: id enim nullo modo ferendum videbatur. Accedebat & dicendi facultas, & opes, vt Iosepho placet. Sed & aliæ causæ, & inuitamenta interuenire potuerunt, quæ ægrum ambitione animum facile exulcerarunt; quibus diu fumans seditio, in apertum denique prorupit incendium. Nam præter quatuor illos primarios, quos dixi, coniurationis antesignanos, *Surrexerunt contra Moysen c ducenti quinquaginta viri proceres Synagogæ, & qui tempore concilij per nomina vocabantur*, id est consiliarij & Senatores ex diuersis collecti tribubus, qui ex officio statis temporibus, in locum consultationibus destinatum cogebantur: nec dubium est singulos magnam secum turbam clientum traxisse, qui mox semisopitam seditionem, magno suo malo redintegrarunt.

b *Num.* 3 30.

c *Num.* 16. 2.

V. Core cũ suis insurgit in Mosem.

Hi ergo varijs motibus, in populo expectatione suspenso, concitatis *d*, *cum stetissent aduersus Moysen & Aaron dixerunt, Sufficiat vobis, quia omnis multitudo Sanctorum est, & in ipsis est Dominus, cur eleuamini super populum Domini?* Nolunt videlicet vllum agnoscere superiorem, præter Deum, omnes sub eo æquales esse volunt, antiqui Anabaptistarum Duces, eumque dominationem spernant, vt his similibus exprobrant Petrus *e* & Iudas Apostoli *f*, omni tamen ope principatum ambiunt, & quod ore statuunt, actione refellunt. *Quod cum audisset Moyses*, sine vllo responso, *cecidit pronus in faciem suam.* Videbat enim responsionem omnem in deteriorem partem acceptum iri, statimque ad solita orationis præsidia confugit; & ibi edoctus a Deo quomodo sese in hisce turbis gerere deberet, *Locutus est ad Core, & ad omnem* ei suffragantem *multitudinẽ*, de Sacerdotio quod istum videbat ambire *g*. *Mane*, inquit, *notum faciet Dominus, qui ad se pertineant, & sanctos applicabit sibi, & quos elegerit, appropinquabunt ei.* Negat Moyses, quod seditiosi dixerant, omnes scilicet æque Sanctos & electos à Deo, idque ait Deo ipso Iudice postridie patefactum iri.

d *Ibid.*

e 2. *Pet.* 2 10.

f *Iuda* 8.

g v. 5. &c

VI. Ratio dirimendæ controuersiæ.

Hoc igitur facite, inquit, *Tollat vnusquisque*, vtraque scilicet pars, Aaronica & Coretica *thuribula sua, & hausto cras igne*, de altari videlicet holocaustorum, *ponite desuper thymiama coram Domino, & quemcunque elegerit, ipse erit sanctus.* Hanc proposuit Moyses dirimendæ controuersiæ modum, quem apparet ex sequentibus fuisse à Core approbatum. Interim Moses ad paternam delinquentium admonitionem conuersus, ipsammet eorum criminationem in eos retorquet, ad gratitudinem de accepto à Deo beneficio inuitat, & ab ambitione retrahit. *Multum*, inquit, *erigimini filij Leui. Num parum vobis est quod separauit vos Deus Israel ab omni populo, & iunxit sibi, vt seruiretis ei in cultu tabernaculi, & staretis coram frequentia populi, & ministraretis ei? Idcirco fecit accedere te, & omnes fratres tuos filios Leui, vt vobis etiam Sacerdotium vendicetis, & omnis globus tuus stet contra Dominum.* Cuius scilicet imperio Sacerdotium attributum est Aaroni. Sedato nonnihil impetu Coritarum ex conuentione, vt in diem sequentem expectaretur diuinæ electionis indicium; de Rubenitis quoque sanandis consilium inijt, eodemque die misit qui eos euocarent; à quibus etiam contumelioſa responsa retulerunt, nedum amicè vocati à principe populi acquieuerunt. Itaque iratus Moyses ait ad Dominum, *ne respicias sacrificia eorum.* Et purgans se apud eundem. *Tu scis quod ne asellum quidem vnquam acceperim ab eis, neque afflixerim quempiam eorum.*

Coritæ à Mose obiurgantur

Rubenitæ euocati cõtumelioſe respondent.

His ea die transactis, proxima nocte, vt ait Rab. Salomon *h*, Core cum suis coniuratis per castra discurrerunt, satagentes populum, sub specie boni communis, in suas partes trahere, quod & fecerunt, vt significat Moses cum ait eos coaceruasse omnem multitudinem ad ostiũ tabernaculi. Mane igitur facto, venit Moyses & Aaron cum filijs suis ad introitum tabernaculi, vbi erat altare holocaustorum, venit & Core, non solum cum 250. Leuitis, sed etiam cũ magna populi parte infensa Moysi, & Aaroni; dicuntur enim congregati *aduersus eos*: cum ecce apparuit cunctis gloria Domini. Cœpit nimirũ nubes tabernaculi, insolito, & minaci fulgore rutilare, ad animos seditiosorum infringendos, & simul intonuit cum splendore sonora vox *a*, *ad Moysem & Aaronem. Separamini de medio congregationis huius, vt eos repente disperdam.* At illi misericordia moti erga populum à Core seductum, quamuis aduersus eos conglobati essent, ad veniam tamen illis impetrandam ceciderunt pronti in faciem, orantes ne vnius culpa pœnam in populum vniuersum accerseret. Core enim cum suis, etsi multi erant, ad totam tamen populi multitudinem, vnius instar erant.

LVII. Augetur coniuratio Core

h *Apud Lyran.*

Venitur ad Tabernaculum

Apparet gloria Domini

a *n.* 20.

Eorum precibus Dominus acquiescens, *præcipe*, inquit, *vniuerso populo vt separetur à tabernaculo Core, & Dathan & Abiron*; quoniam non in præsentes tantum vltio sæuitura erat coram tabernaculo, sed in ipsis etiam castris. Surrexit Moyses & abijt ad Dathan & Abiron, quoniã pridie vocati venire noluerant, multis eum sequentibus, qui ab ista coniuratione alieni erãt, quibus præsentibus præcipit populo, qui circa ipsos tabernacula fixerat, vt separaret ac semoueret se, suaque omnia ab ipsis: deinde vt principes illos ad Sanctuarium adduceret, vbi testes diuinæ electionis futuri erant, & participes vltionis. Ad tentorium verò Core non legitur iuisse, sed moniti tantum fuerunt, qui iuxta ipsos tentoria locata habebant, nec erant huic culpæ affines, vt secederent à tabernaculis impiorum, ne in peccatis eorum inuoluerentur. Credidit Moysi populus, & quãuis in operoso negotio, stimulante metu protinus obtemperauit, sentiebat enim non inanes fore minas, neque modicam rem agi. *Cumque recessissent à tentorijs eorum per circuitum, Dathan & Abiron, nec formidolosi, aut parum fortes crederentur, egressi stabant in introitu papilionum suorum, cum vxoribus, & liberis, ceteraque familia.*

b *Num.* 16. 13.

VIII. Iubet Dominus separari populum ducibus seditiosorum.

mo nono mensis eiusdem absolutis, potuisse ex deserto Sina, & mansione duodecima migraretur. At enim, aiunt, cum Scriptura l, pugnamus, quæ ait factas oblationes in die qua Moses erexit tabernaculum, & vnxit &c. quod in primum diem primi mensis cadit: m. Respondemus inchoatas oblationes eodem die, non numero, sed specie, vt cum iubentur Iudæi celebrare sabbatum, in die n qua requieuit Dominus ab omni opere suo; & celebrare Phase in deserto, in die qua exierunt de Ægypto. Et nos dominicam diem, in die, qua resurrexit Dominus, quotannis & quot hebdomadis celebramus. Sic ergo ea die qua erectum est consecratumque tabernaculum oblata sunt hæc munera; quia sicut octaua die primi mensis illa tota ceremonia peracta est, ita octaua die secundi mensis ista est inchoata.

l c. 7. init. Respõdetur obiectioni. m Exod. 40. 1. n Exo. 20 11.

XXIX Prior oblatio 12. principũ.

Obtulerunt ergo principes tribuum, nomine totius populi, tex plaustra cum duodecim bobus, ad deuehendam magnam partem eorum, quæ ad Sanctuarium pertinebant, quoties Deus ex vna statione migrationem imperasset: quæ tecta erant, vt quæ plaustris imponerentur ab aeris iniurijs munita essent. Quæ cum Moses iussu Dei suscepisset, Gersonitis duo plaustra & quatuor boues dedit, quod vniuersum eorum onus leuius esset. At Meraritis vix 4. plaustra sufficiebant, propter multitudinem & pondus tot columnarum, quæ totum cingebant atrium, præter nouem, quæ erant in ipso tabernaculo, cum suis basibus & capitellis, & pondus tot tabularum quibus ipsum constabat tabernaculum: vt dicendum profectæ videatur bonam horum onerum partem humeris Meraritarum fuisse circumlatam. Nec placet eos pleraque imposuisse iumentis. Nisi par fuit ratio Caathitarum, quos Deus iusserat humeris comportare onus, quod eis à Sacerdotibus impositum fuerat. Quam legem cum Oza Dauidis tempore o violasset, eam culpam repentina morte luit.

x 2. Reg. 6 7. 8.

XXX. Posterior in 12. dies distributa vasa singulorum.

Hanc oblationem excepit altera, & tempore diuturnior, & dignitate præstantior. Hoc ipso ergo die octauo secundi mensis obtulerunt vniuersi principes donaria sua; sed Dominus iussit singulos singulis diebus offerre, vt quo diuturnior esset celebritas, eo esset & magnificentior. Primo ergo die Nahasson princeps tribus Iudæ obtulit acetabulum argenteum pondo 130. siclorum. Vox Hebræa, vt plerique interpretes notarunt, significat scutellam magnam & latam, Septuaginta verterunt discum. Nec dubium est eximiam peluim 130. siclis argenteis, id est 65. vncijs, confici potuisse. Accessit Phiala argentea 70. siclorum, siue 35. vnciarum argenti. Fuit autem oblatus tam discus ille, quam phiala hæc plena simila conspersa oleo in sacrificium. Tertium vas fuit mortariolum aureum pondo siclorum decem, plenum incenso. Vox Hebræa significat vas paruum & concauum, in modum cochleris fabrefactum, ideoque eam vocem quidam verterunt cochlear: mirum tamen videtur cochlear vnum decem siclos, siue quinque vncias pependisse.

τρυβλιον.

Præter hæc vasa quæ futura erant vsui Sanctuario, obtulit Nahasson bouem, arietem, & agnum anniculum in holocaustum, hircumque pro peccato, hostiam expiationis: & in sacrificia pacifica boues duos, arietes quinque, hircos & agnos anniculos totidem. Deinceps autem cæteri principes tribuum ordine vexillorum seruato, donaria sua paria omnino, singulis quique diebus obtulerunt. Et apparet rem ex composito esse factam ad æmulationem vitandam; & secutos esse tam in ordine offerendi, diuinam de ordine progrediendi in peragranda solitudine dispositionem, quam in rebus ipsis quæ offerrentur, Dei institutum, qui nulla ratione habita diuitum vel pauperum, voluit omnes primogenitos quinque siclis redimi, & omnes qui transissent in numerum, dimidio siclo censeri. Etsi fortassis ista donaria non tam principum quam totius tribus erant, quæ per manus principis offerebantur Deo. In singulis autem tribubus plerique pauperes erant, & nonnulli diuites.

XXX. Et homine omnique omino pa ia.

Sub hoc tempus cum vicina esset migratio ex mansione duodecima, iuxta seriem Mosaicæ narrationis, iussit Dominus fieri tubas argenteas b. *Fac tibi*, inquit, *duas tubas argenteas ductiles, quibus conuocare possis multitudinem, quando mouenda sunt castra.* In Hebræo inserta est coniunctio, vt hic iam non vnicus, sed geminus tubarum vsus ponatur, ad conuocandum multitudinem cum opus esset, & ad monendum de migratione. Hunc geminum vsum consequenter explicat, posito discrimine soni ad cogendam promiscuam multitudinem, & solos principes populi, vt ad populum conuocandum vtraque tuba, ad monendos præsides vnica resonaret. Quod enim in vulgata legimus, *si semel clanxeris*, In Hebræo, Græco, Chaldæoque legitur, *si vna tuba.* Sonus autem hic planus erat & vniformis. Alter vsus erat ad mouenda castra: tunc autem concisus erat clangor, cum multiplici depressione & eleuatione sonorum, & diuturnior. Eoque primo clangore tubarum monebatur tribus Iuda; cum duabus socijs tribubus ad mouenda castra. Qui cum iam sese in viam darent præuia columna nubis, repetebatur tubarum sonus eodem modo, monebaturque Ruben cum suis qui erant ad meridiem, vt emigrarent. Eodemque modo Ephraimitæ, & postmodum Danitæ migrare iubebantur.

XXXII. Tubæ argenteæ, & earũ vsus prior. b Num. 10. 1.

Posterior

Tubicines autem erant Sacerdotes, subdit enim Dominus, *filij autem Aaron sacerdotes clangent tuba; eritque hoc legitimum sempiternum in generationibus vestris.* Ergo & in deserto, & deinceps in bellis, vt in Iericuntino Sacerdotes hoc officio functi sunt. Cum enim tubæ sacræ essent, non poterant à profanis hominibus tractari. Iubet autem Dominus hunc ritum esse perpetuum, non quidem quod ad geminum illum vsum, qui dictus est, qui in deserto duntaxat est vsurpatus, sed ad alios, de quibus subditur. *Si exieritis ad bellum de terra vestra, contra hostes, qui dimicant aduersum vos, clangetis vlulantibus tubis, & erit recordatio vestri coram Domino Deo vestro, vt eruamini de*

XXXIII. Sacerdotes erant tubicines v. 8.

Alij tubarũ vsus in bello. v. 9.

manibus

manibus mimicorum vestrorum. Accommodat se Dominus ad humanum morem. Homines enim talibus signis admoniti, solent memoria repetere, quæ agenda sunt: militum quoque turmæ certis signis huc illucque à ducibus euocantur, ad opem ferendam exercitui aliqua in parte laboranti. Est & alius vsus pacificus. *Si quando*, inquit, *habebitis epulum, & dies festos & calendas, canetis tubis super holocaustis & pacificis victimis, vt sint vobis in recordationem Dei vestri*, qui præcepit hunc ritum, nequid in eis præter decorum, & reuerentiam Domino Deo debitam, tanquam eius obliti, admittatis.

Et iam.

v. 30.

XXXIV. Migratio ex deserto Sinai. a *Num.* 10. 11.

Sed iam tempus est vt à monte ac deserto Sinai, clangentibus tubis, arca & columna nubis præcedentibus, viamque aperientibus digrediamur a. *Anno secundo*, inquit Moses, *mense secundo, vigesima die mensis eleuata est nubes de tabernaculo fœderis.* Hoc primum profectionis signum, & initium emigrandi ex mansione duodecima, in qua per annum vnum lunarem demptis 14. diebus, Israelitæ substiterunt. Cum enim quarto die mensis tertij in Sina peruenissent *b*, vertente anno, vigesimo secundi abierunt. Eleuata est autem nubes, mouente eam Angelo qui erat in propitiatorio, versus solitudinem Pharan, vt propterea posset Aaron cum filijs suis intrare in Sancta Sanctorum, & obuoluere arcam & propitiatorium, cæteramque supellectilem Tabernaculi, vt superuenientes Caathitæ eam inuolutum gestarent; reliqui autem Leuitæ sua plaustra onerabant. Interea tubæ argenteæ migrationem concisiore sono denunciabant, populusque vniuersus colligere sarcinas, plaustra, immentaue onerare, & se ad iter accingere.

b vide supra an præced. n. 132.

XXXV. Prima acies trium tribuum.

Perseuerante autem tubarum sono, filij Iuda primi castra mouerunt per turmas suas, Moxque eodem modo tribus Issachar & Zabulon, quas simul progressas esse oportet idoneo spatio interposito, vt in tanta multitudine tempori consuleretur. Idque Dominus cap. 2. 9. significat, vbi post recensitas tres tribus, ait, *& hi per turmas suas primi egredientur.* Eodemque modo de Rubenitis, cæterisque vexillis, ait secundò loco, tertio & quarto egredi oportere, seruatis nihilominus familiarum ordinibus in quaque tribu. Denique non aliter magnæ copiæ progrediuntur, quæ sicut in varijs oppidis sub diuersis ducibus commorantur, ita signo migrationis ab Imperatore dato, diuersis & proprijs omnes vijs ad condictum locum tendunt. Sic ergo prima castra progressa sunt, vnaquaque tribu suis impedimentis seorsim in medium coniectis, cum turba imbellium personarum.

Quæ simul progressa.

XXXVI. Ea secuti Gersonitæ & Meratitæ.

Quod ad Leuitas attinet, non simul omnes, vt putat Abulensis, sed bibertitò diuisos processisse arbitramur, familias quidem duas Gersonitarum & Meraritarum post castra Judæ, Caathitas vero post tribum Ruben eiusque socias. Primum quia ipsos in hunc modum Scriptura separauit, quæ hos omnes ordines accuratè distinguit. Accedit ratio commoditatis. Ex eo enim quod illi antecedebant, fiebat vt quamprimum substitissent nubes, signumque nouæ stationis dedissent, ad erigendum tabernaculum essent ex propinquitate promptiores, dum Caathitæ paulatim cum suis oneribus aduentarent, & in erectam iam sacram ædem, ipsi sacram supellectilem immitterent. Gersonitæ itaque & Meraritæ statim post primam aciem profecti sunt cum oneribus & plaustris suis tribum Iudæ proxime sequentes non alias duas, quia iter populosissimæ tribus erat satis amplum: Nec conueniebat iam separatos à Caathitis, à se inuicem seiungi, cum alteri sine alteris Sanctuarium erigere non possent, sine Caathitis autem possent.

XXXVII. Secunda acies Rubenitarum &c.

Itaque hæ Leuitarum familiæ erant in itinere, cum tubicines renouato clangore, secundum aciem migrationis admonent. Ea Rubenitarum, fuit penes quos vexillum secundum erat, eosque Simeonitæ & Gaditæ comitabantur. Etsi enim æque vicini erant primæ acici Danitæ ac Rubenitæ, & æque vtrique Sanctuarij latera claudebant, Rubenitæ tamen ratione primogenituræ antecesserunt, & cum socijs triplici via progressi sunt, in primæ aciei vestigijs pedes ponentes. Caathitæ autem tribum Ruben pone sequebantur, sacram supellectilem inuolutam humeris portantes, suam vero domesticam supellectilem, in plaustris iumentisque, sicut cæteri, deducebant.

Ea sec. Caathi.

Etsi autem Moyses & Aaron cum filijs suis ad Caathitas pertinebant, non eundem tamen cum ijs, saltem hoc primo triduo, locum occuparunt. Subdit enim Moyses paulò post c. *Profecti sunt ergo de monte Domini viam trium dierum: arcaque fœderis Domini præcedebat eos, per dies tres prouidens castrorum locum.* Si ergo arca fœderis Domini antecedebat exercitum, par est existimare Moysem cum duobus filijs Caathitis, & Aaronem pontificem cum duobus filijs sacerdotibus ab illa minime abfuisse, & munus illius gestandæ depopposciisse à parentibus, atque impetrasse. Antecesserunt autem & alij Caathitæ non pauci, qui per vias hunc laborem subirent, simulque duos totius populi principes Legislatorem atque Pontificem officij causa comitarentur.

Moyses & Aaron cū arca præcesserunt c. 10. 33.

Videtur autem arca non solum hoc triduo, sed deinceps perpetuo exercitum antecessisse. Nam Scriptura tanquam de re ordinaria & consueta loquens d, *Nubes quoque Domini*, inquit, *super eos erat per diem cum incederent.* Et subdit continenter, cumque eleuaretur arca dicebat Moyses, *Surge Domine, & dissipentur inimici tui, & fugiant, qui oderunt te à facie tua. Cum autem deponeretur aiebat. Reuertere Domine ad multitudinem exercitus Israel.* Quæ verba aperte docent arcum cum nube, in qua erat Angelus Domini, antecedere solitam exercitum Israelitarum; & mox in mansionibus, orante Moyse, reuerti solitum ad destinatum in media populi multitudine locum, cui frustra diceretur *reuertere*, si è media multitudine mota non fuisset. Rectius igitur columna nubis antecedens imminebat arcæ, quam Moyses & Aaron comitabantur, & subsistente nube, Moyses ad Angelum in illa latentem conuersus

XXXVIII. Deinceps perpetuo columna cum Angelo & arca antecedebat exercitū, d *v.* 34.

aiebat, *Reuertere Domine*; & simul subsistente vniuerso exercitu, arca & nubes in medium exercitum reuertebantur, ibique in Sanctuario manebant, donec signum migrationis daret eleuata nubes, atque progrediens; quando & arca eleuata dicebat Moyses, *Surge Domine, & dissipentur inimici tui.*

XXXIX. Tertia Ephraimitarum & quarta Danitarũ acies.

Progressos Caathitas excipiebat tertius tubarum clangor atque vlulatus, quo excitis Ephraimitæ cum socijs in viam se dabant, Rubenitarum, Simeonitarum, & Gaditarum vestigijs inhærentes. Et postremo Danitæ eodem modo ad quartum tubarum sonum, iter cum socijs carpere cœperunt. Et apparebat Ephraimitas, qui ad occidentem castra fixerant, & à primis castris remotissimi erant, vltimos etiam profecturos: verum id honori Iosephi tributum videri poterat, quem Ephraim repræsentabat.

XL. Hobab commeatum petit, & retinetur. a *Num.* 10. 29.

Sub hunc Mosis cum vniuerso populo discessum de solitudine Sinai *a*, Hobab filius Raguelis Madianitæ, qui & Iethrò cognatus Moysi, ei quasi rediturus ad suos valedicit, ne se fortasse comitem viæ intrudere videretur: sed à Moyse rogatus vt ne ipsos desereret, acquieuit eadem cum Israelitis sorte ac spe viuere. Mirum est autem Moysem, qui in columna nubis Angelum habebat ducem, cognatum requirere ductorem viæ, quam ipse ad 40. annos lustrauerat. Existimarim sane hæc à Mose non sine Ironia & politica vrbanitate dici, dum se ad eius captum & mores accommodat; quæ mens est magni Gregorij in tertia partæ curæ pastoralis, vbi supponit illum ad veri Dei fidem nondum fuisse conuersum; quod parum probabile videtur, posita conuersione Raguelis patris eius, & tam diuturna cum Mose consuetudine vitæ. Denique Moses non simpliciter eum ductorem populi futurum intelligit, sed instar ductoris, vt si aliunde non esset via Moysi explorata, aut definita diuinitus, ipse populo ducendo sufficere posset.

Per officiosam vrbanitatem.

XLI. Tridui profectio & ex labore murmur. *Quintũ murmur Israelitarum.*

Profecti sunt itaque Israelitæ de monte Domini, arca Domini triduo præeunte totum exercitum. Neque tamen existimandum est totis tribus diebus, nullam ad cibum aut somnum captam fuisse quietem, sed per triduum non fuisse explicatum tabernaculum, aut tentoria & sarcinas, quasi ad diuturniorem moram; quod plerosque ignauos in querulo populo, compulit ad querelas: fortasse quod longiora essent singulorum dierum itinera, aut quod non fuisset datus intermedius aliquis ad quietem dies. Ergo antequam ad stationem decimam tertiam peruentum esset b, *exortum est murmur populi, quasi dolentium pro labore contra Dominum*, qui scilicet populi ductor erat in nube, & progrediendo, iter longius producebat, quam plerique de populo desiderassent. *Quod cum audisset Dominus*, qui populi vires, & iniustam querelam agnoscebat, *iratus est*, eique intolerabilis visa est ignauia, post vnius anni veternosam quietem; quæ pronior esset ad murmurandum contra Dominum, quam ad petendas ab eo vires, qui est *in labore requies, in æstu temperies, in fletu solatium.*

b *Num.* 11. 1.

XLII. Ex murmure ira Dei.

Ergo *accensus in eos ignis Domini*, à Domino scilicet vel cælitus emissus, vt aiunt Hebræi, vel e terra excitatus, vt mauult Abul. *c qui deuorauit extremam partem castrorum*, eos scilicet qui tædio itineris è singulis tribubus subsistebant. Grassante incendio, clamauit populus ad Moysem, qui paterna in populum commiseratione incitatus, *orauit ad Dominum, & absorptus est ignis*, vel extinctus, vel aliquo terræ hiatu deuoratus. *Vocauitque* Moyses, ab hoc euentu, *loci nomen Incensionem, eo quod incensus fuisset contra eos ignis Domini.* Et hæc quidem deflagratio videtur in ipso itinere contigisse, & ignauos cessatores corripuisse. Deinde vero siue occasione huius incendij, siue absoluto iam triduo à Deo primùm destinato, substitit columna nubis, & ex fronte castrorum in medium agmẽ cum arca regressa, signum vniuerso populo castra metandi dedit, in loco, qui ab euentu postea *Sepulchra concupiscentiæ* dictus est.

c 9. 4. in c. 12. Nũ.

XLIII. Mansio 11 in Sepulchris concupiscentiæ.

Quibusdam visum est vnum atque eundem esse locum Incensionis & Sepulchrorum. Verum probabilius videtur diuersas historias, diuersis locis contigisse, & diuersa obiecta duabus distinctis querelis occasionem dedisse. Vnum fuit desiderium carnium. Quod autem videtur vtramque historiam coniunxisse Hieronymus, cum ait *vulgus quippe promiscuum* &c. illud *quippe* non reddit rationem sed connectit, pro quo Chaldæus habet *Porro.* Nulla quoque est in Hebræo ætiologia, nulla in Septuag Interp. Neque obstat quod nulla reperitur mentio Incensionis huius in catalogo Mansionum *d.* Neque enim nos dicimus illum locum in mansionum numero esse, sed tantum esse in hoc triduano itinere, Israelitarum querela, & incendio nobilitatum, dum ad decimam tertiam stationem iretur.

d *Num.* c. 33. *toto.*

LIV Ibique obtrectatio desiderio carnium. *Sextum murmur.*

Vix ergo castra posita fuerant, vix flamma proximæ castigationis extincta, cum populus turbulentus, ad consueta obtrectationum arma, contra Deum & Moysem conuersus est. Querelæ initium à promiscuo Ægyptiorum vulgo, quod cum Israelitis de Ægypto ascenderat, sumptum est, quod flagrauit desiderio carnium. Sed malum illico serpere latius cœpit in populum, seruilemque plebem, quæ solo fere manna victitabat, neque pecoribus sicut potentiores abundabat. Itaque animis vocibusque, atque adeo lacrimis coniunctis, dicere cœperunt. *Quis dabit nobis ad vescendum carnes?* Hoc solum est & fundamentum querelæ. Sequitur eius amplificatio, per exprobrationem longe absurdissimam piscium, & cucumerum, & peponum, quæ se comedisse aiunt *in Ægypto gratis*, quæ miseri durissima seruitute, & flagellis seruilem in modum cæsi redimebant. Qualis obsecro est hic non male affecti corporis, sed peruersi, atque impotentis animi morbus, hortenses illas allium & porrorum quisquilias, pani candidissimo ac suauissimo anteferre? Hic autem animi morbus, non verbis tantum, sed, puerilem etiam in modum, fletu sese, eiulatuque prodebat. Non enim contenti erant in corde suo, aut cum domesticis taciti gemere, sed ægritudinem animi sui proferebant foras, & notam vicinis suis ac transeuntibus esse cupiebant, vt res in seditionem verteretur.

Cũ exprobratione. *vers. 5.*

Iratusque est furor Domini valde e, vt mox ex magnitudine vltionis intellectum est. *Sed & Moysi intolerandæ res visæ est*: intolerandos esse

e *Num.* 11. 10.

Ira Domini, & Mosis gemitus ad eũ.

videlicet tam peruersi populi mores. Itaque ad consuetam in huiusmodi tempestatibus anchoram confugiens, ait ad Dominum. *Cur afflixisti seruum tuum? quare non inuenio gratiam coram te? & cur imposuisti pondus vniuersi populi huius super me?* Gemit Moses sub pondere, & quod inuitus suscepit, libens optat deponere, idque loco eximiæ gratiæ se accepturum profitetur. Sed vide diuinam in talem populum humanitatem. *Nunquid ego concepi omnem hanc multitudinem, vel genui eam, vt dicas mihi, Porta eos in sinu tuo, sicut solet portare nutrix infantulum, & defer in terram, pro qua iurasti patribus eorum.* Hæc enim oratio malitiam populi huius ostendit, qui in Deum & Mosem, tam suauiter, tamque paterne in eum agentes, tam superbe insolescerent, & animam non seueri principis, sed mitissimi parentis affligerent. Quoniam vero satis intelligebat Moses, Deum nolle vniuersam populi huius curam in alium transferre, quandam oneris leuationem petit, vt eo in plures diuiso, leuius fiat. *Non possum,* inquit a, *solus sustinere omnem hunc populum, quia grauis est mihi.*

Petit leuationem oneris sui

a Num. 11 14.

XLVI An Moses adiutores tam haberet.

Sed, inquies, solusne ferebat, qui iam Soceri consilio onus in multos tribunos, centuriones, aliosque minores iudices diuiserat? Nec deerat præterea principes tribuum & familiarum. Quin etiam iam 70. Seniores, de quibus Exodi 24. videntur partem aliquam curæ pastoralis sustinuisse, ideoque in montem ad videndum Deum, cum Aarone ipso, & filijs eius adijsse. At isti videntur fuisse tantum consiliarij Mosis, qui vt ei aliquod consilij lumen afferrent, negotiorum tamen molem ac multitudinem non minuebant. Et successoribus potius Mosis vsui futuri erant, quam ipsi, propter singularem eius cum Deo communicationem. Illi autem centuriones & tribuni minuebant vtique Mosaicum onus, dum de minoribus causis, sine Mosis cognitione, ferebant sententiam. Sed præterquam quod hæ ipsæ controuersiæ poterant ad ipsum appellatione deuolui; supererant graviores cuiuscumque generis essent, quæ ad ipsum pertinebant, & insuper spiritales omnes, quæ ad Deum vel legem spectabant. Accedebant etiam quæ prophetici iuris erant, qualia erant consulere Dominum, & responsa referre ad populum. Denique tanquam spiritalis omnium pater, curam gerebat animarum omnium, in tanta præsertim Sacerdotum paucitate.

XLVII. Dominus Mosem subleuat.

Ergo Dominus onus Mosaicum subleuaturus, iubet eum congregare Septuaginta viros ætate & prudentia seniores, ipsi populoque probatos, qui mox diuino spiritu ornati, populi onus cum ipso sustentent, & causas, quæ ad vnum Mosem referebantur, ipsi pro gratia sibi data dijudicent. Apparet autem eos populi suffragijs electos: sic enim intelligi poterat qui essent populo probati. Ab electione ducti sunt ad ostium tabernaculi, vti iusserat Dominus, ibique singuli spiritum prophetiæ acceperunt, & prophetauerunt, nec eo dono deinceps priuati sunt, quin cum vellent & opus esset, eo vti possent. Cæterum nulla spiritus diminutio in Mose facta est, sed eiusdem spiritus communicatio. Itaque illud b *Auferam de spiritu tuo*, idem est quod accipiam de Spiritu sancto meo quem dedi tibi, non ex riuulo tuo, sed ex fonte suo: Spiritum propheticum dedi tibi, dabo & eis, vt eadem instructi gratia plures portetis, quod tu portabas vnus. Et hoc modo hanc acceptionem, siue communicationem intellexit S Cyprianus in sermo. de Spiritu Sancto. Spiritum autem diuinum appellat spiritum Mosis, vt intelligat adiutores eius præstantiore aliquo spiritu minime donatum iri, sed eiusdem rationis; quod dubium esset, si dixisset, dabo ei de spiritu meo, vt notauit Abulens. c. Vtrum autem isti essent Moysi subordinati, & deinceps eorum successores successoribus Mosis d, in Annalibus explicatum est.

Additis socijs nec imminuto spiritu Mosis.

b Num 11 17.

c q. 43. post med. d an. Mos 82. n. 151. & 152.

Alterum Mosaicæ querelæ caput erat, quod populo carnes importune flagitanti satisfacere non posset. Promittit ergo Dominus e, sed postridie daturum populo carnes, non in vnum alterumve diem, sed in mensem integrum; & eorum voluntatem, in propriam ipsorum perniciem, impleturum, *Donec*, inquit, *exeat per nares vestras*, ex ingurgitatione, *& vertatur in nauseam.* Quibus ea respondit Moses, quæ dubitationem aliquam de diuina promissione saperent. Dici potest, vt alias responsiones omittamus, Mosem aliquo modo peccasse, id enim haud dubie ostendunt illa Domini verba, *Nunquid manus Domini inualida est?* minus tamen quam verba ipsa f præ se ferunt; propter ingentem animi perturbationem, ex multitudine curarum, & tædio iniustissimæ populi querelæ, qua factum est, vt minus attenderet verbis suis, & multa cum cordis amaritudine loqueretur. Vt propterea Dominus in eum indulgentior fuisse videatur.

XLVI. I Dominus promittit carnes.

e Num. 11 18.

ibiq; Moses peccat

f Num. 11 23.

Venit igitur Moyses g, *& narrauit populo verba Domini, congregans Septuaginta viros circa tabernaculum*, nempe in atrio, & quidem reductis in eius aditu velis, vt populus spectator esset eorum quæ fiebant, & viros diuino spiritu afflatos maiore deinceps honore prosequeretur. *Descenditque Dominus per nubem*, columnam scilicet nubis, quæ ad perpendiculum pendebat in aere supra tabernaculum, ex eaque locutus est Dominus ad Moysem, vtique ipsis audientibus, & vt apparet de eorum officio, vel se eos constituere populi iudices, & Mosis coadiutores: simulque afflati sunt prophetico spiritu, quali præditus erat Moyses, eoque in eis requiescente, prophetare cœperunt, Deo laudes & cantica dicendo, aut occulta & ab hominum cognitione remota enunciando. Vnde vulgò intellectum est, eos diuinitus ad hoc officium esse delectos. Quod autem in Vulgata legimus eos *non vltra cessasse*, scilicet prophetare, in Hebræo vero *non vltra addidisse*, id est non vltra prophetasse, conciliare possumus, cum Abulensi, posito duplici prophetiæ vsu. Aliquando enim prophetare est futura prædicere, incerta & occulta diuinæ sapientiæ patefacere, sicque vno tantum die prophetarunt, vt volunt Hebræi & Septuag. Alias prophetare nihil aliud requirit, nisi vt Deus loquatur homini, vel inspiret ei aliquo eorum modorum, qui duodecimo Numer. ponuntur, idque populo consulenti enunciet, quod deinceps in Septuag. viris perpetuum fuit.

g v. 24. XLIX. Septuaginta spiritu Domini replentur

An & quatenus cessarint prophetare.

L. Eldad & Medad absentes prophetãt h v. 26.

Remanserant h *autem in castris duo viri, quorum vnus vocabatur Eldad, & alter Medad*, non ex contumacia Moysi resistendo, sic enim diuino spiritu indigni facti essent, sed ex humilitate potius, se regiminis oneri & honori subducendo; aut fortasse quod casu aliquo non fuissent admoniti cum cæteris. Ergo cum adhuc essent in tentorijs suis, quo tempore cæteri spiritu prophetiæ afflati sunt, super eos quoque spiritus requieuit, & prophetauerunt sicut cæteri. Quo animaduerso *cucurrit puer*: quem Hebræi putant fuisse Gersonem filium Mosis, & nunciauit Moysi, quid in castris contigisset. Quæ cum audisset Iosue, & insuper tantam prophetarum turbam Moysi circunfusam videret, humano erga magistrum zelo incitatus, cum monet, vt eos prohibeat prophetare. At ille contra admonitus est à Mose, ab huiusmodi æmulatione, quæ in viros quoque iustos cadit, cum decipiuntur specie recti, desistere, & magistrum potius imitari, qui vera charitate, quæ non quærit quæ sua sunt, in Deum proximumque feruens, eam gratiam toti populo desiderauit, sciens spiritualia bona communicatione non minui, sed augeri. Ex qua Mosis admonitione perspicuum est Iosue, quamuis electum & bonum, non caruisse culpa.

Zelus Iosue à Mose reprimitur

Reliqua est altera pars diuinæ promissionis de largiendis affatim populo carnibus. De qua ita Moses, i *Ventus autem egrediens à Domino arreptas trans mare coturnices detulit, & demisit in castra, itinere quantum vno die confici potest, ex omni parte castrorum per circuitum, volabantque in aere duobus cubitis altitudine super terram.* Vides paratum diuinitus aucupium, deliciosum, facile, copiosum. Vsus est Dominus ministerio venti, quem in eum finem suscitauit, vt sæpe alias. Ergo impulsore vento, *Vespere ascendit coturnix, & operuit castra.* Fuit hic ventus Africus Dauide teste a, *Transtulit*, inquit, *austrum de cœlo, & induxit in virtute sua Africum*, quem constat ex occidente flare, austrum inter & zephyrum, ac proinde recta coturnices in Arabiæ deserta detulisse. In plerisque codicibus Hebræis Græcisque significatur coturnices eductas esse, vel euolasse è mari, vt olim omnia ex aquis volatilia, cui expositioni fauet immensa, ac pene incredibilis harum auicularum copia, quantam nunquam alias fortasse totus terrarum orbis eodem tempore habuit.

LI. Dominus dat populo coturnices. i *Num.* 11 31.

a *Ps.* 77. 26.

LII. Immensa copia, & ad mensem vnum.

Hoc enim loco Moses ait coturnices non solum demissas in castra, fatigatas scilicet, & à vento derelictas, ne longius auferrentur, sed vndequaque in circuitu castrorum itinere vnius diei diffusas, adeo vt quacunque ex parte castrorum quis vellet iter facere, spatio diei vnius conferta coturnicum agmina reperiret. Immensam quoque multitudinem expressit Dauid, cum has auiculas pluuiæ guttis, & pulueri terræ, & arenæ maris comparauit b. Nec minus est illud copiæ argumentum, quod populus toto die illo, & nocte, ac die altero congregauit coturnicum, qui parum decem coros quod licet non de singulis personis, sed familijs intelligatur, (non enim singuli seorsim viuebant, aut sibi victum parabant) ad incredibilem ascendit multitudinem, vt in Annalibus docuimus c. Non dedit oues aut boues, quod suspicabatur Moses, quos potentiores sibi contentiose raperent, & fraudatis tenuioribus gregatim abigerent, sed aues quas sibi quisque facili aucupio venaretur, & aues pingues, delicijs idoneas, iucundissimique saporis. Et cum petitioni populi huius satisfacere posset dando coturnices ad vnum diem, aut ad vnicam cœnam, vt in deserto Sin d. Voluit nihilominus Dominus obstruere ora loquentium iniqua, & dare auiculas per mensem integrum tanto populo, donec verterentur in nauseam, & ab ingurgitatis per ora nareſque eructarentur: boni autem ijs affatim delectarentur.

b *Ps.* 77. 29. Et pluit super eos, &c.

c *A. Mos.* 82. 9. 166

d *Exo.* 16. 13.

LIII. An peccatum sit à bonis, malisve comedẽdo coturnices.

Non enim solos improbos, qui seditiose flagitauerant carnes coturnicibus abundasse, & epulatos esse, sed omnem omnino populum, ex eo colligitur, quod non solum murmuratoribus, sed populo vniuerso promiserit carnes. Neque enim æquum erat improbos lucrum ex peccato accipere, bonos eo priuatos ad inuidiam, & querelas incitari. Adde quod cum mali bonis permixti essent difficilis fuisset aliorum ab alijs separatio. Quid quod boni non ignorabant se hac Domini indulgentia; sine peccato frui posse, licet male ab hominibus desideratæ fuissent carnes, atque postulatæ, seque cibo cum malis, non etiam culpæ communicaturos. Hæc pluribus Abulensis: qui etiam addit ne malos quidem comedendo peccasse, licet desiderando petendoque peccauissent. Quia cum Deus istos cibos toti populo dedisset, vt manducaret, si peccatum esset manducare, obligarentur ad non manducandum, sicut ad non peccandum: Absurdum autem est, Deum dare cibos, quos nulla interueniente prohibitione, nemo possit attingere. Nam & manna quod murmurando impetratum fuerat, sine peccato quotidie sumebatur.

LV. Qua pœna castigati: an ex crapula perierint.

e *Num.* 11 33.

Neque vero consequens est eos peccasse comedendo, quia scriptum est e, *adhuc carnes erant in dentibus eorum, & furor Domini concitatus est in populum.* Non enim præsens culpa, sed præterita puniebatur; idque significatur cum dicitur populum sepultum in sepulchris concupiscentiæ, non qui carnes comederat, *sed qui desideraucrat.* Qua autem pœna ea culpa castigata fuerit, non explicat Moyses, neque Dauid, vterque tamen suspicionem dedit, eos ex crapula perijsse, vt hic quoque illud valeret f, *per quæ peccat quis, per hæc & torquetur*: sicut toties supra in Ægyptiorum pœnis obseruatum est: & recens Nadab & Abiu, qui in igne peccarant, incendio periere: vt & mox apparebit in seditione Core, in qua ignis egressus à Domino interfecit 250. viros, qui incensum illegitimè offerebant. Hanc sententiam confirmant illa Scripturæ verba, *donec exeant per nares ipsorum*, videtur enim prædici punitionis modus; sicut & sepulchrorum denominatio: dicta enim sunt concupiscentiæ, siue guloſorum, quod scilicet eorum gula punita fuerit, congrua debitaque pœna. Neque otiose dictum est, *adhuc carnes erant in dentibus eorum*, sed cum emphasi, ad significandum illas ipsas carnes eis interitum attulisse, qui *manducauerunt, & saturati sunt nimis.*

f *Sap.* 11. 17.

LV. g *Num.* 11 33. & 34. & 19. 20.

Dum carniuori Iudæi coturnicibus saginantur ac puniuntur, & Septuaginta g seniores sua

In concupiscentiæ sepulchris extremo mense sepeliuntur

inceptant officia, pene ad finem tertij mensis ventum est, impleta Domini promissione, qui se istis obtrectatoribus in mensem integrum carnes daturum spoponderat. Postremi tamen dies positi videntur in sepeliendis mortuis, *percussit enim Dominus populum plaga magna nimis.* Neque de numero constat, etsi Seuerus Sulpitius 23. millia perijsse tradat, quod translatum videtur ex historia de punitis vituli adoratoribus. Initio itaque quarti mensis columna nubis eleuatur supra tabernaculum, argenteæ tubæ vasa conclamant, & Israel purificatus gulosorum & obtrectatorum cæde, quasi tetro & morbido sanguine leuatus, alacrior iter Chanaanitidem versus arripuit, & quarto die in Haseroth peruenit, ibique mansit donec soror Mosis Maria à lepra curata est. Post populi enim obtrectationes aduersus Mosem, Maria quoque in fratrem, occasione Sephoræ Æthiopissæ, siue Madianitidis, oblocuta est, vt patientia & mansuetudo innocentissimi hominis, domi forisque tentata, magis magisque clarescceret, & Dei in eum beneuolentia omnibus illustrius innotescceret.

Haseroth mansio 11

LVI. Iurgium Mariæ & Sephoræ.

Iurgium domesticum Mariam inter & Sephoram contractum *b* fuisse facile omnes concedunt, satis apparet, vt Rabinorum fabulas omittamus, Sephoram mariti causa, quem prophetarum maximum vere prædicabat, sese Mariæ sorori eius pratulisse, vtque Moyse absente; quod cum Maria, quæ Sephoram præ se contemnebat, iniquo animo ferret, Mosis prophetiam eleuare cœpit & habuit causæ suæ aduocatum Aaronem. Itaque ambo cum Sephora rixantes, *num per solum Moysem*, inquiunt, *locutus est Dominus? nonne & nobis similiter est locutus?* Maiore autem in culpa fuisse Mariam, eaque Aaronem vix leuiter aspersum, non solum ex pœna, qua sola Maria affecta est, intelligitur, cum Aaron leui tantum fuerit reprehensione perstrictus, sed etiam quod, in commemoranda oblocutione, prima nominatur Maria, quæ alioqui postponi debuisset fratri, summi præsertim Pontificatus dignitate fulgenti. Augetur etiam huius magnitudo culpæ ex conditione personæ quæ offenditur, quæ præterquam quod erat totius populi princeps, omnes mansuetudine superabat.

b Num. 12. 1. & 2.

LVII. Dominus in Mariã & Aaronẽ iratscitur.

Ergo Mose domesticum iurgium ex animi lenitate dissimulante, Dominus causam eius suscipit, & cum cum fratre ac sorore alloquens, *Egredimini*, ait, *vos tantum tres ad tabernaculum fœderis.* Erant fortasse in tabernaculo Mosis, & iubentur soli adire tabernaculum fœderis, ne Aaroni palam facta obiurgatio eius imminueret autoritatem, eaque vulgo vilescceret. Imo ne Moysem quidem præsentem esse voluit reprehensioni, quæ erat cum eximia eius laude coniuncta. Nam cum descendisset Dominus in columna nubis, stetisletque in introitu tabernaculi, seorsim à Moyse Aaronem & Mariam euocauit, vbi volens fastum eorum comprimere, ostendit quanto eos interuallo Moses prophetiæ dono antecederet. *Si quis*, inquit, *fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad eum.* Duos tangit prophetiæ modos, prior est cum Dominus per Angelum suum apparet alicui, sub aliqua forma visibili, eique aliquid diuinitus reuelat; posterius cum species quæ sunt in hominis phantasia per somnum ita disponit, vt det cognitionem rei, quam vult à Propheta intelligi. Prior ille modus visio dicitur, posterior auditio, quod audire sibi videatur, quæ in phantasia repræsentantur, quæ tamen reuera non audit, alioqui non dormiret.

Duo modi prophetiæ.

LVIII. Mosis præ cæteris excellentia.

At non talis, inquit, *seruus meus Moyses, qui in omni domo mea*, populo scilicet meo, cuius cum quasi patrem-familias constitui, *fidelissimus est*, nec gloriam meam arrogat sibi. Et quia principes solent talibus familiariter vti, addit, *Ore enim ad os loquor ei, & palam, & non per ænigmata, & figuras Dominum videt.* Clarius nimirum ac manifestius, quam cæteri omnes. Neque enim negat se prioribus illis modis cum eo agere, sed intra eandem communicationis formam multo illustrius, vt Aaron & Maria intelligant se illi æquari non posse, *Quare ergo*, inquit, *non timuistis detrahere Moysi seruo meo*, qui cæteros prophetas vsque adeo antecedit? quare nihil veriti estis meipsum offendere, in persona mihi amantissimi ac fidelissimi capitis? simulque iratorum in morem, nullo expectato responso *abijt*, nube quæ descenderat rursum ascendente. Nec ira ostensa est, quod attinet ad Aaronem, nisi in subito & inexpectato post obiurgationem discessu. Nam de Maria sequitur.

LIX. Maria lepra percutitur.

Et ecce Maria apparuit candens lepra, quasi nix. Cumque respexisset eam Aaron, & in eius pœna eximiam Dei erga se clementiam agnoscceret, qui sacrorum principem immundum reddere noluisset; aut etiam ex proprij timore periculi pœnitens, humiliter Moysen pro ea rogat, & pro vtroque veniam petit. *Obsecro*, inquit, *Domine mi, ne imponas nobis hoc peccatum, quod stulte commisimus.* Fratrem erat ne consentiat in vindictam offensæ in se commissæ, & pœnam quam Dominus infligere cœperat. Pergit autem, *ne fiat hæc quasi mortua*, quales videlicet sunt leprosi ab hominum conuersatione secreti, *& vt abortiuum quod proijcitur de vulua matris suæ*, tanquam scilicet fœda res & execrata, qualis etiam est leprosus. Ex quo intelligitur admodum horribilem fuisse hanc lepram; præsertim cum subdatur: *esce iam medium carnis eius deuoratum est a lepra*, per totum scilicet corpus celeriter serpente. In Hebræo tamen hoc dimidium consumptæ carnis, non ad Mariam, sed ad abortiuum refertur, quod Hieronymus explicando Mariæ, pro qua similitudo afferebatur, accommodauit.

Vers. 11.

Orat Aaron pro ea.

Mitissimus autem Moses, quem de industria Dominus adesse voluerat, vt ad eum frater statim confugeret supplex, facile exoratus clamauit ad Dominum dicens, *Deus obsecro sana eam.* Didicerat enim in seipso in monte Sinai, quam id ei in promptu esset, & sperabat se, cuius in gratiam hæc pœna inflicta fuerat, iniuriam remittente, Iudicem quamprimum à supplicio temperaturum. Nec irrita fuit supplicatio, cum pœna, quæ totius vitæ futura erat, vt postea regis Oziæ, septidui duntaxat fuit. Significat porro Dominus non conuenire, vt statim, & ante egressum è Sanctuario, quod optabat Moyses, illa sanaretur, nec eius morbus efferretur in vulgus: quod oporteret

LX. Et Moyses ipse

mulieris

mulieris vanitatem deprimi, & confusione emendari. Confert autem Dominus se Patrifamilias, Mariam filiæ, sputum lepræ. Sicut enim conspūtatio non totam perfundit faciem, sed sparsim variis eam in locis inquinat, sic & lepra non vniuersam opplebat fœminam, sed plurimis vndique postulis eam fœdam ac tumentem reddebat.

LXI. Eius lepra septiduo perseuerat.

Quoniam vero Dominus dixit, *Separetur septem diebus extra castra, & postea reuocabitur*, nec dixit, postea mundabitur, quidam existimant eam statim ad Moysi preces fuisse sanatam; communior tamen probabiliorque sententia est, Mariam non ante septimum diem fuisse sanatam; id enim eius intererat, & populi vniuersi. Nam illius fastus deinceps in perpetuum comprimebatur, cum ea labes nulla posset tergiuersatione celari, vtpote omnium oculis obiecta septiduo: Et populus ipse facilius in officio erga Moysem suo continebatur, dum cerneret culpam in eum admissam, etiam in sorore, turpissima septidui lepra castigatam. Ipse autem Moyses suæ consolationi, & priuatam sororis, & publicam totius populi vtilitatem libenter antetulit. In illa autem reuocatione in elligitur antecedens: non enim non sanata reuocaretur. Post septimum itaque diem & sanata, & reuocata est ad communem habitationem, moxque populus de mansione Haseroth profectus est.

LXII. Mansio 15 in Rethma, luctuosa.

Sequitur itaque decima quinta mansio, vna inter alias memorabilis, in qua vniuersa Hebræorum gens non solum in summum est adducta discrimen, populo impijs obtrectationibus Deo patientiam propemodum extorquente, sed reipsa sexcenta & tria hominum millia, & insuper quingenti, & quinquaginta immatura morte damnati sunt, & luctuoso præterea quadraginta annorum exilio mulctati. Et vt a loco mansionis ducamus initium, nonnihil in eo dubitationis existit, quod initio 13. Numer. habetur populum profectum de Haseroth, fixisse tentoria in deserto Pharan. At in catalogo mansionum *a* dicitur populus de Haseroth venisse in Rethma. Respondet Hieronym. Rethma, sicut & pleraque loca sequentium mansionum, esse partes immensæ solitudinis Pharan, quam aiunt ad vndecim dierum iter longè lateque fusam. At quid est quod missi dicuntur exploratores ex Cadesbarne *b*, quos constat ex hac mansione missos? An quia Rethma obscurior erat locus, quam Cadesbarne ciuitas Moabitarum, eique vicinus. Itaque in catalogo mansionem vbi loca accurate percensentur, nulla statio, aut mansio in Cadesbarne ponitur.

a *Num.* 33 18. *in mans.* 15.

b *Deut.* 1. 20. & *Ios.* 14. 7.

LXIII. In quod tempus cadat. c *sup. n.* 55

Quod ad tempus attinet, iuxta stabilitam superius Chronologiam *c*, Israelitæ in neomenia quarti mensis, relictis sepulchris concupiscentiæ, venerunt versus Haseroth, quo die quarto peruenerunt. Quinto ponamus licet Mariam murmurasse, & leprosam factam esse: ea res populum ad septiduum in eadem statione detinuit, duodecimum scilicet diem. Decimo tertio vasa conclamata sunt, & itum versus Cadesbarne in Rethma, ad quem vsque locum iter quatridui fuit. Ergo eo peruentum est decimo sexto die ad vesperam. Decimo septimo captum est consilium de exploranda Chananitide, & post triduum aut quatriduum, vt Hebræis placet, in paranda profectione positum, vigesimo die quarti mensis profecti sunt, & quadragesimo denique reuerterunt, qui in sexti mensis initium cadit, quod potest ad Augustum pertinere.

LXIV. Cōsilium explorandæ terræ nō à Deo profectū. d *ca.* 1. 22.

Iam vero quod ad explorandæ terræ consilium attinet, varia Scripturæ loca rem dubiam faciunt. Nam 13. Numer. videtur Dominus eius consilij autor extitisse. At ex Deuteron. *d* apparet Populum consilij huius autorem fuisse. Volebat enim Dominus vt Angelo suo ductore, in Chananitidem inuaderet, neque de victoria dubitaret. *Vide terram*, aiebat Moyses, *quam Dominus Deus tuus dat tibi, ascende & posside eam. Noli timere, nec quidquam pauæas.* Et rursum inferius, *Ascendite*, inquit e, *& possidete terram, quam dedi vobis.* Non ait explorate, sed adite, occupate, possidete auspicijs meis. Hæc erat Domini voluntas. Videnunc quæ populi mens fuerit. *Accessistis* f *ad me omnes*, ait Moses, *atque dixistis, Mittamus viros qui considerent terram, & renuncient per quod iter debeamus ascendere*, Id autem erat diffidere de diuina promissione & auxilio, ideoque subdit Moses g, *contempsistis imperium Domini Dei vestri, & non credidistis ei, neque vocem eius audire voluistis.*

e *ca.* 9. 23

f *ca.* 1. 22. *Deut.*

g *c.* 9. 23.

Hic Moses Dominum de more consulit, qui in pœnam importunæ prudentiæ, diffidentiæ, atque inobedientiæ, permisit peregrinationem istam, quam prouidebat in magnam populi cladem cessuram, dicens h. *Mitte viros qui considerent terram Chanaam*, &c. Quo audito Moses, ignorato, vt probabile est, infelici exitu istius profectionis, consensit populi voluntati. Itaque illud *mitte* non imperantis est Dei, sed permittentis. Sic Elisæus iacquiescens voluntati eorum, qui ad Eliam quærendum mittere volebant 50. viros, dixit *mittite*, cum tamen reuera nollet vt mitterent. In huius permissionis signum in Hebræo, Græco & Chaldæo legitur, *Mitte tibi viros*, id est ex iudicio & arbitrio tuo, vt ait Caietanus, non ex imperio meo. Recta quoque ratio cum hac missione pugnabat. Vtilis est enim periclitatio, & perquisitio, si quando res in deliberationem cadat; at hic nullus erat deliberationi locus. Accipienda enim erat illius terræ possessio, quæcunque tandem esset, & quantumcunque laboriosa futura esset illius occupatio, nec alterutra de re disceptandum, aut dubitandum fuit. Quandoquidem ex vna parte Dominus k sæpe affirmauerat, terram se eis daturum lacte & melle manantem, ex altera se pugnaturum pro ipsis.

LXV. Nisi permittente, sed à populo.

h *Num.* 13.

i 4. *Reg.* 2 17.

Ratio eius rei.

k *Exo.* 23 29.

Electi sunt autem non ipsi tribuni, aut primi principes tribuum, qui supra tam primo, quam septimo capite numerati, sed alij in suis quique tribubus viri primarij, ijdemque fortes atque industrij: in quibus fuerunt clarissimi duo, Iosue minister Mosis de tribu Ephraim, & Caleb de tribu Iuda. De tribu autem Leui electus est nemo; quia illi non competebat hæreditas à reliquis tribubus separata. Dat porro Moses exploratoribus duo in mandatis, vt considerent qualis sit terra, quæ eis promissa est, quasi Deus falli posset aut fallere, qui eam toties commendasset, & qualis populus habitator

* LXVI. Qui fuerint hi exploratores.

eius:

cius: quæ duo mandata Philo partitur in triplicem considerationem, populorum, vrbium, & agri ipsius. His instructi mandatis *l*, *exploraverunt terram à deserto Sin, vsque Rohob intrantibus Emath.* Quæ est totius regionis longitudo à meridie ad Septentrionem. *Ascenderuntque ad meridiem, & venerunt in Hebron*, quæ erat in montanis Iudææ, in qua Dauid septem annis regnauit. Ibi autem tum habitabant *Achiman, & Sisai, & Tholmai filij Enac*, id est gigantes de stirpe gigantæa, ad quos postmodum exploratores alludent. Et putantur aliqui, ex hac Enacinorum gente, quæ in plures fuit diuisa familias, ex Hebrone in Ægyptum profecti, vrbem Tanim, quam Zoan Hebræi vocant, vel condidisse, vel incoluisse, vbi eorum posteri tribus istis coæui à plerisque Israelitarum videri potuerunt.

l Num. 13. 22.

Terram lustrant Gigantes Hebroitæ.

LXVII. Fructus terræ Chanaan. m v. 24.

Memores porro exploratores accepti mandati, de terræ fructibus afferendis m, *pergentes vsque ad torrentem Botri, abscinderunt palmitem cum vua sua, quam portauerunt in vecte duo viri.* Ficus quoque & malogranata inde tulerunt, quæ credibile est vuæ proportione respondisse, in euidens fertilissimæ regionis argumentum. Ratio autem postulat vt hi fructus non nisi in reditu collecti fuerint, vt recentes populo monstrarentur, nec eos oporteret toto itinere circumferre. Reuertuntur itaque, sed diuersis affecti modis. In itinere enim, vt ait Philo, inter eos conuenire non poterat, quid de communi sententia populo renunciarent, ne seditio exoriretur: sed minus etiam post reditum, magno ipsorum, & totius populi malo, conuenit, vt mox patebit.

m v. 26. 27. 28.

LXVIII. Reditus exploratorum in Rethma.

Reuersi n ergo *sunt exploratores terræ, post 40. dies omni regione circuita.* Non videntur tamen traiecisse Iordanem, quod ea regio ad Chananitidem proprie non pertineret. Reuersi inquam, *venerunt ad Moysen & Aaron, & ad omnem cœtum filiorum Israel in desertum Pharan*, id est in Cades, priuatum magni deserti loco. Sumitur autem hîc Cades pro Cadesbarne; nam hæc ad decimam quintam mansionem pertinet, Cades vero ad trigesimam tertiam. Cadesbarne autem pro Rethma, ei vicino, vt diximus o, sed ignotiore loco sumitur. Pergit Moses, *Locutique eis, & omni multitudini ostenderunt fructus terræ, & narrauerunt dicentes, Venimus ad terram ad quam misisti nos, quæ reuera fluit lacte & melle, vt ex his fructibus cognosci potest.* Et hæc est responsio ad prius mandatum, quæ quo vehementius populum allicere potuit, hoc cum magis potiundi difficultas absterruit, atque contristauit. De altero enim mandato ita respondent. *Sed cultores fortissimos habet, & vrbes grandes, atque muratas.* Illos autem cultores, siue propugnatores fortissimos ita explicant, *Stirpem Enac vidimus ibi*, quales scilicet in Ægypto, in ciuitate Tanim iam viderant: alioqui enim non intelligeret populus quales homines describerentur. Pergunt, *Amalec habitat in meridie, Hethæus & Iebusæus & Amorrhæus in montanis, Chananæus vero moratur iuxta mare, & circa fluenta Iordanis*, id est possidet regionem campestrem, itaque acerrimis hostibus plena sunt omnia.

o n. 62.

Detrahût de terra.

LXIX. Murmur excitatur.

Inter hæc Caleb compescit murmur populi, qui oriebatur contra Moysen. Primus se offert ad compescendam seditionem Caleb, & animo & ætate florens, quadragesimum enim tunc agebat annum, vt ipsemet, Iosue 14. testatur, sed & dignitas nobilissimæ omnium tribus, ad quam pertinebat, ei faciebat animos, vt diceret, *Ascendamus* a, *& possideamus terram, quoniam poterimus obtinere eam.* Neque tamen dubitandum est eo ipso tempore Iosue ministrum Mosis in hac seditione, quæ in magistrum suum concitabatur, præclarè se gessisse, vt deinceps intelligetur. Primam tamen laudem Scriptura Calebo tribuit. Alij vero qui fuerant cum ipsis, & omnia humano iudicio timore deprauato metiebantur, dicebant, *nequaquam ad hunc populum valemus ascendere*, nisi volumus ab eo male mulctari, *quia fortior nobis est.* Quin etiam detraxerunt terræ, quâ inspexerant apud filios Israel, dicentes, *Terra quam lustrauimus deuorat habitatores suos*, id est laboriosissimè exercetur, & colitur. Quoniam enim negare non poterant vtilissimè coli, ad asylum ignauorum confugiunt. Sic enim natura comparatum est, vt quis ea vilipendat, quæ obtinere non potest, vt in sua se iactura consoletur. Quò pertinet illud Dauidis b, *Et pro nihilo habuerunt terram desiderabilem.*

Iui Caleb resistit.

a Num. 13. 31. &c.

b Ps. 105. 24.

LXX. Habitatorum fortitudine terrentur.

Et quia difficile erat de terra illa probabiliter mentiri, redeunt ad propugnaculum querelæ suæ. *Populus quem aspeximus procera statura est, Ibi vidimus monstra quædam filiorum Enac de genere gigantæo, quibus comparati, quasi locustæ videbamur.* Omnia malignè in maius attollunt, vt populum auertant à voluntate adeundi regionem, ad quam Deus eos deducebat. Huic porro sementi respondit seges. Nam primus ille iræ impetus solutus est in lacrymas socias querelarum, & lamenta in spem irritam, & labores iam tot mensibus frustra exantlatos. Nec tacitus fuit ille fletus, sed publicus & sonorus. *Omnis* quippe *turba*, ex animi impotentia, & amaritudine cordis *vociferans fleuit nocte illa*, vtique deteriore fletu, quam cum nuper carnium desiderio lurcones ciularent. Rursum autem cum prima luce ardescens ira fletus absterserit, & quæ prius in solum Moysen intumuerat, in eius quoque fratrem inflammatur, sic vt ipsi, metu lapidationis, ne hiscere quidem auderent, sed sese in terram coram omni multitudine prostrauerint, vel ad eos sedandos, vel ad Numen ipsis infimis precibus placandum.

Plorant.

Irritantur in Moysen & Aaron.

LXXI. Ex in Deum, sum de præ enti conditione tus.

At illi ita irritantur in benefactorem Deum, vt nullam vitæ conditionem sua duriorem putent; adeo vt mortem in durissima Ægypti seruitute, & fornace ferrea, aut in vasta solitudine anteferant atque appetant, persuasi sibi alioqui violenta morte pereundum; filijs autem suis atque vxoribus in turbi ac miserabili seruitute consenescendum. Sed addunt consilium dignum hominibus in Deum impijs atque rebellibus. Nam vt stomachum moueant ei, qui inde ipsos eduxerat, ita inter se deliberant, *Nonne melius est reuerti in Ægyptum? Constituamus nobis ducem*, Mose scilicet vel deserto, vel interfecto, *& reuertamur in Ægyptum*: abiecta per apostasiam Dominilege, omnique aduersus Deum pietate proculcata. Nec vident insani, sibi integrum non esse reuerti in Ægyptum, seque a Deo vicissim desertos, & ab

Nũ 14. 3. Vtinam mortui, &c.

Quam in sipienter tedtiũ in Ægyptum molitátur.

omni

Idque magis valuit ad terrorem populi, quam pestilentia.

LXXVII. Plerique inuito Domino pugnam ineunt.

Supererat vltimus tragœdiæ huius actus, quo bona pars populi huius, paulò ante male timida, nunc præpostera audacia præceps, debitam sibi mortem videtur accelerare voluisse: siue existimauerunt diuinam in ipsos sententiam, non decretum immutabile, sed comminationem esse duntaxat, siue contenebrati animis arbitrati sunt se, siue propitio, siue non propitio Domino, victores euadere posse, & in Chananitidem violenter irrumpere; ad bellum infeliciter progressi, ex eo infelicius regressi sunt. Audita ergo Domini sententia, visoque in subita Exploratorum morte vltricis iræ principio, *Luxit populus nimis.* Et mane primo venerunt ad Moysen dicentes, *Parati sumus ascendere ad locum de quo Dominus locutus est, quia peccauimus*: & nunc armis animisque instructi, peccatum admissum emendare volumus, fortique obsequio ignauam rebellionem corrigere. Sic *stulti dum vitant vitia, in contraria currunt.*

d *vers.* 41

Quibus Moyses, *Cur d transgredimini verbum Domini, quod vobis non cedet in prosperum? Nolite ascendere, non enim est Dominus vobiscum, ne corruatis coram inimicis vestris.* Nec periculum tantum, sed certam denunciat cladem. *Amalecites & Chananæus ante vos sunt, quorum gladio corruetis, eò quod nolueritis acquiescere Domino*, iubenti nunc reuerti in solitudinem, non ascendere, & pugnare. e *At illi* nihilominus *contenebrati ascenderunt in verticem montis* malitia quippe eorum, & superbia, qua tumebant, excæcarat eos, ne bene monenti obtemperarent, & placida postmodum morte interirēt, & non cū nouo inobedientiæ peccato gladio infidelium perirent. Ascenderunt autem, Arca testamenti Domini, & Moyse non recedente de castris, neque cæteris de populo Deum timentibus. Quis porro temerariæ pugnæ exitus? *Descendit Amalecites & Chananæus, qui habitabat in monte*, qui Amorrhæus in Deuteronomio *f* vocatur, *& percutiens eos atque concidens, persecutus est eos vsque Horma.* Quæ vrbs postea duce Iosue in potestatem Israelitarum venit, rege eius interfecto. Et in huius cladis vltionem, ad illum vsque locum Iosue *g* persecutus est quinque regulos Amorrhæorum, & ipsos cum suis copijs internecione deleuit. Reuersi à pugna, *ploraverunt coram Domino, nec audiuit eos, nec voci eorum voluit acquiescere*, vt in Deuteron. scriptum est.

LXXVIII. Et Moyse repugnante.

e *v.* 44.

Et victi concidunt ac. *fc.* 1. 44.

f *Ios.* 10. *s.* 17. 26.

cap. 2. 45.

ANNVS MVNDI 2546.

AARONIS 2. MOSIS 83.

ASCATADIS 11. Imperij Assyrior. 615.

ANTE CHRISTVM 1505.

1 Egressio è Rethma infausta.

EGredimur è Rethma mansione decima quinta, dum ingenti totius populi luctu, ad Arabicas arenas, & inhospita saxa, quasi ad metalla in totam vitam damnati, desperata maximæ parti possessione Chananitidis, tot tantisque laboribus quæsitæ, tot laudibus ab ipso Deo celebratæ, tot promissis antiquis retro patribus confirmatæ, & sub ipsum in eam ingressum, quasi facto in portu naufragio, infeliciter amissæ. Accedebat & gemina clades recens accepta; altera diuinitus in decem exploratoribus repentina morte sublatis, alijsque, vt ait Philo, cum eis: altera cum ab hostibus fusi fugatique, & vsque ad Horma concisi fuerunt. Inde ergo cum præuaricatore populo ad mansionem decimam sextam transimus: in qua etiam nouum inchoamus annum. Dubia tamen est ratio temporis, cum in lib. Numer. *a* scriptum sit, *cras mouete castra, & reuertimini in solitudinem.* In Deuter. *b* autem legamus Israelitas post exploratorum cladem, mansisse *in Cadesbarne multo tempore.* Rethma vero, vt diximus, fuit iuxta Cadesbarne.

a *c.* 14. 25. b *c.* 1. 46.

Dicendum videtur in primis, illud *Cras* non sumendum esse præcise pro die proxime sequenti. Postridie enim iussionis illius populus ascendit in verticem montis, & qui inde elabi potuerunt, confusi semineceque redierunt, vnde nec statim ad iter, quod inuiti suscipiebant, parati fuerunt. Cras ergo recte exponetur propediem, aut primo quoque tempore, vt cum apud Esaiam dicitur c, *Edamus & bibamus, cras enim moriemur.* Quod si placet eam vocem proprie accipere, dicendum erit eam significare quid factum oportuit, ex iussione Domini, non quid factum sit, ex populi, pugnam præpostere ambientis, peruicaci voluntate. Itaque dandum fuit aliquid temporis sepulturæ decem exploratorum, & eorum, qui in hac infelici pugna perierunt. Dandi fuerunt etiam dies aliquot fugitiuis, vt se vel ex plagis curarent, vel ex pauore colligerent; aut ex labore recrearent. Denique nihil erat quod vrgeret profectionem, cum totum Israelitarum negotium deinceps esset, consumere tempus huic exilio destinatum: vt propterea reliquum tempus anni secundi, mansioni decimæ quintæ dixerimus tribuendum, cui etiam longius tempus, sine vllo incommodo, tribui potuisset.

II. Non tam cito facta.

c *cc.* 22. 13.

Iam vero existimandum non est idem esse manere in Rethma, & in Cadesbarne in multo tempore. Nam Cadesbarne non fuit vnius mansionis locus sicut Rethma, sed multarum, sicut desertum Pharam. Potuerunt ergo diu manere in, siue prope Cadesbarne, nec tamen diu manere in Rethma. Sed inde digressi per vicinas mansiones diu circumire Cadesbarne & montes Seir, vt dicitur in Deuteronomio. d

III. Rethma differt à Cadesbarne.

d *c.* 2. *init.* Ordo rerum gestarū hoc tempore.

Cæterum, quod ad res gestas hisce temporibus, certum quidem videtur, ea quæ deinceps aliquot libri Numerorum capitibus continentur, vsque ad mortem Mariæ, ad proximos 37. annos pertinere; quo autem quidque loco, vel tempore contigerit, neque ex Scripturæ, neque ex idoneorum Scriptorum testificatione constat, vt propterea ad coniecturas ex vocabulorum notatione recurratur; quoniam videmus ex diuersis euentis, certa quibusdam locis indita fuisse vocabula, vt Mara, Incensio, Sepulchra concupiscentiæ. Quod si quid

certo quopiam Scripturæ loco narratur, quod aliò referri oportere non constet, ratio postulat vt inde non transferatur; quod de cap. 15. Numer. *e* dixerim, in quo. post aliqua præcepta ceremonialia, narratur animadversio in violatorē Sabbati, quam in Remmomphares mansione decima sexta contigisse putamus, vt series narrationis Mosaicæ postulat.

e c.15.32.

Mansio 16. Remmomphares.

Historiam Moyses in hunc modum recensēt; *Factum est*, inquit, *cum filij Israel essent in solitudine* Pharan, *& inuenissent hominem colligentem ligna in die Sabbati, obtulerunt eum Moysi & Aaron, & vniuersæ multitudini* conferti populi, qui tabernaculo erat circunfusus. *Qui recluserunt eum in carcerem*, vincula scilicet ei iniecerunt. *nescientes quid super eo facere deberent.* Non ignorabant quidem dictum à Domino f, *Custodite Sabbatum meum sanctum est enim vobis: qui polluerit illud morte morietur; qui fecerit opus in eo, peribit anima illius de medio populi sui.* Res tamen ad Dominum relata est, vel quia dubitabant de genere mortis, vt aiunt Philo & Abulensis, vel potius quia modica videbatur esse culpa pauperculi hominis paucula lignorū fragmenta ad accendendum ignem in Sabbato colligentis, & durū videretur leuem noxam supplicio capitis expiare. *Dixit* nihilominus *ad Moysen Dominus, morte moriatur homo iste, obruat eum lapidibus omnis turba extra castra.* Quod & factum est, sicque seuero exemplo sancita est obseruatio Sabbati, sicut & cultus Sanctuarij morte filiorum Aaronis.

IV. Historia ignoratoris in Sabbato.

f Exod. 31 14.15.

Dei iussu lapidibus obruitur.

Exposita porro cæde huius intempestiui lignatoris, subdit Moses præceptum Iudaico populo datum, de faciendis fimbrijs per angulos palliorum suorum, siue, vt quidam explicant, per oram & limbum superiorum vestium, quibus assuerentur vittæ hyacinthinæ, siue cæruleī coloris, vt essent memoriale diuinæ legis obseruandæ. Cuius vt se custodes egregios ostentarent Scribæ & Pharisæi g; *Dilatabant phylacteria sua, & magnificabant fimbrias.* Eum nihilominus ritum Christum ipsum retinuisse, sicut & reliquum populū liquet ex varijs Euangelij locis. Erat etiam hęc fimbriarum appositio ad distinctionem, vt Iudæi non solum intus in corpore per notam circuncisionis, sed etiam foris per palliorum fimbrias à cæteris gentibus distinguerentur: & ipsimet habitu se Iudæos, id est veri Dei cultores profiterentur. Verum hoc præceptum. ante ingressum in Chananitidem, in vsu non fuit, vt docet Abulensis *h*, nimirum soli erant in solitudine, nec aderant populi alienigenæ, à quibus Israelitæ distinguerentur. Cæterum tres mansiones, aut etiam plures facile capit tertius hic annus. Remmomphares, Lebna, & Ressa.

V. Iudæi fimbriati.

g Matth. 23.5.

h 9.10. & 14.

Tres mansiones anni huius.

ANNVS MVNDI 2547.

AARONIS 3. MOSIS 84.

ASCATADIS 12. Imperij Assyr. 616.

ANTE CHRISTVM 1506.

AD hunc quartum annum exitus ab Ægypto, seditionem Core *i*, & sociorum eius referendam putamus. Suadet ordo ipse seruatus à Moyse, qui sine certa ratione mutari non debet, neque ad illud transferri tempus, quo primùm Aaron ad montem Sinai constitutus est Pontifex, cui ambitiosus Core inuideret. Apparet enim tantam seditionem diu compositam fuisse atque meditatam, non subito quodam motu exortam. Cuius rei non leue argumentum suggerunt 250. thuribula, quibus vsi sunt seditiosi quæ illi sibi confici curarunt: non enim erant Sanctuarij, sed ipsorum propria, vt ex textu liquet, & quidem ænea, cum illa essent aurea. Nec Moses aut Aaron consecrata Deo thuribula seditiosis hominibus vtenda præbuisset. Dilatam etiam ad hoc tempus seditionem ex eo fit credibile, quod à constituto Pontifice Aarone, alia ex alijs continenter admissa crimina Deum vltorem ira senserunt, vt populo perterrefacto, ipsi seditiosi meditatum facinus differre cogerentur, ne non in Aaronem aut Moysen, sed in ipsosmet, qui Dei exacuebant iracundiam, & vindictam accersebant, ira populi verteretur. Denique Iosephus *a*, non de paucis diebus, aut mensibus, sed de longiori vtique tempore inducit dicentem Moysen, hactenus Aaronem Pontificatu legitime functum esse, quæ laus in breui tempore nulla est. Sed iam ad rem ipsam aggrediamur, ab eius autoribus, & causis exorsi.

i Num. 16 toto.

Seditio Core quando cōtigerit.

a lib. 4. Ant. c.2.

II. Primarij eius autores.

Primarij seditionis huius autores hoc loco memorantur Core, Dathan, & Abiron, quorum primus ad tribum Leuiticam, alij ad Rubenitas pertinebant: à quibus ducenti illi ac quinquaginta viri, in eiusdem criminis societatem allecti sunt. Prima tamen origo mali in vnius Core caput refunditur, qui primus ab ipso Mose, inter fontes passim memoratur, & à cæteris scriptoribus, quasi signifer coniurationis agnoscitur. Hic ergo seipsum primo à Moyse & Aarone distraxit; tum ad partes suas tres primarios viros de tribu Ruben, Dathan & Abiron fratres, & Hon filium Phaleth allexit, à quibus cæteri in eandem perniciem tracti sunt, quos arbitror ad tribum Leui & Rubenis pertinuisse, quoniam res eorum agebatur, & sequebantur tribuum suarum duces, fueruntque eiusdem pœnæ participes.

III. Quod seditiosorū cōsilium.

Fuit Core filius Isaar fratris Amram; ideòque fratruelis Mosis & Aaronis, quorum dignitati ambitione stimulante inuidens, res nouas moliri cœpit, vt Aarone de summa dignitate deiecto, Pontificatum inuaderet. Id quia difficile omnino fore videbatur, Mose fratre ipsius rerum potiente, de illo quoque de principatu deturbando statuendum fuit, & spe illius obtinendi. alij ad consiliorum societatem trahendi. Ad id in primis idonei visi sunt Rubenitæ, qui illud sibi, iure paternæ primogenituræ, meritò vendicare posse videbantur. Ergo consilium cum prædictis principibus de tribu Ruben communicat, ostendens ipsis, vt hijs primogeniti Israelis, in populo principatum deberi, non Moysi, cui, cum sit de tribu Leuitica, Sacerdotium sufficere possit. Quin & indignum pontificatu Aaronem videri, qui in adoratione vituli maxime idololatria pollutus fuerit, & nuper pene cum Maria lepra contaminatus.

Si mutuas sibi operas præstare velint, vtrosque voti compotes fieri posse, cum immortali sua, & familiarum suarum gloria in omnem posteritatem. His consentanea sunt quæ Iosephus & Philo, & Moyses ipse de hac seditione scripserunt.

IV. Aliæ seditionis causæ, & inuitamenta.

Vssit etiam Core vehementius inuidia in Elisaphan, vt notauit Abulensis. Facilius enim erat tolerare Moysen & Aaronem sibi prælatos, cum essent filij Amram primogeniti Caath, quam Elisaphan filium Oziel *b* quarto geniti Caath, qui tamen reliquis omnibus Caathitis, secundum Eleazarum prælatus erat: id enim nullo modo ferendum videbatur. Accedebat & dicendi facultas, & opes, vt Iosepho placet. Sed & aliæ causæ, & inuitamenta interuenire potuerunt, quæ ægrum ambitione animum facile exulcerarunt; quibus diu fumans seditio, in apertum denique prorupit incendium. Nam præter quatuor illos primarios, quos dixi, coniurationis antesignanos, *Surrexerunt contra Moysen c ducenti quinquaginta viri proceres Synagogæ, & qui tempore concilij per nomina vocabantur*, id est consiliarij & Senatores ex diuersis collecti tribubus, qui ex officio statis temporibus, in locum consultationibus destinatum cogebantur; nec dubium est singulos magnam secum turbam clientum traxisse, qui mox semisopitam seditionem, magno suo malo redintegrarunt.

b Num. 3 30.

c Num. 16. 2.

V. Core cũ suis insurgit in Mosem.

Hi ergo varijs motibus, in populo expectatione suspenso, concitatis *d*, *cum stetissent aduersus Moysen & Aaron dixerunt, Sufficiat vobis, quia omnis multitudo Sanctorum est, & in ipsis est Dominus, cur eleuamini super populum Domini?* Nolunt videlicet vllum agnoscere superiorem, præter Deum, omnes sub eo æquales esse volunt, antiqui Anabaptistarum Duces, cumque dominationem spernant, vt his similibus exprobrant Petrus *e* & Iudas Apostoli *f*, omni tamen ope principatum ambiunt, & quod ore statuunt, actione refellunt. *Quod cum audisset Moyses*, sine vllo responso, *cecidit pronus in faciem suam.* Videbat enim responsionem omnem in deteriorem partem acceptum iri, statimque ad solita orationis præsidia confugit; & ibi edoctus à Deo quomodo sese in hisce turbis gerere deberet, *Locutus est ad Core, & ad omnem* ei suffragantem *multitudinẽ*, de Sacerdotio quod istum videbat ambire *g*. *Mane*, inquit, *notum faciet Dominus, qui ad se pertineant, & sanctos applicabit sibi, & quos elegerit, appropinquabunt ei.* Negat Moyses, quod seditiosi dixerant, omnes scilicet æque Sanctos & electos à Deo, idque ait Deo ipso Iudice postridie patefactum iri.

d ibid.

e 2. Pet. 2 10.

f Iudæ 8.

g v. 5. &c

VI. Ratio dirimendæ controuersiæ.

Hoc igitur facite, inquit, *Tollat vnusquisque*, vtraque scilicet pars, Aaronica & Coretica *thuribula sua, & hausto cras igne*, de altari videlicet holocaustorum, *ponite desuper thymiama coram Domino, & quemcunque elegerit, ipse erit sanctus.* Hunc proposuit Moyses dirimendæ controuersiæ modum, quem apparet ex sequentibus fuisse à Core approbatum. Interim Moses ad paternam delinquentium admonitionem conuersus, ipsammet eorum criminationem in eos retorquet, ad gratitudinem de accepto à Deo beneficio inuitat, & ab ambitione retrahit. *Multum*, inquit, *erigimini filij Leui. Num parum vobis est quod separauit vos Deus Israel ab omni populo, & iunxit sibi, vt seruiretis ei in cultu tabernaculi, & staretis coram frequentia populi, & ministraretis ei? Idcirco fecit accedere te, & omnes fratres tuos filios Leui, vt vobis etiam Sacerdotium vendicetis, & omnis globus tuus stet contra Dominum.* Cuius scilicet imperio Sacerdotium attributum est Aaroni. Sedato nonnihil impetu Coritarum ex conuentione, vt in diem sequentem expectaretur diuinæ electionis indicium; de Rubenitis quoque sanandis consilium inijt, eodemque die misit qui eos euocarent; à quibus etiam contumelioſa responsa retulerunt, nedum amicè vocati à principe populi acquieuerunt. Itaque iratus Moyses ait ad Dominum, *ne respicias sacrificia eorum.* Et purgans se apud eundem. *Tu scis quod ne asellum quidem vnquam acceperim ab eis, neque afflixerim quempiam eorum.*

Corita à Mose obiurgantur

Rubenitæ quoq; ei cõtumelioſe respondent.

His ea die transactis, proxima nocte, vt ait Rab. Salomon *h*, Core cum suis coniuratis per castra discurrerunt, satagentes populum, sub specie boni communis, in suas partes trahere, quod & fecerunt, vt significat Moses cum ait eos coacerualse omnem multitudinem ad ostiũ tabernaculi. Mane igitur facto, venit Moyses & Aaron cum filijs suis ad introitum tabernaculi, vbi erat altare holocaustorum, venit & Core, non solum cum 250. Leuitis, sed etiam cũ magna populi parte infensa Moysi, & Aaroni; dicuntur enim congregati *aduersus eos*: cum ecce apparuit cunctis gloria Domini. Cœpit nimirũ nubes tabernaculi, insolito, & minaci fulgore rutilare, ad animos, seditiosorum infringendos, & simul intonuit cum splendore sonora vox *a*, *ad Moysem & Aaronem. Separamini de medio congregationis huius, vt eos repente disperdam.* At illi misericordia moti erga populum à Core seductum, quamuis aduersus eos conglobati essent, ad veniam tamen illis impetrandam ceciderunt proni in faciem, orantes ne vnius culpa pœnam in populum vniuersum acerserret. Core enim cum suis, etsi multi erant, ad totam tamen populi multitudinem, vnius instar erant.

VII. Augetur contumelia Core.

h Apud Lyran.

Venitur ad Tabernaculum.

Apparet gloria Domini.

a n. 20. 21

Eorum precibus Dominus acquiescens, *præcipe*, inquit, *vniuerso populo vt separetur à tabernaculo Core, & Dathan & Abiron*; quoniam non in præsentes tantum vltio sæuitura erat coram tabernaculo, sed in ipsis etiam castris. Surrexit Moyses & abijt ad Dathan & Abiron, quoniã pridie vocati venire noluerant, multis eum sequentibus, qui ab ista coniuratione alieni erãt, quibus præsentibus præcipit populo, qui circa ipsos tentoria locata habebant, vt separaret ac semoueret se, suaque omnia ab ipsis: deinde vt principes illos ad Sanctuarium adduceret, vbi testes diuinæ electionis futuri erant, & participes vltionis. Ad tentorium verò Core non legitur iuisse, sed moniti tantum fuerunt, qui iuxta ipsos tentoria locata habebant, nec erant huic culpæ affines, vt secederent à tabernaculis impiorum, ne in peccatis eorum inuoluerentur. Credidit Moysi populus, & quãuis in operoso negotio, stimulante metu protinus obtemperauit, sentiebat enim non inanes fore minas, neque modicam rem agi. *Cumque recessissent à tentoriis eorum per circuitum, Dathan & Abiron*, nec formidolosi, aut parum fortes crederentur, *egressi stabant in introitu papilionum suorum, cum vxoribus, & liberis, ceteraque familia.*

b *Num.* 16. 13.

VIII. Iubet Dominus separari populum a ducibus seditionis.

IX. Qui cum viis terra discedentibus obruebantur

c *vers.* 31.

Hic Moyses conuersus ad populum, qui secesserat à seditiosis, & ad eos qui sequebantur, denunciat illos discedente terra perituros, in confirmationem electionis suæ. Quod Dominus ratum habuit c, *Confestim* enim *vt cessauit loqui, dirupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum deuorauit eos cum tabernaculis suis, & vniuersa substantia eorum, descenderuntque viui in infernum operti humo*, id est viui sepulti sunt, *& perierunt de medio multitudinis. At vero omnis Israel, qui stabat per gyrum, fugit ad clamorem pereuntium, dicens, ne forte & nos terra deglutiat.* Ipsum quoque Core abijsse in præceps Scriptura docet, licet aliqui minus attendentes, cum cum cæteris thuriferarijs incendio perijsse putauerint. At hoc Scriptura non dicit, illud autem dicit d, *Et aperiens terra os suum deuorauit Core, morientibus plurimis, quando combussit ignis* 250. *viros.* Eademque est in Hebræo, Græco, Chaldæoque sententia. Idque confirmatur, ex eo quod Scriptura subdit, grandi miraculo factum esse, vt Core pereunte filij eius non perirent; sed vt interpretantur Hebræi, iterum in aere dum iterum terra coalesceret. Cui interpretationi vt derogetur fides, certe Scripturæ derogari non potest. Vt de SS. Augustino & Cypriano, Seuero Sulpitio, Abulensi, alijsque multis idem sentientibus taceamus. Vide si placet totum hunc locum in Annal. e

Etiam Core, nec periit incendio.

d *Num.* 26.10.

Iam quod ad pœnam incendij, *Sed & ignis*, inquit Moyses, *egressus à Domino interfecit* 250. *viros, qui offerebant incensum.* Leuitæ hi erant, alij à supradictis eiusdem numeri seditiosis, qui ad diuersas tribus pertinebant. Non offerebant autem adhuc, sed oblaturi erant, vt interpretatur Abulensis. Cum enim ignem ex altari holocaustorum de more acciperent, & in sua thuribula inferrent, vt mox ad altare incensi suffitum facerent, erupit vndique ignis ex altari, & irruens circunquaque in profanos sacrificulos, subita eos morte consumpsit. Nec ingressi sunt in Sanctuarium, vt altari thymiamatis sua thuribula cum odoramentis imponerent, sed ibi in atrio, circa altare holocaustorum conflagrarunt: vel vt pœna esset toti populo manifestior, vel ne tabernaculum à prophanis hominibus adiretur, & eorum cadaueribus contaminaretur, vel etiam ne quid ipsum tabernaculum, ab incendio ex tot flammis coalescente pateretur. Id enim probabiliter euenisset, nisi Deus nouo miraculo ignem prohibere voluisset, vt factum est in morte filiorum Aaron, quorum sacræ vestes incendio non sunt afflatæ.

e *an. Mos* 84. *n.* 11. 22, *&seq.*

X Sicut Leuitæ eius loci.

XI Qui funditus incendio consumpti sunt. f *l.* 4. *ant. c.* 3. *fin.*

Funditus autem incendio fuisse consumptos, vt ne cadauerum quidem reliquiæ comparerent, quæ sepulchris inferri possent, Iosephus f & Philo testantur. Abulensis rem in dubio relinquit, & tamen eam propendet partè, vt neque corpora, neque eorum cineres reliqui fuerint, solis thuribulis ad memoriam remanentibus: alioqui aut de corporibus, aut de cineribus efferendis aliquid à Scriptura dictum esset, sicut in simili pœna superius g de Nadab & Abiud factum est. Nihil ergo his sepultura opus fuit, sicut nec prioribus illis, quos terra dehiscens hausit, humoque operuit, sed ita, vt viui sepelirentur in terræ visceribus: ibique obruti terra extinguerentur. Neque enim viui in damnatorum loca peruenerunt, vt iam ibi corporibus animisque crucientur. Oportuisset enim eos reddi immortales, vt inferno igne multo flagrantiore non statim conficerentur, & eximi ab illa lege h. *Statutum est hominibus semel mori*, & ab altera de resurrectione, nemo enim resurgere potest, nisi prius morte ceciderit. De animabus autem nulla videtur esse dubitatio, quin ad loca damnatorum descenderint, quoniam in flagranti, vt aiunt, delicto deprehensi, prius morte affecti sunt, quam seipsi respicere, & de peccato pœnitere possent.

g *Leu.* 10 *v.* 5.

Quæ sors eorũ, qui terra absorpti.

h *Ad Heb.* 9.27

Sumpta diuinitus vltione de ambitiosis, tam Sacerdotij, quam principatus candidatis, voluit Dominus eius facti memoriam ad exemplum in posteritatem propagari; ideoque iubet à Sacerdote Eleazaro tolli thuribula, quæ in atrio iacebant, & huc illucque dispergi prunas, neque ad altare deferri sacrilegum ignem; thuribula autem ipsa ab eodem produci in laminas, & altari affigi, in monimentum filiorum Israel. Hoc autem negotium Sacerdoti committitur, quod nolit Dominus attingi à profanis thuribula in mortibus peccatorum sanctificata. Non quod mors peccatorum pessima vim aliquam habeat sanctitatis, sed quod fuerint instrumenta diuinæ vltionis aduersus peccatores sicut *benedictum est lignum per quod fit iustitia*, vt ait Sapiens i. Sed nunc euenta proximæ seditionis, quasi k *regulum de radice colubri egressum* & multa mortalium millia absorbentem consideremus. Neque enim è dira vomica totum adhuc pus effusum fuerat, & plurimi, iam à seditione Exploratorum, morti erant destinati.

XII. Leuitarũ thuribula altari affiguntur

i *Sap.* 14. 7.

k *Esa.* 14 29.

Murmurauit enim *omnis multitudo filiorum Israel sequenti die contra Moysen & Aaron, dicens, vos interfecistis populum Domini. Arbitrabantur enim*, vt ait Iosephus b, *Deum ingratiam Mosis ista facere; itaque illi ascribebant omnia, tanquam non peccatorum odio Deus sæuiret, sed à Moyse sollicitatus.* Prodigiola prorsus hominum Deo inuisorum, & morti addictorum cæcitate, non solum quod de diuina bonitate & iustitia tam stulte sentirent, sed quod ad iustissimum timorem concipiendum præ stupore non mouerentur. Nihil enim potuit, aut ad terrorem formidabilius, aut ad memoriam recentius, aut ad pœnam horribilius contingere inaudita illa discessione terræ, aut subita deflagratione flammarum, quæ ante vnum duntaxat diem, infelicem illum populum depasta erat. Et tamen rursus in suam vltro armati perniciem, murmurantes contra Moysen & Aaronem in seditionem vertuntur: rati fortasse, si eos de medio sustulissent, & interfectorum funera se vlturos, & deinceps Deum omnibus ipsorum sceleribus conniuentem habituros.

XIII. Redintegratur seditio.

b *Num.* 16. 41. b *l.* 4. *Ant. c.* 4.

Cum ergo *oriretur seditio* c, *& tumultus incresceret, Moyses & Aaron*, vitæ suæ consulentes *fugerunt ad tabernaculum fœderis. Quod postquam ingressi sunt, operuit nubes, & apparuit gloria Domini*, nubes scilicet igne rutilans ac minax, sicut præcedenti die, ad protegendum Moysem & Aaronem, & inimicos eorum puniendos. Et ecce terrifica de nube vox, *Recedite de medio huius multitudinis, etiam nunc delebo eos.* Apparet seditiosos istos ingressos in atrium

c *Num.* 16. 42. 43.

XIV. Apparet gloria Domini.

sequendo fugientes. Nam de atrio interpretandus videtur Seuer. Sulpitius, cum ait seditiosos in tabernaculum irrupisse, vbi Moyses cum fratre in terra iacebant orantes, si quo modo flagrantem Dei furorem restinguerent. Ibi Moses diuinitus cognouit, eo ipso tempore populum Deo vlciscente perire; iussitque illico fratrem sumere thuribulum, cum igne & thure, & adire populum quem populabatur ignis à Domino, & orare pro eo. Adijt ille festinus, & assumpsit nihilominus vestes Pontificias, vt constat ex libro Sapientiæ d, *& cucurrit ad mediam multitudinem, quam iam vastabat incendium, obtulit thymiama, & stans inter mortuos ac viuentes, pro populo deprecatus est, & plaga cessauit.*

Aaron accurrit ad incẽdium

d c.18.24

XV. Cæsorum numerus.

Erat enim, ait Sapiens, *sola tentatio iræ sufficiens.* Id est sufficiebat accepta iam clades ad accipiendum diuinæ iræ experimentum. Et merito quidem. *Fuerunt* enim *qui percussi sunt quatuordecim millia hominum & septingenti, absque ijs qui perierant in seditione Core*; pridie scilicet, qui forte non fuere pauciores. *Reuersusque est Aaron ad Moysem ad ostium tabernaculi fœderu*, in quo haud dubie perseuerabat orans, *postquam quieuit interitus.* Populus autem, etsi magno suo malo in multos annos didicit non insurgere in superiores suos, huc tamen pertinere videtur illa querela, quæ habetur in fine capitis sequentis. Nam miraculum quod capite 17. exponitur non dedit occasionem populo his verbis vtendi, præcedens autem vltio maxime. *Dixerunt* e igitur *filij Israel ad Moysem, ecce consumpti sumus, omnes peri imus. Quicunque accedit ad tabernaculum Domini moritur Num vsque ad internecionem cuncti delendi sumus?* Quod verbum desolationis potius quam murmurationis fuit: ideoque Dominus in multa patientia tolerauit hanc eorum, siue lamentationem, siue querelam. Et sane ad internecionem vsque delendi erant, qui criminis Exploratorum participes fuerant: sed iam addicta morti capita, nouis identidem culpis, in promptiorem interitum præcipitabant.

Populi gemitus.

e c.17.12

XVI Virgarum prodigiũ, eiusque finis.

Sequitur alius effectus, ex præsentis quoque seditionis occasione natus: nouo enim miraculo Dominus suam Aaronis electionem confirmare vult vt in eo, sine vlla perturbatione timoris, diuinam electionem inspiciant, & sequantur, nec querelis vltrà infeliciter indulgeant. Quod ad tempus attinet, res ipsa loquitur hoc virgarum prodigium cum præcedentibus rebus gestis esse connexum; adeo vt Iosephus & Philo duas narrationes in vnam permisceant atque confundant. Res ipsa sic à Mose traditur f, *Loquere*, ait Dominus, *ad filios Israel. & accipe ab eis virgas singulas per cognationes suas à cunctis principibus tribuum virgas duodecim, & vniuscuiusque nomen superscribes virgæ suæ, Nomen autem Aaronis erit in tribu Leui, & vna virga cunctas seorsum familias continebit. Ponesque eas in tabernaculo fœderis, vbi loquar ad te. Quem ex his elegero germinabit virga eius.* Hæc ibi. Vbi primum dubitatur an in singulis virgis fuerit scriptum nomen tribus, excepta Leuitica, quæ habuit nomen Aaronis, an potius principis qui eam offerebat, qui primogenitus erat in prima familia, & cui Sacerdotium eo nomine deberi videbatur. Sic enim res statim confecta erat, nec ad sortitiones per domos & familias deueniendum fuit. Nomen autem Aaronis scriptum est, etsi non descendebat à primogenito Leui, quia ex diuina electione erat in possessione Sacerdotij.

f Num. 17.2.

Quo nomine inscriptæ.

Dubius est quoque virgarum numerus. Nam Scriptura duodecim nominat, & Philo Aaronicam duodecimam vocat: quam tamen certius est fuisse decimam tertiam: cum enim eam positam fuisse constet pro Leuitica, quid est causæ cur vna cæterarum prætermissa fuerit? Neque Hebraica lectio, aut aliæ, numerò quem exhibet editio vulgata repugnant. Non enim aiũt virgam Aaronis fuisse vnam de duodecim, vt putauit Philo, sed fuisse in medio earum, ita vt sex virgæ essent ex vna parte eius, & totidem ex altera, vt ait Lyranus. Locus etiam, in quo reponendæ erant virgæ, dubitatione nõ caret, in Sancto-ne, an in Sancto sanctorum repositæ fuerint: vtroque enim loco erant coram Domino, & in tabernaculo fœderis. Certe Philo ait Moysen eas intulisse adytis, Abulensis quoque, Caietanus, Cornelius, & si qui alij de Sancto sanctorum pronunciant, quod nobis quoque in re tanti momenti factum videtur. Nam ibi primum positæ fuerunt virgæ, quò postmodum virga Aaronis relata est g. *Refer*, ait Dominus, *virgam Aaron in tabernaculum testimonij.* Atqui illa posita est intra velum, in Sancto sanctorum, vt ex Apost. Paulo constat *h*.

XVII. Earum us.

Vbi reponẽdæ.

num. 9.

h Heb. 9. 4.

His ita præparatis, adhibitaque Sanctuario diligentiore custodia, ne qua fraus admitti posset, *sequenti die regressus* Moyses *inuenit germinasse virgam Aaronis, & turgentibus gemmis erupisse flores, qui foliis dilatatis, in amygdalas deformati sunt*, & quidem maturas, vt ex Hebræo liquet, & Iosepho: quæ omnia puncto temporis diuina virtute contigerunt. Protulit ergo Moyses omnes, *virgas de conspectu Domini, ad cunctos filios Israel, viderunt que* diuinam electionem Aaronis, miraculo confirmatam, cui acquiescentes *receperunt singuli virgas suas.* Relata est autem virga Aaronis iussu Domini in oraculum, vbi perpetuo virens, & ornata fronde, flore, fructuque permansit, si quid credimus Abulensi, vt esset perpetua probatio, diuinæ electionis familiæ Aaronis in Sacerdotium, neque vnquam à posteris in dubium reuocari posset. Idque ex alijs confirmat, quæ in Oraculo seruabantur, qualia à Deo prodijssent, puta tabulæ legis digito Dei exaratæ, manna quale ab Angelis, non à natura factum fuerat. Est porro hic annus quinquagesimus & vltimus regni Cecropis, primi Atheniensium regis: de cuius initio actum est anno Mosis 35.

XVIII. Aaronis virga frõdet, floret, &c. in die

atque ita perseuerat.

Cecropis mors.

ANNVS MVNDI 2548.

MOSIS 85. AARONIS 4.

ASCATADIS 13. Imperij Assyr. 617.

ANTE CHRISTVM 1505.

I Mosis silentium.

Diuturno deinceps silentio, quinque & triginta circiter annorum, vtitur Legislator Hebræus, vsque ad postremum vitæ suæ annum: tametsi vix credibile est, nihil in tanto populo, tanto tempore dignum memoria

contigisse. Sed cum is non tam Historicum ageret, quam Prophetam, quæ Deus siue interno motu ad scribendum incitabat, siue etiam verbo præcipiebat, ea mandabat litteris, cætera missa faciebat: ratus ea sufficere ad populi institutionem, quæ scripta erant hactenus, & postremo vitæ anno per quandam ἀναστοχασμὸν scripturus erat. Aut certe improbi rebellisque populi, & ad mortem destinati memoriam, arenis deserti, sicut & cadauera obruendam putauit. Itaque paucula, quæ interim occurrunt in prophana historia, breuiter attingemus.

II. Reges Athen. & Argiuorũ

Et primum reges duos illustrium populorum Athenien sium & Argiuorum profert hoc anno Eusebius, illum Cranaum ordine secundum, istum octauum nomine Crotopum Agenoris filium apud Pausaniam l. 2. Ille nouem regnauit annis, & filiam habuit Attidem, ex qua Attica, quæ prius Acte dicebatur, nomen accepit. Iste autem vno & viginti rexit Argiuos, & successit Triopæ, vt ille Cecropi.

ANNVS MVNDI 2563.

AARONIS 19. MOSIS 100.

ASCATADIS 28. Imperij Assyrior. 632.

ANTE CHRISTVM 1490.

I. Israelitæ peregrinantur.

ADest centesimus quartæ Ætatis annus, idemque Mosi secularis, & ab explorata infeliciter Chananitide decimus nonus, in quẽ Hebræi pugnam cum Chananæis male gestam, male conijciunt, vt suo loco ex aperto Moysi textu demonstratum est. Huc potius pertinet illa Philonis oratio: qui cum vere ac syncere turbas ab exploratoribus excitatas recensuisset, & pœnam illis diuinitus irrogatam; Hæc causa fuit, inquit, serius deductæ coloniæ. Cum enim potuissent secundo postquam ex Ægypto demigrarant, agros Syriæ diuidere, deflectentes à via compendiaria vagabantur per secessus longinquos & deuios, alios quærendo post alios, animum frustra cum corpore defatigantes, vt meritas impietatis pœnas persoluerent; quippe qui præter tempus iam elapsum per triginta octo annos, ætatem hominis, fusque deque oberrantes per inuia, vix quadragesimo anno, ad eosdem quos antea terminos peruenerunt. Sic Philo; ex quo etiam perspicuum est errare Rabbinos illos, qui pugnam contra Chananæos a secundo ab Exitu anno *a*, ad decimum nonum transtulerunt.

a vide sup. n. 77.

II. Non tamẽ vage.

Quod autem vagi oberrantesque dicuntur hos, & superiores annos in deserto consumpsisse, non ita accipiendum est quasi pro cuiusque arbitrio, huc illucque familiæ dispergerentur, aut quod de Nomadibus & Tartaris & Agarenis dicitur, pro ratione pascuorum tentoria commutarent, vt aliqui opinati sunt; neque enim viuendi commoditas Israelitas ad vagandum hortabatur, sed à vagando reuocabat, cum nulla inopia, durante semper manna, aut homines premeret, aut iumenta. Sedium potius, siue castrorum mutationes, ob sepulchrorum frequentium, & sordium, in tanta vulgi colluuie graueolentiam factam esse putauerim. Siue autem coloni, siue viatores peregrinati sunt, constat eos semper habuisse ductricem columnam nubis per diem, & columnam ignis per noctem rutilantem, & vniuersa castra illuminantem, vt ante dictum est. Quin etiam mansionum nomina, eos semper congregatos fuisse, & vnum quasi corpus confeciisse docent, non autem palabundos hinc inde fuisse dispersos. Sic enim & aqua, quæ castra sequebatur, & manna, quod per castrorum circuitum defluebat, caruissent, qui à communi cœtu abfuissent, & à vicinis populis facile opprimi potuissent, ac deleri per partes. Denique cum 38. annis montem Seir circuisse dicantur *b*, facile est intelligere, eos non longius ad omnem cœli plagam oberrasse, sed recta propemodum via versus mare rubrum, vt iussi fuerant *c*, iter habuisse.

Duce columna.

b Deut. 2. 1. 14.

c Num. 14. 25.

ANNVS MVNDI 2575.

AARONIS 31. MOSIS 112.

ASCATADIS 40. & vltimus. Imperij Assyriorum 644.

ANTE CHRISTVM 1478.

I. Obitus Ascatadis

EXit è vita hoc anno Ascatades, Imperij sui quadragesimo, ante obitum Mosis annis octo, cum Remesses triennio ante in Ægypto, pulso fratre Danao, regnare cœpisset: qui cum Ægyptus quoque diceretur, nouum regioni nomen dedit, & pro Aeria Ægyptus appellari cœpit, vt scribit Eusebius *d*, & alij *e*. Ergo Ægypti nomen, ad hoc vsque tempus à Scriptura per occupationem vsurpatum est. Semper tamen ab Hebræis Misraim dicta est, à filio Cham secundo genito *f*. Etsi autem Africanus Ascatadi duodequadraginta annos regni duntaxat attribuat, Eusebius autem 40. nullum ex ea dissentione vitium in totam Chronologiæ summam redundat; Quos enim annos duos huic regi adiunxit Eusebius, eos Spareto, qui ante Ascatadem regnauerat, sustulerat.

d In Chr.
e Diod. l. 1. Gellius l. 14. c. 6.
f Gen. 10. 6. vide Annal. a. m. 1631. n. 61.

II. Amyntæ Assyrij regnum.

Proxime sequenti anno Amyntas apud Assyrios regni gubernacula suscepit, decimus octauus à Belo, tenuitque annis 45. ad vigesimum enim Othonielis annum peruenit, vt suo loco dicetur.

Dardanus & Dardania.

In primum Regis huius refert Eusebius Dardaniam, quæ postea Troia dicta est, à Dardano conditam; Nam *Troiæ Dardanus auctor*: & rursum, *Dardanus Iliacæ primus pater vrbis & auctor.*

Troia, Ilium.

Is in Phrygiam traiecisse dicitur, & à rege Teucro, qui tum regnabat in Troade, obtinuisse terræ portionem, in qua vrbem condidit, quam à se Dardaniam appellauit. Duxit vxorem eiusdem Teucri filiam Bateam, ex qua filium Erichthonium regni successorem suscepit, ex quo natus est Tros, qui maluit à se vrbem Troiam, quam ab auo Dardaniam appellari. Trois filius Ilus Ilio nomen dedit, genuitque Laomedontem Priami patrem, sub quo Troia euersa est post annos ab ea condita, iuxta rationes Eusebij 298.

ANNVS MVNDI 2583.

AARONIS 39. & vlt.

ELEAZARI 1. MOSIS 120. & vltim.

AMYNTÆ 8. Imperij Assyriorum. 652.

ANTE CHRISTVM 1470.

I. Epitome veri anni huius.

PEruenimus ad postremum vitæ, magni Israelitarum Legislatoris annum, prioribus non solum ærumnis parem ac geminum, sed etiam priuatis publicisque damnis acerbiorem. Ecce enim statim ab initio Maria soror, eademque prophetissa moritur; fœminarum Hebræarum moderatrix & caput, & secundum Moysem mediatrix apud Deum, vnde maius in Moysem gubernationis pondus incubuit. Hūc luctum Aquæ contradictionis excipiunt, vbi supra modum & supra virtutem afflictus, ponderi tentationis ad tempus, incredibili cum mœrore succubuit, & in ipso portu luctuosum naufragium fecit, ne per sexcentas ærumnas quæsitam ipsis 40. annis terram attingeret. Hanc duplicem procellam, tertia mox & quarta, nihilo inferiores secutæ sunt: Aaron Pontifex omnium peregrinationum comes, omnium particeps curarum, cuius in sinum cordis sui gemitus familiariter deponebat, fato defungitur. Vix huius funeris siccatæ erant lachrymæ, cum priuatum luctum publicus excepit, murmurationes, querelæ, fastidium mannæ, peregrinationis tædium, igniti serpentes, interitus plurimorum.

II. Lætarum simul & tristium.

Secuti sunt aliquot euentus prosperi, Victoria de rege Amorrhæorum & rege Basan, timor Moabitarum, irriti conatus maledici Balaam in populum Dei. Sed læta hæc & dulcia mox amarissimo felle diluta sunt, quando Moabitides mulierculæ Israelitas turpi fornicatione labefactos, in barathrum Idololatriæ præcipitarunt: vnde principes suspendi iubentur in patibulis, & viginti quatuor hominum millia de populo, Deo vltore, trucidantur. Inde numerato iterum populo, mors sua Moysi denunciatur, interdicta terra demonstratur, Iosue in principatu substituitur, delentur Madianitæ, terra eorum parti populi in possessionem assignatur; denique repetita ad iunioris populi institutionem lege, & rebus in deserto per annos 40. gestis, Dei timore ac cultu diligentissime commendato, paterna etiam benedictione toti populo impertita, vita sanctissime functus est. Sed hanc amplissimam rerum syluam per partes suas iuxta ordinem temporis breuiter persequamur.

III. Mariæ obitus vbi & quando cōtigerit.

Et vt à Mariæ obitu ducamus initium, rem totam Moses breuissimè perstrinxit a. *Venerunt*, inquit, *filij Israel, & omnis multitudo in desertum Sin mense primo, & mansit populus in Cades, mortuaque est ibi Maria, & sepulta in eodem loco.* Mensem primum, omnes passim intelligunt mensem Nisan, anni quadragesimi ab exitu, quod diserte Iosephus affirmat. Certe Aaron, qui in mansione proxima, initio quinti mensis obijt b, anno ab exitu quadragesimo Moyse teste obijt. Desertum autem Sin, ad quod Israelitæ venerunt ex Asiongaber, longe diuersum est ab eo, ad quod sub initium peregrinationis suæ ex mari rubro venerunt, quæ loca etiam scriptione differunt apud Hebræos, nam quod Ægypto propius est, scribitur per samech, alterum propinquius Chananitidi per tsade. Cades autem plurimum à Cadesbarne differre iam supra dictum est c. Obijt porro Maria centesimo vigesimo septimo vitæ suæ anno, ex anno ortus eius liquet. Elatam autem magnifice, publicoque sumptu Iosephus affirmat, & sepultam in monte quodam, quem vocat Sein.

a Num. 20.1.

b Num. 33.38.

c Ant. Mos. 81. & 62.

Mortis huius Zacharias ænigmaticè meminit d, cum ait Dominus se succidisse tres pastores in mense vno. Nobis, inquit Hieron. tres pastores qui in vno mense succisi sunt, Moyses videtur & Aaron & Maria, quorum Maria in mense primo, qui vocatur Nisan mortua est in deserto Sin: Et in eodem loco propter aquam contradictionis, eodemque mense Moyses & Aaron condemnati sunt, ne terram repromissionis intrarent. Atque ita factum est, vt è tribus pastoribus alia præsenti morte succideretur, alij sententia mortis futuræ. Hæc Hieron. ex quibus intelligitur proxime scriptam à Moyse historiam de aqua contradictionis, suo tempore collocatam esse, vt quæ eodem mense quo Maria mortua est, Hieronymo teste contigerit.

IV. Celebratur à Zacharia. d c. 11. v. 8.

Etsi autem non pauca eius cohonestando funeri dici possunt, illud tamen videtur eminere, quo eodem cum beatissima virgine nomine decorata, eiusdem egregius typus fuit. Vtraque infantiæ Legislatoris ac principis populi sui curatrix fuit, atque administra, vtraque peregrinationum socia, curarum particeps, onerum subleuatrix, & gemituum consolatrix fuit. Missa est Maria ante faciem populi Dei ex Ægypto proficiscentis, vt sine matre in deserto non esset, qui Moysem instar parentis habebat; in typum eiusdem sanctissimæ Deiparæ, quæ se parentem mitissimam exhibet ijs, qui ex Ægypti vanitate conuersi, Christum Dominum per religiosæ vitæ deserta sequentes, ad promissam viuentium terram, magnis itineribus contendunt.

V. Fuit typus B. Virginis.

Sed iam ad tristes contradictionis aquas, & ipsis aquis Mara longe amariores, inuitam propemodum conuertamus orationem, vbi Samsonem nostrum, sub tentationis onere fatiscentem, deprehendemus, quando *defecit anima eius, & ad mortem vsque lassata est.* Rem gestam ita narrat Moyses a. *Cum indigeret aqua populus.* Ex quo intelligitur Aquam de petra Horeb, quæ populum in Raphidim & Sinai potauit, reliquasque mansiones eundem secuta est, vt ex Hebræis alibi diximus, defecisse, & quidem, vt apparet, non multo ante, neque enim diu à querela abstinuissent. In siti ergo sua *conuenerunt aduersus Moysen & Aaron, & versi in seditionem dixerunt. Vtinam perijssemus inter fratres nostros coram Domino*, siue in seditione exploratorum, siue cum Core, Dathan & Abiron; putant enim se siti perituros, quam mortem interitu fratrum suorum sibi acerbiorem putant. Pergunt, Cur eduxistis Ecclesiam Domini in solitudinem, vt & nos & nostra iumenta moriamur? Deinde memores fructuum

VI. Aqua contradictionis.

a Num. 20.2. Populi murmur in siti.

quos exploratores iampridem ostentarant, *Quare*, inquiunt, *ascendere nos fecisti de Ægypto, & adduxisti in locum istum pessimum, qui seri non potest, qui nec ficum gignit, nec vineas, nec malogranata. Insuper & aquam non habet ad bibendum.*

VII. Moyses & Aaron ad Deū confugiunt. b *Num.* 20.6.

Audita querela b, *ingressus est Moyses & Aaron; dimissa multitudine tabernaculum fœderis, corruerunt que proni in terram, Clamauerunt que ad Dominum, atque dixerunt, Domine Deus audi clamorem huius populi, & aperi eis thesaurum tuum, fontem aquæ viuæ, vt satiati* cum fuerint, *cesset murmuratio eorum.* Non habetur hæc oratio in Hebræo vel Græco textu, & creditur sumpta ex antiqua aliqua paraphrasi Chaldæa, vel à Hieron. paraphrastice suppleta, habet tamen eandem cum cæteris autoritatem. Timuerunt hi populi patres, ne contra populum murmurantem ira diuina desæuiret, ideoque gestu & affectu primum iram Dei placare, deinde beneficium impetrare studuerunt. Nec frustra, nam *apparuit gloria Domini super eos*, in illustri scilicet & coruscante nube, ad terrorem in populo concitandum; vt iam aliquoties contigerat, in seditione maxime Core, & Exploratorum.

VIII. Deus iubet impetrari aquā

Locutusque est Dominus ad Moysem dicens. Tolle virgam & congrega populum, tu & Aaron frater tuus, & loquimini ad petram coram eis, & illa dabit aquas. Cumque eduxeris aquam de petra, bibet omnis multitudo, & iumenta eius Cum Dominus dicat, *loquimini ad petram*, & non percutite petram, significat, vt ait Caiet. se voluisse vt Moyses iuberet, rupem ad solum imperium suum, inuocato nomine Domini, aquas sine percussione profundere. Nec mandatum de accipienda virga signum erat rupem esse percutiendam vt patet ex diuersis Exodi locis; tametsi Dominus petram Horeb virga percuti iusserit c, ad dandum aquas. Quod fortasse Moyses ex perturbatione animi non attendens, virga bis silicem percussit, cum hac increpatione populi, *Audite rebelles & incredulæ, num de petra hac vobis aquam poterimus eijcere?* & nihilominus *egressæ sunt aquæ largissimæ, ita vt populus biberet, & iumenta.*

c Ex. 17.6

IX. Geminus Mosis peccatum.

Apparet geminum hic à Mose admissum esse peccatum, inobedientiæ & diffidentiæ. Nam non alloquitur petram, quod Dominus iusserat, & percutit petram, quod Dominus non iusserat: & dubitat an rupes datura sit aquas illis rebellibus & incredulis: neque enim de diuina potentia dubitabant, cum populum incredulitatis argueret, sed de eius erga talem populum voluntate. Imo ex vi verborum negat, quod tamen Dominus certo futurum promiserat. Neque propterea Dominus negauit aquas, licet parum sibi obedientibus parumque credentibus, præsentem miseratus necessitatem. Si enim non dedisset, modicam etiam fidem, quam adhuc retinebant, perdidissent. Moysis tamen & Aaronis incredulitatem grauiter reprehendit, & vltus est. Nec enim est cur eius verba excusare, & in mitiorem sensum trahere conemur. Cum inspector cordium Deus vtrumque diffidentiæ & incredulitatis arguat, eisque grauem admodum constituat pœnam, vt ait S. Augustd

Aquæ ex silice per cultro exiliunt.

d *q. 91. in Num.*

X. Mosis culpa & pœna luctuosa.

Dixit enim ad Moysem & Aaron, *Quia non credidistis mihi, vt sanctificaretis me coram filijs Israel, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis.* Id in Aarone accurate impletum est, qui post tertium mensem mortuus est in deserto. In Mpyse nonnulla indulgentia vsus est Dominus, vt qui ei concesserit terras trans Iordanem occupare, populo diuidere, & reliquas ex prælto monte contemplari. Cæterum non crediderunt ipsi Deum ad humanæ vocis imperium aquam de rupe educturum, neque seruierunt diuinæ gloriæ, quæ in eo posita erat, vt populus agnosceret Deum educere posse aquas de petra, ad imperium serui sui. Ex quo intelligimus quam necessarius sit Dei concursus actualis, & cooperans ad omne opus bonum, quo deficiente illico deficimus, conturbatur cor nostrum, & derelinquit nos virtus nostra. Triste sane ac luctuosum in talibus tantisque viris spectaculum, post tam multa, tamque singularia diuinę in ipsos beneuolentiæ argumēta, post tot prodigia in cœlo, in terra, in aquis, in igne, in inferis, in Ægypto, in mari, in deserto, in omnibus locis & clementis, tam constanter, tamque glorioſe perpetrata. Puduit vehementer huius culpæ Hebræos Mosis laudatores, Philonem, Iosephum, & Chronicorum scriptores Rabbinos, adeo vt eam silentio dissimularint.

XI. Et immutabili decreto firmata.

Cæterum quoniam non ignorabat Moyses postremum esse hunc annum Israeliticæ peregrinationis, simul etiam intellexit vltimum se vitæ annum decurrere. Afflixit porro vehementer hæc pœna Moysen, vt patet ex multis Deuteronomij locis, vbi coram populo non sine gemitu refert, se populi causa iram diuinam incurrisse, & spe ingrediendi terram promissionis excidisse. Cumque viueret nihilominus in eius pectore ipsius desiderium, sæpe Dominum precibus sollicitauit, eique quodammodo blanditus est, hanc vt veniam impetraret, nec tamen exauditus est; sed audiuit potius e, *Sufficit tibi, nequaquam vltra loquaris de hac re ad me.* Vnde intellexit Moses ratum esse, & immutabile decretum contra se, & contra fratrem suum, de exclusione sua à terra illa: ideoque id decretum iusiurandum vocat f. *Iratus est*, inquit, *Dominus contra me propter sermones vestros*, quibus ad diffidentiam adductus sum, *& iurauit vt non transirem Iordanem, nec ingrederer terram optimam, quam daturus est vobis. Ecce morior in hac humo, non transibo Iordanem, vos transibitis, & possidebitis terram egregiam.*

e *Deut.* 3. 26.

f *Deut.* 4. 21.

XII. Legatio ad Idumæos à Deo præcipitur.

Post tam triste nuncium, non cessauit propterea Moyses publica negotia pari studio promouere, ac si ipse populum introducturus esset in Chananitidem. *Misit* enim *in terra nuncios Moyses de Cades ad regem Edom.* Prius tamen consuluit Dominum, quid facto opus esset, qua via & modo in terram promissam intrandum: vel Dominus ipse præmonuit vltro Moysen, vt legatos mitteret ad Idumæos, vt per terram suam permitterent innoxium atque amicum transitum, vt decebat fratres; aut eo non impetrato, ad terminos regionis ipsorum, versus Moabitas iter circumflecterent. Illa Dei monitio est in Deuteron. a cap. 2. vbi iubentur circumire regionem Idumæorum Aquilonem versus, nam terra Chanaan est septentrionalis Idumæis. Itaque Israelitæ orientalem eorum

a 2. v. 2 3. &c.

oram

oram lustrarunt. *Transibitis*, ait Dominus, *per terminos fratrum vestrorum filiorum Esau, qui habitant in Seir, & timebunt vos*, quos sciunt cum sexcentis millibus bellatorum progredi, *videte ergo diligenter ne moueamini contra eos*, ne scilicet vi transitum vobis aperire conemini, aut eorum terram occupare velitis. *Neque enim dabo vobis de terra eorum, quantum potest vnius pedis calcare vestigium: quia in possessionem Esau dedi montem Seir. Cibos ab eis emetis pecunia, & comedetis; aquam emptam hauietis, & bibetis.*

XIII An Mose scribitur. b *Gen.* 36 34. c *Num.* 20.16.17

His Moyses mandatis instructus legationem ad regem Idumæorum mittit, quem apparet fuisse Husan de terra Themanorum, qui Iobo successit, vt in Genesi scriptum est *b*. Nunciata vero eductione sua ex Ægypto, *Ecce* inquit, *in vrbe Cades, quæ est in extremis finibus tuis positi, obsecramus vt nobis transire liceat per terram tuam. Non ibimus per agros, nec per vineas non bibemus aquas de puteis tuis, sed gradiemur via publica, nec ad dextram, nec ad sinistram declinantes, donec transeamus terminos tuos.* Vide petentis modestiam, qui superbe non flagitat, neque armatas affert preces, paratus totam potius Idumæorum terram laboriose circum lustrare, quam contra Dei voluntatem, in durissimi oris homines pugnare, qui fratribus innoxium breuemque transitum negent, qui iure sperare poterant ab ipsis auxilium ad cæteras gentes debellandas.

XIV. Ab Idumæo repellitur.

At Rex Idumæis veritus ne illi specie transitus occuparent regionem suam, parum humaniter, *non transibis*, inquit, *per me, alioqui armatus occurram tibi.* Dura omnino responsio, & illi nationi conueniens quæ fero & agresti patre nata, & inter duros silices educata, ferinum quiddam semper & agreste retinuit. Cumque Israelitæ perseuerarent vrgere transitum, cum ille negauit obstinatius. Quin etiam statim egressus est obuius cum infinita multitudine, & manu forti. *Nec voluit acquiescere deprecati, vt concederet transitum per fines suos*, id est intra fines, siue per mediam regionem suam, id enim petebant, *quam ob rem diuertit ab eo Israel*, obeundo fines eius, è Cadibus veniendo in montem Hor, qui & ipse est in finibus Idumæorum, vt est in catalogo mansionum *d*. Est autem hæc ordine trigesima quarta, in qua duo quædam memorabilia contigerunt, mors Aaronis, & res gesta cum Arado rege Chananæorum, prius habetur vigesimo Numerorum extremo, posterius initio vigesimi primi.

d *Num.* 33.37.

XV. Locus & tempus mortis Aaronis. e *Num.* 33 38.39. *Deut.* 2,. & 10.

Tempus simul & locus mortis Aaronis ita describitur e. *Ascenditque Aaron sacerdos in montem Hor iubente Domino, & ibi mortuus est, anno quadragesimo egressionis filiorum Israel ex Ægypto, mense quinto, primo die mensis, cum esset annorum centum viginti trium.* Hæc ibi. Iussio autem illa Domini habetur vigesimo Numer. *Pergat*, inquit, *Aaron ad populos suos, non enim intrabit terram quam dedi*, id est promisi daturum, *filys Israel, eo quod incredulus fuerit ori meo ad Aquas contradictionis.* Quæ verba triste nuncium vtriusque fratri attulerunt, quoniam eadem vtriusque causa fuit, & tam antiquam vitæ consuetudinem distrahebant. Non defuit tamen solidæ consolationis materia: quod is non exterminabatur de populo suo, sed aggregabatur ad Sanctorum populos, quorum in se virtutes expresserat, in quorum fide moriebatur. Aderat illa quoque consolatio, quod sciebat vterque hanc animorum separationem non diuturnam fore. Nam intra menses octo Moysi abeundum etiam fuit, & ad eundem sanctorum in sinu Abrahæ chorum veniendum.

XVI. Eiusque modus. g *Num.* 20.25.

Modus autem mortis Aaronis, & Eleazari in locum ipsius suffecti, sic à Domino Moysi præscribitur. *Tolle Aaron, & filium eius cum eo*, primogenitum videlicet, *& duces eos in montem Hor. Cumque nudaueris patrem veste sua*, nimirum pontificia, indues ea Eleazarum filium eius. *Aaron colligetur* ad populum Sanctorum scilicet quomodo inferius *h*. Moysi dicitur, *& sic colligeris ad populum tuum.* Quæ vox repræsentat Deum quasi demessas morte spicas colligentem, & deferentem in horreum suum, iuxta parabolam *i* illam euangelicam. *Fecit Moyses vt præceperat Dominus, & ascenderunt in montem Hor, coram omni multitudine*, postremum illi vale dicente, Pontifice vicissim illis benedicente, cum eo vtrimque sensu quem facile est cogitare. *Cumque Aaron spoliasset vestibus suis, induit eis Eleazarum filium eius.* Ex quo intelligi potest Aaronem è Sanctuario & castris egressum, cum omnibus pontificijs ornamentis, quibus Eleazarus erat induendus, & eo modo, ex peculiari Dei ordinatione, initiandus. Fuit hæc quoque non leuis Aaronis consolatio, quod vestibus suis & dignitate ornatum filium suum quasi de morte triumphans pro se relinquit, quod parentum votum vel maximum esse solet, qui se quasi viuentes & florentes in filijs apprehendunt. Vixit in Pontificatu annos 38. menses tres, dies 22.

h *Num.* 31.2.

i *Matth.* 13.30.

XVII. Aaron fletur. & commendatur.

Illo mortuo & videlicet sepulto quoque *in montis supercilio, descendit* Moyses *cum Eleazaro* nouo Pontifice. *Omnis autem multitudo videns occubuisse Aaron, fleuit super eo 30. diebus, per cunctas familias suas.* Et merito sane lugent populi in bonorum morte prælatorum, in quorum funere permagnam ipsi iacturam faciunt. Laudat eum Ecclesiasticus *k* & pro magna laude similem Moysi facit, potuit & pro maiore, Christo Domino aliquatenus comparare. Laudat & euectum in apicem sacerdotij Pontificatum, qui nunquam ab eius progenie, dum lex illa populusque duraret, auferendus esset: cuius habuisset Deum non solum munificum largitorem, sed constantem etiam contra ambitiosos propugnatorem: quique consentaneis illi dignitati virtutum ornamentis cum egregie lo cupletarit; quæ ex Annalibus nostris *l* huc transferenda, breuitatis causa non duximus: id modo dicere contenti. Abijsse Aaronem ad patres suos in senectute bona, annis tribus & 80. in durissima barbari populi, atque inhumana seruitute consumptis, quadraginta vero in duriore etiam libertate. Nisi potius intolerabilis fuit seruitus, tam numerosum, tam incredulum, tam seditiosum populum, per medias tot solitudinum ærumnas, tanto tempore gubernare.

k *Eccl.* 45 7. 8. &c.

l *ad Mos.* 120. *n* 33. 34. & 35.

XVIII. Eleazarus Pontifex.

Dum exequiarum Aaronis celebritas in trigesimum protenditur diem, & nouus Pontifex Eleazarus summum init, administratque sacerdotium, Rex Aradiorum (qui & ipsi Chananæi erant, vt ex Genesi *a* constat & habitabat ad meridiem, propterea que vicinior erat

a *Num.* 10.15. 16. &c.

Israelitis

Rex Aradiorum pugnat cõtra Hebræos, & vincitur.

Israelitis peregrinantibus in meridiana solitudine) cum *audisset venisse Israel per exploratorum viam.* Suorumne an Israelitarum? suorum putauit Philo, cæteri Israelitarum. Viam autem intelligit redeuntium, nam iter per montana inchoatum, per campestria finierant. Neque enim memoria exciderat illa exploratorum peregrinatio, & gentis ex Ægypto profectæ, quæ nouas quæreret sedes, à qua sibi singuli populi male metuebant: ignari quam se in partem illa gens esset effusura. Itaque Rex Aradiorum commodam aliquam nactus occasionem, pugnauit contra Israelitas b, *& victor existens duxit ex eo pradam.* Nec impune. *Nam Israel voto se Domino obligans, ait: Si tradideris populum istum in manu mea delebo vrbes eius. Non fuerunt vota irrita,* vt ait Philo, *Numine robur Hebræis addente ad extorquendam regi victoriam. Itaque pugnatum est egregie, supplicatumque post victoriam, præda tota consecrata autori tantæ felicitatis. Oppida cum viris, & auro argentoque Deo dicari placuit, vnde totum id regnum Anathema nominatum est.* Sic ille. Hebræum nomen Horma vastationem significat, quæ in animalibus sacrificandis Holocausto respondet.

b *Num.* 21.1.2.

XIX Hebræi circumeunt Idumæos.

Hoc prospero rerum successu læti, beneque animati Israelitæ vlterius progrediuntur, terram Idumæorum circumeuntes. Profecti sunt enim de monte Hor c, *per viam quæ ducit ad mare rubrum,* non quidem descendendo per eam meridiem versus, quod nonnullos deduxit in fraudem, sed versus aquilonem & ortum progrediendo, relicta terra Edom ad sinistram & occasum, Moabitarum autem regnum ad dextram & ortum habendo. In obeunda porro Idumæa duæ mansiones contigerunt, 35. in Salmona, & 36. in Phunon, quas in 21. Num. omisit Moyses, vt notauit Hieron. reddidit autem in Catalogo *d.* In alterutra igitur *tædere cæpit populum itineris & laboris.* Acerbum enim eis erat terram per annos 40. quæsitam habere ante oculos, & ipsa prope manu contingere, nec tamen ingressum permitti, sed quasi de industria populum longissima circuitione vexari. Non solum enim Idumæam, à parte ipsius meridionali & orientali, sed totam etiam maris mortui longitudinem emensi sunt circumeundo, antequam ad Iordanem peruenirent. Nimirum volebat Dominus ex itinere debellari duos Amorrhæorum reges: & eorum regionem parti populi distribui.

c *Num.* 21.4.

Duæ mãsiones.

d *Num.* 33.43.44.

Tædium Hebræorum.

XX. Et murmuratio.

Ab illi, qui debellato Aradiorum regulo, cuperent mediam peruadere Idumæam per quam rex eius transitum negabat cum eos Deus armis cogi non pateretur, contra Deum & Moysem obloquuntur, & solitam de cibo & potu querelam, quasi cantilenam redintegrant. Et permittebat Dominus ista inepta fastidia, & obmurmurationes, in pœnam priorum culparum, quoniam reliquias generationis morti addictæ, in deserto perire oportebat e. *Quamobrem misit Dominus in populum ignitos serpentes, ad quorum plagas, morteſque plurimorum venerunt ad Moysen, atque dixerunt, Peccauimus, quia locuti sumus contra Dominum & te: ora vt tollat à nobis serpentes.* Sic serpentum morsibus cogi oportebat ad pœnitentiam genimina viperarum. Ignitos porro serpentes interpretari licet, vel de externa specie rutila in modum ignis: vel de sensu doloris quem inferebant, vt eorum morsibus corpora inflammarentur, carbunculis, & febri ardente concepta. Hic Dominus à Moyse exoratus, iubet fieri serpentem æneum, & in signum eleuari, vt eo conspecto ægri à serpentibus sanarentur. Circa quæ Sapiens philosophando *f* alludit ad dominicam crucem, in qua non verus, sed ad externam tantum speciem peccator pendebat; sicut serpens ille ad perticam affixus, speciem serpentis habebat, naturæ veritatem non habebat.

e *Num.* 21.6. Serpẽtum morsibus castigata.

f *Eccli.* 16.5.

Profectique filij Israel g, de Phunon, vt est in catalogo mansionum h. *castrametati sunt in Oboth,* indeque secutæ sunt mansiones aliquot rebus inanes; donec ventum est ad torrentem Arnon, *qui est terminus Moab, diuidens Moabitas & Amorrhæos* i cis torrentem autem est mansio quadragesima, dicta Helmon Deblataim. Ibi cum populus substitisset, dixit ei Dominus k, *Surgite, & transite torrentem Arnon. Ecce tradidi in manu tua Sehon regem Hesebon Amorrhæum, & terram eius: incipe possidere, & committe aduersus eum prælium. Hodie incipiam mittere terrorem, atque formidinem tuam in populos, qui habitant sub omni cœlo, vt audito nomine tuo paueant, & in morem parturientium contremiscant, & dolore teneantur.* Ita Dominus. Moyses nihilominus pro innata mansuetudine, rem amice tentandam ratus est, licet sciret eum regem nihil precibus effecturum, Deo ita disponente, ne conqueri posset se iniuste bello peti ab ijs, qui mallent vi, quam amice agere. *l.* Misit ergo nuncios ad Sehon regem, qui transitum pacificum postularent, quem ille non minus superbè negauit, quam rex Edom *m*, sed non pari euentu, quod Dominus Idumæis parcitum vellet, non Amorrhæis. Nam quod filij Esau dicuntur dedisse transitum, sicut & Moabitæ, intellige per fines suos dedisse, non per mediam regionem, quod Moses ab hoc rege petebat, & obtinuit non solum transitum, sed possessionem regni eius.

XXI. Aliquot mãsiones.

g *Num.* 21.10.

h *Num.* 33.41.46.

i *Num.* 21.13.

k *Deut.* 2. 24. Sehõ Rex Hesebon.

Ad eum legatio.

l *Deut.* 2. 26.29.

m c 20. 17.18. *nõ.*

Egressusque est, ait Moyses n, *Sehon obuiam nobis cum omni populo suo ad prælium in Iasa. Et tradidit eum Dominus Deus noster nobis, percussimusque eum cum filijs suis, & omni populo suo,* ipsum autem Sehon in prælio cecidisse autor est Iosephus. Cæsis autem propugnatoribus facile fuit oppida omnia in potestatem redigere, ideo sequitur. *Cunctasque vrbes in tempore illo cepimus, interfectis habitatoribus earum,* etiam inermibus, imo *viris ac mulieribus & paruulis. Non reliquimus in eis quidquam* viuum, *absque iumentis, quæ in partem venere prædantium, & spolijs vrbium quas cepimus.* Non enim volucrant regnum Sehonis esse Anathema, sicut regnum Aradiorum. Quantum autem terrarum hac victoria ab Israelitis acquisitum fuerit, *ab Aroer,* inquit, *quæ est super ripam torrentis Arnon, oppido, quod in valle situm est, vsque, Galaad,* vel *vsque Iebos,* vt est in Numer. o Denique *non fuit vicus & ciuitas quæ nostras effugeret manus: omnes tradidit Dominus Deus noster nobis.* Huius porro occasione victoriæ, recenset Moses quomodo rex Amorrhæorum occupauerat olim, & abstulerat Moabitis, quæ hodie pugnans contra Israelitas perdiderat, quæ deinde tempore Iephthe p, post trecentos circiter annos, rursus controuersia fuerunt.

XXII. Pugna cũ ipso, atq; victoria.

n *Deut.* 2. 36.

o *Nũ.* 21. 26.

p *Iud.* 11. 12.

XXIII. Pugna cũ Og & victoria.

Sequitur pugna & victoria de Og rege Basan, qui reliquam regionem septentrionalem trans Iordanem possidebat à torrente Iabot, vsque ad montem Hermon. *Verterunteque se* inquit Moyses *a*, & ascenderunt per viam Basan, rectè *verterunt*, similiter in Deuteronym. *b conuersi ascendimus per iter Basan.* Nam cum institutum haberent transire Iordanem, qui eis erat ad occidentem, verterunt iter ad Septentrionem, vt pugnarent contra regem Basan. Qui cum venisset in auxilium Sehonis amici & socij regis, eosdem habuit hostes Israelitas. *Quibus occurrit cum omni populo suo, pugnaturus in Edrai*, vrbe primaria regni Basan. Dixitque Dominus ad Moysen, *Ne timeas eum.* Et erat sane cur timeretur vir fortissimus, & animo & corpore gigantæo, sed res ei futura erat contra victorem populum, & quod caput est contra propugnatorem eius Deum. Pergit Dominus, *in manu tua tradidi illum, & omnem populum & terram eius; faciesque illi sicut feci sti Sehon regi Amorrhæorum, habitatori Hesebon.*

a Num. 21. 33.
b Deu. 3. 1

XXIV. Victoriæ egisque magnitudo.

Promissa in rem deducta sunt. *Percusserunt* enim *& hunc cum filijs suis* c, *vniuersumque populum eius, vsque ad internecionem, & possederunt terram illius.* Explicatius habetur in Deuteron. *d* quanta fuerit ista victoria. *Non fuit oppidum*, inquit, *quod nos effugeret, sexaginta vrbes, omnem regionem Argob regni Og in Basan. Cunctæ vrbes erant munitæ muris altissimis, portisque & vectibus, absque oppidis innumeris, quæ non habebant muros.* Apparet & magnitudo victoriæ ex ipso principe, qui in ea pugna cæsus est, cum filijs vtique par. nte dignis. *Solus quippe Og rex Basan restiterat de stirpe gigantum*; præoet & specimen magnitudinis eius, cum ait monstrari lectum eius ferreum, *qui est in Rabbath filiorum Ammon, nouem cubitos habentem longitudinis, & quatuor latitudinis, ad mensuram cubiti viralis manus*, id est vulgaris siue communis: huiusmodi autem cubitus habet pedem cum dimidio. Ex quo intelligi potest eum 12. pedes longitudinis excessisse. Ad hos tamen non videntur respexisse exploratores cum dicerent. *Ibi vidimus monstra quoddam filiorum Enac de genere gigantæo.* Quoniam illi Enacidæ erant in Hebron cis Iordanem; illi autem Amorrhæi trans Iordanem, quem exploratores non transmiserant. Itaque solus Og trans Iordanem restiterat de stirpe gigantum.

c Num. 21 fi.
d c. 3. 4. 5.

Og rex Basan.

XXV. Mãsio 41 in montibus Abarim.

Postquam autem Israelitæ, duo prædicta regna in potestatem redegerunt, omnibus circumcirca populis terrore concussis, præsidijs quidem munitissimis loca tenuerunt, dum distributio regionis acquisitæ, Dei voluntate, & Moyse diribitore fieret nouis colonis; ad solita tamen castra redierunt, eaque ad montes Abarim mansione quadragesima prima fixerunt. *Egressi* e enim *de Helmon Deblathaim, venerunt ad montes Abarim contra Nebo*, id est è regione vrbis Nebo, quam filij Ruben instaurarunt; cessit enim in sortem eorum, in qua fuit olim vt ait Hieron. idolum Chamos, quod alio nomine Beelphegor appellatur. Est etiam Nebo mons vnus de montibus Abarim omnium maximè sublimis, cuius vertex dictus est Phasga. In cuius montis spelunca, puteo, vel cisterna Ieremias in clade Hierosolymorum, ignem perpetuum recondidisse cum altari incensi, aliqui tradidere, qua de re suo loco dicetur.

e Num. 33

Nebo.

Phasga.

Subiecta his montibus regio, quæ ab oriente habet eosdem montes, ab occidente vero Iordanem dicuntur Campestria Moab, in quibus quadragesima secunda & vltima Israelitarum mansio ponitur: ad quam fere pertinent reliqua omnia, quæ de Moyse à Scriptura memorantur. Primum autem quod occurrit est res gesta cum Moabitis. Balac enim rex Moabitarum f, *videns omnia quæ fecerat Israel Amorrhæo* vtrique tam Sehon quam Og vicinis suis, *& quod pertimuissent eum Moabitæ, & impetum eius*, si vim afferre vellet, *ferre non possent*, Iniit consilium cum maioribus natu regni sui, & terræ Madian, quæ fuit prouincia in Moabtide; vt ex g Geneſi constat, & mox ad tribum Ruben pertinuit, longeque distat à Madianitide vicina monti Sinai, in qua Moses habitauerat, & vxorem duxerat Sephoram filiam Iethro. Ad hos ergo conuocatos egit de communi periculo, quod ab Israelitis imminebat *Ita*, inquit, *delebit hic populus omnes, qui in nostris finibus commorantur, quo modo solet bos herbas ad radices carpere.* Nesciebat enim vt notauit Iosephus, Deum vetuisse ne Israelitæ Moabitis quidquam negotij facesserent.

XXVI. Mãsio 42 & vlt. in campestribus Moab.

f Num. 22. 2.

Metus Balac ab Israele.

g c. 31. 35. Moses mitis duplex.

Cum ergo robustos Moab obtineret tremor, misit Balac rex eorum legationem ad Balaam, quem plerique magum, alij prophetam vocant in regionibus illis tum celebrem. Scribit autem Origines *h*, Balac inaudisse Israelitas orationis vi magis, quam armis hostes superare. Orante Mose Pharaonem sexcentis afflictum plagis, postremo quiescentibus Hebræis, fluctibus obrutum: rursumque Amalecitas eodem orante profligatos, Itaque ratus magicis illos carminibus vincere, magum etiam carminibus potentem in auxilium vocat, si forte eius opera incruentam obtineat victoriam, aut hostes suos longe à se facessere cogat. Quin & eodem alluisse regem putat, vsurpata similitudine bouis, ore ac lingua herbam carpentis, quasi populus hic non gladijs, sed ore, ac lingua pugnaret. Huius porro Balaami si genus quæras, passim filius Beor dicitur, si patriam, ex Mesopotamia oriundus fuit; iuxta illud Mosis, *Conduxerunt contra te Balaam filium Beor de Mesopotamia Syriæ* i, vel vt est in Hebræo, *de Aram duorum fluuiorum*, nimirum Tygris & Euphratis, qui cingunt Mesopotamiam. Syria vero Hebræis est Aran, siue Aramæa, & ipsemet ait venisse se de Aran ex montibus orientis. Et quidem ex vrbe Pethora, quæ Euphrati imposita est, vt ex Hebræo ac Chaldæo liquet, quam vocem Hieronymus in ariolum vertit.

XXVII. Init consilium contra eos, & euocat Balaam.

h Hom. 13. Num

Quis ille fuerit.

i Deut. 23. 4.

Quod ad eius officium, refert idem k ex Hebræis, fuisse eum primùm virum sanctum, & Propheram Dei; postea per inobedientiam & desiderium munerum, dum Israel maledicere cupit, diuini id est arioli vocabulo nuncupari. Mariana verisimile putat eum non fuisse ariolum, sed de numero prophetarum, qui erant inter gentes, vt Sibyllæ, quando Deus illi apparet. Et certe nusquam apparet illius cum dæmonibus communicatio, neque ea de re à Scriptura arguitur, sed de alijs tantum peccatis, quæ in homines alioqui fideles cadunt, vt inobedientia

XXVIII. Prophetare an magus.

k in trad. in Gen.

Eius peccata.

Angelum Iudaici populi protectorem, atque adeo Michaelem ipsum Archangelum, præsidem ac protectorem Ecclesiæ Catholicæ, quæ tunc erat apud Israelitas, par est credere: idque nonnulli tam olim apud Theodoretum *l* asseruerunt: Agebatur enim de totius populi internecione, si ille magicis carminibus dementatus, hostium furori exponeretur.

l q. 42. in Num.

XXXIV. Balac occurrit Prophetæ.

Iuit igitur Balaam permissu Angeli cum legatis, à quibus præmonitus rex Balac venit in occursum eius in finibus ipsis regni sui. Et post diei illius collocutionem atque epulas, mane facto rex ducit Prophetam in montem excelsum, in quo colebatur Baal, vnde ostendit ei extremam populi partem. Ibique excitaris septem aris, in singulis vitulum & arietem, Domino in holocaustum obtulit *m*. Idemque mox in vertice montis Phasga: & rursum tertio in vertice montis Phogor. In quibus omnibus præsente rege & optimatibus, populum Israëliticum Domino suggerente benedixit, faustaque precatus est, quantumuis ægre ferente rege. Addidit etiam prædictiones de eorum victorijs, magnaque potentia, de futuro etiam Christi regno, per ortum nouæ stellæ gentibus enunciando: quæ ipse in Magis posteris suis visurus sit, post annos 1470. Sed hæc vaticinia vt minus ad institutum nostrum pertinentia, omittamus. Improbum tamen eius consilium, quod ad historiæ filum pertinet, non videtur omittendum.

m Nu. 23. 4. Balaam sacrificat, populoq; benedicit.

XXXV. Improbū eius consilium.

Et videtur sane Dominus auertisse primò consilium eius, & alia omnia in os eius immisisse, vt patet ex cap. 24. vers. 14. & seqq. postea tamen, perabstrusa prouidentia, id permisisse; sicut eidem primò negatam profectionem, postea permisit. Id consilium quale fuerit, ex cap. 25. ab effectis ipsis intelligetur, sed id clare habetur in Apocalypsi *a*. *Habes*, inquit, *tenentes doctrinam Baalam, qui docebat Balac mittere scandalum coram filiis Israel, edere & fornicari.* Nec omisit Moses, qui Israëlitas de victoria reuertentes, profligatis Madianitis, sic alloquitur *b*. *Cur fœminas reseruastis? nonne istæ sunt quæ deceperunt filios Israel, ad suggestionem Balaam, & prauaricari vos fecerunt in Domino, super peccato Phogor.* Id scelus breuiter Moses in hæc verba describit *c*, *Morabatur eo tempore Israel in Settim, & fornicatus est populus cum filiabus Moab, quæ vocauerunt eos ad sacrificia sua. At illi comederunt, & adorauerunt Deos earum, initiatusque est Israel Beelphegor, & iratus Dominus &c.*

a c. 2. 14.

b Nu. 31. 7. 8.

Populus fornicatur cum Moab & Madian.

c c. 25. 1. 2.

Primo designatur locus in Settim, qui est idem cum Abelsatim, de quo in catalogo mansionum *d*, ad quem vsque locum castra vltimæ mansionis protendebantur. Ad extrema igitur castra Madianitides, & Moabitides venerunt, forma & blanditijs perniciem animabus potius, quam interitum corporibus afferentes. Nam & corporibus interitum, vlciscente iniuriam suam Numine, intulerunt: & quo minus formidolosæ vitæ sunt, hoc maiorē Israëlitis peperere cladem. Quatuor porro Moses hoc loco peccandi gradus expressit; fornicationis, quo primum scelere capti, vocati sunt ad earum sacrificia, de quibus & epulati sunt cum eis, idolorytorum participes effecti, ex certa scientia, & deliberata voluntate. Tertius gradus fuit apertæ idolatriæ, quæ nepulis tectior fuerat. Duplici enim iam scelere, quasi gemino deuincti beneficio, noluerunt contristare delicias suas. Quoniam vero non satis erat Satanæ Israëlitas semel insaniisse, idololatria sese contaminando, voluit etiam initiari & consecrari idolo, quæ erat quasi solennis defectio à Deo ad idola. Quo facto non iam victimam, sed templos Idolo, & actiones suas consecrabant, quod fuit maximum ac supremum impietatis genus. Etsi autem Iosephus pluribus dijs eos sacrificasse tradat, vnius tamen Beelphegor meminit Moses, quem Priapum Hieron. interpretatur.

XXXVI. Loc⁹ & modus peccati. d Nu. 33. 49.

Quatuor eius gradus.

Non est autem credibile, tantam multitudinem, quāta mox propter hoc scelus occisa est, fuisse turpissimo idolo initiatam, sed improbissimum quemque illos forte fuisse, qui iubentur suspendi contra solem *e*, *Tolle*, inquit Dominus ad Mosem, *cunctos principes populi, & suspende eos contra solem in patibulo, vt auertatur furor meus ab Israel.* Plerique, nec male, vt arbitror, ea verba. *Suspende eos* referunt non ad principes, sed ad idololatras, quos Moses mandat principibus, siue iudicibus in crucem agere, vt *eos* non ad proximum, sed ad remotius antecedens referatur. Itaque Chaldæus Onkelos, *Tolle*, id est, congrega *omnes principes populi, & iudica, atque occide eum qui reus est.* Et *occidatur coram Domino contra solem*, id est publicè, & coram populo; cui plane consentit Hierosolymitanus paraphrastes. & Pagnini versio, quod notauit quoque Nobilius & Abalensis in primis. *Dixitque Moyses ad iudices Israel*, quos ad exercendum iudicium, Dei iussu congregarat, *Occidat vnusquisque proximos suos*, quacumque affinitate coniunctos, aut dignitate præstantes, *qui initiati sunt Beelphegor.*

XXXVII. Punitur populus Dei iussu. e Nu. 25. 4.

Ordo autem & modus in hac animaduersione seruatus hîc fuisse videtur. Acceperat mandatum à Deo Moyses, & à Moyse Iudices, crucis supplicio afficiendi reos: sed in eo ordinem iuris aliquem seruari oportuit. Conuocatis ergo iudicibus, sceleris à Mose magnitudo monstratur, & pœna à Deo decreta declaratur. Apparet autem interueniisse aliquam in iudicibus lentitudinem in exequendis mandatis, siue propter reorum multitudinem, siue propter quorundam potentiam, vel coniunctionem cum iudicibus ipsis. Ergo Dominus Iudicum negligentiam supplere, & peste in populum sæuire cœpit, vt habet Chaldæus paraphrastes. Interea Zambri, non contentus cum huiusmodi mulierculis extra castra versari, vnam earum in omnium oculis deducebat ad tabernaculum quodpiam, quod instar erat lupanaris; neque Dei tabernaculum, neque Moysem reueritus, neque plerosque viros probos, qui coram Deo flebant, tam peccata populi, quam pœnam illis imminentem. Quo viso Phinees (nam Moses ad fores tabernaculi, Dei contra peccatores iram placare conabatur) ingreditur cum pugione in locum illum, & fornicatores confodit. Quo facto plaga, quæ grassabatur in populo, cessauit, Deo ob zelum Phinees placato. Neque tamen tam cito placatus est, quin mors viginti quatuor millium placationem anteuerterit.

XXXVIII. Ordo & modus animaduersionis huius.

Zambri crimen & pœna.

Non solum autem placatus est Dominus zelo Phi-

XXXIX.

Deus zelum Phineis muneratur.

Phinees, sed eundem zelum sacerdotio sempiterno muneratus est. At inquies, quale est hoc munus, cum iam illi Pontificatus, vt filio Eleazari, deberetur, nec perpetuum in eius posteris fuerit, sed per Heli, aliosque Ithamari filios interruptum; denique funditus antiquatum. Respondetur nouo titulo nunc debitum fuisse Phinei sacerdotium; quo etiam carere poterat, si mortuus fuisset ante patrem. Nec promisit Dominus non fore interruptum, & subintelligi potuit conditio, nisi per eos steterit. Denique in æterno Christi sacerdotio, transfusum Phineis sacerdotium, perpetuum factum est: quod præclare non solum de Sacerdotio, sed de regno quoque Hebræorum docet f S. Augustinus. Dominus porro contentus castigasse populum suũ, de Madianitis vindictam ab Hebræis sumi iubet a *Hostes*, inquit, *vos sentiam Madianitæ, & percutite eos*, & quidem propter hanc ipsam culpam. De Moabitis tacet, quia iam ab eis abstinere iusserat Israëlitas, sicut & ab Ammonitis, in gratiam Loti progenitoris eorum. Nec tamen id bellum statim initum est. Nam cum alia quædam, tunc enumeratio noui populi antecessit.

f l. 17. de Civ. c. 6. Et iubet puniri Madianitas.

a Nu. 25. 17.

XL. Populi nouus census.

Ea indicta est à Domino *postquam noxiorum* Israëlitarum, *sanguis effusus est*, & quasi spuma quadam inutili eiecta, bonorum congregatio defæcata remansit, quorum numerus, absque Leuitis, ascendit ad sexcenta millia, & mille septingentos triginta. Quibus si adijcias viginti tria millia Leuitarum, erunt omnino sexcenta viginti quatuor millia, septingenti triginta: Sed Leuitæ ab vno mense, cæteri à vigesimo anno numerati sunt. Conditus est hic census in campestribus Moabitarum, iuxta Iordanem è regione Iericho, cui Moyses & Eleazar sacerdos iussu Domini præfuerunt b. In illo autem *numero nullus fuit eorum, qui ante numerati sunt à Moyse & Aaron in deserto Sinai, præter Caleb & Iosue.* Huius census causam affert Dominus, vt diuisio terræ prudenter fiat, & maior terræ portio populosiori tribui assignetur: & nihilominus sors terram tribubus diuidebat. Deo enim sortes dirigente, amplior locus maiori tribui contingebat.

b Nu. 26. 63. 64. Quæ eius causa, quique cessores.

Successio hæreditaria.

Inde secuta est dubitatio de successione hæreditaria occasione filiarum Salphaad, constituturumque diuinitus, vt defectu filiorum, succedant filiæ hæreditati paternæ, & vtrorumque defectu, defuncti fratres, qui si defuerint: succedent qui mortuo proximi fuerint.

XLI. Prædicitur Moysi sua mors.

Sub hoc tempus prænunciauit Dominus c Moysi mortem suam, quam in monte Abarim obiturus erat, terra prius à longe oculis perlustrata; non tamen præsentia corporis adita, propter culpam ad Aquas contradictionis admissam. At Moses, nesciens an hæc denunciatio decretum immutabile contineret, ante migrationem ex hac vita, breuem peregrinationem, & quasi excursionem in Chananitidem, ore dominico toties commendatam, ambiebat, vt supra diximus d, sed ea spe depulsus, de populi gubernatione sollicitus, *Prouideat*, inquit, *Dominus Deus, spirituum omnis carnis hominem, qui sit super multitudinem hanc.* In qua oratione Philo e Mosis virtutem merito deprædicat, qui filiorum, nepotum amicorum omnium oblitus, publicique boni amans, magistratum suum diuino permittit arbitrio. Cui Dominus f, *Tolle*, inquit, *Iosue filium Nun, virum in quo est spiritus, & pone manum tuam super eum. Quo stabit coram Eleazaro sacerdote, & omni multitudine, & dabis ei præcepta cunctis videntibus, & partem gloriæ tuæ, vt audiat eum omnis synagoga filiorum Israel. Pro hoc, si quid agendum erit, Eleazar sacerdos consulet Dominum. Ad verbum eius egredietur, & ingredietur, & omnes filij Israel cum eo, & castra multitudo.*

c Nu. 27. 12. & Deu. 32. 48.

d Hoc anno 10. & 11.

e Petit successorem. & de charitate.

f Nu. 27. 18. 19. Quẽ Dominus eligit.

Ecce iudicium Dei in supremi magistratus populi tui electione, & inauguratione. Primo non eligit aliquem de filijs Moysi, ne putarent Hebræi principatum hunc esse hæreditarium, quem ipse volebat hoc tempore ex sua electione pendere. Non eligit ætate florentem, tertium enim ac nonagesimum agebat annum, vt minus bellis, quæ imminebant, idoneus videri posset: quæ nihilominus sapienter gessit ac fortiter, vt tanto magis Dominus res per ipsum gerere intelligeretur. Tertio eligitur vir spiritu Dei plenus. qui scilicet Deum spiraret, & ex eius spiritu omnia moderari vellet. Quarto Iosue hactenus minister & quasi vicarius Moysi, eiusque passim socius & comes, ne ad hoc officium plane nouus, & insolens rerum gerendarum accederet. Quinto vir eligitur magnæ in populo existimationis, vt qui in bello contra Amalecitas dux creatus, illud egregiè, Deo opitulante, confecerat, & recte munus Exploratoris Deo ipso approbante obierat. Denique electus est Iosue, qui & nomine & gestis Iesum Christum referret, qui solus populum Dei in terram viuentium potuit introducere.

XLII. Consilio sapientiæ plenissimo.

1.

2.

3.

4.

5.

6.

XLIII. Initiatio Iosue, & quæ illa contineantur.

In eius porro inauguratione iubet Dominus nonnulla obseruari. Primo requirit impositionem manuum, qua traditio, & populi regendi potestas, per legitimam authoritatem ei collata intelligeretur. Id munus recte Mosi conueniebat, tanquam principi populi, suam in illum authoritatem transferenti, tanquam sacerdoti ac Prophetæ, quibus id munus sæpe commissum est. Sed rectum etiam fuit magistrum ac parentem, discipulum filiumque charissimum, quam faustissima precatione benedicere. Deinde vult eum statui coram Eleazaro sacerdote, vt ab eo consecretur & benedicatur: sicque tam ab Ecclesiastico, quam à politico magistratu, Dei locum in Repub. & Ecclesia tenentibus inauguretur. Tertio requirit præsentiam populi, tacitumque consensum, vt ab omnibus, quantum fieri potest probetur, qui omnibus præesse debet. Quarto vult Moysem illi dare præcepta, vtique diuina, secundum quæ populum Dei regat, eique exemplis prosit & imperijs. Quinto partem Mosaicæ gloriæ illi vult communicari, id est, externa quædam insignia magistratus, quæ ad eius gloriam coram populo, dignitatemque facerent: (quemadmodum datæ sunt vestes Aaroni g, *in gloriam & decorem*) vt facilius ei populus, tanquam legitimo principi obtemperet.

1.

2.

3.

4.

5.

g Exod. 28. 2.

Sexto vetat ne ille sibi vsurpet sacerdotis officium, sed per eum Dominum consulat, eumque vt Dei interpretem & ministrum veneretur, & tanquam parentem amet & colat. Denique Pontifici vniuerse obtemperet, & non

XLIV. Aliæ eiusdem conditiones, huc monita.

solum

solum in ijs quæ sunt ad Deum. Nam vniuersè dicitur, *Ad verbum eius egredietur, & ingredietur, ipse, & omnes filij Israel cum eo.* Quod cum non obseruasset Saul erga Samuelem, & regno, & vita priuatus est. Et hæc quidem nunc in hunc modum à Deo constituta sunt, quorum executio non ita multo post subsecuta est *h*. Et licet viuo Moyse non gessit principatum Iosue, illi tamen deinceps non quasi minister astitit, sed quasi dignitate proximus, & ad successionem diuinitus electus affuit. De qua electione Moyses non distulit monere Iosue *a*, &, iuxta præceptum Domini, eum exhortari & roborare. Ipsa tamen inauguratio Iosue obiter & per occupationem extremo cap. 27. Num. ponitur. Inseruntur deinceps aliqua ceremonialia, vsque ad caput 31. quibus omissis, de bello contra Madianitas dicendum est.

6. & 7.

b *Deut.* 31.

a *Deut.* 1. 38. & c. 32. 28.

XLV. Causæ belli contra Madianitas suscepti.

Id iussu Domini susceptum est *b*, duplici de causa. Altera ex iure gentium, quo hostiliter tractantur, qui hostiliter se gerunt, nam nulla iniuria violari ab Heb. eos ditis deuouere voluerunt, & dæmonum infestationibus male vexatos, disperdere. Altera iure diuino. Pro summis enim hostibus habendi sunt, qui ad peccandum nos pertrahunt. Summis enim malis nos afficiunt, dum animas nostras occidunt, Deum nobis auferunt, beatitudinis ius nobis eripiunt, dæmonis mancipia constituunt, & supplicijs æternorum reos. Nunc ergo locutus est Dominus ad Moysen, dicens *c*, *vlciscere prius filios Israel de Madianitis, & sic colligeris ad populum tuum.* Hæc enim fuit vltima expeditio Israelitarum viuo Moyse: ad quam iussit millenos tantum de quaque tribu eligi. Sic enim fieri voluit, vt facilius intelligeretur à Deo esse victoriam, quod sæpius deinceps obseruari potest. Voluit etiam Dominus viuo Moyse confici hoc bellum, ad quandam sancti viri consolationem, quam Madianitæ turbauerant, populum ad peccandum prouocando, & per peccatum magnæ cladis occasionem præbendo.

b *Nu.* 25. fi.

c *Nu.* 31. 1.

Viuo Moyse.

XLVI. Exercitus 12. millia.

Hæc duodecim virorum millia misit Moyses cum Phinees filio Eleazari sacerdotis, non vt Imperatoris officio fungeretur, vt plerique crediderunt, sed vt vasa sancta, & arcam in primis, quæ deferebatur ad bellum, custoditet, & sacerdotibus tubis clangentibus præesset. Leuitica enim tribus à militia immunis fuit, vt Iosephus ac Philo testantur, ideoque non 13. sed 12. tantum millia missa sunt ad hanc expeditionem. Nec vlla ratio apparet, cur Iosue, qui & iam ante Imperatorem egerat, & proxime à Deo electus erat in principem populi, dux in hoc exercitu non fuerit: cui in primis tribuenda est victorum pietas in Deum *d*, & munificentia, qua opima spolia Deo consecrarunt. Quoniam vero religiosa Cinæorum familia, ad quã Iethro, & Hobal, alijque cognati Mosis pertinebant, in Madianitide morabatur, credibile est eos inde à Mose euocatos, antequam illuc exercitum mitteret. Sicut & postea Saul *e* oppressurus Amalecitas, Cinæos, qui apud eos habitabant, incolumes abire iussit.

Dicendũ Phinee, sed Iosue.

d c. 31. fi.

Cinæi liberantur.

e 1. *Reg.* 15. 6.

Pugnam ipsam Moses paucis perstringit. *Cumque pugnasset contra Madianitas atque vicissent, omnes mares occiderunt, & reges eorum Eui, & Recen & Sur*, partem scilicet Chospi *f*, quam sua impudentia, mortique turpissima medio in flagitio memorabilem fecit, & *Hur & Rebe, quinque principes gentis.* Quæ repetuntur in libro Iosue *g*, & dicuntur fuisse duces Sehon, qui hoc loco reges & principes dicuntur, forte quod eius stipendarij aliquando fuissent, aut ei auxilio fuissent aduersus Israelitas, & fuga lapsi ad suos Madianitas euasissent. Tam feliciter autem pugnatum est ab Hebræis, vt ne vnus quidem ex ipsis desideratus fuerit, vt in reditu apud Mosem professi sunt duces *h*, & ex Mose Philo.

XLVII. Pugna & victoria.

f *Nu.* 31. 8. & 21. 15.

g c. 13. 21.

h c. 31. 48.

Cum illis autem optimatibus Balaam quoque gladio Israelitarum occubuisse testatur Moyses, quamuis eum ad suos in Mesopotamiam reuertisse constet. Plurimi enim inde ad hanc pugnam abiere dies. Et forte distulit Dominus pœnas de Madianitis sumere, donec ille adesset, qui omnium erat nocentissimus. Ille autem reuersus est, siue vt nouo quopiam artificio Hebræos affligeret, siue vt inde lucrum aliquod, quasi è nundinis reportaret. Verum miser alieno intentus malo, perniciem sibi imminentem non prius vidit, quam illam communi implicitus cladi expertus est. Credibilius quippe duxerim eum maleficijs quibusdam intentum, quam in acie pugnantem cæsum esse. Id enim genus hominum ignauissimum esse solet, mortisque timidissimum. Cuius etiam illud non leue argumentum est, quod inde vsque à Mesopotamia in Moabitidem, sine gladio, quo asinam suam interficeret, venit. Ergo homo improbissimus, planeque Augustino *i*, imo Deo iudice reprobus, multis sceleribus degrauatum caput, in male agendi pertinacia, præcipitauit in Tartarum.

XLVIII. Balaami cædes.

Er patria reuersi.

i *Li. 2. ad Simpli. sub med. & in Nu. q.* 47. 48. 52.

Ad effecta victoriæ huius tria pertinent, personarum captiuitas aut cædes, locorum vastitas, præda bonorum. De primo ait Moyses captiuas mulieres, paruulosque sexus vtriusque fuisse abductos. Nam mox iratus Moyses reprehendit duces, quod mulieres, quæ Israelitis fuissent scandalo, conseruassent, & addit *k*. *Ergo cunctos interficite, quidquid est generis masculini, etiam inparuulu: & mulieres, quæ nouerunt viros, iugulate: puellas autem, & omnes fœminas virgines reseruate vobis*, in ancillas venales, aut etiam inferioris notæ coniuges. At quomodo mates omnes internecione deleti sunt, cum Gedeon post centum & 85. annos contrà infinitam Madianitarum multitudinem pugnarit. Dicẽdum videtur Mosis mentem esse, mares omnes, qui capti sunt, interfectos fuisse quod non impedit quo minus plurimi, vel ante prælium, vel in ipso prælio fuga sibi cõsuluerint, à quibus postea, intra id tempus, instauratus sit populus. Nisi placet internecionem hanc de Madianitis, qui erant accolæ Moabitarum, accipere, non de Madianitis incolis Arabiæ, prope montem Sinai habitantibus; iuxta ea quæ supra *l* hoc ipso anno dicta sunt.

XLIX. Cædes & captiuitas hominum.

k c. 31. 15. 16.

Quomodo intelligenda.

Quod attinet ad loca Moses affirmat tam vrbes, quam viculos & castella flammis fuisse consumpta: non enim erat illa prouincia Israelitarum habitationi destinata; eoque facto voluit Dominus ostendere quantam pœnam illius incolæ suis sceleribus commeriti essent, sicut factum est in Sodomis, ad to-

l *Nu.* 26.

L. Vastitas regionis.

Prædæ vis magna.

tius posteritatis exemplum. Iam vero præda longe maxima fuit, eaque populus vniuersus ditatus est. Nam præter supellectilem vniuersam quæ partim igne, partim aquis expiata est, capta sunt ouium sexcenta septuaginta quinque millia, boum 72 millia, asinorum sexaginta millia, & mille, puellarum triginta duo millia, quæ sunt omnino capita 840000. octingenta & quadraginta millia.

LI. Eius distributio.

Prædæ autem distributio in hunc modum Dei iussu facta est; vt præda tam de hominibus quam de pecoribus bipertito diuideretur, eiusque pars dimidia duodecim millibus, qui pugnauerant daretur; altera ad reliquam omnem multitudinem pertineret. Deinde vtriusque partis præda subdiuisa est. Nam de parte bellatorũ quingentesimũ quodq; caput datum est Eleazaro pontifici, quasi primitiæ Domini: de parte vero multitudinis reliquæ, subtractum est quinquagesimum quodque caput, quod datum est Leuitis. Deinde facta est particularis distributio in singulas familias, reliqua præda distributa non est, sed quod quisque in bello rapuit, hoc rapuit sibi *a*. Nisi quod milites aurum omne Domino sponte obtulerunt, in gratiarum actionem, quod omnes incolumes ex bello redijssent: quod in diuersis speciebus fuit pondo sedecim millium septingentorum & quinquaginta siclorum, id est, quinque talentorum auri cum tribus fere talenti partibus, id est, aureorum gallicorum, 718.75.

840. *pons.*

8400. *Leu.*

a c.31.53. Aurũ Domino à milite oblatum.

LII. Duæ tribus & dimidia possessionem accipiunt.

Sub hoc tempus *b*, cum iam nihil reliquum esset trans Iordanem, quod transitum in Chananitidem moraretur, deuictis Amorrhæis & Madianitis, Moabitis autem & Ammonitis in lucro ponentibus, quod relinquerentur intacti, tribus Ruben & Gad, quæ pecoribus abundabant, videntes regionem acquitatu vberem pascuis, petierunt à Moyse & Eleazaro, vt eam ipsis in possessionem daret, renunciantes omni regioni, quæ trans Iordanem acquirenda erat. Cumque viderentur nolle transire Iordanem, ad pugnandum cum fratribus contra Chananæos, à Moyse obiurgati sunt; qui tamen mox placatus est eis, cum intellexisset eos paratos ad bellum pro fratribus suis depositis in tuto familijs, ac gregibus suis, & concessit eis terram debellatorum regum Og & Sehon. Quia tamen ei diuinitus illustrato visum est terram hanc maiorem esse proportione ea, quæ reliquis decem tribubus seruabatur, partem ex ea secreuit, quæ terra Galaad dicta est, quam dimidiæ tribui Manassis assignauit. Nulla porro fit mentio terræ Madianiticæ, aut regis Arad, quia regione diuinitus promissa non continebantur.

b c.32. *ini.*

LIII. Catalogus mansionum. Iussio delẽdi Chananæos.

Sequitur deinceps *c* Catalogus duarum & quadraginta Mansionum, iuxta castrorum loca, quæ Angelo duce, annis quadraginta mutauerunt; de quibus quantum licuit dictum est suis locis. Terminatur autem iste catalogus seuera inssione delendi Chananæos, qui trans Iordanem habitabant, & omnia vestigia idolatriæ exterminandi; grauiter interminatus, ni facerent, illos eis fore quasi clauos in oculis, & lanceas in lateribus, *& quidquid*, inquit, *illis cogitaueram facere, vobis faciam.* *d* Inde describuntur terræ promissæ termini trans Iordanem, destinatæ nouem reliquis tribubus cum dimidia, vt scilicet à meridie habeat desertum Sin & Idumæam, ab occidente mare mediterraneum: ab oriente mare mortuum & Iordanem; à Septentrione denique montem Libanum. Qui autem illi diuisioni præfuturi essent à Domino nominatim vocantur, Eleazar & Iosue, & alij decem tribuum principes, prætermissis principibus Ruben & Gad, quibus sua iam portio fuerat assignata cis Iordanem.

c c.33. *Nu.*

d c.14.

Terrum terræ promissæ.

Omittuntur & Leuitæ, quod nulla terræ promissæ pars eis tota conueniret. Idque singulari Dei prouidentia factum est, quia diuino cultui mancipati terram colere non potuissent. Deinde cum iura Sanctuarij & sacrificiorum Leuitis assignata essent, omnium item fructuum decimæ ac primitiæ, & redemptiones primogenitorum, & vota, & alia id genus, ex quibus tantum emolumenti percipiebatur, vt fructus duarum sortium vix eis par esse posset annis singulis, vt fusè docet Abulensis *e*, satis hinc eorum necessitatibus & commodis consultum erat, quamuis agris, vineisque caterent. Accedit quod Leuitæ per omnes tribus sparsi esse debebant, siue vt præstò essent ad ministrandum, quocumque tabernaculum transferri contingeret: siue vt toti reliquo populo monita *f* atque exempla salutis præberent. Gratum quippe Deo est, & populis necessarium, varijs in locis aperiri sapientiæ scholas, & religiosorum hominum: quales erant Leuitæ, collegia vigere.

LIV. Cur nulli pars data Leuitis.

e in c. Nu. q.20. & in 35 q.2. & 3.

Neque tamen voluit Deus ipsos inter fratres suos habitare precario *g*, sed certas habere vrbes *ad habitandum*, & suburbana earum per circuitum, ad milliare vnum, ad vsum pecorum ipsorum. Quod autem dicitur habuisse vrbes ad habitandum, significatur eas vrbes, non omni iure ad eos, quasi ad veros dominos pertinuisse; sed ad illos in quorum tribu illæ erant. Nam exempli causa Hebron vrbs erat Leuitica, quæ tamen ad Caleb, quoad dominium pertinebat. Et quamuis in istis vrbibus dignitates, vt cæteri obtinerent, ad eos tamen reditus quæstuosi Reipub. non pertinebant, quales sunt qui ex portorijs, molendinis, metalli fodinis, furnis publicis colliguntur, qui ad ipsas communitates, aut vrbium dominos pertinebant. Denique vt intelligeretur eos non esse vrbium dominos, non dixit Scriptura de Leuiticis vrbibus, quod de Leuiticis domibus. Nam hæ dicuntur illis esse pro possessionibus, non autem illæ. Videntur ergo dictæ vrbes Leuiticæ, non quod soli Leuitæ in illis habitarent, sed quod in illis solis, non in alijs habitarent, & synagogis præessent, populumque de lege docerent *h*. Iuxta illud Mosaicum de Leuitis. *Docebunt iudicia tua ipsum Iacob, & legem tuam Israel.* Aut quod in illis solis suburbia propria haberent, ad mille passus ab ipso oppido, in quibus & villas habebant, & hortos, & viridaria.

LV. Præter vrbes ad habitandum.

g c.35. *Nu.*

Quarum non erant Domini.

Cur dictæ Leuiticæ.

h *Deu.* 33. 10. *Hebr.*

Pergit Dominus. De ipsis autem oppidis, quæ Leuitis dabitis, sex erunt in fugitiuorũ auxilia separata, vt fugiat ad ea qui fuderit sanguinem, & exceptis his alia quadraginta duo oppida, *id est, simul* 48. *cum suburbanis suis.* Et quoniam aliquæ tribus maiorem terræ tractum quam aliæ obtinebant, iubet plures accipi ab ijs quæ plus loci sortitæ erant, qualis fuit tribus

LVI. Vrbes fugitiuorũ

Cur è Leuiticis electæ.

Ratio situs earũ.

LVII. Lex de matrimonijs.

LVIII. Liber Deuter. ad quod tẽpus pertineat.

à Deu. 1.3.

Quo loco explicata lex, & explicationis necessitas.

vide mãs. 13. & 14.

LIX. Rege Ilus Israelitarũ in desertum, post culpã exploratorum.

luda. Significaturque hæc oppida fuisse oneri, cuius plures partes fortioribus imponerentur, idque vt arbitror, propter suburbia, quæ ad mille passus circumquaque ad solos Leuitas pertinere poterant. Recte autem ciuitates refugij de Leuiticis electæ sunt, quod huiusmodi causæ homicidarum ex diuina lege dijudicandæ erant, cuius noritia ad Leuitas maximè pertinebat, sicut & cura obseruationis eius. Idem valebat ad conciliandam Leuitis benevolentiam, in quorum dumtaxat vrbibus miseri præsidium reperirent. Decet autem Dei ministros præ cæteris clementia; & hinc natæ immunitates Ecclesiarum, locorumque Sanctorum. Ne autem euasio difficilis esset ei, qui per imprudentiam occiderat; voluit Dominus tria oppida refugij constitui trans Iordanem, & totidem citra, & in æqua inter se distantia, ne periclitanti obstaret traiectio fluminis, vel distantia vrbis. Vnde autem dijudicari posset an cædes inuoluntaria esset nec ne, deinceps copiosius in textu perscriptum est.

Additur in extremo libro constitutio spectans ad matrimonia, cuius hæc summa est, vt in eadem tribu coniungantur, ne contingat tribuum possessiones permisceri. Itaque Leuitæ, qui carebant possessionibus, & qui alioqui ijs carebant in cæteris tribubus, aut qui eas vendiderant, poterant extra suas tribus ducere vxores. Hæc de libro Num. Sequitur Deuteron, quasi secunda, aut iterata lex.

Qui liber ad hunc quadragesimum ab exitu annum pertinet, etsi ea referat, quæ variis temporibus contigerunt, ipsa tamen expositio & enarratio legis, omnisque ad eius obseruationem exhortatio, ad duos vltimos menses vitæ Mosis referuntur. *Quadragesimo enim anno, vndecimo mense, primâ die mensis locutus est Moyses filijs Israel omnia, quæ præceperat illis Dominus, vt diceret eis.* Vt habetur initio libri huius post occisum Sehon regem Amorrhæorum, & Og regem Basan, & occupatas eorum terras. Locus autem extremo Numerorum libro memoratur in campestribus Moab supra, siue iuxta Iordanem è regione Iericho. Et quia inchoaturus erat expositionem suam à digressu montis Horeb, versus Cadesbarne vicinũ Idumææ locum, dicit obiter viam illam esse vndecim dierum: licet multo plures in illo itinere Israëlitæ posuerint. Rationi autem consentanea fuit ista legis repetitio. Conueniebat enim Mosem morti proximum, quasi totius populi parentem, filium suum commonefacere de rebus saluti eius necessarijs, in quibus lex Dei principem locum tenet. Populus quoque nouus erat, & Dei legem, & res circa patres suos gestas partim non viderat, partim tenui dumtaxat auditione acceperat. Oportuit ergo ab eo referri & commendari, qui cum summa authoritate polleret, omnia in populi mentibus præ omnibus inscribere poterat, eumque ad Dei timorem, cultumque permouere.

Incipit autem expositionem suam à iussione sibi diuinitus facta, vt de Horeb, vbi legem acceperant, rectà in terram Amorrhæorum progrederentur ad Cadesbarne, siue Rethma, vbi cum iuberet Dominus vt populus ascenderet, & possideret terram sibi promissam, populus contra exploratores mittere voluerit, à quibus turbata sunt omnia, populusque seditiosus mortis in solitudine addictus, in ea ad annum quadragesimum obtarit, frustrà tunc ac peruersè pugna contra Amorrhæos attentata. Inserit autem obiter electionem Iudicum ad locum sui admonitionem, & casum tuum ad aquas contradictionis. Inde sub finem anni ab egressione trigesimi noni, iussit Dominus populum versus Aquilonem iter capessere ad Chananitidem occupandam, cum iussione abstinendi ab Idumæis, Moabitis & Ammonitis. Sequitur inde victoria de regibus Amorrhæis & distributione regionis eorum, quæ duabus tribubus & dimidiæ nupertime facta fuerat, cum obligatione militiæ.

Et inde reditus versus Chananitidem.

LX. Cap. 5. primum exhortationis Moysis.

Capite quarto incipit exhortari populum ad accuratam obseruationem legis, proposito recenti exemplo cladis, propter cultum Beelphegor acceptæ. Et quia iam semel atque iterum expertus fuerat Moyses procliuitatem populi huius ad idololatriam, & animo præsagiebat propter hoc maxime scelus omnia et mala obuentura, ideo totus est in contestatione pro vitanda idololatria, idque argumentum subinde, modisque omnibus versat, sicut & datæ legis beneficium, & gloriosæ ab Ægyptia seruitute libertatis. Ex quibus eam infert conclusionem, vnum Deum esse duntaxat, vnumque colendum. Antequam autem populum dimitteret, fine imposito primæ exhortationi, quæ primo die mensis vndecimi habita est, tres constituit ciuitates refugij trans Iordanem, Bosor in tribu Ruben, Ramoth in tribu Gad, & Golam in tribu Manasse.

LXI. Altera exhortatio, eiusq; capita.

Cap. quinto nouum ducitur exordium, populo iterum conuocato. Eique recitat Moyses præcepta Decalogi, in monte Sina quondam cum maximo terrore populi recitata, qui propterea voluit habere interpretem apud Deum Moysen ipsum, idque Deo probatum fuit. Deinceps autem inculcatur obseruatio diuinæ legis; tum vniuersè, tum nominatim primum maximumque mandatum de diligendo Deo, de iuramento, & tentatione Dei, de nuncianda posteris causa datæ sibi legis & ceremoniarum, & reliquorum beneficiorum Dei. Inde ad tollendam populo occasionem Idololatriæ cap. 7. vetat fœdera & connubia cum idololatris, & euersionem mandat ararum, & omnium quæ ad idolorum cultum pertinent, cum auxilij sui promissione atque victoriæ. Deinde ca. 8. renouat memoriam itineris 40. annorum per Arabiæ solitudines, & beneficiorum & castigationum illic acceptarum. Eximijs quoque laudibus terram celebrat, quam mox possessuri erãt, omnia semper ad obseruationem diuinæ legis referendo. Totus textus planissimus est atque suauissimus, ad conciliandum diuinæ bonitatis amorem, ideoque & lectione, & memoria dignissimus. Videtur autem hoc capite altera Mosis exhortatio, cum multiplici motu terminata, cuius rei indicium est quod capite sequenti attentio de integro renouatur.

LXII. Tertia exhortatio.

Cap. ergo nono. Ne tribuant Israëlitæ virtuti suæ & pietati victoriam de hostibus suis, eorum potentiam amplificat. Ne rursum propria ignauia deijciantur, Deum promittit propugnatorem, & vltorem impietatis eorum ad complenda promissa Patriarchis. Et quia hæc

cogitatio magni erat momenti ad conterendam huius populi superbiam, qui solebat de iustitia sua, vt Pharisæus ille, intumescere, reuocat illi in memoriam suas contra Deum murmurationes, aliaque peccata, & nominatim adorationem vituli, ob quam confractæ à se fuerint legis tabulæ. Qua occasione explicat quo modo recuperatæ fuerint longissimo ieiunio, & precibus, vt eò pluris leges suas faciant, quò plus Legislatori meminerint constitisse. Moxque additis præceptis aliquot ad Dei & proximi charitatem pertinentibus, ad timorem eius renouandum renouat vltionem à Domino de hostibus suis tam in Ægypto, quam in deserto sumptam, docetque quomodo ab eius prouidentia perpetuo pendeant expectanda de cœlo pluuia &c. Denique hanc exhortationem concludit, proposita felicitate & infelicitate, Dei legem obseruantibus aut violantibus, quod postea solenni ritu in montibus Hebal & Garizim trans Iordanem prope Iericho factum est.

Ca. 10. & 11.

LXXIII. Quarta exhortatio Mosaica.

Capite duodecimo, explicaturus deinceps aliqua præcepta ceremonialia & iudicialia, & locum in quo obseruari debeant determinaturus, alia omnia loca, in quibus sacrificabatur idolis, destrui iubet, eademque rudi huic populo & duræ ceruicis crebrius inculcat; permittit tamen alijs in locis occidi pecora, & conuiuia celebrari, modo non sacrificetur, nec sanguis comedatur, & beneficentia erga Leuitas exerceatur, & profanæ ceremoniæ in sacrificando vitentur, ijs tantum adhibitis, quas Dominus præscribit. Capite decimo tertio docet qui puniri debeat, qui populum à veri Dei cultu auertere moliatur, nulla ratione habita vel amicitiæ, vel propinquitatis. Imo & vrbem funditus vastari iubet, cuius incolæ eius sceleris rei fuerint. Sequenti capite præcepta dat, de non imitandis ethnicis in luctu defunctorum, de non comedendis immundis, & beneficentia erga pauperes, peregrinos & Leuitas exercenda, in quorum gratiam peculiarem decimam tertio quoque anno seponi iubet. Septimo autem legem remissionis instituit, quæ vetabat exigi debita à Iudæis inter se, statuit quoque quid eodem anno agendum erga seruum Hebræum, qui noluerit manumitti.

Annus tertius & septimus.

LXXIV. Solennitates Iudæorum. Ca. 16.

Capite decimo sexto renouat præceptum solennitatum Hebraicarum, cum ritibus & ceremonijs suis, Paschæ scilicet, siue Azymorum, Pentecostes siue hebdomadarum, & Tabernaculorum, quæ in loco, à Deo constituto celebrari oporteat, ibique terin anno non sine munere coram Domino apparere. Præcipit & de iudicibus per tribus & ciuitates constituendis, & cauendis occasionibus idololatriæ, eaque seuere punienda, de appellationibus ad tribunal summi sacerdotis in causis difficilibus eiusque in hoc genere potestate. Denique quænam in eligendo rege obseruanda sint, quæ duo capita, vt scitu perneccssaria sunt, ita accurate in Annalibus a explicata reperies.

Ca. 17. Leges de Pontifice & rege.

a *An Mos.* 120. n. 186 187. & *seqq.*

Capite decimo octauo repetit iura Leuitarum tam in patrio solo, quam in ciuitate, in qua templum fuerit excitatum. Inde superstitionem prohibet, verum prophetam Messiam suscitandum pronunciat, falsum autem interficiendum. Capite sequenti tres aliæ ciuitates refugij trans Iordanem præscribuntur, vbi terra fuerit occupata, adduntur nonnulla de testibus, terminisque non transferendis.

Iura Leuitarum.

Capite vigesimo iura belli perscribuntur, & qui ab eo immunes esse debeant. Excitat autem populi fiduciam in diuino auxilio, atque adeo præsentia in arca, quæ ad bellum deferebatur. Id enim illa verba significant, *non formidetis eos, quia Dominus Deus vester in medio vestri est.* Quis autem ritus seruandus sit in occulto homicidio, in muliere in bello capta, in filio contumace, & eo qui suspensus est in patibulo, capite vigesimo primo præscribitur. Vigesimo autem secundo charitas fraterna circa res proximi, & humanitas, etiam erga bruta animantia, quod est singulare diuinæ bonitatis argumentum. Adduntur & aliæ peculiares leges eodem capite & sequenti, præsertim de Eunuchis & illegitimis in Dei Ecclesiam non admittendis, ne ipsi cum officijs suis contemnantur. Non tamen excludit eos in perpetuum, sicut Ammonitas & Moabitas. In Idumæos autem & Ægyptios vult eos esse indulgentiores, vt scilicet facti proselyti, ad gerendos magistratus admitti possint.

LXXV. Iura belli aliæque leges contertim.

Capite vigesimo quarto libellus repudij permittitur, aliæque leges accumulantur, sicut & capite vigesimo quinto, vbi nominatim de puniendis Amalecitis præceptum inculcatur. Totum autem caput vigesimum sextum circa agnitionem acceptorum à Deo beneficiorum occupatur. Eo enim refertur oblatio primitiarum de cunctis frugibus in vrbe à Deo electa: & extraordinaria decimatio tertij cuiusque anni in gratiam Leuitarum, & pauperum quod iam supra *b* præceptum fuerat. Sed hæc repetitio argumentum est singularis curæ & prouidentiæ diuinæ erga pauperes, & personas sibi consecratas, sicut humanæ in eosdem negligentiæ, & illiberalitatis. Reliqua est exhortatio ad obseruationem legis, eius, quem in Deum & Dominum suum se elegisse profiteantur, sicque videtur hæc exhortatio terminata. Apparet enim sequenti capite nouum dicendi principium. In quo significatur Moysem non ad vniuersum populum esse locutum, neque enim humana vox à tanto populo exaudiri potest, sed cum senioribus & magistratibus egisse, & maximè cum sacerdotibus & eorum opera cum reliquo populo.

LXXVI. Miscellanea.

b c. 14. *ext.*

Capite vigesimo septimo, quoniam populus externo apparatu magis afficitur ad magni faciendum ea quæ ipsi commendata fuerint, voluit Moyses huiusmodi solennitates & ceremonias adhibere. Itaque iubet transmisso Iordane ingentes erigi lapides & calce læuigari, in eisque describi vel decalogum vel Deuteronomium, aut partem eius aliquam, illam puta quæ est de vnitate & dilectione Dei. Secundo iubet erigi altare de lapidibus impolitis, super quo holocausta & hostiæ pacificæ offerantur, quæ sit ceremonia apprehensæ possessionis terræ illius, & Deo consecratæ. Tertio præcipit vniuersum populum bipertito diuidi Iordane transmisso, & partem vnam septem tribubus constantem stare ad benedicendum populo, super montem Garizim, qui in diuinæ legis obseruatione perseueret, respondendo ad singulas benedictiones pronunciatas à Leuitis *Amen.*

LXXVII. Quinta exhortatio.

c. 6. 4. 5.

Benedictiones & maledictiones Hebræorum.

Alte-

Alteram vero partem in monte Hebal, eodem modo respondendo *Amen*, ad singulas imprecationes. Erant autem hi duo montes valde vicini, imò vt ferunt, quasi duo capita eiusdem montis, sicut de Horeb & Sinai dictum est. Caput autem vigesimum octauum totum refertum est faustis precationibus, & prædictionibus in populum Israëliticum diuinæ legis obseruatorem; & vice versa imprecationibus, & diris denunciationibus in eundem eius violatorem. *Et iuxta huiusmodi prædictiones*, ait Iosephus *a*, *omnia facta sunt atque fiunt, euentis nusquam non congruentibus.* Neque tamen miseri, aperiunt oculos, post tot secula, vt videant se legem violare, in non audiendo prophetam Messiam, quem Dominus de medio ipsorum suscitauit *b*.

a l. 4. *Ant.* extremo.

b *Deut.* 18. 15.

LXXVIII. Renouatio fœderis cum nouo populo.

Capite vigesimo nono renouatur fœdus cum toto populo, ex mandato Domini, quod pridem in monte Horeb ictum fuerat, renouatur autem, præsente, & tacitè consentiente tota multitudine, vsque ad ipsos lignorum cæsores, & aquæ baiulos. Deinde renouat memoriam beneficiorum diuinorum, & mirabilium operum eius, tam in Ægypto, quam in deserto, quæ isti nondum pro dignitate didicerant æstimare. Quibus ad populi animos præparandos breuiter expositis. *Custodite ergo*, inquit *c*, *verba pacti huius, & implete ea*, quæ scilicet hactenus exposita iunt vobis, *vt suscitet te sibi in populum; & ipse sit Deus tuus, sicut locutus est tibi*, in Horeb, *& sicut iurauit patribus tuis, Abraham, Isaac, & Iacob. Nec vobis soli ego hoc fœdus ferio, & hæc iuramenta confirmo, sed cunctis præsentibus & absentibus*, natis atque nascituris.

c *ca.* 29. 9.

LXXIX. Spes veniæ delinquentibus.

Deinde capite trigesimo ne populus post violatam legem desperatione frangatur, more suo Moyses ipsem veniæ verè pœnitentibus superesse docet *d*, & pristinæ fœlicitatis redintegrandæ. E contrario autem calamitate ipsorum annum iam sciquia illesimum perdurante, persuasum habere debent se in ira Dei perseuerare, nec ad eum vera pœnitentia conuerti. Denique concludens Moyses omnes adhortationes, populum ad legis obseruationem inuitat, eius facilitate proposita: violatoribus autem imminentem ruinam interitumque denuntiat, etiam cum cœli & terræ obtestatione. Et hactenus quidem diuinarum legum expositio, & commendatio. Deinceps quæ ipsum Moysem, eiusque successorem propius attingunt, à Legislatore perscribuntur.

d *v.* 8. 9.

LXXX. Iosue instituitur successor Mosis.

Itaque trigesimum primum caput noui est sermonis initium, in quo Moyses iterum denuncia toti populo successorem suum, tum ætati suæ iam necessarium, tum diuina ordinatione constitutum. Quia vero tristes & solliciti esse poterant, super morte optimi parentis sui, consolatur eos, excitatque ad fiduciam in Deum, qui eis futurus sit dux & propugnator, & victoriarum largitor, vt adhuc fuerat. Verum quia Dominus hominum ministerio in eorum gubernatione vtitur, iuxta suauitatem prouidentiæ suæ, ad maius hominum meritum, & certitudinem directionis, pergit de successore dicere *e*. *Et Iosue iste transibit ante me, sicut locutus est Dominus*, &c. Nec contentus eum declarare successorem, coram omni populo, maximeque coram Eleazaro pontifice, illum accersitum, instituit Populi ducem, ne qua post mortem Moysi quæstio de hoc munere oriretur. Vnde subditur, *Vocauitque Moyses Iosue, & dixit ei coram omni Israel. Confortare, & esto robustus: tu enim introduces populum istum in terram quam daturum se patribus eorum iurauit Dominus, & tu eam sorte diuides. Et Dominus, qui ductor est vester, ipse tecum erit*, &c. Et inter hæc verba imposuit manus super eum, *ex quo f spiritu sapientiæ repletus est g*; idemque mox ab Eleazaro Pontifice factum, tanquam ordinario huiusmodi functionum administro.

e *c.* 31. 3. 4.

Impositione manuũ eius & Eleazari Pontificis.

f *Deu.* 34. 9.

g *vide nu.* 27. 18.

XXCI. Lex scribi iubetur & recitari.

Quod autem sequitur de scriptione legis huius à Moyse facta, intelligendum est eam iamdudum scribi cœptam, vt res ipsæ paulatim dicebantur aut fiebant; atque adeo liber Geneseos per otium à Moyse scriptus videtur: Eaque est Iosephi, aliorumque multorum sententia. Postquam autem perscriptus est totus liber, præcepit Leuitis vt eum in latere Arcæ fœderis ponerent, vt ibi conseruaretur in testimonium, & condemnationem populi præuaricatoris. Interim autem præcepit vt septimo quoque anno coram vniuerso populo in festo Tabernaculorũ prælegeretur, vt iuniores instruerentur, & seniorum memoria renouaretur. Caietanus putat singulis annis in scenopegia legem solitam legi, sed populum non obligatum, nisi septimo anno ad audiendum. Iosephus ait à Pontifice legi solitam. Sed in Synagoga per omne Sabbatum legebatur *k*, non quidem integrè, sed per partes, quas sedarim vocabant, in quas eam ipsi diuiserant.

Ibi 4. *Ant. cap.* 8. i *c.* 31. 25. 26.

k *Act.* 13.

Oportebat autem institutionem Iosue publice à Deo comprobari, ideoque iussit eum venire cum Moyse ad Tabernaculum, vt eum ibi alloqueretur. Quo cum venissent l, *apparuit ibi Dominus in columna nubis, quæ stetit in introitu Tabernaculi*: eoque facto à circunfuso populo intellectum est, diuinam esse electionem eius. Quid autem vtique denunciare vellet, mox subdit, futurum enim ait, vt Moyse mortuo populus hic, qui mox terra vbertima donandus erat, Deos alienos, se deserto sequeretur: ob quod crimen à se desertus in graues incideret calamitates. Hanc tradidit Dominus Moysi materiam scribendi carminis, quod sequenti cantico continetur, quod *filij Israel memoriter teneant, & ore decantent*, vt ex eorum ore ipsi quoque seipsos arguere possint. Moysen vtique & Iosue contristauit tam triste vaticinium. Itaque Moyses ad præsentes Leuitas, quasi ad populum conuersus, ei exprobrat suam contentionem, ac pertinaciam sæpius frequentatam. Iubetque conuocari omnes maiores natu atque Doctores, vt ipsis audientibus canticum, quod illi Deus inspirauerat, recitaret, & quidem postridie, vt apparet, vt moneri à Leuitis & conuenire possent.

XXCII. Institutio Iosue à Deo palã probatur.

l *c.* 31. 15.

Prædictio defectionis Israëlis, & eius cladis.

v. 19.

Materia cantici.

Itaque congregatis, qui præmoniti fuerant, recitauit Moyses canticum, quod 32. Deuteronomij perscriptum est, assistente ei Iosue, qui cum eo venerat, & quidem, vt res ipsa postulat, magna animi contentione atque feruore. Quo absoluto addidit exhortatiunculam ad obseruationem legis. Quibus dictis *eadem die locutus est Dominus ad Moysen*, iussitque eum in montem ascendere, ibidem pla-

XXCIII. A Mose recitatur.

cide moriturorum. Incertum autem est an populus tunc dimissus fuerit, & iterum coactus ad benedictiones singularum tribuum, & comitandum vel corpore, vel oculis Moysen in montem ascendentem, quæ non satis commode in eandem diem cadunt. Vt ergo hæc postrema valedictio, & ascensus in præaltum montem, eumque vna mansione distantem, & contemplatio terræ, & mors & sepultura temporis angustijs non vrgeantur, dicendum videtur mane conuocato populo recitatum fuisse canticum grauiter ac seuere, & addita postrema exhortatiuncula, conuentum solutum fuisse. Eadem autem die sub pomeridianas horas locutum esse Dominum ad Mosem vt ascenderet in montem, ibique moreretur. Eo accepto nuncio conuentum indixit in sequentem diem matutinum, quo peroratio populo benedixit, & post multam valedictionem, & populi lacrymas, ascendit in montem cum Eleazaro & Iosue, & cum ijs terram vndequaque contemplatus, placida morte obdormiuit; indeque diuinitus in vallem translatus ac sepultus est.

Summa rerum gestarum, sub obitu Mosis.

XXCIV. Moses ascendere in montem iubetur.

Sed hæc admodum arcta, paululum, si placet, laxemus, ducto à postrema denunciatione mortis initio. Iubet Dominus Mosen ascendere in montem Abarim, id est, transituum, vt transeat ex hoc mundo ad patres suos. Inde autem ascendebatur ad alterum montis iugum, dictum Nebo, ibique morituro exprobrat culpam in aquis contradictionis admissam, sub ipsum articulum infligendæ pœnæ. Sed ea Moysi futura erat acerbissima, si hanc terram laborum suorum mercedem speraisset, & non beatam illam viuentium terram, in qua Deus omne bonum illi erat ostensurus. Animum illius potius angebat illa tristitia, quæ ex denunciata populi defectione ad idola, proficiscebatur. Existimandum tamen est eum in altissima diuinæ prouidentiæ abyssо acquiescentem, aut mitigasse tantum, tamque iustum dolorem, aut ex animo penitus abstersisse, vt in Domino placide obdormiret. Apparet & mitigatum videndæ interdictæ terræ desiderium, maiore fortasse, Deo id agente lætitia, quam si eam pedibus ipse suis victor obambulasset. Qua consolatione Aaron frater natu maior, culpæ socius, peregrinationis & laborum omnium comes, priuatus est.

eius tristitia.

XXCV. Conuocat principes populi.

Accepta igitur postrema denunciatione mortis, accitis principibus multitudinis venerunt ad Moysem, quibus migrationem suam in proximum diem patefecit. Gemuerunt illi videlicet, & imminentem suam orbitatem singuli deplorarunt: sed & postularunt vt tam sibi, quam toti populo postremum benedicere dignaretur; quod cum ille facturum recepisset, ad sua tentoria singulos in alterum diem dimisit. Mane facto, cum exisset sermo inter fratres de imminente morte Principis, Legislatoris, atque adeo parentis optimi, conuenit vniuersa multitudo, cui Moses tributim benedictionem impertitus est, tribus tamen Simeonis mysterio aliquo prætermissa est. Quanta vero fuerit omnium comploratio in valedictione quæ secuta est, apud Iosephum *a* & Philonem leges. Scribit Iosephus totum populum lacrymantem sequi voluisse Moysen, sed ab eo iussum non vltra versus montem progredi, substitisse. Solumque Senatum eum ad montem Abarim, cum Pontifice & Imperatore deduxisse, vnde & dimissus est.

& postridie toti populo benedicit.

a l. 4. Ant. extremo.

Sequitur postremum Mosaicorum scriptorum caput, quod Philo & Iosephus, alijque plerique Moysi tribuunt, de futuris, ex diuina reuelatione scribenti; alij Iosue scriptorem malunt, quem potius crediderim, quasi nunc quoque Moysi ministrum, Moyse dictante scripsisse. Ergo vbi peruentum est in summum montis verticem nomine Phasga, ostendit Dominus Moysi hæreditatem Israëli destinatam, à partibus orientalibus in quibus est terra Galaad, ad reliquas mundi plagas, in quibus reliquæ tribus sedes erant habituræ, quæ omnia Moyses oculis perlustrauit. Tum Dominus ad eum *b*. *Hæc est terra, pro qua iurauí Abrahæ, Isaac, & Iacob, dicens, Semini tuo dabo eam. Vidisti eam oculo tuo, & non transibis ad illam.* Supple tu, Christiane Lector, sed ad aliam longe præstantiorem statim transiturus es, in qua illi ijdem sancti Patres, alijque omnes iusti in pace requiescunt; *exspectantes beatam spem &c. & aduentum gloriæ magni Dei*, & Saluatoris mundi Iesu Christi.

XXCVI. Postremum caput Pentateuchi.

Deus ostendit Moysi Chananitidem.

b Deut. 34. 4.

c Tit. 2. 13.

De ipsa vero morte Moysi, hæc ipsa est eius oratio. *Mortuusque est ibi Moyses seruus Domini in terra Moab iubente Domino, & sepeliuit eum in valle terra Moab, contra Phogor, & non cognouit homo sepulchrum eius, vsque in præsentem diem. Moyses 120. annorum erat, quando mortuus est, nec caligauit oculus eius, nec dentes illius moti sunt.* Quibus videtur quatuor complecti, & definire quæstiones, quas quidam incontrouersiam vocarunt. An mortuus sit Moses, quando, vbi, & quomodo, quibus additur sepultura: de quibus non negligenter scriptum est in Annalibus. Hic tantum dico de tempore, ex ipsa Scriptura *d* constare explanationem legis prima die mensis vndecimi fuisse inchoatã, quæ ad summum 30. vel 36. dies tenuit, vt Hebræi in suo Chronico tradunt, cui interpretes plerique consentiunt; eam expositionem mors quamprimum excepit. Vnde consequens est eum duodecimo mense, qui dictus est Adar, fuisse defunctum, quod habet Calend. Hebraicum, Iosephus, & plerique Rabbini. Vt mirum sit in Martyrol. Romano dici Moysem quarto Septembris esse defunctum.

XXCVII. Moysi mors & quædam circa eam habitationes.

Mense duodecimo obiit.

d cap. 1. Deut. 3.

Genebr. Adrich.

Quod ad sepulturam attinet, dicitur sepultus in valle terræ Moab contra Phogor, id est, in loco, qui situs est inter montem Abarim, & famum idoli, cui initiatus fuerat Israel, non autem è regione Iericho, vel Iordanis: cuius libitinarij fuerunt angeli, vt ex traditione affirmat Epiphanius *a*. Quoniam autem non in monte in quo mortuus est, sed in valle sepultus dicitur, putat Caietan. satis probabiliter corpus eius ministerio angelorum delatum per aërem in illam vallem, in oculis eorum qui astiterant morienti, qui tamen non viderunt determinatum in valle locum, nube aliquantum terræ spatium obtegente, vt propterea nemo nosse potuerit locum sepulturæ eius, ne res in idololatriam verteretur. Idque satagebat dæmon, sed restitit ei Mich. ël Archangelus *b*, & mansit occultus locus. Etsi autem non sepeliuit eum populus, fleuit tamen tri-

XXCVIII. Mosaicæ sepulturæ locus.

a hæresi 9.

b Iud. v. 9.

ginti

ginta diebus, sicut & Pontificem Aaronem: steuisset autem fortasse diutius, nisi transitus Iordanis vrsisset. Merito enim luxissent 40. diebus, in gratiam 40. annorum, quos ille in multis ærumnis & lacrymis, illis gubernandis traduxerat.

XXCIX. Eius cõmendatio.

Supersunt sepulchralia laudum ornamenta, quæ Deus ipse in famulum suum conferre voluit c: Sic enim eum laudat, vt incomparabilem prædicet, singulari in Deum amicitia, & miraculorum patrandorum facultate, quæ ipsa à Syracide, Philone, Iosepho, ipsoque adeo Moyse commendantur. Quin etiam Gregorius Nyssenus cum vellet exemplar perfectæ & absolutæ virtutis exhibere mortalibus, Moysen assumpsit, vt Xenophon Cyrum, Plato Socratem, M. Tullius L. Crassum; vt ideam quandam perfecti Imperatoris, Philosophi, & Oratoris nobis repræsentarent. Philo quoque & Clemens Alexandrinus Moysen quasi ideam quandam Regis, Sacerdotis, & Legislatoris, omnibus fortitudinis, pietatis & sapientiæ numeris absolutissimam describunt. Nec aliud sensit e, aut dixit Ambrosius, qui eum dixit humanæ dignitatis conditionem excessisse. Nihil nos minus in Annalibus videmur aggressi, cum eum Dei filio humana carne circundato, qui est ipsa summa sanctitas, ipse vertex perfectionis, maximeque expressa diuinitatis imago, quam simillimum, & quam maxime comparabilem ostendimus f. Quem totum locum vt in gratiam eorum, qui epitomas adamant, omisimus, ita & totam Prophetæ magni vitam, paucis ad modum versiculis Epitaphio comprehensam vt festinanti Lectori gratificaremur, prætermisimus.

c *Deut.* 34. 10.

d *Eccl.* 45.

e *l. 2. de Cain & Abel.*

f *n. 336. & segq.*

ANNVS MVNDI 2584.

ELEAZARI 2. IOSVE 1.

AMYNTÆ 9. Imperij Assyr. 653.

ANTE CHRISTVM 1469.

I. Iosue magistratū init.

DEfuncto Moyse, cœpit illico Iosuæ summum gerere magistratum, ad quod munus recte obeundum & interius diuina gratia, & exterius colloquio diuino roboratur. Illico inquam cœpit; neque enim oportebat tantum, tamque turbulentum populum aliquanto tempore sine principe viuere. Ideoque Moyses statim atque Dominus obitum ei suum aperuit, exemplo suggessit vt de successore prouideret; memor quid se abiente ad montem Sinai contigisset. Ideoque à Iosue indictus est 30. dierum luctus funebris, quo durante, sub initium mensis primi, atq; ipso si placet primo die, misit Iosue exploratores, qui trãsmisso Iordane Ierichuntem venerunt: secundo ibi in perlustranda vrbe substiterunt, vt vult Iosephus, & nocte sequente emissi sunt; tertio, quarto, & quinto in montanis latuerunt; sexto reuersi sunt ad suos, & Iosue de re tota docuerunt. Septimo denunciatus est transitus, in diem tertium indictaque præparatio. Eodem die, & secuto octauo facta est præparatio, die nono

Ordo dierum vsq; ad transitum Iordanis.

itum est ad Iordanem, & is tertius fuit præparationis dies, die denique decimo populus Iordanem peretransiit. Quem rei gestæ ordinem in ipsa expositione sequemur.

Misit ergo Iosue filius Nun de Setim duos viros exploratores in abscondito, & dixit eis, Ite, & considerate terram & vrbem Iericho. Non absurdum est Iosue vltro do co excitatum vt exploratores mitteret, vt eorum relatione, quos prospera nunciaturos sciebat, & ipse dux, & totus exercitus animaretur. Potuit etiam sponte sua, ex humana prudentia & Imperatorum consuetudine, diuinam iussionem non expectare, vt exploratores quis esset hostium animus, quis belli apparatus referrent, idque licuit dum de contraria Dei voluntate non constaret. Misit autem de mansione postrema, quæ ad Setim, siue Abelsatim protendebatur, duos autem, vt se mutuo auxilio consilioque iuuarent, & quidem non de optimatibus, sed è vulgo cautos & solertes, quos summo capitis periculo, intentis ad omnia hostibus, obijceret. cap. 2. 1.

II. Iosue duos mittit exploratores.

Illi Iordanem vadoso in loco traijciunt, excubitorum diligentiam, si qui erant adhibiti, emẽtito, vt videtur, habitu, Deo duce ac comite fallunt, & sub occasum solis, cum plurimi se in vrbem inferunt, ipsi quoque inexplorati furtim in eam penetrant, & quamprimum se in domum mœnibus vicinam conijciunt. Ea fuit Rahab mulieris, vel cauponariæ, vel vt communior est sententia, meretricis; sic enim sæpe à Scriptura vocatur, cum tamen ea vox, & quæ illi Græca & Hebræa respondet, semper in deteriorem partem sumatur. Ea nocte quiete sumpta, postridie vrbem dissimulanter obierunt, & sub vesperam ad suum se hospitium receperunt. Neque tamen tam dissimulanter gesta res est, vt agniti, ad regemque delati non fuerint. Qui missis lectoribus, iussit eos ex hospitio educi, & scilicet in vincula conijci. Sed eorum aduentum præsentiens mulier callida, atque anteuertens *a*, *viros abscondit in solario domus suæ, sub stipula lini.* Nec potuit eos statim per fenestram emittere, ne res à superuenientibus deprehẽderetur. Sed erat etiam quod illis, de sua, & suorum incolumitate, communicaret.

III. Vrbem ingressi.

Inquirũtur & latent.

a *Iosue* 2. 6.

Illa ergo regijs nũcijs, *Fateor*, inquit, *venerunt ad me, sed nesciebam vnde essent, cumque porta clauderetur in tenebris, & illi pariter exierunt, nescio quò abierunt: persequimini cito & comprehendetis eos.* Atque ita eos ab se dimittit, spe data fore vt exploratores comprehendant. Idque sibi gratum adhortatione sua simulans, cautè à se suspicionem proditionis amolitur. *Hi autem qui missi fuerant secuti sunt eos, per viam quæ ducit ad vadum Iordanis*, rati eos moliri reditum ad suos, *illisque egressis statim porta clausa est*, quam rursum aperuerant egressuris: eoque factum est diuinitus, ne regredi possent ad perscrutandam domum. Interea mulier adit hospites suos, necdum enim obdormierant, somnum excutiente timore, & ait, *Noui quod Dominus tradiderit vobis Terram*, quam scilicet habitamus, nec adest ad propugnandum animus, *etenim irruit in nos terror vester, & elanguerunt omnes habitatores terræ* Chanaan, auditis quæ Deus in Ægypto, & in mari rubro, & recens contra reges Amorrhæorum,

IV. Rahab in eos officiosa.

in gra-

quos exploratores iampridem ostentarant, *Quare*, inquiunt, *ascendere nos fecisti in de Ægypto, & adduxisti in locum istum pessimum, qui seri non potest, qui nec ficum gignit, nec vineas, nec malogranata. Insuper & aquam non habet ad bibendum.*

VII. Moyses & Aaron ad Deū confugiunt. b *Num.* 20. 6.

Audita querela b, *ingressus est Moyses & Aaron; dimissa multitudine tabernaculum fœderis, corruerunt que proni in terram, Clamauerunt que ad Dominum, atque dixerunt, Domine Deus audi clamorem huius populi, & aperi eis thesaurum tuum, fontem aquæ viuæ, vt satiati* cum fuerint, *cesset murmuratio eorum.* Non habetur hæc oratio in Hebræo vel Græco textu, & creditur sumpta ex antiqua aliqua paraphrasi Chaldæa, vel à Hieron. paraphrastice suppleta, habet tamen eandem cum cæteris autoritatem. Timuerunt hi populi patres, ne contra populum murmurantem ira diuina desæuiret, ideoque gestu & affectu primum iram Dei placare. deinde beneficium impetrare studuerunt. Nec frustra, nam *apparuit gloria Domini super eos*, in illustri scilicet & coruscante nube, ad terrorem in populo concitandum; vt iam aliquoties contigerat, in seditione maxime Core, & Exploratorum.

VIII. Deus iubet impetrati aquā

Locutusque est Dominus ad Moysem dicens. Tolle virgam & congrega populum, tu & Aaron frater tuus, & loquimini ad petram coram eis, & illa dabit aquas. Cumque eduxeris aquam de petra, bibet omnis multitudo, & iumenta eius. Cum Dominus dicat, *loquimini ad petram*, & non percutite petram, significat, vt ait Caiet. se voluisse vt Moyses iuberet, rupem ad solum imperium suum, inuocato nomine Domini, aquas sine percussione profundere. Nec mandatum de accipienda virga signum erat rupem esse percutiendam vt patet ex diuersis Exodi locis; tametsi Dominus petram Horeb virga percuti iusserit c, ad dandum aquas. Quod fortasse Moyses ex perturbatione animi non attendens, virga bis silicem percussit, cum hac increpatione populi, *Audite rebelles & increduli, num de petra hac vobis aquam poterimus eijcere?* & nihilominus *egressa sunt aqua largissima, ita vt populus biberet, & iumenta.*

c *Exo.* 17. 6

IX. Geminū Moysis peccatum.

Apparet geminum hic à Mose admissum esse peccatum, inobedientiæ & diffidentiæ. Nam non alloquitur petram, quod Dominus iusserat, & percutit petram, quod Dominus non iusserat: & dubitat an rupes datura sit aquas illis rebellibus & incredulis: neque enim de diuina potentia dubitabant, cum populum incredulitatis argueret, sed de eius erga talem populum voluntate. Imo ex vi verborum negat, quod tamen Dominus certo futurum promiserat. Neque propterea Dominus negauit aquas, licet parum sibi obedientibus parumque credentibus, præsentem miseratus necessitatem. Si enim non dedisset, modicam etiam fidem, quam adhuc retinebant, perdidissent. Moysis tamen & Aaronis incredulitatem grauiter reprehendit, & vltus est. Nec enim est cur eius verba excusare, & in mitiorem sensum trahere conemur. Cum inspector cordium Deus vtrumque diffidentiæ & incredulitatis arguat, eisque grauem admodum constituat pœnam, vt ait S. August. d

Aquæ ex silice per cultro exiliunt.

d *q.* 91. *in Num.*

Dixit enim ad Moysem & Aaron, *Quia non credidistis mihi, vt sanctificaretis me coram filijs Israel, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis.* Id in Aarone accurate impletum est, qui post tertium mensem mortuus est in deserto. In Moyse nonnulla indulgentia vsus est Dominus, vt qui ei concesserit terras trans Iordanem occupare, populo diuidere, & reliquas ex præalto monte contemplari. Cæterum non crediderunt ipsi Deum ad humanæ vocis imperium aquam de rupe educturum, neque seruierunt diuinæ gloriæ, quæ in eo posita erat, vt populus agnosceret Deum educere posse aquas de petra, ad imperium serui sui. Ex quo intelligimus quam necessarius sit Dei concursus actualis, & cooperans ad omne opus bonum, quo deficiente illico deficimus, conturbatur cor nostrum, & derelinquit nos virtus nostra. Triste sane ac luctuosum in talibus tantisque viris spectaculum, post tam multa, tamque singularia diuinę in ipsos beneuolentiæ argumēta, post tot prodigia in cœlo, in terra, in aquis, in igne, in inferis, in Ægypto, in mari, in deserto, in omnibus locis & elementis, tam constanter, tamque glorioſe perpetrata. Puduit vehementer huius culpæ Hebræos Mosis laudatores, Philonem, Iosephum, & Chronicorum scriptores Rabbinos, adeo vt eam silentio dissimularint.

X. Moysis culpa & pœna luctuosa.

XI. Et immutabili decreto firmata.

Cæterum quoniam non ignorabat Moyses postremum esse hunc annum Israeliticæ peregrinationis, simul etiam intellexit vltimum se vitæ annum decurrere. Afflixit porro vehementer hæc pœna Moysen, vt patet ex multis Deuteronomij locis, vbi coram populo non sine gemitu refert, se populi causa iram diuinam incurrisse, & spe ingrediendi terram promissionis excidisse. Cumque viueret nihilominus in eius pectore ipsius desiderium, sæpe Dominum precibus sollicitauit, eique quodammodo blanditus est, hanc vt veniam impetraret, nec tamen exauditus est; sed audiuit potius e, *Sufficit tibi, nequaquam vltra loquaris de hac re ad me.* Vnde intellexit Moses ratum esse, & immutabile decretum contra se, & contra fratrem suum, de exclusione sua à terra illa: ideoque id decretum iusiurandum vocat f. *Iratus est*, inquit, *Dominus contra me propter sermones vestros*, quibus ad diffidentiam adductus sum, *& iurauit vt non transirem Iordanem, nec ingrederer terram optimam, quam daturus est vobis. Ecce morior in hac humo, non transibo Iordanem, vos transibitis, & possidebitis terram egregiam.*

e *Deut.* 3. 26.

f *Deut.* 4. 21.

XII. Legatio ad Idumæos à Deo præcipitur.

Post tam triste nuncium, non cessauit propterea Moyses publica negotia pari studio promouere, ac si ipse populum introducturus esset in Chananitidem. *Misit* enim *in terra nuncios Moyses de Cades ad regem Edom.* Prius tamen consuluit Dominum, quid facto opus esset, qua via & modo in terram promissam intrandum: vel Dominus ipse præmonuit vltro Moysen, vt legatos mitteret ad Idumæos, vt per terram suam permitterent innoxium atque amicum transitum, vt decebat fratres; aut eo non impetrato, ad terminos regionis ipsorum, versus Moabitas iter circumflecterent. Illa Dei monitio est in Deuteron. a cap. 2. vbi iubentur circumire regionem Idumæorum Aquilonem versus, nam terra Chanaan est septentrionalis Idumæis. Itaque Israelitæ orientalem eorum

a *c.* 2. *v.* 2. *&c.*

oram

oram lustrarunt. *Transibitis*, ait Dominus, *per terminos fratrum vestrorum filiorum Esau, qui habitant in Seir, & timebunt vos*, quos sciunt cum sexcentis millibus bellatorum progredi, *videte ergo diligenter ne moueamini contra eos*, ne scilicet vi transitum vobis aperire conemini, aut eorum terram occupare velitis. *Neque enim dabo vobis de terra eorum, quantum potest vnius pedis calcare vestigium: quia in possessionem Esau dedi montem Seir. Cibos ab eis emetis pecunia, & comedetis; aquam emptam haurietis, & bibetis.*

XIII. An Mose mittitur. b *Gen.* 36 34. c *Num.* 20.16.17

His Moyses mandatis instructus legationem ad regem Idumæorum mittit, quem apparet fuisse Husari de terra Themanorum, qui Iobo successit, vt in Genesi scriptum est *b*. Nunciata vero eductione sua ex Ægypto, *Ecce* inquit, *in vrbe Cades, quæ est in extremis finibus tuis positi, obsecramus vt nobis transire liceat per terram tuam. Non ibimus per agros, nec per vineas non bibemus aquas de puteis tuis, sed gradiemur via publica, nec ad dextram, nec ad sinistram declinantes, donec transeamus terminos tuos.* Vide petentis modestiam, qui superbe non flagitat, neque armatas affert preces, paratus totam potius Idumæorum terram laborioſe circum lustrare, quam contra Dei voluntatem, in durissimi oris homines pugnare, qui fratribus innoxium breuemque transitum negent, qui iure sperare poterant ab ipsis auxilium ad cæteras gentes debellandas.

XIV. Ab Idumæo reijcitur.

At Rex Idumæis veritus ne illi specie transitus occuparent regionem suam, parum humaniter, *non transibis*, inquit, *per me, alioqui armatus occurram tibi.* Dura omnino responsio, & illi nationi conueniens quæ fero & agresti patre nata, & inter duros silices educata, ferinum quiddam semper & agreste retinuit. Cumque Israelitæ perseuerarent vrgere transitum, cum iste negauit obstinatius. Quin etiam statim egressus est obuius cum infinita multitudine, & manu forti. *Nec voluit acquiescere deprecãti, vt concederet transitum per fines suos*, id est intra fines, siue per mediam regionem suam, id enim petebant, *quam ob rem diuertit ab eo Israel*, obeundo fines eius, è Cadibus veniendo in montem Hor, qui & ipse est in finibus Idumæorum, vt est in catalogo mansionum *d*. Est autem hæc ordine trigesima quarta, in qua duo quædam memorabilia contigerunt, mors Aaronis, & res gesta cum Arado rege Chananæorum, prius habetur vigesimo Numerorum extremo, posterius initio vigesimi primi.

d *Num.* 33.37.

XV. Locus & tempus mortis Aaronis. e *Num.* 33 38 39. *Deu.* 2. & 25.

Tempus simul & locus mortis Aaronis ita describitur e. *Ascenditque Aaron sacerdos in montem Hor iubente Domino, & ibi mortuus est, anno quadragesimo egressionis filiorum Israel ex Ægypto, mense quinto, prima die mensis, cum esset annorum centum viginti trium.* Hæc ibi. Iussio autem illa Domini habetur vigesimo Numer f *Pergat*, inquit, *Aaron ad populos suos, non enim intrabit terram quam dedi*, id est promisi daturum, *filijs Israel, eo quod incredulus fuerit ori meo ad Aquas contradictionis.* Quæ verba triste nuncium vtrique fratri attulerunt, quoniam eadem vtriusque causa fuit, & tam antiquam vitæ consuetudinem distrahebant. Non defuit tamen solidæ consolationis materia: quod is non exterminabatur de populo suo, sed aggregabatur ad Sanctorum populos, quorum in se virtutes expressas, in quorum fide moriebatur. Aderat illa quoque consolatio, quod sciebat vterque hanc animorum separationem non diuturnam fore. Nam intra menses octo Moysi abeundum etiam fuit, & ad eundem sanctorum in sinu Abrahæ chorum veniendum.

XVI. Eiusque modus g *Num.* 20.25.

Modus autem mortis Aaronis, & Eleazari in locum ipsius suffecti, sic à Domino Moysi præscribitur. *Tolle Aaron, & filium eius cum eo*, primogenitum videlicet, *& duces eos in montem Hor. Cumque nudaueris patrem veste sua*, nimirum pontificia, indues ea Eleazarum filium eius. *Aaron colligetur* ad populum Sanctorum scilicet quomodo inferius *h*. Moysi dicitur, *& sic colligeris ad populum tuum.* Quæ vox repræsentat Deum quasi demessas morte spicas colligentem, & deferentem in horreum suum, iuxta parabolam *i* illam euangelicam. *Fecit Moyses vt præceperat Dominus, & ascenderunt in montem Hor, coram omni multitudine*, postremum illi vale dicente, Pontifice vicissim illis benedicente, cum eo vtrimque sensu quem facile est cogitare. *Cumque Aaron spoliasset vestibus suis, induit eis Eleazarum filium eius.* Ex quo intelligi potest Aaronem è Sanctuario & castris egressum, cum omnibus pontificijs ornamentis, quibus Eleazarus erat induendus, & eo modo, ex peculiari Dei ordinatione, initiandus. Fuit hæc quoque non leuis Aaronis consolatio, quod vestibus suis & dignitate ornatum filium suum quasi de morte triumphans pro se relinquit, quod parentum votum vel maximum esse solet, qui se quasi viuentes & florentes in filijs apprehendunt. Vixit in Pontificatu annos 38. menses tres, dies 22.

h *Num.* 31.2.

i *Matth.* 13.30.

XVII. Aaron fletur, & commendatur.

Illo mortuo & videlicet sepulto quoque *in montis supercilio, descendit* Moyses *cum Eleazaro* nouo Pontifice. *Omnis autem multitudo videns occubuisse Aaron, fleuit super eo* 30. *diebus, per cunctas familias suas.* Et merito sane lugent populi in bonorum morte prælatorum, in quorum funere permagnam ipsi iacturam faciunt. Laudat eum Ecclesiasticus *k*, & pro magna laude similem Moysi facit, potuit & pro maiore, Christo Domino aliquatenus comparare. Laudat & eucctum in apicem sacerdotij Pontificatum, qui nunquam ab eius progenie, dum lex illa populusque duraret, auferendus esset: cuius habuisset Deum non solum munificum largitorem, sed constantem etiam contra ambitiosos propugnatorem: quique consentaneis illi dignitati virtutum ornamentis eum egregie locupletarit; quæ ex Annalibus nostris *l* huc transferenda, breuitatis causa non duximus: id modo dicere contenti. Abijsse Aaronem ad patres suos in senectute bona, annis tribus & 80. in durissima barbari populi, atque inhumana seruitute consumptis, quadraginta vero in duriore etiam libertate. Nisi potius intolerabilis fuit seruitus, tam numerosum, tam incredulum, tam seditiosum populum, per medias tot solitudinum ærumnas, tanto tempore gubernare.

k *Eccl.* 45 7. 8. *&c.*

l *ad Mos.* 120. *n* 33. 34. *&* 35.

XVIII. Eleazarus Pontifex.

Dum exequiarum Aaronis celebritas in trigesimum protenditur diem, & nouus Pontifex Eleazarus summum init, administratque sacerdotium, Rex Aradiorum (qui & ipsi Chananæi erant, vt ex Genesi *a* constat & habitabat ad meridiem, propterea que vicinior erat

a *c.* 10. 15. 16. *&c.*

Rex Aradiorum pugnat contra Hebræos, & vincitur.

Israelitis peregrinantibus in meridiana solitudine) cum *audisset venisse Israel per exploratorum viam.* Suorumne an Israelitarum? suorum putauit Philo, cæteri Israelitarum. Viam autem intelligit redeuntium, nam iter per montana inchoatum, per campestria finierant. Neque enim memoria exciderat illa exploratorum peregrinatio, & gentis ex Ægypto profectæ, quæ nouas quæreret sedes, à qua sibi singuli populi male metuebant: ignari quam se in partem illa gens esset effusura. Itaque Rex Aradiorum commodam aliquam nactus occasionem, pugnauit contra Israelitas b, *& victor existens duxit ex eo prædam.* Nec impune. *Nam Israel voto se Domino obligans, ait: Si tradideris populum istum in manu mea, delebo vrbes eius. Non fuerunt vota irrita,* vt ait Philo, *Numine robur Hebræis addente ad extorquendam regi victoriam. Itaque pugnatum est egregie, supplicatumque post victoriam, præda tota consecrata autori tantæ felicitatis. Oppida cum viris, & auro argentoque Deo dicari placuit, vnde totum id regnum Anathema nominatum est.* Sic ille. Hebræum nomen Horma vastationem significat, quæ in animalibus sacrificandis Holocausto respondet.

b *Num.* 21.1.2.

XIX. Hebræi circeunt Idumæos.

Hoc prospero rerum successu læti, beneque animati Israelitæ vlterius progrediuntur, terram Idumæorum circumeuntes. Profecti sunt enim de monte Hor c, *per viam quæ ducit ad mare rubrum,* non quidem descendendo per eam meridiem versus, quod nonnullos deduxit in fraudem, sed versus aquilonem & ortum progrediendo, relicta terra Edom ad sinistram & occasum, Moabitarum autem regnum ad dextram & ortum habendo. In obeunda porro Idumæa duæ mansiones contigerunt, 35. in Salmona, & 36. in Phunon, quas in 21. Num. omisit Moyses, vt notauit Hieron. reddidit autem in Catalogo *d.* In alterutra igitur *tædere cæpit populum itineris & laboris.* Acerbum enim eis erat terram per annos 40. quæsitam habere ante oculos, & ipsa prope manu contingere, nec tamen ingressum permitti, sed quasi de industria populum longissima circuitione vexari. Non solum enim Idumæam, à parte ipsius meridionali & orientali, sed totam etiam maris mortui longitudinem emensi sunt circumeundo, antequam ad Iordanem peruenirent. Nimirum volebat Dominus ex itinere debellari duos Amorrhæorum reges: & eorum regionem parti populi distribui.

Duæ mansiones.

d *Num.* 33.41.42.

Tædium Hebræorum.

XX. Et murmuratio.

Ab illi, qui debellato Aradiorum regulo, cuperent mediam peruadere Idumæam per quam rex eius transitum negabat cum eos Deus armis cogi non pateretur, contra Deum & Moysem obloquuntur, & solitam de cibo & potu querelam, quasi cantilenam redintegrant. Et permittebat Dominus ista inepta fastidia, & obmurmurationes, in pœnam priorum culparum, quoniam reliquias generationis mortiaddictæ, in deserto perire oportebat e. *Quamobrem misit Dominus in populum ignitos serpentes, ad quorum plagas, morteſque plurimorum venerunt ad Moysen, atque dixerunt, Peccauimus, quia locuti sumus contra Dominum & te: ora vt tollat à nobis serpentes.* Sic serpentum morsibus cogi oportebat ad pœnitentiam genimina viperarum. Ignitos porro serpentes interpretari licet, vel de externa specie rutila in modum ignis: vel de sensu doloris quem inferebant, vt eorum morsibus corpora inflammarentur, carbunculis, & febri ardente concepta. Hic Dominus à Moyse exoratus, iubet fieri serpentem æneum, & in signum eleuari, vt eo conspecto ægri à serpentibus sanarentur. Circa quæ Sapiens philosophando *f* alludit ad dominicam crucem, in qua non verus, sed ad externam tantum speciem peccator pendebat; sicut serpens ille ad perticam affixus, speciem serpentis habebat, naturæ veritatem non habebat.

e *Num.* 21.6. Serpentum morsibus castigata.

f *Eccli.* 26.5.

Profectique filij Israel g, de Phunon, vt est in catalogo mansionum h. *castrametati sunt in Oboth,* indeque secutæ sunt mansiones aliquot rebus inanes; donec ventum est ad torrentem Arnon, *qui est terminus Moab, diuidens Moabitas & Amorrhæos* i cis torrentem autem est mansio quadragesima, dicta Helmon Deblataim. Ibi cum populus substitisset, dixit ei Dominus k, *Surgite, & transite torrentem Arnon. Ecce tradidi in manu tua Sehon regem Hesebon Amorrhæum, & terram eius: incipe possidere, & committe aduersus eum prælium. Hodie incipiam mittere terrorem, atque formidinem tuam in populos, qui habitant sub omni cœlo, vt audito nomine tuo paueant, & in morem parturientium contremiscant, & dolore teneantur.* Ita Dominus. Moyses nihilominus pro innata mansuetudine, rem amice tentandam ratus est, licet sciret eum regem nihil precibus effecturum, Deo ita disponente, ne conqueri posset se iniuste bello peti ab ijs, qui mallent vi, quam amice agere. *l.* Misit ergo nuncios ad Sehon regem, qui transitum pacificum postularent, quem ille non minus superbè negauit, quam rex Edom *m*, sed non pari euentu, quod Dominus Idumæis parcitum vellet, non Amorrhæis. Nam quod filij Esau dicuntur dedisse transitum, sicut & Moabitæ, intellige per fines suos dedisse, non per mediam regionem, quod Moses ab hoc rege petebat, & obtinuit non solum transitum, sed possessionem regni eius.

XXI. Aliquot mansiones.

g *Num.* 21.10.

h *Num.* 33.41.46

i *Num.* 21.13.

k *Deut.* 2. 24. Sehō Rex Hesebon.

Ad eum legatio.

l *Deut.* 2. 26.29.

m c 20. 17.18. nō.

Egressusque est, ait Moyses n. *Sehon obuiam nobis cum omni populo suo ad prælium in Iasa. Et tradidit eum Dominus Deus noster nobis, percussimusque eum cum filijs suis, & omni populo suo,* ipsum autem Sehon in prælio cecidisse autor est Iosephus. Cæsis autem propugnatoribus facile fuit oppida omnia in potestatem redigere, ideo sequitur. *Cunctasque vrbes in tempore illo cepimus, interfectis habitatoribus earum,* etiam inermibus, imo *viris ac mulieribus & paruulis. Non reliquimus in eis quidquam* viuum, *absque iumentis, quæ in partem venere prædantium, & spolijs vrbium quas cepimus.* Non enim voluerant regnum Schonis esse Anathema, sicut regnum Aradiorum. Quantum autem terrarum hac victoria ab Israelitis acquisitum fuerit, *ab Aroer,* inquit, *quæ est super ripam torrentis Arnon, oppido, quod in valle situm est, vsque Galaad,* vel *vsque Ieboc,* vt est in Numer. o Denique *non fuit vicus & ciuitas quæ nostras effugeret manus: omnes tradidit Dominus Deus noster nobis.* Huius porro occasione victoriæ, recenset Moses quomodo rex Amorrhæorum occupauerat olim, & abstulerat Moabitis, quæ hodie pugnans contra Israelitas perdiderat, quæ deinde tempore Iephthe p. post trecentos circiter annos, rursus controuersia fuerunt.

XXII. Pugna cū ipso, atq; victoria.

n *Deut.* 2 36.

o *Nū.* 21. 26.

p *Iud.* 11. 12.

Sequitur

XXIII. Pugna cũ Og & victoria.

Sequitur pugna & victoria de Og rege Basan, qui reliquam regionem septentrionalem trans Iordanem possidebat à torrente Iaboc, vsque ad montem Hermon. *Verteruntque se* inquit Moyses *a*, & ascenderunt per viam Basan, rectè *verterunt*, similiter in Deuteronym. *b conuersi ascendimus per iter Basan.* Nam cum institutum haberent transire Iordanem, qui eis erat ad occidentem, verterunt iter ad Septentrionem, vt pugnarent contra regem Basan. Qui cum venisset in auxilium Sehonis amici & socij regis, eosdem habuit hostes Israelitas. *Quibus occurrit cum omni populo suo, pugnaturus in Edrai*, vrbe primaria regni Basan. Dixitque Dominus ad Moysen, *Ne timeas eum.* Et erat sane cur timeretur vir fortissimus, & animo & corpore gigantæo, sed res ei futura erat contra victorem populum, & quod caput est contra propugnatorem eius Deum. Pergit Dominus, *in manu tua tradidi illum, & omnem populum & terram eius; faciesque illi sicut feci sti Sehon regi Amorrhæorum, habitatori Hesebon.*

a *Num.* 21.33.
b *Deut.* 3.1

XXIV. Victoria egisque magnitudo.

Promissa in rem deducta sunt. *Percusserunt* enim *& hunc cum filijs suis* c, *vniuersumque populum eius, vsque ad internecionem, & possederunt terram illius.* Explicatius habetur in Deuteron. *d* quanta fuerit ista victoria. *Non fuit oppidum*, inquit, *quod nos effugeret, sexaginta vrbes, omnem regionem Argob regni Og in Basan. Cunctæ vrbes erant munitæ muris altissimis, portisque & vectibus, absque oppidis innumeris, quæ non habebant muros.* Apparet & magnitudo victoriæ ex ipso principe, qui in ea pugna cæsus est, cum filijs vtique parente dignis. *Solus quippe Og rex Basan restiterat de stirpe gigantum*; præbet & specimen magnitudinis eius, cum ait monstrari lectum eius ferreum, *qui est in Rabbath filiorum Ammon, nouem cubitos habentem longi tudinis, & quatuor latitudinis, ad mensuram cubiti virilis manus*, id est vulgaris siue communis: huiusmodi autem cubitus habet pedem cum dimidio. Ex quo intelligi potest eum 12. pedes longitudinis excessisse. Ad hos tamen non videntur respexisse exploratores cum dicerent. *Ibi vidimus monstra quddam filiorum Enac de genere gigantæo.* Quoniam illi Enacidæ erant in Hebron cis Iordanem; illi autem Amorrhæi trans Iordanem, quem exploratores non transmiserant. Itaque solus Og trans Iordanem restiterat de stirpe gigantum.

c *Num.* 21. *fi.*
d *c.* 3.4.5.

Og rex Basan.

XXV. Mãsio 41. in montibus Abarim.

Postquam autem Israelitæ, duo prædicta regna in potestatem redegerunt, omnibus circumcirca populis terrore concussis, præsidijs quidem munitissimis loca tenuerunt, dum distributio regionis acquisitæ, Dei voluntate, & Moyse diribitore fieret nouis colonis; ad solita tamen castra redierunt, eaque ad montes Abarim mansione quadragesima prima fixerunt. *Egressi* e enim *de Helmon Deblathaim, venerunt ad montes Abarim contra Nebo*, id est è regione vrbis Nebo, quam filij Ruben instaurarunt; cessit enim in sortem eorum, in qua fuit olim vt ait Hieron. idolum Chamos, quod alio nomine Beelphegor appellatur. Est etiam Nebo mons vnus de montibus Abarim omnium maximè sublimis, cuius vertex dictus est Phasga. In cuius montis spelunca, puteo, vel cisterna Ieremias in clade Hierosolymorum, ignem perpetuum recondidisse cum altari incensi, aliqui tradidere, qua de re suo loco dicetur.

e *Num.* 33

Nebo.

Phasga.

Subiecta his montibus regio, quæ ab oriente habet eosdem montes, ab occidente vero Iordanem dicuntur Campestria Moab, in quibus quadragesima secunda & vltima Israelitarum mansio ponitur: ad quam fere pertinent reliqua omnia, quæ de Moyse à Scriptura memorantur. Primum autem quod occurrit est res gesta cum Moabitis. Balac enim rex Moabitarum f, *videns omnia quæ fecerat Israel Amorrhæo* vtrique tam Sehon quam Og vicinis suis, *& quod pertimuissent eum Moabitæ, & impetum eius*, si vim afferre vellet, *ferre non possent*, Iniit consilium cum maioribus natu regni sui, & terræ Madian, quæ fuit prouincia in Moabtide; vt ex g Geneſi constat, & mox ad tribum Ruben pertinuit, longeque distat à Madianitide vicina monti Sinai, in qua Moses habitauerat, & vxorem duxerat Sephoram filiam Iethro. Ad hos ergo conuocatos egit de communi periculo, quod ab Israelitis imminebat *Ita*, inquit, *delebit hic populus omnes, qui in nostris finibus commorantur, quo modo solet bos herbas ad radices carpere.* Nesciebat enim vt notauit Iosephus, Deum vetuisse ne Israelitæ Moabitis quidquam negotij facesserent.

XXVI. Mãsio 42 & vlt. in campestribus Moab.

f *Num.* 22.2.

Metus Balaci ab Israele.

g c. 31. 35. Madianitis duplex.

Cum ergo robustos Moab obtineret tremor, misit Balac rex eorum legationem ad Balaam, quem plerique magum, alij prophetam vocant in regionibus illis tum celebrem. Scribit autem Origines *h*, Balac inaudisse Israelitas orationis vi magis, quam armis hostes superare. Orante Mose Pharaonem sexcentis afflictum plagis, postremo quiescentibus Hebræis, fluctibus obrutum: rursumque Amalecitas eodem orante profligatos, Itaque ratus magicis illos carminibus vincere, magum etiam carminibus potentem in auxilium vocat, si forte eius opera incruentam obtineat victoriam, aut hostes suos longe à se facessere cogat. Quin & eodem allusisse regem putat, vsurpata similitudine bouis, ore ac lingua herbam carpentis, quasi populus hic non gladijs, sed ore, ac lingua pugnaret. Huius porro Balaami si genus quæras, passim filius Beor dicitur, si patriam, ex Mesopotamia oriundus fuit; iuxta illud Mosis, *Conduxerunt contra te Balaam filium Beor de Mesopotamia Syriæ* i, vel vt est in Hebræo, *de Aram duorum fluuiorum*, nimirum Tygris & Euphratis, qui cingunt Mesopotamiam. Syria vero Hebræis est Aran, siue Aramæa, & ipsemet ait venisse se de Aran ex montibus orientis. Et quidem ex vrbe Pethora, quæ Euphrati imposita est, vt ex Hebræo ac Chaldæo liquet, quam vocem Hieronymus in ariolum vertit.

XXVII. Init consilium contra eos, & euocat Balaam.

h *Hom.* 13. *Num.*

Quis ille fuerit.

i *Deut.* 23.4.

Quod ad eius officium, refert idem *k* ex Hebræis, fuisse eum primùm virum sanctum, & Prophetam Dei; postea per inobedientiam & desiderium munerum, dum Israel maledicere cupit, diuini id est arioli vocabulo nuncupari. Mariana verisimile putat eum non fuisse ariolum, sed de numero prophetarum, qui erant inter gentes, vt Sibyllæ, quando Deus illi apparet. Et certe nusquam apparet illius cum dæmonibus communicatio, neque ea de re à Scriptura arguitur, sed de alijs tantum peccatis, quæ in homines alioqui fideles cadunt, vt inobedientia

XXVIII. Prophetane an magus.

k *in trad. in Gen.*

Eius peccata.

Angelum Iudaici populi protectorem, atque adeo Michaelem ipsum Archangelum, præsidem ac protectorem Ecclesiæ Catholicæ, quæ tuncerat apud Israelitas, par est credere: idque nonnulli iam olim apud Theodoretum *l* asseruerunt: Agebatur enim de totius populi internecione, si ille magicis carminibus dementatus, hostium furori exponeretur.

l 9.42. in *Num.*

XXXIV. Balac occurrit Prophetæ.

Iuit igitur Balaam permissu Angeli cum legatis, à quibus præmonitus rex Balac venit in occursum eius in finibus ipsis regni sui. Et post diei illius collocutionem atque epulas, mane facto rex ducit Prophetam in montem excelsum, in quo colebatur Baal, vnde ostendit ei extremam populi partem. Ibique excitaris septem aris, in singulis vitulum & arietem, Domino in holocaustum obtulit *m*. Idemque mox in vertice montis Phasga: & rursum tertio in vertice montis Phogor. In quibus omnibus præsente rege & optimatibus, populum Israëliticum Domino suggerente benedixit, faustaque precatus est, quantumuis ægre ferente rege. Addidit etiam prædictiones de eorum victorijs, magnaque potentia, de futuro etiam Christi regno, per ortum nouæ stellæ gentibus enunciando: quæ ipse in Magis posteris suis visurus sit, post annos 1470. Sed hæc vaticinia vt minus ad institutum nostrum pertinentia, omittamus. Improbum tamen eius consilium, quod ad historiæ filum pertinet, non videtur omittendum.

m Nu. 23. 4. Balaam sacrificat, populoq; benedicit.

XXXV. Improbũ eius consilium.

Et videtur sane Dominus auertisse primò consilium eius, & alia omnia in os eius immisisse, vt patet ex cap. 24. vers. 14. & seqq. postea tamen, perabstrusa prouidentia, id permisisse; sicut eidem primò negarat profectionem, postea permisit. Id consilium quale fuerit, ex cap. 25. ab effectis ipsis intelligetur, sed id clare habetur in Apocalypsi *a*. *Habes*, inquit, *tenentes doctrinam Baalam, qui docebat Balac mittere scandalum coram filijs Israel, edere & fornicari.* Nec omisit Moses, qui Israëlitas de victoria reuertentes, profligatis Madianitis, sic alloquitur *b*. *Cur fœminas reseruastis? nonne ista sunt quæ deceperunt filios Israel, ad suggestionem Balaam, & prauaricari vos fecerunt in Domino, super peccato Phogor.* Id scelus breuiter Moses in hæc verba describit *c*, *Morabatur eo tempore Israel in Settim, & fornicatus est populus cum filiabus Moab, quæ vocauerunt eos ad sacrificia sua. At illi comederunt, & adorauerunt Deos earum, initiatusque est Israel Beelphegor, & iratus Dominus &c.*

a c. 2. 14.

b Nu. 31. 7. 8.

Populus fornicatur cum Moab & Madian.

c c. 25. 1. 2.

Primo designatur locus in Settim, qui est idem cum Abelsatim, de quo in catalogo mansionum *d*, ad quem vsque locum castra vltimæ mansionis protendebantur. Ad extrema igitur castra Madianitides, & Moabitides venerunt, forma & blanditijs perniciem animabus potius, quam interitum corporibus afferentes. Nam & corporibus interitum, vlciscente iniuriam suam Numine, intulerunt: & quo minus formidolosæ vitæ sunt, hoc maiorẽ Israëlitis peperere cladem. Quatuor porro Moses hoc loco peccandi gradus expressit; fornicationis, quo primum scelere capti, vocati sunt ad earum sacrificia, de quibus & epulati sunt cum eis, idolothytorum participes effecti, ex certa scientia, & deliberata voluntate. Tertius gradus fuit participatio idololatriæ, quæ in epulis tectior fuerat. Duplici enim iam scelere, quasi gemino deuincti beneficio, noluerunt contristare delicias suas. Quoniam vero non satis erat Saranæ Israëlitas semel insaniisse, idololatria sese contaminando, voluit etiam initiari & consecrari idolo, quæ erat quasi solennis defectio à Deo ad idola. Quo facto non iam victimam, sed ipsos Idolo, & actiones suas consecrabant, quod fuit maximum ac supremum impietatis genus. Etsi autem Iosephus pluribus dijs eos sacrificasse tradat, vnius tamen Beelphegor meminit Moses, quem Priapum Hieron. interpretatur.

Quatuor eius gradus.

XXXVI. Locus & modus peccati.

d Nu. 33. 49.

Non est autem credibile, tantam multitudinem, quãta mox propter hoc scelus occisa est, fuisse turpissimo idolo initiatam, sed improbissimum quemque illos fortasse, qui iubentur suspendi contra solem *e*, *Tolle*, inquit Dominus ad Mosem, *cunctos principes populi, & suspende eos contra solem in patibulo, vt auertatur furor meus ab Israel.* Plerique, nec male, vt arbitror, ea verba. *Suspende eos* referunt non ad principes, sed ad idololatras, quos Moses mandat principibus, siue iudicibus in crucem agere, vt *eos* non ad proximum, sed ad remotius antecedens referatur. Itaque Chaldæus Onkelos, *Tolle*, id est, congrega *omnes principes populi, & iudices, atque occide eum qui reus est, vt occidatur coram Domino contra solem*, id est publicè, & coram populo; cui plane consentit Hierosolymitanus paraphrastes. & Pagnini versio, quod notauit quoque Nobilius & Abulensis in primis. *Dixitque Moyses ad iudices Israel*, quos ad exercendum iudicium, Dei iussu congregarat, *Occidat vnusquisque proximos suos*, quacumque affinitate coniunctos, aut dignitate præstantes, *qui initiati sunt Beelphegor.*

XXXVII. Punitur populus Dei iussu.

e Nu. 25. 4.

Ordo autem & modus in hac animaduersione seruatus hic fuisse videtur. Acceperat mandatum à Deo Moyses, & à Moyse Iudices, crucis supplicio afficiendi reos: sed in eo ordinem iuris aliquem seruari oportuit. Conuocatis ergo iudicibus, sceleris à Mole magnitudo monstratur, & pœna à Deo decreta declaratur. Apparet autem interuenisse aliquam in iudicibus lentitudinem in exequendis mandatis, siue propter reorum multitudinem, siue propter quorundam potentiam, vel coniunctionem cum iudicibus ipsis. Ergo Dominus Iudicum negligentiam supplere, & peste in populum sæuire cœpit, vt habet Chaldæus paraphrastes. Interea Zambri, non contentus cum huiusmodi mulierculis extra castra versari, vnam earum in omnium oculis deducebat ad tabernaculum quodpiam, quod instar erat lupanaris; neque Dei tabernaculum, neque Moysem reueritus, neque plerosque viros probos, qui coram Deo flebant, tam peccata populi, quam pœnam dijs imminentem. Quo viso Phinees (nam Moses ad fores tabernaculi, Dei contra peccatores iram placare conabatur) ingreditur cum pugione in locum illum, & fornicatores confodit. Quo facto plaga, quæ grassabatur in populo, cessauit, Deo ob zelum Phinees placato. Neque tamen tam cito placatus est, quin mors viginti quatuor millium placationem anteuerterit.

XXXVIII. Ordo & modus animaduersionis huius.

Zambri crimen & pœna.

Non solum autem placatus est Dominus zelo

XXXIX. Phi-

Deus zelum Phineis muneratur.

Phinees, sed eundem zelum sacerdotio sempiterno muneratus est. At inquies, quale est hoc munus, cum iam illi Pontificatus, vt filio Eleazari, deberetur, nec perpetuum in eius posteris fuerit, sed per Heli, aliosque Ithamari filios interruptum; denique funditus antiquatum. Respondetur nouo titulo nunc debitum fuisse Phinei sacerdotium; quo etiam carere poterat, si mortuus fuisset ante patrem. Nec promisit Dominus non fore interruptum, & subintelligi potuit conditio, nisi per eos steterit. Denique in æterno Christi sacerdotio, transfusum Phineis sacerdotium, perpetuum factum est: quod præclare non solum de Sacerdotio, sed de regno quoque Hebræorum docet f S. Augustinus. Dominus porro contentus castigasse populum suũ, de Madianitis vindictam ab Hebræis sumi iubet a *Hostes*, inquit, *vos sentiam Madianitæ, & percutite eos*, & quidem propter hanc ipsam culpam. De Moabitis tacet, quia iam ab eis abstinere iusserat Israëlitas, sicut & ab Ammonitis, in gratiam Loti progenitoris eorum. Nec tamen id bellum statim initum est. Nam cum alia quædam, tunc enumeratio noui populi antecessit.

f l. 17. de Ciu. c. 6. Et iubet puniri Madianitas.

a Nu. 25. 17.

XL. Populi nouus census.

Ea indicta est à Domino *postquam noxiorum* Israëlitarum, *sanguis effusus est*, & quasi spuma quadam inutili eiecta, bonorum congregatio defæcata remansit, quorum numerus, absque Leuitis, ascendit ad sexcenta millia, & mille septingentos triginta. Quibus si adijcias viginti tria millia Leuitarum, erunt omnino sexcenta viginti quatuor millia, septingenti triginta: Sed Leuitæ ab vno mense, cæteri à vigesimo anno numerati sunt. Conditus est hic census in campestribus Moabitarum, iuxta Iordanem è regione Iericho, cui Moyses & Eleazar sacerdos iussu Domini præfuerunt b. In illo autem *numero nullus fuit eorum, qui ante numerati sunt à Moyse & Aaron in deserto Sinai, præter Caleb & Iosue.* Huius census causam affert Dominus, vt diuisio terræ prudenter fiat, & maior terræ portio populosiori tribui assignetur: & nihilominus sors terram tribubus diuidebat. Deo enim sortes dirigente, amplior locus maiori tribui contingebat.

b Nu. 26. 63. 64. Quæ eius causa, quinq; cessores.

Successio hæreditaria.

Inde secuta est dubitatio de successione hæreditaria occasione filiarum Salphaad, constitutúmque diuinitus, vt defectu filiorum, succedant filiæ hæreditati patruæ, & vtrorumque defectu, defuncti fratres, qui si defuerint: succedent qui mortuo proximi fuerint.

XLI. Prædicitur Moysi sua mors.

Sub hoc tempus prænunciauit Dominus c Moysi mortem suam, quam in monte Abarim obiturus erat, terra prius à longe oculis perlustrata; non tamen præsentia corporis adita, propter culpam ad Aquas contradictionis admissam. At Moses, nesciens an hæc denunciatio decretum immutabile contineret, ante migrationem ex hac vita, breuem peregrinationem, & quasi excursionem in Chananitidem, ore dominico toties commendatam, ambiebat, vt supra diximus d. sed ea spe depulsus, de populi gubernatione sollicitus, *Prouideat*, inquit, *Dominus Deus spirituum omnis carnis hominem, qui sit super multitudinem hanc.* In qua oratione Philo e Mosis virtutem merito deprædicat, qui filiorum, nepotum amicorum omnium oblitus, publicique boni amans, magistratum suum diuino permittit arbitrio. Cui Dominus f, *Tolle*, inquit, *Iosue filium Nun, virum in quo est spiritus, & pone manum tuam super eum. Quæ stabit coram Eleazaro sacerdote, & omni multitudine, & dabis ei præcepta cunctis videntibus, & partem gloriæ tuæ, vt audiat eum omnis synagoga filiorum Israel. Pro hoc, si quid agendum erit, Eleazar sacerdos consulet Dominum. Ad verbum eius egredietur, & ingredietur, & omnes filij Israel cum eo, & cætera multitudo.*

c Hoc anno n. 10. & 11. Petit successorem. d Ide charitate.

f Nu. 27. 18. &c. Quẽ Dominus eligit.

Ecce iudicium Dei in supremi magistratus populi sui electione, & inauguratione. Primo non eligit aliquem de filijs Moysi, ne putarent Hebræi principatum hunc esse hæreditatium, quem ipse volebat hoc tempore ex sua electione pendere. Non eligit ætate florentem, tertium enim ac nonagesimum agebat annum, vt minus bellis, quæ imminebant, idoneus videri posset: quæ nihilominus sapienter gessit ac fortiter, vt tanto magis Dominus res per ipsum gerere intelligeretur. Tertio eligitur vir spiritu Dei plenus. qui scilicet Deum spiraret, & ex eius spiritu omnia moderari vellet. Quarto Iosue hactenus minister & quasi vicarius Moysi, eiusque passim socius & comes, ne ad hoc officium plane nouus, & insolens rerum gerendarum accederet. Quinto vir eligitur magnæ in populo existimationis, vt qui in bello contra Amalecitas dux creatus, illud egregiè, Deo opitulante, confecerat, & recte munus Exploratoris Deo ipso approbante obierat. Denique electus est Iosue, qui & nomine & gestis Iesum Christum referret, qui solus populum Dei in terram viuentium potuit introducere.

XLII. Consilio sapientiæ plenissimo.

1.

2.

3.

4.

5.

6.

XLIII. Initiatio Iosue, & quæ illa contineantur.

In eius porro inauguratione iubet Dominus nonnulla obseruari. Principio requirit impositionem manuum, qua iurisdictio, & populi regendi potestas, per legitimam authoritatem ei collata intelligeretur. Id munus recte Mosi conueniebat, tanquam principi populi, suam in illum authoritatem transferenti, tanquam sacerdoti ac Prophetæ, quibus id munus sæpe commissum est. Sed rectum etiam fuit magistrum ac parentem, discipulum filiumque charissimum, quam faustissima precatione benedicere. Deinde vult eum statui coram Eleazaro sacerdote, vt ab eo consecretur & benedicatur: sicque tam ab Ecclesiastico, quam à politico magistratu, Dei locum in Repub. & Ecclesia tenentibus inauguretur. Tertio requirit præsentiam populi, tacitumque consensum, vt ab omnibus, quantum fieri potest probetur, qui omnibus præesse debet. Quartò vult Moysem illi dare præcepta, vtique diuina, secundum quæ populum Dei regat, eique exemplis prosit & imperijs. Quintò partem Mosaicæ gloriæ illi vult communicari, id est, externa quædam insignia magistratus, quæ ad eius gloriam coram populo, dignitatemque facerent: (quemadmodum datæ sunt vestes Aaroni g, *in gloriam & decorem*) vt facilius ei populus, tanquam legitimo principi obtemperet.

1.

2.

3.

4.

5.

g Exod. 18. 2.

Sexto vetat ne ille sibi vsurpet sacerdotis officium, sed per eum Dominum consulat, eumque vt Dei interpretem & ministrum veneretur, & tanquam parentem amet & colat. Denique Pontifici vniuerse obtemperet, & non

XLIV. Alię eiusdẽ conditiones, siue mores.

solum

solum in ijs quæ sunt ad Deum. Nam vniuersè dicitur, *Ad verbum eius egredietur, & ingredietur, ipse, & omnes filij Israel cum eo.* Quod cum non obseruasset Saul erga Samuelem, & regno, & vita priuatus est. Et hæc quidem nunc in hunc modum à Deo constituta sunt, quorum executio non ita multo post subsecuta est *b*. Et licet viuo Moyse non gessit principatum Iosue, illi tamen deinceps non quasi minister astitit, sed quasi dignitate proximus, & ad successionem diuinitus electus affuit. De qua electione Moyses non distulit monere Iosue *a*, &, iuxta præceptum Domini, eum exhortari & roborare. Ipsa tamen inauguratio Iosue obiter & per occupationem extremo cap. 27. Num. ponitur. Inseruntur deinceps aliqua ceremonialia, vsque ad caput 31. quibus omissis, de bello contra Madianitas dicendum est.

6. & 7.

h Deut. 31.

a Deut. 1. 38. & c. 32. 28.

XLV. Causæ belli contra Madianitas suscepti.

Id iussu Domini susceptum est *b*, duplici de causa. Altera ex iure gentium, quo hostiliter tractantur, qui hostiliter se gerunt, nam nulla iniuria violari ab Heb. eos ditis deuouere voluerunt, & dæmonum infestationibus male vexatos, disperdere. Altera iure diuino. Pro summis enim hostibus habendi sunt, qui ad peccandum nos pertrahunt. Summis enim malis nos afficiunt, dum animas nostras occidunt, Deum nobis auferunt, beatitudinis ius nobis eripiunt, dæmonis mancipia constituunt, & supplicio rum æternorum reos. Nunc ergo locutus est Dominus ad Moysen, dicens *c*, *vlciscere prius filios Israel de Madianitis, & sic colligeris ad populum tuum.* Hæc enim fuit vltima expeditio Israëlitarum viuo Moyse: ad quam iussit millenos tantum de quaque tribu eligi. Sic enim fieri voluit, vt facilius intelligeretur à Deo esse victoriam, quod sæpius deinceps obseruari potest. Voluit etiam Dominus viuo Moyse confici hoc bellum, ad quandam sancti viri consolationem, quam Madianitæ turbauerant, populum ad peccandum prouocando, & per peccatum magnæ cladis occasionem præbendo.

b Nu. 25. fi.

c Nu. 31. 1.

Viuo Moyse.

XLVI. Exercitus 12. millia.

Hæc duodecim virorum millia misit Moyses cum Phinees filio Eleazari sacerdotis, non vt Imperatoris officio fungeretur, vt plerique crediderunt, sed vt vasa sancta, & arcam in primis, quæ deferebatur ad bellum, custoditet, & sacerdotibus tubis clangentibus præesset. Leuitica enim tribus à militia immunis fuit, vt Iosephus ac Philo testantur, ideoque non 13. sed 12. tantum millia missa sunt ad hanc expeditionem. Nec vlla ratio apparet, cur Iosue, qui & iam ante Imperatorem egerat, & proxime à Deo electus erat in principem populi, dux in hoc exercitu non fuerit: cui in primis tribuenda est victorum pietas in Deum *d*, & munificentia, qua opima spolia Deo consecrarunt. Quoniam vero religiosa Cinæorum familia, ad quã Iethro, & Hobal, aliique cognati Mosis pertinebant, in Madianitide morabatur, credibile est eos inde à Mose euocatos, antequam illuc exercitum mitteret. Sicut & postea Saul *e* oppressurus Amalecitas, Cinæos, qui apud eos habitabant, incolumes abire iussit.

Duce nõ Phinee, sed Iosue.

d c. 31. fi.

Cinæi liberantur.

e 1. Reg. 15. 6.

XLVII. Pugna & victoria.

Pugnam ipsam Moses paucis perstringit. *Cumque pugnasset contra Madianitas atque vicissent, omnes mares occiderunt, & reges eorum Eui, & Recen & Sur*, partem scilicet Chospi *f*, quam sua impudentia, mortique turpissima medio in flagitio memorabilem fecit, *& Hur & Rebe, quinque principes gentis.* Quæ repetuntur in libro Iosue *g*, & dicuntur fuisse duces Sehon, qui hoc loco reges & principes dicuntur, forte quod eius stipendarij aliquando fuissent, aut ei auxilio fuissent aduersus Israëlitas, & fuga lapsi ad suos Madianitas euasissent. Tam feliciter autem pugnatum est ab Hebræis, vt ne vnus quidem ex ipsis desideratus fuerit, vt in reditu apud Mosem professi sunt duces *h*, & ex Mose Philo.

f Nu. 31. 8. & 21. 11.

g c. 13. 21.

h c. 31. 48.

XLVIII. Balaami cædes.

Cum illis autem optimatibus Balaam quoque gladio Israëlitarum occubuisse testatur Moyses, quamuis eum ad suos in Mesopotamiam reuertisse constet. Plurimi enim inde ad hanc pugnam abiere dies. Et forte distulit Dominus pœnas de Madianitis sumere, donec ille adesset, qui omnium erat nocentissimus. Ille autem reuersus est, siue vt nouo quopiam artificio Hebræos affligeret, siue vt inde lucrum aliquod, quasi è nundinis reportaret. Verum miser alieno intentus malo, perniciem sibi imminentem non prius vidit, quam illam communi implicitus cladi expertus est. Credibilius quippe duxerim eum maleficijs quibusdam intentum, quam in acie pugnantem cæsum esse. Id enim genus hominum ignauissimum esse solet, mortisque timidissimum. Cuius etiam illud non leue argumentum est, quod inde vsque à Mesopotamia in Moabitidem, sine gladio, quo asinam suam interficeret, venit. Ergo homo improbissimus, planeque Augustino *i*, imo Deo iudice reprobus, multis sceleribus degrauatum caput, in male agendi pertinacia, præcipitauit in Tartarum.

Ex patria reuersi.

i Li. ad Simpli. sub med. & in Nu. q. 47. 48. 52.

Ad effecta victoriæ huius tria pertinent, personarum captiuitas aut cædes, locorum vastitas, præda bonorum. De primo ait Moyses captiuas mulieres, paruulosque sexus vtriusque fuisse abductos. Nam mox iratus Moyses reprehendit duces, quod mulieres, quæ Israëlitis fuissent scandalo, consentiassent, & addit *k*. *Ergo cunctos interficite, quidquid est generis masculini, etiam imparuulu: & mulieres, quæ nouerunt viros, iugulate: puellas autem, & omnes fœminas virgines reseruate vobis*, in ancillas venales, aut etiam inferioris notæ coniuges. At quomodo mares omnes internecione deleti sunt, cum Gedeon post centum & 85. annos contrà infinitam Madianitarum multitudinem pugnarit. Dicendum videtur Mosis mentem esse, mares omnes, qui capti sunt, interfectos fuisse quod non impedit quo minus plurimi, vel ante prælium, vel in ipso prælio fuga sibi cõsuluerint, à quibus postea, intra id tempus, instauratus sit populus. Nisi placet internecionem hanc de Madianitis, qui erant accolæ Moabitarum, accipere, non de Madianitis incolis Arabiæ, prope montem Sinai habitantibus; iuxta ea quæ supra *l* hoc ipso anno dicta sunt.

XLIX. Cædes & captiuitas hominum.

k c. 31. 15. 16.

Quomodo intelligenda.

l num. 26.

Quod attinet ad loca Moses affirmat tam vrbes, quam viculos & castella flammis fuisse consumpta: non enim erat illa prouincia Israëlitarum habitationi destinata; eoque facto voluit Dominus ostendere quantam pœnam illius incolæ suis sceleribus commeriti essent, sicut factum est in Sodomis, ad to-

L. Vastitas regionis.

Prædæ vis magna.

tius posteritatis exemplum. Iam vero præda longe maxima fuit, eaque populus vniuersus ditatus est. Nam præter supellectilem vniuersam quæ partim igne, partim aquis expiata est, capta sunt ouium sexcenta septuaginta quinque millia, boum 72 millia, asinorum sexaginta millia, & mille, puellarum triginta duo millia, quæ sunt omnino capita 840000. octingenta & quadraginta millia.

LI. Eius distributio.

Prædæ autem distributio in hunc modum Dei iussu facta est; vt præda tam de hominibus quam de pecoribus bipertito diuideretur, eiusque pars dimidia duodecim millibus, qui pugnauerant daretur; altera ad reliquam omnem multitudinem pertineret. Deinde vtriusque partis præda subdiuisa est. Nam de parte bellatorũ quingentesimũ quodq; caput datum est Eleazaro põtifici, quasi primitiæ Domini: de parte vero multitudinis reliquæ, subtractum est quinquagesimum quodque caput, quod datum est Leuitis. Deinde facta est particularis distributio in singulas familias, reliqua præda distributa non est, sed quod quisque in bello rapuit, hoc rapuit sibi *a*. Nisi quod milites autum omne Domino sponte obtulerunt, in gratiarum actionem, quod omnes incolumes ex bello redijssent: quod in diuersis speciebus fuit pondo sedecim millium septingentorum & quinquaginta siclorum, id est, quinque talentorum auri cum tribus fere talenti partibus, id est, aureorum gallicorum, 718. 75.

840. *pont*

8400. *Leu.*

a c. 31. 53. Aurũ Domino à milite oblatum.

LII. Duæ tribus & dimidia possessionem acceptunt.

Sub hoc tempus *b*, cum iam nihil reliquum esset trans Iordanem, quod tranquillum in Chananitidem moraretur, deuictis Amorrhæis & Madianitis, Moabitis autem & Ammonitis in lucro ponentibus, quod relinquerentur intacti, tribus Ruben & Gad, quæ pecoribus abundabant, videntes regionem acquisitam vberem pascuis, petierunt à Moyse & Eleazaro, vt eam ipsis in possessionem daret, renunciantes omni regioni, quæ trans Iordanem acquirenda erat. Cumque viderentur nolle transire Iordanem, ad pugnandum cum fratribus contra Chananæos, à Moyse obiurgati sunt; qui tamen mox placatus est eis, cum intellexisset eos paratos ad bellum pro fratribus suis depositis in tuto familijs, ac gregibus suis, & concessit eis terram debellatorum regum Og & Sehon. Quia tamen ei diuinitus illustrato visum est terram hanc maiorem esse proportione ea, quæ reliquis decem tribubus seruabatur, partem ex ea secreuit, quæ terra Galaad dicta est, quam dimidiæ tribui Manassis assignauit. Nulla porro fit mentio terræ Madianiticæ, aut regis Arad, quia regione diuinitus promissa non continebantur.

b c. 32. *ns.*

LIII. Catalogus mansionum. Iussio delẽdi Chananæos.

Sequitur deinceps *c* Catalogus duarum & quadraginta Mansionum, iuxta castrorum loca, quæ Angelo duce, annis quadraginta mutauerunt; de quibus quantum licuit dictum est suis locis. Terminatur autem iste catalogus seuera iussione delendi Chananæos, qui trans Iordanem habitabant, & omnia vestigia idolatriæ exterminandi; grauiter interminatus, ni facerent, illos eis fore quasi clauos in oculis, & lanceas in lateribus, *& quidquid*, inquit, *illis cogitauerant facere, vobis faciam.* *d* Inde describuntur terræ promissæ termini trans Iordanem, destinatæ nouem reliquis tribubus cum dimidia, vt scilicet à meridie habeat desertum Sin & Idumæam, ab occidente mare mediterraneum: ab oriente mare mortuum & Iordanem; à Septentrione denique montem Libanum. Qui autem illi diuisioni præfuturi essent à Domino nominatim vocantur, Eleazar & Iosue, & alij decem tribuum principes, prætermissis principibus Ruben & Gad, quibus sua iam portio fuerat assignata cis Iordanem.

c Terrium terræ promissæ.

c. 33. *Nu.*

d c. 14.

Omittuntur & Leuitæ, quod nulla terræ promissæ pars eis tota conueniret. Idque singulari Dei prouidentia factum est, quia diuino cultui mancipati terram colere non potuissent. Deinde cum iura Sanctuarij & sacrificiorum Leuitis assignata essent, omnium item fructuum decimæ ac primitiæ, & redemptiones primogenitorum, & vota, & alia id genus, ex quibus tantum emolumenti percipiebatur, vt fructus duarum sortium vix eis par esse posset annis singulis, vt fusè docet Abulensis *e*, satis hinc eorum necessitatibus & commodis consultum erat, quamuis agris, vineisque caterent. Accedit quod Leuitæ per omnes tribus sparsi esse debebant, siue vt præstò essent ad ministrandum, quocumque tabernaculum transferri contingeret: siue vt toti reliquo populo monita *f* atque exempla salutis præberent. Gratum quippe Deo est, & populis necessarium, varijs in locis aperiri sapientiæ scholas, & religiosorum hominum: quales erant Leuitæ, collegia vigere.

LIV. Cur nulla pars data Leuitis.

e *in c. Nu. q. 20. & in 35. q. 2. & 3.*

f *Deut. 33. n. 10. in Heb. Græc. Chald.*

Neque tamen voluit Deus ipsos inter fratres suos habitare precario *g*, sed certas habere vrbes *ad habitandum*, & suburbana earum per circuitum, ad milliare vnum, ad vsum pecorum ipsorum. Quod autem dicitur habuisse vrbes ad habitandum, significatur eas vrbes, non omni iure ad eos, quasi ad veros dominos pertinuisse; sed ad illos in quorum tribu illæ erant. Nam exempli causa Hebron vrbs erat Leuitica, quæ tamen ad Caleb, quoad dominium pertinebat. Et quamuis in istis vrbibus dignitates, vt cæteri obtinerent, ad eos tamen reditus quæstuosi Reipub. non pertinebant, quales sunt qui ex portorijs, molendinis, metalli fodinis, furnis publicis colliguntur, qui ad ipsas communitates, aut vrbium dominos pertinebant. Denique vt intelligeretur eos non esse vrbium dominos, non dixit Scriptura de Leuiticis vrbibus, quod de Leuiticis domibus. Nam hæ dicuntur illis esse pro possessionibus, non autem illæ. Videntur ergo dictæ vrbes Leuiticæ, non quod soli Leuitæ in illis habitarent, sed quod in illis solis, non in alijs habitarent, & synagogis præessent, populumque de lege docerent *h*. Iuxta illud Mosaicum de Leuitis. *Docebunt iudicia tua ipsum Iacob, & legem tuam Israel.* Aut quod in illis solis suburbia propria haberent, ad mille passus ab ipso oppido, in quibus & villas habebant, & hortos, & viridaria.

LV. Præter vrbes ad habitandum.

g c. 35. *Nu.*

Quarum non erant Domini.

Cur dictæ Leuiticæ.

h *Deu. 33. 10. Hebr.*

Pergit Dominus. De ipsis autem oppidis, quæ Leuitis dabitis, sex erunt in fugitiuorũ auxilia separata, vt fugiat ad ea qui fuderit sanguinem, & exceptis his alia quadraginta duo oppida, *id est, simul 48. cum suburbanis suis.* Et quoniam aliquæ tribus maiorem terræ tractum quam aliæ obtinebant, iubet plures accipi ab ijs quæ plus loci sortitæ erant, qualis fuit tribus

LVI. Vrbes fugitiuorũ

Cur è Leuiticis electæ.

Ratio situs earũ.

LVII. Lex de matrimonijs.

LVIII. Liber Deuter. ad quod tẽpus pertineat.

Deut. 1.3.

Quo loco explicata lex, & explicationis necessitas.

vide mãs. 13. & 14.

LIX. Regressus Israelitarũ in desertum, post culpã Exploratorum.

Iuda. Significaturque hæc oppida fuisse oneri, cuius plures partes fortioribus imponerentur, idque vt arbitror, propter superbia, quæ ad mille passus circumquaque ad solos Leuitas pertinere poterant. Recte autem ciuitates refugij de Leuiticis electæ sunt, quod huiusmodi causæ homicidarum ex diuina lege dijudicandæ erant, cuius notitia ad Leuitas maximè pertinebat, sicut & cura obseruationis eius. Idem valebat ad conciliandam Leuitis beneuolentiam, in quorum dumtaxat vrbibus miseri præsidium reperirent. Decet autem Dei ministros præ cæteris clementia; & hinc natæ immunitates Ecclesiarum, locorumque Sanctorum. Ne autem euasio difficilis esset ei, qui per imprudentiam occiderat; voluit Dominus tria oppida refugij constitui trans Iordanem, & totidem citra, & in æqua inter se distantia, ne periclitanti obstaret traiectio fluminis, vel distantia vrbis. Vnde autem dijudicari posset an cædes inuoluntaria esset nec ne, deinceps copiosius in textu perscriptum est.

Additur in extremo libro constitutio spectans ad matrimonia, cuius hæc summa est, vt in eadem tribu coniungantur, ne contingat tribuum possessiones permisceri. Itaque Leuitæ, qui carebant possessionibus, & qui alioqui ijs carebant in cæteris tribubus, aut qui eas vendiderant, poterant extra suas tribus ducere vxores. Hæc de libro Num. Sequitur Deuteron. quasi secunda, aut iterata lex.

Qui liber ad hunc quadragesimum ab exitu annum pertinet *a*, etsi ea referat, quæ variis temporibus contigerunt, ipsa tamen expositio & enarratio legis, omnisque ad eius obseruationem exhortatio, ad duos vltimos menses vitæ Mosis referuntur. *Quadragesimo enim anno, vndecimo mense, prima die mensis locutus est Moyses filijs Israel omnia, quæ præceperat illis Dominus, vt diceret eis.* Vt habetur initio libri huius post occisum Sehon regem Amorrhæorum, & Og regem Basan, & occupatas eorum terras. Locus autem extremo Numerorum libro memoratur in campestribus Moab supra, siue iuxta Iordanem è regione Iericho. Et quia inchoaturus erat expositionem suam à digressu montis Horeb, versus Cadesbarne vicinũ Idumææ locum, dicit obiter viam illam esse vndecim dierum: licet multo plures in illo itinere Israelitæ posuerint. Rationi autem consentanea fuit ista legis repetitio. Conueniebat enim Mosem morti proximum, quasi totius populi parentem, filium suum commonefacere de rebus saluti eius necessarijs, in quibus lex Dei principem locum tenet. Populus quoque nouus erat, & Dei legem, & res circa patres suos gestas partim non viderat, partim tenui dumtaxat auditione acceperat. Oportuit ergo ab eo referri & commendari, qui cum summa authoritate polleret, omnia in populi mentibus præ omnibus inscribere poterat, eumque ad Dei timorem, cultumque permouere.

Incipit autem expositionem suam à iussione sibi diuinitus facta, vt de Horeb, vbi legem acceperant, rectà in terram Amorrhæorum progrederentur ad Cadesbarne, siue Rethma, vbi cum iuberet Dominus vt populus ascenderet, & possideret terram sibi promissam, populus contra exploratores mittere voluerit, à quibus turbata sunt omnia, populusque seditiosus mortis in solitudine addictus, in ea ad annum quadragesimum oberrarit, frustrà tunc ac peruersè pugna contra Amorrhæos attentata. Inserit autem obiter electionem Iudicum ad socerit sui admonitionem, & casum tuum ad aquas contradictionis. Inde sub finem anni ab egressione trigesimi noni, iussit Dominus populum versus Aquilonem iter capessere ad Chananitidem occupandam, cum iussione abstinendi ab Idumæis, Moabitis & Ammonitis. Sequitur inde victoria de regibus Amorrhæis & distributione regionis eorum, quæ duabus tribubus & dimidiæ nuperrime facta fuerat, cum obligatione militiæ.

Et inde reditus versus Chananitidem.

Capite quarto incipit exhortari populum ad accuratam obseruationem legis, proposito recenti exemplo cladis, propter cultum Beelphegor acceptæ. Et quia iam semel atque iterum expertus fuerat Moyses procliuitatem populi huius ad idololatriam, & animo præsagiebat propter hoc maxime scelus omnia ei mala obuentura, ideo totus est in contestatione pro vitanda idololatria, idque argumentum subinde, modisque omnibus versat, sicut & datæ legis beneficium, & gloriosæ ab Ægyptia seruitute libertatis. Ex quibus eam infert conclusionem, vnum Deum esse duntaxat, vnumque colendum. Antequam autem populum dimitteret, fine imposito primæ exhortationi, quæ primo die mensis vndecimi habita est, tres constituit ciuitates refugij trans Iordanem, Bosor in tribu Ruben, Ramoth in tribu Gad, & Golam in tribu Manasse.

Cap. exhortatio Moysis.

LXI. Altera exhortatio, eiusq; capita.

Cap. quinto nouum ducitur exordium, populo iterum conuocato. Eique recitat Moyses præcepta Decalogi, in monte Sina quondam cum maximo terrore populi recitata, qui propterea voluit habere interpretem apud Deum Moysen ipsum, idque Deo probatum fuit. Deinceps autem inculcatur obseruatio diuinæ legis; tum vniuersè, tum nominatim primum maximumque mandatum de diligendo Deo, de iuramento, & tentatione Dei, de nunciandis posteris causa datæ sibi legis & ceremoniarum, & reliquorum beneficiorum Dei. Inde ad tollendam populo occasionem Idololatriæ cap. 7. vetat fœdera & connubia cum idololatris, & euersionem mandat ararum, & omnium quæ ad idolorum cultum pertinent, cum auxilij sui promissione atque victoriæ. Deinde ca. 8. renouat memoriam itineris 40. annorum per Arabiæ solitudines, & beneficiorum & castigationum illic acceptarum. Eximijs quoque laudibus terram celebrat, quam mox possessuri erãt, omnia semper ad obseruationem diuinæ legis referendo. Totus textus planissimus est atque suauissimus, ad conciliandum diuinæ bonitatis amorem, ideoque & lectione, & memoria dignissimus. Videtur autem hoc capite altera Mosis exhortatio, cum multiplici motu terminata, cuius rei indicium est quod capite sequenti attentio de integro renouatur.

LXII. Tertia exhortatio.

Cap. ergo nono. Ne tribuant Israelitæ virtuti suæ & pietati victoriam de hostibus suis, eorum potentiam amplificat. Ne rursum propria ignauia deijciantur, Deum promittit propugnatorem, & vltorem impietatis eorum ad complenda promissa Patriarchis. Et quia hæc

cogitatio magni erat momenti ad conterendam huius populi superbiam, qui solebat de iustitia sua, vt Phariſæus ille, intumescere, reuocat illi in memoriam suas contra Deum murmurationes, aliaque peccata, & nominatim adorationem vituli, ob quam confractæ à se fuerint legis tabulæ. Qua occasione explicat quo modo recuperatæ fuerint longissimo ieiunio, & precibus, vt eò pluris leges suas faciant, quò plus Legislatori meminerint constitisse. Moxque additis præceptis aliquot ad Dei & proximi charitatem pertinentibus, ad timorem eius renouandum renouat vltionem à Domino de hostibus suis tam in Ægypto, quam in deserto sumptam, docetque quomodo ab eius prouidentia perpetuo pendeant expectanda de cœlo pluuia &c. Denique hanc exhortationem concludit, proposita felicitate & infelicitate, Dei legem obseruantibus aut violantibus, quod postea solenni ritu in montibus Hebal & Garizim trans Iordanem prope Iericho factum est.

Ca. 10. & 11.

LXXIII. Quarta exhortatio Mosaica.

Capite duodecimo, explicaturus deinceps aliqua præcepta ceremonialia & iudicialia, & locum in quo obseruari debeant determinaturus, alia omnia loca, in quibus sacrificabatur idolis, destrui iubet, eademque rudi huic populo & duræ ceruicis crebrius inculcat; permittit tamen alijs in locis occidi pecora, & conuiuia celebrari, modo non sacrificetur, nec sanguis comedatur, & beneficentia erga Leuitas exerceatur, & profanæ ceremoniæ in sacrificando vitentur, ijs tantum adhibitis, quas Dominus præscribit. Capite decimo tertio docet quî puniri debeat, qui populum à veri Dei cultu auertere moliatur, nulla ratione habita vel amicitiæ, vel propinquitatis. Imo & vrbem funditus vastari iubet, cuius incolæ eius sceleris rei fuerint. Sequenti capite præcepta dat, de non imitandis ethnicis in luctu defunctorum, de non comedendis immundis, & beneficentia erga pauperes, peregrinos & Leuitas exercenda, in quorum gratiam peculiarem decimam tertio quoque anno seponi iubet. Septimo autem legem remissionis instituit, quæ vetabat exigi debita à Iudæis inter se; statuit quoque quid eodem anno agendum erga seruum Hebræum, qui noluerit manumitti.

Annus tertius & septimus.

LXXIV. Solennitates Iudæorum. Ca. 16.

Capite decimo sexto renouat præceptum solennitatum Hebraicarum, cum ritibus & ceremonijs suis, Paschæ scilicet, siue Azymorum, Pentecostes siue hebdomadarum, & Tabernaculorum, quæ in loco, à Deo constituto celebrari oporteat, ibique ter in anno non sine munere coram Domino apparere. Præcipit & de iudicibus per tribus & ciuitates constituendis, & cauendis occasionibus idololatriæ, eaque seuere punienda, de appellationibus ad tribunal summi sacerdotis in causis difficilibus eiusque in hoc genere potestate. Denique quænam in eligendo rege obseruanda sint, quæ duo capita, vt scitu perneceſſaria sunt, ita accurate in Annalibus *a* explicata reperies.

Ca. 17. Leges de Pontifice & rege.

Capite decimo octauo repetit iura Leuitarum tam in patrio solo, quam in ciuitate, in qua templum fuerit excitatum. Inde superstitionem prohibet, verum prophetam Messiam suscitandum pronunciat, falsum autem interficiendum. Capite sequenti tres aliæ ciuitates refugij trans Iordanem præscribuntur, vbi terra fuerit occupata, adduntur nonnulla de testibus, terminisque non transferendis.

a An Mos. 120. n. 186 187. & seqq. Iura Leuitarum.

Capite vigesimo iura belli perscribuntur, & qui ab eo immunes esse debeant. Excitat autem populi fiduciam in diuino auxilio, atque adeo præsentia in arca, quæ ad bellum deferebatur. Id enim illa verba significant, *non formidetis eos, quia Dominus Deus vester in medio vestri est.* Quis autem ritus seruandus sit in occulto homicidio, in muliere in bello capta, in filio contumace, & eo qui suspensus est in patibulo, capite vigesimo primo præscribitur. Vigesimo autem secundo charitas fraterna circa res proximi, & humanitas, etiam erga bruta animantia, quod est singulare diuinæ bonitatis argumentum. Adduntur & aliæ peculiares leges eodem capite & sequenti, præsertim de Eunuchis & illegitimis in Dei Ecclesiam non admittendis, ne ipsi cum officijs suis contemnantur. Non tamen excludit eos in perpetuum, sicut Ammonitas & Moabitas. In Idumæos autem & Ægyptios vult eos esse indulgentiores, vt scilicet facti proselyti, ad gerendos magistratus admitti possint.

LXXV. Iura belli aliæque leges contextim.

Capite vigesimo quarto libellus repudij permittitur, aliæque leges accumulantur, sicut & capite vigesimo quinto, vbi nominatim de puniendis Amalecitis præceptum inculcatur. Totum autem caput vigesimum sextum circa agnitionem acceptorum à Deo beneficiorum occupatur. Eo enim refertur oblatio primitiarum de cunctis frugibus in vrbe à Deo electa: & extraordinaria decimatio tertij cuiusque anni in gratiam Leuitarum, & pauperum quod iam supra *b* præceptum fuerat. Sed hæc repetitio argumentum est singularis curæ & prouidentiæ diuinæ erga pauperes, & personas sibi consecratas, sicut humanæ in eosdem negligentiæ, & illiberalitatis. Reliqua est exhortatio ad obseruationem legis, eius, quem in Deum & Dominum suum se elegisse profiteantur, sicque videtur hæc exhortatio terminata. Apparet enim sequenti capite nouum dicendi principium. In quo significatur Moysem non ad vniuersum populum esse locutum, neque enim humana vox à tanto populo exaudiri potest, sed cum senioribus & magistratibus egisse, & maximè cum sacerdotibus & eorum opera cum reliquo populo.

LXXVI. Miscellanea.

b Dt. 14. 26.

Capite vigesimo septimo, quoniam populus externo apparatu magis afficitur ad magni faciendum ea quæ ipsi commendata fuerint, voluit Moyses huiusmodi solennitates & ceremonias adhibere. Itaque iubet transmissio Iordane ingentes erigi lapides & calce læuigari, in eisque describi vel decalogum vel Deuteronomium, aut partem eius aliquam, illam puta quæ est de vnitate & dilectione Dei. Secundo iubet erigi altare de lapidibus impolitis, super quo holocausta & hostiæ pacificæ offerantur, quæ sit ceremonia apprehensæ possessionis terræ illius, & Deo consecratæ. Tertio præcipit vniuersum populum bipertito diuidi Iordane transmisso, & partem vnam septem tribubus constantem stare ad benedicendum populo, super montem Garizim, qui in diuinæ legis obseruatione perseueret, respondendo ad singulas benedictiones pronunciatas à Leuitis *Amen*.

LXXVII. Quinta exhortatio.

c. 6. 4. 5.

Benedictiones & maledictiones Hebræorum.

Alte-

Alteram vero partem in monte Hebal, eodem modo respondendo *Amen*, ad singulas imprecationes. Erant autem hi duo montes valde vicini, imò vt ferunt, quasi duo capita eiusdem montis, sicut de Horeb & Sinai dictum est. Caput autem vigesimum octauum totum refertum est faustis precationibus, & prædictionibus in populum Israëliticum diuinæ legis obseruatorem; & vice versa imprecationibus, & diris denunciationibus in eundem eius violatorem. *Et iuxta huiusmodi prædictiones*, ait Iosephus *a*, *omnia facta sunt atque fiunt, eorum nusquam non congruentibus.* Neque tamen miseri, aperiunt oculos, post tot secula, vt videant se legem violare, in non audiendo propheram Messiam, quem Dominus de medio ipsorum suscitauit *b*.

a l. 4. *Ant.* extremo.

b *Deut.* 18. 15.

Capite vigesimo nono renouatur fœdus cum toto populo, ex mandato Domini, quod pridem in monte Horeb ictum fuerat, renouatur autem, præsente, & tacitè consentiente tota multitudine, vsque ad ipsos lignorum cæsores, & aquæ baiulos. Deinde renouat memoriam beneficiorum diuinorum, & mirabilium operum eius, tam in Ægypto, quam in deserto, quæ isti nondum pro dignitate didicerant æstimare. Quibus ad populi animos præparandos breuiter expositis. *Custodite ergo*, inquit *c*, *verba pacti huius, & implete ea*, quæ scilicet hactenus exposita sunt vobis, *vt suscitet vos sibi in populum; & ipse sit Deus tuus, sicut locutus est tibi*, in Horeb, *& sicut iurauit patribus tuis, Abraham, Isaac, & Iacob Nec vobis solis ego hoc fœdus ferio, & hæc iuramenta confirmo, sed cunctis præsentibus & absentibus*, natis atque nascituris.

LXXVIII. Renouatio fœderis cum nouo populo.

c *Deut.* 29. 9.

Deinde capite trigesimo ne populus post violatam legem desperatione frangatur, more suo Moyses spem veniæ verè pœnitentibus superesse docet *d*, & pristinæ felicitatis redintegrandæ. E contrario autem calamitate ipsorum annum iam reliquis illetimum perdurante, persuasum habere debent se in ira Dei perseuerare, nec ad eum vera pœnitentia conuerti. Denique concludens Moyses omnes adhortationes, populum ad legis obseruationem inuitat, eius facilitate propolita: violatoribus autem imminentem ruinam interitumque denuntiat, etiam cum cœli & terræ obtestatione. Et hactenus quidem diuinarum legum expositio, & commendatio. Deinceps quæ ipsum Moysem, eiusque successorem propius attingunt, à Legislatore perscribuntur.

LXXIX. Spes veniæ delinquentibus.

d *v.* 8. 9.

Itaque trigesimum primum caput noui est sermonis initium, in quo Moyses iterum denunciat toti populo successorem suum, tum ætati suæ iam necessarium, tum diuina ordinatione constitutum. Quia vero tristes & solliciti esse poterant, super morte optimi parentis sui, consolatur eos, excitatque ad fiduciam in Deum, qui eis futurus sit dux & propugnator, & victoriarum largitor, vt adhuc fuerat. Verum quia Dominus hominum ministerio in eorum gubernatione vtitur, iuxta suauitatem prouidentiæ suæ, ad maius hominum meritum, & certitudinem directionis. pergit de successore dicere *e*. *Et Iosue iste transibit ante te, sicut locutus est Dominus*, &c. Nec contentus eum declarare successorem, coram omni populo, maximeque coram Eleazaro pontifice, illum accersitum, instituit Populi ducem, ne qua post mortem Moysi quæstio de hoc munere oriretur. Vnde subditur, *Vocauitque Moyses Iosue, & dixit ei coram omni Israel. Confortare, & esto robustus: tu enim introduces populum istum in terram quam daturum se patribus eorum iurauit Dominus, & tu eam sorte diuides. Et Dominus, qui ductor est vester, ipse tecum erit*, &c. Et inter hæc verba imposuit manus super eum, *ex quo f spiritu sapientiæ repletus est g*; idemque mox ab Eleazaro Pontifice factum, tanquam ordinario huiusmodi functionum administro.

XXX. Iosue instituitur successor Mosis.

e *c.* 31. 3. 4.

Impositione manuũ eius & Eleazari Pontificis.

f *Deu.* 34. 9.

g *videnn.* 27. 18.

Quod autem sequitur de scriptione legis huius à Moyse facta, intelligendum est eam iamdudum scribi cœptam, vt res ipsæ paulatim dicebantur aut fiebant; atque adeo libet Geneseos per otium à Moyse scriptus videtur: Eaque est Iosephi, aliorumque multorum sententia. Postquam autem perscriptus est totus liber, præcepit Leuitis vt eum in latere Arcæ fœderis ponerent, vt ibi conseruaretur in testimonium, & condemnationem populi præuaricatoris. Interim autem præcepit vt septimo quoque anno coram vniuerso populo in festo Tabernaculorũ prælegeretur, vt iuniores instruerentur, & seniorum memoria renouaretur. Caietanus putat singulis annis in scenopegia legem solitam legi, sed populum non obligarum, nisi septimo anno ad audiendum. Iosephus ait à Pontifice legi solitam. Sed in Synagoga per omne Sabbatum legebatur *k*, non quidem integrè, sed per partes, quas sedarim vocabant, in quas eam ipsi diuiserant.

XXXI. Lex scribi iubetur & recitari.

h l. 4. *Ant. cap.* 8.

i *c.* 31. 25. 26.

k *Act.* 13.

Oportebat autem institutionem Iosue publice à Deo comprobari, ideoque iussit eum venire cum Moyse ad Tabernaculum, vt eum ibi alloqueretur. Quo cum venissent l, *apparuit ibi Dominus in columna nubis, quæ stetit in introitu Tabernaculi*: eoque facto à circunfuso populo intellectum est, diuinam esse electionem eius. Quid autem vtrique denunciare vellet, mox subdit, futurum enim ait, vt Moyse mortuo populus hic, qui mox terra vbertima donandus erat, Deos alienos, se deserto sequeretur: ob quod crimen à se destitutus in graues incideret calamitates. Hanc tradidit Dominus Moysi materiam scribendi carminis, quod sequenti cantico continetur, quod *filij Israel memoriter teneant, & ore decantent*, vt ex eorum ore ipsi quoque seipsos arguere possint. Moysen vtique & Iosue contristauit tam triste vaticinium. Itaque Moyses ad præsentes Leuitas, quasi ad populum conuersus, ei exprobrat suam contentionem, ac pertinaciam sæpius frequentatam. Iubetque conuocari omnes maiores natu atque Doctores, vt ipsis audientibus canticum, quod illi Deus inspirauerat, recitaret, & quidem postridie, vt apparet, vt moneri à Leuitis & conuenire possent.

XXXII. Institutio Iosue à Deo palã probatur.

l *c.* 31. 15.

Prædictio defectionis Israëlis, & eius cladis.

v. 19.

Materia cantici.

Itaque congregatis, qui præmoniti fuerant, recitauit Moyses canticum, quod 32. Deuteronomij perscriptum est, assistente ei Iosue, qui cum eo venerat, & quidem, vt res ipsa postulat, magna animi contentione atque feruore. Quo absoluto addidit exhortatiunculam ad obseruationem legis. Quibus dictis *eadem die locutus est Dominus ad Moysem*, iussitque eum in montem ascendere, ibidem pla-

XXXIII. A Mose recitatur.

cide moriturum. Incertum autem est an populus tunc dimissus fuerit, & iterum coactus ad benedictiones singularum tribuum, & contuendum vel corpore, vel oculis Moysen in montem ascendentem, quæ non satis commode in eandem diem cadunt. Vt ergo hæc postrema valedictio, & ascensus in præaltum montem, eumque vna mansione distantem, & contemplatio terræ, & mors & sepultura temporis angustijs non vrgeantur, dicendum videtur mane conuocato populo recitatum fuisse canticum grauiter ac seuere, & addita postrema exhortatiuncula, conuentum solutum fuisse. Eadem autem die sub pomeridianas horas locutum esse Dominum ad Mosem vt ascenderet in montem, ibique moreretur. Eo accepto nuncio conuentum indixit in sequentem diem matutinum, quo per otium populo benedixit, & post multam valedictionem, & populi lacrymas, ascendit in montem cum Eleazaro & Iosue, & cum ijs terram vndequaque contemplatus, placida morte obdormiuit; indeque diuinitus in vallem translatus ac sepultus est.

Summa rerum gestarum, sub obitu Mosis.

XXCIV. Moses ascendere in montem iubetur.

Sed hæc admodum arcta, paululum, si placet, laxemus, ducto à postrema denunciatione mortis initio. Iubet Dominus Mosen ascendere in montem Abarim, id est, transituum, vt transeat ex hoc mundo ad patres suos. Inde autem ascendebatur ad alterum montis iugum, dictum Nebo, ibique morituro exprobrat culpam in aquis contradictionis admissam, sub ipsum articulum infligendæ pœnæ. Sed ea Moysi futura erat acerbissima, si hanc terram laborum suorum mercedem speraßet, & non beatam illam viuentium terram, in qua Deus omne bonum illi erat ostensurus. Animum illius potius angebat illa tristitia, quæ ex denunciata populi defectione ad idola, proficiscebatur. Existimandum tamen est eum in altissima diuinæ prouidentiæ abyssо acquiescentem, aut mitigasse tantum, tamque iustum dolorem, aut ex animo penitus abstersisse, vt in Domino placide obdormiret. Apparet & mitigatum videndæ interdictæ terræ desiderium, maiore fortasse, Deo id agente lætitia, quam si eam pedibus ipse suis victor obambulasset. Qua consolatione Aaron frater natu maior, culpæ socius, peregrinationis & laborum omnium comes, priuatus est.

eius tristitia.

XXCV. Conuocat principes populi.

Accepta igitur postrema denunciatione mortis, acciti principes multitudinis venerunt ad Moysem, quibus migrationem suam in proximum diem patefecit. Gemuerunt illi videlicet, & imminentem suam orbitatem singuli deploratunt: sed & postulatunt vt tam sibi, quam toti populo postremum benedicere dignaretur; quod cum ille facturum recepisset, ad sua tentoria singulos in alterum diem dimisit. Mane facto, cum exisset sermo inter fratres de imminente morte Principis, Legislatoris, atque adeo parentis optimi, conuenit vniuersa multitudo, cui Moses tributim benedictionem impertitus est, tribus tamen Simeonis mysterio aliquo prætermissa est. Quanta vero fuerit omnium comploratio in valedictione quæ secuta est, apud Iosephum *a* & Philonem leges. Scribit Iosephus totum populum lacrymantem sequi voluisse Moysen, sed ab eo iussum non vltra versus montem progredi, substitisse. Solumque Senatum eum ad montem Abarim, cum Pontifice & Imperatore deduxisse, vnde & dimissus est.

& postridie toti populo benedicit.

a l. 4. Ant. extremo.

Sequitur postremum Mosaicorum scriptorum caput, quod Philo & Iosephus, alijque plerique Moysi tribuunt, de futuris, ex diuina reuelatione scribenti; alij Iosue scriptorem malunt, quem potius crediderim, quasi nunc quoque Moysi ministrum, Moyse dictante scripsisse. Ergo vbi peruentum est in summum montis verticem nomine Phasga, ostendit Dominus Moysi hæreditatem Israëli destinatam, à partibus orientalibus in quibus est terra Galaad, ad reliquas mundi plagas, in quibus reliquæ tribus sedes erant habituræ, quæ omnia Moyses oculis perlustrauit. Tum Dominus ad eum *b. Hæc est terra, pro qua iurauí Abraham, Isaac, & Iacob, dicens, Semini tuo dabo eam. Vidisti eam oculis tuis; & non transibis ad illam.* Supplet⁹, Christiane Lector, sed ad aliam longe præstantiorem statim transiturus es, in qua illi ijdem sancti Patres, alijque omnes iusti in pace requiescunt; *exspectantes beatam spem c, & aduentum gloriæ magni Dei, &* Saluatoris mundi Iesu Christi.

XXCVI. Postremum caput Pentateuchi.

Deus ostendit Moysi Chananitidem.

b Deut. 34. 4.

c Tit. 2. 13.

De ipsa vero morte Moysi, hæc ipsa est eius oratio. *Mortuusque est ibi Moyses seruus Domini in terra Moab iubente Domino, & sepeliuit eum in valle terra Moab, contra Phogor, & non cognouit homo sepulchrum eius, vsque in præsentem diem. Moyses 120. annorum erat, quando mortuus est, nec caligauit oculus eius, nec dentes illius moti sunt.* Quibus videtur quatuor complecti, & definire quæstiones, quas quidam incontrouersiam vocarunt. An mortuus sit Moses, quando, vbi, & quomodo, quibus additur sepultura: de quibus non negligenter scriptum est in Annalibus. Hic tantum dico de tempore, ex ipsa Scriptura *d* constare explanationem legis prima die mensis vndecimi fuisse inchoatã, quæ ad summum 30. vel 36. dies tenuit, vt Hebræi in suo Chronico tradunt, cui interpretes plerique consentiunt; eam expositionem mors quamprimum excepit. Vnde consequens est eum duodecimo mense, qui dictus est Adar, fuisse defunctum, quod habet Calend. Hebraicum, Iosephus, & plerique Rabbini. Vt mirum sit in Martyrol. Romano dici Moysem quarto Septembris esse defunctum.

XXCVII. Moysi mors & quædam circa eam habitationes.

Mense duodecimo obit.

d cap. 1. Deut. 3.

Genebr. Adruch.

Quod ad sepulturam attinet, dicitur sepultus in valle terræ Moab contra Phogor, id est, in loco, qui situs est inter montem Abarim, & fanum idoli, cui initiatus fuerat Israel, non autem è regione Iericho, vel Iordanis: cuius libitinarij fuerunt angeli, vt ex traditione affirmat Epiphanius *a*. Quoniam autem non in monte in quo mortuus est, sed in valle sepultus dicitur, putat Caietan. satis probabiliter corpus eius ministerio angelorum delatum per aërem in illam vallem, in oculis eorum qui astiterant morienti, qui tamen non viderunt determinatum in valle locum, nube aliquantum terræ spatium obtegente, vt propterea nemo nosse potuerit locum sepulturæ eius, ne res in idololatriam verteretur. Idque satagebat dæmon, sed restitit ei Mich. ël Archangelus *b*, & manuit occultus locus. Etsi autem non sepeliuit eum populus, fleuit tamen tri-

XXCVIII. Mosaicæ sepulturæ locus.

a hæresi 9.

b Iud. v. 9.

ginti

ginta diebus, sicut & Pontificem Aaronem: steuisset autem fortasse diutius, nisi transitus Iordanis vrsisset. Merito enim luxissent 40. diebus, in gratiam 40. annorum, quos ille in multis ærumnis & lacrymis, illis gubernandis traduxerat.

XXCIX. Eius cōmendatio.

Supersunt sepulchralia laudum ornamenta, quæ Deus ipse in famulum suum conferre voluit *c*: Sic enim eum laudat, vt incomparabilem prædicet, singulari in Deum amicitia, & miraculorum patrandorum facultate, quæ ipsa à Syracide, Philone, Iosepho, ipsoque adeo Moyse commendantur. Quin etiam Gregorius Nyssenus cum vellet exemplar perfectæ & absolutæ virtutis exhibere mortalibes, Moysen assumpsit, vt Xenophon Cyrum, Plato Socratem, M. Tullius L. Crassum; vt ideam quandam perfecti Imperatoris, Philosophi, & Oratoris nobis repræsentarent. Philo quoque & Clemens Alexandrinus Moysen quasi ideam quandam Regis, Sacerdotis, & Legislatoris, omnibus fortitudinis, pietatis & sapientiæ numeris absolutissimam describunt. Nec aliud sensit *e*, aut dixit Ambrosius, qui eum dixit humanæ dignitatis conditionem excessisse. Nihil nos minus in Annalibus videmur aggressi, cum eum Dei filio humana carne circundato, qui est ipsa summa sanctitas, ipse vertex perfectionis, maximeque expressa diuinitatis imago, quam simillimum, & quam maxime comparabilem ostendimus *f* Quem totum locum vt in gratiam eorum, qui epitomas adamant, omisimus, ita & totam Propheræ magni vitam, paucis ad modum versiculis Epitaphio comprehensam vt festinanti Lectori gratificaremur, prætermisimus.

c Deut. 34. 10.

d Eccl. 45.

e Lib. de Cain & Abel.

f n. 336. & seqq.

ANNVS MVNDI 2584.

ELEAZARI 2. IOSVE 1.

AMYNTÆ 9. Imperij Assyr. 653.

ANTE CHRISTVM 1469.

I. Iosue magistratū init.

DEfuncto Moyse, cœpit illico Iosue summum gerere magistratum, ad quod munus recte obeundum & interius diuina gratia, & exterius colloquio diuino roboratur. Illico inquam cœpit; neque enim oportebat tantum, tamque turbulentum populum aliquanto tempore sine principe viuere. Ideoque Moyses statim atque Dominus obitum ei suum aperuit, exemplo suggessit vt de successore prouideret; memor quid se absente ad montem Sinai contigisset. Ideoque à Iosue indictus est 30. dierum luctus funebris, quo durante, sub initium mensis primi, atq; ipso si placet primo die, misit Iosue exploratores, qui trāsmisso Iordane Ierichuntem venerunt: secundo ibi in perlustranda vrbe substiterunt, vt vult Iosephus, & nocte sequente emissi sunt; tertio, quarto, & quinto in montanis latuerunt; sexto reuersi sunt ad suos, & Iosue de re tota docuerunt. Septimo denunciatus est transitus, in diem tertium indictaque præparatio. Eodem die, & secuto octano facta est præparatio, die nono

Otio die cum ysq; sed transitum Iordanis.

cap. 2. 1.

II. Iosue duos mittit exploratores.

Misit ergo Iosue filius Nun de Setim duos viros exploratores in abscondito, & dixit eis, Ite, & considerate terram & vrbem Iericho. Non absurdum est Iosue vltro adeo excitatum vt exploratores mitteret, vt eorum relatione, quos prospera nunciaturos sciebat, & ipse dux, & totus exercitus animaretur. Potuit etiam sponte sua, ex humana prudentia & Imperatorum consuetudine, diuinam iussionem non expectare, vt exploratores quis esset hostium animus, quis belli apparatus referrent, idque licuit dum de contraria Dei voluntate non constaret. Misit autem de mansione postrema, quæ ad Setim, siue Abelsatim protendebatur, duos autem, vt se mutuo auxilio consilioque iuuarent, & quidem non de optimatibus, sed è vulgo cautos & solertes, quos summo capitis periculo, intentis ad omnia hostibus, obijceret.

III. Vt illi rē gesserit.

Illi Iordanem vadoso in loco traijciunt, excubitorum diligentiam, si qui erant adhibiti, emētito, vt videtur, habitu, Deo duce ac comite fallunt, & sub occasum solis, cum plurimi se in vrbem inferunt, ipsi quoque inexplorati furtim in eam penetrant, & quamprimum se in domum mœnibus vicinam conijciunt. Ea fuit Rahab mulieris, vel cauponariæ, vel vt communior est sententia, meretricis; sic enim sæpe à Scriptura vocatur, cum tamen ea vox, & quæ illi Græca & Hebræa respondet, semper in deteriorem partem sumatur. Ea nocte quiete sumpta, postridie vrbem dissimulanter obierunt, & sub vesperam ad suum se hospitium receperunt. Neque tamen tam dissimulanter gesta res est, vt agniti, ad regemque delati non fuerint. Qui missis lectoribus, iussit eos ex hospitio educi, & scilicet in viacula conijci. Sed eorum aduentum præsentiens mulier callida, atque anteuertens *a, viros abscondit in solario domus suæ, sub stipula lini.* Nec potuit eos statim per fenestram emittere, ne res à superuenientibus deprehēderetur. Sed erat etiam quod illis, de sua, & suorum incolumitate, communicaret.

Inquirūtur & latent.

a Iosue 2. 6.

IV. Rahab in eos officiosa.

Illa ergo regijs nuncijs, *Fateor*, inquit, *venerunt ad me, sed nesciebam vnde essent, cumque porta clauderetur in tenebris, & illi pariter exierunt, nescio quò abierunt: persequimini cito & comprehendetis eos.* Atque ita eos ab se dimittit, spe data fore vt exploratores comprehendant. Idque sibi gratum adhortatione sua simulans, cautè à se suspicionem proditionis amolitur. *Hi autem qui missi fuerant secuti sunt eos, per viam quæ ducit ad vadum Iordanis*, rati eos moliri reditum ad suos, *illisque egressis statim porta clausa est*, quam rursum aperuerant egressuris: eoque factum est diuinitus, ne regredi possent ad perscrutandam domum. Interea mulier adit hospites suos, necdum enim obdormierant, somnum excutiente timore, & ait, *Noui quod Dominus tradiderit vobis Terram*, quam scilicet habitamus, nec adest ad propugnandum animus, *etenim irruit in nos terror vester, & elanguerunt omnes habitatores terræ* Chanaan, auditis quæ Deus in Ægypto, & in mari rubro, & recens contra reges Amorrhæorum,

in gra-

in gratiam vestri mirabiliter perpetrauit. Itaque *Dominus Deus vester*, inquit, *ipse est Deus in cœlo sursum, & in terra deorsum.*

V. Eiusdem fides, an proditionis rea.

Hic illa fides agnoscitur, quam celebrat Paulus Apostolus *b*, cuius ope non periit cum incredulis. Credidit enim proscriptam à Deo omnium Domino ciuitatem suam, ciuesque addictos internecioni; Israelitas vero suis possessionibus donatos. Itaque deinceps abitorum, non autem à ciuium suorum partibus stare constituit. Ergo & proditionis culpa omnis purgatur, si diuinam voluntatem patriæ anteulit charitati. Neque hospitibus fauet, vt patriæ per iniuriam noceant, sed vt per eos Dei voluntati obtemperetur: Quanquam neque eorum vitæ exitio patriæ futura erat, neque cæles saluti. Interim prudens mulier se suaque in tuto ponere cupiens *c*, *iurate*, inquit, *mihi per Dominum, vt quomodò ego misericordiam feci vobiscum, ita & vos faciatis cum domo patris mei, detisque mihi verum signum, vt saluetis patrem meum & matrem, fratres ac sorores meas, & omnia quæ illorum sunt, & eruatis animas nostras à morte.* Non vltra Deum Hebræorum vocat, sed simpliciter dominum, quod ipsa quoque eundem Dominum ac Deum habere vellet, quem iam cœli ac terræ Deum professa erat.

b *Hebr.* 11. 31.

Exigit iusiurandum.

c *vers.* 12.

VI. Quod exploratores præstant.

Illum ergo sibi vult in testem assumi, dandæ fidei de propinquorum suorum salute: neque sui nominatim meminit, non dubitans id eos vltro titulo gratitudinis esse facturos, aduersus eam, quæ pro ipsorum salute certissimum capitis discrimen adijsset. Quod autem neque mariti meminit, neque liberorum, haud obscurum indicium est eam hactenus corpore quæstum fecisse. Hic Hebræi; *animæ nostræ*, inquunt, *sit pro vobis in mortem, si tamen non prodideris nos.* Mortem sibi à Deo imprecantur, nisi steterint promissis: qui & dant ei funiculum coccineum, quem illa è fenestra suspendat, ex qua demissi fuerint, vt agnito tutelari symbolo, domus vniuersa, cum omnibus quæ in ea fuerint, in tuto sit, & ab omni iniuria libera. Demisit ergo eos per funem de fenestra, domus enim eius hærebat muro. Addidit & prudens consilium conscendendi ad montana, opposita perquisitoribus via, qui campestria ad vada Iordanis lustraturi erant, vt exploratores ad suos se recipientes, comprehenderent. Sed & illud cauere prouidit, vt triduo essent in latebris, dum illi desperata inuentione redissent, & sese in vrbem recepissent. Ita dictum factumque. Nam perquisitoribus ad vrbem reuertis, quod credederent prima iam nocte illos Iordanem traiecisse, *descenderunt de monte*, & reuocati ad suos, magno eos gaudio affecerunt, siue quod iam de eorum salute dubitarent, siue quod ostenderent in manu esse victoriam, hostibus iam timore dejectis atque prostratis.

Signum coccinei funiculi.

Ad suos redeunt.

VII. Indicitur præparatio triduj.

Reuersis exploratoribus, iuxta rerum gestarum ordinem iam constitutum, die septimo mensis primi indicta est iussu Iosue præparatio ad transitum Iordanis in diem tertium. Pertinebat enim ad Imperatoris prudentiam, non indicere aliquò totius exercitus profectionem, rebus & locis inexploratis. Mittere autem exploratores, & non expectare reditum, est irritam reddere missionem. Monitus autem est populus per duces ac tribunos suos. Nominatim vero qui possessiones à Mose trans Iordanem acceperant, vt armati Iordanem transirent, & fratribus in obtinenda regione, vt Mosi promiserant, auxilio essent: qui responderunt se in officio fore: quin etiam bene precantes duci suo, pœnam in non obedientes vltro deposcunt. Elegit porro ex eis Iosue *d* 40. millia duntaxat, siue quia is numerus sufficiebat; nam reliquæ tribus quingenta sete armatorum millia constituebant, siue quia plerique relinquendi erant, qui imbelli multitudini, & regioni recens acquisitæ præsidio essent.

Monentur & tribus quæ trans Iordanem.

d *cap.* 4. 13.

His ita transactis, & biduo iam positu in præparatione itineris, nono die primi mensis, iuxta prædicta, Iosue ad Iordanem castra mouet, vt illum postridie transmittat. Nam quod S. Hieronymus habet moratos ibi esse tres dies, ex Hebræo interpretandum est, in quo habetur, & pernoctarunt ibi antequam transirent. Et fuit in fine trium dierum & transierunt, &c. Euolutis ergo tribus diebus præparationi destinatis, in fine tertij diei ante noctem a *transierunt præcones per castrorum medium, & clamare cœperunt. Quando videritis Arcam fœderis Domini Dei vestri, & Sacerdotes stirpis Leuiticæ portantes eam, vos quoque consurgite, & sequimini precedentes, sitque inter vos & arcam spatium cubitorum duum millium, vt procul videre possitis.* Si enim multitudo arcam pone secuta esset, operuissent eam, ne à remotis videri posset. Erat id quoque argumentum venerationis populi aduersus eam. *Dixitque Iosue ad populum, Sanctificamini*, id est, præparate vos, sancti & puri estote corpore & animo. *Cras enim faciet Dominus inter vos mirabilia*, prouidete ne cuiusquam culpa, Dei opera mirabilia retardentur. Inde iussu Dei monet Sacerdotes, vt populum cum arca præcedant.

VIII. Nono die itur ad Iordanem.

a *cap.* 3. 2. 3. &c.

His nono die confectis, secuta est decima, qua transitus mirabilis per medium Iordanem contigit; ad cuius initium pertinent illa verba Domini *b*. *Hodie incipiam exaltare te coram omni Israel, vt sciant quod sicut cum Mose fui, ita & tecum sim*, & te mirabilibus operibus illustrem, sicut feci Moysi. Pergit. *Tu autem præcipe Sacerdotibus, qui portant arcam fœderis, & dic eis, cum ingressi fueritis partem aquæ Iordanis, state in ea.* Vult scilicet vt Sacerdotes cum arca in citeriore ripa extrema, vbi aquam pedibus attigerint, consistant, dum aquæ hinc inde transitum præbeant, superioribus, quæ ad dexteram erant, consistentibus & intumescentibus; inferioribus autem, quæ ad sinistram, meridiem versus decurrentibus, atque deficientibus, idque non puncto temporis, ne miraculum satis notari non posset, sed perbreui tempore ampla via & sicca per medium Iordanis alueum sterneretur. Tum Sacerdotes progrederentur cum arca vsque ad medium Iordanem, ibique subsisterent, quasi prohibentes Arcæ præsentia decursum fluminis, & secutum populo, siccumque transitum præstantes, qui consequenter totus mirabiliter & impune pertransiret.

IX. Dies decima transitus.

b *vers.* 7.

Eiusque modus à Deo destinatus.

Iussit autem Iosue eligi duodecim viros, singulos de singulis tribubus, qui scilicet honoris causa Arcæ Dei, & Sacerdotibus adstarent, vice duodecim tribuum, & propius mo-

X. Duodecim viri Arcæ adstant.

dum

dum miraculi notarent, qui merito censentur diuersi ab ijs, qui postea lecti sunt bajuli duodecim lapidum, in perpetuam tanti prodigij memoriam. Quamuis autem proprium esset Caarhitarum munus ferre arcam, in pompa tamen ista, & postea in circuitione Iericuntina, alijsque similibus, reuerentiæ causa, eam quatuor Sacerdotes, & quidem nudis, vt aliqui putant, podibus, detulerunt. Erant enim ad Arcæ latera breuiora affixi vectes, ne si duo tantum eam ferrent, vectibus ad latera longitudinis affixis, vnus terga Arcæ indecore verteret, quod Theodoretus c valde improbat. Sed totam hunc locum reperiet Lector in Annalibus accuratius explicatum.

Quæ à quatuor Sacerdotibus defertur.

c q. 20. in 2. Reg.

Ingressis porro Sacerdotibus Iordanem d, *& pedibus eorum in parte aquæ tinctis, steterunt aquæ descendentes* ex mari Galilææ, & Libano monte; vbi fontes Iordanis esse memorantur, in vnum locum, & instar montis secundum fluuij latitudinem porrecti *intumescentes apparebant procul ab vrbe quæ vocatur Adom, vsque ad locum Sarthan.* Factus est primo tumor, qui à longè appareret, deinde retrocessio, quam celebrat Dauid, aquis ab illo tumore, quasi ab obiecto monte, repercussis, & retroactis in caput suum. Inferiores autem in mare mortuum descenderunt, vsquequo omnino deficerent. Quod prodigium eo fuit illustrius, quo maior fuit eo tempore aquarum copia, qualis solet tempore messis in Iordane e contingere. Ad contactum porro Sacerdotalium pedum, Angelo Domini aquas submouente, & solum exsiccante, Sacerdotes cum Arca ad medium fluminis progressi sunt, ibique substiterunt, dum totus populus maiore fiducia transiret per arentem alueum.

d Ioſ. 3. 15. 16.

XI. Aquæ diuiduntur, & intumescunt, & regrediuntur.

e 1. Par. 12. 15. & Eccl. 24. 36.

Quibus transgressis f, & Sacerdotibus cum Arca in medio Iordanis alueo stantibus, donec omnia complerentur, iussit Dominus eligi duodecim viros, qui totidem lapides de medio Iordane tollerent, quos in proximo castrorum loco, qui Galgala dictus est, in monumentū constituerent, essentque quasi trophæa singulis tribubus de superato Iordane. Itaque admodum magnos fuisse credere par est, vt sua ipsi mole eodem in loco immoti permanerent, sicque fieret monumentum perennius. Ideoque valentissimos in quaque tribu electos fuisse existimandum est, qui certatim quam possent maximos ferrent, præsertim cum non longe ferendi essent. Hebræi certe prægrandia saxa ab eis allata dicunt. *Alios quoque duodecim lapides posuit Iosue in medio Iordanis*, in alterum aceruum monumenti, *& sunt ibi*, ait Scriptura, *vsque in præsentem diem.* Quanquam hic loquendi modus singulorum distinctionem indicat potius, quam molem ex omnibus coagmentatam. Eos Augustinus g ex continenti delatos putat, in locum eorum, qui ex aquarum medio extracti fuerant.

f c. 4. 1. 10.

XII. Ex alueo 12. lapides extrahuntur in monimētum.

Et totidē immittuntur.

g Sed 105. de temp. & l. 2. de Mir. c. 1.

Festinauitque populus, & transijt. Nonnullus enim erat in transeundo timor, in tam insolito spectaculo, & periculo apparente, à quo se quisque quamprimum expeditum atque ereptum cupiebat. Etsi enim Dei verbo nitebantur, aliquando tamen nutat humana constantia, & homines modicæ fidei prodit. Antecesserunt autem reliquum exercitum 40. millia bellatorum ex tribubus trans Iordanem habitantibus, & per turmas suas incedebant per campestria vrbis Iericho. *Cumque transissent omnes, transijt & Arca Domini, Sacerdotesque pergebant in conspectu populi*, qui in vlteriore ripa ordinate substiterat h, *Cumque ascendissent*, ait Iosue, *portantes arcam fœderis Domini, & siccam humum* vlterioris ripæ *calcare cœpissent, reuersæ sunt aquæ in alueum suum, & fluebant sicut ante consueuerant.*

XIII. Populus transit festinatè.

h c. 4. 18. Et Sacerdotes cū arca.

Aquæ repetunt locum suum.

Non est autem existimandum, vt quique de populo primi vlteriorem ripam attigissent, ita fuisse progressos ad locum stationi destinatum. Sed in ea potius primi expectauere postremos, cumque omnes simul, signo ab Imperatore dato, ita progressi sunt, vt primum arca Domini, quæ vltimum ex Iordane fuerat egressa, vniuersum populum cubitis bis mille anteiret, vt esset itineris dux, populi propugnatrix, hostium territatrix. Tum sequerentur Rubenitæ cum socijs: deinceps reliquæ tribus, donec veniretur in locum, qui postea Galgala dictus est, locum stationi idoneum, si ibi diutius, vt contigit, consistendum esset: Ibique primum Arcæ ac Tabernaculo attributo loco, eadem videtur Leuitarum, & tribuum descriptio circunquaque seruata, quæ fuerat à Mose iussu Domini in deserto præscripta. Duodecim autem illos lapides iuxta tabernaculum erexit, vt venientibus ad tabernaculum occurrerent, ad renouandam miraculi memoriam, sine vllo ministerij Sacerdotum aut Leuitarum impedimento.

XIV. Ordo progrediendi in locum castrorum.

Quidnam porro causæ fuisse dicamus, quod tam pacata fuerit aduersa ripa Iordanis, nulli eam Amorrhæi, aut Chananæi tutati sint, nulli transeuntibus Israëlitis, aut ad oram hostilem appellentibus, quidquam negotij exhibuerint. Dico breuiter triplicem huius rei causam proferri posse; diuinam prouidentiam, qua voluit Israëlitarum formidini in hoc aditu regionis promissæ consultum: improuidam securitatem; quod terrent Israëlitas plurimos iam dies in Moabitarum campestribus hærere, atque in deuictorum regum regione sedes fixisse; denique ingentem pauorem, cuius Rahab nuper testimonium dederat, & Dominus ipse dixerat. *Hodie incipiam mittere terrorem atque formidinem tuam in populos, qui habitant sub omni cœlo, vt audito nomine tuo paueant, & in morem parturientium contremiscant & dolore teneantur.* Denique audierant, vt eadem Rahab fatebatur, transitum maris rubri, & sepultos in medijs fluctibus Ægyptios: similem igitur aliquam calamitatem in Iordanis exundantis fluctibus merito formidabant. Vbi autem prodigiosum istum transitum didicerunt, quasi hostem iam in suis furentem penetralibus haberent, aut gladium eius in proprijs visceribus grassantem, exanimati sunt.

XV. Cur nemo restiterit trāseuntibus.

1.

2.

3.

4.

Dum autem attoniti Chananæi quiescunt, neque audent Israëlitas inuadere, tempore paschatis imminente iubet Dominus a *secundò* circuncidi Iudæos, id est, circunctionem longo interuallo intermissam in praxim reuocari. Quod factum videtur vndecimo primi mensis die, vt vulnus ante pascha sanatum, eius diei lætitiam non impediret. Facta est autem Dei iussu cultris lapideis, vt olim à Sephora, licet id in lege definitum non esset. Estque verisi-

XVI. Indicetur generalis circuncisio.

c. 4. 5. 2. & quando facta videatur. Cultri lapidei.

mile fuisse illos lapides, quales magna copia in Andegauensi solo eruuntur, qui facile ita acuuntur, vt scindant: quos vulgo Ardoises vocamus, & tectis integēdis, quasi scandulis vtimur. Fecit Iosue, & alij quibus id ipse commiserat, *quod iusserat Dominus, & circumcidit filios Israel in colle præputiorum*, qui scilicet inde nomen accepit, aut potius quòd illuc proiecta fuerint ac sepulta præputia. Erat autem incircumcisus totus populus, qui annis quadraginta nati fuerant in deserto; qui si pascha nihilominus celebrarunt, in ea re à Domino lege soluti sunt. Non est autem dubium, quin eodem tempore, mandato Iosue, circumcisio trans Iordanem celebrata fuerit; ab ea quippe potius excusari poterant, qui erant in hostili solo, quam qui in proprio, quiete fruebantur.

Circumcisio trās Iordanē.

XVII. Galgal vndedicatur.

De Paschate non est par ratio. Nam de ijs qui Iordanem traiecerant scriptum est, *Manseruntque filij Israel in Galgalis*, Ita dictus est nouus castrorum locus, quod ibi Dominus per circumcisionem abstulisset ab Israëlitis opprobrium Ægyptij, quibus, dum essent in circumcisi perinfimiles videbantur. Galgal enim ablationem significat: ibi ergo *fecerunt Phasc quarta decima die mensis ad vesperam in campestribus Iericho.* Cæteri autem non videntur hoc anno celebrasse Pascha, quia non poterat edi, nisi in loco, vbi erat Sanctuarium: at illi non poterant in tempore trajicere tanto numero exundantes Iordanis aquas: neque lex adhuc obligabat, quod terra promissa nondum pacifice possideretur. Fuit itaque hoc tertium Pascha à Iudaico populo celebratum *b*. Primum fuit in Ægypto, sub ipsam eius institutionem. Alterum in deserto Sinai, sub ipsam Sanctuarij, & Sacerdotum dedicationem, à quibus agnus in tabernaculo immolabatur, licèt in priuatis ædibus consumeretur. Tertium post Annos 39. in Galgalis.

Pascha num celebratum trans Iordan.

tria Paschata. b *vide Tostatum.* 33. *Exod. q.* 26. & 27

Quod autem sequitur in textu *c*, *& comederunt de frugibus terræ die altero azymos panes, & polentam eiusdem anni*, dubitationem habet. Quoniam enim Pascha decima quarta die celebratum est, dies altera videtur significare decimam quintam sequentem. Ac repugnat illud Leuitici *d*, *Panem & polentam & pultes non comedetis ex segete, vsque ad diem, qua offeretis ea Deo vestro.* Is autem dies omnium consensu, erat decimus sextus, siue secundus azymorum, ex quo incipiebant numerari septem hebdomadæ Pentecostes. Dici potest diem alterum hic intelligi alterum à solennitate Paschali. Nam in lege scriptum est *e*, *Mense primo quartadecima die mensis, Phase Domini erit, & decimaquinta solennitas.* Alter ergo dies à solennitate erit decimus sextus, qui quasi proprio nomine alter Paschæ, & postridie Paschæ, & secundus Paschæ dicitur. Certe in Hebræo hoc loco habetur *f* pro die altero, *à crastino Paschæ*, siue post crastinum Paschæ. Itaque hic ordo rei gestæ fuit, Die decima quarta ad vesperam comederunt Israëlitæ Agnum Paschalem, & cum eo azymos panes, vel ex manna confectos, vel ex vetustis frugibus, ex regione trans Iordanem delatis, vel potius sublatis ex pagis circa Iericho, terrore hostili desolatis: & huiusmodi azymis sequenti quoque die vsi sunt. Die autem decimo sexto è collectis spicis virentibus factus est secundum legem primitiarum manipulus, Deoque oblatus, moxque eodem die ex istiusmodi nouis frugibus fecerunt polentas, & vulgò comederunt.

XVIII. Quando primum vesci frugibus cœperint. c c.5.11. de.23.14

e Num. 28.17.

Præsertim nouus.

f Apud Seruat. q. 34 in c.5. Iosue.

Defecitque, inquit Iosue g, *manna postquam comederunt de frugibus terræ, nec vsi sunt vltra cibo illo filii Israel, sed comederunt de frugibus præsentis anni terræ Chanaan.* Non ait Scriptura defecisse manna postquam Israëlitæ comederunt de nouis terræ frugibus, sed simpliciter de frugibus terræ. Et cum terræ fruges, siue præsentis, siue præteriti anni suppleant mannæ necessitatem, non videtur posse assignari dies, quo cessauit manna depluere; apparet enim ex Scriptura cessasse cum primum habuerunt de frugibus terræ, siue præsentis, siue potius præcedentis anni, vnde viuere sine manna possent. Quo pertinet illud Exodi *a*, *filii Israel comederunt Manna 40. annis, donec venirent in terram habitabilem vsquequo tangerent fines terræ Chanaan.* Quod à multis iam diebus contigerat trans Iordanem

g c.5.12.

XIX. Quando manna defecerit.

a c. 16. fi.

Cum autem esset Iosue in agro vrbis Iericho h, recesserat videlicet aliquantulum à castris, Deo ita disponente, vt solus à solo inueniretur. *Leuauit oculos, & vidit virum stantem contra se*, vel potius viri specie Angelum, siue is erat, qui in columna nubis duxerat in deserto populum, seu potius Michaël, quando ipsemet se vocat principem exercitus Domini: gestabat autem ereptum è vagina gladium, cum cætero armorum apparatu, vt putat Seratius; & conueniebat illi Angelo totus hic apparatus, vt qui diuinitus ad Iosue mittebatur inchoandi belli nuncius, imò dux & comes. Sed ignotum compellat Iosue, *Noster es, an aduersariorum?* id est, Hebræus an Chananæus vtrumque negat Angelus, *Sed sum*, inquit, *Princeps exercitus Domini.* Ad quæ verba venerabundus *Iosue*, sensit enim eum esse verum Dei Angelum, & horrore perfusus, *cecidit pronus in terram*, simulque rogat, quam ob causam venerit, & quid nunciare velit. Quæ priusquam enuncier, iubet eum exuere calceos, & terram Angelica præsentia sanctificatam, cum veneratione calcare: quod ille statim executus est.

XX. Angelus apparet Iosue. h c. 5.13.

Inseritur autem parenthesis de vrbe Iericho, quæ fortassis erat in conspectu, *Iericho autem*, inquit, *clausa erat, atque munita, timore filiorum Israel, & nullus egredi audebat, aut ingredi*: & ad eam vicinorum circumquaque pagorum incolæ, vt fit, cum rebus suis confugerant. Eum timorem magis repræsentat Chaldæus Paraphrastes. *Et Iericho*, inquit, *erat clausa foribus ferreis, & roborata vectibus chalybeis, à facie filiorum Israel.* Ea distabat, vt ait Iosephus *i*, 60. stadijs à Iordane, 10. à Galgalis, vbi erant castra Israëlitarum, 150. Hierosolymis. Agrum habebat feracissimum, hortos deliciosissimos: vnde illud Prouerbium, *plancatio rosæ in Iericho*, palmas omnis generis pulcherrimas, vnde & *Ciuitas palmarum* dicta est; ibidem & balsamum nobilissimum, aliaque plurima, de quibus Iosephus consuli potest. Ex quibus intelligitur vrbem magnam, populosam, delicijs diuitijsque abundantem, etiam vitijs abundasse, propter quæ sæpius euersa, & excitata est.

XXI. Vrbs Iericho qualis.

i c.5. Ant. c.1. & l.5. de Bello c. 4.

Sed

XXII. Modus expugnādæ vrbis.

Sed redeamus ad Iosue. Cui Dominus nunciat quomodo expugnari velit hanc vrbem, *Circuite*, inquit, *vrbem cunctis bellatores semel per diem, sic facietis sex diebus. Septimo autem die*, vel potius quotidie, iuxta Hebræum textum & Græcum regium, & Chaldæam paraphrasim. *Sacerdotes tollant septem buccinas, quarum vsus est in Iubilæo, & precedant arcam fœderis: septiesque circuibitis ciuitatem, & Sacerdotes clangent buccinis. Cumque insonuerit vox tubæ longior atque concisior, & in auribus vestris increpuerit, conclamabit omnis populus vociferatione maxima, & muri corruent funditus ciuitatis: ingredienturque singuli per locum, contra quem steterint.* Hæc summa rei, atque victoriæ intra septem dies obtinendæ. Quibus dictis euanuisse Angelum rationi consentaneum est, etsi is nō defuit præsentiæ suæ mirabilibus facinoribus subinde demonstrandæ. Inchoata porro est ista circuitio vigesimo secundo die mensis primi, post dies azymorum in festiua quiete transactos, & per otium persanatis omnibus circuncisis.

XXIII. Tempus & ordo.

Quæ cum mature Iosue Sacerdotibus, populoque nunciasset, transactis Paschalibus festis, Iosue summo mane surgit, & permultis cū imbelli multitudine ad castrorum custodiā relictis, reliquam aciem ad circuitionem ciuitatis educit. Progredientium autem hic ordo fuit, vt in fronte armatorum agmen incederet, siue id Iudæ & sociorum fuit, siue selecta illa 40. millia armatorum: quos sequebantur Sacerdotes vndecim, quorum septem personabant tubis, quatuor arcam humeris gestabant, eosque reliqua bellatorum multitudo sequebatur. Hic autē adhibitus est modus, vt sex prioribus diebus semel tantum vrbem circuirent, in magno populi silentio, solis Sacerdotibus tuba clangentibus. Die autem septimo post septem circuitiones, dato ab Imperatore signo, ab omnibus contentissima voce conclamatur. Eumque clamorem ruina murorum consecuta est. Itaque Ierichuntem vt ait Chrysost. *d* Israëlitæ choræas agentium more potius, quam bellantium cuerterunt.

d hom. 21. in Epist. ad Ephes.

XXIV. Denunciatio anathematis. *vt ca. 6. 17.*

Sed antecessit denunciatio anathematis Ierichuntini ab Imperatore in hæc verba *e*, *Sit hæc ciuitas anathema Domino, & omnia quæ in ea sunt; Sola Rahab meretrix viuat, cum vniuersis qui cum ea in domo sunt*: abscondit enim nuncios quos direximus. *Vos autem cauete ne de his quæ præcepta sunt* disperdi *quippiam contingatis*, seponatis scilicet, & reseruetis in proprium vsum: *& sitis prauaricationis rei, & omnia castra Israel sub peccato sint, atque turbentur.* Peccato scilicet sacrilegij, & violati voti, quandoquidem omnia erant Domino, quasi in holocaustum consecrata. Pergit. *Quidquid autem auri & argenti fuerit, & vasorum æneorum ac ferri, Domino consecretur, repositum in thesauris eius*, Vt sic primitiæ ciuitatum terræ promissionis offerantur Deo, qui solus hanc ciuitatem expugnauit. Ad cuius cultum omnia quæ reseruabantur erant applicanda, non humanis vsibus. In cæteris autem deinceps vrbibus res aliter habuit.

XXV. Muri cor

Quid plura? clangentibus tubis, & exercitu vociferante muri illico corruerunt. Angelis enim Dei iussu vim suam ex æquo circumquaque applicantibus, murum in exteriorem pomœrium impulerunt, vt parietinis fossæ, si quæ erant implerentur, & facilior esset Israelitarum transitus per ruinas. Deiectis ergo muris ascendit vnusquisque per locum, qui contra se erat, ceperuntque ciuitatem, & interfecerunt omnia quæ erant in ea, à viro vsque ad mulierem, ab infante vsque ad senem. Boues quoque & oues & asinos in ore gladij percusserunt. Magnitudinem cædis æstimandam dedit Iosue cum ex ore Domini sic loquitur *f*. *Transistis Iordanem, & venistis ad Iericho, pugnauerunt contra vos viri ciuitatis eius, Amorrhæus, & Pherezæus, & Chananæus, & Hetthæus, & Gergezæus, & Heuæus, & Iebuzæus, & tradidit illos in manus vestras.* Omnes istas nationes præsidiarios milites misisse significat ad defendendam ciuitatem: quin etiam pugnasse illos ait. Vel cum prostrati fuerint muri sese defendentes; vt erant in armis, occisi sunt; vel pugnare idem est quod propugnare, sicque etiam sine pugna exangues metu trucidati sunt.

ruunt, & vrbs capitur.

f c. 24. 11.

Sequitur liberatio Rahab, & vniuersæ cognationis eius. Nam Iosue in ipso primo in vrbem ingressu dixit duobus viris, qui nuper exploratores missi fuerant. *a Ingredimini domum mulieris meretricis, & producite eam, & omnia quæ illius sunt, sicuti illi iuramento firmastis. Ingressique iuuenes eduxerunt Rahab, & parentes eius, fratres quoque & cunctam supellectilem, ac cognationem illius, & extra castra Israel manere fecerunt.* Idque ad dies aliquot purgatorios, vt ait Caietan. in quibus post institutionem in veri Dei cognitione, masculi circuncisi sunt, & mulieres ablutæ. Deinde inter Israëlitas tanquam proselyti habitarunt. Nec difficilis fuit ista conuersio. Nam Rahab ipsa in eam vltro magna propensione pendebat, vt ex ipsius cum exploratoribus oratione intelle ctum est. Eadem fuit mens ac voluntas cognatorum eius, qui Dei Israëlitarum potentiam super omnes Deos, vel ex murorum prodigiosa disturbatione apertè cognorant. Neque aliter à lege potuerunt eximi de omnium Chananæorum internecione, quæ cum hac exceptione intelligitur. Nisi suam illi superstitionem velint cum veri Dei cultu, puraque religione mutare.

XXVI. Rahab cū suis liberatur. *a ca. 6. 22.*

& ad Deū conuertitur.

Accessit & honos coniugij cum Salmone filio Naassonis principis in tribu Iuda. Id si dubium videtur habita ratione tam mulieris olim meretricis, quam viri principis in nobilissima tribu, dici potest, eam fuisse inferioris conditionis vxorem, quam scriptura concubinam vocat, qualis fuit Cethura & Agar Abrahæ, Zelpha & Bala Iacobi Patriarchæ. De ipso certe coniugio Matthæus euangelista dubitare non sinit, qui ex eo matrimonio Booz genitum esse testatur. Sed longe illi maior, quam ex Salmonis coniugio dignitas adiecta est, cum eam Christus Dominus in progenitorum suorum serie habere dignatus est. Quorum autem annum vterque ageret cum in matrimonium consensetunt, etsi non sine causa quæritur, propter historiam Booz & Ruth, nihil tamen certo statui potest. Putarem sane Salmonem Phinees fere æqualem, annorum fuisse circiter 34. Vt tota series annorum, quam alio loco digeram, in progenie Dauidis

XXVI. Eam ducit Salmon.

eorum ætas.

recte constet, Rahab vero viginti quinque, aut summùm triginta.

XXVIII. Imprecatio Iosue contra Iericho.

Exciſa ciuitate imprecatus eſt Ioſue, vt quiſquis olim aggreſſus eſſet vrbem Iericho inſtaurare, id ei in omnium ſuorum liberorũ exitium cederet, ſic vt initium operis eſſet illi exitium filij natu maximi, inter ædificandum interirent cæteri, neque extremam adderet manum, niſi cum morte poſtremi filiorum. Id poſt quingentos & triginta ſeptem annos, tempore Achabi regis Hieli contigit, vt eſt in tertio Regum *b*, quem Septuag. vocant Hozan de Bethel, qui in Abiran primo genito ſuo fundauit eam, & in Segub nouiſſimo ſuo poſuit portas eius, iuxta verbum Domini, quod locutus fuerat in manu Ioſue. Ergo diuino afflatu locutus, nihil dixit inhumanum, ſed religioſe potius optauit hanc vrbem in tumulum ſempiternum manere, & monimentum diuini in murorum euerſione prodigij, quod extabat, dum non eruderabatur ad ædificandum locus.

Cairi. Maſius, Abul.

b 2.16.34.

XXIX. Achani ſacrilegium.

In iſta ruina & deflagratione ciuitatis Achan filius Charmi de tribu Iuda ſacrilegium admiſit, ſibi vſurpando, quod Deo fuerat ſolenniter conſecratum. Vidit enim, vt ipſe mox faſſus eſt, inter ſpolia pallium coccineum valde bonum, & ducentos ſiclos argenti, regulamque auream quinquaginta ſiclorum, & concupiſcens abſtulit, & abſcondit in terra contra medium tabernaculi ſui, argentumque in foſſam deiectum, humo operuit; & quidem conſcia familia, vt ex communi pœna colligi poteſt. Sed non diu furto ſuo frui potuit, imo ne fruitus quidem vllo modo eſt. Adhuc enim in terra obruta erant omnia, cum miſer in culpa, Deo patefaciente, deprehenſus, eam ſeuera morte luit. Ex quo etiam intelligitur ſtatim vel paucis poſt diebus à deleta Iericho Ioſue ad debellandam Hai fuiſſe progreſſum, Deo præter eius opinionem, minime propitio, vt euentus docuit. Cum enim miſiſſet Ioſue tria pugnatorum millia ad eam expugnandam, negarunt enim pluribus opus eſſe, qui eam explorauerant, contra eos miles ex vrbe prorumpens perterritos in fugam vertit, & per prona fugientibus imminens, triginta ſex viros ex eis occidit.

Cladis in pugna contra Hai.

XXX. Indeque Ioſue & Iſraelitarum mœror.

Quod cum innotuiſſet in caſtris, pertimuit cor populi, & inſtar aquæ liquefactum eſt. *c Ioſue vero ſcidit veſtimenta ſua, & pronus cecidit in terram coram arca Domini vſque ad veſperam, tam ipſe, quam omnes ſenes Iſrael, miſeruntque puluerem ſuper capita ſua*, nulla interim corporum curandorum ratione habita, vt ait Ioſephus *d*, ſimulque ad Deum confugiens lamentabiliter ei cordis ſui æſtum exponit. Cui Dominus cauſam cladis aperit admiſſum ſacrilegium, iubetque reum ſortione indagari, & puniri, alioqui *non poterit Iſrael*, inquit, *ſtare ante hoſtes ſuos, eoſque fugiet.* Monet populum Ioſue, vt ſe in craſtinum diem, ad diuinum examen paret, quod ab Eleazaro Pontifice factum à Ioſepho dicitur. In eo ſortitione per tribus, per familias, per domos, & per viros facta inuenta eſt tribus Iuda, familia Zare, domus Zabdi, & perſona Achan. Cui Ioſue, *fili mi da gloriam Domino Deo Iſrael, & confitere, atque indica mihi quid feceris.* Redundabat enim ad gloriam Dei iſta confeſſio, qui eum ſortibus, quas ipſe temperat, nocentem prodidiſſet.

c Ioſue 7.6.

d lib. Ant. 6.1.

Achan reus agnoſcitur.

Hic reus rem totam principi aperit; qui illico mittit apparitores ad tabernaculum eius, qui inuenta omnia ad Ioſue detulerunt, & ad omnes filios Iſraël, *proiecerunt que ante Dominum*, quaſi reſtituentes ei, quod ipſi furto ſublatum fuerat. *e Tollens itaque Ioſue Achan, argentumque & pallium, & auream regulam, filios quoque & filias eius, boues & aſinos, & oues, ipſumque tabernaculum & cunctam ſupellectilem, (Et omnis Iſrael cum eo) duxerunt eos ad vallem Achor, vbi dixit Ioſue, Quia turbaſti nos, exturbet te Dominus in die hac. Lapidauitque eum omnis Iſrael, & cuncta quæ illius erant igne conſumpta ſunt.* At Dominus dixerat *f*, *comburetur igni cum omni ſubſtantia ſua.* Dicendum videtur Achan lapidibus obrutum; ignis autem nomine ſæpe apud Hebræos quamuis pœnam intelligi poſſe, vt diligentius in Annalibus explicatum eſt. Vt ergo Ioſue dixit, *exturbet te Dominus quia turbaſti nos*, illico populus vniuerſus in lapides irruit, & certatim Achanum cum ſuis obruit, moxque per otium ſupellex & tabernaculum igne perierunt. Et auerſus eſt furor Domini ab eis.

XXXI. Culpã fatetur, furtum recipitur.

e 7.24.

Lapidibus obruitur.

f 6.7.15.

Quod ad domeſticorum mortem attinet, quos Dominus occidi iuſſit, cum tamen lege lata vetuerit, ne filij pro patribus punirentur, facilis eſt reſponſio. Nam vel in culpa fuerunt, patri conſentientes, & ſic pro ſua culpa puniti ſunt; vel innocentes, & Deus ſupremus vitæ & mortis Dominus, ſuiſque legibus ſolutus, potuit his vitam auferre, tam in parentis pœnam, quam in totius populi exemplum ac terrorem.

Cur occiſi filij eius.

Hoc periculo perfunctus Ioſue, modice interruptum victoriatũ curſum, authore atq; hortatore Deo, repetit, qui & certam victoriã promittit, ſic vt rex cum populo vniuerſo, vrbs Hai, eiuſque ager, cum villis & pagis in eorum poteſtatem ſint, prædamq; ventura. Quin & de modo vrbis capiendæ commonefacit, poſitis poſt vrbem inſidijs. Surrexit ergo Ioſue cum triginta millibus electorum virorum, quorum quinque millia nocte præmiſit, vt ſumerent locum inſidijs idoneum, ſed ciuitati vicinum, vt egreſſis hoſtibus ad perſequendum Iſraëlitas in conſpectu poſitos, ipſi vrbem occuparent, & fumo ſignum captæ vrbis ſocijs darent. Ipſe cum viginti quinque millibus venit, ſed non omnes in vrbis ſe conſpectum dederunt, ne territi Haitæ multitudine, prodire non auderent. Cum ergo Rex Hai modicam vidiſſet multitudinem, egreſſus eſt cum omni exercitu ciuitatis, nemine in præſidium vrbis relicto, ignarus inſidiarum, quæ à tergo latebant. Ioſue vero, & omnes eius ſocij ceſſerunt loco, ſimulantes metum, dum autẽ eos Haitę animosè perſequuntur, Ioſue iuſſu Domini in ſublime clypeum attollit, in ſignum iis, qui erant in inſidijs inuadendæ ciuitatis, quod & fecerunt, ſtatimq; igne excitato, fumo captam vrbem ſocijs indicarunt. Ergo Ioſue conuerſo vultu cum ſocijs acriter hoſtem repellere ac cædere cœperunt, cum illi qui vrbem ceperant, contra ſuos venientes, hoſtem in medio à fronte & tergo conciderunt. Iiſque interfectis, in vrbem Hai profecti, reliquos omnes, ad mulieres vſque paruuloſque, peremerunt, duodecim millia numero. Iuſſerat enim Dominus *a* nullum, vt omnino de Chananæis illis viuere permitterent.

XXXII. Bellum cõtra Hai ſuſcipitur.

Res contra eam geſta.

a Deut. 20.16.17.

Subdit

XXXIII. Clypeus Iosue ratio victoriæ.

Subdit Scriptura Iosue non contraxisse manum, quam in sublime porrexerat tenendo clypeum, donec interficerentur omnes habitatores Hai, quia victoriam Dominus huic ceremoniæ alligarat, vt victoriam de Amalecitis extensioni manuum Moysi, vt Caiet. eleganter obseruauit. Sed potuit simul esse signum exurgendi ex insidijs, illis qui occupaturi erant ciuitatem. Iumenta autem & prædam ciuitatis diuiserunt sibi filij Israel, totam rem Imperatore ordinante, vt & præsentes, & qui in Galgalis iussi remanserant, eius participes fierent. Tum demum *succendit vrbem, & fecit eam tumulum sempiternum.* Voluit scilicet illam in aceruum lapidum redactam, nullo vnquam tempore, sicut nec Iericho restaurari. Cæterum Hai quoque posterioribus seculis restauratam, ab hominibus, vt videtur, loci opportunitatem secutis, ex libris Esdræ *b*, constat. Vrbis porro istius regulum, qui viuus in potestatem Iosue venerat, in crucem egit, & sub occasum solis de patibulo amouendum curauit: *proiecerunt que ipsum cadauer ad ipsum introitum ciuitatis, congesto super eum magno lapidum aceruo*, qui ad multos permansit annos.

Vrbs succenditur, & Rex in crucem agitur.

b 1. Esd. 2. 27. & 2. Esd. 7. 32.

c ca. 8. 29.

XXXIV. Quæ gesta in mõtibus Hebal & Garizim.

Hac potitus victoria Iosue, & vicinis circa locis, quorum incolas ctuentissimi belli terror in munitas ciuitates compulerat, sine pugna occupatis, aut si qui supererant vltro imperata facientibus, regionem etiam in qua sunt montes Hebal & Garizim, in potestatem Israëlitarum, nemine victoriam morante, redegit. Ideoque nihil habuit antiquius, quam primo quoque tempore in illis exequi, quæ dudum à Moyse habuerat in mandatis. Sunt autem hi duo montes, teste Hieronymo, non solum vicini Iericho, sed etiam contra se inuicem respicientes, quasi duo iuga montis vnius interiecta valle. In eorum altero, quod dictum est Hebal, *ædificauit Iosue altare domino de Lapidibus impolitis, & obtulit super eo holocausta Domino, immolauitque pacificas victimas*, opera videlicet Sacerdotum, sicut & operarum manu scripsit in lapidibus Deuteronomium legis, & opera Leuitarum proclamauit maledictiones & benedictiones populo respondente Amen, vt fusè cap. 27. Deuteron. perscriptum est, quæ fuit renouatio icti fœderis Deum inter & & populum. Cui succesisset lectio capitis trigesimi octaui, quo eadem latius explicantur, & rudi populo inculcantur.

XXXV. Apparatus belli Amanum sequentis. *d* Cap. 9. 1.

Interea clades Iericuntis & Hai, latè vndique rumore nuncio deferuntur *d*. *Quibus auditis cuncti reges trans Iordanem, qui versabantur in montanis & campestribus, in maritimis, ac littore magni maris, hi quoque qui habitabant iuxta Libanum, congregati sunt pariter*, id est, belli societatem inierunt, *vt pugnarent contra Iosue & Israel; vno animo, eademque sententia.* Veriti enim sunt ne singuli facile debellarentur, sicut regibus Iericho, & Hai contigerat. Cum autem & permulti essent, & in locis valde dissitis habitarent, & ingentes omnino copias cogere vellent, vt reuera coëgisse ex cap. vndecimo constat, quod hic pariter congregati dicuntur, de inita belli societate, vti diximus, accipiendum est, vt illa quoque verba significant, *vno animo, eademque sententia.* Res autem ipsa proximo anno ad aquas Merom suscepta est. Reliquo autem anno primo Iosue, initum est cum Gabaonitis fœdus, & pro ijs, vt fœderatis, contra Adonibesech, & quatuor illos reges, qui cum eo contra Gabaonitas arma mouerant, feliciter ab Israëlitis pugnatum est, quæ capite nono & decimo continentur.

XXXVI. Gabaonitæ fœdus cum Israele moliuntur.

Gabaonitæ igitur, ab vrbe regia Gabaon ita dicti, apud quos Heuæi habitabant, erantque, Scriptura teste bellatores fortissimi, non communi solum omnium Chananæorum timore, sed proprio etiam, vicini periculi causa, commoti, sibi quoquo modo consulere statuerunt. Cum enim neque armis quidquam, neque precibus se effecturos sperarent, vt ipsi postea *e* fassi sunt, ad fraudem animos intenderunt. Peculiari autem gratia præuenti sunt ab eo, qui *cuius vult misereturn, & quem vult indurat* f, ne, vt cæteri omnes, animum contra Israëlitas hostiliter obfirmarent; & cum illis bello fracti perirent; neue in sua infidelitate persisterent, sed ad Dei cultum ceremoniasque traducerentur: quod ipsi significarunt cum dicerent Iosue, *venerunt serui tui in nomine Domini Dei tui*, cuius mirabilia opera antiqua, recentioraque didicerant. Fraus autem ipsa in verbis factisque cernitur. Nam & de terra longinqua se venisse falso dixerunt, & ad id mendacium confirmandum cibaria, vestes, cæteraque accommodarunt. Illud tamen verè dixerunt, se pacis cum Israëlitis faciendæ causa venisse. Quibus responderunt Israëlitæ, dubitare se ne forte habitarent in terra, quæ eis diuinitus destinata erat, sicque fœdus inire cum ipsis prohiberentur.

e ca. 9. 24.

f Ro. 9. 10.

XXXVII. Callide cum Iosue agũt. *a* Iosue 9. 8.

At illi ad Iosue, quem in multitudine principem agnoscebant a, *Serui tui sumus*, inquiunt: quæ vox & consuetæ vrbanitatis est, & propriæ demissionis animi: quasi dicant, si non vis habere nos fœderatos, habe seruos & famulos. *At Iosue, quinam estis vos; & vnde venistis?* Ad priorem interrogationem nihil respondent, ne quo modo vicinitas patefieret, quam omni studio contegebant, ideoque memorant miracula iampridem in Ægypto facta, & anno superiore trans Iordanem. Recens autem deletas vrbes prorsus tacent, quasi ea fama nondum ad ipsos peruenire potuisset. Et ne forte fœdus differendum videretur, præ se ferunt se ad id legitima potestate munitos, missosque ea de causa à magistratu suo, populoque. Sic ipsi. Nec tamen abfuit in ista calliditate temeritas, atque insipientia. Neque enim dubitare poterant fraudem istam cito patefactum iri, & Israëlitas contra eos, tanquam impostores, indignatione exarsuros, & eosdem tam communi hostium, quam priuato fraudulentorum nomine deleturos; nec crediturosfœdus per fraudem & mendacia impetratum ratum esse debere. Et sicut admodum rudes fuerunt Gabaonitæ, qui talibus argumentis fidem se facturos sperarunt. Ita creduli valde fuerunt Israëlitæ, nimiumque simplices, qui talibus probationibus in fraudem inducti sunt.

Et tamen insipienter.

XXXVIII. Initur fœdus.

His ergo temere persuasi Israëlitæ, Dei, quod erat in proptu, oraculo non consulto, fœdus cum Gabaonitis, tam Iosue, quam reliqui populi principes inierunt, & in eius confirmationem, iusiurandum adhibuerunt,

& de eorum cibarijs degustarunt. Post tertium autem ab inito fœdere diem, fraus patefacta est, bellatoribus in eorum ciuitates die tertio appellentibus. Qui cum libere in authores fœderis obloquerentur, & Gabaonitas delere vellent, ab ijs prohibiti sunt obiurisiurandi religionem. Existimarunt quippe viri militares, & armorum peritiores quam iuris, omne iusiurandum propter diuini nominis reuerentiam, obseruandum esse: alioqui fore vt in se, populumque vniuersum, tanquam periurij reum Dei vltionem accerserent.

XXXIX. Quod iure irritū fuit.

Quod tamen irritum ipsi Augustino *b* visum est, non quia id esset contra legem Dei, de Chananæis delendis, quæ non intelligitur de ijs occidendis, quamuis ad veri Dei cultum transire vellent, sed quia iusiurandum sub conditione datum fuerat, qua deficiente irritum atque inane reddebatur. Non debuerunt tamen interfici; quia ipsis conuersis, tollebatur scandalum, & periculum Idololatriæ Israëlitarum, quæ erat causa legis, & veri Dei cultorum numerus augebatur. Quia tamen per fraudem ac mendacia, in damnum Israëlitarum peccauerant, recte à magistratu puniri potuerunt. Ne ergo se impune peccasse, atque adeo cum lucro gloriari possent, pœna mortis in pœnam seruitutis commutatur. *Sic viuant*, inquiunt *c*, *vt in vsus vniuersæ multitudinis ligna cædant, aquasque comportent.* Non addicit eos Iosue seruos vniuersæ multitudini, sed vult vt vice vniuersæ multitudinis, deinceps Gabaonitæ, in vsum domus Domini, ligna cædant, aquasque comportent; atque ita sub maledicto sint perpetuæ seruitutis. Et hi postea Nathinæi dicti sunt, quasi donati in perpetuum templi famulatum.

b q. 13. in Iosue.

Factæ sūt serui in templo Dei.

c ex. 9. 21.

Nathinæi.

XL. Coniuratio quinque regū cōtra Gabaonitas.

Quæ cum accepisset Adonisedech Rex Hierusalem, & nominatim defectionem Gabaonitarum ad Hebræos, & initum inter eos fœdus, timuit valde, quod & forti præsidio contra communem hostem spoliatus esset, & is tanto factus esset ad se opprimendum potentior. Itaque legationem misit ad quatuor vicinos regulos, vt communibus viribus Gabaonitas transfugas male mulctarent, & communem hostem, hoc non modico virium incremento, priuarent. Verum fœderatorum Gabaonitarum defensio noua Israëlitis causa fuit; & occasio legitimi belli contra populos istos, qui credebant se iusto bello petere Gabaonitas. Etsi enim iuris sui erant, neque subditi regis Adonisedech, videbantur tamen in communem hostem arma sumere debuisse, nec sibi priuatim, in damnum omnium aliorum, consulere. Ergo congregati sunt quinque Reges, cum suis quisque copijs, & obsederunt Gabaonem. Quo illi malo territi, ad Iosue confugiunt, & omnes Amorrhæorum reges contra se conuenisse referunt.

XLI. Quibus Iosue auxilio venit.

At Iosue, etsi ius fasque exigere sentiebat, vt fœderatis opem ferret, ne tamen iterum peccaret, os domini non interrogando, videtur consuluisse dominum per Eleazarum Pontificem, à quo non solum de diuina circa pugnam voluntate, sed de victoria quoque factus est certior. Ea spe bene animatus ad bellum properat; etsi autem cœlitus victoriam sperabat, humana tamen præsidia non neglexit. Nam primo omnem bellatorum exercitum suum ducit, exceptis tamen qui ad propugnationem castrorum necessarij erant, & ad vtrumque satis abundabat multitudo. Deinde nocturnum occupat profectioni tempus, ne lux aduenientem exercitum hosti patefaceret; Itaque irruit improuisus in hostem, quo ille inopinato incursu conturbatus est. Sed *conturbauit eos* etiam *Dominus à facie Israel, contriuitque plaga magna in Gabaon.* Videtur significare Scriptura reges istos instructa acie conteruisse cum Israele manus, sed ordinibus animisque diuinitus conturbatis, post multam cædem ad vrbem editam, hostem in præcipitem se fugam dedisse versus descensum Bethoron, erat enim Gabaon in edito loco.

Eiusdem prudētia, & fortitudo.

Vincit quinque regulos

In descensu autem illo præbuit se Dominus pugnæ socium. Nam *misit Dominus super eos lapides magnos de cœlo vsque ad Azecha*: ita vt ab Israelitis tergo imminentibus punctim cæsimque ferirentur, & à lapidibus ex alto deuolutis conquassarentur. Quales autem fuerint illi lapides, statim explicatur dum dicitur, *& mortui sunt multo plures lapidibus grandinis, quam quos gladio peremerant filij Israel.* Inter Bethoron autem & Azecha quatuor horarum iter ponit Adrichomius. Inde autem ad Macedam, quo etiam fuga delati sunt, duarum horarum. Sed vlterius quoque palantes persecuti sunt, vt patet ex eo quod dicuntur reuersi in Macedam, vbi erat Iosue cum exercitu: vt quanta strages, tanto tempore, totque locis facta sit, dum quisque ad ciuitates suas, munitaque loca quantum potest, se proripit, facile intelligi possit.

XLII. Cœlitus grandine pulsantur.

Dum autem maxime cæderentur Amorrhæi, timeretq; Iosue ne eos tenebræ gladijs Hebræorum eriperent, eam illi mentem Dominus iniecit, vt Solem iuberet ac Lunam in cœlo subsistere, vt integram de istis regibus victoriam obtinere posset. Sicque Israelitæ clarissimè intelligerent, se eius auxilio niti, qui dominatur astris, eaque vicissim ipsis, ad imperium ducis sui famulari iubet. Infideles autem agnoscerem se in cœlum arma mouisse, & Gigantum more pugnare cum Dijs; Solem enim & Lunam numerabant in Dijs, eosque cernebant hostibus suis in suam perniciem famulari. Dixit ergo Iosue *a Sol contra Gabaon ne moueris, & Luna contra vallem Aialon. Steteruntque Sol & Luna, donec vlcisceretur gens de inimicis suis. Stetit itaque Sol in medio cœli, & non festinauit occumbere spatio vnius diei.* Medium cœli quidam intelligunt meridiem, alij probabilius censent eum ad occasum vergentem iussum fuisse subsistere, & medium cœli simpliciter pro cœlo accipiunt, vt cum Dauid dicebat, *non habitas in medio domus meæ, qui facit superbiam*, &c. idque illa verba innuunt, *non festinauit occumbere spatio vnius diei*, quanto scil. tempore, Sol ab ortu ad occasum illic maximis diebus peruenire solet, scilicet 14. horis. Hebræi enim hoc prodigium in æstiuo Solstitio contigisse tradunt. Credibile etiam est vires Israelitarum diuinitus esse roboratas; vt tanto tempore laborem cædendi, & persequendi hostem continuare possent; præsertim cum armati tota nocte iter confecissent.

XLIII. Iosue Solem & Lunā iubet subsistere.

a c. 10. 12. 13.

Quando & quamdiu.

b Ps. 100. 7.

Interea quinq; reges principes hostilis exercitus in vnum ad perniciem vitandam conue-

XLIV.

niunt

niunt, ignari se diuinitus ad victimam congregari, ipsique se nec opinantes in carcerem conijciunt, dum speluncæ latebras, iuxta vrbem Maceda quærunt. Nunciatum est Iosue quod intuenti essent quinque Reges, qui præcepit socijs, vt ingentia saxa ad os speluncæ adiuoluerent, & custodes adhiberent, dum cæteri fugientes persequuntur. Cæsis ergo aduersarijs plaga magna, reuersus est omnis exercitus ad Iosue in Maceda, in pace, vt est in Hebræo, quod Hieron. explicat sani & integri numero, nec tamen castra in vrbe posuerunt, nondum enim ea potiebantur, sed prope illam in campestribus, & forte prope speluncam, ibique tumultuario opere castra locarunt, ac refectis cibo potuque corporibus, pernoctarunt. Postridie enim tantum sumptum videtur supplicium de regibus, qui dicuntur in crucibus ad vesperam vsque pependisse; at priore tantum vespere illuc peruenerat exercitus.

Quinque reges in spelunca deprehenduntur.

XLV. Et cõculcati suspẽduntur. c c.10.22.

Mane igitur facto, multis armatorum millibus circunfusis, Iosue os speluncæ, reuolutis ingentibus saxis aperiri iubet, educique quinque regulos, qui exangues metu ac tristitia calamitatem suam lamentabantur, qui sponte sua colla in laqueum iniecissent. Feceruntque ministri, vt sibi fuerat imperatum, & adduxerunt ad eum quinque reges de spelunca, nimirum Adonisedec Regem Ierusalem cum regibus Hebronis, Ierimothi, Eglonis, & Lachis. At illi in conspectum Iosue totiusque exercitus adducti, vtique supplices in terram ad eorum pedes abiecerunt se, vitam infelicem postulantes. Quos auersatus Iosue (placidasque viri Deus obtruit aures) præcepit principibus exercitus, vt eorum colla calcarent. Quod cum factum esset, eaque conculcatione pene suffocati essent, confossi sunt gladijs, mortuique, ad ignominiam, & ludibrium fœlicitatis humanæ, ex proximis arboribus sunt suspensi, & occumbente sole depositi, proiecti sunt in speluncam, in qua latuerunt, aduolutis saxis ingentibus ad os eius.

XLVI. Iosue Macedã capit.

Dum isti reguli in patibulis penderent, non se dedit quieti Iosue, eodem quippe die Macedam cepit, indeque ad circumpositas istorum regum vrbes victorem exercitum circumtulit, nonnullis etiam alijs ex itinere occupatis. Prima autem Maceda cladem accepit, vicinitate loci exercitum inuitante; Imperatori etiam victoria vtendum fuit, cum suorum animos prospero successu rerum accensos vidit, hostium autem tanta clade debilitatos. Occupauit ergo Macedam, Regemque illius cum omnibus eius habitatoribus internecione deleuit, idque intra vnum atque eundem diem. Nec tamen absurdum est dicere Regem Maceda viuum in alterum diem seruatum esse, vt vno die suspensus ad exemplum, & humanæ inconstantiæ documentum maneret, ad vesperam autem ex decreto legis deponeretur, & mandaretur sepulturæ. Qui etiam dies, & fortasse non vnicus, in deprædatione ciuitatis consumptus est, & in aliqua quiete, quandoquidem Israëlitæ tam propitium sibi experiebantur Deum, vt singuli propemodum dies, singulis ciuitatibus capiendis sufficerent. Itaque non definitur dies progressionis ad vrbem Lebna, siue Lobna, vt alibi vocatur.

Regem cum populi que omnem deler.

Transiuit autem Iosue cum omni Israël, exceptis tamen ijs qui erant in Galgalis, de Maceda in Lebna, inter quas non amplius quam vnius horæ iter constituit Adrichomius. Eademque vel ingenio loci, vel arte ita firma & munita fuit, vt etiam Sennacherib Regi Assyriorum posterioribus seculis restiterit. Et videtur aliquanto tempore restitisse Iosue; id enim innuit illa vox, *& pugnabat contra eam.* Cum enim certissime sibi pereundum esse viderent, perinde putabant, siue resistendo mori, siue cedendo. Restiterint ergo fortassis diebus aliquot, mox tamen irruperunt in eam; eodemque se modo gesserunt contra regem Lebna, populumque eius, quo aduersus Maceda. Omnes enim deleti sunt, nec vllus reliquus factus est, nulli scilicet texni, aut ætati parcitum fuit.

XLVII. Oppugnat Lebnam.

expugnatque.

Inde duarum horarum itinere ventum est in Lachis vrbem prævalidam, quam Iosue biduo expugnauit. *Exercitu* enim *per gyrum dispositio oppugnabat eam*, sed tradente Domino, *die altero cepit eam*, id est secundo, vt in Hebræo textu habetur, & Græco. Faciliori autem expugnatu fuit, quod Rex eius, cum præcipua populi parte, qui contra Gabaon venerant, magno illo die cecidissent. Apparet autem eos, qui hanc vrbem propugnabant auxilium à Rege Gazer imploraſſe. Atcendit enim eo tempore vt auxilio esset Lachitis, à quibus Septentrionem versus, quatuor admodum horarum itinere distabat. Hic ergo Rex siue fœdere aliquo deuinctus, siue precibus à desolata vrbe euocatus, siue periculi vicinitate permotus, cum omni populo suo suppetias laturus venit. Sed si eximia celeritate expugnata vrbe tardius venit, maturè certe in suam, suorumque perniciem venit. Eum enim percussit Iosue, cum omni populo suo, vsque ad internecionem. Nec propterea legitur Iosue ad vrbem Gazer profectus, vt eam desolatam occuparet. Est tamen rationi consentaneum eum misisse aliquot hominum millia, qui illam caperent, & præsidio tenerent: qui etiam videntur misericordia vti, erga imbellem multitudinem, qua etiam postea vsi sunt filij Ephraim in quorum sortem cessit. Sic enim legimus *a*, *Et non interfecerunt filij Ephraim Chananæum, qui habitabat in Gazer, habitauitque in medio Ephraim, vsque in diem hanc tributarius.*

XLVIII. Venit ad Lachis.

Et biduo expugnat.

Rex Gazer ei auxilio venit.

Mature ad cladẽ suam.

Quid factum Gazer.

a c.16.10.

Relicta igitur Gazer & Lachis transiuit Iosue in Eglon ciuitatem tum desolatam, Dabir quippe Rex eius cum populo suo venerat contra Gabaonitas, ibique perierat cum suis. Fuit ea ciuitas in tribu Iuda postea, vnius circiter dieitinere à Lachis distita. Eam ergo cinxit obsidione Iosue, eademque die expugnauit ac perdidit. Relictoque ibi, vt par est credere, vel ad prædam conseruandam, præsidio, Hebronem processit infestus, vrbem fortissimis propugnatoribus insignem, *& pugnauit contra eam*, vel obsedit eam, vt habent Septuag. siue post pugnam, siue sine pugna. Quandiu autem obsederit eam non constat. Illud certe constat eam denique captam fuisse, *& percussam in ore gladij. Regem quoque eius & omnia oppida*, & municipia *regionis illius, vniuersasque animas, quæ in ea fuerant commorata.* At nonne Rex eius iam fuerat occisus, ac suspensus ad Maceda? Intel-

XLIX. Eglon vna die expugnata.

Hebron obsidetur, & expugnatur.

& de eorum cibarijs degustarunt. Post tertium autem ab inito fœdere diem, fraus patefacta est, bellatoribus in eorum ciuitates die tertio appellentibus. Qui cum libere in authores fœderis obloquerentur, & Gabaonitas delere vellent, ab ijs prohibiti sunt obiurisiurandi religionem. Existimarunt quippe viri militares, & armorum peritiores quam iuris, omne iusiurandum propter diuini nominis reuerentiam, obseruandum esse: alioqui fore vt in se, populumque vniuersum, tanquam periurij reum Dei vltionem accerserent.

XXXIX. Quod iure irritū fuit.

Quod tamen irritum ipsi Augustino *b* visum est, non quia id esset contra legem Dei, de Chananæis delendis, quæ non intelligitur de ijs occidendis, quamuis ad veri Dei cultum trænsire vellent, sed quia iusiurandum sub conditione datum fuerat, qua deficiente irritum atque inane reddebatur. Non debuerunt tamen interfici; quia ipsis conuersis, tollebatur scandalum, & periculum Idololatriæ Israëlitarum, quæ erat causa legis, & veri Dei cultorum numerus augebatur. Quia tamen per fraudem ac mendacia, in damnum Israëlitarum peccauerant, recte à magistratu puniri potuerunt. Ne ergo se impune peccasse, atque adeo cum lucro gloriari possent, pœna mortis in pœnam seruitutis commutatur. *Sic viuant*, inquiunt *c*, *vt in vsus vniuersæ multitudinis ligna cædant, aquasque comportent.* Non addicit eos Iosue seruos vniuersæ multitudini, sed vult vt vice vniuersæ multitudinis, deinceps Gabaonitæ, in vsum domus Domini, ligna cædant, aquasque comportent; atque ita sub maledicto sint perpetuæ seruitutis. Et hi postea Nathinæi dicti sunt, quasi donati in perpetuum templi famulatum.

b q. 13. in Ioshue.

Factæ sūt serui in templo Dei.

c 2a. 9. 21.

Nathinæi.

XL. Coniuratio quinque regū cōtra Gabaonitas.

Quæ cum accepisset Adonisedech Rex Hierusalem, & nominatim defectionem Gabaonitarum ad Hebræos, & initum inter eos fœdus, timuit valde, quod & forti præsidio contra communem hostem spoliatus esset, & is tanto factus esset ad se opprimendum potentior. Itaque legationem misit ad quatuor vicinos regulos, vt communibus viribus Gabaonitas transfugas male mulctarent, & communem hostem, hoc non modico virium incremento, priuarent. Verum fœderatorum Gabaonitarum defensio noua Israëlitis causa fuit; & occasio legitimi belli contra populos istos, qui credebant se iusto bello petere Gabaonitas. Etsi enim iuris sui erant, neque subditi regis Adonisedech, videbantur tamen in communem hostem arma sumere debuisse, nec sibi priuatim, in damnum omnium aliorum, consulere. Ergo congregati sunt quinque Reges, cum suis quisque copijs, & obsederunt Gabaonem. Quo illi malo territi, ad Iosue confugiunt, & omnes Amorrhæorum reges contra se conuenisse referunt.

XLI. Quibus Iosue auxilio venit.

At Iosue, etsi ius fasque exigere sentiebat, vt fœderatis opem ferret, ne tamen iterum peccaret, os domini non interrogando, videtur consuluisse dominum per Eleazarum Pontificem, à quo non solum de diuina circa pugnam voluntate, sed de victoria quoque factus est certior. Ea spe bene animatus ad bellum properat; etsi autem cœlitus victoriam sperabat, humana tamen præsidia non neglexit. Nam primo omnem bellatorum exercitum suum ducit, exceptis tamen qui ad propugnationem castrorum necessarij erant, & ad vtrumque satis abundabat multitudo. Deinde nocturnum occupat profectioni tempus, ne lux aduenientem exercitum hosti patefaceret; Itaque irruit improuisus in hostem, quo ille inopinato incursu conturbatus est. Sed *conturbauit eos* etiam *Dominus à facie Israel, contriuitque plaga magna in Gabaon.* Videtur significare Scriptura reges istos instructa acie conteruisse cum Israele manus, sed ordinibus animisque diuinitus conturbatis, post multam cædem ad vrbem editam, hostem in præcipitem se fugam dedisse versus descensum Bethoron, erat enim Gabaon in edito loco.

Eiusdem prudētia, & fortitudo.

Vincit quinque regulos.

In descensu autem illo præbuit se Dominus pugnæ socium. Nam *misit Dominus super eos lapides magnos de cœlo vsque ad Azecha*: ita vt ab Israelitis tergo imminentibus punctim cæsimque ferirentur, & à lapidibus ex alto deuolutis conquassarentur. Quales autem fuerint illi lapides, statim explicatur dum dicitur, *& mortui sunt multo plures lapidibus grandinis, quam quos gladio percusserant filij Israel.* Inter Bethoron autem & Azecha quatuor horarum iter ponit Adrichomius. Inde autem ad Maceda, quo etiam fuga delati sunt, duarum horarum. Sed vlterius quoque palantes persecuti sunt, vt patet ex eo quod dicuntur reuersi in Maceda, vbi erat Iosue cum exercitu: vt quanta strages, tanto tempore, totque locis facta sit, dum quisque ad ciuitates suas, munitaque loca quantum potest, se proripit, facile intelligi possit.

XLII. Cœlitus grandine pulsantur.

Dum autem maxime cæderentur Amorrhæi, timeretq; Iosue ne eos tenebræ gladijs Hebræorum eriperent, eam illi mentem Dominus iniecit, vt Solem iuberet ac Lunam in cœlo subsistere, vt integram de istis regibus victoriam obtinere posset. Sicque Israelitæ clarissimè intelligerent, se eius auxilio niti, qui dominatur astris, eaque vicissim ipsis, ad imperium ducis sui famulari iubet. Infideles autem agnoscerent se in cœlum arma mouisse, & Gigantum more pugnare cum Dijs; Solem enim & Lunam numerabant in Dijs, eosque cernebant hostibus suis in suam perniciem famulari. Dixit ergo Iosue *a Sol contra Gabaon ne moueatis, & Luna contra vallem Aialon. Steteruntque Sol & Luna, donec vlciscerentur gens de inimicis suis. Stetit itaque Sol in medio cœli, & non festinauit occumbere spatio vnius diei.* Medium cœli quidam intelligunt meridiem, alij probabilius censent eum ad occasum vergentem iussum fuisse subsistere, & medium cœli simpliciter pro cœlo accipiunt, vt cum Dauid dicebat, *non habitat in medio domus meæ, qui facit superbiam*, &c. idque illa verba innuunt, *non festinauit occumbere spatio vnius diei*, quanto scil. tempore, Sol ab ortu ad occasum illic maximis diebus peruenire solet, scilicet 14. horis. Hebræi enim hoc prodigium in æstiuo Solstitio contigisse tradunt. Credibile etiam est vires Israelitarum diuinitus esse roboratas, vt tanto tempore laborem cædendi, & persequendi hostem continuare possent; præsertim cum armati tota nocte iter confecissent.

XLIII. Iosue Solem & Lunā iubet subsistere.

a c. 10. 12. 13.

Quando & quamdiu.

b Ps. 100. 7.

Interea quinq; reges principes hostilis exercitus in vnum ad perniciem vitandam conue-

XLIV.

niunt

niunt, ignari se diuinitus ad victimam congregari, ipsique se nec opinantes in carcerem conijciunt, dum speluncæ latebras, iuxta vrbem Maceda quærunt. Nunciatum est Iosue quod inuenti essent quinque Reges, qui præcepit socijs, vt ingentia saxa ad os speluncæ adiuoluerent, & custodes adhiberent, dum cæteri fugientes persequuntur. Cæsis ergo aduersarijs plaga magna, reuersus est omnis exercitus ad Iosue in Maceda, in pace, vt est in Hebræo, quod Hieron. explicat sani & integri numero, nec tamen castra in vrbe posuerunt, nondum enim ea potiebantur, sed prope illam in campestribus, & forte prope speluncam, ibique tumultuario opere castra locarunt, ac refectis cibo potuque corporibus, pernoctarunt. Postridie enim tantum sumptum videtur supplicium de regibus, qui dicuntur in crucibus ad vesperam vsque pependisse; at priore tantum vespere illuc peruenerat exercitus.

Quinque reges in spelunca deprehẽduntur.

XLV. Et cõculcati suspẽduntur. c 6.10.22.

Mane igitur facto, multis armatorum millibus circunfusis, Iosue os speluncæ, reuolutis ingentibus saxis aperiri iubet, educique quinque regulos, qui exangues metu ac tristitia calamitatem suam lamentabantur, qui sponte sua colla in laqueum iniecissent. Feceruntque ministri, vt sibi fuerat imperatum, & adduxerunt ad eum quinque reges de spelunca, nimirum Adonisedec Regem Ierusalem cum regibus Hebronis, Ierimothi, Eglonis, & Lachis. At illi in conspectum Iosue totiusque exercitus adducti, vtique supplices in terram ad eorum pedes abiecerunt sese, vitam infelicem postulantes. Quos auersatus Iosue (placidasque viri Deus obstruit aures) præcepit principibus exercitus, vt eorum colla calcarent. Quod cum factum esset, eaque conculcatione pene suffocati essent, confossi sunt gladijs, mortuique, ad ignominiam, & ludibrium fœlicitatis humanæ, ex proximis arboribus sunt suspensi, & occumbente sole depositi, proiecti sunt in speluncam, in qua latuerunt, aduolutis saxis ingentibus ad os eius.

XLVI. Iosue Macedã capit.

Dum isti reguli in patibulis penderent, non se dedit quieti Iosue, eodem quippe die Macedam cepit, indeque ad circumpositas istorum regum vrbes victorem exercitum circumtulit, nonnullis etiam alijs ex itinere occupatis. Prima autem Maceda cladem accepit, vicinitate loci exercitum inuitante; Imperatori etiam victoria vtendum fuit, cum suorum animos prospero successu rerum accensos vidit, hostium autem tanta clade debilitatos. Occupauit ergo Macedam, Regemque illius cum omnibus eius habitatoribus internecione deleuit, idque intra vnum atque eundem diem. Nec tamen absurdum est dicere Regem Maceda viuum in alterum diem seruatum esse, vt vno die suspensus ad exemplum, & humanæ inconstantiæ documentum maneret, ad vesperam autem ex decreto legis deponeretur, & mandaretur sepulturæ. Qui etiam dies, & fortasse non vnicus, in deprædatione ciuitatis consumptus est, & in aliqua quiete, quandoquidem Israëlitæ tam propitium sibi experiebantur Deum, vt singuli propemodum dies, singulis ciuitatibus capiendis sufficerent. Itaque non defuerunt dies progressionis ad vrbem Lebna, siue Lobna, vt alibi vocatur.

Regem eius, populumque omnem delet.

Transiuit autem Iosue cum omni Israël, exceptis tamen ijs qui erant in Galgalis, de Maceda in Lebna, inter quas non amplius quam vnius horæ iter constituit Adrichomius. Eademque vel ingenio loci, vel arte ita firma & munita fuit, vt etiam Sennacherib Regi Assyriorum posteriotibus seculis restiterit. Et videtur aliquanto tempore restitisse Iosue; id enim innuit illa vox, *& pugnabat contra eam.* Cum enim certissime sibi pereundum esse viderent, perinde putabant, siue resistendo mori, siue cedendo. Restiterint ergo fortassis diebus aliquot, mox tamen irruperunt in eam; eodemque se modo gesserunt contra regem Lebna, populumque eius, quo aduersus Maceda. Omnes enim deleti sunt, nec vllus reliquus factus est, nulli scilicet sexui, aut ætati parcitum fuit.

XLVII. Oppugnat Lebnam.

expugnatque.

Inde duarum horarum itinere ventum est in Lachis vrbem præualidam, quam Iosue biduo expugnauit. *Exercitu* enim *per gyrum dispositio oppugnabat eam*, sed tradente Domino, *die altero cepit eam*, id est secundo, vt in Hebræo textu habetur, & Græco. Facilior autem expugnatu fuit, quod Rex eius, cum præcipua populi parte, qui contra Gabaon venerant, magno illo die cecidissent. Apparet autem eos, qui hanc vrbem propugnabant auxilium à Rege Gazer imploraſſe. Ascendit enim eo tempore vt auxilio esset Lachitis, à quibus Septentrionem versus, quatuor admodum horarum itinere distabat. Hic ergo Rex siue fœdere aliquo deuinctus, siue precibus à desolata vrbe euocatus, siue periculi vicinitate permotus, cum omni populo suo suppetias laturus venit. Sed si eximia celeritate expugnata vrbe tardius venit, maturè certe in suam, suorumque perniciem venit. Eum enim percussit Iosue, cum omni populo suo, vsque ad internecionem. Nec propterea legitur Iosue ad vrbem Gazer profectus, vt eam desolatam occuparet. Est tamen rationi consentaneum eum misisse aliquot hominum millia, qui illam caperent, & præsidio tenerent: qui etiam videntur misericordia vti, erga imbellem multitudinem, qua etiam postea vsi sunt filij Ephraim in quorum sortem cessit. Sic enim legimus *a*, *Et non interfecerunt filij Ephraim Chananæum, qui habitabat in Gazer, habitauitque in medio Ephraim, vsque in diem hanc tributarius.*

XLVIII. Venit ad Lachis.

Et biduo expugnat

Rex Gazerei auxilio venit.

Mature ad cladẽ suam.

Quid factum Gazer.

a c.16.10.

Relicta igitur Gazer & Lachis transiuit Iosue in Eglon ciuitatem tum desolatam, Dabir quippe Rex eius cum populo suo venerat contra Gabaonitas, ibique perierat cum suis. Fuit ea ciuitas in tribu Iuda postea, vnius circiter diei itinere à Lachis dissita. Eam ergo cinxit obsidione Iosue, eademque die expugnauit ac perdidit. Relictoque ibi, vt par est credere, vel ad prædam conferuandam, præsidio, Hebronem processit infestus, vrbem fortissimis propugnatoribus instignem, *& pugnauit contra eam*, vel obsedit eam, vt habent Septuag. siue post pugnam, siue sine pugna. Quandiu autem obsederit eam non constat. Illud certe constat eam denique captam fuisse, *& percussam in ore gladii. Regem quoque eius & omnia oppida*, & municipia *regionis illius, vniuersasque animas, quæ in ea fuerant commorata.* At nonne Rex eius tam fuerat occisus, ac suspensus ad Maceda? Intel-

XLIX. Eglon vna die expugnata.

Hebron obsidetur, & expugnatur.

ligendum est nouum in ea fuisse regem, illius fortasse filium, vel alium à populo electum, ne difficillimis illis temporibus vrbs diu rectore careret.

L. Dabira, quæ & Cariath Sepher Academia Chananæorum.

Expugnata Hebrone Iosue nonnihil vltetius ad Idumæorum ac Palæstinorum fines excurrit. Nam mox habetur eum vsque ad Cadesbarne & Gazam armis grassatum esse. Indeque Dabiram Hebroni viciniorem reuersus dicitur. Porrò Dabira vocabatur ciuitas litterarum, siue Cariath Sepher, eratque Academia Chananitidis, vrbs valida & regia, quæ primo belli huius impetu prostrata, quamprimum potuit excitauit caput, donec Othoniel Calebi frater, eam post annos aliquot occupauit, quod ipsum de Hebrone, & alij quibusdam dicendum est. Reflectens igitur iter Iosue versus Ierusalem & Gabaon, oppugnauit Dabir, eamque cepit, atque vastauit; Regem quoque eius, & omnia per circuitum oppida percussit in ore gladij: quæ fuit vltima expeditio anni huius. Itaque rem totam à transitu Iordanis confectam Scriptura paucis, ita concludit. b *Percussit itaque Iosue omnem terram montanam, & meridianam, atque campestrem, & Asedoth*, siue ea fuit vrbs, siue conualles eo nomine hoc loco probabilius intelliguntur, *cum regibus suis, non dimisit in ea* tota regione *vllas reliquias, sed omne quod spirare poterat* generis humani, *interfecit, sicut præceperat ei Dominus Deus Israel*: quo *pugnante pro eo* omnes illasce regiones *vno impetu cepit atque vastauit*. Instar enim torrentis de repente exundantis cuncta prostrauit.

Complexio huius expeditionis. b Ios.10.40.

LI. Dei iusta in Chananæos seueritas.

Sicut autem hoc Dei auxilium valet ad minuendam admirationem, & faciendam fidem, ita illa iussio eiusdem, incredibilem atque inusitatam illam seueritatem, qua in Chananæos, nulla ætatis sexusve differentia sæuitum est, non excusat solum aut mitigat, sed iustam etiam & laudabilem facit. Dei enim sententiam in hanc gentem pluribus ante seculis latam, vtique iustissimam & immanissimis eorum sceleribus imparem, hoc denique tempore, supremo illo Iudice imperante sunt executi. E contrario iustam illi reprehensionem non effugerunt, qui siue desidia, siue peruersa clementia, plerisque Chananæis Deo repugnante in suam ipsorum perniciem pepercerunt. His ergo ita confectis, reuersus est Iosue cum victore exercitu ad locum castrorum in Galgala, vbi scilicet area Domini erat, & magna imbellis populi multitudo, ibique in hybernis consedit, maximis victorijs inclytus, & infinita præda locupletatus.

Iosue redit in Galgala.

ANNVS MVNDI 2585.

ELAZARI Pontif. 3. IOSVE 2.

AMYNTÆ 10. Imperij Assyr. 654.

ANTE CHRISTVM 1468.

I. Noua expeditio cõtra regem Asor & socios.

DVm Iosue in Galgalis hyberna transigeret, & exercitum suum aliqua quiete reficeret, Reges qui priore anno in bellum Israëliticum conspirarant, ad conflictum locum multis cum copijs confluxerunt. In his horum ducebat Iabin rex Asor, qui vt erat omnium Chananæorum potentissimus, ita ægerrime ferebat, se non solum regno, sed vita quoque per summam contumeliam priuatum iri; vti iam duodecim regebus intra vnum annum eis Iordanem contigerat, præter eos, qui anno superiore trans Iordanem incredibili celeritate deleti fuerant. Quæ clades præter timorem, odium etiam atque indignationem istis regulis afferebant, quod hæc non à clarissimis Assyriorum, aut Ægyptiorum regibus pateretur, sed ab hominibus seruili ingenio, inculti-sque moribus, vt qui partim in seruitute geniti, partim inter horrentes cautes, inculta-sque solitudines educati, ad hominum perniciem erupissent. Rex ergo Iabin plerosque Reges, quos fere Scriptura memorat c, conciit, qui *omnes egressi sunt cum turmis suis, populus multus nimis, sicut arena, quæ est in littore maris. Equi quoque & currus immensa multitudinis.* Iacta quippe erat alea de vita, dignitate, fortunisque omnibus. Conuenerunt autem vndique ad aquas Merom, qui lacus est in Iordane, inter Cæsaream Philippi, & mare Galilææ, 30. stadijs latus, & 60. longus.

c c.11.v.1. 2.3.

II. Iosue in hoste inuadendo prudẽtia.

Quæ cum prouido Imperatori innotuissent, non expectauit, dum tantus exercitus eum obsideret in Galgalis, sed præueniendum ratus, maluit in hostili, quam in propria regione pugnare, quod ad terrorem hostium, qui inuadebantur, & suorum confirmationem valebat. Qui enim inuadit alterum, non sine causa creditur animosus, præsertim cum superuenit improuisus. Venit ergo Iosue, & omnis exercitus cum eo, aduersus illos ad aquas Merom subito. Iam enim experientia didicerat quantum positum esset in celeritate momenti. *Dixitque Dominus ad Iosue. Ne timeas eos: cras enim hac eadem hora*, tradam omnes istos vulnerandos in conspectu Israel: equos eorum subneruabis, & currus igne combures. Pridie pugnæ locutus est ista Dominus, quarto scilicet die ab expeditione susceptа. Nam Iosephus ait quinto die ad hostilem exercitum peruenisse. Non promittit Dominus omnes occidendos, multi enim fuga elapsi diu Israelitis in munitis ciuitatibus restitere.

A Deo animatur prænuncіata victoria. *Hebr. circiter hoc tempus.*

a l.5. Ant. c.1.

Sequitur pugna, in hæc tantum verba concepta. *Et irruerunt* Israelitæ *super eos*, cum fortasse nondum essent parati ad prælium. Itaque omnia tumultu primùm, deinde terrore cædibusque repleta sunt: *tradidit que illos Dominus in manus Israel. Qui percusserunt eos & persecuti sunt vsque ad Sidonem magnam*, inclytam scilicet illam, atque opulentam

III. Pugna, & victoria.

Phœni-

Phœniciæ ciuitatem: non enim ad differentiam minoris, Sidon hic magna dicitur. Quod autem dicitur ita omnes percussisse vt nullas dimitteret ex eis reliquias, id non repugnat fugæ plurimorum, qui lese protripuerunt in ciuitates munitas, idque de ipso rege Asor ex sequentibus constabit; sed nemini veniam aut vitam dedisse, qui in eius potestatem venisset, nullum ad seruiendum sibi, alijsue seruasse. *Reges ad vnam omnes casi sunt*, ait Iosephus ibid. *adeoque sæuitum est in victos, vt hominibus sublatis, in equos ferum exercerent, & currus exurerent*, Scriptura tamen affirmat Iosue multo tempore *b* contra reges istos pugnasse.

b c. 11. 18.

IV. Oppugnat Asorā illico.

Postquam ergo infelici bello res Chananæorum accisæ sunt, & Iosue exercitū suum ab hoste persequendo, cædendoque ad sua signa reuocauit, nihil habuit antiquius, quam vt caput belli totius infestis armis peteret. Asoram dico, quo stante nihil admodum tutum esse poterat Israëlitis cis Iordanem: inde renascentibus quotidie nouis armatorum copijs, nouis equitibus & quadrigis. Venit ergo statim Iosue cum victricibus copijs ante vrbem Asoram, eamque diuturna obsidione fatigatam occupauit, cæsisq; habitatoribus omnibus, incendit. Quanto autem tempore expugnata fuerit non dicitur. Certe cum mox dicatur multo tempore Iosue pugnasse contra reges istos, ratio exigit vt diuturnius fuerit certamen apud eam vrbem, quæ tunc *inter hæc regna tenebat principatum*. Vt merito eius obsidiom, & vastirati reliquum hunc annum tribuere possimus. Denique capta est Azor à Iosue, qui regem eius percussit gladio, ciuesque omnes, nemini data venia; *ipsamque vrbem peremit incendio*. Ad terrorem scilicet aliarum, vt tam funesto exemplo edoctæ, vltro imperata facerent, & clementiam aliquam mererentur. Verum ea postea instaurata est, & ad pristinam potentiam restituta; adeo vt rex alius Iabin existeret, qui Iudæos viginti annis vehementer oppressit.

Et tandē occupatā incendit.

Ea postea instaurata est.

Singularum vrbium expugnationem Scriptura non persequitur, ac ne præcipuarum quidem, in genere omnia, & quidem compendio significare contenta. *Et omnes*, inquit *d*, *per circuitum ciuitates* Asoræ scilicet metropoleos, *regesque earum cepit, percussit atque delenit, sicut præceperat* ☞ *Moyses*. Quod autem de successis vrbibus subdit nonnullam habet difficultatem, *Absque vrbibus*, inquit, *quæ erant in collibus, & in tumulo sita, cæteras succendit Israel, vnam tantum Asor munitissimam flamma consumpsit*. Apparet enim paucis verbis Scripturam pugnantia loqui. Verum ponenda sunt duo genera vrbium, aliæ fuerunt tumulis & aggeribus cinctæ, & expugnatu difficiles; aliæ contrà captu faciles, & opportunæ iniurijs, & has quidem succenderunt Israëlitæ, illas autem in proprium vsum atque habitationem conseruarunt, neque incenderunt, excepta Asora, quæ ad aliarum terrorem flammis absumpta est.

II. Confertim à scriptura narratur. d c. 11. 12.

Quæ vrbes incēsę aut seruatæ.

Omnem autem *prædam ipsarum vrbium, ac iumenta diuiserunt sibi filij Israel. cunctis hominibus interfectis*. Solam enim prædam Iericuntis, cum ipsa vrbe sibi consecrari quasi in holocaustum Dominus voluit, cæteras autem vrbes & oppida, & earum opes populi arbitrio permisit. Eius prædæ magnitudinem Scriptura tacuit, si quis tamen eam ex Madianitica præda *e*, quæ fuit modica apud Moabitas prouincia, æstimare voluerit, facile intelliget immensas opes, infinitamque vim pecorum ex tot prouinciarum agris, vrbibusque fuisse congestam. Facta porro est diuisio, non inter eos tantum bellatores, qui cum Iosue militabant; sed eius etiam participes fuerunt, qui in Galgalis remanserant, & qui in vrbibus debellatis præsidio relinquebantur. Apparet enim Iosue Mosis exemplum *f* in distributione prædæ Madianiticæ fuisse secutum, neque oblitum esse sacerdotum atque Leuitarum, quorum etiam plerique illis expeditionibus interfuere.

III. Quomodo facta prædę distributio.

e Nu. 31.

f Nu. 31. 26.

Multo tempore pugnauit Iosue contra reges istos, ait Scriptura *a*, idque partim per se, & proprijs auspicijs, omnibus tribubus simul sub eo militantibus; partim per duces suos, post diuisionem terræ factam. Causa porro diuturni belli hæc affertur, *quia non fuit ciuitas quæ se traderet filijs Israel, præter Heueum, qui habitabat in Gabaon: omnes enim bellando cepit. Domini enim sententia fuerat, vt indurarentur corda eorum, & pugnarent contra Israel, & caderent, & non mererentur vllam clementiam, ac perirent, sicut præceperat Dominus Moysi.* Quia nolebat Dominus vt eis parceretur, id enim sæpius prohibuerat, tum qui[illegible]pridem promeriti fuerant interitum sceleribus suis: tum quia periculum erat ruinæ Israëlitis ab eorum consuetudine, vt experientia satis superque comprobauit: tum denique quia non elegerat eos Dominus ad cognitionem efficacem veri Dei, sicut Gabaonitas. Itaque consequenter non dedit eis gratiam, qua eorum corda mollirentur, vt misericordiam peterent & impetrarent.

IV. Obduratio Chananæorū Dei permissu. a c. 11. 18

Nec plura sunt quæ communibus omnium Israëlitarum armis, & duce Iosue bello gesta referantur: quæ autem mox extremo capite vndecimo narrantur *b*, Epitome quædam est, & occupatio gestorum à Caleb in primis, & tribu Iuda, quæ propterea ipsi Iosue hîc ascribuntur,

V. Cōclusio rerū gestarū, & occupatio gerēdarum. b c. 11. 21.

ANNVS MVNDI 2586. &c.

IOSVE 3. ELEAZARI 4.

AMYNTÆ 11. Imperij Assyr. 655.

ANTE CHRISTVM 1467.

I. Res hoc triennio gesta. *cl. 5. Ant. 14. 5.*

TRiennium in persequendis belli reliquijs, in obsidendis, capiendisque ciuitatibus munitis positum est, nec accuratius hos annos ex Scriptura distinguere possumus. Nobiscum sentit Iosephus, cum ait quinto belli anno exacto Chananæorum superfuisse neminem, nisi qui in loca munitissima confugerant. Cum ergo Iosue, numerosissimo multorum regulorum exercitu propemodum internecione deleto, regione ipsa potiretur, ad ipsas ciuitates expugnandas, sicut in Asora proximo anno fecerat animum adiecit. Etsi autem erant munitissimæ, & ab hominibus defendebantur, in omnium terum desperationem exactis; Asora tamen omnium munitissima superiore anno expugnata, magna inclinatio ad integram Israëlitarum victoriam facta est.

quod ex eius, vt Imperatoris permissione ac voluntate gesta sunt. Denique adhibetur conclusio rerum omnium à Iosue tam bello quam pace gestarum, in hæc verba c, *Cepit ergo Iosue omnem terram, sicut locutus est Dominus ad Moysen*, & hæc hactenus breuiter expolita sunt, *& tradidit eam in possessionem filijs Israel secundum partes & tribus suas*, & hoc est argumentum omnium fere, quæ deinceps reliquo libro exponentur: vt hæc sit quasi transitio ad alteram partem negotij, ad quod Dominus assumpserat Iosue, vt patet ex Deutorono. d Denique dicitur terra quieuisse à prælijs, videlicet communibus toti Israëli; nam reliqua, proprijs singularum tribuum auspicijs gesta sunt.

c v. 23.

d c. 1. 38. & 3. 28. & c. 11. 7.

VI. Terras Israëlitarum qui prius possederint.

Sequitur igitur terræ promissionis diuisio, fuse admodum atque accurate digesta, ne foret, vt inter vicinos assolet, de limitibus contentio, quæ si forte contingeret, præsto semper esset sanctus liber, qui consuli posset, ad huiusmodi controuersias dirimendas. Sed priusquam ipsam terræ diuisionem aggrediatur, præmittit à quibus regibus siue principibus possessa fuerit tam citra quam vltra Iordanem, quando Israëlitæ eam occuparunt. In qua enumeratione aliqui non prius memorati reperiuntur, vt pleraque summatim narrata, & quasi decursa intelligantur. Non fuerunt autem singulorum regum singulæ duntaxat vrbes, sed plurima, vt in regione fertili, ad vnamquamque ciuitatem, oppida, municipia, pagique pertinebant.

Dominus diuisionē terræ nondū subactæ, & cur.

f Exod. 23. 29.

g Iud. 3. 1. 2. 3. 4.

ANNVS MVNDI 2589.

IOSVE 6. ELEAZARI 7.

AMYNTÆ 14. Imperij Assyr. 658.

ANTE CHRISTVM 1464.

I. Iosue redit in Galgala. c. 13.

CVm terra Chanaan e ita quieuisset à prælijs, vt tota regione nemo infestis signis cum Israëlitis confligere auderet, & qui reliqui erant munitis sese portisque clausos continerent, redijt ad tuos Iosue in Galgala cum exercitu; relictis vt ratio exigit, præsidijs in vrbibus munitis tam occupatis. Ibi Dominus eum monet, vt quoniam eum senectus vrgebat, & in dies reddebat duris bellorum laboribus imparem, ad ipsam terræ partitionem aggrediatur, licet tota nondum subacta sit, sibi enim curæ fore, vt cæteri suo tempore debellentur. Enumerat autem multas circumquaque partes Chananitidis nondum debellatas, quæ in sortem Israëlitarum cedere debeant. Ab occidente omnia confinia Philistinorum, quinque satrapijs comprehensa initio ducto, à meridie, à fluuio turbido, id est, torrente, qui oppidum Rhinocoruram alluit, & regionem ad Ægyptios pertinentem rigat; simul & terminat Chananitidem progrediendo Septentrionem versus ad regionem Sidoniorum & montem Libanum, aliasque prouincias, de quibus omnibus, *Ego sum*, inquit Dominus, *qui delebo eos à facie filiorum Israel.*

Quæ terræ nondū deuictæ.

II. Iubet

Omnem ergo regionem, partesque eius singulas enumeratas diuidi iubet in hæreditatem Israëlitarum, perinde ac si iam subactæ essent cum Dominus spondeat se eas deleturum. Israëlitarum autem, qui cis Iordanem habituri erant possessionis, voluit diuisionem ac sortitionem fieri, tota regione nondum subiugata. Primo f, ne terra cultorum penuria desolaretur, & passim bestiæ hominibus noxiæ succrescerent. Secundo g, vt populus bello ingiter exerceretur, neque per otium in vitia deflecteret. Tertio, vt per hostes qui relinquerentur probarentur Israëlitæ, an in Dei famulatu & amore perseuerarent, necne. Futurum enim erat vt eos sibi haberent subditos & tributarios, si Dei præcepta seruarent: sin minus, eos sæuissimos dominos, & tyrannos experirentur: vt ex toto Iudicum libro intelligi potest. Occasione porro declaratæ regionis cis Iordanem, tam deuictæ quam debellandæ, declarat quoque regiones trans Iordanem ad orientem quæ viuo adhuc Mose distributæ fuerant tribui Ruben & Gad, & dimidiæ tribui Manassis: quarum fines reliquo decimo tertio capite describuntur.

III. Dum ea suscipitur, Caleb Hebronem petit. Cap. 24.

Initio capitis decimi quarti proponitur in genere diuisio terræ facta reliquis tribubus cis Iordanem, quæ tamen non prius facta est, quàm castra è Galgalis translata essent in Silo, vt ex cap. 18. intelligitur, & Iosephus affirmat. Itaque petitio montis Hebron, quæ facta est à Calebo dum Iosue adhuc moraretur in Galgalis, necessario præmittenda est. Cum ergo sortitio terræ cis Iordanem immineret, *accesserunt filij Iuda ad Iosue in Galgala*. veriti ne locus, qui extra sortem Calebo tribuli suo debebatur, alteri cuipiam obueniret, si cum cæteris sorti committeretur, eum duce Calebo à Iosue petierunt. Itaque Caleb præfatus præsentem animi fortitudinem, corporisque robur necessarium ad debellandum Hebronitas, terram gigantum, & promissionem illius sibi factam diuinitus, *Da mihi*, inquit, *montem istum, in quo Enacim sunt, & vrbes magnæ atque munitæ.* Vbi autem facta fuerit ista promissio, etiam audiente Iosue, obscurum est.

IV. Sibi olim promissam.

Valde assentior Masio existimanti, quo tempore reliqui exploratores turbabant populum, metu Gigantum, quos in Hebrone conspexerant, Calebum animo se illam terræ portionem pro sua hæreditate depoposcisse, quam ignaui homines horrebant. Moysen autem, assentientem de ea dixisse, *terra quam calcauit pes tuus, erit possessio tua, & filiorum tuorum in æternum.* Neque enim de tota illa terra loquebatur, quæ toti populo promittebatur, non solis Calebi filijs. Quia vero non conueniebat familiam Calebi à reliqua tribu Iuda distrahi, oportuit eam circa Hebronem collocari, idque Dominum præcepisse scriptura testatur, *Caleb vero*, inquit *ei, filio Iephone dedit partem in medio filiorum Iuda, sicut præceperat ei Dominus.* Si ergo Dominus pollicitus est montem Hebron Calebo, idemque præcepit, vt haberet partem in medio filiorum Iuda, consequens est etiam vt Dominus ipse assignauerit tribui Iudæ hæreditatem suam sine alia sortitione.

Dominus assignat Iudæ sedē suā.

a c. 15. 13.

Cæterum non ita reuersus erat à prælijs Iosue in Galgala, vt ibi diuturniores moras trahere vellet; præsertim cum remotior esset is locus, & quasi in ora deuictæ regionis; Et conueniat principem, quasi in regni centro com-

V. Iosue migrat è Galgalis.

moran-

morantem, in totum vndique regnum prouidentiæ suæ lineas diffundere. Itaque existimo Iosue hoc ipso anno molitum esse migrationē, & occasione petitionis factæ à Calebo & tribu Iuda, è Galgalis Siluntem versus castra mouisse, eoque cum omni populo suo fuisse profectum: idque factum exacto quinto anno belli huius Iosephus affirmat, nimirum in sexto, & apparet hanc translationem non parum temporis occupasse. Cum enim in Galgalis sextum iam annum tanta multitudo familijs, supellectile, pecoribus, hostium spolijs, omnibusque diuitijs aucta atque onerata resideret, non potuit breui tempore, aut inde emigrare, aut iter conficere, aut nouas alibi occupare sedes. Præsertim si ante discessum, vt videtur, & frumenta, & vina, & arborum fructus colligi debuerunt, ne ea vicinis hostibus contra se viui essent: vt merito reliquus hic annus sextus Iosue huic transmigrationi assignari possit.

Sexto anno imperij sui.

VI. Traditur sua possessio filijs Iuda & Ioseph.

Accedit etiam distributio terræ destinatæ filijs Iuda, & Ioseph; Ephraim scilicet, & dimidiæ tribui Manasse, quæ facta est ab Eleazaro, & Iosue, & principibus familiarum cuiusque tribus, sorte omnia diuidentibus, vt initio capitis 14. scriptum est. Referimus autem ad hunc annum istam designationem atque occupationem terræ duarum tribuum cum dimidia. Quoniam cum primum ventum est in Silo, de sortitione septem tribuum agi cœptum est, quod etsi iam omnibus suis attributus esset locus: septem tamen tribus eum non occupassent. Ergo istis omissis, pro quibus alia deinde diuisio, ac sortitio facta est. Iudæ, Ephraim & Manasse, termini prius à scriptura recensentur, quam de transitu in Silo fiat mentio. In hisce autem terminis subtilius recensendis atque explicandis immorari non videtur esse institutæ breuitatis. De vtraque porro tribu filiorum Ioseph illud scriptura notat, & arguit, quod non interfecerint reliquias Chananæorum, sicut Dominus iusserat, sed auaritia ducti eos fecerint tributarios *b*, quod eis postea cessit in ruinam, vt illis diuinitus prædictum fuerat; sed hæc per occupationem dicta sunt, & post mortem Iosue contigerunt.

b c. 17. 13.

VII. Querela filiorum Ioseph. cc. 17. 14. 15. & 16.

Querela porro filiorum Ioseph, quæ extremo cap. 17. habetur *c*, nō eo destinatur, quod partem aliquam de sorte aliarum tribuum ambirent, sed querūtur terram sibi assignatam esse exiguam, eo quod bona eius pars syluestris esset, ideoque habitationi parum idonea, pars etiam à fortissimis aduersarijs adhuc teneretur. Respondet Iosue vt terram syluestrem & inculram excolant, quoniam virorum multitudine abundant, & quoniam ijdem fortitudine præstent, aduersarios debellent, interim autem spatijs assignatis contenti sint. Hoc ipso anno ipsa na Iosephi Patriarchæ in eam regionem, quam ipse quondam sibi designarat, translata, atque honorifice condita sunt *d*. Cum enim alioqui è Galgalis transferenda essent in Sichem, visum est eadem opera qua transferebatur arca Domini, etiam hæc tanctī viri ossa esse transferenda: præsertim cum iam ex sortitione constaret, Sichem ad filios Iosephi pertinere.

Translatio ipsa norum eius.

d Ios 24. 32.

ANNVS MVNDI 2590.

IOSVE 7. ELEAZARI 8.

SANCTVARII IN SILO 1.

AMYNTÆ 15. Imperij Assyr. 659.

ANTE CHRISTVM 1463.

INgredimur septimum tam principatus Iosue, quam transmissi Iordanis annum, eundemque Tabernaculi in Silo constituti primū, iuxta ea quæ paulo ante constituta sunt; in quā etiam arbitramur primum annum Sbbaticum incidisse, qui fuit septimus aditæ Chananitidis. Nam cum annus septimus quieri & remissioni à Deo destinatus esset, idque non à possessione terræ, sed ab ingressu in eam numerandus esset, vt perspicue in Leuitico *e* præscriptum est; non conuenit existimare Iosue virum sanctissimum, hunc primum annum septimum, tanquam sabbaticorum initium, non celebrasse. Deinde cōgruum erat vt tota terra, quæ magna ex parte adhuc indiuisa erat, aut quasi indiuisa reputabatur à septē tribubus, ex totius populi cōsensu Sabbatum celebraret, dum interim dimensiones accuratè fierent, diuisiones item, atq; sortitiones, quas Iosephus septem menses tenuisse testatur. Tertio causa nulla erat cur vltra hunc annum Israëlitæ, qui trans Iordanem sedes fixerant, annum sabbaticum differrent; nec distulisse credendi sunt. At quis credat diuersos fuisse annos sabbaticos, duabus eiusdem populi partibus? Nam quod aiunt legem statuere vt sex annis agri serantur, & deinde septimo terræ quies detur; respondemus legem respexisse ordinarium annorum cursum, post publicam rem constitutam; quod non vetat ne initia peculiare aliquid habuerint, vt fere contingit.

I. Primum annum Sabbaticū huc pertinere.

e c. 25. 2.

Nec legē obstare.

Quod autem ad Sanctuarium attinet, existimo in monte, in quo vrbs Silo extructa erat, in latiore aliqua platea rite erectum sub Dio Tabernaculum, atrio suo vndique cinctum, ibique ad trecentos quinquaginta circiter annos ita perdurasse, vt in deserto triginta nouem, sex in Galgalis steterat. Erat enim tuis pellibus atque operculis egregiè conuestitum, & contra omnes ventorum ac pluuiarum iniurias communitum. Et quamuis minimè absurdum sit ipsum tabernaculum, seorsim ab atrio, ligneo aliquo tecto teguliſque, etiam magnificentius quam cæteras domos, fuisse coopertum: Atrium tamen sub Dio constituendum est, in eoque altare holocaustorum, & concha, ad quam sese sacerdotes abluerent. Et licet videri possit Silo in sedem Sanctuarij electam, quod ea esset in sorte Ephraim, quæ erat Imperatoris tribus: & videretur rationi consentaneum sacrarium, sedemque Pontificis apud Ephraimitas collocari, quando tunc apud eos erat principatus: & quidem in eius viri potestate, cui religio & pietas erat antiquissima. Viderit tamen Iosue diuinum in hac translatione consilium exquisisse apud Eleazarum Pontificem, & secutus, potius quam propriam consolationem adamasse: Deū autem tam principem ipsum, quam filios Iosephi honorare voluisse.

II. Sanctuarium vbi, & quomodo constitutum.

Consti-

III. Septē tribus arguuntur ignauiæ à Iosue.

Constituto in Silo, non sine varia sacrificiorum solennitate, Sanctuario, id enim de tanta celebritate, in quam omnes filij Israël congregati fuerant, meritò existimandum est, acciuit Iosue principes tribuum, quæ nondum regionis suæ possessionem adierant, eosque eo nomine arguit ignauiæ. Multi enim iam menses abierant ex quo filij Iuda & Iosue terram sibi attributam occupabant. Et accusanda videbatur ignauia, quod ea in damnum cedebat, non solum suarum tribuum, sed Leuitarum, qui vrbes, ex diuina lege sibi debitas, accipere non poterant, priusquam tribus omnes in possessionem missæ essent. Accedebat quod plerique hostium, qui ex prælijs fuga elapsi fuerant, in ciuitates munitas se receperant, vt contigerat Hebronitis, quos Caleb iterato vicit. Nisi forte Hebron supra a per occupationem deuicta fuisse dicta sit.

a c.10. 36. 37.

IV. Causa cessationis huius.

Nec inanis est, mea quidem sententia, Serarij nostri coniectura, cessasse has septem tribus in adeundis possessionibus suis, quod existimarent priores geometras vel minus bona fide, vel certe minore peritia terram fuisse dimensos. Eam suspicionem duo confirmant; primum quod noui dimensores vltro à Iosue offeruntur, qui scilicet accuratius hoc munere perfungantur; alterum quod de spatio tribui Iudæ prius attributo, multum postea detractum est, adeo vt in eius quasi sinu tribus Simeonis collocaretur. Id ergo subodoratus Imperator b, *Eligite*, inquit, *de singulis tribubus ternos viros, vt mittam eos, & pergant, atque circumeant terram, & describebant eam iuxta numerum vnius cuiusque multitudinis, referantque ad me quod descripserint.* Prius quidem Dominus singulos principes de singulis tribubus, quarum intererat recte diuidi terram, nominatim perscripserat, sed quia illorum descriptio septem tribubus non probabatur, iubet Iosue ternos ab ipsismet eligi, qui probitate ac rei gerendæ peritia præstarent, vt facilius omnes eorum iudicijs acquiescerent, quos suo ipsi calculo ac suffragio comprobassent.

Noui metatores instituuntur.

b c.18.4.

V. Terni è decē tribubus.

Quoniam vero terni de singulis tribubus eligendi erant, & res agebatur, non solum septem tribuum, sed etiam decem, quæ eis Iordanem erant habitaturæ, si forte mouendi essent termini alicuius tribus, quæ iam sedes suas acceperat, vt reuera tribui Iudæ contigit, ideo 30. viros dimensores arbitror electos. Quod autem Iosue iubet c, vt olim viuo Moyse Dominus, vt habeatur ratio multitudinis, & amplitudinis cuiusque tribus, quod frustra fieri videtur sorte attribuente paruum locum numerosæ tribui. Respondemus, vt nuper, ad Deum pertinuisse dirigere sortes, sic vt pluribus maior pars, pauciotibus minor obtingeret, & posita dimensorum prudentia, quæ loci vnius fertilitatem, alterius amplitudine exæquaret, sors valuit in ijs tribubus, quæ numero supparares erant, vt eam libentius acciperent, quam sors obtulisset. Obscurum est autem quod subdit Iosue *mediam terram inter tribus* Iudæ & Ioseph in septem partes esse diuidendam, quasi hæ duæ tribus in extremis terræ finibus sitæ essent, Iudas ad meridiem & Ephraim ad Aquilonem, cum constet ex sequentibus solam tribum Benjamin inter illas duas fuisse collocatam. Sententia huius loci est, ita reliquam terram esse diuidendam, vt termini iam assignati tribubus prædictis immoti sic maneant, vt in diuersum locum non transferantur, etsi termini aut contrahi possint, aut dilatari, aliæ autem tribus circa eas sedes habeant suas.

c Nu. 26. 54.

Quomodo habita ratio multitudinis.

VI. Periculosum metatorum negotiū.

Sic ergo electi 30. viri pertexerunt ad *periculosa plenum opus aleæ*. Pauci enim metatores, nullis, quod appareat, armatorum stipati præsidijs, eas erant obituri regiones, quarum magna pars etiam tum ab aduersarijs tenebatur; nec strictim obituri, vt olim exploratores, sed accuratè perlustraturi singula; nec vt tunc non lacessitis barbaris, sed efferatis, & in desperationem adductis, vt merito istis geometris, ab illis agmine facto irruentibus summa pernicies timeri posset. Nec tamen puto cum Abulensi, hæc per quasdam belli inducias esse facta; existimem potius cum Masio, eo tempore Chananæos omnes tam ex cladibus nuper acceptis, quam ex occulto ac diuino quodam terrore vsque adeo fuisse attonitos, tantoque belli fastidio affectos, vt omnia quieti suæ posthabenda putarent. Contra vero mirifica & cœlesti fiducia Israëlitarum animos subito fuisse imbutos, vt sine vlla cunctatione, vel excusatione perrexerint, & septem mensium spatio, vt Iosephus ait, terram perlustrarint, ac dimensi fuerint.

VII. Renouata diuisio in nouem decemue partes.

Etsi autem in septem nouas partes terra diuisa fuerit, vt ex ipsa Scriptura liquet. Recte tamen putat Abulen. diuisionem totius Chananitidis, quæ cis Iordanem iacebet, ab istis mensoribus in nouem partes proportionales esse factam, pro ratione magnitudinis tribuum; inuenisseque partem Iudæ maiorem, quam proportio multitudinis eius, & magnitudinis terræ totius postularet; portionem autem Ephraim & dimidiæ tribus Manassis congrue fuisse assignatam. Itaque sublata ex hæreditate Iudæ particula, quæ Simeoni sufficeret, reliquam terram adhuc indiuisam in sex partes secuisse, reliquis, quæ superarent, tribubus congruentes. Quibus ita digestis ad Iosue sortitionis causa venerunt in Silo. A quo res fortassis ita transacta est, vt sortes siue schedulæ decem mitterentur in vrnam, in quibus singulis portiones terræ per suos limites designatæ, ac suis tribubus destinatæ continerentur: in alteram vero nomina decem tribuum conijcerentur, sederetque puer paruulus inter vrnas duas, & vna manu nomen tribus vnius efferret, & mox altera schedulam, & quidem illam omnino, quam metatores illi assignauerant; Deo tem totam moderante, & illorum distributionem confirmante, præsertim quod ad illas, quæ sedes iam sortitæ fuerant, quas Dominus immotas esse iusserat.

Sortitionis probabilis modus.

VIII. Ordo sortitionis tribuū & situs earum.

De cæteris, sortitionis hic ordo fuit, prout fusius à Scriptura perscriptus est. Educta primum est sors filiorum Benjamin, possederuntque terram inter filios Iudæ, & filios Ioseph. Tum egressa est secunda sors Simeonitarum; quorum hæreditas fuit in medio possessionis filiorum Iudæ, versus occidentem prope Philisthæos. Tertia fuit Zabulonitarum, quibus contigit possessio sub mari Galilææ, vsque ad occiduum mare, in quo est mons Carmelus. Quarta fuit filiorum Isacharis, quas Adricho-

mius

mius constituit post Zabulonitas meridiem versus. Quinta fuit Asheritarum, quæ à septentrione ad Libanum montem protendebatur, ab occasu Phœnices habebat & mare, ab ortu autem possessionem Nephtalim, cuius sors sexto exijt loco, quæ ab oriente Iordane claudebatur. Postrema exijt sors Danitarum, qui supra Simeonitas ad tribum Iuda appliciti sunt. Qui mox alias sedes ad Septentrionem quæsierunt, vt habetur in textu *d*: quod tamen vivo Iosue non contigit. Ex quo non leue ducitur argumentum hunc librum, qualis habetur nunc, à Iosue non fuisse conscriptum.

*d*c.19 47.

Iosue obtinet sibi vrbem Thamnath.

Postremo petijt Iosue à contribulibus suis Ephraimitis e vrbem Thamnath Saraa in monte Ephraim, eamque natura loci munitam, bellico incursu quassatam, in sui suorumque habitationem instauravit, vbi & conditus est.

e v.49.50

IX. Vrbes fugitiuorũ. *f*c.20.

Constitutis autem *f* vnicuique tribui possessionibus suis, præcepit Dominus in eē deduci, quæ ipse ante præceperat de vrbibus fugitiuorum, quæ ius asyli haberent, in eorum gratiam, qui humanum sanguinem innoxij fudissent. Id autem recte factum hoc tempore, quo sortitione intellectum est, quæ cuique tribui ciuitates attributæ essent. Statuerunt ergo habita ratione distantiæ Cedes in Galilæa montis Nephtali, & Sichem in monte Ephraim, & Hebron in monte Iuda. Quæ vrbes ita sitæ erant cis Iordanem, vt media in medio fere loco regionis sita esset: aliæ duæ versus vnum borealem & meridianum, eisque totidem aliæ trans Iordanem Bosor, Ramoth & Gaulon respondetent. Hæ porro vrbes fugitiuorum, erant etiam Leuiticæ, quibus aliæ insuper quadraginta duæ ex Dei præcepto & sortitione facta in hoc ipso generali conuentu attributæ sunt, vna cum suburbanis suis.

X. Leuitarũ vrbes 47 13. 10. 13. 12. 48.

Quæsita distributæ sunt vt filij Leui in quatuor familias tribuerentur, Aaronicam siue sacerdotalem cui 13. vrbes obtigerunt, lectæ ex tribubus Iudæ, Simeonis, & Beniamin; quoniam ibi regia olim sedes pontificia collocanda erat, & iam tum proximus erat sanctuarij locus. Altera familia Caathitarum fuit, qui in decem vrbibus habitarunt; Tertia Gersonitarum, qui in tredecim; quarta Meraritarum qui in duodecim. Atque ita sacerdotes & Leuitæ fuerunt per omnes dispersi tribus. Primo vt cultus Dei ad omnes tribus pertinere intelligeretur, quoniam ministri diuini cultus vbique sedes habebant: Deinde prouidendum fuit ne vna tribus aut duæ omnium Leuitarum sustentatione grauarentur; eorum enim oblationibus nutriebantur. Denique cum ad eos pertineret officium docendi populum, ea quæ ad Dei cultum, & religionem pertinebant, ægre id fieri potuisset, si omnes in vna alteraue tribu habitassent, facile autem, si in omnibus Leuiticis vrbibus synagogæ excitarentur, & magistri, doctoresque sustentarentur.

Cur dispersi vbique. 1. 2. 3.

XI. Dimissio communis omnium. *g* Iosue 22.

His ita peractis, cum iam comitia soluenda viderentur *g*, existimauit Iosue socios qui trans Iordanem habitabant, tanquam non vltra necessarios, dimitti posse, eisque militiæ vacationem concedi. Est autem humanitatis plena dimissio, quæ à laude sociorum exorsa, in veri Dei religione etiam atque etiam commendanda terminatur. Sed ne putes inutilem eos militiam militasse, *multa*, inquit, *substantia atque diuitijs reuertimini ad sedes vestras, cum argento & auro, ære ac ferro & veste multiplici*, nec immemor charitatis in absentes, *diuidite*, inquit, *prædam hostium cum fratribus vestris*, reliquo scilicet populo, qui substiterat trans Iordanem in præsidio possessionis suæ.

*v*ers.8.

Cum autem transituri essent Iordanem, subijt eorum mentem illa cogitatio, ne qui flumine à cæteris Israëlitis secreti essent, diuersa quoque religione putarentur vti, ideoque in testimonium vnius eiusdemque religionis, monimẽtum erexerunt ad ripam Iordanis altare visendæ magnitudinis. Quod in deteriorem partem interpretati, qui cis Iordanem habitabant, celeriter conuenerunt in Silo, consilia de bello sacro agitaturi. Visum autem est prius mittendam legationem, ad explorandam sociorum mentem atque voluntatem. Legationis princeps constitutus est Phinees sacerdos, & delignatus Pontifex, cum decem socijs, singuli de singulis tribubus, vt intelligeretur communis totius populi in bellum consensus. Expostulat Phinees cum eis de altari sacrilego, & facinus quod apparebat vehementer exaggerat. Illi vero innocentiæ suæ conscij, magno animi sensu atque affectu, negant se prævaricandi animo altare erexisse, sed significare voluisse habere se ius accedendi ad sacrificia, quæ ad Sanctuarium fierent, quamuis essent interiecto flumine separati. Quibus auditis placati legati, suos quoque placauerunt, laudauerunteque vniuersi Dominum, quòd eos à ciuili bello liberasset; qua re nihil eis luctuosius, nihil eorum hostibus gratius contingere potuisset.

XII. Erigunt altare, vnde tumultus excitatur.

Accedit.

ANNVS MVNDI 2597.

IOSVE 14. ELEAZARI 15.

AMYNTÆ 22. Imperij Assyr. 666.

ANTE CHRISTVM 1456.

HOsee annos septem, quia rebus ipsis distinguere Scriptura duce non possumus, breui tractatione necessario coniungemus. Hic tamen annus Eleazari decimus quintus secundo anno sabbatico notabilis est, quem existimamus, florente adhuc Israëlitarum pietate, & Iosue rempublicam administrante, diligenter obseruatum fuisse. His porro annis facile vel tacente me intelligi potest tribus eis Iordanem positas, suam singulas hæreditatem ac possessionẽ adijsse. Leuitas etiam in ciuitates sibi ad habitandum assignatas tam vltra quam citra Iordanem demigrasse. Ipsum autem Imperatorẽ, in media apud populum gloria, ac veneratione vixisse, & vrbem, quam optarat in monte Ephraim, ædificasse, in eaque habitasse, exemplo multorum principum virorum qui montana, non vna incitati causa, coluerunt.

I. Secundus annus Sabbaticus.

Quid interim Israëlitæ omnes? Non videntur sane hoc tempore bella redintegrasse, sed quietis opportunitate, & tacitis quasi indicijs bene vti, Principis etiam sui exemplum secuti singuli in suis sortibus reparasse, atque instaurasse, quæ furore bellorum fuerant conquassata;

II. Hebræi in otio ædificant.

noua etiam ædificia passim extruxisse, tam quæ communibus vsibus, vt synagogas, prætoria, quam quæ priuatis deseruirent. Aliqui etiam, vt sæpe in rerum copia & prosperitate contingit, inerti se otio dediderunt, & tributorum pensitatione læti, familiaritatem cum antiquis terræ incolis contraxere cœperunt, quos ex Dei mandato deleros oportebat, indeque paulatim ad summam idololatriæ perniciem gradum fecere.

ANNVS MVNDI 2599.

IOSVE 16. ELEAZARI PONTIFICIS 17.

AMYNTÆ 24. Imperij Assyr. 668.

ANTE CHRISTVM 1454.

I. Prior Iosue ad populum concio. c c.23.

NArrationem quam in hunc annum coniecimus c non certa scientia, sed probabilis coniectura confirmat. Cum enim duæ cohortationes ad populum à Iosue factæ duobus postremis huius libri capitibus contineantur, quas constat postremis hisce principis annis fuisse habitas, non videtur probabile populum tantum, ab eo bis eodem anno fuisse conuocatum. Sed primum quidem hoc anno cum iam mortem sibi in foribus adesse putaret, vt illa verba testantur, *Ego ingredior viam vniuersæ terræ*: deinde anno sequenti, cum vitam, qua aliquanto longiore præter spem vsus fuerat, ad extremam periodum venisse, vel certioribus signis, vel diuina fortasse reuelatione didicerat. Quod autem concionem hanc habitam legimus *multo tempore euoluto* d, *postquam Dominus pacem dederat Israeli*, id nos de spatio decem annorum accipiendum putamus, quoniam sexto anno principatus Iosue *e terra quieuit à prælijs*, vt suo loco docuimus & septimus sabbaticus, & primus quietis fuit. Nec mirum nunc Iosue longæuum dici, & persenilis ætatis, vt qui nonum annis centesimum esset supergressus.

d c.23.1.

e c.11.23.

II. Habita videtur in Silo.

Quo porro loco fuerint à Iosue conuocata hæc comitia, non constat; quidam eum ad se in Tamnath, primarios ex toto populo viros euocasse putant; alij in Silo malunt, quod res tota ad Dei cultū commendandū pertineret. Cui sententiæ etiam quæ de visione Angelica, & sacrificijs mox dicemus, non exiguam conciliant fidem. In hoc primariorum virorum conseſſu, exorsus à commemoratione beneficiorum recens à Deo acceptorū, recentia enim magis mouent quam antiqua, eorum animos ad Dei amorem & cultum suauiter inflectit. Verum quia ista beneficia, iustissimis de causis, quas supra memorauimus, nondum erant ad coronidem perducta, perfectæ victoriæ spem certissimam facit, vt quæ ex ipsorum alacritate, & in Deum amore, eiusque mandatorum obseruatione pendeat. a *Tantum confortamini, & estote solliciti, vt custodiatis cuncta, quæ scripta sunt in volumine legis Moysi*; in quo maxime cōmendatur vt Chananæi exterminentur propter periculum idololatriæ, quod deinceps Iosue diligenter inculcat, addita postremo commination e diuinæ vltionis ab Israëlitis, per illas ipsas gentes, expetendæ.

a c.23.6.

III. Angelica apparitio prope Silo.

b *Iud.*2.1. 2.&c.

His pluribus explicatis magnum sanctissimi senis orationi pondus diuinitus allatū est ex angelica reprehensione, à qua Iosue fere tēperauerat. Huc enim pertinere Angelicam illam apparitionem, quæ habetur secundo b Iudicum res ipsa loquitur. Nā nisi res viuo Iosue contigisset, nihil erat causæ cur ibi fieret mentio ipsius; & nisi contigisset hoc tempore, parū apte adderetur illa cōclusio. *Dimisit ergo Iosue populū, & abierunt filij Israel vnusquisq; in possessionē suam, vt obtinerent eam*, adhuc ergo aliqui adibant possessionem agrorum suorum: & si quæ adhuc existebant controuersiæ, à priuatis iudicibus dirimebantur: quæ particula, in posteriore dimissione populi, quæ à Iosue sequenti anno facta est, non fuit addita. Videtur autem ille ipse Angelus fuisse, qui pridem in Galgalis apparuerat Iosue, & ad id innuendum nunc de Galgalis dicitur ascendisse, quem diximus videri Michaëlem præpositum Ecclesiæ Dei. Venit autem in locum, qui ab euentu postea dictus est flentium, qui fuit peculiaris aliquis locus prope Silo, quia ibi dicuntur immolasse hostias Domino.

IV. Eo confluūt comitia.

Cum ergo auditum esset in populo apparuisse Angelum Domini prope Silo Iosue memor illius, qui sibi in agro vbis Iericho prīdē apparuerat, eo cum vniuerso comitiorum cœtu profectus est. Ad quos hæc fuit eius oratio. *Eduxi vos de Ægypto, & introduxi in terram pro qua iurani patribus vestris, & pollicitus sum vt non facerem irritum pactum meum vobiscum in sempiternum, ita duntaxat vt non ferretis fœdus cum habitatoribus terræ huius, sed aras eorum subuerteretis: & noluistis audire vocem meam. cur hoc feciſtis quam ob rem nolui delere eos à facie vestra, vt habeatis hostes, & dij eorum sint vobis in ruinam.* Non accusat Idololatriæ, sed fœderum cum Chananæis initorum & altarium in eorum gratiam non euersorum. Ex quo intelligitur eos nondū ad Idola defecisse, id enim in primis arguendum fuisset. Vide autem antithesim. Inierunt Hebræi fœdera cum Chananæis contra Dei voluntatem: ex Dei voluntate eosdem habituri sunt hostes. Dijs eorum pepercerunt, nec aras ipsorum demoliti sunt, ijdem vltore Deo in laqueū futuri sunt Israëli.

Ab Angelo repre hendūtur.

V. Soluūtur in fletus, nequeta men emendantur.

Quanta fuerit noui huius oratoris in dicendo vis, ex eo apparet, quod omnes protinus concussi animis, in lachrymas proruperunt. Commotis iam videlicet ac labefactatis Imperatoris oratione animis, pondus Angelicæ reprehensionis incumbens, illas excussit lachrymas, easque vt diuinum numen facilius exorarent sacrificijs cumularunt. Sequitur enim. *Immolauerunt que ibi hostias Domino*, quæ scilicet in lege appellantur pro peccato. Addiderunt & pacificas, quibus refecti, dimissi sunt vnusquisque in possessionem suam, vt obtineret eam. Verum apparet istis contigisse, quod ait magnus Gregorius, qui ad horam soluuntur in compunctionis fletus, mox tamen ad priora peccata ita redeunt, quasi ea nunquam ante planxissent. Nusquam enim legitur eos fœdera male inita distraxisse, aras profanas euertisse, impios, meritis iampridem supplicijs, ex Dei imperio ac voluntate mactasse.

ANNVS MVNDI 2600.

IOSVE 17. & vlt. ELEAZARI PONTIFICIS 18. & vlt.

AMYNTÆ 25. Imperij Assyr. 669.

ANTE CHRISTVM 1453.

Capita cõtionis huius.

PErvenimus ad postremum clarissimi Imperatoris, tam vitæ, quam principatus annum: in quem etiam annus Iubilæus quinquagesimus secundus ab orbe condito incidit. Et de ætate quidem centum & decem annorum aperta Scripturæ *c* assertio dubitare non sinit, de magistratus autem duratione quia tacuit, latam Chronologis patefecit aream disputandi. Sed omissa multiplici opinionum varietate, eam vnam probamus, quæ Iosuæ gubernationem 17. annis definit. Sic enim quadringentesimus & octogesimus annus ab exitu Hebræorum ex Ægypto, erit quartus Salomonis, idemque primis à iactis templi fundamentis, quod asseruit Scriptura *d* in tertio Regum. Sicque omnes Iudicũ anni constabunt, prout ex Hebræis codicibus, & editione vulgata digesti sunt à nobis in Annalibus. Quos si auxeris aut diminueris, necessario annus fundati templi, quem scriptura tradidit, vitiosus erit.

I. Iosue quãdiu Rempub. administrarit.

c Ios. 24. 29. *& Iud.* 2. 8.

d 3. *Regum* 6. 1.

De singulis autem Iudicibus, etsi suus erit deinceps dicendi locus, hic tamen vniuersè dicendum est annis interregnorum siue seruitutum, in Iudicum annos esse comprehensos, nec separatam facere chronologiam, verbi causa facti anni seruitutis sub rege Cusan, in annis Othonielis continentur, & ita de cæteris. Itaque anni singulorum Iudicum sunt spatia temporis interiecti inter duos Iudices verbi gratia, à morte Iosue, ad mortem Othonielis. Quia tamen sunt aliqui qui annos aliquot Iosue detrahunt, quos vel gubernationi seniorum tribuant, quos Scriptura longo post Iosue tempore vixisse tradit, vel illi anarchiæ, quam eadem memorat, cũ ait, *in diebus illis non fuisse regem in Israel.* Dicimus non mouendos annos Iosue, cum Scriptura nusquam tradat Seniores illos rempublicam administrasse, sed intelliguntur duntaxat exemplo pietatis, & constantis in Deum fidei, toti populo diu præluxisse, eumque ipso authoritatis nutu in officio continuisse. Illos ergo annos ad Othonielis initia reijciemus, ad quos illa quoque anarchia pertinet, suosq; septendecim annos Iosue relinquemus. Nunc vltimam Iosue in conuentu populi concionem, eiusque & Eleazari funus breuiter explicemus.

II. Seruitutes & interregna Iudicum quo referenda, sicut & anarchia.

Seniorũ gubernatio nulla fuit.

Sequitur *e* ergo postrema sanctissimi ducis ad populum concio, qua eius quasi testamẽtum continetur, fœderisque populi cum Deo sæpius iterata percussio. Et habita quidem est apud eosdem apud quos præcedens, non tamen in eodem loco, sed in oppido Sichem, vt in Hebræo, Chaldæo, Latinoque legitur, Græca vero partim habent Sichem, partim Silo, vt legit S. August. Dici potest in Sichimis conuentum habitum, fœdusque percussum. Inde omnes quasi in pompa in Silo, ad arcam Domini, confirmandi eius gratia, nunc profectos, patum enim à se inuicem ea loca distabant, & erant ambo in tribu Ephraim. Quod ad ipsam concionem attinet; Inducit Iosue Dominum loquentem, & sua in Hebræos beneficia antiqua atque recentia memorantem. Ex quibus ipse iustissimam hanc conclusionem infert. *Nunc ergo timete Dominum & seruite ei perfecto corde atque verissimo; & auferet*, id est, reijcite, atque abominamini, *Deos quibus seruierunt patres vestri in Mesopotamia & in Ægypto*, atque adeo in deserto, vbi vitulum aureum adorauerunt, & initiati sunt Beelphegor, nec impune, *& seruite Domino.*

III. Postrema Iosue cõtio vbi sit habita.

e c. 24.

g 30. *in Ios. Hyp. Iudæa.*

Sed mirabilis est optio quam offert Israelitis de seruiendo Deo vel idolis, cum iam sæpius cum Deo fœdus inierint, à quo non sit integrum resilire. Et vt nullum esset fœdus, non licet vero Deo relicto impurissimos dæmones colere. Sed hæc dissimulatio quædam est, ad accendendum affectum comparata, quod ex sequentibus clarius agnoscitur. Nam statim eos exemplo suo prouocat ad sequendum Deum. Cur enim non statuant eius Imperatoris religionem imitari, cuius eximiam in rebus agendis prudentiam, in exequendis felicitatem, in omni vita sanctitatem adhuc experti essent? Ergo ita statuunt, ac decernunt seruire Domino, à quo tot beneficia, quæ enumerant, ad hanc diem acceperint. Quia tamen, vt ait ille, *Nutimur in vetitum semper, cupimusque negata*, perseuerans in dissimulatione sua Iosue, quem non latebat populi huius in bono proposito inconstantia, & insignis in cultum idolorum propensio, *Non poteritis*, inquit, *seruire Domino*, sicque magis accensa eorum voluntate proponit quæ difficilia futura sint in Dei cultu, qui sit seuerus vltor iniuriarum suarum, & in primis defectionis à se ad idola, vt ea nunc animose perrumpere statuant, & constanter in bono tam ardenter electo perseuerent.

IV. Qui detur optio Israelitis seruiendi Domino

Postquam autem sapiens Imperator quadam quasi tergiuersatione populi voluntatem magis magisque accendit, testem appellat eorũ conscientiam, vt se ipsi postea, si perfidi fuerint, sine alio vel teste vel iudice condemnent. Sicque acceptatur vniuersi populi voluntas à Domino, interuentu Iosue principis populi. In cuius rei probationem. *Nunc ergo*, ait, *auferte deos alienos de medio vestri*, si qui sunt, etsi non studio idololatriæ apud vos simulachra illa resideant, sed in spoliorum partem, prædæque venerint, *& inclinate corda vestra ad Dominum Deum Israel.* Respondit iterum populus se Domino seruiturũ, quod erat toties ictum cum Domino fœdus innouare. Percussit ergo Iosue in die illo fœdus, & proposuit populo præcepta atq; iudicia in Sichem: lecto vt apparet Deuteronomio, quod est quædam quasi legis epitome. Denique ad perpetuam rei memoriam duo signa fœderis huius instituit, alterum quod in scripta retulit in hoc libro, qui à peritis consuli perpetuo posset. Alterum in vsum idiotarum fuit. prægrandis scilicet lapidis erectio, cuius quoties causa requireretur, totius fœderis huius memoria renouaretur. Aliæ quoque fœderum cæremoniæ merito putantur adhibitæ, vt esset hoc postremum fœdus omni ex parte sanctissimum.

V. Iosue renouat fœdus Deũ inter & populũ.

Monimenta fœderis.

Finita concione, fœdereque, dimisit populum, ipseq; mox tato functus appolitus est ad patres suos, in senectute bona, honoratus ti-

VI. Tempus mortis Iosue.

& de eorum cibarijs degustarunt. Post tertium autem ab inito fœdere diem, fraus patefacta est, bellatoribus in eorum ciuitates die tertio appellentibus. Qui cum libere in authores fœderis obloquerentur, & Gabaonitas delere vellent, ab ijs prohibiti sunt obiurisiurandi religionem. Existimarunt quippe viri militares, & armorum peritiores quam iuris, omne iusiurandum propter diuini nominis reuerentiam, obseruandum esse: alioqui fore vt in se, populumque vniuersum, tanquam periurij reum Dei vltionem accerserent.

XXXIX. Quod iure irritū fuit.

Quod tamen irritum ipsi Augustino *b* visum est, non quia id esset contra legem Dei, de Chananæis delendis, quæ non intelligitur de ijs occidendis, quamuis ad veri Dei cultum transire vellent, sed quia iusiurandum sub conditione datum fuerat, qua deficiente irritum atque inane reddebatur. Non debuerunt tamen interfici; quia ipsis conuersis, tollebatur scandalum, & periculum Idololatriæ Israëlitarum, quæ erat causa legis, & veri Dei cultorum numerus augebatur. Quia tamen per fraudem ac mendacia, in damnum Israëlitarum peccauerant, recte à magistratu puniri potuerunt. Ne ergo se impune peccasse, atque adeo cum lucro gloriari possent, pœna mortis in pœnam seruitutis commutatur. *Sic viuant*, inquiunt *c*, *vt in vsus vniuersæ multitudinis ligna cædant, aquaque comportent.* Non addicit eos Iosue seruos vniuersæ multitudini, sed vult vt vice vniuersæ multitudinis, deinceps Gabaonitæ, in vsum domus Domini, ligna cædant, aquaque comportent; atque ita sub maledicto sint perpetuæ seruituris. Et hi postea Nathinæi dicti sunt, quasi donati in perpetuum templi famulatum.

b q. 13. in Iosue.

Factæ sūt serui in templo Dei.

c ca. 9. 21.

Nathinæi.

XL. Coniuratio quinque regū cōtra Gabaonitas.

Quæ cum accepisset Adonisedech Rex Hierusalem, & nominatim defectionem Gabaonitarum ad Hebræos, & initum inter eos fœdus, timuit valde, quod & forti præsidio contra communem hostem spoliatus esset, & is tanto factus esset ad se opprimendum potentior. Itaque legationem misit ad quatuor vicinos regulos, vt communibus viribus Gabaonitas transfugas male mulctarent, & communem hostem, hoc non modico virium incremento, priuarent. Verum fœderatorum Gabaonitarum defensio noua Israëlitis causa fuit, & occasio legitimi belli contra populos istos, qui credebant se iusto bello petere Gabaonitas. Etsi enim iuris sui erant, neque subditi regis Adonisedech, videbantur tamen in communem hostem arma sumere debuisse, nec sibi priuatim, in damnum omnium aliorum, consulere. Ergo congregati sunt quinque Reges, cum suis quisque copijs, & obsederunt Gabaonem. Quo illi malo territi, ad Iosue confugiunt, & omnes Amorrhæorum reges contra se conuenisse referunt.

XLI. Quibus Iosue auxilio venit.

At Iosue, etsi ius fasque exigere sentiebat, vt fœderatis opem ferret, ne tamen iterum peccaret, os domini non interrogando, videtur consuluisse dominum per Eleazarum Pontificem, à quo non solum de diuina circa pugnam voluntate, sed de victoria quoque factus est certior. Ea spe bene animatus ad bellum properat; etsi autem cœlitus victoriam sperabat, humana tamen præsidia non neglexit. Nam primo omnem bellatorum exercitum suum ducit, exceptis tamen qui ad propugnationem castrorum necessarij erant, & ad vtrumque satis abundabat multitudo. Deinde nocturnum occupat profectioni tempus, ne lux aduenientem exercitum hosti patefaceret; itaque irruit improuisus in hostem, quo ille inopinato incursu conturbatus est. Sed *conturbauit eos* etiam *Dominus a facie Israel, contriuitque plaga magna in Gabaon.* Videtur significare Scriptura reges istos instructa acie conteruisse cum Israele manus, sed ordinibus animisque diuinitus conturbatis, post multam cædem ad vrbem editam, hostem in præcipitem se fugam dedisse versus descensum Bethoron, erat enim Gabaon in edito loco.

Eiusdem prudētia, & fortitudo.

Vincit quinque regulos.

In descensu autem illo præbuit se Dominus pugnæ socium. Nam *misit Dominus super eos lapides magnos de cœlo vsque ad Azecha*: ita vt ab Israelitis tergo imminentibus punctim cæsimque feriretur, & à lapidibus ex alto deuolutis conquassarentur. Quales autem fuerint illi lapides, statim explicatur dum dicitur, *& mortui sunt multo plures lapidibus grandinis, quam quos gladio percusserant filij Israel.* Inter Bethoron autem & Azecha quatuor horarum iter ponit Adrichomius. Inde autem ad Maceda, quo etiam fuga delati sunt, duarum horarum. Sed vlterius quoque palantes persecuti sunt, vt patet ex eo quod dicuntur reuersi in Maceda, vbi erat Iosue cum exercitu: vt quanta strages, tanto tempore, totque locis facta sit, dum quisque ad ciuitates suas, munitaque loca quantum potest, se proripit, facile intelligi possit.

XLII. Cœlitus grandine pultatum.

Dum autem maxime cæderentur Amorrhæi, timeretq; Iosue ne eos tenebræ gladijs Hebræorum eriperent, eam illi mentem Dominus iniecit, vt Solem iuberet ac Lunam in cœlo subsistere, vt integram de istis regibus victoriam obtinere posset. Sicque Israelitæ clarissimè intelligerent, se eius auxilio niti, qui dominatur astris, eaque vicissim ipsis, ad imperium ducis sui famulari iubet. Infideles autem agnoscerent se in cœlum arma mouisse, & Gigantum more pugnare cum Dijs; Solem enim & Lunam numerabant in Dijs, eosque cernebant hostibus suis in suam perniciem famulari. Dixit ergo Iosue *a Sol contra Gabaon ne moueatur, & Luna contra vallem Aialon. Steteruntque Sol & Luna, donec vlcisceretur gens de inimicis suis. Stetit itaque Sol in medio cœli, & non festinauit occumbere spatio vnius diei.* Medium cœli quidam intelligunt meridiem, alij probabilius censent cum ad occasum vergentem iussum fuisse subsistere, & medium cœli simpliciter pro cœlo accipiunt, vt cum Dauid dicebat, *non habitat in medio domus meæ, qui facit superbiam*, &c. idque illa verba innuunt, *non festinauit occumbere spatio vnius diei*, quanto scil. tempore, Sol ab ortu ad occasum illic maximis diebus peruenire solet, scilicet 14. horis. Hebræi enim hoc prodigium in æstiuo Solstitio contigisse tradunt. Credibile etiam est vires Israelitarum diuinitus esse roboratas; vt tanto tempore laborem cædendi, & persequendi hostem continuare possent; præsertim cum armati tota nocte iter confecissent.

XLIII. Iosue Solem & Lunā iubet subsistere.

a c. 10. 12. 13.

Quando & quamdiu.

b Ps. 100. 7.

Interea quinq; reges principes hostilis exercitus in vnum ad perniciem vitandam conue-

XLIV.

niunt

niunt, ignari se diuinitus ad victimam congregari, ipsique se nec opinantes in carcerem conijciunt, dum speluncæ latebras, iuxta vrbem Maceda quærunt. Nunciatum est Iosue quod inuenti essent quinque Reges, qui præcepit socijs, vt ingentia saxa ad os speluncæ adiuoluerent, & custodes adhiberent, dum cæteri fugientes persequuntur. Cæsis ergo aduersarijs plaga magna, reuersus est omnis exercitus ad Iosue in Maceda, in pace, vt est in Hebræo, quod Hieron. explicat sani & integri numero, nec tamen castra in vrbe posuerunt, nondum enim ea potiebantur, sed prope illam in campestribus, & forte prope speluncam, ibique tumultuario opere castra locarunt, ac refectis cibo potuque corporibus, pernoctarunt. Postridie enim tantum sumptum videtur supplicium de regibus, qui dicuntur in crucibus ad vesperam vsque pependisse; at priore tantum vespere illuc peruenerat exercitus.

Quinque reges in spelunca deprehẽduntur.

XLV. Et cõculcati suspẽduntur. c 10.22.

Mane igitur facto, multis armatorum millibus circunfusis, Iosue os speluncæ, reuolutis ingentibus saxis aperiri iubet, educique quinque regulos, qui exangues metu ac tristitia calamitatem suam lamentabantur, qui sponte sua colla in laqueum iniecissent. Fecerunt que ministri, vt sibi fuerat imperatum, & adduxerunt ad eum quinque reges de spelunca, nimirum Adonisedec Regem Ierusalem cum regibus Hebronis, Ierimothi, Eglonis, & Lachis. At illi in conspectum Iosue totiusque exercitus adducti, vtique supplices in terram ad eorum pedes abiecerunt se, vitam infelicem postulantes. Quos auersatus Iosue (placidasque viri Deus obstruit aures) præcepit principibus exercitus, vt eorum colla calcarent. Quod cum factum esset, eaque conculcatione pene suffocati essent, confossi sunt gladijs, mortuique, ad ignominiam, & ludibrium fœlicitatis humanæ, ex proximis arboribus sunt suspensi, & occumbente sole depositi, proiecti sunt in speluncam, in qua latuerunt, aduolutis saxis ingentibus ad os eius.

XLVI. Iosue Macedã capit.

Dum isti reguli in patibulis penderent, non se dedit quieti Iosue, eodem quippe die Macedam cepit, indeque ad circumpositas istorum regum vrbes victorem exercitum circumtulit, nonnullis etiam alijs ex itinere occupatis. Prima autem Maceda cladem accepit, vicinitate loci exercitum inuitante; Imperatori etiam victoria vtendum fuit, cum suorum animos prospero successu rerum accensos vidit, hostium autem tanta clade debilitatos. Occupauit ergo Macedam, Regemque illius cum omnibus eius habitatoribus internecione delenit, idque intra vnum atque eundem diem. Nec tamen absurdum est dicere Regem Maceda viuum in alterum diem seruatum esse, vt vno die suspensus ad exemplum, & humanæ inconstantiæ documentum maneret, ad vesperam autem ex decreto legis deponeretur, & mandaretur sepulturæ. Qui etiam dies, & fortasse non vnicus, in deprædatione ciuitatis consumptus est, & in aliqua quiete, quandoquidem Israëlitæ tam propitium sibi experiebantur Deum, vt singuli propemodum dies, singulis ciuitatibus capiendis sufficerent. Itaque non definitur dies progressionis ad vrbem Lebna, siue Lobna, vt alibi vocatur.

Regem eius populumque omnem delet.

Transiuit autem Iosue cum omni Israël, exceptis tamen ijs qui erant in Galgalis, de Maceda in Lebna, inter quas non amplius quam vnius horæ iter constituit Adrichomius. Eademque vel ingenio loci, vel arte ita firma & munita fuit, vt etiam Sennacherib Regi Assyriorum posterioribus seculis restiterit. Et videtur aliquanto tempore restitisse Iosue; id enim innuit illa vox, *& pugnabat contra eam.* Cum enim certissime sibi pereundum esse viderent, perinde putabant, siue resistendo mori, siue cedendo. Restiterint ergo fortassis diebus aliquot, mox tamen irruperunt in eam; eodemque se modo gessetunt contra regem Lebnæ, populumque eius, quo aduersus Maceda. Omnes enim deleti sunt, nec vllus reliquus factus est, nulli scilicet sexui, aut ætati parcitum fuit.

XLVII. Oppugnat Lebnam.

expugnatque.

Inde duarum horarum itinere ventum est in Lachis vrbem præualidam, quam Iosue biduo expugnauit. *Exercitu enim per gyrum dispositio oppugnabat eam*, sed tradente Domino, *die altero cepit eam*, id est secundo, vt in Hebræo textu habetur, & Græco. Facilior autem expugnatu fuit, quod Rex eius, cum præcipua populi parte, qui contra Gabaon venerant, magno illo die cecidissent. Apparet autem eos, qui hanc vrbem propugnabant auxilium à Rege Gazer imploraſſe. Ascendit enim eo tempore vt auxilio esset Lachitis, à quibus Septentrionem versus, quatuor admodum horarum itinere distabat. Hic ergo Rex siue fœdere aliquo deuinctus, siue precibus à desolata vrbe euocatus, siue periculi vicinitate permotus, cum omni populo suo suppetias laturus venit. Sed si eximia celeritate expugnata vrbe tardius venit, maturè certe in suam, suorumque perniciem venit. Eum enim percussit Iosue, cum omni populo suo, vsque ad internecionem. Nec propterea legitur Iosue ad vrbem Gazer profectus, vt eam desolatam occuparet. Est tamen rationi consentaneum eum misisse aliquot hominum millia, qui illam caperent, & præsidio tenerent: qui etiam videntur misericordia vti, erga imbellem multitudinem, qua etiam postea vsi sunt filij Ephraim in quorum sortem cessit. Sic enim legimus a, *Et non interfecerunt filij Ephraim Chananæum, qui habitabat in Gazer, habitauitque in medio Ephraim, vsque in diem hanc tributarius.*

XLVIII. Venit ad Lachis.

Et biduo expugnat

Rex Gazer ei auxilio venit.

Mature ad cladẽ suam.

Quid factum Gazer.

a c.16.10.

Relicta igitur Gazer & Lachis transiuit Iosue in Eglon ciuitatem tum desolatam, Dabir quippe Rex eius cum populo suo venerat contra Gabaonitas, ibique perierat cum suis. Fuit ea ciuitas in tribu Iuda postea, vnius circiter diei itinere à Lachis dissita. Eam ergo cinxit obsidione Iosue, eademque die expugnauit ac perdidit. Relictoque ibi, vt par est credere, vel ad prædam conseruandam, præsidio, Hebronem processit infestus, vrbem fortissimis propugnatoribus insignem, *& pugnauit contra eam*, vel obsedit eam, vt habent Septuag. siue post pugnam, siue sine pugna. Quandiu autem obsederit eam non constat. Illud certe constat eam denique captam fuisse, *& percussam in ore gladii. Regem quoque eius & omnia oppida*, & municipia *regionis illius, vniuersasque animas, quæ in ea fuerant commorata.* At nonne Rex eius iam fuerat occisus, ac suspensus ad Maceda? Intel-

XLIX. Eglon vna die expugnata.

Hebron obsidetur, & expugnatur.

ligendum est nouum in ea fuisse regem, illius forrasse filium, vel alium à populo electum, ne difficillimis illis temporibus vrbs diu rectore careret.

L. Dabira, quæ & Cariath Sepher Academia Chananæorum.

Expugnata Hebrone Iosue nonnihil vlterius ad Idumæorum ac Palæstinorum fines excurrit. Nam mox habetur eum vsque ad Cadesbarne & Gazam armis grassatum esse. Indeque Dabiram Hebroni vicinorem reuersus dicitur. Porrò Dabira vocabatur ciuitas litterarum, siue Cariath Sepher, eratque Academia Chananitidis, vrbs valida & regia, quæ primo belli huius impetu prostrata, quamprimum potuit excitauit caput, donec Othoniel Calebi frater, eam post annos aliquot occupauit, quod ipsum de Hebrone, & alij quibusdam dicendum est. Reflectens igitur iter Iosue versus Ierusalem & Gabaon, oppugnauit Dabir, eamque cepit, atque vastauit; Regem quoque eius, & omnia per circuitum oppida percussit in ore gladij: quæ fuit vltima expeditio anni huius. Itaque tem totam à transitu Iordanis confectam Scriptura paucis, ita concludit. b *Percussit itaque Iosue omnem terram montanam, & meridianam, atque campestrem, & Asedoth*, siue ea fuit vrbs, siue conualles eo nomine hoc loco probabilius intelliguntur, *cum regibus suis, non dimisit in ea* tota regione *vllas reliquias, sed omne quod spirare poterat* generis humani, *interfecit, sicut præceperat ei Dominus Deus Israel*: quo *pugnante pro eo* omnes hasce regiones *vno impetu cepit atque vastauit.* Instar enim torrentis derepente exundantis cuncta prostrauit.

Complexio huius expeditionis. b c.10.40.

LI. Dei iusta in Chananæos seueritas.

Sicut autem hoc Dei auxilium valet ad minuendam admirationem, & faciendam fidem, ita illa iussio eiusdem, incredibilem atque inusitatam illam seueritatem, qua in Chananæos, nulla ætatis sexusve differentia sæuitum est, non excusat solum aut mitigat, sed iustam etiam & laudabilem facit. Dei enim sententiam in hanc gentem pluribus ante seculis latam, vtique iustissimam & immanissimis eorum sceleribus imparem, hoc demique tempore, supremo illo Iudice imperante sunt executi. E contrario iustam illi reprehensionem non effugerunt, qui siue desidia, siue peruersa clementia, plerisque Chananæis Deo repugnante in suam ipsorum perniciem pepercerunt. His ergo ita confectis, reuersus est Iosue cum victore exercitu ad locum castrorum in Galgala, vbi scilicet arca Domini erat, & magna imbellis populi multitudo, ibique in hybernis consedit, maximis victoriis inclytus, & infinita præda locupletatus.

Iosue redit in Galgala.

ANNVS MVNDI 2585.

ELEAZARI Pontif. 3. IOSVE 2.

AMYNTÆ 10. Imperij Assyr. 654.

ANTE CHRISTVM 1468.

I. Noua expeditio cõtra regem Asor & socios.

DVm Iosue in Galgalis hyberna transigeret, & exercitum suum aliqua quiete reficeret, Reges qui priore anno in bellum Israëliticum conspirarant, ad conflictum locum multis cum copijs confluxerunt. In his chorum ducebat Iabin rex Asor, qui vt erat omnium Chananæorum potentissimus, ita ægerrime ferebat, se non solum regno, sed vita quoque per summam contumeliam priuatum iri; vti iam duodecim regebus intra vnum annum cis Iordanem contigerat, præter eos, qui anno superiore trans Iordanem incredibili celeritate deleti fuerant. Quæ clades præter timorem, odium etiam atque indignationem istis regulis afferebant, quod hæc non à clarissimis Assyriorum, aut Ægyptiorum regibus paterentur, sed ab hominibus seruili ingenio, inculti sque moribus, vt qui partim in seruitute geniti, partim inter horrentes cautes, inculta sque solitudines educati, ad hominum perniciem erupissent. Rex ergo Iabin plerosque Reges, quos fere Scriptura memorat c, concitat, qui *omnes egressi sunt cum turmis suis, populus multus nimis, sicut arena, quæ est in littore maris. Equi quoque & currus immensæ multitudinis.* Iacta quippe erat alea de vita, dignitate, fortunisque omnibus. Conuenerunt autem vndique ad aquas Merom, qui lacus est in Iordane, inter Cæsaream Philippi, & mare Galilææ, 30. stadijs latus, & 60. longus.

c c.11.v.1. 2.3.

II. Iosue in hoste inuadendo prudẽtia.

Quæ cum prouido Imperatori innotuissent, non expectauit, dum tantus exercitus eum obsideret in Galgalis, sed præueniendum ratus, maluit in hostili, quam in propria regione pugnare, quod ad terrorem hostium, qui inuadebantur, & suorum confirmationem valebat. Qui enim inuadit alterum, non sine causa creditur animosus, præsertim cum superuenit improuisus. Venit ergo Iosue, & omnis exercitus cum eo, aduersus illos ad aquas Merom subito. Iam enim experientia didicerat quantum positum esset in celeritate momenti. *Dixitque Dominus ad Iosue. Ne timeas eos: cras enim hac eadem hora*, tradam omnes istos vulnerandos in conspectu Israel: equos eorum subnerabis, & currus igne combures. Pridie pugnæ locutus est ista Dominus, quarto scilicet die ab expeditione susceptа. Nam Iosephus ait quinto die ad hostilem exercitum peruenisse. Non promittit Dominus omnes occidendos, multi enim fuga elapsi diu Israelitis in munitis ciuitatibus restitere.

A Deo animatur prænunciata victoria. Hebr. circiter hoc tempus.

a l.5. Ant. c.1.

Sequitur pugna, in hæc tantum verba concepta. *Et irruerunt* Israelitæ *super eos*, cum fortasse nondum essent parati ad prælium. Itaque omnia tumultu primùm, deinde terrore cædibusque repleta sunt: *tradidit que illos Dominus in manus Israel. Qui percusserunt eos & persecuti sunt vsque ad Sidonem magnam*, inclytam scilicet illam, atque opulentam

III. Pugna, & victoria.

Phœni-

Phœniciæ ciuitatem: non enim ad differentiam minoris, Sidon hic magna dicitur. Quod autem dicitur ita omnes percussisse vt nullas dimitteret ex eis reliquias, id non repugnat fugæ plurimorum, qui sese protipuerunt in ciuitates munitas, idque de ipso rege Asor ex sequentibus constabit; sed nemini veniam aut vitam dedisse, qui in eius potestatem venisset, nullum ad seruiendum sibi, alijsue seruasse. *Reges ad vnum omnes cæsi sunt*, ait Iosephus ibid. *adeoque sæuitum est in victos, vt hominibus sublatis, in equos ferrum exercerent, & currus exurerent*, Scriptura tamen affirmat Iosue multo tempore *b* contra reges istos pugnasse.

b c. 11. 18.

IV. Oppugnat Asorá illico.

Postquam ergo infelici bello res Chananæorum accisæ sunt, & Iosue exercitũ suum ab hoste persequendo, cædendoque ad sua signa reuocauit, nihil habuit antiquius, quam vt caput belli totius infestis armis peteret. Asoram dico, quo stante nihil admodum tutum esse poterat Israëlitis cis Iordanem: inde renascentibus quotidie nouis armatorum copijs, nouis equitibus & quadrigis. Venit ergo statim Iosue cum victricibus copijs ante vrbem Asoram, eamque diuturna obsidione fatigatam occupauit, cæsisq; habitatoribus omnibus, incendit. Quanto autem tempore expugnata fuerit non dicitur. Certe cum mox dicatur multo tempore Iosue pugnasse contra reges istos, ratio exigit vt diuturnius fuerit certamen apud eam vrbem, quæ tunc *inter hæc regna tenebat principatum*. Vt merito eius obsidionem, & vastitati reliquum hunc annum tribuere possimus. Denique capta est Azor à Iosue, qui regem eius percussit gladio, ciuesque omnes, nemini data venia; *ipsamque vrbem peremit incendio*. Ad terrorem scilicet aliarum, vt tam funesto exemplo edoctæ, vltro imperata facerent, & clementiam aliquam mererentur. Verum ea postea instaurata est, & ad pristinam potentiam restituta; adeo vt rex alius Iabin existeret, qui Iudæos viginti annis vehementer oppressit.

Et tandẽ occupatã incendit.

Ea postea instaurata est.

Singularum vrbium expugnationem Scriptura non persequitur, ac ne præcipuarum quidem, in genere omnia, & quidem compendio significate contenta. *Et omnes*, inquit *d*, *per circuitum ciuitates* Asoræ scilicet metropoleos, *regesque earum cepit, percussit, atque deleuit, sicut præceperat ei Moyses*. Quod autem de succensis vrbibus subdit nonnullam habet difficultatem, *Absque vrbibus*, inquit, *quæ erant in collibus, & in tumulo sitæ, easteras succendit Israel, vnam tantum Asor munitissimam flammis consumpsit*. Apparet enim paucis verbis Scripturam pugnantia loqui. Verum ponenda sunt duo genera vrbium, aliæ fuerunt tumulis & aggeribus cinctæ, & expugnatu difficiles; aliæ contrà captu faciles, & opportunæ iniurijs, & has quidem succenderunt Israëlitæ, illas autem in proprium vsum atque habitationem conseruarunt, neque incenderunt, excepta Asora, quæ ad aliarum terrorem flammis absumpta est.

II. Confertim a scriptura narratur. d c. 11. 12.

Quæ vrbes incẽsę aut seruatæ.

Omnem autem *prædam istarum vrbium, ac iumenta diuiserunt sibi filij Israel, cunctis hominibus interfectis*. Solam enim prædam Iericuntis, cum ipsa vrbe sibi consecrari quasi in holocaustum Dominus voluit, cæteras autem vrbes & oppida, & earum opes populi arbitrio permisit. Eius prædæ magnitudinem Scriptura tacuit, si quis tamen eam ex Madianitica prædа *e*, quæ fuit modica apud Moabitas prouincia, æstimare voluerit, facile intelliget immensas opes, infinitamque vim pecorum ex tot prouinciarum agris, vrbibusque fuisse congestam. Facta porro est diuisio, non inter eos tantum bellatores, qui cum Iosue militabant; sed eius etiam participes fuerunt, qui in Galgalis remanserant, & qui in vrbibus debellatis præsidio relinquebantur. Apparet enim Iosue Mosis exemplum *f* in distributione prædæ Madianiticæ fuisse secutum, neque oblitum esse sacerdotum atque Leuitarum, quorum etiam plerique illis expeditionibus interfuere.

III. Quomodo facta prædę distributio.

e Nu. 31.

f Nu. 31. 26.

Multo tempore pugnauit Iosue contra reges istos, ait Scriptura *a*, idque partim per se, & proprijs auspicijs, omnibus tribubus simul sub eo militantibus; partim per duces suos, post diuisionem terræ factam. Causa porro diuturni belli hæc affertur, *quia non fuit ciuitas quæ se traderet filijs Israel, præter Hæueum, qui habitabat in Gabaon; omnes enim bellando cepit. Domini enim sententia fuerat, vt indurarentur corda eorum, & pugnarent contra Israel, & caderent, & non mererentur vllam clementiam, ac perirent, sicut præceperat Dominus Moysi.* Quia nolebat Dominus vt eis parceretur, id enim sæpius prohibuerat, tum quia iamprídem promeriti fuerant interitum sceleribus suis: tum quia periculum erat ruinæ Israëlitis ab eorum consuetudine, vt experientia satis superque comprobauit: tum denique quia non elegerat eos Dominus ad cognitionem efficacem veri Dei, sicut Gabaonitas. Itaque consequenter non dedit eis gratiam, qua eorum corda mollirentur, vt misericordiam peterent & impetrarent.

IV. Obduratio Chananæorũ Dei permissu. a c. 11. 18

Nec plura sunt quæ communibus omnium Israëlitarum armis, & duce Iosue bello gesta referantur: quæ autem mox extremo capite vndecimo narrantur *b*, Epitome quædam est, & occupatio gestorum à Caleb in primis, & tribu Iuda, quæ propterea ipsi Iosue hîc ascribuntur,

V. Cõclusio rerũ gestarũ, & occupationẽ gerẽdarum. b c. 11. 21.

ANNVS MVNDI 2586. &c.

IOSVE 3. ELEAZARI 4.

AMYNTÆ 11. Imperij Assyr. 655.

ANTE CHRISTVM 1467.

I. Res hoc triennio gesta. cl. 5. Ant. ra. 5.

TRiennium in persequendis belli reliquijs, in obsidendis, capiendisque ciuitatibus munitis positum est, nec accuratius hos annos ex Scriptura distinguere possumus. Nobiscum sentit Iosephus, cum ait quinto belli anno exacto Chananæorum superfuisse neminem, nisi qui in loca munitissima confugerant. Cum ergo Iosue, numerosissimo multorum regulorum exercitu propemodum internecione deleto, regione ipsa potiretur, ad ipsas ciuitates expugnandas, sicut in Asora proximo anno fecerat animum adiecit. Etsi autem erant munitissimæ, & ab hominibus defendebantur, in omnium terum desperationem exactis; Asora tamen omnium munitissima superiore anno expugnata, magna inclinatio ad integram Israëlitarum victoriam facta est.

quod ex eius, vt Imperatoris permissione ac voluntate gesta sunt. Denique adhibetur conclusio rerum omnium à Iosue tam bello quam pace gestarum, in hæc verba: *Cepit ergo Iosue omnem terram, sicut locutus est Dominus ad Moysen*, & hæc hactenus breuiter exposita sunt, *& tradidit eam in possessionem filijs Israel secundum partes & tribus suas*, & hoc est argumentum omnium fere, quæ deinceps reliquo libro exponentur: vt hæc sit quasi transitio ad alteram partem negotij, ad quod Dominus assumpserat Iosue, vt patet ex Deuterono. *d* Denique dicitur terra quieuisse à prælijs, videlicet communibus totu Israëli; nam reliqua, proprijs singularum tribuum auspicijs gesta sunt.

c v. 23.

d c. 1. 38. c. 3. 28. & c. 31. 7.

VI. Terras Israëlitarum qui prius possederint.

Sequitur igitur terræ promissionis diuisio, fusè admodum atque accurate digesta, ne foret, vt inter vicinos assolet, de limitibus contentio, quæ si forte contingeret, præsto semper esset sanctus liber, qui consuli posset, ad huiusmodi controuersias dirimendas. Sed priusquam ipsam terræ diuisionem aggrediatur, præmittit à quibus regibus siue principibus possessa fuerit tam citra quam vltra Iordanem, quando Israëlitæ eam occuparunt. In qua enumeratione aliqui non prius memorati reperiuntur, vt pleraque summatim narrata, & quasi decursa intelligantur. Non fuerunt autem singulorum regum singulæ duntaxat vrbes, sed plurima, vt in regione fertili, ad vnamquamque ciuitatem, oppida, municipia, pagique pertinebant.

ANNVS MVNDI 2589.

IOSVÆ 6. ELEAZARI 7.

AMYNTÆ 14. Imperij Assyr. 658.

ANTE CHRISTVM 1464.

I. Iosue redit in Galgala. c. 13.

CVm terra Chanaan e ita quieuisset à prælijs, vt tota regione nemo infestis signis cum Israëlitis confligere auderet, & qui reliqui erant muris sele portisque clausos continerent, redijt ad suos Iosue in Galgala cum exercitu; relictis vt ratio exigit, præsidijs in vrbibus munitis iam occupatis. Ibi Dominus eum monet, vt quoniam eum senectus vrgebat, & in dies reddebat duris bellorum laboribus imparem, ad ipsam terræ partitionem aggrediatur, licet tota nondum subacta sit, sibi enim curæ fore, vt cæteri suo tempore debellentur. Enumerat autem multas circumquaque partes Chananitidis nondum debellatas, quæ in sortem Israëlitarum cedere debeant. Ab occidente omnia confinia Philistinorum, quinque satrapijs comprehensa initio ducto, à meridie, à fluuio turbido, id est, torrente, qui oppidum Rhinocoruram alluit, & regionem ad Ægyptios pertinentem rigat; simul & terminat Chananitidem progrediendo Septentrionem versus ad regionem Sidoniorum & montem Libanum, aliasque prouincias, de quibus omnibus, *Ego sum*, inquit Dominus, *qui delebo eos à facie filiorum Israel.*

Quæ terræ nondũ deuictæ.

II. uber

Omnem ergo regionem, partesque eius singulas enumeratas diuidi iubet in hæreditatem Israëlitarum, perinde ac si iam subactæ essent cum Dominus spondeat se eas deleturum. Israëlitarum autem, qui cis Iordanem habitaturi erant possessionis, voluit diuisionem ac sortitionem fieri, tota regione nondum subiugata. Primo *f* ne terra cultorum penuria desolaretur, & passim bestiæ hominibus noxiæ succrescerent. Secundo *g*, vt populus bello iugiter exerceretur, neque per otium in vitia delaberetur. Tertio, vt per hostes qui relinquerentur probarentur Israëlitæ, an in Dei famulatu & amore perseuerarent, necne. Futurum enim erat vt eos sibi haberent subditos & tributarios, si Dei præcepta seruarent: sin minus, eos sæuissimos dominos, & tyrannos experirentur: vt ex toto Iudicum libro intelligi potest. Occasione porro declaratæ regionis cis Iordanem, tam deuictæ quam debellandæ, declarat quoque regiones trans Iordanem ad orientem quæ viuo adhuc Mose distributæ fuerant tribui Ruben & Gad, & dimidiæ tribui Manassis: quarum fines reliquo decimo tertio capite describuntur.

Dominus diuisionẽ terræ nondũ subactæ, & cur.

f Exod. 23. 29.

g Iud. 3. 1. 2. 3. 4.

Initio capitis decimi quarti proponitur in genere diuisio terræ facta reliquis tribubus cis Iordanem, quæ tamen non prius facta est, quàm castra è Galgalis translata essent in Silo, vt ex cap. 18. intelligitur, & Iosephus affirmat. Itaque petitio montis Hebron, quæ facta est à Calebo dum Iosue adhuc moraretur in Galgalis, necessario præmittenda est. Cum ergo sortitio terræ cis Iordanem immineret, *accesserunt filij Iudæ ad Iosue in Galgala*, veriti ne locus, qui extra sortem Calebo tribuli suo debebatur, alteri cuipiam obueniret, si cum cæteris sorti committeretur, eum duce Calebo à Iosue petierunt; Itaque Caleb præfatus præsentem animi fortitudinem, corporisque robur necessarium ad debellandum Hebronitas, terram gigantum, & promissionem illius sibi factam diuinitus, *Da mihi*, inquit, *montem istum, in quo Enacim sunt, & vrbes magnæ atque munitæ.* Vbi autem facta fuerit ista promissio, etiam audiente Iosue, obscurum est.

III. Dum ea suscipitur, Caleb Hebronem petit. Cap. 14 5

IV. Sibi olim promissam.

Valde assentior Masio existimanti, quo tempore reliqui exploratores turbabant populum, metu Gigantum, quos in Hebrone conspexerant, Calebum animo se illam terræ portionem pro sua hæreditate depoposcisse, quam ignaui homines horrebant. Moysen autem, assentientem de ea dixisse, *terra quam calcauit pes tuus, erit possessio tua, & filiorum tuorum in æternum.* Neque enim de tota illa terra loquebatur, quæ toti populo promittebatur, non solis Calebi filijs. Quia vero non conueniebat familiam Calebi à reliqua tribu Iuda distrahi, oportuit eam circa Hebronem collocari, idque Dominum præcepisse scriptura testatur, *Caleb vero*, inquit *a*, *filio Iephone dedit partem in medio filiorum Iuda, sicut præceperat ei Dominus.* Si ergo Dominus pollicitus est montem Hebron Calebo, idemque præcepit, vt haberet partem in medio filiorum Iuda, consequens est etiam vt Dominus ipse assignauerit tribui Iudæ hæreditatem suam sine alia sortitione.

Dominus assignat Iudæ sedẽ suã.

a c. 15. 13.

Cæterum non ita reuersus erat à prælijs Iosue in Galgala, vt ibi diuturniores moras trahere vellet; præsertim cum remotior esset is locus, & quasi in ora deuictæ regionis; Et conueniret principem, quasi in regni centro com-

V. Iosue migrat è Galgalis,

moran-

morantem, in totum vndique regnum prouidentiæ suæ lineas diffundere. Itaque existimo Iosue hoc ipso anno molitum esse migrationē, & occasione petitionis factæ à Calebo & tribu Iuda, è Galgalis Siluntem versus castra mouisse, eoque cum omni populo suo fuisse profectum: idque factum exacto quinto anno belli huius Iosephus affirmat, nimirum in sexto, & apparet hanc translationem non parum temporis occupasse. Cum enim in Galgalis sextum iam annum tanta multitudo familijs, supellectile, pecoribus, hostium spolijs, omnibusque diuitijs aucta atque onerata resideret, non potuit breui tempore, aut inde emigrare, aut iter conficere, aut nouas alibi occupare sedes. Præsertim si ante discessum, vt videtur, & fromenta, & vina, & arborum fructus colligi debuerunt, ne ea vicinis hostibus contra se viui essent: vt merito reliquus hic annus sextus Iosue huic transmigrationi assignari possit.

Sexto anno imperij sui.

VI. Traditur sua possessio filijs Iuda & Ioseph.

Accedit etiam distributio terræ destinatæ filijs Iuda, & Ioseph; Ephraim scilicet. & dimidiæ tribui Manasse, quæ facta est ab Eleazaro, & Iosue, & principibus familiarum cuiusque tribus, sorte omnia diuidentibus, vt initio capitis 14. scriptum est. Referimus autem ad hunc annum istam designationem atque occupationem terræ duarum tribuum cum dimidia. Quoniam cum primum ventum est in Silo, de sortitione septem tribuum agi cœptum est, quod etsi iam omnibus suis attributus esset locus: septem tamen tribus eum non occupassent. Ergo istis omissis, pro quibus alia deinde diuisio, ac sortitio facta est. Iudæ, Ephraim & Manasse, termini prius à scriptura recensentur, quam de transitu in Silo fiat mentio. In hisce autem terminis subtilius recensendis atque explicandis immorari non videtur esse instituræ breuitatis. De vtraque porro tribu filiorum Ioseph illud scriptura notat, & arguit, quod non interfecerint reliquias Chananæorum, sicut Dominus iusserat, sed auaritia ducti eos fecerint tributarios *b*, quod eis postea cessit in ruinam, vt illis diuinitus prædictum fuerat; sed hæc per occupationem dicta sunt, & post mortem Iosue contigerunt.

b c. 17. 13.

VII. Querela filiorum Ioseph. c. 17. 14. 15. &c.

Querela porro filiorum Ioseph, quæ extremo cap. 17. habetur *c*, nō eo destinatur, quod partem aliquam de sorte aliarum tribuum ambirent, sed querūtur terram sibi assignatam esse exiguam, eo quod bona eius pars syluestris esset, ideoque habitationi parum idonea, pars etiam à fortissimis aduersarijs adhuc teneretur. Respondet Iosue vt terram syluestrem & inculram excolant, quoniam virorum multitudine abundant, & quoniam ijdem fortitudine præstent, aduersarios debellent, interim autem spatijs assignatis contenti sint. Hoc ipso anno ipsiana Iosephi Patriarchæ in eam regionem, quam ipse quondam sibi designarat, translata, atque honorifice condita sunt *d*. Cum enim alioqui è Galgalis transferenda essent in Sichem, visum est eadem opera qua transferebatur arca Domini, etiam hæc sancti viri ossa esse transferenda: præsertim cum iam ex sortitione constaret, Sichem ad filios Iosephi pertinere.

Translatio ipsa-morum eius. *d Ios.* 24. 32.

ANNVS MVNDI 2590.

IOSVE 7. ELEAZARI 8.

SANCTVARII IN SILO 1.

AMYNTÆ 15. Imperij Assyr. 659.

ANTE CHRISTVM 1463.

INgredimur septimum tam principatus Iosue, quam transmissi Iordanis annum, eundemque Tabernaculi in Silo constituti primū, iuxta ea quæ paulo ante constituta sunt; in quā etiam arbitramur primum annum Sbbaticum incidisse, qui fuit septimus aditæ Chananitidis. Nam cum annus septimus quieti & remissioni à Deo destinatus esset, idque non à possessione terræ, sed ab ingressū in eam numerandus esset, vt perspicue in Leuitico *e* præscriptum est; non conuenit existimare Iosue virum sanctissimum, hunc primum annum septimum, tanquam sabbaticorum initium, non celebrasse. Deinde cōgruum erat vt tota terra, quæ magna ex parte adhuc indiuisa erat, aut quasi indiuisa reputabatur à septē tribubus, ex totius populi cōsensu Sabbatum celebraret, dum interim dimensiones accuratè fierent, diuisiones item, atq; sortitiones, quas Iosephus septem menses tenuisse testatur. Tertio causa nulla erat cur vltra hunc annum Israëlitæ, qui trans Iordanem sedes fixerant, annum sabbaticum differrent; nec distulisse credendi sunt. At quis credat diuersos fuisse annos sabbaticos, duabus eiusdem populi partibus? Nam quod aiunt legem statuere vt sex annis agri serantur, & deinde septimo terræ quies detur; respondemus legem respexisse ordinarium annorum cursum, post publicam rem constitutam; quod non vetat ne initia peculiare aliquid habuerint, vt fere contingit.

I. Primum annum Sabbaticū huc pertinere.

e c. 25. 2.

Nec legē obstare.

Quod autem ad Sanctuarium attinet, existimo in monte, in quo vrbs Silo extructa erat, in latiore aliqua platea rite erectum sub Dio Tabernaculum, atrio suo vndique cinctum, ibique ad trecentos quinquaginta circiter annos ita perdurasse, vt in deserto triginta nouem, sex in Galgalis steterat. Erat enim suis pellibus atque operculis egregiè conuestitum, & contra omnes ventorum ac pluuiarum iniurias communitum. Et quamuis minimè absurdum sit ipsum tabernaculum, seorsim ab atrio, ligneo aliquo tecto teguliſque, etiam magnificentius quam cæteras domos, fuisse coopertum: Atrium tamen sub Dio constituendum est, in eoque altare holocaustorum, & concha; ad quam sese sacerdotes abluerent. Et licet videri possit Silo in sedem Sanctuarij electam, quod ea esset in sorte Ephraim, quæ erat Imperatoris tribus: & videretur rationi consentaneum sacrarium, sedemque Pontificis apud Ephraimitas collocari, quando tunc apud eos erat principatus: & quidem in eius viri potestate, cui religio & pietas erat antiquissima. Videtur tamen Iosue diuinum in hac translatione consilium exquisisse apud Eleazarum Pontificem, & secutus, potius quam propriam consolationem adamasse: Deū autem tam principem ipsum, quam filios Iosephi honorare voluisse.

II. Sanctuarium vbi, & quomodo constitutum.

III. Septē tribus arguuntur ignauiæ à Iosue.

Constituto in Silo, non sine varia sacrificiorum solennitate, Sanctuario, id enim de tanta celebritate, in quam omnes filij Israël congregati fuerant, meritò existimandum est, acciuit Iosue principes tribuum, quæ nondum regionis suæ possessionem adierant, eosque eo nomine arguit ignauiæ. Multi enim iam menses abierant ex quo filij Iuda & Iosue terram sibi attributam occupabant. Et accusanda videbatur ignauia, quod ea in damnum cedebat, non solum suarum tribuum, sed Leuitarum, qui vrbes, ex diuina lege sibi debitas, accipere non poterant, priusquam tribus omnes in possessionem missæ essent. Accedebat quod plerique hostium, qui ex prælijs fuga elapsi fuerant, in ciuitates munitas se receperant, vt contigerat Hebronitis, quos Caleb iterato vicit. Nisi forte Hebron supra a per occupationem deuicta fuisse dicta sit.

a c.10.36. 37.

IV. Causa cessationis huius.

Nec inanis est, mea quidem sententia, Serarij nostri coniectura, cessasse has septem tribus in adeundis possessionibus suis, quod existimarent priores geometras vel minus bona fide, vel certe minore peritia terram fuisse dimensos. Eam suspicionem duo confirmant; primum quod noui dimensores vltro à Iosue offeruntur, qui scilicet accuratius hoc munere perfungantur; alterum quod de spatio tribui Iudæ prius attributo, multum postea detractum est, adeo vt in eius quasi sinu tribus Simeonis collocaretur. Id ergo subodoratus Imperator b, *Eligite*, inquit, *de singulis tribubus ternos viros, vt mittam eos, & pergant, atque circumeant terram, & describebant eam iuxta numerum vniuscuiusque multitudinis, referantque ad me quod descripserint.* Prius quidem Dominus singulos principes de singulis tribubus, quarum intererat recte diuidi terram, nominatim perscripserat, sed quia illorum descriptio septem tribubus non probabatur, iubet Iosue ternos ab ipsismet eligi, qui probitate ac rei gerendæ peritia præstarent, vt facilius omnes eorum iudicijs acquiescerent, quos suo ipsi calculo ac suffragio comprobassent.

Noui metatores instituuntur. b c.18.4.

V. Terni è decē tribubus.

Quoniam vero terni de singulis tribubus eligendi erant, & res agebatur, non solum septem tribuum, sed etiam decem, quæ eis Iordanem erant habitaturæ, si forte mouendi essent termini alicuius tribus, quæ iam sedes suas acceperat, vt reuera tribui Iudæ contigit, ideo 30. viros dimensores arbitror electos. Quod autem Iosue iubet c, vt olim viuo Moyse Dominus, vt habeatur ratio multitudinis, & amplitudinis cuiusque tribus, quod frustra fieri videtur sorte attribuente paruum locum numerosæ tribui. Respondemus, vt nuper, ad Deum pertinuisse dirigere sortes, sic vt pluribus maior pars, paucioribus minor obtingeret, & posita dimensorum prudentia, quæ loci vnius fertilitatem, alterius amplitudine exæquaret, sors valuit in ijs tribubus, quæ numero suppares erant, vt eam libentius acciperent, quam sors obtulisset. Obscurum est autem quod subdit Iosue *medium terram inter tribus* Iudæ & Ioseph in septem partes esse diuidendam, quasi hæ duæ tribus in extremis terræ finibus sitæ essent, Iudas ad meridiem & Ephraim ad Aquilonem, cum constet ex sequentibus solam tribum Benjamin inter illas duas fuisse collocatam. Sententia huius loci est, ita reliquam terram esse diuidendam, vt termini iam assignati tribubus prædictis immoti sic maneant, vt in diuersum locum non transferantur, etsi termini aut contrahi possint, aut dilatari, aliæ autem tribus circa eas sedes habeant suas.

c Nu. 26. 54.

Quomodo habitatio multitudinis.

VI. Periculosum metatorum negotiū.

Sic ergo electi 30. viri perrexerunt ad *periculosa plenum opus alea.* Pauci enim metatores, nullis, quod appareat, armatorum stipati præsidijs, eas erant obituri regiones, quarum magna pars etiam tum ab aduersarijs tenebatur; nec strictim obituri, vt olim exploratores, sed accuratè perlustraturi singula; nec vt tunc non lacessitis barbaris, sed efferatis, & in desperationem adductis, vt merito istis geometris, ab illis agmine facto irruentibus summa pernicies timeri posset. Nec tamen puto cum Abulensi, hæc per quasdam belli inducias esse facta; existimem potius cum Masio, eo tempore Chananæos omnes tam ex cladibus nuper acceptis, quam ex occulto ac diuino quodam terrore vsque adeo fuisse attonitos, tantoque belli fastidio affectos, vt omnia quieti suæ posthabenda putarent. Contra vero mirifica & cœlesti fiducia Israëlitarum animos subito fuisse imbutos, vt sine vlla cunctatione, vel excusatione perrexerint, & septem mensium spatio, vt Iosephus ait, terram perlustrarint, ac dimensi fuerint.

VII. Renouata diuisio in nouem decemue partes.

Etsi autem in septem nouas partes terra diuisa fuerit, vt ex ipsa Scriptura liquet. Recte tamen putat Abulen. diuisionem totius Chananitidis, quæ cis Iordanem iacebat, ab istis mensoribus in nouem partes proportionales esse factam, pro ratione magnitudinis tribuum; inuenisseque partem Iudæ maiorem, quam proportio multitudinis eius, & magnitudinis terræ totius postularet; portionem autem Ephraim & dimidiæ tribus Manassis congrue fuisse assignatam. Itaque sublata ex hæreditate Iudæ particula, quæ Simeoni sufficeret, reliquam terram adhuc indiuisam in sex partes secuisse, reliquis, quæ superarent, tribubus congruentes. Quibus ita digestis ad Iosue sortitionis causa venerunt in Silo. A quo res fortassis ita transacta est, vt sortes siue schedulæ decem mitterentur in vrnam, in quibus singulis portiones terræ per suos limites designatæ, ac suis tribubus destinatæ continerentur: in alteram vero nomina decem tribuum conijcerentur, sederetque puer paruulus inter vrnas duas, & vna manu nomen tribus vnius efferret, & mox altera schedulam, & quidem illam omnino, quam metatores illi assignauerant; Deo tem totam moderante, & illorum distributionem confirmante, præsertim quod ad illas, quæ sedes iam sortitæ fuerant, quas Dominus immotas esse iusserat.

Sortitionis probabilis modus.

VIII. Ordo sortitionis tribuū & situs earum.

De cæteris, sortitionis hic ordo fuit, prout fusius à Scriptura perscriptus est. Educta primum est sors filiorum Benjamin, possederuntque terram inter filios Iuda, & filios Ioseph. Tum egressa est secunda sors Simeonitarum; quorum hæreditas fuit in medio possessionis filiorum Iuda, versus occidentem prope Philisthæos. Tertia fuit Zabulonitarum, quibus contigit possessio sub mari Galilææ, vsque ad occiduum mare, in quo est mons Carmelus. Quarta fuit filiorum Issacharis, quas Adricho-

mius constituit post Zabulonitas meridiem versus. Quinta fuit Aseritarum, quæ à septentrione ad Libanum montem protendebatur, ab occasu Phœnices habebat & mare, ab ortu autem possessionem Nephtalim, cuius sors sexto exijt loco, quæ ab oriente Iordane claudebatur. Postrema exijt sors Danitarum, qui supra Simeonitas ad tribum Iuda appliciti sunt. Qui mox alias sedes ad Septentrionem quæsierunt, vt habetur in textu *d*: quod tamen vino Iosue non contigit. Ex quo non leue ducitur argumentum hunc librum, qualis habetur nunc, à Iosue non fuisse conscriptum.

de. 19. 47.

Iosue obtinet sibi vrbem Thamnath.

Postremo petijt Iosue à contribulibus suis Ephraimitis *e* vrbem Thamnath Saraa in monte Ephraim, eamque natura loci munitam, bellico incursu quassatam, in sui suorumque habitationem instauravit, vbi & conditus est.

e v. 49. 50

IX. Vrbes fugitiuorũ. *f* c. 20.

Constitutis autem *f* vnicuique tribui possessionibus suis, præcepit Dominus in rẽ deduci, quæ ipse ante præceperat de vrbibus fugitiuorum, quæ ius asyli haberent, in eorum gratiam, qui humanum sanguinem innoxij fudissent. Id autem recte factum hoc tempore, quo sortitione intellectum est, quæ cuique tribui ciuitates attributæ essent. Statuerunt ergo habita ratione distantiæ Cedes in Galilæa montis Nephtali, & Sichem in monte Ephraim, & Hebron in monte Iuda. Quæ vrbes ita sitæ erant cis Iordanem, vt media in medio fere loco regionis sita esset: aliæ duæ versus finem borealem & meridianum, eisque totidem aliæ trans Iordanem Bosor, Ramoth & Gaulon respondetent. Hæ porro vrbes fugitiuorum, erant etiam Leuiticæ quibus aliæ insuper quadraginta duæ ex Dei præcepto & sortitione facta in hoc ipso generali conuentu attributæ sunt, vna cum suburbanis suis.

X. Leuitarũ vrbes 47 13. 10. 13. 12. 48.

Quæ ita distributæ sunt vt filij Leui in quatuor familias tribuerentur, Aaronicam siue sacerdotalem cui 13. vrbes obtigerunt, lectæ ex tribubus Iudæ, Simeonis, & Beniamin; quoniam ibi regia olim sedes pontificia collocanda erat, & iam tum proximus erat sanctuarij locus. Altera familia Caathitarum fuit, qui in decem vrbibus habitarunt; Tertia Gersonitarum, qui in tredecim; quarta Meraritarum qui in duodecim. Atque ita sacerdotes & Leuitæ fuerunt per omnes dispersi tribus. Primo vt cultus Dei ad omnes tribus pertinere intelligeretur, quoniam ministri diuini cultus vbique sedes habebant. Deinde prouidendum fuit ne vna tribus aut duæ omnium Leuitarum sustentatione grauarentur; eorum enim oblationibus nutriebantur. Denique cum ad eos pertineret officium docendi populum, ea quæ ad Dei cultum, & religionem pertinebant, æque id fieri potuisset, si omnes in vna alteraue tribu habitassent, facile autem, si in omnibus Leuiticis vrbibus synagogæ excitarentur, & magistri, doctoresque sustentarentur.

Cur dispersi vbique. 1. 2. 3.

XI. Dimissio commilitonum. *a Iosue 22.*

His ita peractis, cum iam comitia soluenda viderentur *a*, existimauit Iosue socios qui trans Iordanem habitabant, tanquam non vltra necessarios, dimitti posse, eisque militiæ vacationem concedi. Est autem humanitatis plena dimissio, quæ à laude sociorum exorsa, in veri Dei religione etiam atque etiam commendanda terminatur. Sed ne putes inutilem eos militiam militasse, *in multa*, inquit, *substantia atque diuitijs reuertimini ad sedes vestras, cum argento & auro, ære ac ferro & veste multiplici*, nec immemor charitatis in absentes, *diuidite*, inquit, *prædam hostium cum fratribus vestris*, reliquo scilicet populo, qui substiterat trans Iordanem in præsidio possessionis suæ.

vers. 8

Cum autem transituri essent Iordanem, subijt eorum mentem illa cogitatio, ne qui flumine à cæteris Israëlitis secreti essent, diuersa quoque religione purarentur vti, ideoque in testimonium vnius eiusdemque religionis, monimẽtum erexerunt ad ripam Iordanis altare visendæ magnitudinis. Quod in deteriorem partem interpretati, qui cis Iordanem habitabant, celeriter conuenerunt in Silo, consilia de bello sacro agituri. Visum autem est prius mittendam legationem, ad explorandam sociorum mentem atque voluntatem. Legationis princeps constitutus est Phinees sacerdos, & delignatus Pontifex, cum decem socijs, singuli de singulis tribubus, vt intelligeretur communis totius populi in bellum consensus. Expostulat Phinees cum eis de altari sacrilego, & facinus quod apparebat vehementer exaggerat. Illi vero innocentiæ suæ conscij, magno animi sensu atque affectu, negant se præuaricandi animo altare erexisse, sed significare voluisse habere se ius accedendi ad sacrificia, quæ ad Sanctuarium herent, quamuis essent interiecto flumine separati. Quibus auditis placati legati, suos quoque placauerunt, laudauerunt que vniuersi Dominum, quòd eos à ciuili bello liberasset; qua re nihil eis luctuosius, nihil eorum hostibus gratius contingere potuisset.

XII. Erigunt altare, vnde tumultus excitatur.

Ac sedatur.

ANNVS MVNDI 2597.

IOSVE 14. ELEAZARI 15.

AMYNTÆ 22. Imperij Assyr. 666.

ANTE CHRISTVM 1456.

HOsce annos septem, quia rebus ipsis distinguere Scriptura duce non possumus, breui tractatione necessario coniungemus. Hic tamen annus Eleazari decimus quintus secundo anno sabbatico notabilis est, quem existimamus, florente adhuc Israëlitarum pietate, & Iosue rempublicam administrante, diligenter obseruatum fuisse. His porro annis facile vel tacente me intelligi potest tribus cis Iordanem positas, suam singulas hæreditatem ac possessionẽ adijsse. Leuitas etiam in ciuitates sibi ad habitandum assignatas cum vltra quam citra Iordanem demigrasse. Ipsum autem Imperatorẽ, in media apud populum gloria, ac veneratione vixisse, & vrbem, quam optarat in monte Ephraim, ædificasse, in eaque habitasse, exemplo multorum principum virorum qui montana, non vna incitati causa, coluerunt.

I. Secundus annus Sabbaticus.

Quid interim Israëlitæ omnes? Non videntur sane hoc tempore bella redintegrasse, sed quietis opportunitate, & tacitis quasi inducijs bene vti, Principis etiam sui exemplum secuti singuli in suis sortibus reparasse, atque instaurasse, quæ furore bellorum fuerant conquassata;

II. Hebræi in otio ædificant.

noua etiam ædificia passim extruxisse, tam quæ communibus vsibus, vt synagogas, prætoria, quam quæ priuatis deseruirent. Aliqui etiam, vt sæpe in rerum copia & prosperitate contingit, inerti se otio dediderunt, & tributorum pensitatione læti, familiaritatem cum antiquis terræ incolis contrahere cœperunt, quos ex Dei mandato deletos oportebat, indeque paulatim ad summam idololatriæ perniciem gradum fecere.

ANNVS MVNDI 2599.

IOSVE 16. ELEAZARI PONTIFICIS 17.

AMYNTÆ 24. Imperij Assyr. 668.

ANTE CHRISTVM 1454.

I. Prior Iosue ad populum concio. c c.23.

NArrationem quam in hunc annum conijcimus c non certa scientia, sed probabilis coniectura confirmat. Cum enim duæ cohortationes ad populum à Iosue factæ duobus postremis huius libri capitibus contineantur, quas constat postremis hisce principis annis fuisse habitas, non videtur probabile populum tantum, ab eo bis eodem anno fuisse conuocatum. Sed primum quidem hoc anno cum iam mortem sibi in foribus adesse putaret, vt illa verba testantur. *Ecce ego ingredior viam vniuersæ terræ*: deinde anno sequenti, cum vitam, qua aliquanto longiore præter spem vsus fuerat, ad extremam periodum venisse, vel certioribus signis, vel diuina fortasse reuelatione didicerat. Quod autem concionem hanc habitam legimus *multo tempore euoluto* d, *postquam Dominus pacem dederat Israeli*, id nos de spatio decem annorum accipiendum putamus, quoniam sexto anno principatus Iosue *e terra quieuit à prælijs*, vt suo loco docuimus & septimus sabbaticus, & primus quietis fuit. Nec mirum nunc Iosue longæuum dici, & persenilis ætatis, vt qui nonem annis centesimum esset supergressus.

d c.23.1.

e c.11.23.

II. Habita videtur in Silo.

Quo porro loco fuerint à Iosue conuocata hæc comitia, non constat; quidam eum ad se in Tamnath, primarios ex toto populo viros euocasse putant; alij in Silo malunt, quod restora ad Dei cultū commendandū pertineret. Cui sententiæ etiam quæ de visione Angelica, & sacrificijs mox dicemus, non exiguam conciliant fidem. In hoc primariorum virorum conseſſu, exorsus à commemoratione beneficiorum recens à Deo acceptorū, recentia enim magis mouent quam antiqua, eorum animos ad Dei amorem & cultum suauiter inflectit. Verum quia ista beneficia, iustissimis de causis, quas supra memorauimus, nondum erant ad coronidem perducta, perfectæ victoriæ spem certissimam facit, vt quæ ex ipsorum alacritate, & in Deum amore, eiusque mandatorum obseruatione pendeat. a *Tantum confortamini, & estote solliciti, vt custodiatu cuncta, quæ scripta sunt in volumine legis Moysi*, in quo maxime cōmendatur vt Chananæi exterminentur propter periculum idololatriæ, quod deinceps Iosue diligenter inculcat, addita postremo commination diuinæ vltionis ab Israëlitis, per illas ipsas gentes, expetendæ.

a c.23.6.

His pluribus explicatis magnum sanctissimi senis orationi pondus diuinitus allatū est ex angelica reprehensione, à qua Iosue fere tēperauerat. Huc enim pertinere Angelicam illam apparitionem, quæ habetur secundo b Iudicum res ipsa loquitur. Nā nisi res viuo Iosue contigisset, nihil erat causæ cur ibi fieret mentio ipsius; & nisi contigisset hoc tempore, patū apte adderetur illa cōclusio. *Dimisit ergo Iosue populū, & abierunt filij Israel vnusquisq; in possessionē suam, vt obtinerent eam*, adhuc ergo aliqui adibant possessionem agrorum suorum: & si quæ adhuc existebant controuersiæ, à priuatis iudicibus dirimebantur: quæ particula, in posteriore dimissione populi, quæ à Iosue sequenti anno facta est, non fuit addita. Videtur autem ille ipse Angelus fuisse, qui pridem in Galgalis apparuerat Iosue, & ad id innuendum nunc de Galgalis dicitur ascendisse, quem diximus videri Michaëlem præpositum Ecclesiæ Dei. Venit autem in locum, qui ab euentu postea dictus est flentium, qui fuit peculiaris aliquis locus prope Silo, quia ibi dicuntur immolasse hostias Domino.

III. Angelica apparitio prope Silo.

b *Iud.* 2.1. 2. &c.

Cum ergo auditum esset in populo apparuisse Angelum Domini prope Silo Iosue memor illius, qui sibi in agro vrbis Iericho prīdē apparuerat, eo cum vniuerso comitiorum cœtu profectus est. Ad quos hæc fuit eius oratio. *Eduxi vos de AEgypto, & introduxi in terram pro qua iurani patribus vestris, & pollicitus sum vt non facerem irritum pactum meum vobiscum in sempiternum, ita dumtaxat vt non ferietis fœdus cum habitatoribus terræ huius, sed aras eorum subuerteretis: & noluistis audire vocem meam. cur hoc fecistis? quam ob rem nolui delere eos à facie vestra, vt habeatis hostes, & dij eorum sint vobis in ruinam.* Non accusat Idololatriæ, sed fœderum cum Chananæis initorum & altarium in eorum gratiam non euersorum. Ex quo intelligitur eos nondū ad Idola defecisse, id enim in primis arguendum fuisset. Vide autem antithesim. Inierunt Hebræi fœdera cum Chananæis contra Dei voluntatem: ex Dei voluntate eosdem habituri sunt hostes. Dijs eorum pepercerunt, nec aras ipsorum demoliti sunt, ijdem vltore Deo in laqueū futuri sunt Israëli.

IV. Eo confluūt comitia.

Ab Angelo reprehenduntur.

Quanta fuerit noui huius oratoris in dicendo vis, ex eo apparet, quod omnes protinus concussi animis, in lachrymas proruperunt. Commotis iam videlicet ac labefactatis Imperatoris oratione animis, pondus Angelicæ reprehensionis incumbens, illas excussit lachrymas, easque vt diuinum numen facilius exorarent sacrificijs cumularunt. Sequitur enim. *Immolauerunt que ibi hostias Domino*, quæ scilicet in lege appellantur pro peccato. Addiderunt & pacificas, quibus refecti, dimissi sunt vnusquisque in possessionem suam, vt obtineret eam. Verum apparet istis contigisse, quod ait magnus Gregorius, qui ad horam soluuntur in compunctionis fletus, mox tamen ad priora peccata ita redeunt, quasi ea nunquam ante planxissent. Nusquam enim legitur eos fœdera male inita distraxisse, aras profanas euertisse, impios, meritis iampridem supplicijs, ex Dei imperio ac voluntate mactasse.

V. Soluūtur in fletus, neque tamen emendantur.

ANNVS MVNDI 2600.

IOSVE 17. & vlt. ELEAZARI PONTIFICIS 18. & vlt. AMYNTÆ 25. Imperij Assyr. 669. ANTE CHRISTVM 1453.

Capita cõtionis huius.

I. Iosue quãdiu Rempub. administrarit. e *Ios.* 24. 29. & *Iud.* 2. 8.

PEruenimus ad postremum clarissimi Imperatoris, tam vitæ, quam principatus annum: in quem etiam annus Iubilæus quinquagesimus secundus ab orbe condito incidit. Et de ætate quidem centum & decem annorum aperta Scripturæ e assertio dubitare non sinit, de magistratus autem duratione quia tacuit, latam Chronologis patefecit aream disputandi. Sed omissa multiplici opinionum varietate, eam vnam probamus, quæ Iosue gubernationem 17. annis definit. Sic enim quadringentesimus & octogesimus annus ab exitu Hebræorum ex Ægypto, erit quartus Salomonis, idemque primis à iactis templi fundamentis, quod asseruit Scriptura d in tertio Regum. Sicque omnes Iudicũ anni constabunt, prout ex Hebræis codicibus, & editione vulgata digesti sunt à nobis in Annalibus. Quos si auxeris aut diminueris, necessario annus fundati templi, quem Scriptura tradidit, vitiosus erit.

d 3. *Regum* 6. 1.

II. Seruitutes & interregna Iudicum quo referenda, sicut & asiatchia.

De singulis autem Iudicibus, etsi suus erit deinceps dicendi locus, hic tamen vniuersè dicendum est annis interregnorum siue seruitutum, in Iudicum annos esse comprehensos, nec seperatam facere chronologiam, verbi causa facti anni seruitutis sub rege Cusan, in annis Othonielis continentur, & ita de cæteris. Itaque anni singulorum Iudicum sunt spatia temporis interiecti inter duos Iudices verbi gratia, à morte Iosue, ad mortem Othonielis. Quia tamen sunt aliqui qui annos aliquot Iosue detrahunt, quos vel gubernationi seniorum tribuant, quos Scriptura longo post Iosue tempore vixisse tradit, vel illi anarchiæ, quam eadem memorat, cũ ait, *in diebus illis non fuisse regem in Israel.* Dicimus non mouendos amos Iosue, cum Scriptura nusquam tradat Seniores illos rempublicam administrasse, sed intelliguntur duntaxat exemplo pietatis, & constantis in Deum fidei, toti populo diu præluxisse, eumque ipso authoritatis nutu in officio continuisse. Illos ergo annos ad Othonielis initia reijciemus, ad quos illa quoque anarchia pertinet, suosq; septendecim annos Iosue relinquemus. Nunc vltimam Iosue in conuentu populi concionem, eiusque & Eleazari funus breuiter explicemus.

Seniorũ gubernatio nulla fuit.

III. Postrema Iosue cõtio vbi sit habita. e *c.* 24.

Sequitur e ergo postrema sanctissimi ducis ad populum concio, qua eius quasi testamẽtum continetur, fœderisque populi cum Deo sæpius iterata percussio. Et habita quidem est apud eosdem apud quos præcedens, non tamen in eodem loco, sed in oppido Sichem, vt in Hebræo, Chaldæo, Latinoque legitur, Græca vero partim habent Sichem, partim Silo, vt legit S. August. Dici potest in Sichimis conuentum habitum, fœdusque percussum. Inde omnes quasi in pompa in Silo, ad aream Domini, confirmandi eius gratia, tunc profectos, parum enim à se inuicem ea loca distabant, & erant ambo in tribu Ephraim. Quod ad ipsam concionem attinet; Inducit Iosue Dominum loquentem, & sua in Hebræos beneficia antiqua atque recentia memorantem. Ex quibus ipse iustissimam hanc conclusionem infert. *Nunc ergo timete Dominum & seruite ei perfecto corde atque verissimo; & auferte*, id est, reijcite, atque abominamini, *Deos quibus seruierunt patres vestri in Mesopotamia & in Ægypto*, atque adeo in deserto, vbi vitulum aureum adorauerunt, & initiati sunt Beelphegor, nec impune, *& seruite Domino.*

q. 30 in Ios. vsq. ad fin. libri.

IV. Qui detur optio Israelitis seruiendi Domino.

Sed mirabilis est optio quam offert Israelitis de seruiendo Deo vel idolis, cum iam sæpius cum Deo fœdus inierint, à quo non sit integrum resilire. Et vt nullum esset fœdus, non licet vero Deo relicto impurissimos dæmones colere. Sed hæc dissimulatio quædam est, ad accendendum affectum comparata, quod ex sequentibus clarius agnoscitur. Nam statim eos exemplo suo prouocat ad sequendum Deum. Cur enim non statuant eius Imperatoris religionem imitari, cuius eximiam in rebus agendis prudentiam, in exequendis felicitatem, in omni vita sanctitatem adhuc experti essent? Ergo ita statuunt, ac decernunt seruire Domino, à quo tot beneficia, quæ enumerant, ad hanc diem acceperint. Quia tamen, vt ait ille, *Nutimur in vetitum semper, cupimusque negata*, perseuerans in dissimulatione sua Iosue, quem non latebat populi huius in bono proposito inconstantia, & insignis in cultum idolorum propensio, *Non poteritis*, inquit, *seruire Domino*, sicque magis accensa eorum voluntate proponit quæ difficilia futura sint in Dei cultu, qui sit seuerus vltor iniuriarum suarum, & in primis defectionis à se ad idola, vt ea nunc animose perrumpere statuant, & constanter in bono tam ardenter electo perseuerent.

V. Iosue renouat fœdus Deũ inter & populũ.

Postquam autem sapiens Imperator quadam quasi tergiuersatione populi voluntatem magis magisque accendit, testem appellat eorũ conscientiam, vt se ipsi postea, si perfidi fuerint, sine alio vel teste vel iudice condemnent. Sicque acceptatur vniuersi populi voluntas à Domino, interuentu Iosue principis populi. In cuius rei probationem. *Nunc ergo*, ait, *auferte deos alienos de medio vestri*, si qui sunt, etsi non studio idololatriæ apud vos simulachra illa resideant, sed in spoliorum partem, prædæque venerint, *& inclinate corda vestra ad Dominum Deum Israel.* Respondit iterum populus se Domino seruiturũ, quod erat toties ictum cum Domino fœdus innouare. Percussit ergo Iosue in die illo fœdus, & proposuit populo præcepta atq; iudicia in Sichem: lecto vt apparet Deuteronomio, quod est quædam quasi legis epitome. Denique ad perpetuam rei memoriam duo signa fœderis huius instituit, alterum quod in scripta retulit in hoc libro, qui à peritis consuli perpetuo posset. Alterum in vsum idiotarum fuit, prægrandis scilicet lapidis erectio, cuius quoties causa requireretur, totius fœderis huius memoria renouaretur. Aliæ quoque fœderum cæremoniæ merito putantur adhibitæ, vt esset hoc postremum fœdus omni ex parte sanctissimum.

Monimenta fœderis.

VI. Tempus mortis Iosue.

Finita concione, fœdereque, dimisit populum, ipseq; mox fato functus appositus est ad patres suos, in senectute bona, honoratus ti-

tulo serui Domini, sicut & Moyses. Dies mortis eius in martyrologo Romano proditur primo Septembris, quod si ex Hebræis sumptum est, quorum menses lunares erant, dici potest eum in nouilunio mensis Tisri esse defunctum, quo die festum Tubarum celebrabatur, & initium anni popularis. Sicque Moyses, vt ante diximus, initio anni sacri, Iosue vulgaris obierunt. Nimirum ille Israelitis initium rerum sacrarum fuit, hic terrenæ possessionis, & promissæ pridem hæreditatis. Non dubium est autem quin ab vniuerso populo honestatum fuerit eius funus, & publicus de more luctus indictus, sicut in morte Moysi & Aaronis. Præsertim cum sub hoc ipsum tempus Eleazar Pontifex defunctus fuerit, & vtrique vna eademque opera potuerit parentari. Iosue certe meritis id negari non potuit, viro belli pacisque artibus egregio, quique ad annos septem & quinquaginta, aut etiam pluribus, iuxta aliorum supputationem, pro Dei populo bella gessit, & mirabili felicitate confecit, annosque septendecim Dei populum, cum suprema potestate gubernauit. A quo denique toti populo parta erat beata tranquillitas, & nisi per eius dementissimam improbitatem stetisset, sempiterna.

Eiusdēque funus.

Nec plura placet hoc loco funeri principis huius honestando congerere; horum studiosus lector ipsos adibit, si placet, Annales, vbi eximiam eius ac multiplicem cum Christo Domino similitudinem reperiet.

VII. Mors Eleazari, secundi pōtificis eiusque laus.

Sub hoc ipsum tempus, vt dixi, Eleazar quoque Pontifex mortuus est, ac sepultus in oppido Gabaa, quod peculiariter eius filio Phinees datum fuerat. Eum putamus mortuum centenario maiorem, post decimum octauum sui Pontificatus annum, iuxta coniecturas quas in Annalibus digessimus. Vir fuit sane magnus, qui iuxta nomen suum quasi diuinum auxilium datus est Iosue, iuxta illud *a*. *Pro hoc si quid agendum erit, Eleazar sacerdos consulat Dominum. Ad verbum eius egredietur ipse, & omnes filij Israel cum eo.* Quæ cum à Iosue viro sanctissimo fuisse obseruata minime dubitemus, dici potest Eleazarum rebus omnibus à Iosue gestis adfuisse, & quodammodo præfuisse. Magnus vtique vir, qui & patrem habuerit Aaronem, & patruum Moysen, vtrumque virtutis ac sapientiæ magistrum; qui nominatim electus fuit à Deo Pontifex, vt primogeniti vices expleret: idemque iure Dei timore plenus, qui viderat Dei mirabilia magna in Ægypto, in mari rubro, in deserto, in Iordane, & vltra, citraque Iordanem.

a Nu. 27. 21.

ANNVS MVNDI 2601.

OTHONIELIS Iudicis annus 1.

PHINEIS Pontif. annus 1.

AMYNTÆ 26. Imperij Assyr. 670.

ANTE CHRISTVM 1452.

I. b vide Ann. an. n. 1. & 2. Ratio annorū Othonielis. c Iud. 3. 11.

QVæ de ratione numerandi annos Iudicum hoc loco dici poterant *b*, iam initio præcedentis anni breuiter diximus, iuxta cōmunissimam, maximeque probabilem chronologorum sententiam. Itaque 40. Othonielis anni, quos rei Scriptura attribuere videtur, à morte Iosue inchoantur, & in eiusdem Othonielis morte terminantur. Illa tamen non ait Othonielem annis 40. populum iudicasse, sed quieuisse terram annis 40. ipsumque tum mortuum fuisse. Imo satis ostendit Othonielem non toto illo tempore administrasse Rempub. cum eum dicat diuinitus suscitatum, post annos octo seruitutis. Sed alij quoque anni antecesserunt, tam laudabiles, dum seniores illi viuerent, quam culpabiles, qui seruitute sub rege Syriæ castigati sunt. Priusquā autem hosce annos digeramus, pauca quædam de horum Iudicum dignitate dicamus.

II Quæ Iudicū dignitas.

Hi ergo quos Scriptura Iudices vocat, non solis præfuere iudiciorum controuersijs, sed summi fuerunt istis temporibus in Hebræorum Repub. magistratus, licet neque duces, neque gubernatores, neque principes ordinariè dicti fuerint. Iudiciorum tamen, consiliorum, & bellorum principatum tenuerunt. Ex quo patet hoc nomen Moysi & Iosue tribui potuisse. Verum ille titulo Legislatoris illustrior est, iste parto Chananitidis imperio glorioſior. Quod ad potestatem eorum attinet, ea facilius ex dissimilitudine & similitudine cum regia intelligetur. Principio ergo reges à Deo electi regnum ad filios ac nepotes hæreditario iure transmittebant, Iudices non item; hæc enim potestas modo in hac, modo in illa familia & tribu fuit. Secundo ius vitæ & necis in iudicando, aō liberum siue regium, sed legitimum ex legum præscripto habuerunt. Tertio ita belli gerendi potestatem habuerunt, vt illud pro arbitrio, quod reges solent; non susciperent, sed prout à Deo suscitabātur aut à populo vocabantur, vt Iephte. Quarto tributa populo, sicut reges non imponebantur. Quinto liber erat in eligendo populus, vt vno defuncto alterum posset non eligere. Et reuera sæpe multi anni duos inter Iudices interiecti sunt, etsi ad tempus gubernationis eius referantur. Reges autem sibi mutuo succedunt. Sexto diademate, aut sceptro, alijsue regū insignibus non vtebantur. Denique ius legum condendarum non habebant, sed ex Mosaicis tantum legibus populum gubernabant.

Regum dissimilis.

Iud. 11.

III. Et in quibus similes.

Fuerunt etiam in aliquibus non dissimiles regibus. Primum quia non ad certum tempus pacis aut belli creabantur vt Dictatores & Consules, sed in totam vitam, vt Ecclesiæ præsules. Deinde quia cū suprema potestate & soli Reipub. præerant, nullus vt eis omnino par esset, vt propterea Iosephus hūc statum monarchicum appellarit. Sed de his pro instituto satis. Nondum præerat Israēlitis in politica gubernatione Othoniel, cum Phinees in Ecclesiastica, iuxta mandatum Domini factus est Pontifex: vt habent Septuag. in fine libri Iosue in plerisque editionibus, eamque dignitatem vt à patre auoque didicerat, laudabiliter administrare cœpit. Etsi autem plerique crediderunt in statu politico Seniores septendecim annis administrasse Rēpub. & ipsi Iosue ante Othonielem successisse, cum id præter scripturam sit, appareatque illos bonæ vitæ duntaxat exemplo iunioribus præfuisse, ne ad idola deficerent. Probabilius cum Serario nostro censemus totā Remp. à publico

Pontificatus Phinees.

Heb. apud Genebr. Reipub. à Concilio gubernata non à senioribus.

illo

1 Num. 11. 16. 24. 2 Exod. 18. 21. 25.

illo Septuag. seniorum concilio *a*, quod Synedrium dictum est, fuisse administratam. In singulis vero tribubus præfuisse eorum principes & magistratus, quorũ institutio habetur *b* Exodi 18. vt illorum 11. Num. Illorum porro Seniorũ administratio non septendecim annorum fuit, sed multorum seculorum, dum filij patribus de vita decedentibus, & veteranis tyrones succedunt.

IV. Primi 17. Othonielis anni exteriique.

Verum ne videamur multorum Rabinorum assertioni nihil tribuisse, dicamus primis septendecim Othonielis annis, quos illi Seniorum administrationi tribuunt, Israelitas diuinam legem ac cultum saltem publice obseruasse, modo illud teneamus, non fuisse istos seniores alios ab antiquioribus concilij prædicti patribus. Inde secuti sunt aliquot præuaricationis anni, quibus obliti Dei sui seruierunt Balim & Astaroth, quos possumus cum quibusdã eruditis definire quinquennio: quibus si addamus octo seruitutis annos, sub rege Chusano ad trigesimum Othonielis perueniemus annum. Reliqui decem anni in illo hoste opprimendo, & stabilienda Israelitarum pace, fruendaque consumentur. Primi ergo qui numerantur Othonielis anni, primo & secundo capite libri Iudicum continentur. Duplex in ijs Israelitici populi status ostenditur, alter capite primo pius & florens, bellis exercitus, & victorijs nobilitatus; alter secundo capite, & tertij parte, impius & ærumnosus, cladibus & octenni seruitute insignitus: vt quod vniuersè de Iudicum temporibus dixit S. Augustinus *c* in Othonielem in primis conueniat. *Temporibus autem Iudicum*, inquit, *sicut se habebant & peccata populi, & misericordia Dei, alternauerunt prospera & aduersa bellorum.*

Duplex Israelis status.

c l. 16. de Ciu ex. trano.

V. Expeditio cõtra Adonibezec.

Capite primo multæ expeditiones, & victoriæ Israelitarum narrantur contra Chananæorum reliquias, quæ partem aliquam hæreditatis diuinitus Hebræis concessæ, adhuc in singulis tribubus retinebant. Quarum prima fuit cõtra Adonibezec. Ergo primo quoque tempore à secundi ducis, secundique Pontificis morte, sepultura, luctuque, vel Seniorum illorum, qui consilio Rempub. moderabantur, vel si mauis cum Iosepho, Phinees Pontificis authoritate, coacta sunt omnium tribuum comitia, apud Dei Sanctuarium in Silo. Et quia satis constabat singulas tribus sigillatim perpurgandæ hæreditati suæ incumbere debere, dubitatum fuit quænam id primum tribus aggrederetur. Consultus est per Pontificem Dominus, renunciatumque vt tribus Iuda, quæ erat vna omnium fortissima & populosissima, prima omnium arma caperet, vt prosperis eius successibus reliquæ tribus animatæ, pugnam alacriores contra hostes suos, Deique capesserent. In hoc autem Iudæ exercitu non constat quis fuerit Imperator. Apparet sane eum fuisse, qui erat tunc in illa tribu princeps, Salmon fortasse: nisi honos hic delatus est Calebo viro clarissimo, atque optimo, quod Scriptura significat, quæ mox refert præmium à Calebo, vtique tanquam duce, propositum ei, qui percuteret Cariath Sepher. Nec tamen numeratur in Iudicibus, quia isti principatum in totum Israelem gesserunt, non autem Caleb.

A tribu Iuda diuinitus suscipitur.

Imperatore Calebo.

Aduocata porro est ad glorioſi belli societatem tribus Simeonis, vel illa maxima de causa, quia locis & habitatione maxime vicini erant, adeo vt intra Iudæ sortem, in ipsumque pene sinum receptus sit Simeon. Iudas ergo & vicissim Simeon pro fratre pugnando, in suum quoque emolumentum & securitatem vterque pugnabat. Primum autem contra Chananæum & Pherezæum feliciter pugnatum est, eos scilicet Chananæos, qui hærebant adhuc in tribu Iuda, quibus Pherezæi subsidio venisse putantur ad vrbem Bezec. Ibi contra illius vrbis Dominum, eiusque ciues pugnatum est: cuius appellatiuum nomen fuit Adonibezec, id est, Dominus Bezec. Numerosum fuisse vtraque ex parte exercitum, decem millium cædes satis docet; nec potentem modo aduersarium, sed bellicosum etiam ostendunt Septuag. illi ab eo deuicti reges. Crudelem quoque ac superbum ijdem ostendunt, qui captorum infelicitate, ad victoriarum suarum ostentationem, insolenter abuteretur.

Quis Adonibezec.

VII. Pugnæ ac victoriæ m[illegible] d[illegible] *Ant.* 5.

Prælij ordo ac modus hic fuit. Primum, vt Iosephus significat *d*, acie in campis infestis signis concursum est. Ibi autem cælitus ad Israelitas deuolante victoria, vincitur Adonibezec cũ suis, & cæsis decem virorum millibus, in Bezec, aliaque munita loca, Rex cum fugitiuis curriculo recepere sese. Inde ad oppugnandum Bezec ventum est; in qua cum Rex esset, vt ait Scriptura, & ibi de capite ac fortunis suis omnibus agi non dubitaret, perspicuum est eum, quam diutissime potuit, obsidionem tolerasse. Tandem cum capta esset aut certe proximum esset vt caperetur, in fugam se dedit; quod cum Calebum reliquosque obsidentes non latuisset, fugientem persecuti, eum comprehenderunt, & integra de illo rege, securaque victoria potiti sunt, & cæsis habitatoribus, ciuitas prædaque omnis in Iudæorum potestatem venit: quod de vicinis quoque oppidis, quamuis Scriptura tacente, Iosephus non improbabiliter affirmat.

Ad Bezec quoque pugnatũ.

Rex victus captusque.

VIII. Pœna talionis punitur.

Capto rege, Israelitæ à vicinis populis edocti, quanta ille deuictos regulos inhumanitate tractasset, pœna talionis vsi, summas illi manus pedesque abscinderunt. Quo ille modo deformatus, diuinam in se iustitiam agnouit ac prædicauit, dicens, *sicut feci, ita reddidit mihi Deus.* Postremo additur illum adductum in Ierusalem, quo scilicet belli vertebatur moles, ibique mortuum esse. Quod Iosephus explicat, non longe à Ierusalem. *Sic affectum*, inquit, *detulerunt nõ longe à Ierosolymis, vbi fato functum terræ mandauerunt.* Ex vulnerum dolore, & sanguinis iactura extinctum putat Abulensis. Quanquam fieri potest vt non solum prope Ierusalem dum obsideretur mortuus fuerit, sed etiam superstes fuerit ad captam vsquẽ ciuitatem, ibique reuera extinctus sit. Nam illos reges, qui paria passi fuerant, diutius postea vixisse, significat ille sub mensa victus. Apparet hanc expeditionem vnum annum tenuisse. Nam & potentem habebant Hebræi aduersarium, vt diximus, & numerosis stipatum copijs. Adde quod volebat Dominus *a* hostes populi sui paulatim debellari: à Iudæis denique alia quoque oppida minora expugnanda fuerunt, priusquam Hierosolymam veniretur. Ad illius ergo obsidionem & cladem cum nouo anno transeamus.

mors eiusdem.

Durano huius Expeditionis.

a Deut. 7. 22.

VI. Commi-

ANNVS MVNDI 2602.

OTHONIELIS & PHINEIS 2.

AMYNTÆ 27. Imperij Assyr. 671.

ANTE CHRISTVM 1451.

I. Expeditio in Ierusalem quã diuturna.

ANnum hunc oppugnatæ, captæ, vastatæque Hierosolymæ assignamus. Nam præter causam diuini consilij, de lenta hostium populi sui debellatione *b*, ciuitatis huius firmitas ac potentia, & collectus iam dudum ad tolerandam obsidionem apparatus, diuturnam potuit ferre obsidionem, vnica enim ex parte expugnari potuit: & vero etiam ferre debuit. Omnium enim oculis obuersabatur desperatio, ex perfidia nata, quæ nullam à victoribus veniam expectare patiebatur. Quæ qui secum reputauerit, facile concedet victorem exercitum non solum annuam, sed fortassis etiam longiorem traxisse moram, vt hac ciuitate potiretur. Rem tamen totam perpaucis Scriptura perstrinxit. *Oppugnãtes*, inquit, *filij Iuda Ierusalem, ceperunt eam, & percusserunt in ore gladij, eradentes cunctam incendio ciuitatem.* Infertorẽ scilicet, vt ait Iosephus *c*, *Nam superior*, arx videlicet Sionis, quæ postea ciuitas Dauid appellata est, *natura loci & munitionibus est defensa.*

b *Deut.* 7. 22.

c *l. ant. c.* 2.

II. An & quatenus ad Iudam & Benjamin pertineret.

Ne quis autem miretur tribum Iuda oppugnare Ierusalem, quæ ad tribum Benjamin pertinuisse legitur *d*. Nam ad tribum quoque Iuda legitur pertinuisse *e*. Nimirum bipertita fuit illa ciuitas, ex duobus quondam oppidis coagmentata. Salem & Iebus. Salem pars erat Septentionalis & ad Benjaminum pertinebat, Iebus autem meridiana, & cessit in partem Iudæ. Cum ergo Iudas partem suam oppugnare vellet, necesse habuit etiam alteram oppugnare, idque non solum cum bona venia, sed etiam gratia Benjamitarum. Admirum quoque est vrbem nuper debellatam à Iosue, hic iterum à tribu Iuda oppugnari. Dicendum videtur vtroque tempore fuisse captam. Nam capto eius rege atque suspenso ad Maceda magno illo die, venit Iosue ad viduatas regibus & copijs ciuitates, easque conterritas occupauit, vt Lachis, Eglon, Hebron, Maceda, vtique & Ierusalem, non superiorem, in qua soli Iebusæi vsque ad Dauidem manserunt, sed inferiorem, in qua tamen filij Iuda cum Iebusæis habitarunt, vt est in extremo capite decimo quinto Iosue, eosque vt videtur tributarios habuerunt, vt de Ephraimitis scriptum est *f*.

d *Iud.* 1. 21. & *c.* 19. 10.

Bis capta fuit.

f *Ios.* 16. 10 & 17. 13.

III. A Iosue & Calebo.

Verum mox resumptis animis Iebusæi arcis præsidio nixi, nouos incolas moribus dissimiles, & fortasse victorijs insolentes, ex vrbe coniuratione facta exegerunt. Ideoque summa vtriusque contentione ad arma ventum est. Iudæis partam semel victoriam redintegrare cupientibus, Iebusæis recuperatam libertatem conseruare. Itaque magna vtrimque ad muros obstinatione dimicatum, tandem capta est, & in eam ferro flammaque sæuitum, cunctaque incendio tradita ciuitas, vt Scriptura testatur, Ex qua seueritate vindictæ meritò præcedentem deuictorum perfidiam plerique collegerunt. Denique geminatam de subacta hac ciuitate victoriam, illud quoque confirmat, quod hic oppugnata dicitur à filijs Iuda. At viuo Iosue ex omnibus tribubus cõstatus erat exercitus. Nec tamen tota ciuitas inferior incendio absumpta est: nam aliquanto post dicuntur Iebusæi habitasse in Ierusalem cum filijs Benjamin, vsque in præsentem diem; idque rursum ex historia Leuit. c. 9. intelligetur.

vasf. 21.

ANNVS MVNDI 2603.

OTHONIELIS & PHINEIS 3.

AMYNTÆ 28. Imperij Assyr. 672.

ANTE CHRISTVM 1450.

I. Expeditio aduersus Hebron diuersis ductibus tribuitur.

INcensa ac prope deleta inferiore Hierosolyma, filij Iudæ & Simeonis ad aliam expeditionem aggressi sunt, idque non nisi post notabilem aliquam moram, quod innuit illa vox, *Et postea descendentes* &c. quæ alioqui superflua videatur. Hyeme fortasse ab armis cessatum fuerit, & in ruinis Ierusalem, & circumiacentibus pagis commoratum, expectantibus Iudæis, si qua se forte commoditas offerret arcis Sionis occupandæ; nullo tamen successu. Ergo desertis Hierosolymis, exercitus Iudæ & Simeonis perrexit contra Chananæum, qui habitabat in Hebron, & percussit Sesai & Achiman & Tholmai. Est autem hic de tempore non negligenda dubitatio. Nam primum hæc de Hebrone, & Oham eius rege victoria *g* Iosue tribuitur. Mox Caleb *h* c. 15. vbi illi ipsi gigantes cæsi dicuntur, qui hoc loco *i* memorantur, vbi denique victoria Iudæ tribuitur. Videtur tamen semel dumtaxat capta Hebron & occisi gigantes. Eademque est de Dabira vrbe literarum dubitatio.

g *Ios.* 10. 3. 36.
h *Ios.* 15. 14
i *Iud.* 1. 10

II. Iosue, & quomodo. Iudæ siue Calebo

Primum enim dicimus victoriam omnem, in genere & in specie, Imperatori tribui, cuius auspicijs omnia gerebantur; ideoque per occupationem primo illo loco à Iosue tunc gesta dici, quæ postea gesta fuerunt; priuatim tamen ac proprie Calebo, qui hanc sibi milviam deposcerat, esse tribuendam; sed ea rursum maturius recitata est, ex occasione sortis eius. Hoc autem tempore mortuo Iosue res gesta est à Iuda, qui non est alius à Calebo de tribu Iuda, qui militiæ isti præerat, vt ante diximus *k*. Propugnatores huius ciuitatis, tempore huius expeditionis fuerunt tres gigantes celebres Sesai, Ahiman, & Tholmai, quorum pater fuit Enac, auus Arbe, vt probabilitet colligitur ex libro Iosue. Erant autem illi valde ætate proueckti. Nã in libro Numerorum *l* cum terroti erant exploratoribus, præ magnitudine membrorum, 40. aut 50. annorum erant, ab eo autem tempore 60. ferme anni abierunt. Masius tamen putat hæc nomina pro eorum posteris sumi, vt Israel, Iacob & Iudas &c. pro Israelitis, Iudæis &c.

k *ann.* 1. *Othon. n.* 5

l *c.* 13. *n.* 13 14. *c.* 13.

III. Gigantes Hebronis propugnatores

Quidquid sit, non dubium est istos viros fortissimos, armisque assuetos diu multumque Calebo restitisse, montani præsertim loci opportunitate vsos, ab antiqua talium virorum sede,

& omni-

& omnibus rebus ad propugnandum instructa. Quod ipse Caleb testatus est cum hunc sibi Enacidarum montem in sortem depoſceret, *in quo*, inquit, *sunt vrbes magnæ atque munitæ, si forte sit Dominus mecum, & potero delere eos, sicut promisit mihi.* Verebatur vir optimus ne qua sua culpa irritam faceret Dei promissionem: sed neq; vlla culpa viri innocentis interuenit, neq; Deus defuit promissis. Ibi enim bellatores illi occubuere cũ suis, & vrbe vi capta, in omnes oppidanos sæuitum esse Iosephus affirmat. Deinceps autem in tribus Iudæ potestate permansit, & nominatim Calebi, & posterorum eius, ibique laudabiliter reliquam ætatem transegit; cuius finem alio in loco inuestigabimus.

Victi, cæsique.

ANNVS MVNDI 2604.

OTHONIELIS & PHINEIS. 4.

AMYNTÆ 29. Imperij Assyriorum 663.

ANTE CHRISTVM 1449.

I. Annus 3. Sabbaticus.

ANnum hunc, qui fuit Sabbaticus ordine tertius, est enim vigesimus primus ab ingressu in Chananitidem, rei ad Dabir gestæ, reliquisque tribus Iudæ locis assignabimus, ex coniectura temporis, quod res videntur exigere, sicut adhuc à primo Othonielis anno fecimus, quando alijs destituimur coniecturis. Cum igitur Caleb ciuitatem Hebron in suam potestatem redegisset, eamque vt ratio exigit, curasset à belli ruinis diligenter instaurari, valido in ea relicto præsidio *a*. *Inde profectus*, vt ait Scriptura, *abiit ad habitatores Dabir*, quæ iam ante 20. annos à Iosue capta fuisse legitur *b*. Sed eadem est Dabiræ ratio, quæ Hebronis, de qua proximo anno dictum est. Cum ergo in procinctu esset expeditio aduersus Dabiram, *cuius nomen vetus erat Cariath Sepher, id est ciuitas literarum: Dixit Caleb, Qui percusserit Cariath Sepher, & vastauerit eam*, vel ceperit, vt est in Hebræo; nam mox capta dicitur non vastata, pergit, *Dabo ei Axam filiam meam vxorem*; nimirum cum opulenta terræ dote. Sicut postea rex Saul [illegible] filiam suam promisit ei, qui Goliathum superasset, adiectis etiam magnis diuitijs, & immunitatibus.

Expeditio in Dabiram.

a *Iud.* 1.11.

b *Am.* 1. *Iosuæ* 3.

Nuptiæ promissæ victori.

c 1. *Reg.* 17.25.

II. An imprudéter.

Neque existimandum est aut Calebi, aut Saulis promissionem damnandam imprudentiæ, vt quidam Rabbini putauerunt, quasi tam tanti momenti fortunæ temeritati commiserint. Voluerunt enim in illa promissione inclusas conditiones, quas recta ratio, honestaque præscribunt. In quibus illa maxime intelligebatur, si eum mulier habere vellet in virum: quia matrimonium libere contrahi debuit; neque ad id illam pater recte compellere potuisset. Sicque oportuit omnes mentem eius interpretatos esse. Ipse quoque Caleb, qui in hac denunciatione suum iam consensum in matrimonium filiæ spondebat, bene de diuina prouidentia sperabat, fore, vt neque se, neque filia sua indignum, potiri vrbe sineret. Quomodo autem vrbe potitus sit Othoniel, qui erat Calebi vterinus frater & fere sexagenarius, non est memoriæ proditum. Quidquid sit factus est victor Othoniel, & Caleb voti reus, & consentiente Axa contractum est matrimonium, quamuis patruum inter & neptem; cuius iampridem exemplum in Abrahamo & Sara ipsius nepte præcesserat.

Othoniel victor fit Calebi gener.

Cum ergo ex paterna domo in domum sponsi deduceretur, quod est opportunissimum petitioni tempus, quia in discedentes filios ac filias tenerrimi esse solent parentum affectus: tum videlicet Axa monitu Othonielis, quæ tamen ante maritum suum ad petendum inuitarat, iuxta Hebræum, petijt à patre certum quendam agrum ad Septentrionem, aquis irriguum cum prius arentem ad meridiem accepisset. Pater flexus querela filiæ, dedit etiam amplius, quam postulabat, terram scilicet, quæ infra supraque rigabatur.

III. Axa petit terrã irriguam & obtinet.

Sub hoc tempus Cinæi posteri Iethro cognati Mosis ascenderunt de ciuitate palmarum, cum filijs Iuda, in desertum sortis eius, ad meridiem Arad, ibique cum eo habitarunt. Credit Serarius eos diuinitus solitudinis desiderio motos, monasticæ vitæ atque anachoreticæ rudia quædam fundamenta iecisse; quæ deinde in Rechabitis propagata sit, de quibus apud Ieremiam *d*. Vbi inter alia in tabernaculis, sine domo habitasse dicuntur. Quod de Haber Cinæo cap. 4. libri huius scriptum est. Itaque iam ab aduentu Israelitarũ in agro Ierichuntino habitarũt. Nec dicuntur omnes inde profecti *e*. Apparet potius inde quasi ex quodã seminario varia collegia esse profecta. Quidam enim in deserto Iudæ sedes fixerunt: alij tribum Nephtalim adiere, & in valle Sennim, iuxta Cedes tabernacula sua collocarunt, in quibus celebratur Haber Cinæus, vir Iahelis, quæ occidit Sisaram, alij in medio Amalecitarum habitarunt *f*, quos postea Saul migrare inde iussit, ne eum Amalecitis morti diuinitus addictis perirent.

Cinæorũ coloniæ

d *c* 35.6. 7.11.

e *Iud.* 4.11

f 1. *Reg.* 15. 6.

ANNVS MVNDI 2605.

OTHONIELIS & PHINEIS 5.

AMYNTÆ 30. Imperij Assyrior. 664.

ANTE CHRISTVM 1448.

I. Quæ gesta in tribu Simeonis.

HActenus quidem fere exposita sunt, quæ à Iuda & Simeone, auspicijs tamen Iudæ, feliciter contra Chananæos in sorte Iuda gesta fuerant, hoc anno quæ vicissim in Simeonis hæreditate, ab vtraque tribu, Simeonis tamen auspicijs, gesta sunt, explicantur. Et in primis quæ contra Sephaad. *Abijt autem Iudas*, ait Scriptura *i*, *cum Simeone fratre suo, & percusserunt simul Chananæum, qui habitabat in Sephaad, & interfecerunt eum, vocatumque est nomen vrbi Horma, id est Anathema*, quasi tota vrbs in holocaustum Deo consecrata esset, vt Iericho. Forte ita factum, propter cladem aliquam ibi acceptam: vt olim pugnando contra regem Arad; à quo cum cladem aliquam accepissent *k* promiserunt se vrbes eius deleturos, & locum anathemati tradituros; quod cum diuinitus adiuti perfecissent, vocauerunt locum Horma, id est, Anathema.

Sephaad anathema.

i *Iud.* 1.17.

k *Nu.* 21.

II. Satrapiæ Philistinorũ an, & quomodo captæ.

Inde transitum est ad maritimas Philistæorum ciuitates, quæ ad Simeonis tribum etiam pertinebant, licet in tribu Iuda aliquando censeantur *l*, quia Iudæ spartis detractum est quod Simeoni traderetur, vt alibi dictum est. *Ceptique Iudas*, cum Simeone, *Gazam cum finibus suis, & Ascalonem atque Accaron cum terminis suis.* Id si verum est, quomodo paulò post *m* legimus Deum dereliquisse quinque satrapias Philistinorum non deuictas, vt exerceret, & probaret Israëlitas? Dicendum est verè hasce vrbes in Iudæ ac Simeonis venisse potestatem, sed non diu permansisse, Philistæis eas non multo post recipientibus, vt testatur Iosephus *n*. Itaque si Septuag. negant à Iudæis captas aut possessas, vt reuera in plerisque codicibus negant, explicandi sunt reputare non captas, quæ quamprimum amissæ sunt, nec possessæ diu. Denique concludens Scriptura res ab istis duabus tribubus gestas. *Fuit*, inquit *o*, *Dominus cum Iuda, & montana possedit; nec potuit delere habitatores vallis, quia falcatis curribus abundabant*; quorum scilicet in montanis ratus est vsus atque difficilis, in campestribus certam perniciem peditatui afferunt. Quanquam falcatorum curruum abundantia vius est Dominus, ad implendum decretum suum, quo statuerat relinquere Iudæis hostes ob causas iam dictas. Alioqui Philistæi non erant curribus instructiores, quam Pharao.

l *Ios.* 19. 8. 9.

m *Iud.* 3. 3.

n *L.* 5. c. 2.

o *Iud.* 1. 19

III. Expeditio filiorum Ioseph.

Expeditis porro ijs quæ ad tribus Iudæ & Simeonis pertinebant, de domo Iosephi aggreditur Scriptura dicere, quæ tribum Ephraim & Manasse continebat. Quod autem domum Ioseph maluit dicere quam tribum Ephraim, de cuius tamen sorte hic sermo est, & ad eam Bethel siue Luza pertinebat, significare voluit tribum Ephraim & Manasse conuenisse ad rem simul gerendam, sicut Iudas & Simeon ad eandem expeditionem conuenerant. *Domus* ergo *Ioseph ascendit in Bethel, fuitque Dominus cum eis*, vt rem ex arbitrio gererent, & expetita victoria potirentur. *Nam cum obsiderent vrbem, quæ prius Luza vocabatur, viderunt hominem egredientem de ciuitate, dixeruntque ad eum. Ostende nobis introitum ciuitatis, & faciemus tecum misericordiam.* Introitum appellant, non portam ciuitatis, facile enim poterat inueniri, cum hic per illam egrederetur: sed locum minus munitum, per quem facilior esset in vrbem irruptio. *Qui cum ostendisset eis*, sua suorumque incolumitate prius iureiurando firmata, vt ait Iosephus, inuaserunt *vrbem*, eamque *percusserunt in ore gladij, hominem autem illum, & omnem cognationem eius dimiserunt.*

verſ. 22.

Contra Luzan.

IV. Noua Luza cõdita.

Non vtique inanem dimiserunt, sed cum ijs opibus, quæ, cognatis quoque iuuantibus, quos cladi eripuerat, ad nouam vrbem condendam sufficerent. Dimissus enim venit in terram Hetthæorum, qui erant in tribu Ephraim, de quibus benemeritus erat proditione sua, & ibi nouam condidit Luzam. Sicque patriam, quam vno in loco perdendam dederat, in alio quasi rediuiuam erexit: sicut Æneas & Anthenor duas in Italia Troias, vt Liuius initio historiæ suæ tradit, erexerunt. Enumerat deinceps Scriptura, in quo ab hac vtraque tribu filiorum Ioseph peccatum fuerit; eodemque modo à tribu Zabulon, & Aser, & Nephtali, & Dan: quod scilicet non exterminarint singuli de sorte sua Chananæorum infidelium reliquias, licet confortati viribus essent, sed contenti eos reddere tributarios, delere noluerint: quod de filijs quoque Benjamin paulò ante dictum fuerat, de non deletis Iebusæis Ierosolymitanis. Et hæc prima origo ruinæ Israëlitarum, & violatæ diuinæ legis, iubentis funditus exterminari Chananæos, cæterosque populos, qui eo nomine comprehendebantur, & intra septa promissæ terræ claudebantur.

Pleræque tribus cõseruant Chananæos.

ANNVS MVNDI 2611.

OTHONIELIS & PHINEIS II.

AMYNTÆ 36. Imperij Assyr. 680.

SABBATICVS 4.

ANTE CHRISTVM 1442.

I. Quartus sabbaticus.

VNdecimus Othonielis annus in quartum sabbaticum incurrit, quem probabile est etiam obseruatum ab Hebræis: quod adhuc in cursu essent illi decem & septem anni, quibus populus, viuentibus Senioribus, remque publicam virtute potius, quam imperio, & legitima authoritate continentibus, ab officio non discedebat. Idque fit etiam credibilius, si Calebum, summæ apud Hebræos authoritatis, adhuc in viuis fuisse dixerimus. Quod ego sane non ægre concesserim. Nam ex Scriptura didicimus eum tam viuida ac vegeta senectute viguisse, vt annus ætatis eius quintus & octogesimus, quadragesimo eiusdem potuerit comparari. Cum autem Caleb anno sexto principatus Iosue annum ageret octogesimum quintum, consequens est vt hic vndecimus Othonielis annus sit eiusdem Calebi septimus supra centesimum. Quo ipso anno, aut si mauis in fine præcedentis, natum arbitramur Booz huius nominis primum de Salmone sexagenario vt ostendemus anno Baraci vigesimo primo; ita vt vndecimus Othonielis, primus Boozi numerari possit.

Calebi ætas.

Boozi primi ortus.

ANNVS MVNDI 2617.

OTHONIELIS & PHINEIS 17.

AMYNTÆ 42. Imperij Assyr. 686.

ANTE CHRISTVM 1436.

I. Anni 17. immunes ab idololatria.

DEcimus septimus huius seculi annus, cum quo pari numero serieque progrediuntur summi Pontifices Phineis, summique Iudicis Othonielis, qui dicuntur, anni, is est, in quo septendecim illi anni terminantur, quibus, vt Hebræi tradiderunt, & nos primo Othonielis anno explicauimus *a*, Israëlitæ

a n. 3. & 4.

quoquo

quoquo modo continuere sese in officio, & saltem ab Idolorum cultu abstinuerunt, etsi in eo non leuiter peccarunt, quod cum antiquis terræ incolis fœdera toties prohibita diuinitus, ab omnibus passim tribubus inita sunt. Qua de re per Angelum suum, etiam tum viuo Iosue conquestus est Dominus, vt suo loco diximus *b*; eam tamen querelam Scriptura in hunc locum *c* retulit, in quo eam culpam ab omnibus vniuerse perpetratam referebat. Hoc ergo denique anno impletum est illud d. *Omnis illa generatio congregata est ad patres suos, qui nouerant omnia opera Domini, quæ fecerat in Israel*, præsertim in exitu ex Ægypto. In quibus cum maxime emineret Caleb, eum non vltra hunc annum vixisse non temerè dici potest. Ad quem si peruenit, anno vitæ centesimo decimo tertio in senectute bona emigrauerit ad patres suos. Tot enim ab anno Mosis 42. quo illum natum diximus, numerantur. Annus porro sequens, qui est egressionis 75. & Othonielis 18. est quintus Sabbaticus.

b *an. Iosue* 16. *n.* 3.
c *Iud.* 2. *c.* 1. *fin.*
d *Ios.* 24. 31. *& Iud.* 2. 10.

Obitus Calebi.

Quintus Sabbaticus.

ANNVS MVNDI 2620. & 21.

OTHONIELIS & PHINEIS 20. 21.

AMYNTÆ 41. & vlt. BELOCHI II. 1.
Imperij Assyriorum 689. & 90.

ANTE CHRISTVM 1433. & 32.

I. Obitus Amyntæ.

HOrum annorum priore mortuus est Amyntas, Assyriorum Imperatorum à Nino decimus septimus, à Belo decimus octauus: post expletos in imperio annos 45. Ei successit Belochus eius nominis secundus, ordine decimus nonus, cui Africanus & Eusebius 25. annos regni tribuunt. Cuius filia Atossa, quæ & Semiramis, regnauit cum patre annis septem, vel vt alijs placet, duodecim. Distat hæc Semiramis à morte prioris anno vno & triginta supra quingentos. Nonnulla tamen, quæ huius sunt propria, illi tribuuntur. Vide Photium.

Belochi regnum.

ANNVS MVNDI 2622.

OTHONIELIS & PHINEIS 22.

BELOCHI II. 2. Imperij Assyr. 691.

ANTE CHRISTVM 1431.

I. Israelitæ à Domino deficere incipiunt. ca. 1. & 4.

QVintus agitur annus, ex quo Israëlitæ post Seniorum obitum à Domino, veraque pietate defecerunt, iuxta eam temporis distributionem, quam primo Othonielis anno posuimus *e*. Verum vt nemo repente fit pessimus, ita neque Israëlitæ, sed paulatim ad alia ex alijs vitia præcipitantes, tandem in voraginẽ Idololatriæ prolapsi sunt. *Iesu mortuo*, inquit Seuerus Sulpitius, *populus sine duce agebat; domi militiæque summum otium: populus aut subactus, aut in deditionem acceptus gentibus imperitabat. Inde vt semper fieri secundis rebus solet, morum, disciplinæque immemor, matrimonia ex victis assumere, paulatimque externos mores trahere, ac mox prophano ritu idolis sacrificare cœpit.* Sicque impletum est quod Moses moribundus huic populo dixerat. *Noui* a *quod post mortem meam inique agetis, & declinabitis cito de via, quam præcepi vobis, & occurrent vobis mala.* Sed de his postea malis dicendum erit; Nunc ea crimina quæ huiusmodi clades præcesserunt, prout à Scriptura suggeruntur, explicanda sunt.

a *Deut.* 31. 29.

Suggeruntur autem postremis quinque huius libri capitibus, quæ ad hunc locum & ordinem temporum pertinere, omnes propemodum interpretes ac Chronologi assentiuntur, & qui dissentiunt, in parte tantum aliqua dissentiunt, & in ea ipsa qua dissentiunt, communem hanc quam amplectimur sententiam, valde probabilem negare non possunt. Iosephus certe *b* eam totam historiam in ea refert tempora, quæ Cusanam seruitutem antecesserunt, eademque est Theodoreti *c* sententia, & aliorum quas in Annalibus retulimus. Itaque agnoscenda est hoc loco hysterologia, quam non solum probabilem, sed necessariam faciunt, quod historia Michæ, quæ prima eo in loco recenseatur, sub Ionathan filio Gersan, nepote Mosis contigit *d*; quæ si post Samsonis tempora, vt à Scriptura collocatur, dicatur contigisse, oportebit aut Gersan, aut Ionathan plus trecentis annis vixisse. Idemque de Phinee Pontifice dicendum erit, in cuius pontificatu constat historiam Leuiticam contigisse. Causa porro dilatæ vtriusque historiæ videtur fuisse, quod earum scriptor noluerit res à Iudicibus gestas longioribus hisce narrationibus interpellare; sed absoluta eorum gestis fusius explicare maluerit, vt Theodoretus quoque censet. Quæ etiam causa fuit cur historia Ruthæ, quæ tempore vnius Iudicis contigit, seorsim separato libello edita fuerit.

II. Postrema quinque cap. libri Iudicum huc pertinent.

b *l.* 5. *Ant. c.* 2.

c *q. penult. in l. Iud.*

d *c.* 18. 30.

Cur dilata fuerint.

loco cit.

Explicatis igitur antegressis ad idololatriam dispositionibus, recenset Scriptura quomodo id malum in tres tribus inuectum fuerit; in tribum Leui, & Ephraim authore Micha, à quo etiam in tribum Dan, exploratorum interuentu, infeliciter propagata est. Mali origo fœmina proditur superstitioni dedita, origine Ephraimita, conditione vidua, ætate prouecta, fortunis potens, vt quæ mille & centum argenteos in sculptile destinarit, id est, aureos nummos vltra quingentos. Artifex autem criminis huius, fuit filius eius nomine Michas, tribu Ephraimita, & maternæ impietatis vel æmulus, vel magister, multorum liberorum parens, qui pecuniam matri furto sublatam, vt habent Hebræi, Græcique codices, vel ab ea sepositam, & diuino cultui destinatam, vt vertit in Vulgata Hieronymus, repræsentat mulieri, quos illa cum gratulatione receptos, filio reddidit, præter ducentos siclos, quos illa dedit aurifici, vel materiam, vel manupretium gemini idoli, quorum vnum sculptum erat, alterum conflatum. Reliqua pecunia à Micha in ædiculam, ornamenta vestium, cæterumque Idololatriæ apparatum consumpta est. Quin etiam vnum de filijs suis, neque Leuitam ge-

III. Idololatria in tres tribus inuecta.

504 1/6

Idola Michæ & cultus eorum.

nere, neque Sacerdotem, nouus ipse Pontifex consecrauit, gemino sacrilegio, cum & alienam iurisdictionem vsurparet, & eam in personam ineptam exerceret.

IV. Ionathan nepos Moysi fit eorum Sacerdos.

Sed fors etiam tulit, vt alterius personæ interuentu, magis confirmaretur error. Ionathan enim filius Gersam filij Moysi, paterno genere Leuites, materno Iudæus, moribus potius quam ætate adolescens, ingenio leuis, ac vagus, vt qui in Bethlehem ciuitate non Leuitica morabatur, fortuna pauper, religione impius, hic inquam Ionathan, cum in Micham incidisset, ab eodem, pari iure quo filius, factus est Sacerdos, & conductus in sacrificulum Idolorum. Interea vero cum Danitæ ab Amorrhæis in monte arctarentur, nec sinerentur ad planiora descendere, vt supradictum est, nouas sibi sedes quæsiuerunt *e*; miseruntque quinque viros exploratores Libanum versus, qui in domo Michæ hospitio susceptí, didicerunt à Ionatha ibi esse idolum, cuius ipse Sacerdos esset, quod & ipsorum rogatu, de susceptо itinere consuluit. Quo prospera promittente, venerunt in Lais, quæ Lesem dicitur in libro Iosue *f*, vbi hæc historia breuiter per occupationem refertur. Cumque inuenissent ibi populum nihil sibi à bello timentem, reuersi ad suos eis expeditionem persuaserunt, quam susceperunt sexcenti viri, & ex itinere idola Michæ rapuerunt, & Sacerdotem eorum Ionathan non inuitum abduxerunt. Moxque occupatam vrbem, Dan appellauerunt, ibique habitantes etiam statuerunt idola, quibus Ionathan, eiusque deinceps posteri seruierunt. *Vsque ad diem captiuitatis suæ*, vt ait Scriptura *g*, additque *mansisse idolum Michæ apud eos, omni tempore, quo fuit domus Dei in Silo.*

Danitæ nouas quærunt sedes.

e Iud. 18. 34.

f c. 19. 47. Et ex itinere idola rapiũt, & Ionathan abducunt.

g Iud. 18. 30.

V. Quamdiu apud eos idololatria viguerit.

Quæ ratio temporis dubia est apud interpretes atque Chronologos, quæ in Annalibus non negligenter expendimus. Dico hic breuiter Idolum Michæ, & cultum eius, ad incolas tantum vrbis Lais, de quibus solis hic agitur, pertinuisse, & ad mortem vsque Heli, id est, annis septendecim supra trecentos perduraſſe, proindeque à Samuële qui tunc & sanctitate & autoritate præstabat, idolum atque idololatriam fuisse sublatam. Primo enim Regum scriptum est *h*, opera Samuëlis omnem domum Israëlis abstulisse Deos alienos de medio sui, & seruiuisse Domino soli. Dies autem captiuitatis, cuius Scriptura meminit, non pertinet ad mortem Heli, aut captiuitatem arcæ, quæ nihil habet commune cum captiuitate Danitarum, sed ad tempus illud, quo Theglathphalasar *i* occupauit Galilæam, & vniuersam terram Nephtalim, in qua erat Lais, siue Dan; quæ captiuitas non fuit generalis totius regni Israëlitarum, sed eam plus 35. annis antecessit. Ad hanc ergo captiuitatem ibi perseuerauit idololatria, cum sacrificulis Ionathæ posteris, cum aliquo simulacro, ad illius, quod sustulerat Samuel, similitudinem fabrefacto. Quamuis non negandum sit eam pestem modico tempore, pura sub Samuële, & Dauide, fuisse interruptam.

h c. 7. 3. 4.

i 4. *Reg.* 15. 29.

VI. Clades trib⁹ Beniaminiæ.

Sequitur historia cladis Beniaminiæ, quam sicut & priorem, ad hoc tempus pertinere iam demonstratum est. Eam Scriptura ipsa diligentissimè persequitur, atque apertissimè, vt propterea breuiores nos esse deceat. Leuites quidam *k* de monte Ephraim, & de ciuitate Leuitica Sichem, duxit vxorem de Bethleem Iudæ. Fuit autem plane alius à priore Leuita, qui adolescens erat, hic autem vir vxoratus, ille impius erat idolorum cultor, hic ita religiosus, vt apud infideles hospitium sumere nollet. Quod autem hæc vxor dicitur concubina, id more Scripturæ de inferioris notæ vxore accipiendum est, qualis fuit Agar, & Cetura. Hæc cum apud maritum fornicata esset, vt est in Hebræo, male sibi à viro metuens, ne accusatam populo lapidibus daret obruendam, eo relicto reuersa est in domum patris sui in Bethleem. At iste contra insigni morum lenitate præstans, post quatuor menses secutus est eam, vltro reconciliationem quærens, volensque eam ad se reducere. Id cum vxori & socero placuisset, reconciliatio facile facta est.

k Iud. 19.

Historia alterius Leuitæ.

Reconciliatur vxori.

VII. Cum ea regreditur domum.

Ergo redintegrata beneuolentia Leuites consilium cepit remeandi quamprimum domum: & post multam beneuolamque contentionem hinc abire, inde retinere volentium, cum vicissent Leuites, & hora iam tardiore se in viam dedisset, inclinante ad occasum die ad Ierusalem Iebusæorum vrbẽ, quamuis monente famulo, diuertere noluit. Ex quo intelligitur nondũ Beniaminios cum Iebusæis in ciuitate inferiore habitasse, ideoque historiam hanc ad ista tempora pertinere. Transierunt ergo Iebus, & pergentibus occubuit Sol iuxta Gabaa oppidum Beniamin, in quo cum neminem inuenissent, qui eos accipere vellet hospitio, in platea remanebant, donec peregrinus quidam ciuis Leuitæ, eos in domum suam introduxit, humaniterque tractauit. Cum nefarij homines domum obsident, & hospitem ad flagitium depoſcunt. Quod auersatus senex, maius crimen minore impedire conãtur. Vtique non iuste, proprio enim peccato alienum impediendum non est; quod Deus videtur impedire noluisse, in vltionem adulterij dudum ab hac muliere perpetrati.

Iud. 1. 21.

Apud Gabaones accipitur hospitio.

Noluit autem Leuita boni hospitis filiam virginem insanis illis illudendam præberi, malens damnum, quod propter se natum fuerat, in se, quam in bene de se meritum hospitem redundare. Itaque concubinam suam ad eos eduxit, & vt fustum panis, latrantibus canibus miseram tradidit: *quæ cum tota nocte abusi essent, dimiserunt eam mane.* Venitque illa ad ostium domus, ex qua educta fuerat, & in qua erat vir eius, ibique exanimis corruit. Quod cum agnouisset eius maritus, impositam asino detulit in domum suam: ibique non de sepultura, sed de vltione cogitans, *arripuit gladium, & cadauer vxoris cum ossibus suis in duodecim partes, ac frusta concidens, misit in omnes terminos Israel.* Ad optimates scilicet singularum tribuum, quasi cruentas litteras, cum luctuosa narratione facinoris. Dicique potest quoniam cadauer in duodecim partes dissectum fuit, vel vnam partem missam esse ad reliquos de tribu Beniamin, priusquam particulare crimen commune facerent: vel missas partes duas, ad duas partes tribus Manasse, vel partem vnam ad tribum Leui, id est, ad Phineem Pontificem missam esse, ad quem vel maximè Leuitarum iniuria redundabat.

VIII. Ibi illusa concubina moritur.

Dissecto cadauere Leuita tribus omnes ad arma vocat.

Quod cum vidissent singuli, ait Scriptura *a*,

IX.

a Iud. 19. 30.

concla-

Motus omnium tribuum.

conclamabant, nunquam res talis facta est in Israel ex eo die, quo ascenderunt patres nostri de AEgypto, vsque in præsens tempus. Octoginta fere annorum tempus ita memorant. Conclamabant autem singuli in vrbibus suis, ad quas tam indigni nuncij delati sunt, in commune decernendum quid facto esset opus, quoniam in eo facinore omnes violati essent, & ad ipsos omnes Leuitarum protectio pertinebat; qui cum per omnes tribus sparsi essent, non leue momentum ad suscipiendum bellum fortassis attulerunt. Sed & aspectus insolens humani cadaueris ab ipso marito desperabundo dilacerati, iras vehementer acuebat. Ergo congregati sunt ab vniuersis finibus Israëlis, *ad Dominum in Maspha.* In Silo erat tabernaculum Domini non in Maspha, venerunt ergo prope Dominum, quoniam vicina erat Silo Maspheæ, & vtrumque oppidum vix sufficiebat tantæ multitudini. Prope Dominum autem, vt si consulto Domino opus foret, id facile esset.

X. Ordo rei gestæ.

Porro totius gestæ rei hic ordo fuit. Primo conuenerunt vndique populi principes, cum electa multitudine, ad quadraginta millia peditum pugnatorum. Secundo interrogatus Leuites de admisso facinore, ait Gabaëonos voluisse ipsum occidere; pudore enim probrosissimi flagitij vel nominandi, illud in alterum commutat. Quamquam & se ad mortem vsque vexarum iri merito suspicatus est, ex eo quod videbat vxori suæ contigisse. Quod autem addit nunquam tam grande piaculum fuisse factum in Israël: Fatendum quidem est grauissimum omnino scelus fuisse adulterorum istorum, Sodomitarum & homicidarum, & quidem in Leuitas, & peregrinos, & innocentes. Sed si comparatio suscipitur, quæ in editione tantum vulgata reperitur, minime dubium est adorationem vituli, & initiationem Beelphegor, & facinus Michæ, & Danitarum, maius fuisse piaculum, quoniam in his directo Deus ipse, in illo violatus est proximus. Itaque comparatio accipienda est de peccatis, quæ in proximum perpetrantur.

XI.

Tertio decreta est vltio, magno omnium consensu, in Gabaëonos tanti sceleris autores: & de quadringentis millibus, 40. millia, quæ est decima pars, ad commeatum toti exercitui procurandum destinata sunt. Quarto missi sunt legati ad tribum Benjamin, omnium Israëlitarum nomine, qui iuberent dedi sibi ad supplicium huius criminis autores atque fautores: at illi noluerunt fratrum suorum mandato acquiescere, sed sceleratorum potius patrocinium susceperunt, & in Gabaa, ad eam propugnandam armati venerunt, numero viginti quinque millia, præter septingentos Gabaëonos, præliorum peritissimos, & scientissimos funditores. Quinto Israëlitæ *b* hac Benjaminitarum audita contumacia in Maspha duo iurarunt. Prius est neminem eis daturum de filiabus suis vxores, quasi perduellibus, & fratrum communione reiectis. Posterius occisum iri eos, qui ab hoc bello abfuissent. Rectius facturi si Deum prius de vtroque voto consuluissent. Non enim id minus intererat publicæ rei, quam scire belli ducem; pro quo loco Dominum consuluerunt in Silo; à quo interuentu Pontificis Phinees didicerunt, imperium tribui Iudæ deferendum, in qua cum in primis eminueret Othoniel, apparet eum electum Imperatorem.

b Iud. 21. 1. 5. Geniou Israelitarum iusiurandū.

Septimo, semel iterumque infœliciter ab Israëlitis pugnatum est, adeo vt priore prælio viginti duo millia perierint, posteriore decem & octo millia. In quo magna subest admirationis causa, quod Israëlitæ ad bellum legitima ex causa progressi, post requisitam frustra satisfactionem à nocentibus: post consultum Dominum, & acceptum ab eo belli ducem, ab eodem in prælium, imo in cruentissimam stragem, semel iterumque missi fuerint; licet inter vtrumque prælium, preces lacrymasque coram Domino ad noctem vsque fudissent. Verendum vtique fuit, ne ab hominibus, alioqui parum religiosis, & gemina iam clade prostratis, Dominus fautor improborum diceretur, aut Phinees, tanquam impostor, & somnia sua pro Dei vocibus ingerens, interficeretur. Sed Deus eorum linguas, manusque continuit; & mox reddidit ab afflictione victores. Pœnas interim de ipsis ipsis sumpsit, qui aliorum scelera punituri erant, ob culpam Idololatriæ in Lais permissæ, nec iuxta legem Domini *c*, quam citissime vindicatæ. Repertis tamen precum & pœnitentiæ præsidijs, adiectis quoque sacrificijs, veniam à Deo, ac victoriam obtinuerunt.

XII. Iidem bis infœliciter pugnant, euentu mirabili.

c Deut. 13. 12.

Positis enim per circuitum vrbis insidijs, simulata fuga Benjaminitas ab vrbe tua abduxerunt. Totus porro exercitus Israëlitarum tripertito diuisus fuit; pars vna per circuitum vrbis Gabaa posita fuit, eique duplex cura demandata, vt scilicet cum ciues exissent in prælium, ipsi in vacuam propugnatoribus vrbem intrarent, eamque incenderent, vt ante annos circiter quadraginta in vrbe Hai factum fuerat: tum vt Benjaminitis fugientibus occurrerent, sicque illi à fronte tergoque cæderentur. Altera pars fuit decem millium virorum, qui destinati erant ad prouocandum hostem, eumque ad insidiarum locum alliciendum: quod dum faciunt, ad 30. viros de suis amiserunt. Vnde ferociores facti Benjamitæ, dum Israëlitas ad insidiarum loca persequuntur, in eas ipsi incidunt. Hic erat totius robur exercitus. Itaque cum hic filij Benjamin se inferiores viderent, versus vrbem fugere cœperunt. Quod cernentes filij Israël, locum eis ad fugiendum dederunt, vt ad paratas insidias deuenirent, quas iuxta vrbem posuerant. Ibi ergo cum & incensam viderent, & præclusum sibi ad eam aditum, quasi inter malleum & incudem deprehensi, dum omni ex parte cæduntur, in eodem loco ad octodecim millia virorum interfecta sunt.

XIII. Victoriæ & Benjaminiæ cladis modus.

Ios. 8.

Reliqui fugerunt in solitudinem, versus petram Remnon, in qua fuga septem virorum millia cæsa sunt. Denique de toto exercitu vix sexcenti ad taxum illud euaserunt. Nec tanta cæde contenti Israëlitæ, regressi in Gabaa *omnes reliquas ciuitates, à viris vsque ad iumenta, gladio percusserunt, cunctasque vrbes & vicinos Benamin vorax flamma consumpsit.* Ex quo apparet Israelitas, tam Benjaminitarum insolentia, quam cladibus suis exasperatos, non solum Gabaa, sed totam etiam tribum anathemati subiecisse, vt Iosue pridem fecerat Iericho tem,

XIV. Fuga & cædes Benjaminitarum & seueritas Israelitarum.

Expli-

ac iusiurandum.

Explicatur deinceps reparatio eiusdem tribus, quæ desperata videbatur, propter cõmune iusiurandum, de non dandis filiabus suis in matrimonium Benjamitis, qui tam exec rando scelere matrimonium Leuitæ violauerant. Supponebat autem hoc iusiurandum, tam illud quod dixi anathema, quo cædes omnium mulierum continebatur, quam euasionem fugitiuorum aliquorum, vt passim in omnibus prælijs contingit, vt sic tota tribus vel morte violenta, vel defectu posteritatis deficeret.

XV. Et cum pro seruanda tribu Beniamin.

Sed postquam resedit ira, subsecuta est pœnitentia, & luctus coram Domino, de imminente vnius tribus interitu. Videbant enim se in arcto positos, vel vt rei periurij fierent, quod horrebant, vel vt vnam tribum de suo corpore abscinderent. Itaque postridie veniunt ad Sanctuarium, tum gratias acturi Deo de victoria, tum consulturi quomodo præsens negotium expediretur, eamque in rem extructo altari, holocausta Domino, hostiasque pacificas obtulerunt. Simul etiam rationem ac viam exquisierunt, qua & tribus reparari posset, & iusiurandum non violaretur, & rei desertæ vel non aditæ sacræ militiæ punirentur. In culpa inuenti sunt ciues vrbis Iabes in Galaad trans Iordanem; quam cum penitus excindi vellent, in gratiam Benjaminitarum virgines quadringentæ reseruatæ sunt, & totidem viris in matrimonium traditæ: cæteri siue nocentes, siue innocentes, mulieres, senes, paruuli, immisso exercitu trucidati sunt.

XVI. Israelis temeritas & crudelitas.

Sed isti merito & temeritatis in iureiurando accusantur, quod ipsimet postea irritum cuperent, & crudelitatis in exequendo, quæ nullo discrimine in fontes insonteisque effusa est. Præsertim cum non appareat hæc iuramenta diuino consilio facta esse, sed zelo potius humano, & quidem contra Dei legem, quæ vetat parentum culpam pœna filiorum innocentum expiari. Nesciebant isti in male promissis rescindendam fidem, & in turpi voto mutandum esse decretum; ideoque conscientia sua constricti tenebantur, quam errantem secuti sunt potius, quam diuinum oraculum, si quod datum est illis. Hac autem tam luctuosa strage edita, & adductis ad castra in Silo virginibus miserunt nuncios ad filios Beniamin, qui sponderent ipsos ab vniuersis Israëlitis acceptum iri pacificè, vt socios ac fratres, ijs quæ adhuc contigerant obliteratis. Illi data & accepta fide reuersi, vxores de filiabus Galaad acceperunt; Supererant ducenti, qui carebant vxoribus, omnes enim in tota tribu vel ferro, vel incendio perierant, reliquæ parentum iuramento obnoxiæ censebantur.

Beniamitæ ab eis reuocantur.

Maiores ergo natu inuaserunt istis vt vxores à Siluntinis vicinis peterent, quas sciebant non impetraturos, ob iusiurandum, vt postea raptus earum aliquem excusationis colorem haberet, neque is inimico animo factus appareret, & culpa in recusantes quoquo modo conijci posse videretur. Itaque autores fuerunt vt ex insidijs puellas Siluntinas choros in festiuitate ducentes raperent, & mox in suam tertam sese reciperent: promittentes insuper se raptarum parentes illis placaturos. Vtique non sine culpa. Cum enim se iuramento teneri crederent, illud neque auxilio, neque consilio violare debuerunt. Expedierunt tamen sese quoquo modo à iuramento, dando non suas, sed alienas, & consulendo vt qui iuramento non tenebantur caperent eas, quas patres sponte dare non poterant iuramento impediti. Sicque supplebant parentum impotentiam, qui eas libenter, si potuissent, erant tradituri, & gaudere potuerunt, rem sine periurio factam esse, quam omnes fieri cupiebant, nisi conscientia impedisset. Hic finis fuit Beniamitici belli, quod magnam sine dubio infidelibus Chananæis lætitiam attulit, qui interea non respirabant solum, sed inualescebant etiam, dum eorum aduersarij mutuis cædibus sese conficiebant.

XVII. Consilium de rapiendis coniugibus.

Qui se à iuramento expediant.

ANNVS MVNDI 2623.

OTHONIELIS, & PHINEIS 23.

BELOCHI II. 3. Imperij Assyr. 692.

ANTE CHRISTVM 1430.

I. Primus annus seruitutis sub Cusano rege. *Iudg. 3.*

Hic primus est illorum octo annorum, quibus iratus Dominus contra Israël, tradidit eos in manus Cusani regis Mesopotamiæ, cui seruierunt octo annis. Sed hanc Scripturæ narrationem antecedit multiplex querela, quæ tam in hæc ipsa tempora, quam secutura congruit, de Israëlitis post Deos alienos abeuntibus, deserto Deo patrum suorum, & crebro ad vomitum, post verbera, & liberationem per Iudicum manus, redeuntibus. Itaque Dominus maximo omnium scelere populi sui ad vltionem prouocatus, scelere, inquam, quod ad summam iniuriam numinis, contumeliamque pertinet; & scelere indignissima defectione cumulato, tradidit illum in manus Cusani regis. Quam autem rex iste causam inuadendi Israëlitas obtenderit, non facile est reperire: Suspicari possumus excitatum hunc regem à vicinis populis, qui sibi metuebant ab Israëlitis: vel à Chananæis & Iebusæis, qui ad pristinam libertatem aspirabant, & à potente rege eam sibi restitutum iri sperabant.

II. Quæ belli causa.

Nec defuit Regi causa idonea suscipiendo bello: nunquam enim deest ambitioni principum prætextus. Excitatum etiam apparet occasione ciuilis belli inter Hebræos flagrantis, in quo tam multa hominum millia cæsa, non dubio sermone ferebantur: sperauit ergo se admodum debilitatos facile seruituti subiecturum. Vocatur Cusanus hic à Scriptura tum Syriæ, tum Mesopotamiæ rex. Quidam Assyriorum regem putauerunt, quia Syria pro Assyria nonnunquam vsurpatur, sicq; qui Assyrijs Belochus fuerit, Cusanus fuerit Hebræis. Sed si hic ab Othoniele in bello cæsus est, vt quidã putant, tẽpus mortis non cõuenit cum fine imperij eius. Et licet negauerimus occisum, sed ad suos cũ clade voluerimus, & ignominia redire cõpulsum, regnum eius vltra vitã Othonielis protenditur.

Quis iste Cusan.

III. Quis eius modus

Modus cladis huius sicã Iosepho traditur: Bello à Cusarthe rege Assyriorum peracto, & in acie multos amiserunt, & oppidatim infestati, aũt vi, aut deditione in potestatem eius venerunt

runt. Tributis deinde iniquioribus grauati, & alias varias iniurias ferre sunt coacti per annos octo. Sic ille. Atque ita qui infideles iubente Deo delere noluerunt, ipsi ab infidelibus permittente Deo prope deleti sunt; & qui tributa Deo improbante à Chananæis auarè exegerunt, à Syris Deo vindicante tributis exinaniti sunt. Vicinos Chananæos amicos & fœderatos habere voluerunt: & Deus illis tyrannos longinquos accersiuit, à quibus seruilem in modum vexarentur. Denique qui relicto Deo Deorum cultores esse voluerunt, puniente Deo à Deorum cultoribus crudeliter afflicti sunt. *Vt sciant*, ait Dominus, *distantiam seruitutis meæ, & seruitutis regni terrarum.*

ANNVS MVNDI 2624. & 25.

OTHONIELIS & PHINEIS 24. & 25.

BELOCHI II. 4. & 5. Imperij Assyriorum 693. & 94.

ANTE CHRISTVM 1429. & 28.

I. Seruitutis an. 2. & 3.

HVnc secundum & tertium annum Hebræi Cusano seruierunt, in terra sua, quando seruis suis seruitutem laxare debuerunt. In hunc enim annum tertium seruitutis, qui est ab ingressu in Cananitidem quadragesimus secundus, incurrit sextus Sabbaticus, quem vix crediderim ex lege obseruatum, vel neglecto propter improbitatem, vel necessitate, propter duram tyranni seruitutem.

Exotica.

Horum autem annorum prior in exotica historia habet Europæ raptum; posterior Cadmi regnum apud Thebanos, quando & Linus musicus floruisse traditur. De quibus paulò plura in Annalibus.

ANNVS MVNDI 2630. & 31.

OTHONIELIS & PHINEIS 30. & 31.

BELOCHI II. 10. & 11. Imperij Assyriorum 699. & 700.

ANTE CHRISTVM 1423. & 22.

I. Octauus seruitutis.

PRior annus octauus est & vltimus Israeliticæ seruitutis annus, posterior libertatis primus. Nihil autem mirum octauum illum Cusanicæ tyrannidis annum, ab Eusebio vocari Othonielis vigesimum, qui Iosue tribuerit septem & viginti principatus annos. Si ergo decem anni tollantur Iosue, & Othonieli reddantur, plane conueniemus. Eodem anno ponitur ab Eusebio mortuus clarus ille rex Argiuorum Danaus, quinquaginta filiabus celebris, & imperij totidem annis; habuitque Lynceum generum successorem, annis 40. & vno. Elapsis autem octo annis asperæ atque insolentis seruitutis, quos Dominus populo suo pœnam simul esse voluit & medicinam, 30. Othonielis anni complentur, quibus reuera neque Iudicis nomen, neque potestatem in populum vniuersum obtinuit. Sequitur tamen trigesimus primus eius annus, quoniam ad eius gubernationem, & seniorum, quæ dicitur, gubernatio, & interregnum, & Cusani octo anni reuocantur, vt supra diximus a. Et vniuersè omnes deinceps seruitutes sequentium Iudicum temporibus annumerantur.

a An. Othon. 1.

II. Primus libertatis.

Illis igitur annis octo transactis, inspirauit Dominus populo suo spiritum contritionis & pœnitentiæ, vt resipiscerent, & sanarentur à languoribus suis. Excussit enim dura seruitus ex duris cordibus gemitus, ex siccis oculis lacrymas, ex taciturno ad pietatem ore clamores. *Clamauerunt* enim *ad Dominum, qui suscitauit eis saluatorem, & liberauit eos.* Is fuit iam sæpius memoratus Othoniel, filius Cenez Calebi fratet minor, vir magnanimus, spectataque iam probataque virtutis, vt qui Calebi gener factus est, ciuitate litterarum gloriosè occupata. *Fuitque in eo spiritus Domini* b, vtique spiritus eminentioris sapientiæ, intelligentiæ, consilij, fortitudinis, pietatis, ac timoris Domini, vt se & populum vniuersum in libertatem vindicare, Dei cultum & pietatem instaurare, idololatriam exterminare, Rempub. stabilire, eamque ex diuinis legibus gubernare posset. Iosephus eum oraculo monitum ait, vtique interuentu ordinariæ in Ecclesia sua potestatis Phineis Pontificis, sicut pridem Eleazar interpres fuit Iosue, in ijs quæ erant ad Deum.

Gemitus pœnitentis populi.

b Iud. 3. 9. 10.

III. Eiusque adeptus modus.

Modus adeptæ libertatis à Scriptura paucis in hæc verba memoratur. *Egressusque est ad pugnam, & tradidit Dominus in manus eius Chusan Rasathaim regem Syriæ, & oppressit eum.* Apparet regem ipsum in prælio victum cæsumque; quod affirmat Clemens Alexandrinus c, atque Serarius: cui assertioni res ipsa fauet. Alioqui enim regi potentissimo facile fuisset instaurare bellum, & acceptam vlcisci cladem: cum tamen hanc eius oppressionem altissima pax apud Israëlitas sit consecuta.

c l. Strom. p. 237. Græc. Lat.

Finem porro accepit hoc anno septimum seculum Imperij Assyriorum, quæ pars est dimidia iuxta nostram temporis rationem, periodi principatus eorum, vt ex anno mundi 3353. intelligetur.

ANNVS MVNDI 2632. & 33.

OTHONIALIS, & PHINEIS 32. & 33.

BELOCHI II. 12. & 13. Imperij Assyrior. 701. & 702.

ANTE CHRISTVM 1421. & 20.

I. Restitutio diuini cultus.

PArta superiore anno pace, trigesimus secundus Othonielis, annus Sabbaticus fuit, ordine septimus; est enim quadragesimus nonus ab ingressu in Cananitidem. Reliquis autem annis vsque ad mortem Othonielis Israëlitæ in otio, & libertate vixerunt: & authore

Deo,

Deo, atque Othoniele administro, idolorum cultus sublatus est, vera religio restituta. Vt minime dubium videatur, quin restituta diuinitus toti populo libertate, etiam ij qui seruos Israëliticos habebant, illos, ex lege anni Sabbatici, manumiserint.

Iubilæus Mosaicus, & Mundanus diuersi.

Sequens autem annus, qui est Egressionis, & datæ legis nonagesimus, est etiam ingressus in Cananitidem quinquagesimus, & consequenter Iubilæus, quem Mosaicum appellemus licet, ad differentiam Mundani, qui ab ortu Mundi numeratur. Vt autem quinquagesimus quisque ab ortu rerum est mundanus, ita quinquagesimus quisque ab ingressu in Cananitidem est Mosaicus, in lege Mosis constitutus. Ille autem prior, quem obseruat Eusebius ex Hebræis, nullum habet proprium vsum, quam annos ab orbe condito per quinquagenaria spatia diuidere.

ANNVS MVNDI 2639.

OTHONIELIS, & PHINEIS 39.

BELOCHI II. 19. Imperij Assyr. 708.

ANTE CHRISTVM 1414.

I. Sabbaticus octauus.

ANnus hic Sabbaticus est, ordine octauus, id est, quinquagesimus sextus ab eorum initio, idemque sextus à primo Iubilæo Mosaico, in quo viuente adhuc Othoniele & Phinee, Israelitæ Deum repudiata idololatria coluerunt. Ne miretis autem octauum Sabbaticum esse quinquagesimum sextum ab eorum initio, & non septimum à Iubilæo, vt quidam putant, quia singuli Sabbatici à præcedente Sabbatico numerantur sicut singuli Iubilæi à Iubilæo proxime præcedente, sicut & hebdomadæ seorsim à mensibus numerantur. Nec habetur ratio Iubilæi, qui aliquando inter annos Sabbaticos intercurrit ex accidente, puta post septimum Sabbaticum. Quod cum accidebat, non ferebatur, neque metebatur totis sex annis intra duos Sabbaticos, sed quinque duntaxat. *a* Lex autem illa, de eo quod ordinariè contingebat, intelligenda est.

Quomodo numerandi hi anni.

a Leuit. 25.

ANNVS MVNDI 2640.

OTHONIELIS, & PHINEIS 40. & vlt.

BELOCHI II. 20. Imperij Assyr. 709.

ANTE CHRISTVM 1413.

I. Othonielis obitus, eiusque ætas.

EXpletis 40. annis à morte Iosue, qui administrationi Othonielis attribuuntur, vt sæpe diximus, mortuus est Othoniel in senectute bona, & pace quam populo suo pepererat. Fuit autem hic vnus è senioribus, qui viderant mirabilia Dei, non quidem in Ægypto fortasse, sed in deserto certe, & ingressu in Cananitidem duce Iosue. Videtur autem circiter centenarius excessisse de vita. Nam si egressus est ex Ægypto, non agebat vigesimum annum, nec numeratus est in primo censu. Illi enim omnes mortui sunt in deserto, exceptis Iosue & Caleb. Ad annos igitur 97. ab Egressu, adde annos aliquot ante egressum, puta 10. aut 12. fiet aliquanto maior centenario. Adde quod fuit minor Calebi frater, qui nunc ageret sextum & trigesimum supra centesimum.

Existimat Serarius *b* noster Iudices omnes Sanctos fuisse, & nunc esse in cœlo beatos. Estque id creditu pium, vt ijs Dominus sanctitatem ac beatitudinem dederit, per quos voluerit totius populi sui consulere sanctitati, & impium; profanumque debellare cultum, cum tyrannis, qui Dei populum opprimebant. Est etiam fortasse creditu necessarium, cum Apostolus *c* Dauidi, & Samueli, & Prophetis aggreget quatuor è Iudicibus, Gedeonem & Barac, Samsonem & Iephte, quos dicit per fidem vicisse regna, operatos esse iustitiam, adeptos esse repromissiones, &c. At in istis Iudicibus etiam reliqui intelligantur, quorum par est ratio, vel fortasse maior. Nam de Samsone & Iephte dubitari potius potest, quam de Othoniele, de qua Scriptura tradit fuisse in eo spiritum Domini, & videlicet populum ex spiritu Dei gubernasse. Certe Origenes ait indignum fuisse populum, qui talem haberet Iudicem, ideoque in pœnam peccatorum, Israelitis fuisse sublatum.

II. Iudices putantur sancti.

b q. 10. in Iud.

c Hebr. 11. 32.

Cõfirmatur ex Paulo.

Sub hoc ipsum tempus defunctum esse Phineem Pontificem admodum probabile est, & quidem ætate Othonieli supparem, aut aliquanto etiam minorem. Si enim illi demus annos 30. cum occidit scortatores illos, agebat hoc anno 87. Eum non semel Scriptura commendat à fortitudine, ac zelo diuini honoris, quo & sibi pontificatum adeptus est, & iram Numinis in populum sæuientis placauit. Longe autem falluntur, qui non animaduersa historologia vltimorum capitum libri huius Pontificatum Phineis, ad trecentos, si superis placet, annos producunt. Illi porro anni quadraginta, quibus terra quieuisse, & Othoniel mortuus esse dicitur, sunt anni inter ipsum Iosue interiecti. Eodemque modo reliqui anni Iudicum accipiendi sunt, vt anni inter exitum ab Ægypto, & templi fundamenta constent, vt alio quoque *d* loco dictum est.

III. Obitus Phineis, eiusdem ætas & laus.

d An. 1. Othon. & vltimo Iosue.

ANNVS MVNDI 2641.

AODI, & ABISVE Pontif. 1.

BELOCHI II. 21. Imperij Assyr. 710.

ANTE CHRISTVM 1412.

I. Israelitæ declinãt ad idola.

MOrtuus est Othoniel egregius Dei famulus, cuius vel præcepta, vel exempla populum, in quem recentia ipsius merita extabant, in officio continebant, ne ad priora scelera delaberetur. Eo mortuo, *addiderunt*, ait Scriptura *e*, *filij Israel facere malum in conspectu Domini.* Quoniam id Othoniele mortuo factum est, non possumus secundam seruitutem morti Othonielis statim subijcere, sed annos aliquot morbidæ huic anarchiæ tribuere debemus,

e Iud. 3. 12.

bemus, quibus Israëlitæ huic sese Idolorum nequitiæ, cæteruique vitijs, quæ hanc pestem comitantur, priuatim publicèque dediderunt, quibus à Deo dilata fuit ista calamitas, si forte resipiscerent. Quot annis autem dilata fuerit definire non possumus. Certe cum posteriorem hanc defectionem maior pœna subsecuta fuerit, maiorem & diuturniorem eius culpam suspicari meritò possumus. Itaque cum bona prudentis Lectoris venia, quod sine vlla mutatione Chronologiæ facere possumus, decem annos iteratæ isti Iudæorum impietati tribuemus.

Forte per annos decem.

II. Quibus paratur seruitus.

His ergo decem circiter annis Deum inter & populum bonitatis & malitiæ, impietatis & patientiæ admirabile certamen fuit, per omnes tribus inualescente idololatria: contra omnes tribus, Deo virgas paterna seueritate & charitate colligente. Ad hos enim annos pertinet apparatus ad bellum, causæ, occasio, fœdera, nuncij, militum delectus, armorum, pecuniarum, commeatuum præparatio, & quæcunque bellum sunt antegressa. Dicitur autem ipse Dominus confortasse aduersus Israëlitas, Eglonem regem Moabitarum, bonorum scilicet prosperitatem, subditorum copiam, bellandi rerumque gerendarum peritiam, corporis incolumitatem ac vires, ipsi affatim largiendo: imo etiam vicinos ei populos Ammonitas & Amalecitas conciliando, vel vt ipsi essent in bello socij, vel vt ipsis amicis tutius posset contra Israëlitas arma mouere, nihil à vicinorum potentia formidando. Et hæc quidem belli causa fuit ex parte Dei, imo & hostilis victoriæ, & Israeliticæ octodecim annorum seruitutis.

Deus qui Eglonē suscitarit.

III. Causam belli quā habuerit.

Ex parte autem regis nulla proditur. Sed latius dominandi cupiditas, vicinosque opprimendi libido proprijs nixa viribus satis causarum suggerit improbis principibus ad bellum gerendum. Occasionem autem mortui iamdudum principis idoneam ratus est: cum Israel esset corpus sine capite, & populus sine duce, ideoque iniuriæ ac verberibus opportunus.

In annum porro Aodi primum referimus initium Pontificatus Abisue filij Phineis, vt constat ex primo Paral. *a* spatium temporis cum principibus Reipubl. & Pontificum numeto commensurantes, donec ad certiora sub Regibus veniamus. Res porro ab eo gestæ, quemadmodum ingressus & exitus Pontificatus eius, oblitioni traditæ sunt, sicut & aliquot aliorum Pontificum, solo eorum nomine ad seriem Pontificum retento.

Abisue Pontifex a c. 6 v. 4. & 50.

ANNVS MVNDI 2645. & 46.

AODI & ABISVE Pont. 5. & 6.

BELOCHI II. 25. & vlt. BELLEPARIS 1. Imperij Assyr. 714. & 15.

ANTE CHRISTVM 1408. & 7.

I. Belochi obitus.

PRiore horum annorum, decimus nonus Rex Assyriorum Belochus & regnandi, & viuendi finem fecit, eique posteriore anno successit Bellepares, hic Baladores, vt est in Eusebij Chronico Græco, quando Hebræi nonum annum Sabbaticum celebrauere: est enim 63. ab ingressu, si tamen celebrauere. Parum enim probabile est ab Israelitis ad vomitum reuersis, & materiam diuinæ vindictæ præparantibus, obseruatum esse. Porro tam Eusebius, quam Africanus Bellepari annos imperij triginta tribuerunt, quibus aliqui quatuor annos adiungunt.

Ei succedit Bellepares.

ANNVS MVNDI 2650. & 51.

AODI & ABISVE 10. & 11.

BELLEPARIS 5. & 6. Imperij Assyr. 719. & 20.

ANTE CHRISTVM 1403. & 2.

PRior annus & mundani Iubilæi tertius & quinquagesimus fuit, quem annum putamus fuisse vltimum eorum, in quibus licuit Iudæis impietati se ab Othonielis morte impune dedere. Proximo enim anno, Deo ipso classicum canente, fremuerunt gentes, nec inania meditati sunt populi, non aduersus Dominum, sed aduersus populum eius, dirumpentem vincula ipsius, & proijcientem à se iugum legis eius, iuxta ea quæ primo Aodi anno diximus.

I. Iubilæus annus 53.

Cæterum circa hunc annum scribit Eusebius in Chronico, Minoem Iouis & Europæ filium, in Creta regnasse, Lynceo Argiuis post Danaum imperante. Cadmæam quoque Thebanorum arcem à Cadmo conditam. *Lacedæmonij*, ait Pausanias, *arcem in excelso extructam loco, vti Cadmæam Thebani, aut Argiui Lariſſam non habent.* Mox tamen addit eos in excello colle arcis loco Minervæ habere, cui nomen Palinchos, & Chalciolcos. Adde Byrsam Carthaginis, Capitolium Romæ, Acrocorinthum Corinthi, Sionem Hierosolymis.

Minos.

Arces celebres.

Posterior autem annus dat initium bello Eglonis aduersus Israelitas, & Israelitarum sub Eglone duodevicenariæ seruitutis, iuxta ea, quæ primo Aodi anno statuimus. Quæ Scriptura summa breuitate in hæc verba perstrinxit. *Abiitque*, scilicet Rex Eglon, *& percussit Israel, atque possedit vrbem palmarum.* Intelligit præsidium Moabitarum, Ammonitarum, & Amalecitarum, quod in vberrimo Ierichuntis agro, sub Eglonis auspicijs collocatum fuit; vrbs enim ipsa deleta erat, nec adhuc instaurata. Nihil tamen vetat aliquid in antiquis ruinis resarcitum iam fuisse, propter loci opportunitatem, & soli fertilitatem. Eam Israelis percussionem sic explicat Iosephus, b *Exceperunt tamen eum aliquot præliis, sed omnibus victi, ferocia posita iugum acceperunt, tributarij facti. Rex victor translato Ierichuntem domicilio modis omnibus plebem vexauit, ita vt in summa miseria per annos octodecim degerent.* Sic ipse, sane probabiliter de præliis aliquot. Neque enim credibile est tantum populum, tantamque bellatorum multitudinem, quanta in bello contra tribum Beniamin inuenta est, tanta ignauia

II. Initium seruitutis sub Eglone rege.

b *l. 5. Ant. c. 1.*

perditam, vt quasi muta pecora iugum cerui-cibus, taciti immotique acciperent. Aliquot ergo fracti prælijs, spoponderunt se imperata facturos.

III. Pecuniaria fuit.

Qualis autem fuerit ista seruitus, ex dictis à Iosepho intelligi potest, cum ait regem nihil in plebem vexationis prætermisisse. Eam tamen vexationem vltra fortunas non fuisse progressam, nec ipsa corpora attigisse, ostendit cum subdit, plebem ad paupertatem fuisse redactam. Exsugebat videlicet illa tributa, quæ ipsi iamdudum à Chananæis, inuito Numine decerpserant. Et vide sapientem, clementemque Domini iustitiam. Pepercerant Israelitæ incolis, qui bello superfuerant, parcitum est etiam ipsis. Vectigalia imposuerant, vectigalibus ipsi quoque exinaniti sunt, præter eas deprædationes, quas belli tempestas inuexerat: omnia moderante Numine, quod eos nolebat perditos, sed castigatos. Durantibus autem istis octodecim annis, malitiam quoque & impietatem Israëlitarum perseueraſſe putat c Origenes. Idque ex illis verbis colligit, *& postea clamauerunt ad Dominum* d, elapsis videlicet illis annis. Quasi dicat, si prius resipuissent, & veniam, cum vera peccatorum detestatione, imploraſſent, prius etiam à misericordissimo Domino seruitutis vinculis exoluti fuissent.

culpæ recte respõdet.

c *Hom. 3. in Iud.*
d *Iud. 3. 15.*

ANNVS MVNDI 2653. & 60.

AODI & ABISVE 15. & 20.

BELLEPARIS 8. & 15. Imperij Assyr. 722. & 29.

ANTE CHRISTVM 1400. 1393.

70. 77. I. Annus Sabbaticus decimus, vndecimus.

VTerque horum annorum Sabbaticus est, decimus scilicet atque vndecimus, quos perpetuo colliges ex annis Egressionis ex Ægypto, si sustuleris 40. qui in deserto transacti sunt. Hos autem Sabbaticos vel volentibus obseruare non licuit in seruitute. Et fortasse in huius seruitutis causis, causisque ea etiam fuit, quod lex de annis Sabbaticis non seruaretur. Itaque qui seruos debita libertate donare noluerũt, nec terræ quietem ex Dei lege concedere, serui ipsimet effecti, supra vires laborare à potentibus Dominis coacti sunt. Addo etiam, priusquam solutionem seruitutis attingam, Annum mundi 2667. qui est Aodi 27. esse quoque Sabbaticum ordine ac numero duodecimum.

Duodecimus.

84.

ANNVS MVNDI 2669.

AODI & ABISVE 29.

BELLEPARIS 24. Imperij Assyr. 738.

ANTE CHRISTVM 1384.

I. Finis seruitutis.

AOdi Iudicis annus 29. iuxta rationem temporis superius constitutam, habet mortem Eglonis, seruitutis finem, initium libertatis. Quorum causa fuit intenta ad Deum oratio, imo & clamor. *Clamauerat enim ad Dominum*, qui suscitauit eis Saluatorem. Sed quo ille ministro, quando, & quomodo vsus sit animaduertendum est.

Quis fuerit Aod.

Fuit is nomine Aod, genere Gerarites, tribu Beniamita, ætate iuuenis, quod ex principatus diuturnitate satis colligitur, vt ex ipso facinore animi magnitudo. Vtraque manu pro dextera vtebatur, vt ait Hieronymus. In Hebræo dicitur sola vsus sinistra, quod Iosephus exponit, manu sinistra meliorem: ea certe vna Aod in sequentibus vtitur, & gladium in latere dextro fert, vt fere nolæ solent, & vtile fuit, vt minus obseruaretur ictus. Hic suscitatur à Deo ad populi salutem, vtrumne diuino oraculo, vt Moses & Iosue, an monitu angelico vt Samson & Gedeon, an ex Vrim & Thummim Abisue Pontificis, incertum est. Æstate rem gestam esse satis ex Scriptura & Iosepho constat, vt reliquo anno victoria & libertas commode stabiliri posset.

ca. 3. 24. l. 5. Anti. c. 5.

II. Modus adeptæ libertatis.

Sequitur rei gestæ modus. *Miserunt filij Israel per illum munera Eglon regi Moab*, siue ea tributa interpretari placet, siue dona gratuita, ad regis gratiam demerendam. Ex eo autem quod publico nomine & munera, & legatio instructa est, non videtur tyranni cædes vni Aodo fuisse proposita, sed toti populo, à quo missus est, & cuius consensu omnia ab Aodo fuere composita. Accessit & diuina electio, suscitauit enim illum Dominus Saluatorem, sine cuius singulari auxilio, res tanta tamque difficilis expediri non poterat. Ex quibus intelligitur scelestum planè, prorsusque nefarium esse sicariorum quorundam furorem, qui non Reipublicæ hostes ac perduelles, sed legitimos principes, populique patres amantissimos, non Dei iussu & electione, sed malo dæmone instigante, non totius populi consensione, sed priuata timeritate fanatici de medio tollere, aut quoquo modo violare moliuntur.

Regum sicarij detestabiles.

III. Aodi gladius & callidi-tas.

Hunc itaque hostem cum Aod propositum haberet interficere, fecit sibi gladium ancipitem, geminæ scilicet aciei, longitudinis palmæ manus, Septuaginta σπιθαμῆς, quæ est manus expansæ distantia, à summo pollice ad extremum vsque digitum auricularem: itaque propter breuitatem facile poterat sub veste latere, præsertim cùm insolito loco penderet. Obtulitque regi munera cum socijs, qui eum vel honoris, vel deferendorum munerum causa comitabantur, quibus oblatis eos dimisit, & quasi cum eis abiturus subsecutus est eos, soluſq; postea rediit, nullum vt alijs periculum crearet, totamque fiduciam non in socijs, sed in Deo, dextraque reponeret. Prosecutus est autem eos vsque in Galgala, prope Iordanem, vt ibi parati essent in omnem euentum, vada Iordanis occupare, siue ad capiendam, siue ab impediendam fugam. Notatur autem fuisse idola in Galgalis, vt inde reuertens Aod suspicionem faceret, se ibi diuinitus monitum, ac iussum aliquid ad Regem referre. Ideoque reuersus dixit ad Regem, verbum secretum habeo ad te, ô Rex. At ille tacere eum iussit tantisper, dum adstan-

tes

tes foras egressi essent, quibus egressis, progressus est Aod ad solium eius, in quo ille adipe prægrauatus & carnibus, sedebat solus.

IV. Modus cæsi tyranni.

Dixitque: *Verbum Dei habeo ad te*, volebat videlicet vt staret, sicque se magis alto ac lethali vulneri opportunum præberet. Ideo diuinitus se monitum ait quidpiam ad eum referre. Ille ad diuinum oraculum maiore reuerentia excipiendum; *statim surrexit de throno. Extenditque Aod sinistram manum, & tulit sicam de dextero femore suo, infixitque eam in ventre eius tam valide, vt capulus sequeretur ferrum in vulnere, ac pinguissimo adipe stringeretur.* Latitudo videlicet laminæ tam amplum fecit vulnus, vt ipsi etiam capulo aditus intra viscera pateret, & tota sica in miseri abdomine sepeliretur. Vnde *nec eduxit gladium, sed ita vt percusserat reliquit in corpore, statimque per secreta naturæ alui fœtora proruperunt*, in repentini timoris indicium facultatem retinentem laxantis. Nulla hic clamoris est mentio, Deo ita prouidente, vt Aod facilius elaberetur per posticum, & progrederetur longius, dum famuli expectant, & cunctantur, & viso denique tam inopinato spectaculo perturbantur.

V. Classicũ intonat.

Quoniam vero non satis erat truncatum esse inimicorum caput, nisi corpus ipsum interiret, cum rei gerendæ perquam idonea daretur occasio; dum apud hostes turbata erant omnia, statim Aod Israëlitas ad arma sonitu buccinæ conuocat. Et concurrente multitudine rem à se gestam narrat, horraturque ad excutiendum iugum Moabiticæ seruitutis. Illi in fronte gradientem sequuntur, & occupatis vadis Iordanis, quæ transmittunt in Moabitidem, ad decem millia Moabitarum peremerunt, qui scilicet inuenti sunt cis Iordanem. Sed mirum valde est non fuisse tunc in Hebræis tantum vel animi, vel iudicij, vt victoriam prosequerentur, & infestis armis quamprimum Moabitidem peterent, eamque vel occuparent, vicemque redderent seruitutis, vel ferro flammaque delerent. Nisi forte Dominus eos iterum ab oppugnandis Moabitis reuocauit, voluitque conseruari virgas, quibus Hebræorum scelera castigarentur. An forte ipsi præ ignaui otij desiderio, arma quamprimum deponere maluerunt. Eum tamen virum, cuius beneficio libertatem consecuti fuerant, etiam Iudicem reliquæ vitæ ipsius tempore, Deo, vt credere par est, autore retinuerunt.

Hebræorũ ignauia.

ANNVS MVNDI 2674.

AODI, & ABISVE 34.

BELLEPARIS 29. Imperij Assyr. 743.

ANTE CHRISTVM 1379.

I. Silentiũ Scripturæ

MAgno deinceps Scriptura silentio totam Aodi gubernationem contexit, ipsos videlicet annos quinquaginta, qui Eglonis mortem exceperunt: de quibus id tantum legimus, *& quieuit terra octoginta annis*. Nimirum comprehensis eo numero ijs, qui à morte Othonieus ad Eglonis vsque cædem intercurrerunt. Nec aliud fere ad multos annos notandum occurrit, præter annos Sabbaticos, quorum decimus tertius in hunc annum cadit, qui est ab ingressu in Chanaan itidem nonagesimus primus, quem probabile est ex lege obseruatum fuisse ab Israëlitis recens à seruitute liberatis, forsasse etiam decimus quartus, qui incidit in annum ab exitu 138. & Aodi 41. vt decimus quintus in quadragesimum octauum. Exotica, quæ his temporibus feruntur, & plena sunt fabulis, ab Eusebij Chronico, & eius interpretibus studiosus Lector petet.

Sabbaticus 13. 14. & 15.

Proxime sequenti anno, qui est Aodi 35. mortuus est Bellepares, expleto triginta regni annis. Cui altero anno successit Lamprides in regno Asiæ, Imperator à Belo vigesimus primus, à Nino vigesimus, tenuitque si Eusebio credimus, annis duobus supra 30. Sed illi duo anni ab Africano non agnoscuntur.

Bellepatis obitus.

ANNVS MVNDI 2683.

AODI, & ABISVE 43.

LAMPRIDIS 8. Imperij Assyrio. 752.

ANTE CHRISTVM 1370.

I. Secundus Iubilæus Mosaicus. Videtur obseruatus.

CEntesimus & quadragesimus annus exitus ab Ægypto, & datæ legis, idem est secundus Iubilæus Mosaicus, toti Hebræorum genti celeberrimus atque sanctissimus, omnibus pauperibus, obæratis, seruis, ancillisque optatissimus: quem credibile est hoc tempore aliqua saltem ex parte obseruatum fuisse, nec memoriam Moabiticæ seruitutis, tam cito obliteratam, sed recens malum seruitutis expertos, in seruos vicissim gentis suæ misericordia motos esse, & legem obseruare voluisse, ob quam violatam tam seueras, diuturnasque pœnas pependissent: viuente præsertim ac florente Aodo principe, ac vindice publicæ libertatis.

ANNVS MVNDI 2695. & 96.

AODI & ABISVE 55. & 56.

LAMPRIDIS 20. & 21. Imperij Assyrior. 764. & 65.

ANTE CHRISTVM 1358. & 57.

I. Sabba. 16. Samgar an iudex.

HOrum annorum prior est decimus sextus Sabbaticus. Posterior est Aodi vltimus, si qua fides Chronico Alexandrino. Reliquos enim ad Aodi octogesimum tribuit Semegar, quem scriptura vocat Samgar; Sic autem habet: *Post mortem Iudicis Aodi, Semegar filius eius populum filiorum Israel iudicauit annis 24.* Quibus addit

Bocci fuisse summum Pontificem. Sed Scriptura ei repugnat, quæ Samgarem non Aodi, sed Anathi filium vocat; repugnant & Hebræi, qui ei vix vnum annum tribuunt. Deinde Scriptura tempus principatus eius omittit, quod non videtur factura, si quatuor & viginti annis populum gubernasset, & aliquid è publica re egisset.

II. Asporius dux sub Aodo.

Si quis tamen mitius velit cum hoc Scriptore agere, dicet Aodum longa senectute fatiscentem Reipub. curam in filium, aut hominem, quem filij loco haberet transtulisse; Scripturam tamen totum tempus patri voluisse tribuere, quod eius filius Vicarium potius Iudicis ageret, quam Iudicem. Nec obstare quod dicatur filius Anath, non Aodi, forte enim vnius naturâ filius fuit, alterius adoptione, vel affinitate; quod in Scriptura nouum non est. Eam autem annos eius omittere, quia in Annis Aodi includantur, eius tamen præclarum facinus omittere noluisse. Verum cum hic author obstruat aditum defensioni nostræ, hoc ipso quod dicit Samgarem gubernasse populum 24. annis, post Aodi mortem, necessario repudiandus est nobis: aut corrigendus, vt non post, sed ante mortem gubernasse dicat. Possumus tamen huius Scriptoris opinionem in Pontificis mutatione sequi. Id enim nihil habet absurdi.

μετὰ τὸν τοῦ: περὶ τελευτῆς.

& non eo mortuo.

ANNVS MVNDI 2700.

AODI 60. BOCCI Pontificis 4.

LAMPRIDIS 25. Imperij Assyr. 769.

ANTE CHRISTVM 1353.

I. Mundanus Iubilæus. Bocci Pontificatus. Isthmici ludi.

MVndanus Iubilæus quartus & quinquagesimus in hunc annum incidit, circa quem Isthmicorum ludorum contigit institutio, iuxta Eusebij Chronicon, anno Lampridis vigesimo quarto. Celebrabantur autem in Isthmo Corinthiaco, in honorē Inonis & Melicertæ, qui cum se in mare præcipites dedissent, illa facta est Leucothea, ille Palæmon, Dij marini. Eorum institutionem quidam Sisypho, alij Glauco eius filio patri Bellerophontis tribuunt; Nam Theseus eorum potius instaurator fuit quam institutor. Vide plura in Annalibus. Nam hæc, vt in cursu fans.

Sabba. 17.

Biennio post contigit annus Sabbaticus ordine ac numero decimus septimus: est enim centesimus decimus nonus ab ingressu in Chananitidem.

ANNVS MVNDI 2707. & 8.

AODI 67. & 8. BOCCI 11. & 12.

LAMPRIDIS 32. & vlt. SOSARIS 1. Imperij Assyriorum 776. & 7.

ANTE CHRISTVM 1346. & 45.

I. Lāpridis obitus.

CLauditur priore anno Lampridis regis Assyriorum vigesimi primi, vitæ, regnique periodus. Posteriore autem duo inaugurantur Reges, Sosares apud Assyrios ordine vigesimus secundus: & apud Athenienses Cecrops eius nominis secundus & ordine septimus, ille ad annos viginti, iste ad duplo plures. Sic Eusebius in Chronico, & Africanus. Est autem hic annus regni Athenienſium 210. tot enim ab anno Mosis 35. quo cœpit primus Athenienſium rex Cecrops imperare, euoluti sunt, iuxta eiusdem Eusebij Chronologiam.

Sosares successor. Cecrops alter.

ANNVS MVNDI 2709.

AODI 69. BOCCI 13.

SOSARIS 2. Imperij Assyr. 778.

ANTE CHRISTVM 1344.

I. Sabbat. 18. & 19. Israel ad idola declinat.

ADest decimus octauus annus Sabbaticus, quem arbitror minimè ab Hebræis obseruatum, sicut nec decimum nonum, qui Aodi 76. contigit, tertię videlicet seruituti materiam præparabant. Postremis enim hisce annis Aodi Iudicis, cum ipse adhuc viueret, Israelitas ad idola iterū deflexisse scribit Origenes; quia legerat in Septuag. *& addiderunt filij Israel facere malum in conspectu Domini, & Aod mortuus est*: quo modo habet etiam Chaldæus Paraphrastes. Sed Hebræa Latinis respondent. Vtrobique enim habetur, post mortem Aod, Israēlitas ad ingenitam peccandi consuetudinem reuertisse. Quidam tamen illud Hebræum, *Et mortuus erat Aod*, ad eam quæ subditur vltionem referunt, vt scilicet peccarint ante mortem sui Iudicis, sed non nisi post illius mortem fuerint castigati.

cap. 4. 1.

II. Bellerophon vir insignis.

Ad hosce annos pertinet Bellerophon Glauci filius, Sisyphi nepos, genere Corinthius, vir & pudicitiæ & fortitudinis laude clarissimus, eoq; nomine sacris Annalibus dignus. Hoc enim tempore Prœtus regnabat Argis, cuius vxor Sthenobœa Bellerophontem hospitem ad flagitium inuitauit, sed requisam passa, amorem insanum in odium implacabile conuertit, iuuenemq; calumnijs apud maritum appetiit, qui nimium credulus hominem ad certam mortem ad socerum in Lyciā misit: vbi dura & aspera perpessus, glorioſior effectus est. Ob quæ inuidia tabescens Sthenobœa, mortem sibi ipsa consciuit. Quibus vides haud obscure Patriarchæ Ioſephi historiam adumbratam. Sed multæ quoque aliæ his geminæ diuersis seculis contigere.

ANNVS MVNDI 2720.

AODI 80. & vlt. BOCCI Pont. 24.

SOSARIS 13. Imperij Assyr. 789.

ANTE CHRISTVM 1333.

I. Obitus Aodi.

VLtimus est Aodi vitæ & gubernationis annus: omnes enim Scriptores cum libro Iudicum de octoginta annis consentiunt, excepto Chronico Alexandrino *a*, de quo supra dixi. Neque repugnat communi sententiæ Tostatus, cum ait forte principatum eius non fuisse 50. annorum. Nam

a Aodi 56.

ponit

Quamdiu gubernarit.

ponit nobiscum decem circiter annos, quib. populus sine Iudice mansit, & relicta pietate declinauit ad Idola; tum secuti sunt Eglonis octodecim anni, antequã Dominus suscitaret Aodum. Itaq; reliqui fuerint illi anni ferme quinquaginta, Eodemque modo de annis Othonielis philosophandum est. In eius porro laude ponamus licet, quod tamdiu Hebræor. Rempub. sine vlla reprehensionis nota, imo cum laude administrarit, adeo vt Christum Dominum non paucis in rebus adumbrarit, vt in Annalibus demonstratum est.

Samgar.

II. Samgar an Iudex fuerit. *A v verso in a & addita vocali.*

Post hunc, ait Scriptura, *fuit Samgar filius Anath*, vel Dinatha, vt est in Septuag. Xisti. *qui percussit de Philisthiim sexcentos viros vomere, & ipse quoque defendit Israel.* Pleriq; hanc defensionẽ de gubernatione interpretantur, eumq; Iudicibus annumerant, in quibus Iosephus, Origenes, & alij tam prisci ævi quam recẽtis; ille certe diserte affirmat electum eum fuisse ad imperandum. Negans tamen sententia apud vtrosque Scriptores videtur esse communior, qui in Iudicibus enumerandis Samgarem prætermiserunt. Eique sententiæ præire videtur Scriptura, quæ ait post Aodi mortem Dominum tradidisse Israëlitas in manus Iabin; vtique dictura post mortem Samgaris, si is in Iudicibus numerandus esset. Et licet illa dicat eum defendisse, aut liberasse, aut etiam saluasse Israëlem, non propterea Iudiciariam illi potestatem tribuit, sed tantum in vno aliquo prælio eum se fortiter pro Republica gessisse significat, deque illa benemeritum esse. Accedit quod cum eodem vixerint tempore, vt illi fatentur, aut duo simul Iudices fuerint, aut Aodus cesserit magistratu, quod nemo asserit: aut potius Aodi auspicijs Samgar hostes Reipub. male mulctarit.

Non videri.

vide An. 56. Aod.

III. Quomodo Philistæos occiderit.

Quomodo autem sexcentos viros vomere, aut aratri pede, aut stimulo boum occiderit, aut qua ex causa in Philistæos inuaserit, difficile est explicare, propter summam Scripturæ narrantis breuitatem. Lux aliqua potest afferri ex cantico Debboræ, vbi dicitur, *In diebus Samgar quieuisse semitas*, quia scilicet parum à viatoribus frequentabantur, eo quod Philistinorum latrocinijs infestarentur, ideoque cogerentur inuestigare *calles deuios*. Existimo itaque Israelitis ad pristinam peccandi consuetudinem reuersis, nec tamen adhuc impleta scelerum mensura, immisisse Dominum latrunculos è Palæna, qui autem peccatoribus vellicarent, & officij tacitè commonefacerent. Samgarem autem in semita quapiam, à Philisthæis in primis frequentata, locum insidijs opportunum occupasse, transeuntes inopinato insultu sigillatim inuasisse, & impacto vomere contrucidasse, nec cessasse donec sexcentos occidisset. Aut si de singulis id non placet, dicere liceat Samgarem, prævalidum viribus atq; audacia virum, vomere sæpius aliquam Philistæorum manum inuasisse, & ad sexcentos occidisse. Præsertim cum Samson asini mandibula dumtaxat armatus, mille Philistæos peremisse legatur. De morte eius, aut quiete terræ post eum, nulla fit mentio, siue quia breui tempore præfuit, vt alijs placet, siue quia priuatus fuit, vt nos existimamus; cuius tamen egregium pro

Latrunculi è Palæstina.

cap. 5. 6.

publica salute facinus commemoratione dignum visum est.

ANNVS MVNDI 2721.

BARACI & DEBBORÆ 1.

OZI Pont. 1. SOSARIS 14.

Imperij Assyriorum 790.

ANTE CHRISTVM 1132.

I. Baraci principatus.

NOuus exiſtit in Repub. Iudæorum Iudex, nouusque Pontifex, sed ille Iudex censetur, iuxta sæpius iteratũ Scripturæ morem, quæ seruitutis annos, qui iudices antecesserunt, ipsis Iudicibus attribuit. Hic autem testem habet Clementem Alexandrinum, qui de Iabino rege Chananæorum agens, ait eius tempore fuisse prophetissam Debboram, Pontificem autem Ozium, quem mirum est ab eo vocari filium Riesu, non Bocci cum Scriptura: nisi placet Bocci fuisse binominem. An autem fuerit toto Baraci, vel Debboræ tempore Pontifex, incertum est. Itaque Principis & Pontificis annos, vt adhuc fecimus, componemus. Quod autem hunc primum tertiæ seruitutis annum constituimus, facimus Origenis, & aliorum vestigia secuti, qui putant viuo adhuc ac spirante Aodo, Israelitas pleroſque, iuniores præsertim, qui Eglonis verbera non senserant, & deuexam Imperatoris ætatem contemnebant, ad familiatem insaniam reuertisse. Ideoque factum vt, eo nondum mortuo, Philistæi insurrexerint, ad Israelitas latrocinijs diuexandos, quos cum Samgar aliquantulum repressisset, Hebræis Aodo mortuo solutius impietati fræna laxantibus vltore, atque excitatore Deo, surrexit Iabin Chananæus, qui eos ad viginti annos afflixit.

supra Aodi an. 69. & 80.

Reditus Hebræorum ad impietatem.

Erat porro hic Iabin de regis illius posteris, qui maximum contra Iosue bellum, ante annos ferme centum & quadraginta conflauerat. Hic siue Imperij peranguſtos fines proferre voluit, siue auitam ignominiam delere, cum fortissimum militiæ principem nactus esset, & copijs abundaret, & nominatim nongentis falcatis curribus, bellum intulit Israelitis, & *cum ijs congressus*, vt Iosephus ait, *in tantam desperationem rebus illorum adduxit, vt libenter incolumitatem tributaria seruitute paciscerentur; quam per viginti annos ferre sunt coacti, præ nimia seruitute caput non audentes attollere, etiam Deo sic volente, qui nimiam gentis contumaciam*, aut potius Idololatriam, *& ingratitudinem retunderet.* Sic ipse, qui nongentis curribus, quos Scriptura suggerebat, non contentus, duo præterea curruum millia, & centum adiecit de suo. Imo & trecenta peditum millia, & equitum decem millia. Nimirum vt minus ignominiosum esset Israelitis, si à tanto principe subiugati dicerentur, tamque diu ipsius iugo pressi perduraſſe. At incredibiles illæ sunt copiæ, præsertim cum non de totius orientis Principe, sed angulo vnius Syriæ celebrentur.

II. Seruitus sub Iabino. *an. 2. Iosue.*

Lib. 5. c. 6.

ANNVS MVNDI 2723.

BARACI & DEBBORÆ 3.

OZI Pont. 3. SOSARIS 16.

Imperij Aſſyriorum. 792.

ANTE CHRISTVM 1330.

I. Tertius annus ſeruitutis. Sabbat. 20.

TErtius hic eſt tertiæ ſeruitutis annus: idemque vigeſimus annus Sabbaticus, in quo Hebræi non de ſeruorum ſuorum libertate cogitabant, ſed de ſua ipſorum aſpera ſeruitute lamentabantur: ait enim Scriptura eos fuiſſe vehementer oppreſſos. Quod de primis maxime annis intelligendum eſt; iræ enim paulatim reſidere ſolent.

Debbora Prophetis.

Hoc interim tempore Debbora Prophetis conſulebatur à populo, eiſque reſponſa diuinitus dabat. Hanc enim conſolationem mitiſſimus Dominus populo ſuo, quamuis improbo ac deſertori reliqueret, eius vt opera boni conſeruarentur, mali conuerterentur. De hac porro muliere, qua Dominus poſtea vſus eſt ad inchoandam, promouendamque populi libertatem, ita Scriptura loquitur. *Erat autem Debbora Prophetis, vxor Lapidoth, quæ iudicabat populum in illo tempore. Et ſedebat ſub palma, quæ nomine illius vocabatur, inter Rama & Bethel in monte Ephraim. Aſcendebantque ad eam filij Iſrael, in omne iudicium.* Vides deſcriptam mulierem à prophetica dignitate, à conditione vitæ, ab officio iudicandi, additur & iudicij locus.

II. Et quatenus.

Prophetis fuit, quod cum ea Dominus ſingulari priuilegio colloqui dignaretur, perque eam populum arguere & conſolari, forte & pronunciare futura. Nec minus propterea viuebat Ozi Pontifex, & Concilium Hebræorum; & ſæuientibus Chananæis perturbata erant omnia. Et eadem gratia, quæ gratis, & non ex meritis datur, multis & ante, & poſt Debboram mulieribus conceſſa legitur. Dicitur vxor Lapidoth, ſiue quæ erat, ſiue quæ fuerat. Sicut Bethſabee dicitur vxor Vriæ, etiam poſt mortem eius. Certe Sanctus Ambroſius eam tanquam viduam vbique celebrat.

Viduane & Iudex. 1. *Reg.* 12.

Maior autem eſt difficultas an Iudex fuerit, quod Scriptura videtur perſpicuè affirmare, ſicut eam intellexerunt Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, alijque deinceps, qui & ductaſſe exercitum, & quaſi nouam Amazonem pugnaſſe memorant, vt latius in Annalibus oſtendimus.

III. Quomodo Iudex dicatur.

Alij tamen non minus probabiliter exiſtimant, Debboram tantummodo Iudicem fuiſſe, dandis diuinitus reſponſis, cum de ſuis conſuleretur, ademptis, vt apparet, per Iabinum iudicijs, populique Rectoribus, à quibus poterat conſilia defectionis timere: quem metum mulier non afferebat. Principatum autem ſiue populi gubernationem non magis in fœmina, quam in viro toleraſſet. Ideoque cum Iudices memorantur, qui Hebræis cum imperio præfuerunt, non Debbora, ſed ſolus Barac numeratur. Sed neque poſt redditam populo libertatem imperium à Baraco cum ea communicatum fuit, quod ex ipſo textu ſacro colligi poſſit. Quod ergo Debbora ius dixit, litesque, præſertim durante ſeruitute compoſuit, id abſque iuriſdictione fecit, ſed ex authoritate, quam ei prophetia conciliabat apud litigantes, vt ſcribit Serarius noſter. Nec, ſi ea iurisdictio maximè judicialis foret, ac forenſis, propterea Iudicibus annumeranda eſſet, cum id officium extra munus principis populi foret. Ergo Debbora, prophetia, conſilio, authoritate apud Baracum vſa, ad populi ſalutem procurandam, arma capienda, & cum Siſara pugnandum, & poſtea ad regendum populum, Iudicis vtique directrix & adiutrix fuit, Iudex non fuit.

non regit Rempub.

ANNVS MVNDI 2727. & 8.

BARACI 7. & 8. OZI 7. & 8.

SOSARIS 20. & vlt. LAMPARIS 1.

Imperij Aſſyriorum 796. & 97.

ANTE CHRISTVM 1326. & 25.

I. Septimus annus ſeruitutis. Soſaris obitus, & Lamparis regnum. *Horat.* Amphiõ.

PRior eſt ſeptimus Iudaicæ huius ſeruitutis annus, in quo Soſares Aſſyriorum Imperator abijt è viuis, cui poſteriore ſucceſſit Lampares ad annos triginta, in quo Euſebius & Africanus conſentiunt. Quo tempore Amphionem Thebis regnaſſe ille memorat. Illum videlicet, qui *ſono teſtitudinis, & prece blanda*, ſaxa mouiſſe dictus eſt, id eſt, vt Eutebius interpretatur, duros ac ſaxeos auditores ad humanitatem & manſuetudinem flexiſſe, flexanima quippe eſt muſica, ſicut & oratio, vt Poëta ille innuebat.

ANNVS MVNDI 2730.

BARACI 10. OZI 10.

LAMPRIS 3. Imperij Aſſyr. 799.

ANTE CHRISTVM 1323.

I. Sabbaticus 21.

DEcimus ſeruitutis annus agitur, idemque Sabbaticus primus & vigeſimus. Et in Euſebij Chronico Aodi poſtremus, decem annorum parachroniſmo, propter annos Principatus Ioſue, cui ille annos tribuit 27. nos decem & ſeptem.

Raptus Europæ.

Ad hoc quoque tempus Europæ à Cretenſibus raptum, refert idē Euſebius, explicatque fabulæ occaſionem. A tauro enim raptam fuiſſe fictū ait, quod naui aucta ſit, cui inſigne erat Taurus, ſicut in naui Bellerophontis Pegaſus, & in naui Phrixi cum Hella ſorore Aries. Præerat autem, aut eminebat certe inter Cretenſes Iupiter, cui propterea raptus hic ab omnibus tribuitur. Scribit Herodotus Cretenſes Tyrū appulſos filiam regis Europam rapuiſſe, eoque facto vltos iniuriam à Phœnicibus acceptam, qui Argos profecti, Io filiam Inachi antè rapuerant. Subſecutus eſt deinde Medeæ raptus ab Iaſone, & Heſiones ab Hercule, & Heleræ à Theſeo, & rurſum à Paride Troiano

Lib. 1. Eius cauſa.

Alij raptus.

Vt omittam Chryſippum à Laio, & à Tantalo Ganymedem, & Hermionam aliquanto ante à Cadmo raptam apud Euſebium, & ab Orco rege Moloſſorum Proſerpinam. Ita tota iſta ætate Græci, Barbarique nobilia flagitia, cum nobilium fœminarum, aut potius familiarum iniuria frequentabãt. Non male enim Perſæ apud Herodotũ aiunt, ſe quidem ſentire iniurioſorũ virorum factum eſſe, rapere fœminas, amentiũ vero raptis vlciſcendis operam dare: prudentium autem raptas nihil curare, quippe quæ, niſi voluiſſent, haud dubie raptæ non fuiſſent. Sic illi non inepte, etſi non vſquequaque vere.

a. Belleparis 3.

Ibidem.

potentem fuiſſe virum, ſed priuatum potius, ac mediocris fortunæ, qui Dei victoriam exequeretur. In diuturna item ſub Chananæo principe ſeruitute, non fuiſſe vllum eminentis admodum potentiæ apud Iſraelitas facile eſt credere. Id enim tyrannis maxime formidoloſum eſt; vt docuit is, qui ſumma papauera virga decutiebat. Nec modica pars victoriæ fuit Iahel, vxor Haber Cinæi, ex religioſa familia Cinæorum, de quibus ſupra dictum eſt, à quibus patet eius aut auus, tempore Othonielis, loco non profeſſione diſceſſerat. Nunc victoriæ conſiderandus eſt modus, ad quem collectus exercitus, hoſtium clades & fuga, interitus Siſaræ pertinent.

Iahel Cinæi vxor.

a.m. 2604 n. 3.

Itaque Debbora accepto diuinitus mandato, pro ea qua erat apud omnes authoritate, & opinione ſanctitatis, miſit nuncios ad Baracum filium Abinoëm, qui in Cedes Nephtalim habitabat, qui eum ad Propheticem Dei iuſſu euocarent. Is vbi affuit, *Præcepit*, inquit, *tibi Dominus Deus Iſrael, vade & duc exercitum in montem Thabor, tolleſque tecum decem millia pugnatorum de filijs Nephtalim, & de filijs Zabulon*; ſunt hæ duæ tribus conterminæ, ſed illa huic ad Septentrionem ſita, illa Galilæam ſuperiorem, hæc inferiorem amplectitur. Iuſſionem autem Dei per Angelum Debboræ nunciatam, mox intelliget ur. Pergit Prophetis, *Ego autem adducam ad te, in loco torrentis Ciſon, Siſaram principẽ exercitus Iabin, & currum eius, atq; omnem multitudinem, & tradam eos in manus tuas.* Venturus quidem erat Siſara ſponte ſua, accepto nuncio, de collectis à Baraco ad defectionem copijs, ſed acceſſit etiam diuinus impulſus, qui eum ad interitum perurgebat.

II. Debbora euocat Baracum ad bellũ

Iud. 4. 6.

Hic Baraco cunctante, atque adeo negante ſe rem ſuſcepturum, niſi ipſa comite, quod neſciret quando ipſi Angelus adfuturus eſſet, is videlicet, qui Debboræ vaticinanti aderat: quem, aliqui Michaelem putant Eccleſiæ protectorem. Ea cunctatio nec culpa vacauit, nec pœna. Itaque audiuit, *Ibo quidem tecum, ſed in hac vice victoria non reputabitur tibi: quia in manu mulieris tradetur Siſara.* Priuatus videlicet fuit gloria victoriæ, quæ illi fuerat deſtinata diuinitus, & in mulierem translata eſt ſiue eam Debboram intelligas, quæ bello non ſolum affuit, ſed quodammodo præfuit, & ipſum bene gerendæ rei articulum demonſtrauit, ſiue Iahelem, quæ principem militiæ Siſaram generoſa obtruncauit. Surrexit itaque Prophetis de Palmeto Debboræ, & cum Baraco ad Cedes in tribum Nephtalim profecta eſt, & cum ea, & decem pugnatorum millibus, qui præcipue ex Zabulon collecti ſunt, venit in montem Thaborœum, iuxta quem eſt torrens nomine Ciſon, partim ab ipſo, partim ab Hermone monte profluens.

III. Is cunctatur nõ impune.

Copiæ Iſraelis.

Quod cum auditum eſſet à Siſara, exiſtimauit Iſraelitas validum ibi præſidium collocare velle; quo falcati currus ſeſe inferre non poſſent, vt inde cum liberet in omnem late regionem excurreret, & regem ad aliquas pacis, & libertatis conditiones compelleret. Itaque congregauit omnem exercitum ad torrentem Ciſon, vti Debbora prædixerat. Quod cum illa vidiſſet, dixit ad Baracum, *Surge*, inito certamen, *hæc eſt enim dies, in qua tradidit Dominus Siſaram in manus tuas, en ipſe ductor eſt tuus.*

IV. Copiæ Siſaræ, & pugna infelix.

ANNVS MVNDI 2733.

BARACI 13. OZI Pont. 13.

LAMPARIS 6. Imperij Aſſyr. 802.

ANTE CHRISTVM 1320.

I. Tertius Iubilæus Moſaicus.

TErtius annus Iubilæus Moſaicus in hunc annum cadit, qui fuit ſeruitutis ſub Iabino Chananæo rege decimus tertius; ex quo intelligi poteſt illum minimè fuiſſe obſeruatum, ſicut nec ſequentem ſabbaticum vigeſimum ſecundum, qui in eadem includitur ſeruitute. Hoc tempore florebat Pelops, quem Euſebio teſte, aliqui non ſolum Argiuorum & Mycenarum regem fuiſſe ferunt, ſed totius etiam Peloponneſi. *Hic Olympijs præfuit*, inquit, *& expeditione aduerſus Ilium ſuſcepta à Dardano victus eſt. Ab eo Peloponneſus nomen accepit.* Sic ille: qui mox illum ait in Peloponneſo annis 58. regnaſſe, & Atreum & Thyeſtem eius inter ſe imperium diuiſiſſe. Cæterum quomodo præfuerit Pelops olympijs viderit Euſebius, qui eorum inſtitutionem ab Hercule, poſt centum & quindecim annos ponit, vt dicetur anno Mundi 2849. ſub initia Iephte Iudicis Hebræorum. Nimirum diuerſorum opiniones proferre ſolet, non diiudicare controuerſiam.

Pelops.

ANNVS MVNDI 2741.

BARACI 21. OZI 21.

LAMPARIS 14. Imperij Aſſyr. 810.

ANTE CHRISTVM 1312.

I. Finis ſeruitutis.

ELapſis iam viginti ſeruitutis annis Iſraelitæ de more clamauerunt ad Dominum, & ipſe de more eorum miſertus eſt. Suſcitauit quippe Debboram & Baracum in ſalutem populi ſui, in quorum ſocietatem venit etiam Iahel. Hi fuerunt victoriæ & recuperatæ libertatis adminiſtri. Baracum porro filium Debboræ fuiſſe affirmat non ſemel S. Ambroſ. Hiero. quamuis tacito eius nomine repugnante; Eius tamen mater dici poteſt, quo modo inferius dicitur Iſraëlitarum mater, & boni principes, patres vocantur patriæ. Nec apparet eum illuſtrem, ac

Quis Barac. l. de Viduis.

Iud. 5. 7.

Angelus scilicet Domini, quem volebat itineris & prælij ducem, is te hoc tempore ad certamen vocat. Obsequitur ille, descenditque cum suis; sed ad eius occursum *perterruit Dominus Sisaram, & omnes currus eius*, vniuersamque multitudinem. Multis id modis contingere potuit, in quibus ille peridoneus, vt armatos Angelos strictis gladijs, terrifico vultu eis ostentaret, à quibus ipsi lethiferis perfoderentur plagis, percussores autem omni ferro impenetrabiles essent. Idque Scriptura videtur innuere, dum non ait Baraci gladio perterrefactos, sed *ad conspectum Barac*. Sic perterrefacta est asina Balaami, cernens Angelum euaginato gladio in se irruentem. Diuinam plane fuisse victoriam, illa Cantici Debboræ verba significant, vbi ait Dominum *nova bella*, id est, mirabilia elegisse, præsidia & munimenta hostium subuertisse, cum in toto Israële, qui paulatim ad Barac & Debboram confluebat, vix esset qui hasta & clypeo, cæterisque armis instructus esset: quod Iabin omnia Hebræis arma sustulisset, vt postea Philistæi, tempore Saulis. Sed Dominus armorum in populo suo defectum suppleuit, cum per Angelos suos ad conspectum Baraci pugnauit; à quibus, hominibus & equis, terrore exanimatis, & fugam vndique petentibus, confusi sunt ordines, collisique inter se currus, equis huc illucque trahentibus, partim per abrupta saxorum, partim per tumidas noua tempestate torrentis aquas. Vtrumque significatur illis Cantici verbis *Torrens Cison traxit cadavera eorum: Et vngulæ equorum cecidérunt fugientibus impetu, & per præceps fugientibus fortissimus hostium.*

Eatū terror à Domino.

V. Vincuntur ab inimicis.

1. Reg. 13. 22.

Iud. 5. 8.

At Sisara videns nec equos, nec aurigam suum satis sibi ad fugam expedire viam, aut timens in excelso atque aureo curru difficiles latebras, vt Achab in vestitu regio, *de curru desiliens, pedibus fugam iniit*, non versus Haseroth gentium vnde venerat, & quo multi fugiebant: sed Asorā versus, vbi Rex Iabin habitabat, quo in itinere obuium habuit Haberis Cinæi tabernaculum, vbi se iuro, ad dies aliquot, latere posse sperabat, quia *pax erat inter Iabin regem Asor, & domum Haber Cinæi*, præsertim inuitatus vltro à Iahele matre-familias. Ingressus itaque tabernaculum eius opertus est ab ea pallio, & quidem ampliore, vt sub eo totus lateret, & viliore, vt talis viri latebra minus suspecta esset. Prius autem quam se ad latendum componeret, cursu & calore exhaustus, aquæ potum petit. Illa vrbanior lac dedit, cuius ille haustu somno facile oppressus est. Nec tamen ille ita sui negligens fuit, vt sibi excubitorem non apponeret, vt solebat in castris; illam scilicet ipsam hospitam suam, quam erga se beneuolam experiebatur. Sicque illi ad latebras, & quietem composito somnus obrepsit, sed sempiternus.

VI. Sisaræ fuga in Haberis tabernaculum.

3. Reg. 22. 30.

Tulit enim Iahel clauum tabernaculi sui, ex eorum genere quibus tabernacula funibus distenta defiguntur in terram, ideoque magnum atque oblongum assumpsit pariter & malleum, & suspenso gradu ad somnum explorandum ingressa, inuenit eum in latus vnum procumbentem, & profundo somno consopitum: cumque trabalem illum clauum applicuisset ad tempus, *Defixit in cerebrum vsque ad terram, qui soporem morti consocians defecit, & mortuus est.* Septuag. cecidit, inquiunt, palpitans inter pedes eius, & expiravit. *Et ecce Barac sequens Sisaram*, quem scilicet agnouerat à cætera fugientium turba dilapsum Asoram versus, *veniebat. Egressaque Iahel in occursum eius* læti nuncij causa, *veni*, ait, *& ostendam tibi virum quem quæris. Qui cum intrasset ad eam, vidit Sisaram iacentem mortuum, & clauum infixum in tempore eius.* Facinore quod nisi Scriptura laudaret, non vno ex capite videretur arguendum. Contra ius enim gentium & naturæ videtur amicum & fœderatum hominem, hospitem etiam, & quidem amice inuitatum domum, securitate promissa, denique grauissima iam calamitate oppressum, dormientem interfeciisse.

VII. Eta Iahele cædes.

an iusta.

Verum cum bellum hoc ex parte Hebræorum non solum iustum esset, sed diuinitus etiam gereretur, necesse est tam Iabinum quam Sisaram hostes fuisse legitimos, & vt hostes tractari potuisse ab Hebræis, in quibus erant Cinæi: itaque antiquior erat amicitia & fœdus cū illis, quam cum Chananæis istis. Et apparet hanc pacem fuisse de non inferenda Cinæo iniuria à Chananæis, qui cum nihil sibi ab eo metuerent, magno illum pretio vendiderant, itaque eam nunc interfecto Sisara non violarat. Et inuitatio quidem illa insidiosa fuit; sed licet hostem ad paratas insidias arte pellicere, ad easque perductum necare. Denique si hostem cogites, ac tyrannum, vigesimum iam annum Hebræos, nihil in ipsum commeritos vexantem, ac vehementer opprimentem, leuem hanc multorum scelerum vltionem esse iudicabis. Eam victoriam afflicto vehementer aduersario, secuta est libertas, & gratiarum actio, cantico à Prophetide celebrato; ex quo, quæ ad hanc historiam pertinent, suis inserta sunt locis.

VIII. Videri iustam.

Boozum hoc anno natum putamus, qui postea ætate prouectus Ruthā Moabitidem duxit vxorem, & Dauidis proauus fuit. Ideo habet difficiliorem explicationem, quod minus declarati sunt à Scriptura Iudices, quorum tempore illi nati sunt. Quid coniecturis assequi conati simus, æquus lector in Annalibus reperiet. Eorum summa est, videri incredibile quatuor hominum generatione, quadringentos & 40. annos, qui à capta Ierichunte ad fundationem templi reperiri debent, expleri, nisi filios omnes à nonagenarijs, atque adeo prouectioribus vt fatetur Abulensis, genitos dicamus. Dauidem dico, Isai, Obed, & Booz. Ideoque probabiliorem videri eorum sententiam, qui tres Boozos sibi succedentes ponunt, atque ita sex generationibus minimè absurdis, totum illud temporis spatium facile exhauriunt: hoc fere modo. Salmon cum occupata Ierichunte duxit Rahab fuerit 34. annorum, ex qua post alios liberos susceptos, anno sexagesimo genuerit primum Booz, tota illa annorum summa, vsque ad fundatum templum, 26. annis minuetur. Booz autem primus & secundus genuerint 6. ætatis anno; tertius autem septuagesimo, Obed item & Isai septuagesimo. Quibus adde annos 70. vitæ Dauidis, & quatuor de regno Salomonis, explebuntur omnino 440. anni, quos vides ad marginem digestos.

IX. Ortus tertij Boozi. Tres admittendos. In 1. Paral. 2. in 1. Matthæi 1.

Quomodo ordinandæ hæ generationes. Psalm. 26. Booz 65. Sooz 65. Booz 70. Obed 70. Isai 70. Dauid 70. Sal. 4. 440.

ANNVS MVNDI 2742.

BARACI 22. OZI 22.

LAMPARIS 15. Imperij Aſſyr. 811.

ANTE CHRISTVM 1311.

I. Iabinus paulatim deletur.

QVid hoc anno, & aliquot proximè ſequentibus actum fuerit apud Iſraelitas, ſignificauit potius Scriptura, quam explicauit, cum ait *a. Humiliauit ergo Deus in die illo Iabin regem Chanaan coram filijs Iſrael*; nimirum Deo victoria tribuitur, Iſraelitis autem ſpectaculum pugnæ. Iuxta illud Exodi *b. Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis.* Humiliatum autem dicit, quod attritæ admodum fuerint ea pugna Iabini vires, vt de ſalute ſua potius, quam de opprimendis Hebræis cogitaret. Sed ſequitur quod ad hos annos pertineat. *Qui*, Iſraelitæ videlicet, *creſcebant quotidie, & forti manu opprimebant Iabin regem Chanaan, donec delerent eum.* Ex quo perſpicuum eſt, non ſtatim eum cum ſua vrbe deletum, vt putat Ioſephus *c*, ſed paulatim fractum crebris pugnis atque victorijs, Deo Iſraelem probante rediretne ad vomitum necne, vt ſcilicet victoria ad Chananæos Deo vlciſcente reuolaret. Plures enim pugnas atque victorias innuebat Debbora, cum dicebat, *Ibo quidem tecum, ſed in hac vice victoria non reputabitur tibi*: ſignificans ſecuturis pugnis illi victoriam, ſecundum Deum aſcriptum iri.

a Iud. 4. 23

b Ex. 14. 14.

c l. 5. Ant. c. 6.

ANNVS MVNDI 2744.

QVARTÆ ÆTATIS 281. EXITVS 201.

SANCTVARII IN SILO 155.

BARACI & DEBBORÆ 24. OZI 24.

LAMPARIS 17. Imperij Aſſyr. 813.

ANTE CHRISTVM 1309.

Annus Sabbat. 23. & 24.

SAbbaticus eſt hic annus, ordine vigeſimus tertius, quem ſicut & vigeſimum quartum ſequentem, à Iudæis ad ſanam mentem ex calamitate reuerſis, & ex inopia ad pinguiorem fortunam, reſque ſecundas obſeruatum, facile adducor vt credam: Baraco & Debbora, quorum ſumma erat in Repub. poteſtas atque authoritas, annitentibus. Idq; ex eo confirmatur, quod Ioſephus & Clemens Alexand. aiunt Debbora demum mortua, & ſcilicet Baraco, populum ad ingenium rediiſſe. Et vniuerſe Scriptura non niſi defunctis Iudicibus ait populum peccare conſueuiſſe. Quod peccatum non de Idololatria ſolum, ſed de reliqua etiam legis violatione poſſumus interpretari.

ANNVS MVNDI 2757.

BARACI & OZI 37. & 8.

LAMPARIS 30. & vltimus.

PANYÆ 1. Imperij Aſſyrior. 826. & 27.

ANTE CHRISTVM 1296. & 5.

MOritur ptiore anno Lampares tertius & vigeſimus Aſſyriorum Imperator, & ſucceſſori Panyæ gubernationis lampadem tradit, quam annis quinque ſupra quadraginta tenuit, orſus à poſteriore anno, qui fuit Hebræis Sabbaticus 25.

Mors Lămparis, initium Panyæ.

ANNVS MVNDI 2760.

BARACI & OZI Pontif. 40. & vlt.

PANYÆ 3. Imperij Aſſyriorum. 829.

ANTE CHRISTVM 1293.

I. Baraci obitus.

NArrata Baraci & Debboræ de Iabino victoria 40. annis terram quieuiſſe Scriptura tradit. Nec tamen aut Baraci mortem aut Debboræ memorat, Ioſephus *d* eodem fere tẽpore tam Baracum, quam Debboram defunctos affirmat. Baraci certe mortem finis principatus eius non dubiam relinquit; neque enim eo viuo alius quiſpiam rerum potitus eſt. Sepultus dicitur à Iudæis in vrbe Cedes Nephtalim ad ripam Iordanis. Habet autem laudatorem Apoſtolum *e* qui eum nominatim ſanctis viris annumerat; nec mirum, cum pleriſque rebus ſanctum ipſum ſanctorum Chriſtum Dominum non obiicurè adumbrarit, vnaque Debbora beatiſſimam virginem, vt in Annalibus ipſis religioſus lector inueniet.

d l. 5. c. 7. Ant.

e Hebr. 11. 32.

II. Initium Gedeonis. 2761.

Exhibet nobis ſequens annus nouum in Hebraica Repub. principem Gedeonem, nouumque Pontificem Zaraiam. Quanquam Principis anni, qui à morte præcedentis Iudicis numerari ſolent, reipſa nonniſi in fine ſeruitutis, ad quam ſoluendam à Deo excitatur, inchoëntur. Itaque primus hic dicetur Gedeonis annus, cum tamen reuera primus fuerit is, qui, elapſis ſeptem annis Madianiticæ ſeruitutis, erit octauus. Quod ad Pontificem attinet Zaraiam filium Ozi, parenti ſuo poſt annos 40. ſubſtituimus. Filium enim Ozi Zaraiam, non vno in loco *f* ſcriptura teſtatur, eique in ordine Pontificum ſubſtituit. Qua re parum animaduerſa Ioſephus *g* Ozi Pontifici ſtatim Heli ſucceſſorem ponit, quatuor omnino Pontificibus prætermiſſis Zaraia, qui Gedeone Iudice Pontificatum geſſit, Meraiotho, Amaria & Achitobo, cui ſucceſſit Heli, vt primo eius anno dicemus. Cum Iudice porro, Pontificem quoque, poſt conuenientem aliquem annorum numerum, commutamus, quia nulla conuenientior occurrit eos diſtinguendi ratio, in altiſſimo ea de re Scripturæ, aliorumque Scriptorum, quod quidem ſciamus, ſilentio.

f 1. Paral. 6. 6. & 51 & 1. Eſd. 7. 4.

g l. 5. Ant. c. 12. fi.

Mortuis ergo Baraco & Debbora, fortaſſis

III.

etiam

Digitized by Google

Primus annus quartæ seruitutis Madianiticæ.

etiam nondum mortuis, sensim sine sensu Israëlitæ ad idola relapsi sunt. Quod enim post mortem Iudicum solitos Hebræos ad idola deficere Scriptura dicit, id de publica, non de priuata defectione accipi potest, quam ne Samuelis quidem, ac Iosiæ temporibus defuisse, suis demonstrabitur locis. Et Scriptura peccatum ostendit, priusquam traderentur in Madianitarum manus; quod Origenes quoque notauit, significans post resumptam Idololatriam, statim in foribus peccati pœnam adfuisse. Quæ causa nobis fuit, cur in re subdubia, statim morti Baraci & Debboræ annos Madianiticæ seruitutis subiungeremus. Quid autem causæ Madianitæ habuerint, vt in Hebræos atma sumerent? Antiqua enim bella viuo Moyse iam obliterata erant. Verum vicinos inter populos rara est amicitia, & facile iurgia & contentiones, indeque cruenta sæpe bella suscitantur.

IV. Sub Madianitis, aliisque pop.

Sedes autem habebant Madianitæ & Amalecitæ cæteræque orientales nationes, quæ à Scriptura memorantur trans Iordanem, circa tribus Ruben & Gad, illi autem nominatim ponuntur tanquam primarij hostes Hebræorum, quibus fortasse cæteri subsidio venerant. Iosephus ait congressos Israëlitas cum illis populis, magnoque prælio fuisse victos *h*, quod non habet quidem Scriptura, est tamen vero simillimum, Hebræos sine clade iugum seruitutis non accepisse, neque ad tantum adductos fuisse timorem, quantum verba illa significant. *fecerunt-que sibi antra & speluncas in montibus* &c. Non mirum autem fuisse victos, Deus enim non erat cum eis, sed pro eorum aduersarijs pugnabat contra eos. Nec tamen occupatis vrbibus sedes fixerunt apud eos, sed prædonum more, quæ rapuerant asportabant: ea mente vt quoniam res eis cesserat ex sententia, eandem sæpius iterarent viam, vt ex annis sequentibus intelligetur.

h *l. 5. Ant. c. 7.*

ANNVS MVNDI 2762.

GEDEONIS 2. ZARAIÆ 2.

PANYÆ 5. Imperij Assyriorum 831.

ANTE CHRISTVM 1291.

I. Sex alij seruitutis anni.

SEcundum hunc seruitutis numeramus annum, cui & quinque proxime sequentes adiungimus, quod vna sit, eademque de omnibus in Scriptura & Iosepho narratio, & singulorum persimilis calamitatis modus. Nam Scriptura cum dixisset filios Israel fecisse malum in conspectu Domini, subdit, *Qui tradidit illos in manu Madian septem annis, & oppressi sunt valde ab eis, fecerunt que sibi antra & speluncas in montibus, & munitissima ad repugnandum loca*: vt qui scilicet regionem, bonaque sua tutari non poterant, seipsos locis, quæ ars, aut natura muniuerant, tutarentur. Quo etiam modo tempore Saulis *a* Israelitæ, metu Philistinorum, *abscondérunt se in speluncis, & in abditis, in petris quoque, & in antru, & in cisternis*. Nunc autem, *vastatis*, ait Iosephus *b* *frugibus prædam abegerunt*: *cumque idem per continuos septem annos facerent, Israelitas in montana compulsos, campestri solo cedere coegerunt*: *qui speluncis & subterraneis ædificijs excauatis, quidquid hostium violentiam euadere poterat, intro receptum asseruabant.*

a 1. *Reg.* 3.

b *l. 5. Ant.*

II. Quam acerbi.

Quid è contrario Madianitæ? *Cum sertisset Israel*, ait Scriptura *c*, *ascendebat Madian, & Amalec, cæterique orientalium nationum, & apud eos figentes tentoria, sicut erant in herbis cuncta vastabant, vsque ad introitum Gazæ*; *nihilque omnino ad vitam pertinens relinquebant in Israel, non oues, non boues, non asinos.* Quæ explicans Iosephus. *Nam Madianitæ*, inquit, *per æstatem facientes expeditionem hyeme agros colere Israelitas permittebant, vt possent denuo labores eorum vastare.* Itaque in perpetua fame, atque egestate viuebant. Cladem ergo frugibus afferebant atque pecoribus. Sicque implebantur illæ minæ *d*. *Visitabo vos velociter in egestate & ardore*, &c. *frustra seretis sementem, quæ ab hostibus deuorabitur.* Nam fruges si quæ maturuerant auferebant sibi, cætera pabulo erant eorum equis & camelis innumeris. Itaque attenuati Israelitæ, cum nullum in se præsidium contra hostem reperirent, clamauerunt ad Dominum, auxilium contra Madianitas postulantes. Cum autem clamauerint nunc ad Dominum post septem annos, qui nuper post 20. tantum clamauerant cum à Iabino & Sisara vexarentur, haud leue argumentum est Israelitas à Madianitis acerbius quam à Chananæis fuisse vexatos, & paucitatem annorum magnitudine mali fuisse compensatam.

c *Iudicum* 6. 3.

d *Lev.* 26. 16.

Fuit porro huius septennij annus quintus Sabbaticus ordine vigesimus sextus, quem in tanta rerum omnium confusione atque penuria minime obseruatum puto.

Sabbat. 26.

ANNVS MVNDI 2768.

GEDEONIS 8. ZARAIÆ Pont. 8.

PANYÆ 11. Imperij Assyriorum. 837.

ANTE CHRISTVM 1285.

I. Apparatus ad libertatē.

HIc est clamoris, & misericordiæ & libertatis annus. Oppressi enim Israelitæ atque attenuati, desperata, damnataque humana industria clamauerunt ad Dominum, vt diuinam ipse, pro sua erga populum afflictum & pœnitentem, misericordia, opem ferre ne grauaretur. Et Domino quidem non fuit animus aduersus clamores suorum, intentasque preces obsurdescere, sed voluit eos maiori etiam affectu ambire, constantiusque retinere, quod difficilius impetrabatur. Constat enim facilitatem impetrandæ veniæ proniores reddere improbos homines ad peccandum: quæ contra bonis & honestis frænum est; imo & calcar ad castissimum amorem, atque iustissimum. Misit ergo ad eos virum Prophetam, virum aliquem sanctum de filijs Prophetarum, quales non raro legimus à Deo suscitatos, non quod percisè negaret auxilium, sed qui beneficia exprobraret, impietatem atque inobedientiam accusaret, diuinoque auxilio indignos ostenderet.

Israelitæ à Prophetæ reprehenduntur.

II. Mittitur Angelus ad Gedeonem. Iud. 6. 12.

Eius vocibus vehementius ad pœnitentiam incitatu Israëlitæ vtique cum gemitu dixerunt, *Peccauimus*; nec dubium fetio promisisse Domino, fore vt semper illi seruirent, si nunc abimportunissimis hostibus liberarentur. Quibus ita præparatis, *venit Angelus Domini, & sedit sub quercu*, qui non immerito creditur præses Israelitici populi, proindeque Archangelus Michael Ecclesiæ Catholicæ, quæ angustis illius populi finibus, tunc pene tota circumscribebatur, secundum Deum protector & princeps. Magnum enim totius populi negotium agebatur, vt à seruitute Madianitarum, ipsorumque dæmonum eriperetur. Is, vt ait Iosephus, adolescentis se specie visendum præbuit, sed bene morati atque ingenui, adeo vt reuerentiam quandam conciliaret sibi; vnde & reuerenter eum allocutus est Gedeon; hominem autem credidit, atque amicum viatorem; vt qui baculum gustaret manu, & quasi de via fessus, spiritus sub quercu colligeret, ideoque illi tanquam peregrino præparauit cibos.

III. Eorum colloquium.

Fuit autem Gedeon, non vir de plebe quispiam, quamuis perquam demisse ipse de se, deque familia tua loquatur, sed qualem significat Angelica illa salutatio, *Dominus tecum, virorum fortissime*, quæ vox in Hebræo Heron respondet. Neque obstat huius viri dignitati, quod dum venit ad eum Angelus excutiebat ipsemet, & purgabat frumenta in torculari, quod opus famulare & rusticanum est. Id enim temporum necessitati tribuendum est, vt communi omnium domesticorum continentique diligentia hostium aduentus, à quibus vastabantur omnia, præueteretur. Ideoque latenter, non in area, sed in torculari excutiebat fruges, vt se quamprimum ad montes, speluncasque reciperet. Quod autem prius dicitur Angelus sedisse sub quercu, mox autem apparuisse Gedeoni, non vice versa, datur intelligi, eum sedisse aliquantisper placide ac secure ne hostis putaretur, imo ex quiete sedentis animo solutiore, ostendebat non aduentare hostem, ideoque laborem breui colloquio interrumpi posse: nec Gedeonem, qui totus erat in deproperando frumento, eum cito animaduertisse, donec, vt à metuentibus, aut ex labore suspirantibus fieri solet, oculos circumtulit, & peregrinum simul vidit, simul salutantem audiuit.

IV. Sigi denunciatur futura per ipsum libertas.

Gedeon vero non tam laudem suam in salutatione, quam bene precandi formulam attendens, *Obsecro*, inquit, *mi Domine, si Dominus nobiscum est, cur nos apprehenderunt hæc omnia? Vbi sunt mirabilia eius, quæ narrauerunt patres nostri* &c. *Nunc autem dereliquit nos Dominus, & tradidit in manu Madian.* Quæ verba non sunt conquerentis de Deo, vel de eius potestate dubitantis, sed admirantis dici præsentem Dominum, quem præsentes calamitates absentem, infensumque significabant. Hic Angelus Gedeonem respicit, quasi publicæ calamitatis miserius, simulque auxilium afferre parans, *Vade*, inquit, *in hac fortitudine tua, & liberabis Israël de manu Madian, scito quod miserim te.* Quasi dicat. Mea interest tibi vires, animosque suggerere, ad opus ad quod assumpsi te. Ideo Gedeone præ summissione animi tenuitatem suam, familiæque excusante, *Ego*, inquit, *ero tecum, & percuties Madian quasi virum vnum.* Ita vt multæ hominum myriades, non plus tibi facessant negotij, quam vir vnus. Quibus verbis quasi diuinitus ad se delatis roboratus est. Nec desijt tamen eum hominem existimare, & illi offerre prandium, ac parare. Sacrificium tamen dicitur ex euentu secuto, quia quod prandio destinatum erat, versum est in sacrificium, eius voluntate, qui legibus solutus est tam alienis, quam suis.

V. Prandiū versum in sacrificium.

Voluit tamen Angelus tam prandij quam sacrificij Gedeonem administrum, vnde subdit. *Tolle carnes & azymos panes, & pone supra petram illam*, lapidem quendam grandiorem monstrauit, qui altaris loco futurus erat, *& iura desuper funde*, vt minus esset apta materia ad concipiendum ignem, sicque miraculum esset euidentius. Quod cum fecisset Gedeon, extendit Angelus Domini summitatem virgæ, quam tenebat in manu, & tetigit carnes, & panes azymos. ascenditque ignis de petra, & carnes azymosque panes consumpsit, illius potentia, qui non solum aquam de petra, sed ignem quoque elicere potest. Eo facto cum agnouisset Gedeon Angelum Domini, isque discederet, ex anticipata vulgi opinione, de lethifera visione Angeli, Exclamauit, *Heu mi Domine Deus, quia vidi Angelum Domini facie ad faciem* cui Angelus ad eum regressus. *Pax tecum*, inquit, *ne timeas, non morieris.* Ergo metu mortis solutus, *ibi altare Domino* paulò post gratus *ædificauit, vocauitque illud Domini pax, vsque in præsentem diem*, qua scribebatur hic liber.

VI. Gedeon domesticam superstitiosè euertit.

Cum dies abijsset, quo hæc peracta sunt, proxima nocte rursum Gedeoni apparuit Angelus, eique præcepit bubale patris adire, & inde vnum atque alterum taurum educere, paternam Baalis aram euertere, & lucum, qui ei circumpositus erat, succidere. Aram autem, cuius paulò ante facta est mentio, excitare in loco, in quo sacrificauerat Angelus: pars enim huius altaris fuit ille lapis, qui miraculo factus erat insignis. Denique iussit struem lignorum succisi nemoris componi, & super ea taurum vtrumque in sacrificium offerri. Quæ omnia Gedeon, vsus opera decem seruorum nocte compleuit. Cum autem oppidani mane cladem illam animaduertissent, & bouem secundum adhuc in nouo altari fumantem, facinoris huius authorem quærebant, *dictumque est* fortasse ab aliquo seruorum, ea confessione salutem redimere cupiente, *Gedeon fecit hæc omnia.* Et credibile est prophano populo suspectã fuisse Gedeonis pietatem. Itaque tanquam vlturi immane sacrilegium Patrem eius adeunt, & filium ad mortem deposcunt. Quos ille amandat à se, translata in Baalam, qui offensus fuerat, vltionis cura. Quæ responsio prophani hominis est, & tentantis Deum.

VII. Madianitæ & Israelitæ congregantur.

Interea Madianitæ & Amalecitæ, & orientales populi in quibus Ammonitæ, Moabitæ, Syri, congregati sunt simul sicut prioribus septem annis; quantæ autem fuerint turbæ populorum, ex eorum cæde intelligetur. *Spiritus autem Domini induit Gedeon*, spiritus scilicet fortitudinis, cuius signa etiam apparebant foris, & populares eius ad ei fidem habendam, eumque, in tam arduo facinore aggrediendo, sequendum inuitabant. Quibus congregatis petijt Gedeon à Domino miracula duo circa vellus, quibus videlicet exercitui omnis dubi-

Gedeon signa petit.

tatio

ratio tolleretur, vocati à Domino Gedeonis in populi salutem, & ruinam inimicorum eius, sicque illum securi sequerentur. Ipse enim minimè dubius erat, qui ex ea fide paternam idololatriam paulò ante profligarat. Itaque duabus noctibus factum est, vt altera solum vellus rore maderet in area, altera sola area, sicco vellere permanente. Magno vtique mysterio, vt ait Origenes, *Supra solum namque Israel ros diuinæ legis aduenerat, siccitatem autem habebant omnes gentes*, quia nullus eis humor diuini infundebatur eloquij. Secundi vero signi ratio in contrarium permutatur, vt supra omnem terram ros descendat, supra vellus autem maneat siccitas. Hęc ille pluribus.

Hom. 8. in Iud.

VIII. Israelitæ vt præparantur ad bellum.

Sequitur mirabilis apparatus ad pugnam, planeque alienus à consuetudine mortalium principum, qui copias quam possunt maximas colligunt, easque cupiunt armis quam instructissimas. At Deus collectas dispergit copias, ac dimittit, & inermes mittit ad pugnam, vt clare agnoscatur diuina victoria, nec Israel super ea glorietur, vt ait Dominus. Iubet ergo dimitti meticulosos, & priuilegio legis gaudere. Ad quam denunciationem viginti duo millia de Galaaditis abierunt. Apparet istos sponte venisse ad Gedeonem, cum non legamus euocatos cum cæteris. Mirum est autem istos fuisse formidolosos, qui inter fortissimos Israëlitarum censebantur, præsertim cum gemino miraculo de futura victoria certi facti essent. Verum credere potuerunt populum suum victorem fore, timere tamen ne victoriam & libertatem populi sua morte redimerent: Deo videlicet, qui eos dimissos volebat, eis animi præsentiam subtrahente.

Iud. 7. 2.

Plurimi dimittũtur.

Neque hac diminutione contentus Dominus, præscribit alteram. Iubet enim reliquum exercitum duci ad aquas ad bibendum, & secerni eos, qui aqua manu hausta bibissent, ab ijs qui prono corpore aquam, sine vllo manus ministerio, bibissent, quorum maxima fuit multitudo, adeo vt illorum trecenti tantum superfuerint.

IX. Reliqui diuino viso confirmãtur.

Hos autem incredibili animi robore donatos diuinitus necesse est, vt trecenti, de centum & triginta quinque millibus hostium victoriam sperare auderent, cum singulis eorum 450. bellatores vincendi essent. Quia tamen ex humana infirmitate, tam exiguo hominum manipulo aliquid poterat timiditatis obrepere, Domino curæ fuit eorum fidem animumque opportuno auxilio roborare, agnito aduersariorum suorum pauore. Ergo iussu Domini descendit ipse noctu & Phara famulus eius in partem castrorum, vbi erant armatorum vigiliæ. Ibi adomata aure audit militem referentem socio somnium suum, de pane hordeaceo subcineritio, qui deuolutus in castra Madianitarum, in tabernaculum principis irruit, illudque subuertit, & solo æquauit. Id somnium sic interpretatus est eius socius, *Non est hoc aliud*, inquit, *nisi gladius Gedeonis filij Ioas viri Israelitæ; tradidit enim Dominus in manu eius Madian, & omnia castra eius. Cumque audisset somnium Gedeon, & interpretationem eius, adorauit*: gratias videlicet humiliter Deo egit de tam fausto omine. Agnouit enim tam somnium, quam interpretationem eius, in qua alioqui posset esse fallacia, à Deo esse; vt de victoria neque ipse, neque commilitones, ad quos rem ipsam retulit, dubitare possent.

X. Quibus instruantur armis.

Ergo Gedeon bene animatum ad rem gerendam manipulum tripertito diuidit, vt tribus simul ex partibus hostem peruadens, totum turbaret exercitum: sed mirabili suos armatura, Deo vtique instruxit authore. Singulis singulas dedit tubas ad perterrendos Madianitas, ratos tot sibi hostium turmas, manipulosque imminere, quot exaudiebant tubas, nocte præsertim, cum etiam propinqua ægrè cerni possunt. Nam admotæ oculis faces, plus ad perstringendam oculorum aciem, quam ad illustrandam valebant. Dedit secundo militibus lagenas, siue hydrias fictiles geminum in vsum, prior, ad abscondendam intus ardentem facem, quæ ex improuiso rutilans, oculos perstringeret nocturnis tenebris, & somnolentis vaporibus occupatos, animosque turbaret; posterior, vt dum ex composito confringerentur omnes, maiorem ex vacuitate sonitum ederent, & dum aures crepitanti fragore vndique quatèrent, tabernaculorum suorum, & omnis vna supellectilis ruinam, & confractionem phantasiæ ipsorum ingererent. Denique faces militibus dedit, ex concreta solidaque materia, licet lampades à splendore appellentur, sicque & ab incendio incutiebatur timor, & ab æstimata ingenti multitudine hostium, quibus trecenti viri præluceret. Addit postremo mandatum. *Quando personuerit tuba ■ manu mea, vos quoque per castrorum circulum clangite, & clamate Domino & Gedeoni*, nimirum pugnamus, vel esto victoria: aut vt infra habetur *Gladius Domini & Gedeonis* in vos scilicet strictus est, vos orco mactat victimas, meritisque supplicijs addicit.

XI. Hostilia castra inuadunt.

Ergo terni duces, cum sua quisque centuria, *incipientibus vigilys noctis medie*, cum scilicet profundior mortales somnus occupat, & diurna lux longius adhuc abest, tribus ex locis castra adierunt. Commodum etiam id fuit, vt propter tenebras, hostes inter se non noscerent, & diutius mutuis sese vulneribus truncarent: dum lux paulatim superueniens commoditatem præberet Hebræis, hostium reliquias suis ipsorum armis conficiendi. Cœpit Gedeon personare buccina, socij exemplum ducis alacriter sequuntur, eo fragore excubitorio præsidio primum suscitato, reliquus exercitus cum tumultu ad arma concurrit; cumque per gyrum castrorum tribus in locis tubæ personarent, nesciebant quam primum ad partem accurrerent. Cum autem illi testacea vasa confregissent, tenuerunt sinistris manibus faces, & dextris tubas, & alternatim tubis vlulabant, & clamabant, *Gladius Domini & Gedeonis*. Nec pugnabant tamen, sed Dominus pugnauit pro eis. *Immisit enim gladium in omnibus castris, & mutua se cæde truncabant*, dum scilicet mente confusa suos pro hostibus habent, & efferati obuios quosque inuadunt.

XII. Madianitarũ cædes & fuga.

Alij autem nihil spei in armis ponentes, neque exercitum constitui, aut reparari posse existimantes, propter repentinam rerum omnium confusionem, cumque propter trecentarum tubarum sonos, ipsi se mutuo exaudire non possent, nullo ordine effusam sese in fugam conij-

ciunt

ciunt, si quà locus daretur à flammiferis, & buccinatoribus vacuus, à quibus elapsi beneficio tenebrarum, alij alio, quo quemque sors tulit, propipuere sese, futuri nuncij & cladis suæ, & victoriæ Gedeonis. Itaque conclamantes viri Israëlitæ de Nephtali, & Aser, & omni Manasse, persequebantur Madian. Illi autem videntur fuisse, tam qui paulo ante ad fontem dimissi fuerant, quam qui sponte, metu incitante, & Gedeone permittente discesserãt. Nam etiam timidi canes fugientibus instant. Tribus in primis Ephraim, accersitu Iosue, omnia vada Iordanis occuparunt, & duos Madianitarum principes apprehenderunt, latitantes fortasse, dum feruor Israelitarum in persequendo resideret, & interfecerunt in locis qui postea ex eorum nominibus nomen acceperunt, & eorum capita trans Iordanem tulerunt, rati Gedeonem iam transijsse. Sed cognito eum non transijsse, regressi sunt, & venerunt ad eum, & cum eo iurgati sunt vehementer.

Eos Israelitæ persequuntur.

XIII. Ephraim cum Gedeone iurgatur.

Animaduertentes enim rem sibi prospere successisse, in belli reliquijs, & Madianitis fugacibus persequendis, doluerunt tanti belli confecti laudem, sibi à Gedeone, vt ipsi putabant, esse præreptam; cum tamen Deus ipse, qui hanc superbiam præuiderat, dedita opera triginta duorum millium multitudinem, ad trecentos viros reduxisset, *Quid est hoc*, inquiunt *quod facere voluisti, vt nos non vocares, cum ad pugnam pergeres contra Madian? iurgantes fortiter, & prope vim inferentes.* Verum detumuit inflatæ mentis tumor, blanda humilique responsione Gedeonis. Conabatur dæmon tam luculentam plagam à Gedeone impositam vlcisci, & hostile bellum in ciuile commutare: sed funestum eius consilium fregit, atque irritum reddidit modestia, prudentiaque Gedeonis, *Quid enim*, ait, *tale facere potui, quale vos feciſtis?* qui principes Manianitarum sustulistis, ego imbelle & sine nomine vulgus; *atque ita requieuit spiritus eorum, quo tumebant contra eum.* Nec tamen impune tulerunt, vt suo loco dicetur.

XIV. Gedeon fugitiuos trans Iordanem persequitur.

Oppresso hoc ciuili bello, Gedeon Madianitici reliquias, cum trecentis suis glorioſe persequitur, nemine eorum in tanta nocturnæ cædis perturbatione desiderato, Deo cohortem illam suam singulariter protegente. Et vigebant illi quidem. Verum qui tota propemodum nocte vigiles in armis steterant, & diuturna vociferatione, & inflatione tubarum spiritus omnes exhauserant, fugientes insuper infestis armis magno labore persecuti fuerant, latum rapidumque fluuium traiecerant, præ lassitudine fugientibus vltra instare non poterant. Itaque cum à Soccothę s, & Phanuelitis panum subsidia Gedeon frustra postulasset, & irrisionem pro subsidio accepisset, grauem comminatus vltionem, ad hostem properat, animi robore, & diuino auxilio corporis infirmitatem sustentante, in locum quendam, quem Septuag. Carcar, Hebræi Carcor dicunt, in quem didicerat aduersarios suos confluxisse, Deo ipsos vnum in locum, quasi ad victimam congregante. Illuc autem ex fuga iter intenderant Zebee, & Salmana Madianitarum reguli, & eorum vestigia consecuti erant, quicunque ex nocturna illa clade, aut matutina Israelitarum insequentium diligentia elabi potuerant, quorum numerus ad quindecim millia ascendebat, præter centum & viginti cæsorum millia, qui partim mutuis se vulneribus confecerant, partim ab Israelitis fuerant obtruncati.

Frustra à Soccothæis & Phanuelitis subsidium petit.

Irruit autem in castra, per eam partem, vbi tendebant Arabes, qui à tentorijs, quibus pro domibus vtuntur, Scenitæ vocantur, qui facile debellati sunt, quia securi quiescebant, & nihil mali suspicabantur: longe enim abesse putabant Gedeonem, & Iordanem sciebant interfusum, sed sua ipsos fefellit opinio in perniciem suam; nec opinantes enim oppressit, cæciditque: fugerunt autem ipsi reguli Zebee & Salmana, quos persequens Gedeon comprehendit. Omni enim prouisione cauendum erat, ne elaberentur ij, per quos omnia male in populum Dei poterant redintegrari. Nec statim occidit, sed voluit eos vel ad exprobrandum Soccothæis & Phanuelitis reseruare; vel etiam, nisi quid aliud obstaret, in regiæ maiestatis reuerentiam incolumes dimittere, & amicos populo suo tanto beneficio reddere. Vnde postea iureiurando affirmauit se eos non occisurum, nisi prius ab eis fratres sui fuissent interfecti. Dissipato ergo contritoq; hostili exercitu & regulis in vincula coniectis, corpora pene fame enecta expræda reficiũt, & nõnulla etiã quiete capta, albescẽte cælo reditũ parãt. Nã sequitur rediisse Gedeonẽ de bello ante solis ortũ

XV. Irruit in castra fugitiuorũ,

Duos reges comprehendit.

Cum ergo diuina potius victoria matutinus reuerteretur, memor debitæ & promissæ Soccothæis animaduersionis, *apprehendit puerum*, famulum scilicet aliquem Soccothæum. Nam ætate puer, nec tot viros referre potuisset, nec ante solis ortum ex vrbe proditet: interrogauitque eum nomina principum & seniorum Soccoth, quos scilicet in culpa fuisse constaret, & descripsit septuag. septem viros, venitq; ad Soccoth, & scilicet vrbem sub auroram improuisus occupauit, & comprehensis ex scripto 77. viris, eis hesternam subsannationem totidem verbis insultans exprobrauit, & eos cum spinis ac tribulis deserti contriuit atq; comminuit; fortasse, quod postea Dauid *a*, circumegit super eos tertata carpenta, ita vt horum tormentorum acerbitate interirent. Idem apparet factum vitis Phanuel, quia eadem culpa fuerat; & insuper turrim, vel vi veldeditione captam subuertit. Eam seueritatem ne quis nimiam putet, recordetur Gedeonem à Deo electum Imperatorem, insigni iam victoria nobilitatum, petentem ab istis precario non ingentem pecuniæ vim, non grauia virorum, vel armorum subsidia, non moram apud eos diuturnam, sed vilem in transitu, & necessariam annonam; & pro ijs petentem, qui in procuranda eorum ipsorum salute fatigati fuerant: quibus ipsi non cibos solum, sed oculos etiam ipsos, si opus fuisset, elargiri debuerunt, nedum panes cum irrisione & subsannatione recusare. Itaq; non in Gedeonem solũ, eiusque milites, sed in Rempub. totã, Deumque ipsum, cuius erat victoria, grauiter peccarant.

XVI. Soccothæos punit & Phanuelitas.

a 3. *Reg.* 12. 31. & 1. *Par.* 20. 3.

An Seuerus.

Dum hæc in prædictis vrbibus aguntur, redijt in memoriam Gedeoni crudelitas horum regulorum in fratres ipsius, qui ad montẽ Thabor propipuerant se, vt morti se subducerent, quos illi comprehensos mactauerant, nulla aduersus innocentes commiseratione vsi: itaq; ob illorũ cædẽ istos morti addicit *b. Viuit Domi-*

XVII. Capros regulos occidit.

b Iud. 8. 19.

nus, inquit, *quia si fernassetis eos, non vos occiderem.* Ergo & iniuriam vlturus, & simul regium fastum calcaturus, iubet filium suum adhuc puerum eos occidere, vt iniustam patruorum suorum necem vlciscereturi; sed timente puero, & rogantibus reis, qui lentam carnificinam timebant, irruit in eos Gedeon, atque interfecit. Apparet etiam eorum cadauera in patibulis ad fortunæ ludibrium, aliquandiu pependisse. Tulit autem Gedeon ornamenta ac bullas quibus colla regalium camelorum decorata erant, quæ fuisse aurea ex sequentibus intelligetur. Vnde conijci potest quanta erga seipsos ornamentorum profusione vterentur. Sed nunc quæ victoriam sint secuta videamus.

XVIII. Israelitæ dominatū Gedeoni deferunt.

Dixerunt omnes viri Israel ad Gedeonem, Dominare nostri tu, & filius tuus, & filius filij tui, quia liberasti nos de manu Madian. Iam resederat inuidia, successerat amor, admiratio, & liberalis gratificandi voluntas, vt vltro non solum ei subesse, quod erat ordinarium, sed eius etiam posteris velint; cum iudicum potestas non transmitteretur ad posteros, sed cum ipsis extingueretur, donec alium suscitaret Dominus, qui vicariam eius in populo potestatem exerceret. Ne tamen nimium rigide gratam eorum voluntatem contempsisse ac respuisse videretur, inaures ex præda postulat. Inaures enim aureas isti populi ex Ismaele progeniti habere consueuerant, passimque etiam in bello gestare. Assentiuntur milites, & expanso in terram pallio proiecerunt super illud inaures de præda, tanta copia, vt ad mille & septingentos auri siclos pondus ascenderet, id est, iuxta æstimationem quam sequimur, ad septem aureorum millia & 83. aureos cum triente; *absque ornamentis & monilibus, & veste purpurea, quibus reges Madian vti soliti erant, & præter torques aureos camelorum:* quorum non modica pars in prædam Imperatoris venit.

Quipetit inaures.

Iud. 8. 26. 27.

XIX. Vnde ornatum pontificium conficit.

Verum hæc omnia vir sanctus non in rem suam, sed in Dei cultum conuertit. *Fecit enim ex eo Gedeon Ephod*, qua voce ornamentum pontificale intelligitur, in quo pontifex Dominum consulere solebat, *& posuit illud in ciuitate sua Ephra.* Cum enim ibi tussu Domini per Angelum loquentis, extructum fuisset altare, ibique sacrificatum Deo ab Angelo ipso, & Gedeone, profano eius loci cultu, qui iamdudum Idolis exhibitus fuerat, in Dei cultum translato: ibidem etiam totum apparatum sacrorum ab eo comparatum recte dici potest. Neque enim ad vnam vestem sacerdotalem, aut potius amiculum superhumerale, tanta vis auri potuisset impendi. Voluit ergo Gedeon, qui difficillimis temporibus factus erat populi princeps, quibus sæpe Dei voluntas exquirenda erat, habere penes se pontificale ornamentum, per quod Zarai as pontifex Deum consuleret, qui in illo quoque altari sacrificaret, potuit autem merito credere id fore gratum Deo, cuius mandato ibi iam altare excitatum fuerat, & sacrificatum, vt diximus. Sed res paulatim in Idololatriam versa est, in ruinam familiæ Gedeonis: neque enim ipse huiusmodi culpæ vllo modo particeps fuit, vt diligentius in Annalibus explicatum est. Nam quod dicitur, *factum est Gedeoni & omni domui eius in ruinam*, illud *&* per *id est* interpretandum est,

Sed res in Idololatriam versa est.

ANNVS MVNDI 2769.

GEDEONIS, & ZARAIÆ 9.

PANYÆ 12. Imperij Assyrior. 838.

ANTE CHRISTVM 1284.

I. Res Hebræorum reflorescunt.

RESTituta superiori anno Hebræis à Gedeone libertate, & pace tota regione constituta, hoc demum anno res eorum reflorescere cœperunt: nec minus Dei cultus ex quo felicitas ista pendebat, eodem annitente Imperatore atque pontifice instauratus est. E contrario de Madianitis. *Humiliatus est*, ait Scriptura, *Madian coram filiis Israel, nec potuerunt vltra cervices eleuare.* Sed obscuri latuerunt. Et reuera nulla pene deinceps mentio de Madianitis reperitur, nisi quod eorum reliquiæ, post depræd ationem, deletæ fuerint ab Idolatria, vt est in libro Iudith. Vt credibile videatur eorum terram à vicinis Idumæis, & Ismaelitis, magna ex parte fuisse occupatam. Sed neque reliqui populi res nouas moliri post multos annos ausi sunt. Magnum quippe erat apud populos circumquaque positos Gedeonis nomen, qui tantulis copijs, quatuor reges, eorumque ingentes exercitus fundere ac disperdere potuisset; & quidem eo tempore, quo res Hæbræorum octauum iam annum perpetuis deprædationibus plane accisæ videbantur.

Madianitarum finis. *c. 2. 3.*

Cyzicus.

Hoc tempore Cyzicus Hellespontiæ & Asiæ Metropolis, ab Argonautis condita memoratur, de qua plura in Annal.

ANNVS MVNDI 2772.

GEDEONIS & ZARAIÆ 12.

PANYÆ 15. Imperij Assyrior. 841.

ANTE CHRISTVM 1281.

I. Annus Sabbat. 27.

VIgesimus septimus annus Sabbaticus ab Hebræis, hoc anno quinto libertatis ineunte, celebratus est. Est enim 189. ab ingressu in Chananitidem. Celebratam dico, viuo enim Gedeone, vt Scriptura significat, in officio continuere sese, idemque de vigesimo octauo, & sequentibus dicendum videtur. Interim autem Gedeon ipse habitauit in domo ac ciuitate sua Ephra, cuius erat ciuis verius quam Dominus; nisi forte id illi oppidum à tribu sua Manasse publicè attributum est propter Rempub. bene gestam. Habuitq; inquit Scriptura, *Septuaginta filios*, non ex adoptione filios, aut nepotes, sed *qui egressi sunt de femore eius, eò quod plures haberet vxores.* Maxima autem pars eorum nati sunt ei post Madianiticam victoriam. Nam eo anno primogenitus illius Iether puerulus adhuc fuit, vt supra dictum est. Sed habuit nihilominus concubinam in vrbe Sichem, ex qua suscepit filium omnium deterrimum, nomine Abimelech: de quo multus postea sermo, quamuis Imperium breue.

Gedeonis 70. filij. *Iud. 8. 30*

II. An exactus illi numerus.

Cæterum hic 70. filiorum numerus non videtur totam exactè progeniem Gedeonis amplectι, sexus enim femineus non videtur defuisse, neq; tamen numeratus. Quod si in 70. filijs filiæ

quoque

quoque comprehenduntur, certe Ioatham filiorũ eius natu minimus dicit Abimelech occidisse fratres suos 70. viros; at supererat hic, qui loquebatur, & ille parricida. Hæc porro concubina vxor fuit minoris notæ ad propagandam sobolem, qualis fuit Cethura & Agar, Bala & Zelpha: eodem enim nomine & hæc & illæ in Hebræo dicuntur, præ ceteris autem ista, quæ à Iosepho Druma dicitur, propter singularem filij eius improbitatem memoratur. Hæc cum ex Sichem oriunda esset, ibique parentes haberet & consanguineos, imo ex alio quoque coniugio filios plures, vt ex initio noni capitis clarum est, ibi etiam morabatur, quo frequenter Gedeonem, officij sui causa adire contingebat. Habuit etiam fortasse & in alijs vrbibus alias, ne eodem in loco fœminarum turbis, inter se, vt assolet, iurgantibus obrueretur. Nec illud ipsi vitio vertitur, quia polygamia tum in vitio non erat.

Gedeonis cõcubina

III. Dædalus.

Floruit hoc tempore Dædalus, & quæ ipsius dicta sunt opera Dedalæa, in quibus nominatim referuntur simulachra, quæ pedes haberent à se inuicem separatos, cum ante in eodem ligno vel lapide potestate continerentur. De alijs eiusdem operibus, genere etenim & fuga, nonnulla suggerent Annales, anno Gedeonis decimo quinto.

ANNVS MVNDI 2783.

GEDEONIS & ZARAIÆ 23.

PANYÆ 26. Imperij Assyriorum. 852.

ANTE CHRISTVM 1270.

I. Ratio ætatis.

Diuidit hic annus spatium totum, quod à Script. constituitur, inter exitum ex Ægypto, & iacta templi Salomonici fundamenta, quod est annorum octoginta supra quadringentos. Hic ipse annus in quartum Iubilæum Mosaicum cadit, est enim ab ingressu in Chananitidem ducentesimus. Insignis quoq; hic annus videtur ob cõditum Tyri, vt Iosepho placet. Eam enim ait conditam ducentis & quadraginta annis, antequam templum extrueretur. At quomodo id verum esse potest, cum anno septimo principatus Iosuæ a, annis ab hinc 193. Tyrus ciuitas munitissima perhibeatur? Quo absurdiores sunt, qui anno vno ante Troianam cladem Tyrum conditam putant. Iustino non satis intellecto. Hanc quæstionem fusius in Annalibus explicatam hoc loco paucis ita definio. Tyrum breui tempore post diuisionem terrarum fuisse conditam, loci opportunitate terra mariq; vehementer inuitante, conditore Tyra, Iapheti filio 7. vt quibusdam placet. Certe siue ab isto Tyrus nomen acceperit, siue ab alio, illam Strabo Sidoni antiquitate parem facit, quæ Moyse teste authorem habet primogenitum Chanaan.

l. 8. Antiq. c. 3. Tyri conditus.

alias 19. 29

Eiusdem antiquitas.

II. Et frequens instauratio.

Dicendum præterea post aliquot annorum centurias, Iosue apud Hebræos principatum tenente, Tyrum munitam, ornatam, amplificatam. Eusebius enim anno Iosue 17. ait Phœnicem & Cadmum de Thebis AEgyptiorum in Syriam profectos, apud Tyrum & Sidonem regnauisse; vt non mirum sit illam tum à Iosue dici munitissimam ciuitatem. Hoc autem Gedeonis tempore, ducentis fere annis ab obitu Mosis dici potest insigniter ornata atq; amplificata, vt recens condita videri ac dici posset: itaque possumus Ioseph. & Eusebium interpretari. Hinc autem & deinceps, vsque ad tempora magni Nabuchodonosoris annis 664. admodum glorioſa fuit Tyrus, vt ex Prophetis liquet, sed ab eo expugnata, & vehementer afflicta est, annisque 70. iacuit, post quos ad pristinam potentiam reuersa est, vt prædixerat *b* Esaias. Donec eam rursus afflixit Alexander Macedo, & de insula peninsulam fecit, post annos 275 à clade Babylonica.

Et clades a Babylonijs, & Græcis.

b c. 23. 17.

ANNVS MVNDI 2786.

GEDEONIS & ZARAIÆ 26.

PANYÆ 29. Imperij Assyrio. 855.

ANTE CHRISTVM 1267.

I. Sabba. 29

ANnus vigesimus nonus Panyæ regis Assyriorum cum 29. Sabbatico concurrit, quo ipso tempore Orpheum Thracem floruisse autor est hoc loco Eusebius. Hoc nimirum tempus Argonautarum fuit, quorum è numero Orpheus erat, ideo ab illis heroibus assumptus, quod nisi eo præsente Syrenes præterire non poterant, vt prædixerat Chiron. Inter fidicines excelluit: cumq; fidibus carmen, & vocis suauitatem adhiberet Apollinis, qui Citharæ inuentor, & Calliopes, quæ à vocis præstantia nomen accepit, dictus est filius, & vtraque ita valuisse, vt non homines solum, sed arbores etiam & saxa secum trahere diceretur. Ipse tamen se alicubi Oeagri filium appellat, Limi fratrem Apollodorus, Euridices maritum Pausanias, Musæ patrem Diodorus genere Thracem Eusebius, & poëtæ omnes.

Orpheus poeta.

II. Et Theologus.

Celebrantur porro eius carmina & hymni, non solum vt poëtæ, sed vt Theologi, quod pleraque de Deo personisque diuinis, consentanea veritati fidei catholicæ in eius versibus reperiantur. Pausanias tamen *c* illum ait magiæ fuisse peritissimum, sicut & Amphionem, & magicis cantionibus illum bestias, istum saxa mouisse. Ad eorum videlicet cantum dæmones saxa conuectabant, & feras ipsi fascinatis oculis repræsentabant. Quam Pausaniæ sententiam pleræq; omnes eius actiones, ipsaque mors aperte confirmant, vt pluribus in Annalibus docuimus. Eademq; de Musæo Orphei discipulo, eiusque mysteriorum æmulo, vt ait Pausanias, dici possunt: qui Eumolpum habuerit filium, aut vt alij malunt, patrem, Cereris & Proserpinæ sacerdotem, qui Herculem ad inferos descensurum sacris Cereris initiarit.

Vel potiꝰ magus. *cl. 6. p. 199*

Sicut & Musæus.

ANNVS MVNDI 2789.

GEDEONIS & ZARAIÆ 29.

PANYÆ 32. Imperij Assyrior. 858.

ANTE CHRISTVM 1264.

I. Deo prouidentia in Sãctuario suo cõseruando

ALterum iam elapsum est seculum ex quo Sanctuarium in Silo à Iosue constitutum fuerat, idemq; diuina protegente prouidentia, in tot Israëlitarum defectionibus, tot tyrannorum vexatione seruili, hactenus inuiolatum perduranit, quantumuis auro argentoq; abunderet, quibus gypsatas latrunculorum inuitaret manus. Nec sane videtur, si quid secus contigisset, id à Scriptura sacra tacitum iri: vt ex ijs conijci potest, quæ de Arca Domini extremis Heli temporibus, in primo Regum scripta sunt. Omnes nimirum sibi male meruebant ab Hebræorum Deo, qui suos quoque sacerdotes, ob acceptum ignem alienum, incendio sustulisset.

Linus. Sub hunc 32. Panyæ annum, Linum Herculis præceptorem innotuisse scribit Eusebius in Chronico Græco, à quo & peremptus dicitur, quod ab eo castigatus fuisset. Consule Annales, vbi etiam plures reperies Linos.

ANNVS MVNDI 2800.

GEDEONIS & ZARAIÆ 40. & vlt.

PANYÆ 43. Imperij Assyrior. 869.

ANTE CHRISTVM 1253.

I. Iubil. 56. Sabbati 31

SEcularis est hic annus, proindeque Iubilæus ordine quinquagesimus sextus: idemque sabbaticus trigesimus primus. De Gedeone autem ex ipsa Scriptura constat eum Hebræorum Rempub. 40. annis administrasse, septem Madianitarum annis eo numero de more comprehensis. Atque vtinam de annis Zaraiæ pontificis tam certi esse possemus. Eius tamen pontificatum non visum est vltra annum quadragesimum propagare, cuius rei coniecturas aliquas in primo anno Iephte afferemus. De Gedeonis autem morte hæc habet Scriptura duntaxat. *Mortuus est Gedeon filius Ioas in senectute bona, & sepultus est in sepulchro Ioas patris sui, in Ephra, de familia Ezri.*

II. Gedeonis mors & laus.

Mortuum dicit *in senectute bona*, elogio quod in optimos quosque Patriarcharum cadit, vt aliquorum opiniones, interpretationesque refellerer, qui Gedeonem idem cum populo nefas admisisse arbitrantur, imo quale & quantum in Idololatria, & totius populi scandalo reperitur. Moritur potius in senectute bona, quæ bonam ætatem anteactam coronat, moritur meritis & virtutibus insignis, & iucundissimo gaudens bonæ conscientiæ testimonio. De eius ætate nihil certi ex ipsa Scriptura colligitur.

Eiusdem ætas. Possumus tamen non temere existimare, eum ad septuaginta circiter annos viuendo peruenisse. Etsi enim eum Iosephus iuuenem vocat, in eo quod habuit cum Angelo colloquium: ea tamen ætas erat hominis, qui tot statim Hebræorum exercitui præficiendus erat, qui vniuersam deinceps Hebræorum Rempublicam cum summa potestate gubernaturus, & cuius nomen hostili exercitui terrori erat, vt merito eum quadragenarium appellare possimus: Cui ætati si 33. annos addideris, bene gestæ Reipub. vltra annos 70. peruenies.

III. Modestia sepulchri.

Quod autem in domestico, atque auito patris sepulchro conditus dicitur, primum ad modestiam pertinet Gedeonis, qui licet tanto tempore princeps populi in magna gloria, & rerum tranquillitate vixerit, sepulchrum tamen sibi opere magnifico non parauit, sed paterno familiæ suæ sepulchro contentus fuerit. Vnde non leuis ducitur coniectura ipsum Ioas Gedeonis patrẽ repudiata Idololatria, ad verum Dei cultum filij opera reuertisse: neque enim, opinor, eodem cum viro impio, atque idolis ad mortem vsque addicto, voluisset tumulo claudi.

Coniectura cõuersi ad Deum parentis. Nec par est credere Reipub. principem, qui ex vniuersa regione Idololatriam exterminaret, in paterna illam domo reliquisse: à qua eiusdem exterminandæ initium duxerat, quando ea maxime vigebat. Cæterum in eius viri laudes, qui & pietate, & cæteris virtutibus tam illustris fuit, nulli vt omnium Iudicum secundus fuerit, quem Paulus Apostolus in sanctis Iudicibus primum nominarit, quem antiqui patres Augustinus atque Origenes sanctissimum appellarint, qui Christum Dominum permultis perque magnis in rebus pulcherrimè adumbrarit, pluribus excurrere non est necesse properantibus. Si quis earum deliciarum sit appetentior, inueniet in Annalibus, vbi appetitum istum ledare possit, vbi & laudatissimæ vitæ epitomen sub Epitaphij titulo reperiet.

ANNVS MVNDI 2801.

ABIMELECHI & MERAIOTH PONTIFICIS 1.

PANYÆ 44. Imperij Assyriorum 870.

ANTE CHRISTVM 1252.

I. Abimelech Gedeonis filius.

AD optimi parentis non optimum filium, imo ab Heroë præstantissimo, ad tyrannum perditissimum stylũ orationis prope relictantem mœrentem certe conuertimus: cuius cruentissimũ principium, mediaq; odijs intestinis plena, funestos ciuiliũ bellorum motus, cum tyranni morte coniunctos pepererunt. Hic est ille Abimelech, qui per summam crudelitatẽ cæsis 70. fratribus tyrannidem inuasit, & ciuilia bella concitauit.

Iud. 8. 35. Primus porro hic eius annus habet insignem Israëlitarum in Deum impietatem, & terrimam ingrati animi in benefactorem maculam: tum Abimelechi ambitionem & electionem in principem. Deniq; Ioathami fratris eius patruelis conatum irritum, ad eum tyrannide deturbandum. Primam illam partem Scriptura ita recensẽt. *Postquam autem mortuus est Gedeon, auersi sunt filij Israel* à Deo suo, ad quem Gedeonis opera conuersi fuerant, *& fornicati sunt cũ Baalim*, neq; id semel aut obiter, ex quadã

ca. 8. 33.

mentis

mentis ebrietate factum est, *sed percusserunt cum Baal fœdus, vt esset eis in Deum*, antiquato videlicet fœdere quod Moyse & Iosue autoribus, sæpius initum fuerat, atque innouatum. Licet etiam opinari eos nouo Deo cultum debitum tribuisse, consecrasse lucos, excitasse fana, nam fani Baalis mox Scriptura meminit, dedicasse aras, atque simulacra; decretas victimas, initiatos sacerdotes, denique idololatriam omni ex parte constituram.

II. Et ingrati tudo in Gedeonē

Huic ingratissimæ aduersus Deum perfidiæ, addita est altera ingrati animi labes aduersus familiam Gedeonis, viri optime de tota Repub. meriti, quam iniustissimè scelerato ficario prodiderunt, qua cum officijs certare, eamque ab inimicis protegere oportuisset. Abimelech igitur memor fortasse dignitatis vltro ab Israëlitis oblatæ Gedeoni, & filio eius, atque nepoti, ambitione stimulante, ad eam, non solum per primogeniti cædem, sed cæterorum omnium fratrum, qui eam vlcisci potuissent, gradum facere meditatur. Venit ergo in Sichem oppidum tribus Ephraim, ibique per cognatos & consanguineos egit cum primarijs ciuibus, vt eligeretur in principem, quod id cederet in publicam vtilitatem, cui non expediat plurimus subijci, nedum 70. viris. In vnius autem electione, neminem de Gedeonis familia sibi præferendum, qui eorum non solum ciuis, sed consanguineus etiam sit, cum cæteri ne ad suam quidem tribum pertineant. Sichem enim ad Ephraim, Gedeonis autem familia ad Manassem pertinebat. Itaque perspicuum esse cui fauere, à quo auxilium rectius in aduersis expectare possint.

Abimelech ambit principatum

Iud. 6. 15.

III. Eligitur à Sichimitis.

Quid plura? assentiuntur, *frater*, aiunt, *noster est?* quasi ad Reipub. clauum vectorum cognatus sedere potius debeat, quã optimus gubernator. Eo consensu habito, fratres suos, quos dominationi suæ restitutos non dubitabat, statuit de medio tollere. Ad eũ vt peruenireturfinem, opus fuit hominibus manu prõptis, & ad quidlibet audendum paratis. Ergo *conduxit sibi viros inopes & vagos, secutiq; sunt eum.* At huiusmodi homines ad tam immane facinus sine precario adduci non poterant. Ideoq; Sichimitæ de fano Baal 70. argenti siclos abstulerunt, eiq; dederũt. Hac pecunia, & hac consceleratorum manu instructus Abimelech, venit in domum patris sui in Ephra oppido, ibique occidit 70. *viros fratres suos super lapidem vnum*, singulis capite truncatis. Comprehensos apparet ab illo satellitio nec opinantes. Ab ipso autem tyranno calumnia quapiam oppressos, vt iure pro salute Reipub. cæsi viderentur: id enim innuit illa cædes singulorum super lapidem vnum. Vera tamen causa, si eam quærimus, fuit idololatria, quæ vtinam corporis tantum morte punita fuerit. Euasit tamen eam carnificinam Ioathamus Gedeonis filiorum natu minimus.

Et pecunia iuuatur.

Occidit fratres.

Hoc egregio ad principatum præludio vsus Abimelech, ad suos Sichimitas venit, qui eum constituerunt regem iuxta annosam quandam quercum oppido vicinam. Adhibita etiam vnctionis fœderisque ceremonias, aliaque id genus talium inaugurationum solennia, valde credibile est. Hæc enim studiosius ambiunt tyranni, vt optimo iure regnare videantur, quam legitimi principes. Neque tamen vnquam toti Reipub. præfuit, itaque Iudicis nomine, nedum regis, digous nunquam fuit. In Iudicibus tamen numeratur, ne si ille taceatur, tempora perturbentur: præsertim cum eo rerum potiente, nemo alius Iudex apud Hebræos, princepsue fuerit.

IV. Constituitur rex in Sichem.

V Ioatham' accusat cum parabola Sichimitas.

Quæ cum delata fuissent ad Ioathamum, in ijs degentem latebris, in quibus abdiderat se, venit in montem Garizim, qui vrbi Sichem imminebat, vt inde, quasi ex ambone, accusationem atque execrationem eorum scelere dignam extorqueret. Inde ergo ad populum, qui plurimus conuenerat ad testum inaugurationis noui regis, orationem habet more patrio parabolicam. In qua oliua, ficus, & vitis oblatum inter arbores principatum recusant, quo modo boni principes sponte sua ab imperio abhorrẽt, vt qui intelligant in principatu non proprijs cõmodis, sed ijs abdicatis, si res postulet, communibus seruiendum esse. Inde venitur ad rhamnum, quod genus est rubi sterilis, informis, aculeati, qui regnum admittat, emittatque flammam, qua cedri Libani consumantur, id est viri egregij ab homine vili atque inutili Abimelecho. Tum ad rem suam accommodans apologum, exprobrat Sichimitis facinus Abimelechi, in quod illi consenterant, quodque data pecunia promouerant. In cuius sceleris pœnam geminum illis incendium, quo se mutuo confumant, imprecatur: bellum scilicet interstinum, quo iniusta in malum consensio, iusta dissensione puniatur, quæ non tam imprecatio fuit, quam prædictio imminentium malorum, quibus vexati sunt Sichimitæ.

VI. Inde latebras petit.

Hæc cum locutus esset Ioathamus, dum Sichimitæ circunspiciunt sese, & partim admirantur hominis confidentiam ac dicendi libertatem, partim iustitiam querelæ eius cogitant, ille sese ex eorum conspectu protripuit, & fugit in oppidum Bera, vbi apud amicos latuit, dum Abimelech rerum potitus est, sciebat enim se morti destinatum, & insuper irritasse crabrones. Et hæc fere primo Abimelechi anno contigerunt.

VII. Initiũ historiæ Ruthæ.

Ad hunc tamen ipsum annum existimamus initium libri Ruth pertinere: & Abimelechum esse illum ipsum Iudicem, sub quo fames regionem Israëlitarum inuasit; cuius occasione Elimelech cum vxore Noëmi, duobusq; filijs Mahalon & Chelion, in Moabitidem peregrè profecti sunt, vnde post decennium Noëmi, viro liberisque amissis, in patriam postliminio, cum nuru sua Rutha reuertit. Pendet hæc ratio temporis ex ijs quæ vigesimo primo Baraci & Debboræ constituta sunt, vbi diximus tertium Booz illo anno natum videri, eundemque septimo anno Tholæ septuagenarium Rutham vxorem duxisse. Itaque oportet præsentem annum, qui septimum Tholæ decem annis præcedit, esse annum initæ ab Elimelecho & Noemi peregrinationis. Ea circiter decem annos tenuit, quamuis vox circiter quæ in Hebræo est, abest à Vulgata: propterea q́ue in decem illis annis tam profectionem quam reuersionem includemus. Et si autem Abimelech tyrannus fuit, ei tamen propter rationem temporis Iudicis nomen accommodatur.

20 *Bara.*
40 *Gede.*
3. *Abim.*
7 *Thola.*
70.

VIII.

Causa susceptæ ab Elimelecho peregrinationis fuit fames, quæ Chananitidẽ grauiter afflixit:

Causa peregrinationis Elimelechi cum familia sua.

nominatim Bethlehem, qui ob terræ fertilitatem dicta est domus panis, vel oppidum frugum: ex quo intelligi potest quanta esset in reliqua regione penuria. Quod si Elimelech, vir inter suos primarius, aliò migrare fame coactus est, quanta tenuiores calamitas vexauit, ac perdidit? Ac emigrarunt in Moabitidem, vbi non incommodè habuerunt; vt intelligamus famem hanc non fuisse generalem. Neq; id tantum, sed diuinitus etiam immissam videri ad defectionem Israëlitarum hac quoq; ratione castigandam, cum Moabitis sit longe sterilior natura, quam terra Israëlitarum, vtpote Arabiæ Petræ & desertæ vicina, sicut & Idumææ, quæ tota pene asperis cautibus horrebat. Sed hoc Dei flagellum valde augetur ipsa diuturnitate, si decem annorum fuit, vt Abulensi placet atque Serario. Verum præterquam quod inaudita est, saltem in Scriptura, tam diuturna fames, certe illa ex Scriptura non satis colligitur.

IX. Rei gestæ series.

Recte enim dici potest Elimelechum vna cum familia sua occasione famis peregrinationem in Moabitidem suscepisse, ibiq; non ita multo post esse defunctum: filiosque eius Moabitidas vxores ibidem accepisse. Vbi autem semel fuerunt adstricti coniugijs, peregrinationem in habitationem, annitentibus vxoribus commutasse, eamque fame quoq; cessante, perseueraſſe. Nec Scriptura cum ait Noëmi reditum misisse, quia *audierat Dominum dedisse populo suo escas*, causam reuersionis adæquatam expressit; primaria enim causa fuit amissio duorum filiorum, post amissum maritum: cum autem statuisset, vt sapiens ac religiosa mulier, deserere Moabitidem, in qua hactenus à filijs vxoratis retenta fuerat, quibuscum manere ætas quoque ac penuria in aliena regione persuaserant, & redire vellet ad populum Dei, nunc occasione fertilitatis, quæ tum erat in regione natiuitatis suæ, ad reditum, maturandum incitata est. Apparet autem non potuisse Noemi persuadere filijs suis reditum, quod ibi duxissent vxores alienigenas, contra Dei legem, quas domi dimittere compulsi fuissent, nisi illæ Dijs patrijs renunciare maluissent; nisi forte etiam ipsi pietati nuncium remiserant, ideoque, extracto in eo vitæ statu ferme decennio, ambo diuinitus extincti sunt.

ANNVS MVNDI 2802.

ABIMELECHI, & MERAIOTH 2.

PANYÆ 45. & vlt. Imperij Assyriorum 871.

ANTE CHRISTVM 1251.

I. Progressio, tyrannidis Abimelechi.

PErquam infaustum atq; infelix fuit Hebræis huius vigesimi noni seculi exordium in tyrannide, tot innocentum sanguine quæsita atq; stabilita: progressus autem, qui ad præsentem annum pertinet, minime lætus fuit. Quomodo enim sub improbissimo tyranno res lætæ subditis esse possint? multoque etiam minus ipsi tyranno: cito enim res eius in deterius prolapsæ sunt. Eius ruinæ hic ordo fuit. Voluit Dominus quamprimum punire immanissimam Abimelechi crudelitatem, & Sichimitarum, quæ præsidio illi, atque adiumento fuerant ad id facinus: insuperque regem arbitratu suo constituerant. Suscitauit ergo Ioathamum, qui patratum scelus ob oculos exprobrando poneret, & eis discordiarum incendium, quo mutuò conflagrarent, imprecaretur. Exaudijt iusta petentem Dominus, & *immisit spiritum pessimum inter Abimelech, & habitatores Sichem.* Diabolum scil. iam sponte ad nocendum paratum, eique potestatem dedit perturbandæ pacis impiorum.

II. Coniuratio in ipsum suscipitur.

Ergo solertissimus discordiarum artifex criminis tam multiplicis atrocitatem animis populi repræsentat, & in huiusmodi obiectum, odij affectum inflammat. Itaque *cœperunt cum detestari*, &, vt est in Hebræo, prævaricati sunt optimates Sichem in Abimelech. Ea defectionis consilia, primum animo concepta sunt, tum inter amicos timidius, vt assolet, tectiusque communicata: postremo interueniente Gaale Obedis filio in apertum prorupit, sed annone proximo, an præsenti? malim sequenti, quod defectionum consilia, non tam cito, propter multa pericula, atque impedimenta intercurrentia matureſcant. Itaq; hunc annum istiusmodi consilijs, & occultæ coniurationi tribuemus, sequenti autem vim apertam atque rebellionem reseruabimus. Interea Sichimorum vrbem gubernabat Abimelech per præfectum Zebul amicum ac clientem suum.

III. Filij Noemi ducũt vxores.

Interea in Moabitide Mahalon & Chelion parente mortuo, vxores duxerunt, Noemi fortassis inuita, siue quod adoleſcentiores ipsi essent, vt significat Chaldæus, qui pupillos vocat, siue quod alienæ religionis ac gentis: in quibus magnum habuerunt viri ad defectionem à Deo suo incitamentum; itaque pauculis annis, vindice Deo, in suo coniugio fuerunt. Mahalon Rutham duxit, quam ineptissimi Hebræi regio Eglonis genere ortam somniant, quos ratio temporis confutat, refutat tenuitas ipsius, & eius cui illa nupsit, quem cum parentibus ex patria fames expulerat. Reditus quoque tam incomitatus, & spicilegium subsequens vanam Rabbinorum ambitionem redarguunt. Ex Petra potius vrbe Arabiæ desertæ ortam significant illa Esaiæ verba, *Emitte agnum Domine dominatorem terræ, de Petra deserti, ad montem filiæ Sion.* Quæ omnes interpretes de Rutha interpretantur: conditione autem plebeiam, sicut & Orpham, de qua non referam hoc loco, neque arguam Rabbinorum ineptias. Illud dicam, quod cum Orpha in patriorum deorum cultu consenuerit, Rutha ex singulari Dei misericordia ad veri Dei cognitionem cultumque traducta fuit, vt suo loco dicetur.

Cap. 10. Quod ea ipsi genus & conditio

Ca. 16. 1.

IV. Obitus Panyæ.

Hoc ipso anno apud Assyrios extinctus est Panyas, post annum imperij quadragesimum quintum: cuius res gestæ, sicut & cæterorum fere omnium, qui eum antecesserunt, aut secuti sunt, alta obliuione sunt sepultæ.

ordo ruinæ eius.

ANNVS MVNDI 2803.

ABIMELECHI 3. & vlt.

MERAIOTHI 3. SOSARMI 1.
Imperij Assyrior. 872.

ANTE CHRISTVM 1250.

LItem fortasse non iniustam Scaliger intendit Eusebio, quod Sosarmo, qui Panyæ successit, non duos & 40. regni annos cum Africano, sed 19. tantum tribuerit, vt rationibus suis principum annos accommodaret; cum contrarium fides historica postulet; sed frustra fidem humanam requiramus in homine, qui in diuina naufragium fecerit. Et potuit audacter tres & viginti annos Sosarmo eripere, qui alio loco quatuor Assyriorum principes exauctorauit, & ex albo sustulit, vt suo loco dicemus. Cogimur tamen, exemplo veterum patrum, eius Chronologiam sequi, ne meliorum inopia multa turbemus. Erit ergo hic annus Sosarmi primus, regnabitque, ex Eusebij arbitrio, annos decem & nouem.

1. Sosarmi regnum.

Eusebij chronologia parùm uda.

Quod attinet ad sacram historiam, hic est vindictæ diuinæ, non semper diu dormitantis, annus, quo coniuratio Sichimitarum fese extulit foras, Gaalis cuiusdam opera, viri audacis atque factiosi, qui factus est tignifer coniurationis huius. Series rei gestæ sic habet. Sichimitæ bipertitò diuisi erant, alij cum Zebule gubernatore ciuitatis, tyranno fauebant, alij eum de medio tollere cupiebant: cumque id aperto marte aggredi non auderent, posuerunt aduersus eum insidias, in summitate montium, vt in transitu nec opinantem inuaderent, & obtruncarent. Dum autem excubitores isti rei gerendæ occasionem expectant, latrocinantur, & de prætereuntibus, tyranni præsertim amicis, prædas agunt. Ij Abimelecho rem nunciant, & malo remedium petunt. Vice versa coniurati Gaalem accersunt, qui cognatorum stipatus non inualida manu, vrbem ingreditur coniurationis futurus caput. Ad cuius aduentum *erecti habitatores Sichem, egressi sunt in agros, vastantes vineas, vuasque calcantes*, tyranni videlicet atque amicorum eius. Ingressi quoque fanum Dei sui, maledictis inter epulas Abimelechum incessebant. Adeo vt Gaal non dubitaret publice dicere, *Vtinam daret aliquis populum istum sub manu mea, vt auferrem de medio Abimelech.*

II. Coniuratio in Abimelechũ foras exẽpit Gaalis ad ipsum.

Quæ cum illi per Zebulem innotuissent, venit cum exercitu nocte, & quatuor in locis iuxta Sichimam tetendit insidias, siue vt facilius diuisi laterent, siue vt pluribus ex locis simul vrbem oppugnarent. At Gaal ne opprimeretur incautus, domo egreditur, & in omnem euentum suos ad portam ciuitatis cogit, si qua in hostem facienda esset eruptio. Vix albescente cœlo surgit cum exercitu suo Abimelech de insidiarum loco: & sensim ad vrbem subit. Interim Gaal vna cum Zebule vndique circumspectabant è speculis ciuitatis, altero aduentum Abimelechi auidius expectante, altero timidius explorante. Quid multa? venit Abimelech, Gaal à Zebule irrisus egreditur contra eum, pugnat, & vincitur. Fugientem persecutus est hostis, & in vrbem compulit, ex qua mox expulsus est. At Abimelech qui tormenta militaria oppugnandæ vrbi necessaria in subita expeditione non tulisset secum, *sedit in Ruma*, ad vicinum aliquem pagum castra posuit, vt inde vrbi semper immineret, ad eam occupandam intentus.

III. Abimelech accersitus venit.

vincit Gaalem cum suis.

Zebul autem, qui iam se Gaalis aduersarium ante infelicem eius pugnam ostenderat, post eam multo factus est animosior; sicut & cæteri, qui clam fauebant Abimelecho, itaque factio ista facta potentior, alteram vrbe expulit. Egressus est ergo Gaal cum suis in campum, reditum ad suos ferro parefacturus, vel fortiter in prælio casurus, quod & factum videtur: cum enim Abimelech copias suas tripertitò diuisisset, duabus partibus pugnauit contra coniuratos, eosque victos persecutus est. Tertia oppugnabat vrbem, quam toto die oppugnatam cepit, interfectis habitatoribus eius. At mirum est egressis coniuratis, reliquos ciues non ei aperuisse portas: sed obsidionem toleraſſe. Desperatione veniæ id ab eis factum scribit Abulensis. Putabant enim tyrannum in deditios nullo discrimine sæuiturum, quod & fecit, Dei permissione iustissima. Etsi enim permulti nihil in eum peccauerunt, in Deum tamen & Gedeonem peccauerant, in gratiam Abimelechi, ideoque ab eo ipso castigati sunt. Imbellis autem ætas, quæcunque innocens fuit, parentum peccatis debitas luit pœnas; illud etiam præmatura morte beneficium consecuta, ne idololatria contaminaretur.

IV. Qui ex vrbe pelluntur.

Et à tyranno profligantur, qui & vrbem capit, & delet.

Ergo Sichimitæ meritas apud Deum hominesque pœnas pependerunt, sed sua quoque Tyranno merces in foribus aderat: prius tamen reliquis Sichimitis, qui in arce erant, supplicium debitum inferendum fuit. Erat autem arx ista, siue turris perampla, vt quæ mille viros, præter fanum Baalis contineret, in quo se isti religione loci turos fore putabant, sed frustra. Aggestis enim ad portas virentium arborum ramis & succensis, fumo & igne omnes viri mulieresque ad mille capita perierunt. Abimelechus autem nihil cunctandum ratus, sed vrgendam victoriam, inde profectus venit ad fatale sibi oppidum Thebes, quod obsidione cinxit ac cepit, moxque turrim, quæ erat in media ciuitate munitissima, ad quam principes ciuitatis, alijq; multi confugerant, obsedit. Cumque appropinquans ignem ostio supponere niteretur, *Mulier quadam fragmen molæ desuper iaciens illisit capiti Abimelech, & confregit cerebrum eius. Qui vocauit cito armigerum suum, & ait ad eum, Euagina gladium tuum, & percute me, ne forte dicatur quod à fœmina interfectus sim.* Qui iussa perficiens gladio illum confodit: infelici plane atque infami cæde, non tam fœmineo dedecore, quam proprio parricidio detestanda; nec illud probrum vitauit, quod & tunc plurimos testes habuit, & habebit dum sacri codices conseruabuntur. Atque ita iustus Dominus Abimelechi opera perdidit Sichimitas, & mulieris manu furentem tyrannum prostrauit. Quin & locus ipse defectionis à Deo, & coniurationis in principem officina, ab eo euersus, & sale seminatus est: ipsemet autem in sulphure & salis ardore consumitur.

V. Turrim quoq; Sychimorũ incendit.

Arce Thebos obsidenda a muliere occiditur.

ANNVS MVNDI 2804.

THOLÆ 1. MERAIOTHI Pont. 4.

SOSARMI 2. Imperij Assyrio. 873.

ANTE CHRISTVM 1249.

I. Thola septimus Iudex.

POst *Abimelech*, ait Scriptura, *surrexit dux in Israel Thola filius Phuapatruus Abimelech, vir de Issachar, qui habitauit in Samir montis Ephraim.* Paucis verbis habes Iudicis huius septimi nomen, familiam, cognationem, tribum, dignitatem, & habitationis locum. Subdet mox tempus principatus & mortem, nulla rerum gestarum mentione facta, quæ fortasse causa fuit cur à Iosepho prætermitteretur. Nomina Thola & Phua in tribu Issachar admodum celebria fuerunt, primi quippe duo filij Issacharis ita dicti sunt, & ab ijs clarissimæ numerosissimæq; familiæ propagatæ, nomina progenitorum suorum frequẽtarunt. Hic porro Phua frater Gedeonis fuit, Thola vero Abimelechi patruelis. Nec absurdũ est patrueles ad diuersas pertinuisse tribus, non enim ista cõiugia inter diuersas tribus prohibebantur, nisi hæreditatum permixtio sequeretur, vt alibi dictum est. Apparet autem eum populi electione factum esse Reipub. principem, vt suscitata ab Abimelecho intestina bella, & eius morte semisopita, præsentia & potestate legitimi principis penitus extinguerentur, nec cuiusquam improbis conatibus reuiuiscerent. Cum autem de sublata ab eo Idololatria nulla fiat mẽtio, apparet eam sub Tholæ gubernatione perseuerasse, non agnoscente populo, in eius pœnam, sibi Abimelechum fuisse datum.

Electus à populo restituẽdæ Reip.

ANNVS MVNDI 2807.

THOLÆ 4. MERAIOTHI 7.

SOSARMI 9. Imperij Assyriorum 876.

ANTE CHRISTVM 1246.

I. Ann. Sab.

ESt hic annus Sabbaticus ordine 32. quem vix obseruatum crediderim, cum de sublato publico Idolorum cultu non constet. Et forte perseuerabat illa fames, quæ Elimelechum cum suis in Moabitidem pepulerat. Sed eo iam mortuo Mahalon & Chelion filij eius iuuenes, in suo coniugio, sed absque liberis, viuebant. Eratque hic annus septimus peregrinationis eorum, reditum orante Noemi, nec impetrante. Sed Deus breui immisso interitu effecit, vt ne redire quidem in desertam à se patriam possent, si vellent. Ad hoc fere tempus pertinent Herculis cum Anthæo & Hydra certamina.

& septimus peregrinationis Noëmi.

Herculis quædam certamina. *vide Annal. an. 2806.*

ANNVS MVNDI 2810.

THOLÆ 7. MERAIOTHI 10.

SOSARMI 8. Imperij Assyriorum 879.

ANTE CHRISTVM 1243.

DEcimus agebatur annus Moabiticæ peregrinationis familiæ Elimelechi, qui ei partim funestus, partim etiam salutaris fuit. Nam vtrumq; Noëmi filium extinxit, sed vni nuruum fidem dedit & religionem, socrui patriam reddidit. Eam Chronologiam Scriptura confirmat cum ait, *Manserunt q; ibi Mahalon & Chelion decem annis, & mortui sunt*, id hoc anno contigisse oportet, alioqui non mansissent ibi decem annis. Præproperæ autem mortis causam ad illegitimum coniugium referamus licet. Cum enim mortuo parente cum Noemi in patriam redire potuissent, cum iuniores essent, quamprimum ad inconcessa coniugia cum alienigenis præuolarunt; nec eas, quæ idola non desererent, deserere voluerunt: ergo & à vita ecto deserti sunt, liberisque, coniugij præcipuo fructu caruerunt, idq; vel ex eo constat, quod tota Elimelechi hæreditas ad Booz, per coniugium cum Rutha, deuoluta est.

I. Mors filiorũ Elimelechi.

Cur præpropera.

Afflicta igitur ac desolata Noemi, cum nihil esset quod eam vltra in medio nationis prauæ, extortem à patria retineret, non filij, non maritus, non frugum inopia: reuocaret autem desiderium patriæ, diuinique cultus in ea viurpandi, & consuetudinis vitæ cum fidelibus, *surrexit cum vtraque nuru sua, vt de regione Moabitide pergeret in patriam suam.* Non recusabat illa quidem eas aliquo vsq; habere vitæ comites, totius autem peregrinationis, & mox habitationis in Bethleem, non item. Nesciebat enim quo loco suæ res essent, & quam ibi commoditatem vitæ cum eis esset inuentura; etsi illæ virtutum, & morum socrus suæ suauitate delinitæ, omnẽ cum ea fortunæ aleam subire statuissent. Suadet ergo redire domum ad matres suas, & bene precata, cum osculo in signum beneuolentiæ vtramque dimittit. At illæ quo suauiorem experiebantur socrum, hoc ægrius ab illa diuellebantur. Itaq; eleuata voce flere cœperunt, & vrgere migrationem cum ea. Cumque Noemi recusare pergeret, Orpha necessitate persuasa domum reuersa est.

II. Molitur reditum Noëmi.

Nurus se comites offerunt.

At Rutha quæ à diuina prouidentia ad magni mysterij participationem vocabatur, adhæsit socrui suæ, nec cognatæ exemplo, nec coniugij desperatione, nec socrus suæ adhortatione persuasa; quæ eo reuera pertinebat, vt proselytæ constantiam exploraret. Rutha ergo certa socrum non deserere, sed patriam & cognatos, certa cum ea viuere, & cum ea mori; eiusque religionem amplecti, desertis patrijs Dijs, decretum suum iureiurando confirmat. Videns ergo Noemi Ruthæ constantiam in suscepto propolito, aduersari noluit, nec ad suos reditum vltra suadere: Et iam facta erat sarcina leuior, vel in solarium potius, ac subsidium versa erat. Profectæ sunt ergo simul & venerunt in Bethlehem, vero tempore, quo ibi hordea

III. Rutha perseuerat destitutis omnibus.

Venit cũ socru in Bethleem. *Exod. 9. 3. in Annal. an. 2544 n. 16.*

mete-

metebantur, quæ ibi ante hyemem, sicut de AEgypto alibi dictum est, serebantur. Ibi Noemi communi mulierum gratulatione accipitur; at illa, vice versa, luget conditionem suam, quæ egressa plena bonis, nunc vacua reuertatur, amisso marito, filijs, fortunisque omnibus, quas decennio in Moabitide consumpserant. Manebat autem tunc in oppido Bethlehem vir potens, Elimelechi quondam mariti Noemi consanguineus, nomine Booz, cuius tunc hordea metebantur.

Booz.

IV. Rutha spicilegium aggreditur in agro Booz.

Nonnullis autem fortasse diebus quieti datis, Rutha, cum bona socrus suæ venia, spicilegium aggreditur, & Deo gressus illius dirigente, in agrum Boozi venit, rogauitque eum qui messoribus præerat, vt spicas colligeret remanentes, sequens messorum vestigia, quod fuit haud obscurum modestiæ argumentum, dum petit veniam agendi, quod iure gentium permissum est, Iudæis autem etiam diuinitus præceptum; quod illa iam fortassis à Noemi didicerat. Quod cum Booz accepisset, & insuper eius sedulitatem & diligentiam, vt quæ totum diem in opere suo poneret, ne tantillum quidem domum digressa, factus est ei beneuolentior, præsertim cum accederet affinitas, quam Booz grandis natu, minimè ignorabat: & recens eius ab idolis ad Deum Israelitarum conuersio. Itaque agit cum illa blandius, & iubet eam in agro suo spicas legere, sequentem vestigia puellarum metentium. Quin & præcipit famulis, vt indulgenter cum ea colligente agant, vt eam, etiam si cum ipsis metere voluerit, ne prohibeant: vltro quoque cibum offert & potum.

Eius in eam manſuetudo & liberalitas.

V. Ruthæ humilis gratusq; animus.

Eam honorati viri comitatem Rutha humili gratiarum actione prosequitur. Nam cadens in faciem suam, & adorans super terram dixit ad eum. Vnde mihi hoc vt inuenirem gratiam ante oculos tuos, & nosse me dignareris peregrinam mulierem. Nondum sciebat hæc mulier illum defuncto marito suo cognatum; hoc enim postea à Noemi didicit; nec se ipse adhuc aperit, sed eius in socrum, ac Deum ipsum pietatem commendat, eique bene precatur, & nominatim singularem Dei protectionem illi exoptat. Adueniente porro vescendi tempore modestiæ quoque suæ Rutha specimen dedit: nam vt virorum conspectum defugeret, sedit ad messorum latus, quod ita Serarius interpretatur, vt quoniam messorum nomine etiam puellæ metentes comprehenduntur, ad istas, quæ infra viros sedent, Rutha cibum sumpturas se aggregarit: rectius enim sibi mulieres congruunt, nec patiebatur peregrinæ mulieris pudor, vt relictis mulieribus, quibuscum laborauerat, se adiungeret viris. *Et congessit polentam sibi* ex Boozi, aut messorum liberalitate certatim datam, de qua non solum ad satietatem habuit, sed & reliquias tulit, ad socrum videlicet, cum ad eam sub vesperam rediit, vt simul & temperantiæ, & charitatis præberet exemplum.

& in conſictu modeſtia.

VI. Redit ad ſocrum veſpere.

Sumpto cibo surrexit vt spicas ex more colligeret, & per meteorium, aut heri potius insignem indulgentiam, tres fere modios hordei, excussis spicis collegit. Quos cum detulisset ad socrum vespere, exhilarauit videlicet anum, & ad bene precandum benefactoribus, præsertim cum audisset agri Dominum esse Booz, quem propinquum ipsis esse Ruthæ nunciauit, monuitque vt ad ipsius vnius agros deinceps spicilegium factura pergeret. Dubium autem est an deinceps cum puellis metentibus & ipsa messuerit, vt habet Hieronymi versio, an potius illas sequendo, spicas sibi, vt ante collegerit, vt est in Hebræo, Græcoque textu, & Chaldæa paraphrasi, & apud Iosephum, & alios. Verum spicilegium, præsertim copiosius, messis quædam dici potest, sicut ramecatio parua quædam vindemia est. Et apparet Booz maluisse Rutham suæ ipsius vtilitati seruire, sibi colligendo, quam alteri metendo, ideoque infra eius spicilegio sex modios liberaliter adiecit. Denique eo pertinet, quod toto messis tempore non in agro apud Booz & cum messoribus, sed apud socrum commorata est, quotidie ad vesperam deferendo, quod collegerat, vt ex Hebræo textu, Græcoque colligitur.

Num deinceps messuerit.

VII. Noemi prouidet coniugio Ruthæ.

Dum autem Rutha studiose socrui suæ, & sibi colligit, quæ necessaria sunt ad tenuem vitæ sustentationem, Noemi vicissim diligenter circunspicit, quo modo ei, non de victu solùm, sed de vitæ quoque conditione, coniugioque prospiciat. Et vero etiam æquum erat, vt nurui omni ope prospiceret, quæ propter ipsius secundum Deum amorem, patriam, parentes, & consanguineos, fortunas, spesque omnes dereliquisset. Consilium autem dat de captando furtiue matrimonio Boozi propinqui, qui ad id lege obligabatur. Qua in re neque Rutha peccasse videtur, quæ socrui religiosæ fœminæ, & fidei suæ magistræ quasi matri obtemperauit: neque Noemi, quæ ignorare potuit alium esse propinquiorem, aut si id norat, præuidere potuit, quod declarauit euentus, alterius propinqui duritiem aut fastum, vt oblatum coniugium recusaturus esset. Denique non insipienter totum negotium probatæ sapientiæ, & virtutis viro committendum putauit. Nam quod res fiebat occultè, & quod illectamenta adhibebantur, rem natura sua iustam atque legitimam non vitiabat: præsertim cum clandestina matrimonia, vtriusque partis interueniente consensu, tunc vitiosa non essent; neque polygamia prohibita, si tunc forte Booz erat vxoratus. Silentium autem quod postulauit Booz erat ad consulendum famæ mulieris, & ne ille propinquior hanc recusandi coniugij prætexeret excusationem.

An recte atque legitime.

VIII. Booz dat fidem de coniugio, vel proximi vel ſuo.

Cum ergo Ruth accuratè seruasset omnia, quæ illi præceperat socrus, res vtrique cessit ex sententia, eoque deducta est, vt ei Booz fidem de coniugio daret, promissionemque iureiurando firmaret, nisi ille propinquior daret matrimonio consensum. Rutha ergo de Boozi consilio bene mane vitandis suspicionibus discedit in oppidum, sed non indonata. Eius enim pallium sex modijs hordei impleuit, plus etiam daturus, si plus illa ferre potuisset, & capiti eius imposuit, quo factum est vt illa ingrediens vrbem agnosci non posset. Atque ita venit ad socrum suam, de toto negotio suspensam atque sollicitam; quam cum de re tota docuisset: *expecta*, inquit illa, *donec videamus quem res exitum habeat. Neque enim cessabit homo, nisi compleuerit quod locutus est*, vtpote vir prudens ac propositi tenax, præsertim iureiurando firmati,

quod-

quodque proximo statim die perficiendum esset.

IX. Proximũ de emptione agri primũ interpellat.

Booz ergo promissi memor, vbi operas famulosq; domesticos operi accinctos vidit, & monita quæ res exigebat operarum præposito dedit, in vrbem contulit se, & ibi ad eius portam iudicij causa sedit. Ibi cum propinquum illum prætereuntem vidisset, cuius nomen Scriptura præterijt, vt nomen eius obliteraretur, cuius culpa nomen fratris sui deletum fuisset in Israël. Illum, inquam, seducit, orarque vt expediendi cuiusdam negotij causa eodem loco tantisper sedeat, tum aduocatis decem virtis de senioribus ciuitatis, & eodem iudicij loco sedentibus, obtulit emendum agrum Noemi iure propinquitatis. Quod autem de Noemi dicitur, id de Rutha intelligi debet, quæ ius habebat in ea bona, quandiu posset & vellet suscitare defuncto marito nomen, & fratres vel cognati non deessent, qui eam in illum finem ducerent. Noemi autem nullum hic ius habebat, quia eius vir non obierat sine liberis, in quos ius possessionis transierat. Fit autem mentio solius Noemi, ne propinquus ille statim subolfaceret coniugium.

Booz prudentia

X. Tum de coniugio quod ille recusat.

Prudenter autem Booz prius meminit emptionis quam coniugij, quia emptio vtilis erat & gratiosa, coniugium autem onerosum, vt priore incitatus, posterius quoque susciperet, vel recusato coniugio cum onere suscitandi nominis defuncto, ab emptione aut successione bonorum repelleretur, sicut & factum est. Ille enim cum liberis careret, timebat enim ne si defuncto cognato sobolem suscitaret, non posset ipse sibi gignere liberos, coram testibus cessit iuri propinquitatis, tam ratione coniugij, quam bonorum, datoque legitimo cessionis indicio, Booz vtrique successit: & oratione ad circumstantes conuersa, *Testes*, inquit, *vos estis hodie quod possederim*, id est legitimam nunc possessionem adeam omnium *quæ fuerunt Elimelech, & Chelion & Mahalon* filiorum eius, *tradente Noemi, & Ruth Moabitidem vxorem Mahalon in coniugium sumpserim, vt suscitem nomen defuncti in hæreditate sua*, vt scilicet filius, qui ex Rutha procreabitur, filius Mahalonis dicatur. Res tamen Domino prouidente, & charitatem Boozi remunerante, aliter cecidit. Obed enim non Mahalonis, sed Boozi filius semper in sacris literis appellatur. Successit autem omnibus Elimelechi bonis, quia factus est pater filij, ad quem bona illa deuoluebantur.

XI. Booz admittit succeditque bonis pro filio nascituro.

Respondit omnis populus qui erat in porta, id est in aula in qua iudicia exercebantur, confluxerant videlicet plurimi paulatim, vt assolet, respondentes & maiores natu quos ipse conuocauerat, *non testes sumus*. Nec contenti dare testimonium quod rogabantur, auctarij vice faustas precationes adhibent bono viro atque honorabili, eòque etiam amabili, quod gratiam defuncto exhibeat, quam propinquior recusabat, ducendo alienigenam mulierem. Optant vt similis sit Racheli & Liæ, quæ fuerant matres Patriarcharum, & secutæ fuerant virum suum in terram alienam; sicut Rutha, in gratiam viri sui, cui quærebat prolem, in Israëlitidem venit. Addunt & mentionem Phares, ex quo Booz recta linea descendebat, & ad cuius familiam oppidum Bethlehem pertinebat. Tulit itaque Booz Rutham & accepit vxorem, & dedit illi Dominus vt conciperet, & pareret filium; sed partus in annum sequentem differendus est, neque enim potuit præsenti contigisse.

Qui concipitur.

Ad hunc octauum Sosarmi annum refert Eusebius bellum Lapitharum & Centaurorum, quod in nuptijs Pirithoi, quem Theseus vnice dilexit, conflatum fuisse dicitur.

XII. Bellum Centaurorũ & Lapitharum.

ANNVS MVNDI 2811.

THOLÆ 8. MERAIOTHI 11.

SOSARMI 9. Imperij Assyriorum 880.

ANTE CHRISTVM 1242.

NAtus est hoc anno Boozo & Ruthæ filius Obed, Dauidis regis auus 140. annis ante illius natiuitatem, quæ cadit in decimum Samuelis annum, iuxta digestam à nobis temporum rationem, anno Baraci vigesimo primo; iuxta quam hic Boozi annus est 71. Conflantur autem illi 140. anni Ex. 70. annis Obedi, & totidem Isai. Cum autem Boozum septuagenarium duntaxat faciamus, quem generationis terminum agnoscit Aristoteles, nullus est quæstioni locus an is naturaliter genuerit Obedum, quærant illi qui tum 95. annos natum volunt: & idem miraculum sæpius in eadem familia & continenter iterant: & multo magis qui ei ducentos, aut trecentos etiam annos tribuere coguntur. A quibus libenter quæsierim num compotes mentis erant Noemi & Rutha cum illa suaderet, hæc speraret suscipere liberos à capulari, & ter quaterq; depontano sene. An se ille non sentiebat caducum, & viui hominis simulachrum, cum nuptias cum puella non recusabat. Quomodo gratulatur illi populus, ac nouis nuptijs bene precatur, & non deridet potius senem fatuum & insensatum?

I. Obedi ortus.

hist. Anim. l. 7. c. 6. Abul. & aly.

Boozi ætas idonea ostenditur.

Hoc ergo anno patris 71. natus est Boozo filius, & natiuitatem secuta est non solum parentum lætitia, sed publica etiam congratulatio. Dixerunt enim mulieres ad Noemi, *Benedictus Dominus qui non est passus vt deficeret successor familiæ tuæ, & vocaretur nomen eius in Israel, & habeas qui consoletur animam tuam, & enutriat senectutem.* Riebant & Ruthæ, sed illa notior erat, & ab antiquo ciuis. Sed hanc quoq; commendant cum aiunt. *De nuru tua natus est, quæ te diligit, & multo tibi melior est, quam si septem haberes filios*, id est plurimos, qui tenera ætate vetulæ famulatum, sicut Rutha, exhibere non possent, sed crebras potius molestias, vt pueruli solent. Nihilominus susceptum Noemi puerum posuit in sinu suo, ac gerulæ fungebatur officio. Cumque has inter gratulationes euoluti essent dies octo, circumcisus est, & vocatus Obed, ab ipsa Noemi, vt scribit Iosephus. Quod ab ipso expectaret subsidium senectuti suæ. Obed enim seruum significat, vel operarium.

II. Lætitia publica & congratulatio vicinorum.

ANNVS MVNDI 2814.

THOLÆ 11. MERAIOTHI 14.

OBEDI 4. SOSARMI 12.
Imperij Assyriorum 883.

ANTE CHRISTVM 1239.

I. A. Sabb. 33

SAbbaticus est hic annus ordine tertius supra trigesimum, de quo nihil habeo quod dicam. Obed depulsus à lacte gaudium erat parentum, à quibus studiosè magnam in spem posteritatis alebatur.

Priami regnum.

Refert ad hæc tempora Eusebius initium regni Priami, Laomedonti patri succedentis in Troia & Ilio. Quod si verum est, oportet eum ad annos sexaginta regnasse: Totidem enim hinc ad excidium Troiæ ab Eusebio ipso numerantur. Qui huc quoque historiam Minotauri refert, ex qua nata est fabula Poetis decantata. Vide si placet Annales in hunc annum.

ANNVS MVNDI 2821.

THOLÆ 18. MERAIOTHI 21.

SOSARMI 19. & vlt. Imperij Assyr. 890.

ANTE CHRISTVM 1232.

I. Sosarmi obitus.

REnitens animo, ac pene inuitus hunc Sosarmi annum appello vltimum, cum vltimus eius annus Africano sit non decimus nonus, sed quadragesimus secundus, vt primo eius regis anno dicebamus: id tamen ferendum est ne maior fiat temporum perturbatio. Cadit in hunc annum Tholæ decimum octauum annus Sabbaticus 34. & Obedi vndecimus, quibus annis continetur eius institutio puerilis, quam Noemi peramanter, perque studiosè tradebat.

Sabbat. 34.

Boozi obitus & virtus.

Videtur quoque Boozi iam octogenarij mors contigisse: quam laudabilem fuisse, facile persuadet vita ipsa commendatione dignissima, qualem nobis tota Ruthæ historia repræsentat, in qua illius viri fortitudo, prudentia, iustitia, charitas, liberalitas, animi demissio, & si quæ aliæ virtutes non vulgariter se produnt. Sed emicat nescio quomodo ac splendescit magis in isto viro castitas, quam ita Doctores Hebræi demirantur, vt eum Iosepho Patriarchæ conferant, in certamine cum Ægyptia hera.

II. Præsertim castitas.

Ad deijciendum enim Boozum conuenerant nocturnæ tenebræ, vltronea mulier, solitudo, hilaritas epularum, impunitas peccandi, celandi fiducia, & si qua fuerunt alia violandæ castitatis incitamenta. Ille tamen stetit inuictus, non tamen imperterritus. Vt enim vidit mulierem nocte iam media expauit, ac conturbatus est, draconem vidisse diceres ad palea lectuli rusticani adhærescentem, incendium corpori afferentem, & fœdam maculam castitati. Solus eum Dei timor, & reuerentia honestatis compescuit, vt non liberet, quod non licebat. Dignum profecto facinus ob quod eum Dominus Iesus vnum de progenitoribus suis esse voluerit, cum eum non paucis in rebus, maximeque illis quas dixi virtutibus, adumbrarit. Sed eminet illud cum Rutha Moabitide coniugium, paupercula atque idolorum cultrice muliere, quæ erat Ecclesia ex gentibus congreganda, dæmonibus olim, vitijsque omnibus addicta, & bonis omnibus vacua. Eam Dominus ducere non indignum duxit majestate sua, & vera Dei cognitione, omnibusque spiritalibus copijs locupletare.

Christi progenitor.

Eum Iudæus propinquus ipsius contemnebat, lege Moys & Prophetarum oraculis, quasi vxore, familiaque contentus, cum tamen restituenda Ruthæ bona possideret. Sed eam Booz noster amplexus, bonis tam naturæ debitis, quam supernaturalibus mirifice ditauit, vt merito Rutha, id est, saturata, siue inebriata diceretur, cui illud Isaiæ conueniret. *Tunc videbis & afflues, & mirabitur & dilatabitur cor tuum, quando conuersa fuerit ad te multitudo maris*, &c. Denique seruos iustitiæ, & operarios vitæ æternæ genera uit. Harum autem nuptiarum conciliatrix fuit illa Noemi, illa mater Ecclesiæ, illa amara in morte filij sui, & eo, quasi Mahalonis demortui semine suscitato, omnibus delicijs in eo amplectendo circunfluens, cum communi bonorum omnium gratulatione; illa quam beatam dicunt omnes generationes, illa quæ gaudium est, & gratulario vniuersæ terræ, Maria Virgo benedicta, mater Dei, cœli terræque regina.

III. Et figura

vt Noëmi B. Virgin.

IV. Exotica horum temporũ.

Huc refert Eusebius initium regni Thesei apud Athenienses, vbi & annis 30. regnauit, sub cuius vel regno, vel ætate latissime se fundit Græcarum fabularum series, & antiquarum historiarum, quæ his substratæ sunt, ac deformatæ, quæ bellum Troianum, & excidium Ilij antecedunt. Huc enim Argonautæ pertinent, in quibus Theseus ipse cum Pirithoo. Iason in primis & Orpheus, Castor & Pollux, Telamon & Hercules, alijque plurimi, quorum catalogum reperies apud Hyginum & Apollodorum. Huc Centauri & Lapithæ de quibus Palæphatus. Adde Sphingem & Oedipum, Minotaurum & Amazones, & sexcenta alia Poëtis decantata. Consule Annales in hunc annum, dum nos ad alia properamus.

cap. 14. l. 1. Inuentor. rerum.

ANNVS MVNDI 2822.

THOLÆ 19. MERAIOTHI 22.

MITRÆI 1. Imperij Assyrior. 891.

ANTE CHRISTVM 1231.

I. Regnum Mitræi.

SVccedit Assyriorum Imperio Mitræus ad annos 27. iuxta consentientem Africani & Eusebij Chronologiam: nisi quod apud illum est ordine vigesimus sextus à Belo, apud hunc vigesimus quintus, Belo prætermisso. Hoc primo anno Mitræi ponitur apud Eusebium expeditio septem Heroum, qui aduersus Thebas pro Polynice contra fratrem eius Eteoclem pugnauerunt, quorum hæc sunt nomina, Adrastus, Amphiaraus, Capaneus, Hippomedon Argiui; Polynices Thebanus, Tydæus Ætolus, Parthenopæus Arcas: qui vario euentu in

Septem Heroum expeditio

eo bello ceciderunt, vt ex Apollodoro in Annalibus explicatum reperies, aliaque eiusdem argumenti nonnulla.

ANNVS MVNDI 2826.

THOLÆ 23. & vlt. MERAIOTHI 26.

MITRÆI 5. Imperij Assyrio. 895.

ANTE CHRISTVM 1227.

I. Tholæ obitus & tempus gubernationis. *Iud.10.1.2*

HOc anno Thola Iudex Israëlitarum à Iosue septimus, & gubernandi populi, & viuendi finem fecit. Iudicauit enim Israëlem, ait Scriptura viginti tribus annis, mortuusque est, & sepultus in Samir. Vnum illi annum detrahit Eusebius in Chronico, quem eidem lib.10. de Præparatione restituit. Chronicon Hebræorum ait vnum annum fuisse Tholæ & Iairo eius successori communem, significans viginti duos annos cum dimidio singulis conuenire. Oppidum porro Samir, in quo vixit Thola, est in monte Ephraim. Alia quoque Samir fuit in Iuda.

ANNVS MVNDI 2827.

IAIRI Iudicis 1. MERAIOTHI

Pontif. 27. MITRÆI 6. Imperij Assyriorum 896.

ANTE CHRISTI ORTVM 1226.

I. Iair octauus Iudex *cap.12. 11.*

THOLÆ successit Iair Galaadites ex tribu Manasse trans Iordanem, quæ causa Seratio nostro fuit putandi Iairum fuisse Badan, qui in 1. Reg. recensetur inter eos Iudices, qui populum eruerunt de manu inimicorum eius. At rectius videtur Badan esse Barac, propter facilem similium litterarum Hebraicarum commutationem, & autoritatem Septuag. qui ibi habent Barac; maximèque propter rerum gestarum similitudinem. Nam ille Badan dicitur eruisse Israëlitas de manu inimicorum suorum, quod Baraco recte conuenit, Iairo non conuenit, vt postea dicetur. Certe D. Paulus, qui scribens ad Hebræos ad eum locum videtur alludisse, obscuriora paulò vocabula Ierobaal & Badan, si iam tum ita legebatur, per clariora Gedeonis & Baraci voluit explicare. Quod autem hic dicitur ex eius nomine oppida Iair in terra Galaad fuisse appellata, cum id viuo Mose factum appareat à Iair filio Manasse, dicendum est, illa oppida ex eius nomine, eodem specie, non numero dicta fuisse. Itaque hæc est huius loci sententia, Oriundum fuisse hunc Iudicem ex ea parte tribus Manasse, quæ erat trans Iordanem, vbi quondam floruit ille Iair, qui vicos Galaaditis occupauit, qui tum dici cœperunt Hauoth Iair, id est, villæ Iair, & renouatam esse sub hoc Iudice denominationem, cuius filij præsidebant 30. oppidis de eorum numero, quæ vulgo Hauoth Iair dicebantur, & à Iosue 80. fuisse dicuntur.

יאיר in ב fin.

Non esse Bedan.

Oppida Iair à quo dicta.

cap.13. 30.

Successisse dicitur Tholæ Iair, siue vt est in Hebræo, surrexisse post Tholam, non autem nominatim electus, aut vocatus à Deo, vt Iosue, vt Gedeon, &c. Ex quo significatur iam initam consuetudinem apud Hebræos sufficiendi Iudicem loco demortui, licet nulla Reipub. calamitas compelleret ad huiusmodi electionem. Nam neq; viuo Thola quidquam bellorum Israëlitas vexasse legimus; neque in bellica vel seruili perturbatione rerum electus est Iair, aut Abimelech. Non sic Gedeon & superiores, aut posteriores Iephte vel Samson. Itaq; existimat Abulensis Iairum à populo Iudicem, per electionem & communia suffragia fuisse factum, sicut & Tholam; idq; ad vitandas turbas pro principatu, quales excitauerat perditus Abimelech. Cœpit autem Rempub. administrare in magna rerum affluentia, & numerosa familia, quippe qui 30. filios habuerit totidem mulis inequitantes, & totidem oppidorum moderatores, in Galaaditide trans Iordanem, qui tamen Iairo generali gubernatori totius populi suberant.

II. Videtur electus à populo sicut & Thola.

Iairi familia numerosa. *qq. in c.10*

Hunc annum proxime secutus est Sabbaticus 35. Iairi Iudicis 2. quem quietum habuit, atque pacificum. Sed cum populus non emendaret, sed multiplicaret peccata, ira Dei ascendit super eos, vt mox dicetur. Licet Abulensis putet Hebræos non coluisse idola tempore horum duorum Iudicum, quia seruitutem proxime sequentem separat ab annis eorum: qua de re iam agendum est.

III. Sabbat. 35

ANNVS MVNDI 2832.

IAIRI 6. MARAIOTHI 32.

MITRÆI 11. Imperij Assyriorum 901.

ANTE CHRISTVM 1220.

I. Initium Ammonitica seruitutis huc pertinere

SExto Iairi anno initium ponimus nouæ sub Ammonitis & Philistæis Israelitarum seruitutis, annorum 18. Nam qui post Iairi mortem eam inchoant, & ab annis Iudicum seponunt, vniuersè refutati sunt in primo anno Othonielis. Neq; enim de annis inter exitum ab AEgypto, vsq; ad fundationem templi Salomonis, cum Scriptura consentiunt, ideoq; dicendū est illos annos, Iairi & Iephte annis contineri. Cum autem Scriptura testetur Deum tradidisse filios Ammon in manu Iephte, qui 20. ciuitates eorum percussit, eosq; afflixit plaga magna nimis, idq; secundo Iephte anno, vt est in Chronico Hebræorum, dicendum est ad anteriora recurrendo, seruitutem hoc sexto Iairi anno inchoandam: sic vt primus Iephte annus sit decimus octauus seruitutis, secundus autem eiusdem sit primus victoriæ & libertatis. Nā quod Scriptura mortem Iairi memorat priusquā meminerit seruitutis huius: id factum videtur ne ea narratio, quæ longior futura erat, mortem Iairi distraheret longius, præsertim cum Scriptura nihil aliud de eo referre vellet. Itaque per anticipationem Iairi mors posita est, eiusque creationi & vitæ coniuncta.

Nec repugnare scripturæ.

Ipsa

II. Duplex eius modus prius.

Ipsa porro seruitus & afflictio Israelitarum altero duorum modorum potuit contigisse, vt scilicet totus populus Hebræorum, tam qui cis Iordanem, quam qui vltra habitabant simul ab Ammonitis ac Philistæis totis octodecim annis vexatus sit, vtrisque vtrosque eodem tempore, certatim diripientibus, lacerantibus, occidentibus, vtr osque enim Scriptura coniungit. Potuit etiam res aliter contigisse, Scriptura fauente potius quam repugnante, vt scilicet prius Galaaditæ à vicinis Ammonitis vexati fuerint annis aliquot, puta octo vel decem: Philisthæis interea vicinos suos Israelitas, qui erant cis Iordanem, crebris cladibus & latrocinijs infestantibus, tam propriorum emolumentorum gratia, quam ad prohibendum ne isti subsidio socijs suis, in Galaaditide laborantibus, venire possent. Galaaditis autem ad satietatem exhaustis atque conculcatis, Iordane transmisso venerunt Ammonitæ auxilio Philisthæis, vt Iudam & Benjamin & Ephraim, in quibus erat præcipuum Hebræorum robur, coniunctis viribus conterererent atque pessundarent: nec tamen sedes in Israelitide figerent, nondum enim statuerat Dominus Iudæos ex patrijs sedibus expellere; sed irent redirentque præda onusti, & in transitu Galaaditas depascerentur.

cap. 9. 7.

Alter probabilior.

III. Prior pars seruitutis in Galaaditide.

Hic modus quia magis arridet, Galaaditarum calamitatibus decem priores annos assignemus licet, vbi filij Iairi in magna rerum copia viuebant, quam cum alia vitia, tum maxime Idololatria comitabatur, quæ à Gedeonis morte renouata, ictoque etiam fœdere sub Abimelecho confirmata, maiora quotidie sumpserit incrementa. Nullum enim apparet in eius successore Thola sublatæ idololatriæ vestigium. Ego quidem iudicem non accuso, nec illi placet suspicioni adhærere, eum indulgentiorem fuisse in populum, à quo electus esset Iudex, nec animi satis habuisse ad communi furori resistendũ. Existimarim potius ipsum, eiusque successorem Iairum in bonis Iudicibus esse numerandos, eosque in populi salutem, morumque emendationem incubuisse; sed irrito conatu, populo pene vniuerso corrupto, ac bene monentibus obstrepente, & cum alienigenis, in detestabili simulachrorum cultu, insaniente. Vt vis maior necessaria fuerit ad corrigendum tam late patens, & solenni ritu inductum, & 30. annorum diuturnitate roboratum malum.

Eius tanta idololatria, quæ sub his Iudicibus perseuerat.

3. Abim. 23. Thola. 1. Iair. 31.

IV. Eaque multiplex

Quam multiplex autem fuerit Idololatria, vt cætera scelera taceamus, Scriptura docet his verbis. *Filij autem Israel, peccatu veteribus ingentes noua, fecerunt malum in conspectu Domini, & seruierunt Idolis Baalim & Astaroth*, id est vniuerse Dijs gentium & Deabus, quos vndique per circuitum sibi asciuerunt; à septentrione Deos Syriæ, ab occasu Astartem Sidoniorum, Dagon & Belzebub Philistinorum, ab Oriente Chamos Moabitarum & Moloch Ammonitarum. Soli restabant à Meridie Idumæi & Amalecitæ, vt in Chananitide diligenti superstitione haberetur collectum, quidquid vsquam fuerat varijs erroribus institutum, vt de Roma veteri scribit S. Leo. Hæc videlicet causa Dominum compulit ad incutienda flagella; Ammonitas autem & Philisthæos accendit prædæ cupiditas: cui in medio positi Israelitæ parebant. Nec tamen misericors Dominus tot illis hostes

Ser. 1. de SS Petro & Paulo.

Grauitas huius calamitatis

suscitauit, quod idolorum monstra coluerunt. Quam grauis autem fuerit ista castigatio, tam ex temporis diuturnitate intelligitur, quam ex eo quod illâ non solum afflicti dicuntur, sed vehementer oppressi, adeo vt publicum illum clamorem expresserit, *peccauimus tibi*, &c. Verbera enim quæ clamorem non exprimunt, tolerabilia videri possunt.

V. Atque diuturnitas.

Diuturna autem fuit, quia non paucos dies, instar inundantis torrentis, sed duodeviginti annos tenuit, quibus identidem miseram gentem barbari depascebantur. Quin etiam ne octodecim quidem annis plane terminata fuit ista seruitus, nisi ex parte Ammonitarum. Philisthæi autem modicè tantum repressi videntur, vt qui deinceps Israelitas tempore quoque Samsonis & Heli, imo Saulis etiam Dauidisque vexauerint. Ideo seruitus à Philisthæis, etsi non cruenta, fuit tamen ipsa diuturnitate grauissima. In specie autem quid passi sint Israelitæ, tam vltra, quam citra Iordanem, non est proditum litteris. Fas est existimare eos primum latrocinijs impetitos, deinde iusto etiam exercitu debellatos, nec tamen sedibus pulsos, sed tributis exinanitos, omni iure atque autoritate priuatos: fortasse in corpora ipsa non seruili solum labore seruitum est, sed verberibus etiam & plagis seruitus AEgyptia renouata est.

Eiusdem ordo. & specialis modus.

ANNVS MVNDI 2833.

IAIRI 7. MERAIOTHI 33.

MITRAEI 12. Imperij Assyr. 902.

ANTE CHRISTVM 1220.

I. Seruitutis annus secundus, & quintus Iubilæus Mosaicus.

HIc est secundus Ammoniticæ seruitutis annus, idemque quintus Iubilæus Mosaicus. Est enim ducentesimus quinquagesimus ab ingressu in Chananitidem, & ab exitu AEgyptiaco 290. Eum in hac rerum perturbatione, & diuinæ legis vel obliuione, vel contemptu, crediderim fuisse neglectum.

Theseus.

Huc fere pertinent quæ de Theseo ciues Athenis congregante memorat Eusebius, quæ paucis ex Plutarcho in Annalibus collecta, harum rerum studiosus Lector inueniet.

Quartus seruitutis, & sabbat. 36.

Biennio post, qui fuit quartus Ammoniticæ seruitutis annus, contigit annus Sabbaticus ordine trigesimus sextus, de cuius obseruatione idem quod de proximo Iubilæo dicendum videtur.

ANNVS MVNDI 2842.

IAIRI 16. AMARIAE pont. 1.

MITRAEI 21. Imperij Assyriorum 911.

ANTE CHRISTVM 1211.

I. Sabbat 37.

HOc Iairi anno decimo sexto, qui est seruitutis Ammoniticæ vndecimus, & annus

Ortus Heli. 1. Reg. 4. 15. 7. Iair reliqui. 6. Iephte. 7. Abesan. 10. Aialo. 8. Abdon. 20. Sæson. 40. Heli. 98.

Sabbaticus 37. & exitus ab Ægypto vndecentesimus, natus est Heli, qui postea Pontifex annis 40. Rempub. administrauit. Vixit enim annos octo & nonaginta, qui hinc ad vltimum eius Pontificatus annum, exactè reperiuntur. Hic porro Amariam Meraiothi filium nouum Pontificem ponimus, postquam Meraiothum 40. circiter annos in Pontificatu reliquimus: cuius rei ratione infra anno primo Iephte reddemus. Ad hunc quoque annum referimus, vt ante significatum est, transmissum ab Ammonitis cum exercitu Iordanem, vt attritis iam Galaaditis, coniunctis cum Philistæis viribus, collatoq; nocendi studio, eos qui eis Iordanem habitabant, & cæteris potentia, multitudine, & soli bonitate præstabant, eadem qua cæteros humanitate tractarent. Quod Scriptura significat, cum ait Galaaditas vehementer oppressos fuisse, *in tantum*, inquit, *vt filij Ammon Iordane transmisso vastarent Iudam, & Benjamin, & Ephraim.* Quod si hos quoque qui præsidium aliorum erant & robur, tempestas huius calamitatis afflixit, quid de reliquis tribubus existimandum est?

Trãsitus Ammonitarum.

II. Carthago condita.

Carthaginem conditam hoc anno refert Eusebius ex Philisto; sed ille conditus admodum varij atque incerti temporis est, propter Scriptores admodum diuersa opinantes. Consule si placet Annales hoc loco.

ANNVS MVNDI 2848.

IAIRI 22. & vlt. AMARIÆ Pont. 7.

MITRÆI 27. & vlt. Imperij Assyr. 917.

ANTE CHRISTVM 1205.

I. Iairi & Mitræi obitus.

DVos hic annus Principes morti dedit, Mitræum Assyriorum principem vigesimum sextum, & Iairum Iudicem Hebræorum à Iosue nonum, qui mortuus est mœrore fortassis quam annis grauior; quippe qui Rempub. non perturbatam solum, sed pene prostratam relinquebat, cui nullam opem afferre potuisset. Forte etiam filios illos suos, pro delicatis mulatum equitibus videbat agasones. De morte ipsius Scriptura hæc pauca refert, *mortuusque est Iair ac sepultus in loco, cui est vocabulum Camon*, quod erat oppidum in Galaaditide, in tribu scilicet Manasse, ex qua ille erat oriundus. Erat enim apud Hebræos quoque illa consuetudo, vt filij in sepulchro patrum suorum sepeliri cuperent, eoque priuari infelicitati ducerent. Vt ex plurimis Scripturæ locis ostendi potest. Interea vero Iephte patria pulsus cum aliqua militum manu, vagabatur in terra Tob, quæ erat in tribu Gad trans Iordanem, prædasque non inglorius agebat, de quo deinceps dicendum est nobis

(.˙.)

Gē. 47. 30. Iud. 8. 32. & 16. 31. 2. Reg. 2. 32. & 17. 23. & 19. 37. & 21. 14. 2. Macha. 3. 10. &c.

ANNVS MVNDI 2849.

IEPHTE 1. AMARIÆ 8.

TEVTANIS 1. Imperij Assyriorum 918.

ANTE CHRISTVM 1204.

I. Summa rerũ anni huius.

TRia è sacra historia ad hunc primum Iephte annum pertinent; primum deterrimus seruitutis status, & incrementum: tum Israelitarum ad Deum conuersio, clamor, pœnitentia; denique electio Iephte in principem contra Ammonitas. Sed prius aliquid de Pontificum Hebræorum annis dicamus; Est porro hic annus Sabbaticus ordine 38. Atrocis Israëlitarum calamitatis indicium est, missus ad Dominum, vt in Ægypto, clamor: qui ex eo apparet excitatus, quod viderunt Ammonitas redintegratis copijs in Galaaditide fixisse tentoria; siue quod Israelitas res nouas moliri, & iugum seruituris excutere velle suspicarentur, siue vt Iephte, cum suis latrunculis cursitantes, compescerent, ne ille forte ab Israelitis electus in Ducem, vt erat vir fortis & manu promptus, luctuoso Ammonitis bello initium daret. Ergo congregati conclamasse dicuntur, id est, militari clamare, vel tubarum sono suos congregasse in terra Galaad, quam dudum inuaserant, & ex qua vicinum in Ammonitidem, si quid aduersi contingeret, receptum habebant.

Annus Sabbat. 38.

Renouãt Ammonitæ vexationem Israelitarum.

II. Israelitæ clamant ad Dominum.

Israelitæ autem iam attriti malis, cum nouum hunc militum nimbum viderent, ipsorum, vt metuebant, cruore saginandum, neque se ad eã tempestatem auertendam idoneis instructos præsidijs intelligerent, humanis deserti auxilijs, ad diuina denique, diuino vtique afflatu, confugerunt. Et *clamantes ad Dominum dixerunt, Peccauimus tibi, quia dereliquimus Dominum Deum nostrum, & seruiuimus Baalim.* Fuit hæc vox non vnius de populo, sed omnium; non vno aliquo in loco fusa, sed sicut vbique malum & verbera, sic vbique luctus & clamor, non seorsim & in angulis, sed publice, & in plateis; Maximè autem exaudiebatur in Silo, vbi arca Domini Dei centesimum iam ac sexagèsimum annum morabatur. Ibi Pontifex, Sacerdotes, ac Leuitæ omnes, ad preces & hostias pro totius populi calamitate Deo offerendas excitabantur. Fuisse autem hoc tempore Amariam filium Meraiothi Pontificem iudex anni præsentis ostendit, licet quidam inepte Phineem prodant.

apud Pontificem in Silo.

III. Anni in certos Pontifices distribuuntur.

Quoniam vero Pontificum annos ex ipsa Scriptura, aut firma quapiam authoritate definire non possumus, vtendum est coniecturis, & anni in suos Pontifices certa proportione distribuendi. Cum ergo constet ex libro Iosue extremo, sub eius mortem Eleazarum quoq; Pontificem è viuis excessisse, superest vt annos à morte Iosue, siue Othonielis initio, vsque ad initium Pontificatus Heli, qui sunt 299. in Pontifices intermedios, prudenter, si quo modo possumus, diuidamus. Vix autem credibile est quemquã hisce tẽporibus ante annum quadragesimũ summum inisse pontificatum. Diu enim passim viuebatur, vt de Heli patet, qui vixit annos 98, Aaron quoq; Eleazar, & Phinees grandes natu, prouectæque senectutis obisse satis constat, vt

40. Othn. 80. Aod. 40. Barac. 40. Gedeon. 3. Abimel. 23. Thola. 22. Iair. 6. Iephte. 7. Abesan. 10. Aialo. 8. Abdõ. 20. Sæson. 299.

credere

credere possimus eos primogenitos suos quadragenarios moriendo reliquisse, vt summo, religiosissimoq; magistratui congrua ætate succederent. Cum autem bellicis laboribus implicati principes magna ex parte quadragenis annis populo præfuerint, vt Moyses, vt Othoniel, vt Barac & Debbora, vt Gedeon, vt Aod qui etiam id tempus duplicauit, & postea Heli, & Samuël cum Saüle & Dauid & Salomon; & ij qui alij, certe ijs, qui publicam rem sacram tractabant, & à bellicis laboribus & cæsibus immunes erant, parem annorum numerum possumus non temere assignare.

IV. Eisq; quadrageni fere assignantur.

Si ergo prædictos 290. annos per quadragenas spatia diuidamus, inueniemus septem Pontifices quibus singulis annos 40. assignemus, octauum autem cui nouemdecim tantum supersint. Atqui inter Eleazarum & Helium octo Pontifices numerantur initio quarti libri Esdræ: quem scio equidem non esse canonicum, antiquis tamen Scriptoribus autoritate non imparem. Numerum ergo ab hoc autore sumimus, nomina vero singulorum ex canonica Scriptura. Qua methodo obseruata Amariam hoc tempore habemus Pontificem, cui deinde Achitob, tempore Samsonis succedet.

3. 1. Paral. c. 9. v. 4 & 50.

Ad Amariam igitur Pontificem clamores populi concursusq; facti, impiam defectionem à Deo suo agnoscentis, atque deplorantis. Sed eo difficiliorem se Dominus præbet in exaudiendis precibus populi, quam in præcedentibus defectionibus, quo hæc solennior fuit ac detestabilior. Quin etiam irato similis, recusat auxilium, & afflictis insultat. *Non addam*, inquit, *vt vltra vos liberem, ite & inuocate Deos quos elegistis: ipsi vos liberent in tempore angustiæ.* Alludere videtur ad fœdus percussum cum Baal tempore Abimelechi.

Dominus difficilem se præbet.

Iud. 10. 13. 14.

V. Populusque vehementius instat.

Verum quia desideria dilata crescent, vrgent illi clamore Dominum, & miserissimum eius pectus humili atque iterata confessione pulsantes, simulque simulachra idolorum proijcientes de finibus suis, *seruierunt Domino Deo*: renouarunt videlicet fœdus cum Deo in Silo per Amariam Pontificem, & placauerunt Deum, *qui doluit super miserijs eorum*, & statuit eos à malis ipsorum eripere. Ipsi autem vicissim manum operi admouent. Conuenerant enim aliquot à Galaaditis in Maspha coacto, de communi re deliberant: statuunt renouandos ad bellum animos, diuinam opem, reconciliato iam Numine, non defuturam. Moxque de duce belli deliberari cœptum, quoniam sine eo, & quidem præstanti viro, nihil recte agi potest. Iam tum Iephte, diuino vtique instinctu, aliquid moliri contra hostem cœperat, & crebris eos insperatisque velitationibus, latronum more fatigare, iam vsum aliquem nomenque strenui bellatoris collegerat. Ergo communiter visum est eius conatum maioribus copijs atque autoritate munire, rotique expeditioni præficere: idque mox missa honorifica legatione factum est.

Quirē aggreditur aduocato Iephte inducem.

VI. Quis ille fuerit.

Quis autem fuit hic Iephte? De eo quatuor Scriptura tangit, originem, cum ait fuisse Galaaditem, id est de tribu Manasse. Nam vrbs, mons, & regio Galaad ad eam partem Manasse pertinebat, quæ erat trans Iordanem, licet mons ille, ac regio ad tribum Gad ex parte pertineret, ideoque nonnulli eum Gaditam putarunt. Genus addit paternum maternumque, fuisse nimirū filium primarij viri nomine Galaad, qui fuit de posteris illius Galaad, qui viuo adhuc Moyse clarus fuit: materno autem genere degrauatur, vt qui fuerit ex fornicatione susceptus. Eum tamen reddidit sua virtus illustrem, & præ legitimis fratribus gloriosum: à quibus eiectus est domo, re vt apparet, ad magistratum delata, à quo modica fuerit portione hæreditatis aspersus. Hæc denique fuit eius vitæ ratio, vt collectis egenis aliquot, sibi & fortuna & virtute similibus, de hostibus prædas ageret, vt postea Dauidi contigit, cum infensum haberet Saulem.

VII. Missa ad eum legatio, cū ob iurgatione recepta est.

Ergo Ammonitis acriter instantibus miserūt Galaaditæ viros primarios ad Iephte, vt ille rem serio agi intelligeret, magisque moueretur ad eorum postulatis acquiescendum. Summa legationis hæc fuit, *Veni, & esto princeps noster, & pugna contra filios Ammon.* Vides vt oblato statim principatu præteritam offensionem auertūt, & priorem ignominiam præsenti gloria delere volunt. Iephte nihilominus commotior, *nonne vos estis*, inquit, *qui odistis me, & eiecistis de domo patris mei?* Apparet istos, quos Scriptura non vocat fratres Iephte, sed *maiores natu de Galaad*, fuisse Iudices populi; ex quo etiam colligitur eiectionē Iephte publica autoritate fuisse factam. Et acculationi, criminationiue nihil illi respōderunt, quod parum ad illum sibi conciliandum excusatio valitura videretur. Ergo odiosa illa dissimulare silentio, & iratum animum tacita quadam culpæ cōfessione mitigare maluerunt. *Ob hanc igitur causam*, inquiunt, *nunc ad te venimus*, vt præteritam culpam præsenti summissione deleamus, teque rogemus, vt ea omni iniuria patriæ charitati cōdonata, *proficiscaris nobiscum, & pugnes contra filios Ammon, fiasq; dux omnium, qui habitant in Galaad*, id est trans Iordanem. Nihil enim poterant legati isti pro cæteris tribubus polliceri, cum ab illis missi non fuissent.

VIII. Iephte postulationi acquiescit, & fit princeps populi.

Acquieuit Iephte, ea conditione, vt bello feliciter peracto, principatum quem offerebāt reliqua vita conseruet. Quod cum legati spopondissent, & sponsionem iureiurando firmassent, abijt cū ipsis Iephte, & populus promissi factus est autor, vtique sapienter. Sic enim suam erga ipsum beneuolētiam demonstrabant, qua fiebat vt tanto ipse animosius pro eorum salute decertaret: ostendebant quoque nihil se de ipsius fide dubitare, quin cōmuni bono, vt legitimus princeps, consulturus esset. Tanto deniq; maiore studio bellum gesturus erat, quum pro bono, non quod speraret, sed quo iam frueretur arma tractaret. Magis enim mouet bonum certū ac præsens, quam incertum ac futurum. Quod autem ab istis tribubus factum est hoc tempore, id paulatim à cæteris factum esse constat, cū in eius morte vniuersè dicatur, eum Israëlem sex annis iudicasse, id est omnes, quæ hoc nomine continentur tribus. Itaq; & alibi quoq; cæteris Iudicibus annumeratur. Nisi forte Ephraimitæ sibi solis cōsilium capere voluerunt, & pro ingenita superbia, vt olim Gedeoni, sic nunc Iephte obstrepere ausi sunt, imo & bello eum petere, magno suo malo, vt sequenti capite intelligetur.

IX. Iephte pacē quærit ab Ammonitis.

Constitutus igitur Iephte princeps, voluit cōtentionem omnem, si fieri posset, pacifice terminare, nequ ad vim nisi coactus venire. Per legatos ergo petit, qua de causa Ammoni æ bello

Sabbaticus 37. & exitus ab Ægypto vndecentesimus, natus est Heli, qui postea Pontifex annis 40. Rempub. administrauit. Vixit enim annos octo & nonaginta, qui hinc ad vltimum eius Pontificatus annum, exactè reperiuntur. Hic porro Amariam Meraiothi filium nouum Pontificem ponimus, postquam Meraiothum 40. circiter annos in Pontificatu reliquimus: cuius rei ratione infra anno primo Iephte reddemus. Ad hunc quoque annum referimus, vt ante significatum est, transmissum ab Ammonitis cum exercitu Iordanem, vt attritis iam Galaaditis, coniunctis cum Philistæis viribus, collatoq; nocendi studio, eos qui cis Iordanem habitabant, & cæteris potentia, multitudine, & soli bonitate præstabant, eadem qua cæteros humanitate tractarent. Quod Scriptura significat, cum ait Galaaditas vehementer oppressos fuisse, *in tantum*, inquit, *vt filij Ammon Iordane transmisso vastarent Iudam, & Benjamin, & Ephraim.* Quod si hos quoque qui præsidium aliorum erant & robur, tempestas huius calamitatis afflixit, quid de reliquis tribubus existimandum est?

Carthaginem conditam hoc anno refert Eusebius ex Philisto; sed ille conditus admodum varij atque incerti temporis est, propter Scriptores admodum diuersa opinantes. Consule si placet Annales hoc loco.

Ortus Heli. 1. *Reg.* 4. 15. 7. *Iair reliqui.* 6. *Iephte.* 7. *Abesan.* 10. *Ajalo.* 8. *Abdon.* 20. *Sæson.* 40. *Heli.* 98.

Trāsitus Ammonitarum.

II. Carthago condita.

ANNVS MVNDI 2848.

IAIRI 22. & vlt. AMARIÆ Pont. 7.

MITRÆI 27. & vlt. Imperij Assyr. 917.

ANTE CHRISTVM 1205.

DVos hic annus Principes morti dedit, Mitræum Assyriorum principem vigesimum sextum, & Iairum Iudicem Hebræorum à Iosue nonum, qui mortuus est mœrore fortassis quam annis grauior; quippe qui Rempub. non perturbatam solum, sed pene prostratam relinquebat, cui nullam opem afferre potuisset. Forte etiam filios illos suos, pro delicatis mulatum equitibus videbat agasones. De morte ipsius Scriptura hæc pauca refert, *mortuusque est Iair ac sepultus in loco, cui est vocabulum Camon*, quod erat oppidum in Galaaditide, in tribu scilicet Manasse, ex qua ille erat oriundus. Erat enim apud Hebræos quoque illa consuetudo, vt filij in sepulchro patrum suorum sepeliri cuperent, eoque priuari infelicitati ducerent. Vt ex plurimis Scripturæ locis ostendi potest. Interea vero Iephte patria pulsus cum aliqua militum manu, vagabatur in terra Tob, quæ erat in tribu Gad trans Iordanem, prædasque non inglorius agebat, de quo deinceps dicendum est nobis

(*)

I. Iairi & Mitræi obitus.

Gē. 47. 30. *Iud.* 8. 32. & 16. 31. 2. *Reg.* 2. 32. & 17. 23. & 19. 37. & 22. 14. 2. *Macha.* 3. 10. &c.

ANNVS MVNDI 2849.

IEPHTE 1. AMARIÆ 8.

TEVTANIS 1. Imperij Assyriorum 918.

ANTE CHRISTVM 1204.

TRia è sacra historia ad hunc primum Iephte annum pertinent; primum deterrimus seruitutis status, & incrementum: tum Israelitarum ad Deum conuersio, clamor, & pœnitentia; denique electio Iephte in principem contra Ammonitas. Sed prius aliquid de Pontificum Hebræorum annis dicamus; Est porro hic annus Sabbaticus ordine 38. Atrocis Israëlitarum calamitatis indicium est, missus ad Dominum, vt in Ægypto, clamor: qui ex eo apparet excitatus, quod viderunt Ammonitas redintegratis copijs in Galaaditide fixisse tentoria; siue quod Israelitas res nouas moliri, & iugum seruituris excutere velle suspicarentur, siue vt Iephte, cum suis latrunculis cursitantes, compescerent, ne ille forte ab Israelitis electus in Ducem, vt erat vir fortis & manu promptus, luctuoso Ammonitis bello initium daret. Ergo congregati conclamasse dicuntur, id est, militari clamare, vel tubarum sono suos congregasse in terra Galaad, quam dudum inuaserant, & ex qua vicinum in Ammonitidem, si quid aduersi contingeret, receptum habebant.

I. Summa rerū anni huius.

Annus Sabbat. 38.

Renouāt Ammonitæ vexationem Israelitarum.

II. Israelitæ clamant ad Dominum.

Israelitæ autem iam attriti malis, cum nouum hunc militum nimbum viderent, ipsorum, vt metuebant, cruore saginandum, neque se ad eā tempestatem auertendam idoneis instructos præsidijs intelligerent, humanis deserti auxilijs, ad diuina denique, diuino vtique afflatu, confugerunt. *Et clamantes ad Dominum dixerunt, Peccauimus tibi, quia dereliquimus Dominum Deum nostrum, & seruiuimus Baalim.* Fuit hæc vox non vnius de populo, sed omnium; non vno aliquo in loco fusa, sed sicut vbique malum & verbera, sic vbique luctus & clamor, non seorsim & in angulis, sed publice, & in plateis; Maximè autem flagitabatur in Silo, vbi arca Domini Dei centesimum iam ac sexagesimum annum morabatur. Ibi Pontifex, Sacerdotes, ac Leuitæ omnes, ad preces & hostias pro totius populi calamitate Deo offerendas excitabantur. Fuisse autem hoc tempore Amariam filium Meraiothi Pontificem iudex anni præsentis ostendit, licet quidam inepte Phineem prodant.

apud Pōtificem in Silo.

III. Anni in certos Pontifices distribuuntur.

Quoniam vero Pontificum annos ex ipsa Scriptura, aut firma quapiam authoritate definire non possumus, vtendum est coniecturis, & anni in suos Pontifices certa proportione distribuendi. Cum ergo constet ex libro Iosue extremo, sub eius mortem Eleazarum quoq; Pontificem è viuis excessisse, superest vt annos à morte Iosue, siue Othonielis initio, vsque ad initium Pontificatus Heli, qui sunt 299. in Pontifices intermedios, prudenter, si quo modo possumus, diuidamus. Vix autem credibile est quemquā hisce tēporibus ante annum quadragesimū summum iniisse pontificatum. Diu enim passim viuebatur, vt de Heli patet, qui vixit annos 98. Aaron quoq; Eleazar, & Phinees grandes natu, proiectæque senecturis obiisse satis constat, vt

40. *Othō.* 80. *Aod.* 40. *Barac.* 40. *Gedeon.* 3. *Abimel.* 23. *Thola.* 22. *Iair.* 6. *Iephte.* 7. *Abesan.* 10. *Ajalo.* 8. *Abd.* 20. *Sæson.* 299.

credere

credere possimus eos primogenitos suos quadragenarios mortendo reliquisse, vt summo, religiosissimoq; magistratui congrua ætate succederent. Cum autem bellicis laboribus implicati principes magna ex parte quadragenis annis populo præfuerint, vt Moyses, vt Othoniel, vt Barac & Debbora, vt Gedeon, vt Aod qui etiam id tempus duplicauit, & postea Heli, & Samuël cum Saüle, & Dauid & Salomon; & si qui alij, certe ijs, qui publicam rem sacram tractabant, & à bellicis laboribus & cælibus immunes erant, patem annorum numerum possumus non temere assignare.

IV. Eisq; quadrageni fere assignantur.

Stergo prædictos 290. annos per quadragenaria spatia diuidamus, inueniemus septem Pontifices quibus singulis annos 40. assignemus, octauum autem cui nouemdecim tantum supersint. Atqui inter Eleazarum & Heli octo Pontifices numerantur initio quarti libri Esdræ: quem licet equidem non esse canonicum, antiquis tamen Scriptoribus autoritate non imparem. Numerum ergo ab hoc autore sumimus, nomina vero singulorum ex canonica Scriptura. Qua methodo obseruata Amariam hoc tempore habemus Pontificem, cui deinde Achitob, tempore Samsonis succedet.

1. Paral. c. 9. v. 4 & 30. Dominus difficilem se præbet.

Ad Amariam igitur Pontificem clamores populi concursusque facti, impiam defectionem à Deo suo agnoscentis, atque deplorantis. Sed eo difficiliorem se Dominus præbet in exaudiendis precibus populi, quam in præcedentibus defectionibus, quo hæc solennior fuit ac detestabilior. Quin etiam irato similis, recusat auxilium, & afflictis insultat. *Non addam*, inquit, *vt vltra vos liberem, ite & inuocate Deos quos elegistis: ipsi vos liberent in tempore angustiæ.* Alludere videtur ad fœdus percussum cum Baal tempore Abimelechi.

Iud. 10. 13. 14.

V Populusque vehementius instat.

Verum quia desideria dilata crescent, vrgent illi clamore Dominum, & mirificum eius pectus humili atque iterata confessione pulsantes, simulque simulachra idolorum proijcientes de finibus suis, *seruierunt Domino Deo*: renouarunt videlicet fœdus cum Deo in Silo per Amariam Pontificem. & placauerunt Deum, *qui doluit super miserijs eorum*, & statuit eos à malis ipsorum eripere. Ipsi autem vicissim manum operi admouent. Conuenit enim aliquo à Galaaditis in Maspha coacto, de communi re deliberant: statuunt renouandos ad bellum animos, diuinam opem, reconciliato iam Numine, non defuturam. Moxque de duce belli deliberari cœptum, quoniam sine eo, & quidem præstanti viro, nihil recte agi potest. Iam tum Iephte, diuino vtique instinctu, aliquid moliri contra hostem cœperat, & crebris eos insperatisque velitationibus, latronum more fatigare, iam vsum aliquem nomenque strenui bellatoris collegerat. Ergo communiter visum est eius conatum maioribus copijs atque autoritate munire, totique expeditioni præficere: idque mox missa honorifica legatione factum est.

Qui rē aggreditur aduocato Iephte in ducem.

VI. Quis ille fuerit.

Quis autem fuit hic Iephte? De eo quatuor Scriptura tangit, originem, cum ait fuisse Galaaditem, id est de tribu Manasse. Nam vrbs, mons, & regio Galaad ad eam partem Manasse pertinebat, quæ erat trans Iordanem, licet mons ille, ac regio ad tribum Gad ex parte pertineret, ideoque non nulli eum Gaditam putarunt. Genus addit paternum maternumque, fuisse nimirū filium primarij viri nomine Galaad, qui fuit de posteris illius Galaad, qui viuo adhuc Moyse clarus fuit: materno autem genere degrauatur, vt qui fuerit ex fornicatione susceptus. Eum tamen reddidit sua virtus illustrem, & præ legitimis fratribus gloriosum: à quibus eiectus est domo, ie vt apparet, ad magistratum delata, à quo modica fuerit portione hæreditatis aspersus. Hæc denique fuit eius vitæ ratio, vt collectis egenis aliquot, sibi & fortuna & virtute similibus, de hostibus prædas ageret, vt postea Dauidi contigit, cum infensum haberet Saulem.

VII. Missa ad eum legatio, cū ob iurgatione recepta est.

Ergo Ammonitis acriter instantibus misērūt Galaaditæ viros primarios ad Iephte, vt ille rem serio agi intelligeret, magisque moueretur ad eorum postulatis acquiescendum. Summa legationis hæc fuit, *Veni, & esto princeps noster, & pugna contra filios Ammon.* Vides vt oblato statim principatu præteritam offensionem auertūt, & priorem ignominiam præsenti gloria delere volunt. Iephte nihilominus commotior, *nonne vos estis*, inquit, *qui odistis me, & eiecistis de domo patris mei?* Apparet istos, quos Scriptura non vocat fratres Iephte, sed *maiores natu de Galaad*, fuisse Iudices populi; ex quo etiam colligitur eiectionē Iephte publica autoritate fuisse factam. Et accusationi, criminationiue nihil illi respondent, quod parum ad illum sibi conciliandum excusatio valitura videretur. Ergo odiosa illa dissimulare silentio, & iratum animum tacita quadam culpæ cōfessione mitigare maluerunt. *Ob hanc igitur causam*, inquiunt, *nunc ad te venimus*, vt præteritam culpam præsenti summissione deleamus, teque rogemus, vt ea omni iniuria patriæ charitati cōdonata, *proficiscaris nobiscum, & pugnes contra filios Ammon, fiasq; dux omnium, qui habitant in Galaad*, id est trans Iordanem. Nihil enim poterant legati isti pro cæteris tribubus polliceri, cum ab illis missi non fuissent.

VIII. Iephte postulationi acquiescit. & fit princeps populi.

Acquiescit Iephte, ea conditione, vt bello feliciter peracto, principatum quem offerebāt reliqua vita conseruet. Quod cum legati spopondissent, & sponsionem iureiurando firmassent, abijt cū ipsis Iephte, & populus promissi factus est autor, vtique sapienter. Sic enim suam erga ipsum beneuolētiam demonstrabant, qua fiebat vt tanto ipse animosius pro eorum salute decertaret: ostendebant quoque nihil se de ipsius fide dubitare, quin cōmuni bono, vt legitimus princeps, consuluturus esset. Tanto deniq; maiore studio bellum gesturus erat, quum pro bono, non quod speraret, sed quo iam frueretur arma tractaret. Magis enim mouet bonum certū ac præsens, quam incertum ac futurum. Quod autem ab istis tribubus factum est hoc tempore, id paulatim à cæteris factum esse constat, cū in eius morte vniuersè dicatur, eum Israëlem sex annis iudicasse, id est omnes, quæ hoc nomine continentur tribus. Itaq; & alibi quoq; cæteris Iudicibus annumeratur. Nisi forte Ephraimitæ sibi solis cōsilium capere voluerunt, & pro ingenita superbia, vt olim Gedeoni, sic nunc Iephte obstrepere ausi sunt, imo & bello eum petere, magno suo malo, vt sequenti capite intelligetur.

IX. Iephte pacē quærit ab Ammonitis.

Constitutus igitur Iephte princeps, voluit cōtentionem omnem, si fieri posset, pacifice terminare, nequ ad vim vlli coactus venire. Per legatos ergo petit, qua de causa Ammoni æ bello

vexent Israëlitas. Respondet Rex Ammonitarum, occupatam ab Israëlitis quandam partem regionis sibi debitam. Quod cũ pluribus Iephte refutasset, nec ille acquiesceret, ad arma ventum est. Illud tamen argumentum à præscriptione antiquæ trecentorum annorum possessionis dubitatione non caret. Rabini certe multo se labore vexant, vt hunc numerum præcise reperiant, cum ab egressione ex Ægypto plures sint, à deuicto Seone rege Amorrhæorum, qui eam regionem possidebat, pauciores. Sed inepti sunt admodumq; rudes, si nesciunt in huiusmodi cõtentionibus numeros certos pro incertis poni, & quidem plures potius, si id ad rem faciat, quam pauciores: deniq; integros referri, fractos omitti. Sunt autem reuera à deuicto Seone, qui vltimo anno Mosis victus & occisus est, 266. quibus si addideris annos 40. peregrinationis Arabicæ, existet numerus Egressionis ex Ægypto, & datæ legis, sextus supra trecentesimum.

266. 40. 306.

Ergo cum lis dirimi lingua non posset, ventum est ad manus, sed proximo anno, quoniam, vt ante diximus, secundo Iephte anno Ammonitæ ab Israëlitis debellati sunt. Reliquo tamen hoc anno, cum factus esset *Spiritus Domini super Iephte*, circuiuit Galaad, & Manassem, eos ad arma, certamque libertatem ex Dei voluntate vocans, cuius in se spiritum haud obscurè prodebat. Et dabat ei Dominus vocem virtutis, vt ei crederetur, sicut postmodum illi dedit victricem dexteram, vt facta promissis æquaret. Ex capite autem sequenti constat etiam trans Iordanem petita ab Ephramitis auxilia, & reculata. Fortassis etiam ab alijs tribubus de victoria dubitantibus, & aduersarios, si quid aduersi contingeret, contra se magis, magisque irritare formidantibus.

X. Repletur Spiritu Domini, & conuocat Israëlitas. *Iud.* 11. 29

cap. 32. Ephraimitæ negligunt.

Iam vero quod ad profanam anni huius historiam attinet, nouum in eo regem Assyriorum suggerit Eusebius, nomine Teutanem, siue Teutamum, qui nobis est vigesimus septimus, sicut & Africano & S. Augustino: Eusebio autem ob præteritum Belum vigesimus sextus: vtriq; autem duos illi supra 30. annos tribuunt.

XI. Teutanes rex Assyriorum.

Hoc primo anno Teutanis, ait Eusebius constitutum ab Hercule agonem Olympicũ, à quo, inquit, vsque ad primam Olympiadem supputantur anni quadringenti & triginta, quæ ratio temporis nostram præclare confirmat, qui initium Olympiadum in primum annum Ioathami filij Oziæ retulimus, qui est annus mundi 3278. A præsenti enim anno, qui est Mundi 2849 numerando, sic vt præsens annus sit primus. descendendo ad Olympiades, reperies quadringentesimum trigesimum annum concurrere cũ primo Ioathami, computatis extremis. Sæpius autem institutos, aut restitutos hosce ludos, ex Pausania in Annalibus reperies, quæ sint ipsis visu Philologis.

Institutio agonis Olympici ab Hercule.

2849. 430. 3278.

Refert in hunc ipsum annum Eusebius raptũ Helenæ à Theseo, quamuis male dissentiente Scaligero. Si enim huic puellæ, quam Plutarchus cum Hellanico vocant virginem nondum nuptijs tempestiuam, decem annos tribuerimus, cũ post annos 14. iterum à Paride rapta est 24. annorum fuerit, & expugnato intra decennium Ilio quatuor & 30. vt à Menelao marito cui reddita est, filios adhuc habere potuerit, cum quo post octauum annum in patriam redijt, vt ait Hygi-

XII. Raptus Helenæ à Theseo

nus. Sed de his plura in Annal. ex Pausania & Plutarcho. Hic tamen raptus annis aliquot differendus esset, propter omissos ab Eusebio decem Aialonis annos, contra manifestam Scripturæ sententiam. Nec tamen eum loco mouemus, quia certam eius sedem ignoramus. *Iud.* 12. 11.

ANNVS MVNDI 2850.

IEPHTE 2. AMARIÆ 9.

TEVTANIS 2. Imperij Assyriorum 919.

ANTE CHRISTVM 1103.

CVm reliqua superioris anni parte, Iephte Imperatoris mandato, miles coactus esset, & auxilia ab Ephraimitis frustra petita, is hoc anno cum copijs in Ammonitidem transit infestus: votũ propitiando Deo vouet: ab Ephraimitis magno ipsorũ malo lacessitur: votũ voti teus exequitur. Hæc secundo Iephte anno gesta, iuxta Hebræorum traditionem, vt supra, in primo huius Seruitutis anno diximus. Sed & illud obiter hic tangendũ, esse hunc mundani Iubilæi annum 57. Apparet porro Iephte prudentia in eo quod in hostilem regionem traducit exercitum, cò vastitatem illaturus, & hostem ad sua tuanda retracturus; quo facto & patriam suam graui onere leuabat, & hostilem terram gemino grauabat exercitu. Fuisse autem hunc transitum arduum & periculosum, docet Spiritus ille fortitudinis à Deo duci datus: & ipsum eius votum, quod non nisi in re periculosa, atque ancipiti emitti solet. Ideoq; Ambros *Iephte*, inquit, *euentu belli conflictatus ambiguo præliorumq; veritus incerta, votum vouit suorum præsuli triumphorum.*

I. Rerum anni huius summa.

Iephte in regionem hostilem prudẽter transgreditur.

Eius porro voti æquitas apud graues autores ambigua est. Ego ad eos libentius accedo, qui rem totam singulari Dei inspiratione susceptam fuisse, perfectamq; arbitrantur. Idq; non obscurè Scriptura ipsa significat. *Factus est ergo*, inquit, *super Iephte Spiritus Domini, & circumiens Galaad & Manasse, Maspha quoq; Galaad, & inde transiens ad filios Ammon, votum vouit Domino, dicens*, &c. Vbi vides receptionem spiritus Domini ad votum directe referri, tanquam præcipuam actionem, & medium diuinitus ad victoriam electum: illa autem locorum enumeratio, quasi in transitu, obiter attingitur; fuit enim tantum inchoatio quædam diuini operis, ipsa autem victoria fuit effectus voti. Imò, aiunt, fuit effectus pœnitentiæ populi. Respondeo tam populum, quam principem victoriam promeruisse apud Deum, illum pœnitentiam agendo, istum vouendo. Et vtrumque oportuit agere cum Deo, tam pugnando, quam promerendo victoriam. Nec dici potest per actum malum Iephte promeruisse victoriam: id enim naturæ meriti repugnat.

II. Votum eius Spiritu Dei fuit.

ciusque effectus victoria.

Postremo in re dubia, cùm neque Scriptura, neque aperta ratio contra pugnant, æquius est in mitiorem partem propendere, præsertim vbi de viris illustribus ac sanctis agitur. Atqui Scriptura ad summum rem dubiam facit, homi-

III. Idq; confirmatur ex ipsa scriptura.

nem

nem nunquam reprehendit, vbique laudat; cum tamen is sponte sua edidisset hoc votū, atq; exoluisset, magnæ in vouēdo temeritatis, maximæ in reddendo voto crudelitatis reus fuisset. Nec euidens est vlla ratio, quæ eximat Deum ab hoc voto alienum fuisse. Quæcunque autem à Patribus de hoc voto contrà Iephte dicuntur, explicanda sunt de hoc voto, si sponte propria, & nō ex diuina, quod nos contendimus, inspiratione factum esset. Idemq; oportet sentire Hieronymum, cum ait, *Iephte obtulit virginem filiam, & idcirco in enumeratione Sanctorum ab Apostolo ponitur*, qui alioqui ponendus fuerat in catalogo parricidarum.

Responsio ad patrum sententias contra Iephte.

Epi. 34. ad Iulian.

IV. Votū Iephte quale.

Iephte igitur diuino spiritu incitatus, votum concipit, sub conditione victoriæ, quam nomine pacis intelligit, de offerendo inholocaustum eo, qui primum ipsi occurrisset, nihil in particulari determinās, vt docet mox secuta admiratio, & gemitus in occursu vnicæ filiæ: magnum quid tamen, vt ad rem permagni momenti obtinendam se offerre existimans, vt ait Augustin. & ne eum periurum faciamus, dicendum est vouisse, cum certa voluntate voti exequendi. Speraſſe tamen, Deum, si executio ei cordi non foret, illam impediturum, sicut pridem Isaaci immolationem impediuerat. Verum consentaneum fuit, vt ait Seratius, vt Dominus aliquod exemplum ederet, in quo non religiosa modo voluntas tam difficilis oblationis, sed ipsa etiam effectio cerneretur, vtq; figura esset clarissima illius mortis, quam Christus Dominus causa nostra, non voluntate tantum & desiderio, sed re etiam ipsa passurus erat.

q. 49. in Iud.

V. Eius pugna & victoria.

Edito voto Iephte venit ad pugnam *contra filios Ammon, quos tradidit Dominus in manus eius, percussitq; ab Aroer vsque dum venias in Mennith viginti ciuitates, & vsq; ad Abel, quæ est vineis consita, plaga magna nimis. Humiliatiq; sunt filij Ammon à filijs Israel.* Ex quibus Scripturæ verbis primum habetur Iephte prælio victorem extitisse, fuso fugatoque hostili exercitu, tum victoria vsum, percutiendo, vastando, populando viginti oppida percursasse. Nec tamen ea, quamuis finitima transtulit in dominium Israëlitarum, quia iam olim vetuerat Dominus eos quidquam occupare de regione Moabitarum, Ammonitarum, atque Idumæorum. Atq; ita superbus Ammonitarum spiritus, qui iam decem & octo annorum curriculo inflatus intumuerat, & æquas pacis conditiones respuebat, compressus est: & ingenti clade humi prostratus atque afflictus, de sua libertate retinenda potius, quam de aliena per vim occupanda, vel detinenda cogitauit.

VI. Redeūtis domū luctus à filia.

Iephte igitur tanta parta victoria, & per eam toti populo suo libertate restituta, victor in patriam triumphatorque regreditur, totaque illi ciuitas Masphā in occursum effunditur, & domum gratulabunda comitatur. Sed ecce ingentem doloris segetem: subituro domum parenti occurrit vnigenita filia, cum tympanis & sociarum puellarum choris. Quo spectaculo conturbatus Imperator, scindit cū clamore vestimenta sua, & ait: *Heu me filia mea decepisti me, & ipsa decepta es.* Quasi dicat, fausta omnia, lætaque spectabam domi, & ecce in eius aditu cor meum acerbissimo dolore, sicut vestis ista laceratur, & quidem à te, quæ magnam mihi lætitiæ partem fore sperabas, tibi ipsi causa mortis es: mihi autē summi luctus, & deplorandæ, tristissimo facinore, orbitatis. Pergit pater explicare causam mœroris sui, & votū factum Deo, de ipsa in sacrificium offerenda. Quem patris dolorem qui accusant, non cogitant naturalem hunc affectum, ab autore naturæ animantibus inditum: nec præceptā à Deo vacationem doloris in tali sacrificio.

VII. Filiæ cōtrà virtus atque constātia

At filia mirabilis, *Pater mi*, ait, *si aperuisti os tuū ad Dominum* promissione facta sacrificij, *fac mihi quodcunq; pollicitus es*, quandoquidem factus es voti reus, *concessa tibi vltione, atque victoria de hostibus tuis*. Quibus verbis non solum non peccauit, sed laudatissimarum præbuit exempla virtutum, religionis in Deum, reuerentiæ in parentem, pietatis in patriam, magnitudinis animi, constantiæ, mansuetudinis: ad quam illa quoq; petitio duorum mensium pertinet, ad deplorandam cum sodalibus, tam sterilitatem suam, quā orbitatem patris. Vt sic leuamentum aliquod doloris inueniat, dum illum cum sodalibus lugubri cantu foras effundet: quia *Strangulat in clusum dolor, atque exæstuat imo Pectore.* Non petit longiorem morā executioni, legis illius memor, *Cum votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere*: ne id sit tacitè impedimenta reddendi voti præstolari. Neq; tamen decuit statim, quasi amentem in aram ascendere, in gladium ruere, in flammas insilire, sed bono maturoq; iudicio, ac tempore rem tantam, tamque inusitatam agere.

Deu. 23. 21

VIII. Motus Ephraimitarum & clades.

Dum autem duo isti menses in luctu abeunt, motus Ephraimitarum interuenit: non enim statim ab obtenta victoria, quippe iam dimiserat milites Galaaditas, quos reuocare oportuit. Eadem causa fuit eius seditionis, quam tamprid̄ ante annos 82. patres istorū contra Gedeonē concitarant, nimia videlicet gloriæ cupiditas, & rerum à Galaaditis bene gestarū inuidia. Apertam enim superbiam spirat illa oratio. *Quare vadens ad pugnam contra filios Ammon, vocare nos noluisti, vt pergeremus tecum? Igitur incendemus domum tuam.* Transierunt aūt Iordanem magno numero, tubarum sono conuocati vt in Hebræo Græcoque textu significatur, vt tutius vim inferre possent, idque ex magnitudine cladis liquido constat. Miserunt autem nuncios qui superbas hasce querelas minasque denunciarent. Quibus Iephte modeste respondet, sed ita vt vicissim eos falsitatis accuset cum ait, *vocaui vos vt præberetis mihi auxilium*, & iniustitiæ, cum subdit, *& facere noluistis*, debuerunt enim pro sua virili opem ferre patriæ laboranti. Nec tamen interea omittit prudenter reuocare Galaaditas suos, ex recenti victoria benè in ducem suum animatos, si forte Ephraimitæ ad arma venirent, vt apparebat, & reuera contigit. Pugnatum enim est, percusseruntq; viri Galaad Ephraim, plurimisque cæsis eorum superbiam retuderunt.

Iud. 12. 1.

IX. Multaq; apud Iordanem cædes.

Neque tamen finita pugna cædium finis. *Occupauerunt enim Galaadite vada Iordanis, per quam Ephraim reuersurus erat* in patriam. Ad quæ cum isti ex prælio fuga peruenissent, transitūque postularent, & se Ephraimitas metu mortis negarent, in eoq; mendacij arguerētur, quod pro spica decursum aquarum dicerent, pro scin pronunciato Samec, statim apprehensi iugulabantur, in ipso Iordanis transitu, & videlicet corpora in profluentē abijciebantur. Quo factū est vt tā in

ANNVS MVNDI 2854.

IEPHTE 6. & vlt. AMARIÆ 13.

TEVTANIS 6. Imperij Assyrio. 923.

ANTE CHRISTVM 1199.

HVnc annum, & omnia quæ ad Iephte pertinent, paucis hisce verbis Scriptura circunscribit. *Iudicauit Iephte Galaadites Israel sex annis, & mortuus est, ac sepultus in ciuitate sua Galaad.* Non male Caietanus putat aliter ipsum præfuisse Galaaditis, aliter reliquis Hebræis: istis scilicet vt Iudicem, illis vt Dominum. Nam de eorum cõsensu, etiam iureiurando interueniente, deuictis Ammonitis, factus est Galaaditarum princeps, qui tamen principatus ad eius posteros non est transfusus, quia nihil de eius posteris in ea conuentione dictum fuerat; cæteris autem Israelitis præfuit vt ordinarius magistratus. Quod autem dicitur sepultus in ciuitate sua Galaad, idem est ac si diceret, in vna de vrbibus Galaaditidis. In Hebræo habetur, in ciuitatibus Galaad. Quam occasionem Rabini arripuerunt suo more delirandi, dicendiq; plerib⁹ eum sepultum locis, quod partes eius computrescerent, & vt quæq; corrumpebatur, & dissoluebatur à corpore, ita modo in hoc, modo in illo sepeliretur oppido, Deo illius superbiam castigante, quod Phineam Sacerdotem super voto suo consulere noluisset.

I. Iephte obitus.

Quæ ineptiæ quam probabiles sint, vel ex eo colliges, quod Phinees ante ducentos annos è viuis abierat. Multo satius fuisset dicere, multoque sapientius, idem Iephte, quod cæteris viris principibus contigisse, vt vno quopiam in loco, vbi principem mori contigerit intestina sepeliantur, cætera aromatibus condita aliò transferantur. Vt ijs diebus quibus hæc primum scribebamus, in Christianissimi Regis Henrici magni funere factum est. Nam cor eius æternum paternæ in Societatem nostram beneuolentiæ monimentum, Flexiam in Collegium Societatis Iesv ab ipso fundatum, vti viuens mandauerat, solenni lugubriq; pompa à Patribus nostris translatum est, ipsum autem corpus ad D. Dionysij, in Christianorum Regum Mausolæis sepultum est. Sed redeamus in viam, à qua nos opportunè Rabbinorum insipientia deduxit, vt clarissimo, ac beneficentissimo principi, hoc qualecunque grati animi testimonium posteritati traderemus. Quod autem fuerit ciuitatis nomen, quæ Iephte defunctum excepit, facile est ex præcedenti capite colligere, vbi dicitur reuertisse domum suam in Maspha.

II. Deq; eo Rabbinorũ ineptijs

Anno Domini 1600

cap. 11. 34

Vir plane egregius fuit, & multis virtutibus præditus: sed qui nostram commendationem non desideret, cum ipsum Paulum Apostolum habuerit laudatorem, & ab eodem ad viros sine controuersia sanctissimos, Dauidem, Samuelem, & Prophetas meruerit aggregari. Etsi eum pleriq; viri alioqui grauissimi, & antiqui Patres, propter sacrificium filiæ valde reprehenderint. Sed posito diuino ad id sacrificiũ impulsu, quem supra docuimus, non est arguenda Iephte insipientia, sed laudanda potius obedientia, vt ait S. August. Pleniorem eius laudationem ex similitudine

III. Iephte commẽdatio.

q. 49. in Iud.

eaq; conuenientes culpæ.

X

Filia Iephte vera ac propria morte sacrificatur.

Cur Deus eam non impedierit.

XI.

Effecta victoriæ, Iephte dignitas.

Philisthæorũ quies.

prælio, quam in fuga & transitu ad quadraginta duo millia Ephraimitarum caderent. In quo toto negotio manifestum apparet Dei superbiam mortalium punientis iudicium, cum egregia analogia pœnæ atque peccati. Nam qui magno cum fastu Iordanem fratres suos iniuria affecturi transierant, in ipso Iordanis transitu à fratribus suis cum irrisione & contumelia iugulantur. Et qui cum turpi mendacio Iephte insultauerant, probabilem inferendi incendij causam quæritantes, ijdem in turpi ridiculoque mendacio deprehensi, fugam quæritantes, gladio cæsi aquis demerguntur.

Interea duo illi menses peregrinationi filiæ Iephte destinati effluxerant, & illa pari animi fortitudine, qua nuncium subeundæ mortis acceperat, eam ad patrem vltro subitura reuersa est. Quoniam vero Scriptura non dixit: Nec eam tradidit, sed *fecit ei sicut vouerat*, quidam mitiores non eam iugulatam, sed Deo dicatam, ad perpetuæ virginitatis custodiam sunt arbitrati, vt Romæ quondam Vestales, & in Christiana religione moniales. Verum communis sententia, cui præit Iosephus, de vera morte ea verba interpretatur, non enim vouerat spirituale sacrificium, rem tum inusitatam, & quæ à Beatissima Virgine duxit initium, sed reale, & cruentum, quale olim in Abrahamo præcesserat, & præter alios Sancti Ambrosius, & Augustinus annotarunt. Nec erat alioqui cur puella bimestre spatium peteret ad plangendam virginitatem suã, quam poterat toto deinceps vitæ tempore deplorare. Denique Chrysost. rationem addit cur Deus hanc eædem immisso Angelo vt olim in Abrahami sacrificio, non prohibuerit, ne scilicet omnes idem sperantes, idem temere vouerent, Deumq; tentarent: qui ex casu Iephte prudentiores facti sunt in vouendo. Cui rei seruiebat anniuersaria huius sacrificij apud Hebræos quatridui celebritas, quæ transijt in superstitionem apud eosdem, & apud Græcos imitationem. Nam sub hæc ipsa tempora Iphigenia in Aulide immolata est.

Deuictis porro fœliciter Iephte auspicijs Ammonitis, patrio solo recuperato, & seditiosis Ephraimitis seuere castigatis, credibile est reliquos Israëlitas partim admiratione virtutis, partim formidine potestatis, in supremum Iephte magistratum consensisse. Secuta etiam est Israëlitarum quies. Etsi enim nihil à Iephte, aut à sequentibus principibus gestum memoratur contra Philisthæos, qui pro sua parte cum Ammonitis Israëlitas proximis annis diuexauerant: Dici tamen potest eos clade Ammonitarum deterritos, non hostilem quidem in Hebræos deposuisse voluntatem: sed ab armis nihilominus cõsultò quieuisse. Israelitas autem tam potentes aduersarios irritare non ausos, libenter quoque, quasi ex condicto quieuisse, & vtrumque populum in quodam armorum instituto viuentem, sibi ab altero diligenter cauisse. Israel igitur quiescebat: Iephte autem mœrens in orbitate viuebat, cuius mœroris ipsa vitæ in principatu breuitas, nonnullum argumẽtum esse potest. Quarto enim anno à filia immolata ipse defunctus est. Nec dubium est interim eum, vt virum bonum & sanctum, Dei cultum, quantum in ipso fuit, restituisse, fouisse, atque frequentasse.

litudine cum Christo,& eiusdem vitæ compendium in Annalibus studiosus Lector inueniet,ne fastidiosum, dum ei placere & prodesse cupimus,offendamus. Qui Herculis furentis interitum, in hunc annum ab Eusebio relatum, & ex Apollodoro depromptum,ibidem reperiet.

ANNVS MVNDI 2855.

ABESANI 1. AMARIÆ 14.

TEVTANIS 7. Imperij Assyriorum 924.

ANTE CHRISTVM 1198.

I. Abesan in Iudicē eligitur.

IEphte mortuo cito in eius locum suffectus est Abesan. Non enim expediebat Reipub. eam diutius capite & rectore carere Philisthæis iampridem in prædam & occasionem intentis: vt eligeretur fauisse crediderim tam multiplicē prolem & cognationem. Eius enim 30. filios totidemq; filias Scriptura memorat,ex plurib⁹ scilicet vxoribus susceptos,sicut illa tempora ferebant. Ex quibus cum 30. generos,totidemq; sibi nurus ascercisset,affinitatibus abundans facile obtinuit,si tū ambitioni locus fuit,vt ad summum magistratum eueheretur,per quem ipsi omnes haud mediocriter honorarentur. Accedit quod vir bonus erat & iustus, si Rabbinos audimus,adeo vt Booz ab ipsis creditus fuerit. Ex quo etiam consequens est vt Israelem, qui nuper ad Dei cultum exterminatis Idolis, quasi solenni ritu redierat, in auita patrum suorum religione retinuerit: cuius rei quies à bellis, & cladibus nonnullum est argumentum. Contemnendi autem sunt Rabbini,qui Abesan Boozum esse tradiderunt, ratione temporis penitus refragante, præsertim si vnicum Boozum ponant. Quamuis eis,& viri iustitia faueat,& natiuitatis locus: ambo enim Bethlemitæ fuerunt.

Eius soboles.

Creditus Booz.

II. Helenæ raptus à Paride.

In hunc primum Abesani annum, Eusebius qui eum Esebonem vocat, refert posteriorem Helenæ raptum, à Paride Priami filio perpetratum, quem annum decimum facit ante captum Iliu⁹. Sed eius Chronologia hoc quoque loco non parum perturbata est, propter prætermissum Aialonem,& gubernationis eius annos decem. Nec tamen hunc raptum differemus, quia veram eius sedem certò assignare nō possumus: reliquos vero Abesani annos apparatui bellico tribuere licet, cum in eo Dictys Cretensis dicat octo annos fuisse consumptos, & nono bellum decennale inchoatum: sicque raptus Helenæ vno etiam anno accelerari posset:& bellum primo Aialonis inchoari,& decimo eiusdem terminari,quod faciendum esse eodem anno decimo probabitur. Historiæ porro veritatem Poetæ fabulis obscurarunt, neque Historici satis inter se conueniunt, vt ex Annalibus agnoscēs.

III. Quomodo contigerit. *Apollodor. Herodotus Dictys Cret. Dares Phryg.*

Admodum probabile videtur Paridem Priami filium, iuuenem forma præstantem, Helenam, quasi quoddam prodigium formæ, nuper à tot procis expetitam, & Menelao nuptui traditam adamasse, & imitatione Thesei, rapere statuisse, Priamo, vt ait Dares, non inuito, vt qui speraret se eo facto, vel Hesionem sororem recuperaturum, quam Telamon rex Salaminæ, Herculis dono habebat, vel non dissimili præda de Græcis, qui Hesionem rogati reddere noluerant vltionem capturum. Ergo Paris, qui & Alexander, Sparram nauigat, vbi à Menelao exceptus hospitio, Helenam eius vxorem cum multa præda non inuitam abducit. Ait enim Dictys, eam cum repereretur à legatis Græcorum, in eorum cœtum à Priamo adductam, facta abeundi potestate, respondisse, neque se in patriam regredi velle, neq; sibi cum Menelai matrimonio conuenire. Cum autem ille Troiam classe repeteret, tempestate in Ægyptum delatum scribit Herodotus, ibiq; rebus omnibus spoliatum, ægre à Proteo rege fuisse dimissum. At Dictys ait Paridem vi ventorum, Cyprum, & inde Sidonem veniss⁹e,& ibi regem, qui eum acceperat hospitio, nocte necasse, indeque cum Helena prædaque profectum, Troiam amissis duabus nauibus appuliss⁹e. Eligat lector Herodotone malit, an Cretensi fidem habere.

Sequens porro annus qui fuit mundi 2856. fuit quoque Sabbaticus trigesimus nonus, quem credere possumus obseruatum à Iudæis, si quid apud eos valuit non ita pridem renouatum cum Domino fœdus: simulacris inanium deorum exterminatis: aut metas à Philisthæis, quos Deus habebat ad manum, expeditos ad verbera, si quid hic populus stultus & insipiens, in diuino cultu grauius de more deliquisset, vt post quadriennium res ipsa probauit.

ANNVS MVNDI 2860.

ABESANI 6. AMARIÆ Pœn. 19.

TEVTANIS 22. Imperij Assyriorum 929.

ANTE CHRISTVM 1193.

I. Sexta seruitus omniū longissima.

SExtam hoc anno inchoamus Israelitarum seruitutem ab obitu Iosue, eamq; omnium si ab Ægyptiaca discesseris longissimam. Nam prima sub Cusano rege Mesopotamiæ octo annorum fuit. Altera sub Eglone rege Moabitarum decem & octo. Tertia sub Iabino rege Chananæorum annorum viginti. Quarta sub Madianitis tenuit annos septem. Quinta sub Ammonitis octodecim. Adest ergo sexta sub Philisthæis, de qua ita Scriptura. *Rursumq; filij Israel fecerunt malum in conspectu Domini, qui tradidit eos in manus Philisthinorum quadraginta annis.* Quando autem hi anni debeant inchoari non est facile definire. Vt varias opiniones missas faciam, facilè erit reperire initium, si finem eius recte constituerimus. Inde enim sensum versus regredi licebit, finem autem in morte Samsonis statuendum putamus. *Iud.13.1.*

II. Eius finis in morte Samsonis c.16. 30.

Cum enim moriente Samsone omnes principes Philistinorum occisi fuerint, vt Scriptura testatur, præter multorum millium stragem certe Dominationis neruos incisos esse oportet, neque ad multos annos apud Philistæos inueniri potuisse, quorum autoritate,consilio, viribus Israelitarum seruitus continuari posset, sed eos in lucro posuisse potius quod Israelitæ in eos vicissim non inuolarent. Id autem ex eo

confirmatur, quod à morte Samsonis totis 40. annis, quibus Heli Reipub. præfuit, nulla fit à Scriptura mentio seruitutis, imo capite 4. primi Regum repræsentat, non populum seditione facta seruitutem excutere volentem, sed populos duos viribus suppares, sub suis vtrumq; principibus ac magistratibus depugnantem. Et ideo Philistæi de dominatione præterita, non præsente loquuntur, cum aiunt, *Estote viri Philisthijm, ne seruiatis Hebræis sicut & illi seruierunt vobis*, seruisse dixerunt, non seruire. Quid quod mortuo Samsone non bellator aliquis in eius suffectus est locum, qui Rempub. Iudaicam aliquo modo sustentaret, sed Heli sacerdos sexagenarius. Accisis enim Philistæorum viribus, facile regendæ Reipub. & summo sacerdotio administrando, vnus idemque Heli par esse potuit. Denique S. Ambrosius apertè testatur Samsonem morte sua populum suum, quem captiuum inuenerat, liberum reliquisse.

c. 4. 9.

l. 9. Epist. 1. fi.

III. Initiũ in sexto Abesani.

Hoc ergo fine quadragenariæ seruituris satis constituto, initium eius in hunc sextum Abesani annum referendum est. Hunc enim numerum exactè conficiunt viginti anni Samsonis, Abdonis octo, Aialonis decem, & Abesani duo qui supersunt: vnde consequens est istorum Iudicum tempora minime fuisse pacifica, aut quieta, vt de Abdonis annis scribit Iosephus. Angelus enim qui Samsonis natiuitatem matri nũciauit, dixit ipsum liberaturum Israel de manu Philisthinorum, iam ergo illis seruiebant, quod explicans S. Ambrosius, *grauibus*, inquit, *tam diu Palæstinorum imperiis afflictabantur*. Nimirum istorum, quos dixi, Iudicum temporibus: quibus Samson pueritiam & adolescentiam transegit. Nec obstat huic assertioni, quod Scrip. non meminit huius seruitutis, nisi post mortem trium illorum Iudicum. Habuit enim propositum illos de quibus perpauca narrabat, percensendo coniungere, priusquam res Samsonis inchoaret, quas totis deinceps 4. capitibus, nulla alia narratione interposita, persequeretur. Eas autem inchoauit ab ista Hebræorum perfidia, pro qua punienda Philisthæi ab vltore Deo suscitati sunt.

l. 9. Epist. 1.

IV. Nõ fuisse cruentam sed tributariam.

Verum minime cruentam fuisse hanc seruitutem, sed sola fere pecuniarum contributione contentam, partim ex silentio Scripturæ constat, quæ id non erat prætermissura, vt hactenus non omisit, partim ex assertione Iosephi, qui ait tantum Palæstinos ab Israëlitis per 40. annos exegisse tributa, quibus contenti, suo illos more arbitrioque viuere permittebant. Abesanus igitur, mercatus fuerit pacem à Philisthæis tributis annuis persoluendis, ne modicum vitæ tempus, quod sibi superesse videbat, turbulentum foret & cruentum, & cani eius cum sanguine deducerentur ad inferos. Cuius in hoc genere institutum secuti sunt Aialem & Abdon per annos decem & octo, quando iam adultus Samson Philisthæos vexare, & seruituris iugum excutere cœpit, iuxta Angeli prædictionem. Ex qua intelligitur Samsonem non ante hunc annum fuisse conceptum, oportuit enim inchoatam esse seruiturem, quam Samson dicatur soluturus. Sed nec vltra differendus est, ne nimium adolescenti Reipub. gubernacula concedamus, quæ illi ad 20. annos tribuere, Scripturæ assertione compellimur. Itaque deinceps nobis de Samsone dicendum est.

Ortus Sãsonis, & ratio temporis.

Cum ergo Israëlitæ post Iephte viri Deum timentis obitum, ad idola perfidiosi reuertissent, tradidit eos Dominus in diuturnam, sed pro paterno in filios quamuis improbos animo, mitem ac tributariam, vt dixi seruitutem. Et vt magis admirere diuinæ prouidentiæ suauitatem, vix illi 40. anni erant inchoati, cum de liberatione sontium clemens ac misericors iudex cogitare cœpit: saluatorem & liberatorem populo suo, non sine miraculo præparans, ab ipso cõceptus eius exordio. Habuit enim Manue pater eius vxorem sterilem, vt medijs, extremisque Samsonis, prima respondeient, & Deus ipse autor intelligeretur operum eius, quæ naturæ ordinem, viresque superarent; sicut supra naturæ ordinem, fœcundata diuinitus sterili, emittebatur in lucem. Itaque Angelus Domini, qui ei apperuit, *& dixit ad eam, sterilis es, & absque liberis, sed concipies, & paries filium*, voluit mulierem in proximo conceptu partuque diuinum intelligere beneficium, nec naturæ tribuere, quod erat gratiæ peculiaris. Valuit quoque hæc denunciatio ab ignoto homine ad faciendam fidem de promissis, & ad obtinendam obedientiam, in ijs quæ præcipiebantur: ostendebat enim se à Deo venire, & occultorum habere notitiam.

V. Causa seruitutis, & diuina in reos iustitia.

Parentes Samsonis.

Præcipit autem ne bibat vinum aut siceram, neque immundum quippiam comedat, eo quod paritura sit filium, qui ab infantia sua futurus sit Nazaræus Dei, eique per Nazaræorum cerimonias consecratus, quas ipsam quoque ex parte obseruare oportebat, vt filium pluris faceret, ac bene de eo speraret, & mundum munda, & per iunctam obedientiam sanctificata conciperet. Speraret autem fore, vt ipse inciperet liberare Israël de manu Philistinorum. Non significat Angelus Samsonem inchoaturum liberationem, quam diximus eius morte finitam; sed ipsum primum fore, qui Israëlitas liberaret à Philisthæis; ab ipsis enim alij postea liberarunt eos, vt Samuel, Saul, Ionathas, Dauid, & alij, ante Samsonem nemo. His Angelum inter & mulierem transactis, ille euanuit, hæc ad maritum venit in oppidum, eique rem totam nunciauit. Quo nuncio excitatus Manue, rogauit Dominum vt rediret ille nuncius, quoniam mulier aiebat eum ad aliqua ipsi respondere noluisse, & alioqui verebatur ne non satis aut capere mulier, quæ audierat, aut retinere potuisset; & inde contingeret, vt circa puerum diuinæ voluntati non plane satisfieret.

VI. Samson Nazaræus.

Qui cœperit liberare suos à Philisthæis.

Exauditur Manue, redit Angelus ad mulierem, vt ille certior fieret per vxorem, eundem illum esse, qui prius apparuerat. Abeo autem eadem ille didicit, quæ prius coniux. Mox autem orat vt sacrificium pacificum offerat Deo, in gratiarum actionem, hœdum qui mox prandio seruiat. At Angelus negat sibi opus cibo, sed suadet vt hœdus Deo in holocaustum oblatus consumatur. Postremo Angelum de suo nomine interrogat; quod ille reticuit, contentus dicere se mirabili quodam nomine vocari. Neque enim vel Peli, vel θαυμαστον, vel occultum, vel mirabile proprium est nomen, sed commune. Caietanus putat quoddam illi fuisse nomen, quod interpretatum significet Mirabile. Illud certe videtur minime dubium suum cui-

Angelus abit sed eius reditũ Manue impetrat.

VII. Eius cum eo colloquium.

que

que Angelo nomen inditum esse diuinitus, quod indiuiduam singulorum naturam exprimat, & angelico sermone vsurpetur. Si enim nullum esset, neque mirabile, neque non mirabile dici posset.

VIII. Hœdum offert in holocaustum.

Cum isthac responsione Manue cogitabundus abijt, & accepit hœdum cum libamentis sacrificio necessarijs, & posuit supra petram, offerens Domino, qui facit mirabilia. Et certe mirabile est etiam hoc sacrificium, siue illud Angelus siue Manue, quod est probabilius obtulerit, neuter enim erat sacerdos. Adde quod neque in Sanctuario in Silo fiebat, neq; in altari diuinitus destinato. Ex igne tamen diuinitus, siue de petra, siue de lignis, siue etiam de carnibus educto intellectum est sacrificium Deo acceptum fuisse. Cum autem sursum flamma ferretur, implicuit se illi Angelus, & quasi ad Deum delaturus sacrificium euolauit in cœlum. Quo facto Manue cum vxore agnoscunt eum esse angelum, & venerabundi procidertunt in facies suas. Meruentem autem Manue, vxor consolatur, docetq; hæc omnia quæ contigerant indicia esse beneuolentiæ, non timoris iusti causas. Acceptum enim habere alicuius sacrificium, eique ostendere mirabilia, & prænunciare futura, amoris signa sunt: non enim munera dantur, neque secreta aperiuntur, nisi amicis.

ANNVS MVNDI 2861.

ABESANI 7. & vlt. AMARIAE 20.

TEVTANIS 13. Imperij Assyrior. 930.

ANTE CHRISTVM 1192.

I. Obitus Abesani.

VLtimus est hic annus Abesani, *septem* quippe *annis iudicauit Israel*, vt Scriptura testatur, nec satis feliciter. Nam quem acceperat liberum, seruum reliquit, & pro religioso, idolis addictum. Perijt, *mortuusque est ac sepultus in Bethleem*. Magna vtique pompa, triginta filijs cum totidem nuribus: triginta filiabus cum totidem generis senis funus cohonestantibus, luctuque prosequentibus, præter plurimam turbam neporum. Iosephus enim ait illum morientem omnes reliquisse superstites. Samson autem hoc anno in lucem editus, & de more octauo die circumcisus, matre præeunte vocatus est Samson: id enim requirit Hebræa vox, quæ ad fœminam pertinet. Quod illa nomen ab Angelo accepisse creditur, omen futuræ eius claritatis in populo Dei, Samson enim à plerisque omnibus vertitur *Sol eius*, scilicet populi.

Samsonis ortus.

II.

ANNVS MVNDI 2862.

AIALONIS 1. AMARIÆ 21.

TEVTANIS 14. Imperij Assyrior. 931.

ANTE CHRISTVM 1191.

I. Aialon iudex.

ABesano defuncto, in eius locum hoc anno suffectus est Aialon, ad decennium, quem Eusebius in Chronico audaci facinore prætermisit. Nec enim ignorare potuit, tam diserte in Scriptura Hebræa, Græca, Latinaque descriptum; & quem ipse quoque lib. decimo de præparatione Euangelica, loco suo collocauit: Nimirum redundabat eius chronologia decem annis, ad iacta vtique fundamenta templi, quos improuide tribuerat Iosue, quem certa ratio temporis exigit 17. tantum annis, & non 27. gubernasse Rempublicam.

Lib. 10. c. 14 Græc. Lat.

II. Troiani belli primus.

Hic quoque annus est Troiani belli primus. Cum enim omnium confessione constet id bellum tenuisse decennium: decimus autem, quo Troiam excisam ostendemus, in vltimum Aialonis annum cadat, necessario primus Aialonis erit eiusdem belli primus. Sed prius aliquid de tanti belli apparatu dicendum est. Is non paucorum annorum fuit, dum Paridis facinus absenti Menelao innotescit. (Erat is tum in Creta, vt ait Dictys Cretensis, qui se in eo bello sub Idomeneo Cretensium rege meruisse scribit. Dares autem Phryg. ait Menelaum ad Nestorem Pylum proficiscentem, Paridi in mari occurisse, ignarum quò ea classis tenderet) Dum Menelaus ipse re cognita Spartam repetit, dum vicinos, cognatosq; reges consilij causa conuocat, dum legati Palamedes, Vlysses, & Menelaus in Asiam nauigant. Helenam & quæ cum ea rapta fuerãt, à Priamo, Troianisque repetunt, dum re infecta in Græciam reuertuntur: ibique omnes Græciæ principes Lacedæmona conuocant, dum Argis bellum & inimicitias cum Priamo solenniter iurant, donec Ilium & regnum omne Troianum funditus eruant: & Agamemnone in Imperatorem electo singuli ad parandas naues, cæteraq; bello necessaria, in sua regna discedunt. Aulide communi consensu delecta, quò singulæ classes confluerent.

III. Et apparatus eius

Eas toto biennio præparatas ait Dictys Cretensis, alio tamen loco tradit omnium classium numerum toto quinquennio instructum, atque præparatum. Forte vult neminem è ducibus cum sua classe Aulidem appulisse ante biennium, quosdam autem non ante quinquennium, pro modo ac magnitudine cuiusque classis: numerat autem 1295. naues, Dares vero 1140. sub ducibus 69. In Aulide non minus vno anno mansere, hac diu exercitum vastante, Agamemnone constanter super filiæ sacrificio repugnante, Vlysse Mycenas nauigante, indeque Iphigeniam, spe futuri cum Achille coniugij abducente. Denique Dictys idem scribit eorum exercitum in Mysiam venisse, ibique contra Telephum pugnasse, prohibentem exscensionem exercitus, eoque postea reconciliato, dum nauigationis Troiam versus tempus idoneum expectatur, omnes in Bœotiam

reuersos,

reuertos, singulosque in regna sua hyematum abijsse, donec appetente vere Tenedon, indeq; Troiam tenuere. Nec dubitat idem autor affirmare, ab inchoata hac militia octo annos fuisse transactos, nonumque inchoatum cum Græci Troiam petiere. Ibi à Protesilao initium pugnãdi factum memorant, qui ducum primus solum Troianum, ab Ænea, vt ait Dictys, vel ab Hectore, vt mauult Dares, interfectus, suo sanguine cruentauit.

Initium pugnæ.

ANNVS MVNDI 2863.

AIALONIS 2. AMARIÆ 22.

TEVTANIS 15. Imperij Assyriorum 932.

ANTE CHRISTVM 1190.

ABsoluitur hoc anno quartum seculum ab ortu Mosis, in cuius nativitate quartam ætatem inchoauimus. Incidit in hunc eundem annum sabbaticus quadragesimus, est enim ducentesimus octogesimus ab ingressu in Chanan itidem, estque idem belli Troiani secundus, iuxta rationem temporis à nobis constitutam. Quid autem singulis annis gestum fuerit, studiosus lector à Darete Phrygio, & Dicty Cretensi petere poterit, quia nobis non licet esse tam prolixis.

ANNVS MVNDI 2870.

AIALONIS 9. AMARIÆ 29.

TEVTANIS 22. Imperij Assyriorum 939.

ANTE CHRISTVM 1183.

I. Annus seruitutis Philisthinorũ 11.

FVit hic annus Iudæis Sabbaticus 41. quẽ tributis Philisthæorum 11. iam annum grauatos, vix obseruasse crediderim. Fuit hic idem annus ætatis Samsonis decimus, quando sub studiosa parentum cura crescebat, & Nazaræatum accurate obseruabat. *Creuitq; puer*, ait Scriptura, *& benedixit ei Dominus*, quæ benedictio ad copiosa corporis animiq; bona, ei diuinitus præmaturè concessa, & in omen futurorum referri potest. *Cæpitq; Spiritus Domini esse cum eo*, id est mirabilibus effectis subinde manifestare sese, operibus fortitudinis supra ætatem perpetrandis, cũ habitaret in oppido, quod vocatum est Castra Dan, quod situm est inter Sarea & Esthaël. Vide S. Ambrosium.

l. 2. p. 36. c. 15. 25. Epist. 24. ad Vigiliũ.

II. Belli Troiani nonus. *Dictys l. 4*

Ad hunc penultimum Troiani belli annũ pertinet aduentus Pentheſilææ reginæ Amazonum in auxilium Priami, cum iam occubuisset Hector, & Troianæ res pene accisæ essent. Post eã ab Achille occisam, & à Diomede in Scamandrum flumen præcipitatam, omnesq; illius copias deletas, superuenit Memnon filius Thitoni præfecti Persidis, sub Teutane rege Assyriorum, cum ingentibus Indorum & Æthiopum copijs: qui cum plurimum damni Græcis inculisset, adeo vt de summa rerum diffiderent, tandem eum ab Aiace Telamonio percussus esset, ab Achille superueniente hasta transfigitur, eiusque milites ad latietatem interfecti. Diodorus ait eum Thessalorum insidijs circumuẽtum occubuisse, Myrmidonum scil. qui sub Achille militabant. Significat Dictys Troilum hoc ipso tempore ab Achille interfectum, post egregia ab eo facinora perpetrata, quæ narrat Dares Phrygius.

ANNVS MVNDI 2871.

AIALONIS 10. & vlt. AMARIÆ Pont. 30.

TROIÆ CAPTÆ 1.

TEVTANIS 23. Imperij Assyrio. 940.

ANTE CHRISTVM 1182.

TRoianum regnum armis vniuersæ Græciæ diu fatigatum atque concussum, hoc denique anno concidit, clade omnium pene scriptorum linguis literisq; celebrata. Hæc temporum nota cum fuerit deinceps omnibus seculis ad modum frequentata, non potest rectius stabiliri quam à posteriore alia non minus illustri temporum nota, initio scilic. Olympiadum. Nam ab excidio Ilij ad primum vsq; annum primæ Olympiadis, accuratissimi quique Chronologi tam recentiores quam antiqui fere consentiunt, numerari annos sex, septem, vel octo supra quadringentos quos inter se pugnare non arbitror, sed mirificè consentire. Nam qui sex & quadringentos annos ponunt, solos interiectos annos numerant, omissis extremis, qui 7. alterutrum terminum prætermittunt, qui octo vtrumq; numerant in quibus est Eusebius ipse in præpar. Euang. & Dionys. Halicarn. cum alijs antiquioribus, quos refert, & sequitur: sicque quadringentesimus octauus ab exciso Ilio, erit primus Olympiadum, qui erit mundi 3278. Idque consequens est ex eo quod scriptor hic perquam accuratus, cum Porcio Catone, & tabulis Eratosthenis, à quibus minimum abest Polybius, vult Romam conditam primo anno septimæ Olympiadis, qui idem sit 432. à capto Ilio: à quo numero si solidas sex Olympiades sustuleris, remanent omnino 408. anni à Troiana clade ad primæ Olympiadis initium. Sed hæc pluribus, in ipsis Annalibus, confirmata, & testibus munita reperies.

I. Troiana epocha & tẽpus ad initiũ Olympiadũ

Ilio. l. 9. edit. Gr. Lat. init. l. 1. & 2 2870. 408. 3278.

Hic ergo erit primus Troianæ cladis annus, qui tamen semper intelligendus erit sub medium anni Iuliani incipere, atque desinere. Nam Dionys. ait vrgente iam æstate captum Ilium, septendecim diebus ante solstitium. Idem sensit Poëta, cum ait

II. Quando captum Ilium.

—— Vix prima inceperat æstas,
Et Pater Anchises dare fatis vela iubebat.

post vnum circiter mensem ab exciso Ilio. Postremo itaque huius belli anno, quantum ex Darete Phrygio & Dicty Cretensi colligere licet, hæc contigere. Cum Troiani non ita pridem Hectorem patriæ columen, & recens Troilum illi fortitudine supparem, cum Assyrio Memnone, & omnem pene spem resistendi amisissent, Hecubæ consilio Paris Achillem

Achilles per fraudem interficitur.

accersit,

accersit, spe ducendæ Polyxenæ sororis suæ, quem ad Tymbræi Apollinis ædem adductum, insidijs ibi collocatis, nec opinantem interfecit, cum Antilocho filio Nestoris. Ea cædes Troianorum animos paululum erexit. Erexit & aduentus Eurypili, filij Telephi regis Mysiæ, quem promissa in vxorem à Priamo Cassandra cum copijs ad bellum traxerat.

III. Antenor & Æneas de pace deliberãt.

Interea Græci Achillem cum Patroclo in Sigæo sepeliunt, & tumulo nondum perfecto Neoptolemus Achillis filius superuenit, à quo Eurypilus in acie interficitur, & à Philoctete Paris. Quo sublato cum Troiæ proceres, Antenor in primis atque AEneas, de reddenda Helena, & pace componenda tractarent, Deiphobus illam ducit vxorem. Nihilominus de eorum consilio Priamus legatum ad Græcos de pace mittit Antenorem qui præmijs ac promissis illectus, cum Agamemnone, Idomenæo, Vlysse, & Diomede proditionem componit. Reuersus in vrbem pacem ait coalescere posse; si reddatur Helena, & magna vi pecuniæ patria redimatur. Consentiente Priamo, Antenor, quasi certiora de pace cognituru, ad Græcos, assumpto AEnea socio reuertitur; prius tamen ab Helena exoratus, vt suam causam agat. Veniunt ad naues, & publice de pace exciuium suorum consensu agunt, priuatim autem cum prædictis ducibus proditionem confirmant. Destinantur Vlysses & Diomedes, qui vrbem adeant, ad pacis negotium transigendum. Magno gaudio accipiuntur à ciuibus, Diomedes in conditionibus pacis ingentem pecuniæ, tritici que numerum exigit, Antenore in speciem indignante, qui ei clam Palladium, quo vrbs stare putabatur, tradit. Denique de pace conuentum est.

Et proditionem agitant.

IV. Equus ligneus paratur.

Pax simulata.

Re cognita placuit Græcis omnibus mitti Mineruæ donum equum ligneum molis ingentis, qui in vrbem, nisi diruto muro admitti non posset. Id donum dum paratur, decem lecti sunt duces qui Troiam petant, ij pacem in æde Mineruæ, magno Troianorum gaudio sacrificijs & fallaci iureiurando confirmant. Quibus peractis Græci Troianique quasi amici vltro citroque adire atque agere, omnes Antenorem laudibus in cœlum ferre. Troiani auxilia sociorum dimittere, Antenor & AEneas pactum auri atque argenti pondus in fanum Mineruæ congregare. Iam paratus erat equus, ad quem religiose excipiendum vrbs tota in occursum effunditur; Sed cum porta admitti præ mole non posset, pars muri omnium consensu diruitur. Hic Græci negant se permissuros iutromitti equum in vrbem, nisi pecunia persoluta. Ita intermisso opere diruptoque muro, Vlysses cunctos ciuitatis artifices conducit ad reficiendas naues, ne scilicet omnibus mox interfectis in Troiano littore inuiti retinerentur.

V. In vrbem equus introductus.

In eam Græci nocte inuadunt.

Ergo refecta classe & pecunia numerata, equus communi cum lætitia introducitur. Græci ad Sigæum, quasi vela facturi secedunt, ibique noctem operiuntur. Troiani de pace diu expetita læti genio indulgent, & mox soluuntur in somnum. Græci è Sigæo in ciuitatem renauigant obseruato signo ignis, quem Sinon ex arce ex composito extulerat, vrbem per muri ruinas adeunt, & diuisis inter se ciuitatis partibus, positisque militibus qui Antenoris & AEneæ domos tutarentur, cædes signo dato fieri cœpta, nullo personarum locorumque discrimine, cædibus & & rapinis successit incendium. Antenor Neoptolemum ducit in regiam, vbi Priamum ante aram Iouis Herczi obtruncat. Hecubæ cum Polyxena fugienti occurrit Æneas, qui Polyxenam, quæ se illi committebat apud patrem Anchisem abscondit. Andromacha & Cassandra in fano Mineruæ se occulunt. Menelaus domum Deiphobi adit, Helena euocante, & nouo scelere antiqua redimente, quem ille fœde mutilatum, summo cruciatu necat.

Quid Priamo & regiæ familiæ factum.

Vbi illuxit Agamemnon duces in arcem euocat, ibi cum relatum esset de ijs qui per noctem elapsi, ad aras confugerant, decretum est ab omnibus vt inde extracti necarentur, quod & factum est, & aliquot diebus continuata est cædes: tantum studium extinguendi Troiani nominis inceserat. Interea præda, quæ incendium effugerat, in loca opportuna comportatur, captiuæ fœminæ nobiles distribuuntur. Helena sine sorte Menelao conceditur, Polyxena Vlysse suadente Neoptolemo traditur, expiando Achillis funeri, super eius tumulum iugulanda. Cassandra datur Agamemnoni, Neoptolemo obuenit Andromacha, Hecuba Vlyssi, cui & Palladium, fremente licet Aiace, concessum est, qui postridie, siue proprio, siue alieno facinore, inuentus est mortuus, cuius rei inuidia cum in Vlyssem ab exercitu deriuaretur, relicto apud Diomedem Palladio, clam mari aufugit. Hecuba mortem seruituti præferens, cum totum exercitum maledictis inceseret, ad accersendam sibi mortem, lapidibus obruta, voti compos efficitur, vt Dictys affirmat, etsi aliter Dares.

VI. Nocturna cædes mane renouatur.

Vlyssis fuga.

Hecubæ mors.

Et vterque quidem in Antenoris & Æneæ proditione consentiunt, diuersa tamen de Æneæ discessu narrant. Dares enim ait, cum dictus profectioni dies aduenisset, ingentes mari tempestates excitatas, profectionem diebus aliquot impedisse. Chalcante autem vate respondente inferis satisfactum non esse, Neoptolemo in mentem venisse Polyxenam in regia non fuisse inuentam. Eam igitur iussu Agamemnonis ab Antenore quæsitam & apud Æneam inuentam, Antenor Agamemnoni, Agamemnon Neoptolemo iugulandam tradit. Tunc, inquit Dares, Agamemnon iratus Aeneæ, quod Polyxenam abscondisset, protinus illum à patria, cum suis omnibus discedere iubet, Antenori terram tradit, Aeneas cum suis proficiscitur, qui mox subdit se ibidem cum Antenoris factione remansisse. Dictys autem extremo libro 5. probabilius ait Aeneam post Græcorum profectionem, vicinos adisse populos, oraséque vt coniunctis viribus Antenorem regno ipsi à Græcis concesso exigerent. Qua re cognita, Aeneam in vrbem reuertentem aditu prohibitum, à Troia cum omni patrimonio nauigasse, cum nauibus viginti duabus, & tribus millibus & quadringentis exilij socijs. Ad Antenorem autem cunctos aut bello aut nocturnæ cladi residuos, confluxisse, eius sapientiæ opinione allectos: ibique cum regno potitum fuisse. Pugnatum est vt ait Dares, annis 10. mensibus 6. diebus 12. Cæla ex Græcis ad Troiam 886. millia; ex Troianis vsque ad vrbem proditam

VII. Æneæ profectio ex Darete.

Ex Dicty Cretensi.

Antenor regnat in regni reliquijs.

millia

millia 576. Et de Troianis rebus hactenus.

VIII. Obitus Aialonis. *Iud.* 12. 11.

Est porro hic annus Aialonis decimus, quo is & in viuis & in imperio esse desijt: pace cũ Philisthæis retenta cum pensitatione tributi, quam decessor eius inchoauerat. Res ab eo gestæ silentio inuolutæ sunt; in Vulgata sepulturæ locus ponitur in Zabulon, qui in Hebræo, Græcoque textu habetur Aialon, in terra Zabulon.

ANNVS MVNDI 2872.

ABDONIS 1. AMARIÆ 31.

TROIÆ CAPTÆ. 2.

TEVTANIS 24. Imperij Assyrior. 941.

ANTE CHRISTVM 1181.

I. Abdonis iudicis initium.

HOc anno quo excisa Ilio Græci patriam repetunt, & terra marique varia fortuna iactantur, nouus apud Hebræos Iudex à populo eligitur Abdon nomine, qui ab Eusebio, aliisque eum secutis, Labdon dicitur. Quoniam enim de diuina illius electione non constat, ad popularem recurrendum est. Hunc quidam Aialonis famulum, alij filium putant. Quod parum probabile sit, cum eum Scriptura filium Illelis vocet, quem eundem cum Aialone esse docendum esset. Accedit quod Aialon fuit de tribu Zabulon, Abdon autem de tribu Ephraim; ad illam enim pertinet Pharaton oppidum. Num pater & filius ad diuersas pertinent tribus? Numerosam eius prolem Scriptura memorat, 40. filios, & 30. ex eis nepotes. Mirum est non plures ex toť filijs nepotes natos. Sed intelligendum est istos natos viuo adhuc auo, atque adeo iam adultos fuisse, vt qui equitare omnes possent.

ANNVS MVNDI 2877.

ABDONIS 6. AMARIÆ 36.

TROIÆ CAPTÆ 7.

TEVTANIS 29. Imperij Assyrior. 946.

ANTE CHRISTVM 1176.

I. An. Sabbaticus 42.

SAbbaticus est hic annus ordine 42. Samsonis decimus septimus, qui viribus in dies supra modum augescens, Nazaræorum diligenter obseruabat intonsus atque abstemius.

Ad hunc annum pertinet illud Poetæ de Aenea:

——nam te iam septima portat
Omnibus errantem terris ac fluctibus Aëstas.

Ænex mors. *Ant.* 1. *fi.*

Verum si historicum malumus audire quam poetam, hoc septimo à Troiana clade anno in pugna ad Numicum amnem mortuus est Æneas, vt scribit Dionys. Halicar. *l.* 1. Quod dissimulat Virgil. & Eusebius in Chron.

II. Mors Abdonis.

Post biennium moritur Abdon, octauo sui Magistratus anno. Eos annos de more exactos accipimus, excessibus, & defectibus annorum se mutuo compensantibus. Mortuusque est ac sepultus in Pharaton, & quidem magnificè, ac splendidè, vt ait Iosephus. Quid enim aliud à tanta filiorum ac nepotum turba expectari poterat, quam funeris magnificentia? præsertim cum locupletes fuisse ipse equitatus haud obscure significet.

c. 1. Ant. l. 9.

ANNVS MVNDI 2880.

SAMSONIS 1. ACHITOBI Pont. 1.

TROIAE CAPTAE 10.

TEVTANIS 32. & vlt. Impetij Assyr. 949.

ANTE CHRISTVM 1173.

VIgesimus agitur ætatis Samsonis annus, idemque primus eorum, quibus dicitur Israelem iudicasse, id est hostes ipsius vexare cœpisse, quod superiores quoque Iudices fecerarunt; cœpit autem vexare occasione coniugij apud Philisthæos initi, violatique. Maturius quidem, diuino tamen Spiritu, à quo regebatur, iniit: quia ex eo pendebat occasio inchoandæ libertatis, quam maturari volebat diuina in populum suum clementia. Eius occasio fuit, quod cum iniicijs parentibus venisset in vrbem Palæstinorum, nomine Thamnata, festiua quapiam celebritate, cum coæuis allectus, vidit ibi mulierem, quam optauit habere coniugem. Nec improbabilis est ista Samsonis ad hostes profectio. Mitis enim erat, vt diximus, ista seruitus. Nec Philisthæi, vigesimum iam annum Hebræis pacificè imperitantes, quidquam ab illis sibi metuebant: præsertim ab istiusmodi adolescentibus, qui in seruitute nati, libertatem non norant, nec iugum pecuniarium ipsi, sed eorum parentes sentiebant. Itaque commercia Iudæos inter & Palæstinos, tanquam vnus idemque populus, pacificè miscebantur.

I. Initium gubernationis Samsonis.

Abit in vrbem Palæstinorum.

Quamuis autem diuini super se consilij non esset inscius, petit tamen eam virginem, sic enim illam vocat Iosephus, à parentibus vxorem, vt id honoris, quod naturali diuinoque iure filij parentibus debent, libenter liberaliterque deferret. Hic illi, *Nunquid non est mulier in filiabus fratrum tuorum*, in tribu scilicet Dannica, aut saltem *in omni populo* Hebræorum, *quia vis accipere vxorem de Philistheis, qui incircuncisi sunt?* propterea que profani, ac despicabiles. Ille nihilominus præstat in sententia, rogatque illam sibi concedi. Probabile tamen non est aut Samsonem hoc vno verbo contentum fuisse ad obtinendum coniugium, tam graui impedimento implicatum, aut hanc vnam rationem ad persuadendum parentibus attulisse. Peccassent enim grauiter si adolescentis cupiditatem diuinæ legi antetulissent. Sed existimandum est ipsos, qui nesciebant rem à Domino fieri, ac dispensari in lege in perniciem Philistinorum, à filio de diuino consilio edoctos fuisse; cui prudenter assentiri potuerunt: qui meminissent eum diuinitus pronunciatum, conceptumque, & in salutem populi sui natum.

II. Petit a parentibus vxorem Philistæã. *l.* 5. *Ant. c.* 10.

Et quoniam Dominus volebat Philistæos

qui cunctantur, tandemque acquiescũt.

III.

homines

homines impios & oppressores populi sui affligere, sed ita vt vexationis inuidia in totum Hebræorum populum non redundaret, qui, vt subditi Philistæis, ab eis statim oppressi fuissent, leni seruitute in asperrimam commutata, conueniens fuit Samsonem iniuria priuatim affici, quam vlciscendo vnus ipse hostilem populum probrosis damnis afficeret. Commoda autem fuit iniuriæ accipiendæ occasio, coniugium cum Philistæa. Descendit itaque cum parentibus in Thamnata, ibique sponsalia celebrata. Sed inter eundum contigit res mira. Cum enim ventum esset ad vineas oppidi, & Samson paulum à via, & parentibus aliqua occasione secessisset, apparuit catulus leonis sæuus ac rugiens, prædæ scilicet auidus, & ad inuadendum paratus. Irruit autem Spiritus Domini in Samson, & dilacerauit leonem, quasi hœdum in frusta discerpens, nihil omnino habens in manu. Præclaro & roboris & fortitudinis exemplo, quod tanto tamque improuiso discrimine non expauerit: imo leonem ipsum inuaserit, atq; discerpserit, sine claua sine gladio, aliisue armis, ad inuadendum, aut protegendum opportunis.

Dei prouidentia in priuata Samsonis iniuria.

Leonem fortiter occidit.

IV. Neque factū parentibus patefacit.

Addit scriptor facer Samsonem noluisse tam egregium facinus parentibus indicare. Oportuit ergo illos multo spatio antegressos vel subsecutos, vt ne rugitum quidem audirent, aut si audirent, nihil ad se pertinere arbitrarentur, Siluit autem in destinatam ænigmatis materiā. Sed illud ipsum silentium animi virtutem fortasse non minorem prædicat, quam facinus ipsum corporis vires. Quod enim adolescens, quod inermis, quod solus præferocem belluam non dormientem confecerit, sed irruentem excepetit, audaces in os manus iniecerit, maxillas distraxerit, & ad ipsum vsque pectus dilacerarit, & tamen talente adhuc corpore, animoque silere potuerit, id demum glorioſum atque palmarium: id singulari modestiæ tribuendum est. Quid moramur? Peruentum est in Thamnata, conuenerūt vtriq; parentes cū prole sua; cōsenserunt futuri cōiuges in futuras nuptias, dataque fide ad parandas vtrimq; ad sua vtriq; abierunt.

V. Redit ad nuptias celebrandas.

Post aliquot dies reuertens Samson in Thamnata, vt sponsam in vxorem acciperet, & nuptias celebraret, declinauit vt videret cadauer leonis, & in eo philosopharetur, ad aliquod ænigma conuiuis de more proponendum. Et ecce examen apum in ore leonis erat, ac fauus mellis. Apparet ibi apes natas. Nam *de putri viscere passim florigera nascuntur apes.* Cumque fauum sumpsisset in manus comedebat in via, & eundo parentes consecutus, dedit eis partem cibi sui, qui & ipsi comederunt. Nec tamen ipsis, vt fit, quærentibus vnde mel accepisset, voluit vllam leonis mentionem facere, ne inde aditus ad solutionem Ænigmatis daretur: satisque habuit in suspicione relinquere, ex alicuius arboris trunco, alioue consueto loco fuisse depromptum. Ventum est ergo in oppidum, visitati affines, celebratæ nuptiæ, conuiuium à Samsone, ipsi usue patre factum, inuitati multi, 30. conuenerunt. Super mensam ænigma offertur à sponso, intra septem conuiuij dies explicandum, proposito præmio triginta sindonum siue indusiorum, & totidem tunicarum.

15. Metā. Ouid. & mel in leonis corpore inuenit.

VI. Proponit

Assentiuntur conuiuæ, rati tanto spatio temporis, à tam multis, & seorsim cogitantibus, & inter se conferentibus, ænigma quantumuis implicatum atque perplexum explicari posse. Tum Samson, *de comedente exiuit cibus, & de forti egressa est dulcedo.* Triduum isti posuerunt in ænigmate perscrutando, sed frustra. Quarto itaque conuiuij die, qui inciderat in diem Sabbati, qui vocatur in textu septimus dies, rogauerunt mulierem, vt blanditijs eliceret expositionem. Quod cum illa frustra faceret, die tandem septimo, re prope desperata, ad minas conuertuntur: ad illum enim diem videntur dilatæ minæ. *Quod si facere nolueris* inquiunt, *incendemus te, & domum patris tui. An idcirco vocastis nos ad nuptias, vt spoliaretis?* Ergo illa territa, post multas preces lachrymasque extorquet à viro expositionem; quam illa statim ciuibus suis indicauit. Oblitus est Samson fortasse exigere ab vxore silentium, sed frustra exegisset, nec muliebrem malitiam adhuc didicerat, adolescens: ideoq; venia dignior quam postea, cum in mulierem perniciosius impegit.

Ænigma conuiuis.

Quod eiectus precibus mulieri prodit. *Iud.* 14. 15.

Ergo illi ad præstitutum tempus ænigma facile interpretantur. Quod cum Samson illis exprobrasset, non propria industria, sed mulieris secretum prodentis opera factum esse, irruēte in eum Spiritu Domini descendit Ascalonem vrbem Philistæorum, & percussit ibi 30. viros, quorum vestes dedit eis, qui ænigma soluerant. Cum autem Spiritu Dei agente hanc cædem susceperit Samson, atque perfecerit, vt Scriptura docet, quis eam ad humanarum legum calculos reuocare velit? Nulla quidem eorum erat culpa in Samsonem, sed erat in Deum plurima, cuius populum, vt cætera crimina taceantur, vigesimum iam annum tributis expilabant. Eo debito persoluto, iratus Samson ascendit in domum patris sui, non tamen ita derelicta vxore, vt eam repudiaret, sed ad tempus, vt irati solent. Nam paulò post dicitur venisse, vt inuiseret vxorem suam. In eam autem iure iratus erat, quæ illum secreto patefaciendo prodidisset, quodque popularium suorum honorem & commoda, coniugis sui beneuolentiæ & vtilitati, inani metu victa prætulisset.

VII. Percutit Ascalonitas 30. & quo iure.

Et iratus deserit vxorem ad tempus. *ca.* 15. 1.

Postquam Samsonis ira deferbuit, ad vxorem redire, eiq; reconciliari voluit, eumque in finem hœdum illi dono tulit. *Cumq; cubiculum eius more solito intrare vellet, prohibuit eum pater illius dicens. Putaui quod odisses eam, & ideo tradidi illam amico tuo; sed habet sororem, quæ iunior, & pulchrior illa est, sit tibi pro ea vxor.* Honesta oratio est, quæ culpam ita fateatur, vt eam tamen excuset ignorantia non improbabili. Sed addit etiam placandi generi gratia satisfactionem, & damni reparationem non pœnitendam, vt qui vxorem offerat duplici nomine meliorem. Verū his Samson non acquieuit, sed iram simul ostendens, simul pro noua offensione minas intentans, *ab hac die*, inquit, *non erit culpa in me contra Philistæos; faciam enim vobis mala.* Pronocatus enim vltionem expetam, vt qui male fecerunt, male patiantur.

VIII. Ea datur alteri à patre.

Hoc ergo vltionis excogitauit genus. Captis trecentis vulpibus, centum etiam & 50. præparauit faces, & binis quibusque ad caudæ initium colligatis longiusculo fune, ne se facile mutuo in cursu impedirent, mediam alligauit facem flammæ tenacem, sicque dimisit; sed nec omnes simul ne se impedirent, nec eodem loco

IX. Iratus Sāson incēdiarias vulpes immittit in Philistæos.

sed per partes, & idoneis in locis, ex quibus abeuntes solis Philistæis nocerent. Quæ dum insano cursu imminentem ignem vitare cupiunt, captiuoque fune liberati: & aliæ aliis eminus cominusque conspiciunt, patem terrorem circumferentes, calamitatem quam latissimè spargunt; à segetibus, nam triticea messis instabat, ad vineas, à vineis ad oliueta, donec partim incendio, quod circumferebant periere, partim adusto fune, caudaque semiustulatæ euasere, partim à Philistæis captæ & interemptæ sunt: nec tamen tam properè, vt huiusmodi incendio non fruges solum omnes; sed vineæ quoque & oliueta, in plures fortassis annos consumpta sint: quod de hortis quoque & viridariis campestribus pastorum etiam casis villisque, dominante incendio, & aura fortasse iuuante, facile credi potest.

X. Qui socero cum filia exuruunt.

Philistæi accepta tanta clade ab incendiarijs hisce vulpibus, cum causam inquirendo didicissent, immissi à Samsone incendij, ascenderunt de maritimis ac decliuioribus locis, in quæ hæc pestis incubuerat, ad expetendam tam de socero, qui cladi causam dederat, vltionem, quâ de genero, qui sine vllo iuris ordine, sontes insontesque propria authoritate puniuerat: & combusserût tam mulierem quam patrem eius, flammis videlicet in domum illius iniectis, exituque intercluso. Credibile enim est totum populum, sicut totus ex tanto damno furebat iracundia, vno impetu in miseros istos conflurexisse, flammas tectis iniecisse, & domum cum domesticis incendisse. Atque ita non vitauit infelix mulier incendium, quod timebat, cum Samsonis secretum prodidit. Sed neque illud vitauit pater cum tota domo sua, cui quoque illa metuebat.

XI. Et Samsonem dum punire volunt, puniuntur ipsi.

Cumque feruor iracundiæ totius multitudinis semel incanduisset, etiamq; primam flammam prædicti Thamnathæi exc pissent, ea ibi neque extincta est, neque repressa substitit, sed ad primarium tantæ calamitatis authorem peruolauit. Itaque locum in quo Samson erat edocti, eum vel viuum capere, vel telis obruere studuerunt. At ille diuino spiritu adiutore, *percussit eos ingenti plaga, ita vt* in rei nouitate atque admirabilitate *stupentes suram femori imponerent*. Sicque dum vltro veniunt ad puniendum Samsonem, occasionem ei dederunt implendi quod dixerat, *licet hac feceritis*, contra socerum videlicet, & filiam eius, *tamen adhuc ex vobis expetam vltionem, & tum quiescam*, quæ quies finis huius anni nos admonet: Si illud addidero. Teutanem Assyriorum regem vigesimum septimum à Belo, hoc anno & regnandi & viuendi finem fecisse, post expletos annos imperij triginta duos. Quod autem ad Achitobum Pontificem attinet, rationem primo Iephte anno dedimus, cur eius pontificatum cum Samsonis initijs componamus.

Teutanis obitus.

Achitobi Pontificatus.

(·)

ANNVS MVNDI 2881.

SAMSONIS 2. ACHITOBI 2.

ISAI 1. EXCISÆ TROIÆ 11.

TAVTÆI 1. Imperij Assyr. 950.

ANTE CHRISTVM 1172.

NAscitur hoc anno Isai pater Dauidis, à patre septuagenario genitus, iuxta rationem temporis in Baraco constituram. Assyriorum autem regno nouus præficitur Imperator Tautæus; ordine vigesimus octauus, cui Africanus annos regni 44. tribuit, Eusebius autem 40. dumtaxat.

I. Ortus Isai. *an. eius 21.*

Iam vero Samson proxima victoria potitus quieturus erat, vt animo destinarat, nec aduersarios vllo vltra facinore prouocaturus, quod sat magnis iam cladibus iniurias suas vltus esset: itaque descendit & habitauit in spelunca petræ Etam, quæ erat in tribu Iuda, & habebat vicinum torrentem, vt ait Adrichom. Apparet eum locum fuisse natura munitum, vbi propter opportunas angustias, vnus aliquis miles pluribus bellatoribus par esse posset, tantoque magis Samson, qui solus in aperto campo pluribus hominum centurijs præstabat. Neque eo secessit metu, sed ne vrbs quam adijsset ipsius causa periclitaretur.

II. Philistæi Samsonẽ persequũtur.

Cum autem Philistæos vreret calamitatum adhuc inultarum dolor, cognito Samsonem in spelunca Etam delitescere, statuunt illum vnũ iusto exercitu aggredi, aut certe populum eius, si illum in manus suas tradere detrectaret. At tribus Iuda nescius aut dissimulens causam conflati Philistæorum exercitus, ad eos mittit legatos, qui causam expeditionis huius exquirant, & priuatam culpam à populi ceruicibus amoliantur. Illi respondent se de vno tantum Samsone queri, quem multorum contra se criminum reum sibi dedi postulant, alioqui se intellecturos populum eius participem esse culpæ, qui & fugitiuum receperit, & apud se lærum, atque incolumem esse patiatur. Iusta visa est atque necessaria hoc tempore postulatio. Itaque tria millia virorum de tribu Iuda destinantur ad Samsonem, qui eum vel volentem, vel inuitum validè vinciant, & in manus Philistinorum tradant, doceantque minime à Repub facta esse, quæ ille contra Philistæos, qui tum Israëlitis dominabantur, perpetrarit. At ipse, *Sicut*, inquit, *fecerunt mihi, sic feci eis*. Quasi dicat, Ipsi in culpa sunt, qui priores læserunt.

III. A suis traditur Philistæis. *Iud. 15. 13.*

Esto sane, inquiunt viri Iuda, sed interim *ligare te venimus, & tradere in manus Philistinorum*. Hic Samson rogare poterat, vt eum liberum à patrio solo abire permitterent, capitis discrimen priuato periculo vitaturum: sed propriæ virtutis conscius, & diuini certus auxilij, vtque Philistæis ex parte Israëlitarum magis satisfactum esset, acquiescit suorum voluntati; contentus iureiurando sibi cauere à morte per eorum manus. Acquiescunt, iurant, & hominem duobus funibus ligatum tradunt Philistæis. Quidam putant præter funes, quibus brachia con-

stringebantur, etiam manicas ferreas manibus Samsonis iniectas: quod patum probatur. Non quia æque catenas, aut laminas ferreas frangere non posset, ac funes; sed quia illis ipsis manicis ferreis vsus fuisset ad eorum capita conquassanda, vt asini mandibula opus non foret.

IV. Quos asini maxilla mille nos interficit.

Philistæi ergo cum victum ante se viderent hostem suum, & suæ impune traditum potestati, cum læto clamore ad eum comprehendendum procurrunt, sed breuis lætitia in diuturnum luctum conuersa est. Disruptis enim vi diuina funibus, liber euadit, inermis ille quidem, contra multa armatorum millia: sed Deus armauit militem suum; inuentam enim maxillam asini iacentem arripuit, & ea quasi clana vsus, interfecit mille viros. Prouidente sic Domino, vt sibi potius quam Samsoni tanta victoria tribueretur. Itaque tanti victor certaminis secundum Deum Samson, in quo vnus ipse velitem, primipilum, triarium, Imperatorem egisset, vnus omnium lauros, signa, coronasque reportasset, Deum gratulatorio carmine celebrauit; cuius ille quasi intercalaris versus fuit, *In maxilla asini, in mandibula pulli asinarum deleui eos, & percussi mille viros.* Quod enim in hoc versu Deum non nominet, non vanitati tribuendum, quod facit Iosephus, sed quod totum ipsum canticum perscriptum non fuit. Dei enim non fuisse immemorem abunde docet illa eius mox vsurpata vox, *Tu dedisti in manu serui tui salutem hanc maximam atque victoriam.*

l. 5. Ant. c. 10.

c. 15. 18.

V. Sitis Samsonis.

Quæ ille verba in maxima siti vsurpauit, quam exantlatus in tanto prælio labor, sudor, & omnis calore spiritus, humorq; exhaustus, conciliarunt. *En siti morior*, inquit, *incidamque in manus incircumcisorum.* Clamat hæc oratio virtutem Samsonis, & in Deum fiduciam, qui ad illum cum familiari gemitu, quasi filiolus ad dilectam matrem accurrerit: eumque ad ferendam opem, proposito imminenti damno excitarit; ne scilicet ludibrio esset hostibus ipsius, qui dicturi essent, multo eum labore confecit, vt mox siti exarescentem necaret. Proximo quoque beneficio, cum magno animi sensu, & gratitudine recensito, eius beneficientiam prudenter prouocat, atque implorat. Prudentiæ enim est à quo iam bene acceperis, de eo bene sperare, & confidere eum qui maiora largitus est, minora, modicum videlicet aquæ, in summa necessitate non negaturum. Nec frustra sperauit. *Aperuit enim Dominus molarem dentem in maxilla asini*, quam resumpsit in manus, & egressæ sunt ex eo aquæ. Quibus haustis refocillauit spiritum, & vires recepit. Nec contentus Dominus breui ac priuato beneficio, fontem ibi perennem esse voluit, cuius nomen esset, *fons inuocantis de maxilla:* vt deinceps antiqui beneficij memoria regens in omnem perseueraret posteritatem.

Dominus ei fontem producit.

(.·.)

ANNVS MVNDI 2882.

SAMSONIS 3. ACHITOBI 3.

ISAI 2. EXCISÆ TROIÆ 12.

TAVTÆI 12. Imperij Assyriorum. 951.

ANTE CHRISTVM 1171.

I. Samson videtur nunc factus iudex.

NOnnulla est coniectura Samsonem hoc anno factum esse iudicem, tam Philistæorum, quam Israëlitarum consensu, etsi priores duo anni ad ipsum quoque more solito referantur. Ea coniectura petitur ex ca. 15. extremo, vbi post insignem illam victoriam de Philistæis ignominiosa clade affectis, additur eum iudicasse Israëlem in diebus Philistinorum viginti annis. Quæ temporis nota, ne alieno loco, & sine causa posita sit, conijcimus tum Philistæos quieuisse; ne si pergerent vindictam de Samsone quærere, & ipsius gloriam, & sua damna eadem opera amplificarent. Cum ergo virtutis, eximiæ præsertim, admiratio, beneuolentiam etiam in hoste conciliet, existimamus Philistæos periculosum vindictæ desiderium, in amicitiæ conciliandæ studium prudenter conuertisse: eamque amicitiam, qua totus vtrimque populus contineretur, pactis quibusdam conuentis deuinxisse. Qualia fuerint supremum ei magistratum tribuere, populo in eius gratiam tributa minuere; deniq; seruitutem facere leuiorem: neque enim nisi in morte Samsonis plane sublata est.

Etiã Philistæorũ consensu.

II. Eius rei cõiectũra.

Horum autem pactorum coniectura inde accipi potest, quod Samson nihil sibi timens à Philistæis, quos tantis affecerat detrimentis, non ita multo post in præcipuam eorum ciuitatem inermis, vt apparet, atque incomitatus adierit. Neque obstat quod ibi Philistæi in eum hostiliter se gesserint: id enim barbarorum inconstantiæ, perfidiæque tribuendum est, qui in propriam vtilitatem intenti, illã quantumuis iurata fide antiquiorem habẽt. Deniq; nihil est absurdum in istiusmodi seruitute, iudiciariam tamen potestatem ab Samsone in Israëlitas exercitam. Erat enim pecuniaria dumtaxat, à prioribus inducta iudicibus, seruataque, & in opinione magis quam in re. Quod enim vectigal regibus suis postea, id tum Philistæis pependerunt. Annus proxime sequens est sextus Iubilæus Mosaicus, de quo anno 33. Othonielis egimus. Quem obseruatum fuisse, ex præsenti Reipub. satis tranquillo statu possumus suspicari.

Sextus Iubilæus Mosaicus.

Sub hæc ipsa tempora Eusebius contigisse putat, quæ Vlyssi circa Scyllam & Charybdim & Syrenes contigisse memorantur à poëtis, sub multarum fabularum inuolucro.

Scylla & Syrenes.

ANNVS MVNDI 2884.

SAMSONIS & ACHITOBI 5.

ISAI 4. TROIÆ EXCISÆ 14.

TEVTÆI 4. Imperij Assyr. 953.

ANTE CHRISTVM 1169.

I. Annus Sabb. 43.

SAbbaticum annum tertium supra quadragesimum notamus hoc loco, in quem commodùm referamus rem à Samsone in Gazæorum ciuitate gestam, quæ alioqui incerti est temporis, & à quibusdam mox à maxillari prælio creditur contigisse: quam nos in hunc annum distulimus, primò ne tam cito virum summa in Repub. dignitate ornatum, oblitum sui faceremus. Deinde ne tam cito quoque Philistæos promissorum contemptores, & cladium præcedentium immemores induceremus, qui noua Samsonem iniuria ad acerbiorem aliquam vltionem prouocarent. Nisi malis aliquid interim dissidij inter vtrumque populum exortum esse, aut barbarorum, vt ante dixi, accusare inconstantiam atque leuitatem.

Abit Sãson in Gazam.

Abit ergo Samson in Gazam, & vidit ibi mulierem meretricem, ingressusque est ad eam Apparet ex hisce Scripturæ verbis, eum non latendi causa venisse Gazam, sed negotij potius cuiusdam, quod dum exequeretur, occasio quoque lapsus iuueni data est, quamuis negotium publicum gerenti. Ansa quoque data est Philistæis vt pactorum obliti, cum comprehendere atque interficere statuerent; quoniam eo sublato, tuta sibi omnia credebant, neque fore qui vltionem, cædi perfidiosæ debitam, repetere posset.

II. Ibique obsidetur.

Cum ergo Gazæi rumore nuncio accepissent Samsonem se in ipsorum vrbem intulisse, *circumdederunt eum, positis in porta ciuitatis custodibus, & ibi tota nocte cum silentio præstolantes, vt facto mane exeuntem occiderent*, si quis tamen futurus erat, qui tam periculosum negotium in se reciperet. At Samson dormiuit ad noctis medium, quando diuinitus excitatus, & edoctus de imminenti periculo consurrexit, *apprehenditque ambas portæ fores, cum postibus suis & sera, impositasque humeris suis portauit ad verticem montis, qui respicit Hebron.* Apparet Samsonem non exisse per eam portam per quam intrauerat, & quæ in patriam eius recta ferebat, in qua erant excubiæ, sed per aliam, quæ ducebat in Hebron: cuius valuas posteaquam tanto impetu concussit, vt excussis seris, omnibusque repagulis, eas loco dimouerit. Abstulit Dominus mentem Gazæis istis atque iudicium, vt ad ianuas domus cohortem militarem non adhiberent; aut ignes potius in eam domum infesti non conijcerent, vt cum modica scorti iactura, ipse quoque Samson conflagraret. Mirum quoq; quod in omnibus vrbis portis custodes non adhibuerint. Quamquam fieri potest, vt in ea ipsa porta per quam exiuit, adhibiti fuerint, qui inopinati terrore miraculi huc illucque pauidi diffugerint. Neque in tam populosa vrbe, vel vnus inuentus fuerit, qui portas vrbis in eorum lubdirium, auferetem, impedire ausus sit, aut saltem abeuntem eminus telo petere, ne ille prouocatus, abiecto onere turbinis instar in eos inuolaret, & manibus pedibusque protereret. Nondum enim exciderant animis mille viri, asini mandibula interempti.

Exit cum portis.

Et itupere custodum.

ANNVS MVNDI 2889.

SAMSONIS & ACHITOBI 10.

ISAI 9. TROIÆ EXCISÆ 19.

TEVTÆI 9. Imperij Assyr. 949.

ANTE CHRISTVM 1164.

I. Elcanæ & Annæ coniugiũ.

HOc medio circiter Samsonicæ administrationis tempore, quo trecentesimus iam numerabatur annus, ex quo cœperat arca Domini in Silo residere, existimamus coniugium Elcanæ cum Anna matre Samuelis contigisse. Cum enim Samuel sub initia Heli ortus sit, vt suo loco dicetur, & plures annos Anna sterilis fuerit, eaque sterilitate satis cognita, noua vxor domum adducta sit, in remedium sterilitatis illius, non temerè, vt credimus, duodecim ferme annis hanc sterilitatem definiemus, qui hinc ad secundum Heli annum numerantur; quorum medio in spatio Elcana cupidus prolis Phenennam duxerit, quæ multis iam filijs ac filiabus aucta est, priusquam Anna conciperet Samuelem suum, qui vtrumque parentem illustrauit. Fuit autem Elcana patria Ephraimita, de montanis tribus Epraim, genere Leuita. Eius enim genus in primo Paralip. deducitur per Coreadh Isaar, & Caath, & Leui filium Iacobi Patriarchæ. Serarius existimat Annam fuisse vxorem primariam Elcanæ, instar Saræ, Phenennam autem secundariam, prolis tantum causa ductam, vt olim Agaren. Nihil ergo mirum Annam ab Elcana dilectam, eiusq, lachrymas tristi commiseratione prosecutum. Sed de his hoc loco satis.

II. Sabbat. 44. & 45.

Biennio post, qui fuit Samsonis duodecimus, occurrit annus Sabbaticus ordine 44. in quo vt apparet Annæ sterilitas Elcanæ cœpit esse suspecta. Pietas hoc tempore parum florebat, cuius non leue signum est perseuerantia seruitutis. Quo fit vt præsentem annum Sabbaticum vix seruatum putem, populo tributi pensitationem causante, & idem de sequenti, qui cadit in Samsonis decimum nonum, dicendum puto.

ANNVS MVNDI 2894.

SAMSONIS & ACHITOBI 15.

ISAI 14. TROIÆ 24.

TEVTÆI 14. Imperij Assyriorum. 963.

ANTE CHRISTVM 1159.

Elcana ducit Phenennam.

EXistimamus hoc anno Elcanam, cum sextũ iam annum ageret in coniugio, neque vllam

ex Anna

ex Anna prolem susciperet, eius sterilitate satis comperta, cupidum liberorum Phenennam duxisse, non sine Annæ consensu, fortassis & rogatu, sicut olim monitu Saræ Abraham duxit Agarem: & Iacob Rachelis & Liæ precibus victus Balam & Zelpham concubinas. Itaque maluit Anna onerari æmula, quam virum suum lugere orbitatem. Sterilis autem fuisse videtur à nativitate, Deo id ad suam gloriam, eiusque meritum permittente, vt fœcunditatem lachrymis à Deo, votisque impetraret. Sed id vel maxime ad Samuelis gloriam pertinebat, vt præter naturæ ordinem virtutemque nasceretur, in signum eximiæ ipsius virtutis atque sanctitatis, quales fere omnes extitere, quos matres suis precibus impetrarunt, vt Isaac, vt Iacob, Ioseph, Ioannes Baptista, & is quem adhuc habemus Iudicem, Samson.

ANNVS MVNDI 2899.

SAMSONIS 20. & vlt. ACHITOBI vlt.

ISAI 19. TROIÆ 29.

TAVTÆI 19. Imperij Assyriorum. 968.

ANTE CHRISTVM 1154.

I. Achitobi Pontif. obitus. *Ioseph. l. 5. Ant. c. 12.*

POstremum hunc annum sui Pontificatus habuit Achitob, eiusque morte ea dignitas in familiam Ithamaris, ad quam Heli pertinebat, qui proximo anno factus est Pontifex, translata est. Eius autem res gestas, sicut & præcedentium, nox obscura recondit.

Vltimus Samsonis annus, isque luctuosus.

Postremus est hic quoque, idemque vigesimus principatus Samsonis annus, vitæ autem 39. iuxta ea, quæ in eius ortu dicta sunt postremo Aialonis anno; cuius anno sexto posuimus inchoatam hanc sub Philistæis 40. annorum seruitutem, quæ hoc quoque anno terminatur. Reliqua porro quæ de Samsone sunt, facile vno anno capiuntur. Ad hanc igitur historiam, ingressu ipso non lætam, & progressu tristiorem, exitu autem etiam funestam, non sine mœrore animi accedamus. Ecquis enim sine gemitu hominem tot Dei donis illustrem, vilis mulierculæ captiuum contempletur, & cum ea turpiter conspurcatum, quæ digna sit, vt quasi stercus in via à prætereuntibus conculcetur; quæ fœta fraudibus, consuta mendacijs, plena hypocrisi ac proditione, ignominiosæ cæcitati, seruili pistrino, incircumcisorum ludibrijs, crudeli denique morti victimam præparet dementatum Samsonem.

Eccli. 9. 10.

II. Amat Dalilam; quæ Philistæis de proditione consentit.

Samson igitur post Gazæos ignominiose derisos atque illusos, amauit mulierem nomine Dalilam, genere Philistæam, conditione meretricem, vt res ipsa loquitur, quamuis eam quidam vxorem putarint. Ad eam venerunt principes Philistinorum, vt illius opera Samsoni insidias struerent, & quod aperto marte non poterant, per fraudem assequerentur. Ad eam clam veniunt, ne quid Samson, qui illuc ventitabat, persentisceret; eamque facile & numero & authoritate sua, & quod caput est, ingenti pecunia in suam sententiam trahunt: mille quippe singuli & centum argenteos pollicentur, id est, quingentos singuli coronatos, & quod excurrit. Ea autem opera scire cupiunt, in quo habeat fortitudinem. Non dubitant illi quidem in toto corpore membrisque omnibus, in ossibus, neruis ac musculis situm esse fortitudinem ipsam: sed intelligunt maiore aliqua vi hæc omnia animari, idque sub signo vel conditione aliqua, qua posita vel sublata, vis illa maior, & quam nemo ferre queat, adesse & abesse possit. Eius autem, quæ fecit mulier, quid promiserit intelligi potest.

III. Apparatus ad eã.

Conuentum est autem non solum de exculpendo ex animo secreto illo amulero, sed etiam de irritando planeque tollendo, tum de collocandis opportuno in conclaui aliquo insidijs, de die etiam & hora, ne quo modo præda venatoresque alieno tempore concurrerent, aut venationis suspicionem darent. Ita autem latere̅t, vt nisi iussi digitum non progrederentur, nisi se & ipsos perditos vellent; re autem ex animi sententia succedente, nulla fieret in eo comprehendendo mora. Ita conuentum, ita factum. Inuitatur ad epulas Samson, vocatur quoque ad excubias militaris manus, vt se per posticum in meretriciam domum inferat, & in conclaue rei gerendæ accommodatum adrepat. Venit tempori miles, venit & Samson, illa blandissime venientem excipit. Quid multa? accumbitur, comeditur, bibitur, ridetur. Narrat ille rogatu mulieris Gazæum facinus, subtannat Philistæos: illa maxillæ canticum canit, voce deliciosissima. Narratur & venatio vulpium, leonisque dilaceratio. Et ille sub hæc infert vnde illi tanta fortitudo, & in quo situm sit tam mirabile robur, quoque id modo frangi possit. At Samson adhuc mentis compos dolum dolo rependit, & mulierem semel, iterum, tertio deludit, cum excubitoribus, qui iam tertiùm, post diuturnam moram, inanes atque irrisi reuertebantur.

Samson Dalilam adit, eãque tertio deludit.

IV. Patefacit secretum importunitate mulieris victus.

Denique cum molesta esset illi mulier, *& per multos dies tugurer adhæreret: spatium ei ad quietem non tribuens, defecit anima Samsonis, & ad mortem vsque lassata est.* Ita captiuus tenebatur miser, vt quamuis quotidie ad mortem vsque affligi se videret, importunissimis mulierculæ precibus & lachrymis, quotidie tamen ad eam ventitaret, neque ad impurissimum animal deferendũ vim sibi facere posset, donec infelici laqueo collum infereret. Labat itaque hoc quasi ariete crebro Samsonis constantiam, sibi persuadet nihil hic agi serium, mulierem curiositate tantum duci, non etiam versare dolos: & quæ hacteus fecerit, experiundi tantum causa fecisse, re cognita quietam fore, & sibi quietis locum daturam; alioqui ardentiorem semper & molestiorem fore. Dat ergo manus, & *multa gemens, imoque trahens suspiria corde*, cor illi suum omne patefacit, per omnia sacta profanaque obsecrans, atque obtestans, vt ne hanc rem vili mortalium aperiret, quam ipse nimio eius amore & curiositate victus, diutius tacere non potuisset.

V. Proditus capitur a Philistæis & excæcatur.

Itaque videns illa, quod confessus ei esset omnem animum suum, quod illa ex modo dicendi eius affectuque extraordinario, qui foras erumpebat facile didicerat, euocat Philistæos, qui accepta pecunia quam promiserant, sæpiusque re infecta retuleranr, ad solitum insidiarum locum illapsi sunt. At illa dormire eum fecit

super genua sua, & in sinu tuo reclinare caput; vocauitque tonsorem, vt caput totum commodius, ipsa illud sustentante ac moderante raderetur. Quo facto violenter excutiens & succussans Samsonem, vt qui profundi admodum somni esset, vt iam tertiò probauerat, *caput abigere eum, & à se repellere, statim enim ab eo fortitudo discessit.* Repellit à se ostendens quam constans syncerulque sit meretricius amor: quidque prius à Samsone, aduersus veneficam illam, factum oportuisset: simul etiam Philistæos aduocat, illo frustra opinante, suam sibi adhuc comam, atque fortitudinem adesse. Irrumpunt Philistæi cum tumultu: quibus illa validè constringendum, statimque excæcandum tradit: quem illi duxerunt Gazam vinctum catenis: & clausum in carcere molere fecerunt.

VI. Gazam ducitur & in pistrinum cõijcitur

Gazam deducitur vt vbi nuper triumphatorem egerat, eo victus vinctusque contumeliose duceretur, sicque ciuium, excubitorumque Gazensium dedecus, in quos subsannantes retorserat oculos, summo dedecore ac probrosa cæcitate rependeretur. Insuper in pistrinum ferro onustus compingitur, vt asinariam veret molam, & flagris stimulisque seruilem in modum deformetur; manusque illæ lacerandis eorum habiles, ferreis manicis languidæ cruententur: collum aureis torquibus ornarum, loris ac numellis atteratur. Ille interim altos crebrosque trahens ex pectore gemitus, iustissimam Dei in se animaduersionem agnoscit ac confitetur, & memor vnde exciderit, pœnitentiam agit, diuinam clementiam implorat, eique præsentem calamitatem in culparum satisfactionem offert: sicque in gratiam illam recipitur, quæ iustificat peccatorem. Externa vero illa gratia & gratis data fortitudo, paulatim instaurari cœpit, sicut & cæsaries repullulare, itaque intra menses aliquot excrescere, vt priori similis videretur.

VII. Ludit in templo Dagonis & ibidem illuditur.

Interim principes Philistinorum conuenerunt in vnum, vt immolarent hostias magnificas Dagoni Deo suo, & epularentur, sibi, Deoque suo de victoria gratulantes. Epulis autem exhilarati, ludis quoque indulgebant & cantilenis, quo spectat illud, quod supra de Sichimitis dictum est, *ingressos illos in fanum Dei sui, & ibi inter epulas, & pocula maledixisse Abimelecho.* Sic & Philistæi iam fauni insultauere Samsoni. Eum enim de pistrino, hinc squalore & sordibus, inde polline ridiculum, educi iusserunt, vt ludos ex aliena calamitate captarent, sic vt partim luderet ipse, vt mox cum serio ageret, ludere putaretur; partim etiam vt à Philistæis multipliciter illuderetur, credentibus quo pluribus illum malis afficerent, hoc se maiorem à Dijs suis gratiam inituros, & acceptas ab eo iniurias cumulatius vindicaturos.

VIII. Samson inter columnas Dominũ rogat.

Cum ergo Samson inter duas columnas staret, quibus tota innitebatur domus, factus ibi opprobrium hominum & abiectio Philistææ plebis, & opere, ludo, vexatione fatigatus esset, rogauit famulum, qui regebat gressus eius, vt permitteret eum ad columnas illas quietis causa reclinari, laxatum scilicet paululum fune, quo medio corpore arctius stringebatur: nam reliquum corpus liberum ei erat ad ludendum; ibi explorat columnarum crassitiem, atque distantiam, consilio interim suo, viribusque dissimulatis, oratione quam maxime supplici Dominum inuocat adiutorem. *Domine Deus*, inquit, *memento mei, & redde mihi nunc fortitudinem pristinam Deus meus, vt vlciscar me de hostibus meis, & pro amissione duorum luminum vnam vltionem recipiam.* Potuit vtique vindictam expetere, ac sumere de publicis hostibus populi sui, Deique ipsius, cum ipse summum gereret magistratum; ex quo sequebatur vt vindicare Samsonem, esset totum Israeliticum populum, cuius ipse erat caput, quique in illo grauissimam iniuriam acceperat, vindicare. Samsoni quoque fauit Dominus, cum Philistæis mentem non dedit, vt tenatam cæsariem raderent in pistrino.

IX. Easq; cõcutiens deijcit. cũ vniuersa domo.

Facta oratione gemitu cordis potius quam vocis sono, *apprehendens ambas columnas, alteramque earum dextera, & alteram læua tenens*, sicque brachijs in crucis morem extensis ait. *Moriatur anima mea cum Philistijm.* Concussisque fortiter columnis, crebroque brachiorum, humerorum, & totius corporis impulsu, quasi ariete aliquo alternatim verberatis, cecidit domus super omnes principes, & cæteram multitudinem, *quæ ibi erat* circumfusa. Quia autem in solario, superioribusque locis spectatores confederant, qui ad tria millia fuisse referuntur, præcipitio contrucidati, confectique perierunt. Atque ita, rem bene disponente diuina prouidentia, tot tantorumque virorum cæde, acciśæ, atque affli ctæ res Philistæorum, vix post annos plurimos excitandæ, corruerunt. Quin & iustum eis hæc clades à Iudæis, si illi viri fuissent, timorem incussit, ne non solum iugum Palæstinæ seruitutis excuterent, sed illud in eos potius vice versa trasferrent, tota eorum regione vno impetu occupata.

Ea clade seruitus finita est.

X. Nũ moriendo peccarit.

Mortem autem sibi sine peccato accersiuisse, plerique Sanctorum tradidere. Ait enim S. Augustinus Spiritum hoc latenter iussisse, qui per illum miracula faciebat, cuius rei haud obscura sunt argumenta, quod Deum religiose inuocauit, antequam facinus aggrederetur, quod diuini Spiritus interuentu soluto id peregerit, quod illius zelo motus fuerit, cuius gloriam infideles dæmoni tribuebant. Quamquam, vt viri docti recte animaduerterunt, Samson non sibi manus intulit, neque inferre voluit, sed Philistæis. Ex accidente autem factum est, vt occidens eos, ruinam ipse vitare non posset; sicque communi cæterorum clade inuolueretur. Denique vitam tuam diuinæ gloriæ, & libertati populi consecrando, & diuinæ inspirationi in tam difficili negotio consentiendo, non solum non peccauit, sed magno apud remuneratorẽ Deum præmio affectus est. Cuius rei locupletissimus testis est Paulus Apostolus, qui eum Sanctorum concilio aggregat: nec deest ex sanctis qui eum martyrem vocet.

XI. Cognati eius mortui corpus recipiunt ac sepelĩt. ſ. *Bacchiar. epi. ad Iannarium.*

Ea clade ad Danitas Samsonis contribules, & Philistæorum vicinos celeri fama perlata, Samsonis cognatos acciuit, ad eius corpus medijs in ruinis inquirendum, atque honorifice tumulandum in paterno sepulchro. Iure autem miremur non solum cognatorum istorum pietatem atque fortitudinem, qui hoc rerum statu ausi sint in Gazam descendere, & lipsana ab illis reperere; quos incredibili in se iracundia

inflammatos non sine causa æstimare poterant: sed multo magis Philistæorum istorum facilitatem, qui in hominis tam male de se meriti corpus non atrociter sæuierint, & manus à fratribus eius in grauissima recentissimaque tot clarorum virorum iactura, luctuque temperarint. Sed lenitatem suasit ille quem dixi timor, post amissa omnia publicæ rei columina, adeo vt in lucro ponerent, Israelitas non in se armis infestis irruere. Iuuit & quædam regionum illarum in corpora mortuorum reuerentia. Adfuit denique singularis Dei in seruum suum prouidentia, quæ non permisit Philistæos ferales inimicitias in illius corpus exercere. Cætera quæ ad clarissimi viri funus cohonestandum pertinent, & nominatim Christum Dominum in Samsone multipliciter adumbratum, studiosus Lector, non sine fructu, vt spero, in Annalibus nostris inueniet.

Idque mirum fuisse.

ANNVS MVNDI 2900.

HELI IVDICIS AC PONTIF. 1.

TAVTÆI 20. Imperij Assyriorum 969.

ANTE CHRISTVM 1153.

VIta functus erat Samson, honorificeque sepultus, & cum eo terminata, & mirabiliter extincta seruitus Hebræorum, qua eos Philistæi 40. ipsos annos oppresserant. Mortuus etiam erat tacita, atque ignota morte Pontifex Achitob, quando vtrique muneri suffectus est Heli, Aaronis, non ex Eleazaro, sed ex Ithamare filius. Quid autem causæ interuenerit, cur Heli potius quam Achitobi filius factus fuerit Pontifex, Hebræi in negligentiam referunt filiorum Eleazari. Forte Sadoc Achitobi filius infirmiore adhuc ætate fuerit, & ad summi Pontificis functionem parum idonea; fortassis etiam moribus vulgo non satis probatis; cum è contrario Heli annum ageret octauum supra quinquagesimum, & moribus admodum placidis probaretur; opibus etiam floreret atque liberis, & alioqui in filijs Aaronis numeraretur, facile in eum vniuersi populi studia conspirarunt. Iudiciaria quoque potestas eidem collata est: neque enim viro bellatore opus erat ad regendam Rempub. cum iacerent Philistæi, cæterique populi quiescerent. Genebrardus putat Heli, cum factus esset Iudex, Pontificatum quoque ad se transtulisse. Vtraque certe dignitate fuisse potitum dubitari non potest. Deus, inquit Theodoretus, eum qui 40. annos duplici magistratus honore dignus fuerat habitus, erat enim & Iudex & Pontifex, despiciens, locutus est cum paruo puero, quem spiritu prophetico afflabat.

I. Heli fit Iudex & Pontifex.

Ioseph. l. 5. c. vlt. & l. 8. c. 1.

Pertinet autem ad hæc Heli principia Samuelis ortus, & quæ cum eo coniuncta sunt. Satis enim constat eum à morte Heli Rempub. partim solum, partim cum Saule administrasse annis 40. vt scribit Apost. quorum 18. Iosephus Sauli tribuit; Quoniam vero ipso anno quo electus est Saul, Scriptura dicit Samuelem

II. Conceptum Samuelis huc pertinere.

Act 13. 21 1. Reg. 8. 1. 5.

tenuisse. Tanto hoc tenium erit probabilius, quanto citius sub Heli ponetur natus. Si ergo dicatur hoc anno conceptus, & sequenti natus, 39. annorum fuerit in morte Heli, quæ matura est ad pontificatum ætas; adde illis annis 20. annos gubernationis Samuelis, & duos filiorum eius, vt postea ostemus, egerit 61. cum electus est Saul, rectèque dici potuit tenuisse. Non potest autem dici natus sub Samsone, cum Anna, Heli iam Pontifice, rogauerit Dominum pro illo concipiendo.

Ascendit ergo hoc anno Elcana ad Sanctuarium in Silo, cum tota familia, sicut quotannis facere solebat, & quidem in solennitate Paschali, quando populus maxime in domum Dei confluebat, obtulitque hostias pacificas Domino, quarum pars quædam in altari succendebatur Deo, pars in iura Sacerdotum cedebat, reliqua offerentis erant, de quibus coram Domino epulabatur cum suis. *Deditque Phenennæ vxori suæ, & cunctis filijs eius, & filiabus partes*, victimarum. Annæ autem dedit partem vnam tristis, quia Annã diligebat, sed tristitia latebat in corde, vultu autem præ se ferebat hilaritatem, vt eã consolaretur in eius sterilitate; *Dominus* enim *cõclusserat vuluam eius*. Tristitiam augebat Phenenna æmula eius, & erat quasi vnguis in vlcere, quæ de sua fœcunditate superbiens, suam illi sterilitatem exprobrabat; inuidia eius linguam acuente, quod videret Annam præ se diligi à marito. Eratque Phenennæ culpa tanto maior, quanto diuturnior, *sic enim faciebat per singulos annos*, cum Siluntem in domum Domini venirent: tantoque minus domi abstinuisse putandum est, per crebras iurgiorum occasiones, quæ inter æmulas mulieres existere solent.

III. Elcana Siluntem venit. *1. Reg. 1. 4.*

Annæ tristitia.

Anna vero animi sui dolorem lachrymis suis aut leuabat, aut testabatur, *Flebat* enim, *& non capiebat cibum*, erantque ei lachrymæ eius panes die ac nocte, dum dicebatur ei quotannis, & pene quotidie, vbi est filius tuus? At bonus Elcana vir eius, *Anna*, inquit, *cur fles, & quare non comedis? & quamobrem affligitur cor tuum? nunquid non ego melior tibi sum quam decem filij?* Sed & illud credibile est, Elcanam, si quandò ad eum querelas Anna detulisset, verbis Phenennam, super linguæ suæ intemperantia, castigasse. Istarum autem lachrymarum finis fuit conceptio, ortusque Samuelis. Cum igitur Elcana dilectam sibi Annam consolatus esset, & ad comedendum inuitasset, *comedit illa & bibit in Silo*, in gratiam videlicet mariti sui, à quo se tenero affectu inuitari sentiebat, & concepta voti faciendi voluntate, vltimùm coram Domino, & Sacerdote ploratura in Tabernaculum venit: ibique inuenit Heli sedentem super sellam, ante postes templi Domini. Neque postes erant, neque fores in Tabernaculo dum mansit in deserto, credibile autem est ipsum atrium Sanctuarij in Silo muro cinctum fuisse, ad cuius fores in atrio sederet tum Pontifex, ibique expectaret, an quis eo conuento opus haberet.

IV. Eam maritus cõsolatur.

Venit illa in domũ Dei.

Eo venit Anna orationis causa, & de more in genua procidens coram Deo, non longè à Pontifice, qui etiam orantis labia potuit obseruare, cum largo fletu orauit Dominum; adiecit & votum. Petijt enim filium, & eum si impetraret, promisit Domino se illum eius famulatui perpetuò mancipaturum. Quamuis enim vt

V. Ibique orat, & vouet.

Leuita, Dei cultui erat addictus, non tamen perpetuo, sed per vices: vouetque sub ratihabitione tam parentis, quamdiu puer foret in parentum potestate, quam ipsius filij, postquam iuris sui factus fuisset, quando votum de se factum & obseruare potuit, & antiquare. Ad simulatum autem adiecit & Nazareatum, qui conseruationem comæ, & abstinentiam à vino comprehendebat. Habes hoc in sancta muliere deuotionis exemplum; accipe nunc eximium patientiæ. Factum est enim vt Heli obseruaret os eius, quod animi æstus sequebatur, & verba proferebat, quæ ad eius vnius autem tantummodo pertinebant.

VI. Obiurgatur quasi ebria. *Hom. 1. de Anna.*

Hic Heli aut potius famulus eius, vt habent Septuag. vsquequo Ebria eris? *digere paulisper vinum quo mades, & recede à conspectu Domini.* Tempus suspicioni faucbat, *quod enim*, inquit Chrysostomus, *omnia faciunt tempus relaxationis, illa fecit tempus deprecationis, post conuiuium accurrens ad supplicationem, fontes lachrymarum emisit.* Vidit ergo mulierem Sacerdos, incomitatam fortasse, nam oratio solitudinem amat, alieno tempore, diutius sine voce preces submurmurantem; accedebat forte rubor in facie, natantes lachrymis oculi, capitis, manuum, ac brachiorum gesticulationes, quales ingentes animi æstus non aduertentibus excutiunt: itaque iudicauit temulentam, iudicio quidem falso, non tamen plane temerario; & forte pleraſque iam mulieres offenderat in istiusmodi culpa. Itaque existimauit sui muneris esse, eam in culpa, vt videbatur flagranti deprehensam, grauius obiurgare: si tamen ipse, & non aliquis potius filiorum eius, in quos erat indulgentior, mulierem honestam conuitio afficere, coram ipso Pontifice ausus est.

VII. Insignis eius patientia, & multiplex.

Anna contra. *Nequaquam Domine mi. Nam mulier infelix nimis ego sum: vinum, & omne quod inebriare potest non bibi, sed effudi animam meam in conspectu Domini. Ne putes ancillam tuam quasi vnam de filiabus Belial. quia ex multitudine doloris, & mœroris mei locuta sum vsque in præsens.* Vide quam multa modestiæ, & patientiæ argumenta. Primum mulieri iam mœrenti ac perturbato animo noua ingerebatur afflictio, & quidem in loco vbi alij consolationem inuenire solent. Deinde mulieri, quæ nullo modo se isti culpæ affinem sentiret. Tertio quod conuitio atroci appetitur ac probroso, præsertim matroni ægrotæ, atque honestæ. Quartò, quod non à Pontifice, sed à famulo, vt notat Chrysostomus, accipit iniuriam. Quinto quod pro fœdo conuitio honorificam reddit appellationem. Sexto, quod neque iudicij temeritatem in Sacerdote arguit, nec Phenennam æmulam fontem doloris sui accusat. Denique ita neminem reprehendit, vt suam innocentiam modeste, prudenterque tueatur. Non enim solum cumulate purgat ebrietatem obiectam, sed ostendit id vitij genus ad filias Belial pertinere, profligatæ scilicet vitæ, vel pudoris.

VIII. Heli ei bene precatur.

Quibus auditis, Heli Annam, fausta precatus dimittit, dicens: *Vade in pace, & Deus Israel det tibi petitionem tuam, quam rogasti eum.* Sicque modestia sua acculatorem vertit in patronum, vt ait Chrysost. Imo, vt ait Iosephus, in prænuncium futuræ fœcunditatis. Valde enim probabile est illam optationem æquiualere propheticæ promissioni: idque non parum confirmat illa constantia atque æquanimitas, qua deinceps Anna fruebatur, de qua dicitur eius vultus non fuisse amplius in diuersa mutatos, neque alternis tristitiam atque lætitiam eius facici insedisse. Abijt itaque mulier ab orationis loco, redijt ad coniugem, reliquamque familiam, postridieque surrexerunt mane, & adorauerunt coram Domino, quasi ei valedicentes, reuersique sunt, & venerunt in domum suam Ramatha, ibique mox conceptus est Samuel. In Silo quippe, ob loci reuerentiam, dierumque Sanctorum, à coniugio religiose abstinuerunt. Natiuitas autem cadit in anni sequentis initia. Albam hoc anno conditam docemus inferius anno mundi 3387. quo euersa est, ex quo consequens est eam annis 487. stetisse; quod affirmat Dionys. Halicarnass. & conditam trigesimo ab euersio Ilio, qui est annus præsens, primus Heli, & primus à morte Samsonis.

aut prophetat.

Samuel concipitur.

Alba cõditur.

ANNVS MVNDI 2901.

HELI 2. VITÆ SAMVELIS 1.

TAVTÆI 21. Imperij Assyriorum. 970.

ANTE CHRISTVM 1152.

I. Ortus Samuelis.

NAscitur ineunte hoc anno Samuel, cum inchoante quadragesimo seculo ab exortu rerum, vocaturque à matre Samuel, eo quod à Domino postulatus eum. Cumque de more ascenderet Elcana in Silo cum omni domo sua sacrificij causa, existimauit Annam secum ascensuram, ibique iucundius iam matrem factam epulaturam; at illa, cum bona coniugis venia, profectionem differre maluit ad ablactationem infantis. Et recte illa quidem. Nam si quadragesimo die delatus esset, rursus domum reducendus fuisset, ibique nutriendus, donec ablactatus, & in Silunte.n deductus ibi maneret ingiter. Adde quod quadragesimo die redimendus non erat, vt cæteri primogeniti, sed cultui diuino mancipandus, iuxta parentum votum. Et quamuis nullum interuenisset votum, hoc ipso quod erat Leuita, erat Domino sacer.

II. Anna cur non adierit Sanctuarium die 40.

Sed fuerit illa sane immunis à culpa, filij causa, certe purificatio, cui mulier subiacebat ex lege, sine culpa atque adeo sine scandalo vicinorum & cognatorum non videtur omitti potuisse. An dicendum factam fuisse tempore suo purificationem, mense Februario, eaque perfecta domum reuersam, neque mox in Paschate eò cum viro redire voluisse? id tamen à Scriptura non fuisse narratum? An potius cum Tostato dicendum, legem purificationis ad mulieres Leuiticas non pertinuisse, sicut nec redemptionem primogenitorum; quia illa sacrificia purificatoria, erant iura debita Leuitis à reliquo populo, ideoque à Leuitis, in quibus erat Anna, non debebantur; ideoque nec opus fuit eam illa de causa in Silo proficisci. Sicque nihil contra legem aut ædificationem peccauit.

in hunc locum q. 26.

Quæ

Quæ cùm Elcana Leuites non ignoraret, nihil de mandato legis obiecit vxori circa ipsius purificationem. Sed *fac*, inquit, *quod bonum tibi videtur, & mane donec ablactes eum.*

ANNVS MVNDI 2903.

HELI 4. SAMVELIS 3.

TAVTÆI 23. Imperij Assyr. 972.

ANTE CHRISTVM 1150.

I. Samuel defertur ad Sanctuariũ.

TErtius est hic annus à Natiuitate Samuelis, idemque annus ablactationis fuit. An autem eodem in Silo delatus fuerit, vt maneret ibi iugiter, non satis constat: quod ibi oneri potius futurus esset, quam vlli aptus ministerio. Dicendum nihilominus videtur Samuelem hoc ipso anno tertio decurrente ablactatum fuisse, & in templo oblatum, cum sacrificijs, quæ in textu memorantur; ibique Sacerdotum curæ commissum, deinceps perseuerasse. Diuturnior enim lactatio, medicorum iudicio, parum vtilis, aut noxia potius censetur. Aiũt enim ex diuturniore illo cibo humidiore ac tenuiore reddi pueros debiles, molles, ac stolidos. Porro triennij tempus plus nimio longum esse, biennium vero esse legitimum. Plerisque etiam in locis infantes non vltra 18. menses nutricis lacte nutriuntur. Ergo Samuel, qui eximia parentum cura nutriebatur, post duos annos & menses aliquot sub festa Paschalia abductus à lacte, & Siluntem à matre delatus fuerit, vt ipsa marito promiserat.

Fran. Vales. de sacra Philos. c. 83.

II. Statim post ablactationẽ. 1. Reg. 1. 25.

Itaque S. Chrysostomus in homilia de educatione Samuelis, ait illum à prima statim pueritia, à matris mamma, ad spiritalem mammam venisse. Theodoretus quoque, *cum primum* inquit ablactasset eum, obtulit Deo, & cum eo vitulum ei tempore æqualem, qui pro eo sacrificatus est, Septuag. habent vitulum trimum. Quod valet ad refellendam opinionem eorum, qui non ante decimum aut duodecimum annum eum Deo oblatum putant: quos oportet dicere reductum domum ad annos aliquot. Cũ tamen mater dixerit. *Non vadam donec ablactetur infans, & ducam eum, & appareat ante conspectum Domini, & maneat ibi iugiter.* Vbi ablactationem, oblationem & remansionem aperte coniungit, quæ ipsi ex proprio arbitrio distrahunt Caietanus ita certum putat Samuelem triennem Domino fuisse oblatum, vt inde probet consuetudinem offerendi pueros eius ætatis Deo. Quod minus mirum est in pueris, cum puellas eius ætatis templo oblatas, ibique educatas, ex historia Præsentationis Beatissimæ Virginis satis cõstet. Est autem credibile admodum, ibi eum pretentum sumptibus educatum, dum aliquid ministerij in domo Domini exhiberi posset, ne grauarentur Sacerdotes. Idque innuitur ex eo quod mater quotannis statis diebus afferebat ad eum tunicam paruam. Quæ ergo de vestibus paruulo prouidebat, quidni etiam sumptus prouideret in victum?

Ibique à patrẽbus educatur.

1. Reg. 2. 19.

III. Oblatio Annæ cũ puerulo.

Detulit porro Anna secum vitulos tres, cum tribus farinæ modijs, & amphora vini, quæ oblationi totius sacrificio, sed omnino quoque destinabantur. Vnicum enim vitulum immolarum Scriptura memorat: simulque oblatum Pontifici puerum, cum hac oratione matris. *Obsecro mi Domine, viuit anima tua*, quæ sunt omnia verba salutantis ac bene precantis. *Ego sum*, inquit, *illa mulier, quæ steti coram te hic orans Dominum. Pro puero isto oraui, & dedit mihi Dominus petitionem meam, quam postulaui eum*: quæ est grata commemoratio accepti à Deo beneficij: addit & oblationem pueri ex voto debitam, idque non ad tempus aliquod, sed quamdiu ei Dominus vitæ vitam concedere voluerit; id enim verba illa significent. *Idcirco & ego commodaui eum Domino. cunctis diebus quibus fuerit commodatus Domino*: id est, concessus à Domino ad huius vitæ vsum. Sicque sancta mulier insigni se consolatione priuauit, vnigenito suo in perpetuum Domino consecrato. Sed Dominus impleuit quod Anna mox gratias simul agens, & prophetans prolocuta est, *Donec*, inquit, *Sterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat filios infirmata est.* Nam breui Dominus pro Samuele dedit ei tres filios, & duas filias, qui fuit etiam fructus Sacerdotalis benedictionis, qua Heli abeuntem vtrumque coniugem benedixit, dicens. *Reddat tibi Dominus semen de muliere hac, pro fœnore quod commodasti Domino.* Fœnus vocat Samuelem, qui tanquam pecunia fœneratitia fructum quotannis reddidit eis, qui eum Domino dederunt, è contrario Phenenna breui filios amisit, vt hinc Hebræi colligunt.

1. Reg. 1. 5.

ca. 2. 20.

ANNVS MVNDI 2905.

HELI 6. SAMVELIS 5.

TAVTÆI 25. Imperij Assyr. 974.

ANTE CHRISTVM 1148.

I. An. Sabbat. 46.

CAdit in annum sextũ Heli Sabbaticus. 46. quem hoc quieto rerum statu probabile est fuisse obseruatum. In hũc ipsum annum in quibusdam Eusebij libris refertur Heraclidarum, siue posterorum Herculis reditus in Peloponnesum: quæ est annorum Epocha à plerisque celebrata. Refertur & natus ab Ascanio Aeneæ filio Iulius, ex quo Romana Iuliorum familia propagata est. Regno autem Ascanij successit Siluius eius frater, propter teneriorem Iulij ætatem: sed illi postmodum regnum à populo confirmatum est, Iulio vero Sacerdotium attributum. Vide libro primo Dionys. Halicarnas.

ANNVS MVNDI 2907.

HELI 8. SAMVELIS 7.

TAVTÆI 27. Imperij Assyriorum. 976.

ANTE CHRISTVM 1146.

I. Samuel mi-

AD septimum Samuelis annum, quo infantiæ tempus expletur, non incongruè

referre

nistrat. in Sanctuario.

reterre possumus initia ministerij Samuelis. Nihil enim prius in re seria commodè agi potest, nedum in sacro ministerio. Idque Scriptura ipsa innuit, quæ infantulum nominat, deinceps autem, cum ministerij eius meminit, puerum vocat a. *Puer autem*, inquit, *erat minister in conspectu Domini, ante faciem Heli Sacerdotis*; in procinctu ad agendum quod ille innueret, aut iuberet: & rursum b, *Puer Samuel proficiebat atque crescebat, & placebat tam Domino quam hominibus.* Quibus verbis pueri præclara indoles, & bona educatio, institutioque puerilis ostenditur. Ephod porro lineum quo indutus fuisse dicitur, erat amiculum superhumerale, quo Leuitæ & Sacerdotes, quasi in signum Clericatus, vtebantur. Erat tamen aliud Ephodi genus, quo Laici quoque aliquando vtebantur, vt de Dauide in translatione Arcæ legitur.

a 1. Reg. 2. 11.

b c. 2, 26.

II. Anna prole abundat.

Interim autem Anna fœcundatur & prole abundat, vt paulo ante dictum est: sed filiorum Heli improbitas, ac nequitia maiora in dies incrementa capiebat. Itaque à Scriptura primum in genere quasi impij & profani accusantur, dum vocantur filij Belial. Deinde multiplicis sacrilegij arguuntur, quod non acciperent de sacrificio pacifico, quod lege præscriptum erat, sed quod à fuscinula famuli Sacerdotis casu raperetur, quod tempus accipiendi legitimum præuerterent, scilicet ante oblatum Domino adipem; carnem enim crudam capiebant, & non elixam, vt lex ferebat, vt eam assarent arbitratu suo. Denique quod hæc non beneuole, sed per vim minasque acciperent; quæ omnia populum à sacrificando retrahebant. Accusantur tertio fornicationis & adulterij, quod mulieres, quæ religionis ergo obseruabant ad ostium Tabernaculi, quales erant eæ, de quarum speculis Moyses fecit labrum æneum cum basi sua, quæ quasi moniales, relicta vanitate seculari Deo famulari cupiebant: cum magno populi scandalo polluebant. Quæ hic à Scriptura memorantur, vt eorum inueterata iam ac probrosa facinora, cum præclaris Samuelis initijs componantur.

Filij Heli prorant.

Cum ergo prædicta crimina publica essent, & crebris omnium sermonibus vsurparentur, ad Heli quoque rumore nuncio sunt delata. Ob quæ ille attonitus ac mœrens, erat enim alioqui vir bonus, ac timens Deum, vt sequentia demonstrabunt, non dubitabat cladem aliquam domui suæ, populoque imminere. Itaque euocatis ad se filijs Ophni & Phinees molliore eos reprehensione arguit, quod ea perpetrarent quæ populum à Dei cultu auocarent: sicq; in ipsum Deum peccarent, quem Iudicem habituri erant & vltorem, nemine illis veniam obtinente. At isti, qui neque Deum timebant, neque homines reuerebantur, *non audierunt vocem patris sui: quia voluit Dominus occidere eos.* Quasi impœnitentiæ istorum, & negationis gratiæ ad obedientiam, & conuersionem necessariæ, causa fuerit decretum Domini, de ipsis in tali statu interficiendis. Verum illud *quia* non causam, sed consecutionem significat, in hanc sententiam: Non audierunt admonitionem patris, neque conuersi sunt, ex quo factum est, vt Deus vellet illos occidere. Quia isti vehementer peccauerát, ait Abulens. c meriti erant vt sibi gratia negaretur. & cor docile ad obtemperandum salutaribus monitis; ex qua inobedientia cum grauius deliquissent, mortemque magis promeriti fuissent, Deus eam illis influxit.

II. Heli monet filios suos.

Frustra.

c 1. Reg. 2. 25.

Accusant omnes patres nimiam Heli in filios indulgentiam, quos leuibus tantum verbis arguere in magnis sceleribus satis esse duxit, cùm post admonitiones & obiurgationes eos è conspectu suo eijcere, à ministerio templi excludere, & Iudicibus plectendos tradere, iuxta legem Domini d oportuisset. Quæ est in primis S. Hieronymi e sententia, Theodoreti f, & S. Ioannis Chrysostomi, l. 3 aduersus vituperatores vitæ monasticæ, vbi illum cum ipsis in æternum periisse significat. Sed ea de re in eius morte dicendum erit.

III. Nimis indulgeret.

d Deut. 21. 18.

e l. 1. cont. Iouin. c. 16. in 1. Reg.

ANNVS MVNDI 2911.

HELI 12. SAMVELIS 11.

TAVTÆI 31. Imperij Assyriorum. 980.

ANTE CHRISTVM 1142.

I. Ratio tēporis.

MVlta fuit atque diuturna filiorum Heli improbitas, sed mollis & tarda parentis castigatio. Ex serie porro sacræ narrationis apparet hanc reprehensionem filiorum Heli, & rursum alteram viri Dei contra ipsum, quæ cap. 2. continentur, præcessisse diuinam Samuelis vocationem, quæ tertio capite describitur. Cum autem Iosephus scribat Samuelem exacto anno duodecimo prophetam agere cœpisse, commodum visum est in hunc annum Heli 12. qui fuit vitæ eius septuagesimus, conferre reprehensionem eius aduersus filios suos, & insequentem obiurgationem viri Dei aduersus Pontificem ipsum, vt deinde anno Samuelis decimo tertio, eiusdem Samuelis vocationem collocemus.

ANNVS MVNDI 2912

HELI 13. SAMVELIS 12.

TAVTÆI 32. Imperij Assyriorum 981.

ANTE CHRISTVM 1141.

I. Vir Dei diuinitus mittitur ad Heli.

CVm Heli laxior esset in filijs corrigendis, misit Dominus, hoc anno Sabbatico ordine 47. est enim 329. ab adita Chananitide, misit inquam qui corrigeret ipsum Patrem; sed quem? *virum Dei*, ait Scriptura; Prophetam videlicet aliquem illorum temporum, à nomine scriptisque incognitum. Is denunciat cladem imminentem familiæ Heli, quod mox quoque Deus per Samuelem facturus erat, vt sæpius, atq; à pluribus admoniti Pater filijque corrigerentur. Qua in re Dominus suam simul bonitatem patefaciebat, simul etiam prophetiæ Samuelis adolescentuli præstruebat fidem, cum inscius in ea vestigia incurreret, quæ vir Dei ante signasset. Principio autem exprobrat

antiqua

antiqua in familiam Sacerdotalem beneficia, cuius posteri, ingrati, & dignitatis suæ contemptores facti, Deum grauiter offendissent.

II. Quem accusat.

Inde nominatim accusat familiam Heli, quæ dignitatem Sacerdotalem vilem moribus suis reddiderit. Postremo addit multiplicem pœnam peccati, nempe abdicationem Heli & posterorum eius à summo Pontificatu: deinde vitæ breuitatem, Domino vim ac vigorem viuacis naturæ immatura morte præcidente, vt in Ophni & Phinee comprobatum est. Tertio æmulationem & inuidiam, qua affligendi erant posteri Heli, florentibus Eleazari filijs, quod contigit tempore Salomonis, cum reiecto Abiathare Sadoc factus est Pontifex. Denique ostendit filios Heli non solum à Pontificatu exclusum iri, sed magna insuper penuria premendos, adeo vt cogantur supplices fieri Pontifici, vt participent pani & pecuniolæ oblationum: in pœnam scilicet præsentis gulæ, & auaritiæ: quæ est sententia Hebræi textus & Græci. In Vulgata vero habetur, filios Heli Sacerdotes venturos, & per medios deprecatores rogaturos, vt aliquod vitæ subsidium obtineant.

ANNVS MVNDI 2913.

HELI 14. SAMVELIS 13.

TAVTÆI 33. Imperij Assyr. 982.

ANTE CHRISTVM 1140.

I. Prima Dei apparitio facta Samueli. *Ios. Ant. c. 11.*

EXacto duodecimo Samuelis anno, contigerunt ea quæ tertio cap. primi Regum continentur, de prima apparitione Domini facta Samuëli, vt Iosephus affirmat, Sanctique Patres consentiunt Ignatius, Chrysostomus, Theodoretus, licet annum sancti pueri huius nominatim non designent. Addit tamen Scriptura circumstantiam temporis, quo Deus Spiritu prophetico afflauit Samuëlem, quando scilicet sermo Domini erat pretiosus, id est, rarus, rariqueerant Prophetæ, aut certe visiones eorum non erant publicè notæ, sicut mox Samuelis fuit. Contigit igitur quodam tempore cum Heli iaceret in lectulo suo, & oculi eius præsenectute ita caligarent, vt clare videre non posset; & Samuël apud eum intra Sanctuarij sepra dormiret: cum nox adhuc esset, vtpote nondum extinctis templi lucernis, quæ cum tota nocte luxissent, mane extinguebantur, vt supra disputatum est. Contigit, inquam, tunc vt Samuel nominatim à Domino vocaretur. Angelo vocem suam ita attemperante, vt vox Pontificis videri posset, qua ille expergefactus, ratus senem sua operâ indigere, ocyus ad eum accurrit, vt is certo disceret nihil hic ex compositio geri, sed rem diuinitus, ipsomet interueniente denunciari; & prius III. contra quem legatio mittebatur, mitti illum à Domino sciret, quam is qui mittebatur: quod fuit diuinæ prouidentiæ, vt ex Annalibus clarius intelligetur, ex Ruperto, Greg. & Abulen.

a.m. 2544 n. 118. & 359.

II. Et vocatur

Promptitudo porro Adolescentuli eo laude dignior, quo illa ætas somni profundioris est, ciuique amantior. Nocte nihilominus intempesta, nihil sibi in tenebris metuens, sæpius vocatus, semper promptè surrexerit, quamuis sæpius ipse sua frustratus esset, & iuerit, imo cucurrerit ad magistrum, & alterum patrem suum Heli. Cum ergo iam tertio vocatus esset, surrexit impiger tertiò, nec dubitauit tertiò interpellare Sacerdotem; ratus satius esse illum toties sine necessitate fatigare, quam semel ignauia sua senis deesse necessitati. Hic Heli non insciusviarum Domini, intellexit quod puer nondum poterat suspicari, Samuelem scilicet à Domino vocari. Itaque *vade*, inquit, *& dormi, & si dormiens vocauerit te dices, Loquere Domine, quia audit seruus tuus.* Abit puer & dormit. *Et ecce* quarto, *Dominus venit ad eum*, nec vocat solum vt prius, sed *stetit* apparens ei specie quadam aspectabili & illustri, vt in tenebris quoque cerni posset. Et Samuël memor præcepti, *Loquere Domine*, inquit, *quia audit seruus tuus.*

Hic Dominus, *Ecce ego facio verbum in Israel, quod quicunque audierit, tinnient ambæ aures eius*: vt contingit in clamore subito ac vehementi. Verbum intelligit cladem, quæ post 26. annos contigit, in qua deuictis Israëlitis, Arca Domini à Philisthæis capta est, & supra populi stragem, domus Heli funeribus repleta ac deformata est. Aliqui eam cladem intelligunt, quæ contigit in Nobe. Cuius rei causam conijcit Dominus in prætermissam ab Heli correptionem filiorum suorum, qualem peccatorum atrocitas merebatur. *Idcirco iurauiinquit, domui Heli, quod non expietur iniquitas domus eius victimis, & muneribus vsque in æternum.* Pœnam culpæ debitam intelligit non culpam ipsam, quæ legitimo dolore expiatur, pœna vero non item, quam omnino vult exolui, vel in hac vita mitius, vel seuerius in futura. Quæ cum Samuël accepisset, & à Pontifice iussus ei enunciasset, Heli præclaram illam edidit vocem, quam plerique Patrum merito commendarunt, *Dominus est, quod bonum est in oculis suis faciat.* Quæ verba tanquam ab humili & contrito corde profecta, & ad diuinam animaduersionem accipiendam parato, nemo satis laudare queat, adeo vt quidam ea ad remissionem pœnæ æternæ valuisse putent.

III. Denunciatio futuræ cladis.

Heli humiliter acquiescit iustitiæ diuinæ.

Chrysost. Procop. Theodor. & recent. multi.

ANNVS MVNDI 2919.

HELI 20. SAMVELIS 19.

TAVTÆI 39. Imperij Assyr. 988.

ANTE CHRISTVM 1134.

I. An. Sabb. 48. Ætas Heli.

HEli octauum supra septuagesimum annum agens ætatis suæ, ad medium simul tempus vtriusque magistratus peruenit, in quod ipsum tempus Sabbaticus annus ordine 48. incurrit, est enim 336. ab Exitu ex Ægypto, quem sicut & præcedentem, & aliquot deinceps consequentes puto ab Israelitis, temporum fauente tranquillitate, fuisse obseruatum, negligentius fortasse, si eo quoq; negligentiam Heli trahere placet. His porro annis res Israëliticæ, quantũ quidẽ scriptis proditum nouimus, cursum suum tenuerunt. filij

Heli constantes in malitia sua, Pater in lentitudine & mollitie mentis & corporis, Samuel in virtute ac probitate.

II. Obitus Teutæi.

Sequens annus habet Teutæi mortem, principis Assyriorum à Belo vigesimi octaui Africano, Eusebio 27. Sed Africanus 4. insuper annis auxit periodum regni eius, vt initio Teutæi diximus, sed multo maior est in sequentibus regibus inter vtrumque dissensio, vt mox dicemus.

ANNVS MVNDI 2921.

HELI 22. SAMVELIS 21.

THINÆI 1. Imperij Assyriorum 590.

ANTE CHRISTVM 1132.

I. Eusebius 4. reges Assyriorũ prætermittit, & annos 162.

TEutæo Thinæum subijcit Eusebius in Assyriorum imperio, multum Georgio Syncello, & Scaligero non sine causa reclamantibus, quod quatuor Reges ab Africano in catalogo regum Assyriorum recensitos prætermiserit; nimirum Arabelum, qui annis 42. regnauerit, Chalaum qui 45. Anabum qui 38. & Babium qui 37. qui sunt anni omnino 162. *Atque hoc*, inquit Scaliger, *pessimi exempli παρεγχείρημα, ideo ab eo patratum vt regnum Teutami in Troiana tempora conueniret. Facinus profecto neque bono viro, neque homine Ecclesiastico dignum.* Sic ipse. In homine tamen Arriano non absurdum, vt hominibus fidem fallat, qui Deo fefellerit. Temeratij tamen facinoris causam non videtur Scaliger satis assecutus. Illi enim reges siue additi, siue prætermissi, cum Teutamum sequantur, eius tempora nihil mutant, siue à Belo, siue à Nino ducatur initium numerandi. Dicendumque potius erat veritum Eusebium, ne Sardanapali vel Arbacis regnum vlterius produceretur, quam eius rationibus conueniebat. Vtut sit sequendus est nobis Eusebius, vt alibi diximus *a*, ne multis deinceps mutandis maior oriatur perturbatio temporum, & maioribus damnis minora sarciamus. Ponendusque deinceps Thinæus cum annis suis 30. atque ita qui est Eusebio 28. est Africano trigesimus tertius.

Scaligeri hallucinatio.

a An. mu. 2803. Sosarmi 1. n. 1.

ANNVS MVNDI 2926.

HELI 27. SAMVELIS 26.

THINNÆI 6. Imperij Assyriorum. 995.

ANTE CHRISTVM 1127.

I. Deus cũ Samuele.

ESthic annus Sabbaticus ordine 49. quo tẽpore Samuël sextum supra vigesimum agebat annum, demonstrabatque in dies maiora virtutis, ac diuinæ sapientiæ incrementa, vt verè de eo dicatur, *Crescit autem Samuel, & Dominus erat cum eo*; præ cæteris videlicet Israelitis, qui prophetiæ dono carebant. Cum ijs enim peculiariter esse dicitur, quos singulari aliquo dono afficit, vt Isaacum diuitijs, Iosephum prudentia rerum gerendarum, Gedeonem fortitudine, Samuëlem prophetia, B. Virginem animi corporisque puritate singulari. Nominatim autem de Samuëlis prophetico dono dictum est, non *cecidisse ex omnibus verbis eius in terrã*, id est, non inania fuisse vel irrita. Quod non tolum ad vaticinium contra Heli enunciatum pertinet, sed ad pleraque alia particularia, quæ in scripta relata non fuerunt, nisi vniuerse, vt mox dicetur *b*.

b c. 3. 21.

Cæterum sub hoc tempus existimamus ductam à Samuele vxorem, breuique ex ea Ioëlem primogenitum suum suscepisse, neque ita multo post etiam Abiam. Id vt maturius faciamus, iniecta pene manu, cogit nos iudicis officium, eis à Samuële parente impositum, & aliquandiu ab ipsis administratum, ante quam Rex peteretur ab Israëlitis *c*, quod post annos sex & triginta contigit.

II. Ducit vxorem, & mox liberos suscipit.

c c. 8. 1. 2.

ANNVS MVNDI 2933.

HELI 34. SAMVELIS 33.

THINÆI 13. Imperij Assyriorum 1002.

ANTE CHRISTVM 2120.

SEptimo Iubilæo Mosaico consecratus est hic annus. Est enim trecentesimus & quinquagesimus ex quo Hebræi Iordane transmisso in Chananitidem sunt ingressi. Estque hic idem annus Sabbaticus ordine quinquagesimus. Nam in illo ipso numero septem, quinquagies inter se repetiuntur. Vtrumque autem annum eadem opera fuisse obseruatum, suadet tam Reipub. tranquillitas, & vacatio ab idololatria, quæ ex Scripturæ silentio colligitur, quam Samuelis, vaticinijs subinde clarescentis, apud Pontificem, totumque Israelem autoritas.

I. Annus Iubilæus 7. Sabba. 50.

Hoc enim tempore magnis apud vniuersum populum incrementis gloria Samuëlis augebatur. Nam multa ei diuinitus præmonstrabantur, quæ cum Dei iussu populo enunciaret, & Dominus, qui aditum illi ad totius Reipub. gubernacula muniebat, euentis ipsis confirmaret, merito eum totus Israël reuerebatur. Cum præsertim ad hanc Dei gratiam vitæ integritas, & inculpati mores accederent. *Et cognouit*, inquit Scriptura *d*, *vniuersus Israel à Dan vsque Bersabee*, Samuelem verum esse ac fidelem Domini prophetam.

d 1. Reg. 3. 20.

Gloria Samuelis.

Plurimus porro vaticinijs illustrem redditum esse Samuëlem illa verba significant, *Et addidit Dominus vt appareat in Silo, quoniam reuelatus fuerat Dominus Samueli in Silo.* Perrexit nimirum Dominus sæpius in Silo Samuëli apparere, quoniã se ibi primum cœperat illi communicare, aut, vt in Hebræo est, conspiciendum præbere. Addit Abulensis huiusmodi oracula nõ fuisse in sacros relata codices, quod vel ad Samuelis gloriam, vel ad deiectionem domus Heli nihil admodum pertinerent. Addunt quoque Septuag. in plerisque editionibus, de Heli & filijs eius. *Et Heli erat senex valde*, nimirum nonagenarius, *& filij eius eunte sibant*, solita videlicet, & iam pridem trita

II. Varia eius vaticinia. *Ibid.* 21.

anti-

progrediebantur via, *& mala via eorum in conspectu Domini.* Propter ætatem autem Heli valde prouectam, putat Iosephus, Phineem viuo ac volente patre, tanquàm ipsius coadiutorem, Sacerdotio functum esse. Cedrenus quoque ait Samuelem 38. anno Pontificatus Heli, Iudicis officio functum esse; quod si accipimus, id non ex officio, sed ex mandato Heli peculiari factum esse credendum est.

Coadiutores Heli

ANNVS MVNDI 2939.

HELI 40. & vlt. SAMVELIS 19.

THINÆI 19. Imperij Assyriorum 1008.

ANTE CHRISTVM 1114.

I. Finis quartæ ætatis, & Arcæ in Silo, &c.

CElebris est hic annus multisque rebus memorabilis. Eo quippe quartam Mundi ætatem terminamus, quæ Iudicum in Hebræorum Repub. administrationem, ab ortu Mosis ad occasum Heli comprehendit. Etsi enim Samuelem non negamus Iudicem, summumq; in ista Repub. magistratum. Eius tamen anni, cum non satis ab annis Saülis regis distinguantur, imo à D. Paulo, alijsque coniungantur, in eius initio Regum ætatem duximus inchoandam, vt proximo anno dicemus. Hoc ipso anno abducitur arca de Silo, neque eò deinceps reducta est. Denique hoc eodem anno Heli subita morte occupatus, gemino magistratu post quadragesimum annum spoliatur, vtroque filiorum misera morte improbam viram terminante. Hæc quo modo contigerint breuiter cum Scriptura dicendum est.

Act. 13. 21.

II. Belli causæ ex parte Dei,

Bellum gestum est à Philisthæis contra Israelitas, & ab his semel iterumque infeliciter pugnatum: sed vt hoc omnino constet, de belli tamen huius causis non ita constat. Deus certe voluit peccata Heli & filiorum eius vlcisci, & iteratas in eos explere minas. Voluit & populi ipsius, apud quem idola priuatim habebantur, vt mox dicetur, & idolum Michæ apud Danitas non sine cultu seruabatur, vt alio loco disputatum est. Philisthæi vero hostili semper animo fuerunt in Hebræos, à quibus non dubitabant omnem suam regionem iampridem affectari. Id autem odium morte Samsonis maxime fuerat exaggeratum, quando omnes eorum principes, & flos ipse populi, ac iuuentutis, templi ruina contrucidati fuerant atque extincti, viresque eorum ita accisæ, vt magno in lucro ponerent, quod ab Israelitis non inuaderentur. Cumque 40. iam annis necessitate magis quam voluntate se continuissent, & à repetenda vltione de parentum suorum morte abstinuissent: instauratis iam apud se rebus, personisque, seipsos ad vindicandam suorum cædem, & Deorum ignominiam excitauerunt. Præsertim cum sibi rem fore intelligerent, non cum fortissimo aliquo Samsone, qui quocunque pergeret, terrorem secum mortemque trahebat, & millenos bellatores mactabat inermis & solus, sed cum molli, & cæcutiente, & decrepito sene, qui ne in domesticos quidem suos retineret imperium.

an. Orbon. 22. *n.* 3. & 4.

& Philisthæorũ.

Itaq; apparatur bellum à Philisthæis, conscribitur miles, educuntur copiæ, venitur ad Aphec, locũ non admodum à Silo distantem. Nam cõfecto prælio quidam eodem die venit in Silo, & acceptam cladem nunciauit, Israëlitæ autem castra metati sunt iuxta locũ, qui postea dictus est lapis adiutorij, in monimentum accepti ibidem diuini auxilij. Quis fuerit dux belli huius, non liquet. Copiarum autem numerus ex ipsa clade intelligi potest. Nam priore prælio 4. millia, posteriore 30. periere, præter fugitiuos, captiuosq;. Apparet Deum, qui victoriam Philisthæis destinarat, terrorem Israëlitis in acie iniecisse, itaque *terga vertit Israel Philisthæis*, quibus fugitiuorum tergo imminentibus, *cæsa sunt in illo certamine passim per agros quàsi quatuor millia virorum, & reuersus est* ex pugna, fugaq; *populus in castra.* Ibiq; maiores natu de Israël nondũ satis edomita superbia, queruntur de Deo dicentes. Quare percussit nos Dominus hodie coram Philistijm? Quibus ex verbis quidam colligunt Samuelem Dei iussu nunciasse populo, vt arma sumerent contra Philisthæos, alioqui absurda videretur istorum querela, nisi Dei iussu arma suscepta forent.

III. Pugna & clades prior Israelitarũ.

At qui ista cogitant, nondum ineptissimã, planeq; stolidam populi huius superbiam, & toties iteratas in deserto querelas, atque obloctiones didicerunt. Nondum enim populus duræ seruitutis intelligebat se multorum magnorumque scelerum reos, perexiguas adhuc luisse pœnas, ad quas viam protinus ista querela patefecit. Consilium enim ceperunt deferendi in castra Arcam fœderis. Recta vtiq; de auxilio diuino fiducia, si prius ipsi, & eorum Sacerdotes ad veram pœnitentiam confugissent: qua deficiente, pro consolatione, aut victoria, longe maiorem cladem acceperunt. Cum ergo Iudæi non viderẽtur sibi conscij criminis alicuius, cuius causa proximam cladem passi essent, sed eam absentiæ Arcæ tribuerent, quam sæpe olim in aciem autore Moyse & Iosue tulerant, suggerentibus forte Sacerdotibus dixerunt, Afferamus ad nos de Silo Arcam fœderis Domini, & veniat in medium nostri, vt saluet nos de manu inimicorum nostrorum. *Misit ergo populus in Silo, & tulerunt inde Arcam fœderis.* Allata est autem à Sacerdotibus, ideoque subditur. *Erantq; duo filij Heli, cum arca fœderis Dei, Ophni & Phinees:* non sine magna cura & timore Pontificis.

IV. Victi murmurant,

cap. 4. 3.

Et Arcam in castra deferunt.

Excipitur arca cum læta vociferatione Israëlitarum, præ ingenti fiducia exultantium, si forte clamore suo ad Arcæ præsentiam, vt olim muri Ierichuntini, ita nunc omnes Philisthæorum phalanges corruerent. E contrariò Philisthæi timuere dicentes, *venit Deus in castra*, siue Arcam putauerunt Deum, siue in ea residentem diuinitatem, maximum præsidium Hebræis, magnam sibi timoris materiam aduenisse crediderunt, memoria repetentes opera terribilia, quæ Deus Hebræorum olim fecisset in gratiam populi sui. Mox tamen resumptis animis, *Confortamini*, inquiunt, *& estote viri Philisthijm*, vt scilicet mori fortiter, quam turpiter viuere malitis, & Hebræorum vicissim subijci seruitũti. Cum enim infelicissima sit seruorum conditio, tum eorum maxime, qui serui fiunt eorum, quibus ante dominati fuerant.

V. cũ plausu accipitur.

& hostili timore.

Cum ergo Philisthæi magno animi ardore pugnarent, & desperata pene victoria seruitutem

VI. Posterior

pugna & clades Hebræorum.

tutem morte propria redimere statuerent, ita pugnabant vt non inulti caderent. E contrariò Israëlitæ ex Arcæ præsentia facti animotiores, & fiducia in eius auxilio, diutissime restiterunt, tantoque maiore numero à prævalentibus Philisthæis cæsi sunt, donec desperata victoria, Arca propugnatoribus nudata, desertis castris, fuga ad sua se tabernacula receperunt, oppida videlicet & domos, in quibus habitabant. Nec fugerunt in castra, vt antea, quia agnita sua paucitate, nec ea tutari se posse sperabant, nec in ijs prælium redintegrare; præsertim Arcæ præsidio ignominiosè priuati; nec sine causa Deum sibi infensum arbitrati. Nec crediderim cæsos in fuga Sacerdotes, sed in Arca Domini contra Idololatras fortiter defendenda occubuisse, vt putat Abulensis; qui de eorum salute minime desperandum existimat, quod tempus ad pœnitentiam satis diuturnum habuerint, & vitam in Dei gloria defendenda posuerint, qui fortasse à principio sibi fuga consulere potuissent.

Cædes filiorum Heli.

q. 17. in c. 4.

VII. Clades in Silo nunciatur.

Hactenus clades, nunc quæ sunt eam consecuta videamus. *Currens autem vir de Beniamin*, ait Scriptura, *ex acie venit in Silo in die illa*. Illa ipsa videlicet die qua male pugnatum est, & quidem in signum maximi mœroris ac luctus, scissa veste, & puluere conspersus caput; citoque tota vrbs luctu repleta est. Nimirum iuuenis cum eiulatu ad portam vrbis omnibus præsidiarijs, & per vicos omnibus obuijs dicebat, perimus, conclamatum est, Arca Dei capta est. Quæ singuli cum ingenti animi dolore excipientes, clamorem cum nunciis, nam alij super alios fuga lapsi eadem nunciabant, lachrymasque confundebant. Cumque alij alios lamentabile nuncium edocerent, re tota pene momento peruulgata, vlulauit ciuitas vniuersa, inconditis clamoribus & confusis.

VIII. Heli pro Arca timet.

Interea Heli, cuius vt oculi caligabant, ita & aures, vt fit, obsurdescebant, *sedebat super sellam contra viam spectans*, eam scilicet viam qua iter erat ad castra, æstuans incredibili sollicitudine, non tam pro filijs, quos sciebat vna eademque die perituros, & merito credere poterat hanc ipsam esse decretoriam illam diem; neque pro populo, licet eius priorem didicerat cladem, infaustum posterioris omen, ac triste præludium; sed *erat cor eius pauens pro Arca Dei*; quam inuitus ex vrbe, populi voluntate dimiserat, reformidans, vt mens præsaga malorum est, ne forte Dominus Sacerdotum, & populi sceleribus offensus, eam in hostium potestatem venire pateretur. Etsi autem obsurdescebant aures, audiuit tamen sonitum clamoris, multis iam clarescentem locis, dixitque, *Quis est hic sonitus tumultus huius?* Et dissimulantibus fortasse domesticis, & fatalem seni plagam imponere formidantibus, adductus est coram ille ipse nuncius, qui primus ciuitatem dederat in tumultum. *At ille festinauit, & venit & nunciauit Heli.*

IX. Clades ei nunciatur

Ego, inquit, *sum qui veni de prælio, & ego qui de acie fugi hodie.* Iam fugæ mentio delibat calamitatem, & personæ conditio narrationi præstruit fidem. *Cui ille ait, Quid actum est, fili mi? Fugit*, inquit ille, *Israel coram Philisthijm, & ruina magna facta est in populo: Insuper & duo filij tui mortui sunt Ophni & Phinees, & Arca Dei capta est. Cumque ille nominasset Arcam Dei, cecidit de sella retrorsum iuxta ostium, & fractis cernicibus mortuus est.* Decimo secundi mensis die, vt in Hebræorum Calendario notatum est. Is enim dies tot cladibus, funeribusque cumulatus, ieiunio detinceps à Iudæis celebratus est. Quod ad casum istum attinet Iosephus putat illum è sublimiori throno iudiciali cecidisse, vt mors ex casu sit probabilior. Sed probabilius est sellam fuisse satis humilem, quæ retro nihil haberet, quo casus à tergo prohiberetur: nec necessarius fuit semineciex alto casus. Itaque ad tam triste nuncium linqui animo cœpit & corpore, cor eius elanguit, & frigido sudore madens, cecidit de sella retrorsum, & toto corpore in caput incumbente, confractus ac suffocatus est. Ne quis autem impatientiæ doloris hunc casum tribueret, illico Scriptura subiecit, *Senex enim erat vir & grandæuus*, octo scilicet & 90. annorum, vt paulò ante dixerat, vt scilicet eum casum infirmitati corporis, non animi desperationi tribueremus.

& lapsus mortitur.

Iter sine Zio.

X. Videtur saluus.

Hæc ergo Scripturæ defensio in causa Heli, illis non fauet, qui eum salutem æternam cum temporali vita perdidisse putauerunt, sed illis potius qui cum debita pœnitentia mortuum credunt; & merito, vt qui culpam reprehensus agnouerit, & diuino iudicio, tametsi seuerissimo, acquieuerit, dicens, *Dominus est, quod bonum est in oculis suis faciat.* Accedit quod pœnas peccato suo debitas luit, dum filios quos contristare noluerat, perdidit, & Sacerdotio cuius abusum permiserat, spoliatus est, & vita quam negligenter traduxerat, violenter ab eo priuatus est, a quo *non consurgit duplex tribulatio.* Cum constet impios ac reprobos ducere in bonis dies suos; quia videlicet tota seueritas diuinæ in ipsos animaduersionis illis reseruatur in inferis. De filijs alia ratio est, cum eos Gregorius Magnus in exemplum reproborum ponat, & eorum qui in impœnitentis cordis caliginem proijciuntur, quæ certissima via est ad damnationem æternam. Sed hæc in veramque partem diligentius disputata, reperiet Lector eruditus in Annalibus nostris, in hunc Mundi annum.

Nahũ 1. 9.

à nu. 29. *ad* 38.

XI. Mors & abortus nurus, eius.

Neque hic funerum finis, *Nurus* enim *eius, vxor Phinees prægnans erat, vicinaque partui, & audito nuncio, quod capta esset Arca Dei*, & mortuus esset socer suus, & vir suus, adde & Leuirum suæ fratrem mariti sui, & 30. millia de populo in quo, vt in honoratis familijs, plerique eam consanguinitate atque affinitate contingebant, *incuruauit se & peperit*: idque non sponte sua, quasi mortem sibi accersens, aut partum abigere per vim cupiens, ideoque subditur; *irruerant enim in eam dolores subdti.* Ex magnitudine scilicet insperatæ calamitatis, immensæque tristitiæ cor eius obruentis, & omnia eius viscera conturbantis, acceleratus est partus, siue maturus, siue immaturus. Iosephus, ex traditione fortasse, ait, eum septimestrem fuisse, & tamen vitalem. Abulensis ait eum mox cum parente periisse. In ipso autem momento mortis puerperæ, dixerunt ei obstetrix, & quæ eum circumstabant, *Ne timeas, quia filium peperisti*; sperantes videlicet eam vires animumque in læto nuncio recepturam.

Sed

Sed ea tota extra se posita, neque respondit eis, neque animaduertit quid illæ dicerent. Mox tamen paululum ad se rediens vocauit filiũ Ichabod, quasi inglorium, propter translatam gloriam de Israel, vna cum Arca Dei. Et his de Heli, Iudice ac Pontifice breuiter cum Scriptura decursis, ad Samuelem nouum Hebraicæ Reipub. principem gradum faciamus.

QVINTA MVNDI ÆTAS, quæ est Regum Hebræorum.

ANNVS MVNDI 2940.

SAMVELIS IVDICIS 1.

ACHITOBI PONTIF. 1.

THINÆI 20. Imperij Assyriorum 1069.

ANTE CHRISTVM 1113.

I. Spatia singularum mundi ætatum.

a. 1. 1656 2. 3822. 3. 4425. 4. 4763. 4919. 5. 5777. 6. 5536. 7. 34. 4086. 4.

ABsolutis aliquando, diuino fauente numine, quatuor Mundi ætatibus, alacriores aggrediemur ad quintam, si emensa iam annorum spatia, quasi respectantes, animo breuiter, cursimq; remetiamur. Prima itaq; Mundi ætas, quam eius Infantiam dicunt, Adamu fuit, & primorum Patriarcharum, eaq; 1656. annorũ fuit. Alteram ætatem mundi, Pueritiam appellemus licet, quæ fuit Noe, & posteriorum Patriarcharum, & 382. annis definitur. Tertia fuit mundi Adolescentia quæ ab Abrahamo exorsa, Abrahami dicatur, & filiorum eius: quæ vsq; ad Legislatoris fortum, annos 425. complectitur. Quartam Ætatem Mundi Iuuentutem vocemus: ea Mosis fuit, & Iudicum Hebræorũ, quæ 476. annis circumscribitur, quæ omnes simul iunctæ, egregie anno mundi, quo quartam absoluimus, respondent.

II. Quinta ætas Regum.

Quinta ergo sequitur Virilis ætas, in qua corpus humanum pleno ac perfecto robore fruitur, sicut populus Israelitarum sub Regibus suis, Dauide in primis atque Salomone. Erit ergo hæc Regum ætas, ducemq; habebit Danidem, Samuele & Saule regnum potius præparantibus quam inchoantibus, & ad soluta vsque à Cyro captiuitatem, per annos 577. protendetur, annis captiuitatis ad eandem ætatem relatis. Sexta demum erit Zorobabelis, cæterorumque principum ac Sacerdotum, in Hebraici populi senectute, imo & orbis ipsius, tot iam imperijs, vbique terrarum collapsis, annisque censetur omnino 536. Septima est Christi ætas, & tempus Euangelij, quam non iniuria Ætatem mundi decrepitam vocabimus, cùm eam Euangelista Ioannes nouissimam horam vocet, Petrus Apostolus nouissima tempora, Paulus plenitudinem temporum. Quam diuturna vero futura sit isthæc ætas, in qua nos non vltra trigesimum quartum Christi annum progredimur, is solus nouit, qui nouit omnia. Nam octauam æternam fore, in cælis vel in inferis, omnes norunt, qui verum Deum norunt.

6.

7.

8.

Congruum autem fuit Ætatem quintam, quam Regum appellamus, ab initio magistratus Samuelis orditi, tametsi aliquot adhuc annis Samuelis inauguratio differenda sit, quoniam vtriusque tempora ægrè separari possunt: adeo vt Paulus Apostolus vtriusq; annos simul extulerit, dum Sauli tribuit annos 40. quos Eusebius quoque, & alij plerique eum secuti coniunxerũt. Quin & Philo in libro de Temulentia, Samuelem, vtiq; propter simul regnantem Saulem Regibus annumerare non dubitat. Incidit porro in huius quintæ ætatis & Samuelis initium annus Sabbaticus ordine quinquagesimus primus, quem crediderim in communi populi luctu ac timore, annitente in primis Samuele, non negligenter obseruatum, vel placando diuino numini, qui ab ipsis cum Arca fœderis discessisse videbatur.

III. Quinta incipit à Samuele.

Mortuo porro Heli, eiusq; filijs, & Repub. Hebræorum, in vnius hominis interitu, Iudice simul ac Pontifice destituta, nullus admodum erat in vniuersis Israelitarum tribubus, in quem populus oculos conijceret, quam in vnum Samuelem, qui iamdudum propheta audiebat à Dan vsque ad Bersabee, & annum agebat ætatis pene quadragesimum: quos annos cum principe Reipublicæ familiariter traduxerat, vt nouus ad gubernationem populi accedere non posset. Adde quod, præter vitæ innocentiam, multis iam magnisq; virtutibus in oculis omnium clarescebat. Postremo familiam regebat, vxore iam auctus & liberis, vt supra diximus. Ergo communibus omnium suffragijs electus est Iudex. Quippe Scriptura testatur a Samuelem iudicasse Israelem omnib. diebus vitæ suæ, à morte videlicet Heli, vsq; ad electionem Saulis in regem, quo etiam regnante magna præditus fuit autoritate, vt suo loco dicetur.

IV. Qui substituitur Heli.

a 1. Reg. 7. 15.

Sed fuerit ne etiam Pontifex, nec-ne, & si non fuit, quis tandem Heli demortuo in Pontificatu successerit, non leuis est dubitatio. Plerique ex antiquis Patribus crediderunt Samuelem non solum populi Iudicem, sed Pontificem etiam extitisse, in quibus Sancti Ignatius, Clemens Romanus, Cyprianus, Chrysostomus, Augustinus, magnusq; Gregorius, alijq; posteriores. Constat nihilominus Samuelem non fuisse Sacerdotem, nedum summum Pontificem, quoniam ea dignitas vni familiæ Aaronis alligata erat, præterea nemini: ad illam autem Samuelem non pertinuisse, ex Scriptura certo constat b, ex qua id ipsum S. Hieronymus c profitetur, alijq; recentiores permulti. Idem tamen Hieron. in 1. ad Corinth. vult Samuelem diuino priuilegio factum esse Sacerdotem, qui & Sacerdoti succesisset, & hostias obtulerit, & Sacerdos fidelis à Deo suscitandus diuinitus promissus fuerit. Sic Paulus extra ordinem factus est Apostolus, licet duodenario illo numero non contineatur. Et in hanc sententiam interpretari possumus omnes Patres, qui Samuelem vel Sacerdotem dixere, vel Pontificem.

V. Non tamen in Pontificatu.

b 1. Paral. 6. 34.

c cont. Iouinian. l. 1.

Fuit extraordinarius Sacerdos.

Quærẽdus est nihilominus Pontifex in familia Heli; quoniam Pontificatus in ea perseuerauit, vsque ad electum à Salomone Abiathar em, & Sadocum eius loco substitutum. Filijs ergo Heli hostili ferro sublatis, ad eius nepotes deueniendum est. De filijs Ophni perpetuum est in Scriptura silentium: filij Phinees duo reperiuntur Ichabod, & Achitob,

VI. Achitob nepos Heli fuit Pontifex.

si vixit Ichabod proximo anno natus, nullo modo ad Pontificatum idoneus fuit. Superest ergo Achitob primogenitus Phinees, qui ætate quoque ad eam dignitatem non immatura esse potuit, cum auum haberet duodecentenarium, & patrem, vt videtur, sexagenarium. Eum Pontificem agnoscunt plerique recentiores; sed ex rebus ab eo gestis, quæ in obscuro manserunt, agnosci non potest. Eius quippe luminibus claritas Samuelis Iudicis & Prophetæ, obstruxit, qui, vt ait Torniellus, ea quæ ad religionem pertinebant pene solus administrabat.

1. Reg. 14. 3

VII. Reipub. status hoc tempore.

Quis autem fuerit status hoc tempore Reipub. Hebræorum, non est difficile ex ante dictis conijcere. Nam humana prudentia rem æstimando, nisi Dominus Philisthæis mentem abstulisset, ne parta victoria vterentur, in summa illa trepidatione hominum & confusione rerum, de Repub. Hebræorum actum esse videbatur: præsertim cum amissa Arca, diuino præsidio se spoliatos crederent. At Samuel cum magna in Deum fiducia populi curam suscepit, & in spem bonam erexit, remedia interim vndique circumspectans. Illud autem palmarium fuit, quod huius occasione calamitatis, populum ad syncerum Dei cultum accendit, idololatria, alijsque vitijs, quæ per Heli negligentiam aut exorta fuerant, aut roborata, diligenter excisis. Denique munus omne religiosissimi atque sapientissimi magistratus exercuisse est. Cuius rei iustissima coniectura duci potest, tum ex minime dubia virtute Samuëlis, tum ex ijs, quæ de eo capite septimo postmodum referuntur.

Emendatur à Samuele.

VIII. Philisthæi an impune Arcam contingant, &c.

Interea *Philisthæi tulerunt Arcam Domini, & asportauerunt eam a lapide Adiutorij*, & quamuis in ea siue denudanda, siue tangenda parum religiosè se gererent, nulla in eos plaga desæuijt, cum quia Mosaica lege, quæ id seuerissime cauebat, non tenebantur, tum etiam quia mox eius præsentia satis vexandi erant, tam in Dijs suis, quam in seipsis. Primum ne virtuti suæ tribuerent victoriam, non solum de Israelitis, sed de ipsorum etiam Deo, quem Arca contineri putabant. Deinde vt afflicti malis ab ea violanda, metu grauiorum abstinerent. Deniq, vt eam cogerentur remittere in locum suum, quam alioqui apud se retinere optassent, rati ea ratione Hebræos omni præsidio spoliatum iri. Geminum autem fuit Arcæ Domini cum Dagone certamen. Cum enim Deum suum quasi oblatione Arcæ honorare voluissent, & Hebræorum Deo quodammodo insultare, postridie inuentus est Dagon iacere pronus in terra, ante Arcam Domini, quasi eam inuitus adorare cogeretur, in signum debellandæ à vero Deo idololatriæ. Sed mox alterum certamen cum Dagone initum est.

Arcæ cū Dagone certamen.

IX. Posterius certamen.

Nam sacrificuli eius hoc animaduerso prodigio, & Dei sui honori consulentes, bene mane, priusquam ignominiosa Dagonis deiecto vulgaretur, restituerunt eum in locum suum, sed ea luculentius redintegrata est. Nam die altera consurgentes Azotij, *inuenerunt Dagon*, id est, superiorem partem idoli, quæ speciem humanam referebat, *iacentem super faciem suam in terra coram Arca Domini: caput autem Dagon, & duæ palmæ manuum eius, abscisse erant super limen. Porro solus truncus Dagonis*, id est, inferior pars in piscem deformata, *remanserat in loco suo.* Atque ita idolo mutilato, ignominia eius omnibus patefacta est, imo & in posteros propagata, dum limen templi sui pedibus non audent attingere, sed transilientes transiliunt, vt habent Septuag. Nimirum saltu in fanum suum profani ingrediebantur, eoq; saltu iterato discedebant, vt hac stulta ceremonia lapsus multorum & cachinnus, non deuotionis sensus aliquis excitaretur.

X. Azotij & deinceps cæteri Philisthæi, male habiti ab Arca.

Ipsos quoque Azotios diuina plaga percussit, eaque ignominiosa & pudenda; intestinorum enim exulceratione passis, sedis morbus successit, intestino defluente, cum acri morsu doloris, in pœnam non solum Arcæ detentæ, sed nefandi criminis præposteræ libidinis, vt Rupertus & Glossa prodiderunt, qui morbus per eorum villas, pagosque vulgatus est. Sed accessit etiam altera plaga murium, à quibus non solum terræ fruges vastatæ, sed ipsæ quoq; hominum exules, dum subinde coguntur egerere, infestis morsibus ac lethiferis impetijs, vt Gregorius Magnus, alijque tradiderunt. His compulsi malis Azotij statuerunt Arcam à se dimittere, nec tamen remittere Israelitis. Eam enim Palæstini si modo impune possent, retinere cupiebant, & eius opera vicissim hostes suos affligere. Ergo congregati Satrapæ, ea de re deliberant: statuuntque, autoribus Gethæis, Arcam per cæteras circumducere ciuitates, experturi an in illis sine damno locari posset. Sed malum consilium consultoribus pessimum fuit. *Illa enim circumducentibus eam fiebat manus Domini per singulas ciuitates interfectionis magnæ nimis*, eademq; Azotijs patiebantur. Itaq; in commune statuerunt dimittere Arcam Dei Israel in locum suum.

Quam se tinere vo luissent.

1. Reg. 5. 9

XI. De modo remittēdi deliberāt.

Cum igitur Arca Domini septem iam mensibus in regione Philisthæorum mansisset, domiti iam fractique plagis euocauerunt ad se Sacerdotes & diuinos, super negotio Arcæ remittendæ. Verebantur enim ne hac ipsa in re defectu aliquo admisso nouam sibi pœnam accerserent. Illi consulti negant eam sine muneribus & donarijs esse remittendam, vt sic peccatum violatæ rei sacræ expietur, & sanitas restituatur expiatis. Munera autem decerhunt quinque anos aureos, totidemque mures aureos, iuxta numerum ciuitatum Palæstinarum, quorum donariorum sumptus, per vniuersum populum, congrua proportione distribuerentur. Ne autem Satrapæ isti difficiles sese in hac ignominiosa satisfactione præberent, vrgent eos Ægyptiorum exemplo, qui cum potuissent celeriter dimittendis Hebræis sua damna lucrifacere, multis afflictis malis, tandem dimiserunt eos. Deniq; ad tollendum omne dubium de causa cladis suæ, rem fortuito euentum, committunt, Arcæ plaustro impositæ, & ab indomitis vaccis trahendæ.

XII. Reductio Arcæ mul tipliciter mira.

Quæ res multipliciter mirabilis fuit. Nam nec vaccæ erant assuetæ iugo, vt timendum esset illas de eo excutiendo potius, aut confingendo laboraturas, quam de trahendo plaustro, quod cum nouum esset, difficilius quoque trahebatur. Adde quod nec iter norant, nec

ductorem,

ductorem habebant, aut stimulatorem bubulcum, vt in triuio positæ, vt ait Iosephus, omnem aliam viam potius, quam legitimam adituræ viderentur. Et insuper vitulos habebant in stabulo, quorum mugitu retrahebantur domum, materno eas amore stimulante: & quidem vehementius, si prius matres aliquandiu secuti, abstracti sunt à matribus, & in stabulum reducti, iuxta Hebraicum, Græcumque textum. Ibant nihilominus in directum vaccæ, per viam quæ ducit Bethsames, habentes Arcam pro onere & auriga, vt ait Theodoret. neque ad dextram aut sinistram inconditè gradiebantur, vt solent indomita animalia, quæ tritæ orbitæ raro insistunt, sed impetu capto, quò furor egit eunt. Ideoque Philisthæi eas sequebantur, tum vt id incommodum vitarent, tum vt de earum progressu, iuxta Ariolorum consilium, sententiam ferrent.

XIII. A Bethsamitis accipitur.

Recte autem diuina prouidentia deduxit Arcam in terram Bethsames, quæ erat vrbs Leuitica, vt in eorum cura relinqueretur Arca, quorum erat rerum sacrarum custodia. Porro Bethsamitæ metebant triticum in valle, quod mense fere Maio contingebat, & eleuantes oculos suos viderunt Arcam, & gauisi sunt de tanto thesauro recuperato. Timuerunt etiam fortasse, cum à longe globum Philisthæorum principum sequentem viderunt: poterant enim & ipsi dicere

——*Timeo Danaos, & dona ferentes.*

Sed metus sine damno fuit. Venerant enim pacifici, & plane persuasi, se à Deo Israëlitarum castigatos. Plaustrum porro venit in agrum Iosue Bethsamitæ, & steterit ibi: diuino vtiq; nutu, vt ibi mox sacrificaretur, loci commoditate inuitante. *Erat enim ibi lapis magnus, & conciderunt ligna plaustri, vaccasq; imposuerunt super ea holocaustum Domino.* Expressum non est à quibus id factum sit. Videtur autem factum à Philisthæorum Sacerdotibus, non Israëlitarum, siue quia victima erat contra præscriptum Mosaicæ legis: siue quia lapis ille altare non erat, sed prophanus lapis: siue quia ipsa phrasis hoc videtur exigere, cum enim scriptum sit, *Leuitæ autem deposuerunt Arcam*, significatur præcedentia non à Leuitis, sed ab alijs, puta Philisthæis, quorum erant vaccæ & plaustrum, fuisse facta.

XIV. Magnum clade, & luctus.

Sequitur Bethsamitarum luctus: nam hic quoque extrema gaudij luctus occupauit. *Percussit* enim *Dominus de viris Bethsamitis, eò quod vidissent Arcam Domini*, id est, curiosè introspexissent in Arcam Domini, vt ex Hebræo habetur, vel curiositate sola incitati, aut studio cognoscendi an Philisthæi aliquid intulissent, vel abstulissent. Addit Iosephus, non tantum visam, sed prophanis etiam manibus, cum Sacerdotes non essent, attrectatam. Occisi autem sunt septuaginta supra quinquaginta millia in toto illo populo. Non enim soli ciues in culpa fuerunt, sed plerique ex circumpositis pagis, qui certatim ad spectaculum insolitum confluebant, quandiu apud Bethsamitas Arca mansit. Id tempus incertum est. Nam si tantam cædem consideres, probabile est eam aliquot dierum, aut etiam mensium spatio contigisse, dum populus causam grassantis apud se mali minus animaduertit, donec morbis, mortibus, funeribusq; densatis, aperuerunt oculos, & de Arca à se dimittenda deliberarunt, & ciues vrbis Cariathiarim ad eam ad se adducendam euocarunt. Idq; Samuele, atque Achitobo Pontifice conscio factum minime dubitandum videtur, vt mox dicetur.

Suscepit hoc anno Saul, qui post annos aliquot Rex factus est, filium, qui tam Esbaal, quam Isboleth, appellatus est. Cum enim immediate Sauli successerit, & quidem quadragenarius, vt Scriptura testatur, oportet eum hoc anno primo Samuelis esse natum, cum iam Saul esset trium liberorum parens, Ionathæ, Aminadabi, & Melchisuæ, qui vna cum patre in montibus Gelboe interfecti sunt.

XV. Isbosethi ortus.

2. Reg. 2. 10

ANNVS MVNDI 2941.

SAMVELIS 2. ACHITOBI 2.

THINÆI 21. Imperij Assyrior. 1016.

ANTE CHRISTVM 1112.

EXtremo quidem anno superiore translata est Arca Domini in Cariathiarim: meis tamen hic primus annus dicetur, vt expeditior fit Chronologia, quæ annos obseruat exhibetque Iulianos. Celebris itaque est hic annus nouis Arcæ Domini sedibus, post repulsum à Domino tabernaculum Siluntinum. Ex quo enim è Silo abducta est, plurimos in Palæstina peruagata locos, indeque Bethsames, nullibi habuit fixam & constantem sedem, donec in Cariathiarim collocata est, ad annos ferme 50. Quando inde à Dauide in ciuitatem Dauid translata est. Valde autem Iosepho assentior, hanc translationem non priuata vnius, aut alterius oppidi voluntate factam esse, sed Achitobi Pontificis, in primisque Samuëlis Iudicis & Prophetæ consensum, & vero etiam Senatus, & maiorum natu totius populi autoritatem interuenisse. Quin etiam persuasum habeo consultum super ea re Dominum, vel in Silo à Pontifice, vel alibi à Samuele Propheta, de Cariathiarim respondisse, & omnes tantæ autoritati libenter cessisse.

I. Arca delata in Cariath.

Fuit autem hæc vrbs Gabaonitarum tempore Iosue, & tribui Iudæ primum tributa, mox sorti Danitarum assignata est. Quare autem hæc potissimum vrbs assignata est ad tanti thesauri custodiam? An quia terminus erat tribuum Iudæ Beniamini, & Dan, & pene in medio possessionis Hebræorum, quatuor millibus prope Ierusalem, quæ illi diuturnior parabatur sedes. An quia locus erat & natura, & arte munitior, & à Philisthæorum incursibus remotior? An metus nobiliores incesserat ciuitates, ne ipsis fortasse contingeret, quod proxime Bethsamitis, & paulò ante contingerat Philisthæis. An denique potius quia Cariathiarim nominatim à Deo electa est. *Venerunt* 2 *ergo viri Cariathiarim* in Bethsa-

II. Quod illud oppidum, & cur Arcæ custodiæ electum.

1. Reg. 7. 1

mes, & inde, communi omnium consensu, eductam Arcam, & humeris suis de more impositam intulerunt eam in domum Abinadab in Gabaa, qui erat collis eius vrbis, in quo erat hæc domus. Cum enim ibi non esset Sanctuarium, oportuit eam inferri in priuatam domum. Eius autem custodiæ præfecerunt Eleazarum filium Abinadabi Leuitæ. Neq; alia sanctificatio intelligenda est, quoniam nullum eius ministerium circa arcam requirebatur. Itaq; etiam mere laicus potuit huic custodiæ deputari, vt Obededon Gethæus.

Eius custos Eleazarus Leuita.

III. Sanctuarium è Silo in Nobe translatum.

Silo autem non solum Arcam non recuperauit hoc tempore, sed insuper etiam Sanctuarium amisit. Nam Hieron. *b* ait, tam Arcam Domini, quam Tabernaculum mansisse in Silo vsq; ad tempora Samuelis: Tabernaculum videlicet illud, quod à Mose factum fuerat. Translatum autem putat Abulensis *c*, per monitionem alicuius Prophetæ, significantis Deum velle Tabernaculum è Silo in Nobe transferri. Illud certe ibi fuisse constat, cum Saul eam vrbem vastauit, & toto tempore Samuelis ibi mansisse, communis est multorum sententia: nec Prophetam monitorem quærere oportet alium à Samuele, cuius multa erat cum Deo familiaritas. Suasit insuper hanc translationem humana prudentia, ne forte Philisthæi deletis nuper quatuor & 30. millibus Israelitarum, in Silo impetum facerent, & tabernaculum Arcæ, id est præsidio suo nudatum, & alioqui pretiosissimum auferrent. Etsi autem deinceps Hebræi dicant Silo in solitudinem fuisse redactam, eius tamen incolæ in Scriptura *d* ad annos abhinc vltra quingentos memorantur.

b *in loc. Heb. inuoce Silo.*
c 9.18. *in* c.7.
d *Ier.* 41.5.

IV. Ibique ordinaria sacrificia peracta.

Quoniam ergo Sanctuarium erat in Nobe, simulque altare holocaustorum, & thymiamatis, & mensa panum, & candelabrum, & reliqua sacra supellex Sanctuarij, dicendum est ibidem ordinaria sacrificia fuisse oblata, cæterumque Dei cultum celebratum. Nam ibi erant Sacerdotes ministri Domini, non in Cariathiarim, vbi tamen sacrificia quædam extraordinaria offerri poterant coram Arca, & reuera oblata sunt à Bethsamitis, sine vlla cuiusquam reprehensione, & à Dauide dum transferret Arcam in domum suam: & poterant ad voluntarias hasce oblationes è Nobe Sacerdotes euocari.

ANNVS MVNDI 2947.

SAMVELIS & ACHITOBI 8.

THINÆI 27. Imperij Assyriorum 1016.

ANTE CHRISTVM 1106.

I. Sabb. 52. obseruatus.

SAbbaticus annus ordine secundus supra quinquagesimum in hunc annum cadit, quem rite ab Hebræis obseruatum facile adducor vt credam. Non enim aut modica erat auctoritas Samuelis apud vniuersum populum, etiam viuo adhuc & rerum potiente Heli, Iudice simul atque Pontifice, aut exigua Samuelis ipsius pietas, industria, zelus animarum, vt nollet, aut non posset sibi subiectam Rempub. ad necessarios legitimosque ritus obseruandos adducere. Certe Iosephus ait illis 20. annis quibus Arca mansit in Cariathiarim, totum populum votis & sacrificijs operam dedisse, magnamque religionem, & cultus diuini curam ostendisse: id autem quis dubitet in primis opera Samuelis esse factum: quem Lyranus ait statim à morte Heli per totum Israelem discurrere cœpisse, & docere populum, vt eum ad Dei cultum reduceret, & ad id excitasse, argumento acceptæ cladis in morte Heli, & filiorum eius, & amissione Arcæ. Id autem fundamento Scripturæ nititur. *e Ibat* enim *per singulos annos circumiens Bethel, & Galgala, & Maspha, & iudicabat Israelem in supradictis locis, reuertebatur autem in Ramatha, ibi enim erat domus eius, ibi iudicabat Israelem.* Egregio profecto boni Principis & pastoris exemplo, dignoque, in quod vtrique intueantur, vt ipsi quoque domi pascant gregem suum, & visitent etiam foris.

Samuel visitat subditos.

e 1 *Reg.* 7. 16.

ANNVS MVNDI 2950.

SAMVELIS & ACHITOBI 11.

DAVIDIS 1. TROIÆ 80.

THINÆI 30. & vlt. Imperij Assyriorum 1019.

ANTE CHRISTVM 1103.

I. Mundus Iubilæus 59

ESt hic annus Mundani Iubilæi quinquagesimus nonus, & Thinæi Imperatoris Assyriorum trigesimus & vltimus, qui est Eusebio vigesimus octauus illorum principum, Africano vero 33. iuxta ea, quæ primo Thinæi anno diximus. Reditus quoque Heraclidarum, siue posterorum Herculis in Peloponnesum in præsentem annum, quippe octogesimum excisæ Troiæ refertur, quam temporis notam placuit in Annalibus non præterire: vtpote à plerisque antiquorum vsurpatam, vt Plutarch. Clemente Alexandrino, Velleio, &c. Est porro hic annus Dauidis primus, quem ab Isai septuagenario genitum ponimus, iuxta ea, quæ anno vigesimo primo Baraci constituta sunt. Confirmatur autem hic annus, ex eo quod scriptum est *f*, "*Filius* 30. *annorum erat Dauid cum regnare cœpisset.* Trigesimus videlicet erat in cursu, cum mortuus est Saul, eique successit Dauid, vt suo loco dicetur. Fuit autem filiorum Isai ordine septimus, vt est in 1. Paral. *g* vel vt est in 1. Regum *h* octauus: Eorum vnum non naturalem, sed adoptatum fuisse putant, se autem vera nepotem.

Thinæi obitus. Reditus Heraclidarum.

Dauidis ortus.

f 1. *Reg.* 5.4

g c. 13.2. h 2. *Reg.* 16.10. 1

ANNVS MVNDI 2951.

SAMVELIS & ACHITOBI 12.

DAVIDIS 2. TROIÆ 81.

DERCYLI 1. Imperij Assyr. 1020.

ANTE CHRISTVM 1102.

I Dercyli regnum.

THinæo successit in Assyriorum Imperio Dercylus ad annos 40. In quo Eusebius Africano consentit, & his cæteri deinceps, in ordine autem illi perpetuo dissentiunt, non solũ propter initium à Nino vel à Belo sumptum, sed etiam propter 4. reges ab Eusebio prætermissos, iuxta ea, quæ primo Thinæi anno dicta sunt. Itaq; Dercylus Eusebio est vigesimus nonus, Africano vero trigesimus quartus. Cogimur porro rerum, quæ ad institutum faciant penuria, annos aliquot hoc loco transcurrere. Illud tamen obiter dixerim in annum ab hinc tertium, qui erit Samuelis decimus quintus annum Sabbaticum 53. incidere, quem annitente Samuele, ab Israelitis obseruatum putamus.

Sabb. 53.

ANNVS MVNDI 2960.

SAMVELIS & ACHITOBI 21.

DERCYLI 10. Imperij Assyriorum 1029.

ANTE CHRISTVM 1093.

I. Arca quã diu manserit in Cariathiarim.

VIgesimus est hic annus commorationis Arcæ in Cariathiarim, cuius nominatim Scriptura *a* meminit, propter comitia Samuelis in Maspath, quo tempore non recte quidam opinantur Samuelem factum esse Iudicem Hebræorum. Sic enim Samuelis & Saulis gubernatio non fuisset 40. annorum, vt Scriptura testatur *b*, sed vix 20. in quorum extremo mortuus est Saul. Falluntur quoque qui putant Arcam non vltra stetisse in Cariathiarim, sed translatam fuisse in Maspath. Mansit enim in domo Abinadab, vsque ad decimum regni Dauidis annum, qui tum eam inde abductam deposuit in domo Obededon, vt scriptum est in 2. Regum *c*. Nec ibi nisi ad tempus deposita est. Nec abducta fuit ex Cariathiarim, nisi imminente aliqua necessitate, vt cum Saul pugnaturus erat contra Philisthæos *d*: semper enim eò reducebatur, vt diserte scribit Eucherius. Nec Scriptura asserit Arcam mansisse 20. tantum annis in Cariathiarim, sed vigesimum annum in cursu fuisse, ex quo ibi erat Arca, cum Samuel vniuersum Israelem allocutus est.

a 1. Reg. 7.

b Act. 13. 21

c 2. Reg. 6. 2.

d 1. Reg. 14. 18.

II. Israelitæ requiescunt post Dominũ opera Samuelis.

Hoc ergo anno vigesimo ex quo Arca erat in Carathiarim, *requieuit*, ait Scriptura, *omnis domus Israel post Dominum*. Requieuisse post Dominum dicuntur, ait Hieron. *e* quia abiectis idolorum sordibus, Domino se ad seruiendum toto corde tradiderunt. Septuag. aiunt reuersos esse ad Dominum, id est, pœnitentiam egisse, idque non vigesimo demiq; anno à recuperata Arca, sed statim ab accepta clade in morte Heli, vt plerique notarunt. Id tamen hoc loco memoratur, quia solemniter in conuentu publico, cum certis ceremonijs, profanus omnis cultus abdicatus, atq; eiuratus est, diuinus autem firmiter stabilitus. Ait autem Samuel ad vniuersam domum Israël. *Si in toto corde vestro reuertimini ad Dominum, auferte deos alienos de medio vestri Baalim & Astaroth, f* quibus nominibus Idolorum, quæ erant in Syria frequentissima, cætera quoque omnia intelligit, quacunque ex causa retinetetur: Et quia non solum declinandum est à malo, sed faciendum etiam bonum, subdit, *Præparate corda vestra Domino, & seruite ei soli, & eruet vos de manu Philistiim*, quibus nimirum seruitis, & eam seruitutem tributo pensitando profitemini. Quæ verba, quia non notatum est vbi dicta fuerint, recte dici potest cum Lyrano & Abulensi, hanc fuisse quasi materiam exhortationum ad populum in singulis vrbibus, quas concionabundus singulis annis obibat.

Eius exhortationes.

e Vide Ier. 3. 22.

f Vide Iud. 10. 6.

III. Iudicit comitia in Maspharh, quæ & ibi gesserit.

Sublatis itaq; idolis, & inclinata totius populi in Deum voluntate, indixit Samuel generalia comitia in certam diem, in Masphath ciuitate Benjamin, vt ibi publica & solenni, fieret abnegatio idololatriæ, & reconciliatio cum Deo. Ibi hauserunt aquam & effuderunt coram Domino, in signum effusi penitus de cordibus suis amoris & cultus idolorum: idque publicè, & cum quadam veneratione factum, corpore ad Arcæ locum conuerso. Nec ea ceremonia contenti, ieiunauerunt in die illa, atq; dixerunt, *peccauimus Domino*. Vides hic culpæ confessionem, & satisfactionem adumbratam ieiunio, atque abiectione simulacrorum. Huius autem pœnitentiæ Samuel testis, imo Iudex fuit, & apud Deum populumque mediator: ideoque dicitur iudicasse filios Israël in Masphath. Addit Abulensis *g*, ijs verbis contineri quoque reconciliationem personarum inter se, & controuersiarum diremptionem.

g q. 28. in c. 7. in fi.

IV. Philisthæi consurgunt contra Israelitas.

Cum autem hæc gererentur in Masphath, Satrapæ Philisthinorum ea de re facti certiores, ratique eos libertatis obtinendæ causa conuenisse, celeriter accitis, quos ad manum habebant militibus, magnis itineribus eò conuolarunt. Id dedita opera permisit Dominus, vt reuersos ad se, & sponte ab Idolorum seruitute liberatos, ipse vicissim à Philisthæorum potentia liberaret. Tam formidolosus nuncius subito perculit filios Israel, ab armis, vt par est credere, copijsque militaribus imparatos. Itaque confugiunt ad Samuelem, simulque *h*, *Ne cesses*, inquiunt, *pro nobis clamare ad Dominum Deum nostrum, vt saluet nos de manu Philistiim*. At Samuel non solum adhibet preces, sed etiam sacrificium. Tulit enim agnum lactentem vnum, & obtulit illum *holocaustum integrum Domino*. Quid est holocaustum integrum? num aliquando offerebatur non integrum? nonne Dominus *odit rapinam i in holocausto*? Certe ipsæ temporis angustiæ, quas imminens hostis afferebat, suadent vt dicamus agniculum non diuisum in partes, vt moris erat, sed integrum: & forte cum pelle, pedibus, & intestinis in flammas iniectum, vt & locus sacrificij, & ritus eius, ac sacerdos ipse præter communem ordinem essent.

h 1. Reg. 7. 8. 9. Samuel orat & sacrificat integrum holocaustum.

i Isai. 61. 8

V. Philisthæi diuinitus terrẽtur, ac vincũtur.

Dum ardet holocaustum, trepidatque metu populus, *Samuel clamauit ad Dominum*, non tam sono vocis, quam ingenti mentis affectu, *& exaudiuit eum Dominus*: & Philisthæis prælium ineuntibus, aut potius in promiscuam Israelitarum cædem iam iamque ruentibus, expedit arma sua Dominus, & intonat fragore magno super Philisthæos, *& exterruit eos*, cumque eos terror impulisset in fugam, cæsi sunt ab Israelitis, qui egressi de Masphath, persecuti sunt eos, & percusserunt vsque ad ignobilem quendam locum nomine Bethchar. Vt autem intelligeretur non humanam, sed diuinam fuisse victoriam, Samuelis precibus & sacrificio impetratam, id ipse noua loci denominatione protestatus est, qui Lapidem adiutorij appellarit, ad memoriam accepti beneficij sempiternam. Huius porro victoriæ geminus effectus fuit, prior, quod quandiu Samuel Rempub. administrauit, Philisthæi bellum redintegrare non sunt ausi: posterior, quod non solum sui omnino iuris effecti sunt, nec tributum vltra Philisthæis pependerunt, sed amissas quoq; ciuitates receperunt. Victoria enim vsus Samuel eas vel vi cepit, vel in deditionem accepit. Sed id ad sequentem etiam annum pertinet.

Effecta victoriæ, receptio vrbium & libertatis.

VI. Filij Samuelis Iudices.

Hoc quoque anno filij Samuelis Iudices in populo à patre sexagenario positi sunt. Nec potest hæc institutio vltra commode differri. Cum enim ex eorum mala gubernatione populus occasionem acceperit petendi regem, oportet vt populus aliquanto tempore expertus fuerit eorum auaritiam & iniustitiam, vt querela probabilis & legitima videretur. Id ergo hoc & sequenti anno experti, tertio gubernationis eorum pertæsi venerunt ad Samuelem, & regem postularunt. Ne autem citius illos Iudices factos dicamus, ordo narrationis scripturæ suadet, quem sine causa mutare non licet: suadet quoque Samuelis ætas cuius subleuandæ gratia, gubernationis onus in filios ex parte deriuatum est. Et apparet propria id eum autoritate fecisse, sine vllo populi suffragio: erant quippe eius quasi vicarij, qui ex nutu ipsius & voluntate penderent, vt à patre eruditi, ei possent decedenti in summo magistratu, Deo ac populo annuente, succedere, & post vnam prouinciam recte administratam, toti regno vtiliter præessent.

ANNVS MVNDI 2961.

SAMVELIS & ACHITOBI 22.

DERCYLI 11. Imperij Assyrior. 1030.

ANTE CHRISTVM 1092.

I. Pax cum Philisthæis & eius conditiones.

HOc quoque anno reliquias victoriæ Samuelis de Philisthæis, atque effecta persequimur, quod res tota, vt iam diximus, anno præterito non videatur confici potuisse, siue crebras Iosephi expeditiones admittamus, siue vt videtur probabilius, accepta diuinitus clade, & maiore inde timore concepto, pax cum hoste certis conditionibus inita fuerit: in quibus fuit restitutio ciuitatum, quas Philisthæi sustulerant Israelitis, cum agris earum. Deinde remissum est Hebræis tributum, quod haud dubium est seruitutis argumentum, cum tamen Scriptura *a* dicat Samuelem liberasse Israelem de manu Philistinorum: quorum proxima etiam clades exigit vt Hebræi in hac pace melioris conditionis fuerint, quam Philisthæi. Et nunc quidem remissum est tributum, sed ea remissio, ipsaque pax exigui temporis fuit. Tertia conditio fuit vt aliqua Philisthæorum præsidia apud Israelitas residerent, belli motibus impediendis. Et tale fuit præsidium in Gabaa Benjamin, quod Ionathas expugnauit. Denique vt ne fabros armorum haberent, vt infra *b* habetur.

a 1. Reg. 7. 14.

b 1. Reg. 13. 19.

Rebus ita cum hoste compositis, Samuel populi negotia liberius tractare cœpit, in iuridicis conuentibus per certas vrbes iamdudum constitutis, ad populi commoditatem, vt certis anni temporibus ad singulos conferret sese, ibique populum iudicaret, reliquo autem tempore, si qua res vigeret, populus ad eum veniret in Ramatha, vbi erat domus eius, & olim Elcanæ patris eius. Sed illud mirum, quod ibi ædificauit altare Domino, cum ibi neque Arca esset, neque Sanctuarium. Verum cum esset Propheta, merito creditur Deum id ipsi indulsisse, cum autem esset etiam Sacerdos extraordinarius, ibidem etiam sacrificare potuisse.

II. Samuel iudicat populum.

Ædificat altare alieno loco & sacrificat.

Interea filij Samuelis *c* constituti Iudices in Bersabee, id est, in finibus regni ad meridiem, iuxta Idumæos, cum patrem longe absentem haberent, & Dei præsentiã non satis reuererentur, à via recta quam à patre didicerant, declinauerunt, *sectantes auaritiam, munera accipientes, & peruertentes iudicium*, in gratiam eorum qui eis munera largiebantur, cum ne accipere quidem liceret ad iuste iudicandum. Nam & suspectus redditur aduersæ parti; & eum, à quo munera suscipit, pronum facit ad lites, dum expectat venalem sententiam. His ergo criminibus impliciti, promeriti sunt vt mox ipsi, & familia propria in perpetuum ea dignitate priuarentur, & aditum nouæ Reipub. administrationi aperirent. Est porro hic annus Sabbaticus 54. quem religio sit dubitare studiose ab Israelitis obseruatum, cum alter tantum ageretur annus à renouato cum Deo fœdere in Masphath, opera Samuelis.

c 1. Reg. 8. 3.

III. Filij Samuelis male se gerunt.

Annus Sabb. 54.

Huc refert Eusebius initia regum Lacedæmoniorum, qui ab Aristodemo, vno de posteris Herculis exorti sunt, post eorum reditum in Peloponnesum, qui cum duos filios Lacedæmone reliquisset, Proclem & Euristhenem, duarum regiarum familiarum autores fuerunt, quarum vtraque plurimos numerauit in Sparta reges. Vide Annales in præsentem annum.

IV. Initia regum Spartanorum.

ANNVS MVNDI 2962.

SAMVELIS 23. SAVLIS REGIS 1.

ACHIÆ, qui & ACHIMELECH,

PONTIFICIS 1.

DERCYLI 12. Imperij Assyr. 1031.

ANTE CHRISTVM 1091.

I. Ratio témporis Samuelis & Saulis.

CVm Samuel Rempub. Hebræorum 19. annis solus administrasset, indeq; biennio filios tuos Coadiutores assumpsisset, nec eorum gubernatio probaretur, populus regem optauit, & à Samuele petijt, qui hoc anno creatus, Rempub. viuo Samuele sedecim annis rexit, & eo defuncto duobus: sicq; vtriusque administratio ad annos 40. protenditur, quos eis Paulus attribuit *c*, licet Saulem tolum modo nominarit, quod passim omnes fatentur interpretes, & Chronologi accuratiores, vt fusius in Annalibus docuimus. Hæc ratio temporis partim ex ipsa Scriptura sumitur, partim ex ipso tempore gestis rebus gerendisq; necessario. Nam à morte Heli vnum circiter annum mansit Arca Domini tam apud Philisthæos quam Bethsamitas, tum 20. annis in Cariathiarim, ante renouatum cum Deo fœdus in Maspha. Inde secutum est bellum contra Philisthæos, quod annum explet vigesimum secundum, quo etiam tempore gubernatio filiorũ Samuelis experientia probata, ac reprobata est. Reliqui sunt igitur octodecim Saulis anni, qui rebus ipsis aptissime quadrant, vt ex singulis annis intelligetur. Samuelem autem biennio ante Saulem mortuum esse suo loco docebimus.

c Act. 13. 21.

II. Achias Pontifex.

De Pontifice porro probabiliter dicimus Achiam cum Saule ad regnum promoto Pontificatũ etiam gerere cœpisse, Achitobo maturius extincto. Is enim sub Saulis initia memoratur in Scriptura pontifex, aut pontificis officium gerens *e*. Et insuper verum esse oportet verbum Domini contra domũ Heli, de immatura morte filiorum eius. Qui autem c. 14. primi regum dicitur Achias filius Achitob, idem cap. 22. dicitur Achimelech filius Achitob, quod Hieron. in Tradit. affirmat. Quod si quis contenderet nõ vnum eundemq; fuisse Achiam & Achimelech, sed fratres Achitobi filios, qui breui spatio alter alteri in pontificatu successerit, non esset id alienum à maledictione iniecta in Domum Heli. Prius tamen videtur probabilius, nomine Achias siue Achias in Achimelech dilatato, vnde Achis rex Gethæus *f* inuenitur dictus etiam Achimelech.

e 1. Reg. 14. 3. & 18.

f 1. Reg. 21. & in tit. 27. al. 29.

III. Maiores natu petunt regẽ

Iam quod ad Regis creationem attinet, eam Samuel ab ipsa origine repetens, petitionem eius cum Autoribus suis, petendique causam, occasionem & locum, quo item modo petitio tam à Deo, quam à Samuele accepta fuerit, perspicue declarat. Petunt maiores natu Israel, quo nomine nõ seniores solum, sed optimates comprehenduntur, ne forte Samuel eam petitionem iuuenili temeritati tribueret. Eosq; apparet super tanto negotio iuter se deliberasse, & petendi causas inter se contulisse: deesse videlicet Hebræis belli ducem: regem eis præsidio & ornamento fore; Esse id diuinæ legi consentaneum, & vaticinijs Patriarcharum. Itaque congregati venerunt ad Samuelem in Ramatha, locum in quem ipse lustrata prouincia se conferebat, vbi quasi in hybernis, in propria, paternaque habitabat domo: vbi frequenti populo ius dicebat. Venerunt inquam, non tam pertæsi auaritiæ vel iniustitiæ filiorum Samuelis, etsi illa eis occasio facta est, quam ambitioso regalis gloriæ desiderio incitati, & cæterarum nationum æmulatione saucij. Nonnullo etiam à Rege Ammonitarum periculo permoti, vt ex sequentibus intelligetur.

à Samuele in Ramatha.

IV. Quæ cõtinet petitio 11. Reg. 8. 5

Dixerunt ergo Samueli 8. *Ecce tu senuisti, & filij tui non ambulant in vijs tuis; constitue nobis Regem, vt iudicet nos, sicut & vniuersæ habent nationes.* Callida & meditata occupatione præcluserunt Samueli responsionem, dum in patre facultatem, in filijs voluntatem bene gerendæ Reipub. abesse contendunt: & alioqui neq; rem malam postulant, neq; à diuinis legibus alienam; tametsi populo isti nouam atq; insolentem. Neq; petunt principem, qui nomine tenus sit Rex, sed qui iudicet populum, qui bello præsit, qui togæ muneribus, militiæque moderetur, qui Rex eo iure sit, quo qui apud alias gentes optimo. Eoque facto non solum filios, sed patrem etiam pene exautorant. Etsi enim deinceps quoque creato rege iudicauit populum, scriptum enim est *b* cum iudicasse *Israelem cunctis diebus vitæ suæ*, non vltra tamen suprema gessit in Repub. magistratum, quando Rex ille fuit, cum maiore autoritate ac dignitate præpositus.

b 1. Reg. 7. 15.

V. Samueli ipsique Deo iniuria.

Verum vt iniqua non sit filiorum repudiatio præter ordinem iuris, nulloque eis ad emendationem tempore, concesso, in gratiam bene de Repub. meriti parentis, iniusta certe atque ingrata est Samuelis quam diximus exautoratio, qui nihil in ipsos peccauerat, imo plurima ad hanc diem beneficia contulerat, & Rempub. difficillimis temporibus administrarat. Verum Samuel, vt erat vir sanctus, propria & domestica iniuria modice tangebatur. Ægre tulit tamen petitum a populo regem, quia hic aliquo modo se ab immediato Domini principatu subtrahebant, & alium præter Deum introducebant, quem regem haberent & Dominum, præter eum cuius adhuc regnum sacerdotale fuerant. Itaque Dominus se abiectum queritur ab Hebræis atque derelictum. Cui cõsentiens Samuel, exprobrat populo quod dixisset *c*. *Rex imperabit nobis, cum Dominus Deus vester regnaret in vobis*, & scilicet cum peculiari Dominio, singulari erga eos prouidentiam adhiberet. Aliter enim curam filij gerit pater, aliter magistratus.

c 1. Reg. 12.

VI. Samuelis interim modestia

Quamuis autem Samuel non leui mœrore, intristi atque inopinato nuncio affectus esset, nihil tamen vir sanctus sibi imprudenter elabi passus est: nihil dixit aut fecit eorum, quæ cæteri mortales in huiusmodi casibus solent. Sed tacitus collegit se, & ad Deum orandum confugit. Nisi forte credibilius est non dimissos, plane siue responso hosce maiores natu, ne se contemptos putarẽt, sed eis quod erat in promptu, dixisse Samuelem, grauissimi esse momenti

hoc

hoc negotium, se rem ad Dominum delaturum & quæ ab eo didicerit cum fide relaturum. Sicque dimisso in alterum diem sine offensione populo, Dominum orauit vt voluntatem super hac re patefacere dignaretur. At Dominus afflictum seruum suum consolatur, simulq; petitioni acquieuit. *Audi*, inquit *d*, *vocem populi in omnibus quæ loquuntur tibi: non enim te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos.* Quasi dicat, ferenda tibi est æquo animo iniuria, quam vides tibi cum Domino tuo communem.

Quem Deus consolatur. d 1. Reg. 8. 7

Quamuis autem acquieuerat, si populus in ista voluntate perseueret, dissuadet tamen, hoc ipso quod ei jus regni renunciari iubet, ne pergat populus ignotam sibi accersere seruitutem. Nomine autem iuris regni plerique intelligunt morem & consuetudinem Regum vtendi subditorum bonis, sine cuiusquam iniuria, si boni fuerint, sin autem mali, pro arbitratu. Sed hæc in Annalibus accurate explicata reperies. Cum ergo hæc iura Samuel etiam in maius aucta populo renuntiasset, populi tamen sibi male consulentis peruicax rerum nouarum desiderium, vicit Dei, & Prophetæ bene monentis suasionem *e*. *Noluit* enim, ait Samuel ipse, *populus audire vocem Samuelis, sed dixerunt, Nequaquam*, supple ista contingent, vel nequaquam acquiescemus consilijs tuis. *Rex enim erit super nos, & erimus nos quoque sicut omnes gentes, & iudicabit nos Rex noster, & egredietur ante nos, & pugnabit bella nostra pro nobis.* Auertunt isti aurem & cogitationem à consideratione rerum à Samuele propositarum, & eam transferunt in res quæ ipsos in proposito, & propria voluntate confirment: quod commune est omnibus, qui aliquid exvehementi perturbatione desiderant, opulenta matrimonia, lucra ingentia, supremas dignitates, atrocem vindictam, quorum nemo quidin hisce rebus mali sit considerat, sed ad id vnum, quod in eis amabile est, præceps ruit.

VII. Dissuadetur populus proposito iure regio.

e *ver.* 19. & 20. Perstat in sententia populus.

Responsionem populi indicem fixæ & immotæ voluntatis, ius suum in regem aliquem transferendi, à quo pacis bellique temporibus suprema cum autoritate regatur, qui legibus humanis solutus sit, & à cuius voluntate senatus, conciliumque omne dependeat: hanc inquam responsionem Samuel, vt Dei interpres, ad Deum retulit. Populo autem consentiens Dominus, *Audi*, inquit, *vocem eorum, & constitue super eos Regem.* Et *ait Samuel ad viros Israel, Vadat vnusquisque in ciuitatem suam.* Quasi dicat, confecta res est, eritis vori compotes, primo quoque tempore Dominus dabit vobis regem: quem, cumprimum mihi patefecerit, accersam vos. Interim nihil vos moramur, valete. Interea Dominus secreto Saulem Samueli declarauit, & ab eodem seorsim ab omnibus vngendum curauit. Deinde autem in comitijs per sortitionem populo manifestum reddidit: quæ proximis octauo & nono capitibus continentur.

VIII. Quam Samuel Deo renũciat.

v. 22. Vori compotes abeunt.

Genus porro Saulis & tribus videtur fidem prophetiæ Iacobi patriarchæ labefactare, à quo tribus Iuda regia prænunciata fuerat, non tribus Benjamin. Dicendum tamen perpetuum, regnum tribui Benjamin à Domino præparatum, si Saul non peccasset, vt dixit ei Samuel *f*. Præuisa vero eius inobedientia, statuit Deus in tribu Iuda regnum perpetuum, idque per Iacobum vaticinatus est: vt disputat Abulensis g. Dici etiam potest nihil esse in hac historia discrepans à prophetia Patriarchæ. Non enim dixit nulla in tribu futurum regnum, præterquam in Iudæa, sed non auferendum de tribu Iuda, vsque ad aduentum Messiæ: cui non repugnat sceptrum ad annos aliquot in Benjamin, aliaue tribu fuisse, vt nó nunc solum, sed maxime post regni diuisionem contigit. Porro Saul, ad captum illius populi, electus est à Deo, externa in primis specie commendabilis, quam interna virtus demissionis animi commendabat. Ipso enim Samuele teste *a*, paruulus erat in oculis suis, quando caput in tribubus Israel factus est.

IX. Quomodo creetur Rex ex tribu Benjamin f c. 13. v. 8

g 9. 2. in c. 9.

a 1. Reg. 15. 17.

Occasio porro aditi à Saule Prophetæ, fuit inquisitio asinarum per aliquot dies irrita, quæ à Saule cum famulo, patris illius iussu, fiebat. Quoniam ergo diuina prouidentia factum fuerat, vt quærendo ad oppidum Samuelis veniret, pridie monuit illum Dominus, fore vt postridie mitteret ad eum virum de tribu Benjamini, qui vngendus esset in regem. Cumque Saul de reditu cogitaret, quod frustra quæterentur asinæ, & panis in viaticum deficeret, & pater Cis sollicitudine liberandus esset, monet famulus adesse prophetam, qui doceret quod quærebant: cumque Saul excusaret, quod non haberet, quod honoris causa offerret viro Dei, inuenta est in manu famuli quarta pars stateris, quæ 7. assibus gallicis respondet, quæ grati animi causa Prophetæ dari posset, post iudicatam rem quam scire cupiebant. Ergo ingrediuntur ciuitatem Ramatha, cumque ascenderent collem eius, inuenerunt puellas à quibus didicerunt adesse Samuelem, qui populum ad sacrificium epulumq; inuitarat, qui mox aduturus expectabatur, vt benediceret hostijs, quæ post sacrificium cedebant in cibum.

X. Saul adit Samuelẽ.

Ascenderunt itaq; Saul cum famulo in ciuitatem, cumq; ad illius medium iam peruenissent, occurrit eis Samuel, qui domo egressus erat, vt ascenderet in excelsum, vbi tanquam in peramœno loco conuiuium celebrabatur *b*. *Cumq; aspexisset Samuel Saulem, Dominus dixit ei. Ecce vir quem dixeram tibi, ipse dominabitur populo meo.* Cum autem Saul propius ad prophetam sibi ignotum accessisset, *Indica*, inquit, *mihi vbi est domus Videntis.* At ille, *Ego sum* inquit, *Videns, Ascende ante me in Excelsum vt comedatis mecum hodie*, significat apertè se esse magistrum conuiuij hac loquendi formula: alioqui duas secum vmbras non ausus fuisset adducere. Pergit. *& dimittam te mane, & omnia quæ sunt in corde tuo indicabo tibi*, quæcumque scilicet à me exquirere volueris. Facturus autem fidem de promissione generali, & de eius in regnum electione, quam proximè dicturus erat, antequam quidquam à Saule rogaretur, ostendit sibi notam causam, ob quam se in viam dederat. *Et de asinis*, inquit, *quas nudius tertius perdidisti, ne sollicitus sis, quia inuentæ sunt*, quod mox quoque illi nunciatum est redeunti ad patrem.

XI. Eorum occursus & colloquium

b 1. Reg. 9. 17. &c.

Conciliata itaque sibi fide per huiusmodi reuelationem, illa statim potiora insinuat de principatu in Repub. sua obtinendo. *Et cuius erunt*, inquit, *optima quæque Israel? Nonne tibi*, siue

XII. Insinuatur Sauli futura dignitas.

tua, & omnis domus patris tui? Optima quæque eius futura dicit, non quasi ablaturus sit singulis quæcunque placebunt, quasi id sit regij iuris, sed quod omnes populares suos, in singulis quæ bona numerantur anteceſſurus sit, diuitijs, autoritate, honore, seruorum & famulorum copia, ædium magnificentia, vestimentorum gloria, vectigalium amplitudine, insignium regiorum decore &c. quę ait ex peruulgata principum consuetudine, in familiam eius esse redundatura. At Saul re inopinata perculsus incredibile putat hominem de minima Israëlitarum tribu & nouissima cognatione in regem eligi. Facile intellexit Saul obscurum alioqui sermonem, quod propinqua Regis creatio tunc sermonibus omnium iactabatur. Samuel autem, vt iam coniecturam aliquam promissionis suæ daret, eum in loco omnium honoratissimo collocauit, in capite omnium conuiuarum.

XIII. Conuiuatur cum prophetis.

Comedit ergo Saul cum Samuele in die illa: sumpto autem cibo, id est cœna peracta, *descenderunt de excelso in oppidum* in Samuelis domum, & locutus est cum Saule in solario, quæ nimirum ad Dei timorem & optimam regni administrationem pertinebant. *Straueruntque Saul in solario & dormiuit*, intellige cœlum tum fuisse æstuosum, neque tamen conopæum regni candidato defuisse. *Cumque mane* domestici *surrexissent, & iam illuxisceret*, excitauit Saulem Samuel adhuc quiescentem, *dicens, surge & dimittam te. Et surrexit Saul, & egressi sunt ambo, ipse videlicet & Samuel. Cumque descenderent*, & essent iam *in extrema parte Ciuitatis* (Erat enim tota ciuitas declivis, vtpote in colle sita, in cuius supremo vertice erat Excelsum, siue Bama, tum quasi medio in colle oppidum ipsum) ad cuius extremum cum ventum esset, *dic puero* inquit, Samuel, *vt antecedat nos & transeat, tu autem subsiste paululum, vt indicam tibi verbum Domini.*

XIV. Qui secretam parat vnctionē.

Voluit Samuel semotis arbitris vngere Saulem, eumque amplecti, atque osculari, ideoque præmisit famulum. Ex quo etiam intelligere possumus hanc vnctionem nequaquam in media via, vt videri posset, fuisse peractam; seductum potius Saulem à Propheta in locum idoneum ac secretum. Qui enim famulum huius mysterij conscium esse noluit, quomodo in oculis ciuitatis eam vnctionem peregisset? Intererat autem communis boni neminem priuatæ huius inaugurationis esse conscium, ne re euulgata zelus inter proceres accenderetur, & Samuelem suspectum haberent collusionis cum Saule, qui diuinam eius electionem, de qua nihil adhuc publice constabat, anteuerteret; faciliusque Core aliquis extitisset, qui pro imperio, vt ille pro sacerdotio, in populo turbas excitaret. Itaque oportuit diuinam iussionem secreto impleri, dum publice per sortitionem diuina Saulis electio appareret, quæ frenum ambitioni, & ori silentium imponeret.

XV. Inungitur Saul & cur non à Pontifice et. *Reg.* 10. 1.

Dimisso famulo, & seorsim subsistente Saule, & in genua, vt par est credere, procumbente, siue ad accipiendum diuinum oraculum, siue ad sacram vnctionem pro inauguratione regni *c*, *tulit* Propheta *lenticulam olei*, id erat vas vnguentarium, ex lentis figura ita nuncupatum, quod quidam aureum vel argenteum; alij eburneum, aut etiam fictile putauerunt. *& effudit super caput eius, & deosculatus est eum, & ait. Ecce vnxit te Dominus super hereditatem suam in principem, & liberabis populum suum de manibus inimicorum eius, qui in circuitu eius sunt.* Extraordinarij reges, quales fuerunt Saul & Dauid, alijque nonnulli, vt Iehu & Azaël à prophetis iungebantur, quibus nota erat extraordinaria Dei voluntas. Ordinarij vero principes, puta ex successione legitima, à summo pontifice initiabantur, vt Salomon, Roboam &c. & quidem oleo sacro, siue vnguento artificiosè composito, quo ipsi quoque pontifices, atque sacerdotes, & vasa sancta inungebantur, de quo in Exodo pluribus *a*. Superiores autem illi oleo communi videntur inuncti, quamuis ex tempore à propheta consecrato: quod de Saule Iosephus affirmat. Certe oleum sacrum diligenter in sanctuario conseruabatur, nec inde petere ad secretam vnctionem, sine multorum suspicione licuisset. Idemque de secreta Dauidis vnctione dicendum est.

a Exod. 30.

Sicut autem Samuel tanquam Dei minister Saulem inunxit, vt illa verba docent, *vnxit te Deus in principem*, sic etiam eiusdem loco osculatus est eum. Et vnxit quidem eum in signum diuinæ potentiæ atque autoritatis illi communicatæ, quantum quidem ferre potest humana conditio: osculatus est autem eum non solum in signum mutuæ beneuolentiæ, sed diuini etiã in ipsum amoris, quo ille, tunc purus & innocens, plenus erat, ad mutuo eum amore prosequendum. Et quoniam osculum est indicium pacis, hoc etiam osculo significari vult Gregorius ad regis officium pertinere, pacem Deum inter & homines conciliare: adde etiam pacem cum populo suo, cuius caput & pater est, & quasi sponsus, conseruare. Omitto alias ceremonias, quas consulti Annal. suggerent *b*, præsertim quòd nunc à Samuele non fuerint vsurpatæ.

XVI. Iungit, & osculatur, vt Dei vicarius.

b a.m. 2962. n. 90.

Cæterùm cum Saul pro suo tum candore ac simplicitate, ad tam inopinatam dignitatem attonitus hæreret, & erant plerumque Hebræi tardi corde ad credendum. Samuel illi tria signa dedit, quæ cum sibi diuinitus prænunciata, ex ipsis euentis certo cognosceret, de collata quoque sibi diuinitus Principis dignitate minime dubitabat. Erantque eo credibiliora, quo pluribus erant circumstantijs definita. Primum fuit de occursu eorum à quibus auditurus erat inuentas esse asinas, quæ quærebantur. Alterum fuit de viris à quibus acceptutus erat panes. Tertium de accipiendo spiritu prophetiæ in occursu prophetarum descendentium de Excelso. Id autem futurum erat *in colle Dei*, id est in Gabaa Benjamin, *ibi enim erat statio Philisthinorum*: quæ ipsa erat patria Saulis, vnde & Gabaa Saulis postea appellatur *c*. Idque confirmat non solum grandis natu patruus, quem ibi inuenit, sed multitudo etiam eorum, qui nouerant eum, qui animaduersa mutatione diuinitus in eo facta, disponebantur ad credendum, eum electum à Deo ad regnum, ad quod breui assumendus erat. Dictus est autem locus ille *Collis Dei*, quia & excelsus erat, & ibi prophetæ Dei habitabant vt ait Hieron. *d* qui erant religiosi conuentus à Samuele instituti, latiusque propagati.

XVII. Tribus signis cõfirmat.

Spiritum prophetiæ vbi acceperit. *c. 11. 4.*

d in Trad.

Non erant igitur prophetæ, quales vulgò celebramus, qui diuino lumine illustrati, aut

XVIII.

occul-

Et cuiusmodi prophetiæ.

occulta reuelabant, aut prædicebant futura, vt Isaias, Ieremias, & Samuel ipse: sed viri sapientes, in lege Domini, diuinisq; mysterijs exercitati, qui diuinas laudes celebrabant, vt Dauid in plerisque psalmis, & socij Danielis in fornace. Neque celebrabant tantum recitando, sed canebant etiam, & ad musicos vocis modos adhibebant instrumenta musica, vt olim Maria soror Moysi e cum sodalibus, & deinceps qui cantores dicti sunt; quorum cum esset ingens copia, eos Dauid in 24. classes f distribuit. Hi ergo cum in templo, alioue religioso loco, præsertim sacrificij tempore canerent, dicebantur prophetare. Et in horum numero Saulem ad tempus futurum prædixit Samuel, cum ait g, *Et insiliet in te Spiritus Domini, & prophetabis cum eis, & mutaberis in virum alium.*

e *Exod.* 15. 20. 21.

f 1. *Par.* 25

g *cap.* 10. 16

XIX. Quã per modum actus accepit.

Prædicit enim fore vt Saul repente imbuatur diuinitus spiritu quodam intelligentiæ, quo possit cum cæteris, qui huic studio pridem incubuerant, scienter & perite in psalmos, & Cantica prorumpere, quamuis hactenus eiusmodi scientiæ fuisset imperitus, quod est mutari in virum alterum: iuxta Abulensis expositionem. Eum autem spiritum non per modũ habitus permanentẽ habuit, sed transeuntem ac per modum actus, vt loquuntur in scholis. Non enim volebat Dominus eum esse prophetam, sed dare illi prophetiam in signum mutationis in eo factæ, ad quod sufficiebat semel prophetare. Itaq; finito quamprimum actuali illo influxu desijt prophetare: donec iterum post aliquot annos, insiluit in eum idem spiritus, cum aditet Samuelem ad comprehendendum Dauidem, & prophetauit, sicut & nuncij, quos præmiserat.

XX. Cõclusio varicinij Samuelis.

Hoc varicinium de tribus signis Samuel ita concludit, *Quando ergo euenerint signa hæc omnia tibi, fac quæcunq; inuenerit manus tua, quia Dominus tecum est.* Quasi dicat, vide vt Deum loquentem audias, siue priuata inspiratione suggerentem, quid facto sit opus, in quoq; negotio, siue intermedio sacerdote vel prophetã. Cum enim nihil absq; consilio faciendum sit, minimè omnium publica negotia, quæ magni momenti sunt in vtramq; partem. Itaque partim hac ipsa de causa, partim ad maturè docendum regem, ita ipsum solutum esse legibus humanis, vt Deo semper obedire debeat, sibi per ministros suos prophetas, aut sacerdotes loquenti, iubet eum descendere in Galgala, ad sacrificia Deo per sacerdotes offerenda, ibique Samuëlis aduentum septiduũ expectare, ad exquirendam, addiscendamque Dei voluntatem. Quod præceptum cum patrum obseruasset, reprobatus est miser.

Accipit mandatũ.

XXI. Mutatur corde, & signa prænunciata experitur

Ita institutus ac confirmatus Saul, *cum auertisset humerum suum vt abiret à Samuele, immutauit ei Deus cor aliud*, id est, interprete Theodoreto, cum prius fuisset ingenio ac moribus rusticanis, spiritum regium accepit, spiritum fortitudinis, ac magnitudinis animi, & latitudinis cordis, quo subditos omnes recipere, ac confouere posset. Progressus didicit repertas asinas, & paternam de se sollicitudinem: inuenit qui ad orandum pergerent, & se primitijs panum honorarent. Denique venerunt in Gabaa patriam suam, in qua erat collis Dei, & habitatio prophetarum laudantium Deum, qui Sauli vrbem subeunti occurrerunt, cum quibus & ipse, insiliente in eum spiritu diuino, cum omnium admiratione, prophetauit, sic vt prouerbio daretur locus, si cui aliquando bonum aliquod præter expectationem, aut dignitatem contigisset, *Num & Saul inter prophetas?* Cessante autem influxu illo prophetico, venit ad Excelsum, vnde grex ille prophetarum descenderat, ibi Deo gratias egit de collatis beneficijs, simulq; gratiam postulauit Reip. bene administrandæ. Id enim locum illius conditio, & præsens Saulis virtus, cui cor nouum contigerat, & status Reipub. non satis tum liberæ, vel pacificæ facile persuadent.

Venit in excelsum & orat.

Eo pietatis munere perfunctus, venit Saul domum, suisque super hoc prodigio admirantibus, dixit *patruus Saul ad eum, & ad puerum eius, quò abijstis?* Erat is Ner frater Cis patris eius. Illi autem id quod erat responderunt, isse se ad quærendas asinas, quas cum non reperissemus, inquiunt, venimus ad Samuelem, qui scilicet ignota cognosceret, ac patefaceret. Nominato Samuele existimauit Ner se ad ipsum quasi fontem peruenisse propheticæ huius aduentitiæ, Inquirit itaque ac scrutatur. *Indica*, inquit, *mihi quid dixerit tibi Samuel.* Totum ordinem rei gestæ scire desiderat: discit autem tantum quid de asinis Samuel respondisset. Vltro scilicet declarasse inuentas esse: addiderit etiam fortasse exceptum se fuisse conuiuio plurimumque honoratum. Quin etiam prædixisse illum, quos in itinere inuenturus esset, & fore vt in vrbis ingressu prophetaret. Hæc enim omnia publica erant, & præterant tacente Saule à famulo patefieri. De sermone autem regni tacuit, neque inunctum se in regem, neque signa sibi in eius rei confirmationem data, & nominatim prophetiam, quæ ipsos in admirationem traxerat. Quæ ipse vel propria demissione animi, vel inuidiæ metu, vel secreti fidelitate texit.

XXII. Eiusdem domi cũ Nere patruo colloquium.

Cæterum Samuel post aliquam dilationem, si forte studia populi regem ambientis refrigescerent, statuit populum conuocare, vtique Deo annuente, sine quo nihil illum maioris momenti suscepisse certum est, & generalia omnium tribuum comitia in Masphath indicere, ad diuinam regis electionem agnoscendam. Ea prius indici per omnes tribus debuerunt, & idoneum assignari tempus, vt omnes quam minimo incommodo conuenire possent. Eam comitiorũ indictionem, in proximum veris initium, hoc quoque anno factam putamus: quando etiam ex præscripto legis ad paschalem solemnitatem conueniendum erat: simulque vitabantur prosectiones hyemales, quæ plerisque vrgentur incommodis.

XXIII. Samuel indicit comitia in Masphath.

ANNVS MVNDI 2963.

SAMVELIS 24. SAVLIS 2. ACHIÆ 2.

DERCYLI 13. Imperij Assyrior. 1032.

ANTE CHRISTVM 1090.

SEcundus hic Samuelis annus percelebris est, tum populi totius comitijs ad creandum Regem, tum bello Ammonitico, tum denique alijs in Galgala comitijs: res tota tel-

I. Rex anni huius, temporis. que ratio

quo

quo decimo capite, vndecimo ac duodecimo primi Regum continetur. Et priora quidem comitia in decimum fere mensis Nisan indici celebrarique potuerunt: quibus cito expeditis successit paschalis solennitas, quæ cum dies aliquot tenuisset, *Dimisit Samuel omnem populum, singulos in domum suam. Sed & Samuel abijt in domum suam in Gabaa, & abijt cum eo pars exercitus.* Inde fere post mensem, bellum à rege Ammonitarum suscitatum est, decimo octauo circiter secundi mensis die, tenuitque dies septem, aut ad summum octo. Clade autem Ammonitis illata, ventum est in Galgala, ibique conuenit omnis populus ad confirmandum Sauli regnum; quæ res ad festum vsque Pentecostes facilè protracta est, quando primitiæ frugum tritieeæ messis offerebantur Domino. Quod festum illis significatur verbis. *Nunquid non messis tritici est hodie?*

Exod. 34. 22.

II. Comitia in Masphath celebrantur an Arca eo delata.

Fuisse porro celeberrima hæc comitia ex eo facile intelligitur, quod agebatur res longe maxima, & magnis studijs expetita. Ipsa quoque rei nouitas, & pristinæ gubernationis forma commutanda magnam excitabat expectationem. Conuenerunt itaque omnes tam vltra quam circa Iordanem à Dan vsque Bersabee, & conuenerunt in Masphath, eoque probabile est delatam ad breue comitiorum tempus Arcam Domini, inuitante vicinia, & probante ex Hebræorum traditione Hieronymo; ad id tamen Scripturæ verba non cogunt. Comitijs porro & sortitione opus fuit, vt qui electione diuina rex factus fuerat, à toto populo agnosceretur ac reciperetur. Deinde cum aliæ tribus ac familiæ, nobiliores essent ac populosiores tribu ac familia Saulis, vt ipsemet ingenuè apud Samuelem fatebatur, nunquam ambo tantæ inuidiæ ferendæ pares esse potuissent, nisi Deus ipse, qui sortes erat temperaturus, quem ipse elegisset in regem, sortitione minime suspecta, patefecisset.

Necessitas horũ comitiorum.

III. Samuel orationẽ habet ad populũ.

Congregato vniuerso populo, Samuel, qui ignota adhuc Saulis dignitate, omnium iudex erat, & caput summi omnium principis nomine, ad populum orationem habuit, qua primùm suam illi exprobrat ingratitudinem, prout iam edoctus fuerat à Domino, cum ad eum retulit optimarum postulationem, qui sapientissimum moderatorem, & de ipsis grauissimis in periculis optime semper meritum, quasi malæ fidei, malæque administrationis conuictum, abdicent, & alio in locum eius, atque immediatam gubernationem suffecto, quantum in ipsis est, repudient. Deinde iubet populum omnem in tribus suas, familiasque distribui, lociſq; disiungi, ne qua confusio contingeret; tum scriptio adhibita, sic vt quot tribus ius habebant vt eligi possent, tot schedulæ proprijs earum nominibus inscriberentur, accomplicarentur, & quidem omnino similes, atque æquales. Quod ipsum in familijs, domibus, ac viris in quaque tribu factum oportuit.

Parantur sortes.

IV. Sors cadit in Saulem.

Prima tribuum sortitio facta est coniectis in sinum vel vrnam tredecim scitedulis, qua agitata in omnium oculis puerulus aliquis innocens, vt fit, iussus vnicam ex omnibus schedulam educere, Benjaminiam eduxit, quo facto reliquæ omnes tribus, cum suis familijs domibusque, spe sua deciderunt. In tribu vero Benjamin vlterius ad familias procedum fuit, & à singulis familijs siue cognationibus suæ schedulæ coniectæ sunt in vrnam, ex qua familia Metri, inde domus Cis, postremo persona Saulis educta est. At ille rei futuræ conscius, pro sua modestia non aderat. *Quæsierunt ergo eum*, ait Samuel, *& non est inuentus*, in familia scilicet, aut tribu sua, aut omnino in toto Israelitarum cœtu. Et consulto à Samuele Domino, an sponte sua venturus esset, an vero quærendus, & vbi. Respondit eum latère domi inter vasa, non domi propriæ, sed in qua Cis pater eius, & ipse ius habebant hospitij, in oppido Masphath: nam propria domus erat in Gabaa.

qui abe-rat.

Misit Samuel, qui eum inde euocarent, ac deducerent in comitium. Stetit is in medio populi, & apparuit statura tam excelsa, vt vniuersos toto capite superaret; quem cum Samuel quoque hoc nomine commendaret, erupit fausta populi acclamatio, vitam illi de more ac fœlicitatem comprecantis. Additam mox etiam nouam inunctionem coram populo vniuerso admodum credibile est. Cum enim prioris vnctionis nulla sit hoc loco mentio, satis apparet tantam ceremoniam minimè fuisse prætermissam; quæ regem ipsum redderet augustiorem, & sine qua tota res satis frigida videretur; præsertim apud eudem populum, & ab externis signis plurimum pendentem, & ipse rex, sine sacra vnctione, vnus de plebe haberetur. Cum ergo è republica esset nouum regem, alioqui neque tribu neque familia insignem, externo cultu honorari, & reddi commendabilem, etiam oleo pontificio è vicina Nobe petito vnctum fuisse non temere affirmare possumus, Sulpitium secuti, qui eam vnctionem à Samuele factam putat, impositaque eius capiti manus, fusasque preces cum inuocatione diuini nominis, cæteraque omni celebritate, quam in Annalibus, ll videbitur, leges.

V. Deducitur ad Comitiũ.

Ibi sors in eũ cadit & iterum inungitur.

Quod autem dicitur Samuel locutus ad populum legem regni, antequam eum dimitteret, videtur orationem habuisse de mutuis regis & populi officijs inter sese, vt regnum pacifice gubernetur & floreat, ne vel rex in populum tyrannidem exerceat, vel populus vim in regem, seditionemue moliatur. Nã Gregoris magnus *a*, *Samuel*, inquit, *coram rege ad populum loquitur, vt rex sciat à populo quid exquirat: sicut populus quid exhibere suis regibus debeat: quæ lex in libro scribitur, vt pro futurorum memoria reseruetur; coram Domino ponitur, vt venerabilis habeatur.* Dici etiam posset scripta ibi quoque fuisse acta publica istorum comitiorum: vt posteri eorum modum, ac formulam à tanto viro profectam reuerenter susciperent, & imitarentur in posterum.

VI. Lex regni Samualis quæ.

a in c. 10. 1. Reg.

Hisita transactis, Samuel qui populum conuocarat, eum quoque dimisit, annuente Saule, qui abijt domum in Gabaa ipse quoque; ibiq; pene ad priuatam vitam redijt, vt qui post vnum mensem boues de agro reuertentes sequeretur. Nihilominus abijt cum eo bona pars populi, quorum Deus corda tetigerat, ad illum honorandum, quem Deus suffragio suo ad supremum extulerat apicem dignitatis. Apparet autem eosdem hoc perfunctos vrbanitatis officio, ad sua quemque tabernacula reuertisse. At extiterunt quidam filij Belial, improbi scilicet & ad seditionem parati, qui dixerunt, *Num*

VII. Dimittũtur comitia.

saluare nos poterit iste, & despexerunt eum, & non attulerunt ei munera, quibus suam in eum obseruantiam testarentur. Hos suspicari non temere possumus Ephraimitas, vt ex Gedeonis & Iephte liquet historia. Forte etiam aliqui in his fuerunt de tribu Iuda, cui regnum præ cæteris promissum debitumque videbatur. Adde si videtur, ciues Iabes Galaad, quibus cum imminerent Ammonitæ, nuncios non ad regem, sed ad vniuersos terminos Israel, auxilij causa miserunt. Sed id mox videbimus.

Quidam Saulem contemnunt. b 10.27.

VIII. Qui prudēter dissimulat. c 6.11.12. 13.

Quamuis autem istorum filiorum Belial desideratum sit officium, Saulis tamen prudentia minime desiderata est: quippe qui intelligeret hoc stabiliendi regni tempus esse, non iniurias vlciscendi, *ideoque dissimulabat se audire*. Quin etiã aliquanto post c, cum vindictam haberet in manu, parta de hoste victoria, & ad vindictam ab amicis incitaretur, non acquieuit; non ignorans thronum regum clementia d roborari.

d *Prouerb.* 20.28.

IX. Bellum Ammoniticum, & ratio tēporis eius. e 12.12. v 11.

Interea ortum est bellum inter Ammonitas & Israelitas, quod nouo Regi & gloriam, & populi beneuolentiam conciliauit. Ortum autem dicitur, *quasi post mensem*, à solutis videlicet comitijs, vt placet Abulensi. Sed quomodo post mensem ab electo rege venit Naas, cum eius aduentus causa fuerit petendi regem, vt Samuel ipse testatur e? Respondent Interpretes aliqui, eum bis venisse contra Israëlitas, sed priorem expeditionem non fuisse expressam, in qua vexauit Israelitas, adeo vt ad regem petendum, qui pro ipsis bellum gereret, excitarentur. Quod autem nunc peculiariter Iabesitis immineat, & fœdus eorum & seruitutem, tributariam videlicet, respuat, sed oculos dexteros ciuibus omnibus eruere velit, eosque cæteris omnibus Israelitis propinare deridendos, id videtur ad singularem aliquem Iabesitarum iniuriam, Ammonitis verbo, vel facto irrogatam, esse referendum; pro qua expianda hanc vltionem deposcat Naas.

Cur nominatim cõtra Iabesitas.

X. Qui obtentis inducijs adeunt Saulem.

Tam tristi denunciatione territi Iabesitæ inducias septem dierum petunt, *vt mittamus*, inquiunt, *nuncios ad vniuersos terminos Israel, & si non fuerit qui defendat nos, egrediemur ad te*, passuri quod libitum fuerit. Non sine causa miratur Abulensis nullam ab istis Regis fieri mentionem, quem tamen huius belli gerendi causa poposcerant. At dicendum videtur Iabesitas ad vnum Saulem per nuncios confugisse auxilij causa. Nam Septuag. habent venisse nuncios in Gabaa ad Saulem, textus Hebræus Latinusque habent venisse in Gabaa Saulis: cur illuc prius, nisi ad petendum ab rege auxilium, & ex illius arbitrio cæteros conuocandos? Non nominarunt autem apud Ammonitam nouum regem, siue vt eum facilius improuida securitate lactarent, qui persuasum haberet eum nullo esse numero; itaque sibi rem fore cum quibus pastore destitutis: siue vt facilius septem dies impetrarent, qui necessarij erant ad percurrendas omnes Israelitarũ tribus. Quod autem Naas non grauate cõcessit inducias, nimiæ fiduciæ, quod victoriam sibi exploratissimam putaret, tribuendum est.

Idq; probatur.

XI. Absente Saule res in Gabaa vulgatur.

Cum ergo legati venissent in Gabaa ad Saulem, isque tum casu abesset ab oppido, non potuerunt interea vehementissimi doloris causam taciti retinere; itaque dum ille rediret, maiores natu, & magistratus diuersi adierunt, breuique tota vrbe vulgata, plorataque res est, quia de imminente fratrum suorum calamitate angebantur. Interim aduenit ex agro Saul, qui in ipso vrbis aditu audito clamore, ploratuque, quos primum habet obuios, vt fit interrogat, remque ab ipsis prius accepit, quam à nuncijs. Statimq; animo vehementer commotus est, hominem spiritu fortitudinis & zeli diuinitus inuadente, vt qui nosset hanc vltionem ad se pertinere f. *Et assumens vtrumque bouem concidit in frusta, misitque in omnes terminos Israel*; id est, primarias vrbes omnium tribuum, cum hac interminatione. *quicumque non exierit & secutus fuerit Saul & Samuel, sic fiet bobus eius*. Quæ pœna nec summa fuit, ne à principio seuerior videretur Saulis principatus: neque exigua, cum omnes fere opes huius populi gregibus armentisque constarent. Prudenter quoque fit mentio Samuelis, propter eximiam eius in populo autoritatem, vitæ sanctitate, & rerum gerendarum peritia comparatam.

Saul nouo modo Israelitas ad bellũ euocat. f 1. *Reg.* 11. 7.

Inuasit ergo timor Domini populum, & egressi sunt de suis quisque locis in conuictum ad conueniendum locum, tanta facilitate ac promptitudine, quasi vir vnus tantum euocaretur, vna omnes mente atque sententia. Locus fuit Bezec ad ripam Iordanis, vt is quamprimum traijci posset. Eò congregata sunt intra sex dies de tribu Iuda 30. millia bellatorum, de cæteris autem trecenta millia. Pridie autem quam finirentur inducię, remissi sunt nuncij ad suos, qui certum auxilium in posterum diem nunciarent. At illi læti hostem dissimulatione fallendũ putarunt. Præ se tulerunt enim desperata sibi auxilia, seque deditionem facere paratos, vt Ammonitæ nihil sibi metuentes otio torperent, & incauti ipso die sperate deditionis opprimerentur. Dum ergo vna ex parte deditio, præda, mutilatioque expectatur, ex altera auxilia, victoria, commutatioq; fortunæ Israelitæ nocte, quam minimo fieri potuit motu, Iordanem transeunt, tribubus, quæ trans Iordanem erant, certo loco expectare iussis.

XII. Cõueniunt ingẽtes copiæ ad conuictum locum.

Hostis dissimulatione fallitur.

Albescente cœlo Saul copias omnes tripertito diuidit, vt tribus simul ex partibus nec opinantes Ammonitas inuadens, terrore, confusione, cædibus cuncta repleret: medià ipse partem reseruauit sibi, cæteris ad dexteram & sinistram castrorum hostilium partem, simul in orbem oppugnandam, abire iussis: quod abundante multitudine facile fuit. Saul ergo *ingressus est media castra in vigilia matutina*, quãdo placidissimus somnus mortalibus blanditur: & priusquam satis expergiscerentur armaque turbidi conclamarent, punctim cæsimque conficiuntur, & qui alienos oculos effossuri erant, sua ipsi pectora perfodienda præbuerunt. Nec talus reperiebatur in fuga, quod in hostem vndique circumfusum incurrerent. Quin etiam eodem ipso tempore Iabesenos vrbe egressos, omnia hostium munimenta, præsidiaque perrupisse, in hostem non iam supplices, sed feroces furentesque irruisse, etiam tacente Scriptura facile intelligitur. Si qui autem fuga, latebris, pretio mortem redimebant, ita dispersi erant, vt ne duo quidem simul inuenirentur, nedum turmatim effugerent.

XIII. Eas Saul tripertito diuidit.

Et hostẽ vndique inuadit, & cædit.

At Saul, vt probabiliter tradit Iosephus, non contentus seruasse Iabesenos, in Ammanitarum regionem irruptione facta totam vastauit. Non tamẽ probabiliter putat regẽ Naas in hoc bello

XIV. Vastat Ammanitidem; Naas tamen euadit.

cæsum

cæsum. Nam 2. Reg. 10. mittit Dauid Rex legatos ad filium eius Hanon, qui eum in recenti luctu de patris morte consolentur, quod supra 30. adhinc annis contigit. Tot ergo annis superstes fuit is, quem nunc mortuum Iosephus fabulatur. Hoste igitur Israelitarum non cæso sed debellato, planeque domito, noui regis auspicijs, populus cui hæc victoria valde commendauerat Saulem, ait ad Samuelem, *Quis est iste qui dixit, Saul num regnabit super nos? date viros, & interficiemus eos.* Quasi dicant, profiteantur, si audent, nomen suum, & illico iniuriam, & contemptum Regis, superbiam suam, seditionemque morte luent. Ex quibus verbis intelligitur non magnam fuisse multitudinem istorum filiorum Belial. Quomodo enim exercitus maiorem partem populi ad mortem deposceret? At Saul non minore fortitudine qua hostem vicerat, vindictæ appetitum deuicit, iniuriam obliterauit omnem, & victori Deo condonauit, nec permisit lætitiam victoriæ, ciuili sanguine cruentari.

An. regni Dauid. 17

c. 11. v. 12.

XV. Regnum Sauli cõfirmatur in Galgalis.

Samuel autem occasionem bene animati in nouum regem populi, non est passus sine vtilitate perire, sed populum ad confirmandum cõmuni omnium suffragio Sauli regnum, factamque dudum electionem eius, excitauit, priusquã à se inuicem dissungerentur. *Venite*, inquit, *& eamus in Galgala, & innouemus ibi regnum. Et perrexit omnis populus in Galgala, & fecerunt ibi regem Saul coram Domino in Galgala.* Apparet eò translatam ad hanc celebritatem, Arcam Domini, quod suadet illud, *& immolauerunt ibi victimas pacificas coram Domino.* Apparet iterata omnia, præter sortionem, vt arbitror, quæ in priore initiatione acta fuerant. Nam Iosephus, *Ibi rursum*, inquit, *inspectante tota multitudine propheta vnxit Saulem sacro oleo, atque iterum regem consalutari fecit.* Iteratis autem pacificis victimis, epulæ de more secutæ sunt, quas innuit Scriptor facer, cum ait lætatum ibi Saulem, & vniuersos Israëlitas vehementer exhilaratos. Quæ autem sine epulis & ludis lætitia popularis?

1. Reg. 11. 14. 15.

Cum sacrificijs & epulis. *l. 6. Ant. c. 6.*

XVI. Samuel corã rege probat innocentiam suã.

Altera horum comitiorum causa fuisse videtur Samueli, quæ ipsum propius attingeret, vt testimonium abstinentiæ & integritatis suæ, coram rege, ab vniuerso populo acciperet; simulque eo exemplo Rex ipse doceretur abstinentiam, ne populo iustam præbetet occasionem querelarum. Voluit quoque populum intelligere, quanta esset regis authoritas; cuius se ipse iudicio sponte submitteret, in ijs quæ ad Reipub. administrationem pertinerent. Hæc autem fuit eius ad populum coram Rege oratio. *Ecce audiui vocem vestram, iuxta omnia, quæ locuti estis ad me,* valet hoc officium, ad conciliandam Prophetæ beneuolentiam, *& constitui super vos Regem*, vnctione iam tertio iterata. *Et nunc Rex graditur ante vos*, vt petieratis, & proximo bello experti estis. Id autem nunc percommodè accidit, nam *ego senui, & incanui*, vt vltra laboriosis operibus pro Repub. par esse nequeam. *Porro filij mei*, quos accusastis apud me nuper, *vobiscum sunt*, non subterfugiunt iudicium, rationem reddere possunt administrationis suæ, ætatem habent, ipsi pro se loquantur.

1. Reg. 12. 1.

XVII. Arguuntur multa

Me autem num parati estis arguere; qui *conuersatus sum coram vobis ab adolescentia mea, vsque ad hanc diem*, potuit idem de pueritia, & infantia dicere. Prouocat ergo eos ad publicè ipsum accusandum coram ipso Rege, qui nunc legitimus est totius populi Iudex: & nominatim crimina quædam exempli causa profert, vim, calumniã auaritiam. Cum autem illi publicè innocentia testimonium dedissent, transiuit ad reprehensionem eorum, ob immutatam Reipub. gubernationem, vt agnita culpa, veniam peterent & obtinerent. Cumque iam confessi essent nihil fuisse causæ ex parte Samuelis cur abdicarent eum, ostendit multo minus causæ fuisse ex parte Dei, cur illi nollent immediate subesse, à quo tot beneficijs antiquis atque recentibus affecti essent, quorum aliqua cursim recensentur; vt intelligatur potuisse Hebræos ab hostibus, sicut hactenus sine rege liberari.

Verum quia iam culpa erat admissa, nec integrum erat populo priorem ad statum redire, consolatur eos Propheta, docens quomodo nihilominus Deum possint habere propitium, quẽ habuerant suæ postulationi consentientem. Nõ vltro tamen ac sponte sua id voluit Dominus, ab ea quippe mente eos reuocare cupiebat, propositis ijs, quæ subditi à regibus pati solent, sed eorum postulatis denique acquieuit, ita vt Dominus ipsis potius obedierit, quam ipsi Domino. Nihilominus, *si timueritis*, inquit, *Dominum, & seruieritis ei*, nec asperum vobis, & iratum factis vestris reddideritis, *eritis & vos, & rex qui imperat vobis, sequentes Dominum Deum vestrum.* Quasi dicat, ne existimetis vos, quia peccastis petendo regem, in eo retinendo in peccato semper fore: ideoque eum abijciendum esse, si velitis sequi Dominum. Nam si Deo seruieritis, & mandata eius custodieritis, poteritis cum rege vestro illi esse accepti. Sin contrà eum offenderitis, sentietis & vos & reges vestri vltricem eius manum.

XVIII. Samuel populum consolatur.

Nec verbis contentus Samuel, prodigio diuinitus edito populum contra Deum peccasse docet. Itaque clamauit ad Dominum, magno mirum affectu, aut etiam sono vocis, statimque contenebrati sunt cœli, & nubes cum fragore discrumpi cœperunt, imbresque violenti decurrere. Cum enim miraculo fierent, & in signum, oportuit etiã ordinarium modum mensuramq; superari. Quibus visis auditisque *timuit omnis populus nimis Dominum & Samuelem.* Dominum quidem, cui tonitrua, imbres & tempestates famularentur, Samuelem, qui illa tam facile impetraret: Dominum ne forte quæ erant in signum fierent in supplicium: Samuelem ne qui fuerat accusator, fieret etiam peccati vindex, qui tamen ita perterrefactos confirmat, vt eum metum in detestationem vanitatis idolorum translatum velit, spondeatque preces suas pro ipsis apud Dominum non defuturas, neque constantem suum, in ipsis recta docendis, laborem.

XIX. Et prodigio edito peccasse ostendit.

ANNVS MVNDI 2964.

SAMVEL. 25. SAVLIS 3. ACHIÆ Pont. 3.

DERCYLI 14. Imperij Assyrio. 1033.

ANTE CHRISTVM 1089.

I. Quales fuerint primi duo Saulis anni.

AGgredimur ad tertium Saulis annum, quorum priores duos inoffenso pede decurrit, adeo vt in ijs puerilem candorem & simplicitatem repræsentaret, nesciam ambitionis ac fraudis; odij, inuidiæ, auaritiæ insolentem. Id Scriptura verbis illis affirmat. *filius vnius anni erat Saul cum regnare cœpisset, duobus autem annis regnauit super Israel. Sic enim erat innocens*, ait Hieron. *quando regnare cœpit, sicut est filius vnius anni*, & in eadem innocentia, duobus regnasse annis dicitur. Quã expositionem amplectitur Gregorius magnus, Theodoretus, Rupertus, Petrus Damianus, Procopius, Abulensis, Lyranus, alijque passim recentiores. Duobus autem annis in illa simplicitate transactis, quibus satis habuit vitare electionis inuidiam, populum sibi conciliare clementia, & se aduersus obtrectationes filiorum Belial modestia propria, & Samuelis autoritate tueri, cœpit regio more se satellitio munire.

1. Reg. 13. 1.

II. Assumit sibi præsidium criũ millium.

Populi sumptibus alendum.

Cum ergo Saul circiter biennium regnasset, & haberet sibi fauentem populum, & in comitijs congregatum: nondum enim dimissum fuisse ex eo patet, quod post militum electionem, dicitur dimisisse populum in tabernacula sua, in eo conuentu de constituendo regi præsidio egisse videtur. Erat enim è dignitate regia, & publica vtilitate vt regni caput tutum à subitis hostium incursionibus conseruaretur; neque tum deniq; ad arma conclamaretur, cum hostis iam in regni visceribus grassaretur. Ergo Sauli, & Samueli, populoque vniuerso visum est, tria hominum millia in præsidijs habenda esse, quæ in omnem euentum, semper regi essent ad manum, & communibus populi sumptibus sustentarentur. Neque enim credendum est, aut istos in sola fere armorum tractatione occupatos suis vixisse aut militasse sumptibus, aut Saulem ijs tum fuisse opibus, quamuis Ammonitica forte præda nonnihil auctum, vt tria militum millia, præter domesticam familiam, diu suis sumptibus alere posset. Itaque hoc quoque in his comitijs constitutum est, vt tributim aliquid à populo in eorum stipendia solueretur, vt is regum iura paulatim inciperet experiri.

III. Tripertito distribuuntur.

Electus est igitur ipse exercitus, quorum duo millia Saul in Machmis & in Bethel, mille autem commisit Ionathæ primogenito suo, in Gabaa Benjamin, vbi erat iamdudum statio Philisthinorum: reliquam totam multitudinem, quæ erat 327. millium dimisit in tabernacula sua; tunc & Samuel in Ramatha videtur remigrasse. Cum autem Ionathas ætate florens & gloriæ appetens, cum millenis suis militibus egregium aliquod moliretur opus, ne frustra videretur arma ferre, & omnibus animi ex Ammonitica victoria nõ mediocriter succreuissent, oblata occasione aliqua, in stationem Philisthinorum, quæ in eodem erat oppido, impetum fecerunt, eamque deleuerunt. Id scil. fuit pacem cum Philisthæis abrumpere, & iugum seruitutis prorsus excutere. Itaque prævidens Saul Philisthæos, re intellecta, statim ad arma conuolaturos, ipse anteuertens, illico populum suum ad arma conuocari iussit: isque hoc nuncio delecti præsidij, agnouit Philist. ab Israele cœpisse contemni, qui antea valde formidabantur.

Ionathas delet præsidium Philisthæorum.

IV. Saul abit in Galgala cũ paucis copijs. 1. Reg. 13. 8.

Itaque populus confluxit ad Saulem in Galgala, qui eò descenderat, non vt iret obuiam Philisthæis, sic enim recedebat ab eis, sed vt Samuelis mandato obtemperaret, qui ei, cum primum inunctus fuit, mandarat, vt in istiusmodi periculis veniret in Galgala, eò quoque se protecturum, vt sacrificijs placaretur Deus, isque tuam patefaceret voluntatem. Philisthæi autem, isto Israelitarum facinore irritati, ingentes omnino copias aduersus eos contraxerunt, tam peditum, quam ex equis, curribusq; pugnantium. In his autem copijs non paucos Tyrios militasse, ex eo conijcere possumus, quod eos iam cum Philisthæis contra Hebræos pugnasse legimus apud Syracidem, cum hi in Maspha cum Samuele congregati essent. Ascenderunt autem in Machmas, vbi regem cum duobus millibus consedisse didicerant, vt eum comprehenderent; sed ille iam in Galgala descenderat, cum aliqua parte copiarum, ibi expectaturus Samuelem.

Philisthæorum copiæ.

Eccl. 46. 21.

V. Israelitarum metus. c. 13. 19.

Israelitæ igitur cernentes se & numero longe pauciores, & prope inermes, gladijs certe lanceisque destitutos, vehementer animo consternati, partim trans Iordanem se in fugam dederunt, partim in speluncis, alijsque locis abdiderunt, quos ingeniosus timor latebris opportunos potuit inuenire, vt pars modica cum Saule remanserit. Cumque in horas crescerent timor milesque defluerent, imo septimus iam dies adesset, non apparebat Samuel. Nimirum Dominus de industria permittebat totum pene exercitum diffluere, licut olim in expeditione Madianitica, vt sibi victoria tribueretur, neque populus de rege suo insolesceret, & tanto magis erubescerent Philisthæi, cum à paucis & inermibus victi profligatique essent; denique vt Saulis obedientia, patientiaque in re aspera probaretur. Quis enim explicet quantos animi æstus tenserit Saul, dum hinc videret exercitum suum in singula prope momenta diffluentem, inde hostilem exercitũ, nemine obuio à quo litteretur, impune toto regno volitantem. Hinc Samuelem, quasi de industria, in tantis rerum angustijs, moras in Ramatha trahentem, inde apud se Achiam pontificem cum Ephod adesse, qui ex officio holocausta, & & pacifica offerre posset, & Deum consulere, ob quæ præstanda tam diu Samuel expectaretur.

Dei in eo cõsilium.

Æstus animi Saulis.

VI. Saul non per se sacrificat.

Ergo sub vesperam diei septimi, *afferte mihi*, ait Saul, *holocaustum*, id est, hostiam holocausto contumendam, *& pacifica, & obtulit holocaustum*, non vtique per se, qui haberet apud se pontificem, vt ex sequenti capite patet, sed per ipsum, alioqui sacrilegij accusaretur à Samuele. Id tamen plerique cenluerunt, partim ipsa Scripturæ phrasi, partim magnitudine pœnæ, quam mox propheta denunciat, persuasi. At contra sentiunt non solum recentiores interpretes, sed plerique antiquorum patrum, in quibus S. Ignatius, Hieronymus, Theodoretus, Procopius, Gregorius magnus, cuius est hæc oratio. *Trementi corde considerandum est quã breuissimi temporis expectatione neglecta repulsus sit. Si enim solo breuissimi temporis interuallo expectaret, quo obtulit sacrificium, securus tam regni sui robur obtinere potuisset.* Et infra. *Ecce septem diebus Prophetam sustinuit, sed dum præstolari cum in fine dies defijt, gloriam tantæ dignitatis amisit.* Sic ipse.

Cur à Deo repudiatur.

Grauitas

Grauitas autem culpæ, non ex nostro iudicio, sed ex diuino æstimanda est, cui visum est gratuiti doni priuationem, tali in donatorem inobedientiæ respondere.

VII. Saul occurrit Samueli & eur.

Cum ergo Saul complesset offerens holocaustum, ecce Samuel veniebat, & egressus est Saul obuiam ei, vt salutaret eum: honorabat enim insigni sanctitate atq; autoritate virum, à quo secundum Deum regiam dignitatem accepisset. Nunc autē verebatur ne ille succenseret, propter occupata ante aduentum suum sacrificia, ideoq; hoc ipsum obsequio placare studuit. Sed priusquam vlla inter se verba commutarent, siue diuina reuelatione, siue humana relatione Samuel didicit quod factum fuerat: ideoque non tam sciendi, quam obiurgandi causa, dixit, *quid fecisti?* quare sacrificando anteuertisti aduentum meum? Saul autem animaduertens rem illi iam cognitam, excusat necessitatem, qua omnia iura legesque soluuntur. At Samuel *Stultè*, inquit, *egisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui.* Volebat iam tum Dominus valere illud, *Qui vos audit, & me audit.* Stulte autem egit, qui prudentia humana duntaxat res meritus, diuina consilia, in suam vtilitatē disposita, improuisò peruertit, & paucularum horarū spatio, fructum patientiæ multorum dierū abiecit, ac perdidit: atq; adeo exigui temporis impatientia, regia dignitate se posteritatemq; priuauit.

Ab eoq; obiurgatur.

VIII. Cur Saul stulte egisse dicatur.

Stulte egit, qui non cogitauit diuinam prouidentiam hoc negotium belli, Regnique sui moderari ad suam gloriam, regis & populi vtilitatem, hostium dedecus & calamitatem. Credibile enim est Deum egregium aliquod facinus animo destinasse, si Saul cæca obedientia sibi imperare potuisset, *præparasset certe regnum eius super Israel in sempiternum*, vt ait Samuel, id est, in tempus valde diuturnum, sic enim sæpe vox illa in Scriptura sumitur; præuisa vero culpa Saulis exiguis illud finibus circunscripsit, & illi Dauidem, eiusque familiam substituit. Non ait Propheta Saulis regnum illico ipsi perituru, regiam enim dignitatem ad mortem vsque retinuit, eumque Dauid pro legitimo rege semper habuit, sed significat regnum eius non late in posterum propagatum iri, neque magna incrementa capturum, qualia in Dauide & Salomone contigêre. Addit tamen quæsisse Dominum sibi virum iuxta cor suum in ducem ac principem populi sui.

Nihilominus Rex perseuerat.

6. 13. 14.

IX. Vsque ad posteriorem culpam Amalecitanam.

Abdicationis autem istius, & commutationis causam Propheta subiecit, *eò quod non seruauerit quæ præcepit Dominus.* Non fuit tamen prima hæc culpa causa integra & adæquata reiecti à Domino Saulis. Sed alia mox culpa ab eodem commissa est, quæ Deum quodammodo ancipitem in condemnationem Saulis, atque alternantem, in eius abdicationem penitus impulit: quæ videtur S. Greg. in hunc locum sententia. *Rex Saul*, inquit, *non multo post demoliri Amalecitas præcipitur, vt si mandatum Domini eiusdem gentis cæde perficeret, prioris inobedientiæ nexus enodaret.* Quin etiam Dominus, post priorem hanc culpam, Saulem pro rege habuit, cum ad eum Samuelem misit, qui bellum ei Amalecitanum iniungeret, cui frustra Samuel dati regni beneficium commemoraret, si eo iam priuatus esset. Voluit itaque Dominus indulgenter agere cum Saule, neque primam ob culpam eum exterminare, sed expectare vt malefacta benefactis obrueret. Verum ille semel ex recta egressus orbita, multo etiam longius aberrauit.

Post priorē autem Deus eū prō rege habuit.

Tam tristi nuncio non potuit nouus rex non ingemiscere, qui ad metas curriculi sui se peruenisse sentiret, cum vix dum è carceribus exiuisset. Forte tamen commoti senis obiurgationem duntaxat existimauit; & comminationem potius patris, quam vaticinium propheræ. Nihilominus *surrexit Samuel*, ait Scriptura, *& ascendit de Galgalis in Gabaa Beniamin*, & quidem non solus, quasi Regi factos inimicior, sed cum Saule, & illa sexcentorum virorum manu, qui cum eo remanserant, eorum vt animos confirmaret, qui sciebant eum habere in manu fulmina, atque tonitrua, quoties illi Deum in eam rem orare libuisset: & ipse vice versa humano eorum præsidio vteretur. Idque peropportunè accidit; habuerunt enim obuios Philisthæos, quibuscum pugnatum esse feliciter, illa verba significant. *Et reliqui populi ascenderunt post Saul obuiam populo, qui expugnabant eos, venientes de Galgalis in Gabaa in colle Beniamin.* Ibique substiterunt tanquam in loco natura & arte munito, tam Philisthæorum studio, qui diu ibi in præsidio steterant, quam recenti Ionathæ industria, qui eos inde nuper eiecerat. Ibi autem non solum esse in tuto, sed mutuis etiam excursionibus Philisthæos fatigare potuerunt.

X. Saul tristis abit cum Samuele in Galgala.

Cū paucis.

1. Reg. 13. 15.

Cæterum mirum est illud quod Scriptura subdit de fabrorum penuria in Israele vniuerso, & de non inuento gladio vel lancea in manu totius populi, præterquam Saulis & Ionathæ: cum tamen legamus factam manum Domini super Philisthæos cunctis diebus Samuelis, coactosque reddere vrbes quas ante abstulerant Israelitis. Respondeo videri antiquiorem istam seruitutem, & ad tempora Samsonis, aut Heli pertinere, idque modus ipse loquendi Scripturæ, si attendas, non obscure significat. Sed mirabilior est ista gladiorum paucitas, præsertim cum præcedenti anno superatis Ammonitis magna vis armorum acquisita sit à militibus. Ideoque dicendum cum Tostato, Scripturam non loqui de vniuersis Israelitis, sed de illis tantum sexcentis viris, qui cum Saule remanserant, vt ex ipso textu liquet. At mirum etiam est diuina prouidentia factum vt abeuntibus armatis, soli inermes cum Saule remanserint, à quibus ingentes Philisthæorum copiæ, sicut nuper in Maspath, profligarentur. Deinde vt gladijs carerent ac lanceis, non carebant missilibus, si res eminus ageretur: aut si cominus, stipitibus ductis, fudibusque præustis.

XI. Mira fabrorum & gladiorum paucitas.

1. Reg. 13. 19.

Interea Philisthæi, qui confederant ad Machmas, vlterius progressi sunt inter Machmas, & Gabaa Beniamin, vt significant duo illi scopuli, de quibus mox dicetur. Forte quia didicerant regem ingressum in Gabaa, vltra Machmas. Ionathas autem regis primogenitus, cui & sua dignitas, & ætas, & conscia virtus, & seruitutis metus, & quod caput est, singularis Numinis afflatus animos faciebant, vndique circunspiciebat opportunitatem nobilis cuiuspiam facinoris. Itaque animaduerso in castris hostilibus loco, aditus propter saxa prærupta difficillimi, sed hanc ipsam ob causam minus suspecti, minusque custoditi, illac ad Philisthæos penetrare statuit, & Deo bene propitio, gloriosam aliquam hosti cladem inferre. Rem non ad pa-

XII. Philisthæi vlterius progrediuntur in terram Israel.

ttem defert, aut militare concilium, quos credebat tam audax, tamque periculosum facinus minime probaturos; impedituros potius, ac totum negotium disturbaturos; quia id erat aureo hamo piscari; sed ad adolescentem armigerum suum, factum fictumque ad principis sui mores atque voluntatem; quem vt inuenit consentientem aggressus est facinus, quod nisi diuinus afflatus tegat, iure plenum temeritatis censeatur, vt in Annalibus diligenter explicatum est. Ionathæ tamen omen omittendum non videtur.

nu. 49. & seqq. Ex afflatu diuino.

XIII. Num omé quæsierit. *ca. 14. 8.*

Ionathas igitur ex hostium verbis, captare volens diuinæ voluntatis indicium, *Ecce*, inquit, *nos transimus ad viros istos, cumque apparuerimus eis, si taliter locuti fuerint ad nos, manete, donec veniamus ad vos, stemus in loco nostro, nec ascendamus ad eos. Sin autem dixerint, ascendite ad nos, ascendamus, quia tradidit eos Dominus in manibus nostris.* Sciebat Ionathas Deum etiam linguas hominum, imo & omnia pro arbitrio moderari posse. Ergo cum non plane ipsi circa hoc negotium de diuina voluntate constaret, petijt à Deo sibi aliquo signo declarari eius voluntatem; qui illico inspirauit vt ad verba hostis attenderet, & faceret quod illi monerent: hoc enim fore illi signum & missionis suæ, & victoriæ consequendæ. Deus autem excubitoribus ea verba suggessit, quæ illi Ionathæ, & armigero eius dicturi erant. Itaque verba illa non fuerunt Ionathæ omen futuræ victoriæ, sed signum diuinæ voluntatis de inchoanda per ipsos victoria.

XIV. Apparet Philisthæus. *1. Reg. 13. 6. Sib. 6. Ant. c. 7.*

Cum ergo vterque apparuisset præsidio Philisthinorum, *En*, inquiunt isti, *Hebræi egrediuntur de cauernis in quibus absconditi fuerant.* Apparuerunt autem sub auroram, vt ait Iosephus, cum consilium nocte intempesta captum esset. Sicque opinionem hosti dabant. Hebræos per noctem conuenisse, eosque pone sequi antesignanos istos. Oportuit certe hæc tumultuario mane contigisse, vt Israelitæ, te à Ionatha iam bene cœpta, ieiuni persequerentur hostem. & sub vesperam, præinopia cibi, deficere dicerentur. Sed addit etiam valde probabiliter Iosephus, eos recessisse à loco in quo fuerant conspecti, & ex alio loco perreptando ascendisse. Si enim ex eo loco in quo fuerant conspecti, ascensum moliti fuissent, facile in ipso perreptandi labore, hastis & contis in præceps fuissent deturbabati. Ergo dum aliunde ascendunt, euaserunt ad hostem, qui forte putabant Israelitas, dum se deprehensos vidissent, ab inceptis destitisse, ad suosque irrito consilio reuertisse.

Temous ascensus Ionathæ, & locus.

XV. Inuadit hostē attonitum, & cædis initium facit.

Ascensus difficultate superata, nihil moratus Ionathas aut armiger eius, Philisthæos vigiles, ad inopinatum Hebræorum aspectum obstupefactos, inuadunt, ac cædunt: tum proximos quosque forte semisomnes ad 20. interficiunt, accedente pauore de aliorum Hebræorum sequentium opinato aduentu. Deinceps autem totis in castris prodigiosa strages consecuta est, dum suos ab alienis non discernunt, adeo vt terror ad tres illos prædonum cuneos supra memoratos pertineret, & se mutua cæde conficerent, ipsi quoque. Accessit ad conturbationem maiorem, terræ motus, qui in Hebræo Latinoque textu, & Chaldæa paraphrasi habetur, vt Philisthæi sentirent, armatum quodammodo in se terrenum elementum, quod ingenti aliquo hiatu, quasi aperto ore hostem populi Dei se absorpturum minaretur. Sed hæc plaga Philisthæorum, aduentu Saulis, & subditorum eius multo luculentior facta est.

Ipsi se hostes perimunt.

XVI. Rem cognouit Saul.

Cum enim speculatores Saulis, qui erant in Gabaa, vidissent multitudinem, partim prostratam, partim huc illucque diffugientem, tam imponendorum quam vitandorum vulnerum causa, rem ad Regem deferunt, qui de suo populo sollicitus, ignorans Philisthæos cædibus contra se mutuis sæuire, quærit qui abiint, & immissi in hostem irruentes, hunc tumultum excitarint. Et repertum est abesse Ionatham cum armigero suo. Nam Ionathas in diuersa vibis parte eam tutabatur. Eo nuncio commotior, iubet Dominum ab Achia pontifice, qui ibi tum aderat cum Arca Domini, consuli, quid Ionathæ ac Philisthæis factum esset, sed cum tumultus incresceret, nec promptum à Domino responsum daretur, *Contrahe*, inquit, *manum tuam*, id est, desine precari, protensis enim manibus orabat. Timebat enim Ionathæ, cui quamprimum succurrere cupiebat. Ergo classicum tota vibe, vicinaque regione conclamari iubet, vt omnes repente ad arma, nouo feruore concepto, concurrerent, & parieti tam inclinato incumbentes, maiore illum ruina prosternerent.

Consulit Dominū, & arma conclamat.

XVII. Augetur copijs vndique.

Illico itaque augetur copijs Saul. Nam præter sexcentos suos, & millenos Ionathæ, concurrerunt ad eos, non solum transfugæ, si qui fuerant, qui eam culpam in Philisthæorum capitibus eluere cupiebant, sed ij quoque qui apud Philisthæos habitabant ab aliquo tempore; maxime autem qui ex timore aufugerant, latebrasque petierant, foctauerunt se cum suis in prælio, & increscente vndique multitudine, quam pudor nunc ad officium, ferum licet, extimulabat, factum est, vt quamprimum essent cum Saule quasi decem millia virorum. *Et saluauit Dominus in die illa Israel.* Vtique Dominus, qui Ionathæ animos ac mentem dedit ad inchoandam tantam victoriam, hosti pauore vires ac mentem eripuit, & cognatas inter se turmas manipulosque commisit; cuius benignitate fugatus ex Israelitarum pectoribus pauor, desertæ latebræ, repetitus campus, erectus ad pugnam animus vireſque restitutæ, vt fugientes Philisthæos ignominiosis vulneribus sternerent.

XVIII. Fugientibus instat, indicto ad vesperā vsq; ieiunio.

Prædictis porro copijs instructus Saul victoria vtendum ratus, suos omnes hosti fugienti instare iubet, omni mora, etiam sumendi cibi causa, interdicta, sed indicto ad vesperam vsque plenamque victoriam ieiunio: quod præceptum grauissima maledictionis pœna interposita sanciuit. Nec tamē prohibit potū, quia sitis minus tolerabilis est quam fames, & minimam affert festinantibus moram. Cæterum hoc siue præceptum, siue iusiurandum, plerique Patres imprudentiæ ac temeritatis accusant, in quibus S. Chrysost. Theodoretus, Procopius. Iosephus quoque, atque adeo ipsi Sept. qui illum magna ignorantia peccasse tradunt: quibus subscribit Lyranus. Probabilius tamen Abulensis, cui subscribunt Caietan. atque Serarius, volunt præceptum hoc iustum fuisse atque legitimum, siue eius spectemus autorem legitima potestate præditum, siue eius obiectum minime violentum, imo facile hominibus militaribus,

Ad rectè.

tibus, laboribus, vitæque durissimæ assuetis, puta diei vnius abstinentiam, ritu toti populo in ieiunijs frequentato: siue denique intentionem ac finem, qui in magnam Dei gloriam, populique vtilitatem redundabat. Ac ne pœna quidem execrationis, aut mortis iniusta est in eos, quorum culpa de tot nocentibus supplicium non sumatur. Interim enim dum miles cibum parat ac sumit, hosti tempus euadendi præbet, & morti eripit eos, à quibus Dei populus graui mox seruitute opprimatur.

XIX. An recte filium reū occidere voluerit.

Quod autem Saul Ionatham filium regni hæredem, ob violatam legem occidere voluerit, merito Abulensis maxime laudi tribuendum putat, nedum illum propterea reum designati parricidij fieri patiatur. Certe si Ionathæ excutiamus innocentiam in hoc negotio, eam non plane illibatam reperiemus. Nam & diuina sors eum culpabilem ostendit, & Dei non respondentis silentium, & totius populi abstinentis exemplum, & publica filij de patris lege, coram populo obmurmuratio; cum eius esset in primis patris obseruare mandatum, & illud populo verbis exemploque commendare. Eaque mens fuit S. Chrysostomi, Tertulliani, Ambrosij, Gregorij magni atque Iosephi, vt in Annalibus ostendimus. Et quamuis Ionatham fateremur innocentem, posito tamen eum non temere iudicatum à parente culpabilem, nullum peccatum fuit iusiurandum de eo puniendo edere: & contra maximus omnino ac laudatissimus in Saule iustitiæ zelus, qui naturalem in talem filium amorem vicit, eumque quantum in se fuit, morte mulctauit. *Videte*, inquit Ambrosius, *quanta apud Saulem regem fuerit religionu obseruantia, qui offensum Deum optauit etiam parricidio mitigare*: sed alios quoque Patres superioribus licet opponere, quos breuitatis causa hîc prætermimus.

Serm. 6. de Quadr.

XX. Vespere cessatur ab hoste persequendo.

Inclinante in vesperam die, & Israelitis præ labore pugnæ, citatique iteris vehementer defatigatis, *percusserant enim in illa die Philistæos à Machmis vsque ad Aialon*, quod iter octo horarum esse vult Adrichom. & præ inedia, & lucis inopia deficientibus, à pugna & persequendis hostibus cessatum est; statimque versus est miles ad prædam, Philistæorum prædonibus ereptam; nondum enim peruenerant in Philistæam, à qua longe aberat Aialon, vbi substiterant. Tulerunt ergo oues & boues, & vitulos, & mactauerunt in terra, non permittentes præ festinatione, & cibi desiderio, vt appensis carnibus sanguis in terram deflueret, sed statim membra in frusta discerpta igni torrebant, sicque cum sanguine comedebant, legemque violabant. Quod vt accepit Saul, prouidit vt mactatis supra grandiora saxa victimis, sanguis stillaret in terram, neque in artubus ipsis concresceret. Neque id peccatum peculiari animaduersione punitum est. Dominus quippe vsus est indulgentia erga populum labore fractum, nec satis ad ea quæ ageret, præ festinatione attendentem. Nec eadem fuit ratio Ionathæ, qui ita ex ignorantia peccarat, vt mox agnitum peccatum excusaret; & vicissim Legislatorem patrem accusaret. Ideoque nihil mirum si mox in sortibus solus Ionathas deprehensus est reus.

cibus illegitime patatur.

Dissimulante Domino.

XXI. Ædificauit autem Saul altare Domino ad

crificandum in gratiarum actionem pro adepta victoria, & quidem in loco ad quem vsque populum fuerat persecutus: imitatus lapidem adiutorij Samuelis, & altare Moysi, obtenta de Amalecitis victoria. Postquam autem exempta fames epulis, desiderium persequendi Philistæos, ratus eos forte aliquem in locum ex fuga confluxisse, sicut olim Madianitas Gedeone persequente, & loco per exploratores cognito, facile opprimi posse. Quod cum populus victoria præsenti, epulisque factus animosior probaret, *Accedamus*, inquit Pontifex, *huc ad Deum*. Nimirum Sacerdotes & Leuitæ cum Arca Domini magnis itineribus secuti fuerant regem, eundemque sub vesperam consecuti. Et apparet prædictum altare iussu Regis coram Arca fuisse excitatum, & ab eisdem Sacerdotibus sacrificatum. Consentit Rex monitioni Pontificis: ne forte Deus vellet eos præsenti victoria, quam Iosephus sexaginta millibus interfectorum definit, esse contentos: eumque iubet Dominum in hæc verba consulere. *Num persequar Philistiim? si trades eos in manus Israel?*

Sacrificia gratiarū actionis.

Super altare coram Arca.

l. 6. Ant. c. 7.

At Deus non dubio iræ vel offensionis signo, nihil respondet. Qua re vehementer commotus Saul, causam iubet inquiri, paratus Deo, quantouis cum damno suo, satisfacere: populum vniuersum congregat, sortitionem instituit, vt Domino tacente sortitio prodat reum. Quam fuerit autem cordi Sauli hæc indagatio, & admissi peccati punitio, docet illa eius vox: *Viuit Dominus Saluator Israel*, qui scilicet nos hodie liberauit à Philistæis, *quia si per Ionatham filium meum factum est, absque retractatione morietur*; nedum quisquam alius mortalium impune id peccatum ferat. Negari non potest ingentem fuisse hunc zelum, sed fatendum quoque est hoc iusiurandum inconsultum fuisse ac præceps. Siue quia potuit Dominus non dare responsum nullo intercedente peccato, & potuit peccatum nequaquam tanto dignum supplicio intercedere, siue quia cadere potuit in personam, cui culpa huiusmodi condonanda esset; siue quia præter omnem iuris ordinem, ante examen & interrogationem, damnationis sententiam protulit; siue quia tam atroces minæ iureiurando firmatæ valebant non ad patefaciendum, sed ad occultandum reum.

XXII. Deus cōsultus tacet.

Zelus Saulis inconsultus.

Quod autem dicitur nullum ei contradixisse de omni populo, non fuit ea taciturnitas approbantium, sed alto silentio trepidantium, sibique timentium. At rex silentium exercitus eius consensum interpretatus, sortitionem instituit, rem vtique ancipitem, vt quæ innocentem æque ac reum prodere posset, nisi Deus sortitionem iubeat, dirigatque sortes, quod hic apparet contigisse, cum nusquam eam ob causam reprehensus inueniatur. Orat ergo Saul Dominum vt in sortiendo det testimonium aut noxæ, aut innocentiæ & sanctitatis. Quid multa, educuntur sortes, & Ionathas indicatur reus. Cui Saul, Indica mihi quid feceris. Et indicauit ei, dicens, *Gustans gustaui in summitate virgæ, quæ erat in manu mea paululum mellis, & ecce morior*. Verba sunt lamentantis sortem suam, & de sententiæ, cum culpæ tenuitate comparatæ, aut iniustitia, aut acerbi-

XXIII. Rex sortitionem instituit.

Deprehenditur Ionathas.

tate conquerentis. Cui pater. *Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, quia morte morieris Ionatha.* Septuag. addunt *hodie*. Cõfirmat prius iusiurandum, quo se obstrictum putabat. Itaque in opere ipso, intentione bona conscientiam errantem secutus, laudabilis fuit.

XIV. Ab exercitu liberatur. 1. Reg. 14. 45.

Hic populus, qui iam ægre ferebat sortes missas super regem ipsum, eiusque primogenitum, Sauli aperte restitit, instigante fortasse Pontifice, & iusiurandum irritum profitente. *Ergone*, inquit, *morietur Ionathas, qui fecit salutem hanc magnam in Israel?* Ipse enim principium fuerat & origo victoriæ; & eum cui eximia laus, & ingentia præmia debeantur, morte affici pro leuissimo delicto, eoque per ignorantiam admisso, iniustissimum putant. Itaque addunt, *hoc nefas est, viuit Dominus, si ceciderit capillus de capite eius in terram, quia cum Deo operatus est hodie.* Si quid ab eo peccatum est, singulari eius in populum vniuersum beneficio obtuatur. Vides vt iusiurandum iureiurando opponant, & quidem mortifero salutare. Cum ergo vis parata videretur, cessit Saul non inuitus, eaque vi se religione solutum videtur interpretatus. *Liberauit ergo populus Ionatham, vt non moreretur.*

XV. Ad sua hostes redeunt.

Recessit igitur Saul versus Gabaa vbi habitabat, nec persecutus est Philistæos, veritus ne Dominus, qui in proximo silentio signum dederat offensionis, victoriam victis daret, victoribus eriperet. Minorque fuisset culpa non consulto Deo hostem persequi, vt rex ante instituerat, quam Dei consilii ominosum silentium negligere. Porro Philistæi, obtecti tenebrarum amictu, abierunt in loca sua, non voluntate nocendi, sed facultate tunc quidem spoliari, dum vbi paululum respirassent, bellum infestissimum inimicissimè redintegrarent.

ANNVS MVNDI 2965.

SAMVELIS 26.

SAVLIS & ACHIÆ Pont. 4.

DERCYLI 15. Imperij Assyriorum 1034.

ANTE CHRISTVM 1088.

I. Scripturates Saulis eõtrahit.

QVæ hoc & sequentibus aliquot annis in Hebræorum Repub. Saulis auspicijs gesta sunt perpaucis Scriptura complexa est: quæ tamen potius excitent, quam sciendi expleant appetitum. Hæc enim dumtaxat sacris commendata sunt monimentis. *Et Saul confirmato regno super Israel, pugnabat per circuitum aduersus omnes inimicos eius, contra Moab, & filios Ammon, & Edon, & reges Soba, & quocunque se verterat superabat. Congregatoque exercitu percussit Amalec, & eruit Israel de manu vastorum eius.* Quæ verba magnam vtique rerum syluam indicant, non aperiunt. Vt plane appareat, si quis attendat, Scripturam res Saulis non nisi propter Dauidem explicare, & quæ Dauidem non attingunt leui brachio percurrere. Itaque quoniam bellum Amalecitanum ad abdicationem Saulis, & electionem Dauidis pertinebat, hic obiter cum reliquis proposito, resumitur postea fusius explicandum. Quæ autem deinde sequentur in hoc libro primo, Dauidis potius gesta sunt quam Saulis.

1. Reg. 14. 47.

Eaque propter Dauidem narrat.

Accepta igitur Saul administratione regni, eaque per cladem Ammonitarum & Philistæorum probe confirmata per vicinos populos, & quidem, vt credere par est, prouocatus, victricia signa circumtulit. Primum autem bellum quod hic à Samuele memoratur, est contra regem Moabitarum, contra quos quamdiu, aut qua occasione pugnarit, incertum est. Feliciter tamen pugnasse Scriptura & Iosephus dubitare non sinunt. Bellum autem contra Ammonitas, quod in hoc catalogo secundo loco memoratur, dubium est an idem cum superiore sit, an potius diuersum. Nam illud nondum confirmato regno contigit, hoc autem non item. Et facile fuit Ammonitis regno ab hoste victore non deuastato, exercitum instaurare, & nouas Israelitis, non impune afferre molestias. Tertium bellum contra Idumæos à Saule gestum est, qui erant à meridie Israelitis, vt illi ab oriente. Idumæi porro hostili semper animo contra Israelitas fuerunt: Quæ tamen peculiares inimicitiæ Saulem inter & Idumæos extiterint, proditum non est. Eos tamen bello à Saule compressos hinc apparet, donec postea à Dauide perdomiti sunt. Nam eorum regionem occupare Israelitæ diuinitus prohibiti fuerant, non item armis eorum iniurias propulsare. Non obstantibus autem peruetiquis inter vtrumque populum inimicitijs, nullum adhuc inter eos bellum conflatum reperio.

II. 1. Bellum Saulis cõtra Moabitas.

cap. 11.

2. Contra Ammonitas.

3. Contra Idumæos

Quartum bellum gestum est à Saule contra reges Soba, quæ erat regia vrbs Syriæ, ex qua Syria Soba, vel Sobal dicta est, ad differentiam Syriæ Damasci. Vtraque sita fuit ad Septentrionem Chananitis. Contra hos reges hoc primum loco à Saule, tum sæpius à Dauide pugnatum est. Quod autem hic numero multitudinis reges Soba nominentur, dubitationem ingerit, an successiuè contra Reges in Soba regnantes, an simul contra plures Reges inter se fœderatos pugnatum sit. Prius magis placet, quia confœderati reguli, non reges Soba, sed Syriæ dicerentur: fuisse autem potentes reges Soba ex eo patet, quod serui Adarezer regis Soba arma aurea dicuntur habuisse.

III. 4. Contra reges Soba.

2. Reg. 8.

Quintum refertur bellum contra Philisthæos, quod maximum, & quodammodo perpetuum fuit, qui Israelitis ab occidente semper infesti fuerunt: & quamuis à Ionatha & Saule recens magna clade affecti fuissent, non multo post tamen ad ingenium redierunt. Integra quippe atque intacta remanserat eorum regio, Israelitis victoribus ad ipsa ferarum latibula non peruadentibus, sed ad proprios lares, propter diuinum silentium, remeantibus. Non videtur autem hic bellum gestum intelligi contra Philisthæos, aliud ab eo quod proximo anno explicatum est. Idque satis confirmatur ex eo, quod extremo capite 14. scriptum est, fuisse bellum potens aduersus Philisthæos omnibus diebus Saulis: quasi cætera bella leuiora essent, ac minoris momenti: ideoque Saulem virorum fortium copiam perpetuo apud se habere studuisse. Sextum denique bellum contra Amalecitas gestum est, quod capite 15. fusius exponitur.

IV. 5. Contra Philistæos.

c. 14. 52.

6. Contra Amalecitas.

Ad hæc circiter tempora, quibus Saul feliciter

V.

citer contra circumpositos pugnabat hostes, videtur referenda historia de bellatorum Agarænorum, quam constat diebus Saulis contigisse. Etsi enim incertus est annus, quo Rubenitæ, cæteriqué Israelitæ, qui trans Iordanem habitabant, hoc bellum confecerint, expeditionem tamen, quam Dominus peculiari fauore prosecutus sit, illi tempori merito possumus assignare, quo idé Dominus Saulem nondum à se abdicarat, sed cum eo populum eius singulariter protegebat, eisque alias ex alijs victorias concedebat.

Bellū Rubenitarū contra Agarenos.

I. 1. Paral. c. 5. v. 10. 18. & seq.

Exarsit itaque bellum inter Rubenitas, & Agarænos & vtrorumq; socios, trans Iordanem ad Orientem habitantes. Id bellum quia iustum fuit ex parte Israelitarum, vt mox dicetur, oportet eos à vicinis illis Agarenis aliqua ratione violatos. Cum enim ex rapto fere viuerent, facile est intelligere eos in Rubenitarum sortem impetum fecisse, prædasque abegisse, aut aliquam regionis ipsorum partem sibi vindicasse, aliave simili ratione iniuriam fecisse: Israelitas autem, armis, cum aliter apud barbaros, prædonesque non liceret, non solum rem suam recuperasse, sed alienam etiam sui iuris fecisse, hostibus male mulctatis, atq; adeo pene internecione deletis.

Que causa illius.

VI. Iustum fuisse.

Iustitiæ porro belli huius, Scriptura ipsa non leues suggerit coniecturas, siue cum ait Rubenitas cum locijs inuocasse Dominum cū præliarentur, eumque habuisse adiutorem: Deus autem odit iniquitatem, nec fauet iniustitiæ, nec illi ab eo sperarent auxilium aut peterent, si in bello iniusto militare se crederent; siue cum hoc bellum vocat *bellum Domini*, quod scilicet manibus seruorum ipse confecerit, & quibus ipsemet victoriam dederit, vt qui perexiguis Israelitarum copijs, ingentem Agarenorum multitudinem subiecerit. Bellum autem iniustum nemo Bellum Domini sine eius iniuria appellare possit. Sed & bellum Domini fuit, in quo suos ipse vltus est inimicos. & ditauit populum tuum, qualia pleraque bella in Scriptura memorantur, quæ belli huius euenta sic explicat.

Vide Ann. n. 14.

VII. Victoria Israelitarum, & præda ingens.

Præliati sunt contra Agaræos, & interfecerunt illos; & mox, *traditique sunt in manus eorum Agarei, & vniuersi qui fuerant cum eis, quia Deum inuocauerunt cum præliarentur, & exaudiuit eos, eo quod credidissent in eū;* nec manus fuit oratio, neque fiducia, *Cæperunt* enim *omnia, quæ illi possederant, camelorū* 50. *millia, & ouium ducenta & quinquaginta millia, & asinos duo' millia, & animas hominū centum millia,* cū tamen Israelitarum essent tantum 44. millia, & 760. Sed in illis cētum millibus maxima pars fuit imbellis multitudinis; nam bellatores fere in acie ceciderant, subdit enim, *vulnerati autem multi corruerunt, fuit enim bellum Domini:* in quo scilicet pro suis, vt sæpe aliàs, Dominus ipse pugnabat, *habitauerunt que pro eis,* non in eorum oppidis, sed tabernaculis; id est, in locis in quibus ipsi subinde figebant tabernacula, prout loca, aut læta pascuis, aut prædæ opportuna videbantur. Posse derunt autem ea loca *vsque ad transmigrationem* suam: cum Theglath-Phalasar rex Assyriorum, regnante Phasee, abduxit eos in captiuitatem, post trecentos ferme ac 25. annos.

ANNVS MVNDI 2968.

SAMVELIS 29.

SAVLIS & ACHIÆ Pont. 7.

DERCYLI 18. Imperij Assyrior. 1037.

ANTE CHRISTVM 1085.

I. Summa rerū anni huius.

BElla proxime à Scriptura memorata tres circiter Saulis annos occupasse, non temere opinor coniecimus. Cum potentibus enim aduersarijs bella non tam cito præparantur aut terminantur. Habebit autē hic annus, qui est Sabbaticus 55. suiceptū ab Israelitis diuino iussū bellum contra Amalecitas, idemque totius populi eius internecione terminatum; Bellum non deuictis solum Amalecitis luctuosum, sed ipsi quoque victori Sauli, & toti eius familiæ funestum. in eo quippe contracta est macula, quæ nullis Prophetę lachrymis deleri potuit; sed multis deinceps criminibus eiusdem Saulis amplificata, ac deformata est. Hoc bellum licet in prædicto catalogo postremo loco ponitur, ita post illa gestum videtur; consentaneè antiquæ illi iussioni. *Cum Dominus Deus tuus dederit tibi requiem, & subiecerit cunctas per circuitum nationes in terra, quam tibi pollicitus est, delebis nomen eius sub cælo.*

Deut. 25. 19.

II. Bellū Amalecitanū Sauli diuinitus demandatur.

Ergo belli author Deus, denunciator, & quasi fecialis Samuel Propheta, Saul administrator eligitur, cuius fuit populi totius iniurias persequi, qui totius populi iniurijs affecti caput fuit. Ad eum mittitur Samuel, qui Dei nomine regi præcipiat, vt funditus exterminet Amalecitas. In qua denunciatione acceptæ à Deo regiæ dignitatis Sauli memoria retricatur, vt intelligat præsentem gloriam fideli erga Deū obedientia esse conseruandam, simulque tacitè moneatur, hac deficiente illam quoque pessum ituram. Causa ex parte Dei fuit iustitiæ zelus aduersus Amalecitas, qui primi, nulla penitus iniuria lacessiti, in Hebræos latronum in morem impetum faciebant, & extrema castrorum carpebant, male mulctantes eos, qui fame & labore confecti residebant. Ex parte autem ipsorum Amalecitarum, causa qua suprema clades commerti fuerant, fuit illa eadem culpa, & aliæ sine dubio grauiores, quibus, sicut & Amorrhæi, & Chananæi, stirpitus deleri merebantur.

III. In hæc verba.

Præceptum autem Domini, & sententia lata contra Amalecitas hæc est. *Vade & percute Amalec, & demolire vniuersa eius: non parcas ei, & non concupiscas ex rebus ipsius aliquid, sed interfice à viro vsque ad mulierem, & paruulum atque lactentem, bouem & ouem, camelum & asinum.* Vt olim Iericho, sic nunc totam Amalecitarum gentem, tanquam holocaustum diuinæ iustitiæ dicatum, consumi vult, nec quidquam humanis vsibus reseruari: in exemplum, terroremque mortalium, & nominatim in detestationem inhumanitatis in pauperes, atque peregrinos. *Itaque Saul,* nihil moratus, *præcepit populo,* vt conuenirent in Galgala, vt ait Iosephus, secutus Septuag. & recensuit eos quasi

Saul colligit copias.

agnos,

agnos, eadem facilitate qua pastor numerat agnos, & inuenta sunt ducenta millia peditum expeditorum ad pugnam, & insuper decem millia virorum Iuda.

IV. Adit Amalecitas.

Collectis copijs venit Saul vsque ad ciuitatem Amalec, totius scilicet ciuitatis primariam, sub qua Romano more multa oppida, pagi, villæque comprehenduntur; ea fortasse fuit Heuila, quæ mox memoratur quasi initium victoriarum Saulis, cum dicitur percussisse Amalec ab Heuila vsque ad Sur, quamuis Heuila sit regionis aut solitudinis nomen, ab oppido aliquo mutuatum. Ad hanc igitur ciuitatem Saul tetendit insidias in torrente. Simul etiam monuit Cinæos viros religiosos, ab Amalecitarum moribus alienos, qui teorsum à populo in desertis locis habitare solebant, vt è medio Amalecitarum emigrarent, ne bellicus furor innocentes cum nocentibus, inscio atque inuito Imperatore violaret. Hanc autem fuisse Dei voluntatem ex eo patet, quod de ipsis conseruatis nulla fuit Samuelis contra Saulem querela. Apparet autem eos ad alia eiusdem instituti cœnobia demigrasse.

V. Vincit, & regem capit. 1. Reg. 15. 7.

Bellum porro ipsum contra Amalecitas gestum vno verbo Scriptura complectitur. *Percussit*, inquit, *Saul Amalec ab Heuila donec venias ad Sur, quæ est è regione Aegypti*, quæ quondam fuit tota Ismaëlis habitatio, antequã Amalecitæ orti essent ab ipsius nepote Esau. Cardo porro belli in principe populi vertebatur, qui nisi veniret in potestatem Israelitarum, potuisset aliquando per se suosque bellum redintegrare. Apprehendit itaque Saul *Agag regem Amalec viuum*, siue is in obsidione vitam pactus deditionem fecit, siue quod in adipali viro minus probabile est, in prælio captus ac seruatus est, vel auaritia, vel superbia stimulante, vt duceretur in triumphum, vt S. Gregorio visum est, eoque facit arcus ille, siue fornix triumphalis, quem Rex mox erexit. At non minus probabile est misericordia incitante fuisse seruatum, quæ plurium est sententia; cui fauet tam parcendi vox, & personæ conditio; nihil enim est miserabilius, quam ex beato miser, & supplex ex regali fastigio.

& ex cõmiseratione seruat. *Ioseph. Theodor. Abul. Suar. Dionys.*

VI. Populus prædã ex auaritia.

At populum sine vlla dubitatione vicit auaritia. Is enim *pepercit ouium gregibus, & armentorum, & vestibus, & aretibus, & vniuersis quæ pulchra erant, nec voluerunt ea disperdere; quidquid vero vile fuit ac reprobum, hoc demoliti sunt.* Habes hic transfusum Achani sacrilegium, in Saulem & populum eius; abstulerunt quippe omnes aliquid de Anathemate, & res Deo addictas, sacrilega ducti auaritia reseruarunt sibi. Ideoque exturbauit eos Dominus, in monte Gelboë, in primisque Saulem, qui seruando regem Agag, toti populo præiuit exemplo. Neque enim audiendus est Saul, cum ait Samueli peperciſſe, populum, vt immolaret Domino Deo. Nam in ea præda plurima erant; quæ non erant idonea sacrificio, & de idoneis vix pauca erant immolaturi. Parta itaque victoria, vastitate in Amalecitidem longe lateque illata, multis vbique villis, pagis, oppidisque, multis domesticæ supellectilis acervis, recenti deflagratione fumantibus, multis omnis generis animantibus, atque adeo infantium, lenum, fœminarum corporibus fœde laceratis, & rabo sanieque fluentibus, exercitus Hebræorum victor in patriam redit, lixis & calombus multam prædam longo ordine abigentibus.

Regioni vastitas infertur.

VII. Saul adit Carmelũ, & Galgala.

Saul autem non venit domum in Gabaã Benjamin, sed in Carmelum, vbi erexit fornicem triumphalem, in monumentum victoriæ, indeque sacrificiorum causa descendit in Galgala, quo non dubitabat Saulem de more breuiesse venturum, & nihilominus dum ille venit, maturauit offerre holocaustum Domino, vt ex sequentibus intelligetur. Quæ dum maxime fiunt, *factum est verbum Domini ad Samuelem* in Ramatha patria sua, vbi Propheta multus erat, præsertim ex quo Reipub. gubernacula in Saulem transtulerat. Factum est autem non statim atque culpa in Amalecitide facta est, sed cum Saul iam inde cum exercitu reuertisset. Nam nocte illi reuelatio facta est, & summo diluculo ad Saulem iter arripuit, & eum offendit in Galgalis, eique renunciauit verbum Domini, quo dixerat, *Pœnitet me quod constituerim Saul regem, quia dereliquit me, & verba mea opere non implcuit.* Pœnitere dicitur Dominus, quia ita se gerit, vt homines solent, quos facti pœnitet, qui illud diffipant ac delent, vt pacta, promissiones, amicitias: sic Dominus regiam Saulis dignitatem, propter mutationem in eo factam, qui de subdito Dei factus est delector, & de obediente, neglector imperij.

Deus reuelat Samuelí regis peccatum.

VIII. Samuel orat pro Saule

Contristatus est autem Samuel tristi atque inopinato nuncio, veritus ne cuius prior culpa in Galgalis regnum labefactauerat, posterior plane conuelleret. Contristatus est super Saulis peccato, ex quo sentiebat reprobari hominem, quem ex animo diligebat, hominem electum à Deo, approbatum à populo, formidatum ab hoste, virum fortem ac bellicosum, natum libertati & gloriæ populi Dei. Quod si etiam vidit eum ab æterna gloria reprobatum, tanto vtique vehementiore tristitiæ fluctu concussus est, tanto iustius, *clamauit ad Dominum tota nocte*: imo & tota reliqua vita sua, donec eam eius cum mœrore deducerentur ad inferos. Clamauit autem non mutaturus ille quidem immutabile decretum, ipse enim mox fatetur Deum non mutari, neque pœnitudine flecti, sed experturus an Dominus precibus suis Sauli veniã dare statuisset, nec simpliciter definisset in corde suo Saulem abdicare, sed cum conditione, nisi merita Samuelis ac preces interuenissent; sicut olim Mosis precibus sæpe Dominus vniuerso populo veniam dederat. Id tamen modo non didicit, sed postea cum perseueraret in luctu.

gnatus immutabilis decreti.

IX. Venit ad regẽ, ſatisfacientẽ

Post totius ergo noctis gemitus & clamores ad Dominum pro reconciliatione Saulis, summo mane se in viam dedit versus Galgala, quo didicerat regem esse profectum, vt ibi factis ipsis, si quo modo posset, Dominum Sauli placaret, nimirum regis vnius cæde, alterius obiurgatione, & prædæ quæ supererat consumptione. *Venit ergo Samuel ad Saul, & Saul offerebat holocaustum Domino*, vtique per manum Sacerdotum, alioqui id prophetica reprehensione minime caruisset. *Offerebat* autem *de initijs prædarum, quæ attulerat ex Amalec*, initia prædarum vocat quæ infrà primitias, id est,

optima

optima quæque, & digna quæ præ cæteris eligantur, & offerantur Deo. Audito aduentu Samuelis, ei fit obuiam Saul simulque salutans ait, *Benedictus tu Domino, implens verbum Domini.* Quasi dicat, bellum confeci, Amalecitas exterminaui, toti regioni vastitatem intuli. At Samuel eam vanitatem redarguens: *Et quæ est*, inquit, *hæc vox gregum, quæ resonat in auribus meis, & armentorum, quam ego audio?* nonne mugitus isti ac balatus refellunt orationem tuam? nonne illis hæc omnia funditus perijsse oportuit, si Domino fuisset obtemperatum?

corũ colloquium. 1. Reg. 15. 13

X. Saul culpam trãsfert, ac defendit.

At Saul, quem statim à principio culpam fateri oportuit, & veniam à Deo postulare, culpam à se transfert in populum, quem sit prædam electam adduxisse de Amalecitis, vt immolaretur Domino, reliqua ibidem profligata fuisse: sicque omnia perdita esse Amalecitis, cum nonnullo fructu populi sui. Nec transfert solum, sed eam etiam ex intentionis bonitate defendit: significans satius esse pecora Deo sacrificare, quam temerè in bello iugulare; & Dei honori, vsuique hominum, res humanis vsibus à natura destinatas, addicere, quam nemini, nisi coruis, canibus & lupis profuturas, disperdere. Sed manifesta est ista defensio, & hominis iudicium suum atque voluntatem Dei mandato præferentis. Itaque Samuel tristem regi nuncium allaturus, eum seducit à turba, petitque ab eo, vt cum bona ipsius venia, sibi liceat ad eum, Dei contra ipsum referre sententiam; vt rei ipsius seueritas, leniore agendi ratione molliretur. Verum sequens oratio, tota ad seueritatem composita, aliam expositionem probabiliorem facit, in hanc sententiam.

XI. Quẽ Samuel vicissim accusat.

Mitte has fabulas & excusationes tuas, & *sine me* loqui, quæ Deus ad me nocte hac de te locutus est. Nam etiam superius, cum tanto minor esset obiurgandi occasio, audiuit nihilominus à Samuele, *stulte egisti.* & quæ sequuntur. Eam verò authoritatem Samueli apud Saulem multa conciliabant, senectus, vitæ sanctitas, prophetia, paternus in ipsum amor, regia dignitas illi collata, denique populi totius in eum veneratio. Postremo Prophetarum ex Dei mandato loquentium, & improbos principes obiurgantium seueriſſimas legimus voces, vt parentum in filios, aut magistrorum in discipulos patum obsequentes. Oritur itaque Samuel accusationem suam repetita memoria collatæ dignitatis humili, ac modice de se sentienti, vt superbo & obsequij desertori iure auferenda intelligatur. Sequitur obiurgatio, propter non impletum Domini præceptum aduersus *peccatores Amalec*, id est, viros insigniter improbos, quorum flagitia diuinam vindictam è cœlo deuocarent. Qui tamen auaritia & importuna humanitate victus, tum nocentissimo regi pepercerit, tum ad prædam versus fuerit cum populo suo.

XII. Nec tamen culpam agnoscit Saul.

Quibus auditis Saul, ne tunc quidem culpam agnouit miser, sed telum propheticæ accusationis, clypeo falsæ negationis repellere conatus est. *Imo*, inquit, *audiui vocem Domini:* ita sane, sed audisti tantum, *& ambulaui in via per quam misit me Dominus*, expeditionem in Amalecitas suscepi iussus. Recte hoc quidem. *Et adduxi Agag regem Amalec*, illustre ac luculentum victoriæ nostræ monimentum. At quis te iusserat regem huc adducere, & seruare; & non potius, Iosue clarissimi Imperatoris exemplo, pedibus conculcatum agere in malam crucem? hominem præ cæteris mortem commeritum, in quem maxime volebat Dominus belli furorem desæuire, & quo plura habebat quæ perderet, plures subire animi corporisque cruciatus. Nam quod ad conseruatam prædam, *nunquid vult Dominus holocausta & victimas, & non potius vt obediatur voci Domini?* Docens videlicet ne sacrificiorum quidem causa diuinum præceptum negligi debuisse; nec potuisse hoc facinus bono illo opere, si tamen bono, compensari: neque enim talia sacrificia grata esse Deo. Quomodo autem melior sit obedientia quam victimæ, & in obedientia idololatriæ exæquari possit, in Annalibus explicatum est diligenter.

Rursum à Samuele refellitur.

a n. 44. ad 49.

XIII. Et regno abdicatur.

Iustam porro huius sceleris pœnam, & congruam cum culpa proportionem subiungit Samuel. *Pro eo*, inquit, *quod abieciſti sermonem Domini, abiecit te Dominus ne sis Rex.* Abiectio enim abiectioni respondet, & humana superbia diuinæ deiectioni: & rectum est vt qui Deo non obtemperat, ei ab hominibus non obediatur, & qui se Deo exæquat, imo prudentiorem facit, dum eius mandata corrigit, cæteris hominibus, de regio culmine depositus, exæquetur. Num ergo sic abiectus à Domino Saul, penitus rex esse desijt? Respondeo quæstionem esse cognitione dignissimam, propterea que accuratius in Annalibus examinatam. Hic strictim dicamus Saulem, hac Dei sententia reiectum, amisisse ius regni; non enim dicitur abiectum iri, sed abiectum esse ne rex esset: regni tamen possessionem non amisisse, quia nullus erat alius rex, à Deo, vel Repub. constitutus, nec ipse ea se dignitate spoliare tenebatur. Et conueniens fuit communi bono retineri ab eo regni possessionem, qua sine grauissimis turbis spoliari non poterat: neque dandum erat exemplum posteris insurgendi in reges suos quocunque prætextu, eosque exautorandi.

Ius in eo amittit, non tamẽ possessionẽ iustis de causis.

a n. 50. ad 55.

XIV. Etiam in bonũ Dauidis.

Adde quod Dauid, quem Deus regno destinauerat, adolescentulus adhuc erat & contemptus, vt qui neque aulam vnquam, neque castra viderat. Itaque aliquot annis erant illi necessarij, vt imperij rectæque gubernationis artibus instrueretur, vt populum & cognosceret ipse, & ab eo vicissim cognosceretur, & se illi egregijs facinoribus commendabilem redderet. Interim autem regni curator erat necessarius: quo munere nemo rectius fungi poterat, eo qui iam annos aliquot regnum ipsum feliciter, & quasi patrimonium suum studiose, fideliterque administrarat. Vide itaque quantam hoc tempore iacturam fecerit Saul, qui pro rege, regni procurator factus est, nec Dei vlera, sed Dauidis vicarius appellari potuit: qui ius ad regnum filijs suis funditus perdidit, qui acerbissimæ inuidiæ in regni æmulum factus est obnoxius; qui priuatus spiritu fortitudinis, factus est arreptitius.

Quantã iã iacturam Saul fecerit.

XV. Agnoscit culpã suã, an ex legitimo dolore.

Nunc autem postquam intellexit peccatum suum esse longe opinione sua maius, siue ex ipsius natura, siue ex comparatione cum grauissimis peccatis, siue ex pœna, quæ illi erat

annexa,

Et cuiusmodi prophetiæ.

occulta reuelabant, aut prædicebant futura, vt Isaias, Ieremias, & Samuel ipse: sed viri sapientes, in lege Domini, diuinisq; mysterijs exercitati, qui diuinas laudes celebrabant, vt Dauid in plerisque psalmis, & socij Danielis in fornace. Neque celebrabant tantum recitando, sed canebant etiam, & ad musicos vocis modos adhibebant instrumenta musica, vt olim Maria soror Moysi e cum sodalibus, & deinceps qui cantores dicti sunt; quorum cum esset ingens copia, eos Dauid in 24. classes f distribuit. Hi ergo cum in templo, aliove religioso loco, præsertim sacrificij tempore canerent, dicebantur prophetare. Et in horum numero Saulem ad tempus futurum prædixit Samuel, cum ait g, *Et insiliet in te Spiritus Domini, & prophetabis cum eis, & mutaberis in virum alium.*

e Exod. 15. 20. 21. f 1. Par. 25

g 10. 10. 16

XIX. Quâ per modum actus accepit.

Prædicit enim fore vt Saul repente imbuatur diuinitus spiritu quodam intelligentiæ, quo possit cum cæteris, qui huic studio pridem incubuerant, scienter & perite in psalmos, & Cantica prorumpere, quamuis hactenus eiusmodi scientiæ fuisset imperitus, quod est mutari in virum alterum: iuxta Abulensis expositionem. Eum autem spiritum non per modũ habitus permanentẽ habuit, sed tranſeuntem ac per modum actus, vt loquuntur in scholis. Non enim volebat Dominus eum esse propheram, sed dare illi prophetiam in signum mutationis in eo factæ, ad quod sufficiebat semel prophetare. Itaq; finito quamprimum actuali illo influxu desijt prophetare: donec iterum post aliquot annos, insiluit in eum idem spiritus, cum adiret Samuelem ad comprehendendum Dauidem, & prophetauit, sicut & nuncij, quos præmiserat.

XX. Cõclusio vaticinij Samuelis.

Hoc vaticinium de tribus signis Samuel ita concludit, *Quando ergo euenerint signa hæc omnia tibi, fac quæcunq; inuenerit manus tua, quia Dominus tecum est.* Quasi dicat, vide vt Deum loquentem audias, siue priuata inspiratione suggerentem, quid facto sit opus, in quoq; negotio, siue intermedio sacerdote vel propheta. Cum enim nihil absq; consilio faciendum sit, minimè omnium publica negotia, quæ magni momenti sunt in vtramq; partem. Itaque partim hac ipsa de causa, partim ad maturè docendum regem, ita ipsum solutum esse legibus humanis, vt Deo semper obedire debeat, sibi per ministros suos prophetas, aut sacerdotes loquenti, iubet eum descendere in Galgala, ad sacrificia Deo per sacerdotes offerenda, ibique Samuëlis aduentum septiduũ expectare, ad exquirendam, addiscendamque Dei voluntatem. Quod præceptum cum patrum obseruasset, reprobatus est miser.

Accipit mandatũ.

XXI. Mutatur corde, & signa prænunciata experitur

Ita institutus ac confirmatus Saul, *cum auertisset humerum suum vt abiret à Samuele, immutauit ei Deus cor aliud*, id est, interprete Theodoreto, cum prius fuisset ingenio ac moribus rusticanis, spiritum regium accepit, spiritum fortitudinis, ac magnitudinis animi, & latitudinis cordis, quo subditos omnes recipere, ac confouere posset. Progressus didicit repertas asinas, & paternam de se sollicitudinem: inuenit qui ad orandum pergerent, & se primitijs panum honorarent. Denique venerunt in Gabaa patriam suam, in qua erat collis Dei, & habitatio prophetarum laudantium Deum, qui Sauli vrbem subeunti occurrerunt, cum quibus & ipse, insiliente in eum spiritu diuino, cum omnium admiratione, prophetauit, sic vt prouerbio daretur locus, si cui aliquando bonum aliquod præter expectationem, aut dignitatem contigisset, *Num & Saul inter prophetas?* Cessante autem influxu illo prophetico, venit ad Excelsum, vnde grex ille prophetarum descenderat, ibi Deo gratias egit de collatis beneficijs, simulq; gratiam postulauit Reip. bene administrandæ. Id enim locus illius conditio; & præsens Saulis virtus, cui cor nouum contigerat, & status Reipub. non tam tum liberæ, vel pacificæ facile persuadent.

Venit in excelsum & orat.

Eo pietatis munere perfunctus, venit Saul domum, suisque super hoc prodigio admirantibus, dixit *patruus Saul ad eum, & ad puerum eius, quò abistis?* Erat is Ner frater Cis patris eius. Illi autem id quod erat responderunt, isse se ad quærendas asinas, quas cum non reperissemus, inquiunt, venimus ad Samuelem, qui scilicet ignota cognosceret, ac patefaceret. Nominato Samuele existimauit Ner se ad ipsum quasi fontem peruenisse prophetiæ huius aduentitiæ, Inquirit itaque ac scrutatur. *Indica*, inquit, *mihi quid dixerit tibi Samuel.* Totum ordinem rei gestæ scire desiderat: discit autem tantum quid de asinis Samuel respondisset. Vltro scilicet declarasse inuentas esse: addiderit etiam fortasse exceptum se fuisse honorifice plurimumque honoratum. Quin etiam prædixisse illum, quos in itinere inuenturus esset, & fore vt in vrbis ingressu prophetaret. Hæc enim omnia publica erant, & poterant tacente Saule à famulo patefieri. De sermone autem regni tacuit, neque inunctum se in regem, neque signa sibi in eius rei confirmationem data, & nominatim prophetiam, quæ ipsos in admirationem traxerat. Quæ ipse vel, propria demissione animi, vel inuidiæ metu, vel secreti fidelitate texit.

XXII. Eruidem item cũ Ner patruo colloquium.

Cæterum Samuel post aliquam dilationem, si forte studia populi regem ambientis refrigescerent, statuit populum conuocare, vtique Deo annuente, sine quo nihil illum maioris momenti suscepisse certum est, & generalia omnium tribuum comitia in Masphath indicere, ad diuinam regis electionem agnoscendam. Ea prius indici per omnes tribus debuerunt, & idoneum assignati tempus, vt omnes quam minimo incommodo conuenire possent. Eam comitiorũ indictionem, in proximum veris initium, hoc quoque anno factam putamus: quando etiam ex præscripto legis ad paschalem solemnitatem conueniendum erat: simulque vitabantur profectiones hyemales, quæ plerisque vrgentur incommodis.

XXIII. Samuel indicit comitia in Masphath.

ANNVS MVNDI 2963.

SAMVELIS 24. SAVLIS 2. ACHIÆ 2.

DERCYLI 13. Imperij Assyrior. 1032.

ANTE CHRISTVM 1090.

SEcundus hic Samuelis annus percelebris est, tum populi totius comitijs ad creandum Regem, tum bello Ammonitico, tum denique alijs in Galgala comitijs: res tota reli-

I. Rex anni huius, temporis. que ratio

quo decimo capite, vndecimo ac duodecimo primi Regum continetur. Et priora quidem comitia in decimum fere mensis Nisan indici celebrarique potuerunt: quibus cito expeditis successit paschalis solennitas, quæ cum dies aliquot tenuisset, *Dimisit Samuel omnem populum, singulos in domum suam. Sed & Samuel abijt in domum suam in Gabaa, & abijt cum eo pars exercitus.* Inde fere post mensem, bellum à rege Ammonitarum suscitarum est, decimo octauo circiter secundi mensis die, tenuitque dies septem, aut ad summum octo. Clade autem Ammonitis illata, ventum est in Galgala, ibique conuenit omnis populus ad confirmandum Sauli regnum; quæ res ad festum vsque Pentecostes facilè protracta est, quando primitiæ frugum tritieæ messis offerebantur Domino. Quod festum illis significatur verbis. *Nunquid non messis tritici est hodie?*

Exod. 34. 22.

II. Comitia in Masphath celebrantur an Arca eo delata.

Fuisse porro celeberrima hæc comitia ex eo facile intelligitur, quod agebatur res longe maxima, & magnis studijs expetita. Ipsa quoque rei nouitas, & pristinæ gubernationis forma commutanda magnam excitabat expectationem. Conuenerunt itaque omnes tam vltra quam circa Iordanem à Dan vsque Bersabee, & conuenerunt in Masphath, eoque probabile est delatam ad breue comitiorum tempus Arcam Domini, inuitante vicinia, & probante ex Hebræorum traditione Hieronymo; ad id tamen Scripturæ verba non cogunt. Comitijs porro & sortitione opus fuit, vt qui electione diuina rex factus fuerat, à toto populo agnosceretur ac reciperetur. Deinde cum aliæ tribus ac familiæ, nobiliores essent ac populosiores tribu ac familia Saulis, vt ipsemet ingenuè apud Samuelem fatebatur, nunquam ambo tantæ inuidiæ ferendæ pares esse potuissent, nisi Deus ipse, qui sortes erat temperaturus, quem ipse elegisset in regem, sortitione minime suspecta, patefecisset.

Necessitas horũ comitiorum.

III. Samuel orationẽ habet ad populũ.

Congregato vniuerso populo, Samuel, qui ignota adhuc Saulis dignitate, omnium iudex erat, & caput summi omnium principis nomine, ad populum orationem habuit, qua primùm suam illi exprobrat ingratitudinem, prout iam edoctus fuerat à Domino, cum ad eum retulit optimatum postulationem, qui sapientissimum moderatorem, & de ipsis grauissimis in periculis optime semper meritum, quasi malæ fidei, malæque administrationis conuictum, abdicent, & alio in locum eius, atque immediatam gubernationem suffecto, quantum in ipsis est, repudient. Deinde iubet populum omnem in tribus suas, familiasque distribui, lociq; distingi, ne qua confusio contingeret; tum scriptio adhibita, sic vt quot tribus ius habebant vt eligi possent, tot schedulæ proprijs earum nominibus inscriberentur, accomplicarentur, & quidem omnino similes, atque æquales. Quod ipsum in familijs, domibus, ac viris in quaque tribu factum oportuit.

Parantur sortes.

IV. Sors cadit in Saulem.

Prima tribuum sortitio facta est coniectis in sinum vel vrnam tredecim schedulis, qua agitata in omnium oculis puerulus aliquis innocens, vt fit, iussus vnicam ex omnibus schedulam educere, Benjaminiam eduxit, quo facto reliquæ omnes tribus, cum suis familijs domibusque, spe sua deciderunt. In tribu vero Benjamin vlterius ad familias procedum fuit, & à singulis familijs siue cognationibus suæ schedulæ coniectæ sunt in vrnam, ex qua familia Metri, inde domus Cis, postremo persona Saulis educta est. At ille rei futuræ conscius, pro sua modestia non aderat. *Quæsierunt ergo eum*, ait Samuel, *& non est inuentus*, in familia scilicet, aut tribu sua, aut omnino in toto Israelitarum cœtu. Et consulto à Samuele Domino, an sponte sua venturus esset, an vero quærendus, & vbi. Respondit eum latêre domi inter vasa, non domi propriæ, sed in qua Cis pater eius, & ipse ius habebant hospitij, in oppido Masphath: nam propria domus erat in Gabaa.

qui abe-rat.

Misit Samuel, qui eum inde euocarent, ac deducerent in comitium. Stetit is in medio populi, & apparuit statura tam excelsa, vt vniuersos toto capite superaret; quem cum Samuel quoque hoc nomine commendaret, erupit fausta populi acclamatio, vitam illi de more ac fœlicitatem comprecantis. Additam mox etiam nouam inunctionem coram populo vniuerso admodum credibile est. Cum enim prioris vnctionis nulla sit hoc loco mentio, satis apparet tantam ceremoniam minimè fuisse prætermissam; quæ regem ipsum redderet augustiorem, & sine qua tota res satis frigida videretur; præsertim apud eudem populum, & ab externis signis plurimum pendentem, & ipse rex, sine sacra vnctione, vnus de plebe haberetur. Cum ergo è republica esset nouum regem, alioqui neque tribu neque familia insignem, externo cultu honorari, & reddi commendabilem, etiam oleo pontificio à vicina Nobe petito vnctum fuisse non temere affirmare possumus, Sulpitium secuti, qui eam vnctionem à Samuele factam putat, impositasque eius capiti manus, fusasque preces cum inuocatione diuini nominis, cæteraque omni celebritate, quam in Annalibus, si videbitur, leges.

V. Deducitur ad Comitiũ.

Ibi sors in eũ cadit & iterum inungitur.

Quod autem dicitur Samuel locutus ad populum legem regni, antequam eum dimitteret, videtur orationem habuisse de mutuis regis & populi officijs inter sese, vt regnum pacifice gubernetur & floreat, ne vel rex in populum tyrannidem exerceat, vel populus vim in regem, seditionemue moliatur. Nã Gregoris magnus *a*, *Samuel*, inquit, *coram rege ad populum loquitur, vt rex sciat à populo quid exquirat: sicut populus quid exhibere suis regibus debeat: quæ lex in libro scribitur, vt profuturorum memoria reseruetur; coram Domino ponitur, vt venerabilis habeatur.* Dici etiam posset scripta ibi quoque fuisse acta publica istorum comitiorum: vt posteri eorum modum, ac formulam à tanto viro profectam reuerenter susciperent, & imitarentur in posterum.

VI. Lex regni Samualis quæ.

a in c. 10. 1. *Reg.*

His ita transactis, Samuel qui populum conuocarat, eum quoque dimisit, annuente Saule, qui abijt domum in Gabaa ipse quoque; ibiq; pene ad priuatam vitam redijt, vt qui post vnum mensem boues de agro reuertentes sequeretur. Nihilominus abijt cum eo bona pars populi, quorum Deus corda tetigerat, ad illum honorandum, quem Deus suffragio suo ad supremum extulerat apicem dignitatis. Apparet autem eosdem hoc perfunctos vrbanitatis officio, ad sua quemque tabernacula reuertisse. At extiterunt quidam filij Belial, improbi scilicet & ad seditionem parati, qui dixerunt, *Num*

VII. Dimittũtur comitia.

Quidam Saulem contemnunt. b a.10.27.

saluare nos poterit iste, & despexerunt eum, & non attulerunt ei munera, quibus suam in eum obseruantiam testarentur. Hos suspicari non temere possumus Ephraimitas, vt ex Gedeonis & Iephte liquet historia. Forte etiam aliqui in his fuerunt de tribu Iuda, cui regnum præ cæteris promissum debitumque videbatur. Adde si videtur, ciues Iabes Galaad, quibus cum imminerent Ammonitæ, nuncios non ad regem, sed ad vniuersos terminos Israel, auxilij causa miserunt. Sed id mox videbimus.

VIII. Qui prudēter dissimulat. c c.11.12. 13.

Quamuis autem istorum filiorum Belial desideratum sit officium, Saulis tamen prudentia minime desiderata est: quippe qui intelligeret hoc stabiliendi regni tempus esse, non iniurias vlciscendi, *ideoque dissimulabat se audire*. Quin etiã aliquanto post *c*, cum vindictam haberet in manu, parta de hoste victoria, & ad vindictam ab amicis incitaretur, non acquieuit; non ignorans thronum regium clementia *d* roborari.

d *Prouerb.* 20.28.

IX. Bellum Ammoniticum, & ratio tēporis eius. e c.11.v. 12.

Interea ortum est bellum inter Ammonitas & Israelitas, quod nouo Regi & gloriam, & populi beneuolentiam conciliauit. Ortum autem dicitur, *quasi post mensem*, à solutis videlicet comitijs, vt placet Abulensi. Sed quomodo post mensem ab electo rege venit Naas, cum eius aduentus causa fuerit petendi regem, vt Samuel ipse testatur *e*? Respondent Interpretes aliqui, eum bis venisse contra Israëlitas, sed priorem expeditionem non fuisse expressam, in qua vexauit Israelitas, adeo vt ad regem petendum, qui pro ipsis bellum gereret, excitarentur. Quod autem nunc peculiariter Iabesitis immineat, & fœdus eorum & seruitutem, tributariam videlicet, respuat, sed oculos dextros ciuibus omnibus eruere velit, eosque cæteris omnibus Israelitis propinare deridendos, id videtur ad singularem aliquem Iabesitarum iniuriam, Ammonitis verbo, vel facto irrogatam, esse referendum; pro qua expianda hanc vltionem deposcat Naas.

Cur nominatim cõtra Iabesitas.

X. Qui obtentis indutijs adeunt Saulem.

Tam tristi denunciatione territi Iabesitæ indutias septem dierum petunt, *vt mittamus*, inquiunt, *nuncios ad vniuersos terminos Israel, & si non fuerit qui defendat nos, egrediemur ad te*, passuri quod libitum fuerit. Non sine causa miratur Abulensis nullam ab istis Regis fieri mentionem, quem tamen huius belli gerendi causa poposcerant. At dicendum videtur Iabesitas ad vnum Saulem per nuncios confugisse auxilij causa. Nam Septuag. habent venisse nuncios in Gabaa ad Saulem, textus Hebræus Latinusque habent venisse in Gabaa Saulis: cur illuc primùm, nisi ad petendum ab rege auxilium, & exillius arbitrio cæteros conuocandos? Non nominarunt autem apud Ammonitam nouum regem, siue vt eum facilius improuida securitate lactarent, qui persuasum haberet eum nullo esse numero; itaque sibi rem fore cum ouibus pastore destitutis: siue vt facilius septem dies impetrarent, qui necessarij erant ad percursandas omnes Israelitarũ tribus. Quod autem Naas non grauate cõcessit indutias, nimiæ fiduciæ, quod victoriam sibi exploratissimam putaret, tribuendum est.

Idq; probatur.

XI. Absente Saule ret in Gabaa vulgatur.

Cum ergo legati venissent in Gabaa ad Saulem, isque tum casu abesset ab oppido, non potuerunt interea vehementissimi doloris causam taciti retinere; itaque dum ille rediret, maiores natu, & magistratus diuersi adierunt, breuique tota vrbe vulgata, ploratuque res est, quia de imminente fractum suorum calamitate angebantur. Interim aduenit ex agro Saul, qui in ipso vrbis aditu audito clamore, ploratuque, quos primum habet obuios, vt sit interrogat, remque ab ipsis prius accepit, quam à nuncijs. Statimq; animo vehementer commotus est, hominem spiritu fortitudinis & zeli diuinitus inuadente, vt qui nosset hanc vltionem ad se pertinere *f*. *Et assumens vtrumque bouem concidit in frusta, misitque in omnes terminos Israel*; id est, primarias vrbes omnium tribuum, cum hac interminatione. *quicumque non exierit & secutus fuerit Saul & Samuel, sic fiet bobus eius*. Quæ pœna nec summa fuit, ne à principio seuerior videretur Saulis principatus: neque exigua, cum omnes fere opes huius populi gregibus armentisque constarent. Prudenter quoque fit mentio Samuelis, propter eximiam eius in populo autoritatem, vitæ sanctitate, & rerum gerendarum peritia comparatam.

Saul nouo modo Israelitas ad bellũ euocat. f 1. *Reg.* 11. 7.

Inuasit ergo timor Domini populum, & egressi sunt de suis quisque locis in conductum ad conueniendum locum, tanta facilitate ac promptitudine, quasi vir vnus tantum euocaretur, vna omnes mente atque sententia. Locus fuit Bezec ad ripam Iordanis, vt is quamprimum traijci posset. Eò congregata sunt intra sex dies de tribu Iuda 30. millia bellatorum, de cæteris autem trecenta millia. Pridie autem quam finirentur induciæ, remissi sunt nuncij ad suos, qui certum auxilium in posterum diem nunciarent. At illi læti hostem dissimulatione fallendũ putarunt. Præ se tulerunt enim desperata sibi auxilia, seque deditionem facere paratos, vt Ammonitæ nihil sibi metuentes otio torperent, & incauti ipso die sperate deditionis opprimerentur. Dum ergo vna ex parte deditio, præda, mutilatioque expectatur, ex altera auxilia, victoria, commutatioq; fortunæ Israelitæ nocte, quam minimo fieri potuit motu, Iordanem transeunt, tribubus quæ trans Iordanem erant, certo in loco expectare iussis.

XII. Cõueniunt ingẽtes copiæ ad conductum locum.

Hostis dissimulatione fallitur.

Albescente cœlo Saul copias omnes tripertito diuidit, vt tribus simul ex partibus nec opinantes Ammonitas inuadens, terrore, confusione, cædibus cuncta repleret: mediã ipse partem reseruauit sibi, cæteris ad dexteram & sinistram castrorum hostilium partem, simul in orbem oppugnandam, abire iussis: quod abundante multitudine facile fuit. Saul ergo *ingressus est media castra in vigilia matutina*, quãdo placidissimus somnus mortalibus blanditur: & priusquam satis expergiscerentur armaque turbidi conclamarent, punctim cæsimque conficiuntur, & qui alienos oculos effossuri erant, sua ipsi pectora perfodienda præbuerunt. Nec talus reperiebatur in fuga, quod in hostem vndique circumfusum incurrerent. Quin etiam eodem ipso tempore Iabesenos vrbe egressos, omnia hostium munimenta, præsidiaque perrupisse, in hostem non iam supplices, sed feroces furentesque irruisse, etiam tacente Scriptura facile intelligitur. Si qui autem fuga, latebris, pretio mortem redimebant, ita dispersi erant, vt ne duo quidem simul inuenirentur, nedum turmatim effugerent.

XIII. Eas Saul tripertito diuidit.

Et hostẽ vndique inuadit, & cædit.

XIV. Vastat Ammanitidem; Naastamen euasit.

At Saul, vt probabiliter tradit Iosephus, non contentus seruasse Iabesenos, in Ammanitarum regionem irruptione facta totam vastauit. Non tamẽ probabiliter putat regẽ Naas in hoc bello

cæsum

cæsum, Nam 2. Reg. 10. mittit Dauid Rex legatos ad filium eius Hanon, qui eum in recenti luctu de patris morte consolentur, quod supra 30. adhinc annis contigit. Tot ergo annis superstes fuit is, quem nunc mortuum Iosephus fabulatur. Hoste igitur Israelitarum non exso sed debellato, planeque domito, noui regis auspicijs, populus cui hæc victoria valde commendauerat Saulem, ait ad Samuelem, *Quis est iste qui dixit, Saul num regnabit super nos? date viros, & interficiemus eos.* Quasi dicant, proficeantur, si audent, nomen suum, & illico iniuriam, & contemptum Regis, superbiam suam, seditionemque morte luent. Ex quibus verbis intelligitur non magnam fuisse multitudinem istorum filiorum Belial. Quomodo enim exercitus maiorem partem populi ad mortem deposceret? At Saul non minore fortitudine qua hostem vicerat, vindictæ appetitum deuicit, iniuriam obliterauit omnem, & victori Deo condonauit, nec permisit lætitiam victoriæ, ciuili sanguine cruentari.

An. regni Dauid. 17

c. 11. v. 12.

XV. Regnum Sauli cõfirmatur in Galgalis. 1. *Reg.* 11. 14. 15.

Samuel autem occasionem bene animati in nouum regem populi, non est passus sine vtilitate perire, sed populum ad confirmandum cõmuni omnium suffragio Sauli regnum, factamque dudum electionem eius excitauit, priusquã à se inuicem disiungerentur. *Venite*, inquit, *& eamus in Galgala, & innouemus ibi regnum. Et perrexit omnis populus in Galgala, & fecerunt ibi regem Saul coram Domino in Galgala.* Apparet eò translatam ad hanc celebritatem, Arcam Domini, quod suadet illud, *& immolauerunt ibi victimas pacificas coram Domino.* Apparet iterata omnia, præter sortionem, vt arbitror, quæ in priore initiatione acta fuerant. Nam Iosephus, *ibi rursum*, inquit, *inspectante totâ multitudine propheta vnxit Saulem sacro oleo, atque iterum regem consalutari fecit.* Iteratis autem pacificis victimis, epulæ de more secutæ sunt, quas innuit Scriptor sacer, cum ait lætatum ibi Saulem, & vniuersos Israëlitas vehementer exhilaratos. Quæ autem sine epulis & ludis lætitia populatis?

Cum sacrificijs & epulis. *l. 6. Ant. c. 5.*

XVI. Samuel corã rege probat innocentiam suã.

Altera horum comitiorum causa fuisse videtur Samueli, quæ ipsum propius attingeret, vt testimonium abstinentiæ & integritatis suæ, coram rege, ab vniuerso populo acciperet; simulque eo exemplo Rex ipse doceretur abstinentiam, ne populo iustam præberet occasionem querelarum. Voluit quoque populum intelligere, quanta esset regis authoritas; cuius se ipse iudicio sponte submitteret, in ijs quæ ad reipub. administrationem pertinerent. Hæc autem fuit eius ad populum coram Rege oratio. *Ecce audiui vocem vestram, iuxta omnia, quæ locuti estis ad me*, valet hoc officium, ad conciliandam Prophetæ beneuolentiam, *& constitui super vos Regem*, vnctione iam tertio iterata. *Et nunc Rex graditur ante vos*, vt petieratis, & proximo bello experti estis. Id autem nunc percommodè accidit, nam *ego senui, & incanui*, vt vltra laboriosis operibus pro Repub. par esse nequeam. *Porro filij mei*, quos accusastis apud me nuper, *vobiscum sunt*, non subterfugiunt iudicium, rationem reddere possunt administrationis suæ, ætatem habent, ipsi pro se loquantur.

1. Reg. 12. 1.

XVII. Arguuntur mutatæ gubernationis ex parte Samuelis.

Et Dei.

Me autem num parati estis arguere; qui *conuersatus sum coram vobis ab adolescentia mea, vsque ad hunc diem*, potuit idem de pueritia, & infantia dicere. Prouocat ergo eos ad publice ipsum accusandum coram ipso Rege, qui nunc legitimus est totius populi Iudex: & nominatim crimina quædam exempli causa profert, vim, calumniã auaritiam. Cum autem illi publicè innocentia testimonium dedissent, transiuit ad reprehensionem eorum, ob immutatam Reipub. gubernationem, vt aguita culpa, veniam peterent & obtinerent. Cumque iam confessi essent nihil fuisse causæ ex parte Samuelis cur abdicarent eum, ostendit multo minus causæ fuisse ex parte Dei, cur illi nollent immediate subesse, à quo tot beneficijs antiquis atque recentibus affecti essent, quorum aliqua cursim recensentur; vt intelligatur potuisse Hebræos ab hostibus, sicut hactenus sine rege liberari.

XVIII. Samuel populum consolatur.

Verum quia iam culpa erat admissa, nec integrum erat populo priorem ad statum redire, consolatur eos Propheta, docens quomodo nihilominus Deum possint habere propitium, quẽ habuerãt suæ postulationi consentientem. Nõ vltro tamen ac sponte sua id voluit Dominus, ab ea quippe mente eos reuocare cupiebat, propositis ijs, quæ subditi à regibus pati solent, sed eorum postulatis denique acquieuit, ita vt Dominus ipsis potius obedierit, quam ipsi Domino. Nihilominus, *si timueritis*, inquit, *Dominum, & seruieritis ei*, nec asperum vobis, & ritatum factis vestris reddideritis, *eritis & vos, & rex qui imperat vobis, sequentes Dominum Deum vestrum.* Quasi dicat, ne existimetis vos, quia peccastis petendo regem, in eo retinendo in peccato semper fore: ideoque eum abijciendum esse, si velitis sequi Dominum. Nam si Deo seruieritis, & mandata eius custodieritis, poteritis cum rege vestro illi esse accepti. Sin contrà eum offenderitis, sentietis & vos & reges vestri vltricem eius manum.

XIX. Et prodigio edito peccasse ostendit.

Nec verbis contentus Samuel, prodigio diuinitus edito populum contra Deum peccasse docet. Itaque clamauit ad Dominum, magno nimirum affectu, aut etiam sono vocis, statimque contenebrati sunt cœli, & nubes cum fragore disrumpi cœperunt, imbresque violenti decurrere. Cum enim miraculo fierent, & in signum, oportuit etiã ordinarium modum mensuramq; superari. Quibus visis auditisque *timuit omnis populus nimis Dominum & Samuelem.* Dominum quidem, cui tonitrua, imbres & tempestates famularentur, Samuelem, qui illa tam facile impetraret: Dominum ne forte quæ erant in signum fierent in supplicium: Samuelem ne qui fuerat accusator, fieret etiam peccati vindex, qui tamen ita pertetrefactos confirmat, vt eum metum in detestationem vanitatis idolorum translatum velit, spondetque preces suas pro ipsis apud Dominum non defuturas, neque constantem suum, in ipsis recta docendis, laborem.

ANNVS MVNDI 2964.

SAMVEL. 25. SAVLIS 3. ACHIÆ Pont. 3.

DERCYLI 14. Imperij Assyrio. 1033.

ANTE CHRISTVM 1089.

I. Quales fuerint primi duo Saulis anni.

AGgredimur ad tertium Saulis annum, quorum priores duos inoffenso pede decurrit, adeo vt in ijs puerilem candorem & simplicitatem repræsentaret, nesciam ambitionis ac fraudis; odij, inuidiæ, auaritiæ insolentem. Id Scriptura verbis illis affirmat. *filius vnius anni erat Saul cum regnare cœpisset, duobus autem annis regnauit super Israel. Sic enim erat innocens*, ait Hieron. *quando regnare cœpit, sicut est filius vnius anni*, & in eadem innocentia, duobus regnasse annis dicitur. Quã expositionem amplectitur Gregorius magnus, Theodoretus, Rupertus, Petrus Damianus, Procopius, Abulensis, Lyranus, alijque passim recentiores. Duobus autem annis in illa simplicitate transactis, quibus satis habuit vitare electionis inuidiam, populum sibi conciliare clementia, & se aduersus obtrectationes filiorum Belial modestia propria, & Samuelis autoritate tueri, cœpit regio more se satellitio munire.

1. Reg. 13. 1.

II. Assumit sibi præsidium triũ millium.

Populi sumptibus alendum.

Cum ergo Saul circiter biennium regnasset, & haberet sibi fauentem populum, & in comitijs congregatum: nondum enim dimissum fuisse ex eo patet, quod post militum electionem, dicitur dimisisse populum in tabernacula sua, in eo conuentu de constituendo regi præsidio egisse videtur. Erat enim è dignitate regia, & publica vtilitate vt regni caput totum à subitis hostium incursionibus conseruaretur; neque tum demiq; ad arma conclamaretur, cum hostis iam in regni viscenibus grassaretur. Ergo Sauli, & Samueli, populoque vniuerso visum est, tria hominum millia in præsidijs habenda esse, quæ in omnem euentum, semper regi essent ad manum, & communibus populi sumptibus sustentarentur. Neque enim credendum est, aut istos in sola fere armorum tractatione occupatos suis vixisse aut militasse sumptibus. aut Saulem ijs tum fuisse opibus, quamuis Ammonitica forte spreda nonnihil auctum, vt tria militum millia, præter domesticam familiam, diu suis sumptibus alere posset. Itaque hoc quoque in his comitijs constitutum est, vt tributim aliquid à populo in eorum stipendia solueretur, vt is regum iura paulatim inciperet experiri.

III. Tripertito distribuuntur.

Electus est igitur flos ipse exercitus, quorum duo millia Saul in Machmis & in Bethel, mille autem commisit Ionathæ primogenito suo, in Gabaa Benjamin, vbi erat iamdudum statio Philisthinorum: reliquam totam multitudinem, quæ erat 327. millium dimisit in tabernacula sua; tunc & Samuel in Ramatha videtur remigrasse. Cum autem Ionathas ætate florens & gloriæ appetens, cum millenis suis militibus egregium aliquod moliretur opus, ne frustra videretur arma ferre, & omnibus animi ex Ammonitica victoria nõ mediocriter succreuissent, oblata occasione aliqua, in stationem Philisthinorum, quæ in eodem erat oppido, impetum fecerunt, eamque deleuerunt. Id scil. fuit pacem cum Philisthæis abrumpere, & iugum seruitutis prorsus excutere. Itaque præuidens Saul Philisthæos, re intellecta, statim ad arma conuolaturos, ipse anteuertens, illico populum suum ad arma conuocari iussit: isque hoc nuncio delecti præsidij, agnouit Philist. ab Israele cœpisse contemni, qui antea valde formidabantur.

Ionathas delet præsidium Philisthæorum.

IV. Saul abit in Galgala cũ paucis copijs. 1. Reg. 10. 8.

Philisthæorum copiæ.

Ecc. 46. 21.

Itaque populus confluxit ad Saulem in Galgala, qui eò descenderat, non vt iret obuiam Philisthæis, sic enim recedebat ab eis, sed vt Samuelis mandato obtemperaret, qui et, cum primum inunctus fuit, mandarat, vt in istiusmodi periculis veniret in Galgala, eò quoque se profecturum, vt sacrificijs placaretur Deus, ilque tuam patefaceret voluntatem. Philisthæi autem, isto Israelitarum facinore irritati, ingentes omnino copias aduersus eos contraxerunt, tam peditum, quam ex equis, curribusq; pugnantium. In his autem copijs non paucos Tyrios militasse, ex eo conijcere possumus, quod eos iam cum Philisthæis contra Hebræos pugnasse legimus apud Syracidem, cum hi in Masphath cum Samuele congregati essent. Ascenderunt autem in Machmas, vbi regem cum duobus millibus consedisse didicerant, vt eum comprehenderent; sed ille iam in Galgala descenderat, cum aliqua parte copiarum, ibi expectaturus Samuelem.

V. Israelitarum metus. c. 13. 19.

Israelitæ igitur cernentes se & numero longe pauciores, & prope inermes, gladijs certe lanceisque destitutos, vehementer animo consternati, partim trans Iordanem se in fugam dederunt, partim in speluncis, alijsque locis abdiderunt, quos ingeniosus timor latebris opportunos potuit inuenire, vt pars modica cum Saule remanserit. Cumque in horas cresceret timor milesque defluetet, imo septimus iam dies adesset, non apparebat Samuel. Nimirum Dominus de industria permittebat totum pene exercitum diffluere, sicut olim in expeditione Madianitica, vt sibi victoria tribueretur, neque populus de rege suo inficeteret, & tanto magis erubescerent Philisthæi, cum à paucis & inermibus victi profligatique essent; denique vt Saulis obedientia, patientiaque in re aspera probaretur. Quis enim explicet quantos animi æstus senserit Saul, dum hinc videret exercitum suum in singula prope momenta diffluentem, inde hostilem exercitũ, nemine obuio à quo sisteretur, impune toto regno volitantem. Hinc Samuelem, quasi de industria, in tantis rerum angustijs, moras in Ramatha trahentem, inde apud se Achiam pontificem cum Ephod adesse, qui ex officio holocausta, & & pacifica offerre posset, & Deum consulere, ob quæ præstanda tam diu Samuel expectaretur.

Dei in eo cõsilium.

Æstus animi Saulis.

VI. Saul non per se sacrificat.

Ergo sub vesperam diei septimi, *afferte mihi*, ait Saul, *holocaustum*, id est, hostiam holocausto consumendam, *& pacifica, & obtulit holocaustum*, non vtique per se, qui haberet apud se pontificem, vt ex sequenti capite patet, sed per ipsum, alioqui sacrilegij accusaretur à Samuele. Id tamen plerique censuerunt, partim ipsa Scripturæ phrasi, partim magnitudine pœnæ, quam mox propheta denunciat, persuasi. At contra sentiunt non solum recentiores interpretes, sed plerique antiquorum patrum, in quibus S. Ignatius, Hieronymus, Theodoretus, Procopius, Gregorius magnus, cuius est hæc oratio. *Trementis cordis considerandum est quã breuissimi temporis expectatione neglecta repulsus sit. Si enim solo breuissimi temporis interuallo expectasset, quo obtulit sacrificium, secuti in tam regni sui robur obtinere potuisset.* Et infra. *Ecce septem diebus Prophetam sustinuit. sed dum præstolari cum in fine diei desijt, gloriam tantæ dignitatis amisit.* Sic ipse.

Cur à Deo repudiatur.

Grauitas

Grauitas autem culpæ, non ex nostro iudicio, sed ex diuino æstimanda est, cui visum est gratuiti doni priuationem, tali in donatorem inobedientiæ respondere.

VII. Saul occurrit Samueli & cur.

Cum ergo Saul complesset offerens holocaustum, ecce Samuel veniebat, & egressus est Saul obuiam ei, vt salutaret eum: honorabat enim insigni sanctitate atq; autoritate virum, à quo secundum Deum regiam dignitatem accepisset. Nunc autē verebatur ne ille succenseret, propter occupata ante aduentum suum sacrificia, ideoq; hoc ipsum obsequio placare studuit. Sed priusquam vlla inter se verba commutarent, siue diuina reuelatione, siue humana relatione Samuel didicit quod factum fuerat: ideoque non tam sciendi, quam obiurgandi causa, dixit, *quid fecisti?* quare sacrificando anteuertisti aduentum meum? Saul autem animaduertens rem illi iam cognitam, excusat necessitatem, qua omnia iura legesque soluuntur. At Samuel *Stultè*, inquit, *egisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui.* Volebat iam tum Dominus valere illud. *Qui vos audit, & me audit.* Stulte autem egit, qui prudentia humana duntaxat res metitus, diuina consilia, in suam vtilitatē disposita, improuisò peruertit, & paucularum horarū spatio, fructum patientiæ multorum dierū abiecit, ac perdidit: atq; adeo exigui temporis impatiētia, regia dignitate le posteritatemq; priuauit.

Ab eoq; obiurgatur.

VIII. Cur stulte egisse dicatur.

Stulte egit, qui non cogitauit diuinam prouidentiam hoc negotium belli, Regnique sui moderari ad suam gloriam, regis & populi vtilitatem, hostium dedecus & calamitatem. Credibile enim est Deum egregium aliquod facinus animo destinasse, si Saul cæca obedientia sibi imperare potuisset, *præparasset* certe *regnum eius super Israel in sempiternum*, vt ait Samuel, id est in tempus valde diuturnum, sic enim sæpe vox illa in Scriptura sumitur; præuisa vero culpa Saulis, exiguis illud finibus circunscripsit, & illi Dauidem, eiusque familiam substituit. Non ait Propheta Saulis regnum illico ipsi periturum, regiam enim dignitatem ad mortem vsque retinuit, eumque Dauid pro legitimo rege semper habuit, sed significat regnum eius non late in posterum propagatum iri, neque magna incrementa capturum, qualia in Dauide & Salomone contigēre. Addit tamen quæsisse Dominum sibi virum iuxta cor suum in ducem ac principem populi sui.

Nihilominus Rex perseuerat.

6.13. 14.

IX. Vsque ad posteriorem culpam Amalecitanam.

Abdicationis autem istius, & commutationis causam Propheta subiecit, *eò quod non seruauerit quæ præcepit Dominus.* Non fuit tamen prima hæc culpa causa integra & adæquata reiecti à Domino Saulis. Sed alia mox culpa ab eodem commissa est, quæ Deum quodammodo ancipitem in condemnationem Saulis, atque alternantem, in eius abdicationem penitus impulit: quæ videtur S. Greg. in hunc locum sententia. *Rex Saul*, inquit, *non multo post demoliri Amalecitas præcipitur, vt si mandatum Domini eiusdem gentis cade perficeret, prioris inobedientiæ nexus enodaret.* Quin etiam Dominus, post priorem hanc culpam, Saulem pro rege habuit, cum ad eum Samuelem misit, qui bellum ei Amalecitanum iniungeret, cui frustra Samuel dati regni beneficium commemoraret, si eo iam priuatus esset. Voluit itaque Dominus indulgenter agere cum Saule, neque primam ob culpam eum exterminare, sed expectare vt malefacta benefactis obrueret. Verum ille semel ex recta egressus orbita, multo etiam longius aberrauit.

Post priorē autem Deus eū pro rege habuit.

Tam tristi nuncio non potuit nouus rex non ingemiscere, qui ad metas curriculi sui se peruenisse sentirem, cum vixdum è carceribus exiuisset. Forte tamen commoti senis obiurgationem duntaxat existimauit; & comminationem potius patris, quam vaticinium prophetæ. Nihilominus *surrexit Samuel*, ait Scriptura, *& ascendit de Galgalis in Gabaa Beniamin*, & quidem non solus, quasi Regi factus inimicior, sed cum Saule, & illa sexcentorum virorum manu, qui cum eo remanserant, eorum vt animos confirmaret, qui sciebant eum habere in manu fulmina, atque tonitrua, quoties illi Deum in eam rem orare libuisset: & ipse vice versa humano eorum præsidio vteretur. Idque peropportunè accidit; habuerunt enim obuios Philisthæos, quibuscum pugnatum esse feliciter, illa verba significant. *Et reliqui populi ascenderunt post Saul obuiam populo. qui expugnabant eos, venientes de Galgalis in Gabaa in colle Beniamin.* Ibique subsiterunt tanquam in loco natura & arte munito, tam Philisthæorum studio, qui diu ibi in præsidio steterant, quam recenti Ionathæ industria, qui eos inde nuper eiecerat. Ibi autem non solum esse in turo, sed mutuis etiam excursionibus Philisthæos fatigare potuerunt.

X. Saul trilitis abit cum Samuele in Galgala.

Cū paucis.

1. Reg. 13. 15.

Cæterum mirum est illud quod Scriptura subdit de fabrorum penuria in Israele vniuerso, & de non inuento gladio vel lancea in manu totius populi, præterquam Saulis & Ionathæ: cum tamen legamus factam manum Domini super Philisthæos cunctis diebus Samuelis, coactosque reddere vrbes quas ante abstulerant Israelitis. Respondeo videri antiquiorem istam seruitutem, & ad tempora Samsonis, aut Heli pertinere, idque modus ipse loquendi Scripturæ, si attendas, non obscure significat. Sed mirabilior est ista gladiorum paucitas, præsertim cum præcedenti anno superatis Ammonitis magna vis armorum acquisita sit à militibus. Ideoque dicendum cum Tostato, Scripturam non loqui de vniuersis Israelitis, sed de illis tantum sexcentis viris, qui cum Saule remanserant, vt ex ipso textu liquet. At mirum etiam est diuina prouidentia factum vt abeuntibus armatis, soli inermes cum Saule remanserint, à quibus ingentes Philisthæorum copiæ, sicut nuper in Masphath, profligarentur. Deinde vt gladijs carerent ac lanceis, non carebant missilibus, si res eminus ageretur: aut si cominus, stipitibus duris, fudibusque præustis.

XI. Mira fabrorum & gladiorum paucitas. 1. Reg. 13. 19.

Interea Philisthæi, qui confederant ad Machmas, vlterius progressi sunt inter Machmas, & Gabaa Beniamin, vt significant duo illi scopuli, de quibus mox dicetur. Forte quia didicerant regem ingressum in Gabaa, vltra Machmas. Ionathas autem regis primogenitus, cui & sua dignitas, & ætas, & conscia virtus, & seruitutis metus, & quod caput est, singularis Numinis afflatus animos faciebant, vndique circunspiciebat opportunitatem nobilis cuiuspiam facinoris. Itaque animaduerso in castris hostilibus loco, aditus propter saxa prærupta difficillimi, sed hanc ipsam ob causam minus suspecti, minusque custoditi, illac ad Philisthæos penetrare statuit, & Deo bene propitio, gloriosam aliquam hosti cladem inferre. Rem non ad pa-

XII. Philisthæi vlterius progrediuntur in tetram Israel.

tiem defert, aut militare concilium, quos credebat tam audax, tamque periculosum facinus minime probaturos; impedituros potius, ac totum negotium disturbaturos; quia id erat aureo hamo pilcari; sed ad adolescentem armigerum suum, factum fictumque ad principis sui mores atque voluntatem; quem vt inuenit consentientem aggressus est facinus, quod nisi diuinus afflatus regat, iure plenum temeritatis censeatur, vt in Annalibus diligenter explicatum est. Ionathæ tamen omen omittendum non videtur.

num. 49. & seqq. Ex afflatu diuino.

XIII. Num omé quæsierit. *ca. 14. 8.*

Ionathas igitur ex hostium verbis, captare volens diuinæ voluntatis indicium, *Ecce*, inquit, *nos transimus ad viros istos, cumque apparuerimus eis, si taliter locuti fuerint ad nos, manete, donec veniamus ad vos, stemus in loco nostro, nec ascendamus ad eos. Sin autem dixerint, ascendite ad nos, ascendamus, quia tradidit eos Dominus in manibus nostris.* Sciebat Ionathas Deum etiam linguas hominum, imo & somnia pro arbitrio moderari posse. Ergo cum non plane ipsi circa hoc negotium de diuina voluntate constaret, petijt à Deo sibi aliquo signo declarati eius voluntatem; qui illico inspirauit vt ad verba hostis attenderet, & faceret quod illi monerent: hoc enim fore illi signum & missionis suæ, & victoriæ consequendæ. Deus autem excubitoribus ea verba suggessit, quæ illi Ionathæ, & armigero eius dicturi erant. Itaque verba illa non fuerunt Ionathæ omen futuræ victoriæ, sed signum diuinæ voluntatis de inchoanda per ipsos victoria.

XIV. Apparet Philisthæos. *1. Reg. 13. 6. lib. 6. Ant. c. 7.*

Cum ergo vterque apparuisset præsidio Philisthinorum, *En*, inquiunt isti, *Hebræi egrediuntur de cauernis in quibus absconditi fuerant.* Apparuerunt autem sub auroram, vt ait Iosephus, cum consilium nocte intempesta captum esset. Sicque opinionem hosti dabant, Hebræos per noctem conuenisse, eosque pone sequi antesignanos istos. Oportuit certe hæc summo mane contigisse, vt Israelitæ, re à Ionatha iam bene cœpta, ieiuni persequerentur hostem, & sub vesperam, præinopia cibi, deficere desererentur. Sed addit etiam valde probabiliter Iosephus, eos recessisse à loco in quo fuerant conspecti, & ex alio loco perreptando ascendisse. Si enim ex eo loco in quo fuerant conspecti, ascensum moliti fuissent, facile in ipso perreptandi labore, hastis & contis in præceps fuissent deturbabati. Ergo dum aliunde ascendunt, euaserunt ad hostem, qui forte putabant Israelitas, dum se deprehensos vidissent, ab inceptis desitisse, ad suosque irrito consilio reuertisse.

Tempus ascensus Ionathæ, & locus.

XV. Inuadit hostē attonitum, & cædis initium facit.

Ascensus difficultate superata, nihil moratus Ionathas aut armiger eius, Philisthæos vigiles, ad inopinatum Hebræorum aspectum obstupefactos, inuadunt, ac cædunt: tum proximos quosque forte semisomnes ad 20. interficiunt, accedente pauore de aliorum Hebræorum sequentium opinato aduentu. Deinceps autem totis in castris prodigiosa strages consecuta est, dum suos ab alienis non discernunt, adeo vt terror ad tres illos prædonum cuneos supra memoratos pertineret, & se mutua cæde conficerent, ipsi quoque. Accessit ad conturbationem maiorem, terræ motus, qui in Hebræo Latinoque textu, & Chaldæa paraphrasi habetur, vt Philisthæi sentirent, armatum quodammodo in se terrenum elementum, quod ingenti aliquo hiatu, quasi aperto ore hostem populi Dei se absorpturum minaretur. Sed hæc plaga Philisthæorum, aduentu Saulis, & subditorum eius multo luculentior facta est.

Ipsi se hostes perimunt.

XVI. Rem cognoscit Saul.

Cum enim speculatores Saulis, qui erant in Gabaa, vidissent multitudinem, partim prostratam, partim huc illucque diffugientem, tam imponendorum quam vitandorum vulnerum cauta, rem ad Regem deferunt, qui de suo populo sollicitus, ignorans Philisthæos cædibus contra se mutuis lætum, quærit qui absint, & inussi in hostem irruentes, hunc tumultum excitarint. Et repertum est abesse Ionatham cum armigero suo. Nam Ionathas in diuersa vibis parte eam tutabatur. Eo nuncio commotior, iubet Dominum ab Achia pontifice, qui ibi tum aderat cum Arca Domini, consuli, quid Ionathæ ac Philisthæis factum esset, sed cum tumultus incresceret, nec promptum à Domino responsum daretur, *Contrahe*, inquit, *manum tuam*, id est, desine precari, protenus enim manibus orabat. Timebat enim Ionathæ, cui quamprimum succurrere cupiebat. Ergo classicum tota vibe, vicinaque regione conclamari iubet, vt omnes repente ad arma, nouo feruore concepto, concurrerent, & patieti tam inclinato incumbentes, maiore illum ruina prosternerent.

Consulit Dominū, & arma conclamat.

XVII. Augetur copijs vndique.

Illico itaque augetur copijs Saul. Nam præter sexcentos suos, & millenos Ionathæ, concurrerunt ad eos, non solum transfugæ, si qui fuerant, qui eam culpam in Philisthæorum capitibus eluere cupiebant, sed ij quoque qui apud Philisthæos habitabant ab aliquo tempore; maxime autem qui ex timore aufugerant, latebrasque petierant, sociauerunt se cum suis in prælio, & increscente vndique multitudine, quam pudor nunc ad officium, serum licet, extimulabat, factum est, vt quamprimum essent cum Saule quasi decem millia virorum. *Et saluauit Dominus in die illa Israel.* Vtique Dominus, qui Ionathæ animos ac mentem dedit ad inchoandam tantam victoriam, hosti pauore vires ac mentem eripuit, & cognatas inter turmas manipulosque commisit; cuius benignitate fugatus ex Israelitarum pectoribus pauor, desertæ latebræ, repetitus campus, erectus ad pugnam animus vtesque restituræ, vt fugientes Philisthæos ignominiosis vulneribus sternerent.

XVIII. Fugientibus instat, indicto ad vesperā vsq; ieiunio.

Prædictis porro copijs instructus Saul victoria vtendum ratus, suos omnes hosti fugienti instare iubet, omni mora, etiam sumendi cibi causa, interdicta, sed indicto ad vesperam vsque plenamque victoriam ieiunio: quod præceptum grauissima maledictionis pœna interposita sanciuit. Nec tamé prohuibit potū, quia sitis minus tolerabilis est quam fames, & minimam affert festinantibus moram. Cæterum hoc siue præceptum, siue iusiurandum, plerique Patres imprudentiæ ac temeritatis accusant, in quibus S. Chrysost. Theodoretus, Procopius. Iosephus quoque, atque adeo ipsi Sept. qui illum magna ignorantia peccasse tradunt: quibus subscribit Lyranus. Probabilius tamen Abulensis, cui subscribunt Caietan. atque Serarius, volunt præceptum hoc iustum fuisse atque legitimum, siue eius spectemus autorem legitima potestate præditum, siue eius obiectum minime violentum, imo facile hominibus milita-

Ad rectè.

ribus,

tibus, laboribus, vitæque durissimæ assuetis, puta diei vnius abstinentiam, ritu toti populo in ieiunijs frequentato: siue denique intentionem ac finem, qui in magnam Dei gloriam, populique vtilitatem redundabat. Ac ne pœna quidem execrationis, aut mortis iniusta est in eos, quorum culpa de tot nocentibus supplicium non sumatur. Interim enim dum miles cibum parat ac sumit, hosti tempus euadendi præbet, & morti eripit eos, à quibus Dei populus graui mox seruitute opprimatur.

Sacrificia gratiarũ actionis.

XIX. An recte filium reũ occidere voluerit.

Quod autem Saul Ionatham filium regni hæredem, ob violatam legem occidere voluerit, merito Abulensis maxime laudi tribuendum putat, nedum illum propterea reum designati parricidij fieri patiatur. Certe si Ionathæ excutiamus innocentiam in hoc negotio, eam non plane illibatam reperiemus. Nam & diuina sors eum culpabilem ostendit, & Dei non respondentis silentium, & totius populi abstinentis exemplum, & publica filij de patris lege, coram populo obmurmuratio; cum eius esset in primis patris obtemperare mandatum, & illud populo verbis exemplóque commendare. Eaque mens fuit S. Chrysostomi, Tertulliani, Ambrosij, Gregorij magni atque Iosephi, vt in Annalibus ostendimus. Et quamuis Ionatham fateremur innocentem, posito tamen eum non temere iudicatum à parente culpabilem, nullum peccatum fuit iusiurandum de eo puniendo edere: & contra maximus omnino ac laudatissimus in Saule iustitiæ zelus, qui naturalem in talem filium amorem vicit, eumque quantum in se fuit, morte mulctauit. *Videte*, inquit Ambrosius, *quanta apud Saulem regem fuerit religionis obseruantia, qui offensum Deum optauit etiam parricidio mitigare*: sed alios quoque Patres superioribus licet opponere, quos breuitatis causa hîc prætermimus.

Super altare coră Arca.

l. 6 Ant. c. 7.

Serm. 6. de Quadr.

XX. Vespere cessatur ab hoste persequendo.

Inclinante in vesperam die, & Israelitis præ labore pugnæ, citatique itineris vehementer defatigatis, *percusserant enim in illa die Philistæos à Machmas vsque ad Ayalon*, quod iter octo horarum esse vult Adrichom. & præ inedia, & lucis inopia deficientibus, à pugna & persequendis hostibus cessatum est; statimque versus est miles ad prædam, Philistæorum prædonibus ereptam; nondum enim peruenerant in Philistæam, à qua longe aberat Ayalon, vbi subsiterant. Tulerunt ergo oues & boues, & vitulos, & mactauerunt in terra, non permittentes præ festinatione, & cibi desiderio, vt appensis carnibus sanguis in terram defluereț, sed statim membra in frusta discerpta igni torrebant, sicque cum sanguine comedebant, legemque violabant. Quod vt accepit Saul, prouidit vt mactatis supra grandiora saxa victimis, sanguis stillaret in terram, neque in artubus ipsis concresceret. Neque id peccatum peculiari animaduersione punitum est. Dominus quippe vsus est indulgentia erga populum labore fractum, nec satis ad ea quæ ageret, præ festinatione attendentem. Nec eadem fuit ratio Ionathæ, qui ita ex ignorantia peccarat, vt mox agnitum peccatum excusaret; & vicissim Legislatorem patrem accusaret. Ideoque nihil mirum si mox in sortibus solus Ionathas deprehensus esset reus.

cibus illegitime paratur.

Dissimulante Domino.

XXI. Ædificauit autem Saul altare Domino ad

crificeandum in gratiarum actionem pro adepta victoria, & quidem in loco ad quem vsque populum fuerat persecutus: imitatus lapidem adiutorij Samuelis, & altare Moysi, obtenta de Amalecitis victoria. Postquam autem exempta fames epulis, desiderium persequendi Philistæos, ratus eos forte aliquem in locum ex fuga confluxisse, sicut olim Madianitas Gedeone persequente, & loco per exploratores cognito, facile opprimi posse. Quod cum populus victoria præsenti, epulisque factus animosior probaret, *Accedamus*, inquit Pontifex, *huc ad Deum*. Nimirum Sacerdotes & Leuitæ cum Arca Domini magnis itineribus secuti fuerant regem, eundemque sub vesperam consecuti. Et apparet prædictum altare iussu Regis coram Arca fuisse excitatum, & ab eisdem Sacerdotibus sacrificatum. Consentit Rex monitioni Pontificis: ne forte Deus vellet eos præsenti victoria, quam Iosephus sexaginta millibus interfectorum definit, esse contentus: eumque iubet Dominum in hæc verba consulere. *Num persequar Philistæum? si trades eos in manus Israel?*

XXII. Deus cõsultus tacet.

At Deus non dubio iræ vel offensionis signo, nihil respondet. Qua re vehementer commotus Saul, causam iubet inquiri, paratus Deo, quantouis cum damno suo, satisfacere: populum vniuersum congregat, sortitionem instituit, vt Domino tacente sortitio prodat reum. Quam fuerit autem cordi Sauli hæc indagatio, & admissi peccari punitio, docet illa eius vox: *Viuit Dominus Saluator Israel*, qui scilicet nos hodie liberauit à Philistæis, *quia si per Ionatham filium meum factum est, absque retractatione morietur*; nedum quisquam alius mortalium impune id peccatum ferat. Negari non potest ingentem fuisse hunc zelum, sed fatendum quoque est hoc iusiurandum inconsultum fuisse ac præceps. Siue quia potuit Dominus non dare responsum nullo intercedente peccato, & potuit peccatum nequaquam tanto dignum supplicio intercedere, siue quia cadere potuit in personam, cui culpa huiusmodi condonanda esset; siue quia præter omnem iuris ordinem, ante examen & interrogationem, damnationis sententiam protulit; siue quia tam atroces minæ iureiurando firmatæ valebant non ad patefaciendum, sed ad occultandum reum.

Zelus Saulis inconsultus.

XXIII. Rex sortitionem instituit.

Quod autem dicitur nullum ei contradixisse de omni populo, non fuit ea taciturnitas approbantium, sed alto silentio trepidantium, sibique timentium. At rex silentium exercitus eius consensum interpretatus, sortitionem instituit, rem vtique ancipitem, vt quæ innocentem æque ac reum prodere posset, nisi Deus sortitionem iubeat, dirigatque sortes, quod hic apparet contigisse, cum nusquam eam ob causam reprehensus inueniatur. Orat ergo Saul Dominum vt in sortiendo det testimonium aut noxæ, aut innocentiæ & sanctitatis. Quid multa, educuntur sortes, & Ionathas indicatur reus. Cui Saul, Indica mihi quid feceris. Et indicauit ei, dicens, *Gustans gustaui in summitate virgæ, quæ erat in manu mea paululum mellis, & ecce morior.* Verba sunt lamentantis sortem suam, & de sententiæ, cum culpæ tenuitate comparatæ, aut iniustitia, aut acerbi-

Deprehenditur Ionathas.

tate conquerentis. Cui pater. *Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, quia morte morieris Ionatha.* Septuag. addunt *hodie.* Cõfirmat prius iusiurandum, quo se obstrictum putabat. Itaque in opere ipso, intentione bona conscientiam errantem secutus, laudabilis fuit.

XIV. Ab exercitu liberatur. 1. Reg. 14. 45.

Hic populus, qui iam ægre ferebat sortes missas super regem ipsum, eiusque primogenitum, Sauli aperte restitit, instigante fortasse Pontifice, & iusiurandum irritum profitente. *Ergone,* inquit, *morietur Ionathas, qui fecit salutem hanc magnam in Israel?* Ipse enim principium fuerat & origo victoriæ; & eum cui eximia laus, & ingentia præmia debeantur, morte affici pro leuissimo delicto, eoque per ignorantiam admisso, iniustissimum putant. Itaque addunt, *hoc nefas est, viuit Dominus, si ceciderit capillus de capite eius in terram, quia cum Deo operatus est hodie.* Si quid ab eo peccatum est, singulari eius in populum vniuersum beneficio obruatur. Vides vt iusiurandum iureiurando opponant, & quidem mortifero salutare. Cum ergo vis parata videretur, cessit Saul non inuitus, eaque vi se religione solutum videtur interpretatus. *Liberauit ergo populus Ionatham, vt non moreretur.*

XV. Ad sua hostes redeunt.

Recessit igitur Saul versus Gabaa vbi habitabat, nec persecutus est Philistæos, veritus ne Dominus, qui in proximo silentio signum dederat offensionis, victoriam victis daret, victoribus eriperet. Minorque fuisset culpa non consulto Deo hostem persequi, vt rex ante instituerat, quam Dei consilium ominosum silentium negligere. Porro Philistæi, obtecti tenebrarum amictu, abierunt in loca sua, non voluntate nocendi, sed facultate tunc quidem spoliari, dum vbi paululum respirassent, bellum infestissimum inimicissimè redintegrarent.

ANNVS MVNDI 2965.

SAMVELIS 26.

SAVLIS & ACHIÆ Pont. 4.

DERCYLI 15. Imperij Assyriorum 1034.

ANTE CHRISTVM 1088.

I. Scripturæ res Saulis ex ordine habet.

QVæ hoc & sequentibus aliquot annis in Hebræorum Repub. Saulis auspicijs gesta sunt perpaucis Scriptura complexa est: quæ tamen potius excitent, quam sciendi expleant appetitum. Hæc enim dumtaxat sacris commendata sunt monimentis. *Et Saul confirmato regno super Israel, pugnabat per circuitum aduersus omnes inimicos eius, contra Moab, & filios Ammon, & Edom, & reges Soba, & quocunque se verterat superabat. Congregatoque exercitu percussit Amalec, & eruit Israel de manu vastorum eius.* Quæ verba magnam vtique rerum syluam indicant, non aperiunt. Vt plane appareat, si quis attendat, Scripturam res Saulis non nisi propter Dauidem explicare, & quæ Dauidem non attingunt leui brachio percurrere. Itaque quoniam bellum Amalecitanum ad abdicationem Saulis, & electionem Dauidis pertinebat, hic obiter cum reliquis propositum, resumitur postea fusius explicandum. Quæ autem deinde sequentur in hoc libro primo, Dauidis potius gesta sunt quam Saulis.

1. Reg. 14. 47.

Eaque propter Dauidem narrat.

Accepta igitur Saul administratione regni, eaque per cladem Ammonitarum & Philistæorum probe confirmata per vicinos populos, & quidem, vt credere par est, prouocatus, victricia signa circumtulit. Primum autem bellum quod hic à Samuele memoratur, est contra regem Moabitarum, contra quos quamdiu, aut qua occasione pugnarit, incertum est. Feliciter tamen pugnasse Scriptura & Iosephus dubitare non sinunt. Bellum autem contra Ammonitas, quod in hoc catalogo secundo loco memoratur, dubium est an idem cum superiore sit, an potius diuersum. Nam illud nondum confirmato regno contigit, hoc autem non item. Et facile fuit Ammonitis regno ab hoste victore non deuastato, exercitum instaurare, & nouas Israelitis, non impune afferre molestias. Tertium bellum contra Idumæos à Saule gestum est, qui erant à meridie Israelitis, vt illi ab oriente. Idumæi porro hostili semper animo contra Israelitas fuerunt: Quæ tamen peculiares inimicitiæ Saulem inter & Idumæos exstiterint, proditum non est. Eos tamen bello à Saule compressos hinc apparet, donec postea à Dauide perdomiti sunt. Nam eorum regionem occupare Israelitæ diuinitus prohibiti fuerant, non item armis eorum iniurias propulsare. Non obstantibus autem peruetiquis inter vtrumque populum inimicitijs, nullum adhuc inter eos bellum conflatum reperio.

II. 1. Bellum Saulis cõtra Moabitas.

cap. 11.

2. Contra Ammonitas.

3. Contra Idumæos

Quartum bellum gestum est à Saule contra reges Soba, quæ erat regia vrbs Syriæ, ex qua Syria Soba, vel Sobal dicta est, ad differentiam Syriæ Damasci. Vtraque sita fuit ad Septentrionem Chananitis. Contra hos reges hoc primum loco à Saule, tum sæpius à Dauide pugnatum est. Quod autem hic numero multitudinis reges Soba nominentur, dubitationem ingerit, an successiuè contra Reges in Soba regnantes, an simul contra plures Reges inter se fœderatos pugnatum sit. Prius magis placet, quia confœderati reguli, non reges Soba, sed Syriæ dicerentur: fuisse autem potentes reges Soba ex eo patet, quod serui Adarezer regis Soba arma aurea dicuntur habuisse.

III. 4. Contra reges Soba.

2. Reg. 8.

Quintum refertur bellum contra Philisthæos, quod maximum, & quodammodo perpetuum fuit, qui Israelitis ab occidente semper infesti fuerunt: & quamuis à Ionatha & Saule recens magna clade affecti fuissent, non multo post tamen ad ingenium redierunt. Integra quippe atque intacta remanserat eorum regio, Israelitis victoribus ad ipsa ferarum latibula non peruadentibus, sed ad proprios lares, propter diuinum silentium, remeantibus. Non videtur autem hic bellum gestum intelligi contra Philisthæos, aliud ab eo quod proximo anno explicatum est. Idque satis confirmatur ex eo, quod extremo capite 14. scriptum est, fuisse bellum potens aduersus Philisthæos omnibus diebus Saulis: quasi cætera bella leuiora essent, ac minoris momenti; ideoque Saulem virorum fortium copiam perpetuo apud se habere studuisse. Sextum denique bellum contra Amalecitas gestum est, quod capite 15. fusius exponitur.

IV. 5. Contra Philistæos.

c. 14. 52.

6. Contra Amalecitas.

Ad hæc circiter tempora, quibus Saul feli-

V.

citer

Bellũ Rubenitarũ contra Agarenos.

citer contra circumpositos pugnabat hostes, videtur referenda historia debellatorum Agarænorum, quam constat diebus Saulis contigisse. Etsi enim incertus est annus, quo Rubenitæ, cæterique Israelitæ, qui trans Iordanem habitabant, hoc bellum confecerint, expeditionem tamen, quam Dominus peculiari fauore prosecutus sit, illi tempori merito possumus assignare, quo idé Dominus Saulem nondum à se abdicarat, sed cum eo populum eius singulariter protegebat, eisque alias ex alijs victorias concedebat.

l. 1. Paral. c. 5. v. 10. 18. & seq.

Quę causa illius.

Exarsit itaque bellum inter Rubenitas, & Agaræos & vtrorumq; socios, trans Iordanem ad Orientem habitantes. Id bellum quia iustum fuit ex parte Israelitarum, vt mox dicetur, oportet eos à vicinis istis Agarenis aliqua ratione violatos. Cum enim ex rapto fere viuerent, facile est intelligere eos in Rubenitarum sortem impetum fecisse, prædasque abegisse, aut aliquam regionis ipsorum partem sibi vindicasse, aliave simili ratione iniuriam fecisse: Israelitas autem, armis, cum aliter apud barbaros, prædonesque non liceret, non solum rem suam recuperasse, sed alienam etiam sui iuris fecisse, hostibus male mulctatis, atq; adeo pene internecione deletis.

VI. Iustum fuisse.

Iustitiæ porro belli huius, Scriptura ipsa non leues suggerit coniecturas, siue cum ait Rubenitas cum locijs inuocasse Dominum cũ præliarentur, eumque habuisse adiutorem: Deus autem odit iniquitatem, nec fauet iniustitiæ, nec illi ab eo sperarent auxilium aut peterent, si in bello iniusto militare se crederent; siue cum hoc bellum vocat *bellum Domini*, quod scilicet manibus seruorum ipse confecerit, & quibus ipsemet victoriam dederit, vt qui perexiguis Israelitarum copijs, ingentem Agarenorum multitudinem subiecerit. Bellum autem iniustum nemo Bellum Domini sine eius iniuria appellare possit. Sed & bellum Domini fuit, in quo suos ipse vltus est inimicos. & ditauit populum suum, qualia pleraque bella in Scriptura memorantur, quæ belli huius euenta sic explicat.

Vide Ann. n. 14.

VII. Victoria Israelitarum, & præda ingens.

Præliati sunt contra Agaræos, & interfecerunt illos; & mox, *traditique sunt in manus eorum Agarei, & vniuersi qui fuerant cum eis, quia Deum inuocauerunt cum præliarentur, & exaudiuit eos, eo quod credidissent in eũ*; nec manus fuit oratio, neque fiducia, *Cœperunt enim omnia, quæ illi possederant, camelorũ 50. millia, & ouium ducenta & quinquaginta millia, & asinos duo millia, & animas hominũ centum millia*, cũ tamen Israelitarum esset tantum 44. millia, & 760. Sed in illis cẽtum millibus maxima pars fuit imbellis multitudinis; nam bellatores fere in acie ceciderant, subdit enim, *vulnerati autem multi corruerunt, fuit enim bellum Domini*: in quo scilicet pro suis, vt sæpe alias, Dominus ipse pugnabat, *habitauerunt que pro eis*, non in eorum oppidis, sed tabernaculis; id est, in locis in quibus ipsi subinde figebant tabernacula, prout loca, aut læta pascuis, aut prædæ opportuna videbantur. Posse derunt autem ea loca *vsque ad transmigrationem* suam: cum Theglath-Phalasar rex Assyriorum, regnante Phacee, abduxit eos in captiuitatem, post trecentos ferme ac 25. annos.

ANNVS MVNDI 2968.

SAMVELIS 29.

SAVLIS & ACHIÆ Pont. 7.

DERCYLI 18. Imperij Assyrior. 1037.

ANTE CHRISTVM 1085.

I. Summa rerũ anni huius.

BElla proxime à Scriptura memorata tres circiter Saulis annos occupasse, non temere opinor conijcimus. Cum potentibus enim aduersarijs bella non tam cito præparantur aut terminantur. Habebit autẽ hic annus, qui est Sabbaticus 55. suscepti ab Israelitis diuino iussu bellum contra Amalecitas, idemque totius populi eius interuersione terminatum; Bellum non deuictis solum Amalecitis luctuosum, sed ipsi quoque victori Sauli, & toti eius familiæ funestum. in eo quippe contracta est macula, quæ nullis Prophetę lachrymis deleri potuit, sed multis deinceps criminibus eiusdem Saulis amplificata, ac deformata est. Hoc bellum sicut in prædicto catalogo postremo loco ponitur, ita post illa gestum videtur; consentaneè antiquæ illi iussioni. *Cum Dominus Deus tuus dederit tibi requiem, & subiecerit cuncta per circuitum nationes in terra, quam tibi pollicitus est, delebis nomen eius sub cælo.*

Deut. 25. 19.

II. Bellũ Amalecitanũ Sauli diuinitus demandatur.

Ergo belli author Deus, denunciator, & quasi fecialis Samuel Propheta, Saul administrator eligitur, cuius fuit populi totius iniurias persequi, qui totius populi iniurijs affecti caput fuit. Ad eum mittitur Samuel, qui Dei nomine regi præcipiat, vt funditus exterminet Amalecitas. In qua denunciatione acceptæ à Deo regiæ dignitatis Sauli memoria refricatur, vt intelligat præsentem gloriam fideli erga Deũ obedientia esse conseruandam, simulque tacitè moneatur, hac deficiente illam quoque pessum ituram. Causa ex parte Dei fuit iustitiæ zelus aduersus Amalecitas, qui primi, nulla penitus iniuria lacessiti, in Hebræos latronum in morem impetum faciebant, & extrema castrorum carpebant, male mulctantes eos, qui fame & labore confecti residebant. Ex parte autem ipsorum Amalecitarum, causa qua supremam cladem commeriti fuerant, fuit illa eadem culpa, & aliæ sine dubio grauiores, quibus, sicut & Amorrhæi, & Chananæi, stirpitus deleri merebantur.

III. In hæc verba.

Præceptum autem Domini, & sententia lata contra Amalecitas hæc est. *Vade & percute Amalec, & demolire vniuersa eius: non parcas ei, & non concupiscas ex rebus ipsius aliquid, sed interfice à viro vsque ad mulierem, & parvulum atque lactentem, bouem & ouem, camelum & asinum.* Vt olim Iericho, sic nunc totam Amalecitarum gentem, tanquam holocaustum diuinæ iustitiæ dicatum, consumi vult, nec quidquam humanis vsibus reseruari: in exemplum, terroremque mortalium, & nominatim in detestationem inhumanitatis in pauperes, atque peregrinos. *Itaque Saul*, nihil moratus, *præcepit populo*, vt conuenirent in Galgala, vt ait Iosephus, secutus Septuag. & recensuit eos quasi

Saul colligit copias.

agnos,

optima quæque, & digna quæ præ cæteris eligantur, & offerantur Deo. Audito aduentu Samuelis, ei fit obuiam Saul simulque salutans ait, *Benedictus tu Domino, impleui verbum Domini.* Quasi dicat, bellum confeci, Amalecitas exterminaui, toti regioni vastitatem intuli. At Samuel eam vanitatem redarguens: *Et quæ est*, inquit, *hæc vox gregum, quæ resonat in auribus meis, & armentorum, quam ego audio?* nonne mugitus isti ac balatus refellunt orationem tuam? nonne illis hæc omnia funditus perijsse oportuit, si Domino fuisset obtemperatum?

corũ colloquium. 1. Reg. 15. 13

X. Saul culpam trãsfert, ac defendit.

At Saul, quem statim à principio culpam fateri oportuit, & veniam à Deo postulare, culpam à se transfert in populum, quem sit prædam electam adduxisse de Amalecitis, vt immolaretur Domino, reliqua ibidem profligata fuisse: sicque omnia perdita esse Amalecitis, cum nonnullo fructu populi sui. Nec transfert solum, sed eam etiam ex intentionis bonitate defendit: significans satius esse pecora Deo sacrificare, quam temerè in bello iugulare; & Dei honori, vsuique hominum, res humanis vsibus à natura destinatas, addicere, quam nemini, nisi coruis, canibus & lupis profutura, disperdere. Sed inanis est ista defensio, & hominis iudicium suum atque voluntatem Dei mandato præferentis. Itaque Samuel tristem regi nuncium allaturus, cum seducit à turba, petitque ab eo, vt cum bona ipsius venia, sibi liceat ad eum, Dei contra ipsum referre sententiam; vt rei ipsius seueritas, leniore agendi ratione molliretur. Verum sequens oratio, tota ad tenerrtatem composita, aliam expositionem probabiliorem facit, in hanc sententiam.

XI. Quẽ Samuel vicissim accusat.

Mitte has fabulas & excusationes tuas, & *sine me* loqui, quæ Deus ad me nocte hac de te locutus est. Nam etiam superius, cum tanto minor esset obiurgandi occasio, audiuit nihilominus à Samuele, *stulte egisti.* & quæ sequuntur. Eam verò authoritatem Samueli apud Saulem multa conciliabant, senectus, vitæ sanctitas, prophetia, paternus in ipsum amor, regia dignitas illi collata, denique populi totius in eum veneratio. Postremo Prophetarum ex Dei mandato loquentium, & improbos principes obiurgantium seuerissimas legimus voces, vt parentum in filios, aut magistrorum in discipulos parum obsequentes. Orditur itaque Samuel accusationem suam repetita memoria collatæ dignitatis humili, ac modice de se sentienti, vt superbo & obsequij desertori iure auferenda intelligatur. Sequitur obiurgatio, propter non impletum Domini præceptum aduersus *peccatores Amalec*, id est, viros insigniter improbos, quorum flagitia diuinam vindictam è cœlo deuocarent. Qui tamen auaritia & importuna humanitate victus, tum nocentissimo regi pepercerit, tum ad prædam versus fuerit cum populo suo.

XII. Nec tamen culpam agnoscit Saul.

Quibus auditis Saul, ne tunc quidem culpam agnouit miser, sed telum propheticæ accusationis, clypeo falsæ negationis repellere conatus est. *Imo*, inquit, *audiui vocem Domini:* ita sane, sed audisti tantum, *& ambulaui in via per quam misit me Dominus*, expeditionem in Amalecitas suscepi iussus. Recte hoc quidem, *Et adduxi Agag regem Amalec*, illustre ac luculentum victoriæ nostræ monimentum. At quis te iusserat regem huc adducere, & seruare; & non potius, Iosue clarissimi Imperatoris exemplo, pedibus conculcarum agere in malam crucem? hominem præ cæteris mortem commeritum, in quem maxime volebat Dominus belli furorem desæuire, & quo plura habebat quæ perderet, plures subire animi corporisque cruciatus. Nam quod ad conseruatam præ dam, *nunquid vult Dominus holocausta & victimas, & non potius vt obediatur voci Domini?* Docens videlicet ne sacrificiorum quidem causa diuinum præceptum negligi debuisse; nec potuisse hoc facinus bono illo opere, si tamen bono, compensari: neque enim talia sacrificia grata esse Deo. Quomodo autem melior sit obedientia quam victimæ, & in obedientia idololatriæ exæquari possit, in Annalibus explicatum est diligenter.

Rursum à Samuele refellitur.

a n. 44. ad 49.

XIII. Et regno abdicatur.

Iustam porro huius sceleris pœnam, & congruam cum culpa proportionem subiungit Samuel. *Pro eo*, inquit, *quod abiecisti sermonem Domini, abiecit te Dominus ne sis Rex.* Abiectio enim abiectioni respondet, & humana superbia diuinæ deiectioni: & rectum est vt qui Deo non obtemperat, ei ab hominibus non obediatur, & qui se Deo exæquat, imo prudentiorem facit, dum eius mandata corrigit, cæteris hominibus, de regio culmine depositus, exæquetur. Num ergo sic abiectus à Domino Saul, penitus rex esse desijt? Respondeo quæstionem esse cognitione dignissimam, propterea que accuratius in Annalibus examinatam. Hic strictim dicamus Saulem, hac Dei sententia reiectum, amisisse ius regni; non enim dicitur abiectum iri, sed abiectum esse ne rex esset: regni tamen possessionem non amisisse, quia nullus erat alius rex, à Deo, vel Repub. constitutus, nec ipse ea se dignitate spoliare tenebatur. Et conueniens fuit communi bono retineri ab eo regni possessionem, qua sine grauissimis turbis spoliari non poterat: neque dandum erat exemplum posteris insurgendi in reges suos quocunque prætextu, eosque exautorandi.

Ius in eo amittit, non tamẽ possessionẽ iustis de causis.

a.n. 50. ad 55.

XIV. Etiam in bonũ Dauidis.

Adde quod Dauid, quem Deus regno destinauerat, adolescentulus adhuc erat & contemptus, vt qui neque aulam vnquam, neque castra viderat. Itaque aliquot anni erant illi necessarij, vt imperij rectæque gubernationis artibus instrueretur, vt populum & cognosceret ipse, & ab eo vicissim cognosceretur, & se illi egregijs facinoribus commendabilem redderet. Interim autem regni curator erat necessarius: quo munere nemo rectius fungi poterat, eo qui iam annos aliquot regnum ipsum feliciter, & quasi patrimonium suum studiose, fideliterque administrarat. Vide itaque quantam hoc tempore iacturam fecerit Saul, qui pro rege, regni procurator factus est, nec Dei vltra, sed Dauidis vicarius appellari potuit: qui ius ad regnum filijs suis funditus perdidit, qui acerbissimæ inuidiæ in regni æmulum factus est obnoxius; qui priuatus spiritu fortitudinis, factus est arreptitius.

Quantã iã iacturam Saul fecerit.

XV. Agnoscit culpã suã, an ex legitimo dolore.

Nunc autem postquam intellexit peccatum suum esse longe opinione sua maius, siue ex ipsius natura, siue ex comparatione cum grauissimis peccatis, siue ex pœna, quæ illi erat

annexa, timore concussus dixit ad Prophetam. *Peccaui, quia preuaricatus sum sermonem Domini, & verba tua, timens populum, & obediens vocicorum.* Adest peccati confessio, semel iterumque repetita, nec tamen audit, *Transtulit Dominus peccatum tuum, non morieris.* Nimirum non ingemuit offensum à se, tam bonum erga se, tamque benesicum parentem, sed timuit dum taxat pœnam; ideoque pergit derivare culpam in populum, à quo timore in constantem virum cadente esset affectus, timuissetque ne ille in seditionem versus eum desereret, aut interficeret efferatus. Verum is timor aut inanis, aut falsus fuit, debuit enim sperare Deum effecturum illi populum obsequentem, dum ipse obsequeretur Deo: præsertim cum illum in te non minus aspera expertus esset dicto obedientem: cum nuper eius obstrictus maledicto, quamuis fame, pugna, cursu, diuturnoque labore fatigatus, ieiunus tamen vsque ad vesperam constanter perseueuerauit.

XVI. Aut potius ex humano timore.

Quid ergo hanc Saulis confessionem expressit? Timor pudoris, & ignominiæ publicæ, si forte Samuel, vti priuatim cœperat, eum coram seniotibus populi argueret, & regno excidisse diceret, eoque testimonio, vt erat summæ in populo authoritatis, eum ab ipso auerteret, atque abduceret. Hinc illud, *Sed nunc porta quæso peccatum meum*: siue orando Dominum vt mihi ignoscat, & veniam impetrando precibus ac sacrificijs tuis: siue potius tolerando ac dissimulando coram populo, itaque agendo, quasi integra essent omnia, & nihil in regno turbatum. Et ideo, *reuertere*, inquit, *mecum*, ad populum à quo paululum secesserant, *vt tecum adorem Dominum.* Timuit enim Saul, ne si Samuel quasi iratus, deserto rege aliorsum abiret, populus aliquid mali de Saule suspicaretur: & ipse præter decorum solus rediret ad suos. Negat tamen Samuel se iturum cum eo, aut oraturum cum homine abiecto à Domino, & tanquam excommunicato, ne præsentia sua sacrilega peccatoris sacrificia approbare videretur. Quamuis autem mox cum ipso profectus sit, non tamen dicitur orasse, aut sacrificasse cum ipso: vt potius ad mactandum regem Agag, quam ad honorandum Saulem reuersus sit.

XVII. Saul Prophetæ abire parantem retinet, cum scissione pallij.

Repudiata itaque communione orationis aut sacrificij cum Saule, conuersus est Samuel vt abiret in domum suam, ex eo loco, in quo præcedens colloquium habitum fuerat. Id paranti, Saul *apprehendit summitatem pallij eius, quæ & scissa est.* Ea vis non tribuitur crimini Sauli, contumelia quippe caruit, & fuit qualis inter necessarios sæpe contingit. Ait nihilominus ad eum Samuel. *Scidit Dominus regnum Israel à te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te.* Voluit porro Dominus hanc pallij scissionem, quæ ratione Saulis casu contigit, esse signum scissionis familiæ regiæ à toto regno, quod alioqui remanebat integrum; voluit etiam accipi à Samuele, & prædici vt signum scissionis eiusdem. Ille nihilominus instat humiliter, atque vrget Samuelem. *Peccaui*, ait, *sed nunc honora me coram senioribus populi mei, & coram Israel, & reuertere mecum, vt adorem Dominum Deum tuum.* Ex quibus verbis agnoscitur parum fuisse regis affectum peccatum confitentis.

Samuel autem veritus, ne si afflicto regi nihil concederet, eum desperatione fractum ageret in furorem, & studiosum regni curatorem verteret in tyrannum, concedens aliquid de iure suo secutus est Saulem, priore omni sermone dissimulato. Adorante autem Saule Dominum, Samuel adduci ad se iubet Amalecitarum regem, nihil resistente, aut pro eo deprecante Saule, qui ei vitam fortasse sponderat, ne causam suam faceret deteriorem. Et oblatus est ei Agag pinguissimus & tremens, vt qui sentiebat se orci victimam iam futurum, dixit enim, *Sucine separat amara mors?* vel vt alij, *vere venit amaritudo mortis*, quam vehementius reformidant viri deliciarum atque diuitiarum. At Samuel, *Sicut fecit absque liberis mulieres gladius tuus, sic absque liberis erit inter mulieres mater tua.* Quo dicto dissecari eum iussit in frusta membratim, sed capite, vt arbitror, à corpore primum amputato.

XVIII. Samuel comitatur Saulē, & Agagē interfici iubet.

His peractis *abijt Samuel in Ramatha*, vbi erat domus eius, *Saul vero ascendit in domum suam in Gabaa* Benjamin. *Et non vidit Samuel vltra Saul, vsque ad diem mortis suæ*, id est, non eum adijt officij causa, vel inuisit vt prius, etsi eum postea casu atque obiter viderit. Interim tamen lugebat Samuel Saulem, quoniam Dominum pœnitebat, quod constituisset eum regem super Israël. Prouidebat enim ex hac eius abdicatione multas in Repub. turbas: & bella ciuilia, inter eum & æmulum eius merito formidabat. Itaque multis lachrymis & precibus gratiam Deum inter & Saulem redintegrare conabatur, ratus superesse adhuc aliquem veniæ locum; nesciebat enim immutabilem Dei sententiam à se pronunciatam fuisse, donec eum Dominus à luctu reuocauit, & ei destinatum successorem patefecit. Diuturnum porro fuisse hunc luctum illa verba Domini haud obscure significant, *vsquequo tu luges Saul?* vt propterea reliquum hunc annum ei tribuere possimus, & primam Dauidis vnctionem in sequentem differre.

XIX. Digredi-untur, & Samuel in luctu versatur.

ca. 19. 24.

ANNVS MVNDI 2969.

SAMVELIS 30.

SAVLIS & ACHIÆ Pont. 8.

DERCYLI 19. Imperij Assyrior. 1038.

ANTE CHRISTVM 1084.

QVam diuturnus fuerit Samuelis pro Saule luctus, priusquam destinatū diuinitus successorem cognosceret, certò non constat: certū nō dubium est eū quamdiu vixit, de abdicati regis salute sollicitum, pro ea diuinam misericordiam multis cum lachrymis ac gemitibus imploraſſe, præsertim cum is odio Dauidis maxime fureret, & in grauissima peccata rueret præceps. Prior autem ille luctus nonnullis biennij fuisse putatur. Ego menses aliquot partim superioris anni exeuntis, partim præsentis ineuntis satis esse

I. Quam diu Samuel luxerit Saulem.

credi-

crediderim horum temporum œconomiæ. Neque existimarim pium ac misericordem Dominum sancti viri consolationem diutius distulisse. Itaq; ne Samuel vltra irrito se luctu atq; intempestiuo conficeret, ipsum ab eo amica reprehensione reuocat, *Vsquequo*, inquit, *tu luges Saul, cum ego proiecerim eum ne regnet super Israel?* immobili videlicet atque immutabili decreto, regio illum magistratu abdicarim. Apparet enim Samuelem huiusmodi decreti ignarum, non solum prouenia culpæ Sauli obtinenda Dominum interpellasse, sed etiam pro priore dignitate, eiusque omni iure redintegrando. Deinceps autem intellecta Dei definitione, super ea re prorsus obmutuit, ne sciens & prudens cum diuina voluntate pugnaret.

1 Reg. 16. 1.

Celare iubetur veritatē sine mendacio.

II. Addiscit successorem eius, & ad eum inungendum mittitur.

Accessit etiam ad Samuelem penitus certiorem reddendum de abdicatione Saulis, declaratio electi à se noui regis, ad quem inungendum illum iubet accedere, eumque priuatim, vt ante Saulem, cetemonia inaugurare. *Imple*, inquit Dominus, *cornu tuum oleo, & veni vt mittam te ad Isai Bethlehemitem: prouidi enim in filijs eius mihi regem.* Prima ipsa verba abundantiam gratiæ in Dauidem conferendæ aperte docent; non enim lenticula sumitur, sed impletur oleo cornu: quod notauit Rupertus. Et quoniam cornu vas solidæ firmitatis est, vtriusque regni differentia in duratione & firmitate demonstratur. Oleum porro nec vulgare fuit, frustrà enim ex longinquo fuisset allatum, neque sacrum. Educendum enim fuisset è Sanctuario, quod insciò Saule fieri non potuisset, qui in omnes Samuelis actiones erat intentus, maxime ex eo tempore, quo ei dixerat ipsum non vltra regem Israëlis fore. Apparet ergo fuisse vnguentum aromaticum, vel balsamum, quod Samuel apud se habebat, quodque in Bethlehem detulit.

in l. 1. Reg. c. 23.

Et quo oleo.

III. In tribu Iuda, & familia Isai.

Mittitur autem ad Isai virum in tribu Iuda primarium, vt deinceps hæc esset regia tribus, iuxta Patriarchæ Iacobi vaticinium. Quod autem dicitur quæsisse, & inuenisse, & prouidisse sibi regem in filijs eius, non obscurè significat perexiguum esse eorum virorum numerum, qui ad regnum, præsertim in populo Dei, recte administrandum idonei censeri possent. Tam multa enim Dei dona gradus ille tam sublimis exigit, tam eximias animi corporisque dotes, vix vt vnus in centum millibus, ad id munus, cum laude & communi vtilitate subditorum obeundum, satis aptus, instructusque reperiri possit. Nec vacat illa particula *mihi*. Pertinet enim ad indicandum reges mortales, immortalis regis esse vicarios, illiusque vice populos, quasi totidem illius familias administrare, cum obligatione ad reddendam apud eum rationem, cui se fatentur esse subiectos.

Pauci regno idonei.

Reges Dei vices gerentes.

IV. Samuel an exequi debeat.

Et ait Samuel, Quomodo vadam? audiet enim Saul, & interficiet me. Non dubitat Propheta facile esse Domino, cum protegere ab omni periculo, sed doceri vult à Domino, quo se modo gerere debeat in hoc toto negotio: paratus vtique mori in exequendo mandato diuino, si sic ei videatur. Quod si humanitus sibi timuit, non dubium est, quin etiam timuerit domui Isai, quam ille funditus, tanquam maiestatis ream, si permisisset Dominus, euertisset: multoque minus Isai, vel Dauidi, quam Samueli, quem parentis loco habebat, in tam inuidioso negotio pepercisset. Modum ergo Propheta quæsiuit, & modum Dominus aperit, quo & celetur veritas, & mendacium non dicatur. *Vitulum*, inquit, *de armento tolles in manu tua, & dices, ad immolandum Domino veni.* Id enim verum erat; primaria tamen intentio inungendi regni candidatum tacebatur. Sacrificium porro ad impetrandam diuinam gratiam futuro regi pertinebat, & domestico celebritatis huius conuiuio conducebat. Notatum autem est superius, sacrificij locum non fuisse his temporibus plane definitum. Itaque ex mandato Domini extra Sanctuarium, & absente arca, quæ non erat in Bethlehem, licuit sacrificare.

V. Samuel ignorat quem sit vncturus, & quare.

Pergit autem Dominus, *& voca Isai ad victimam*, vt scilicet adsit cum suis pacifico sacrificio, deinde conuiuio. *Et ego ostendam tibi quid facies, & vnges quemcumque monstrauero tibi.* Non ergo agnoscebat Samuel Dauidem neque de facie, neque de nomine, vt sequentis narratio perspicuè docet, in qua regni candidatus multis interrogationibus à Deo subinde requiritur. Cuius rei causam affert Theodoretus, quia si recta ad Dauidem fuisset profectus, venisset in suspicionem ne res ex compositò gereretur. Dum autem singulos ad septimum vsque interrogat, cognouerunt Deum esse qui hos quidem reijceret, illum vero eligeret. Sic ipse. Fecit ergo Samuel sicut locutus fuerat illi Dominus, venit in Bethlehem, à ciuibus cum timore atque admiratione excipitur, indicit sacrificium; cui alij astant, alij etiam ex eo participant, nimirum familia Isai: quā collectam Samuel de præsenti rerum statu edocet, de Saulis videlicet abdicatione, & electione vnius ex familia Isai, quem Deus ex omnibus elegisset, professus se venisse integrum, & in omnes æquali propendere voluntate.

Edocet familiam Isai de rerum statu præsenti.

VI. Disponit ad acquiescēdum diuinæ electioni.

Omnes, inquit, mihi estis longe charissimi. Parentem vestrum grandæuum fratrem agnosco ac veneror. Vos autem omnes tanquam filios meos amplector. Vestrum erit, si pacis amatores estis & fraternæ gratiæ, charitatisque cultores, si de conseruanda familia vestra, quam Deus vehementer honorare cupit, solliciti, de fratris honore diuinitus illi collato gaudete, sed gaudere tamen in sinu, donec visum fuerit Domino rem in vulgus efferre, & de Saule ipso, pro diuina sua prouidentia, disponere. Quæ cum Samuel magno animi sensu esset affatus, venerabundi omnes Deo se se, eiusque Prophetæ religiosa corporis inclinatione demisere, se, suisque omnibus illius arbitrio permissis. Rursus autem Samuel ad senem conuersus, Promisit Dominus, inquit, ostensurum se mihi quid facerem, & mihi demonstraturum quemcunque vellet hoc à me oleo inaugurari. Ergo si videtur filios huc tuos coram Domino sigillatim, ordine ætatis sistito, & ego à Domino exquiram quem sui prærogatiua suffragij honorare velit.

VII. Sistitur Samueli Eliab nec eligitur.

Annuit Isai, & euocatum primogenitum, Eliabum nomine propius ad Propheram, qui paululum subduxerat se de circulo, aditè iussit. Qui statim oculis in cœlum manibusque leuatis, *num coram Domino*, inquit, *est Christus eius* id est, qui inungendus est in regem. Erat hic statura procerus, & oris habitu decoro, ac pleno

dignitatis, vt ad regnum factus videri posset. At Dominus respondit, se externa hæc non morari, quæ homines, qui interiora non cernunt, magni faciunt. Recte autem putat Abulensis collocutionem hanc omnem Deum inter & Samuelem externam fuisse, & vtriusque vocem ad circumstantes peruenisse, ne electionem hanc illi non à Domino factã, sed à Samuele fictã arbitrarentur, si nihil ipsi viderent, audirentve, quo illis fides fieret; ideoque neque electioni acquiescerent, sicut cum audirent missa diuinitus voce, reijci se ac repudiari. Itaque fratres omnes cum parente conscij fuerunt electionis & vnctionis Dauidis. Neque timendum erat ne plures conscij rem vulgarent; illi enim soli erant conscij, quorum vehementer intererat rem taceri.

Collocutio externa Dei siue Angeli & Samuelis.

VIII. Cæteri sex ordine sistuntur, neq; eligũtur.

Cum ergo Propheta reiectum dixisset Eliabum, cæteri producti sunt ordine, atque improbati, nec tamen vllus eorum foras exijt, sed substiterunt omnes in eodem triclinio, vt viderent quem tandem exitum habitura res esset. Vnde mox Dauid dicitur inunctus in medio fratrum suorum: & Samuel de præsentibus loquens, *Non elegit*, inquit, *Dominus ex istis*. Demonstrando manu eos qui aderant. Cumque iam septem reiecti fuissent, ventum est ad octauum Dauidem qui domo aberat, quem Samuel ante prandium euocari iussit è pascuis, vbi ouium curam gerebat. Pertinet hoc ad illorum temporum simplicitatem, cum honestissimis orti familijs oues pascebant & quærebant asinas, & agebant bubulcos, & regibus offerebant panes in clitellis, aulica vanitate nondum in mores inducta. Apparebat autem pascua non longius abfuisse: ne non satis vrbana esset ista retardatio prandij, ad ferum iunioris opilionis aduentum.

IX. Dauid euocatur, adest, docetur, inungitur.

Adest atque introducitur adolescens non sine timore fortasse, certe non sine innata verecundia; & erat qui placere posset, erat quippe rufus, & pulcher aspectu, decoraque facie, & festinatio gratiam rubicundi coloris adiecerat. *Et ait Dominus*, non expectata interrogatione Samuelis, *Surge, & vnge eum, ipse est enim*, quem prædixi tibi, quem prouidi mihi. Surrexit, vt sacram vnctionem maiore cum veneratione perficeret. Sed prius, vt par erat, eum tota de re breuiter docuit, iussitque diuinæ acquiescere voluntati. Quod ille, vt se ex noua admiratione collegit, quamuis obsequendi studiosior quam imperandi, sibi denique passus est persuaderi, re tota diuinæ prouidentiæ permissã, quæ sæpe parum idonea instrumenta mirabilium operum eligit, vt tanto magis intelligatur, Dei id opus esse, non hominis. *Tulit ergo Samuel cornu olei, & vnxit eum in medio fratrum eius*. Sed & reliquas, vt opinor, ceremonias adiecit, quas prius in Saule vsurpauerat. Valebant enim ad conciliandam illi, apud maiores natu fratres, internam quandam venerationem, qualem vulgo laici clericis deferre solent. Nec patet næ apud iuuenem adhortationis est oblitus.

X. *Cap. 16. 13* Dirigitur spiritus Domini in Dauidem.

Sequitur sacræ huius vnctionis effectus. *Et directus est spiritus Domini à die illa in Dauid, & deinceps*. Non videtur accipiendus hoc loco Spiritus Domini, spiritus charitatis, aut gratiæ gratum facientis. Absit enim à nobis opinari hac primum die datum hunc spiritum Dauidi, de quo iamdudum dixerat Dominus, se in eo inuenisse virum secundum cor suum. Itaque recte auctum dicemus hodie, & vehementer amplificatum in Dauide spiritum illum; primùm autem datum nõ dicemus. Eodemq; modo aucta ea dona, quæ principem illam ac primariam gratiã vel natura sua, vel Dei benignitate consequuntur. Plerique non male spiritum Prophetæ, alij fortitudinis intelligunt: vtriusque enim exempla in Saulis vnctione præcesserant. Ego sane Spiritum regium ac principalem libenter acceperim, rege videlicet ac principe dignum, qualem ipse postulabat cum diceret, *Redde mihi Lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me*. Spiritu qui hominem mutat in virum alterum, qui vitia corrigit, & plebeias virtutes, regias atque heroicas facit.

& quis ille Spiritus.

Psal. 50.

XI. Quomodo perseuerauerit in eo.

Hic ergo Spiritus Domini regius ac principalis directus est, siue insiluit in Dauid, quod significat diuinæ actionis promptitudinẽ, longe ab humana tarditate distantem. Perseuerauit autem deinceps in Dauide hic spiritus. Nam siue illum accipiamus spiritum prophetiæ, qui natura sua lumen quoddam est spirituale transiens per modum actus, satis est vt eum perseuerasse dicamus, si is Dauidem subinde illustrarit, neque eum prorsus deseruerit. Spiritus quoque fortitudinis perseuerauit in Dauide, sic vt viribus corporis ferè populares suos ætate suppares vehementer antecelleret, nec aduersis vnquam rebus præanimi mollitudine frangeretur. Denique regiæ illæ virtutes perpetuo cultæ, etiam in ætate decrepita floruerunt; quod satis intelligi potest ex institutione Salomonis in regem, & testamento quod apud eundem Salomonem edidit moriturus.

XII. Samuel domum redit.

Vnctione peracta reuersus est Samuel in Ramatha, locum habitationis suæ, nec enim diutius ibi eũ demorari opus erat, ne qua inde suspicio nasceretur; nec Saulem adiuit, etsi fortasse non ignorabat illum consilio suo aut consolatione vehementer indigere, ob inflictam ei recens à Deo calamitatem. Verum diuino afflatus spiritu intellexit id Deo non placere, nec officiosum illum aditum, aut regi, aut prophetæ vtilem fore, si forte ille furens, in senem, tãquam in authorem calamitatis suæ, impetum faceret. Ex quo enim Saulem non viderat, *spiritus Domini recesserat ab eo, & exagitabat eum Spiritus nequam à Domino* immissus, aut permissus. A malo dæmone vexatum fuisse, communis est antiquorum Patrum, & recentium scriptorum sententia, qui melancholica corporis eius dispositione abuteretur; quæ cum per musicam harmoniam mitigaretur, dæmonis quoque eum affligentis actio, quæ se dispositioni corporeæ accommodabat, temperabatur. Ita de hoc Saulis morbo senserunt Iosephus, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Augustinus, Hieronymus, Theodoretus, Eucherius, Isidorus, Rupertus, Gregorius Magnus, & alij plerique, quos in Annalibus retulimus.

Spiritus malus inuadit Saulem.

n. 52. & seq.

Hoc regis malum non tam cito agnitum videtur. Primum quia solet dæmon studiosius occultare se initio, ne adhibitis diuinitùs institutis remedijs, exire compellatur. Deinde quia tam insolens est atque inauditum reges audire dæmoniacos, vt alia omnia tam ipse, quam domestici eius cogitasse putandi sint, vixq; tandem

XIII. Nec status agnoscitur.

veram

veram morbi causam agnouisse. Quin etiam vbi id primum domesticis persuasum fuit, non tamen cito ausi sunt tam turpem ac probrosam mali causam fateri. Significat etiam Iosephus, opem à medicis diligenter quæsitam, sed frustra, donec de perito excantatore cogitatum est. Reliquum ergo hunc annum cum ignoto morbo Saulem luctari patiemur. Dum Dauid reuersus ad pascua egregia fortitudinis opera perpetrabat, & prophetico spiritu plenus, spiritualia cantica psalmosque conficiebat, & modulabatur ad citharam. Vtriusque testes idonei sunt Rupertus, Dionysius, Abulensis: & res ex ipsa Scriptura clarissima est.

lib. 6. c. 9. Ant.

Dauid ad pascua inunctus reuertitur.

XIV. Vbi exercet fortitudinis & pietatis officia.

Etenim insigni animi corporisque fortitudine præditus, in syluis, pecorumque custodia, illa facinora perpetrabat, quæ ipsemet postea, non vanitatis causa, sed regis totiusque populi confirmandi gratia, certamen cum Goliatho initurus, publicè recitauit, de leonibus & vrsis à se interfectis, propriaque manu dilaceratis, quæ Syracides ita prædicat, vt id genus certamina Dauidis ludum appeller. Alia in desertis illis locis Dauidis occupatio fuit, Dei laudes prophetico spiritu, per cantica psalmosque, celebrare. Nam bonam psalmorum partem tum temporis ab eo fuisse compositam, & res ipsa loquitur, & idonei Scriptores prodidere. Vtrum autem omnium qui extant psalmorum Dauid vnus dicendus sit author; an ad eiusdem gloriæ societatem admittendi sint alij, qui in quorundam psalmorum initijs inueniuntur inscripti, neque leuis, neque noua est disputatio, multis pro vtraque parte certantibus. Ego ad illos accedo libentius, qui psalmos omnes Dauidicos esse volunt, cæteros autem, qui inscripti reperiuntur, fuisse cantores, vt eleganter disseruit in proœmio psalmorum S. Chrysostomus. Sed hac tota de re vide Annales *a* ipsos in hunc locum.

Ecc. 47. 3.

Psalmorũ author vnus Dauid.

à an. m. 2969. nu. 82. & seq.

ANNVS MVNDI 2970.

SAMVELIS 31.

SAVLIS & ACHIÆ Pont. 9.

DAVIDIS 20. TROIÆ 100.

DERCYLI 20. Imperij Assyriorum 1039.

ANTE CHRISTVM 1083.

I. Saulis morbus agnoscitur.

CVm ægritudo Saulis vehementius sæuiret in dies, fieretque medicis artibus remedijsque potentior, vt Iosephus significat *b*, subijt animos domesticorum eius illa cogitatio, ne dæmonis inhabitantis, aut lubinde ventitantis agitatione vexatio illa contingeret, qua rex furere plerumque, atque insanire videbatur. Sed & illa opinio à multis iam seculis vigebat, carminibus & excantationibus, dæmonum vim reprimi, maleficia cohiberi, & animi corporisque sanitatem posse reparari, idque in Ægypto in exitu Hebræorum tentatum, quamuis irrito conatu, testis est Sapiens *c*. Ex ea opinione profecta est illa oratio seruorum Saulis. *Ecce Spiritus Dei malus exagitat te*, nemo enim potest hæc facere, quæ tu facis, nisi fuerit dæmon cum eo. Explorata itaque ægritudine, idoneum, iucundum, atque in promptu positum excogitatum est à nobis remedium, quo malum hoc curari vel mitigari certe posset.

b l. 6. Ant. c. 9.

c Sap. 16. 1. 8.

II. Remedia in Psalte quæritur.

Iubeat ergo Dominus noster, & serui tui qui coram te sunt, quærent hominem scientem psallere cithara, vt quando arripuerit te Spiritus Domini malus, psallat manu sua, & leuius ferat. Et quidem sacros hymnos, vt ait Iosephus. Neque enim nuda erat & solitaria, illa fidium contrectatio, sed sacri hymni & psalmi à Dauide canebantur ad lyram, vt simul harmonicus concentus noxijs & melancholicis humoribus degrauatum releuaret caput, simul etiam sacri hymni in Dei honorem à sancto iuuene decantari, dæmonum actionem Domino miserante reprimerent. Dæmon enim qui melancholica dispositione gaudet, eaque ad incitamenta peccandi abutitur, ea discussa, indirecte, & ex accidente, vel abigitur, vel impeditur. Sed præcipua huius remedij vis ex ipso psalte pendebat, qui multum gratia valebat apud Dominum, ad opem ægro diuinitus obtinendam.

Quomodo musica prosit arreptitijs.

III. Edocetur Rex de Dauide.

Proposito grauissimi morbi remedio, eoque facili ac iucundo, illico Rex acquieuit, qui ne difficile quidem, & acerbum erat recusaturus, iubetque sibi prouideri de psalte quopiam egregio, qui lingua & digitis eximiam delectationem afferat, siue quia morbus & mœrot ingens non poterat modica delectatione mitigari; siue quia reges affluenti deliciis, exiguo lætitiæ obiecto non tanguntur; quod ab affluentis, vt ait Philosophus, non fiat passio. Hic vnus de aulicis, *Ecce*, inquit, *vidi filium Isai Bethlehemitem scientem psallere, & fortissimum robore, & virum bellicosum, & prudentem in verbis, & virum pulchrum, & Dominus est cum eo.* Hic nimirum idoneus erit, qui hoc munere, alijsque cum laude fructuque fungatur. Cæterum hæc elogia Dauidis, eius ætati vicenariæ recte conueniunt: Nam Scriptura passim iuuenes, à 20. annis & supra, viros bellatores vocat, & qui possint ad bella procedere. Sedecim autem annorum ætati, quæ est aliquorum chronologia, quomodo conueniant ipsi viderint. Sed has ipsas, aliasque Dauidis dotes aulicis æmulandas, habes in Annalibus *d* non negligenter explicatas, quas hoc loco studium breuitatis cogit omittere.

Einsque dotibus eximijs.

d 2970. n. 9. 10. 11.

IV. Euocatur ad Saulẽ.

Misit ergo Saul nuncios ad Isai, vt Dauidem è pascuis euocatum, eò enim ex vnctione reuerterat, ad se mitteret: non vtique ad perpetuam, aut diuturnam in aula commorationem, alioqui non misisset mox qui diceret patri, *Stet Dauid in conspectu meo*, sed probaturus an aliquid opis in eius fidibus cantuque reperiret. At Dominus eum volebat mature in aula versari, quamuis in ea multa aduersa, atque aspera toleraturus esset, & certissima discrimina mortis aditurus, priuiquam in destinati regni possessionem mitteretur. Idque necessarium erat:

Cur Dauid in aula testideat ex Dei prouidentia.

Alioqui ab aula, turbisque popularibus secreta virtus eius, necessariam in populo iactationem non haberet, neque hominum beneuolentiam humano more sibi compararet, sine qua tamen neque regnum obtinere, neque occupatum retinere potuisset. Quid quod neque pacis, neque belli negotia, sine hac experientia facile discerent? Nec consentaneum fuisset illi prouidentiæ, quæ disponit omnia suauiter, & quæ volebat ærumnis, herois sui exercere patientiam, ex desertis locis in ciuitatem regiam, ex caulis ad aulam, ex hara ad thronum, regem prosilire: & pedum in sceptrum, rhenonem in purpuram, pastoritium petasum in regium diadema, repentinum, atque improuisum commutare.

V. Isai mittit filium ad regem cũ muneribus.

Porro Isai mandato regis accepto, illico parendum putauit, ne si cunctaretur, regis ægritudinem leuiter ferre videretur. Sed noluit consueta temporibus illis vrbanitatis officia negligere. Misit itaque filium suum, non sine aliquo vestium cultu, & famulo socio, qui mox rem gestam referret ad senem, & misit cum asino panibus onusto, & lagena siue vtre vini, & hœdo vno, quæ omnia in asinum imposita intelliguntur. Dauid autem citharæ suæ, qua regi laturus erat opem, minime omnium oblitus est. *Venit ergo Dauid ad Saulem, & stetit coram eo*, munera nec spreuit rex, nam *gratius est pulchro veniens ex corpore munus.* Itaque dilexit eum nimis, & factus est eius armiger, in prætoriam videlicet cohortem allectus, vt ægro principi esset ad manum. Et forte tum contigit vt Saul aduentitio furore corriperetur, & promptam acciperet à nouo medico curationem. Itaque bene de se iam meritum dilexit, & beneficium perpetuum esse voluit. Ideoque misit Saul ad Isai, internuncio vsus famulo, qui cum asino reuertebatur ad herum, dicens, *Stet Dauid in conspectu meo; inuenit enim gratiam in oculis meis.*

Regi placet ac retinetur.

VI. Cum bona senis venia.

Noluit filium, vtique præ cæteris dilectum patri, nisi cum bona senis venia, qui ipsum fortassis illico rediturum putarat, apud se retinere diutius. Id autem facile intelligitur impetratum. Quidni enim in octo filiorum turba, vnus principi, ad honorificum & salutare ministerium concederetur, quod beneficij loco omnes ducerent, & studiosissimè ambirent? Nec tamen Rex aliam præ se tulit Iuuenis retinendi causam, quam quod is sibi gratus esset. Nam reges, cæterique viri principes nunquam videri volunt beneficium accepisse, & se alicui, minori præsertim, debitorem fateri, mortis instar putant: imo beneficium cum accipiunt, conferre se arbitrantur. Remansit itaque apud Saulem Dauid, sed non remansit diu. Et certo constat illum ad parentem fuisse remissum: quamdiu autem remanserit, & qua occasione remissus fuerit, non certo constat. Tornielius putat decem circiter mensibus apud Saulem mansisse; ego crediderim sufficere multo pauciores, vt tanto probabilior sit anni sequentis oblinio Dauidis in Saule.

Principes videri nolũt beneficium accepisse.

Cic. 2. offi.

ca. 17. 14.

VII. Qua occasione reuersus fuerit Dauid ad patrem.

Causam autem aut occasionem reuersionis ex illis Scripturæ verbis colligere possumus. *Tribus maioribus* filijs Isai, *secutis Saulem, abijt Dauid, & reuersus est à Saul, vt pasceret gregem patris sui.* Sentiebat Saul Philistæos, perpetuos Israelitici nominis hostes, bellum contra ipsos meditari ac moliri. Ipse autem qui *quemcunque viderat virum fortem, & aptum ad prælium sociabat sum sibi*: cum accepisset Isai plures habere filios, bello valde idoneos, eos à patre abducere voluit, sibique sociare. Tres natu maiores non multus concessit pater; sed eam simul occasionem accepit rogandi regem, vt ad se filium suum natu minimum remitteret, quoniam non citharæ neque otij, sed tubarum ac belli tempus immineret, & illi plurimum, iste parum bello adhuc vtilis videretur. Saul autem, qui se dudum, diuina rem disponente prouidentia, morbo leuatum sentiebat, | ratus nullo suo incommodo Seni gratificari se posse, qui istius vnius præsentiam, trium absentia redimere velle videbatur, in hanc permutationem non inuitus consensit. Potuit etiam Dauid ipse aulæ fugitans, & solitudinis amans significare, reditum ad patrem sibi gratissimum fore: aulicis, qui forte dolebant oculis, ob principis in eum amorem, non inuitis.

ca. 14. 52.

ANNVS MVNDI 2971.

SAMVELIS 32.

SAVLIS & ACHIÆ Pont. 10.

DERCYLI 21. Imperij Assyr. 1040.

ANTE CHRISTVM 1082.

I. Philistæi bellũ instaurãt in Hebræos.

CElebrem hunc annum reddit glorioſiſſima Dauidis de Goliatho victoria, cum ſummo Philiſtæorum dedecore, damnoque coniuncta. Interim enim dum is, ab aulicis turbis expeditus, moratur in paſcuis, eiuſque fratres adſcripti militiæ, regia vexilla ſequuntur, ſuſcitatum, aut inſtauratum eſt potius bellum Philiſtæorum contra Iſraelitas, quod mirabili illa clade ſopitum fuerat, cui Ionathas initium dederat. Cuius inſtaurandi non alia videtur fuiſſe cauſa Philiſtæis, quam immortale eorum odium in Iudæos, & ambitioſum in eos dominandi deſiderium. Vt ex illis Goliathi verbis intelligi poteſt. *Si ego prævaluero, vos ſerui eritis, & ſeruietis nobis.* Animus ergo erat reparatis hoc ſeptennio viribus (nam clades vltima tertio Saulis anno contigerat) pro vno præſidio deleto, plura variis in locis conſtituere, Iſraelitas ferro ſemel, auro & argento quotannis exarmare, & acerbam omnino ſtabilire ſeruitutem, ſi prius pro accepta clade, poſſent ingentem aliquam eis reponere calamitatem.

cap. 14.

qua ex cauſa.

II. Cõueniũt vtrimque exercitus.

Occaſio fortaſſe fuerit regis non ignota ægritudo, quæ ſpem victoriæ faceret de hoſtili exercitu, ſub ægro capite militante. Domini autem in permittendo bello conſilium fuiſſe videtur, Dauidem reddere glorioſum, & primum illi gradum ad imperium ſternere. Coguntur in eundem locum vtrimque

copiæ

copiæ, & quoniam magnum habet ad victoriam momentum loci commoditas, vterque exercitus eam affectauit, vterque ad collem castra locauit: sic vt vallis esset inter eos. Dum autem vterque expectat, vt ab altero initium pugnæ sumatur, vt qui prouocatur è superiore loco irruens in prouocantem, potiore conditione sit ad victoriam, nonnulli abiere dies. Interea venit in mentem Philistæis bellum singulari certamine definire, eoque de alterutrius populi seruitute, vel dominatione paciſci; præsertim cum apud se haberent virum bellatorem, cui parem opponere, Israelitarum castra omnino non possent.

Philistæi petũt singulare certamẽ.

III. Fiducia Goliath, & roboris eius.

Is fuit Goliathus gente Philistæus, patria Gethæus, genere spurius, statura sex cubitorum & palmi, id est, nouem pedum cum triente, robore tãto quantum necesse erat ei, qui cum tam graui armorum pondere pugnare posset. Nam vt taceatur de cæteris, area lorica erat ducentarum & octo librarum cum triente, ferrum autem hastæ viginti quinque librarum. Ex quibus clypei & cassidis, & ocrearum, & gladij pondus æstimandum est, & hominis robur, qui hæc non solum ferre, sed ijs etiam facile vti pugnando poterat. Armatus etiam erat insigni superbia, quæ sui confidentiam, & omnium aliorum contemptum illi afferebat. Addit Iosephus pone secutam armatorum phalangem, coram qua fastidiosam spirabat arrogantiam, prouocans Hebræum aliquem ad singulare certamen, additis ex euentu pugnæ conditionibus, quæ communem gentis consensum indicabant; neque enim aliter de seruitute eorum paciſci, quantumuis impudens, ausus esset; aut illi certe eam toties iterari passi non essent.

Is prouocat Israelitas.

IV. Qui omnes stupent, ac metuunt nimis.

Quæ cum ille verborum tonitrua profudisset, retro ad suos reuersus, gloriabundus militari more iactabat, *Ego exprobraui agminibus Israel hodie*, ostendi eos ignominiosa timiditate exprobrabiles, qui in tot bellatorum millibus non inueniant vel vnum, qui totius gentis dedecus abstergat, & periculo suo cæterorum pudori medeatur. Quæ cum quotidie iactarentur; nullius indignatio ingenitam fortitudinem exacuit, ne Ionathæ quidem, aut Saulis; aut vllius eorum, qui postea fortes Dauidis appellati sunt, Deo illis audaciam subtrahente, & insolitam insinuante timiditatem, dum adueniret is, cui eam ipse gloriam reseruabat. Itaque *audiens Saul, & omnes Israelitæ sermones Philistæi, stupebant, & metuebant nimis.* Quod in Saule minus mirum, à quo spiritus ille fortitudinis abierat. Mirum potius tot Israelitas, neque publico dedecore, neque priuata gloria, neque promissis à Saule diuitijs, neque regio coniugio ad singulare certamen potuisse perpelli. Nimirum vbi prima causa defuerit, secundæ nihil possunt.

Et cui.

V. Dauid venit in castra.

Interea bellum ducebatur magis, quam gerebatur; quadragesimum enim iam diem Philistæus ille mane & vesperi procedebat, insultando Israelitis, & vnum aliquem ad certamen singulare prouocando: quo die Dauid, missu patris venit in castra, cum commeatu domestico ad fratres, & munusculis ad tribunum. Et hinc facile intelligitur milites sibi de victu prouidere solitos, suisque stipendijs militasse sub proprio principe. Venit autem Dauid ad vallum castrorum, quod Hebræis dicitur Magala, in quo militum sarcinæ seruabantur. Non inuenit ibi fratres suos, exierant enim ad locum pugnæ, & suis quisque locis stabant ad pugnam parati, si forte hostis in vallem pugnaturus descenderet, ad quod mutuis se clamoribus prouocabant; nec tamen pugnam adhuc inierant, quia superueniebat Goliath expoſcendo, & cum conuitio flagitando aliquem Hebræum ad singulare certamen.

1. Reg. 17. 20.

VI. Adit loci prælij, & rei statũ addiscit.

Vociferatione militari, quasi pugnæ præludio excitus Dauid, dereliquens vasa quæ attulerat, sub manu custodis ad sarcinas, cucurrit ad locum certaminis, ibique inuentos fratres interrogabat quomodo se haberent, & vicissim de patre respondebat eis. Cumque adhuc ille loqueretur eis, prodit de more Goliath, & suum illud quasi solenne carmen intonat; quod Dauidi in rei nouitate admirationem, cæteris metum vehementem incussit. *Omnes enim Israelita cum vidissent virum, fugerunt à facie eius, timentes eum valde*, & videlicet fratres Dauidis cum eis. Hic Dauid edocetur quid hostis ille agitaret, & quid præmij rex constituisset ei, qui illum occideret, & probrum commune deleret. Cumque hic, qui à Dauide rogabatur, respondisset quod res habebat, veritus Dauid ne non satis explorata narraret de regis edicto, & præmijs victori propositis, declinauit ad alios, quos eodem modo interrogauit, addita etiam contemptim accusatione Philistæi, quæ tacitam sui oblationem innueret. *Quis enim*, inquit, *est hic Philistæus incircumcisus, qui exprobrauit acies Dei viuentis?* quæ vox zelum in Dauide diuini honoris ostendit.

VII. Significat se optare pugnã, & à fratre obiurgatur.

Cum ergo alij eadem confirmarent, & in opinionem venirent hunc è pascuis iuuenem, iuuenili ardore plenum, & Dei spiritu, cuius honorem zelabatur, roboratum, optare cum hoc Philistæo inire certamen, id inter se mussitabant. *Quod cum audisset Eliab frater eius* natu maximus, *loquente eo cum alijs, iratus est contra Dauid*; vtique ex fraterna potius, licet paulo feruidiore, charitate, quam ex inuidia, *& ait, Quare venisti & quare dereliquisti pauculas illas oues in deserto? Ego noui superbiam tuam, & nequitiam cordis tui, quia vt videres prælium descendisti.* Superbiam accusat, quod multo fortiori æquare se audeat, & armorum insolens, temerè sibi de veterano milite victoriam polliceatur; nomine autem nequitiæ, astutam intelligit curiositatem, quæ specie visendi fratres, exercitum videre, & prælio interesse voluerit. Cui Dauid suauiter, *Quid feci?* quid admissi criminis interrogando & audiendo? an forte loqui non licet?

VIII. Perstat in sententia, & ad regẽ adducitur.

Nec tamen propterea ab incœpto destitit Dauid; quippe qui in corde suo sentiebat vires suggerentem Deum. Pro sua tamen modestia maiorem natu fratrem reueritus, ab eo paululum ad alium declinauit, eademque interrogatione vsus, idem responsum accepit. Hac porro interrogatione non expetebat fieri certior, cupiebat potius desiderium suum multorum

ore iactatum Regi innotescere, quod & consecutus est, & ad Regem adductus, *Non concidat*, inquit, *cor cuiusquam in eo*, dum sibi metuit aut mihi, in glorioso isto Philistæo, *Ego seruus tuus vadam, & pugnabo aduersus eum.* Cui Saul, non vales resistere Philistæo isti, nec pugnare aduersus eum, quia puer es, hic autem vir bellator est ab adolescentia sua. Puerum vocat, etsi vigesimum primum ætatis annum agebat, vt recta Chronologia postulat: itaque figurata locutio agnoscenda est, talibus colloquijs vsitata: præsertim cum Saul & corpore grandis esset & ætate, Dauid autem humiliore statura; itaque mox non puer dicitur, sed adolescens. Et Sapiens ait eum pugnasse cum leonibus & vrsis *in iuuentute sua*; quæ pugna iamdum contigerat.

vers. 42. *Eccl.* 47. 3.

IX. Cui persuadet suum cũ Goliatho certamẽ.

Cum ergo cerneret Dauid regem sibi certaminis imparitatem obijcere, vires, experientiam, ætatem maiorem requirere, coactus narrauit pristinas illas victorias suas aduersus vrsum & leonem, quas ad tempus illud retulimus, quo eas credimus contigisse. Ex qua narratione non vires modo corporis, sed magnitudo etiam animi, zelus diuini honoris, eximia in Deum fiducia, quo incitante se offerebat certamini, aperte cernuntur. Quæ tex admiratus, & simul intimè animo, ad bene tota de re sperandum affectus, ei fausta precatus, pugnam illi permittit. Ne tamen humanæ prudentiæ deesse videretur, armis suis iuuenem induit, patiente potius quam optante Dauide; quippe qui confidebat in Domino, se posse Goliathũ sine armis superare, sicut nuper leonem & vrsum inermis confecerat. Accepit tamen arma, vt regi obtemperaret, qui eum probe armatum pugnare cupiebat, ne temerè fortissimum iuuenem abiecisse, ac morti tradidisse videretur.

X. Armis à Saule induitur, quæ & deponit.

Arma porro illa Saulis dicuntur, non quod ea tex gestare soleret, neque enim vllam habere poterant cum Dauide proportionem, sed quod ex regio armamentario deprompta essent: quæ tamen deposuit, quod ijs propter insolentiam vti non posset: Deo ipso, qui inermen pugnare volebat, armorum fastidium ingerente. Accepit ergo Dauid baculum suum, quem semper habebat in manibus, & elegit sibi quinque limpidissimos lapides de torrente, & misit eos in peram pastoralem, quam habebat secum, & fundam manu tulit, & processit aduersus Philisthæum, hoc ipso significans se admittere certamen singulare. Id facile agnouit Goliath, ideoque propius ad Dauidem accessit, cum armigero suo, qui clypeum de more præferebat, vt certius cognosceret quem tandem haberet pugnæ aduersarium, æmulumque victoriæ. Et animaduertens inermen adolescentem, nullo pugnæ apparatu formidabilem, in quo debellando pudorem potius, quam gloriam acquireret: & si quis forte casus opinionem eius, & spem quamuis exploratam, fefellisset, incredibile dedecus incurreret, *despexit eum*, atque adeo indignatus est.

Funda lapidibusq; cõtrectus.

XI. Philistæi maledicta & minæ.

Numquid ait *ego canis sum, quod tu venis ad me cum baculo?* & maledixit Dauidi in dijs suis, dicens, Dij te male perdant, aut simili quapiam imprecatione vtens. Adiecit etiam superbas atque formidabiles minas, *Veni*, inquit, *ad me, & dabo carnes tuas volatilibus cæli, & bestijs terræ*, quæ te trucidatum à me abiectumque, dilacerent insepultum. Cui viceuersa Dauid, *tu venis ad me cum gladio*, in quo confidis, *& hasta*, qua me confodias, *& clypeo*, quo te ipse tuearis. *Ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum*, cuius præsidium multo est potentius omnibus armis tuis; cuius arbitrio ac voluntate vincunt & vincuntur exercitus, qui Deus est *agminum Israel*, quæ tu *hodie* quoque probris, atque contumelijs affecisti: quem propterea vltorem iniuriarum in suos iactarum formidare debes. Quod ego iam tibi, quasi malum nuncij Prophetæ denuncio; is manu mea vindictam de te sumet, *Et dabit te Dominus in manu mea, & percutiam te, & auferam caput tuum à te, & dabo cadauera castrorum Philisthijm hodie volatilibus cæli, & bestijs terræ.* Quæ apparet spiritu prophetico à Dauide pronunciata, ita mineæ eius in rem deductæ sunt, hostiles autem in ventos abiere.

Dauidis fiducia, & denũciatio cladis.

Interea Saul videns Dauidem egredientem contra Philisthæum, quærit ab militiæ principe Abnere de qua stirpe descendat hic adolescens; quod cum ille ignoraret, rem ipsam Rex à Dauide ipso mox didicit. Sed mirum valde est Dauidem nunc ignotum esse potuisse Sauli, qui non ita pridem apud ipsum habitauerat, citharam crebro coram ipso pulsauerat, denique armiger eius fuerat. Dicendum videtur plures causas huius ignorationis concurrere potuisse. Prima est S. Augustini, quæ plerisque probatur, mutatio scilicet in facie Dauidis, barba copiosius, vt fit illa ætate, per octodecim circiter menses adnascente, ac magnam faciei partem prius nudam ac læuem obtegente. Addatur mutatio habitus; aliter enim in aula, aliter in pascuis induebatur: vestitu autem admodum mutato, cum modica faciei mutatione, facile quis non agnosci potest. Facilis quoque est in principibus viris obliuio, cum multos habent subditos, à quibus ad tempus aliquod inuisuntur, nec multo post tempore apparent. Dauid autem nec diu in aula versatus est, nec facile apparebat ante Saulem, nisi cum is fiebat impos sui, & parum aptus ad homines dignoscendos. Nihil denique absurdi est dicere memoriam ac phantasiam Saulis, ex frequenti agitatione dæmonis, nonnihil fuisse debilitam.

XII. Saul inquirit de Dauide.

Mira eius ignorantia etiusq; causæ.

Sed reuertamur ad bellatores nostros, quorum prima fuit quasi velitatio verborum, ad iram cotem fortitudinis vtrique acuendam. Ad rem ergo extemplo ventum est; accingit se Philisthæus ad certamen, expedit arma, appropinquat hosti. Dauid quoque expedit arma sua. Educit enim è pera lapidem vnum, & in funda positum circumducit ad caput, vt impetu maiore ferretur, quem etiam cursus vibrantis augebat. Excussus toto conatu lapis, stridens diuerberat auras, & molientem arma Philisthæum, nec opinato vulnere in frontem ferit, tanto impetu vt osse confracto, lapis in fronte infixus hæreret, fractoque cerebro in faciem cruentum prosterneret, semiuiuum aut potius plane morruum. Nam satis constat fracti cerebri vulnus esse lethale. Quanquam dici potest Goliathum ictu lapidis ita iacuisse prostratum, vt non statim animam ageret:

XIII. Venitur ad pugnã.

Dauid lapidẽ infigit in frõte Goliathi.

ideo-

Eique caput amputat.

ideoque cucurrisse Dauidem, vt eum plane conficeret, bisque interfectum dici, quod gemina quodammodo morte, ex gemino mortifero vulnere moreretur. Caput autem præcidit, tum vt hominis omnibus certior esset interitus, tum vt vndique in triumphum circumferri posset, ad Dei Dauidisque gloriam, & vniuersi populi lætitiam.

XIV. Philisthæi fugiunt, quos Israelitæ persequuntur.

At Philisthæi postrato eorum coriphæo, fracti animis se in fugam dederunt. Vice autem versa multum animi ex tali spectaculo Hebræis accessit, qui *consurgentes vociferati sunt*, militari se clamore excitantes ad impressionem faciendam, & persecuti sunt Philisthæos, vsque dum venirent in vallem, quæ erat iuxta vrbem Accaron, atq; adeo vsque ad portas ipsius. *Ceciderunt-que vulnerati de Philisthijm in via Saraim, & vsque ad Geth, & vsque ad Accaron.* Septuag. & Iosephus priore loco habent Ascalonem, posteriore Accaronem: quæ vrbes non parum à se distant. Venientibus enim ex Ægypto prima vrbium Philisthæarum occurrit Gaza, tum Ascalon, tertia Azotus, quarta Accaron, postrema Geth. Ex quo intelligi potest fugam valde late fusam, ac dispersam fuisse, quò scilicet quemque aut impetus tulisset, aut spes euadendi, eò ferebatur, & strages tanto fuit maior, quo minus cõgregabantur ad resistendum. Cæsorum numerus initus non est, fortasse quia plurimis in locis, nec parum à se distantibus cædes facta est. Eum tamen vel inuenit, vel excogitauit Iosephus: ait enim triginta millia cecidisse, duploque plures fuisse vulneratos: reuersos autem Israelitas diripuisse castra hostium, atque incendisse.

l. 6. Ant. c. 11.

XV. Dauidis præda.

Quod autem dicitur Dauidem assumpsisse caput Philisthæi, & attulisse illud in Ierusalem, arma vero eius posuisse in tabernaculo suo, sic videtur accipiendum, arma omnia Goliathi ad tentorium, fratrum suorum, à Dauide delata, quod propterea ipsius dicitur, quia erat ei commune cum fratribus, dũ esset in castris. Et credibile est hanc prædæ partem, iussu Regis Dauidi fuisse tributam, qui tam nobili facinore solus victoriæ aditum potefecerat. Inde autem arma quæ nemini vsui esse possent propter magnitudinem, deportata sunt in Bethlehem in paternam domum: gladius autem nominatim consecratus est Deo, & in eius sanctuario, quasi anathema appensus. Sed hæc postea. Nunc deductus est Dauid à principe militiæ ad regem, caput Philisthæi habens in manu, longa videlicet cæsarie apprehensum, vt honoris causa Rex omnium primus hoc truci spectaculo lætaretur, vtque nouo bellatori, qui tam glorioſum militiæ rudimentum posuisset, rex ipse gratularetur, eiusque genus, vti cupiebat, ab ipsomet addisceret. Denique necesse erat introduci Dauidem ad regem, quandoquidem ex decreto regio, præmij loco ipsius generum illum esse oportebat.

Deducitur victor ad Saulẽ.

XVI. Ionathas multis titulis amat Dauidem. c. 18. 1.

Cum ergo Saul, & genus Dauidis, & alia, vt assolet, percontatus esset à iuuene, quem illi, iam egregia fortitudo conciliarat, idque coram Ionatha filio suo, cæterisque principibus viris; & Dauid singulari cum modestia & significatione virtutis respondetet, omnium ad se animos voluntatesque pellexit: Ionathæ in primis, qui ex eo sermone singulari eum amore complexus est. *Anima Ionathæ*, ait Scriptura, *conglutinata est anima Dauid.* Amor enim animos vnit, atque agglutinat, isque primarius est illius effectus, *& dilexit eum Ionathas, quasi animam suã.* Agnoscebat quippe in eo iuuentutis florem, sua ipsum sponte amabilem: oculorum, totiusque oris speciem ac dignitatem videbat, animi corporisque fortitudinem, omni prædicatione maiorem, digito ipso tangebat: audītione ipse sua vsurpabat sermonum modestiam, hominis nihil ex tali, tantaque victoria insolescentis, sed gratiosissimo potius pudore verecundantis. Quid quod habitantem in eius pectore odorabatur ipsum Deum?

XVII. Aliæ Amoris eiusdem causæ.

Nobilissimam præterea tribum Iuda, ad quam pertinebat Dauid, nobilem numerosamque familiam Isai non ignorabat. Quin etiam ex affinitate fratrem sibi eum fore, publico patris sui decreto, qui iam promissi reus esset, non dubitabat. Quid igitur mirum si Ionathas tot titulis amabilem Dauidem eximia charitate dilexit? Sed Deus quoque suauissimam tenerrimam præcordiorum instillauit in cor eius, qualis solet esse parentum in filios, vt Dauidem apud Saulem commorantem, fideliter fortiterque tueretur, adeo vt eius amicitiam paterna necessitudine antiquiorem haberet. Deinde cum similitudo sit amoris mater, multaque esset Dauidem inter & Ionatham similitudo, virtutis, studiorum, fortitudinis heroicæ, quam aduersus Philisthæos egregio vterque facinore probauerat, non potuit inde amor in Ionatha non efflorescere: qui cum mox agnitus esset à Dauide, nam factis ipsis mox à Ionatha patefactus est, mutuam in Dauide beneuolentiam peperit, vt perfecta inter vtrumque existeret amicitia, amore amorem procreante.

XVIII. Muneribus quoque testatur amorem.

Sed cum munera testes sint atque indices amicitiæ, imo & fomites ac tutores, Ionathas in signum intimæ beneuolentiæ, *expoliauit se tunica qua erat indutus, & dedit eam Dauidi, & reliqua vestimenta sua.* Potuit preciosis amicum monilibus Imperij candidatus honorare, sed voluit quamprimum occurrere necessitati amici, quem terre non potuit veste indutum pastoritia, vulgo aulicorum haberi contemptui, itaque thenone exutum, voluit in splendida veste fulgere, & quasi alterum Ionatham, quem vestibus exhibebat diligi, atque honorari: Ipsum autem Dauidem, cum se perpetuo in Ionathæ vestibus cerneret, eius vbique memoriam circumferre, & intelligere, se in animo Ionathæ penitus, intimisque visceribus, sicut in eiusdem vestibus, habitare. Neque hac liberalitate contentus, arcum suum manibus eius, & dorso pharetram, & baltheum renibus, & lateri gladium addidit, vt pastorem in virum militarem verteret. Cumq; viri militares arma sua magni faciant, præsertim quæ sunt eximiæ bonitatis ac decoris, qualia sunt arma virorum principum, Ionathas armis suis Dauidi largiendis, singularem erga eum beneuolentiam demonstrauit, simul etiã iudicauit tam egregium bellatorem armis optimis ac decentissimis initiandum esse.

Datis ei vestibus & armis suis.

XIX. Et fœdere cum ipso init.

Nec satis esse duxit Ionathas tacitis hisce, mutisque rebus deuinciri animos ac conglutinari, verbis opus fuit, certisque ceremonijs, fœdus ineundum erat, initum est. *Inierunt*, ait

Scriptor facet, *Dauid & Ionathas fœdus, diligebat enim eum, quasi animam suam.* Itaque cupiebat vt quale fœdus existit inter corpus & animam eiusdem hominis, quam antiquum, quam constans & immutabile, tale apud ipsos perpetuo perduraret. Existimat autem Abulensis, seruatas fuisse in hoc fœdere solemnes illas ceremonias occisi animalis, dissectique, & transitus ineuntium fœdus inter diuisiones, & non pactum duntaxat iureiurando firmatum; quia ceremoniæ illæ ad ipsam fœderis vim ac naturam pertinebant, sine quibus non esset, neque diceretur fœdus, sed pactum, vel promissio: fœdus autem perpetuo dicitur, tam ab vtroque ipsorum, quam à Saule, pactum vel promissio nunquam dicitur.

XX. Postremo consuetudine vitæ.

Accessit postremo ad absolutionem amicitiæ, mutua vitæ consuetudo, Saul enim, vel sua ipse sponte, vel annitente Ionatha, retinuit apud se Dauidem, *nec concessit ei vt reuerteretur in domum patris sui*, sicut antea. Et qui eum dudum armigerum suum esse voluerat, quod famuli cuiuspiam, aut gregarij militis est munus, nunc post datum fortissimi viri experimentum, *posuit eum Saul super viros belli*, non vt princeps militiæ fieret, Abnere exautorato, quem in sua perseueraſſe dignitate constat; sed vt, in quopiam inferiore magistratu, vices illius gereret, qui & grauis ætate, & dignitate regi patruelis esset. Itaque egrediebatur ad omnia quæcunque misisset eum Saul, vt qui & prudentia & fortitudine præstaret, & supra ætatem virtutes duci necessarias consecutus esset. Itaque cum Dauid apud regem gratiosus esset, & intima Ionathæ beneuolentia frueretur, facile id quoque consecutus est, vt acceptus esset in oculis vniuersi populi, maximeque in conspectu famulorum Saulis. Sed hæc posterius contigerunt, nunc ad Dauidis triumphum reuertamur.

XXI. Triumphus Dauidis.

Fugatis itaque conciſisque Philisthæis, reuersus est in ciuitates suas victor exercitus, lætitia triumphans & spolijs diues. Erat nimirum in regio curru Saul, tum Ionathas cum cæteris filijs regijs; inde Abner princeps militiæ, & Dauid publicæ huius lætitiæ fons & caput, vestitu omnes splendido atque magnifico. Dauid in primis in vestimentis armisque Ionathæ fulgebat, & famulari manu inimicum in conto præferebat caput; omnes coronis redimiti, armis decori, insigneſque palmis. Nec deerat multa in vinculis turba Philisthæorum, vilissimæ destinata seruituti: tubæ hinc inde hinc que læto clangore perstrepebant; cum festo sonitu bellicorum tympanorum: quibus ex aduerso in obuijs vrbibus occurrebant *mulieres canentes, choroſque ducentes in occursum Saul regis.* Sed ecce in hoc triumpho publicaque lætitia, amaritudo Saulis amarissima. Accidit enim ad ipsius aures ingrata illa vox, *Percussit Saul mille, & Dauid decem millia*, quasi intercalare carmen; quo significabatur laudabilem esse Saulis operam, in persequendis hostibus, quæ mille hostium cædi conferri posset, sed facinus Dauidis multo esse laudabilius, decuploque præstantius.

Et occasio offensionis regis in eũ.

XXII. Mulieres imprudẽtia peccarunt.

Qua in re mulieres hasce grauiter per imprudentiam deliquisse negari non potest, cum Saulem Dauidi, regem subdito comparauerunt. Cum enim omnis comparatio, etiam inter pares odiosa est, & priuatæ de se existimationi inimica, tum inter inæquales odiosissima. si minores maioribus æquentur; prorsus autem euadit intolerabilis, cum minores maioribus, atque adeo supremo in gradu positis præferuntur, quo modo ab istis peccatum est, cum subditus regi suo decuplo honorabilior proclamatus est. Itaque iusta fuit ira Saulis, eoque iustior, quo ad maius eius damnum illa iniuria redundabat, regni videlicet amissionem. Vnde & dicebat, *quid ei superest nisi solum regnum?* quasi dicat. Cum illum prædicent decuplo me præstantiorem, vtique & regno digniorem: illum ergo regem me exautorato constituent. Hæc autem tanto ingratiora fuerunt, quanto latius vulgata sunt, & ad ipsos delata Philisthæos. Cum tamen hæc inscio, atque haud dubie inuito Dauide iactarentur, iniusta plana fuit regis in ipsum indignatio, vt rectè disputat S. Chrysostomus: atque etiam inconsulta, optimum enim atque innocentissimum iuuenem, & de toto regno bene meritum, oportuit maioribus in dies beneficijs demereri, vt neque nocere vellet, neque posset; quia neque improbus esse vellet, neque ingratus.

Et Saul merito doluit, sed immerito contra Dauid.

Hom. de Dauid & Saule.

Huiusmodi ergo cantiunculis, Dauidicisque laudibus male saucius Saul, non diu animi sui dolorem dissimulauit, sed eum veltu quamprimum, ore, manibusque patefecit. *Non enim rectis oculis Saul respiciebat Dauid à die illa, & deinceps.* Post diem autem ab hisce cantilenis, & concepto in Dauidem odio, secuta est sua pœna nocentem. *Inuasit* enim *Spiritus Dei malus Saul, & prophetabat*, siue vt vertit Chaldæus, insaniebat, *in medio domus sua*, & fanda infandaque loquebatur. Sed non intra verba se continuit furor, ad furiosa facta prorupit. Cum enim Dauid interm.issum repeteret ministerium, *psalleretque manu sua, sicut per singulos dies facere consueuerat*, vel quibus furebat Saul, vel quibus animi gratia ipsum coram se psallere iubebat, Saul lanceam, quam tenebat manu, in Dauidem contorsit, ratus se eum cum pariete confixurum. Ergo sciens & volens nisus est perfodere Dauidem, vt Scriptura testatur; Elegit autem potissimum hoc tempus ad scelus perpetrandum, existimans intentionem suam ac voluntatem occultam fore, cum putaretur ab omnibus insanire.

XXIII. Quẽ deinceps persecutus est.

1. Reg. 18. 10.

At Dominus, qui Dauidem singulari prouidentia protegebat, teli iactum irritum fecit. Declinauit quippe Dauid à facie eius. Quod animaduertens Saul, cessante mox furore dissimulauit se scire quid contigisset, idque à se tentatum ægre ferre finxit, cum reuera doleret rem non fuisse perfectam, vt videlicet & odium vitaret suorum, quibus Dauid erat acceptus, & Dauid nihil sibi ab eo timens, solito se illi more permitteret, quod & fecit; & Saul rursus eundem ludum ludere conatus est, sed illusus, atque expectatione sua falsus est, *Dauide à facie eius secundo declinante*, vt ait Scriptura, & secundum ictum feliciter fallente. Idque non eodem die, sed alio postea, ne Dauidem parum prudentem fingamus, qui durante eadem insania, aut vix finita, eidem se periculo temere obiecerit. Itaque tum se à conspectu Saulis protipuit, neque illi apparuit, donec ab eo reuocatus est, profitente,

XXIV. A telo Saulis semel iterumque diuinitus liberatur.

cap. 18. 11. Hebr. duabus vicibus.

huius

huius sibi molitionem facinoris, extra se posito contigisse. Quod iuuenis facile credidit, qui nihil sibi esset conscius, neque adhuc didicisset, quid fraudis atque perfidiæ ambitio parturiret.

ANNVS MVNDI 2972.

SAMVELIS 33.

SAVLIS & ACHIÆ Pont. 11.

DERCYLI 22. Imperij Assyr. 1041.

ANTE CHRISTVM 1081.

I. Consilia Saulis in Dauidē.

NOuum inimus annum, occultis Saulis in Dauidem insidijs implicatum. Cum enim vidisset Rex Dauidem irrito conatu semel iterumque à se petitum, & insaniæ præsidio meditatum facinus perfici nequiuisse, tum demum intellexit inimici sui protectorem esse Deum, cuius ope à tanto periculo bis euasisset; itaque sibi ab eo timere cœpit, non vim, opinor, aliquam sibi ab illo inferendam, sed ne penitus repudiata à Deo familia sua, regnum in ipsum transferretur. Itaque cum certum sibi esset illum perdere, & desperaret à suis, à quibus vnicè diligebatur, rem confici posse, proprium autem conatum cerneret irritum esse, statuit aliena manu, sub specie honoris, illum perimere. Itaque qui mox ab occiso Goliatho illum Centurionem esse iusserat, nunc Tribunum esse voluit super mille viros, & insuper filiam ei suam despondit vxorem, vt fortissimum iuuenem, atque in primis generosum, in ea discrimina conijceret, in quibus aliquando periret.

1. Reg. 18. 5.13.

II. Quā callidaex 4 capitibus.

Hoc illi consilium merito visum est callidissimum, & commodissimum ad rem quam agebat. Primum: quia eadem opera amouebat eum à se, & tutum præstabat se ab eius manu, si quid ille forte moliretur aduersus occultum inimicum suum. Secundo ita hominem aliena manu perdebat, vt infamiam mortis eius, atque adeo suspicionem vitaret. Tertio honorabat iuuenem in testimonium integræ beneuolentiæ. Denique satisfaciebat edicto suo de promisso coniugio filiæ victori Goliathi, & datam liberabat fidem, quam fallere omnibus quidem hominibus, sed maxime regibus indecorum ac probrosum est. Quam autem prudenter se ac modeste in ea dignitate Dauid gereret, illa docent. *Et egrediebatur & intrabat in conspectu populi*, nimirum expeditiones iussu regis suscipiebat alacriter ac prudenter, & feliciter expediebat, saluo milite suo atque victore, quia *Dominus erat cum eo*, eiusq; beneficio cuncta illi prosperè procedebant. Hæc est illa felicitas in Imperatoribus laudatissima, plurimumq; expetenda. Itaq; rectè sequitur, *Omnis Israel & Iuda diligebat Dauid: ipse enim ingrediebatur & egrediebatur ante eos*, non quidem ante omnes, id enim erat munus principis militiæ, sed ante millenos suos, quibus se plerique alij, cum bona tribunorum suorum venia, adiungebant. Itaque quod in perniciem Dauidis humana malitia excogitabat, diuina bonitas ac prouidentia in eius gloriam conuertebat.

Tribunus prudenter se gerit, ac beneuole.

III. Vt Saul se gesserit in nuptijs filiarum suarum cum Dauide.

Quo autem cessit consilium Saulis ineundæ cum Dauide affinitatis? Spopondit ei filiam suam primogenitam, quam, fidem fallendo, alteri dedit. Moxque dedit illi Michol filiam alteram vxorem, vt fieret illi in scandalum, & manibus Philisthæorum periret, dum eorum præputia quærit, quæ, nisi illis occisis, obtinere non poterat. At Michol dilexit Dauidem, contra quam cupiebat pater, & fuit illi in salutem, & Philisthæis in copiosissimam gloriæ segetē: dum eos consilio & viribus incautos occupat, imparatos in pugnæ necessitatem conijcit, resistentes fundit, fugat, interficit. Et quantum, præclarè se gerendo, acquirebat gloriæ, tantum mansuetudine sua sibi beneuolentiæ apud æquos, iniquosque comparabat. Verum quod ad priorem illam sponsam attinet, ea iam Dauidi promissa fuerat non syncerè. *Dixit* enim *Saul ad Dauid, Ecce filia mea maior Merob, ipsam dabo tibi vxorem, tantummodo esto vir fortis, & præliare bella Domini.* In quæ illum temerè irruere cupiebat, vt se dignum talibus nuptijs ostenderet, & periret Philisthæorum manu, vt ibidem Scriptura confirmat.

IV. Dauidis in illis candor, ac modestia.

Dauid autem qui pro demissione animi sui nihil sibi tribuebat, & candidè ex animo ipse suo regis animum interpretabatur, ingens sibi conferri beneficium putabat. Itaque aiebat, *Quis ego sum, & quæ est vita mea*, id est, quæ res à me gestæ, *aut cognatio patris mei in Israel, vt fiam gener regis?* Et par quidem erat subditum, & in familia sua natu minimum, omnia sua verbis abijcere atque extenuare. Sed par erat quoque regem promissi & iustitiæ non esse immemorem. Nam illam in acie vniuersè promiserat, vt aliquem induceret ad singulare certamen, induxit Dauidem, factus est voti reus; cunctatur, promittit secundo nominatim Dauidi, & vtramque promissionem irritam reddit. Cum enim aduenisset tempus vt daretur Dauidi, *data est Hadrieli Molathita.* Quid causæ? non promiserat animo standi promissis, & matrimonium celebrandi, sed vt ille, spe coniugij tam illustris, præceps in pericula ruens periret, qua spe frustratus, resilit à promissis.

V. Animum applicat ad nuptias Micholis.

At Dauid nihilo commotior quam si nullam accepisset iniuriam, vt qui ex animo talibus se nuptijs indignum putabat, sicut & verbis profitebatur, ad alteram Saulis filiam animum requisitus applicuit. Cum enim Michol sororem suam alteri nuptui traditam videret, rem ad se pertinere putauit, & Dauidem diligere cœpit, nec amorem dissimulauit. Et erat cur diligeret amore longe dignissimum, ad quem ornandum virtus, ætas, forma, genus egregie conspirarent. Hic amor cum patri nunciatus esset, *placuit ei*, & in futuras nuptias mala rursum intentione consensit, vt scilicet fieret illi in lapidem offensionis, non quod reuera ea quidpiam mali machinatura esset, sed vt spe illius potiundæ, dum Philisthæorum plurimos occidere conatur, propter appositam à rege conditionem, occumberet. Micholem ergo à rege de more postulauit, siue ipse per se, siue gratiosi cuiuspiam amici, puta Ionathæ intercessu.

VI. Cōsentit Saul in

Respondit Saul sibi perinde esse, vt in alterutra filiarum fiat gener ipsius, & quoniam

prior

nuptias Micholis, sub conditione.

prior iam esset elocata, posteriorem eius vxorem fore. At Chaldæus, in vno duorum, inquit, eris gener meus, id est, in dote danda, vel in præputijs; sed quia Dauid excusauit tenuitatem suam, Saul elegit centum præputia Philisthæorum, quæ sibi intra dies aliquot, dotis loco numerarentur. Nec mirum videri debet dotem à genero siue marito peti, cum illa dari soleat ab vxore. Nam antiquitus maritus vxorem dicebatur emere, & maritum vxor, dicebanturque fieri per coëmptionem nuptiæ. Admittit conditionem Dauid, seque ac suos ad eam quamprimum explendam comparauit, & priusquam dies assignati transacti essent, occisis ducentis Philisthæis, ducenta regi præputia numerauit, vt esset gener eius. Quo autem modo illi in Dauidis potestatem venerint, proditum non est. Nec parum callida fuit Saulis petitio, qui non aures aut capita Philisthæorum petierit; Ne Dauid cum suis prædonum more obuios quoslibet trucidarent, quos tamen Regi dicerent esse Philisthæos. At præputia in solis Philisthæis inuenturi erant, nisi regiones longinquas adituri essent, quod assignati temporis angustiæ non ferebant.

Quã admittit Dauid, & explet.

l. 6. Ant. c. 11. & 13. q. 37. in c. 18.

Iosephus & Abulensis existimant Saulem pudore compulsum, nec vltra tergiuersari valentem dedisse filiam suam Dauidi, negaturum alioqui, cum in promittendo nuptias nihil aliud spectasset quam interitum generi. Verum post iniuriam illi factam, in fallenda fide in filia natu maiore, ferrei esse oris existimauit, in hac quoque, tanto periculo coëmpta, perfidiose agere. Itaque dedit illi filiam suam vxorem, vt mox tanto maiori scelere, viri innocentis, & præclare de se, totaque repub. meriti, & fortissimi iuuenis, & prudentissimi ducis, & generi, qui instar est filij, fieret perduellis. Itaque nuptiæ ex parte soceri dissimulatione plenæ fuerunt: ex parte autem coniugis vtriusque, syncerissimæ. Nam Michol, quæ Dauidem ante dilexerat, nunc dilexit etiam vehementius, qui sui causa tantum apud Philisthæos periculi adijsset. Cui amori Dauid egregie respondebat, vel hoc nomine, quod ipsa quamuis genere præstantior & opibus, beneuolentia tamen erga ipsum certasset prior, & maritum optasset. Honorabat quoque, vt regis filiam, vt principis sororem, vt fortunis opulentiorem; vt causam dignitatis suæ.

VII. Dat Saul filiã Dauidi, sed inuitus.

Mutuus coniugũ amor.

Cæterum Micholis in Dauidem amor patentem fefellit, qui sperabat se habiturum illam perfidiæ suæ, ac crudelitatis administram, & paternum amorem tanto antiquiorem maritali antelaturam: sed improba spe frustratus, post contractam affinitatem, cœpit magis timere Dauid: vt qui haberet domi suæ filium ac filiam impense addictos illi viro, quem ipse capitali odio prosequeretur, & quoquo modo sublatum cuperet. Nam quod hactenus clandestinis machinatus erat insidijs, mox apertis odijs attentauit, vt sequenti anno dicemus.

VIII. Præter spem Saulis.

IX. Excursio Philisthæorũ.

Interim *egressi sunt* de finibus suis, *principes Philisthæorum*, proculdubio ad bellum, memores eorum quæ nuper apud ipsos Dauid hostiliter perpetrarat. Fremebant nimirum occisos cives suos, sed multo etiam vehementius indignabantur, cum cæsorum corpora præputio mutilata, quasi in ipsorum contumeliam & probrum, animaduertebant. Itaque simili aliqua virorum fortium excursione suscepta Hebræis luculentam cladem reponere satagebant. Maxime autem imminebant Dauidi, quem præsentium suorum malorum fontem agnoscebant & caput. Sensit id Dauid, & *à principio egressionis eorum prudentius se gerebat*, quam omnes serui Saulis. In odorandis scilicet, atque anteuertendis hostium consilijs, in locorum opportunitate occupanda, in parandis insidijs atque vitandis, alijsque id genus militaribus institutis. Quæ hoc erant admirabiliora, quo minus ea per ætatem callere, nedum patrare posse videbatur. Nec plura de hac vel excursione, vel bello memorantur, quo autem exitu finem acceperit non liquet. Non videtur certe vltra hunc annum processisse, opera præsertim Dauidis, cuius nomen celeberrimum factum esse Scriptura hæc ipso loco testatur.

ANNVS MVNDI 2973.

SAMVELIS 34.

SAVLIS & ACHIÆ 12.

DERCYLI 32. Imperij Assyrior. 1042.

ANTE CHRISTVM 1080.

VRebat in dies vehementius Saulem inuidia, & quot ad eum nuncij de re bene à Dauide gesta contra Philisthæos perferebantur, totidem illi erant tormenta & cruces. Hærebat saltem ambiguus lætaretur ne atteri vires hostis infestissimi, spolijs ditari populum suum, pacem ac libertatem Hebræorum altiores semper radices agere: an tristaretur, quod illum, quem sibi domesticum fingebat hostem, & sceptro suo ac solio imminentem putabat, gratia in vniuerso populo, gloria in omnibus gentibus in dies inualescere sentiret. Cumq; duas in partes infelicis Principis animus distraheretur, hic tamen dolor illam lætitiam absorbebat, quòd priuata mala nos acerbius crucient, quam communia commoda consolentur. Hoc porro anno Saulis in Dauidem inuidia, atque odium erumpit foras: & quod ipse per se, occultasque machinationes perficere non potuerat, Deo illi ad gloriam & beneuolentiam conuertente, quæcumque ad eius perniciem parabantur, ascito sorum auxilio conficere omni ope conatur, vt sic plures indignissimi sceleris participes fiant, & cædes innocentissimi iuuenis redundet in plures.

I. Misera Saulis inuidia.

Erumpit foras.

Quin & ipsum Ionatham optauit eiusdẽ facinoris administrum, quo & recentis affinitatis, & iamdudum inita amicitiæ fœdera violata conciderent. Nam *locutus est Saul ad Ionatham filium suum, & ad omnes seruos suos, vt occiderẽt Dauid.* Cum enim adhuc ignarus esset mutui inter eos fœderis, non absurde sperauit Ionathã hoc facinus per se suosve confecturum, quia ipsius maxime interesse videbatur mori Dauidem, qui patris regnum, ipsi tanquam primogenito debitum, videbatur occupaturus: iuxta illud Saulis. *Omnibus diebus quibus filius Isai vixerit super terrã, non stabi-*

II. Domesticos, ipsumque Ionathã inuitat ad cædem Dauidis. 1. Reg. 19. 1. 1. Reg. 20. 31.

lieris

heri tu, neque regnum tuum. Verum Ionathas antiquiorem habuit fidem Dauidi datam, & iureiurando firmatam, paterna beneuolentia cum scelere copulata, atque adeo debito, ac sperato regno. Et huc quoque respexisse videtur Scriptor sacer, cum Saulis iussione memorata, subdit, *Porro Ionathas filius Saul diligebat Dauid valde.* Vt propterea frustra id facinus sperauerit ab eo Saul. Sicut & à filia sua, quam voluit oblitam suæ cum Dauide necessitudinis, & intimæ charitatis, imperanti parentis cupiditati seruire.

III. Qui amice ac prudenter se gerat.

Pertinet nihilominus repetita hoc loco Ionathæ in Dauidem dilectio, ad manifestatas ab eo Dauidi paternas insidias. *Quærit*, inquit, *Saul pater meus occidere te.* Non potuit pro amico aduersus patrem arma capere; nec debuit & amici, & innocentis incolumitati deesse: quod ergo proximum fuit egregiè præstitit, vt patrem a sententia deducere conatetur, & amicum moneret, vt studiosius salutis suæ curam gereret; & quidem proximo tempore matutino, quod eius cædi fuerat destinatum: se autem daturum operam vt pater abiret à priore sententia, & mandatum reuocaret, eaque de re quamprimum moneretur, vt è latebris emergeret: ita ab vtroque constitutum, ita factum. Captauit Ionathas idoneam occasionem adeundi patris, eiusque in difficili causa factus patronus. *Ne pecces*, inquit, *in seruum tuum Dauid, quia non peccauit tibi, & opera eius bona sunt tibi valde. Et posuit animam suam in manu sua, & percussit Philisthæum, & fecit Deus salutem magnam vniuerso Israeli, vidisti & lætatus es,* nimirum nondum insonuerat illud fatale carmen, *Percussit Saul mille, &c.* concludit. *Quare ergo peccas in sanguine innocio, interficiens Dauid, qui est absque culpa?* Sic ille.

Et conciliat Dauidem patri.

IV. Quod præ cunctis maxime poterat.

Valuit breuis sed elegans & accurata oratio ad mitigandum regem, valuit non solum æquitas causæ amanter ac suauiter demonstratæ, sed persona ipsa Ionathæ, qui cum esset quadragenarius, non indecorè monebat parentem senem, quique illi alioqui erat charissimus, & mediatorem agebat innocentis, nec se Dauidi addictum, ac fœderatum præse ferebat: neque id adhuc sciebat Saul, vt dixi. Nam postquam illi res innotuit, factus est implacabilis, & vehementius furens filium monitorem tanquam pernoxium inuasit. Hæc ergo, & his similia cum audisset Saul, & animo etiam suo fortasse reputasset, eam quam parabat Dauidi necem, ad maximam filiæ suæ iniuriam pertinere, placatus voce Ionathæ iurauit, *viuit Dominus quia non occidetur.* Vere vtique iurauit ac syncerè, quandoquidem placatus erat. Periurus tamen postea factus est, quando mutata voluntate, licet Dauide in sua innocentia perseuerante, omnem lapidem mouit vt eum interficeret.

V. Deducit eum ad Saulem.

His ita compositis, deduxit Ionathas Dauidem ad patrem, *& fuit ante eum sicut fuerat heri & nudius tertius*, aut, vt esse solent qui reconciliantur. Nec tamen ita fuit ante eum, vt in eadem cum rege domo habitaret; nam in propriis ædibus cum vxore habitabat, vt sequens docebit historia, sed eum subinde adibat, siue importunum hospitem repressurus, siue mandata bellica, vt tribunus, à rege accepturus. Verum hæc reconciliatio perexigui temporis fuit: vigebat quippe intimis in præcordijs radix amaritudinis, quæ sursum facile germinaret. Nam cum iterum motum esset bellum Hebræos inter & Philisthæos, & his infestis armis Iudæorum fines inuadentibus, *Egressus ad bellum Dauid pugnauit aduersus Philisthæum, percussitque eos plaga magna, & fugerunt a facie eius.* Quamdiu autem durauerit hoc bellum, & quomodo gestum fuerit compertum non est. Illud certe satis constat, Dauidem cum publico omnium præconio, prudentiam & fortitudinem ducis ac militum eius prædicantium, ad regem esse reuersum: eaque re miseri Saulis liuorem redintegratum: & illi debitam pœnam, Deo dilecti sui Dauidis iniuriam vlciscente, rursus impositam.

Renouatum cum Philisthæis bellum, & citò a Dauide sopitum.

VI. Saul iterũ vexatur, eique Dauid adest.

Nam *factus est spiritus Domini malus in Saul.* Æquum enim fuit, vt qui diabolico inuidiæ vitio furebat in animo, diabolico etiam cruciatu in corpore insaniret. *Sedebat autem in domo sua & tenebat lanceam.* Id illi erat pene perpetuum, adeo vt etiam in mensa, & in lecto lanceam suam haberet ad manum; & apparet eam breuem fuisse, & à rege facile penitusque tractatam. *Porro Dauid psallebat manu sua*, coram Saule, vt improbi dæmonis vexatio mitigaretur: nec tamen imprudenter, etsi iam semel atque iterum inter psallendum mortis discrimen adierat. Cum enim ab eo tempore Ionathæ reconciliatio interuenisset, non debuit Dauid præ se ferre eam sibi esse suspectam. Dici etiam potest, Dauidem non nisi vocatum, in id periculum se coniecisse, vocatum autem non venire, neque ægritudini regiæ remedium afferre cum possis, id nimirum crimen videri poterat imminutæ maiestatis. Aderat itaque furenti Dauid, nec sibi minus à Saule quam à dæmone timebat, ne vel hic nescientis manum ad cædem impelleret, vel ille sciens, vt antea, ex deprauato habitu incautum hasta perfodere niteretur.

VII. Et tantũ non Saulis hasta perfoditur.

Nec sine causa timuit, & Regis lanceam obseruauit; *Nisus est enim Saul configere Dauidem lancea in pariete, sed declinauit Dauid*, non solum ab ictu lanceæ, sed etiam *à facie Saul, lancea autem casso vulnere perlata est in parietem, & Dauid fugit, & saluatus est nocte illa.* Periculum enim erat ne eum statim à suis satellitibus interfici iuberet. Nec inane fuisse periculum res ipsa docuit: sed Dauidi nox fauit ad fugam, tam è regis palatio, quam mox à propria domo. *Misit* enim *Saul* mox à priore fuga *satellites suos in domum Dauid, vt custodirent eum, & interficeretur mane.* Iussi sunt expectare lucem, ne ille per noctem inueniri non posset, aut aliquo modo ementito habitu, tenebrisque tectus dilaberetur. Excepit ex fuga Dauidem Michol, & ab eo fugæ causam accepit.

Qui domum fugit, ibique obsidetur.

VIII. Michol in eum officiosa.

Ecce autem videt illico armatis obsessam domum, omnesque illius aditus, itaque facile intellexit eos ad capiendum Dauidem conuenisse: cumque cerneret eos illic excubias agere, nec conari in domum irrumpere, conijcere cœpit eius comprehensionem & cædem in matutinum tempus differri. Fieri autem potest vt Ionathas sororem suam, per fidum aliquem famulum curriculò monuerit de periculo Dauidis, priusquam satellites domus ipsius aditus

obside-

obsiderent. Itaque illa fidenter ad coniugem, *Nisi saluaueris te*, inquit, *nocte hac, cras morieris*. Egregius regiæ mulieris animus, quæ nec lamentis tempus, aut lacrymis terit; nec inani spe placandi patris, coniugem retinere satagit: nec noua coniux solatij sui, sed mariti amans, salutis eius curam gerit. Haud surdo narrata fabula; parat fugam Dauid, nec dubitari potest quin ante fugam Deo se obnixe in tam præsenti periculo commendarit.

IX. Parat fugam Dauid.

Cum enim per fenestram obsessis militi ianuis, aufugiendum esset, facile erat excubitores sonum aliquem per fenestram labentis excipere, accurrere, fugam molientem comprehendere, ad regem deducere, repugnantem gladijs confodere. Constat certe in eo periculo constitutum Psalmum 58. composuisse, dum expectatur vt custodes ad ianuam Domino fauente sopiantur. Interim autem dum orat Dauid, Michol strenue parat, quæ ad incertam fugam, diuturnam fortasse, necessaria erant, autem ad fenestras attentam admouet suspenso vestigio domum obit interior, & sub multam noctem explorat quid excubitores agant: mirum sentit silentium, nec voces loquentium, sed ronchos audit stertentium. Redit ad Dauidem suum, sopitos custodes nunciat, fenestram ad latus domus incustoditam ostendit, qua minimè omnium periculosus descensus tentari possit. Persuadet, & post vltimos amplexus confusasque lacrymas, in sporta fortasse per funem demissus euadit, custodibus, qui aditus tantum domus obsederant, sapienter elusis. Inde autem fugiens non in Bethlehem ad suos, vbi facile reperiri & capi posset, sed ad Samuelem profectus est, quò nemo cum facile suspicaretur abijsse, vbi esset ab aula & hoste tuo quam remotissimus, & vbi amplissimi viri authoritas eum redderet tutiorem.

& per fenestram delabitur.

X. Michol simulacrum Dauidis in lecto collocat, & cur.

Michol autem, vt plus temporis Dauidi ad elabendum daret, fallaciam ingeniosè commenta est, qua custodes ad liquot horas diei detinuit. *Tulit*, enim *statuam, & posuit eam super lectum*, apposuit & pellem villosam *caprarum ad caput eius*, quæ scilicet hominis iacentis cæsariem repræsentaret, *& operuit eam vestimentis*. Cum ergo nocturni custodes exeuntem ad multam diem frustra præstolati essent, retulerunt ad regem, Dauidem non exire domo. Is *misit* illico *apparitores qui raperent Dauid*, & scilicet ad se perducerent occidendum. Hic mulier excusat mariti morbum; illum totam noctem inquietam atque insomnem exegisse: ortarque ne afflicto detur afflictio, nihil esse in aliqua mora periculi, Dauidem regis voluntati, neque velle neque posse resistere, qui sciret longas regibus esse manus. Redeunt isti ad regem, Micholis responsum referunt, ægrotare Dauidem: & habebat ægritudo, hoc rerum statu, non exiguam probabilitatem. Simulque spes dabatur non fugiturum qui morbi vinculis teneretur adstrictus.

XI. Fraus ejus agnoscitur.

Ille nihilo placatior misit iteratò satellites, qui eum ad se in lecto deferrent, vt occideretur. Non iussit occidi in lecto, veritus ne fingeretur occisus, & morti eriperetur ab hominibus, qui eum minime oderant. Hîc videlicet fraus mulieris patefacta est, cum iam per tot internuncios multum temporis consumptum esset. Nimirum retectus est lectus à satellitibus Saulis, & inuento Dauide ligneo, confusi circunspiciebant se, & Micholem in re quamuis seria subridentem: moxque adito rege nouam metamorphosim nunciant. Ille iratus filiam accersit, vtique puniendam, nisi illa idonea sibi responsione consuleret. *Quare*, inquit Rex, *sic illusisti mihi, & dimisisti inimicum meum vt fugeret?* Non excusauit ignorantiam harum inimicitiarum, vt parum probabilem, non coniugis amorem, quem rex indignatus fuisset paterno præponderasse; Sed excusauit metum, qui non solum in fœminam caderet, sed etiam in constantem virum. *Ipse locutus est mihi*, inquit, *dimitte me, alioqui interficiam te*. Atque ita officioso mendacio iram a se patris auertit, & eum seruis suis deridendum propinauit.

& rex illuditur.

XII. Dauid fugit ad Samuelem.

Dauid porro fugiens venit ad Samuelem, vt dixi, vt apud eum lateret. Neque enim erat Sauli causa, cur inimicum suum ad prophetam confugisse suspicaretur, vt qui nihil de eius inunctione didicerat; & maxima erat eandem ob causam Dauidi ratio, cur ad illum tanquam ad parentem, & diuinæ erga se prouidentiæ internuncium, ac ministrum accurreret, siue vt ab eo consolationem acciperet, siue vt per eum Dominum dubijs in rebus afflictisque consuleret. Nunciauit autem ei omnia, quæ fecerat sibi Saul, ex quo illum, ob imprudentes mulierum cantilenas auersari cœperat, quoties illum gladijs Philisthæorum obiecerat, & nominatim vt ipsum vibrata lancea, semel, iterum, tertio pene perfoderat, & ad hanc denique nocturnam fugam, obuallata domo satellite, indubitatæ mortis metu perpulerat. Quæ oratio Samuelis vtique luctum de Saule, si is forte resederat, copiosè renouauit, & ad consolandum ac protegendum fugitiuum suum paterno affectu incitauit.

XIII. Et cum eo in Naioth, & quis ille locus.

Abierunt porro vterque in Naioth, quem collem quidam in vrbe ipsa Ramatha, alij in eius agro collocant, quam domum doctrinæ Chaldæus interpretatur, vbi Samuel docebat eos, qui mox dicuntur prophetasse, eorumque collegia agnoscunt Abulensis & Seratius. Vt facile sit intelligere hoc loco instituros adolescentes, qui in lege Domini erudiebantur, omnia moderante Samuele, qui ab aulæ strepitu semotus, ita Deo vacabat & sibi, vt in iuuentute recte informanda in primis sibi elaborandum putaret. Ibi Dauid requiem aliquam se inuenturum putabat ad vacandum Deo, qui eum ad maiora certamina, turbasque destinarat, eoque permittente intra breue tempus cognitum est à Rege Dauidem apud Samuelem in Naioth latêre. Prædam enim elapsam è manibus Saul studiosissimè persecutabatur, exarsitque cupiditate illius capiendæ, imo rapiendæ. *Misit enim lictores*, ait Scriptura, *vt raperent Dauid*, & videlicet ad se volentem nolentem adducerent occidendum. Ac fortasse non impune tulisset hanc suam charitatem Samuel, nisi Dominus vtriusque incolumitati mirabiliter prouidisset.

Quod Saul innotuit.

XIV. Lictores prophetant, & qua fue-

Lictores enim cum primum, *viderunt cuneum Prophetarum vaticinantium, & Samuelem stantem super eos, factus est etiam spiritus Do-*

mini

mini in illis, & prophetare cœperunt etiam ipsi. Prophetare interpretantur hoc loco Chaldæus, alijque docti interpretes, Deum laudare, sicut & superius recens inuncto Sauli contigit, cum in cuneum prophetarum incidisset. Contigit autem dupliciter spiritus iste propheticus, diuino afflatu, sine vlla humana industria, Deo illustrante intellectum ad concipiendum, & voluntatem ad enunciandum per organa corporis diuina opera, atque celebranda. Idipsum etiam studio humano contingit, alijs alios edocentibus; priore modo satellites isti, & mox Saul ipse prophetauit, posteriore discipuli Samuelis. Ipse autem Samuel & Dauid, qui spiritu prophetico iamdudum donati fuerant, eamque scientiam vsu ipso expoliuerant, vtroque modo prophetasse dici possunt. Porro nuncij Saulis, non solum mente diuinitus illustrati, sed voluntate etiam ita immutati sunt, vt nec curarent Dauidem comprehendere, neque redire ad regem, vna in eis prophetandi & psallendi cura dominante.

ut hæc prophetia.

1. Reg. 10. 10.

1. Reg. 19. 21.

Quod cum nunciatum esset Sauli, misit & alios nuncios: prophetauerunt autem & illi. Et rursum misit Saul tertios nuncios, qui & ipsi prophetauerunt: eademque opera docuerunt Saulem, ipsum pugnare cum Deo, qui eius conatibus præter omnem naturæ modum obsisteret; & quanti etiam faceret Dauidem, in cuius salutem prophetiæ gratiâ etiam in sicarios profunderet. Diuinam quoque bonitatem, ac potentiam prædicabant, qui tam blande Saulem puniret in crimine hærentem. Quique hominum intellectum & voluntatem ita regeret, vt sine vlla violentia velle omnino desinerent quod maxime volebant, Sauli videlicet obtemperare, & velle inciperent, constanterque vellent, quod statuerant ante non velle. Nam posteriores nuncij statuerant non prophetare, sed Dauidem rapere. Et ne quam fraudem rex suspicaretur, ipsum quoque vel inuitum prophetare voluit, & Dauidem in ipsius, omniumque satellitum oculis impune subsistere, & cum libuisset, impune quoque discedere.

XV. Aliquot huius prodigij fines.

Dei potentia in intellectum, & voluntatem hominis.

Sed Deus hoc mirabilius ostendit Sauli spiritus sui potentiam, quò eum sibi vehementius obsistentem, & improbæ voluntatis tenacem inuenit, diuinam enim in se vim, & citius sensit, & vehementius quam satellites. Citius quidem, quia cæteri spiritu prophetico rapiebantur, cum ad conspectum Samuelis & Dauidis peruenissent, ipse autem ex itinere prophetare cœpit, & diuinas laudes canere, facto enim super eo spiritu Domini, ambulabat ingrediens, & prophetabat vsque dum veniret in Naioth. Vehementius autem spiritu prophetico impulsum apparet ex eo, quod illo incitante deposuit ipse vestimenta sua; quod alij non fecerant: maius quippe mysterium in Saule agebatur, qui spoliando se vestibus regijs, et quem persequebatur, regnum se relicturum significauit, teste Theodoreto; Procopio, & Ruperto. Quod autem cecidisse dicitur nudus tota die, & nocte, de prædictis tantum vestibus accipiendum est, neque enim Samuel, & qui cum illo erant, tantam eius ignominiam ferre potuissent. Ille autem casus ad agitationem consuetam mali spiritus referri potest: quæ ideo diuturnior fuit, quod illi intrigandæ Dauid operam non dedit, sed saluti suæ fugiendo consuluit.

XVI. Saul prophetat inuitus præ suis nuncijs.

Spoliat se.

Sequitur ergo deinceps fuga Dauidis de Naioth. Dum enim Saul diem noctemque iacet impos sui, abit Dauid ad Ionatham, vt significat sequens Scripturæ narratio: in qua non sine causa putat Abulensis desiderari aliquam reconciliationem, quæ facta sit interuentu Ionathæ, ad quem Dauid querelam detulerat, quæ mox habetur in textu. Alioqui absurdum erat mirari Saulem, quod Dauid abesset à mensa eius. Absurda quoque excusatio Ionathæ de profectione Dauidis in Bethlehem. Diceret potius. Quid miraris abesse hominem, quem tu toties interficere voluisti? cum nulla interuenerit reconciliatio, ex quo tu tot satellites misisti in Naioth ad eum comprehendendum? Itaque cum illo dicendum videtur, querelam quandam priorem Dauidis ad Ionatham desiderari, cum reconciliatione secuta, quæ cum esset suspecta Dauidi, conquestus est apud Ionatham, prout habetur in textu. *Quid feci? quæ est iniquitas mea?* &c. Eam querelam ac reconciliationem, quam nos in Annalibus vtcumque suppleuimus, in hac epitome candidus Lector desiderari patietur.

XVII. Dauid fugit è Naioth.

Abesse à textu vnam reconciliationem.

nn. 43. ad 49.

Cum ergo non obstante reconciliatione illa, Saul quæreret animam Dauidis, ratus sine ea cæde nihil à se boni sperari posse: ea perpetrata, læta sibi omnia, & tranquilla fore, eamque simulationem sentiret Dauid, ad fidam sibi anchoram confugit, & apud Ionatham de patre ipsius expostulans. *Quid feci*, inquit, *quæ est iniquitas mea, & quod peccatum meum in patrem tuum, quia quærit animam meam?* simulque rabitis coniuratorum in se nominibus pertexit, quantum, à reconciliata nuperrime gratia, capitis discrimen adierit. At Ionathas patrem excusat quantum potest, modo calumnias causatus, modo insaniam, ob quam non odio, sed commiseratione dignus sit. Cædis autem ipsius voluntatem ex eo infirmat, quod pater omnia sua cum ipso communicet, itaque istam quoque postremam coniurationem communicaturum fuisse. Quod recte refellit Dauid, *Scit profecto*, inquit, *pater tuus, quia inueni gratiam in oculis tuis, & dicet, Nesciat hoc Ionathas, ne forte tristetur.* Itaque inscio te tollar ego de medio. Et reuera in præsentissimo periculo mortis perpetuo versor.

XVIII. Saul iterũ coniurat in Dauidem, qui propterea queritur apud Ionathã.

Persuasus Ionathas magnitudine periculi, in quo versabatur Dauid, vbi satius esset nimium esse timidum, quam parum prudentem, percunctatus est, qua in re illi opem ferre posset. Ille ex responso regis super absentia sua capere vult coniecturam de regis erga se animo, Ionatha totam rem ad se in agro latentem deferente. Quo autem animo esset nunc Dauid ex illa conclusione facile intelligitur. *Fac ergo misericordiam in seruum tuum, quia fœdus Domini me famulum tuum tecum inire fecisti. Si autem est iniquitas aliqua in me, tu me interfice, & ad patrem tuum me introducas me*, ab eo videlicet occidendum Satius enim videtur ab amico quam ab inimico affici morte. Ille enim necessitate cogente, dum amicum lugens interficiet, cum luctu tuo aliquo modo consolabitur; at inimicus dum interficiet cum gaudio inimicum, hoc ipso morientis pœna ex inimici lætitia nouo dolore cumulabitur. Cæterum in huiusmodi postulato agnoscenda

XIX. Et magno animi sensu.

dignitatis, vt ad regnum factus videri posset. At Dominus respondit, se externa hæc non morari, quæ homines, qui interiora non cernunt, magni faciunt. Recte autem putat Abulensis collocutionem hanc omnem Deum inter & Samuelem externam fuisse, & vtriusque vocem ad circumstantes pertenuisse, ne electionem hanc illi non à Domino factã. sed à Samuele fictã arbitrarentur, si nihil ipsi viderent, audirentve, quo illis fides fieret; ideoque neque electioni acquiescerent, sicut cum audirent missa diuinitus voce, reijci se ac repudiari. Itaque fratres omnes cum parente conscij fuerunt electionis & vnctionis Dauidis. Neque timendum erat ne plures conscij rem vulgarent; illi enim soli erant conscij, quorum vehementer intererat rem taceri.

Collocutio externa Dei siue Angeli & Samuelis.

VIII. Cæteri sex ordine sistuntur, neq; eligũtur.

Cum ergo Propheta reiectum dixisset Eliabum, cæteri producti sunt ordine, atque improbati, nec tamen vllus eorum foras exijt, sed substituerunt omnes in eodem triclinio, vt viderent quem tandem exitum habitura res esset. Vnde mox Dauid dicitur inunctus in medio fratrum suorum: & Samuel de præsentibus loquens, *Non elegit*, inquit, *Dominus ex istis*. Demonstrando manu eos qui aderant. Cumque iam septem reiecti fuissent, ventum est ad octauum Dauidem qui domo aberat, quem Samuel ante prandium euocari iussit è pascuis, vbi ouium curam gerebat. Pertinet hoc ad illorum temporum simplicitatem, cum honestissimis orti familijs oues pascebant, & quærebant asinas, & agebant bubulcos, & regibus offerebant panes in clitellis, aulica vanitate nondum in mores inducta. Apparebat autem pascua non longius abfuisse: ne non satis vrbana esset ista retardatio prandij, ad serum iunioris opilionis aduentum.

IX. Dauid euocatur, adest, docetur, inungitur.

Adest atque introducitur adolescens non sine timore fortasse, certe non sine innata verecundia, & erat qui placere posset, erat quippe rufus, & pulcher aspectu, decoraque facie, & festinatio gratiam rubicundi coloris adiecerat. *Et ait Dominus*, non expectata interrogatione Samuelis, *Surge, & vnge eum, ipse est enim*, quem prædixi tibi, quem prouidi mihi. Surrexit, vt sacram vnctionem maiore cum veneratione perficeret. Sed prius, vt par erat, eum tota de re breuiter docuit, iussitque diuinæ acquiescere voluntati. Quod ille, vt se ex noua admiratione collegit, quamuis obsequendi studiosior quam imperandi, sibi denique passus est persuaderi, re tota diuinæ prouidentiæ permissa, quæ sæpe parum idonea instrumenta mirabilium operum eligit, vt tanto magis intelligatur, Dei id opus esse, non hominis. *Tulit ergo Samuel cornu olei, & vnxit eum in medio fratrum eius*. Sed & reliquas, vt opinor, ceremonias adiecit, quas prius in Saule vsurpauerat. Valebant enim ad conciliandam illi, apud maiores natu fratres, internam quandam venerationem, qualem vulgo laici clericis deferre solent. Nec paternæ apud iuuenem adhortationis est oblitus.

X. *Cap. 16. 13* Dirigitur spiritus Domini in Dauidem.

Sequitur sacræ huius vnctionis effectus. *Et directus est spiritus Domini à die illa in Dauid, & deinceps*. Non videtur accipiendus hoc loco Spiritus Domini, spiritus charitatis, aut gratiæ gratum facientis. Absit enim à nobis opinari hac primum die datum hunc spiritum Dauidi, de quo iamdudum dixerat Dominus, se in eo inuenisse virum secundum cor suum. Itaque rectè auctum dicemus hodie, & vehementer amplificatum in Dauide spiritum illum; primùm autem datum nõ dicemus. Eodemq; modo aucta ea dona, quæ principem illam ac primariam gratiã vel natura sua, vel Dei benignitate consequuntur. Plerique non male spiritum Prophetæ, alij fortitudinis intelligunt: vtriusque enim exempla in Saulis vnctione præcesserant. Ego sane Spiritum regium ac principalem libenter acceperim, rege videlicet ac principe dignum, qualem ipse postulabat cum diceret, *Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me*. Spiritu qui hominem mutat in virum alterum, qui vitia corrigit, & plebeias virtutes, regias atque heroicas facit.

& quis ille Spiritus.

Psal. 50.

Hic ergo Spiritus Domini regius ac principalis directus est, siue insiluit in Dauid, quod significat diuinæa actionis promptitudinẽ, longe ab humana tarditate distantem. Perseuerauit autem deinceps in Dauide hic spiritus. Nam siue illum accipiamus spiritum propheticum, qui natura sua lumen quoddam est spirituale transiens per modum actus, satis est vt eum perseuerasse dicamus, si is Dauidem subinde illustrarit, neque eum prorsus deseruerit. Spiritus quoque fortitudinis perseuerauit in Dauide, sic vt viribus corporis ferè populares suos ætate suppares vehementer antecelleret, nec aduersis vnquam rebus præanimi mollitudine frangeretur. Denique regiæ illæ virtutes perpetuo cultæ, etiam in ætate decrepita floruerunt; quod satis intelligi potest ex institutione Salomonis in regem, & testamento quod apud eundem Salomonem edidit moriturus.

XI. Quomodo perseuerauerit in eo.

Vnctione peracta reuersus est Samuel in Ramatha, locum habitationis suæ, nec enim diutius ibi eũ demorari opus erat, ne qua inde suspicio nasceretur; nec Saulem adiuit, etsi fortasse non ignorabat illum consilio suo aut consolatione vehementer indigere, ob inflictam ei recens à Deo calamitatem. Verum diuino afflatus spiritu intellexit id Deo non placere, nec officiosum illum aditum, aut regi, aut prophetæ vtilem fore, si forte ille furens, in senem, tãquam in authorem calamitatis suæ, impetum faceret. Ex quo enim Saulem non viderat, *spiritus Domini recesserat ab eo, & exagitabat eum Spiritus nequam à Domino* immissus, aut permissus. A malo dæmone vexatum fuisse, communis est antiquorum Patrum, & recentium scriptorum sententia, qui melancholica corporis eius dispositione abuteretur; quæ cum per musicam harmoniam mitigaretur, dæmonis quoque eum affligentis actio, quæ se dispositioni corporeæ accommodabat, temperabatur. Ita de hoc Saulis morbo senserunt Iosephus, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Augustinus, Hieronymus, Theodoretus, Eucherius, Isidorus, Rupertus, Gregorius Magnus, & alij plerique, quos in Annalibus retulimus.

XII. Samuel domum redit.

Spiritus malus inuadit Saulem.

n. 52. & seq.

Hoc regis malum non tam cito agnitum videtur. Primum quia solet dæmon studiosius occultare se initio, ne adhibitis diuinitùs institutis remedijs, exire compellatur. Deinde quia tam insolens est atque inauditum reges audire dæmoniacos, vt alia omnia tam ipse, quam domestici eius cogitasse putandi sint, vixq; tandem

XIII. Nec statim agnoscitur.

veram

veram morbi causam agnouisse. Quin etiam vbi id primum domesticis persuasum fuit, non tamen cito ausi sunt tam turpem ac probrosam mali causam fateri. Significat etiam Iosephus, opem à medicis diligenter quæsitam, sed frustra, donec de perito excantatore cogitatum est. Reliquum ergo hunc annum cum ignoto morbo Saulem luctari patiemur. Dum Dauid reuersus ad pascua egregia fortitudinis opera perpetrabat, & prophetico spiritu plenus, spiritualia cantica psalmosque conficiebat, & modulabatur ad citharam. Vtriusque testes idonei sunt Rupertus, Dionysius, Abulensis; & res ex ipsa Scriptura clarissima est.

lib. 6. c. 9. Ant.

Dauid ad pascua inunctus reuertitur.

XIV. Vbi exercet fortitudinis & pietatis officia.

Etenim insigni animi corporisque fortitudine præditus, in syluis, pecorumque custodia, illa facinora perpetrabat, quæ ipsemet postea, non vanitatis causa, sed regis totiusque populi confirmandi gratia, certamen cum Goliatho initurus, publicè recitauit, de leonibus & vrsis à se interfectis, propriaque manu dilaceratis, quæ Syracides ita prædicat, vt id genus certamina Dauidis ludum appellet. Alia in desertis illis locis Dauidis occupatio fuit, Dei laudes prophetico spiritu, per cantica psalmosque, celebrare. Nam bonam psalmorum partem tum temporis ab eo fuisse compositam, & res ipsa loquitur, & idonei Scriptores prodidere. Vtrum autem omnium qui extant psalmorum Dauid vnus dicendus sit author; an ad eiusdem gloriæ societatem admittendi sint alij, qui in quorundam psalmorum initijs inueniuntur inscripti, neque leuis, neque noua est disputatio, multis pro vtraque parte certantibus. Ego ad illos accedo libentius, qui psalmos omnes Dauidicos esse volunt, cæteros autem, qui inscripti reperiuntur, fuisse cantores, vt eleganter disseruit in proœmio psalmorum S. Chrysostomus. Sed hac tota de re vide Annales *a* ipsos in hunc locum.

Eccl. 47. 3.

Psalmorũ author vnus Dauid.

a an. m. 2969. nu. 82. & seq.

ANNVS MVNDI 2970.

SAMVELIS 31.

SAVLIS & ACHIÆ Post. 9.

DAVIDIS 20. TROIÆ 100.

DERCYLI 20. Imperij Assyriorum 1039.

ANTE CHRISTVM 1083.

I. Saulis morbus ingrauescit.

CVm ægritudo Saulis vehementius sæuiret in dies, fieretque medicis artibus remedijsque potentior, vt Iosephus significat *b*, subijt animos domesticorum eius illa cogitatio, ne dæmonis inhabitantis, aut subinde ventitantis agitatione vexatio illa contingeret, qua rex furere plerumque, atque insanire videbatur. Sed & illa opinio à multis iam seculis vigebat, carminibus & excantationibus, dæmonum vim reprimi, maleficia cohiberi, & animi corporisque sanitatem posse reparari, idque in Ægypto in exitu Hebræorum tentatum, quamuis irrito conatu, testis est Sapiens *c*. Ex ea opinione profecta est illa oratio seruorum Saulis. *Ecce Spiritus Dei malus exagitat te*, nemo enim potest hæc facere, quæ tu facis, nisi fuerit dæmon cum eo. Explorata itaque ægritudine, idoneum, iucundum, atque in promptu positum excogitatum est à nobis remedium, quo malum hoc curari vel mitigari certe possit.

b l. 6. Ant. c. 9.

c Sap. 16. 3. 8.

Iubeat ergo Dominus noster, & serui tui qui coram te sunt, quærent hominem scientem psallere cithara, vt quando arripuerit te Spiritus Domini malus, psallat manu sua, & leuius feras. Et quidem sacros hymnos, vt ait Iosephus. Neque enim nuda erat & solitaria, illa fidium contrectatio, sed sacri hymni & psalmi à Dauide canebantur ad lyram, vt simul harmonicus concentus nox.js & melancholicis humoribus degrauatum releuaret caput, simul etiam sacri hymni in Dei honorem à sancto iuuene decantati, dæmonum actionem Domino miserante reprimerent. Dæmon enim qui melancholica dispolitione gaudet, eaque ad incitamenta peccandi abutitur, ea discussa, indirecte, & ex accidente, vel abigitur, vel impeditur. Sed præcipua huius remedij vis ex ipso psalte pendebat, qui multum gratia valebat apud Dominum, ad opem ægro diuinitus obtinendam.

II. Remedij in Psalte quæritur.

Quomodo musica prosit arreptitijs.

Proposito grauissimi morbi remedio, eoque facili ac iucundo, illico Rex acquieuit, qui ne difficile quidem, & acerbum erat recusaturus, iubetque sibi prouideri de psalte quopiam egregio, qui lingua & digitis eximiam delectationem afferat, siue quia morbus & mœrot ingens non poterat modica delectatione mitigari; siue quia reges affluenti deliciis, exiguo lætitiæ obiecto non tanguntur; quod ab assuetis, vt ait Philosophus, non fiat passio. Hic vnus de aulicis, *Ecce*, inquit, *vidi filium Isai Bethlehemitem scientem psallere, & fortissimum robore, & virum bellicosum, & prudentem in verbis, & virum pulchrum, & Dominus est cum eo.* Hic nimirum idoneus erit, qui hoc munere, alijsque cum laude fructuque fungatur. Cæterum hæc elogia Dauidis, eius ætati vicenariæ recte conueniunt: Nam Scriptura passim iuuenes, à 20. annis & supra, viros bellatores vocat, & qui possint ad bella procedere. Sedecim autem annorum ætati, quæ est aliquorum chronologia, quomodo conueniant ipsi viderint. Sed has ipsas, aliasque Dauidis dotes aulicis æmulandas, habes in Annalibus *d* non negligenter explicatas, quas hoc loco studium breuitatis cogit omittere.

III. Edocetur Rex de Dauide.

Einsque dotibus eximijs.

d 2970. n. 9. 10. 11.

Misit ergo Saul nuncios ad Isai, vt Dauidem è pascuis euocatum, eò enim ex vnctione reuerterat, ad se mitteret: non vtique ad perpetuam, aut diuturnam in aula commorationem, alioqui non misisset mox qui diceret patri, *Stet Dauid in conspectu meo*, sed probaturus an aliquid opis in eius fidibus cantuque reperiret. At Dominus eum volebat mature in aula versari, quamuis in ea multa aduersa, atque aspera toleraturus esset, & cruentissima discrimina mortis aditurus, priusquam in destinati regni possessionem mitteretur. Idque necessarium erat:

IV. Euocatur ad Saulē.

Cur Dauid in aula resideat ex Dei prouidentia.

Alioqui ab aula, turbisque popularibus secreta virtus eius, necessariam in populo iactationem non haberet, neque hominum beneuolentiam humano more sibi compararet, sine qua tamen neque regnum obtinere, neque occupatum retinere potuisset. Quid quod neque pacis, neque belli negotia, sine hac experientia facile diceret? Nec consentaneum fuisset illi prouidentiæ, quæ disponit omnia suauiter, & quæ volebat æmmnis, herois sui exercere patientiam, ex desertis locis in ciuitatem regiam, ex caulis ad aulam, ex hara ad thronum, regem prosilire: & pedum in sceptrum, rhenonem in purpuram, pastoritium petasum in regium diadema, repentinum, atque improuisum commutare.

V. Ifai mittit filium ad regem cũ nuncius.

Porro Isai mandato regis accepto, illico parendum putauit, ne si cunctaretur, regis ægritudinem leuiter ferre videretur. Sed noluit consueta temporibus illis vrbanitatis officia negligere. Misit itaque filium suum, non sine aliquo vestium cultu, & famulo socio, qui mox rem gestam referret ad senem, & misit cum asino panibus onusto, & lagena siue vtre vini, & hœdo vno, quæ omnia in asinum imposita intelliguntur. Dauid autem citharæ suæ, qua regi laturus erat opem, minime omnium oblitus est. *Venit ergo Dauid ad Saulem, & stetit coram eo*, munera nec spreuit rex, nam *gratum est pulchro veniens ex corpore munus.* Itaque dilexit eum nimis, & factus est eius armiger, in prætoriam videlicet cohortem allectus, vt ægro principi esset ad manum. Et forte tum contigit vt Saul aduentitio furore corriperetur, & promptam acciperet à nouo medico curationem. Itaque bene de se iam meritum dilexit, & beneficium perpetuum esse voluit. Ideoque misit Saul ad Isai, internuncio vsus famulo, qui cum asino reuertebatur ad herum, dicens, *Stet Dauid in conspectu meo; inuenit enim gratiam in oculis meis.*

Legi placet ac retinetur.

VI. Petit filium bonis senis gratia.

Noluit filium, vtique præ cæteris dilectum patri, nisi cum bona senis venia, qui ipsum fortassis illico rediturum putarat, apud se retinere diutius. Id autem facile intelligitur impetratum. Quidni enim in octo filiorum turba, vnus principi, ad honorificum & salutare ministerium concederetur, quod beneficij loco omnes ducerent, & studiosissimè ambirent? Nec tamen Rex aliam præ se tulit Iuuenis retinendi causam, quam quod is sibi gratus esset. Nam reges, cæterique viri principes nunquam videri volunt beneficium accepisse, & se alicui, minori præsertim, debitorem fateri, mortis instar putant: imo beneficium cum accipiunt, conferre se arbitrantur. Remansit itaque apud Saulem Dauid, sed non remansit diu. Et certo constat illum ad parentem fuisse remissum: quamdiu autem remanserit, & qua occasione remissus fuerit, non certo constat. Torniellus putat decem circiter mensibus apud Saulem mansisse; ego crediderim sufficere multo pauciores, vt tanto probabilior sit anni sequentis obliuio Dauidis in Saule.

VII. Causa, occasione reuersus Dauid ad patrem.

Causam autem aut occasionem reuersionis ex illis Scripturæ verbis colligere possumus. *Tribus maioribus* filijs Isai, *secutis Saulem, abijt Dauid, & reuersus est à Saul, vt pasceret gregem patris sui.* Sentiebat Saul Philistæos, perpetuos Israelitici nominis hostes, bellum contra ipsos meditari ac moliri. Ipse autem qui *quemcunque viderat virum fortem, & aptum ad prælium sociabat eum sibi*: cum accepisset Isai plures habere filios, bello valde idoneos, eos à patre abducere voluit, sibique sociare. Tres natu maiores non inuitus concessit pater; sed eam simul occasionem accepit rogandi regem, vt ad se filium suum natu minimum remitteret, quoniam non citharæ neque otij, sed tubarum ac belli tempus immineret, & illi plurimum, iste parum bello adhuc vtilis videretur. Saul autem, qui se dudum, diuinatem disponente prouidentia, morbo leuatum sentiebat, | ratus nullo suo incommodo Seni gratificari se posse, qui illius vnius præsentiam, trium absentia redimere velle videbatur, in hanc permutationem non inuitus consensit. Potuit etiam Dauid ipse aulæ fugitans, & solitudinis amans significare, reditum ad patrem sibi gratissimum fore: aulicis, qui forte dolebant oculis, ob principis in eum amorem, non inuitis.

ca. 14. 52.

ANNVS MVNDI 2971.

SAMVELIS 32.

SAVLIS & ACHIÆ Pont. 10.

DERCYLI 21. Imperij Assyr. 1040.

ANTE CHRISTVM 1082.

I. Philistæi bellũ instaurãt in Hebræos.

CElebrem hunc annum reddit glorioſiſſima Dauidis de Goliatho victoria, cum summo Philistæorum dedecore, damnoque coniuncta. Interim enim dum is, ab aulicis turbis expeditus, moratur in pascuis, eiusque fratres adscripti militiæ, regia vexilla sequuntur, suscitatum, aut instauratum est potius bellum Philistæorum contra Israelitas, quod mirabili illa clade sopitum fuerat, cui Ionathas initium dederat. Cuius instaurandi non alia videtur fuisse causa Philistæis, quam immortale eorum odium in Iudæos, & ambitiosum in eos dominandi desiderium. Vt ex illis Goliathi verbis intelligi potest. *Si ego prævaluero, vos serui eritis, & seruietis nobis.* Animus ergo erat reparatis hoc septennio viribus (nam clades vltima tertio Saulis anno contigerat) pro vno præsidio deleto, plura varijs in locis constituere, Israelitas ferro semel, auro & argento quotannis exarmare, & acerbam omnino stabilire seruitutem, si prius pro accepta clade, possent ingentem aliquam eis reponere calamitatem.

cap. 14.

Occasio fortasse fuerit regis non ignotæ ægritudo, quæ spem victoriæ faceret de hostili exercitu, sub ægro capite militante. Domini autem in permittendo bello consilium fuisse videtur, Dauidem reddere glorioſum, & primum illi gradum ad imperium sternere. Coguntur in eundem locum vtrimque

qua ex causa.

II. Cõueniũt vtrimque exercitus.

copiæ

copiæ, & quoniam magnum habet ad victoriam momentum loci commoditas, vterque exercitus eam affectauit, vterque ad collem castra locauit: sic vt vallis esset inter eos. Dum autem vterque expectat, vt ab altero initium pugnæ sumatur, vt qui prouocatur è superiore loco irruens in prouocantem, potiore conditione sit ad victoriam, nonnulli abiere dies. Interea venit in mentem Philistæis bellum singulari certamine definire, eoque de alterutrius populi seruitute, vel dominatione paciſci; præsertim cum apud se haberent virum bellatorem, cui parem opponere, Israelitarum castra omnino non possent.

Philistæi petũt singulare certamẽ.

III. Fiducia Goliath, & roboris eius.

Is fuit Goliathus gente Philistæus, patria Gethæus, genere spurius, statura sex cubitorum & palmi, id est, nouem pedum cum triente, robore tãto quantum necesse erat ei, qui cum tam graui armorum pondere pugnare posset. Nam vt taceatur de cæteris, ærea lorica erat ducentarum & octo librarum cum triente, ferrum autem hastæ viginti quinque librarum. Ex quibus clypei & cassidis, & ocrearum, & gladij pondus æstimandum est, & hominis robur, qui hæc non solum ferre, sed ijs etiam facile vti pugnando poterat. Armatus etiam erat insigni superbia, quæ sui confidentiam, & omnium aliorum contemptum illi afferebat. Addit Iosephus pone secutam armatorum phalangem, coram qua fastidiosam spirabat arrogantiam, prouocans Hebræum aliquem ad singulare certamen, additis ex euentu pugnæ conditionibus, quæ communem gentis consensum indicabant; neque enim aliter de seruitute eorum paciſci, quantumuis impudens, ausus esset; aut illi certe eam toties iterari passi non essent.

Is prouocat Israelitas.

IV. Qui omnes stupent, ac metuunt nimis.

Quæ cum ille verborum tonitrua profudisset, retro ad suos reuersus, gloriabundus militari more iactabat, *Ego exprobraui agminibus Israel hodie*, ostendi eos ignominiosa timiditate exprobrabiles, qui in tot bellatorum millibus non inueniant vel vnum, qui totius gentis dedecus abstergat, & periculo suo cæterorum pudori medeatur. Quæ cum quotidie iactarentur; nullius indignatio ingenitam fortitudinem exacuit; ne Ionathæ quidem, aut Saulis, aut vllius eorum, qui postea fortes Dauidis appellati sunt, Deo illis audaciam subtrahente, & insolitam insinuante timiditatem, dum adueniret is, cui eam ipse gloriam reseruabat. Itaque *audiens Saul, & omnes Israelita sermones Philistæi, stupebant, & metuebant nimis.* Quod in Saule minus mirum, à quo spiritus ille fortitudinis abierat. Mirum potius tot Israelitas, neque publico dedecore, neque priuata gloria, neque promissis à Saule diuitijs, neque regio coniugio ad singulare certamen potuisse perpelli. Nimirum vbi prima causa defuerit, secundæ nihil possunt.

Et cui

V. Dauid venit in castra.

Interea bellum ducebatur magis, quam gerebatur; quadragesimum enim iam diem Philistæus ille mane & vesperi procedebat, insultando Israelitis, & vnum aliquem ad certamen singulare prouocando: quo die Dauid, missu patris venit in castra, cum commeatu domestico ad fratres, & munusculis ad tribunum. Et hinc facile intelligitur milites sibi de victu prouidere solitos, suisque stipendijs militasse sub proprio principe. Venit autem Dauid ad vallum castrorum, quod Hebræis dicitur Magala, in quo militum sarcinæ seruabantur. Non inuenit ibi fratres suos, exierant enim ad locum pugnæ, & suis quisque locis stabant ad pugnam parati, si forte hostis in vallem pugnaturus descenderet, ad quod mutuis se clamoribus prouocabant; nec tamen pugnam adhuc inierant, quia superueniebat Goliath exposcendo, & cum conuitio flagitando aliquem Hebræum ad singulare certamen.

1. Reg. 17. 20.

Vociferatione militari, quasi pugnæ præludio excitus Dauid, derelinquens vasa quæ attulerat, sub manu custodis ad sarcinas, cucurrit ad locum certaminis, ibique inuentos fratres interrogabat quomodo se haberent, & vicissim de patre respondebat eis. Cumque adhuc ille loqueretur eis, prodit de more Goliath, & suum illud quasi solenne carmen intonat; quod Dauidi in rei nouitate admirationem, cæteris metum vehementem incussit. *Omnes enim Israelitæ cum vidissent virum, fugerunt à facie eius, timentes eum valde*, & videlicet fratres Dauidis cum eis. Hic Dauid edocetur quid hostis ille ageret, & quid præmij rex constituisset ei, qui illum occideret, & probrum commune deleret. Cumque hic, qui à Dauide rogabatur, respondisset quod res habebat, veritus Dauid ne non satis explorata narraret de regis edicto, & præmijs victori propositis, declinauit ad alios, quos eodem modo interrogauit, addita etiam contemptim accusatione Philistæi, quæ tacitam sui oblationem innueret. *Quis enim*, inquit, *est hic Philistæus incircumcisus, qui exprobrauit acies Dei viuentis?* quæ vox zelum in Dauide diuini honoris ostendit.

VI. Adit locũ prælij, & rei statũ addiscit.

Cum ergo alij eadem confirmarent, & in opinionem venirent hunc è pascuis iuuenem, iuuenili ardore plenum, & Dei spiritu, cuius honorem zelabatur, roboratum, optare cum hoc Philistæo inire certamen, id inter se mussitabant. *Quod cum audisset Eliab frater eius* natu maximus, *loquente eo cum alijs, iratus est contra Dauid*; vtique ex fraterna potius, licet paulo feruidiore, charitate, quam ex inuidia, *& ait, Quare venisti? & quare dereliquisti pauculas illas oues in deserto? Ego noui superbiam tuam, & nequitiam cordis tui, quia vt videres prælium descendisti.* Superbiam accusat, quod multo fortiori æquare se audeat, & armorum insolens, temerè sibi de veterano milite victoriam polliceatur; nomine autem nequitiæ, astutam intelligit curiositatem, quæ specie visendi fratres, exercitum videre, & prælio interesse voluerit. Cui Dauid suauiter, *Quid feci?* quid admissi criminis interrogando & audiendo? an forte loqui non licet?

VII. Significat se optare pugnã, & a fratre obiurgatur.

Nec tamen propterea ab incœpto destitit Dauid; quippe qui in corde suo sentiebat vires suggerentem Deum. Pro sua tamen modestia maiorem natu fratrem reueritus, ab eo paululum ad alium declinauit, eademque interrogatione vsus, idem responsum accepit. Hac porro interrogatione non expetebat fieri certior, cupiebat potius desiderium suum multorum

VIII. Perstat in sententia, & ad regẽ adducitur.

ore iactatum Regi innotescere, quod & consecutus est, & ad Regem adductus, *Non concidat*, inquit, *cor cuiusquam in eo*, dum sibi metuit aut mihi, in glorioso isto Philistæo, *Ego seruus tuus vadam, & pugnabo aduersus eum.* Cui Saul, non vales resistere Philistæo isti, nec pugnare aduersus eum, quia puer es, hic autem vir bellator est ab adolescentia sua. Puerum vocat, etsi vigesimum primum ætatis annum agebat, vt recta Chronologia postulat: itaque figurata locutio agnoscenda est, talibus colloquijs vsitata: præsertim cum Saul & corpore grandior esset & ætate, Dauid autem humiliore statura; itaque mox non puer dicitur, sed adolescens. Et Sapiens ait eum pugnasse cum leonibus & vrsis *in iuuentute sua*; quæ pugna iamdum contigerat.

vers. 42. Eccl. 47. 3.

IX. Cui persuadet suum cũ Goliatho certamẽ.

Cum ergo cerneret Dauid regem sibi certaminis impatitatem obijcere, vires, experientiam, ætatem maiorem requirere, coactus narrauit pristinas illas victorias suas aduersus vrsum & leonem, quas ad tempus illud retulimus, quo eas credimus contigisse. Ex qua narratione non vires modo corporis, sed magnitudo etiam animi, zelus diuini honoris, eximia in Deum fiducia, quo incitante se offerebat certamini, aperte cernuntur. Quæ rex admiratus, & simul intimè animo, ad bene tota de re sperandum affectus, ei fausta precatus, pugnam illi permittit. Ne tamen humanæ prudentiæ deesse videretur, armis suis iuuenem induit, patiente potius quam optante Dauide; quippe qui confidebat in Domino, se posse Goliathũ sine armis superare, sicut nuper leonem & vrsum inermis confecerat. Accepit tamen arma, vt regi obtemperaret, qui eum probe armatum pugnare cupiebat, ne temerè fortissimum iuuenem abiecisse, ac morti tradidisse videretur.

X. Armis à Saule induitur, quæ & deponit.

Arma porro illa Saulis dicuntur, non quod ea rex gestare soleret, neque enim vllam habere poterant cum Dauide proportionem, sed quod ex regio armamentario deprompta essent: quæ tamen deposuit, quod ijs propter insolentiam vti non posset: Deo ipso, qui inermen pugnare volebat, armorum fastidium ingerente. Accepit ergo Dauid baculum suum, quem semper habebat in manibus, & elegit sibi quinque limpidissimos lapides de torrente, & misit eos in peram pastoralem, quam habebat secum, & fundam manu tulit, & processit aduersus Philisthæum, hoc ipso significans se admittere certamen singulare. Id facile agnouit Goliath, ideoque propius ad Dauidem accessit, cum armigero suo, qui clypeum de more præferebat, vt certius cognosceret quem tandem haberet pugnæ aduersarium, æmulumque victoriæ. Et animaduertens inermen adolescentem, nullo pugnæ apparatu formidabilem, in quo debellando pudorem potius, quam gloriam acquireret: & si quis forte casus opinionem eius, & spem quamuis exploratam, fefellisset, incredibile dedecus incurreret, *despexit eum*, atque adeo indignatus est.

Fundæ lapidibusq; contẽtus.

XI. Philistæi maledicta & minæ.

Numquid ait *ego canis sum, quod tu venis ad me cum baculo?* & maledixit Dauidi in dijs suis, dicens, Dij te male perdant, aut simili quapiam imprecatione vtens. Adiecit etiam superbas atque formidabiles minas, *Veni*, inquit, *ad me, & dabo carnes tuas volatilibus cæli, & bestijs terræ*, quæ te trucidatum à me abiectumque, dilacerent insepultum. Cui viceuersa Dauid, *tu venis ad me cum gladio*, in quo confidis, *& hasta*, qua me confodias, *& clypeo*, quo te ipse tuearis. *Ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum*, cuius præsidium multo est potentius omnibus armis tuis; cuius arbitrio ac voluntate vincunt & vincuntur exercitus, qui Deus est *agminum Israel*, quæ tu *hodie* quoque probris, atque contumelijs affecisti: quem propterea vltorem iniuriarum in suos illatarum formidare debes. Quod ego iam tibi, quasi mali nuncij Prophetæ denuncio; is manu mea vindictam de te sumet, *Et dabit te Dominus in manu mea, & percutiam te, & auferam caput tuum à te, & dabo cadauera castrorum Philisthijm hodie volatilibus cæli, & bestijs terræ.* Quæ apparet spiritu prophetico à Dauide pronunciata, ita mihi eius in rem deductæ sunt, hostiles autem in ventos abiere.

Dauidis fiducia, & denũciatio cladis.

Interea Saul videns Dauidem egredientem contra Philisthæum, quærit ab militiæ principe Abnere de qua stirpe descendat hic adolescens; quod cum ille ignoraret, rem ipsam Rex à Dauide ipso mox didicit. Sed mirum valde est Dauidem nunc ignotum esse potuisse Sauli, qui non ita pridem apud ipsum habitauerat, citharam crebro coram ipso pulsauerat, denique armiger eius fuerat. Dicendum videtur plures causas huius ignorationis concurrere potuisse. Prima est S. Augustini, quæ pleriſque probatur, mutatio scilicet in facie Dauidis, barba copiosius, vt fit illa ætate, per octodecim circiter menses adnascente, ac magnam faciei partem prius nudam ac læuem obtegente. Addatur mutatio habitus; aliter enim in aula, aliter in pascuis induebatur: vestitu autem admodum mutato, cum modica faciei mutatione, facile quis non agnosci potest. Facilis quoque est in principibus viris obliuio, cum multos habent subditos, à quibus ad tempus aliquod inuisuntur, nec multo post tempore apparent. Dauid autem nec diu in aula versatus est, nec facile apparebat ante Saulem, nisi cum is fiebat impos sui, & parum aptus ad homines dignoscendos. Nihil denique absurdi est dicere memoriam ac phantasiam Saulis, ex frequenti agitatione dæmonis, nonnihil fuisse debilitam.

XII. Saul inquirit de Dauide.

Mira eius ignorantia eiusq; causæ.

Sed reuertamur ad bellatores nostros, quorum prima fuit quasi velitatio verborum, ad iram cotem fortitudinis vtrique acuendam. Ad rem ergo extemplo ventum est; accingit se Philisthæus ad certamen, expedit arma, appropinquat hosti. Dauid quoque expedit arma sua. Educit enim è pera lapidem vnum, & in funda positum circumducit ad caput, vt impetu maiore ferretur, quem etiam cursus vibrantis augebat. Excussus toto conatu lapis, stridens diuerberat auras, & molientem arma Philisthæum, nec opinato vulnere in frontem ferit, tanto impetu vt osse confracto, lapis in fronte infixus hæreret, fractoque cerebro in faciem cruentum prosterneret, semiuiuum aut potius plane mortuum. Nam satis constat fracti cerebri vulnus esse lethale. Quanquam dici potest Goliathum ictu lapidis ita iacuisse prostratum, vt non statim animam ageret:

XIII. Venitur ad pugnã.

Dauid lapidẽ infigit in frõte Goliathi.

ideo-

Eique caput amputat.

ideoque cucurrisse Dauidem, vt eum plane conficeret, bisque interfectum dici, quod gemina quodammodo morte, ex gemino mortifero vulnere moreretur. Caput autem præcidit, tum vt hominis omnibus certior esset interitus, tum vt vndique in triumphum circumferri posset, ad Dei Dauidisque gloriam, & vniuersi populi lætitiam.

XIV. Philisthæi fugiunt, quos Israelitæ persequuntur.

At Philisthæi postrato eorum coriphæo, fracti animis se in fugam dederunt. Vice autem versa multum animi ex tali spectaculo Hebræis accessit, qui *consurgentes vociferati sunt*, militari se clamore excitantes ad impressionem faciendam, & persecuti sunt Philisthæos, vsque dum venirent in vallem, quæ erat iuxta vrbem Accaron, atq; adeo vsque ad portas ipsius. *Ceciderunt que vulnerati de Philisthijm in via Saraim, & vsque ad Geth, & vsque ad Accaron.* Septuag. & Iosephus priore loco habent Ascalonem, posteriore Accaronem: quæ vrbes non parum à se distant. Venientibus enim ex Ægypto prima vrbium Philisthæarum occurrit Gaza, tum Ascalon, tertia Azotus, quarta Accaron, postrema Geth. Ex quo intelligi potest fugam valde late fusam, ac dispersam fuisse, quò scilicet quemque aut impetus tulisset, aut spes euadendi, eò ferebatur, & strages tanto fuit maior, quo minus cõgregabantur ad resistendum. Cæsorum numerus initus non est, fortasse quia plurimis in locis, nec parum à se distantibus cædes facta est. Eum tamen vel inuenit, vel excogitauit Iosephus: ait enim triginta millia cecidisse, duploque plures fuisse vulneratos: reuersos autem Israelitas diripuisse castra hostium, atque incendisse.

l. 6. Ant. c. 11.

XV. Dauidis præda.

Quod autem dicitur Dauidem assumpsisse caput Philisthæi, & attulisse illud in Ierusalem, arma vero eius posuisse in tabernaculo suo, sic videtur accipiendum, arma omnia Goliathi ad tentorium, fratrum suorum, à Dauide delata, quod propterea ipsius dicitur, quia erat ei commune cum fratribus, dũ esset in castris. Et credibile est hanc prædæ partem, iussu Regis Dauidi fuisse tributam, qui tam nobili facinore solus victoriæ aditum potefecerat. Inde autem arma quæ nemini viui esse possent propter magnitudinem, deportata sunt in Bethlehem in paternam domum: gladius autem nominatim consecratus est Deo, & in eius sanctuario, quasi anathema appensus. Sed hæc postea. Nunc deductus est Dauid à principe militiæ ad regem, caput Philisthæi habens in manu, longa videlicet cæsarie apprehensum, vt honoris causa Rex omnium primus hoc truci spectaculo lætaretur, vtque nouo bellatori, qui tam glorioſum militiæ rudimentum posuisset, rex ipse gratularetur, eiusque genus, vti cupiebat, ab ipsomet addisceret. Denique necesse erat introduci Dauidem ad regem, quandoquidem ex decreto regio, præmij loco ipsius generum illum esse oportebat.

Deducitur victor ad Saulẽ.

XVI. Ionathas multis titulis amat Dauidem. 18. 1.

Cum ergo Saul, & genus Dauidis, & alia, vt assolet, percontatus esset à iuuene, quem illi, iam egregia fortitudo conciliarat, idque coram Ionatha filio suo, cæterisque principibus viris; & Dauid singulari cum modestia & significatione virtutis respondaret, omnium ad se animos voluntatesque pellexit: Ionathæ in primis, qui ex eo sermone singulari eum amore complexus est. *Anima Ionatha*, ait Scriptura, *conglutinata est anima Dauid.* Amor enim animos vnit, atque agglutinat, isque primarius est illius effectus, *& dilexit eum Ionathas, quasi animam suã.* Agnoscebat quippe in eo iuuentutis florem, sua ipsum sponte amabilem: oculorum, totiusque oris speciem ac dignitatem videbat, animi corporisque fortitudinem, omni prædicatione maiorem, digito ipso tangebat: auditione ipse sua vsurpabat sermonum modestiam, hominis nihil ex tali, tantaque victoria inolescentis, sed gratiosissimo potius pudore verecundantis. Quid quod habitantem in eius pectore odorabatur ipsum Deum?

XVII. Aliæ Amoris eiusdem causæ.

Nobilissimam præterea tribum Iuda, ad quam pertinebat Dauid, nobilem numerosamque familiam Isai non ignorabat. Quin etiam ex affinitate fratrem sibi eum fore, publico patris sui decreto, qui iam promissi reus esset, non dubitabat. Quid igitur mirum si Ionathas tot titulis amabilem Dauidem eximia charitate dilexit? Sed Deus quoque suauissimam teneritudinem præcordiorum instillauit in cor eius, qualis solet esse parentum in filios, vt Dauidem apud Saulem commorantem, fideliter fortiterque tueretur, adeo vt eius amicitiam paterna necessitudine antiquiorem haberet. Deinde cum similitudo sit amoris mater, multaque esset Dauidem inter & Ionatham similitudo, virtutis, studiorum, fortitudinis heroicæ, quam aduersus Philisthæos egregio vterque facinore probauerat, non potuit inde amor in Ionatha non efflorescere: qui cum mox agnitus esset à Dauide, nam factis ipsis mox à Ionatha patefactus est, mutuam in Dauide beneuolentiam peperit, vt perfecta inter vtrumque existeret amicitia, amore amorem procreante.

XVIII. Muneribus quoque testatur amorem.

Sed cum munera testes sint atque indices amicitiæ, imo & fomites ac tutores, Ionathas in signum intimæ beneuolentiæ, *expoliauit se tunica qua erat indutus, & dedit eam Dauidi, & reliqua vestimenta sua.* Potuit preciosis amicum monilibus Imperij candidatus honorare, sed voluit quamprimum occurrere necessitati amici, quem terre non potuit veste indutum pastoritia, vulgo aulicorum haberi contemptui, itaque rhenone exutum, voluit in splendida veste fulgere, & quasi alterum Ionatham, quem vestibus exhibebat diligi, atque honorari: Ipsum autem Dauidem, cum se perpetuo in Ionathæ vestibus cerneret, eius vbique memoriam circumferre, & intelligere, se in animo Ionathæ penitus, intimisque visceribus, sicut in eiusdem vestibus, habitare. Neque hac liberalitate contentus, arcum suum manibus eius, & dorso pharetram, & baltheum renibus, & lateri gladium addidit, vt pastorem in virum militarem verteret. Cumq; viri militares arma sua magni faciant, præsertim quæ sunt eximiæ bonitatis ac decoris, qualia sunt arma virorum principum, Ionathas armis suis Dauidi largiendis, singularem erga eum beneuolentiam demonstrauit, simul etiã iudicauit tam egregium bellatorem armis optimis ac decentissimis initiandum esse.

Datis ei vestibus & armis suis.

XIX. Et fœdere cum ipso inito.

Nec satis esse duxit Ionathas tacitis hisce, mutisque rebus deuinciri animos ac conglutinari, verbis opus fuit, certisque ceremonijs, fœdus ineundum erat, initum est. *Inierunt*, ait

Scriptor facet, *Dauid & Ionathas fœdus, diligebat enim eum, quasi animam suam.* Itaque cupiebat vt quale fœdus existit inter corpus & animam eiusdem hominis, quam antiquum, quam constans & immutabile, tale apud ipsos perpetuo perduraret. Existimat autem Abulensis, seruatas fuisse in hoc fœdere solemnes illas ceremonias occisi animalis, dissectique, & transitus ineuntium fœdus inter diuisiones, & non pactum duntaxat iureiurando firmatum; quia ceremoniæ illæ ad ipsam fœderis vim ac naturam pertinebant, sine quibus non esset, neque diceretur fœdus, sed pactum, vel promissio: fœdus autem perpetuo dicitur, tam ab vtroque ipsorum, quam à Saule, pactum vel promissio nunquam dicitur.

XX. Postremo consuetudine vitæ.

Accessit postremo ad absolutionem amicitiæ, mutua vitæ consuetudo, Saul enim, vel sua ipse sponte, vel annitente Ionatha, retinuit apud se Dauidem, *nec concessit ei vt reuerteretur in domum patris sui*, sicut antea. Et qui eum dudum armigerum suum esse voluerat, quod famuli cuiuspiam, aut gregarij militis est munus, nunc post datum fortissimi viri experimentum, *posuit eum Saul super viros belli*, non vt princeps militiæ fieret, Abnere exautorato, quem in sua perseueraſſe dignitate constat, sed vt, in quopiam inferiore magistratu, vices illius gereret, qui & grauis ætate, & dignitate regi patruelis esset. Itaque egrediebatur ad omnia quæcunque misisset eum Saul, vt qui & prudentia & fortitudine præstaret, & supra ætatem virtutes duci necessarias consecutus esset. Itaque cum Dauid apud regem gratiosus esset, & intima Ionathæ beneuolentia frueretur, facile id quoque consecutus est, vt acceptus esset in oculis vniuersi populi, maximeque in conspectu famulorum Saulis. Sed hæc posterius contigerunt, nunc ad Dauidis triumphum reuertamur.

XXI. Triumphus Dauidis.

Fugatis itaque conciſisque Philisthæis, reuersus est in ciuitates suas victor exercitus, lætitia triumphans & spolijs diues. Erat nimirum in regio curru Saul, tum Ionathas cum cæteris filijs regijs; inde Abner princeps militiæ, & Dauid publicæ huius lætitiæ fons & caput, vestitu omnes splendido atque magnifico. Dauid in primis in vestimentis armisque Ionathæ fulgebat, & famulari manu inimicum in conto præferebat caput; omnes coronis redimiti, armis decori, insigneſque palmis. Nec deerat multa in vinculis turba Philisthæorum, vilissimæ destinata seruituti: tubæ hinc inde lituique læto clangore perstrepebant; cum festo sonitu bellicorum tympanorum: quibus ex aduerso in obuijs vrbibus occurrebant *mulieres canentes, choroſque ducentes in occursum Saul regis.* Sed ecce in hoc triumpho publicaque lætitia, amaritudo Saulis amarissima. Accidit enim ad ipsius aures ingrata illa vox; *Percussit Saul mille, & Dauid decem millia*, quasi intercalare carmen; quo significabatur laudabilem esse Saulis operam, in persequendis hostibus, quæ mille hostium cædi conferri posset, sed facinus Dauidis multo esse laudabilius, decuploque præstantius.

Et occasio offensionis regis in eũ.

XXII. Mulieres imprudẽtia peccarunt.

Qua in re mulieres hasce grauiter per imprudentiam deliquisse negari non potest, cum Saulem Dauidi, regem subdito compararunt. Cum enim omnis comparatio, etiam inter pares odiosa est, & priuatæ de se existimationi inimica, tum inter inæquales odiosissima, si minores maioribus æquentur; prorsus autem cuadit intolerabilis, cum minores maioribus, atque adeo supremo in gradu positis præferuntur, quo modo ab istis peccatum est, cum subditus rege suo decuplo honorabilior proclamatus est. Itaque iusta fuit ira Saulis, eoque iustior, quo ad maius eius damnum illa iniuria redundabat, regni videlicet amissionem. Vnde & dicebat, *quid ei superest nisi solum regnum?* quasi dicat. Cum illum prædicent decuplo me præstantiorem, vtique & regno digniorem: illum ergo regem me exautorato constituent. Hæc autem tanto ingratiora fuerunt, quanto latius vulgata sunt, & ad ipsos delata Philisthæos. Cum tamen hæc inscio, atque haud dubie inuito Dauide iactarentur, iniusta plana fuit regis in ipsum indignatio, vt rectè disputat S. Chrysostomus: atque etiam inconsulta, optimum enim atque innocentissimum iuuenem, & de toto regno bene meritum, oportuit maioribus in dies beneficijs demereri, vt neque nocere vellet, neque posset; quia neque improbus esse vellet, neque ingratus.

Et Saul merito doluit, sed immerito contra Dauid.

Hom. de Dauid & Saule.

Huiusmodi ergo cantiunculis, Dauidicisque laudibus male saucius Saul, non diu animi sui dolorem dissimulauit, sed eum veltu quamprimum, ore, manibusque patefecit. *Non enim rectiùs oculis Saul respiciebat Dauid à die illa, & deinceps.* Post diem autem ab hisce cantilenis, & concepto in Dauidem odio, secuta est sua pœna nocentem. *Inuasit* enim *Spiritus Dei malus Saul, & prophetabat*, siue vt vertit Chaldæus, insaniebat, *in medio domus suæ*, & fanda infandaque loquebatur. Sed non intra verba se continuit furor, ad furiosa facta prorupit. Cum enim Dauid intermissum repeteret ministerium, *psalleretque manu sua, sicut per singulos dies facere consueuerat*, vel quibus furebat Saul, vel quibus animi gratia ipsum coram se psallere iubebat, Saul lanceam, quam tenebat manu, in Dauidem contorsit, ratus se eum cum pariete confixurum. Ergo sciens & volens missus est perfodere Dauidem, vt Scriptura testatur; Elegit autem potissimum hoc tempus ad scelus perpetrandum, existimans intentionem suam ac voluntatem occultam fore, cum putaretur ab omnibus insanire.

1. Reg. 18. 10.

XXIII. Quẽ deinceps persecutus est.

At Dominus, qui Dauidem singulari prouidentia protegebat, teli iactum irritum fecit. Declinauit quippe Dauid à facie eius. Quod animaduertens Saul, cessante mox furore dissimulauit se scire quid contigisset, idque à se tentatum ægre ferre finxit, cum reuera doleret rem non fuisse perfectam, vt videlicet & odium vitaret suorum, quibus Dauid erat acceptus, & Dauid nihil sibi ab eo timens, solito se illi more permitteret, quod & fecit; & Saul rursus eundem ludum ludere conatus est, sed illusus, atque expectatione sua falsus est, *Dauide à facie eius secundo declinante*, vt ait Scriptura, & secundum ictum feliciter fallente. Idque non eodem die, sed alio postea, ne Dauidem parum prudentem fingamus, qui durante eadem insania, aut vix finita, eidem se periculo temere obiecerit. Itaque tum se à conspectu Saulis proripuit, neque illi apparuit, donec ab eo reuocatus est, profitente,

XXIV. A telo Saulis semel iterumque diuinitus liberatur.

cap. 18. 11. Hebr. duabus vicibus

huius

huius sibi molitionem facinoris, extra se posito contigisse. Quod iuuenis facile credidit, qui nihil sibi esset conscius, neque adhuc didicisset, quid fraudis atque perfidiæ ambitio pariuriret.

ANNVS MVNDI 2972.

SAMVELIS 33.

SAVLIS & ACHIÆ Pont. 11.

DERCYLI 22. Imperij Assyr. 1041.

ANTE CHRISTVM 1081.

I. Consilia Saulis in Dauidē.

NOuum inimus annum, occultis Saulis in Dauidem insidijs implicatum. Cum enim vidisset Rex Dauidem irrito conatu semel iterumque à se petitum, & insaniæ præsidio meditatum facinus perfici nequiuisse, tum demum intellexit inimici sui protectorem esse Deum, cuius ope à tanto periculo bis euasisset; itaque sibi ab eo timere cœpit, non vim, opinor, aliquam sibi ab illo inferendam, sed ne penitus repudiata à Deo familia sua, regnum in ipsum transferretur. Itaque cum certum sibi esset illum perdere, & desperaret à suis, à quibus vnicè diligebatur, rem confici posse, proprium autem conatum cerneret irritum esse, statuit aliena manu, sub specie honoris, illum perimere. Itaque qui mox ab occiso Goliatho illum Centurionem esse iusserat, nunc Tribunum esse voluit super mille viros, & insuper filiam ei suam despondit vxorem, vt fortissimum iuuenem, atque in primis generosum, in ea discrimina conijceret, in quibus aliquando periret.

1. Reg. 18. 5. 13.

II. Quā callidae x 4 capitibus.

Hoc illi consilium merito visum est callidissimum, & commodissimum ad rem quam agebat. Primum quia eadem opera amouebat eum à se, & tutum præstabat se ab eius manu, si quid ille forte moliretur aduersus occultum inimicum suum. Secundo ita hominem aliena manu perdebat, vt infamiam mortis eius, atque adeo suspicionem vitaret. Tertio honorabat iuuenem in testimonium integræ beneuolentiæ. Denique satisfaciebat edicto suo de promisso coniugio filiæ victori Goliathi, & datam liberabat fidem, quam fallere omnibus quidem hominibus, sed maxime regibus indecorum ac probrosum est. Quam autem prudenter se ac modeste in ea dignitate Dauid gereret, illa docent. *Et egrediebatur & intrabat in conspectu populi*, nimirum expeditiones iussu regis suscipiebat alacriter ac prudenter, & feliciter expediebat, salno milite suo atque victore, quia *Dominus erat cum eo*, eiusq; beneficio cuncta illi prosperè procedebant. Hæc est illa felicitas in Imperatoribus laudatissima, plurimumq; expetenda. Itaq; rectè sequitur, *Omnis Israel & Iuda diligebat Dauid: ipse enim ingrediebatur & egrediebatur ante eos*, non quidem ante omnes, id enim erat munus principis militiæ, sed ante millenos suos, quibus se plerique alij, cum bona tribunorum suorum venia, adiungebant. Itaque quod in perniciem Dauidis humana malitia excogitabat, diuina bonitas ac prouidentia in eius gloriam conuertebat.

Tribunus prudenter se gerit, ac beneuole.

III. Vt Saul se gesserit in nuptijs filiarum suarum cum Dauide.

Quo autem cessit consilium Saulis ineundæ cum Dauide affinitatis? Spopondit ei filiam suam primogenitam, quam, fidem fallendo, alteri dedit. Moxque dedit illi Michol filiam alteram vxorem, vt fieret illi in scandalum, & manibus Philisthæorum periret, dum eorum præputia quærit. quæ, nisi illis occisis, obtinere non poterat. At Michol dilexit Dauidem, contra quam cupiebat pater, & fuit illi in salutem, & Philisthæis in copiosissimam gloriæ segetē: dum eos consilio & viribus incautos occupat, imparatos in pugnæ necessitatem conijcit, resistentes fundit, fugat, interficit. Et quantum, præclarè se gerendo, acquirebat gloriæ, tantum mansuetudine sua sibi beneuolentiæ apud æquos, iniquosque comparabat. Verum quod ad priorem illam sponsam attinet, ea iam Dauidi promissa fuerat non syncerè. *Dixit enim Saul ad Dauid, Ecce filia mea maior Merob, ipsam dabo tibi vxorem, tantummodo esto vir fortis, & præliare bella Domini.* In quæ illum temerè irruere cupiebat, vt se dignum talibus nuptijs ostenderet, & periret Philisthæorum manu, vt ibidem Scriptura confirmat.

IV. Dauidis in illis candor, ac modestia.

Dauid autem qui pro demissione animi sui nihil sibi tribuebat, & candidè ex animo ipse suo regis animum interpretabatur, ingens sibi conferri beneficium putabat. Itaque aiebat, *Quis ego sum, & quæ est vita mea*, id est, quæ res à me gestæ, *aut cognatio patris mei in Israel, vt fiam gener regis?* Et par quidem erat subditum, & in familia sua natu minimum, omnia sua verbis abijcere atque extenuare. Sed par erat quoque regem promissi & iustitiæ non esse immemorem. Nam illam in acie vniuersè promiserat, vt aliquem inducerer ad singulare certamen, induxit Dauidem, factus est voti reus; cunctatur, promittit secundo nominatim Dauidi, & vtramque promissionem irritam reddit. Cum enim aduenisset tempus vt daretur Dauidi, *data est Hadrieli Molathite.* Quid causæ? non promiserat animo standi promissis, & matrimonium celebrandi, sed vt ille, spe coniugij tam illustris, præceps in pericula ruens periret, qua spe frustratus, resilit à promissis.

V. Animum applicat ad nuptias Michol is.

At Dauid nihilo commotior quam si nullam accepisset iniuriam, vt qui ex animo talibus se nuptijs indignum putabat, sicut & verbis profitebatur, ad alteram Saulis filiam animum requisitus applicuit. Cum enim Michol sororem suam alteri nuptui traditam videret, rem ad se pertinere putauit, & Dauidem diligere cœpit, nec amorem dissimulauit. Et erat cur diligeret amore longe dignissimum, ad quem ornandum virtus, ætas, forma, genus egregie conspirarent. Hic amor cum patri nunciatus esset, *placuit ei*, & in futuras nuptias mala rursum intentione consensit, vt scilicet fieret illi in lapidem offensionis, non quod reuera ea quidpiam mali machinatura esset, sed vt spe illius potiundæ, dum Philisthæorum plurimos occidere conatur, propter appositam à rege conditionem, occumberet. Micholem ergo à rege de more postulauit, siue ipse per se, siue gratiosi cuiuspiam amici, puta Ionathæ interuentu.

VI. Cōsentit Saul in

Respondit Saul sibi perinde esse, vt in alterutra filiarum fiat gener ipsius, & quoniam

prior

nuptias Micholis, ſub conditione.

ptior iam eſſet elocata, poſteriorem eius vxorem fore. At Chaldæus, in vno duorum, inquit, eris gener meus, id eſt, in dote danda, vel in præputijs; ſed quia Dauid exculauit tenuitatem ſuam, Saul elegit centum præputia Philiſthæorum, quæ ſibi intra dies aliquot, dotis loco numerarentur. Nec mirum videri debet dotem à genero ſiue marito peti, cum illa dari ſolear ab vxore. Nam antiquitus maritus vxorem dicebatur emere, & maritum vxor, dicebanturque fieri per coëmptionem nuptiæ. Admittit conditionem Dauid, ſeque ac ſuos ad eam quamprimum explendam comparauit, & priuſquam dies aſſignati tranſacti eſſent, occiſis ducentis Philiſthæis, ducenta regi præputia numerauit, vt eſſet gener eius. Quo autem modo illi in Dauidis poteſtatem venerint, proditum non eſt. Nec parum callida fuit Saulis petitio, qui non aures aut capita Philiſthæorum petierit; Ne Dauid cum ſuis prædonum more obuios quoslibet trucidarent, quos tamen Regi dicerent eſſe Philiſthæos. At præputia in ſolis Philiſthæis inuenturi erant, niſi regiones longinquas adituri eſſent, quod aſſignati temporis anguſtiæ non ferebant.

Quã admittit Dauid, & explet.

l. 6. Ant. c. 11. & 13. 9. 37. in c. 18.

Ioſephus & Abulenſis exiſtimant Saulem pudore compulſum, nec vltra tergiuerſari valentem dediſſe filiam ſuam Dauidi, negaturum alioqui, cum in promittendo nuptias nihil aliud ſpectaſſet quam interitum generi. Verum poſt iniuriam illi factam, in fallenda fide in filia natu maiore, ferrei eſſe oris exiſtimauit, in hac quoque, tanto periculo coëmpta, perfidioſe agere. Itaque dedit illi filiam ſuam vxorem, vt mox tanto maiori ſcelere, viri innocentis, & præclare de ſe, totaque repub. meriti, & fortiſſimi iuuenis, & prudentiſſimi ducis, & generi, qui inſtar eſt filij, fieret perduellis. Itaque nuptiæ ex parte ſoceri diſſimulatione plenæ fuerunt: ex parte autem coniugis vtriuſque, ſynceriſſimæ. Nam Michol, quæ Dauidem ante dilexerat, nunc dilexit etiam vehementius, qui ſui cauſa tantum apud Philiſthæos periculi adijſſet. Cui amori Dauid egregie reſpondebat, vel hoc nomine, quod ipſa quamuis genere præſtantior & opibus, beneuolentia tamen erga ipſum certaſſet prior, & maritum optaſſet. Honorabat quoque, vt regis filiam, vt principis ſororem, vt fortunis opulentiorem, vt cauſam dignitatis ſuæ.

VII. Dat Saul filiã Dauidi, ſed inuitus.

Mutuus coniugũ amor.

Cæterum Micholis in Dauidem amor parentem fefellit, qui ſperabat ſe habiturum illam perfidiæ ſuæ, ac crudelitatis adminiſtram, & paternum amorem tanto antiquiorem maritali antelaturam: ſed improba ſpe fruſtratus, poſt contractam affinitatem, cœpit magis timere Dauid: vt qui haberet domi ſuæ filium ac filiam impenſe addictos illi viro, quem ipſe capitali odio proſequeretur, & quoquo modo ſublatum cuperet. Nam quod hactenus clandeſtinis machinatus erat inſidijs, mox apertis odijs attentauit, vt ſequenti anno dicemus.

VIII. Præter ſpem Saulis.

IX. Excurſio Philiſthæorũ.

Interim *egreſſi ſunt* de finibus ſuis, *principes Philiſthæorum*, proculdubio ad bellum, memores eorum quæ nuper apud ipſos Dauid hoſtiliter perpetrarat. Fremebant nimirum occiſos cives ſuos, ſed multo etiam vehementius indignabantur, cum cæſorum corpora præputio mutilata, quaſi in ipſorum contumeliam & probrum, animaduertebant. Itaque ſimili aliqua virorum fortium excurſione ſuſcepta Hebræis luculentam cladem reponere ſatagebant. Maxime autem imminebant Dauidi, quem præſentium ſuorum malorum fontem agnoſcebant & caput. Senſit id Dauid, & *à principio egreſſionis eorum prudentius ſe gerebat*, quam omnes ſerui Saulis. In odorandis ſcilicet, atque anteuertendis hoſtium conſilijs, in locorum opportunitate occupanda, in parandis inſidijs atque vitandis, aliiſque id genus militaribus inſtitutis. Quæ hoc erant admirabiliora, quo minus ea per ætatem callere, nedum parrare poſſe videbatur. Nec plura de hac vel excurſione, vel bello memorantur, quo autem exitu finem acceperit non liquet. Non videtur certe vltra hunc annum proceſſiſſe, opera præſertim Dauidis, cuius nomen celeberrimum factum eſſe Scriptura hæc ipſo loco teſtatur.

ANNVS MVNDI 2973.

SAMVELIS 34.

SAVLIS & ACHIÆ 12.

DERCYLI 32. Imperij Aſſyriot. 1042.

ANTE CHRISTVM 1080.

VRebat in dies vehementius Saulem inuidia, & quot ad eum nuncij de re bene à Dauide geſta contra Philiſthæos perferebantur, totidem illi erant tormenta & cruces. Hærebat ſaltem ambiguus lætaretur ne atteri vires hoſtis infeſtiſſimi, ſpolijs ditari populum ſuum, pacem ac libertatem Hebræorum altiores ſemper radices agere: an triſtaretur, quod illum, quem ſibi domeſticum fingebat hoſtem, & ſceptro ſuo ac ſolio imminentem putabat, gratia in vniuerſo populo, gloria in omnibus gentibus in dies inualeſcere ſentiret. Cumq; duas in partes infelicis Principis animus diſtraheretur, hic tamen dolor illam lætitiam abſorbebat, quòd priuata mala nos acerbius crucient, quam communia commoda conſolentur. Hoc porro anno Saulis in Dauidem inuidia, atque odium erumpit foras: & quod ipſe per ſeſe, occultaſque machinationes perficere non potuerat, Deo illi ad gloriam & beneuolentiam conuertente, quæcumque ad eius perniciem parabantur, aſcito ſorum auxilio conficere omni ope conatur, vt ſic plures indigniſſimi ſceleris participes fiant, & cædes innocentiſſimi iuuenis redundet in plures.

I. Miſera Saulis inuidia.

Erumpit foras.

Quin & ipſum Ionatham optauit eiuſdẽ facinoris adminiſtrum, quo & recentis affinitatis, & iamdudum inita amicicitiæ fœdera violata conciderent. Nam *locutus eſt Saul ad Ionatham filium ſuum, & ad omnes ſeruos ſuos, vt occiderẽt Dauid.* Cum enim adhuc ignarus eſſet mutui inter eos fœderis, non abſurde ſperauit Ionathã hoc facinus per ſe ſuosve confecturum, quia ipſius maxime intereſſe videbatur mori Dauidem, qui patris regnum, ipſi tanquam primogenito debitum, videbatur occupaturus: iuxta illud Saulis. *Omnibus diebus quibus filius Iſai vixerit ſuper terrã, non ſtabi-*

II. Domeſticos, ipſumque Ionathã inuitat ad cædem Dauidis. *1. Reg. 19. 1. 1. Reg. 20. 31.*

lieris

lucrū tu, neque regnum tuum. Verum Ionathas antiquiorem habuit fidem Dauidi datam, & iureiurando firmatam, paterna beneuolentia cum scelere copulata, atque adeo debito, ac sperato regno. Et huc quoque respexisse videtur Scriptor sacer, cum Saulis iussione memorata, subdit, *Porro Ionathas filius Saul diligebat Dauid valde.* Vt propterea frustra id facinus sperauerit ab eo Saul. Sicut & à filia sua, quam voluit oblitam suæ cum Dauide necessitudinis, & intimæ charitatis, impotenti patentis cupiditati seruire.

III. Qui amicè ac prudenter se gerit.

Pertinet nihilominus repetita hoc loco Ionathæ in Dauidem dilectio, ad manifestatas ab eo Dauidi paternas insidias. *Quarit*, inquit, *Saul pater meus occidere te.* Non potuit pro amico aduersus patrem arma capere; nec debuit & amici, & innocentis incolumitati deesse: quod ergo proximum fuit egregiè præstitit, vt patrem a sententia deducere conaretur, & amicum moneret, vt studiosius saluti suæ curam gereret; & quidem proximo tempore matutino, quod eius cædi fuerat destinatum: se autem daturum operam vt pater abiret à priore sententia, & mandatum reuocaret, eaque de re quamprimum moneretur, vt è latebris emergeret: ita ab vtroque constitutum, ita factum. Captauit Ionathas idoneam occasionem adeundi patris, eiusque in difficili causa factus patronus. *Ne pecces*, inquit, *in seruum tuum Dauid, quia non peccauit tibi, & opera eius bona sunt tibi valde. Et posuit animam suam in manu sua, & percussit Philisthæum, & fecit Deus salutem magnam vniuerso Israeli, vidisti & lætatus es,* nimirum nondum insonuerat illud fatale carmen, *Percussit Saul mille,* &c. concludit. *Quare ergo peccas in sanguine innocio, interficiens Dauid, qui est absque culpa?* Sic ille.

Et conciliat Dauidem patri.

IV. Quod præ cunctis maxime poterat.

Valuit breuis sed elegans & accurata oratio ad mitigandum regem, valuit non solum æquitas causæ amanter ac suauiter demonstratæ, sed persona ipsa Ionathæ, qui cum esset quadragenarius, non indecorè monebat parentem senem, quique illi alioquin erat charissimus, & mediatorem agebat innocentis, nec se Dauidi addictum, ac fœderatum præse ferebat: neque id adhuc sciebat Saul, vt dixi. Nam postquam illi res innotuit, factus est implacabilis, & vehementius furens filium monitorem tanquam perduellem inuasit. Hæc ergo, & his similia cum audisset Saul, & animo etiam suo fortasse reputasset, eam quam parabat Dauidi necem, ad maximam filiæ suæ iniuriam pertinere, placatus voce Ionathæ iurauit, *viuit Dominus quia non occidetur.* Vere vtique iurauit ac syncerè, quandoquidem placatus erat. Periurus tamen postea factus est, quando mutata voluntate, licet Dauide in sua innocentia perseuerante, omnem lapidem mouit vt eum interficeret.

V. Deducit eum ad Saulem.

His ita compositis, deduxit Ionathas Dauidem ad patrem, *& fuit ante eum sicut fuerat heri & nudius tertius*, aut, vt esse solent qui reconciliantur. Nec tamen ita fuit ante eum, vt in eadem cum rege domo habitaret; nam in proprijs ædibus cum vxore habitabat, vt sequens docebit historia, sed eum subinde adibat, siue importunum hospitem repressurus, siue mandata bellica, vt tribunus, à rege accepturus. Verum hæc reconciliatio perexigu temporis fuit: vigebat quippe intimis in præcordijs tadæ amaritudinis, quæ sursum facile germinaret. Nam cum iterum motum esset bellum Hebræos inter & Philisthæos, & his infestis armis Iudæorum fines inuadentibus, *Egressus* ad bellum *Dauid pugnauit aduersus Philisthym, percussitque eos plaga magna, & fugerunt a facie eius.* Quamdiu autem durauerit hoc bellum, & quomodo gestum fuerit compertum non est. Illud certe satis constat, Dauidem cum publico omnium præconio, prudentiam & fortitudinem ducis ac militum eius prædicantium, ad regem esse reuersum: eaque re miseri Saulis liuorem redintegratum: & illi debitam pœnam, Deo dilecti sui Dauidis iniuriam vlciscente, rursus impositam.

Renouatum cum Philisthæis bellum, & citò à Dauide sopitum.

VI. Saul iterū vexatur, eique Dauid adest.

Nam *factus est spiritus Domini malus in Saul.* Æquum enim fuit, vt qui diabolico inuidiæ vitio furebat in animo, diabolico etiam cruciatu in corpore insaniret. *Sedebat autem in domo sua & tenebat lanceam.* Id illi erat pene perpetuum, adeo vt etiam in mensa, & in lecto lanceam suam haberet ad manum; & apparet eam breuem fuisse, & à rege facile perituque tractatam. *Porro Dauid psallebat manu sua*, coram Saule, vt improbi dæmonis vexatio mitigaretur: nec tamen imprudenter, etsi iam semel atque iterum inter psallendum mortis discrimen adierat. Cum enim ab eo tempore Ionathæ reconciliatio interuenisset, non debuit Dauid præ se ferre eam sibi esse suspectam. Dici etiam potest, Dauidem non nisi vocatum, in id periculum se coniecisse, vocatum autem non venire, neque ægritudini regiæ remedium afferre cum possis, id nimirum crimen videri poterat imminutæ maiestatis. Aderat itaque furenti Dauid, nec sibi minus à Saule quam à dæmone timebat, ne vel hic nescientis manum ad cædem impelleret, vel ille sciens, vt antea, ex deprauato habitu incautum hasta perfodere niteretur.

VII. Et tantū non Saulis hasta perfoditur.

Nec sine causa timuit, & Regis lanceam obseruauit; *Nisi est enim Saul configere Dauidem lancea in pariete, sed declinauit Dauid*, non solum ab ictu lanceæ, sed etiam *à facie Saul, lancea autem casso vulnere perlata est in parietem, & Dauid fugit, & saluatus est nocte illa.* Periculum enim erat ne eum statim à suis satellitibus interfici iuberet. Nec inane fuisse periculum res ipsa docuit: sed Dauidi nox fauit ad fugam, tam è regis palatio, quam mox à propria domo. *Misit* enim *Saul* mox à priore fuga *satellites suos in domum Dauid, vt custodirent eum, & interficeretur mane.* Iussi sunt expectare lucem, ne ille per noctem inueniri non posset, aut aliquo modo ementito habitu, tenebrisque tectus dilaberetur. Excepit ex fuga Dauidem Michol, & ab eo fugæ causam accepit.

Qui domum fugit, ibique obsidetur.

VIII. Michol in eum officiosa.

Ecce autem videt illico armatis obsessam domum, omnesque illius aditus, itaque facile intellexit eos ad capiendum Dauidem conuenisse: cumque cerneret eos illic excubias agere, nec conari in domum irrumpere, conijcere cœpit eius comprehensionem & cædem in matutinum tempus differri. Fieri autem potest vt Ionathas sororem suam, per fidum aliquem famulum curriculò monuerit de periculo Dauidis, priusquam satellites domus ipsius aditus

obside-

rit hæc prophetia.

minimi in illis, & prophetare cœperunt etiam ipsi. Prophetare interpretantur hoc loco Chaldæus, aliique docti interpretes, Deum laudare, sicut & superius recens inuncto Sauli contigit, cum in cuneum prophetarum incidisset. Contigit autem dupliciter spiritus iste propheticus, diuino afflatu, sine vlla humana industria, Deo illustrante intellectum ad concipiendum, & voluntatem ad enunciandum per organa corporis diuina opera, atque celebranda. Idipsum etiam studio humano contingit, alijs alios edocentibus; priore modo satellites isti, & mox Saul ipse prophetauit, posteriore discipuli Samuelis. Ipse autem Samuel & Dauid, qui spiritu prophetico iamdudum donati fuerant, eamque scientiam vsu ipso expoliuerant, vtroque modo prophetasse dici possunt. Porro nuncij Saulis, non solum mente diuinitus illustrati, sed voluntate etiam ita immutati sunt, vt nec curarent Dauidem comprehendere, neque redire ad regem, vna in eis prophetandi & psallendi cura dominante.

1. Reg. 10. 10.

1. Reg. 19. 21.

XV. Aliquot huius prodigij fines.

Quod cum nunciatum esset Sauli, misit & alios nuncios: prophetauerunt autem & illi. Et rursum misit Saul tertios nuncios, qui & ipsi prophetauerunt: eademque opera docuerunt Saulem, ipsum pugnare cum Deo, qui eius conatibus præter omnem naturæ modum obsisteret; & quanti etiam faceret Dauidem, in cuius salutem prophetiæ gratiã etiam in sicarios profunderet. Diuinam quoque bonitatem, ac potentiam prædicabant, qui tam blande Saulem puniret in crimine hærentem. Quique hominum intellectum & voluntatem ita regeret, vt sine vlla violentia vellet omnino desinerent quod maxime volebant, Sauli videlicet obtemperare, & velle inciperent, constanterque vellent, quod statuerant ante non velle. Nam posteriores nuncij statuerant non prophetare, sed Dauidem rapere. Et ne quam fraudem rex suspicaretur, ipsum quoque vel inuitum prophetare voluit, & Dauidem in ipsius, omniumque satellitum oculis impune subsistere, & cum libuisset, impune quoque discedere.

Dei potentia in intellectum, & voluntatem hominis.

XVI. Saul prophetat inuitus præ suis nuncijs.

Sed Deus hoc mirabilius ostendit Sauli spiritus sui potentiam, quò eum sibi vehementius obsistentem, & improbæ voluntatis tenacem inuenit, diuinam enim in se vim, & citius sensit, & vehementius quam satellites. Citius quidem, quia cæteri spiritu prophetico rapiebantur, cum ad conspectum Samuelis & Dauidis peruenissent, ipse autem ex itinere prophetare cœpit, & diuinas laudes canere, facto enim super eo spiritu Domini, ambulabat ingrediens, & prophetabat vsque dum veniret in Naioth. Vehementius autem spiritu prophetico impulsum apparet ex eo, quod illo incitante deposuit ipse vestimenta sua, quod alij non fecerant: maius quippe mysterium in Saule agebatur, qui spoliando se vestibus regijs, ei quem persequebatur, regnum se relicturum significauit, teste Theodoreto; Procopio, & Ruperto. Quod autem cecidisse dicitur nudus tota die, & nocte, de prædictis tantum vestibus accipiendum est, neque enim Samuel, & qui cum illo erant, tantam eius ignominiam ferre potuissent. Ille autem casus ad agitationem consuetam mali spiritus referri potest: quæ ideo diuturnior fuit, quod illi mitigandæ Dauid operam non dedit, sed saluti suæ fugiendo consuluit.

Spoliat se.

Sequitur ergo deinceps fuga Dauidis de Naioth. Dum enim Saul diem noctemque iacet impos sui, abit Dauid ad Ionatham, vt significat sequens Scripturæ narratio: in qua non sine causa putat Abulensis desiderari aliquam reconciliationem, quæ facta sit interuentu Ionathæ, ad quem Dauid querelam detulerat, quæ mox habetur in textu. Alioqui absurdum erat mirari Saulem, quod Dauid abesset à mensa eius. Absurda quoque excusatio Ionathæ de profectione Dauidis in Bethlehem. Diceret potius. Quid miraris abesse hominem, quem tu toties interficere voluisti? cum nulla interuenerit reconciliatio, ex quo tu tot satellites misisti in Naioth ad eum comprehendendum? Itaque cum illo dicendum videtur, querelam quandam priorem Dauidis ad Ionatham desiderari, cum reconciliatione secuta, quæ cum esset suspecta Dauidi, conquestus est apud Ionatham, prout habetur in textu, *Quid feci? quæ est iniquitas mea?* &c. Eam querelam ac reconciliationem, quam nos in Annalibus vtcumque suppleuimus, in hac epitome candidus Lector desiderari patietur.

XVII. Dauid fugit è Naioth.

Abesse à textu vnam reconciliationem.

num. 43. ad 49.

Cum ergo non obstante reconciliatione illa, Saul quæreret animam Dauidis, ratus sine ea cæde nihil à se boni sperari posse: ea perpetrata, læta sibi omnia, & tranquilla fore, eamque simulationem sentiret Dauid, ad fidam sibi anchoram confugit, & apud Ionatham de patre ipsius expostulans. *Quid feci*, inquit, *quæ est iniquitas mea, & quod peccatum meum in patrem tuum, quia quærit animam meam?* simulque tabitis coniuratorum in se nominibus pertexit, quantum, à reconciliata nuperrime gratia, capitis discrimen adierit. At Ionathas patrem excusat quantum potest, modo calumnias cauisatus, modo insaniam, ob quam non odio, sed commiseratione dignus sit. Cædis autem ipsius voluntatem ex eo infirmat, quod pater omnia sua cum ipso communicet, itaque istam quoque postremam coniurationem communicaturum fuisse. Quod recte refellit Dauid, *Scit profecto*, inquit, *pater tuus, quia inuenigratiam in oculis tuis, & dicet, Nesciat hoc Ionathas, ne forte tristetur.* Itaque inscio te tollar ego de medio. Et reuera in præsentissimo periculo mortis perpetuo versor.

XVIII. Saul iterũ coniurat in Dauidem, qui propterea quæritur apud Ionathã.

Persuasus Ionathas magnitudine periculi, in quo versabatur Dauid, vbi satius esset nimium esse timidum, quam parum prudentem, percunctatus est, qua in re illi opem ferre posset. Ille ex responso regis super absentia sua capere vult coniecturam de regis erga se animo, Ionatha totam rem ad se in agro latentem deferente. Quo autem animo esset nunc Dauid ex illa conclusione facile intelligitur. *Fac ergo misericordiam in seruum tuum, quia fœdus Domini me famulum tuum tecum inire fecisti. Si autem est iniquitas aliqua in me, tu me interfice, & ad patrem tuum ne introducas me*, ab eo videlicet occidendum Satius enim videtur ab amico quam ab inimico affici morte. Ille enim necessitate cogente, dum amicum lugens interficiet, cum luctu tuo aliquo modo consolabitur; at inimicus dum interficiet cum gaudio inimicum, hoc ipso morientis pœna ex inimici lætitia nouo dolore cumulabitur. Cæterum in huiusmodi postulato agnoscenda

XIX. Et magno animi sensu.

est hyperbole, qua mortem tuam vltro deposcit, ab eo qui eius non sit iudex. De qua dictum est à nobis alibi.

6.1 a.2138 n.52.

XX. Cum Ionathas consolatur.

At Ionathas, *Absit hoc*, inquit, *à te*, vt scilicet manu tibi amicissima cadas, vel in manum incidas inimici tui. Imo ne fieri quidem potest per nostræ amicitiæ iura, *vt si certe cognouero impletam esse patru mei malitiam contra te*, quæ scilicet ad summum prog essa, non possit expleri, nisi morte tua, *non annunciem tibi*: sicque innocentiæ tuæ, nostræque amicitiæ potius seruiam, quam iniustissimæ parentis voluntati. Illud quoque in oratione Ionathæ intelligitur, nunciaturum ipsum Dauidi, si cognouerit depositam à Saule offensionem. Modus autem mouendi clam Dauidis, siue rex dure, siue amice responderet fuit vt Dauide latente in agro iuxta laxū, cui nomen Ezel, siue in spelunca, siue in casa quapiam pastoritia, Ionathas ad eundem agrū. cum puerulo veniret, & sagittis moneret, quas citra puerum, quem præcurrere iussisset, mitteret, si res Dauidis bene haberent, aut vltra, si secus.

XXI. Prodeunt ambo foras, & cur.

Exierunt porro ambo extra vrbem monente Ionatha, vt remoris arbitris iureiurando confirmaret se fideliter relaturum Dauidi, quonam esset in ipsum animo Rex: & vt renouaret prius initum cum ipso fœdus: simulque declaret quæ de futuro ipsius regno sentiret, & propterea illi se, suaque omnia commendaret: quæ secretissima esse, ac ne à parietibus quidem audiri oportebat; denique modus mittendarum sagittarum declarandus erat. His ergo de causis ambo prodierunt foras, vt Deum vnum testem haberent eorum, quæ inter se tam in præsens, quam in futurum agitarent. Superflua porro videatur hæc ænigmatica per sagittas locutio, cū nihilominus Dauidem Ionathas esset allocuturus, eique rem totam nunciaturus. Non fuit tamen superflua; per eam enim prouisum est in omnem euentum necessitati, si aut vltro ingerentibus se amicis, aut casu supernenientibus, non posset Ionathas ad Dauidis abituri conspectum, & complexum venire.

Cur statuant loqui per sagittas.

XXII. Dauid latebras in triduum petit, quidque ibi egerit.

Finito colloquio Ionathas domum redit. Dauid autem nonnullo comparato in tempus latebrarum commeatu, festinus descendit in locum, in quo zelandus erat, vti eum Ionathas monuerat, ibique mansit reliquo illo die, qui præibat calendas, totumque diem calendarum, & postridie eius diei, & nocte sequenti, vsque ad tertium mensis diem, reputans quem tandem finem habitura erant hæc rerum suarum discrimina, si forte Saulis gratia desperata sit, quò sibi confugiendum, cui nusquam toto in regno ab improbi atque ingrati principis furore tutum esse liceat: quid patri ac matri, erant enim adhuc in viuis, quid fratribus, totique familiæ futurum sit, in quos eadem tempestas videatur redundatura; quid dilectæ ac bene de se meritæ vxori; quomodo eius beneuolentiæ respondere queat, quomodo eiusdem honori atque incolumitati prouidere. Quid auxilij, aut præsidij ab amico Ionatha, quid ab Achimelecho Pontifice, quid à Samuele Propheta, quid ab amantissimis cōmilitonibus expectari possit. Inde autem conuersus ad Dominum pernoctabat in oratione Dei: Psalmos meditabatur, quos deinde per otium scriberet, eiusque prouidentiæ se tuaque omnia ingenti cum fiducia committebat.

Interim venerunt caleudæ, statuta sacrificia celebrantur, propitius sit Dominus, tubæ personant, læta conuiuia domesticos inter & amicos agitārur, mitior forte factus fuerit vel inter epulas Saul, & inter amicos honoratosque conuiuas, omnium offensarum memoria sopietur. Nihil minus. Sedit Rex in mensa primo loco, tum ad dextram sinistramque suo loco singuli, & apparuit vacuus Dauidi destinatus locus. Id vidit Saul, nec tamen causam rogauit, ratus eum immunditiam quampiam legalem contraxisse, ob quam nondum purificatus abesse cogeretur. Cum autem postridie rursus apparuisset vacuus Dauidis locus, quæsiuit de Ionatha Saul cur abesset Dauid, quem contemptum vocauit filium Isai. Respondit Ionathas, quod fuerat ab eodem edoctus, rogatum se à Dauide, vt excusaret apud regem absentiam suam, & excitatum in Bethlehem patriam suam, & solenne sacrificium cum paterna familia.

XXIII. Saul in mensa requirit Dauidē.

Eam excusationem Saul non solum cum ira, sed etiam cum procaci in filium contumelia excepit, vocans eum filium mulieris virum vltrò rapientis, id est, procacis & adulteræ, *nunquid ignoro*, inquit, *quia diligis filium Isai in confusionem tuam, & ignominiosæ matris tuæ*. Conuitium est de trimo sumptum, hominis de fæce populi in iram concitati; neque suæ dignitatis, neque filij sui satis memoris, cui suam cū Dauide amicitiā exprobrat, in contemptum paternæ beneuolentiæ, à quo propterea nec filius dici debeat, neque æstimari; qui non sit inimicus inimico patris sui, nec odio prosequatur quem ille perditum cupit, in confusionem suam, cui ille regnum eripturus sit, & eum in ordinem redacturus. Vnde subdit. *Omnibus enim diebus, quibus filius Isai vixerit super terram, non stabilieris tu, neque regnum tuum. itaque*, vt sublato pernicioso regni æmulo stabiliaris in regno tuo, *iam nunc mitte, & adduc eum ad me, quia filius mortis est*. Significat non esse illum in Bethlehem, sed absconditum apud Ionatham latere, vnde illum & regis, & parentis iussu educere debeat, vt occidatur: ex quo intellexit Ionathas, definitam à Saule Dauidis cædem, quod Dauid certe scire, opera Ionathæ cupiebat.

XXIV. Excusationē Ionathę excipit cum contumelia.

Hic videlicet incaluit Ionathæ iracundia, flabello amoris excitata, & respondit patri, *Quare morietur? quid fecit?* quid opus est incerta pericula, certo scelere redimere? Saul autem excandescens *arripuit lanceam*, quam semper habebat in promptu, *vt percuteret eum. Ionathas autem surrexit à mensa in ira furoris*, quam patris odium & furor in amicum & innocentem excitarat, & ieiunus eo die præ indignatione permansit, sed & insomnem duxisse noctem, in tanto mœrore pro amantissimo capite positam, facile est intelligere. *Cum autem illuxisset mane* diei tertij mensis eiusdem *venit in agrum*, vt illi cum Dauide conuenerat, cum puero & sagittis, quas iaculatus est longe vltra puerum, qui præcurrerat vt eas reportaret, & clamauit Ionathas post tergum pueri; vt exaudiret Dauid, *qui sedulò attendebat ecce ibi est sagitta porro vltra te. Clamauitque iterum Ionathas post tergum pueri, dicens festina velociter, ne steteris.* Quæ postrema verba ad solum puerum pertinebāt, quem nolebat huc illucque

XXV. Iratus Ionathas aurem lesert ciuus.

Adit Dauidem, & per sagittas monet.

vagari,

vagari, aut vltra saxum progredi, vbi incideret in Dauidem; non autem ad Dauidem, quem nolebat abire, priusquam ipsum esset allocutus, quoniam id per solitudinem licebat.

XXVI. Colloquuntur, ac sibi varie dicunt.

Cumque abiisset puer, cum arcu & sagittis in ciuitatem, surrexit Dauid è latebris suis, *& cadens pronus in terram adorauit tertiò*: filium regis, maiorem natu amicum, & vitæ suæ conseruatorem, *& osculantes se alterutrum fleuerunt pariter, Dauid autem amplius.* Vt qui plures habebat lachrymandi causas, & vt iunior teneriore Ionatham amore prosequebatur. Postremo valedicens ei, *Ionathas dixit, Vade in pace, quæcumque iurauimus ambo in nomine Domini, dicentes: Dominus sit inter me, & te, & inter semen meum & semen tuum, vsque in sempiternum*, firma scilicet maneant, & inuiolata subsistant. Deficiens ac decurtata oratio præsenti animorum commotioni valdè congruit; imò & Dauidis silentium non patrem aut matrem, non fratres aut necessarios suos, non vxorem dilectissimam, non seipsum denique principi Ionathæ cõmendantis. Atrox animi dolor oppresserat os optimo iuueni, sed vehementissimus amor, omnia in corde Ionathæ loco Dauidis copiosè loquebatur: & ille vicissim tacitus operam omnem suam amico, familiæ, amicisque eius prolixè deferebat. Adde quod modicè simul lugere licuit, quod vrgeret necessitas vitandi periculi, & molestis ab interpellatoribus timor.

Dolor obstruit ora Dauidi.

XXVII. Dauid venit ad Pontificem in Nobe.

Digressus à Ionatha Dauid venit in ciuitatem Nobe ad Achimelech Sacerdotem, vt ibi in Sanctuario pro se Dominum consuleret; non fugit autem statim longius, siue quod fame premebatur, siue quod inermis erat, & facilius via breuis clam conficitur quam longinqua: ideoque etiam fortasse Pontificem potius adijt quam Samuelem, cui iam semel periculum creauerat. An autem ad Achimelechum plane solus venerit, vt ait idem Sacerdos, an cum socijs, de quibus & Dauid hoc loco, & Dominus in Euangelio locutus est, dico breuiter hoc loco: Dauidem quidem solum venisse ad Pontificem, socios tamen habuisse alio in loco, quibuscum panes postmodum communicarit: facile enim fuit Dauidi à digressu Ionathæ aliquibus amicis ac militibus suis occurrere, eosque sibi socios assumere, quos tamen certum in locum dimissos, noluit secum, vt res esset rectior ac tutior ad Achimelechum venire, apud quem etiam dissimulatione vsus est, veritus fortasse ne ille re cognita, sibi suisque à Saule timens, nullam opem præsenti eius necessitati auderet afferre, aut illum fortasse comprehensum furenti regi mactandum traderet: præsertim animaduerso apud Sacerdotem Doëg Idumæo.

Matth. 12. v. 4. *Mar.* 2. 25. *Luc.* 6. 4.

an solus?

XXVIII. Apud eũ fugã dissimulat, & petit commeatum.

Fingit ergo commissum sibi à rege negotium, quod clam acceleriter expediendum esset, itaque viaticum ab eo petit, & nominatim panes, & panes quidem accepit Sacros, laicorum defectu, alia tamen cibaria accepisse, illa petitio, *si quid habes ad manum* probabile facit. Quomodo enim in Pontificia familia, nihil tum cibariorum repertum credamus? Certe Doëg cum rem ad Saulem detulit, dixit Pontificem cibaria dedisse Dauidi. Panes autem sacri suadente necessitate permissi sunt, Laicis, etiam non summa. Neque enim deerant tota in vrbe panes, qui à famulis Pontificis perquiri possent & dari Dauidi: neque ipsum tanta vrgebat abeundi necessitas, vt tantulo tempore profectio differri non posset. Quin de necessitate quidem interrogat Achimelech, sed illam adesse supponens, & alia impedimenta abesse; de eo quod probabilius erat inquirit, de immunditia videlicet cum mulieribus. De qua certior factus, dedit illi sanctificatum panem. Quinque perierat, & de duodecim, qui sublati fuerant de mensa Domini, dimidium fortassis accepit, reliquis familiæ suæ reseruatis.

1. Reg. 22. 10.

XXIX. Ibi Doeg casu repertus.

Sed ecce casu oblatum ingentis mali seminarium. Erat enim ibi vir quidam de seruis Saulis, qui vt creditur, voti alicuius persoluendi causa, retinebatur in tabernaculo, nec erat de vulgaribus famulis, sed regijs pastoribus præpositus erat, vir origine Idumæus, religione proselytus, qui mox rem omnem Sauli magno Sacerdotum malo patefecit. Prouisum iam erat de cibo, sed arma quoque necessaria erant. Itaque Dauid Achimelecho, *Si habes*, inquit, *hic ad manum hastam, aut gladium? Quia gladium meum, & arma mea non tuli mecum, sermo enim regis vrgebat*, adeo videlicet, vt ne domum quidem ad ea sumenda adire licuerit, sed è vestigio migrare iusserit. Hæc quidem inceptæ fictioni consentaneè pertexuntur. Vera autem causa fuisse videtur, quod Hebræi rarius secum arma circumferrent. Ex quo illud fiebat, vt ea non sine suspicione acciperent. Notat enim Abulensis Ionatham & Dauidem quando consilij capiendi causa exierunt in agrum, inermes prodijsse, ne peregrè proficisci putarentur, idque mox deferretur ad regem. Eadem suspicio prohibuit, ne cum postremo Ionathas venit ad Dauidem, arma ad eum secum deferret, neque per alium miserit, qui fieret conscius latebrarum Dauidis, & secretorum vtriusque. Itaque necesse fuit tam egregium militem plane inermem, non sine pudore atque periculo, iter facere.

Dauid gladium Goliathi à Sacerdote accipit.

Hebræi arma passim non ferebant.

XXX. Gladius Goliathi Domino consecratus, ad tẽpus à Dauide accipitur.

Et Sacerdos quidem Dauidi gratificari cupiebat; At cum non esset domi suæ, sed in Sanctuario, in quo non vasa belli, sed diuini ministerij seruabantur, Dauid autem ne tantillum quidem differre cuperet profectionem suam, vt qui probe intelligeret non leue sibi periculum ex mora creari, obtulit ei gladium Domino consecratum, quo pridem Goliatho ceruices fregerat, quod nullus alius adesset ad manum. Eum libens accepit Dauid, ratus se sicut in panibus sanctis, sic & in gladio sacro, à Pontifice, vrgente necessitate, lege solui posse. Præsertim si, vt Tostatus existimat, mutuum ad tempus accepit, moxque vbi alia arma consecutus est, eundem tabernaculo Domini restituit. Acceptis ergo panibus & gladio, Dauid quamprimum è Nobe discessit, ne qua forte aura afflaretur ad Saulem, de Dauide in Nobe conspecto, statimque immisso armato milite comprehensus, ad Saulem trucidandus traheretur.

XXXI. Dauid ad Gethæũ regẽ profugit.

Quo autem profectus est? Ad Achis Gethæum in Palæstina regem; Audaci profecto consilio, siue Palæstinum cogites, hostem Israëlitarum infensissimum, siue Gethæum Dauidi peculiariter inimicum, à quo Gethæus ille Goliath, gentis suæ decus, ignominiosè mactatus fuerat: qui denique totam Philisthæorum gentem crebris prælijs cædibusque fatigauerat.

& quidē prudenter.

Scyllam ergo adire virandæ Charybdis gratia videbatur. Verum exiſtimandum eſt hoc conſilium non niſi annuente Domino, quem à Dauide per Sacerdotem conſultum fuiſſe conſtat; ſuſceptum eſſe. Et ſane cum ibi Dauid ſtatueret ignotus ad tempus aliquod degere, tanto id futurum erat tutius ac rectius, quo magis erat præter omnium opinionem. Facile autem fuit ibi ignotum eſſe, quoniam in Dauide mutata erant omnia, ex quo ab eo viſus fuerat, & diſſimulatione magis magiſque mutabantur. Denique ſi quo caſu agnoſceretur, cum illi Saulem infenſiſſimum eſſe conſtaret, poterant talem ſibi demereri bellatorem, qui Saulem, eiuſque populum cladibus afficeret. Gethæi porro Goliathi mortem lugere poterant, iniquo animo ferre non poterant, nec Dauidi nominatim ſuccenſere, qui in illo ſingulari certamine nihil fraudis aut perfidiæ admiſiſſet, ſed virtutem potius prodidiſſet, quæ hoſti quoque amabilis eſt, atque admirabilis.

XXXII. Solusne venerit.

Venit ergo Dauid, ad Achis Gethæum regem, quem apparet à Dauide præ cæteris electum regibus, quod maiore quadam humilitate, & in aduenas facilitate præditus eſſet, & afflictam virtutem miſericordia proſequeretur. Sed ſolusne, an cum aliquo comitatu? Solus, opinor; idque fuit aptius ad latendum, ſub ſpecie obſcuri militis, & egeni. Nec abſurdum eſt exiſtimare ſocios illos Dauidis, intellectum eius conſilium de Philiſthæis adeundis minime probaſſe, ſiue periculo proprio, ſiue religione prohibitos: præſertim cum domi non haberent Saulem aliquem quem timerent, & famem minore periculo ſe depulſuros ſperarent. Quin & diſſuaſiſſe arbitror, ijs fere rationibus quas paulò ante attigi, ſed cum eum firmius in ſententia hærere cernerent, quam vt ab ea deduci poſſet, bene valere iuſſum, dimiſerunt. Abit itaque ſolus Dauid, ſuamque ab hominibus ſolitudinem, diuina præſentia colloquijſque conſolatur.

XXXIII. Introducitur ad regem.

Minime tamen credibile eſt temerè Dauidem in regiam Gethæi domum irruiſſe, nullo deprecatore vſum; adijſſe potius aliquem de regis optimatibus, cui Dominus ipſum reddiderit gratioſum, præſertim cum ijs præditus eſſet naturæ donis, quæ hominibus homines conciliant. Illi ergo dixerit virum ſe eſſe militarem, qui principibus viris libenter inſeruiat, qui præ cæteris ſapientia; atque humanitate præſtent, qualem Gethæum regem eſſe didicerit: ei ſe ſuamque operam libenter oblaturum, ſi placeat ipſi gerendi negotij eſſe interpretem. Genere quidem ſe Iſraelitam eſſe, ſed exorta inter ſe ac tribunum offenſione aliqua, alium ſibi ducem optare, cui arma ſua, militiaque deſeruiant. Cæterum nihil ſibi fide antiquius vnquam vel fuiſſe, vel fore. Quid multa, placet, offertur, admittitur, & in regia familia, ſiue cohorte prætoria numeratur. Quamdiu autem, id vero in obſcuro eſt. Probabilius tamen videtur exiguo ibi tempore potius, quam diuturno ſubſtitiſſe.

XXXIV. In ſuſpicionem venit.

Inaudierunt fortaſſe Gethæi, requiri à Saule toto regno Dauidem, nuſquam illum apparere, varia varijs de illo ſuſpicantibus. Et quid ſi, ait aliquis, amiſſus ille Dauid reperiatur apud nos? quid ſi ille ipſe eſt, quem rex nuper ad ſuam cohortem allegit? & ad regem ipſum, *Nunquid, non iſte eſt Dauid rex terræ?* qui regis inſtar præerat militiæ Hebræorum? *Nonne huic cantabant per choros dicentes, Percuſſit Saul mille, & Dauid decem millia?* quæ non tam affirmando, quam dubitando dicebantur. Siue autem illa ſerio, ſiue ioco dicerentur, *timuit valde Dauid*, & ſtultitiam ſimulandam putauit. Cum enim prudentiæ nomine valde commendaretur Dauid, & vir eſſet longe honoratiſſimus, minime omnium credi poterat illum eſſe Dauidem, qui tam multipliciter inſaniret. Nam & vultum diſtorquebat, vt contingit arreptitijs, & aliena loquebatur, & impingebat in oſtia, & collabebatur inter aulicorum manus, & ſaliuas quaſi ſpumam mittebat ex ore, vt ſolent epileptici: quæ cum in conſpectu regis ipſius agitaret, ab eo, cum ſuorum obiurgatione, reiectus eſt. At illi dolorem ſuum in innocentem copioſe refuderunt, vt ex Pſalmo 55. qui ad tem præſentem pertinet, intelligi poteſt. Inde autem liberatus, gratias egit Deo, quæ habentur in Pſalmo 33. vt ex illius inſcriptione patet.

& ſtultitiam ſimulat.

& male accipitur.

XXXV. Abit ex Philiſthæis.

Abit ergo Dauid ex Philiſthæis, quod deſperaret vltra te ibi latere poſſe, & fugit in ſpeluncam Odollam, bidui fere inde diſtantem: ibique apparet eum ſatis diu manſiſſe. Subdit enim Scriptura, *Quod cum audiſſent fratres eius, & omnis domus patris eius, deſcenderunt ad eum illuc.* Tam tui cauſa, quam Dauidis, propter quem à Saule vexari cœperant; Alioqui temere domum ſuam, ſuaque omnia deſeruiſſent, vt vitam cum fugitiuo traherent in deſertis locis. Elegerunt ergo exilium cum Dauide: primum quod putarent etſi domi ſubſiſterent, omnium nihilominus rerum damna, atque adeo vitæ ipſius, ab iniuſtiſſimo principe toleraturos, vt contigit Sacerdotibus, propter præſtitum Dauidi fauorem. Itaque rebus, ſuis quantum fieri potuit, ſecum aſſumptis, ad Dauidem profecti ſunt, omnem cum eo fortunæ aleam ſubituri. Conuenerunt quoque cum eo, omnes qui erant in anguſtia conſtituti, vel potentum odijs, vel æqualium inuidia, vel ſuorum iniuria, vel periculis amicorum. Item qui ære alieno preſſi careceres formidabant; Denique quicunque erant amaro animo, & vitam quauis ex cauſa iniucundam trahebant, qui fere omnes in res nouas intenti, quærūt occaſionē emergendi è malis ſuis. Eorum autem opera parata vti potuit Dauid, in vexatione ſua ſuorumque longe iniuſtiſſima, vt ſe atque ipſos ſeruaret incolumes. Pleroſque etiam de tribu Gad viros fortiſſimos ſeſe hoc tempore aggregaſſe ad Dauidem teſtis eſt primus Paralip. liber. & Abulenſis in eundem locum.

Ad eum cognati, atque multi cōfluunt.

An cum culpa Dauidis.

c. 12. v. 8.

(·.·)

ANNVS MVNDI 2974.

SAMVELIS 35. SAVLIS 13.

ACHIÆ, siue ACHIMELECHI 13. & vlt.

DERCYLI 24. Imperij Assyriorum 1043.

ANTE CHRISTVM 1079.

I. Summi huius anni capita.

PRæcedentem annum in spelunca Odollamatica cum Dauide terminauimus, vbi ille in dies socios ad se confluentes excipit, aut præstolatur venientes. Præsens autem profectionem habet Dauidis ex ea spelunca, ad regem Moabitarum, indeque iubente Domino, regressum in terram Iuda. Interea nunciatur Sauli Pontificis in Dauidem humanitas, quam ille tam iniquo animo tulit, vt & Pontificem ipsum, & 85. Sacerdotes trucidari mandaret, & vrbem insuper vniuersam, vsque ad animalia, ferro flammaque deleri. Elapsus tamen est tanta ex cæde filius Pontificis Abiathar, qui ad Dauidem, perfugium miserorum, confugit. Quæ omnia cap. 22. referuntur, & sigillatim breuiter à nobis explicanda sunt; adiectis etiam rebus ad Ceilam gestis, quas ad hunc ipsum annum existimamus pertinere.

II. Dauid transit ad Moabitas cum parentibus & socijs.

Cum videret igitur Dauid se satis valida iam cinctum manu virorum fortium, contra repentinos inimicorum suorum incursus, de parentibus iam senio confectis, (agebat enim Isai quartum supra nonagesimum iuxta chronologiam nostram,) cum alia imbelli turba, si qua fuit, in tuto collocandis consilium init, vt ea sollicitudine, ac timore liberatus, liberius cum suis posset huc illucque discurrere. Præsertim cum probe intelligeret, se in ea spelunca ab armis regijs diu tutum esse non posse. Ergo vicina regna circumspiciens, Moabitas elegit apud quos parentes deponeret, tentata prius per nuncios Regis voluntate. Legationis autem erat ista sententia. *Maneat oro pater meus, & mater mea vobiscum, donec sciam quid faciat mihi Deus*: id est, vt videam quo statu & loco, diuina disponente prouidentia, futuræ sint res meæ.

III. A rege humaniter accipitur.

L. 6. Ant. c. 14.

Ei postulationi cum Rex annuisset, Dauid è spelunca sua profectus est trans Iordanem in Masphath Moabitarum vrbem. Duxit autem patrem suum ac matrem ad regis conspectum, à quo honorifice habitos ait Iosephus. Apud ipsum autem manserunt cunctis diebus, quibus Dauid mansit apud Moabitas in præsidio, in quo à Rege collocatus erat, vt simul ipse cum suis à Saule tutus esset, simul etiam Moabitas ab eodem tutaretur. Apparet id præsidium fuisse Masphath oppidum, quod speculum vertunt, quod ex ea quasi arce prospectus circumquaque pateret. Quamdiu autem ibi fuerit Dauid, obscurum est, cunctos illos dies de quibus Scriptura loquitur, placet de mensibus aliquot accipere; nam de pluribus annis accipi non possunt, veranto rerum sequentium copia, quæ nimijs temporum angustijs coarctarentur. Arbitratur autem Tostatus Dauidem ibi cum suis ex præda vixisse, excurrisseque in populos Moabitarum inimicos, si quod iustum contra ipsos bellum erat.

præsi- & o præsidij

IV. Noui socij ad Dauidē confluunt. *1. Paral. 12. 16.*

Interim autem dum in præsidio commoratur Dauid, cum quadringentis socijs, quos ex Odolla deduxerat, alij quoque ad eum tam de tribu Iuda, quam de Benjamin aggregati sunt, *Venerunt enim*, vt ait Scriptura, *& de Benjamin & de Iuda ad præsidium in quo morabatur*, neque enim alibi legitur in præsidio commoratus Dauid. Videntur autem fuisse ad ducentos: nam aliquanto post adijt Ceilam cum sexcentis viris. Mouit Dauidem inexpectatus hic militum globus, ignarum in amicisne, an in aduersarijs censendi essent; Nam Benjamintæ tribules erāt Saulis, Iudæi autē Dauidis. *Egressus ergo est Dauid obuiā eis*, vtique cum lecta suorum manu, siue in omnem euentum, præsidij causa siue dignitatis: certo cogniturus, qua mente ad ipsum venirent, & exacturus fidem priusquam eos in suum præsidium admitteret. *Si pacifice*, inquit, *venistis ad me, vt auxiliemini mihi, cor meum iungatur vobis*, ineamus sinceram amicitiam. *Si autem insidiamini mihi pro aduersarijs meis*, quos ego nullo vnquam scelere violaui, *videat Deus patrum nostrorum & iudicet.*

Dauidis in ipsos prudētia.

V. Et singularis humanitas.

Vide mansuetudinem Dauidis, nihil asperè, nihil minaciter loquentis, quamuis esset tum viribus multo potentior, sed fraudis omnis vltorem Deum deposcentis. Ea lenitate accensus est eorum animus, & amor in ipsum; & amplificatum desiderium ipsius auspicijs militandi: Et nominatim Amasai nepos Dauidis ex sorore Abigail, amantissimis verbis sese cum socijs Dauidi dedit, ea maxime ratione incitatus, quod agnosceret Deum peculiari prouidentia illi adesse, cum omnia, quæ in eius perniciem parata fuerant, à Deo in ipsius gloriam verterentur: & nunc ad eum certatim adduceret, qui eius salutem commodis omnibus, quæ in patria à rege sperare poterant, anteferrent, & damna omnia, timoresque negligerent. Suscepit igitur eos Dauid amice atque honorificè, quantum præsens rerum status ferebat.

VI. Iubetur à Deo redire in terrā Iuda, & cur.

Respirare iam Dauid vt in fuga, & quiescere, vt in rebus turbulentis sibi videbatur, cum ecce tibi à Deo nuncius Gad Propheta, qui eum vltra manere vetat in Moabitico præsidio, iuberque proficisci in terram Iuda. Suspicatur Abulensis cœpisse Moabitam Dauidi perniciem moliri, & nec opinantem tradere in Saulis manus, vt in capite innocentis regis huius amicitiam mercaretur. Deum autem remisisse in terram Iuda, vt varijs illic casibus exerceretur, & illustria populo virtutum exempla monstraret, quibus magis magisque probata ipsius innocentia, omnium beneuolentiam Dauidi conciliaret. Oportebat quoque socijs Dauidis auferri occasionem declinandi ad idola Moabitarum, & Dauidem multorum gratiam ac beneuolentiam præsentia sua in terra Iuda conseruare, quæ diuturna apud Moabitas commoratione defluxisset.

VII. Paret Dauid eximia cum Obediētia.

In hac porro migratione, quæ sine vlla mora, excusatione, vel tergiuersatione, suscipitur, insignis omnino se prodit Dauidis Obedientia, quæ ignorum adhuc Propheram, acerba atque periculosa mandantem non repulit, sed in

eo Deum loquentem audiuit. Præclara obedientia, quæ neque periculum suorum obijcit, si longius à Moabitis abiecit, neque periculum suum, si propius ad ipsum fontem tempestatum suarum accesserit. Nam statim sequitur delatum fuisse ad Saulem Dauidem apparuisse cum suis. Est autem admodum credibile parentes Dauidis ætate confectos in Moabitarum regione defunctos esse, quoniam nulla deinceps fit de illis mentio; eaque mors iam pridem matura suaui Dei prouidentiæ consentanea est, vt eadem opera Dauid ingenti cura & sollicitudine, in crebris, quæ imminebant, locorum mutationibus ac periculis, & Isai cum vxore non minore molestia liberaretur.

Mors parentum eius in Moabitide.

VIII. Pietas Dauidis in cos.

Clausit ergo Dauid oculos senum, in medio fratrum suorum, ipsis illi hanc gratiam, quamuis natu minimo, non negantibus, quem vnctum sciebant in regem, & quem iamdudum aut dominum habere cœpetât, aut ducem: eamque morientibus nauauit operam, quæ à tali filio poterat expectari. Monuit videlicet vt in fide ac spe venturi Messiæ defungerentur. Felices ambo tali ac tanta prole, qui regibus omnibus, qui cunctis retro seculis, ante ipsum sceptra tenuerunt, longo interuallo antecelluit, & omnibus deinceps regibus virtutibus heroicis præluxit. Felices inquam ambo, ad quorum commendationem id vnum sufficere videatur, quod electi à Christo Domino in progenitoribus suis, Dei populo regem Dauidem ediderunt: sicut beatissimæ Virginis vnica fuit & summa gloria, quod ex ea natus est Iesus, qui vocatur Christus. Eo funeris officio perfunctus Dauid cum fratribus ac socijs suis, venit in saltum Hareth, vbi, vt in saltu, multa erant loca latebris opportuna, & quæ ægre admodum ab exercitu regio aditi possent.

Venit inde in saltum Hareth.

IX. Idq; Sauli innotescit.

Cum igitur veniſſet Dauid cum ſuis in ſaltum Hareth, non potuerunt ſexcenti viri ita latere, quin cito Saulis aures de eorum aduentu rumor afflaret. Quid enim latere diu poteſt hominem ſollicitu dine ſuſpenſum, ſuſpicacem, omnia ſubauſcultantem, ac perſcrutantem? Erat is tunc temporis in Gabaa vbi habitabat, vbi erat collis ſiue excelſus locus, qui hic Rama dicitur, appellatiuo potius vocabulo quam proprio. In eo colle erat nemus, quo Saul animi gratia conferebat ſe, & aulici eius cum eo. Cum igitur illuc aſcendiſſet, cunctique ſerui eius circumſtarent eum, haſtam manu tenens, ſiue regiæ poteſtatis inſigne, ſiue animi commotioris indicium, ad ſeruos ſuos, plena acerbiſſimi doloris oratione, de ipſorum contra ſe coniuratione conqueſtus eſt, quod regi ſuo non patefaciant quid faciat, quid incepter Dauid, vbi ſit, quid conſilij capiat, quo modo intercipi aut comprehendi poſſit; cum tamen à ſe præmia fidei ac laboris accipere poſſint, à Dauide non poſſint.

1. Reg. 22. 6. 7. &c.

Qui de ſuis acerbe conqueritur.

X. Præſertim de Ionatha filio.

Sed grauiſſimum querelæ caput Ionatham petit, quem proditionis accuſat, quod hoſti parentis ſui faueat, adeoque cum eo fœdus aduerſus ipſum inierit. Quam fuerit autem iniuſta hæc Saulis vel accuſatio, vel querela, accuratè in Annalibus diſputatum reperies. Hic tantum breuiter cum Toſtato dico, dupliciter contingere potuiſſe vt ſerui Saulis in gratiam Dauidis contra Saulem coniurarent: aut defendendo cognitam Dauidis innocentiam, aut inuadendo Saulem quem in culpa eſſe conſtaret; prius iuſtum erat ac licitum. Sicut enim Dauid iuſte defendebat ſe, ac præſtabat incolumen, ita poterant etiam alij huic iuſtitiæ fauere. Poſterior autem coniuratio iniuſta fuiſſet, ac plena perfidiæ; nimirum contra hdem principi datam, de ipſo conſeruando atque defendendo. Itaque ſi quis Dauidi faueret ad nocendum Sauli, propter acceptas ab eo iniurias, aut ad eum regno exturbandum, mortifera ſe culpa obſtringeret, ſicut & ipſe Dauid.

n. 16. & ſeqq. 9. 14. in 1. 22.

Iuſta ſociorum Dauidis coniuratio.

XI. Et nominatim Ionathæ.

Iniuſta itaque fuit Saulis in Dauidis ſocios aut amicos querela, in Ionatham autem iniuſtiſſima, qui ratione initæ cum Dauide amicitiæ, multo plura debebat pro tuendo innocentiſſimo amico facere, quam feciſſe legatur; quem neque armis, neque copijs, neque conſilio, neque pecunia protexiſſe reperitur. Illud autem de ſuſcitato à Ionatha Dauide, vt vitæ aut regno Saulis inſidiaretur, certiſſima calumnia eſt. Neque enim aliud quippiam egit Dauid aut molitus eſt, quam ſe immeritæ morti ſubtraxit, & furentis in ſe principis iram funeſtamque lanceam deuitauit. Neque aliud voluit Ionathas, quam Dauidis innocentiæ, contra impotentem Saulis potentiam ac furorem patrocinari, & quidem verbo dumtaxat, re autem ipſa, vt poterat ac debebat, egit nihil, ſed ſibi potius ac poſteris ſuis, adiurando vehementius Dauidem, conſuluit. Quam culpam malim in errantem ipſius conſcientiam, quam in amici neglectionem conferre. Sed vnde ſcire potuit Saul hoc Ionathæ cum Dauide fœdus, omnibus mortalibus ignotum præter ipſos duos? Videtur certe Saul ex ſuſpicione amplificando id diuinaſſe, quia iam ſemel & iterum eius cauſam ſuſceperat; & tam ſerio & conſtanter eius reconciliationi ſtuduerat, quaſi fœdus immortalis amicitiæ cum eo contraxiſſet.

An is Gotis ad fuerit Dauidi.

Vnde ſciuerit Saul eorum fœdus.

XII. Doeg defert Achimelechũ ad Saulẽ.

Orationem Saulis triſte ſilentium eſt conſecutum, donec Doëg Idumæus factus eſt vnguis in eius vlcere. *Vidi*, inquit, *filium Iſai in Nobe apud Achimelech, filium Achitob Sacerdotem, qui conſuluit pro eo Dominum*, hoc ſupra tacitum fuerat, quod mox Achimelech ipſe non negat, pergit, *& cibaria dedit ei, ſed & gladium Goliath Philiſthæi dedit illi.* Quæ vt iſte vere dixerit, malo tamen animo dixiſſe ſatis conſtat, & in eam partem, ipſo dicendi modo detorſiſſe, quaſi ea ex malo in regem animo à Pontifice facta fuerint. Neq; enim alioqui Rex tanto furore in ipſum, eiuſque familiam, ac ciuitatem vniuerſam exarſiſſet. Sed ea fuit improbiſſima hominis calumnia, qui perſpicue vidiſſet, quam ſyncere Achimelech ſe tota hac in re geſſiſſet, & ſtudium eius, non tam Dauidi, quam Regis negotijs, quæ ille prætendebat, gratificandi.

XIII. Accerſitus cũ ſuis venit ad regem.

Ea accuſatione Rex accerſit Sacerdotem, omnemque eius familiam, quæ erat in Nobe, *qui vniuerſi venerunt ad regem.* Etſi enim vnum Achimelechum accuſarat Doëg, exiſtimauit tamen Saul omnes, illo authore, contra ſe coniuraſſe, qui eſſet omnium ipſorum caput. Cum ergo adeſſent coram rege, Saul primo ſtatim orationis ingreſſu, iram ſuam aduerſus Pontificem prodit, quem ne proprio quidem nomine dignatur appellare, ſed contemptim *audi*, inquit, *fili Achitob.* Cui humiliter Pontifex.

Præstosum domine, si forte sermo dulcis frangat iram. At Saul contra, *Quare coniurastis aduersum me, tu & filius Ysai, & dedisti ei panes & gladium, & consuluisti pro eo Deum, vt consurgeret aduersum me*, struereteque mihi insidias, vt hodie quoque videre est. Quæ oratio sapit hominem præ iracundia non satis compotem sui. Incipit enim cum contumeliosa appellatione, pergit cum falsa criminatione, & mox cum atrocissima innocentium condemnatione concludit.

à quo acerbè obiurgatur.

XIV. Achimelech causam suam agit.

Obstupuit tam inopinato ictus nuncio Pontifex: vt primum autem redijt ad se, *Et quis est*, inquit, *in omnibus seruis tuis sicut Dauid fidelis, & gener regis, & pergens ad imperium tuum, & gloriosus in domo tua?* facti primũ æquitatem tuetur, excitatas vero Regis contra ipsum inimicitias sancte profitetur sibi penitus inauditas. At Rex qui furore iracundiæ præoccupatus erat, & cupiebat terrificum exemplum statuere, in quod amici omnes, fautoresque Dauidis, cum ingenti metu ac stupore intuerentur, nihil æquissima defensione mitigatus, nefariam in eum, totamque eius familiam, sententiam mortis intorquet, *Morte morieris*, inquit, *Achimelech, tu & omnis domus patris tui.* Et ait Rex emissarijs qui circunstabant eum, prætorianæ scilicet cohorti, regij corporis custodi, vt sacerdotes interficerent, *At illi noluerunt manus suas extendere in sacerdotes Domini.* Tum Doëg nominatim iussus irruere in sacerdotes, *trucidauit in die illa 85. viros vestitos Ephod lineo*, quod genus vestis ecclesiastico, quod vocant, superpellico, respondet.

& nihilominus cũ suis iubetur interfici.

XV. Et oppidum Nobe vastati.

Neque sic exhatiatus est tyranni furor. Nam *Nobe ciuitatem sacerdotum percussit* Doëg iussu Saulis *in ore gladij*: tanta crudelitate, vt non viris, non mulieribus, non paruulis, non lactentibus, non bobus, non asinis, non ouibus parceret. Mature tamen ex eius manibus euasit Abiathar filius Pontificis. Cum enim omnes euocati essent à rege, etsi nihil sibi conscijsserint, suspicati tamen videntur regem sibi aliqua ex causa infensum, idque ex regijs nuncijs expiscari potuerunt, ideoque in omnem euentum censuit Pontifex filio abeundum esse ad Dauidem, cum Ephodo pontificio, si quid aduersi contingeret: interea quotidiano sacrificiorum ministerio domi operam daret, neque enim id casui, sed consilio tribuendum est. Ergo mature de suorũ morte præmonitus, & de aduentu Doegi ad disperdendam ciuitatem, ad Dauidem iter arripuit, secumque Ephod pontificium transtulit, vt ex capite 14. patet. Ad Dauidem inquam, quem vnum habuit ad quem tuto confugere posset, à quo frustra à Saule repeteretur, quique merito præ omnibus curam eius susciperet, quoniam Dauidis causa ipsi omnia perijssent. Et quoniam Dauid erat ad Ceilam, quando ad eum peruenit Abiathar, prius de ea profectione dicamus.

Abiathar mature euadit.

Et adit Dauidem ad Ceilã. *cap.* 23.

XVI. Philistæi oppugnant Ceilam.

Dum ergo hæc in Gabaa Saulis, & in Nobe contra sacerdotes, tanquam Dauidis amicos perpetrantur, nunciatum est Dauidi agenti ad saltum Hareth, Philisthæos oppugnare oppidum nomine Ceilam, & areas in quibus erant adhuc frumenta diripere. Nunquam enim illi à vexandis Israëlitis, nisi fracti cladibus, cessabant. Ea Philisthæorum excursio cum Dauidi innotuisset, & ipsimet Ceilani opem à Dauide, suadente ipsius vicinitate, petijssent, & expedita militum manus, quæ cum ipso erat nihil æquè optaret, quam prædam excutere de prædonum manu; Dauid quoque percuperet Ceilanis contribulibus suis opem ferre, consulit Dominum, non vtique per Abiatharem, qui nondum ad ipsum venerat, sed per propheram aliquem, illum fortasse, à quo nullus fuerat redire in Iudæam: ab eoque hoc responsum accepit. *Vade, & percuties Philisthæos, & Ceilam saluabis.* Ita que certus victoriæ profectionem parat. Cumque ab aliquibus socijs rem humana prudentia metientibus dissuaderetur, consulto in eorum gratiam rursum Domino, iterum in Ceilam proficisci iubetur, cum iterata promissione victoriæ.

Eoque euocatur Dauid.

XVII. Ita abit consulto Domino, & hostẽ clade magna afficit.

Abijt ergo Dauid, & viri eius in Ceilam, & pugnauit aduersus Philisthæos, non explicata credo acie, signisq; collatis, nimium quippe impares erant exercitus, sed subita, & fortasse nocturna irruptione superuenit imparatis; Ceilanis interim eruptionem in eos facientibus, vt hosti contingeret quod Dauidici timebant sibi, *Et percussit eos plaga magna*, & abegit iumẽta eorum, *& saluauit Dauid habitatores Ceilæ*, soluta scilicet obsidione, & pecoribus, quæ ipsi vel Ceilanis abstulerant, vel ex vrbibus suis ac pagis in commeatum militum suorum adduxerant, captis, & in oppidum coactis. Eo facto prædones in prædam venere. Ceilanis libertas & salus, Deo & Dauidi gloria, animus & præda militibus, confusio & clades obtigit Philisthæis. Dauid autem cum suis victor in liberatam vrbem ingreditur, cum communi omnium gaudio, & festa gratulatione, sed ea lætitia tristissimo nuncio cito diluitur.

XVIII. Abiathar confugit ad Dauidem.

Ecce enim Abiathar ad Dauidem cummune tum omnium afflictorum perfugium, accurrit, simulq; effusus in lacrymas & amplexus. O Dauid, inquit, ô mi Dauid, perdita mihi sunt omnia, dies vnus mihi parentes, cognatos, fratres, amicos, necessarios omnes crudelissimo scelere sustulit: vnius hominis iniustissimus furor hausit dulcissimam patriam, & ciues omnes, ne de minimo quidem crimine appellatos, omnibus fortunis euersos morti dedit, & sinuul Ephod pontificium manu tenens; vix hoc sacrosanctum spolium ex vnguibus Doëgi carnificis diuina miseratione ereptum est. Indeque tragœdiam omnem fideliter acceptam lamentabilit oratione narrauit, vniuerso exercitu in Doëgum fremente, & in Saulem grauiter indignante, Dauide autem seipsum quamuis innoxium etiam atq; etiã incusante. *Ego*, inquit, *sum reus omnũ animarum patris tui.* Et, *Scieba in die illa, quod cũ ibi esset Doeg Idumæus, proculdubio annũciaret Sauli.* Addit porro ad consolationem eius. *Mane mecum, ne timeas, si quis quæsierit animam meam, quæret & tuam* quasi dicat, Erimus quasi anima vna, vt non possit alterutra sine altera periclitari. Sic erat animatus in amicos Dauid, in Doëgum autẽ omnis huius tragœdiæ architectum, quo modo affectus fuerit docet psalmus 51. qui de hoc argumento scriptus est.

Et ab eo humaniter accipitur.

Quid gloriaris, &c.

XIX. Saul monetur de mora Dauidis in Ceila. 1. *Reg.* 22. 8.

Dum autem aliquantisper in Ceila tespirat, Dominus, qui in eo rebus aduersis exercendo, meritisque vicissim cumulando totus esse videbatur, nouas ei à Saule turbas, nouos metus, nouasque suscitat fugas. Nunciatum est enim Sauli, quod Dauid venisset in Ceilam. Nimirum Saulis aulici, præcedenti eius querela incitati, vbique erant in insidijs, vt domino suo in

perni-

pernicie innocentis gratificari possent, & non cum eo coniurasse dicerentur. Ea re cognita Saul, *Tradidit*, inquit, *eum Deus in manus meas*, quasi Deus sit fautor aut author scelerum, præsertim oppressionis pauperum, quæ ingenti clamore Deum vltorem expostulat. Quare autem tradidisse arbitrare? quia *conclusus est, introgressus vrbem in qua porta & sera sunt*, quas scilicet ego obserari iubebo, & fugitiuum meum, hactenus impune huc illucque volitantem, comprehendi, vinciri & ad me adduci, agendum in malam crucem: ne quis deinceps in regem suum superbia intumescat.

XX. Et ad eũ profectionem parat.

Præcepit ergo *Saul omni populo vt ad pugnam descenderet in Ceilam*, vt specie pugnandi contra Philisthæos, *obsideret Dauid & viros eius*. Ita populus vniuersus nutu Regis ad arma cõuocatur, quasi vniuersæ Reipub. salus in vno Dauide perdendo verteretur. Dauid autem, qui, vt prudentem virum decebat, ex cuius salute plurimorum vita, spesque omnis pendebant, non carebat amicis in aula, qui regis contra se gesta, consiliaque sublegerent, didicit ab eis *clam sibi parari à Saule malum*. Etsi enim publicè parabatur exercitus, intentio tamen regis occulta erat, & cognita paucis. Ergo quam primum Deum per nouum pontificem Abiatharem consulit, duoque requirit, alterum an venturus esset Saul in Ceilam, respondit que Dominus, venturum; alterum an Ceilani tradituri essent ipsum cum suis in manus Saulis, ne is vrbem ipsorum everteret, sicut Nobe, & respondit Dominus, tradituros. Ex quo loco recte colligunt Theologi contingentia sub conditione futura, reipsa tamen nunquam futura, sub diuinam cognitionem cadere, & ad eius quam vocant scientiam mediam pertinere.

Quod Dauid consulto Domino dicit.

Futura contingentia.

XXI. Et inde migrat.

Dauid ergo qui hunc aduentũ fama præsenserat, & nũc edoctus oraculo certo sciebat, mature sibi fuga consuluit. *Surrexit* enim *Dauid & viri eius quasi sexcenti, & egressi de Ceila huc atque illuc vagabantur in certi*. Itaq; neque Dauid traditus est Sauli, neque Saul descendit in Ceilam. Nam nunciatum est Sauli quod fugisset *Dauid de Ceila, & saluatus esset, quam ob rem dissimulauit exire*, ne vulgo à Dauide diceretur illusus. Iram quoque suam dissimulauit in Ceilanos, qui non minus in culpa videbantur esse propter Dauidem vrbe sua receptum, quam sacerdotes. Verum Ceilani Dauidem euocarant atque receperant propria necessitate compulsi. At sacerdotes illum recepisse videbantur ad eum iuuandum, & armis ac viatico instruendum contra Dominum suum. Nec passus est Dominus excandescere Saulem in Ceilanos, sicut in sacerdotes & ciues Nobe; nam in hos pondus domus Heli, non in illos incumbebat. Nec plura ad hunc decimum tertium Saulis annum pertinere arbitramur, ad decimum quartum transeamus.

Saul an iratus in Ceilanos.

(·.·)

ANNVS MVNDI 2975.

SAMVELIS 36.

SAVLIS 14. ABIATHARIS PONTIFICIS 1.

DERCYLI 25. Imperij Assyrior. 1044.

ANTE CHRISTVM 1078.

ABimelecho Pontifice superiore anno à Saule per summam crudelitatem interfecto, filius eius Abiathar naturæ iure legisq; successit, cuius hunc primum numeramus annum, neglectis aliquot fortasse mensibus, à quibus moriens pater suam in eum dignitatem tacito iure transtulerat. Neque tamen existimandum est cum Abulensi duos ab hoc tempore fuisse pontifices, Abiatharem apud Dauidem, Sadochum autem apud Saulem. Dicendum enim videtur, quod in Annalibus accuratè demonstrauimus, Sadochum ab hoc tempore non potuisse esse pontificem, nisi eum dicamus 85. annis gessisse pontificatum. Adde quod post annos 12. à Scriptura dicitur *puer egregiæ indolis*: itaque nunc vix trium aut quatuor annorum fuerit. Si ergo nunc vastata vrbe Nobe, Sanctuarium à Saule in Gabaon translatum est, vt affirmat Abulensis, cura illius à Saule, non Sadocho puerulo, sed eius parenti Achitobo tradita est, vt ibi vicario absentis Abiatharis munere fungeretur. Nam agere omnino pontificem non poterat, qui Ephodo præcipuo insigni pontificio careret.

I. Abiathar nouus pontifex.

An & Sadoch, vel potius eius in Gabaone quasi vicarius. 1. Par. 12. 28.

1. Para. 12. 9. 23.

Natus est hoc anno Ionathæ filius nomine Miphiboset. Nam Scriptura teste quinquennis erat cum parens eius & auus in montibus Gelboë cæsi sunt; vtroque progenitore nobilis fuit, obscurus tamen ipse per se, & misericordiæ potius quam inuidiæ obiectum. Habuit autem patruum filium Saulis sibi cognominem, qui à Gabaonitis post annos 38. crucifixus est. Habet hic idem annus commorationem Dauidis in deserto Ziph, cum viris suis; eò enim quasi ad hyberna concesserant. Quanquam non desiterunt prædonum in morem, sæpe huc illucque discurrere, & modo his modo illis apparere locis, ne satis constaret quo maxime loco degerent. Verum vt id remotiores populos diutius latêre potuerit, Ziphæos tamen accolas diu latêre non potuit. Erat autem hic locus Idumææ vicinus, vt non mirum sit idem desertum & Idumææ, cui erat conterminus, & Iudææ, in qua reuera erat fuisse dictum. Sed idipsum nomẽ Ziph monti quoque, & syluæ, & ciuitati tributum reperies.

II. Ortus Miphibosethi filij Ionathæ. 1. Reg. 21. 7. 8. an. mun. 3013.

Dauid in Ziphæo deserto.

Ios. 15. 25. Vide Adrich. in Ziph.

Quamuis autem tam abditus atque abstrusus lateret Dauid, *quærebat eum tamen Saul cunctis diebus*: nunquam videlicet deposuit voluntatem: ideoque semper intentus per se suosque in eam curam fuit, vt eum inueniret, donec fugiente Dauide ad Philisthæos, desperauit de illo capiendo, interim autem *nunquam tradidit illum Deus in manus eius*, quamuis aliquando

III. Frustra quæritur à Saule. 1. Reg. 23. 14.

nihil

Quid ibi cum suis egerit Dauid.

nihil propius factum fuerit, quam vt caperetur. Nimirum oportebat diuinam de eo voluntatem impleri, ideoque in ventos abiere omnes Saulis in contrarium conatus. Interim autem in desertis illis Ziphæorum locis, dum socij Danidis alij rumores hinc inde colligunt, ex aula præsertim, vt rebus prouideant suis: alij diuersa loca fugæ, cum res tulerit, opportuna perscrutantur, alij victui necessaria quæritant: Dauid ipse, quantum otij cura sexcentorum virorum militarium relinquebat, diuinæ orationi tribuebat, & suas ad eum referebat curas. Et forte plures ibi psalmos conscripsit: id certe de 53. & 62. ex eorum inscriptionibus constat.

IV. Ionathas illuc adit Dauidē renouatque fœdus cum eo.

Interea Ionathas, per fidum aliquem Dauidis nuncium, didicit locum in quo is latebat, & ad eum, quamuis admodum parenti suspectus esset, ipso tamen inscio profectus est. Et Dauid vice versa per exploratores suos didicit Saulem egressum esse ex vrbe *vt quæreret animam eius.* Tam impotens erat ardor animi Saulis, ad reperiendum & comprehendendum Dauidem, vt egrederetur cum exercitu nesciens quò iret, sed foris paratus esset omnem in partem iter flectere, in qua prædam latêre per venaticos canes suos subolfecisset. Ionathas autem *abijt ad Dauid in syluam, & confortauit manum eius in Deo.* Iussit videlicet bono esse animo, vt qui haberet fautorem & protectorem Deum. Et apparet sane Ionatham, qui ad amicum cibos & arma ferre non poterat, ne res innotesceret, pecunijs quibus illa pararentur non peperciſſe. Dixitque ei, *Ne timeas, neque enim inueniet te manus Saul patris mei, & tu regnabis super Israel, & ego ero tibi secundus; sed & Saul pater meus scit hoc.*

Eique regnū prænunciat.

V. Quomodo id Ionathas aut Saul scire potuerint.

At vnde sciebat hoc bonus Ionathas? vnde sciebat & Saul? nunquid alter amboue prophetæ erant: At prophetiæ falsum subesse non potest; quale fuit illud, *& ego ero tibi secundus.* An forte Dauid Ionathæ clanculum reuelarat auriculam de inunctione sua? Est id quidem minimè absurdum, non tamen certum. Nec obstat quod subdit Saulem idipsum scire. Sciebat enim ex multarum coniecturarum concursu, populi communi beneuolentia, filij cum eo fœdere, & singulari Dei protectione in tot tantisque periculis, adeo vt ipse vltro Deum cum Dauide esse, & à se recessisse fateretur. Sed id vel maxime colligere poterat ex verbis Samuelis, qui ei dudum protestatus fuerat, ipsum à regno diuinitus abdicatum, illudque datum proximo eius. De se autem quod dixit Ionathas, subintellexit, *si qua fata aspera rumpam.* Ex amantis porro affectu quasi indubitatum pronunciat, Dauide, ex diuino decreto, rege, se illi proximum fore: id enim sibi de Dauidis erga se beneuolentia, ac bonitate pollicebatur. Eoque spectare videtur, quòd fœdus initum cum eo mox à Goliathi cæde, & iteratum ad petram Ezel: nunc tertio confirmatur.

1. Reg. 15. 23. 26. 28.

VI. Ziphæi Dauidis latebras Sauli significant.

Ziphæi autem cum didicissent quanto desiderio ferretur Saul comprehendendi Dauidem, siue gratiam captantes, siue spe ingentis cuiusdam mercedis allecti, siue exortam aliquam offensionem milites inter & rusticanos hosce viros vlturi; aut denique milites ex suis finibus expulsuri, ascendunt ad Saulem in Gabaa, eique nunciant apud se latêre Dauidem; hortantur vt eo cum exercitu descendat, *nostrum autem erit*, inquiunt, *vt tradamus eum in manus regis.* Audax promissum ac plane temerarium. Iacturi enim erant rete ante oculos pennatorum. Dauid quippe, præter exploratores suos, à quibus de omnibus tempori monebatur, habebat apud se Pontificem cum Ephod, per quem de omnibus Deum consulere poterat: Nihilominus iniecta spes à Ziphæis exhilarauit Saulem, & ad faustam comprecationem induxit. *Benedicti vos a Domino*, inquit, *quia doluistis vicem meam*, miseriti principis vestri mœrore tabescentis. Susceptum ergo negotium agite diligenter, videte ne sequamini obscuram & incertam famam de loco vbi sit, habete testes oculatos, perscrutamini accurate omnia, num qui fallaces latebrarum aditus, num qui exitus ad fugam occulti. Est enim mihi res cum homine callido, qui cum sibi à me timeat, omnia accurate circunspicit; & omnibus rite exploratis *reuertimini ad me in rem certam, vt vadam vobiscum.*

Et operā suā ad cū comprehendendum promittunt.

VII. Saulis ardor in persequē do Dauide. 9. 27. in 23.

Non dicit quò eos reuerti velit, siue quia facile scire potest vbi sit Rex, siue quia, vt ratiocinatur Abulensis, statuebat quidem Saul non prius migrare domo cum suis, quam Ziphæi rem exploratam retulissent, posteā tamen cogitauit dum illi rediret, datum iri spatium Dauidi ad effugiendum, ideoque mutata sententia rectius fore duxit, vt Ziphæi lustrabundi præirent, ipse autem aliquanto interuallo sequeretur, vt illi statim inuentam feram nunciaturi accurrerent, & è propinquo adducerent Saulis exercitum, ad omnes effugij aditus obstruendos. Et ne forte illi regem labore deterritum iri, & ab incepto destiturum putent, sicque isti irritato hoste & non sublato, malitiæ suæ debitas pœnas luant, *Quod si etiam*, inquit, *in terram se se abstruserit*, in altissimas inuectus cauernas, *perscrutabor eum in cunctis millibus Iuda*, in qua ille latet, vt vndique pullulent, vndiq; irruant in eum, & consilij fugæque impotentem in manus meas tradant.

Hæc cum resciſſet Dauid, pro sui ac suorum magnitudine periculi, primùm ad Deum de more confugit, fuditque magna cum sollicitudine, animique feruore preces, quę psalmo quinquagesimo tertio continentur, & spe salutis à Domino concepta abijt in desertum Maon partem deserti Ziph, quo eum Saul persecutus est cum suis. Ibi mons erat in longum porrectus, & ibat Saul ad latus montis ex parte vna; Dauid autem & viri eius ex parte altera. Veniebat videlicet Saul è Septentrione meridiem versus, & habebat à fronte rupem, Dauid autem eam habebat à tergo. *Porro Dauid desperabat se posse euadere à facie Saul* humanitus loquendo; nihil tamen de diuino auxilio desperauit. Festinabat autem euadere cum suis ne intercluderetur; Saul autem & viri eius in modum coronæ cingebant Dauid, & viros eius vt caperent eos ideſt cingere parabant, totique in eo erant vt circuncluderent eos. Isti festinabant includere, isti festinabant præuenire fugiendo clausuros: ibique sine dubio mox atrox pugna ad perrumpendum, cædesque plurima vtrinque futura erat, nisi Dominus prouidisset, qui misso nuncio prælia diremit.

VIII. Maximū Dauidis periculū.

IX. c. 23. 27.

Dum enim vtrinque magna contentione res agitur, *nuncius venit ad Saul dicens, festina & veni.*

quoniam

quoniam confiderunt se Philisthym super terram. Mirum omnino fuit Saulem, qui iam tot annos ardebat desiderio comprehendendi Dauidem, & ad rem iam deduxerat, vt iam iamque comprehendendus videretur, re tamen infecta redire potuisse: & tantè tantam causam, tamque atrox periculum, quod parua mora sustentari non posset, dum hæc tanta, tamque studiosè quæsita præda caperetur? Forte nesciuit Saul, qui vtique non erat in primo agmine exercitus sui, & interiecta rupe Dauidem cum suis non videbat, Dauidem summo in periculo versari, & quamprimum captum iri, sed persuasum habuit diutius cum eo luctandum fore, si se ad obsidionem tolerandam comparasset, forte etiam temere cogitauit ac credidit Dauidem, qui nusquam apparebat, fugam iam sibi consuluisse, & suam vt apud Ceilam diligentiam elusisse, ideoque vltra progredi noluit, ne manifestius confunderetur, sed occasionem nuncij libens arripuit ad obtegendum pudorem suum.

Cur Saul destiterit nunc persequi Dauidem.

X. Pugnat cõtra Philisthæos.

Reuersus est ergo Saul desistens persequi Dauid, & perrexit in occursum Philisthinorum, quos dispersos & effusos in prædam oppressit Saul; didicerant enim eum abesse longius, & per deserta loca cum copijs in extremo regno versari. Hanc quippe illis occasionem irruptionis fuisse non temere affirmari potest. Ergo Saul Philisthæorum opinione celerius superueniens, palantes plerosque, & præda impeditos occidit, alios male mulctatos in sua se latibula recipere coëgit; ipse victor in Gabaa ad hyberna concessit. Dauid autem præter opinionem multorum, non tamen præter spem & fiduciam in domum suam, seruatus est, & seruatus cecinisse videtur cum suis in gratiarum actionem canticum illud Deo, *Nisi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israel*, & quæ sequuntur, quadrant enim omnia vehementer. Hoc certe fuit vnum ex maximis grauissimisque periculis, quibus vnquam perfunctus est Dauid, quod ipse grandibus tragicisque metaphoris describit atque exaggerat. Nec plura ad hunc annum referimus, qui fuit Sabbaticus ordine quinquagesimus sextus.

Dauid gratias agit Deo. *Psal.* 123.

Annus Sabbat. 56

ANNVS MVNDI 2976.

SAMVELIS 37.

SAVLIS 15 ABIATHARIS 2.

DERCYLI 26. Imperij Assyr. 1045.

ANTE CHRISTVM 1077.

EXpertus Dauid quanto in periculo versatus esset in deserto Maon, *ascendit inde, & habitauit in locis tutissimis Engaddi.* Quæ habitandi vox ad plures menses videtur pertinere, quibus tum bellum contra Philisthæos confectum est, tum Dominus requiem aliquam seruo suo Dauidi dare voluit, sed qualem quis requiem in desertis locis experiri potest: donec iterum mirabile certamen & plane nouum exortum est, inimici contra amicum suum, & amici contra inimicum suum. Vnus odio certat & ferro, alter amore & obsequio debellatum cupit. Vnus mortem inferre paratus est, & fortasse cruciatus: alter duntaxat metum, vel potius culpæ agnitionem suæ. Vnus regiæ dignitatis amittendæ aut metu, aut dolore totus extra se positus, fertur in altetum; qui eam ipsi & semini eius, quantum in se fuerit, conseruatam cupit. Vnus ardet studio abscindendi caput benefactori suo; alter percutit cor suum, quod oram clamydis eius esset ausus abscindere. Denique videbis hic Saulem excitantem subditos suos ad inuestigandum fugitiuum suum, cuius tota culpa est fuisse atque esse præstantem virum. Vice versa miraberis Dauidem cohibentem amicos suos, ne deprehensum hostem infestissimum ferro confodiant, tametsi non ignorabat eo morte sublato illico se regem fore. O subditum meliore principe dignum!

I. Mirabile Saulis & Dauidis certamẽ. 1. *Reg.* 24. 1.

Porro quæ loca tutissima hic vocantur, prærupta intelliguntur & inaccessa, & perangusti aditus, vt habent Septuag. versus mare mortuum, vbi vrbs Engaddi palmis & balsamo quondam nobilis, quæ habet desertum vicinum sibi cognomine, frequens altissimis montibus præruptisque, itaque prominentibus vt ruinam minari videantur. Huc ergo ascendit Dauid cum suis; neque enim prudentis fuisset diutius apud Ziphæos manere homines sibi nunc necessario inimicos, non enim existimabant, qui Dauidis mansuetudinem non norant, viam sibi vllam patere ad gratiam cum eo redintegrandam. Accedebat quod omnia locorum illorum latibula, seruis Saulis explorata essent, fortassis & occupata. An in Engaddi neminem habebat inimicum, & loca erant aduersarijs inexplorata; quæ etiam natura sua erant impediriora.

II. Deserti Engaddi. ἐν τοῖς τόποις ἐρήμοις.

Interea Saul reuersus à persequendis Philisthæis, per nuncios didicit Dauidem cum suis ad loca Engaddi se recepisse. Non male suspicatur Abulensis hosce nuncios fuisse Ziphæos, quibus Saul ex eorum deserto discedens dederat in mandatis, vt diligenter Dauidis actionibus intenderent, puta an ex illis locis nimium iam sibi periculosis, planè recederet, quo iter intenderet, vbi subsisteret, quid ageret, quid spectate, quid moliri videretur. Quæ cura atque inuestigatio non paucorum dierum fuit, vt de istiusmodi hominibus vagis, & de industria locum subinde mutantibus, & obseruantium oculos fallere ac turbare cupientibus, certa ad regem, & bene explorata referri possent. Cum ergo satis obseruando perspectum esset quonam diuersis ex locis crebrius adirent Dauidis socij, & munitissimorum locorum natura coniecturas omnes confirmaret, minime dubij regem adeũt dicentes, *Ecce Dauid in deserto est Engaddi.* Quo cognito Saul *assumpsit tria millia electorum virorum*, qui à tertio regni eius anno destinati fuerant ad custodiam regij corporis, & vt essent semper ad omne regis obsequium parati, & cum ijs *perrexit ad inuestigandum Dauid & viros eius, etiam super abruptissimas petras.*

III. Ziphæi noua Dauidis latibula Sauli nũciant.

Qui eum rursum persequitur.

Et erat cur sibi Dauid & cohorti suæ vir sexcentorum virorum timeret ab hisce copijs, quæ & quintuplo plures erant, & genere ipso præstantiores, electi quippe ex omni Israel, cum ad Dauidem boni malis permixti confluxissent. Illi rebus omnibus affatim instructi essent, vt

IV. Iustus Dauidis timor.

imperato-

imperatoriam legionem decebat, isti vt fugitiui ab omnibus pene rebus essent impatati. Proficiscitur Saul silentio, & hosti improuisus adesse conatur. Neque tamen Dauidis aût amicorum sollicitudinem fefellit; nec defuerunt qui Ionatha, aut Michole satagente Dauidem de præsenti periculo curriculo monerent. Quo ictus nuncio, Dauid ad solita primùm orationis præsidia recurrit, vt patet ex psalmo 56. qui ad hunc locum tempusque pertinere ex ipsa inscriptione dignoscitur. Saulis autem copijs appropinquantibus. Dauid inspirante Deo, ingressus est in speluncum viæ propinquam, sed latebrosam atque obscuram, vt tanto ibi esset tutior, quanto magis erat præter expectationem, Dauidem iusta viam, & non in remotioribus spelæis latere, sed non potuit abeundo longius, oculos ex propinquo persequentium vitare.

Preces ad Deũ, & ingressus in speluncam.

V. Saul eandẽ subit.

Ibi dum expectat vt Saul cum copijs pertranseat, ventris necessitate adactus Saul eam adit speluncam, nec animaduertit præ tenebris militem in penetralibus latentem; etsi isti ingredientem vidissent, atque agnouissent. Propter amplitudinem quoque speluncæ facile erat Dauidem mussitare cum suis, nec à Saule audiri, præsertim cum foris multæ hominum turbæ, multi currus & equites obstreperent. Hic Dauid excitatur à suis ad Saulis necem, obtento vaticinio, de quo patum constat quando editum fuerit, id certe constat, ab eo non datum fuisse Dauidi ius interficiendi Saulis, sed permissam facultatem, quam tamen sine scelere exequi non posset. Etsi autem ea cogitatio in illius animum irrepsit, diuina tamen succurrente gratia eam mentem fortiter repressit, atque cohibuit, contentus chlamydis oram in testimonium rei gestæ præscindere: eoque facto regressus ad interiora speluncæ, dixit socijs nolle se regem occidere, & ab eodem facinore ipsos seuere prohibuit. Quin etiam de abscissa à se chlamyde doluit, quod crederet se contra reuerentiam principi suo debitam egisse.

De eius cæde cõsultatur.

VI. Egressum inclamat Dauid.

Porro Saul exurgens de spelunca pergebat cœpto itinere. Surrexit autem & Dauid post eum, & egressus de spelunca clamauit post tergum Saul. Prudenter expectauit dum Saul abesset longius cum suis: maxima enim pars eorum, vt solet in huiusmodi locis atque periculis antecesserat, & pauci eius latera stipabant, pauci quoque sequebantur, quia nihil à tergo timebatur. Clamauit quoque in auribus omnium, vt omnes intelligerent quanta esset lenitas & mansuetudo Dauidis, erga tam acerbum hostem suum: ex eoque discerent qualis futurus esset erga subditos suos. Sed ipsam Dauidis omni melle dulciorem audiamus orationem, quippe quæ felleum Saulis animum in dulcedinem conuertit. Vide primum vt mitissima atque honorifica salutatione & humillima veneratione infesti principis animum mitigare nitatur. *Domine mi rex*, inquit, *Et respexit Saul post se, & inclinans se Dauid pronus in terram adorauit.* Deinde ita moderatur querelam suam vt eis acrimoniam non tam in regem, autem calumnijs præbentem, quam in maledicos ipsos calumniatores deriuet, etsi non ignoraret à quo fonte hi riuuli proficiscerentur.

Eiusdem ad Saulẽ oratio.

VII. Breuiter explicat.

Quid illa probatio diuinæ in regem seueritatis, qui vitam & regnum eius, illius ipsius arbitrio addixerit, quem ipse tam hostiliter persequatur, quam fortis & efficax; cum ipsius regi præsenti experientia nitatur. *Ecce hodie viderunt oculi tui, quod tradiderit te Dominus in manu mea in spelunca.* Deinde quam candida, & quam suauis est illa confessio. *Et cogitauus vt occiderem te, sed pepercit tibi oculus meus*, cogitasse dicit, non tamen statuisse, aut deliberasse. Hebraice habetur, *Et dixit* scilicet non nemo, quasi diceret. & reuera id dixerant socij eius, quos ipse accusare noluit, sed totam in se culpam retulit, quam misericors pœnitentia abundè deleuit, & reuerentia regiæ maiestatis. *Dixi autem ego vicissim, non extendam manum meam in Dominum meum, quia Christus Domini est.* Sed nomina hæc reuerentiæ sunt, & timoris, pergit blandius atque amabilius. *Quin potius pater mi, vide & cognosce oram chlamydis tuæ in manu mea.* Merito patrem vocat, qui ætate poterat esse pater, qui erat officio, qui pater populi vt boni princips, audiebat. Erat quoque affinitate pater, vtpote socer, qui genero suo instar est patris. Et tamen tot nominibus pater, illi in hostem tetterrimum conuersus erat.

Qui Saul Dauidis pater.

VIII. Reliqua Dauidis querela.

Ex tam euidenti autem abscissæ chlamydis argumento, manifesto colligit in sua fuisse potestate illum gladio nec opinantem perfodere, erat enim hoc illo facilius. Colligit quoque nullam nunc imprebam contra ipsum in animo suo residere voluntatem, licet iam ab eo toties ad mortem quæsitus esset: multo autem minus ante resedisse, cum sua eum benevolentia, beneficijs honoribusque prosequeretur. Cæterum ne Saul tantam contra innocentem malitiam se impune laturum speret, spondet Deum iudicem atq; vltorem fore. Quantum postremo pondus ad frangendos Saulis animos habet illa conclusio? *Quem persequeris Rex Israel, quem persequeris? canem mortuum persequeris, & pulicem vnum.* Quanta demissio animi in tali viro apparet, vt se cani mortuo, & pulici comparet. Postremo autem inculcat Sauli metum ab vltore Deo, ad eiusque iudicium prouocat.

IX. Motus animi Saulis & fletus.

Quæ cum dixisset Dauid, Saul, qui ob distantiam vix de facie illum nosse poterat, cum insigni animi motu. *Nunquid vox hæc tua est, fili mi Dauid.* Filium vocat, qui audierat pater mi, simulque concussis seni visceribus, *eleuauit vocem suam, & fleuit.* Tam iusta enim querela Dauidis, & tanto cum affectu prolata, maxime autem tam inspératum immeritumque beneficium ab eo, à quo mortem hominum opinione iustissimam accipere poterat, id vero eius animum fregit, & cum verissimis lachrymis dicere compulit, *iustior tu es quam ego*, id est, iniuste tu, non autem ego, *tu enim tribuisti mihi bona, ego autem reddidi tibi mala.* Iniustus est, qui parem non reddit, cum possit bene de se merito gratiam, iniustior qui nullam reddit. & benefacta apud se patitur interire: quam iniustus ergo atque ingratus, qui malefactis beneficia remetitur ac rependit? Ea nunc saltem verbis prædicat atque ingerit, *Et tu*, inquit, *indicasti hodie quæ feceris mihi bona, quomodo tradiderit me Dominus in manum tuam, & non occideris me. Quis enim cum inuenerit inimicum suum dimittet eum in via bona?* incolumen abire permitter, cum potiore conditione fuerit? non vtique vulgares homines; at Dauid heroica virtute vir, tantum in se imperium potuit exercere.

Agnoscit culpã suã, & Dauidis innocentiam.

dum est in spelunca aliqua plura fuisse sepulchra siue conditoria proprijs distincta notis, & in eorum aliquo Samuelem sepultum : alioqui eius ipsana fecerint ab alijs, & transferri nequiuissent.

IV. Et translatio magnifica.

Legimus autem in Beniamini Iudæi itinerario corpus Samuelis in Ramatha, in Synagoga custoditum fuisse ; inde autem à Christianis translatum in Silo, magnumque illi templum excitatum, positumque in eo prophetæ sepulchrum, oppido autem datum nomen S. Samuelis de Silo. S. quoque Hieronymus libro contra Vigilantium hæreticum eius sacra ipsana magnificè honorata testatur, cum ex Iudæa ex oppido Silo, siue S. Samuelis de Silo in Thraciam sub Arcadio Augusto transferrentur triũphali pompa. Sed hæc pluribus in Annalibus explicata reperies, sicut & egregiam atque multiplicem Samuelis cum Christo similitudinem. Illud tantum addo significare Scripturam singularem funeris huius celebritatem, qualem in funere Mosis, Aaronis, Iosue, aliorumque id genus heroum legimus ; itaque neque planctus per dies 30. neque vniuersi populi, cui erat clarissimus, lamenta defuerunt, vel aliquibus publico nomine de singulis vrbibus in Ramatha venientibus, vel pluribus in locis magistratuei iusta persoluente.

V. Nuncij Dauidis ad Nabalem.

Hoc ipso anno Dauid legationem ad Nabalem cognomento Carmelum, illi propemodum funestam misit : nisi viri stultitiam vxor prudentissima correxisset. Rationem temporis sacræ narrationis series ipsa confirmat, quæ hanc legationem morti ac funeri Samuelis coniungit: addit & notam æstiui temporis, quo tondentur oues. Quod ad locum attinet, dicitur Dauid descendisse in desertum Pharan, meridiem versus. Id desertum maximum est, cuius extrema in terram Iuda, ac tribum Simeonis se porrigunt, reliqua pars per longissimos tractus tenditur Ægyptum versus, & in multa partialia deserta tribuitur, puta desertum Cades, Sin, Sinai, &c. prior autem illa pars continet desertum Ziph, & in eo desertum Maon, vt supra diximus. Itaque Septuaginta pro deserto Pharan habent desertum Maon, in quo erat Carmelus mons, & ciuitas in qua Nabal habitabat, multumque distat ab altero carmelo monte tribus Isachar, qui ad mare vsque mediterraneum protenditur.

VI. Quis ille fuerit.

Erat autem Nabal potens & opulentus præ vicinis agricolis, quippe qui ouium tria millia, & mille capras possideret, & scilicet boues, & camelos, & equos, & asinos non paucos. Oues autem nominatim à Scriptura memorantur, quod occasione tonsionis earum missa est ad ipsum à Dauide legatio, sed huic opulentiæ iuncta erat inhumanitas, ob quam *durus* dicitur, atque adeo *pessimus & malitiosus*, eratque de tribu Iuda, & de genere Calebi, locij quondam Iosue in explorandà Chananitide. Misit ergo ad eum Dauid decem iuuenes, non qui armatas afferrent preces, sed qui Nabalis liberalitatem deferre possent, & eam si vsus ferret, à prædonibus tutari. Hi salutato peramanter homine, rationem afferunt & ius petendi aliquid, in signum gratitudinis consuetarum gregum eius ; ita vt nec ipsi quidquam de grege auferrent, & pastoribus pro muro essent contra latrocinantium Arabum excursiones. quod Dauid hoc difficilius à suis impetrare poterat, quod & carebant stipendijs, & alioqui egentes, obærati, & ex rapto viuere assueti multo iam tempore vagabantur.

VII. Ab eo petitur liberalitas in Dauidem bene de se meritum.

Itaque Dauid officij egregie præstiti sibi recte conscius. ipsos eius pastores testes appellat, quamuis alioqui sub auaro hero querulos. *Interroga*, inquit, *pastores tuos & indicabunt tibi.* hæc Dauidis æquitas fuit : vide nunc eiusdem in petendo comitatem & mansuetudinem, erga hominem agrestem ac rusticanum. *Nunc ergo*, inquit, *inueniant pueri tui gratiam in oculis tuis, in die enim bona venimus.* læta scilicet qua augeris bonis à Domino, & qua grauticari conuenit tenuioribus amicis ac fratribus tuis, *quodcumque inuenerit manus tua*, quidquid placuerit accipere, & reponere de rebus tuis, ad largiendum militi, qui non solum posita ad manum præda, quamuis vrgente fame abstinuit, sed etiam, qui si mercede conductus foret, ad conseruandas res tuas intentus fuit, *da seruis tuis, & filio tuo Dauid.* Hæc illi, pro quibus contumelioſam responsionem, & inurbanam recusationem acceperunt, pro asperitate morum Nabalis huius. Quæ cum reuersi nunciassent Dauidi, iustam iniuriam accenderunt, ita vt iuberet quadringentos viros arma capere in perniciem Nabalis & familiæ eius; in qua cum permulti essent innocentes, non dubium est Dauidem in hac voluntate peccasse, vt in Annalibus diligentius explicatum est : vt omittam deliberatam pœnam, & male iureiurando firmatam, multo maiorem fuisse delicto.

Repulsam patitur, & vim parat.

VIII. Rem adducit Abigail, & remedium parat. *num. 19. ad 34.*

Hæc dum parantur, vnus de famulis pastoribus, qui colloquio interfuerat, nunciauit Abigaili aduentum nunciorum Dauidis, & plenam humanitate petitionem, quam Nabal contumelioſe auersatus esset, quamuis si bene de pastoribus gregibusque meriti fuissent in deterrore; itaque iratos ad Dauidem reuertisse. Quæ cum accepisset Abigail festinauit malum sibi iamque immmens anteuertere, & offensum Dauidem placare muneribus, eaque mitissimâ destinauit oratione condire, vt eadem opera vulneri, quod auaritia & acerbitas viri imposuerat, vxoris lenitas liberalitasque mederetur. Viro autem suo non indicauit profectionem suam, nec quidquam eorum quæ facere, aut dicere statuisset, ne ille morosus moras injiceret festinanti, aut rem totam forte disturbaret; homo duræ cerviciis, & præposterè parcus, ac profusus. Præmissis ergo famulis cum muneribus, quæ asini aliquot ferebant, ipsa quoque asinum stratum ascendit, & insalutato hospite abijt ad Dauidem.

IX. Occurrit Dauidicũ muneribus.

Cum autem descenderet ad radices montis Carmeli, Dauid & viri eius occurrerunt ei, & iam erat in foribus clades, cum Abigail viso Dauide appropinquante, de asino festinà descendit, *& procidit coram Dauid super faciem suam & adorauit super terram, & cecidit ad pedes eius.* Nimirum Dauid videns rectà venientem ad se mulierem, subsitit cum suis, sicut & famuli qui eam cum muneribus præcesserant aut comitabantur, statimque illa summa hæc argumenta demissionis edidit, & mixa gemibus, *In me sit*, inquit, *Domine mi hæc iniquitas.* Id est, si placet vlcisci, quod in te inique factum est, in me vlciscere : veruntamen prius *loquatur* ait, *obsecro ancilla tua in auribus tuis, & audi*

verba famulæ tuæ. Incipit autem à consultissima accusatione mariti sui, quæ simul iustam Dauidis accusationem fateatur, & labefacter, simul Nabali contemptum conciliet in salutem ipsius, ne vir tantus, hominem stultum, iuxta nomen suum, ebriosum, decori & honestatis expertem, hominem contemptu quam ira digniorem, quasi idoneum aduersarium sibi delegisse videatur.

X. Eius ad eum placandum preces.

Excusat deinde opportune absentiam suam, ne huic iniuriæ affinis, aut eius conscia fuisse videatur, sed officiosam potius erga ipsum, ac liberalem gessisse voluntatem, veres ipsa nunc probat. Tum gratias agit Deo, & simul Dauidi gratulatur, quod diuinitus prohibitus sit à fundendo sanguine innocente cum noxio, quæ gratulatio supponit Dauidem assentiri iam petitioni suæ, vt verecundetur certam ipsem tam honestæ matronæ confundere. Inde subdit votum de inimicis Dauidis, vt eiusmodi fiant, vt ab eo tuto contemni possint; vel vt illis contingat, vtin eius potestatem veniant sicut Nabal, à quo interficiendo, domoque eius euertenda, nemo illum, si velit, prohibere possit. Subditur liberalis allati muneris largitio, qua redimere cupit præcedentem viri sui culpam, quam quasi suam sibi tribui, sibi ignosci, ac condonari precatur. Et quoniam parua hæc gratia reputari poterat, triplicem illi à Deo mercedem pollicetur, regiam familiam, eamque fidelem ac stabilem, parem apud Deum gratiam aduersus inimicos suos, & conscientiæ propriæ tranquillitatem. Hæc autem omnia cum experientia probaturum significat, cum ait cum memorem fore ancillæ suæ, quæ hæc illi prædixisset.

XI. Placatus Dauid gratias agit Deo.

Dauid autem intimis affectus sensibus oratione Abigailis, diuinæ prouidentiæ gratias agit de suscitata hac muliere, cuius mitissima oratione flexus, à cogitato scelere abductus esset; tum acceptis muneribus pacifice eam remisit in domum suam, protestatus se in eius gratiam, iniuriam acceptam remittere. *Venit autem Abigail ad Nabal, & ecce erat ei conuiuium in domo eius, quasi conuiuium regis*, propter eiborum abundantiam & conuiuatum multitudinem, quamuis Abigail non pauca in munus sustulisset: vt intelligas, quod ante dixi, hominem præposterè parcum & profusum. Eratque Nabal propter ebrietatem hilarior, sapiens autem Abigail cedens vino, & agnoscens importunissimum admonitioni tempus, distulit expositionem rei in sequentem diem; ne forte, pro innatæ acerbitate naturæ ac morum, ex nimio vini calore in furorem versus, ea faceret, quæ Dauid facturus erat. Hæc autem cum mane accepisset, hæsit stupore perculsus, sine sensu propemodum & motu, præ timore & apprehensione mali, in quod tantum non incidisset.

Abigail redit ad virum, cui tem pestiuè facit.

XII. Nabal post decem dies moritur.

Non legitur Nabal Deo vel vxori gratias egisse, aut morum emendationem aliquam promisisse. Quanquam ne diuturnior quidem ei ad emendationem vitæ superfuit. *Cum enim pertransissent decem dies, percussit Dominus Nabal*, si pestè, siue quauis alia plaga, *& mortuus est.* Ita vindicauit Dominus famulum suum Dauidem ab iniuria Nabalis, cuius & duriciam & inhumanitatem, & ebrietatem castigauit. Dauidem autem à perpetrando facinore, ob quod toto in regno male audisset, tanquam prædonum antesignanus atque sicarius, singulari fauore prohibuit. Ideoque lætatus est Dauid, non de morte hominis, sed de diuina iustitia, in se sine culpa sua vindicando, eique gratias egit.

XIII. Abigail fit vxor Dauidis.

Cæterum Dauid animaduersa in Abigaile eximia virtute atque prudentia, quam etiam venustatis comitabatur decor, sublato iam impedimento contrahendi cum ea matrimonij, eam sibi optauit vxorem. Itaque expleto luctus tempore, quod duorum circiter aut trium mensium fuerit (Nam matrimoniorum causa laxior erat apud Hebræos, propter vxorum multitudinem, atque diuortia) quo tempore expleto misit Dauid nuncios ad Abigailem, qui ei nuptias cum Dauide offerrent: in quas illa non ægre consensit, intelligens se ad longe maiorem dignitatem, & multo melioris coniugis consuetudinem vocari. Itaque magna cum reuerentia, & animi summissione oblatum honorem amplexa est, & post præparata quamprimum ea, quæ sibi suisque pueris ad eam celebritatem necessaria erant, ipsa se in viam dedit, cum quinque pedissequis, vt que & cognatis, & famulis, & nonnullis de cohorte Dauidis, nuptias principis sui honestantibus, *& facta est illi vxor.*

XIV. Aliæ Dauidis vxores. Achinoa.

Sed & Achinoam accepit Dauid de Iesrael, quæ fuit nobilis ciuitas in tribu Iuda. Videtur autem positum *accepit* pro *acceperat*, Iosephus enim ait Achinoam prius ductam fuisse à Dauide; cui sententiæ fauet, quod Ammon primogenitus Dauidis dicitur filius Achinoam, & vbicunque de vxoribus Dauidis agitur, Achinoa primo loco nominatur. Minime tamen dubium est, quin Michol primum sibi vendicet locum, & tempore, & dignitate: sed sterilitas illi obfuit, ne cum cæteris conferretur. Eam porro Saul, in diuturna Dauidis absentia, dedit Phalti filio Lais, qui erat de Gallim ciuitate tribus Benjamin. Nec caruit culpa non solum Saul, qui alienam vxorem alteri dedit, sed etiam Michol, quæ viuo marito, consensit in alterum coniugem, vel potius adulterum, factaque est simul duorum virorum vxor, contra legem naturæ, & rationem matrimonij. Nec dici potest Dauidem à Michole repudiatum, siue quia id ius vxoribus nunquam fuit, siue quia Michol diligebat Dauidem; itaque inuita alteri viro data est à Saule: cui coniugio, aut potius adulterio, ne morte quidem proposita, debuit consentire.

Et Michol, quæ dicitur alteri.

ANNVS MVNDI 2978.

SAVLIS 17. ABIATHARIS 4:

DERCYLI 28. Imperij Assyr. 1047.

ANTE CHRISTVM 1075.

I. Quies Dauidis breuis.

ADmirabilis Dauidis in regem suum, quantumuis male de se meritum, mansuetudo & charitas non solum in præsentia lacrymas illi, & vocem veræ confessionis expressit, sed in aliquot etiam menses incensam illius interficiendi cupiditatem extinxit, vt ratio postulat, & silentium Scripturæ significat; quo tempore, quæ proximo anno narrata sunt, contigerunt. Cum autem beneficij memoria benefactoris absentia sensim obliteraretur, & interim viueret in pectore Saulis acerbissimus ille dolor amittendi regni in familia sua: & intelligeret tantum malum ex vnius hominis morte pendere, eoque sublato, tuta sibi, suisque omnia futura, persuasum haberet, sæpe de illo perdendo mentem subibat cogitatio, sæpe voluntas recursabat. Quæ cum vulgo ignota non essent, Ziphæi eius cupiditati studiosius adfuerunt, & aliquo modo alternantem, in deteriorem partem perpulerunt.

Saul redit ad ingenium.

II. Ziphæorum opera, qui produnt Dauidem

1. Reg. 26. 1.

Ziphæi ergo sibi male conscij, & Dauidis inimici vltro facti, futuram eius felicitatem sibi perniciosam fore arbitrabantur: itaque sibi & Sauli opportunè, venerunt in Gabaa, vbi habitabat Saul, à quo magnam etiam gratiam se inituros credebant. Ecce inquiunt, *Dauid absconditus est in colle Hachila, qua est ex aduerso solitudinis*, id est, in extrema solitudine, ad partem illius dexteram. Quo accepto nuncio, non dixit Saul Ziphæis ittis: Quid frustra turbatis quietem meam, dum mihi gratificari conamini? & suadetis ea moliri, quæ fieri nequeunt, ea suscipere quorum improba est ipsa cogitatio? Quis nisi egregie improbus mihi autor sit, vt eius vitam extinguere cupiam, cui debeo meam? qui mihi oram vestis abscidit, cum posset caput? Non sic ille, non sic: neque enim tanta fuit in male sano capite sapientia. *Surrexit*, enim, *& descendit in desertum Ziph, & cum illo tria illa millia virorum de electis Israel*, vt ibi quæreret Dauid.

Eum Saul persequitur.

III. castrametatur in colle Hachila.

Et castrametatus est in Gabaa Hachila, id est, in colle, siue excelso loco Hachilæ, vt inde circumspicere vndique liberius, & hostem quamuis in partem se mouentem videre posset. At Dauid ex eo colle, inspirante Domino, iam migrauerat in interiorem solitudinem, ibique inaudiit Saulem venisse in desertum. Qua de re cum dubius esset, qui non putaret forasse Saulem oblitum esse accepti nuper à se maximi beneficij, per exploratores certissime didicit regem illuc venisse. *Et surrexit Dauid clam, & propius venit ad locum vbi erat Saul*, ex quo loco vidit tentorium, & agnouit id ad regem pertinere, eique in proximam noctem ad dormiendum præparatum esse. Vidit quoque illic victrum Abneris tentorium; dicitur autem vidisse dormientes, etsi latarent in tentorijs, siue quia reuera dormiebant, & ipse nullum ibi motum animaduertebat, siue quia magnam populi partem circumfusam iacentem videbat, vt solent qui dormiunt ex itinere fatigati. Itaque factus animosior statuit ad ipsa castra Saulis penetrare, audaci plane facinore, &, nisi ex diuina inspiratione defendatur, temerario, vt disputat Abulensis.

Quod Dauid addiscit.

Venit autem cum Abisai suo ex sorore nepote, dimisso altero socio, vt tutius dormientium castra, & minore strepitu adirentur, præsertim cum ibi non esset pugnandum, sed tumendum signum duntaxat, Dauidem fuisse in castris, & regem iterum in eius potestatem venisse. *Venerunt ergo Dauid & Abisai ad populum nocte*, nec ignes per castra deerant, & iam ante noctem loca notauerant dudum sibi nota. *Et inuenerunt Saul iacentem, & dormientem in tentorio, & hastam fixam in terra, ad caput eius, Abner autem & populum dormientem in circuitu.* Tanta opportunitas loci ac temporis, ipsaque regis hasta, qua toties Dauidem inuaserat, ad facinus inuitabant. Motus itaque Abisai Dauidi ad aurem inclamat, *Conclusit Deus inimicum tuum hodie in manus tuas, nunc ergo perfodiam eum lancea, in terra semel, & secundo opus non erit.* Non ausus Abisai tantum facinus iniussus aggredi, etsi putaret Dauidem non alia de causa ad castra venisse, & desperatam crederet eius hominis saniratem, qui tanto nuper accepto à Dauide beneficio, in benefactorem furere non cessaret.

1. Sam. 26. 5. ins. 10.

IV. Et venit ad eum dormientem.

Abisai paratus occidere Saulem.

Dedit nihilominus Deus eam mentem Abisai, vtrem ex interpretatiua voluntate Dauidis non aggrederetur, sed peteret sibi permitti, quod Dauid admirabili virtute negauit: & merito; quoniam nec ille cædem hanc perpetrare, neq; hic consensum præbere poterat sine crimine; videlicet contra ordinem iuris, vt qui priuatus esset, nec vitam aduersus inuasorem tutaretur. Vt autem persuasum haberet Abisai Dauidem animo loqui, iusiurandum adhibet, dicens, *viuit Dominus, quia nisi Dominus percusserit eum*, morte aliqua violenta, aut dies eius venerit, vt morte naturali decedat, *aut in præliuni descendens perierit*, puta Philisthæorum manu, *propitius sit mihi Dominus ne extendam manum meam in Christum Domini* Quo iureiurando factus est firmior in proposito, ad quod alioqui ex iure communi obligabatur: vtquamuis millies Saul incideret in manus Dauidis, nec vnquam ab ipso persequendo desisteret, nunquam tamen ipsi eum occidere liceret. Laudat Chrysost. hanc Dauidis in Saulem indulgentiam, eique longe præfert qua vtuntur principes, erga eos qui olim eos offenderant; priusquam ad regiam essent euecti dignitatem, quorum ira superueniente regni gloria diluta esset, & tutum deinceps haberent pignus securitatis. Cum Dauid sciret se dimisso Saule in grauiora quotidie pericula conjectum iri. Sic olim Rex Galliarum Ludouicus XII. cum ei suggereretur vt de iniurijs olim acceptis cum esset Dux Aurelianensis vindictam sumeret, sapienter respondit, Non esse Regis Galliæ vlcisci iniurias Ducis Aurelianensis.

V. A Dauide prohibetur.

Et pro ea conseruando iurat.

VI. ca. 26. 11. Hastam secum aufert ac scyphum. c. 26. 11.

Nunc igitur, ait Dauid, quoniam neque licet, neque liber manum extendere in regem, & ea de causa venimus, vt manifesto aliquo indicio probaremus habuisse nos in potestate nostra regis salutem ac caput, ab eoque sponte nostra abstinuisse, age, *tolle hastam, quæ est ad caput eius, & scyphum aquæ, & abeamus.* Ita factum, *& non erat qui videret, & intelligeret, & euigilaret, sed omnes dormiebant, quia magnus sopor* à DEO immissus *inuerat in eos*: alioqui non impune Dauid ad regis tentorium penetrasset, aut reuertisset ad suos. Sed conueniebat, vt qui nimium vigiles erant ad malum alteri inferendum, in ipsis à periculo & confusione liberandis sopirentur. Cui etiam summo defatigatio ex difficili ac citato itinere seruiebat: Est enim probabile Saulem, qui incautum Dauidem opprimere cupiebat, magno ad eum itinere occurrisse.

VII. A longe clamans dormientes excitat.

Cumque transisset Dauid ex aduerso, & stetisset in vertice montis de longe, & esset grande interuallum inter eos, clamauit Dauid ad populum, & ad Abner principem militiæ, arguens eum de male custodito rege, quamuis ad eum maxime pertineret ista custodia; eo quod potuerit homo nihil ingredi ad regem, vt ipse cum socio ingressus fuerat, & ipsis neque prohibentibus neque cogitantibus, interficere regem, sicut potuerat Dauid si libuisset. Ne autem Abner immerito se accusatum putet, *vide* inquit, *vbi sit hasta regis, & vbi sit scyphus aquæ, qui erat ad caput Regis.* Non ferebatur hæc Abneris obiurgatio, vt is ob eam culpam supplicio afficeretur, quamuis hinc nata videatur Abneris in Dauidem offensio, ob quam in principio regni eius impediuit per annos septem, ne totus Israel vnanimi consensu sequeretur Dauidem. Sed vt Saul, ad cuius aures ista pertinebant, agnosceret, primùm in potestate Dauidis fuisse ipsum interficere, æque atque hastam & scyphum auferre: deinde vt suam pro ipso sollicitudinem ostenderet, illos obiurgando, qui in ipso custodiendo deliquissent. Demiq; si tacitus hastam abstulisset & scyphum, irritus fuisset hic labor, neque ex eo facto agnita fuisset mira in eius regem indulgentia, & forte innocens aliquis furti damnatus fuisset. Recte itaque Domino prouidente facta sunt omnia.

Et Abnerem consulto obiurgat, & quo fine.

VIII. Saul Dauidē amanter compellat. c. 26. 17.

Itaque Saul eo clamore excitatus, & re probe intellecta, cognouit quoque vocem Dauidis, *& dixit: Nunquid hæc vox tua fili mi Dauid?* personam in tenebris videre non poterat, vocem tamen sæpe auditam agnouit, & noui in se beneficij magnitudine cognita, adamantina illa duricies mollescens, non sine gemitu teneram illam effudit vocem. *Nunquid vox hæc tua fili mi Dauid?* Nunquid hæc illa vox, quæ olim tam suauiter cum lyra meis auribus accinebat, vt ea non meus solum furor, sed dæmon ipse mitesceret? Nunquid hæc vox tua fili mi, qui hostem acerrimum instar parentis habuisti? fili mi Dauid, qui iniurijs in te meis, quasi totidem lacessitus beneficijs, non noces cum possis, sed eximiam insuper salutis meæ curam geris, adeo vt eius causa nullius offensionem reformides, nunquid hæc vox tua fili mi Dauid?

IX. Dauid autem cui mollia erant, & ad leni-

Dauidis responsio & querela.

tatem ficta viscera, tam suaui regis sui appellatione, momento delinitus, *vox mea*, inquit, *Domine mi rex.* Et apparet nonnullum hoc loco silentium consecutum, expectante Dauide, atque auscultante, siquid forte verborum rex addere: sed is gemitu & lacrymis, vt nuper præpeditus tacebat, cum Dauid præsenti occasione vtens, defensionem innocentiæ suæ cum iustissima querela suscipit, & inquirens causam vexationis suæ, acquieuit quidem diuinæ animaduersioni, paratus ad mortem, quasi victima Deo consecrata; sin autem Rex ab hominibus inimicis incitatur, *maledicti sunt*, inquit, *in conspectu Domini*, Deus maledicet eis, quoniam ita eorum iniquitas in Dei cedit iniuriam. Cogunt enim me vt relicta terra Israelitarum, ad regionem incircumcisorum me conferam, cum periculo fidei ac religionis meæ. Et reuera Dauid præsenti periculo perfunctus, confugit ad Philisthæos.

X. Qui Dauidis inimici.

In his autem inimicis minime dubium est fuisse Ziphenos & Doegum, qui sibi grauium scelerum in Dauidem conscij, male sibi ab eo metuebant si rerum potiretur. Suspicari etiam fortasse liceat Abnerem non fuisse æquissimum Dauidi, non solum in gratiam Saulis, sed veritum etiam, ne is in principem militiæ, se in ordinem redacto, vehementius cum suspicioni prona obiurgatio nonnullam conciliat fidem. Sed præcipuus in hisce inimicis erat Saul ipse, qui quamuis à nemine incitaretur, ferebatur ipse per se in Dauidem, qui alios iamdudum cum atroci querela & conturbationis calumnia, contra eundem incitarat; ipse vnus instar erat omnium inimicorum Dauidis, ipse etiam vnus omnium grauissimam à Deo passus est animaduersionem. Postremo Dauid concludens querelam suam petit à rege ne eo vel agente vel consilio interficiatur; quia nimirum, rem humanitus æstimando, indignum sit tantum principem, tantulum aduersarium ad mortem persequi, & quidem ea ferocitate, qua aues prædatrices solent perdicem, aliamue auiculam in montibus persequi.

XI. Saul agnoscit culpam suã, & ad redꝝ inuitat Dauidem

Saul autem iamdudum commotus animo, *Peccaui*, inquit, *reuertere fili mi Dauid.* Videsne admirabilem heroicæ virtutis potentiam, cui inueteratum odium, inuidia, timor, ambitio, & omnes humanarum ægritudinum pestes obsistere non possint. Videtur autem Saul omnino resipiscere voluisse, sicut & nuper cum alterum in spelunca periculum euasit: sed merito ac prudenter Dauid inconstantiæ toties expertæ fidendum esse non putauit. Periculum enim erat ne præsentia sua morbum animi eius rursum concitante, in furorem iterum actus, hanc ipsam, quam nunc habebat in potestate, lanceam, aliquando fatalem experiretur. Frustra ergo illa promissa, tametsi regis, *Nequaquam vltra tibi malefaciam, eò quod pretiosa fuerit anima mea in oculis tuis hodie*: quam scilicet, vti rem pretiosissimam conseruare voluisti, & præ illa viles duxisti, & negligendas omnes iniurias in te meas. Denique & stulte te egisse fatetur, & ignorasse multa nimis, aulicis ad gratiam loquentibus & dissimulantibus, Sauli adulando, veritatem

XII

Dauid autem minime persuasus periculosam iterum aleam iacere apud Saulem, primum

re-li-

Postremũ veriusq; colloquium.

restituit hastam eius & scyphum, id enim iam perfectum erat, cuius causa accepta fuerant, neque ea voluit secum auferre, ne videretur quasi spolia hosti abstuliſſe, quod in regis contumeliam cessisset. Deinde quasi valedicens, *Dominus autem*, inquit, *retribuet vnicuiq; secundum iustitiam suam & fidem*: & vice versa perfidiam & iniustitiam castigabit: postremo Deum orat vt qua misericordia vsus est in regem, eadem Deus in ipsum vtatur, & liberet eum de omni angustia: quæ fuerunt postrema verba Dauidis ad Saulem, cuius animum videntur admodum concussisse, cũ dimidiata oratione, in modum grauiter lugentium abeunti respondit, *Benedicetus tu fili mi Dauid, & quidem faciens facies, & potens poteris*, id est, res tibi succedent è sententia, id enim meretur eximia virtus tua. *Abijt autem Dauid in viam suam*, progressus cum Achimelecho, & Abisai ad reliquam turmam, *Saul autem* vt illuxit *reuersus est in locum suum* Gabaa vnde exierat.

Digrediuntur.

XIII. Dauid deliberat adire Gethæos.

Cæterum cum Dauid sapienter animaduerteret, non esse prudentis hominis, se suosque in perpetuo vitæ rerumq; omnium discrimine relinquere, cumque multa fortasse, vt in desertis locis, rerum penuria laboraret, statuit ex toto Saulis regno emigrare, & ad exteras gentes, vt iam semel iterumq; fecerat, proficisci. Nec vno die res cogitata, deliberata, & confecta est. Cunctatus est aliquanto tempore, dum Saul ipsum in recenti beneficio quietum esse patitur, illam vocem regis cogitat. *nequaquam vltra tibi malefaciam* Deinde alternans, *Aliquando incidam vna die in manus Saul. Nonne melius est vt fugiam; & saluer in terra Philisthinorum, vt desperet Saul* posse me comprehendere? Et quoniam magna res agebatur, non dubium est rem non solum cum socijs deliberatam, sed Deum quoq; super ea re, per Abiatharem Pontificem fuisse consultum. Quo annuente visum est Dauidi, cæteriſq; socijs ad Achis Gethæum regem, virum alioqui non difficilem, tentandam per legatos viam, eique suam suorumque operam offerendam.

1. Reg. 27. 1

XIV. Cõsentit Achis.

Ijs precibus non ægre consensit Achis. Sperauit enim se Dauidis opera, quem nouerat virum esse fortissimum, & præstantibus quoque viris cinctum incedere, contra Saulem, qui vtrique erat certissimus inimicus, tuto & sine periculo prævaricationis vsurum. Quæ dum vtrimque agitantur præsens annus abijt, ipsa migratio sub initium anni sequentis facta est.

ANNVS MVNDI 2979.

SAVLIS 18. & vltimus.

ABIATHARIS 5.

DERCYLI 29. Imperij Assyr. 1048.

ANTE CHRISTVM 1074.

I. Sũma capita rerum.

INgredimur annum, vt multa rerum gestarum narratione vberem, ita euentis ipsis priuatim publice que luctuosum: ad quem primum pertinet migratio Dauidis cum suis in Palæstinam, quæ sub exitum anni præcedentis agitata, sub præsentis initium suscepta est. Eam post quatuor menses excepit Philisthæorum expeditio aduersus Israelitas, quæ cum ingentem Sauli pauorem incussisset, adijt Pythonissam, cuius opera Samuelem euocauit ab inferis, & ab eo didicit sibi imminentem cladem. Tum dimittitur Dauid ex acie Philisthinorum; qui reuersus in Siceleg agnouit cladem ab Amalecitis; illatam oppido: quod etiam Deo annuente, inuasit, & cum ingenti præda victor euasit, quam & amicis distribuit. Interea pugnat Saul cum Philisthæis, & victus occumbit cum magna populi parte, & tribus filijs suis. Inde nunciatur ea clades Dauidi, qui pro ea lamentatur, nominatim pro Ionatha & Saule, cuius interfectorem iubet interfici. Moxque iussu Domini ascendit in Hebron, vbi inungitur à viris Iuda in regem, Abner autem eodem tempore Saulis filium superstitem nomine Isbosethi regem constituit super reliquas tribus: cœpitque concertatio inter domum Saulis & Dauidis, quæ vltra septem annos propagata est.

II. Dauid migrat ad regẽ Achis, cũ socijs.

Vt igitur à Dauidis migratione ducamus initium, cum statuisset Dauid abire ad Philisthæos, & nominatim ad Achis Gethæorum regem, sibi non ignotum, & moribus præcæteris satis commodum, accepta ab eo fide publica, *Surrexit, & abijt ipse & sexcenti viri cum eo ad Achis filium Maoch regem Geth*, quem eundem esse cum eo ad quem ante sexcentum ementito habitu confugerat minime dubitandum videtur. *Et habitauit Dauid cum Achis in Geth, ipse & viri eius, vir & domus eius*, id est, quisque cum domo & familia sua. Nam etiam Dauid secum duxit duas vxores suas relictis, vt apparet, qui curam gererent possessionum quæ ad ipsas pertinebant. Quod cum innotuisset Sauli, *non addidit vltra quærere eum*, maiore iam præsidio nixum, factumque formidabilem, vt qui gratiam inuenisset apud Philisthæum istum sua expectatione maiorem; qua bene vsus, petijt locum sibi suisque ad habitandum extra vrbem regiam; idque prudenter admodum.

III. Petit locum ad habitandũ extra vrbem regiã, & cur

Primo ad commoditatem habitationis. Cum enim vrbes regiæ multis incolis tam ciuibus quam peregrinis refertæ esse soleant, difficile erat sexcentos viros cum familijs suis recens inuectos non angustissime habitare. Et periculum erat ne peregrini isti Gethæorum optimatibus prælucerent, indeque inuidia ac iurgia nascerentur, quæ expetitam quietem conturbarent. Nec videbatur regi rutum hunc manipulum ab hoste profugientem, statim regiam in vrbem admittere, priusquam alibi probaretur eorum fides. Deinde si regijs sumptibus in Getha viuerent, id regi oneroſum futurum erat, si ex præda, sicut in Siceleg, res periculosa erat, & suspicionibus obnoxia, multæ enim querelæ deferrentur ad regem, & sæpe importuno tempore exeundum & regrediendum foret. Id quoque Dauidi perincommodum futurum erat, qui regem non facile celare potuisset in quos populabundus irrueret, Israelitasne, vt præ se ferebat Dauid, aut alios populos. Denique

prædatus fuerit.

prouidendum erat homini Deum timenti, tum vt sibi suisque occasionem eriperet declinandi ad idololatriam, quod facilius erat in vrbe regia, siue ad gratificandum regi, siue quia ibi splendidius idola colebantur; tum vt ceremonias legis Mosaicæ commodius obseruaret, vt ciborum delectum, circumcisionem, aliaque non pauca.

VI. Achis dedit Dauidi Sioeleg

Sapienter itaque, & ex diuini spiritus instinctu, separatum sibi locum à rege petijt, & impetrauit. Dedit enim ei Achis in die illa Siceleg, & quidem non ad habitandum solum, sed vt in ipsius dominium cederet, ideoque subditur ex eo tempore Siceleg factam esse regum Iuda. Ex quo apparet eximia reguli huius liberalitas atque humanitas. Apparet & prudentia qui eo beneficio sibi deuinxit, ac confirmauit amicos, quique in extremo regni sui, habere voluerit propugnaculum virorum fortium, qui irruentium Iudæorum in Philisthæos arma reprimerét, & si quid rerum nouarum molirentur, id minore periculo quam in vrbe regia tentarent. Vtile quoque id Dauidi fuit. Nam hæc habitationis commoditas, multos ad eum allexit, qui à cauernis & desertis locis, in quibus ille cum suis adhuc vixerat, abhorrebant. Ergo plerique, qui eius innocentiam norant, & iniustam vexationem ægre ferebant, & forte auspicijs eius dudum militarant ad eum confugerunt, vt constat ex primo Paralip. Maxime autem videntur allecti verbis illis Saulis, quæ ille publicè fuerat elocutus. *Et nunc scio, quod certissimè regnaturus sis, & habiturus in manu tua regnum Israel.* Plures enim orientem solem, vt aiunt, quam occidentem adorant.

Alij socij ad Dauidem veniunt.

c. 12. 1.

Mansit porro Dauid in Siceleg quatuor mensibus, & diebus aliquot, quibus, cum expedita militum suorum manu, prædas agebat. Sed an de Philisthæis, qui non erant, de ditione Gethæi regis? Id significat Hieron. in tradit. quę sequitur Emanuel Sa, & probabile facit mox congregatus vniuersæ gentis exercitus contra Hebræos, à quibus se multis excursionibus vexatos putabant. Cum enim prædones istos vel ex lingua ipsa Hebræos esse cognoscerent, & fugam Dauidis ad Achis ignorarent, putabant se à subditis Saulis eiusdem iussu vexari. Vnde nec querelas ad Gethæum regem deferebant; præsertim cum Dauid longius ab eo habitaret, & omnem operam daret ne agnosceretur. Et cum Achis vicè versa nihil audiret querelarum, putabat omnino Israelitas à Dauide vexari, qui nequaquam apud ipsum, vtpote hostem, sed apud Saulem conquererentur. Et credibile quidem est Dauidem, quantum tuto potuit, Philisthæos opprimere, nedum eos aliarum gentium spolijs ditare voluisse. Non minus tamen credibile est Dauidem hoc tempore à Philisthæis abstinuisse, siue quia Scriptura in enumeratione populorum, quos incursabat Dauid tacet Philisthæos: siue quia id à Dauide promissum fuerit regi, vt putat Abulensis, siue quia ius fasque non sit ijs nocere, quorum præsidio regatis contra hostes tuos, siue denique quia in crebris deprædationibus facile opp dum Siceleg prædonum latibulum agnitum fuisset, & deletum cum habitatoribus suis.

V. An prædas egerit de Philisthæis.

Nō videri.

Designat autem Scriptura, definitque regionem, in quam Dauid impressionem fecerit, nimirum regionem ad austrum Iudæ positam, ab ingressu deserti Sur Ægyptum versus, qui terrarum tractus latissime patet. Totam enim Arabiam petræam ac desertam amplectitur, in qua præter populos Gessuri, & Gerzi, & Amalecitas quos Scriptura memorat, Idumæi & Madianitæ habitabant, Ismaelitæ, Agareni, & Cedareni. Quo autem iure hosce populos deprædatus fuerit, imo & cædes, nullo sexus aut ætatis discrimine, apud eos perpetrarit, dubitatione non vacat, præterquam apud Amalecitas, contra quos lata erat, nec reuocata illa sententia, *Cum Dominus dederit tibi requiem, delebis nomen Amalech sub cœlo, caue ne obliuiscaris.* De cæteris existimauerim Dauidem, qui apud se habebat Pontificem cum Ephod, eum quotidie de expeditione sua consuluisse, eoque profectum esse populabundum, quo Dominus per Sacerdotem duxisset excurrendum. Sicut nuper profecturus in Ceilam, Dominum semel iterumque consuluit, & bis responsum accepit; & iterum cum inde migraturus esset: & post hæc cum expeditionem susciperet, contra eos qui vastauerant Siceleg, & cum eundum fuit in Hebron. Idem ergo de quotidianis illis excursionibus dicendum videtur.

Deut. 25. 19.

Nec inconsulto Domino

Cum autem omnis generis prædam auferret, viros tamen aut mulieres non abducebat in seruitutem, sed necabat, ne fraudem Dauidis patefacerent, dicentes se non esse Israelitas. Eodé modo in ea parte prædæ quam offerebat regi, prouidebat ne quid repertetur, quod argueret alibi prædam, quam apud Israelitas, esse collectam, puta idola aurea vel argentea. Ea enim ac similia, deponebant in Siceleg, quæ reuertentibus, & venientibus ad regem in itinere occurrebat. Achis autem læto ac sereno vultu, & eam sereniratem præda faciebat; *in quem*, inquit, *irruistis hodie?* Cuncta respondebat Dauid, vt is persuasum haberet, se Israelitas esse deprædatū. Ipse autem non mentiendo, veritatem dissimulabat, sine qua dissimulatione apud Philisthæos tuto habitare non poterat. Si enim sciuisset Achis nihil damni à Dauide Hebræis inferri, eum merito suspectum habuisset, ne præuaricatoriam aliquam moliretur proditionem, & ne quietos populos Gethæis redderet infestos.

VII. Vt regeret apud regem prædatū locum.

Causa dissimulādi.

Postremis Saulis annis contigisse Gabaonitarum vexationem, à Saule volente eos zelo non bono exterminare, ex Theodoreto colligitur, qui inter culpam & pœnam 40. annos interijt: pœna autem fuit fames, quæ sub finem regni Dauidis contigit. Zelus autem Saulis fuit, quod existimauit Iosue & Eleazarum, & optimates populi non potuisse vitam Gabaonitis dare contra diuinum præceptum, quo Chananæi omnes capite damnati fuerant, eorumque iusiurandum irritum fuisse. Itaque & illos peccasse, & posteros eorum, qui Gabaonitas permittebant viuere, peccati esse participes. Verum hic zelus nimium crudelis fuit, vt Propterea Dominus Domum Saulis domum sanguinum appellarit, & iudicij in tetanti momenti præcipitis. Existimare enim debuit maiores suos iuramenti religione præpeditos, non nisi consulto, & indulgente Domino conseruasse Gabaonitas; præsertim cùm facti essent proselyti, & satis laborioso ministerio in tabet-

VIII. Gabaonitarum à Saulo vexatio.

Zelo iniusto.

VI. Quos de-

naculo

naculo Domini in perpetuum mancipati. Nec tamen omnes occidit, populo vt apparet, ad misericordiam flexo, ac reclamante.

1. Re. 28. 1.

IX. Apparatus belli inter Philisthæos & Saulé.

Factum est autem in diebus illis, quibus scilicet Dauid habitabat in Siceleg, sub tutela Gethæi regis, expletis iam quatuor in ea commoratione mensibus, *congregauerunt Philisthiim agmina sua vt præpararentur ad bellum.* Conuenit videlicet inter Philisthæos bellum gerendum contra Israëlitas, & in singulis tatrapijs conscribendum militem, omniaque ad bellum necessaria præparanda, vt mox singuli reguli cum suis agminibus in assignatum locum conuenirent. Causam belli huius præter inueteratum odium, & immortales inimicitias inter vtrumque populum, facile inueniunt, qui putant Dauidem etiam contra Philisthæos à Gethæo rege remotiores excurrisse: putant enim iltis excursionibus iacta semina maximi huius funestissimique belli. Alij communi quod dixi odio contenti esse possunt, addito desiderio retintegrandæ dominationis in Hebræos, quam illi iampridem excusserant. Addent etiam autore Tostato, incitantem Deum, atque euocantem profanos istos populos ad Saulis, populique eius crimina vindicanda, & impedimenta regni Dauidis auferenda, Saulem videlicet & filios eius; quos Philisthæi hoc bello sustulerunt.

Causæ belli tres.

X. Singuli reguli copias suas colligunt

Cum ergo Accaronitæ, Azotij, Gazæi, Ascalonitæ, pro re quisque certatim copias suas pararent ad bellum, Rex Achis destinauit animo secum ad bellum ducere Dauidem cum suis, multum præsidij in eius virtute collocans, multum fidei præcedentibus excursionibus tribuens, quas pro Philisthæis contra Israëlitas factas putabat. Nec dastinauit tantum, sed Dauidi etiam denunciauit, dicens. *Sciens nunc scito quoniam mecum egredieris in castris tu, & viri tui.* Cui respondit Dauid: *Nunc scies quæ facturus est seruus tuus*, quomodo videlicet tibi tum obsecuturus, quam fortiter pro te pugnaturus. Sic enim ea verba Rex candide interpretabatur, vnde & subdidit, *& ego custodem capitis mei ponam te cuncti u diebus*, fidei tuæ committam salutem meam.

Dauid versatur in ancipiti.

Cæterum ancepsest hic locus contra Dauidem, & veramuis in partem accipiamus, non leuis culpæ reus constitui videtur. Nam si ex animo promisit regi infideli fidelem operam contra Israelitas, impius in Deum fuerit, & in gentem suam, iuuando idololatras, Dei, & populi eius capitales hostes; & insuper impugnator populi, cuius à Deo rex electus fuerat, atque inunctus. Sin ex animo non promisit, mendacem eum & fallacem, & benefactoris sui proditorem fateamur necesse est.

XI. Quomodo defendi possit.

Vt omittamus aliorum responsiones, & nominatim Caietani, qui hoc loco in Dauidem acerbissimus est, & cui in Annalibus pro veritate accuratè respondimus, vt ratio postulabat, dicimus Dauidem in tam lubrico & ancipiti loco, ad Deum more solito recurrendo, se totum diuinæ ipsius prouidentiæ commisisse, certum exequi quod ille iussisset, siue pro Saule, siue pro Achis, nec defuit Dominus in hoc salo fluctuanti. Interuentu siquidem Satraparum curauit illum dimitti, vt cum bona Gethæi regis gratia; neque pro ipso, neque contra ipsum pugnaret. Quod ad verba vero attinet, apparet nihil esse mentitum, quia reuera nihil certi pro milit, licet Rex in proniorem significationem verba Dauidis acceperit. Ex quo etiam intelligitur eum non ad regis mentem, sed ad suam, quæ ex diuina dispositione pendebat, fuisse locutum. Diuinæ autem voluntati omnem in partem obsequi, non culpæ vlti, sed magnæ laudi tribuendum est.

XII. Saulis de hoc certo tollen tudo.

Dum apud Philisthæos omnia vbique apparatu bellico circumsonant, res innotuit Sauli. Itaque animo pro periculi magnitudine vehementer actuans, & ad auxilia diuina humanaque circumspiciens, à Deo primum quid facto esset opus scire desiderauit; Interim per Abnerem militiæ principem, & tribuum duces exercitum suum congregauit. Et Samuëlem quidem Propheram, quoniam Pontifex cum suo Ephod erat apud Dauidem, libenter aditurus erat, sed iam alter ab eius morte agebatur annus. Itaque hoc perfugio carebat Saul: quanquam apparet ne in viuo quidem quidquam præsidij inuenturum fuisse. Cum enim Dominus implacabilem aduersus infelicem principem iracundiam suam silentio demonstrare vellet, ne per Samuëlem quidem videtur illi fuisse responsurus: paternam tamen aliquam monitionem accepisset ab eo, vt, dum adhuc licebat, vtilius animæ suæ prudentiusque consuleret. Sed iratus Dominus, Sanctos viros aliquando, prudentesq; monitores principibus viris eripit; quo fit vt animi sui perturbationibus, & dæmonum perniciosis suggestionibus famulentur, & pereant.

Voluisset consulere Dominū per Samuelem.

Saul itaque aditurus erat Samuelem, sed eo *i*ndum priuatus, ad Pythonissam confugit. Et hac de causa putant Hebræi, iteratam hoc loco mentionem defuncti Samuëlis; ad quem nihilominus, vt erat impos sui, ac vehementer perturbatus, apparet aditurum fuisse, cum consultus Dominus, neque per somnia, neque per Sacerdotes, neque per Prophetas, neque per Samuëlem ipsum responsum vllum daret. Rectius autem interpretes nostri memoratam aiunt iterum Samuëlis mortem, eò quod de eius euocatione ex inferis opera Pythonissæ postmodum agendum erat. Eademque de causa, cum ostendendum esset cur huiusmodi mulierculæ difficulter inuenirentur, memoranit Scriptor sacer egregium Saulis facinus, *quo abstulit magos & ariolos de terra*, eo videlicet tempore, quo non erat melior ipso in toto populo. Et hæc breuiter de belli apparatu dicta sunt, nunc de bello ipso dicamus, cuius historiam maioris lucis gratia, in decem dies duximus esse digerendam.

XIII. Mentio mortis eius cur nunc iteretur.

Primvs belli dies.

Primum ergo belli diem appellamus eum, in quo Philisthæi regionem Israelitarum ingressi cum copijs suis, in ea castra metati sunt, expectantes dum prælium collatis signis, ferrisque mucronibus committeretur. *Congregatique sunt Philisthiim*, ait Scriptura, *& venerunt* de Gaza, de Ascalone, de Azoto, de Accarone, de Getha, singuli reguli cum legionibus suis. Cum enim Gethæum regem eo venisse constet cum Dauide, reliquos etiam quatuor prouinciarum Principes adfuisse merito credi potest: idque sentit Abulensis; & conijci ex eo potest,

XIV. Philisth. veniunt contra Hebræos 1. Re. 28. 4

quod admodum imperiose cum Achis loquuntur, vt postea dicetur, etiq; Achis vel inuitus patere cogitur. Fuisse porro immensas eorum copias, & vnum exercitum ex quinque conflatum, manifesto argumento conijcitur, quod Saul etiam congregato vniuerso Israele, vilis Philisthæorum castris, expauit.

XV. Vtriq; castra metãtur.

Castrametati sunt autem circa ciuitatem Sunam, quæ fuit in tribu Isachar, prope montes Gelboe, vbi Saul collegit vniuersum Israel. Copiarum numerus perscriptus non est, apparet fuisse magnum, & forte non minorem, quam ante annos aliquot in bello Ammonitico, quanquam non pauci viri egregij iam defluxerant ad Dauidem. Ita autem erant dispositi exercitus, vt Saul in Gelboe occuparet meridianam plagam, Philisthæi septentrionalem circa montes Hermon: vallis autem Iezrael esset vtrique exercitui interiecta. In eadem valle fuit etiam Aphec, cuius postea fiet mentio, ad quam vsque castra hostilia protendebantur, vnde nec eo progressi dicuntur.

1. Reg. 11. 8

SECVNDVS BELLI DIES.

XVI. cap 29. 2. Philisth. castra sua obeunt, inueniũt Dauidem cum suis

Postridie obeunt Philisthæi copias suas in millenos centenosque distributas, non singuli reguli singulas acies, sed omnes collecti vniuersas, vt ex eo colligitur quod plures simul Gethæũ regem in causa Dauidis interrogant. Obibant autem vt imperatores solent ordinandi, monendi, adhortandique causa, & fortuitis etiam casibus, euentisque prouidendi. Quæ videlicet causa fuit vt Dauid cum suis in exercitu Gethæi regis inueniretur in nouissimo agmine, vt solebant triarij milites, in quibus præcipuum robur exercitus, & spes summa victoriæ: quos facile vel ex diuersa dialecto, vel ex diuersa vestium armorumque forma nosse potuerunt. Dixeruntque principes Philisthij ad Achis, *Quid volunt sibi Hebræi isti?* Respondet Achis, hanc esse Dauidem, cum manipulo virorum fortium, qui ad tempus à Saule à multo tempore transfugerat, & fidem suam ipsi etiam atque etiam probauerat.

XVII. Eosque prudẽter dimitti iubent.

At Philisthæi prudenter initio consilio censuerunt, periculosum esse auxilium, hominis pessime de Philisthæorum gente meriti, qui data occasione, arma contra eos conuersurus esset, pro quibus venerat pugnaturus. Vt ea satisfactione gratiam principis sui rediuiuer et. Prudenter quoque iudicarunt non plane dimittendum, ne hostiles copias augerent hac præclara militum manu, quæ multar multorum millium esse posset, sed remittendum in Siceleg, vt ibi sedeat quietus, nec se prælio misceat. Hic autem mirifice se prodit diuina in Dauidem prouidentia, quæ Philisthæorum prudentia vtitur, vt cum eius honore & vtilitate, à tam anticipiti, quem dixi, loco eripiatur. Nam mox cum honore à regę post publicam laudationem dimittitur in oppidum tuum, ne contra alterutros iniuste pugnare cogatur. Vtilitas ex recuperatis omnibus suis, ac deuictis Amalecitis, qui Siceleg eo absente vastauerant, aperte cognoscitur.

Dei in Dauidẽ prouidentia.

n. 10. & 11.

XVIII. Achis Dauidem dimittit inuitus.

Cum ergo vi leret Achis reliquos Satrapas non permissuros Dauidem in suo exercitu militare, eum officiose & cum laude dimittit in aria interim quæ ipsi fieret, de ipsius fide dubitando, excusata. Dauid autem se inuitum abire simulat, vt conceptam de se apud regem opinionem tueatur atq; implicet. Imo & conquerit, ne alioqui tacite confiteri videatur illos non sine causa male de ipso suspicari. Achis autem eum serio consolatur, veritus ne is offensus mali aliquid moliatur. Denique in hæc verba dimittit. *Igitur consurge mane tu, & serui Domini tui qui venerunt tecum, & cum de nocte surrexeritis & cœperit diluescere pergite.* Ne si gregarij milites viderint vos recedentes, suspicentur exercitum nostrum dilabi, & animis deficere incipiant. Dauid autem regi obtemperans, & diuinæ circa se suosque prouidentiæ gratias agens, reditum parat in sequentem diem.

1. Reg. 29. 10.

Dum autem Philisthæi lustrant copias suas, Saul in quem maximè belli cura incumbebat, ex superiore loco montis Gelboe easdem copias contemplatus *timuit, & expauit cor eius nimis.* Nimirum mens sibi male conscia, & multorum criminum rea, imminentem à Deo vindictam prælagiens, intimis sensibus commouebatur, vt solet hominibus contingere in carcere, dum ad tribunal iudicis euocantur. Nec displicet Abulensis, dum ait Deum ingentem hunc timorem iniecisse in cor eius, vt ex eo moueretur ad consulendum Dominum de euentu belli, & imminente sibi morte cognita, ad Deum per veram pœnitentiam rebus desperatis rediret. Sed vltima illi fuit, vt talibus viris contingit, de animi salute cogitatio. Itaque nunc vere intellexit, quod olim ipse quoque fatebatur, Dominum à se recessisse. Ergo quibuscunque modis potuit quæsiuit à Deo responsum super euentu belli, nec impetrauit. Nam neque in somnis rem cuiquam patefecit, neque per Sacerdotes quos magno numero trucidarat, neque per Prophetas, quorum præsentiam nihil veritus, Dauidem innocentem capere cupiebat ad cædem. Abeat ab eo Pontifex cum Ephodo suo. Ergo cum omnia oracula conticescerent, Deo iram suam in Saulem insolito silentio prolente, cum infimis precibus, lacrymisque eum placare oportuisset, peccata peccatis accumulans, ad dæmonum oracula confugit infœlix, vt die quinto dicemus.

XIX. Saul vilis hostium copijs exhauit. 1. Re. 28. 5

9. 12. inf. 28.

Ex metu Dominũ frustrà consulit.

c 18. 11.

TERTIVS BELLI DIES.

Diluculo huius diei tertij proficiscitur Dauid cum suis in Siceleg. & Philisthæi promouent castra in Iezrael versus Saulem, qui hodie quoque vrget responsionem à Domino, tanto studiosius, quanto magis periculum intendebatur; sed irrito fuit expectatio. Hoc ipso die clades in Siceleg Dauidis oppido ab Amalecitis illata est. Nam reliquæ Amalecitarum, qui ad meridiem terræ Israel habitabãt. Ægyptum versus, aliquot iam Dauidis excursionibus afflicti, in omnem erant occasionem vltionis intenti. Eius ergo profectione cum rege Achis cognita, iam a præcipites capiunt. & cum alia Hebræorum loca populantur, tum maxime Siceleg propugnatoribus vacuam, & multa præda refertam, eamque rebus & hominibus priuis spoliatam, succendunt. Abducunt cum præda mulieres; sed & incolas quos ibi repererunt, nec quemquam interfecerunt captiuorum à minimo vsque ad magnum, sed secum duxerunt.

XX. 1. Reg. 29. 11. & c. 30. 1. 2. & c. Dauid abit in Siceleg quã Amalecitæ vastãt.

XXI. 1 vlt. in Reg. Cur hanc cladem Deus permiserit.

Quærit Theodoretus cur Deus permiserit vt Israelitarum vxores & filij abducerentur in captiuitatem; Et respondet vt reuersi expeditionē facerent aduersus Amalecitas, & conuenienter diuinæ prædictioni, eos penitus perderent. Permisit ergo Dominus istam calamitatem, qui hās Amalecitarum fœcem, malè perpetuo pullulantem, & peius à Saule reseruatam, destinabat ad victimam. Sed effulsit hic quoque mirabilis Dei clementia in Israelitas, qui non permiserit quemquam virorum interfici; quos videlicet Dauid reliquerat ad oppidi præsidium, vt ratio postulat neque mulieres à barbaris victorum more violari; cum non deesset recens Dauidis exemplum, qui captos viros mulieresque interficiebat. Mitigauit nimirum Dominus iustum, vt videbatur, barbarorum furorem, & paris vltionis vel memoriam, vel appetitum extinxit. Permittamus eos ouantes abire, dum Dauidem in eos infestum abducamus.

Quartvs Belli dies.

XXII. 2. Reg 13. 9 Saul persseuerat responsum expectās. Prælium differtur

Quartus aduenerat belli dies, cum Saul perseuerabat pulsando ad fores diuinæ miserationis si forte Dominus eius constantia, & longanimitate flecteretur. Meminerat quippe se, præpropere agendo in Galgalis, magnam suis rebus secum inflixisse. Differebatur autem prælium à Philisthæis, quia Saul occupato superiore loco, non faciebat hosti pugnæ copiam, quam non poterat Philisthæus ex inferiore loco, nisi deteriore conditione occupare: sed ea non vltra biduum adhuc protracta est.

XXIII. Quidam Manassæi ad Dauidem deficiunt.

Hoc ipso tempore, aliqui de militibus Saulis, & quidem primarijs ex tribu Manassis, vel Philisthæorum metu, vel amore Dauidis à Saule defecerunt, & transfugerunt ad Dauidem, cum is abexercitu dimissus, regrederetur in Siceleg: vt in 1. Paralip. legimus. Qui & mox contra Amalecitas ibidem pugnasse dicuntur cum Dauide. Videntur autem hoc die quarto belli transfugisse ad Dauidem. Cum enim eum die tertio discessisse didicissent, postridie ad eum magnis itineribus se contulerunt, sicque perendie cum ipso pugnare potuerunt. Numerus porro eorum dubius est, cum in Hebræo & Græco septem, octo in Latino numerentur, vnius nomine repetito. Venisse autem solos, aut cum perpaucis ex eo intelligitur, quod dicuntur præbuisse auxilium Dauidi contra latrunculos. At non plures sexcentis contra eos iuerunt ad pugnam, vt ex textu constat, & totidem ex castris Philisthæorum redierant. Oportet ergo numerum modice auctum fuisse, vt in tota summa negligeretur.

21. 1. 12. 19

1. Reg. 30. 9.

Qvintvs Belli dies.

XXIV. 1. Re. 28. 7 Saul hodie Pythonissā adijt.

Totis iam tribus diebus perseuerauerat Saul expetendo, expectandoque diuino responso, quo deinque desperato, impatiens moræ ad Pythonissam confugit, vt eius opera à Samuele Propheta quamuis defuncto, disceret quis futurus esset belli exitus, quod & obtinuit magno suo malo. Non maiore inde tristitiæ fluctu dejectus miser, atque absorptus est, & ad reliqua peccata hoc nouum improbissimæ superstitionis adiecit. Ratio temporis perspicua est, hæc enim consultatio pridie mortis Saulis facta est, quod ex verbis Samuelis aperte constat. *Cras*, inquit, *tu & filij tui mecum eritis*. Nimirum hodie profectus est in Endor ad mulierem, nocte eam consuluit, eadem nocte redijt ad castra, illuxit, pugnarum est, perijt. Sexto autem die contigisse pugnam sequens narratio demonstrabit.

XXV. De ea inquirit a suis.

Iubet ergo Saul inquiri sibi mulierem maleficum, per quam de belli euentu dæmonem consulat. Quantumuis enim conatus esset improbissimam istam hominum fœcem extremis delere supplicijs, non dubitauit tamen euasisse aliquem ac superesse, mulierem præsertim: nam hic sexus leuior, curiosior, & sicut ad pietatem, ita & ad superstitionem, damnatasque artes propensior. Latent quoque facilius intra domesticos parietes, & facilius inueniunt quorum fauore occultentur. Hæc porro Pythonissa tartarei serpentis hospita, quæ ventriloqua à Septuag. dicitur, proprie ad necromanticam diuinationem pertinet, qua dæmon vel per os recens mortuorum loquitur, vel pridem mortuus excitati dicitur ab inferis, & interrogantibus respondere. Verum cum non sit in potestate dæmonis suscitare mortuos, dæmon sub illius mortui specie apparet, respondetque rogatus.

XXVI. Adit in Endor ignotus cū duobus socijs

Non defuerunt impio Domini desiderio, serui ad omne obsequium parati, dixeruntque Sauli esse istiusmodi mulierem in oppido Endor ad quam vt ignotus adiret, *mutauit habitum suum*. Noluit enim à muliere agnosci, ne illa se Pythonissam negaret, & diuinationem exercere nollet. Noluit etiam innotescere exercitui profectionem suam, ne regis absentia illi timorem incuteret, multoque minus profectionem ad huiusmodi mancipium Satanæ, ad vitandum infamiam, propterea que duos tantum viæ comites assumpsit, illos fortasse, qui ei de muliere illa retulerant; iuerunt autem nulla interposita mora, cibi omnis expertes. Quamuis autem distet Endor à Gelboe quatuor fere horarum itinere, iuxta Adrichomij topographiam, apparet tamen tota die ambulasse longo vsos circuitu, ad vitanda castra Philisthæorum, quæ non longe abierant ab Endor; & ad eam nocte peruenerunt, vt exercerent opera tenebrarum. *Et ait illi* Saul *diuina mihi in Pythone*. Quod est, volo à te discere aliquid, ope Pythonici spiritus quo prædita es, idque suscitato ab inferis eo, quem dixero tibi: ideoque necromantem actura erat, non ventriloquam.

XXVII. Eius cum Pythonissa colloquium.

Respondet hospiti ignoto callida mulier, sed ita, vt neque aiat, neque neget se huius artificij peritam, significans post Saulis hosce maleficos exterminantis seueritatem, nullos iam id genus artifices reperiri, & huiusmodi petitionem hominis esse captantis occasionem importandæ calumniæ innocenti. At Saul promittit illi adhibito iuramento, id impunè acturam. Quo iureiurando iterum peccat Saul, cum eo vtatur ad inducendam mulierem ad maleficium. Confirmata mulier, *Quem suscitabo*, inquit, *tibi? Qui ait, Samuelem mihi suscita*; eum enim putabat, pro antiqua eius in se beneuolentia, summæ suæ necessitati opem esse laturum. Id ab ea factum statim ostenditur, cum subditur mulierem viso Samuele exclamasse. Nec dubium est eam vsam fuisse maleficis qui-

busdam ritibus, vtpote maleficam. Illud potius dubium, & multis tam seculis controuertum, verene anima Samuëlis apparuerit, an quid aliud eius loco, dæmonis artibus substitutum. Rem latius accurate in Annalibus tractatam, hic paucis perstringo.

XXVIII. Samuel non fuit excitatus à mortuis

Dico igitur Samuëlem in hac apparitione non fuisse excitatum à mortuis, neque corpus eius, quod ante biennium ab anima separatum fuerat, ei rursum per veram resurrectionem fuisse copulatum. Neque id ad veram eius apparitionem necessarium est, satis enim est vt in aëreo corpore apparuerit, more Angelorum, quos passim apparuisse legimus: neque eius resurrectio à quoquam asseritur. Animam tamen ipsam vere excitatam fuisse ex inferis, Scriptura docet, quæ toties hic Samuëlem nominat, eaque in propria verborum significatione, nisi quid obstet, accipienda est, nihil autem obstare mox ostenderur. Cum autem Samuël hic de toto composito accipi non possit, de anima accipiendus est. Eadem est sententia Sapientis in Ecclesiastico, Ambrosij, Augustini, Iustini Martyris, Iosephi, & aliorum Hebræorum, multorumque recentium, quibus Serarius & Delrio subscribunt.

Eccli. 46. 23.

XXIX. Sed apparuit anima in corpore aëreo diuina vi.

Neque tamen fatemur eam animam magica arte fuisse suscitatam: eam enim in animam iustam potestatem diabolo concedere, partes vehementer recusant. Tertullianus, Theodoretus, Augustinus, Isidorus, & alij. Quorum mens est diuina virtute atque imperio Samuëlis animam Sauli apparuisse. Cum enim Pythonissa per consueta carmina dæmonem aliquem sub specie Samuelis, quem requirebat Saul excitare vellet, præuenit Deus illum conatum, & animam Samuelis propria autoritate euocauit: quemadmodum exercente Balaamo maleficia sua, non dæmon, quod perditus ille quærebat, sed Deus impleuit os eius, & crebrius repetitam Hebraici populi benedictionem, quam ille dare nolebat, extorsit. Nec propterea Deus arti magicæ subtraxit, sed eam suprema impedit potestate. Vnde mulier videns rem præter opinionem suam contigisse, & verum non fictum Samuelem excitatum, admirans exclamat. Præsertim cum eodem Samuele indicante, agnouisset eum à quo rogata fuerat, esse Saulem, à quo sibi, tanquam ab exterminatore magorum vehementer timebat. Egressa est autem cum Saulis locijs, ne conscij essent secretorum Regis. Nam absoluto Regis cum Samuele colloquio, ingressa dicitur ad regem.

XXX. Saulis cũ Samuele colloquium.

Saul autem cum Samuelem agnouisset, *inclinauit se super faciem suam in terra, & adorauit.* Quæ submissio partim præsenti Saulis calamitati conueniebat, partim statui Samuelis ad aliam vitæ conditionem, longe hac præstantiorem translati, nec tamen adoratio de cultu latriæ accipienda est, sed de ea quæ sanctis Dei amicis debetur. Nihilominus Samuel irato similis sine vlla honoris appellatione, *Quare inquietasti me vt suscitarer?* Sancti post obitum sunt in pace, neque aduentitijs casibus perturbantur: sed locutio ad viuentium modum apta est, qui dicuntur inquietari, cum molestijs atque ingratis negotijs implicantur. Dominus quoque iratorum more, non respondit cum interrogaretur à Saule, & respondit cum non interrogaretur: venerat enim dæmonem interrogaturus, non Deum. Sed hæc responsio nullam ei consolationem attulit, sed magnum tristitiæ incrementum, ac suprema rerum desperationem. At Saul excusat importunam euocationem, cum eius causam in præsentes transfert rerum suarum angustias, in quibus nullum à Domino, à quo destitutus sit, inueniat leuamentum.

XXXI. Denunciatio proximæ cladis

Respondet Samuel frustra interrogari se absco, à quo Deus recesserit, neque enim potest propheta Deo tacente loqui. Addit & causam derelictionis eius, non adæquatam illam quidem, sed primam, indulgentiam scilicet in Amalecitas, quam deinceps multa grauiora crimina sunt secuta, quæ propendentem in ruinam præcipitarunt. Porro denunciat actum esse de regno, à quo diuinitus ille abdicatus, in gratiam Dauidis æmuli eius: actum esse de victoria, immo & de ipsius ac filiorum eius vita actum esse: vt rex videns desperata cætera, ac nec vitam quidem retinere posse, de salute animæ suæ cogitaret, & pro ea Samuelis ad Deum preces exposceret. Quod autem non aperte promiserit veniam, neque ad eam petendam inuitarit, id diuino decreto, quod tum Samuel videtur non ignorasse, tribui potest, quod Deus præuisa, quam vocant suprema impœnitentia, sententiam in eum mortis æternæ coniecerat. Potuit tamen semper ac debuit ad Deum recurrere per pœnitentiam; alioqui sine culpa desperasset, quod absurdum est. Quod autem denunciat eum cum filijs postridie secum fore, ad parem mortis conditionem referendum est, non ad similitudinem felicitatis & quietis.

XXXII. Saul examinatur, & sumpto cibo redit ad suos.

Ad tam tristia Samuelis nuncia vsque adeo perculsus est Saul, vt pene exanimatus sit. Videtur enim frequente animo, & deficientibus corporis viribus deliquium passus in terram toto corpore corruisse, dicitur enim, *Statimque Saul cecidit porrectus in terram.* Nam post exhibitam Samueli venerationem, erectus steterat, nunc autem metu & desperatione fractus corruit, præsertim cum membra & defatigatione, & cibi defectu languerent. Hic mulier, audito, vt apparet, strepitu corruentis, & Sauli ac sibi timens ingressa est ad eum, quæ prius, vt dixi, egressa fuerat, sed & socij irruerunt in destinatum illum maleficijs locum, & eleuatum de terra lecto imposuerunt, & coëgerunt ad sumendum cibum, quo ipsi quoque valde indigebant, eoque sumpto eadem nocte in castra reuersi sunt, vt nocturna profectio lateret, non hostes solum, sed etiam suos, ne absentiam regis fugam interpretantes, debilitarentur animis, & fugam potius quam pugnam capesserent; & nihilominus inulti & ignominiose perirent, & maiori fortasse cum clade. Saul autem eam pugnam fortiter adijt, in qua certo sciebat sibi esse moriendum, & quam salua honestate, & officij sui debito vitare non poterat. Atque vtinam vlterius progressa non fuisset inconsulta regis fortitudo.

XXXIII. Dauid venit cum suis in Siceleg.

Hoc ipso die, qui tertius fuit à discessu Dauidis è castris, peruenit Dauid cum suis in Siceleg: neque tamen totos tres dies in itinere posuisse putandum est, sed duos & initium tertij, vt detur tempus rebus, quæ hoc ipso die ab eo

factæ sunt. Amalecitæ autem illata oppido vastitate, quam diximus, *pergebant itinere suo*, & quidem lente, vtpote grauati præda, & soluto à metu animo, tantum tridui itinere abesse prædæ vindices, eosque occuparos ad plurimos dies. Itaque vix triduo, cum omni præda sua tantum promouerunt, quantum Dauid cum suis non toto vno die, quamuis non recentes neque integri, sed exitinere fatigati confecerant. Cognita ergo clade planxerunt omnes vehementer, sed Dauid in primis, siue quia plus cæteris vnus amiserat, siue quia aliorum iactura, & querelæ in eum redundabant. Quoniam vero non decebat fortes viros calamitatem suam duntaxat plangere, & malis remedium non quærere, parcmque, aut maiorem prædonibus plorandi causam non reponere, id in primis cupiebat Dauid, confortatus in Domino Deo suo, & spe plenus amissa recuperandi, etsi ignotum erat omnibus, qui essent hi latrones, quam multi, quonam gentium se recepissent cum præda.

Plangunt acceptam cladem.

Quia tamen Dauid in promptu habebat Abiatharem cum Ephodo pontificio, per quem Deum consuleret, petijt ab ipso: An authore Deo contra prædones istos profecturus sit, & quo euentu. Et ad vtrumque respondit Dominus, *Persequere*, inquit, *absque dubio enim comprehendes eos, & exentes prædam.* Apparet etiam petijsse quinam essent hi prædones, vt inde intelligerent, quò iter ipsis flectendum esset. Abijt ergo Dauid cum sua sexcentorum virorum manu, simulque progrediuntur vsque ad torrentem Besor, qui erat sublimes tribus Simeonis paulò vltra Gazam, ibi quidam lassi substiterunt. At Dauid toto è numero quadringentos magis expeditos atque alacres elegit, cæteris ad torrentem cum sarcinis derelictis, ad quos si res posceret, possent se tanquam ad castra recipere. Torrente transmisso dum latronum semitas inuestigant, incidunt in vnum Ægyptium fame semianimem, quem cibo refectum acceperunt itineris ducem, ea tamen conditione, vt eum viuum postea, liberumque dimitterent. A Dauide enim timebat; quod se vnum de prædonibus fuisse fatebatur, & ab hero, quod hosti dux fuisset in perniciem Domini sui.

XXXIV. Dauid cõsulto Domino latrones persequitur. 1. Reg. 30. 8.

Nihil cunctatus Dauid inruit Ægyptio, qui eos deduxit quò promiserat; Erat autem is locus amœnus, extra viam publicam, quem apparet indicatum Ægyptio ab hero suo, vt si reualuisset eo se conferret. Ibi discumbebant illi super faciem terræ ad cœnandum, festumque diem celebrandum, gratias agentes Dijs suis: itaque & in Hebræo turpidialle leguntur. Irruit autem in eos Dauid cum cohorte sua, *& percussit eos à vespera vsq; ad vesperam alterius diei*, qui fuit sextus belli dies. Nec dicitur pugnasse Dauid, totus labor fuit vino madidos, cibo distentos, tripudio fatigatos, huc illucque palantes obtruncare, intercipere fugientes. *Et non euasit ex eis quisquam, nisi quadringenti viri adolescentes, qui* ab ipso cædis initio *ascenderant camelos, & fugerant.* Et hæc de quinto belli die.

XXXV. Et duce Ægyptio coprehendit, & cædit

SEXTVS BELLI DIES.

Dies cædium & sanguinis fuit iste dies, tam Amalecitis in deserto Pharan, quam Israe-

XXXVI. Hoc quo-

litis in montibus Gelboe. Illi fugientes, quo quemque tulerat impetus, oppressi, atq; obtruncati sunt, vsque ad vesperam. Loci commoditate fauente Dauidi hoc euadere potuit, occupato mox loco, per quem illi qua fugienti euaserant. Qui modus loquendi Scripturæ significat infinitam pene multitudinem ferro Israelitarum absumptam, incolumi ad vnum tota Dauidis cohorte, & integra tota hostium præda, ijs tantum exceptis, quæ fuerant epulis absumpta. Vt illi mutuo accepisse potius, & conseruasse, quam rapuisse videri possent. Terminata vespere cæde, medios inter cadauerum aceruos victores stetere, & cibo refectis artubus quieuere, receptis iam tum ab vnoquoque vxoribus liberisque.

XXXVII. Et Israelitæ à Philisthæis.

Dum hæc in solitudine à Dauidicis contra Amalecitas geruntur, Philisthæi in valle Iezrael, & in montibus Gelboe feliciter contra Israelitas pugnarunt: quam pugnam tanta brevitate Scriptura tradit, vt nec initium pugnæ, neque ordinem eius agnoscere liceat. Pugnasse dicuntur Philisthæi contra Israel, non vice versa, quasi vltro inuadentes hostiles copias, dum hi satis haberent sustinere impetum irruentium. Et apparet non sustinuisse diu, statim enim sequitur. *Et fugerunt viri Israel ante faciem Philisthijm, & ceciderunt interfecti in monte Gelboe*, tam ante fugam, quam in ipsa fuga: quæ de gregarijs militibus intelligi possunt: sed mox ad triarios, & prætorianos ventum est, in quibus apparet fuisse Saulis filios, & cum illis fortiter pugnando cecidisse ante ora parentis. Quod verbis illis significatur. Irruerunt Philisthijm in Saul & in filios eius, & percusserunt Ionathan & Abinadab, & Melchisua filios Saul: quos Saul non subduxerat à prælio, licet sciret in eo perituros, ne quoniam perituri erant, indecora morte perirent. Et quoniam ob parentis peccata moriebantur, in eius oculis cæsi sunt ad maius doloris & desperationis eius incrementum. Sed iam ad luctuosam miserrimi Saulis mortem veniamus.

& nominatim filij Regis.

XXXVIII. Philisthi Saulē inuadunt, & fugientem vulnerant. ca. 31. 3.

Extinctis cum prætoriana cohorte, & omnibus amicis Saulis atque domesticis, tribus regis filijs, *totum pralij pondus versum est in Saulem*, quod eo viuo ac libero non videbatur perfecta victoria Philisthæis contigisse. Itaque audacissimi eorum ac pugnacissimi adeum, vel in potestatem redigendum, vel interficiendum concurrunt. Saul autem qui hunc globum pene iam solus sustinere non poterat, se dat in fugam, quamuis nullum haberet receptaculum in castris, quæ hostis iam occupauerat; sed fugientem consecuti sunt viri sagittarij, & vulneratus est vehementer à viris sagittarijs, & quidem, vt ait Theodotio, in parte quæ est propè iecur; nec vno tantum vulnere affectus est, sed pluribus; Nam à Scriptura dicitur iaculis vulneratus, & à Iosepho grauatus vulneribus: quando facinus postremum dementiæ ac crudelitatis plenissimum suscepit. Videns enim actum esse de se, de filijs, de regno, in summam rerum omnium desperationem adductus, honori tamen suo consultum voluit, ne hostes ad mortis suæ calamitatem, etiam ignominiam, ac dedecora illustonum adiungerent.

1. Par. 10. 3.

XXXIX. Ad proprium

Itaque ad armigerum suum conuersus, *Euagina*, inquit, *gladium tuum, & percute me: ne forte*

veni-

cædē depoſcit armigeri ſui manū.

ventant mercenſi iſti, & interficiant me illudentes mihi. Ne illuſum interficiant. Non mirum eſt armigerum iſtum gladium habuiſſe in vagina reconditum : erat enim hæc fuga non pugna, nec gladijs cominus pugnabatur, ſed eminus ſagittis. Hunc armigerum plerique Hebræos ſecuti, Doegum fuiſſe non abſurde cenſuerunt; Erat enim vnus de primarijs Saulis ſeruis. Nec dubitabat Saule mortuo ſe Dauidi meritas pœnas de delatione ſua, & Sacerdotum iniuſtiſſima cæde, deque vaſtata ciuitate Nobe, quamprimum daturum. Sed eas pœnas miſer non effugit, ſed in multo grauiores commutauit. Laudandus tamen eſt hic armiger eo nomine, quòd etiam in re deſperata, & rogante rege, & mortem beneficij loco accipiente, regi ſuo manus inferre noluit, præſumma in regiam perſonam reuerentia. Cum ergo armiger tantum facinus auerſaretur, nec temporis anguſtiæ Sauli permitterent alium quærere carnificem, *arripuit* ipſemet *gladium & irruit ſuper eum*, eoque vulnere perfoſſus interijt, vt adiutore Amalecita non fuerit opus, vt communiter omnes ſentiunt, licet ille Amalecita id apud Dauidem affirmarit.

An is fuerit Doeg.

Saul ſeipſe cōfodit

1. Reg. c. 1

XL. Quemarmiger imitatur.

Quod cum vidiſſet armiger eius, videlicet quod mortuus eſſet Saul, irruit etiam ipſe ſuper gladium ſuum, & mortuus eſt cum eo. Quibus verbis Scriptura ſignificat quid fecerit Saul, quem in cæde ſibi inferenda imitatus eſt armiger. Itaque ſimilis illi & genere mortis fuit, & cauſa moriendi, iactura videlicet præſentium, & deſperatio futurorum. Cum ergo conſtet Saulem propriæ fuiſſe mortis autorem, & adminiſtrum, nulla autoritate, nullo iure, nulla inſpiratione diuina, minime dubium eſt eum in ſeipſo interficiendo grauiſſime deliquiſſe, & quidem grauius, quam quouis alio mortalium occidendo : maiorem quippe erga ſe charitatem quiſque habere, atque exercere debet, quam erga quemuis alium. Conſtat quoque deſperationem de diuina bonitate, aut ſalute propria ſcelus eſſe maximum, & ſi vltimum fuerit, ad æternam miſeriam aditum eſſe certiſſimum. At Scriptura prioris vitæ criminibus addit, quod non ſperarit in Domino, propter quod eum interfecerit, & regnum tranſtulerit in Dauidem. Sed hæc vberius in Annalibus ipſis in vtramque partem diſputata reperiet Lector eruditus, ſi cui hæc contracta ora videbuntur.

Saulis deſperata ſalus.

XLI. Non ſic Ionathæ.

Quod ad Saulis filios attinet, qui eodem in prælio hoſtili ferro ceciderunt, præſertim Ionathan (nam de cæteris nihil certi alteruter in partem dici poteſt) longe diuerſa fuit Saulis & Ionathæ vitæ & mortis ratio. Vita quippe ſine crimine tranſacta eſt, & mors in defendenda contra hoſtem teterrimum patria fortiter obita eſt. Itaque Venerabilis Beda, *Nequaquam*, inquit, *ibi Saul malus poſt mortem, vbi Ionathas bonus potuit recipi, immo chaos magnum inter eos firmatum eſt, quorum vnus in ſinu eſt Abrahæ, cum Samuele receptus, alter cum diabolo in inferni flamma ſepultus* : ita Beda. Rabanus quoque ait Ionatham, *abſque vlla dubitatione regni cœleſtis conſortium cum Dauide accepiſſe, quem pro virtutibus diligebat, cum eſſet & ipſe vir virtutum.* Idemque ſentiunt Lyranus & Abulenſis.

SEPTIMVS BELLI DIES.

Is vbi primum illuxit, ad ſpolia prædamq; cōuerti ſunt Dauid, & quadringenti ſocij eius, & non ſolum amiſſa recuperarunt, excepus tamen ijs, quæ vel incendio deflagrarant, vel in cibum potumq; conſumpta, ſed omnia etiam, quæ illi varijs in locis rapuerant, acquiſiuerunt, ditiq; vehementer locupletati ſunt. Nominatim autem ſit gregum mentio, & armentorum, quæ milites ducebant ante faciem, ſuam dicentes, *hæc eſt præda Dauid.* Sic illi Dauidi gratulabantur, quem nudius tertius tantum non lapidibus appetierant. Ita vulgus hominum pro diuerſis rerum ſucceſſibus commutatur, in proſperis effuſi ſunt in laudem ac beneuolentiam : in aduerſis manus armant lapidibus, ora maledictis Quod autem ad prædam acquiſitam attinet, dicimus cum Abulenſi ceſſaſſe obligationem reſtituendi prioribus dominis, quæ Amalecitæ rapuerant, quia enim prouocati fuerant ab Hebræis, iure humano recte irruerunt in eos, & facti ſunt legitimi domini prædarum. Dauid autem iure diuino inuadens in eos, vitam ipſis eripere potuit & fortunas, & iuſtum earum acquirere dominium, eaque deinde pro arbitrio diſtribuere amicis ſuis. Sed hæc diſtinctius habent Annales atque elegantius.

XLII. Prædā Dauidis de Amalecitis.

An recte acquiſitā?

Ventum eſt ad eos, qui ſubſtiterant ad ſarcinas, iuxta torrentem Beſor, quibus primum reddita ſunt vxores liberique. Cumque præ lætitia Dauid velle ſe prædam cum illis ex æquo diuidere, erupit querela quorundam id ægre ferentium, quod non videretur æquum eos qui a pugna abfuerant, participes eſſe prædarum. At miſſimus Dauid, *Non ſic facietis*, inquit, *fratres mei, de ijs quæ tradidit nobis Dominus, & cuſtodiuit nos, & dedit latrunculos, qui eruperant aduerſum nos in manus noſtras.* Quaſi dicat, Cum Dominus tam liberalis in nos fuerit, non eſt æquum, aduerſus commilitiones noſtros, nos eſſe tenaces, & nihil male commeritos, noſtra à nobis illiberalitate diſtrahere. *Non audiet vos quiſquam ſuper ſermone hoc. Æqua enim pars erit deſcendentium ad prælium, & remanentis ad ſarcinas.* Recte omnino. Vtrique enim ad nutum Imperatoris ſunt parati, ſicut & qui pugnant, ad eius imperium, primo aut ſecundo, aut poſtremo loco pugnant. Cum ergo in hac expeditione Dauidis, aliqui neceſſario cuſtodiæ ſarcinarum deputandi eſſent, & contigiſſet aliquos eſſe fatigatos, iſti potius huic militari miniſterio ſunt adiecti : itaque ipſi quoque in bellatoribus cenſendi, ac munerandi fuerunt. Idque deinceps vim legis obtinuit.

XLIII. Diuiditur cū ijs qui ad ſarcinas ſubſtiterant, & iure.

Hoc ipſo die belli ſeptimo dum Dauidici ſpoliant Amalecitas, Philiſthæi viciſſim ſpolia detrahunt Iſraelitis. Cum enim ad veſperam vſque vel pugnatum eſſet, vel perſequendis fugientibus laboratum, nec vltra quiſquam hoſtium vel in viuis, vel in armis appareret, ad curanda corpora ſua Philiſthæi conuerti iunt. *Factū autem die altera venerunt Philiſthiim, vt ſpoliarent interfectos, & inuenerunt Saul, & tres filios eius iacentes in monte Gelboe.* Non fuit difficile viros principes vel ex armorum & veſtium ſpecie, vel ex frequenti aſpectu cognoſcere. Mirum eſt potius ex tot militibus, qui

XLIV. Philiſthi ſpoliāt Iſraelitas, & Saul ſuorum iudicium.

1. Reg. 31. 8

ſolent

solent in prælijs circumsistere principes. non extitisse vnum aliquem, qui Saulem & filios eius aut statim, aut saltem intempesta nocte Philisthæorum furori, & irrisionibus eriperet, cum tamen Rex infelix hostilia probra, & dedecora deuitans, suum ipse vltro accelerasset interitum. Cernitur vtique hac in re diuinum iudicium, vt is peculiari ignominia puniatur, qui ignominiæ vitandæ causa peccauerat. Inuento enim Saulis cadauere, *præciderunt Philisthæi caput eius, & spoliauerunt armis, & miserunt in terram Philisthinorum per circuitum, vt annunciaretur in templo idolorum, & in populis.*

XLV. Israelitæ diffugiunt, & qui maxime. c. 31. 7.

Hoc eodem die cum late vulgaretur accepta clades, *videntes viri Israel qui erant trans vallem & trans Iordanem, quod fugissent viri Israelitæ, & prælio scilicet fusi fugatique, & quod mortuus esset Saul & filij eius, reliquerunt ciuitates suas, & fugerunt, venerunt que* postea, *Philisthijm & habitauerunt ibi.* Quomodo non fugerunt potius, qui intra vallem erant, in qua commissum est prælium, quam qui ab ea longius aberant, imo & trans Iordanem erant? Dicendum hic *trans* pro transitu poni, vt ex Hebræo textu, Græcoque liquet. Hi autem viri erant Issacharitæ, quorum in sorte erat tota ea vallis, quæ vsque ad Iordanem porrigebatur: qui cum prælio propiores essent, primi ruinæ sonitum audierunt, primique fugerunt, & huc illucque dispersi sunt. Deinde qui erant prope Iordanem, & quasi in transitu eius, fugerunt & ipsi, nominatimque ciues oppidi Bethsan, quæ dimidio milliario aberat à Iordane, eamque vacuam occupauerunt Philisthæi, & corpora Saulis, & filiorum eius à muro ipsius suspenderunt. In fugitiuis autē istis fuit ille nuncius, qui Dauidi cladem in Siceleg die tertio nunciauit, quem Hebræi filium Doëgi putant.

Octavvs belli dies.

XLVI. Summa rerū huius diei.

Hic est secundus dies nuncij Amalecitæ pergentis ad Dauidem. Secundus item Dauidicæ reuersionis à recepta præda, ad quem diem pertinere arbitror Dauidicæ prædæ distributionem. In quo etiam, sicut aliquot sequentibus, apparet caput Saulis, per Philisthæorum vrbes fuisse circumlatum, corpus autem eius, & filiorum à Iabesitis sublatum. Ingentem porro fuisse hanc Amalecitanam prædam ex eo æstimari potest, quod non solum oppidum Siceleg, prædis Dauidicis refertum vastauerant, secumque abstulerant, sed multa quoque loca illi vicina, quæ ad tribum Simeonis pertinebant, populati erant, aliaque loca in montanis Iudæ, quæ ad Calebi posteros pertinebant. Multa denique oppida Philisthinorum, qui in bellum contra Saulem profecti fuerant, eandem fere vastitatem ab Amalecitis acceperant. Denique prædæ magnitudo ex eo vrbium catalogo colligi potest, quem Scriptura subijcit, ad quas sua prædæ portio missa est, quas singulas non oportebat indignas esse quæ mitterentur. Quanquam recte dici potest non solius Dauidis fuisse hæc munera, sed sociorum etiam eius. Sed magna pars ad Imperatorem & iure ipso pertinuit, & amicorum liberalitate delata est.

Ingens ex Amalecitis præda.

XLVII. Quibus mittit a Dauide munera.

Sed dubium est quibus fuerint missa munera. Illa enim verba *Misit dona de præda fenoribus Iuda proximis suis*, significant tolis Iudæis Dauidis cōtribuendis fuisse missa. Illa quoque loca in quibus latuerat Dauid cum suis, erant in tribu Iuda, ad quorum habitatores munera missa dicuntur. Nihilominus non omnia vel loca, vel oppida quæ numerantur in textu ad tribum Iudæ pertinuerunt, nec omnes locij Dauidis Iudæi erant. Itaque dicendum videtur, longe maximam partem ad tribum Iuda missam esse, aliquam etiam partem ad cæteras loca, quæ in eodem catalogo descripta sunt. Primaria porro causa mittendi fuit, ne ingratus esset Dauid contribulibus suis, à quibus annis aliquot subsidia acceperat, cum in desertis locis versaretur cum sexcentis viris, quos tam præda, quam amicorum liberalitas sustentabat. Concilabant quoque hæc munera animos hominum, vt facilius via, ad diuinum de Dauidis regno decretum exequendum sterneretur. Deniq; voluit amicos hac liberalitate exhilarare, & confirmare in posterum, si res ferret, bene faciendi voluntatem. Pendebat enim animo super exitu belli præsentis, veritus ne si victor euaderet Saul Philisthæos adigeret ad sibi reddendum Dauidem, siu vinceretur, ne Philisthæi victores, qui ipsum è suis castris eiecerant, cum tota sua regione exterminarent.

& quibus de causis.

XLVIII. Iabesitæ rapiunt Saulis & filiorum cadauera.

Supererat hoc die egregium Iabesitarum facinus aduersus Saulem & filios eius. Cum enim aliqui Israelitæ qui fuerant tardiores ad fugam animaduertissent Philisthæos, qui Bethsan habitatoribus deserta occuparant, ex eius muro corpora Saulis & filiorum eius suspendisse, ingenti dolore tam insolentis spectaculi affecti, abierunt & ipsi trans Iordanem, & Iabesitas tota de re certiores fecerunt. Ad hi ad testandam suam in Saulem beneuolentiam, & accepti beneficij memoriam, quando Naas rex Ammonitarum eis dextros oculos eruere statuerat, & a Saule magnifice liberati fuerant, statuunt abeundum in Bethsan primo quoq; tempore, tollenda de muro corpora, auferenda trans Iordanem, & honorifice apud se tumulanda. Obtulerunt se plerique, *omnes viri fortissimi*, qui hoc ipso die pomeridianis horis de Iabes profecti, sub noctem traiecto Iordane, nocte Bethsan peruenerunt, vt quod erat in primis periculosum, nocte conficerent. *Et tulerunt cadauer Saul, & cadauera filiorum eius de muro Bethsan*, & traiecto rursum Iordane cum defunctorum corporibus, *venerunt Iabes Galaad, & combusserunt ea ibi.* Id nono die belli factum est, ad quem tranteo.

Nonvs Belli Dies.

XLIX. Eaque sepeliunt apud se.

Hic est dies funeris & exequiarum Saulis, & filiorum eius, cum quartum iam diem sepultura caterent. Quo ipso die innotuit Dauidi clades, etsi autem aditus ad regnum illi patefactus est morte Saulis, & filiorum eius, eos tamen in Siceleg vehementer planxit, vt mox dicetur. Redierunt ergo Iabesitæ cum defunctorum corporibus in ciuitatem suam Iabes Galaad, & cōbusserunt ea ibi: non quidem vsque ad cineres, sed carnibus igne consumptis, *tulerunt ossa eorum, & sepelierunt in nemore Iabes subter quercum.* vt est in 1. Paralip. *& ieiunauerunt dies septē.* Nihil hic Scriptura de occursu ciuium, nihil de luctu, nihil de funebri pompa dixit, memorato duntaxat septem dierum ieiunio, quod pene elanculum celebratum sit hoc tunus, Philisthæorum metu,

c. 10. v. 12.

Philisthæi homines reperunt

diuinorum donorum inter vtrumq; similitudo copularat formæ inquam ac fortitudinis, mansuetudinis,& obedientiæ,fidei in amicitia,ac demissionis animi, iustitiæ ac beneuolentiæ singularis, quæ studiosus Lector in Annalibus diligenter explicata reperiet.

n.185. ad 190.

LVI. Eius filius claudus ex casu. 2.Reg.4.4

Hoc ipso tempore,quo Saulis familia summa calamitate afflicta in monte Gelboë,ac prostrata est,non leue etiam domi malorum incrementum accepit.Ionathę siquidem filius ætate quinquennis,nomine Miphiboseth, per nutricis imprudentem festinationem, debilis pedibus effectus est. Cum enim trepidus nuncius cladem in Gabaa vulgasset,verita mulier ne vtentes victoria Philisthæi in Gabaa properarent,totam Saulis posteritatem deleturi, commissum sibi puerulum, neci vt putabat ereptura, in rutum aliquem locum transferre properat : sed dum incautius cum puero festinat,cum eo corruit;quo ex casu luxatis, aut conquassatis cruribus, claudus in reliquam vitam effectus est.

DECIMVS BELLI DIES, *reliquusque annus.*

Lamentationis officio perfunctus Dauid, interim dum ieiunatur vsque ad vesperam , præsens enim populi rectore carentis status omnem respuebat moram,Dominum consulit,an de Siceleg ad aliquam de ciuitatibus Iuda deberet ascendere;ad ineundam scilicet adeundi regni viam,ope tribus Iudæ, quam sibi amicam atque obsequentem fore non sine causa sperabat;cuius & ipse ad eam pertineret,& plurimos eadem ex tribu secum haberet socios sibi addictissimos, quorum opera cæteros conciliaret sibi. Consuluit autem per Abiatharem pontificem, quem secum quintum iam annũ habebat cum Ephod pontificio.Responsum autem accepit,vt in Hebron ascenderet, ciuitatem illustrem ac munitam,& tum metropolim tribus Iudæ, multorum Patriarcharum habitatione & sepultura celebrem.Ascenderet autem , vt ibi regni sedem constitueret , dum Iebusæi penitus Hierosolymis exterminarentur. Ascendit ergo cum socijs, singuli cum familijs suis, & manserunt in oppidis Hebron, quæ scilicet ex ea tanqeam metropoli pendebant,ac regebantur. Neque tamen ita deseruit Siceleg,vt Achis liberalitatem repudiarit,eique id hospitium renunciarit,cum constet id oppidum deinceps ad regnum Iuda pertinuisse:sed credibile est Dauidem emigrantem aliquod in ea præsidium reliquisse.

LVII. Dauid Dominũ consulit, & iubetur ascendere in Hebron.

& retinet Siceleg sibi.

Cum primum substitit Hebrone Dauid, *venerunt viri Iuda, & vnxerunt ibi Dauid, vt regnaret super domum Iuda.* Admodum breuis est,ac præcisa ista Scripturæ narratio. Consilia enim gerendæ rei tantæ, causas, occasionesque prætermittit , & lectori ex probabilitate,considerato præsenti rerum statu , coniectandas relinquit. Apparet socios Dauidis plurimos ex tribu Iuda priuatim in suam sententiam de constituendo Dauide rege adduxisse, eosque mox conuenisse, & confertos Abiatharem adijsse pontificem, ad diuinum oraculum consulendum. At ille nihil cunctatus. Nihil inquit,videtur opus esse consulto Domino. An nescitis constitutum à Deo Dauidem regem populi sui? Eundem à Samuele, viuo adhuc Saule , Dei iussu in medio fratrum suorum fuisse inunctum in principem Israelitarum.Id ille idem Propheta, neque semel, neque obscure testificatus est Hoc Saul ipse certissime sciebat,& in multorum millium corona Dauide ipso audiente professus est. Idem sciebat ac profitebatur Ionathas ,& se Dauidi secundum in regno esse cupiebat, ac sperabat.

LVIII. Apparatus ad regnum Dauidis in Iuda.

Neque verò timendum est ne qua familiæ Saulis iniuria fiat. Regnum accepit Saul electione diuina,accipiat & Dauid , quando eius tribui ante sexcentos annos à Iacobo patriarcha destinatum est regnum.Atque vtinam postrema hæc clades,multos nobis viros reliquisset,in quorum optione nutare posset electio. Nunc autem circumferte oculos in omnes tribus atque ciuitates, & videte num quem inuenire valeatis, qui Dauidi sapientia,& prudentia rerum gerendarum, qui communi omnium beneuolentia,qui rerum gestarum gloria,qui vitæ innocentia , qui felicitate bellorum,qui morum suauitate, qui nobilitate generis, cum Dauide certare possit. Quæ cum ille dixisset , incaluit videlicet Iudæorum animus , communisque insonuit clamor deposcentium Dauidem regem. Quod cum illi per Pontificem ; cæterosque proceres innotuisset, Diuinę electioni sibi iamdudum per Samuelem, à quo primum fuerat inunctus, denunciatæ, & præsenti populi voluntati acquiescens, secundo inunctus est in regem à tribu Iuda , vtique eiusdem Pontificis ministerio , sperans reliquas tribus prærogatiuam Iudæ breui secuturas:& fecissent,nisi Abneris æmulatio , pro familia Saulis obstitisset,vt mox dicetur.

LIX. Annitente vt videtur Pontifice. *a.m.* 2345

2.*Reg.*2.4

Acquiescit Dauid & inungitur iterum.

His ita peractis, nunciatum est Dauidi egregium Iabesitarum officium in Saulem ac filios eius , quam ille occasionem prudenter arripuit ad legationem ad eos mittendam,vt eos sibi cõciliaret. Cum enim sciret imperium sibi in omnes tribus diuinitus destinatum , Iabesitas,qui trans Iordanem habitabant , erantque fortitudinis laude clari,sibi conciliare voluit , sperans eorum exemplum non parum ponderis habiturum , ad reliquorum animos erga se inflectendos,vt ita suauius diuinum decretum executioni mandaretur. Ideoque non solum eis bene precatur,dignosque iudicat, quibus Dominus ipse benignè faciat,& se quoque memorem tam sancti erga defunctos officij fore pollicetur; sed addit quoque se electum , vnctumque in regem à tribu Iuda , omnium videlicet maxima, atque nobilissima,ne eos pigeat tale exemplum sequi.

LX. Gratulatur Iabesitis, & quare.

Et res erat in procliui, nisi qui viuo Saule princeps militiæ fuerat, fuisset impedimento. Nam Abner siue imperium sibi maluit quam Dauidi, & Isbosetho rege se regnaturum sperauit.Dauide autem rege se in ordinem redactum iri credidit,siue Dauidem odio habuit , ob acrem & publicam male custoditi regis reprehensionem, siue constanti in Saulem fide, & in eius familiã, ad quam ipse pertinebat,amore incitatus est, Isbosethum eius filium regem constituit , trans Iordanem,in regione Galaad , oppido Manahim,quod Latine redditur castra,loco ab hostibus remotiore ac tutiore; atque ita schismati in Hebræo populo initium dedit. Erant porro in Galaaditide Iabesitæ,nõ longe à ciuitate Manahim;quod videtur ab Abnere factum , timente ne hi ad Dauidem deficerent, à quo scire potuit

LXI. Rex alter ab Abnere creatur.

legatione tentatos, quòd in ijs aut retinendis, aut amittendis non leue duxit esse momentum ad summam rei. Circunduxit autem per alias quoque tribus, easque ad Isbosethum pellexit, adeo vt sola tribus Iuda sequeretur Dauidem.

2. Reg. 2. 10.

LXII. Isbosethi ætas, & regni duratio.

De Isbosetho porro Scriptura tradit eum fuisse quadragenarium cum regnare cœpit, nimirum natus est primo Samuelis Iudicis anno, & statim à patre mortuo factus est rex, sed illud mirum quod dicitur duobus annis regnasse. Videtur enim tamdiu regnasse super Israel, quàdiu Dauid in Hebron super Iuda: id est, septem annis cum dimidio. Nam statim eo mortuo venerunt Israelitæ ad Dauidem, eumque constituerunt regem super omnes tribus. Neque probabile est illud quinquennium, quo Hebræorum chronicum vacasse ait regnum Israelis. Nam id neque cum Scriptura, neque cum horum temporum, quo Philisthæi victores Hebræis imminebant, conditione, consentit. Adde quod initio capitis tertij longa dicitur facta cõcertatio inter domum Saul & domum Dauid, quod de biennio satis commode dici non videtur. Illi autem anni duo quibus regnasse dicitur, de tempore ante illam concertationem accipiendi sunt, vt Tostatus rectè interpretatur. Idque Scriptura innuit, quæ statim subdit concertationis initium: nec asserit eum duobus *tantum* annis regnasse, cum exclusione temporis longioris.

ANNVS MVNDI 2980.

DAVIDIS & ISBOSETHI 1.

ABIATHARIS 6.

DERCYLI 30. Imperij Assyr. 1049.

ANTE CHRISTVM 1073.

I. Duo reges apud Hebræos & vterq; legitimus.

CReatis iam ante sextum circiter mensem duobus summis vnius eiusdemque populi principibus, vterque rem suam, vt credere par est, non tueri solum, sed etiam amplificare conabatur; nec tamen alteruter iniustus regni possessor erat. Nam Dauid diuina primum electione, tum primariæ partis populi voluntate rex creatus erat, atque inunctus. Isbosethus autem, vt legitimus Saulis filius, ius ad regnum paternum successione primum, ex iure gentium obtinebat, deinde maximæ partis populi voluntate, eiusdem regni administrationem adierat; nec de diuina electione Dauidis, quæ clam facta fuerat, ei satis constabat, vt propterea ei regno cedere aliqua religione teneretur. Cum ergo principes ipsi bonæ fidei, ac legitimi regni possessores essent, tanto magis vtramque populi partem à peccato immunem fuisse putandum est.

II. Dauid ordinat militiam suam, & quamobrem.

Porro Dauid, qui apud magnam populi partem ignaram diuinæ electionis, minus iuris ad regnandum habere putabatur, tanquam rex in schismate aut seditione creatus, in magna certe perturbatione Reipub. propter acceptam à Philisthæis cladem, vt regnum suum stabiliret, & in omnem euentum haberet semper ad manum milites expeditos, ingentem militum numerum, quos ei partim numerosissima tribus Iuda suggerebat, partim aliæ tribus, quæ cum sibi ducem, etiam viuo Saule delegerant, & constanter ei adhæserant, certas in classes distribuendum putauit, siue vt confusio in multitudine vitaretur, siue vt pluribus præfectis honorandis locus esset; quoniam multi de tribu Beniamin, & Gad, & Manasse, & maxime de tribu Iuda ad Dauidem iam ante aliquot annos venerant, qui prius centenis milleniisque præfuerant, quos decuit à Dauide, vel grati animi nomine honorari.

1. Par. 12. 14. 20. 21.

III. Ratio ĉporis.

Factam autem sub hæc regni Dauidis initia distributionem militarem, tum ratio ipsa docet, vt ex dictis patet, tum Ataëlis fratris Ioabi præfectura. Præfuit enim quartæ turmæ, vt constat ex 1. Paral. At mortuus est tertio anno Dauidis regnantis in Hebron. Ergo ante annum tertium hæ præfecturæ fuerant constitutæ. Fuerunt autem numero duodecim, pro numero mensium vt certus numerus apud regem singulis mensibus in armis esset; nec graue cuiquam esset mense vno domo abesse, cui menses vndecim tractandis domesticis negotijs superessent. Itaque duodecim turmæ constitutæ sunt, à principio quidem minore numero singulæ, sed quæ quotidie crescebant, donec stabilitus est numerus singularum 24. millium, qui constanter perseuerauit. Singulorum præfectorum catalogum, & ordinem habes in 1. Paral. explicatum autem in Annalibus hoc anno. Vbi & Dauidis prouidentiam leges circa reditus regios, tam tributorum, quam prouentuum, quibus certos præfecerat quæstores, quæ diligentia hoc tempore inchoata, suam in dies capiebat absolutionem: quod de Dauidis quoque consiliarijs dici potest.

c. 27. n. 7.

1. Par. 12. 22.

1. Par. 27. 1. &c.

Dauidis quæstores.

c. 27. 32.

IV. Dauidis cõsiliarij, aliique præfecti.

In ijs eminebat Ionathan patruus Dauidis, tum Iahiel doctor filiorum regis. Tertius numeratur Achitophel, qui postea defecit ad Absalonem. Quartus fuit Chusai, quem Scriptura vocat amicum regis, ob singularem in eum Dauidis benevolentiam: & quem Septuag. ἑταῖρον vocant, galli dicent, *mignon ou fauori*. Quintus fuit Ioiada filius Banaiæ, viri in Scriptura fortitudinis laude clarissimi, qui & Dauidi fuit à secretis. Fuit autem Ioiada Achitopheli proximus opinione prudentiæ, sicut & Pontifex Abiathar, quo Dauid vtebatur ad consulendum Dominum, eratque in consiliarijs regis, merito dignitatis suæ, facile primus. Proximus autem à Dauide in re bellica fuit Ioab, eius ex Saruia sorore nepos, eiusdemque militiæ princeps. Exercuit porro Abiathar munera pontificia in Hebrone ciuitate, etsi Arca adhuc erat in Cariathiarim, interim dum Sadoc in Gabaone ad Tabernaculum, quasi vicarium Pontificis ageret.

2. Reg. 23. 2. 3. 1. Par. 11. 25.

ANNVS MVNDI 2981.

DAVIDIS & ISBOSETHI 2.

ABIATHARIS Pont. 7.

DERCYLI 31. Imperij Assyr. 1050.

ANTE CHRISTVM 1072.

I. Hebræorũ quies.

FVit hic quoq; annus inter vtrumque Israelitarum regem quietus, quiescentibus etiam diuina prouidentia per quam opportune Philisthæis, & populo Hebræorum tempus colligendi se, ac resumendi ex clade & pauore animos imprudenter concedentibus; quos facilius erat, nunc in duo regna distractos opprimere, quam sub vnico principe, armis probe animisq; iũctos labefactare. Possumus autem ad hunc annum merito referre incrementa, & quasi interiora firmamenta Dauidicæ familiæ, quæ in multiplici eius prole consistit. Idque haud obscure Scriptura significat, cum ait in longa concertatione familiarum Dauidis & Saulis, Dauidem profecisse semper, & factum seipso robustiorem, domo Saulis quotidie decrescente: in cuius rei probationem recenset filios, quos Dauid in Hebrone suscepit, quibus ipsius familia roborabatur, simulque Dei in ipsum beneuolentia ostendebatur, cui in filiorum multitudine benedicebat.

Dauidicę familiæ incremẽta. 2. Reg. 3.1

II. Sex filij Dauidis, eorumq; matres. 2. Reg. 3. 2.3.4.5.

Etsi autem quo quisque anno natus sit certo definire non possumus, sed tantum sex filios Dauidi Hebrone natos esse: non temere tamen existimari potest, duos filios de duabus vxoribus hoc circiter anno natos esse, Ammonem primogenitum de Achinoa Iezraelite susceptum, & Cheleabum, qui alibi dicitur Daniel, de Abigaile dudum Nabalis vxore. Suspicari autem licet vtramq; harum mulierum, & tarde parere cœpisse, & cito desijsse. Nam quintus hic annus est ex quo Dauid duxit Abigailem, Achinoam autem aliquanto ante duxerat, vt supra diximus: & tamen nunc primum peperere, neq; deinceps vlli earum liberi memorantur. Quæ causa fuerit Dauidi, vt tertiam duceret vxorem, nomine Maacha, matrem Absalonis, & Thamaris, filiam regis Gessur, qui dictus est Tholmai: qua affinitate voluit fortasse æmulo suo Isbosetho vicinum aduersarium suscitare, erat enim prouincia Gessur vicina Manahem, vbi regnabat Isboseth, aut certe sibi amicum in omnem euentum quæriere. Quæ ratio suadet vt hoc anno, aut etiam præcedente, hasce nuptias coaluisse credamus, muliere in religionem Hebræorum transeunte: itaque de hoc coniugio cum alienigena nunquam reprehensus est Dauid.

1. Par. 3.1

III. Reliqui filij, suscepti in Hebron. 2. Reg. 3.5.

Quartus Dauidis filius fuit Adonias filius Haggith ignotæ mulieris, sed Adonias vir non ignotæ ambitionis, vt ex initio tertij Regum cõstat. Quintus fuit Saphatia filius Abital; obscura mater, neq; notior filius. Quod ipsum de textu Iethraham, eiusq; matre Egla dici potest: quæ quia nominatim dicitur vxor Dauidis, Hebræi Rabbini eam asserunt fuisse Micholem, quæ prima omnium fuit, ac nobilissima: sed Micholis sterilitate refelluntur, quam aliquando peperisse nunquam satis probabunt, cum Scriptura id aperte neget. Ignobilis potius fuit mulier Egla hæc, neque alia re quam coniugio Dauidis illustris: quæ ne propter tenuitatem concubina putaretur, nominatim dicta est vxor. Nisi forte peculiariter à Dauide dilecta fuit, sicut à Iacobo Rachel, quam is peculiariter appellauit vxorem suam. Prætermissa porro est Michol in hoc catalogo, etsi primum meretur locum, tam ordine temporis, quam dignitate, quia non fuit propositum hoc loco recensere Dauidis vxores, sed filios: obiter autem eorum matres adiunxit, ne eadem omnes matre geniti putarentur. Cæteram Dauidis familiam, ex alijs Scripturæ locis petitam, vide in Annalibus.

Michol an Egla sit

Gẽ. 44.27

ANNVS MVNDI 2982.

DAVIDIS & ISBOSETHI 3.

ABIATHARIS 8.

DERCYLI 32. Imperij Assyrior. 1051.

ANTE CHRISTVM 1071.

I. Initiũ belli ciuilis. 2. Re. 2. 10

DVo Regis in eodem populo non diu pacificè vixerunt, sed biennio duntaxat, qui sunt anni duo, quibus dicitur regnasse Isboseth, super Israel, prius scilicet quam bellum inter vtrumque excitaretur. Exacto igitur à Saulis morte biennio, Abneris opera inter Israelitas & Iudæos ciuile bellum exarsit. Abner enim qui tribus vndecim habebat in potestate, cum Isbosethus nominè tenus rex esset, aggressus est Dauidem bello petere exitu infelici: prælio duodecim militum, quasi totidem gladiatorum pari initium dederunt, cum casu contigisset vtrumque militiæ principem, cum valida militum manu, regni fines obire. Prior egressus est Abner cum suis de vrbe Manaim, Gabaonem versus, vrbem tribus Benjamin, sed Iudæ conterminam. Egressus quoque est Ioab cum Dauidicis de ciuitate Hebron, siue casu lustratis tribum Iuda, seu potius de industria. Cum enim accepisset Abnerem traiecisse Iordanem, venit ipsi obuiam, si forte Dauidis regnum attentaret. Occurrerunt autem sibi iuxta piscinam Gabaon.

eiusque occasio.

II. Abner dissimulãter optat pacem.

Scriptura porro non obscure significat nõ fuisse mentem Abneris bellum gerere contra Dauidem: quod non dubitabat irritum fore, vt qui sciret electum à Deo in regem populi totius, idq; audisset Saulem coram exercitu suo confitentẽ, & experientia didicisset singularem esse militum propensionem in Dauidem, quos cerneret vix ac ne vix quidem prudentia atque autoritate sua, aut fortunatum suarum periculo, aut necessariorum consuetudine retineri, quin ad partes Dauidis se conferrent. Nam cum ante mortem Saulis, tum maxime hoc biennio *per singulos dies*, vt Scriptura testatur, *veniebant ad Dauid ad auxiliandum ei, vsque dum fieret grandis numerus, quasi exercitus Dei.* Ergo pro sua prudentia sibi faciendum putauit, vt quod postmodum futurum

1. Par. 12. 22.

erat necessitatis maturè occuparet, & gratiæ fieret ac benevolentiæ: ita tamen, vt in quærendo fœdere nullam necessitatem, aut timiditatem præ se ferret.

III. Idque declaratur, & probatur.

His coniecturis non leuem confert probabilitatem quod Abner prior ex vrbe Manaim egreditur, & venit versus Dauidicos, nec hostiliter irruit, nec Ioabum ferociter alloquitur, sed amice compellat prior, quasi captans amicitiam, sic vt ambo iuxta eandem piscinam considerent. Prætèrea Abnere inuitante inceptatur certamen ludusque appellatur, quod non hostium inter se hoc certamen foret, sed commilitonum in eadem palæstra se rudibus exercentium. Maxime autem prodit prædictam Abneris voluntatem eius cum Azaele colloquium. *Recede*, inquit, *noli me sequi, ne compellar confodere te in terram, & leuare non potero faciem meam ad Ioab fratrem tuum.* Non potero videlicet amice colloqui cum eo, & pacis tractare negotium, propter animum eius, cæde tua exacerbatum. Postremo alienam à bello, & pacis amicam Abneris voluntatem, indicat illa vox eius ad Ioab, *vsquequo non dicis populo, vt omittat persequi fratres suos?* verum mors Azaelis ipsius consilia disturbauit.

IV. Abner Iudæi offert militarè. 2. Reg. 2. 14. 15.

Ergo cum vterque militiæ princeps vicini consedissent, Abner fiduciam ac fortitudinem militum suorum præ se ferens, *Surgant*, inquit, *pueri, & ludant coram nobis.* Gladiatorium intelligit ludum, sed apparet ipsum desiderasse, vt ludus si non sine sanguine, certe sine cæde finiretur. Acquieuit Ioab, & duodeni ad certamen descendunt, itaque ludunt, vt omnia duodecim paria mutuis confossa vulneribus interirent. Quo facto, ait Iosephus, exercitus etiam conflixerunt, & post acre certamen partes Abneris succubuerunt. Incaluerunt nimirum vtrimque militares animi, viso suorum sanguine, vt suorum mortem vtriq; si possent vlciscerentur, & incertam adhuc victoriam, dubiamque fortitudinis laudem suo exercitui promererentur. Fugatusq; est Abner cum suis: quem cum Asael feruentius persequeretur, monitus est ab Abnere, vt alium sibi quæreret aduersarium: quod cum ille contemneret, & gloriam sibi de capto militiæ principe ambiret, auersa ab eo hasta confossus interijt.

& Asaelē inuitus interficit.

V. Abner fugatus Sichem prælij petit.

Prostrato Asaele, Abner propere cum suis versus collem vnum progreditur, ibi locum ad resistendum capturi. Interim autem Iudæi acceleratabant iter, instabantque vndique fugientibus. Qui autem transibant per locum illum, in quo iacebat Asael, subsistebant ingemiscentes super immatura morte summo loco nati adolescentis. Alia ex parte Ioab & Abisai fratres Asaelis, ignari cædis eius, persequebantur Abnerem, qui eminus viso Ioabo, *Num*, inquit, *vsq; ad intersectionem tuum mucro deuorauit?* Significans canendum esse receptui, & hostibus, qui sint reipsa fratres, dandam esse elabendi viam. Et hæc erat postulatio hominis victoriam cedentis aduersario: qua cessione contentus Ioab, *viuit Dominus*, inquit, *si locutus fuisses, mane recessisset populus persequens fratrem suum*: & qui hactenus multos persequendo fugientes prostrauit, à principio sine cæde & sanguine recessisset. Tam facilis Ioabi consensus in diremptionem prælij, non obscure docet Ioabum ignarum adhuc fuisse mortis fratris sui Asaelis; alioqui acrius etiam institisset, studio parentandi manibus fratris sui, ipsius sanguine percussoris.

& obtinet à Ioabo.

Insonuit ergo Ioab buccina, & stetit omnis exercitus, nec persecuti sunt vltra Israel, neque iniere certamen, contra globum illum, qui ad collem cum Abnere sese receperat: quod etiam referri potest ad reliquum tempus regni Isbosethi: neque enim vllum deinceps prælium eius legimus contra Dauidem. Nunc autem vtrique gladijs in vaginas reconditis, Israelitæ trans Iordanem, Iudæi Hebronem tota nocte profecti sunt. *Et defuerunt de pueris Dauid decem & nouem viri, excepto Azaele*, qui scilicet fuit vigesimus. Serui autem Dauid, *percusserunt de Beniamin, & de viris, qui erant cum Abner, trecentos sexaginta, qui & mortui sunt*, partim in ipso vestigio, partim postmodum ex vulneribus acceptis. *Tuleruntque Asael, & sepelierunt eum in sepulchro patris sui in Bethlehem.* Delatum videlicet fuit ea nocte cadauer in Bethlehem, deinde cum funebri pompa sepultum, Ioab interim vltionem de Abnere meditante. Est porro hic annus Sabbaticus ordine quinquagesimus septimus.

VI. Qusicanis receptui.

Asaelis sepultura.

Annus Sabb. 57.

ANNVS MVNDI 2983.

DAVIDIS & ISBOSETHI 4.

ABIATHARIS 9.

DERCYLI 33. Imperij Assyr. 1052.

ANTE CHRISTVM 1070.

I. Mosaicus Iubil. 8.

SAbbaticum annum 57. excepit hoc anno Mosaicus Iubilæus ordine octauus, iuxta ea quæ statuta sunt Othonielis anno 33. quos à Dauide in tribu Iuda studiosè obseruatos, religio sit dubitare. In altero regno obseruatos fuisse, non habeo vnde ambigam, vel asseuerem.

II. Concertatio inter regias familias. 2. Reg. 3. 1.

Pertinet autem ad hunc annum & sequentes aliquot longa illa concertatio inter vtramque familiam regiam, quæ initio capitis tertij memoratur. Exorta enim anno proxime præterito, ad illud tempus propagata est, quo occiso Abnere, quo vno Saulis familia nitebatur, & postmodum Isbosetho ipso, tribus omnes vnanimi consensu venerunt ad Dauidem, & eum vniuersi populi regem constituerunt, quod octauo Dauidis anno contigit. Concertatio itaque fuit, sæpiusque iterata certamina, vt seditio potius quam bellum, etsi bellum in Hebræo vocatur, dicenda videretur. Et irritatis semel vtrimque animis, crebris excursionibus & velitationibus certatum est, sæpe ventum ad manus. Sed ea prælia sigillatim explicare Scriptura noluit, illud contenta dicere, Dauidem profecisse, & semper seipso robustiorem factum esse, domum autem Saulis quotidie decreuisse. Significans in diuturna illa concertatione, frequentibusque prælijs, Dauidicos plurimùm superiores euasisse.

Etsi

III. Quibus rebus Saulis familia modo nitebatur.

Etsi autem Dauidis familia regnumque roborabatur in dies, multis ad eum quotidie confluentibus, eiusque victorijs crebrescentibus, familiam tamen & regnum Isbosethi non leuia firmamenta fulciebant. Primum ius regiæ successionis, quod pro Isbosetho pugnabat. Secundo populi in Saulem & Ionatham beneuolentia, pro innato populorum in legitimos principes amore ac veneratione, quodq; priuatim ipsi multum essent amabiles, vt Dauid in funebri eorum carmine fatebatur; præsertim egregia in hostes fortitudine, & in suos beneficentia. Hinc illa, *Quomodo ceciderunt fortes in prælio &c.* & *filiæ Israel super Saul flete, qui vestiebat vos coccino in deliciis, qui præbebat ornamenta aurea cultui vestro.* Tertio zelus aliarum vndecim tribuum aduersus Iudam. Nam vnam tribum ad vndecim transire æquius videbatur, quam vice versa. Quarto tribus ipsa Benjamitica, quæ iam erat in possessione regiæ dignitatis, & viris fortissimis abundabat, itaque omnium vltima ad Dauidem aggregauit; pro innata scilicet inter vicinos æmulatione. Hæc ergo longam inter regias familias concertationem fouebant.

ANNVS MVNDI 2585.

DAVIDIS & ISBOSETHI 6.

ABIATHARIS 11.

DERCYLI 35. Imperij Assyr. 1054.

ANTE CHRISTVM 1068.

I. Res anni huius.

SExtum iam annum regnabant in Chananitide reges duo, cum Abner princeps militiæ Isbosethi, diu cunctatus, tandem fœdus iniit cum Dauide. Sed priusquam res plane confecta esset, Ioabi insidijs interceptus interijt. Eam mortem Dauid indignissime tulit, & homicidam execratus, defuncti funus multo honore luctuque, cum populi totius approbatione, prosecutus est. Nã Isbosethi mortem ad sequentem annum pertinere arbitramur. Sed singula cum diligenti breuitate inspiciamus.

II. Occasio sublati schismatis.

In ea concertatione quam superiore anno descripsimus, exorta est ingentis, siue occasio siue causa, dissidij, ex quo Israel vniuersus. Abneris opera sese dediturus erat Dauidi, eumq; pro rege, abdicato Isbosetho, agniturus, nisi cædes illius importunissimo tempore, & Dauidis negotijs incommodissimo contigisset. Occasio tollendi schismatis hæc fuit. Fuerat iam dudum Sauli concubina, siue eam libet interpretari vxorem secundariam, siue pellicem, quam cum Abner pro potestate sua, quasi solutus legibus sibi accepisset, eaque abusus esset, Isbosethus, rem minime ferendam ratus, & vultu & oratione seueriore Abnerem obiurgauit. Siue enim eam habere voluit vxorem, vt inde ius quoddam ad regnum acquireret, vt postea Adonias ambiendo Sunamitidem Abisag; siue eam propter pulchritudinem voluit habere pellicem, verumque merito Isbosetho displicuit: alterum enim ad regni amissionem, alterum ad graue ipsius dedecus vergebat.

Abner ab Isbosetho reprehensus.

Abner autem iræ impotens, neque regiam reuerens maiestatem, neque culpam suam agnoscens, asperioribus etiam verbis regem increpare ausus est, audacem quippe nimia in regno potestas reddebat, quod eius vnius præsidio niteretur. *Nunquid*, inquit, *caput canis ego sum aduersus Iudam hodie?* id est: Num ego tes nihili sum in hoc regno tuo, quod ego totum contra Dauidem sustento humeris meis, & potui in illum transferre, nisi misertus essem tui? Et tu ne hanc quidem gratiam mihi reddidisti, leuem vt culpam tacitus condonares. Hæc fuit quasi acceptæ iniuriæ exprobratio, & ingratitudinis aduersus regem per quam iniusta accusatio, siue quia arrogans atque inuerecunda aduersus Christum Domini: siue quia benefactorum suorum improbum exigebat præmium, peccandi impunitatem. Nec tamen his contentus, minas ingerit iureiurando firmatas, de regno eius in Dauidem transferendo.

III. Grauiter increpitur, ac regni defectione minatur.

Ad hæc Isbosethus nihil ausus est respondere præ metu, intelligens se imprudentia lapsum, qui intempestiuè hominem reprehenderit, nec cogitarit quantum spei esset ad perficiendum quod inceptabat: nec viderit minora mala, quæ emendari sine maiori damno non possunt, esse toleranda. Porro Abner minas statim in rem conferre cœpit. Nam certus populum, militiamque ratum habituram quod ipse vellet, quamprimum nuncios misit ad Dauidem, qui ei nomine suo regnum Isbosethi offerrent, profitentes terram promissionis vniuersam ad ipsam pertinere, eius liberalitate, cuius est terra & plenitudo eius. Deinde vt amicitiæ fœdus Dauidem inter & Abnerem postularent: nonnullæ enim inter eos, vt diximus intercesserant simultates. Apparet etiam eos quæ iunt isti amicitiæ consentanea postulasse, puta primaria quædam in regno, quod in eum transferebat, officia, vel dignitates.

IV. Eamque molitur per nuncios ad Dauidē.

Dauid autem lætus conditionem accepit: nec peccati Abneris, qui populum à rege suo vindictæ cupiditate auertebat, particeps fuit. Suo enim iure vsus est, qui sciebat se diuinitus electum ad hoc regnum, quod propterea potuit sibi, sine Isbosethi, aut cuiusquam iniuria vindicare: neque Abnerem ad peccandum induxit, sed mala eius voluntate bene vsus est, ad obtinendam rem suam. Cæterum cum dilectam haberet, & bene de se meritam coniugem, quæ tum erat in alterius viri potestate; & quam hactenus recuperare non potuerat, in fœderis conditione posuit, vt sibi Michol redderetur. Repetebat autem eam, non solùm ob mutuum inter eos amorem, sed ne illam diutius in adulterino coniugio, cum proprio dedecore, & Dei iniuria, viuere pateretur. Mittit autem ea de re nuncios, non ad Abnerem, etsi is eam poterat Dauidi reddere, & rege & Phaltiele inuitis, sed ad regem, vtpote honoris & regi & Micholis fratri deferret; vel vt ne offensiones inter Isbosethum & Abnerem multiplicarentur, si hic de regis sorore pro arbitrio, sine regis consensu, disponeret, & consilia inter Dauidem & Abnerem citius innotescerent, quam oporteret.

V. Dauid conditionem accepit.

Sed Michole repetit, a rege.

VI. Rex postulationi acquiescit.

Hoc accepto nuncio Isbosethus, non tam æquitate postulationis commotus, quam veritus ne hanc causam Dauid acciperet, vicam &

armata manu repetendi, hoc præsertim tempore, quo sentiebat Abnerem, columen & protectorem regni sui sibi infensum: à quo etiam suspicari poterat hanc contra se instrui, pararique occasionem, ad se de solio regio deturbandum, nihil negare ausus est, aut contradicere; sed misso quamprimum nuncio ad Phaltielem, qui Micholi pro viro erat, qui sororem suo nomine reposceret, iussit eam restitui, & Dauidi legitimo marito reddi. Quam ille reddidit inuitus, cuius rei clarum indicium est, quod eam abeuntem *sequebatur plorans.* Sed hic ploratus aliquanto post contigit. Interim enim dum Michol discessum parat, & perpetuum à Phaltiele diuortium, is quantum potest cunctatur in dimissione dilectissimæ coniugis. In tamen coniugis, Abner qui mox eam deducturus erat ad Dauidem, susceptum negotium maturat.

2. Re. 3. 16. Michol discessū parat.

VII. Abner maiorib. natu persuadet defectionē ad Dauidem.

Congregat enim seniores Israel sub specie cuiuspiam negotij militaris, quod hoc belli tempore satis magnam habebat probabilitatem, ad eosque orationem habuit, cuius hæc fuit sententia. Ipsos dudum desiderasse habere Dauidem regem, vt vnus esset vnius populi princeps, vnius politici corporis vnum caput; & quidem huiusmodi caput, quod Deo acceptum esset, & idoneum ad populum Dei de Philisthæorum manu liberandum. Huiusmodi esse Dauidem, de quo editum sit oraculum, quod eam libertatem polliceretur. Ne videretur proditor, ait Caiet. vindictam in Isbosethum exercet, specie exequendi diuinam voluntatem. Quid responsi acceperit ab Israelitis hoc loco non dicitur; rem tamen toti populo placuisse, ea mox verba demonstrant; *Et abijt vt loqueretur ad Dauid in Hebron, omnia quæ placuerant Israelis, & vniuerso Beniamin.* Seorsim ponuntur Benjamitæ, quia cum ijs seorsim, & post habitum aliorum consensum actum est, quod hi peculiariter in Saulis familiam affecti essent, quæ regiam dignitatem in suam tribum intulisset, & eam præ cæteris primarijs dignitatibus honoraret. Ipsi tamen Benjamitæ, viso decem tribuum consensu, manus dederunt, qui primùm rogati, Dauidem forsasse repudiassent.

Etiã Benjamitis. v. 19.

VIII. Et cũ Michole nuptiã adit.

Abner itaque cum maiorum natu, & eorum qui autoritate in omnibus tribubus eminebant, consensum in regnum Dauidis, & abdicationem Isbosethi obtinuisset, & Michol ad profectionem parata esset, assumptis viginti viris sibi familiarissimis quos Abneris contribules fuisse, & de tribu Benjamin significat Iosephus, venit ad Dauidem in Hebron. Porro iter susceptum fuisse specie Micholis ad Dauidem deducendæ perquam probabile videtur. Etsi enim Abner, vt diximus, nihil Isbosethum formidabat, anceps tamen est natura sua huiusmodi negotium, nec sine aliquo integumento fieri amat. Quamuis enim iam populi consensum haberet, sciebat tamen vir prudens leui momento populi voluntates in alteram partem reflecti posse. Ergo specie deducendæ mulieris, se in viam dedit, cui se comitem adiunxit Phaltiel vsque ad oppidum Bahurim in tribu Benjamin, vbi ab Abnere regredi iussus, domum reuersus est. Ipse autem nouus paranymphus, vxorem marito deduxit, atque restituit.

l. 7. Ant. c. 1.

IX. Venientem Abnerem Dauid cum magna beneuolentiæ significatione accepit, quod & dilectam sibi vxorem longo ex interuallo restitueret, & vndecim tribuum pacificam subiectionem sua opera impetratam deferret. *Et fecit Dauid Abner, & viris qui erant cum eo*, & videlicet nonæ etiam coniugi *conuiuium.* Quo tempore cum Abnet ea cumulate præstitisset, quæ Dauid ad iungendam cum eo amicitiam postularat, ratio postulat vt cum eo intimæ amicitiæ fœdus inierit, eique primarium in regno suo locum promiserit, fortassis etiam militiæ principatum: ne vir tam bene de Dauide meritus, deteriore foret apud eum conditione, quam apud Saulem: tantò præsertim & ætate, & meritis, & rerum gerendarum prudentia, Ioabo melior, atque præstantior. Id certe Ioabum timuisse sequentia demonstrabunt. Quoniam autem, præter hoc priuatum fœdus publicum cum populo congregato requirebatur, in quo noui regni conditiones sancirentur, mutuaque iuramenta, hinc fidelitatis & obedientiæ, inde protectionis & beneuolentiæ palam ederentur, *Surgam*, inquit Abner, *vt congregem ad te Dominum meum regem omnem Israel*, & quasi fecialis *in eam tecum fœdus, & imperes omnibus, sicut desiderat anima tua.* Dauid autem non tantum fecit illi abeundi potestatem, sed honorificè etiam aliquosque deduxit.

Sum Dauid peramanter accipit. 2. Re. 3. 20

Et priuatum cum eo fœdus init.

Et publicum curaturus reuertitur.

X. Ioab turbat omnia.

Hactenus res bellissimè procedebat, cum Ioab partim studio vindicandæ fraternæ cædis, partim metu ne se in ordinem redacto, Abner princeps militiæ à Dauide fieret, omnia perturbauit. Cum enim Abnere dimisso, Ioab cum militari manu, redisset ab excursione quadam, magnamque prædam de latronibus Amalecitis reuexisset, didicit quæ Dauid Abneri fecisset, vtque eum honorifice dimisisset. Adit ergo regem, eumque fiducia consanguinitatis, insigni cum audacia, malitia, atque confidentia increpat, præ se ferens zelum regis ac regni eius. Et quamuis certus esset Abnerem interficere, adijt tamen regem cum querela, quasi se hosti decipiendum præberet, vt vel hominis cædem impetraret, vel si id minus à clementissimo principe obtineret, dum propria ipse autoritate illam perpetrasset, persuaderet sibi rex Ioabum, non propriam iniuriam vlciscentem, sed regijs studentem commodis, Abnerem sustulisse. Nihil Rex impudentiæ falsæ accusationi respondit, siue ille se raptim è conspectu regis, non expectata responsione, subduxit, siue rex dandum iræ locum censuit, quæ ex bono zelo, licet non secundùm scientiam, profecta videretur.

Dauidē obiurgati

XI. Reuocat Abnerem nomine regis.

Egressus itaque Ioab à Dauid misit nuncios post Abner, qui eum regis nomine reuocarent. Neque enim decebat Ioabum, talem ac tantum virum suo nomine accersere, neque fortasse suspicione caruisset insidiarum ista reuocatio. Ergo regis nomine reuocatus, reflexit iter Hebronem versus; quo cum peruenisset, inuenit Ioabum expectantem ipsum ad portam vrbis, & cũ inter se amice consaluta sent, seducit Abnerem Ioab ad interiora portæ, fingens se remotis arbitris nomine regis ipsum alloqui velle; *& percussit illum ibi in inguine, & mortuus est in vltionem sanguinis Asael fratris eius.* Nec ausus est solus Ioab exequi meditatum scelus, vt timida est in ipso articulo facinoris improbitas, sed

Eumque cũ fratre obtrũcat.

assum-

assumpsit socium fratrem suum Abisai, vt paulò inferius Scriptura commemorat. Atque ita qui proditione abducebat populum ab Isbosetho, proditione abductus à via sua perimitur. Asaëlem in inguine percusserat, ipse ibidem perfossus interijt, vt eius quoque libido punita intelligeretur, & qui per vindictam deserebat regem suum, per vindictam à vita desertus est.

c. 3. v. 30.

XII. Eã cædẽ Dauid fert ægerrime.

Vulnus hoc, grauissimum Dauidis animo vulnus inflixit, quippe qui probe intelligeret magno publicæ rei detrimento eam cædem fuisse perpetratam. Dolebat male turbari bene susceptam ab Abnere regni totius coniunctionem, ideoque tanquam de tota Republ. bene meritum lamentabatur. Dolebat principem virum regio sanguini coniunctissimum, prudentiæ & fortitudinis laude clarissimum, regnoque suo vtilissimum, contra voluntatem suam, contra ius gentium, morte sublatum, & proditoriæ cædis inuidiam in se detriuari: existimante populo Ioabum, nisi rege iubente vel conscio, id scelus non fuisse aggressurum; ex quo fiebat vt animi Israelitarum ab ipso vehementer abalienarentur, & ciuile bellum magno vtriusque partis damno recrudesceret. In quorum remedium sapientissimus Dauid primùm publice protestatus est mundum se esse ab hoc crimine, eo quod se inscio perpetratum esset. Secundò diuinam teis vltionem vel imprecatus est, vel prædixit, vel quid meterentur ostendit. Tertio pro Abneris morte lacerationem vestium, & publica signa doloris indixit. Quarto publicis solemnibusque exequijs ipsum honorauit, adeoque ipsemet super ipsius tumulum fleuit, & inscripsit epitaphium, æternæ memoriæ in Scriptura consecratum. Adiecit postremo ieiunium vsque ad solis occasum.

Idq; publice præ se fert.

XIII. Vt se palã ea de cæde purget.

Hæc autem omnia facta sunt vt omnes intelligerent Abnerem à Dauide fuisse dilectum, eiusque mortem ab eo ægerrimè ferri, nedum eius authorem fuisse, vel conscium. Nec excidit ab expectatione sua. Omnis enim populus, qui funeri affuit, & regem comitatus est, viditque eum plangentem, sequentem feretrum, Ioabum eiusque familiam grauibus execrationibus obligantem, denique mortem lachrymis, nænijs, ieiunioque prosequentem, vehementer probauit, quæ fecit rex in conspectu populi totius; persuasumque habuit scelus inscio rege fuisse perpetratum. At, inquies, si verus fuit iste dolor, si veræ lachrymæ ac querelæ Dauidis, quare debito supplicio in reos nõ animaduertit? Respõsionem verba sequentia continent. *Ego autem delicatus & vnctus rex. Porro viri isti filij Saruiæ duri sunt mihi. Retribuat Dominus facienti malum iuxta malitiam suam.* quasi dicat, infirmior sum nunc, quam vt possim pœnas de illis exigere, sed Deus exiget.

XIV. Cur eam non vlciscatur.

Existimauit ergo Dauid non esse nunc è publica re, & regno vix coalescente hosce fratres ad pœnam commeritam rapere; neque per ipsum stare. Nam cum sine periculo scelera punire potuit, non neglexit vltionẽ; vt cum è vestigio iussit interfici, qui Saulem nuper, & sequenti anno Isbosethum occiderant. Accedit etiam ad excusationem Dauidis, quod non dabat impunitatem sceleri, sed differebat pœnam, interim dum illi operam regno vtilem nauare poterant. Nam regno probe constituto mandauit Salomoni, vt de Ioabo pœnas sumeret.

Ad hunc porro annum Dercyli 35. refert Eusebius celebrem illam Codri Athenien sium regis mortem, qui anno regni sui 21. in bello Peloponnesiaco seipsum morti tradidit, vt suis, iuxta oraculum Apollinis Delphici, victoriam relinqueret.

Codri regis Athẽ. mors.

ANNVS MVNDI 2986.

DAVIDIS 7. ISBOSETHI 7. & vlt.

ABIATHARIS 12.

DERCYLI 36. Imperij Assyr. 1055.

ANTE CHRISTVM 1067.

SEptimum & vltimum egit hunc annum Dauid in Hebron, Isbosethus autem septimũ & vltimum in viuis, improborum hominum coniuratione nefaria. Eius mortem in hunc annum distulimus, quoniam septem annis eum regnasse docuimus, præter sex illos menses, quos cum Saulis annis copulauimus. Abnere porro trucidato, cito ad Isbosethum de illius cæde perlatus est nuncius. Nam viginti illi viri, qui Abneris comites fuerant, eo occiso quamprimum ad regẽ suum contulere se, remque illi totam exposuere. Eo accepto nuncio confractus est animo Isboseth, *& dissoluta sunt manus eius, omnisque Israel perturbatus est.* Et ille quidem perturbatus est, quia cæso Abnere succisi erant nerui omnes roboris eius; isti autem, quia amiserant interpretem, & quasi moderatorem reconciliationis suæ. Etsi enim primarij quique à quibus pendebat populus, de singulari Dauidis mansuetudine & fide bene sperabant, timebant tamen Ioabum & Abisai, ne ab eis per insidias obtruncaretur; præsertim cum eos etiam Dauidi formidabiles, non sine causa suspicarentur.

I. Isboseth cũ populo turbatur ob eædem Abnetis.

2. Reg. 4. 1. 2.

Sed eam perturbationem alia maior excepit Isbosetho rege à duobus sicarijs perfidiosè interfecto. Peruulgata enim Abneris morte, & omni populo ea de causa perturbato, singuli ita oculos in publicã rem conijciebant, vt suis rebus prospicere studerẽt, animaduertentes Saulis familiam in certum interitum ruere. In his duo in primis fuere, qui nuper Abneris vestigia sectabantur, quos ille viuens in consiliũ adhibuerat, vtpote viros fortes ac primarios, & regiæ cohortis, latera regis cingentis præfectos, hos enim latrones hoc loco Scriptura nominat, in Hebræo principes turmarum dicuntur. Hi ergo Dauidis gratiam ambire, eamq; sicut Abner, eximio aliquo beneficio demereri studuerunt. Crediderũt autem nõ posse maiore, quam si æmulum regni eius tollerent. Id facinus vt cõmode perficerent, captauerunt tempus, quo quiescente rege, eius quoque custodes quiescebant, in domo quisque sua; aberant certe, & quamuis adfuissent, nemo erat qui ducibus suis turmarum principibus, in rege quocunq; tẽpore adeundo, negotiũ facesseret. Aderat pro omni custodia vna mulierecula purgans triticũ, sed ea ipsa dormitabat.

II. Consilia Rechab & Baana de cæde regis.

vers. 2.

Ergo

III. Rem cõficiunt, & fugiũt ad Dauidẽ.

Ergo sicarij hi duo Rechab & Baana sanguine & scelere fratres, ingressi sunt domum latenter specie mercatorum tritici, quoniam rex de suis reditibus frumenta vendebat, vt ait Rabbi Salomon, & regem in tecto suo dormientem confoderunt, & mortuum capite truncarunt, vt caput, certissimum mortis argumentum, ad Dauidem deferrent. Itaque eo *sublato abierunt per viam deserti tota nocte.* Sed & sequenti die ambularunt. Erat enim longum iter à Manahim vsque ad Hebron, quanta fere est latitudo totius Chananitidis. Significat autem Scriptura, sicarios istos proxima nocte à patrato facinore non ausos fuisse quiescere, sed statim magni sceleris conscios, magnis itineribus, ne à seruis regis eos persequentibus comprehenderentur, perque desertas vias ad Dauidem contendisse, apud quem non solum tuta sibi omnia, sed honorifica etiam & beata, eius virtutem ex sua malitia metientes, stultè pollicebantur.

IV. Eorũ ad Dauidem oratio.

Et attulerunt caput Isboseth ad Dauid in Hebron, dixeruntque ad regem. Ecce caput Isboseth filij Saulis inimici tui, qui quærebat animam tuam. Et dedit Dominus Domino meo regi vltionem hodie de Saul, & de semine eius. Pluribus etiam rem totam ab istis narratam, ex Dauidis responsione perspicuum est. Vide autem vt loco salutationis omnis, oblato sceleratо munere, regem sibi conciliare studeant. Et ne in defunctum, imo per iniustissimam proditionem trucidatum à subditis principem, eundemque innocentem mansuetudinis Dauidis viscera commouerentur, ei odium à patris eius persona conflare conantur, *filij Saulis*, inquiunt, *inimici tui*, neque hoc satis, *qui quærebat animam tuam*, quoniam nihil habebant isti, quo ipsam Isbosethi personam redderent odiosam Dauidi. Et quoniam non ignorabant Dauidem plurimum diuinæ prouidentiæ tribuere, se quasi ministros diuinæ prouidentiæ faciunt, ne si aliter quam ipsi cupiunt, Dauid hoc factum accipere voluerit, diuinæ prouidentiæ repugnare videatur. At volebat quidem Dominus delere familiam Saulis, sed vtendo aliena malitia, quam iuste permisisset, qui propterea non minus peccabant.

V. Ab eo iubentur occidi.

Itaque Dauid iustissima indignatione commotus in sceleratissimos patricidas, *Viuit Dominus*, inquit, *qui eruit animam meam de omni angustia, quoniam eum qui annunciauerat mihi, & dixerat, Mortuus est Saul, qui putabat se prospera nunciare, tenui, & occidi eum in Sicelech, cui oportebat mercedem dare pro nuncio: quanto magis nunc, cum homines impij interfecerint virum innoxium in domo sua, super lectum suum, (non) quæram sanguinem eius de manu vestra, & auferam vos de terra?* videtur hic abundare negatio. Vide autem vt mitissimus Dauid sapienter dissimulet iniurias Saulis erga se, diuinam commendans in se prouidentiam, quæ ipsum ab eis sine vlla sua culpa eripuerit: simul etiam eorum crimen ex eius circumstantijs exaggeratum, morte dignum pronunciat. Itaque statim iussu Dauidis gladijs confossi interfecti sunt, & manibus pedibusque præcisis, in media ciuitatis platea, iuxta fontem in crucem acti. Isbosethi autem caput Abneris sepulchro condituм est. Iosephus *a* cum ait eos exquisitissimis tormentis cruciatos fuisse, significat viuis manus pedesque præcisos à carnificibus; non absurde. Voluit enim Dauid hoc publico de nefarijs hominibus supplicio, ab omnibus intelligi, se nullo modo huic cædi affinem fuisse, sicut neque Abneris mortis ne populus ab eo fieret alienus, tanquam ab eo, qui tyrannicis artibus sibi viam muniret ad regnum.

Cũ cruciatu & publica infamia. *a l. 7. Ant. ca. 2.*

Reliquo anno Hebrone celebrata sunt maxima celebertimaque comitia tribuum, ad constituendum Dauidem regem super vniuersum Israelem; quod & perfecerunt: sicque impleti sunt septem illi anni cum dimidio, quos Dauid Hebrone *b* regnasse perhibetur. Itaque ad hoc maxime tempus referuntur illa verba 1. Paral. *c* vbi recensitis qui hactenus partim viuo Saule, partim regnante Isbosetho ad Dauidem confluebant, subdit. *Per singulos dies veniebant ad Dauid ad auxiliandum ei, vsque dum fieret grandis numerus, quasi exercitus Dei.* Neque sane mirum defluxisse paulatim omnes ad Dauidem. Nam Abnere, & Isbosetho interfectis, nihil erat in domo Saulis, quod eos retineret. Dauid autem ex altera parte plurimum excitabat vniuersos ad amorem sui; multis quippe iam annis probata fuerat virtus eius, tam in prosperis, quam aduersis rebus, ex quo gigante illo quasi per ludum prostrato, victoriam populo suo pacemque pepererat, vsque ad hoc postremum septennium, in quo cum crebræ Abneritas inter & Dauidicos velitationes contigissent, Dauid Deum secum esse, secumque pugnare, ipsa victoriarum felicitate docuerat.

VI. Comitia pro creãdo rege Dauide

b 2. Reg. c. 5. vers. 5. c. 12. v. 22.

Cunctis paulatim ad eum confluentibus.

Ergo cum nihil admodum retineret vndecim tribus, quin vna voce cum Amasa dicerent *d. Pax tibi, ô Dauid, & pax adiutoribus tuis: tui sumus, te enim adiuuat Deus tuus*: venerunt illæ quidem vniuersæ ad Dauidem in Hebron, vt illum regem constituerent, vt scriptum est in 2. Regum *e*, sed quo vel ordine vel numero venerint, ex 1. Paral. *f* addiscendum est, vbi cum explicatum esset quinam ex diuersis tribubus hactenus ad Dauidem conuenissent, transit ad eos, qui hoc denique tempore, Isbosetho mortuo, ad eum venerunt, vt caducam regni hæreditatem transferrent ad ipsum. In qua enumeratione videtur scriptor facer rationem habuisse vicinitatis. Nam à tribu Iuda, in qua septimum iam annum regnabat Dauid, exorsus, inde venit ad Simeonem, qui Iudam ab occasu tangebat; & Benjamin qui à Septentrione. Inserit tamen sacerdotalem tribum, quæ magna ex parte in tribu Benjamin, cum Arca Domini residebat. Tum sequitur Aquilonem versus Ephraim, qui Benjamino adhærebat; inde dimidia tribus Manasse, Issachar, Zabulon, Nephtali, Dan & Aser. Deinde transmisso Iordane, percenset duas illas tribus Ruben & Gad, cum dimidia tribu Manasse.

VII. Veniunt ad Dauidem tribus vndecim. *d 1. Paral. 12. 18. e ca. 5. 1. f c. 12. 22. 23.*

Horum porro numerus exactè iniri non potest, propter tribum Issachar, cuius numerum Scriptura prætermisit. Summa tamen numerorum, qui distincte positi sunt à Scriptura, ascendit ad 339. millia octingentos, & viginti duos. Quibus si addideris viginti millia Issacharitarum ex Iosepho *g*, fient 359. millia, 822. Omnes isti viri bellatores expediti ad pugnandum corde perfecto venerunt in Hebron, vt constituerent regem Dauid, super vniuersum

VIII. Maximo numero.

g l. 7. Ant. c. 2.

Israel.

Israel. Horum autem omnium præcipui fuerũt, qui dicti sunt fortes Dauid *h*, *qui adiuuerunt eũ vt rex fieret super omnẽ Israel.* De quibus alius erit dicendi locus. Effuderat porro Dominus in gratiã Dauidis, spiritum pacis & concordiæ in vniuersum Israelem, vt omnes eadem mente, eademque sententia vellent Dauidem regem, neque qui præsentes aderant tantum *i*, *Sed & omnes reliqui ex Israel vno corde erant vt rex fieret Dauid.* Pro quibus suffragium ferebant præsentes, consciæ voluntatis eorum.

h 1. Par. 11. 10.

i Maximoq; cõsensu omnium. 1. Paral. 12. 38.

IX. Eorumdẽ electio, & rationes eligendi. 2. Reg. 5. 1. 2.

Congregati porro regnum Dauidi in hæc verba detulerunt. *Os tuum sumus & caro tua. Heri quoque & nudius tertius cum adhuc regnaret Saul, tu eras qui educebas & introducebas Israel. Tibi enim dixit Dominus Deus tuus, tu pasces populum meum Israel, & tu eris princeps super eum.* Quibus verbis tria cõtinentur argumenta, ob quæ populus Dauidem eligat in regem. Primum quod nullum habeat generis impedimentũ, vt qui non solum sit Israelita, sed ex ea tribu, cui iampridẽ à Patriarcha Iacobo destinatus esset principatus. Alterum est quod regendæ Reipubl. belliq; gerendi peritia, atque experientia præditus sit. Tertium quod diuinitus sit electus in regem Israelitarum, cuius videlicet voluntati nefas sit non obsequi. Illa porro verba, *tu pasces populum meum* &c. non habentur totidem verbis enunciata diuinitus. Sed cum didicisset populus Samuelem diuinitus reuelasse Dauidi, eum fore totius populi principem, diuersi diuersis verbis eandem sententiam referebant. Itaque aliter ea nunc populus, aliter supra Abner, aliter superius Abigail, & Saul ipse, & Ionathas retulerunt. Addere poterant vitæ innocentiam, ætatem florentem paci belloque idoneam, & maxime spiritum illum principalem, de quo alibi diximus.

In Annal. a. m. 2969 n. 45.

X. Non singuli dederunt suffragiũ, sed optimates. 1. Par. 12. 3.

Cæterum de immensa illa multitudine, vitandæ confusionis gratia, electi sunt tributim communi suffragio aliqui viri primarij, qui nomine omnium cum nouo rege fœdus inirent, de quibus videntur accipienda illa scripturæ verba. *Venerunt ergo omnes maiores natu Israel*, de singulis videlicet tribubus aliquot electi, *ad regem in Hebron*, reliquis per suburbia, pagosque dispersis, *& iniit Dauid cum eis fœdus coram Domino.* Assumpto videlicet Deo in testem, populus spopondit Dauidi fidem & obedientiam, quam subditi regi suo secundum Deum debent. Et vicissim Dauid, eodem auctore & teste, pollicitus est, se populum fideliter ex Dei legibus, & recta ratione gubernaturum, & contra inimicos eius omni ope protecturum. Illud autem *coram Domino*, etsi idem possit esse quod publicè in oculis omnium, aut Deo in testem assumpto, placet tamen coniectura Tostati excitatum à Dauide quoddam Sanctuarium & altare in Hebron, dum regnante Isbosetho, non liceret populo libere adire tabernaculum, quod erat in Gabaone, & Arcam fœderis, quæ erat in Cariathiarim, oppido vtroque tribus Benjamin. Non enim videtur Dauidis pietas ferre potuisse, vt tot annis cultu diuino careret, cum etiam Pontificem cum Ephod apud se haberet. quem crediderim in veste pontificia, quasi Dei gerentem vices, huic fœderi interuenisse.

Fœdus initur.

Dauidis Sanctuarium.

XI. 2. Reg. 5. 3. 1 Par. 11. 3.

Inito fœdere, secuta est vnctio. Sequitur enim, *vnxerunt que eum regem super Israel, iuxta sermonem Domini, quem locutus est in manu Samuelis.* Vnxerat Samuel Dauidem iussu Domini, vt esset Rex loco Saulis, eaque vnctione ipsius in populum ius acquisierat. Vnctio ergo, quæ hoc tempore facta est, fuit ad repræsentandam, approbandam, & confirmandam illam: neque ad conferendum ius nouum, sed ad stabiliendum antiquum, quod ei tunc Deus per Samuelem dederat, quam confirmationem, & approbationem tribus Iuda superioribus annis inchoauerat.

Vnctio Dauidis tertia cõfirmat priores.

Vnctionem excepit conuium, triduo Dauidis sumptibus celebratum, iuxta illud. *Fuerunt que ibi apud Dauid tribus diebus comedentes & bibentes*, & merito cum comitia in eius gratiam, & gloriam celebrarentur. Ne autem grauaretur Dauid sumptibus, tanto populo triduo nutriendo, & quidem vt in regijs conuiuijs, copiose atque magnifice, dicendum est plurima munera publice priuatimque nouo regi oblata fuisse, quibus onus expensarum non parum leuatum est. Idque Septuag. haud obscure significant, qui dicunt Zabulonitas venisse auxilio Dauidi, *non vacuis manibus*, quod de alijs quoque tribubus intelligi potest: præsertim de tribu Iuda, quæ cæterorum quoque donaria collegit, ac præparauit, vt est in extremo capite duodecimo primi Paral.

Conuiuium triduj. 1. Par. 12. 39. 40.

ὁ χερσὶ πλήρεις.

ANNVS MVNDI 2987.

DAVIDIS 8. ABIATHARIS PONTIFICIS 13.

DERCYLI 37. Imperij Assyriorum 1056.

ANTE CHRISTVM 1066.

CElebris est hic annus Hierosolymorum ab ortu noui regis auspicijs expugnata. Eam expugnationem in hunc annum conijcimus, quod certi statim ab inauguratione Dauidis suscepta est expeditio, vt Iosephus & Tostatus affirmant, & ratio ipsa confirmat, quæ persuadet Dauidem prudenter vsum commoditate congregati populi, eiusdem alacritate: nihilominus admodum probabile est munitissimam illam arcem, & rebus omnibus iampridem ad ducendam oppugnationem instructam, non cito in Dauidis potestatem venisse. Ergo sub extremum annum septimum regni eius obsessa est Sion, octauo denique expugnata. Hanc expugnationis longinquitatem suadet tam locus ipse natura munitissimus, & vndique propemodum inaccessus, tum industria & studium pertinax Iebusæorum in vno eo loco omni opera muniendo, & propugnando, ex quo pendebat non solum eorum salus, sed supremus etiam interitus vniuersæ gentis. Itaque armis, viris, commeatu, propugnaculis egregie instructa Sion, quadringentos ipsos annos restiterat Hebræis, & nũc omnes Dauidis conatus, non sustentabat solũ, sed etiã irridebat.

I. Ratio expugnationis obsessæ, & expugnatæ arcis Sionis. l. 7. Ant. c. 2. In 1 paral. 11. quæst. 9.

Rex itaque Dauid, qui Hierosolymam rebus omnibus opportunissimam, in regni sedem iam dudum destinauerat, cum primum totius

II. Consilũ Dauidis de ea occupanda

popu-

busdam ritibus, vtpote maleficam. Illud potius dubium, & multis tam seculis controuertum, verene anima Samuëlis apparuerit, an quid aliud eius loco, dæmonis artibus subtitutum. Rem satis accurate in Annalibus tractatam, hic paucis perstringo.

XXVIII. Samuel non fuit excitatus à mortuis

Dico igitur Samuëlem in hac apparitione non fuisse excitatum à mortuis, neque corpus eius, quod ante bienium ab anima separatum fuerat, ei rursum per veram resurrectionem fuisse copulatum. Neque id ad veram eius apparitionem necessarium est, satis enim est vt in aëreo corpore apparuerit, more Angelorum, quos passim apparuisse legimus: neque eius resurrectio à quoquam asseritur. Animam tamen ipsam vere excitatam fuisse ex inferis, Scriptura docet, quæ toties hic Samuëlem nominat, eaque in propria verborum significatione, nisi quid obstet, accipienda est, nihil autem obstare mox ostendetur. Cum autem Samuël hic de toto composito accipi non possit, de anima accipiendus est. Eadem est sententia Sapientis in Ecclesiastico, Ambrosij, Augustini, Iustini Martyris, Iosephi, & aliorum Hebræorum, multorumque recentium, quibus Serarius & Delrio subscribunt.

ca. 46. 23.

XXIX. Sed apparuit anima in corpore aereo diuina vi.

Neque tamen fatemur eam animam magica arte fuisse sulcitatam: eam enim in animam iustam potestatem diabolo concedere, patres vehementer recusant, Tertullianus, Theodoretus, Augustinus, Isidorus, & alij. Quorum mens est diuina virtute atque imperio Samuëlis animam Sauli apparuisse. Cum enim Pythonissa per consueta carmina dæmonem aliquem sub specie Samuelis, quem requirebat Saul excitare vellet, præuenit Deus illum conatum, & animam Samuelis propria autoritate euocauit: quemadmodum exercente Balaamo maleficia sua, non dæmon, quod perditus ille quærebat, sed Deus impleuit os eius, & crebrius repetitam Hebraici populi benedictionem, quam ille dare nolebat, extorsit. Nec propterea Deus arti magicæ subtulit, sed eam suprema impedit potestate. Vnde mulier videns rem præter opinionem suam contigisse, & verum non fictum Samuelem excitatum, admirans exclamat. Præsertim cum eodem Samuele indicante, agnouisset eum à quo rogata fuerat, esse Saulem, à quo sibi, tanquam ab exterminatore magorum vehementer timebat. Egressa est autem cum Saulis socijs, ne conscij essent secretorum Regis. Nam absoluto Regis cum Samuele colloquio, ingressa dicitur ad regem.

XXX. Saulis cũ Samuele colloquium.

Saul autem cum Samuelem agnouisset, *inclinauit se super faciem suam in terra, & adorauit.* Quæ summissio partim præsenti Saulis calamitati conueniebat, partim statui Samuelis ad aliam vitæ conditionem, longe hac præstantiorem translati, nec tamen adoratio de cultu latriæ accipienda est, sed de ea quæ sanctis Dei amicis debetur. Nihilominus Samuel irato similis sine vlla honoris appellatione, *Quare inquietasti me vt suscitarer?* Sancti post obitum sunt in pace, neque aduentitijs casibus perturbantur: sed locutio ad viuentium modum apta est, qui dicuntur inquietari, cum molestijs atque ingratis negotijs implicantur. Dominus quoque irato rum more, non respondit cum interrogaretur à Saule, & respondit cum non interrogaretur: venerat enim dæmonem interrogaturus, non Deum. Sed hæc responsio nullam ei consolationem attulit, sed magnum tristitiæ incrementum, ac suprema rerum desperationem. At Saul excusat importunam euocationem, cum eius causam in præsentes transfert rerum suarum angustias, in quibus nullum à Domino, à quo desertus sit, inueniat leuamentum.

XXXI. Denuncia tio proximæ cladis

Respondet Samuel frustra interrogari eum à quo Deus recesserit, neque enim potest prophera Deo tacente loqui. Addit & causam derelictionis eius, non adæquatam illam quidem, sed primam, indulgentiam scilicet in Amalecitas, quam deinceps multa grauiora crimina sunt secuta, quæ propendentem in ruinam præcipitarunt. Porro denunciat actum esse de regno, à quo diuinitus ita abdicatus, in gratiam Dauidis æmuli eius: actum esse de victoria, immo & de ipsius ac filiorum eius vita actum esse: vt rex videns desperata cætera, ac nec vitam quidem retinere posse, de salute animæ suæ cogitaret, & pro ea Samuelis ad Deum preces exposceret. Quod autem non aperte promiserit veniam, neque ad eam petendam inuitarit, id diuino decreto, quod tum Samuel videtur non ignorasse, tribui potest, quod Deus præuisa, quam vocant suprema impœnitentia, sententiam in eum mortis æternæ coniecerat. Potuit tamen semper ac debuit ad Deum recurrere per pœnitentiam; alioqui sine culpa desperasset, quod absurdum est. Quod autem denunciat eum cum filijs postridie secum fore, ad parem mortis conditionem referendum est, non ad similitudinem felicitatis & quietis.

XXXII. Saul exanimatur, & sumpto cibo redit ad suos.

Ad tam tristia Samuelis nuncia vsque adeo perculsus est Saul, vt pene exanimatus sit. Videtur enim liquente animo, & deficientibus corporis viribus deliquium passus in terram toto corpore corruisse, dicitur enim, *Statimque Saul cecidit porrectus in terram.* Nam post exhibitam Samueli venerationem, erectus steterat, nunc autem metu & desperatione fractus corruit, præsertim cum membra & defatigatione, & cibi defectu languerent. Hic mulier, audito, vt apparet, strepitu corruentis, & Sauli ac sibi timens ingressa est ad eum, quæ prius, vt dixi, egressa fuerat, sed & socij irruerunt in destinatum illum maleficijs locum, & eleuatum de terra lecto imposuerunt, & coëgerunt ad sumendum cibum, quo ipsi quoque valde indigebant, eoque sumpto eadem nocte in castra reuersi sunt, vt nocturna profectio lateret, non hostes solum, sed etiam suos, ne absentiam regis fugam interpretantes, debilitarentur animis, & fugam potius quam pugnam capesserent; & nihilominus inulti & ignominiose perirent, & maiori fortasse cum clade. Saul autem eam pugnam fortiter adijt, in qua certo sciebat sibi esse moriendum, & quam salua honestate, & officij sui debito vitare non poterat. Atque vtinam vlterius progressa non fuisset inconsulta regis fortitudo.

XXXIII. Dauid venit cum suis in Siceleg.

Hoc ipso die, qui tertius fuit à discessu Dauidis è castris, peruenit Dauid cum suis in Siceleg: neque tamen totos tres dies in itinere posuisse putandum est, sed duos & initium tertij, vt detur tempus rebus, quæ hoc ipso die ab eo

EXIT. ET LEO. 436.

facta sunt. Amalecitæ autem illata oppido vastitate, quam diximus, *pergebant itinere suo*, & quidem lente, vtpote grauati præda, & soluto à metu animo, ratu tridui itinere abesse prædæ vindices, eosque occuparos ad plurimos dies. Itaque vix triduo, cum omni præda sua tantum promouerunt, quantum Dauid cum suis non toto vno die, quamuis non recentes neque integri, sed ex itinere fatigati confecerant. Cognita ergo clade planxerunt omnes vehementer, sed Dauid in primis, siue quia plus cæteris vnus amiserat, siue quia aliorum iactura, & querelæ in eum redundabant. Quoniam vero non decebat fortes viros calamitatem suam duntaxat plangere, & malis remedium non quærere, parem que, aut maiorem prædonibus plorandi causam non reponere, id in primis cupiebat Dauid, confortatus in Domino Deo suo, & spe plenus amissa recuperandi, etsi ignotum erat omnibus, qui essent hi latrones, quam multi, quonam gentium se recepissent cum præda.

Plangunt acceptam cladem.

Quia tamen Dauid in promptu habebat Abiatharem cum Ephodo pontificio, per quem Deum consuleret, petijt ab ipso: An authore Deo contra prædones istos proficiscendum sit, & quo euentu. Et ad vtrumque respondit Dominus, *Persequere*, inquit, *absque dubio enim comprehendes eos, & exentes prædam.* Apparet etiam petijsse quinam essent hi prædones, vt inde intelligerent, quò iter ipsis flectendum esset. Abijt ergo Dauid cum sua sexcentorum virorum manu, simulque progrediuntur vsque ad torrentem Besor, qui erat sub fines tribus Simeonis paulò vltra Gazam, ibi quidam lassi substiterunt. At Dauid toto è numero quadringentos magis expeditos atque alacres elegit, cæteris ad torrentem cum sarcinis derelictis, ad quos si res posceret, possent se tanquam ad castra recipere. Torrente transmisso dum latronum semitas inuestigant, incidunt in virum Ægyptium fame semianimem, quem cibo refectum acceperunt itineris ducem, ea tamen conditione, vt eum viuum postea, liberumque dimitterent. A Dauide enim timebat; quod se vnum de prædonibus fuisse fatebatur, & ab hero, quod hosti dux fuisset in perniciem Domini sui.

XXXIV. Dauid cõsulto Domino latrones persequitur. 1. Reg. 30. 8.

Nihil cunctatus Dauid iurauit Ægyptio, qui eos deduxit quò promiserat; Erat autem is locus amœnus, extra viam publicam, quem apparet indicatum Ægyptio ab hero suo, vt si reualuisset eo se conferret. Ibi discumbebant illi super faciem terræ ad cœnandum, festumque diem celebrandum, gratias agentes Dijs suis: itaque & in Hebræo tripudiasse leguntur. Irruit autem in eos Dauid cum cohorte sua, *& percussit eos à vespera vsq; ad vesperam alterius diei*, qui fuit sextus belli dies. Nec dicitur pugnasse Dauid, totus labor fuit vino madidos, cibo distentos, tripudio fatigatos, huc illucque palantes obtruncare, intercipere fugientes. *Et non euasit ex eis quisquam, nisi quadringenti viri adolescentes, qui ab ipso cædis initio ascenderant camelos, & fugerant.* Et hæc de quinto belli die.

XXXV. Et duce Ægyptio cõprehendit, & cædit

SEXTVS BELLI DIES.

Dies cædium & sanguinis fuit iste dies, tam Amalecitis in deserto Pharan, quam Israe-

XXXVI. Hoc quo-

litis in montibus Gelboe. Illi fugitantes, quo quemque tulerat impetus, oppressi, atq; obtruncati sunt, vsque ad vesperam, loci commoditate fauente Dauidi nec eundere possent, occupato mox loco, per quem illi qua fringenti euaserant. Qui modus loquendi Scripturæ significat infinitam pene multitudinem ferro Israelitarum absumptam, incolumi ad vnum tota Dauidis cohorte, & integra tota hostium præda, ijs tantum exceptis, quæ fuerant epulis absumpta. Vt illi mutuo accepisse potius, & conseruasse, quam rapuisse videri possent. Terminata vespere cæde, medios inter cadauerum aceruos victores steterc, & cibo refectis artubus queuere, receptis iam tum ab vnoquoque vxoribus liberisque.

Dum hæc in solitudine à Dauidicis contra Amalecitas geruntur, Philisthæi in valle Iezrael, & in montibus Gelboe feliciter contra Israelitas pugnarunt: quam pugnam tanta brevitate Scriptura tradit, vt nec initium pugnæ, neque ordinem eius agnoscere liceat. Pugnasse dicuntur Philisthæi contra Israel, non vice versa, quasi vltro inuadentes hostiles copias, dum hi satis haberent sustinere impetum irruentium. Et apparet non sustinuisse diu, statim enim sequitur. *Et fugerunt viri Israel ante faciem Philisthijm, & ceciderunt interfecti in monte Gelboe*, tam ante fugam, quam in ipsa fuga; quæ de gregarijs militibus intelligi possunt: sed mox ad triarios, & prætorianos ventum est, in quibus apparet fuisse Saulis filios, & cum illis fortiter pugnando cecidisse ante ora parentis. Quid verbis illis significatur. Inuerunt Philisthijm in Saul & in filios eius, & percusserunt Ionathan & Abinadab, & Melchisua filios Saul: quos Saul non subduxerat à prælio, licet sciret in eo perituros, ne quoniam perituri erant, indecora morte perirent. Et quoniam ob parentis peccata moriebantur, in eius oculis cæsi sunt ad maius doloris, & desperationis eius incrementum. Sed iam ad luctuosam miserrimi Saulis mortem veniamus.

XXXVII. Et Israelitæ a Philisthæis. & nominatim filij Regis.

Extinctis cum prætoriana cohorte, & omnibus amicis Saulis atque domesticis, tribus regis filijs, *totum prælij pondus versum est in Saulem*, quod eo viuo ac libero non videbatur perfecta victoria Philisthæis contigisse. Itaque audacissimi eorum ac pugnacissimi adeum, vel in potestatem redigendum, vel interficiendum concurrunt. Saul autem qui hunc globum pene iam solus sustinere non poterat, se dat in fugam, quamuis nullum haberet receptaculum in castris, quæ hostis iam occupauerat; sed fugientem consecuti sunt viri sagittarij, & vulneratus est vehementer à viris sagittarijs, & quidem, vt ait Theodotio, in parte quæ est prope iecur; nec vno tantum vulnere affectus est, sed pluribus; Nam à Scriptura dicitur iaculis vulneratus, & à Iosepho grauatus vulneribus: quando facinus postremum dementiæ ac crudelitatis plenissimum suscepit, Videns enim actum esse de se, de filijs, de regno, in summam rerum omnium desperationem adductus, honori tamen suo consultum voluit, ne hostes ad mortis suæ calamitatem, etiam ignominiam, ac dedecora illusionum adiungerent.

XXXVIII. Philisth. Saulē inuadunt, & fugientem vulnerant. 2a. 31. 3.

1. Par. 10. 3

Itaque ad armigerum suum conuersus, *Euagina*, inquit, *gladium tuum, & percute me: ne forte*

XXXIX. Ad propriam

veni-

cædē deposcit armigeri sui manū.

ventant mi circunsi isti, & interficiant me illudentes mihi. Ne illusum interficiant. Non mirum est armigerum istum gladium habuisse in vagina reconditum : erat enim hæc fuga non pugna, nec gladijs cominus pugnabatur, sed eminus sagittis. Hunc armigerum plerique Hebræos secuti, Doegum fuisse non absurde censuerunt; Erat enim vnus de primarijs Saulis seruis. Nec dubitabat Saule mortuo se Dauidi meritas pœnas de delatione sua, & Sacerdotum iniustissima cæde, deque vastata ciuitate Nobe, quamprimum daturum. Sed eas pœnas miser non effugit, sed in multo grauiores commutauit. Laudandus tamen est hic armiger eo nomine, quòd etiam in re desperata, & rogante rege, & mortem beneficij loco accipiente, regi suo manus inferre noluit, præ summa in regiam personam reuerentia. Cum ergo armiger tantum facinus auersaretur, nec temporis angustiæ Sauli permitterent alium quærere carnificem, *arripuit* ipsemet *gladium & irruit super eum*, eoque vulnere perfossus interijt, vt adiutore Amalecita non fuerit opus, vt communiter omnes sentiunt, licet ille Amalecita id apud Dauidem affirmarit.

An is fuerit Doeg.

Saul seipse cōfodit

1.Reg.c.1

XL. Quemarmiger imitatur.

Quod cum vidisset armiger eius, videlicet quod mortuus esset Saul, irruit etiam ipse super gladium suum, & mortuus est cum eo. Quibus verbis Scriptura significat quid fecerit Saul, quem in cæde sibi inferenda imitatus est armiger. Itaque similis illi & genere mortis fuit, & causa moriendi, iactura videlicet præsentium, & desperatio futurorum. Cum ergo constet Saulem propriæ fuisse mortis autorem, & administrum, nulla autoritate, nullo iure, nulla inspiratione diuina, minime dubium est eum in seipso interficiendo grauissime deliquisse, & quidem grauius, quam quouis alio mortalium occidendo : maiorem quippe erga se charitatem quisque habere, atque exercere debet, quam erga quemuis alium. Constat quoque desperationem de diuina bonitate, aut salute propria scelus esse maximum, & si vltimum fuerit, ad æternam miseriam aditum esse certissimum. At Scriptura prioris vitæ criminibus addit, quod non sperarit in Domino, propter quod eum interfecerit, & regnum transtulerit in Dauidem. Sed hæc vberius in Annalibus ipsis in vtramque partem disputata reperiet Lector eruditus, si cui hæc contractiora videbuntur.

Saulis desperata salus.

XLI. Non sic Ionathæ.

Quod ad Saulis filios attinet, qui eodem in prælio hostili ferro ceciderunt, præsertim Ionathan (nam de cæteris nihil certi alterutram in partem dici potest) longe diuersa fuit Saulis & Ionathæ vitæ & mortis ratio. Vita quippe sine crimine transacta est, & mors in defendenda contra hostem teterrimum patria fortiter obita est. Itaque Venerabilis Beda, *Nequaquam*, inquit, *ibi Saul malus post mortem, vbi Ionathas bonus potuit recipi, immo chaos magnum inter eos firmatum est, quorum vnus in sinu est Abrahæ, cum Samuele receptus, alter cum diabolo in inferni flamma sepultus* : ita Beda. Rabanus quoque ait Ionatham, *absque vlla dubitatione regni cœlestis consortium cum Dauide accepisse, quem pro virtutibus diligebat, cum esset & ipse vir virtutum.* Idemque sentiunt Lyranus & Abulensis.

SEPTIMVS BELLI DIES.

Is vbi primum illuxit, ad spolia prædamq; cōuersi sunt Dauid. & quadringenti socij eius. & non solum amissa recuperarunt, exceptis tamen ijs, quæ vel incendio deflagrarant, vel in cibum potumq; cesserant, sed omnia etiam, quæ illi varijs in locis rapuerant, acquisiuerunt, licq; vehementer locupletati sunt. Nominatim autem fit gregum mentio, & armentorum, quæ milites ducebant ante faciem, suam dicentes, *hæc est præda Dauid.* Sic illi Dauidi gratulabantur, quem nudius tertius rantum non lapidibus appetierant. Ita vulgus hominum pro diuersis rerum successibus commutatur, in prosperis effusi sunt in laudem ac beneuolentiam : in aduersis manus armant lapidibus, ora maledictis Quod autem ad prædam acquisitam attinet, dicimus cum Abulensi cessasse obligationem restituendi prioribus dominis, quæ Amalecitæ rapuerant, quia enim prouocati fuerant ab Hebræis, iure humano recte irruerunt in eos, & facti sunt legitimi domini prædarum. Dauid autem iure diuino inuadens in eos, vitam ipsis eripere potuit & fortunas, & iustum earum acquirere dominium, eaque deinde pro arbitrio distribuere amicis suis. Sed hæc distinctius habent Annales atque elegantius.

XLII. Prædarū diuisio de Amalecitis.

An recte acquirat.

Ventum est ad eos, qui substiterant ad sarcinas, iuxta torrentem Besor, quibus primum redditæ sunt vxores liberique. Cumque præ se ferret Dauid velle se prædam cum illis ex æquo diuidere, erupit querela quorundam id ægre ferentium, quod non videretur æquum eos qui a pugna abfuerant, participes esse prædarum. At mitissimus Dauid, *Non sic facietis*, inquit, *fratres mei, de his quæ tradidit nobis Dominus, & custodiuit nos, & dedit latrunculos, qui ceperant aduersum nos in manus nostras.* Quasi dicat, Cum Dominus tam liberalis in nos fuerit, non est æquum, aduersus commilitiones nostros, nos esse tenaces, & nihil male commeritos, nostra à nobis illiberalitate distrahere. *Non audiet vos quisquam super sermone hoc. Æqua enim pars erit descendentis ad prælium, & remanentis ad sarcinas.* Recte omnino. Vtrique enim ad nutum Imperatoris sunt parati, sicut & qui pugnant, ad eius imperium, primo aut secundo, aut postremo loco pugnant. Cum ergo in hac expeditione Dauidis, aliqui necessario custodiæ sarcinarum deputandi essent, & contigisset aliquos esse fatigatos, isti potius huic militari ministerio sunt adscripti : itaque ipsi quoque in bellatoribus censendi, ac munerandi fuerunt. Idque deinceps vim legis obtinuit.

XLIII. Diuiditur rēijs qui ad sarcinas substiterant, & iure.

Hoc ipso die belli septimo dum Dauidici spoliant Amalecitas, Philisthæi vicissim spolia detrahunt Israelitis. Cum enim ad vesperam vsque vel pugnatum esset, vel persequendis fugientibus laboratum, nec vltra quisquam hostium vel in viuis, vel in armis appareret, ad curanda corpora sua Philisthæi conuerti sunt. *Factū autem die altera venerunt Philisthiim, vt spoliarent interfectos, & inuenerunt Saul, & tres filios eius iacentes in monte Gelboe.* Non fuit difficile viros principes vel ex armorum & vestium specie, vel ex frequenti aspectu cognoscere. Mirum est potius ex tot militibus, qui

XLIV. Philisth. spoliāt Israelitas, & Saul fit eorum ludibrium.

1.Reg.31.8

solent

solent in prælijs circumsistere principes, non extitisse vnum aliquem, qui Saulem & filios eius aut statim, aut saltem intempesta nocte Philisthæorum furori, & irrisionibus eriperet, cum tamen Rex infelix hostilia probra, & dedecora deuitans, suum ipse vltro acceleraſſet interitum. Cernitur vtique hac in re diuinum iudicium, vt is peculiari ignominia puniatur, qui ignominiæ vitandæ causa peccauerat. Inuento enim Saulis cadauere, *præciderunt Philisthæi caput eius, & spoliauerunt armis, & miserunt in terram Philisthinorum per circuitum, vt annunciaretur in templo idolorum, & in populis.*

Hoc eodem die cum late vulgaretur accepta clades, *videntes viri Israel qui erant trans vallem & trans Iordanem, quod fugissent viri Israelitæ, è prælio scilicet fusi fugatique, & quod mortuus esset Saul & filij eius, reliquerunt ciuitates suas, & fugerunt, venerunt que* postea, *Philisthiim & habitauerunt ibi.* Quomodo non fugerunt potius, qui intra vallem erant, in qua commissum est prælium, quam qui ab ea longius aberant, imo & trans Iordanem erant? Dicendum hic *trans* pro transitu poni, vt ex Hebræo textu, Græcoque liquet. Hi autem viri erant Issacharitæ, quorum in sorte erat tota ea vallis, quæ vsque ad Iordanem porrigebatur: qui cum prælio propiores essent, primi ruinæ sonitum audierunt, primique fugerunt, & huc illucque dispersi sunt. Deinde qui erant prope Iordanem, & quasi in transitu eius, fugerunt & ipsi, nominatimque ciues oppidi Bethsan, quæ dimidio milliario aberat à Iordane, eamque vacuam occupauerunt Philisthæi, & corpora Saulis, & filiorum eius è muro ipsius suspenderunt. In fugitiuis autē istis fuit ille nuncius, qui Dauidi cladem in Siceleg die tertio nunciauit, quem Hebræi filium Doëgi putant.

XLV. Israelitæ diffugiunt, & qui maxime. 1.Reg.31.7.

Octavvs belli dies.

Hic est secundus dies nuncij Amalecitæ pergentis ad Dauidem. Secundus item Dauidicæ reuersionis à recepta præda, ad quem diem pertinere arbitror Dauidicæ prædæ distributionem. In quo etiam, sicut aliquot sequentibus, apparet caput Saulis, per Philisthæorum vrbes fuisse circumlatum, corpus autem eius, & filiorum à Iabesitis sublatum. Ingentem porro fuisse hanc Amalecitanam prædam ex eo æstimari potest, quod non solum oppidum Siceleg, prædis Dauidicis refertum vastauerant, secumque abstulerant, sed multa quoque loca illi vicina, quæ ad tribum Simeonis pertinebant, populati erant, aliaque loca in montanis Iudæ, quæ ad Calebi posteros pertinebant. Multa denique oppida Philisthinorum, qui in bellum contra Saulem profecti fuerant, eandem fere vastitatem ab Amalecitis acceperant. Denique prædæ magnitudo ex eo vrbium catalogo colligi potest, quem Scriptura subijcit, ad quas sua prædæ portio missa est, quas singulas non oportebat indignas esse quæ mitterentur. Quanquam recte dici potest non solius Dauidis fuisse hæc munera, sed sociorum etiam eius. Sed magna pars ad Imperatorem & iure ipso pertinuit, & amicorum liberalitate delata est.

XLVI. Summa rerū huius diei.

Ingens ex Amalecitis præda.

Sed dubium est quibus fuerint missa munera. Illa enim verba. *Misit dona de præda senioribus Iudæ proximis suis*, significant solis Iudæis Dauidis cōtribuendos fuisse missa. Illa quoque loca in quibus latuerat Dauid cum suis, erant in tribu Iuda, ad quorum habitatores munera missa dicuntur. Nihilominus non omnia vel loca, vel oppida quæ numerantur in textu ad tribum Iudæ pertinuerunt, nec omnes locij Dauidis Iudæi erant. Itaque dicendum videtur, longe maximam partem ad tribum Iuda missam esse, aliquam etiam partem ad cætera loca, quæ in eodem catalogo descripta sunt. Primaria porrò causa mittendi fuit, ne ingratus esset Dauid contribulibus suis, à quibus annis aliquot subsidia acceperat, cum in desertis locis versaretur cum sexcentis viris, quos tam præda, quam amicorum liberalitas sustentabat. Conciliabant quoque hæc munera animos hominum, vt facilius via, ad diuinum de Dauidis regno decretum exequendum sterneretur. Denique voluit amicos hac liberalitate exhilarare, & confirmare in posterum, si res ferret, bene faciendi voluntatem. Pendebat enim animo super exitu belli præsentis, veritus ne si victor euaderet Saul Philisthæos adigeret ad sibi reddendum Dauidem, sin vinceretur, ne Philisthæi victores, qui ipsum è suis cultris eiecerant, cum tota sua regione exterminarent.

& quibus de causis.

Supereſt hoc die egregium Iabesitarum facinus aduersus Saulem & filios eius. Cum enim aliqui Israelitæ qui fuerant tardiores ad fugam animaduertissent Philisthæos, qui Bethsan habitatoribus deserram occuparant, ex eius muro corpora Saulis & filiorum eius suspendisse, ingenti dolore tam insoleatis spectaculi affecti, abierunt & ipsi trans Iordanem, & Iabesitas tota de re certiores fecerunt. Atuli ad testandam suam in Saulem beneuolentiam, & accepti beneficij memoriam, quando Naas rex Ammonitarum eis dextros oculos eruere statuerat, & a Saule magnifice liberati fuerant, statuunt abeundum in Bethsan primo quoq; tempore, tollenda de muro corpora, auferenda trans Iordanem, & honorifice apud se tumulanda. Obtulerunt se plerique, *omnes viri fortissimi*, qui hoc ipso die pomeridianis horis de Iabes profecti, sub noctem traiecto Iordane, nocte Bethsan peruenerunt, vt quod erat in primis periculosum, nocte conficerent. *Et tulerunt cadauer Saul, & cadauera filiorum eius de muro Bethsan*, & traiecto rursum Iordane cum defunctorum corporibus, *venerunt Iabes Galaad, & combusserunt ea ibi.* Id nono die belli factum est, ad quem tranſeo.

XLVIII. Iabesitæ rapiunt Saulis & filiorum cadauera.

Nonvs Belli Dies.

Hic est dies funeris & exequiarum Saulis, & filiorum eius, cum quartum iam diem sepultura carerent. Quo ipso die innotuit Dauidi clades, etsi autem aditus ad regnum illi patefactus est morte Saulis, & filiorum eius, eos tamen in Siceleg vehementer planxit, vt mox dicetur. Redierunt ergo Iabesitæ cum defunctorum corporibus in ciuitatem suam Iabes Galaad, & cōbusserunt ea ibi: non quidem vsque ad cineres, sed carnibus igne consumptis, *tulerunt ossa eorum, & sepelierunt in nemore Iabes subter quercum*, vt est in 1. Paralip. *& ieiunauerunt dies septē.* Nihil hic Scriptura de occursu ciuium, nihil de luctu, nihil de funebri pompa dixit, memorato duntaxat septem dierum ieiunio, quod pene clanculum celebratum sit hoc funus, Philisthæorum metu,

XLIX. Eaque sepeliunt apud se.

c.10.v.12.

XLVII. Quibus missa a Dauide munera.

Philistæi domum repetunt

diuinorum donorum inter vtrumq; similitudo copulatat formæ inquam ac fortitudinis, mansuetudinis,& obedientiæ,fidei in amicitia,ac demissionis animi, iustitiæ ac beneuolentiæ singularis, quæ studiosus Lector in Annalibus diligenter explicata reperiet.

n.185. ad 190.

LVI. Eius filius claudus ex casu. 2.*Reg.*4.4

Hoc ipso tempore,quo Saulis familia summa calamitate afflicta in monte Gelboë,ac prostrata est,non leue etiam domi malorum incrementum accepit. Ionathę siquidem filius ætate quinquennis,nomine Miphiboseth, per nutricis imprudentem festinationem, debilis podibus effectus est. Cum enim trepidus nuncius cladem in Gabaa vulgasset,verita mulier ne vtentes victoria Philisthæi in Gabaa properarent,totam Saulis posteritatem deleturi, commissum sibi puerulum, neci vt putabat ereptura, in rurum aliquem locum transferre properat : sed dum incautius cum puero festinat,cum eo corruit;quo ex casu luxatis, aut conquassatis cruribus, claudus in reliquam vitam effectus est.

DECIMVS HEBRAEI DIES, *reliquusque annus.*

Lamentationis officio perfunctus Dauid, interim dum ieiunatur vsque ad vesperam, præsens enim populi rectore carentis status omnem respuebat moram,Dominum consulit,an de Siceleg ad aliquam de ciuitatibus Iuda deberet ascendere;ad ineundam scilicet adeundi regni viam,ope tribus Iudæ, quam sibi amicam atque obsequentem fore non sine causa sperabat;cum & ipse ad eam pertineret,& plurimos eadem ex tribu secum haberet socios sibi addictissimos, quorum opera cæteros conciliaret sibi. Consuluit autem per Abiatharem pontificem, quem secum quintum iam annũ habebat cum Ephod pontificio. Responsum autem accepit,vt in Hebron ascenderet, ciuitatem illustrem ac munitam,& tum metropolim tribus Iudæ, multorum Patriarcharum habitatione & sepultura celebrem. Ascenderet autem, vt ibi regni sedem constitueret, dum Iebusæi penitus Hierosolymis exterminarentur. Ascendit ergo cum socijs, singuli cum familijs suis, & manserunt in oppidis Hebron, quæ scilicet ex ea ranqeam metropoli pendebant,ac regebantur. Neque tamen ita deseruit Siceleg,vt Achis liberalitatem repudiarit,eique id hospitium renunciarit,cum constet id oppidum deinceps ad regnum Iuda pertinuisse:sed credibile est Dauidem emigrantem aliquod in ea præsidium reliquisse.

LVII. Dauid Dominũ consulit, & iubetur ascendere in Hebron.

& retinet Siceleg sibi.

LVIII. Apparatus ad regnum Dauidis in Iuda.

Cum primum substitit Hebrone Dauid, *venerunt viri Iuda, & vnxerunt ibi Dauid, vt regnaret super domum Iuda.* Admodum breuis est,ac præcisa ista Scripturæ narratio. Consilia enim gerendæ rei tantæ, causas, occasioneſque prætermittit, & lectori ex probabilitate,considerato præsenti rerum statu, coniectandas relinquit. Apparet socios Dauidis plurimos ex tribu Iuda priuatim in suam sententiam de constituendo Dauide rege adduxisse, eosque mox conuenisse, & confertos Abiatharem adisse pontificem, ad diuinum oraculum consulendum. At ille nihil cunctatus. Nihil inquit,videtur opus esse consulto Domino. An nescitis constitutum à Deo Dauidem regem populi sui? Eundem à Samuele, viuo adhuc Saule, Dei iussu in medio fratrum suorum fuisse nanctum principem Israelitarum. Id ille idem Propheta, neque semel, neque obscure testificatus est. Hoc Saul ipse certissime sciebat,& in multorum millium corona Dauide ipso audiente professus est. Idem sciebat ac profitebatur Ionathas,& se Dauidi secundum in regno esse cupiebat, ac sperabat.

Neque verò timendum est ne qua familiæ Saulis iniuria fiat. Regnum accepit Saul electione diuina,accipiat & Dauid, quando eius tribui ante sexcentos annos à Iacobo patriarcha destinatum est regnum. Atque vtinam postrema hæc clades,multos nobis viros reliquisset,in quorum optione nutare posset electio. Nunc autem circunferte oculos in omnes tribus atque ciuitates, & videte num quem inuenire valeatis, qui Dauidi sapientia,& prudentia rerum gerendarum, qui communi omnium beneuolentia,qui rerum gestarum gloria,qui vitæ innocentia, qui felicitate bellorum,qui morum suauitate, qui nobilitate generis, cum Dauide certare possit. Quæ cum ille dixisset, incaluit videlicet Iudæorum animus, communisque insonuit clamor deposcentium Dauidem regem. Quod cum illi per Pontificem; cæterosque proceres innotuisset, Diuinę electioni sibi iamdudum per Samuelem, à quo primum fuerat inunctus, denunciatæ, & præsenti populi voluntati acquiescens, secundo inunctus est in regem à tribu Iuda, vtique eiusdem Pontificis ministerio, sperans reliquas tribus prærogatiuam Iudæ breui secuturas:& fecissent,nisi Abneris æmulatio, pro familia Saulis obstitisset,vt mox dicetur.

LIX. Annitente vt videtur Pontifice. *a.m.*2345

2.*Reg.*2.4

Acquiescit Dauid & inungitur regem.

His ita peractis, nunciatum est Dauidi egregium Iabesitarum officium in Saulem ac filios eius, quam ille occasionem prudenter arripuit ad legationem ad eos mittendam, vt eos sibi cõciliaret. Cum enim sciret imperium sibi in omnes tribus diuinitus destinatum, Iabesitas,qui trans Iordanem habitabant, erantque fortitudinis laude clari,sibi conciliare voluit, sperans eorum exemplum non parum ponderis habiturum, ad reliquorum animos erga se inflectendos,vt ita suauius diuinum decretum executioni mandaretur. Ideoque non solum eis bene precatur,dignosque indicat, quibus Dominus ipse benignè faciat,& se quoque memorem tam sancti erga defunctos officij fore pollicetur; sed addit quoque se electum, vnctumque in regem à tribu Iuda, omnium videlicet maxima, atque nobilissima,ne eos pigeat tale exemplum sequi.

LX. Gratulatur Iabesitis, & quare.

Et res erat in procliui, nisi qui viuo Saule princeps militiæ fuerat, fuisset impedimento. Nam Abner siue imperium sibi maluit quam Dauidi, & Isbosetho rege se regnaturum sperauit. Dauide autem rege se in ordinem redactum iri credidit,siue Dauidem odio habuit, ob acrem & publicam male custoditi regis reprehensionem, siue constanti in Saulem fide, & in eius familiã, ad quam ipse pertinebat,amore incitatus est, Isbosethum eius filium regem constituit, trans Iordanem,in regione Galaad, oppido Manahim,quod Latine redditur castra,loco ab hostibus remotiore ac tutiore; atque ita schismati in Hebræo populo initium dedit. Erant porro in Galaaditide Iabesitæ,nõ longe à ciuitate Manahim;quod videtur ab Abnere factum, timente ne hi ad Dauidem deficerent, à quo fere potuit

LXI. Rex alter ab Abnere creatur.

legatione tentatos, quòd in ijs aut retinendis, aut amittendis non leue duxit esse momentum ad summam rei. Circunduxit autem per alias quoque tribus, easque ad Isbosethum pellexit, adeo vt sola tribus Iuda sequeretur Dauidem.

2. Reg. 2. 10.

LXII. Isbosethi ætas, & regni duratio.

De Isbosetho porro Scriptura tradit eum fuisse quadragenarium cum regnare cœpit, nimirum natus est primo Samuelis Iudicis anno, & statim à patre mortuo factus est rex, sed illud mirum quod dicitur duobus annis regnasse. Videtur enim tamdiu regnasse super Israel, quàdiu Dauid in Hebron super Iuda: id est, septem annis cum dimidio. Nam ftaum eo mortuo venerunt Israelitæ ad Dauidem, eumque constituerunt regem super omnes tribus. Neque probabile est illud quinquennium, quo Hebræorum chronicum vacasse ait regnum Israelis. Nam id neque cum Scriptura, neque cum horum temporum, quo Philisthæi victores Hebræis imminebant, conditione, consentit. Adde quod initio capitis tertij longa dicitur facta cõcertatio inter domum Saul & domum Dauid, quod de biennio satis commode dici non videtur. Illi autem anni duo quibus regnasse dicitur, de tempore ante illam concertationem accipiendi sunt, vt Tostatus rectè interpretatur. Idque Scriptura innuit, quæ statim subdit concertationis initium: nec asserit eum duobus *tantum* annis regnasse, cum exclusione temporis longioris

quos ei partim numerosissima tribus Iuda suggerebat, partim aliæ tribus, quæ eum sibi ducem, etiam viuo Saule delegerant, & constanter ei adhæserant, certas in classes distribuendum putauit, siue vt confusio in multitudine vitaretur, siue vt pluribus præfectis honorandis locus esset; quoniam multi de tribu Beniamin, & Gad, & Manasse, & maxime de tribu Iuda ad Dauidem iam ante aliquot annos venerant, qui prius centenis milleniisque præfuerant, quos decuit à Dauide, vel grati animi nomine honorari.

1. Par. 12. 14. 20. 22.

III. Ratio relationis.

Factam autem sub hæc regni Dauidis initia distributionem militarem, tum ratio ipsa docet, vt ex dictis patet, tum Ataëlis fratris Ioabi præfectura. Præfuit enim quartæ turmæ, vt constat ex 1. Paral. At mortuus est tertio anno Dauidis regnantis in Hebron. Ergo ante annum tertium hæ præfecturæ fuerant constitutæ. Fuerunt autem numero duodecim, pro numero mensium vt certus numerus apud regem singulis mensibus in armis esset; nec graue cuiquam esset mense vno domo abesse, cui menses vndecim tractandis domesticis negotijs superessent. Itaque duodecim turmæ constitutæ sunt, à principio quidem minore numero singulæ, sed quæ quotidie crescebant, donec stabilitus est numerus singularum 24. millium, qui constanter perseuerauit. Singulorum præfectorum catalogum, & ordinem habes in 1. Paral. explicatum autem in Annalibus hoc anno. Vbi & Dauidis prouidentiam leges circa reditus regios, tam tributorum, quam prouentuum, quibus certos præfecerat quæstores, quæ diligentia hoc tempore inchoata, suam in dies capiebat absolutionem: quod de Dauidis quoque consiliarijs dici potest.

ca. 27. n. 7.

1. Par. 12. 22.

1. Par. 27. 25. & 5.

Dauidis quæstores.

c. 27. 32.

In ijs eminebat Ionathan patruus Dauidis, tum Iahiel doctor filiorum regis. Tertius numeratur Achitophel, qui postea defecit ad Absalonem. Quartus fuit Chusai, quem Scriptura vocat amicum regis, ob singularem in eum Dauidis beneuolentiam: & quem Septuag. ἑταῖρον vocant, galli dicent, *mignon ou fauori*. Quintus fuit Ioiada filius Banaiæ, viri in Scriptura fortitudinis laude clarissimi, qui & Dauidi fuit à secretis. Fuit autem Ioiada Achitopheli proximus opinione prudentiæ, sicut & Pontifex Abiathar, quo Dauid vtebatur ad consulendum Dominum, eratque in consiliarijs regis, merito dignitatis suæ, facile primus. Proximus autem à Dauide in re bellica fuit Ioab, eius ex Saruia sorore nepos, eiusdemque militiæ princeps. Exercuit porro Abiathar munera pontificia in Hebrone ciuitate, etsi Arca adhuc erat in Cariathiarim, interim dum Sadoc in Gabaone ad Tabernaculum, quasi vicarium Pontificis ageret.

IV. Dauidis cõsiliarij, aliique præfecti.

2. Reg. 23. 2. 3. 1. Par. 11. 25.

ANNVS MVNDI 2980.

DAVIDIS & ISBOSETHI 1.

ABIATHARIS 6.

DERCYLI 30. Imperij Assyr. 1049.

ANTE CHRISTVM 1073.

I. Duo reges apud Hebræos & vterq; legitimus.

CReatis iam ante sextum circiter mensem duobus summis vnius eiusdemque populi principibus, vterque rem suam, vt credere par est, non tueri solum, sed etiam amplificare conabatur; nec tamen alteruter iniustus regni possessor erat. Nam Dauid diuina primum electione, tum primariæ partis populi voluntate rex creatus erat, atque inunctus. Isbosethus autem, vt legitimus Saulis filius, ius ad regnum paternum successione primum, ex iure gentium obtinebat, deinde maximæ partis populi voluntate, eiusdem regni administrationem adierat; nec de diuina electione Dauidis, quæ clam facta fuerat, ei satis constabat, vt propterea ei regno cedere aliqua religione teneretur. Cum ergo principes ipsi bonæ fidei, ac legitimi regni possessores essent, tanto magis vtramque populi partem à peccato immunem fuisse putandum est.

II. Dauid ordinat militiam suam, & quamobrem.

Porro Dauid, qui apud magnam populi partem ignaram diuinæ electionis, minus iuris ad regnandum habere putabatur, tanquam rex in schismate aut seditione creatus, in magna certe perturbatione Reipub. propter acceptam à Philisthæis cladem, vt regnum suum stabiliret, & in omnem euentum haberet semper ad manum milites expeditos, ingentem militum numerum,

ANNVS MVNDI 2981.

DAVIDIS & ISBOSETHI 2.

ABIATHARIS Pont. 7.

DERCYLI 31. Imperij Assyr. 1050.

ANTE CHRISTVM 1072.

I. Hebræorũ quies.

FVit hic quoq; annus inter vtrumque Israelitarum regem quietus, quiescentibus etiam diuina prouidentia per quam opportune Philisthæis, & populo Hebræorum tempus colligendi se, ac resumendi ex clade & pauore animos imprudenter concedentibus; quos facilius erat, nunc in duo regna distractos opprimere, quam sub vnico principe, armis probe animisq; ũctos labefactare. Possumus autem ad hunc annum merito referre incrementa, & quasi interiora firmamenta Dauidicæ familiæ, quæ in multiplici eius prole consistit. Idque haud obscure Scriptura significat, cum ait in longa concertatione familiarum Dauidis & Saulis, Dauidem profecisse semper, & factum seipso robustiorem, domo Saulis quotidie decrescente: in cuius rei probationem recenset filios, quos Dauid in Hebrone suscepit, quibus ipsius familia roborabatur, simulque Dei in ipsum beneuolentia ostendebatur, cui in filiorum multitudine benedicebat.

Dauidicę familiæ incremẽta. 2. Reg. 3.1

Etsi autem quo quisque anno natus sit certo definire non possumus, sed tantum ex filios Dauidi Hebrone natos esse: non temere tamen existimari potest, duos filios de duabus vxoribus hoc circiter anno natos esse, Ammonem primogenitum de Achinoa Iezraelite susceptum, & Cheleabum, qui alibi dicitur Daniel, de Abigaile dudum Nabalis vxore. Suspicari autem licet vtramq; harum mulierum, & tarde parere cœpisse, & cito desijsse. Nam quintus hic annus est ex quo Dauid duxit Abigailem, Achinoam autem aliquanto ante duxerat, vt supra diximus: & tamen nunc primum peperere, neq; deinceps vllis earum liberi memorantur. Quæ causa fuerit Dauidi, vt tertiam duceret vxorem, nomine Maacha, matrem Absaloms, & Thamaris, filiam regis Gessur, qui dictus est Tholmai: qua affinitate voluit fortasse æmulo suo Isbosetho vicinum aduersarium suscitare, erat enim prouincia Gessur vicina Manahem, vbi regnabat Isboseth, aut certe sibi amicum in omnem euentum quærere. Quæ ratio suadet vt hoc anno, aut etiam præcedente, hasce nuptias coaluisse credamus, muliere in religionem Hebræorum transeunte: itaque de hoc coniugio cum alienigena nunquam reprehensus est Dauid.

II. Sex filij Dauidis, eorumq; matres. 2. Reg. 3. 2. 3. 4. 5. 1. Para. 3.1

Quartus Dauidis filius fuit Adonias filius Haggith ignotæ mulieris, sed Adonias vir non ignotæ ambitionis, vt ex initio tertij Regum cõstat. Quintus fuit Saphatia filius Abital; obscura mater, neq; notior filius. Quod ipsum de Iethraham, eiusq; matre Egla dici potest: quæ quia nominatim dicitur vxor Dauidis, Hebræi Rabbini eam asserunt fuisse Micholem, quæ prima omnium fuit, ac nobilissima: sed Micholis sterilitate refelluntur, quam aliquando peperisse nunquam satis probabunt, cum Scriptura id aperte neget. Ignobilis potius fuit mulier Egla hæc, neque alia re quam coniugio Dauidis illustris: quæ ne propter tenuitatem concubina putaretur, nominatim dicta est vxor. Nisi forte peculiariter à Dauide dilecta fuit, sicut à Iacobo Rachel, quam is peculiariter appellauit vxorem suam. Prætermissa porro est Michol in hoc catalogo, etsi primum merebatur locum, tam ordine temporis, quam dignitate, quia non fuit propositum hoc loco recensere Dauidis vxores, sed filios: obiter autem eorum matres adiunxit, ne eadem omnes matre geniti putarentur. Cæteram Dauidis familiam, ex alijs Scripturæ locis petitam, vide in Annalibus.

Michol an Egla sit

Gen. 44.27

III. Reliqui filij nati in Hebron. 3. Reg. 1.5. 1. Re. 6.23.

ANNVS MVNDI 2982.

DAVIDIS & ISBOSETHI 3.

ABIATHARIS 8.

DERCYLI 32. Imperij Assyrior. 1051.

ANTE CHRISTVM 1071.

DVo Regis in eodem populo non diu pacificè vixerunt, sed biennio duntaxat, qui sunt anni duo, quibus dicitur regnasse Isboseth, super Israel, prius scilicet quam bellum inter vtrumque excitaretur. Exacto igitur à Saulis morte biennio, Abneris opera inter Israelitas & Iudæos ciuile bellum exarsit. Abner enim qui tribus vndecim habebat in potestate, cum Isbosethus nominè tenus rex esset, aggressus est Dauidem bello petere exitu infelici: prælio duodecim militum, quasi totidem gladiatorum paria initium dederunt, cum casu contigisset vtrumque militiæ principem, cum valida militum manu, regni fines obire. Prior egressus est Abner cum suis de vrbe Manaim, Gabaonem versus, vrbem tribus Benjamin, sed Iudææ conterminam. Egressus quoque est Ioab cum Dauidicis de ciuitate Hebron, siue casu lustrans tribum Iuda, seu potius de industria. Cum enim accepisset Abnerem traiecisse Iordanem, venit ipsi obuiam, si forte Dauidis regnum attentaret. Occurrerunt autem sibi iuxta piscinam Gabaon.

I. Initiũ belli ciuilis. 2. Re. 2. 10

ciusque occasio.

Scriptura porro non obscurè significat nõ fuisse mentem Abneris bellum gerere contra Dauidem: quod non dubitabat irritum fore, vt qui sciret electum à Deo in regem populi totius, idq; audisset Saulem coram exercitu suo confitentẽ, & experientia didicisset singularem esse militum propensionem in Dauidem, quos cerneret vix ac ne vix quidem prudentia atque autoritate sua, aut fortunarum suarum periculo, aut necessariorum consuetudine retineri, quin ad partes Dauidis se conferrent. Nam cum ante mortem Saulis, tum maxime hoc biennio *per singulos dies*, vt Scriptura testatur, *veniebant ad Dauid ad auxiliandum eo, vsque dum fieret grandis numerus, quasi exercitus Dei.* Ergo pro sua prudentia sibi faciendum putauit, vt quod postmodum futurum

II. Abnèr dissimulãter optat pacem.

1. Par. 12. 22

erat necessitatis maturè occuparet, & gratiæ fieret ac benevolentiæ: ita tamen, vt in quærendo fœdere nullam necessitatem, aut timiditatem præ se ferret.

III. Idque declaratur, & probatur.

His coniecturis non leuem confert probabilitatem quod Abner prior ex vrbe Manaim egreditur, & venit versus Dauidicos, nec hostiliter irruit, nec Ioabum ferociter alloquitur, sed amice compellat prior, quasi captans amicitiam, sic vt ambo iuxta eandem piscinam considerent. Præterea Abnere inuitante incepratur certamen ludusque appellatur, quod non hostium inter se hoc certamen foret, sed commilitonum in eadem palæstra se rudibus exercentium. Maxime autem prodit prædictam Abneris voluntatem eius cum Azaele colloquium. *Recede*, inquit, *noli me sequi, ne compellar confodere te in terram, & leuare non potero faciem meam ad Ioab fratrem tuum.* Non potero videlicet amice colloqui cum eo, & pacis tractare negotium, propter animum eius, cæde tua exacerbatum. Postremo alienam à bello, & pacis amicam Abneris voluntatem, indicat illa vox eius ad Ioab, *vsquequo non dicis populo, vt omittat persequi fratres suos?* verum mors Azaelis ipsius consilia disturbauit.

IV. Abner Ioabū offert militarē. 2. Reg. 2. 14. 15.

Ergo cum vterque militiæ princeps vicini consedissent, Abner fiduciam ac fortitudinem militum suorum præ se ferens, *Surgant*, inquit, *pueri, & ludant coram nobis.* Gladiatorium intelligit ludum, sed apparet ipsum desiderasse, vt ludus si non sine sanguine, certe sine cæde finiretur. Acquieuit Ioab, & duodeni ad certamen descendunt, itaque ludunt, vt omnia duodecim paria mutuis confossa vulneribus interirent. Quo facto, ait Iosephus, exercitus etiam conflixerunt, & post acre certamen partes Abneris succubuerunt. Incaluerunt nimirum vtrimque militares animi, viso suorum sanguine, vt suorum mortem vtriq; si possent vlciscerentur, & incertam adhuc victoriam, dubiamque fortitudinis laudem suo exercitui promererentur. Fugatosq; est Abner cum suis: quem cum Asael feruentius persequeretur, monitus est ab Abnere, vt alium sibi quæreret aduersarium: quod cum ille contemneret, & gloriam sibi de capto militiæ principe ambiret, auersa ab eo hasta confossus interijt.

& Asaelē inuitus interficit.

V. Abner fugatus finem prælij petit.

Prostrato Asaele, Abner propere cum suis versus collem vnum progrediuntur, ibi locum ad resistendum capturi. Interim autem Iudæi accelerabant iter, instabantque vndique fugientibus. Qui autem transibant per locum illum, in quo iacebat Asael, subsistebant ingemiscentes super immatura morte summo loco nati adolescentis. Alia ex parte Ioab & Abisai fratres Asaelis, ignari cædis eius, persequebantur Abnerem, qui eminus viso Ioabo, *Num*, inquit, *vsq; ad internecionem tuum mucro desauiet?* Significans canendum esse receptui, & hostibus, qui sint reipsa fratres, dandam esse elabendi viam. Et hæc erat postulatio hominis victoriam cedentis aduersario: qua cessione contentus Ioab, *viuit Dominus*, inquit, *si locutus fuisses, mane recessisset populus persequens fratrem suum*: & qui hactenus multos persequendo fugientes prostrauit, à principio sine cæde & sanguine recessisset. Tam facilis Ioabi consensus in diremptionem prælij, non obscure docet Ioabum ignarum adhuc fuisse mortis fratris sui Asaelis; alioqui acrius etiam institisset, studio patrandi manibus fratris sui, ipsius sanguine percussoris.

& obtinet a Ioabo.

Insonuit ergo Ioab buccina, & stetit omnis exercitus, nec persecuti sunt vltra Israel, neque iniere certamen, contra globum illum, qui ad collem cum Abnere sese receperat: quod etiam referri potest ad reliquum tempus regni Isbosethi: neque enim vllum deinceps prælium eius legimus contra Dauidem. Nunc autem vtrique gladijs in vaginas reconditis, Israelitæ trans Iordanem, Iudæi Hebronem tota nocte profecti sunt. *Et defuerunt de pueris Dauid decem & nouem viri, excepto Azaele*, qui scilicet fuit vigesimus. Serui autem Dauid, *percusserunt de Beniamin, & de viris, qui erant cum Abner, trecentos sexaginta, qui & mortui sunt*, partim in ipso vestigio, partim postmodum ex vulneribus acceptis. *Tuleruntque Asael, & sepelierunt eum in sepulchro patris sui in Bethlehem.* Delatum videlicet fuit ea nocte cadauer in Bethlehem, deinde cum funebri pompa sepultum, Ioab interim vltionem de Abnere meditante. Est porro hic annus Sabbaticus ordine quinquagesimus septimus.

VI. Quiescunt à receptui.

Asaelis sepultura.

Annus Sabb. 57.

ANNVS MVNDI 2983.

DAVIDIS & ISBOSETHI 4.

ABIATHARIS 9.

DERCYLI 33. Imperij Assyr. 1052.

ANTE CHRISTVM 1070.

I. Mosaicus Iubil. 8.

SAbbaticum annum 57. excepit hoc anno Mosaicus Iubilæus ordine octauus, iuxta ea quæ statuta sunt Othonielis anno 33. quos à Dauide in tribu Iuda studiosè obseruatos, religio sit dubitare. In altero regno obseruatos fuisse, non habeo vnde ambigam, vel asseuerem.

II. Concertatio inter regias familias. 2. Reg. 2. 3. 1.

Pertinet autem ad hunc annum & sequentes aliquot longa illa concertatio inter vtramque familiam regiam, quæ initio capitis tertij memoratur. Exorta enim anno proxime præterito, ad illud tempus propagata est, quo occiso Abnere, quo vno Saulis familia nitebatur, & postmodum Isbosetho ipso, tribus omnes vnanimi consensu venerunt ad Dauidem, & eum vniuersi populi regem constituerunt, quod octauo Dauidis anno contigit. Concertatio itaque fuit, sæpiusque iterata certamina, vt seditio potius quam bellum, etsi bellum in Hebræo vocatur, dicenda videretur. Et irritatis semel vtrimque animis, crebris excursionibus & velitationibus certatum est, sæpe ventum ad manus. Sed ea prælia sigillatim explicare Scriptura noluit, illud contenta dicere, Dauidem profecisse, & semper seipso robustiorem factum esse, domum autem Saulis quotidie decreuisse. Significans in diuturna illa concertatione, & frequentibusque prælijs, Dauidicos plurimùm superiores euasisse.

Etsi

III. Quibus rebus Saulis familiã modo augeretur.

Etsi autem Dauidis familia regnumque roborabatur in dies, multis ad eum quotidie confluentibus, eiusque victorijs crebrescentibus, familiam tamen & regnum Isbosethi non leuia firmamenta fulciebant. Primum ius regiæ successionis, quod pro Isbosetho pugnabat. Secundo populi in Saulem & Ionatham beneuolentia, pro innato populorum in legitimos principes amore ac veneratione, quod q; priuatim ipsi multum essent amabiles, vt Dauid in funebri eorum carmine fatebatur; præsertim egregia in hostes fortitudine, & in suos beneficentia. Hinc illa, *Quomodo ceciderunt fortes in prælio &c.* & *filia Israel super Saul flete, qui vestiebat vos coccino in deliciis, qui præbebat ornamenta aurea cultui vestro.* Tertio zelus aliatum vndecim tribuum aduersus Iudam. Nam vnam tribum ad vndecim transire æquius videbatur, quam vice versa. Quarto tribus ipsa Benjamitica, quæ iam erat in possessione regiæ dignitatis, & viris fortissimis abundabat, itaque omnium vltima sese ad Dauidem aggregauit; pro innata scilicet inter vicinos æmulatione. Hæc ergo longam inter regias familias concertationem fouebant.

ANNVS MVNDI 2985.

DAVIDIS & ISBOSETHI 6.

ABIATHARIS 11.

DERCYLI 35. Imperij Assyr. 1054.

ANTE CHRISTVM 1068.

I. Res anni huius.

SExtum iam annum regnabant in Chananitide reges duo, cum Abner princeps militiæ Isbosethi, diu cunctatus, tandem fœdus iniit cum Dauide. Sed priusquam res plane confecta esset, Ioabi insidijs interceptus interijt. Eam mortem Dauid indignissime tulit, & homicidam execratus, defuncti funus multo honore luctuque, cum populi totius approbatione, prosecutus est. Nã Isbosethi mortem ad sequentem annum pertinere arbitramur. Sed singula cum diligenti breuitate inspiciamus.

II. Occasio sublati schismatis.

In ea concertatione quam superiore anno descripsimus, exorta est ingentis, siue occasio siue causa, dissidij, ex quo Israel vniuersus. Abneris opera sese dediturus erat Dauidi, eumq; pro rege, abdicato Isbosetho, agnoturus, nisi cædes illius importunissimo tempore, & Dauidis negotijs incommodissimo contigisset. Occasio tollendi schismatis hæc fuit. Fuerat iam dudum Sauli concubina, siue eam libet interpretari vxorem secundariam, siue pellicem, quam cum Abner pro potestate sua, quasi solutus legibus sibi accepisset, eaq; abusus esset, Isboseth, rem minime ferendam ratus, & vultu & oratione seueriore Abnerem obiurgauit. Siue enim eam habere voluit vxorem, vt inde ius quoddam ad regnum acquireret, vt postea Adonias ambiendo Sunamitidem Abisag: siue eam propter pulchritudinem voluit habere pellicem, vtrumque merito Isbosetho displicuit: alterum enim ad regis amissionem, alterum ad graue ipsius dedecus vergebat.

Abner ab Isbosetho reprehensus.

Abner autem iræ impotens, neque regiam reuerentus maiestatem, neque culpam suam agnoscens, asperioribus etiam verbis regem increpare ausus est, audacem quippe nimia in regno potestas reddebat, quod eius vnius præsidio niteretur. *Numquid*, inquit, *caput canis ego sum aduersus Iudam hodie?* id est: Num ego tes nihili sum in hoc regno tuo, quod ego totum contra Dauidem sustento humeris meis, & potui in illum transferre, nisi misertus essem tui? Et tu ne hanc quidem gratiam mihi reddidisti, leuem vt culpam tacitus condonares. Hæc fuit quasi acceptæ iniuriæ exprobratio, & ingratitudinis aduersus regem perquam iniusta accusatio, siue quia arrogans atque inuerecunda aduersus Christum Domini: siue quia benefactorum suorum improbum exigebat præmium, peccandi impunitatem. Nec tamen his contentus, minas ingerit iureiurando firmatas, de regno eius in Dauidem transferendo.

III. Graviter increpitat, ac regni defectionem minatur.

Ad hæc Isbosethus nihil ausus est respondere præ metu, intelligens se imprudentia lapsum, qui intempestiuè hominem reprehenderit, nec cogitarit quantum spei esset ad perficiendum quod inceperat: nec viderit minora mala, quæ emendari sine maiori damno non possunt, esse toleranda. Porro Abner minas statim in rem conferre cœpit. Nam certus populum, militiamque ratum habituram quod ipse vellet, quamprimum nuncios misit ad Dauidem, qui ei nomine suo regnum Isbosethi offerrent, profitentes terram promissionis vniuersam ad ipsam pertinere, eius liberalitate, cuius est terra & plenitudo eius. Deinde vt amicitiæ fœdus Dauidem inter & Abnerem postularent: nonnullæ enim inter eos, vt diximus intercesserant simultates. Apparet etiam eos quæ sunt isti amicitiæ consentanea postulasse, puta primaria quædam in regno, quod in eum transferebat, officia, vel dignitates.

IV. Eamque molitur per nuncios ad Dauidē.

Dauid autem lætus conditionem accepit: nec peccati Abneris, qui populum à rege suo vindictæ cupiditate auertebat, particeps fuit. Suo enim iure vsus est, qui sciebat se diuinitus electum ad hoc regnum, quod propterea potuit sibi, sine Isbosethi, aut cuiuspiam iniuria vindicare: neque Abnerem ad peccandum induxit, sed mala eius voluntate bene vsus est, ad obtinendam rem suam. Cæterum cum dilectam haberet, & bene de se meritam coniugem, quæ tum erat in alterius viri potestate, & quam hactenus recuperare non potuerat, in fœderis conditione potuit, vt sibi Michol redderetur. Repetebat autem eam, non solùm ob mutuum inter eos amorem, sed ne illam diutius in adulterino coniugio, cum proprio dedecore, & Dei iniuria, viuere pateretur. Misit autem ea de re nuncios, non ad Abnerem, etsi is eam poterat Dauidi reddere, & rege & Phaltiele inuitis, sed ad regem, vt id honoris & regi & Micholis fratri deferret; vel vt ne offensiones inter Isbosethum & Abnerem multiplicarentur, si hic de regis sorore pro arbitrio, sine regis consensu, disponeret, & consilia inter Dauidem & Abnerem citius innotescerent, quam oporteret.

V. Dauid conditionem accepit.

Sed Michole repetit, à rege.

Hoc accepto nuncio Isbosethus, non tam æquitate postulationis commotus, quam veritus ne hanc causam Dauid acciperet, vt eam &

VI. Rex postulationi acquiescit.

armata manu repetendi, hoc præsertim tempore, quo sentiebat Abnerem, columen & protectorem regni sui sibi infensum: à quo etiam suspicari poterat hanc contra se instrui, pararique occasionem, ad se de solio regio deturbandum, nihil negare ausus est, aut contradicere; sed misso quamprimum nuncio ad Phaltielem, qui Micholi pro viro erat, qui sororem suo nomine reposceret, iussit eam restitui, & Dauidi legitimo marito reddi. Quam ille reddidit inuitus, cuius rei clarum indicium est, quod eam abeuntem *sequebatur plorans.* Sed hic ploratus aliquanto post contigit. Interim enim dum Michol discessum parat, & perpetuum à Phaltiele diuortium, is quantum potest cunctatur in dimissione dilectissimæ coniugis. Is tamen coniugis, Abner qui mox eam deducturus erat ad Dauidem, susceptum negotium maturat.

2. Reg. 3. 16. Michol discessū parat.

VII. Abner maiorib. natu persuadet defectionē ad Dauidem.

Congregat enim seniores Israel sub specie cuiuspiam negotij militaris, quod hoc belli tempore satis magnam habebat probabilitatem, ad eosque orationem habuit, cuius hæc fuit sententia. Ipsos dudum desiderasse habere Dauidem regem, vt vnus esset vnius populi princeps, vnius politici corporis vnum caput; & quidem huiusmodi caput, quod Deo acceptum esset, & idoneum ad populum Dei de Philisthæorum manu liberandum. Huiusmodi esse Dauidem, de quo editum sit oraculum, quod eam libertatem polliceretur. Ne videretur proditor, ait Caiet. vindictam in Isbosethum exercet, specie exequendi diuinam voluntatem. Quid responsi acceperit ab Israelitis hoc loco non dicitur; rem tamen toti populo placuisse, ea mox verba demonstrant; *Et abijt vt loqueretur ad Dauid in Hebron, omnia quæ placuerant Israeli, & vniuerso Beniamin.* Seorsim ponuntur Benjamitæ, quia cum ijs seorsim, & post habitum aliorum consensum actum est, quod hi peculiariter in Saulis familiam affecti essent, quæ regiam dignitatem in suam tribum intulisset, & eam præ cæteris primarijs dignitatibus honoraret. Ipsi tamen Benjamitæ, viso decem tribuum consensu, manus dederunt, qui primùm rogati, Dauidem fortasse repudiassent.

Etiã Benjamitis. v. 19.

VIII. Et cũ Michole Dauidẽ adit.

Abner itaque cum maiorum natu, & eorum qui autoritate in omnibus tribubus eminebant, consentum in regnum Dauidis, & abdicationem Isbosethi obtinuisset, & Michol ad profectionem parata esset, assumptis viginti viris sibi familiarissimis, quos Abneris contribules fuisse, & de tribu Benjamin significat Iosephus, venit ad Dauidem in Hebron. Porro iter susceptum fuisse specie Micholis ad Dauidem deducendæ perquam probabile videtur. Etsi enim Abner, vt diximus, nihil Isbosethum formidabat, anceps tamen est natura sua huiusmodi negotium, nec sine aliquo integumento fieri amat. Quamuis enim iam populi consensum haberet, sciebat tamen vir prudens leui momento populi voluntates in alteram partem reflecti posse. Ergo specie deducendæ mulieris, se in viam dedit, cui se comitem adiunxit Phaltiel vsque ad oppidum Baburim in tribu Benjamin, vbi ab Abnere regredi iussus, domum reuersus est. Ipse autem nouus paranymphus, vxorem marito deduxit, atque restituit.

l. 7. Ant. c. 1.

IX. Venientem Abnerem Dauid cum magna beneuolentiæ significatione accepit, quod & dilectam sibi vxorem longo ex interuallo restitueret, & vndecim tribuum pacificam subiectionem sua opera impetratam deferret. *Et fecit Dauid Abner, & viris qui erant cum eo,* & videlicet nouæ etiam coniugi *conuiuium.* Quo tempore cum Abner ea cumulate præstitisset, quæ Dauid adiungendam cum eo amicitiam postularat, ratio postulat vt cum eo intimæ amicitiæ fœdus inierit, eique primarium in regno suo locum promiserit, fortassis etiam militiæ principatum: ne vir tam bene de Dauide meritus, deteriore foret apud eum conditione, quam apud Saulem: tantò præsertim & ætate, & meritis, & rerum gerendarum prudentia, Ioabo melior, atque præstantior. Id certe Ioabum timuisse sequentia demonstrabunt. Quoniam autem, præter hoc priuatum fœdus publicum cum populo congregato requirebatur, in quo noui regni conditiones sancirentur, mutuaque iuramenta, hinc fidelitatis & obedientiæ, inde protectionis & beneuolentiæ palam ederentur, *Surgam,* inquit Abner, *vt congregem ad te Dominum meum regem omnem Israel,* & quasi fecialis *in eam tecum fœdus, & imperes omnibus, sicut desiderat anima tua.* Dauid autem non tantum fecit illi abeundi potestatem, sed honorificè etiam aliquoque deduxit.

Bum Dauid peramanter accepit. 2. Reg. 3. 20

Et priuatum cum eo fœdus init.

Et publicum curaturus reuertitur.

X. Ioab turbat omnia.

Hactenus res bellissimè procedebat, cum Ioab partim studio vindicandæ fraternæ cædis, partim metu ne se in ordinem redacto, Abner princeps militiæ à Dauide fieret, omnia perturbauit. Cum enim Abnere dimisso, Ioab cum militari manu, redisset ab excursione quadam, magnamque prædam de latronibus Amalecitis reuexisset, didicit quæ Dauid Abneri fecisset, vtque eum honorifice dimisisset. Adit ergo regem, eumque fiducia consanguinitatis, insigni cum audacia, malitia, atque confidentia increpat, præ se ferens zelum regis ac regni eius. Et quamuis certus esset Abnerem interficere, adijt tamen regem cum querela, quasi se hosti decipiendum præberet, vt vel hominis cædem impetraret, vel si id minus à clementissimo principe obtineret, dum propria ipse autoritate illam perpetrasset, persuaderet sibi rex Ioabum, non propriam iniuriam vleiscentem, sed regijs studentem commodis, Abnerem sustuliisse. Nihil Rex impudenti ac falsæ accusationi respondit, siue ille se raptim è conspectu regis, non expectata responsione, subduxit, siue rex dandum iræ locum censuit, quæ ex bono zelo, licet non secundùm scientiam, profecta videretur.

Dauid sẽ obiurgat.

XI. Reuocat Abnerem nomine regis.

Egressus itaque Ioab à Dauid misit nuncios post Abner, qui eum regis nomine reuocarent. Neque enim decebat Ioabum, talem ac tantum virum suo nomine accersere, neque fortasse suspicione caruisset insidiarum ista reuocatio. Ergo regis nomine reuocatus, reflectit iter Hebronem versus; quo cum peruenisset, inuenit Ioabum expectantem ipsum ad portam vrbis, & cũ inter se amice consalutassent, seducit Abnerem Ioab ad interiora portæ, fingens se remotis arbitris nomine regis ipsum alloqui velle, *& percussit illum ibi in inguine, & mortuus est in vltionem sanguinis Asael fratris eius.* Nec ausus est solus Ioab exequi meditatum scelus, vt timida est in ipso articulo facinoris improbitas, sed

Eumque cũ fratre obtrũcat.

assum-

c. 3. v. 30.

assumpsit socium fratrem suum Abisai, vt paulò inferius Scriptura commemorat. Atque ita qui proditione abducebat populum ab Isbosetho, proditione abductus à via sua perimitur. Asaëlem in inguine percusserat, ipse ibidem perfossus interijt, vt eius quoque libido punita intelligeretur, & qui per vindictam deserebat regem suum, per vindictam à vita desertus est.

XII. Eã cædẽ Dauid ferr ægerrime.

Vulnus hoc, grauissimum Dauidis animo vulnus inflixit, quippe qui probe intelligeret magno publicæ rei detrimento eam cædem fuisse perpetratam. Dolebat male turbari bene susceptam ab Abnere regni totius coniunctionem, ideoque tanquam de tota Repub. bene meritum lamentabatur. Dolebat principem virum regio sanguini coniunctissimum, prudentiæ & fortitudinis laude clarissimum, regnoque suo vtilissimum, contra voluntatem suam, contra ius gentium morte sublatum, & proditoriæ cædis inuidiam in se deriuari: existimante populo Ioabum, nisi rege iubente vel conscio, id scelus non fuisse aggressurum; ex quo fiebat vt animi Israelitarum ab ipso vehementer abalienarentur, & ciuile bellum magno vtriusque partis damno recrudesceret. In quorum remedium sapientissimus Dauid primùm publice protestatus est mundum se esse ab hoc crimine, eo quod se inscio perpetratum esset. Secundò diuinam reis vltionem vel imprecatus est, vel prædixit, vel quid mererentur ostendit. Tertio pro Abneris morte laceratione vestium, & publica signa doloris indixit. Quarto publicis solemnibusque exequijs ipsum honorauit, adeoque ipsemet super ipsius tumulum fleuit, & inscripsit epitaphium, æternæ memoriæ in Scriptura consecratum. Adiecit postremo ieiunium vsque ad solis occasum.

Idq; publice præ se ferr.

XIII. Vt se palã ea de cæde purget.

Hæc autem omnia facta sunt vt omnes intelligerent Abnerem à Dauide fuisse dilectum, eiusque mortem ab eo ægerrimè ferri, nedum eius authorem fuisse, vel conscium. Nec excidit ab expectatione sua. Omnis enim populus, qui funeri affuit, & regem comitatus est, viditque eum plangentem, sequentem feretrum, Ioabum eiusque familiam grauibus execrationibus obligantem, denique mortem lachrymis, næniis, ieiunioque prosequentem, vehementer probauit, quæ fecit rex in conspectu populi totius; persuasumque habuit scelus inscio rege fuisse perpetratum. At, inquies, si verus fuit iste dolor, si veræ lachrymæ ac querelæ Dauidis, quare debito supplicio in reos nõ animaduertit? Respõsionem verba sequentia continent. *Ego autem delicatus & vnctus rex. Porro viri isti filij Saruiæ duri sunt mihi. Retribuat Dominus facienti malum iuxta malitiam suam.* quasi dicat, infirmior sum nunc, quam vt possim pœnas de illis exigere, sed Deus exiget.

XIV. Cur eam non vlciscatur.

Existimauit ergo Dauid non esse nunc è publica re, & regno vix coalescente hosce fratres ad pœnam commeritam rapere; neque per ipsum stare. Nam cum sine periculo scelera punire potuit, non neglexit vltionẽ; vt cum è vestigio iussit interfici, qui Saulem nuper, & sequenti anno Isbosethum occiderant. Accedit etiam ad excusationem Dauidis, quod non dabat impunitatem sceleri, sed differebat pœnam, interim dum illi operam regno vtilem nauare poterant. Nam regno probe constituto mandauit Salomoni, vt de Ioabo pœnas sumeret.

Codri regis Athẽ mors.

Ad hunc porro annum Dercyli 35. refert Eusebius celebrem illam Codri Athenienſium regis mortem, qui anno regni sui 21. in bello Peloponnesiaco seipsum morti tradidit, vt suis, iuxta oracului Apollinis Delphici, victoriam relinqueret.

ANNVS MVNDI 2986.

DAVIDIS 7. ISBOSETHI 7. & vlt.

ABIATHARIS 12.

DERCYLI 36. Imperij Assyr. 1055.

ANTE CHRISTVM 1067.

I. Isboseth cũ populo turbatur ob eædem Abneris.

SEptimum & vltimum egit hunc annum Dauid in Hebron, Isbosethus autem septimũ & vltimum in viuis, improborum hominum coniuratione nefaria. Eius mortem in hunc annum distulimus, quoniam septem annis eum regnasse docuimus, præter sex illos menses, quos eum Saulis annis copulauimus. Abnere porro trucidato, cito ad Isbosethum de illius cæde perlatus est nuncius. Nam viginti illi viri, qui Abneris comites fuerant, eo occiso quamprimum ad regẽ suum contulere se, remque illi totam expossuere. Eo accepto nuncio confractus est animo Isboseth, *& dissoluta sunt manus eius, omnisque Israel perturbatus est.* Et ille quidem perturbatus est, quia cæso Abnere succisi erant nerui omnes roboris eius; isti autem, quia amiserant interpretem, & quasi moderatorem reconciliationis suæ. Etsi enim primarij quique à quibus pendebat populus, de singulari Dauidis mansuetudine & fide bene sperabant, timebant tamen Ioabum & Abisai, ne ab eis per insidias obtruncaretur; præsertim cum eos etiam Dauidi formidabiles, non sine causa suspicarentur.

2. Reg. 4. 1. 2.

II. Consilia Rechab & Baana de cæde regis.

Sed eam perturbationem alia maior excepit Isbosetho rege à duobus sicarijs perfidiosè interfecto. Peruulgata enim Abneris morte, & omni populo ea de causa perturbato, singuli ita oculos in publicã rem conijciebant, vt suis rebus prospicere studerẽt, animaduertentes Saulis familiam in certum interitum ruere. In his duo in primis fuere, qui nuper Abneris vestigia sectabantur, quos ille viuens in consiliũ adhibuerat, vtpote viros fortes ac primarios, & regiæ cohortis, latera regis cingentis præfectos, hos enim latrones hoc loco Scriptura nominat, in Hebræo principes turmarum dicuntur. Hi ergo Dauidis gratiam ambire, eamq; sicut Abner, eximio aliquo beneficio demereri studuerunt. Credidere ũt autem nõ posse maiore, quam si æmulum regni eius tollerent. Id facinus vt cõmode perficerent, captauerunt tempus, quo quiescente rege, eius quoque custodes quiescebant, in domo quisque sua; aberant certe, & quamuis adfuissent, nemo erat qui ducibus suis turmarum principibus, in rege quocunq; tẽpore adeundo, negotiũ facesseret. Aderat pro omni custodia vna mulierecula purgans triticũ, sed ea ipsa dormitabat.

vers. 2.

Ergo

Israel. Horum autem omnium præcipui fuerũt, qui dicti sunt fortes Dauid *b*, *qui adiuuerunt eũ vt rex fieret super omnẽ Israel*. De quibus alius erit dicendi locus. Effuderat porro Dominus in gratiã Dauidis, spiritum pacis & concordiæ in vniuersum Israelem, vt omnes eadem mente, eademque sententia vellent Dauidem regem, neque qui præsentes aderant tantum 1, *Sed & omnes reliqui ex Israel vno corde erant vt rex fieret Dauid*. Pro quibus suffragium ferebant præsentes, conscij voluntatis eorum.

b 1. Par. 11 10.

Maximo q; cõsensu omnium. 1 1. Paral. 12. 38.

Congregati porro regnum Dauidi in hæc verba detulerunt. *Os tuum sumus & caro tua. Heri quoque & nudius tertius cum adhuc regnaret Saul, tu eras qui educebas & introducebas Israel. Tibi enim dixit Dominus Deus tuus, tu pasces populum meum Israel, & tu eris princeps super eum*. Quibus verbis tria cõtinentur argumenta, ob quæ populus Dauidem eligat in regem. Primum quod nullum habeat generis impedimentũ, vt qui non solum sit Israelita, sed ex ea tribu, cui iampridẽ à Patriarcha Iacobo destinatus esset principatus. Alterum est quod regendæ Reipubl. bellique gerendi peritia, atque experientia præditus sit. Tertium quod diuinitus sit electus in regem Israelitarum, cuius videlicet voluntati nefas sit non obsequi. Illa porro verba *tu pasces populum meum* &c. non habentur totidem verbis enunciata diuinitus. Sed cum didicisset populus Samuelem diuinitus reuelasse Dauidi, eum fore totius populi principem, diuersi diuersis verbis eandem sententiam referebant. Itaque aliter ea nunc populus, aliter supra Abner, aliter supernus Abigail, & Saul ipse, & Ionathas retulerunt. Addere poterant vitæ innocentiam, ætatem florentem paci belloque idoneam, & maxime spiritum illum principalem, de quo alibi diximus.

IX. Eorumdẽ electio, & rationes eligendi. 2. Reg. 5. 1. 2.

In Annal. a. m. 2964 n. 45.

Cæterum de immensa illa multitudine, vitandæ confusionis gratia, electi sunt tributim communi suffragio aliqui viri primarij, qui nomine omnium cum nouo rege fœdus inirent, de quibus videntur accipienda illa scripturæ verba. *Venerunt ergo omnes maiores natu Israel*, de singulis videlicet tribubus aliquot electi, *ad regem in Hebron*, reliquis per suburbia, pagosque dispersis, *& iniit Dauid cum eis fœdus coram Domino*. Assumpto videlicet Deo in testem, populus spopondit Dauidi fidem & obedientiam, quam subditi regi suo secundum Deum debent. Et vicissim Dauid, eodem author & teste, pollicitus est, se populum fideliter ex Dei legibus, & recta ratione gubernaturum, & contra inimicos eius omni ope protecturum. Illud autem *coram Domino*, etsi idem possit esse quod publicè in oculis omnium, aut Deo in testem assumpto, placet tamen coniectura Tostati excitatum à Dauide quoddam Sanctuarium & altare in Hebron, dum regnante Isbosetho, non liceret populo libere adire tabernaculum, quod erat in Gabaone, & Arcam fœderis, quæ erat in Cariathiarim, oppido vtroque tribus Benjamin. Non enim videtur Dauidis pietas ferre potuisse, vt tot annis cultu diuino careret, cum etiam Pontificem cum Ephod apud se haberet. quem crediderim in veste pontificia, quasi Dei gerentem vices, huic fœderi interuenisse.

X. Non singuli dederunt suffragiũ, sed optimates. 1. Par. 11. 3.

Fœdus initur.

Inito fœdere, secuta est vnctio. Sequitur enim, *vnxerunt que eum regem super Israel, iuxta sermonem Domini, quem locutus est in manu Samuelis*. Vnxerat Samuel Dauidem iussu Domini, vt esset Rex loco Saulis, eaque vnctione ipsius in populum ius acquisierat. Vnctio ergo, quæ hoc tempore facta est, fuit ad repræsentandam, approbandam, & confirmandam illam: neque ad conferendum ius nouum, sed ad stabiliendum antiquum, quod ei tunc Deus per Samuelem dederat, quam confirmationem, & approbationem tribus Iuda superioribus annis inchoauerat.

Dauidis Sanctuarium.

XI. 2. Reg. 5. 3. 1. Par. 11. 3

Vnctionem excepit conuium, triduo Dauidis sumptibus celebratum, iuxta illud. *Fuerunt que ibi apud Dauid tribus diebus comedentes & bibentes*, & merito cum comitia in eius gratiam, & gloriam celebrarentur. Ne autem grauaretur Dauid sumptibus, tanto populo triduo nutriendo, & quidem vt in regijs conuiuijs, copiosè atque magnificè, dicendum est plurima munera publice priuatimque nouo regi oblata fuisse, quibus onus expensarum non parum leuatum est. Idque Septuag. haud obscure significant, qui dicunt Zabulonitas venisse auxilio Dauidi, *non vacuis manibus*, quod de alijs quoque tribubus intelligi potest: præsertim de tribu Iuda, quæ cæterorum quoque donaria collegit, ac præparauit, vt est in extremo capite duodecimo primi Paral.

Vnctio Dauidis tertia cõfirmat priores.

Conuiuium triduj. 1. Par. 12. 39. 40.

ὁ χρηστὸς τυπος.

ANNVS MVNDI 2987.

DAVIDIS 8. ABIATHARIS PONTIFICIS 13.

DERCYLI 37. Imperij Assyriorum 1056.

ANTE CHRISTVM 1066.

CElebris est hic annus Hierosolymorum arce noui regis auspicijs expugnata. Eam expugnationem in hunc annum conijcimus, quod etsi statim ab inauguratione Dauidis suscepta est expeditio, vt Iosephus & Tostatus affirmant, & ratio ipsa confirmat, quæ persuadet Dauidem prudenter vsum commoditate congregati populi, eiusdem alacritate: nihilominus admodum probabile est munitissimam illam arcem, & rebus omnibus iampridem ad ducendam oppugnationem instructam, non cito in Dauidis potestatem venisse. Ergo sub extremum annum septimum regni eius obsessa est Sion, octauo denique expugnata. Hanc expugnationis longinquitatem suadet tam locus ipse natura munitissimus, & vndique propemodum inaccessus, tum industria & studium pertinax Iebusæorum in vno eo loco omni opera muniendo, & propugnando: ex quo pendebat non solum eorum salus, sed supremus etiam interitus vniuersæ gentis. Itaque armis, viris, commeatu, propugnaculis egregie instructa Sion, quadringentos ipsos annos restiterat Hebræis, & nũc omnes Dauidis conatus, non sustentabat solũ, sed etiã irridebat.

I. Ratio tẽporis obsessæ, & expugnatæ arcis Sionis. l. 7. Ant. c. 2. Ini paral. 11. post q. 9.

Rex itaque Dauid, qui Hierosolymam rebus omnibus opportunissimam, in regni sedem iam dudum destinauerat, cum primum totius

II. Consilũ Dauidis de ea occupanda

popu-

populi Hebræorum constitutus est princeps, nihil habuit antiquius, quam vt eius ciuitatis arcem, quæ erat quasi iugum, totius populi Dei ceruicibus impositum, in suam redigere potestatem. Id consilium cum omnibus optimatibus placuisset, electi sunt ex omni populo, qui diuturnæ oppugnationi necessarij videbantur, cæteri ad sua quisque loca dimissi: etsi omnes à principio venerint cum Dauide Hierosolymam, vt Scriptura testatur. Mons porro Sion, quæ superior Hierosolymorum pars fuit, & ciuitas superior dicta est, non fuit tota in Iebusæorum potestate, sed illius tantum suprema pars, quæ dicta est arx Sion, & mox ciuitas Dauid. Quamuis enim totus mons Sion iunctus reliquæ ciuitati, diceretur arx Hierosolymorum, ipse tamen per se sumptus, erat instar oppidi, habebatque versus occasum locum eminentiorem, qui erat arx Sion, ex qua exigendus erat Iebusæus: totam autem inferiorem ciuitatem Iudæi tenebant; cuius rei clarum argumentum est, quod ante annos sedecim. Dauid Goliathi caput detulit Hierosolymam.

2. Reg. 5. 6. Mons & arx Sion.

An Saul. 10. 1. Reg. 17. 54.

III. Iebusæi deditionem recusant.

Cum ergo copiæ Dauidis Hierosolymis consedissent, misit Dauid nuncios ad Iebusæos, qui eos ad deditionem æquis, vt fieri solet, conditionibus inuitarent. Sed Deus, qui eos deleri volebat, non dedit eis gratiam, vt veniam humilitate precerentur, sicut de maioribus eorum etiam scriptum est. Nam loci firmitate & munitionibus confisi, non solum deditionem recusarunt, dicentes per nuncios Dauidi, *Non ingredieris huc*, sed contempserunt etiam, atque irriserunt, dicentes solos cæcos & claudos adhibitos ad defensionem arcis suæ, satis esse ad irritandos omnes eius conatus. Quo ludibrio excitatus Dauid præmium proposuit summæ præfecturæ, vt ait Iosephus, ei qui primus euasisset in arcem, & istos propugnatores per ludibrium positos inde deturbasset. *Ascendit igitur primus Ioab, & factus est princeps.* At enim iam erat militiæ princeps Ioab, qua dignitate ne priuaretur occidit Abnerem. An qui militiæ princeps erat in regno Iudæ, nunc in duodecim tribubus obtinuit militiæ principatum? quem fortasse Dauid hac occasione cupiebat in quempiam alium à Ioabo, qui ei grauis erat, transferre.

Dauid præmium proponit inuadēti.

2. Reg. 5. 8. 1. Par. 11. 5. Ioseph. l. 7. Antiq. 2. 3.

IV. Modus captæ arcis.

Quo autem modo capta fuit? omissis Rabinorum fabulis, dicendum videtur factum vndique à fortibus Dauidis assultum scalis ad præruptæ saxorum applicatis, interim dum reliquus exercitus telis certatim propugnatores à propugnaculis summoueret, & è scalis Ioabum primum ad summum murorum peruolasse, tum subinde alios, atque alios, donec non tam numero pares, quam viribus superiores euaderent. Occupata arce facile est intelligere omnes qui in armis erant, & quicunque irruenti militi occurrerunt, interfectos esse, cæteri quoque qui latebant, deprehensi cum cæcis claudisque, iuxta antiquam Dei iussionem, aut ferro aut præcipitio periere, vni Areunæ parcitum ait Iosephus. Existimauerim potius hunc Iebusæum iampridem Sione, vel oppido Iebus egressum factum esse proselytum inter Hebræos, & translato domicilio in monte, qui Moria dictus est, habitasse, deinde eum locum Dauidi, ad ædificandum altare Domino, vendidisse: in omnes autem, qui in arce reperti sunt, sine vlla exceptione sæuitum. Deinde etiam Dauidem statuisse, ad vltionem temerariæ iactationis illorum Iebusæorum, & ad perpetuam rei memoriam, vt nunquam liceret cæco vel claudo intrare in arcem Sion. Quod decretum inter Hebræos vulgatum ad alia quoque transferebatur.

Iebusæi deleti funditus.

Quid Areuna.

2. Reg. vlt.

V. Ciuitas Dauid constituitur.

Sione ab impurorum hominum, omniumque idolorum sordibus à Dauide perpurgata, arcem ipsam in propriam habitationem delegit, vocauitque ciuitatem Dauid ad perpetuum victoriæ monimentum. Hoc porro anno cœptam fuisse arcis, & regiæ Dauidis, & murorum Sionis ædificationem rationi consentaneum est. Neque enim Dauid pro sua prudentia dubitare poterat, quin Philisthæi, cæterique Israelitici nominis hostes, & suo à Dauide periculo, & calamitate Iebusæorum, & Israelitarum felicitate excitati, quamprimum sibi populoque suo negotium facesserent. Itaque primo quoque tempore manum operi admouit, vt hoc validissimo præsidio contra eos munitus esset, & suam familiam, admodum iam numerosam in tuto collocaret. Fuit hoc opus sane magnum & operosum. Habuit enim murus Sion, vt Villalpando placet, per totum circuitum longitudinem 35. stadiorum; arx autem ipsa nouem stadia cum dimidio, in cuius medio regium palatium excitatum est, sed ille murus opere firmissimo, palatium autem etiam eleganti constructum est, Tyrijs artificijs adhibitis, qui postea Salomonis quoque ædificijs operam nauarunt.

Amplitudo Sionis & arcis. Ioseph. l. 7. c. 3.

ANNVS MVNDI 2988.

DAVIDIS 9. ABIATHARIS 14.

DERCYLI 38. Imperij Assyr. 1057.

ANTE CHRISTVM 1065.

VI. Bellica Philisthæorum consilia contra Israelem.

STrenuè hoc anno vrgetur murus montis Sionis, Ioabo militiæ principe annitente, ex regis mandato: vrgetur & ciuitas Dauid, & regia, præsertim cum late spargeretur in vulgus Philisthæos fremere, quod Dauid rex factus esset, à quo merito sibi malè metuebant, eumque cum populo suo, vt nuper Saulem, perditum cupiebant. Id illis verbis Scriptura significat. *Audierunt Philisthijm quod vnxissent Israelitæ Dauid in regem super Israel, & ascenderunt vniuersi, vt quærerent Dauid*, cum eo pugnaturi. Quamdiu enim inter se pugnarunt reguli duo, facile patiebatur intestinis inter sese discordijs consumi, dum tributa interim Israelitis penderentur. Nunc autem cum accepissent alterum regulorum, post amissum militiæ suæ principem, vitam quoque cum regno amisisse, populum autem vniuersum maxima multitudine Hebronem confluxisse, Dauidem creasse, Iebusæorum arcem expugnasse, rem minimè negligendam putarunt, veriti, vt se dabant initia, ne se in Philisthæorum satrapias impetu suo effunderent, Saulis mortem vlturi, & ipsi victi victores euaderent. & frenum

2. Reg. 5. 17.

tributi à se reiectum, in ora ipsorum immitterent.

II. Psalmus, *Quare fremuerunt* huc pertinet. a. 3. Ofseq.

Dum autem ingentes illi copias contrahunt, diuino spiritu afflatus Dauid eximium illum Psalmum cecinit, cuius initium est. *Quare fremuerunt gentes*, quem in hoc tempus præclarè quadrate in Annalibus ostendimus; neque solum Christo Domino, vt Messiæ, sed etiam Dauidi, vt illius typo ac figuræ accurate conuenire. Ergo Philisthæi contractas copias effuderunt in valle Raphaim, quæ fuit in extrema fere tribu Benjamin versus occidentem, & Philisthæorum regionem, qui occiduam mediterranei maris oram incolebant: quæ vallis à gigantibus nomen accepit. Dauid autem nolens obsidionem expectare Hierosolymis nondum munitis, sed foris potius hostem inuadere, præsidium sibi pridem notum, ad speluncam Odollam occupauit. Ibique per Abiatharem Pontificem Dominum consuluit, an ipso annuente pugnaturus esset contra Philisthæos, & an ipso propugnante victoriam esset consecuturus. Respondit Dominus ad vtramque petitionem, *Ascende, quia tradens tradam Philisthym in manu tua.*

Philisth. in valle Raphaim

Dauid in Odolla, consulit de bello Dominũ. 2. Par. 11. 25.

2. Reg. 5. 19.

III. Pugnat, vincitq; Philisth. diuinitus terrore perculsos

Ita promisit, ita perfecit, immisso, vt existimat Abulensis, Philisthæis timore, vt non auderent in conspectu Hebræorum consistere. Sic enim olim per Moysem promiserat Dominus se terrorem suum in Chananæorum populos immissurum. Itaque, nisi alius victoriæ modus exprimatur, intelligendum est Hebræorum hostes huiusmodi timore dominante profligatos. Itaque venit Dauid in vallem quæ postea dicta est Pharasim, id est, diuisionum, ibique percussit Philisthæos, & agnoscens ac profitens diuinitus datam victoriam, *diuisit*, inquit, *Dominus inimicos meos coram me sicut diuiduntur aquæ*, quæ omnem in partem diffluunt atque diffugiunt. Huius autem timoris ac fugæ indicium est, quod in eo pugnæ loco reliquerunt sculptilia sua, quæ tulit Dauid & viri eius eaque combusserunt, quæ scilicet lignea erant, metallica vero fundi atque conflari.

IV. Redintegrant bellum.

Cæterum vbi Philisthæi ex fuga & pauore panico collegerunt se, & de eo, vt par est credere, maiorem in modum confusi sunt, animaduersa multitudine copiarum suarum, cæteris que victoriæ præsidijs. Itaq; damnata priore fuga, pugnam quamprimum redintegrarunt: modicum enim tempus interiectum viderat Abulensi. Scriptura tantum habet, *addidisse adhuc Philisthæos vt ascenderent*, ergo ad suam vsque regionem profugerant, & rursum *diffusi sunt in valle Raphaim*, vt dum priorem ignominiam delere satagunt, eam noua clade cumulent ac pudore. Dauid autem accepto nuncio de Philisthæis certamen repetentibus, consuluit iterum Dominum, an prælium contra eos redintegrari placaret, & an iteratam sponderet victoriam. Cui Dominus non solum victoriam promittit, sed pugnæ quoque modum præscribit, sicvt ad internum terrorem, etiam externus ex sonitu terrifico accederet.

Dauid rursum Dominũ consulit.

V. Victoriæ modus.

Voluit enim Dominus ita perturbare Philisthæos, vt se in medio duorum exercituum positos putarent, à quibus à fronte simul ac tergo conciderentur. Iubet enim Dauidem cum exercitu, vsque ad conspectum hostium venire, deinde eosdem copias circumflectere, vsque ad terga Philisthæorum. Eo vero cum peruentum esset, expectare dum Dominus signum pugnæ ex cacumine pyrorum daret, quæ erat sylua inter castra Dauidis & Philisthæos. Eo fragore Dauidem monitum iri significat de præsenti auxilio Dei, deq; ipso temporis articulo ad pugnandum diuinitus destinato. Philisthæum vero metum concepturum de exercitu inde superueniente. Hic Dauidis acie Philisthæos à tergo inuadente, coactum iri facie ad eos conuersa sese defendere: alterius autem exercitus imminentis, & è sylua superuenientis opinione occupatos, existimaturos se à gemino exercitu cæsum iri, indeque metu perculsos salutis viam præcipiti fuga vndique petituros, & victoriam Dauidi persequenti relicturos: quod & factum est. Quæ rumore nuncio, per circumquaque positas vulgata regiones, Dauidis nomen celebre, ac formidabile reddiderunt.

2. Par. 14. 17.

Hocipso tempore contigit memorabile facinus trium fortissimorum virorum, qui deliderante Dauide aquam de cisterna Bethlehem, castra Philisthæorum interiecta, in itu reditu que peruaserunt, neque præsidium eorumdem, quod erat in Bethlehem reuerti, haustam inde aquam ad Dauidem pertulerunt. Rationi temporis fauet locus vallis Raphaim, in qua castrametati sunt in hoc bello Philisthæi, nec vnquam alias in eo loco ad præliandum consedisse reperiuntur: sed nec deinceps, Dauide rerum potiente, stationem in Bethlehem, loco pene in suburbijs Hierosolymorum, habere potuerunt. Cum ergo Dauid in præsidio Odollamitico minus gratas reperisset aquas, memoria repetens aquas Bethlehemiticas, quibus fuerat nutritus, eas vt fit, desiderauit: inde tamen sibi aquam non iussit afferri, quod sciret illam sine summo vitæ discrimine obtineri non posse: colligitque contra rectam rationem esse, vt quis sine necessitate, præstantem aliquem virum periculo mortis obijciat. Viri tamen fortissimi, agnito regis desiderio, negotium audacissimum inscio rege suscepterunt: quod potuit etiam in talibus viris temeritate carere, vt enim dispares sunt mortalium vires, ita & disparia fortitudinis obiecta, nec idem est omnibus medium virtutis eiusdem.

VI. Tres viri fortes aquam de Bethlehẽ petunt. 1. Par. 11. 15. 2. Reg. 23. 15. &c.

VII. Quã Dauid libauit Domino.

Attulerunt ergo aquam ad Dauidem, *At ille noluit bibere, sed libauit eam Domino.* Noluit bibere non solum ne videretur optasse, vt tanto cum periculo aqua illa pateretur, sed, vt ait Magnus Gregorius, vt in licitis cupiditatem refrænaret, cui aliquando in illicitis frena laxasset. Noluit bibere, quam maluit rem sibi charissimam offerre Deo, existimans aquam tam pretiosam dignam esse, non quæ mortalis hominis cupiditati, sed præpotentis Dei gloriæ seruiret, transiretque in materiam cuiusdam extraordinarij sacrificij. Ideoque multo magis hoc facto honorauit heroes suos, quam si eam bibisset. Noluit denique bibere, vt exemplum constantiæ & fortitudinis militibus suis præberet, vt sitim tolerare discerent. Hoc ipso tempore in monte Sion, & in ciuitate Dauid vrgebãtur ædificia, tã murorum quam regiæ Dauidis, quæ fortasse vrgente bellorum periculo, fuerunt absoluta.

Cur non biberit.

Psal.29 Motbus Dauidis.

Id si verum est pertinet ad hoc tempus ille Psalmus qui inscriptus est in dedicatione domus Dauid: in quo tamen nulla est mentio dedicationis, sed ægritudinis potius Dauidis, à qua se sanatum fuisse gratias agit Deo.

ANNVS MVNDI 2989.

DAVIDIS 10.

ABIATHARIS 15.

DERCYLI 39. Imperij Assyr. 1058.

ANTE CHRISTVM 1064.

I. Dauidis incrementa.

DEuictis gemino bello Philisthæis, euulgatũ est nomen Dauid s in vniuersis regionibus circumpositis, vt paulò ante ex primo Paral. *a* dicebamus, quæ ad hunc quoque annum pertinent, sicut & illa *b*. *Et ingrediebatur proficiens, atque succrescens, & Dominus Deus exercituum erat cum eo.* Et paulò post. *Et cognouit Dauid quoniam confirmasset eum Dominus regem super Israel, & quoniam exaltasset regnum eius super populum suum Israel.* Nec difficile fuit agnoscere; domi enim suorum beneuolentia fruebatur: foris cum cæteri populi vicini, tum inimici eius, iterata fracti clade, quiescebant. Cæterum vt suos sibi magis magisque deuinciret, affinitatem cum multis, tam vxorum quam concubinarum multiplicatione contraxit, quarum aliquæ fuerant Saulis, vt ex 2.c Regum patet, ex quibus multos liberos Ierosolymis suscepit, præter eos quos Hebrone susceperat, qui omnes in primo Paral. *d* a Scriptura memorantur. Qua in re cum nusquam arguatur, minime peccasse putandus est, sed vius diuina erga se indulgentia, vt ex eodem 2. Reg. loco colligi potest. Est autem in hisce Dauidis filijs non leuis controuersia de ijs, quos ex Bethsabæa suscepit, de quibus alius erit dicendi locus: nondum enim eam acceperat vxorem.

Et vxores nouæ. *c c.* 12. 1.

*d c.*3.*n.*1. *& seqq.*

*c c.*3.*v.*13

II. Ratio tẽporis ab ductæ Arcæ ex Cariathiar.

Est porro hic annus vltimus commorationis Arcæ Domini in Cariathiarim, vnde putamus hoc anno abductam, sequenti autem delatam in arcem Sion. Nec prius confici res potuit, dum & Iebusæi expugnantur, & Philisthæi gemino bello vincuntur, & totus mons Sion mœnibus cingitur, & arx Sionis & palatium Dauidis ædificatur, & nominatim præparatur locus idoneus, & tabernaculum nouum, ad collocandam Arcam fœderis. Videtur autem Dauid anni Sabbatici occasionem captasse, qui in præsentem annum cadit, estque ordine octauus supra quinquagesimum. Qui cùm primo die septimi mensis inchoaretur, recte opinor reliquum annum dandum consultationi, & congregationi populi, & tribus mensibus moræ eiusdem Arcæ in domo Obededom, vt proximus annus ab ipso suo initio, sit primus Arcæ in Sion, vbi ad templi constructionem permanebit.

Annus Sabb. 58.

III. Dauid cõsilijs init de Arca

Exigebat igitur pietas & sapientia Dauidis pace debellatis hostibus constituta, ad stabiliendam populi religionem, & regiam ciuitatem nobilitandam, vt de Arca Domini in ea collocanda, & in eandem quamprimum comportanda cogitaret. Licet autem Dominus eam illi mentem dedisset, voluit nihilominus, eodem inspirante Domino, suorum optimatum consilium exquirere, vt Dei super ea re voluntas suauius executioni mandaretur. Cum enim vellet Dauid magnifice fieri translationem istam, & à multa populi frequentia celebrari, conueniebat rem cum principibus populi, à quibus ille pendebat communicari: vt istis approbantibus, illi non grauatè conuenirent. Noluit quoque videri agere omnia pro arbitrio, sed honorate velle consiliarios suos, eorum consilium exquirendo; & sic eos sibi magis magisque beneuolentia deuincire *f*. Ij fuerunt tribuni, & centuriones, & vniuersi principes exercitus Dauidis, & nominatim qui eo mense 24. millibus præerant, de quibus dictum est supra *g*, & insuper qui de tribu Iuda erant ei magis familiares, & ordinarij consiliarij; denique cognati, affinesque omnes.

deducẽda in Sion.

Et quam obrem.

f 1.*Par.*13. 1.

g An. Dau. 2.

IV. Eius ad optimates suos oratio. *h* 1.*Par.*13. 2.

Quibus congregatis, *Si placet vobis*, inquit *h*, *& à Domino Deo nostro egreditur sermo quem loquor, mittamus ad fratres nostros reliquos in vniuersas regiones Israel, & ad Sacerdotes & Leuitas, vt congregentur ad nos, & reducamus Arcam Dei ad nos.* Nominatim Sacerdotum meminit, ac Leuitarum, quod ad eos in primis pertineret ista solennitas, quæ non sacrificijs solum, sed Psalmis & Canticis celebranda erat, ideoque Sacerdotes & cantores, aliique Leuitæ necessarij erant. Indecorum quoque significat, quod ea tandiu in Cariathiarim, sub Leuitæ vnius custodia, operimentis suis inuolata re sidea: nullo cultu, nullis ceremonijs, nullis sacrificijs honoretur, ipsoque tabernaculo suo careat. Quod vt varijs reipub. temporibus, d sibi ipsi; tribui possit, nunc quando sub vno capite, Respub. tota conspirat, & ab hostibus datur quies, & Dominus præsentia sua cupit honorare Ierosolymam, placetne inquit, ad translationem Arcæ in eum locum, quem illi parauimus, tantisper, dum illi templum magnificum Deo bene propitio construamus, vniuersum populum conuocare?

V. Probatur omnibus consiliũ.

Et respondit vniuersa multitudo vt ita fieret placuerat enim sermo omni populo, eo corda ipsorum excitante, qui prius Dauidem excitauerat. Conuocauit ergo Dauid populum vniuersum ab extremis finibus Chananitidis versus Ægyptum vsque ad extremos eiusdem fines versus Damascum, triginta tamen millia electorum ex Israel venisse dicuntur in 2. Reg. i sed in eo numero viri Iuda non continebantur, qui erant illi propter vicinitatem & cognationem magis in promptu, qui non videntur fuisse pauciores, præter turbam 24. millium mensis huius. Venerunt autem *k* *vniuersi cum Dauide ad collem Cariathiarim, qui est in Iuda*: collis hic dicitur, qui in libris Reg. *l* dicitur Gabaa, est enim commune vocabulum non vrbis proprium, vt nonnulli putarunt. Ex hoc autem loco intelligitur Arcam Domini, ex quo restituta est à Philisthæis, mansisse in Cariathiarim, tanquam in propijs sedibus, & si quando aliò delata est, mox in Cariathiarim fuisse relatam.

*i ca.*6. 2.

Ieur in Cariathiarim. Mss. Par. 13. 6.

l 1. *Reg.*7. 1.

2 *Reg.*6. 3

Apparet aũt Abinadabum & Eleazarũ, quibus Arca ante annũ quadragesimum nonum commissa fuerat, fuisse defunctos, quibus alij duo filij Abinadabi iuniores, aut forte nepotes, substi-

VI. Imponitur plaustro ab ea & Anio.

substituti erant Oza & Ahio, qui de Arca transferenda moniti, eam, vt erat suis obuoluta vestimentis, de loco suo cum reuerentia sublatam, imposuerunt super plaustrum nouum, quod Oza & Ahio deducebant, sic vt hic Arcam boues antecederet, ille sequeretur: cum tamen ex præscripto legis *m* eam humeris gestare debuissent. Sed forte laboris pigebat; & didicerant impune à Philisthæis plaustro fuisse impositam; nec mirum, quippe qui Mosaica lege non tenebantur. Neq; tamen Dauid, aut populus participes facti sunt Leuitici peccati; neq; enim prohibere tenebantur, rati forsasse id eis Dominum nouo priuilegio indulsisse: aut certe credebant nõ esse laicorum officijs Leuiticis, aut Sacerdotalibus immiscere sese, Abiatharis potius ea culpa fuit, si interfuit & dissimulauit.

m Nu. 4. 5

Contra legis præceptum.

VII. Ordo põpæ huius, & modus

Quis porro huius ordo pompæ modusue fuerit à Scriptura explicatum non est. Conuenientissimus fuisse videtur vt Arca esset in medio, vt tam qui præibant, quam qui sequebantur magis ei præsentes essent. Præcedebant ergo sue illa 30. millia, electorum Israelitarum, sive illa 24. millia turmæ quæ apud regem hoc mense in armis erat. Inde sequebatur Dauid præcedebatque Arcam, vt ait Iosephus, & cum eo plurimi viri primarij. Tum sequebatur Arca in plaustro, Ahio præcedente, & Oza subsequente cum multa tuba Sacerdotum atque Leuitarum, cum Ephod lineo; quo ne Dauid quidem carebat: indeque reliquum vulgus omnis ætatis, conditionis & sexus. Dauid *autem & omnis Israel ludebant coram Domino* omni genere instrumentorum musicorum: accedebant etiam tubæ vel corneæ vel argenteæ, quas Sacerdotes inflabant. Alternis autem cantica Leuitæ personabant, quorum plerique cantores erant, ijsque præcinentibus reliquus populus sonoris vocibus succinebat, quo fere modo vbique canitur in Ecclesijs.

VIII. Arca periclitatur, Oza cam tetigens diuinitus occiditur

Hactenus res belle procedebat cum contigit non modica turbatio. Postquam enim peruentum est ad aream Nachon, ceperunt calcitrare boues, & Arca nutabat ad casum: cum Oza animaduerso periculo tenuit Arcam, & prohibuit casum, statimque diuinitus percussus interijt. At videbatur inquies, id pietati potius quam temeritati ascribendum, & laudem magis meruisse, quam pœnam? Dicendum est culpam iam fuisse admissam, Deum autem distulisse pœnam, donec effectus peccati palam fieret. Si enim portassent humeris, vt oportebat, Arca non adijsset ruinæ periculum, nec contactus eius necessarius fuisset. Etsi autem vterque erat in culpa, ille tamen solus pœnam publicè luit, cuius culpa populo publice innotuerat, quamquam alterum non impune tulisse; sed secreta morte affectum censet Abulensis, additque non videri æterna morte periisse. Et merito, tum quia de admisso peccato dolere potuerunt, cum agnouerunt se culpa sua incurrisse periculum grauissimi scandali, si Arca in terram coram populo corruisset: tum quia sentit Hieronymus eiusmodi culpas, quæ tam leuere castigatæ leguntur, præsenti supplicio compensari, neque post expuniri.

An solus, & æterna morte.

g 2 Par. 3.

vide 1. Nadab.

Contristatus est autem Dauid, eo quod percussisset Dominus Ozam in negotio ipsius causa & voluntate ipse pro Sulpicatus etiam fortasse Deo non placate vt Arcam apud se collocaret, qui triumphalem pompam funebrem reddidisset. Eam tristitiam timor excepit. *Extimuit enim Dauid Dominum in die illa dicens. Quomodo ingredietur ad me Arca Domini?* Existimauit enim in tam numerosa familia facile admissum iri delicta contra reuerentiam Arcæ Domini debitam, quæ crebris subinde funeribus luerentur, & Arca fœderis in petram scandali verteretur. At quia sciebat eam in domo Abinadab Leuitæ, vltra 48. annos impune mansisse, existimauit eam in domo Obededonis Leuitæ experiundi causa collocandam esse, in qua, vel longe minore, perpaucæ delinquendi per irreuerentiam occasiones nascerentur. Itaq; non magis conterruit Obededonem, mors Ozæ, ne Arcam libenter acciperet, quam confirmauit Abinadab, qui tanto tempore eam apud se habuisset, sine damno cuiusquam. Sperauit itaque se studiose obseruaturum, quæ ad inculpatam Arcæ custodiam pertinerent, & domum suam, quæ pene in Sanctum Sanctorum versa esset, tum honore singulari, tum diuina benedictione repletum iri.

IX. Dauidis tristitia, & metus. 2. Reg. 6. 8 9. &c.

Arcam deponit apud Obededom

Dominus autem boni hospitis sui expectationem nequaquam fefellit. Trium quippe mensium spatio, quibus Arca Domini mansit apud eum, *benedixit Dominus domui eius, & omnibus quæ habebat*, eximia scilicet fœcunditate hominum atque pecorum, vt interpretantur Hebræi. Certe in primo Paral. numerantur octo eius filij, & additur ratio, *quia benedixit ei Dominus*, quæ benedictio etiam in filios ac nepotes propagata est. Ratio autem cur Gethæus dicatur, illa potissimum probatur, quod apud Gethæos cum Dauide manserit, fueritq; vnus de trecentis illis eius socijs, qui in Siceleg Gethæorum dudum oppido versabantur. Illuc enim de singulis tribubus plerique confluxerunt, vt suis locis dictum est. Habitauit autem in Hierosolymitano suburbio, vt ex sequentibus intelliget ur. Cæterum Dauid Arca ita deposita populum ad suos lares dimisit, quod nesciret quam diuturna futura esset, ea quam inceperat experientia.

X. Cui Dominus benedicit.

c. 26. 4. & segq.

Cur dicatur Gethæus.

ANNVS MVNDI 2990.

DAVIDIS 11.

ABIATHARIS 6.

DERCYLI 40. & vlt. Imperij Assyriorum 1059.

ANTE CHRISTVM 1063.

VIcta cum Impetio deposuit hoc anno Dercylus, ex chronologia Eusebij, qui ei regni 40. annorum periodum attribuit, Africanum secutus. Est autem hic idem annus primus Arcæ in Sione à Dauide collocatæ, vbi ad annos 40. & vnum permansit, dum Salomonis templo perfecto, in eius oraculum translata est. Ad hæc enim templi fundamenta reliqui sunt anni 34. quibus addendi sunt anni sex cum

I. Dercyli obitus.

deductio Arcæ in Sion.

c. 6. 12. & seqq. c. 15. & 16

quibus templum ipsum ædificatum est. Tertius porro iam mensis abierat, ex quo mœrebat Dauid frustratum se expectatione sua, & propiore apud Arcam fœderis communicatione cũ Deo. Obededom autem lætus & incolumis diuina benedictione fruebatur. Quod cum Dauidi renunciatum esset, exhilaratus est, & sancta æmulatione commotus, statuit Arcam Domini cum benedictione inferre in domum suam, in ciuitatem Dauid. Itaq; fecit, sicut explicatur tam in 2. Regum, quam in 1. Paral. quæ breuiter ad 4. capita reuocantur, quò delata fuerit, à quibus, quomodo, quòue apparatu, & quis cultus Arcæ in Sione delatus.

II. Locus ibi ei paratus. 2a. 15. 1. ca. 6. 17.

Quod ad locum attinet, antequam Dauid educeret Arcam ex Cariathiarim, parauerat ei locum in arce Sionis; eique retenderat tabernaculum, vt est in 1. Paral. & 2. Regum, in ipsa inquam arce Sion, siue ciuitate Dauid, vt ex vtroque loco intelligitur, non tamen in ipsomet Dauidis palatio, sed in vicino loco. Idque satis ipsa Scriptura significat illis verbis. *Fecit quoque sibi domos in ciuitate Dauid, & ædificauit locum Arcæ Dei*, domos inquit, vnam videlicet sibi, Arcæ alteram. Eique expositioni fauet ratio. Nam locus hic futurus erat instar templi, ad quod non solum plurimi Sacerdotes & Leuitæ, sed magna etiam populi multitudo conuentura erat, quod ipsi regio palatio non conueniebat, partim propter ingentem Dauidis familiam, & præsidiariorum militum turbam, partim quod regia ab omnibus passim adiri nec potest, nec debet, ne sub deuotionis specie regis salus in discrimen vocetur. Denique hic Arcæ locus domus Domini non semel appellatur in Scriptura ipsa.

2. Reg. 12. 20. 1. Par. 6. 31. 48.

III. Fuisse palatium a regio diuersum.

Existimat itaque Abulensis hunc Arcæ locum fuisse magnum quoddam palatium in cuius medio aula quædam erat prægrandis, quæ in extremo vno habebat tabernaculum ex pellibus hyacinthinis, quod Dauid Arcæ tetenderat, in medio vero eius Arca constituta erat. Circumquaque autem multa erant cubicula, & exedræ cantorum, & ianitorum, à quibus statis temporibus canebatur, & ianuæ claudebantur, & aperiebantur, ne ad domum Dei aditus cuipiam immundo pateret. Nam ne Dauid quidem eò ausus est ingredi, post mortem infantuli sui, nisi Purificatus; & tum demum *ingressus est domum Domini, & adorauit*. Et rursum Arca in arce collocata, postquam ibi sacrificatum est, dicitur Dauid reuersus in domum suam, vt benediceret domui suæ. Erant ergo diuersæ domus. Cantores autem distributi erant per ordines suos ad dexteram & sinistram. Erat ibidem altare coram Arca in quo offerebantur holocausta, & pacifica. Ibi autem ius asyli fuisse Adonias & Ioab, sub initia regni Salomonis, suo exemplo docuerunt. Vterque enim confugit ad tabernaculum & tenuit cornu Altaris. Denique tabernaculo Mosaico, quod erat Gabaone, aliquo modo respondebat.

Eiusdem dispositio &c. 2. Par. 16. fin. 1. Par. 6. 39. 44.

1. Par. 6. 49. & c. 21. 29.

IV. Arcã delatam fuisse à Sacerdotib.

Iam verò à quibus delata fuerit Arca dubitari potest. Et certum quidem est id onus à Moyse in deserto Caathitis impositum fuisse, eam tamen in celebritatibus à Sacerdotibus honoris causa gestatam fuisse, ipse vsus docuit. Nam in transitu Iordanis, quando Arca quasi in supplicatione deferebatur, ad aperiendum Iordanem, à Sacerdotibus portatam legimus. In alia quoque supplicatione ad montes Hebal & Garizim eam portauere Sacerdotes, sicut & in oppugnatione vrbis Iericho, cum Arca quasi debellatrix septem ipsos dies circumferebatur. Denique, cum translata est Arca à ciuitate Dauid ad templum Salomonis, Sacerdotes eius fuere gestatores. Quare igitur in hac celebritate, qua victrix Arca in Sionis arcem, quasi in Capitolium Hebræorum deferebatur, id ei honoris non fuerit delatum? præsertim id affirmante Iosepho, & Scriptura non repugnante, quæ nomen Leuitarum latius accipit, non exclusis Sacerdotibus, qui reuera erant filij Leui. Sed hæc pluribus in Annalibus disputantur.

l. 7. Ant. c. 4.

V. Quis pompæ modus, & apparatus. 1. Par. 15. 3

Quod ad pompæ apparatum attinet, primùm conuocatus est iterum populus vniuersus, ad opus perficiendum, quod trimestri spatio fuerat interruptum. Conuocatio autem Leuitarum, & numerus eorum per sex familias ipsorum accuratius recensetur, præmissis duabus Sacerdotum familijs; quarum omnium principes admonet Dauid vt sanctificentur, & præparentur ad Arcam deferendam in destinatum locum; & quidem ritu à lege præscripto, ne rursum diuina animaduersione plectantur.

Apparet autem hanc fuisse huius pompæ dispositionem, quantum ex Scriptura colligere licet, vt Arcam quaterni Sacerdotes ferrent in humeris, per vectes ad breuiora eius latera immissos. Sic enim & Arca melius apparebat, & ipsi dorsum Arcæ non vertebant, vt alibi explicatum est. Ad latera aderant quaterni qui dicuntur ianitores Arcæ siue custodes, qui prouiderent ne quis temerè ad Arcam propius accederet, turbamque summoueret. Arcam proxime præcedebant nouem Sacerdotes, quorum duo erant principes Sacerdotum Abiathar Pontifex & Sadoc, vterq; cum vestibus, omnique ornatu suo; septem autem reliqui tubis coram Arca clangebant, quas apparet fuisse argenteas, quorum vsus erat in Iubilæis. Hos autem antecedebat non exiguus sacerdotum numerus, qui partim cum Leuitis canebant, partim crebris sacrificijs operam dabant.

VI. Septem chori Leuitarum.

Leuitæ porro distributi erant in septem choros, diuisi in ordines duos, quorum prior, constans tribus choris, antecedebat Arcam, quatuor sequebantur, & varijs omnes musicis instrumentis, vocibusq; Dei laudes concinebant. Tota autem pompa lente admodum procedebat, quod sexto quoque passu sacrificia fierent à singulis choris, per Sacerdotes qui in illis erant. Itaque quod in 2. Regum dicitur immolatus bos vnus, cum vno ariete, in primo autem Paral. septem tauri & totidem arietes, nulla est repugnantia. Nam prior locus docet quid fieret in singulis choris, posterior quid in omnibus simul. Cum ergo Arca Domini sex passibus cum vniuersa pompa processisset, Arca super præparatam mensam aulæo instratam imponebatur, statimque suam à singulis choris sacrificium fiebat, in altari, quod in eum vsum commode circumferri posset, boue vno, qui modo taurus, modo vitulus appellatur, & vno ariete immolato: sicq; Deus frequenti sacrificio honorabatur, & tanto populo epulum, de tot pacificis hostijs, parabatur.

2. Reg. 6. 13 1. Par. 15. 26.

Et septena sacrificia.

Persona-

VII. Alacritas Leuitarū & Dauidis

Personarum hilaritas in tanta celebritate facile per se intelligi potest, eam tamen Scriptura innuit, partim in Leuitis, qui nominatim à Domino dicuntur *adiuti*, id est, mirabili alacritate perfusi, in Arca humeris ferenda, Deo id agente, vt clare agnoscerent gratam sibi esse hanc Arcæ gestationem, præ vectatione præcedenti: partim in Dauide, qui *indutus stola byssina saltabat totis viribus ante Arcam*. Nec tamen existimandum est Dauidem, qui honorandi Numinis causa regias vestes deposuerat, non reformidasse Deum offendere, in vsurpando cultu vestituque Leuitico. Nam legimus, *Porro Dauid erat indutus stola byssina, & vniuersi Leuitæ, qui portabant Arcam*, quam stolam mox Ephod lineum interpretatur. Verum cum Leuitis nullæ propriæ vestes assignatæ essent, potuerunt Laici, modo ne in contemptum Leuitici status, ijsdem cum illis vti vestibus, vtpote non sacris: qualia sunt quæ dicuntur superpellicea, quibus etiam non clerici nunc vtuntur, sine culpa aut reprehensione cuiusquam, præsertim in supplicationibus & pompa solenniore; qualem vidimus Parisijs non semel, cum S. Genouefæ ipsana, à Laicis in stola byssina, multo cum apparatu deferrentur.

An indutus vestitu Leuitico. 1. Par. 15. 27

VIII. Arca sacrificijs honoratur. Psal. 28.

Constituta Arca in nouo Dauidis tabernaculo, obtulit Dauid holocausta & sacrificia pacifica, coram Domino, sed & populum ad eadem pietatis officia inuitauit, Psalmo in id compositō, qui inscribitur, *Psalmus Dauid in consummatione tabernaculi*, cuius initium est. *Afferte Domino filij Dei, afferte Domino filios arietum.* Neque frustra inuitauit; nam etiam ipsi *obtulerunt holocausta, & pacifica coram Domino*. Ex quo etiam consequens est ante tentorium Arcæ sub dio excitatum, fuisse altare nouum holocaustorum, in quo victimæ imponerentur, ad quod sanguis hostiarum funderetur, in quo tum adipes, tum totæ victimæ exurerentur, cæteraque legitima rite perficerentur. Nam altare æneum, quod Molis iussu fabricatus erat Beseleel, in Gabaone remansit, vt Scriptura testatur primo Paral. decimo sexto, & initio secundi. Erexit quoque Dauid, in hoc nouo tabernaculo, altare thymiamatis, & super vtrumque altare filij Aaronis adolebant incensum, vt est in 1. Paral. cap. 6.

2. Par. 2. 5.

1. Pa. 6. 49

IX. Dauid populo benedicit ac benefacit 1. Par. 16. 2.

His peractis *benedixit* Dauid *populo in nomine Domini exercituum*, id est, salutauit eum, laudauitque de adhibita opera in honoranda Arca Domini, tam exhibendo præsentiam supplicationi, quam sacrificijs religiose offerendis. Sed nec Pontificem Abiatharem isti muneri tam solenni die defuisse credendum est; præsertim cum extaret in lege præscripta formula benedictionis. Dauid porro non verbis tantum populo benedixit, sed rebus ipsis ad conuiuandum benigne fecit. Nam diuisit vniuersis, per singulos à viro vsque ad mulierem, tortam panis, & partem assæ carnis bubulæ, & frixam oleo similam, id est, laganum. Sicque dimisit populum in domos suas. Videtur tamen primarios quosque viros excepisse conuiuio, de sacerdotibus præsertim ac Leuitis, iuxta Domini mandatum.

Nu. 6. 23.

Deut. 12. 18. 14.

X. Cultus

In ordinarium porro Arcæ cultum distribuit Dauid officia sacerdotibus ac Leuitis, vt capite decimo sexto 1. Paral. præscriptum est. Eos enim bipertito diuisit, vt alij apud Arcam Domini in arce ministrarent, alij in excelso Gabaonitico. Prioribus præfecit Asaph Leuitam, posterioribus Sadocum sacerdotem. Vtrisque autem præpositum fuisse Abiatharem pontificem dubitandum non est. Nihil enim à Dauide, toto regni sui tempore, circa eius dignitatem innouatum est. Sacrificia porro, quæ vtrobique fiebant, ita distinguit Tostatus, vt Gabaone illa fierent quæ erant ordinaria atque legitima: in ciuitate vero Dauidis, quæ erant votiua, aut priuatæ deuotionis. Sed iamdudum tempus est vt Dauidem reducamus domum, vt benedicat domui suæ, id est, quod præsenti celebritati consentaneum est, cum domesticis & amicis, & primarijs viris, vt ante dixi, lætus epuletur.

Deum Sion & in Gabaon.

1. Reg. 6. 22. & 1. Par. 16. 4. 5. & 15.

XI. Michol arguit Dauidem. 2. Re. 6. 20

At Michol, quæ domi substiterat, cum prius Dauidem saltantem contempsisset, conceptum animo dolorem diu retinere non potuit, sed cum venienti marito officiosè, vt par erat, occurrisset, cum prima salutatione: *Quam gloriosus*, inquit, *fuit hodie Rex Israel, discooperiens se ante ancillas seruorum suorum, & nudatus est, quasi si nudetur vnus de scurris.* Ironicam locutionem omnes sentiunt. Michol quæ saltantem contempserat, nunc denudatum reprehendit, eique reprehensioni Caietanus & Abulensis patrocinantur. Non tamen conuenit existimare Dauidem in hac non ioculari, sed religiosa saltatione, immemorem fuisse honestatis: aut non satis prouidisse, ne contra eam casu aliquo peccaretur. Et quamuis non desint, quæ pro Michole dici possint, quæ nullo in Dauidem deteriore motu ferebatur, quem iampridem constanter, etiam cum paterna offensione dilexerat: an culpa tamen eam fuisse dubitari non debet, cum eam Deus ea castigatione puniuerit, quæ principibus fœminis solet esse grauissima, vt fructu coniugij perpetuo caruerit. Quæ pœna fuit in Michole acerbissima, quod cum esset regis Saulis filia, & prima vxorum Dauidis, non temere sperabat vnum aliquem de filijs suis, in regnum Dauidis solium aliquando euectum iri.

An recte

XII. Dauid ea vicissim reprehendit.

Dauid autem acceptam hanc à muliere contumeliam tacitus non tulit, siue quia in Dei iniuriam redundabat, siue quia & regis erat, & coniugis vxorem arguere delinquentem. Factus autem videtur ex muliebri irrisione commotior, vt qui statim à iureiurando exordiatur. *Ante Dominum*, inquit, siue, viuit Dominus, *quia ludam ante Dominum, qui elegit me potius, quam patrem tuum, & quam omnem domum eius.* Abijcere se vult, non coram hominibus, quorum factus est princeps, sed coram Deo, & in eius gratiam, qui ipsum extulit in apicem humanæ dignitatis. Mulieris autem fastum comprimit, quam fiducia generis audaciorem reddiderat, dum illi exprobrat diuinam, tam parentis eius, quam vniuersæ illius in posterum familiæ, reprobationem. Tantum autem abest vt Dauidem pœniteat, vitro susceptæ ad Deum honorandum humilitatis, vt eam etiam amplificare constituat. Ludam, inquit, & vilior fiam, plusquam factus sum, & ero humilis in oculis & æstimatione mea, quan-

1. Reg. 6.

Nec eum pœniter, humilitatis suæ.

tumuis alij me, meaque offerant, atque deprædicent.

XIII. Cõsilium Dauidis de templo.

Conceptus porro à Dauide in Arcæ translatione deuotionis feruor, eiusdem zelum diuini honoris accendit, & ad aliquid longe præstantius pro diuinæ maiestatis cultu audendum incitauit. Id consilium ad hoc tempus pertinere, tum res ipsa per se, tum series sacræ narrationis persuadet: fateturque Abulensis hoc loco, consilium de templo ædificando breui à Dauide susceptum, post Arcam in Sione collocatam. Occasio fuit requies illi data diuinitus ab vniuersis inimicis suis: causa religiosa voluntas Deum honorandi, colendique magnificentius, quando illum tam liberalem erga se hactenus esset expertus. Insita porro pietas ea comparatione acuebatur, quam verba illa continent, quæ dixit ad Propheram Nathan. *Vides ne quod ego habitem in domo cedrina*, quod scilicet attinet ad materiam ligneam, *& Arca Dei posita sit in medio pellium?* Tam sollicitus est diuini cultus religiosissimus princeps, ipsum vt prophetam, omnesq; Sacerdotes, quorum maxime munus erat ista cogitare, & regi suggerere, ipse præueniat, & ad quandam sui reprehensionem pertinere arbitretur, quod ipse magnificentius, quam Deus ipse habitare videatur.

XIV. Id cum Nathane communicat.

Fuit hic Nathan non filius Dauidis ex Bersabæa, quæ nondum Dauidi nupserat, sed vnus de prophetis, quo Dauid familiariter vtebatur. Itaque iure familiaritatis & amicitiæ, Dauid desiderium suum cum eo communicauit, vt amici inter se solent. Non consuluit autem tanquam prophetam, vt per eum Dei voluntatem exquireret: alioqui præceps fuisset eius responsio, nec regiæ voluntati satisfecisset: sed eo potius animo illi mentem suam aperuit, vt rem sanctissimam, minimeque dubiam, iunctis ambo consilijs, viribusque promouerent. Nathan ergo prima specie probabilitatis allectus, ratus in re laudatissima de diuina voluntate nihil ambigendum esse. *Omne*, inquit, *quod est in corde tuo vade fac, quia Dominus tecum est*: quo scilicet inspirante ascendit in cor tuum ista cogitatio. Etsi enim noluit Dominus templum à Dauide ædificari, voluit tamen ipsum id velle, & spatio 30. ferme annorum, sumptus & materiam magnificentissimo templo præparare.

Quod ille probat.

XV. Dominus autẽ improbat. 2. Reg. 7.

Non distulit porro Dominus patefacere prophetæ voluntatem suam, sed proxima nocte ab illo colloquio plurimus cum eo egit de ijs, quæ Dauidi nunciari vellet. Totum porro Dei oraculum tribus capitibus continetur, negatione ædificationis, & gemina promissione, altera de familia Dauidica in perpetuum in throno regio conseruanda; altera de suscitando ipsi filio, à quo templum Domino ædificaretur. Cur autem à Dauide noluerit ædificari, ratio primaria est diuinum beneplacitum: quod hactenus viatoria domo contentus, vrbanam stabilem non desiderarit, nec adhuc ædificari cupiat, donec dederit Dauidi filium, cui id opus destinauit. Nam bellicæ occupationes, & sanguis plurimus ab eo effusus, quæ alibi memorantur, causam adæquatam non continent. Ne porro hæc recusatio defectui diuinæ in Dauidem beneuolentiæ tribui posset, collata in eum beneficia memorat, quæ sunt totidem beneuolentiæ argumenta. Quibus additur illa quasi referendæ gratiæ causa, vt

Et qua de causa.

quoniam Dauid Domino voluit ædificare domum: Dominus illi vicissim se ipsi domum siue familiam regiam ædificaturum spondeat, eamque sempiternam: id est, non qualis fuit Saulis, sed longissimi temporis. Accedit quod regnum Dauidis, post mille circiter annos, in spiritale Christi regnum transiturum erat, quod mansurum est vsque ad consummationem seculi.

XVI. Dauid gratias agit Deo, de promissione perpetuæ familiæ.

His respondens Dauid, totus in gratiarum actionem effunditur, promissaque confirmari postulat, nec frustra. Nam in vtilitatem nepotum exauditus est, quibus Dominus crebro pepercit, *propter Dauid seruum suum*. Mirum est autem eum nullam extruendi templi facere mentionem, quod tamen eius animo vehementer insederat. Nimirum sentiebat rem immutabili decreto à Deo Salomoni reseruatam: quia tamen cupiebat templo aliqua ratione pro sua deuotione cooperari, locum exquisiuit, in quo excitandum erat, vt ex Psalmo 131. intelligitur, idque diuinitus accepit, atque adeo totam eius descriptionem, vt alacriter ad materiam eius multiplicem, sumptusque præparandos incumberet: idque ex 1. Paral. c. 28. constat, eamque reuelationem ad hoc tempus pertinere Abulensis, Pineda, alijque censent.

Quid ei de templo reuelatum: *vers.* 11. 19

ANNVS MVNDI 2991.

DAVIDIS 11.

ABIATHARIS 17.

EVPALIS Regis 1. Assyriorum Imperij 1060.

ANTE CHRISTVM 1062.

I. Nouus Imperator Assyrius.

ASSyriorum Imperio nouus hoc anno suffici tur Imperator, Eupales Eusebio, Eupacmen Africano: vterque ei annos regni tribuit octo supra triginta. Sed hic ipsum ordine trigesimum quintum esse vult, ille autem, omissis 4. intermedijs, vt alibi notatum est, trigesimum primum. Vt autem Dauid intelligeret non tam ædificandi templi, quam belli gerendi tempus esse, mox post prædictum oraculum Deus multis eum bellis deinceps exercuit, vt circumpositos populos suæ ditioni subijceret, in primisque Philisthæos: neque enim, quamuis Israelitas pessimè odissent, tanta superbia toties victis fuit, & nuper gemino prælio superatis, vt Dauidem prouocarent: sed ipse è contrario, Dei nutu, tanquam reliquias Chananæorum, Philisthæos inuasit. Voluit quoque Dominus vt ex victoriarum manubijs, & omni hostili præda ingentes templi sumptus paulatim præparaterentur, vt ex hoc ipso c. 8. liquet, quod Theodoretus quoque notauit.

Bella Dauidi imminẽtia. 2. Reg. 8.

Quale autem & quantum fuerit hoc bellum contra Philisthæos, quam breue aut diuturnum, vbi & quomodo gestum, vel inchoatum, Scriptura præterijt: belli effectum indicare contenta, & quidem obscurè, ait enim. *Percussit Dauid Philisthæum, & humiliauit eos. Et tulit Dauid*

v. 10. & 11. Psal. 131

II. Primum cõtra Philistæos.

frenum

frenum tributi de manu Philisthijm. Hoc frenum tributi Scriptura ipsa alibi interpretatur ciuitatem Geth, & oppida quæ ex ea quasi municipia pendebant. Ex quo suspicari licet Gethæos tributa nomine totius gentis exigere soliros ab Israelitis, dum seruirent Philisthæis. Tributum autem frenum appellatur, quia eo populi tributarij, sicut equi freno continentur, dum pecunijs exhauriuntur ne bellum gerere possint. Vult autem Abulensis Dauidem omnem tributi pensitationem sustulisse. Rectius tamen videtur Philisthæos gemina illa clade, quam ante quatuor annos pertulerant, afflictos nullum deinceps ab Israelitis tributum accepisse: nunc autem tributa vicissim Dauidi pendere fuisse compulsos, quod sentit Iosephus, Seratius, Emanuel Sa. Quin etiam refert ex Hebræis *a* Hieronymus à Dauide quinque Philisthæorum ciuitates subiugatas, & tributis oneratas. At Iosephus *b* Scripturæ congruentius, quæ solius Gethæ, & filiarum eius meminit, ait bona agri parte mulctatos, eamque Iudæorum terræ contributam.

Quamuis autem non liqueat quandiu bellum hoc Dauidem tenuerit, recte tamen conijcere possumus plures in eo menses fuisse consumptos. Erant enim Philisthæi armis virisque præpotentes, & ciuitates habebant munitissimas, quæ post aduersum aliquod prælium, obsidionem diu ferre poterant; Et nunc pertinacius pugnabatur, quod de subeundo iugo seruitutis, & accipiendo freno agebatur, ab ijs, quos iam frequenti ac diuturna pressérant seruitute. Itaque facile possumus hunc annum isti expeditioni tribuere. Cum enim Dauid non ex necessitate pugnaret, sed tempus sibi pro arbitrio assumeret, vt significatur *c* in bello quo aduersus Ammonitas pugnauit, post aliquot menses in bello positos, Hierosolymam ad hyberna reuertebatur, reficiendi militis & regendi populi causa, donec appetente vere, quo solent reges ad bella procedere, nouam ipse expeditionem susciperet.

Quos reddit tributarios.

a *In Trad. Hebr.*

b *l. 7. c. 5.*

III. Quã diuturnum hoc bellũ

c *2. Reg. 11. 1.*

ANNVS MVNDI 2992.

DAVIDIS 13.

ABIATHARIS 18.

EVPALIS 2. Imperij Assyriot. 1061.

ANTE CHRISTVM 1061.

I. Dauidis bellum contra Moabitas

PVgnatum est hoc anno contra Moabitas, iuxta rationem temporis, quam paulo ante stabiliuimus, & bellum ab occiduis finibus Hebræorum, ad orientem trans Iordanem, vbi Moabitæ & Ammonitæ habitabant, traductum est. Belli huius causam non facile est reperire, grauem tamen aliquam intercessisse necesse est, ne Dauidem crudelitatis accusare cogamur, qui in eos seuerius multo, quam in Philisthæos animaduerterit, à quibus tot iam clades acceperant, & noua perpetuo bella suscitabant. Præsertim cum Moabitæ optimè de Dauide meriti viderentur, vt qui vtrumque ipsius parentem, tutum apud se incolumemque seruauerant, eo præsertim tempore, quo eum Saul nullo in loco quietum esse patiebatur. Abulensis causam ab altiore accersit initio, ex ipsa videlicet lege Mosaica *d*, in qua iubentur Israelitæ pacem cum Moabitis & Ammonitis nunquam facere, *quia noluerunt*, inquit, *vobis occurrere cum pane & aqua in via quando egressi estis de Ægypto.* Sed addiderunt ad hanc inhumanitatem, conductum Balaam pseudopropheram ad maledicendum Israelitis. Addere potuit & nefarium eius consilium, ex quo grau a damna importata sunt in Hebræos, & nominatim *e* cædes 24. millium Israelitarum. Ergo tam ex legis præcepto, quam ex hoc damno illato, potuit Dauid eos bello petere, sibique subjcere. Quamquam nouam aliquam iniuriam interuenisse apparet, Deo permittente, vt muscæ morituræ candelam extinguere conarentur.

Quæ belli causa,

d *Deut. 23. 3. 4*

e *Nu. 25. 9*

Percussit ergo Dauid Moab, & mensus est eos funiculo coæquans terræ. Mensus est autem duos funiculos, vnum ad occidendum, & vnum ad viuificandum: factusque est Moab Dauidi seruiens sub tributo. Hæc tantum Scriptura hoc de toto bello. Quæ verba satis obscura sic interpretatur Iosephus *f*, *In Moabitas bellum traduxit, eorum copias ita concidit, vt tertia tantum pars superesset, quam in deditionem accepit, eisque annuum tributum imposuit. Et hoc allegorice dictum*, ait Beda, *significans quod in sua potestate habuerit, nullo vtique contradicente, quotcorum necdaret contumaces, quibus parceret subiectis*, sic ipse, qui & funiculum sortem interpretatur. Vt scilicet sorti dederit victos, & in quos sors alia incideret, viuos relinqueret, sed tributarios.

II. Quanta clade affecti.

f *Ant l. 7. c. 5*

In hoc porro bello Moabitico egregie se gessit Banaias filius Ioiadæg, qui in secunda triade fortium Dauidis secundus fuit, & percussit duos leones Moab, id est, interprete Hieronymo *h*, duos fortissimos viros qui Moabitas tuebantur, *Iste*, inquit Iosephus, prouocatus à duobus fratribus, virtute inter Moabitas illustribus, vtrumque confecit. Hæc porro omnia breui quidem verborum compendio à Scriptura narrata sunt, non tamen breui admodum tempore perfecta videntur. Dauidis enim in eos seuenitas maiorem eorum in resistendo obstinationem videtur indicare, præsertim si eorum arces diruræ, & solo æquatæ sunt, vt nonnulli crediderunt.

III. Banaiæ egregia in hoc bello virtus.

g *2. Re. 23.*

h *in Trad. 2. Reg.*

ANNVS MVNDI 2993.

DAVIDIS 14. ABIATHARIS 19.

EVPALIS 3. Imperij Assyr. 1062.

ANTE CHRISTVM 1060.

I. Dauidis bellũ cõtra Syrũ Adarezer.

DEcimus quartus Dauidis annus tem ab eo contra Syros gestam continet, tam Syros Sobæ, quam Syros Damasci: eratque vtraque Syria contermina dimidiæ tribui Manasse trans Iordanem. Syria quidem Soba, quæ & Cœlesyria, & caua Syria dicta est, ex orientali parte, Syria vero Damasci versus Septentrionem.

Cum ergo Adarezer rex Syriæ Soba profiscerentur versus Euphratem, vt eam sibi regionem vindicaret, inuasit eum Dauid, & ingenti clade affecit. Sed quæ belli causa, quæ hominibus probari posset, ne tyrannus audiret aut prædo, potius quam Imperator?

II. Quæ belli causa.

Crediderim hunc regem armis, viris, diuitijsque potentem, cum haberet suspecta Dauidis incrementa, vt vsuuenit vicinos inter principes, Moabitis auxilio venisse contra Dauidem, quos, sicut & Ammonitas, habebat quasi pro muro aduersus Israelitas. Itaque ijs defendendis suum se regnum defendere, atque in tuto collocare arbitrabatur. Quæ etiam causa fuit cur, quamuis magna clade affectus fuisset hoc tempore, non multo post Ammonitis: contra Ioabum auxilio fuerit. Accedit quod diuina prouidentia tam suauiter Dauidis arma, pugnasque disposuit, vt quos populos volebat à Dauide subiugatos, ab ijs permitteret, belli etiam humano iudicio legitimi, iustam causam dari.

i 2. Reg. 10

III. Belli apparatus vtrimque.

Magnum fuisse vtrimque belli huius apparatum duo docent, primùm quod alter magnam cupiebat regionem ad Euphratem recuperare: alter illum ipsum magnis instructum copijs inuadere: alterum magnitudo cladis, de qua mox dicetur. Quidam pugnatum putant circa Euphratem. At probabilius est circa eas vrbes exercitus fuisse congressos, quæ mox Israelitis prædæ patuisse dicentur. *Capit autem Dauid*, vt est in 1. Paral. *mille quadrigas eius, & septem millia equitum, ac viginti millia virorum peditum, subnerauit quoque omnes equos curruum*, qui scilicet ex vulneribus inutiles erant, *excepto centum quadrigis, quas reseruauit sibi.* Verum hæc clades non paulo minor ponitur in 2. Regum, sed ea loca in Annalibus conciliantur.

IV. Syri quoque Damasceni vincuntur. ca. 18. 5.

Venit quoque Syria Damasci, vt præsidium ferret Adarezer regi Sobæ, Adado rege Duce; sic enim eum vocat Iosephus cum Nicolao Damasceno. *Et percussit Dauid de Syria* Damascena *viginti duo millia virorum.* In 1. Paralip. Dicuntur Damasceni isti superuenisse ad auxilium ferendum Adarezer. Tardius tamen venisse videntur, quam vt se cum præcedentibus coniungere possent, siue Dauidis industria coniunctionem anteuertentis: siue Domini prouidentia aliorum aduentum retardantis, vt seorsim facilius debellari possent, nec alij alijs opem ferre. Nec credibile est omnes illos Damascenos, qui à Dauide percussi dicuntur, ad vnum interfectos. Erant enim admodum fugaces, vt in eo bello intellectum est, quo Ioab pugnauit contra eos. Vsus porrò victoria Dauid, Damascenos istos sua clade conterritos, antequam sese colligere possent persecutus, totam Syriam Damasci occupauit, *& posuit in ea præsidia. Factaque est Syria Dauidi seruiens sub tributo.*

2. Reg. 10. 13.

V. Spolia Syrorum aurea. 1. Par. 18. 7

Et tulit nihilominus in præsentia *arma aurea*, pharetras explicat liber Paral: In Hebræo vtrobique habetur scuta aurea, id est, plurimo auro ornata, atque illustria. Nam arma ad offendendum, aut ad defendendum idonea ferro, quod domat omnia, melius quam auro conflantur. Quanquam hæc scuta aurea non erant seruorum Adarezer, neque his pugnabatur, sed gestabantur ab eis coram rege, ad ostentationem magnificentiæ eius, vt ex Hebræo intelligi potest: qualia & Salomon fabricatus est, illius fortassis exemplo. Abstulit quoque Dauid ex ciuitatibus Adarezer ingentem vim æris, *de quo fecit Salomon mare æneum, & columnas, & vasa aurea*, vt habet liber Paral. Abstulit quoque magnam auri argenti que copiam, vt Iosephus asserit, & res loquitur ipsa per sese, eum qui scutis vteretur aureis, non ignobiliore abaco vsum fuisse. Bello itaque contra Syriam feliciter confecto, Dauid domum victor reuertitur, gloria & diuitijs vehementer auctus: relictis tota Syria validis, crebrisque præsidijs, maiore etiam sui nominis terrore, ac felicitatis merito. Quippe cui Dominus aderat in cunctis quæ aggrediebatur, quem conseruabat ac iuuabat, nemo vt hostium ei nocere posset, nemo se ab eo incolumen conseruare.

3. Reg. 7. 51.

1. Par. 18. 8. 1. 7. 8. 9.

VI. Thou rex Emath cũ muneribus Dauidi gratulatur, quærit amicitiam.

Quæ causa fuit, vt Iosepho placet, cur rex Emath nomine Thou Dauidis amicitiam expeteret. Misit certe, vt ex Scriptura constat, legationem honorificam, quam Ioram filius eius obijt, vt Dauidem saluraret, eique victoriam non solum gratularetur, sed gratias etiam ei ageret: quasi accepto beneficio, inimico suo clade magna prostrato. Vt autem gratior esset legatio, obtulit Ioram Dauidi vasa aurea, argentea & ænea, quibus pacem redimere honorifice cupiebat, quæ Dauid in vsum destinati templi consecrauit. Ad hoc porro tempus pertinet Psalmus 59. vt ex eius inscriptione liquet: ex qua habetur, quod non est in historia, flammas scilicet in domos iectas, & plumbum in locis contra Syros igne sæuitum esse. Ibidem etiam Mesopotamia Syriæ dicitur, quæ in 2. Regum Syria Damasci, & Syria fluminum Hebraico more dicitur, non à Tygri & Euphrate, sed à Pharphar & Abana, quæ sunt in Syria Damascena, vt olim dicebat Naaman Syrus.

Mesopotamia Damascena. 4. Re. 5. 12.

ANNVS MVNDI 2994.

DAVIDIS 15.

ABIATHARIS 20.

EVPALIS 4. Imperij Assyr. 1063.

ANTE CHRISTVM 1059.

I. Bellum contra Idumæos. 2. Reg. 8. 13. 3. 14. in 2. Reg.

IMpletur hoc anno illa Isaaci benedictio, quæ Iacobum Dominum constituit fratris sui Esau, vt notarunt Theodoretus, atque Procopius. Cur autem in hunc potissimum annum bellum Dauidis contra Idumæos coniectamus, ex tota horum bellorum serie satis intellectum arbitror, ac probatum. Causam belli huius difficile est inuenire, cum illud certo constare debet, Dauidem, virum religiosum ac timentem Deum, sine causa illud minime suscepisse. Ex loco tamen in quo pugnatum est, qui vallis Salinarum dicitur, estque in tribu Iudæ, ad extremum maris mortui, aliqua coniectura duci potest, Idumæos, diuina id permittente prouidentia, bello aggressos esse Israelitas Salinarum

causa

causa. Hoc porro bellum variis ex rebus satis impeditum, vt in Annalibus latiùs explicatum est in hunc modum arbitror esse confectum, conciliatis omnium Scripturæ locis, in quibus de hoc bello agitur.

II. Quomodo confectum. 2. Reg. 8. 13. 14. 1. Par. 18. 12. 13. 3. Reg. 11. 15. 16. Psal. 59. in inscript. Ioseph. l. 7. c. 6.

Bello itaque Idumæos inter atque Israelitas conflato, Ioab princeps militiæ fratri suo Abisai gloriam acquirere cupiens, eum in vallem Salinarium, cum copijs Dauidicis, contra Idumæos misit, & Domino exercituum, Dauidi, cuius auspicijs res gerebatur, fauente, victoria penes Israelitas stetit, eoque prælio 18. Idumæorum millia periere, & reliquo populo tributum impositum est, ad quod exigendum, & Idumæos in officio continendos, præsidium militare positum est ab Abisai in Idumæa. At Idumæi, qui inuitissimè iugum Israelitarum ferebant, nacti occasionem aliquam, incautum Israelitarum præsidium interemerunt, & seruitutis iugum præpropere excusserunt. Quo cognito Dauid ingenti mœrore super inopinata suorum clade affectus, Ioabum eo cum exercitu misit, qui interfectis præsidiarijs suis iusta persolueret, & Idumæos castigatos restitueret seruituti. Ascendit eò Ioab, & sex mensium spatio ita attriuit Idumæos, vt omne masculinum deleret vsq; ad duodecim millia. Quando Adad Idumæus, qui erat de semine regio, adhuc infantulus à fugitiuis seruis patris sui, delatus est in Ægyptum. Dauid autem in mœrore illo deleti suorum præsidij Psalm. 59. composuit. Gemina porro expeditio contra Idumæos facile annum tenuit, cum posterior sex mensibus ibi Ioabum detinuerit.

ANNVS MVNDI 2995.

DAVIDIS 16. ABIATHARIS 21.

EVPALIS 5. Imperij Assyr. 1064.

ANTE CHRISTVM 1058.

I. Administratio Reip. sub Dauide.

DEderat Dominus Dauidi pacem, tam domi cum suis, quam circumquaque positis regionibus, bello subactis Philisthæis ab occidente, Syris Damascenis à septentrione, Moabitis & Syris Sophenis ab oriente, & proxime à meridie Idumæis gemina expeditione perdomitis, & sub conditione tributi seruitè compulsis; cum adiecit animum ad inspiciendam iterum domum suam, & pacata Reipub. negotia tractanda. Id significat Scriptura cum ait: *Et regnauit Dauid super omnem Israel; faciebat quoque iudicium, & iustitiam omni populo.* Vrebatur autem in administranda Repub. idoneis administris, quorum in re politica primarij duo erant, Ioab ipsius ex sorore nepos, & Iosaphat filius Achilud, ille militiæ princeps, iste à commentarijs; qui cum eodem ordine cum Ioabo collocetur, apparet eum grauiora regni negotia, quæ ad ius pertinebant, administrasse; itaque illum Gallice vocaremus, *le Conestable*, hunc autem *le Chancelier*. Tertium verò qui scriba dicitur, *Secretaire d'Estat*, nomine Saraiam, qui in 1. Paral. Susa dicitur.

2. Reg. 8. 15. & 1. Par. 18. 14.

Iam quod ad rem sacram pertinet Sacerdotes memorantur Sadoc & Abiathar, quos non est credendum simul fuisse Pontifices. Nam Sadoc Pontifex non fuit ante initium regni Salomonis, quando abdicatus est Abiathar, fuitque tantum hoc tempore Archi presbyter, sacris in Gabaone administrandis, summa sacrorum cura apud Abiatharem residente, & in domo Domini, quæ erat in Sione, cum vestibus Pontificijs, apud regem commorante, vt nulla sit necessitas hoc tempore biceps apud Hebræos cõstituere Sacerdotium: vt alio quoque loco dictum est, sed solum Abiatharem Achimelechi filium. Cerethi autem & Pheleti, quibus præpositus erat Banaias filius Ioiadæ, videntur fuisse duæ cognationes militum, qui numquam discedebant ab aula regis, quod illis regij corporis custodia commissa erat, vt ait Iosephus; quales sunt apud Galliæ regem Scotorum atque Heluetiorum præsidia. Hos autem Cerethæos & Phelethæos, plurimos fuisse constat ex eo, quòd eorum legiones à Scriptura memorantur in Hieronymi versione: filij autem Dauidis erant aulæ principes. Sic enim Sept. Sacerdotes hoc loco interpretantur.

II. Num duo pontifices. 1. Par. 16. an. Dan. 11. n. 10. Qui Cerethi, & Pheleti. l. 7. c. 6. & 11. 1. Par. 18. 17. δυνάσται.

His ita ordinatis, ait Iosephus, venit illi in mentem amici quondam Ionathæ, fœderisq; mutui, quod inter eos intercesserat: simulq; ad circumstantes, *Putasne, est aliquis qui remanserit de domo Saul, vt faciam cum eo misericordiam propter Ionatham?* Etsi autem domum Saulis vniuersè dixerit, eius tamen animus erat Ionathæ posteritati benefacere, non cæteris. Itaq; cum Siba rogatus filij Ionathæ meminisset, nihil vltra requirens eum accersiri iussit. Et posteà cum quærẽdi essent filij Saulis ad mortem, Dauid solis Ionathæ filijs pepercit. Accersitum ergo Sibam, quem Saulis libertum vocat Iosephus, & proselytum fuisse significat, rogat Dauid num quis supersit de Saulis domo, de quo ipse benemereri posset in gratiam Ionathæ. Cui Siba respondit superesse Miphiboſethum filium Ionathæ, eumque pedibus debilem, qui nunc vigesimum circiter agebat annum, cuius Machir nutritius erat, vir insignis ex antiqua familia Machir filij Manasse patriarchæ, quem videtur Isboſetho mortuo, metu Dauidis, patronum ac protectorem sibi assumpsisse.

III. Dauid misereturMiphiboſetho propter Ionatham, l. 2. Re. 9. 1.

Qui metus nunc quoq; perseuerabat, ne Dauid Saulis familiam, sibi olim infensissimam, vellet exscindere, vt sæpe noui principes facere solent. Timidium quoq; reddebat propria debilitas. Itaq; cum primum venit in conspectum Dauidis, *corruit in faciem suam, & adorauit.* At Dauid serena facie, & exporrecta fronte, *Miphiboſethe* *Qui respondit, Adsum seruus tuus. Et ait ei Dauid, ne timeas, quia faciens faciam in te misericordiam, propter Ionatham patrem tuum.* Et quidem magnam, vt qui omnes agros Saulis, qui scilicet fisco erant addicti, se illi reddituros spondeat. Qua in re alijs filijs Saulis non faciebat iniuriam, cum Miphiboſethus esset filius primogeniti, & ad eum hæreditas deuoluetetur. Sed ea misericordia non contenta Dauidis humanitas, hominem regio conuictu & familiaritate honorat: addit enim. *Tu comedes panem,* inquit, *in mensa mea semper.* Quam liberalitatem Miphiboſeth summa vt debuit, cum veneratione atque humilitate recepit.

IV. Eiusdem metus, eiusque cauta. Liberaliter, agit cum eo Dauid.

Addi-

V. Et Sibam eius procuratore constituit.

Addidit etiam Dauid mandata Sibæ in gratiã eius. Primum vt prouideat, vt domus & agri Saulis è fisco, aliorumue possessorum manibus recipiantur, & deinceps quasi propria à Miphiboseth o possideantur. Secundo vt villicatione agrorum suscepta, omnes reditus Hierosolymam ad eum referat, vt ex illis ram sibi; quam familiæ suæ, habebat enim iam vxorem, & filium nomine Micham, prospiciat de necessarijs pro conditione sua, excepto tamen victu, quem deinceps apud regem perpetuo sumpturus erat. Eam procurationem ex Regis Imperio Siba suscepit, & factus est procurator eius, cum filijs ac seruis suis.

VI. Naas Rex Ammonitarum moritur.

Dum hæc Hierosolymis aguntur contigit Ammonitarum regem amicitiæ fœdere cum Dauide coniunctum mori. Tostatus coaluisse putat amicitiam, ex eo quod Naas esset inimicus Saulis, vtpote ingenti ab eo clade affectus initio regni sui, idemque Dauidem hostiliter persequeretur. Qui autem vnius eiusdemque sunt hostes, facile inter se conueniant, vt coniunctis animis viribusque, contra communem roborentur hostem. Contigit quoque filium eius in regnum paternum succedere: ad quem propterea Dauid legationem honorificam, indicem benevolentiæ consolationis causa mittendam putauit; sed ea grauissimo bello occasionem præbuit. Videtur autem legatio, sicut & bellum ipsum, ad sequentem annum pertinere, vt paulo post dicturi sumus.

ANNVS MVNDI 2996.

DAVIDIS 17. ABIATHARIS 22.

EVPALIS 6. Imperij Assyrior. 1065.

ANTE CHRISTVM 1057.

I. Deus Ammonitas punit.

QVi nuper Moabitarum scelera iusta per Dauidem animaduersione punierat, eorũ fratres Ammonitas peccatis non dispares peremendum hoc tempore castigat: aggressus est. Ad hunc enim annum nos rerum series ipsa, & spatia temporis rebus agendis necessarium, & ordo sacræ narrationis deduxit. Annum Sabbaticum ordine quinquagesimum nonum, quem religiosissime dubitauit, Dauide pacifice regnante, religiosè fuisse obseruatum. Huic porro bello officiosa Dauidis humanitas occasionem dedit, causam autem Ammonitarum suspiciosa temeritas, & iuris gentium, in legatorum iniuria, violatio. Dauid enim memor acceptæ ab Ammonita rege gratiæ, officij sui credidit esse mittere consolatores ad filium defuncti regis. Eam gratiam Hebræi apud Hieronymũ interpretantur, quod cum Dauid à facie regis Achis simulata stultitia fugit, conculisse ad regem Naas, ibiq; benevole acceptus esset, priusquam veniret ad speluncam Odollam. Quod illi non improbabiliter dicũt. Demeteri enim voluit rex ille fortissimum inuenem, vt eo propugnatore contra Saulem, à quo debellatus fuerat, vteretur, & Israelitarum opera Israelitas vlisceretur.

Occasio, & causa belli.

II.

Sensit ergo Dauid fieri posse vt Ammonitarum hostes, captata occasione regni à veterano principe ad adolescentem translati, sinistrum aliquid in eum molirentur, ideoq; vltro illi suam operam obtulit, si res ita ferret. Quod cum legati prolixè fecissent, & amanter à principio acceptì essent à iuniore principe, ipsum mox improbi homines malitiosè peruerterunt, iniustissima calumnia Dauidẽ onerãtes, quasi per speciem officij, exploratores pro consolatoribus mississet. Cui calumniæ rex temere fidem adhibens, nulla inquirenda aut eliciendæ veritatis cura collata, nullo accusatis de tanto facinore dato loco defendendi sui, nulla prius ad Dauidem querela delata, quasi sceleris conuictos damnauit, & ignominiosæ pœnæ subiecit. Tulit enim legatos Dauidis, rasitq; dimidiam partem barbæ eorum, & præscidit vestes eorum medias vsq; ad nates, & dimisit eos, turpissime irrisos, atq; pudefactos. Qui cum non auderent se conspectui regis & populi sistere, vt nouam in populo suo confusionem vitarent, rem totam regi per nuncios exposuerunt. Quo cognito iussit Dauid eos in Iericho subsistere, dum barbæ eorum & cæsaries cresceret: nam etiam in lib. Paral. decaluati dicuntur.

Dauide, in dextero latere parte sumitur.

Legatis temere violantur

1. Par. 19. 4.

III. Ammonitæ belli parant & Syros in auxilium vocãt

Interea cum non dubitarent Ammonitæ, se tantam iniuriam Regi potenti & bellicoso factam non impune laturos, ingentes Syrorum copias, mille talentorum argenti mercede conduxerunt. Quæ summa si talenta Hebraica fuerunt, ascendit ad quatuor miliones, centum & 25. millia Francorum. Hac primum multa punitus est scurrilis Ammonitarum ludus, sed mox ludum multo magis serium ludent. Syros porro conduxerunt, iam infensos Dauidi, qui hanc occasionem excutiendi iugum Israelitarum auidè arripuerunt. Cum ergo Dauid cognouisset Ammonitas non de reparanda, sed de augenda iniuria cogitare; nihil omni eorum apparatu territus, misit Ioabum aduersus eos, & omnem exercitum bellatorum. Non dicitur congregasse, sed misisse, nimirum quos habebat ad manum, puta turmam 24. millium, qui eo mense apud Dauidem in armis erant. Id colligi potest, partim ex eo quod hostes Dauidis exercitum tanquam exiguum concludere voluerunt: partim ex eo quod postmodum Dauid dicitur contraxisse omnem Israelem, cum maioribus copijs pugnandum fuit contra Syros, qui trans Euphratem habitabant.

Mittitur in castra ab eo exercitus. Ibid.

1. Reg. 10. 17.

IV. Irrodunt contra Ioab Ammonitæ eorumq; consilium

Aduentu Israelitarum cognito, Ammonitæ, qui se in vrbe regia continuerant, siue vt recentes contra hostem ex itinere fatigatum depugnarent, siue vt si quis id casus aduersus tulisset, facilem haberent in vrbem receptum, egressi sunt, & direxerunt aciem ante ipsum introitum portæ, Syri autem seorsim in campo steterunt. Vtrorumque consilium fuit Israelitas in medio positos ab Ammonitis à fronte, à Syris à tergo cædere. Quod præcauens Ioab, copias suas bipertito diuisit, & ipse, cum electis suorum copijs, instruxit aciem contra Syros, quos vidit difficilius expugnatum iri. Reliquam autem partem populi tradidit Abisai fratri suo, qui duceret eam aduersus Ammonitas. Sperabat Ioab Syrum, vehementi impressione flectu ipsius totius exercitus sui, impulsum cessurum loco, idque reliquis Hebræis animos daturum aduersus Ammonitas, eademque opera

Quod Ioab prudenter eludit.

tudo-

timorem Ammonitis iniectum iri, vt reuera contigit. In omnem tamen euentum, *Si praualuerint*, inquit, *aduersum me Syri, eris mihi in adiutorium. Si autem filij Ammon praualuerint aduersum te, auxiliabor tibi.* Quod si vtrique vtrumque nostrum superent? Respondebit Ioab, *Dominus faciet quod bonum est in conspectu suo.*

2 Reg. 10. 11

V. Pugnatur, fugiunt Syri, fugiunt & Ammonitæ.

Hactenus quatuor exercituum ad vnicum prælium apparatus. Nec distulit Ioab Syros cum lectissimis legionibus ferociter inuadere. At ij *statim fugerunt à facie eius.* Iosephus tamen ait illos aliquantisper restitisse, sed multis eorum cadentibus, terga vertere coactos fuisse. Dominus quoque pauorem in corda Syrorum, iniustum bellum fouentium infudit, vt vix bene tentato prælio, quasi ceruis cum leonibus res foret, quamprimum auerterentur in fugam. *Filij autem Ammon videntes* Syros fugisse, *fugerunt & ipsi à facie Abisai*, & vere à facie Ioabi quoque, quem fulminis instar contra se superuenturum credebant & inuitabat ad fugam tutus & facilis in ciuitatem receptus. Non additur magnane fuerit hostium strages: non magnam fuisse credibile est, & fuga morti subtractos. Ioab quoque numero militum inferior, nec præsidijs ad obsidendam vrbem regiam necessarijs satis instructus, victoria contentus Hierosolymam reuertit, vt in hybernis de hoc bello per otium cum Dauide communicaret.

Ioab redit ad Dauidem.

Iterum autem congregati sunt Israelitæ, qui erant trans Iordanem: quos semper in armis esse oportebat, vt qui hostem haberent in ianuis.

Acriter vtrimque aliquandiu pugnatum esse. Syris præteritam ignauiam emendare studentibus, Hebræis partam gloriam retinere, atque amplificare cupientibus, cæsorum multitudo demonstrat. Sed infelices Syri non contra Dauidem solum, atque Israelitas pugnabant, sed habebant repugnantem Deum cum Angelis suis, quorum opera concussi metu, atque in fugam acti sunt, malentes incertam vitam quærere, quam certam mortem inuenire. In Cæsorum numero difficultas occurrit, quam ex Annalibus studiosus Lector petet. Cum autem Sobachus princeps militiæ Syrorum dicitur occisus, coniectura est Adarezer, cæterosque regulos fuga sibi maturè consuluisse, & vitam tributaria seruitute redemisse: nec deinceps Ammonitis auxilio esse voluerunt. Hoc bellum appetente iam hyeme terminatum esse autor est Iosephus, Dauide Hierosolymam ad hyberna reuertente.

1. Reg. 19. n. 18.

III. Vincitur, & subijciuntur Dauidi.

n. 6.

l. 7. Ant. c. 7.

ANNVS MVNDI 2997.

DAVIDIS 18. ABIATHARIS 23.

EVPALIS 7. Imperij Assyr. 1066.

ANTE CHRISTVM 1056.

I. Bellum contra Syros redintegratur. 1. Reg. 10. 19.

REdintegratum à Syris hoc anno bellum, id agentibus Ammonitis, ex fine narrationis eius intelligitur, vbi dicitur non ausos vltra Syros auxilium præbere Ammonitis, quomodo scilicet iam semel iterumque fecerant. Quanquam poterat Adarezer sponte sua conari priores reparare iacturas. Is ergo accersit auxiliares Syrorum copias, ab vltima vsque Mesopotamia. Dauid autem hoc accepto nuncio, totum contraxit Israelem. Illi Euphratem transeunt, & veniunt ad Ammonitas; transit Dauid Iordanem, & venit in Helam], quæ sine dubio nouum requirunt annum. Decimus octauus ergo Dauidis annus habet tertio instauratum à Syris bellum contra Dauidem, & tertio feliciter à Dauide gestum, & eorum tributaria seruitute terminatum.

II. Auspicijs Adarezer.

Videntes igitur Syri, quod proximo anno corruissent coram Israel, ignauiæ non iniustam accusationem formidantes: aut præuaricationis, vt qui vix inchoato certamine terga vertissent, ad eam ignominiam delendam *congregati sunt pariter*, illi ipsi, perpauci enim ceciderant. Sed misit inuperantium nuncios Adarezer, & euocauit Syros, qui erant trans Euphratem, & adduxit eorum exercitum ductore Sobacho militiæ suæ principe. Euocauit autem non imperio quasi subditos, sed pretio, ait Iosephus, quasi mercenarios. Numerati sunt autem in hoc exercitu, vt ex numero fugitiuorum & occisorum colligitur, milium 138. millia, præter septingentos currus, aut etiam septem millia, vt est in lib. Paralip. vt plane videtentur de summa rerum, & orientis Imperio velle decernere. Itaque Dauid quoq; contraxit vniuersum Israelem, qui erat cis Iordanem, & cum eis venit trans Iordanem in Helam, vbi cõgregati putantur Israelitæ, qui erant trans Iordanem: quos semper in armis esse oportebat, vt qui hostem haberent in ianuis.

l. 7. Ant. c. 7.

ANNVS MVNDI 2998.

DAVIDIS 19.

ABIATHARIS 24.

EVPALIS 8. Imperij Assyr. 1067.

ANTE CHRISTVM 1055.

I. Ratio tẽporis. 2. Reg. 11.

INgredimur annum Dauidi, & populo eius multorum malorum seminarium, & vtriq; luctuosum. Cũ enim iã quadragesimum octauum annum vitæ, & regni decimum nonum inoffenso pede, aut certe sine vllo grauiore delicto decurreret, contigit illi hoc anno lapsus, quo & Deo inimicus, & in hominem iniustissimus factus est. Ad hunc enim annum adulterium Dauidis cum Bethsabæa, & Vriæ ad illud occultandum homicidium pertinere, tam ipsa singulorum annorum narrationis series, perenni hactenus filo deducta confirmat, quam consequentium etiam rerum apte congruens atq; consentiens dispositio, quod ego firmissimum arbitror chronologicæ veritatis argumentum. Nec Pineda, nobis consentiens, aliter rationem temporis, quam ex rerum hactenus gestarum ordinatione, & temporis eis conficiendis necessarij distributione confirmat.

II. Expeditio contra Ammonitas.

Nondum porro Ammonitæ pœnas dederant violati iuris gentium, in contumelia legatorum Dauidis, nec eas, vt cogitabant, euaserant Syrorum opera, sed distulerant. Nunc autem tanto nudati præsidio, Israelitarum videlicet vindictæ, præsæque patuerunt. Euoluto

itaque

VIII. Uriæ uxorem ducit interfecto.

Videns ergo Dauid hactenus susceptacon silia optatum exitum non sortiri, statuit atroci facinore Uriæ domum vacuam facere nouis nuptijs. Scripsit enim ad Ioabum epistolam, quam ipsimet Uriæ perferendam dedit, vt eum dissimulanter gladio Ammonitarum interfici curaret. Credidit Ioab Uriam crimine aliquo in regem admisso, mortem esse commeritum. Velle tamen regem ita in eum animaduertere, vt simul eius honori parceretur. Non potuit tamen à socijs iussu regis in prælio deleri, quin apud eos de quopiam crimine quamuis innocentissimum, suspectus haberetur. Apparet tamen ex Ioabi mandatis, & nuncij verbis rem aliter contigisse, & vsos hoc stratagemate Ammonitas, vt quoniam videbant Israelitas longius extra tali iactum se continere, eos ad se propius facta eruptione pertraxerint, parata interim in muro telorum procella, quam percommode in subiectum hostem, nullo pene irrito telo effuderint, sicq; plurimi cum Uria interfecti fuerint. A quorum cæde Dauid minime immunis fuit, vt Abulensi, & Caietano placet; quo non male retuleris illam pœnitentis vocem, *Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ.*

sine Ioabi culpa.

Cædis modus.

Psalm. 50.

Audiuit autem vxor Uriæ, quod mortuus esset vir suus, & planxit eum. Quam diuturnus fuerit hic luctus non satis constat, breuem tamen fuisse necesse est, ante contractas cum Dauide nuptias. Frustra enim tanto studio, imo tanto facinore quæsiuisset Dauid tegere adulterium, si nunc ceremonia diuturnioris luctus retentus, suum omne studium irritum fieri pateretur. Itaque Iosephus, *vbi à mœrore*, inquit, *& lacrymis destitit, sine mora eam rex coniugem sibi asciuit.* Non ait post legitimos viduitatis menses, sed post legitimos mœroris & lacrymarum dies. Ita quoque sensit Theodortus. Fuit & alia causa minuendi luctus, autore Festo, quæ forte apud Hebræos in vsu fuit, cum viduæ in splendidiorem familiam immigrabant, quod vocabant innubere, enubere autem si in humiliorem. Itaque rex facile lege vel consuetudine luctus diuturnioris à Pontifice solutus, quam primum decore atque honeste potuit, *introduxit Bethsabeam in domum suam, & facta est ei vxor*: matrimonio, si viri cædem seponas, minime accusando. Non enim lege vetitum fuit viro, mulierem adulterio à se pollutam ducere, & ratio exigebat vt mulieris famæ, cuius erat occultum facinus, consuleretur: & iniuria delibati pudoris, si qua tamen volenti facta erat iniuria, aut certe occisi mariti repararetur.

IX. Luctus Bethsabææ breuior.

lib. 7. c. 7.

q. 25. in 2. Reg.

Et nouæ nuptiæ.

ANNVS MVNDI 2999.

DAVIDIS 20. ABIATHARIS 25.

EVPALIS 9. Imperij Assyriorum 1068.

ANTE CHRISTVM 1054.

I. Nato filio adulterino Prophetæ regē adit.

SOpita pen- vel dormitante peccati memoria. Dauid multos iam menses illius dulcedine fruebatur, sed mox diuina superfundente se misericordia, vitiatæ radicis amaritudinem cœpit degustare fructus. Nam Bethsabæa, decursis puerperij mensibus, peperit ei filium. Et quamuis admissum facinus iam à principio Domino displicuisset, non tamen præ se tulit offensionem suam, & exigendæ vindictæ voluntatem, donec natus est ex adulterio filius. Tunc enim misit ad eum Dominus Nathan prophetam, Idque ex eius extrema oratione clarum est, vbi dicitur, filium, qui ei recens natus fuerat, in vltionem peccati, morte moriturum. Natus autem videtur sub festa Paschalia, vtpote tribus circiter mensibus conceptus, postquam Urias cum Ioabo profectus fuerat in Ammonitidem. Natum autem cum magno Dauidis gaudio, sequens de eius morbo tristitia, & desiderium retinendi eum in vitis satis docet. Quo quid enim maiore cum luctu perditur, hoc vehementius diligebatur.

2 Reg. 12. 13. 14.

II. Eius ad Dauidē oratio plena prudentiæ. *Ioseph l. 7. c. 7.*

In noua igitur nouæ, eiusdemque dilectissimæ vxoris prole, lætitia perfusus incedebat Dauid: & in eius argumentum conuiuia fortasse, ludosque cogitabat, cum per visum nocturnum monitus Nathan, missus Domini ad regem venit. & commination ac sententia Numinis ad tempus dissimulata, blanda illum oratione, sub parabolæ formam aggreditur, vt in alieno exemplo, suam ipse culpam facilius agnosceret, atque damnaret; in qua non necesse est singula singulis respondere, sed satis est eam in eo quod maximè agitur conuenire, reliquis decoro seruientibus, quod de Euangelicis quoque parabolis dicendum est. Hic autem rei cardo erat demonstrare iniuriam Uriæ à Dauide factam. Vide itaque Prophetæ artificium. Primo principem suum reprehensionum insolētem suaui similitudine circumuenit, vt in aliena te agnoscat suam, & nihil minus cogitans, fiat iudex & condemnator sui. Secundo peccati grauitatem demonstrat ex persona Dei, contra quem peccarat in primis, cui tam multis magnisque beneficiorum nexibus erat obligatus, quorum singula redderent ingratissimum. In quibus maximè eminent frequens liberatio à Saule, & datum regnum super vniuersum populum Dei.

III. Exprobrat Dei beneficia.

Addere potuit fructuosissimam dominationem in nationes circumquaque positas, & eximias animi corporisque dotes, quibus factus erat Deo atque hominibus amabilis. Sed memorat aliud in hac exprobratione beneficium, beneuolum videlicet ac beneficum in eundem animum, etiam post tam grauia crimina, perseuerantem. Qua Dei tam inopinata charitate, perfoditur sine dubio ingenuus animus, pudore ingratitudinis in talem Dominum. Quem enim credimus Dauidis, qui fortitus erat animam bonam, animum fuisse ad illa Prophetæ. Deiq; verba, *& si parua sunt ista, adijciam tibi multo maiora*, vel alia, atque alia congeram in sinum tuum: donec multiplicatis multarum virtutem meritis, æterna te felicitate donabo. Augetur etiam peccati grauitas, ex occasione data infidelibus blasphemandi contra Deum: qui talem regem populo suo dederit. Augeri denique potuit ex persona Uriæ fortissimi atque innocentissimi viri.

IV.

Explicat postremo Propheta imminentes

admissi peccati pœnas, quæ non solum pœnæ sunt, quas infliget Dominus, sed etiam culpæ quas permittet. Primum ergo denunciat gladium pro gladio stringendum, domesticum pro Ammonitico, & pro bello exigui temporis, sempiternum. Vix enim lucida quædam pacis interualla, excepta periodo regni Salomonis, in tota regum, filiorum Dauidis posteritate, à bellis immunia reperiuntur. Deinde prænunciat amissionem vxorum multarum, pro vnius acquisitione, & manifestum peccatum, idemque multiplex, in pœnam vnius occulti, vt qui exprobrabilem fecit Vriam, eius vxore vitiata, ipsemet reipsa in omnium oculis confundatur. Denique mortem filij adulterini prædicit, quæ intra septimum diem contigit, vt quamprimum gustare inciperet amarissimum calicem vini furoris Domini.

Denunciat imminentes peccati pœnas.

His auditis ingemuit ex animo Dauid, simulque, *Peccaui Domino*, inquit. *Confessus ingemuit*, inquit Ambrosius, *culpæ dolore, & Dominum dolor intimus mouit affectus, vt Nathan diceret. Quoniam pœnituit te, & Dominus abstulit peccatum tuum. Maturitas itaque venia profundam regu fuisse pœnitentiam declarauit, quæ tanti erroris offensam traduxerit.* Sic ipse.

Agnoscit rex peccatum suũ. *Apol. Dauid, c. 2.*

Percussit porro *Dominus paruulum, quem pepererat vxor Vriæ Dauid, & desperatus est.* Febricula videlicet infantulum corripuit, & in vltimum vitæ discrimen adduxit, medicis de eius vita desperantibus. At Dauid, qui iam incredibilem Domini erga se placabilitatem erat expertus, existimauit eum non difficilem fore in mutanda sententia contra innocentem lata, piarum orationum & afflictionum corporis interuentu. Itaque primum ferudam & continuam orationem adhibuit. Secundo ieiunium rigidum ac seuerum, quod illa iteratione verbi significatur, *& ieiunauit ieiunio.* Tertio lecto abstinuit, vigilia sese affligens, & si quid opprimenti somno indulgendum fuit, *iacuit super terram.* Quarto domesticorum consuetudine abstinuit solitarius, *ingressus seorsum*, multoque magis publico caruit. Quinto vestitum & cultum regium deposuit, & lugubria induit vestimenta, quæ post infantis mortem deposuisse dicitur. Sexto sordidatus reorum in morem perdurauit, lotione & vnctione reiecta. Sed hæc omnia Dominus maluit ad satisfactionem culpæ parentis ipsius, quam ad filij sanitatem valere.

V. 2 *Reg.* 12. 15 Infantulus ægrotat, & quæ pro eo cõseruando rex egerit

Itaque mortuus est infantulus, post septimum ab ægritudine diem, vt potuerit circumcidi, idque pijs parentis operibus datum videtur. Dauid autem diuinæ ordinationi acquiescens explorata per filij mortem eius voluntate, statim omnia luctus signa deposuit, mœrorem abstersit, & cum magna suorum admiratione, ad solitam vitæ consuetudinem redijt. Quin & domum Domini ingressus est, & adorauit, neque enim quidquam egerat, quo legalis immunditia contraheretur. Minime porro dubitandum est Bethsabæam huius pœnitentiæ fuisse participem, quantum puerperæ status ferre potuit. Itaque mox Scriptura testatur Dauidem eam consolatum fuisse, vt ipsa quoque de filio diuinæ dispositioni acquiesceret. Quin etiam aiunt Hebræi diuinum illi oraculum exposuisse, ac iureiurando affirmasse fore, vt quem primum ex ipsa filium susciperet, nõ solum vitalis esset, sed mortalium etiam fortunatissimus, sibique hæres in paterno regno succederet. Probabilitatem accipit ea traditio, ex initio tertij Regum, vbi hæc promissio ac iusiurandum habetur factum in gratiam Salomonis. Sed hæc pluribus Annales nostri dabunt, sicut & Psalmos in hoc luctu compositos, puta sextum, 31. 37. & 50.

VI. Moritur, Dauidis æquanimitas,

cõsolatur Bethsabæam, eique de nascituro filio oraculum nunciat. 2. *Reg.* 12. 24.

ca. 1. v. 15. & 17.

Recuperata porro sanitate, (nam huius peccati causa ægrotasse quoque putatur, à quo morbo liberationem Psalmo sexto petijt, & impetrauit,) diuini promissi memor circa filium nascisturum, & confirmata, vt diximus, Bethsabæa, genuit ex ea filium, cuius natiuitas necessario in annum sequentem cadet. Cum enim dixerimus natiuitatem filij adulterini sub extremum Martium incidisse, nemo credo prudenter negauerit, luctum quandiu ille ægrotauit, & Dauidis ægritudinem, & dispositionem mulieris ad iteratam conceptionem, facile vnum atque alterum tenuisse mensem. Nam mulieres ex lege 40. diebus immundæ erant, quo tempore nefas erat à viris adiri. Extremo ergo Maio, vel Vere ad finem labente Salomonem conceptum fuisse, magna cum probabilitate dici potest. Itaque eius natiuitas in annum sequentem differenda est.

VII. Conceptio Salomonis, eiusque tempus.

Leuit. 12.

Dum hæc Hierosolymis aguntur, Ioab obsidionem Rabbath feliciter vrget, hic vt expugnationem regiæ ciuitatis certam ac propinquam agnoscat: quando honori regis sui faueus, eum ad exploratam victoriam euocauit. Contigisse hanc expugnationem post mortem adulterini filij, tum series ipsa narrationis Scripturæ significat, tum illa Tostati ratio, quod Dauid, nondum placato Deo, non ausus esset ad bellum adire, certus se calamitatem aliquam, pro desiderata victoria, ab irato Deo acceptum. Itaque vltra vnum annum durauit obsidio, longe præter solitam Dauidis felicitatem. Nimirum peccatum Dauidis moram attulit victoriæ: & dum Ammonitarum manu sustulit Vriam, eos aduersum se reddidit fortiores. Mox autem Regis pœnitentia hostem afflixit, ac perdidit. Euocauit ergo Dauidem Ioab, cum reliquis copijs, vt probabile fieret regem, cum nouo exercitu venientem, ciuitatem expugnasse. Aduenit ergo Dauid, & renouata milites, alacritate in vrbem irrumpunt, & in ipso aditu, resistente pro viribus Ammonita, pugnatur, eoque deficiente, vrbs tota in potestatem venit.

VIII. Ioab euocat Dauidem ad laudem victoriæ.

q. 27. init. 12. 2. Reg.

Post diutinã obsidionem.

Vrbs capitur.

Eam militi diripiendam dedisse tradit Iosephus, neque enim solius Regis præda fuit, etsi de eo scriptum est, *prædam ciuitatis asportauit multam valde*: quam videlicet sibi reseruatam voluit, templo Dei consecrandam, puta vasa aurea & argentea: cætera militis fuerunt, quæ non pauca fuerant, quod in eam vrbem totius regni opes belli metu fuissent congestæ. Regis autem in primis præda fuit corona pretiosissimis gemmis ornata, quam de capite idoli Melchom sublatam, in proprij capitis ornamentum vertit, cuius pondus cum talentum fuerit, id est, 125.

IX. Ac diripitur, & quæ præda Dauidis

1. *Par.* 20. 2.

Coronat Melchom

libræ

libræ, vt placet Epiphanio, incredibile est regem Ammonitarum tantum pondus capite gestare potuisse, sed hæc in Annalibus pluribus explicantur, ne Dauid in hoc idolo legem violasse videatur. Videri tamen potest à Scriptura crudelitatis accusari, quæ scribit aliquos fuisse serra dissectos, alios suppositos ferratis carpentis, atque ita contritos ac contrucidatos; alios gladijs siue securibus truncatos, alios denique traductos per fornacem lateritiam, vt ignibus ibi vstularentur: & additur sic factum fuisse vniuersis ciuitatibus filiorum Ammon.

Deut. 7.25

X. An iusta de Ammonitis supplicia.

Quæ videntur longe quam pro peccato acerbiora supplicia, & ad plures multo quam culpam admissam pertinere. Verum culpa longe maior fuit, quam prima fronte appareat. Primum, quia legatos maximi regis, & vniuerso tunc oriente clarissimi summo dedecore afficerant, hoc autem culpa maior est, quo in maiorem peccatur. Deinde pro benefactis, aut certe bene merendi voluntate, maximis affecerant contumelijs. Tertio, quod vicinos contra Dauidem populos, regesque concitarant: quod item quartum iam annum contra eum per se suosque bellum gerebant: & damna plurima, quæ bella comitantur, inferebant: nec denique mature ad veniam & satisfactionem confugissent. Accedit quod hæc supplicia non toti populo, sed aliquibus de singulis ciuitatibus illata fuere, ijs videlicet qui autores fuerant iniuriæ, & maiore in culpa erant, vt Lyrano placet atque Dionysio. Itaque qui medias vestes ignominiosè dissecuerant, medij serris dissecari meruerunt, & quia cultris ac nouaculis eorum capita per ludibrium abraserant, cultris & gladijs capite, alijsque membris truncati sunt. Quod si curribus, vt fieri solet, vel trahis impositos Legatos circumduxerant, & aulicis, totique populo deridendos exhibuerant, ferratis curribus & carpentis merito substerni & conteri potuerunt.

XI. Proportio pœnæ

Puniri quoq; voluit Dominus Ammonitas, qui filios suos idolo Moloch sacrificabant, illos vel traducentes per ignem, vel inter brachia candentis idoli crudeliter concremantes: merito ergo ipsi per incensam traducti fornacem, aut in eam etiam coniecti fuerunt. Postremo fas non est Dauidem crudelitatis accusare, quem Scriptura nusquam eo nomine reprehendit: & si qua pœna exuberantior fuit, ea Ioabi acerbitati potius, quam Dauidis mansuetudini tribuenda est. Non fuisse autem totam Ammonitarum gentem excisam, ex sequentibus satis constabit. Nam post annos circiter decem, cum Dauid fugeret à facie Absalonis, Sobi filius Naas tum Ammonitarum princeps Dauidi adfuit. Et: huc fuisse Hanonis fratrem, quem apparet in hoc bello perijsse, idem patris nomen ostendit: in cuius gratiam videtur Dauid regnum eius, in altero ipsius filio, conseruare voluisse, sed tributis pensitandis obnoxio.

ANNVS MVNDI 3000.

DAVIDIS 21. ABIATHARIS 26.

EVPALIS 10. Imperij Assyr. 1069.

ANTE CHRISTVM 1053.

I. Aduersæ res Dauidis altero regni eius dimidio.

HOc anno, quo tertius mundi millenarius absoluitur, dimidium quoq; regni Dauidis exactum est, quo illi omnia ad votum, Deo benignissimè obsecundante fluxerunt, donec oblitus sui, in hoc ætatis & regni flexu, hæsit ad metas, & conuerso cursu, auerso numine properare cœpit ad calcem. Quem enim parentem adhuc pene blandientem senserat, iudicem seuerè castigantem expertus est: ita nihilominus castigantem, vt quem grauissimis domi casibus afflictari pateretur, omnibus procellis fortiorem, omnibus telis impenetrabilem redderet. Etenim per exiguis temporum interuallis Thamaris filiæ, primogeniti sui scelere incesta violatio, eiusdemque sceleris vltio per fraternam cædem, defectio & tyrannis Absalonis, ignominiosa regis fuga, & luctuosum exilium, eiusdem Absalonis interitus in plurimis maximisq; peccatis, seditio Sibæ, pestis populi, ambitio Adoniæ, mitissimum Dauidis pectus, quali totidem sagittæ, adulterij, & homicidij vltrices, subinde perfoderunt, & veritatem illius oraculi, *Ecce ego suscitabo super te malum de domo tua*, abunde confirmarunt.

I. Res anni huius. Natiu. Salomonis.

Nihilo minus lætitia tristitiaque mixtus est hic annus natiuitate Salomonis, & turpissimo Ammonis flagitio, vt series sacræ narrationis, & ratio temporis anno superiore stabilita confirmat. Natus est Salomon, sicut & conceptus Hierosolymis, vt ex ijs locis constat, in quibus filiorum Dauidis catalogus texitur. Natus autem circa festa Paschalia, vti diximus, & ab ipsa matre proprio lacte sollicitè educatus, vt copiosè Pineda in suo Salomone disputat: quam sollicitudinem, maternamque curam, Dauidis de eo promissa iureiurando firmata, vehementer acuebant. Quin & ipse fatetur se fuisse *vnigenitum coram matre sua*. Id est, tanquam vnigenitum longe dilectissimum, semper in brachijs, in gremio, in oculis matris versatum, neque ad aliam nutricem amandatum. Octauo die circumcisus est, eique nomen Salomonis, quod Pacificum sonat, à matre, vtique cum Dauidis consensu datum, à Nathane autem Propheta Ieddid-iah, id est, Amabilis Domino, siue dilectus Dei appellatus est. Et vtrumque eam prænunciat felicitatem, quam Dominus illi statuerat impertiti, non temporalium duntaxat bonorum, sed etiam spiritualium, quippe quem constat maxima vitæ parte sancte vixisse.

2. Reg. 5.14
1. Par. 3.5
Prou. 4.3.
& nomina

III. Ammonis facinus in sororem.

Natiuitatem porro Salomonis, magna sine dubio hilaritate ab vtroque parente celebratam, affirmare licet. Quis enim dubitet ortum futuri regis, qui spem tantam, tantique multiplicem sustentaret, à Dauide præsertim futurorum probe conscio, multis lætitiæ argu-

mentis fuisse cohonestatum ? Videtur tamen Dominus erga Dauidem suum ita se gessisse, vt quamuis acerbissimis eum verberibus pulsaret, ea tamen interuentu lætæ alicuius rei temperaret, & vicissim læta tristibus permiceret. Nam Amnon Dauidis primogenitus, Thamarem, suam ex patre sororem, Absalonis autem ex vtroque parente germanam, ita deperire cœpit, vt ex ea corporis animique perturbatione decumberet: eam ægritudinem desperatio potiundi augebat, propter accuratissimam virginum apud Hebræos custodiam. Sed ecce miseram Dauidis conditionem, cuius infelici filiæ paratur probrum, per incestum filium suum primogenitum, eiusdemque fratrem, fœdo nepotis sui lenocinio, cuius ipsemet aliquo modo fit minister. Inscius enim destinati flagitij, permittit Thamarem & Amnonem venire, specie parandi ægroto cibi, si forte cessante fastidio cibi conualescat.

Misera conditio Dauidis.

IV. Thamar à fratre opprimitur.

At ille optatam nactus solitudinem latens animi virus effundit, & sororis consentum in incestam libidinem requirit, retinens apprehensam. Contra vero infelix virgo rationibus agit contra rationis impotem, cuius vim vi, aut certe clamore repellere oportebat, iuxta præceptum diuinæ legis, vt accurrentes domestici, qui in anteriore cubiculo erant, vim prohiberent. Sed illa vel confusionem suam, vel dedecus fratris, aut mortem timens, vel culpam coniugio celare se posse credens, verbis inutilibus agere contenta, oppressa est. Et statim admirabili Dei iudicio factum est, vt maiore illam odio iam prosequeretur, quam ante dilexerat, ita vt eam foras cum ignominia expelleret. Vtiq; hoc egit in eius animo dæmon, permittente Domino, vt expulsa palam virgine, & propalato crimine, in pœnam Dauidis ea contingerent, quæ postea sunt subsecuta. Etsi autem infelix mulier recte querebatur, hanc expulsionem reddere peccatum grauius: quia remedium, quod illi adhiberi posse videbatur, publicando excludebat, nihilominus exclusa est.

Deut. 20. 22. 24.

& mox expellitur.

V. Eius luctu propalatur crimen.

Ergo illa desperata re aspergens cinerem capiti suo, scidit talarem tunicam, qua filiæ regis virgines vti solebant, in argumentum, non solum acerbissimi doloris animi, sed amissi quoque per vim pudoris, cuius illa indicium erat & comes: impositisque manibus super caput suum, ibat ingrediens & clamans, ne si leuiter iniuriam ferre videretur, non vim passa, sed sine vi corrupta videretur. Indicium quoq; ingentis mœroris & luctus fuit illa impositio manuum super caput eius, quibus etiam facies, in qua confusionis est sedes, magna ex parte tegebatur. Cum ergo illa misere lamentaretur, incidit in Absalonem fratrem, aut in domum eius sponte adijt, qui statim facinus ab Amnone commissum coniecit, & rem silentio premi iussit, ne maior fieret infamia: vltionem nihilominus animo destinans, quam post biennium nefarie perpetrauit.

Iuit. 2. 17.

Inuotescit Absaloni.

VI. Et Dauidi, qui in reum est indulgentior.

Ea res ad Dauidem delata vehementer ipsum contristauit, & quocumque respiceret magna occurrebat tristitiæ seges. Neque tamen vltus est id crimen, siue quia id ei tanquam Iudici non innotuit, nemine crimine accusante vel probante, & parte læsa quiescente; siue quia primogenitum suum contristare noluit, vt ait Scriptura. Quibus parum purgari Dauidem credit Abulensis. Ait enim id crimen à Dauide puniri debuisse, quatenus publico iuri nocebat, cuius ipse iudex erat & vindex, quamuis pars læsa cederet iuri suo; quæ tamen satis publicè conquesta fuerat, vt Iudex rem ad se pertinere existimare deberet. Nimiæ quoque illum accusat indulgentiæ, quam propterea Deus alio rursum grauiore scelere Absalonis vindicari permisit, & reprehensione digniorem quam Heli, qui saltem corripuerit filios delinquentes: cum Dauid filium in tanto crimine ne contristare quidem voluerit, qui futurus erat correptionis effectus. Existimo nihilominus si iustam & crimini parem vltionem naturalis amor, & conditio personæ prohibebant, non defuisse tamen Dauidem correctioni, quam debebat filio pater, loci & temporis occasione captata, licet id sacris litteris traditum non fuerit: quæ est communis interpretum sententia.

2. *Reg.* 13. 21.

Nec tamen à correptione abstinuit.

ANNVS MVNDI 3001.

DAVIDIS 22.

ABIATHARIS 27.

EVPALIS 11. Imperij Assyr. 1070.

ANTE CHRISTVM 1052.

I. Luctuosus Thamaris status.

PRimus est hic annus quarti millenarij ab orbe condito, & seculi trigesimi primi. In quo luget Thamar calamitatem suam: & Absalon dissimulat odium suum, imminens in occasionem vindictæ. Gemit illa se in perpetuo luctu & infamia, expertem coniugij victuram. Neque enim Amnon, qui eam corruperat, poterat eandem ducere, tam arcto consanguinitatis gradu prohibente, & periculo cædis ab eo, qui capitali eam odio prosequebatur. Durissimum etiam erat filiæ regis viro inferioris conditionis in vxorem dari. Durius etiam æquali nupsisset, si quis tamen æqualis aperto incesto vitiatam ducere voluisset, qui tamen, si quis huiusmodi fuisset inuentus, eam non tanquam vxorem, sed vt abiectam concubinam habiturus erat. Ideoque oportuit eam solitariam, & publicæ lucis expertem contabescere, mortalium de se cogitationes, oculosque verecundantem.

II. Et Absalonis dissimulatum odium. 2. *Reg.* 13. 22.

Etsi autem, vt ait Scriptura, *non est locutus Absalon & Amnon, nec bonum, nec malum*, id intelligendum est de hoc violatæ sororis facinore. Si enim plane ab omni eius colloquio abstinuisset, suspectum eum habuisset Amnon, & ab eo sibi cauisset. Ipsa porro Thamaris præsentia, & inconsolabilis mœror, erat Absaloni perpetuus ad vindictam stimulus, & obscuri, sed penitus insiti odij fomes ceu seminarium: eoque

magis

magis in dies ingeſcentis, quo minus verbis aut ſignis ſe effrenabat foras, donec, quod ſequenti anno contigit, in fraternam cædem erumperet. Interea vero Salomon magna cum ſollicitudine à parente Bethſabæa & Nathan Propheta curabatur.

ANNVS MVNDI 3002.

DAVIDIS 23.

ABIATHARIS 28.

EVPALIS 12. Imperij Aſſyrior. 1071.

ANTE CHRISTVM 1031.

I. Abſalonis apparatus ad vindictam locũ eligit

HAbet hic annus Amnonis cædem, Abſalonis fugam, Dauidis luctum, Salomonis ablactationem. Cum ergo videret Abſalon memoriam facinoris in ſororem ſuam admiſſi, tam longinquitate temporis, nam tertius iam annus erat in curſu, quam ſuo & ſororis ſilentio pene oblteratam, ad vindictam de eo ſumendam accinxit ſe, loci ac temporis opportunitate captata. Non enim exiſtimauit in ciuitate, aut in palatio rem eſſe perpetrandam, ne difficile ipſi eſſet effugiũ: volebat tamen in regis ipſius atque omnium fratrum ſuorum oculis Amnonem interficere, partim vt reipſa Regi exprobraret iniuſtitiam, in iſto flagitio non vindicando, partim vt eo ſibi eſſet vindicta dulcior, quo plures haberet ſuæ teſtes audaciæ, ac temeritatis; cum eum alioqui ſubdolis artibus de medio tollere potuiſſet, nemine autorem facinoris Abſalonem ſuſpicante. Quæ etiam cauſa fuit cur non vnum Amnonem, quem deſtinarat ad cædem, ſed omnes filios regis ad epulum inuitaret.

II. Et tempus opportunũ.

Inuitat omnẽ domũ regiã ad conuiuium.

Vt autem eam omnem turbam in agris cogere poſſet, tondẽdarum ouium tempus opportunum iudicauit, quando partes familias pecuariæ ſtudioſi, ſimulque laxandi animi cauſa, villas ſuas cum familia ſolent inuiſere. In agris quoq; ſuis habiturus erat Abſalon viros ſibi fidos, atque obſequentes, quibus Amnon & cæteri caritui erant: villam autem habuit in pago Baalhalor, qui fuit iuxta oppidum Ephraim, ſiue Ephyrẽ, in tribu Iuda. Eò itaq; inuitauit omnes filios regis fratres ſuos, qui videlicet cum bona patris venia ſe ituros ſpoponderunt; *venitque ad regem*, ſiue vt facultatem abeundi fratribus ſuis obtineret: ſiue vt dum ipſemet Rex inuitaretur, ſuſpicio fraudis abeſſet. At Rex, *noli*, inquit, *rogare vt veniamus omnes, & grauemus te*. Cumque rex in ea negatione perſiſteret, quod mens præſaga futuri, mali aliquid portenderet, ille orauit enixè, atque exorauit, vt ſaltem Amnon veniret, qui ſcil. tanquam primogenitus, locum patris obtineret, ſed eum cæteri quoque fratres ſecuti ſunt.

III. In eoque Amnonis deſtinat cædem.

Parauerat Abſalon conuiuium regium, ſperans in lautioribus epulis omnes laxius potaturos, cum præſertim, quem vt regem conuiuij, omnes prouocarent ad potum. Præceperat quoq; famulis ſuis, vt obſeruarent Amnonem cum eſſet temulentus, eumq; ſigno à ſe dato interficerent. *Nolite timere*, inquit, *ego ſum qui præcipio vobis*: ego periculum veſtrum in me recipio, ego damnum omne præſtabo, *roboramini, & eſtote viri fortes*. Merito credunt plerique interpretes, iſtos fuiſſe alienigenas Geſſuritas ex Geſſur regno aui ſui materni oriundos, vt patrata tanti criminis cæde, cum Abſalone confugere poſſent, nec familias ſuas, in certiſſimo aut vitæ, aut fortunarum omnium diſcrimine, relinquerent. Quid multa? fecerunt famuli quod iuſſi fuerant, & ſororium ſtupratorem, temulentum, nihil de imminente morte, nihil de admiſſo flagitio cogitantem: & nondum, vt apparet, cum ſorore, cum fratre, cum Deo reconciliatum, ad æterna ſupplicia, illata nece præcipitarunt.

1. *Reg.* 13. 28

Per famulos Geſſuritas, ab eiſque occiditur.

Interea metu omnia, clamoribus, tumultuq; replentur: cumque ſicatij de cæteris regis filijs idem quod de Amnone facturi putarentur, aut illi inter eorum manus, fratrem defenſuri verſarentur, aufugere aliqui præcipites ad Dauidem, omnium filiorum eius necem nunciaturi. Quod autem illi non petiere latebras, non arma ſumpſere, intelligitur in ea trepidatione ipſis ſignificatum fuiſſe, non eſſe quod timerent, Amnonem vnum ad necem, propter violatam Thamarem, quæſitum fuiſſe, omnia cæteris eſſe in tuto. Nec minus tamen illi, etiam tuta timentes, non abierunt, ſed fugerunt. Dauid quoque primum incertum nuncium de omnium filiorum ſuorum nece accepit, cum eo dolore quem veſtium laceratione, & corporis in terram abiectione patefecit, vt qui & peremptos & peremptorem lugeret, qui grauius in animo vulnus acceperat, quam corpori Amnonis inflixerat, qui fratrem, qui primogenitum, qui regni hæredem, qui dilectiſſimum parenti, nulla præditus auctoritate, inter epulas ac temulentum perfidioſe trucidarat, plurimoſque in eiuſdem ſceleris ſocietatem traxerat. Sed hæc initia fuerunt malorum eius. Is autem ad auum maternum quamprimum ſe fuga recepit, ratus eum minime omnium vindictam, in gratiam neptis ſuæ ſuſceptam, improbaturum, eiuſque opera veniam ſe à parente impetraturum.

IV. Res Dauidi nunciatur.

Fuga filiorum regis

Ioſeph. Theod.

Abſalon fugit ad auum.

Mox autem Dauid rei veritatem, de vnius Amnonis cæde, didicit à Ionadabo nepote, qui fuerat huius ſororij ſtupri architectus, & facile conijciebat hoc facinus ex illo fonte manaſſe. Interea aduenerunt filij regis, *& intrantes leuauerunt vocem ſuam, & fleuerunt. Sed & rex, & omnes ſerui eius fleuerunt ploratu magno nimis*. Plorabat Rex, quia memor verborum Nathan prophetæ, ſuſcitandum malum de domo ſua, in vltionem peccati ſui, culpis ſuis, hoc facinus, & illud alterum, ex quo hoc natum fuerat, non immerito tribuebat. Plorabant filij eius, teſtes & ſpeculatores facti horrendi facinoris, à fratre in fratrem, à filio regis in regis filium perpetrati. Plorabant omnes ſerui regis tam diram regiæ familiæ adhuc florentiſsimæ calamitatem. Lugebat Dauid iniuriam Thamaris male à ſe diſſimulatam, & prunas cineribus mollioris indulgentiæ coopertas hoc incendium ſuſcitaſſe. Lugebant filij regis ſororis dedecus, & eius cauſa fratrum alterum trucidatum iacere, alterum factum ſicarium exulare: lugebant aulici omnes commiſeratione dominorum

V. Luctus Dauidis, regiæque familiæ.

rum suorum acerbè lugentium. Sed omnium maxime rex lamentabatur Amnonis interitum, quem dum contristare, ac punire noluisset, alteri filio iugulandum, cum corporis animiq; luctuosissimo interitu, præbuisset.

VI. Salomonis ablactatio. *Eccl. 22. 6*

Contigit hoc quoque anno Salomonis ablactatio, quæ si sub hæc luctuosa tempora contigit, valde moderata celebritate peracta est. *Musica enim in luctu*, vt ait Sapiens, *importuna narratio.*

ANNVS MVNDI 3003.

DAVIDIS 24.

ABIATHARIS 29.

EVPALIS 13. Imperij Assyrior. 1072.

ANTE CHRISTVM 1050.

I. Luctus Dauidis, & exilij Absalonis

TOto hoc anno, duobusq; fere sequentibus, Dauid in luctu, Absalon in exilio, & latebris fuit. Vtrumque Scriptura testatur. *Luxit ergo Dauid*, inquit, *filium suum cunctis diebus*, id est, quandiu vixit. Nec mirum tota vita luxisse, qui casum lugebat, qui in totam redundabat æternitatem. Subdit vero de Absalone, Absalon autem cum fugisset, & venisset in Gessur, fuit ibi tribus annis. Cum ergo anno regni Dauidis 23. Iunio circiter mense occisus fuerit Amnon, eo enim tempore tonderi solent oues, anno eiusdem vigesimo sexto, & quidem sub Iulium vel Augustum, quæ deinceps in sacra narrabuntur historia, videntur contigisse. Quæ autem durante isto luctu à Dauide vel Ioabo, aliisve seruis eius gesta fuerint, memoriæ proditum non est, nisi quod dicitur Dauid persecutus Absalonem. Nã scriptum est, *Cessauitque rex Dauid*, post tertium fugæ annum, *persequi Absalon.* Persequebatur autem eum, non quidem pugnando contra eum, neque hostiliter infectando, vt pridem rex Saul Dauidem, sed non permittendo ipsum ingredi in regnum suum, etiam pœna mortis proposita, vt ait Abulensis. Itaque annus Sabbaticus ordine sexagesimus & familiæ Dauidis, & toti regno eius fuit luctuosus.

Annus Sabb. 60.

ANNVS MVNDI 3005.

DAVIDIS 26. ABIATHARIS 31.

EVPALIS 15. Imperij Assyr. 1074.

ANTE CHRISTVM 1048.

I. Dauid mitigatur.

MAgna quoque huius anni parte Dauid in luctu, Absalon in exilio fuit. Sed dies ipsa partim exulceratum Dauidis animum mitigabat, partim molestiorem quotidie Absaloni reddebat exilium, patris & familiæ suæ, amicorum, patriæque percupido; itaque amicorum interuentu patri reconciliari satagebat, Ioabi præsertim, qui erat vtriq; sanguine coniunctissimus, & plurimum apud regem meritis atq; autoritate valebat. Is ergo cum videret Dauidis faciem hilariorem, vtpote in diuinorum iudiciorum profunditate acquiescentem, de Amnonis cæde nihil vltra queri, de Absalone nihil acerbius loqui, ratus non omittendam occasionem de Absalone bene merendi, à quo, vt valde credibile est, per frequentes nuncios, vt ab eius vxore, & sorore Thamare, filijsque per quotidianas preces, lacrymasq; sollicitabatur, consilium denique inijt expugnandi regem, eiq, reditum Absalonis persuadendi. Noluit tamen hanc causam agere ipse per sese, repulsæ metu, quam viri principes sibi dedecori vertunt, quòd ea tacita videatur accusatio imprudentiæ in petendo, vel indicium exiguæ apud regem autoritatis & gratiæ.

Ioab molitur reditũ Absalonis.

II. Vtitur opera mulieris, & parabola.

Ergo sapientis mulieris opera visum est vti, cuius mitior est oratio, & facilius in animos virorum influit, & quidem ignotæ mulieris, id enim requirebat parabola, qua vtendum erat apud regem. Itaq; mulierem Thecuitem sapientiæ famâ celebrem aduocat ad se, iubetq; in lugubri veste antiquum simulare mariti luctum, ad excitandam Dauidis erga ipsam commiserationem, eaque regi dicere, quæ ipse suggessisset, vt ipsa solam dicendi gratiam affertet, & ex suæ conditione personæ, misericordiam concitaret. Ingressa ad Regem mulier causam suam agit; narrat filiorum suorum in agro ex rixa conflictum, & alterius ex conflictu cædem. Indeque cognatorum studium ad interficiendum cædis autorem: ex quo futurum erat, vt viri sui familia defectu hæredis, funditus extingueretur. Hic rex præceperum se dicit iudicibus, ne huic mulieri, aut filio eius superstiti molestiam exhibeant, aut ex lege contra reum agant, datamq; gratiam etiam iureiurando confirmat. Qua in re non peccasse Dauidem, clarè docuimus in Annalibus.

Nu. 35. 16. hoc anno n. 9. & 10.

III. Qualis ea fuerit, & cui viui.

Etsi autem admodum dispar erat causa filij illius parabolici & Absalonis, multumq; hic illo nocentior apparebat, oportuit tamen ita componi parabolam, vt Dauid pro filio viduæ ferret sententiam. Si enim ex æquo parabola cum veritate congrueret, & filius ille iudicio Dauidis condemnatus fuisset, præclusa fuisset via ad causam Absalonis agendam, ad quam parabola disponebat. Quoniam ergo infirmior erat parabola ad Absalonis defensionem, additæ sunt rationes aliquot, quæ possent Dauidi illius reuocationem persuadere: quales sunt, periculum ne Absalon inter Gessuritas peccato infidelitatis macularetur, pœnæ inutilitas, cum quod factum est infectum esse non possit, nec mortuus, exilio viui, in vitam reuocari queat; imitatio diuinæ in peccatores clementiæ, *qui non vult perire animam, sed retractat cogitans ne penitus pereat, qui abiectus est.* Mutat videlicet Deus sententiam in peccatorem latam, si ipse velit resipiscere, nec delectatur in perditione viuentium. Significat quoque Sapiens mulier, & à Rege intelligi vult, hanc esse non tam suam, quam totius populi vocem, cui proir de rex merito gratificabitur. Addit postremo argumentum ex applicatione parabolæ, vt qui misericors fuit in figura, in re figurata ne sit crudelis.

Rationes pro Absalone.

Abul. q. 23 & 24. in 14 2. Reg.

IV. Dauid permittit Ioabo reditũ Absalonis.

Hic rogata mulier de fabulæ huius autore, nihil cunctata est fateri Ioabum, siue id ei gratum fore credens, siue id ei Ioab ante permiserat, sperans rem non ingratam regi fore. Itaque ad

cum

eum sermone conuerso, *Esto*, inquit, *placatus fecit verbum tuum*, quod interposita mulieris persona, à me postulatum, *vade ergo, & reuoca puerum Absalon*, vox pueri clementiæ est, non ætatis, quæ circiter quatuor & viginti annorum fuit. Hoc autem ipso quod eum reuocari iussit ab exilio, mortis pœnam ipsi debitam, non tanquam iudex remisit, sed tanquam parens, qui iniuriam in filij sui nece acceperat, & poterat condonare. At Ioab gratijs regi magna cum summissione actis, non distulit eius vti beneficio: nec contentus Absalonem monere per litteras de paterna indulgentia, vt honorabilior esset reditus, & exilij temperaretur pudor, surrexit Ioab ipsemet, & multi videlicet de primaria nobilitate cum eo, & reduxerunt Absalon in Hierusalem.

V. Nec tamē patitur in suū venire cōspectum.

Omittit Scriptura monitum regem de reditu Absalonis, simul etiam à Ioabo, qui inchoatam reconciliationem perficere satagebat, rogatū, vt eum in conspectum suum venire pateretur, veniæ videlicet coram petendæ causa, & simul agendæ gratiæ de obtenta misericordia. At rex, qui Absalonis ingenium probe norat, & operæ pretium ducebat noua illum seueritate in officio continere, & admissi facinoris grauitatem vehementius apprehendere, pœnaque luere diuturniore, sed ea pœna quæ periculo vacaret, non est passus eum adduci in conspectum suum, nulla tamen simultate, quam vltro deposuerat, in paterno pectore residente, iussit eum in suam se domum conferre, neo passus est videre faciem suam. Paruit, ille, nec tamen sine acri morsu doloris: quem tamen illa spes ac cogitatio leniebat quod sibi persuadebat, id facile mox impetratum iri, quando quod difficillimum videbatur, erat obtentum.

VI. Salomonis institutio puerilis. *Prou.* 4.

Interea Salomon qui sextum iam ætatis annum agebat, quamuis teneræ ab vtroq; parente diligeretur, studiose tamen à Dauide instituebatur, vt ipsemet Salomon testatur. Præcellens quippe ipsius ingenium, & indoles singularis sanctæ parentum institutionis præmature reddebat idoneum, & quotidianis augescebat incrementis. Et satis constat egregiam indolem, sine institutione & cultura syluescere, & quò quis ad maiora natus est, eò etiam euadere deteriorem, si illa diu desideretur. Bethsabæa quoq; operam dabat, vt ea puerulus quasi ludibundus addisceret, quæ sensim animam bonam quam fortitus erat, ad omnem probitatem informarent.

ANNVS MVNDI 3006.

DAVIDIS 27. ABIATHARIS 32.

EVPALIS 16. Imperij Assyr. 1075.

ANTE CHRISTVM 1047.

I. Absalon aret cōspectu regis, magno cum mœrore.

ABsalon hoc toto anno, & posteriore parte præcedentis, siue Hierosolymis, siue alio potius vicino loco, vbi domum haberet, exors aulæ regiæ, & paterni conspectus fuit. Nam Hierosolymis habitare extorrem curiæ, regiæq; familiæ, intolerabile supplicium videretur, vbi neq; hominū oculos, neq; tacitas cogitationes ferre potuisset. Nā quod eum Scriptura testatur Hierosolymis mānisse biennio, patris cōspectu carētē, de suburbano aliquo, aut vicino loco explicāda est, qui ciuitatis nomine cōprehendatur, vbi vxore liberisque fruebatur, & rem domesticam ipse per se administrans, deliciosis agricolarum voluptatibus potiri poterat: sed eæ homini ambitioso sordebant, qui vitam ab aulico fumo, ac strepitu alienam, non vitam suauem, sed mortem acerbissimam ducebat. Etsi autem non deerant viri primarij, qui eum crebro officij causa adibant; id tamen vnum quod deerat magis angebat, quam cætera omnia affatim congesta delectarent: seque ad aulæ fores versantem ingressu prohibitum, quendam reputabat è fabulis Tantalum, cui in medijs vndis arque arborum pomis, neque potum, neque cibum liceret attingere.

II. Salomon à Nathane instituitur.

Septimus interea Salomonis decurrit annus, qui serio inchoandæ puerorum institutioni præfinitur, cum illi additus est pædagogus; nec alius à Nathane propheta, quem magni faciebat Dauid, eoque familiariter vtebatur: nec minus scientia & moribus idoneus videbatur, qui regiæ pueritiæ præficeretur magister; quo modo Samuel iunioribus prophetis in Naioth doctor extiterat. Ex hac porro institutione puerili conciliatus videtur Nathani erga Salomonem amor & studium; quod aperte prodidit, cum eius maxime opera & consilio Adonias de occupato pene iam regno deiectus est, & Salomon factus est rex, vt suo loco dicetur. 3. *Reg.* 1.

ANNVS MVNDI 3007.

DAVIDIS regni 28. ABIATHARIS 33.

EVPALIS 17. Imperij Assyriorum 1076.

ANTE CHRISTVM 1046.

I. Absalonis pulchritudo, cæsaries, liberi.

ESt hic annus integræ atque perfectæ reconciliationis Absalonis cum parente suo, quæ sub tempus messis contigit, vt ex incendio immisso in Ioabi segetem intelligitur. Ante quam narrationem Scriptura obiter aliqua de Absalonis pulchritudine, cæsarie, liberis inserit. Quod ad formam attinet, hoc ei dat illa testimonium, non fuisse in vniuerso regno Dauidis, qui ei pulchritudine æquaretur, neque vllum in eo defectum notari potuisse; cui si animi quoque pulchritudo respondisset, melius fuisset ipsius saluti consultum. De cæsarie dico breuiter eum toto anno nutriuisse capillum, quo cum grauaretur, cum resecari curabat: tanti autem fiebat adscisa coma, vt ducentis siclis æstimaretur; pondus enim ad pretium & æstimationem referendum est. Quod ad liberos eius attinet, nati sunt Absaloni filij tres, & filia vna nomine Thamar, cui amitæ nomen datum est; quæ non recte Roboano nupsisse dicitur, chronologia repugnante: filij autem oēs breui extincti sunt. Absalon enim ante mortem, quæ post biennium cōtigit, liberorū defectu, sibi monimentū erexit.

II.

Iam quod ad interdictæ paternæ visionis pœnam attinet, eam Absalon ægrè, atque in-

toleranter ferebat, vt superiore anno diximus. Itaque Ioabum ad se ex vrbe euocauit, vt eo legato vteretur ad patrem: cumque is ad eum venire cunctaretur, & desiderata dilata crescerent, & opinio proprij contemptus Absalonis indignationem mouisset, rationem excogitauit, qua Ioabum, si non sponte, & causa gratificandi amico, certe coactum, acculandæ iniuriæ gratia, ad se quamprimum venire compelleret. Ergo iussit seruos suos hordeaceam Ioabi messem succendere; quam illi statim succenderunt, non difficiles in minore scelere, qui eius imperio in tanto maiore obtemperassent. Ea re cognita venit Ioab querulus ad Absalonem de accepto damno. Respondit Absalon, *misi ad te obsecrans vt venires ad me*, quoniam mihi ad te ire non licet, *vt mitterem te ad regem*, vt opera tua perficerentur, quæ industria & gratia tua recte inchoata sunt. Credibile est additam quoque ab Absalone promissionem de illato damno copiose resarciendo. Addidit & preces de exponenda regi miseria sua, qui sibi adhuc in exilio esse videatur, & quidem acerbiore quam antea, quod vicinitas eius acerbitatem quotidie exasperaret. *Obsecro ergo*, inquit, *vt videam faciem regis, quod si memor est iniquitatis meæ, interficiat me.* Auxesis est ex affectu vehementiore.

Satagit apud Ioabum pro visione patris.

III. Eam Ioab a Davide impetrat.

Omissa est etiam hoc loco Ioabi responsio, & promissio officij apud regem sui. Id enim pertinebat ad præsentem afflicti Absalonis consolationem, quam ratio postulat minimè fuisse neglectam. Promissionem secutus est effectus. Ingressus est enim Ioab ad regem, eique nunciauit omnia, & mœrorem Absalonis desperationi proximum. At Dauid memor paternæ clementiæ, immemor iniuriæ, in signum gratiæ penitus integratæ iubet illum ad se vocari: qui *intrauit ad regem, & adorauit super faciem terræ coram eo.* Iacuit scilicet humi postratus ad regis pedes, quem permanter exeratum rex osculatus est. Dicebat ille quoq; forsitan *Pater, peccaui in cælum & coram te*, cæteraq; lacrymans pertexebat. Nec dubium magnum in omnibus circumstantibus factum esse animorum motum, dum filius se abijcit ad pedes patris, pater se demittit ad collum filij, filius contritione, pater commiseratione lacrymatur. In figuram reconciliati cum diuina bonitate peccatoris, qui vt frequenter in gratia non perseuerat, ita nec Absalon diu in officio perstitit.

1. Reg. 14. fin.

ANNVS MVNDI 3008.

DAVIDIS 29 ABIATHARIS 34.

EVPALIS Regis 18.

Imperij Assyriorum 1077.

ANTE CHRISTVM 1045.

I. Apparatus belli ciuilis.

PRæparatur hoc anno belli ciuilis incendium, cuius deflagratio anno proximo subsequetur. Neque enim fieri potest, vt tanta animorum commutatio, paucis diebus aut mensibus, simul excogitata, suscepta, & perfecta fuerit. Quis credat statim à reconciliatione natam esse audaciam instruendi, ac parandi currus & equites, & 50. viros, qui præcederent ambitiosum hominem? Merito itaque hunc annum damus meditatæ ac paratæ seditioni, ac defectioni; quo scilicet Absalon blandiebatur vniuerso Israëli, & corda eorum suffurabatur patri, de quo malitiosè obloquebatur, & conciliabat sibi, multam de se spem verbis concitando. Causa huius belli primaria vltor Deus, qui mala filij voluntate vtebatur, ad puniendum patrem. Adhuc enim vigebat illa vox, *Ecce ego suscitabo super te malum de domo tua*, viguitque quandiu Dauid in viuis fuit. Nam Adoniæ ambitio, quæ moribundo Dauide, ad inuationem vsque regni elata est, malum erat de domo Dauidis, & reliquiæ pœnarum eius.

II. Absalonem mouet ambitio.

Absalonem autem ambitiosa regnandi libido concitauit. Persuasum quippe habebat se statim à Dauidis morte regnaturum. Nam Amnon primogenitus sextum iam annum occiderat, Daniel quoque, qui & Chileab mortuus creditur, aut regno ineptus. Sequebatur Absalon cui regium genus ex parte matris animos quoq; faciebat. Itaq; durissimum illi erat ipsos 20. annos, quos paternis ætas facile capiebat, regnandi cupiditatem, quasi gladium in vagina recondi tum retinere. Extimulabat etiam eum fortasse desiderium vlciscendi exilij, ad quinquennium paterna se acerbitate prorogati. Videtur etiam Achitophel huius consilij non ignarus fuisse, vt qui iamdudum intento esset in Dauidem animo; quem satis prodidit, cum vocatus ab Absalone, illico se ad eius partes adiunxit, & consilium efficax dedit perdendi Dauidis. Quin & non leuis mihi subolet suspicio, omnem rationem ebibendi populi, qua vsus est Absalon, ab Achitophele fuisse profectam. Id odium in optimum principem natum videtur propter Bethsabæam neptem suam adulterio pollutam, & maritum eius Vriam malis artibus interemptum; quem, vt virum optimum atque fortissimum, par est credere fuisse charissimum, & cum eo nuptias cum nepte libentius copulasse.

Achitophelis consilium.

2. Reg. 11. 3 vide an Dauidis 9. n. 3.

Regni ergo candidatus Absalon, Achitophelis consilio vsus, populares sibi animos demereri studuit. Et præterquam quod pellex est pulchritudo, qua præ omnibus florebat Absalon, & species erat digna imperio, ad ipsum etiam alliciebat materna nobilitas, & ordo natiuitatis. Attrahebat & florens iuuentus, & multa iam eius proles, & acre ingenium, & animi vigor; maxime autem illa humanitas in agendo, illa comitas affabilitasque sermonis. Cum enim eum quispiam adiret, & ad eius genua curuaretur, ipse eum humanissime erigebat, atque osculabatur. Tanto autem magis animos hominum demerebatur hæc comitas, quanto maior erat & gratior, qui ad hanc se deijciebat humiliatem. Trahebat & studium, quod ille præse ferebat, promouendi vniuscuiusque vtilitatem: cum diceret, *Videntur mihi sermones tui boni & iusti sed non est qui te audiat constitutus a rege*, qui scilicet possit & velit bene eo munere fungi. Itaque subdebat, *quis me constituat iudicem super terram, vt ad me veniant omnes qui habent negotium, & iuste iudicem?*

III. Populo ambitiosè blanditur.

2. Reg. 15. 3

Videsautem vt ſe ambitioſe laudando, eadem opera ſubditorum animos alienet ac diſiungat à Rege, quaſi à principe negotia publica negligente, neque idoneum aliquem, expediendis iuſte litibus, conſtituente. Vt autem diligentiam ſuam in expediendis in poſterum controuerſijs vindicaret, bene mane per ſingulos dies conſurgebat Abſalon, *& ſtabat iuxta introitum portæ* regiæ, ad quam ſcilicet iudicia exerceri ſolebant, *& omnem virum, qui habebat negotium, vt veniret ad iudicium regis, vocabat ad ſe.* vt oſtenderet ſe non reſpicere perſonam hominum, ſed omnium curam gerere, omnibus beneuolum, omnibus beneficum eſſe velle, ſi poſſet. Quibus artibus conciliatis ſibi populi ſtudijs, certus iam de illius fauore, fecit ſibi currus & equites, & 50. viros, quæ eum præcederent: non vno curru omnes eius amici viri primatij vehi poterant, nec currus vnicus ambitæ magnificentiæ conueniebat. Hoc fuit ſemen ſegetis luctuoſæ, hæc diſpoſitio in populo ad defectionem, & Abſaloni ad inuadendam tyrannidem, quæ proximo anno toto regno graſſata eſt.

Sentire videor, erudite lector, te in Dauide vel prudentiam deſiderare, qui non animaduerteret quorſum hic Abſalonis pertineret apparatus, quem profecto ignorare non poterat; vel ſollicitudinem, pro ſibi diuinitus commiſſa Repub. quæ detrimentum ingens acceptura videbatur; vel correctionem filij iuueniliter exultantis, & paterna indulgentia abutentis. Dicendum videtur Dauidem minime ſuſpicacem fuiſſe, vtpote magni animi virum, minimeque ambitioſum; neque tribuiſſe hunc, quem præter conſuetudinem videbat, apparatum ambitioni, ſed iuuenili faſtui, quem tanquam diuturni exilij conſolationem aliquam, & quaſi compenſationem diſſimulandam putabat. Cæteram autem prehenſationem, & populi ſollicitationem magna ex parte credimus ignoraſſe; quod nemo eſſet qui hæc ad Danidem referre auderet, ne ſuo periculo autor fieret paternæ amicitiæ, quæ nuper ægrè coaluerat, diſtrahendæ.

Denique etſi hæc fiebant captandæ dominationis cauſa, vt etiam poſtea ab Adonia factum eſt, res tamen aliò trahi poterat, vti diximus: & ad ſummum exiſtimauerit Dauid Abſalonem ſignificare velle ſibi regni ſucceſſionem deberi. Etſi reuera non erat ſucceſſurus, ſed ex diuino decreto Salomon, qui nunc ſapientia & ætate ſub Nathanis cura proficiebat in dies; permittebat tamen Abſalonem ſua ſponte ſe fallere, & proprio errore delectari, ne quem nuper in amicitiam receperat, maturius contriſtaret: confidens interim nihil præiudicij cauſæ & iuri Salomonis afferri.

IV. Eumque a Rege alienat, & ſuam oſtentat diligentiam.

Facit ſibi currus & equites.

V. An cum Dauidis negligentia.

VI. Vt excuſari poſſit.

ANNVS MVNDI 3009.

DAVIDIS 30. ABIATHARIS 35.

EVPALIS Regis 19.

Imperij Aſſyriorum 1078.

ANTE CHRISTVM 1044.

TRigeſimus hic regni Dauidis annus, idemque ætatis eius ſexageſimus, ipſi omnium luctuoſiſſimus fuit, in quo per filij tyrannidem regno ſuo indigniſſimè deturbatus, omnes bellorum ciuilium calamitates perpeſſus eſt; niſi quod Dauid ſanguini ciuium ſua fuga pepercit, & Dei benignitate factum eſt, vt tota hæc tempeſtas paucorum menſium curriculo circunſcriberetur, & intra eundem annum occiſo, miſera illa quidem, ſed tamen iuſta morte tyranno, Rex legitimus regno ſuo reſtitueretur. Cæterum circa tempus belli huius, ingerit nobis Scriptura dubitationem, cum ait Abſalonem *poſt quadraginta annos* à rege petiiſſe cõmeatum Hebronicæ profectionis, neque aperit vnde eorum initium accipiendum ſit. Omiſſa autem opinionum varietate, à prima Dauidis vnctione ſumendum putamus, à qua hunc quadrageſimum primum numeramus annum, vt ſcriptura requirit, quæ perfectionem hanc *poſt* 40. *annos* factam ſcribit, qui idem annus fuit Saulis octauus. & Mundi 2969.

I. Ratio tẽporis, & rei ſumma.

an. mun. 2969. 1. 3009. 41.

Quod ad rem ipſam attinet, animaduertenda primum eſt ambitionis hypocriſis, quæ ſeſe religionis integumento conatur obtegere. *Vadam*, ait Regi Abſalon, *& reddam vota mea, qui vouit Domino in Hebron.* Erat religioſus hic locus, lipſanis Sanctorum patriarchatum, ibique vota religionis cauſa nuncupabantur; alioqui non habuiſſet Abſalonis prætextus vllam probabilitatem. At mirum eſt Dauidem non ſenſiſſe fraudem. Primùm quod videtur tempus importunum reddendi voti, poſt quartum denique annum, ex quo reduxerat eum Dominus in Hieruſalem. Deinde quod ſacrificij locus, quandoquidem ſe ſacrificium voluiſſe dicebat, erat vel Gabaone ad Sanctuarium, vel Sione, ad Arcam Domini. Tertio quod perſona ipſa iam ſuſpecta eſſe poterat, ſiue quia iam prætextu conuiuij fratrem interfecerat, ſiue quia illum in curribus & equis audacius ſe offerentem videbat.

II. Ambitio & hypocriſis Abſalonis.

Dicendum videtur Deum, cuius prouidentia hanc telam ordiebatur Abſalon aduerſus Dauidem, quippe illum filij opera caſtigare cupiebat, paſſum eſſe patrem obtuſiorem fieri in his ſtudioſius obſeruandis, & prudentius præcauendis, vt illud vſurpare poſſet, *Cor meum conturbatum eſt, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipſum non eſt mecum.* Interim dum *qui inquirebant mala mihi, locuti ſunt vanitates, & dolos tota die meditabantur.* Abſalon videlicet atque Achitophel. Noluit quoque Dauid videri nimium ſuſpicax, cumque ſuos valde deligeret, paterna charitas non patiebatur eum cogitare malum. Non temere quoque potuit exiſtimare Abſalonem, qui Hebrone natus fuerat, atque educatus, ſingulari

III. Quomodo Dauid deceptus.

Pſ 37. 11.

1. *Cor.* 13. 5.

quapiam

quapiam erga locum illum deuotione affici, quem tamen ille ad coitionem coniuratorum, & tyrannidem inchoandam elegerat.

IV. Ordo rei gestæ. 2. Reg. 15.

Hic autem ordo fuit rei ab Absalone gestæ. Primo accepit à rege commeatum, vt multo cum comitatu proficisci posset, multasque pacificas victimas, voti specie, in conuiuia mactare. Secundo misit nuncios per totum regnum, qui vbique populos monerent, vt præterito die & hora, ad clangorem buccinæ regem Absalonem proclamarent, & ad eum regem agnoscendum, Hebronem frequentes confluerent. Tertio proficiscitur ipse in Hebron non solum cum consueto domesticorum & amicorum cœtu, qui consiliorum eius participes erant, sed cum ducentis reipenitus ignaris, vt mox videntes se per imprudentiam in coniuratione implicatos, progrederentur in facinore, quod integra re noluissent inchoare: vtque non tantum illi deducerentur in fraudē, sed eorum exemplum aliæ vrbes facilius sequerentur: quod consilium ex vaferrimi hominis Achitophelis officina videtur prodijsse. Quarto accersiunt Achitophelem, qui dissimulandi causa fortasse in oppido suo tunc erat; vt si res minus succederet, victori Dauidi innocentiam suam facilius probare posset. Quinto, destinato die buccina personat, confluunt populi in Hebron, quos ille sibi toto superiore anno demeruerat, acclamatur rex atque inungitur: quin & iusiurandum fidelitatis eidem præstitum putat Lyranus, ne quid in eo ad regnum desiderari videretur. Postremo venit Absalon Hierosolymam Dauidi regnum vitamque ablaturus, quòd eo viuo nunquam se Regni certum fore posse sorem putaret.

2. Reg. 19. 20.

V. Dauidi nunciatur coniuratio, & vt se tum gesserit.

Interea venit nuncius ad Dauid, & quidem tardius, quod Absalonis iussu viæ custodirentur, vt Rex cum ciuitate imparatus opprimi posset. Dixit autem paucis, vt in re trepida nuncius. *Toto corde vniuersus Israel sequitur Absalon.* At Dauid in tanto tumultu non est oblitus officij boni principis, qui publicam vtilitatem honori proprio antetulit, dum elegit exprobrabilem fugam, ne populus imparatus ad bellum, resistens armato Absaloni, concideretur. Cessit quoque humiliter vltori Deo, à quo iuxta Nathani vaticinium, pœnam hanc profectam intelligebat; dixerat enim se malum de domo eius suscitaturum. Itaque calamitatem istam non solum de manu eius humiliter accipit, sed auget etiam vltro, dum nudis pedibus, & plorans, & operto capite cum suis, reorum in morem scandit montem oliuarum, nullo iracundiæ verbo in tyrannum effuso, suam quoque in Deum fiduciam ostendit eo psalmo, quem edidit dum fugeret à facie Absalonis.

Ps. 3.

VI. Fugā imperat suis abiitque ipsemet.

Rege itaque imperante fugam, ne cum mutua subditorum suorum cæde veniretur ad manus, omnes qui præsto erant Dauidi, nihil plane repugnarunt, quamuis essent omnes viri fortissimi, & flos ipse bellatorum totius Israēlis, quibus fuga, præsertim sine vllo certamine; probrosa videri solet: sed regis arbitrio atque exemplo cesserunt. Decem porro concubinas reliquit in arce ad custodiendam domum, non quidem contra vim hostium, alioqui præsidium virorum fortium ibi relinquendum erat, sed vt lenitate sua copias Absalonis à cæde atque incendio reuocarent. Sed iam affectemur regem profugum domo, incertum loci ad quem se reciperet. Nisi quod desertum versus, nota sibi iampridem loca, & frequentata, dirigebat iter. Postea tamen admonitu Cusai amici sui, transgressus est Iordanem. *Egressus ergo rex, & omnis Israel pedibus suis*, sine vllo curruum aut equorum subsidio, *stetit procul à domo*, non ingressi sunt domos, vt late circumspicerent, si quis ad eos de amicis se reciperet, sicut postmodum factum est.

2. Reg. 15. 23. & 28.

Quoniam verò turmatim, & sine ordine ob festinationem egressi erant ab vrbe, substitit Dauid in idoneo aliquo loco extra vrbem, vt suum omnibus locum bonus Imperator assignaret. Seruatus autem videtur hic ordo, primum vt locum tribuerit antiquis illis suis socijs, & exilij comitibus, qui multis sub eo confectis stipendijs cum eo senuerant. Et scilicet manebat idem sexcentorum numerus, suffectis semper pari numero viris egregijs in defunctorum locum. Medio in agmine erant domestici Regis, qui latera eius stipabant, vbi & imbellis turba, quæcunque Dauidem secuta est. Hos postremo excipiebant legiones Cerethi & Pheleti, custodes regij corporis. Hi triatiorum instar erant, qui imperum subsequentis ex vrbe hostis, si res ferret, conuersis vultibus exciperent, dum rex è re nata consilium caperet. In lustrandis autem & ordinandis suis, vidit Rex Ethaï Gethæum filium Achis, vt visum est Hebræis, qui recens ad Dauidem, cum quodam sociorum suorum manipulo, venerant, factusque erat proselytus, cui cum Dauid reditum persuadere non posset, eandem secum aleam tentare permisit.

VII. Vt eos ordinarit.

Ethai cū suis cum se quunt.

Dudum iam ex vrbe rex fugitiuus excesserat, cum Abiathar pontifex, & Sadoc sacerdos Dauidis studiosissimi, cum filijs suis & vniuersis Leuitis, qui tum erant Hierosolymis Arcam Domini ad eum exaree detulerunt, vt pro eo Dominum, cum res ferret, consulerent: eosque plerique alij secuti sunt. Cumque Dauid adhuc eis torrentem esset, substitit cum Arca pontifex Dominumque consuluit de profectione Dauidis, quo scilicet eum Dominus abire iuberet. Domino autem nihil respondente, intellexit Dauid silentium hoc esse offensionis indicium, nec gratum esse Domino fieri comitem peregrinationis huius; itaque iussit eam in vrbem reportari, simulque edidit eximias virtutum notas, religiosissimo principe dignas. Dat porro reuertenti pontifici, & sacerdoti Sadoco in mandatis, vt per filios suos Dauidem moneant, quo statu res sint, quid rerum agat Absalon, quid moliatur noui, vt pro re nata sibi consilium capiat. Cumque didicisset Achitophelem cum Absalone cōtra se coniuratisse, petijt à Deo infatuari consilium eius, id est, vel ineptum consilium dari, vel ab eo tanquam ineptum atque inutile repudiari, vti reuera contigit. Qua de re vide quoque psalmum 54.

VIII Venit ad Dauidē Abiathar cū Arca.

Dominus consultus fit, & Dauid Arcā remittit.

Interea ascendit Dauid montem oliuarum, cum suo suorumque omnium luctu; in summitate eius, verso in Sionem vultu, Deum adoraturus, quod ibi esset Arcæ fœderis sedes, & ciuitati sanctæ valedicturus, perinde ac si eam vltra visurus non esset, sed magistratu regio, si Domino placeret, esset abiturus. Ibi ergo dū erat

IX. Adorat Ierusalē versus.

vrbem

Chusai remittit in vrbem æmulum Achitophelis.

vrbem intuens occurrit ei Chusai, qui cum abesset ab vrbe, accepto nuncio coniurationis Absalonicæ & fugæ Dauidis, ad eum concitus venit, sed scissa veste & puluere conspersus caput, vt eum in maxima amantissimi regis calamitate facere par erat, qui singulari titulo Amicus regis audiebat. Sed eum Dauid familiariter remisit in vrbem, deditque in mandatis, vt se in gratiam Absalonis insinuaret, ad Achitophelis consilia dissipanda, quod egregie præstitit. Eoque reuertente in ciuitatem Absalon quoque ingressus est Ierusalem, haud dubie cum plurimo exercitu, paratus enim veniebat ad vim vibi afferendam, si opus foret. Nemine autem resistente, sed plurimis contra fauentibus, & obuiam honoris causa procedentibus, in vrbem, sine puluere & sudore, triumphator inuectus est.

Absalon ingreditur vrbē.

X. Dauidi occurrit Siba cum muneribus.

Chusai adeunte Hierosolymam, Dauid cœpto itinere progressus est, cumque transisset paululum montis verticem, occurrit ei Siba famulus Miphiboseti. Hic autem occursus sic intelligendus est. Erat Siba Hierosolymis cum egressus est Dauid, eumque celeriter antegressus villam aliquam adijt, ibique paratis quamprimum muneribus, redijt Dauidem versus, eique occurrit, vt illis in regis beneuolentiam percommoda occasione insinuaret se: moxque per ir signem calumniam, accusatum herum Dauidi redderet odiosum, ac fortunis omnibus in proprium emolumentum euerteret, quod & consecutus est. Munera fuerunt duo asini, onusti ducentis panibus, & centum alligaturis vuæ passæ, totidemque adiecit ficuum massas, quas vocant palathas, & vtrem vini. Cui Rex, *Quid sibi volunt hæc?* Quo hæc defers? cui vsui? *Responditque Siba, Asini domestici regis*, puta mulieribus, *vt sedeant, panes & palathæ ad vescendum pueris tuis; vinum autem vt bibat, si quis defecerit in deserto.*

XI. Calumniatur herum suum.

Quoniam vero nullam facit heri sui mentionem, nec intelligebat Dauid suóne ille nomine, an Domini sui daret, *vbi est*, inquit, *filius Domini tui*. Miphiboseth scilicet Ionathæ filius. *Respondit que Siba Regi, Remansit in Ierusalem, dicens, hodie mihi restituet domus Israel regnum patris mei.* Inepta plane atque insulsa calumnia; nihil enim in hoc tumultu aut ferebatur, aut meditabatur domui Saulis, sed regnum Dauidis in Absalonem transferebatur. Adde quod nihil ineptius ad regnum Miphiboseth, homine claudo, & claudo vtroque pede, homine in regni dedecus, aut in lucem edito, aut conseruato in viuis, vt ea de re neque populus, neque ipse citra insaniam cogitare potuerint. Quid ergo, inquies, Dauide, si hæc vera credidit, imprudentius, si non credidit, iniustius, qui nefariæ accusationi illam subiecit sententiam, *Tua sint omnia, quæ fuerunt Miphiboseth*, qua innocentem atque inauditam, & insuper miserabilem, & amantissimi sui Ionathæ filium, omnibus funditus spoliabat bonis. Credidit vtique, & improbissimi hominis artificio atque impudentia captus est, & lapsus facilitate credendi. Sed hæc fusius in Annalibus explicata reperies, studiose lector.

Et decipit Dauidē.

n. 39-40. &c.

XII. Semei maledicit Dauidi.

Hunc porro lapsum, admirabilis patientia, aduersus impurissimi hominis maledicta secuta est. Cum enim rex progressus esset vsque Bahurim, oppidum tribus Beniamin, inde egressus est Semei, vir potens de cognatione domus Saulis, qui Dauidem versus inambulans, eum conuitijs insectabatur, dicens, *Egredere vir sanguinum, & vir Belial, reddidit tibi Dominus vniuersum sanguinem domus Saul, quoniam inuasisti regnum pro eo. Et dedit Dominus regnum in manu Absalon filij tui: & ecce premunt te mala tua, quoniam vir sanguinum es.* Nec contentus hisce maledictis, etiam *lapides mittebat contra Dauid, & contra omnes seruos eius.* Erat videlicet aliquod interuallum inter regem cum suis via regia procedentem, & Semei, qui per iugum montis ex latere gradiebatur, idque animos faciebat impudentiæ. Ad quæ cum patientia Dauidis obmutesceret, vt qui in eo agnosceret castigantem Deum, incaluit zelus Abisai filij Sarviæ, id est, Dauidis ex sorore nepotis, Et, *Quare*, inquit, *maledicit canis hic mortuus Domino meo regi? vadam & amputabo caput eius.* Contumeliam rependit contumelia; nec ægre quod minabatur implesset, nisi eius impetum cohibuisset Dauid, instructus ea cogitatione quam dixi. Cæterum inauditam hanc Dauidis patientiam, & Semei contra ipsum calumnias accuratius pro captu nostro in Annalibus pertractauimus.

Dauid reprimit suos ne eū interficiant.

n. 44. ad 57.

Sed maledicum istum tantisper missum faciamus, vt Dauidem assectemur, qui ex pedestri itinere fatigatus, cum populo suo resedit, & *refocillatus est ibi*, in oppido scilicet Bahurim, quo eum venisse paulò ante dictum fuerat. Apparet & sumptum ibi cibum, vel ex Sibæ commeatu: erat enim hoc tempus matutinum, & forte plerique ieiuni exierant, fugam vrgente Dauide. Ab hac autem nonnulla quiete refectis vtcunque viribus, orans & gemens apud Deum ad campestria deserti, vbi conductum fuerat, progrediebatur, eaque meditabatur, quæ mox relata sunt in psalmum 142. vt ex eiusdem psalmi titulo patet, ipsisque verbis eius, illis præsertim. *Auditam fac mihi mane misericordiam tuam, quia in te speraui. Notam fac mihi viam in qua ambulem.* Referuntur enim ad expectationem nunciorum Ionathæ, & Achimaas, iuxta quorum monita iter facturus erat. Expectabat autem nuncios in omnes horas, & saltem postridie mane; quæ tamen eadem ipsa die sub noctem accepit, vt mox dicetur.

XIII. Dauid subsistit in Bahū rum.

Vide Ann. an. Dauid 30. nu. 58.

Interea Chusai ad Absalonem venit, & gratulabundus, *Salue rex*, inquit, *salue rex.* Ad quem Absalon. *Hæc est gratia tua ad Amicum tuum? quare non iuisti cum Amico tuo?* Hoc ille nomine vocari solebat. Non appellat patrem, ne illud nomen eum, quantumuis sit impudens, pudore confundat, & dum amicum reprehendit ingratum, aculeet ingratissimum filium; neque regem nominat, ne seipsum manifestæ tyrannidis accuset. Nec tamen serio reprehendit desertorem patris, qui ab omnibus desertum voluisset. At Chusai adulatorum aulicorum personam egregie sustinens. *Nequaquam*, inquit, persistam in Dauidis amicitia, vel famulatu, *quia illius ero, quem elegit Dominus, & omnis hic populus, & vniuersus Israel, & cum eo manebo.* Vide vt statim beneuolentiæ colligendæ causa, ei scrupulum eximit detestandæ tyrannidis, & coniurationis contra patrem suum, cum eam nomine diuinæ electionis co-

XIV. Chusai se dat Absaloni.

2. Reg. 16. 16.

lorat

lorat. Addit & populi totius, quasi cum Deo conspiratus, consensum, cui propterea fas sit ipsum Chusai acquiescere. Subdit & aliam rationem cur seruire debeat Absaloni: quod aulici non solum principi præsenti, sed eius quoque filijs successoribus parere debeant; sicque infœlix Absalon proditorem pro amico adeptus est.

XV. Achitophel ei suadet polluere patris cõcubinas, & quamobrem.

Dixit autem Absalon ad Achitophel. Inite consilium quid agere debeamus. Alloquitur etiam Chusai, quem apparet in hoc consilio dissimulasse mentem suam: ne si statim resisteret Achitopheli, suspectum se redderet Absaloni, sibique præcluderet aditum, ad iuuandum in re maiori Dauidem. Consulit ergo Achitophel Absaloni vt concubinas patris sui domi relictas polluat, & quidem publice, vt populus sciens patrem à filio inexpiabili scelere violatum firmius ei, desperata reconciliatione, adhæreat. Diabolicum plane Achitophelis consilium, quo vna & eadem opera plurima, grauissimaque damna omnibus afferret. Regi, cui probrosissima contumelia inferebatur: Absaloni, quem adulterum atque incestum reddebat, & magis magisque alienabat à patre, eumque illi maledictioni reddebat obnoxium. *Effusus es sicut aqua, non crescas, quia ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratum eius.* Deo qui in omni scelere offenditur: mulieribus, quæ omnes infames, probrosæ, incestæ, adulteræ factæ sunt. Populo, quem in defectione contra legitimum principem confirmauit, eique ad omnem immunditiam, atque impudentiam viam parefecit: Achitopheli denique ipsi, quem lætum reddidit de vindicato in decuplum adulterio neptis suæ. Hoc primum stabiliendi imperij Absalonis fundamentum fuit, suo illi populo coniungẽdo.

Gen. 49. 4

XVI. Suader & decupari Dauidem imparatũ. c. 17. v. 4.

Alterum fuit, Dauidem summum ac præcipuum noui regni aduersarium, quanta fieri potuit celeritate opprimere, antequam se ille, periculo subduceret, & fortior fieret ad resistendum, sed id consilium quamuis prudenter excogitatum, & ad perdendum Dauidem valde accommodatum, omnibusque eius aduersarijs probatum, Deus opera Chusai disturbauit: iniecit enim Absaloni mentem vt Chusai consuleret, qui Achitophelis consilio probabiliter refutato, suasit vt congregato vniuerso Israële, ipsoque Absalone præsente in medio eorum, ipsum Dauidem aggrediatur, eumque siue in acie, siue in ciuitate quapiam, multitudine obruat. Id consilium placuit, quia Absaloni gloriosior futura erat victoria, quæ alioqui Achitopheli tribueretur: tum etiam quia tutior erat certiorque victoria, quæ ope maximi exercitus quærebatur: tum denique *quia Domini voluntas fuit, vt irrito consilium Achitophelis dissiparetur, vt induceret Dominus malum super Absalone*, vt ait Scriptura, qui tam facile intimo hostis sui amico fidem habuit.

XVII. Eius monitu Dauid abit trans Iordanem.

Chusai porro memor curæ sibi à Dauide impositæ, adit quamprimum Abiatharem & Sadochum, & tota re illis exposita, mittuntur nuncij ad Dauidem, vt ea ipsa nocte Iordanem cum suis transiret, & vt res suas constitueret in tuto: si forte Achitophel Absalonem in suam sententiam traduceret. Adierunt ergo regem Ionathas & Achimaas, & ingenti periculo à seruis Absalonis nullo [illegible] regi migrationem persuadent, iuxta mentem Chusai. *Surrexit ergo Dauid* de campestribus illis desertis, *& omnis populus qui cum eo erat*, & intempesta nocte iter facientes, tanta diligentia vsi sunt flumine traijciendo, vt albescente cœlo, transitus omnium terminaretur. Credibile est Dauidem transito deserto Iericuntis venisse in Galgala, & Iordanem, vbi quondam Iosue, traiecisse, & mox iter versus Castra, quod oppidum Hebræi Manahim vocarunt, direxisse, castraque ibi posita, quietem aliquam suis dedisse.

2. Reg. 17. 22.

XVIII. Achitophel ipse quo sibi vitã eripit.

Interim Achitophel non diu tulit impunè tam flagitiosa consilia, siue regis sui perdendi, siue tot incestis adulterijs publicè violandi. Videns enim posthabitum consilium suum, stabiliendo Absalonis regno vtilissimum, consilio Chusai, quod tempus dabat Dauidi colligendi sui, regnique recuperandi, domum suam rediit, ibique dispositis rebus suis, laqueo sibi vitam eripuit. Certus Dauidem in hoc bello superiorem fore, & sibi eo rerum potiente miserè pereundum. Expertus est infelix illius prouerbij veritatem, *malum consilium consultori pessimum.* Et qui consilio suo regem suum ad grauissima crimina induxit, ipse le, iusto Dei iudicio, longè grauiori scelere castigauit, & sceleratum tyrannum, sceleratior consiliarius ad inferos antecessit. Vir dignus qui per quam expressa esset figura Iudæ proditoris, sicut Dauid Domini Seruatoris.

Vide Ann. n. 80. an. Dan. 2.

XIX. Absalon transit Iordanẽ.

Absalon autem intelligens Dauidem cum suis transgressum esse Iordanem, nihil dubitans in celeritate spem victoriæ magna ex parte positam esse, *transiuit* etiam ipse *Iordanem, & omnes viri Israel cum eo, & castrametatus est in terra Galaad. Amasam vero constituit Absalon pro Ioab super exercitum.* Erat hic nepos Dauidis ex altera eius sorore nomine Abigail, itaque Ioabi consobrinus erat. Et suspicari libet cum Abulensi Amasan ad suas partes præmio amplissimæ dignitatis fuisse traductum, nec recusauit pugnare contra auunculum, auspicijs eius, qui pugnabat contra parentem: sed neutri tantum facinus cessit impune. Fideliores amici Dauidis fuerunt Sobi, Machir, & Berzelai, viri in suis ciuitatibus primarij: quorum primus fuit Amonita, qui à Dauide loco Hannonis in profligato regno cõstitutus fuerat. Hi ergo siue ex condicto, siue sponte quisque sua, cum intima Dauidem beneuolentia prosequerentur, sciretque ipsum cum suis, ab omnibus rebus imparatum, domo profugum euasisse, lautia ad eum miserunt, de ijs quæ erant ad vitæ vsum necessaria.

Cõstituit Amasam militiæ suæ principem.

XX. Paratur prælium

Ioseph. lib. 7. de B. c. 10.

Deinceps præparantur ad prælium exercitus Dauidis & Absalonis, deplorabili conditione personarum inter se pugnantium. Porro Dauid egregius Imperator, considerato rerum suarum statu, & populo suo, qui fuit circiter quatuor millium, vt ait Iosephus, non duxit operæ pretium muris se suosque continere, & obsidionem aduersariorum expectare, vt qui male instructi essent ab ijs omnibus, quæ necessaria erant ad obsidionem tolerandam. Diuisit autem tripartiam copias suas: & dedit tertiam partem populi sub manu Ioab, qui nihilominus absente rege toti exercitui præerat, vt militiæ princeps: alteram tertiam partem subiecit Abisai fratri Ioab, reliquo exercitui præpo-

fuit Ethai Gethæum: huius enim principis, qui ei constanter adhæserat fidelitatem honorare voluit. Volebat autem ipse quoque pugnare, & militiæ principem agere ipse per se; sed repugnantibus ducibus suis, quòd in ipsius vnius persona omnia verterentur, & ipsum vnum omnia aduersariorum tela peterent, acquieuit. Id tamen vnum summa cura commendauit vniuersis, vt viuus seruaretur Absalon: qua commendatione certus de victoria fuisse videtur, aut certè subintelligebat, si viceritis, & ille inciderit in manus vestras, sic vt eum & seruare possitis, & perdere.

Iubet rex conseruari Absalonem.

XXI. Committitur prælium & Dauidici vincunt. 2. Reg. 18. 6.

Itaque *egressus est populus* Dauidicus *in campum contra Israel, & factum est prælium in saltu Ephraim.* Ita dictus videtur locus, vbi olim Oreb & Zeb à Ephraimitis cæsi sunt, & cæsus est ibi populus Israel ab exercitu Dauid, factaque est in die illa plaga magna viginti millium. Quod autem subdit Scriptura *dispersum fuisse prælium super faciem omnis terræ*, significat Istæ Elitas, cum impetum Dauidicorum ferre non potuissent, in fugam auersos, quo quemque impetus, & spes euadendi ferebant, eò proripuisse se. Ergo & in saltum auium conciti ferebantur, & in terræ voragines hoste à tergo imminente, abijciebant se, ne gladio vel hasta confoderentur, & ex casu disrumpebantur, & mox alij ab alijs oppressi suffocabantur, sicque factum est, quod ait Scriptura, vt multo plures essent, *quos saltus consumpserat, quam quos vorauit gladius.* Itaque crebræ foueæ syluæ illius, multis corruentibus & semiuiuis, sepulchrorum loco fuerunt.

XXII. Fugit Absalon & cõprehẽditur a quercu.

In hac fuga non vltimus Absalon, qui dum mulo insidens concitus fertur subter cõdensam quercum & magnam, adhæsit caput eius quercui, & illo suspenso inter cœlum & terram, mulus cui insederat pertransiuit. Nulla est capillorum in Scriptura mentio, etsi plerique omnes vulgo capillis quercui colligatum putent. Dicendum videtur infelicem Absalonem caput ita inseruisse ramis arboris, vt ijs collum eius constringeretur, vnde mente confusa sese expedire non posset, donec superueniret hostis, à quo hasta confossus interiret. Et certe vt absurdum est solam cæsariem temere implicatam ramo, armati viri contra nitentis corpus ferre potuisse, ita probabile est quod Iosephus adiecit, ventilatam comam, nam galeam facilioris & certioris fugæ causa deposuerat, asperæ arbori sese implicuisse, & cincinnis intricasse, vẽlignis & capillis, quasi cippo & funiculis teneretur.

Ios. Ant. c. 9.

XXIII. A Ioabo interficitur.

Id cum vidisset vnus de gregarijs militibus, nõ est ausus filium regis, principem hostilis exercitus depositum ex arbore comprehendere reddendum patri, vt ille iusserat, aut veritus ne ille elaberetur, aut opima hæc spolia militiæ principi reseruare volens. Itaque rem Ioabo nunciat, qui contempto Regis imperio, quo viuus seruari iubebatur, vt pœnitentiæ locum peccatori daret, tulit tres lanceas, siue tria spicula, vt est in Hebræo, & perfosso pectore infixit ea in corde Absalon. *Cumque adhuc palpitaret hærens in quercu, circumsteterunt decem iuuenes armigeri Ioab, & percutientes interfecerunt eum*, motus ac sensus expertem penitus reddiderunt, bis enim interfici non potuit. Quo facto Ioab etsi nocentissimum iuuenem interfecit, & in bello iustissimo, graui tamẽ scelere obstrinxit sese, quod regis filium, contra seuerissimum tui regis imperium, ac proinde iniuste, occidere non dubitarit. Cuius criminis argumentum est, quod eum Dauid dignitate sua deijcere voluit, & moriturus eius cædem Salomoni mandasit, nulla tamen ibi facta mentione Absalonis.

Ang. in 3. de doct. Christ. ca. 21. 2. Reg. 18. 14.

Cecinit autem Ioab buccina, & retinuit militem suum ne persequeretur vltra fugientes, *volens parcere multitudini*, quam iam satis viginti millium cædes castigauerat. Ijdem milites tulerunt Absalonem de quercu, & proiecerunt eum in saltu in foueam grandem, & comportauerunt super eum aceruum lapidum magnum nimis. Noluit Ioab corpus deferri Hierosolymam, ibique honorifice sepeliri, siue in pœnam improbissimæ coniurationis in parentem suum, sed in compendium sepulchri, in foueam quasi in cloacam temere ac contemptim proijci: siue ne oculi augerent dolorem parentis, quem certo sciebat acerbissimum fore. Hic finis miseri Absalonis, hic exitus ilium sorte tulit, prolapsas videntẽ repentino casu spes omnes fortunasq; suas, imo & corpus, & vitam, animo insuper in interitum tuente sempiternum. Ita interijt paucorum dierum, vel ad summum mensium rex, aut potius tyrannus iniustissimus, regno per summum scelus acquisito, per summam nequitiã confirmato, per summam celeritatem amisso. Et qui dudum temulento Amnoni fratri, animæ simul & corporis exitium fratet intulit, nunc à consobrino, geminata quoque morte trucidatur. Et cuius cor ambitione, luxuria, crudelitate æstuauerat, idem merito tribus spiculis confixum fuit. Qui decem patris concubinas incestæ fœdauerat, à decem iuuenibus vulneribus deformatus est: & qui totum populum ciuili bello turbauerat, à toto populo lapidibus obrutus est. Remansitque titulus tantum *manus Absalonis*, in columna, quam ille sibi in valle regis in monimentum erexerat.

XXIV. Proijcitur in foueã, & lapidibus obruitur.

Epitaphium eius.

Superest vt luctuosam de inimicis suis victoriam regi denunciemus. Eo munere functi sunt Achimaas & Chusi, sed ille nunciata victoria, mortem Absalonis dissimulat, quam Chusi nunciauit, dicens, *fiant sicut puer*, Absalon *inimici Domini mei Regis*. Intellexit rem Dauid, & forte modum scisciatus est, & didicit Ioabi facinus. & in præsentia dissimulauit, mœrorem tamen suum apertis vocibus prodidit, cupiens Absalonis vitam sua morte redemisse: quamuis occultandi eius causa ascenderit *cœnaculum portæ*, superius videlicet tabulatum, quod immineabat portæ, ad quam sederat Dauid, expectans nuncium, ibique fleuerit. Neque enim decebat regiam maiestatem, coram populo lacrymis sese muliebriter, lamentisque dedere. Restamen & Ioabo, & victori exercitus innotuit, qui audiens Regem lugere filium suum, declinauit ab vrbis ingressu, non secus ac victi solent, timens occurrere Dauidi, quasi particeps cædis filij eius.

XXV. Mors Absalonis innotescit Regi, qui eum luget.

Cum metu exercitus sui.

Interea Ioab, qui causa vnica erat luctus istius, veritus ne populus hanc siue verecundiam, siue timorem in audaciam & defectionem verteret, sibique, deserto Dauide consuleret, nisi ipse luctu quamprimum depositio, præ se ferret se approbare quæ facta fuerant, aut eum seorsim adijt, & mira orationis libertate eum hominum consuetudinem deuitantem, ingenti periculo proposito abduxit à luctu. Vt autẽ Ioabi oratio

XXVI. Ioab regẽ adit & obiurgat

miram ipsius hominis confidentiam, atque licentiam, quam non solum regius sanguis, sed multa etiam in Rempublicam merita, & prudentia rerum gerendarum acuebant; ita Dauidis factum singularem eius mansuetudinem prodit, qui subditi sui audaciam, ne minimo quidem verbo reprehendit: neque in eum, vt iussionis suæ in re tanta superbum violatorem, inuectus est, non ignorans esse tempus tacendi, & tempus loquendi. Quin potius quasi non à subdito, sed à Domino, non à nepote, sed à parente reprehenderetur, non ab eo qui intulisset, sed qui accepisset iniuriam, ei morem gerens, tacitus surrexit è loco, vbi sedebat iugens, & sedit in aula quadam ad vrbis portam, ibique adeuntibus fecit copiã sui, quo audito omnis multitudo venit ad eum. Qui autem secuti fuerant Absalonem, ad sua quisque dilapsi sunt, dum aliqua reconciliationis occasio nasceretur.

Dauidis mansuetudo.

XXVII. Studet reconciliando sibi populo suo.

Parta porro de inimicis victoria, & tyranno ipso de medio sublato, poterat Dauid victricia signa, legionesque aduersus Hierosolymam, ac deinceps in reliquam regionem populabundus inferre, & turbatos aduersarios in potestatem redactos male mulctare, sed humanitas clementissimi principis aliam viam, in regno sibi reconciliando, sequendam esse persuasit. Itaque per amicos populum sollicitauit, & ad spem veniæ erexit, tantumque profecit, vt Optimates Israëlis populum obiurgarent, dicentes, *vsquequo silebitis, & non reducitis regem?* Ex qua reprehensione tarditatis, & cessationis recte colligimus, non statim à morte Absalonis, & populi fuga reductum esse regem, sed dum rex in ciuitate Manahim in hybernis subsistit cum suis, istam reconciliationem in singulis tribubus per amicos Dauidis, non irrito labore, procuratam. Obtinuerunt enim vt communi consensu legatos mitterent ad Dauidem, per quos se illi offerrent subditos sicut prius, & veniam de præterita culpa postularent. Ea legatio aperte ponitur à Septuaginta, *Et concilium*, inquiunt, *totius Israel venit ad regem*, eaq; inox in Volgata significatur illis verbis. *Sermo autem omnis Israel peruenerat ad regem in domo eius.*

Israel mittit ad eũ legatos.

2. Reg. 19. 11.

XXVIII. Dauid Iudam per amicos sollicitat.

Ægre autem ferebat Dauid Iudam & Ierusalem eodem officio non fungi, & qui priores in culpa fuerant, non etiam cæteros in satisfactione anteuertere; vt qui intelligeret id vel maxime necessarium esse, vt res tota sine bello confici posset. Priuatas ergo litteras misit ad Abiatharem, & Sadocum sacerdotes, quibus monebat vt loquerẽtur ad maiores natu Iuda, eosque de tarditate sua, in quærenda restitutione regis, castigarent, vt qui nouissimi functuri erant officio, quod omnium primi occupare debuissent, vt qui regem sanguine propius attingerent. Quoniam vero Amasa, Dauidis ex sorore nepos, quem Absalon militiæ suæ principem constituerat, & infestis in eum signis in acie concurrerat, veritus periculum suum, multum impedire poterat, ne Ierusalem, & tota tribus Iuda se Dauidi restitueret, & vice versa eam restitutionem multum poterat promouere, eum duplici telo oppugnauit ac vicit, altero decoris & honestatis, quod sibi proxime sanguine iunctus esset; altero spei & vtilitatis, promissa ei suprema militiæ, loco Ioabi, præfectura. Eum enim abdicare voluit, tum ob cædem Absalonis, & Abneris, tum pertæsus morum eius, atque superbiæ.

Et nominatim Amasam, cui Ioabi officium destinat.

Irritum tamen fuit hoc Dauidis de Ioabi abdicatione, & Amasæ promotione decretum, quod Deus illum aliquanto tardius, istum citius punire statuisset, eiusque in Auunculum suum perfidiam vindicare. Non fuit tamen irrita Dauidis ad ipsum aut ipsius ad populum Iuda adhortatio. Is enim *inclinauit cor omnium virorum Iuda*, in vnam eandemque sententiam, *miseruntque ad regem dicentes, Reuertere tu & omnes serui tui.* Vno verbo significatur paratum esse tribum Iuda, ad eum cum omnibus suis, honorificè, vt regem decebat, excipiendum; nec officio procedendi obuiam defuturos, vt ex sequentibus patebit.

XXIX. Irrito decreto.

ANNVS MVNDI 3010.

DAVIDIS 31. ABIATHARIS 36.

EVPALIS 20. Imperij Assyriorum 1079.

ANTE CHRISTVM 1043.

PRimus hic annus quartæ Decadis regni Dauidis, qui ei in regnum suum reduci lætus illuxit, lætus & populo tenuiori, cum esset Sabbaticus ordine sexagesimus primus. Nec tamen solidè lætus fuit, plus quippe absynthij videtur habuisse, quam mellis. Etsi enim ita lætatus est, vt tanquam in die solennis lætitiæ, fontem meritissimo supplicio afficere nefas esse duceret, diceretque, *An ignoro hodie me factum regem super Israel?* Cædes tamen Amasæ, noui principis militiæ, per proditionem à Ioabo perpetratam, & tribuum contentio, quæ in apertam denique defectionem euasit, hanc lætitiam valde diluit. Sed læta prius, vt ratio temporis exigit, videamus. Existimamus autem iuxta ea quæ superiore anno disputata sunt, cum primum se annus aperuit, regem traiecisse Iordanem; indeque cum magna populi parte venisse Ierosolymam, cum iam mensibus hybernis variè à tribubus hæc reductio agitata fuisset, adeo vt sese mutuo tarditatis arguerent.

I. Ratio temporis, & res anni huius. Ann. Sabbat. 61.

2. Reg. 19. 12.

Cum ergo Israelis legati, paterna à Dauide accepti benevolentia, ad suos reuersi essent, eum mandatis vt Regi Iordanem transituro adessent, & Hierosolymam petentem comitarentur, cum primum eis Regis profectio innotuisset. Et iam tempus profectionis appeteret, tribus Iuda cupida demonstrandi suam, erga Dauidem suum beneuolentiam, ipsa eius adeundi celeritate, destinatum reuersioni tempus anteuertit, venitque in Galgala, indeque Iordane transmisso, regem adijt Dauid autem, qui æmulabatur gloriam tribus suæ, audito eius aduentu, maturius etiam ipse, non expectatis cæteris tribubus, Castris egressis, Iordanem versus, & locum traiectioni destinatum petere intendit. Abeuntem regem circumpositæ tribus trans Iordanem agnouerunt, celeriterque ad regem profectæ sunt; atque ita factum est, vt Dauide Iordanem transeunte, tota illi Iudæ tribus adesset, & media tantum pars de populo Israël.

9. 9. 10.

II. Iudas præuenit Israelem in reducendo Rege.

Cumque

Cumque ſtetur Hieroſolymam, exortum eſt in itinere Iſraëlem inter & Iudam, ex æmulatione iurgium; quæ occaſio fuit, vt nondum ſatis coagmentata cicatrix, Seba claſſicum inſonante, facile diuelleretur.

III. Semei officioſè ambit à Dauide veniam.

Quoniam autem tribus Iuda in Galgala & Iordanem venire non poterat, quin per mediã tribum Beniamin iter faceret, facile fuit Semei, qui in ea morabatur, tota de re quamprimum fieri certiorem. Præſertim cum rebus in contrarium verſis, veniam de ſcelere ſuo, ſingularibus aduerſus Regem obſequijs, ſatageret obtinere. Apparet autem Tribunum fuiſſe in tribu ſua, qui cum mille virorum comitatu venerit; & erat alioqui vir potens de cognatione domus Saul. In eo numero videtur fuiſſe Siba, cum quindecim filijs, & viginti famulis; & Miphiboſeth Ionatæ filius, omnes enim ad eandem tribum pertinebant. Iſti ergo cum veniſſent cum viris Iuda in occurſum regis, *Irrumpentes Iordanem ante regem tranſierunt vada, vt traducerent domum regis, & facerent, iuxta iuſſionem eius.* Nimirum plurimi eorum in equis inſidentes animoſè ingreſſi ſunt in aquas, vada cõmodiſſima vexplorãtes, ne quod periculum tranſeunti regi, aut eius familiæ crearetur; quam tranſiſſe naugio, ex Hebræo intelligitur.

IV. Et eâ humiliter petit.

Cum primum autẽ Semei Iordanẽ tranſiſſet, ſub ipſum tempus, quo rex erat tranſiturus, proſtratus coram ipſo veniam petijt illatæ à ſe in eũ iniuriæ, cupiens eam obliterari, & præſenti officio compenſari, quod primus ex omni domo Ioſeph, id eſt, ex omnibus tribubus, præter Iudam, in occurſum regis venerit. Et videbatur inflecti ad lenitatem Dauid, cum Abiſai zelans pro honore regis ſui, *Nunquid pro his verbis*, inquit, *non occidetur Semei, quia maledixit Chriſto Domini?* Hic eſt ille idem Abiſai Ioabi frater, qui dudum dixerat, *Quare maledicit canis hic mortuus Domino meo regi? vadam & amputabo caput illius.* Sed quemadmodum tunc, ita & modo, à manſuetiſſimo Dauide, cum eadẽ obiurgatione repulſus eſt, *Quid mihi & vobis filij Saruiæ?* Quid veſtra intereſt, ſi ego miſericors eſſe voluero? Quid zelamini pro me, *& efficimini mihi hodie in ſatan?* id eſt, aduerſarium. Erat enim reuera hoc conſilium inimici, & regijs negotijs valde aduerſatium. Mors enim Semei omnes tribus alienas à Dauide reddidiſſet, dum de venia deſperarent, parque ſupplicium ſibi formidarent; præſertim cum hæc dies recuperati regni, lætitiæ eſſet, non animadverſionis. Ideoque rex cum iuramento promiſit ei non moriturum, quod ne violaſſe poſtea videatur, cum eum à Salomone puniri iuſſit, dicendum videtur Dauidem non fuiſſe obligatum ad mentem Semei veniam promittere, vel iurare. Vide alias in Annalibus reſponſiones.

Repellitur ab Abiſai, rege improbate. 2. *Reg.* 19. 20. 21. 2. *Reg.* 16. 9.

An ficte & cum periurio.

n. 14. *& 15. anni huius.*

V. Miphiboſeth adit regẽ.

Hoc ipſo tempore *deſcendit Miphiboſeth in occurſum regis, illotis pedibus, & intonſa barba*, addunt etiam Septuag. neque reſectis vnguibus, *veſtesq; ſuas non lauerat, à die qua egreſſus fuerat rex, vſque ad diem reuerſionis eius in pace.* Totum videlicet exilij Dauidici tempus, in luctu poſuit, quem in corporis, & veſtium neglectu præſe tulit. Intelligebat enim quantam in rege humaniſſimo regno ſuo pulſo iacturam feciſſet. Et tamen infelix hominem ſceleratum inuenit, & quidem ſeruum ſuum, qui atroci calumnia eum apud regem ambitionis accuſaret; neque regia tantum benevolentia, ſed omnibus etiam fortunis malignißime priuaret. Is ergo cum primum regi factus eſt obuius, ab eo rogatur, cur cum ipſo non veniſſet. Etſi enim illi futurus erat oneri, oportebat tamẽ vt ipſe ſe ad officium paratum offerret. Apparet Dauidem, qui iam calumnia Sibæ præuentus fuerat, quæſiſſe occaſionem ipſum obiurgandi, vt qui nondum eſſet illo errore liberatus.

VI. Iam ſuam agit apud Dauidem.

Miphiboſeth autem crimen in calumniatorem deonerat, qui per contemptum, Domini mandatum ſeruus neglexerit, & impedierit, ne poſſet officio regi debito fungi, neq; eo facinore contentus, adiecerit etiam horribilem calumniam, herum ſuum accuſans maieſtatis apud regem, quaſi in ſpem regni eo abdicato eſſet erectus. Nec dubitauit Miphiboſeth quin rex pro ſua ſapientia Sibæ improbitatem facile deprehẽſurus eſſet, vt qui eſſet quaſi angelus Dei, & videret quam parum probabilitatis haberet accuſatio, quamuis in materiam ſuſpicioſiſſimã incidiſſet. Nam & ad regnandum erat ineptiſſimus, ſi maxime voluiſſet, & perpetuo luctu oſtenderat quantum regis calamitas ipſi grauis eſſet, à quo, maximo beneficio, atque honore affectus fuiſſet, quem poſuiſſet inter conuiuas menſæ ſuæ, quem tamen tanquam pertinentem ad Saulis familiam, interficere potuiſſet.

VII. Iniuſtum regis in hac cauſa iudicium

Vides Miphiboſethum excuſantem Dauidem, quem de ſuperiore iudicij iniuſtitia erubeſcentem videbat, nec velle pudore impeditum priorem ſententiam penitus antiquare, neque Sibam bene de ſe meritum vehementius contriſtare. Sed debuit profecto in male promiſſis tidem reſcindere, nec erubeſcere in turpi iudicio mutare decretum, & non peccatum vetus nouo cumulare. Neque fas fuit, adulatorijs muneribus delictum, ingratam iniuſtitiam non emendare, & criminoſum hominem non diligentius excutere, ac punire, ſic vt qui per fraudem aliena bona fuerat adeptus, amitteret etiam ſua; & inſuper morte iuſtiſſima lueret calumniam in hominem innocentem, imo Dominum ſuum, eumque afflictum & conditione miſerabilem. Nihilominus, *Tu & Siba*, inquit rex, *diuidite poſſeſſiones*: vterque veſtrum altera parte bonorum contentus ſit, vt neque vnus omnia amittat, neque alter acquirat omnia. Sicque in hac cauſa tripliciter peccaſſe Dauidem fatentur interpretes. Nam & Miphiboſethum nihil cõmeritum indicta cauſa primum omnibus fortunis euertit. Deinde cognita veritate, homini calumniam paſſo non reſtituit bona ſua, ſed eorum partem duntaxat. Tertio improbiſſimum heri ſui calumniatorem non puniuit, ſed paſſus eſt calumniam illi eſſe fructuoſam; ad improborum audaciam nutriendam.

verſ. 29. Et culpa triplex.

VIII. Gratitudo eiuſdẽ erga Berzellai

Vt autem redeamus ad comites Dauidis Iordanem tranſeuntis: in iis quoque fuit Berzellai Galaadites, de Dauide benemeritus: cui cum rex vicem reddere cuperet Hieroſolymis, excuſauit ille ætatem octogenariam; aulicæ vitæ parum idoneam; ſubſtituit autẽm filium ſuum, qui regi commodius famulari poſſit; cuius deſiderio Dauid acquieſcit, ſpondetque ſe in eum pro parentis voluntate, & eiuſdem loco beneficum fore; idque & viuens cumulate præſtitit, & moriens iuſſit Salomonem filios Berzellai perpetuos habere conuiuas. Tranſiuit ergo Rex cum vniuerſo populo, qui cum eo erat, tranſiuit & Berzellai,

quem cum peramanter complexus, eique bene precatus esset, dimisit eum, qui & reuersus est in Rogelim ciuitatem suam, filius autem eius secutus est regem, eique deinceps adhæsit.

IX. Iurgium tribuum contra Iudã, apud Regem.

Transmisso flumine *rex profectus est in Galgalam, & Chamaam cum eo*, atque adeo Semei, & Seba & Miphiboseth, & omnis populus Iuda, qui affuerat regi transeunti, vna cum dimidia parte cæterarum tribuum, quæ turmatim ad regem concurrebant, ægre ferentes sibi non significatum regis discessum, neque expectatum paulisper aduentum suum. Cum autem iam omnes conuenissent, & Dauid iam non longe abesset ab vrbe regia, vt putat Abulensis, regem subitati adierunt, *& quare* inquiunt, *furati sunt fratres nostri viri Iuda, & traduxerunt regem, & domum eius Iordanem?* Dolebant Israëlitæ cõremptos se à Iudæis, qui gloriari voluissent Dauidem à sola sua tribu regno restitutum: eaq; de causa regem furtim, non monitis aliis abduxerant: verebanturque ne hanc tarditatem, quæ nulla sua culpa contigerat, rex acciperet, quasi exiguæ beneuolentiæ argumentum. Quem propterea neque accusare audebant, etsi eius fuerat omnes tribus conuocare ad certum diem, & ante illum non discedere: sed eam accelerationem crediderunt à superbia Iudæorum fuisse profectam.

9. 33. *in c.* 19.

X. Durior Iudæ responsio dat causam defectioni.

Hîc cum exortum esset inter tribus iurgium, & alij se alijs vicissim præferrent, incaluit spiritus regiæ tribus, cernens sibi non concedi regem sibi esse propiorem quam cæteris tribubus, quod tamen extra controuersiam esse videbatur. Itaque *durius responderunt viri Iuda viris Israel*, quibus autem verbis vti fuerint proditum non est. Valde tamen assentior Tostato, dicenti probabile esse dixisse Iudam, non solum Israëlem non esse regi se propiorem, sed nihil ad eum pertinere. Quod non obscure colligitur ex verbis Sebæ de tribu Beniamin, qui mox inclamauit apud cæteras tribus, *Non est nobis pars in Dauid, neque hereditas in filio Isai*, quæ ille videtur exIudæorum verbis sublegisse, & quasi exprobrando vsurpasse. Valde porro mirum est regem non compescuisse hasce turbas; neque vtrisque silentium pro sua autoritate imposuisse, præsertim cum non solum coram ipso, sed pro ipso, & de ipso esset exorta contentio. Certe Abulensis non dubitat hoc loco Dauidis deliberare prudentiam, & humani aliquid aduersus tribum suam passum fateri, qui æque omnium pater esset & princeps. Quod si fatemur, licet illico agnoscere castigantem Deum, qui hunc triumphum reddiderit luctuosum, & vix absterssas pro Absalone lacrymas renouarit. Vsque adeo placitum est Deo rebus aduersis seruorum suorum vel exercere virtutem, vel punire peccata, vel merita cumulare.

An cum Dauidis culpa.

Cum ergo principes tribuum grauiter ferret duriorem Iudæorum responsionem, & Dauidem sibi iniquiorem putarent, ab eo corpore simul, animoque auertuntur. Infeliciter autem tum contigit, vt ibi *esset vir Belial nomine Seba* de tribu Beniamin, & quidem de principibus eius, atque adeo de cognatione Saulis, vt plerique putant; neque enim alioqui populum ad secam facile traxisset. Hic ergo parum alioqui in Dauidem propensus, hac occasione arrepta fa-

XI. Seba dux seditionis, ac belli ciuilis. 2. *Reg.* 20. 1.

ctus est vnguis in vlcere, vt regnum à Dauide in Saulis aut familiam, aut tribum reduceret. Ergo cum buccina cecinisset, vt sibi faceret audientiam facto silentio, clamauit, *Non est nobis pars in Dauid, neque hereditas in filio Isai, reuertere in tabernacula tua Israel.* Efficax fuit feralis illa buccina, cæteris tribuum proceribus in præsenti ira facile obsecundantibus, & tuos singulis secum exemplo suo atque autoritate trahentibus. Itaq; *separatus est omnis Israel a Dauid, secutusque est Seba filium Bochri.* Viri autem Iuda adhæserunt regi suo, à Iordane vsque Ierusalem, quasi ciuitati, à cæteris autem media in via desertus est.

Cumque venisset rex in domum suam in Ierusalem, ibi vestigia præcedentis coniurationis inuenit, decem nimirum mulieres concubinas, quas publice fœdauerat Absalon, cum ibi relictæ fuissent à Dauide *ad custodiendam domum, & tradidit eas in custodiam*, non quidem in vincula, supponens eas inuitas cum tyranno peccasse, sed in liberam custodiam, ne à Dauide desertæ furtim cum alijs, cum regis dedecore consuescerent. Alimenta quoque eis præbuit, siue mercedem præcedentis famulatus, siue quia clausis non licebat alios accipere viros, à quibus sustentarentur. *Et non est ingressus ad eas*, quia factæ erant quasi nurus ipsius, per coniunctionem cum filio eius Absalone, quamuis affectu non maritali. *Sed erant clausæ vsque in diem mortis suæ, in viduitate viuentes*, id est, in cælibatu: neque enim erant propriè viduæ, cum viueret adhuc earum maritus, sed in omni deinceps continentia perseuerarunt, instar monialium Deo consecratarum. Eas quoque segregando prouidit, ne dum in oculos hominum incurrerent, renouare vrmen oria flagitij inputissimi Absalonis, quod in Dauidis contumeliam redundabat.

XII. Rex concludit cõcubinas. 2. *Reg.* 20. 3.

Hoc negotio celeriter expedito, rex prospiciens bellum ciuile succrescens, vocato ad se Amasa, cui nuper militiæ promiserat principatũ, iussit cõuocari in diem tertium omnes viros Iuda, eumque adesse præsentẽ, nimirum vt militi nouum præficeret Imperatorem, & militem Imperatori commendaret. Qui dum dat operam vt quam numerosissimo instructus exercitu, contra Sebam & decem tribus pugnaret, & certiorem victoriam reportaret, moratus est vltra constitutum à rege diem; qui interea angebatur, videns difficiliorem in dies reddi victoriam, viribus crescente aduersario; cum ipse nollet Ioabi opera in hac expeditione vti. Itaque iussit fratrem eius Abisai, cum copijs quæ erant ad manum, persequi Sebam, sperans fore vt cum reliquo exercitu Amasa, se illi cum summo imperio adiungeret. Nec minus Ioab cum fratre & domesticis copijs contra Sebam profectus est.

XIII. Et curam militiæ dat Amasæ Ioabo abdicato. 2. *Reg.* 19. 13.

Qui cum progrederentur Septentrionem versus, Amasa cum suis consecutus est eos, *iuxta lapidem grandem, qui est in Gabaon*, circa quem iam ante annos viginti octo Ioab contra Abnerem pugnarat initio ducto à gladiatorio certamine. Ibidem nunc per speciem benevolentiæ complexus Amasan, eum pugione confodit; minimè quidem innocentem, si quis desertum ab eo regem, eundemque auunculum suum, vt tyranno adhæreret, recordetur. Sed Ioab fuit multo nocentior, licet mala eius voluntate Deus ad puniendum Amasan vsus fuerit, qui prætexta cum consobrino amicitiæ, improuiso

XIV. Quẽ Ioab per proditionem interficit 2. *Reg.* 20. 9.

ferro

ferro, indicta causa, ignorante, atque inuito principe, nihil ab eo violatus, inuidia stimulante peremerit. Instar enim mortis Ioabo erat, post trigesimum denique annum, de supremo, secundum regem, dignitatis gradu ignominiosè deturbari. Ipso autem occiso persuasum habebat neminem toto regno fore, qui eam dignitatē auderet admittere, illius metu qui duos iam regij sanguinis principes, illius sibi conseruandæ causa, per insidias trucidasset.

2. Reg. 20. 9.

XV. Dauide lugente, ac dissimulante.

Id facinus magnum attulit Dauidi mœrorem, cum tamen dissimulandum putauit, ne qui recenti seditione vndecim tribus amiserat, Iudam quoque, in ipsius ac fratris potestate positum, amitteret. Nec tamen pœnam ignouit, sed in tempus idoneum distulit. A Ioabo autem interea quandam quasi tyrannidem patiebatur, quā nec ferre liberet, nec auferre posset. Idoneam tamen patiendi ac dissimulandi materiam Ioabus ipse suppeditauit, cùm motus à Seba excitatos compressit. Videri enim vulgo potuit Dauidem, in gratiam egregij facinoris, improbum illud ignouisse, eumque rursum militiæ principatu donasse, quamuis ipse se potius nunc militiæ principem fecisset, quam à Dauide factus esset. Iacebat Amāsa contrucidatus in via, & in suo sanguine rabescens, transeuntes ad sui spectaculum trahebat, quorum aliqui etiam insultabant, quòd Ioabi loco esse voluisset. Denique in vrbem delātus, multo cum Dauidis luctu, honorifice sepultus est.

XVI. Seba obsidetur, atque interficitur.

Porro Seba transierat per omnes tribus Israël, omnesque viri electi congregati fuerant ad eum. Nimirum à tribu Iuda digressus, adierat tribum Benjamin, Ephraim, cæteraſque: peruenerat̄que ad tribum Nephtalim, quæ est vltima septentrionem versus, in qua est Abela, vbi ille substiterat. Quod vbi didicit Ioab, qui eius vestigia sectabatur, obsedit vrbem, eiusque muros destruere moliebatur, & videlicet per vim in illam irrumpere. Quo cognito ciues de salute sua, & vrbis incolumitate solliciti, statuunt periculo eximere sese, istius aduenæ deditione. Id vt Ioabo nunciaretur mittitur super muros mulier: ibi enim poterat mulier tutius quam vir aliquis subsistere. Sed & sapientiæ illius id datum est. Cum enim ad naturales mulieris illecebras accessérit opinio sapientiæ, propter insolentiam rei sunt admirationi, & facilius à viris impetrant quod cupiunt. Ergo inde mulier Ioabum euocatum alloquitur, qui dedi sibi vult Sebam: eius caput illa promittit, eoque è muro deiecto ciuili bello finis imponitur. Et Ioab ad regem, recuperata ipsius permissu dignitate, reuertitur, dum tempus ferat, vt regi meritas pendat pœnas.

ANNVS MVNDI 3011.

DAVIDIS 32. ABIATHARIS 37.

EVPALIS 21. Imperij Assyriorum 1080.

ANTE CHRISTVM 1042.

FActa est fames in diebus Dauid tribus annis iugiter, quam Iosephus, secutus seriem narrationis Scripturæ, post prædictum ciuile bellum credit exortam: nec apparet vlla ratio cur aliò referenda sit. De eius causa dicetur anno tertio, quo diuinitus reuelata perhibetur. Si enim prius causam famis, eiusque remedium didicisset Dauid, prius vtique illam, adhibito remedio depulisset: quæ causa illi citra reuelationem in mentem venire non potuit. Et vt cogitasset Gabaonitas iniuste à Saule vexatos, credere potuit hanc culpam, morte Saulis, & filiorum eius, expiatam.

I. Primus annus famis apud Israelitas. 2. Reg. 21. 1.

Porro centesimus & quadragesimus excisæ Troiæ annus, qui in hunc annum cadit, ab antiquis Ionica emigratione celebratur, Eratosthene, Plutarcho, Clemente Alexandrino, Eusebio, quando vt scribit Velleius Paterculus, magna vis Græcæ iuuentutis, abundantia virium sedem quæritans, in Asiam se effudit. Id autem Ione duce factum ait. Quod nos in Annalibus improbauimus, secuti potiùs Pausaniam, qui emigrationis huius causam, refert in exortam inter filios Codri regis Athenienſium dissensionem, cum Nileus Medontis imperium detrectaret, quod is altero pede claudicaret. Ea controuersia cum oraculo Delphico permissa fuisset, & ab eo causa Medonti adiudicata esset, Nileus Athenis, regni spe deiectus, abscessit cum alijs Codri filijs, & multo maxima Ionum manu: à quibus Ephesus, Miletus, aliæque vrbes in minore Asia conditæ sunt, vt ex Æliano, Strabone, Pausania, Tertulliano in Annalibus hoc anno tradidimus.

II. Ionica emigratio.

ANNVS MVNDI 3013.

DAVIDIS 34. ABIATHARIS 39.

EVPALIS 23. Imperij Assyr. 1082.

ANTE CHRISTVM 1040.

TErtio iam anno perseuerante fame nō credidit Dauid eā ex causis mere naturalibus esse profectam, sed *consuluit oraculum Domini*. per Abiatharem videlicet summum sacerdotem, aput Arcām fœderis, quæ in Sione vigesimum iam quartum annum sedes habebat. rogauitque vt quando tertium iam annum sterilitas ac fames populum suum continenter diuexaret, causam eius patefacere dignaretur, simulque quid piaculi requireret, ad offensionem tam diuturnam penitus abstergendam. Dixitque Dominus immissam diuinitus famem *propter Saul & domū*

I. Reliqui anni famis. 2. Reg. 21. 1. 2.

Dauid consulit Dominū.

eius sanguinum : quæ scilicet multum iniustè sanguinem effuderit, nominatim occidendis Gabaonitis. Ab ipsis autem quid piaculi repetantexquirendum esse, quod id Dominus in eorum arbitrio posuerit, vt ex Dauidis interrogatione colligitur. Non erant illi quidem de filijs Israel, sed reliquiæ Amorrhæorũ, quibus tẽpore Iosue Israelitæ iurauerant, se eos cõseruaturos.

II. Eius causa malus Saulis zelus contra Gabaonitas.

Nihilominus *Saul eos zelo pro filijs Israel & Iuda* interfecit. Nimirum indignum existimauit Israëlitarum nobilitate, & suo erga Deum, ipsiusque legem zelo, reliquias Amorrhæorum conseruare, quos Dominus tam seuerè deleri iusserat. Verum exceptio in his facta fuerat, eorumque salus sub conditione oneris hactenus inuiolata, & iureiurando firmata, in rem iudicatam transierat. Quanquam non tam zelus legis, qua soluti erant Gabaonitæ, quam auaritia & superbia eum censentur permouisse, qui eorum bonis inhiaret, & probrosum genus contemneret. Dici quoque potest datam Gabaonitis vltionem, siue quia illam à Deo continenter petebant: siue quia Dominus ostendere voluit iustitiam suam, quæ etiam populi sui culpam, in gratiam alienigenarum puniret: siue denique quod præsenti animaduersione firmare voluit legem suam, de diligendis aduenis ad fidem conuersis, vetat enim aduenam contristari, aut affligi. Quin & profitetur se amare peregrinum, & dare ei victum atque vestitum. *Et vos ergo* inquit, *amate peregrinos*, eos autem in primis, qui propter animi sui salutem peregrini fiunt. Apparet autem populum, qui pœnæ particeps fuit, etiam culpæ non fuisse immunem.

Num. 25. fi.

Exod. 22.

Deut. 10. 18. 19.

III. Paciscitur Dauid cũ Gabaonitis.

Intellecta mali causa, Dauid statuit quam primum ei remedium afferre, & aduocatis Gabaonitis, quæsiuit ab eis quid satisfactionis nomine postularent. Existimant autem Hebræi valde probabiliter, Dauidem eis vt pauperibus aliquam pecuniæ summam obtulisse, in expiationem peccati, vt *benedicerent hæreditati Domini*, qui censebantur mala quotidie Israëlitis imprecari; eamque ab eis repudiatam dicentibus, *non est nobis super argento & auro quæstio*. Sed talionis pœnam contra familiam Saulis postularunt, vt quod in Gabaonitas Saul tentauerat, id ipse in sua familia pateretur; sic vt ne vnus quidem de stirpe illa regia remaneret in viuis. Hic mitissimus Dauid magnitudine vltionis huius deprecari, obijcere quoque iusiurandum Sauli factum, atque Ionathæ, de non delendis eorum familijs: petere denique moderationem aliquam: neque enim vẽtisimile est eos, qui neminem superstitem de nouem qui supererant, fieri petebant, sponte sua septem duntaxat fuisse petituros. Septem ergo petierunt de Saulis familia, & impetrarunt, vt in duobus, vtrumque Dauidis iusiurandum seruaretur. Sed hæc accuratius in Annalibus expenduntur.

num. 7. 8. & seqq.

IV. Etiã tradit semẽ de stirpe Saulis.

Dedit ergo Dauid Gabaonitis, tanquam piaculum famis publice crucifigendos duos filios Respha concubinæ Saulis, tum quinque filios Micholis filiæ Saulis, qui erant reuera filij Merob, sed eos Michol quæ carebat liberis, adoptauerat, vt ait Hieronymus, in Tradit. quod sentit quoque Chaldæus paraphrastes. Alij in quibus Caietan. malunt irrepsisse mendum in textum, eo quod hi filij dicantur à Michole geniti, & pro Michole legendum Merob: quod minime absurdum est. Cruci autem affixi fuerunt in colle Gabaa oppido Saulis, vt ex ipso loco, in quo peccatum fuerat, facile intelligeretur puniri Saulem in filijs, ac nepotibus suis, idque factum sub initium Veris, & festum azymorum. At Respha insigni caritate in cadauera filiorum vsa, vile ibi cubile extexit, vt ea à ferarum & volucrum morsibus protegeret, idque non ad vnum aut alterum diem, sed ad menses aliquot, vsque ad superuenientem pluuiam, quæ esset indicium exoratæ diuinæ clementiæ, ad quam propitiandam illi suspensi erant. Quæ humanitas cum regi placuisset, iussit cadauera tolli de patibulis, simul quoque deferri in terram Beniamin ossa Saulis & Ionathæ Abinadabi quoque & Melchisuæ, pridem à Iabesitis sepulta, & omnia simul condi in sepulchro Cis patris Saulis, sicque sterilitas Deo miserante finita est.

Qui & crucifiguntur. Respha charitas in eos.

Sepeliuntur iussu Dauidis.

ANNVS MVNDI 3014.

DAVIDIS 35. ABIATHARIS 40.

EVPALIS Regis 24.

Imperij Assyriorum 1083.

ANTE CHRISTVM 1039.

QVatuor bella, aut prælia potius reliquo vigesimo primo capite 2. Regum recensentur, quæ Dauidi & seruis eius feliciter contra Philisthæos cesserunt. De quibus etsi non constat, quo quidque anno contigerit, sub hoc tamen tempus, post depulsam famem, aut omnia, aut minimum tria contigisse, communis est tam interpretum, quam chronologorum sententia. Cum autem Scriptura dicat, Dauide iam deficiente viribus primum horum præliorum contigisse, recte id cum Dauidis ætate congruit, qui nunc 64. agebat annum. Significat autem Scriptura initium belli factum à Philisthæis. quibus sulcitabant animos noui gigantes, antiquo illi Goliatho suppares. Deus autem hoc bellum & sequentia videtur permisisse, vt istis, qui erant omnium fortissimi, domitis, regnum tranquillum Salomoni pacifico traderetur. Cum ergo contra Iesbibenob gigantem pugnaret, viribusque deficeret, parum abfuit quin ab illo occideretur, nisi opportunè adfuisset Abisai nepos eius, & Ioabi frater, qui percussum Philisthæum interfecit. Quo periculo moniti Israëlitæ, non permiserunt Dauidem vltra pugnare, ne cum eo gloria Israelis extingueretur.

I. Prælia quatuor cõtra Philisthæos.

Primum ipsius Dauidis.

Alterum prælium factum dicitur in Gob contra eosdem Philisthæos, qui locus cum in primo Paral. dicatur Gazer, quam Philisthæi in tribu Ephraim possidebant, apparet priore modo à Philisthæis, posteriore ab Israelitis id oppidum fuisse appellatum, vbi Philisthæi humiliati dicuntur, vbi & Sobochai, qui erat vnus de fortibus Dauidis, hominem occidit nomine Saph, de stirpe Arapha, de genere gigantæo.

II. Alterum Sobochai contra gigantem.

III. Prælium Adeodati, siue Elchanan.

Sequitur tertium bellum, quod eodem loco gestum dicitur, & à plerisque non recte Dauidi tribuitur, vt in Annalibus ostendimus, dicendumque hoc bellum, in quo Goliath ab Adeodato percussus dicitur, Dauide rege, & sene consigisse, istumq; Goliathum esse illius prioris Goliathi fratrem, vt habetur in 1. Paral. vbi hæc ipsa historia reperitur. Adeodatum autem ab Hebræo Elchana esse conuersum, qui inter fortissimos Dauidis numeratur in eodem libro. Sic & filius saltus dicitur, pro filio habere, quem Chaldæus ait fuisse textorem veli Sanctuarij, Hieronymus autem vertit polymitarium, patria vero Bethlehemiten. His ergo Elchana in hoc bello præcipuam laudem consecutus est occiso Goliatho fratre illius, qui ante annos tres & quadraginta à Dauide singulari certamine victus, atque occisus fuerat.

2. Reg. 8. & 9.

cap. 26. 5. 1. Par. 11. 26.

VI. Vltimum bellum in Geth.

Reliquum est quartum bellum, quod in Geth confectum est, in quo vir fuit excelsus, qui senos in manibus, pedibusque habebat digitos, & erat de origine Arapha, qui cum probris afficeret Israelitas, à Ionatha filio Sammaæ fratre Dauidis interfectus est. Ex eo autem quod bellum hoc ad vrbem Geth confectum est: quam Dauid iamdudum occupauerat, vt ex lib. Paral. aperte constat, & diximus anno Dauidis duodecimo, colligere possumus cum Tostato, bellum hoc à Philisthæis, illius vrbis recuperandæ gratia, susceptum fuisse, sed irrito conatu, & damno insuper accepto. Iosephus ait hoc prælium cum gente illa fuisse vltimum Israëlitis. Quod si admittimus, vt initium capitis 22. videtur postulare, ea bella quæ cap. 23. referuntur, dicenda sunt ad priora tempora pertinere, quæ fere ad tuos annos retulimus. Interim autem Salomon decimum sextum ætatis annum agens, sub cura prophetæ Nathan, ad omnem virtutem, pro eximia adolescentis docilitate informabatur.

cap. 13. 1. & 2. Reg. 8. 1.

ANNVS MVNDI 3016.

DAVIDIS 37.

ABIATHARIS 41.

EVPALIS 26. Imperij Assyrior. 1085.

ANTE CHRISTVM 1037.

I. Dauid in pace gratias agit Deo.

INgraueſcentem Dauidis ætatem, nam sextum & sexagesimum agebat annum, Deus illi immunem à bellis esse voluit; quam idcirco religiosissimus princeps in gratiarum actione, diuinisq; laudibus, in templi apparatu, & institutione Salomonis, quem in regni hæredem informabat, magna cum animi voluptate consumpsit. Hoc porro anno primum se offert illa gratiarum actio, quæ cap. 22. & 23. secundi Regum contingetur, vbi ex occasione additur commendatio virorum fortium Dauidis, cum aliqua eorum, quæ ab illis fortiter gesta fuerant commemoratione. Idonea enim est principi materia Deo gratias agendi, quod ei viros egregios, ad regni sui administrationem, defensionemq; concesserit. Verum hæc agnitio diuinorum beneficiorum, quæ est humanæ conditionis infirmitas, tentationi vanitatis obnoxia est, si de ipsis non solide in Domino, sed vane gloriamur in nobis. Quæ vanitas Dauidi creditur in populi sui enumeratione contigisse. Ea enumeratio ad hunc annum maxime referenda est, vt diligenter in Annalibus explicatum est, vbi & de catalogo virorum fortium dictum est pluribus, quæ Lector non inutiliter consulet: est enim res in Scriptura satis impedita.

II. Catalogus virorum fortium, eorumque numerus.

Hic breuiter dicamus Catalogum virorum fortium Dauidis, qui in 2. Reg. & 1. Paral. recensetur, non sine aliqua diuersitate in numero, in ordine, in nominibus singulorum poni. Nam qui non vno in loco 30. fortes dicuntur, in alijs multo plures numerantur. Ideoque dicendum videtur à principio, siue cum Dauid esset in Geth, siue cum regnaret in Hebron, selegisse ex omnibus militibus suis florem ipsum, numero 30. in tres decades distributum, quarum singulæ suum haberent principem, qui reliquos fortitudinis laude meritisque anteiret. Auctus est deinde fortium numerus, prout se quisque, ipsorum æmulatione, nobili quopiam facinore extulisset atq; exemisset à plebe militum gregariorum, remanente nihilominus denominatione 30 fortium. Sic duodecim Apostoli dicuntur, quamuis alijs ad eum numerum deinceps allectis.

III. Duo primi ternarij, & qui in eis 1. Par. 11. 20. 21. 2 Re 23. 23 & 1. Par. 11. 24.

Quod attinet ad ordinem perspicuum est Scripturam geminam triadem eximiorum virorum constituere, & à reliqua fortium multitudine seponere. Nam Abisai frater Ioab dicitur inter tres nominatissimus, & inter tres secundos inclytus, & princeps eorum, *verumtamen*, inquit, *vsque ad tres primos non peruenerat*. Quod ipsum de Banaia quoque scriptum est. Primum enim tres omnium fortissimos ponit, deinde tres alios fortitudine secundos, & prioribus suppares, tum reliquos fortes circiter triginta. Suspicari autem possumus priorem illam triadem fuisse tres decuriones trium decadum, posteriorem autem, quasi prodecurionum, qui eos repræsentarent, & si res ferret, supplerent eorum vices. Extra ordinem porro sunt Dauid, & Ioab, etsi erat vterque fortissimus. Primus autem in priore triade fuit Iesbaam, qui & primæ turmæ 24. millium in primo mense præerat, secundus Eleazar, tertius Samma. In altera triade primus fuit Abisai Ioabi frater, secundus Banaias, qui fuit dux regij satellitij Cerethi & Pheleti, & postea à Salomone factus est militiæ princeps loco Ioabi. Tertius Ionathan filius Sammæ fratris Dauidis: sed de istis ipsis, cæterisque fortibus plura suggerent Annales. Nos hîc ad plagam pestilentiæ transeamus.

IV. Dauid iubet numerari populum.

Cum altissima pace frueretur Dauid, & inter gratias agendas Deo hereditates suos recensuisset, subijt etiam eius animum cogitatio ac voluntas vniuersum numerum bellatorum in fastos suos redingendi. Cui voluntati cum vanitas ac superbia sese insinuassent, Deus permisit Dauidem in eam culpam labi, vt id peccatum, in populo alioqui culpabili, iusta animaduersione castigaret. Populi autem culpa, quæ mox pestilentia punita est, fuisse videtur illa defectio, qua nuper Sebæ filio Bochri, contra Da-

uidem legitimum suum principem, adhæserat: Solus enim Seba suæ perfidiæ dederat pœnas, nunc ergo populus ipse, morte 70. millium virorum punitus est. Quod autem Dauid in suis ad Deum precibus populum innocentem vocat, id de culpa numerationis intelligendum est, cuius populus particeps non fuit. Permisit ergo Dominus hunc Dauidis lapsum, & simul eum voluit, populum castigando, humilem reddere, reputantem se huius tantæ cladis causam fuisse.

V. Cui Ioab frustra restitit.

Dedit ergo Dauid Ioabo, aliisq; principibus viris in mandatis, vt populum bello idoneum, à 20. scilicet annis, & supra, censerent, iunioribus omissis, & omni sexu muliebri, quod eorum numerus numerum omnem superare videretur, senibus quoque bello parum idoneis. Id Ioab regi dissuadet, veritus ne Deus eo facto offensus populum puniat. Perstitit tamen Dauid in sententia, cui denique acquiescens Ioab, profectus est *cum principibus militum à facie regis, vt numerarent populum.* Hos principes militum non male fortasse dixerimus, principes duodecim turmarum militarium, & principes tribuum, in quorum albo populus inscribendus erat. Inchoata porro est enumeratio ab ijs, qui trans Iordanem erant, à tribu scilicet Ruben septentrionem versus, inde ad occasum descendentes, tribus cis Iordanem positas pertustrarunt. Ea lustratio quinto circiter huius anni mense inchoata, sub tertium sequentis, post decimum videlicet mensem finita est, vel vt habet Scriptura, post menses nouem, & viginti dies, quod fuit tempus triticeæ messis quando & clades pestifera contigit, vt sequenti anno dicetur.

2. Reg. 24. 8. 1. Par. 21. 20.

ANNVS MVNDI 3017.

DAVIDIS 38.

ABIATHARIS 43.

EVPALIS 27. Imperij Assyr. 1086.

ANTE CHRISTVM 1036.

I. Ann. Sab. 62. & summa rerum anni huius.

SExagesimo secundo annorum septenario ab ingressu Israelitarum in Chananitidem, inchoata populi lustratio absolvitur, & punitur. Dauid Deum, angelico gladio in populo, & nominatim Hierosolymis sæuientem sacrificio placatum templi extruendi negotia disponit. Interim insolescit Adonias, Salomone se in officio modeste continente. Enumeratio porro populi hunc in modum absoluta est. Post nouem menses, dum populus percensetur, Dauid ex inspiratione diuina religione tactus, doluit quod iussisset numerari populum, & veniam à Deo postulauit supplex. Mox autem venit Gad propheta, qui Regi optionem pœnæ diuinitus subeundæ obtulit. Interea Dauid, qui quod factum erat infectum esse vellet, mittit ad Ioabum, qui cunctanter regis imperium exequebatur, vt desistat à cœptis. Iraq; omissa lustratione tribus Leui & Beniamin, Hierololymam reuertitur, sæuiente iam in populo pestilentia, & numerum census retulit ad regem, qui numerus diuersus est in libris Regum, & Paralip. de quo diligenter studiosus Lector consulet Annales.

Quomodo confectus census.

Surrexit itaque Dauid mane, stimulo conscientiæ, & spiritu pœnitentiæ excitatore vsus, *& sermo Domini factus est ad Gad prophetam, & Videntem Dauidu*, quo scilicet Deus peculiariter vtebatur, ad suam Dauidi voluntatem enunciandam. Et quamuis tanquam iratus, agat cum rege per internuncium, tanquam benevolus tamen offert ei electionem eius pœnæ de tribus, quam ipse sibi duxerit esse tolerabiliorem: peste scilicet tridui, trimestri bello, vel triennali fame. At Dauid bellum auersatus, quod ab hominibus crudeliter, & cum multa animarum iactura fiat, electionem pestis aut famis permittit Deo, qui etsi iudicem agat, non obliuiscitur tamen se parentem esse, qui castigando filium, misericordiam solet miscere iustitiæ. Fieri tamen potest vt Gad Dauidem vrserit, ad alteram de duabus cladem eligendam, eumque pestem, quæ ex supernaturali tantum actione pendeat, & finiatur citius, præopтasse. Et reuera Septuag. addunt Dauidem mortem, sic enim vocant pestilentiam, elegisse. Quam Dominus immisit in vniuersum populum, *de mane vsq; ad tempus constitutum*, mirum tridui, quod Dominus constituerat, & per propheram denunciarat: quo tempore ad 70. millia virorum cæsa leguntur, à Dan vsque Bersabeæ.

pestem eligit.

III. Quæ Ierusalem quoque vexauit. 2. Reg. 24. 16. 17. &

Vtrum vero Ierusalem à pestifera clade plane immunis fuerit, dubitari potest. Verum & Scriptura satis docet Ierusalem peste fuisse percussam. Percutiebat enim Angelus populum, cum audiuit à Domino, *Sufficit*, & Dauid *vidit Angelum cædentem populum*, cum orauit pro eo Dominum. Erat autem Dauid Hierosolymis. Et ratio postulabat vt fieret ipsa quoque particeps cladis, sicut & culpæ fuerat, si non in defectione Sebæ, certe in coniuratione Absalonis. Iam quod ad cladis huius modum attinet, viderit Angelus gladio percussisse morituros, sæpe enim fit gladij mentio in tota hac historia. Verum cum constet populum peste perijsse, sicut & ea mors pestis vbique dicitur, vtique gladius Domini de peste metaphoricè accipiendus est. Quanquem apparuisse Angelum cum gladio minime dubium est, sed, vt ait Abulensis, non nisi finita plaga. Cum enim Dauid oraret Dominum ne plaga vltra protenderetur, voluit Dominus illi Angelum percutientem ostendere: isque humana specie apparuit, cum ingenti gladio cruento, & vibrante contra Ierusalem: aspectu autem truci atque terribili. Quo spectaculo territus Dauid, & veritus ne sæuire pergeret, in terram se cum suis supplex abiecit, & veniam populo petijt, atque impetrauit. Ex quo intelligitur, eos, qui Angeli opera mortui sunt, sine horrifico Angeli, vel gladij conspectu perijsse.

Modus cladis, & Angeli species.

IV. Vbi, & à quibus, vitus fuerit.

Cum autem expletus esset numerus eorum, quos diuina iustitia morti destinarat, dixit Dominus Angelo percutienti vt contineret manum suam, & in loco in quo erat, appareret humana forma visibilis. Erat autem iuxta aream Areunæ Iebusæi, sed paulo elatior, vt à plurimis conspici posset. Et primum quidem vt fit, visus est à propioribus. Nam Ornam, qui & Areuna, Dominus aream cum eo tempore

triticum in area tereret cum quatuor filijs, inolito ictus fulgore suspexit, viditque Angelum minaci vultu terribilem, & vltionis indicem gladium vibrantem: statimque omnes trepidi relicta area latebras petiere, & absconderunt se domi. Vidit & Dauid, qui in proxima Sionis arce habitabat, viderunt & alij maiores natu, siue ex colle Sionis, siue ex inferiore vrbe, & regem consilij causa adierunt, qui Dauidis exemplo permoti, vestiti cilicijs proni in terram ceciderunt, vt castigatione corporis sponte suscepta, iram Dei aduersus populi peccata succensam extingerent. Addidit & preces Dauid, quibus, tanquam bonus pastor animam suam offerebat pro ouibus suis, ratus totam huius cladis culpam in se residere. Suas quoque preces addiderunt infulati Sacerdotes, Abiathar & Sadoc, vt Hebræi tradidere.

Dauid cũ suis Deũ orat. 1. Par. 21. 16

Hieron. in Tradit.

V. Monetur à Propheta de sacrificio expiatorio 1. Par. 21. 18.

Placatus ergo Dominus cessare iussit Angelum ab inferenda clade, & monere Gad prophetam, vt diceret Dauidi, *vt ascenderet* in montem Moria vicinum, *extrueretque altare Domino Deo, in area Ornan Iebusæi.* Eum enim locum iampridem elegerat Dominus, in quo magnificum templum excitaretur, ibique ab Hebræis, atq; adeo ab omnibus gentibus honoraretur. Quem ipsum locum Abrahami sacrificio ante annos octingentos & 54. consecrarat: ibi nunc quoque Dauidis sacrificio placari volebat. Nil cunctatus est Propheta, nihil quoq; Dauid in exequendo Dei mandato. Nam adhuc Ornan cum filijs erant in loco, in quo se absconderant, præ timore horrificæ visionis, cum vidit regem venientem ad se, & inde egressus *processit ei obuiam*, & rogata causa aduentus, didicit ipsum emere velle aream eius, ad extruendum ibi altare, & in eo sacrificãdum, ad iram Domini placandam. Cumque ille gratis offerret omnia, ad sacrificium necessaria, ipsumq; locum aræ ad ædificandum altare: negauit rex se offerre velle Deo gratuita sacrificia: itaque dedit pro bubus & plaustro 50. siclos argenteos, id est, Francos 68. Gallici æris cum 15. solidis, pro ipso autem loco, in quo non solum altare, sed etiam templum erat construendum, sexcentos auri siclos, siue trecentas auri vncias, id est bis mille & quingentos aureos.

Emit boues, ipsãque areã.

Ex Hier. in trad. in 2. Reg.

Ædificato itaque altari in dicta area, obtulit ibi holocausta, & pacifica Domino, & placatus est Dominus, in cuius rei signum, depluit ignis de cœlo, quo consumptum est holocaustum. Quo cognito Dauid videns Deo grata esse sacrificia, quæ ibi obtulerat, ibidem sæpius sacrificauit, (cum alioqui in excelso Gabaon, in quo erat altare holocaustorum, sub cura Sadochi sacri ficaretur,) & à populo sacrificari permisit empta iam area. Recordabatur enim reuelationis sibi iam à septem & viginti annis factæ, de templo ibi excitando, vt vndecimo Dauidis anno explicatum est. Ergo publice protestatus est, populoque denunciauit eum locum electum à Deo, vt ibi domus Dei, & altare construeretur. Quem igitur locum antea per reuelationem agnouerat, nunc populo annunciauit, quod iussus esset à Gad propheta, publicum eius rei argumentum præbere, extructo ibi altari: vt iam tum populus vniuersus cognosceret locum esse sanctificatum, & ædificando templo destinatum.

VI. Sacrificat placatur Deus, 1. Par. 21. 26. & 28.

Et locus tẽplo ad dicitur. n. 16. & in Annal. n. 74. & 75. 1. Par. 22. 1

Illo ergo tempore locum templi cognouit, hoc autem populo patefecit: illo destinauit, hoc emptione acquisiuit, illo templi designationem didicit, isto materiam præparauit. Subdit enim sacer historicus: Et præcepit vt congregarentur omnes proselyti de terra Israel, & constituit ex eis latomos ad cædendos lapides & poliendos, vt ædificaretur domus Dei. Proselyti, si vim vocis attendas, aduenæ sunt & peregrini. Ex vsu tamen Hebræorum, Proselyti non tam ex noua habitatione in populo Dei, quam ex noua fidei professione, relicta idololatria dicebantur, & ab Hebræis contemnebantur, quod non essent ex semine Abrahami, & Iacobi. Sicut nunc noui, qui dicuntur, Christiani ex Iudæis, ab ijsdem Christianis, propter dubiam eorum fidem contemnuntur. Quantus porro fuerit eorum numerus, & quanta materia à Dauide præparata, auri præsertim & argenti, aliquanto post commodius dicetur.

Præparantur opifices proselyti.

ANNVS MVNDI 3018.

DAVIDIS 39.

ABIATHARIS 44.

EVPALIS 28. Imperij Assyr. 1087.

ANTE CHRISTVM 1035.

PEnultimo regni Dauidis anno, Salomon, cum annum ætatis ageret decimum nonum, vt qui vigesimo primo regni Dauidis natus est, duxit vxorem Naaman nomine, patria Ammanitem, vt ex 3. Reg. & 2. Paral. constat, ex qua sub initia sequentis anni suscepit filium Roboamum regni successorem: qui quadraginta & vnius anni fuit, cum successit Salomoni, qui 40. annis regnauit. Et duxit quidem illam fortasse maturius, non tamen citius ex ea filium suscepit, quam vltimo Dauidis anno. Nec dubium est Dauide conscio conciliatas fuisse hasce nuptias, eode mq; autore perfectas. Modestior enim erat tunc Salomon, ac parentibus obsequentior, quam vt ipsis repugnantibus de coniugio cogitaret. Sed vnde hæc nobis mulier Ammanitis, Salomoni sociata coniugio?

I. Salomonis ætas, & primæ nuptiæ. 1. 14. 21. 2. 12. 13.

Vide 1 ann. Dauid 40 n. 11.

Circumspicienti occurrit ille Sobi filius Naas, quem diximus suffectum in regnum paternum, loco fratris sui Haton, qui nuper Dauidi Absalonem fugienti lautia misit in Castra. Apparet ergo hunc Dauidis affinitatem expetijsse, & impetrasse, data filio eius Salamoni filia sua Naama: nec Dauidem recusasse, qui amicitia omnes comprehendere, sibique deuincire cupiebat, vt quam maxime tranquillum & pacificum regnum filio suo relinqueret. Ea tamen lege accepisse nurum, vt ad veri Dei fidem cultumque traduceretur. Huiusmodi nihilominus nuptiæ non videntur satis Deo probatæ, parum certe felices extitere. Nam ex coniugio Dauidis cum Maacha exortus est facinorosissimus Absalon, qui misertimo interitu sublatus est, & Thamar probroso infamis incesto. Nec Salomon ipse, vt de alijs taceam, in hisce nuptijs

II. Cum Amanitide Naama. 2. Reg. 17. 27.

parum feliciter.

for-

fortunatus fuit: orto inde Roboamo, qui insipientia sua maximam regni sui partem perdidit. Nec desunt qui putent Roboamum, à vero Dei cultu ad idola, à matre traductum. Nimirum illa, si res ita habet, aut ficte religionem Israelitarum suscepit, aut in ea non perseuerauit.

III. Ratio præparatæ templo materiæ

Vacabat Dauid hoc tempore præparandæ templo materiæ, & in Vrbem vndique conuehendæ, eoque diligentius, quo clarius animaduertebat se septuagenatio proximum, corporis vigore, vinbusque destitui. Nec est quod quis existimet Dauidem in eo labore imprudentia labi potuisse, qui lapides & ligna cædi iuberet ad eam fortasse magnitudinem, longitudinem, molem, atque mensuram, quæ postea Salomoni, à quo pendebat ædificatio, non probaretur. Totam enim ædificij dispositionem diuinitus acceperat, quam ipsi, aut Salomoni non esset integrum mutare. Cæterum distingui possunt duo tempora præparationis huius, prius est ex quo volens ædificare templum, diuinitus prohibitus est, permissus tamen præparare, quæ essent necessaria, aut idonea ad tantum opus. Ex illo enim tempore studiose præparauit, quæ temporis longinquitate nihil vitij caperent, puta aurum, argentum, æs, ferrum, &c. Posterius fuit ex quo ædificauit Altare in area Ornani, dixitque, *Hæc est domus Dei, & hoc altare in holocaustum Israel.* Deinceps enim parauit, quæ temporis longinquitate vitium contrahunt, vt ligna & lapides, currus, variasque machinas oneribus subuehendis.

1. Par. 28. 11. & 19.

Duo eius tempora.

ANNVS MVNDI 3019.

REGNI DAVIDIS 40. & vlt.

ABIATHARIS 45.

EVPALIS 29. Imperij Assyr. 1088.

ANTE CHRISTVM 1034.

I. Ortus Roboami.

VLtimus hic Dauidis non vitæ, sed regni annus, habet Roboami natiuitatem, infirmitatem Dauidis, & insolentem Adoniæ fastum. In ortu primogeniti Salomonis, haud dubium patrem insigni affectum fuisse lætitia, tanquam in primatia spe posteritatis suæ: affectum & anum Dauidem, qui in eo altetum iam regni sui hæredem agnosceret, nec minus lætatam auiam Bethsabæam, & Naaman Ammanitem eius patrem, cæteroscq; affines & consanguineos. Sed eius natiuitatem, circumcisionem, impositionē nominis, totamque ætatem, vsque ad annum quadragesimum primum, Scriptura, eius stultitiam, atque improbitatem auersata, litteris mandare neglexit.

II. Dauidis senilis infirmitas.

Iam quod ad Dauidis attinet infirmitatem, ea sine certi temporis determinatione initio 3. Regum à sacro Scriptore traditur. Nimirum huiusmodi virium defectus paulatim contrahitur, & senectuti, in qua se apertius prodit tribui solet. Id Scriptura haud obscurè significat, ait enim. *Et rex Dauid senuerat, & habebat ætatis plurimos dies,* septuagesimum videlicet adibat annum, quod tempus aliquibus initium senectutis est, alijs medium, multis extremum: plurimi enim, citra eam metam, curriculi sui finem reperiunt. Illud certe quotidianum est, vt cito senescere videamus, qui à iuuentute corpore, animoq; multa patiuntur, qualem fuisse Dauidis vitam, tota superior historia testatur. Aduentitiam porro ægritudinem Dauidi hoc tempore contigisse putant Abulensis, atque Serarius, qualis contingit paralyticis. Quæ enim membra paralysis attigerit, frigore torpescunt, & ad motum inualida fiunt. Sed potuit esse sine paralysi frigus, aut suis certe non caruit interuallis. Id enim exigunt comitia regni vniuersi, & quæ in illis ipse dixit ac fecit, post vnum alterumque annum.

III. Remedium frigoris eius.

Huic frigori remedium medici, curam sanitatis eius habentes, reperire studuerunt, quæsita puella virgine, quæ senem foueret, eique ministraret. Et acquisuit quidem bonus senex seruorum suorum voluntati, sed ita tamen, vt periculum peccandi euitaret: itaque eam, in omnem euentum, duxit vxorem, vt ex sequentibus intelligetur. Quod autem notatum est eam à Dauide non fuisse cognitam, ad Dauidis laudem pertinet, à licita delectatione, quæ ætati parum congrueret, abstinentis: pertinet & ad statum puellæ indicandum, quæ à rege cognita, non poterat Adoniæ coniugio postmodum apta esse, neque ab eo vllo prætextu postulari.

IV. Adonias insolescit & regnū ambit. 3. Reg. 1. 5.

Parentis porro lecto decumbentis ægritudo, & haud dubiè vicina mors, animos extulit Adoniæ in regnum imminentis. Ambitioso enim spiritu *eleuabatur*: cui & vt sese ipsi fauentibus præberet, dicebat enim, *ego regnabo.* Imo & factis ipsis sese prodebat ambitio. *Fecit enim sibi currus & equites, & 50. viros, qui currerent ante eum.* Imitabatur miserum Absalonem, qui eandem inierat viam, nec tamen eius exitum perhorrescebat. Quod autem mox dicitur, *Non corripuit eum pater suus aliquando,* docet Adoniam, non vltimo filio tantum tempore, quo de sua spe dejectus est, regnum ambiuisse, sed multo ante id sibi animo destinasse. & ad illud viam, per hosce currus & equites, paulatim muniuisse. Nec deerat idoneum ambitioni fundamentum. Prioribus enim fratribus eius defunctis, regnum ipsi iure primogenituræ debebatur: quod postea Salomoni ipse non dissimulabat, cum diceret matri, *Postula ei regnum, ipse enim est frater meus maior me.* Et Adonias ad Bethsabæam, *Tu nosti quod meum erat regnum.* Eademque Ioabo, Abiathari, alijsque vtis primarijs causa fuit, cur partes Adoniæ sequerentur.

3 Reg. 2. 15. 22.

V. Electio licet à Deo & Dauide Salomonis.

Sed is, in cuius manu sunt omnia iura regnorum, Salomonem elegerat in regem, etiam priusquam genitus esset, quod non diffitebatur Adonias cum diceret, *translatum est regnum, & factum est fratris mei: à Domino enim constitutum est ei.* Itaque longe potiori iure Salomoni regnum, quam Adoniæ debebatur: quia peculiari ratione Deus in populo Hebræo regnare dicebatur, proindeque vicarium sibi pro arbitrio constituebat, vnde dicebat Dauid, *Sed & de filijs meis elegit Salomonem, vt sederet in throno regni Domini super Israel.* Accedebat quod regia successio ex patris quoque dispositione

1. Par. 28. 5.

tione pendebat, vnde factum est vt Roboam Abiam filium suum quarto genitum, regem constitueret, quod cæteris sapientior esset. Atqui ex paterna dispositione, etiam iureiurando firmata, regnaturus erat Salomon. Itaq; Bethsabæa confidenter. *Nonne tu, Domine mi rex, iurasti mihi ancillæ tuæ, dicens, Salomon filius tuus regnabit post me, & ipse sedebit in solio meo?*

3. Reg. 1. 13. 17.

VI. Dauidis in Adoniam indulgentia nimia.

An ergo culpa vacabat Dauid, qui insolescentem Adoniam, & regnum haud obscurè affectantem non comprimebat? qui meminisse poterat eam culpam in Heli pontifice tam seuere castigatam. Eum certe videtur Scriptura ipsa hoc nomine reprehendere, cum ait non corripuisse ipsum aliquando patrem eius, quam tamen correptionem parentes debent peccantibus filijs, & principes subditis, & heri famulis, & discipulis magistri, & omnino quicumque curam aliorum gerunt. Causam huius indulgentiæ subdit Scriptura, cum ait, *Erat autem & ipse pulcher valde, secundus natu post Absalon*, id est, qui ei in primogenitura succedebat. Significans ex amore peculiari Dauidis in Adoniam natam indulgentiam, qui amore tum ipsius pulchritudine, tum primogenitura pascebatur. Sed ea indulgentia illi impunè non cessit. Seditio enim Adoniæ, & repentinus in ciuitate tumultus virga fuit, qua ille vel ætatis, vel animi languor castigatus est.

ANNVS MVNDI 3020.

SALOMONIS 1.

ABIATHARIS 46.

EVPALIS 30. Imperij Assyrior. 1089.

ANTE CHRISTVM 1033.

I. Salomon regno præficitur, illudque administrat viuo patre.

PRimum hunc Salomonis regnantis annum statuimus, quo annitente Nathan propheta, eodemque moderatore Salomonis, & rogante Bethsabæa matre, iubente Dauide rege, proclamatus & declaratus est rex Salomon: Dum ex altera parte Adonias cum suis, Dauide ignorante regnum inuaderet. Statuendum autem est in primis, constituto rege ac regnante Salomone, Dauidem fuisse superstitem. Id ex initio tertij Regum aperte constat, vbi super regis mulam iussu eius impositus, proclamatur rex, acceptatur à populo, inungitur, & ipsemet Dauid sese abdicans summo hoc magistratu, eumque in filium transferens, *adorauit in lectulo suo, & locutus est, Benedictus Dominus Deus Israel, qui dedit hodie sedentem in solio meo, videntibus oculis meis.* Quod ostendit Salomonem non regni solùm successione donatum, sed regni etiam administrandi facultate. Itaque pro rege se gessit aduersus Adoniam, eumque is regem agnouit, cum diceret, *Iuret mihi rex Salomon hodie, quod non interficiet seruum suum gladio.* Nisi eum regem agnouisset, non ab eo, sed à Dauide patre, quem admodum erga se indulgentem agnoscebat, culpæ veniam postulasset. Salomon tamen, pro sua modestia, patrem quasi regem venerabatur, & ex eius consilio regnum administrare incipiebat.

Ex quibus consequens est tempus quod superuixit Dauid regnante Salomone, non Dauidis, sed Salomonis regno tribui, & vtrumque, vt Scripturæ postulat authoritas, quadragenos regnasse annos, quæ nusquam Dauidem 70. duntaxat annis vixisse affirmauit, quippe quos modicè supergressus est.

II. Ratio rẽ ponit.

Salomon autem non duodecimo ætatis anno, sed ineunte vigesimo primo regni gubernacula suscepit. Id exigit ratio temporis, quam secuti sumus, & in Annalibus accuratè probauimus, quæ est multorum quoque grauium virorum sententia. Cui fauet in primis Dauid: cum eum iam constituturum regem alloquens, *Vir*, inquit, *Sapiens es, vt scias quæ facies ei*, quo modo in Hebræo quoque habetur, &, Græco textu, & Chaldæa paraphrasi, Quis puerum duodecim annorum virum sapientem vocet, nisi eum irridendo, quantauis morum maturitate polleat? Diruit illam quoque opinionem ea absurditas, quod dicendum sit Salomonem decimo anno, & tribus mensibus genuisse Roboamum, quod salacissimi quidam Rabbini finxerunt: & quidam ex antiquis Patribus, obiter ac sine examine sunt secuti: ad quod incommodum vitandum omnia potius tentanda essent, quam eum puerum impurissimum ac libidinosissimum fingere, quem à primis annis diuina sapientia constat imbutum. Coguntur & intolerãdæ socordiæ damnare Dauidem, vt de Nathane pueri præceptore taceam, qui decennis filij nuptias permiserit, contra ius omne naturæ, publicamque honestatem: qui eas potius seuere punire debuerit. Sed de his hoc loco satis, quæ pluribus studiosus Lector in Annalibus disputata reperiet.

Ætas Salomonis autoritate probatur,

& ratione

III. Quæ Adoniæ ambitioni fauerent.

Cum ergo Dauid infirmitate degrauante magna ex parte lecto affixus iaceret, concepta Adoniæ ambitio erupit hoc anno foras. Sat enim multis se præsidijs vallatum esse duxit, ad eam rem quam parabat. Mature quippe Ioabum militiæ principem, & summum Sacerdotem Abiatharem occuparat. Populus nihil turbaturus videbatur, qui dudum prope regia pompa incedentem viderat Adoniam: quem regis quoque primogenitum non ignorabat: species denique ipsa fauorem populi illi conciliabat. Ioabum porro ad hoc postremum facinus, sua scelera, Deo permittente, compulerunt, vt de omnibus simul, seras illas quidem, sed meritas tamen pœnas daret. Abiatharem etiam diuina sententia in domum Heli fulminata persequebatur, & sinebat in eam labi culpam, ob quam merito summo Sacerdotio priuaretur.

IV. Cur ei Ioab & Abiathar adhæserint.

Sperabat Ioab, si sua opera Rex factus esset Adonias, illum sibi perpetuo obstrictum fore, eademque opera patratas cædes inultas, militiæ principatum sibi, suisque perpetuum futurum. Sperabat autem Abiathar sacra vnctione nouo regi tradita, & regem in ære suo semper fore, & summum Pontificatum sibi confirmatum iri, & æmulum suum Sadocum, quem iam sibi exæquari, & pene præferri cernebat, in ordinem redactum iri, excelso Gabaonico post templi ædificationem sublato. Habebant quoque Ioab & Abiathar, qui summa secun-

dum

Rex declaratur.

dum regem autoritate pollebant, suos è militia, & Leuitica tribu clientes, qui iuuabant quoque partes Adoniæ, atque adeo omnes reliquos regis filios, vno videlicet excepto æmulo Salomone: quos omnes conuiuio accepit Adonias, iuxta fontem Rogel, ad orientalem vrbis plagam, in valle quæ dicta est Iosaphat. Ibi Pontificis opera plurimis victimis immolatis, oleo sacro, quod erat in eius potestate, inunctus est Adonias, additæ faustæ acclamationes, vitam illi ac fœlicitatem comprecantium, tam in illa inauguratione, quam in mox secuto conuiuio.

V. Quæ Salomoni fauerent.

Ex altera parte Salomoni diuina primum fauebat electio, & patris promissio iureiurando firmata. Tum Abiatharis æmulus Sadoc, & Banaias summæ militum præfecturæ candidatus, & Nathan propheta, qui Salomoni erat educatione, eruditione, & beneuolentia pater, ad quem, quamprimum tantæ rei delatus est nuntius, vt qui adeam impediendam, atque exturbandam si erupisset, magna sollicitudine exstubabat. Adit ergo recentissima in re Bethsabæam matrem Salomonis, cuius res in primis agebatur, dixitque ad eam, *Num audisti quod regnauerit Adonias filius Haggith?* id est, regem se creari, inungi, & proclamari curauerit? sed ne rem desperatam illa existimet, addit, *& Dominus noster Dauid hoc ignorat*, nedum eo iubente rex factus est: ideoque res adhuc disturbari potest, opera atque industria nostra: quæ si defuerit actum est de te, ac filio tuo, quem ille regni æmulum, quamprimum de medio tollet, te autem in ordinem redactam, contemnet, atque abijciet.

VI. Nathani & Bethsabææ pro eo studia.

Ipsum autem Nathani consilium fuit, vt Bethsabæa illico regem Dauidem adiret, deque occupato ab Adonia regno doceret, contra ipsius promissionem, in gratiam Salomonis factam, & iureiurando firmatam. Quod cum illa faceret, adderetque probationes, quæ fidem de occupato ab Adonia regno facerent, deque periculo sibi filioque suo imminente, supervenit ex condicto Nathan, qui eadem fere cum Bethsabæa inculcat, vt similitudo nuncij fidem faciat veritati. Sed addit aliqua, quasi re paulò exploratius cognita, quæ valeant ad iram, quamuis mansuetissimi hominis, excitandam; quod scilicet per summam licentiam, quasi deturbato de solio suo Dauide, in medijs epulis Adonias rex à seditiosis, & violatæ maiestatis reis, proclametur.

VII. Dauid iubet Salomonē regē creari.

His auditis Dauid quam præsentissimum remedium vrgenti malo adhibiturus, primo Bethsabæam, renouata promissione, & iureiurando, de instituendo ea ipsa die rege Salomone, consolatur. Deinde mandata de consecrando in regem Salomone daturus, & ritu in ea inauguratione seruando, iussit vocari ad se Sadocum Sacerdotem, & Nathan prophetam, & Banaiam filium Ioiadæ, qui præterquam quod erant viri principes, & Dauidi fidelissimi, eo studiosius regium mandatum, de nouo rege constituendo executuri erant, quo minus accepti erant Adoniæ. Quin & Sadoc, qui instar erat Pontificis, necessarius erat ad inungendum regem, & Nathan ad contestandam coram populo, Dei & regis in hac noui regis constitutione voluntatem. Banaias autem, qui præpositus erat legionibus Pheretri & Cerethi, ad vim aduersariorum, si qua existeret, propulsandam. Itaq; diuino consilio factum est, vt cæteris principibus ad Adoniam declinantibus, illi à Dauidis nutu penderent, & diuinam de Salomone electionem exequerentur.

His ergo conuocatis, mandat congregari robur exercitus Dauidis, & imponi Salomonem super mulam, quam solus rex solebat inscendere, & deduci ad fontem Gihon, qui erat ab occasu Ierusalem, è regione oppositus fonti Rogel, ad quem inunctus fuerat Adonias, & regijs hortis, in quibus ille cum suis conuiuabatur, vt nihil interturbarent, sed res confecta esset, priusquam id illi sentirent, vt reuera contigit. In Gihon autem iubet inungi à Sadoco, Nathane illi assistente, in regem super Israël, & sonoro buccinæ conclamari regem. Quo facto, *ascenderis*, inquit, *post eum & veniet* huc in aulam, *& sedebit super solium meum, & ipse regnabit pro me.* Non dicit post me: nimirum viuo Dauide rex erat futurus, ipso sponte regno cedente, *illiq; præcipiam, vt sit dux super Israel, & super Iudam.* Quæ vt fuerant imperata, ita ordine perfecta sunt omnia.

VIII. Eius rei cerem. non ita pridem inhibit.

3 Reg. 1. v. 33 & 34.

Cum toro enim illo apparatu venit Salomon in Gihon, & vtique procumbit in genua; Deum supplici ter oraturus, vt hæc tantæ dignitatis acquisitio, ad eius gloriam cederet, totiusque populi eius vtilitatem. Hinc autem atque inde Sadoc & Nathan præmissa similiter oratione ad inunctionem peragendam conturgunt, cohortibus regijs, reliquoque populo late circumfuso. Et Sadoc quidem sumptum oleum de tabernaculo, quod in Sionis erat arce, infundit in Salomonis verticem. Nathan autem propheta inde manantem liquorem ab aure in aurem per frontem in morem coronæ circumduxit, ritu quem ex Rabino Salomone, referunt Lyranus & Abulensis: tum osculo accipitur, & fausta comprecatione salutatur, vt olim à Samuele propheta rex Saul. Vncto Salomone cecinerunt buccina Sacerdotes ministri Sadoc, in signum propriæ lætitiæ & gratulationis, & in signum populo plaudendi & acclamandi, *Viuat rex Salomon.* Adhibitus est præterea tubarum plurimarum, tibiarum, aliorumque instrumentorum concentus, cum magno populi gaudio, *& insoluit terra à clamore eorum*, adeo vt in aduersa parte ciuitatis exaudiretur.

IX. Venit Salomon ad Gihon, vnctus à Sadoc & Nathan consecratur.

3 Reg. 1. v. 41.

Vnctum oleo rursum in vrbem deducunt, cum fastis acclamationibus, vt multos annos in hoc principatu feliciter exigat, moxque deductum in regiam in solio paterno collocant, vt ait Ioseph. vti iusserat Dauid. Erat enim hic ritus sedendi super solium, quasi acceptio possessionis regni, & supremæ iudiciariæ potestatis. In eo enim Rex inire dicendo sedere solebat. Diadema quoque, vel potius coronam regiam, quam sibi Dauid ex manubijs Melchom fabricatus erat, capiti Salomonis impositam, ex simili Ioas coronatione satis colligitur. Dicamus & sceptrum additum manibus. Nihil enim omissum videtur ad perfectam regis inaugurationem: hoc maxime tempore, quo non altare contra altare, sed thronus contra thronum erigebatur. Et Dauid vbi de Salomone, vt Christi figura agit, throno regio sceptrum adiungit

X. Alia cerimonia inaugurationis

3 Reg. 1. 45.

Sedes-

Psal. 44. 4. 7. *Sedes tua Deus in sæculum sæculi, virga directionis, virga regni tui.* Addit & gladium, *Accingere gladio tuo, super femur tuum potentissime.*

XI. Fœdus init cum Deo, & populo.

Sed hæc minus perspicua. Illud autem minimè dubium, consecratum & coronatum Salomonem, solemne cum Deo & populo fœdus iniisse: cum Deo, eius se legem obseruaturum promittendo, cum populo autem, spondendo se eum cum omni iustitia & moderatione, ex Dei legibus gubernaturum. Populus autem, interuentu magistratuum, & optimatum, qui aderant, fidem ei, & obedientiam pollicebatur. Mox deducitur in vrbem atque in arcem Salomon, ipsiusque parentis conspectum; dicentibus seruis Dauidis, *Amplificet Deus nomen Salomonis super nomen tuum, & magnificet thronum eius super thronum tuum*, id est, Augeatur in dies regia dignitas ac magnificentia; Nec comparatio ista morituro principi iniucunda est, qui se in filio superstitem agnoscit, & gloriam illius, non alienam æstimat, sed suam. Adorauit & Rex Salomonem ex lectulo suo, dicens, *Benedictus Dominus Deus Israel, qui dedit hodie sedentem in solio meo, videntibus oculis meis.* Magni beneficij loco ducebat, quod regnum in suis posteris conseruatum iri; non solum sperabat, optabatque, vt cæteri reges, sed ipsis etiam oculis suis cernebat regnantem illum, quem Deus elegerat, & quem ipse animo destinarat.

3. Reg. 1. 47. Redit in vrbem, & ab ipso Dauide adoratur.

ead. 1. 48.

Quæ cum ita gesta essent: itaque nunciata Adoniæ, omnibusque conuiuis, à Ionatha filio Abiathar is pontificis, territi sunt omnes, & abierunt, *vnusquisque in viam suam*, abditurí se videlicet, & quantum fieri posset dissimulaturi, se istius coniurationis participes extitisse. Eorum tamen præcipuam non statim Salomoni, & Dauidi fuerant denunciati. Merito autem territi sunt, vt qui manifesto crimine tyrannidis affectatæ, & imminutæ maiestatis rei tenebantur. Adonias autem qui omnium maxime erat in culpa, videns se desertum ab omnibus, timens Salomonem surrexit, & abijt in tabernaculum fœderis, quod erat in excelso Gabaon, *& tenuit cornu altaris.* Immunitatis enim priuilegium altari maxime tribuebatur. Et nunciauerunt quidam ab Adonia missi Salomoni, Adoniam tenere cornu altaris, & veniam ab ipso in hæc verba petere. *Iuret mihi rex Salomon hodie; quod non interficiat seruum suum gladio.* Huic humiliati facilem se præbet Salomon: nec ait examinatum iri causam eius, & prout iustus vel iniustus inuentus fuerit, ita liberum, vel obnoxium pœnæ fore. Sed præteritorum obliuionem pollicetur, & simul ab ambitione, sub mortis interminatione deterret. Et euocatum in conspectum suum, & regem humiliter adorantem, dimittit in domum suam, ibique securitatem pollicetur.

XII. Turbatur Adonias cum suis.

3. Reg. 1. 51.

Dissipata hac nube, quæ nouum solem orientem obtenebrare conabatur, de stabiliendo regno Salomonis vniuersi regni comitia à Dauide indicta sunt, vt ex 1. Paral. constat. Etsi enim populi suffragijs non egeret Hebræorum rex ad legitime imperandum: expediebat tamen à regni optimatibus approbari, eique debitam adorationem, & iusiurandum obsequij & fidelitatis, in publicis comitijs offerri, vt tanto in fide stabiliores essent, & obsequium eorum liberalius & promptius. Decuit etiam non à Salomone, sed à Dauide indici. Id enim suauius erat ad benuolentiam, vt in sua causa Salomon comitia non indiceret, & id populo semel tribui videretur, vt is antequam publice regem ageret, à populo vniuerso pro rege agnosceretur. Sed hæc proximo anno apertiora fient.

XIII. Dauid comitia indicit. *c. 23. 1. & c. 28. 1.*

ANNVS MVNDI 3021.

SALOMONIS 2.

SADOCI 1.

EVPALIS 31. Imperij Assyr. 1090.

ANTE CHRISTVM 1032.

I. Comitia celebrantur: & qui ad ea cõuocati.

INsignis est hic annus generalibus totius regni comitijs, testamento, morte, ac funere Dauidis. Comitia ex 1. Paral. desumenda sunt, cætera ex 3. Regum. Hæc porro comitia posteriora esse prima inauguratione Salomonis, ex eo loco perspicuum est, vbi primum conuocata narrantur. Sic enim ibi legitur. *Igitur Dauid senex & plenus dierum regem constituit Salomonem filium suum super Israel.* Id properè, & ex necessitate factum est, vrgente ambitiosa regni vsurpatione Adoniæ. Ad eum autem in regno communi suffragio confirmandum *congregauit omnes principes Israel, & Sacerdotes atque Leuitas.* Dilata porro fuisse ad hunc annum Salomonis secundum comitia ex eo liquet, quod satis laxum tempus dandum fuit; intra quòd commodè conuenire possent, vt ait Scriptura, *Omnes principes Israel, & Sacerdotes atque Leuitæ*, qui toto regno sparsi erant: & insuper *conuocauit Dauid duces tribuum & præpositos turmarum, qui ministrabant regi: Tribunos quoque & Centuriones, & qui præerant substantiæ & possessionibus regis, filiosque suos cum Eunuchis, & potentes, & robustissimos quosque in exercitu Ierusalem.*

cap. 23. & seqq. cap. 2. v. 1. ad 12.

1. Par. 28. 8.

II. Sex conuocationis causæ.

Cogendorum porro comitiorum tot erant causæ; quot in ijs negotia confecta cernimus. Primum ergo maximumque negotium fuit regnum constabilire Salomonis, vt si quis forte Adonias deinceps turbare tentaret, suffragium suum populus tueretur vniuersus. Alterum Regi, coram omnibus regni proceribus, Templi constructionem mandare, vt si opus foret Dauide mortuo, ab ijs qui iussioni interfuerant, officij sui admoneri posset. Tertium omnes qui conuenissent, verbo exemploque suo excitare, ad templi fabricam liberaliter promouendam. Quartum constituere ordines ac vices Sacerdotum & Leuitarum, vt sine confusione in tanta multitudine, suis quique muneribus præficerentur, suis item locis atque temporibus in templo deseruirent. Quintum, totam recensere militiam, duodecim turmarum præfectis subiectam, si quid supplendum videretur. Voluit denique Dauid regiæ domus administros tum amplificare, tum etiam accuratius ordinare, ac supplere si quid deesset, ex ipsis optimatibus qui conuenissent.

illi auxilio futuros. Postremo tam populi principes, quam populum ipsum ad eius præcepta paratum fore. Et hæc quidem eo die facta existimantur, ne Dauid nimium grauaretur, diutius concione producta. Abijt autem, vt videtur, per manus principum dicta descriptio, atque idea templi, quæ à Dauide Salomoni primum tradita fuerat, vt animi eorum cum ad laudandum Deum incalescerent, tum ad auxilia in tantam fabricam præbenda animarentur: vt de eodem auxilio postea conuenientius ageretur. Sicque primus iste conuentus solutus est.

IX. Salomon, quomodo puer, & tenellus 1. Par. 29. 1. & c. 22. 5.

Altero die comitiorum renouat Dauid memoriam populo electionis diuinæ filij sui in regem, & diuini operis constructorem: *Locutus est enim Dauid ad omnem Ecclesiam. Salomonem filium meum vnum elegit Deus, adhuc puerum & tenellum*, non simpliciter & absolutè ratione ætatis, nam vigesimum secundum agebat annum, natus anno mundi ter millesimo, aut etiam comparatione sui, qui septuagesimum iam superabat, quando grandæui, iuniores, quasi blandiendo pueros appellitant, quo etiam vox tenelli pertinet, sed ad magnitudinem suscepti operis. Subdit enim, *Opus namque grande est*, quod hominem requireret omnibus naturæ, artis, doctrinæ, prudentiæ, experientiæ præsidijs instructum; *non enim*, inquit, *homini præparatur habitatio, sed Deo.* Ad hoc ergo opus cum duo summa requirantur, scientia, & facultates: scientia deesse non potest, cum descriptio tantæ molis ab ipso Deo tradita sit: Quod ergo attinet ad facultates, volens Dauid populum suum ad liberalem largitionem excitare, proponit exemplum suum: non ignarus exempla, in omnem partem plus valere, quam verba. *Ego* inquit, *totis viribus meis præparaui impensas domus Dei mei, aurum ad vasa aurea, & argentum in argentea*, &c.

Dauid excitat populum ad largiendũ

X. Quantũ auri & argenti impensum sit in Templum. 1. Par. 22. 14. 1. Par. 29. 4. v. 7. Nu. 43. & Schol. 5. Nu. 60. 62. 63.

Auri numerus & argenti diligentius explicatus est superius, per quandam præoccupationem, vbi Dauid Salomonem alloquens. *Ecce ego*, inquit, *in paupertate mea, præparaui impensas domus Domini, auri talenta centum millia, & argenti mille millia talentorum.* Hoc autem loco mox adduntur de peculio Dauidis, tria millia talenta auri, de auro Ophir, & septem millia talentorum argenti probatissimi. Adde his optimatum donaria, quæ mox subduntur, auri talenta quinque millia, & solidos decem millia, quos Septuag. drachmas vocant, & argenti talenta decem millia. Quæ summa maxima omnino est, vt accuratè in Annalibus explicauimus. Anno Dauidis 38. & Salomonis secundo: & ascendet ad bis mille septingentos & quadraginta quinque milliones, quinquaginta & vnum millia, sexcentos & sexaginta sex aureos nostrates. Addidit etiam Salomon immensam auri argentique vim, è suis reditibus, & nauigationibus, vt non immeritò dici possit, cum Villalpando, impensa in domum Domini tria millia millionum auri, præter immensum numerum æris & ferri, quæ à Dauide, populoque templo donata sunt.

XI. Lætitia populi largiẽtis

Pia liberalitas coniuncta fuit cum lætitia, quia *hilarem datorem diligit Deus.* Vnde subditur, *Lætatusque est populus, cum vota sponte promitterent, quia toto offerebant ea Domino.* Sed & Dauid rex lætatus est gaudio magno, coram Domino, eamque lætitiam, cum quadam orationis exultatione, & multiplici gratiarum actione testatus est, agnoscens liberalitatem suam, populique vniuersi, ex antegressa ipsius Dei liberalitate profectam esse. Petit etiam à Deo pro populo suo constantiam in sancto proposito, non ignarus inconstantiæ & infirmitatis humanæ, vt qui diuina gratia præuenti sunt, eadem concomitante & consummante perfruantur: ne quod cum deuotionis feruore spopondérant, eadem frigescente soluere cunctarentur. Totam denique gratiarum actionem supplici ad Deum pro filio suo oratione concludit, vt eius mandata custodiat, & ædificet ædem cuius parauerat impensas. Eam orationem secuta est regis monitu, populi supplex Dei & regis adoratio; quæ simul fuit tacita approbatio eorum omnium, quæ Dauid, suo & populi nomine, coram Deo supplicabundus dixerat.

2. Cor. 9. 7

Et Dauidis gratiarũ actio ad Deum.

XII. Tertius comitiorum dies, & quæ in eo gesta.

Tertius deinceps secutus est dies, in quo sacrificia in gratiarum actionem, & conuiuia publica populo vniuerso celebrata sunt: & Salomon secundò vnctus est, & consecratus in Regem, & Sadoc sacerdos in Pontificem, & populus vniuersus nouo regi, sese ritu solenni addixit, sicque absolutis comitijs recepit se populus in domum suam. Quod attinet ad sacrificia, ea partim holocausta fuerunt, partim hostiæ pacificæ, omnes ter millenæ: sed quod in alterutro sacrificij genere oblatæ sint victimæ, non liquet, magnam certe partem apparet in hostias cessisse pacificas, vt inde populus haberet vnde liberaliter epularetur. Itaque statim sequitur, *& comederunt & biberunt coram Domino in die illa cum grandi lætitia.* Quoniam autem sacrificia tam multa, diu Sacerdotes Leuitasque tenuerunt, apparet interea dum parantur epulæ, Regis atque Pontificis vnctionem fuisse peractam: & quidem Pontificis prius, vt tanto augustior esset Regis initiatio, quo maior esset qui initiaret.

Sacrificia

XIII. Sadoc inũgiturin Pontificẽ

Sadoc autem nondum erat Pontifex, neque vsquam ante hunc locum inuenitur eius consecratio. Idque innuit Scriptura cum ait, *Et vnxerunt secundò Salomonem filium Dauid. Vnxerunt autem eum Domino in principem, & Sadoc in Pontificem.* At si Sadocum bis vnctum significare voluisset, dixisset vtique breuius, vnxerunt secundo Salomonem in principem & Sadoc in Pontificem. Quanquam ne tunc quidem illud *secundò* ad vtrumque necessario referretur. Non videntur autem adhibitæ omnes cæremoniæ, quæ olim in Aaronis consecratione fuerant vsurpatæ, præsertim cum illæ tunc septem diebus iteratæ fuerint: forte id tantum nunc factum fuit, quod in Eleazari consecratione legimus. Vt sicut Moyses Domini iussu nudauit Aaronem vestibus pontificijs, & ijs induit in eodem monte Eleazarum. Sic & hoc loco, Dauidis iussu ablatæ fuerint ab Abiathare vestes pontificiæ, & eis publicè indutus fuerit Sadoc. Inde secuta est inunctio, quæ hoc loco memoratur, vt præcipua cæremonia, & in qua natura consecrationis maximè posita censetur. Indutus autem videtur, ac consecratus à propheta Nathan, Mosis, & Samuelis vice fungente.

Abiathar exautoratur.

XIV. Viuo Dauide, & qua de causa.

Sic itaque Abiathar Ephod Pontificio, & regali priuatus, de gradu & dignitate sua, viuo adhuc Dauide deiectus est. Neque id difficile fuit à Dauide imperrare, qui dudum didicerat eum participem fuisse coniurationis Adoniæ, contra Salomonem à se destinatum regem. Cumque eandem ob causam Salomoni odiosus esset, & æmulum haberet gratiosissimum Sadocum, qui iam primùm Salomonem inunxerat, facile intelligitur eum iussum promere ornamenta Pontificia, & quamuis ægrè, ac repugnanter, obtemperasse. Cumque in ordinem redactus, adhuc Hierosolymis viuo Dauide versaretur, eodem mortuo, eum Salomon inde eiecit, & in pagum suum, quasi in exilium amandauit: de qua re sequenti anno dicendum erit.

XV. Salomon secundò consecratur

Vnctus Pontifex, Salomonem eodem Nathan propheta adiuuante quanta maxima fieri potuit solennitate, atque apparatu, vniuersis comitijs spectantibus inunxit, cum totius populi exultatione, & harmonico omnium instrumentorum musicorum concentu, & consecrauit Domino in principem, sicut ipse inunctus fuerat Domino in pontificem: vt sicut hic in spiritualibus, ita ille in temporalibus, in populo gubernando Dei vice fungeretur. Sapienter porro Dauid voluit Salomonem in principem populi secundò consecrari, vt qui prius in schismate consecratus, multos habuerat sibi repugnantes, qui Adoniæ studuerant: nunc communibus omnium ordinum votis consecratus, communiter ab omnibus admitteretur in principem. Quod significat Scriptura, cum non solum ait Salomonem sedisse in solio Dauidis patris sui, eo videlicet illi locum cedente, & in humiliore cathedra considente, sed etiam placuisse cunctis, omnemque Israel ei paruisse. Tangitur etiam renouatum fœdus, inter nouum regem & populum, cum dicitur cunctos principes, & potentes, & nominatim filios Dauidis, dedisse manum Salomoni, eique fuisse subiectos, quæ porrectio manus, etiam beneuolentiæ signum fuit.

1. Par. 29. 24

XVI. Testamẽ. cum Dauidis.

Deus iudicium tuũ regi da &c.

His ita transactis, Dauid plenus dierum & bonorum operum, & vero etiam lætitiæ, quod relinqueret superstitem Salomonem in throno suo, in eoque probe stabilitum, ad mortem se volens libensque præparauit, edito primùm Psalmo 71. qui in Salomonem inscribitur, quo filio suo in regio throno collocato, spiritum iudicij, atque iustitiæ precatur, vt sancte officium suum obeat in totius populi, & nominatim pauperum vtilitatem: in quo non in verum solum, sed in figuratum etiam Salomonem respexit. Eo quasi spirituali testamento condito, alterum, quod temporale vocemus licet, propediem moriturus instituit. Et primum dat filio monita salutis de obseruandis Dei mandatis; tum iubet eum de quibusdam noxijs pœnas sumere, vt minus inuidiosa sit animaduersio, quæ à filio fiat ex parentis mandato; in primis autem de Ioabo, ob iniustam cædem duorum militiæ principum Abneris & Amasæ; addere potuit etiam Absalonis, quem contempta Regis prohibitione, interfecerat. Quæ crimina ipse hactenus commodè punire non potuerat, propter quæ nunc zelo iustitiæ incitatus, vult eum quamuis canum, & multis pro regno laboribus perfunctum, & regio sanguine progenitum, à cognato rege morte mulctari.

quæ de mandata Salomoni

Tertium Dauidis mandatum fuit, circa gratitudinem erga Berzellai amicum regis, cuius filios vult in regia mensa comedere, siue regijs alimentis, siue regijs alijs sumptibus, pensione aliqua, vt fit, eis constituta. Idemque de Miphiboseth, in gratiam Ionathæ factum dici potest, & quibusdam alijs, licet id scripto traditum non fuerit. Non enim minus regium est bonis referre præmia, quam improbis inferre supplicia. Quo pertinet mandatum postremò Semei, hominis in afflictum regem contumelioli, atque maledici, supplicium; qui præter improbissimam verborum licentiam, etiam lapidationem regis addiderat. Eum ergo vult à Salomone, pro sua sapientia puniri, non astricto Dauidis iureiurando. Verum autem in hoc Dauidis mandato periurium aliquod interuenerit, reperies in Annalibus explicatum, ibidemque accuratam morientis Dauidis commendationem. Nihil enim deinceps de ipso legimus, præter mortem & sepulturam, quam extremo Decembri contigisse Martyrologia testantur.

XVII. Alia eius. dẽ mandata.

Ex Abul. q. 16. & 17. in hoc cap. 3. Reg.

Die 29.

Dormiuit igitur Dauid cum patribus suis, ait Scriptura, *& sepultus est in ciuitate Dauid*, arce videlicet Hierosolymitana, *Dies autem quibus regnauit Dauid super Israel quadraginta anni sunt, in Hebron regnauit septem annis*; quando scilicet solius tribus Iudæ rex erat. In secundo tamen Regum adduntur sex menses, qui in tota quadraginta annorum summa prætermittuntur, vt numerus integer retineatur: *in Ierusalem autem triginta tribus*. Eadem iterantur in 1. Paral. sed additur, in funebrem laudationem hoc elogium. *Et mortuus est in senectute bona, plenus dierum, & diuitijs, & gloria.* De quo id sine controuersia dici potest eum regum omnium laudatissimum extitisse, eminemque vnum tot animi corporisque ornamentis aliquando præstitisse, neminem qui CHRISTVM Dominum, cuius parens primarius fuit, tota vita propius adumbrarit: vt in Annalibus suo loco dictum est pluribus, vbi & fabulam, de thesauris immensis in eius sepulchrum à Salomone congestis, refutauimus, & meram esse fabulam doctis viris probauimus, & regium eius mausolæum breui vitæ ipsius epitoma honestate conati sumus. A quibus hoc loco nos desiderata breuitas abstinere cogit.

XVIII. Eiusdem mors, & sepultura. 3. Reg. 2. 10

ca. 5. v. 5.

cap. 29. 27.

& laudatio

an. Sal. 1. an. 42. ad 108

ANNVS MVNDI 3022.

SALOMONIS 3.

SADOCI 2.

EVPALIS 32. Imperij Assyr. 1091.

ANTE CHRISTVM 1031.

I. Summa capita rerum anni huius.

NVllum videtur esse dubium, quin executio testamenti Dauidis, acquisitio diuinæ sapientiæ à Salomone, & mirabile iudicium in contentione duarum muliercularum, eiusdemq; Regis cum filia Pharaonis nuptiæ, apparatus etiam templi vsque ad eius fundationem, & quæ cum his coniuncta sunt, non solum ad hæc Salomonis initia, sed ad hunc ipsum tertium eius annum pertinuerint, si recte hactenus, tam Dauidis, quam Salomonis res gestas, per sua tempora digessimus. Verum non ita perspicuum est quænam ex his ipsis, quæ iam attigimus, prius, quænam posterius contigerint. Nam iudicium regis, in caula Adoniæ & Semei, probare videtur adeptam iam diuinam sapientiam. Sed cum ea acquisitio, confirmato plane regno Salomonis, contigerit, vt Scriptura docet: Adonia vero viuente cum Ioabo regnum Salomonis adhuc fluctuare videretur, Scripturæ ordinem secuti, Adoniæ consilia, & mortem, & quæ his connexa sunt, præmittemus.

3. Reg. 3. 1. 2. Par. 1.

II. Noua Adoniæ cõiuratio in Salomonem.

Existimamus autem factam nouam coniurationem contra Salomonem, inter Adoniam, Ioabum, & Abiatharem recens exautoratos. Hi enim omnes ægro erant animo; vnus ereptum sibi regnum, alter summam militiæ præfecturam, tertius amissum summum pontificatum gemebant, & æmulos suos coram se in altum euectos, se in ordinem redactos, inimicorum suorum irrisioni patere, indignissime ferebant; nec vllum excogitari poterat præsentius huic malo remedium, quam Salomonis ipsius abdicatio, & Adoniæ restitutio: quæ nunc defuncto Dauide, à quo priora illa ipsorum consilia disiecta fuerant, facilior videbatur. Addebat animos infirma noui regis ætas, & ad fraudem, vt videbatur, opportuna, propter rerum gerendarum insolentiam: & imperium nondum alta radice firmatum. Huius nouæ conspirationis argumentum est, quod mox dicitur Ioab fugisse ad tabernaculum Domini, & apprehendisse cornu altaris, eo quod declinasset post Adoniam. At facinus id iam vetus erat, & condonatum tam ipsi Adoniæ, quam amicis eius. Alioqui abijsset vtique aliquò Ioab, & periculo se eximisset. Nouum ergo consilium fuit, quod simul deprehensum & oppressum est.

3. Reg. 2. 28

III. Petit à Bethsabæa coniugium Abisagæ.

Regno itaque ab Adonia recuperando muniebatur aditus Abisagæ nuptijs ab eo postulandis: Oportet autem id consilium callidissimè excogitatum fuisse, & ad propositum illum finem occultam admodum habuisse vim, quam ne mater quidem Bethsabæa odorata fuerit: quæ à Scriptura tacita, a Salomone agnita, à nobis vix intelligi potest. Verba enim Salomonis aperte significant hisce nuptijs aliquid Adoniæ vel iuris, vel facultatis ad regnum acquisitum iri: & ad viam complanandam ad maiora molienda. Cum ergo Ioabo, Abiathari, cæteris que coniuratis visum esset tentari oportere nuptias, vix elapso luctus tempore, quod minimùm vnius mensis fuisse creditur, adit Adonias Bethsabæam, quæ & matris grauissimo nomine, & optimè de nouo rege meritæ titulo, facile poterat, quod peteret impetrare. Petit ergo, vt eius interuentu, Salomon illi det Abisag Sunamitidem vxorem. Suscipit illa expediendum negotium, rata valituram eam gratiam ad pristinas offensiones inter fratres abstergendas.

IV. Et illa à Salomone.

Adit Salomonem, honorificè ab eo excipitur, sibi aliquid concedi postulat, quod nondum explicaret. Vt re in genere concessa, puderet postea regem retractare promissionem. Salomon autem matris suæ non solum beneuolentiæ, sed prudentiæ quoque multum tribuens, promittit quod nondum sciret quale esset: sed eum mox re intellecta pœnituit, eamque cum amara expostulatione reuocauit. *Quare*, inquit, *postulas Abisag Sunamitidem Adoniæ? postula ei & regnum. Ipse est enim frater meus maior me, & habet Abiathar Sacerdotem, & Ioab filium Saruiæ.* Si enim vxorem haberet reginam, cum ipse filius regis esset, & quidem primogenitus, & insuper sibi penitus haberet addictos, tam sacerdotum, quam militiæ principes, & iam pro rege vnctus esset, & rex agnitus à plerisque, imo, vt ipse aiebat, omnis Israel in regnum eius consensisset, nihil aptius videbatur ad labefactandum regnum Salomonis, quam huiusmodi matrimonio assensum præbere. Itaque non obstante promissione, ne qua illum cuiusquam intercessio morti eriperet, iussit illum quamprimum à Banaia interfici, sine alia forma iudicij, quod & factum est. Verum autem in eo peccauerit, vide in Annalibus.

qui illum morti addixit.

3. Reg. 2.

c. 12. & 13.

V. Salomon Abiathar em in pagum amandat.

Sublato præcipuo fundamento turbatum, eius quoq; firmamenta fuerunt deijcienda. Abiathar scilicet & Ioab, quos diuina prouidentia in hanc iterum culpam labi permisit, ex qua Salomon occasionem sumeret alterum ejciendi ex vrbe regia, alterum ex Dauidis testamento vita priuandi. Itaque ad se euocatum Abiatharem amandat in pagum Anathoth; quamuis ob iteratam cum Adonia coniurationem mortis reũ. In qua condemnatione apparuit Salomonis clementia, qui non est passus plurima antiqua merita, recenti facinore penitus obliterari. Sed hominem reum capitis morte mulctare noluit, vt Ioabum eodem crimine implicatum, atque irretitum, sed iam exautoratum, ciuitate tantum priuauit, ne Sacerdotis dignitati, & eius erga patrem tuum meritis, nihil tribuisse videretur.

VI. Ioab fugit ad tabernaculum.

1. Reg. 2. 28

Occiso Adonia, & ejecto Abiathare, increbuit rumor, Ioabum quoque fuisse nouæ huius coniurationis architectum: quod cum ad ipsius Ioabi aures peruenisset, non ignarus se mortis reum: clam fugit in Tabernaculum Domini, siue quod erat in excelso Gabaon, siue potius, quod erat vicinius, in Sion. Quod cum Salomon didicisset, misit ad eum Banaiam cum mandato, vt eum occideret. At Banaias loci reuerens sanctè

eius sanguinum : quæ scilicet multum iniustè sanguinem effuderit, nominatim occidendis Gabaonitis. Ab ipsis autem quid piaculi repetantexquirendum esse, quod id Dominus in eorum arbitrio posuerit, vt ex Dauidis interrogatione colligitur. Non erant illi quidem de filijs Israel, sed reliquiæ Amorrhæorũ, quibus tẽpore Iosue Israelitæ iurauerant, se eos cõseruaturos.

II. Eius causa malus Saulis zelus contra Gabaonitas.

Nihilominus *Saul eos zelo pro filijs Israel & Iuda* interfecit. Nimirum indignum existimauit Israëlitarum nobilitate, & suo erga Deum, ipsiusque legem zelo, reliquias Amorrhæorum conseruare, quos Dominus tam seuerè deleri iusserat. Verum exceptio in his facta fuerat, eorumque salus sub conditione oneris hactenus inuiolata, & iureiurando firmata, in rem iudicatam transierat. Quanquam non tam zelus legis, qua soluti erant Gabaonitæ, quam auaritia & superbia eum censentur permouisse, qui eorum bonis inhiaret, & probrosum genus contemneret. Dici quoque potest datam Gabaonitis vltionem, siue quia illam à Deo continenter petebant: siue quia Dominus ostendere voluit iustitiam suam, quæ etiam populi sui culpam, in gratiam alienigenarum puniret: siue denique quod præsenti animaduersione firmare voluit legem suam, de diligendis aduenis ad fidem conuersis, vetat enim aduenam contristari, aut affligi. Quin & profitetur se amare peregrinum, & dare ei victum atque vestitum. *Et vos ergo* inquit, *amate peregrinos*, eos autem in primis, qui propter animi sui salutem peregrini fiunt. Apparet autem populum, qui pœnæ particeps fuit, etiam culpæ non fuisse immunem.

Num. 23. *fi.*

Exod. 22.

Deut. 10. 18. 19.

III. Pacisciturr Dauid cũ Gabaonitis.

Intellecta mali causa, Dauid statuit quam primum ei remedium afferre, & aduocatis Gabaonitis, quæsiuit ab eis quid satisfactionis nomine postularent. Existimant autem Hebræi valde probabiliter, Dauidem eis vt pauperibus aliquam pecuniæ summam obtulisse, in expiationem peccati, vt *benedicerent hæreditati Domini*, qui censebantur mala quotidie Israëlitis imprecari; eamque ab eis repudiatam dicentibus, *non est nobis super argento & auro quæstio*. Sed talionis pœnam contra familiam Saulis postularunt, vt quod in Gabaonitas Saul tentauerat, id ipse in sua familia pateretur; sic vt ne vnus quidem de stirpe illa regia remaneret in viuis. Hic mitissimus Dauid magnitudine vltionis huius deprecari, obijcere quoque iusiurandum Sauli factum, atque Ionathæ, de non delendis eorum familijs: petere denique moderationem aliquam: neque enim verisimile est eos, qui neminem superstitem de nouem qui superauerant, fieri petebant, sponte sua septem duntaxat fuisse perituros. Septem ergo petierunt de Saulis familia, & impetrarunt, vt in duobus, vtrumque Dauidis iusiurandum seruaretur. Sed hæc accuratius in Annalibus expenduntur.

nu. 7. 8. *& seqq.*

IV. Eisq; tradit septẽ de stirpe Saulis.

Dedit ergo Dauid Gabaonitis, tanquam piaculum famis publice crucifigendos duos filios Respha concubinæ Saulis, tum quinque filios Micholis filiæ Saulis, qui erant reuera filij Merob, sed eos Michol quæ carebat liberis, adoptauerat, vt ait Hieronymus, in Tradit. quod sentit quoque Chaldæus paraphrastes. Alij in quibus Caietan. malunt irrepsisse mendum in textum, eo quod hi filij dicantur à Michole geniti, & pro Michole legendum Merob: quod minime absurdum est. Cruci autem affixi fuerunt in colle Gabaa oppido Saulis, vt ex ipso loco, in quo peccatum fuerat, facile intelligeretur puniri Saulem in filijs, ac nepotibus suis, idque factum sub initium Veris, & festum azymorum. At Respha insigni caritate in cadauera filiorum vsa, vile ibi cubile extexit, vt ea à ferarum & volucrum morsibus protegeret, idque non ad vnum aut alterum diem, sed ad menses aliquot, vsque ad superuenientem pluuiam, quæ esset indicium exoratæ diuinæ clementiæ, ad quam propitiandam illi suspensi erant. Quæ humanitas cum regi placuisset, iussit cadauera tolli de patibulis, simul quoque deferri in terram Beniamin ossa Saulis & Ionathæ Abinadabi quoque & Melchisuæ, pridem à labentis sepulta, & omnia simul condi in sepulchro Cis patris Saulis, sicque sterilitas Deo miserante finita est.

Qui & crucifiguntur. Respha charitas in eos.

Sepeliuntur iussu Dauidis.

ANNVS MVNDI 3014.

DAVIDIS 35. ABIATHARIS 40.

EVPALIS Regis 24.

Imperij Assyriorum 1083.

ANTE CHRISTVM 1039.

QVatuor bella, aut prælia potius reliquo vigesimo primo capite 2. Regum recensentur, quæ Dauid & serui eius feliciter contra Philisthæos cesserunt. De quibus etsi non constat, quo quidque anno contigerit, sub hoc tamen tempus, post depulsam famem, aut omnia, aut minimum tria contigisse, communis est tam interpretum, quam chronologorum sententia. Cum autem Scriptura dicat, Dauide iam deficiente viribus primum horum præliorum contigisse, recte id cum Dauidis ætate congruit, qui nunc 64. agebat annum. Significat autem Scriptura initium belli factum à Philisthæis, quibus suscitabant animos noui gigantes, antiquo illi Goliatho suppares. Deus autem hoc bellum & sequentia videtur permisisse, vt istis, qui erant omnium fortissimi, domitis, regnum tranquillum Salomoni pacifico traderetur. Cum ergo contra Iesbibenob gigantem pugnaret, viribusque deficeret, parum abfuit quin ab illo occideretur, nisi opportunè adfuisset Abisai nepos eius, & Ioabi frater, qui percussum Philisthæum interfecit. Quo periculo moniti Israëlitæ, non permiserunt Dauidem vltra pugnare, ne cum eo gloria Israelis extingueretur.

I. Prælia quatuor cõtra Philisthæos.

Primum ipsius Dauidis.

Alterum prælium factum dicitur in Gob contra eosdem Philisthæos, qui locus cum in primo Paral. dicatur Gazer, quam Philisthæi in tribu Ephraim possidebant, apparet priore modo à Philisthæis, posteriore ab Israelitis id oppidum fuisse appellatum, vbi Philisthæi humiliati dicuntur, vbi & Sobochai, qui erat vnus de fortibus Dauidis, hominem occidit nomine Saph, de stirpe Arapha, de genere gigantæo.

II. Alterum Sebochai contra gigantem.

III. Prælium Adeodati, siue Elchanan.

Sequitur tertium bellum, quod eodem loco gestum dicitur, & à plerisque non recte Dauidi tribuitur, vt in Annalibus ostendimus, dicendumque hoc bellum, in quo Goliath ab Adeodato percussus dicitur, Dauide rege, & sene contigisse, istumq; Goliathum esse illius prioris Goliathi fratrem, vt habetur in 1. Paral. vbi hæc ipsa historia reperitur. Adeodatum autem ab Hebræo Elchana esse conuersum, qui inter fortissimos Dauidis numeratur in eodem libro. Sic & filius saltus dicitur, pro filio Iahare, quem Chaldæus ait fuisse textorem veli Sanctuarij, Hieronymus autem vertit polymitarium, patria vero Bethlehemiten. His ergo Elchana in hoc bello præcipuam laudem consecutus est occiso Goliatho fratre illius, qui ante annos tres & quadraginta à Dauide singulari certamine victus, atque occisus fuerat.

num. 8. & 9.

cap. 26. 5. 1. Par. 11. 26.

VI. Vltimum bellum in Geth.

Reliquum est quartum bellum, quod in Geth confectum est, in quo vir fuit excelsus, qui senos in manibus, pedibusque habebat digitos, & erat de origine Arapha, qui cum probris afficeret Israelitas, à Ionatha filio Sammaa fratre Dauidis interfectus est. Ex eo autem quod bellum hoc ad vrbem Geth confectum est: quam Dauid iamdudum occupauerat, vt ex lib. Paral. aperte constat, & diximus anno Dauidis duodecimo, colligere possumus cum Tostato, bellum hoc à Philisthæis, illius vrbis recuperandæ gratia, susceptum fuisse, sed irrito conatu, & damno insuper accepto. Iosephus ait hoc prælium cum gente illa fuisse vltimum Israelitis. Quod si admittimus, vt initium capitis 22. videtur postulare, ea bella quæ cap. 23. referuntur, dicenda sunt ad priora tempora pertinere, quæ fere ad suos annos retulimus. Interim autem Salomon decimum sextum ætatis annum agens, sub cura prophetæ Nathan, ad omnem virtutem, pro eximia adolescentis docilitate informabatur.

cap. 13. 1. & 2. Reg. 8. 1.

ANNVS MVNDI 3016.

DAVIDIS 37.

ABIATHARIS 42.

EVPALIS 26. Imperij Assyrior. 1085.

ANTE CHRISTVM 1037.

I. Dauid in pace gratias agit Deo.

INgraue scentem Dauidis ætatem, iam sextum & sexagesimum agebat annum, Deus illi immunem à bellis esse voluit; quam ideirco religiosissimus princeps in gratiarum actione, diuinisq; laudibus, in templi apparatu, & institutione Salomonis, quem in regni hæredem informabat, magna cum animi voluptate consumpsit. Hoc porro anno primum se offert illa gratiarum actio, quæ cap. 22. & 23. secundi Regum continetur, vbi ex occasione additur commendatio virorum fortium Dauidis, cum aliqua eorum, quæ ab illis fortiter gesta fuerant commemoratione. Idonea enim est principi materia Deo grátias agendi, quod ei viros egregios, ad regni sui administrationem, defensionemq; concesserit. Verum hæc agnitio diuinorum beneficiorum, quæ est humanæ conditionis infirmitas, tentationi vanitatis obnoxia est, si de ipsis non solide in Domino, sed vane gloriamur in nobis. Quæ vanitas Dauidi creditur in populi sui enumeratione contigisse. Ea enumeratio ad hunc annum maxime referenda est, vt diligenter in Annalibus explicatum est, vbi & de catalogo virorum fortium dictum est pluribus, quæ Lector non inutiliter consulet: est enim res in Scriptura satis impedita.

II. Catalogus virorum fortium, eorumque numerus.

Hic breuiter dicamus Catalogum virorum fortium Dauidis, qui in 2. Reg. & 1. Paral. recensetur, non sine aliqua diuersitate in numero, in ordine, in nominibus singulorum poni. Nam qui non vno in loco 30. fortes dicuntur, in alijs multo plures numerantur. Ideoque dicendum videtur à principio, siue cum Dauid esset in Geth, siue cum regnaret in Hebron, selegisse ex omnibus militibus suis florem ipsum, numero 30. in tres decades distributum, quarum singulæ suum haberent principem, qui reliquos fortitudinis laude meritisque anteiret. Auctus est deinde fortium numerus, prout se quisque, ipsorum æmulatione, nobili quopiam facinore extulisset atq; exemisset à plebe militum gregariorum, remanente nihilominus denominatione 30 fortium. Sic duodecim Apostoli dicuntur, quamuis alijs ad eum numerum deinceps allectis.

III. Duo primi tciuarij, & qui in eis 1. Par. 11. 20. 21. 2 Re 23. 23 & 1. Par. 11. 24.

Quod attinet ad ordinem perspicuum est Scripturam geminam triadem eximiorum virorum constituere, & à reliqua fortium multitudine seponere. Nam Abisai frater Ioab dicitur inter tres nominatissimus, & inter tres secundos inclytus, & princeps eorum, *veruntamen*, inquit, *vsque ad tres primos non peruenerat*. Quod ipsum de Banaia quoque scriptum est. Primum enim tres omnium fortissimos ponit, deinde tres alios fortitudine secundos, & prioribus suppares, tum reliquos fortes circiter triginta. Suspicari autem possumus priorem illam triadem fuisse tres decuriones trium decadum, posteriorem autem, quasi prodecurionum, qui eos repræsentarent, & si res ferret, supplerent eorum vices. Extra ordinem porro sunt Dauid, & Ioab, etsi erat vterque fortissimus. Primus autem in priore triade fuit Iesbaam, qui & primæ turmæ 24. millium in primo mense præerat. secundus Eleazar, tertius Samma. In altera triade primus fuit Abisai Ioabi frater, secundus Banaias, qui fuit dux regij satellitij Cerethi & Pheleti, & postea à Salomone factus est militiæ princeps loco Ioabi. Tertius Ionathan filius Sammæ fratris Dauidis: sed de istis ipsis, cæterisque fortibus plura suggerent Annales. Nos hîc ad plagam pestilentiæ transeamus.

IV. Dauid iubet numerari populum.

Cum altissima pace frueretur Dauid, & inter gratias agendas Deo heroës suos recensuisset, subijt etiam eius animum cogitatio ac voluntas vniuersum numerum bellatorum in fastos suos redingendi. Cui voluntati cum vanitas ac superbia sese insinuassent, Deus permisit Dauidem in eam culpam labi, vt id peccatum, in populo alioqui culpabili, iusta animaduersione castigaret. Populi autem culpa, quæ mox pestilentia punita est, fuisse videtur illa defectio, qua nuper Sebæ filio Bochri, contra Da-

uidem legitimum suum principem, adhæserat: Solus enim Seba suæ perfidiæ dederat pœnas, nunc ergo populus ipse, morte 70. millium virorum punitus est. Quod autem Dauid in suis ad Deum precibus populum innocentem vocat, id de culpa numerationis intelligendum est, cuius populus particeps non fuit. Permisit ergo Dominus hunc Dauidis lapsum, & simul eum voluit, populum castigando, humilem reddere, reputantem se huius tantæ cladis causam fuisse.

V. Cui Ioab frustra resistit.

Dedit ergo Dauid Ioabo, alijsq; principibus viris in mandatis, vt populum bello idoneum, à 20. scilicet annis, & supra, censerent, iunioribus omissis, & omni sexu muliebri; quod eorum numerus numerum omnem superare videretur, senibus quoque bello parum idoneis. Id Ioab regi dissuadet, veritus ne Deus eo facto offensus populum puniat. Perstitit tamen Dauid in sententia, cui denique acquiescens Ioab, profectus est *cum principibus militum à facie regis, vt numerarent populum.* Hos principes militum non male fortasse dixerimus, principes duodecim turmarum militarium, & principes tribuum, in quorum albo populus inscribendus erat. Inchoata porro est enumeratio ab ijs, qui trans Iordanem erant, à tribu scilicet Ruben septentrionem versus, inde ad occasum descendentes, tribus cis Iordanem positas perlustrarunt. Ea lustratio quinto circiter huius anni mense inchoata, sub tertium sequentis, post decimum videlicet mensem finita est, vel vt habet Scriptura, post menses nouem, & viginti dies, quod fuit tempus triticeæ messis quando & clades pestifera contigit, vt sequenti anno dicetur.

2. Reg. 24. 8 1. Par. 21. 20.

ANNVS MVNDI 3017.

DAVIDIS 38.

ABIATHARIS 43.

EVPALIS 27. Imperij Assyr. 1086.

ANTE CHRISTVM 1036.

I. Ann. Sab. 62. & summa rerum anni huius.

SExagesimo secundo annorum septenario ab ingressu Israelitarum in Chananitidem, inchoata populi lustratio absoluitur, & punitur. Dauid Deum, angelico gladio in populo, & nominatim Hierosolymis sæuientem sacrificio placatum templi extruendi negotia disponit. Interim insolescit Adonias, Salomone se in officio modeste continente. Enumeratio porro populi hunc in modum absoluta est. Post nouem menses, dum populus percenseretur, Dauid ex inspiratione diuina religione tactus, doluit quod iussisset numerari populum, & veniam à Deo postulauit supplex. Mox autem venit Gad propheta, qui Regi optionem pœnæ diuinitus subeundæ obtulit. Interea Dauid, qui quod factum erat infectum esse vellet, mittit ad Ioabum, qui cunctanter regis imperium exequebatur, vt desistat à cœptis. Itaq; omissa lustratione tribus Leui & Beniamin, Hierololymam reuertitur, sæuiente iam in populo pestilentia, & numerum census retulit ad regem, qui numerus diuersus est in libris Regum, & Paralip. de quo discrimine studiosus Lector consulet Annales.

Quomodo confectus census.

Surrexit itaque Dauid mane, stimulo conscientiæ, & spiritu pœnitentiæ excitatore vsus, *& sermo Domini factus est ad Gad prophetam, & Videntem Dauidu*, quo scilicet Deus peculiariter vtebatur, ad suam Dauidi voluntatem enunciandam. Et quamuis tanquam iratus, agat cum rege per internuncium, tanquam benevolus tamen offert ei electionem eius pœnæ de tribus, quam ipse sibi duxerit esse tolerabiliorem: peste scilicet tridui, trimestri bello, vel triennali fame. At Dauid bellum auersatus, quod ab hominibus crudeliter, & cum multa animarum iactura fiat, electionem pestis aut famis permittit Deo, qui etsi iudicem agat, non obliuiscitur tamen se patentem esse, qui castigando filium, misericordiam solet miscere iustitiæ. Fieri tamen potest vt Gad Dauidem vrserit, ad alteram de duabus cladem eligendam, eumque pestem, quæ ex supernaturali tantum actione pendeat, & finiatur citius, præopraſſe. Et reuera Septuag. addunt Dauidem mortem, sicenim vocant pestilentiam, elegisse. Quam Dominus immisit in vniuersum populum, *de mane vsq; ad tempus constitutum*, nimirum tridui, quod Dominus constituerat, & per propheram denunciarat: quo tempore ad 70. millia virorum cæsa leguntur, à Dan vsque Bersabeæ.

II. 2. Reg. 24. 11 Dauidi [illegible] & datur [illegible] optio

pestem eligit.

Verum vero Ierusalem à pestifera clade plane immunis fuerit, dubitari potest. Verum & Scriptura satis docet Ierusalem peste fuisse percussam. Percutiebat enim Angelus populum, cum audiuit à Domino, *Sufficit*, & Dauid *vidit Angelum cædentem populum*, cum orauit pro eo Dominum. Erat autem Dauid Hierosolymis. Et ratio postulabat vt fieret ipsa quoque particeps cladis, sicut & culpæ fuerat, si non in defectione Sebæ, certe in coniuratione Absalonis. Iam quod ad cladis huius modum attinet, videtur Angelus gladio percussisse morituros, sæpe enim fit gladij mentio in tota hac historia. Verum cum constet populum peste perijsse, sicut & ea mors pestis vbique dicitur, vtique gladius Domini de peste metaphoricè accipiendus est. Quanquem apparuisse Angelum cum gladio minime dubium est, sed, vt ait Abulensis, non nisi finita plaga. Cum enim Dauit oraret Dominum ne plaga vltra protenderetur, voluit Dominus illi Angelum percutientem ostendere: isque humana specie apparuit, cum ingenti gladio cruento, & vibrante contra Ierusalem: aspectu autem truci atque terribili. Quo spectaculo territus Dauid, & veritus ne sæuire pergeret, in terram se cum suis supplex abiecit, & veniam populo petijt, atque impetrauit. Ex quo intelligitur, eos, qui Angeli opera mortui sunt, sine horrifico Angeli, vel gladij conspectu petijsse.

III. Quæ Ierusalem quoque vexarit. 2. Reg. 24. 16. 17. &

Modus cladis & Angeli species.

Cum autem expletus esset numerus eorum, quos diuina iustitia morti destinarat, dixit Dominus Angelo percutienti vt contineret manum suam, & in loco in quo erat, appareret humana forma visibilis. Erat autem iuxta aream Areunæ Iebusæi, sed paulo elatior, vt à plurimis conspici posset. Et primum quidem vt fit, visus est à propioribus. Nam Ornam, qui & Areuna, Dominus ateæ cum eo tempore

IV. Vbi, & à quibus vi sus fuerit.

trit-

tritícum in area tereret cum quatuor filijs, subito ictus fulgore suspexit, viditque Angelum minaci vultu terribilem, & vltionis indicem gladium vibrantem: statimque omnes trepidi relicta area latebras petiere, & abscondere se domi. Vidit & Dauid, qui in proxima Sionis arce habitabat, viderunt & alij maiores natu, siue ex colle Sionis, siue ex inferiore vrbe, & regem consilij causa adierunt, qui Dauidis exemplo permoti, vestiti cilicijs proni in terram ceciderunt, vt castigatione corporis sponte suscepta, iram Dei aduersus populi peccata succensam extingueret. Addidit & preces Dauid, quibus, tanquam bonus pastor animam suam offerebat pro ouibus suis, ratus totam huius cladis culpam in se residere. Suas quoque preces addiderunt infulati Sacerdotes, Abiathar & Sadoc, vt Hebræi tradidere.

Dauid cū suis Deū orat. 1. Par. 21. 16

Hieron. in Tradit.

V. Monetur à Propheta de sacrificio expiatorio 1. Par. 21. 18.

Placatus ergo Dominus cessare iussit Angelum ab inferenda clade, & monere Gad prophetam, vt diceret Dauidi, *vt ascenderet* in montem Moria vicinum, *extrueretque altare Domino Deo, in area Ornæ Iebusæi.* Eum enim locum iampridem elegerat Dominus, in quo magnificum templum excitaretur, ibique ab Hebræis, atq; adeo ab omnibus gentibus honoraretur. Quem ipsum locum Abrahami sacrificio ante annos octingentos & 54. consecrarat: ibi nunc quoque Dauidis sacrificio placari volebat. Nil cunctatus est Propheta, nihil quoq; Dauid in exequendo Dei mandato. Nam adhuc Ornan cum filijs erant in loco, in quo se absconderant, præ timore horrificæ visionis, cum vidit regem venientem ad se, & inde egressus *processit ei obuiam*, & rogata causa aduentus, didicit ipsum emere velle aream eius, ad extruendum ibi altare, & in eo sacrificandum, ad iram Domini placandam. Cumque ille gratis offerret omnia, ad sacrificium necessaria, ipsumq; locum aræ ad ædificandum altare: negauit rex se offerre velle Deo gratuita sacrificia: itaque dedit pro bobus & plaustro 50. siclos argenteos, id est, Francos 68. Gallicarts cum 15. solidis, pro ipso autem loco, in quo non solum altare, sed etiam templum erat construendum, sexcentos auri siclos, siue trecentas auri vncias, id est, bis mille & quingentos aureos.

Emit boues, ipsāque aream.

Ex Hier. in trad. in 2. Reg.

VI. Sacrificat placatur Deus, 1. Par. 21. 26. & 28.

Ædificato itaque altari in dicta area, obtulit ibi holocausta, & pacifica Domino, & placatus est Dominus, in cuius rei signum, depluit ignis de cœlo, quo consumptum est holocaustum. Quo cognito Dauid videns Deo grata esse sacrificia, quæ ibi obtulerat, ibidem sæpius sacrificauit, (cum alioqui in excelso Gabaon, in quo erat altare holocaustorum, sub cura Sadochi, sacrificaretur,) & à populo sacrificari permisit empta iam area. Recordabatur enim reuelationis sibi iam à septem & viginti annis factæ, de templo ibi excitando, vt vndecimo Dauidis anno explicatum est. Ergo publice protestatus est, populoque denunciauit eum locum electum à Deo, vt ibi domus Dei, & altare construeretur. Quem igitur locum antea per reuelationem agnouerat, nunc populo annunciauit, quod nullus esset à Gad propheta, publicum eius rei argumentum præbere, extructo ibi altari: vt iam tum populus vniuersus cognosceret locum esse sanctificatum, & ædificando templo destinatum.

Et locus templo ad dicitur. n. 16. & in Annal. n. 74. & 75. 1. Par. 22. 1

Illo ergo tempore locum templi cognouit, hoc autem populo patefecit: illo destinauit, hoc emptione acquisiuit, illo templi designationem didicit, isto materiam præparauit. Subdit enim sacer historicus: Et præcepit vt congregarentur omnes proselyti de terra Israel, & constituit ex eis latomos ad cædendos lapides & poliendos, vt ædificaretur domus Dei. Proselyti, si vim vocis attendas, aduenæ sunt & peregrini. Ex vsu tamen Hebræorum, Proselyti non tam ex noua habitatione in populo Dei, quam ex noua fidei professione, relicta idololatria dicebantur, & ab Hebræis contemnebantur, quod non essent ex semine Abrahami, & Iacobi. Sicut nunc noui, qui dicuntur, Christiani ex Iudæis, ab ijsdem Christianis, propter dubiam eorum fidem contemnuntur. Quantus porro fuerit eorum numerus, & quanta materia à Dauide præparata, auri præsertim & argenti, aliquanto post commodius dicetur.

Præparantur opifices proselyti.

ANNVS MVNDI 3018.

DAVIDIS 39.

ABIATHARIS 44.

EVPALIS 28. Imperij Assyr. 1087.

ANTE CHRISTVM 1035.

PEnultimo regni Dauidis anno, Salomon, cum annum ætatis ageret decimum nonum, vt qui vigesimo primo regni Dauidis natus est, duxit vxorem Naaman nomine, patria Ammanitem, vt ex 3. Reg. & 2. Paral. constat, ex qua sub initia sequentis anni suscepit filium Roboamum regni successorem: qui quadraginta & vnius anni fuit, cum successit Salomoni, qui 40. annis regnauit. Et duxit quidem illam fortasse maturius, non tamen citius ex ea filium suscepit, quam vltimo Dauidis anno. Nec dubium est Dauide consilio conciliatas fuisse hasce nuptias, eodemq; autore perfectas. Modestior enim erat tunc Salomon, ac parentibus obsequentior, quam vt ipsis repugnantibus de coniugio cogitaret. Sed vnde hæc nobis mulier Ammanitis, Salomoni sociata coniugio?

I. Salomonis ætas, & primæ nuptiæ. c. 14. 21. c. 12. 13.

vide ann. Dauid. 20 n. 11.

Circumspicienti occurrit ille Sobi filius Naas, quem diximus suffectum in regnum paternum, loco fratris sui Haron, qui nuper Dauidi Absalonem fugienti lautia misit in Castra. Apparet ergo hunc Dauidis affinitatem expetijsse, & impetrasse, data filio eius Salomoni filia sua Naama: nec Dauidem recusasse, qui amicitia omnes comprehendere, sibique deuincire cupiebat, vt quam maxime tranquillum & pacificum regnum filio suo relinqueret. Ea tamen lege accepisse nurum, vt ad veri Dei fidem cultumque traduceretur. Huiusmodi nihilominus nuptiæ non videntur satis Deo probatæ, parum certe felices extitere. Nam ex coniugio Dauidis cum Maacha exortus est facinorosissimus Absalon, qui miserrimo interitu sublatus est, & Thamar probroso infamis incesto. Nec Salomon ipse, vt de alijs taceam, in hisce nuptijs

II. Cum Ammanitide Naama. 2. Reg. 17. 27.

parum feliciter.

for-

fortunatus fuit: orto inde Roboamo, qui insipientia sua maximam regni sui partem perdidit. Nec desunt qui putent Roboamum, à vero Dei cultu ad idola, à matre traductum. Nimirum illa, si recta habet, aut ficte religionem Israelitarum suscepit, aut in ea non perseuerauit.

III. Ratio præparatæ templo materiæ

Vacabat Dauid hoc tempore præparandæ templo materiæ, & in Vrbem vndique conuehendæ, eoque diligentius, quo clarius animaduertebat se septuagenatio proximum, corporis vigore, viribusque destitui. Nec est quod quis existimet Dauidem in eo labore imprudentia labi potuisse, qui lapides & ligna cædi iuberet ad eam fortasse magnitudinem, longitudinem, molem, atque mensuram, quæ postea Salomoni, à quo pendebat ædificatio, non probaretur. Totam enim ædificij dispositionem diuinitus acceperat, quam ipsi, aut Salomoni non esset integrum mutare. Cæterum distingui possunt duo tempora præparationis huius, prius est ex quo volens ædificare templum, diuinitus prohibitus est, permissus tamen præparare, quæ essent necessaria, aut idonea ad tantum opus. Ex illo enim tempore studiose præparauit, quæ temporis longinquitate nihil vitij caperent, puta aurum, argentum, æs, ferrum, &c. Posterius fuit ex quo ædificauit Altare in area Ornani, dixitque, *Hæc est domus Dei, & hoc altare in holocaustum Israel.* Deinceps enim parauit, quæ temporis longinquitate vitium contrahunt, vt ligna & lapides, currus, variasque machinas oneribus subuehendis.

1. *Par.* 28. 11. & 19.

Duo eius tempora.

ANNVS MVNDI 3019.

REGNI DAVIDIS 40. & vlt.

ABIATHARIS 45.

EVPALIS 29. Imperij Assyr. 1088.

ANTE CHRISTVM 1034.

I. Ortus Roboami.

VLtimus hic Dauidis non vitæ, sed regni annus, habet Roboami natiuitatem, infirmitatem Dauidis, & insolentem Adoniæ fastum. In ortu primogeniti Salomonis, haud dubium patrem insigni affectum fuisse lætitia, tanquam in primaria spe posteritatis suæ: affectum & autem Dauidem, qui in eo alterum iam regni sui hæredem agnosceret, nec minus lætatam auiam Bethsabæam, & Naaman Ammanitem eius parentem, cæteroqui affines & consanguineos. Sed eius natiuitatem, circumcisionem, impositionē nominis, totamque ætatem, vsque ad annum quadragesimum primum, Scriptura, eius stultitiam, atque improbitatem auctsata, litteris mandare neglexit.

II. Dauidis senilis infirmitas.

Iam quod ad Dauidis attinet infirmitatem, ea sine certi temporis determinatione initio 3. Regum à sacro Scriptore traditur. Nimirum huiusmodi virium defectus paulatim contrahitur, & senectuti, in qua se apertius prodit tribui solet. Id Scriptura haud obscurè significat, ait enim. *Et rex Dauid senuerat, & habebat etatis plurimos dies,* septuagesimum videlicet adibat annum, quod tempus aliquibus initium senectutis est, alijs medium, multis extremum: plurimi enim, citra eam metam, curriculi sui finem reperiunt. Illud certe quotidianum est, vt cito senescere videamus, qui à iuuentute corpore, animoque multa patiuntur, qualem fuisse Dauidis vitam, tota superior historia testatur. Aduentitiam porro ægritudinem Dauidi hoc tempore contigisse putant Abulensis, atque Serarius, qualis contingit paralyticis. Quæ enim membra paralysis attigerit, frigore torpescunt, & ad motum inualida fiunt. Sed potuit esse sine paralysi frigus, aut suis certe non caruit interualtis. Id enim exigunt comitia regni vniuersi, & quæ in illis ipse dixit ac fecit, post vnum alterumque annum.

III. Remedium frigoris eius.

Huic frigori remedium medici, curam sanitatis eius habentes, reperire studuerunt, quæsita puella virgine, quæ senem foueret, eique ministraret. Et acquieuit quidem bonus senex seruorum suorum voluntati, sed ita tamen, vt periculum peccandi euitaret: itaque eam, in omnem euentum, duxit vxorem, vt ex sequentibus intelligetur. Quod autem notatum est eam à Dauide non fuisse cognitam, ad Dauidis laudem pertinet, à licita delectatione, quæ ætati parum congrueret, abstinentis: pertinet & ad statum puellæ indicandum, quæ à rege cognita, non poterat Adoniæ coniugio postmodum apta esse, neque ab eo vllo prætextu postulari.

IV. Adonias insolescit & regnū ambit. 3. Reg. 1. 5.

Parentis porro lecto decumbentis ægritudo, & haud dubiè vicina mors, animos extulit Adoniæ in regnum imminentis. Ambitioso enim spiritu *efferebatur*; cui & vires aptæ seruiebant: dicebat enim, *ego regnabo.* Imo & factis ipsis sese prodebat ambitio. *Fecit enim sibi currus & equites, & 50. viros, qui curherent ante eum.* Imitabatur miserum Absalonem, qui eandem inierat viam, nec tamen eius exitum perhorrescebat. Quod autem mox dicitur, *Non corripuit eum pater suus aliquando*, docet Adoniam, non vltimo illo tantum tempore, quo de sua spe deiectus est, regnum ambiuisse, sed multo ante id sibi animo destinasse, & ad illud viam; per hosce currus & equites, paulatim muniuisse. Nec deerat idoneum ambitioni fundamentum. Prioribus enim fratribus eius defunctis, regnum ipsi iure primogenituræ debebatur: quod postea Salomon ipse non dissimulabat, cum diceret matri, *Postula ei regnum, ipse enim est frater meus maior me.* Et Adonias ad Bethsabæam, *Tu nosti quod meum erat regnum.* Eademque loabo, Abiathari, alijsque viris primarijs causa fuit, cur partes Adoniæ sequerentur.

3. Reg. 2. 15. 22.

V. Electio facta à Deo & Dauide Salomonis.

Sed is, in cuius manu sunt omnia iura regnorum, Salomonem elegerat in regem, etiam prinsquam genitus esset, quod non difficebatur Adonias cum diceret, *translatum est regnum, & factum est fratris mei: à Domino enim constitutum est ei.* Itaque longe potiori iure Salomoni regnum, quam Adoniæ debebatur: qua peculiari ratione Deus in populo Hebræo regnare dicebatur, proindeque vicarium sibi pro arbitrio constituebat, vnde dicebat Dauid, *Sed & de filijs meis elegit Salomonem, vt sederet in throno regni Domini super Israel.* Accedebat quod regia successio ex patris quoque dispositione

1. *Par.* 28. 5

tione pendebat, vnde factum est vt Roboam Abiam filium suum quarto genitum, regem constituerit, quòd cæteris sapientior esset. Atqui ex paterna dispositione, etiam iureiurando firmata, regnaturus erat Salomon. Itaq; Berhsabæa confidenter. *Nonne tu, Domine mi rex, iurasti mihi ancillæ tuæ, dicens, Salomon filius tuus regnabit post me, & ipse sedebit in solio meo?*

3. Reg. 1. 13 17.

VI. Dauidis in Adoniam indulgentia nimia.

An ergo culpa vacabat Dauid, qui insolescentem Adoniam, & regnum haud obscurè affectantem non comprimebat? qui meminisse poterat eam culpam in Heli pontifice tam seuere castigatam. Eum certe videtur Scriptura ipsa hoc nomine reprehendere, cum ait non corripuisse ipsum aliquando patrem eius, quam tamen correptionem parentes debent peccantibus filijs, & principes subditis, & heri famulis, & discipulis magistri, & omnino quicumque curam aliorum gerunt. Causam huius indulgentiæ subdit Scriptura, cum ait, *Erat autem & ipse pulcher valde, secundus natu post Absalon*, id est, qui ei in primogenitura succedebat. Significans ex amore peculiari Dauidis in Adoniam natam indulgentiam, qui amore tum ipsius pulchritudine, tum primogenitura pascebatur. Sed ea indulgentia illi impunè non cessit. Seditio enim Adoniæ, & repentinus in ciuitate tumultus virga fuit, qua ille vel ætatis, vel animi languor castigatus est.

ANNVS MVNDI 3020.

SALOMONIS 1.

ABIATHARIS 46.

EVPALIS 30. Imperij Assyrior. 1089.

ANTE CHRISTVM 1033.

I. Salomon regno præficitur, illudque administrat vno patre.

PRimum hunc Salomonis regnantis annum statuimus, quo annitente Nathan propheta, eodemque moderatore Salomonis, & rogante Berhsabæa matre, iubente Dauide rege, proclamatus & declaratus est rex Salomon: Dum ex altera parte Adonias cum suis, Dauide ignorante regnum inuaderet. Statuendum autem est in primis, constituto rege ac regnante Salomone, Dauidem fuisse superstitem. Id ex initio tertij Regum aperte constat, vbi super regis mulam iussu eius impositus, proclamatur rex, acceptatur à populo, iungitur, & ipsemet Dauid sese abdicans summo hoc magistratu, eumque in filium transferens, *adorauit in lectulo suo, & locutus est, Benedictus Dominus Deus Israel, qui dedit hodie sedentem in solio meo, videntibus oculis meis.* Quod ostendit Salomonem non regni solùm successione donatum, sed regni etiam administrandi facultate. Itaque pro rege se gessit aduersus Adoniam, eumque is regem agnouit, cum diceret, *Iuret mihi rex Salomon hodie, quod non interficiet seruum suum gladio.* Nisi eum regem agnouisset, non ibi eo, sed à Dauide patre, quem admodum erga se indulgentem agnoscebat, culpæ veniam postulasset. Salomon tamen, pro sua modestia, patrem quasi regem venerabatur, & ex eius consilio regnum administrare incipiebat.

Ex quibus consequens est tempus quod supernixit Dauid regnante Salomone, non Dauidis, sed Salomonis regno tribui. & vtrumque, vt Scripturæ postulat authoritas, quadragenos regnasse annos, quæ nusquam Dauidem 70. duntaxat annis vixisse affirmauit, quippe quos modicè supergressus est.

II. Ratio ré ponit.

Salomon autem non duodecimo ætatis anno, sed ineunte vigesimo primo regni gubernacula suscepit. Id exigit ratio temporis, quam secuti sumus, & in Annalibus accuratè probauimus, quæ est multorum quoque grauium virorum sententia. Cui fauet in primis Dauid: cum eum iam constitutum regem alloquens, *Vir*, inquit, *Sapiens es, vt scias quæ facies ei*, quo modo in Hebræo quoque habetur, &, Græco textu, & Chaldæa paraphrasi, Quis puerum duodecim annorum virum sapientem vocet, nisi eum irridendo, quantauis morum maturitate polleat? Diruit illam quoque opinionem ea absurditas, quod dicendum sit Salomonem decimo anno, & tribus mensibus genuisse Roboamum, quod falacissimi quidam Rabbini finxerunt: & quidam ex antiquis Patribus, obiter ac sine examine sunt secuti: ad quod incommodum vitandum omnia potius tentanda essent, quam eum puerum impurissimum ac libidinosissimum fingere, quem à primis annis diuina sapientia constat imbutum. Coguntur & intolerâ dæ socordiæ damnare Dauidem, vt de Nathane pueri præceptore taceam, qui decennis filij nuptias permiserit, contra ius omne naturæ, publicamque honestatem: qui eas potius seuere punire debuerit. Sed de his hoc loco satis, quæ pluribus studiosus Lector in Annalibus disputata reperiet.

Ætas Salomonis autoritate probatur,

& ratione

Cum ergo Dauid infirmitate degrauante magna ex parte lecto affixus iaceret, concepta Adoniæ ambitio erupit hoc anno foras. Sat enim multis se præsidijs vallatum esse duxit, ad eam rem quam parabat. Matute quippe Ioabum militiæ principem, & summum Sacerdotem Abiatharem occuparat. Populus nihil turbaturus videbatur, qui dudum prope regia pompa incedentem viderat Adoniam: quem regis quoque primogenitum non ignorabat: species denique ipsa fauorem populi illi conciliabat. Ioabum porro ad hoc postremum facinus, sua scelera, Deo permittente, compulerunt, vt de omnibus simul, seras illas quidem, sed meritas tamen pœnas daret. Abiatharem etiam diuina sententia in domum Heli fulminata persequebatur, & sinebat in eam labi culpam, ob quam merito summo Sacerdotio priuaretur.

III. Quæ Adoniæ ambitioni fauerent.

Sperabat Ioab, si sua opera Rex factus esset Adonias, illum sibi perpetuo obstrictum fore, eademque opera patratas cædes inultas, militiæ principatum sibi, suisque perpetuum futurum. Sperabat autem Abiathar sacra vnctione nouo regi tradita, & regem in ære suo semper fore, & summum Pontificatum sibi confirmatum iri, & æmulum suum Sadocum, quem iam sibi exæquari, & pene præferri cernebat, in ordinem redactum iri, excelso Gabaonico post templi ædificationem sublato. Habebant quoque Ioab & Abiathar, qui summa secun-

IV. Cur ei Ioab & Abiathar adhæserint.

dum

Rex declaratur.

dum regem autoritate pollebant, suos è militia, & Leuitica tribu clientes, qui innabant quoque partes Adoniæ, atque adeo omnes reliquos regis filios, vno videlicet excepto æmulo Salomone: quos omnes conuiuio accepit Adonias, iuxta fontem Rogel, ad orientalem vrbis plagam, in valle quæ dicta est Iosaphat. Ibi Pontificis opera plurimis victimis immolatis, oleo sacro, quod erat in eius potestate, inunctus est Adonias, additæ faustæ acclamationes, vitam illi ac fœlicitatem comprecantium, rati in illa inauguratione, quam in mox secuto conuiuio.

V. Quæ Salomoni fauerent.

Ex altera parte Salomoni diuina primum fauebat electio, & patris promissio iureiurando firmata. Tum Abiatharis æmulus Sadoc, & Banaias summæ militum præfecturæ candidatus, & Nathan propheta, qui Salomoni erat educatione, eruditione, & beneuolentia pater, ad quem, quamprimum tantæ rei delatus est nuntius, vt qui ad eam impediendam, atque exturbandam si erupisset, magna sollicitudine excubabat. Adit ergo recentissima in re Bethsabæam matrem Salomonis, cuius res in primis agebatur, dixitque ad eam, *Num audisti quod regnauerit Adonias filius Haggith?* id est, regem se creari, inungi, & proclamari curauerit? sed ne rem desperatam illa existimet, addit, *& Dominus noster Dauid hoc ignorat*, nedum eo iubente rex factus est: ideoque res adhuc disturbari potest, opera atque industria nostra: quæ si defuerit actum est de te, ac filio tuo, quem ille regni æmulum, quamprimum de medio tollet, te autem in ordinem redactam, contemnet, atque abijciet.

VI. Nathani & Bethsabææ pro eo studia.

Ipsum autem Nathani consilium fuit, vt Bethsabæa illico regem Dauidem adiret, deque occupato ab Adonia regno doceret, contra ipsius promissionem, in gratiam Salomonis factam, & iureiurando firmatam. Quod cum illa faceret, adderetque probationes, quæ fidem de occupato ab Adonia regno facerent, deque periculo sibi filioque suo imminente, supervenit ex condicto Nathan, qui eadem fere cum Bethsabæa inculcat, vt similitudo nuncij fidem faciat veritati. Sed addit aliqua, quasi re paulò exploratius cognita, quæ valeant ad iram, quamuis mansuetissimi hominis, excitandam; quod scilicet per summam licentiam, quasi deturbato de solio suo Dauide, in medijs epulis Adonias rex à seditiosis, & violatæ maiestatis reis, proclametur.

VII. Dauid iubet Salomonē regē creari

His auditis Dauid quam præsentissimum remedium vrgenti malo adhibiturus, primo Bethsabæam, renouata promissione, & iureiurando, de instituendo ea ipsa die rege Salomone, consolatur. Deinde mandata de consecrando in regem Salomone daturus, & ritu in ea inauguratione seruando, iussit vocari ad se Sadocum Sacerdotem, & Nathan prophetam, & Banaiam filium Ioiadæ, qui præterquam quod erant viri principes, & Dauidi fidelissimi, eo studiosius regium mandatum, de nouo rege constituendo executuri erant, quo minus accepti erant Adoniæ. Quin & Sadoc, qui instar erat Pontificis, necessarius erat ad inungendum regem, & Nathan ad contestandam coram populo, Dei & regis in hac noui regis constitutione voluntatem. Banaias autem, qui præpositus erat legionibus Pheretri & Cerethi, ad vim aduersariorum, si qua existeret, propulsandam, Itaq; diuino consilio factum est, vt cæteris principibus ad Adoniam declinantibus, illi à Dauidis nutu penderent, & diuinam de Salomone electionem exequerentur.

His ergo conuocatis, mandat congregari robur exercitus Dauidis, & imponi Salomonem super mulam, quam solus rex solebat inscendere, & deduci ad fontem Gihon, qui erat ab occasu Ierusalem, è regione oppositus fonti Rogel, ad quem inunctus fuerat Adonias, & regijs hortis, in quibus ille cum suis conuiuabatur, vt nihil interturbarent, sed res confecta esset, priusquam id illi sentirent, vt reuera contigit. In Gihon autem iubet inungi à Sadoco, Nathane illi assistente, in regem super Israel, & sonet buccinæ conclamari regem. Quo facto; *ascenderis*, inquit, *post eum & veniet huc in aulam, & sedebit super solium meum, & ipse regnabit pro me.* Non dicit post me: nimirum viuo Dauide rex erat futurus, ipso sponte regno cedente, *illum, præcipiam, vt sit dux super Israel, & super Iudam.* Quæ vt fuerant imperata, ita ordine perfecta sunt omnia.

VIII. Etat. ref

Cum toto enim illo apparatu venit Salomon in Gihon, & vtique procumbit in genua; Deum suppliciter oraturus, vt hæc tanta dignitatis acquisitio, ad eius gloriam cederet, totiusque populi eius vtilitatem. Hinc autem atque inde Sadoc & Nathan præmissa similiter oratione ad inunctionem peragendam consurgunt, cohortibus regijs, reliquoque populo late circumfusa. Et Sadoc quidem sumptum oleum de tabernaculo, quod in Sionis erat arce, infundit in Salomonis verticem. Nathan autem propheta inde manantem liquorem ab aure in aurem per frontem in morem coronæ circumduxit, ritu quem ex Rabino Salomone, referunt Lyranus & Abulensis: tum osculo accipitur, & fausta comprecatione salutatur, vt olim à Samuele propheta rex Saul. Vncto Salomone cecinerunt buccina Sacerdotes ministri Sadoc, in signum propriæ lætitiæ & gratulationis, & in signum populo plaudendi & acclamandi, *Viuat rex Salomon.* Adhibitus est præterea tubarum plurimarum, tibiarum, aliorumque instrumentorum concentus, cum magno populi gaudio, *& insonuit terra à clamore eorum*, adeo vt in aduersa parte ciuitatis exaudiretur.

IX. Venit Salomon in Gihon, vnctus & proclamatus.

Vnctum oleo rursum in vrbem deducunt cum faustis acclamationibus, vt multos annos in hoc principatu feliciter exigat, moxque deductum in regiam in solio paterno collocant, vt ait Ioseph. vti iusserat Dauid. Erat enim hic ritus sedendi super solium, quasi acceptio possessionis regni, & supremæ iudiciariæ potestatis. In eo enim Rex iure dicendo sedere solebat. Diadema quoque, vel potius coronam regiam, quam sibi Dauid ex manubijs Melchom fabricatus erat, capiti Salomonis impositam, ex simili Ioas coronatione satis colligitur. Dicamus & sceptrum additum manibus. Nihil enim omissum videtur ad perfectam regis inaugurationem: hoc maxime tempore, quo non altare contra altare, sed thronus contra thronum erigebatur. Et Dauid vbi de Salomone, vt Christi figura agit, throno regio septum adiungit

X. Alia ceremonia

Sedet

Sedes tua Deus in seculum seculi, virga directionis, virga regni tui. Addit & gladium, *Accingere gladio tuo, super femur tuum potentissime.*

Psal. 44. 4. 7.

XI. Fœdus init cum Deo, & populo.

Sed hæc minus perspicua. Illud autem minimè dubium, consecratum & coronatum Salomonem, solemne cum Deo & populo fœdus inijsse; cum Deo, eius se legem obseruaturum promittendo, cum populo autem, spondendo se eum cum omni iustitia & moderatione, ex Dei legibus gubernaturum. Populus autem, interuentu magistratuum, & optimatum, qui aderant, fidem ei, & obedientiam pollicebatur. Mox deducitur in vrbem atque in arcem Salomon, ipsiusque parentis conspectum, dicentibus seruis Dauidis, *Amplificet Deus nomen Salomonis super nomen tuum, & magnificet thronum eius super thronum tuum.* id est, Augeatur in dies regia dignitas ac magnificentia. Nec comparatio ista morituro principi iniucunda est, qui se in filio superstitem agnoscit, & gloriam illius, non alienam æstimat, sed suam. Adorauit & Rex Salomonem ex lectulo suo, dicens, *Benedictus Dominus Deus Israel, qui dedit hodie sedentem in solio meo, videntibus oculis meis.* Magni beneficij loco ducebat, quod regnum in suis posteris conseruatum iri; non solum sperabat, optabatque, vt cæteri reges, sed ipsis etiam oculis suis cernebat regnantem illum, quem Deus elegerat, & quem ipse animo destinarat.

3. Reg. 1. 47.

Redit in vrbem, & ab ipso Dauide adoratur.

Quæ cum ita gesta essent: itaque nunciata Adoniæ, omnibusque conuiuis, à Ionatha filio Abiathar is pontificis, territi sunt omnes, & abierunt, *vnusquisque in viam suam*, abdituri se videlicet, & quantum fieri posset dissimulaturi, se istius coniurationis participes extitisse. Eorum tamen præcipui iam nominatim Salomoni, & Dauidi fuerant denunciati. Merito autem territi sunt, vt qui manifesto crimine tyrannidis affectatæ, & imminutæ maiestatis rei tenebantur. Adonias autem qui omnium maxime erat in culpa, videns se destitutum ab omnibus, timens Salomonem surrexit, & abijt in tabernaculum fœderis, quod erat in excelso Gabaon, *& tenuit cornu altaris.* Immunitatis enim priuilegium altari maxime tribuebatur. Et nunciauerunt quidam ab Adonia missi Salomoni, Adoniam tenere cornu altaris, & veniam ab ipso in hæc verba petere. *Iuret mihi rex Salomon hodie; quod non interficiat seruum suum gladio.* Huic humilitati facilem se præbet Salomon: nec ait examinatum iri causam eius, & prout iustus vel iniustus inuentus fuerit, ita liberum, vel obnoxium pœnæ fore. Sed præteritorum oblivionem pollicetur, & simul ab ambitione, sub mortis interminatione deterret. Et euocatum in conspectum suum, & regem humiliter adorantem, dimittit in domum suam, ibique securitatem pollicetur.

XII. Turbatur Adonias cum suis.

3. Reg. 1. 51.

Dissipata hac nube, quæ nouum solem obtenebrare conabatur, de stabiliendo regno Salomonis vniuersi regni comitia à Dauide indicta sunt, vt ex 1. Paral. constat. Etsi enim populi suffragijs non egeret Hebræorum rex ad legitime imperandum: expediebat tamen à regni optimatibus approbari, eique debitam adorationem, & iusiurandum obsequij & fidelitatis, in publicis comitijs offerri, vt tanto in side stabiliores essent, & obsequium eorum liberalius & promptius. Decuit etiam non à Salomone, sed à Dauide indici. Id enim suauius erat ad beneuolentiam, vt in sua causa Salomon comitia non indiceret, & id populo semel tribui videretur, vt is antequam publice regem ageret, à populo vniuerso pro rege agnosceretur. Sed hæc proximo anno apertiora fient.

XIII. Dauid comitia indicit. c. 23. 1. & 2. & c. 28. 1.

ANNVS MVNDI 3021.

SALOMONIS 2.

SADOCI 1.

EVPALIS 31. Imperij Assyr. 1090.

ANTE CHRISTVM 1032.

INsignis est hic annus generalibus totius regni comitijs, testamento, morte, ac funere Dauidis. Comitia ex 1. Paral. desumenda sunt, cætera ex 3. Regum. Hæc porro comitia posteriora esse prima inauguratione Salomonis, ex eo loco perspicuum est, vbi primum conuocata narrantur. Sic enim ibi legitur. *Igitur Dauid senex & plenus dierum regem constituit Salomonem filium suum super Israel.* Id properè, & ex necessitate factum est, vrgente ambitiosa regni vsurpatione Adoniæ. Ad eum autem in regno communi suffragio confirmandum *congregauit omnes principes Israel, & Sacerdotes atque Leuitas.* Dilata porro fuisse ad hunc annum Salomonis secundum comitia ex eo liquet, quòd satis laxum tempus dandum fuit, intra quòd commodè conuenire possent, vt ait Scriptura, *Omnes principes Israel, & Sacerdotes atque Leuitæ,* qui toto regno sparsi erant: & insuper *conuocauit Dauid duces tribuum & præpositos turmarum, qui ministrabant regi: Tribunos quoque & Centuriones, & qui præerant substantiæ & possessionibus regis, filiosque suos cum Eunuchis, & potentes, & robustissimos quosque in exercitu Ierusalem.*

I. Comitia celebrantur: & qui ad ea conuocati.

cap. 23. & segg. cap. 2. v. 1. ad 12.

1. Par. 28. 8.

Cogendorum porro comitiorum tot erant causæ; quot in ijs negotia confecta cernimus. Primum ergo maximumque negotium fuit regnum constabilire Salomonis, vt si quis forte Adonias deinceps turbare tentaret, suffragium suum populus tueretur vniuersus. Altetum Regi, coram omnibus regni proceribus, Templi constructionem mandare, vt si opus foret Dauide mortuo, ab ijs qui iussioni interfuerant, officij sui admoneri posset. Tertium omnes qui conuenissent, verbo exemploque suo excitare, ad templi fabricam liberaliter promouendam. Quartum constituere ordines ac vices Sacerdotum & Leuitarum, vt sine confusione in tanta multitudine, suis quique muneribus præficerentur, suis item locis atque temporibus in templo deseruirent. Quintum, totam recensere militiam, duodecim turmarum præfectis subiectam, si quid supplendum videretur. Voluit denique Dauid regiæ domus administros tum amplificare, tum etiam accuratius ordinare, ac supplere si quid deesset, ex ipsis optimatibus qui conuenissent.

II. Sex conuocationis causæ.

illi auxilio futuros. Postremo tam populi principes, quam populum ipsum ad eius præcepta paratum fore. Et hæc quidem eo die facta existimantur, ne Dauid nimium grauaretur, diutius concione producta. Abijt autem, vt videtur, per manus principum dicta descriptio, atque idea templi, quæ à Dauide Salomoni primum tradita fuerat, vt animi eorum cum ad laudandum Deum incalescerent, tum ad auxilia in tantam fabricam præbenda animarentur: vt de eodem auxilio postea conuenientius ageretur. Sicque primus iste conuentus solutus est.

IX. Salomon, quomodo puer, & tenellus 1. Par. 29. 2. & 6. 22. 5.

Altero die comitiorum renouat Dauid memoriam populo electionis diuinæ filij sui in regem, & diuini operis constructorem: *Locutus est* enim *Dauid ad omnem Ecclesiam. Salomonem filium meum vnum elegit Deus, adhuc puerum & tenellum*, non simpliciter & absolutè ratione ætatis, nam vigesimum secundum agebat annum, natus anno mundi ter millesimo, aut etiam comparatione sui, qui septuagesimum iam superabat, quando grandæui, iuniores, quasi blandiendo pueros appellitant, quo etiam vox tenelli pertinet, sed ad magnitudinem suscepti operis. Subdit enim, *Opus namque grande est*, quod hominem requireret omnibus naturæ, artis, doctrinæ, prudentiæ, experientiæ præsidijs instructum; *non enim*, inquit, *homini præparatur habitatio, sed Deo.* Ad hoc ergo opus cum duo summa requirantur, scientia, & facultates: scientia deesse non potest, cum descriptio tantæ molis ab ipso Deo tradita sit: Quod ergo attinet ad facultates, volens Dauid populum suum ad liberalem largitionem excitare, proponit exemplum suum: non ignarus exempla, in omnem partem plus valere, quam verba. *Ego* inquit, *totis viribus meis præparaui impensas domus Dei mei, aurum ad vasa aurea, & argentum in argentea*, &c.

Dauid excitat populum ad largiendũ

X. Quantũ auri & argenti impensum sit in Templum. 1. Par. 22. 14.

Auri numerus & argenti diligentius explicatus est superius, per quandam præoccupationem, vbi Dauid Salomonem alloquens. *Ecce ego*, inquit, *in paupertate mea, præparaui impensas domus Domini, auri talenta centum millia, & argenti mille millia talentorum.* Hoc autem loco mox adduntur de peculio Dauidis, tria millia talenta auri, de auro Ophir, & septem millia talentorum argenti probatissimi. Adde his optimatum donaria, quæ mox subduntur, auri talenta quinque millia, & solidos decem millia, quos Septuag. drachmas vocant, & argenti talenta decem millia. Quæ summa maxima omnino est, vt accuratè in Annalibus explicauimus. Anno Dauidis 38. & Salomonis secundo: & ascendet ad bis mille septingentos & quadraginta quinque milliones, quinquaginta & vnum millia, sexcentos & sexaginta sex aureos nostrates. Addidit etiam Salomon immensam auri argentique vim, è suis reditibus, & nauigationibus, vt non immeritò dici possit, cum Villalpando, impensa in domum Domini tria millia milliohum auri, præter immensum numerum æris & ferri, quæ à Dauide, populoque templo donata sunt.

1. Par. 29. 4. v. 7. Nn. 45. & Schol. 5. Nu. 60. 62. 63.

XI. Lætitia populi largientis

Pia liberalitas coniuncta fuit cum lætitia, quia *hilarem datorem diligit Deus.* Vnde subditur, *Lætatusque est populus, cum vota sponte promitterent, quia corde toto offerebant ea Domino.* Sed & Dauid rex lætatus est gaudio magno, coram Domino, eamque lætitiam, cum quadam orationis exultatione, & multiplici gratiarum actione testatus est, agnoscens liberalitatem suam, populique vniuersi, ex antegressa ipsius Dei liberalitate profectam esse. Petit etiam à Deo pro populo suo constantiam in sancto proposito, non ignarus inconstantiæ & infirmitatis humanæ, vt qui diuina gratia præuenti sunt, eadem concomitante & consummante perfruantur: ne quod cum deuotionis feruore spopondêrant, eadem frigescente soluere cunctarentur. Totam denique gratiarum actionem supplici ad Deum pro filio suo oratione concludit, vt eius mandata custodiat, & ædificet ædem cuius parauerat impensas. Eam orationem secuta est regis monitu, populi supplex Dei & regis adoratio; quæ simul fuit tacita approbatio eorum omnium, quæ Dauid, suo & populi nomine, coram Deo supplicabundus dixerat.

2. Cor. 9. 7.

Et Dauidis gratiarũ actio ad Deum.

XII. Tertius comitiorum dies, & quæ in eo gesta.

Tertius deinceps secutus est dies, in quo sacrificia in gratiarum actionem, & conuiuia publica populo vniuerso celebrata sunt: & Salomon secundò vnctus est, & consecratus in Regem, & Sadoc sacerdos in Pontificem, & populus vniuersus nouo regi, sese ritu solenni addixit, sicque absolutis comitijs recepit se populus in domum suam. Quod attinet ad sacrificia, ea partim holocausta fuerunt, partim hostiæ pacificæ, omnes ter millenæ: sed quod in alterutro sacrificij genere oblatæ sint victimæ, non liquet, magnam certe partem apparet in hostias cessisse pacificas, vt inde populus haberet vnde liberaliter epularetur. Itaque statim sequitur, *& comederunt & biberunt coram Domino in die illa cum grandi lætitia.* Quoniam autem sacrificia tam multa, diu Sacerdotes Leuitasque tenuerunt, apparet interea dum patantur epulæ, Regis atque Pontificis vnctionem fuisse peractam: & quidem Pontificis prius, vt tanto augustior esset Regis initiatio, quo maior esset qui initiaret.

Sacrificia

XIII. Sadoc inungitur in Pontificẽ

Sadoc autem nondum erat Pontifex, neque vsquam ante hunc locum inuenitur eius consecratio. Idque innuit Scriptura cum ait, *Et vnxerunt secundò Salomonem filium Dauid. Vnxerunt autem eum Domino in principem, & Sadoc in Pontificem.* At si Sadocum bis vnctum significare voluisset, dixisset vtique breuius, vnxerunt secundo Salomonem in principem & Sadoc in Pontificem. Quanquam ne tunc quidem illud *secundò* ad vtrumque necessariò referretur. Non videntur autem adhibitæ omnes ceremoniæ, quæ olim in Aaronis consecratione fuerant vsurpatæ, præsertim cum illæ tunc septem diebus iteratæ fuerint: forte id tantum nunc factum fuit, quod in Eleazari consecratione legimus. Vt sicut Moyses Domini iussu nudauit Aaronem vestibus pontificijs, & ijs induit in eodem monte Eleazarum. Sic & hoc loco, Dauidis iussu ablatæ fuerunt ab Abiathare vestes pontificiæ, & eis publicè indutus fuerit Sadoc. Inde secuta est inunctio, quæ hoc loco memoratur, vt præcipua ceremonia, & in qua natura consecrationis maximè posita censetur. Indutus autem videtur, ac consecratus à propheta Nathan, Mosis, & Samuelis vice fungente.

Abiathar exautoratur.

ANNVS MVNDI 3022.

SALOMONIS 3.

SADOCI 2.

EVPALIS 32. Imperij Assyr. 1091.

ANTE CHRISTVM 1031.

I. Summa capita rerum anni huius.

NVllum videtur esse dubium, quin executio testamenti Dauidis, acquisitio diuinæ sapientiæ à Salomone, & mirabile iudicium in contentione duarum mulierecularum, eiusdemq; Regis cum filia Pharaonis nuptiæ, apparatus etiam templi vsque ad eius fundationem, & quæ cum his coniuncta sunt, non solum ad hæc Salomonis initia, sed ad hunc ipsum tertium eius annum pertinent, si recte hactenus, tam Dauidis, quam Salomonis res gestas, per sua tempora digessimus. Verum non ita perspicuum est quænam ex his ipsis, quæ iam attigimus, prius, quænam posterius contigerint. Nam iudicium regis, in causa Adoniæ & Semei, probare videtur adeptam iam diuinam sapientiam. Sed cum ea acquisitio, confirmato plane regno Salomonis, contigerit, vt Scriptura docet: Adonia vero viuente cum Ioabo regnum Salomonis adhuc fluctuare videretur, Scripturæ ordinem secuti, Adoniæ consilia, & mortem, & quæ his connexa sunt, præmittemus.

3. Reg. 3.1. 2. Par. 1.

II. Noua Adoniæ coniuratio in Salomonem.

Existimamus autem factam nouam coniurationem contra Salomonem, inter Adoniam, Ioabum, & Abiatharem recens exauctoratos. Hi enim omnes ægro erant animo; vnus ereptum sibi regnum, alter summam militiæ præfecturam, tertius amissum summum pontificatum gemebant, & æmulos suos coram se in altum euectos, se in ordinem redactos, inimicorum suorum irrisioni patere, indignissime ferebant; nec vllum excogitari poterat præsentius huic malo remedium, quam Salomonis ipsius abdicatio, & Adoniæ restitutio: quæ nunc defuncto Dauide, à quo priora illa ipsorum consilia disiecta fuerant, facilior videbatur. Addebat animos infirma noui regis ætas, & ad fraudem, vt videbatur, opportuna, propter rerum gerendarum insolentiam: & imperium nondum alta radice firmatum. Huius nouæ conspirationis argumentum est, quod mox dicitur Ioab fugisse ad tabernaculum Domini, & apprehendisse cornu altaris, eo quod declinasset post Adoniam. At facinus id iam vetus erat, & condonatum tam ipsi Adoniæ, quam amicis eius. Alioqui abijsset vtique aliquò Ioab, & periculo se exemisset. Nouum ergo consilium fuit, quod simul deprehensum & oppressum est.

3. Reg. 2. 28

III. Petit à Bethsabæa coniugium Abisagæ.

Regno itaque ab Adonia recuperando muniebatur aditus Abisagæ nuptijs ab eo postulandis: Oportet autem id consilium callidissimè excogitatum fuisse, & ad propositum illum finem occultam admodum habuisse vim, quam ne mater quidem Bethsabæa odorata fuerit: quæ à Scriptura tacita, à Salomone agnita, à nobis vix intelligi potest. Verba enim Salomonis aperte significant huisce nuptijs aliquid Adoniæ vel iuris, vel facultatis ad regnum acquisitum iri: & ad viam complananda ut ad maiora molienda. Cum ergo Ioabo, Abiathari, cæterisque coniuratis visum esset tentari oportere nuptias, vix elapso luctus tempore, quod minimum vnius mensis fuisse creditur, adit Adonias Bethsabæam, quæ & matris grauissimo nomine, & optimè de nouo rege meritæ titulo, facile poterat, quod peteret impetrare. Petit ergo, vt eius interuentu, Salomon illi det Abisag Sunamitidem vxorem. Suscipit illa expediendum negotium, tata valituram eam gratiam ad priscinas offensiones inter fratres abstergendas.

IV. Et illa à Salomone.

Adit Salomonem, honorificè ab eo excipitur, sibi aliquid concedi postulat, quod nondum explicaret. Vt re in genere concessa, puderet postea regem retractare promissionem. Salomon autem matris suæ non solum beneuolentiæ, sed prudentiæ quoque multum tribuens, promittit quod nondum sciret quale esset: sed eum mox re intellecta promissionis pœnituit, eamque cum amara expostulatione reuocauit. *Quare*, inquit, *postulas Abisag Sunamitidem Adoniæ? postula ei & regnum. Ipse est enim frater meus maior me, & habet Abiathar Sacerdotem, & Ioab filium Saruiæ.* Si enim vxorem haberet reginam, cum ipse filius regis esset, & quidem primogenitus & insuper sibi penitus haberet addictos, tam sacerdotum, quam militiæ principes, & iam pro rege vnctus esset, & rex agnitus à plerisque, imo, vt ipse aiebat, omnis Israel in regnum eius consenserat, nihil aptius videbatur ad labefactandum regnum Salomonis, quam huiusmodi matrimonio assensum præbere. Itaque non obstante promissione, ne qua illum cuiusquam intercessio morti eriperet, iussit illum quamprimum à Banaia interfici, sine alia forma iudicij, quod & factum est. Vtrum autem in eo peccauerit, vide in Annalibus.

qui illum morti addixit.

3. Reg. 2.

c. 12. & 13.

V. Salomon Abiatharem in pagum amandat.

Sublato præcipuo fundamento turbarum, eius quoq; firmamenta fuerunt deijcienda, Abiathar scilicet & Ioab, quos diuina prouidentia in hanc iterum culpam labi permisit, ex qua Salomon occasionem sumeret alterum eijciendi ex vrbe regia, alterum ex Dauidis testamento vita priuandi. Itaque ad se euocatum Abiatharem amandat in pagum Anathoth: quamuis ob iteratam cum Adonia coniurationem mortis reū. In qua condemnatione apparuit Salomonis clementia, qui non est passus plurima antiqua merita, recenti tacinote penitus obliterari. Sed hominem reum capitis morte mulctare noluit, vt Ioabum eodem crimine implicatum, atque irretitum, sed iam exauctoratum, ciuitate tantum priuauit, ne Sacerdotis dignitati, & eius erga patrem tuum meritis, nihil tribuisse videretur.

VI. Ioab fugit ad tabernaculum.

3. Reg. 2. 28

Occiso Adonia, & electo Abiathare, increbuit rumor, Ioabum quoque fuisse nouæ huius coniurationis architectum: quod cum ad ipsius Ioabi aures peruenisset, non ignarus se mortis reum: clam fugit in Tabernaculum Domini, siue quod erat in excelso Gabaon, siue potius, quod erat vicinius, in Sion. Quod cum Salomon didicisset, misit ad eum Banaiam cum mandato, vt eum occideret. At Banaias loci reuerentia sancti

tatem, iubet regis nomine illum ab altari recedere, quod cum ille recusaret, repetita iussione iussit ibidem interfici, ne rex ipse reus apud Deum fieret neglectæ iustitiæ. Itaque ibi interfectus est: quod diuina lex non permittit solum, sed etiam iubet. *Si quis*, inquit, *per industriam occiderit proximum suum, & per insidias, ab altari meo euelles eum vt moriatur.* Nec poterat altare illud tuto iusto sanguine pollui, quod perpetuo solebat hostiarum sanguine cruentari. Tota loci violatio consistebat in iniusta vi; nam iustam lex ipsa diserte concedit. De salute autem Ioabi, sicut & eorum, qui legitime supplicio afficiuntur, non est, nisi in re clara, desperandum.

Ibique occiditur

Exod. 21. 14.

VII. Iudicium de Semei prudens.

Reliquum erat vt de contumeliosa pertinacia Semei, iuxta supremam Dauidis voluntatem supplicium sumeretur. Cui cum Dauid promisisset, se eum morte non affecturum, ob insanam illam linguæ petulantiam, cum tamen morte dignum Salomon agnosceret, ita promissionem iureiurando firmatam temperauit, vt eum non nisi noua interueniente culpa iuberet occidi. Iussit ergo eum habitare Hierosolymis, neque inde tantillum progredi, capitis pœna proposita: prudenter vtique, ne homo seditiosus extra vrbem res nouas moliretur: simulque prouidit vt impositæ pœnæ, illi esset occasio culpam admittendi, ob quam merito iampridem morte afficeretur. Nominatim autem in sententia contra eum lata fit mentio torrentis Cedron, quoniam is transeundus erat, vt iretur in Bahurim, vbi erant possessiones Semei. Mansit ergo Hierosolymis quasi in laxiore carcere tribus annis: quid ergo illi postea contigerit, suo tempore & loco dicetur.

VIII. Salomon optat Sapientiam.

Sublatis ergo inimicis, aut quasi vinculis constrictis, ne se vsquam cum publico damno commouere possent, consequenter confirmatum est regnum Salomonis, quando ei diuinitus immissum est sapientiæ desiderium ad populum suum recte gubernandum. Ad solennem autem eius petitionem, Deum sacrificijs propitium sibi reddere voluit, & quidem in excelso Gabaon, vbi erat tabernaculum, quod fecerat Moyses in solitudine, vnà cum altari holocaustorum, & thymiamatis. Huic loco multis annis præfuerat Sadoc, cum adhuc Pontificatum gereret Abiathar: & credibile est inuitatum à Sadoco nouo pontifice Salomonem ad sacra illa antiquæ religionis monimenta, solennibus sacrificijs celebranda, ad obtinendam à Deo, quam desiderabat sapientiam. Præsertim cum, excitato postmodum templo, tam excelsum Gabaon, quam cætera loca, in quibus tam Arca, quam Tabernaculum Domini collocata fuerant, omni religioso cultu spolianda essent. Illuc ergo Rex proficiscitur, cum vniuerso Israele, nominatim cum Tribunis, & Centurionibus, & Ducibus, & Iudicibus, & principibus familiarum.

IX. Solenni sacrificio Deum placat.

3. Reg. 3. 4. 2. Par. 1. 6 g. 1. & 16. in eu loco.

Ibi mille hostias Deo sacrificat, siue totas in holocaustum, nam vna eademque vox est in vtroque Scripturæ loco, vbi hoc sacrificium narratur, tam in Hebræo, quam in Græco; siue partem aliquam in hostia pacifica, vt putat Abulensis. Interim autem dum tanta hostiarum copia, per partes consumitur incendio, neque enim altare eas omnes simul capere potuit, Salomon, magna animi corporisque contentione, petit à Domino Sapientiam, ad recte gubernandum populum Domini, sibi diuinitus commissum, & templum magnificum eius maiestati construendum: quod vtrumque opus cum exquisitam sapientiam requirat, pertinet ad Deum, qui hæc onera ipsi imposuerit, sapientiam tribuere istis muneribus congruentem. Hisce igitur desiderijs cum Salomon pectus haberet incensum, apparuit illi eadem nocte in somnis Angelus, æternam filij Dei Sapientiam repræsentans, & iubens eum postulare quod vellet. Sciebat vtique quid ille veller, qui dederat voluntatem, sed voluit ea interrogatione attentionem renouari, & affectum ad rem præsentem applicari.

ob eoque sapientiã petit potius eam.

X. Quam ei copiosè largitur.

3. Reg. 3. 11 & 12.

Ille nihil cunctatus, iterat petitionem suam, & legitimas, quas attigimus, postulandi causas. Placuit Domino postulatio, idque sua illa oratione testatus est, *Quia postulasti verbum hoc, & non petisti tibi dies multos, nec diuitias, aut animas inimicorum tuorum*, quæ videlicet solent regibus esse antiquissima, *sed postulasti tibi sapientiam, ad discernendum iudicium*, ad recte iudicandum, quod supremo Iudici in primis necessarium est. *Ecce feci tibi secundum sermones tuos, & dedi tibi cor sapiens & intelligens, in tantum, vt nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit. Sed & hæc quæ non postulasti dedi tibi, diuitias scilicet & gloriam, vt nemo fuerit similis tui in regibus, cunctis retro diebus.* Horum ergo desideriorum, quæ in animis principum infinita pullulant, Salomon spiritale quoddam sacrificium, cum mille victimarum holocausto, Deo videtur obtulisse, pro longe sibi chariore sapientia obtinenda. Vtiq; sapienter, cum vna illa sibi comparata, reliquorum omnium bonorum simul particeps fieret: iuxta illud, *venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa.* Deo præsertim abundantia liberalitatis suæ, merita & vota supplicum excedente. Quam latè autem patuerit ista Salomonis sapientia, in Annalibus Sapiens Lector inueniet.

& alia insuper non petita.

Sap. 7. 11.

hoc anno 3. Salom. an. 19 ad 103

XI. Euigilat & agnoscit Dei beneficij

Cum igitur innumerabilis sapientiæ fluenta potasset Salomon *euigilauit, & intellexit quod esset somnium.* Intellexit videlicet somnium sibi esse diuinum, cum sibi tam conscius esset, se in eo consecutum, quod nemo possit nisi à diuina liberalitate adipisci. Quantis porro tum lætitijs incesserit Salomon non est difficile æstimare. Nam constat optatæ rei fruitionem tanto afficere gaudio, quanta fuerit desiderij magnitudo. Sed cum grati animi significatio ad sapientiæ præcepta pertineat, nequaquam Salomon eam neglexit, sed cum primum Hierosolymam redijt, Deo in signum grati animi sacrificia instaurauit, & hominibus, quos sibi congratulari voluit, de inuento pretioso thesauro quod quæsiuerat, solenne conuiuium apparari iussit. *Cumque venisset*, ait Scriptura, *Ierusalem stetit coram arca fœderis Domini*, quæ erat in arce, *& obtulit holocausta, & fecit pacificas victimas, & grande conuiuium vniuersis famulis suis.*

XII. Iudicium de duabus mulierculis. *To. 1. epist. 135. ad Rusticum.*

Ecce autem sumptum quamprimum experimentum impetratæ sapientiæ, quam Dominus voluit vniuerso populo innotescere. Iudicium scilicet duarum mulierculatum, quod qui dicunt anno Salomonis duodecimo contigisse, in quibus S. Hieron. contentaneè loquuntur opinioni de inito à Salomone regno anno vitæ duodecimo, & genito Roboamo anno vndecimo, quæ superius refutata sunt. Vbi cum statuerimus Salomonem anno ætatis vigesimo primo regni gubernacula suscepisse, consequenter dicendum est iudicium hoc non duodecimo, sed vigesimo tertio ætatis eius anno contigisse. In quo vera, & ficta mater de viuo infante contestantur litem apud regem. Illa simplici narratione rem exponit æmulamque suam plagij accusat. Illa contra non est passa progredi longius dicendo veram matrem, ne illa ad narrationis simplicitatem ac probabilitatem, adhibitis veris ac maternis affectibus, vetissimaq; complotatione, facile fucarum suum dolorem lacrymasque vinceret, sed clamore & calumnijs geminum facinus suum celabat, proprij videlicet infantis oppressi, & alieni surrepti.

XIII. Salomonis sapientia dirimitur.

Cum ergo ambæ coram rege clamoribus conuitijsque contenderent, Rex quasi pertælus iurgiorum, quæ probationibus carerent, infantem viuum gladio diuidi iubet: & quasi pari eas inter se iure litigare crederet, cuique partem eius alteram tradi. At vera mater audita regis sententia, quæ potius erat indagatio veritatis per affectum maternum, commoris illico visceribus maternis super filio suo, *obsecrò Domine* inquit, *date illi infantem viuum, & nolite interficere eum*; Malebat enim priuari possessione filij sui, quam ipsum vita crudeliter spoliari. Cum autem altera diuisioni consentiret; Rex vera matre deprehensa, pro ea sententiam tulit, nec tamen gemini criminis ream morti addixit, quod sola præsumptione victa esset, non probationibus, vel propria confessione conuicta; tunc enim merito geminam culpam capitis supplicio luisset.

XIV. Nuptiæ Salomonis cum Ægyptia. *3. Reg. 3. 1. 2. Par. 8. 11.*

Secutæ sunt Salomonis nuptiæ cum filia Pharaonis, qua affinitate confirmatum quoque est regnum Salomonis, vt ait Scriptura, videlicet aduersus externorum populorum molitiones, valuit contracta cum potente Ægyptiorum principe amicitia, atque affinitas, à quo posset, si res ferret, auxilia mutuari. Et quia Eupolemus apud Eusebium in Præparat. Euangelica literas profert Salomonis ad Vaphren Ægypti regem, quem vocat amicum paternum, inde suspicari licet ab ipso Dauide conciliatas fuisse hasce nuptias, de quibus tamen nulla est in literis illis mentio. Quamuis autem nuptiæ cum mulieribus alienigenis prohibitæ passim in Scriptura legantur, id tamen intelligendum est, nisi illæ à patria superstitione converterentur. Nam patriarcha Ioseph filiam Putipharis Ægyptiam duxit vxorem: & Moyses filiam Iethro Æthiopissam. Et post legem latam Salomon accepit Raab Hiericontinam, Samson Philisthæam, Boos Ruth Moabitidem, & Dauid filiam Tholmai regis Gessur, & Salomon eo viuente Naamam Ammonitidem.

A Dauide conciliatæ.

Doris reginæ fit infra mentio, vbi dicitur Pharaonem ascendisse, & cepisse Gazer, & eam igni succendisse, & Chananæum, qui habitabat in ciuitate, interfecisse, & dedisse eam in dotem filiæ suæ vxori Salomonis, siue in donum quod esset incrementum doris. Nam ea vrbs Leuitica fuit in tribu Ephraim. Sed eam Pharao in gratiam Generi sui, recepit de manu Chananæorum, quo nomine etiam Philisthæos intelligi, constat ex 1 Paral. eique reddidit, quam Salomon instaurauit, vt infra dicetur. Has porro nuptias toto Canticorum libello celebrari, in sensu historico, interpretes fere consentiunt; etsi eas parum felices extitisse, satis ex cap. 11. tertij Regum intelligitur, vbi prima ponitur inter mulieres alienigenas, per quas deprauatum est cor Salomonis. Locus autem in quo celebratæ sunt nuptiæ, & in quem regina introducta est, fuit regia Dauidis in arce, dum magnificentior ab ipso Salomone, ipsi post templum ædificatum, excitata est in monte Sionis.

donum nouæ vxoris. *3. Reg. 9. 16. Ios. 21. 21.*

cap. 20. 4. Nuptiæ parum felices.

3. Reg. 3. 1.

XVI. Officia domus regiæ. *3. Reg. 4. 1.*

Hoc ipso primo à Dauidis morte anno, qui est Salomonis 3. primaria regiæ domus officia idoneis viris Rex distribuit, aut recensuit, & cõfirmauit. Nam Iosaphat & Banaias manserunt in officio suo, vt ille esset Regi à commentarijs, hic autem, Ioabi loco, militiæ princeps. Præter hos habuit etiã Salomon duodecim præfectos, qui præbebant annonam regi, & domui eius, singuli singulis mensibus, qui eodem loco descripti habentur, sicut & annonæ ipsius dispositio & modus, & termini regni Salomonis, de quibus alius erit dicendi locus.

Præparatio fundationis.

Interea templi materies, quæ in fundamenta parabatur, detinebat operarios, quæ tantæ molis, tamque operosa fuerunt, vt proximo anno dicetur, vt immerito à quibusdam excusationes tarditatis quæri videantur. Hoc ipso anno primo à morte Dauidis vicini reges legatos ad Salomonem, honoris & amicitiæ causa, miserunt: seræ enim gratulationes frigidæ sunt, ad quos ipse vicissim scripsit, vt auxilia tam operariorum, quam materiæ ab ipsis, in templi ædificationem acciperet, de quibus, præter ea quæ Scriptura de Hiramo tradit, Eupolemus alias habet epistolas, in quibus quid minus probandum videatur, propter repugnantem Scripturam, ex Annalibus intelligetur.

n. 146. & 147.

ANNVS MVNDI 3032.

SALOMONIS 4. SADOCI 3.

EXITVS AB ÆGYPTO 480.

Fundati TEMPLI An. 1.

EVPALIS 35. Imperij Assyrior. 1092.

ANTE CHRISTVM 1030.

I. Annus fundati Templi 480. ab exitu. *3. Reg. 6. 2. Par. 3.*

Hic est annus, inter eos qui à Scriptura notantur, in paucis clarissimus, atque celeberrimus, qui omnes ab ortu Hebraicæ Reipub. ad hunc diem non solum determinat, sed etiã regit, & ambiguas de Iudicum temporib. opiniones, in vnam sententiã venire cõpellit. Is in 3. Reg. c. 6. ita stabilitur. *Factum est*, inquit, *quadringentesimo & octogesimo anno egressionis filiorum Israel, de terra Ægypti, in anno quarto mense Zio (ipse est mensis se-*

cundus regni Salomonis super Israel) *ædificari cœpit domus Domini.* Quæ ex parte repetuntur in fine capitis eiusdem, & tertio cap. secundi Paral. Quæ assertio vulgatæ editionis, codices omnes Hebræos Græcosque, omnesque Scriptores, qui ista tractarunt consentientes habet, tam antiquos quam recentes, præter pauculos, quos anni Iudicum perturbarunt, quia seruitutes populi ab annis Iudicum distraxerunt; cum tamen eas non semel Scriptura in Iudicum annis includat.

II. Inclusis seruitutibus in Iudicum annis. *Iud.* 4. 4. c. 11. 26. & c. 14. v. 4

Nam Debbora dicitur *iudicasse populum in illo tempore*, quo Iabin Israelitas vehementer opprimebat. Et Samson dicitur iudicasse Israelem *in diebus Philisthiim viginti annis*, id est, *eo tempore, quo Philisthiim dominabantur Israeli*, vt eadem Scriptura explicat, cap. 14. Annos ergo Iudicum gubernationis, & seruitutis populi Scriptura miscet. Nam quod aiunt, sic annos inquietos cum quietis tranquillisque confundi. Diximus alibi hanc esse peculiarem & perpetuam phrasim libri Iudicum, vt verbi causa, terra dicatur quieuisse 40. annis tempore Othonielis, id est, vsque ad finem 40. annorum Othonielis quibus absolutis turbæ iterum excitatæ sunt. Sic tempore Aodi terra dicitur quieuisse 80. annis, quia cum publica quiete illi anni finiti sunt, post quos iterum bellici motus. Idem de Baraco & Debbora: Idem de Gedeone cæterisque dicendum. Nam post singulorum fere mortem, Scriptura illico subdit suscitatos hostes, qui iterata Israëlis peccata punirent. Inclusis porro seruitutum annis in temporibus Iudicum, exstitit annus ab exitu ex Ægypto 480. quod qui non faciunt in multo grauiores incidunt difficultates, ijs quas vitare cupiunt.

III. Templi locus mons Moria.

Mensis porro secundus, in quo templi fundatio dicitur inchoata, intelligendus est anni sacri currentis, qui Aprilis aut Maius fuit; non autem anni Salomonis, quia quo primum mense is regnare cœperit non constat. De loco autem Scriptura loquitur. *Et cœpit Salomon ædificare domum Domini in Ierusalem in monte Moria, qui demonstratus fuerat Dauid patri eius, in area Ornam Iebusæi.* Historia nota est ex 2. Reg. cap. 24. extremo, & suo loco explicata. Dicitur hic mons, aut potius regio ipsa, in qua ille est, terra visionis in Geneli, sed mox ipse mons, in quo destinatum fuerat Isaaci sacrificium, dictus est ab Abrahamo *Dominus videt*, siue locus visionis, id est, Moria, quo modo à Scriptura loco citato appellatur. Hic porro mons orientali muro ciuitatis adiacebat, idemque *arduus & petricosus*, vt ait Iosephus, vt tanto firmiora illic fundamenta iacerentur. Cum autem templum aliquando in tribu Beniamin, alias in tribu Iudæ situm reperiatur, intelligendum est ad vtramque pertinuisse, vt Villalpando placet, quod funiculus vtramque tribum *Apparans* per medium montem transiret. Communior tamen sententia est totum ad tribum Beniamin pertinuisse.

2. Par. 3. 1.

1. Reg. 12. 1. 3.

In tribu Beniamin

IV. Cuius modi esset.

Hic ergo mons Moria excelsus erat, & vndique vallibus cinctus, sed alijs profundioribus, qualis fuit quæ dicta est vorago Mello, quæ erat inter Sionem, & montem Moria, à meridie templi; qualis & vallis Cedron ab oriente, alijs minus profundis, vt quæ illi erant ab occasu, vbi erat mons Caluariæ, & septentrionem, vbi fuit arx, quæ dicta est Antonia. Sed latitudo verticis montis Moriæ minor erat, quam vt destinatæ templi magnitudini par esse posset, idcoque ad laxandam illam arcam, Salomon substructiones maximas omni ex parte excitauit, quæ à radicibus ad verticem exurgentes, circumiecta deinde terra, nativo solo verticis æquabantur. Et sicut non omnes dictæ valles pari erant profunditate, sic neque omnes circunquaque substructiones pari altitudine fuerunt. Et quamuis vorago meridiana dicta Mello fuerit omnium profundissima, Orientalis tamen substructio maxima fuit spectatorum oculis, quia vel tota, vel maxima sui parte cõspicua fuit: vnde etiam templo maximum præbebat ornamentum, & contemplantibus ex vicino colle Oliuarum, spectaculum longe gratissimum.

V. Templi fundamenta, & substructiones. *Vide tabulas eius, præsertim* 12.

Fuit autem, vt Villalpandus docet, altitudinis trecentorum cubitorum, crassitudinis quinquaginta ad cohibendam terræ congestionem, qua Salomon atriorum templi aream laxandam curauit. Ad sustinendam item peribolum, quo vniuersa templi fabrica cingebatur: porticum item gentium & Israëlitarum. Ne autem nisus & impulsus tanti ponderis structuram disrumperet atque extruderet, adhibita sunt fulcimenta, quæ anterides & erismæ appellantur à Græcis, quæ cum ipso construerentur muro & vltra eum in imo fundo ad centum cubitos excurrerent, & paulatim vsque ad summam substructionem minuerentur. Eæ centum cubitis à se inuicem distabant, & ædificiorum soliditati accuratè respondebant. Anterides tamen vltimæ versus angulos totius substructionis quinquaginta tantum cubitis à præcedentibus distabant, quoniam maxime muniendi sunt anguli. Quæ autem de orientali substructione diximus, de tribus reliquis propottione intelligantur.

VI. Alia in montis vertice fundamenta

Tota porro templi fundatio, in his substructionibus ad montis vsque verticem excitandis vndequaque, posita non fuit, multoque minus in terrarum egestione vel congestione facienda. Nam omnium porticuum, quibus atria cingebantur, & ipsius templi propriè dicti fundamenta facienda fuerunt. Etsi autem montis illius vertex erat petricosus, & patiens quantælibet molis desuper construendæ, modo destinatæ altitudini idonea parietibus crassitudo tribueretur, multo tamen cum labore hæc ipsa fundamenta iacta sunt, propter plurima loca subterranea opere firmissimo constructa, cryptoporticus, culinas, gazophylacia, horrea, cellas vinarias & olearias, & id genus alia loca, quæ adeo ampla fuerunt atque capacia, vt in illa inferri possent ac conseruari omnes primitiæ ac decimæ totius Israëlis, vt suis temporibus multis sacerdotum & leuitarum millibus distribui possent. Hæc maxime sunt, quæ templi fundamentis continentur, quæ si quis rectè æstimauerit, facile intelliget in ijs non ignaviter vnius, aut potius plurium annorum spatium, à multis operarum millibus fuisse collocatum.

VII. Salomon primum iecit lapidem.

Apparet autem Salomonem ipsum, primum lapidem rite in templi fundamenta iecisse. Id enim priscis quoque seculis vtui fuisse, innuitur apud Iobum. *Vbi eras*, inquit Dominus, *quando ponebam fundamenta terræ?* Et rursus

Super quo bases illius solidatæ sunt, aut quis demisit lapidem angularem eius? significans id opus suum esse, tanquam Domini. Et forte huc referri possunt illa verba. *Præceptque rex, vt tollerent lapides grandes, lapides pretiosos*, id est magni pretij, *in fundamentum templi, & quadrarent eos.* Videtur quoque hoc primum tempore Salomon adiecisse animum extruendæ classi. Etsi enim viuo Dauide fit mentio auri Ophir, id Tyriorum nauigationibus tribuendum est, qui postea cum seruis Salomonis profecti dicuntur; vtique quasi nauigationis duces. Cum primum ergo templi fabrica in cursu esse cœpit, industrios viros ad sinum Arabicum destinauit, qui in classem instruendam incumberent. Sed hac de re alius quoque erit dicendi locus.

3. Reg. 5. 17

Classem parat.

ANNVS MVNDI 3024.

SALOMONIS 5. SADOCI 4.

Fundati TEMPLI 2.

EVPALIS 34. Imperij Assyriorum 1093.

ANTE CHRISTVM 1029.

I. Ann. Sabbat. 63.

SAbbaticus est Salomonis annus quintus, idemque ordine 63. quem studiosissimè obseruatum ab vniuerso populo, annitente religiosissimo principe, religio sit dubitare; in quo vniuersæ fabricæ fundamentis superiore anno excitatis, ad ipsam fabricam ventum est. Si tamē ingentes illæ substructiones totæ perfici anno præcedente nequiuerunt, cum primum per aëtis clementiam licuit, vtique perfectæ sunt, eisq; peribolus impositas, ad maturè prohibendum lapsum hominum è summa area, & substructione in præceps. Est enim peribolus, vt vocis quoque notatio prodit, septum quoddam ædificij extrema circumiēs, altiora præsertim: vt in solatio verbi causa deambulantes, indeue ad ima spectantes à ruina tuti sint. Tota eius per circuitum longitudo fuit quingentorum calamorum, id est, trium millium centum & 25. cubitorum. Calamus enim est mensura sex cubitorum & palmi, itaque quatuor calami 25. cubitis respondent.

Peribolus totius fabricæ, eiusq; longitudo.

Calamus

ex. 36. 33.

II. Gradus & aditus ad templum.

Ad hunc peribolum quaternis scalarum gradibus ascendebatur ab occidentali plaga, quibus totidem portæ in peribolo respondebant. His gradibus in solemniore pompa conscendēdis sunt qui putent cantica graduum à Leuitis decantari solita. Erant & duo ascensus à Septentrione, toti populo communes, & tertius ex arce Antonia; à meridie vero gemino ponte adibatur in templum, altero ex regia domo, Salomonis, altero ad arcem Sionis adibatur, iuxta Imaginem Hierosolymæ Villalpandi, quem in tota hac templi materia diligentissimum, merito secuti sumus. Inter peribolum hunc, & murum ambientē atrium prophanum spatium erat circumquaque sex calamorum, i. e. cubitorum 39. cum dimidio; quæ erat latitudo viæ istius; longitudo autem 123. calamorum fuit per singula latera. Scriptura tamē totam longitudinem quingentorum calamorum esse dixit, licet octo deficerent, eo quod replicarentur in angulis.

Viæ à peribolo.

Progrediendo ad interiora templi ducit hæc via ad porticum gentium, cum atrio suo, qui locus vterque mundis immundisque patebat. Idcoque porticus ipsa licet ianuis ad omnes cœli plagas aperiretur, quæ peribeli aditus respicerēt sicut & ianuas atriorum Israëlis, nullis tamen instructę fuerunt ianuorum cubiculis sicut porticus Israelitarum: nec opus erat, quando neminem excludi fas erat. In hac porticu, atque atrio sæpe ad confertam multitudinem Christus Dominus verba faciebat: ibi Ethnici Philippum adierunt, vt eius opera Christum viderent: ibi Æthiops eunuchus reginæ Candacis adorauit. Eius pars orientalis, quadripertita enim erat, dicta fuit Salomonis, etiamsi Christi tempore, quod pars eius aliqua cladem Chaldæorum effugisset, posteaque a Zorobabele & Herode, instaurata, primi nomen retinuisset autoris.

III. Porticus gentium eiusque aditus.

Ioan. 12. 2. *Act.* 8. 27.

Hæc ergo est porticus gentium, quæ atrium gentium sibi adiacens ambiebat: id enim omnibus atrijs commune fuit, vt æstus & pluuiæ tempore haberet populus, quò se reciperet. Singula eius porticus latera fuerunt 110. calamorum, id est, 687. cubitorum cum dimidio, latitudo vero 50. cubitorū. Murum habuit hæc porticus, qua peribolum respiciebat, quà vero templum, columnas. Murus hic crassus erat calamo vno, altus autem quatuor, siue cubitis viginti quinque; cuius erat multiplex ornatus intus ac foris, quemadmodum & fabricæ vniuersæ, quem cogor studio breuitatis omittere, & Lectorem horum studiosum ad Annales, vnde hæc petita sunt remittere. Huic exteriori muro tres columnarum ordines deinceps appositi erant templum versus, quæ à muro, & à se inuicem duobus calamis distabant; exceptis locis in quibus hic murus solido atrij Israelitici respondebat: ibi enim à se inuicem vno calamo distabant. Singularum diameter erat duorum cubitorum, ambitus autem, sex: altitudo vltra stylobatas, viginti cubitorum. Numerus fuit 165. in singulis lateribus, vniuersæ 660. quibus imposita erat trabeatio, id est, epistilium, zophorus & coronis, quinque cubitorum.

IV. Atrium gentium; murus porticus, eiusque mensuræ.

an. Salo. 6. *n.* 18. & 19

Columnæ huius atrij, & earum mensuræ, & numerus.

Super has columnas & murum, iniectæ erant trabes & tigilla, & asseres vt fieret contignatio, quæ ab inferiori parte magnificis laqueatibus ornabatur, à superiori æneis laminis constrata erat, ad pluuiam innoxie accipiendam. Ad hanc contignationem singulis cochleis ex quaternis angulis ascendebatur. Huic enim tabulato imposita erat alia porticus alta octodecim cubitis cum tribus quadrantibus. Sic vt tota porticus atrij gentium ad 50. cubitos attolleretur. Hæc autem superior porticus nudis vtrimque constabat columnis, quæ inferioribus ad perpendiculum respondebant: nullus autem interiectus erat paries, vt facilius à longe atrium Israëlitarum cerni posset, licet atrium gentium interiectum esset. His quoque columnis sua trabeatio erat imposita & contignatio, inferiori similis, sed mole minor.

V. Contignatio huius porticus.

Aliaque superior porticus.

Sequuntur sancta Israëlitarum atria, & nobilissimæ porticus, quibus vndique admirabili artificio, & dispositione cingebantur: de quibus Dauid, cui Dominus totam hanc descriptionem iamdudum ostenderat, *Qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri.* Etsi enim

VI. Atriū Israelitarū multiplex.

1. *Par.* 28. 29. *Ps.* 133.

reuera

reuera vnum erat atrium Israeliticum, vt atrio gentium, & Leuitarum opponebatur; quia tamen multas areas, siue minora atria continebat, ideo de eo Dauid modo in singulari, modo in plurali locutus est. *Adorate Dominum in atrio sancto eius.* Populum vniuersum alloquitur, primitias Domino, decimasque offerentem, cui toti ius erat ingrediin hoc atrium. Et rursum. *Tollite hostias, & introite in atria eius, adorate Dominum in atrio sancto eius.* Vbi atria Israelitarum, a atrio Leuitarum videtur distinguere voluisse. Sicut & in 2. Paral. vbi Salomon dicitur fecisse *atrium Sacerdotum, & basilicam grandem*, sic enim vocat atrium Israëlitarum, quod totum atrium Leuiticum siue sacerdotum, totumque templum proprie dictum ambiebat.

Psal. 28. 2. Includebat Leuiticum, & ipsum templum. Psal. 95. 9. 2. Paral. cap. 4. v. 9

VII. Forma illius & mensuræ.

Forma illius quadrata fuit, habuitque in singulis lateribus longitudinem quingentorum cubitorum, & in toto ambitu duo millia, vt merito basilica grandis appellari potuerit. Hoc ergo atrium totum porticum quandam, seu potius quadriporticum habebat per quatuor latera circumductam, quasi limbum quendam latum quinquaginta cubitis, per quatuor cœli regiones. Ex quo fiebat vt inclusa area, sublatis vndique 50. cubitis, remaneret quadringentorum vndique cubitorum. Verum hoc spatium diuidebatur duabus porticibus ab ortu in occasum rectà tendentibus, & æquidistantibus, tam à se inuicem quam à limbo iam dicto: quæ erant latæ singulæ quinquaginta cubitis, longæ quadringentis. Diuidebatur quoque duabus alijs porticibus, à septentrione ad meridiem protensis, eiusdem omnino longitudinis & latitudinis cum proxime dictis: excepta tamen ea, quæ proxima erat limbo occidentali, quæ in medio interrumpebatur, ne in templum ipsum incurreret.

VIII. Eius distributio in 6. areas.

Hoc atrium magnum ita distinctum nouem areas circumquaque efficiebat centenorum cubitorum per quadrum singulas, ea tamen excepta, quæ templo erat occupata, ternæ orientem spectabant, totidemque meridiem & septentrionem; occidentem autem duæ angulares, nam media earum templo occupabatur. In medio autem ipso magni huius atrij, erat atrium interius, quod Leuitarum dicebatur, æquè areis, & porticibus, præterquam ab occidente circumcinctum, quia ab occidente erat Sanctuarium. Limbus ille magnus quem dixi, siue quadriporticus, tribus magnis aperiebatur portis ab oriente, septentrione, & meridie. Erantque singulæ portæ in ipso medio porticum aream ambientium. Et respiciebant omnes recta linea atrium Leuiticum, ipsumque altare holocaustorum, quod erat in medio eius. Sed orientalis porta etiam intra ipsum templum, trans atrium Leuiticum, poterat aduerti. Hisce portis tres aliæ in circuitu atrij Leuitici rectà respondebant: quibus omnibus commune fuit, vt ternis vtrinque thalamis siue cubiculis ornarentur, in quibus ianitores erant in excubijs, ad immundos Israëlitas, omnesque gentiles arcendos.

Atriũ Leuitarum.

6. porticus portarum.

IX. Explicatio atrij Israelitarum.

Illa eadem quadriporticus muro claudebatur ab extrinseco, qui non admodum dissimilis erat muro atrij gentium: altera vero eius ora interior, tota contexebatur arcuum pilis, quæ in omnibus arearum, & portarum angulis maiores & solidiores erant cæteris. quæ duo tantum arcuum initia sustentabant, illæ autem quatuor. Media porro porticus, secundum totam longitudinem columnas habebat, prædictis pilis directo respondentes, vt his primum tabulatum inniteretur, quo per cochleas varijs in locis dispositas ascendebatur. Inde surgebat secundus ordo columnarum, cum nonnulla tamen imminutione quantitatis columnarum, & consequenter reliquorum omnium. Erigebatur nihilominus hæc secunda contignatio vsque ad quadragesimum cubitum, tertia vero vsque ad sexagesimum; sed ima porticus destinata erat deambulationi, secunda & tertia gazophilacijs siue cubiculis, quæ Villalp. numerat 680. Super hæc tria tabulata in omnibus angulis atrij Israëlis, & in omnibus locis vbicunque duæ porticus concurrebant, saltem singularum porticuum frontibus, & super omnes portas erigebatur quartus ordo super tertium tabulatum prominens duodecim cubitis: qui sedecim quasi castella efficiebant, ita disposita, vt ijs singulæ areæ in singulis angulis ornarentur. Itaque vniuersa altitudo à pauimento atrij gentium computata fuit 78. cubitorum. Addit quoque Villalp. quintum ordinem, quasi speculas, vel turres in hisce castellis, quæ 12. insuper cubitis assurgerent, quæ præsidio, & circunspectioni, & totius fabricæ ornamento valde seruirent.

Eiusdem tres contignationes.

Quartus ordo, & quintus.

X. Atriũ Leuitarum, eiusque descriptio & mensuræ.

Sequitur interius atrium Leuitarum, siue Sacerdotum, quod amplissimo Israelitarum atrio cingebatur; quod cum eo magna iam ex parte declaratum est. Nam tria eius latera siue porticus ab oriente, septentrione, & meridie, erant interna facies atrij Israelitarum, ab occidente autem erat templum ipsum, quod eodem Leuitarum atrio continebatur. Huius atrij mensura dupliciter limitur. Nam vt domum ipsam Dei continebat, fuit latitudinis centum cubitorum, longitudinis autem 250. si autem seorsim à templo, à quo septo quodam distinguebatur, hoc atrium mensuretur, fuit centum cubitorum longitudinis, totidemque latitudinis, par omnino cæteris areis huius magni atrij. In eius medio erat altare holocaustorum, vt omnes circumquaque porticus incendij periculo vocarent. Ita porro collocatum fuit, vt seni omnino aditus in medio sex porticuum illi responderent, bini ab ortu, totidemque à septentrione & meridie, in quibus vtrinque erant tres exedræ ianitorum, omnes numero 36. Cæterum descriptionem altaris huius, sicut & maris ænei, & Lutherum breuitatis causa hic omissam, studiosus Lector ex Annalibus petet.

Altare holocaustorum.

6. porticus cum tenis exedris. an. Salo. 6. à n. 47. ad 74.

Ventum itaque est ad templum ipsum, cuius tres partes à Scriptura ponuntur, Vestibulum, Sancta, & Sancta Sanctorum, quæ omnia nomine Templi, domus Domini, & Sanctuarij passim comprehenduntur. Ingredientibus templum à porta primaria orientali, Vestibulum primùm occurrit, quod Græci πρόναον & προπύλαιον, Septuaginta & Hebræi אולם dixere. Longitudo huius vestibuli intra muros fuit viginti cubitorum, quanta erat reliqui templi latitudo, eius autem latitudo 11. aut 12. cubitorum fuit. In eodem vestibulo tres erant portæ, ab oriente templi porta primaria, lata cubitis quatuordecim, alta viginti. Altera aperiebatur à Septentrione lata tribus cubitis, alta

Tres templi partes. Vestibulum eiusque explicatio.

vero

vero sex, cui alia omnino similis à meridie respondebat. Quoniam vero huic Vestibulo ingens fabrica superstruenda erat cum turri, ad altitudinem centum & viginti cubitorum: ideo muri eius ab imo solidissimi fuerunt, & solidiores quam reliqui templi, quod ad 90. cubitorum duntaxat altitudinem erigebatur. Sicut autem non vnicus templi murus fuit, sed vndique geminus, ita & Vestibuli, quod templo adhærebat, quadruplex vtrimque moles erigebatur, quarum binæ vtrimque templi fiebant muros, totidemque aliæ faciem orientalem Vestibuli vtrimque muniebant. Et sicut quatuor extremæ moles, tam à Septentrione quam à Meridie, vltra muros templi proijciebantur, sic & 4. aliæ internæ intra latitudinem templi procurrebant: sed mox retractiones vtrimque fiebant, vt longitudo Vestibuli 20. cubitorum fieret, vt exigit Scriptura.

2. Par. 3. 4.

1. Par. 3. 4.

XII. Secunda Templi pars eiusque descriptio.

Altera templi pars aula quædam fuit, quæ situ media erat Vestibulum inter & Oraculum, & dicebatur Sancta, ab Hebræis Hecal, & sæpe templum vertitur, & palatium. Eius longitudo erat 40. cubitorum, latitudo autem 20. Erat hæc templi pars magnificentissima, & omnibus spectabilis. Oraculum autem licet incredibiliter ornatum esset, erat tamen obscurum, & à solo pontifice semel in anno adibatur. Erat & amplissima, duplo scilicet maior Oraculo; vestibulo autem fere quadruplo. Tota porro hæc tripertita domus à septentrione, occidente, & meridie gemino pariete cingebatur, quorum interior habuit crassitudinem sex cubitorum & palmi, exterior autem quinque. Inter eos spatium erat vacuum quod Ezechiel vocat *interiorem domum in lateribus domus*, intelligens cubicula inclusa inter vtrumque parietem, quæ in 1. Paral. dicuntur *cubicula in adytu* quorum triplex ordo fuit, per contignationes distinctus, quæ retractionibus murorum innitebantur: ideoque superiora latiora erant inferioribus: infima enim cubicula habebant quinque cubitos latitudinis, media sex, suprema septem, vt est in 3. Reg. Erantque in singulis ordinibus 14. cubicula hue oratoria petuia, omnia numero 42. quæ partim preciosissimæ supellectili custodiendæ seruiebant.

Geminus totius templi murus.

Ezech. 41. 18. 21.

Et intra eos cubicula triplici ordine.

3. Reg. 6. 5.

XIII. Columnæ, siue parastades vtriusq; muri.

Vterque porro paries, ad maiorem celsissimæ fabricæ firmitatem, per certa interualla, lateribus siue costis, quas antas siue anterides vocamus, firmabatur, latus quatuor cubitis, & vno cubito extra murum eminentibus, & octo cubitis, à se inuicem distantibus. Et foris, quidem huiusmodi anterides in parastades, siue columnas quadratas striatas, cum basibus suis, & capitellis efformabantur, vt simul & operis firmitati, & ornamento inseruirent; intus autem soli firmitati, seclusis ornamentis seruiebant. Ipsæ autem parastades, cum basibus & capitellis suis, ad quadragesimum vsque cubitum in altum surrigebantur; quibus trabeatio decem cubitorum erat imposita. Sicque forinsecus tota prima contignatio finiebatur, tam Vestibuli, quam reliqui templi per circuitum, altitudine 30. cubitorum, à limine templi. Spatium autem inter columnas vbiq; interiectum, fenestris cancellatis, siue obliquis accipiebat lumen.

Earumq; mensuræ.

XIV.

Quoniam vero triplex cubiculorum ordo non vltra 20. cubitos attollebat se, reliquum erat spatium decem cubitorum interioris templi, ergo inferiores fenestræ cubicula illuminabant, super quæ ampliores fenestræ aperiebantur, altitudinis quinque cubitorum, latitudinis autem trium, quibus templum vndique recipiebat lumen, præter oraculum, quod vltra 20. cubitos non attollebatur, Fenestræ igitur quæ respondebant oraculo, connexam eius partem illuminabant. Quod autem vocamus oraculum, Hebræi, & Sept. vocant Dabir quod Hieron. vertit oraculum, quoniam ibi Deus ex Arcæ propitiatorio fundebat oracula: domus item propitiationis, & propter singularem loci sanctitatem, & debitam diuinæ præsentiæ venerationem, etiam Sancta Sanctorum dicebatur, & alijs quoque nominibus, vt in Annalibus inuenies.

Fenestræ templum illuminantes.

3. Reg. 6. 2.

1. Par. 28. 11.

An. Sale. 5. n. 21.

Plane quadratus erat hic locus, longus, latus, & altus 20. cubitis, vt Arca fœderis esset in omnium parietum æquidistantia. Separabatur autem hic locus à Sancto, pariete latitudinis duorum cubitorum & semis, in cuius medio porta erat sex cubitorum latitudinis, altitudinis autem duodecim. Itaque reliquus paries septenorum erat vtrimque cubitorum; tota vero eiusdem altitudo erat cubitorum viginti, sicut & reliqui parietes eiusdem Oraculi. Super quos etigebatur fornix cedrina, altitudinis decem cubitorum, quanta erat semidiametri longitudo, eaque fornice concaua tegebatur. Caruit autem interius Oraculum lumine & fenestris, quia cubicula quæ illud cingebant, supra cubitos octodecim eleuabantur, ipsum autem non nisi 20. Nec erat opus, cum eò nemo vnquam penetraret, præter Pontificem semel in anno, cum multis ceremonijs. Denique nolebat Dominus Arcam & propitiatorium videri, ne ab ipso quidem Pontifice. Ideoque in ingressu fumus à thuribulo incensi excitabatur, quo visio impediebatur. Multo ergo minus volebat Dominus à quoquam alio, per fenestras in oraculum oculos conijciimo ne à porta quidem ipsa. Ideoque ne per occasionem ingressus Pontificis, quisquam in Sanctuarium introspiceret, vetuit Dominus olim quemquam esse in tabernaculo, dum Pontifex Sanctuarium adiret.

XV. Oraculũ tertia Tẽpli pars, eiusque descriptio.

Caruisse luminibus.

Leuit. 16. 17.

Et hactenus prima templi contignatio, cuius altitudo intra templum erat 30. cubitorum, extra vero 50. vt dictum est. Altera vero contignatio, vsque ad tectum Oraculi & Aulæ, fuit 40. cubitorum, vt tota templi altitudo esset 90. cubitorum. Eius autem columnæ ac fenestræ inferioribus accurate respondebant, sed singula minora erant, vt ratio postulat. Numerus etiam columnarum duabus angularibus ab occasu diminuitur, quia exterior murus non progreditur vltra primam contignationem, præterquam in Vestibulo, siue anteriore parte templi, in qua parastades eriguntur ad perpendiculum, vsque ad summum ædificij totius, at cæteræ retrahuntur ad interiorem murum, ad eum fere modum, quo in substructionibus anterides sensim ascendendo minuebantur.

XVI. Secunda templi contignatio.

Ezech. 41. 12.

Huic retractioni Scriptura omnino fauet, quæ interiorem templi murum, tanquam altus euehendum, crassiorem externo fecit: & cubiculorum inter muros in secunda contignatione mentionem nullam fecit; quo fit vt externus

XVII. Cũ externa retractione.

ille

Inter columnia diuersa.

ille murus deinceps superfluus futurus esset; ergo decorè finiebatur in sua coronide, & arcuato opere interno parieti connectebatur. Diminutis porro columnis etiam intercolumnia diminuta sunt; In prima enim contignatione, siue primo columnarum ordine, sedecim intercolumnia reperiuntur, in secunda vero duodecim duntaxat, quod scilicet reperiuntur in vestigio interioris muri, quinque à septentrione, totidem à meridie, & ab occasu duæ. Hic porro secundus ordo sua trabeatione vndique & concameratione, & circumiecto peribolo finiebatur. Intus autem murus diuidens Oraculum ab aula facta, vsque ad ipsum tectum templi, siue fornicem erigebatur, duoque cænacula super Oraculum constituebat, quorum primum ob reuerentiam subiecti Oraculi nemo adibat; alterum autem vsui erat, asseruando antiquo Mosis, ac Dauidis tabernaculo.

Cænacula super Oraculũ.

XVIII. Tertia cõtignatio in Vestibulo. 2. Par. 3. 4.

Super est tertia contignatio, quæ turrim habuit quadrilateram, & supra templi reliqui tectum 30. cubitis attolebatur, vt tota eius altitudo, à limine ad summum fastigium esset 120. cubitorum, vt Scriptura diserte asserit: cuius longitudinem cum ait fuisse 20. cubitorum, de infima eius parte, & seclusis parietibus accipienda est, quorum magna erat crassitudo, vt supra dixi, adeo vt intra vnius pilæ soliditatem cochlea vna ad portam septentrionalem, & altera ad meridianam includeretur, quibus ad omnia templi cubicula, eiusque fastigium, & ad omnes turris contignationes adibatur. Itaque comprehensis mutis Villalp. vult eam longam fuisse 60. cubitis, latam autem 25. Surgebat autem hæc turris ab imo triplici ordine columnarum; iuxta proportionem reliquarum partium templi. Et sicut in imo Vestibuli erat triplex porta, maxima ab oriente, & duæ laterales, ab austro & septentrione, iuxta autem portam maximam vtrinque columnæ geminæ inter quas fenestræ aperiebantur, ita etiam in secundo ordine par omnino numerus portarum, columnarum & fenestrarum fuit, omnibus tamen debita proportione diminutis, sed portæ, non vsus sed ornatus tantum gratia, & correspondentis proportionis cum interiore domicilio appositæ erant. Idemque de tertio quoque ordine dicendum; sed addebantur etiam ab occidente fenestræ, quia hæc pars turris ab occasu non incurrebat in templum.

Fiusque descriptio.

XIX. Cõpendiosa cõclusio. 2. Par. 3. 4. 39.

Hæc de templi vniuersi fabrica, quanta licuit breuitate ac luce dicta sunto: quæ autem ad materiæ pretium & formæ dignitatem pertinent, quæ ornamenta interioris templi, parietum, portarum, pauimenti, atque testudinis, ex ipsis Annalibus petenda erunt, quod ipsum de columnis duabus quæ erant pro foribus Vestibuli, de templi vasis, totaque eius supellectile intelligi volo. Id tantum vniuersè, cum Scriptura tertij Regum dixerim, non solum totum Oraculum opertum fuisse, atque vestitum auro purissimo, sed *domum quoque*, quæ erat, *ante Oraculum*: eratque eo duplo maior, *opertam fuisse auro purissimo.* 6. 20. 21. Non dixit inauratam bracteolis illis tenuissimis, sed laminis aureis: nam sequitur *& affixit laminas clauis aureis*, denique *nihil erat in templo, quod non auro tegeretur*, & quidem cum multo artificio, multiplicique cælatura, florum, fructuum, palmarum, Cherubinorum. Cæterum non assi-

Ratio tẽporis.

mamus hæc omnia hoc ipso quinto Salomonis anno fuisse perfecta, cum cõstet ad vndecimum vsque annum rem totam fuisse protractam, sed quæ ad singulos annos reuocare non potuimus, in vnum locum coniecimus.

ANNVS MVNDI 3025.

SALOMONIS 6. SADOCI 5.

Fundati TEMPLI 3.

EVPALIS 35. Imperij Assyriorum 1094.

ANTE CHRISTVM 1028.

I. Salomon diuinitus, admonetur. 2. 6. 11. 12.

SVb hoc tempus, cum maximè ferueret templi ædificatio, videtur factus ille sermo Domini ad Salomonem, de quo mentio est in 3. Reg. in hæc verba. *Domus hæc quam ædificas, si ambulaueris in præceptis meis, & iudicia mea feceris, & custodieris omnia mandata mea grádiens per ea*, subaudiendum est verbum aliquod, stabit, florebit, mihi grata erit, vt in ea à te deinceps, ac populo tuo religiosè cólat, cæterisque deinceps regibus filijs Dauidis. Nam sequitur, *firmabo sermonem meum tibi, quem locutus sum ad Dauid patrem tuum. Et habitabo in medio filiorum Israël, & non derelinquam populum meum.* Subintelligitur autem altera quoque pars propositionis, fore scilicet vt si deseruerit pietatem, deseratur ipse à Deo; & domus hæc, quantacunque magnificentia fulgeat, prophanorum hominum rapinis deformetur, & luctuosissima denique deflagratione consumatur. Creditur missus à Deo nuncius per Ahiam Silonitem prophetam, quem Hebræi ter ad Salomonem diuinitus missum putant.

II. Semei ob seruorum fugâ exit vrbe. 3. Reg. 2. 39. &c.

Hoc sexto Salomonis anno occisus est Semei. Nam cum tertius Salomonis ageretur annus, occisus est Ioab, electus Abiathar, & datum præceptum Semei ne ab vrbe digrederetur, post tres autem annos contigit eum exire, id est, cum annus sextus esset in cursu. Duo enim serui eius, male fortassis ab hero impotente accepti, ad Gethæum regem aufugerant. Quod cum Semei didicisset, eo profectus est seruosque reduxit. Existimauit fortasse, si memor fuit impositi sibi præcepti, Salomonem multitudine negotiorum obrutum, oblitioni dedisse mandatum suum, vel hanc ei profectionem ignotam fore. Quem cogitare oportuit vel seruos ipsos, vel alios ipsius inimicos daturos operam, vt res innotesceret Regi; quod & factum est. Accersitum ergo hominem ita compellat, *Nonne testificatus sum tibi per Dominum, & prædixi tibi: Quacunque die egressus ieris huc & illuc, scito te esse moriturum? Et respondisti mihi. Bonus sermo quem audiui. Quare ergo non custodisti iusiurandum Domini?* præceptum tibi impositum, sub inuocatione diuini nominis.

III. Iussu Salomonis occiditur.

Obmutuit infelix. Ne autem culpæ leuitatem prætenderet, reuocat illi in mentem pertinaciam, qua olim in Dauidem fuerat debacchatus, quam adhuc impune tulerat, & quam huius occasione delicti luiturus erat. Simulque significat imminere principibus, quos Deus

ante

loco ſuo conſtituit criminum vltores, ab ipſo Deo pœnas neglectæ iuſtitiæ. Cum enim ſapientiſſimus princeps dicat, hoc reo caſtigato, ſtabile futurum regnum ſuum, vtique ſignificauit illud labefactum iri, niſi in Semei animaduertiſſet. *Iuſſit itaque Rex Banaiæ filio Ioiada* vt occideret Semei, *qui egreſſus* è conſpectu regis, noluit enim eum occidi coram ſe, *Percuſſit eum, & mortuus eſt.*

ANNVS MVNDI 3028.

SALOMONIS 9. & 10.

SADOCI 8. & 9. TEMPLI 6. & 7.

EVPALIS 38. & vlt.

LAOSTHENIS 1. Aſſyrior. 1097. & 98.

ANTE CHRISTVM 1025. & 24.

I. Vltimus Eupalis. Laoſthenis primus.

AFfecta iam erat, ac pene perfecta Salomonici tẽpli fabrica, cum Eupales trigeſimus primus rex Aſſyriorum Euſebio, trigemus ſextus Africano, expletis octo & triginta regni annis viuere, ac regnare deſijt; cui ſucceſſit anno ſequenti Laoſthenes, tenuitque ex vtriuſque conſenſu annis 45.

ANNVS MVNDI 3030.

SALOMONIS 11. SADOCI 10.

Fundati TEMPLI 8.

LAOSTHENIS 2. Imperij Aſſyr. 1099.

ANTE CHRISTVM 1023.

I. Quanto tempore templum fuerit ædificatũ.

vers. 37.

ca. 9. v. 1.

HOc anno tota Templi, & atriorum omnium ædificatio, cum omni eorum ornatu & ſupellectile abſoluta eſt, & quidem ſeptem annis, vt eſt in 3. Reg. cap. 6. extremo. Verumtamen ex eodem ipſo loco apertè colligitur, his ſeptem annis ſex minimùm menſes addendos eſſe, qui ad octauum templi, & vndecimum Salomonis pertinebunt. Sic enim legitur, *An quarto fundata eſt domus Domini in menſe Zif, & in anno vndecimo menſe Bul, ipſe eſt menſis octauus, perfecta eſt domus in omnis opere ſuo.* Si anno quarto, cui deerant duo menſes, adiungas octo menſes vndecimi, fient omnino ſeptem anni, cum ſex ſeptemue menſibus. Nam Zio eſt ordine ſecundus. Verum menſes illi à Scriptura integris annis contenta, prætermittuntur. Interim autem dum templo extrema imponitur manus, præparata eſt templi ſolennis dedicatio, & illatio Arcæ, & cæterorum vaſorum, tam aureorum & argenteorum, quæ Dauid templo deſtinauerat, quam æneorum, quæ iuſſu regis, fuderat Hiram in campeſtri regione Iordanis trans fluuium in argillosa terra. Nam illa non fuſa legimus, ſed conflata ex laminis aureis & argenteis.

Parauit eius dedicatio.

Non eſt autem dubium quin multum temporis abierit, non ſolum in fundendis poliendiſque, ſed traducendis etiam tam vaſtis molibus columnarum æncarum, Luterum cum baſibus ſuis, maris ænei, & duodecim boum fuſilium, altarium, & aliorum vaſorum id genus, quæ magnis machinis egerunt, ſiue vt tordam in traijcere, ſiue vt Hieroſolymam deferri, ſiue vt in ſummum templi montem eleuari poſſent. Sed tanta fuit induſtria ſapientiſſimi regis, & peritiſſimorum artificum, tanta multitudo operarum, & machinarum copia, quibus in maximis trabibus, & ingentibus ſaxis, & columnis transferendis iam vſi fuerunt toto ſeptennio, vt tota res ad præſtitutum tempus parata eſſet, & magnæ illæ moles æneæ ac lapideæ ſuis locis mature collocatæ. Congregauit porro Salomon populum ad ſolennem templi dedicationem in ſeptimum menſem, in quo ſeptiduo feſtum tabernaculorum celebrabatur; ne ſi in octauum menſem quo cuncta penitus in templo eſſent abſoluta, eius dedicatio differretur, populus itinerum labore, ſumptibuſque grauaretur. Videtur autem præmonitus populus de dedicatione, ſub feſtum Pentecoſtes, quo ex lege Hieroſolymam venire iubebatur.

II. Æneæ ſupellex mature ſuis collocatur locis.

Dedicatio indicta in ſeptimum menſem.

Etſi autem viſum eſt nonnullis, inchoatam hanc celebritatem decimo quinto die ſeptimi menſis, qui dies ſacer erat feſto tabernaculorum: ex ſecundo tamen Paralipomenon conſtat dedicatum altare ſeptem diebus, totidemque celebratam ſolennitatem, eoſque dies vigeſimo primo menſis abſolutos: tum factam ſequenti die collectam; denique vigeſimo tertio menſis ſeptimi dimiſſos populos ad tabernacula ſua. Oportet ergo totam celebritatem octauo menſis ſeptimi fuiſſe inchoatam. Altaris porro & templi dedicationem anteceſſit translatio Arcæ, ex arce Sionis in Sanctum Sanctorum. Is enim quaſi primarius finis ponitur congregationis huius. Translationis huius pompa in tertio Regum ita deſcribitur, *Venerunt que cuncti ſenes de Iſrael, & tulerunt Arcam Sacerdotes, & portauerunt Arcam Domni, & tabernaculum fœderis, & omnia vaſa Sanctuarij, quæ erant in tabernaculo*, Dauidico videlicet, quod erat in Sion, non Moſaico quod erat in Gabaon. *Et ferebant ea Sacerdotes & Leuitæ*, Arcam videlicet ferebant Sacerdotes, Tabernaculum & vaſa Sanctuarij Leuitæ, qui erant numero plures, & dignitate inferiores. Non eſt autem dubium, quin Tabernaculum quoque Moſaicum, cum omni ſua ſupellectili, in templum fuerit translatum, tota octiduum celebritatis huius.

III. Inchoatur octauo eiuſdem.

3 Reg 7. 16 ca. 7 v. 9. vide & 3. Reg. 8. 5.

Translatio Arcæ ex Sion.

2. Par. 5 1. c. 8. v. 3.

Pompæ huius ordo & modus, quantum quidem ex Hebræis, ipſaque Scriptura colligi poteſt, hic fuit. Tranſierunt præcones ſeptimo die ſeptimi menſis, id eſt, pridie celebritatis, per mediam ciuitatem cum tubis, populo denuntiantes, vt in diem ſequentem parati eſſent, puri ſcil. & caſti, cum oblationibus ſuis, & feſtorum veſtimentorum apparatu. Ad vitandam autem cõfuſionem in hominum infinita multitudine, collecta *ab introitu Emath, vſque ad riuum Ægypti*, id eſt ab extremis Syriæ & Libani finibus à Septentrione, vſque ad Rhinocoruram ad meridiem Ægyptum verſus, quæ eſt tota longitudo terræ Iſraëliticæ; ſuus ſingulis tribubus aſſignatus eſt locus, & ordo; qualis forte olim in deſerto, Deo

IV. Eius pompæ ordo, & modus.

& Moyse aurore, in progrediendo seruabatur, cum ex vna mansione transibatur ad aliam.

V. Sacerdotes ferunt Arcam & tubis resonant, Leuitæ canunt. 2. *Par.* 7. 6

Postridie omnis multitudo Israël conuenit ad regem, Sacerdotes autem & Leuitæ ad Arcæ locum in Sion, cum Sadoco Pontifice: dumque illi Arcam rite inuoluunt, vectesque ad gestationem inserunt, signo dato procedere cœpit tribus Iuda, sacerdotibus aliquot præcedentibus cum tubis, quos Leuitæ cantores sequebantur cum organis suis, qui sæpius versiculum illum intercalatem iterabant, *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius.* Erant autem certa quædam standi vel quiescendi interualla, per quæ dum Leuitæ canerent rex & populus, in crebris altaribus, vel mensis tota via dispositis, in numeras hostias sacrificabant. Videtur autem credibile admodum, Sacerdotes & Leuitas, quorum erant multa millia, qui in sacrificando, vel canendo non erant occupandi, ad cohonestandam hanc pompam, plurima vasa aurea & argentea, quæ non erant magni ponderis, in humeris, aut in manibus magnificè detulisse, & varijs ornamentis decore insignitos processisse. Hi videlicet ferebant altare aureum, & aderant Sacerdotes, qui subinde odorata thymiamata incenderent; alij mensas aureas cum propositionum panibus, reliquaque illius supellectile gestabant: alij candelabra aurea cum lucernis, alij thuribula & phialas, atque ita de cæteris; omnia conuenienter ac decore.

Alij vasa pretiosa deferunt.

VI. Psalmi in via, gradibusque decantati. *Ps.* 118.

Traduntetiam Hebræi psalmum illum *Beati immaculati in via*, fuisse tota via decantatum. Longo videlicet circuitu arcis, & montis Sion, & interioris ciuitatis, iter ad templum directum est; quod necesse fuit, vt infinita populi multitudo quoquo modo ordinari posset: eumdemque psalmum, ad huius diei celebritatem de industria à Dauide compositum, & ab eo Salomoni datum; qui propterea Deum in Arca præsentem semper alloquitur. Et viæ succedebant templi gradus, in quibus cantica graduum succendentia decantabantur. Et quoniam coniectare licet, existimo in gradibus substructionum in parte occidentali templi, quoniam inde quadruplex, vt ait Iosephus, propterea que commodissimus tanto populo patebat ingressus, in ipso initio cantatum fuisse primum canticum graduum, qui est psal. 119. *Ad Dominum cum tribularer clamaui, & exaudiuit me.* In medio montis Moriæ & graduum secundum, qui est psal. 120. *Leuaui oculos meos in montes.* In summo autem graduum illorum ad peribolum, insonuit tertium canticum, *Lætatus sum in ijs quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.* Primus enim ingressus in domum Domini, est in primo illo peribolo, totam fabricam vndique ambiente, indeque aditus patebat in atria: Itaque sequitur, *Stantes erant pedes nostri in atrijs tuis Ierusalem.*

VII. Et deinceps intra peribolũ & in atrijs. *Ps.* 127.

Inde autem longo circuitu in via, quæ peribolum inter & murum atrij gentium patet, per cubitos circiter mille, ventum est ad orientalem portam atrij gentium. Tota autem illa via per stationes varias, & varia sacrificia, decantata sunt varia cantica sequentia, & nominatim illud, *Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in vijs eius.* In porta atrij gentium, ipsoque atrio videtur decantatum illud, *Memento Domine Dauid*, & infra *introibimus in tabernaculum eius, adorabimus in loco, vbi steterunt pedes eius.* Et quoniam Dominus tunc erat Deus Iudæorum, non autem gentium, ideo in atrio gentium consequenter canebatur *Surge Domine in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tuæ.* Inde transibatur ad atrium Israëliticum, ad cuius ingressum, & septenos illius gradus, cantatum est sequens canticum, *Ecce quam bonum & quam iucundum, habitare fratres in vnum.* Nam Israëlitæ alienigenas non censebant in fratribus. Eos autem tunc in atrio gentium relinquebant, quia illis vltra progredi non licebat. *Psal.* 132.

VIII. Denique in atrio Leuitarũ & ingressu Sanctuarij. *Ps.* 133.

Inde ventum est ad portam, qua patebat aditus ad interius atrium Leuitarum, vbi cantatum est sequens canticum. *Ecce nunc benedicite Dominum omnes serui Domini.* Sacerdotes scilicet & Leuitæ, qui specialiter diuino famulatui dicati erant: & hoc atrium ante Sancta fuisse, innuunt ea verba istius cantici, *In noctibus extollite manus vestras in Sancta*, id est versus Sancta; quia ipsi circumquaque in porticibus, proxime templum & atrium Leuitarum, diu noctuque per vices cõmorabantur. Postremo sacerdotes cum Arca, in ipsum templum conscensis eius gradibus ingrediuntur: Ibique finitis canticis graduum, psalmum sequentem canebant, cum Leuitis eis ex atrio & orientali porticu, qui erat ordinarius cantorum locus, accinentibus, *Laudate nomen Domini, laudate serui Dominum, qui statis in domo Domini in atrijs domus Dei nostri*, &c. quem psalmum excipit qui sequitur 135. *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius*; quem satis constat ex secundo Paralipomenon in hac celebritate decantatum, & alternatim insonuisse sacerdotales tubas, dum sacrificia in altari holocaustorum congerebantur, atque in medio atrio, propter hostiarum multitudinem sacrificabatur.

Interim sacrificatur. *c.* 7. 6. 7.

Dum hæc strenuè fiunt, Sacerdotes, qui tulerant arcam Domini, *intulerunt eam in Oraculum templi, in Sanctum Sanctorum subter alas Cherubin, siquidem Cherubin expandebant alas super locum Arcæ, & protegebant eam.* Erat autem in æquidistantia parietum, vt placet Villalp. & nihilominus vectium capita ex propinquo spectantibus, paululum apparebant extra ipsum Oraculum, quoniam eos extrahere non licebat. Inde candelabra dena, toridemque mensæ in Sancto hinc & inde constitutæ sunt, in medio autem, prope velum oraculi, altare thymiamatis. Non videntur autem diu immorati Sacerdotes in Oraculo, ne obreperet ibi pernicios a curiositas, sed egressi sunt & oppansum est velum, & illico nebula impleuit domum Dei, nempe totam aulam sanctam, cum vestibulo, & atrio Leuitarum, adeo vt propter nebulam Sacerdotes ministrare non possent. Apparet eam nebulam non caruisse fulgore, quippe quæ gloria Domini appelletur. Certe Salomon agnouit eam indicium esse diuinæ præsentiæ, & signum acceptantis sibi destinatam domum, sicut olim in tabernaculo Moysi contigerat.

IX. Arca in Oraculo collocatur. 2. *Par.* 5. 7. 3 *Reg.* 8. 8. *Exod.* 25. 5 Tum reliqua supellex in Sancto.

Nebula diuinitus implet domum.

Fuerat porro excitatus Regi suggestus, in atrio Leuitarum, in eius orientali area, vbi Deum precabatur, dum Arca in loco destinato collocaretur: occasione autem nebulæ diuinitus ortæ, conuertit faciem ad populum, qui magna ex parte stabat ad dorsum regis, eumque docuit Deum implere promissionem suam, qua dixerat se habitaturum in domo, quam ei Salomon ædificasset. Vbi autem Deo preces fundere

X. Rex in suggestu primum Deum orat, tum populum monet. Rursum Deũ copiosius precatur

voluit

voluit, conuerso ad oraculum vultu flexis genibus, & expansis in cœlum manibus, laudauit in primis Dominum, de constantia, & fidelitate promissorum erga Dauidem: tum Dei bonitatem admiratur, qui manufactam domum inhabitare non dedignetur; cuius maiestati, ne cœli quidem ipsi pares esse possint. Itaque orat vt se in hoc templo populo suo perpetuo exorabilem præbeat, præsertim ad ipsum per pœnitentiam conuerso. Deinde orat pro alienigenis, qui fama diuinæ potentiæ & bonitatis excitati, venturi essent ad templum ad adorandum Deum; quibus de industria paratus esset ad orandum locus. Orat etiam, vt tanti sit hoc templum apud Dominum, vt qui in remotis locis versus illud in afflictione orauerint, à Deo exaudiantur.

XI. Post hæc populo bene precatur eumque monet. 2. Par. 7. 1

Surrexit deinde rex de conspectu altaris Domini, iterumque conuersus ad populum, ei bene precatus est, hortatusque vt in diuino timore & cultu constanter perseuerent. Inde regias hostias ad altare adhiberi iussit, in quas ignis de cœlo descendit, & deuorauit holocausta & victimas, ad ostendendum acceptam esse Deo Regis orationem, & grata sacrificia, quæ ibi offerebantur, sicut paulò ante nebula ostenderat templum ipsum Deo gratum esse. Quod autem additur Maiestatem Domini implesse domum, de iterata nebula, cum igne in victimas descendente, intelligendum est. Ex quo vniuersum populum inuasit admiratio, & veneratione plenus timor, adeo vt in terram proni corruerint. Ipsi autem Sacerdotes in templum ingredi non poterant, siue ob nebulæ densitatem visum prohibentem, siue potius ob reuerentiam diuinæ præsentiæ per nebulam exhibitæ. Quoniam vero Dominus hoc prodigio ignis ostendit grata sibi esse regis, populique sacrificia, tanto illi studiosius eadem instauratunt; adeo vt summa hostiarum, intra dedicationis septiduum, ascenderet ad bouum viginti duo millia, arietum autem 120. millia: quorum etiam pars nonnulla ad sequens septiduum tabernaculorum referri potest.

Eius sacrificia diuinitus accenduntur, cum iterata nube.

Numerus hostiarum, & tempus sacrificiorum. 3. Reg. 8. 6 2. Par. 7. 5.

XII. Dies collectæ, eiusque ratio Leuit. 36.

Id septiduum vigesimo primo septimi mensis de more finitum est, secutus est vigesimus secundus, qui dicebatur dies Collectæ, siue quia eo die collectio fiebat pecuniarum in templi vsus; siue quia colligebatur populus ad gratias agendas Deo, quòd post longinquam in desertis quondam locis peregrinationem, septiduo tabernaculorum repræsentatam, in terram promissam omnes tribus saluæ peruenissent, siue quia gratiæ tum de collectis omnibus frugibus agebantur Deo. Secutus est vigesimus tertius dies, quo populus multa cum lætitia dimissus est, sed eam dimissionem antecesserunt Sacerdotum & Leuitarum vices, à Dauide institutæ, ad praxim redactæ; tum etiam fundatio sacrificiorum ordinariorum à Salomone instituta, tam in Sabbatis & Calendis, quam in solennitate Azimorum, Hebdomadarum, & Tabernaculorum, vt pluribus in Annalibus explicatum est: & ex 2. Paral. facile colligitur.

Sacrificia à Salomone fundantur.

Num. Sal. 11. n. 42. & 43. 2. Par. 8. 12. 13.

XIII. Inchoatur regia domus. c. 7. 1. c. 9. 10.

Hoc ipso anno vndecimo regni Salomonis, inchoatam fuisse regiam domum ipsius necesse est. Nam ex 3. Reg. constat eam tredecim annis ad perfectum vsque fuisse perductam: & intra viginti annos tam templum quam regiam exædificatam esse, cum ex altera parte sex menses vltra septem annos templo insumptos ex antedictis perspicuum sit, si inchoationem domus regiæ in sequentem differamus annum, intra viginti annos vtrumque ædificium perfectum non fuerit; aut octo templo, duodecim regæ domui assignandi erunt, quod vtrumque cum Scriptura pugnat. Dicendum igitur sicut septem anni domus Domini, epimetro mensium aliquot auctis sunt, ita tredecim annos Regiæ ijsdem mensibus fuisse diminutos.

XIV. Causæ illius extruendæ.

Cum ergo Salomon ex perfecto Dei templo magnam quandam animo cepisset voluptatem, vidisseque sibi ex sententia ædificandi studium cedere: fortassis etiam non parum sibi materiæ multiplicis ex templi reliquijs, & pecuniarum etiam insumptus superesse, animum ad regiam ædificandam adiecit. Existimauit quoque vxori suæ quamuis dilectæ, & ad ludæorum ritus conuersæ, quia origine erat Ægyptia, & forte à patria superstitione non satis aliena, habitationem in arce Dauidis, in qua multis annis Arca Dei resederat, permittendam non esse: maluitque ei regiam domum à fundamentis excitare, quæ tamen domui suæ, in signum coniunctionis animorum, coniuncta esset. Quas enim aliqui tres domos putarunt, domum Regis, domum filiæ Pharaonis, & domum saltus Libani vnica fuit, sed ampliſſima, tribus partibus quasi totidem domibus distincta, in cuius vna parte Rex habitaret, in altera Regina, tertia pars quæ dicebatur saltus Libani, vtriusque recreationi seruiebat. Nec possunt, qui contra sentiunt, ostendere quando domus Reginæ vel Saltus, ædificatæ fuerint, si aliæ fuerunt à Regia Salomonis; omnes certe, nomine domus Salomonis, comprehendit Scriptura non semel.

Eã fuisse triplicẽ. 3. Reg. c. 9. 10. 2. Par. 8. 1.

XV. Locus regiæ Salomonis.

Harum porro ædium regiarum locus erat ipse mons Sion. Sed cum regia Dauidis esset in arce ipsius ad occasum vergente, Regia Salomonis in eius parte orientali condita fuit, ad meridianum templi latus, interposita valle dicta Tyropæon, seu Vorago, vnde facilis traiectus fuit à regia in templum, per ædificium Mello dictum: quod instar erat pontis, pari fere structura excitati, quo ipsius templi substructiones. Idque confirmatur ex varijs Scripturæ locis, quæ Templi & Regiæ vicinitatem docent. Prudenter autem electus est Regiæ iste locus, vt sic mons totus quasi gemina arce regia, Dauidis & Salomonis palatio, ab occidente, & oriente protegeretur. Ciuitatem etiam inferiorem subiectam protegere poterant, & in officio continere. Quin etiam templo, propter vicinitatem præsidio esse, & Regi magnam templi adeundi commoditatem præbere.

Perquam idoneus.

& Moyse autore, in progrediendo seruabatur, cum ex vna mansione transibatur ad aliam.

V. Sacerdotes ferunt Arcam & tubis resonant, Leuitæ canunt. 2. *Par.* 7. 6

Postridie omnis multitudo Israël conuenit ad regem, Sacerdotes autem & Leuitæ ad Arcæ locum in Sion, cum Sadoco Pontifice: dumque illi Arcam ritè inuoluunt, vectesque ad gestationem inserunt, signo dato procedere cœpit tribus Iuda, sacerdotibus aliquot præcedentibus cum tubis, quos Leuitæ cantores sequebantur cum organis suis, qui sæpius versiculum illum intercalarem iterabant, *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius.* Erant autem certa quædam standi vel quiescendi interualla, per quæ dum Leuitæ canerent rex & populus, in crebris altaribus, vel mensis tota via dispositis, in numeras hostias sacrificabant. Videtur autem credibile admodum, Sacerdotes & Leuitas, quorum erant multa millia, qui in sacrificando, vel canendo non erant occupandi, ad cohonestandam hanc pompam, plurima vasa aurea & argentea, quæ non erant magni ponderis, in humeris, aut in manibus magnificè detulisse, & varijs ornamentis decore insignitos processisse. Hi videlicet ferebant altare aureum, & aderant Sacerdotes, qui subinde odorata thymiamata incenderent; alij mensas aureas cum propositionum panibus, reliquaque illius supellectile gestabant: alij candelabra aurea cum lucernis, alij thuribula & phialas, atque ita de cæteris: omnia conuenienter ac decore.

Alij vasa pretiosa deferunt.

VI. Psalmi in via, gradibusque decantati. *Ps.* 118.

Tradunt etiam Hebræi psalmum illum *Beati immaculati in via*, fuisse tota via decantatum. Longo videlicet circuitu arcis, & montis Sion, & inferioris ciuitatis, iter ad templum directum est; quod necesse fuit, vt infinita populi multitudo quoquo modo ordinari posset: eumdemque psalmum, ad huius diei celebritatem de industria à Dauide compositum, & ab eo Salomoni datum; qui propterea Deum in Arca præsentem semper alloquitur. Et viæ succedebant templi gradus, in quibus cantica graduum succendentia decantabantur. Et quoniam coniectare licet, existimo in gradibus substructionum in parte occidentali templi, quoniam inde quadruplex, vt ait Iosephus, propterea quæque commodissimus tanto populo patebat ingressus, in ipso initio cantatum fuisse primum canticum graduum, qui est psal. 119. *Ad Dominum cum tribularer clamaui, & exaudiuit me.* In medio montis Moriæ & graduum secundum, qui est psal. 120. *Leuaui oculos meos in montes.* In summo autem graduum illorum ad peribolum, insonuit tertium canticum, *Lætatus sum in ijs quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.* Primus enim ingressus in domum Domini, est in primo illo peribolo, totam fabricam vndique ambiente, indeque aditus patebat in atria: Itaque sequitur, *Stantes erant pedes nostri in atrijs tuis Ierusalem.*

VII. Et deinceps intra peribolũ & in atrijs. *Ps.* 117.

Inde autem longo circuitu in via, quæ peribolum inter & murum atrij gentium patet, per cubitos circiter mille, ventum est ad orientalem portam atrij gentium. Tota autem illa via per stationes varias, & varia sacrificia, decantata sunt varia cantica sequentia, & nominatim illud, *Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in vijs eius.* In porta atrij gentium, ipsoque atrio videtur decantatum illud, *Memento Domine Dauid*, & infra *introibimus in tabernaculum eius, adorabimus in loco, vbi steterunt pedes eius.* Et quoniam Dominus tunc erat Deus Iudæorum, non autem gentium ideo in atrio gentium consequenter canebatur *Surge Domine in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tuæ.* Inde transibatur ad atrium Israëliticum, ad cuius ingressum, & septenos illius gradus, cantatum est sequens canticum, *Ecce quam bonum & quam iucundum, habitare fratres in vnum.* Nam Israëlitæ alienigenas non censebant in fratribus. Eos autem tunc in atrio gentium relinquebant, quia illis vltra progredi non licebat. *Psal.* 132.

VIII. Denique in atrio Leuitarũ & ingressu Sanctuarij. *Ps.* 133.

Inde ventum est ad portam, qua patebat aditus ad interius atrium Leuitarum, vbi cantatum est sequens canticum. *Ecce nunc benedicite Dominum omnes serui Domini.* Sacerdotes scilicet & Leuitæ, qui specialiter diuino famulatui dicati erant: & hoc atrium ante Sancta fuisse, innuunt ea verba istius cantici, *In noctibus extollite manus vestras in Sancta*, id est versus Sancta; quia ipsi circumquaque in porticibus, proxime templum & atrium Leuitarum, diu noctuque per vices cõmorabantur. Postremo sacerdotes cum Arca, in ipsum templum conscensis eius gradibus ingrediuntur: Ibique finitis canticis graduum, psalmum sequentem canebant, cum Leuitis eis ex atrio & orientali porticu, qui erat ordinarius cantorum locus, accinentibus, *Laudate nomen Domini, laudate serui Dominum, qui statis in domo Domini in atrijs domus Dei nostri*, &c. quem psalmum excipit qui sequitur 135. *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius*; quem satis constat ex secundo Paralipomenon in hac celebritate decantatum, & alternatim insonuisse sacerdotales tubas, dum sacrificia in altari holocaustorum congerebantur, atque in medio atrio, propter hostiarum multitudinem sacrificabatur.

Interim sacrificatur. *c.* 7. 6. 7.

Dum hæc strenuè fiunt, Sacerdotes, qui tulerant arcam Domini, *intulerunt eam in Oraculum templi, in Sanctum Sanctorum subter alas Cherubim, siquidem Cherubim expandebant alas super locum Arcæ, & protegebant eam.* Erat autem in æquidistantia parietum, vt placet Villalp. & nihilominus vectium capita ex propinquo spectantibus, paululum apparebant extra ipsum Oraculum, quoniam eos extrahere non licebat. Inde candelabra dena, totidemque mensæ in Sancto hinc & inde constitutæ sunt, in medio autem, prope velum oraculi, altare thymiamatis. Non videntur autem diu immorati Sacerdotes in Oraculo, ne obreperet ibi pernicios curiositas, sed egressi sunt & oppansum est velum, & illico nebula impleuit domum Dei, nempe totam aulam sanctam, cum vestibulo, & atrio Leuitarum, adeo vt propter nebulam Sacerdotes ministrare non possent. Apparet eam nebulam non caruisse fulgore, quippe quæ gloria Domini appelletur. Certe Salomon agnouit eam indicium esse diuinæ præsentiæ, & signum acceptantis sibi destinatam domum, sicut olim in tabernaculo Moysi contigerat.

IX. Arca in Oraculo collocatur. 1. *Par.* 5. 7. 3 *Reg.* 8. 8. *Exod.* 25. 3 Tum reliqua supellex in sancto. Nebula diuinitus implet domum.

Fuerat porro excitatus Regi suggestus, in atrio Leuitarum, in eius orientali area, vbi Deum precabatur, dum Arca in loco destinato collocaretur: occasione autem nebulæ diuinitus ortæ, conuertit faciem ad populum, qui magna ex parte stabat ad dorsum regis, eumque docuit Deum implere promissionem suam, qua dixerat se habitaturum in domo, quam ei Salomon ædificasset. Vbi autem Deo preces fundere

X. Rex in suggestu primum Deum orat, tum populum monet. Rursum Deũ copiosius precatur

voluit

voluit, conuerso ad oraculum vultu flexis genibus, & expansis in cœlum manibus, laudauit in primis Dominum, de constantia, & fidelitate promissorum erga Dauidem: tum Dei bonitatem admiratur, qui manufactam domum inhabitare non dedignetur; cuius maiestati, ne cœli quidem ipsi pares esse possint. Itaque orat vt se in hoc templo populo suo perpetuo exorabilem præbeat, præsertim ad ipsum per pœnitentiam conuerso. Deinde orat pro alienigenis, qui fama diuinæ potentiæ & bonitatis excitì, venturi essent ad templum ad adorandum Deum; quibus de industria paratus esset ad orandum locus. Orat etiam, vt tanti sit hoc templum apud Dominum, vt qui in remotis locis versus illud in afflictione orauerint, à Deo exaudiantur.

XI. Postremò populo benè precatur eumque monet. 2. Par. 7. 1

Surrexit deinde rex de conspectu altaris Domini, iterumque conuersus ad populum, ei bene precatus est, hortatusque vt in diuino timore & cultu constanter perseuerent. Inde regias hostias ad altare adhiberi iussit, in quas ignis de cœlo descendit, & deuorauit holocausta & victimas, ad ostendendum acceptam esse Deo Regis orationem, & grata sacrificia, quæ ibi offerebantur, sicut paulò ante nebula ostenderat templum ipsum Deo gratum esse. Quod autem additur Maiestatem Domini implouisse domum, de iterata nebula, cum igne in victimas descendente, intelligendum est. Ex quo vniuersum populum inuasit admiratio, & veneratione plenus timor, adeo vt in terram proni corruerint. Ipsi autem Sacerdotes in templum ingredi non poterant, siue ob nebulæ densitatem visum prohibentem, siue potius ob reuerentiam diuinæ præsentiæ per nebulam exhibitæ. Quoniam vero Dominus hoc prodigio ignis ostendit grata sibi esse regis, populique sacrificia, tanto illi studiosius eadem instauraturnt; adeo vt summa hostiarum, intra dedicationis septiduum, ascenderet ad bouum viginti duo millia, arietum autem 120. millia: quorum etiam pars nonnulla ad sequens septiduum tabernaculorum referri potest.

Eius sacrificia diuinitus accenduntur, cum iterata nube.

Numerus hostiarum, & tempus sacrificiorum. 3. Reg. 8. 6 2. Par. 7. 5.

Id septiduum vigesimo primo septimi mensis de more finitum est, secutus est vigesimus secundus, qui dicebatur dies Collectæ, siue quia eo die collectio fiebat pecuniarum in templi vsus; siue quia colligebatur populus ad gratias agendas Deo, quòd post longinquam in desertis quondam locis peregrinationem, septiduo tabernaculorum repræsentatam, in terram promissam omnes tribus saluæ peruenissent, siue quia gratiæ tum de collectis omnibus frugibus agebantur Deo. Secutus est vigesimus tertius dies, quo populus multa cum lætitia dimissus est, sed eam dimissionem antecesserunt Sacerdotum & Leuitarum vices, à Dauide institutæ, ad praxim redactæ; tum etiam fundatio sacrificiorum ordinariorum à Salomone instituta, tam in Sabbatis & Calendis, quam in solennitate Azimorum, Hebdomadarum, & Tabernaculorum, vt pluribus in Annalibus explicatum est: & ex 2. Paral. facile colligitur.

XII. Dies collectæ, eiusque ratio Leuit. 36.

Sacrificia à Salomone fundantur.

Am. Sal. 11 n. 42. & 43. 2. Par. 8. 12. 13.

Hoc ipso anno vndecimo regni Salomonis, inchoatam fuisse regiam domum ipsius necesse est. Nam ex 3. Reg. constat eam tredecim annis ad perfectum vsque fuisse perductam: & intra viginti annos tam templum quam regiam exædificatam esse, cum ex altera parte sex menses vltra septem annos templo insumptos ex antedictis perspicuum sit, si inchoationem domus regiæ in sequentem differamus annum, intra viginti annos vtrumque ædificium perfectum non fuerit; aut octo templo, duodecim regæ domui assignandi erunt, quod vtrumque cum Scriptura pugnat. Dicendum igitur sicut septem anni domus Domini, epimetro mensium aliquot aucti sunt, ita tredecim annos Regiæ ijsdem mensibus fuisse diminutos.

XIII. Inchoatur regia domus. c. 7. 1. c. 9. 10.

XIV. Causæ illius extruendæ.

Cum ergo Salomon ex perfecto Dei templo magnam quandam animo cepisset voluptatem, vidisseque sibi ex sententia ædificandi studium cedere: fortassis etiam non parum sibi materiæ multiplicis ex templi reliquijs, & pecuniarum etiam in sumptus superesse, animum ad regiam ædificandam adiecit. Existimauit quoque vxori suæ quamuis dilectæ, & ad Iudæorum ritus conuersæ, quia origine erat Ægyptia, & forte à patria superstitione non satis aliena, habitationem in arce Dauidis, in qua multis annis Arca Dei resederat, permittendam non esse: maluitque ei regiam domum à fundamentis excitare, quæ tamen domui suæ, in signum coniunctionis animorum, coniuncta esset. Quas enim aliqui tres domos putarunt, domum Regis, domum filiæ Pharaonis, & domum saltus Libani vnica fuit, sed amplissima, tribus partibus quasi totidem domibus distincta, in cuius vna parte Rex habitaret, in altera Regina, tertia pars quæ dicebatur saltus Libani, vtriusque recreationi seruiebat. Nec possunt, qui contra sentiunt, ostendere quando domus Reginæ vel Saltus, ædificatæ fuerint, si aliæ fuerunt à Regia Salomonis; omnes certe, nomine domus Salomonis, comprehendit Scriptura non semel.

Hã fuisse triplicẽ.

3. Reg. c. 9. 10. 2. Par. 8. 1.

XV. Locus regiæ Salomonis.

Harum porro ædium regiarum locus erat ipse mons Sion. Sed cum regia Dauidis esset in arce ipsius ad occasum vergente, Regia Salomonis in eius parte orientali condita fuit, ad meridianum templi latus, interposita valle dicta Tyropæon, seu Vorago, vnde facilis traiectus fuit à regia in templum, per ædificium Mello dictum: quod instar erat pontis, pari fere structura excitati, quo ipsius templi substructiones. Idque confirmatur ex varijs Scripturæ locis, quæ Templi & Regiæ vicinitatem docent. Prudenter autem electus est Regiæ iste locus, vt sic mons totus quasi gemina arce regia, Dauidis & Salomonis palatio, ab occidente, & oriente protegeretur. Ciuitatem etiam inferiorem subiectam protegere poterant, & in officio continere. Quin etiam templo, propter vicinitatem præsidio esse, & Regi magnam templi adeundi commoditatem præbere.

Perquam idoneus.

ANNVS MVNDI 3031.

SALOMONIS 12. SADOCI 11.

Fundati TEMPLI 9.

LAOSTHENIS 3. Imperij Assyriot. 1100.

ANTE CHRISTVM 1022.

I. Fundatio regij palatij, eiusque amplitudo.

SVsceptæ regiarum ædium ædificationis hoc anno iacta videntur fundamenta; nec forte plane iacta sunt, quamuis in principijs feruere soleat opus. Constat tamen tam Regem, quam populum longè minus studij ad hoc opus attulisse, & ipsum per sese magnum, atque operosum fuisse. Duo autem sunt quæ hæc fundamenta difficilia, & laboriosa reddiderunt; primùm ipsa fundatio in voragine, inter montes Moriæ & Sionis, interiecta; in qua substructiones ingentes excitandæ fuerunt, & super eas vnus aut alter pons excitandus, alterum ipsa ædificij amplitudo. Reliqua enim fundamenta tantum quaquauersum patuerunt, quantum tres istæ domus, cum atrijs, porticibus, aulis, totaque omnino ædificatione. Si Vuillalpandi dimensionibus stare placet, longitudo totius ædificij ad ducentos & quinquaginta circiter cubitos sacros patuit, id est, fere quingentos pedes. Latitudo autem fere centũ & triginta cubitorum fuit. Fuit porro hic ann. Sabbaticus ordine sexagesimus quartus. Est enim 448. ab ingressu Hebræorum in Chananitidem, quem annum rite obseruatum, annitente Salomone, pareat credere.

An. Sabbat. 64.

ANNVS MVNDI 3033.

SALOMONIS 14.

SADOCI 13. TEMPLI 11.

LAOSTHENIS 5. Assyriot. 1102.

ANTE CHRISTVM 1020.

I. Nonus Iubilæus Mosaicus.

DEcimus quartus Salomonis annus nono Iubilæo Mosaico nobilitatur, Nouies scil. euolutos 50. annorum spatio, ab ingressu in Chananæorum terras. Cum enim primus inciderit in annum Mundi 2633. vt eo anno annotauimus; quadringentis inde annis transactis, oportet præsentem nono Iubilæo insigniri. In hunc porro & sequentes aliquot annos, quoniam eos accuratius distinguere non possumus, referenda est tum perfecta regiarum ædium constructio; tum amplificatio famæ, & opulentiæ Salomonis. Quod ad ideam & dispositionem harum ædium attinet, perdifficile est eam ex ipsa Scriptura eruere. Qui autem id conati sunt, ne sibi ipsis quidem, nedum alijs satisfecerunt. Quod ad earum materiam, omnia lapidibus pretiosis ædificata fuisse Scriptura memorat, id est, magni pretij, puta marmoreis, parijs, porphyreticis, qualesin portis fenestrisque adhibentur, in columnis, basibus, capitellis, omnique epistyliorum, zophororum & coronidum apparatu. Nec mirum, cum de fundamentis ipsis legamus: fundamenta autem de lapidibus pretiosis, lapidibus magnis decem siue octo cubitorum, duarum scilicet mensurarum, & magnitudinum.

Ædificatio regiarum ædium, earumque magnificentia.

3. Reg. 7. 10.

Et desuper lapides pretiosi æqualis mensuræ sectis erant, vtrique lapides pretiosi erant, sed illorum pretium præcipue ex magnitudine æstimatum fuisse apparet, istorum vero ex pulchritudine, colore, soliditate, læuore, maculis, &c. multus quoque ex cedro accedebat ornatus columnarum, trabium, tigillorum & contignationum. Sed illud mirabilius, quod *omnia vasa quibus potabat Rex Salomon, erant aurea, & vniuersa supellex domus saltus Libani, de auro purissimo.* Vox *potabat*, latius sumenda est, pro conuiuabatur, siue vescebatur. Nam sic locum illum interpretatur alibi Scriptor sacer. *Omnia quoque vasa conuiuij regis erant aurea, & vasa domus saltus Libani ex auro purissimo.* Vbi Septuag. habent omnia vasa domus Regis fuisse aurea, & omnia item domus Libani, ne scilicet mensæ tantum supellectilem auream intelligeremus. Quod autem additur, *non erat argentum*, supple in tota illa vasorum supellectile de qua hic agitur, *nec alicuius pretij putabatur in diebus Salomonis*, habere scilicet argentarium abacum, regium non erat, sed mediocris fortunæ hominum.

II. Aurea Salomonis supellex.

5. Reg. 10. 21.

2. Par. 9. 20.

Ad eandem supellectilem pertinent ducentæ hastæ aureæ, in quibus singulis, sexcenti auri sicli impensi erant, id est, bis mille, & quingenti aurei gallici. Erant & trecentæ peltæ siue scuta, laminis aureis obtecta, pondo trecentarum minarum, siue siclorum singula, id est, mille ducentorum & quinquaginta aureorum. Sic enim duo Scripturæ loca, in speciem pugnantia videntur concilianda, vt diligentius in Annalibus explicatum est.

III. Scuta aurea siue hastæ, & peltæ aureæ.

3. Reg. 10. 16.

2. Par. 9. n. 8. 9. 10.

Huc quoque pertinet magnificum illud Salomonis solium, *neque enim factum est tale opus in vniuersis regnis*, vt ait Scriptura, quæ illud collocat in *domunculo*, *in qua sedebatur ad iudicandum*, quæ erat in media porticu, quæ propterea porticus solij siue tribunalis dicitur. Innuitur autem regium solium medium fuisse, hinc autem & inde humiliores fuisse thronos regijs consiliatijs, & principibus assidentibus destinatos; & quidem in circuli formam; vt iudices ex suis sedibus sententiam dicere, & consultare possent: ex quibus omnibus conflaretur iudiciale tribunal. Huius domunculæ forma quadrata erat, longa & lata triginta cubitos, vt ait Iosephus, quanta scilicet erat latitudo porticus maioris. Itaque media pars porticus, erat huic domunculæ à dextris, media à sinistris, vt hinc inde populo, cui ius dicendum erat, subsistere liceret.

IV. Thronus Salomonis.

3. Reg. 10. 19.

2. Par. 9. 18.

3. Reg. 7. 7. 8.

l. 8. Ant.

Salomonis porro solium ita Scriptura describit. *Fecit ergo Rex Salomon thronum de ebore grandem, & vestiuit eum auro fuluo nimis, qui habebat sex gradus, & summitas throni rotunda erat in parte superiori, & duæ manus hinc atq; inde tenentes sedile, & duo leones stabant iuxta manus singulas. Et duodecim leunculi stantes super sex gradus, hinc atq; inde.* In secundo Paralipomenon additur scabellum aureum; quo scil. proximè adhærente sedi regiæ, rex pro

V. Eius forma.

3. Reg. 10. 18.

hypopodio

hypopodio vtebatur. Probabile autem est ex incuruo fastigij eius apice coronam regiam infiniti pretij, & exquisitissimæ pulchritudinis, capiti ex alto imminentem pependisse: nec cancellos ingeniosè fabrefactos, qui totum hunc thronum vndique cingerent, aliquot pedum distantia, defuisse.

VI. Salomonis nauigationes *Num. 7.*

His temporibus classis Salomonis, quam anno quarto Salomonis instrui cœptam diximus crebris cursibus & velificationibus, orientem solem occidentemque, Africa circumnauigata perlustrauit. Cum enim Scriptura ducentas illas siue hastas, siue clypeos aureos, trecentas peltas, & thronum eburneum auro fulgentissimo conuestitum memorasset, infinita denique vasa, & omnem supellectilem domus Libani, præter parietes, & rutilantia auro laquearia; tum demum, ne quis tantam auri copiam non solum admirabilem, sed etiam incredibilem putaret, subdit, *Argentum enim in diebus illis pro nihilo reputabatur*: siquidem naues regis ibant in Tharsis, cum tertiis Hiram semel in annis tribus, & deferebant inde aurum, & argentum, &c. Iisdem operibus aureis, & impensis infinitis, opem ferebat Ophiritica nauigatio, quæ longe breuior, & singulorum annorum fuisse dicitur, ex qua constat semel deuectum ad Salomonem aurum quadringentorum & viginti, siue, vt est 2. Paral. quinquaginta talentorum. Porro in multa opinionum varietate de Ophir, & Tharsis, illam probabiliorem putamus, quæ censet Ophir esse Sumatrum siue Taprobanam, insulam sub æquinoctiali sitam & infra gangeticum sinum, modico freto à Malaca versus orientem dissitam, Tharsis autem Pineda noster pluribus argumentis contendit esse Tartessum, & Hispaniæ Bœticam: quod teneamus licet, dum quid certius afferatur.

3. *Reg. 6. fi.* 2. *Par. 8. fi.*

Ophir & Tharsis.

lr. 4. c. 14. & 15. de Salomone.

VII. Redditus Salomonis. 3. *Reg.* 10. 14. 2. *Par.* 9. 13.

Annuos porro Salomonis redditus Scriptura fuisse tradit sexcentorum sexaginta sex talentorum, id est, octo millionum 325. millium nummorum aureorum, *excepto*, inquit, *eo quod afferebant viri, qui super vectigalia erant, & negotiatores, vniuersique scruta vendentes, & omnes reges Arabiæ, ducesque terræ.* Quamuis autè dubium esse possit, an illa summa talentorum annuatim classe deuecta sit, cũ locus vnde afferretur ibi taceatur; id tamẽ satis clarum videtur, tum ex eo quod separat vectigalia regia, & principum, regumque munera: tum ex eo quod paulò ante meminit classis, quæ *aurum de Ophir portabat*, id est, aduehere solebat, quod mox explicatius dixit, *per singulos annos*. Erant porro super vectigalia viri duodecim, quibus præerat Adonitam. Negotiatores accipio mercatores copiosiores, qui varias regiones obeunt, & magnam vim mercium comparant, quas deinde in patrio solo minoribus mercatoribus cum lucro, vendunt, qui hic scrutorum vẽditores dicuntur, quia varia genera mercium populo particulatim diuendunt: vulgo dicuntur vendere *en gros* & *en destail*, & vtrique vario vectigali Regis thesauros augebant.

vers. 11.

VIII. Munera principũ cum inuisentiũ. *Lib. c. 2.*

Vicini denique principes, aut etiam remoti, amici & fœderati, crebro vel ipsi per se, vel per legatos Salomonem inuisebant, siue vt certamen aliquod inirent sapientiæ, vt ait Iosephus, siue vt eius admirabili sapientia fruerentur; siue vt augustissimum templum, mortalium omnium opinionẽ magnificentius, ædes regias, & omnem earum apparatum contemplarentur. Quod nominatim de regina Saba legimus, quæ sicut ingentibus donis Salomonem affecit, ita & reliqui principes, & reges eius amicitiam magnis muneribus celebrabant. Quod cumulatè probatur ex 2. Paral. *Omnesque reges terræ*, inquit, *desiderabant videre faciem Salomonis, vt audirent sapientiam, quam dederat Deus in corde eius, & deferebant ei munera vasa argentea & aurea, & vestes & arma, & aromata, equos & mulos per singulos annos.*

ca. 9. 23.

IX. Multas ducit vxores.

His porro annis multas à Salomone ductas vxores & concubinas probabile est. Neque enim credibile est eum, antequam deprauaretur, vnam tantum atque alteram duxisse, matrem scilicet Roboami, & filiam Pharaonis. Nam paternum Dauidis habebat exemplum, qui, Deo minime improbante, plures duxit vxores, & concubinas, plurimosque ex eis liberos suscepit. Cum ergo constet deprauationem Salomonis à mulieribus fuisse profectam, apparet eas iam magno numero in eius consuetudinem fuisse admissas. Sed hæc ad plures annos, eosque indistinctos pertinent.

ANNVS MVNDI 3038.

SALOMONIS 19.

SADOCI 18. TEMPLI 16.

LAOSTHENIS 10. Imperij Assyr. 1107.

ANTE CHRISTVM 1015.

I. An. Sabbat. 65.

IN præsentem annum incurrit Sabbaticus 65. quem Salomon medio in cursu regni florentissimi, rebus ad eius nutum secundissimè fluentibus, in oculis domesticorum, atque externorum principum, à quibus inuisebatur, studiosè procul dubio obseruauit. Id enim valuit ad diuinæ legis sanctitatem, atque humanitatem coram omnibus gentibus prædicandam.

Millesimo ab ortu Abrahæ.

Est hic ipse annus Laosthenis decimus, ab ortu Abrahæ millesimus, vt in Eusebij chronico notatum videmus: quod cum chronologia nostra accuratè congruit, qui Abrahamum natum volumus anno à diluuio 383. Hic autem annus est à diluuio 1381. eademque ratio temporis cum anno Mundi belle conspirat.

II. Ortus Homeri, quo anno à Troia excisa. *Sub init.*

Sequens autem annus, qui est Salomonis vigesimus, & Troiæ excisæ 168. insignis est natalibus Homeri. Hanc enim opinionem, vt omnium antiquissimam, ita & maximè probabilem putamus. Est enim Herodoti, in libello de vita Homeri extremo, quam studiosè confirmauit. Nec dissentit S. Cyrillus Alexand. l. 1. in Iulianum, cum ait Homerum & Hesiodum vixisse sub annum ab excisa Troia 65. Eusebius autem in chronico 168. Idem sentiunt Dionysius Halicarnassæus, Cassius apud Gellium, Cornelius Nepos, & Solinus, qui volunt Homerum mortuum 160. annis ante Vrb. cond. mortuum au-

Et ante vrb. cond.

tem 272. annis ab excisô Ilio. Nam Dionys. annos 432. numerat ab Ilio capto ad vrbem conditam. Herodotus Natalem Homeri annum vult esse 168. ab excisa Troia, Solinus vult eum mortuum 272. ab eodem excidio, quibus si addas 160. vsque ad V.C. efficies omnino 432. annos Dionysianos. Hinc etiam certo colligitur Homeri vitam ad 104. annos propagatam. Sed hæc diligentius in Annalibus explicata reperiet studiosus politioris literaturæ, cum alijs quæ ad patriam eius pertinent, ex Varrone & Aristotele petitis.

272. 160. 432. 168. natus. 104. vixit 160. ad V.C. 432.

ANNVS MVNDI 3042.

SALOMONIS 23. SADOCI 22.

Fundati TEMPLI 20.

LAOSTHENIS 14. Imperij Assyr. 1111.

ANTE CHRISTVM 1011.

SVb expletam Templi & regiarum ædium ædificationem, nondum tamen expletis 20. annis à fundatione Templi, appatuit Dominus Salomoni secundò, sicut illi in Gabaon apparuerat, cum Sapientiæ donum diuinitus obtinuit: & quidem in somnis locutione interiore, non quæ aure externa sentiretur. Ipsa porro Domini oratio, responsio est ad postulationem à Rege, in Templi dedicatione tredecim annis ante factam. Sed cur tamdiu dilata? An vt quò recentior erat tam seria ac seuera monitio, & luctuosæ deprauationi propinquior, hoc etiam potentior esset ad hominem in officio continendum. Cũ alioqui minime videretur necessaria ista responsio, quæ manifesto signo diuinæ præsentiæ, & miraculo missi diuinitus ignis, satis aperte facta esset. Quatuor porro capita continet hoc oraculum. Primùm profitetur se Regis deprecationem exaudisse, & exorabilem fore ad afflicti populi preces. Secundo sanctificasse se ait, sibiq; consecrasse hoc templum, per illa quæ dixi visibilia signa, idque in sempiternum. Sed additur tertiò conditio obseruandæ, à Rege populoque, diuinæ legis. Qua conditione violata, postremo serio interminatur omnia pessum ruitura. Templum quippe & populum ipsum à Deo derelictum iri, & summæ calamitatis posteritati exemplo futurum.

I. Altera appatitio Salomoni facta. 3. Reg. c. 9. 1. 2. Par. 7. 11.

Eius oraculi summa capita.

Hoc ipso tempore transtulit Salomon filiam Pharaonis de ciuitate Dauid, id est, Sionis arce, in domum quam ipsi ædificauerat, manserat autem in ipsa Dauidis domo, neque enim aliam habuit in arce domum: eaque ab Arca fœderis seiuncta erat, vt alibi dictum est. Et nunc absente Arca, licebat etiam illum ipsum locum in quo illa fuerat collocata, ad prophanos vsus conuertere. Quod si reuera fuisset illicitum, vxorem Salomonis in domo Dauidis manere, in qua iam à viginti annis manebat; non tulisset id Salomon vel ad vnum diem. Sed hæc separatio ad abundantiam religiosæ obseruationis pertinuit, non ad Dei offensionem vitandam. Tanta enim erat Israëlitarum, vel in Arcam Domini veneratio, vel ab alienigenis auersio animorum, vt in Reginam Regi charissimam, & iampridem ad veri Dei cultum conuersam, & regio sanguine illustrem, post tot annis redundaret.

* II. Filia Pharaonis de migrat in domum suam. 3. Dauid. 11.

ANNVS MVNDI 3043.

SALOMONIS 24.

SADOCI 23. TEMPLI 21.

LAOSTHENIS 15. Imp. Assyri. 1112.

ANTE CHRISTVM 1010.

EXpletis viginti annis ait Scriptura, *postquam ædificauerat Salomon duas domos, id est, domum Domini & domum regis* &c. Expletos autem 20. annos, sequitur vigesimus primus à iactis Templi fundamentis, quem habes in huius anni indice notatum. Quæ porro ad hunc referamus annum duo occurrunt. Primum Tyrij reguli merces: cui secundo coniuncta est ciuitatum quarundam, in primisque ipsius Hierosolymæ reparatio. Nouarum autem constructionem melius in sequentes annos referemus, sicut & Arabicam profectionem, & aduentum reginæ Saba. Stat enim seriem factæ narrationis constanter sequi, nisi nobis manifesta ratio ordinem temporis mutare persuadeat.

I. Res huius anni. 3. Reg. 9. 10. 2. Par. 8. 1.

Quod ad illam ergo mercedem attinet Hirami regis, cum Salomon recte pro sua sapientia intelligeret, vel mercenario deberi mercedem suam, vel amico & benefactori gratitudinẽ, expletis ijs operibus, ad quorum perfectionem eius opera necessaria fuerat, dedit Salomon Hiram viginti oppida in terra Galilææ, nimirum ad aliquot annorum vsum fructum duntaxat, vt recte visum est Abulensi. Vt inde scilicet tributa colligeret, donec lignis illis cedrinis & abiegnis, & 120. talentis auri, quæ ille mutuo dederat Salomoni, & operarum mercedi, aliisque, si qui supererant, sumptibus satisfactum esset. Quis enim sibi persuaserit Regem sapientissimum, viginti oppida in regno suo non maximo, tam paruo distractarum fuisse, cui tanto plura talenta quotannis, ex vectigalibus, tributis, nauigationibus, negotiatione supperterent? Et oppida in medio regni sui, vicino principi daturum, vt alias nouas hinc inde dissipatas ædificaret. Aut Hiramum tam inopem fuisse consilij, vt summum & perpetuum dominium in viginti oppida, oppurtuna regno suo, loco prædictæ summæ sibi contemnenda putaret. Conquestus est autem, quòd ex loco parum fertili, non speraret se intra pactos annos atque conuentos, speratam vtilitatem aut mercedem collecturum.

II. Dedit Salomon Hiramo 20. oppida, ad vsum fructũ certi tẽporis. 9. 8. conf. 9 3. Reg.

Sed querela amicorum fuit. Videntur enim hi principes certasse nihilominus inter se beneuolentia, atque muneribus; quando Hiram ita accepit à Salomone ciuitates, vt ei vice versa alias dederit, eodem scilicet iure, quo priores acceperat. Non enim licet principibus viris regna sua truncare, quæ conseruanda, vel amplificanda, à maioribus suis, vel à populis acceperunt. Multòque minus Salomoni li-

III. Et Hiram vice versa Salomoni.

uit hæreditatem Domini diuellere, & princi-
pi, à veri Dei cultu alieno, tradere. Quas porro
c.8. 2.2. ciuitates Hiram Salomoni dedit desertas fuisse
& ruinosas ex 2. Paralip. patet; eas enim ædifi-
casse, siue instaurasse dicitur Salomon, & Israë-
litis cultoribus frequentasse. Abundabat enim
populo, qui in immensum pacis diuturnitate
succreuerat. Quibus etiam adiungebantur
infinitæ myriades proselytorum, qui Salomoni
in ædificando seruierant, & deinceps etiam ser-
uituri erant.

IV. Murus Ierusalem a Salmone excitatur.

In primis autem occurrit murus Ierusalem,
quem Scriptura teste Salomon ædificauit per
circuitum, post templum videlicet, & regiam
suam ædificatam. *Caterum*, ait Iosephus, *Rex cum*
videret mœnia Hierosolymorum turribus & propugna-
culis ad securitatem egere, nec ea dignitati vrbis satis
respondere, & muros instaurauit, & turres magnas
in eis erexit. Eupolemus quoque apud Euse-
bium ait Salomonem Hierosolymæ vrbem
muris, turribus, fossisque vallasse. Excipienda
tamen est ciuitas Dauid, atque adeo totus mons
Sion, quem Dauid ædificauit, & quidem o-
pere tam firmo, vt tam cito Salomonis instau-
ratione non egueric. Addit etiam Iosephus
eum viarum publicarum curam gessisse, vt quo-
quot in vrbem ducerent silice constrarentur,
tam vtilitati publicæ, quam propriæ magnifi-
centiæ seruientem: quod de ipsius quoque vrbis
vicis, demendata ædilibus cura, videtur intelli-
gendum: præter alia publica vrbis regiæ, priua-
taque ædificia.

De Prapar. l.9.c.34.

2. *Reg.5.9 & 1.Par. 11.8.*

& curatur vix.

ANNVS MVNDI 3044.

SALOMONIS 25.

SADOCI 24. TEMPLI 22.

LAOSTHENIS 16. Imperij Assyr. 1113.

ANTE CHRISTVM 1009.

I. Externa Salomonis ædificia.

l.8.c.vlt.

Diuturnitas pacis, diuitiarum abundantia, magnificentia & sapientia Salomonis, studium ædificandi non tam in eo pepererunt, quam auxerunt, vt qui diuinitus ad templi constructionem destinatus, ab illis initijs vix vnquam videatur ab ædificatione cessasse. Cæterum tres circiter annos, tam externis Salomonis ædificijs, quam varijs eiusdem profectionibus cum Pineda tribuimus. Hæc enim admodum coniuncta sunt, vt sicut domestica & vrbana ædificia eum domi retinuerunt, ita etiam externa Regem abduxerint foras, antequam se otio mulierolo dederet, atque adeo ante aduentum Reginæ Saba, qui posterius à Scriptura narratur; quem temporis ordinem video à pleriq; omnibus Chronologis retineri.

II. Ciuitates Hirami instauratæ.

2.*Par.* 8.2

Externa vocamus ædificia ciuitates varijs in locis à Salomone partim instauratas, partim etiam excitatas. In quibus primum in genere po-nuntur ciuitates, quas dederat Hiram Salomoni, quas Salomon ædificauit, id est, mœnia male materiata & ruinola restituit: aliqua etiam ædifi-cia publica ex publico ærario reficiendi curauit, vt eò nouos incolas facilius alliceret. Nam *ibi habitare fecit filios Israel.* Parum enim culta erant à Tyrijs illa loca, quod ipsi toti percurrendo mari, siue bello, siue mercatura exercenda, siue colonijs abducendis intenti, propriam regionem incul-tam relinquebant: itaque ad ea, iussu Regis Is-raelitarum, coloniæ deductæ sunt. Huc quoque pertinent ciuitates, quas Salomon ædificauit in Emath. Sic enim legimus. *Abijt quoque in Emath Suba, & obtinuit eam, & ædificauit Palmyram in de-serto, & alias ciuitates munitissimas ædificauit in E-math.*

Et aliæ in Emath.

Ibid.

III. Salomonis expeditio in Emath.

Habetur ergo hic non solum profectio, sed bellica etiam expeditio Salomonis, Syriam ver-sus, & Libanum. Cum itaq; vrbs Emath, siue A-matha, vt eam vocat Iosephus, in sortem tribui Nephtalim obtigisset, eam tamen Chananæi e-ius incolæ multis sæculis retinuerunt, vt constat ex libro Iudicum, donec Dauid, bello deuictos Syros sibi tributum pendere coegit. Rex autem Emath muneribus pacem tum à Dauide petijt & impetrauit, haud dubie sub conditione tri-buti: quemadmodum & de reliqua Syria, Idu-mæa, alijsque regionibus constat. Mortuo igitur Dauide, & Salomone viro pacifico regnante, cum Emathæi subiectionem & tributum detre-ctarent, vt Iosephus ait, sub ditionem suam re-dactos tributa pendere coëgit, & per singulos annos certum numerum seruorum, & colono-rum, qui per agros distribuerentur exegit. Me-morantur quoque à Scriptura vrbes quadriga-rum Salomonis & equitum, de quibus non le-ues difficultates exiliunt, ex diuersis Scripturæ locis: quæ in Annalibus conciliata reperies. Vbi & singulæ vrbes, quæ à Salomone ædificatæ vel instauratæ dicuntur, Asor scilicet, Mageddo, Gazer, Bethoron gemina, Balaath & Palmyra, quæ postea terminus fuit ditionis Romanorum atque Parthorum, breuiter explicantur.

l.8.c.2.

c.3.v.3.

1.Par.18.3

2. *Par.8.6 n.7. & seqq.*

Aliæ vrbes instau ratæ. *Plin. l.5.c. 25.*

Reliqua igitur est Salomonis profectio in portum sinus Arabici. *Tunc*, ait Scriptura, expe-ditis videlicet vrbanis ædificijs, *abijt Salomon in Asiongaber, & in Ailath ad oram maru rubri, quæ est in terra Edom.* Erant tamen in ditione Hebræo-rum, sicut & ipsi Idumæi, ex quo eos subiugaue-rat Dauid. Celebris porro factus est locus Asi-ongaber trigesima secunda mansione Israelita-rum per Arabiæ deserta peregrinantium, & hoc tempore classibus Salomonis & Hirami. Quas vt videret eò profectus est Salomon, ratus non indignum regijs oculis spectaculum: præsertim cum pro sua prudentia naucleros monere pos-set, quod è re communi foret. Cæterum quam-uis nullum præbeat Scriptura indicium Salo-monem traiecto nauibus Arabico sinu ad Pha-raonem socerum adijsse: satis id tamen rationi consentaneum videtur loci vicinitate suadente, affinitate prope cogente, nulla re ad festinum reditum compellente. Id si admittimus, facile intelligemus, Reginam Saba Ægypto vicinam incitatam ad inuisendum in Iudæa proxi-mo anno Salomonem.

IV. Salomonis ad finum Arabicum profectio 2.*Par.*8. 17.

Ad Ægyptum adijt.

(·.·)

ANNVS MVNDI 3047.

SALOMONIS 28.

SADOCI 27. TEMPLI 25.

LAOSTHENIS 19. Imperij Assyr. 1116.

ANTE CHRISTVM 1006.

I. Tempus aduentus reginæ Sabæ. 3.8.6.4.

QVæ proxime de Salomonis in Ægyptum profectione suspicabamur, nos mouent, vt in hunc annum, id est, proximum quodq; tempus, Reginę Sabæ profectionem ad Salomonem conferamus. Pineda certe ad hunc ipsum annum Salomonis 28. eam refert. Scriptura profectioni Salomonis in Asiongaber statim subiungit aduentum reginæ huius: qui supponit, vt ex eiusdē oratione constat, iam ædificatum templum, regiamq; domum, & ipsum saltum Libani. Et omnes quidem Reginam Saba cum Scriptura agnoscunt, & Saba à meridie Hierosolymis fuisse fatentur, cum Christus Dominus eam *reginam Austri* appellet. Sed res manet adhuc ambigua, cum vna Saba in Arabia felice, altera in Æthiopia reperiatur, & vtraq; Iudæis ab Austro sit. Arabicam tamen præferendam putamus, tum quia Saba Arabica in Scriptura semper per sch in scribitur, nunquam per Samech. Tum etiā quia Arabia felix, omnium consensu, optimis aromatibus, & præ omnibus regionibus copiosissimè abundabat. At Scriptura testatur nunquam talia, neque tam multa aromata Ierosolymam delata fuisse, qualia & quanta detulit hæc regina.

Arabicæ potius, quam Æthiopicæ.

ס ש

Vide Gen. 10.6.7. & Isa.43 3. & 60.6.

II. Hæc Arabia an vicina Iudææ. *Iere.6.20. Ioel.3.8.*

Huic tamen sententiæ Arabiæ vicinitas repugnare videtur, est enim vicina Iudææ, nedum in extremis finibus terræ. Respondetur nihilominus Sabam Arabicam in Scriptura terram longinquam appellari. Vicina autem Iudææ est deserta & petræa Arabia, vltra quam vtramque versus meridiem est Arabia fœlix. Longinquitatis etiam argumentum est illud Lucani,

Ignotum vobis Arabes venistis in orbem.

Istis ergo hæc regina imperabat. Nam, vt ait Claudianus.

—— Medū, Ieubusque Sabais
Imperat hic sexus, Reginarumque sub armis
Barbaria pars magna iacet ——

in Eutrop.

Fortassis fuit iuncta coniugio, sed istis Arabiæ regibus nunquam regiam exire licebat, ne à populo lapidibus obruerentur, iuxta vetus quoddam oraculum, vt scribit Diodorus Siculus. Sed quæ viæ huius ac longinquæ peregrinationis causa fuerit, quisve apparatus, breuiter dicamus.

III. Causa peregrinationis huius reginæ. *3.Reg.10.1 2.Par.9.1*

Regina Saba inquit Scriptura, *audita fama Salomonis in nomine Domini, venit tentare eum in ænigmatibus.* Famam per facile accipere potuit à Salomonis classe, quæ totum sinum Arabicum, totamque oram occiduam & meridianam felicis Arabiæ quotannis præterue hebatur. Audita fama Salomonis, aut Abulensis, & fama Dei Israel, quod faceret mirabilia præ omnibus Dijs, venit ad adorandum, quam eius deuotionem illa verba significant. *Sit Dominus Deus tuus benedictus cui complacuisti.* &c. Baronius significat, ita eam venisse in nomine Domini, quasi arbitraretur nomen Salomonis esse nomen Domini, illius scilicet de quo Balaam vaticinatus olim fuerat. Quod sic interpretor, Reginam de Salomone quasi de Christo sensisse. De Christo tamen non vt incarnato Deo, sed vt maximo sapientissimoq; principe, qualem Hebræi passim tot seculis crediderunt, atque etiam nunc miseri credunt. Itaq; eodem modo venerit illa in Iudæam in nomine Domini, quomodo Simeon in spiritu venit in templum, hic Christum visurus & amplexurus; illa Christi figuram visura, & venturi veritatem agnitura, atque amplexura, etsi id ipsa non cogitabat, cum se in viam dedit.

9.3.in c.1 3.Reg.

An quasi ad Messiā veneret.

Luc.2.27.

IV. Aduenientis apparatus. *3.Re.10.*

Aduenientis apparatus ita à Scriptura describitur; *& ingressa Ierusalem multo cum comitatu & diuitijs, camelis portantibus aromata, & aurum infinitum nimis, & gemmas pretiosas venit ad regem Salomonem.* Verisimile est eam maritimo itinere venisse vsque ad Asiongaber, maxima parte felicis Arabiæ circumlustrata: ibique Salomonis classem conspexisse. Inde oneribus in camelos impositis, terrestri itinere venisse: & multis militibus, multa nobilitate, multis cutribus & quadrigis, Hierosolymam, quasi triumphantem inuectam esse, & ibi à Rege honorificentissimè acceptam. Iam verò quæ Hierosolymis Salomonem inter & reginam tractata fuerint, facile ex ipsa Scriptura colliguntur. quæ quatuor de Regina tradit, quæ proposuerit Salomoni ad tentandam eius sapientiam, quæ ibidem viderit, quæ Regis laudandi causa dixerit, quibus eum muneribus affecerit.

V. Proponit Regi ænigmata. *3. Re.4.11*

Primum igitur *locuta est ei vniuersa quæ habebat in corde suo*: obscuras scilicet quæstiones, ex intimis naturæ arcanis petitas proposuit, de quibus à Salomone disputatum fuisse Scriptura tradit, cum ait ilium disputasse super lignis, à cedro vsque ad hysopum, & disseruisse de iumentis & volucribus, & reptilibus, & piscibus. Sed quæ fuerint ista reginæ ænigmata, & quæ eorum regis explicatio; nam *non fuit sermo qui Regem latere posset, & non responderet ei*, noluit diuina sapientia posteritati tradi: mundum relinquens disputationi sapientum, hoc spiritali pane, insudore vultus sui, vescentium. Rationi etiam consonat propositas ab ea quæstiones, ad fidei Christique venturi mysteria pertinentes, quandoquidem ex aliquot antiquorum Patrum auctoritate constat, eam ad veri Dei cultum esse traductam. Eoque spectare potest illa Christi Domini vox, *Regina Austri surget in iudicio cum generatione ista, & condemnabit eam*, &c. Itaque Beda eam sanctam & electam vocat, & cum bonis ait resurrecturam.

&quæstiones de fide.

Vide Annal. hoc anno. 25. Matth. 12. 42. Luc.11.31. & ibi Beda

Hæc prima admirationis Reginæ causa: sed vilissimi non minorem suppeditauit stuporis materiam. Nam subditur: *Videns autem Regina Saba omnem sapientiam Salomonis*, in propositis videlicet quæstionibus accurate dissolendis. *Et domum quam ædificauerat*, non solum regiam, sed multo etiam magis templum Domini, omnemque illius apparatum ac magnificentiam, quæ omnem superabat admirabilitatem, & in illa contemplata est, *cibos mensæ*

VI. Miratur Regis ædificia, & œconomiā.

eius,

eius, & habitacula seruorum, & ordines ministrantium, vestesque eorum, & pincernas, in hac autem *holocausta, quæ offerebat in domo Domini, non habebat vltra spiritum*: præ stupore videlicet, dum alia ex alijs admirabiliora succedunt: sed ordines etiam omnium, qui tam in regia, quam in æde sacra ministrabant, admirata est; quomodo scilicet in tanta multitudine, nulla confusio, nulla ministrorum perturbatio contingeret; quod illa fortasse in famulis suis desiderabat.

VII. Et laudicat. Deũ quę laudat. 3. Reg. 10. 6. 7. 8

Vbi autem resedit paululum stupor, cum primum fari potuit, in has voces erupit, *Verus est sermo quem audiui in terra mea, super sermonibus tuis, & super sapientia tua*: imò & famam vicisti virtutibus tuis. *Vidi enim oculis meis, & probaui, quod media pars mihi nunciata non fuerit.* Itaque, *Beati viri tui, & beati serui tui, qui stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam.* Huius enim vitæ felicitas in possessione sapientiæ posita est, cuius illi participes fiunt, qui tibi assistunt. Eius autem illico agnoscit ac prædicat largitorem Deum. *Sit*, inquit, *Dominus Deus tuus benedictus*, neque enim humana industria talis sapientia acquiri potest: sed is se præstitit in te liberalem, *quia complacuisti ei.* Et posuit te super thronum Israel, eò quod dilexerit Dominus Israel in sempiternum. Argumentum enim diuini amoris in populos est, quod eis bonos principes largiatur. Et contrà Deus *regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi.* Postremo *constituit te regem*, inquit, *vt faceres iudicium & iustitiam.* Neque enim propter teipsum factus es rex, sed ad vtilitatem populi tui, in quo supremum magistratum geris.

Dei amor in populos auctitas qui agnoscatur. Iob 34. 30.

VII Reginæ munera. 3. Reg. 10. 10.

Reliqua sunt munera à Regina Salomoni tradita. *Dedit ergo*, ait Scriptura, *regi 120. talenta auri, & aromata multa nimis, & gemmas pretiosas. Non sunt allata vltra aromata tam multa*, neque talia, *quam ea quæ dedit Regina Saba regi Salomoni.* Sed regis magnificentia nequaquam se à regina vinci passa est. Nam primo nihil petijsse ab ea legitur, sciens beatius esse dare, quam accipere. Secundo quod vltro petenti nihil negauit, aut vltro potius obtulit, quæ muliebri cupiditati placere cognoscerer: in quibus minimè numerauerim, cum quibusdam prolem ex ea genitam. Iniustum enim videtur Reginam boni apud omnes antiquos nominis, sanctam & electam, & sapientiæ amore flagrantem, denique ab ipso Christo commendatam, adulterij ream facere. Nec Salomonis pietati consentaneum est, vt quam reginam ad veri Dei cultum recens traduxerat, eandem, præter hospitij iura violata, turpissimo flagitio polluerit. Denique hoc totum commentum euertit sententia de Arabica Saba, non Æthiopica, quam vt certiorem, verioremque secuti sumus.

An prolẽ ab eo suscepit.

IX. Munera mutua Salomonis. 2. Par. 9. 12.

Salomonis potius erga reginam magnificentia ex eo agnoscitur, quod non solum splendidis quotidie epulis regio sumptu atque apparatu eam excipiebat, gratiosissimisque sermonibus, & multiplici abstrusarum rerum cognitione reficiebat, sed multo etiam plura ei antidotalia largitus est, quam illa ad eum detulisset: vt Scriptura testatur. Quid autem dederit quis coniectura assequatur? Legimus apud Iosephum, reginam maxime admiratam domum saltus Libani, vbi agitabantur conuiuia: ibi tota supellex erat aurea, ars illicio elaboratissimo. Quid si eam illi dono datam dicamus à Salomone, qui persimilem legimus Cleopatræ aduersus M. Antonium magnificentiam? Digna Salomone fuerint ista apophoreta, quando in diebus eius argentum pro nihilo reputabatur, tantaq; erat abundantia argenti Hierosolymis, quanta & lapidum, quod tamen auxesi non carere certum est. Atque ita reuersa est Regina in terram suam, cum seruis suis.

Athen. l. 4. c. 7.

2. Par. 9. 20. & 27. 3. Reg. 10. 20. 27.

ANNVS MVNDI 3048.

SALOMONIS 29. SADOCI 28.

LAOSTHENIS 20. Imperij Assyrior. 1117.

ANTE CHRISTVM 1005.

I. Initia ruinæ Salomonis. *l. 8. c. vlt.*

HVnc & sequentem annum initijs ruinæ Salomonis probabiliter cum Pineda tribuimus, quando certior temporis ratio non occurrit. Nam Scriptura laxius notat tempus senectutis eius. *Cumque iam esset senex depravatum est cor eius per mulieres.* Agebat autem nunc ætatis annum quadragesimum nonum, sed mollicie & delicijs senectus acceleraverat. Cum ergo immenta iampridem rerum abundantia Salomon, & otio, altissimaque pace vbique frueretur, omnibus cum regibus ac principibus, quasi quoddam terrestre Numen venerantibus, crebris muneribus, omnique obsequio prosequentibus, in superbiam, initium omnis peccati, vt Syracides fatetur, abreptus est infelix: & contra Dei legem fuæ confisus sapientiæ, multiplicauit sibi equos & quadrigas, & congregauit vxores plurimas, etiam alienigenas, & auri argentique immensa pondera. Itaque abundante otio, fabricis domesticis exterisque, & peregrinationibus absolutis, sese voluptatibus dedere cœpit impensius, *Dixitque in corde suo, vadam & affluam diuitijs, & fruar bonis. Et vidi*, sed nimium sero, *in omnibus vanitatem & afflictionem animi.* Dia enim impleuit illud, *omnia quæ desiderauerunt oculi mei non negaui eis: neque prohibui cor meum*, imo neque corpus, *quin omni voluptate frueretur, & oblectaret sensus, quæ præparaueram.* &c.

c. 10. 15. *Deut. 17. 16. 17.*

Eccl. 2. 1. 11.

Cæterum cum multa essent, quæ in Salomone reprehendi poterant, Scriptura vnum omnium maximum elegit, quod in eo accusaret, quod scilicet Deos alienos coleret. Et etsi multas causas referre potuisset, quæ infelicem principem ad eam voraginem præcipitarunt, vnam tamen libidinem accusauit, tribus ex capitibus criminosam; quod mulieres alienigenas adamauit, & quod multas, & quod ardentissimo amore copulatus est eis. Quod autem inter alienigenas principem locum tribuat filiæ Pharaonis, dat suspicionem non leuem, quasi ea mulier ad pristinam superstitionem redierit, ad eamque miserum Salomonem traduxerit. Vtrum autem reliquæ vxores Moabitides & Ammonitides, & Idumææ, & Sidoniæ, & Hethææ patriam superstitionem abiecerint, obscurum est. Credibile tamen est eas

II. Eius idololatria orta ex libidine. 3. Reg. 11. 4.

esse crediderim, quod & templa magna non essent, & fabricæ incredibili fœminarum sollicitudine, & mutua earumdem æmulatione properarentur: quæ cum primùm Dei cultum negligenter vsurpassent, deinde plane deseruissent, postremo patriam superstitionem postliminio reuocarunt.

II. Eã mulieres ab eo extorquent.

Vidit id Salomon, dissimulauit, passus est, deniq; approbauit: ratus fortasse, langueſcēte iam Dei timore, & obtorpescente sapientia, Dei cultum cuilibet liberum esse relinquendum, quod pleriq; postea hæretici, & senserunt, & alijs persuadere voluerunt. Postquam huc ventum est, pronum fuit ad deteriora gradum facere. Istarum enim reginarum vna aliqua, quæ regi maxime in delicijs fuit, siue ea Ægyptia fuit, siue Sidonia, non minus artificiosa, quam flagitiosa oratione à Salomone postulauit tanum tibi aliquod excitari, in quo Deo suo ritu patrio famulari posset. Ille iamdudum captiuus, & implicatus laqueis, quos sibi ipse nexuerat, frigide negat, dissimulat, verecundatur, differt, periculum grauioris seditionis obtendit. Illa dies noctesq; apud eum plorat, adhibet deprecatores parentes, atque consanguineos, aliasque eiusdem sectæ Salomonis amicas, nec spatium ad tantillam quietem tribuit.

III. Eisq; fana idolorum ædificat.

Denique *defecit anima eius*, non minus quam Samsonis, improbissima mulieris importunitate, *& vsque ad mortem lassata est*. Dat manus, fanũ excitari permittit, sumptuq; suppeditat. Sed ecce tibi reliquarum vxorum examina, in tot distincta turmas, quot diuersos colebant Deos, Salomonem inuadunt, orant, oblectant, obtestantur, queruntur, æmulantur, indignantur: deniq; exorant, impetrant suis quæque locis ædificandi potestatem: pecuniam in fani sumptus contribuunt, & à rege, atque amicis vndiq; corrogant: materiam comportant, fundamenta iaciunt, muros excitant, opus vrgent studio contentiosissimo, labore pertinacissimo, diligentia incomparabili. Dæmon quippe & opifices, & architectos, & reginas, & regem ipsum iam habebat in potestate. Quid multa? fana perficiuntur, ornantur, excitantur aræ, idola cuduntur, suis adytis collocantur, à reginis primò, tum earum rogatu, à rege inuisuntur, honorantur, incestis denique sacrificijs coluntur. Hic Salomonis nequitiæ, & pudendæ præuaricationis probabilis cursus fuit.

IV. An extrinsecus tantum idola coluerit.

Dubium tamen est an ad speciem tantum externam Salomon idola coluerit, interius nihilominus in vera fide ac religione persistens, an vero etiam fidei in corde suo iacturam fecerit, & ex animo idola coluerit. Rem in vtramque partem disputatam, & idoneis firmatam autoribus studiosus Lector in Annalibus reperiet. Hic dico breuiter, eum errore quoq; mentis deprauatum videri. Quæ videtur aperta Scripturæ sententia. Ait enim. *Cumque iam esset senex, deprauatum est cor eius per mulieres, vt sequeretur Deos alienos, nec erat cor eius perfectum cum Domino Deo suo, sicut cor Dauid patris eius. Sed colebat Salomon Astarthen Deam Sidoniorum, & Moloch idolum Ammonitarum, &c.* Vbi vides, & internum cordis errorem, & externam erroris professionem accusari. Et paulò post: *Igitur iratus est Dominus Salomoni, quòd auersa esset mens eius à Domino Deo Israel.* Non corpus ergo tantũ, sed mens ipsa idololatriæ sordibus pollura fuit.

An. Salo. 35. n. 8. & seqq.

An ex animo potius.

Eiusdem quoque scelere strages animorum late grassata est in populo Dei. *Tunc* enim *ædificauit Salomon fanum Chamos idolo Moab, in monte qui est contra Ierusalem*, ab oriente scilicet, qui mons est Oliueti: *& Moloch idolo filiorum Ammon. Atque in hunc modum fecit vniuersis vxoribus suis alienigenis.* Non est existimandum singulas hasce mulieres sua peculiaria templa deosque habuisse, sed multas eidem deo, deæue addictas, eodem fano vsas esse. Itaque Abulensis sena putat fana excitata circa Ierusalem; quot scilicet alienigenæ gentes hoc loco numerantur, ex quibus Rex acceperat vxores. Nullum tamen in ipsa vrbe sancta videtur excitatum, vt temporibus Achaz & Manasse: id enim Scriptura non minus in Salomone, quam in illis reprehendisset, quorum temporibus solutis habenis idololatria bacchabatur.

V. Quot fana videntur ædificasse.

3. Reg. 11. 7.

Nec desunt qui eum filios suos idolis consecrasse putent, eo quod illum profanasse lemen suum Scriptura testetur: cui opinioni fauet paucitas liberorum eius, in tanto vxorum & concubinarum exercitu. Putent etiam non improbabiliter eum diabolicæ magiæ deditum. Magia enim & Idololatria cognatæ sunt artes, satisque intelligitur hominem infatuatum, & diuina sapientia, per insanam mulierum consuetudinem, spoliatum, ad diabolicam confugisse, & per dæmones curiosa & inconcessa fuisse scrutatum. Amissam enim ab eo sapientiam testantur, Ambrosius, Augustinus, Cyprianus, Prosper, Isidorus, Gregorius, Basilius, quos in Annalibus retulimus. Quin etiam putat Pineda plurimas vxores Salomonis idolis addictas, etiam veneficijs operam dedisse, vt sibi Salomonem singulæ præriperent. Quod inter eas tanto maius certamen erat, quo plures de vno eodemque infatuato viro, & malis artibus apprimè obnoxio decertabant: itaque & mille veneficijs implicatum fuisse.

VI. Magiæ fuisse deditum, *Ecc 47. 22. vide Annal. n. 22.*

l. 7. c. 12.

& veneficijs implicatum.

Nihil ergo mirum si tantum ab illo Salomone mutatus, etiam gloriam & existimationem omnem, apud domesticos, & subditos primùm, deinde apud alias circumquaque nationes amisit: præsertim cum ista libidinum voragine nihil sit contemptius, nihil abiectius: & cætera inde orta mala non paucorum dierum, sed multorum annorum fuerint: & infamia latius celeriusque diffundatur, quam gloria: quæ est hominum in male loquendo, audiendoque procliuitas. Non dubitauerim tamen hoc tempore, tam summum Sacerdotem Sadocum, quam Nathanem prophetam, qui multum apud regem gratia, & autoritate valebat, si tamen is adhuc in viuis fuit, aut certe Ahiam Silonitem non semel Salomonem monuisse, rogasse, atque obsecrasse per omnia diuina, atque humana iura, vt respiceret aliquando se, & à tam perdita vita resiliret. Sed frustra omnia, nondum enim insonuerat grandi clamore Dominus in cor eius: sine quo surdæ sunt peccatorum aures ad pœnitentiam;

VII. Labotat infamia & contẽptu.

Frustra monetur à suis.

Non distulit tamen diu, vt ex sequenti anno intelligetur.

ANNVS MVNDI 3057.

SALOMONIS 38.

SADOCI 37. TEMPLI 35.

LAOSTHENIS 29. Imperij Assyr. 1126.

ANTE CHRISTVM 596.

I. Deiin Salomonẽ ira, quam iusta.

CVm peccata regis multiplicarentur in dies, stupor mentis & corporis augeretur, voluntatis pertinacia in malis suis obrigesceret, scandalum domi forisque cresceret, seruorum Dei monita irrita funderentur, *Iratus est*, ipsemet *Dominus Salomoni*, *quod auersa esset mens eius à Domino Deo Israel, qui apparuerat ei, & secundo praeceperat ne sequeretur Deos alienos*: Diuinæ iracundiæ, siue imminentis animaduersionis, quam ira significat, causa fuit auersio mentis eius à Deo; in qua odium quoddam, & contemptus tantæ maiestatis includitur. Sed itam vehementer exaggerat circumstantia ingratitudinis Salomonis, quem Deus apparitione, colloquio & familiaritate sua dignatus fuerat, quem grauiter & paterne de hac ipsa culpa vitanda, cum multa pœnarum intetminatione monuerat, cui tantam sapientiam, gloriam, diuitiasque contulerat, quem ad excitandum sibi templum magnificentissimum, præ ipsius parente elegerat, illudque iam excitatum sibi acceptum esse præsentia sua, verbis, miraculisque declarauerat.

3. Reg. 6. & 9.

II. Ab eodẽ per prophetã regni diuisio prænũciatur.

Sub hoc itaque tempus regni Salomonis, apparet factam diuinitus reprehensionem, suscitatosque illi aduersarios, sequenti anno resipuisse, & egisse pœnitentiam, damnis publicis, scandalisque reparandis: quadragesimo denique defunctum esse. Facta autem videtur reprehensio non ab ipso Deo, qui præ se ferebat iracundiam, & inimicum suum præsentia & colloquio merito indignum ducebat, sed per Ahiam prophetam, vt plerisque visum est, vt totum hoc negotium de regni diuisione, tam Salomoni, quam Ieroboamo denuncianda, eidem prophetæ commissum fuerit. Per illum igitur hæc dixit Dominus Salomoni: *Quia habuisti hoc apud te*, siue quia ita te gessisti, *& non custodisti pactum meum, & præcepta mea, quæ mandaui tibi, disrumpens scindam regnum tuum, & dabo illud seruo tuo. Verumtamen in diebus tuis non faciam* diuisionem hanc, *propter Dauid patrem tuum*, qui te regem constituit, & viuens suo in solio collocauit, & in cuius decus hæc regni distractio videretur redundare. *De manu filij tui scindam illud: nec totum regnum auferam, sed tribum vnam dabo filio tuo*, præter eam scilicet, nimirum in qua ipse natus est, vt Iudam regat & Beniamin, *Propter Dauid seruum meum*, qui apud me promeritus est, ne penitus de ipsius stirpe regnum auferam, *& Ierusalem, quam elegi*, in caput regni populi mei, & domicilium sanctitatis, multorumque iustorum.

3. Reg. 11. 11.

III. Tristitia Salomonis

Fructus tam tristis vaticinij nullus extitit in præsens, neque enim ad pœnitentiam hoc anno confugit, in quo etiam Ieroboamum, quem Deus regem destinauerat, occidere voluit, vt pridem Saul Dauidem: idq; siue desperatio animi, siue quia nondum satis edomitus malis, non didicerat humiliari sub potenti manu Dei. Cumque iamdudum animo sibi male conscio vehementer angeretur, his tamen nuncijs mœror ille vehementer increuit, agnita diuinitus distractione regni sui, tanta vt decem illius partes sibi essent perituræ: eamque cladem esse in ianuis, quippe qui se iam animo & corpore deficere sentiret. Vidit quoq; hanc tantam regni florentissimi labem, & intestina bella inter vtramque regni partem suorum esse peccatorum pœnam: nec potuit quin ægerrime ferret, etsi nondum dolore tangeretur, qui est secundum Deum, sed propter tam luculentam cladem, & infamiam fortasse nomini suo inurendam.

IV. Deus illi aduersarios suscitat, Adadum Idumæum.

Non diu porro distulit Dominus minas in rem ipsam conferre, & turbulentos depraua-ti animi motus, externis quoque morbus vehementius quatere ac conturbare. Tres quippe aduersarios ei suscitauit, qui in eius perniciem conspirarent. Primus fuit Adad, secundus Razon, tertius Ieroboam. Adad quo tempore vastata est Idumæa à Ioabo, anno Dauidis 15. infantulus ab amicis patrijs delatus est in Ægyptum. Inde anno Salomonis tertio, trigesimum circiter agens annum, vt ait Abulensis, amore patriæ in Idumæam venit, vbi, cum bona venia Salomonis, interuentu Phataonis, qui vtrumque sibi affinitate coniunxerat, videtur regnasse tributarius, vt olim sub Dauide; nihil enim ab eo tempore in Idumæa turbarum inuenitur: donec vltimis hisce temporibus infatuatum, & factum contemptibilem vexauit, negando, vt arbitror, tributa, aut minuendo quæ ille augere cupiebat.

V. Razonẽ Syrum.

3 Re. 11. 23.

Razonis historia propter brevitatem obscurius habetur in Scriptura. Res sic habet. Cum Dauid anno regni sui decimo quarto contra regem Syriæ Adarezer bellum gereret, Razon vnus de ducibus Adarezer, inclinata iam acie, & victoria ad Dauidem vergente, relicto Domino suo fugit è prælio: moxque fugitiuis congregatis, factus est eorum princeps, & Dauidem tum Syriæ victorem, latronum more circumcursans & prædas agens vexabat. Mox etiam clandestina consilia cum indigenis agitans, Damascum Syriæ metropolim occupauit, Dauidique eripuit: ibique rex factus est. Itaque cum bellum Dauidi redintegrandum esset contra Syros, qui non sine causa sibi à fortissimo bellatore male metuebant, pacis conditiones Dauidi vtiles obtulerunt, admiserunt enim præsidium Israelitarum, & tributarij facti sunt: quod cum Dauidi placuisset, eum Damasci regnare permisit. Stetit autem in fide tam ipse, quam successor eius, toto reliquo tempore Dauidis, & maxima parte regni Salomonis, donec in contemptum venit. Tunc enim Razon in libertatem intentus, consilijs cum Adado communicatis, defectionem ipse quoq; aggressus est. Forte etiam præsidio Israelitarum deleto, vt Salomon contra quem bellum primum gereret non haberet, homo præsertim bellorum insolens, animo ignauus, corpore inualidus, & suis parum charus.

VI. Ieroboamũ Ephraimitam

Nec satis fuit Salomonis malis, à dextris & à sinistris nouos habere aduersarios, etiam domesticum illi Dominus suscitauit hostem.

qui

qui iugulum ipsum regni peteret, & ad quem collatu reliqui, ludus foret. Hic fuit Ieroboam filius Nabathi & Saruæ, de tribu Ephraim, & Sareda ciuitate, quæ tribus sæpe ambitionis notata est. & ingenij turbulenti. Nabath porro tradunt Hebræi apud Hieron. eundem esse cum Semei de Bahurim, maledicum scilicet illum, quem Salomon iussit interfici. Inepti, qui non attendant istum de tribu Benjamin, & de cognatione Saulis: Nabath autem fuisse Ephraimitam Scriptura clamat. Cum ergo Ieroboam ante annos aliquot regi operam nauasset in ædificatione Mello & coæquatione voraginis eius, Salomon agnita eius industria in illo negotio, præfecit eum tributis duarum tribuum Ephraim & Manasse, quæ dignitas fuit dispositio antegressa, & præparatio quædam ad rebellionem, licet de ea Ieroboam, tunc ne cogitaret quidem; donec ad eum venit Ahias propheta Silonites.

Trad. in 3. Reg. inst.

3. Reg. 11. 26.

VII. Cui Ahias propheta regnum prædicit. *3. Reg. 11. 29.*

Factum est igitur in tempore illo, quo scilicet Deus suscitabat aduersarios Salomoni, *vt Ieroboam egrederetur de Ierusalem, & inueniret eum Ahias Silonites propheta.* Et salutatum de via paulum seduxit in rus quoddam diuertens, semotis omnibus arbitris. Voluit enim Dominus secretam esse hanc regni denunciationem ad periculum vtriusque vitandum; ne re ad Salomonem delata, ambo ab eo interficerentur. *Apprehendensque Ahias pallium suum nouum, quo coopertus erat, scidit in duodecim partes.* Rebus prius quam verbis prophetare cœpit, vt inexpectata rei nouitate hominem suspensum redderet, cogitantem serio hic negotium agi. Ostendebatur autem eo facto, regnum nouum adhuc & integrum, quamprimum miserè lacerandum, & à proprio Domino abstractum, traditum iri alteri, qui nullum ad id ius haberet. Dedit autē decē scissuras Ieroboamo, cum hac denunciatione diuina. *Ecce ego scindam regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem tribus. Porro vna tribus remanebit ei*, vltra scilicet tribū Iuda, ad quā ille pertinet. Addit causam huius schismatis Idolatriam Salomonis: vt ipsemet, quem Deus excitabat ad regnum, ab ea pernicie caueret, tali exemplo perterritus. Et perpetuum regnum speraret, si Dauidis pietatem æmularetur.

Ioseph. l. 8. c. 2. fin.

VIII. Datur q; ei tantum ius in regnum.

Non potuit tamen iam nunc Ieroboam regnum in decem tribus vsurpare, & inuito Salomone se gerere pro rege, quia præsens traditio scissurarum non fuit quasi missio in possessionem, sed testificatio certitudinis, vt tam certus esset iam nunc se regem fore decem tribuum, quam certo haberet in sua potestate decem partes pallij. Res enim tota ad futurum refertur, vt verba ipsa promissionis clarè loquuntur. Itaque sicut olim Dauid reprobato Saule, ius habuit ad regnum, ita nunc reprobato Salomone, ius acquisiuit Ieroboam in decem tribus. Sed nec ille viuo Saule regnum inuadere potuit: nec iste viuo Salomone; sed vterque debuit expectare dum diuina prouidentia aditum sibi ad regnum, decessoris sui morte aperiret. Itaque si Ieroboamus hoc nixus vaticinio, populares suos ad defectionem sollicitauit, vt ait Iosephus, grauiter peccauit, & à Salomone tanquam reus maiestatis, capite plecti potuit. Sed ea ad defectionem inuitatio Iosephi est, non Scripturæ.

Sciebat quidem Salomon, ex allato sibi nuper vaticinio, regnum suum scissum iri, & decem partes vni de seruis suis datum iri, sed cum is in obsequio suo plurimos haberet præstantes viros, nesciebat in quem casurum esset oraculum. Audito autem facto Ahiæ & Ieroboami; attentum enim & omnia arrectis auribus subauscultantem reddiderant illæ minæ, tum demum vt Saul Dauidem, ita & Salomon Ieroboamum occidere voluit: qua voluntate à Ieroboamo vicissim cognita, *surrexit, & fugit in Aegyptum.* Quomodo ergo, inquies, ait Scriptura Ieroboamum, *leuasse manum suam contra regem, & rebellasse*, si populum non commouit aduersus Salomonem. Respondeo hoc ipso censeri, dicique rebellasse, Scriptura se ad hominum sensum captumque accommodante, quod Prophetæ regnum promittenti acquieuit, nec repudiauit, sed æmulum se potius legitimi regis exhibuit. Chaldæa quoque paraphrasis ait ipsummet Ahiam propheram à Salomone quæsitum ad necem, vt criminis eiusdem reum, eumque à facie Salomonis fugisse in Ægyptum; puta cum Ieroboamo, qui eandem periculi aleam adierat. Fugerunt autem ad Sesac regem Ægypti, quem apparet alium fuisse à socero Salomonis, cui Ieroboamo non aussus esset se credere.

IX. Ea res Salomoni innotescit, & Ieroboa fugit cum propheta.

Non cōcitauit populū.

In 8. Cāt. v. 12.

ANNVS MNNDI 3058.

SALOMONIS 39.

SADOCI 38. TEMPLI 36.

LAOSTHENIS 30. Imperij Assyriorum 1127.

ANTE CHRISTVM 995.

SI nunc aliquis eorum librorum extaret, qui de operibus primis nouissimisque Salomonis, à Nathan propheta, ab Ahia Silonite, & Addo vidente scripti sunt, plura & certiora de pœnitentia, vel perditione Salomonis tradi possent; apparet enim ab ipsis eum locum diligenter fuisse tractatum; aut certè à Scriptore libri, qui dicebatur; Verborum dierum Salomonis. Sed eos Dominus neque conseruatos voluit, neque rem ex sacris litteris esse plane exploratam, ad iustum mortalium terrorem. Itaque in eo argumento enucleando per coniecturas eundum est, videndumque breuiter; an pœnitentia Salomonis recte asseri prudenterque possit; id si constiterit, de tempore ipsius, ac modo aliquid dicendum erit. Omittamus porro breuitatis causa Scriptores in pœnitentia Salomonis ambiguos, quos studiosus Lector ex Annalibus petere poterit.

I. An Salomon pœnitentiā egerit. *2. Par. 9. 29.*

3. Reg. 11. 41.

2. 3. 4. & 5.

Nigrum calculum in Salomonem ferunt Gregorius magnus, libr. 2. Moral. Theodoretus in cap. 11. ad Romanos, quorum apertam sententiam in Annalibus reperies. Prosper

II. Qui perijsse putent. *v. 30. fin.*

pœnitentia, &c. l. 2. de Prædict. c. 27.

Aquitanicus, qui ait, *Salomonem fornicatum mente & corpore, Domino ipsum deserente, male obiisse*, quæ verba transtulit Ado in chronicum suum. Eucherius, Beda, Angelomus, Rabanus, vno ore in Salomonis impœnitentiam propendent, quod idolorum fana excitata non euerterit, quæ tanto post à Iosia rege destructa sunt. Abulensis ait certissime asseri posse Salomonem non pœnituisse. Idem sentit Perer. hoc argumentum ex professo tractans. Sentit & Bellarminus lib. 1. de verbo Dei c. 5.

2. Reg. 7. q. 15. Diss. 27. in c. 8. ad Romanos.

III. Qui putet egisse pœnitentiam.

Patrum autem salutis Salomonis atque pœnitentiæ, sunt in primis Septuaginta interpretes, quos refert S. Hieron. atque Salomonem licet offenderit Deum, postea egisse pœnitentiam, & scripsisse Prouerbia, in quibus ait, *nouissime ego egi pœnitentiam, & respexi vt eligerem disciplinam*, &c. Quæ verba Hieronymus ex Septuag. transtulit, quæ nunc quoque leguntur in editione Sixti. Quo loco Cyrillus quoque Hierosolymitanus vtitur ad probandam Salomonis pœnitentiam, quos sequuntur Isidorus & Beda. Ex quo intelligi potest Sanctos illos Ecclesiæ Patres, qui versionem Sptuag. virorum pro Scriptura habebant, eam sententiam pro Scripturæ sententia accepisse. Eadem sentit S. Hieronym. multis alijs in locis, eumque etiam Sanctis aggregat, sicut & Sanctus Ambrosius, & S. Hilarius, & Isidorus l. de vita & morte Sanctorum c. 34. Adde Epiphanium & Irenæum, Bachiarium & Tichonium, Gregorium Thaumaturgum, qui subscribit cum Hieron. communissimæ illi Hebræorum traditioni de Ecclesiaste à Salomone pœnitente conscripto; subscribunt quoque SS. Thomas & Bonauentura, alijque plurimi, quorum aut ipsa verba, aut certam sententiam in Annalibus perscripsimus. In quibus eminent in primis Pineda, atque Serarius, qui hoc argumentum ex professo tractarunt.

Cateches. 2.

Vide Ann. n. 10. 11. 2. Apol. Dauid. c. 3 in Ps. 126.

IV. Quæ rationes pro salute Salomonis faciãt.

Hoc ergo primo fundamento nititur mitior hæc de Salomonis salute sententia. Alterum petitur ex diuinis promissionibus ipsi factis. Illa nominatim, quæ vltro à Deo parenti eius facta est, *Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium*. Id est, iam nunc eum mihi destino in filium, quem amem vt filium, cui prouideam vt filio, cuius peccata castigem, non vt hostis, sed vt filij, quem pater ex amore corripit. Vnde sequitur, *qui si inique aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum*. Id est, temporalibus pœnis, quales solent homines infetre, non autem plaga inimici, & castigatione crudeli, qualem expertus est Saul, quem communissima sententia perijsse putat. Quod autem sancti Patres hanc promissionem de Christo Domino fere interpretantur, non impedit quo minus de Salomone quoque ad litteram accipiatur. Præsertim cum aliqua ipsi soli & maxime conueniant, vt, *si aliquid iniquè egerit*, &, *ipse ædificabit mihi domum*, &c. Hoc quoque illud facit, quod Roboam dicitur cum populo Iuda ambulauisse in vijs Dauid & Salomonis, annis tantum tribus. Viæ igitur Salomonis perinde ac Dauidis probabantur. Quod dici non posset, si postremos annos totos in idololatria posuisset, in eaque decessisset. Denique, vt ait S. Bonauentura, sine exemplo est vt Scripturæ sanctæ author aliquis particularis perierit. Itaque ad Salomonem quoque pertinet illud Apostoli Petri, Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines. Postremo profert Pineda libros plumbeos Granatenses Arabicè scriptos, in quibus Salomonis pœnitentia sic habetur. *Et fleuit seculus suum fletu vehementi, & condonatum est illi, & obiit fidelis, & securus.*

Ier. 30. 14. vide Anal. an. n. 1979. n. 127. &c.

2. Par. 11. 17.

2. Pet. 1. 22.

l. 8. c. 1. n. 73

V. Refutantur contrariæ rationes.

Nam quod aiunt, qui contra sentiunt, Scripturam eius pœnitentiæ non meminisse, argumentum ab authoritate negante petitum est: neque fas est condemnare omnes, quorum pœnitentia scripta non est, puta Samsonem, Lothum, Bethsabæam, &c. quamquam authoritas Septuaginta interpretum instar Scripturæ est. At excitata idolorum fana non dirui, vt verum pœnitentem oportebat. Respondetur Salomonem fana illa euertisse, sed post Ezechiam fuisse iterum excitata, super eadem Salomonis fundamenta. Dici etiam potest eum ab vxoribus, & principibus viris, & à populo ipso, ad idola natura sua prono, impeditum fuisse ab euertendis delubris; præsertim cum iam delirare putaretur, & haberi contemptui, propter insanum mulierum amorem, cœpisset. Denique verba illa Dauidis ad filium, *si dereliqueris eum, proijciet te in æternum*, comminationem continent non prædictionem: sunt enim parentis mature præmonentis filium de futuro periculo, & perterrefacientis adolescentem magnitudine mali proposita, atque exaggerata. Promissa vero per Nathan misericordia, tam de regia successione, quam de æterna felicitate intelligi debet, ex opposita comparatione cum Saule, qui vtramque amisit.

1. Par. 28. 9

VI. Tempus pœnitentiæ eius. in Chron. Hebræor.

Quod ad tempus pœnitentiæ huius attinet, eam hoc anno inchoatam, & sequenti cum morte terminatam, cum Pineda sentio. Sufficiunt etiam hi duo anni scribendis tribus libellis, quos Hebræi constanter tradunt à pœnitente fuisse conscriptos. Sufficiunt etiam parando sepulchro. Denique vt publicè apud omnes domesticos, subditosque, aliosque longe lateque positos, ad quos peruenerat infamia Salomonis, constare posset, eum suæ nequitiæ, atque idololatriæ pœnitere, male facta damnare, in patria religione, patris sui fide, veri & vnius Dei cultu, reliquam vitam velle ducere, & emigrare.

VII. Ordo & modus eiusdem.

De modo eiusdem pœnitentiæ ac reuersionis hæc valde probabiliter dici possunt; mox à seuero Ahiæ Prophetæ vaticinio perturbatæ conscientiæ stimulos diuinitus excitatos, qui neque noctu, neque interdiu quietem vllam permitterent. Secundo coniectos mentis oculos in turbatum iam Reipub. statum, tribus simul aduersarijs diuinitus exsiccatis, & non ità multo post luctuoso schismate lacerandum. Tertio tristissimam in seipso commutationem agnoscebat, sapientiam, gloriam, magnificentiam, pietatem, pudorem; in summam dementiam, infamiam, contemptum, impietatem ac nequitiam esse commutata. Quarto sentiebat varias intemperatissimi corporis ægritudines, quæ simul imminentem mortem nunciabant, & de seueriſſimo Dei iudicio perterrebant. Ad quæ cum accederent domesticæ Sacerdotum, Prophetarum & omnium bonorum voces, qui apud eum gratia valebant, & nominatim Sadoci pontificis, à quo fuerat inunctus in regem; &

quod

quod caput est, interior illa, potentiorq; Dei vox dedit manus, & cum Paulo exclamauit, *Domine quid me vis facere?* aut, vt ait Chrysost. sublimem illam, & cœlis dignam emisit vocem, *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.*

VIII. Concio pœnitentis ad populum.

Verum quoniam non oportebat, quod publicæ vtilitatis intererat, pœnitentiam hanc secretis cubiculi parietibus contineri, Salomon ad retractanda turpissimæ vitæ scelera coram vniuerso populo sese ardentius excitat, omnium ordinum conuocat concionem: Ibi vanitatem vanitatum deplorat, idololatriam præsertim, omnium vanitatum ac mendaciorum scelestissimam. Ibi lugens confitetur, vanitatem deliciarum, voluptatum, diuitiarum, & inanissimam omnium rerum caducarum felicitatem, gloriæ quoq; & existimationis, ipsius denique scientiæ, ac sapientiæ, quæ timore Domini destituta sit. Pronunciat sibi certum esse à tanta tamque multiplici vanitate resipiscere, idololatriam exterminare, nequissimis voluptatibus nuncium remittere, diuinam misericordiam implorare, totumq; se pœnitentiæ dedere. Itaque orat, vt qui sibi peccandi vel comites fuissent, vel ministri, ijdem se placandæ diuinæ iustitiæ, quæ regno vniuerso ingentem calamitatem intentabat, socios exhiberent.

IX. Euentu diuerso, improbatum.

Finitam concionem variæ excipiunt voces, varij animorum motus, piorum applaudentiũ & laudantium Dominum; impiorum murmurantium atq; frementium. Indignantur reginæ & concubinæ alienigenæ, tam inopinato perculsæ malo, & omnia per se suosq; miscere parant, si Salomon suos ipsis Deos auferre moliatur. His plurimi iunguntur optimates, qui turbas ingentes, ac totius populi defectionem minantur, & ipsius templi iniuriam aliquam, si tot Deorum fana disturbare moliatur, nec ipsum satis à violenta morte tutum esse, qui tot sibi domi suscitet inimicos. Deniq; suadent vt rem saltem ad matutiora consilia differat. Hæ igitur causæ videntur idoneæ non succisorum lucorum ac fanorum: vt scilicet dum rei executio in dies trahitur, superueniens Regis interitus, sanctum eius propositum disiecerit.

X. Et probatium defleri idololatriam.

Probabilius tamen videtur rem executioni mandatam, ipsaque delubra disturbata, ac solo æquata. Non enim probabile est maiorem populi, aut ipsius principum eius partem, tam cito idololatriæ peste fuisse corruptam, sed minimam partem potius, aulicam scilicet otiosam, & mulierosam. Eam autem quæ multos annos cum Dauide, multos cum Salomone castè sanctèq; traduxerat, stetisse animis totam; & diuino intus operante numine, & zelo diuini honoris, legis, ac templi sacrosancti animosius æstuante: Pontifice, Sacerdotibus, ac Leuitis agentibus, operam omnem regi atque Pontifici, omnemque industriam prolixe obtulisse, & vero etiam contulisse. Atque ita euertisse statuas, disiecisse aras, succidisse lucos, templa disturbasse, neque tamen funditus eruisse, sed reliquisse, Domino permittente, quæ forent in posterum Salomonis stultitiæ & resipiscentiæ testes. Eas reliquias Ezechias sine peccato contemnendas censuit, quas Iosias ingenti pietatis ardore, delendas, & locum illum polluendum, ad detestationem præteritæ impietatis, sanctissimè curauit.

Itaque factum videri.

Interea nemo, qui in Salomonis pœnitentiam consentiat, merito dubitare poterit, quin is, non minus quam Achab, scinderit vestimenta sua, operuerit cilicio carnem suam, ieiunauerit, dormierit in sacco, & ambulauerit demisso capite. Quin cum parente Dauide laboratit in gemitu suo, lauerit per singulas noctes lectum suum, lacrymis suis stratum suum rigarit: quin ieiunio ieiunauerit, & ingressus seorsum luce & hominum consuetudine abstinens, iacuerit super terram. Hebræorum certe traditio est, quam apud Bedam leges in fine tomi septimi, Salomonem quinquies tractum fuisse per plateas Ierusalem pœnitentiæ causa, & cum quinque virgis, siue virgarum manipulis, venisse in templum, ibique à legis peritis postulasse, vt verberaretur: sed illis renuentibus manum mittere in Christum Domini, à seipso acriter flagellatum fuisse. Probabilis est etiam, filiæ Pharaonis pœnitentia, vt quæ Salomonem valde dilexerit, ab eoque in primis dilecta fuerit: & æquum erat vt quæ illi ad peccandum præiuerat, sequeretur pœnitentiam.

XI. Exteri pœnitentiæ eius actus.

3. Reg. 21. 27. Psal. 6. 6. 2. Re. 12. 16.

Ex Hebræorum traditione.

Pœnitentia filiæ Pharaonis. Pineda.

ANNVS MVNDI 3059.

SALOMONIS 40. & vlt.

SADOCI vlt. TEMPLI 37.

LAOSTHENIS 31. Imperij Assyrior. 1128.

ANTE CHRISTVM 994.

PEruenimus ad vltimum vitæ & regni Salomonis annum, & vitæ quidem sexagesimum: (anno enim mundi ter millesimo natus est,) regni autem quadragesimum. Nam regnare cœpit anno 3020. ætatis vigesimo primo ineunte. De regni annis Scriptura dubitare non sinit, cætera satis stabilita sunt suis locis. Hoc porro tempore, quæ recte proximo anno inchoata fuerant, circa Salomonis pœnitentiam, aliorumque multorum, quos se illi comites dedisse, Deo cooperante credibile est, magno studio perficiuntur. Salomon in primis præteritæ vitæ detestationem, & veram in Deum conuersionem, publicè priuatimque verbis, scriptis, factisque protestatur: eoque studiosius, quo minus sibi viæ ac vitæ superesse intelligebat: & sicut animam diuino iudicio præparauit, ita moribundi corporis curam non neglexit. Sibi enim sepulchrum iuxta parentem suum, in monte Sion construi curauit, qui deinde factus est regalium sepulchrorum locus, in quem regum Iuda, posterorum Dauidis mortua corpora inferrentur.

I. Anni, Salomonis, & apparatus ad mortem. 3. Reg. 11. 42 2. Par. 9. 30

Mortuum fuisse Salomonem varijs afflictum morbis, quos partim intemperantia peperĕrat, partim Deus vltor peccatorum eius immiserat, vero simillimum est. Accedente præsertim multiplici mœrore, tam de culpis hactenus contractis, quam de pœna, quam sciebat in maximum totius regni malum redundaturam. Neque vero dubium est, quin morti proximus

II. Mortis causæ proximæ.

Admonet Roboamum.

Roboamum filium iam grandem natu ad se aduocarit, multaq; sapienter præmonuerit de timore & cultu Dei, de reliquijs idololatriæ funditus euertendis, de vitandis mulierum, præsertim alienigenarum, illecebris, de subditorum benevolentia suaui gubernatione retinenda, augendaque, alijsque id genus : quæ in altum pectus demissa non fuerunt , vt mox eventa ipsa docuerunt. Id ipsemet iam præsentiebat cum diceret , *Detestatus sum omnem industriam meam, qua sub sole studiosissimè laboraui, habiturus hæredem post me, quem ignoro vtrum sapiens , an stultus futurus sit.*

Eccl. 2. 18.

III. Mors eius, atque elogia.

Mortuus est igitur Salomon curis potius quam annis, & delicijs quam laboribus confectus: cuius hactenus tam bona, quam mala breuiter explicata sunt, prior gloria cum posteriore dedecore, prior sapientia, cum posteriore dementia; angelica adolescentia, cum nequissima senectute, religiosa iuuentus cum propudiosa canitie. Priorem tamen laudem subsecuta pœnitentia renouauit apud Deum, & priora merita intermortua restituit: nec expressam eius cum Christo Domino similitudinem, quam Patres omnes agnoscunt, deleuit maculosa senectus, sed has ipsas maculas illa similitudo inumbrat fulgore suo , vsque adeo sibi ambo prænunciatione ac titulis, ortu & educatione , indole ac specie, moribus & nominis celebritate, inunctione & amplitudine regni, sapientia & copia diuitiarum , templique constructione respondent. Vt ne in vxoribus quidem alienigenis, earumque multitudine elegans similitudo desideretur; quam totam comparationem in Annalibus nostris diligentius persecuti sumus : vbi & vitæ ipsius epitomen, in epitaphium sepulchrale conjecimus.

An. 11. ad 22

IV. Mors Sadoci Pontificis.

Hoc porro anno, vel aliquanto fortasse ante, Sadocus Pontifex defunctus videtur. Nã statim sub nouo rege nouus Pontifex ponitur Achimaas Sadoci filius in chronico Hebræorum minore, vt sequenti anno Deo fauente dicemus.

ANNVS MVNDI 3060.

ROBOAMI REGIS IVDÆ 1.

IEROBOAMI REGIS ISRAELIS 1.

ACHIMAÆ Pont. 1. TEMPLI 38.

LAOSTHENIS 32. Imperij Assyrior. 1129.

ANTE CHRISTVM 993.

I. Initia regni Roboami, & Ieroboami.

INgredimur primum Regni Roboami annum , qui Hebræorum Imperio luctuosissimus illuxit, quo terretrimæ, atq; obstinatissimæ idololatriæ patefactus est aditus, quę à Ieroboamo proseminata, in regno Israelis tam altas egit radices, tamq; validam excreuit in arborem, vt multis Iudæorum concussionibus impulsa, nũquam euelli potuerit, donec vnà cum regno, Assyriorum securi exscinderetur. Neque hoc vnicum malum fuit : simul enim multorum bellorum ciuilium sementis iacta est, quæ maximas corporum & animorum strages importare solent. Factus est ergo rex hoc anno Roboam, filius Salomonis, anno ætatis quadragesimo primo; factus est & Ieroboam filius Nabat, Pontifex autem Achimaas Sadoci filius, quem nunc iam grandem natu fuisse, puta 75. annorum in Annalibus euincimus. Hic idem videtur Achimaas, qui Basemath filiam Salomonis duxit vxorem. Neque enim absurdum erat filium summi Pontificis, & eiusdem magistratus successorem, iunctum esse affinitate cum tribu regia: neque in tribu Nephtalim viuo patre gessisse præfecturam.

&pontificatus Achimæ.

1. Reg. 14. 21. 2. Par. 12. 13. nu. 6. 3. Re. 4. 15.

II. Nõ electi a populo, sed confirmati.

Regnauit ergo Roboam pro Salomone patre suo, eique hæreditario iure successit. Neque obstat quod congregatus dicitur omnis Israel in Sichem, *ad constituendum eum regem*, quasi expectanda essent populi suffragia , vt rex fieret. Dominus enim Dauidem , eiusque posteros in reges elegerat, ideoque iure diuino reges erant , sed populi suffragijs approbabantur, & in regni possessionem mittebantur. Idemque de Saule, Dauide, Salomone , imo & de Ieroboamo dicendum est, quem constat à Deo electum in regem decem tribuum, misso nominatim, ad id ei denunciandum, Ahia propheta. Non factum autem Roboamum regem à populo ex eo liquet, quod deficiente ab eo populo, Rex tamen, absque alijs suffragijs, aut electione permansit.

3. Reg. 11. 38.

III. Ordo rei gestæ.

Quod autem ad Ieroboamum attinet, is audita in Ægypto morte Salomonis, statim in patriam reuersus est, non immemor oraculi Ahiæ prophetæ. Interim autem indicuntur comitia, in certum diem, in vrbe Sichem, quæ in regni tere vmbilico sita erat, quò Ieroboamus ipse venit. Communibus populi suffragijs stabilitur Roboami regnum , existimante Ieroboamo nondum aduenisse tempus, quo diuina promissio impleretur. Constituto rege, actum est de regni negotijs, in quibus erat in primis imminutio tributorum. Data quæ videtur à populo cura Ieroboamo, qui diu tributis colligendis in tota domo Ioseph præfuerat, & erat alioqui vir honoratus, atque industrius, orandi regem, totius populi nomine, vt onus tributorum, quod Salomon imposuerat, minueretur. Assectabantur autem eum omnes populi principes, qui vniuersam multitudinem Israelis reprælentabant.

Ieroboã populi apud regẽ legatus.

IV. Petit imminutionem tributorum. 3. Reg. 12. 4.

Petitio autem hæc fuit. *Pater tuus durissimum iugum imposuit nobis, tu itaque nunc imminue paululum de imperio patris tui durissimo, & iugo grauissimo, quod imposuit nobis, & seruiemus tibi.* Iugum vocant tributum, quod primo indictum videtur ad ædificandum templum : inde autem perpetuo pendi solitum, vsq; ad mortem Salomonis. Hic est enim mos regibus, aut eorum consiliarijs, & quæstoribus, nunquam vt reditus regios imminui patiantur , quacumque tandem ex causa eos augeri contigerit , etiam necessitate cessante. Quam recte id autem, iudicabit is, eodem Salomone teste, qui *cuncta quæ fiunt adducet in iudicium.* Perseuerauit ergo tributum, non solum ad ædificandum domum Domini, sed etiam ad domum regiam, & Mello, & murum Hierusalem, & Heser, & Mageddo, &c.

3. Re. 9. 15. iuxta Heb.

Subdit enim ædificationem, vel instaurationem multarum ciuitatum. Deinde vero cum in tot mulieribus inexplebili cupiditate flagrantibus, & excitandis ornandisque earum delubris immanissimos sumptus faceret, non dubium est pensitationem tributorum nunquam fuisse sublatam, quantumuis ingemiscente populo. Sperauit ergo se occasione recens oditi regni, leuationem aliquam tributorum obtinere posse.

V. Rex consulit seniores.

Rex responsum prudenter distulit in diem tertium: prudenter quoque inijt consilium cum senioribus, qui Salomoni dum adhuc viueret, erant à consilijs. Nam aliqui ita desipiunt, ita proprio iudicio & voluntati adhærescunt, vt salutaria prudentum consilia aspernentur, & ne ad aures quidem admittant. Prudentiæ quoque fuit, quod eos primò consuluit, antequam stultis iuniorum opinionibus occuparetur. Sed ipse iam à stultitia sua satis occupatus erat. Seniores ergo illi autores fuerunt, vt acquiesceret petitioni populi, in hoc regni exordio, eumque suauiter alloqueretur. Id si faceret, habiturum deinceps in omnibus obsequentem.

quorum cõsilium aspernatur.

Displicuit id consilium Roboamo, neque dissimulauit se id aspernari; quod eam verborum lenitatem erga subiectum sibi populum, regiæ maiestati indecoram arbitrabatur. Verebatur etiam fortasse, ne nunc facti voti compotes, vellent deinceps, quauis occasione data, regem à propria sententia deijcere, & ad suam pertrahere, incusso defectionis metu. Et hæc fortasse fuerunt rationes iuniorum, quos Roboam seorsim consuluit.

VI. Consulit iuniores, & stultum horũ consilium probat.

Itaque populo denunciari iubet, *minimum digitum suum grossiorem esse dorso patris sui*: quæ erat hominis iactabundi vox, & timorem sui incutere volentis: quasi diceret, multis partibus maior sum, quam pater meus: ideoque mihi maiora quoque tributa necessaria sunt, quam patri. Vnde sequitur, *Pater meus posuit super vos iugum graue; ego autem addam super iugum vestrum. Pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cædam vos scorpionibus.* Ferox oratio, & plane tyrannica vox, hominis qui metui malit, quam amari. Sed euentus docuit, quam importuna fuerit ista ferocia.

Ferox & tyrannica eius oratio.

Cæterum scorpiones virgæ sunt spineæ, seu tubi aculeati, quales passim videmus in sepibus, quibus olim martyres cædebantur à tyrannis. Id consilium, quod alienissimo tempore populum exacerbabat, Roboamo placuit, *quoniam auersatus fuerat eum Dominus, vt suscitaret verbum suum, quod locutus fuerat in manu Ahiæ Silonitæ ad Ieroboam filium Nabat.* Nimirum Dominus, qui peccata Salomonis, permissione schismatis punire decreuerat, stulta Roboami superbia vsus est, & inepta linguæ intemperantia, ad diuisionis pœnam executioni mandandam.

2. Reg. 12. 15

VII. Populus indignãs ab eo deficit.

Hæc enim cum audisset populus; superbè ipse quoque, ac contemptim, *Quæ nobis*, inquit, *pars in Dauid, aut quæ hæreditas in filio Isai?* quæ verba sunt populi deficientis à regia Dauidis familia, & abijcientis eius imperium; quæ quandam quasi formam diuortij repræsentant, consuerant illa solemnia: Res tuas tibi habeto. Isti autem, *vade in tabernacula tua Israel, nunc vide domum tuam Dauid*: id est, prouide ac prospice rebus tuis; ô domus Dauid. Tu autem Israel posside tibi vrbes ac ciuitates tuas, & deserta Dauidis familia, alium tibi regem constitue. Sic Seba iamdudum populum iratum huiusmodi verbis à Dauide distraxerat. Sensit hic Roboam quantam securim iniecisset in domum ac fortunas suas; & recenti in vulnere medicinam facturus, ad populum suaui & humili oratione mitigandum destinat Aduram, siue Adoniram præpositum super tributa. At populus propter tributa exosum habens hominem, eum lapidibus obruit. Hic quoque deseruit Roboamum Dominus, vt ad resarciendum schisma homine vteretur, qui illud amplificaret potius, quam tolleret. Istius enim conspectus populum in furorem egit, collectæ in vnum superiorum temporum iracundia. Auxit etiam hæc cædes inchoatum malum. Hoc enim facto veritus populus ne cruenta sibi immineret reconciliatio, tanto factus est in incepto durior, atque obstinatior.

Et occidit Aduram.

VIII. Roboam fugit Hierosolymã l. 8. c. 3.

Quo facto, ait Iosephus, Roboamus ratus id quod erat, se in famulo saxis impetitum, veritusque ne conceptum semel odium in ipsius caput effunderetur, trepide conscenso curru, quantum potuit Hierosolyma properauit. Sic ergo Roboam comitijs finem magno suo dedecore, & damno imposuit. Non enim *secutus est quisquam domum Dauid, præter tribum Iuda solam.* Non excluditur tamen tribus Beniamin: nam mox ex ea tribu Roboam dicitur collegisse milites; sed vox Iuda latius deinceps accipitur pro regno Iuda, quod vtramque tribum perpetuo comprehendit: idque requirebat vaticinium Ahiæ prophetæ reseruantis domui Dauid scissuras duas. Dici etiam posset tribum Benjamin non statim secutam tribum Iuda, sed nutasse aliquandiu: veritam tamen Iudæ vicinitatem, cui perpetuo prædæ futura erat, & theatrum, in quo vtriusq; regis exercitus decertarent, ad Roboamum se contulisse.

Duæ tribus cũ eo perseuerant.

IX. Decem tribus Ieroboamũ regẽ constituunt.

Israelitæ autem intelligentes se infenso Regi, sine duce aliquo, à quo regerentur, & defenderentur, omnino impares fore, de rege deligendo deliberant. Et Ieroboamum tum absentem communi consensu aduocant; & constituunt regem super decem tribus. Apparet eum abijsse animaduersa seditione, in qua occisus est Aduram. Sed euocatus est iterum à maioribus natu tribuum, regno idoneum existimantibus: virum multa rerum experientia clarum, Ægyptio regi affinitate iunctum; atque ipsi Salomoni, cum is maxime saperet, primum tanquam *adolescentem bonæ indolis & mansuetum*, valde charum: deinde etiam formidatum, tanquam virum fortem ac potentem. Ergo communibus suffragijs, *constituerunt eum regem super omnem Israel*: ipso, vt credibile est, minimè repugnante, qui memor esset vaticinij Ahiæ prophetæ: & pro sua prudentia probe intelligeret, quo cum aduersario sibi futura res esset: quantumque sibi virium supperetur ad resistendum duabus tribubus, qui decem haberet in potestate.

3. Reg. 11. 26. &c.

X. Is se communit in Sichem.

Cæterum Ieroboamus cum vidisset Roboamum cum suis Hierosolymam profugisse, relicta vrbe Sichem, ipse eam sibi tanquam sedem regni delegit, vt quæ in tribu Ephraim

sita esset, ex qua ipse oriundus erat, eamque postmodum, vt Roboamo facilius resisteret, muniuit atque roborauit. Intelligebat enim eum omni ope allaboraturum, vt tantam repararet iacturam, & decem tribus suo rursus imperio subijceret, qui conatus in proximum annum cadit. Ædificauit quoque Phanuel, deditque operam vt cæteræ vrbes decem tribuum, à Roboamo deficerent, sibique obtemperarent. Roboam autem, vice versa, vel sero sapiens, per idoneos viros ciuitates Iuda & Benjamin, quoniam cæteræ mandata facere recusabant, omni studio circumlustrat, & omni significatione lenitatis & indulgentiæ, sibi deuincit ac retinet, & ad arma sumenda præparat, cum primum euocarentur. Sed & Idumæi quoquo modo in fide mansisse videntur, cum aliqua conditione tributi, fere vsque ad Ioram tempora. Moabitæ vero Israelitis pari ratione paruerunt, vsque ad mortem Achabi, vtrique loci vicinitatem secuti. Syri autem etiam viuo Salomone, vt diximus, videntur ab Hebræis defecisse.

3 Reg. 12. 25

Roboam cõãrmat suos.

Quid' factum vicinis populis.

An. Salo. 38. n. 5.

ANNVS MVNDI 3061.

ROBOAMI & IEROBOAMI 2.

ACHIMAÆ 2. TEMPLI 39.

LAOSTHENIS 33. Imperij Assyr. 1150.

ANTE CHRISTVM 992.

I. Ratio cõportis, & apparatus ad bellũ.

DVm vterque rex, pro præsenti necessitate, se contra aduersarium suum in regno suo communit, & populum diuturna pace armorum insolentem conuocat, conscribitque militem, arma, equos, pecunias, commeatum parat, vt alter maximam regni partem recuperare, alter recens acquisitum regnum conseruare possit, reliquus annus abijt. Nam in Sept. legitur, *factum est ineunte anno*, quando videlicet solent reges ad bella procedere. *Congregauit Roboam omnem virum Iuda, &c.* Roboam igitur regno suo quoquo modo composito, exultimauit quamprimum vim adhibendam esse ad reliquas tribus sibi adiungendas, antequam malum per longiorem moram inualescens, fieret insanabile. *Et congregauit vniuersam domum Iuda, & tribum Beniamin 180. millia electorum virorum bellatorum, vt pugnarent contra domum Israel, & reducerent regnum Roboamo filio Salomonis.* Addunt Septuag. exercitum Iuda ascendisse in Sichem ad pugnandum contra Ieroboam: vbi scilicet ille constiterat, ac communierat se, necminoribus vallatus copijs operiebatur hostem.

II. Quod à Deo mirabiliter diriuitur

Cum ergo iam acies essent in procinctu profectionis, atque adeo in itinere, misit Dominus Semeiam prophetam ad Roboamum, qui nomine suo Iudæos à bello contra Israelitas reuocaret, domumque reuerti iuberet; *à me enim*, inquit, *factum est verbum hoc*, Salomonis videlicet peccata, per imprudentiam Roboami castigante. Qui nihilominus audiuit sermonem Domini, & de suscepto itinere reuersus est cum suis; Eximio plane atque admirabili Regis & principum eius obedientiæ exemplo. Nam agebatur res, de qua principes inter se contentiosissime decertare solent: accedebat vindictæ cupiditas, & ignominia amissi regni: aderat rei bene gerendæ opportunitas, maximo exercitu constato, qui stabat in armis: iusta defendebatur, iniusta defectione punienda. Denique vnus homo reuocabat à bello, qui se Dei iussu loqui profitebatur, qui nullam pro se rationem, nullam causam, nullum miraculum proferebat: quem plerique vt delirum senem, cum contumelia procul amandassent; imò vt proditorem, & ab hostibus subornatum, male mulctatum in crucem egissent. Oportuit vtique Deum totum exercitum à pugnæ cupiditate auertere, terrorem & victoriæ desperationem in corda eorum inijcere, eisque certo persuadere, se contra Deum ipsum, non contra homines pugnam capessere.

III. Causa inuectæ à Ieroboamo Idolatriæ.

Solutus hoc belli timore ac cura Ieroboam, in omnem cogitationem stabiliendi regni sui intentus, veritus est ne, occasione pietatis ac diuini cultus, non solum redigeretur ipse in ordinem, sed etiam interficeretur: sicque populus Dominum suum Roboamum, in capite ipsius placaret. Nec iniustus fuit hic metus. Cum enim Pontifex & Sacerdotes, & præcipui quique Leuitarum Hierosolymis habitarent, facile erat populum ad sanctam ciuitatem ter quotannis religionis causa proficiscentem, eorum opera religione tangi, & simul persuaderi facilem fore ad domum Dauidis reditum, cui Dominus sempiternum regnum iureiurando spopondisset; ideoque in perpetuo crimine, odioque diuino victuros, & perpetuis ab eo supplicijs viuos mortuosque mactandos. Contractam porro à populo culpam ex perturbatione subita, facile legitimi regis lenitate, promissisque contrarijs sanari posse. Accedebat autoritas virorum principum, qui domi militiæque plurimum poterant, quibus vel gratificari admittenda reconciliatione vellent, vel à quibus sibi priuatim merito formidarent.

IV. Prohibet peregrinationes in Ierusalem.

His ergo animo non sine timore perpensis, sub Paschale tempus, quo omnium frequentissimæ celebrabantur Hierosolymitanæ peregrinationes, eam profectionem interdixit, vt valde periculosam, laboriosam, & minime necessariam; quod ea ciuitas hostilis nunc esset, & ipsi deserti principis rei: quod longo à plerisque tribubus interuallo distaret; quodque Deum apud se ipsi colere, non minore religione possent; pro vno templo geminum habituri, quæ dum idoneis locis quamprimum excitarentur, ipsi ad menses aliquot vota sua differre ne grauarentur. Apparet nullam hoc tempore à Ieroboamo factam esse vitulorum mentionem, ne populus offenderetur; etsi ille nuper ex Ægypto reuersus, Apim & Serapim cogitabat, & vitulinos Deos, vt postmodum res ipsa docuit: idque in gratiam Sesaci regis, cuius factus erat cognatus, accepta sorore vxoris eius in vxorem. Demens qui abiecta in Deum fiducia, à quo illi traditæ fuerant decem tribus, non speraret eius beneficium constans sibi ac perpetuum fore, nisi ab ipso perfidiose deficeret, & illius in se iustissimam indignationem, horribili sacrilegio accerseret.

V. Erigit duo delubra, & totidem cõflat vitulos. *Iud.* 18. 30

Elegit ergo duo loca in finibus regni sui, in quibus delubra excitaret, alterum ad Septentrionem in vrbe Dan, vbi iam à temporibus Michæ, infelici exemplo sculptile fuerat collocatum, ibique diutissimè idololatria, vel publicè, vel occultè, viguerat. Quo magis eum locum videtur adamasse dæmon: Ieroboam autem credidisse ibi facilius receptum, & firmius retentum iri idololatriam. Alterum ad meridiem in Bethel, non illa, quæ à Iacobo patriarcha quondam celebrata fuerat, quæ in tribu Beniamin sita, Ieroboamo non parebat, sed altera duabus leucis à Samaria dissita, in via Sichem in monte collocata. Incredibili porro celeritate tam hæc delubra duo, quam totidem vitulos aureos fuisse confectos, omnibus dæmonibus, operam huic pernicioſissimo scandalo nauantibus, ex simili celeritate, qua vitulus Aaronis ex fornace prodijt, facile conijci potest. Itaque in mensem octauum, diemque decimã quintam mensis solennem vel templorum, vel vitulorum dedicationem indixit; vno scilicet mense post festum Tabernaculorum.

Instituit festiuitatem.

VI. Eamque celebrat, & tanquã pontifex instituit sacerdotes. 3. *Reg.* 12. 33. *l.* 8. *c.* 3.

Id tempus cum aduenisset, alij in Dan, alij in Bethel iunt profecti, vtrobique enim eodem tempore festum dedicationis agebatur: Ipse autem Ieroboam loci opportunitatem secutus venit in Bethel, ibique altare ante vitulum erexit: assumptaque, vt ait Iosephus, pontificis persona, sacerdotes pro suo arbitratu constituit, non ex tribu Leui, quæ noluit huic impietati seruire, sed de fœce populi, vt toti populo de communicato sacerdotio, fructuoso in primis atque honorato, gratificaretur. Qui præsenti supplicio affecti non sunt, vt olim Chore, Dathan, & Abiron, licet multo grauius peccarent, quia Dominus hanc culpam distulit cum Idololatria castigandam. Cum ergo Ieroboam ascendisset super altare Bethel, & thus adoleret idolo: *Ecce vir Dei.* Eum diuersi diuersimodè nominant; *Venit de Iuda in sermone Domini*, diuino instructus oraculo, *& exclamauit contra altare, & ait Altare, Altare hæc dicit Dominus. Ecce filius nascetur domui Dauid Iosias nomine, & immolabit super te sacerdotes excelsorum*, ijs videlicet impietate pares, qui nunc in te thura succendunt *& ossa hominum*, tam præsentium quam futurorum *super te incendet.* Id factum post 350. annos.

Vaticinium cõtra Ieroboam. *Vide Ann.* 2. 17. 3. *Re.* 13. 2.

In huius vaticinij confirmationem duo signa quamprimum diuinitus edita sunt: primùm scissum est altare, in quo sacrificabatur, & cinis, qui in eo erat, effusus est, iuxta prædictionem viri Dei. Alterum in ipso regis corpore editum est. Cum enim extendisset Ieroboam de altari manum suam contra virum Dei, iubens eum apprehendi, illico exaruit, & scilicet brachium, quoque quod cum manu extenditur, sic vt non valeret dexteram ad se retrahere. Intremuit tam præsenti animaduersione castigatus Ieroboam, simulque ad preces conuersus, rogauit prophetam, vt ipsius ad Deum precibus, manus & brachij vsus sibi restitueretur. Factum est, manus & brachium pristinam molliciem receperunt; ipse nihilominus magis animo diriguit. Nimirum credidit regnum se retinere non posse, nisi retento cultu idolorum. Itaque *non est reuersus Ieroboam de via sua pessima*, vsque adeo violentam tyrannidem in suos exercet ambitio. Non caruit tamen humano sensu gratitudinis: voluit quippe eum conuiuio excipere, & donare muneribus, quæ ille, obtendens Dei prohibitionem, constanter repudiauit: in figuram censuræ, qua prohibemur cum excommunicatis conuersari, vt huiusmodi separatione profani illi confundantur, & resipiscant.

VII. Gemino prodigio confirmatur.

VII. Prophetæ ieiunus patriam cogitat.

Abijt ergo propheta, per aliam viam, vti iussus fuerat, rediturus in patriam. Contigit autem vt propheta quidam senex habitaret in Bethel, cui cum filij eius retulissent quæ contigerant, agnoscens illum esse virum Dei, desiderio motus eum hospitio accipiendi, cognita via per quam ille redierat, eum persecutus est, & sedentem inuenit subtus terebinthum: fictoque oraculo homini reditum persuasit, reductumque accepit hospitio. Cumque comederent, deceptor hic diuino afflatus spiritu, accusauit hospitem suum violati mandati Dei, pœnamque denunciauit, fore vt paterno sepulchro priuaretur: nec tamen imminentem ipsi mortem Dominus significauit. Nam cum Ierosolymam versus reuerteretur, incidit in leonem, à quo occisus est: factusque est leo custos cadaueris & asini, dum ille pseudopropheta re intellecta ad eum redijt, reportatumque cadauer in Bethel eum sepelijt, mandauitque filijs suis, vt se mortuum in idem sepulchrum inferrent, quod & factum est.

Deceptus à leone occiditur.

IX. Quales ambo hi prophetæ. *l.* 3. *Reg.* 13. 22.

Fuit porro hic propheta deceptor, minimè impius, neque vitulorum cultor; neque enim eius rei vllum est in scriptura vestigium: licet id Iosephus dixerit, & plerique eum secuti: grauiter tamen mentiendo peccauit, licet officioso tantum mendacio vti se crederet. Ille autem qui deceptus est, à leone occisus, quamuis esset vir iustus, vt ait Theodoretus, inobedientiæ suæ supplicium luit, & à Deo mox multipliciter honoratus est, corpore mirabiliter à leone conseruato, & anima à tartareo supplicio erepta, vt scribit S. Augustinus. Quod autem propheta ille non solum altaris meminit, quod erat in Bethel, sed omnium etiam fanorum, quæ erant in vrbibus Samariæ, sciendum est vocem Samariæ per anticipationem vsurpari; nondum enim erat Samaria hoc tempore, sed intelligenda sunt oppida vicina monti, in quo Rex Amri postea Samariam ædificauit. Sed illud obseruandum in primis; etsi duo tantum vituli fabrefacti & consecrati fuerint in Dan & Bethel, multo pluribus tamen in locis, crescente celeriter, & gliscente in dies impiorum Israelitarum superstitione, lucos & nemora altorum montium idolis fuisse consecrata, à plerisque gratiam Ieroboami captantibus, & ibidem fana vel domos erectas, & sacrificulos institutos, qui institutione Ieroboami, in tauro, & septem arietibus sacrificandis, fiebant sacerdotes.

De cura p. mort. c. 7.

Multiplicatio idololatriæ.

Hier. tract. in 2. *Par.*

Interea Roboam Hierosolymis habitabat, & cœpit ædificare ciuitates in regno suo, vel vt se à nouis hostibus tutaretur, vel vt ipse domi satis munitus, impune deinceps hostem inuaderet. Quindecim porro ciuitates Scriptura memorat, quas Roboam instaurauit, ac permunijt, iam enim pridem conditæ fuerant. Hæc ergo, sicut & Ieroboami facinora, hoc anno inchoata, sequentibus perfecta sunt.

X. Roboam ædificat. 2. *Par.* 11. 5. 6.

ANNVS MVNDI 3062.

ROBOAMI & IEROBOAMI 3.

ACHIMAÆ Pont. 3. TEMPLI 40.

LAOSTHENIS 34. Imp. Assyrior. 1131.

ANTE CHRISTVM 991.

I. Ieroboã à fidelibus deseritur. *Li. 8. c. 3.*

HOc tertio vtriusque principis anno, cum idololatria inualesceret in dies magis apud Israëlitas, adeo vt Ieroboam subditos suos etiam vi, ad vitularum suarum adorationẽ adigere vellet, vt Iosephus affirmat, plerique variis ex locis patrias suas reliquerunt, vt Hierosolymis Deum verum colere sibi liceret. Id Scriptura aperte testatur. *De cunctis tribubus Israel*, inquit, *quicunque dederant cor suum, vt quærerent Dominum Deum Israel, venerunt in Ierusalem, ad immolandum victimas suas coram Domino Deo patrum suorum.* Nec venerunt tantum statis temporibus immolandi gratia, sed ad habitandum, vt liber illis esset cultus Dei. Ex quo factum est vt Roboami regnum robustius redderetur, & multæ, vt diximus, ab eo ciuitates instaurandæ essent. Istis autem præluxerunt sacerdotes & Leuitæ, *qui erant in vniuerso Israel, qui venerunt ad Roboam de cunctis sedibus suis, relinquentes suburbana & possessiones suas, & transeuntes ad Iuda & Ierusalem, eo quod abiecisset eos Ieroboam, & posteri eius.* Factis aliis sacerdotibus, quod ipsi ad idololatriam tranſire nollent, & Ieroboam edixisset omnibus subditis suis, ne vltra ascenderent in Ierusalem, quod perpetuum erat Leuitis per vices suas.

2. Par. 11. 16.

vers. 13.

Et nominatim à Leuitis.

II. Et quam id rectè factum.

Recte autem Sacerdotes ac Leuitæ, præ cæteris veri Dei cultoribus, Ieroboamum deseruere. Ipsos enim, qui Deo singulariter dicati erant, oportebat non solum idola vitare, sed eorum quoque cultores; alioqui si taciti cum ipsis manerent, eorum impietatem non improbare viderentur: sin autem arguerent, vitæ, atque omnium rerum discrimen adirent. Cumque ijdem possessionibus carerent, & reliquorum Israëlitarum benignitate sustentarentur, necesse fuisset in cibo & potu communicare cum ijs; quod non placebat Deo, vt nuper in morte Prophetæ intellectum fuerat: imo & de cibis participare, qui fuissent idolis consecrati. Oportebat etiam populum pudore affici, dum se ab ijs desertum videret, qui erant omnium optimi ac præstantissimi, & inde conijcere se misero in statu viuere, indeque talibus exemplis excitatum, ad saniora consilia aspirare. Ipsumque in primis Ieroboamum, qui prodigia ira feruentis Dei suis ipse oculis vsurparat; propriaque dextera senserat, non tam vltorem quam monitorem Deum: qui addidit posterius morbum mortemq; filij eius, vt tam initio, quam fine regni atque impietatis eius, salutis ipsius se cupidum demonstraret.

Dei cura pro salute Ieroboami.

ANNVS MVNDI 3063.

ROBOAMI & IEROBOAMI 4.

ACHIMAÆ 4. TEMPLI 41.

LAOSTHENIS 35. Imperij Assyr. 1132.

ANTE CHRISTVM 990.

I. Roboam Dei cultũ deserit.

TAm luctuosus est hic annus quartus Roboam, ruina pietatis & diuini cultus, quam lætus alioqui futurus erat rerum temporalium incrementis. Vtrumque rerum statum paucis indicat Scriptura, qua recensitis plerisque, qui præter Sacerdotes & Leuitas patriam deseruerant, ne patriam & auitam religionem desererent, subdit, *Et roborauerunt regnum Iuda & confirmauerunt Roboam filium Salomonis per tres annos.* Hic prior status, de posteriore mox addit. *Cumque roboratum fuisset regnum Roboam, & confortatum, dereliquit legem Domini & omnis Israel cum eo*, id est Iuda; qui Roboamo parebat, sicut Israël Ieroboamo: vel rum demum totus Israël deseruit Dominum, cum duæ adhuc tribus pietatem retinuissent. Ideoque Roboam quandiu sibi timuit à Ieroboamo, & viribus ei se imparem credidit, quid enim erant duæ tribus ad decem? pietatem coluit, quam sibi perutilem esse videbat, vt quæ suum debilitabat hostẽ, & vice versa regnum suum roborabat. At *incrassatus, impinguatus, dilatatus*, viribus auctus & opibus, *dereliquit Deum factorem suum, & prouocauit eum in dijs alienis, & in abominationibus ad iracundiam concitauit*; quæ scilicet hoc anno concitata, in sequentem annum erupit.

2. Par. 11. 17.

2. Par. 12. 1.

Postquã ciuibus nouis roboratus.

Deut. 32. 15.

A rerum etiam suggerit Scriptura modum & rationem roborati regni Roboami, quod scilicet cognationibus & affinitatibus potentissimos quosque regni sui sibi deuinxerit: quorum propterea interesset, regem in regno suo quam florentissimum esse, qui vel filias vel sorores haberent reginas. Ex quo alia quoque commoditas continendi regni totius in officio nascebatur. Nam ex multis vxoribus multos suscipiens liberos, eos per omnes regni sui ciuitates dispergebat, fideliores vtique patri suo futuros, quam alienos. Hoc Scriptura significat, præsertim in Hebræo textu, vbi enumeratis multis Roboami vxoribus ac liberis subdit. *Et instruebat, & dispergebat de omnibus filijs suis in cunctas terras Iudæ & Beniamin. In cunctis vrbibus munitis posuit eis copiose, & petiuit multitudinem vxorum.* Curabat videlicet varijs in locis filios suos institutione regia erudiri à pueritia, eaq; loca multiplici commeatu in omnem euentum muniebat, multas eis quoque petiuit vxores, quas illi postea suis temporibus ducerent: interim autem vtrumque parentes & liberi promissione tenerentur.

II. Et affinitatibus roboratus est.

2. Par. 12. 3.

Quod ad vxores autem Roboami attinet, in 2. Paral. habetur eum vxores decem & octo duxisse, concubinas autem sexaginta; & genuisse viginti octo filios, & filias sexaginta: tres autem nominatim recensentur, siue quia cæteris præstarent; siue quia filios genuerant cæteris insigniores, præsertim Abiam, qui patri

III. Eius vxores & filij. *2. Par. 11. 21.*

succeſſit in regnum. Prima fuit *Mahalath filia Ierimoth, filij Dauid*, qui tamen Ierimoth nuſquã alibi numeratur in filijs Dauidis. Fuit fortaſſe vnus aliquis de filijs concubinarum, vt notauit Hieronymus. Secunda fuit Abigail *filia Eliab, filij Iſai*. Quæ dicitur filia Eliab, intelligenda eſt neptis aut proneptis Eliabi, qui fuit natu maximus fratrum Dauidis. Tertia fuit Maacha filia Abſalonis, ſed alterius à filio Dauidis. vt alibi probauimus, de tribu Benjamin, qui & Vriel dictus eſt. Ex hac autem Roboam quatuor filios ſuſcepit, quorum Abia à patre prælatus eſt cæteris, quia ſapientior & potentior fratribus omnibus, forte etiam in gratiam matris eius, quam præ omnibus vxoribus & concubinis amauit. Ea tamen impietate præſtitit, vt quæ in turpiſſimis ſacris princeps appelletur. Vnde non leuis coniectura eſt ab ea Roboamum ad idololatriam fuiſſe pertractum, niſi id facinus matri eius Naamæ Ammanitidi tribuere placet.

2. Par. 11. 18. Primariæ vxores. *Vide Annan. Dauid. 2. n. 12.*

an. m. 3007. n. 9. 2. Par. 13. 2.

Hanc Maacham ducere potuit Roboam anno ætatis 23. vel 24. Sicque Abias filius eius vixerit cum auo Salomone ſedecim annis; hoc autem quarto anno regni patris ſui egerit vigeſimum ætatis annum; in quo nihil abſurdi eſt dicere, Abiam duxiſſe vxorem, ex qua mox filium ſuſcepit, Aſam nomine, qui decimo ſeptimo vitæ ſuæ anno regni gubernacula ſuſcepit.

3. Reg. 14. 21.

IV. Ætas Abiæ & cõiugium.

ANNVS MVNDI 3064.

ROBOAMI & IEROBOAMI 5.

ACHIMAÆ 5. TEMPLI 42.

LAOSTHENSIS 36. Imperij Aſſyrior. 1133.

ANTE CHRISTVM 989.

I. Inualeſcit Idololatria in vtroque regno. 3. Reg. 14. 22. 23. 2. Par. 12. 21.

INualeſcebat Idololatria in regno Roboami, luci certatim ſuper omnes colles plantabantur, dicabantur, aris & ſtatuis ornabantur: nec vitulis ſolum, ſed Priapo etiam ſacrificabatur, annitente maxime Maacha regina, quæ apud Roboamum gratia plurimum poterat: cui poſtmodum facta eſt probroſiſſimæ idololatriæ incentrix, ſpurciſſimæque nequitiæ. In regno autem Ieroboami altiores in dies radices agebat ſacrilegium. Hoc enim minus repugnante conſcientia Iſraelitæ vitulos adorabant, minuſque Deum patrum ſuorum requirebant, quò magis eum ab illis ipſis contemni videbant, apud quos erat nobiliſſimum illud templum, & ſacerdotium diuinitus inſtitutum. Verum Deus hanc contumeliam ſuam, per Seſacum Ægyptiorum regem, quam primum vltus eſt, quem quinto Roboami anno aduerſus Ieruſalem immiſit, cum Ioſephus Seſoſtrim Herodoti, alij Sabacum eiuſdem eſſe volunt.

II. Quæ cauſa aduentus Seſaci.

Videtur porro hic Seſac veniſſe Hieroſolymam, diuina voluntate, quia dereliquerat Roboam Dominum: deinde inuitatu Ieroboami ſibi affinitate, vt quidam putant, aut certe amicitia & familiaritate coniuncti, vt attritis Roboami viribus, ſecurius ipſe regnaret; aut etiam vt regnum eius armis ſibi ſubijceret. Et appa-

rec tractorum, nisi Dominus, Roboami & Iudæorum humilitate permotus, iram in eos ſuam mitigaſſet. Venit enim *cum mille ducentis curribus, & ſexaginta millibus equitum, nec erat numerus vulgi, quod venerat cum eo ex Ægypto, Lybies ſcilicet & Troglodyta, & Aethiopes.* Numerum tamen Ioſephus inuenit aut excogitauit, & recenſuit quadraginta millia. Plures erant equites peditibus; nec ſatis credibile eſt Scripturam vocaturam innumerabiles 40. millia, quæ aliquanto poſt numerat quadringenta millia Iudæorum, & Iſraëlitarum octingenta millia. Cum his ergo copijs Seſac *cepit ciuitates munitiſſimas in Iuda, & venit vſque in Ieruſalem*, eas vrbes ſponte deditionem feciſſe ſcribit Ioſephus: earum videlicet principibus ad Roboamum Ieroſolymam confugientibus.

2. Par. 12. 2. 3. Eiuſdem copiæ.

2. Par. 13. 9.

III. Roboami ignauia. 2. Par. 13. 7. *in Enterpe.* 2.

Non eſt auſus Roboam Ægyptio regi infeſtis ſignis occurrere, erat quippe homo *rudis, & corde pauido*, vt Abias filius eius publicè profeſſus eſt. Nec ſatis fuit animi populo eius, ad vitãdam timiditatis & ignauiæ maculam, quam illi Herodotus impingit. Male quippe conſciũ pectus deſerti numinis, fortitudinem omnem excuſſerat; atque ita implebatur, quod Moyſes tanto ante prædixerat. *dabit tibi Dominus cor pauidum, & deficientes oculos, & animam conſumptam mœrore, & erit vita tua quaſi pendens ante te*, &c. Cum ergo Hieroſolymam innumerabilis exercitus obſideret, & Roboamus cum optimatibus ſuis, animi conſilijque inopes, circumſpicerent ſe, etiam in cœlum, vt fit, ſuſpexerunt, veri Dei, quem indigniſſimè deſeruerant, nondum plane obliti. Cum ecce trepidantibus ſuperuenit Semeias propheta, qui ante triennium Roboamum à pugna contra Ieroboamum Dei iuſſu deduxerat. Is *ingreſſus ad Roboam, & principes Iuda, qui congregati fuerant in Ieruſalem fugientes Seſac*: reliquis iam vrbibus in eius poteſtatem redactis, *dixitque ad eos Hæc dixit Dominus, vos reliquiſtis me, & ego reliqui vos in manu Seſac*, vt ciuitates veſtras, voſque ipſos ſubijceret ſeruituti.

Deut. 28. 65.

Semeiæ vaticinium.

IV. Pœnitẽtia Roboami & Dei lenitas.

At illi terrore perculſi dixerunt, *Iuſtus eſt Dominus*. Et recte quidem. Quid enim iuſtius quam deſeri eum, à quo deſeratis prior? præſertim cum is qui prior deſerit, in hac ipſa deſertione iniuſtiſſimus ſit atque ingratiſſimus? Sed Dominus, qui mauult clemẽs audire, quam iuſtus, *cum vidiſſet quod humiliati eſſent, non diſperdam* inquit *eos, daboque eis paululum auxilij*, mitigando ſcilicet impij regis crudelitatem & auaritiam, *veruntamen ſeruient ei, vt ſciant diſtantiam ſeruitutis meæ, & ſeruitutis regũ terrarum*, qui ſeruos ſuos diripiunt, & tributis exinaniunt, cum ſerui mei opibus circumfluant. Iræ porro Dei mitigatæ non ſola cauſa proditur, iſtorum puta principum animi demiſſio, ſed *opera bona quæ inuenta ſunt in Iuda*. Nimirum plerique tunc in tanta ciuitate reperti ſunt viri boni, qui mitiſſimum Dei pectus pulſarent precibus & lacrymis, qui ieiunijs & eleemoſynis, alijſque pietatis operibus veniam implorarent.

Meritum bonorũ operum.

Quoniam ergo Seſaco Dei iuſſu ſeruiendum erat, de deditione regiæ ciuitatis actum eſt, non ſolum ea cõditione, vt cædibus incendijſque, ſed Dei etiam templo parceretur. Verum is admiſſa conditione admiſſus, eam, vt ait Ioſephus, non ſeruauit, ſed ſublatis theſauris do-

V. Deditio Ieruſalẽ, & Seſaci præda.

mus Domini, & domus regis, omnia secum recedens abstulit, & nominatum clypeos aureos, quos fecerat Salomon; pro quibus fecit rex æneos, quos ei scutatij templum adeunti, honoris causa præferebant. Quanta autem hæc præda fuerit, templi præsertim nunc primum expilati, & quantus ciuium plàngor ad tantam iacturam, diligentius in Annalibus explicatum est. Felices lachrymæ gemitusque, si ex iactura temporalium, spiritalem fidei atque pietatis, serio æstimare didicissent. Hac Roboami clade nihilo sapientior factus est Ieroboamus, quippe qui eius fuerat procurator, vt diximus, sed in male cœptis male perseuerauit: quem non propterea Deus præ Roboamo dilexit, quod in eum Selacum non immiserit, sed eum potius, quasi à se abdicatum, deseruit. Roboamum vero propter Dauidem dilectum suum, & propter multos amicos suos in regno eius commorantes, quasi tutorem filiorum suorum parum fidelem, non modica iactura castigauit.

nn. 13. & seqq.

Ieroboamus perseuerat in peccatis suis.

ANNVS MVNDI 3065.

ROBOAMI & IEROBOAMI 6.

ACHIMAÆ 6. TEMPLI 43.

LAOSTHENIS 37. Imp. Assyrior. 1134.

ANTE CHRISTVM 988.

I. Dormitat idololatria in regno Iuda hoc anno.

SExtus Roboami annus timorem Dei ex recentissima clade collectum, videtur, aliquantum retinuisse, & impietatis ardorem, quasi frigida superfusa, magna ex parte restinxisse. Dormitasse igitur videtur hoc anno Idololatria in regno Iuda: & studium, in reparanda aliquo modo Ægyptia clade, positum fuisse. Nam Roboam, vt dixi, pro scutis aureis Salomonis, ænea confici iussit, eaque sibi templum adeunti ab excubitoribus suis præferri. Ex eo porro, quod cũ prædicta pompa Rex templum adibat, intelligitur eum non publice Dei cultum deseruisse, sed à populo retentum, & de more frequentatum: ab optimatibus autem obiter & ad speciem vsurpatum. Dei autem voluntate restitutum est Roboamo regnum, & Selac contentus thesauris regijs, quos congesserat Salomon, & thesauris templi, & tributo insuper in signum subiectionis imposito discessit. Signum autem regni in suo statu restituti est, quod nusquam deinceps aut Roboam, aut Abias, aut Asa, cæteriue reges Iuda recepisse dicuntur vrbes, quas ceperat Selac, vt promissio diuina Dauidi facta subsisteret.

Roboam publice templum adit.

ANNVS MVNDI 3066.

ROBOAMI & IEROBOAMI 7.

ACHIMAÆ 7. TEMPLI 44.

LAOSTHENIS 38. Imperij Assyrior. 1135.

ANTE CHRISTVM 987.

I. Roboa-

VIdetur hoc anno resumpsisse vires impietas, Roboamo ex leuitate mentis atque imprudentia, ad ingenium redeunte. Pellacissima quippe est, & animum semel occupatum, a superstitione corruptum, raro penitus deserit: est enim admodum consentanea carni & sanguini, & omnibus cupiditatibus eius; quibus se malus dæmon scientissimè attemperat, in certissimam perniciem seruorum suorum. Et forte nunc inducí cœpta, si non prius, illa effœminatorum immundicies, quam Scriptura commemorat, virorum in fœminas præpostera libidine transeuntium, iuxta abominationes gentium, quorum impurissima contubernia cõstituerunt, quibus scelerata Maacha Roboami vxor, præposita erat anustes. Hoc enim tempore instituta sunt, quæ post aliquot annos à pio rege Asa sublata legimus, & inde qualia fuerint intelligi potest. Sic autem habet.

Et abstulit effœminatos de terra, purgauit vniuersas sordes idolorum, quæ fecerant patres eius. Insuper & Maacha matrem suam amouit, ne esset princeps in sacro Priapi, & in loco eius, quem consecrauerat; subuertitque specum eius, & confregit simulachrum turpissimum, & combussit in torrente Cedron. Facile autem intelligi potest, quanta cum impudentia omnis generis libido, per omnes ordines baccharetur, cum quæ erat omnium flagitiosissima, dijs sacra putabatur, & præpositam habebat reginam, regis vxorem, matrem, auiam, quæ lucum illi nequitiæ consecrarat; lustrum quoque construxerat, in quod hæ bestiæ conuenirent, & Rex ipse natura mollis, ingenio fatuus, etiam ab vxore sacrilega dementabatur. Verum abeamus ab hoc Iudaico cœno, in quo fortasse Ieroboami quoque subditi volutabantur. Ægyptiorum enim superstitiones Ieroboamus æmulabatur. Incidit porro in præsentem annum, sabbaticus ordine sexagesimus nonus, quem hoc corruptissimo tempore facile intelligi potest, fuisse neglectum.

as redit ad ingenium.

1. Reg. 14. 24.

II. Et sordes idolorũ renascescunt. *3. Reg. 15. 12.*

ANNVS MVNDI 3067.

ROBOAMI & IEROBOAMI 8.

ACHIMAÆ 8. TEMPLI 45.

LAOSTHENIS 39. Imperij Assyr. 1136.

ANTE CHRISTVM 986.

I. Continet bellum aliquot annorum inter vtrumque regem. *3. Reg. 14. 30. 2. Par. 13. 15. Isa. 48. 22.*

AD hunc & aliquot sequentes annos, quos exactius rebus gestis definire non possumus, prælia referamus licet duos inter reges gesta, & frequentata, dum vnus perdita recuperare, alter acquisita conseruare cupit. Rem Scriptura perpaucis exequitur. *Attamen*, inquit, *belluni fuit inter Roboam & Ieroboam, & pugnauerunt aduersum se cunctis diebus.* Mutatam religionis faciem, perturbatissimus Reip. status est consecutus; & ex quo cum Deo pugnare ausi sunt, nunquam inter se pugnare destiterunt, quia *nõ est pax impijs, dicit Dominus.* Plena itaque fuerunt, totis huius annis, imo & quam plurimis sequentibus, duo ista regna bellis, & malis omnibus, quæ bella ciuilia consequuntur.

ANNVS MVNDI 3073.

ROBOAMI & IEROBOAMI 14.

ACHIMAÆ 14. & 15. TEMPLI 51 & 52.

LAOSTHENSIS 45. & vlt.

PYRITIADIS 1. Assyrior. 1142. & 43.

ANTE CHRISTVM 980. & 79.

Finis Laosthenis, & initium Pyritiadis.

IN priorem annum incidit annus Sabbaticus septuagesimus, de cuius obseruatione idem quod de præcedenti dici potest, incidit & mors Laosthenis Assyriorum regis, est enim quadragesimus quintus ipsius annus, quam regni periodum ei Africanus Eusebiusque assignant. Res ab eo tam diuturno in regno gestas, nemo prodidit, qui ad nostras peruenerit manus. Ad posteriorem pertinet successor eius Pyritiades, qui ex vtriusque sententia imperij gubernacula annis omnino triginta tenuit.

ANNVS MNNDI 3076.

ROBOAMI 17. & vlt. IEROBOAMI 17.

ACHIMAÆ 17. TEMPLI 54.

PYRITIADIS 3. Imperij Assyrior. 1145.

ANTE CHRISTVM 977.

I. Mors Roboami. 3. Reg. 14. 21. 2. Par. 12. 13.

SOla mors Roboami hunc annum notabilem facit. Quadraginta enim & vnius anni erat, cum regnare cœpisset, & septendecim annis regnauit in Ierusalem. Itaque periodus vitæ totus fuit 58. annorum, si annos integros sumas, sin quadragesimum primum vitæ, primum regni cum Iosepho esse velis, erit 57. *Vir arrogans*, ait idem, *atque insipiens, qui propter spretum paternorum amicorum consilium, tantam ditionem* amisit. Sed insipientior longe atque infelicior, qui defectione à religione patria, æternam etiam hereditatem amiserit. Vnde Lucifer Calarit. libro de Regibus Apostaticis ait filium Salomonis diu regnasse in scelere suo, & in eodem fuisse defunctum. Idem paulo obscurius habet Scriptura, quæ vitam eius hac conclusione terminat. *Fecit autem malum, & non præparauit cor suum vt quæreret Dominum.* Post malum videlicet Idololatriæ perpetratum, quod ad extremam impœnitentiam merito refert Abulensis. Est enim hoc quasi elogium Scripturæ, de tota eius vita in ipsius conclusione pronunciantis. Itaque illa humiliatio, quæ à Scriptura memoratur, expressa necessitatis articulo, constans & perpetua non fuit.

in impietate.

2. Par. 12. 14. q. 11. in eũ locum.

II. Quæ illi ad ruinã incitamenta.

Habuit infelix ad hanc insaniam geminum incitamentum domi matrem Naamam Ammanitidem, & Maacham vxorem. Illa pueritiã depranasse præsumitur, ista iuuentutem. Noluit enim Roboam scelestam mulierem, quam in oculis gerebat, contristare, cuius etiam amore filium eius Abiam regno destinauit, licet alios haberet filios, qui eum ætate superabant: quos tamen nihil mouisse apparet ambitione incitatos. De morte Pontificis nihil habeo dicere, nisi quod Chronicon Hebræorum non producit pontificatum eius vltra Roboami regnum.

Mors Achimaæ.

ANNVS MVNDI 3077.

ABIÆ 1. IEROBOAMI 18.

AZARIÆ Pont. 1. TEMPLI 55.

PYRITIADIS 4. Imperij Assyriorum 1146.

ANTE CHRISTVM 979.

I. Regnum Abiæ. 3. Reg. 15. 1. 2. Par. 13. 1.

INitium regni Abiæ Scriptura coniicit in decimum octauum Ieroboami, anno ætatis circiter trigesimo tertio, iuxta ea, quæ quarto Roboami anno diximus: cum ei iamdudum natus esset Asa. Credibile autem est Abiam exigua celebritate regem fuisse creatum, quod tempora essent admodum turbulenta, & bellator hostis in armis. Azarias autem pontifex quem producimus, fuit Achimaæ filius, vt Iosephus & Scriptura ipsa testantur. Sub Abia porro gessisse pontificatum, Chronicon breue Hebræorum, cum Sigonio & Genebrardo, testantur. Cæterum cum statim initio regni Abiæ tantus vtrimque exercitus ad prælium præparatus à Scriptura memoretur, istum vtrimq; apparatum, viuo Roboamo factum esse oportet. Prior autem ad bellum progressus est Abias, & in regnum Ieroboami transgressus est; prælium enim in tribu Ephraim, prope Samariam commissum est. Valuit animosior aggressio ad victoriã, licet Abiæ copiæ dimidia parte minores essent copijs Ieroboami, in quibus octingenta millia centebãtur.

lib. 10. Ant. c. 11. 1. Par. 6. 9. de Rep. Hebr. Belli apparatus.

2. Par. 13. 3.

II. Quæ belli causa Abiæ.

Quam porro belli causam habuerit Abias, ex eius oratione intelligi potest, in qua aduersarios hortatur ad reparandam regni vnitatem, Ieroboami improbitate distractam, monetque ne pugnam aduersus Iudam suscipiant, sed ipõte regnum Dauidicæ familiæ redintegrent. Verũm id contra Domini præceptum fuisse videtur, qui à principio regni Roboami, vetuit pugnare cognatas acies, & per prophetam declarauit hanc à se diuisionem esse profectam. Nec tem in oculis diuorum exercituum gestã, Abias ignorare potuit: sed fortassis existimauit non fuisse diuini consilij, vt perpetua esset ista diuisio, sed voluisse tantum, vt ea Roboami insipiẽtia castigaretur ad tempus. Quò pertinet illud. *Num ignoratis quod Dominus Deus Israel dederit regnum Dauid super Israel in sempiternum?* An forte mens Abiæ fuit, non tam regna coniungere, quã verum Dei cultũ vtrobiq; restituere, qui fuerat huius schismatis occasione distractus; quo maxime spectat eius oratio. Iustitiam certæ causæ Dominus ipse largienda victoria comprobauit.

3. Reg. 12. 22.

III. Eius ad hostem concio.

Tota eius oratio perspicua est, omninoque religiosi principis esse videtur. Itaque hoc regni initio pietatem ex animo coluisse videtur, & idololatriam exterminare voluisse. Sed obtenta mox victoria à matre sacrilega Maacha, & principibus, bene de se in bello meritis, delinitus, sese impietati misere dedidit. Cum

autem

autem concluderet conciones suam monendo Israëlitas ne pugnarent contra Dominum. Ieroboam circumuenire cupiebat eius exercitum, copiarum multitudine fretus, vt hoste vtrimque inuadente perturbati, confusique trucidarentur. Quo cognito Abias cum exercitu suo clamauit ad Dominum, opem votis nuncupatis postulando, vt à præsentissimo periculo eriperetur: aurum scilicet & argentum, & vasa in domum Domini, quæ tamen mox voti reus, siue negligentia, siue auaritia dominante, non reddidit; sed reddidit Asa filius eius, anno decimo quinto regni sui.

Et Deo votum.

3. Reg. 15. 15.

IV. Abiæ victoria. Ieroboami clades.

Dum rex vota facit, Sacerdotes tubis canere cœperunt, omnesque viri Iuda vociferati sunt, tum diuinum auxilium implorando, tum se mutuo ad prælium exhortando, & facti sunt diuinitus animosiores: hostis autem perterritus se dedit in fugam. In quos fugientes tanta cæde bacchati sunt Iudæi, vt quingenta millia virorum fortium caderent. *Humiliatique sunt ac vehementer debilitati filij Israël in tempore illo: & vehementissimè confortati sunt filij Iuda, eo quod sperassent in Domino Deo patrum suorum.* Ostendit hæc quoque narratio, pio ac religioso erga Deum animo, tam regem quam populum eius, affectum fuisse hoc tempore. Deum autem ipsum qui Ieroboamum iam in propria persona afflixerat, etiam in subditis vehementer castigasse, amissis quingentis virorum fortium millibus. Neque id satis. Persecutus est enim Abias fugientem Ieroboamum, & illi tres ciuitates cum ipsarum pagis abstulit. Mirum est autem Abiam victoria vsum non esse, totumque regnum tanta clade turbatum non occupasse, vt maxime cupiebat.

V. Cur non sit vsus Abias parta victoria.

3. Reg. 12. 24.

Itaque putat Abulensis, Deum illam iterasse prohibitionem, quæ pridem Roboamum exarmarat, contra Ieroboamum pugnaturum. Quod non ad exiguam Abiæ laudem pertinet, reputantis apud se, id non fore vti victoria diuinitus accepta, sed abuti; si contra eius voluntatem, à quo illa profecta fuerat, vti auderet: simulque periculum adiret, ne Dominus eam inobedientiam, versa in contrarium victoria clade aliqua castigaret. Porro Ieroboam, atque Israëlitæ illi subiecti, humiliati quidem sunt, viribusque debilitati; neque tamen propterea ad Deum castigantem sunt reuersi, sed in suscepta impietate rex populusque obduruerunt.

ANNVS MVNDI 3078.

ABIÆ 2. IEROBOAMI 19.

AZARIÆ 2. TEMPLI 56.

PYRITIADIS 5. Imperij Assyrior. 1147.

ANTE CHRISTVM 975.

I. Nouæ affinitates Abiæ.

2. Par. 13. 21.

CVm tam insignis victoria, Abiæ & Iudæorum animos tantum erexisset, quantum Ieroboami, & Israëlitarum deiecerat: existimauit Abias ad regni sui firmitatem stabiliendam pertinere populum suum variis sibi affinitatibus copulare. Itaq; *cõfortato imperio suo accepit vxores quatuordecim, procreauitque viginti duos filios, & sedecim filias.* Non est Scripturæ mens dicere post hanc dumtaxat victoriam ductas esse tot vxores, sed ad eas quas habebat, alias adiecisse, vt fierent omnes quatuordecim: & ex nouis vxoribus alios suscepisse liberos, vt fierent omnes duodequadraginta. Quomodo enim alioqui ex quatuordecim vxoribus, intra vnum aut alterum annum, tot liberos suscipere potuisset?

II. Noua Ieroboami clades.

Prou. 18. 3.

At Dominus nona etiam sub hoc tempus clade Ieroboamum, & tristissima futurorum malorum denunciatione percussit: sed ea non ad deferendam, sed ad confirmandam Idololatriam, & ad inchoanda futuræ vitæ mala valuerunt. Nimirum *impius cum in profundum peccatorum venerit, contemnit*, ac de salute propter eorum immẽsitatem desperat. Qualis fuit causa Ieroboami, qui tot hominum millia in grauissimum omnium scelerum, & proximè quingenta millia bellatorum, quasi præcursores suos, in exitium sempiternũ præmiserat. Quod autem ad morbum, mortemque filij eius attinet, satis constat eam ad Ieroboami principia non pertinere. Nam cum Abias illi regnum prædixit, trigesimo octauo Salomonis anno in agro solus cum solo versabatur, eratque sexagenarius, vt ex Septuag. colligitur, nunc autem oculi eius præ senectute caligauerant vt est in 3. Reg. erat ergo circiter octogenarius. Itaque Scriptura, & Iosephus hanc historiam ad finem regni, & vitæ Ieroboami differunt.

cap. 4. 4.

III. Consulit per vxorẽ prophetã.

Cum ergo Abias filius Ieroboami ægrotaret, optauit patet scire à Propheta, qui ei regnum prædixerat, quid ægro futurum esset, iussitque vxorem suam, quam Septuag. Ano vocant, eum ementito habitu adire, ne forte is grata potius quam vera narraret; aut potius ne eam, ob mariti impietatem, atque ingratitudinem, à se inuisam inauditamque reijceret. Ac ne à populo quidem agnosci voluit, ne is intelligeret ab ipso Ieroboamo consuli Dominum, de dijs suis, ac sacerdotibus eorum, vel prophetis diffidente; eaque rẽs populo esset incitamento ad patriam religionem aspirandi. Addidit etiam agrestia munera, quæ plebeiæ mulieri conuenirent. At Deus omne desiderium, & conatum Ieroboami reddidit irritum, ac tota Prophetæ reuelata: & ne qua suspicio in oraculo foret, etiam absentem compellauit, & vltro interrogationem anteuertit, & obiurgationem, quam illa vitare conabatur, Deo dictante in faciem eius effudit.

IV. Ahiæ cõtra Ieroboamũ vaticinium.

Exprobrauit enim beneficij diuinitus accepti magnitudinem, quod ille in summam benefactoris iniuriam conuerterat, omnibus qui ante eum fuerant impietate superatis. Ergo Dominus in tanti facinoris pœnam, præterita silentio maxima illa æternæ damnationis pœna, quæ sceleribus eius ex æquo respondebat, prænunciat totam Ieroboami familiam funditus disperdendam, omnesque à primo ad vltimum, eo vno excepto, qui nunc decumbebat æger, ignominiosa morte perituros, & sepultura carituros. Denunciat quoque per quem vltio quamprimum in genus inuisum inferenda sit. Is fuit Baasa, cui fanit Dominus vt rex fieret, totamque mox Ieroboami familiam excinderet. Denique, quoniam populus se regis impietati

tati præbuerat obsequentem, prædicit prophetam fore, vt captiui in Assyrios transferantur, vbi diu multumq; in patria sua, quasi arundo in aqua, intestinis seditionibus, & bellis agitati fuissent.

V. Moritur filius eius, nec tamen resipiscit pater.

Tam horrifico vaticinio territa mulier nihil habuit quod responderet; quanquam ne à principio quidem permissa est quidquam effari, vt tanto magis Dei in Ieroboamum ira panderetur; tacita itaque surrexit, & abijt, & venit in Thersa, quem locum Septuag. Sariram vocant. *Cumque illa ingrederetur limen domus, puer mortuus est, & sepelierunt eum, & planxit eum omnis Israel, iuxta sermonem Domini. Nec timuit*; ait Lucifer Calaritanus, *ex morte filij sui*, quod & cætera, quæ illi vxor ex ore prophetæ renunciarat, secutura essent, *sed in sua semit versutia, & vt semel statuerat, diabolo seruire maluit.* Iosephus ait Ieroboamum nihil his fuisse commotum, scil. ad resipiscendum, alioqui lapidem esse oportuisset. *lib. 8. ca. 5.*

ANNVS MVNDI 3079.

ABIÆ 3. vlt. ASÆ initium. IEROBOAMI 20.

AZARIÆ 3. TEMPLI 57.

PYRITIADIS 5. Imp. Assyr. 1148.

ANTE CHRISTVM 974.

I. Ratio tẽporis.

TErtius annus Regni Abiæ integer non fuit, nec Asæ primus, qui tamen pro integris numerantur, dum priori tres anni, posteriori vnus & quadraginta tribuuntur. Et nihilominus necesse est tertium Abiæ & primum Asæ in vnum eundemque concurrere; alioqui vigesimus Ieroboami non incidet in primum Asæ, quod affirmat Scriptura, sed in secundum. Nimirum vigesimus Ieroboami erat in exitu, cum cœpit primus Asæ. Itaque totus fere vigesimus primus Ieroboami, concurrit cum primo Asæ; ergo ad vitandam confusionem, & ad consentiendum cum Scriptura, hunc Ieroboami vigesimum, vocauimus initium Asæ, vt primus Asæ concurrat cum magna parte vigesimi primi Ieroboami. 3. Reg. 15. 9.

II. Abiæ mors. 3. Reg. 15

Mortuus est ergo hoc tertio regni sui anno inchoato Abias, & quidẽ naturali morte, quod significat illa Scripturæ phrasis. *Et dormiuit Abias cum patribus suis*, morte tamen infelici, *Ambulauit enim* ait idem Scriptor sacer, *in omnibus peccatis patris sui, quæ fecerat ante eum, nec erat cor eius perfectum cum Domino Deo suo, sicut cor Dauid patris sui.* Dimiserat quippe cor suum Abias, & partem quidem dabat Deo vero, cuius cultum prædicabat apud Israëlitas, partem autem Idolis, sicut pater eius & auus. Neque enim Salomon aut Roboam in stultitia sua vnquam Dei templum clauserunt, sed ambo modo Deum, modo idola coluerunt. Sic & Abias cum bene cœpisset, cuius rei causa mirabilem consecutus est de hoste victoriam, mox propter eam in superbiam elatus, patris exempla secutus, ad idola declinauit. Vt non mirum sit omnem idolorum infamiam, ab eo in posteros fuisse transfusam.

III. Asæ regni initium.

Abia defuncto ei in regno Iuda suffectus est Asa filius eius ex Maacha filia Abessalom, eius enim dicitur mater, cum tamen sit auia, mater patris eius, & vxor Roboami aui. Sed vt pater pro auo sæpe sumitur, sic & mater hoc loco pro auia, quod esset mulier improbitate notissima. Quod autem Asa rectum fecisse dicitur ante conspectum Domini, sicut Dauid pater eius, id est abauus, in genere dicitur de tota eius vita, maximeque principio, vt proximo anno dicetur. De Ieroboamo autem nihil noui; fractus animo, viribusque regni, tenax impietatis ad mortem, ad diuinum tribunal properabat, immensorum peccatorum reus. 3. Reg. 15. 11.

ANNVS MVNDI 3080.

ASÆ 1. IEROBOAMI 21.

AZARIÆ Pont. 4. TEMPLI 58.

PYRITIADIS 7. Imperij Assyr. 1149.

ANTE CHRISTVM 973.

I. Primus annus Asæ. 3. Reg. 15. 9. 2. Par. 14. 1. 2. &c.

PRimus est hic annus Asæ iuxta rationem tẽporis paulò ante explicatam. Ex Scripturæ porro silentio apparet eum fuisse Abiæ primogenitum. Solet enim declarare filiorum ordinem, quando alius à primo succedit in regnũ, vt in Dauide, Salomone, Abia adhuc factum videmus. Ergo in successione Asæ commune ius ac consuetudo omnium ferme nationum obseruata est. Is vbi regni gubernacula suscepit, copiosam nactus est materiam, circa quam zelus diuini honoris efferuesceret, parentis, auique, aut negligentia, aut improbitate collectam. Asa vero vice versa, Domino regnum Iuda miserante, pius eius cultor extitit, & sedulus Dauidis imitator. Itaque *subuertit altaria peregrini cultus, & excelsa* in quibus aræ illæ fuerant excitatæ. Nam quod alio in loco Scriptura tradit eum excelsa non abstuliisse, de illis excelsis intelligenda est, in quibus verus quidem Deus, sed loco indebito colebatur. *Confregit* quoque *statuas, lucosque succidit*, ne loci amœnitas male sanum populum ad priorem nequitiam pelliceret. 3. Reg. 15. 14.

II. Eiusque pro religione zelus.

Extat & aliud zeli Asæ, probitatisque monimentum. *Abstulit* enim *effœminatos de terra*; extremo nimirum, meritissimoque supplicio affecit istiusmodi hominum portenta, Dei ac naturæ dedecora. Eorum quoque fana, imo lustra ac latibula ferarum in humana specie, dissipauit, & Priapi specum, execratæ nequitiæ ganeam subuertit: *purgauitque vniuersas sordes idolorum, quæ fecerant patres eius*, aut facta retinuerant. *Insuper & Maacham matrem suam*, id est auiam, qua in primis nitebatur probrosissima superstitio, *amouit ne esset princeps in sacris Priapi & in luco eius, quam* illa *consecrauerat*: ne videlicet rex publici pudoris appetens, domesticam dissimularet infamiam. In 2. Par. propterea ex augusto imperio deposita dicitur, in ordinem scil. redacta, & tanquam infamis omni dignitate spoliata; *subuertitque specum eius, & confregit simulacrum turpissimum, & combussit in torrente Cedron*, ad publicam idolo latrarum ignominiam. Denique idolorum superstitione conuulsa, præcepit Iudæ, vt quæreret vers. 12. Maachæ impietas. vers. 13.

Dominum Deum patrum suorum, eiusque vniuersa mandata seruaret.

Pietati regiæ duo seruierunt, pax decem annorum, quam ei Dominus indulsit, cum priorũ regum tẽpore semper cum Ieroboamo belligeratum fuisset: qui fructus quoque fuit religiosæ pietatis; fuit & annus Sabbaticus ordine septuagesimus primus, quem religio sit dubitare, mandante rege religiosè obseruatum. Huc quoque videtur pertinere religiosa illa voti persolutio, de qua Scriptura. *Intulit*, inquit, *ea quæ sanctificauerat Abias pater suus, & vouerat* in magno illo rerum suarum discrimine, cum pugnauit contra Ieroboam. Intulit autem, *in domum Domini argentum & aurum & vasa*, ad prædam Sesaci aliquo modo reparandam. Recte porro existimauit rex paternum æs alienum, Deo præsertim debitum ac dictatum, ad se non pertinere. Iti autem operi iustitiæ, adiecit etiam propriam liberalitatem. Vouit enim Domino diuersa donaria, quæ & cumulatè persoluit, vt ibidem habetur. Nihil est autem cautiæ cur hæc pia opera vltra hunc annum differamus, in quo seruebant omnia zelo gloriæ Dei.

III. Regiæ pietati fauet pax. Annus Sabba. 71. 2. Par. 15. 18. Vota paterna, propriaque persoluit.

Illa porro decem annorum quies, quæ à Scriptura memoratur, de regno tantum Iudæ accipienda est. Nam regnum Israëlitarum vix duobus annis quietum fuit; tantumquè pace res abfuerunt, vt inuadente intra biennium regnum tyranno, rex ipse mox trucidatus sit, totaque eius familia deleta.

1. Par. 14 1.

ANNVS MVNDI 3081.

ASÆ 2. IEROBOAMI 22. & vlt.

NADABI 1. AZAR. Pont. 5. TEMPLI 59.

PYRITIADIS 8. Imp. Assyr. 1150.

ANTE CHRISTVM 972.

SEcundus annus Asæ ipsum tenuit in exterminanda Idololatria vtiliter occupatum, cum Ieroboamo à viuis abeundum fuit; est enim hic vigesimus secundus eius annus & vltimus; quem tamen non regnauit integrum. *Nadab enim filius eius regnauit super Israel anno secundo Asæ regis Iuda.* Hic ergo vltimus est Ieroboami, *quem Dominus percussit, & mortuus est*, morte vtique violenta, vt phrasis ipsa requirit, immisso dæmone aliquo, vel angelo percussore. Hunc enim locum de Ieroboamo non de Abia, intelligendum esse optimi quique interpretes sentiunt, & nos in Annalibus docuimus; & æquum fuit insigni ad exemplum, morte tolli eum, qui insignis ad summam impietatem fuit. Et forte in ipsum quoque valuit Ahiæ vaticinium, vt à volucribus ferisque discerptus sepultura careret, qui omnium esset in tota familia sua nocentissimus: omnique deinceps posteritati execrandus ac detestabilis. Ei successit Nadab, mali eorui malum ouum, *duobus enim annis, quibus regnauit super Israel, fecit malum in conspectu Domini, & ambulauit in vijs patris sui, & in peccatis eius, quibus peccare fecit Israel.* Itaq; Iosephus eum paternæ malitiæ, & impietatis æmulum vocat.

I. Mors Ieroboami & Nadabi regnũ. 3. Reg. 15. 25. 2. Par. 13. 20.

an. Abiæ 3. n. 2. & 3

Eiusque impietas.

Porro Asa quieto tempore, diuinoque auxilio bene vsus, in exterminationem idolorum hoc quoque anno incubuit; quo in negotio, sanctos prophetas, ac sacerdotes adiutores habuisse, ipsumque in primis pontificem, cum pio ac fideli populo, precibus, sacrificijs, cæteriso; operibus pijs incumbentibus minime dubitandum est.

II. Asa excindit Idololatriam.

I. Asa instaurat vrbes regni sui.

Vobus circiter annis in idololatriæ extirpatione collocatis, adiecit animum Asa ad ciuitates regni sui, quas aut temporis longinquitas debilitauerat, aut bellicus furor quassauerat, instaurandas, & communiendas. *Ædificemus*, inquit, *ciuitates istas.* Erant enim oppida quæ ostendebantur, sed industriâ boni principis requirebant, qui quietis temporibus, ad turbulenta prouidam cogitationem conuerteret: neque apparet tempus vllum, quamuis diuturni imperij, in quod commodius has vrbium instaurationes conferamus. Instaurauerunt ergo hoc primo Asæ decennio ciuitates Iuda, & vallauerunt muris, & roborauerunt turribus, & portis, & seris, quoniam à bellis quieta erant omnia, *eò quod* ait Rex *quæsierimus Dominum Deum patrum nostrorum, & dederit nobis pacem per gyrum.*

Hoc ipso tertio anno regni Asæ, cum Nadab Rex Israëlis impia patris vestigia, impius filius sequeretur, Dei nutu quam primum de medio sublatus est, secundo regni sui anno, & quidem vtroque diminuto. Nam initia prioris vltimus Ieroboami annus sibi vendicat; extrema vero posterioris, ad primum Baasæ, autoris cædis eius, pertinent. Cum enim bellum esset Israëlitas inter & Philisthæos ad oppidum Gebbethon, Baasa filius Abiæ de tribu Issachar Nadabo regi struxit insidias, eoque interfecto, aditum sibi ad tyrannidem teterrimo facinore patefecit. Quã uis enim de eo prædixisset Ahias prophera. Cõstituit sibi Dominus regem super Israël, qui percutiet domum Ieroboam, scelere tamen grauissimo Baasa se obstrinxit, quod prædictione nulla ratione minuitur. Et quamuis Deus voluerit Nadabum interfici, eum tamen Baasa non interfecit, vt diuinæ voluntati, sed propriæ ambitioni obsequeretur. Capitalis Baasa, qui in populo Dei vexillum primus erexit immanis audaciæ, regum à subditis occidendorum.

II. Cædes Nadabi.

Regnauit ergo Baasa loco Nadabi, totique Israël, id est, decem tribubus præfuit, habuitq; regni sedem in Thersa, quod tenuit annis quatuor & viginti. Quod porro dicitur. *Cum regnasset, percussit omnem Ieroboam* &c. significat Scriptura, id non statim ab arreptro imperio, sed aliquanto post eo sibi confirmato, factum esse. Itaque hanc Dei in eam familiam vltionem, in annum sequentem differemus. Quod autem ad ipsius Nadabi cædẽ attinet. Cum is in obsidione

III. Regnum Baasæ. 3. Reg. 15. 28.

vr bis

vtbis occisus fuerit, apparet illum ibidem proiectum fuisse insepultum, prædam volucribus cœli & bestijs terræ, iuxta vaticinium Ahiæ Silonitis; siue id agente Baasa & sepulturam, tyrannorum in morem, superbè ac crudeliter prohibente; siue populo casu aliquo in eum irato, & in cadauer improbè sæuiente.

ANNVS MVNDI 3083.

ASAE 4. BAASAE 2.

AZARIAE 7. TEMPLI 61.

PYRITIADIS 10. Assyrior. 1152.

ANTE CHRISTVM 970.

I. Mosaicus Iubilæus.

QVingentesimus agitur annus, ex quo Israëlitæ duce Iosue transgressi Iordanem, Chananitidem inuaserunt, quorum 440. ante fundatum templum numerantur, reliqui sexaginta à templi initijs effluxerunt. Est ergo hic decimus Iubilæus Mosaicus, quem Asæ regis pietas persuadet in regno Iudæ fuisse accurate seruatum, cum apud Israelitas confusa essent omnia; idololatria, omnes legis ceremonias, susque deque miscente. Pergebat autem Asa hinc quidem, vt diximus, in oppidis regni sui instaurandis, atque muniendis; inde autem Idololatriæ reliquijs exterminandis. Quæ cum agerentur in regno Iudæ, Baasa in Israele, contra vniuersam familiam regiam crudeli furore bacchabatur, Domino Deo impia eius voluntate ac facinore, iuste cõtra Ieroboamum, eiusque inuisam Deo stirpem vrente. Cumque *regnasset*, ait Scriptura, *percussit omnem domum Ieroboam, non dimisit ne vnam quidem animam de semine eius, donec deleret eum.* 3. Reg. 15. 29.

II. Baasa exscindit familiam Ieroboami. 3. Reg. 14. 11.

Nec dubitandum est illud quoque impletum quod idem Ahias propheta prædixerat, *Qui mortui fuerint de Ieroboã in ciuitate, comedent eos canes; qui autem mortui fuerint in agro, vorabunt eos aues cœli:* Quod barbarus hic atrociter in oppidis agrisque, contra regiam omnem familiam sæuiendo, executus est; non implendæ causa prædictionis, sed firmandæ tyrannidis, & exsaturandæ crudelitatis. Sic ergo, hausta gladio Baasæ proditoris, funditus interijt familia impij atque insipientis Ieroboami, qui collatum sibi diuinitus, suisque regnum, non pio in benefactorem obsequio tueri voluit, sed perfidia ac superstitione se populumque suum à Dei cultu distrahendo. Nec tamen Baasa, qui factus est vltor peccati Ieroboami, intellexit consilium Domini, nec viam iniquitatis ab eo constratam odio habuit, sed *fecit malum coram Domino, ambulauitque in via Ieroboam, & in peccatis eius, quibus peccare fecit Israel.* Præter facinus occupatæ tyrannidis, & excisæ familiæ regiæ. 3. Reg. 15. 34.

ANNVS MVNDI 3086.

ASÆ 7. BAASAE 5.

AZARIÆ 10. TEMPLI 64.

PYRITIADIS 13. Imperij Assyr. 1155.

ANTE CHRISTVM 967.

SEptimo anno Asæ regis Iuda ætatis autem 25. nascitur Iosaphat filius eius primogenitus, qui ei in regno successit ætatis suæ anno 35. quibus si sex iam exactos addidetimus, fient vnus & quadraginta anni regni Asæ. Itaque anno regni eius septimo natum oportuit ex Azuba filia Salai. Ad hoc circiter tempus referimus, prohetiam Iehu filij Anani contra Baasam: qui cum quintum iam regnaret annum, nec ruina familiæ Ieroboami, quam ipsemet illi, propter impietatem intulisset, emendaretur, misit ad eum prophetam, qui hominem argueret, & imminentis pœnæ magnitudine deterreret: & quidẽ prius quam bella inter vtrumque regem exorrentur, verbis vt eum prius quam verberibus castigaret. Dominus ergo de Baasa per propheram in hæc verba queritur. *Pro eo quod exaltaui te de pulucre, & posui te ducem super populum meum Israel. Tu autem* vice versa ingratus atque impius, ambulasti in via Ieroboam, & peccate fecisti populum meum Israel, exemplo, atque autoritate tua, *vt me irritares in peccatis eorum*, quorum peccata recidunt in caput tuum. Hæc culpa profani huius principis fuit.

I Ortus Iosaphati. 3 Reg. 22. 41. 3. Reg. 16. 1

Iehu arguit Baasam.

Sequitur pœna. *Ecce, ego demetam posteriora Baasa*, id est, posteritatem eius. *Et faciam domum tuam sicut domum Ieroboam filij Nabat. Qui mortuus fuerit de Baasa in ciuitate, comedent eum canes, & qui mortuus fuerit ex eo in regione, comedent eum volucres cœli*, quæ vltio hoc fuit admirabilior, quo diutius Baasa regnauit. Minas porro rex non æquanimiter tulit, sed innoxium prophetam, furiosus, vt medicum delirans æger, inuasit, atque interfecit: quam cædem non diu impune tulit. Mox enim bella inter ipsum & regem Iuda exarserunt, quibus regnum Israel magnis detrimentis affectum est.

II. Et suprema eãdem minatus occiditur.

ANNVS MVNDI 3090.

ASAE 11. BAASAE 9.

AZARIÆ 14. TEMPLI 68.

PYRITIADIS 17. Imp. Assyr. 1159.

ANTE CHRISTVM 963.

EXpletis decem annis, quos Regi Asæ quietos fuisse Scriptura testatur, bellum inter vtrumq; Hebræorum regem excitatum est, quod hoc anno inchoatũ, in reliquos fere vtriusq; principis annos propagatum est. Iuxta illud. *Bellum autem erat inter Asa & Baasa regem Israel cunctis diebus eorũ*; ad mortẽ Ieil Baalæ, cui Asa superuixit

I. Bellum diuturnũ inter Asa, & Baasa. 2. Par. 14. 1 3. Re. 15. 16

Admonet Roboamum.

Roboamum filium iam grandem natu ad se aduocarit, multaq; sapienter prænonerit de timore & cultu Dei, de reliquijs idololatriæ funditus euertendis, de vitandis mulierum, præsertim alienigenarum, illecebris, de subditorum beneuolentia suaui gubernatione retinenda, augendaque, alijsque id genus : quæ in altum pectus demissa non fuerunt, vt mox euenta ipsa docuerunt. Id ipsemet iam præsentiebat cum diceret, *Detestatus sum omnem industriam meam, qua sub sole studiosissimè laboraui, habiturus hæredem post me, quem ignoro virum sapiens, an stultus futurus sit.* Eccl. 2. 18.

III. Mors eius, atque elogia.

Mortuus est igitur Salomon curis potius quam annis, & delicijs quam laboribus confectus: cuius hactenus tam bona, quam mala breuiter explicata sunt, prior gloria cum posteriore dedecore, prior sapientia, cum posteriore dementia; angelica adolescentia, cum nequissima senectute, religiosa iuuentus cum propudiosa canitie. Priorem tamen laudem subsecuta pœnitentia renouauit apud Deum, & priora merita intermortua restituit: nec expressam eius cum Christo Domino similitudinem, quam Patres omnes agnoscunt, deleuit maculosa senectus, sed has ipsas maculas illa similitudo inumbrat fulgore suo, vsque adeo sibi ambo prænunciatione ac titulis, ortu & educatione, indole ac specie, moribus & nominis celebritate, inunctione & amplitudine regni, sapientia & copia diuitiarum, templique constructione respondent. Vt ne in vxoribus quidem alienigenis, earumque multitudine elegans similitudo desideretur; quam totam comparationem in Annalibus nostris diligentius persecuti sumus : vbi & vitæ ipsius epitomen, in epitaphium sepulchrale coniecimus. An. 11. ad 22.

IV. Mors Sadoci Pontificis.

Huc porro anno, vel aliquanto fortasse ante, Sadocus Pontifex defunctus videtur. Nã statim sub nouo rege nouus Pontifex ponitur Achimaas Sadoci filius, in chronico Hebræorum minore, vt sequenti anno Deo fauente dicemus.

ANNVS MVNDI 3060.

ROBOAMI REGIS IVDÆ 1.

IEROBOAMI REGIS ISRAELIS 1.

ACHIMAÆ Pont. 1. TEMPLI 38.

LAOSTHENIS 32. Imperij Assyrior. 1129.

ANTE CHRISTVM 993.

I. Initia regni Roboami, & Ieroboami.

INgredimur primum Regni Roboami annum, qui Hebræorum Imperio luctuosissimus illuxit, quo terretrimæ, atq; obstinatissimæ idololatriæ patefactus est aditus, quę à Ieroboamo proseminata, in regno Israelis tam altas egit radices, tamq; validam excreuit in arborem, vt multis Iudæorum concussionibus impulsa, nũquam euelli potuerit, donec vnà cum regno, Assyriorum securi exscinderetur. Neque hoc vnicum malum fuit : simul enim multorum bellorum ciuilium sementis iacta est, quæ maximas corporum & animorum strages importare solent. Factus est ergo rex hoc anno Roboam, filius Salomonis, anno ætatis quadragesimo primo; factus est & Ieroboam filius Nabat, Pontifex autem Achimaas Sadoci filius, quem nunc iam grandem natu fuisse, pura 75. annorum in Annalibus euincimus. Hic idem videtur Achimaas, qui Basemath filiam Salomonis duxit vxorem. Neque enim absurdum erat filium summi Pontificis, & eiusdem magistratus successorem, iunctum esse affinitate cum tribu regia: neque in tribu Nephtalim viuo patre gessisse præfecturam. & pontificatus Achimaæ. 3. Reg. 14. 21. 2. Par. 12. 13. nn. 6. 3. Re. 4. 15.

II. Nõ electi à populo, sed confirmati.

Regnauit ergo Roboam pro Salomone patre suo, eique hæreditario iure successit. Neque obstat quod congregatus dicitur omnis Israel in Sichem, *ad constituendum eum regem*, quasi expectanda essent populi suffragia, vt rex fieret. Dominus enim Dauidem, eiusque posteros in reges elegerat, ideoque iure diuino reges erant, sed populi suffragijs approbabantur, & in regni possessionem mittebantur. Idemque de Saule, Dauide, Salomone, imo & de Ieroboamo dicendum est, quem constat à Deo electum in regem decem tribuum, misso nominatim, ad id ei denunciandum, Ahia propheta. Non factum autem Roboamum regem à populo ex eo liquet, quod deficiente ab eo populo, Rex tamen, absque alijs suffragijs, aut electione permansit. 3. Reg. 11. 38.

III. Ordo rei gestæ.

Quod autem ad Ieroboamum attinet, is audita in Ægypto morte Salomonis, statim in patriam reuersus est, non immemor oraculi Ahiæ propheræ. Interim autem indicuntur comitia, in certum diem, in vrbe Sichem, quæ in regni fere vmbilico sita erat, quò Ieroboamus ipse venit. Communibus populi suffragijs stabilitur Roboami regnum, existimante Ieroboamo nondum aduenisse tempus, quo diuina promissio impleretur. Constituto rege, actum est de regni negotijs, in quibus erat in primis imminutio tributorum. Data que videtur à populo cura Ieroboamo, qui diu tributis colligendis in tota domo Ioseph præfuerat, & erat alioqui vir honoratus, atque industrius, orandi regem, totius populi nomine, vt onus tributorum, quod Salomon imposuerat, minueretur. Assectabantur autem eum omnes populi principes, qui vniuersam multitudinem Israelis repræsentabant. Ieroboã populi apud regẽ legatus.

IV. Petit imminutionem tributorum. 3. Reg. 12. 4.

Petitio autem hæc fuit. *Pater tuus durissimum iugum imposuit nobis, tu itaque nunc imminue paululum de imperio patris tui durissimo, & iugo grauissimo, quod imposuit nobis, & seruiemus tibi.* Iugum vocant tributum, quod primo indictum videtur ad ædificandum templum : inde autem perpetuo pendi solitum, vsq; ad mortem Salomonis. Hic est enim mos regibus, aut eorum consiliarijs, & quæstoribus, nunquam vt reditus regios imminui patiantur, quacumque tandem ex causa eos augeri contigerit, etiam necessitate cessante. Quam recte id autem, iudicabit is, eodem Salomone teste, qui *cuncta quæ fiunt adducet in iudicium.* Perseuerauit ergo tributum, non solum ad ædificandum domum Domini, sed etiam ad domum regiam, & Mello, & murum Hierusalem, & Heser, & Mageddo, &c. 3. Re. 9. 15. iuxta Hebr.

Sub-

Subdit enim ædificationem, vel instaurationem multarum ciuitatum. Deinde vero cum in tot mulieribus inexplebili cupiditate flagrantibus, & excitandis ornandisque earum delubris immanissimos sumptus faceret, non dubium est pensitationem tributorum nunquam fuisse sublatam, quantumuis ingemiscente populo. Sperauit ergo se occasione recens oditi regni, leuationem aliquam tributorum obtinere posse.

V. Rex consulit seniores.

Rex responsum prudenter distulit in diem tertium: prudenter quoque iniit consilium cum senioribus, qui Salomoni dum adhuc viueret, erant à consilijs. Nam aliqui ita desipiunt, ita proprio iudicio & voluntati adhærescunt, vt salutaria prudentum consilia aspernentur, & ne ad aures quidem admittant. Prudentiæ quoque fuit, quod eos primò consuluit, antequam stultis iuniorum opinionibus occuparetur. Sed ipse iam à stultitia sua satis occupatus erat. Seniores ergo illi autores fuerunt, vt acquiesceret petitioni populi, in hoc regni exorcismo, eumque suauiter alloqueretur. Id si faceret, habiturum deinceps in omnibus obsequentem. Displicuit id consilium Roboamo, neque dissimulauit se id aspernari; quod eam verborum lenitatem erga subiectum sibi populum, regiæ maiestati indecoram arbitrabatur. Verebatur etiam fortasse, ne nunc facti voti compotes, vellent deinceps, quauis occasione data, regem à propria tententia deijcere, & ad suam pertrahere, incusso defectionis metu. Et hæ fortasse fuerunt rationes iuniorum, quos Roboam seorsim consuluit.

quorum cõsilium aspernatur.

VI. Consulit iuniores, & stultum horũ consilium probat.

Itaque populo denunciari iubet, *minimum digitum suum grossiorem esse dorso patris sui*: quæ erat hominis iactabundi vox, & timotem sui incutere volentis: quasi diceret, multis partibus maior sum, quam patet meus: ideoque mihi maiora quoque tributa necessaria sunt, quam patri. Vnde sequitur, *Pater meus posuit super vos iugum graue; ego autem addam super iugum vestrum. Pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cædam vos scorpionibus.* Ferox oratio, & plane tyrannica vox, hominis qui metui malit, quam amari. Sed euentus docuit, quam importuna fuerit ista ferocia. Cæterum scorpiones virgæ sunt spinosæ, seu tubi aculeati, quales passim videmus in sepibus, quibus olim martyres cædebantur à tyrannis. Id consilium, quod alienissimo tempore populum exacerbabat, Roboamo placuit, *quoniam auersatus fuerat eum Dominus, vt suscitaret verbum suum, quod locutus fuerat in manu Ahiæ Silonitæ ad Ieroboam filium Nabat.* Nimirum Dominus, qui peccata Salomonis, permissione schismatis punire decreuerat; stulta Roboami superbia vsus est, & inepta linguæ intemperantia, ad diuisionis pœnam executioni mandandam.

Ferox & tyrannica eius oratio.

3. Reg. 11. 15

VII. Populus indignãs ab eo deficit.

Hæc enim cum audisset populus; superbè ipse quoque, ac contemptim, *Quænobis*, inquit, *pars in Dauid, aut quæ hæreditas in filio Iesai?* quæ verba sunt populi deficientis à regia Dauidis familia, & abijcientis eius imperium; quæ quandam quasi formam diuortij repræsentant, cuius erant illa solemnia: Res tuas tibi habeto. Isti autem, *vade in tabernacula tua Israel, nunc vide domum tuam Dauid*: id est, prouide ac prospice rebus tuis; ô domus Dauid. Tu autem Israel possides tibi vrbes ac ciuitates tuas, & deserta Dauidis familia, alium tibi regem constitue. Sic Seba iamdudum populum iratum huiusmodi verbis à Dauide distraxerat. Sensit hic Roboam quantam securim iniecisset in domum ac fortunas suas; & recenti in vulnere medicinam facturus, ad populum suaui & humili oratione mitigandum destinat Aduram, siue Adoniram præpositum super tributa. At populus propter tributa exosum habens hominem, eum lapidibus obruit. Hic quoque deseruit Roboamum Dominus, vt ad resarciendum schisma homine vteretur, qui illud amplificaret potius, quam tolleret. Istius enim conspectus populum in furorem egit, collectæ in vnum superiorum temporum iracundia. Auxit etiam hæc cædes inchoatum malum. Hoc enim facto veritus populus ne cruenta sibi immineret reconciliatio, tanto factus est in incepto durior, atque obstinatior.

Et occidit Aduram.

VIII. Roboam fugit Hierosolymã. 2. Par. c. 3.

Quo facto, ait Iosephus, Roboamus ratus id quod erat, se in famulo saxis impetitum, veritusque ne conceptum semel odium in ipsius caput effunderetur, trepide conscenso curru, quantum potuit Hierosolyma properauit. Sic ergo Roboam comitijs finem magno suo dedecore, & damno imposuit. Non enim *secutus est quisquam domum Dauid, præter tribum Iuda solam.* Non excluditur tamen tribus Beniamin: nam mox ex ea tribu Roboam dicitur collegisse milites; sed vox Iuda latius deinceps accipitur pro regnõ Iuda, quod vtramque tribum perpetuo comprehendit: idque requirebat vaticinium Ahiæ prophetæ reseruantis domui Dauid scissuras duas. Dici etiam posset tribum Benjamin non statim secutam tribum Iuda, sed nutasse aliquandiu: veritam tamen Iudæ vicinitatem, cui perpetuo prædæ futura erat, & theatrum, in quo vtriusq; regis exercitus decertarent, ad Roboamum se contulisse.

Duæ tribus cũ eo perseuerant.

IX. Decem tribus Ieroboamũ regẽ constituunt.

Israelitæ autem intelligentes se infenso Regi, sine duce aliquo, à quo regerentur, & defenderentur, omnino impares fore, de rege deligendo deliberant. Et Ieroboamum tum absentem communi consensu aduocant, & constituunt regem super decem tribus. Apparet eum abijsse animaduersa seditione, in qua occisus est Aduram. Sed euocatus est iterum à maioribus natu tribuum, regno idoneum existimantibus: virum multarum experientia clarum, Ægyptio regi affinitate iunctum; atque ipsi Salomoni, cum is maxime saperet, primum tanquam *adolescentem bone indolis & industrium*, valde charum: deinde etiam formidatum, tanquam virum fortem ac potentem. Ergo communibus suffragijs, *constituerunt eum regem super omnem Israel*: ipso, vt credibile est, minimè repugnante, qui memor esset vaticinij Ahiæ prophetæ: & pro sua prudentia probe intelligeret, quo cum aduersario sibi futura res esset: quantumque sibi virium supperetet ad resistendum duabus tribubus, qui decem haberet in potestate.

3. Reg. 11. 16. &c.

X. Is se communit in Sichem.

Cæterum Ieroboamus cum vidisset Roboamum cum suis Hierosolymam profugisse, relicta vrbe Sichem, ipse eam sibi tanquam sedem regni delegit, vt quæ in tribu Ephraim

sita esset, ex qua ipse oriundus erat, eamque postmodum, vt Roboamo facilius resisteret, munuit atque roborauit. Intelligebat enim eum omni ope allaboraturum, vt tantam repararet iacturam, & decem tribus suo rursus imperio subijceret, qui conatus in proximum annum cadit. Ædificauit quoque Phanuel, deditque operam vt cæteræ vrbes decem tribuum, à Roboamo deficerent, sibique obtemperarent. Roboam autem, vice versa, vel sero sapiens, per idoneos viros ciuitates Iuda & Benjamin, quoniam cæteræ mandata facere recusabant, omni studio circumlustrat, & omni significatione lenitatis & indulgentiæ, sibi deuincit ac retinet, & ad arma sumenda præparat, cum primum euocarentur. Sed & Idumæi quoquo modo in fide mansisse videntur, cum aliqua conditione tributi, fere vsque ad Ioramitempora. Moabitæ vero Israelitis pari ratione paruerunt, vsque ad mortem Achabi, vtrique loci vicinitatem secuti. Syri autem etiam viuo Salomone, vt diximus, videntur ab Hebræis defecisse.

3 Re. 12. 25

Roboam cõfirmat suos.

Quid factum vicinis populis.

An. Salo. 38. n. 5.

ANNVS MVNDI 3061.

ROBOAMI & IEROBOAMI 2.

ACHIMAÆ 2. TEMPLI 39.

LAOSTHENIS 33. Imperij Assyr. 1130.

ANTE CHRISTVM 992.

I. Ratio cõporis, & apparatus ad bellũ.

DVm vterque rex, pro præsenti necessitate, se contra aduersarium suum in regno suo communit, & populum diuturna pace armorum insolentem conuocat, conscribitque militem, arma, equos, pecunias, commeatum parat, vt alter maximam regni partem recuperare, alter recens acquisitum regnum conseruare possit, reliquus annus abijt. Nam in Sept. legitur, *factum est mense anno*, quando videlicet solent reges ad bella procedere. *Congregauit Roboam omnem virum Iuda, &c.* Roboam igitur regno suo quoquo modo composito, existimauit quamprimum vim adhibendam esse ad reliquas tribus sibi adiungendas, antequam malum per longiorem moram inualescens, fieret insanabile. *Et congregauit vniuersam domum Iuda, & tribum Beniamin* 180. *millia electorum virorum bellatorum, vt pugnarent contra domum Israel, & reducerent regnum Roboamo filio Salomonis.* Addunt Septuag. exercitum Iuda ascendisse in Sichem ad pugnandum contra Ieroboam: vbi scilicet ille constiterat, ac communierat se, nec minoribus vallatus copijs operiebatur hostem.

II. Quod à Deo mirabiliter diriuitur

Cum ergo iam acies essent in procinctu profectionis, atque adeo in itinere, misit Dominus Semeiam prophetam ad Roboamum, qui nomine suo Iudæos à bello contra Israelitas reuocaret, domumque reuerti iuberet; *à me enim*, inquit, *factum est verbum hoc*, Salomonis videlicet peccata, per imprudentiam Roboami castigante. Qui nihilominus audiuit sermonem Domini, & de suscepto itinere reuersus est cum suis; Eximio plane atque admirabili Regis & principum eius obedientiæ exemplo. Nam agebatur res, de qua principes inter se contentiosissime decertare solent: accedebat vindictæ cupiditas, & ignominia amissi regni: aderat rei bene gerendæ opportunitas, maximo exercitu conflato, qui stabat in armis: iusta defendebatur, iniusta defectione punienda. Denique vnus homo reuocabat à bello, qui se Dei iussu loqui profitebatur, qui nullam pro se rationem, nullam causam, nullum miraculum proferebat: quem plerique vt delirum senem, cum contumelia procul amandassent; imò vt proditorem, & ab hostibus subornatum, male mulctatum in crucem egissent. Oportuit vtique Deum totum exercitum à pugnæ cupiditate auertere, terrorem & victoriæ desperationem in corda eorum injicere, eisque certo persuadere, se contra Deum ipsum, non contra homines pugnam capessere.

III. Causa inuectæ à Ieroboamo Idolatriæ.

Solutus hoc belli timore ac cura Ieroboam, in omnem cogitationem stabiliendi regni sui intentus, veritus est ne, occasione pietatis ac diuini cultus, non solum redigeretur ipse in ordinem, sed etiam interficeretur: sicque populus Dominum suum Roboamum, in capite ipsius placaret. Nec iniustus fuit hic metus. Cum enim Pontifex & Sacerdotes, & præcipui quique Leuitarum Hierosolymis habitarent, facile erat populum ad sanctam ciuitatem ter quotannis religionis causa proficiscentem, eorum opera religione tangi, & simul persuaderi facilem fore ad domum Dauidis reditum, cui Dominus sempiternum regnum iureiurando spopondisset; ideoque in perpetuo crimine, odioque diuino victuros, & perpetuis ab eo supplicijs viuos mortuosque mactandos. Contractam porro à populo culpam ex perturbatione subita, facile legitimi regis lenitate, promissisque contrarijs sanari posse. Accedebat autoritas virorum principum, qui domi militiæque plurimum poterant, quibus vel gratificari admittenda reconciliatione vellent, vel à quibus sibi priuatum merito formidarent.

IV. Prohibet peregrinationes in Ierusalẽ.

His ergo animo non sine timore perpensis, sub Paschale tempus, quo omnium frequentissimæ celebrabantur Hierosolymitanæ peregrinationes, eam profectionem interdixit, vt valde periculosam, laboriosam, & minime necessariam; quod ea ciuitas hostilis nunc esset, & ipsi deserti principis rei: quod longo à plerisque tribubus interuallo distaret; quodque Deum apud se ipsi colere, non minore religione possent, pro vno templo geminum habituri, quæ dum idoneis locis quamprimum excitarentur, ipsi ad menses aliquot vota sua differre ne grauarentur. Apparet nullam hoc tempore à Ieroboamo factam esse vitulorum mentionem, ne populus offenderetur; etsi ille nuper ex Ægypto reuersus, Apim & Serapim cogitabat, & vitulinos Deos, vt postmodum res ipsa docuit: idque in gratiam Sesaci regis, cuius factus erat cognatus, accepta sorore vxoris eius in vxorem. Demens qui abiecta in Deum fiducia, à quo illi traditæ fuerant decem tribus, non speraret eius beneficium constans sibi ac perpetuum fore, nisi ab ipso perfidiose deficeret, & illius in se iustissimam indignationem, horribili sacrilegio accerseret.

Elegu

Elegit ergo duo loca in finibus regni sui, in quibus delubra excitaret, alterum ad Septentrionem in vrbe Dan, vbi iam à temporibus Michæ, infelici exemplo sculptile fuerat collocatum, ibique diutissimè idololatria, vel publicè, vel occultè, viguerat. Quo magis eum locum viderut adamasse dæmon: Ieroboam autem credidisse ibi facilius receptum, & firmius retentum iri idololatriam. Alterum ad meridiem in Bethel, non illa, quæ à Iacobo patriarcha quondam celebrata fuerat, quæ in tribu Beniamin sita, Ieroboamo non parebat, sed altera duabus leucis à Samaria dissita, in via Sichem in monte collocata. Incredibili porro celeritate tam hæc delubra duo, quam totidem vitulos aureos fuisse confectos, omnibus dæmonibus, operam huic pernicioſissimo scandalo nauantibus, ex simili celeritate, qua vitulus Aaronis ex fornace prodijt, facile conijci potest. Itaque in mensem octauum, diemque decimâ quintam mensis solennem vel templorum, vel vitulorum dedicationem indixit; vno scilicet mense post festum Tabernaculorum.

V. Erigit duo delubra, & totidem cõflat vitulos. *Iud.* 18. 30

Instituit festiuitatem.

Id tempus cum aduenisset, alij in Dan, alij in Bethel sunt profecti, vtrobique enim eodem tempore festum dedicationis agebatur: Ipse autem Ieroboam loci opportunitatem secutus venit in Bethel, ibique altare ante vitulum erexit: assumptaque, vt ait Iosephus, pontificis persona, sacerdotes pro suo arbitratu constituit, non ex tribu Leui, quæ noluit huic impietati seruire, sed de fœce populi, vt toti populo de communicato sacerdotio, fructuoso in primis atque honorato, gratificaretur. Qui præsenti supplicio affecti non sunt, vt olim Chore, Dathan, & Abiron, licet multo grauius peccarent, quia Dominus hanc culpam distulit cum Idololatria castigandam. Cum ergo Ieroboam ascendisset super altare Bethel, & thus adoleret idolo: *Ecce vir Dei.* Eum diuersi diuersimodè nominant; *Venit de tuda in sermone Domini*, diuino instructus oraculo, *& exclamauit contra altare, & ait Altare, Altare hæc dicit Dominus. Ecce filius nascetur domui Dauid Iosias nomine, & immolabit super te sacerdotes excelsorum*, ijs videlicet impietate pares, qui nunc in te thura succendunt *& ossa hominum*, tam præsentium quam futurorum *super te incendet.* Id factum post 350. annos.

VI. Eamque celebrat, & tanquã pontifex instituit sacerdotes. 3. *Reg.* 12. 33. *l.* 8. *c.* 3.

Vaticinium cõtra Ieroboam. *Vide Ann.* 17. 3. *Re.* 13. 2.

In huius vaticinij confirmationem duo signa quamprimum diuinitus edita sunt: primùm scissum est altare, in quo sacrificabatur, & cinis, qui in eo erat, effusus est, iuxta prædictionem viri Dei. Alterum in ipso regis corpore editum est. Cum enim extendisset Ieroboam de altari manum suam contra virum Dei, iubens eum apprehendi, illico exaruit, & scilicet brachium, quoque quod cum manu extenditur, sic vt non valeret dexteram ad se retrahere. Intremuit tam præsenti animaduersione castigatus Ieroboam, simulque ad preces conuersus, rogauit prophetam, vt ipsius ad Deum precibus, manus & brachij vsus sibi restitueretur. Factum est, manus & brachium pristinam molliciem receperunt; ipse nihilominus magis animo diriguit. Nimirum credidit regnum se retinere non posse, nisi retento cultu idolorum. Itaque *non est reuersus Ieroboam de via sua pessima*, vique adeò violentam tyrannidem in suos exercet ambitio. Non caruit tamen humano sensu gratitudinis: voluit quippe eum conuiuio excipere, & donare muneribus, quæ ille, obtendens Dei prohibitionem, constantèr repudiauit: in figuram censuræ, qua prohibemur cum excommunicatis conuersari, vt huiusmodi separatione profani illi confundantur, & resipiscant.

VII. Gemino prodigio confirmatur.

Abijt ergo prophera, per aliam viam, vti iussus fuerat, rediturus in patriam. Contigit autem vt propheta quidam senex haberet in Bethel, cui cum filij eius retulissent quæ contigerant, agnoscens illum esse virum Dei, desiderio motus eum hospitio accipiendi, cognita via per quam ille redierat, eum persecutus est, & sedentem inuenit subtus terebinthum: fictoque oraculo homini reditum persuasit, reductumque accepit hospitio. Cumque comederent, deceptor hic diuino afflatus spiritu, accusauit hospitem suum violati mandati Dei, pœnamque denunciauit, fore vt paterno sepulchro priuaretur: nec tamen imminentem ipsi mortem Dominus significauit. Nam cum Ierosolymam versus reuerteretur, incidit in leonem, à quo occisus est: factusque est leo custos cadaueris & asini, dum ille pseudoprophetare intellecta ad eum redijt, reportatumque cadauer in Bethel eum sepeliit, mandauitque filijs suis, vt se mortuum in idem sepulchrum inferrent, quod & factum est.

VIII. Propheta ieiunus patriam cogitat.

Deceptus à leone occiditur.

Fuit porro hic prophera deceptor, minimè impius, neque vitulorum cultor; neque enim eius rei vllum est in scriptura vestigium: licet id Iosephus dixerit, & plerique eum secuti: grauiter tamen mentiendo peccauit, licet officioso tantum mendacio vti se crederet. Ille autem qui deceptus est à leone occisus, quamuis esset vir iustus, vt ait Theodoretus, inobedientiæ suæ supplicium luit, & à Deo mox multipliciter honoratus est, corpore mirabiliter à leone conseruato, & anima à tartareo supplicio erepta, vt scribit S. Augustinus. Quod autem propheta ille non solum altaris meminit, quod erat in Bethel, sed omnium etiam fanorum, quæ erant in vrbibus Samariæ, sciendum est vocem Samariæ per anticipationem vsurpari; nondum enim erat Samaria hoc tempore, sed intelligenda sunt oppida vicina monti, in quo Rex Amri postea Samariam ædificauit. Sed illud obseruandum in primis; etsi duo tantum vituli fabrefacti & consecrati fuerint in Dan & Bethel, multo pluribus tamen in locis, crescente celeriter, & gliscente in dies impiorum Israelitarum superstitione, lucos & nemora altorum montium idolis fuisse consecrata, à plerisque gratiam Ieroboami captantibus, & ibidem fana vel domos erectas, & sacrificulos institutos, qui institutione Ieroboami, in tauro, & septem arietibus sacrificandis, fiebant sacerdotes.

IX. Quales ambo hi prophetæ. *l.* 3. *Reg.* 9. 42.

De cura p. mort. c. 7.

Multiplicatio idololatriæ.

Hier. trad. in 2. *Par.*

Interea Roboam Hierosolymis habitabat, & cœpit ædificare ciuitates in regno suo, vel vt se à nouis hostibus tutaretur, vel vt ipse domi satis munitus, impune deinceps hostem inuaderet. Quindecim porro ciuitates Scriptura memorat, quas Roboam instaurauit, ac permunuit, iam enim ptidem conditæ fuerant. Hæc ergo, sicut & Ieroboami facinora, hoc anno inchoata, sequentibus perfecta sunt.

X. Roboam ædificat 2. *Par.* 11. 5. *c.*

ANNVS MVNDI 3062.

ROBOAMI & IEROBOAMI 3.

ACHIMAÆ Pont. 3. TEMPLI 40.

LAOSTHENIS 34. Imp. Assyrior. 1131.

ANTE CHRISTVM 991.

I. Ieroboã à fidelibus deseritur. *Ia. 8. c. 3.*

HOc tertio vtriusque principis anno, cum idololatria inualesceret in dies magis apud Israëlitas, adeo vt Ieroboam subditos suos etiam vi, ad vitulorum suarum adorationẽ adigere vellet, vt Iosephus affirmat, plerique variis ex locis patrias suas reliquerunt, vt Hierosolymis Deum verum colere sibi liceret. Id Scriptura aperte testatur. *De cunctis tribubus Israel*, inquit, *quicunque dederant cor suum, vt quærerent Dominum Deum Israel, venerunt in Ierusalem, ad immolandum victimas suas coram Domino Deo patrum suorum.* Nec venerunt tantum statis temporibus immolandi gratia, sed ad habitandum, vt liber illis esset cultus Dei. Ex quo factum est vt Roboami regnum robustius redderetur, & multæ, vt diximus, ab eo ciuitates instaurandæ essent. Istis autem præluxerunt sacerdotes & Leuitæ, *qui erant in vniuerso Israel, qui venerunt ad Roboam de cunctis sedibus suis, relinquentes suburbana & possessiones suas, & transeuntes ad Iudam & Ierusalem, eo quod abiecisset eos Ieroboam, & posteri eius.* Factis abijs sacerdotibus, quod ipsi ad idololatriam trantire nollent, & Ieroboam edixisset omnibus tubdiis suis, ne vltra ascenderent in Ierusalem, quod perpetuum erat Leuitis per vices suas.

2. *Par.* 11. 16.

vers. 13.

Et nominatim à Leuitis.

II. Et quam id rectè factum.

Recte autem Sacerdotes ac Leuitæ, præ cæteris veri Dei cultoribus, Ieroboamum deseruere. Ipsos enim, qui Deo singulariter dicati erant, oportebat non solum idola vitare, sed eorum quoque cultores; alioqui si taciti cum ipsis manerent, eorum impietatem non improbare viderentur: sin autem arguerent, vitæ, atque omnium rerum discrimen adirent. Cumque ijdem possessionibus carerent, & reliquorum Israëlitarum benignitate sustentarentur, necesse fuisset in cibo & potu communicare cum ijs; quod non placebat Deo, vt nuper in morte Prophetæ intellectum fuerat: imo & de cibis participare, qui fuissent idolis consecrati. Oportebat etiam populum pudore affici, dum se ab ijs desertum videret, qui erant omnium optimi ac præstantissimi, & inde conijcere se misero in statu viuere, indeque talibus exemplis excitatum, ad saniora consilia aspirare. Ipsumque in primis Ieroboamum, qui prodigia ira feruentis Dei suis ipse oculis vsurparat; propriaque dextera senserat, non tam vltorem quam monitorem Deum: qui addidit posterius morbum motumq; filij eius, vt tam initio, quam fine regni atque impietatis eius, salutis ipsius se cupidum demonstraret.

Dei cura pro salute Ieroboami.

ANNVS MVNDI 3063.

ROBOAMI & IEROBOAMI 4.

ACHIMAÆ 4. TEMPLI 41.

LAOSTHENIS 35. Imperij Assyr. 1132.

ANTE CHRISTVM 990.

I. Roboam Dei cultũ deserit.

TAm luctuosus est hic annus quartus Roboam, ruina pietatis & diuini cultus, quam lætus alioqui futurus erat rerum temporalium incrementis. Vtrumque rerum statum paucis indicat Scriptura, qua recensitis plerisque, qui præter Sacerdotes & Leuitas patriam deseruerant, ne patriam & auitam religionem deserent, subdit, *Et roborauerunt regnum Iuda & confirmauerunt Roboam filium Salomonis per tres annos.* Hic prior titulus, de posteriore mox addit. *Cumque roboratum fuisset regnum Roboam, & confortatum, dereliquit legem Domini & omnis Israel cum eo.* id est Iuda; qui Roboamo parebat, sicut Israël Ieroboamo: vel tum demum totus Israël deseruit Dominum, cum duæ adhuc tribus pietatem retinuissent. Itaque Roboam quandiu sibi timuit à Ieroboamo, & viribus ei se imparem credidit, quid enim erant duæ tribus ad decem? pietatem coluit, quam sibi perutilem esse videbat, vt quæ suum debilitabat hostẽ, & vice versa regnum suum roborabat. At *incrassatus, impinguatus, dilatatus*, viribus auctus & vitis, *dereliquit Deum factorem suum; & prouocauit eum in dijs alienis, & in abominationibus ad iracundiam concitauit*; quæ scilicet hoc anno concitata, in sequentem annum erupit.

2. *Par.* 11. 17.

2. *Par.* 12. 1.

Postquã ciuibus nouis roboratis.

Deut. 32. 15.

A rerum etiam suggerit Scriptura modum & rationem roborati regni Roboami, quod scilicet cognationibus & affinitatibus potentissimos quosque regni sui sibi deuinxerit: quorum propterea interesset, regem in regno suo quam florentissimum esse, qui vel filias vel sorores haberent reginas. Ex quo alia quoque commoditas continendi regni totius in officio nascebatur. Nam ex multis vxoribus multos suscipiens liberos, eos per omnes regni sui ciuitates dispergebat, fideliores vtique patri suo futuros, quam alienos. Hoc Scriptura significat, præsertim in Hebræo textu, vbi enumeratis multis Roboami vxoribus ac liberis subdit. *Et instruebat, & dispergebat de omnibus filijs suis in cunctas terras Iudæ & Beniamin. In cunctis vrbibus munitis posuit escam copiose, & petiuit multitudinem vxorum.* Curabat videlicet varijs in locis filios suos institutione regia erudiri à pueritia, eaq; loca multiplici commeatu in omnem euentum muniebat; multas eis quoque petiuit vxores, quas illi postea suis temporibus ducerent: interim autem vtrumque parentes & liberi promissione tenerentur.

II. Et affinitatibus roboratus est.

2. *Par.* 11. 5.

Quod ad vxores autem Roboami attinet, in 2. Paral. habetur eum vxores decem & octo duxisse, concubinas autem sexaginta: & genuisse viginti octo filios, & filias sexaginta: tres autem nominatim recensentur, siue quia cæteris præstarent: siue quia filios genuerant cæteris insigniores, præsertim Abiam, qui patri

III. Eius vxores & filij *ca.* 11. 21.

succes-

successit in regnum. Prima fuit *Mahalath filia Ierimoth. filij Dauid*, qui tamen Ierimoth nusquã alibi numeratur in filijs Dauidis. Fuit fortasse vnus aliquis de filijs concubinarum, vt notauit Hieronymus. Secunda fuit Abigail *filia Eliab, filij Isai.* Quæ dicitur filia Eliab, intelligenda est neptis aut proneptis Eliabi, qui fuit natu maximus fratrum Dauidis. Tertia fuit Maacha filia Absalonis, sed alterius à filio Dauidis. vt alibi probauimus, de tribu Benjamin, qui & Vriel dictus est. Ex hac autem Roboam quatuor filios suscepit, quorum Abia à patre prælatus est cæteris, quia sapientior & potentior fratribus omnibus, forte etiam in gratiam matris eius, quam præ omnibus vxoribus & concubinis amauit. Ea tamen impietate præstitit, vt quæ in turpissimis sacris princeps appelletur. Vnde non leuis coniectura est ab ea Roboamum ad idololatriam fuisse pertractum, nisi id facinus matri eius Naamæ Ammanitidi tribuere placet.

2. *Par.* 11. 18. Primariæ tres vxores. *Vide Ann. an. Dauid.* 2. *n.* 12.

an. m. 3007. *n.* 9. 2. *Par.* 13. 2.

3. *Reg.* 14. 21.

IV. Ætas Abiæ & cõiugium.

Hanc Maacham ducere potuit Roboam anno ætatis 23. vel 24. Sicque Abias filius eius vixerit cum auo Salomone sedecim annis; hoc autem quarto anno regni patris sui egerit vigesimum ætatis annum: in quo nihil absurdi est dicere, Abiam duxisse vxorem, ex qua mox filium susceperit, Asam nomine, qui decimo septimo vitæ suæ anno regni gubernacula susceperit.

ANNVS MVNDI 3064.

ROBOAMI & IEROBOAMI 5.

ACHIMAÆ 5. TEMPLI 42.

LAOSTHENSIS 36. Imperij Assyrior. 1133.

ANTE CHRISTVM 989.

I. Inualescit Idololatria in vtroque regno. 3. *Reg.* 14. 22. 23. 2. *Par.* 11. 21.

INualescebat Idololatria in regno Roboami; luci certatim super omnes colles plantabantur, dicabantur, aris & statuis ornabantur: nec vitulis solum, sed Priapo etiam sacrificabatur, annitente maxime Maacha regina, quæ apud Roboamum gratia plurimum poterat: cui postmodum facta est probrosissimæ idololatriæ incentrix, spurcissimæque nequitiæ. In regno autem Ieroboami altiores in dies radices agebat sacrilegium. Hoc enim minus repugnante conscientia Israelitæ vitulos adorabant, minusque Deum patrum suorum requirebant, quò magis eum ab illis ipsis contemni videbant, apud quos erat nobilissimum illud templum, & sacerdotium diuinitus institutum. Verum Deus hanc contumeliam suam, per Sesacum Ægyptiorum regem, quam primum vltus est, quem quinto Roboami anno aduersus Ierusalem immisit, cum Iosephus Sesostrim Herodoti, alij Sabacum eiusdem esse volunt.

II. Quæ causa aduentus Sesaci.

Videtur porro hic Sesac venisse Hierosolymam, diuina voluntate, quia dereliquerat Roboam Dominum: deinde inuitatu Ieroboami sibi affinitate, vt quidam putant, aut certe amicitia & familiaritate coniuncti, vt attritis Roboami viribus, securius ipse regnaret; aut etiam vt regnum eius armis sibi subijceret. Et apparet factum, nisi Dominus Roboami & Iudæorum humilitate permotus, iram in eos suam mitigasset. Venit enim *cum mille ducentis curribus, & sexaginta millibus equitum, nec erat numerus vulgi, quod venerat cum eo ex Aegypto, Lybies scilicet & Troglodyta, & Aethiopes.* Numerum tamen Iosephus inuenit aut excogitauit, & recensuit quadraginta millia. Plures erant equites peditibus; nec satis credibile est Scripturam vocaturam innumerabiles 40. millia, quæ aliquanto post numerat quadringenta millia Iudæorum, & Israëlitarum octingenta millia. Cum his ergo copijs Sesac *cepit ciuitates munitissimas in Iuda, & venit vsque in Ierusalem*, eas vrbes sponte deditionem fecisse scribit Iosephus: earum videlicet principibus ad Roboamum Ierosolymam confugientibus.

2. *Par.* 12. 2. 3. Eiusdem copiæ.

2. *Par.* 13. 9.

III. Roboami ignauia. 2. *Par.* 13. 7. *in Euterpe l.* 2.

Non est ausus Roboam Ægyptio regi infestis signis occurrere, erat quippe homo *rudis, & corde pauido*, vt Abias filius eius publicè professus est. Nec satis fuit animi populo eius, ad vitãdam timiditatis & ignauiæ maculam, quam illi Herodotus impingit. Male quippe conscijs pectus deserti numinis, fortitudinem omnem excusserat; atque ita implebatur, quod Moyses tanto ante prædixerat. *dabit tibi Dominus cor pauidum, & deficientes oculos, & animam consumptam moerore, & erit vita tua quasi pendens ante te*, &c. Cum ergo Hierosolymam innumerabilis exercitus obsideret, & Roboamus cum optimatibus suis, animi consilijsque inopes, circumspicerent se, etiam in cœlum, vt fit, suspexerunt, veri Dei, quem indignissimè deseruerant, nondum plane obliti. Cum ecce trepidantibus superuenit Semeias propheta, qui ante triennium Roboamum à pugna contra Ieroboamum Dei iussu deduxerat. Is *ingressus ad Roboam, & principes Iuda, qui congregati fuerant in Ierusalem fugientes Sesac*: reliquis iam vrbibus in eius potestatem redactis, *dixitque ad eos Hæc dixit Dominus, vos reliquistis me, & ego reliquos vos in manu Sesac*, vt ciuitates vestras, vosque ipsos subijceret seruituti.

Deut. 28 65.

Semeiæ vaticinium.

IV. Pœnitẽtia Roboami & Dei lenitas.

At illi terrore perculsi dixerunt, *Iustus est Dominus.* Et recte quidem. Quid enim iustius quam deseri eum, à quo deseratis prior? præsertim cum is qui prior deserit, in hac ipsa desertione iniustissimus sit atque ingratissimus? Sed Dominus, qui mauult clemẽs audire, quam iustus, *cum vidisset quod humiliati essent, non disperdam* inquit *eos, daboque eis paululum auxilij*, mitigando scilicet impij regis crudelitatem & auaritiam, *veruntamen seruient ei, vt sciant distantiam seruitutis meæ, & seruitutis regũ terrarum*, qui seruos suos diripiunt & tributis exhauriunt, cum serui mei opibus circumfluant. Iræ porro Dei mitigatæ non sola causa proditur, istorum puta principum animi demissio, sed *opera bona quæ inuenta sunt in Iuda.* Nimirum plerique tunc in tanta ciuitate reperti sunt viri boni, qui mitissimum Dei pectus pulsarent precibus & lacrymis, qui ieiunijs & eleemosynis, alijsque pietatis operibus veniam implorarent.

Meritum bonorũ operum.

V. Deditio Ierusalẽ, & Sesaci præda.

Quoniam ergo Sesaco Dei iussu seruiendum erat, de deditione regiæ ciuitatis actum est, non solum ea conditione, vt cædibus incendijsque, sed Dei etiam templo parceretur. Verum is admissa conditione admissus, eam, vt ait Iosephus, non seruauit, sed sublatis thesauris do-

mus Domini, & domus regis, omnia secum recedens abstulit, & nominatim clypeos aureos, quos fecerat Salomon; pro quibus fecit rex æneos, quos ei scutarij templum adeunti, honoris causa præferebant. Quanta autem hæc præda fuerit, templi præsertim nunc primum expilati, & quantus ciuium plangor ad tantam iactu ram, diligentius in Annalibus explicatum est. Felices lachrymæ gemitusque, si ex iactura temporalium, spiritalem fidei atque pietatis, serio æstimare didicissent. Hac Roboami clade nihilo sapientior factus est Ieroboamus, quippe qui eius fuerat procurator, vt diximus, sed in male cœptis male perseuerauit: quem non propterea Deus præ Roboamo dilexit, quod in eum Sesacum non immiserit, sed eum potius, quasi à se abdicatum, deseruit. Roboamum vero propter Dauidem dilectum suum, & propter multos amicos suos in regno eius commorantes, quasi tutorem filiorum suorum parum fidelem, non modica iactura castigauit.

nn. 13. & segq.

Ieroboamus perseuerat in peccatis suis.

ANNVS MVNDI 3065.

ROBOAMI & IEROBOAMI 6.

ACHIMAÆ 6. TEMPLI 43.

LAOSTHENIS 37. Imp. Assyriot. 1134.

ANTE CHRISTVM 988.

I. Dormitat idololatria in regno Iuda hoc anno.

SExtus Roboami annus timorem Dei ex recentissima clade collectum, videtur, aliquantum retinuisse, & impietatis ardorem, quasi frigid. superfusa, magna ex parte restinxisse. Dormitasse igitur videtur hoc anno Idololatria in regno Iuda: & studium, in reparanda aliquo modo Ægyptia clade, positum fuisse. Nam Roboam, vt dixi, pro scutis aureis Salomonis, ænea confici iussit, eaque sibi templum adeunti ab excubitoribus suis præferri. Ex eo porro, quod cũ prædicta pompa Rex templum adibat, intelligitur eum non publice Dei cultum deseruisse, sed à populo retentum, & de more frequentatum: ab optimatibus autem obiter & ad speciem vsurpatum. Dei autem voluntate restitutum est Roboamo regnum, & Sesac contentus thesauris regijs, quos congesserat Salomon, & thesauris templi, & tributo insuper in signum subiectionis imposito discessit. Signum autem regni in suo statu restituti est, quod nusquam deinceps aut Roboam, aut Abias, aut Asa, cæteriue reges Iuda recepisse dicuntur vrbes, quas ceperat Sesac, vt promissio diuina Dauidi facta subsisteret.

Roboam publice templum adit.

ANNVS MVNDI 3066.

ROBOAMI & IEROBOAMI 7.

ACHIMAÆ 7. TEMPLI 44.

LAOSTHENIS 38. Imperij Assyrior. 1135.

ANTE CHRISTVM 987.

I. Roboa-

VIdetur hoc anno resumpsisse vires impietas, Roboamo ex leuitate mentis atque imprudentia, ad ingenium redeunte. Pestissima quippe est, & animum semel occupatum, a superstitione corruptum, raro penitus deserit est enim admodum consentanea carni & sanguini, & omnibus cupiditatibus eius; quibus se malus dæmon scientissimè attemperat, in certissimam perniciem seruorum suorum. Et forte nunc inducti cœpta, si non prius, illa effœminatorum immundicies, quam Scriptura commemorat, virorum in fœminas præpostera libidine transeuntium, iuxta abominationes gentium, quorum impurissima contubernia cõstituerunt, quibus scelerata Maacha Roboami vxor, præposita erat antistes Hoc enim tempore instituta sunt, quæ post aliquot annos à pio rege Asa sublata legimus, & inde qualia fuerint intelligi potest. Sic autem habet.

Et abstulit effœminatos de terra, purgauit vniuersas sordes idolorum, quæ fecerant patres eius. Insuper & Maacha matrem suam amouit, ne esset princeps in sacris Priapi, & in loco eius, quem consecrauerat, subuertitque speciem eius, & confregit simulachrum turpissimum, & combussit in torrente Cedron. Facile autem intelligi potest, quanta cum impudentia omnis generis libido, per omnes ordines baccharetur, cum quæ erat omnium flagitiosissima, dijs sacra putabatur, & præpositam habebat reginam, regis vxorem, matrem, auiam, quæ lucum illi nequitiæ consecrarat; lustrum quoque constituerat, in quod hæ bestiæ conuenirent, & Rex ipse natura mollis, ingenio fatuus, etiam ab vxore sacrilega dementabatur. Verum abeamus ab hoc ludaico cœno, in quo fortasse Ieroboami quoque subditi volutabantur. Ægyptiorum enim superstitiones Ieroboamus æmulabatur. Incidit porro in præsentem annum, sabbaticus ordine sexagesimus nonus, quem hoc corruptissimo tempore facile intelligi potest, fuisse neglectum.

ns redit. ad ingenium.

3. Reg. 14. 24.

II. Et sordes idolorũ reuelescunt. 3. Reg. 15. 12.

ANNVS MVNDI 3067.

ROBOAMI & IEROBOAMI 8.

ACHIMAÆ 8. TEMPLI 45.

LAOSTHENIS 39. Imperij Assyr. 1136.

ANTE CHRISTVM 986.

I. Continuũ bellum aliquot annorum inter vtrumque regem. 3. Reg. 14. 30. 2. Par. 12. 15. Isa. 48. 22.

ADhunc & aliquot sequentes annos, quos exactius rebus gestis definire non possumus, prælia referamus licet duos inter reges gesta, & frequentata, dum vnus perdita recuperare, alter acquisita conseruare cupit. Rem Scriptura perpaucis exequitur. *Attamen*, inquit, *bellum fuit inter Roboam & Ieroboam, & pugnauerunt aduersum se cunctis diebus.* Mutatam religionis faciem, perturbatissimus Reip. status est consecutus; & ex quo cum Deo pugnare ausi sunt, nunquam inter se pugnare destituerunt, quia *nõ est pax impijs, dicit Dominus.* Plena itaque fuerunt, totis hisce annis, imo & quam plurimis sequentibus, duo ista regna bellis, & malis omnibus, quæ bella ciuilia consequuntur.

ANNVS MVNDI 3073.

ROBOAMI & IEROBOAMI 14.

ACHIMAÆ 14. & 15. TEMPLI 51 & 52.

LAOSTHENSIS 45. & vlt.

PYRITIADIS 1. Assyrior. 1142. & 43.

ANTE CHRISTVM 980. & 79.

Finis Laosthebis, & initium Pyritiadis.

IN priorem annum incidit annus Sabbaticus septuagesimus, de cuius obseruatione idem quod de præcedenti dici potest, incidit & mors Laosthenis Assyriorum regis; est enim quadragesimus quintus ipsius annus, quam regni periodum ei Africanus Eusebiusque assignant. Res ab eo tam diuturno in regno gestas, nemo prodidit, qui ad nostras peruenerit manus. Ad posteriorem pertinet successor eius Pyritiades, qui ex vtriusque sententia imperij gubernacula annis omnino triginta tenuit.

ANNVS MNNDI 3076.

ROBOAMI 17. & vlt. IEROBOAMI 17.

ACHIMAÆ 17. TEMPLI 54.

PYRITIADIS 3. Imperij Assyrior. 1145.

ANTE CHRISTVM 977.

I. Mors Roboami. 3. Reg. 14. 21. 2. Par. 12. 13.

SOla mors Roboami hunc annum notabilem facit. Quadraginta enim & vnius anni erat, cum regnare cœpisset, & septendecim annis regnauit in Ierusalem. Itaque periodus vitæ totius fuit 58. annorum, si annos integros sumas, sin quadragesimum primum vitæ, primum regni cum Iosepho esse velis, erit 57. *Vir arrogans*, ait idem, *atque insipiens, qui propter spretum paternorum amicorum consilium, tantam ditionem* amisit. Sed insipientior longe atque infelicior, qui defectione à religione patria, æternam etiam hereditatem amisit. Vnde Lucifer Calarit. libro de Regibus Apostaticis ait filium Salomonis diu regnasse in scelere suo, & in eodem fuisse defunctum. Idem paulo obscurius habet Scriptura, quæ vitam eius hac conclusione terminat. *Fecit autem malum, & non præparauit cor suum vt quæreret Dominum.* Post malum videlicet Idololatriæ perpetratum, quod ad extremam impœnitentiam merito refert Abulensis. Est enim hoc quasi elogium Scripturæ, de tota eius vita in ipsius conclusione pronunciantis. Itaque illa humiliatio, quæ à Scriptura memoratur, expressa necessitatis articulo, constans & perpetua non fuit.

in impietate.

2. Par. 12. 14. q. 11. in eil locum.

II. Quæ illi ad ruinã incitamenta.

Habuit infelix ad hanc insaniam geminum incitamentum domi matrem Naamam Ammanitidem, & Maacham vxorem. Illa pueritiã depraualisse præsumitur, ista iuuentutem. Noluit enim Roboam scelestam mulierem, quam in oculis ferebat, contristare, cuius etiam amore filium eius Abiam regno destinauit, licet alios haberet filios, qui eum ætate superabant: quos tamen nihil mouisse apparet ambitione incitatos. De morte Pontificis nihil habeo dicere, nisi quod Chronicon Hebræorum non producit pontificatum eius vltra Roboami regnum.

Mors Achimæ.

ANNVS MVNDI 3077.

ABIÆ 1. IEROBOAMI 18.

AZARIÆ Pont. 1. TEMPLI 55.

PYRITIADIS 4. Imperij Assyriorum 1146.

ANTE CHRISTVM 979.

I. Regnum Abiæ. 3. Reg. 15. 1 2. Par. 13. 1

INitium regni Abiæ Scriptura conijcit in decimum octauum Ieroboami, anno ætatis circiter trigesimo tertio, iuxta ea, quæ quarto Roboami anno diximus: cum et iamdudum natus esset Asa. Credibile autem est Abiam exigua celebritate regem fuisse creatum, quod tempora essent admodum turbulenta, & bellator hostis in armis. Azarias autem pontifex quem producimus, fuit Achimaæ filius, vt Iosephus & Scriptura ipsa testantur. Sub Abia porro gessisse pontificatum, Chronicon breue Hebræorum, cum Sigonio & Genebrardo, testantur. Cæterum cum statim initio regni Abiæ tantus vtrimque exercitus ad prælium præparatus à Scriptura memoretur, istum vtrimq; apparatum, viuo Roboamo factum esse oportet. Prior autem ad bellum progressus est Abias, & in regnum Ieroboami transgressus est; prælium enim in tribu Ephraim, prope Samariam commissum est. Valuit animosior aggressio ad victoriã, licet Abiæ copiæ dimidia parte minores essent copijs Ieroboami, in quibus octingenta millia centebãtur.

Lyo. Ant. c. 11. 1. Par. 6. 9. de Rep. Hebr.

Belli apparatus.

2. Par 13. 3

II. Quæ belli causa Abiæ.

Quam porro belli causam habuerit Abias, ex eius oratione intelligi potest, in qua aduersarios hortatur ad reparandam regni vnitatem, Ieroboami improbitate distractam, monetque ne pugnam aduersus Iudam suscipiant, sed ipõte regnum Dauidicæ familiæ redintegrent. Verũm id contra Domini præceptum fuisse videtur, qui à principio regni Roboami, vetuit pugnare cognatas acies, & per prophetam declarauit hanc à se diuisionem esse profectam. Nec rem in oculis duorum exercituum gestã, Abias ignorare potuit: sed fortassis existimauit non fuisse diuini consilij, vt perpetua esset ista diuisio, sed voluisse tantum, vt ea Roboami insipiẽtia castigaretur ad tempus. Quò pertinet illud. *Num ignoratis quod Dominus Deus Israel dederit regnum Dauid super Israel in sempiternum?* An forte mens Abiæ fuit, non tam regna coniungere, quã verum Dei cultũ vtrobiq; restituere, qui fuerat huius schismatis occasione distractus; quo maxime spectat eius oratio. Iustitiam certæ causæ Dominus ipse largienda victoria comprobauit.

3. Reg. 12. 22.

III. Eius ad hostem concio.

Tota eius oratio perspicua est, omninoque religiosi principis esse videtur. Itaque hoc regni initio pietatem ex animo coluisse videtur, & idololatriam exterminare voluisse. Sed obtenta mox victoria à matre sacrilega Maacha, & principibus, bene de se in bello meritis, delinitus, sese impietati miserè dedidit. Cum

autem

autem concluderet concionem suam monendo Israëlitas ne pugnarent contra Dominum. Ieroboam circumuenire cupiebat eius exercitum, copiarum multitudine fretus, vt hoste vtrimque inuadente perturbati, confusique trucidarentur. Quo cognito Abias cum exercitu suo clamauit ad Dominum, opem votis nuncupatis postulando, vt à præsentissimo periculo eriperetur: aurum scilicet & argentum, & vasa in domum Domini, quæ tamen mox voti reus, siue negligentia, siue auaritia dominante, non reddidit; sed reddidit Asa filius eius, anno decimo quinto regni sui.

Et Deo votum.

3. Reg. 15. 15.

IV. Abiæ victoria. Ieroboami clades.

Dum rex vota facit, Sacerdotes tubis canere cœperunt, omnesque viri Iuda vociferati sunt, tum diuinum auxilium implorando, tum se mutuo ad prælium exhortando, & facti sunt diuinitus animosiores: hostis autem perterritus se dedit in fugam. In quos fugientes tanta cæde bacchati sunt Iudæi, vt quingenta millia virorum fortium caderent. *Humiliatique sunt ac vehementer debilitati filij Israël in tempore illo: & vehementissimè confortati sunt filij Iuda, eo quod sperassent in Domino Deo patrum suorum.* Ostendit hæc quoque narratio, pio ac religioso erga Deum animo, tam regem quam populum eius, affectum fuisse hoc tempore. Deum autem ipsum qui Ierohoamum iam in propria persona afflixerat, etiam in subditis vehementer castigasse, amissis quingentis virorum fortium millibus. Neque id satis. Persecutus est enim Abias fugientem Ieroboamum, & illi tres ciuitates cum ipsarum pagis abstulit. Mirum est autem Abiam victoria vsum non esse, totumque regnum tanta clade turbatum non occupasse, vt maxime cupiebat.

V. Cur non sit vsus Abias parta victoria.

3. Reg. 12. 24.

Itaque putat Abulensis, Deum illam iterasse prohibitionem, quæ pridem Roboamum exarmarat, contra Ieroboamum pugnaturum. Quod non ad exiguam Abiæ laudem pertinet, reputantis apud se, id non fore vti victoria diuinitus accepta, sed abuti; si contra eius voluntatem, à quo illa profecta fuerat, vti auderet: simulque periculum adiret, ne Dominus eam inobedientiam, versa in contrarium victoria clade aliqua castigaret. Porro Ieroboam, atque Israëlitæ illi subiecti, humiliati quidem sunt, viribusque debilitati; neque tamen propterea ad Deum castigantem sunt reuersi, sed in suscepta impietate rex populusque obduruerunt.

ANNVS MVNDI 3078.

ABIÆ 2. IEROBOAMI 19.

AZARIÆ 2. TEMPLI 56.

PYRITIADIS 5. Imperij Assyrior. 1147.

ANTE CHRISTVM 975.

I. Nouæ affinitates Abiæ. 2. Par. 13. 21.

CVm tam insignis victoria, Abiæ & Iudæorum animos tantum erexisset, quantum Ieroboami, & Israëlitarum deiecerat: existimauit Abias ad regni sui firmitatem stabiliendam pertinere populum suum varijs sibi affinitatibus copulare. Itaq; *cõfortato imperio suo accepit vxores quatuordecim, procreauitque viginti duos filios, & sedecim filias.* Non est Scripturæ mens dicere post hanc dumtaxat victoriam ductas esse tot vxores, sed ad eas quas habebat, alias adiecisse, vt fierent omnes quatuordecim: & ex nouis vxoribus alios suscepisse liberos, vt fierent omnes duodequadraginta. Quomodo enim alioqui ex quatuordecim vxoribus, intra vnum aut alterum annum, tot liberos suscipere potuisset?

II. Noua Ieroboami clades. Prou. 18. 3.

At Dominus nona etiam sub hoc tempus clade Ieroboamum, & tristissima futurorum malorum denunciatione percussit: sed ea non ad deferendam, sed ad confirmandam Idololatriam, & ad inchoanda futuræ vitæ mala valuerunt. Nimirum *impius cum in profundum peccatorum venerit, contemnit*, ac de salute propter eorum immẽsitatem desperat. Qualis fuit causa Ieroboami, qui tot hominum millia in grauissimum omnium scelerum, & proximè quingenta millia bellatorum, quasi præcursores suos, in exitium sempiternũ præmiserat. Quod autem ad morbum, mortemque filij eius attinet, satis constat eam ad Ieroboami principia non pertinere. Nam cum Abias illi regnum prædixit, trigesimo octauo Salomonis anno in agro solus cum solo versabatur, eratque sexagenarius, vt ex Septuag. colligitur, nunc autem oculi eius præ senectute caligauerant vt est in 3. Reg. erat ergo circiter octogenarius. Itaque Scriptura, & Iosephus hanc historiam ad finem regni, & vitæ Ieroboami differunt.

ca. l. 4. 4.

III. Consulit per vxorẽ prophetã.

Cum ergo Abias filius Ieroboami ægrotaret, oprauit pater scire à Propheta, qui ei regnum prædixerat, quid ægro futurum esset, iussitque vxorem suam, quam Septuag. Anonymam vocant, eum ementito habitu adire, ne forte is grata potius quam vera narraret; aut potius ne eam, ob mariti impietatem, atque ingratitudinem, à se inuisam inauditamque reijceret. Ac ne à populo quidem agnosci voluit, ne is intelligeret ab ipso Ieroboamo consuli Dominum, de dijs suis, ac sacerdotibus eorum, vel prophetis diffidente; eaque rẽs populo esset incitamento ad patriam religionem aspirandi. Addidit etiam agrestia munera, quæ plebeiæ mulieri conuenirent. At Deus omne desiderium, & conatum Ieroboami reddidit irritum, re tota Prophetæ reuelata: & ne qua suspicio in oraculo foret, etiam absentem compellauit, & vltro interrogationem anteuertit, & obiurgationem, quam illa vitare conabatur, Deo dictante in faciem eius effudit.

IV. Abiæ cõtra Ieroboamũ vaticinium.

Exprobrauit enim beneficij diuinitus accepti magnitudinem, quod ille in summam benefactoris iniuriam conuerterat, omnibus qui ante eum fuerant impietate superatis. Ergo Dominus in tanti facinoris pœnam, præterita silentio maxima illa æternæ damnationis pœna, quæ scelestibus eius ex æquo respondebat, prænunciat totam Ieroboami familiam funditus disperdendam, omnesque à primo ad vltimum, eo vno excepto, qui nunc decumbebat æger, ignominiosa morte perituros, & sepultura carituros. Denunciat quoque per quem vltio quamprimum in genus inuisum inferenda sit. Is fuit Baasa, cui fauit Dominus vt rex fieret, totamque mox Ieroboami familiam excinderet. Denique, quoniam populus se regis impietati

tati præbuerat obsequentem, prædicit prophetæ fore, vt captiui in Assyrios transferantur, vbi diu multumq; in patria sua, quasi arundo in aqua, intestinis seditionibus, & bellis agitati fuissent.

V. Moritur filius eius, nec tamen resipiscit pater.

Tam horrifico vaticinio territa mulier nihil habuit quod responderet; quanquam ne à principio quidem permissa est quidquam effari, vt tanto magis Dei in Ieroboamum ira panderetur; tacita itaque surrexit, & abijt, & venit in Thersa, quem locum Septuag. Sacriam vocant. *Cumque illa ingrederetur limen domus, puer mortuus est, & sepelierunt eum, & planxit eum omnis Israel, iuxta sermonem Domini. Nec timuit*; ait Lucifer Calaritanus, *ex morte filij sui*, quod & cætera, quæ illi vxor ex ore prophetæ renunciarat, secutura essent, *sed in sua sensit versutia, & vt semel statuerat, diabolo seruire maluit.* Iosephus ait Ieroboamum nihil his fuisse commotum, scil. ad resipiscendum, alioqui lapidem esse oportuisset.

lib. 8. ca. 5.

ANNVS MVNDI 3079.

ABIÆ 3. vlt. ASÆ initium. IEROBOAMI 20.

AZARIÆ 3. TEMPLI 57.

PYRITIADIS 5. Imp. Assyr. 1148.

ANTE CHRISTVM 974.

I. Ratio tẽporis.

TErtius annus Regni Abiæ integer non fuit, nec Asæ primus, qui tamen pro integris numerantur, dum priori tres anni, posterioti vnus & quadraginta tribuuntur. Et nihilominus necesse est tertium Abiæ & primum Asæ in vnum eundemque concurrere; alioqui vigesimus Ieroboami non incidet in primum Asæ, quod affirmat Scriptura, sed in secundum. Nimirum vigesimus Ieroboami erat in exitu, cum cœpit primus Asæ. Itaque totus fere vigesimus primus Ieroboami, concurrit cum primo Asæ; ergo ad vitandam confusionem, & ad contentiendum cum Scriptura, hunc Ieroboami vigesimum, vocauimus initium Asæ, vt primus Asæ concurrat cum magna parte vigesimi primi Ieroboami.

3. Reg. 15. 9.

II. Abiæ mors. *3. Reg. 15*

Mortuus est ergo hoc tertio regni sui anno inchoato Abias, & quidẽ naturali morte, quod significat illa Scripturæ phrasis. *Et dormiuit Abias cum patribus suis*, morte tamen infelici, *Ambulauit enim* ait idem Scriptor sacer, *in omnibus peccatis patris sui, quæ fecerat ante eum, nec erat cor eius perfectum cum Domino Deo suo, sicut cor Dauid patris sui.* Diuiserat quippe cor suum Abias, & partem quidem dabat Deo vero, cuius cultum prædicabat apud Israëlitas, partem autem Idolis, sicut pater eius & auus. Neque enim Salomon aut Roboam in stultitia sua vnquam Dei templum clauserunt, sed ambo modo Deum, modo idola coluerunt. Sic & Abias cum bene cœpisset, cuius rei causa mirabilem consecutus est de hoste victoriam, mox propter eam in superbiam elatus, patris exempla secutus, ad idola declinauit. Vt non mirum sit omnem idolorum infamiam, ab eo in posteros fuisse transfusam.

III. Asæ regni initium.

Abia defuncto ei in regno Iuda suffectus est Asa filius eius ex Maacha filia Abessalom, eius enim dicitur mater, cum tamen sit auia, mater patris eius, & vxor Roboami aui. Sed vt pater pro auo sæpe sumitur, sic & mater hoc loco pro auia, quod esset mulier improbitate notissima. Quod autem Asa rectum fecisse dicitur ante conspectum Domini, sicut Dauid pater eius, id est abauus, in genere dicitur de tota eius vita, maximeque principio, vt proximo anno dicetur. De Ieroboamo autem nihil noui; fractus animo, viribusque regni, tenax impietatis ad mortem, ad diuinum tribunal properabat, immensorum peccatorum reus.

3. Reg. 15. 11.

ANNVS MVNDI 3080.

ASÆ 1. IEROBOAMI 21.

AZARIÆ Pont. 4. TEMPLI 58.

PYRITIADIS 7. Imperij Assyr. 1149.

ANTE CHRISTVM 973.

I. Primus annus Asæ.

PRimus est hic annus Asæ iuxta rationem tẽporis paulò ante explicatam. Ex Scripturæ porro silentio apparet eum fuisse Abiæ primogenitum. Solet enim declarare filiorum ordinem, quando alius à primo succedit in regnũ, vt in Dauide, Salomone, Abia adhuc factum videmus. Ergo in successione Asæ commune ius ac consuetudo omnium ferme nationum obseruata est. Is vbi regni gubernacula suscepit, copiosam nactus est materiam, circa quam zelus diuini honoris effetuesceret, parentis, auique, aut negligentia, aut improbitate collectam. Asa vero vice versa, Domino regnum Iuda miserante, pius eius cultor extitit, & sedulus Dauidis imitator. Itaque *subuertit altaria peregrini cultus, & excelsa* in quibus aræ illæ fuerant excitatæ. Nam quod alio in loco Scriptura tradit eum excelsa non abstulisse, de illis excelsis intelligenda est, in quibus verus quidem Deus, sed loco indebito colebatur. *Confregit* quoque *statuas, lucosque succidit*, ne loci amœnitas male sanum populum ad priorem nequitiam pelliceret.

3. Reg. 15. 14.

II. Eiusque pro religione zelus.

Extat & aliud zeli Asæ, probitatisque monimentum. *Abstulit* enim *effœminatos de terra*; extremo nimirum, meritissimoque supplicio affecit istiusmodi hominum portenta, Dei ac naturæ dedecora. Eorum quoque fana, imo lustra ac latibula ferarum in humana specie, dissipauit, & Priapi specum, execratæ nequitiæ ganeam subuertit: *purgauitque vniuersas sordes idolorum, quæ fecerant patres eius*, aut facta retinuerant. *Insuper & Maacham matrem suam*, id est auiam, qua in primis nitebatur probrosissima superstitio, *amouit ne esset princeps in sacris Priapi & in luco eius, quam* illa *consecrauerat*: ne videlicet rex publici pudoris appetens, domesticam dissimularet infamiam. In 2. Par. propterea ex augusto imperio deposita dicitur, in ordinem scil. redacta, & tanquam infamis omni dignitate spoliata: *subuertitque specum eius, & confregit simulacrum turpissimum, & combussit in torrente Cedron*, ad publicam idolo latarum ignominiam. Denique idolorum superstitione conuulsa, præcepit Iudæ, vt quæreret

vers. 12. Maachæ impietas.

vers. 13.

vi bis occisus fuerit, apparet illum ibidem proiectum fuisse insepultum, prædam volucribus cœli & bestijs terræ, iuxta vaticinium Ahiæ Silonitis; siue id agente Baasa & sepulturam, tyrannorum in morem, superbè ac crudeliter prohibente; siue populo casu aliquo in eum irato, & in cadauer improbè sæuiente.

ANNVS MVNDI 3083.

ASAE 4. BAASAE 2.

AZARIAE 7. TEMPLI 61.

PYRITIADIS 10. Assyrior. 1152.

ANTE CHRISTVM 970.

I. Mosaicus Iubilæus.

QVingentesimus agitur annus, ex quo Israëlitæ duce Iosue transgressi Iordanem, Chananitidem inuaserunt, quorum 440. ante fundatum templum numerantur, reliqui sexaginta à templi initijs effluxerunt. Est ergo hic decimus Iubilæus Mosaicus, quem Asæ regis pietas persuadet in regno Iudæ fuisse accurate seruatum, cum apud Israelitas confusa essent omnia; idololatria, omnes legis ceremonias, susque deque miscente. Pergebat autem Asa hinc quidem, vt diximus, in oppidis regni sui instaurandis, atque muniendis; inde autem Idololatriæ reliquijs exterminandis. Quæ cum agerentur in regno Iudæ, Baasa in Israele, contra vniuersam familiam regiam crudeli furore bacchabatur, Domino Deo impia eius voluntate ac facinore, iuste cõtra Ieroboamum, eiusque inuisam Deo stirpem vtente. Cumque *regnasset*, ait Scriptura, *percussit omnem domum Ieroboam, non dimisit ne vnam quidem animam de semine eius, donec deleret eum.*

3. Reg. 15. 29.

II. Baasa excindit familiam Ieroboami. 3. Reg. 14. 11.

Nec dubitandum est illud quoque impletum quod idem Ahias propheta prædixerat, *Qui mortui fuerint de Ieroboã in ciuitate, comedent eos canes; qui autem mortui fuerint in agro, vorabunt eos aues cœli:* Quod barbarus hic atrociter in oppidis agrisque, contra regiam omnem familiam sæuiendo, executus est; non implendæ causa prædictionis, sed firmandæ tyrannidis, & exsaturandæ crudelitatis. Sic ergo, hausta gladio Baasæ proditoris, funditus interijt familia impij atque insipientis Ieroboami, qui collatum sibi diuinitus, suisque regnum, non pio in benefactorem obsequio tueri voluit, sed perfidia ac superstitione se populumque suum à Dei cultu distrahendo. Nec tamen Baasa, qui factus est vltor peccati Ieroboami, intellexit consilium Domini, nec viam iniquitatis ab eo constratam odio habuit, sed *fecit malum coram Domino, ambulauitque in via Ieroboam, & in peccatis eius, quibus peccare fecit Israel.* Præter facinus occupatæ tyrannidis, & excisæ familiæ regiæ.

3. Reg. 15. 34.

ANNVS MVNDI 3086.

ASÆ 7. BAASAE 5.

AZARIÆ 10. TEMPLI 64.

PYRITIADIS 13. Imperij Assyr. 1155.

ANTE CHRISTVM 967.

I Ortus Iosaphati. 3. Reg. 22. 41. 3. Reg. 16. 1

SEptimo anno Asæ regis Iuda ætatis autem 25. nascitur Iosaphat filius eius primogenitus, qui ei in regno successit ætatis suæ anno 35. quibus si sex iam exactos addiderimus, fient vnus & quadraginta anni regni Asæ. Itaque anno regni eius septimo natum oportuit ex Azuba filia Salai. Ad hoc circiter tempus referimus, prohetiam Iehu filij Anani contra Baasam: qui cum quintum iam regnaret annum, nec ruina familiæ Ieroboami, quam ipsemet illi, propter impietatem intulisset, emendaretur, misit ad eum prophetam, qui hominem argueret, & imminentis pœnæ magnitudine deterreret: & quidé prius quam bella inter vtrumque regem exorirentur, verbis vt eum prius quam verberibus castigaret. Dominus ergo de Baasa per prophetam in hæc verba queritur. *Pro eo quod exaltaui te de pulucre, & posui te ducem super populum meum Israel. Tu autem* vice versa ingratus atque impius, ambulasti in via Ieroboam, & peccare fecisti populum meum Israel, exemplo, atque auctoritate tua, *vt me irritares in peccatis eorum*, quorum peccata recidunt in caput tuum. Hæc culpa profani huius principis fuit.

Iehu arguit Baasam.

Sequitur pœna. *Ecce, ego demetam posteriora Baasa*, id est, posteritatem eius. *Et faciam domum tuam sicut domum Ieroboam filij Nabat. Qui mortuus fuerit de Baasa in ciuitate, comedent eum canes, & qui mortuus fuerit ex eo in regione, comedent eum volucres cœli*, quæ vltio hoc fuit admirabilior, quo diutius Baasa regnauit. Minas porro rex non æquanimiter tulit; sed innoxium prophetam, furiosus, vt medicum delirans æger, inuasit, atque interfecit: quam cædem non diu impune tulit. Mox enim bella inter ipsum & regem Iuda exarserunt, quibus regnum Israel magnis detrimentis affectum est.

II. Et supremam clădem minatus occiditur.

ANNVS MVNDI 3090.

ASAE 11. BAASAE 9.

AZARIÆ 14. TEMPLI 68.

PYRITIADIS 17. Imp. Assyr. 1159.

ANTE CHRISTVM 963.

I. Bellum diuturnũ inter Asa, & Baasa. 2. Par. 14. 1 3. Re. 15. 16

EXpletis decem annis, quos Regi Asæ quietos fuisse Scriptura testatur, bellum inter vtrumq; Hebræorum regem excitatum est, quod hoc anno inchoatũ, in reliquos fere veriusq; regni annos propagatum est. Iuxta illud. *Bellum autem erat inter Asa & Baasa regem Israel cunctis diebus eorũ*; ad mortẽ scil. Baasæ, cui Asa superuixit

quindecim annis. Quam autem inchoandi belli causam fuisse diximus? Apparet Baasam eas vrbes recuperare voluisse, quas Abias pater Asæ Ieroboamo eripuerat, de quibus supra dictum est. Sed res præter expectationem in contrarium cecidit: factumque vt ad antiquam iacturam recens accederet.

2. Par. 13. 19. an. Abiæ 1. n. 4.

ANNVS MVNDI 3094.

ASÆ 15. BAASÆ 13.
AZARIÆ 18. TEMPLI 72.
PYRITIADIS 21. Imp. Assyr. 1163.

ANTE CHRISTVM 959.

ILlustrem habet hic annus Iudæorum de Aethiopibus victoriam, simulque Azariæ prophetiam cum sacrificiorum solennitate, fœdereque renouato, quæ omnia in vnum eundemque annum decimum quintum regni Asæ cadere, facile ex Annalibus intelligetur. Hi porro Aethiopes, qui duce Zara contra regem Asa venerunt, cum exercitu, in quo decies centena millia militum, & trecenti currus numerabantur, non ex Aethiopia Arabica, sed Africana, cum quibus & Libyi militabant, venerunt. Belli causam nemo prodit. Forte magnitudine copiarum fretus. Hebræorum reges, animis inter se armisque dissidentes, facile à se opprimi posse credidit, & tiriculosam regionem suam in terram lacte & melle manantem commutari. Moueri etiam potuit magnitudine prædæ quam Sesac ante sex & viginti annos ex templi thesauris, regijsque sustulerat: si tum forte adolescens in eius castris militabat, & similem sibi fœlicitatem affectabat. Deus autem ingentem illi cladem, ab Asa, pio ac forti rege præparabat.

I. Bellū Æthiopicū & quæ illius causa videatur. hoc a. n. 4.

2. Pa. 16. 1

Habebat is *in exercitu suo, portantium scuta & hastas, de tuda trecenta millia. de Beniamin vero scutatorum & sagittariorum ducenta octoginta millia: omnes isti viri fortissimi.* In hac autem turba non deerant plerique alij de tribu Ephraim, Simeonis, & Manasse, qui ad Asa religionis causa deserto Baala confugiebant, vt sequenti anno dicetur, vt Leuitas omittamus. Venerunt Aethiopes vsque ad ciuitatem Mareta in tribu Iuda, quibus Asa progressus est obuiam, & instructa ad pugnam acie, animaduersis tantis copijs, Deum pro victoria orauit intensius. Nec frustra. Exterriti enim sunt diuinitus Aethiopes, & in fugam acti; quæ tamen illis saluti non fuit. Nam *persecutus est eos Asa, & populus qui cum eo erat vsque Gerara*, itinere dierum aliquot, *& ruerunt Aethiopes vsque ad internecionem, quia Domino cadente contriti sunt, & exercitu illius praliante*, sine Angelorum ministerio, qui eis truci ac minaci vultu apparuerint; vocantur enim exercitus, milites, & castra Domini: siue potius, Hebræis qui erant Dei populus, illumque quasi Imperatorem suum agnoscebant.

II. Copiæ regis Asæ. 2. Par. 14. 8.

2. Pa. 15. 9

Æthiopes exterriti victique.

Cumque iam nusquam appareret hostis, ad spolia reuersus est victor exercitus, quæ pro magnitudine exercitus, plurima maximaq; fuerunt, adeo vt Aethiopica præda iacturam à Sesaco acceptam compensare quodammodo videretur.

III. Præda ingens.

Quæ fortasse mens Rabbinorum fuit, dum dixerunt Zeram Sesaci prædam restituisse Iudæis. Qui non contenti percussisse, qui in acie armati steterant, percusserunt ciuitates omnes per circuitum Gerasæ, grandis quippe cunctos terror inuaserat, & diruerunt vrbes, & multā prædā asportauerunt. Has vrbes fuisse Philisthæorum ex D. Hieronymo satis constat. Vnde etiam intelligitur Philisthæos prædæ vt videbatur, exploratæ cupiditate auxilio venisse Aethiopibus contra Iudæos; à quibus non apparet alinqui cur hostiliter tractarentur. Quin & caulas ouium destruentes, tulerunt pecorum & camelorum infinitam multitudinem, quorum pars mox Ierosolymis sacrificata est.

De loco Hebra. in Gerara.

Redeuntibus Azarias filius Obed, facto in se spiritu Domini, egressus est in occursum Asa, eique torique populo eius congratulatus est victoriam, quam Dei cui seruierunt benignitate consecuti sunt, simulque Deo inspirante prædicit fore vt tranleant multi dies in Israel absque lege, aliaque addit, quæ vt in captiuitatem Babylonicam conuenire possint, rectius in præsentem totius gentis desolationem cadunt, & accuratius in Annalibus exposuimus. Postremo Propheta à futuris ad præsentia conuersus. *Vos ergo*, inquit, *confortamini, & non dissoluantur manus vestræ, erit enim merces operi vestro*, qualem hoc bello ettis experti. Mature eos præmunire conatur. Nam non multo post, deficiente per suam socordiam, atque imprudentiam in Deum fiducia, ad Syrorum auxilia non impune, vt dicemus, confugerunt.

VI. Propheta gratulatur Asæ victoriā. 2. Pa. 15. 1.

n. 10. & seqq.

Rex audito Azariæ vaticinio confortatus est, nihilq; reueritus potentium aduersus idololatriam iudicia, *abstulit idola de omni terra Iuda & Beniamin*, si qua primam regis diligentiā effugerant, aut ab eo tēpore pullularant, vt sic minus leuera iudicaretur illa diligentia in vrbibus Ephraim, quas nuper Regi Baasæ eripuerat, in quibus hic zelus maximè exercendus fuit. Dum deletur superstitio, altare æneum holocaustorum, quod ante annos septuaginta à Salomone constructum fuerat, & perpetua ignis actione, vt apparet, labefactatum, instauratum est, vt celebriori quod parabatur sacrificio, in mense tertio, in quem cadit festum Pentecostes, sufficere posset. Venerunt ergo subditi Asæ frequentes anno regni eius decimo quinto, *& immolauerunt Domino in die illa de manubijs & præda quam abduxerant*, decuctis scilicet Aethiopibus *boues septingentos, & arietes* septem millia.

V. Asa regnū perpurgat ab idolis.

2. Par. 15. 11. 12.

Et intrauit, Rex Asa, *ex more ad corroborandum fœdus*. illud *ex more* innuit consuetudinem renouandi huius fœderis, ac iurisiurandi, occasione vt arbitror, aliquorum, qui desertis idolis ad Dominum reuertebantur, qui in primis sponderunt se quæsituros & culturos *Dominum Deum patrum suorum in toto corde, & in tota anima sua*, id est, ex animo, & sine vlla fictione; addiderunt & execrationem, qua sibi mortem imprecabantur omnes, si fidem Deo datam frangerent. *Iurauerunt que Domino voce magna in tubilo & in clangore tubæ, & in sonitu buccinarum. omnes qui erant in Iuda*, id est, qui regi Iuda obtemperabant, licet ad eam tribum non pertinerent, ceremonias videlicet spiritalis lætitiæ testes adhibuerunt vniuersi. Maacham autem turpissimam mulierem, regiæ familiæ

VI. Et renouat cum Domino fœdus.

probrum ac dedecus, ex augusto depositit imperio, & redegit in ordinem ob fœdissimum idololatriæ ministerium, vt superius dictum est, quando res, quæ iterum ex occasione recitatur, facta est. Neque enim regia pietas ipsos quindecim annos tam impiam nequitiam toleranit: quando & sua, & paterna vota Deo reddidit.

Vide sup. an. 1. Asam 2. & 3.

ANNVS MVNDI 3095.

ASÆ 16. BAASAE 14.

IOHANAN Pont. 1. TEMPLI 73.

PYRITIADIS 22. Imp. Assyr. 1164.

ANTE CHRISTVM 958.

I. Nouus pontifex Iohanan.

OPportunè præparati sunt superiore anno animi Iudæorum, & eorum qui se ipsis ex regno Israelis aggregarunt, fœdere cum Domino renouato; ne imminente continentium deinceps bellorum inter vtrumque regem procella, infirmorum constantia frangeretur. Quod ad nouum autem, quem suggerimus, pontificem attinet, cum Amarias nepos Iohanan, pontifex fuerit sub 18. annum Iosaphati, vt ex Scriptura constat, anni 43. quatuorue interiecti, inter Ionathan, & filium eius Azariam diuidendi sunt. Reliquos ergo annos regis Asæ Ionathani pontifici tribuemus, Azatiæ autem magnam partem regni Iosaphati, eiusdem vero extrema, Amariæ, vt exigit ille locus, assignabimus.

2. Par. 19. 1.

Nec minor est difficultas de tempore suscepti belli inter Asam & Baasam; liber enim Par. tradit id contigisse anno 36. regni Asæ, quo tamen Baasa mortuus erat, & successor eius decimum iam regnabat annum. Dicendum est illos 36. annos à diuisione regni Iudæ & Israelis esse numerandos; inde enim trigesimus sextus Asæ, id est, regni cui Asa præerat, vt diligentius in Annalibus explicatum est.

Ratio tēporis belli inter reges. *l. 2. c. 16. 1. Roboā 17. Abias 3. Asa 16. a. n. 2. adh.*

II. Baasa occupat, & munit Ramam.

Hoc ergo anno trigesimo sexto regni Iudæ, siue Asæ, qui proprie ipsius erat decimus sextus, *ascendit Baasa*, ex Thersa nimirum, quæ erat sedes regni eius, in Iudam & occupauit vrbem Rama 40. stadijs distantem Hierosolymis, eamque communiuit, ac muro circundedit, tanto regni Iudæ incommodo, si rem perficere potuisset, *vt nullus tuto posset egredi vel ingredi de regno Asa.* Huius magnitudinem seruitutis animaduertens Asa, omnem adhibuit machinam ad disturbandum consilium eius. Et cum oportuisset eum diuino auxilio confidentem regem Baasam armis inuadere, nec timere Syros, qui Baasæ auxilio futuri erant, de suis ipse copijs diffidens, eadem Syrorum auxilia pro se, & contra hostem suum euocauit. Quamobrem à prophera Hanani obiurgatus est. Nolebat enim Dominus populum suum ab idolorum cultoribus auxilia mendicare, cum ipse eorum protectionem suscepisset, nec eos vinci pateretur, quamdiu ab ipsis piè ac religiosè coleretur. Culpæ autem index est pœna. Nam si Deo confidens, nihil neque Syros neq; Israelitas veritus, pugnam iniisset, vtrosque superasset, vt propheta significat, nec iacturam thesaurorum suorum, templique

3. Reg. 15. 17.

Asa confugit ad Syros.

fecisset, vt merito Prophera stulte ipsum fecisse dixerit.

Vtrique regi Hebræorum Benadab fœderatus erat; sed Asa rebus diffidens suis, non sine culpa thesauros domus Dei dedit homini infideli: neque enim ad id vea necessitate cogebatur, cum potuisset ac debuisset nō timere hostes suos, propria doctus experientia, accepti diuinitus contra Aethiopes auxilij, & insuper Syrum adduxit vt contra ius gentiū fœdus initum cum Baasa violaret. Cum ergo Syrus venalem habuisset fidem, ratus ibi esse ius vbi plurima merces, missis copijs suis, proximas quasque vrbes propugnatoribus vacuas, ad Rama enim cum suo rege confederant, obsedit, occupauit, ac spoliauit. Sicq; factum est vt Benadab geminam prædam ab Hebræis acciperet, à volentibus alterā, alteram ab inuitis. Quæ cum audisset Baasa, veritus ne dum Iudam vexare cupit, à Syris suo ipse regno priuaretur, dimissa ædificatione se recepit ad suos. At Asa confestim conuocatis omnibus subditis, diruit quæcunq; extruxerat Baasa, & materiam omnem aliò transtulit, & vrbes alias sibi opportuniores communiuit.

III. A quibus Israelitæ vexātur.

IV. Asa reprehenditur à prophera. *Vide Ann. ipsos n. 13. & seqq.* Quomodo peccarit diffidentia.

Ad hoc ipsum tempus pertinet obiurgatio Hanani contra rege Asa, quod habuisset fiduciam in rege Syriæ, & non in Domino Deo suo, *idcirco*, inquit, *euasit Syriæ regis exercitus de manu tua.* Significat Dei fuisse voluntatem, primùm ei de Israelitis victoriam dare, & Syros insuper, qui illis auxilio venturi erant, ipsius subijcere potestati. Reus igitur fuit Asa diffidentiæ in Deum. Nec tamē damnat hæc prophetæ vox humanam prudentiam, quæ timidè auxilia humana circunspicit, post diuinum auxilium imploratum. Id enim valet, in ordinario cursu rerum humanarum: cum autem fiducia diuina reuelatione nititur, non est locus humanæ prudentiæ. At Asa non ita pridem à prophera didicerat vnde singularem de diuino præsidio fiduciam conciperet, & de victoria, qualem de Aethiopibus retulerat; cum suæ in Deum fiduciæ conscius, dixisset Deo, *In te enim & tuo nomine habentes fiduciam, venimus contra hanc multitudinē.* Ergo nunc quoque fides fiduciam regis excitare debuit, quam ingens victoria secutura erat. Ea deficiente audiuit à Propheta, *Stultè igitur egisti, & propter hoc, ex præsenti tempore, aduersum te bella consurgent.*

V. Ob quam bellis punitus est.

Hæc bella sunt quæ deinceps reliquo tempore regni Baasæ magis magisque exarserunt, invindictam cladium à Syris acceptarum. Cùm enim infirmior esset Baasa, quam vt vindictam de Syris sumere posset, & timeret ne si in ipsos arma moueret, superueniret Asa, & sic à duobus simul exercitibus concideretur, iniuriam Syri dissimulauit, solumque regem Iuda bello fatigauit. Atque ita impletum est illud, *fuitque bellum inter Asam & Baasam regem Israel, cunctis diebus* reliquis *eorum.* Id tempus fuit annorum 10. quibus Baasa superuixit. Asa verò cum audito propheta, præteritam culpam præsenti pœnitentia emendare debuisset, auxit eam vehementer, misso in carcerem propheta, à quo diuinitus reprehensus fuerat; neque eo facinore contentus, etiam tum plurimos de populo interfecit, qui scilicet prophetæ fauentes, de rege murmurabant.

Conijcit insuper in carcerem prophetam.

ANNVS MVNDI 3100.

ASAE 21. BAASAE 19.

IOHANAN Pont. 6. TEMPLI 78.

PYRITIADIS 27. Assyr. 1169.

ANTE CHRISTVM 953.

I. Iubilæus 62.

MVndanus Iubilæus ordine sexagesimus secundus in hunc annum incurrit, quem propterea visum est eximere à reliqua turba. Plures enim annos simul congerere rerum idonearum inopia cogit. Nam ex dictis intelligitur decem annis inter Hebræos reges belligeratum, & nihilominus Baasam eum Philisthæis gessisse bellum, quorum vrbem Gebethon Ela eius filius obsidebat.

3. Reg. 16. 15. 16.

Sabbaticus 74.

Sequens annus, qui fuit Asæ vigesimus secundus, fuit Sabbaticus ordine 74. quem in regno Iudæ obseruatum par est credere. In Israele omnes legis ceremoniæ, cum lege ipsa iacebant: quando ne Deus quidem ipse ibi erat in pretio, sed eius loco, vituli aurei sacrilegis altaribus insidebant.

Pyritiadis vlt. Ophrataei 1.

Asæ vigesimus quartus, Pyritiadis Assyrij regnum, quod fuit annorum triginta, terminauit: cui successit ad annos viginti Ophrataeus, anno Asæ vigesimo quinto.

ANNVS MVNDI 3105.

ASÆ 26. BAASAE 24. & vlt.

ELÆ 1. IOHANAN 11. TEMPLI 83.

OPHRATÆI 2. Imperij Assyr. 1174.

ANTE CHRISTVM 948.

I. Mors Baasæ naturalis. 3. Reg. 16. 4. &c.

HIc annus Regem Asam hoste intestino liberauit. Mortuus est quippe Baasa, anno vigesimo sexto Asæ, & quidem morte non violenta, sed naturali. Dicitur enim dormisse cum patribus suis, & sepultus in Thersa. Non enim de ipso, sed de posteris eius dictum fuit à Iehu propheta, eos à cœli volucribus, aut bestijs terræ discerptum iri, propter ingratissimam impietatem Baasæ, qui non intellexit supplicium, quod alijs Deo vltore intulisset, sibi quoque eadem peccanti impendere: qui cum in reliqua impietate Ieroboamo suppar fuisset, illud insuper adiecit, vt prophetam obiurgatorem interficeret, quasi eadem opera irritum reddere posset vaticinium eius.

II. Ela filius ei succedit. 3. Reg. 16. 8. & segg.

Eodem ipso anno successit ei Ela filius eius, sic vt patris vltimus, fuerit filij primus, vtroque incomplete. De eo nihil aliud traditur, quam regnasse, impietatem patris æmulatum esse, & temulentum à suis occisum fuisse, quod in sequentem annum cadit.

ANNVS MVNDI 3106.

ASÆ 27. ELÆ 2. & vlt.

ZAMBRI, & AMRI 1.

IOHANAN 12. TEMPLI 84.

OPHRATÆI 3. Assyriorum 1175.

ANTE CHRISTVM 947.

I. Consentiunt reges in Israel. 3. Reg. 15. 29.

VIgesimus septimus regni Asæ tres quatuorue reges vidit in Israele. Elam filium Baasa qui vix secundum annum regnando inchoauit. Zambri qui septem diebus duntaxat regnum tenuit, Amri & Thebni, qui in schismate aliquandiu regnarunt; sed præualuit Amri, & ab hoc ipso anno, regni sui annos numerare cœpit, vt duodecimus eius annus in trigesimũ octauũ Asæ, quod Scriptura exigit, possit incidere. Cum ergo Zambri, dux mediæ partis equitum, ambitione victus, conturasset aduersus regem suum Elam, incautum occupauit, & in Thersa vrbe regia, epulantem apud vrbis præfectum, iamque temulentum occidit, anno 27. regis Asæ, quem præfert index anni huius. Quo facinore perfecto, ne esset qui occisum regem vlciscì posset, & secum de regno contendere, adiecit animum ad perdendos quamprimum omnes regis consanguineos, sicque vaticinio Iehu, contra totam Baasæ domum, famulatus est, & proprio scelere alienum vltus est crimen; quippe qui non aliena peccata castigare voluit, sed propriæ ambitioni seruite.

Zambri interficit regẽ Elã & totam familiam Baasæ. 3 Reg. 16. 10.

II. Qui mox ad cædẽ sui compellitur.

Verum Zambri immane facinus, Regis sui, & bene de se meriti, per proditionem interempti, non diu inultum tulit. Cum enim exercitus Israelis, qui Gebbethon vrbem Philisthinorum obsidebat, audisset rebellasse Zambri, & occidisse regem, principem militiæ Amri creauit regem pro Ela, qui omissa obsidione Philisthææ vrbis, vsus celeritate, copias ad regiæ vrbis obsidionem transtulit, in qua se Zambri pro rege gerebat. Qui cum cerneret expugnatum iri ciuitatem. Non enim ei per tempus licuerat parare, quæ ad tolerandam obsidionem necessaria erant, ingressus est palatium, & succendit se cum domo regia. Quem in furorem duplex eum perturbatio coniecit, prior fuit metus, ne si in hostium potestatem veniisset, scelestissimi patricidij regis, totiusque familiæ ipsius, iustissimas pœnas daret, & atrocissimis supplicijs discerperetur: eodemque incendio suos, per quos hæc scelera patrarat, diris supplicijs, ignominiæque exemit. Posterior fuit inuidia, quæ suasit vt regias opes cum palatio incendio corrumperet, ne Amri, qui ei regnum eripiebat, ijs potiri posset.

Et qua de causa.

III. Pro regno certatus.

Occiso tyranno, cum nullus de stirpe regia superesset, *sessum est incertum studia in contraria vulgus.* Et Amri quidem iam non leue ius habebat ad regnum, gaudebat enim prærogatiua suffragij militaris; eiusque auspicijs tyrannus Zambri è medio sublatus fuerat. Nihilominus, alijs optimatibus regnum ambientibus, diuisus est populus Israel in duas partes, quarum

rum media pars sequebatur Amri; alia Thebni regem constituere cupiebat. Hæc diuisio studiumque partium, aliquot annos tenuit, donec prævaluit Amri, vt mox dicetur, cuius nihilominus anni regni ab hoc tempore, à Scriptura numerantur.

3. Reg. 16. v. 16. & 23

ANNVS MVNDI 3107.

ASAE 28. AMRI 2.

IOHANAN 13. TEMPLI 85.

OPHRATÆI 4. Imperij Assyr. 1176.

ANTE CHRISTVM 946.

I. Amri & Thebni regnum ambiunt.

TOtis tribus annis cum extremo præcedentis, & initio sequentis, inter Amri & Thebni armis castrisq; pro Israëlis imperio certatum est; potior tamen erat Amri conditio, qui iam studijs exercitus rex creatus fuerat. Interea Asa pacificam in regno suo, & inglotiam degebat ætatem, quod quidem fuerit posteritati traditum; qui vtique poterat bene vti ciuili bello aduersariorum suorum, eaque occasione regnum auitum recuperare. Regni tamen diuturnitate gloriosus fuit, quam illi felicitatem Dominus largitus est, in præmium deletæ idololatriæ in regno suo, & quantum potuit in alieno. Huc enim referri potest dictum illud Azariæ prophetæ, *Erit merces operi vestro.* Huius enim mercedem maximè sentiebant atq; appetebant Hebræi, quorum se captui Dominus accommodat. Et certe dum vnus Asa regnat in Iuda, eius æmuli Ieroboam, Nadab, Baasa, Ela, Zambri, Amri, Achab, septem reges impij, in Israele quoquo modo regnarunt.

2. Par. 15. 17.

Porro sequens annus Asæ 29. anno Sabbatico septuagesimo quinto insignitus est.

ANNVS MVNDI 3110.

ASAE 31. AMRI 5.

IOHANAN 16. TEMPLI 88.

OPHRATÆI 7. Imperij Assyr. 1179.

ANTE CHRISTVM 943.

I. Amri prævalet ex so æmulo.

QVatuor iam annis in ambiendo quærendoque regno fere consumptis, tandem regni æmulo de medio sublato, rerum potitus est Amri, pacificeq; regnare cœpit, anno Asæ 31. Sic enim intelligendum est illud, *Anno 31. Asæ regis Iuda regnauit Amri super Israel duodecim annis*, quorum primus cadit in 27. Asæ, quintus autem est præsens, quo pacificè regnare cœpit: *in Thersa* vero *regnauit sex annis*, quorum vltimus erit sequens. Apparet autem Thebni non fuisse mortuum naturali morte, sed violenta: & quidem fortasse in prælio, quo debellatum est: Iosephus ait occisum: quod indicat Scriptura, illa voce *prævaluit*, quæ innuit certamen antegressum; in quo & frater eius Ioramus occisus est, vt ex Sept. constat.

3. Reg. 16. 23.

Cum primum autem Amri pacifice regnare cœpit, de stabilienda regni sede cogitauit. Nam in morte Zambri palatium regium cum tyranno, regiaque supellectili conflagrarat: vrbs autem regia Thersa cædibus & rapinis, non tunc solum, sed quatuor etiam deinceps annis vastata fuerat. Animaduertit autem montem in extrema tribu Ephraim septentrionem versus idoneum ad rem quam parabat, maximeque ad vsus bellicos. Eum ergo montem emit à Somer duobus tantum talentis argenti, id est, bis mille septingentis & 50. aureis Gallici æris. Quæ vilitas, tanti præsertim loci, quantum ciuitas regia postulabat, suspicionem præbet magnam pretij partem ab emptore remissam, ea conditione, vt nomen suum extruendæ ciuitati daretur. Alioqui causæ nihil erat, cur non potius nomen acciperet conditoris, qui, vt ait Scriptura, *ædificauit eum montem, & vocauit nomen ciuitatis, quam extruxerat, nomine Somer domini montis, Samariam.* Extruxit autem tanta diligentia cum populo suo, vt post annum sequentem, inhabitari cœperit, anno Asæ 35. Itaque si quando ante hoc tempus fit mentio Samariæ, id per anticipationem accipiendum est.

II. De regni sede noua cogitat.

3. Reg. 16. 24

Anno porro 32. Asæ Iosaphat filius eius & regni successor, cum ageret annum ætatis 26. filio auctus est Ioramo primogenito, qui etiam post annos duos & triginta, tot enim natus erat cum regnare cœpit, post Iosaphatum patrem regni habenas Hierosolymis tenuit.

III. Iorami ortus. 4. Reg. 8 17.

ANNVS MVNDI 3115.

ASÆ 36. AMRI 10.

IOHANAN 21. TEMPLI 93.

OPHRATÆI 12. Imperij Assyr. 1184.

ANTE CHRISTVM 938.

REgni sedem mutauit Amri, non mutauit impietatem, neque eum anni Sabbatici, quorum hic est 76. neque Iubilæi mouebant. Quin potius *fecit malum in conspectu Domini, & operatus est nequiter super omnes, qui fuerant ante eum.* Pacificè tamen cum Asa vixit, altero in auita religione, altero in inueterata superstitione perseuerante.

I. Amri impietas. Ann. Sabbat. 76. 3. Reg. 16. 25.

ANNVS MVNDI 3117.

ASÆ 38. AMRI 12. & vlt. ACHABI 1.

IOHANAN 23. TEMPLI 95.

OPHRATÆI 14. Imp. Assyr. 1186.

ANTE CHRISTVM 936.

TRigesimus octauus annus regni Asæ, duobus annis Israelitarum respondet, vltimo Amri, & primo Achabi filij eius, sed incompletis, priore parte patri, posteriore filio attributa. Idque necesse est affirmare, vt

I. Initiũ Achabi, eiusque impietas

caruit. Deus enim illum totiregno amabilem, & omnibus exteris formidabilem reddidit: quos magna ex parte habuit vectigales, Arabes præterrim, atque Philisthæos.

II. Elias propheta apparet.

Non deerant quoque Israelitis hoc tempore prophetæ, qui, irritis clamoribus & adhortationibus, Achabum, eiusq; populum ad meliora prouocarent; sed surdis canebant cantilenas: necesse ergo fuit periculum facere, an vexatio daret intellectum auditui. Id factum est per Eliam Thesbitem, qui hisce temporibus cœpit agnosci. Vir propheta, potens opere & sermone, atq; inter huius ævi prophetas longe clarissimus: de quo ex Ioanne Hierosolymitano patriarcha in Annalibus plura diximus. Cuius ratio temporis recte cum nostra congruit, cum ait Eliam sub Achabo floruisse, & ab eius regni exordio ad Christi Domini ortum 94. circiter annorum Decades fluxisse. Recte dixit, *circiter*, quatuor enim tantum anni desunt ad decadum numero, vt patet ex anno ante Christum 936. Congruit cum S. Epiphanio, & cum Rabinis, qui eum non solum Leuitam, sed Sacerdotem quoque fuisse putant: Ioannes eius patrem vocat Sabacham, Epiphanius autem Achimam. Sed Ioanni de Eliæ virginitate Hieronymus, Chrysost. Ephrem Syrus, atque Ambrosius plane consentiunt.

3. Reg. 17. 1

Genus eius & tempus.

vide Annal. hoc anno n. 8. 11. 12.

III. Obtinet à Deo siccitatem.

Hic ergo cum à puero in veri Dei cultu religiosè institutus esset inter habitatores Galaad, & secretam à vulgi consuetudine vitam diuegisset, ea opinione sanctitatis vt omnibus vbique admirationi esset; in primisque diuino zelo ferueret, nec animarum tantam cladem diutius ferre posset, *Oratione orauit ad Dominum*, vt ait Iacobus, vtique oratione plena fidei, spei, constantiæ, atque feruoris, *vt non plueret super terram, & non pluit annos tres, & menses sex*, vt intelligeret impius rex, cuiusque populus vniuersus, à quali & quanto Deo defecisset, cuius benignitatis influxu cessante, homines atque animalia deficerent, terra exusta caloribus sterilesceret. Vbi sensit se voti compotem factum, in Spiritu Dei intrauit ad Regem Achab, dixitque, *Viuit Dominus Deus Israel, in cuius conspectu sto, si erit annis hisce ros & pluuia, nisi iuxta oris mei verba*: nec definiuit quandiu siccitas duratura esset, fortasse id illi Deus non reuelauerat, quia volebat & prophetam ex ore Domini, & regem ex ore prophetæ pendere.

Iac. 5. 17.

IV. Absconditur, & nutritur à Coruis.

Quid illi tum à rege contigerit, Scriptura tacuit: Credibile est eum, vt hominem adhuc ignotum & nouum, ex conspectu regis eiectum, tanquam insanum, qui aliena ab hominum potestate promitteret. Nec hominem in vincula, Deo ita disponente, coniecit, vt si euentus confirmaret minas, Elias verberibus ad impetrandam pluuiam compelleretur. Interim autem & reliquus annus expers pluuiæ abijt, & singularis Dei in prophetam suum prouidentia apparere cœpit. Nam misso, vt postea, Angelo, recedere inde illum iubet, & abire orientem versus, & abscondi in torrente Carith, vt ibi illius aqua potaretur: simul etiam de cibo famulo suo coruorum ministerio se prouisurum pollicetur; quod & fecit. Cum enim sedisset in torrente Carith contra Iordanem, Corui deferebant ei panem & carnes mane, similiter panem & carnes vesperi: sed vnde in fame? putat Abulensis Angelos adisse Achabi domum, ibique inuisos accepisse quæ liberet, & in certum detulisse locum; vnde coruis Deo instigante, ad Eliæ speluncam ea quotidie bis deferrent.

3. 16. inc. 17. 3. Reg.

ANNVS MVNDI 3124.

IOSAPHATI 4. ACHABI 108.

AZARIÆ 4. TEMPLI 102.

OPHRATANIS 1. Imperij Assyr. 1193.

ANTE CHRISTVM 929.

I. Regnum Ophratanis.

NOuus hoc anno exoritur princeps in regno Assyriorum, quem Eusebius Ophratanem vocat, Africanus si qua Scaligero fides, Ephracheres, sed imperij quoque duratione differunt. Hic enim duos & quinquaginta annos attribuit, Eusebius autem 50.

Achalia Ioramo nubit.

Hoc ipso anno, qui erat Iorami, filij Iosaphati decimus quartus, videtur Iosaphat affinitatem cum impio Achabo contraxisse, eius filiam Athaliam vtroque parente dignissimam, filio suo vxorem accipiendo. Neque enim aut hoc tempus nuptiarum anteuerti potest, aut vltra recte differri potuit, vt ex initio regni Ochoziæ filij Iorami intelligetur. Malis autem auibus contractam hanc affinitatem, tam ipsa Domini reprehensio, quam luctuosa euenta docuerunt. Idumæi quoque hoc anno & duobus sequentibus regnum Achabi late populata est: circumpositæ autem regiones eam vix senserunt. Attigit nihilominus Tyrios atque Sidonios ista calamitas: inde enim profecta erat Iezabel, quæ præcipua causa mali huius fuit.

4. Reg. 8. 18.

II. Eliæ vita in solitudine.

Interea Elias in solitudine, diuina contemplatione fruebatur, ibique eam viuendi formam diuinitus edoctus est, vt ait Ioannes Hierosolymitanus, quam ipse deinceps, cum pierisque, quos ei Deus aggregatur tus erat, perfectioris vitæ studiosis, esset acturus; qui tum filij prophetarum audiebant, quales pridem sub Samuële disciplina viuerant, in quorum cuneos incidit aliquando Saul, & facto in eum spiritu Domini, prophetauit cum ipsis. Quales hoc tempore Iezabel morti dabat, & Abdias in speluncis absconditos, pane & aqua sustentabat, id est, rebus ad vitam necessarijs. Rex autem Achab recordatus est Eliæ, iuratæque ab eo siccitatis. Itaque dimisit vbique gentium nuncios, qui Eliam omni studio perquirerent, & adiptum adducerent, vt ab eo vel vi, vel precibus extorqueret, publici, grauissimique mali leuationem. Exigebat autem iusiurandum ab omnibus, ne Eliam celare auderent: qui interea in sua spelunca ad tortentem manebat, Deo & coruis notus, pauculisque discipulis, qui minime tenebantur eum reuelare, quem Dominus volebat absconditum.

3. Reg. 18. 4.

Perquiritur ab Achabo.

III. Mittitur à Deo in Sarepta.

Cum autem desijsset eum quærere Achab, ratus eum mortuum, aut aliquem in locum minime vestigabilem à Deo esse translatum: siccatoque torrente, qui Eliæ potum præbebat,

siccatus esset, iussit eum Dominus abire in Sarepta Sidoniorum, ibique manere. *Præcepit enim*, inquit, *ibi mulieri vidue, vt pascat te*, dicit potest factam fuisse reuelationem viduæ Sareptanæ de nutriendo Elia: aut potius illud *præcepi* est idem quod prouidi, vt cum dixit se præcepisse coruis, vt eum nutrirent. Nimirum statuerat altero quodam miraculo pauperculam viduam cum filio, alioqui fame perituros, nutrire cum propheta: socij autem eius abierant ad Abdiam regis procuratorem occultum Dei cultorem, & piorum commune perfugium. Volebat quoque Dominus eiusdem viduæ filium mox defunctum, Eliæ opera reuocare ad vitam, vt tota posteritas intelligeret, quam grata Deo, fructuosaq; sit misericordia in pauperes, quamque eam Deus, etiam in hac vita, copiosè remuneretur.

IV. Eiusdē in eam aduentus.

Surrexit ergo Elias, & abijt in Sarepta, & qui eum in solitario torrente absconderat, eundem per medias vias regias, & ciuitatem populosam ignotum, forte & inuisibilem reddidit, præterquam mulieri viduæ, quam illi hospitam Dominus designarat, quamque ad portam ciuitatis offendit, sed tam tenui in re, vt frusta lignorum vicatim colligeret. Ea conspecta, statim diuinitus admonetur, eam ipsam esse hospitam suam: alioqui enim temere videretur ab ea, non solum aquam & panem petere, quæ esset mulier infidelis, sed etiam futurum miraculum ei cito propalare. Itaque paulatim in colloquium se intinuauit petendo aquam, qua viatores maxime egent, & qua pauperes abundant; quam cum illa prompte datura esset, petijt & buccellam panis, ne scilicet frigidæ potus noceret æstuanti. Ea occasione cum mulier patefecisset paupertatem suam, propheta vicissim diuinæ erga ipsam liberalitatis miraculum patefecit, de farina & oleo non minuendis, donec terræ frugibus vti liceret. Neque enim existimandum est, eo præcisè die defecisse oleum & farinam, quo die Dominus pluit super terram. Alioqui enim pluribus mensibus tota illa familia penuria afflicta fuisset, sed ab eo tempore paulatim imminui cœpisse.

& hospitium apud viduam.

Vide Tost. 3. 29. inc. 17. 3. Reg.

Sub hoc ipsum tempus publicæ famis, & priuatæ abundantiæ, Elia apud hanc viduam habitante, Dominus probaturus mulieris patientiam, & muneraturus charitatem, adiecit & maius mirabiliusque beneficium. Cum enim filius eius vnicus ex vehementi ægritudine occidisset, illa apud virum Dei gemens, Quid, inquit, à me peccatum est in te, vt Deus iratus fuerit mihi, & interficeret filium meum? At Elias & mulierem miseratus & filium: *Da mihi*, inquit, *filium tuum, tulitque eum de sinu eius*, vtique puerulum, *& portauit in cœnaculum, vbi ipse manebat, & posuit super lectulum suum, & clamauit ad Dominum, & dixit, Domine Deus meus, etiamne viduam, apud quam ego vtcumque sustentor afflixisti, vt interficeres filium eius?* Suauissima est hæc querela, index eximiæ in Deum fiduciæ, & familiaritatis, & efficax ad vim afferendam dulcissimæ Dei misericordiæ, quæ instar amantissimæ matris, gemitus & lachrymas vnigeniti sui ferre non potest.

V. Cuius filius moritur.

Expandit autem se propheta super puerum tribus vicibus, & in nomine sanctissimæ Trinitatis ter inspirauit in faciem eius, dicens, *Domine Deus meus, reuertatur obsecro anima pueri huius in viscera eius.* Alternatim orabat Elias, & procumbebat super puerum, & post tertiam orationem, tertiumque procubitum, *Exaudiuit Dominus vocem Eliæ, & reuersa est anima pueri intra eum, & reuixit.* Quem acceptum tradidit matri suæ: cui mulier in lætissimas gratiarum actiones effusa, *Nunc in isto cognoui*, inquit, *quoniam vir Dei es tu, & verbum Domini in ore tuo verum est.* Quod scilicet nuncias nobis de vero Deo Hebræorum, & inanitate Baalis, & Astartes, & cæterorum idolorum. Quam cognitionem si non prius amplexa est mulier, tantis cedens, tamque inauditis prodigijs. Neq; enim ijs tenebatur vitijs impedita, quæ Scribas & Pharisæos retinebant, ne visis etiam maioribus oculos aperirent, & Christum agnoscerent. Interea porro Iosaphat magnificè ædificabat in Iuda, vt in 2. Paral. scriptum est.

Mulier fit fidelis.

c. 17. 12. 13.

ANNVS MVNDI 3126.

IOSAPHATI 6. ACHABI 10.

AZARIÆ 6. TEMPLI 104.

OPHRATANIS 3. Imperij Assyriorum 1195.

ANTE CHRISTVM 927.

I.

Finis siccitatis, & famis. *3. Reg. 18. 1. Luc. 4. 25. Iaco. 5. 17.*

POst multos dies, ait Scriptura, *factum est verbum Domini ad Eliam in anno tertio*, non numeratis prioribus siccitatis mensibus. Nam hæc sub finem siccitatis contigisse constat, quam ex Euangelio, & epistola Iacobi certum est sex mensibus supra tres annos perseuerasse. Possunt autem illi sex menses tres solidos annos præcessisse, aut, quod commodius est ad res anni huius, secuti esse; & circa sextum anni mensem contigisse Eliæ cum Achabo colloquium; sed hos sex menses Regum liber omisit, cum ait, *in anno tertio*, qui à sex mensibus erat elapsus. Potest autem simplicius, ac fortasse melius intelligi annus tertius commorationis Eliæ in Sarepta, de qua proximè agebatur. Iubet ergo Dominus Eliam redire in terram Israel, & ostendere se Achabo, *vt det*, inquit, *pluuiam super faciem terræ*, te scilicet eam ipsi promittente, & à me impetrante. Misericors Deus sponte sua pœnas vult laxare peccatorum, etiam improborum perseuerante malitia. Neque enim Achab, multoque minus Iezabel finem suis imposuere sceleribus, licet fames vehementer sæuiret in Samaria, vbi maximè vigebat impietas.

II. Elias adiens Achabum, occurrit Abdiæ.

Cum autem Elias aditet Achabum, contigit Abdiam procuratorem eius occurrere prophetæ: diuiserant enim inter se regiones, vt herbarum aliquid, in cibum iumentorum fame pereuntium, reperirent. Abdias, cognito Elia, procidit in faciem suam, ab eoque iussus est nunciare Regi suo adesse Eliam. At procurator veritus, ne si hoc nuncium regi afferret, & interim Elias aliquò à Spiritu Dei asportare-

mus Domini, & domus regis, omnia secum recedens abstulit, & nominatim clypeos aureos, quos fecerat Salomon; pro quibus fecit rex æneos, quos ei scutarij templum adeunti, honoris causa præferebant. Quanta autem hæc præda fuerit, templi præsertim nunc primum expilati, & quantus ciuium plàngor ad tantam iactu ram, diligentius in Annalibus explicatum est. Felices lachrymæ gemitusque, si ex iactura temporalium, spiritalem fidei atque pietatis, serio æstimare didicissent. Hac Roboami clade nihilo sapientior factus est Ieroboamus, quippe qui eius fuerat procurator, vt diximus, sed in male cœptis male perseuerauit: quem non propterea Deus præ Roboamo dilexit, quod in eum Sesacum non immiserit, sed eum potius, quasi à se abdicatum, deseruit. Roboamum vero propter Dauidem dilectum suum, & propter multos amicos suos in regno eius commorantes, quasi tutorem filiorum suorum parum fidelem, non modica iactura castigauit.

nn. 13. & segq.

Ieroboamus perseuerat in peccatis suis.

ANNVS MVNDI 3065.

ROBOAMI & IEROBOAMI 6.

ACHIMAÆ 6. TEMPLI 43.

LAOSTHENIS 37. Imp. Assyrior. 1134.

ANTE CHRISTVM 988.

I. Dormitat idololatria in regno Iuda hoc anno.

SExtus Roboami annus timorem Dei ex recentissima clade collectum, videtur, aliquantum retinuisse, & impietatis ardorem, quasi frigida superfusa, magna ex parte restinxisse. Dormitasse igitur videtur hoc anno Idololatria in regno Iuda: & studium, in reparanda aliquo modo Ægyptia clade, positum fuisse. Nam Roboam, vt dixi, pro scutis aureis Salomonis, ænea confici iussit, eaque sibi templum adeunti ab excubitoribus suis præferri. Ex eo porro, quod cũ prædicta pompa Rex templum adibat, intelligitur eum non publice Dei cultum deseruisse, sed à populo retentum, & de more frequentatum: ab optimatibus autem obiter & ad speciem vsurpatum. Dei autem voluntate restitutum est Roboamo regnum, & Sesac contentus thesauris regijs, quos congesserat Salomon, & thesauris templi, & tributo insuper in signum subiectionis imposito discessit. Signum autem regni in suo statu restituti est, quod nusquam deinceps aut Roboam, aut Abias, aut Asa, cæteriue reges Iuda recepisse dicuntur vrbes, quas cepetat Sesac, vt promissio diuina Dauidi facta subsisteret.

Roboam publice templum adit.

ANNVS MVNDI 3066.

ROBOAMI & IEROBOAMI 7.

ACHIMAÆ 7. TEMPLI 44.

LAOSTHENIS 38. Imperij Assyrior. 1135.

ANTE CHRISTVM 987.

I. Roboa-

VIdetur hoc anno resumpsisse vires impietas, Roboamo ex leuitate mentis atque imprudentia, ad ingenium redeunte. Pellacissima quippe est, & animum semel occupatum, a superstitione corruptum, raro penitus deserit est enim admodum consentanea carni & sanguini, & omnibus cupiditatibus eius; quibus se malus dæmon scientissimè attemperat, in certissimam perniciem seruorum suorum. Et forte nunc inducti cœpta, si non prius, illa effœminatorum immundicies, quam Scriptura commemorat, virorum in fœminas præpostera libidine transeuntium, iuxta abominationes gentium, quorum impurissima contubernia cõstituerunt, quibus scelerata Maacha Roboami vxor, præposita erat antistes Hoc enim tempore instituta sunt, quæ post aliquot annos à pio rege Asa sublata legimus, & inde qualia fuerint intelligi potest. Sic autem habet.

Et abstulit effœminatos de terra, purgauit vniuersas sordes idolorum, quæ fecerant patres eius. Insuper & Maacha matrem suam amouit, ne esset princeps in sacris Priapi, & in loco eius, quem consecrauerat; subuertitque speciem eius, & confregit simulachrum turpissimum, & combussit in torrente Cedron. Facile autem intelligi potest, quanta cum impudentia omnis generis libido, per omnes ordines baccharetur, cum quæ erat omnium flagitiosissima, dijs sacra putabatur, & præpositam habebat reginam, regis vxorem, matrem, auiam, quæ lucum illi nequitiæ consecrarat; lustrum quoque construxerat, in quod hæ bestiæ conuenirent, & Rex ipse natura mollis, ingenio fatuus, etiam ab vxore sacrilega dementabatur. Verum abeamus ab hoc Iudaico cœno, in quo fortasse Ieroboami quoque subditi volutabantur. Ægyptiorum enim superstitiones Ieroboamus æmulabatur. Incidit porro in præsentem annum, sabbaticus ordine sexagesimus nonus, quem hoc corruptissimo tempore facile intelligi potest, fuisse neglectum.

...us redit ...d ingenium.

3. Reg. 14. 24.

II. Et sordes idolorũ reuelescunt. 3. Reg. 15. 12.

ANNVS MVNDI 3067.

ROBOAMI & IEROBOAMI 8.

ACHIMAÆ 8. TEMPLI 45.

LAOSTHENIS 39. Imperij Assyr. 1136.

ANTE CHRISTVM 986.

I. Continẽs bellum aliquot annorum inter vtrumque regem. 3. Reg. 14. 30. 2. Par. 12. 15. Isa. 48. 22.

ADhunc & aliquot sequentes annos, quos exactius rebus gestis definire non possumus, prælia referamus licet duos inter reges gesta, & frequentata. dum vnus perdita recuperare, alter acquisita conseruare cupit. Rem Scriptura perpaucis exequitur. *Attamen*, inquit, *bellum fuit inter Roboam & Ieroboam, & pugnauerunt aduersum se cunctis diebus.* Mutatam religionis faciem, perturbatissimus Reip. status est consecutus, & ex quo cum Deo pugnare ausi sunt, nunquam inter se pugnare destiterunt, quia *nõ est pax impijs, dicit Dominus.* Plena itaque fuerunt, totis hisce annis, imo & quam plurimis sequentibus, duo ista regna bellis, & malis omnibus, quæ bella ciuilia consequuntur.

ANNVS

ANNVS MVNDI 3073.

ROBOAMI & IEROBOAMI 14.

ACHIMAÆ 14. & 15. TEMPLI 51 & 52.

LAOSTHENSIS 45. & vlt.

PYRITIADIS 1. Assyrior. 1142. & 43.

ANTE CHRISTVM 980. & 79.

Finis Laosthenis, & initium Pyritiadis.

IN priorem annum incidit annus Sabbaticus septuagesimus, de cuius obseruatione idem quod de præcedenti dici potest, incidit & mors Laosthenis Assyriorum regis, est enim quadragesimus quintus ipsius annus, quam regni periodum ei Africanus Eusebiusque assignant. Res ab eo tam diuturno in regno gestas, nemo prodidit, qui ad nostras peruenerit manus. Ad posteriorem pertinet successor eius Pyritiades, qui ex vtriusque sententia imperij gubernacula annis omnino triginta tenuit.

ANNVS MNNDI 3076.

ROBOAMI 17. & vlt. IEROBOAMI 17.

ACHIMAÆ 17. TEMPLI 54.

PYRITIADIS 3. Imperij Assyrior. 1145.

ANTE CHRISTVM 977.

I. Mors Roboami. 3. Reg. 14. 21. 2. Par. 12. 13.

SOla mors Roboami hunc annum notabilem facit. Quadraginta enim & vnius anni erat, cum regnare cœpisset, & septendecim annis regnauit in Ierusalem. Itaque periodus vitæ totius fuit 58. annorum, si annos integros sumas, sin quadragesimum primum vitæ, primum regni cum Iosepho esse velis, erit 57. *Vir arrogans*, ait idem, *atque insipiens, qui propter spretum paternorum amicorum consilium, tantam dictionem* amisit. Sed insipientior longe atque infelicior, qui defectione à religione patria, æternam etiam hereditatem amiserit. Vnde Lucifer Calarit. libro de Regibus Apostaticis ait filium Salomonis diu regnasse in scelere suo, & in eodem fuisse defunctum. Idem paulo obscurius habet Scriptura, quæ vitam eius hac conclusione terminat. *Fecit autem malum, & non præparauit cor suum vt quæreret Dominum.* Post malum videlicet Idololatriæ perpetratum, quod ad extremam impœnitentiam merito refert Abulensis. Est enim hoc quasi elogium Scripturæ, de tota eius vita in ipsius conclusione pronunciantis. Itaque illa humiliatio, quæ à Scriptura memoratur, expressa necessitatis articulo, constans & perpetua non fuit.

in impietate.

2. Par. 12. 14. q 11. in eil locum.

II. Quæ illi ad ruinã incitamenta.

Habuit infelix ad hanc insaniam geminum incitamentum domi matrem Naamam Ammanitidem, & Maacham vxorem. Illa pueritiã deprauasse præsumitur, ista iuuentutem. Noluit enim Roboam scelestam mulierem, quam in vteulis ferebat, contristare, cuius etiam amore filium eius Abiam regno destinauit, licet alios haberet filios, qui eum ætate superabant: quos tamen nihil mouisse apparet ambitione incitatos. De morte Pontificis nihil habeo dicere, nisi quod Chronicon Hebræorum non producit pontificatum eius vltra Roboami regnum.

Mors Achimaæ.

ANNVS MVNDI 3077.

ABIÆ 1. IEROBOAMI 18.

AZARIÆ Pont. 1. TEMPLI 55.

PYRITIADIS 4. Imperij Assyriorum 1146.

ANTE CHRISTVM 979.

I. Regnum Abiæ. 3. Reg. 15. 1 2. Par. 13. 1

INitium regni Abiæ Scriptura conijcit in decimum octauum Ieroboami, anno ætatis circiter trigesimo tertio, iuxta ea, quæ quarto Roboami anno diximus: cum ei iamdudum natus esset Asa. Credibile autem est Abiam exigua celebritate regem fuisse creatum, quod tempora essent admodum turbulenta, & bellator hostis in armis. Azarias autem pontifex quem producimus, fuit Achimaæ filius, vt Iosephus & Scriptura ipsa testantur. Sub Abia porro gessisse pontificatum, Chronicon breue Hebræorum, cum Sigonio & Genebrardo, testantur. Cæterum cum statim initio regni Abiæ tantus vtrimque exercitus ad prælium præparatus à Scriptura memoretur, istum vtrimq; apparatum, viuo Roboamo factum esse oportet. Prior autem ad bellum progressus est Abias, & in regnum Ieroboami transgressus est; prælium enim in tribu Ephraim, prope Samariam commissum est. Valuit animosior aggressio ad victoriã, licet Abiæ copiæ dimidia parte minores essent copijs Ieroboami, in quibus octingenta millia centebãtur.

l. 10. Ant. c. 11. 1. Par. 6. 9. de Rep. Hebr.

Belli apparatus.

2. Par. 13. 3

II. Quæ belli causã Abiæ.

Quam porro belli causam habuerit Abias, ex eius oratione intelligi potest, in qua aduersarios hortatur ad reparandam regni vnitatem, Ieroboami improbitate distractam, monetque ne pugnam aduersus Iudam suscipiant, sed ipõte regnum Dauidicæ familiæ redintegrent. Verũm id contra Domini præceptum fuisse videtur, qui à principio regni Roboami, vetuit pugnare cognatas acies, & per prophetam declarauit hanc à se diuisionem esse profectam. Nec rem in oculis duorum exercituum gestã, Abias ignorare potuit: sed fortassis existimauit non fuisse diuini consilij, vt perpetua esset ista diuisio, sed voluisse tantum, vt ea Roboami insipiẽtia castigaretur ad tempus. Quò pertinet illud. *Num ignoratis quod Dominus Deus Israel dederit regnum Dauid super Israel in sempiternum?* An forte mens Abiæ fuit, non tam regna coniungere, quã verum Dei cultũ vtrobiq; restituere, qui fuerat huius schismatis occasione distractus; quo maxime spectat eius oratio. Iustitiam certæ causæ Dominus ipse largienda victoria comprobauit.

3. Reg. 12. 22.

III. Eius ad hostem concio.

Tota eius oratio perspicua est, omninoque religiosi principis esse videtur. Itaque hoc regni initio pietatem ex animo coluisse videtur, & idololatriam exterminare voluisse. Sed obtenta mox victoria à matre sacrilega Maacha, & principibus, bene de se in bello meritis, delinitus, sese impietati misere dedidit. Cum

autem

autem concluderet contionem suam monendo Israëlitas ne pugnarent contra Dominum. Ieroboam circumuenire cupiebat eius exercitum, copiarum multitudine fretus, vt hoste vtrimque inuadente perturbati, confusique trucidarentur. Quo cognito Abias cum exercitu suo clamauit ad Dominum, opem votis nuncupatis postulando, vt à præsentissimo periculo eriperetur: aurum scilicet & argentum, & vasa in domum Domini, quæ tamen mox voti reus, siue negligentia, siue auaritia dominante, non reddidit; sed reddidit Asa filius eius, anno decimo quinto regni sui.

Et Deo vorum.

3. Reg. 15. 15.

IV. Abiæ victoria. Ieroboami clades.

Dum rex vota facit, Sacerdotes tubis canere cœperunt, omnesque viri Iuda vociferati sunt, tum diuinum auxilium implorando, tum se mutuo ad prælium exhortando, & facti sunt diuinitus animosiores: hostis autem perterritus se dedit in fugam. In quos fugientes tanta cæde bacchati sunt Iudæi, vt quingenta millia virorum fortium caderent. *Humiliatique sunt ac vehementer debilitati filij Israël in tempore illo: & vehementissimè confortati sunt filij Iuda, eo quod speràssent in Domino Deo patrum suorum.* Ostendit hæc quoque narratio, pio ac religioso erga Deum animo, tam regem quam populum eius, affectum fuisse hoc tempore. Deum autem ipsum qui Ieroboamum iam in propria persona afflixerat, etiam in subditis vehementer castigasse, amissis quingentis virorum fortium millibus. Neque id satis. Persecutus est enim Abias fugientem Ieroboamum, & illi tres ciuitates cum ipsarum pagis abstulit. Mirum est autem Abiam victoria vsum non esse, totumque regnum tanta clade turbatum non occupasse, vt maxime cupiebat.

V. Cur non sic vsus Abias parta victoria.

3. Reg. 12. 24.

Itaque putat Abulensis, Deum illam iterasse prohibitionem, quæ pridem Roboamum exarmarat, contra Ieroboamum pugnaturum. Quod non ad exiguam Abiæ laudem pertinet, reputantis apud se, id non fore vti victoria diuinitus accepta, sed abuti; si contra eius voluntatem, à quo illa profecta fuerat, vti auderet: simulque periculum adiret, ne Dominus eam inobedientiam, versa in contrarium victoria clade aliqua castigaret. Porro Ieroboam, atque Israëlitæ illi subiecti, humiliati quidem sunt, viribusque debilitati; neque tamen propterea ad Deum castigantem sunt reuersi, sed in susceptа impietate rex populusque obdurauerunt.

ANNVS MVNDI 3078.

ABIÆ 2. IEROBOAMI 19.

AZARIÆ 2. TEMPLI 56.

PYRITIADIS 5. Imperij Assyriorum 1147.

ANTE CHRISTVM 975.

I. Nouæ affinitates Abiæ.

2. Par. 13. 21.

CVm tam insignis victoria, Abiæ & Iudæorum animos tantum erexisset, quantum Ieroboami, & Israëlitarum deiecerat: existimauit Abias ad regni tui firmitatem stabilieudam pertinere populum suum varijs sibi affinitatibus copulare. Itaq; *cõfortato imperio suo accepit vxores quatuordecim, procreauitque viginti duos filios, & sedecim filias.* Non est Scripturæ mens dicere post hanc dumtaxat victoriam ductas esse tot vxores, sed ad eas quas habebat, alias adiecisse, vt fierent omnes quatuordecim: & ex nouis vxoribus alios suscepisse liberos, vt fierent omnes duodequadraginta. Quomodo enim alioqui ex quatuordecim vxoribus, intra vnum aut alterum annum, tot liberos suscipere potuisset?

II. Noua Ieroboami clades.

Prou. 28. 3.

At Dominus noua etiam sub hoc tempus clade Ieroboamum, & tristissima futurorum malorum denunciatione percussit: sed ea non ad deserendam, sed ad confirmandam Idololatriam, & ad inchoanda futuræ vitæ mala valuerunt. Nimirum *impius cum in profundum peccatorum venerit, contemnit*, ac de salute propter eorum immẽsitatem desperat. Qualis fuit causa Ieroboami, qui tot hominum millia in grauissimum omnium scelerum, & proximè quingenta millia bellatorum, quasi præcursores suos, in exitium sempiternũ præmiserat. Quod autem ad morbum, mortemque filij eius attinet, satis constat eam ad Ieroboami principia non pertinere. Nam cum Abias illi regnum prædixit, trigesimo octauo Salomonis anno in agro solus cum solo versabatur, eratque sexagenarius, vt ex Septuag. colligitur, nunc autem oculi eius præ senectute caligauerant vt est in 3. Reg. erat ergo circiter octogenarius. Itaque Scriptura, & Iosephus hanc historiam ad finem regni, & vitæ Ieroboami differunt.

ca. 14. 4.

III. Consulit per vxorẽ prophetã.

Cum ergo Abias filius Ieroboami ægrotaret, oprauit pater scire à Propheta, qui ei regnum prædixerat, quid ægro futurum esset, iussitque vxorem suam, quam Septuag. Anonymam vocant, eum mentito habitu adire, ne forte is grata potius quam vera narraret; aut potius ne eam, ob mariti impietatem, atque ingratitudinem, à se inuisam inauditamque reijceret. Ac ne à populo quidem agnosci voluit, ne is intelligeret ab ipso Ieroboamo consuli Dominum, de dijs suis, ac sacerdotibus eorum, vel prophetis diffidente; eaque rès populo esset incitamento ad patriam religionem aspirandi. Addidit etiam agrestia munera, quæ plebeiæ mulieri conuenirent. At Deus omne desiderium, & conatum Ieroboami reddidit irritum, rẽ tota Prophetæ reuelata: & ne qua suspicio in oracula foret, etiam absentem compellauit, & vltro interrogationem anteuertit, & obiurgationem, quam illa vitare conabatur, Deo dictante in faciem eius effudit.

IV. Abiæ cõtra Ieroboamũ vaticinium.

Exprobrauit enim beneficij diuinitus accepti magnitudinem, quod ille in summam benefactoris iniuriam conuerterat, omnibus qui ante eum fuerant impietate superatis. Ergo Dominus in tanti facinoris pœnam, præterita silentio maxima illa æternæ damnationis pœna, quæ sceleribus eius ex æquo respondebat, prænunciat totam Ieroboami familiam funditus disperdendam, omnesque à primo ad vltimum, eo vno excepto, qui nunc decumbebat æger, ignominiosa morte perituros, & sepultura carituros. Denunciat quoque per quem vltio quamprimum in genus inuisum inferenda sit. Is fuit Baasa, cui fauit Dominus vt rex fieret, totamque mox Ieroboami familiam exscinderet. Denique, quoniam populus se regis impie-

tati

tati præbuerat obsequentem, prædicit prophetæ fore, vt captiui in Assyrios transferantur, vbi diu multumq; in patria sua, quasi arundo in aqua, intestinis seditionibus, & bellis agitati fuissent.

V. Moritur filius eius, nec tamen resipiscit pater.

Tam horrifico vaticinio territa mulier nihil habuit quod responderet; quanquam ne à principio quidem permissa est quidquam effari, vt tanto magis Dei in Ieroboamum ira panderetur; tacita itaque surrexit, & abijt, & venit in Thersa, quem locum Septuag. Sariram vocant. *Cumque illa ingrederetur limen domus, puer mortuus est, & sepelierunt eum, & planxit eum omnis Israel, iuxta sermonem Domini. Nec timuit*; ait Lucifer Calaritanus, *ex morte filij sui*, quod & cætera, quæ illi vxor ex ore prophetæ renunciarat, secutura essent, *sed in sua semper versutia, & vt semel statuerat, diabolo seruire maluit.* Iosephus ait Ieroboamum nihil his fuisse commotum, scil. ad resipiscendum, alioqui lapidem esse oportuisset.

lib. 8. ca. 5.

ANNVS MVNDI 3079.

ABIÆ 3. vlt. ASÆ initium. IEROBOAMI 20.

AZARIÆ 3. TEMPLI 57.

PYRITIADIS 5. Imp. Assyr. 1148.

ANTE CHRISTVM 974.

I. Ratio tēporis.

TErtius annus Regni Abiæ integer non fuit, nec Asæ primus, qui tamen pro integris numerantur, dum priori tres anni, posteriori vnus & quadraginta tribuuntur. Et nihilominus necesse est tertium Abiæ & primum Asæ in vnum eundemque concurrere: alioqui vigesimus Ieroboami non incidet in primum Asæ, quod affirmat Scriptura, sed in secundum. Nimirum vigesimus Ieroboami erat in exitu, cum cœpit primus Asæ. Itaque totus fere vigesimus primus Ieroboami, concurrit cum primo Asæ; ergo ad vitandam confusionem, & ad contentiendum cum Scriptura, hunc Ieroboami vigesimum, vocauimus initium Asæ, vt primus Asæ concurrat cum magna parte vigesimi primi Ieroboami.

3. Reg. 15. 9.

II. Abiæ mors. 3. Reg. 15

Mortuus est ergo hoc tertio regni sui anno inchoato Abias, & quidē naturali morte, quod significat illa Scripturæ phrasis. *Et dormiuit Abias cum patribus suis*, morte tamen infelici, *Ambulauit enim* ait idem Scriptor sacer, *in omnibus peccatis patris sui, quæ fecerat ante eum, nec erat cor eius perfectum cum Domino Deo suo, sicut cor Dauid patris sui.* Diuiserat quippe cor suum Abias, & partem quidem dabat Deo vero, cuius cultum prædicabat apud Israëlitas, partem autem Idolis, sicut pater eius & auus. Neque enim Salomon aut Roboam in stultitia sua vnquam Dei templum clauserunt, sed ambo modo Deum, modo idola coluerunt. Sic & Abias cum bene cœpisset, cuius rei causa mirabilem consecutus est de hoste victoriam, mox propter eam in superbiam elatus, patris exempla secutus, ad idola declinauit. Vt non mirum sit omnem idolorum infamiam, ab eo in posteros fuisse transfusam.

III. Asæ regni initium.

Abia defuncto ei in regno Iuda suffectus est Asa filius eius ex Maacha filia Abessalom, eius enim dicitur mater, cum tamen sit auia, mater patris eius, & vxor Roboami aui. Sed vt pater pro auo sæpe sumitur, sic & mater hoc loco pro auia, quod esset mulier improbitate notissima. Quod autem Asa rectum fecisse dicitur ante conspectum Domini, sicut Dauid pater eius, id est abauus, in genere dicitur de tota eius vita, maximeque principio, vt proximo anno dicetur. De Ieroboamo autem nihil noui; fractus animo, viribusque regni, tenax impietatis ad mortem, ad diuinum tribunal properabat, immensorum peccatorum reus.

3. Reg. 15. 11.

ANNVS MVNDI 3080.

ASÆ 1. IEROBOAMI 21.

AZARIÆ Pont. 4. TEMPLI 58.

PYRITIADIS 7. Imperij Assyr. 1149.

ANTE CHRISTVM 973.

I. Primus annus Asæ.

PRimus est hic annus Asæ iuxta rationem tēporis paulò ante explicatam. Ex Scripturæ porro silentio apparet eum fuisse Abiæ primogenitum. Solet enim declarare filiorum ordinem, quando alius à primo succedit in regnū, vt in Dauide, Salomone, Abia adhuc factum videmus. Ergo in successione Asæ commune ius ac consuetudo omnium ferme nationum obseruata est. Is vbi regni gubernacula suscepit, copiosam nactus est materiam, circa quam zelus diuini honoris efferuesceret, parentis, auique, aut negligentia, aut improbitate collectam. Asa vero vice versa, Domino regnum Iuda miserante, pius eius cultor extitit, & sedulus Dauidis imitator. Itaque *subuertit altaria peregrini cultus, & excelsa* in quibus aræ illæ fuerant excitatæ. Nam quod alio in loco Scriptura tradit eum excelsa non abstuliſſe, de illis excelsis intelligenda est, in quibus verus quidem Deus, sed loco indebito colebatur. *Confregit* quoque *statuas, lucosque succidit*, ne loci amœnitas male sanum populum ad priorem nequitiam pelliceret.

3. Reg. 15. 9. 2. Par. 14. 1. 2. &c.

3. Reg. 15. 14.

II. Eiusque pro religione zelus.

Extat & aliud zeli Asæ, probitatisque monimentum. *Abstulit* enim *effœminatos de terra*; extremo nimirum, meritissimoque supplicio affecit istiusmodi hominum portenta, Dei ac naturæ dedecora. Eorum quoque fana, imo lustra ac latibula ferarum in humana specie, dissipauit, & Priapi specum, execratæ nequitiæ ganeam subuertit: *purgauitque vniuersas sordes idolorum, quæ fecerant patres eius*, aut facta retinuerant. *Insuper & Maacham matrem suam*, id est auiam, qua in primis nitebatur probrosissima superstitio, *amouit ne esset princeps in sacris Priapi & in luco eius, quam* illa *consecrauerat*: ne videlicet rex publici pudoris appetens, domesticam dissimularet infamiam. In 2. Par. propterea ex augusto imperio deposita dicitur, in ordinem scil. redacta, & tanquam infamis omni dignitate spoliata: *subuertitque specum eius, & confregit simulacrum turpissimum, & combussit in torrente Cedron*, ad publicam idolo latarum ignominiam. Denique idolorum superstitione conuulsa, præcepit Iudæ, vt quæreret

vers. 12. Maachæ impietas.

vers. 13.

vtris occisus fuerit, apparet illum ibidem proiectum fuisse insepultum, prædam volucribus cœli & bestijs terræ, iuxta vaticinium Ahiæ Silonitis; siue id agente Baasa & sepulturam, tyrannorum in morem, super bè ac crudeliter prohibente; siue populo casu aliquo in eum irato, & in cadauer improbè sæuiente.

ANNVS MVNDI 3083.

ASAE 4. BAASAE 2.

AZARIAE 7. TEMPLI 61.

PYRITIADIS 10. Assyrior. 2152.

ANTE CHRISTVM 970.

I. Mosaicus Iubilæus.

QVingentesimus agitur annus, ex quo Israëlitæ duce Iosue transgressi Iordanem, Chananitidem inuaserunt, quorum 440. ante fundatum templum numerantur, reliqui sexaginta à templi initijs effluxerunt. Est ergo hic decimus Iubilæus Mosaicus, quem Asæ regis pietas persuadet in regno Iudæ fuisse accurate seruatum, cum apud Israelitas confusa essent omnia; idololatria, omnes legis ceremonias, susque deque miscente. Pergebat autem Asa hinc quidem, vt diximus, in oppidis regni sui instaurandis, atque muniendis; inde autem Idololatriæ reliquijs exterminandis. Quæ cum agerentur in regno Iudæ, Baasa in Israele, contra vniuersam familiam regiam crudeli furore bacchabatur, Domino Deo impia eius voluntate ac facinore, iuste cõtra Ieroboamum, eiusque inuisam Deo stirpem vrente. Cumque *regnasset*, ait Scriptura, *percussit omnem domum Ieroboam, non dimisit ne vnam quidem animam de semine eius, donec deleret eum.*

3. Reg. 15. 29.

II. Baasa exscindit familiam Ieroboami. 3. Reg. 14. 11.

Nec dubitandum est illud quoque impletum quod idem Ahias prophera prædixerat, *Qui mortui fuerint de Ieroboã in ciuitate, comedent eos canes; qui autem mortui fuerint in agro, vorabunt eos aues cœli:* Quod barbarus hic atrociter in oppidis agrisque, contra regiam omnem familiam sæuiendo, executus est; non implendæ causa prædictionis, sed firmandæ tyrannidis, & exsaturandæ crudelitatis. Sic ergo, hausta gladio Baasæ proditoris, funditus interijt familia impij atque insipientis Ieroboami, qui collatum sibi diuinitus, suisque regnum, non pio in benefactorem obsequio tueri voluit, sed perfidia ac superstitione se populumque suum à Dei cultu distrahendo. Nec tamen Baasa, qui factus est vltor peccati Ieroboami, intellexit consilium Domini, nec viam iniquitatis ab eo constratam odio habuit, sed *fecit malum coram Domino, ambulauitque in via Ieroboam, & in peccatis eius, quibus peccare fecit Israel.* Præter facinus occupatæ tyrannidis, & excisæ familiæ regiæ.

3. Reg. 15. 34.

ANNVS MVNDI 3086.

ASÆ 7. BAASAE 5.

AZARIÆ 10. TEMPLI 64.

PYRITIADIS 13. Imperij Assyr. 1155.

ANTE CHRISTVM 967.

SEptimo anno Asæ regis Iuda ætatis autem 23. nascitur Iosaphat filius eius primogenitus, qui ei in regno successit ætatis suæ anno 35. quibus si sex iam exactos addiderimus, fient vnus & quadraginta anni regni Asæ. Itaque anno regni eius septimo natum oportuit ex Azuba filia Salai. Ad hoc circiter tempus referimus, prophetiam Iehu filij Anani contra Baasam: qui cum quintum iam regnaret annum, nec ruina familiæ Ieroboami, quam ipsemet illi, propter impietatem intulisset, emendaretur, misit ad eum prophetam, qui hominem argueret, & imminentis pœnæ magnitudine deterreret: & quidè prius quam bella inter vtrumque regem exorirentur, verbis vt eum prius quam verberibus castigaret. Dominus ergo de Baasa per prophetam in hæc verba queritur. *Pro eo quod exaltaui te de puluere, & posui te ducem super populum meum Israel, Tu autem* vice versa ingratus atque impius, ambulasti in via Ieroboam, & peccare fecisti populum meum Israel, exemplo, atque autoritate tua, *vt me irritares in peccatis eorum*, quorum peccata recidunt in caput tuum. Hæc culpa profani huius principis fuit.

I Ortus Iosaphati. 3. Reg. 22. 41. 3. Reg. 16. 1

Iehu arguit Baasam.

Sequitur pœna. *Ecce, ego demetam posteriora Baasa*, id est, posteritatem eius. *Et faciam domum tuam sicut domum Ieroboam filij Nabat. Qui mortuus fuerit de Baasa in ciuitate, comedent eum canes, & qui mortuus fuerit ex eo in regione, comedent eum volucres cœli*, quæ vltio hoc fuit admirabilior, quo diutius Baasa regnauit. Minas porro rex non æquanimiter tulit, sed innoxium propheram, furiosus, vt medicum delirans æger, inuasit, atque interfecit: quam cædem non diu impune tulit. Mox enim bella inter ipsum & regem Iuda exarserunt, quibus regnum Israel magnis detrimentis affectum est.

II. Et supremam clãdem minatus occiditur.

ANNVS MVNDI 3090.

ASAE 11. BAASAE 9.

AZARIÆ 14. TEMPLI 68.

PYRITIADIS 17. Imp. Assyr. 1159.

ANTE CHRISTVM 963.

EXpletis decem annis, quos Regi Asæ quietos fuisse Scriptura testatur, bellum inter vtrumq; Hebræorum regem excitatum est, quod hoc anno inchoatũ, in reliquos fere vtriusq; principis annos propagatum est. Iuxta illud. *Bellum autem erat inter Asa & Baasa regem Israel cunctis diebus eorũ*; ad mortẽ scil. Baasæ, cui Asa superuixit

I. Bellum diuturnũ inter Asa, & Baasa. 2. Par. 14. 1 3. Re. 15. 16

quindecim annis. Quam autem inchoandi belli causam fuisse dixerimus? Apparet Baasam eas vrbes recuperare voluisse quas Abias pater Asæ Ieroboamo eripuerat, de quibus supra dictum est. Sed res præter expectationem in contrarium cecidit: factumque vt ad antiquam iacturam recens accederet.

2. Par. 13. 19. vn. Abis 1. n. 4.

ANNVS MVNDI 3094.

ASÆ 15. BAASÆ 13. AZARIÆ 18. TEMPLI 72. PYRITIADIS 21. Imp. Assyr. 1163.

ANTE CHRISTVM 959.

I. Bellū Æthiopicū & quæ illius causa videatur. hoc a. n. 4.

ILlustrem habet hic annus Iudæorum de Aethiopibus victoriam, simulque Azariæ prophetiam cum sacrificiorum solennitate, tœdereque renouato, quæ omnia in vnum eundemque annum decimum quintum regni Asæ cadere, facile ex Annalibus intelliget. Hi porro Aethiopes, qui duce Zara contra regem Asa venerunt, cum exercitu, in quo decies centena millia militum, & trecenti currus numerabantur, non ex Aethiopia Arabica, sed Africana, cum quibus & Libyi militabant, venerunt. Belli causam nemo prodit. Forte magnitudine copiarum fretus Hebræorum reges, animis inter se armisque dissidentes, facile à se opprimi posse credidit, & siticulosam regionem suam in terram lacte & melle manantem commutari. Moueri etiam potuit magnitudine prædæ quam Sesac ante sex & viginti annos ex templi thesauris, regijsque sustulerat: cui tum forte adolescens in eius castris militabat, & similem sibi fœlicitatem affectabat. Deus autem ingentem illi cladem, ab Asa, pio ac forti rege præparabat.

1. Pa. 16. 1

II. Copiæ regis Asæ. 2. Par. 14. 8.

Habebat is *in exercitu suo. portantium scuta & hastas, de tribu trecenta millia: de Beniamin vero scutatorum & sagittariorum ducenta octoginta millia: omnes isti viri fortissimi.* In hac autem turba non deerant plerique alij de tribu Ephraim, Simeonis, & Manasse, qui ad Asa religionis causa deserto Baasa confugiebant, vt sequenti anno dicetur, vt Leuitas omittamus. Venerunt Aethiopes vsque ad ciuitatem Mareſa in tribu Iuda, quibus Asa progressus est obuiam, & instructa ad pugnam acie, animaduersis tantis copijs, Deum pro victoria orauit intensius. Nec frustra. Exterriti enim sunt diuinitus Aethiopes, & in fugam acti; quæ tamen illis saluti non fuit. Nam *persecutus est eos Asa. & populus qui cum eo erat vsque Gerara*, itinere dierum aliquot. *& ruerunt Aethiopes vsque ad internecionem. quia Domino cadente contriti sunt, & exercitu illius praliante*, siue Angelorum ministerio, qui eis truci ac minaci vultu apparuerint; vocantur enim exercitus, milites, & castra Domini: siue potius, Hebræis qui erant Dei populus, illumque quasi Imperatorem suum agnoscebant.

2. Par. 14. 9

Æthiopes exterriti. victique.

III. Præda ingens.

Cumque iam nusquam appareret hostis, ad spolia reuersus est victor exercitus, quæ pro magnitudine exercitus, plurima maximaq; fuerunt, adeo vt Aethiopica præda iacturam à Sesaco acceptam compensare quodammodo videretur. Quæ fortasse mens Rabbinorum fuit, dum dixerunt Zeram Sesaci prædam restituisse Iudæis. Qui non contenti percussisse, qui in acie armati steterant, percusserunt ciuitates omnes per circuitum Geraræ, grandis quippe cunctos terror inuaserat, & diripuerunt vrbes, & multā prædā asportauerunt. Has vrbes fuisse Philisthæorum ex D. Hieronymo latis constat. Vnde etiam intelligitur Philisthæos prædæ, vt videbatur, exploratæ cupiditate auxilio venisse Aethiopibus contra Iudæos; à quibus non apparet alinqui cur hostiliter tractarentur. Quin & caulas ouium destruentes, tulerunt pecorum & camelorum infinitam multitudinem, quorum pars mox Ierosolymis sacrificata est.

De locis Hebra. in Gerara.

Redeuntibus Azarias filius Obed, facto in se spiritu Domini, egressus est in occursum Asa, eique torique populo eius congratulatus est victoriam, quam Dei cui seruierunt benignitate consecuti sunt, simulque Deo inspirante prædicit fore vt tranſeant multi dies in Israel absque lege, aliaque addit, quæ vt in captiuitatem Babylonicam conuenire possint, rectius in præsentem totius gentis desolationem cadunt, & accuratius in Annalibus exposuimus. Postremo Propheta à futuris ad præsentia conuersus. *Vos ergo*, inquit, *confortamini, & non dissoluantur manus vestræ, erit enim merces operi vestro*, qualem hoc bello estis experti. Mature eos præmunire conatur. Nam non multo post, deficiente per suam socordiam, atque imprudentiam in Deum fiducia, ad Syrorum auxilia non impune, vt dicemus, confugerunt.

VI. Propheta gratulatur Asæ victoriā. 2. Pa. 15. 1.

n. 10. & seqq.

Rex audito Azariæ vaticinio confortatus est, nihilq; reuertitus potentium aduersus idololatriam studia, *abstulit idola de omni terra Iuda & Beniamin*, si qua primam regis diligentiā effugerant, aut ab eo tempore pullularant, vt sic minus leuera iudicaretur illa diligentia in vrbibus Ephraim, quas nuper Regi Baasæ eripuerat, in quibus hic zelus maximè exercendus fuit. Dum deletur superstitio, altare æneum holocaustorum, quod ante annos septuaginta à Salomone constructum fuerat, & perpetua ignis actione. vt apparet, labefactatum, instauratum est. vt celebriori quod parabatur sacrificio, in mense tertio, in quem cadit festum Pentecostes, sufficere posset. Venerunt ergo subditi Asæ frequentes anno regni eius decimo quinto, *& immolauerunt Domino in die illa de manubijs & præda quam abduxerant*, deuictis scilicet Aethiopibus *boues septingentos, & arietes* septem millia.

V. Asa regnū perpurgat ab idolis.

2. Par. 15. 11. 12.

Et intrauit, Rex Asa, *ex more ad corroborandum fœdus*. illud *ex more* innuit consuetudinem renouandi huius fœderis, ac iurisiurandi, occasione vt arbitror, aliquorum, qui desertis idolis ad Dominum reuertebantur, qui in primis sponderunt se quæsituros & culturos *Dominum Deum patrum suorum in toto corde, & in tota anima sua*, id est, ex animo, & sine vlla fictione; addiderunt & execrationem, qua sibi mortem imprecabantur omnes, si fidem Deo datam frangerent. *Iurauerunt que Domino voce magna in iubilo & in clangore tubæ, & in sonitu buccinarum. omnes qui erant in Iuda*, id est, qui regi Iudæ obtemperabant, licet ad eam tribum non pertinerent, ceremonias videlicet spiritalis lætitiæ testes adhibuerunt vniuersi. Maacham autem turpissimam mulierem, regiæ familiæ

VI. Et renouat cum Domino fœdus.

probrum ac dedecus, ex augusto deposuit imperio, & redegit in ordinem ob fœdissimum idololatriæ ministerium, vt superius dictum est, quando res, quæ iterum ex occasione recitatur, facta est. Neque enim regia pietas ipsos quindecim annos tam impiam nequitiam tolerauit: quando & sua, & paterna vota Deo reddidit.

Vide sup. ann. 1. Asan 2. & 3.

ANNVS MVNDI 3095.

ASÆ 16. BAASAE 14.

IOHANAN Pont. 1. TEMPLI 73.

PYRITIADIS 22. Imp. Assyr. 1164.

ANTE CHRISTVM 958.

I. Nouus pontifex Iohanan.

OPportunè præparati sunt superiore anno animi Iudæorum, & eorum qui se ipsis ex regno Israelis aggregarunt, fœdere cum Domino renouato; ne imminente continentium deinceps bellorum inter vtrumque regem procella, infirmorum constantia frangeretur. Quod ad nouum autem, quem suggerimus, pontificem attinet, cum Amarias nepos Iohanan, pontifex fuerit sub 18. annum Iosaphati, vt ex Scriptura constat, anni 43. quatuorue interiecti, inter Ionathan, & filium eius Azariam diuidêdi sunt. Reliquos ergo annos regis Asæ Ionathani pontifici tribuemus, Azatiæ autem magnam partem regni Iosaphati, eiusdem vero extrema, Amariæ, vt exigit ille locus, assignabimus.

2. Par. 19. 1.

Nec minor est difficultas de tempore suscepti belli inter Asam & Baasam; liber enim Par. tradit id contigisse anno 36. regni Asæ, quo tamen Baasa mortuus erat, & successor eius decimum iam regnabat annum. Dicendum est illos 36. annos à diuisione regni Iudæ & Israelis esse numerandos; inde enim trigesimus sextus Asæ, id est, regni cui Asa præerat, vt diligentius in Annalibus explicatum est.

Ratio temporis belli inter reges. *L. 2. c. 16. v. Roboã 17. Abias 3. Asa 16. n. 2. ad 6*

II. Baasa occupat, & munit Ramam.

Hoc ergo anno trigesimo sexto regni Iudæ, siue Asæ, qui proprie ipsius erat decimus sextus, *ascendit Baasa*, ex Thersa nimirum, quæ erat sedes regni eius, in Iudam & occupauit vrbem Rama 40. stadijs distantem Hierosolymis, eamque communiuit, ac muro circundedit, tanto regni Iudæ incommodo, vt rem perficere potuisset, *vt nullus tuto posset egredi vel ingredi de regno Asa.* Huius magnitudinem seruitutis animaduertens Asa, omnem adhibuit machinam ad disturbandum consilium eius. Et cùm oportuisset eum diuino auxilio confidentem regem Baasam armis inuadere, nec timere Syros, qui Baasæ auxilio futuri erant, de suis ipse copijs diffidens, eadem Syrorum auxilia pro se, & contra hostem suum euocauit. Quamobrem à propheta Hanani obiurgatus est. Nolebat enim Dominus populum suum ab idolorum cultoribus auxilia mendicare, cum ipse eorum protectionem suscepisset, nec eos vinci pateretur, quamdiu ab ipsis piè ac religiosè coleretur. Culpæ autem index est pœna. Nam si Deo confidens, nihil neque Syros neq; Israelitas veritus, pugnam iniisset, vtrosque superasset, vt propheta significat, nec iactura thesaurorum suorum, templique fecisset, vt merito Propheta stulte ipsum fecisse dixerit.

3. Reg. 15. 17.

Asa confugit ad Syros.

Vtrique regi Hebræorum Benadab fœderatus erat; sed Asa rebus diffidens suis, non sine culpa thesauros domus Dei dedit homini infideli: neque enim ad id vera necessitate cogebatur, cum potuisset ac debuisset nô timere hostes suos, propria doctus experientia, accepti diuinitus contra Aethiopes auxilij, & insuper Syrum adduxit vt contra ius gentiũ fœdus initum cum Baasa violaret. Cum ergo Syrus venalem habuisset fidem, ratus ibi esse ius vbi plurima merces, missis copijs suis, proximas quasque vrbes propugnatoribus vacuas, ad Rama enim cum suo Rege confederant, obsedit, occupauit, ac spoliauit. Sicq; factum est vt Benadab geminam prædam ab Hebræis acciperet, à volentibus alteram, alteram ab inuitis. Quæ cum audisset Baasa, veritus ne dum Iudam vexare cupit, à Syris suo ipse regno priuaretur, dimissa ædificatione se recepit ad suos. At Asa confestim conuocatis omnibus subditis, diruit quæcunq; extruxerat Baasa, & materiam omnem aliò transtulit, & vrbes alias sibi opportuniores communiuit.

III. A quibus Israelitæ vexãtur.

Ad hoc ipsum tempus pertinet obiurgatio Hanani contra rege Asa, quod habuisset fiduciam in rege Syriæ, & non in Domino Deo suo, *idcirco*, inquit, *euasit Syriæ regis exercitus de manu tua.* Significat Dei fuisse voluntatem, primùm ei de Israelitis victoriam dare, & Syros insuper, qui illis auxilio venturi erant, ipsius subijcere potestati. Reus igitur fuit Asa diffidendiæ in Deum. Nec tamẽ damnat hæc prophetæ vox humanam prudentiam, quæ timidè auxilia humana circunspicit, post diuinum auxilium imploratum. Id enim valet, in ordinario cursu rerum humanarum: cum autem fiducia diuina reuelatione nititur, non est locus humanæ prudentiæ. At Asa non ita pridem à propheta didicerat vnde singularem de diuino præsidio fiduciam conciperet, & de victoria, qualem de Aethiopibus retulerat; cum suæ in Deum fiduciæ conscius, dixisset Deo, *in te enim & tuo nomine habentes fiduciam, venimus contra hanc multitudinẽ.* Ergo nunc quoque fides fiduciam regis excitare debuit, quam ingens victoria secutura erat. Ea deficiente audiuit à Propheta, *Stultè igitur egisti, & propter hoc, ex præsenti tempore, aduersum te bella consurgent.*

IV. Asa reprehenditur à propheta. *Vide Ann. ipsos n. 13. & segq.* Quomodo peccarit diffidentia.

Hæc bella sunt quæ deinceps reliquo tempore regni Baasæ magis magisque exarserunt, inuindictam cladium à Syris acceptarum. Cùm enim infirmior esset Baasa, quam vt vindictam de Syris sumere posset, & timeret ne si in ipsos arma moueret, superueniret Asa, & sic à duobus simul exercitibus concideretur, iniuriam Syri dissimulauit, solumque regem Iuda bello fatigauit. Atque ita impletum est illud, *fuitque bellum inter Asan & Baasan regem Israel, cunctis diebus* reliquis *eorum.* Id tempus fuit annorum 10. quibus Baasa superuixit. Asa vero cum audito propheta, præteritam culpam præsenti pœnitentia emendare debuisset, auxit eam vehementer, misso in carcerem propheta, à quo diuinitus reprehensus fuerat; neque eo facinore contentus, etiam tum plurimos de populo interfecit, qui scilicet prophetæ fauentes, de rege murmurabant.

V. Ob quam bellis punitus est.

Coniicit insuper in carcerem prophetam.

ANNVS MVNDI 3100.

ASAE 21. BAASAE 19.

IOHANAN Pont. 6. TEMPLI 78.

PYRITIADIS 27. Assyr. 1169.

ANTE CHRISTVM 953.

I. Iubilæus 62.

MVndanus Iubilæus ordine sexagesimus secundus in hunc annum incurrit, quem propterea visum est eximere à reliqua turba. Plures enim annos simul congerere rerum idonearum inopia cogit. Nam ex dictis intelligitur decem annis inter Hebræos reges belligeratum, & nihilominus Baasam cum Philisthæis gessisse bellum, quorum vrbem Gebethon Ela eius filius obsidebat.

3. Reg. 16. 15. 16.

Sabbaticus 74.

Sequens annus, qui fuit Asæ vigesimus secundus, fuit Sabbaticus ordine 74. quem in regno Iudæ obseruarum par est credere. In Israele omnes legis ceremoniæ, cum lege ipsa iacebant: quando ne Deus quidem ipse ibi erat in pretio, sed eius loco, vituli aurei sacrilegis altaribus insidebant.

Pyritiadis vlt. Ophratæi 1.

Asæ vigesimus quartus, Pyritiadis Assyrij regnum, quod fuit annorum triginta, terminauit: cui successit ad annos viginti Ophratæus, anno Asæ vigesimo quinto.

ANNVS MVNDI 3105.

ASÆ 26. BAASAE 24. & vlt.

ELÆ 1. IOHANAN 11. TEMPLI 83.

OPHRATÆI 2. Imperij Assyr. 1174.

ANTE CHRISTVM 948.

I. Mors Baasæ naturalis. 3. Reg. 16. 4. Oct.

HIc annus Regem Asam hoste intestino liberauit. Mortuus est quippe Baasa, anno vigesimo sexto Asæ, & quidem morte non violenta, sed naturali. Dicitur enim dormisse cum patribus suis, & sepultus in Thersa. Non enim de ipso, sed de posteris eius dictum fuit à Iehu propheta, eos à cœli volucribus, aut bestijs terræ discerptum iri, propter ingratissimam impietatem Baasæ, qui non intellexit supplicium, quod alijs Deo vltore intulisset, sibi quoque eadem peccanti impendere: qui cum in reliqua impietate Ieroboamo suppar fuisset, illud insuper adiecit, vt prophetam obiurgatorem interficeret, quasi eadem opera irritum reddere posset vaticinium eius.

II. Ela filius ei succedit. 3. Reg. 16. 8. & seqq.

Eodem ipso anno successit ei Ela filius eius, sic vt patris vltimus, fuerit filij primus, vtroque incompleto. De eo nihil aliud traditur, quam regnasse, impietatem patris æmulatum esse, & temulentum à suis occisum fuisse, quod in sequentem annum cadit.

ANNVS MVNDI 3106.

ASÆ 27. ELÆ 2. & vlt.

ZAMBRI, & AMRI 1.

IOHANAN 12. TEMPLI 84.

OPHRATÆI 3. Assyriorum 1175.

ANTE CHRISTVM 947.

I. Conferti reges in Israel. 3. Reg. 16. 29.

VIgesimus septimus regni Asæ tres quatuorue reges vidit in Israele. Elam filium Baasa qui vix secundum annum regnando inchoauit. Zambri qui septem diebus duntaxat regnum tenuit, Amri & Thebni, qui in schismate aliquandiu regnarunt; sed præualuit Amri, & ab hoc ipso anno, regni sui annos numerare cœpit, vt duodecimus eius annus in trigesimũ octauũ Asæ, quod Scriptura exigit, possit incidere. Cum ergo Zambri, dux mediæ partis equitum, ambitione victus, conturasset aduersus regem suum Elam, incautum occupauit, & in Thersa vrbe regia, epulantem apud vrbis præfectum, iamque temulentum occidit, anno 27. regis Asæ, quem præfert index anni huius. Quo facinore perfecto, ne esset qui occisum regem vlcisci posset, & secum de regno contendere, adiecit animum ad perdendos quamprimum omnes regis consanguineos, sicque vaticinio Iehu, contra totam Baasæ domum, famulatus est, & proprio scelere alienum vltus est crimen; quippe qui non aliena peccata castigare voluit, sed propriæ ambitioni seruiit.

Zambri interficit regẽ Elã & totam familiam Baasæ. 3 Reg. 16. 10.

II. Qui mox ad cædẽ sui compellitur.

Verum Zambri immane facinus, Regis sui, & bene de se meriti, per proditionem interempti, non diu inultum tulit. Cum enim exercitus Israelis, qui Gebbethon vrbem Philisthinorum obsidebat, audisset rebellasse Zambri, & occidisse regem, principem militiæ Amri creauit regem pro Ela, qui omissa obsidione Philisthææ vrbis, vsus celeritate, copias ad regiæ vrbis obsidionem transtulit, in qua se Zambri pro rege gerebat. Qui cum cerneret expugnatum iri ciuitatem. Non enim ei per tempus licuerat parare, quæ ad tolerandam obsidionem necessaria erant, ingressus est palatium, & succendit se cum domo regia. Quem in furorem duplex eum perturbatio coniecit, prior fuit metus, ne si in hostium potestatem veniisset, scelestissimi parricidij regis, totiusque familiæ ipsius, iustissimas pœnas daret, & atrocissimis supplicijs discerperetur: eodemque incendio suos, per quos hæc scelera patrarat, diris supplicijs, ignominiæque exemit. Posterior fuit inuidia, quæ suasit vt regias opes cum palatio incendio corrumperet, ne Amri, qui ei regnum eripiebat, ijs potiri posset.

Et quæ de causa.

III. Pro regno certatur.

Occiso tyranno, cum nullus de stirpe regia superesset, *sessum est incertum studia in contraria vulgi.* Et Amri quidem iam non leue ius habebat ad regnum, gaudebat enim prærogatiua suffragij militaris; eiusque auspicijs tyrannus Zambri è medio sublatus fuerat. Nihilominus, alijs optimatibus regnum ambientibus, diuisus est populus Israel in duas partes, quarum

tum media pars sequebatur Amri; alia Thebni regem constituere cupiebat. Hæc diuisio, studiumque partium, aliquot annos tenuit, donec prævaluit Amri, vt mox dicetur, cuius nihilominus anni regni ab hoc tempore, à Scriptura numerantur.

3. Reg. 16. v. 16. & 23

ANNVS MVNDI 3107.

ASAE 28. AMRI 2.

IOHANAN 13. TEMPLI 85.

OPHRATÆI 4. Imperij Assyr. 1176.

ANTE CHRISTVM 946.

I. Amri & Thebni regnum ambiunt.

TOtis tribus annis cum extremo præcedentis, & initio sequentis, inter Amri & Thebni armis castrisq; pro Israëlis imperio certatum est; potior tamen erat Amri conditio, qui iam studijs exercitus rex creatus fuerat. Interea Asa pacificam in regno suo, & inglotiam degebat ætatem, quod quidem fuerit posteritati traditum; qui vtique potérat bene vti ciuili bello aduersatorum suorum, eaque occasione regnum auitum recuperare. Regni tamen diuturnitate gloriosus fuit, quam illi felicitatem Dominus largitus est, in præmium deletæ idololatriæ in regno suo, & quantum potuit in alieno. Huc enim referri potest dictum illud Azariæ prophetæ, *Erit merces operi vestro.* Huius enim mercedem maximè sentiebant atq; appetebant Hebræi, quorum se captui Dominus accommodat. Et certe dum vnus Asa regnat in Iuda, eius æmuli Ieroboam, Nadab, Baasa, Ela, Zambri, Amri, Achab, septem reges impij, in Israele quoquo modo regnarunt.

2. Par. 15. 17.

Porro sequens annus Asæ 29. anno Sabbatico septuagesimo quinto insignitus est.

ANNVS MVNDI 3110.

ASAE 31. AMRI 5.

IOHANAN 16. TEMPLI 88.

OPHRATÆI 7. Imperij Assyr. 1179.

ANTE CHRISTVM 943.

I. Amri prævalet cæso æmulo.

QVatuor iam annis in ambiendo quærendoque regno fere consumptis, tandem regni æmulo de medio sublato, rerum potitus est Amri, pacificeq; regnare cœpit, anno Asæ 31. Sic enim intelligendum est illud, *Anno 31. Asæ regn. Iuda regnauit Amri super Israel duodecim annis*, quorum primus cadit in 27. Asæ, quintus autem est præsens, quo pacificè regnare cœpit: *in Thersa vero regnauit sex annis*, quorum vltimus erit sequens. Apparet autem Thebni non fuisse mortuum naturali morte, sed violenta: & quidem fortasse in prælio, quo debellatum est: Iosephus ait occisum: quod indicat Scriptura, illa voce *prævaluit*, quæ innuit certamen antegressum; in quo & frater eius Ioramus occisus est, vt ex Sept. constat.

3. Reg. 16. 23.

II. De regni sede noua cogitat.

Cum primum autem Amri pacifice regnare cœpit, de stabilienda regni sede cogitauit. Nam in morte Zambri palatium regium cum tyranno, regiaque supellectili conflagrarat: vrbs autem regia Thersa cædibus & rapinis, non tunc solum, sed quatuor etiam deinceps annis vastata fuerat. Animaduertit autem montem in extrema tribu Ephraim septentrionem versus idoneum ad rem quam parabat, maximeque aduersus bellicos. Eum ergo montem emit à Somer duobus tantum talentis argenti, id est, bis mille septingentis & 50. aureis Gallici æris. Quæ vilitas, tanti præsertim loci, quantum ciuitas regia postulabat, suspicionem præbet magnam pretij partem ab emptore remissam, ea conditione, vt nomen suum extruendæ ciuitati daretur. Alioqui cautæ nihil erat, cur non potius nomen acciperet conditoris, qui, vt ait Scriptura, *ædificauit eum montem, & vocauit nomen ciuitatis, quam extruxerat, nomine Somer domini montis, Samariam.* Extruxit autem tanta diligentia cum populo suo, vt post annum sequentem, inhabitari cœperit, anno Asæ 35. Itaque si quando ante hoc tempus fit mentio Samariæ, id per anticipationem accipiendum est.

3. Reg. 16 24

Anno porro 32. Asæ Iosaphat filius eius & regni successor, cum ageret annum ætatis 26. filio auctus est Ioramo primogenito, qui etiam post annos duos & triginta, totidem natus erat cum regnare cœpit, post Iosaphatum patrem regni habenas Hierosolymis tenuit.

III. Ioramí ortus.

4. Reg. 8 17.

ANNVS MVNDI 3115.

ASÆ 36. AMRI 10.

IOHANAN 21. TEMPLI 93.

OPHRATÆI 12. Imperij Assyr. 1184.

ANTE CHRISTVM 938.

I. Amri impietas. Ann. Sabbat. 76.

REgni sedem mutauit Amri, non mutauit impietatem, neque eum anni Sabbatici, quorum hic est 76. neque Iubilæi mouebant. Quin potius *fecit malum in conspectu Domini, & operatus est nequiter super omnes, qui fuerant ante eum.* Pacificè tamen cum Asa vixit, altero in auita religione, altero in inueterata superstitione perseuerante.

3. Reg. 16 25.

ANNVS MVNDI 3117.

ASÆ 38. AMRI 12. & vlt. ACHABI 1.

IOHANAN 23. TEMPLI 95.

OPHRATÆI 14. Imp. Assyr. 1186.

ANTE CHRISTVM 936.

I. Initiũ Achabi, eiusque impietas

TRigesimus octauus annus regni Asæ, duobus annis Israelitarum respondet, vltimo Amri, & primo Achabi filij eius, sed incompletis, priore parte patri, posteriore filio attributa. Idque necesse est affirmare, vt

pater 12. annis, filius autem viginti duobus, vt asserit Scriptura, regnasse inueniatur. Hic ergo annus duos habuit reges in Samaria, alterum è regno, & vita abeuntem Amri, quem Scriptura tradit dormisse cum patribus suis, id est, naturali morte defunctum, & sepultum in Samaria: alterum in regno & impietate succedentem Achabum. Cuius impietatem statim à principio Scriptura commemorat, cum illud iterat, quod de Amri quoque dixerat, *fecisse malum in conspectu Domini, super omnes qui fuerant ante eum.* Etsi enim, vt docet Abulensis, grauiore in culpa fuit Ieroboam propter inuectam idololatriam, Achab tamen propter eam magis, magisque amplificatam eum superasse dicitur; superiores quoque reges alijs sceleribus vicit, maximèque cædibus prophetarum, vt suis dicetur locis. Quorum omnium scelerum inuentricem habuit, atque impulsricem Iezabelem filiam regis Sidoniorum, mulierem impiam & crudelem: quam videtur quamprimum duxisse vxorem. Scriptura certe hoc coniugium refert statim à principio regni eius; nec apparet causa differendi; præsertim si ex ea Athaliam genuit, quod nonnulli prodidere.

3. Reg. 16. 28. 29.

Eius vxor Iezabel.

ANNVS MVNDI 3118.

ASAE 39. ACHABI 2.

IOHANAN 24. TEMPLI 69.

OPHRATÆI 15. Imperij Assyriotum 1187.

ANTE CHRISTVM 935.

I. Asa podagrâ laborat triennio. c. 16. 12.

Ægrotauit etiam Asa, *anno trigesimo nono regni sui dolore pedum vehementissimo*, vt est in 2. Paral. qua podagra, sic enim eum dolorem Hieronymus explicat, triennio, id est, ad mortem vsque vexatus est. Apparet autem Asam, virum alioqui religiosum, ac timentem Deum, nec impia superstitione deprauatum, existimasse hanc ægritudinem esse mere naturalem, cum dicatur de eo, nec in sua infirmitate quæsiuisse Dominum, sed in medicorum potius arte fuisse confisum. Qui si à Deo se hoc verbere pulsari sensisset, mentem vtique manusque extulisset in cælum, pacem & veniam, & sanitatem postulans. Et forte illam ei mentem non dedit Dominus, vt qui non esset eum exauditurus; vt pœnas lueret tum aliarum culparum, tum eius in primis, qui diuinitus ad se missum prophetam coniecit in vincula. Ergo rex Asa se à Deo castigari minime cogitauit: ideoque sola remedia naturalia adhibuit, cum tamen & Dei manum vltricem agnoscere, & per veram pœnitentiam iratum Deum placare oportuisset, vt huius quoque vitæ dolores futuram alterius vitæ satisfactionem minuerent. Interea porro, vt ratio postulat, Iosaphatus, qui nunc annum agebat ætatis 35. Rempub. parentis nomine administrabat.

II. Achab Ba-

Achab autem cultum Baalis Dei Sidoniorum à Iezabele vxore discebat, à qua persuasus est vt templum illi idolo in Samaria quamprimum ædificaret, in quo & aram erexit Baali, & lucum circumquaque plantauit, *& abijt*, inquit Scriptura, *& seruiuit Baal, & adorauit eum.* Primus scilicet Regum Israëlis, ad cultum vitulorum aureorum, quos Ieroboamus ex Aegyptiaca superstitione primus inuexerat, adiecit ex Sidone cultum Baalis. Nec voluit suum hoc tantum esse crimen, in populum quoque suum illud effudit, à quo Baali, Sidonio ritu, in vrbe regia, vrgente Iezabele, sacrificatum est; idemque facinus latè in posteros, vsq; ad Iosiæ tempora, propagatum est: à quo ne filij quidem eius abstinuerunt, iuxta omnia quæ fecerant patres eorum.

li cultri desert. 3. Reg. 16. 33.

ANNVS MVNDI 3120.

ASAE 41. & vlt. IOSAPHATI initia.

ACHABI 4. IOHANAN 26.

TEMPLI 98. OPHRATAEI 17. Imperij Assyriorum 1198.

ANTE CHRISTVM 933.

Hic annus & morbo & vitæ Asæ finem imposuit. De eo enim Scriptura, *Dormiuitque cum patribus suis, & mortuus est anno 41. regni sui, & sepelierunt eum in sepulchro suo, quod foderat sibi in ciuitate Dauid posuerunt que eum super lectum suum plenum aromatibus & vnguentis meretricijs*, id est, varijs, & exquisitis, *quæ erant pigmentariorum arte confecta, & combusserunt super eum ambitione nimia.* Ea profusio non tantum magnificentiæ Iosaphati regnum ineuntis, & propriæ in patrem benevolentiæ seruiebat, sed fortassis etiam necessitati, si vitiosorum humorum malignitate pedes Asæ, computrescere, & diffluere tetro cum odore cœperant, quem aromatum odore grato vinci oportuerit. Bona porro morte decessisse non solum Iosephus, sed Scriptura ipsa testatur, cuius est illa sententia, *Verumtamen cor Asa perfectum erat cum Domino cunctis diebus suis*: ergo etiam vltimis; quæ cordis perfectio patri eius Abiæ, & Salomoni negatur, & in Asa diuini cultus integritatem declarat, ab omni idololatria alienam.

I. Obitus Asæ, & sepultura. 2. Paral. 16. 14.

Bona mors eius 2 Reg. 15. 14

Nec negandum est Asam in quibusdam deliquisse, de quibus à Scriptura accusatur: in regibus tamen impijs numerandum negamus: nec alia est Scripturæ, in eo tam laudando, quam vituperando, sententia. Aeternæ autem salutis indicium minime contemnendum reor, quod peccata eius Dominus in hac vita non leuiter castigasse videatur. Nam fiducia in rege Syriæ, iactura thesaurorum suorum, & insignis victoriæ, quam alioqui consecuturus fuerat, punita est. Carcerem prophetæ, & mortem subditorũ, morbo grauissimo luit: & tarditatem confugiendi ad Deum, doloribus diuturnis. Quod sane salutis indicium in sequentibus quoque regibus obseruare licebit.

II. Eiusque rei coniectura.

Hoc ipso anno regnare cœpit Iosaphatus. Affirmat enim Scriptura eum anno quarto Achabi regnare cœpisse. Quia tamen totes

III. Initium Iosaphati 1. Reg. 22. 41

fere

fere primus ipsius annus, cum quinto Achabi concurrit, vt postulant Ioramj & Ochoziæ initia. ideo hoc anno Achabi quarto, initia posuimus Iosaphati, sequentem autem nominauimus primum Iosaphati, qui fuit ætatis eius trigesimus sextus inchoatus.

v.42.

ANNVS MVNDI 3121.

IOSAPHATI 1. ACHABI 5.

AZARIÆ Pont. 1. TEMPLI 99.

OPHRATÆI 18. Imperij Assyr. 1190.

ANTE CHRISTVM 932.

I. Ratio tẽporis.

PRimus hic nominatur Iosaphati annus, vt diximus, idemq; cum quinto Achabi concurrit, vt decimus octauus illius, in huius vigesimum secundum incidat. Fuit vtriq; vir clarissimus Iosaphat, & inter optimos Iudæorum principes merito numerandus: cuius etiam virtutem, opposita Achabi in æmulo regno impietas ex antitheſi vehementer illustrauit, totis octodecim annis, quibus simul regnarunt. Dedit autem operam Iosaphat ab ipso regni principio, vt regnum communiret præsidio militari, idque tam in cunctis vrbibus Iuda, quæ erant vallatæ muris, quam in vrbibus tribus Ephraim, quas ceperat Asa pater eius, anno 11. regni sui.

Iosaphat communit vrbes.

2. Par. 15. 8

II. Azariæ pontificatus.

Hic porro initia Azariæ pontificis ponimus, iuxta ea, quæ 16. Asæ notauimus. Huius porro Pontificis, sicut & aliorum pene omnium, res gestæ in obscuro manserunt. Illud tamen de eo legimus, *Ipse est, qui Sacerdotio functus est in domo, quam ædificauit Salomon in Ierusalem.* Quæ verba plerique dicta putant, quod ipse fortiter restiterit Oziæ regi volenti offerre incensum. Et nomen quidem consentit, sed tempus discrepat. Nam ab hoc anno ad illud tempus Oziæ, minimum 140. anni interiecti sunt. Adde quod si hic Azarias filius Iohanan tub Ozia pontifex fuit, Amarias filius eius sub Iosaphato pontifex esse non potuit; quod tamen in 2. Paral. legimus. Itaque verba illa, ad alium quendam sensum referenda sunt.

2. Par. 6. 10.

2. Par. 26. 17.

cap. 19. 11.

III. Instauratio Iericho.

Inualescebat porro apud Israelitas noua Idololatria, auspicijs Achabi & Iezabelis, adeo vt cito quinquaginta supra quadringentos Baalis prophetæ numerarentur. In diebus eius contigit instauratio vrbis Iericho autore Hiele de Bethel. Qui iuxta imprecationem Iosue. *in primogenito suo fundauit eam, & in Segub nouissimo suo posuit portas eius*: cæteris dum ipsa vrbs ædificaretur morte sublatis, eodem ordine quo nati fuerant. At quid est quod reparatio Ierichuntis tribuitur diebus Achabi, & non Iosaphati, in cuius ditione fuit Iericho, & cuius subditus fuit Hiel: cum præsertim hoc ipso tempore regnarit Iosaphat. Nimirum quia nullam adhuc in eo loco Scriptura mentionem fecerat Iosaphati, sed tantum Achabi & Amri patris eius. Ac ne multo quidem post Iosaphati mentionem illatura erat. De hac porro in Hielem animaduersione, vide plura in Annalibus.

Iosue 6. 26. 3. Reg. 16. 34.

An. 1. Iosaphat n. 6. & 7.

Quemadmodum autem Achab ab ipso regni sui exordio à patente acceptam impietatẽ propagauit ac vehementer auxit: Ita vice versa Iosaphat, pij patris religiosissimus filius conceptam à teneris pietatem, non solum à principio regni sui præ se tulit, ad quam nonnullum etiam momentum hic secularis templi annus, idemq; Sabbaticus septuagesimus septimus afferre potuit, sed Domino cor eius animumq; gubernante insigniter amplificauit. Vicissimque Dominus cum eo fuit, sic vt omnia illi ex voto succederent, subditis omnibus illi non solum obtemperãtibus, sed muneribus eum certatim afficientibus; ex quo factæ sunt ei infinitæ diuitiæ, & multa gloria. Qua populi alacritate & studio erga se bene vsus rex, eam ad Dei gloriam, à quo glorificabatur, conuertit. Vnde sequitur, *Cumq; sumpsisset cor eius audaciam propter vias Domini, etiam excelsa & lucos de Iuda abstulit.* Quod alio quoq; loco asseritur. In tertio tamen Regum idem Iosaphat dicitur excelsa nõ abstulisse; quod repetitur in 2. Para. c. 20. An dicendum est pium regem id quidem aggressum esse, & ex parte fecisse: bene tamen cœpta, propter magnam contradictionem multorum, & seditionis periculum non perfecisse? Mirum enim in modum populus capiebatur hisce lucis, & excelsis, vt ad omnem animi remissionem idoneis, præsertim cum in eis non idolis, sed Deo vero, quamuis alieno in loco, sacrificaretur.

IV. Achab impietatem promouet Iosaphat pietatem.

2. Par. 17. 5. 6

2. Par. 19. 3. c. 22. 44 & 2. Par. c. 20. 33.

ANNVS MVNDI 3123.

IOSAPHATI 3. ACHABI 7.

AZARIÆ 3. ELIÆ 1. TEMPLI 101.

OPHRATÆI 20. & vlt. Imperij Assyriorum 1192.

ANTE CHRISTVM 930.

QVo anno apud Assyrios extinctus est Ophrataeus, emenso viginti annorũ curriculo in imperio, eodem Iosaphatus egregio facinore benè de Domino Deo, populoque suo vniuerso meritus est. Hoc enim anno suo tertio per vniuersum regnum misit Sacerdotes & Leuitas, qui populum in Synagogis docerent. Et vt res maiore cum fructu & autoritate fieret, misit quosdam de principibus suis, qui essent missionis huius duces, qui propterea missi dicuntur; vt docerent in ciuitatibus Iuda. Quanquam facis cõstat non vni Leuiticæ tribui commissum fuisse populi docendi munus. Multi enim prophetæ populum docuerant, qui neq; Sacerdotes fuerunt, neque Leuitæ: in quibus eminet in primis Esaias, atque adeo Dauid ipse, cuius est illa vox, *Ego autem constitutus sum Rex ab eo, super Sion montem sanctum eius, prædicans præceptum eius.* Neque Sacerdotes & Scribæ & Phariſæi Christum à prædicatione repellebant, quod maxime optassent, obiecta laica tribu. Sed hæc pluribus in Annalibus, & apud Abulensem. Id studium religiosissimi regis, etiam in hac vita mercede non

I. Obitus Ophrataei Iosaphat curat doceri populum. 2. Par. 6. 17. 7.

Psal. 2.

q. 16. in c. 17. 2. Par.

catu-

carum. Deus enim illum toti regno amabilem, & omnibus exteris formidabilem reddidit: quos magna ex parte habuit vectigales, Arabes præterrum, atque Philisthæos.

II. Elias propheta apparet.

3. Reg. 17. 1

Non deerant quoque Israelitis hoc tempore prophetæ, qui, irritis clamoribus & adhortationibus, Achabum, eiusq; populum ad meliora prouocarent; sed surdis canebant cantilenas: necesse ergo fuit periculum facere, an vexatio daret intellectum auditui. Id factum est per Eliam Thesbitem, qui hisce temporibus cœpit agnosci. Vir propheta, potens opere & sermone, atq; inter huius æui prophetas longe clarissimus: de quo ex Ioanne Hierosolymitano patriarcha in Annalibus plura diximus. Cuius ratio temporis recte cum nostra congruit, cum ait Eliam sub Achabo floruisse, & ab eius regni exordio ad Christi Domini ortum 94. circiter annorum Decades fluxisse. Recte dixit, *circiter*, quatuor enim tantum anni desunt ist decadum numero, vt patet ex anno ante Christum 936. Congruit cum S. Epiphanio, & cum Rabinis, qui eum non solum Leuitam, sed Sacerdotem quoque fuisse putant: Ioannes eius patrem vocat Sabacham, Epiphanius autem Achimam. Sed Ioanni de Eliæ virginitate Hieronymus, Chrysost. Ephrem Syrus, atque Ambrosius plane consentiunt.

Genus eius & tempus.

vide Annal. hoc anno n. 8. 11. 12.

III. Obtinet à Deo siccitatem.

Hic ergo cum à puero in veri Dei cultu religiosè institutus esset inter habitatores Galaad, & secretam à vulgi consuetudine vitam diuegisset, ea opinione sanctitatis vt omnibus vbique admirationi esset, in primisque diuino zelo feruoret, nec animarum tantam cladem diutius ferre posset, *Oratione orauit ad Dominum*, vt ait Iacobus, vtique oratione plena fidei, spei, constantiæ, atque feruoris, *vt non plueret super terram, & non pluit annos tres, & menses sex*, vt intelligeret impius rex, eiusque populus vnuersus, à quali & quanto Deo defecisset, cuius beneficentiæ influxu cessante, homines atque animalia deficerent, terra exusta caloribus sterilesceret. Vbi sensit se voti compotem factum, in Spiritu Dei intrat ad Regem Achab, dixitque, *Viuit Dominus Deus Israel, in cuius conspectu sto, si erit annis hisce ros & pluuia, nisi iuxta oris mei verba*: nec definiuit quandiu siccitas duratura esset, fortasse id illi Deus non reuelauerat, quia volebat & prophetam ex ore Domini, & regem ex ore prophetæ pendere.

c. 5. 17.

IV. Absconditur, & nutritur à Coruis.

Quid illi tum à rege contigerit, Scriptura tacuit: Credibile est eum, vt hominem adhuc ignotum & nouum, ex conspectu regis eiectum, tanquam insanum, qui aliena ab hominum potestate promitteret. Nec hominem in vincula, Deo ita disponente, coniecit, vt si euentus confirmaret minas, Elias verbenbus ad impetrandam pluuiam compelleretur. Interim autem & reliquus annus expers pluuiæ abijt, & singularis Dei in prophetam suum prouidentia apparere cœpit. Nam misso, vt postea, Angelo, recedere inde illum iubet, & abire orientem versus, & abscondi in torrente Carith, vt ibi illius aqua potaretur: simul etiam de cibo famulo tuo coruorum ministerio se prouisurum pollicetur, quod & fecit. Cum enim fedisset in torrente Carith contra Iordanem, Corui deferebant ei panem & carnes mane, similiter panem & carnes vesperi: sed vnde in fame? putat Abulensis Angelos adisse Achabi domum, ibique inuisos accepisse quæ liberet, & in certum detulisse locum; vnde corui Deo instigante, ad Eliæ spelunca ea quotidie bis deferrent.

3. 16. inc. 17. 3. Reg

ANNVS MVNDI 3124.

IOSAPHATI 4. ACHABI 108.

AZARIÆ 4. TEMPLI 102.

OPHRATANIS 1. Imperij Assyr. 1193.

ANTE CHRISTVM 929.

NOuus hoc anno exoritur princeps in regno Assyriorum, quem Eusebius Ophratanem vocat, Africanus si qua Scaligero fides, Ephracheres, sed imperij quoque duratione differunt. Hic enim duos & 50. alli annos attribuit, Eusebius autem 50.

VI. Regnum Ophratanis.

Hoc ipso anno, qui erat Ioram, filij Iosaphati decimus quartus, videtur Iosaphat affinitatem cum impio Achabo contraxisse, eius filiam Athaliam vtroque parente dignissimam, filio suo vxorem accipiendo. Neque enim aut hoc tempus nuptiarum anteuerti potest, aut vltra recte differri potuit, vt ex initio regni Ochoziæ filij Ioram intelligetur. Malis autem auibus contractam hanc affinitatem, tum ipsa Domini reprehensio, quam luctuosa euenta docuerunt. Iudæi quoque hoc anno & duobus sequentibus regnum Achabi late populata est: circumpositæ autem regiones eam vix senserunt. Attigit nihilominus Tyrios atque Sidonios ista calamitas: inde enim profecta erat Iezabel, quæ præcipua causa mali huius fuit.

Athalia Ioramo nubit.

4. Reg. 8. 18.

Interea Elias in solitudine, diuina contemplatione fruebatur, ibique eam viuendi formam diuinitus edoctus est, vt ait Ioannes Hierosolymitanus, quam ipse deinceps, cum pierisque, quos ei Deus aggregaturus erat, perfectioris vitæ studiosis esset acturus; qui tum filij prophetarum audiebant, quales pridem sub Samuële disciplina vixerant, in quorum cuneos incidit aliquando Saul, & facto in eum spiritu Domini, prophetauit cum ipsis. Quales hoc tempore Iezabel morti dabat, & Abdias in speluncis absconditos, pane & aqua sustentabat, id est, rebus ad vitam necessarijs. Rex autem Achab recordatus est Eliæ, iuratæque ab eo siccitatis. Itaque dimisit vbique gentium nuncios, qui Eliam omni studio perquirerent, & ad ipsum adducerent, vt ab eo vel vi, vel precibus extorqueret, publici, grauissimique maleficij reum. Exigebat autem iusiurandum ab omnibus, ne Eliam celare auderent: qui interea in sua spelunca ad torrentem manebat, Deo & coruis notus, pauculisque discipulis, qui minime tenebantur cum reuelare, quem Dominus volebat absconditum.

II. Eliæ vita in solitudine.

3. Reg. 18. 4.

Perquiritur ab Achabo.

Cum autem desiisset eum quærere Achab, ratus eum mortuum, aut aliquem in locum minime vestigabilem à Deo esse translatum: siccatoque torrente, qui Eliæ potum præbebat,

III. Mittitur à Deo in Sarepta.

siccatus esset, iussit eum Dominus abire in Sarepta Sidoniorum, ibique manere. *Præcepi enim*, inquit, *ibi mulieri vidvæ, vt pascat te*, dici potest factam fuisse reuelationem viduæ Sareptanæ de nutriendo Elia: aut potius illud *præcepi* est idem quod prouidi, vt cum dixit se præcepisse coruis, vt eum nutrirent. Nimirum statuerat altero quodam miraculo pauperculam viduam cum filio, alioqui fame perituros, nutrire cum propheta: socij autem eius abierant ad Abdiam regis procuratorem occultum Dei cultorem, & piorum commune perfugium. Volebat quoque Dominus eiusdem viduæ filium mox defunctum, Eliæ opera reuocare ad vitam, vt tota posteritas intelligeret, quam grata Deo, fructuosaq; sit misericordia in pauperes, quamque eam Deus, etiam in hac vita, copiosè remetiatur.

IV. Eiusdé in eam aduentus.

Surrexit ergo Elias, & abijt in Sarepta, & qui eum in solitario torrente abscondérat, eundem per medias vias regias, & ciuitatem populosam ignotum, forte & inuisibilem reddidit, præterquam mulieri viduæ, quam illi hospitam Dominus designarat, quamque ad portam ciuitatis offendit; sed tam tenui in re, vt frusta lignorum vicatim colligeret. Ea conspecta, statim diuinitus admonetur, eam ipsam esse hospitam suam: alioqui enim temere videretur ab ea, non solum aquam & panem petere, quæ esset mulier infidelis, sed etiam futurum miraculum ei cito propalare. Itaque paulatim in colloquium se intimauit petendo aquam, qua viatores maxime egent, & qua pauperes abundant; quam cum illa prompte daturæ esset, petijt & buccellam panis, ne scilicet frigidæ potus noceret æstuanti. Ea occasione cum mulier patefecisset paupertatem suam, propheta vicissim diuinæ erga ipsam liberalitatis miraculum patefecit, de farina & oleo non minuendis, donec terræ frugibus vti liceret. Neque enim existimandum est, eo præcisè die defecisse oleum & farinam, quo die Dominus pluit super terram. Alioqui enim pluribus mensibus tota illa familia penuria afflicta fuisset, sed ab eo tempore paulatim imminui cœpisse.

& hospitium apud viduam.

Vide Tost. q. 29. in c. 17. 3. Reg.

Sub hoc ipsum tempus publicæ famis, & priuatæ abundantiæ, Elia apud hanc viduam habitante, Dominus probaturus mulieris patientiam, & muneraturus charitatem, adiecit & maius mirabiliusque beneficium. Cum enim filius eius vnicus ex vehementi ægritudine occidisset, illa apud virum Dei gemens, Quid, inquit, à me peccatum est in te, vt Deus iratus ceteretur mihi, & interficeret filium meum? At Elias & mulierem miseratus & filium: *Da mihi*, inquit, *filium tuum*, *tulitque eum de sinu eius*, vtique puerulum, *& portauit in cœnaculum, vbi ipse manebat, & posuit super lectulum suum, & clamauit ad Dominum, & dixit, Domine Deus meus, etiamne viduam, apud quam ego vtcumque sustentor afflixisti, vt interficeres filium eius?* Suauissima est hæc querela, index eximiæ in Deum fiduciæ, & familiaritatis, & efficax ad vim afferendam dulcissimæ Dei misericordiæ, quæ instar amantissimæ matris, gemitus & lachrymas vnigeniti sui ferre non potest.

V. Cuius filius moritur.

Expandit autem se propheta super puerum tribus vicibus, & in nomine sanctissimæ Trinitatis ter inspirauit in faciem eius, dicens, *Domine Deus meus, reuertatur obsecro anima pueri huius in viscera eius.* Alternatim orabat Elias, & procumbebat super puerum, & post tertiam orationem, tertiumque procubitum, *Exaudiuit Dominus vocem Eliæ, & reuersa est anima pueri intra eum, & reuixit.* Quem acceptum tradidit matri suæ: cui mulier in lætissimas gratiarum actiones effusa, *Nunc in isto cognoui*, inquit, *quoniam vir Dei es tu, & verbum Domini in ore tuo verum est.* Quod scilicet nuncias nobis de vero Deo Hebræorum, & inanitate Baalis, & Astartes, & cæterorum idolorum. Quam cognitionem si non prius amplexa est mulier, tantis cedens, tamque inauditis prodigijs. Neq; enim ijs tenebatur vitijs impedita, quæ Scribas & Pharisæos retinebant, ne visis etiam maioribus oculos aperirent, & Christum agnoscerent. Interea porro Iosaphat magnificè ædificabat in Iuda, vt in 2. Paral. scriptum est.

Mulier fit fidelis.

c. 17. 11. 15.

ANNVS MVNDI 3126.

IOSAPHATI 6. ACHABI 10.

AZARIÆ 6. TEMPLI 104.

OPHRATANIS 3. Imperij Assyriorum 1195.

ANTE CHRISTVM 917.

I. Finis siccitatis, & famis. 3. Reg. 18. 1. Luc. 4. 25. Iac. 5. 17.

Post multos dies, ait Scriptura, *factum est verbum Domini ad Eliam in anno tertio*, non numeratis prioribus siccitatis mensibus. Nam hæc sub finem siccitatis contigisse constat, quam ex Euangelio, & epistola Iacobi certum est sex mensibus supra tres annos perseueraſſe. Possunt autem illi sex menses tres solidos annos præcessisse, aut, quod commodius est ad res anni huius, secuti esse; & circa sextum anni mensem contigisse Eliæ cum Achabo colloquium; sed hos sex menses Regum liber omisit, cum ait, *in anno tertio*, qui à sex mensibus erat elapsus. Potest autem simplicius, ac fortasse melius intelligi annus tertius commorationis Eliæ in Sarepta, de qua proximè agebatur. Iubet ergo Dominus Eliam redire in terram Israel, & ostendere se Achabo, *vt det*, inquit, *pluuiam super faciem terræ*, te scilicet eam ipsi promittente, & à me impetrante. Misericors Deus sponte sua pœnas vult laxare peccatorum, etiam improborum perseuerante malitia. Neque enim Achab, multoque minus Iezabel finem suis imposuere sceleribus, licet fames vehementer sæuiret in Samaria, vbi maximè vigebat impietas.

II. Elias adiens Achabum, occurrit Abdiæ.

Cum autem Elias aditet Achabum, contigit Abdiam procuratorem eius occurrere prophetæ: diuiserant enim inter se regiones, vt herbarum aliquid, in cibum iumentorum fame pereuntium, reperirent. Abdias, cognito Elia, procidit in faciem suam, ab eoque iussus est nunciare Regi suo adesse Eliam. At procurator veritus, ne si hoc nuncium regi afferret, & interim Elias aliquò à Spiritu Dei asportare-

VI. Et ab Elia excitatur

tur,

tur, tanquam illusor Regis, ab eo iuberetur occidi, Prophetam orat ne huiusmodi nuncium ipsi committat, neque se timentem Deum, & de eius prophetis non male meritam, in certum capitis discrimen adducat. At propheta vt Abdiam eo metu liberet, iureiurando affirmat se regi affuturum. Cum ergo Abdias regi nunciasset adesse Eliam, venit Achab in occursum eius, non honorandi, sed expostulandi causa. Neque enim iram dissimulat, cum eum publicæ quietis perturbatorem vocat; immissa videlicet sterilitate, qua tota Respub. perturbata erat, cuius perturbationis causam recte Propheta eonijcit in regem, qui culpa sua, vera erat causa pœnæ, non qui eius erat duntaxat denunciator.

Eliæ cum Achabo colloquium.

III. Congregatur populus in Carmelo cum prophetis Baal.

Significat autem se id in conspectu vniuersi populi, & omnium prophetarum Baal, ipsiusque Regis, manifesto argumento comprobaturum, quos omnes in monte Carmeli congregari petit, promissa videlicet pluuia, post manifestam veri Dei, & verorum eius cultorum dijudicationem. Nihil est ausus Achabus negare prophetæ, tantum erat pluuiæ desiderium, quæ ex eius ore, nutuque pendebat. Nominatim autem improbissimos istos nebulones congregatos oportuit, vt sacrilegis eorum fraudibus detectis, internecioni dederentur, eoque sacrificio propitiato Deo, & populus conuerteretur, & pluuiæ terras sitientes irrigarent. Congregato populo, quorum plerique Deo simul & Baali seruiebant, *Vsquequo*, inquit Elias, *claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum, si autem Baal, sequimini illum. Et non respondit ei populus verbum*: quod non satis intelligeret quò spectaret hæc oratio. Et quia poterat respondere, existimare se vtrumq; esse Deum, ideoque se vtrumque colere. Hanc responsionem occupat Elias, aitq; rem sacrificio probandam: persuasus Deum prohibiturum ne dæmones ignem in profana sacrificia immitterent: ipse autem illud incenderet, quod sibi erat destinatum.

IV. Sacrificio pro diuinitatis manifestatione certatur.

Probauit populus Eliæ propositionem, tanquam ab omni suspicione fraudis alienam. Nec Pseudoprophetæ quorum maximè intererat ad hoc certamen non descendere, illud detrectare sunt ausi, quia vniuersi populi consensum videbant, cui repugnare res erat suspicionis plena, atque periculi. Deinde quia confidebant se ignem à Deo suo obtinere posse. Quid multa? Pseudoprophetæ bouem mactant, & in frusta dissectum, strui lignorum imponunt, & ignem à Baale perdiu, perque magnis clamoribus flagitant, insultante illis Elia. Quin etiam vt commiserationem sui Deo suo excitarent, cultris sese ac lanceolis incidebant, donec perfunderentur sanguine: nullo tamen operæ pretio, Angelo Domini Baalem constrictum tenente, ne flammam aut fumum dare posset. Sicque matutino tempore, quod Baalistis concessum fuerat, ad ignem de cœlo euocandum frustra consumpto, & idoli inutilitate, & sacrificulorum impostura patefacta, veritas aperienda fuit.

V. Vincit Elias.

Itaque Elias, in magna omnium expectatione, altare Domini, quod ibi erectum fuerat, & ab Israelitis ad idola conuersis destructum, erexit, & ex 12. lapidibus composuit, iuxta numerum tribuum filiorum Iacob, quas ad vnius eiusdemq; Dei cultum reducere cupiebat. Altari struem lignorum imponit, & lignis membra mactati bouis, omniaque duodecim hydrijs aquæ perfundit, vt tanto magis appareret miraculum ignis agentis in materiam minimè dispositam, atque adeo aquam ipsam, quæ in fossis circa altare colligebatur, exurentis. Vt tempus affuit sacrificij, orauit Elias Dominum, vt misso igne cœlitus in sacrificium, se verum Deum ostenderet, & populum iterum ad se conuerteret. Nec frustra: *Cecidit enim ignis Domini, & voravit holocaustum, & ligna & lapides, pulueremq; & aquam, quæ erat in aquæ ductu lambens. Quod cum vidisset omnis populus, cecidit in faciem suam, & ait, Dominus ipse est Deus, Dominus ipse est Deus.* Quæ fuit egregia Domini de dæmone, & idololatria victoria.

VI. Et occidit Pseudoprophetas.

Elias autem bene vsus occasione bene animati in Deum populi, & aduersus sacrilegos impostores, à quibus dementabatur, omnes comprehensos, & ad torrentem Cison perductos interfecit. Indeque in Carmelum regressus, monet Achabum de imminente pluuia, Deo iam propitiato per impiorum sacrificulorum cædem. Ipse autem post intensiores, ac sæpius iteratas preces, ingentem obtinuit pluuiam: qua imminente, Deoque vehementius ad iter incitante, cucurrit ante Achab, vsque ad Iezraël. Vnde Achab Iezabeli, quæ erat in Samaria, nunciauit, quæ facta fuerant. Quo accepto nuncio, mulier per nuncium Eliæ minas intentat in sequentem diem, quibus bonus propheta territus, se in fugam dedit. *Et surgens abyit quocunque eum ferebat voluntas*, alia ex aliis loca, & latebras subinde mutando; in qua fuga reliquus annus tranactus est.

Impetrat pluuiam.

& fugit.

ANNVS MVNDI 3127.

IOSAPHATI 7. ACHABI 11.

AZARIÆ 7. TEMPLI 105.

OPHRATANIS 4. Imperij Assyriorum 1196.

ANTE CHRISTVM 916.

DVm hæc in regno Israelis gerebantur, maiorem in dies Dei erga se benignitatem Iosaphat experiebatur, & diuitijs pollens, eas quas supra dicebamus ædes magnificas, vrbesq; munitas ædificabat. Habuit quoq; in omnem belli euentum viros bellatores ad manum tam de Iuda, quam de Benjamin maximo numero, nimirum ad vndecies centena & 60. hominũ millia, quorum principes & rectores Hierosolymis apud Regem manebant. Achab autem, qui in pœnam suæ idololatriæ sterilitatem sensérat, & recentia Eliæ miracula viderat, in sua nihilominus impietate perseuerauit. Impia nimirum Iezabel erat domi, quæ Dei semen quamprimum radicitus euelleret, & in Dei cultores, quasi Leena ebria sanguine grassaretur. Eam tu-

I. Potentia Iosaphati.

2. Par. 17. 14.

Achabi obstinatio

gicus

giens Elias vagatur per desertum Arabiæ, dimisso puero suo, quem Sarepthanæ viduæ filium nonnulli putant, in Bersabeæ regni Iuda.

II. Elias in deserto obdormiscit.

Cum ergo longius in deserto progressus esset, sedisset que fatigatus subter vnam iuniperum, *petyt animæ suæ vt moreretur*, à Deo scilicet petijt, non tædio vitæ, aut ærumnarum impatientia, sed ex zelo diuinæ gloriæ, quam nollet videre proculcatam. *Protestitque se, & obdormiuit in vmbra iuniperi*, etsi ieiuni non facile somno grauantur, neque qui versantur in metu. Elias autem totum diem sine cibo traduxerat, sibique ab impia regina male metuebat; labor tamen itineris, & animi tædium altera ex parte somnum ei conciliabant. Noluit tamen prouidus & misericors Dominus seruum suum incœnatum dormire, & ad reliquum iter inualidum reddi. Itaque sub vesperam misit Angelum suum, qui delatum alicunde cibum cum aqua ad caput dormientis apposuit: tum leuiter motum cum illis verbis excitauit, *Surge & comede*, cumque hic excitaretur, ille euanuit. Hic autem circumspiciens, panem subcinericium cum aqua reperit, panem vtique non exiguum: inde enim integri diei famem sedauit, & habuit insuper quod postridie mane inde comederet; neque enim in proxima visitatione Angeli fit vlla noui cibi mentio.

Nutritur ab Angelo.

III. Vagatur 40 diebus in deserto.

Comedit ergo & bibit, & gratijs actis paternæ erga se Dei prouidentiæ, rursum obdormiuit, noctemque sub iunipero transegit; donec reuersus est Angelus Domini secundò, & tetigit eum adhuc dormientem; monuitque de sumendo ientaculo, ex quo tantum accepit virium, vt dies ipse 40. ieiunus perseueraret; facile enim fuit Domino natiui caloris actionem suspendere, & vigorem retinere membrorum. Non rectà porro progressus est ad montem Horeb, alioqui eò quatuor vel quinque diebus peruenire potuisset; sed more fugientium, modo ad dexteram, modo ad sinistram carpebat iter, & vias inuias, atque inopinatas sectabatur, & pluribus voluntarijs aberrationibus vsus, in montem Dei ex vicinitate se contulit. Quo tamen toto tempore, etsi caruit cibo, non tamen nocturna saltem quiete caruisse putandum est, imo subsistebat potius, quoties fatigatio membrorum & loci commoditas suadebant.

IV. Venit in montem Horeb.

Venit porro Propheta in montem Horeb, non diuino excitus imperio, sed sponte propria fugitans Iezabelis emissarios; quem locum censuit latebris esse commodissimum, vt qui esset ab hominum frequentia remotissimus, & ad interiora deserti pertineret; quin etiam in eius se montis speluncam abdidit, ne cuiusquam, vel prope, vel longe prætereuntis, pateret aspectibus. Vbi etiam diutius videtur fuisse mansurus, expectans quid ab eo iussionis acciperet, cuius beneficio quadragesimum iam diem omni cibo potuque carebat, &, si ei videretur, porro cariturus erat. Cum ergo in spelunca iaceret mœrens, intonuit auribus eius diuinitus illa vox, *Quid hic agis Elias?* quæ eò spectabat, vt propheta enunciaret, quæ ipsum causa in deserta loca, latebrasque compulisset. Cui Elias, *zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum*, occidendo videlicet prophetas Baal prophetasque lucorum, vindex factus impiæ defectionis à Domino: & cæsis prophetarum, quos crudelis Iezabelis gladius interfecit: quod facinus cum laudem mereretur & præmium, ad supplicium quærot, cum relictus sim solus, qui Dei honorem publice tueri audeam.

Ibi cum Domino colloquitur.

V. Quomodo se illi præsentē exhibeat.

Hic autem, *Egredere*, inquit Angelus, *& sta in monte coram Domino*, altero scilicet Angelo, qui Dei vices gerat: cumque egressurus esset, perterrefactus substitit in spelunca. Tantus enim illico excitatus est ventus, vt montes ipsos subuersurus, & taxa contriturus videretur. Vix ventus ille desierat, cum terra concuti cœpit ac nutare. Terræ motum excepit incendium: nec in his tribus exhibuit se præsentem Dominus Eliæ, ad consolandum eum, sed in sibilo aurætenuis. Quem cum audisset Elias, simulque de præsentia Domini edoctus esset, vultum suum pallio operuit: quòd Dominus maiorem in nube radiante splendorem exhiberet, quam vt eum mortales oculi ferre possent. Querenti autem Eliæ de idololatris, significat Dominus se suscitaturum illis aduersarios, à quibus seuere puniantur, Hazaelem in Syria, Iehu & Elisæum in Israele. Remittitur autem in Israelitidem, sed deuijs itineribus, vt eius timori consulatur. Cum autem eos vncturus dicitur à Domino, intelligitur declaraturus eos reges fore, remque tam breui futuram, vt eos ipsemet posset vngere.

VI. Redit per Damascū in regnū Iliael.

Quia vero Elias se solum relictum gemebat, cum Dominus consolatur, affirmans, se multa hominum millia sibi in Israele conseruasse, qui neque humili genu flectione, neque osculo manus, Baali cultum exhibuissent. Elias ergo proficiscitur in Damascum, & Hazaeli significat ipsum regnaturum: tum redit in terram Israel, post menses aliquot in eò frustra quærendo consumptos, & Deo pristinum ab eius corde timorem excutiente, & Iezabelis ira aliquorum piorum hominum cæde mitigata; quo refelli possit illud, *& ego relictus sum solus*. Transiens autem per agrum oppidi Abelmeulæ, reperit Elisæum in cœtu duodecim aratorum, quorum ipse erat vnus, & proiecit super ipsum pallium suum, qua iniectione pallij significauit Elisæo ei deinceps & habitum, & statum vitæ commutandum, aratris & bobus, parentibus & amicis, mundoque vniuerso valere iussis. Hinc autem non leuem accipit probabilitatem, quod scribit Ioannes Hierosolymitanus, post reditum Eliæ de monte Horeb, & assumptum Elisæum in discipulum ac successorem, etiam alios discipulos in monte Carmeli collegisse, & ad vitam religiosè traducendam instituisse, vt in Annalibus vberius explicatur.

Elisæum assumit socium.

3. Reg. 19. 19.

VII. Modus vocationis eius.

Quod ad modum vocationis Elisæi, ea obscurius aliquantò in Scriptura traditur. Apparet rem ita gestam. Elisæus ab aratorum turba, Elia euocante, seductus, audiuit ab eo electum ipsum à Domino in prophetam; & vbi aliquot annis factus fuisset comes peregrinationis eius, & propheticæ vitæ institutæ didicisset, ipsi hoc in munere successurum: in cuius rei signum propheticæ pallio iam nunc eum amiciret. Et simul hominem rei nouitate stupefactum, deseruit, coeptumque carpens iter antecessit. Vt autem se collegit Elisæus, nihil cunctatus, mentem enim eius illustrabat Do-

minus, & cor ad libentem obtemperandum impellebat, *statim relictis bobus cucurrit post Eliam*, tantumque exorauit ab eo temporis, quantum necesse erat ad parentibus valedicendum. Ergo reuersus ab Eliæ colloquio, *tulit par boum, & mactauit illud, & in aratro boum coxit carnes.* Non deerant alia ligna coquendis carnibus, sed mysterio id factum est, vt se priori vitæ ac viuendi rationi plane renunciare significaret. Quod autem coctas carnes populo dedisse dicitur, ostenditur non diuisas in ciues oppidi partes, sed factum epulum amicis omnibus & cognatis, antequam discederet ab eis, Eliæ ministraturus. Qui inde videtur repetijsse Carmelum, locum suo, suorumque instituto, percommodum.

VIII. Ortus Ochoziæ filij Ioramj.

Anno proxime sequenti, qui fuit Iosaphati octauus, natus est ei nepos Ochosias Ioramj filius ex impia Athalia susceptus. Quod ex eo aperte demonstratur, quod viginti duorum annorum erat cum regnare cœpit, totidem autem anni ad initium regni eius, qui cadit in annum Mundi 3150. exacte numerantur. Iosaphati autem annus nonus habet annum Sabbaticum ordine 78. decimus tertius autem Iubilæum Mosaicum vndecimum, vt distinctius Annales docent.

4. Reg. 8. v. 26.

Sabb. 78.

ANNVS MVNDI 3134.

IOSAPHATI 14. ACHABI 18.

AZARIÆ 14. TEMPLI 112.

OPHRATANIS 11. Imperij Assyriorum 1203.

ANTE CHRISTVM 919.

I. Bellum Achabi & Benadad, eiusque causa.

OCtauo decimo Achabi anno bellum Syros inter & Israelitas exarsit, & ab his contra illos feliciter in montanis, decimo autem nono in campestribus eadem felicitate pugnatum est. Tres deinde anni successerunt, in quorum tertio occisus est Achab, qui erat regni eius vigesimus secundus. Videtur autem à Deo paratum hoc bellum, si eius causam quærimus, ad pertinaciam Achabi beneficijs edomandam, qui Eliæ, eiusque beneficijs ac miraculis non cesserat. Itaque mox Propheta quidam ei nunciauit, Deum tantam hostium multitudinem in manus eius traditurum, *vt sciat*, inquit, *quia ego sum Dominus*, qui principes mihi subiectos victores efficio. Causa vero belli ex parte Achabi & Syri, videtur negatum Syris ab Achabo tributum, vt in Annalibus explicatum est.

II. Israelitarum ignauia, & Syri superbia.

Itaque rex Syriæ Benadad congregauit ingentem exercitum, in quo 32. satrapæ, quos Scriptura reges vocat: cumque impunè regionem Israelitarum esset ingressus, ad ipsamque regni metropolim cum infesto exercitu progressus esset, Achabi copijs nusquam occurrentibus, sed mœnibus se pene captiuis continentibus, factus audacior, cum superbissimo contemptu, iniustissimam legationem mittit, cuius hæc erat postulatio. Hæc dicit Benadad. *Argentum tuum, & aurum tuum, meum est. & vxores tuæ, & filij tui optimi, mei sunt.* Itaq; tam hos quam illa mihi tradi volo, & arbitrio meo voluntariq; permitti; quæ si sponte non dederis, inuitus dabis. Sperabat nimirum tam iniqua postulatione indignatum regem, ad conferendas manus progressurum, debellarumque rebus omnibus spoliatum iri; qui si iusta tantum petijsset atque impetrasset, ijs contentum, ad sua reuerti oportuisset.

III. Crebræ inter vtrosq; legationes.

Achab autem cupiens lenitate verborum ferocem Syri animum mitigare *iuxta verbum tuum*, inquit, *Domine mi rex, tuus sum ego & omnia mea.* Quæ officiosè, & ex vrbanitate dicta videntur. Etsi enim cum hoste agebatur; cum eo tamen hoste Achabo res erat, qui victoriam in manu habere putabatur, ideoque omni ratione demulcendus erat: ideoque & seipsum, quem Syrus non postulauerat, obtulit. Alioqui mirum in modum deiecto ac desperato animo fuisse Achabum necesse est, qui tam facile, tam iniquæ, tamque insolenti petitioni acquieuerit. Sensit quoque Benadad officij atque vrbanitatis esse huiusmodi responsionem: ideoque vniuerse & sine vlla determinatione factam. Itaque vt serio rem agi ostenderet, alteros misit nuncios, qui petitionem vrbanè elutam inculcarent, & eam quamprimum in rem deductam sui docerent; postridie quippe missurum se in vrbem seruos suos, qui regiam domum cæterorumque ciuium scrutentur, vt inde auferant quod libuerit.

Comitas Achabi coacta, nec seria.

IV. Et circa subditos suos prudentia.

Hic Achab serio rem agi videns, lætatus est non in vnum se, sed in optimates quoque tuos nominatim intentari minas: ne illi rati nullum sibi damnum instare, regis vnius clade, publica damna redimenda censerent: esti clarum erat Syros, qui regem ipsum spoliare auderent, à priuatis minimè temperaturos. Valuit tamen ista nominatio ad inuidiam à rege declinandam, & ad priuatam causam, cũ communi suorum beneuolentia, publicam efficiendam. Accersitos enim docuit se priuatam iniuriam, quæ primo denunciata fuerat, ferre voluisse, eaque redimere publicam. Nunc autem illum omnes opprimere velle, & publici latronis instar, spoliare vniuersos, non opibus solum, sed vxoribus quoque ac liberis, in virorum ac parentum dedecus sempiternum. Quibus auditis reclamauit tota concio, contemnendum esse cum suis mandatis insolentem barbarum, & bellum alacriter gerendum, vt ait Iosephus; Mitius nihilominus Achab agendum putauit, & in eadem dissimulatione perseuerandum.

V. Itemque aduersus hostem.

Cum enim intelligeret Syrum non discessurum de posteriore sententia, quod honoris eius interesset, legem hosti pro arbitrio statuere, neque ab eo ad vllam exceptionem compelli, fingit Achab se priori postulationi acquiescere voluisse; posteriori autem, populo suo reclamante, non posse. Eo responso commotus ad iram Benadad, tertio legatos mittit cum minis, quas modeste rex eleuat, negans decere æquè bellatorem iactare sese, atque victorem; significans minus ipsi certam esse victoriam opinione sua. Hæc relata sunt Syro, dum potaret ipse cum regulis suis,

in scenis & tabernaculis suis: ijsque auditis præcepit ducibus ac militaribus tribunis, vt vallis & aggeribus Samariam cingerent, atque obsiderent, & machinas ad subruendos muros admouerent, vt per vim possent expugnata ciuitate rapere, quæ Rex cum suis, illa incolumi, victo dare noluissent.

VI. Victoria prædicitur Achabo.

Interim Achab cum omni populo suo minimum à desperatione aberat, cum ei Dominus per prophetam quendam anonymum hunc timorem abstersit, promittens se illi hodiernam de immensa Syrorum multitudine victoriam; opera pedissequorum principum prouinciarũ, qui in capite exercitus positi, numero 232 prælium inceptarent. Cum ergo hi meridie egressi essent, speculatores Syro nunciarunt, aliquam militum manum Samaria egressam; quos ille iubet viuos comprehendi, quacunque ex causa venissent. Id præceptum, ex hostis contemptu profectum, victoriam Israelitis dedit. Nam dum viuos capere volunt, à vulneribus inferendis abstinent. Israelitæ contra, omni animi corporisque impetu in hostes irruunt, eosque trucidant. Itaque initio pugnæ turbationis ac cædis à iuuenibus illis ferentarijs facto, septem Israëlitarum millia superuenere turbatis, qui expediti ad pugnam, tam feliciter inchoatam felicius vrgent. Syrorum vero turbationi successit timor, desperatio, fuga. Postremo superuenit Achab cum præsidiarijs suis fortissimis, qui integri, & ex superiore loco in aciem irruentes, desperatione fractos, vulneribus debilitatos, fuga fatigatos, magna omnino strage affecerunt. Tum preciosis onusti spolijs, domũ se victores, diuitesq; recepere. Reuertenti porro è victoria regi affuit idem propheta, monuitque, vt se in annum sequentem, ad bellum contra eosdem Syros, pararet.

Quomodo contigerit.

ANNVS MVNDI 3135.

IOSAPHATI 15. ACHABI 19.

AZARIÆ 15. TEMPLI 113.

OPHRATANIS 12. Imperij Assyriorum 1204.

ANTE CHRISTVM 918.

I. Redintegrat bellũ Syrus.

INgentem acceperat Syrus de accepta clade tristitiam, quod à paucis, & contemptis à se hostibus, victus, & in fugam turpiter compulsus fuerat. Huic regis sui dolori vt mederentur Syri, non inurbanam consolationem excogitarunt. Acceptum enim ab Achabo dedecus, ad Israelitarum Deos transferunt, à quibus vinci mortales non sit mirum; *Dij montium*, inquiunt, *sunt dij eorum, ideo superauerunt nos*, potentes videlicet in regno suo. Nam Samaria, & Bethel, & Dan erant in montanis, & omnia excelsa loca regni Israëlitici, plena erant idolorum simulacris. Itaq; *melius est*, aiunt, *vt pugnemus contra eos in campestribus, & obtinebimus eos*. cum monticolarum Deorum iura eo non perueniant, & ipsi per se Israelitæ multo sint inferiores nobis. Credidit eis Benadad, & mutatis ducibus instaurauit exercitũ, venitque cum infinita multitudine in Aphec, quod oppidum patebat Philisthæis & erat amicum Syris, iuxta magnam planiciem Galilææ, vt ibi pugnaret contra Israelitas.

3. Reg. 20. 23.

Israelitæ autem profecti sunt ex aduerso, sed tam pauci, vt duo parui greges caprarum viderentur præ Syris, qui repleuerant terram. Quæ paucitas mirabilis est, cum Iosaphatus in regno Iuda, vt paulò ante dicebamus, vndecies centena millia bellatorum haberet in potestate; vt intelligamus pietate regna florere, impietate concidere. Ipsi nihilominus Deus, in vltionem blasphemiæ Syrorum, destinat ingentem victoriam quam ei per eundem prophetam denunciat; Eũ Rabbini male suspicantur fuisse Michæam filium Iembla. Non enim postea de eo diceret Achab, *non prophetat mihi bonum, sed semper malum* Sed quid causæ fuisse dixerimus, cur Iosaphat Achabi cognatus & amicus, opibus & viris potens, ei suppetias non tulerit? Forte id prophetæ, & Sacerdotes Domini prohibebant: quod licet ex sequentibus coniicere. Cum enim Iosaphat iuisset cum Achabo in Ramoth Galaad, audiuitá Iehu propheta, *Impio præbes auxilium, & ijs qui oderunt Dominum, amicitia iungeris?* Apparet ergo eum prius, religione prohibitum, Achabo non adfuisse.

II. Achabi contra eũ copiolæ.

2. Par. 19. 2.

Cæterum cum copiæ conuenissent, neutro exercitu per sex dies pugnę copiam faciente, cessatum est, septimo autem commissum est prælium, & Domino animos Israelitis vireſque suggerente, Syris autem subtrahente, victus est Benadad cum suis, tantaq; animorum obstinatione pugnatum est, vt de Syris centum millia pugnatorum, vna eademq; die, interirent. Quam tuorum stragem rex animaduertens fugit in ciuitatem Aphec, & ingressus domum aliquam in conclaue intimum, atq; abditissimum prorupit sese, iussis interea suis ad muros hostem imminentem propulsare telis, & obsidionem omni missilium genere impedire. Clausis ergo portis Syri ad viginti septem millia muros subiere: sed illi mox, eodem impellente, qui olim Ierichuntinos tubarum clangore deiecerat, cum propugnatoribus abiere in præceps, qua ex ruina obtriti ac contrucidati miſere periere. Qua re cognita, salute que desperata domestici Benadadi, cum eius venia, ad Achabum, vitæ impetrandæ gratia, cultu quam maxime miserabili venerunt. Accinxerunt enim saccis lumbos suos, & posuerunt funiculos in capitibus suis, & venerunt ad regem Israel, parati, si is vellet, iuberetque, perire suspendio, & dixerunt ei: Seruus tuus Benadad dicit, viuat, oro te, anima mea. En mirabilem peripetiam, & terrificam fortunæ commutationem, de qua videat Lector Annales.

III. Pugnatur & Syrus vincitur.

Gemina eorum clades.

n. 11. & 12.

Nec tamen isti supplices spe sua frustrati sunt. Speratam enim clementiam, imo spe atque opinione maiorem, sunt experti: quoniam apud homines, qui humanitatem non penitus exuerunt, nihil est miserabilius, quam ex beato miser. Regiam ergo fortunam ex altissimo fastigio collapsam miseratus Achab, respondet, *si adhuc viuit, frater meus est*. Quid clementius & mortalium iudicio laudabilius? Non placuit tamen Deo, in hominem morte dignum importuna clementia, sicut nec pridem Saulis erga Amalecitam

IV. Fiunt Achabo supplices, & veniam obtinent. 3. Reg. 20. 32.

tam Agagum, vsque adeo distant aliquando iudicia Dei à iudicijs hominum. Hanc fraternæ beneuolentiæ denunciationem acceperunt Syri isti pro omine, & ad quandam concedendæ veniæ necessitatem traxerunt, illi, quem agnoscerent, ac prædicaret frattem. Quod accipiens Achab, *Ite*, inquit, *& adducite eum ad me*. Quod cum factum esset, Non exprobrat homini pudore obruto priores minas, illuditve capto, sed afflictam regis conditionem miseratus, *leuauit eum in currum suum*.

V. Gratus Benadadi animus & fœdus cũ Achabo. 3. Reg 20. 34.

Benadad autem nolens indignus beneficio vel ingratus videri, primùm vltrò reddidit aliquot oppida, quæ olim Syri sustulerant Israelitis; & insuper se tributarium ijsdem offert, à quibus paulò ante tributa capiebat. Id enim significatur illis verbis, *Et plateas facies in Damasco, sicut fecit pater meus in Samaria*. Plateas vocat fora rerum venalium, super quæ vectigal aliquod constituat, colligatque sibi Achab: quæ fuerunt conditiones duæ, initi fœderis inter duos hosce reges. At Dominus, qui hanc clementiam non probauit, vt dixi, misit prophetam ad Achabum, qui eum assumpta parabola reprehenderet, & quidem ignotus, ne ab eo protinus, tanquam importunus censor reijceretur. Etsi autem Deus illum multis modis ignotum reddere poterat, voluit, ad virtutem eius probandam, vultum fascia ex vulnere obligatum esse, vt ex prælio venisse putaretur, ex quo parabola sumebatur.

VI. Achab a propheta per parabolam arguitur.

Fuit autem hæc ignoti prophetæ de seipso parabola. *Seruus tuus*, inquit, ille ad regem in via transeuntem, egressus est ad prælium cominus; cumque fugisset vir vnus, adduxit eum quidam ad me, *& ait, custodi virum istum, qui si lapsus fuerit*, id est, si euaserit, vt eum depositori repræsentare non possis, *erit anima tua pro anima eius*, eandem scilicet subibis conditionem seruitutis aut mortis, *aut talentum argenti appendes. Dum autem ego turbatus huc illucque me verterem, subito non comparuit*; supplendum videtur. Quid ergo mihi fiet? Respondit autem rex, ipsum contra se protulisse sententiam. Cum ergo Achab sua ipse sententia teneretur, facileque posset intelligere quanta in culpa esset, dimisso puluere, se præbuit agnoscendum. Simulque parabolam explicans. *Hæc dicit Dominus*, inquit, *Quia dimisisti virum dignum morte, erit anima tua pro anima eius, & populus tuus pro populo eius*. Cuius denunciationis veritatem euentus intra tertium annum subsecutus declarauit.

Valet 4125. Francis Gallicis.

vers. 42.

Annus Sabb. 79.

Sequens porro annus Sabbaticus fuit, ordine 79. De quo æque vtrumque certum videtur, in regno Iosaphati obseruatum, in regno autem Achabi fuisse neglectum.

ANNVS MVNDI 3137.

IOSAPHATI 17. ACHABI 21.

AZARIÆ 17. TEMPLI 115.

OPHRATANIS 14. Imp. Assyr. 1106.

ANTE CHRISTVM 916.

HOc altero anno à debellata Syria, qui fuit Iosaphati decimus septimus, contigisse videtur in regno Achabi historia Naboth. Nam proxime præcedenti narrationi, Scriptura, quasi notata ratione temporis subdit, *Post verba autem hæc, tempore illo vinea erat Naboth*, &c. Ergo historiæ illi ista successit, & ipsum temporis ordinem hoc loco Scriptura seruauit. Nouorum autem Regum initia in fine huius anni tradentur. Naboth porro Iezraëlita vineam habuit in natali solo, quam vocat patrum suorum hæreditatem. Achab autem, qui Samariæ palatium habuit, in Iezraële eus habuisse videtur, quod vineam Naboth contingeret, vt visum est Iosepho; quam, ad commoditatem prædij sui rusticani, desiderauit, atque expetijt, oblata in commutationem meliore vinea, aut digno ea pretio. Nihil hactenus in hoc desiderio culpæ, aut in petitione iniustitiæ. Nec enim priuata Naboth consolatio, non iniusto principis desiderio, aut commoditati debuit præponderare. Itaque neque postea à propheta reprehensus fuit, quod alienam hæreditatem desiderasset.

I. Ratio reportis. Historia Naboth. 3. Reg. 21

Neque acquieuit tamen regi Naboth, quod religioni duceret, quasi diuinitus ad se, per maiorum suorum manus, transmissam hæreditatē, in familia sua non conseruare: quam si venderet, cum in hortum regium commutanda esset, nunquam eam, ne in iubilæo quidem recuperare posset. Eam repulsam à subdito tuo rex indignissimè tulit, & ægri animi geminum signum edidit, quod & cibo abstinuit, & ab hominum se communione abstraxit: & forte ægritudo animi redundauit in corpus. Nam *prostrauit se in lectulum suum*. Cum autem rem totam Iezabel à viro didicisset, eum amica obiurgatione consolatur, rem facti facilem indicans, modo ipse æquo esset animo, & lætus epularetur. Itaque ipsa regio nomine literas misit ad magistratum Iezraëlitanum, vt accusatione contra Nabothum, de blasphemia in Deum & regem composita, eum damnatum lapidibus obruerent.

II. Non acquieuit Regis voluntati.

Sed quid opus erat occidi Nabothum, cum satis esset Iezabeli, ad explendum mariti desiderium, vineam regia autoritate occupare, quam nemo aduersus regem auderet, tanquam ab iniusto possessore, vindicare? Respondet Tostatus, voluisse illam vindictam sumere de Nabotho, qui regi ad omnem æquitatem descendenti, audacter in faciem restitisset. Adde quod si vinea superstiti esset ablata, regem vbique turpi infamia potuisset afficere, quod tyrannorum more, res suas inuitis dominis auferret. Postremo voluit Iezabel, tam vineam, quam cætera omnia eius bona occupare, eaque in fiscum regium transcribi. Itaque oportuit tem iudicio transigi, vt hæredes quoque tollerentur, ne qua in posterum ab illis vindicta timeretur. Nam filios quoque ipsius occisos fuisse mox dicetur.

III. Iezabel Naboth eidem, familiæq; machinatur.

Ergo ventum est ad iudicium, & sedere fecerunt Naboth inter primos populi, vt crimen

IV.

quod

Falsi rei, sumptis accidit pœnis

quod in eum mox debebat intendi, ignotum iudicibus, atque improuisum videretur; & ipse tanto maiore pudore afficeretur, dum de iudice repente fieret reus. Ergo dum sedetur & inquiritur reus, prodit subornatus accusator, qui nominatim Nabothum petat, & geminæ blasphemiæ arcessat, & duobus falsis testibus crimen cõfirmet. Mirum est autem in tota ciuitate fuisse neminem, qui verbum vllum pro Naborthi innocentia diceret, alijs regiæ cupiditati cupide, alijs timide seruientibus; alijs verum crimen puniri existimantibus, propter accusationem magna probabilitate concinnatam. Mirum quoq; ne ipsum quidem, quod quidem sit proditum literis, quidquam in suam defensionem attulisse; vt illius esset figura, qui cum malediceretur non maledicebat, sed tradebat iudicanti se iniustè. Quamobrem eduxerunt eum extra ciuitatem, & lapidibus interfecerunt. Occisos autem etiam Nabothi filios, ex 4. Reg. perspicuum est; vbi Iehu occiso Ioramo, *Tolle*, inquit, *proijce eum in agro Naboth Iezraelitæ*: & mox, *Si non pro sanguine Naboth, & pro sanguine filiorum eius, reddam tibi in agro isto dicit Dominus*: Eos autem de medio sublatos oportuit, eiusdem reginæ iussu, ne forte ipsi Achabo & Iezabeli negotium facesserent.

Inimicæ defendẽte.

V. Achab dicitur cædem, & adit vineæ possessionẽ.

Vbi res ad Iezabelem delata est, illa statim ad regem, quasi Nabotho insultans, qui stultè pecuniam pro vinea accipere noluerit, nunc vtramque sibi, suisque perdiderit, *Surge*, inquit, *& posside vineam Naboth*, nihil est quod vltra vereatis ab homine rusticano, orisque durissimi: didicit ille magno suo malo, regum non acquiescere voluntati; *non enim viuit Naboth, sed mortuus est*, & cum mortua bestia venenum quoque extinctum est. Inuenimus enim qui possent, ac vellent regum voluntatibus obiecundare. *Surrexit Achab, & descendit in vineam Naboth, vt possideret eam.* Quod est non mediocre argumentum Achabum non ignarum fuisse machinationum Iezabelis aduersus Nabothum, alioqui non audisset ab Elia, *Occidisti, & insuper possedisti*: nec audisset fore vt canes lingerent sanguinem Achabi in loco, in quo linxerant Naboth sanguinem, nisi eiusdem sanguinis iniustè effusi fuisset reus, vt accuratius in Annalibus docuimus; nam hic, timore longitudinis, multa cognitione dignissima; pene inuiti gementesque resecamus.

Fuit eiusdem cædis reus.

3. 19. & seq

VI. Eliæ contra ipsũ, familiãq; eius vaticinium.

Postridie admissi facinoris, *factus est sermo Domini ad Eliam Thesbitem*, hominem spiritu feruenti & animoso, qui contra Achabum, totamque eius familiam, ferret in oculis eius, de ea exterminanda sententiam. Decuit autem etiam Iezabelem peculiari maledictione percelli, & in exemplum statui diuinæ vindictæ; Itaque subditur canes eam comesturos in agro Iezrael, vbi scilicet linxerant Naborthi sanguinem, quod factum est, cum Iehu iussisset eam præcipitem agi de fenestra; & equorum vngulis conculcatam canes certatim dilacerarunt, & sua quisque frusta in agrum Iezrael, Dei instinctu detulerunt, ac vorarunt. Cum ergo Elias accuratè suo apud regem munere functus esset, nihil eius iram inimicitiasque reueritus, Achab, quem neque dudum triennij fames castigarat; neque demonstrata in monte Carmeli vanitas idolorum, & veri Dei potestas correxerat, neque iteratæ ab eodem victoriæ gratum reddiderant, aut obsequentem Deo, eum nunc intentatæ pœnæ vehementer terruerunt: itaque scidit vestimenta sua, & operuit cilicio carnem suam, ieiunauitque, & dormiuit in sacco, & ambulauit demisso capite. Qua tota humilitate dilationem pœnæ, ad regnum filij eius, meritus & consecutus est.

Nam cum denunciato à tanto propheta interitu familiæ suæ vehementer perturbatus esset, mature cum Ochosia filio suo communicauit imperium: ne si quid ei nec-opinato humanitus contigisset, regnum in eius familia perciitaretur, quod è contrario facile consisteret, si filius, etiam viuo, ac rerum potiente patre, regnare cœpisset. Initi hoc anno ab Ochosia regni testis est Scriptura in fine libri huius.

VII. Filium Ochosiã adsciscit in regnũ.

l. 3. Reg. c. 22. n. 52. Iorami regis initium.

Exemplum Achabi in regno Israelitico, secutus est Iosaphat in regno Iudæ. Filium enim suum Ioramum, impiæ Athaliæ maritum, & Achabi generum regni socium sibi adiunxit. Itaque tam hoc, quam sequenti anno, in vtroque regno bini reges fuerunt, Achab & Ochosias in Samaria, Iosaphat & Ioram Hierosolymis.

ANNVS MVNDI 3138.

IOSAPHATI 18. ACHABI 22. & vlt.

AMARIÆ 1. TEMPLI 116.

OPHRATANIS 15. Imperij Assyriorum 1207.

ANTE CHRISTVM 915.

MOrtem duorum regum in Israele habet hic annus, parentis & filij: nouumque Pontificem Amariam, quem suggerit series Aaronitarum pontificum in 1. Paral. & ipsemet Iosaphat rex, qui cum è bello, in quo mortuus est Achab, reuersus, populum suum ad pietatem adhortaretur, adiecit. Amarias autem Sacerdos, & Pontifex vester, in his quæ ad Deum pertinent, præsidebit. Hic porro tertius est annus à fœdere ab Achabo cum Syris inito: in quo descendit Iosaphat rex Iuda ad Achabum regem Israel, propter mutuam inter vtrumque amicitiam & affinitatem, cuius causa postea à propheta Iehu reprehensus est. Faciliorem autem reddebat istam profectionem, nuper regno ascitus Ioramus, qui interea regni negotia administraret. Lautè acceptus est ab Achabo, Ad eius enim aduentum *mactauit arietes, boues que plurimos ipsi & populo, qui erat cum eo.* Cupiebat enim eum demereri, ad incundam secum Syriacam expeditionem, & vrbem Ramoth, quæ erat in Galaaditide, recuperandam: quam à Syris pridem occupatam, Benadab ex proximo fœdere non restituebat.

I. Amarias Pontifex. *cap. 6. v. 11*

Iosaphat adit Achabum. *3. Regum 22. 2. 2. Par. 19. 2.*

Ea de re cum Achab consultaret cum suis, omnesque idem cum eo sentirent, sperarentq; facilem de Syro victoriam, quem tanta nuper clade semel iterumque affecissent, Achab Iosaphatum ad eam secum inuitat expeditionem: cui Io-

II. Cui Achab persuadet Syriacã expeditionẽ

saphat cito consentit; super ea tamen dominum consuli cupit. Congregauerat enim rex Israël prophetas quadringentos, qui vno omnes ore autores erant Achabo expeditionis in Ramoth. Mirum porro est improbum hoc semen tam cito in tantam multitudinem excreuisse, ex quo magnus ille zelotes in Carmelo videbatur id, ad imam vsque radicem, succidisse. Nimirum facile erat istis in Pseudoprophetas Baalis euadere, cum id ex eorum voluntate penderet, præsertim cum magnis, ad eam assentationis iniquitatem, præmijs incitarentur à Iezabele, de cuius mensa nutriebantur, & ab Achabo ipso. Nihilominus aliquem de prophetis Domini Iosaphatus consuli cupit. Cui gratificari cupiens Achab: *Remansit vir vnus*, inquit, *per quem possumus interrogare Dominum*, plures vtique erant, sed hic vnus, eorum qui Samariæ habitabant, notus erat regi, & licet regi odiosus ac reginæ, diuina tamen prouidentia protegebatur.

Suadētib. Pseudoprophetis

2. Par. 18. 7.

III. Repugnante Michæa.

Ait enim rex, *Sed ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, sed malum omni tempore: Est autem Michæas filius Iemla.* At Iosaphat, qui stolidam & iniustam odij caulam audiebat, noratque vulgò obsequium amicos, veritatem odium parere, amica tamen obiurgatione, *ne loquaris*, inquit, *ita rex*, fausta fortasse ipse quoque vaticinabitur. Non erat autem mirum si mala semper agendo, diuinas sibi semper conciliabat minas. Quid plura? Accersitur Michæas, & à nuncio incitatur, vt se regis voluntati, & aliorum prophetarum vocibus accommodet, qui interea strenue de corde suo prophetabant; adeo vt vnus eorum Sedecias cornua sibi ferrea fecerit, & capiti imposuerit, dicens, His ventilabis Syriam, donec deleas eam: post receptam scilicet ciuitatem Ramoth. Venit Michæas, & interrogatus à rege ironicè respondet, cõsentaneè pseudoprophetis. Id sentit Achab; præsertim cum illud cõsuetum, *Hæc dicit Dominus*, non præmisisset. Ideoque eum etiam atque etiam adiurat, vt veritatem dicat in nomine Domini, quam tamen nolebat audire.

Qui primum ironicè respondet.

IV. Mox eadem denunciat,

Hic propheta significat sibi à Domino reuelatum, exercitum Israelitarum fusum iri, fugatumque à Syris in montibus Galaad, & rege suo priuandum, illoque in prælio mortuo, ad sua pacifice, re desperata, redituros vniuersos. Tum Achab, in subitam effusus iram, *dixit ad Iosaphat, Numquid non dixi tibi, quia non prophetat mihi bonum, sed semper malum?* Nihilominus Michæas aperit ei, quæ sibi Dominus in visu ostendisset. Dominum permisisse dæmoni, vt esset spiritus mendax in ore omnium prophetarum eius. Tum Sedecias, qui inter pseudoprophetas eminebat, indignatus se suosque, in tali tantoque consessu argui mendacij, acceptam vlturus iniuriam, accessit ad Michæam, & percussit maxillam eius, & dixit ironicè insultans, *Mene ergo dimisit Spiritus Domini, & locutus est tibi?* qui videlicet tum te multo præstantior; eam illi audaciam agnita regis ira suppeditauit. Quo dissimulante, licet Propheta iniuriam pro veritate patienter ferret, suam tamen sortem Sedeciæ prædicit, fore vt vulnerato rege, ipse fugitiuus in intimum se cubiculum abscondat, ne à domesticis & amicis regis interficiatur, quod falso vaticinio regi mortem intulerit. Cum autem nihil de ipsius morte pronunciet, apparet illum tunc mortem effugisse.

Indignãte Achabo.

At Deus qui contra Achabum sententiam mortis protulerat, vt in eam sponte incurreret, negauit impio lumen, quo verum a falso discerneret, nec inclinauit cor eius ad Michæam, ideoque fidem illi non adhibuit, sed iussit illũ deduci in carcerem, partim vt illum nunc è manibus pseudoprophetarum, quorum commouerat bilem, eriperet, ne ab illis discerperetur, partim vt mox reuerso in pace rege, conuictus mendacij merito supplicio afficeretur: interim iubet eum pane tribulationis, & aqua angustiæ sustentari. At Michæas testem appellat populum vniuersum, velle se habere pseudoprophetam, si rex fuerit reuersus in pace; quod erat prius editum cladis vaticinium confirmare. Ascendit itaque vterque rex in Ramoth Galaad. Quamuis autem Achab ex Michææ vaticinio aculeum gestabat in pectore, habebat tamen quadringentos vates suæ expeditionis autores, quibus adhibebat fidem: mirum tamen videtur expeditionis comitem factum esse Iosaphatum, qui prophetis illis abrogabat fidem, Michææ autem adhibebat. An permisit Dominus illum de Michæa dubitare, cui vni quadringenti repugnarent: ne si ipse militiam detrectaret, Achabus, quem Deus ducebat ad victimam, ab incepto resiliret, nec mortem sibi tunc destinatam reperiret.

V. Quã Deus mortem destinarat.

Michæas reijcitur in carcerem.

Regnum expeditionis in Iosaphat.

Cum ventum esset in Ramoth, & idoneo loco castra locata essent, Achab habitum mutauit ne rex agnosceretur, in omnem euentum, vt tanto esset à Michææ vaticinio tutior; simulque Iosaphatum imperio vniuersi exercitus honoraret: fortassis etiam consilium Syrorum didicerat, de vno Israelitarum rege inuadendo. Id enim præceperat Benadab triginta duobus principibus curruum. Non fuit quidem mens Syri plane prohibere eadem Israelitarum, neq, enim ad regem sine multorum propugnantium cæde peruenirj poterat, sed omnia voluit ad illum vnum aut capiendum, aut interficiendum referri. Ea causa fuit cur robur totius hostilis exercitus in Iosaphatum regio cultu ornatum, quasi is esset Achabus, irrueret. Quo in periculo Iosaphat Dominum cum clamore inuocauit. & Syri agnito Iosaphato, auerterunt se ab illo, Achabum, qui latebat, quærentes. Cum gregarius aliquis miles, telum in confertam multitudinem iaciens, nihil minus cogitans quam Achabum, eum Deo sagittam dirigente, confodit, telo per anteriorem armorum commissuram ingresso, & inter scapulas, & ceruicem eius fortiter erumpente.

VI. Achabha bitum in castris mutat, & cur.

Iosaphat periclitatur, & Achab vulneratur

Accepto tam graui, tamque insperato vulnere, dixit rex aurigæ suo, *verte manum tuam, & educ me de exercitu, quia grauiter vulneratus sum.* Non plane voluit exire de exercitu, ne se ille daret in fugam, sed retrocedere aliquantum, vt tutius vulneri remedium aliquod adhiberet. Interim autem *fluebat sanguis plagæ in sinum currus.* Duraruitque prælium vsque ad vesperam, quando mortuus est Achab, & præco intonuit in vniuerso exercitu, antequam sol occumberet, dicens, Vnusquisque reuertatur in ciuitatem & in terram suam; sicque diuina prædictio expleta est, & infelix Achab ad diuinum tribunal raptus est; corpus autem delatum est in Samariam, ibiq; sepultum est. Et lauerunt currum

VII. Exitus & sepultura, & moritur. 3. Reg. 22. 34.

eius

eius in piscina Samariæ, & linxerunt canes sanguinem eius, & habenas lauerunt, iuxta verbum Domini, quod locutus fuerat per Eliam prophetam dicentem. In loco hoc, in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lingent quoque sanguinem tuum. Quæ verba de communi loco, siue regione videntur accipienda, cum constet piscinam Samariæ à fonte Iezrael non parum abfuisse: nisi placet *sanguinem tuum* de filijs Achabi interpretari, quos Iehu postea interfecit, iuxta illud, *Proijce tela manu sanguis meus.*

Interea reuersus est Iosaphat Hierosolymam, Syris nihil ei negotij facessentibus in via, quamuis contra eos in acie pugnasset cum Achabo, Deo ipsum vtrobique protegente. Nec tamen eam culpam Dominus dissimulauit, sed prophetam obiurgatorem misit, Iehu filium Hanani qui diceret, *Impio prabes auxilium, & his quos oderunt Dominum amicitia*, atque adeo affinitate *iungeris. Et ideirco iram quidem Domini mereberis*, pœnam scilicet ex iusta ira profectam, *sed bona opera inuenta sunt in te, eò quod abstuleris lucos de terra Iuda; & præparaueris cor tuum, vt requireres Dominum Deum patrum tuorum*, quem scilicet impius ille deseruit. Vides hic meretedem bonorum operum, etiam in hac vita; quandoquidem ea diuinam vltionem peccatis debitam, à Iosaphato auerterunt. Abstulit autem lucos de Iuda, nihil enim poterat in regno Israelis; sed quæ iam pater eius sustulerat de Iuda initio regni sui, eadem Iosaphat male pullulantia, quantum in se fuit, succidit.

Mortuo Achabo filius eius Ochosias solus regnare cœpit, sed permodico tempore, vt propterea regnum eius sacram chronologiam non augeat, sed biennium eius periodo regni Achabi contineatur, vt ex 3. Regum extremo colligitur. Quin etiam permodico tempore in varias incidit calamitates. Parentis enim mortem, & subditi regis defectionem, & iacturam classis suæ, ruinamque mortiferam deplorauit; id agente Domino, vt vel plagis eruditus resipisceret, vel pœnas paternæ, suæque impietatis luere inciperet. *Fecit enim malum in conspectu Domini, & ambulauit in via patris sui & matris suæ*, colentium Baal, *& in via Ieroboam filij Nabat, qui peccare fecit Israel.* Retinuit videlicet vitulos aureos, eosque coluit. De paterna morte nihil præterea dicimus; nisi quod videatur eum filius magnifica sepultura extulisse, à quo maturius rex factus fuerat, & qui in regni iuribus asserendis fuerat extinctus, regnumque ipsum oppidis ac domibus variè ornauerat.

Quod ad alteram cladem attinet, Moabitæ, qui ab ipso regno Dauidis Hebræis tributa pensitabant, & subsecuta regni diuisione, regibus Israelis seruierunt, sicut Idumæi regibus Iuda, audita Syrorum victoria & Achabi morte, iugum excusserunt: quod erat vectigal centum millium agnorum, & totidem arietum cum velleribus suis. Verum cum mox Ochosias in lectiferam ægritudinem incidisset, arma in eos mouere non potuit; sed id postmodum à Ioramo ipsius fratre, initio regni sui, factum est, vt sequenti anno dicetur. Sequitur iactura siue contractio nauium; ea siquidem Ochosiæ lapsum antecedit, vt exigit Scripturæ ordo narrandi; & ipsa ratio, quæ postulat vt prius illa negotiatio inter vtrumque regem suscepta fuerit, quam grauis hic morbus superueniret; quo durante tantum negotium non suscepterunt.

Conuenit ergo inter duos reges vt classe constructa *nauigarent in Ophir propter aurum.* Sed res tristem habuit exitum, imo principium. Naues enim cursum instituere nequiuerunt, *quia confractæ sunt in Asiongaber.* In ipso videlicet portu, classis, priusquam inde solueret, naufragium fecit. Hanc pœnam tulit Iosaphat, initæ cum Ochozia societatis, qui paulò ante de amicitia cum Achabo reprehensus fuerat. Hoc ergo damno affectus, huiusmodi commercij societatem diremit, quamuis ab Ochozia inuitatus; vt patet ex fine tertij Regum. Mansit tamen amicitia eius cum domo Achab, vt qui postmodum bellum cum Ioramo fratre Ochoziæ contra Moabitas susceperit, vt patet ex quarto regum.

Superest lapsus Ochoziæ per cancellos cœnaculi sui, quod Varablus explicat decidisse in cœnaculum cum deambularet in tecto, per fenestram, qua immittebatur lumen in cœnaculum, quæ fenestra obstructa erat lignis cãcellatim intertextis, quæ labente rege frangi contigit aut aperiri. Ea ruina, conquassato ac contrucidato corpore, ægrotauit Ochosias, adeo vt de recuperanda sanitate dubitaret. Itaque mittit nuncios in Accaron ciuitatem Palæstinæ ad consulendum idolum Beelzebub, quod certiora cæteris oracula fundere fingebat, an desperata esset necne salus eius. Illi dum profectionem parant, Angelus Domini iussit Eliam ijs occurrere, atque arguere, quod omisso Deo Israelis, Beelzebub Deum Accaronitarum consultum irent; cui falso & sacrilegè diuinitatem, & scientiam futurorum tribuerent. *Quam ob rem*, ait Elias, *hæc dicit Dominus, de lectulo super quem ascendisti non descendes, sed morte morieris.* Hæc fuit pœna consulti dæmonis, aut potius voluntatis eius consulendi, quæ totam peccati malitiam continebat, siue tenera leuis fuisset casus, siue grauis, qua de re consule Lector Annales.

Perfunctus munere suo redit Elias in Carmelum, nuncij autem in Samariam. Neque enim erat cur progrederentur, cum certiores facti essent de dubitatione sua. Cum enim audissent illum vltro enunciantem quo irent, licet Eliam non nouissent, eum tamen Dei prophetam esse, & veritatem enunciare recte credere potuerunt; ac similem sibi ipsis pœnam timere, si pergerent. Ergo regressi Eliæ dicta regi cum fide renunciant, eumque ita describunt, vt Rex Eliam agnosceret, eique referret, *Elias*, inquit, *Thesbites est.* Et mirum sanè videtur, Eliam, iam tot annis in regno Israelitarum, torque prodigijs publicè perpetratis celebrem, ab hisce nuncijs, ne de nomine quidem, notum fuisse. Apparet eos fuisse Accaronitas, qui casu fuerint in Samaria, quo tempore decidit Ochosias, eique Deum suum tanquam egregium diuinatorem commendarint, ideoque ad eum de casu regis interrogandum missi fuerint. Dicitur autem *vir pilosus* non solum cæsarie, barbaque promissa crepitarum more, sed villosa etiam veste, quales describit Apostolus, cum ait, *Circuierunt in melotis & pellibus caprinis* quæ erant loco palij; nam interius cilicinam tunicam

1. Reg. 22. 39. Quomodo hic cõueniat Eliæ vaticinium.

4. Reg. 9. 25. & 26.

Vide. Iosaphat rediit in Ierusalẽ, & diuinitus arguitur. 2 Par. 19. 1

Boni operis merces.

Vide an. Iosaph. 2. n. 4.

X. Ochoziæ regnum 4. cladibus breui affectum. 2. 22. v. 1. 2. Achabi morte.

X. 1. Moabitarum defectio. l. 4. Re. c. 3

3. Cõtractione nauium.

XI. Cuius particeps Iosaphat. 3 Reg. 22. 49

cap. 3. 7. 8. &c.

XII. Lapsus Ochoziæ consulit Beelzebub.

Elias nũcijs occurrit.

XIII. Qui redeunt ad regem.

Cultus corporis Eliæ.

Hebr. 11. 37.

tunicam gestasse censet, probatque Tostatus, eò quod sanctus Domini præcursor talem sicut & zonam pelliceam gestarit, quem omne Eliæ vitæ institutum secutum oportuit, vt Elias putaretur à Iudæis.

XIV. Ochosias Eliã accersit semel iterumque. 4. Reg. 1. 10

Ochoiias autem non minus ea denunciatione tristis, quam prophetæ reprehensione iratus, militarem manum ad eum comprehendendum, & ad se adducendam misit, coacturus fortasse ad exorandum à Deo regi vitam. Cumque dux ille militaris Hominem Dei per ludibrium, vt apparet, appellasset, Elias ex peculiari Dei inspiratione, *si homo Dei sum*, inquit, *descendat ignis de cœlo, & deuoret te & 50. tuos*, quod illico factum est, formidoloso vtique planeque horribili spectaculo, si pœnæ acerbitas cum culpæ leuitate conferatur, quorum totum crimen videtur, impio regi obtemperasse. Sed nimirum isti non hanc vnam culpam luebant, nec id vnum Dominus propositum habebat, vt in Annalibus declaratum est. Cum autem primus quinquagenarius, neque Eliam vinctum ad regem adduceret, neque nuncium de re tota mitteret, impatiens moræ alterum nuncium eadem ex superbia in Carmelum misit, qui scitet quid socio factum esset, & eodem cum illo munere, si res ferret, fungeretur; sed eundem hic quoque legationis suæ tortius est exitum, similique cum suis incendio deflagrauit.

Nuncij duo percunt incendio. 2. Reg. 1. & seqq.

XV. Tertius nuncius humilitate seruatur.

Cum autem nec secundis quinquagenarius desiderium regis expleret, iterum misit principem quinquagenarium tertium, & quinquaginta, qui ei parebant. Interea fama iterati prodigij spargebatur, & ad hunc tertium ducem peruenit: quem perterrefecit, vt summa corporis verborumq; humilitate Eliam ad misericordiam flecteret. Eum fuisse Abdiam, Achabi dudum procuratorem putat Ioannes Hierosolymitanus, qui ita erat Aulicus, vt esset nihilominus Eliæ discipulus. Interea locutus est Angelus cum Elia, iussitque adire Samariam cum hoc duce, nihilque formidare. Adijt, & coram moribundo rege carmen illud terrificum iterauit, quod primis Ochosiæ nuncijs dixerat, *de lectulo, super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris.* Ita dictum, ita factum. Mortuus est Ochosias, *& regnauit Ioram frater eius pro eo*, quod liberis careret.

Elias regem adit, qui & mo ritur. 2. 4. Reg. 1. 17.

XVI. Iosaphat inuisit regnum. 2. Par. 16. 4.

Dum hæc in regno Israelitarum gerebantur, Iosaphat è bello reuersus pacificè Hierosolymis habitabat, cum subijt animum eius pia cogitatio inuisendi regni sui, vt si quid, pro humanarum rerum inconstantia, atque infirmitate depraua tum esset ac luxatum, corrigeretur. Et in primis quæ oppida præsertim in tribu Ephraim, ad eius regnum pertinebant, ab omni impietate purgauit, si qua, vt assolet, ex vicinitate impiorum cultorum Baalis, & virularum, irrepserat. Stabilita regione, etiam populi negotia per idoneos magistratus tractari curauit. Iudices enim constituit, eosque officij sui ac timoris Domini diligenter admonuit; Concilium in primis Hierosolymitarum, ad quod inferiorum vrbium causæ deuoluebantur, ad officium exhortatur, alludens ad legem in Deuteronomio latam, vbi sententiæ summi sacerdotis standum asseritur, tanquam in huiusmodi concilio præsidentis, vnde & subdit, *Amarias autem sacerdos & pontifex vester, in ijs quæ ad Deum pertinent, præsidebit.* De politicis vero negotijs addit. *Porro Zabadias filius Ismael, qui est dux in domo Iuda*, id est, princeps in tribu regia, *super ea opera erit, quæ ad regium officium pertinent*, regium videlicet agens procuratorem.

Pietati ac iustitiæ prospicit. 2. 17. 8. 9.

ANNVS MVNDI 3139.

IOSAPHATI 19. IORAMI filij ACHAB 1.

AMARIÆ 2. TEMPLI 117.

OPHRATAN. 20. Imperij Assyr. 1208.

ANTE CHRISTVM 914.

I. Ratio tẽporis.

MEmorabilis est hic annus clarissimi prophetæ Eliæ translatione, & ei supparis Elisæi vaticiniorum ac prodigiorum initijs; alteroque anno secularis ætatis regum Hebræorum, quam ab ineunte Samuelis magistratu exorsi sumus. Habet & principium regni Ioramj, cuius cum Iosaphato celebris est contra Moabitas expeditio, vt mox dicemus. Sed ab Eliæ raptu ducamus initium, quoniam is Moabiticam expeditionem antecessit, in qua fit mentio successoris eius, ipso Elia vltra non comparente; idque ordo ipse narrationis Scripturæ postulat, quem inuertere nihil cogit, & in quo chronologi omnes fere consentiunt. Cum autem Eliæ & Enochi eadem cauta sit pietasque in rebus, quæ de hoc; suo loco dicta sunt à nobis, Eliæ accommodanda sunt. Quæ autem Eliæ sunt propria, in hoc eius transitu, vestigia Scripturæ sectando, videamus.

4. Reg. 2.

II. Quis modus tollendi Eliæ.

Cum ergo leuare vellet Dominus Eliam per turbinem in cœlum, Angelorum scilicet ministerio, excitauit Dominus ventum vehementem, qui mox spiritus Domini appellatur à filijs prophetarum, quem moderabatur Angelus, tum vt ne deficeret vis eius, nisi quando placeret Domino, tum ne in incertũ ferret vt venti solent, sed in locum à Deo destinatum. Tostatus ait huius venti fuisse partes duas, alteram in modum nubis addensatam, & instar ignis rutilantem, itaque densam, vt Eliæ corpus & sustinere posset, & capere, & in modum currus igni circumuolueret: alteram quæ vim impressam acciperet & priorem impelleret, angelo quasi auriga dirigente ad conductum locum. De hac porro translatione sua apparet eum diuinitus præmonitum, cum de ea plerique discipulorum eius varijs in locis habitantes, diuinitus edocti fuerint, quos, vt ait Ioannes Hierosolymitanus, sigillatim inuisit abiturus, quibus & monita salutis dedit, & de spirituali patre ac gubernatore prouidit Elisæo; præsertim in monte Carmeli.

Præmonitus fuit à Deo.

III. Inuisit filios Eliæ coniuncte in Galgalis.

Inde ambo digressi venerunt in Galgala; erat enim religiosus ille locus; ab ingressu Israelitarum in Chananitidem: ibique iam inde à Samuele virorum religiosorum videtur fuisse collegium, ideoque idoneum in quo à Samuele, cum Saule rege, sacrificaretur, & ab ipso fortasis Elia, sicut nuper in Carmelo. Salutatis

ergo

ergo discipulis, qui erant in Galgalis, & ijs Domino commendatis, *ibant Elias & Elisæus de Galgalis*, magistrum enim discipulus honoris atque obseruantiæ causa comitabatur: eum autem à se dimittere cupiebat Elias, dimissionis animi gratia, nolens gloriosæ translationis suæ quenquam habere testem, ne intimum quidem socium, discipulum, ac successorem Elisæum. Ideoque, *sede hic*, inquit, *quia Dominus misit me vsque Bethel.* Erat is quoq; ab antiquo religiosus locus, ibidémque aliud prophetarum collegiũ habitabat. Intelligens autem Elisæus non præceptionem eam esse, sed adhortationem, ne is hunc itineris laborem susciperet, neque ignarus diuini consilij, iureiurando affirmat se eum non derelicturum.

Comitẽ dimittere cupit.

IV. Inuisit Bethel & Iericho.

Cumque appropinquassent Bethel, egressi sunt eis obuiam filij prophetarum, qui cum eos domi solita charitate accepissent, dixerunt Elisæo, Etiam eodem die à Domino ablatum iri. Qui respondit, *Et ego noui, silete*, ne præ vobis feratis vos hoc scire. Cumque inde abiturus esset, neque persuaderet Elisæo, vt subsisteret in Bethel, venerunt ambo Ierichuntem, vbi erat aliud cœnobium prophetarum; neque enim Iosue maledixerat ei qui habitaret, sed qui ædificaret Iericho. Cumque eadem in Iericho, quæ in Bethel, & in Galgalis contigissent, dixit iterum Elias Elisæo, *Sede hic, quia misit me Deus vsque ad Iordanem*, & cum idem responsum accepisset, ierunt ambo pariter, & 50. viri de filijs prophetarum secuti sunt eos, & quidem præter vtriusque voluntatem; cuius rei signum est, quòd steterunt à longe, desiderio videndi finem. Illi autem ambo ad ripam Iordanis subsistebant. Cumque nec pons vllus esset fluuio impositus, neque vadum occurreret, neque nauicula vlla appareret qua trajicerent, tulit Elias pallium suum, & inuoluit in formam oblongam & rotundam, aptam ad percutiendum.

Venit Iordanẽ.

V. Quẽ aperit mirabiliter. 4. Reg. 2. 8

Et percussit aquas, quæ diuisæ sunt in vtramque partem, & transierunt ambo per siccum. Geminum apparet miraculum, primum diuisi Iordanis, consistentibus aquis, quæ ex superiori parte septentrionali fluebant, & alijs ad meridiem citro decurrentibus; alterum in fundo fluuij lutulento statim exsiccando. Etsi autem Elias non legitur hoc loco Dominum orasse ad impetrandum hoc prodigium, id tamen factum fuisse intelligendum est. Non enim in Elia vis erat vlla faciendi miracula, nedum in eius pallio, nisi moralis: autore scilicet naturæ supra naturæ vires operante, ad preces amici sui. In cuius rei signum mox in reditu, ad primam pallij percussionem non est diuisum flumen, nisi post inuocatum Deum Eliæ. Cumque transissent, non sine stupore renouati à tot annis in Iordane miraculi, Elias dixit ad Elisæum, *postula quod vis vt faciam tibi, antequam tollar à te*, in monimentum amicitiæ, & auxilium impositi oneris bene administrandi: par enim est patres filijs suis thesaurizare.

Oratione tacita.

Dat optionem Elisæo. a.m. 3584

555

3539.

VI. Qui petit spiritum duplo maiorem. 2. 2. 2. 3. & seqq.

Dixitque Elisæus, obsecro vt fiat in me duplex spiritus tuus; qua oratione non petijt duas partes, & quasi hebessem spiritus eius, vt quidam Hebraizantes putant, neque gratiam duplicem, prophetiæ videlicet ac miraculorum Eliæ patrem, sed gratiam duplo maiorem ea, quæ in præceptore residebat, vt in Annalibus ostensum est pluribus. Et tanc Eliæ responsio, quæ habet, rem difficilem ab Elisæo postulatam, minus quadrat expositioni de parte spiritus, quam secundæ de toto spiritu; maximè autem tertiæ de eo duplicando conuenit. Nam portio illa poterat communis esse multis prophetarum filijs, qui iam dono prophetiæ donati erant; quippe quibus Eliæ translatio reuelata fuerat. Gratiam autem obtinere Eliæ patrem, quo nemo par ab ipso Mose repertus fuerat in terris, valde difficile. Nam prioribus seculis, nemo fuerat qui arbitratu suo cœlum clauderet & aperiret, & aquas inde flammasque deduceret; nemo qui mortuos excitaret: at longe difficillimum fuit duplo maiorem spiritum obtinere. Itaque non vnum, sed duos mortuos suscitauit Elisæus; nec triennij cum dimidio, sed septennij famem, peccatorum vindicem induxit in terras, aliaque similiter.

Merito igitur dubitauit Elias, tantamne gratiam Dominus concedere vellet Elisæo; eo tamen inspirante sub conditione promisit, *si me videris*, inquit, *quando tollar à te*, nam ipse Elias totus extra se positus, eum vicissim obseruare non potuit. *Cumque pergerent, & incedentes fermocinarentur, currus igneus, & equi ignei diuiserunt inter vtrumque.* Nubes videlicet rutilans in quandam soliditatem addensata, & quasi meteorum quoddam in speciem currus, & equorum igneorum efformata super terram decurrere videbatur versus vtrumque prophetam; & inter vtrumque pertransiens alterum ab altero separauit; & raptus est Elias ab Angelo ad currum igneum, vbi consedit; statimque consurgens ventus vehemens, equos paulatim ac currum è terra extulit, donec ab oculis spectantis & inclamantis Elisæi subducerentur: qui clamor valedicentis fuit, ac testantis se Eliam abeuntem videre, ideoque voti compotem fieri oportere: itaque factum non immerito credi potest.

VII. Quẽ sub cõditione promittit.

Elias auferetur in curru igneo.

Ad eum clamorem nihil respondit Elias, ac ne eum quidem vidit amplius Elisæus, vt qui ad humanæ vitæ consuetudinem non redierit: simulque quasi lugens suam suorumque iacturam atque solitudinem, *apprehendit vestimenta sua, & more lugentium scidit illa in duas partes.* Abijt ergo Elias ex hominibus, & per turbinem ascendit in cœlum, mortis quodammodo, quãuis ea nondum deuicta, triumphator, hac vna re vel maxime commendabilis, quod rebus gestis & multiplici virtutum genere Christi Domini egregius typus fuit. Eius enim cum Christo similitudinem, qualis est bene depictæ imaginis, ad spirantem ac viuam, plerique Sanctorum Patrum, in primisque Sanctus Cyprianus & Augustinus agnouere, scriptisque prodidere: quorum sapientiam atque institutum, non indiligenter opinor, in Annalibus nostris æmulati sumus. Addidimus quoque in sanctissimum hunc atque antiquissimum religiosorum patriarcham Elogium, quasi vitæ epitomen, quæ pius Lector, vt arbitror, non inutiliter consuler.

VIII Nec vltra cõparet.

Typus Christi fuit.

Translatus annus ante Christum 914. *adde inde* 1614. 2548.

Nos interim ad Elisæum regrediamur, qui factus spectator translationis, & quasi triumphi præceptoris sui, nouas erga multiplicem familiam sibi commissam sollicitudine incitatus, ad ipsam regreditur cum pallio, quod Eliæ in

IX. Elisæus cum Eliæ pallio redit ad suos.

currum

currum ascendenti diuina Prouidentia cecideratvt tam Elisæo, quam cæteris Eliæ discipulis innotesceret ipsum in officio, sicut in pallio prophetali, successisse, vbique miraculorum factam esse potestatem, vt qui pallium adeptus esset, quo proximè Elias insigne miraculum ediderat. Recordatus etiam est vocationis suæ, quam eiusdem pallij iniectione, pridem acceperat. Hoc ergo pallium, magni thesauri ac muneris instar, cum iusta veneratione complexus, venit ad Iordanem, & proximi prodigij memor, *percussit aquas, & non sunt diuisæ*, non vtique propter eius dissidentiam, alioqui ne secunda quidem percussione diuisilet. *Qui enim hæsitat*, ait Iacobus, *non existimet quod accipiat aliquid à Domino.* Sed, vt ait Tostatus, ne nouus propheta spiritu prophetico recens accepto, cuipiam vanitati & inani lætitiæ succumberet, si illico fluuius scinderetur; sed vt ad Deum oratione recurreret, Eliæ merita imploraret, quibus id miraculum tribueret.

Secunda percussione Iordanem aperit, & cur.

X. Accipitur à filijs prophetarum vt pater ac magister.

Nec minus propterea apud suos autoritate aut virtutis opinione valuit. Honoratur enim ac suscipitur primo à filijs illis prophetarum, qui eos à longe secuti fuerant, quique ex editiore aliquo loco prope Iericho, miraculum aspexerunt, dixeruntque, requieuisse spiritum Eliæ super Elisæum. *Et venientes in occursum eius, adorauerunt eum proni in terram.* Magna quippe illi viro veneratio debebatur, qui tanti a Deo miraculi potestatem accepisset, & quem suum ipsi superiorem, & spiritalem patrem agnoscerent, in eius pallio, qui prius eodem officio fungebatur. Sed & putarunt sui esse officij eundem perquirere; quod cum ab Elisæo extorsissent irrito labore post triduum domum redierunt in Iericho, vbi tantisper substiterat Elisæus. Permiserat autem inquisitionem, ne illi forte suspicarentur, Elisæum, ambitione tactum, nolle Eliam ad suos reuerti.

Qui frustra triduo Eliã quærunt.

XI. Interim sanat aquas Iericho. c. 19.

Triduo verò illo, dum suos, qui ibi habitabant prophetas, ac religiosos consolatur, atque exhortatur ad perfectionem (Nam hoc decimo nono Iosaphati anno Elisæum cœpisse pascere Israelem, vsque ad decimum annum Ioas scribunt Hebræi in Seder Olam) Ierichuntini ciues videntes eum Eliæ successisse, & gratia miraculorum præditum, eum rogarunt, vt qui tantum miraculum in aquis fecerat, beneficum se, in sanandis ipsorum aquis, præberet. Erant enim in eo oppido quædam aquæ amaræ, & propterea terra circumposita sterilis, neque enim sterilitas, de qua conqueruntur, de toto Ierichuntino agro accipienda est, cuius habitationem ipsimet optimam fatentur, sed de ea terræ parte, quæ id vitium, ex aqua noxia præterfluente qua imbuebatur, contrahebat. Optatam ergo salubritatem, iniecto in fontem sale, aquis in perpetuum confert, easque etiam meliores reddit, simulque sterilitatem à terra depellit.

XII. Illuditur a pueris.

Ascendit autem Elisæus ex Iericho, quæ erat in campestribus, in oppidum Bethel, *cumque ascenderet per viam, pueri parui egressi sunt de ciuitate, & illudebant ei, dicentes. Ascende calue, Ascende calue.* Erant pueri isti, quamuis parui, doli ac malitiæ capaces, qui putarent calui rem esse aliquid exprobrabile: plerosque certe illud tibi pudori ducere indicio est, quod pileolo, aut ementita cæsarie illud obtegant. Puerili quoque petulantia offensus est Elisæus, *& maledixit eis in nomine Domini*, id est, inuocato Dei nomine, pueris à Deo punitionem experijt, quæ in parentes, qui ad huiusmodi licentiam patiebantur in pueris, redundaret. Neque abfuit ab hac petitione diuina inspiratio; quoniam Deus contemptum sui, in propheta suo volebat vlcisci. *Ergo egressi sunt duo vrsi de saltu*, qui facto celeriter modo in hos, modo in illos impetu, *lacerauerunt ex eis quadraginta duos pueros.* Sic docuit Dominus, quantum tibi displiceat illata seruis suis cõtumelia, quamque eam seuerè aliquando in grandioribus vlturus sit, quam tot puerulorum, leuitate magis quam malitia peccantium, terribili laceratione iudicauerit esse puniendam.

Qui ab vrsis lacerantur iuxta Dei iudicio.

Abijt autem inde Elisæus in montem Carmeli, locum ordinariæ habitationis suæ, suos, qui eum montem incolebant, visitaturus, & de amisso Elia consolaturus. In transitu autem hospitio Sunamitidis est vsus, vt sequenti anno dicetur, *& inde reuersus est in Samariam*, quo eum Spiritus Domini ducebat, vt imminenti contra Moabitas expeditioni adesset, & Hebræorum regibus opem ferret. Dum enim hæc fiunt, Ioramus rex Israelis, post duorum regum eodem anno funera, & iusta parenti & fratri persoluta, contra fœdifragum Moabitam arma quamprimum parat; regisque Iudæ, & Idumæorum copias auxiliares corrogat. Quæ priusquam à Scriptura narrentur, præmittit aliqua de moribus eius, quod licet idolis adhæserit, Achabo tamen & Iezabele melior fuerit, vt qui statuas Baalis, à patre introductas abstulerit, quod difficillimum facu videtur fuisse, viuente adhuc Iezabele. Id autem ei persuasum videatur a Iosaphato, alioqui recusante illi millitare auxilium, vt qui nuper ob datum patri eius auxilium reprehensus fuisset à propheta Iehu.

XIII. Abit in Carmelũ & Samariam. 4. Reg. 2. 25.

Ioramus parentibus melior.

2. Par. 19. 2.

Eam ergo præbendi auxilij conditionem videtur Iosaphatus obtulisse, si Ioramus idolum Baal è medio tolleret; sperans se illum paulatim ad Dei cultum penitus traducturum. Eam conditionem cum Ioramus accepisset, factus est illi Iosaphat armorum socius, cum stipendiario tuo protege Idumæorum; *Non enim erat tunc Rex constitutus in Edom*, qui tamen mox dicitur Rex. Accedebat quoque illa ratio suppetias afferendi Ioramo, à quo tributarius Moabita defecerat. Prudenter enim vidit Iosaphat rem hic suam agi; si enim Moabita defectionem impunè tulisset, illico Idumæus Iudæ tributarius, eius exemplum secutus fuisset. Cum autem de via dubitarum esset, qua hostem adoriri placeret, vel transmisso ad Galgalam Iordane per tribum Ruben, quod erat iter expeditissimum, vel per Idumææ desertum, hac potius ire placuit, vt ex itinere commilitonem acciperet Idumæum, & simul regno suo parceret; exercitus enim non pertranseunt regionem innoxij. Denique vt sic hosti insperati superuenientes, eum facilius opprimerent.

XIV. Vt tollat Baal.

Cur ei Iosaphat opem tulerit. 3. Reg. 22. 48.

Cum ergo septidiio per desertum itum esset & siti laborarent exercitus, de Domino Ioramus impie, ac stolidè queritur: nam huic necessitati prudenter ab eo prouisum oportuit, nec de cunctis à Deo sperare auxilium, & prouidentiam

XV. Siti labo rant exercitus.

Cui prouidet Elisæus.

ingularem, hominem Deo inimicum, & vitulorum profanum cultorum. Iosaphat autem cum censuisset consulendum Deum, & didicisset adesse Elisæum, qui nuper fundebat aquam super manus Eliæ, tres eum reges adeunt, nec imperiosè vt Ochosias accersunt. Obiurgatur nihilominus Ioramus à propheta, & contemptim repellitur; in gratiam tamen Iosaphati, optimi principis, iussit psaltem ad se adduci, qui aliquid ad Dei laudem ex psalmis Dauidis caneret, *Cumque caneret psaltes*, spiritu prophetico afflatus est Elisæus, iussitque in arido torrente plurimas fieri fossas, quas Dominus, ad potandum exercitum, mox repleturus esset aquis, insuper & victoriam de Moabita daturus, tantam vt cunctis vrbibus cladem, regioni vastitatem essent illaturi.

XVI. Moabitæ occurrũt Hebræis.

Ergo mane facto, hora matutini sacrificij aquæ ad exercitum defluunt, & fessæ, ad eas excipiendas præparatæ, replentur aquis, & videlicet præsenti hominum ac iumentorum necessitati sit satis. Interim Moabitæ audito aduentu hostium, se in regni finibus ad pugnam parant. Ibi cũ vidissent aquas sole aduerso rutilantes, mutuam hostium cædem suspicati sunt; itaq; ad eos confertim, nullo ordine, tanquam ad certam prædam, non ad pugnam, concurrerunt; quo faciliorem de se præbuere victoriam. Ab Hebræis enim cæsi sunt, & late vastata regione, in vrbem regiam cuius erant muri lateritij, totum belli pondus incubuit. Itaque cincta est fundibularijs ciuitas, qui saxorum grandine propugnatores e muris deturbarent, dum sui muros quaterent atq, diruerent, perque ruinas in ciuitatem confertim irrumperent.

Vincuntur vastantur, obsidentur.

XVII. Rex filiũ desperatione rerum immolat.

Quod cùm Moabita præuideret, assumptis secum septingentis viris, facto impetu erumpere atque elabi conatus est, qua parte rex Idumæus obsidebat vrbem, sed irrito conatu. Nam in vrbem repulsus, rem extremæ desperationis aggreditur. Arripiens enim filium suum primogenitum, qui regnaturus erat pro eo, obtulit holocaustum super murum, siue ad extorquendum auxilium à dijs suis, quibus talia sacrificia grata erant, siue ad impetrandam ab Israelitis commiserationem. Propterea enim non seorsim in aliquo fano, sed in muro, in oculis omnium eum iugulauit, atque incendit. Nec frustra, commiseratione enim tacti, obsidionem soluerunt. Doluerunt videlicet se miserum regem, ad huiusmodi necessitatem ac desperationem perpulisse, quasi in ipsos pars aliqua tanti criminis redundaret; & ille vicissim videretur satis graues luisse pœnas defectionis suæ, regni totius vastitate, & cæde primogeniti sui. Itaque obsidione soluta, reuersi sunt in suam quisque regionem.

Soluitur obsidio.

ANNVS MVNDI 3140.

IOSAPHATI 20. IORAMI

ISRAELITÆ 2.

AMARIÆ 3. TEMPLI 118.

OPHRATANIS 17. Imper. Assyr. 1209.

ANTE CHRISTVM 913.

I. Ratio tẽporis miraculorũ Elisæi.

DVobus insignibus Elisæi miraculis nobilitatur hic annus, multiplicationis olei in gratiam pauperculæ viduæ, & depulsæ sterilitatis ab honesta matrona; cuius postea filium insigniori etiam miraculo à mortuis excitauit. Hæc autem prodigia posteriora esse bello Moabitico, cùm alia, tum series ipsa sacræ narrationis ostendit: quæ ipsa requirit vt miraculum multiplicati olei, matronæ conceptum antecedat; sic vt natiuitas pueri in tertium Iorami Israelitæ annum cadat, septimus autem peregrinationis matronæ in eiusdẽ regis duodecimum vt explicatius habetur in Annalibus, & chronologia Scripturæ postulat. Nec ea multiplicatio prius ponenda fuit, vt sit tempus aliquod, quo tempore pauperis viduæ vir Elisæum, post translationem Eliæ, frequentarit; vt non Eliæ, sed Elisæi seruus dicatur. Potuit autem didicisse mulier gratiam ab eo præstitam Ierichuntinis, in eorũ aquis sanandis, & toti exercitui siti laboranti. Ergo sperauit ab eo viro misericordiam erga pauperem, ipsique addictam familiam suam, qui erga tot impios, ignotosque, beneficum se ac misericordem præbuisset.

II. Circa viduã obæratã, eius oleo multiplicato.

Hanc porro viduam fuisse vxorem Abbiæ procuratoris regij, Achabo regnante, plerique duce Iosepho crediderunt, quos falli putamus, vt docemus in Annalibus. Hæc ergo vidua, non regij procuratoris, sed prophetæ pauperis, & obærati, clamauit ad Elisæum, opem postulans, ne filij sui in seruitutem à creditore raperentur. Nõ tamen vt serui, aut mancipia fierent, amissa libertate; sed famuli, & mercenarij, dum debita à parente contracta dissoluerentur. Neque enim Hebræi ex lege vendebantur, nisi debitum ex delicto contractum esset. Cumque propheta intellexisset eam nonnihil olei habere apud se, quantulum sufficeret vngendæ semel faciei, vel capiti; iubet illam plurima vasa corrogare à vicinis, in eaque infundere oleum ex lecyto suo iugiter manante. Quod cum factum esset, quãdiu vasa vacua reperta sunt: *Vade*, inquit propheta, *vende oleum, & redde creditori tuo* quod illi debetur, *Tu autem & filij tui viuite de reliquo*. Atque ita vno eodemque miraculo & iustitiæ, & misericordiæ benignissimè prouisum est.

Abul. q. 5. in cap. 4. Regum.

III. Circa matronã Sunumitem.

Cum autem per Sunam de more transiret (quæ vrbs erat in tribu Issachar, quam adibat homo Dei, iter faciens de Carmelo in Iericho, aut Bethel, aut Galgala, inuisens subiecta sibi collegia prophetarum) insignis quædam mulier tam probitate quam opibus, viro persuasit vt cœnaculum sua supellectili instructum præpararent, quo virum Dei, illac sæpius transeuntem, hospitio acciperent: quod vbi crebrius

factum

factum esset, Elisæus, pro suo gratitudinis studio, mulierem accersitam rogat, per famulum suum Giezi, num qua te propheta impera, gratiave egeat apud regem; quod cum illa negaret, Ne quæras, inquit Giezi, quid illa velit, cum filium non habeat, & vir eius sit senex, ideoque spe prolis careat, nisi diuinitus ei opem feras. At propheta, Deo celeriter pro eius fœcunditate exorato, filium ei spondet, intra tempus quod conceptioni gestationique necessarium est. Norat enim bis dare, qui cito dat.

IV. Cui obtinet filiū à Deo.

Hic vehementer exhilarata mulier, & promissi auidior quam certior. *Nolī quæso*, inquit, *Domine mi, vir Dei, noli mentiri ancillæ tuæ.* Timebat enim ne non prophetice prædiceret, sed eius exhilarandæ gratia filium ei polliceretur; cuius tamen confirmandæ causa promissionem ipse per se, non per famulum suum pronunciarat. Nihilominus promissionis veritatem res ipsa docuit.

Nascitur anno sequenti.

Proximo enim anno, qui fuit Israelitæ Iorami tertius, nascitur infans Sunamiti, miraculo genitus, & maiori etiam miraculo destinatus. At filius Achabi, matris artibus superstitionis suæ tenax, spem Iosaphati, & Elisæi, & omnium bonorum eluit. Ideoque mox eum Dominus, cum toto regno suo grauissima fame, aliisque malis exercuit.

ANNVS MVNDI 3143.

IOSAPHATI 23. IORAMI ISRA. 5.

AMARIÆ 6. TEMPLI 121.

OPHRATAN. 20. Imperij Assyr. 1212.

ANTE CHRISTVM 910.

I. Ioram ludæus bis viuo patre nominatur rex.

RAtionem temporis satis hoc anno impediram, & accuratius in Annalibus explicatam, hic breuiter sic expedio, Ioramus Iosaphati filius bis viuo patre nominatus est rex, primū quidem cum is cum Achabo ad Syriacum bellum profectus est, qui & filium suum Ochosiam, regem se absente agere voluit, ita vt ambo proreges potius, quam reges dici possent: cum neuter rex depositisset regni administrationem. In eo bello Achabo mortuo Ochosias vere & proprie rex fuit in Israele. At in Iuda reuersus Iosaphat regnum de more administrauit, Ioram filius eius quieuit. Quia tamen collata prius dignitas verbo sublata non fuit, propterea & secundus illius annus in Scriptura memoratur. Quid est ergo quod 4. Reg. 8. dicitur filius Iosaphati regnasse anno 5. Ioramī filij Achabi, qui præsens annus est, quasi nunc primum regnare cœperit? Nimirum Iosaphatus cum iam annum vigesimum tertium in regno ageret, eum regni collegam esse voluit, non proregem; ideoque ab hoc anno verius regni eius anni à Scriptura memorantur, dicturq; annis octo regnasse, qui potuit dici regnasse quatuordecim. Collegā dixi, quia pater eius adhuc biennio regnauit: nam eū 25. annis regnasse ex ipsa Scriptura constat.

4. Reg. 1. 17 v. 16.

4. Reg. 8. 17 2. Par. 21. 5 3. Reg. 22. 42 & 2. Par. 20. 31.

Hic porro annus, qui est ab ingressu in Chananitidem 560. idē est sabbaticus ordine octogesimus, quo anno bellum à Moabitis & Ammonitis contra Iosaphatum conflatum est, quod 2. Paral 20. fusè narratur, quod in hunc ipsum annum refert chronicon Hebræorū. Id à Moabitis videtur excitatum, quod ante annos quatuor, cum Ioramo Israelita militans, eos maxima clade, nihil ab eis læsus, affecerat, ideoque incredibili vindictæ cupiditate ardebant. Iis facile fuit Ammonitas habere commilitones, fœderatos semper & socios, & ab antiquo fratres. Tertij fuerunt Idumæi, authore Hieronymo, ipsaque Scriptura, quæ quos vocarat initio Ammonitas, mox ostēdit fuisse incolas montis Seir; qui sub armis Ammonitarum latere cupiebant, metu Iosaphati, cuius erant tributarij. His spe libertatis iniecta à Moabitis & Ammonitis, se eis adiunxere: & ex improuiso inuasere Iosaphatum, vt illi ægrè subditorum arma contraherē, nedum externa auxilia implorare liceret. Congregati porro sunt in regione Engaddi, iuxta Mare mortuum.

II. Annos Sabba. & Bellum contra Iosaphat, eius autores & causæ. Sedit. O lam c. 17 v. 10. 22. 45.

Quæ cum Iosaphato nunciata essent, timore perterritus, totū se cōtulit ad rogandum Deum, sed & populo suo indixit ieiunium, ad quod accessit publica & communis oratio, ad nouum templi atrium, vbi rex tam suo, quam populi sui nomine de inimicis suis queritur, opemque implorat. Nec frustra. Suscitat enim Dominus Leuitam qui eum consolatur, & de illis victoriam, se vno repugnante, promittit. Id vaticinium Rex populusq; vniuersus grata atque humili adoratione excepere. *Cumque mane surrexissent, egressi sunt* obuiam hosti *per desertum Thecue*, quod duobus milliaribus distat à Bethleem orientem versus, ibique rursum Iosaphat suos monet, de suscitanda in Deum fiducia, & in fronte exercitus constituit cantores, qui *voce consonā dicerent, Confitemini Domino, quoniam in æternum misericordia eius*, ex Psal. 135. aut 105.

III. Iosaphat cum suis ad Deum recurrit.

Cumque cœpissent Leuitæ *laudes canere*, & sacerdotes personare tubis, vt ait Iosephus, cum longius adhuc abesset hostis, cœpit Dominus pugnare pro eis. Nam *vertit insidias eorum in semetipsos, & pertussi sunt.* Id quomodo contigerit, in tanta Scripturæ breuitate, difficile est intelligere. Apparet eos, audito Iosaphati aduentu, idoneo in loco ei struxisse insidias, in quas alij de eodem hostili exercitu temere illapsi, creditique hostes pugnatum est; dumque alij alijs vtrinque superueniunt, non prius pugnare destiterunt, quam Idumæi profligati cecidissent. Ammonitæ enim & Moabitæ aduersus eos insurrexerunt, rati fortasse eos fauere Iosaphato, *& deleuerunt eos. Cumq; hoc opere perpetrassent, etiam in semetipsos versi*, rixa aliqua temerè suborta, *mutuis concidere vulneribus.* Atq; ita priusquam ventum esset ad manus, debellatum est. Quare ex colle aliquo à Iudæis cognita, venerunt ad detrahenda spolia mortuorum, cæteramque prædam, quam vix triduo auferre potuerunt.

IV. Hostes ipsi conficiunt.

Hæc dum agerentur in regno Iudæ, Elisæus in Israele mirabilia faciebat. Cum enim creuisset filius Sunamitis, tertiumque annum ageret, delatus est ad patrem, qui cum messoribus erat in agro, vbi feruenti solis radio tactus, male habere cœpit, & delatus ad matrem, pro suo in vnigenitum amore, posuit eum super genua

V. Filius Sunamitis moritur.

sua, vsque ad meridiem & mortuus est. Infuditque illico Dominus in eius animum spem resurrectionis operæ Elisæi. Ad quam aditura, puerulum mortuum collocat super lectulum viri Dei. Et dissimulata morte ne senex de morte vnigeniti nimium afflingeretur, petit ab eo commeatum excurrendi cum famulo & asina vsque ad Carmelum. Quo impetrato, profecta est ad virum Dei. Quam cum appropinquantem vidisset ex colle vir Dei, causæ ignarus misit famulum in occursum eius, sciscitatum an recte ageretur circa se, aut circa virum suum, aut filium, quæ verita ne dimitteretur ex via, cum ironia respondit: *Recte*. Et venit ad montem, & se ad pedes viri Dei abiecit: quam cum Giezi amouere vellet, *dimitte illam* inquit propheta, *anima enim eius in amaritudine est*; eamque ex ipso vultu colligebat, quam illa vltra non componebat ad hilaritatem, sed ad mœrorem & luctum, conciliandæ misericordiæ causa.

Quæ adit Elisæum.

VI. Et apud eum lamentatur.

Cum autem negaret propheta rem sibi diuinitus reuelatam, mulier quæ adhuc tacita iacebat ad eius pedes, & lacrymis, singultibusque loquebatur, calamitatem suam, abrupta oratione prodidit: *Nunquid* ait, *petiui filium à Domino meo? Nunquid non dixi tibi ne illudas mei?* Quasi dicat, satius fuisset non genuisse filium, quam eo tam breui tempore priuari. Sperauisse se beneficium vltro oblatum & confessum, constantius ac diuturnius fore. Illusam se in expectatione sua, & vna cum filio suo, omnia sibi gaudia, omnia desideria concidisse. Hic Propheta miseratione commotus erga hospitem suam iubet famulum suum Giezi celeriter abire cum baculo suo, & imponere super corpus mortui, si forte velit Dominus vti eo instrumento ad miraculum, vt olim virga Mosis, & nuper Eliæ pallio in aperiendo Iordane, cupiens id prodigium non sibi aut famulo suo, sed vni Deo tribui. Ergo Giezi celeriter antecedit. At mulier prophetam exorat, vt veniat secum ante reditum famuli: cui redeunti occurrunt, discuntque non surrexisse puerum, neque vllá vitæ argumenta præbuisse.

VII. Ceremoniæ prophetæ in suscitatione pueri. 3. Reg. 17. 20.

Itaque Sunam vsque progrediuntur, & ingressus est Propheta in cœnaculum suum; in quo puer iacebat mortuus super lectum eius: clausitque ostium super se, & super puerum, vt posset semotis arbitris puero incubare, & calefacere corpus eius. Ordo rei gestæ hic fuit. Primum preces ad Deum fudit impetrandi causa miraculi, vt Elias in negotio simillimo. Secundo ascendit super lectum, in quo iacebat puer, & incubuit super eum, donec calefieret caro mortua à viuente. Id autem consecutus est ponendo os suum super os eius, atque inspirando, vt habent Septuag. & oculos suos super oculos eius, & manus suas super manus eius. Vtique non simul, sed alternatim; nam membra membris non congruissent. Tertio cum satis diu procubuisset super mortuum, adeo vt calefieret cadauer, descendit è lecto, & inambulauit per cubiculum, Deum orans pro suscitatione pueri. Et vno atque altero spatio confecto, rursum ascendit ad lectum, iterumq; puero incubuit vt prius: idem sæpius facturus, donec puer aliqua vitæ signa ederet, ad quæ calefectio disponebat.

VIII. Cur Deus

Deus autem qui iuxta arcana prouidentiæ suæ consilia modo celerius, modo tardius ex audiebat sanctorum suorum preces, Elisæum ad secundam orationem exaudiuit; qui etiam pro Sarepthanæ viduæ filio, vsque ad tertiam orationem, voti compotem non fecit. At autem Abulensis vtrumque in miraculis quæ publice in fidei confirmationem faciebant, illico exauditum fuisse, ne populi fides infirmior vacillaret; priuatim autem vbi aberat id periculum, Deum, vt humiliores & feruentiores ad orandum redderet seruos suos, non statim eos voti compotes fecisse. *Et osculauit*, siue sternutauit, vt alijex Hebræo vertunt, quidam, singultiuit *puer septies, aperuitque oculos.* Quæ recuperatæ vitæ signa minimè vacant mysterijs; sed ea persequi, alterius est otij, & instituti. Vbi autem se exauditum vidit propheta, puerumque viuere, gratias, vt par erat, egit Deo, puerumque reddidit matri suæ, & ne ibi laudes suas, & gratiarum actiones audiret, muliere de imminenti septem annorum fame prænonita, *reuersus est* ad cœnobium suum *in Galgala*, Iordanem versus.

IX. Reuersusne sit Elisæus in Galgala, an in Carmelum.

At quomodo dicitur Elisæus reuersus in Galgala, & non potius in Carmelum, vnde fuerat euocatus? Apparet inter excitationem pueri, & monitionem mulieri factam de imminenti fame, tempus aliquod, vnius fortasse vel alterius mensis, intercessisse, intra quod vir eius senex mortuus fuerit. Si enim ille vixisset, viro, qui familiam regebat, non mulieri dixisset, vt peregrè proficiscereturcum vxore sua, & filio. Ergo Elisæus excitato puero rediit statim ad dilectum sibi Carmelum. Et post vnum alterumue mensem, Sunam transiens, inuenit patremfamilias defunctum: ideoque Sunamitidem monuit de peregrinatione suscipienda, ad famem, quæ inceptabat declinandam; ab illa autem admonitione reuersus est in Galgala. Fames autem ipsa sequenti anno initium habuit, ad quem hæc admonitio referri potest.

X. Mors Homeri poetæ, c. 55. n. 34. 35. 39.

Cadit in hunc annum, qui est 272. ab excisa Troia, Mors Homeri, qui idem est 160. ante Vrbem conditam, vt tradit Solinus, quæ duæ annorum periodi conficiunt 432 annos, quos Halicarnassensis inter casum Troiæ & Romæ ortum numerat. Quia tota de re vide Annales nostros cum scholis in hunc locum, vbi reperies ex Herodoto mortis Homericæ rationem. Annus porro 160. ab excisa Troia, fuit natalis Homeri. Vixit enim centum & quatuor annos.

ANNVS MVNDI 3144.

IOSAPHATI 24. IORAMI ISR. 6.

AMARIÆ 7. TEMPLI 122.

OPHRATANIS 21. Imper. Assyr. 1213.

ANTE CHRISTVM 909.

I. Primus annus famis.

IOrami regis Israelitarum annus 6. primus fuit septennij famis ab Elisæo prænunciatæ, qua Deus & regis & populi Israelitici peccata, & maxime continentem idololatriam, vel emendare voluit vel punire. Nam fames hæc non videtur vltra regnum decem tribuum progressa,

ANNVS MVNDI 3145.

IOSAPHATI 25. & vlt.

IORAMI ISRAELITÆ 7.

AMARIÆ 8. TEMPLI 123.

OPHRATAN. 24. Imperij Assyr. 1214.

ANTE CHRISTVM 908.

SEcundo Israeliticæ famis anno mortuus est Iosaphat rex Iuda. Hic est enim vigesimus quintus regni eius, & ætatis sexagesimus. Nam 35. erat annorum, ait Scriptura, cum regnare cœpisset, & 25. annis regnauit in Ierusalem. Fuit is in clarissimis ac laudatissimis Christi Domini progenitoribus regibus Iuda, cuius pro pietate ac religione zelus à Scriptura celebratur. Qua in re etiam patrem suum Asam, virum quoque valde egregium, & à sordibus idolorum immunem, superauit; vt qui fiduciam assumpsit pro Domino, ad excelsa superstitioni dicata demolienda, qui reliquias effœminatorum erasit, & populum suum vniuersum in diuina lege erudiendum curauit. Itaque Deus illum diuitijs & gloria inclytum reddidit, bello fortem ac fortunatum diceremus, si ea quoque fortunata fuisset, nec habuisset bonus princeps primogenitum, qui cum fratribus instar patris esse debuisset, eis instar tyranni ac tortoris fuit.

I. Secundus annus famis. & mors Iosaphati. 3. Reg. 22. 42. & 2. Par. 20. 31.

Laus eiusdem.

Cæterum quæ deinceps in Scripturâ ponitur historia Naamanis Syri ad vltimum Iorami annum pertinet, vt suo loco docebimus. Cætera Elisæi miracula nullam suggerunt notam, ex qua certum annum, quo facta fuerunt, conijcere possimus. Nam quæcunque ad Elisæum pertinent, continenti serie Scriptura pertexuit. Apparet tamen intra septennium famis contigisse, quæ cap. sexto & septimo continentur. Nam octauum famem iam finitam ponit, sicut & quintum, quod est de Naamane Syro. Huc ergo pertinet prodigium ferri aquæ innatantis. Nam vt obseruauit Abul. frequentia illa prophetarum, quæ hoc tempore confluebat ad Elisæum, & angustam reddebat habitationem, index est egestatis, qua sæuiente religiosi ad Elisæum, tanquam communem parentem vndique conuolabant, vt ab eo vel diuina subsidia, per miracula; vel humana, per eximiam eius apud omnes gratiam, consequerentur, & promissam Deo paupertatem facilius ferrent. Vide quæ in Anal. ex Hieron. Theodoreto & Ioanne Patriarcha retulimus.

II. Ratio tēporis.

n. 5. & 6.

Apparet autem nunc quoque habitasse Elisæum in Galgalis, vbi duo illa miracula ediderat, sublatæ amaritudinis, & multiplicatorum panum, neque enim alio profectus legitur. Ibi ergo *filij prophetarum dixerunt ad Elisæum. Ecce locus in quo habitamus coram te angustus est nobis. Eamus vsque Iordanem, & tollant singuli de silua materias singulas.* In Hebræo & Græco est vnusquisque *lignum vnum, vt ædificemus nobis ibi locum ad habi-*

III. Elisæus ad Iordanem. 4. c. 6. n. 1. &c.

randum

nec Iudæam, neq; Palæstinam attigisse, vbi diu peregrinata est mulier. Idque innuit propheta cum ait Deum vocasse famem, eamque esse venturam super terram: vt intelligatur præter naturæ ordinem in peccatores istos immissa: ex Sunamitis enim historia intelligi potest, terram parcè quidem, & malignè fruges protulisse, nonnullas tamen produxisse. Alioqui rex post septennium non iussisset reddi Sunamiti vniuersos reditus agrorum, à die qua mulier reliquerat terram, vsque ad illud tempus. Quoniam vero non constat quoto famis huius anno contigerit geminum illud miraculum, quod mox ab excitato puero Sunamitis narratur, Scripturæ ordine seruato, vtrumque ad hunc annum, & famis huius initia, referemus.

4. Reg. 8. 1. Cuiusmodi ea fuerit.

4. Reg. 4. 38.

II. Elisæus in Galgalis edit miraculum.

Cum ergo inualesceret fames, Elisæus profectus est in Galgala, vbi habitabat familia vna discipulorum eius, vt eos inuiseret vt magister, & super communi malo famis consolaretur vt pater: aut vt eis leuamentum aliquod afferret, vt propheta, & vir Dei, à quo apparet eum ad hoc iter incitatum. Cum ergo mandasset vni de discipulis suis, vt herbas in agro colligeret, in offam filijs prophetarum, iam enim hortenses defecerant: isque inuenit quasi vitem syluestrem, & in ea cucurbitas agrestes, quas vocant colocynthidas, quas cum concidisset, & misisset in ollam ratus esse cucurbitas, & post coctionem infudisset socijs, tantam senserunt omnes gustando amaritudinem, vt clamarent omnes, *mors in olla vir Dei*, quasi venenum iniectum esset in lebetem. Hic propheta missa in ollam farinula, summam amaritudinem ingenti miraculo absterfit. Vix enim magna farinæ vis paululum colocynthidis, quam ob amaritudinem fel terræ appellant, emendare potuisset; nedum quantum paratum erat centum viris.

Circa agrestes cucurbitas.

III. Et multiplicatis panibus.

Accessit & aliud miraculum. Quidam enim vir tulit ad virum Dei panes primitiarum hordeaceos numero viginti, & frumentum nouum in pera. Non multum fuit frumentum, quod in pera ferri poterat. Acceptum munus Elisæus in communem impendit vsum; erat enim illis mensa communis, vt religiosis viris. Cumque minister miraretur tantulum cibi apponi centum viris, iussit nihilominus propheta illis apponi; qui commederunt omnes, & saturati sunt, & Domino multiplicante, reliquiæ superfuerunt, in perspicuam figuram miraculi tanto post à Christo Domino semel iterumque perpetrati. Hinc autem apparet Elisæi, cæterorumque prophetarum paupertas, & quidem vltrò suscepta, vt ex Theodoreto in Annalibus ostendimus.

Mat. 8. Ioan. 6.

g. 19. in 4. Reg.

randum. Nolunt sua dilatare tuguria, sed nouæ ad Iordanem coloniæ parare domicilium, vt reliqui in Galgalis, in Iericho, in Bethel laxius habitarent. Profectionem non permittit modo prophęta, sed rogatus proficiscitur cum eis, siue ad designandas illis colonias, easque benedicendas, siue ad animandos præter tia sua operatios ad laborem. Accidit autem dum vnus eorum materiam succideret, vt securis de manubrio fugiens demergeretur. Quam iacturam cum is lamentaretur, quod securim mutuo accepisset, nec haberet vnde Domino faceret satis,

IV. Securis ex aquis enatat.

Misericordia motus homo Dei, indicato sibi loco vbi ceciderat ferrum, præcidit ipsemet lignum, aptauitque vt esset manubrium, & proiecit in aquam. Ex quo geminum consecutum est miraculum; alterum quod manubrium rectà incidit in foramen ferri, eoque sponte se induit; alterum quod manubrium fecit natare ferrum. Vnde Tertullianus lib. 3. contra Marcionem.

Demersum fluuio reuauit virga securim.

An opè Angeli.

Itaque vtrumque præter naturam accidit, vt & quod leue erat mergeretur, & quod erat graue, aquis innataret. Potuit tamen res tota, sine alio miraculo, vnius Angeli ministerio perfici; qui proiectum lignum apprehenderit, in fundum detulerit, ferro inseruerit, in altum euexerit, & securim ibi fluitantem sustentatit, dum eam lignator acciperet. Eoque modo rem contigisse putat Abulensis, vtiq; admodum probabiliter.

in hunc loc.

V. Eliszus sæpius patefacit Syrorum consilia. *Achabi* 18. & 19.

Sequitur alterum Eliszi miraculum, quod in occultorum reuelatione consistit. Cum enim Syri infesto essent animo in Israelitas, à quibus magnis fuerant affecti cladibus, ante annos decem, & ingenti cum dedecore supplices Achabo facti, hoc dedecus & illam cladem obliterare cupientes, Rex eorum Benadab, cum aulicis suis, concilium inijt de insidijs certis in locis collocandis, vt illic ex insperato Israelitas inuaderent, initi inter se fœderis immemores. Misit itaque vir Dei, qui diuinitus de hoc Syrorum consilio eductus fuerat, ad regem Israel nuncium, qui moneret ne temere talem adiret locum, quia deliberatum erat Syris ibi insidias struere. Quo cognito Ioram locum occupauit prior, & dispositis ibi militibus eum conseruauit sibi, idque sæpius. Ex quo intelligi potest id non tantum hoc anno factum, sed forte etiam præterito, & sequenti, quo Syrorum conatum ad comprehendendum Eliszum referemus.

ANNVS MVNDI 3146.

IORAMI IVD. 4. IORAM. ISR. 8.

AMARIÆ Pont. 9. TEMPLI 124.

OPHRATANIS 23. Imperij Assyr. 1215.

ANTE CHRISTVM 907.

I. TErtius est hic annus famis apud Israelitas, quo primum anno Ioramus, defuncto patre Iosaphato, regnauit Hierosolymis, qui tristis Iudæis, ac luctuosus illuxit. *Surrexit* enim *Ioram*, ait Scriptura, *super regnum patris sui cumque se confirmasset, occidit omnes fratres suos gladio.* Confirmauit sibi regnum: dum eos sibi muneribus aut promissis deuinxit, qui ei poterant negotium facessere. Oportuit enim illum prouidere, ne perpetrando id facinus, quod moliebatur, totum regnum turbaretur, & ab ipso deficeret. Neque sex fratrum cædibus contentus, occidit etiam *quosdam de principibus Israel*, id est, Iudæ. Nam Iudæi erant quoque filij Israel, siue Iacobi. Et illos quidem interfecit, quia solus sine timore regnare cupiebat. Metuculosa est enim & suspicax ambitio, & qui iam cum patre diu regnarat, sociorum regni pertæsus, non sibi videbatur rex, dum fratres, quasi æmulos imperij, apud se haberet. Principes vero de medio sustulit, quia fratrum credebat amicos; & mortis eorum vindices formidabat. Sed non impune tulit tantum facinus. Nam & regnum Idumæorum breni amisit, & post annum sequentem, grauissima ægritudine biennio vexatus, extinctus amisit & suum.

Tertius annus famis 2. *Par.* 21

Ioram interficit fratres & eorum amicos.

II. Rex Syriæ Eliszeum capere conatur.

Hæc dum Ierosolymis aguntur, conturbatum est cor regis Syriæ, eò quod sua de struendis insidijs consilia, regi Israelitarum innotescerent; cumque non posset casui aut fortunæ tribuere istam præueniendarum insidiarum constantiam, eam suorum proditioni ascribebat. At illi contra regem suum edocent, opera Eliszi patefieri consilia sua, quamtumuis arcana, Ioramo regi. Tum Syrus, *Ite* inquit, *& videte vbi sit, vt mittam* validam armatorum manum, *& captam eum.* Insipienter, qui non cogitaret æquè posse diuinitus prophetæ innotescere insidias sibi paratas, ac regi, easque irritas reddere, atque inanes. Iuerunt ergo Syri iussu regis: & tam domi, quam in regno Israelis dissimulanter scrutati sunt vbi esset Eliszeus: & re satis explorata, reuerti nunciarunt eum esse in Dothain, oppido tribus Zabulon, vt placet Adrichomio, aut potius, vt alijs, in tribu Manasse; oportet enim eam fuisse vicinam Samariæ, quò Eliszeus Syros, sine cibo & fraudis suspicione duxit.

III. Eoque mittit militarem manum.

Misit ergo Rex Benadad illuc equos & currus & robur exercitus, nocte; vt improuisi ciuitatem præsidio destitutam vallarent, & ciues supremæ cladis metu, ad deditionem prophetæ compellerent. Quo spectaculo cum famulus prophetæ vehementer tetritus fuisset, & ad propheram cum clamore confugisset, eo rogante aperuit ei Dominus oculos, & vidit montem plenum curribus, & equis igneis, cum suis videlicet equitibus, & militibus ad pugnam pro Eliszeo expeditis. Erant autem angeli, qui aerem addensatum ita efformarant, & igneum colorem adiecerant. Quamquam non erant illi contra Syros pugnaturi, & si fuissent pugnaturi, vnus aliquis eorum sufficiebat ad multo plures aut perdendos, aut aspectu terrifico vertendos in fugam; sed totus hic apparatus angelorum eò tantum spectabat, vt famulo isti, ad prophetæ preces, eriperetur metus. Vsque adeo verè de diuina bonitate dictum est, *voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet.*

Angelorum pro Eliszeo præsidiũ.

Ps. 144. 19.

IV. Syri qua cæcitate percussi.

Videtur porro Eliszeus ex Dothain cum puero suo, accinctus ad iter, Samariam versus, ad quem cum Syri venirent, adeum de Eliszeo, & loco

loco eius interrogandum: ipse ad orationem conuersus, *Percute obsecro*, inquit, *gentem hanc cæcitate. Percussitque eos Dominus ne viderent*, id est, ne vere agnoscerent res quas videbant, propter immutationem specierum ab obiectis manantium, cum aliqua perturbatione phantasiæ, oculis in sua naturali dispositione permanentibus; sic oculi discipulorum tenebantur, ne Dominum, alioqui probe cognitum, agnoscerent. *Dicit autem ad eos Elisæus: Non est hæc via, neque ista est ciuitas.* Petierant videlicet ab ipsomet Elisæo non agnito, nunquid hæc esset ciuitas, in qua erat Elisæus, & si non esset, quæ via ad illam duceret. In qua responsione non est mentitus propheta, quidquid dicat Abulensis, sed ad mentem suam locutus est, non ipsorum. Nimirum eam ciuitatem non esse Samariam; nec eos hactenus eam tenuisse viam, quæ ad illam duceret, & in qua inuenturi & agnituri erant Elisæum.

4. Reg. 6. 18.

Ducuntur a prophetam Samariam.

9. 17. in hunc locū.

V. Vbi agnito periculo suo amice dimittuntur.

Sequimini me, inquit, *& ostendam vobis virum quem quæritis*, quod reuera fecit, sed in hostili ciuitate. Duxit ergo eos in Samariam: simulque curauit regem Ioramum, qui illic erat, tota de re per famulum suum admoneri, vt validiore ciuium & armatorum manu cingeretur, ante quam proprium ipsi periculum possent agnoscere. Elisæo duce ingrediuntur Samariam, vbi cum maioribus Israelitarum copijs cingerentur, orauit Dominum propheta, vt eis aperirentur oculi, & agnoscerent periculum suum; quod & factum est. Viderunt enim se in medio esse Samariæ, & validiore exercitu circumfusos; à quo omnes ad vnum telis configi, rege annuente potuissent; fecissetque si propheta ab eo consultus id probasset; & non iussisset potius eos accipi conuiuio, & mox incolumes ad Dominum dimitti. Quam tamen gratiam ille, pro stupore suo, aut superbia non agnouit. Hanc suam potius numerauit iniuriam, quasi ab Elisæo sibi illusum esset, & ab Ioramo contemptius insultatum. Quod probabile reddit atrox bellum mox à Syris excitatum.

ANNVS MVNDI 3147.

IORAMI IVDÆI 5.

IORAMI ISRAELITÆ 9.

AMARIÆ 10. TEMPLI 125.

OPHRATANIS 24. Imper. Assyr. 1216.

ANTE CHRISTVM 906.

I. Obsidio Samariæ, c. 21. 6.

QVartus agitur annus famis, quo Benadad Syrus Samariam obsedit, statimque, vt in fame, ad summam egestatem adduxit. De rege autem Iudæ nihil aliud hoc tempore dicere possumus, quam illud 2. Par. *Ambulauit in viis regum Israel, sicut egerat domus Achab, filia quippe Achab, erat vxor eius*, Athalia nomine, quæ Ioramum perdidit, sicut antea mater eius Iezabel Achabum. Id autem maxime videtur contigisse post occisos fratres & eorum amicos, per quos minime illi impunè licuisset aut Baali, aut vitulis aureis seruire, & excelsa in vrbibus Iuda fabricari. Denique satis scelerum perpetrauit, vt merito posset Dominus eum, eiusque familiam vniuersam extcindere. Imitatorem enim & æmulum impietatis Achabi, Baalæ, & Ieroboami, non dissimili pœna plecti conueniebat. *Noluit tamen omnino disperdere dominum Dauid, propter pactum quod inierat cum eo* de propaganda regia familia eius, per eiusdem filios ac nepotes; hac autem vna pœna excepta, multa in eum ac peracerba verbera Dominus intorsit, quæ sequenti anno videntur inchoata.

Ioram Iudæi vita.

II. Dira fames Samariæ.

Syrus autem qui gratum habere debuisset, tot insignibus viris exercitus sui, qui in hostium potestatem deuenerant, vitam ac libertatem fuisse concessam, beneficio exasperatus; *congregauit vniuersum exercitum suum, & ascendit, & obsidebat Samariam*, & quidem tam diu donec caput asini venundaretur 80. argenteis, id est, 110 francis nostratibus. Id autem nemo crediderit principio statim obsidionis contigisse, sed multa alia antecessisse vulgaria, in obsidionibus fieri solita, quæ Scriptura prætermisit. Interim autem toti regno Syrus de more vastitatem intulit: quanquam fame quartum iam annum regionem peruagata, nihil admodum, quod vastare posset, inuenit.

ANNVS MVNDI 3148.

IORAMI IVDÆI 6.

IORAMI ISRAELITÆ 10.

AMARIÆ 11. TEMPLI 126.

OPHRATAN. 25. Imperij Assyr. 1217.

ANTE CHRISTVM 905.

I. Summa rerū anni huius.

HIc annus vtique regi Hebræorum admodum luctuosus fuit. Nam Rex Iuda regnū Idumææ infelici, atque irreparabili iactura perdidit. Quin etiam in regno suo amisit ciuitatem Lobnam, & tristissima ab Elia nuncta accepit; & insuper insanabili aluī lāguore diuinitus percussus est: quæ ad hunc annum referenda credimus, propter rectam coordinationem eorum, quæ ad Ioramum pertinent. Rex autem Israel arctissima obsidione pressus in Samaria, extrema quæque cum populo suo perpessus est, quæ paulò distinctius explicanda sunt nobis.

II. Defectio Idumæorum. c. 21. 8. 1. Reg. 22. 48. & 2. Reg. 8. 20.

Huc ergo illa pertinent, quæ 2. Paral. habentur: *In diebus illis rebellauit Edom, ne esset subditus Iudæ, & constituit sibi regem*, qui esset defectionis caput, cæso rege suo, vt ait Iosephus, qui Iosaphato hactenus paruerat. Nimirum permisit Dominus, vt qui à se impiè defecerat, sibi subditos perfidos experiretur; & qui paterna & auita pietatis exempla neglexerat, stipendiarum regnum, à patribus, auisque sibi relictum, protsus amitteret.

Et mirum quidem videtur Idumæos, qui ante quinque annos cum Ammonitis & Moabitis magna clade affecti fuerant, tam cito ausos fuisse deficere à Domino suo. Sed Deus qui eos Ioramo aduersarios suscitauit, eis quoque animos & audendi & resistendi dedit; eorum mala voluntate bene vsus, ad puniendum Ioramum. Nec credibile est magnum Idumæorum exercitum se tunc Moabitis adiunxisse: quippe qui latere inter alios cupiebant, quod in magna multitudine fieri nequiuisset. Itaque permulti in tota Idumæa relicti, qui auidi libertatis, & tributorum pertæsi, Ioramí mandata neglexerunt. Animos quoq; facere potuit obsidio Samariæ, quæ impediebat ne rex Israelis regi Iudæ opem ferre posset aduersus Idumæos.

Etusque ratio.

III. Idumæi deuicti, nec tam reducti.

Hac defectione cognita venit Ioram in Seira montem Idumæorum, à quibus nocte vndiq; cinctus est. Fiducia quippe locorum spem eis dabat Iudæos opprimendi. Verum Ioram cum suis de nocte surrexit, & Idumæos inuasit, fuditque: sed ipsi in nota latibula sese proripuerunt. Nec tamen hac expeditione quidquam profecit. Neque sane facile victoria de istiusmodi hominibus expectari potest. Monticolæ enim inter rupes & densa syluarum abscondita, ægerrime vinci possunt: paucorum enim vim facile eludunt; magni autem exercitus ibi fame domantur. Itaque re infecta, & amissis Idumæis reuersus est domum; vbi aliam eodem tempore cladem accepit. Lobna enim vrbs tribus Iudæ, versus Philisthæos, & occiduam plagam, à Ioramo defecit. Vtrum autem suas sibi res agere voluerit, an se alteri regi subiecerit, aut Philisthæos vicinos protectores acceperit, non liquet. Certe non perpetuam fuisse defectionem hanc, sed ab Ozia post annos 82. Lobnam recuperatam, quinto ipsius anno dicemus.

Am. M. 3248.

IV. Ab Elia translato Literæ. 2. Par. 21. 12.

Interea allatæ sunt Ioramo ab Elia propheta literæ, cum decimum iam annum ab hominibus abesset, siue eæ tum scriptæ fuerint, & datæ Eliæo, hoc tempore reddendæ; siue potius hoc ipso tempore scriptæ sunt, angelo reuelante Eliæ quonam statu res essent, & quæ Deus vellet Ioramo nunciari, moxque epistolam ad Elisæum deferente, qui curarit regi dari. In ijs eum primum arguit, tanquam à patris auique pietate degenerem, & sectatorem impietatis regum Israel, & populi sui corruptorem. Tum accusat eum cædis fratrum suorum. Pœnam autem ipsi imminentem in hæc verba subiungit. *Ecce Dominus percutiet te plaga magna, cum populo tuo, & filijs, & vxoribus tuis,* mala enim quæ isti ferent, in te redundabunt. Neque his terminis mala tua definientur. Nam vniuersa substantia tua diripietur. Tu autem ægrotabis pessimo languore ventri tui, id est, viscerum tuorum, donec egrediantur vitalia tua paulatim per singulos dies. Vt ea sit quotidiana monitio ad resipiscendum, aut futurorum suppliciorum rudimentum. Nec tardæ minæ. Hoc enim ipso anno acri viscerum dolore torqueri cœpit, totumque biennium cruciatus est, donec vita pariter & morbo caruit.

Eorum q. sententia.

V. Samaritanorũ desperatio, & fames.

Iam quod ad Samariæ obsidionem obtinet, quæ de ea in Scriptura narrantur satis ostendunt obsessos extrema quæque passos esse, nec corporibus solum sed animis. Quippe quibus nulla spes esset quin post mala omnia, quæ in longa obsidione ferri solent, in manus hostium deditione veniendum esset, & ea subeunda, quæ hosti victori, longa obsidione macerato, collibitum esset. Interim argumenta famis traduntur in pretio capitis asinini, de quo dictum est; & in columbæ stercoribus, quæ diluta in aqua sumebantur in cibum, vt quoquo modo latranti stomacho illuderent; postremo in materna propriorum filiorum deuoratione; quam cum audisset rex inhorruit, & *scidit vestimenta sua*, quo facto apparuit *cilicium, quo vestitus erat ad carnem intrinsecus.* Quo fortasse Deum placare voluit, vt ante annos aliquot pater eius Achab. Et certe probabilitate non caret, idque affirmat Abulensis; sicut humiliationi, & ieiunio, & cilicio Achabi data est commeriti supplicij dilatio, ita & huic pœnitentiæ Ioramí, concessam obsidionis solutionem.

Cilicium regis impij nõ inutile. 3. Reg. 21. 27.

VI. Voluit occidere Elisæum.

Exarsit tamen iracundia in propheram in præsenti casu tam inopinato, quod ciuitatem quam precibus suis liberare potuisset, ad tantam calamitatem deuenire pateretur. Demens qui non intelligeret, in se, non in propheta residere culpam. Eum nihilominus, edito temere iureiurando, immisso sicario perimere conatus est, qua re à propheta præuisa ac patefacta, mutauit sententiam rex; & querulus apud eum dixit, in eum statum res esse redactas, vt nihil à Deo deinceps vel beneuolo expectandam, vel irato timendum videatur. At contra Elisæus, facto ad se verbo Domini ingentem vilitatem annonæ in crastinum diem promittit. Quod cum dux quidam, qui erat à rege tertius incredibile, atque impossibile diceret, audiuit à propheta, *videbis oculis tuis* vt conuincatur incredulitas tua, *& inde non comedes*, vt per quæ peccat quis, per eadem & puniatur. Quomodo autem Deus fidem prophetæ præstiterit, obsidione soluta, exacte Scriptura recenset.

VII. Ratio & modus solutæ obsidionis.

Quatuor scilicet leprosos, certa morte in incertam commutata, ad Syros transfugisse, in castris eorum omnia vacua reperisse, militibus tanto terrore dilapsi, vt supellectilem omnem cum tentorijs, arma iumentaq́ue deserent; præclarè secum agi credentes, si vitam conseruare possent, regibus Hethæorum, puta Cypriorum & Cretensium & Ægyptiorum in ipsos irruentibus, quorum superuenientium currus & equites, sibi audisse videbantur: Deo in hostes suos illudente, adeo vt nullum agnoscendi hostem, nullum resistendi consilium caperent; nullis præsidijs se satis munitos, nullis fossis aut aggeribus satis vallatos, nullis armis satis tectos putarent: sed meticulosa in nocte, qua nec hostem venientem videre, nec sonitus veritatem explorare possent, fuga præcipites auolarent, dirum timorem in pectoribus, salutem in pedibus, hostem in auribus circumferentes. At leprosi, qui eam fugam nondum didicerant, in obuijs primum tabernaculis prædam semel iterumque inuentam auferunt, absconduntque; tum ne soli tanta lætitia prædaq́ue fruantur, vrbem adeunt, & castrorum inanitatem nunciant.

Syrorum pauor & fuga.

VIII. Præda ingẽs Israelitarum.

At rex insidias Syrorum veritus, mittit exploratores in castra eorum, qui è castris Iordanem vsque viam spolijs constratam reperiunt. Nam perleuerante crescenteque sonitu, ob æ-

stimatam hostis vicinitatem, quæcumque rapta è castris abstulerant, vt aurum, argentum, factum infectumque, vestem necessariam, obuiaque arma. nam equis ne frena quidem iniicere præceps permiserat pauor, ea omnia dominante metu, vt celerius currerent, abijciebant. Reuertique nuncij nunciauerunt regi quid in castris, quid toto itinere Iordanem vsque reperissent, & videlicet incredibili gaudio populum semiuiuum compleuerunt. *Et egressus populus diripuit castra Syriæ*, in quæ isti conuexerant quidquid prædarum toto ex regno Israelitico ante corraserant. Cumque rex ducem illum, de quo Elisæus vaticinatus fuerat, constituisset ad portam, siue vt hostium alicubi fortasse latitantium, & repente irruentem reprimeret, siue vt cohiberet proruentis multitudinis impetum, ne se inuicem conculcando obtererent, hoc ipsemet passus interijt. Hunc habuit exitum obsidio Samaritana, quam regis aut populi conuersio, quantumuis annitente Elisæo, non est consecuta.

Dux Samaritanus opprimitur.

Iui regis sanitatem & mortē prædicit.

III. Hazael inauguratur.

Moritur Benadad.

IV. Ioram iacet in toto cutis.

2. *Par.* 21. 16. Magnis afficitur damnis.

V. A Philisthæis & Arabibus. *ver.* 17. 2. *Par.* 22. 1. 2. *l.* 9. *c.* 1.

Dei in ipsum iudicium.

ANNVS MVNDI 3149.

IORAMI IVDÆI 7.

IORAMI ISRAELITÆ 11.

AMARIÆ Pont. 12. TEMPLI 127.

OPHRATANIS 26. Imper. Assyr. 1218.

ANTE CHRISTVM 904.

I. Mœror & morbus regis Syriæ.

SExtus est hic annus famis ab Elisæo prænunciatæ. Etsi enim Samaria obsidione soluta ex præda respirabat, non tamen propterea totum regnum necessarijs abundabat, quod miserè à Syris paulò ante fuerat expilatum. Sub anni porro huius initium, vel certe præcedentis extremum, morbum Benadadi regis Syriæ, ex quo denique mortuus est, credimus contigisse. Nam post ignominiosam Samaritanæ obsidionis solutionem, & exprobrabilem fugam, ex mœrore languit, vt ait Iosephus. Accedebat ingens diuitiarum suarum iactura, quibus hostes cum eius irrisione fruebantur, cum ipsi nudi atque inermes, cursu, fame, pauore, fatigatione confecti aufugissent, domumque irrisi reuertissent.

l. 9. *c.* 2.

II. Qui mittit Hazaelem ad Elisæū. 3. *Reg.* 8. 7

Interea venit Elisæus Damascum, vtique Dei monitu, ad inungendum Hazaëlem in regem Syriæ, quod ante 24. annos Elias in mandatis acceperat, eique prædixerat. Cum autem Benadad propheræ didicisset aduentum, Hazaëlem cum muneribus misit in occursum viri Dei, vt eius opera Deum consuleret de infirmitate sua. Quæ munera, præsertim tanta, vt ijs 40. Cameli onusti essent, paupertatis amans propheta repudiauit, ne suis esset offendiculo, aut vaticinium vendidisse videretur. Stetit Hazaël coram Propheta & ait, *filius tuus Benadad rex Syriæ misit me ad te dicens, si sanari potero de infirmitate mea hac. Dixitque ei Elisæus, vade, dic ei sanaberis. Porro ostendit mihi Dominus, quia morte morietur.* Quæ verba, vt à mendacio excusentur, sic explicantur à plerisque. Potes quidem ei dicere, quod ad vim quidem morbi attinet, eum non esse lethalem. Reuera tamen Dominus ostendit mihi eum esse moriturum. Licet tamen interpretari, *vade, dic*, quasi dictum esset, Vades, & dices ei, eum sanitatem recepturum, ne is tanti mali nuncius, morietur tamen. Sic Dominus dixit spiritui malo coram Michæa, *egredere, & facta*, hoc est egredieris, & ita facies, præsens imperantis, pro futuro permittentis.

Hic Elisæus cum diuinitus veniisset in cognitionem malorum, quæ Israelitis facturus erat Hazaël, animo vultuque conturbatus fleuit, & rogatus, ei causam lacrymarum suarum aperuit, nec defore facultatem, vt qui rex Syriæ futurus esset. Et hic commodè fieri potuit Hazaëlis inunctio, & reuera facta videtur. Mox enim reuersus ad Dominum suum, dixit ei prophetæ nomine eum recepturum sanitatem. Postridie autem pannum madefactum, vt ait Kimhi, regi porrexit, quasi febri æstuantem refrigeraturus, re autem vera suffocare voluisse, itaque fecisse. Alij malunt tam regis petentis, quam Hazaëlis porrigentis imprudentia mortem contigisse: prius tamen videtur credibilius, vt qui iam ius haberet ad regnum, quod homo crudelis crudeliter est auspiratus. In summa mortuus est Benadad, *& regnauit Hazael pro eo.*

Non meliore conditione fuerunt Iudæi, quam Israelitæ. Nam rex ipse exquisitissimis in dies viscerum computrescentium tormentis excruciabatur, vt nec publicæ rei vacare, nec sui satis compos esse posset; ostendente Domino quantum ei displicuisset barbara illa crudelitas, qua eisdem visceribus effusos fratres nefariè iustulisset. Populus autem, & rex ipse cum eo, longe grauissima clade affectus est à Philisthæis & Arabibus, Deo scelera Iudæorum vindicante. Suscitauit enim Dominus contra Ioram spiritum Philistinorum, qui in pœnis Hebræorum iampridem dormiebant, & Arabum qui confines sunt Æthiopibus, siue Madianitis. Belli causa facile occurret, si meminerimus Lobnæ, & Idumæorum anni præteriti defectionem. Cum enim Lobna vicina esset Philistæis, Arabibus Idumæa, vtrique proximos suos ad bellum contra Iudam incitarunt. regni Iudæ calamitates suam pacem, & felicitatem non male interpretati.

Ascenderunt ergo isti in regnum Iuda & vastauerunt illud; diripueruntque omnem substantiam, quæ inuenta est in domo regis, insuper & filios eius, & vxores, nec remansit ei filius, nisi Ioachas, qui minimus natu erat, qui proximo capite dicitur Ochosias, vbi habetur fratres eius à latronibus Arabiæ fuisse interfectos: occisas etiam regis vxores tradit Iosephus. In quo si quis clarissimum Dei iudicium non videt, cæcus est, qui non videat hosce barbaros crudeli cæde filiorum regis, regiorum fratrum manibus parentasse,

& ei

& ei qui interfectorum fortunas, vt assolet, proprio fisco addixerat, proprias abstulisse. Et insuper, ne deesset epimetrum, eius vxores, priusquam forasse violatas, ritu barbarico iugulasse. Cum autem videret Ioram se atroci vexatum morbo quotidie deficere, neque publicæ rei vacare posse, Ochoziam regem ac successorem declarat, isque regnare cœpit hoc anno, cum pater iaceret in tormentis; sequenti autem, mortuo patre solus regnauit in regno Iudæ.

Filiũ Ochoziam regno sibi sociat.

ANNVS MVNDI 3150.

IORAMI IVDÆI 8. & vlt.

IORAMI ISRA. 12. & vlt.

AMARIÆ 13. TEMPLI 128.

OPHRATAN. 27. Imperij Assyr. 1219.

ANTE CHRISTVM 903.

I. Summa rerũ anni huius.

ANnus hic qui Sabbaticorum numeratur 81. plurimis varijsque rebus abundat. In Iuda enim moritur Ioram, eique ad breue tempus succedit Ochozias, cui nascitur regni successor Ioas, pugnat contra Hazaelem Syrum, inuisit regem Israelis. In cuius regno finitur fames: redit è septennij peregrinatione Sunamitis, suaque recuperat. Mittitur Naaman à Syro, & sanatur ab Elisæo, ea lepra, quæ in famulum prophetæ transfunditur. Ioram bellum innouat contra Syros ob ciuitatem Ramoth Galaad, in pugna vulneratur, ægrotat in Iezrael. Mors autem eius, & Ochoziæ regis Iuda, qui eodem tempore occisus est, à Iehu, ad initia regni eius commode differri potest.

II. Mors Ioram.

Quod ergo ad mortem priotis Ioram attinet, *cum dies fui cederet dies*, ait Scriptura, *& temporum spatia volurentur duorum annorum, expletus est circulus, & sic longa consumptus tabe, ita vt egereret etiam viscera sua, languore pariter & vita caruit.* Integros annos duos ægrotasse Ioramum, Hebræa & Græca volumina consentiunt. Cum autem hic annus integer non fuerit, magna enim pars eius ad Ochoziam pertinet, etsi Ioramo tribuatur, sequitur Ochoziam, qui annum vnum regnasse dicitur, non augere chronologiam regum Iuda: quia prior anni pars, qua cum patre languente regnauit, patri tribuitur: posterior autem, qua mortuo patre regnauit, in vltimo eiusdem patris anno includitur. Neque vero Ioram morte felicior, quam vita fuit: quæ in summa impietate, & publico scandalo, alijsque sceleribus transacta est, neque Deo in longa ægritudine per pœnitentiam legimus reconciliatum: Sublecuta est mors, quæ ad æterna supplicia transitus fuit. Sed & corpus ipsum populo execratum, & magna contumelia affectum est, hoc ipso, quod in sepulchra patrum ipsius illatum non est.

Regnum Ochoziæ nõ auget chronologiam.

2. Par. 21. 19. 4. Reg. 8. 26. & 2. Par. 22. 2.

III.

Eo mortuo solus in regno Iudæ regnauit Ochozias, annos natus duos & viginti, vt in 4. Reg. scriptum est, non 42. vt mendosè scriptum est in 2. Paral. sic enim filius patre suo biennio senior fuerit. Nam ex Scriptura constat Ioramum eius patrem duorum & 30. annorum fuisse, cum regnare cœpit, & 8. annis regnasse. Mendum agnoscunt in illo loco Paral. Caiet. Torniellus, Tursellinus, Mariana, Gordonus, Dionys. Petauius, Tirinus, Menochius. Agnoscit & Scaliger, & Capellus, sed omittamus Sectarios. Vixit autem ad summum viginti tribus; totenim numerantur ab anno 3128. inclusiuè ad præsentem, qui est 3150. Quid est autem cur Scriptura dicat, & ex ea Iosephus, habitatores Ierusalem constituisse Ochoziam Ioramı filium regem pro eo; præsertim cum iam viuo patre regnaret? Turbas aliquas videtur innuere, quæ circa Ioramı mortem contigerint. Nam populus ab eo valde auersus fuit, vt cuius execrandum cadauer sepulchris regum inferre noluerit, qui crudelis in suos, in Deum impius fuerit, & multarum autor calamitatum in populum. Itaque cum odium in filium quoque ipsius, à quo, vt iuuene, & paternæ impietatis æmulo, nihil boni speraret, facile redundaret, eum à regno repellere, aliumq; aliquem subrogare voluit. Sed præualuit populus Hierosolymitanus, eumque in paterni, ac Dauidici regni possessione constituit. In quo nihilominus pessimè se gessit, secutus vias domus Achab, & matris suæ Athaliæ, filiæ Achabi & Iezabelis.

8. 26. Quo ætatis anno regnarit.

1. Par. 22. 6.

Mores in constituendo eo rege.

IV. Ioas ei nascitur.

Hoc ipso anno natus est Ioas Ochoziæ filius, qui post Athaliæ tyrannidem in regno Iuda, opera Ioiadæ magni Sacerdotis, regnauit, vt suo loco dicetur; qui autem ab altero patre natum putant Ioas, suppositicium quendam Philonem secuti, inepti sunt, & Scripturam habent multipliciter repugnantem, vt in Annalibus docuimus. Pugnauit hoc ipso anno Ochozias contra Syros, & quidem infeliciter, quod priusquam exponamus, quædam de regno Israelitarum, quæ antecesserunt hanc pugnam præmittenda sunt.

11. 14.

V. Septimus annus famis, & reditus Sunamitis.

Septimus est hic annus famis ab Elisæo prænunciatæ, quo regnum Israëlis, Deo terræ fertilitatem restituente, respirare cœpit. *Cumq; finitis essent anni septem.* Videntur autem anni famis à messe in messem dimetiẽdi; cum ergo copiosam messem Dominus populo Israelitico, quamuis impio, & ingrato tribuisset, *reuersa est mulier*, cui Deus precibus Elisæi filium dederat, & mortuũ restituerat, reuersa est, inquam, *de terra Philisthym* in terram suam Sunam, sed omnia bona sua inuenit ab alijs, occasione absentiæ diuturnæ, occupata, existimantibus eam peregre cum filio perijsse. Ea re cognita venit mulier in Samariam, *vt regem* Ioramum Achabi filium *interpellaret pro domo sua, & pro agris suis*, quæ sponte reddere nolebant, qui in ea inuaserant.

VI. Recuperat bona sua.

Diuina autem prouidentia factum est, vt Giezi Elisæi famulus, rogante rege narraret familiariter mirabilia prophetæ opera. Ex quo apertissimum, videtur Giezi non fuisse adhuc lepra insanabili, qua totus albicabat, percussum; neque enim ad regis palatium, nedum ad eius familiare colloquium fuisset admissus. Cum ergo Giezi regi narraret, quomodo mortuum suscitasset, apparuit mulier cum filio coram rege. Tum Giezi, *Domine mi Rex, hæc est*

4. Reg. 8. 5.

mulier. & hic est filius, quem suscitauit Elisæus. Et interrogauit rex mulierem, quæ distinctius ei cuncta narrauit. Deditque ei rex Eunuchum, quem iussit curare, vt omnia sua, cum agrorum redditibus, redderentur. Conciliauit enim mulieri regis fauorem, quòd eam agnouit à Deo, tam inusitato miraculo honoratam.

VII. Naaman Syrus adit Elisæum sanitatis causa.

Iam quod ad Naamani curationem attinet: *Is erat princeps militiæ regis Syriæ, vir magnus apud Dominum suum, & honoratus: per eum enim dedit Dominus salutem Syriæ.* Quo autem id bello factum fuerit, Scriptura tacuit, Iosephus autem totam hanc historiam, quamuis perillustrem, & prodigijs nobilitatam, missam fecit. *Erat autem vir fortis, & dives, sed leprosus.* Cum autem didicisset vxor eius ab ancilla, posse herum ab Elisæo mirabilium patratore, curari: idque viro retulisset vxor: Accepit is commeatum à rege suo, literasq; commendatitias ad regem Israel, vt curaret Naamanum à sua lepra curari: quamuis epistola ferociores spiritus regum Syriæ sapiat, itaque Ioramum turbarit, vt scinderet vestimenta sua. Cumque Elisæus ægrum euocasset ad se, nec adhibuisset curationis modum, quem ipse cupiebat; & contemptum se putaret, quod per nuncium secum ageret Elisæus, nec cogitaret Deum præuiam gratiæ suæ humilitatem & obedientiam requirere, recedebat indignans; deinde persuasus à suis obtemperauit, & ablutus septies in Iordane, mundatus est.

Irascitur, obtemperat, sanatur

VIII. Redit ad prophetã qui eius munera non accipit, & curat.

Et illico reuertitur ad virum Dei, vt de accepto beneficio illi, atque in primis Deo, cuius ipse personam repræsentabat gratias ageret: deinde vt munera, in signum gratitudinis, tam Deo, quam prophetæ ipsius offeret. Volebat quoque apud virum Dei, suam erga verum Deum profiteri fidem, cuius potentiam, experimento in suo ipse corpore, didicisset. Ea nihilominus pertinaciter negauit propheta se acceptarum, quod eam sciret esse Dei voluntatem: qui voluit hunc proselytum doceri diuina beneficia pecunia rependi, aut æstimari non posse: omniaque terrena, ad illa comparata nimium vilia, atque abiecta esse. Satis tamen constat hæc munera à propheta recipi potuisse nomine eleemosynæ, qui pauper esset, sicut & discipuli eius, & aliena forte benignitate viuerent. Itaque nuper panes primitiarum ab offerente accepit. Præsertim cum hæc liberalitas collatam à propheta gratiam non antecederet, sed omnino sequeretur.

IX. Conuersio Naamani eiusq; postulata.

Respondet Naaman, *vt vis.* Non acquiescis precibus meis, ego acquiescam voluntati tuæ: non sum dignus vt quidquam à me accipias, qui tanto beneficio me deuinxisti: ego tamen aliquid à te accipere velim: vt augeam obligationes erga te meas. Quia enim verebatur ne non liceret colere Deum Hebræorum, nisi in terra, aut suj ei terram ipsorum ei sanctificatam, ideo vult sibi dari de humo Israelitica, quantum par multorum ferre posset: vt scilicet altare concauum de lapidibus excitet, in quod eam humum immittat, & super eam Deo vero Israelitarum sacrificet, alienis funditus repudiatis. Neque tamen ritibus Mosaicis se obligabat, sed à legis oneribus liber, Deum spiritali cultu fidei, spei, charitatis coleret, vt alijquondam viri iusti in lege naturæ. Cultum quoque externum adhiberet, vt corporis animique Dominum illum agnosceret; puta sacrificium aliquod, ieiunium, orationem, genuflectionem, prout illa tempora ferebant: Petit tamen vt liceat sibi adesse regi suo, in templo Remmon, seque cum rege adorante incuruare, in speciem adorantis, licet reuera non adoret. Quam illi potestatem propheta facit. An autem id esset simulare idololatriam, vide in Annalibus.

n. 32. & 33

X. Videtur suos conuertisse.

Minimè porro dubium est, quin Naaman domum reuersus, ad veri Dei cognitionem, tanti miraculi commemoratione, & vitæ commutatione vxorem, propinquos, amicos, alios; non paucos traduxerit, in primisque suos illos famulos miraculi testes, & adiutores, dum Dominum suum ad simplicem obedientiam cohortati sunt.

Giezi ad eũ accurrit, & accipit munera.

Cum autem illi reuerteretur gaudens in curru suo, Giezi luctu lætitiam prosequebatur abeuntis, & stimulante auaritia, de magistro suo queri cœpit, quod Syri opibus pepercisset, in domestica paupertate sua. Et cucurrit post eum, vt sibi priuatim aliquid ab eo acciperet, Callidè autem nouam caulam excogitauit, quæ ab ipsius Syri digressu contigisset, vt mutatio voluntatis prophetæ probabilis appareret. Callidè quoque se cogi finxit ad accipienda duo talenta argenti: quasi prophetæ mandatum de vnico talento præterire non auderet. Acceptamque pecuniam saccis immissam duobus, in totidem famulorum humeros cum vestibus imposuit, & in domum suam deferri curauit, vbi ea omnia studiosè abscondit, ne qua rumoris aura prophetæ aures afflaret.

XI. Res prophetæ diuinitus patefit. 4. Reg. 5. 27

A quo & lepra percutitur; cui suam pecuniã indulget.

Ergo sub vesperam redit ad propheram, ignarus cuncta illi manifestata diuini us: cumque rem dissimularet, totam re ferrem ab Elisæo audiuit, qui adiecit & pœnam. *Lepra Naaman*, inquit, *adhærebit tibi, & semini tuo vsq; in sempiternum.* Statim autem diuina vltio subsecuta est denunciationem prophetæ. Nam egressus est à conspectu prophetæ albicans, lepra quasi niue conspersus. Hunc habitum exitum auaritia Giezi, fraude, mendacio & sacrilegio cumulata: quippe qui pretium accepit diuinitus à propheta traditæ sanitatis: quamuis ipse sanitatem neq; vendidisse, neque emisisse videatur: quia illam non dedit, sed Elisæus: neq; accepit, sed Naaman: quia pretium, intuitu datæ diuinitus sanitatis accepit. Etsi autem ea pecunia non data fuerit Giezi, sed Elisæo, in quem Naaman eius dominium transtulit: videtur tamen illam Giezi ex prophetæ indulgentia retinuisse, vt deinceps factus ab hominum communione extorris, cum filijs suis, haberet vnde vitam tolerare posset. Dedit quoque in compensationem famulatus, quò ei aliquot annis inseruierat.

XII. Ioram cũ Ochozia adeũt Ramoth. Ibi vulneratur Ioram.

Interea Ioram filius Achab, audita morte regis Syriæ, consilium suscepit de repetenda Ramoth Galaad, paternis insistens vestigijs, regemque Iudæ Ochoziam bellicæ socium expeditionis habuit. His acriter restitit Hazael itaque ad vrbem pugnatum est, vt rex ipse Ioram multis vulneribus affectus, bellum deseruerit, idque ducibus suis, in quibus erat Iehu, conficiendum relinquere coactus sit. Diuino autem instigante numine in Iezrael profectus

est,

est, vt à plagis suis curaretur. Ochosias autem à prælio confestim Ierosolymam se proripuit; vbi cum, vt fit, de Iorami valetudine per nuncios inquisisset, & morbum eius diuturniorem comperisset, ad eum inuisendum Hierosolymis profectus est in Iezraël. Sed aliud Deo fuisse consilium, postmodum res ipsa docuit. Obsidio porro vrbis, & morbus Ioramj, & Ochosiæ visitatio reliquum annum tenuit.

ANNVS MVNDI 3151.

ATHALIÆ 1. IEHV 1.

IOIADÆ 1. TEMPLI 129.

OPHRATANIS 18. Imperij Assyriorum 1220.

ANTE CHRISTVM 902.

I. Resonj huius.

HIc est annus vltionis Domini aduersus domum Achab, quæ in domum quoq; Iuda redundabit. Nam Iehu rex nouus Israëlis, in dominum suum insurgens, Achabi familiam exscindet vniuersam. Et Athalia noua Proserpina, propriæ familiæ pestis, in suum ipsa genus & sanguinem horribili scelere bacchabitur. Pseudo autem prophetæ & Sacerdotes Baal centeni, in eiusdem Idoli templo quasi per iocum trucidabuntur. Noluit tamen Dominus perire totum semen Iuda, propter Dauid seruum suum, cuius familiam tantum non ad interitum præcipitantem, ope magni Sacerdotis Ioiadæ, retinuit ac sustentauit. Propterea enim ipsum iam grandem natu ad hæc difficillima tempora reseruauit. Fuisse autem ipsum pontificem Scriptura dubitare non sinit, quæ eum sæpenumero pontificem vocat, eique ea munera tribuit, quæ in solum summum Pontificem cadunt, qualis est regis inauguratio, & fœdus initum inter regem & populum, Deumque ipsum ipso interprete, & cædes Athaliæ reginæ, aliaque id genus; quæ præter summum pontificem nemo ausus esset; nec si alius tum fuisset summus Pontifex, hæc à quoquam alio fieri passus esset, vt diligentius in Annalibus explicatum est.

Ioiadas Pontifex.

4.3. & 4.

II. Mittitur propheta ad inungendum Iehu.

Vt autem ad rem ipsam aggrediamur, Redierat Ioramus rex Israëlis è bello Syriaco saucius, & in Iezraele curabatur: cum ad eum officij gratia, vt diximus, descendit Ochosias rex Iuda, eius ex sorore Athalia nepos. Interea, Deo monitore, misit Elisæus vnum de filijs prophetarum, ad inungendum Iehu in regem Israël: & quidem magna cum totius acceleratione negotij, dum collectus erat exercitus, qui de Achabi familia pœnas sumpturus erat; & reges morti destinati congregabantur. Nam si alter Hierosolymam, alter Samariam reuertisset, difficillimum fuisset, sine diuturna obsidione, & multa populi cæde, reges, & eorum familias, & optimates habere in potestate. Ingressus est ergo discipulus Elisæi in ciuitatem Ramoth, paulò ante à Ioramj ducibus occupatam, in domum aliquam vbi principes exercitus consederant, & oculis in Iehu coniectis, seuocatum deduxit in cubiculum, ibique eum inunxit in regem, iussitque, ex ore Domini, vt Achabi familiam deleret funditus, in vltionem impietatis eius, & nominatim sanguinis innocentis à Iezabele crudeliter effusi, quam prædicit abijciendam canibus in sepultram.

His ita perfectis, abit propheta celeriter, vti iussus fuerat. Iehu vero à locijs amice interrogatus, quid nouj propheta ille attulisset, ex habitu enim prophetam agnoscebant, pronunciat regnum sibi delatum. Ad eam vocem omnes diuinitus excitati, statim ei regnum detulerunt, & raptim composito tolio, eum in eo collocarunt, & regem in exercitu voce tubaque proclamarunt. Accessit postremo fœdus regem inter & populum, quo hic regi fidem & obedientiam, ille populo paternam prouidentiam, defensionemque contra hostes promitteret. Id verbo coniurationis, quæ est multorum simul iurantium, ad firmandum pactum aliquod, continetur. Ea tuorũ voluntate cognita, regnoque admisso in perniciem Domini sui, prospiciendum fuit, ne is maturè monitus fuga sibi consuleret. Itaque edicit Iehu, ne quis de ciuitate profugus exeat, & coniurationem Ioramo in Iezraele nunciet; incautum enim opprimere voluit: & relicta oppugnatione arcis in quam Syri amissa ciuitate confugerant, festinus cum exercitu venit in Iezrael, vbi ægrotabat Ioram, cuius vnius petebatur caput, ad quem visitandum descenderat Ochosias.

III. Is rex agnoscitur, & proclamatur.

Venit celeritus ad Ioramum

Vidit speculator venientem globum, ad quem rex equitem cursorem mittit, qui renunciet quid rei sit. At is non permissus est regredi, ne regem periculi admoneret. Idem factum secundo. Mox autem speculator agnoscens ex præcipiti cursu Iehu, eius aduentum nunciat. Existimauit Ioram honorandum Iehu principem exercitus sui, quę putauit optima nuncia ipsum per se afferre voluisse; deoq; retinuisse nuncios: itaque egressus est in occursum eius. & cum eo Ochosias, singuli in curribus suis. Occurrerunt autem in agro Naboth Iezraelitæ, vbi cum Ioramj salutatio à Iehu cum nonuitio excepta esset, sensit se imprudenter egressum, dum nesciret quo animo veniret is, qui ferebatur præceps, neque nuncios remittebat: iussitque aurigam habenas equorum dextrorsum aut sinistrorsum inflectere ad fugam. *Et fugiens, ait ad Ochosiam, insidiæ Ochosia. Porro Iehu tetendit arcum manu, & percussit Ioram inter scapulas, auersum scilicet ad fugam, & egressa est sagitta per cor eius, statimque corruit in in curru suo.* Quem Iehu proijci iussit in agrum Iezrael, vt Eliæ prophetia impleretur. An autem caruerit sepultura in Annalibus disputatum est.

IV. Quiet venit obuiã cum Ochosia.

Agnoscit coniurationem Ioram, & in fuga occiditur

Ochosias porro rex Iuda videns Ioramj cladem, fugit quantum potuit; quem tamen assecutus est Iehu, & percuti iussit in curru suo, & percusserunt eum in ascensu Gauer, qui est iuxta Ieblaam, qui fugit in Mageddo, & mortuus est ibi. Ita scriptum est in 4. Regum. Cum autem hæc omnia loca vicina sint ciuitatis Iezrael in tribu Manasse, quomodo in 2. Paral. dicitur perquisitus Ochosias, latitans in Samaria, & adductus ad Iehu, iussu eius occisus? Dicendum videtur Samariam pro regno

V. Fugit & Ochosias & vulneratur.

4.9. 27. & 2.2.9.

Israe-

Moxque moritur in Magedo regni Samariæ. nu. 30. & sepelitur Hierosolymis 2. Par. 22. 9.

Israelis, cuius caput erat Samaria, sumi, in quo regno erat Mageddo, & Gauer, & Iezrael: vt in Annalibus explicatum est diligentius. *Et imposuerunt eum serui eius super currum suum*, in quo lethale vulnus acceperat, *& tulerunt in Ierusalem*, & sepelierunt eum in sepulchro cum patribus suis in ciuitate Dauid. Quo honore affectus est, *eo quod esset filius Iosaphat* principis optimi.

VI. Iezabel occiditur præcipitio

Interea Iehu venit in ciuitatem Iezrael, priora enim illa facta sunt in via. *Porrò Iezabel introitu eius audito, depinxit oculos suos stibio, & ornauit caput suum.* Quem ad finem hic vetulæ fucus? num vt placeret Iehu, quem atroci conuitio venientem accipiebat? Respiciens enim per fenestram ingredientem Iehu per portam, *Numquid*, ait, *pax esse potest Zambri, qui interfecit dominum suum?* per conuicium vocat Iehu Zambri, insignem proditorem & patricidam domini sui, vt si quis quempiam vocet Iudam, Cain, Neronem, aliove quopiam nomine facinorosi hominis. Nimirum venerationem reginæ debitam captare voluit, quam etiam verba contumeliosa augerent. Ad eam vocem leuauit Iehu faciem suam ad fenestram, *& ait, Quæ est ista?* Et inclinauerunt se ad eum in eadem fenestra, *duo vel tres Eunuchi*, cubicularij regij, vt viderent, quid ille vellet. Qui *dixit eis, præcipitate eam deorsum.* At illi, qui eam heri adorauerant, nihil cunctati, *præcipitauerunt eam, aspersusq; est sanguine paries, & equorum vngulæ conculcauerunt eam.*

VII. Et vorantur à canibus.

Cumque introgressus esset vt comederet, biberetque, ait: *Ite, & videte maledictam illam, & sepelite eam, quia filia regis est*; Nempe Ethbaalis regis Sidoniorum. Detur hic honor reginæ familiæ ex qua orta est. Nec filia regis tantum fuit, sed vxor, & nurus, & mater & socrus, & auia; neque eam tot nomina à tam infami, totque sceleribus eius debita morte liberarunt. In qua iussione non neglexit Iehu illud oraculum, *nec erit qui sepeliat eam*: sed eius immemor tum fuit, quod mox reuersis famulis suis, memoria repetijt; Deus autem in recentiore, abstulit ei memoriam Iezabelis, vt dum ille prandet, canes quoque in lacerandis Iezabelis carnibus, rabidam exaturarent famem. *Cumque essent vt sepelirent eam, non inuenerunt nisi caluariam, & summas manus*, quibus agnosci vtcumque potuit. Nimirum statim atque pertranslit equitatus, famuli pedites certatim eam membribus, omnique ornatu ac vestibus spoliarunt. Tum diuino instinctu, validi toro ex oppido canes, vngulis equorum deformatam, & contrucidatam dentibus appetere, distrahere, dilacerare membratim, omnibus ad spectaculi magnitudinem admiratione defixis; vnde erupit illa vox? *Hæccine est illa Iezabel?*

Achabi. Amri. Ioramí. Ochoziæ. Ioas.

VIII. Cædes 70. filiorũ Achabi. 4. Reg. 10. 1. 2 &c.

Et hæc quidem est epitasis fabulæ progressusque funerum, hic quasi secundus cruentissimæ tragœdiæ actus. Qui tamen ambo nihil admodum luctuosum habent: quod hi hactenus interfecti sunt, in quorum cæde facile dixeris, *factum bene*: mali enim, vt æquum erat, male perierunt. Quæ autem nunc sequitur 70. filiorum regiorum cædes, vere tragica est, & plane atrox, quorum tota culpa fuit, in familia regis impij esse natos. Iehu ergo non immemor quem ad finem rex factus esset, & satis intelligens ad susceptam Achabitarum stragem celeritate & conceptio iam ex duorum regum, & reginæ morte, terrore vtendum esse, scripsit quamprimum literas, & misit in Samariam, ad optimates ciuitatis, vt eligerent aliquem de Achabi familia in regem, eademque opera se ad bellum pararent, pro eo tuendo. Satis intellexerunt Samaritæ, nõ esse hoc consilium Iehu, vel præceptum, sed meram ironiam, vel minacem potius belli denunciationem, nisi ipsum pro rege susciperent, & imperata quam primum facerent.

IX. Optimates metu Iehu coniurant.

Incussit hæc oratio in hoc rerum statu terrorem vehementem, dixeruntque, *Ecce duo reges nõ potuerunt stare coram eo, & quomodo nos valebimus resistere?* Vtique non satis prudenter ratiocinati. Non enim Iehu cum exercitu suo, vtrumque regem, regio vallatum exercitu superauit, sed incautos, & ab armis virisque imparatos, non maiore conatu, quam ad perdendum vnum atque alterum priuatum virum. Ipsi autem præsidio Samariam tenebant, quæ tot annos Syrorum vires eluserat, aliasque plurimas ciuitates, contra quas Iehu diuturna obsidione detineretur, dum consurgens regnum Iuda interfectorem regis sui persequeretur ac male perderet. Sed Deus eorum prudentiam in timorem conuertit. Itaque obsequium vniuersè pollicentur, eumque in regem suscipiunt. Qua re cognita, iubet defertri ad se postridie capita 70. filiorum, tam Achabi, quam Ioramí, quos videlicet ex diuersis vxoribus susceperant, vt eo facto probaret, an reuera illi se ipsi dederent; & eo facinore optimates istos suis partibus necessariò adstringeret, vt à populo vltore, si quando resipiscerent, tuti essent.

X. Et ad ipsũ in cophinis mittuntur.

Cum venissent literæ ad eos, tulerunt filios regis, & occiderunt 70. viros, & posuerunt capita eorum in cophinis, & miserunt ad eum in Iezraël. Etsi autem in hoc facinore multorum innocentium, vt par est credere, continebatur cædes; in eo tamen mandando, aut exequendo sceleri abfuit, si Iehu propositum habuit Dei vnius voluntati obtemperare; & isti optimates crediderunt id facinus diuino decreto fuisse imperatum. Sin autem adacti metu, vt eorum verba præ se ferunt, & ignari legitimæ potestatis, & vocationis Iehu, mandatum, quod iniustum putabant, executi sunt, graui se omnes crimine obstrinxerunt. Noctu porro facta videtur hæc strages, & pluribus simul locis, ne populi miseratio erga regiam iuuentutem, seditionem excitaret, neve aliqui furtim supplicio subducerentur, quorum salus in capita magistratuum redundaret. Eademque nocte delata sunt in Iezrael. Cumque portæ vrbis clausæ essent, capita foris in duos aceruos iussu Iehu congesta sunt. *Cumque diluxisset, egressus est, & stans dixit ad omnem populum*, qui tantæ rei nouitate excitus, magno numero confluxerat; iusti estis, si ego coniurauí contra Dominum meum, & interfeci eum, quis percussit omnes hos? quasi dicat, vtrorumque eandem esse, aut iustitiam, aut culpam.

4. Reg. 10. 9

XI. Cædes Achabitarũ in Iezrael

Cæterum dum in Samaria filij Achab occiduntur, eadem diuina vltio ciuitatem Iezrael peruagata est: perquisiti sunt omnes, qui Achabum consanguinitate, vel affinitate contingerent, quique hoc titulo quoquo modo ad regnum aspirare possent; atque adeo qui ad regiam familiam vehementer affecti, vltionem

expe-

expecturi viderentur, qui omnes interfecti sunt: cum alioqui, vel solo idololatriæ nomine, rei mortis essent. Necdum cædium finis. Cum enim Iehu inde Samariam proficisceretur, occurrit in via camera pastoralis, in qua oues tonderi solebant, vbi fratres siue nepotes Ochoziæ latitabant, numero 42. rei tamen totius, cuius ignarri esse non poterant, se ignaros finxerunt, dixeruntque liberè se descendisse Ierosolymis, ad salutandos filios regis, & filios reginæ, id est, Ioramí, & vxoris eius, aut etiam Iezabelis, qui paulò ante occisi fuerant: Quos omnes Iehu viuos comprehendi iubet, & interfici. Etsi enim aliqui erant de tribu Iuda, propter Ochoziam, pertinebant tamen ad domum Achab, propter Athaliam filiam eius, vt cum cæteris mactari possent.

42. cognati Ochoziæ in via cæsi.

XII. Iehu secũ assumit Ionadab,

Cumq; appropinquaret Samariæ, occurrit ei Ionadab filius Rechab, qui ex proprio vitæ instituto habitabat extra vrbes, vir probus ac religiosus: Qui cum inter se, peramenter consalutassent, leuauit eum ad se in currum, vt eum zeli sui pro Domino testem haberet: simulque ingressi sunt Samariam. Vbi mox sicut in Iezrael, *percussit omnes*, qui quoquo modo Achabum cõtingebant, quique eius familiæ addicti erant, ideoq; rebus nouandis idonei, aut nouandarum suspecti. His subdit Scriptura cædem pseudoprophetarum & sacrificulorum Baal, ad quam videtur Iehu Ionadabum inuitasse. Nec isti quãuis timuerunt, euocatione facta abesse ausi sunt. Tantus enim erat omnibus ex tot funeribus iniectus terror, vt publicus timor priuatũ superaret: præsertim cum nemo adhuc idololatriæ nomine fuisset interfectus: nec ipse Iehu se Baalis inimicum præ se tulisset: & alioqui videbant, nisi iussi venissent, sibi certissimè moriendum, proposita enim pœna capitis omnes euocati sunt ad solenne sacrificium Baal. Ergo, ne pro incerto malo certum atque indubitatum subirent, venerunt omnes ad vnum, tanto numero vt capacissimum Baalis templum, *à summo vsque ad summum* repleretur. Videtur significare sursum deorsumque, in superioribus, & inferioribus ambulacris, & xistis, in imo templo, in tecto & solario, ad aras & vestibula; omnia plena sacrificulis.

& parat cædẽ sacrificulorum Baal.

4. Reg. 10. 19.

XIII. Dum illi sacrificiũ parant, *vers.* 22.

Iussit quoque Iehu, eos *qui supra vestes erant proferre vestimenta vniuersis seruis Baal*, vestes intelligit destinatas cultui Baal, lineas, laneas, sericas, vt his impediti vestibus, minus habiles essent ad resistendum militibus. Apparet quoque animalia suppeditasse, quæ illi sacrificaturi erant, quam volebat esse decipulam ad eos perdendos. Congregatis omnibus pseudoprophetis ac sacrificulis, ingressus est Iehu cum Ionadab in templum, *ait, cultoribus Baal, perquirite & videte, ne qua forte vobiscum sit de seruis Domini, sed vt sint serui Baal soli.* Soliq; mactentur: His dictis egreditur, & templi aditus omnes munit octoginta fortissimis viris, qui fugien tes seruos Baalis excíperent, ea lege, vt qui aliquem elabi permitteret, eam indulgentiam capite lueret. Ergo illi certatim sacrificant, pluribus, vt apparet, locis, atque altaribus, cum Iehu percussores immittit, qui stricto ferro in confertam ingressi turbam; à dextris ac sinistris, punctim cæsimque cædentes, nequidquam Baal & Iehu horrendo clamore vociferantes. *percusserunt in ore gladij.* & proiecerunt cadauera eorum foras, ne qui inter occisos laterent.

Immissis percussoribus cæduntur.

XIV. Idola Baalis asperdit, & fana.

Non contentus autem Iehu diuinam vltionem exercere in impios istos idololatriæ architectos & ministros, in Idola quoque, atque eorum fana sæuijt. Ierunt enim ipse cum suis *in ciuitatem templi Baal*, id est, in quamcumque vrbem quæ haberet templum Baal, plures enim fuisse in regno Israelis, suadet incensum studium Iezabelis & Achabi aduersus Baal, & vbique *protulerunt statuam de fano Baal*, & quam inuenerunt ligneam combusserunt, lapideam vero aut metallicam comminuerunt. *Destruxerunt quoque aedem Baal*, in singulis videlicet oppidis, & locum latrinis publicis addixerunt. Nam id non in sola Samaria factum esse, docet quod statim subditur, *Deleuit itaque Iehu Baal de Israel.* de omnibus scilicet locis in quibus colebatur. Sed vide ac mirare Lector humanæ mentis imbecillitatem. Is enim qui tam studiosè aduersus vniuersam Achabi familiam arma sumpserat, vt obsequeretur Deo, qui Baalis aras euerterat, statuas confregerat, succenderat lucos, templa oppidatim in probrosissimos vsus conuerterat, Sacerdotes immani cæde prostrauerat, quique propter rem bene gestam à Deo laudem, præmiumque glorioſissimum acceperat: auitam tamen vitulorum idololatriam non sustulerit: sed eius sectator fuerit, superstitione cum vero Dei cultu ac religione copulata, ex iniusto vtique, atque inconsulto metu, vt in Annalibus nostris non negligenter explicatum est.

Nec tamen idola desunt.

n. 66. 67. 68.

XV. Merces Iehu ob deletam Achabi familiam

Exterminato cum summa seueritate & contumelia cultu Baalis è regno Israelis, nam in regno Iuda eam pestem fouit Athalia; dixit Dominus ad Iehu, fore vt filij eius vsque ad quartam generationem sederent super thronum Israel, ob exterminatam domum Achab: cui ipsius Iehu familia successit, ad centum & duos annos. Videtur autem hæc prophetia edita statim post deletam Achabi familiam, Baalisque cultores, missumque prophetam, qui præmium ei denunciaret; quo simul excitaretur ad persistendum in bene cœptis, vnique Deo corde perfecto seruiendum. Pœna vero idololatriæ eius mox subijcitur, de qua anno sequenti dicetur. Interim breuiter quæ ad regnum Iudæ pertinent videamus.

28. *Iehu.* 17 *Ioachaz.* 16. *Ioas.* 1 41. *Ieroboã* 102.

v. 31. *& seq*

XVI. Athalia occidit regiam sobolem. 4. *Re.* 11. 2.

Dum hæc à Iehu in Israele perpetrantur, Athalia Hierosolymis carnificinam in regiam sobolem crudelis exercet. Videns enim mortuum filium suum Ochoziam, *surrexit, & interfecit omne semen regium.* Sed quid tanto facinoti causam dedit, an vt regnaret? At superstitiosis nepotibus nihilominus regnatura erat. Cum enim pater eorum Ochozias anno vitæ vigesimo tertio occisus fuerit, non potuerunt filij non esse pueruli, quorum Ioas anniculus fuit. An dicendum ambitiosam mulierem non alieno nepotis nomine, sed proprio regnare voluisse: ideoque de medio tollere omnes, quorum intuitu subditi, vt ei regnum eriperent, molitipotuissent. Accessit & timor, quod se meminisset Achabi filiam, ideoque morti destinatam. Totum ergo regnum Iuda habere voluit in potestate, quod opponeret Iehu, & cuius ope vindictam exercere posset in eum, qui paternam eius familiam perdidisset. Hic ergo primus regni eius annus numerabitur.

At quare.

At

XVII. Ioas interneciοni subducitur ab vxore Ioiadæ.

At Dominus, qui Dauidis familiam conseruatam volebat, eam mentem dedit Iosabethæ, quæ filia Iorami erat, & soror Ochosiæ, vt vnum de nepotibus suis infantulum Ioas nomine morti eriperet: absconditque eum cum nutrice sua in triclinio, siue cubiculo lectulorum, locum admodum secretum esse oportuit, in quo paucissimis conscijs seruaretur. Videtur autem fuisse iuxta exedram pontificis, vbi Iosabetha vxor eius, singularem infantis curam gerere poterat, & ab ipso pontifice crebro visitari. Nos eum ibi tantisper sine meru, metuere enim non permittebat ætas, non tamen sine periculo, nisi quod erat sub Dei tutela, lumnuq; pontificis viri sanctissimi ac sapientissimi, relinquamus.

ANNVS MVNDI 3152.

ATHALIÆ 2. IEHV 2.

IOIADÆ 2. TEMPLI 130.

OPHRATANIS 29. Imperij Assyriorum 1221

ANTE CHRISTVM 901.

I. Regnum Athaliæ.

SEcundus hic annus Athaliæ, & reliqui ad regnum eius pertinentes, rebus gestis distingui non possunt: ideo pauca quæ de ea legimus huc congerentur. De illa enim, vsque ad mortem eius, hoc tantum legimus, *Porrò Athalia regnauit super terram*: in quibusdam Latinis codicibus reperitur additum, *septem annis*, quod ab emendatis recte sublatum est. Nam septimum annum vix attigit, & is primus est Ioas filij Ochosiæ. Res ex 2. Paral. clara est, vbi dicitur Ioas, *absconditus in domo Dei sex annis, quibus regnauit Athalia super terram.* Quæ phrasis innuit eam regnandi tantum curam habuisse, Baalis superstitionem in Israele collapsam, in Iuda omni ope fouisse atque amplificasse: diuinum autem cultum quantum potuit euertisse: puta, vt iniurias Baali à Iehu illatas, vlisceretur, & in Deum scelerate rependeret. Sic enim scriptum est. *Athalia enim impissima, & filij eius*, id est, Sacerdotes idolorum, interprete Hieronymo. Verosenim filios, Ochosiæ fratres, Arabes interfecerant. Impij ergo sacrificuli, *destruxerunt domum Dei, & de vniuersis, quæ sanctificata fuerant in templo Domini, ornauerunt fanum Baalim.* Denique regnauit Athalia super terram, quo iure, quave iniuria, oblita Dei, terræ duntaxat memor.

9. Par. 22. 12.

Quæ fouet ac promouet Idololatriam in Iuda.

2. Par. 22. 1.

2. Par. 24. 7.

II Iehu retinet cultū vitulorū.

Porrò sperabatur Iehu, post excisum Baalis cultum, & Achabi familiam, acceptamque diuinitus regni possessionem ad quartam viq; generationem, in veri Dei cultum incubiturum, & sublatis vitulis aureis, pietatem toti regno restituturum: sed is expectationem piorum fefellit, in maximum damnum suum: & aurium vitulorum cultum, qui erant in Bethel & in Dan, conseruauit. Inualuerat quippe inter hosce principes diabolica hæc opinio, regnum Israelis, sublatis vitulis aureis, cum quibus fuerat à principio constitutum, stare non posse, populo Hierosolymam religionis causa repetente. Id malum gemitu prosequi Scriptura videtur, cum ait: *Cœpit Dominus tadere super Israel. Percussit eos Hazael in vniuersis finibus Israel, à Iordane contra orientalem plagam, omnem terram Galaad & Ruben, & Manasse.* Longè maxima fuit hæc clades. Abstulit enim regno Israelis, quidquid omnino possidebat trans Iordanem. Itaque Iehu in contumeliam suam, non solum perdidit Ramoth, quam paulò ante receperat; sed insuper, in pœnam impietatis suæ, bonam partem regni sui, in annos circiter sexaginta.

Cui Syrus eripit regionem omnem trans Iordanem.

III. Quomodo id factum, & quā crudelites.

Itaque Hazaël videns Iehu cum exercitu abijsse trans Iordanem, ad regnum occupandum, facile recepit Ramoth Galaad, sed totam insuper regionem Galaad acquisiuit. Quanta autem in hilce victorijs insolentia, & crudelitate bacchatus sit, ex ijs quæ Elisæus, dum mentis oculos in hæc tempora conjceret, fecit & dixit, non est difficile colligere. *Conturbatus est enim vsque ad suffusionem vultus, fleuitque vir Dei.* Et causam rogatus ab Hazaele: *Quia*, inquit, *scio mala quæ facturus es filijs Israel: ciuitates eorum munitas igne succendes, & iuuenes eorum interficies gladio, & paruulos eorum elides, & prægnantes diuides.* Quin etiam rebus eorum ita accitis, tributum in subiectionis argumentum de more victis imposuit.

4. Reg. 12. 12. &c.

Hoc ipso tempore 150. annis ante vrbem conditam, & 125. ante initium olympiadum, floruit Lycurgus Lacedæmoniorum legislator, annis omnino nongentis ante ortum magni legislatoris Christi Domini, vt in Annalibus ostendimus. Leges autem tulit Lacædemonijs, multis annis post administratam Charilæi regis, nepotis sui, tutelam, quam susceperat annis centum & octo ante Olympiades: indeque longam peregrinationem suscepit qua annis 14. vt quidam putant; factus rerum cognitione instructior, in multa apud suos opinione sapientiæ, Rempublicam Spartanam legibus temperauit.

IV. Lycurgus floret.

ANNVS MVNDI 3157.

IOAS REGIS IVDÆ 1. IEHV 7.

IOIADÆ 7. TEMPLI 135.

OPHRATANIS 34. Imperij Assyriorum 1226.

ANTE CHRISTVM 896.

I. Ratio tēporis. 4. Reg. 12. 1.

ANni huius, qui Sabbaticus est ordine 82. chronologia, quod ad vtrumque Hebræorum regem pertinet, perspicuè à Scriptura firmatur, quæ tradit anno septimo Iehu, regnasse Ioam, id est, regnare cœpisse, ætatis octauo ineunte. Anniculus enim erat cum nece subtractus est, sex annis latuit in domo Dei. Expletis ergo septem annis, octauus ætatis cum primo regni inchoatus est, qui & morte impiæ Athaliæ, & noui regis inauguratione celebertimus est, accedente ruina idololatriæ in regno Iudæ; pietate & industria Ioiadæ pontificis; qui pertæsus impietatis & sacrilegiorum Athaliæ, & accen-

Ioiadæ consilia & zelus pro pietate, & familia Dauidi.

accensus zelo pro domo Domini, & familia Dauidis, quam pridem animo versabat curam, in rem deducere magno animo statuit; & re per multas preces & sacrificia, vt credere par est, Deo commendata, assumpsit de tribu sua quinque centuriones Leuitas, à quibus secretum iureiurando firmatum exegit. Tum actum cum eis de cæde Athaliæ, & noui regis, quem ipsis ostendit, inauguratione. Idipsum factum in congregatione Leuitarum, *& principum familiarum Israël*, id est, Iuda, neque enim regno Israëlis res communicata est. Et hi omnes coram Deo, & pontifice, regi Ioas fidem religiosè spopondere sunt.

Tum Leuitas, qui perfuncti erant vice sua, retinuit, iunxitq; ijs, qui recens veniebant administrandum; quos certis locis cum armis constituit, ad vim omnem propulsandam. Cinxerunt etiam armatis totum Leuitarum atrium à dextris & sinistris *altaris & templi, per circuitum regis*, vt ait Scriptura, significans Regem fuisse constitutum in atrio Leuitarum, infra altare holocaustorum, ne eo regis conspectus impediretur, excitato suggestu, qui columnis nitebatur, & ad quem gradibus ascendebatur, vt puerulus vndique totis atrijs conspicuus fieret. Produxit ergo regem Ioiada pontifex, impositò super caput eius diademate, siue corona regia, & dato in manu eius testimonio, id est Deuteronomio legis; accessit purpura, & sceptrum, & reliqua regum ornamenta. Adhibita autem fuit in primis vnctio, quæ regem vel maxime constituit, & consecrat; vnde coniunctim dicitur, *fecerunt{q;} eum regem, & vnxerunt*, id est vngendo fecerunt regem, oleo videlicet sacro, quod in templo asseruabatur. Vnxit porro illum Ioiada pontifex & filij eius, imprecatiq; sunt ei, atque dixerunt, *viuat Rex*, quod certatim à toto populo, & à cantoribus conclamatum est.

Quod cùm audisset Athalia, ingressa est ad populum in Templum Domini, diuina prouidẽtia illam ducente ad victimam. Sperabat enim se præsentia sua seditiosos conatus dissipaturam, partumq; sibi regnum conseruaturam, & se coniecit imprudens in manus quærentium animam eius. Quæ si regia se continuisset, & rem per nuncios didicisset, difficillimam pontifici, cæterisque inimicis suis victoriam dedisset, vt quæ magistratus, & militiam, & magnam populi partem haberet in potestate. Nunc{} vltro se coniecit in laqueum; Sed nec dissimulare potuit, sed scidit vestimenta sua, & clamauit, *Coniuratio, coniuratio*. Cui obtonabat populus. Viuat Rex, viuat rex Ioas, moriatur Athalia. Muliere autem frustra vociferante, *Egressus Ioiada pontifex* ex atrio Leuitarũ, vbi regem consecrarat, adijt centuriones, & principes exercitus, & dixit eis, *Adducite illam extra septa templi, & interficiatur foris gladio*. Septa intellige totius templi loricam, siue peribolum omnia templi atria circunquaq; ambientem: occisa est enim ante palatium regium, transgressa pontem voraginis Mello; vt diligentius in Annalibus explicatum est.

Hoc tempore pepigit Ioiada fœdus inter dominum & regem cum populo suo, exigens promissionem vnius Dei colendi, omni superstitione exterminata, vnde sequitur, *Ingressus est omnis populus terræ templum Baal, & destruxerunt aras eius, & imagines contriuerunt valide*. Id fœdus maxime necessarium fuit hoc tempore, quo per profanam Athaliam in Iuda luxata erant omnia. Deinde autem fœderis inter regem & populũ mediator fuit Pontifex, exigens à populo fidem, honorem, omniaq́ue legitima obsequia eius erga regem suum; & vice versa à rege erga populum suum protectionem, gubernationem, paternamq́ue beneuolentiam. Vt autem stabilita pietate primo quoque tempore scandalum & offensio ex oculis religiosi populi tolleretur, itum est in templum Baal, siue id in vrbe ipsa, seu potius in suburbijs fuit, & hoc primo populi feruore, simulacra deturbata ac deformata sunt; postmodum autem ædes ipsa à summo culmine diruta est: & Mathan Sacerdos Baalis coram altari interfectus.

Sed prius Rex è templo educitur, cum insigni legionum apparatu, quæ se statim legitimo principi dediderunt, & venerunt per viam portæ scutariorum, quæ erat ad meridiem templi, qua ibatur in palatium, & sedit super thronum Regum. Et lætatus est populus terræ & ciuitas conquieuit: quæ in tam subito & inspirato tumultu, turbata fuerat. Pontifex deinde in templum regressus, constituit præpositos in domo Domini, vt legitima Domino sacrificia offerrent. Constituit quoque ianitores in portis domus Domini, vt qualibet immunditia pollutos ab ingressu eius arcerent. Denique omnia quæ regnante Ioramo, Ochosia, & Athalia neglecta fuerant, iussu pontificis renouata fuerunt. Sed id non paucarum horarum, sed multorum potius dierum opus fuit.

4. Reg. 11. 18.

Baal exterminatur in Iuda.

V. Rex adit palatium

Pontifex templi res ordinat.

ANNVS MVNDI 3158.

IOAS 2. IEHV 8.

IOIADÆ 8. TEMPLI 136.

OPHRATANIS 35. Imp. Assyr. 1227.

ANTE CHRISTVM 895.

PLurimi anni vtriusque regis admodum ieiuni sunt. Quæ autem in duobus Scripturæ locis de Ioasi pietate traduntur, dum Ioiada doctore vsus est, quantum quidem ætas ferre potuit, ad hæc quoque tempora pertinent. Magno quippe amore pontificem ac reuerentia prosequebatur. Quidni autem faceret puer? virum pietate sanctissimum, ætate venerabilem, affinitate coniunctissimum, dignitate pontificem, amore & meritis parentem. Accedebat Iosabeth vxor pontificis, amita regis, cui vitam debebat, vt pontifici regnum. Hoc ipso tempore Iehu inglorius regnabat in Samaria, imo & infelix. Regnum quippe eius Syrorum populationibus subiacebat. Deus enim, quem simul cum idolis colebat, non destitit eum Syrorum flagellis grauiter cædere, vt, si quo modo fieri posset, ad mentis sanitatem reuocaretur.

I. Regis institutio, & pontificis in eũ beneuolentia.

Res Iehu.

* *
*

ANNVS MVNDI 3164.

IOAS 8. IEHV 14.

IOIADÆ 14. TEMPLI 142.

OPHRATANIS 41. Imp. Assyr. 1233.

ANN. ANTE CHRISTVM 889.

I. Ann. Sabbat. 83.

CAdit in hunc annum Sabbaticus tertius supra octogesimum, quem minimè dubitatim, annitente Ioiada religiosissimo Pontifice, qui omnia in Repub. poterat, sanctè ac religiosè obseruatum. Agebat nunc Ioas ætatis annum decimum quintum, regni octauum, in eoq; , vt credere par est, ad omnem virtutem informando, Pontifex studiosissimè incumbebat : non ignarus quantum iuesset in ea educatione momenti, ad Dei gloriam , populiq; sibi atque ipsi commissi salutem. Ergo Deuteronomium legis, quod puerulo inaugurando dederat in manus, explicabat in dies, & vt teneræ menti magis quã chartis inscriberetur, enixè satagebat.

ANNVS MVNDI 3166.

IOAS 10. IEHV 16.

IOIADÆ 16. TEMPLI 144.

OPHRATANIS 45. Imper. Assyr. 1235.

ANTE CHRISTVM 887.

I. Ioas ducit vxorẽ.

HOC circiter anno crediderim datã à Pontifice adolescenti regi vxorem, anno ætatis decimoseptimo. Nam cum valde sollicitus esset de propagando semine regio, quod in vnius adolescentis capite vertebatur, non videtur vltra hoc tempus distulisse: sed neq; anteuertisse, de adolescentuli incolumitate sollicitam curã gerens. Quam ob causam etiam non censeo duas ei simul vxores copulasse, sed alteram alteri , seu viuæ, seu defunctæ successisse. Sicq; intelligenda est Scriptura, cum ait Ioiadam accepisse ei vxores duas, è quibus genuit filios , & filias. Decimus porro annus Ioas regis Iudæ, qui est 144. à iactis Hierosolymitani templi fundamentis, insignis habetur cõstructione illius imperij Romanæmulæ Carthaginis, cum Tyro profecta Dido regnante Pygmalione nauigauit in Africam. Id affirmat Iosephus, primo libro aduersus grammaticum Apionem : probatq; ex Annalibus Tyrijs, & Menandro Ephesio: quod studiosus Lector in Annalibus nostris examinatum reperiet. Etsi autem hac quæstione nihil incertius, neq; inconstantius in antiquis recentibusque scriptoribus , adeo vt Eusebij chronicon tribus, aut quatuor diuersis locis, iuxta diuersas autorum opiniones, conditam Carthaginem ponat, prædictæ tamen sententiæ plerique subscribunt, in quibus Torniellus, Gordonus, Petauius, Scaliger, & alij, à qua chronologia minimum abest Solinus, vt ibidem ostendimus.

2. Par. 24. 4.

Conditus Carthaginis.

2. 4. 5. & seqq.

ANNVS MVNDI 3170.

IOAS 14. IEHV 20. IOIADÆ 20.

OPHRATANIS 47. Imp. Assyr. 1239.

ANTE CHRISTVM 883.

I. Lycurgi tutela, & ratio tẽporis.

TVtelam Lycurgi Legislatoris in hunc annũ refert Clemens Alex. ex Eratosthene. *Nam Eratosthenes*, inquit, *tempora sic describit : A capta Troia ad Heraclitarum reditum, anni* 80. *Hinc autem ad emigrationem Ionicam anni sexaginta.* Quam vtramq; epocham suis locis notatam reperies; illa cadit in annum Samuelis 11. hęc autem in Dauidis 32. pergit. *Deinceps autem ad Lycurgi vsq; tutelam, anni* 159. Quæ summæ perueniunt ad annum ab excisa Troia trecentesimum exclusiuè, quem Annales in indice notatum habent: Addit postremo Eratosthenes. *Ad annũ autem qui prima præcedit Olympia, anni* 108. Quos explent 27. qui reliqui sunt regni Ioas, & 29. & Amasiæ, & Osiæ 52. Deinceps autem Olympiades inchoantur.

80
40
159
299.

27
29
52

108

III. Lycurgi nutritia & fides.

Quod ad Lycurgi porro tutelam attinet, rem sic explicat ex Simonide Plutarchus Regnabat Lacedæmone Polydectes, Lycurgi frater, quo breui post patrem Eunomum defuncto, regnũ Lycurgo omnium sententia delatum est : quod ille gessit tantisper, dum fratris sui vxorem grauidam ignorauit. Deinceps enim regnum ad conceptum fœtum, si quidẽ masculus esset pertinere affirmauit, se autem Tutoris loco regnũ administraturum. Virtutem autem suam atque integritatẽ patefecit; cum grauida mulier, quæ regina malebat audire, quam regis mater, ei significasset se fœtum abolituram, si is eam vellet vxorem ducere. Id enim consilium se probare finxit; monuit tamen ne fœtum medicamentis abigeret, ne sibi illa noceret; sibi curæ fore vt in lucem editus, è medio tolleretur. Curauit autẽ vt parienti adessent fidi custodes, qui natum infantem illico ad se deferrent. Ergo cœnante illo cum principibus, cum allatis esset infantulus, cum Lycurgus acceptum in regio solio collocauit, dicens astantibus, illis natum esse regẽ, quem Charilaum vocauit, quod omnes magnopere gauderent , animique eius magnitudinem ac iustitiam admirarentur.

Erga nepotem regem.

Cumq; regnum mẽsibus octo, vt Plutarchus ait, administrasset cognatorum inuidiam & calũnias non ferens, peregrè profectus est, moxq; in Græciam reuersus , Eliensibus autor fuit instaurãdorum certaminum Olympicorum , quæ iampridem ab Hercule instituta, iam seculis aliquot fuerant intermissa. Commodum apud Elienses tunc regnabat Iphitus cognatus Lycurgi: quod ambo haberent autorem generis Herculem. Narrat autẽ Polybius, & Aristodemus Eliensis, victores Olympicos describi cœptos à 27. Olympiade, priores autem id neglexisse. Vigesima vero octaua Olympiade, cum in stadio victor euasisset Chorœbus Eliensis, primum inscriptum fuisse, eamque Olympiadem primam constitutam esse, & ab ea Græcos tempora numerare cœpisse. Ex quibus intelligitur præsentem annum Olympicis certaminibus initium dedisse, decursasque fuisse 27. Olympiadas, quæ centum & octo annis respondent, priusquam illa quæ prima vocatur, celebraretur, quot nos ad primam Olymp. numeramus.

III. Olympica certamina ab Iphito, & Lycurgo restituta.

Olympiadum geminum initium.

Bien-

IV. An. Sabb. 84. Ortus Amasiæ.

Mors Ophratanis Imperiũ Ocrazapis.

Biennio post, id est decimo sexto anno regni Ioas, qui fuit alter à Sabbatico quarto & octogesimo, Rex idem auctus est filio, eodemque successore Amasia, qui 25. annorum fuit cum regnare cœpit, quot annis regnauit adhuc pater eius Ioas.

Sequenti deinde anno, qui fuit Ioas decimus septimus, mortuus est Ophratanes, anno imperij sui quinquagesimo: cui successit Ocrazapes ad annos duos & 40.

ANNVS MVNDI 3177.

IOAS 21. IEHV 27.

IOIADÆ 27. TEMPLI 155.

OCRAZAPIS 4. Imperij Assyr. 1246.

ANTE CHRISTVM 876.

I. Ratio tẽporis instaurati templi. 4. Reg 12. 6.

INstaurationem templi Salomonis ad hunc annum ab eo fundato 155. referimus, Chronicum Hebræorum secuti, qui hunc annum illi operi tribuunt. At videmur repugnare Scripturæ, quæ aperte asserit Sacerdotes non instauraſſe lapsa tecta templi, vsque ad annum 23. regni Ioas. Verùm duo tempora huic instaurationi assignanda sunt, alterum quo iussa est rege, qui præsens est annus, iuxta Chronicum Hebræorum: alterum quo executioni mandari cœpit, qui, iuxta Scripturam fuit 23. Ideoque

2. Par. 24. 6.

Leuitæ in 2. Paral. dicuntur esse negligentius: quos propterea legimus à rege fuisse reprehensos, vt postea dicetur. Non videntur autem parietes ipsi ędis sactæ feciſſe vitium, quorum erat firmitas ac soliditas maxima. Sed tectum potius, & sicubi habitacula Sacerdotum, atq; Leuitarum: maximè autem instauranda erant templi ornamenta, vasaq; aurea & argentea, quibus profani reges ornauerant fanum Baal: quod nominatim de Athalia scriptum est.

1. Par. 24. 7.

II. Rex iubet pecuniã colligi à Leuitis. 4. Reg. 12. 4.

Rex igitur, monente Pontifice, iubet pecuniam sanctam à Sacerdotibus & Leuitis colligi ad instaurationem templi. Et porrò triplici ex capite proueniebat. Primum enim pendebatur à transeuntibus in censum populi, qui scilicet attingebant vigesimum annum, qui ex lege dimidium sicli pendere incipiebant, & ita deinceps, quæ erat quædam professio seruitutis, qua se Domini vectigales ostendebant.

Exod. 30. 12. &c.

Erant deinde, qui ex voto pecuniam domino deberent. Erant postremo qui sponte offerrent donaria in templi vsum, sine vlla obligatione legis: quales erant quos aspiciebat Dominus, mittentes munera in gazophylacium templi. Eam autem pecuniam colligebant Sacerdotes & Leuitæ, iuxta ordinem vicis suæ, & administrationis in templo.

III. Mors Iehu, anno Sabb. 85. A. m. 3178

Sequenti anno, qui est Sabbaticus quintus supra octogesimum, mortuus est Iehu. Est enim 28. eius annus, qui concurrit cum 21. Ioas regis Iuda; vt deinde primus Ioachaz filij Iehu incidat in vigesimum tertium Ioas, quod affirmat Scriptura. De morte autem Iehu, quam superius occupauit, narratis per epitomen ijs, quæ ab eo post delectam Achabi familiam, & cultam ab eo virulinam idololatriam, gesta fuerant, hæc leguntur, *Reliqua autem verborum Iehu, & vniuersa quæ fecit, & fortitudo eius, scripta sunt in libro verborum dierum Regum Israel*, qui liber magnę Hebraicæ historiæ iactura interijt. *Et dormiuit Iehu cum patribus suis*, morte scilicet minime violenta, *sepelierunt que eum in Samaria*. Eius potrò fortitudo, quam Scriptura celebrat, prodidit se in occupando regno, & recipienda in se ruina amplissimæ, fundatissimæque Achabi familiæ. Sed nimirum in Domino faciebat virtutem. Sed cum postmodum meticulosa ambitione, vitulos aureos præcedentium regum, ipse quoque venerati ausus esset, conuersus est spiritus eius in ventum, fortitudo in formidinem, & animi præsentia in desperationem. Qui Syros fugauerat, fugatus est à Syris, & qui vnam eis ciuitatem eripuerat, ab eis latissima prouincia spoliatus est, & inglorius reliquam vitam transegit.

4. Reg. 13. 1.

Eius elogium.

ANNVS MVNDI 3179.

IOAS 23. IOACHAZ 1.

IOIADÆ 29. TEMPLI 157.

OCRAZAPIS 9. Imperij Assyr. 1248.

ANTE CHRISTVM 874.

I. Regnum Ioachaz.

PRimus exoritur in familia Iehu hoc anno princeps, cuius chronologia apertè à Scriptura stabilitur. *Anno*, inquit, *vigesimo tertio Ioas filii Ochosiæ regis Iuda regnauit Ioachaz filius Iehu super Israel in Samaria decem & septem annis*. Est autem hoc tempus querelæ regis Ioas, apud pontificem, de negligentia Leuitarum circa pecuniæ collectionem, quæ obscuritate non caret, cum in 2. Paral. dicantur neglexisse colligere pecuniam: in 4. autem Regum dicantur accepisse, & prohibeantur deinceps accipere. Dicendum videtur cum Abulensi, vtrumque verum esse, & Leuitas fuisse negligentes in colligenda pecunia, quia iuxta regis præceptum, non fuerant egressi ex vrbe, neque lustrauerant ciuitates regni Iudæ, ad colligendam oppidatim pecuniam: & tamen receperant pecuniam, quam sponte ad eos populus deferebat Hierosolymam, & acceptam retinebant, nec operi admouebant manum.

cap 24. 6. c. 12. 7.

II. Rex prouidet instauratio ni tẽpli.

Rex ergo vtrique malo remedium adhibuit. Quoniam enim Leuitæ non obierant oppida regni Iudæ, iussit præconis voce denunciari populo, vt pecuniam singuli, à Mose constitutam, deferrent in Ierusalem, sicque illi oppidatim discurrendi labore leuarentur. Et quia in plurium manibus manebat otiosa pecunia, multi quoq; cunctabantur eis dare pecuniam, fidem eorum fortasse suspectam habentes, præcepit Rex confici arcam recipiendæ pecuniæ idoneam, quæ publico exposita loco esset, ad quam singuli per seipsos pecuniam Deo debitam adferrent. In primisque Sacerdotes ipsi ac Leuitæ iussi sunt acceptam hactenus pecuniam in eam inferre, neque vltra eam à populo accipere: quod ab eis factum minime dubium est. Quin etiam hæc regis constituit abijt in cõsue-

tudinem, & inualuit, adeo vt post nongentos fermè annos, tempore Christi Domini esset in vsu.

Luc.21.8.

III. Ius regis in pontificē in lege veteri.

Sunt quibus paulò seuerius rex egisse videatur cum Ioiada pontifice, qui ei erat instar parentis optime de se meriti, nec satis tam longæuæ ætati indulsisse; agebat enim hoc tempore 125.annum. Verum hæc libertas facile tribui potest maximæ familiaritati, quæ regem inter & pontificem intercedebat. Abulensis autem regem suo iure vsum respondebit, siue Sacerdotem principem obiurgando, siue Sacerdotes ipsos nonnulla officij ac ministerij sui parte priuando. At enim iurisdictionem Leuiticam in veteri lege, à laica non fuisse distinctam, & regem vtriq; æquè præfuisse. Nam Salomon Abiatharem pontificem redegit in ordinem, & in pagum ignobilem relegauit, remissa aduersus eum mortis sententia; & quidem eo tempore, quo innocentia & sapientia maximè florebat; nec ea de re vnquam magis reprehensus fuit, quam ob punitum Ioabum aut Semei. Nimirum nihil ad perfectum adducebat lex. Et cum regum dignitas eadem fuerit in vtroque testamento, Sacerdotum dignitas in nouo infinitum accepit incrementum, adeo vt peccata remittere, & ipsum Sacrosanctum Christi Domini corpus conficere possint.

9.8.ine.12 4.Reg.

Sacerdotū dignitas aucta in noua.

IV. Noua ratio collatæ pecuniæ.

2.Par.24. 10.

Lætatique sunt cuncti principes tribuum, familiarum, turmarum: denique omnes optimates, virique primarij, *& omnis populus* de mutata à rege forma conferendæ pecuniæ, *& ingressi* templum ad limina atrij Leuitarum, *contulerunt* publicè pecuniam in manus Sacerdotum deferendam coram ipsis *in arcam Domini, atq; miserunt, ita vt impleretur.* Cum q; viderent nimiam pecuniam esse in gazophylacio, ascendebat scriba regis, & pontifex, effundebantq; & numerabant pecuniam, quæ inueniebatur in domo Domini. Mox arcam reportabant in locum suum, sicq; faciebant per singulos dies, & congregata est infinita pecunia, quæ mox à quæstoribus dabatur operarum præfectis viris honestissimis, à quibus ratio dati & accepti non exigebatur, *sed in fide tractabant eam.* Argumentum fidei horum præfectorum est, quod cum complessent. *Omnia opera, detulerunt coram rege, & Ioiada reliquam partem pecuniæ, de qua facta sunt vasa templi in ministerium & holocausta, phiala quoque, & catera vasa aurea & argentea.* Quamuis à principio pecunia hæc ad hunc vsum non fuisset destinata, vt in 4. Regum intelligendum est.

& distributæ operarijs.

2.Par.24. 14

cap.12.13.

ANNVS MVNDI 3180.

IOAS 24. IOACHAZ 2.

IOIADÆ 30. TEMPLI 158.

ORCAZAPIS 7. Imperij Assyr. 1249.

ANTE CHRISTVM 875.

I. 2.Par.24. 14.

VRGETVR hoc anno, & sequentibus aliquot in Iuda instauratio templi, & ornamentorum eius: sed & sacrificia legitimè suis quęque temporibus offeruntur. Quandiu enim vir Dei Ioiadas vixit, religio ac pietas Hierosolymis, totoq; regno Iudæ floruit. Regis enim ad exemplum populus conformabatur. Rex in Ioiadam, Ioiadas in legem Mosis studiosè intuebantur. Eoque conferebat non parum sanctè transacta regis pueritia, & adolescentia. Quo fit vt minimè eos probandos putem, qui ante Ioiadæ mortem Syros contra Ierusalem ascendisse arbitrantur. In regno potius Israëlis bacchati sunt Syri. Cum enim, vt scriptum est in 4. Reg. Ioachaz faceret malum coram Domino, sequereturque peccata Ieroboam, *iratus est furor Domini contra Israel, & tradidit eos in manu Hazael regis Syriæ, & in manu Benadad filii eius cunctis diebus.*

4.Reg.12. 2. Resp.floret sub Ioiada & Ioas.

Syri vexant Israëlem. c.13.2.3.

ANNVS MVNDI 3183.

IOAS 27. IOACHAZ 5.

IOIADÆ 33. TEMPLI 161.

OCRAZAPIS 10. Imperij Assyr. 1252.

ANTE CHRISTVM 870.

I. Mosaicus Iubilæus 12.

MEmorabilis est hic annus Mosaico Iubilęo ordine duodecimo. Sexcentesimus quippe agitur annus ex quo Iosue, transmisso Iordane, in Chananitidem ingressus est. Hoc circiter etiam anno, qui est Charilai regis Lacedæmoniorum, & peregrinationis Lycurgi tutoris eius decimus quartus, videtur Lycurgus in patriam, magna omnium gratulatione reuertisse, celebresque illas Spartanæ Reipubl. leges edidisse, quas à Ioue, vel Apolline accepisse creditum est, vt accuratius in Annalibus explicatum est ex Herodoto, Pausania, Plutarcho, Clemente Alexandrino, & alijs.

II. Lycurgi leges quales essent. l.2.de Rep. c.9.

Et sanè aut Iouem, aut Apollinem impurissimos dæmones sapiunt tam egregia instituta, quæ Aristoteles rectæ rationi, & bonis moribus vehementer aduersari docet. Ait enim in ea Republ. mulieres ita legibus informari, vt intemperanter & luxuriosè viuant: ideoque dimidiam Reipubl. partem legibus non esse temperatam. Rem clarius explicat Xenophon, docetque per Lycurgi leges adulteria fuisse probata, quorum maritus ipse procurator fieret, ac perductor. Ad quam scilicet honestatem à teneris instituebantur in *γυμνοπαιδίαις*, in quibus pueri puellæque nudis corporibus exercebantur; à quibus spectaculis arcebantur, qui cę libem vitam agere voluissent. Et ne solius pudoris naufragium fieret, quales ad iustitiam violandam stimuli pueris, adolescentibusq; subdebantur, cum furta, modo perfecta callidè, laudabantur; vt scilicet quisque res suas attentius custodiret. Quod si Respubl. Lycurgi præ cæteris eminebat; quibus reliquæ tenebris erant occæcatæ? & quam necessarius erat mundo cœlestis ille Legislator, qui omnes istas sordes abstergeret?

***

ANNVS MVNDI 3184.

IOAS 28. IOACHAZ 6.

IOIADÆ 34. & vlt. TEMPLI 162.

OCRAZAPIS 11. Imp. Assyr. 1235.

ANN. ANTE CHRISTVM 869.

I. Obitus Ioiadæ Pontif.

POstremum hunc annum vixit, sacramque Iudæorum Rempubl. administrauit Ioiadas pontificum clarissimus. Ratio temporis firmatur ex Hebræis, qui eum natum scribunt sub tempus deprauati Salomonis, sub annum regni eius trigesimum quintum; à quo anno ad præsentem 130. anni numerantur, quam vitæ periodum ei Scriptura tribuit. Eidem chronologiæ fauet rerum gestarum ordo; cum non cogamur priorem Syrorum aduentum ponere ante mortem Ioiadæ, & regis populique peccata. Recte porro existimare possumus Ioiadam, qui prudentem aliquorum aulicorum animos ad idolorum nequitiam sentiebat, cum iaceret in lecto moribundus, regem, qui ad ipsum inuisendum venerat, paterna cura, atque autoritate commonefeciſſe, de vera in Deum pietate retinēda, si vellet imperium, quod florens ipsos iam 28. annos experiebatur, in beata felicitate perseuerare. Sic enim statuere debere, DEVM, vt adhuc fecerat, impietatem in vtroque regno castigaturum. Simulque ei longo ordine numerat à se visos vtrobique reges, quorum pietatem vel impietatem secundæ, vel aduersæ res exceperint, nominatim Ochosiam patrem, auum Ioramum, & proauum Iosaphatum.

a.m. 3184. 3054. 130.

2. Par. 24 15.

Eius pia ad regem monita.

II. Glorioſe ſepelitur cõmunibus omnium ſtudiis.

Cumque hæc aliaque his similia magno animi sensu protulisset, non sine astantium lacrymis excessit è viuis. Quem rex Ioas, animo grato & pio, in malorum suorum sepulchris, insigni cum gloria condidit, tanquam de se totaque re publica sacra profanaque bene meritum. Nec dubium est vniuersum populum, tenerum pij regis affectum erga Ioiadam fuisse secutum, planxisseque illum, vt verum patriæ parentem, qui idololatriam, pestem patriæ, è regno sustulerat; qui Athaliam regni facem ac turbinem, regij sanguinis parricidam, è solio deturbarat; & legitimum in eo regni hæredem collocarat. Denique mortuus est Ioiadas in senectute bona, & annorum, & meritorum magno numero computata: plenus antiquæ fidei atque probitatis, vt qui antiquos illos proceres ipsa ætate referebat.

* * *

ANNVS MVNDI 3185.

IOAS 29. IOACHAZ 7.

PEDAIÆ Pont. 1. TEMPLI 163.

OCRAZAPIS 12. Imperij Assyr. 1254.

ANTE CHRISTVM 868.

I. Pedaiæ pontificatus. An. Sabb. 86. *Vide Ann. 1. & 2.*

EXIIT hic annus, qui est Sabbaticus 86. nouum pontificem, quem autem Ioiadæ sufficere possimus, ægrè senè reperimus. Itaque eum è chronico Hebræorum mutuari cogimur, quod eum Pedaiam, Iosephus Phidiani vocat. Regnum igitur, ait Seder-Olam, recepit Ioas 40. annis, Ioiada & Pedaia per ordinem Sacerdotum principibus, Zacharia Ioiadę filio Sacerdote simul, & propheta. Hæc illi, quibus subscribit Genebrardus, & si qui alij, & apparet eum fuisse filium Ioiadæ fratrem Zachariæ natu maiorem. Cæterum Pedaias parum felix in pontificatu fuit, quippe qui breui Regem oblitum Ioiadæ, à ptincipibus aulicis deprauatum vidit, frustraque à prophetis admonitum, sensim ad deteriora prolabentem. Vidit Hazaëlem regem Syriæ Hierosolymis imminentem, vltorem facinoris impiorum. Vidit Templum Domini, egregijs nuper ornamentis decoratum, à rege ipso spoliatum, vt Deo consecrata vasa & donaria, regi barbaro & crudeli, in prædam profananda traderentur. Vidit regem ipsum, se & Sacerdotis, & prophetæ sanguine, ingratissimo scelere, polluentem: & iterum vltorem Syrum de rege & ptincipibus supplicium sumentem, istos interficientem, in illum ignominiosa iudicia exercentem. Vidit deniq; miserum regem in magnis languoribus iacentem, à seruis domesticis in lectulo suo perfidiosissimè iugulatum.

Quæ mala eo pontificẽ cõtigerint.

II. Ioas rex deprauatur à suis. 2. Par. 24. 17.

Malorum autem & deprauationis miseri Ioas hoc exordium fuit. *Postquam obiit Ioiada, ingressi sunt principes Iuda, & adorauerũt regem.* Vtiq; petentes sibi fieri potestatem colẽdi Baal, sicuti sub Ioramo, Ochosia, & Athalia factitarant, *qui delinitus obsequiis eorum, acquieuit eis. Et dereliquerunt Templum Domini Dei patrum suorum, seruieruntque lucis; & facta est ira contra Iudam, & Ierusalem propter hoc peccatum:* tam regis permittentis idololatriam aulicis suis, quam ipsorum id scelus perpetrantium. Neque enim rex ipse accusatur idololatriæ à Scriptura, licet id Iosephus, alijque putarint. Illi ergo expressa à rege licentia, dereliquerunt templum Domini, magnifice nuper instauratum, & ad lucos & sculptilia, & idolorum fana restituenda sacrilega æmulatione conuersi sunt. *Seruierunt enim Astarte*, vt habent Septuaginta, *& idolis*, quæ Ioiadas, tot annorum spatio, haud dubiè sustulerat. Cæterum hæc impietatis instauratio, non se totam statim effudit, vt quæ pene ab inuito rege fuisset extorta, sed paulatim, & quasi sine sensu: ac ne paucorum quidem sumptuum fuit: ne illa diuini numinis simia, parum magnificè pro sua superbia, diuinam maiestatem æmulari videretur. Interim autem collecta est

Qui ſeruiant idolis.

ira Dei, quæ breui ſuper regnum Iudæ, ipſamq; Ieruſalem effuſa eſt.

ANNVS MVNDI 3186

IOAS 30. IOACHAZ 8.

PEDAIÆ 2. TEMPLI 164.

OCRAZAPIS 13. Imp. Aſſyr. 1155.

ANTE CHRISTVM 867.

DVæ principes populi, populo impietatis autores aut duces fiebant, & idololatriam ſtudioſè promouebat, *mittebat eis*, Dominus *prophetas vt reverterentur ad Dominum, quos proteſtantes illi audire nolebant.* Obteſtabantur ſcilicet eos, & ſtruſtra cœlum & terram teſtes contra eos, exemplo Moſis, inuocabant. Vox porro illa *mittebat*, non vnam aliquam miſſionem, ſed plures aperte ſignificat; idemque eſt ac ſi diceret ſæpius miſiſſe prophetas; non ſolum rerum futurarum præcones, ſed diuinæ quoque legis doctores, & qui de ſuperiore loco populum docerent, arguerent, increparent, cum multo zelo, patientia & doctrina. In ijs Pedaiam principem Sacerdotum, ſuo erga regem & optimates munere functum eſſe, non videtur dubitandum, Deo illum, & per eum cæteros animarum curatores vehementius, pro rei neceſſitate incitante. Sicut & fratrem eius Zachariam filium Ioiadæ. Cum enim plurimum filiorum Ioiadæ in regis inauguratione fiat mentio, & de Zacharia perſpicuè Scriptura tradat, eum fuiſſe pontificis filium, haud dubiè ei in pontificatu ſucceſſiſſet, niſi Pedaias, & iure primogenituræ præferendus fuiſſet.

1. 2. Par. 24. 19. Deus populum monet per prophetas. Deu. 4. 26 & 30. 19. & 31. 28. & 32. 1.

Maximè per Pōtif. & Zachariam.

2. Par. 23. 11. 2. Par. 24. 20.

ipſe rex Syriæ, vtique cum toto robore exercitus ſui; alioqui enim nunquam de Hieroſolyma capienda cogitaſſet. In poſteriore tacetur Hazaël, & permodicus Syrorum numerus dicitur veniſſe contra Iudam & Ieruſalem; & inde præda corraſia, ad regem mittitur in Damaſcum. In priore nō venitur ad manus, nemo interficitur, ſed ingenti pecunia redimitur vrbis obſidio, ac direptio. In poſteriore pugnatur, multi à paucis ſuperantur, cuncti principes populi interficiuntur, rex ipſe male mulctatur.

2. Par. 24. 23.

II. Ioas redimit pacem a Syria.

Cum ergo videret Ioas victrices Syrorum copias, gloria & ſpolijs captæ vrbis animoſiores, copias multis iam annis in profligandis Iſraëlitis exercitatas, vehementer extimuit; vt qui ſe intelligeret inimicum Deo, & ingentis in illum peccati participem, non expectandam obſidionem ratus, cum Syro per internuncios de redimenda obſidione, immenſa quadam auri vi conuentum eſt: quam vt diſſolueret, omnia donaria pretioſa, tam aurea, quam argentea, quæ Ioſaphat, Ioram & Ochoſias, & ipſe quoque Ioas obtulerat, *& vniuerſum argentum, quod inuenire potuit in theſauris templi Domini, & in palatio regis* collegit, abſtulit, *miſitque Hazaëli regi Syriæ*, quibus ille acceptis *receſſit ab Ieruſalem*: dum auri ſacra fames hominem ad iterandam extimularet expeditionem, ac prædam: cui cito aditum tam regis, quam populi peccata patefecerunt.

ANNVS MVNDI 3187.

IOAS 31. IOACHAZ 9.

PEDAIÆ 3. TEMPLI 165.

OCRAZAPIS 14. Imper. Aſſyr. 1156.

ANTE CHRISTVM 866.

CVM iamdudum effuſa eſſet contentio ſuper principes, & illi errarent, *in inuio & non in via*; effuſa quoque eſt ira Dei ſuper eos, & ſuper ciuitatem Ieruſalem, & ſuper vniuerſum regnum Iudæ. Nam *tunc aſcendit Hazael rex Syriæ, & pugnabat contra Geth, cepitque eam, & direxit faciem ſuam, vt aſcenderet in Ieruſalem.* Elatus ſcilicet victoria expugnatæ vrbis Geth, quæ olim Philiſthæis, nunc Iudæis parebat, adiecit animum ad inuadendam regiam vrbem. Hoc bellum poſt mortem Ioiadæ contigiſſe, iam ſupra diximus, quod non conueniat pœnam eſſe culpa priorem. Fuerunt porro duæ Syrorum expeditiones contra regnum Ioas, quas, licet admodum à Scriptura diſtinctas, nonnulli confundunt. Nam in prioribus re aſcendit Hazaël

I. Pſal. 160. 40. Hazaël capta Geth, adit Ieruſalem. 4. Reg. 12. 17.

Gemina Syri expeditio.

ANNVS MVNDI 3192.

IOAS 36. IOACHAZ 14.

PEDAIÆ 8. TEMPLI 170.

OCRAZAPIS 19. Imp. Aſſyr. 1161.

ANTE CHRISTVM 861.

ZACHARIAE filii Ioiadæ pontificis mortem in hunc annum 36. regni Ioas incidiſſe poſſumus cum Euſebio probabiliter affirmare, cum ea chronologia rebus ipſis belle conueniat. Trigeſimo enim ſexto Zachariam iuſſit occidi: anno vertente aſcenderunt iterum Syri contra eum, ab ijſque victus, captus, & male tractatus eſt. Sequente biennio in languoribus magnis decubuit, quo tempore regnum adminiſtrauit Amaſias filius eius, anno denique quadrageſimo à ſeruis ſuis occiſus eſt. Vt autem quod inſtat agamus, verberum ſenſu paulatim ſedato, rex cum ſuis, puerorum inſtar, redeūt ad ingenium, & magnum illum magiſtrum ad verbera grauiora compellunt. Hic videlicet prophetæ clamant. Deniq; iuſſu tam in ipſum regē, quam in principes, & totum populum teneriſſimas intentant minas. In his facile eminebat is, qui multum dignitate, atq; autoritate præſtabat, Zacharias filius Ioiadæ, Sacerdos ac propheta, cuius mater erat amita regis, vir ætate venerandus, annis 70. aut 60. non minor. Quibus nominibus cum egregia virtus accederet, & ſapientia; eum rex quoque reuerebatur: nec dubitabat illum verum eſſe Dei interpretem.

I. Mors Zachariæ, & ratio tēporis.

Nec sine causa; *induit enim eum spiritus Domini, & stetit in conspectu populi*, & dixit eis: *Hæc dicit Dominus Deus. Quare transgredimini præceptum Domini? Quod vobis non proderit*, imo perniciem maximam importabit. *Et dereliquistis Dominum*, ex quo factum est *vt derelinqueret vos*. Hæc quidem summa est obiurgationis prophetæ; sed multo eum plura, & magno spiritus feruore dixisse ex eo intelligitur, quod Spiritus Dei dicitur illum induisse, animum videlicet subintrasse, aut tanquam armatura valida, illum vndiq; obtexisse: quodque populus seditiosus, in primisque aulici regij molestum reprehensorem impatienter ferẽtes, in eius perniciem dicuntur congregati. Regem autem in primis calumnijs in ipsum onerant, quibus denique persuasus, & molesto insuper monitore carere desiderans, frustra monitum vt taceret, nisi rebus suis male vellet esse consultum, aduersarijs suis permittit: eisque potestatem facit hominem iterũ in obiurgatione deprehendẽdi lapidibus impetendi, & ex atrio fugatum in cubiculum suum compingendi, & nisi id satis sit ad continendum hominem, etiam obruendi.

II. Zacharias obiurgat peccatores.

Rex in eius necẽ consentit.

Cum ergo instaret operi suo Zacharias, obiurgaret, obtestaretur, increparet, cœlum terramque contestaretur; alterum insuper Syrorum aduentum intentaret, qui non solum publicas, priuatasque opes euerteret, sed qui cædibus omnia misceret, eosque maxime perderet, qui perdendæ pietatis autores fuerant, atque promotores: cum in his, inquam, totus esset Zacharias, congregatus est aduersus eum populus *& miserunt lapides, iuxta regis imperium, in atrio domus Domini*, in atrio scilicet Leuitarum, quod templo proximum erat, in cuius medio erat altare holocaustorum, quod modico interuallo ædem sanctam ab occidente habebat, vt conueniat illud Christi Domini, *vsque ad sanguinem Zachariæ filij Barachiæ, quem occidistis inter templum & altare*, iuxta communiorem eius loci expositionem. Credibile est Zachariam: cùm lapidum grandine, ex atrio & porticibus Israëlis, vndique quateretur, intra ipsam ædem confugere voluisse, sed saxo quopiam deiectum concidisse, ibique obrutum esse.

III. Lapidibus obruitur à populo.

Et non est recordatus Ioas rex misericordiæ, quam fecerat Ioiadæ pater illius secum, sed interfecit filium eius. Ita Scriptura diuina', quasi ingemiscens in morte Zachariæ, cum exprobratione aduersus ingratum, ac sacrilegum principem, qui tanti oblitus beneficij, quantum in hac vita accipere potuerat, eximiam misericordiam dira crudelitate rependit: qui mortem intulit filio, à cuius parente vitam & regnum acceperat. Non eripuit prophetam de manu aulicorum suorum, cuius mater eum de manibus satellitum ac sicariorum Athaliæ eripuerat. Eum autem occidendo, simul sibi, suoque imperio sustulit validum protectorem: & perpetuũ apud Deum deprecatorem, vertit in iustæ vltionis candidatum. Nam sequitur, *Qui cum moreretur, ait: Videat Dominus, ac requirat.* Cum enim iudicem in terris non haberet, ad quem prouocare posset, Deum appellauit causæ suæ cognitorem ac iudicem, & quidem iustitiæ desiderio, non liuore vindictæ, vt qui à Christo Domino iustis, & impiè à Iudæis occisis annumeretur. De hoc enim nostro Zacharia Christũ egisse, non de alio quapiam in Annalibus nostris diligenter ostendemus, quos studiosus Lector consulere potest, vt nos ijs hoc loco prætermittendis consulimus breuitati.

IV. Summa regis ingratitudine. 2. *Par.* 24. 22.

Deum requirit vltorem.

Mortuus videtur hoc anno Hazoël rex Syriæ, post plurima damna vtique Hebræorum regno illata, nec diu Hierosolymitana præda potitus, *& regnauit Benadad filius eius pro eo*s. Ex initio enim c. 13. 4. Reg. vbi de initio regni Ioachaz, & eius idololatria agitur, colligitur Benadad regem Syriæ regnasse tempore regni Ioachaz, cuius perpauci anni supersunt; ab vtroq; enim rege vexatus est. At non nisi mortuo patre regnauit Benadab. Accedit quod cùm Syri anno euoluto à morte Zachariæ, contra Iudam pugnauerint, nulla vltra fiat mentio Hazaëlis. Fuit autem hic annus regni eius 43. tot enim numeratur à sexto anno famis, quo mortuus est prior ille Benadad, & rex factus est Hazaël, qui à Iosepho dicitur diuinos honores apud Syros consecutus.

a.n 9. ad 19.

V. Mors Hazaëlis Syri. 4. *Reg.* 13. 42.

l. 9. ant. c. 2.

ANNVS MVNDI 3193.

IOAS 37. IOACHAZ 15.

PEDAIÆ Pont. 9. TEMPLI 171.

OCRAZAPIS 10. Imperij Assyr. 1262.

ANTE CHRISTVM 860.

CVm euolutus esset annus à morte Zachariæ, quod tempus frustra datum est regi, vt respiceret se, & conuerteretur ad Dominum, *ascendit contra eum exercitus Syriæ*, causa in obscuro est. Nisi forte Ioas tributum aliquod spopõderat Syris, quod nunc Hazaële defuncto, pendere recusauit. Primaria porro causa fuit Deus, vltionẽ expetens pro Zacharia, in optima causa, per summam ingratitudinem, interempto.

I. Syrus redit contra Iudã

Cum autem pauci essent numero Syri, & Ioas infinitam hominum multitudinem collegisset, vt Scriptura testatur, non potuerunt munitissimam vrbem Ierusalem obsidere. Sed ijs in regnum Iudæ ingressis, venit obuiam Ioas cum aulicis suis, & infinita populi multitudine; à quibus nihilominus infeliciter pugnatum est. Non enim contra Syros, sed contra Deum suum pugnabant, qui illis animos, & alacritatem, his segnitiem & pauorem infundebat.

Eumque bello superat. 2. *Par.* 24 24.

Ergo victores Syri *cunctas populo principes interfecerunt, atque vniuersam prædam* debellati exercitus *miserunt regi* Benadab *in Damascum*. In Ioas quoque *ignominiosa exercuere iudicia*, qui optimatibus suis iniusta petentibus infracto animo cesserat, bello victus captusque, aliter à Syris, quam regem deceret, tractatus est. Multis videlicet vulneribus, licet non lethiferis, afflictum Scriptura significat, cũ ait abeuntes Syros dimisisse *eum in languoribus magnis*. Et certe mira est hic quoque diuina prouidentia, quæ non permiserit regem à Syris occidi, aut in Damascum captiuum abduci, Hierosolymorum seruitute redimendum, aut ipsam vrbem occupari, qui regem eius, tam multosque viros primarios haberent in potestate. Ni-

II. Principẽ occat, regem male mulctat. *ver.* 25.

mirum Dominus pœnas & clades pro arbitrio permittit ac temperat.

III. Ioas in Israël fit regni socius. c 13. v. 10. & 11.

Hoc ipso *anno trigesimo septimo Ioas regis Iudæ, regnauit Ioas filius Ioachaz, in Samaria sedecim annis.* Ita scriptum est in 4. Reg. Nimirum hoc anno Ioachaz filium suum Ioam, cognominem regi Iudæ sibi socium regni assumpsit; neque tamen 16. anni regni eius ab hoc tempore numerari incipiunt, sed à patris morte duntaxat, quę post biennium contigit inchoatum. Causa porro cur Ioachaz filium suum Ioam in collegam regni sui nunc acceperit, videtur fuisse quod nunc in spem meliorum temporum excitatus fuerit. Cum enim in regno Israëlis deterrimo in statu res essent, adeo vt Ioachaz in copijs suis 50. tantum equites, decem currus, & decem millia peditum numeraret, suasore, vt apparet, Eliszo, *deprecatus est faciem Domini, & audiuit eum Dominus. Vidit enim angustiam Israel, quia attriuerat eos rex Syria, & dedit Dominus Saluatorem Israeli.* Habes ergo, Lector, hic exemplum diuinæ clementiæ singulare, quæ regem impium miserata precantem, aut populum potius attritum malis liberare voluerit, eosque à cladibus respirare permiserit, qui nullum vnquam finem impietati suæ posuerunt.

Ioachaz attritus cladibus Deum exorat. 4. Reg. c 13. v. 7. v. 4.

IV. Qui dat et Saluatorem vnum, atq; alterum. 4. Reg. 13. fi.

Fuit hic Saluator Ioas filius Ioachaz, qui nũc regnare cœpit cum patre, qui tres clades intulit Syris, & recuperauit vrbes, quas Hazaël abstulerat patri suo. Conuenit nihilominus titulus Saluatoris Ieroboamo filij Ioas, nepoti Ioachaz. Illum enim suscitauit Dominus in liberatorem ac vindicem populi sui, quamuis rebellis, iuxta sermonem Ionæ prophetæ. Nam ipse restituit terminos Israël, ab introitu Emath, vsque ad mare solitudinis. Itaque cum quoque Saluatorem Scriptura vocauit, cum ait noluisse Dominum delere nomen Israël de subcœlo, sed *saluasse eos in manu Ieroboam filij Ioas.* Itaque, Dominus pro vno Saluatore geminum dedit alterum qui libertatem Israëlitarum inchoaret alterum qui perficeret.

ANNVS MVNDI 3194.

IOAS 38. IOACHAZ 16.

PEDAIÆ 10. TEMPLI 172.

OCRAZAPIS 21. Imperij Assyr. 1263.

ANTE CHRISTVM 859.

I. Regnum Iudæ idololatria purgatur.

CVm Dominus nefarios illos idololatriæ in regno Iudæ instauratores Syrorum gladio de medio sustulisset, & rex languere potius quã regnare dici posset, admodum credibile est Pedaiam pontificem, omnesque prophetas, ac viros pios hac occasione vsos incubuisse, ad cursum idololatriæ impediendum, & pietatem pristinæ dignitati restituendam: neque apparet regem, diuina iudicia agnoscentem, sese difficilem præbuisse. Præsertim cum, vt diximus, idola ipse non coleret, sed tantum precibus impiorum fatigatus, eorum sacrilegæ voluntati acquieuisset: & post alteram plagam nunc diuinitus acceptam, etiam tertiam, vtraque acerbiorem timeret, quæ regem cum tota repub funditus perderet. Hos ergo, qui supersunt, vitæ annos ac regni Ioas, absque idololatria transactos, facile mihi persuadeo, regemq; Amasiã, vti à patre acceperat, regnum in veri Dei cultu plurimos annos conseruasse. Quin etiam hoc ipso tempore, dum pater cum doloribus suis luctatur in lecto, & præteritarum culparum pœnitentiam agit: eamque, vt credi potest, fructuosam, videtur Amasias, qui nunc vigesimum secundum agebat annum, regnum non suo, sed patris nomine administrasse: præsertim cũ Ioas filius Ioachaz, in Samaria cum patre regnaret, & Ioas ipse, vt maxime vellet doloribus afflictus, publice rei vacare non posset.

Amasias regnum ægro patre administrat.

ANNVS MVNDI 3195.

IOAS 39. IOACHAS 17. & vlt.

IOAS filij eius 1.

PEDAIÆ 11. TEMPLI 173.

OCRAZAPIS 22. Imperij Assyr. 1264.

ANTE CHRISTVM 458.

1. Obitus Ioachaz, & ratio temporis 4. Reg. 13. 1.

HIc est decimus septimus, idemque postremus annus Ioachaz filij Iehu regis Israëlis. Cum enim ineunte vigesimo tertio Ioas regis Iudæ regnare cœperit, ad hunc trigesimum nonum eiusdem saltem inchoatum oportuit peruenisse, vt dici possit regnasse 17. annis. Inchoatum quoque, quia necesse est hunc primum filij annum cum vltimo patris concurrere, vt sedecim, quod ait Scriptura, regnasse reperiatur: ijque eo tempore finiri possint, quo eadem Scriptura postulat. Mortem porro Ioachaz paucis perstringit sacer historicus. Cum enim commune illud elogium impietatis regum Israëlis replicasset, subdidit reliqua illius gesta, & fortitudinem eius literis mandata in libro regum Israël. At mirum videtur laudari fortitudinẽ Ioachaz, cuius nullum extat in scriptura memorabile facinus, sed perpessiones tantum probrosæ, & clades aggestæ cladibus. An quia eis non succubuit, neque de auxilio diuino desperauit, sed illud non sine fructu implorauit? Nam in patiendo magis quam in agendo, atque aggrediendo fortitudinem spectari constat.

Qualis eius fortitudo. 4. Reg. 13. 10.

ANNVS MVNDI 3196.

IOAS IVD. 40. & vlt. IOAS ISRA. 2.

PEDAIÆ 12. TEMPLI 174.

OCRAZAPIS 23. Assyriorum 1265.

ANTE CHRISTVM 857.

1. Mors Ioas ex Dei vindicta.

CElebris est hic annus morte regis Ioas filij Ochoziæ Iudæi, & diuina in eum vltione. Nam *surrexerunt contra eum serui*: quod facinus

permisit

permisit Dominus, *in vltionem sanguinis filij Ioiadæ sacerdotis*. Sicut ignominiosa illa iudicia, quæ in eum Syri exercuerunt, Deo vltore pertinebant ad puniendam illam indulgẽtiam, qua suis auliscultum idolorum permisit. Eo ergo scelere, cruciatibus æquo animo toleratis, expiatus est Ioas; sed supererat luendum alterum facinus, & regis ipsius vita, pijs Sacerdotis manibus parentandam. At quid causæ sicarijs istis fuit insurgẽdi in regem suum? num eadem quæ Domino permittendi? Ita quidam non recte crediderũt; quid enim iuris in proditoribus istis aduersus regem suum fuit? vt illius se primum iudices, deinde tortores constituerent? cuius ne fimbriam quidem vestimenti maleuolo animo attingere potuerunt. Priuata ergo causa quæpiã hos parricidas in regem armauit, si forte abillis aliqua re offensus, (vt solent ægri facile offensionis, & iratum causas inuenire) mortem illis comminatus fuerit, ipsi autem facinus anteuerterint; quod Dominus, præter eorum intentionem, in finem debitæ sibi vltionis direxit.

Cum iustissimo sicariorum scelere.

Et priuata causa.

II. Eorum genus, & potentia. 2. *Par.* 24. 26.

Mortuus est ergo Ioas, impiorum gladijs in lectulo suo trucidatus, quorum genus ex Ammonitide, & Moabitide Scriptura memorat, significans ad infamiam prouinciarum pertinere, quæ talia monstra peperernnt. Punierit fortasse Dominus connubia populi sui cum alienigenis, ex quibus regum suorum parricidas exurgere passus sit, fuisse autem eos potentes ex eo colligitur, quod Amasiam filium eius, qui vigesimum quartum agebat annũ, & mox regnaturus erat, non timuerint: Nec ipse Amasias ausus fuerit eos ad commeritum supplicium rapere, nisi postquam roboratum sibi sensit imperium. Sepulcus est autem in ciuitate Dauid, nec tamen regum sepulchris illatus est, vt Scriptura notauit, quamuis id in filij eius Amasiæ dedecus redundaret. Existimo in danda aut neganda regum sepultura, habitam fuisse rationẽ dispositionis cadaueris. Quia enim Ioramus mortuus fuerat in infirmitate pessima, & totus tabe diffluebat, funebri pompa caruit, sine qua non inferebantur corpora regum sepulchris. Idem de Ioas, qui diu in infirmitate langnerat, dicendum videtur: qua nihilominus patienter tolerata expiatus, potuit felicitatem suo tempore adipisci, idemq; de plerisque alijs esto iudicium. Nam orco destinati, & grauibus onusti criminibus, fere *ducunt in bonis dies suos, & in punctο ad inferna descendunt.*

Sepultura Ioas, cur non in regum sepulchris. 4. *Reg.* 24.

Bona de eo spes.

Iob. 21. 13.

Hoc quoque tempore mortuus creditur Pedaias pontifex. Chronicum enim Hebræorum, quod hoc loco sequimur, non vltra regnum Ioas regis Iudæ, summum eius sacerdotium extendit: quamuis neq; huius, neque cuiusquam alterius pontificis, annorum initium aut finem notet, quod in primis optandum fuit. Fuisse tamen hunc virum bonum & Ioiadas pater, vt creditur, & Zacharias frater, idemque sacerdos, & propheta, facile persuadent.

III. Obitus Pedaiæ Pont.

***

ANNVS MVNDI 3197.

AMASIÆ IOASI ISRAELITÆ 3.

SEDECIÆ Pont. 1. TEMPLI 175.

OCRAZAPIS. 24. Imperij Assyrior. 1166.

ANTE CHRISTVM 856.

PRimus annus Amasiæ magnaex parte secundo & tertio Ioas Israëlitæ respondet. Secundo quidem, quia cum Amasias regnare cœpit, nondum euolutus erat annus secundus, ex quo Ioas sine patre regnare cœperat: respondet etiam magnæ parti tertij: quoniam nisi primus Amasiæ concurrat cum tertio Ioas verum esse nõ poterit vixisse Amasiam quindecim annis, postquam idem Ioas Israëlita mortuus est; vt Scriptura tradit; quod requiret vt decimus sextus Ioasi cum 14. Amasiæ concurrat, & consequenter tertius illius, cum primo huius. Cum autem viginti quinque annorum fuisse Amasiam hoc regni sui initio Scriptura dicat, recte eius ortũ in annum Mundi 3172. coniecimus. Pontificem autem Sedeciam ex Hebræorum chronico mutuati sumus, ex quo etiam habetur floruisse hoc tempore Amos prophetam Etaiæ parentem, & Amasiæ regis fratrem. Regis initia Scriptura cõmendat, adeo vt Dauidi pene supparem, patri autem Ioas plane exæquet; quam comparationem eo recte retuleris, quod regis vtriusque principia laudabilia fuerunt, extrema nõ item; vtroque tunc, licet in diuerso genere, peccante. Ad hæc initia pertinet supplicium sumptum à rege de percussoribus patris sui; laudatq; Amasiam Scriptura, quod illud ad innocentes filios non extenderit, Dei lege super ea re obseruata, qua Legislator ipse non tenetur, qui visitat peccata parentum in filios ad quartam vsque generationem; quippe qui omnem habet in omnes vitæ necisque potestatem.

I. Ratio tẽporis Amasiæ. 4. *Reg.* 14. 1.

4. *Reg.* 14. 17.

2. *Par.* 25. 1. Sedecias Pont. Amos proph.

ANNVS MVNDI 3199.

AMASIÆ 3. IOAS 5.

SEDECIÆ 3. TEMPLI 177.

OCRAZAPIS 26. Imperij Assyr. 1168.

ANTE CHRISTVM 854.

SAbbaticus est hic annus, ordine octauus supra octogesimum, quem in his Amasiæ regni initijs bene ac religiose obseruatum par est credere. Cæterum cum Amasias annos 29. regnauerit, primus autem annus Azariæ siue Oziæ filij eius incidat in 27. Ieroboami filij Ioas Israëlitæ, necesse est Ieroboamum hoc anno cum patre regnare cœpisse; cumque eo duodecim annis, solum autem quindecim, viuente ac regnante adhuc Amasia. Quæ ratio conciliandi scripturas longe commodior est, atque expeditior ea, quæ in regno Iudæi insert duodecim annorum interregnum. Hocinterim anno, &

I. Annus Sabbat. 88.

4. *Reg.* 14. 2

4. *Reg.* 15. 1.

Ieroboã regnat cũ patre.

sequentibus aliquot, atque præcedentibus vtrumque regnum Hebræorum à crudeli Syrorum vexatione aliquantulum respirabat, viresque colligebat, quas primum in hostes quisque suos exeretent; deinde etiam, Deo peccata ipsorum vindicante, in semetipsos,

ANNVS MVNDI 3240.

AMASIÆ 8. IOAS 10.

SEDECIÆ 8. TEMPLI 182.

OCRAZAPIS 31. Imperij Assyr. 1273.

ANTE CHRISTVM 849.

I. Eliseus ægrotat, & ratio temporis eius. 4. Reg. 13.14. Sedet Oliæ an. 19.

ELiseus, ait Scriptura, *ægrotabat infirmitate, qua & mortuus est. Descenditque ad eum Ioas rex Israel, & flebat coram eo; Anno nimirum*, aiunt Hebræi *regni sui decimo. Ex quo colliges quos annis Eliseus pauerit Israelem, nempe ab anno 19. Iosaphat, ad hoc vsque tempus, per annos plus sexaginta.* Hæc illi; nimirum 66. qui conficiuntur ex 7. reliquis Iosaphati, 5. Iorami, 6. Athaliæ, 40. Ioas, & octo Amasiæ. Quibus annis si addideris annos 12. quibus cum Elia versatus est, & 30. circiter annos quos natus erat, cum ab Elia vocatus est, centum & octo annos vixerit, quibus facile patiar octo auferri, vt vigesimum secundum annum agens, aratrum, Elia vocante, reliquerit: sicque centesimum annum expleuerit. Non traditur vbi ægrotauerit propheta, neque vnde rex descenderit. Arbitror vtrumque fuisse in Samaria, & regem ex arce & palatio suo, in domum prophetæ, quam habuit in Samaria, officij causa descendisse.

4. Reg. 6.32.

II. Inuisitur à Rege.

Ex quo intelligitur prophetam magno in pretio apud regem fuisse, etsi is ritu patrio idola vitulina coleret. Credibile autem est, sicut Herodem audito Ioanne, ita & reges Israëlitarum (sex autem regum tempore prophetauit, Achabi, Ochosiæ, Iorami, Iehu, Ioachaz, Ioas) eo audito multa fecisse, multaque eum mala, consilio, & autoritate sua auertisse. Quæ videtur causa fuisse, cur Israëlitarum regnum cum suis non desereret. Oportebat quoque ipsum, cum familia sua religiosa, pleroscque viros pios Deum colentes, qui in Israële commorabantur, in Dei timore & idolorum fuga sustentare. Flebat autem rex coram eo, siue priuato amore, siue regni sui iactura incitante, cui instar erat equitum ac curruum plurimorum, propter gratiam qua valebat apud Dominum Deum exercituum: & quo è vita discedente, tanquam orphani, inimicorum iniuriis patebant.

III. Quem Propheta consolatur. 4. Reg. 13.15.

Sed regis lachrymas verbis propheta, factisque consolatur. *Affer*, inquit, *arcum & sagittas*, quæ cum tulisset rex, *pone*, inquit propheta, *manum tuam super arcum*, sinistram scilicet, vt solent qui iaculari volunt, dextra ad chordam & telum reducta. Quæ ceremonia reddebat attentos omnes qui aderant, vt qui non intelligerent quid moliretur senex. Tum superposuit Eliseus manus suas manibus regis, vt is intelligeret Deum, qui ore prophetæ liberationem Israëlis de Syrorum tyrannide prædicebat, etiam applicatione manuum prophetæ, qui eius gerebat vices, ostendere se eiusdem libertatis effectorem fore. Cumque iussisset aperiri fenestram orientalem, quæ respiciebat regionem Israëlitarum trans Iordanem, quæ occupabatur à Syris, & recuperanda erat, iussit quoque eò mitti sagittam; qua missa, *ait Eliseus: sagitta salutis Domini*, id est, salutis à Domino de manu Syrorum obtinendæ, *percutiesque Syriam in Aphec*, vbi eos olim Achab ingenti clade prostrauerat, *donec consumas eam.*

IV. Eique victoriã de Syris pollicetur.

Quoniam vero inquirere potuit rex, vnóne prælio, an pluribus rem confecturus esset, iussit Eliseus sagittis terram percuti; quod cum ille ter tantum fecisset, doluit propheta non percussam terram sæpius, quod non plures tribus victorijs de Syris esset obtenturus. Dominus enim, qui immerentibus hasce victorias gratis dabat, potuit eas ad quem libuit casum, circunstantiam, conditionem alligare. Ea porro prælia, quæ hìc significantur, à Scriptura prætermittuntur. Quæ enim ad regnum prophanum Israëlitarum pertinent, non nisi obiter à Scriptura tanguntur, nisi coniuncta fuerint cum Iudæorum rebus. Id vnum refertur, Ioam his prælus recepisse vrbes, quas victus à rege Syriæ Ioachaz pater eius amiserat.

4. Reg. 13.25.

V. Eliseus moritur, & honorifice sepelitur.

Morienti porro prophetæ affuisse, non solum viros religiosos, tam Carmeli, quam aliorũ locorum cultores, quos ipse tot annis excoluerat, quibusq; Dominus, cum regum Israëlitarum indulgentia, incrementum dederat, rationi cõsentaneum est, fedalios quoq; viros insignes, vti diligentius in Annalibus explicatum est: vbi habes illius vitæ epitomen in paucas digestam periodos, vna cum parallelo prophetæ huius cum Christo Domino, quæ studioso earum rerũ inde petent. An autem communem aliquem patrem loco suo constituerit, qui omnibus religiosæ vitæ professoribus præesset, affirmare nõ possum. Non defuisse saltem singulis locis aliquem virũ sapientem, qui familiam regeret, merito credi potest. Sepultus est autem in agro suburbano Samariæ, vt ex sequentibus colligitur. De loco ac tempore mortis eius extat testimonium Romani martyrologij, decimo quarto Iunij in hæc verba: *Samariæ in Palæstina sancti Elisei prophetæ cuius sepulchrum dæmones perhorrescere, S. Hieronymus scribit.* Hæc ibi.

Epi. 27. in Epitaphio Paulæ.

ANNVS MVNDI 3205.

AMASIÆ 9. IOAS 11.

SEDECIÆ 9. TEMPLI 183.

OCRAZAPIS 32. Imperij Assyr. 1274.

VRBIS CONDITÆ 850.

I. Eliseæi contactu mortuus reuiuiscit.

REferimus in hunc annum prodigium suscitati mortui ad sepulchrum Eliseæi, & primam Israëlitarum contra Syros pugnam, atque victoriam. Ait enim Scriptura venisse latrunculos Moabitas in regnum Israël populabundos, *in ipso anno*, quo scilicet mortuus est Eliseus, siue intra vnius anni circulum; Chaldæus

habe

habet *in introitu anni*, alij *ineunte* aut *vertente anno*. Cum ergo ex Romano martyrologio constet mortuum Elisæum medio Iunio, merito ad hūc annum ineuntem excitationem huius mortui retulimus. Nec minus propterea *hoc ipso anno* res contigerit, id est intra illius anni circulum, quo mortuus est Elisæus. Cum ergo Moabitæ transmisso Iordane circa Samariam, excurrerent, cōtigit vt quidam cadauer hominis mortui deferrent in sepulchrum, & cum onere suo iuxta sepulchrum Elisæi, casu aliquo apertum transirent; qui visa à longe militari turma, sarcinam illico in apertum sepulchrū abiecerunt, vt quām primum sese in fugam darent. Hoc ergo cadauer *cum ossa Elisæi tetigisset, reuixit homo, & stetit supra pedes suos*. Eoque facto Dominus sanctitatem prophetæ sui declarauit, simulque docuit sanctorum ipsa na, per quæ ipse mirabilia patraret, ab hominibus esse veneranda.

II. Causa eius miraculi.

Sed apparet alia etiam causa excitati mortui. Cupiebat enim Dominus vt Israëlitæ de postremo Elisæi vaticinio, quo Syrorum clades fuerat prænunciatę, indubitatam retinerent fidem; etsi nusquam vlla spes humanitus affulgeret, qua id oraculum probabile reddi posset. Ideo nouo miraculo tam regem, quam populū ipsum firmare voluit, ne propheta vel decepisse, vel deceptus fuisse putaretur. Eo vero relatum esse à Deo miraculum Scriptura significat, cum ait hoc miraculum illo ipso anno contigisse. Vt autem res innotesceret, voluit Dominus non deesse testes resurrectionis, qui regi populoque tota de re fidem facerent. Ergò rex Ioas aduersus Syros sumpsit audaciam, credens regnum suum quamprimùm, è misero statu ad florentem & beatum, quasi à morte ad vitam esse reuocandum. Conuocat populum suum, conscribit militem, quantulum Syri, per clades 50. annorum, reliquum fecerant.

III. Prima de Syris victoria.

Hostis mirari primum Israëlitarum temeritatem, qui Syros rebus omnibus superiores, non dubitent bello lacessere, & misereri potius imminentem eis perniciem, quam conatum reformidare: tum numerosas ac florentes expedire copias, & in Aphec vtrimque conuenire. Quid multa castris ibidem positis tubæ perstrepunt, concurritur, pugnatur. Funduntur, sternuntur, mactantur que cateruatim. Israëlitæ victores campo castrisq; potiti, partem aliquam regionis suæ, ex qua hostem pepulerant, recuperarunt: bene que bonis initiis animati, frementium Syrorum arma in proximum annum præstolantur.

IV. Altera victoria. A. D. Sabbat 89.

Is fuit Sabbaticus nonus supra octogesimū, in quo magno sine dubio apparatu, magnisque animis ab vtrisque pugnatum est. Nam Syros armatorum multitudo, auita gloria, & conscia virtus acuebant. Incendebat etiam pudor, & desiderium acceptæ nuper ignominiæ oblitterandæ. Israëlitas autem vice versa certa victoriæ fiducia, diuina Elisæi promissione firmata mirifice erigebat. Accedebat collectum à priore prælio, robur corporum atque animorum, cum dulcedine prædæ. Itaque secundò vincuntur Syri grauiore vtique damno, maiore que ignominia. Ea victoria recuperauit Ioas reliquas ciuitates, quas amiserat Ioachaz pater eius. Nam quas amiserat Iehu, pronepos ipsius Ieroboam recuperauit, vt suo loco dicemus.

ANNVS MVNDI 3207.

AMASIÆ 11. IOAS 13.

SEDECIÆ 11. TEMPLI 185.

OCROZAPIS 34. Imp. Assyriorum 1276.

ANTE CHRISTVM 846.

NIhil absurdi est in singulos annos, singula hæc Syrorum bella digerere, singulasq; victorias Israëlitarum. Tertio itaq; anno redintegratum est bellum: nec dubitari debet, quin Benadad pudore ictus, & ad paternam felicitatem aspirans, omnes omnino neruos intenderit ad geminam ignominiam resarciendam, & Israëlitas gemina victoria feroces, & Syris insultantes comprimendos. Pugnauerunt ergo tertio Syri contra Ioas & exercitum eius, & tertio victi, fractique sunt, & impletum est illud Elisæi vaticinium, *nunc autem tribus viribus percuties eam*. Victoriæ autem fructus ita refertur. *Porro Ioas filius* Iochaz tulit vrbes de manu Benadad filij Hazael, quas tulerat de manu Ioachaz patris sui: tre prælij, tribus vicibus percussit eum Ioas, & reddidit ciuitates Israël. Remansit nihilominus in Syrorum potestate, Israëlitarum regio trans Iordanem, quę Ieroboamo postmodum regnaturo seruabatur, & regnante Iehu amissa fuerat, vt suo loco dictum est.

I. Tertia de Syris victoria.

4. Reg. 13. 19.

4. Reg. 10 33.

ANNVS MVNDI 3208.

AMASIÆ 12. IOAS 14.

SEDECIÆ 12. TEMPLI 186.

OCRAZAPIS 35. Imperij Assyr. 1277.

ANTE CHRISTVM 845.

TErtiò repetitæ victoriæ ac triumphi regis Ioas, vt Syrum quiescere coëgerunt, & sua tutari potius, quam inuadere aliena, ita vicinū atque æmulum regem Amasiam excitarunt, vt aliquid regno suo gloriosum aggrederetur. Nec defuit causa ad bellum suscipiendum idonea. Recesserant quippe Idumæi à dominatu regni Iudæ; tempore Ioram regis, ante annos sexaginta. Præsertim cum illi ad debilitandos dominos suos, noua eis bella, nonoque hostes iuscitassent, eisque adhæsissent, vt suis locis declaratum est. Hoc porro anno duodecimo regni Amasiæ bellum hoc contra Idumæos contigisse testatur Chronicum Hebræorum, & res postmodum cum Ioas gesta confirmat. Collegit autem trecenta millia iuuenum, siue electorum qui vigesimum annum attigissent aut superarent, Et nihilominus collegit de Israël centum millia robustorum centum talentis argenti. Quos tamen Dei iussu, internuncio prophetā, dimittere cogitur, etiam cum iactura pecuniæ; ne copiæ auxiliares, à quibus Deus sit auersus, perniciem reliquo exercitui afferant. No-

I. Amasias bello inuadit Idumæos 2. Par. 25. 5.

2. 19.

Colligit auxilia Israëlitarum. ver. 6. 7. 25. 2. Par.

n. 6. & 7.

lebat Dominus infideles fidelibus coniungi, licet vtrique seorsim victorias largiretur. Vide hîc Annales ipsos.

II. Quemodo dimittit. l. 9 Ant. c. 10.

Acquieuit Amasias Deo, & prophetæ eius. Itaque Israëlitas dimisit, præfatus, vt ait Iosephus, se donare illis quidquid mercedis nomine accepissent. Neque tamen illis, vtpote Idumæorum prædæ inhiantibus, satisfecit; imo *contra Iudam vehementer irati*, vt ait Scriptura, *reuersi sunt in regionem suam.* Cuius iræ non leuia mox signa ediderunt. Rati enim operam suam pro inutili damnatam, impetum in Amasiæ regnum fecerunt, dum is pugnat aduersus Idumæos; *& diffusus est exercitus in ciuitatibus Iuda, à Samaria vsque ad Bethoron, & interfectis tribus* hominum *millibus*, *diripuit prædam magnam*, sublatis scilicet colonis, qui populationi resistebant, facile spoliati sunt pagi, & abacti pecorum greges.

2 Par. 25 10.

III. Vincit Idumæos

Porro Amasias confidenter eduxit populum suum: fiduciam quippe dederat homo Dei, & abijt in vallem salinarum, ita dictam à puteis salis, qui ibi visuntur, & vallis syluestris in Genesi dicitur, estque ad mare mortuum. Ibi contra Idumæos feliciter pugnauit Amasias, & decem eorum millia in pugna percussit. *Et alia decem millia virorum ceperunt filij Iuda, & adduxerunt ad præruptum, cuiusdam petræ*, quæ dicta est Iectehel, *præcipitauerunt que eos, de summo in præceps, qui vniuersi crepuerunt.* Sed ecce nefandum Amasiæ facinus. Post cædem enim Idumæorum, & abductos in prædam eorum Deos, *statuit illos in Deos sibi, & adorabat eos, & illis adolebat incensum.* Apparet hæc simulacra, pretij & pulchritudinis causa fortasse conseruata fuisse, & in larario reposita; paulatim autem instigante dæmone, & in eis responsa reddente, inuectam Idololatriam, per summam Amasiæ ingratitudinem atq; dementiam. Ingratus, qui talem gratiam redderet victoriæ autori Deo de regno Idumæorum recuperato: demens, qui victos captiuósque Deos victori sibi iugum turpissimæ seruitutis imponere pateretur. Verum is paulò post magnò emit dementissimam temeritatem, ingratissimamque dementiam.

Et captiuos eorũ Deos adorat.

In Trad. Hebr.

II. Temere bellum suscipit contra Ioas.

Cum ergo Amasias monenti prophetæ non acquiesceret, Dominus eum pessimis consilijs superbiæ & temeritati permisit, sic vt Ioam regem Israëlis prouocaret ad bellum, vlturus fortasse populatores illos Israëlitas, nuper à se dimissos, nisi rex sibi satisfieri curaret. Sperauit forte Amasias se facile victorem fore: quia propheta dixerat, Deum non esse cum Israële. Stulta vtique spe, qui non intelligeret à se quoque Deum vel maxime alienum esse, vt ab homine sacrilego, ingrato, atque impio. Inconsultus Amasias, qui eo tempore regem Israëlis prouocauit ad bellum, cum ille tribus victorijs debellato Syro, potentior factus erat, & bellicosior. Longe sapientius exquisisset à Ioa, vt coniunctis animis Syros, qui iam inclinabant ad ruinam, & à quibus vterque rex tot malis affectus fuerat, armis inuaderent, & thesauros illos sacros, regiosque recuperarent.

III. Qui eum contemnit.

Apologus.

At Ioas, ad deprimendam Amasiæ superbiã, cum apologo contemptim respondet, carduo illum aut paliuro comparat; se autem cedro. Cedrus & carduus eodem in Libano sunt, vt rex vterque in eadem Chananitide. Filia quam petit carduus filio suo est regnum Israël, quod Amasias cupit coniungi regno suo. Bestias Libani intelligit exercitum suum, quem minatur proculcaturum Iuda. Noluit Amasias audire Ioam, sed superbo eius responso exasperatus, vehementius in bellum incubuit, Deo id permittente & vlciscente idololatriam Amasiæ; cuius multos de populo fuisse participes Regemque imitatos esse, ex Hebræo textu intelligi potest.

ANNVS MVNDI 3209.

AMASIÆ 13. IOAS 13.

SEDECIÆ 13. TEMPLI 187.

OCRAZAPIS 36. Imperij Assyr. 1278.

ANTE CHRISTVM 844.

I. Arguitur à propheta sine fructu.

NOn paucorum dierum videtur fuisse illa Amasiæ deorum Edom adoratio, sed satis diuturni temporis, puta mensium aliquot. Id enim satis ostendunt illa verba, *& adorabat eos, & illis adolebat incensum.* Quam ob rem iratus Dominus contra Amasiam, misit ad illum prophetam, eundem, vt aiunt Hebræi, quo monitore vsus Israëlitis dimiserat. Cuius eum facti fortasse pœnituit, audita cæde, & populatione ab illis commissa, præter centum talentorum non leuem iacturam. Itaq; facilius nunc

ANNVS MVNDI 3210.

AMASIÆ 14. IOAS. 16. & vlt.

SEDECIÆ 14. TEMPLI 188.

OCROZAPIS 37. Assyriorum 1279.

ANTE CHRISTVM 843.

I. Res anni huius. Ant. l. 9. c. 10. Ortus Azariæ, qui Ozias. 4. Reg. 13. 19. 4. Reg. 15 2.

AMasias decimo quarto regni sui anno infeliciter pugnauit cum Ioa rege Israëlis, Iosepho teste: nec serius potuit, cum Ioas hunc annum habuerit regni sui decimum sextum & vltimum, vt ex Scriptura constat. Hoc quoque anno natus est Amasiæ filius, & regni successor nomine Azarias, qui & Ozias dictus est, & quidem sub eius initium. Sic enim necesse est, vt vigesimus nonus Amasiæ sit decimus sextus Azariæ, vt Scriptura postulat. *Sedecim*

enim

Prælium Ioas contra Amasiam, & illius victoria.

enim *erat annorum cum regnare cœpisset*. Fuit porro hic annus regno Iudæ valde luctuosus, & superioris anni lætitiam facile obliterauit. Belli initium factum est à Ioas, qui prior cum exercitu ascendit in Iudam; vbi hostiles exercitus *in Bethsames Iuda mutuos sibi præbuere conspectus. Percussusq; est Iuda coram Israel, & fugerunt vnusquisq; in tabernacula sua*. Hæc Scriptura breuissimè. Addit Iosephus instructa vtrimque acie tantum repente pauorem diuinitus inuasisse milites Amasiæ, vt priusquam confererentur manus, tam terga verterent, & alijs aliò diffugientibus, regem à suis desertum, in hostis potestatem venisse.

II. Capitur Amasias.

Tunc nimirum viderunt se mutuo Ioas & Amasias, cum alterius subsannatione molestissima, & alterius incredibili luctu: eoq; sub diuina prouidentia tam ipsi regi, quam ipsius populo cõsuluit. Sic enim multo vehementius attritus est fastus Amasiæ. Elapsus quoq; redintegrasset exercitum, pugnam atq; cædes, cum Deus multitudini parceret. Neq; voluit eadem prouidentia infelicem principem in prælio cadere; & in grauissimis animi morbis perire, quibus quid hæc calamitas medicinam factura erat. *Et adduxit eum in Ierusalem*, vinctũ videlicet, vt ait Abul. aut acri potius septum custodia: quod sic explicat Iosephus, Ioas illi mortem minatus est, nisi efficeret vt Hierosolymitæ apertis portis se cum victore exercitu admitterent. Ea necessitate & vitæ amore adactus, persuasit ciuibus vt hostem admitterent. Quo facto, si victori regi collibitum fuisset, Amasias vitam vnà cum regno amittebat, quæ vtraque mox precario, & ex hostis sui misericordia seruaturus erat; qua deiectione nihil potest elatis mentibus incolerabilius contingere.

Ioas introducitur Hierosolymã

III. Cuius muros ex parte diruit, aufert thesauros, reddit Amasiã vectigalem.

Ioas autem ingressurus Ierusalem destruxit muros eius ad cubitos quadringentos, vt quasi triumphans ingrederetur, nec vrbe cõcludi, sed pro arbitrio ingredi atq; egredi posset. Ingressus autem thesauros sacros prophanosq; abstulit, & in Samariam asportauit; nec minus propterea regem, eiusq; subditos sibi habere voluit vectigales: vtque tributum suis temporibus ex fide persolueretur, præcipuarum familiarum filios accepit obsides. At non diu victoria sua potitus est Ioas. Sed Samariam reuersus hoc ipso anno regni sui decimo sexto mortuus est. Neque enim vlterius progressum esse ipsius imperium Scriptura testatur, quæ cum in vijs Ieroboam filij Nabat ambulasse tradit, neq; ab eis declinasse. Fuit itaque Ioas rex Israël virga Domini, ad cædendum primùm regem Syriæ, deinde regem Iuda, quibus castigatis, misit Dominus in ignem virgam suam.

Moxque moritur. 4. *Reg* 13. 10. 11.

ANNVS MVNDI 3211.

AMASIÆ 15. IEROBOAMI II. 1.

SEDECIÆ 15. TEMPLI 189.

OCRAZAPIS 38. Imperij Assyr. 1280.

ANTE CHRISTVM 824.

I. Alterius Ieroboami. 1.

DEcimum quintum annum Amasiæ cum alterius Ieroboami anno primo cõponimus, vt Scriptura postulat. Quia tamen vigesimus septimus Ieroboami dicitur primus Azariæ filij Amasiæ, necesse est hunc eundem annum, qui est primus à morte Ioas, esse duodecimum, eõ quo regnare cœperat, cum eodem Ioa patre suo. Cum autem regnasse dicitur in Samaria anno vno, & 40. non possunt isti anni inchoari ab eo tempore, quo regnare cœpit cum patre quia sic illi finirentur non 38. Azariæ, vt ait Scriptura, sed decimo sexto; ergo Ieroboami regnum ab hoc anno inchoandum est. Cæterum Amasias misere victus, spoliatus est deiectus à rege Ioas, reliquam vitam vixit inglorius, & vectigalis. Et fere id contigit superbis, vt semel prostrati præ animi imbecillitate, nunquam se homo tollere audeant, ne secunda quapiam plaga penitus conterantur. Erat quidem mortuus Ioas, sed ei successerat in regnum vir fortis & bellicosus Ieroboam, qui annos iam vndecim cum patre regni negotia administrarat, vt in eum ne liscere quidem auderet Amasias, totis illis annis quindecim, quibus hosti suo Ioa superstes fuit.

4. *Reg.* 14. 23.

2. *Reg.* 15. 8.

Amasias vivit inglorius.

ANNVS MVNDI 3212.

AMASIÆ 16. IEROBOA. II. 2.

SEDECIÆ Pont. 16. TEMPLI 190.

OCRAZAPIS 39. Imperij Assyr. 1281.

ANTE CHRISTVM 841.

I. Res à Ieroboamo gestæ.

NOn dubium est Ieroboamum virum strenuum his annis ac proxime sequentibus minime otiosum fuisse, quin potius destinatum diuinitus regni sui Saluatorem, manum operi quamprimum admouisse, & à patre feliciter inchoata, studiosè promouisse; quæ omnia Scriptura regno Dauidis intenta, breuissimo compendio, sine vlla annorum distinctione complexa est. Itaque eos oportebit ex coniectura distinguere. Rerum porro ab eo gestarum initium à prophetæ Ionæ exhortatione sumẽdum videtur, à quo ad meliora in dies sperandæ animatus est, sicut Ioas patet eius ab Elisæo moribundo. Vterque enim ad instaurationem regni Israëlis diuinitus destinatus erat, & vterque Saluatoris nomine comprehendebatur. Nam de Iona sic habet Script. *Ipse* Ieroboam *restituit terminos Israel ab introitu Emath*, qui locus prope Damascum est, & montem Libani, & Israëli ad septentrionem fuit, *vsq; ad mare solitudinis*, quod vsq; ad Idumæos ad meridiem Iudæ protendebatur, *iuxta sermonem Domini Dei Israel, quem locutus est per seruum suum Ionam: filium Amathi prophetam*.

4. *Reg.* 13. 5. 4. *Reg.* 14. 25.

II. Ex Dei cõmiseratione in Israël.

Causa porro victoriarum Ieroboami de Syris, non fuit pietas eius aut fortitudo. Nam ipse quoq; cum patribus suis vitulorum impietatem sectatus est, sed commiseratio Domini super regnum Israëlis quod adhuc deleri nolebat. Eo tamẽ Israëlitæ à Syris redacti fuerant, nusquam vt prodire auderent, hostibus totis campis latè dominantibus: nisi forte miseri quidam & inopes, quos hostis, tanquam armis & ira sua indignos, contemneret. Fuit porro hic Ionas non

Quis fuerit Ion

filius viduæ Sarepthanæ, vt Hebræi putarunt, fuisset enim Tyrius aut Sidonius, & idolorum cultor, qui tamen Hebræum se profitetur, & veri Dei cultorem, esseq; is nunc centenario maior, parumq; idoneus legatus ad nationem longinquam. Est enim vnus idemq; propheta qui ad Ieroboamum & Niniuitas missus est, vt parentis nomen Amathi satis docet.

Ioan.1.9.

III. Animat ad bellū Ieroboā.

Ieroboam igitur bene animatus à Propheta expeditionem suscepit contra Syros, qui regionem Galaad trans Iordanem adhuc tenebant, eosq; multis prælijs fatigatos, omnibus ijs tertijs spoliauit, quæ cis montem Libanum à Septentrione, à primis temporibus Iosue, Israëlitæ possederant, videlicet à ciuitate Emath, quæ ad radices montis Libani sita erat; vsque ad mare mortuum meridiem versus, vbi olim Sodoma & Gomorra diuino incendio conflagrarunt; sed hæc hoc tempore inchoata, in multos annos consequentes videntur propagata.

IV. Res Amasiæ.

Amasias vero ne nihil ageret, videtur hoc tempore ingentem illam quadringẽtorum cubitorum lacunam in muris instaurasse; quem locum postea filius eius Iosias diligentius communiit. Nam tantam in muris labem quindecim annis quibus Amasias superstes fuit neglectam fuisse nulla ratio persuadet, licet id significet Iosephus. Sequens porro annus Amasiæ 17. Sabbaticus fuit ordine nonagesimus. Decimus autem nonus eiusdem, postremus fuit Ocrazapis Assyriorum imperatoris, post annos 42. in regno transactos.

2.Par.26.9.

Ios.9.c.11.

An.Sabb.90. Mors Ocrazapis.

ANNVS MVNDI 3216.

AMASIÆ 20. IEROBOAMI II. 6.

SEDECIÆ 20. TEMPLI 194.

SARDANAPALI 1. Imperij Assyr. 1285.

ANTE CHRISTVM 837.

I. Initium Sardanapali & regum numerus. l.14.

SVFFICITVR hoc anno Assyriorum imperio Sardanapalus Anacyndaraxis filius, vt est in eius sepulchro apud Strabonem, qui passim apud omnes qui regum istorum catalogos texuerunt, vltimus numeratur. Ei tamen plerosque sufficiunt, qui historiæ sacræ potius, vt ratio postulat, quam profanæ assensi sunt, vtramque tamen in fine Sardanapali conciliare conabimur. Est is apud Diodorum Siculum trigesimus à Nino: in Eusebij autem catalogo, ab eodem Nino trigesimus sextus. Apud Africanum vero, qui à Belo exoritur, & quatuor reges ab Eusebio prætermissos inseruit, quadragesimus primus. Vterque illi 20. annos regni tribuit, vterq; gemino appellat nomine Thronos Concoleros Assyrio, & Græco Sardanapalus, quam tamen vocem Scaliger fidenter Assyriacam affirmat.

II. Amasiam non persseueraſſe in cultu idolorum

Amasiam porro quidam putant in cultu idolorum perseueraſſe, quod ex Scriptura probare non possunt; quæ significat duntaxat Deum permisisse coniurationem in eum fieri, eaque etiam interfici, in vltionem præuaricationis eius, & adorationis deorum Seir; non autem in ea dementia perseueraſſe. Et sane cum vexatio dei intellectum, nec eum Deus in flagranti, quod aiunt, delicto perdiderit, sed multis annis afflixerit, non videtur absurdum existimare eum his annis ad se reuersum, sese pœnitentiæ dedisse, & omnem idololatriam pessum dedisse. Alioqui enim extaret aliqua memoria in regno filij eius, eum patris idola sustulisse. Quin potius legimus Oziam fecisse quod rectum erat in oculis Domini, *iuxta omnia quæ fecerat Amasias pater eius.* Quomodo poneretur Amasias in exemplum recti cultus Domini, si tot annos in cultu idolorum perseueraſſet, & in ea insania è viuis excesſisset? & non potius calamitates suas in pœnam peccatorum suorum, æquo animo subijciſſet.

4.Regum 15.

In regno autem Israëlis perseuerat Ieroboam perpetuis prælijs atterere Syros, adeo vt etiam Damascum & Emath regno Israëlis acquisierit, vel vt Scriptura loquitur, *restituerit*, habita scilicet ratione Dauidis, quia Damascum Syriamque totam pridem habuit vectigalem.

Ieroboā prælijs atterit Syros. 4.Reg.14 20.

Ad hæc porro tempora, quibus floruisse Ionam, & Ieroboamo vaticinatum esse diximus, alteram quoque propheticam eius historiam contra Niniuem referre merito possumus, Hieronymo duce in prologo in Ionam, alijsque non paucis: Dominus ergo qui non Hebræorum tantum, sed etiam gentium Deus semper fuit, nunquam eas plane deseruit, quin opportunis temporibus aliqua salutis præsidia eis largitus sit: quod ex missione Ionæ in Niniuem facile conijci potest. Sed eam missionem subterfugit Ionas, veritus ne Deus, exoratus Niniuitarum precibus, sententiam mutaret, & ipse qui imminentem ciuitatis ruinam prænunciarat, mendax deprehẽsus, populi irrisionibus, forte & verberibus afficeretur. Ergo qui nihil habebat propositum, quam ex patria discedere, quocunque tulisset casus, descẽdit in Ioppem, portum mediterranei maris, & inuenta naui, quæ cursum dirigebat in Tarsis, pretio vecturæ persoluto, vela fecit.

III. Ionas Niniuẽ mittitur hoc tempore, & fugit.

Sed ecce diuinitus excitatur tempestas tanta, vt præsentissimum naufragium timeretur, & nautæ iactura facere cogerentur, cum Ionas descendit ad inferiora nauis, siue vt minus iactationem sentiret, siue ne Dei vindices fluctus aduersum se videret intumescere, ibique merens somno oppressus est. Eum gubernator excitat, & ad preces inuitat: tatus ventos & fluctus ob alicuius culpam desæuire, quam sorte inuenire conati sunt; & Deo sortes temperante, sors cecidit super Ionam, qui fatetur culpam suam, & consentit in pœnam. Nihilominus nautæ timentes ne Deum contra se vehementius irritarent, si eius seruum, qui nihil aduersus eos decẽ liquerat, spargerent in fluctus, conati sunt eum in terram deponere, quod cum per tempestatẽ non liceret, tulerunt Ionam, & miserunt in mare, *& stetit mare à feruore suo. Et timuerunt nautæ timore magno Dominum, & immolauerunt hostias Domino*, & ab idolis conuersi sunt à Dominum, vt Hieron. affirmat in hunc locum.

IV. Ex fuga tẽpestate terrahitur.

At Dominus præparauit piscem grandem vt deglutiret Ionam in cuius stomachũ receptus, Deum orauit intentius; quo exaudiente preces fugitiui sui, cetus celeritate mirabili, vt quidam putant, trium dierum spatio, totam medi-

V. Abiectus in mare a pisce vo catur.

ter-

terranei matris longitudinem, & omnia vndique Africæ littora peruolauit, & Ionam incolumem euomuit in aridam in Arabia. At rectius alij censent piscem remenso itinere, ad loppem vnde soluerat, reportasse Ionam, vt inde traiecta latitudine Chananitidis, facilius ad Tygrim & Niniuem peruenire posset. Reduci in portum littursque Palæstinę, factum est secundò verbum Domini ad Ionam, iteratumque præceptum nunciandi Niniuitis, fore vt Niniue intra quadragesimum diem subuerteretur, nam quod triduum habent Septuag. Theodoretus per errorem amanuensium factum putat. Ingressus est ergo Niniuem Ionas, eiusq; tertiam partem concionabundus obambulauit, crebro in vicis & plateis subsistens; At inde ad reliquos confestim prædicationis sermo peruenit.

Hier. in Ionam.

VI. Mira Niniuitarũ cõuersio & pœnitentia. *n. 25. 26. & seqq.*

Admirabilis porro fuit tunc, apud istos Assyrios, diuini verbi efficacitas. Nam *crediderunt viri Niniuitæ in Deum, & prædicauerunt ieiunium, & vestiti sunt saccis à maiore vsque ad minorem*, rege præsertim edicto regio pœnitentiam indicente. Neque absurdum est hominem luxu perditum, qualem Sardanapalum omnes antiqui prædicant, pœnitentiam egisse: nam illa pertinet ad principium regni eius, quando nondum erat ita deprauatus. Nemo enim repente fit pessimus. Eam pœnitentiam per circumstantias diligenter explicatam, in Annalibus studiosus lector inueniet. Fuit autem huiusmodi, vt Deũ quoque sententiæ suæ pœnitet, non facta diuinæ voluntatis, sed vitæ Niniuitarum mutatione, qua prouisa terrere statuerat, non perdere. Ergo Niniue effugit nunc quidem imminentem calamitatem: sed cum postea ad ingenium ex inolita consuetudine reuertisset, vita est cladem non effugisse, sed ad Nabuchodonosoris imperium, vt suo loco dicetur. Nunc redeamus ad prophetam.

VII. Ionas perturbatur.

Obita legatione egressus est Ionas de ciuitate, & constituit sibi tuguriolum in quo sederet in vmbra, expectans quid accideret ciuitati. Existimauit enim si non subuersionem, saltem cladem aliquem ciuitati superuenturam, ne penitus falsus propheta crederetur. Cumque tempus destinatum cladi esset elapsum, & omnia in ciuitate suo loco consisterent conturbatus est super irrita comminatione sua. Nec doluit, vt ait Theophylactus, quod seruatis inuideret, aut ex eorum interitu voluptatem caperet, sed voluisset decretoriam nunciare sententiam, & non ex euentorum mutatione pendentem: sua vtique magis causa quam Dei; & ideo mox à Domino reprehensus est: cum par sit famulum non eligere Domini sui mandata, sed exequi. An hic quoque vsurpandum est illud Apostoli, *Nihil adperfectum adduxit lex.* Necdum enim didicerant homines abire à conspectu concilij gaudentes, quod pro nomine Domini contumeliam passi essent.

Heb. 7. 19.

VIII. Et à Deo reprehẽditur.

Reprehenditur autem ira eius à Domino, quod ignominiam suam, præ totius populi salute negligere debuit; præsertim cum falsitatis arguentibus, in promptu adesset illa responsio, Deum fuisse eorum pœnitentia placatum. Tentauit autem illum arefacta hedera, siue cucurbita, vt inde colligeret quanto plus esset occasionis Deo colendi super interitu maximæ ciuitatis, *in qua*, inquit, *sunt pluſquam centum viginti millia hominum, qui nesciunt quid sit inter dexteram & sinistram suam, & iumenta multa*: infantium damnis & cædibus tangi patet na viscera; nihil sane mirum: Sed illa meritissimò notatur hoc loco dulcedo suauissimæ bonitatis Dei, quæ etiã iumentorum morte tangatur, quæ pœnitentiam cum Dominis suis quoquo modo participauerant. Quomodo ergo non dolebit super morte peccatorum, quos frustra tantis affecerit bonis, tantis redemerit suppliciis, & ad tantam felicitatem destinarit.

Eiusdem etiam in bruta cõmiseratio.

Reliqua Ionæ vita *n. 36. & seqq. vsq. ad 43.*

Reliqua quæ de Ionæ vita & morte dicenda videbantur, & nominatim quatenus Christi Domini figura fuerit, studiosus Lector in Annalibus non negligenter explicata reperiet.

ANNVS MVNDI 3220.

AMASIÆ 24. IEROBOAMI II. 10.

SEDECIÆ Pont. 24. TEMPLI 198.

SARDANAPALI 5. Imp. Assyr. 1289.

ANTE CHRISTVM 833.

ALtum est hoc tempore in vtroque Hebræorum regno silentium, nisi quod septimi mensis hoc anno tubæ hilariori sono sabbatismi causa perstrepuerunt, fuit enim sabbaticus ordine 91.

I. An. Sabb. 91.

Sub hoc tempus ponit Euseb. duas vrbes à Sardanapalo vna die conditas, Tharsum & Anchialem; quod ex Strabone mutuatus est. Eodẽ forte die aut inchoatæ fuerunt aut perfectæ. Etsi rex iste opus tanquam admiratione dignum, sepulchro suo inscribi iusserit. Cum autem Tarsus multis ante seculis condita reperiatur, dici potest aut vnam, aut vtramque à Sardanapalo non conditam, sed instauratam.

Duæ Sardanapali vrbes.

ANNVS MVNDI 3225.

AMASIÆ 24. IEROBOAMI II. 15.

SEDECIÆ Pont. 29. TEMPLI 203.

SARDANAPALI 10. Imper. Assyr. 1294.

ANTE CHRISTVM 828.

VLtimus annus regis Amasiæ, incidit in medium tempus regni Sardanapali, quo ille ad deteriora prolabebatur, donec fieret omniũ nequissimus atque detestimus. Est hic idem annus 15. Ieroboami, ex quo mortuus est Ioas pater eius. Sextus autem & vigesimus, ex quo quasi regni collega, à patre fuerat assumptus, vt supra dictum est. Amasias porro suorum scelere ad fugam compulsus, mox etiam interfectus est. Non satis apparet qui fuerint huius coniurationis autores, Scriptura neminem nominante. Ex ea tamen satis intelligi potest non fuisse illos priuatos quospiam, quales fuerunt qui Ioas occiderunt, sed publicam fuisse coniurationem magnæ partis populi, & principum eius. Nam

I. Ratio tẽporis & mors Amasiæ. *4. Reg. 14. 17 & 21. an. 3 regni Amasiæ.*

Ex cõiuratione publica.

cum coniuratio ipsimet regi innotuerit, nisi potentiores fuissent aduersarij, non fugisset Rex, sed eos egisset in crucem. Neq; mox Ozias prinatis sicarijs pepercisset, sed multitudini necessario ignoscendum fuit: præsertim si causa non improbabili mota videretur.

II. Eius causa diuina & humana. 4. Reg. 14. 19.

Et causa quidem ex parte Dei fuit castigatio idololatriæ. Etsi enim eam abdicasse iamdudum, & in luctu vixisse censuimus, Deus tamen illam censuit præcedentibus verberibus non satis fuisse castigatam. Populus autem commotus fuisse videtur, non propter bellum Israëliticum temere contra se accersitum, eaque mala, quæ illi annexa fuerunt; neque enim vindictam ipsos 15. annos distulisset: Illud potius mouit, quod ab eo tempore regnum Iudæ seruiret regno Israëlis, & seruitutem tributo quotannis persoluendo testaretur. Eo autem mortuo promissionem vectigalis iureiurando firmatam antiquatum iri sperabant. Itaque iniustissimo huius immunitatis amore, regem suum Deo permittente trucidarunt. Plerique igitur de proceribus validam coëgere manum, qua cum regiam obsederunt: At rex sibi in malo repentino diffidens, clam per posticum elabitur, & fugit in Lachis, vrbem munitissimam, vbi Rex temporum angustijs, & coniuratorum vi ac diligentia oppressus est. Et vt publico bono videretur occisus, ab ipsis coniuratis Hierosolymam ad sepulturam relatus est.

Eius fuga & cædes.

ANNVS MVNDI 3226.

OZIÆ siue AZARIÆ 1. IEROB. II. 16.

IOELIS Pont. 1. TEMPLI 204.

SARDANAP. 11. Imperij Assyr. 1295.

ANTE CHRISTVM 817.

I. Oziæ regis initium. 4 Reg. 14. 21. & 15. 1. 2. 2. Par. 26. 1.

SEpulto Amasia *tulit vniuersus populus Iudæ Azariam annos natum 16. & constituerunt eum regem pro patre suo.* Eius autem primus annus concurrit cum decimo sexto Ieroboamo secundi, ex quo solus regnare cœperat; cum vigesimo autem septimo ex quo regnare cœperat cum patre, vt nullum interregnum sit hoc loco necessarium. Significat autem Scriptura Oziam factum fuisse regem ab vniuerso populo, contra nitentibus fortasse, sibiq; metuentibus coniurationis autoribus, Deo Dauidis familiam in regio throno conseruante, quamuis & pater occisus esset, & filius esset adolescentulus.

II. Et Ioelis pontificis 2. Par. 26. 20.

Quod ad nouum pontificem attinet, Ioëlem huc, cum chronico Hebræorum introducimus: quē Iosephus Iulum vocat, Hebræo vocabulo ad Romanam vocem, adulatoriè fortassis, inflexo. Verum cum constet Pontificem, qui Regi Oziæ restitit in templo, dictum fuisse Azariam, eum vel binominem fuisse dicendum erit, vel nomen Azariæ, quod significat auxilium Domini, appellatiue sumi, vt in duce Tobiæ Raphaële. Aliàs quoq; nomen Azariæ alijs nominibus non semel legimus substitutum; honoris, vt apparet, causa. Nam Zacharias filius Ioiadæ à Septuag. vocatur Azarias. Et rex ipse Ozias dictus est Azarias & quidem cognomento, vt ait Hieron. Et Pontifex, qui tempore Ezechiæ floruit, ab Hebræis vocatur Nerias, at in 2. Paral. nominatur Azarias.

mr. 1. Amos. 2. Par. 31. 13.

ANNVS MVNDI 3227.

OZIÆ Regis 2. IEROBOA. II. 17.

IOELIS 2. TEMPLI 205.

SARDANAP. 12. Imp. Assyr. 1296.

ANTE CHRISTVM 816.

I. Sabb. 92.

HOc anno qui est sabbaticus ordine secundus supra nonagesimū, & aliquot sequentibus, res in vtroque regno prosperum tenuere cursum, Deo Israëlitis fauente, & Iudæis sub rege adolescente Ozia, & Ioële pontifice Deo religiosè seruientibus. Pergit enim florere Ieroboam, Syris late domitis formidabilis; licet in cultu idolorum, tritam omnium impiorum regum vestigijs, viam decurreret; Domino experimentum capiente, an quos calamitates, quibus attriti fuerant, ad mentis sanitatem non reduxerant, ijs prosperitates & diuina beneficia, reconciliationem cum Deo patrum suorū persuaderent. Sed cum & aduersæ res, & secundæ irritæ cecidissent, non vltra diuina bonitas de curandis Israëlitis, sed iustitia de exterminandis cogitare cœpit. Ozias vero *fecit quod rectum erat in oculis Domini*, vt ait Scriptura, his præsertim initijs, quibus recens erat memoria parētis eius, qui suo malo edoctus, filium in Dei timore, verbis exemplisque instituerat.

Floret vtrumque regnum Hebræorum.

2. Par. 26. 4 5.

II. Oziā Ioël & Zacharias instituunt.

Profuit etiam bene instituendæ regis adolescentiæ pontifex Ioël. Profuit & Zacharias sacerdos & propheta, quem eius quasi pædagogum Scriptura suggerit, & quem S. Hieron. filium posthumum Zachariæ, & neporem Ioiadæ, ex Hebræorum traditione affirmat. Si ergo Zacharias hic natus est posthumus, potuit hoc tempore annum agere trigesimum quintum, natus regni Ioas Iudæi trigesimo sexto, quo mortuus est eius parens. Hic ipse Zacharias filiam habuit nomine Abiam, quæ nupsit regi Achaz, & genuit Ezechiam regem optimum, vt ibidē tradit Hieron. Nullum porro propheticum eius scriptum extat. Nam qui legitur penultimus in minoribus prophetis, facile trecentis ab hinc annis distat. Extant aliorum quos sub Ozia & Ieroboamo floruisse certum est, in quibus Oseas, & Amos; & Elias, vt ipsimet in principio sui vaticinij scribunt, quibus Ionam Scriptura, Ioëlem, Abdiam & Micheam, Hieronymus, alijque annumerant.

Quis hic Zacharias. 2. Par. 29. 1.

Vide Ann. 3535. 3227. 360.

III. Qui nūc prophetæ floruerint.

Horum omnium semper antiquissimus habitus est Osee, forte propter illa verba *Principium loquendi Domini in Osee*, quæ in eam sententiam Hieron. interpretatur: quæ tamen ipsemet mox sine comparatione ad alios prophetas ita explicat, vt his primum verbis, quæ mox sequūtur, locutus sit Dominus ad Osee. Itaq; Ionas, qui tempore Amasiæ fuit, Oseam antecesserit. Anceps est Osee genus & patria, de quibus consule Ann. Ac ne dubitatione quidem caret eius coniugium. De quo communior veriorq;

Oseas.

sen-

sententia est, Oseam Dei iussu reuera duxisse vxorem Gomer filiam Debelaim dudum meretricem, factam postea continentem, idque inter alios Hieron. & August. affirmant. Filios ex ea suscepit reuera legitimos; filij tamen fornicationem dicuntur, quod filij eius essent, quæ dudū sedisset in fornice. Quibus aperte præmonstrata est, tam imminens abdicatio regni Israëlis, quam postea secutura totius gentis derelictio.

IV. Ioël & Amos.

Oseam tempore proxime sequitur Ioel, de quo Hieron. Tempora in quibus prophetauit eadem debemus accipere, quæ & in Osee legimus, in diebus Oziæ, Ioatham, Achaz & Ezechiæ regum Iuda, & in diebus Ieroboam filij Ioas regis Israël, & alibi affirmat Ioëlem sub ijsdē regibus prophetasse, quibus Osee & Amos. Quod ipsum sentiūt Theodoretus, & Rufinus, & alij passim. Notat autem Hieron. initio Ioëlis, quomodo ad decem tribus Osee vaticinium refertur, sic vaticinium Ioëlis ad Iudam & Ierusalem pertinere. Ad hos quoque reges pertinet Amos ille, è pastore propheta, vt initium prophetiæ ipsius ostendit, in quo Ozias & Ieroboā distincte nominantur. Verum quia in eodem initio distinctius tempus ipsum, annusque vaticinorum eius notatus est, ad eum nobis locum differendus est Amos.

Init. eius in Esaiam

ANNVS MVNDI 3229.

OZIÆ 4. IEROBOAMI II. 19.

IOELIS 4. TEMPLI 207.

SARDANAPALI 14. Imperij Assyr. 1298.

ANTE CHRISTVM 814.

I. Bellum Oziæ cōtra Idumæos. 2. Par. 26. 4. Reg. 14. 21.

NOn pauca neq; vulgaria ab Ozia domi forisq; gesta, in Scriptura memorantur, sed sine distinctione temporum, vt quidpotius posteriusue factum fuerit, ægrè constare possit. Et apparet quidem eum domi quieuisse annos aliquot, Ioëlis pontificis, & Zachariæ prophetæ consilio vtentem. Nam tenuis erat domi res, à Ieroboami victoria, rapinis, & iugi exactione tributorum. Erat & turbata à cæde Amasiæ, in quem populus ipse insurrexerat; adeo vt pene precariò regnaret Ozias. Sed cum sub optimis præceptoribus Domino studiosè famularetur, *Dominus direxerit eum in omnibus*, atq; in sublime extulit, & crebris victorijs, aduersus circumpositas gentes, potentem reddidit. Quibus hoc fere tempore initium dedit, cum incalesceret catulus leonis Iuda; vt qui vigesimum iam ætatis annum ageret, quo primum anno Hebræi idonæi militiæ censebantur, & in numerum bellatorum transibant.

II. Et victoria. Recuperat Elath. 4. Reg. 16. 6.

Exorsus autem videtur ab Idumæis, quo ante annos aliquot fregerat pater eius Amasias & aliqua occasione data, priusquam illi satis ex accepta clade respirare possent, occupauit Elath, & restituit ditioni Iudæ. Nam à Iuda, Ioramo regnante, defciuerant Idumæi, occupatam autē vrbem instaurauit, quam tamen postea Rasin Syriæ rex occupauit, & Idumæis, Iudæis eiectis, restituit. Hoc porro primū fuisse opus Oziæ, illa verba significant, *restituit* ditioni *Iudæ*, *postquam dormiuit rex* Amasias pater eius, *cum patribus suis*: quod etiam ordo sacræ narrationis confirmat.

ANNVS MVNDI 3230.

OZIÆ 5. IEROBOAMI II. 20.

IOELIS 5. TEMPLI 208.

SARDANAP. 15. Imperij Assyr. 1299.

ANTE CHRISTVM 813.

I. Bellū Oziæ contra Philisthæos.

CVm expeditio contra Idumæos Oziæ bene cessisset, sequenti anno, vt conijcimus; nihil enim præter coniecturas, in ratione & ordine temporis, hîc afferre possumus: negotiū illi cū Philisthæis fuit, qui pridem anno Ioramī 7. Iudæ regnum cum Arabibus vastauerant. Quo ipso fere tempore Lobna ciuitas regni Iudæ subnixa fœdere & vicinitate Philisthinorū, à Ioramo defecit. Ad eam igitur recuperandam Ozias viribus iam & armis potens, & insuper diuina in se beneuolentia nixus, animum adiecit. Et collegit supra trecenta millia militum, præter bis mille & sexcentos eorum duces, omnemq; exercitum armis instruxit & machinis: quibus instructus in Philisthæos mouet infestus. Et primò quidem ciuitati Lobnæ deditionem imperat, aut vim minatur. Credibile est vim expectatam fuisse, annitentis Philisthæis, eamq; vrbem præsidio suo propugnantibus: quippe qui satis intelligerent hanc tempestatem vltra Lobnam effusum iri, nisi eam tanquam regni sui propugnaculum omni ope tutarentur.

II. Recuperat Lobnā & Geth Philisthæorū. 2. Par. 26.

Sed Deo, qui in omnibus dirigebat Oziam, auxilium ferēte, Lobna in legitimi principis potestatē redacta est: validoq; in ea imposito præsidio, militibus enim abundabat, itinere sibi ad Philisthæos patefacto, cōtra eos aciem instruit, manus conserit, victor euadit, hostiles copias fundit, fugat, cæditq;. Inde ad vrbium oppugnationem ventum est. Et plurima quidem oppida minus firma, sine vi nouum dominum, eūque victorem admisere: sed in maioribus vrbibus diutius deludatum est. Getha in primis & Azoto, quæ pridem fuerant duæ de satrapijs Philisthinorum. Sed Getham eis sustulerat Dauid, retinuerat Salomon, Roboam instauratat; postea Hazaël rex Syriæ expugnarat, & Philisthæis vectigalibus habitandam permiserat: denique Ozias eam vi cœpit, muroq́ue spoliatam, in pœnam defectionis ad Syros, & Palæstinos, in pagi formam redegit. Inde in Iabniam, siue Iammiam ciuitatem maritimam, portu celebrē & munitam, arma conuertit; & fuerat fortasse eiusdem socia, particepsque culpæ. Ea quoque ciuitas vi capta, parem cum Getha murorum iacturam passa est.

Et Iamiā.

III. Et Azotū quas muris spoliat.

Inde ventum est in Azotum crebris cladibus & instaurationibus celebratam, qua hoc quoq; tempore potitus est Ozias; eamq; pari cum præcedentibus calamitate affecit. Non contentus autem euertere & dissipare, animum etiam ad ædificandum adiecit. Nam in agro Azoti & Philisthinorum oppida ædificauit, quæ Iudæis cō-

tinendos, valerent. Denique pugnauit contra Arabes & Ammonitas, quos debellatos tributa sibi pendere coëgit.

ANNVS MVNDI 3233.

OZIÆ 8. IEROBOAMI II. 23.

IOELIS Pont. 8. TEMPLI 211.

SARDANAPALI 18. Imperij Assyr. 1302.

ANTE CHRISTVM 820.

I. Iubilæus Mosai. 3233. a m. 2583 a m

EST hic annus Mosaicus Iubilæus decimus tertius, est enim ab ingressu in Chananitidem 650. quem Ozias piè haud dubiè, ac religiosè celebrauit, Ioële pontifice, & Zacharia propheta annitentibus. Pertinet autem adhunc annum Sardanapali decimum octauum obsidio Nini, quam Niniuem appellant sacræ literæ. Narrat enim Diodorus Siculus, quo nemo distinctius aut accuratius ista tradidit, eam biennio à coniuratis obsessam fuisse, ac tertio demum, qui fuit Sardanapali vigesimus & vltimus, in hostium potestatem venisse. In coniuratis primus memoratur Arbaces Medus, & copiarum, quæ quotannis è Media Ninum mittebantur præfectus: qui cum à Belesо quodam Chaldæo didicisset ipsum aliquando Assyriorum imperio potiturum, eiq; Arbaces ob peritiam artis suæ fidem habuisset, & alioqui ab effœminatis Sardanapali moribus vehementer abhorreret, cum Belesо coniurationem init, promissailli Babyloniorum præfectura, si res ex animi sententia contingeret. Itaque Arbaces Medos, & Persas, Arabesq;, Belesus Babylonios à Sardanapalo abductos, in suas partes trahunt.

65 Ninive obtidetur à coniuratis.

II. Eorũ copiæ & pugnæ aduersæ cõtra regios

Hi omnes cum quadringentorum millium copijs Ninum confluunt, verbo quidem, vt vicarias de more copias ad regem adducerent, re autem verò vt imperium Sardanapalo ereptum in Arbacem transferrent. Ea defectio cum innotuisset regi, cæterarum nationum copias in eos duxit, eosq; triplici prælio fregit: quod de aliquo egregio & fideli Sardanapali duce, non de ipsomet rege, nequitia diffluente, intelligendũ est. Post tot tamque continentes coniuratorum clades, spe victoriæ abiecta, duces suam quisq; domum abire cogitabant, cum Belesus persuasit vt quinq; adhuc dies expectarẽt; intra quod tempus astra illi victoriam pollicerentur. Interea venit Bactrianorum exercitus, regi opem laturus: quem cum Arbaces ad eiusdem libertatis spem adduxisset, suisque copijs adiũxisset, regias copias eximprouiso inuadunt, victos castris exuunt & in vrbem compellunt. Cumque rex imperium castrense Salæmeni vxoris fratri tradidisset, is à coniuratis bis prælio victus, cum toto pene exercitu deletus est.

Resumũt animos additis Bactrianis.

III. Rex filios dimittit in Paphlagoniam cũ gaza.

Rege autem in vrbe obsesso, coniuratorum copiæ augebantur in dies. Rex autem animaduertens quanto in discrimine imperium versaretur, tres filios, duasque filias, magna cum gaza, in Paphlagoniam, ad præfectum sibi addictissimum mittit, & tabellarijs per omnes regni prouincias dimissis, militum delectus agit, & ad tolerandam obsidionem necessaria comparat, incredibili murorum firmitate fretus, quæ omnium rebellium conatus facile eluderet; dum copiæ vndiq;, ad principem suum in libertatem vindicandum, confluerent. Itaque obsidio sequentem quoque annum tenuit.

An. Sabb. 93.

Interim autem apud Iudæos feriæ anni sabbatici tertij supra nonagesimum agitabantur; quas secundissimis in rebus Oziam rite obseruasse, quamuis proximè annus Iubilæus antecessisset, minime dubitandum videtur; & nihilominus partim hostes expugnasse, partim ædificasse, iuxta ea quæ supra anno eius quinto dicta sunt.

ANNVS MVNDI 3235.

OZIÆ 10. IEROBOAMI II. 25.

IOELIS 10. TEMPLI 213.

SARDANAP. 20. & vlt. Imper. Assyr. 1304.

ANTE CHRISTVM 818.

I. Vltimus Sardanapaliannos

VLTIMVM hunc annum egit in vivis, qui vltimus in regibus Assyriorum ab omnibus scriptoribus antiquis, nemine plane, præter sacros, excepto, numeratur. Is cum biennium iam obsidionem in regni sui metropoli toleraſſet, tertio demum anno, vt scribit idem Diodorus, accidit vt Euphrates, aut Tygris, vt alij malunt, continuis imbribus excrescens mœnia vrbis plurimo incursu quateret, & murum ad 20. stadia deijceret. Tum demum Rex animaduertens finem habere oraculum, de fluuio, qui factus hostis ciuitati, eius ruinam denunciaret, spem omnem salutis abiecit. Itaque ne in hostium deueniret manus, rogum in palatio constituit ingentem, quo aurum & argentum omne, & quidquid erat regiæ supellectilis coniecit. Tum concubinis & Eunuchis in domunculam, quam media in pyra constituxerat, conclusis, se, regiamque cum illis omnibus, absumpsit incendio. De Eunuchis tamen vnum effugisse ait, eumque ad Belesum transfugisse, eique autorem fuisse petendi ab Arbace, vt cineres, qui ex pyra in loco deflagrationis reliqui erant, Babylonem transferret, quod cum impetrasset, ingentem auri argentique vim, quæ incendio superfuerat secum deuexisse. De loco autem sepulchri, alijsq; eò pertinentibus consulat hoc loco Lector Annales.

Se suaq; absumit incendio

Niniuem porro ipsam, non solum ruina & incendio deformatam tradit Diodorus, quod dictu credituque facile foret, sed etiam solo æquatam: Ciuibus autem qui superfuerant, in diuersos pagos distributis, Arbacem suas possessiones restituisse. Verum non excisam plane fuisse ciuitatem, in qua pleriq; adhuc Assyriorum reges Scriptura teste regnarunt, & nominatim Sẽnacherib, res ipsa loquitur. Adde quod in eadem habitauit Tobias cũ familia sua, atq; adeo cum omni tribu sua, eò post annos ferme 80. trãslata. Inde fine dubio veniebat Phul ex Assyriorũ in terrã Israël, cui Manahe erat vectigalis.

nu. 2. & 3. & in schol.

II. Niniuem hunc nõ prorsus deletam, ex Scriptura constat.

4. Reg. 19. 36.

4. Reg. 15. 19.

Quæ quinque præterea reges sug gerit.

Denique multo post hæc tempora, & Nahum prophera,& Tobias interitum Niniues prædixerunt.Memorantur autem Assyriorum reges à Scriptura,primum prædictus ille Phul,qui regnante Ozia Assyrijs imperauit. Secundo Theglath Phalasar,qui tempore Ioathan filij Oziæ regnauit, & plurimos Israëlitas transtulit in Assyrios.Regnauit deinde Salmanaser tempore Ezechiæ filij Achaz, & reliquos Israëlitas in captiuitatem abduxit.Hunc secutus est Sennacherib,quem eiusdem Ezechiæ preces,maxima clade affectum Niniuem compulerunt. Vbi cum à filijs interfectus esset,ei successit Asarhaddon.

III. Quomodo Phul obtinuerit principatum.

Cum ergo nouum Assyriorum regnum ex ipsa Scriptura teneamus, necessariò dicendũ est illud Imperium non plane sub Arsace Medo cõcidisse,sed postmodum,sub Phule Assyrio viro strenuo,reuixisse, atque adeo imperij eius diuturnitate reflouisse.Est autem admodum veritati consentaneum, non duos tantum Assyriorum præfectos inter se conuenisse de imperio inter se diuidendo,sed Phulem quoq; Assyrium in istam partitionem,quà vi,quà voluntate admissum fuisse , vt qui admodum inter cæteros Sardanapali præfectos emineret.Itaq; pro vno Assyriorum Imperatore tres facti sunt principes: inter quos cum plurimum viribus atque autoritate polleret Arbaces,dictus est in Medos imperium transtulisse.Sicut autem autor est Diodorus,Belesum ab Arbace Babylonem , citra pensitationem tributi obtinuisse: ita eadem lege Phulem,quamuis quassatam bello Niniuem recepisse,in eaque deinceps ita regnasse, vt regum Assyriorum nomen,quamuis vehementer potentia,ac iurisdictione imminutum,quoquo modo sustentaret.

De horum principum annis, & nominatim Assyriorum,non facile est certam proferre sententiam,cùm illos Scriptura prætermiserit, & ægrè ex ea aliquorum duntaxat regni periodus colligatur.Plerique,,secuti Metasthenem Annij, Phuli 48.annos regni tribuunt;quidam tardiùs Sardanapalo successisse putant. Ego cum nullã differẽdi regni causam idoneam videam, Phulem Sardanapalo fine vllo interregno sufficiã; tamdiuq; in Assyriorum imperio retinebo, donec nos Scriptura monuerit, Theglatphalasari eius successori,locum dandum esse.

IV. Et quomodo eius anni & successorum eius digerendi.

ANNVS MVNDI 3236.

OZIÆ 11. IEROBOAMI II.26.

IOELIS 11. TEMPLI 214.

PHVLIS Regis Assyr. 1.
Imperij eorundem 1305.

ANTE CHRISTVM 817.

I. Initium regni Phulis, ex Arbacis lenitate ac prudentia.

COnsentaneè ijs , quæ paulò ante de extincto ac renouato Assyriorum imperio constituta sunt à nobis, hic erit primus annus Phulis Assyriorum regis. Non est enim credibile principes istos diuturnis contentionibus,quod plerique putant,inter se decertasse.Siue quia Arbaces,vt tradit Diodorus,miti erat ingenio,adeo vt victis sua prædia perhumaniter, possessionesque reliquerit:siue quia cum non minus prudentia,quam fortitudine valeret,maluit à principio aliquid de occupato à se iure concedere, quam præfractius omnia ad viuum resecando, aleam de re tota periculosè iacere.Ergo qui reliquijs Nini concessit possessiones suas,non negauit in parietinis , & vstulatarum domorum ruinis ad habitandum locum; quibus Phul Assyrius,factus de præfecto princeps , imperaret; & quidem tam prudenter atque industriè , vt regnum quoq; Babyloniorum recuperasse existimetur.

Est porrò hic annus regni , siue Imperij Medorum primus,cuius annos sigillatim persequi non est visum , propter infinitam regum & annorum diuersitatem,vt alio loco dicetur:maximè cùm illi breui ab Assyrijs iterum subacti fuerint,vt in Phulis successore dicemus. Chronologiam porro nostram de transactis adhuc Assyriorum annis,bellè confirmat Augustinus, l.18.de Ciuit.c.21.

II. Reges Medorũ.

ANNVS MVNDI 3241.

OZIÆ 16. IEROBOAMI II. 31.

IOELIS 16. TEMPLI 219.

PHVLIS 6.Imperij Assyrior.1310.

ANTE CHRISTVM 812.

I. An Sab. 94.

SAbbaticus est hic annus ordine 94. quem sub pio principe rite obseruatũ putamus,sicut&consequentes,vsque ad Achaz Oziæ nepotem impium ac profanum.

Ozias ædificat in vrbe. 2. Par.26 9.10.

Cæterum bellicis rebus duodecim circiter annis,Ozias rectè glorioseque perfunctus, deinceps ad peculiarem vrbanarum ac domesticarum rerum curam animum adiecit, quæ res non paucis ipsum annis videntur tenuisse. *Ædificauit enim*, vt ait sacer historicus,*turres in Ierusalem super portam anguli,& super portam vallis, & reliquas in eodem muri latere,firmauitque eas.* Muri latus intelligit occidentale, iuxta Villelpandum, qui statuit portam vallis,ducentem ad Caluariæ montem; quam vallem cadauerum vocat Ieremias,quòd ibi fontes supplicio affecti sepelirẽtur.Portam verò anguli ait terminasse idem latus occidentale, & inchoasse aquilonare. Ex quo intelligitur aliam fuisse hanc muri partem, ab ea quam Ioas capto Amasia diruerat. Porta enim Ephraim longe diuersa est à porta vallis. Vide Annales.

c.31.46.

II. Et in solitudine.

Extruxit etiam turres in solitudine , præter casas & tuguria pastorum,ad tutelam videlicet,& receptacula ouium & pastorum,cum res ferret:*& effodit cisternas plurimas,eo quod haberet multa pecora,tam in campestribus , quam in eremi vastitate.* Agricolas quoq; habuit & vineas, *& vinitores in montibus,& in Carmelo*,id est,fertilibus locis,*erat quippe homo agriculturæ deditus.*

ANNVS MVNDI 3245.

OZIÆ 20. IEROBOAMI II. 35.

IOELIS 20. TEMPLI 223.

PHVLIS 10. Imperij Assyr. 1314

ANN. ANTE CHRISTVM 808.

I. Ratio tēporis Hesiodi.

NOn differendus est vltra hunc annum Hesiodus, Audi enim Suidam: *Fuit Hesiodus ex aliquorum sententia Homero antiquior: cui illum æqualem alij fuisse aiunt. Porphyrius autem, & alij plurimi centum annis iuniorem fuisse definiunt, vt qui 32. tantum annos primam Olympiadem antecesserit.* Sicille. In istis plurimis est, Cyrillus l. 1. in Iulianum, & Eusebius in chronico, vbi, ex sententia Porphyrij, ait hoc ipso tempore floruisse Hesiodum. Postremum videlicet floruisse, atque obijsse, cū certus assignetur annus. Plurimis enim annis floruisse, & non vno aliquo, cum multa opera ediderit, nemo dubitauerit. Ab hoc autem anno, ad primam Olympiadem 32. anni numerātur. Quòd si eodem autore, alijsque plurimis, Hesiodus Homero centum annis iunior fuit, cum statuerimus Homerū natum anno mundi 3039 n. 34. & 35. natus fuerit Hesiodus anno circiter 3140. tribus quatuor ve annis ante mortem Homeri, quē mortuum posuimus anno 3143. M. certe Varro l. 1. de imaginibus, ait non esse dubium, quin hi duo Poëtæ eodem aliquo tempore vixerint. Vt mirum sit M. Tullium, cui Varro notissimus fuit, in Catone maiore dicere, videri sibi Homerum multis seculis Hesiodum præcessisse. Ex his autem consequens est Hesiodum vitam ad cētesimum quintum annum propagasse; quæ fuit quoque periodus vitæ Homeri.

II. Mors eiusdem.

De eius morte scribit idem Suidas, eum, cùm hospitio acceptus fuisset apud Antiphum & Ctimenum, ab ijs noctu per imprudentiam occisum fuisse, loco eius qui sorori eorum vitium obtulisset. Eadem ferme est Pausaniæ & Plutarchi sententia. Qui de eiusdem sepultura non satis consentiunt. Pausanias enim ait illum Naupacti, vbi interfectus fuerat, sepultum fuisse, eius tamen ossa ad Orchomenios fuisse deportata. Plutarchus autem ait Hesiodi cadauer in mare deiectum, statim à Delphinorum grege exceptum fuisse, & Molycriam Ætoliæ vrbem, ad quam confugerant sicarij, deportatum. Cūque cadauer ad littus deferri videretur, miratos ciues eò accurrisse, & corpus recens interfecti Hesiodi agnouisse, & hominis gloria permotos cædis autores quæsisse, & canis indicio inuentos, viuos in mare præcipitasse, & diruisse eorum domum. Sed hæc, aliaque in Annalibus pluribus, vbi & catalogum operum eius ex Pausania reperies.

in Bœoticis, l. 9.

l. de solertia animi.

***

ANNVS MVNDI 3248.

OZIÆ 23. IEROBOAMI II. 38.

IOELIS 23. TEMPLI 226.

PHVLIS 13. Imperij Assyr. 1317.

ANTE CHRISTVM 805.

I. Amos incipit prophetare.

DEdit Amos hoc anno Sabbatico 95. initium suæ prophetiæ, biennio ante terræmotum qui Oziæ 25. contigit, vt suo loco dicetur. Multum porrò distat hic Amos ab eo, qui initio Esaiæ memoratur eius pater, qui ne litteris quidē in Hebræo consentiunt: & cùm pater regis Amasiæ, huius humile genus est, ait enim ipsemet se fuisse ex numero pastorum & armentariorum oppidi Thecue. Nec est quod quenquam moueat, quod prophetā hic agat cum Amasia ca. 7. Non enim rex erat ille Amasias, sed sacrificulus vituli in Bethel. Deniq; illius nulla scripta extant, hic tertius est è minoribus prophetis.

Annus Sabbaticus 95.

II. Contra Damascū

Prophetat autem ab initio contra Damascum metropolim Syriæ, quam, propter plurima scelera Dominus grauissimo supplicio se affecturū dicit, maximè autem propter insignem crudelitatem, qua sæuierant in Galaaditas: quam flens prædixerat Elisæus Hazaēli, nondum regi Syrię. Pœna vero hæc est, quod permissurum se ait, vt in suis sceleribus & obstinatione permaneant, donec igne ferroq; vastati, in captiuitatem abducantur, quod contigit Achaz regnante Hierosolymis, & Razin in Syria, vt suo loco dicetur. Damascum quidem Ieroboam ante 32. annos subegerat, & tributo contentus, mitius videtur egisse cum eis, vt propterea grauius eis supplicium propheta comminetur. Inde pari modo prophetat contra Philisthæos, Tyrios, Idumæos, Ammonitas, Moabitas item, Iudæos deniq; & Israëlitas, in quos alij quoq; prophetæ crebras intentant minas. Vide Annales hoc loco.

4. Reg. 8. 12.

6. eiusdem anno.

alioſque populos.

III. Contra decem tribus.

Altero quoque anno vaticinatus est Amos, præsertim contra decem tribus, quia nominatim ad eas mittebatur, quibus etiam vicinam captiuitatem, post annos videlicet 65. denūciat. Cæterum non vltra duos annos hunc prophetam vaticinatum esse ex eo colligitur, quod in Hebræo non habetur, *ante duos annos terræ motus.* vt habet Vulgata & Septuag. Sed duobus annis ante terræ motum: quomodo etiā habet Chaldæus paraphrastes, quasi dicat, illo duntaxat biennio; quod probant Montanus & à Castro.

Biennio tantum vaticinatus est.

ANNVS MVNDI 3250.

OZIÆ 25. IEROBOAMI II. 40.

IOELIS 25. TEMPLI 228.

PHVLIS 15. Imperij Assyriorum 1319.

ANTE CHRISTVM 803.

CElebris est hic annus, qui est mundanus Iubilæus 65. terræ motu, qui initio pro-

I.

phetiæ

Terræ motus quando contigerit.

phetiæ Amos, & Zachariæ 14. memoratur: & denunciatione futuræ captiuitatis, quæ ab Esaia quoq; celebratur. Et terræ motum quidem Iosephus existimauit contigisse eo tempore, quo lepra percussus est Ozias, quem pleriq; sunt secuti. Verum lepram Oziæ multo tardius contigisse, vel ex eo liquet, quod Scriptura testatur Ioatham Oziæ filium Rempub. administrasse, patre lepra percusso. Sed is nondum hoc anno natus erat. Nam 25. annorum erat, cum regnare cœpit patre mortuo, at supersunt adhuc 27. anni Oziæ, quippe qui regnauit annis 52. Hoc tamen anno 25. Oziæ contigisse terræ motũ Hieronymus ex Hebræorum traditione refert, alijque passim. Eaque nihil habet absurdi, sicut lepra Oziæ, si in hunc annum referatur.

2. Par. 26. 3 & 27. 1

II. Et quem in finem.

Verus porrò fuit atq; insignis hic terræ motus, vt qui ita obseruatus fuerit ab omnibus, vt inde ratio temporis tanquam à noto termino peteretur. Pertinuit autem, si moralem eius causam quærimus, ad imminentes animorum motus, totiusq; regni decem tribuum, significãdos, qui mox morte Ieroboamo secuti sunt, & quidẽ tanti, vt regnum, ad annos circiter duodecim, varijs seditionibus iactatum, rege caruerit: & qui illud deniq; obtinuit Zacharias 6. tãtum mensibus eo potitus fuerit: cui mox Sellam ad vnum tantum mensem successit, & rursum alius, qui barbaram in suos crudelitatem exercuit, & extremum hostem in regnum suum accuit, vt eum doceret inire viam ad perdendũ Israelem, & eum in captiuitatem abducendũ; qui fuit alius motus longè maximus, & prædictus fuerat ab Ahia Silonite, Ieroboami vxorem arguente.

III. Vaticinium 65. annorum Esaiæ. cap. 7. 8.

Hoc quoque anno dicimus editam prophetiam, cuius meminit Esaias: *Et adhuc*, inquit, *sexaginta & quinque anni, & desinet Ephraim esse populus.* Vbi illud adhuc ex communi sententia, non refertur ad posteriora tempora, quasi adhuc remanerent 65. anni, cum hæc dicebat Esaias, cum vix duodecim superessent ante captiuitatẽ ab eo prænunciatam, sed sensus est, ipso interprete Hieronymo, adhuc currere, & in fluxu esse illos 65. annos pridẽ prædictos, nec plane effluxisse. Eorum autem initium, ex Hebræorum sententia, sumitur ab hoc anno 25. Oziæ, cuius supersunt adhuc 27. anni, sequũtur sedecim anni Ioatham, & totidem Achas, cui successit Ezechias, cuius anno 6. capta est Samaria, & regnum Israël exilium est: & hi anni ad 65. perueniunt. Respexit autem Esaias ad prophetiam Amos cap. 5. extremo, & cap. 6. & 7. in fine, quamuis Esaias non meminerit prophetæ Amos: nec Amos annorum 65.

17 Oz. 16 Io. 16. Ach. 6 Eze.

65.

v. 7. 8.

ANNVS MVNDI 3251.

OZIÆ IEROBOAMI II. 41. & vlt.

IOELIS 26. TEMPLI 219.

PHVLIS 16. Imperij Assyriorum 1320.

ANTE CHRISTVM 802.

I. 4. Reg. 14. 23.

MOritur hoc anno Ieroboam primo & quadragesimo regni sui anno, vt Scriptura testatur, regno non vtique piè, sed feliciter administrato. Nam non recessit ab omnibus peccatis Ieroboam filij Nabat, & Syros regni sui hostes afflixit, & amissa recuperauit. Denique dormiuit cum patribus suis regibus Israël; & quorum facta impiè, & præ cæteris ingratè erga Deum secutus fuerat, exitum quoq; animo quam corpori funestiorem accepit: & qui Saluator diuinitus datus fuerat Israëli, ei felicitatem nascendo attulit, & absque moriendo, res porrò ab eo gestæ suis quæque locis explicatæ sunt.

Ieroboami II. obitus.

Possumus ad hunc quoque annum mortem prophetæ Amos referre; siue quia ipse ait, se vtroq; rege regnante prophetasse, quorum nunc deficit alter. Siue quia Amasias sacrificulus gratia valebat apud Ieroboamum, vt impunè potuerit interficere prophetam, sibi molestè obstrepentem, imò adulterium vxoris suæ, filiorũ & filiarum suarum cædem, omnium bonorum iacturam, ipsi deniq; captiuitatem ac mortem prædicentem. Postremo cùm biennio tantum prophetam egerit, hic annus & vitæ, & vaticiniis eius finem attulit. De eius morte in Romano Martyrologio habetur, eum 31. Martij, Tecuæ in Palæstina mortuum, quem, inquit, Amasias Sacerdos frequenter plagis afflixit, & filius eius Ozias vecte per tempora transfixit. Qui postea semiuiuus in patriam deuectus, ibidem expirauit, sepultusque est cum patribus suis. Quæ ferè transcripta sunt ex Isidoro. S. Epiphanius ait filium Amasiæ fuste prophetam, secundum tempora feriendo, occidisse. Recte. Quomodo enim transfixis temporibus semiuiuus perseueret, dum deferatur in patriam. Sed hæc diligentius explicata sunt in Annalibus.

II. Mors prophetæ Amos.

cap. 7. 17.

Num transfixis temporibus.

n. 3. 4. 5.

ANNVS MVNDI 3252.

OZIÆ 27. INTERREGNI IN ISRAELE 1.

IOELIS 27. TEMPLI 230.

PHVLIS 17. Imperij Assyriorum 1321.

ANTE CHRISTVM 801.

MOrtuo Ieroboamo anno superiori, qui fuit Oziæ 26. nequaquam illi Zacharias filius eius statim successit, cum Scriptura apertè dicat illum anno 38. Azariæ, siue Oziæ, ad sex tantum menses regnasse in Samaria. Itaque pleriq; omnes chronologi duodecim interiectos annos ciuilibus de regni successione contentionibus rectè tribuunt. Hoc ergo anno intestinis discordijs Israëlitæ tumultuari cœperunt, quas Scriptor sacer non percenseat, ex cædibus tamẽ Zachariæ & Sellam, qui per breui tempore regnarunt, facile est hos tumultus, seditiones, bellaque ciuilia conijcere.

I. Interregnum in Israële annorum duodecim.

Sequenti anno, qui est ante Christum octingentesimus, & Oziæ 28. Natus est ei Ioathan regni successor, qui viginti quinque annos natus regnare cœpit, totidem autem hinc ad

II. Ortus Ioathami. 4. Reg. 15. 33.

mortem patris eius numerantur. Cum ergo constet Ioathamum hoc anno natum, decepti sunt qui hoc eodem anno Oziam lepra percussum putant, aut quod absurdius etiam est regni 25. Quomodo enim nondum natus, aut paucorum dierum infantulus, regiam domum gubernare potuit, quod tamen ab eo factum Scriptura testatur. Itaque lepra ad vlteriora tempora differenda est. Agebat porrò nunc 44. ætatis annum Ozias, vt mirum sit ei tam tardè natum primogenitum. Fortasse alios etiã genuit prius, quibus morte sublatis, Ioatham factus est primogenitus. Quanquam non semper primogenitus factus est regni successor, vt in Salomone patet, & in Abia Roboami filio.

4. Reg. 15 5 & 2. Par. 6, 26. 21.

2. Par. 11. 12.

ANNVS MVNDI 3255.

OZIÆ 30. INTERREGNI 4.

IOELIS 30. TEMPLI 233.

PHVLIS 30. Imperij Assyriorum 1324.

ANTE CHRISTVM 798.

I. An. Sab. 96. Oziæ quieta tempora.

TRigesimus annus regni Oziæ incurrit in annum Sabbaticum ordine 96. qui hoc anno altissima pace fruebatur, quam eitum pietas in Deum, tum victoriæ de Palæstinis, Arabibus, & Philisthæis peperierant, & conseruabant. Sed eam pacem & rerum abundantiam, multa, vt assolet, magnaque peccata comitabantur. Itaque mortuo Ieroboamo suscitasse creditur Dominus Esaiam, qui peccata populi grauissima oratione castigaret, qualis habetur primo capite vaticinij eius. Verùm ea de re commodiùs agemus eo anno, quo mortuus est Ozias. Hoc ipso tempore prophetare cœpit Abdias, quo & Ioël, & volunt Hieronymus & Cyrillus, & recentiores interpretes, idque ordo ipse librorum prouet in biblijs sacris digesti sunt, satis confirmat. Prophetat autem contra Idumæos perpetuos Iudaici populi hostes, sæpè compressos, sæpius rediuiua cornua attollentes.

Esaiæ 1.

Abdiæ vaticinium.

II. Contra superbiã Idumæx.

Id significat Abdias, cum eorum superbiam ita exagitat: *Ecce paruulum dedi te in gentibus, contemptibilis tu es valde. Superbia cordis tui extulit te habitantem in scissuris petrarum, exaltantem solium tuum*, &c. Nec est quod improbabilis videatur ista Idumæorum superbia, postquam vsque adeo ab Amasia contriti fuerunt. Id enim iam ante annos quinque & 40. contigerat, quo spatio potuerunt animalibus natura superbis renasci cornua. Tam fatui enim erant, vt cum semper vincerentur, semper tamen se deinceps inexpugnabiles fore crederent, propter aspera, atque inaccessa loca, in quibus habitabant. Interea pergebat Oseas insistere Israëlitarum conuersioni; vt cùm cap. 3. iubetur propheta diligere, & in domicilium suum recipere mulierem dilectam amico, & adulteram, sicut diligit Dominus filios Israël, licet ipsi respiciant Deos alienos, & idola inutilia. In quo agnoscitur paternus Dei amor in populum illum, quamuis propter adulterium aduersus Deum suum esset odio dignissimus. Non fuit autem hæc mulier Gomer vxor prophetæ, ex qua iam tres susceperat liberos, sed alia quæpiam.

Oseas diligit adulteram in figurã Domini.

ANNVS MVNDI 3260.

OZIÆ 35. INTERREGNI 9.

IOELIS 35. TEMPLI 238.

PHVLIS 25. Assyriorum 1329.

ANTE CHRISTVM 793.

I. Amulij regni initium.

ROmanum imperium sub Amulio Syluio Latinorum rege decimo quinto natum, inuitauit nos, vt initium regis huius notaremus, quod vt ne prius collocaremus cum Eusebio, fecit initium Olympiadum & Romuli ortus, & conditæ Vrbis primordia, iuxta probatissimam temporum, in primisque Dionysij rationem: quo etiam duce illi annos regni duos & quadraginta, non 44. cum Eusebio assignamus. Quæ autem ad hunc regem pertinent, quasi rei Romanæ præludia futura sunt.

II. Vt eo sit potitus.

Procas ergo Siluius rex Albanorum, cum tribus & viginti regnasset annis, duos filios Numitorem & Amulium æquis partibus heredes instituit. Tum Amulius in vna parte regnum obtinuit, quod vt firmius possideret, fratris filium, quem Dionysius Ægestum vocat, in venatione interimendum curauit: tum etiam Rheam Syluiam eius sororem Sacerdotem Vestæ fieri iussit, id sibi ad Vestæ in somnis imperatum fingens, ne quis ex ea nasceretur, qui aut eas perle queretur iniurias, vt scripsit Valerius Antias, quæ latiùs diduxit Dionysius Halicar: qui tamen sentit diuisionem per vim, non ex composito, fuisse transactam.

l. 1. p. 62. Gr. Lat.

ANNVS MVNDI 3263.

OZIÆ 38. INTERREGNI 12. & vlt.

ZACHARIÆ 1. & vltimus.

IOELIS 38. TEMPLI 241.

PHVLIS 28. Imperij Assyriorum 1332.

ANTE CHRISTVM 790.

I. Finis interregni, & regnũ Zachariæ 4. Reg. 15. 8.

IMpositus est hoc anno finis ambitiosis de regno Israëlis contentionibus, & is denique factus est votorum compos, cui imperium diuina ordinatione debebatur. Nam, vt Scriptura testatur, *Anno 38. Azariæ regis Iuda regnauit Zacharias filius Ieroboam, super Israël in Samaria sex mensibus.* Itaque tam breuis fuit ista quies, vt illa duodecim annorum contentio, non tam extincta, quam sopita dici possit. Vicit ergo Zacharias in contentione ciuili, & sub finem 38. Oziæ factus est rex, in demortui patris

tris locum, non propriis ei meritis, sed diuina promissione fauente, in mercedem exterminatæ Iehu domus Achab; quę promissio ad quartam generationem propagata est, etiam non numerato Iehu. Hi fuerunt Ioachaz, Ioas, Ieroboam, Zacharias. Merita autem Zachariæ quæ fuerint, suo illo quasi solenni carmine Scriptura declarat. *Et fecit quod malum est coram Domino non recessit à peccatis Ieroboam filij Nabat*, &c.

Deletur familia Iehu.

ANNVS MVNDI 3264.

OZIÆ 39 SELLVM ET INITIVM MANAHEM.

IOELIS 39. TEMPLI 242.

PHVLIS 29. Imperij Assyr. 1333.

ANTE CHRISTVM 789.

I. Tres reges vno anno in Israël. 4. *Reg.* 15. 10.

TRes vidit Ozias, hoc anno regni sui 39. in Israël reges, in magnum Reipub. collabentis argumentum. Nam Zacharias inchoatum anno superiore semestre absoluit hoc anno, à Sello coniuratione facta cæsus, qui & regnauit pro eo ad mensem vnum, donec & ipse à Manahem occisus fuit, & regnum occupatum. Apparet autem magnam fuisse potentiam huius Sellum, & coniurationem prævalidam ipsius, vt qui palã, & aperta vi regem adortus est, nihil veritus arma regiorum stipatorum, quos forte ad suas partes attraxerat, eumque frustra resistentem violentus oppressit. Etsi enim clam & insidiosè facta est coniuratio, palam tamen, & coram populo cædes. Sicut in Athaliæ cæde factum fuit. Hunc finem habuit familia Iehu, cũ regnum Israëlis vltra centum annos tenuisset: præsertim si numeretur interregnum duodecim annorum, quibus ius habuit ad regnum ex ordinatione diuina.

Quandiu regnum steterit in familia Iehu.

Iehu 28. *Ioach.* 17. *Ioas* 16. *Ierob.* 41. *Inter.* 12. *Zach.* 86. m.

Hoc porrò anno impleta est ex parte prophetia illa Oseæ: *Adhuc modicum*, ait Dominus, *& visitabo sanguinem Iezrael*, id est, puniam peccata Israëlis, cuius Iezraël erat altera metropolis, *super domum Iehu*, quæ idololatriam sectata est, quam Dei iussu exterminarat. *Et quiescere faciam regnum domus Israel.* Hæc est altera pars prophetiæ, quę post 50. annos implenda erat, supersunt enim Oziæ 14. Ioatham 16. Achaz 15. Nam decimus sextus cum primo Ezechiæ concurrit, cuius anno sexto excisum est regnum Israël. Sellum ergo ambitiosa impietate cæcatus regem sustulit, regnum inuasit; Eo tamen nihil minus cogitante, vsus est Dominus ad Zachariæ peccata punienda, & regnum à familia Iehu in aliũ transferendum. Occiso autem Domino ac rege suo, regnum mercedem iniquitatis accepit, sed mercedem multo opinione sua breuiorem. Vno enim tantum mense regnauit in Samaria.

II. Ea de re vaticiniũ Oseæ. 6. 1. 4.

14. Oziæ 16. *Isath.* 15. *Achaz* 6. *Ezech.* 51.

Sellum regnum occupat.

4. *Reg.* 15. 13 14.

III. Interficitur à Manahem. 3. *Reg.* 16. 23.

Nam *ascendit Manahem filius Gadi de Thersa*, vrbe in qua olim regnauerat Amri sex annis prius quam emeret montem Samariæ, venitque in Samariam, & percussit Sellum filium Iabes, & regnauit pro eo. Sicque intra vnum mensem à patrato scelere pœnas dedit. Rectè Manahem, cum esset regij præfectus exercitus, vrait Iosephus, cum ijdẽ copijs aduersus hominem facinorosissimum insurrexit, qui rege occiso tyrannidem inuaserat; malè autem, quòd propria autoritate, vt idem ait, regnum inuaderet, & culpam quam vlciscebatur, perpetratit. Non enim ad eum regnũ inaugurandum populus consensit, sed ei plerique, vt mox dicetur, restiterunt.

Qui regnum inuadit.

ANNVS MVNDI 3265.

OZIÆ 40. MANAHEM 1.

IOELIS 40. TEMPLI 243.

PHVLIS 30. Imperij Assyriot. 1334.

ANTE CHRISTVM 788.

EXtremo anno præcedente Manahem regnũ decem tribuum inuasit; ideoque hic annus non secundus, sed primus illius appellatur. Idq; necessario factum est à nobis, vt & illi loco Scripturæ satisfieret, in quo dicitur Manahem regnasse 39. anno regis Azariæ. Et rursum alteri, in quo habetur filium eius Phaceiam anno quinquagesimo eiusdem Azariæ regnare cœpisse; cũ tamen decem tantum annis regnasse dicatur. Ergo primus ipsius necessario erit præsens Oziæ 40. Vltimus autem, qui est eiusdem 49. Cum primum autem Manahem regnum suum stabiliuit in Samaria, Thapsam adijt cum infesto exercitu, eo quod eius imperiũ detrectaret; & primùm eius agrum populatus est, incipiens à finibus Thersa. Deinde vrbe occupata, vt reliquis vrbibus exemplo esset, ac terrori, eam insigni crudelitate vexauit. Populum enim omnẽ, qui erat in ea, interfecit, & insuper prægnantes omnes dissecuit, & vna eademque cæde, matrem cum prole carnifex barbarè dilacerauit.

I. Primus annus Manahem. 4. *Reg.* 15. 17. *Ibid.* v. 13.

Sæuitia eius in Taphsã.

Et quoniam timida est ambitio, timuit Manahem ne propter crudelitatem in Thapsenses, vel propter vsurpatum propria autoritate imperiũ, populus vniuersus in eum insurgeret, eumque regno & vita priuaret; ideò euocauit in terram Israël Phul regem Assyriorum: *vt esset ei in auxilium, & firmaret regnum eius.* Quod auxilium mille talentis argenti redemit, quorum singula valent tribus siclorum millibus: vniuersæ vero vni millioni 375. millibus aureorum nostratiũ. Quę pecuniæ magnitudo suadet, vt semel tantum Assyrijs numerata dicatur, eaque indictione in potentes & optimates confecta est, quoniam duodecim annorum seditiones ac tumultus ærarium regis exhauserant, plebemq; consumpserant. Indixit autem in singula capita 50 siclos argenti, id est 68. Francos, cum 15. solidis Turon. Quanquam non absurdum est illa Scripturæ verba, *veniebat Phul, & dabat Manahem mille talenta*, de anno tributo interpretari, vt eius recusatio causa fuerit postmodum Theglatphalasari, inuadendi regnum Israëlis.

II. Euocat Assyrios.

cique fit vectigalis.

ANNVS MVNDI 3274.

OZIÆ 49. MANAHEM 10. & vlt.

IOELIS 49. TEMPLI 252.

PHVLIS 39. Imperij Assyr. 1343.

VRBIS CONDITÆ 779.

I. Ortus Achaz.

TRibus rebus insignis est hic annus, natiuitate Achaz filij Ioathami, Oziæ lepra, & morte Manahem regis Israëlis. Natum enim esse hoc anno Achaz, cum Ioatham pater eius vigesimum secundum ætatis ageret, ex primo anno regni eiusdem Achaz perspicuum est, quo vigesimum agebat annum, ad quod vsque tempus quatuor anni Oziæ, & 16. Ioathami filij eius intercedunt. Deinde cum Ioathamus annos natus 25. regnare cœperit, oportet eum vigesimum secundum nunc egisse, quandoquidem post tertium rex factus est. Hoc quoq; anno admodum probabile arbitror Oziam lepra diuinitus fuisse percussum, eamque pœnam reliqua vita pependisse. Nam & id tempus sufficit, ad sententiam verborum Scripturæ, sine vlla violentia retinendam. Et habuit hic annus nati Achaz, quod regem ad sacrificandi temeritatem inuitaret, & tam grandem natu in superbiam elatum præcipitaret.

2. Par. 28 1.

Ozias lepra percutitur.

II. Propter superbiam, & sacrilegiũ

Quippe qui cerneret se tam diuturno iam 49. annorum imperio fulgentem, tot victoriis vndique nobilitatum; tanta pace, tot opibus: denique tam præsenti Dei auxilio corroboratum experiretur: interim dum regnum Israëlis tumultibus & latrocinijs, & regum cædibus abundaret: sed noua insuper se prole auctum, qua longissimè propagaretur, & roboraretur imperium, hoc anno lætaretur. In hanc enim sententiam accipere licet illa Scripturæ verba, *Sed cum roboratus esset, elevatum est cor eius in interitum suum.*

2. Par. 26. 16.

Regna enim non tam opibus & subditis, quam legitimorum principum minime dubia successione roborantur. Occasione igitur natiuitatis, aut oblationis eius in templo post quadragesimum diem, voluit Ozias senex in solenniori sacrificio, *adolere incensum super altare thimiamatis*, quod erat iuxta Sanctum Sanctorum: *Statimque ingressus post eum Azarias Sacerdos*, qui & Ioël dicebatur, vt initio pontificatus eius diximus, & cum eo Sacerdotes Domini 80. viri fortissimi, non tam robore membrorum, quam animi præsentia, *restiterunt regi*, negantes id esse officij regij, sed Sacerdotalis.

eius occasio.

III. Quam iusta Dei punitio.

Non acquieuit rex bene monentibus, sed *iratus est, & tenens in manu thuribulum vt adoleret incensum, minabatur Sacerdotibus.* In facto vno culpa multiplex. Nam ex superbia, & neglectu Dei peccauit, vt Scriptura testatur, & loci sanctitatem, & officij sacri profanauit: & cum pertinacia non admisit correptionem pontificis, sed in male cœptis perseuerauit, veritus confusionem apud aulicos suos. Denique minas, iras bene monentibus, intentat. Nec diu diuatũ [illegible] supplicium: statim enim orta est lepra in [illegible] pontifice & Sacerdotibus a fronte eius, qua [illegible]

nimaduersa, *festinato expulerunt eum. Sed & ipse perterritus festinauit egredi, eo quod sensisset illico plagam Domini*, superbiam ignominioso morbo nõ primentis. Atque ita qui Sacerdotale munus inuaserat, regium amisit; qui Sacerdotum verba neglexerat, Dei verbera sensit; & qui in locum sanctum temerè inuaserat, ne in communi quidem, ac profano habitare permissus est, toto templo, atq; adeo tota ciuitate exclusus: & qui mortem minabatur admonitoribus, in lepra languet vsque ad mortem.

IV. Mors Manahem.

Superest mors Manahem, quæ in extremum hunc annum cadit; nam filius eius ei anno Oziæ quinquagesimo successit: *Et dormiuit Manahem cum patribus suis*, ait Scriptura, *regnauitque Phaceia filius eius pro eo.* Cumque alij reges Israëlitarum idololatriæ crimine infames decesserint, addidit etiam hic crudelitatem, ob quam mirum est, ac satis nouum, illum sicca, vt ait Poëta, morte decessisse.

V. Regnum Phaceiæ 1.

Sequenti anno, qui fuit Oziæ quinquagesimus, *regnauit Phaceia filius Manahem super Israel in Samaria biennio.* Etsi enim reuera Ozias non regnabat, nec sese Reipub. negotijs admiscebat, vtpote à communi habitatione separatus: anni tamen omnes, quandiu vixit, eius regno annumerati sunt; quamuis Ioatham eius loco Regnum administraret. Vtroque ergo regno principe suo spoliato, altero per morbum, per mortem altero, vtrique successit filius, priori Ioathã vt administrator, posteriori Phaceia vt rex, & ordinarius princeps. Quamuis enim pater eius tyrannicè occupasset imperium, deinde tamen populus se illi sponte subijciens, illum legitimum regem fecit, eoque munere biennio tantum potitus est, paternæ impietatis, sicut & imperij, atque adeo, si Iosepho credimus, crudelitatis hæres. De Olympiadibus, quarum initium Eusebius huc retulit, initio regni Ioathami dicemus.

ANNVS MVNDI 3276.

OZIÆ 51. PHACEIÆ 2. & vlt.

AZARIÆ 51. TEMPLI 254.

PHVLIS 41. Imperij Assyriorum 1345.

ANTE CHRISTVM 777.

HOc anno secundo Phaceiæ fere exeunte, fuit is Sabbaticus vndecentesimus, Phacee filius Romeliæ coniurauit contra regem; cum esset dux in eius exercitu, præpositus mille viris, vt ait Iosephus, aut, vt Hebræi, tertius esset à rege. *Et percussit eum*, ait Scriptura, *in Samaria in turre domus regiæ, iuxta Argot & iuxta Arie, & cum eo 50. viros de filiis Galaaditarum, & interfecit eum, regnauitque pro eo.* Ea cædes sub anni finem patrata est, nam Phacee non nisi vltimo anno Oziæ regnare cœpit. Porrò ex Hebræo, Chaldæo, & Græco, sententia loci est Phacee socios habuisse coniurationis Argot & Ariam, & cum ijs 50. Galaaditas, quibus adiutus facinus perpetrauit. Hie-

I. Annus Sabbat. 99. Cædes Phaceiæ.

[illegible]iusque nodus.

[illegible]ronymus

ronymus autem ea nomina vt propria locorum accepit. Videtur autem occisus in tuere ad quâ confugerat. Fuit hic Phacee improbitate par Sello, qui Zachariam interfecit. Vterque enim regem suum, nulla autoritate, ambitione dominandi, per insidias ad coniurationem interfecit, & regnum per tyrannidem inuasit, & vterq; alterius non dissimili scelere, perijt.

II. Ortus Tobiæ senioris, & puerilis institutio.

Hoc anno natum putamus Tobiam seniorem, sicut & 39. ætatis abductum in captiuitatem, vt suo loco dicetur. Patria eius fuit Galilæa superior, tribus Nephthalim. Oppidum etiam dicitur Nephtali in vulgata; at in Græca editione dicitur Thisbe, ex qua etiam Helias Thisbites, siue Thesbites putatur oriundus. Mature autem probatus est à Deo rebus aduersis. Nam vtroque parente orbatus est puer, & à Debora matre patris sui, institutus est in timore Dei. Ipse enim se Hierosolymam quot annis profectum in festiuitatibus fatetur, & quæ ex lege præcepta erant, obseruasse.

ANNVS MVNDI 3277.

OZIÆ 52. & vlt. PHACEE 1.

IOELIS siue AZARIÆ vltim. TEMPLI 255.

PHVLIS 42. Imperij Assyrior. 1346.

ANTE CHRISTVM 776.

I. Visio Esaiæ cap. 6.

CELEBRIS est hic annus nobili illa visione Esaiæ, qua vidit Dominum sedentem super solum excelsum, quando & ignito calculo, quem Seraphim forcipe sumpserat de altari, purgata sunt labia prophetæ, quo calculo spiritus propheticus intelligitur, vt Sanctio placet, & Hieronymum laudat autorem, qui in hac visione datus est Esaiæ, eoque purgatum & habilem redditum deinceps prophetasse: Et idcirco quæ primis quinque capitibus continentur, esse posteriora ordine temporis. Et quia oportet Esaiam etiam Oziæ tempore prophetasse, vt in ipso prophetiæ titulo scriptum est, propheta non dicit se hanc habuisse visionem Ozia mortuo, sed eo anno quo mortuus est, nimirum aliquot mensibus ante mortem eius. Certe ex Hieremia constat ordinem temporum in tota eius prophetia minime fuisse seruatum. Acris quoque illa populi & optimatum reprehensio, quæ capite primo continetur, non videtur satis Oziæ temporibus minime deprauatis congruere: neque profecta ab homine polluti oris, & feruore spiritus prophetici carente. Fuisse porro visionem imaginariam, sicut & ipsam templi commotionem, communis est sententia, præsertim si visio dormienti, vt fere contingit, oblata est.

Quando cõtigerit.

Fuit imaginaria.

II. Oziæ mors ac mores. 4. Reg. 15. 7. 1 Par. 26. 23.

De morte Oziæ hæc tantum habet scriptura: *Et dormiuit Azarias cum patribus suis, sepelieruntque eum cum maioribus in ciuitate Dauid*, additur in libro Paralip. *in agro regalium sepulchrorum, eo quod esset leprosus.* Videtur Dominus voluisse penitus, illam superbiam regis huius, & sacrilegam temeritatem expiare, qui & viuentem hominum consortio, & mortuum regum sepulchro priuauit: vt tanto melior de eius æterna salute, certiorque coniectura haberi possit, quo grauius in hac vita eam culpam, quæ vna à Scriptura profertur, Dominus vindicauit. Nam quod excelsa non abstulit, hoc illi cum alijs probatissimis regibus commune est. Denique fecisse ait: *quod erat placitum coram Domino, iuxta omnia quæ fecerat Amasias pater eius.* Imò etiam rectiùs fecit: nam peccatum Amasiæ multis partibus grauius fuit. Quin & in laude Ioathami ponitur, quod fecerit, quod rectum erat coram Domino, iuxta omnia quæ fecerat pater eius, excepto ingressu templi. Illa porro duriora epithera, quæ plerique patrum in eum tanquam spicula conijciunt, illi tantum tempori conueniunt, quo in templo peccauit.

& æterna salus ex cõiectura.

III. Regnum Phacee.

Hic ipse annus primus est Phacee filiæ Romeliæ, qui regnum obtinuit tanquam præmium impiæ proditionis, ac coniurationis in Dominum suam; dubium impiusne magis fuerit an iniustus, ait Iosephus. Vtrumque enim fuit, impius in DEVM ob idolalatriam, & iniustus in regem & populum, ob illatam cædem, & vsurpatam tyrannidem. Hoc ipso anno Romuli ac Remi natiuitatem contigisse putat S. Hieronymus, idque ex chronico Eusebij confirmat. Sed ea natiuitas, nisi stabilitis debito loco Olympiadibus, firmiter stare non poterit, quod proximo anno faciendum est.

l. 9. Ant. c. 11.

Epist. 142. ad Damas.

OLYMPIADES.

ANNVS MVNDI 3278.

OLYMPIADIS I. AN. 1.

IOATHAMI 1. PHACEE 2.

IOATHAMI Pont. 1. TEMPLI 256.

PHVLIS 43. & vlt. Imperij Assyriorum 1347.

ANTE CHRISTVM 775.

I. Initium Olympiadum.

PERuenimus aliquando, Deo bene propitio, ad Olympiadas, temporum notam accuratissimam, atque certissimam, qua sibi tota Græcorum historia gratulatur. Græcis Romani consentiunt. Nam Censorinus a, *Varro*, inquit, *tria discrimina temporum esse tradit. Primum ab hominum principio, vsque ad cataclysmum priorem, quod propter ignorantiam, vocatur ἄδηλον. Secundum à cataclysmo priore, ad Olympiadem primam, quod, quia in eo multa fabulosa referuntur, μυθικὸν nominatur. Tertium à prima Olympiade ad nos, quod dicitur historicum, quia res in eo gestæ veris historiis continentur.* Sic i-

a l. de die Natali c. 21.

Tria tẽporũ discrimina.

pse. Sed diuina prouidentia, & liberalitate factum est, vt ope sacrorum Bibliorum de primo illo tempore, pauca quædam, sed tamen certissima, atque adeo numerum illorum annorum exactè teneamus[b]. De secundo, amplissimam historiam Hebraici populi, ab ipsis eius incunabulis, ad 1621. annos [c], sine vlla fabularum admissione didicimus. Tertia pars, ab ijsdem sacris codicibus, plerisque in locis, & lucem accipit, & firmitatem.

b 1656 ann. à Creat. c 1621. à Diluuio.

3277. ante Olymp.

II. Certitudo Olympiadum.

Accuratam autem istam notandarum Olympiadum curam fouebat gloria. Nam in quaque Olympiade, victorum nomina scribebantur in tabulis, & columnis, quales erant eæ quibus leges Athenis, aut Deorum festa publicè proponebantur, vt victoris gloria, non in Græcia solum, sed vbique gentium in omnem posteritatem propagaretur. Itaque 27. illæ Olympiades, quibus nomina victorum nondum scribebantur, obliteratæ sunt. Quoniam ergo deinceps Scriptores pene omnes Græci, Latini, Barbari, rebus gestis quas memorant, Olympiadis notam assignant: imo sæpe præcurrentia tempora[d], ad initia Olympiadum exigunt, vt alibi de Agone Olympico ab Eusebio notatum est [d], qui Olympiades 430. annis antecessit; sicut diluuium Ogygium [e] mille & viginti, & tutela Lycurgi [f] 108. æquum erit à nobis in posterum Olympiades singulis fere annis diligenter annotari, ad finem vsque totius operis, quod in Christi morte terminatur.

d an. m. 2849. nu. 42. & 43. e a. m. 1258. n. 1. f a. m. 3570. n. 1. & 5.

III. Statuitur hoc anno Epocha Olympiadum.

Vt autem diuersas opiniones de Olympiadum initio missas faciamus, statuimus primum annum Olympiadum, cum primo Ioathami Iudæorum regis anno concurrere. Alioqui falsus reperitur Africanus de Ogygij Diluuio; falsus Eusebius de Agone Olympico; falsus apud Clementem Alexandrin. [g], Eratostenes de tutela Lycurgi, nisi initium Olympiadum hoc anno collocetur. Falsus Cyrillus Alexandrinus [h], qui ab ortu Mosis ad primam Olympiadem quindecim annos numerat supra octingentos. Falsus Dionysius Halicarnassensis [i], qui se hæc perquisisse studiosissime, & accuratissimè expendisse profitetur, qui 408. annos ab excisa Troia ad Olympiadas vsque constituit. Falsus & qui ei ad vnguem subscribit Eusebius [k], libr. 10. de Præpar. Euang. ca. 9. Et Solinus cap. 2. Nutabunt quoque anni Vrbis conditæ, & imperij Cyri, & 70. Iudaicæ desolationis anni. Quæ omnia postulabant hoc ipso anno Ioathami primo Olympiadas inchoari.

g l. 1. Strō. p. 246. Gr. Lat.

h l. 1. in Iul

i l. 1. & 2. hist. Rom

k edit. Gr. Lat. p. 484. Rursum qui &c.

V. Restituęsunt non instituęnt.

Sit ergo nobis hic annus primus primæ Olympiadis, vel annus potius, quo primùm ludi Olympici, ab Iphito Elæorum rege, restituti sunt, qui olim ab Hercule Idæo, nimirum ante annos 430. constituti fuerant, & varijs ex causis intermissi, vt Pausaniæ placet [l], qui ait in his ludis primùm præmia rursus fuisse proposita, quæ Chorœbus Elæus obtinuit.

l l. 5 p. 154. Græc.

Ioatham Pontifex

Hoc ipso anno, cum nouo Iudæorum rege Ioathamo, nouum quoque pontificem ei cognominem substituimus, vt tradit chronicon minus Hebræorum. Hoc quoque anno mortuum ponimus apud Assyrios Phulem anno regni sui 43. etsi non ignorem ei tribui ab Annio Viterbiensi, & qui eum secuti sunt, annos 48. At nos idoneos habemus autores, cur illi sequenti anno successorem demus.

ANNVS MVNDI 3279.

OLYMPIADIS I. AN. 2.

IOATHAMI 2. PHACEE 3.

IOATHAMI Pont. 2. TEMPLI 257.

THEGLAPHALAZARIS 1.

Imperij Assyriorum 1348.

ANTE CHRISTVM 774.

SECVNDVS annus primæ Olympiadis, toti regno Israëlitarum luctuosissimus fuit. Quam enim regionem Iehu, & filius eius Ioachaz regibus Syriæ victoribus amiserant; quamque, ex singulari Dei benignitate, Ioas & Ieroboam, facti saluatores Israëlis, recuperauerant: eam nunc ab Assyrio rege subiugari cœpti, penitus ac nunquam recuperandam amisere. *Legamus*, ait Hieronymus, *Regum & Paralip. libros, & inueniemus sub rege Phacea, qui regnabat decem tribubus, venisse Theglatphalasar regem Assyriorum, & magnam populi Samariæ partem in Assyrios transtulisse. Quo tempore apud Græcos secundus annus primæ Olympiadis fuit*, &c. Sic ipse temporis rationem confirmat.

I. Clades Israëlitarū ab Assyrijs.

l. 1. in Osee sub fin.

Res porro à Phacea gestas tenebris obrutas Scriptura reliquit, communi illa querela contenta. *Et fecit quod erat malum coram Domino, non recessit à peccatis Ieroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israel.* Cæteraque etiam gessit, quæ consentanea sunt homini, qui per vim, ac regis sui cædem arripuisset imperium. Nam huiusmodi principes dominatum nouum, multa cæde cognatorum, & amicorum præcedentis principis, omniumque sibi suspectorum stabilire solent. Sicque congregauit contra se, regnumque suum diuinam iram, quæ hoc ipso anno solito vehementius effundi cœpit, propter mali diuturnitatem; iacturam scilicet libertatis & patriæ, & exilium intergentes barbatas sempiternum. Audi enim Scripturam: *In diebus Phacee regis Israel venit Theglatphalasar rex Assur, & cepit Aion, & Abel domum, Maacha, & Ianoë, & Cedes, & Asor & Galaad, & Galilæam, & vniuersam terram Nephthali, & transtulit eos in Assyrios.* Et alio in loco dicitur idem transtulisse *Ruben, & Gad, & dimidiam tribum Manasse, & adduxisse eos in Lahela, & in Habor, & Hara, & fluuium Gozam vsque ad diem hanc.* Sic ibi.

II. Phaceæ res gestæ.

4. Reg. 15. 29.

1. Par. 5. 26.

Ex quibus intelligitur quanta fuerit hæc prima calamitas Israëlitarum, cum ea duas tribus cum dimidia trans Iordanem amiserint, cis Iordanem autem totam tribum Nephthalim, qua tota superior Galilæa, quæ Gentium dicta est, continetur. Serio quippe

III. Quanta fuerit ea clades, & quāta Dei clementia.

iam

iam cœpit Dominus vlcisci, tam diuturnam Israëlitarum impietatem. In qua ipsa castigatione, quam inuitè adverbera procedat diuina clementia, facile animaduerti potest. Nam prius, ita eis regionis suæ partem adhibuit, vt postea redderet. Deinde post expectatam ducentis & viginti annis populi huius conuersionem, & toties ingeminatas minas, cum tempus vltioni destinatum aduenit, per partes cum regno & terra sua priuare voluit, si forte, qui remanebant adhuc in terra sua, resipiscerent, cur Deus ab vltione cessaret, & in pristinum eos statum reuocaret.

ab an. 3060. ad 3279.

IV. Quæ causa eius ex parte Assyrii.

Et quoniam ex propria intentione non venit Assyrius, vt scelera Phacee & populi eius castigaret; id enim Deus agebat per Assyrium alia omnia cogitantem; expeditionis huius causam suspicari licet negatum tributum, quo Manahem Phul patri eius pendere consueuerat, quo prætor ignominiam seruitutis, omnes regni facultates exhauriebantur. Id ergo iugum Phacee excutere voluerit, sed magno suo malo: quippe qui magna regni sui parte mulctatus est, sic vt regionem simul cum populo, qui aliò transportabatur, amitteret, barbaris in eorum locum succedentibus, vt ille plane de recuperatione desperaret. Fortassis etiam Phacee reliquam vt regni sui partem retineret, eodem quo antea Manahem tributo, aut moderatiore aliquanto redemit. Ex locis porro ad quæ translati sunt nunc Israëlitæ intelligi potest Medos iam Assyrij fuisse subiectos: ad ciuitates enim Medorum translati dicuntur. Neque enim Assyrij seruos suos, ad regionem principis sibi non subditi amandassent.

4. Reg 17. 6. & c. 18 11.

ANNVS MVNDI 3280.

OLYMPIADIS I. AN. 3.

OATHAMI 3. PHACEE 4.

IOATHAMI Pont. 3. TEMPLI 258.

THEGLAT. 2. Imperij Assyr. 1349.

ANTE CHRISTVM 773.

I. Amulius Rheam Vestæ cõsecrat.

DIonysius l. 1. autor est Amulium Latinorum regem, post necatum in venatione Ægestum Numitoris filium, à quo sibi timebat, ne paternæ iniuriæ vltor euaderet, animum ad alterum etiam facinus adiecisse, & specie religionis assumpta Rheam Siluiam, siue Italiam, neptem ex eodem Numitore suam iam nubilem, Vestæ Sacerdotem consecrasse, vt perpetuæ castitatis voto nuncupato, nulla ex ea proles existeret. At ea lex mitior fuisse videtur apud Albanos. Ait enim Dionysius, has puellas non minus quinquennio nuptiarum immunes manere debuisse. Illam autem quarto anno grauidam factam fuisse, nimirum secundo anno secundæ Olympiadis: sicque Romulus & Remus nati fuerint anno tertio; deinde duodeviginti annos nati Vrbem condiderint initio septimæ Olympiadis, quam nos deinceps temporis rationem sequemur.

vide a. m. 3260.

l. 1. p. 62. Gr. Lat.

Cæterum cum hoc tempore Ioathamus pacifice in regno ageret, & alioqui pius esset, videtur his primis regni sui annis ad templi ornatum animum adiecisse, & ædificasse *portam domus Domini sublimissimam*, id est orientalem, nulla enim erat excelsior, siue portæ nomine templi ostium accipiamus, cui vsque ad fornicem 32. cubitos altitudinis tribuit Villalp. latitudinis autem 34. siue orientalem faciem vestibuli templi, quæ ad 120. cubitos erigebatur, vt suo loco dictum est. Quo factum est, primùm vt facilius ex remotis locis templi facies conspici posset. Deinde vt ab ijs qui in atrijs erant, velis atriorum reductis, oculi facilius in interiora templi conuinci possent, & tum velum oraculi, tum altare thymiamatis, candelabra item cum lucernis, mense cum panibus, à populo venerabundo conspici, atq; honorari. Hanc igitur portam, vel ipsam vestibuli faciem, ædificasse dicitur Ioatham, id est, instaurasse, sicut & murum Ophel Hierosolymis, & vrbes in montibus Iuda.

II. Ioathamus Templi portã aliaque ædificat.

an. m. 3024.

ANNVS MVNDI 3283.

OLYMPIADIS II. AN. 2.

IOATHAMI 6. PHACEE 7.

IOATHAMI Pont. 6. TEMPLI 261.

THEGLATPH. 5. Imperij Assyr. 1352.

ANTE CHRISTI ORTVM 770.

I. Iubilæus Mosaïcus 14. Sab. 100. 3283. 2583. 700.

INCIDIT in hunc annum Iubilæus Mosaïcus 14. est enim septingentesimus ab ingressu Israëlitarum in Chananitidem, qui incidit in annum Mundi 2504. numeratis extremis. In hunc ipsum annum incurrit annus Sabbaticus ordine centesimus; necesse est enim in annis septingentis, centum annorum septenaria reperiri.

II. Romuli & Remi conceptus.

Narrant quoque plerique Solis eclipsim hoc anno contigisse, quo Romulus dicitur conceptus, matre eius Rhea à Marte oppressa. Sed hæc in fabulis Dionysius numerat: *Quarto post anno*, inquit, ex quo scilicet Rhea Siluia Vestæ Sacerdos consecrata fuerat, *Ilia sacrorum causa puram aquam in Martis luco petenti, stuprum in fano nescio quis intulit. Quidam dicunt vnum de procis eius fuisse, amore captum virginis. Alii verò ipsum Amulium insidiantem tuis*, vt morti posset adijcere corruptam, *quam libidini seruientem, corpore armis ad summum terrorem septo, cunctisque facies notis, quantum fieri poterat obscuratis. At plurimi fabulantur numen ipsum, cuius id fanum erat, sepuellæ hac specie obtulisse: quippe quod præter alia diuinitatis effecta, Solem quoque obscuraris, & tenebris cœlum obduxerit.* Hæc Dionysius. Sed nubilum cœlum, obscurumque aërem in eclipsim ij commutarunt, qui Romana initia angustiora reddere voluerunt.

III. Horũ parens Amulius.

Nam M. Octauius, & Licinius Macer, vt est in libello de Origine Romanæ gentis, tradunt Amulium patruum Rheæ Sacerdotis,

eius amore captum, nubilo cœlo, obscuroque aëre, cum primum illucescere cœpisset, in vsum sacrorum aquam petenti insidiatum, in luco Martis eam compressisse. Ex eadem hæc ambitione ficta videntur à Romanis, qua impurissimum stupratorem diuinitate affecerunt. *Quia Deus*, inquit Liuius, *honestior culpæ autor erat, Martem incertæ stirpis patrem nuncupat vi compressæ Vestalis.* In quo ipse crimine, licet diuinum aduersus Amulium iudicium animaduertere, qui gemino incesto fœdè perpetrato; nam patruus erat, & Sacerdotem polluebat, factus est eorum parens, à quibus postea regno & vita spoliatus est.

Dei in eũ iudicium

ANNVS MVNDI 3284.

OLYMPIADIS II. AN. 3.

IOATHAMI Reg. & Pont. 7.

PHACEE 8. TEMPLI 262.

THEGLATPH. 6. Imperij Assyr. 1353.

ANTE CHRISTVM 769.

QVi conceptum Romuli & Remi deliquio solis insignem illustremque reddiderunt, die quinto Maij id contigisse affirmant, ex quo sequitur eos ineunte Februario natos esse. Cum ergo Rhea vterum ferret, ægritudine matris monitu simulata, à sacris abstinuit. Amulius autem siue facti conscientia, siue suspicione verosimili motus, te anxie perquisita didicit neptem vterum ferre, diuinamque generationem cansari, & oraculum de gemina prole datum. Rex custodes parturienti dedit, à quibus nunciatum est editos geminos infantes. Re ad iudicium delata, dicta est ex Regis voluntate sententia, vt mater ob violatam pudicitiam iuxta legem virgis cæsa necaretur, proles vero abijceretur in fluuium: sed Amulij filia, quæ vnica erat, & patri carissima, vitam Iliæ patruelí impetrauit, sic tamen vt clam in carcere teneretur, ex quo, mortuo Amulio, liberata est. Alii tamen necatam censuerunt, vt M. Octauius & Licinius Macer. Priorem sententiam secutus est Liuius, vtramque vt probabilem retulit Dionysius.

1. Natiuitas Romuli & Remi *Vide Bunting. Diony. l. 1.*

Quid factũ matri

Qui de infantibus ex multorum scriptorum sententia refert, eos Amulij iussu missos, vt in flumine demergerentur. Sed cum exundasset Tiberis ad radices Palantij montis esse depositos, qui cum vagientes in cœno volutarentur, lupa forte superueniens, distentis à recenti partu vberibus, mammas eis præbuit. Addit Liuius Faustulum pastorem infantes ab vbere ferino raptos, ad vxorem Laurentiam detulisse, quæ infantem mortuum recens ediderat. *Sunt qui Laurentiam*, ait Liuius, *vulgato corpore lupam inter pastores vocatam putent, inde locum fabulæ ac miraculo datum.*

Sic ipse.

* * *

11. Filii expositi. & liberati.

ANNVS MVNDI 3285.

OLYMPIADIS II. AN. 4.

IOATHAMI Reg. & Pont. 8.

PHACEE 9. TEMPLI 263.

THEGLATPH. 7. Imperij Assyr. 1354.

ANTE CHRISTVM 768.

NATVS est hoc anno Ezechias Rex optimus, atque religiosissimus. Erat enim 25. annorum cum regnare cœpit; cœpit autem regnare anno mundi 3309. In cuius ortu illud est admirabile, quod Achaz pater eius vix duodecimum nunc agebat annum. Natus est enim an. m. 3274. Vixitque quatuor annis regnante auo, & octo Ioathamo patre ipsius regnante, qui est præsens annus, vitæ eius duodecimus, quo mirum est eum habilem fuisse generationi: imò & anno vndecimo. Si enim hoc anno natus est Ezechias, superiore vtique anno genitum esse oportuit. Multa ad hunc nodum soluendum congerit S. Hieronymus in epistola ad Vitalem, quæ in Annalibus expenduntur. Hîc dicendum videtur, cum communi Doctorum sententia, hanc fœcunditatem inter cætera diuinæ potentiæ miracula numerari posse. Autor quippe naturæ, legibus naturæ non subiacet. Accedit illuc vulgò iactari solitum, malitia supplet ætatem. Quod probat Hieronym. exemplo mulierculæ, quæ de puero decem annorum conceperat, Deo impurissimam mulieris libidinem vindicante. Itaque Achazi libidini tribuatur, quod quasi præcox facta fuerit natura eius; in cuius rei signum vix trigesimum sextum vitæ totius annum expleuit; Quo enim quidque citius maturitatem suam attigerit, hoc citius etiam defloresçit, ac deficit. Extant & alia in Scriptura præproperæ fœcunditatis exempla, in filijs Iudæ & Beniamin, de quibus alibi dictum est.

1. Ortus Ezechiæ.

Epist. 132.

ex patre puero.

n Annal a. m. 3292 n 10. & seqq.

ANNVS MVNDI 3286.

OLYMPIADIS III. AN. 1.

IOATHAMI Reg. & Pont. 9.

PHACEE 10. TEMPLI 264.

THEGLATPH. 8. Imperij Assyr. 1355.

ANTE CHRISTVM 867.

ANdrocius Messenius in Olympico stadio, hac Olympiade tertia ineunte victor factus est. Quo tempore, Abaris ex hyperboreis legatus venit in Græciam, quem Herodotus ait sagittam per vniuersam terram nihil plane comedentem, circumtulisse, & fortasse homines de diuina scelerum vindicta, & emendanda vita commonebat, eo vrgente, qui vult omnes homines saluos fieri.

1. Olympicus victor. Abaris. *lib. 4.*

Digitized by Google

II. Bellum Ioatham cõtra Ammonitas. 2. Par. 27. 5

Hoc circiter tempore, neque enim notatus est annus, pugnauit Ioathan contra Ammonitas. Cuius belli causam si requirimus, facile est conijcere (nam tacente Scriptura, nihil hîc præter coniecturas afferre possumus,) Ammonitas iam à 55. annis ab Ozia subiugatos, tributi iugum molestissimum excutere voluisse. Sed pietati Ioathami fauente numine, paterna instaurata victoria, grauiore etiam onere oppressi sunt, centum scilicet talentorum argenti, id est quadringentis & duodecim francorum millibus; præter *decem millia coros tritici, & totidem coros hordei.* Quæ Ammonitæ ter tantum persoluerunt: quo tributo vt debilitatus est hostis, ita *corroboratus est Ioatham, eò quod direxisset vias suas coram Domino Deo suo.* Et vice versa filius eius Achaz, derelicto Deo suo, omnibus vicinis suis præda fuit.

ANNVS MVNDI 3290.

OLYMPIADIS IV. An. 1.

IOATHAMI Reg. & Pont. 13.

PHACEE 14. TEMPLI 268.

THEGLATHALAZARIS 12.

Imperij Assyriorum 1359.

ANTE CHRISTVM 763.

I. Ann. Sabbat. 101.

VICTOR hoc anno in Olympico puluere fuit Polychares, & ipse Messenius. Quando Iudæi annum Sabbaticum centesimum primum celebrarunt. His porro annis Ioathami, aliqua ab Esaia & Michæa edita vaticinia satis constat. Id certe de capit. 6. Esaiæ Hieronymum affirmat. Septimum autem vsque ad finem decimi quarti; ad filium eius Achaz ait pertinere. Quod ad Michæam attinet, qui se sub Ioathamo prophetasse testatur, apparet ex verbis vltimis capitis primi, eum prophetare cœpisse abducta iam in captiuitatem parte vna populi. Ait enim, *Decaluare & tondere super filios deliciarum tuarum, dilata caluitium tuum sicut aquila, quoniam captiui ducti sunt ex te*, eodemque modo habetur in Chaldæo, & Græcis omnibus, & Latinis. Adde quod signa tristitiæ, quæ hîc à propheta memorantur, cladi potius accepræ conueniunt, quam futuræ. Eodem referre licet illud: *Depopulatione vastati sumus, pars populi mei commutata est.* Ad vltimam autem captitatem illa pertinent, *Ponam Samariam quasi acerum lapidum in agro*, &c. quod sextæ Ezechiæ anno contigit.

Vaticinia temporis huius cõtra Israël. c. 1. 16. & ca. 2. v. 4.

cap. 1. v. 6.

II. Et contra Iudam. Vide &c. 4. 10. 2. Par. 27. 2. in Mic. 6. 1.

Nec mitiora vaticinatur contra Iudam, licet clades eius esset longinquior, *Sion quasi ager arabitur, & Ierusalem quasi acervus lapidum erit.* Quamuis autem Ioatham valde pius esset, populi tamen pietas ei ex æquo non respondebat, sed *delinquebat*, id est corruptis erat moribus, & idolis clam seruiebat, vt ait Hieronymus, in eundem propheram. Nec sanè impunè. Nam iusto Dei iudicio, qui peccatorum permissione peccata punit, paulò post pessimum principem Achaz in regem habere meruerũt, vt qui in sordibus erant, magis magisque sordescerent. Alius porrò fuit hic Michæas ab eo, qui Achabi tempore vaticinatus est, eique mortem prædixit, quæ ante centum & quinquaginta duos annos contigit. Sed nec nomina, nec patriæ, nec tribus vtriusque propheræ sunt eadem.

Michæas duo.

a. m. 3238.

ANNVS MVNDI 3293.

OLYMPIADIS IV. An. 4.

IOATHAMI 16. & vlt. PHACEE 17.

IOATHAM Pont. 16. TEMPLI 271.

THEGLAPTHALASARIS 15.

Imperij Assyrior. 1362.

ANTE CHRISTVM 760.

I. 2. Par. 27. 8 9. Ioatham morte subtrahi cuĩ immi nentibus malis.

SEdecim annis regnauit Ioatham in Ierusalem, dormiitq; cum patribus suis, ætatis suæ anno 41. & sepelierunt eum in ciuitate Dauid: in arce Sion, vbi erat locus regalium sepulchrorum. Qui cum esset optimus princeps maturè subtractus est ab hominibus, ne videret mala, quæ regno suo imminebant, & quorum gustum aliquem habuisse videtur, antequam è viuis excederet. Idque significant verba sequentia, quæ Scriptura inserit narrationi mortis eius. *In diebus illis cœpit Dominus mittere in Iudam Rasin regem Syriæ, & Phacee filium Romeliæ.* Posttemis scilicet diebus eius fiebant Syrorum & Israëlitarum excursiones contra regnum Iuda, ad castiganda populi peccata, quæ fuerunt certa præludia futurorum malorum. *Et regnauit Achaz filius eius pro eo*, idque sub huius anni finem, vt comprobetur illud, *Anno decimo septimo Phacee regnauit Achaz.* Sicque verum etiam erit, quod ibidem subditur, *& sedecim annis regnauit in Ierusalem.* Nisi enim aliquid ei de vltimo Ioathamo anno tribuatur, decimum sextum regni sui annum non attigerit.

4. Reg. 15. 37.

Initium Achaz.

4. Reg. 16. 1.

Hoc porrò decimo septimo anno regni Phacee renouatum videtur fœdus Syrorum cum Israëlitis in perniciem regni Iuda. Cum enim Syri vehementer attriti fuissent à Ioas, & Ieroboamo regibus Israëlitarum, pax & fœdus inter eos bello finem attulit: quod eò diligentius seruabant Israëlitæ: quo nuper fuerant acerbius ab Assyrijs afflicti. At rex Iuda Assyrijs hoc tempore amicus fuit, ideoque cum primum Syri & Israelitæ inuaserunt regnum Iudæ, rex Achaz Assyrios in auxilium euocauit. Hæc ergo amicitia Iudæ cum Assyrijs, Israëlitas malè habebat, quod ab illis magna regni sui parte priuati essent. Ergo cum damna sua ex Iudæ clade reparare vellent, Syros belli socios facile inuenerunt, qui priuatim etiam oppidum Ailam, quod Iudæi Syris eripuerant, postliminio reperebant. Quanquam, vtri horum belli autores fuerint contra Iudam, non satis constat. Bellum ipsum in proximum annum cadit.

II. Phacee fœdus cũ Syris.

Et Achaz cum Assyriis.

III. Institutio Romuli & Remi

Sub hoc tempus cum decimum circiter annum agerent Romulus & Remus necdum ad laboriosa opera per ætatem idonei essent, Gabiis, Græcarum, Latinarumq; literarum ediscendarum gratia commoratos esse, auo Numitore clam omnia administrante, autor est Aurelius Victor, in libello de Origine Romanæ gentis, autoremque laudat Valerium Antiatem. Formam etiam commendant Dionysius & Plutarchus, & magnitudinem corporis, quæ pro generis nobilitate testimonium darent.

ANNVS MVNDI 3294.

OLYMPIADIS V. AN. 3.

ACHAZ 1. PHACEE 18.

VRIÆ Pont. 1. TEMPLI 272.

THEGLATPHALASARIS 16.

Imperij Assyriorum 1363.

ANTE CHRISTVM 759.

I. Ephori Spartæ instituti. *Plutar. in Lycurg.*

QVINTA Olympiade ineunte, Æschines Elæus patria Messenius stadij palmam tulit; quando primùm Ephori Lacedæmone constituti sunt: regnante ibi Theopompo Nicandri filio, qui fuit Lycurgi nepos, cum Polidoro regni collega. Fuerunt autem numero quinque, qui regibus oppositi fuerunt: vt Romæ consulibus Tribuni plebis. Et sicut à Coss. Romæ denominabatur annus, ita Spartæ à primo Ephoro, qui hoc anno dictus est Elatus. Teste Plutarcho.

II. Regnum Achaz. *4. Reg. 16. 10.* & Vriæ pontificatus.

Quod ad sacram historiam attinet, etsi primus annus Achaz cum 17. Phacee inchoauit, vt diximus, maxima tamen ex parte decimo octauo illius anno respondet. Vriam porrò pontificem Ioathami pontificis successorem exhibet breue chronicon Hebræorum, cui consentiunt Iosephus atq; Hieronymus. Scriptura quidem eum tantum Sacerdotem vocat, quem tamen Vatablus principem Sacerdotũ interpretatur, & in cap. 8. Esaiæ affirmat fuisse pontificem, sicut & Mariana. Et ratio videtur postulare, vt cũ rex ex ipsa Syria scriberet Hierosolymã, de nouo altari constituendo, non ad priuatum aliquem Sacerdotem, sed ad ipsum pontificem litteras & mandata dederit: cum probe intelligeret, neminem id facinus, inscio vel inuito pontifice susceptarum.

III. Ordo bellorũ contra Iudã *ime. 28. 2. Para. in c. 28. 2. Par. inc 7. Esaia & alibi*

Iam vero quod ad bellum Syrorum, & Israëlitarum contra Iudam attinet, prius singuli contra Iudam, quam coniunctis armis, animisque pugnarunt, vt notauit Theodoretus atque Hieronymus. Certe constat in priore bello victum caprumque regem Damascum abductũ, in posteriore in vrbe irrito conatu obsessum fuisse. De priore igitur bello Scriptura, enumeratis scelestibus Achaz, hæc subdit: *Tradidit q; eum Dominus Deus eius in manu regis Syriæ, qui percussit eum, magnamque predam cepit de eius imperio, & abduxit ad Damascum.* Apparet collectos fuisse vtrimque exercitus, & Syros cum Iudæis in aciem concurrisse, victumque Achaz ac captum fuisse, Deo hominis impietatem hac plaga atq; ignominia vindicãte. Eadem porrò opera Syrus diu desideratam vrbem Ailam, ad oram sinus Arabici positam, clade victi regis Iudæ territam, captiuo rege permittente, & vt videtur, suam captiuitatem redimente, recepit, Iudæos eiecit, & ibi collocauit Idumæos.

Achaz à Syris captus, amittit Ailam. *4. Reg. 16 6.*

IV. Ab Israëlitis ingẽti clade afficitur. *2. Par. 28. 6.*

Eodem anno Achaz aliam cladem accepit. Nam *manibus quoque regis Israël traditus est, & percussus plaga grandi.* Vtique & valde grandi. Nam sequitur, *Occiditque Phacee filius Romeliæ de Iuda 120. millia in die vno, omnes viros bellatores.* Permisit Dominus tam immanem cladem inferri populo suo à desertoribus Israëlitis, *eò quod reliquissent*, etiam ipsi, *Dominum Deum patrum suorum*, qui eorum impietatem per Israëlitas punire voluit, quemadmodum & mox Israëlitarum, & Syrorum non minora scelera, per Assyriorum reges punituruserat. Sed nec ipsi Assyrij diu impune sua scelera laturi erant, cito à Babylonijs perdendi. Omnes enim in exequenda Dei voluntate peccabant; quippe quib. mens erat, non Deo, sed improbissimæ suæ cupiditati seruire. Refert nominatim sacer historicus aliquos primarios viros in eo prælio desideratos.

V. *vers. 8.* Multitudo captiuorum, & charitas in eos exercita.

De captiuis autem hæc addit: *Ceperuntque filii Israel de fratrib. suis ducenta millia* imbellæ multitudinis, *mulierum, puerorum, & puellarum, & infinitam predam, pertuleruntque eam in Samariam.* Qui dum abducerentur, prophetæ interuentu, egregium & memorabile facinus ab Israëlitis patratum est. Venienti enim exercitui victori occurrit Obed propheta, & de proxima in cæsos crudelitate reprehensos, deterret ne captiuos abducant in seruitutem, metu imminentis à Deo vltionis. Non fuit irrita prophetæ oratio, remissi quippe sunt omnes captiui liberi, quibus etiam de necessario commeatu liberaliter prouisum est, quod à Scriptura ipsa accuratè narratur.

à v. 9. ad 16. 2. Par. 28.

ANNVS MVNDI 3295.

OLYMPIADIS V. AN. 2.

ACHAZ 2. PHACEE 19.

VRIÆ Pont. 2. TEMPLI 273.

THEGLATPH. 17. Imperij Assyr. 1364.

ANTE CHRISTVM 758.

I. Syri & Israëlitæ simul bellũ redintegrant. *c. 7. 6.*

HOc anno redintegratum est bellum à Syris, & Israëlitis contra Iudæos. Rasin enim & Phacee præteritis victorijs ad audaciam erecti, & prædæ magnitudine inuitati, Ierosolymam redeunt, inde amoturi regem Achaz, & in eius locum posituri filium Tabeel, vt ait Esaias. Nimirum Achaz amicus erat Assyriorum, quibus illi facilius resisterent, si Hierosolymis regem fauentem ac fœderatum haberent. Cum ergo Hierosolymis nunciatum esset Syrorum exercitum ad Samariam ex via substitisse, moxque Hierosolymis cum Samaritis affuturum, non sine causa

petterrefacti sunt. Cum enim singuli reges paulò ante grauissimas clades intulissent Iudæis, meritissimo de vtriusque regis aduentu, cum gemino exercitu, turbabantur. Accedebat conscientia scelerum, & deserti diuini cultus; quam causam diuinæ iracundiæ, desertionis, & cladium, Micheas, & Esaias intonabant.

II. Obsident Ierusalē.

Interim ascendunt Hierosolymam duo reges, eamque obsidione cingunt, & quidem diuturna, vt ait Iosephus, *& non potuerunt debellare eam.* Itaque merito solutionem obsidionis in sequentem annum differemus. Interea mittit Dominus Isaiam prophetam ad Achaz solum apud se, de aduocando ad auxilium suum rege Assyriorum, deliberantem: prohibetque illum timere, quod nihil sit periculi à duobus illis regibus, prædicens eorum conatus irritos fore; quin potius illos, vt titionum extrema, breui, fumum sine flamma daturos; significans vtrúque cito periturum, quod proximo anno contigit. Quin & renouat vaticinium de interitu regni Israël, post absolutos 65. illos annos, de quibus supra dictum est. Quæ cum Achaz non crederet, vltro propheta signũ illi offert quodcunque vellet, quoniam signa necessaria sunt infidelibus, quæ cum ille nihilominus recusaret, ratus fieri non posse vt duo reges se viribus exhaustum, non redigerent in suam potestatẽ. Propheta contra id minime difficile Domino futurum dicit, qui aliud aliquando prodigium longe difficilius facturus sit, vt scilicet Virgo illibata virginitate concipiat, pariatque Messiam qui populum suum liberaturus sit ab hostibus longe peioribus, Satana, morte, idololatria, & omnibus peccatis suis. Sed hæc diligentius in Annalibus explicantur.

Esaias confirmat Achaz.

An. Oziæ 25.

III. Qui auxilium quærit ab Assyrius. 4. Reg. 16. 7.

Cum interea ciuitas obsidione ab vtroq; rege premeretur, nec impius Achaz multum moraretur prophetæ minas aut promissa, vel quod à Deo, quem perfidè deseruisset, non expectaret auxilium: vel, si sapientius de eo æstimare placet, quòd Deo cooperandum esse arbitraretur, non autem expectandum, vt otiosis victoria cœlitus deuolaret in sinum, misit nuntios ad Theglathphalasar regem Assyriorum, qui auxilium ab eo contra hosce reges postularent. In quo vtique Deum offendit, ob aduocatum profani hominis auxilium; cum Dominus ipsi nominatim auxilium contra hosce reges, & securitatem per Esaiam spopondisset, signóq; quod ille neglexerat, confirmare voluisset. Subdit autem Scriptura missa munera regi Assyriorũ, quæ potius promissa videntur, & postea à rege Achaz ad eum in Damascum delata. Idque ratio exigit. Cum enim Ierusalem arctè à gemino exercitu regio obsideretur, non facile fuit elabi nuncios, nedum vis ingens pretiosarum rerum ab eis tuto perferri.

Cum promissione mercedis vers. 8. 2. Par. 28. 21.

* * *

ANNVS MVNDI 3296.

OLYMPIADIS V. AN. 3. ACHAZ 3.

PHACEE 20. & vlt. VRIÆ Pont. 3.

TEMPLI 274. THEGLATPHAL. 18.

Imperij Assyriorum. 1365.

ANTE CHRISTVM 757.

I. Res contra Rasim Syriæ ab Assyriis gesta.

MAgnam huius anni partem tenuit obsidio Hierosolymorum; cuius occasione, promissæque ab Esaia libertatis, multa ipse deinceps de Christo venturo & mortales de durissima seruitute liberaturo vaticinabatur. At Theglatphalasar tum regis Iudæ humilitate ac precibus, tum munerum promissione allectus; tum etiam Syriacæ, atque Israëliticæ prædę ipse incitatus, *acquieuit voluntati eius. Ascendit enim rex Assyriorum in Damascum, & vastauit eam.* Agrum, vt fit, primò populatur. Quod Rasim intelligens, relicta obsidione Ierusalem, domum cum suis copiis redit: ne dum affectat aliena, nec ea acquirat, & insuper amittat sua. Ibi, quod admodum credibile est, cum Assyriorum rege congreditur, pugnáque superatus occumbit, aut certe paulò post ab hoste interficitur. Assyrius autem victoria vsus Damascum occupat; ac diripit, *& eius habitatores Cyrenen transfert*, id est, in superiorem Mediam, vt Iosephus interpretatur: ex quo intelligitur Medos hoc tempore Assyriis fuisse subiectos. Neque enim Assyrius in alterius principis regionem captiuos suos abduxisset.

4. Reg. 16. 9.

Qui Medos subegerant. 4. 9. 2. 13.

Misit etiam populabundum exercitũ in Israëlem, vnde & multam abstulit prædam, vt testatur Esaias; multos etiam comprehendisse captiuos, autor est Iosephus. Chronicũ quoq; Hebræorum ait, hoc anno Assyrium abstulisse ex tribu Dan vitulum aureum. Phacee autem Rex Israël, siue quia in obsidione desertus erat à Syris, siue quia domi contra Assyrium, & contra domesticos hostes prouidendum erat, relicta Hierosolyma, ipse quoque ad regni sui defensionem accurrit. Sed eodem tempore coniuratio Oseæ filij Ela erupit, qui ex insidiis in apertã erupit audaciam, & percussum Phacee interfecit, anno regni eius vigesimo. Sic Deus peccatorem, per ea quæ peccauerat puniens, insidias insidiis, & coniurationem coniuratione rependit. Sic qui regem Dominum suum seruus occiderat, à seruo suo rex & Dominus est occisus: & qui proprio scelere regnum alienum inuaserat, alieno scelere proprium regnum amisit. Sic breui, iuxta verbum Esaiæ, duæ titionum fumigantium caudæ extinctæ sunt, Assyriorum flumio inundante. Dicitur porro hic annus Ioathami vigesimus, quia si is vixisset adhuc, vigesimum hoc tempore inchoaret.

II. Res gestæ contra Phacee. Vitulus ex Dan sublatus. 2. 8. 4. 17. 22. Soluit obsidionem, & à suis occiditur.

Interim periculo perfunctus Achaz, & pernicie ipsos in hostes diuina prouidentia deriuata, in Assyrij occursum perrexit Damascum, qui ibi cum exercitu victore resederat, vt eum mox Hierosolymam, quasi triumphantem deduceret: detulitque ad eum muneris loco, quid

III. Achaz occurrit Assyrio Damasci.

Magnitudo munerum eius. 4. *Reg.*16. 8.2. *Par.* 28 21.

quid auri argentique corradere potuit ex domo Domini, & ex thesauris suis, imo etiam ex domibus principum Iuda: quæ maxima fuisse intelligi potest ex diuitiis & gloria Oziæ, & Ioathami, plurimis annis, longáque pace illibatis. Neque enim Razim, neque Phacee regiã vrbem attigerant. Quin etiam huiusmodi munera esse debuerunt, quæ Assyriorum imperatorem decerent. Quæ tamen profusio nihil ei profuit, Deo eius infidelitatem & diffidentiam vlciscente. Ab eodem enim vastatus est, vt postmodum dicetur.

IV. Nouum altare cõstitui iubet Hierosolymis.

Damasci porro cum esset Achaz, templum profanum Syrorum ingressus, vidit ibi altare, dijs Syrorum excitatum, eximij cuiusdam artificij, cuius formam cum adamasset, misit Hierosolymam ad Vriam pontificem exemplar illius accuratum, iussitque ab eo curari simile Hierosolymis. Et sane præclari artificij esse oportuit, vt ei Hierosolymitanum præsto vilesceret. Nisi idem regi Achaz contigisse dicamus, quod in sanis quibusdã adulteris, qui nobiles & eximiæ formæ vxores, præ vilibus scortis negligunt. Cum autem hoc opus ad reditũ Achaz è Syria laboratum fuerit, vt mox dicetur; & credibile sit regem Assyriorum magno cum apparatu venisse Hierosolymam: ibique tanquam in triumpho receptum, dum ea apparantur, & reges temporis opportunitatem eligunt, abijt annus præsens, & menses aliquot subsequentis. Nam Phacee, sub extremum annum cæsus est.

ANNVS MVNDI 3297.

OLYMPIADIS V. AN. 4.

ACHAZ 4. OSEÆ 1.

VRIÆ Pont. 4. TEMPLI 275.

THEGLATPHALASARIS 19.
Imperij Assyriorum 1366.

ANTE CHRISTVM 756.

I. Annus Sabbaticus 6. 2. Achaz Assyrium magnifice accipit

MEnsibus aliquot in Syria & Damasco ab vtroque rege positis, & illius prouinciæ rebus pro Assyrij regis arbitrio compositis Hierosolymam venerunt sub initium anni Sabbatici 102. cuius ritus haud obscurum est ab impio rege fuisse neglectos. E contrario quanta maxima fieri potuit magnificentiæ, & beneuolentiæ significatione acceptum Theglatphalasarem. Voluit enim Achaz tam potentem principem sibi omni officio atque obsequio demereri, vt eo quasi propugnaculo, contra vicinos omnes populos vteretur. Demens qui non animaduertit se in illam prophetę maledictionem incurrere. *Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor eius.* Ierc. 17. 5.

II. In altari nouo, atque illegitimo sacrificat Vide Ann.

Cum autem perfectum esset altare, quale rex Damasco descripserat, vidit illud Achaz, & veneratus est, in eóque sacrificium obtulit, quod regis nomine solebat offerri, & quidem, vt apparet, ipse per sese. Nec tamen vt Ozias percussus est lepra, quia reseruabatur impius in diem malum, Ozias autem punitus est in hac vita, ne in æternum periret. Nec ab Vria & sacerdotibus prohibitus est. Emarcuerat enim sacerdotalis vigor: idque ex eo patet, quod tam facile Vrias ad principis impij iussionem altare legitimum non solum auferri permisit, sed & ipse quoque aliud sacrilegum, ex idolorum disciplina construxerit, & in eo illegitimè legitima sacra peregerit. Neque obstat, quod ab Esaia testis fidelis dicitur, siue fide dignus. Id enim dignitati eius non moribus datur.

III. Aduentus Assyrij Iudæ luctuosus c. 28, 20.

Cæterum hunc Assyrij aduentum fuisse ipsi Achaz & ciuibus Ierusalem luctuosum, patet ex 2. Paral. vbi habetur Dominum adduxisse contra Achaz regẽ Assyriorum, qui *afflixit eum, & nullo resistente vastauit.* Significans barbarum illum se gessisse Hierosolymis, non vt socium, & amicum, sed vt hostem ac prædonem. Pecuniis autem ita exinaniuit, vt præsentes futuraque opes exhauriret. Nam graue tributum regi ac regno imposuit, quod ille perseuerauit pendere vsque ad mortem, & ad regnum Ezechiæ filij eius, qui rebellauit contra Assyrium, nec illi, tributo pendendo seruiuit. Cum ergo Achaz animo vehementer affligeretur, videns illum ipsum Assyriũ, in quem sperauerat, grassari Hierosolymis, non confugit infœlix ad Dominum, sed furore animi in transuersum actus, indignationem, quam in Theglatphalasarum non poterat, in ipsum Deum insanus effudit. Diripuit quippe omnia vasa domus Dei, atque confregit, clausitque ianuas templi Dei, vt nec ipse eũ coleret, nec ab vllo coleretur.

Achaz in Deum insanit.

IV. Summa capita malitiæ eius 1. Dei veri desertio, & idolorum introductio.

Quoniam igitur hoc maxime anno regis huius impietas foras videtur erupisse, eius summa capita breuiter sub vnum aspectum ponamus. Prima igitur mali labes, & omnium calamitatum eius origo fuit, quod propria malitia alienatus à Deo, patris & aui sui, pietate neglecta, idolatriam adamauit, adeo vt nouas idolorum statuas opere fusorio conderet, in honorem Baal, tanta copia, vt *in vniuersis angulis Ierusalem*, & in omnibus regni sui vrbibus spargerentur; & in omnibus aras extrueret, & thura diis alienis adoleret. Nominatim autem idolis Syrorũ, quæ colebantur in Damasco; pro quo facinore insultat ei Scriptura: & Moloch idolo Ammonitarum, cui *filium suum consecrauit, transferens per ignem*, lustratione superstitiosa, non exustione, vt putauit Iosephus.

2. Par. 28 23. 4. Reg. 16 3.

V. Triplex eius in templum contumelia. 4. 20. in 4 Reg.

Denique in templum Dei contumeliosissimus fuit, illudque tripliciter violauit, spoliando, profanando, claudendo. Etsi enim alij quoque reges vrgente necessitate, thesauros domus Dei abstulerunt, quos deinde ex hostili præda, manubijsque repararunt, vt ait Theodoretus: Achaz tamen in hoc ipso facinore impius fuit, qui cum haberet fideiussorem Deum, ne sibi à Syris timeret aut Israëlitis, nihilominus Assyrium, cum hac sacrilega præda in ruinam suam euocauit. Profanum etiam templum reddidit, sublato inde altari legitimo, profanóq; substituto, in quo dijs Damasci sacrificauit: sustulit & alia templi vasa è locis suis, atque confregit, non in vsum aliquem suum, sed in contemptum Dei. *Direptis denique omnibus vasis domus Dei atque confractis, clausit ianuas templi Dei, & fecit sibi altaria in vniuersis angulis Ieru-*

2. Par. 28. 23. 24.

salem

sale. Hæc porro non statim perpetrata sunt omnia, sed pedetentim & per gradus. Crescente enim sensim malitia, crescebant etiam à Deo plagæ, & cum plagis contemptus, impietasque crescebat.

VI. Initia regni Oseæ turbulenta. 4. Reg. 15. 30

Hoc anno, qui fuit 4. Achaz, & fuisset vigesimus patris eius, si adhuc vixisset, Oseæ, interfecto Phacee, regnare cœpit, & hoc primum fuit regni eius initium, geminum enim est; alterum autem incidit in annum duodecimum regni Achaz, & ab vtrouis initio regnauit annis nouem, omnino autem 18. qui supersunt vsque ad suprema regni Samariæ cladem. Verùm priores illos annos, vtpote tyrannicos Scriptura indicauit propter chronologiam, non numerauit tamen, quod res adhuc turbidæ essent, siue ex domesticis vtriusque familiæ Phacee scilicet & Oseæ tumultibus, intra quos populus Oseam non acceptauit in regem: siue ex Assyriorũ oppressione. Rex enim Assyriorum Damasco Hierosolymam veniens, vel inde rediens, Samariam venit, vbi omnia ex regis cæde confusa reperit, omnia ex tot cladibus perturbata. Itaque facile Israëlitas ad quasuis seruitutis & tributi conditiones adegit, eiusque colligẽdi soluendiq; curam Oseæ, qui multum in Rep. posse videbatur, commisit, cum nonnulla forte promissione regnandi, sicque domum spoliorum, diuitiarum & gloriæ plenus reuertus est.

Quot annis omnino regnatu.

Fit Assyrius vectigalis.

ANNVS MVNDI 3298.

OLYMPIADIS VI. AN. 1.

ACHAZ 5. OSEE 2.

VRIÆ Pont. 5. TEMPLI 276.

THEGLATP. 20. Imperij Assyrior. 1367.

ANTE CHRISTVM 755.

I. Status Reipub. Iudæorũ.

HVius Olympiadis initio, discesserant Assyrij in terram suam, & Iudæi, Israëlitæ, ac Syri viribus fracti, spoliati opibus, tributis onerati, sicut post multam tempestatem conquassatæ naues quiescebant: ad quorum populorum quietem Syrorum & Israëlitarum transmigrationes non parum seruiebant. Neque tamen Achaz, aut populus eius quiescebant agere peruersè, iam tot eruditi malis, aut discebant benefacere: quando Idumæi, qui in cladibus regum Iuda triumphabant, sicut eorum fœlicitate rumpebantur, erexerunt caput, & vlciscente numine *venerunt in regnum Iuda, & percusserunt multos ex eo, & ceperunt prædam magnam.* Nec est quod in Idumæis causam harum excursionum, aut latrociniorum quæramus. Nam præter auitum vtriusque populi odium, iamdudum cladibus fracti, priuati regibus, seruitute oppressi, in rupibus suis ac speluncis prædones agebant, & quò se cumque dedissent, rapto viuebant.

In eos insurgunt Idumæi. 2. Par. 28. 17.

II. Nomine resistẽte.

In Iudæos autem præsertim irruebant, quibus omnia sua mala ferebant accepta. Neque tamen quidquam à Iudæis repugnatum, aut vindictæ acceptum legimus, quandiu vixit Achaz. Ita egregia illa vis bellatorum Iudæ alternatim sub pijs impijsque regibus florebat, languebatque. Cæterum neque has Idumæorum excursiones, neque Philisthæorum bella, quæ mox referuntur ante hoc tempus putamus cõtigisse. Nam si adhuc fuisset in Syria Theglatphalasar, facile eos motus, rogatu Achaz compressisset.

Romulus autem & Remus adolescentiam ingressi, decimum enim quintum agebant annum, neque in stabulis, neque ad pecora segnes sed venando peragrare saltus, feras sistere, in latrones præda onustos impetum facere, pastoribus rapta diuidere, & cum his crescente in dies iuuenum grege, ferias ludosque celebrare, quæ dicta sunt lupercalia: Pani Arcadico sacra.

III. Romuli & Remi adolescẽtia.

ANNVS MVNDI 3299.

OLYMPIADIS VI. AN. 2.

ACHAZ & VRIÆ 6.

OSEE 3. TEMPLI 277.

THEGLATPHA. 21. Imperij Assyr. 1368.

ANTE CHRISTVM 754.

I. Philisthæi bellum mouent in Achaz.

ADhunc, & aliquot annos sequentes bella Philisthæorum, & damna, temporibus Achaz Iudæis illata referimus. Existimamus quippe Dominum diutumis oribus flagellis Iudam, eiusque regem cædere voluisse, vt verberum diuturnitate, malorum suorum causam aliquando intelligerent, &, vt ait Esaias, ad percutientem se reuerterentur, qui Syros ab Oriente, Philistæos euocabat ab occidente, *vt Israel tota oredeuorarent.* Cuius belli causam Deus habuit regis populique peccata. Ipsi autem Philistæi, antiquissimum Hebræorum odium, à quibus vexandis nunquam quieuerunt, quandiu non defuerunt vires: Adde quod non ita pridem fuerant ab Ozia vehementissimè compressi atque afflicti. Itaque hanc opportunitatem attritarũ virium Iudæ libenter arripuerunt, vt essent eis quasi *vnguis in vlcere.*

c. 9. 12. 13.

Vellicatio.

Diffusi sunt ergo Philistæi per vrbes campestres, ad meridiem tribus Iudæ positas, easque cum pagis suis occuparunt, & habitarunt in eas. Earum sex à Scriptura memorantur. Aliæ quæ vrbes, quæ ab antiquo Philisthæorum fuerant, quas eis Ozias pridem abstulerat, ab ipsis hoc tempore videntur receptæ. Nam Michæas, qui non nisi post Oziam mortuum prophetauit, de Getha quasi hostili ciuitate, quæ de Iudæorum clade lætetur, loquitur. Et Ieremias Azoti & Gazæ, Ascalonis, & Accaronis meminit, quasi vrbium Philisthæarum, ab eis videlicet postliminio recuperatarum. Non obstantibus tamen hisce nouis Iudæorum damnis & iacturis. Achaz, qui non minus rei, quam animi, & pietatis inops erat, domi se continebat. Neque cessabat propterea Assyriis tributa pendere, sicut nec Osee, eosque semper potentiores reddebant in damnum suum: experiebanturque ambo num præstaret Deo, cum

2. Par. 26. 6.

II. Vrbes pagosque occupãt. 2. Par. 28. 18.

Et sua recuperant

Achaz Assyriorũ vectigalis.

22. Pal. 8 Deut. 28 46.

Annus seculatis 33.

terum omnium copia, quam hominibus cum penuria, ignominiaque seruire, quod olim Moses fuerat interminatus.

Proximus porro annus seculatis fuit ab orbe condito 33. simulque Iubilæus 66. quem plerique natalem Vrbis esse voluerunt, sed nos aliam rationem temporum, & quidem meliorem, vt credimus, secuti sumus.

ANNVS MVNDI 3302.

OLYMPIADIS VII. AN. 1.

ROMVLI, & ROMÆ CONDITÆ 1.

ACHAZ, & VRIÆ 9.

OSEE 6. TEMPLI 280.

THEGLATPHAL. 24. Imp. Assyr. 1371.

ANTE CHRISTVM 751.

I. Natalis annus Vrbis.

SEptimam hanc Olympiadem, nihil æquè reddit illustrem, quam natalis annus Romanæ vrbis, & primi Romanorum regis initiũ, quod Dionys. Halicar. post accuratissimam diligentiam, & antiquorum scriptorum peruestigationem, in primum septimæ Olympiadis annum refert, qui idem est 432. ab excisо Ilio. Idẽ omnino Cato sensit apud eundem Dionysium, cum ait Romam quadringentis & triginta duobus annis Iliaco bello posteriorem, quem annum index anni huius exhibet: quo ipso ait Albanos Romuli & Remi ductu misisse coloniã, à quibus Vrbs condita, & Roma à Romulo nomen accepit. Idem habent plurimi antiquorũ, quos recenset Onuphrius, vbi de anno & die conditæ vrbis differit, de quibus consulet Annales studiosus lector, tam hoc ipsũ anno, quam initio Olympiadum.

In Annal.

In Fast.

II. Ratio temporis circa Olympiadas.

Illud hoc loco monuisse sufficiat, nos annis quantum possumus vti Iulianis, quorum est in primo Ianuarij exordium, & vrbem, vt mox dicetur, in Palilibus condi cœptam, & Olympiadas sub æstiuum solstitium inchoari. Ex quibus consequens est anno Iuliano, tam posteriorem partem anni olympici præcedentis, quam priorem anni sequentis respondere. Itaq; anno presenti Iuliano 3302. respondet dimidia pars anni quarti sextæ Olympiadis, & dimidia pars anni primi septimæ Olympiadis. Ex quo illud etiam conficitur, vt quicunque Vrbis exordiũ ad quartum sextæ Olympiadis referunt, nobiscum sentiant, in quibus Verrius Flaccus autor tabulatũ capitolinarum, Iulius Solinus, Clemens Alexãdrinus, alijque ab eodem Onuphrio numerati. Cum enim scriptores passim omnes VI. Cal. Maij Vrbem conditam agnoscant, vtique finis sextæ Olympiadis in anno nostro Iuliano includetur: & qui primum septimæ Olympiadis produnt, eius inchoantis rationem habent, eóque Palilia duobus tantum mensibus antecedentia retrahunt: ideóque eundem nobiscum mundi annum notant.

III.

Addamus aliquid de die conditus, qui minime controuersus est, eo quod festi dies quotannis à populo celebrabantur, quod in eos natalis dies vrbis incidisset, notum est illud Propertij.

Dies Vrbis con. Palilia 21. Aprilis 4.

Vrbi festus erat, dixere Palilia patres,
Hic primus cœpit mœnibus esse dies.

Proprius erat festus pastorum dies, quo à Paledea vberes pecorum partus impetrare cupiebant; vnde & Pacilia quidam vocauerunt, alij id vocabulum à partu Iliæ traxerunt, vt ait Solinus; sed celebratius est Palilionum nomen illi festo, quod in 21. Aprilis diem cadebat: is enim est vndecimus ante Calendas Maij. Erat porro hic idem annus ab ortu Romuli decimus octauus exactus, & à mense Februario 19. inchoatus, iuxta ea quæ in eius conceptu, ortuque diximus. Audi Ouidium, *Martia ter senos proles adoleuerat annos*, moxque subdit *Mœnia condantur*. Dionysius, Annum porro egressi octauum supra decimum, &c. sic enim vertendum est. Solinus autem *Romulus auspicatò fundamenta iecit, duo de viginti natus annos, XI. Cal. Maias.* Res ipsa vt ex Dionysio liquet, in hunc fere modum gesta est.

Olymp. II. an. 2. & 3. Romuli ætas.

L. 1. p. 66. ἐν τῷ τετάρτῳ καὶ δεκάτῳ ἔτει τῆς ἡλικίας γεγονώς.

IV. Albana colonia.

Defuncto Amulio, Numitor regno restitutus quam primum instaurauit imperium, moxque de paranda, recens cognitis nepotibus suis, propria ditione, nouáque vrbe ea de causa cõdenda cogitauit: & communicato cum iuuenibus consilio, postquam id ipsis quoque placuit, dat eis agros, vbi educati fuerant in pueritia. Populi quoque suspectam patrem, ne quando res nouas moliretur, & si quibus sponte migrare libebat, attribuit. In his erat magna plebis pars, vt fieri solet in migrationibus; non pauci autem ex optimatibus nobiles; Troiani quoque generis nobilissimi quique, ex quibus quinquaginta ferme familiæ ad nostram ætatem supersunt. Hæc se Dionysius summa cura de Romanorum genere peruestigasse ait, permultis Græcorum & Romanorum scriptis euolutis. Itaque valere iubet eos, qui Romam Barbarorum, fugitiuorum, late extentium domicilium faciunt. Neque tamen Asylum repudiat, sed admittit ipse quoque. Verum ipsius Vrbis semen primarium negat è fugitiuis & sacrilegis, & huiusmodi hominum fœce coaluisse, sed ex ciuibus Alba traductis, & ijs, qui ea iam loca incolebant, in quibus oppidum statuebatur. Amplificatam autem fuisse Vrbem aperto Asylo.

Asylo proposito aucta.

Cum autem populus collectus geminum haberet ducem, quos inter neque ætatis, neque generis discrimen erat, alijque Remo fauerent, alij Romulo, inuitante ambitione de loco Vrbis condendæ disceptatum est, eáque controuersia Auspicio permissa est.

V. Contentio inter fratres augurio permissa.

Res placet, ait Ouidius, *Alter init memorosi saxa Palati:*
Alter Auentinum mane cacumen init.
Sex Remus, hic volucres bis sex videt ordine, pasto
Statur, & arbitrium Romulus Vrbis habet.

L. 3. fast.

Imo statur, nam vtraque multitudo suum regem consalutat, Remum quia prior vidisset aues, Romulum, quia plures duplo. Inde altercatione orta venitur ad manus, & in turba Remus ictus occubuit, vt Dionysius, Liuiusque consentiunt. Eum defunctum Romulus mœ-

Morte Remi dimittur.

Plut. in Rom. Hieron. apud Euseb. Ouid. in fast. &c.

rens in Remuria sepeliuit, vbi is viuens vrbem condere voluerat. Vterque autem improbat vulgatam famam de causa mortis Remi, fossam vrbis per ludibrium transilientis, etsi ea opinio bonorum autorum fuit.

VI. Ortus Numæ Pompilij.

Hoc ipso non solum anno, sed etiam die natum Numam Pompilium, qui secundus Romę postea rex fuit, scribit Plutarchus in Numa.

ANNVS MVNDI 3303.

OLYMPIADIS VII. AN. 2.

ROMVLI & VRB. COND. 2.

ACHAZ 10. OSEÆ 7.

VRIÆ Pont. 10. TEMPLI 281.

THEGLATPH. 25. Imperij Assyr. 1372.

ANTE CHRISTVM 750.

I. Reipub. forma Romæ constituta. Romulus fit rex.

EXoriens Romana Resp. suggerit, quæ in hunc secundum eius annum duce Dionysio conferamus. Fossa igitur & mœnibus absolutis, perfectisque ad præsentem necessitatem ædibus, de constituenda Reip. forma ex materni aui sententia Romulus disseruit. Quam illi monarchiæ assueti maluerunt esse monarchiã, vt qui Romulum iam in vulturum auspicio cõsalutassent regem: generis quoque nobilitate, sapientia, ac fortitudine inuitante. Admissã dignitate, angustiorem se imperij insignibus assumptis reddidit, duodecim lictoribus, sumpto à finitimis Hetruscis exemplo. Deinde vniuersa multitudine tripertito diuisa singulis singulos præfecit duces, & vnamquamque rursus partitus in decem, totidem eis præfecit duces. Harum partium maiores, Tribus, minores, Curias appellauit; vnde illi Tribuni, isti Curiones dicti. Curiæ rursum in decurias ab eo tributæ sunt, quarum rectores Decuriones appellati.

Lictores i. imperij insignia.

Tres tribus Curiæ 30. decuriæ.

II. Agri distributio.

Ita digesto Romæ per Tribus & Curias populo, agro quoque in 30. sortes æquales diuiso, singulas curias singulos agros sortiri iussit, exempto prius quantum templis sufficeret, & quadam parte, quæ esset publici iuris. Aliam quoque ciuium distributionem inuexit, vt qui genere opibusque præstarent. Patres dicerentur, à quibus Patricij propagati sunt; alij tenuioris fortunæ Plebeij. Illi magistratus gererent, iura populis redderent, sacra curarent: isti agros colerent, pecora alerent, quæstuosa opificia exercerent. Illi patroni pauperibus fierent, eosque tutarentur: isti optimatum clientes essent, eos patrum instar obseruarent; neutris ius esset alteros accusare. Senatum autem, quo cum Remp. administraret, sic elegit. Primum Patriciorum ex ordine vnum elegit, qui esset princeps Senatus, cui Rex absens gubernationem, quasi proregi committeret. Tum vnamquamque Tribum iussit tres viros eligere qui ætate & sapientia & genere præcellerent. Post hos nouem mandauit rursum singulis curijs, vt è Patricijs ternos eligerent, factique sunt 90. & cum prioribus decem, centenarius

Patricij Plebei.

Senatus qui electus.

numerus Senatorum impletus est. Elegit quoque ex primaria iuuentute trecentos equites, tam ad tutelam corporis sui, quam ad alia munia peragenda, eisque Celerum nomen dedit. Sed hæc ad sequentes quoque annos pertinere, saltem vsque ad amplificatam ex Sabinorum coniunctione Rempub. res ipsa loquitur.

Equites

ANNVS MVNDI 3305.

OLYMP. VII. A. 4. ROMVLI & V. C. 4.

ACHAZ 12. *OSEE 9.

VRIÆ Pont. 12. TEMPLI 283.

THEGLATPH. 27. Imperij Assyr. 1374.

ANTE CHRISTVM 748.

ANno duodecimo regni Achaz, sed exeunte, secundùm regnare cœpit Osee, sic vt totus fere 13. Achaz cum secundò regni Osee primo anno concurrat, & 14. cum secundo, & ita deinceps; vt nonus annus Osee secundùm regnantis, cum sexto Ezechiæ, & fine regni Israëlitici concurrat, vt historia sacra desiderat. Cum autem Theglatphalasar videret Osee nonum iam annum fideliter tributa sibi reddere, & quasi Dominum agnoscere, et regis nomen concessit, ea tamen lege, vt is constanter perseueraret in pensitatione tributi, quod ille iugum vsque ad Theglatphalasaris mortem tulit, quæ incidit in vltimum annum Achaz, vt suo loco dicetur.

I. Ratio tẽporis. *4. Reg.* 17 1.

Quod ad Osee mores attinet, ait Scriptura, *eum fecisse malum coram Domino*, id est, idolatriæ Samaritanorum deditum fuisse, verum addit, *sed non sicut reges Israel, qui ante eum fuerunt*. Quod exponens chronicum Hebræorum ait Oseam, cum cerneret abductos esse ab Assyriis vitulos aureos, qui erant in Dan, & in Bethel, sustulisse præsidia, quæ iampridem posuerat Ieroboam filius Nabat in regni sui finibus, ne populus Hierosolymam ad adorandum ascenderet. Nihilominus diuina vltio tam multis annis collecta contra impios Israëlitarum reges, & regibus nõ dissimilem populum, in hunc minus impium quam cæteros, sed impium tamen, incubuit, vt dicemus. Vitulum porro aureum ex Dan sublatum diximus vltimo anno Phacee. Alterum autem, qui colebatur in Bethel aiunt Hebræi anno 12. Achaz fuisse sublatum; quod tamen in annũ primum Salmanasaris differendum videtur, qui cum Ezechia regnare cœpit.

II. Osee mores minus mali. *4. Reg.* 17 2. c. 22.

Chron. c. 22. med.

Quod ad Romanam rem attinet, scribit Dionysius Romulum vicinas sibi gentes per connubia conciliare voluisse; quæ Romanos eo repudiarunt, quod fœx hominum, per Asyli impunitatem ad eos confluxisset; nam coloniæ ex Albanis profectæ cur negarentur vxores causa non fuit. Vt ergo cæteris quoque prouideretur, Numitore in consilium adhibito, rapiendis virginibus connubia quærere statuerunt; cessuros denique parentes rati, cum necessitate, non iniuriæ causa vim factam intelligerent. Ergo votis editis arcanorum consilio-

III. Romani à connubiis repulsi.

Coniuges in ludis rapiunt.

ium præsidi Deo, quem Consum vocabant, Romulus indixit celebritatem, festumque Neptuno equestri diem, in quo varia hominum & equorum certamina agitarentur. Confluxit ad dictum diem ingens hospitum multitudo, præsertim ex Sabinis cum vxoribus & liberis. Extrema vero ludorum die, mandat iuuenibus vt signo dato, è virginibus sibi quisque rapiat, quam sors obtulerit, seruetque in sequentem diem. Quo die Romulus eas consolatus, consensum in coniugium persuasit.

IV. Cœninenses & Antemnates, iniuriam vltori vicuntur.

Id factum refert Cn. Gellius in annum quartum Romuli, quod probat Dionysius, eique Romani fasti consentiunt. Id facinus cum plurimis populis displicuisset, primi Cæninenses & Antemnates contra intrusos generos bellum mouerunt, de quibus victor Romulus primum Romæ triumphum egit. Cæninensium Rex Acron cum Romulo singulari certamine pugnasse dicitur, victusque cecidisse, & vrbe capta ciues iussos Romam demigrasse, factosque Romanos. Eodem modo vlus victoria in Antemnates domum reduxit exercitum, spolia hostibus in prælio detracta præferens, votiuasque manubiarum primitias. Ipse pompam claudebat extremus, indutus purpura, & laurea coronatus, atque vt regiam maiestatem tueretur, quadrigis inuectus. Reliquæ peditum equitumq; copiæ, quæ illum assectabantur, pro suo quæq; gradu exornatæ, hymnis canebant Deos patrios, & ducem incondito carmine prædicabant: effusa obuiam ciuitate gratulabunda, cum vxoribus & liberis ex vtroque viæ latere. Vt vero in Vrbem ventum est, præsto erant crateres vino pleni, & mensæ variis instructæ cibis ante ædes optimatum, cuius ad fruendum propositæ. Hæc species Romulæi triumphi, quæ postea tota ad diuitiarum ostentationem conuersa est. Abiit inde Romulus in locum, qui postea Capitolium dictum est, vbi spolia opima Feretrio Ioui, cum templo dicauit, quod Romę primum omnium fuit.

Triconiū recuit.

II Epocha Nabonassaris.

ANNVS MVNDI 3306.

OLYMPIADIS VIII. AN. 1.

ROMVLI & VRB. COND. 5.

ACHAZ 13. OSEE 10. Idemq; 1.

VRIÆ Pont. 13. TEMPLI 284.

THEGLAT. 28. Imperij Assyriot. 1375.

ANTE CHRISTVM 747.

I. Bellum Sabinorū ob raptas puellas.

CVm Sabini, ad quos bona pars raptarum pertinebat, viderent prosperos Romanorum successus, veriti ne illi paulatim in vicinos populos imperium sibi arrogarent, suam iniuriæ vindicandæ tarditatem incusant, & bellum auspicijs T. Tatij regis parant, in quod Romani iamdudum intenti erant. Venitur ad manus, arx Romana, proditione Sp. Tarpeij, in hostiū potestatem venit, cuius reciptendæ causa crebro pugnatum est. Cumque semel Romani, post Hostilij casum, effusi essent in fugam, voto Ioui nuncupato, qui inde Statoris cognomen accepit, constiterunt, & ad pugnam reuersi tandiu pugnarūt, donec fatigatio quietem imperauit vtrisque. Quando mulieres, quæ hinc patres germanosque, inde maritos lamentabātur, & quarum causa pugnabatur, Hersilia duce, muliere claro apud Sabinos loco nata, consilium ceperunt pacis inter vtrosque conciliandæ. Et in mediam aciem progressæ, vt placet Liuio, vel potius, vt Dionysio visum est, ad Romanorum primùm, deinde Sabinorum consilium profectæ, primum inducias, postmodum pacem obtinuere. Post triennium enim congressis inter se regibus, fœdus ictum est & iureiurando firmatum, vt suo loco dicetur.

Ab hoc porro anno initium annorum Nabonassaris desumitur, vt in Annal. b. ex Ptolemæo docuimus, & rursus in morte Alexandri magni, quæ post 424. annos contigit, explicabitur.

ANNVS MVNDI 3307.

OLYMPIADIS VIII. AN. 2.

ROMVLI & V. C. 6.

ACHAZ & VRIÆ 14.

OSEE 2. TEMPLI 285.

THEGLATPHA. 29. Imperij Assyr. 1376.

ANTE CHRISTVM 746.

I. Achaz & Oseas condunt leges iniquas. *in 4. Esa. cod. 10. v. 10. 11.*

RElIquis Achazi annis nihil videtur immutatus regni Iudaici, vel Israelitici status, vtroque rege Assyrijs cum fide tributa pendente: Quoniam vero quæ à 7. cap. Esaiæ, vsque ad 14. extremum prænunciata sunt ad regni Achaz tempus pertinent, autore Hieronymo, facile est ex decimo capite intelligere, Achaz oppressum onere tributorum, *leges iniquas condidisse*, & vicissim pauperes, viduas, & pupillos exactionibus oppressisse. Quod ad Oseam quoq; pertinere, idem propheta significat, qui mox contra vtrumque regnum aperte vaticinatur. Et eadem nunc vtriq; regi causa peccandi fuit, ex tributorum pensitatione penuria. Ibidem Dominus aduocat Assyrios ad vltimam regni Israelitici vastitatem, ac desolationem imminentem. Arguit autem eos quod victorias suas, non diuinæ iustitiæ, quæ eorum manu vteretur, sed potentiæ propriæ insolenter adscriberent; vnde & mox se eorum potentiam & gloriam deiecturum minatur, quod anno Ezechiæ decimo quarto contigit.

II. Esaiæ de Cyro oraculum. *l. 11. c. 1.*

Scribit Iosephus Esaiam oraculum de Cyro edidisse 210. annis ante solutam Babylonicam Iudæorum captiuitatem, & 140. annis ante templi euersionem, quod vtrumque recte & accurate cum nostra chronologia congruit, & ad hunc ipsum annum spectat, vt videre est in Annalib. nostris. Cum autem vaticinium hoc, cap. 44. & 45. contineatur, oportet capita prophetiæ fuisse perturbata, nec ordine temporum digesta. Hæc enim capita, ad tempus Achaz non videntur pertinere, cum tota Ezechiæ historia præcesserit, & cap. 39. terminetur.

ANNVS MVNDI 3309.

OLYMPIADIS VIII. AN. 4.

ROMVLI & VRB. COND. 8.

ACHAZ 16. & vlt. EZECHIÆ 1.

OSEE 4. NERIÆ Pont. 1. TEMPLI 278.

THEGLAT. 31. & vlt. Imperij Assyr. 1378.

ANTE CHRISTVM 744.

I. Pax inter Romanos & Sabinos & cõmunicatio ciuitatis.

OCTAVO Romuli, & V.C. anno, pax Sabinos inter & Romanos, mulierum causa violata, mulierum industria restituta, ac stabilita est, exacto ab illarum raptu triennio, vtroque fere populo pugnando fatigato. Pacis conditiones fuere, teste Dionysio, vt Romæ pari honore, parique potestate Romulus Tatiusque regnarent, Vrbs nomen à conditore deductum seruaret, ciues singuli Romani, vniuersi Quirites à Curibus Tatij patria nominarentur. Sabinis, qui id cuperent, ius Romanæ ciuitatis daretur, & cum suis sacris, in tribus curiasque reciperentur. His iureiurando sancitis, arisque in idipsum, circa mediam viam sacram erectis, permixti se inuicem consalutarunt, & ex duabus ciuitas vna facta est.

Cõditiones pacis.

II. Rex Sabinus Romæ habitat, & vbi.

Digressus autem cum suis copijs ducibus cæteris, Tatius rex cum tribus illustrissimis viris, Tolesio, Tallo, & Metio Curtio Romæ habitaturi substiterunt, cum pluribus cognatis atque clientibus: itaque cum ciuitas valde aucta esset, visum est regibus duplicare Patritiorum numerum: vrbem quoque auxerunt, additis duobus collibus Quirinali, Cœlioque. Romulus tenebat Palatium, eique contiguum montem Cœlium, Tatius vero Capitalium quod primum occupauerat, & Quirinalem collem. Planiciem autem Capitolio subiectam in fori vsum verterunt, multaque templa singuli partim ex voto partim ex propria deuotione construxerunt. Addit Plutarchus vtrumq; regem cum suis centum Patricijs seorsim prius consultasse, quam in vnum omnes locum conuenirent.

III. Mors Achaz.

Quod ad historiam sacram attinet, habet hic amus abeuntem è viuis impium regem Achaz, eique succedentem filium Ezechiam; & nouum pontificem Vriæ successorem, & Thleglatphalasatis Assyrij vitæ simul & regni finem: quæ non exiguam secum rerum syluam trahunt. Et primum necesse est decimum sextum Achaz, cum primo Ezechiæ concurrere, & annos duos imperfectos, perfectum vnum integrumque conficere, vt sextus Ezechiæ annus cum nono Osee conueniat, vt Scriptura postulat. Itaque moritur Achaz, cum trigesimum sextum ætatis annum ageret, incipit regnare Ezechias, ineunte vitæ anno vigesimo quinto, vt alibi dictum est. Moritur Achaz, cuius memoria non solum infamis, sed etiam execrabilis, præ omnibus regibus Iudæ, qui eum antecesserunt, perseuerat, vtpote hominis qui toto regni sui tempore impius fuit, & in eadem impietate diem clausit extremum, eiusque magnitudine actus in rabiem, ferrum quodammodo distinxit in ipsum Deum; aram eius euertit, sacra vasa confregit, templum expilatum ac profanum redditum obstruxit, Deo denique quantam maximam potuit iniuriam intulit. Quin etiam verberibus, quibus Dominus aliorum scelera expiauit, factus deterior *augensque contemptum*, ab eo in perpetuum abiectus est, neque sepultura regia donatus.

4. Reg. 18. 10. a.m. 3285.

Eiusque suprema impietas.

2. Par. 28. 22. 27.

Impio parenti diuino munere, & in familiam Dauidis amore, successit religiosissimus filius, qui Dei cultum quamprimum instauraret, & prostratam Rempublic. erigeret: quamprimum inquam. Nam primo ipso die primi mensis iussu regis cœperunt sacerdotes & Leuitæ mundare templum Domini, qui fuit primus mensis primi anni regni Ezechiæ. Ex quo intelligitur totum ferme hunc annum ad Ezechiam pertinere. Primum enim mensem Scriptura intelligit Nisan, in quo Pascha celebrabatur, quod hoc anno ante secundum mensem celebrari non potuit. Conuocauit itaque Ezechias statim à morte patris sacerdotes & Leuitas, qui tum temporis Hierosolymis reperti sunt, *de repente quippe hoc fieri placuerat*, in primisque Neriam pontificem, quem breue chronicon Hebræorum suggerit tempore Ezechiæ: quitamen à Scriptura vocatur *Azarias sacerdos primus de domo Sadoc*. Dicique potest nomen Azariæ quasi appellatiuè sumi. Congregauit autem eos in plateam, siue arcam templi orientalem, ibique eos monuit, vt sanctificarentur ipsi primum, inde templum Dei mundarent.

IV. Cui Ezechias feliciter ac publico bono succedit, sub pascha. 2. Par. 29. 3. & 17. 1. Par. 30. 2. 3.

c. 29. fi.

2. Par. 31. c. 15.

Nouus Pontifex.

Hoc accepto mandato Sacerdotes & Leuitæ octo diebus exteriora templi, atria scilicet omnia & porticus, moxque totidem alijs templum ipsum, eiusque suppellectilem omnem expiauerunt, omnemque immundiciam extulerunt in torrentem Cedron: in quibus immundicijs, omnia idolorum simulacra, aræ, suppellex intelliguntur, & nominatim altare illud Damascenum, in cuius locum Salomonicum restitutum est. Inde plurima oblata sunt sacrificia, ad placandum Deum, & fœdus cum eo renouandum. Cui celebritati neque tubæ, neque psalteria, neque alia instrumenta musica, psalmis canticisque concinendis, defuerant. Et hæc quidem Hierosolymis primo mense facta.

V. Curat mundari templum.

Quoniam vero prius Ezechias, diuino simul & iuuenili feruore plenus, restituendæ pietatis studio flagrabat, ad eamque instaurationem non parum adiumenti allatura videbatur paschalis celebritas, si ea quâ maximo apparatu, & populorum frequentia perficeretur; omnes tam sibi, quam vicino regi Oseæ subditos, ad hanc celebritatem, dimissis vndique nuncijs, inuitauit, & ad pietatis cultum, longo denique interuallo reuocandum. Præsertim cum Oseas, amissis vitulis aureis, minus esset idololatriæ studiosus, suisque subditis iter Hierosolymitanum, Dei adorandi causa, patefecisset. Necessaria quoque erat ista conuocatio, ratione regni Iudæ, quoniam legitimæ solennitates Paschæ, Pentecostes, tabernaculorum abierant in desuetudinem, regnante Achaz, qui in-

VI. Apparat paschalẽ celebritatem.

ANNVS MVNDI 3310.

OLYMPIADIS IX. AN. 1.

ROMVLI & VRB. COND. 9.

EZECHIÆ 2. OSEE 5.

NERIÆ 2. TEMPLI 295.

SALMANASARIS 1. Imp. Assyriot. 1379.

ANTE CHRISTVM 743.

I. Initium Salmanasaris.

PRimo anno Olympiadis nonæ Salmanasar apud Assyrios tenuit principatum, quem quidam cum Nabonassare confundunt. At diuersos esse, cum diuersis locis temporibusque regnarint, diuersosque habuerint successores, necesse est. Nam Nabonassar Babylone regnauit, Salmanasar in Niniue; ille regnum initio Octauæ Olympiadis auspicatus est, iste initio nonæ; illi Merodach, isti Sennacherib successit. Quinetiam existimamus, hunc Nabonasarem Babylonium, siue Chaldæum, Salmanasari fuisse subditum. Id ex eo satis probatur, quod Assyrius inde populos eduxit, quos in deuicta à se Samaria collocauit: quo etiam argumento supra ostensum est, Medos à tempore Sardanapali, in Assyriorum potestatem venisse.

Qui alius fuit à Nabonassare

4. Reg. 17. 24.

a 2. prima Olymp. in fine.

II. Ezechias cogitat libertatẽ ab Assyriis.

Ezechias autem diuina re primo regni sui anno bene constituta, ad publicam bene gerendam se conuertit, & de excutiendo aliquando Assyriorum iugo sollicitus; primùm Philisthæos adoriri statuit, vt ijs Deo bene propitio superatis, rebusque suis receptis vel tutius negare tributum posset, vel tolerabilius persoluere. Existimo porro eum Salmanasari pactum patri eius vectigal aliquot annis pensitasse. Quod cum Oseas, Theglatphalasaris obitu inuitante, facere cunctaretur, illi cito suffectus Salmanasar, recognita contra eum ascendit. Videtur tamen res tota sine bello pacifice transacta: alioqui lõge seuerius cum eo acturi erant Assyrij, sed acceperunt excusationem, quanta fieri potuit probabilitate coloratam: factusque est ei Osee seruus, sicut & patri eius reddebatque ei tributa. Quod autem non dicitur ascendisse contra Ezechiam, signum haud obscurum est, eum illi hoc tempore non negasse vectigal.

Salmanasar ascendit cõtra Oseam. 4. Reg. 17. 3.

III. Ezechiæ bellũ cõtra Philisthæos. 4. Reg. 18. 8.

Videtur ergo hoc anno Ezechias bellum gessisse contra Philisthæos, antequam Assyrijs tributa negaret, sicut & Iosepho visum est, licet Scriptura prius recitet defectionem eius ab Assyrijs, quam bellum contra Philisthæos, ordine temporis non seruato. De quo bello hæc illa tantum. *Ipse percussit Philisthæos, vsque ad Gazam & omnes terminos eorum, à turre custodum vsque ad ciuitatem munitam.* Paucis verbis significat longe grauissimam Philisthæis importatam calamitatem. Nam *parta victoria*, inquit Iosephus, *omnes eorum vrbes, à Geth vsque Gazam, sua ditioni adiecit*, vt tanto magis intelligantur recuperata, quæ tempore Achaz perdita fuerant, quæ fuerat suscipiendi belli causa. Hæc videtur illa Philisthæorum calamitas, quam dudum prædixerat Amos, *Et mittam*, inquit, *ignem in murum Gazæ, & deuorabit ædes eius, & disperdam habitationem de Azoto, & tenentem sceptrum de Ascalone, & conuertam manum meam super Accaron, & peribunt reliquiæ Philistinorum, dicit Dominus Deus.* Huc pertinet illud Chronici Hebræorum, Palæstinos, ex quo ceciderunt regnante Ezechia, proprium deinceps regem nunquam habuisse; sicut nec Idumæos, ex quo ab Amasia patre Oziæ deuicti sunt.

Olim prædicta.

v. 20.

ANNVS MVNDI 3311.

OLYMPIADIS IX. AN. 2.

ROMVLI, & VR. CON. 10.

EZECHIÆ 3. OSEE 15. qui & 6.

NERIÆ Pont. 3. TEMPLI 289.

SALMANASARIS 2. Imp Assyr. 1380.

ANTE CHRISTVM 742.

I. Ann. Sabbat. 104. 1583. 728. 3311.

SAbbaticum annum 104. excepit cum deuotione, religioneque celebrauit Ezechias, regni sui anno tertio; est enim 728. ab ingressu in Chananitidem. Hoc quoque non videtur Ezechias pugnasse contra Philisthæos, maior est enim in hoc bello rerum moles, quam vt vno anno perficipotuisse videatur. Tanta porro victoria diuino beneficio potitus. (*Erat enim Deus cum eo*, vt ait sacer historicus, *& in cunctis ad quæ procedebat sapienter se agebat*) existimabat Deũ sibi æquè affuturum contra Assyrios, sicut contra Philisthæos affuisset: itaque discupiebat onus ab Assyrijs impositum patri, prorsus excutere. Verum ea cogitantem ac cupientem, retinuit vicini regis exemplum, quem similia improuide attentantem, cum regno suo Assyrius profligauit ac perdidit. Itaq; bonam aliquam occasionem sibi captandam putauit.

4. Reg. 18.

II. Oseas molitur defectionem. 4. Reg. 17. 4.

At infelix Oseas incautius pro meditata defectione sua satagebat, & ad Ægyptij regis auxilia respiciebat, vt eius præsidio tectus, victa Assyrio tributa non penderet; non animaduertens se, pro vno Domino, geminum habiturum. Hanc defectionis machinationem cum Salmanasar deprehendisset, bellum contra eum parauit, quod proximo anno auspicatus est. Hinc autem intelligitur iam tum Assyrijs cum Ægyptijs non bene conuenisse; quod clarius tempore Iosiæ, & filiorum eius cognoscetur.

Cõiugii Tobiæ, c. 1. 9.

Ad hunc annum pertinere videtur illud Tobiæ. *Cum vero factus esset vir, accepit vxorem Annam de tribu sua, genuitque ex ea filium.* Agebat is ætatis annum 36. natus Oziæ 51. vt ibi diximus.

* *
*

ANNVS MVNDI 3312.

OLYMP. IX. AN. 3. ROMVLI & V. C. 11.

EZECHIÆ & OSEE 7.

NERIÆ Pont. 4. TEMPLI 290.

SALMANASARIS 3. Imperij Assyr. 1381.

ANTE CHRISTVM 741.

I. Salmanasar populatus Israëlē obsidet Samariam. 4. *Reg.* 18. 9. *c.* 17. 5.

ANno quarto regis Ezechiæ, qui erat annus septimus Oseæ filii Ela regis Israël, ascendit Salmanasar rex Assyriorum in Samariam, & oppugnauit eam. Sed prius *peragratus est omnem terram* Israëlitarum. Ex quo apparet Oseam non ausum fuisse congredi cum Assyrijs, sed maturè, de viribus diffidentem, in Samariam vrbem munitissimam se propulsasse, vt olim Ioramus cum venisset contra eum Benadad Syrus. Nec tamen singulas vrbes, quasi per otium expugnare aggressus est, præbens interim hosti tempus colligendi sui, atque roborandi, sed Samariam ipsam regni caput hoc anno circa eius initium obsidere cepit, vt trium annorū obsidio constare possit. Quod videns Ezechias alieno malo factus sapientior, dilato excutiendæ seruitutis consilio, de more tributa persoluit.

II. Ortus Tobiæ iunioris. *q* 8. *in c. vlt. Tob.*

Ad hunc annum Tobiæ iunioris natiuitatem referimus cum nostro Serario. Neque enim videtur diutius ab initio matrimonio caruisse liberis. Concepit ergo Anna quamprimum, peperitque filium; cui pater nomen suum imposuit, eumque ab infantia docuit timere Deum, & abstinere ab omni peccato. Natum autem fuisse ante captam Samariam, & relegationem in Medos & Assyrios, Scriptura docet, quæ statim subdit *deuenisse per captiuitatem cum vxore & filio, & omni tribu sua in ciuitatem Ninivem.* Ad sequentem porro annum, qui est obsidionis Samaritanæ, secundus videtur pertinere vaticiniū Esaiæ, quod vocat onus Arabiæ, in quo dicitur Ismaëlitis, qui Cedareni & Agareni sunt, vt occurrant Israëlitis à facie Assyriorum fugientibus, cum panibus & aquis, vt fame & siti confectos reficiant. Quod quia illi neglexerunt, prædicit propheta eos intra annum vnum magna clade affectum iri, quod anno sequenti contigit, quæ est S. Hieron. expositio.

c. 1. 10. 11.

c. 21. 13. Esaiæ cōtra Arabas vaticiniū

Ad hunc etiam annum prophetiam Esaiæ contra Moabitas referre, vaticinij similitudo inuitat: vbi propheta suadet Moabitico populo, vt abscondat profugos ex Israël, & vagos ne prodat, cum videlicet eos Assyrius ad exilium congregaret; sed sit potius eorum latibulum à facie Assyrij vastatoris. Deinde extremo capite, addit intra tres annos gloriam Moabitarum, & populi multitudinem valde imminutum iri. Sub hoc tempus, viuo quippe adhuc T. Tatio, prius bellum Camerinum à Romani gestum est: posterius autem 16. ab Vrb. Con. vt eo loco dicetur.

Et contra Moabitas *c.* 16. 3.

ANNVS MVNDI 3314.

OLYMPIADIS X. AN. 1.

ROMVLI & VRB. COND. 13.

EZECHIÆ 6. OSEE 9. & vlt.

NERIÆ Pont. 6. TEMPLI 292.

SALMANASARIS 5.

Imperij Assyriorum 1383.

ANTE CHRISTVM 739.

DEcima Olympiade ineunte Dotades Messenius, vt cursorum velocissimus coronatus est. Eodem anno, qui sextus fuit, ex quo T. Tatius cum Romulo regnauit, mortuus est idem Tatius. Causam cædis eius tradit Plutar. quod cum quidam Tatij familiares Laurentium legatis Romam venientibus occurrissent, pecunijs eos spoliare aggressi, resistentes obtruncassent. Id facinus Romulus morte luendum censuis. Tatius rem extraxit. At cæsorum propinqui, cum per Tatium ius suum ipsis persequi non liceret, eum Lauinij cum Romulo rem diuinam peragentem, impetu facta trucidarunt. Id facinus minus ægre tulisse Romulum, quam dignum erat, ait Liuius, siue ob infidam regni societatem, siue quia iure cæsum credebat. Nihilominus, quasi cædes cæde persoluta esset, fœdus inter Romam & Lauinium vrbes renouatum est.

I. Mors Tatii collegæ Romuli.

Eiusque causa.

Quod ad sacram historiam attinet, hic est decretorius ille, ac fatalis annus, qui regno Israëlitarum finem imposuit. Hic est ille 65. annus, iam à 25. regni Oziæ pronunciatus nominatim, & ante aliquot annos ab Esaia in memoriam populo reuocatus. Cum enim regnum Israëlis, ex quo Ieroboami opera, & Roboami stultitia à regno Iudæ distractum est, per annos 255. perpetuo cum omnibus suis regibus idolis seruisset: quin etiam seueras atq; multiplices prophetarum minas obstinata mentis inductione neglexisset, atq; adeo ad ipsas etiam plagas, quas Theglatphalasar ante annos 35. intulerat, tertia regni parte occupata, induruisset, hoc demiq; anno Deus, per filium eius Salmanasarem, interitum attulit regno funditus vniuerso. Super ea calamitate, eiusq; causis quas attigimus, fusius Scriptura ipsa lamentatur.

II. Finis regni Israëlitici. *ab ann. Mund.* 305. *ad* 3314.

4. *Reg.* 17.

Cum ergo sextus Ezechiæ regis ageretur annus, & Oseæ regis Israëlitarum postremi, nouus & vltimus, & obsidionis Samaritanæ tertius, capta est Samaria, vinè, an deditione, ex ipsa Scriptura non constat. Iosephus vi captam affirmat, estque admodum probabile, ob seueritatem qua vsus est victor; nisi dicas cum barbarico more pactis conditionibus non stetisse: Quidquid hi veniisse Samariam, & cum ea regnum vniuersum, & cum regno ipsum regem, in hostium potestatem nec habitum in libera custodia, sed vinctum, & in carcerem missum, Scriptura confirmat. Et regi quidem quid denique factum sit non

III. Capitur Samaria, vinè an deditione. *l.* 9. *c.* 14.

Quid factū Oseæ.

4. *Reg.* 17. 4. & 18. 10.

satis liquet, sunt qui in carcere mortuum putent. In 4. Esdræ habetur eum captiuum à rege Salmanasare, cum populo suo translatum trans flumen Euphratem; populumque ipsum constat in ciuitatibus Medorum, iuxta flumium Gozan fuisse collocatum, vnde paulatim per totum orientem diffusi, ac proseminati sunt.

c.13.n.47.

IV. Tobiæ captiuitas: Tobi. 11.

Inter captiuos autem nominatim fuit Tobias senior vir sanctissimus, diuina vtique prouidentia, vt & bonis esset in captiuitate solatio, & malis ad meliorem vitam incitamento. Sed quomodo dicitur deuenisse in captiuitatem non solum cum vxore & filio; sed etiam *cum omni tribu sua*, quam tamen in captiuitatem abductam constat à Theglatphalasare initio regni sui, anno abhinc trigesimo sexto. Dicendum videtur, Scripturæ mentem esse Tobiam deductum fuisse in exilium, quo ante tota ipsius tribus abducta fuerat, ita vt particula *cum* non temporis, sed loci, aut calamitatis societatem significet, quam tum puer fere quinquennis effugerat. Neque porro putandum est Israëlitas ita ex patria factos extorres, vt nemo eorum in ipsa remanserit. Multi enim fuga lapsi in Iudæam, atque adeo ad Arabes & Ismaëlitas, & Moabitas profugerunt, vt ex Isaia dicebamus, anno præcedenti, qui postea desolatam patriam reperierunt.

a m. 3279

Fugitini ex Israël.

V. Cedareni ab Assyriis afflicti. Esa. 21 fi. In eum locum.

Quoniam vero ibidem diximus, Cedarenorum & Ismaëlitarum cladem hoc anno contigisse, oportet Salmanasarem partem aliquam copiarum suarum, ad comprimendos istos Cedarenos misisse, ijsque debellatis, cum rege in patriam remigrasse. Et Sanctius noster, licet putet probabilius hæc tempore Nabuchodonosoris fuisse impleta, ait tamen longe magis expeditum videri, vt hæc de illis Israëlitis accipiantur, qui à Salmanasare victi sunt, quique barbaræ captiuitatis ignominiam & ærumnam assumpta in proximas regiones fuga, declinarunt.

Ortus Iudithæ.

Hoc denique anno natum nobilem illam Iuditham existimamus, vt centesimus quintus annus vitæ eius cadat in 24. Iosiæ, & septem anni pacis in Israële supersint. Vt comprobetur illud. *In omni autem spatio vitæ eius non fuit, qui perturbaret Israël, & post mortem eius annis multis.* Qua de re iterum in regno Manassis quærendum erit.

ANNVS MVNDI 3315.

OLYMPIADIS X. An. 1.

ROMVLI & VRB. Cond. 14.

EZECHIÆ & NERIÆ 7.

TEMPLI 293.

SALMANASAR. 6. Imperij Assyr. 1384.

ANTE CHRISTVM 738.

I. Tobiæ captiuitas.

Pertinent ad hunc primum captiuitatis annum, missum ab Assyrijs in terram Israëlitarum coloniæ, prophetia Nahum, & initia vitæ Tobiæ in captiuitate. A quo vt ducamus initium, *cum captus esset in diebus Salmanasar regis Assyriorum, in captiuitate tamen positus viam veritatis non deseruit*, imo *memor fuit Domini in toto corde suo.* Hæc est prima viri laus pietatis in Deum. Sed accessit misericordia & charitas in proximum, & quidem tanta, vt *omnia quæ habere poterat, quotidie concaptiuis fratribus, qui erant ex eius genere, impertiret.* Nec paucorum dierum fuit ista benignitas: sed ad regnum Sennacheribi propagata est. Addidit & abstinentiam profanorum ciborum, quæ & in alijs sanctis eluxit. Quas ob res dedit illi Dominus gratiam in conspectu Salmanasaris, tantum, vt fieret regis dispensator, ab eoque peramplia honoraria acciperet; adeo vt cum venisset in Rages ciuitatem Medorum, ex his quibus honorarus fuerat à Rege, decem argenti talenta Gabelo amico mutuo dare potuerit. Sed id non videtur hoc primo statim anno contigisse. Necessarium enim fuit tempus aliquod, quo regis gratiam demereri posset.

Tob 1.

Pietas & charitas.

Apud Salmanasar gratiosus

Quod ad colonias attinet, ne terra, quæ lacte olim & melle manabat, deserta relinqueretur, misit rex Assyriorum varijs ex locis varios, qui regnum Samaritanum inhabitarent, Gumque ibi habitare cœpissent, *non timebant Dominum, & immisit in eos Dominus leones, qui interficiebant eos.* At inquies, ne in patria quidem sua timebant Dominum; ac ne cognoscebant quidem, & tamen nihil eis à leonibus accidebat mali, sicut neque cæteris idolorum cultoribus; alioqui facile mundus interijsset vniuersus. Causa ergo cladis huius, non simpliciter idololatriæ tribuenda est, sed idololatriæ, quæ in terra pertinente ad cultores Dei, & quam sibi Deus peculiariter elegerat, vt in ea coleretur, exercebatur. Propterea Dominus Israëlitas hactenus varijs cladibus castigauerat, quod terram polluerent, quam Dominus sibi sanctificauerat, ex eaque eandem ob causam nouissimè ejecerat, sicut olim Chananæos.

II. Noui Samariæ coloni.

Curà leonibus vexati.

Vide Leui. 18.24.25

Id quoquo modo noui hi coloni videntur intellexisse, cum causam cladis suæ tribuebant ignorantiæ rituum Dei terræ Israël, qui pro arbitrio suo coli velit abincolis; alioqui eos inde ejiciat, vel immissis leonibus interficiat. Quo audito misit eò Salmanasar Sacerdotem, qui reuersus habitauit in Bethel, & docebat eos quomodo colerent Dominum, quod cum illi facerent leonum laniena cessauit; nulla quippe querela deinceps exaudita est. Quod tamen mirum est, cum illi nihilominus idola sua colerent. Respondeo cum Tostato, Deum noluisse punire nunc istorum Idololatriam; sed ne Assyrij putarent Deum Hebræorum ex impotentia permisisse populum suum in seruitutem abduci, voluit Deus ostendere potentiam suam, cui ferocissima animalia ad nutum obtemperarent: simul etiam docere se Israëlitas Assyriorum opera expulisse, quia non colebatur ab eis, sicut nunc eadem ex causa nouos Samaritas expulsitus erat per leones. Colebant nihilominus singuli populi Deos suos. Existimabant enim, sicut apud cæteras gentes, plures dij coli solebant, cum bona venia

III. Edocetur Dei cultū

Quem cum dijs suis colūt 4.10. & seqq. ins. 17.4. R 18

Et tamen liberatur.

singulorum, modo nullius cultus propterea negligeretur: ita ne huius quidem terræ Deum ægrè laturum, quandoquidem assumptus esset eius cultus, si patriorum deorum cultus simul retineretur.

IV. Prophetia Nahi contra Niniuen. *in prol. comm. in Nahum.*

Ad hunc porro annum, & aliquot sequentes pertinet prophetia Nahum, quæ contra Niniuem est, & Dominos eius Assyrios. D. enim Hieron. *Michæam*, inquit, *sequitur Nahum, qui interpretatur consolator. Iam enim decem tribus ab Assyriis deductæ fuerant in captiuitatem, sub Ezechia rege Iuda; sub quo etiam nunc, in consolationem populi transmigrati, aduersus Niniuem visio cernitur.* Et mox eandem consolationem ait ad eos quoq; pertinere, *qui de Iuda & Beniamin ab iisdem hostibus obsidebantur, vt audirent Assyrios quoque à Chaldæis esse capiendos.* Idque confirmatur ex eodem Hieronymo, & alijs interpretibus, qui interitum Sennacherib, & exercitus eius, à Nahum extremo capite primo affirmant illis verbis prædici, *Celebra Iuda festiuitates tuas* &c.

ANNVS MVNDI 3316.

OLYMPIADIS X. AN. 3.

ROMVLI, & VR. CON. 15.

EZECHIÆ 8. NERIÆ Pont. 8.

TEMPLI 294.

SALMANASARIS 7. Imp Assyr. 1385.

ANTE CHRISTVM 737.

I. Moabitarum ab Assyriis clades. *Esa. 6. 14.*

HOc anno impleta est prophetia Esaiæ contra Moabitas, de eorum post tres annos calamitate, quam ab Assyrijs illatam affirmat S. Hieronym. in eum locum: etsi memoria lapsus Sennacherib, pro Salmanasare posuit; hic enim captiuos abduxit Israëlitas, non ille. Quãuis autem hoc tempore Moabitarum gloriam ab Assyrijs deiectam dicamus, & eorum numerum valde imminutum: non negamus tamen Moabitas à Nabuchodonosore, post cladem Hierosolymorum, fuisse prostratos, super quam cladem fusius vaticinatur Ieremias; sed ea post 135. annos contigit, vt suo loco dicemus.

a.m.3451

II. Tobias dat argẽtum Gabelo. *q. 6. in calc. Tob.*

Hoc ipso anno, qui est 41. Tobiæ senioris, viginti annis, antequam is mitteret filium suum ad Medos, mutuo dedit Tobias Gabelo decem argenti talenta, hanc enim temporis notam habet ex Hebræo textu c. 5. Serarius, vbi habetur. *Ex quo argentum in manu eius posui, 20. anni sunt.* Ex quo etiam confirmatur Salmanasarem adhuc in viuis fuisse, qui scilicet Tobiam dilexit, quem filius eius Sennacherib, sicut & reliquos Hebræos vehementer afflixit. Quoniam vero ea pecunia dicitur egenti data, vtique in vsus suos, non plane depositum dicendum est, etsi ita vocetur in textu Græco, sed mutuum. Porro hic Gabelus, siue Gabaëlus, vt vocatur à Græcis, dicitur ab ijsdem frater Gabriæ cap. 1. cap. autem 4. filius Gabaæ; oportet idem nomen patri & filio fuisse commune, sicut & Tobiæ nomen.

c. 1.

ANNVS MVNDI 3317.

OLYMPIADIS X. AN. 4.

ROMVLI & VRB. COND. 16.

EZECHIÆ 9. NERIÆ Pont. 9.

TEMPLI 295.

SALMANASARIS 8. Imp. Assyriot. 1386.

ANTE CHRISTVM 736.

I. Geminũ bellum cõtra Camerinos.

SCRIBIT Dionysius, bis à Camerinis contra Romanos pugnatum: nec prior pugna vtriusque regis auspicijs facta est, posterior Romuli solius, Tatio Sabino iam mortuo: illa bellum affectum fuerit, ista plane confectum; prius bellum excitauit emissa à Camerinis latronum manus in agrum Romanum; cumque res ad bellum progressa esset, deuicti Camerini, armis, & tertia parte agri priuati sunt. Vrbsque eorum Romana Colonia facta est, quibusdam Romanis eò profectis, & Camerinis, quotquot vellent Romæ habitare permissis. Verum anno 16. ab Vrb. Cond. Camerini, fratri perdifficili Romanorum tempore, apud quod pestilentia vehementer grassabatur, colonos Romanos partim occiderunt, partim ex oppido eiecerant. Id scelus Romulus vlturus, sed millibus in prælio cæsis, & vrbe denuo potitus, eam militi diripiendam dedit, ibidemque valido præsidio ad hostem continendum relicto, copias Romam reduxit, & de Camerinis secundum triumphum egit, quę plutibus apud Dionys. Liuium, & Plutarchum leges.

II. Alterum contra Fidenates

Inter vtrumque bellum, Fidenates, cum in nauigia, quæ commeatum Romam deuehebant, impetum fecissent, commeatum diripuissent, & si qui obstabant occidissent, & iniuria affectis satisfacere neglexissent, Romulus cum valido exercitu in eorum agrum irrupit: & ingenti præda potitus est: quam cum abduceret; superuenerunt Fidenates, quos cum in fugam dedisset, cum fugientibus vrbem ingressus, eaque potitus, sumpto de paucis supplicio, vrbi præsidium trecentorum virorum imposuit, ciues agri parte mulctauit, & Romanam coloniam, missis eò nouis ciuibus, fecit.

Hoc quoque anno Salmanasar bellum contra Tyrios gessisse videtur, de quo Iosephus plutibus. *l. 9. c. 14.*

ANNVS MVNDI 3318.

OLYMPIADIS XI. AN. 1.

ROMVLI, & VR. COND. 17.

EZECHIÆ 10. NERIÆ 10.

TEMPLI 296. SALMANAS. 9. & vlt.

SENNACHERIB 1. Imperij Assyr. 1387.

ANTE CHRISTVM 735.

I. Annus Sabbat. 105.

CAdit in hunc annum Sabbatismus ordine 105. consentiente atque annitente pio Ezechia, rite celebratus. Cadit & initium vndecimę Olympiadis. Hoc quoque anno Salmanasarem mortuum esse necesse est: atque adeo filium eius Sennacherib ei in regnum successisse: alioqui, quod fert communis opinio, non regnauerit 7. annis, cum constet eum anno decimo sexto Ezechiæ perijsse. De Salmanasaris autem morte quidam intelligunt illud Esaiæ, vbi postquam Dominus hortatus est Moabitas ad abscondendum fugientes Israëlitas à facie vastatoris, subdit, *Finitus est enim puluis, consummatus est miser, defecit qui conculcabat terram.* Quasi dicat eos non diuturno charitatis officio vsurpatos, in ijs abscondendis à facie Salmanasaris Assyrij, vt qui cito interiturus esset.

Obitus Salmanasaris.

c. 16. 4.

ANNVS MVNDI 3319, & 20.

OLYMPIADIS XI. AN. 2. & 3.

ROMVLI & V. C. 18. & 19.

EZECHIÆ & NERIÆ 11. & 12.

TEMPLI 297. & 8.

SENNACHERIB. 2. & 3. Imperij Assyriorum 1388. & 9.

ANTE CHRISTVM 734. & 33.

I. Regnum Sennacherib.

MOrtuo Salmanasare, eique Sennacheribo filio succedente, non propterea ausus est Ezechias Assyrijs negare vectigal, sed in ea seruitute per vnum adhuc, alterumq; annum perseuerauit. Certum est enim Assyrium, qui 14. tantum anno Ezechiæ in Iudæam cum exercitu infestus ascendit, statim eum, aut proximo certe anno, bello petiturum fuisse. Quanquam dici posset eum anno duodecimo non soluisse, variis excusationibus, & differendi causis excogitatis. Decimo autem tertio plane solutionem negasse, vnde mox anno cõsequenti atrox bellum exarsit, ad quod se maturè interea præparauit. Nam nec sapientis fuit non præparasse se ad defectionem quam parabat, & quæ in eam rem facta memorantur, non exiguum temporis spatium requirunt.

II. Ezechias defectionem & bellum parat.

Ezechias ergo antequàm vllam cogitatę defectionis suspicionem daret, pro sua prudentia, occultè se ad indubitatum bellum præparauit. Et primùm, inito cum principibus cõsilio, obturauit capita fontium, quæ erant extra vrbem, ne aquis fruerentur Assyrij, ijsq; ciuitatem priuarent, & mutato æquæductu, induxit aquam in medium ciuitatis, rupe refecto profossa, *& ædificauit ad aquam puteum.* Cisternam quandam peramplam in rupe excisam significat, in quam aquæ ex aquæ ductu influerent, in vsum populi totius, quæ piscina in Scriptura vocatur. Sed hæc accuratius in Annalibus explicata reperies. Secundò *ædificauit omnem murum, qui fuerat dissipatus, & excitauit turres desuper, & forinsecus alterum murum.* Antiquum videlicet murum ciuitatis vndiq; instaurauit, additis etiam turribus vbi opus fuit. Sed tertium insuper instruxit murum, qui Besetham, siue nouam ciuitatem includeret, quo modo ciuitas non solum aucta est, sed maiorem etiam rotunditatis formam accepit, eáque pars ciuitas Ezechię à Sapiente appellatur. Instaurauit etiam Mello in ciuitate Dauid. Video, mi Lector, hæc maiorem desiderare lucem, sed ea ex Annalibus petenda est.

Eccli. 48 19.

4. Reg. 20. 20. & 23. 4. 5.

2. Par. 32. 5.

Eccli. 48. 19. 20.

III. Prophetia Esaiæ eodem pertinẽs.

Addidit postremo Ezechias ad præparationem belli, vniuersi generis armaturam, tam ad offendendum, quam ad defendendum idoneã, magnam quoque vim frumenti, ac vini, cæteraque commeatus; Hierosolymis præsertim, ad obsidionem, si res ita ferret, sustinendam. Ad hoc porro tempus pertinere videtur prophetia cap. 22. Esaiæ, quæ est de calamitate Hierosolymitana; Ex occasione enim huius bellici apparatus in ciuitate, aperuit Dominus oculos prophetæ sui, vt videret quid tanto post futurum esset Hierosolymis circa muros istos, qui ab Ezechia partim instaurabantur, partim extruebantur, & circa collectionem aquarum, & piscinam ab eo factam.

IV. Ezechias auxilia Ægypti quærit.

cap. 30. 6.

Ad eundem belli apparatum pertinent auxilia quæsita foris. Liber enim Esaiæ, imo & oratio Rabsacis dubitare non sinit, Ezechiam ad Ægyptiorum auxilia respexisse, magnisq; muneribus, quamuis irrito conatu, earedimere voluisse. Id enim ostendit Esaias, cũ ait Hebræos portasse super humeros iumentorum diuitias suas, & super gibbum camelorum thesauros suos ad populum, qui eis profuturus non esset. Id valde displicuisse Deo, & quasi defectionem à se interpretatum esse, illa Esaiæ verba demonstrant: *Væ filij desertores dicit Dominus, vt faceretis consilium, & non ex me, & ordiremini telam, & non per spiritum meum, vt adderet ut peccatum super peccatum, qui ambulatis vt descenderetis in Ægyptum, & os meum non interrogastis: sperantes auxilium in fortitudine Pharaonis, & habentes fiduciam in vmbra Ægypti. Et erit vobis fortitudo Pharaonis in confusionem, & fiducia vmbræ Ægypti in ignominiam.* Deinceps enim ostendit eos in Deo suo fiduciam habere debuisse, cuius gladio Assyriorum exercitus delendus erat, non viribus humanis.

cap. 31. v. 1. & 8.

V. Vita Tobiæ in captiuitate.

cap. 1. 18.

Quæ autem fuerit hoc tempore vita Tobiæ in captiuitate, liber eius paucis explicat: *Post multum vero temporis*, ab eo scilicet regno Israëlis, quod fere sex annorum fuit, mortuo Salmanasare rege, cum regnaret Sennacherib filius eius pro eo, & filios Israël ha-

beret exosos in conspectu suo, Tobias quotidie pergebat per omnem cognationem suam, & cõsolabatur eos, diuidebatq; vnicuique, prout poterat, de facultatibus suis; esurientes alebat, nudisq; vestimenta præbebat: & mortuis atq; occisis sepulturam solicitus exhibebat. Quæ licet Græci codices nominatim ad tempus Salmanasaris referant, ad vtraque tamen tempora pertinent, & ad posteriora in primis, quando hæc opera charitatis magis necessaria erant, sed sub Salmanasare apertè fiebant, sub filio autem eius occultè propter improbitatem eius, & aulicorum delationes.

ANNVS MVNDI 3321.

OLYMPIADIS XI. AN. 4.

ROMVLI, & V.C. 20. EZECHIÆ, & NERIÆ 13. TEMPLI 299.

SENNACHERIB. 4. Imperij Assyr. 732.

ANTE CHRISTVM 732.

I. Ezechias tributum recusat Assyrius.

IActa sunt hoc anno belli semina Iudæos inter & Assyrios, Ezechia tributi iugum excutiẽte, & non à principio regni eius, vt putauit Abulẽsis. Quid enim causę probabiliter afferri potest, cum si æquè vterque rex Hebræus Assyriis tributa negauit, non æquè contra vtrumq; infesta signa tulerit Assyrius, aut non vterque contra eundem arma in eadem causa coniunxerit? Iusta porrò fuit Ezechiæ defectio. Nullum enim ius habuit rex Assyriorum in Iudæos: & quod videbatur à Theglatphalasar acquisitum, tyrãnicum fuit. Aduocatus enim ab Achaz maximis muneribus, vt amicus & fœderatus, contra Syros & Israëlitas, eũ non solũ afflixerat, sed reddiderat etiã vectigalem. Etsi enim Ezechias missis ad Assyrium nunciis, fatetur se peccasse, & satisfactionem offert, id ex illius fatetur opinione, ad eum mitigandum, non ex sua.

Iusta eiusdem defectio.

4. Reg. 18. 14.

II. Sennacherib copias parat. A. 3311.

Cognouit porrò Sennacherib Ezechiam in rebellando Ægypti viribus niti, quod non ita pridem Salmanasar in Osea deprehenderat: itaque contra vtrumque hoc anno copias ingentes comparauit.

ANNVS MVNDI 3322.

OLYMPIADIS XII. AN. 1.

ROMVLI, & V.C. 21. EZECHIÆ 14. NERIÆ Pont. 14. TEMPLI 300.

SENNACHERIB 5. Imperij Assyr. 1391.

ANTE CHRISTVM 731.

I. Olymp. 1.

COpiosam hoc anno materiam res sacra suppeditat: itaque priusquam eam attingamus, profanam paucis expediamus. Hunc ipsum annum duodecimæ Olymp. primum Romuli vigesimum primum, Onuphrius in fastis addicit bello gesto cõtra Veientes, quod vltimum à Romulo gestum est. Belli prætextus fuit, vt ait Dionysius, clades Fidenatium. Nam vera causa fuit timor ab excrescente Romana potentia, eóque iam vicina. Missis ergo legatis postulabant, vt Romani præsidium Fidenis abducerent, ademptumque eis agrum restituerẽt; quo non impetrato, ventum est ad manus, acriter vtrimque pugnatum, donec incertos victoriæ nox diremit.

I. Bellum contra Veientes, eiusque causa.

Interea summissa ab vrbe auxilia Romulus prope hostium castra collocauit, quæ signo à Romulo dato, in hostem pugna fatigatum à tergo irruerunt, facilemque Regi suo victoriã tribuerunt, magna parte Tiberinis vndis hausta quippe qui labore pugnæ fessi, armis insuper & vulneribus impediebantur. Cumque nihilominus prælium redintegrassent, iterata clade superati sunt, multáque præda, & captiuorum turba, secundo flumine Romam deuecta, tertium Romuli triumphum, prioribus magnificentiorem fecit. Mox legatis pacem & veniam petentibus, ager qui vocatur Septempagi ademptus, cum Salinis, quæ sunt ad fluminis ostia. Quinquaginta insuper obsides ad firmandam pacem imperati. Sicque ad annos centum fœdus vtrinque pactum est, conditiones in columnas incisæ, captiui gratis dimissi. Qui Romam patriæ prætulerunt, quorum maior pars fuit, ciuitate donati sunt.

II. A Romulo vincũtur.

Dum hęc in Italia geruntur, Sennacherib vlturus Ezechiam, copias ex Asia vniuersa contraxerat, quas bipertitò diuisit, partem vnam Thartano duce misit in Azotum Palæstinæ vrbem, quæ tum Ezechiæ parebat, vt ea potitus, Ægyptum & Æthiopiam Ezechiæ fœderatas peteret: alteram reseruauit sibi, vt cum ea regnum Iudæ suo imperio subiugaret. Interea iubet Dominus Esaiam nudum & discalceatum per vrbem incedere, triduo fortasse, vt putat Sanctius, vt triennij calamitatem, quæ Ægyptiis & Æthiopibus imminebat, portenderet; qua captiui omnis generis, nudi & discalceati in Assyrios deportandi erant. Porrò in Esaiæ nuditate, non malè Sanctius aliquam agnoscit auxesim; sic vt non plane nudus prophera prodierit, quod bonis moribus atque honestati repugnat, sed extimam tantum vestem prophetalem, calceosque deposuerit; sicque per vrbem, vt scurra quispiam, triduo obambularit; quomodo discoopertum & nudatum Dauidem Michol detisit; nudum item Saulem prophetasse diximus; quod ambo depositis regiis vestibus, indecore vestiti essent, saltando atque prophetando, cum tamen de Dauide constet, ipsum Ephod lineo indutum fuisse.

III. Sennacherib venit in Iudæam, mittit Thartanum cõtra Palæstinos, & inde in Ægyptũ.

Esaię nuditas qualis.

2. Reg. 6. 20. 1. Reg. 19. 24. 2. Reg. 6. 14.

Oppugnauit igitur Thartan Azotum, vrbem vtique admodum firmam atque munitam, vt quæ Assyriorum exercitui resistere non dubitarit. Non diu tamen videtur obsidionem toleraſse, sed cito in hostium potestatem, seu vi, seu deditione venisse ceteraque, vt apparet, exemplo, reliquæ Palæstinorum vrbes, quæ Ezechiæ à secundo regni sui anno parebant, dixerunt se imperata facturas, Iudæorum iugo in Assyrium commutato. Inde rectà Thartan profectus est in Ægyptum, &

IV. Thartan occupat Palæstinã.

A. m. 3310. a. s.

Adit Ægyptum.

ad

ad Pelusium, Herodoto ac Iosepho testibus, cum exercitu consedit, eamque vrbem, Ægypti propugnaculum, Iudæam versus diu obsedit, sæpiusque non irritoconatu pugnauit, vt sequenti anno dicetur.

lib. 2.

V. Ezechias se ad tolerandam obsidionẽ parat

Interea Sennacherib, qui cum validissima, maximáque suorum manu in Iudæa substiterat, ciuitates eius oppugnare cœpit. Ezechias autem, qui totum impetum belli cernebat verti contra Ierusalem, eam magna diligentia permunijt, extremamque manum aquæductui, cæterisque munitionibus adhibuit, populum in platea regia conuocauit, eumque consolatus est, & animauit magna in Deum fiducia, vt qui sibi conscius esset, se officio in hoc genere egregiè functum esse: ne alioqui Deum tentare videretur. Nihilominus vt nihil intactum relinqueret, quod humana prudentia suggereret, ad auertendam regiæ ciuitatis cladem ac vastitatem, & miseratus tot oppida, quæ à barbaro milite vastabantur, misit nuncios ad regem Assyriorum, qui obsidebat Lachis, qui eum humili oratione placare conarentur. *Peccaui*, inquit, *recede à me, & omne quod imposueris mihi feram.* Simulauit Assyrius non ingratam sibi esse legationem, ratus se & quod vltro daretur, mulctæ nomine primò habiturum; deinde reliqua omnia, quæ inuitis esset acceptarus.

Et nihilominus pacem ab hoste quærit.

VI. A quo ingenti pecunia mulctatur.

Indixit autem argenti talenta trecenta, & auri 30. Eam pecuniæ vim licet ingentem, ascendit enim ad duos miliones 362. millia librarum, siue francorum, & insuper 500. conficiendam putauit Ezechias, ratus se eâ longe maiorem iacturam esse redempturum. Itaque corrasit omne argentum, quod repertum fuerat in domo Domini, & in thesauris regis. Quin etiam *confregit valuas templi Domini, & lamminas auri, quas ipse affixerat, & dedit eas Regi Assyriorum*, publica necessitate id exigente, & quidem cum restituendi voluntate: cuius facultatem amplissimam Dominus illi breui largitus est. Ea pecunia recepta Barbarus, præter eam omnem prædam, quam ex aliquot iam oppidis hauserat, pacta non præstitit, sed misit aliquot principes viros Hierosolymam, cum militari manu, qui deditionem suaderent. Qui cum non admissi essent in vrbem, quippe qui venerant cum manu valida, Regem ad colloquium euocarunt. At is non venit ad eos, siue quod sibi ab eis timeret, siue quod rectius erat, & regiæ maiestati conuenientius, per nuncios cum nunciis agere.

4. Reg 18. 14. 15. &c. 2362500.

Et insuper per nuncios de deditionem postulat.

Qui autem fuerint isti nuncij ex Annalibus Lector petet, & affectanti breuitatem ignoscet. Assyrio porro legato, cui nomen Rabsaces oratio tributa est tota comparata ad terrorem Hebræis incutiendum, Assyriorum viribus ac magnificentia exaggeranda, & diruendis omnibus spei & fiduciæ Hebræorum propugnaculis: denique ad deditionem suadendam, quam deportatio in peregrinas regiones consequatur. Falluntur porro, qui nunc putant obsessam à Rabsace Ierusalem, eo quod dicat, *in quo habentes fiduciam fœderis obsessi in Ierusalem.* Nam ex Esaia, & 4. Regum constat, eam non fuisse obsessam ab Assyriis, Deo id serio promittente; cuius est illa vox, *non mittet in circuitu eius aggerem, nec circumdabit eam mu-*

VII. Rabsacis in eam rẽ oratio.

Num Ierusalem obsessa fuerit.

c. 37. v. 33. & c. 19. 32.

nitio, &c. Et Rabsaces à legatione reuersus, inuenit Regem suum obsidentem Lobnam. Neque alia vis est eorum verborum, quam, instar obsessorum portas habetis obseratas, nec vsquam prodire audetis.

Cum autem totus in eo esset Rabsaces, vt Iudæis non solum spem ab Ægyptiis, sed etiam à Deo suo eriperet, eumque nec ipsos iuuare velle mentiretur, quasi Assyrios misisset ad perdendum Ierusalem; neque posse', sicuti nec cæterarum gentium Dij cultores suos de manu Assyriorum liberare potuerant: Nuncij Ezechiæ, qui inuitissimis auribus blasphemas hasce voces audiebant, & verebantur ne offensus populus sagittis eos ex muro peteret, rogauerũt Rabsacem vt Syriacè loqueretur. Ille contra tanto intensiori voce Hebraico sermone populum alloqui cœpit, quod eius interesse diceret ista nosse; qui alioqui fame & siti in obsidione periturus erat. Nihilominus populus, vt habuerat in mandatis à rege, siluit, iramque continuit, legati autem, laceratis vestibus suis, venerunt ad regem, eique nunciauerunt verba Rabsacis. Quem apparet nihil responsi à rege accepisse, sed silentio indicatum neque Regem, neque populum imperata facturos, eosque in diuina potentia, quam ille contemneret, & misericordia, quæ supplices consolatur, fiduciam habituros: sicque ille cum suis ad Dominum suum, re infecta discesserit.

VIII. Eius in Deum blasphemiæ.

& importunitas.

Quæ cum audisset Ezechias, scidit ipse quoque vestimenta sua, & indutus est sacco; quem nuncij, & seniores de Sacerdotibus imitati sunt. Misit autem eos rex ad Esaiam, qui ad eum rem totam referrent, vt à Deo vltionem de inimicis eius blasphemis obtineret. At is per prophetam respondet, non esse cur timere debeat Assyriorum minas, illum audito mox nuncio ex Iudæa abiturum; deinde in terram suam reuersurum, ibique domestico gladio periturum: quæ non modica Regi, populoque eius consolatio fuit, pro fide atque autoritate, qua pollebat Esaias. Rediturus porrò ad Regem suum Rabsaces accepit eum recessisse à Lachis, & oppugnare Lobnam. Non exprimit Scriptura an expugnarit Lachis. Id tamen certum videtur. Neque enim apparet cur ea minime expugnata, cum confusione sua nouam oppugnationem aggressus esset: Adde quod vniuersè dictum est Sennacheribum cepisse in Iuda omnes ciuitates munitas; idemque de Lobna dicendum videtur.

IX. Ezechiæ luctus. *Isaiæ 37.*

A Deo prædicta victoria consolatur.

Sennacherib expugnat vrbes Iudæ.

In qua expugnanda dum laborat, adest Rabsaces, refertque Regem populumque Dei sui præsidio nixum tectumque, Assyriorum arma contemnere. Quo ille responso indignatus parte copiarum ad Lobnæ expugnationem relicta, robur ipsum copiarum Hierosolymam ducere constituit. Sed super hæc ecce alius nuncius ex Ægypto, aduentare Tharacam Æthiopem cum ingentibus copijs: qui nuncius Hierosolymitanam Assyrij expeditionem dubiam primum reddidit, mox etiam distulit atque dijecit. Visum enim est consultius fore arma prius mouere in Æthiopem, Ezechiam autem iterum tentare per litteras, aut etiam detinere; ne geminis Æthiopum atque Iudæorum armis, à tergo simul ac fronte petitus obrueretur. Earum litterarum eadem sententia fuit, quæ prio-

X. Adire statuit Ierusalẽ. *4. Reg. 19. 9. & 14.*

& mutato consilio Ægyptum petit.

Et literis Ezechiã vrget.

tis legationis: quas cum legisset Ezechias, ascendit in domum Domini, & expandit eas coram Domino; quod erat eximium fiduciæ in Deum argumentum, cui consentanea fuit eiusdem oratio.

XII. Quas is expandit coram Domino

Et Dominus respondet per Esaiam, & insultat Assyrio, significans non ita multo post, Ierusalem eum, post cladem diuinitus acceptam, & ignominiosam fugam, irrisuram, & ludibrio habituram, qui stultè atque impie præpotentem Deum per seruos suos contumeliosis vocibus inuadere ausus sit. Ad consolationem autem pij regis, & signum propinquæ Assyriorum cladis, admonet vt hoc anno, Ezechiæ videlicet decimo quarto, comedat cum populo suo quæ repererit, quæ videlicet iamdudum collegerat ad obsidionem tolerandam. In secundo autem, id est decimo quinto sequenti, comedes quæ sponte nascuntur. Cum enim hoc anno populus propter Assyrios seminare non potuisset, oportebat eum, vt in anno Sabbatico, ex sponte natis victitare. *Porrò in tertio anno*, decimo sexto videlicet, quo mox à reditu Sennacherib ex Ægypto, eius exercitum delebo, & eum fugitiuum in patriam à suis interficiendum eiiciam, in tertio, inquam, anno *seminate & metite* secuti videlicet, & ab hoste liberati.

Qui libertatem intra triennium spondet.

XII. Sennacherib adit Ægyptum. ca. 10. 24.

Hæc dum Hierosolymis aguntur Sennacherib in Ægyptum contendit, cuius profectio ab Esaia describitur, vbi inter alia: *Noli timere populus meus habitator Sion ab Assur: in virga percutiet te*; cum scilicet aliquas Iudææ vrbes capiet, in aduentu suo in Iudæam: alias autem sociarum ciuitatum clade perterrefaciet, vnde subdit, *& baculum suum leuabit super te*; minas scilicet in reditum suum intentando, *in via Ægypti*, id est proficiscendo in Ægyptum; viæ enim à termino ad quem itur nomen accipiunt, quo etiam modo Septuag. hic viam Ægypti accipiunt, licet Hieronymus de reditu accipiat, alijque eum secuti.

XIII. Ezechias ægrotat, ratio tempotis.

Dum autem in Ægyptum rex Assyriorum proficiscitur, Iudæamque non modica ex parte onere inuiso leuat, Ezechias in grauem incidit ægritudinem, quæ in hunc annum necessariò referenda est, ne quindecim annos vitæ, et diuinitus per Esaiam concessos malignè interpretemur: cum contra deceat priuilegia principum, quam amplissimè interpretari. Itaque longè falluntur, qui post deletos Assyrios, morbum contraxisse putant; longéque etiam absurdius, qui causam huius ægritudinis referunt in regis ingratitudinem, aduersus Deum tantæ victoriæ autorem. Sed eos Dominus ipse refellit apud Esaiam, vbi reuocata mortis sententia: *Ecce ego*, inquit, *adiiciam super dies tuos quindecim annos, & de manu regis Assyriorum eruam te, & ciuitatem istam*, &c. Non ergo adhuc ereptus erat rex, neque ciuitas ipsa de manu Assyriorum,

cap. 38. 6. 4. Reg. 20. 6.

XIV. Causa morbi.

Causa porrò morbi huius contracta videtur ex horum temporum statu infelici, quo regnum vniuersum populatus erat Assyrius, & propediem ad portas ipsius regiæ ciuitatis timebatur affuturus, nondum edito ab Esaia de liberatione vaticinio. Quin & virum sanctum animo & corpore male affecerint Assyriorum blasphemiæ, quas vlcisci digna pœna non posset. Denique hæc ægritudo ad Dei, qui eam mirabiliter curaturus erat, gloriam ordinabatur. Nam si vlcus, ad quod curandum ficus adhibebantur, huiusmodi medicinam vt noxiam respuebat, miraculum fuit, sin autem vtiles erant illi morbo ficus, vt putat Franciscus Valesius, tantam tamen vim non habebant, vt hominem semimortuum triduo curarent. Cum ergo rex ex lethifero morbo lecto affixus iaceret, mittit ad eum Dominus prophetam, qui moneret vt ordinaret, quæ post mortem fieri vellet, tanquam valetudine conclamata.

De sacra Phil. c. 39

At rex tam tristi perculsus nuncio, conuertit faciem ad parietem, ne lachrymas suas adstantibus ostentare videretur, neve eorum conspectus impediret, ne Deo motus cordis sui libere patefaceret. Angebat autem regem maximè, vt ait Hieron. & Iosephus, quia videbat promissionem Dauidi factam in sua morte periturum, quod tum filio careret. Eam tamen petitionem in suum canticum non retulit, sed omnia cordis sui desideria ipsius arbitrio permisit. Itaque misericordia motus Dominus, qui deducit homines ad inferos, & reducit, medio ex atrio palatij remittit prophetam ad regem, nunciaturum triduo sanatum iri, sic vt ad templum gratias Deo acturus adire posset; *& addam*, inquit, *diebus tuis quindecim annos. Sed & de manu regis Assyriorum liberabo te, & ciuitatem hanc, & protegam vrbem istam propter me, & propter Dauid seruum meum.* Vide quam multiplicem lætitiæ causam pius Dominus pro vnico serui sui luctu, liberaliter ei remetiatur.

XV. Orat Rex mortis metu.

Deus reuocat priorem sententiã

At quomodo, inquies, vera fuit prior prophetia, cum reuera tum Rex non esset moriturus? dicendum est verum fuisse prius oraculum, & iuxta id quod causæ secundæ exigebant, reuera fuisse moriturum, nisi preces & lachrymæ interuenissent, quibus præuisis Deus à principio statuit vim morbi huius infringere, & vitam ad annos quindecim propagare. Illi autem dies ab eo tempore videntur computandi, quo promissa est sanitas, sic vt is primus fuerit; secundo integra sanitas restituta est, tertius fuit gratiarum actionis in templo. Momento enim temporis sanatum non fuisse, docet tũ adhibitum cataplasma, quod vim natiuam momento non exerit, tum vel maximè signi petitio, in qua neque de diuina veritate, neque de potentia experimentum capere voluit, sed de propheta ipso, qui eadem hora gemina vaticinia sibi contraria protulisset, vt diligentius in Annalibus nostris explicatum est, sicut & miraculum diei longioris.

XVI. Qui id fieri queat.

An sine culpa signum petat.

n. 85. & 86

De quo hic breuiter dicimus, Non fuisse hoc priuatum miraculum in vmbra sola horologij Achaz, naturali solis cursu & diei longitudine inuariata, quod aliqui viri graues admodum probabile putant, sed cum vmbra, ipsum quoque solem retrocessisse, factumque toti mundo commune prodigium. Nam plerisque in locis Scriptura non vmbræ solum, sed ipsius quoque solis regressionem tradit, & 2. Paral. dicuntur Babylone missi legati, *vt interrogarent de portento, quod acciderat super terram:* non ergo occultè gestum in palatio. Idem sensit scripsitque Areopagita ille Dionysius, cum ad Policarpum

XVII. Prodigiũ non fuisse priuatum.

Sed publicum ipsius solis. c. 32. v. 31

scri-

scribens, ex mutatione cursus astrorum Apollophanis infidelitatem arguit, qui eum non coleret, cuius nutu Sol & Luna immota consistat, & quo imperante, illius quidam dies continuatione fere triplo longior effectus est etiam 20. totis horis, quæ 12 ordinatis annumeratæ diem fecerunt horarum triginta duarum. Certe vmbra horologij non potuit diem facere longiorem. Moxque subdit, ea re Babylonios iure fuisse deterritos; aliáque addit in eandem sententiam, quam deinceps Origenes, Nazianzenus, Theodoretus, Hieronymus, Augustinus, alijque secuti sunt, vt in Annal. videre licet.

Longitudo huius diei.

n. 90. & 999.

XVIII. Fructus prodigij huius.

Atque ita Dominus famulum suum non solum gratia sanitatis affecit, sed prodigio honorauit, vt ait Gregorius Theologus. Vtique honorauit ducem populi sui, cui voluit Solem, regem cælestis militiæ deseruire, & per renascentem diem, renuiscentem principem vniuerso terrarum orbi nunciare: & potentiam suam, contra quam Assyrij blasphemauerant, non solum hominibus, sed ipsis etiam astris præsidentem demonstrare. Interea vero adhibitum est ab Esaia cataplasma ficorum, vt diximus, ne humana remedia negligenda putaremus, postridieque sanatus, tertio gratias Deo acturus ascendit in templum, cecinitque canticum, quod habetur in manibus, & in Hebræo & Chaldæo scriptura dicitur, quod eam orationem ex scripto mandasset, forte vt solenniter in templo Domini, à cantoribus coram rege, ad perpetuam gratiarum actionem, decantaretur. Quo potest illud ex eodem cantico referri, *Domine saluum me fac, & psalmos nostros cantabimus, cunctis diebus vitæ nostræ in domo Domini.*

Orat. 19.

Rex gratias agit in templo, scripto, cantico.

Isaiæ 38. 10.

ANNVS MVNDI 3323.

OLYMPIADIS XII. AN. 2.

ROMVLI, & V.C. 22. EZECHIÆ 15.

NERIÆ Pont. 15. TEMPLI 301.

SENNACHERIB 6. Impetij Assyr. 1392.

ANTE CHRISTVM 730.

I. Res à Sennacherib in Ægypto gesta.

SIlent deinceps Romanæ res, ad annum vsque Romuli 37. & vlt. Ac ne Græca quidem historia prodit aliquid, quod hisce Annalibus inserendum videatur. Vt ergo sacram modico ex interuallo repetamus, hunc annum Sennacherib traduxit in Ægypto, dum aliquæ ipsius copiæ partim aliqua oppida in Iudæa obsidebant, partim populabundæ vagabantur, & agriculturam impediebant: Ezechia interim Hierosolymis residente, & reliquam ibi prophetici vaticinij comprobationem, de promissa Assyriorum clade, studiosè, patienterque præstolante. Diu autem mansisse Assyrios in Ægypto, obsidendo Pelusium, testis est Iosephus, atque Herodotus, qui ait Sethonem Aegypti regem Vulcani Sacerdotem in somnis admonitum vt Sennacheribi copiis, quæ Pelusium obsidebant, licet obuiam, se ipsi auxiliarios missurum. Eò cum peruenisset effusa est noctu vis ingens murium agrestium in castra hostium, qui illorum pharetras, arcus, scutorũ habenas corroserunt, ita vt postero die armis priuati aufugere coacti fuerint. Hæc ille, quæ sunt fabulis persimilia, quamuis legamus in 1. Regum ebulliisse olim mures, qui demoliti sunt terram Philisthæorum.

Ex Herodoto.

cap. 5. 6. & 6. 5.

II. Ex Isaiæ c. 18. 19. 20.

Rebus tamen ab Assyriis in Ægypto gestis, lumen aliquod à prophetica obscuritate mutuari possumus. Esaias enim iussus est nudus incedere & discalceatus, quia Ægyptij & Æthiopes nudi & discalceati in captiuitatem abducendi erant; quod sine pugna contigisse nemo dixerit, nemo crediderit. Quin etiam paulo ante Dominus, ex interpretatione Sanctij, Assyrios aduocat contra Æthiopas, qui ab illis tanta afficiantur clade, nullus vt locus futurus sit, quem non cadauerum multitudo consternat; quæ in montibus volucres, & in campis belluas carniuoras pascant: idque tam diu, vt æstatem hyememque in cadauerum pabulo traducant. Necesse est ergo non fugisse Assyrium ad Tharacæ Æthiopis aduentum, sed illi obuiam processisse, concurrisse acies, & Assyriis fauente victoria, ingentem Æthiopum stragem editã, & fugaces per ardua montium & plana camporum occupatos, interfectos fuisse, tanta copia, quantam nunc ex Isaia diximus. Multi quoq; deditione facta, seminudi semique laceri triumpho reseruati.

cap. 20.

ca. 18.

Refellitur Herodotus.

III. Æthiopes & Ægyptios magna clade affectos. ca. 18.

Victos etiam ab Assyriis Ægyptios, ipsis quoque Ægyptiis inter se pugnantibus, ex eodem prophera constat, traditosque *in manu dominorum crudelium*; id est ducum, & præpositorum in exercitu Assyriorum, sub rege Sargon, siue Sennacherib, de quo sequitur, *& Rex fortis dominabitur eorum.* Dicamus igitur, consentaneè hisce prophetæ oraculis, non solum Æthiopes magnis cladibus affectos ab Assyriis, sed etiam Ægyptios, præliis deuictos, oppida occupata, nec obsessum tantum Pelusium, sed expugnatum, magnamque inde captiuorum turbam abductam, omnium rerum egentissimam. Alioqui quomodo verum erit de vtriusque illud oraculum. *Sic minabit rex Assyriorum captiuitatem Aegypti, & transmigrationem Aethiopiæ iuuenum & senum, nudam & discalceatam*, &c. Fœliciter igitur debellatis Æthiopibus, & subacta Ægypto, Iudæam cogitat, sed anni tempestate impeditus in hyberna concessit; tam in ipsis Ægypti vrbibus, quam in Azoto, reliquaque Palæstina.

& captiuos factos.

IV. Quid interea Ezechias.

Interim autem Ezechias diuinitus sanitati restitutus, & indies factus certior de Assyriorum expeditione, & rebus Ægyptiis, & mox de tyranni reditu in Iudæam, cum Esaia, reliquoque populo suo Deum orare pergebat, vt quam primum, in ruinam hostium suorum, liberaret fidem suam. Et forte diuinitus prohibitus est, absente Sennacheribo, pugnare contra Assyrios, qui in Iudæa Palæstinaque remanserant, quod facile vtiliterque poterat; Volebat nimirum Deus totam victoriam suam esse: & regem Ezechiam, sine vllius de populo suo interitu, vel læsione, propter suam in Deum pietatem ac fiduciam, egregiè triumphare, sicut sub initia sequentis anni contigit.

ANNVS MVNDI 3324.

OLYMPIADIS XII. AN. 1.

ROMVLI, & V.C. 23. EZECHIÆ 16.

NERIÆ 16. SENNACHER. 7. & vlt.

ASARHADONIS 1. Imperij Assyr. 1393.

MERODACHI Babyloniorum Regis 1.

ANTE CHRISTVM 729.

I. Reditus Sennacherib in Iudæam.

TEmpus adest cædis maximi exercitus Assyriorum, & deiectionis superbissimi hominis, qui potentissimos Æthiopum atque Ægyptiorum exercitus nuper afflixerat, qui regionem cadaueribus constrauerat vniuersam, qui congregauerat quasi arenam captiuitatem, qui de eorum regibus triumphabat, *& tyranni ridiculi eius erant*; quod mox Habacuc de Nabuchodonosore prophetauit. Nunc autem gloriosus iste bellator, qui centenas legiones sub signis habebat, Deo solo pro populo suo pugnante, omnibus morti datis, animam suam fuga letho eripiet, maiore mox scelere ex corpore extrudendam. Egressus ergo de Ægypto Sénacherib, cum omnibus copiis suis, & plurimis captiuorum turmis, & in Iudæam præcipiti celeritate regressus, partem copiarum, quã inea reliquerat, euocauit ad se, vt maxime vrbis obsidioni, maximus exercitus par esse posset.

Haba.1.9. 10.

II. Copiæ eius circa Ierusalẽ diuinitus cædũtur.

Et factum est in nocte illa, qua simul omnes Assyriorum copiæ congregatæ erant, & vrbi propinquabant, *venit Angelus Domini, & percussit in castris Assyriorum 185. millia*; & in iis *omnem virum robustum, & bellatorem, & principem exercitus regni Assyriorum*, vt alio loco Scriptura tradit. Ex qua illud quoque discimus non gregarios solùm milites occisos, sed ducos quoque ac tribunos, nullo discrimine, excepto rege, qui alio in loco, filiorum suorum manu, orco victima seruabatur. Hæc enim clades Assyriorum iuxta Ierusalem facta est, vtait Hieronymus. Non tamen in pomeriis eius aut suburbiis, sed in eo loco, in quo sors tulit eos cum rege, castris locatis pernoctare. Et forte erat iam in cõspectu ciuitatis sanctæ, cum Esaias dicat illum *contra filiam Sion, & collem Ierusalem* minacem intentasse manum.

4. Reg. 19. 35. 2. Par. 32. 21.

c.10.32.

III. Et cur in Iudæa.

Ratio quoque postulabat, vt in Iudæa, & non in Ægypto, aut Assyria, Dominus hanc victoriam de suis hostibus reportaret, ne ea Dijs eorum tribueretur, & non Deo, suas populique sui iniurias, vlciscenti. Oportebat quoque reparari clades ab Assyriis in Iudæa acceptas, & sacrilegam de ore leonis excuti prædam, nec tantas diuitias populo Dei perire: vnde extiterunt ingentes illæ diuitiæ, quas postmodum imprudenter bonus Ezechias ostentauit. Denique par fuit laudari Deum à populo Iudæ, de nobilissimo miraculo, in sui gratiam, perpetrato; quod vnus ille populus facere poterat, & debebat. Itaque non missis per densa tonitrua fulminibus, perdidit Dominus hostem suum, ac ne pestilentia quidem, ne præda periret incendio, aut inficeretur, sed cõseruaretur Iudæis: Certe sine strepitu & tumultu tẽ factam apparet Angelo corda eorum, aut fauces elidente. Non enim surrexissent diluculo, quasi cladis ignari, sed clamoribus pereuntium excitati omnes, vt olim in Ægypto, quasi lymphati discurrissent, aut fugam patriam versus iniissent.

IV. Cur Rex ipse ibi non periit.

Quod ad ipsum regem, quem Hebræi decem tantum fugæ comites habuisse memorant, non oportuit cum suis illum in communi clade momento perijsse. Oportebat eum grauissimo luctu confici super iactura maximi ac florentissimi exercitus, quamalioqui non sensisset. Oportebat eum incredibilem apud suos subire ignominiam, cuius culpa tanta strages regnum potentissimum perculisset. Oportebat denique illum longe acerbiore morte, & modis omnibus execranda consumi: à propriis enim filijs confodiendus erat, & in loco diuinitati consecrato. Peruenit itaque in Niniuem, non minus ita quam dedecore plenus, ibique ad 45. dies, vel, vt in Græco textu, ad 50. vel 55. dies superstes fuit. Quo tempore cum iram in Deum autorem cladis suæ effundere non posset, in populum eius tela suæ indignationis effudit. Multos enim occidit ex filiis Israël; quorum corpora Tobias sepeliebat.

V. Quin patria sæuit in Hebræos. *Tob.1. 21. 22.*

Nec defuerunt cruenti delatores, qui ignem gladio fodicarent, & pij hominis charitatem ferre non possent, sed regi eã criminose deferrent. Quod cum Rex accepisset, *iussit Tobiam occidi, & tulit omnem substantiam eius.* At ille, *cum filio & vxore fugiens, nudus latuit, quia multi diligebant eum*, etiam de ipsis Assyriis. Virtus enim, ipsis quoque hostibus, amori, atque admirationi esse solet. Nec cæteri Israelitæ tunc satis tuti esse potuerunt, nedum aliis latebras præbere, regiis ministris apud ipsos prædonum more, atque impunè grassantibus, in quo & prædam acquirebant, & insuper regis sui gratiam sibi conciliabant; Verum Rege post dies aliquot cæso, *reuersus est Tobias in domum suam, omnisque facultas eius restituta est ei.* Vt pergeret, ad multos annos, esse portus ac perfugium pauperum, atque afflictorum.

& nominatim in Tobiam.

VI. Mors Sẽnacherib c.1.v.24 4. Reg 19. 37.

Quod ad Sennacheribi mortem attinet, post dies 45. vt est in libro Tobiæ, *occiderunt regem filij ipsius Adramelech & Seraſar, cum adoraretin templo Nesroch Deum suum, & percusserunt eum gladio, fugeruntque in terram Armenorum*, ex quo apparet Armenos, tunc non fuisse subiectos Assyriis. Hic primum dubium est vnde numerandi sint isti 45. dies, an à die acceptæ cladis in Iudæa, an à reditu eius in Niniuem, an à proscriptione Tobiæ, Seratius putat ab accepta clade. Sed nõ est magna dierum differentia inter vtrumque terminum: forte quinque dies mansit in itinere; sicque Græci computabunt dies ab accepta clade, Latini à reditu in Niniuem. Habetur autem in quodam Hebraico textu, Tobiam nouendecim tantum dies delituisse, & se occultasse.

Apud Hebræos. Lyran. & Tost.

VII. Et gemina eius causa.

Gemina porrò mortis eius causa traditur. Prior est regni optimates ob cædem cogna-

torum suorum commotos, in regem coniurasse; eumque quasi in asylum, in templum Dei sui confugisse, ibique voluisse, si hoc periculum euaderet, se in eius honorem duos maiores natu filios sacrificaturum. Quo cognito illi paternum facinus non dissimili parricidio anteuerterunt. Posterior, eaque vt arbitror, probabilior, atque simplicior, est, Regem designasse Asarhaddonem minorem natu filium regni successorem, propter amorem quo matrem eius prosequebatur: quod indigne ferentes maiores natu, patrem in templo peremerunt. Quæ ipsa causa fuit Sinochio Persæ, Chosroëm parentem fratremque Medarsem interficiendi. Dauid tamen & Roboam impunè non primogenitos regno præposuerunt.

VIII. Asarhaddon fit Rex.

Cum autem parricidæ Deo hominibusque detestabiles, fuga sese in Armeniam recepissent, regno in demortui patris locum suffectus est Asarhaddon, magnamque huius anni partem regnauit, idque ex eo colligitur, quod iuxta Esaiæ vaticinium, eo anni tempore fugit ex Iudæa Sennacherib, quo licebat adhuc serere Iudæis; quæ scilicet primo vere seminari solent.

IX. Babylonius prorex deficit ab Assyrijs.

Occasione porro immensæ cladis, quæ res Assyriorum prostrauerat: addita etiam morte Sennacheribi, & fuga maiorum natu filiorum eius, & hæredis infirmæ ætate, & indole molli, vt putatur, Merodach Baladan, filius Baladan, qui, sicut & pater eius, hactenus fuerat in Babylone prorex nomine Assyriorum, aut eorum certe rex vectigalis, Regem plane agere cœpit, liberumque sibi regnum, contracta cum alijs regibus amicitia, stabilire. Quæ causa fuit cur ad Ezechiam visitandum, qui & ipse tributarium iugum nuper excusserat, legatos cum muneribus miserit. Medorum autem præfectus, eadem ipsa occasione incitatus, & exemplo reguli Babylonici, hoc quoque tempore sibi consilia capere, resque suas agere cœpit, sed furtim, quod forte sse vel autoritate, vel viribus minus posset, quam Merodach Babylonius, donec res tota post decennium, in morte Asarhaddonis erupit, vt suo loco dicetur. Certe Herodotus & Diodorus Siculus tradunt Medos ab Assyrijs, aliquot annis post defectionem Babyloniorum defeciſſe.

& postmodum Medorũ.

X. Quis fuerit Merodach, &c. Esa. 39. 1 4. Reg. 20 12.

Cæterum Merodach, qui & Berodach, & apud Ptolemæum Mardocempadus, filius fuit Nabonassaris apud eundem. Itaque Baladan, quo eum nomine Scriptura vocat, fuit nomen quod priuatus habuit, nomen autem regium fuit Nabonassar, vt putat Scaliger. Itaque pater dictus fuerit Nabonassar Baladan, filius autem Merodach Baladan: ille prorex, vel rex Assyriorum vectigalis, hic pleno ac nouo iure rex Babylonis. Cui sententiæ Scriptura ipsa fauet, quæ Merodach Regem Babylonis vocat, non autem patrem eius Baladan. Itaque omisso parente, ab eius filio Babyloniorum regem: quod postea in Imperium transiit, hoc anno, & hoc rerum statu, & ea occasione quam diximus, à Merodacho rege inchoabimus. Nam attritis proxi-

Occasio defectionis eius.

ma clade Assyriorum viribus, & rebus in Ninive, ex Sennacheribi cæde, & filiorum fuga vehementer perturbatis, Asarhaddon Babyloniæ defectionem dissimulare coactus est, cum cætera propemodum precariò teneret. Sicque Sennacheribo contigit, vt dum alienam Iudæa occupare conatus, Babylone amitteret sua.

XI. Mittit legatos ad Ezechiã.

Misisse porrò hoc tempore Merodachum munera & litteras ad Ezechiam, post deletum videlicet maximum illum exercitum, ex eo probari satis potest, quod alioqui vix habuisset Ezechias, quæ legatis Babylonicis ostentaret, aut templo restitueret. Nam omnia exhausta fuerant, sublatis illis trecentis argenti talentis, & auri triginta: & insuper missis in Ægyptum muneribus, in camelis & iumentis austri, vt ait Esaias. Tres porro causas huius legationis inuenio, congratulationem recuperatæ valetudinis, interrogationem de portento, tertiam autem magis secretam atque recondi tam, vt eum amicum haberet ac fœderatum, quem sciebat Assyriorum, à quibus deficiebat, inimicum. (Est enim timida omnis ambitio) sicque si res ferret, animis armisque coniunctis Asarhaddoni resisterent. Requisita igitur Ezechiæ amicitia, per speciem gratulationis receptæ sanitatis, allataque munera coalescenti regno deseruiunt. Iosephus certe ad amicitiam & societatem Ezechiam à Belada inuitatum scribit.

c. 30 6. Tribus de causis.

l. 10. c. 3.

XII. Lætitia Ezechiæ, & opũ ostentatio.

Lætatus est autem Ezechias in istorum legatorum aduentu, quippe qui se à magno principe honorari sentiebat, & sibi vltro vidébat oblatam amicitiam, quam magno pretio emptam voluisset, vt hoc præsidio, ab Assyrijs, à quibus ipse quoque defecerat, tutior esset. Ne forte autem illi Iudææ regem contemnerent, & parum dignum Merodachi amicitia putarent, ostendit eis omnes opes suas, & quidquid habere poterat in thesauris suis. Id quia cum quadam elatione animi, & diuinorum beneficiorum ingratitudine coniunctum fuit, Domino ingratum fuit, & per Esaiam aperte reprehensum, & postea Babylonica animaduersione punitum. Huius quoque vanitatis particeps fuit populus, sicut & postmodum humiliationis. Optimates enim Ezechiæ, secundum regem suum, Babylonios istos, conuiuijs, ludis, festisque gratulationibus, vt fieri solet, exceperunt, & lætitiam suam, de recenti Assyriorum ruina cum ijs communicabant, qui de ea ipsi quoque lætabantur.

XIII. Mutuaq; munera

Nec dubitandum videtur quam legatis priuatim, & in primis regi Babylonis deferenda munera largitus sit, & amicitiæ coniunctionem libenter admiserit, litteras ad eum fidei beneuolentiæque plenissimas dederit, lætosque dimiserit: ex suis etiam comites dederit amicitiæ, societatisque interpretes & administros. Oportuit enim præsenti liberalitate testari magnificentiam, quam ostentarat: & animus superba lætitia ebrius, facilè profundebat opes, quas dudum amissas, ex prædonum manibus quasi de luporum dentibus, ripuerat. Id quidem scriptum non est; sed non decet existi-

ANNVS MVNDI 3324.

OLYMPIADIS XII. AN. 1.

ROMVLI, & V.C. 23. EZECHIÆ 16.

NERIÆ 16. SENNACHER. 7. & vlt.

ASARHADONIS 1. Imperij Assyr. 1393.

MERODACHI Babyloniorum Regis 1.

ANTE CHRISTVM 729.

I. Reditus Sennacherib in Iudæam.

TEmpus adest cædis maximi exercitus Assyriorum, & deiectionis superbissimi hominis, qui potentissimos Æthiopum atque Ægyptiorum exercitus nuper afflixerat, qui regionem cadaueribus constrauerat vniuersam, qui congregauerat quasi arenam captiuitatem, qui de eorum regibus triumphabat, *& tyranni ridiculi eius erant*; quod mox Habacuc de Nabuchodonosore prophetauit. Nunc autem glorioſus iste bellator, qui centenas legiones sub signis habebat, Deo solo pro populo suo pugnante, omnibus morti datis, animam suam fuga letho eripiet, maiore mox scelere ex corpore extrudendam. Egressus ergo de Ægypto Sénacherib, cum omnibus copiis suis, & plurimis captiuorum turmis, & in Iudæam præcipiti celeritate regressus, partem copiarum, quâ inea reliquerat, euocauit ad se, vt maxime vrbis obsidioni, maximus exercitus par esse posset.

Haba.1.9. 10.

II. Copiæ eius circa Ierusalē diuinitus cæduntur. *4.Reg.19. 35. 2.Par.32. 21.*

Et factum est in nocte illa, qua simul omnes Assyriorum copiæ congregatæ erant, & vbi propinquabant, *venit Angelus Domini, & percussit in castris Assyriorum 185. millia*; & in iis *omnem virum robustum, & bellatorem, & principem exercitus regni Assyriorum*, vt alio loco Scriptura tradit. Ex qua illud quoque discimus non gregarios solùm milites occisos, sed duces quoque ac tribunos, nullo discrimine, excepto rege, qui alio in loco, filiorum suorum manu, orco victima seruabatur. Hæc enim clades Assyriorum iuxta Ierusalem facta est, vrait Hieronymus. Non tamen in pomeriis eius aut suburbiis, sed in eo loco, in quo sors tulit eos cum rege, castris locatis pernoctare. Et forte erat iam in cōspectu ciuitatis sanctæ, cum Esaias dicat illum *contra filiam Sion, & collem Ierusalem* minacem intentasse manum.

c.10.32.

III. Et cur in Iudæa.

Ratio quoque postulabat, vt in Iudæa, & non in Ægypto, aut Assyria, Dominus hanc victoriam de suis hostibus reportaret, ne ea Dijs eorum tribueretur, & non Deo, suas populique sui iniurias, vlciscenti. Oportebat quoque reparari clades ab Assyriis in Iudæa acceptas, & sacrilegam de ore leonis excuti prædam, nec tantas diuitias populo Dei perire: vnde extiterunt ingentes illæ diuitiæ, quas postmodum imprudenter bonus Ezechias ostentauit. Denique par fuit laudari Deum à populo Iudæ, de nobilissimo miraculo, in sui gratiam, perpetrato; quod vnus ille populus facere poterat, & debebat. Itaque non missis per densa tonitrua fulminibus, perdidit Dominus hostem suum, ac ne pestilentia quidem, ne præda periret incendio, aut inficeretur, sed cōseruaretur Iudæis: Certe sine strepitu & tumultu ē factam apparet Angelo corda eorum, aut fauces elidente. Non enim surrexissent diluculo, quasi cladis ignari, sed clamoribus perennium excitati omnes, vt olim in Ægypto, quasi lymphati discurrissent, aut fugam patriam versus iniissent.

IV. Cur Rex ipse ibi non periit.

Quod ad ipsum regem, quem Hebræi decem tantum fugæ comites habuisse memorant, non oportuit cum suis illum in communi clade momento perijsse. Oportebat eum grauissimo luctu confici superiactura maximi ac florentissimi exercitus, quamalioqui non sensisset. Oportebat eum incredibilem apud suos subire ignominiam, cuius culpa tanta strages regnum potentissimum perculisset. Oportebat denique illum longe acerbiore morte, & modis omnibus excogitanda consumi: à propriis enim filijs confodiendus erat, & in loco diuinitati consecrato. Peruenit itaque in Niniuem, non minus ita quam dedecore plenus, ibique ad 45. dies, vel, vt in Græco textu, ad 50. vel 55. dies superstes fuit. Quo tempore cum iram in Deum autorem cladis suæ effundere non posset, in populum eius tela suæ indignationis effudit. Multos enim occidit ex filiis Israël; quorum corpora Tobias sepeliebat.

V. Qui in patria sæuit in Hebræos. *Tob.1. 21. 22.*

& nominatim in Tobiam.

Nec defuerunt cruenti delatores, qui ignem gladio fodicarent, & pij hominis charitatem ferre non possent, sed regi eā criminose deferrent. Quod cum Rex accepisset, *iussit Tobiam occidi, & tulit omnem substantiam eius.* At ille, *cum filio & vxore fugiens, nudus latuit, quia multi diligebant eum*, etiam de ipsis Assyriis. Virtus enim, ipsis quoque hostibus, amori, atque admirationi esse solet. Nec cæteri Israelitæ tunc satis tuti esse potuerunt, nedum aliis latebras præbere, regiis ministris apud ipsos prædonum more, atque impunè grassantibus, in quo & prædam acquirebant, & insuper regis sui gratiam sibi conciliabant; Verum Rege post dies aliquot cæso, *reuersus est Tobias in domum suam, omnisque facultas eius restituta est ei.* Vt pergeret, ad multos annos, esse portus ac perfugium pauperum, atque afflictorum.

VI. Mors Sénacherib. *ca.1.v.24. 4.Reg 19. 37.*

Quod ad Sennacheribi mortem attinet, post dies 45. vt est in libro Tobiæ, *occiderunt regem filij ipsius Adramelech & Sarasar, cum adoraret in templo Nesroch Deum suum, & percusserunt eum gladio, fugeruntque in terram Armenorum*, ex quo apparet Armenos, tunc non fuisse subiectos Assyriis. Hic primum dubium est vnde numerandi sint isti 45. dies, an à die acceptæ cladis in Iudæa, an à reditu eius in Niniuem, an à proscriptione Tobiæ, Serarius putat ab accepta clade. Sed nō est magna dierum differentia inter vtrumque terminum: forte quinque dies mansit in itinere; sicque Græci computabunt dies ab accepta clade, Latini à reditu in Niniuem. Habetur autem in quodam Hebraico textu, Tobiam nouendecim tantum dies delituisse, & se occultasse.

Apud Hebræos. Lyran. & Tost.

VII. Et gemina eius causa.

Gemina porro mortis eius causa traditur. Prior est regni optimates ob cædem cognatorum

torum suorum commotos, in regem coniurasse; eumque quasi in asylum, in templum Dei sui confugisse, ibique vouisse, si hoc periculum euaderet, se in eius honorem duos maiores natu filios sacrificaturum. Quo cognito illi paternum facinus non dissimili parricidio anteuerterunt. Posterior, eaque vt arbitror, probabilior, atque simplicior, est, Regem delignasse Asarhaddonem minorem natu filium regni successorem, propter amorem quo matrem eius prosequebatur: quod indigne ferentes maiores natu, patrem in templo peremerunt. Quæ ipsa causa fuit Sinochio Persæ, Chosroëm parentem fratremque Medarsem interficiendi. Dauid tamen & Roboam impunè non primogenitos regno præposuerunt.

VIII. Asarhaddon fit Rex.

Cum autem parricidæ Deo hominibusque detestabiles, fuga sese in Armeniam recepissent, regno in demortui patris locum suffectus est Asarhaddon, magnamque huius anni partem regnauit, idque ex eo colligitur, quod iuxta Esaiæ vaticinium, eo anni tempore fugit ex Iudæa Sennacherib, quo licebat adhuc serere Iudæis; quæ scilicet primo vere seminari solent.

IX. Babylonius prorex deficit ab Assyrus.

Occasione porro immensæ cladis, quæ res Assyriorum prostrauerat: addita etiam morte Sennacheribi, & fuga maiorum natu filiorum eius, & hæredis infirma ætate, & indole molli, vt putatur, Merodach Baladan, filius Baladan, qui, sicut & pater eius, hactenus fuerat in Babylone prorex nomine Assyriorum, aut eorum certe rex vectigalis, Regem plane agere cœpit, liberumque sibi regnum, contracta cum alijs regibus amicitia, stabilire. Quæ causa fuit cur ad Ezechiam visitandum, qui & ipse tributarium iugum nuper excusserat, legatos cum muneribus miserit. Medorum autem præfectus, eadem ipsa occasione incitatus, & exemplo reguli Babylonici, hoc quoque tempore sibi consilia capere, resque suas agere cœpit, sed furtim, quod fortasse vel autoritate, vel viribus minus posset, quam Merodach Babylonius, donec res tota post decennium, in morte Asarhaddonis erupit, vt suo loco dicetur. Certe Herodotus & Diodorus Siculus tradunt Medos ab Assyrijs, aliquot annis post defectionem Babyloniorum defeciſſe.

& postmodum Medorũ.

X. Quis fuerit Merodach, &c. Esa. 39. 4. Reg. 20.

Cæterum Merodach, qui & Berodach, & apud Ptolemæum Mardocempadus, filius fuit Nabonassaris apud eundem. Itaque Baladan, quo eum nomine Scriptura vocat, fuit nomen quod priuatus habuit, nomen autem regium fuit Nabonassar, vt putat Scaliger. Itaque pater dictus fuerit Nabonassar Baladan, filius autem Merodach Baladan: ille prorex, vel rex Assyriorum vectigalis, hic pleno ac nouo iure rex Babylonis. Cui sententiæ Scriptura ipsa fauet, quæ Merodach Regem Babylonis vocat, non autem patrem eius Baladan. Itaque omisso parente, ab eius filio Babyloniorum regem: quod postea in Imperium transiit, hoc anno, & hoc rerum statu, & ea occasione quam diximus, à Merodacho rege inchoabimus. Nam attritis proxima clade Assyriorum viribus, & rebus in Ninive, ex Sennacheribi cæde, & filiorum fuga vehementer perturbatis, Asarhaddon Babyloniæ defectionem dissimulare coactus est, cum cætera propemodum precariò retineret. Sicque Sennacheribo contigit, vt dum alienæ in Iudæa occupare conatur, Babylone amitteret sua.

Occasio defectionis eius.

XI. Mittit legatos ad Ezechiã.

Misisse porrò hoc tempore Merodachum munera & litteras ad Ezechiam, post deletum videlicet maximum illum exercitum, ex eo probari satis potest, quod alioqui vix habuisset Ezechias, quæ legatis Babylonicis ostentaret, aut templo restitueret. Nam omnia exhausta fuerant, sublatis illis trecentis argenti talentis, & auri triginta: & insuper missis in Ægyptum muneribus, in camelis & iumentis auxilij, vt ait Esaias. Tres porro causas huius legationis inuenio, congratulationem recuperatæ valetudinis, interrogationem de portento, tertiam autem magis secretam atque reconditam, vt eum amicum haberet ac fœderatum, quem sciebat Assyriorum, à quibus deficiebat, inimicum. (Est enim timida omnis ambitio) sicque si res ferret, animis armisque coniunctis Asarhaddoni resisterent. Requisita igitur Ezechiæ amicitia, per speciem gratulationis receptæ sanitatis, allataque munera coalescenti regno deseruiunt. Iosephus certe ad amicitiam & societatem Ezechiam à Belada inuitatum scribit.

c. 30 6. Tribus de causis.

Lib. 10. c. 3.

XII. Lætitia Ezechiæ, & opũ ostentatio.

Lætatus est autem Ezechias in istorum legatorum aduentu, quippe qui se à magno principe honorari sentiebat, & sibi vltro videbat oblatam amicitiam, quam magno pretio emptam voluisset, vt hoc præsidio, ab Assyrijs, à quibus ipse quoque defecerat, tutior esset. Ne forte autem illi Iudææ regem contemnerent, & parum dignum Merodachi amicitia putarent, ostendit eis omnes opes suas, & quidquid habere poterat in thesauris suis. Id quia cum quadam elatione animi, & diuinorum beneficiorum ingratitudine coniunctum fuit, Domino ingratum fuit, & per Esaiam aperte reprehensum, & postea Babylonica animaduersione punitum. Huius quoque vanitatis particeps fuit populus, sicut & postmodum humiliationis. Optimates enim Ezechiæ, secundum regem suum, Babylonios istos, conuiuijs, ludis, festisque gratulationibus, vt fieri solet, exceperunt, & lætitiam suam, de recenti Assyriorum ruina cum ijs communicabant, qui de ea ipsi quoque lætabantur.

XIII. Mutuaq; munera.

Nec dubitandum videtur quam legatis priuatim, & in primis regi Babylonis deferenda munera largitus sit, & amicitiæ coniunctionem libenter admiserit, litteras ad eum fidei beneuolentiæque plenissimas dederit, lætosque dimiserit: ex suis etiam comites dederit amicitiæ, societatisque interpretes & administros. Oportuit enim præsenti liberalitate testari magnificentiam, quam ostentarat: & animus superba lætitia ebrius, facilè profundebat opes, quas dudum amissas, ex prædonum manibus quasi de luporum dentibus, ripuerat. Id quidem scriptum non est; sed non decet existi-

mare principes, eorum ve consiliarios ista decoris & honestatis officia obliuisci, aut missa facere potuisse.

XV. Arguitur ab Esaia.

Hisita transactis, venit Esaias Dei monitu ad regem, qui totam rem prophetæ, vt gesta fuerat, lætitia adhuc perfusus effudit; moxque audiuit hosce omnes thesauros, Deo vanitatem vleiscente, Babylonem deportandos. Ex quo agnoscas diuinorum iudiciorum seueritatem, qui minora, quæ putantur, proborum peccata, maximo supplicio afficit; nam mox ad hanc pœnam adiecta est iactura, & captiuitas regiorum liberorum, qui tamen sæpe ad grauissima impiorum scelera videtur connuere. Sed nimirum illa peccata in hac vita virorum virga puniuntur, hæc in æternum, *crudeli*, vt ait Ieremias, *castigatione* punienda differuntur. Videtur etiam Dominus hanc cum Babylonijs societatem improbasse, vt qui notat Hebræos, nihil ferè ex huiusmodi fœderibus cum alienigenis, emolumenti accipere, sed vetæ potius pietatis, & in Deum suum fiduciæ detrimentum, vt pluribus in Annalibus explicatum est.

Seueritas diuinæ iustitiæ.

ca.30.14.

n.33.&37.

XV. Captiuitas filiorũ Ezechiæ prædicitur.

Addit porrò Esaias alterum animaduersionis genus: *Sed & de filiis tuis, qui egredientur ex te, quos generabis, tollentur, & erunt Eunuchi in palatio regis Babylonis*: quæ verba satis indicant ante hæc tempora Ezechiam non genuisse liberos, & ipsum postea alios præter Manassem suscepisse. Hebræi, vt retulit Hieronymus, putant hic intelligi Danielem, Ananiam, Asariam, Misaëlem, quos Ezechiæ filios esse temporis longinquitas non patitur. Ad id enim vsque tempus, quo facti sunt Ephebi honorarij, in palatio Nabuchodonosoris, anni circiter 90. numerantur: quo tempore pueri, & coæui puerorum & adolescentulorum vocantur. Itaque plerique filios Ezechiæ interpretantur posteros. Quod videtur esse præter mensem Esaiæ, qui non contentus dicere aliquos *de filiis* eius captiuos fore, quia nepotes quoque filii dicuntur, addidit, *qui egrediuntur ex te*: & rursum, *quos generabis*. Propterea nihil est absurdi existimari age hoc loco de fratribus Manassis natu minoribus, qui cum eo in Babylonem abducti sunt, ibique in pueris honorarijs Chaldæi regis locum habuerint.

in c.38. Esaiæ.

55 Manas. 2. Amon. 31. Iosias. 3. Ioacim. Dan.1.4. 10.

Qui illi fuerint.

Ezechias audito tam tristi nuncio, *Bonus*, inquit, *sermo Domini, quem locutus es, sit pax & veritas in diebus meis*. Humiliter acquieuit rex diuino decreto. Attamen optat vt si quid Dominus, pro sua iustitia, in regno suo turbare voluerit, ne id contingat tempore vitæ, sibi à Deo misericorditer concessæ. Quæ autem Rabini contra pium regem hoc loco improbè cauillentur, in Annalibus, cum eorum refutatione, reperies.

XVI. Humilitas Ezechiæ.

* * *

ANNVS MVNDI 3325.

OLYMPIADIS XII. AN. 4.

EZECHIÆ & NERIÆ Pont. 17.

ROMVLI & VRB. COND. 24.

ASARHADDON. 2. Imperij Assyr. 1394.

MERADOCHI Babyl. Regis 2.

ANTE CHRISTVM 728.

EZechias fracta diuinitus Assyriorum potentia, diuinitus quoque sanitate tanto cum prodigio recuperata, & inita cum Babyloniis societate & amicitia, pacem habuit cum finitimis gentibus: quò illi facilius fuit & promptius annum Sabbaticum sextum supra centesimum celebrare. Regis felicitatem celebrat sacer historicus: *Saluauit Dominus*, inquit, *Ezechiam, & habitatores Ierusalem de manu Sennacherib regis Assyriorum, & de manu omnium*; præsertim Philisthinorum, quos iam à principio regni sui sibi subiugarat, & paulò ante ab Assyrijs afflictos, facilè tanquam sibi subditos receperat. *Et præstitit eis quietem per circuitum. Multi etiam deferebant hostias & sacrificia Domino in Ierusalem.* Qui se tam admirabilem & propitium Ezechiæ, tam formidabilem hostibus eius præbuisset. In his videntur fuisse noui decem tribuum incolæ, quos eò recens misit Asarhaddon, vt ex libro Esdræ colligitur. Ægyptios quoque & Æthiopas, pro crudeli hosti ipsorum interfecto, pacificas Deo hostias obtulisse, ex illo Esaiæ loco firmari potest. *Et cognoscetur Dominus ab Ægypto, & colent eum in hostiis & in muneribus, & vota vouebunt Domino, & soluent:*

I. Ezechiæ felicitas. An. Sabb. 106.

Deus à gentibus colitur.

l.1.c.4.2.

cap.19.21.

Neque solum fama Ezechias, sed etiam diuitijs factus est inclytus, multis vndique ad illum munera deferentibus. Diuitias eius omnis generis fusè describit liber Paral. 2. vbi Ezechias dicitur thesauros sibi plurimos congregasse, auri, argenti, & pretiosorum lapidum, aromatum & armorum vniuersi generis, & vasorum magni pretij. Apothecas quoque frumenti, vini & olei, & præsepia omnium iumentorum, caulasque pecorum, ad quorum omnium custodiam certas destinauit vrbes, & digentius communiuit, habebat quoque greges ouium & armentorum innumerabiles, *eo quod dedisset ei Dominus substantiam multam nimis.* Sed hæc ad plures annos pertinere perspicuum est, quod tamen distinguere non possumus.

II. Ezechias fama & opibus inclytus. *c.32.27.*

Quod autem de Asarhaddone attigimus, apparet id sub hæc regni eius initia contigisse. Merito enim timuit, ne occasione tantæ cladis bene vsus Ezechias in regnum Israël à suo imperio iampridem malè distractum, & paucis Assyrijs frequentatum inuaderet. Ideoque misit colonos, qui regnum frequentarent ac tutarentur. Quorum posteri accesserunt ad Zorobabelem, professique sunt se DEVM quærere, eique victimas immolare, iam inde à diebus regis Asarhaddon, qui illuc eos ab-

III. Asarhaddõ mittit colonos in Samariam.

a.m. 3518. ab hinc 193. annis.

adduxerat. Et sane mirum est id regnum decem tribuum non fuisse hoc tempore ab Ezechia occupatum, cum viribus valeret & copijs, & socium haberet Babylonium, nec sibi timeret ab Assyrijs; & mira soleat esse inter principes æmulatio, dum singuli omni studio crescere appetunt, nec minore tamen cura vicinorum incrementa impedire contendunt. Sed id Dominus fortasse prohibuit, vt olim vetuit Roboamus contra Ieroboamum, pugnare. Nec forte eum iuuisset Merodach Babylonius, veritus ne aliena amplificatio, cederet in ruinam, aut diminutionem suam: cum vice versa Iudæorum suprema calamitas à Babylone profecta sit.

Cur id regnũ non occupauit.

Ier. 1. 14.

ANNVS MVNDI 3326.

OLYMPIADIS XIII. AN. 1.

EZECHIÆ, & NERIÆ 18.

ROMVLI & VRB. CON. 25.

ASARHADDON. 3. Imper. Assyr. 1395.

MERODACHI Babylon. Regis 3.

ANTE CHRISTVM 727.

I. Ortus Manassis, eiusque sors mirabilis.

TERTIVS est hic annus vitæ Ezechiæ diuinitus concessæ, quo natus est ei Manasses. Duodecim enim annorum erat cum regnare cœpit, & totidem ad Ezechiæ mortem supersunt. Quod si quis miratur non prius natum Ezechiæ filium, saltem primo anno istorum quindecim; cum præsertim maximus ei fuisset mœror, liberis carentem vita fungi, vt plerique patrum tradidere: miretur potius hominem precibus & lacrymis pij regis à Deo exoratum, tam sceleratum extitisse. Voluit fortasse Dominus ostendere, quantum posset naturæ corruptæ libertas in malum, quæ puerum duodennẽ, in sanctissima patris disciplina educatum, & precibus à Deo impetratum in transuersum egit. An populi scelera talem merebantur vltionem? vt si qui adhuc furtim in idolorum sordibus volutabantur, sordescerent adhuc. Sed Dominus, qui Manassem ad tempus deseruit, cordis sui mali sectantem vias, per castigationem Babylonicam eum reduxit ad se, & propter Ezechiam seruum suum, fecit ne inæternum periret.

II. Assarhaddõ vexat Israëlitas

De Asarhaddone illud hoc loco notandum, eum male tractasse hoc tempore Israëlitas in regno suo, patris sui vestigijs insistendo: quiex quo fuga se recepit in Niniuem, eos vexauit. Id satis intelligitur ex Tobiæ historia. Cum enim dixisset, post Sennacheribi mortem, Tobiam seniorem reuersum fuisse in domum suam, omnemque eius facultatem ipsi restitutam; mox refert vnum ex filijs Israël iugulatum in platea iacuisse, eumque occultè à Tobia raptum, non sine amicorum suorum reprehensione, post solis occasum sepultum esse. Vnde intelligitur has cædes non ex priuatorum querelis ortas, sed publica factas auctoritate, quæ etiam sub pœna capitis, sepulturam illorum prohibebat: volente rege, præter mortis iniuriam, etiam occisorum corpora, volucribus & feris abijci insepulta.

c. 2. & 2

Ex quo agnoscitur eximia Dei bonitas in suos, qui bonum Tobiam cum familia sua conseruabat, etiam regis mandata propter timorem Dei violantem. Nec in Tobiam solùm Dominus prouidentiæ suæ protectionisque dulcedinem extendit, sed in propinquos etiam eius. Nam hic ipse rex Asarhaddõ magnis affecit honoribus Achiacharum, Anaëlis fratris Tobiæ filium, vt ex Græco Tobiæ textu constat: vbi dicitur primò constitutus è rege pincerna ipsius, deinde ab annulo regio, tertio totius regiæ domus administrator, quarto rationibus omnibus præfectus; apud quem scilicet quæstores omnes rationem dati acceptique redderent, postremo secundus à rege. Siue vicarius eius. Et hic idem Achiacharus impetrauit à rege, vt puer suus Tobias rediret in Niniuem, & in integrum restitueretur.

III. Dei in Tobiam prouidentia.

Achiachari opes & officia.

ANNVS MVNDI 3327.

OLYMPIADIS XIII. AN. 2.

EZECHIÆ, & NERIÆ 19.

ROMVLI, & VR. C. 26.

ASARHADDON. 4. Imperij Assyr. 1396.

MERODACHI Babylon. Regis 4.

ANTE CHRISTVM 726.

I. Summa rerũ huiꝰ tẽporis.

NIhil distinctè ad tres quatuórve annos, ex sacra historia, profanáve referre possumus. Ezechias regnum suum pacificè administrat, pluresque gignit liberos, in captiuitatem Babylonicam cum Manasse, iuxta vaticinium Esaiæ, posteà abducendos. Israëlitæ ab Asarhaddone apud Assyrios vexantur, vt paulò ante dicebamus. Illo autem ignauia languente, Merodach ad regnum Babylonicum stabiliendum curas omnes industriamque conuertit, vt regni eius fundator merito dici possit; ideoq; à Chaldæis in Deorum numerum relatus videtur, apud Ieremiam prophetam. Sed de prophetis Esaia præsertim, & Habacuc occurrit aliquid, quod ad hoc tempus pertineat.

ca. 50. n 2.

II. Esaia de Christo vaticinia.

Nam Esaias à cap. 40. suæ prophetiæ, ad finem vsque, totus est in Christi aduentu, vita, miraculis, prædicatione, passione, cæterisque Christianæ religionis mysteriis, vocatione gentium, Iudæorum reprobatione explicandis; & quidem tanta cum luce orationis, vt Euangelistam potius quam prophetam agere videatur, vt notarunt Hieronymus & Augustin. Perpauca tamen alia inserit, cap. 47. quod est contra Babylonem, & 58. quo mores arguit depraua tos; & si quas alias sparsim addit capitum particulas. Quæ omnia ad hoscc annos Ezechiæ pertinent, vltra quos non prophetauit, vt ex initio prophetiæ ipsius colligitur, vbi Manasses non nominatur, nec vsquam in toto eius vaticinio.

Præf. in Esa. l. 18. in Cir. c. 29.

III. Habacuc ad hoc ne tempus pertinet

Huc etiam coniicimus prophetiam Habacuc, qui autore Hieronymo prophetat contra Iudæam & Ierusalem, contra quas nunciat suscitandos Chaldæos, gentem amaram & velocem, &c. quod de Nabuchodonosore omnes interpretantur: quod autem de regibus dicitur triumphaturus, de Assyrijs aliqui explicant: quod fieri nequit; nam 50. annis ante natum Nabuchodonosorem debellati fuerant; regnante Ezechia, vt autor est Iosephus. Post extinctum Asarhaddonem, cuius mors in Ezechiæ vigesimum quintum cadit. Itaque si tyrannos illos ridiculos, & triumphatos reges placet accipere Assyrios, Merodachus Babylonius, siue Chaldæus, loco Nabuchodonosoris accipiendus erit: & prophetia eius ad Ezechiæ tempora pertinebit. Propterea quæ Habacuc, qui prandium ad Danielem tulit, longe alius ab isto est, vt ratio temporis omnino postulat, & suo loco intelligetur. Quod si placet audire Hebræos, ille prior Habacuc ad tempora Manassis differendus erit. Vide Annales, vbi hæc vberius, distinctiusque traduntur.

Dã.14.33.

Seder-Olã c.20.

ANNVS MVNDI 3331.

OLYMPIADIS XIV. AN. 2.

EZECHIÆ, & NERIÆ Pont. 23.

ROMVLI & VRB. COND. 30.

ASARHADDONIS 8. Imp. Assyrior. 1400.

MERODACHI Babyl. Regis 8.

ANTE CHRISTVM 722.

I. Tobias excæcatur.

SEXTVS & quinquagesimus est hic annus vitæ Tobiæ senioris: tot enim ab anno 51. Oziæ, quo anno eum natum diximus, euoluti sunt; idemque est 18. captiuitatis Israëlitarum, quo anno vir iste sanctus excæcatus est, vt habetur in extrema eius historia. Tempus autem & modus cæcitatis huius distinctius habetur in textu Græco, vbi aperte traditur hæc in festo Pentecostes contigisse, quo habuit conuiuium, & post eiusdem diei vesperam sepultum ab eo mortuum, & ab ea sepultura cæcitatem ei contigisse. *Et quando*, inquit, *occiderat Sol, abij, & fodiens sepelijui eum, & in ipsa nocte redij cum sepelijuissem, & cubui pollutus iuxta murum atrij.* Nimirum ex lege ingredi domum non licebat ei, qui ex cadaueris contractu inquinatus fuisset.

c.14.3.

II. Eiusque mali modus.

Itaque legis obseruantissimus Tobias, venit quidem in domum suam, vt ait Vulg. non tamen ingressus est, sed extra ad murum atrij procubuit. *Et facies mea*, inquit Græcus, *discooperta erat, & non vidi quia passeres in muro erant, & oculis apertis, immiserunt passeres calidum in oculos meos, & facta sunt albugines in oculis meis.* Non meminit apertorum oculorum textus Latinus, sic nec Græcus dormitionis. Apparet illum composuisse se ad dormiendum, & cœlum intuentem Deo se commendasse, illo ipso tempore, quo sordes deciderunt in oculos eius. Pergit Tobias: *Et tui ad medicos, & non profuerunt mihi.* Is nimirum qui hanc ei tentationem venire permiserat, præparabat ei cœlestem medicũ, & mirabilem medicinam, cum eximio patientiæ fructu, & posteritatis exemplo.

ANNVS MVNDI 3332.

OLYMPIADIS XIV. AN. 3.

EZECHIÆ, & NERIÆ 24.

ROMVLI, & VR. CON. 31.

ASARHADDONIS 9. Imp. Assyr. 1401.

MERODACHI Babylon. Reg. 9.

ANTE CHRISTVM 721.

I. Tobias suorum exprobratione vexatus.

TOBIAS qui vitæ sanctitate, Iobi mores expresserat, eius quoque patientiam imitatus, nec stultum aliquid locutus est, Dei accusando erga se prouidentiam, nec eam impiè accusantes tacitus tulit. Vterque enim suorum exprobrationes in calamitate sua expertus est; quas hucusque distulimus, quoniam huiusmodi casus à principio commiserationem parant, progressione autem temporis, tædium & querelas: *Sicut ergo beato Iob insultabant reges*, vt ait Scriptura, *ita isti parentes, & cognati eius irridebant vitam eius, dicentes. Vbi est spes tua, pro qua eleemosynas faciebas?* Curuæ in terras animæ, & cœlestium inanes, quæ terrenam duntaxat mercedem spirant, & profano spiritu atq; iudaico, felicitatẽ, huius vitæ commodis metiuntur. Quos Tobias sapienter corripit, ac docet: *Nolite*, inquit, *ita loqui, quia filij Sanctorum sumus, & vitam illam expectamus, quam Deus daturus est iis, qui fidem suam nunquam mutant ab eo*, sed in prosperis & aduersis ei constanter adhærent. Sed accessit alia Tobiæ probatio *in camino paupertatis.*

Tob.2.15.

Esa.48.10

II. Rursum spoliatur fortunis.

Videtur enim hæc insultatio nouæ cuiusdam calamitatis occasione nata, puta spoliationis propriorum bonorum; Num in Græco textu legimus Achiacharum eius nepotem ipsum nutriuisse. In Latino vero & Græco Annam vxorem Tobiæ vitam seruili labore toleratse, marito cæcitate percusso. In opere enim textrino laborabat, marito filioque nutriendis. Cumque hœdum aliquando detulisset domum, & vir vocem balantis audiuisset. *Videte*, inquit, *ne forte furtiuus sit, reddite eum dominis suis, quia non licet nobis, aut edere ex furto aliquid, aut contingere.* Potuit Tobias non temere suspicari furtum, qui sciret homines operarijs pauperibus malignè potius mercedem persoluere solere, quam auctarium gratis addere; nec ignoraret malesuadam esse egestatem: & experiebatur vxorem non satis timentem Deum, Idenim illa eius verba testantur.

Suspicatur furtũ

Manifestè vana facta est spes tua, & eleemosyna tua modo apparuerunt. In Græco est: *Vbi sunt eleemosynæ tuæ, & iustitiæ tuæ?* Quasi dicat; Quid vsque adeo iustitiæ tenax es, & anxiè times alienum contrectare? Vipen' quem referas fructum iustitiæ, &

III. Ab vxore obiurgatur.

chari-

charitatis tuę. Eiusdem generis est ista vox, eiusdemq; malitiæ, cuius & superiores illæ opprobrationes. Et sane furtum mulier indirecte defendit, dum maritum reprehendit vsque adeo sollicitum, inquirendo an furtiuus sit hœdus: neque tamen propterea significat de furto hœdum sustulisse. Quippe Tobias ipse veritate perspecta, fatetur hœdum vxori, præter legitimam mercedem, datum fuisse ex commiseratione fortasse.

ANNVS MVNDI 3333.

OLYMPIADIS XIV. AN. 4.

EZECHIÆ 25. NERIÆ Pont. 25.

ROMVLI, & VR. CON. 32.

ASARHADDONIS 10. & vlt.

Imp. Assyr. 1402. & vlt. MERADOCHI 10.

ANTE CHRISTVM 720.

I. Finis imperii Assyriorum

MOsaïcus Iubilæus 15. qui hunc in annum cadit, Assyriorum imperio funestus fuit. Cum enim totis iam 14. seculis, sub regibus 37. vt Eusebio placet, aut vno & 40. vt habet Africanus, stetisset; & occidente Sardanapalo nutasset, ac pene collapsum esset: sub quinq; deinde regibus, quo sacra historia suggerit, resumpsit vires; adeo vt Medos iterum, Babylonios q; ditioni suæ subijceret, & populos inde pro arbitrio transferret in Chananitidem; & hinc nouos in Mediam colonos, Babyloniamque transcriberet, donec Sennacheribi exercitu diuinitus internecione deleto, ipsoque mox nefaria coniuratione filiorum extincto, ita acciſæ sunt Assyriorum vires, vt filius eius Asarhaddó ægrè Assyriorum nomen, & præteritæ potentię vmbram sustentaret.

II. Assyrii vectigales Babylonis.

Esa. 35. 8.

Sustentaret autem? imò pene precario rex fieret, & tributa suis dudum subditis pendere cogeretur. Nouum id videri possit, & inauditum, non nouo tamen, neque exiguæ fideit este probari potest. *Et cadet Assur*, ait Esaias, *in gladio non viri, & gladius non hominis vorabit eum, & fugiet non à facie gladii*, Angelus enim Domini non deleuit exercitum eius gladio, pergit: *& iuuenes eius vectigales erunt. Filii Assur*, ait Sanctius, *aut serui illius vniuersi principes vectigal ex eo ferme tempore soluerunt primum Chaldæis, siue Babylonijs, à quibus non longè post hanc cladem superati sunt.* Deinde Persis & Medis, tempore videlicet Cyri & Darii Medi. Nã quod glossa ait Assyrios factos Nabuchodonosori primùm tributis obnoxios, de Merodacho accipiendum est, qui toto Iudithæ libro dicitur Nabuchodonosor.

III. Mors Asarhaddonis.

Cum ergo Asarhaddon Merodacho tributa pendere cogeretur, apparet pertæsum ignominiæ, acie contra Merodachum, subditũ quondam suum, hoc anno regni sui decimo decertasse, victumque regno ac vita caruisse; statimque Niniuem, & pene totum Assyriorum imperium, in victoris iura, potestatemque cessisse. Sed ita tamen vt non Assyriorum, sed Babyloniorum rex dici vellet, fieretque deinceps non Assyrorum, sed Babylonioru̇m imperium. Nõnunquam tamen Reges Babylonis, deinceps in Scriptura reges Assyriorum dicuntur. Et hic ipse Merodach nouus Babylonici fundator, ac denominator Imperij, Rex Assyriorum dicitur, cum eius principes dicuntur cepisse Manassem, & vinctum duxisse Babylonem, vt suo loco docebimus. Ergo rex Assyriorum dicitur, quia id regnum habebat in potestate; quia tamen regni sedem Babylone collocauerat, ductus est Manasses in Babylonem. Sed hæc luculentius in Annalibus habentur.

Initium imperii Babylonici, cuius reges dicuntur aliquando Assyrii.

Cæterum cum ex Scriptura constet eundem Merodachum regem fuisse Babyloniorũ, quando munera & legatos misit ad Ezechiam, ex quo decimus annus agitur, & nihilominus primus à Ptolemæo ponatur, necesse est geminum initium Merodachi ponere, primum regni, alterum imperij, quando maximis, post deuictos Assyrios, auctus est incrementis, & Babyloniorum factus est Imperator. Erit ergo nobis hic annus, sed extremus, Imperij Babyloniorum initium, nec primus dicetur annus; quia ratione habita Iulianorum, primus annus imperij huius maxima ex parte ad sequentem pertinet. Idque propter historiam Iudithæ necessarium est.

IV. Geminũ Merodachi initiũ regni & imperii.

IMPERIVM BABYLONIORVM.

ANNVS MVNDI 3334.

OLYMPIADIS XV. AN. 1.

EZECHIÆ & NERIÆ Pont. 26.

ROMVLI & VR. COND. 33.

MERODACHI 11. Imperij Babyl. 1.

ANTE CHRISTI ORTVM 719.

I. Primus annus Imperii Babylonici.

DAbit hic annus initium Imperio Babylonico, iuxta ea quæ superiore anno posita sunt. Quemadmodum à principio ex Babylonijs Imperium Assyriorum natum fuerat, vt alibi dictum est: ita nunc vice versa, ex Assyriorum ruinis Babylonicum imperium constructum est, initio Olympiadis XV. Porro non satis constat an Medi, qui nuper Assyrijs parebant, suas sibi res seorsim agere cœperint, an tributariam seruitutem, Domino mutato, retinuerint. Illud ego certe probabilius duxerim; existimante Merodacho dissimulandum esse, paulatimque progrediendum arridente fortuna; donec stabilito planè imperio, in Niniue, & in ijs vrbibus, quæ propriè ad Assyriam pertinent, occasione data, Medi quoque imperata facere iuberentur: quod post duodecim fere annos contigit, quando Arphaxad Medus à Nabuchodonosore, qui est

a.m. 1931. n. 56 & a. 1932. n. 1.

Medi an & quando paruerint Babyloniis.

idem cum Merodacho Babylonio, victus est, vt postea dicetur. Videntur tamen Medi mox occiso Holoferne respirasse, donecà magno Nabuchodonosore debellati sunt.

II. Israëlitæ Ezechiæ subditi.

Interea igitur res suas ab ipsa morte Asarhaddonis egisse videntur. Idque eo fit probabilius, quod apparet etiam Ezechiam, sub hæc tempora, non pauca de regno Israëlis vel recuperasse, vel acquieuisse. Nam capite 4. Iudithę mittit pontifex, *in omnem Samariam per circuitum*, & ad vniuersos, qui erant contra Esdrelon, & Dothaim, vt impedirent transitum Holofernis ducis Assyriorum, siue Babyloniorum; quod minimè factura erant, si ipsi Assyrijs, & nó potius Iudæis paruissent: præterquam quod Bethulia in regno decem tribuum erat, in Galilæa inferiore.

Tobiæ patientia.

Tobias vero hoc tempore patientia sua cum cæcitate, paupertate, & propinquorum cauillis, improperijsque tertium iam annum certabat, sed corona patientiæ propinquabat.

ANNVS MVNDI 3335.

OLYMPIADIS XV. An. 2.

ROMVLI & VRB. CON. 34.

EZECHIÆ, & NERIÆ 27.

MERODACHI Imper. Babylon. 2.

ANTE CHRISTI ORTVM 718.

I. Ratio tẽporis, & Tobiæ illuminatio, &c.

IN hunc annum secundum Imperij Babyloniorum, cum Ezechias accepta diuinitus sanitate decimum tertium iam annum fruebatur incidit Tobiæ senioris illuminatio, & quæcunque reliquo ipsius libro, excepto extremo capite, quod est de Tobiæ morte, continentur. Fuit hic annus ab excęcatione quartus, à captiuitate 22. à natiuitate sexagesimus. Textus quidem Græcus habet Tobiam anno vitæ 58. visum amisisse, eundemque post annos 8. recuperasse; sed Vulgata editio autoritate præponderat. Tobias ergo cæcitate, paupertate, senectute, suorum improperijs, & in Deum blasphemijs, quartum iam annum vexatus, & insuper quadam corporis ægritudine affectus, ingemuit, Deumque cum lacrymis orare cœpit, vt iuberet in pace recipi spiritum suum, quod sibi mors magis, quam vita expedire videretur; eam tamẽ petitionem, propriæ voluntatis in diuinam transcriptione communit.

in text. Hebr.

Gemitus eius.

II. Et Sarę filiæ Raguelis.

Dum hæc apud Niniuen Tobias lamentaretur, Sara filia Raguelis, alia in Rages, siue Ecbatanis ciuitate Medorum lamentabatur, audito improperio ab vna ex ancillis patris sui, quoniam tradita fuerat septem viris, quos dæmon Asmodæus interfecerat, priusquam vxore potirentur, vt habetur in Græco textu, Deo improbum libidinis affectum, etiam aduersus vxorem, vlciscente morte repentina. Cum ergo Sara castigarat ancillam ob aliquam eius culpam, ipsa iræ impotens: *Amplius*, inquit, *non videamus ex te filium aut filiam super terram, interfectrix virorum tuorum.* Triplex committitur ab hac mulierecula peccatum. Nam Dominæ suæ sterilitatem imprecatur, eam grauissimo conuicio afficit, & per grauissimam calumniam septemplicis homicidij ream facit: quæ animo iamdudum ægram consolari debuisset.

Ab ancilla offensa

III. Eiusdem patientia.

At vide Saræ insignem patientiam, & in Deum fiduciam. Non enim inuolauit in oculos procacis ancillæ, aut præcipitem exegit domo, sed tacita confugit ad Deum, & ad insignem orandi constantiam, ieiunium adiungit & lacrymas, & ita orat, vt non vltionem iustam à Deo exigat, sed miseriæ suæ remedium imploret. Eius autem precibus & lacrymis socium se Raguel eius parens addebat, & exauditæ sunt preces eius, sicut & Tobiæ, decretusque est diuinitus Raphaël, qui vtrique familiæ remedium afferret. At Tobias qui se breui moriturum sperabat, de filio suo sollicitus eum accersit, eique salutaria monita, tanquam migraturus è viuis tradit, de religione in Deum, de pietate in parentes, de misericordia in pauperes, de continentia, modestia atque iustitia. Et quoniam ex abundantia cordis os loquitur, redit pius senex ad inculcandam filio misericordiam in viuos ac mortuos, & addit præceptum de conuictu improborum vitando, aliaque id genus. Postremo de recuperanda pecunia Gabelo tradita mouet, quam illi ante annos 20. tradiderat, cum filius quadriennis esset.

Tobias dat filio monita.

Eccles. 8. sim. fol. 4.

Acquieuit parenti iuuenis, quæritur viæ dux occurrit Angelus tanquam iuuenis specie liberali, expeditus ad iter, qui cum seni probasset se, paratáque essent ad iter omnia, salutatis parentibus, & cum mœrore multo relictis, in viam se dant. Viden' vt properemus? etsi enim suauissima est historia, est tamen notissima. Primo die ad vesperam iuxta fluuium Tygris accepto hospitio, egressus est Tobias ad pedes in flumine abluendos, cum ecce piscis immanis exilit ad eum inuadendum. Verisimile est, ait Vallesius in sacra Philosophia, Callionymum piscem eum esse. Est enim voracissimus, & carniuorus, aspectu immanis, serratis dentibus, oculos habens in summo vertice, & os inter oculos situm. Non sine causa igitur iuuenis tam insolito aquatici draconis aspectu, quam periculo imminenti territus, exclamat, *Domine inuadit me.* At comes constanter iubet eum apprehendere branchiam eius, & extrahere ad ripam, mortuumque exenterare, & sepósito corde, felle, & iecore ipsius, ad certum vsum, cætera salierunt, quæ sufficerent eis ad victum, donec peruenerunt in Rages ciuitatem Medorum, diuina prouidentia etiam de cibo prouidente famulo suo, & de remedio parenti eius & cognatis.

IV. Eumque mittit in Rages duce Raphaële.

Tobias à pisce periclitatur.

cap. 42.

Dei in eũ prouidentia.

Quid multa? dum colloquuntur, peruenitur ad vrbem, Angelus sermonem ingerit de nuptijs cum Sara; à quibus refugit Tobias timore dæmonis. Sed eum confirmat Angelus, docetque quomodo vis eius omnis irrita reddatur, & cum ea nuptiæ iniri possint. Hac vice sermonum ingressi sunt ad Raguelem, *qui eos suscepit cum gaudio*, etsi nondum notos, nisi vt Israëlitas, sed id gaudium mitum in

V. Accipitur hospitio a Raguele.

modum auctum est, cum is Tobiam cognatum agnouit. Cum autem paratur conuiuium Tobias satis ab Angelo confirmatus, petit à Raguele filiam eius vxorem. At ille expauit, sciens quid septem illis viris contigisset. Sed eum timorem depulit Angelus, sic vt laudato Deo cōsentiret in nuptias, traderetque Saram filiam suam Tobiæ in vxorem, coniugijque contractum perscriberet, quo dimidium omniū quæ possidebat Raguel in præsentia Tobiæ dabat, reliqua post Raguelis & Annæ obitum *Tobiæ dominio* deuentura erant. Secutum est nuptiale conuiuium, & dæmonis expulsio, & relegatio in deserto, suffumigatione à Tobia facta.

Et Saram petit vxorem.

VI. Orant simul coniuges trinoctio.

Qui mox Saram coniugem ad orationem inuitat, Deique pariter misericordiam implorant, vt incolumes in coniugio viuant, indéque fedāt quieti. Nam Tobias ex itinere fatigatus erat, & Sara multas iā noctes dies; insomnes in lacrymis & oratione traduxerat. Interea circa pullorum cantum euigilans Raguel iussit accersiri seruos suos, vt in omnem euentum sepulchrū Tobiæ præpararent, sed eo inuento incolumi cum vxore sua, effusus est cum Anna in gratiarum actionem, & postulationem incolumitatis in futurum. Die facto conglobantur congratulationes Raguelis & Annæ primùm, tum vicinorum omnium & amicorum, quibus exhibetur conuiuium, dies nuptiales diebus quatuordecim agitantur, Tobia à socero adiurato.

Et conseruantur cum gratulatione communi.

Interea compendium temporis factum Tobias, socium ad Gabelum, ad recipiendam pecuniam, insigni cum animi ac verborum humilitate destinat. Quo ille munere egregie fungitur. Nam inuento Gabelo recepit ab eo omnem pecuniam, reddiditque illi chirographum suum; quin & illum secum deduxit ad Tobiæ nuptias, vbi nouis coniugibus magno animi sensu bene precatus, nuptialis conuiuij factus est particeps.

Angelus recepta pecunia Gabelum deducit ad nuptias.

Sed tempus est vt reuisamus Tobiam seniorem, eiusque vxorem Annam in absentia filij lugentes, & insperatæ huius felicitatis ignaros. Vt merito Rageli cunctanti generum dimittere, diceret Tobias, *Ego noui, quia pater meus, & mater mea modo dies computant* absentiæ meæ, & quot omnino sufficiant vsque ad reditum, *& cruciatur spiritu eorum in ipsis.* Matris præsertim, cuius erant illæ voces, *heu, heu me fili mi, vt quid te misimus peregrinari, lumen oculorum nostrorum, baculum senectutis nostræ, solatium vitæ nostræ, spem posteritatis nostræ, omnia simul in te vno habentes, te non debuimus dimittere à nobis.* Hæc ergo cum animo Tobias præsentiret, non poterat acquiescere Ragueli detinenti se, & suauissima nouorum coniugum cōsuetudine diutius frui desideranti. Itaque discessum exorat, eique socer tradit filiam suam pijs monitis sapienter instituram, cum dimidia parte omnium fortunarum suarum, eosque bene precatus dimittit.

VII. Luctus parentū Tobiæ.

ea. 10. 4.

Qui à Raguele discessum exorat.

Quoniam vero multa erat familia, & plurima viæ impedimenta, tria aut ad summum quatuor dierum iter, ægre vndecim diebus cōfecere. Itaque autor est Tobiæ Raphaël, vt ambo præcedant dum familia tota lento gradu subsequetur, quod cum vtrique, ipsique Satæ placuisset, accepto secum felle piscis, vt quamprimum senex à cæcitate liberaretur, antecesserunt, & intra triduum Niniuen peruenerunt. Sara autem cum familia idem iter septiduo cōfecit. At Raphaël præmonet clientem suum, quomodo te gerere debeat in ingressu domus, vtque visum oporteat restituere parenti, oculis eius piscis felle linitis. Mater autem cum de more ex supercilio montis circumpiceret, vidit agnouitque filium, & nuncium festina detulit ad maritum; qui consurgens cœpit offendēs pedibus currere, & data manu puero, occurrit obuiam filio suo cum vxore, eumq; vterque osculatus *cœperunt flere prægaudio.* Hanc enim optimorum parentum charitatem merebatur optimus filius. Cumque adorassent Deum, & gratias egissent pro felici reditu, consederūt; moxque linitis oculis senis de felle piscis, intra dimidiam horā cœpit albugo, quasi membrana oui egredi ex oculis, qua à Tobia iuniore extracta, visum recepit senex, & cum amicis & cognatis omnibus, gratias egit Deo.

VIII. Et familiam cum Raphaële antecedit.

Domum peruenient quā exhilarant.

Tobias patri visum restituit.

Ingressa est etiam post septem dies Sara, cum omnibus quæ secum habebat, sana & incolumis, & familiæ gaudiū magna accessione cumulauit: instaurati sunt dies cōuiuij septē. Quibus transactis vterque Tobias dum de gratitudine erga viæ ducem Azariam congitant, eique dimidium omnium bonorum, quæ secum detulerant perlibenter offerunt, Dominus qui bonorum nostrorum non eget, non solum eis omnia reliquit, sed voluit quoque eos in agnitionem venire diuinæ in ipsos prouidentiæ ac beneuolentiæ; qui principem Angelum in eorum obsequium, ac remedium de cœlo misérit. Cum ergo illi orarent, *vt dignaretur dimidiam partem omnium quæ attulerant*, quibus scilicet acquirendis tam insignem ipse operam nauarat, *acceptam habere*: Ipse respondet, gratias in primis habendas ac referendas Deo, primario omnū beneficiorum largitori; tum bonorum operum efficacitatem ac meritum apud Deum memorat, quæ à Tobia frequentata, & Deo ab angelo oblata fuerant. Explicata denique necessitate tentationum, fatetur se angelum, nomen suum, gradum & officium declarat.

IX. Aduenit Sara cum familia. Tobiæ vtriusq; erga viæ ducem gratia.

Angeli monita.

Tantæ, tamque insperatæ rei nouitas sanctam hanc turbauit familiam, ita vt trementes caderent in faciem suam; sed mox eos consolatus est Angelus, & iterato præcepto de Domino benedicendo, & enarrandis mirabilibus eius, ab oculis eorum euanuit. Quæ tota historia tanquam diuinæ prouidentiæ erga suos ac beneficentiæ insigne argumentum, vt omnibus deinceps ætatibus nota fieret, ambo Tobiæ eam scribendam censuerunt, accedente præsertim angelico præcepto. Sic enim in textu Græco legitur. *Et nunc confitemini Deo, quoniam ascendo ad eum, qui misit me, & scribite omnia quæ consummata sunt in libro.* Scripsit ergo hunc librum Tobias, & narrationi præteritorum, adiecit etiam vaticinium de Hierosolymorum futura clade, etsi præteritum pro futuro prophetico more vsurpat. Diuina quoque prouidentia circa fortunas Tobiæ deinceps eluxit. Quod scilicet cum ingens calamitas Ecbatanis immineret, quæ mox sub Manasse contigit, ita præuenit Dominus, vt mature & matrimonium Tobiæ iunioris fieret, & dimidia pars bonorum soceri eius, & pecunia in manibus Gabeli deposita, à proximo naufragio eriperetur. Quæ

X. Angeli discessus

Scriptio & autor huius historiæ.

Diuina prouidentia circa bona Tobiæ.

eadem prouidentia vice versa, imminente excidio Niniues, & reflorescente Ecbatana notata est. Nam tunc eduxit Dominus Tobiam ex Niniue, & ad socerum suum Ecbatanam reduxit, hæreditatem reliquam acceptutum.

ANNVS MVNDI 3337.

OLYMPIADIS XV. AN. 4.

EZECHIÆ 29. & vlt. NERIÆ 29.

ROMVLI 3. & VR. CON. 36.

MERODACHI 14. Imp. Babylonici 5.

ANTE CHRISTVM 716.

I. Obitus Ezechiæ, & laus ob pietatem

VLtimus adest optimi ac pientissimi regis annus, regni vigesimus nonus, vitæ autem quinquagesimus quartus, sed tantum inchoatus; vt ex vtriusque initio aperte colligitur. Rex hic si quis alius, in Scriptura egregiè commendatur, hoc ipso quod pietati Dauidis eum exæquat. *Fecit*, inquit, *quod erat bonum coram Domino, iuxta omnia quæ fecerat Dauid pater eius:* & quidem pietati, cum eximia fortitudine coniunctæ. *Ipse* enim *dissipauit excelsa, & contriuit statuas, & succidit lucos: confregitque serpentem æneum* &c. quæ post corruptissimum ac deprauatissimum Achazi regnum, non potuit Ezechias sine magno animi robore suscipere, nec sine magna in Deum fiducia auxilióque singulari conficere, in quibus maximam regni partem sibi habuit, tanquam pro aris ac focis, repugnantem, nihil vetitus ne illi ad Assyrium deficerent, eumque regno exigerent, quippe qui *in Domino Deo Israel sperauit*, nec confusus est ab expectatione sua. Sed hæc tota laus principis huius, aliaque multiplex, accuratius in Annalibus explicata repetietur.

II. Et difficilem obedientiam.

Illam tamen, cum bona lectoris venia, præterire non possum animi demissionem, & propriæ apud Deum voluntatis depositionem in re tanta, quantam illa Isaiæ postrema comminatio continebat. Lætatus erat Rex in legatorũ longinquæ regionis aduentu, gratulatus erat sibi amicitiam suam ab exteris expeti regibus, & Dei erga se beneuolentiam prodigiis declaratã agnoscit: ostentatat opes suas, & hostibus erepta spolia; quod vulgò principes non in crimine, sed in laude ponunt. Et tamen audit. *Ecce dies veniunt, & auferentur omnia, quæ sunt in domo tua, & quæ condiderunt patres tui, vsque in diem hanc in Babylonem. Non remanebit quidquam ait Dominus.* Fortunæ igitur omnes auitæ recentesque regi peribunt; sed forsasse personis familiæ regiæ bene erit, imo non erit, audi enim reliqua. *Sed & de filiis tuis, qui egredientur ex quos generabis tollentur, & erunt eunuchi in palatio regis Babylonis.* Durissima sunt omnia. Quæ tamen audit sine murmure, sine excusatione, sine querela, ac pene sine gemitu: non lacrymatur, non percutit femur, non eleuat culpam, non dilacerat purpuram suam.

III. Quæ illã amplificent.

Dixisset aliquis: quid feci? quod est peccatũ meum, vt tam seuera animaduersione puniatur? Num ostentatio bonorũ meorum, impiorum rapina & latrociniis vindicanda est? Quis mercatorem merces suas populis inanitercommonstrantem, prædonibus propterea addicendum putet? Sed esto, superbia mea & ingratus in Deum animus, qui me tot promeritis ac prodigiis in altum extulit, deiectionem istã meretur: quid meruere filij mei pueruli, damnati antequam nati: seruituti addicti, nondum degustata libertate? Nihil horum ille; sed *bonus sermo Domini, quem locutus es.* O demissionẽ animi singularem! ô religiosam, ac plane regiam obedientiam! Regum enim virtutes omnes non populares ac plebeiæ, sed sublimes & regiæ esse debent. Deniq; tantus extitit princeps Ezechias, vt merito regum omnium principi, ac monarchæ Christo Domino, tanquam illius figura nobilissima confetatur: quod in Annalibus conati sumus.

IV. Regis sepultura. *2. Par. c. 32. extr.*

Iam quod ad regis huius sepulturam attinet Scriptura significat solenniores fuisse eius exequias, & sepulchrum aliorum regum sepulchris magnificentius; quod non solum beneuolentiæ populari, sed mortis etiam præscientiæ tribui potest. Cum enim tam Regi ipsi, quam toti populo constaret de tempore mortis eius, apparari omnia magnifice potuerunt, & rex ipse se ad diuinum iudicium præparare. Abijt ergo è vinis Ezechias, variæ flantem reflantemq; fortunam expertus: & vt in cæteris rebus beatus fuerit, in eo parum fœlix videtur fuisse, quod Achazi fuerit filius, & Manassis parens. Nimirum rosa è spinis orta rursum degenerabit in spinas: & è tempestate nata tranquillitas, in tetterrimam desit tempestatem.

ANNVS MVNDI 3338.

OLYMPIADIS XVI. AN. 1.

MANASSIS 1. OSAIÆ Pont. 1.

ROMVLI 37. & vlt. VRB. COND. 37.

MERODACHI 15. Imp. Babylonici 6.

ANTE CHRISTVM 715.

I. Præludiũ de Manasse.

INeunte 16. Oiympiade, ab optimo, ac religiosissimo principe Ezechia, ad crudelissimum, maximéque impium regem Manassem non sine gemitu transit oratio, quos inter mirabilis reperitur antithesis. Nam Ezechias statim ab initio regni sui, quæ pater circa religionem & Dei cultum violarat, religiosissime reparauit. Manasses statim initio regni sui quæ pater circa pietatem stabiliuerat, contumeliosè pessumdedit. Ille infideles, ex alieno etiam regno reduxit ad veram fidem: iste fideles in regno suo adimpietatem traduxit. Ille Dei sacerdotes & Leuitas acciuit in templi ministeria, & laudẽ Dei; eos iste proscripsit; & sacerdotes idolorum in eorum locum subrogauit. Ille Deiprophetã Isaiam, reliquosque vates, tanquam Dei interpretes, & conscios arcanorum eius prodigiorumq; diuinorum effectores veneratus est. Iste Isaiam sanguine propinquum, diuturna iam canicie venerabilem, plagis male mulctatum occidit, atque adeo, proh barbarum facinus! serra dissecuit.

II. Et eius cum patre antithesis.

Ille filios à Deo precibus & lacrymis obtinuit, iste filios dæmonibus solemni ritu consecrauit: ille Deum per prophetas sacerdotesq; consuluit, iste dæmones magicis incantationibus, & maleficis artibus sollicitauit. Ille famulantem sibi habuit solem, & cum sole sydera vniuersa, omnium creatore Deo deliderijs eius obsecundante: iste in contumeliam creatoris Solem & Lunam, omnemq; cœli militiã adorauit, & coluit. Ille nocentibus & peccatoribus subditis veniam à Deo precibus impetrabat; iste innocentium sanguine totam ciuitatem repleuit. Itaque ille diuinitus glorioſiſſimam de hoſte potentiſſimo victoriam ſine ſanguine & ſudore obtinuit: iſte vlciſcente numine inhoſtium poteſtatem redactus, & ſeruilem in modũ vinctus catenis, è regno eiectus, in carcerem proiectus eſt. Quãdo autem & quomodo iſta contigerint, & pleraque alia, quæ in longiſſimum eius regnum cadunt, non facile eſt vel in ſuos annos digerere, vel explicare.

III. Oſaias pontifex.

Quod ad pontificem attinet, quem de more cũ principe commutamus, chronicon Hebræorum, tempore Manaſſis ſuggerit Oſaiam, quem Ioſephus Odeam vocat, cui forte captiuo rege ſucceſſit Eliacim, qui in libro Iudithæ memoratur. Rex porro duodecim annorum erat, & decimum tertium inchoabat cum regnare cœpit: regnum autem ad quinquageſimum quintum propagauit annum, quod regni tempus tripertito diuidere poſſumus, vt prima pars ſit malitiæ, ſecunda pœnitentiæ, tertia pietatis atque iuſtitiæ; primus quaſi actus fabulæ huius ad captiuitatem eius protenditur, & annos continet fere ſeptem, inxta temporum rerumque diſpoſitionem, quam maxime probabilem putamus. Quorum hic primus eſt annus, in quo infelix puer ab impijs auticis, qui ſuam Ezechia regnante impietatem per ſummam diſſimulationem texerant, miſere in fraudem inductus eſt, & idololatriæ permiſit habenas, vt valde probabiliter putat Abulenſis. Quo modo Ioas, mortuo Ioiada, aulicorum delinitus obſequis, quam placebat religionem ſequi, permiſit.

Ratio tẽporis Manaſſis.

Bemala initia.

2. 2. in c. 21. 4. Reg.

IV. Præludia idololatriæ. 4 Reg. 21. 3.

Idololatriæ præludium fuit inſtauratio excelſorum; nemo enim repente fit peſſimus, ſed quibuſdam quaſi gradibus, & ad virtutum apicem ſcanditur, & in profundam vitiorum voraginem deſcenditur. Ædificauit ergo Manaſſes excelſa, quæ diſſipauerat Ezechias pater eius, & in ijs erexit aras Baal non vnam aliquam, ſed plures in pluribus locis, vt tanto amplius Idololatria frequentaretur. Et vt amœnitas loci populum ad hoc flagitium alliceret, fecit lucos, ſicut fecerat Achab rex Iſraël. Confertur enim Achabo Manaſſes, quod vterque idolorũ cultui deditiſſimus fuit, & vterque virorum ſanctorũ ſanguine cruentatus, & vterque in regno omnis improbitatis exemplar. Sed hæc non ſunt paucorum dierum, vel menſium opera; verum hoc primum anno male inchoata, peius in ſequentes propagata ſunt.

V. Romuli mors & variæ de ea opiniones.

In hunc annum Iulianum plerique omnes Romuli mortem referunt, & quidem nonis Iulij, qui eſt ſeptimus eiuſdem. Ex quo ſequitur mortium anno ſecundo Olympiadis decimæ ſextæ, & 38. Vrb. Cond. à Pallibus inchoando, quæ incidebant in 21. Aprilis. Sed nobis ratio habenda eſt annorum Iulianorum quorum hic eſt 37. ab initio regno; vitæ autem 55. Conſentiunt Scriptores nulla ex ſe prole relicta defunctum. Eius mortem pleriq; fabulis honeſtarũt, vt ſentit Dionyſius, à patre videlicet Marte raptum in cœlum. Alij probabilius cenſent à ſuis ciuibus interemptum, ſuperbiæ ac crudelitatis cauſa, vt qui non regio, ſed tyrannico more imperium gereret; ideoq; patricios in eius perniciẽ coniuraſſe, & in curia ipſa, quæ in æde Vulcani habebatur, necaſſe, & ne cadauer comparet, corpus ſuſtatim à ſenatoribus diſcerptũ, clamq; ſub togis, & clam terra obrutum. Hæc pluribus Dionyſ. & Plut. quibus conſentanea ſcribit S. Auguſtinus. Credibilius fortaſſe quis dixerit, Romulum diuinitatis opinionem captantem, non inuitum à malo dæmone abreptũ fuiſſe, qui eum populo Deum factum mentiretur; Quirinumq; dici velle, vt ſuperſtitio in totam poſteritatem propagaretur, remq; Romanis, vt ſibi glorioſam, facile à ſubornato Iulio Proculo fuiſſe perſuaſam.

1. *Dionyſ. Plutar.*

2.

l. 3. de Ciu. c. 15.

3.

Vide Aug. c. 18. de Ciu. l. 24.

ANNVS MVNDI 3339.

MANASSIS & OSAIÆ 2.

OLYMPIADIS XVI. A. 2. VRB. C. 38.

MERODACHI 16. Imp. Babyloniorũ 7.

ANTE CHRISTVM 714.

I. Interregnum Romæ.

QVadringenteſimus agitur annus ab inito à Samuele principatu, quo regum ætatem inchoauimus; quo anno Romana reſpub. principe caruit, ſed multos habuit per interualla, qui regem repræſentarent. Nam centum Patres vt ait Liuius, decem decuriis factis, ſinguliſq; in ſingulas decurias creatis, qui ſummæ rerũ præeſſent, conſociant: decem imperitabant, vnus cum inſignibus imperij & lictoribus erat, quinque dierum ſpatio finiebatur imperium, & per omnes in orbem ibat; annuumque interuallum regni fuit, quod ab ipſa re dictum eſt. Interregnum; & qui erat cum inſignibus imperij Interrex. Eadem habet Dionyſius, niſi quod ducentos patres & 20. decurias conſtituit, eò quod Senatorum numerus, admiſſis in Rempub. Sabinis, fuiſſet duplicatus.

II. Incrementa ſuperſtitionis Hieroſolymis.

Interea gliſcit in dies magis idololatria in regno Iuda, excitantur luci, arbores artificioſe digeruntur: certis etiam locis columnæ, arcus, ſtatuæ ad ornatum collocantur, dicantur Ioui, Marti, Veneri, cæteræque militiæ cœli; honorantur à rege primùm, regem ſequuntur aulici, inde populus vniuerſus. Et credibile eſt iſta primum ad ornatum, & animi oblectationem fuiſſe quæſita, ſed ea mox dæmonum fraude in idololatriam tranſijſſe; idque Scriptura videtur ſignificare voluiſſe, cum ait populum ſeductum fuiſſe à Manaſſe *vt faceret malum ſuper omnes gentes, quas contriuit Dominus à facie filiorum Iſrael.*

ANNVS MVNDI 3340.

MANASSIS, & OSAIÆ Pont. 3.

MERODACHI 17. Imp. Babylonici. 8.

OLYMPIADIS XVI. AN. 3.

NVMÆ 1. VRB. COND. 39.

ANTE CHRISTVM 713.

I. Initium regni Numæ.

INterregni annus aut abibat Romæ, aut iam plane abierat, cum plebs fremere cœpit multiplicatam seruitutem, viginti pro vno Dominos factos. Iussit itaque populus, vt Senatus decerneret qui Romæ regnaret. Veteres Senatores è Sabina gente, Pompilij viri illustris filium elegerunt, Numam nomine, prudentissimos ætatis annos ingressum. Non multum enim aberat ab anno 40. vt qui eo anno natus esset, quo anno Romulus vrbis fundamenta iecit. Accedebat regia formæ dignitas, & sapientiæ fama apud vicinas gentes. Eum ergo ad regnum ineundum adduxerunt anno 3. decimæ sextæ Olymp. qua stadio vicit Pytagoras Lacedæmonius. Ita Dionysius. Et hinc quidam Numam Pytagoræum crediderunt, At libentius audio Ciceronem, qui arbitratur propter Pythagoræorũ admirationem, Numam quoque regem Pythagoræum à posterioribus existimatum: quod vtrumque sapientem fuisse constaret, ætates autem & tempora ignorarent. Auxit sapientiæ & virtutis opinionem, quod legatis ad regnum se vocantibus diu restitit, donec patre fratribusq; deprecantibus cessit. Quapropter venienti itũ est obuiam, & in vrbem cum crebris gratulantium salutationibus deductus est; & communibus omnium suffragiis Rex declaratus, patrum augurumque calculo confirmatus est.

Cur Pythagoræus creditus. 4. *Tusc. init.*

II. Manassis multiplex idololatria.

Hoc ipso anno, & aliquot sequentibus, roborata est Hierosolymis, & in omni Iudæa Idololatria. Nam Manasses non contentus excelsa instaurare, ibiq; tam Deo, quam Baali sacrificare, plantare lucos, omnem cœli militiam adorare, etiam in domo Domini aras extruxit, id est in duobus templi atriis; gentiũ videlicet, & Israëlis. Deinde proficiens in peius, etiam atrium Leuitarum, in quo sacerdotes sacrificabant, idolo luci contaminauit. Potuerunt septem areæ Israëlitici atrij septem planetis dicari, cum suis singulæ altaribus ac simulacris, & rursus in quatuor angulis atrij gentium. Idolum autem luci fuit quoddam præcipuum simulachrum, quod in eo loco & luco, quem rex plantauerat, eique cõsecrarat, præ reliquis honorari volebat. Hoc tamen idolum videtur intellexisse S. Basilius, cũ ait Manassem in templo Dei quadriformia idola collocasse, vt necesse esset cuilibet vndelibet templum ingresso, ante idola procumbere. Oportuit ergo in atrio Leuitico, & in eius quasi centro collocari, vbi erat altare holocaustorũ; quem locum omnes portæ & porticus atrij Israëlitici, ab ortu, aquilone, & meridie intuebantur. Eusebius in Chron. ait eum suam statuam posuisse, quinque facies habentem.

Simulachrum luci. *Hom. de pœnit.*

Vide Ann. 2. 6. & 17

Nec finis superstitionis. Nam hisce annis filium suum siue filios traduxit per ignem in valle Benhennon, in suburbio orientali Ierusalem, & fiebat aliquando nuda traiectio, aliquando etiam igne consumebantur. Nec repugnat ætas Manassis generationi filiorũ; is enim 18. annorum esse potuit. Id quoque ratio temporis exigit. Cum enim statuerimus Iudithæ historiam ad tempora Manassis esse referendam, & cædẽ Holofernis posteriorem esse reditu Manassis è Babylone, cum ea cædes contigerit decimo tertio anno Imperij Babylonici, qui annus in nonum Manassis cadit: Oportet vt Manasses anno septimo regni sui captus sit à Babylonis, octauo redierit, quo anno Arphaxad à Nabucho donosore victus est, nono cæsus Holofernes. A reditu autem ex Babylone, nemo est qui eum idololatriæ vacasse puter; ideoque nõ est quod filiorum eius traiectionem per ignem, ad ea tẽpora referuemus. Itaque & hoc tempore filios habuisse, & sub ipsam eorum natiuitatem, sacrilega illa ceremonia eos dæmoni consecrasse dicendum est.

III. Filios habere potuit nũc, eosque per ignẽ traduxit.

Ratio tẽporis.

Supersunt alia duo generalia crimina Manassis Magia & Homicidium. Nefarias enim & diabolicas diuinandi artes sectatus est, per astrorum inspectionem, per auium garritus & volatus, per obseruationes somniorum, per pithones Pithij Apollinis sacerdotes, per haruspices hostiarum & extorum scrutatores. Denique secum habuit magos atque maleficos, maleficiis homines ex dæmonum imperio infestãtes. Quin & ipse veneficiis, & maleficijs inseruiebat, vt est in 2. Paral. Itaque perditus iste iuuenis magiam idololatriæ coniunxit, vt assolet; & torrori illi Sathanæ per magiam factus familiaris, facile ad cædes, præsertim imperandas, ab eo compulsus est. Fudit ergo sanguinem multũ nimis, non sceleratorum hominum, à quibus ad hæc scelera pertrahebatur, sed innocentum, nec innocentum modo, sed sanctissimorum hominum, seruorum Dei prophetarum, in quibus Esaias sanguine regio, & vaticiniis illustrissimus; nec paucorum se crudeli morte contaminauit, sed Ierusalem, quasi vas aliquod, ad ostificium vsque impleuit.

IV. Eiusdem magicæ artes. *Paralip. c. 33. 6. in Sept.*

Cum enim Manasses contra Deum hominesque nefariè baccharetur, Deum solio pelleret, homines morti, seipsum dæmoni addiceret, iuuenem miseratus misericors Deus sacerdotes excitauit, qui templi iniurias & profanationem lamentarentur, verba Domini ad Dauidẽ, & ad Salomonem de templo suo inculcarent: excitauit & prophetas, qui minas acerbissimas intonarent, dicentes; *quia fecit Manasses rex Iuda abominationes istas pessimas, ecce ego inducam malum super Ierusalem, & Iudam, vt quicunque audierit tinniant ambæ aures eius*, id est, stupeat, attonitusque reddatur. Alias quoque plurimas denunciarunt minas, vt videbis in Annal. sed sacerdotes & prophetæ surdis canebant cantilenas; cõuersi sunt enim in arcum prauum contra eos, imo & in feroces bestias, quæ eos crudeliter lacerauerunt. Causam autem tot tantarumque cædium fuisse putat Abulensis, quod Manasses non solum obiurgatores trucidaret, sed eorum etiam filios, fratres, cognatos, quomodo Achab non solum Nabothum, sed eius quoque filios interfecit.

V. Et cædes sacerdotũ & prophetarũ, & aliorũ innocentium.

v. 16. 17. & seqq.

v. 17. in 2. 21. 4. Reg.

In

VI. Osiæ Pontif. & Isaiæ ædes.

In his probabile arbitror etiam ipsum summum pontificem Osaiam interfectum esse; in cuius locum, Rege in captiuitatem adducto, suffectus sit Eliacim, siue Ioakim, cuius celebris est in libro Iudithæ mentio. Cuius tempore Nicephorus Constant. in suo Chronol. ait Ioakim summum gessisse pontificatum: ideóque eum deinceps pontificem Osiæ substituemus. De Isaia certe id certissimum videtur. Nam passim omnes eum crudeliter à Manasse interemptum referunt; eamque cædem tum supplicij genere, tum regia affinitate amplificant. Ei sententiæ communi martyrologium Romanum graue autoritatis pondus affert. Nam pridie nonas Iulij, qui est sextus eiusdem. *In Iudæa*, inquit, *S. Isaiæ propheta, qui sub Manasse rege sectus in duas partes occubuit.* Eius mortis causas varias in Annalibus reperies, sed ea quam dixi, de regis increpationibus maxime communis est, maximéque probabilis. Cum enim genus, & ætas, & in primis zelus diuinæ gloriæ & animarum salutis animos prophetæ faceret, & regem & principem & populum vniuersum acerbius accusaret, regi feruidò iuueni bilem commouet, vt eum morti traderet.

Vide Sanct. in procem. Isaiæ n. 7.

n. 25. & seqq.

vt c. 1. & 57.

VII. Esaiæ cædes. *in c. 57. Esa. 1.*

Quod ad mortis genus attinet, omnes tradunt eum crudeliter serra dissectum occubuisse. Vnde Hieron. in illa verba, *à facie malitiæ collectus est iustus*, ex Iudæis dicit Esaiam ea de sua prophetare morte, *quod serrandus sit*, inquit, *à Manasse serra lignea, quæ apud Hebræos certissima traditio est. Vnde & nostrorum plurimi, illud quod de passione sanctorum in epistola ad Hebræos ponitur, serrati sunt, siue secti, ad Esaiæ referunt passionem.* Idem sentit Tertul. non vno in loco. Addit Isidorus à vertice per medium dissectum, sicque atroci supplicio excruciatum atque extinctum fuisse; quod alij ab imo ad summum factum putant. Aquam etiam morienti diuinitus datam Dorotheus, Epiphanius, alijque tradiderunt. Scribit autem Epiphanius Esaiam gloriosè, & honorifice à populo fuisse sepultum sub quercu Rogel, id est fullonis, cui etiam vicinus fuit fons Rogel.

I. de patient. c. 14. & l. 3. cōt. Marcion.

ANNVS MVNDI 3341.

MANASSIS 4. OSAIÆ Pont. 4.

MERODACHI 18. Imp. Babylonici 8.

OLYMPIADIS XVI. AN. 4.

NVMÆ 2. VR. CON. 40.

ANTE CHRISTVM 712.

I. Numa turbas Reipub. componit.

COngestis in eundem locum ijs, quæ ad Manassem ad annum vsque septimum regni ipsius pertinebant, aliqua de Romana re, eiusque rege Pompilio delibemus. Is initia regni sui, in componendis Reipub. turbis ab obitu Romuli concitatis, collocauit; vt virum sapientem decebat. Nam antiquiores patres à iuniotibus ambitio distraxerat, & suos quique clientes habebant, à quibus Respub. bipertitò scindebatur. Plebis quoq; non parua pars nuper in ciuitatem recepta, neq; agros habebat, neq; vlla cōmoda, ideóque nouarum rerum occasionem captabat. Quibus omnibus ita prouidit Numa, vt & paupertes subleuaret, & conciliaret diuites, agris honoribusq; communicatis. Deinde vrbem vi & armis conditam, legibus ac moribus, maximéque religione stabilire constituit, ferocesque animos armorum desuetudine mitigare.

II. Ex sacra instituit malis arcib. vsus. *l. 7. de Ciu. c. 35.*

Itaque sacra instituit, quæ vt altius in animos descenderent, simulat vt ait Liuius, sibi cū Dea Ægeria congressus esse nocturnos, eius se monitu sacra instituere, quæ Dijs acceptissima forent, sacerdotes suos cuiq; Deorum præficere. Ita Liuius, quę sic explicat S. Augustinus. Ipse Numa ad quem nullus Dei propheta, nullus sanctus Angelus mittebatur, hydromantiam facere cōpulsus est, vt in aqua videret imagines Deorum, vel potius ludificationes dæmonum, à quibus audiret, quid in sacris constituere atq; obseruare deberet. Hæc, & plura ibid. August. quæ aperte Numam magicæ superstitionis insimulat: quæ fere fuit sapientia eorum ethnicorum, qui præ cæteris sapere, & arcana didicisse ferebātur. Istiusmodi sacra libris octo cōplexus est Numa, totidemq; sacrorum hominum classes instituit, prima fuit 30. Curionum, secunda trium Flaminum Ioui, Marti, Romulo dicatorum, tertia Tribunorum Celerum, Augurum quarta, quinta Vestalium. Sexta Saliorum, septima Fecialium, octaua Pontificum fuit, de quibus consulet studiosus lector Annales, sicut de Herophile Sibylla, quam hus retulit Eusebius.

Octo sacrorum classes.

in Chron. hoc anno.

ANNVS MVNDI 3342.

MANASSIS, & OSAIÆ Pont. 5.

MERODACHI 19. Imp. Babylonici 9.

OLYMPIADIS XVII. AN. 1.

NVMÆ 3. VRB. COND. 41.

ANTE CHRISTVM 711.

POlus Epidaurius Olympiadem XVII. notat, in stadio Olympico victor effectus. Quo ipso anno Astacus in Bithynia condita perhibetur, quę postea sub Olympiadem 129. à rege Nicomede ampliata. Nicomedia dicta est, autore Eusebio, atque Pausania. Refert porro in hanc tertium Numæ annum Eusebius rationem anni apud Romanos bene constituti, additis prioribus decem mensibus Ianuario & Februario. Ii tamen si decem tantum fuerunt, cum neque Solis neque Lunæ cursibus conuenirent, variis intercalationibus exæquabantur, vt fieret annus 360. dierum, vt Plutarcho placet. Quanquam probabilior multo sententia est, annum ab antiquo fuisse 12. mensium, sed eorum ordinem commutatum, vt Martius non vltra primus esset, sed tertius, nec Februarius vltimus, sed secundus, vt affirmat Plutarchus in Numa.

I. Numa testituit annum.

Certe, vt Censorinus est autor, Licinius Macer, & Fenestella annum Romæ ab initio 12. mensium fuisse dixerunt, vt olim apud Asianos

II. Qui ab initio fuit 12. mensium.

Tyrios, & Hebræos, & nominatim apud Troianos, à quibus Albani primùm, deinde Romani originem institutionemque traxerunt. Nec probabile est Romulum aut Numitorem, à quo ille fuit institutus, tam rudes fuisse, vt annum 10 mensium, neque Lunæ neque Solis cursibus cõuenire non animaduerterent, aut attemperare negligerent. Illud quoque à Numa curatum, vt lunaris annus vndecim diebus solari minor, solari æquaretur, addito alternis annis mense intercalari 22. aut 23. dierum, qui Mercidinus, autore Plutarcho, dicebatur, & post Februarium inserebatur. Sed accuratior exæquatio postea à Iulio Cæsare facta est.

Intercalatio Mercidini mensis.

III. Numa dat congiarium, ex assibus ligneis, scorteis, & figlinis

Quarto autem anno regni sui, Numa, vt est in Chronico Græco Eusebij, Capitolium à fundamentis excitasse dicitur, quod tamen posterius inchoatum, ex probabiliore opinione, suo loco dicemus. Ibidem additur eum Romæ dedisse congiarium, assibus vsum ligneis, scorteis, & figlinis: vtique in supplementum æneorum, qui iam tum in vsu erant, sed ita, vt recuperato postea ære, scortei, testacei, ligneique abolerentur. Et apparet propter illius pecuniæ insolentiam, Numos à Numa fuisse dictos, quod testãtur Isidorus, Epiphanius & Cedrenus, etsi æs primum signatum à Seruio rege Plinius dicat. At satis constat Ianum cum in Italia regnaret, Saturnum naue in suas oras deuectum hospitio accepisse, regni collegam assumpsisse, & in eius gratiam æreos signasse nummos, in quibus ex vna parte effigiem suam, ex altera nauem, aut eius partem insculpsit. Vide Lactantium, Macrobium & Alexandrum ab Alexandro.

Ab eo numi dicti.

l. 33. c. 1. Antiqua Italiæ pecunia. L. 1. c. 13. l. 1 c. 7. Sat. L. 4. c. 15.

ANNVS MVNDI 3344.

MANASSIS 7. IOAKIM Pont. 1.

MERODACHI 21. Imp. Babylonici 11.

OLYMPIADIS XVII. A. 3.

NVMÆ 5. VRB. COND. 43.

ANTE CHRISTVM 709.

I. Mylcellus. 10. Crotonem condit & Archias Syracusas.

MEminit huius anni Dionys. Halicar. cum ait integro quadriennio post assumptum à Numa principatum Myscellum Crotonem condidisse; ex quo probat inepte dici Numam Crotone studijs operam dedisse, cum ad regnũ assumptus est, cum ea ciuitas ne condita quidem tunc esset. Strabo ait Myscellum eam vrbem condidisse, adiuuante Archia Syracusarũ conditore, qui forte fortuna eò appulit, cum ad Syracusas condendas cursum intendisset. Vtrumque Delphos venisse consulendi causa, interrogatosque à Deo diuitias ne mallent an sanitatem? Archiam diuitias sibi optasse, Myscellum sanitatem. Ideoque Syracusis contigisse vt diuitiis abundarent, Crotone sanitate, itaq; cum vicibus Crotoniatæ præstarent, bellicis rebus, & athleticæ studuisse, in eaque floruisse, adeo vt vna Olymp. septem viri qui stadio vicerint, omnes Crotoniatæ fuerint, dictumque fuerit extremum Crotoniatarum, reliquorum Græcorum esse primum. Auxit Vrbis gloriam athletarum celeberrimus Milo, & discipulorum Pythagoræ, qui ibi versati sunt, multitudo.

6. Geo. 5. 14.

Hoc ipso anno septimo regni Manassis ponimus eius captiuitatem, simul & finem idololatriæ ab eo turpissimè restitutæ. Addimus & nouum pontificem, qui Rempub. absente rege gubernarit, vt ex historia Iudithæ liquet, qui & Eliachim, tum Ioakim appellatur. Quo autem tempore Iuditha floruerit controuersum est, aliis post captiuitatem. & regnum Cyri eam collocantibus; aliis ante captiuitatem, quos rectius sentire arbitramur, cum illos grauissimæ difficultates vrgeant; hos autẽ & leuiores, & multo pauciores, vt in Annalibus ostendimus. Existimamus itaque Iuditham ad Manassis tempora pertinere, eamq; chronologiam cum Scriptura recte congruere; præsertim quæ de pace Iudæo cum toto tempore Iudithæ in extremo eius libro memorantur. Conueniunt quoq; reges & constructio Ecbatanæ, eorum item potentia, tempusq; bellorum, quæ Scriptura celebrat.

II. Ratio temporis Iudithæ. c. 47. c. 15.

Ponimus autem cum Bellarmino, & omnibus, qui Iuditham referunt ad regnum Manassis, Nabuch. qui in Iuditho libro memoratur, esse Merodachum, qui ex multorum chronologia 52. annos regnasse perhibetur. Non potuit ergo alius esse rex Babylonis Nabuch. quã hic Merodachus, qui & Mardocempadus; quare autem dicatur rex Assyriorum, supra explicatum est. Possidebat enim Niniuen, magnamque partem antiqui illius imperij, quod sibi reddiderat vectigale. Quin etiam Iosephus Manassem à Babyloniis & Chaldæis captum scribit; itáque illud Scripturæ interpretatur. *Superinduxit eis principes exercitus regis Assyriorum, ceperuntque Manassen*, Iosephum autem omnes passim recentiores secuti sunt, in quibus Zonaras, Comestor, Philippus, Sigonius, Baradius, Dionysius, Bellarmin. Gretserus, Peretius, Salmeron, Turcellinus, Lyranus, Gordonus, & aliquot sectarij.

III. Merodach & Nabuch. idem.

2. Par. 33. 11.

Non potest autem Manassis captiuitas vltra septimum regni eius annum differri, qui est præsens. Nam necesse est reditum Manassis è Babylone prius contigisse, quam cædem Holofernis. Nam vt recte vidit Bellarm. Iudæorum rege in potestate Babyloniorum posito, non fuissent ausi Iudæi Holofernem principem militiæ Babylonicæ, non solum vrbibus excludere, sed etiam interficere, quæ cædes in caput Manassis, & sociorum eius esset redundatura. Oportet ergo prius ipsum regno suo fuisse restitutum. Atqui cæsus est Holofernes 13. Nabuch. siue Merodachi, qui est Manassis nonus, duodecimo autem, qui est Manassis octauus, victus est Arphaxad. Oportet ergo vndecimo anno imperij Babylonici, qui est præsens annus, captum captiuatumque Manassem. Cur autem in libro Iudithæ nulla fiat mentio Manassis, commodius postea dicetur.

IV. Manassis captiuitas huc pertinet.

Manass. Merodach
7. 11.
8. 12
9. 13

Causam captiuitatis eius ex parte Dei facile reperire est. Nam Scriptura enumeratis sceleribus Manassis, *idcirco*, inquit, *superinduxit eis principes exercitus regis Assyriorum, ceperuntque Manassem* &c. Oportebat quoque impleri prophetiam Esaiæ, de filiis Ezechiæ Babylonem

V. Eius causa ex parte Dei & Merodachi. 2. Par. 33 11.

exportandis

exportandis. Ex parte autem Merodachi, qui fœdus iamdudum inerat cum Ezechia, aut Manassis nihil apparet causæ cladis huius. An forte Merodach, cum regnum suum firma iam radice nixum animaduerteret, neglexit adolescentis regis amicitiam, & ambitione suadente, voluit eum habere tributarium, sicut pater eius & auus Assyrijs, quos ipse repræsentabat, fuerant vectigales. Ad eas etiam anhelabat opes, quas Assyrijs ereptas in clade Sennacheribi, Ezechias legatis suis ostentarat. Sumpto itaque aliquo offensionis obtentu, tributum à Manasse petijt; quo negato, arma in ipsum hoc anno mouit, atque adeo illum cepit.

XI. Manasses vinc captus an dolo. 2 to. Ant. cap. 4.

Sed vine, an dolo, an deditione regem in suam, aut principum exercitus sui, redegerit potestatem, non liquet. Scriptura captum duntaxat memorat, *victumque catenis atque compedibus*, siue, vt est in Hebræo, catenis duabus. Iosephus & vim memorat & dolum, quem Scriptura non negat. Dolum aliquem militarem, siue strategema suspicari fas est, eoque iuuenem regem incautè foras abductum, & insidijs, cum flore nobilitatis suæ, interceptum. Sed alia quoque fraude vsi videntur Chaldæi, eiusdem generis cum ea, qua posterioribus seculis vsus est Triphon. Qui cum haberet in potestate sua Ionathan, finxit se eum detinere propter centum argenti talenta, quæ si darentur, simulque duo filij Ionathæ obsides, remissurus esset patrem cum filiis. Sed perfidus recepit argentum cum pueris, nec dimisit patrem. Sic isti fortasse, ingentem pecuniam petierunt, tributi nomine Assyrijs iampridem debiti, & obsides fratres Manassis aut filios, vt dimitterent iam captum regem: quibus acceptis, & illos cum thesauris tetinuerunt, nec regem dimiserunt, sed omnia secum Babylonem transtulere. Sicque Isaiæ prophetia & minæ, siue vlla vrbis expugnatione, recte impleta videri potest. Manasses autem Babylone coniectus in carcerem, cœpit recogitare annos, & actus suos, in amaritudine animæ suæ.

2. Mach. c 13. 12. &c.

cap. 39.

ANNVS MVNDI 3345.

MANASSIS 8. IOACHIMI 2.

MERODACHI 22. Babylon. Regis 12.

OLYMPIADIS XVII. AN. 4.

NVMÆ 6. VR. C. 44.

ANTE CHRISTVM 708.

I. Numa instituit summum Pont. Numã Marcium.

SEXTVM hunc Numæ annum, Onuphrij fasti consulares insignem exhibent primo Romanorum pontificè Maximo Marcio Numa, filio M. Marcij Sabini, qui autore Plutarcho, Numam Pompilium, vnà cum eius parte, hortatus est ad regnum à Romanis oblatum accipiendum, eumque secutus Romam è Sabinis commigrauit. Ergo eius filio Rex Pontificatum maximum attribuit, cum suprema omnium sacrorum cura. Pontificiam autem dignitatem eximijs prærogatiuis ornatam scribit Dionysius.

In quibus illæ eminent, vt à iudicijs, & mulcta sint immunes, nec teneantur Senatui populóue rationem reddere; nec alius à populo in demortui locum, sed à collegis eligatur &c. Eidem quoq; Pontifici maximo, Numa filiam suã Pompiliam dedit vxorem, qui ex ea genuit Ancum Marcium quartum Romanorum regem.

Quem assumit generum.

II. Merodach aspirat ad integrũ imperiũ Assyriorum

At Merodach Babylonius Imperator læto successu capti Manassis, & thesaurorum eius factus animosior, ad maiora in dies aspirare cœpit, & integrum Assyriorum imperium affectare, cuius partem non modicam Medi tenebant Rege Arphaxado, qui *multas gentes imperio suo subiugauerat*, vt est in exordio, libri Iudith quæ victoriæ opes eius auxerunt animosque, *gloriabatur* enim *quasi potens in potentia exercitus sui, & in gloria quadrigarum suarum*. Eam superbiam augebat ciuitas Ecbatana ab eo magnificè constructa. Cumque Merodach non minora cogitaret, vt dixi, dominandi cupiditas facile bellum inter vtrumq; cõcitauit, nec apparet cum in vtroque eadem esset causa bellandi, vterq; alterum æmularetur ac timeret, vter prior initium bello dederit. Vtut sit, Merodach, qui & Nabuchodonosor, qui apud Assyrios & Niniuem rerum potiebatur, etsi regni sedem haberet Babylone, vbi & captiuũ habebat Manassem, Merodach, inquam, pugnauit contra Arphaxad, & obtinuit victoriam. Pugnæ locus fuit campus magnus nomine Ragau in Mesopotamia, tempus, annus duodecimus imperij Merodachi. Hæc tantum de tanto bello in latino textu.

Etpugnat cum Arphaxado eadẽ cogitante.

III. Pugnæ & victoriæ modus.

In Græco autẽ tota res paulò fusius hoc modo. *Et aciem instruxit in potentia sua contra Arphaxad in anno septimo decimo, & preualuit in prælio suo, & euertit omnem virtutem Arphaxad & omnem equitatum eius, & omnes currus eius, & dominatus est ciuitatibus eius. Et peruenit vsque Ecbatana, & obtinuit turres, & prædatus est plateas eius & ornatum eius posuit in opprobrium eius. Et cepit Arphaxad in montibus Ragau, & iaculis suis confixit eum, & exterminauit eum vsque in diem illam.* Hæc ibi, & sic gloriosus humiliatus est, & omnis magnificentia eius data in præceps, cæsus exercitus, confractæ quadrigæ, direptæ opes, ciuitas regia ambitiosissimè exornata, & munita in hostium vsum concessit. Additur autem mox Nabuchodonosorem reuertisse in Niniuen, ibique quieti & conuiuijs ad 120. dies, id est quatuor mensibus indulsisse. Cum autem constet ex 2. libri Iudith, sub mẽsem Martium bellum à Nabuchodonosore redintegratum, facile est intelligere Arphaxadum sub mensem Nouembrem deuictum & occisum fuisse. Nec tamen propterea Medorum regno illatus est finis. Cum enim, vt dicetur anno sequenti, cæso Holoferne maxima clade affectus esset Merodach, & tumor cordis eius, opera mulieris vnius, diuinitus compressus; facile est intelligere Medos sua recepisse, & regnum ad Cyri vsque tempora propagasse.

Et tẽpus.

IV. Reditus Manassis in regnũ prõprios.

Vt autem captiuum Iudæorum regem inuisamus, plurimorum sententia est Manassem regno suo fuisse iam restitutum, quo tẽpore Holofernes Iudæam bello petijt, quod proximo anno contigit; ideoq; hoc ipso anno regẽ postliminio redijsse dicendum est. Idque Scripturæ consentaneum est. *Nuper autem*, ait Achior Am-

inuenta, *reuersi ad Dominum Deum suum, ex dispersione quasi dispersi fuerant, adunati sunt.* Quomodo adunari, si rex ipse cum suis adhuc hostili carcere vinculisque tenebatur, miserè à populo suo, regnoque seperatus? vtique iam ad Dominum Deum suum regnumque reuerterat. Alioqui subditi eius legatos Merodachi sine honore, vt cæteri, non abiecissent, sed rogassent ipsi quoque quæ pacis sunt, tanto iam pignore occupati, nedum principem militiæ eius per fraudem occidissent, omnesque illius copias toto regno hostiliter persecuti fuissent.

V. Ex Scriptura firmatur. 2 Par. 33. 12. 13.

Innuit enim Scriptura non diuturnam fuisse captiuitatem eius, aitenim; *Qui postquam coangustatus est, orauit Dominum Deum suum, & egit pœnitentiam valde coram Deo patrum suorum, deprecatusque est eum, & obsecrauit intentè, & exaudiuit orationem eius; reduxitque eum in Ierusalem in regnum suum, & cognouit Manasses quod Dominus ipse esset Deus.* Cum ergo non multum temporis necessarium fuerit Regi ad angustias carceris, & ferri pondera sentienda, & vt homini vexationis insolenti, vexatio daret intellectum, sequitur nõ diu dilatam fuisse orationem: quæ cum valde feruens & humilis fuerit, apparet promptam fuisse exauditionem, vt Achabi quoque humiliationi contigit. Prompta quoque liberatio vtilis futura erat pietati in regnum Iuda restituendæ, & idololatriæ quamprimum exterminandæ.

Et ratione. 3. Reg. 21. 29.

VI. Cur nulla mentio Manassis in bello Holofernis.

Nulla porro fit mentio Manassis, in toto bello Holofernis, tum quia bellum Hierosolymam vsque, vbi rex erat, nõ peruenit: tum quia rem pontificij, quia administrarat eo absente Rempubl. permisit, neque se bello iste voluit immiscere, conscius promissi Merodacho facti, cum ad sua redire permissus est. Id enim solet in ancipitibus euentis à principibus factitari, vt ea permittant à suis subditis fieri, quæ si prospere cedant, approbent; sin secus, grauiter reprehendant; seque inscijs susceptа fuisse serio profiteantur. Nec tamen rem bene gestam præ se tulit rex approbare; quia sciebat non ita contritas hoc bello Babyloniorum vires, quin resumptis animis Iudæos debellare possent, vt senserunt nepotes eius. Cum autem Manasses vere conuersus esset ad Dominum, solamque peccatorum suorum veniam postularet, iuxta orationem, quæ illi tribuitur, non solum illam concessit, sed etiam quæ non postularat, nimirum promptam in regnum restitutionem; vsque adeo vera pœnitentia placet diuinæ clementiæ.

VII. Manasses gratiosus fit regi Merodacho. 2. Par. 30. 9.

In Manasse porro impletum est, quod pater eius Ezechias denunciabat futurum, dum Israëlitas ad resipiscendum excitaret. *Si enim vos reuersi fueritis ad Dominum, fratres vestri & filii habebunt misericordiam coram dominis suis, qui illos duxerunt captiuos, & reuertentur in terram hanc.* Id multos expertos legimus & nominatim Tobiam, Ieremiam, Danielem; sed haud scio an vllum exemplum illustrius fingi possit eo quod habemus in manibus. Dimittit enim Merodach Manassem, eo tempore, quo mittebat Holofernem, vt omnem terram suo imperio subiugaret, nec timuit ne is suis hostibus adderetur. Nimirum cor regum in manu Dei, & quocunque voluerit inclinat illud. Inclinauit ergo Merodachum, vt mitiore vultu intueretur in principem, suis spoliatum thesauris, vt ærati, vt regi, vt Ezechiæ amici iamdudum sui filio aliquid indulgeret; & fidem, & vectigal annuum promittentem à se dimitteret. Exterruit etiam eum fortasse per visum Dominus, eique obtemperare necessarium putauit. Sicque inseperatus & improuisus, cum socijs eiusdem seruitutis, ad suos reuersus est.

ANNVS MVNDI 3346.

MANASSIS 9. ELIACHIMI 3.

MERODACHI 23. Imp. Babylon. 13.

OLYMPIADIS XVIII. AN. 1.

NVMÆ 7. VRB. CON. 45.

ANTE CHRISTVM 707.

I. Ann. Sabbat. 109. 439 *ante rem.* 324 *post.*

SAbbaticus est hic annus ordine 109. Est enim ab ingressu Israëlitarum in Chananitidem 763. In quem etiam annum incurrit initiũ Olympiadis decimæ octauæ, in qua Tellis Sicyonus cursu victor fuit. Incurrit etiam gloriosissima illa de Holoferne victoria, quam ideo Dominus per manum imbellis fœminæ de potentissimo aduersario tetulit, vt facilius intelligeretur, à quo tantum opus profectum esset, & cui statuendum trophæum; ei videlicet, *qui facit mirabilia magna solus.* Merodachus igitur euerso fortunis omnibus & ipsa vita rege Medorum, adiecit animum non tantum ad integram Assyriorum monarchiam, sed ad totius etiam terrarum orbis imperium; id fuit mysterium quod amicis communicauit. Non enim id vulgo præ se tulit, nec ab omnibus nationibus simul coniurantibus obrueretur. Iactatum ergo in vulgus fuit, velle regem *defendere se*, id est, vlcisci eorum contemptum, qui ad belli societatem contra Medos vocati, eum superbe contempsissent. Sed alius quoque mysterium fuit, quod incredibilem hominis arrogantiam prodit. In mandatis quippe Holoferni dedit, vt omnes Deos terræ exterminaret, vt ipse solus diceretur Deus ab omnibus nationibus, quas subiugare potuisset.

Consiliũ Merodachi publicum & secretum.

cap. 3. 13.

Itaque approbato ab omnibus belli ducibus ac dynastis consilio, in primisque ab Holoferne militiæ principe, ei exequendum datur, eo tempore, quo solent reges ad bella procedere dies 22. primi mensis notatus in textu, quatuor iam mensibus in hybernis militi teficiendo consumptis. Fuit is genere Persa, bellicosus in primis ac ferox, quem etiam rex ipse ad crudelitatem exasperat, verbis tanta superbia tumentibus, vt se superbia ipsa loqueretur, non aliam, opinor, ederet vocem vt ex Annalibus intelliges. Habuit autem sub signis 120. *millia peditum pugnatorum*, non numerato videlicet omni seruitio calonum atque lixarum, *& equitum sagittariorum duodecim millia.* Præmisit autem *multitudinem innumerabilium camelorũ*, qui commeatum ferrent, impedimenta, machinas & armorum bellicorum copiam ingentem. *Boum quoque armenta præmisit, gregesque ouium quorum non erat numerus*: ne scilicet fame laboraret

II. Bellum cõmittit Holofernes. c. 2. 1.

Eius copiæ, commeatus, pecuniæ.

tan-

tantus exercitus, dum pagani omnia sua cogunt in ciuitates munitas, à facie hostilis exercitus. *Frumentum quoque ex omni Syria in transitu suo parari constituit. Aurum vero & argentum* belli neruos, in sumptus & stipendia militum, *de domo regis* sine quæstoribus regijs, *assumpsit multum nimis.*

III. Obuias vastat prouincias.

Et profectus est ipse, cum omni exercitu, *qui operuit faciem terræ sicut locusta*, omnesque regiones obuias peruastauit, memor illius præcepti, *Non parcet oculus tuus vlli regno*, quod scilicet resistere audeat; At mali principes seruus peior, etiã in humiles, & se ipsos vltro dedentes, barbarè sæuiebat; tantaque erat hominis impotentia, *vt omnes deos exterminaret.* Beatus vtique si veri Deo honore incensus, ista perpetrasset, & non suprema impietate, contra opinatam à se diuinitatem, gigantum more consurgere. Cumque ea tempestas multas regiones sæuiendo percurrisset, in ciuitatibus in Chananitide occupatis, per dies 30. substitit, dum ipsius omnes copiæ, quæ varia simul loca populabantur, ad eum congregarentur. Quæ cum Iudæi magno cum timore accepissent, summo studio se ad resistendum pararunt, occupato transitu locorum difficili, muniendo pagos, colligendo frumenta, obsidioni tolerandæ: nam segetes commodum iam demessæ erant.

Et earum Deos.

Subsistit in Chananitide.

IV. Iudæi defensionẽ parant moderatore pontifice.

Fiebant hæc moderatore sacerdote magno, quo inuitante ad Deum, pœnitentes Niniuitas imitati, confugiunt; quos idem pontifex Ioachim ad perseuerantiam, obeunda regione adhortatur, diuino auxilio ac misericordia promissa. Quibus in orationibus & corporum afflictationibus sacerdotes ac Leuitas populo prælucebant, adeo vt præcincti cilicijs, & capitibus cinere conspersi, & ieiunia frequentantes sacrificia offerrent. Manasses autem ex recuperato regno ac libertate hilaris, publicam tamen tacitus calamitatem lugebat, & cognito quod Dominus ipsi esset DEVS, cultum eius euersa idololatria restituebat. *Abstulit* enim, vt ait Scriptura, *Deos alienos, & simulacrum de domo Domini*, quod erat in atrio Leuitico, quod erat scandalum omnium maximum; *aras quoq; quas fecerat in monte domus Domini*, id est in monte Moria, in atrijs templi Domini, *& in tota vrbe Ierusalem, & proiecit omnia extra vrbem*, in locum scilicet profanum, puta in Tophet, ad torrentem Cedron, exemplo Ezechiæ patris sui. Instaurauit quoque altare Domini, vt pridem posuerat idolum luci, *& immolauit super illud victimas, & pacifica, & laudem*, id est, sacrificia pacificorum & gratiarum actionis. Denique extra ciuitatem Dauid, muros instauratuit.

Dissimulante Manasse, & Dei cultu restituente. 2. Par. 33. 15.

2. Par. 29. 16.

V. Belli apparatus Iudaicus inuestigat Holofernes.

Hic belli apparatus in Iudæa fieri non potuit, quin fama perueniret ad Holofernem; qui nimio furore exarsit, indignatus sibi resisti ab infirmioribus, qui potentiores deditione, sine pugna subiugasset. Memor tamen prudentiæ ac dignitatis suæ, eos accersit, à quibus, propter Iudæorum vicinitatem, discere posset, quæ de Iudæis scire cuperet. Quamquam non videatur ignorasse de Iudæis quæ petebat, vt qui recens eorum regem vidisset Babylone captum, sed ex indignatione interrogasse, quod vilis Iudæorum populus, tanto regi, tantoque exercitui, & tot prouinciarum victori resistere auderet. Nam si ab ignoratione protecta fuisset interrogatio, non ita exarsisset in Achiorum Ammonitam, à quo modeste ipsam veritatem audierat. Sed expectabat Holofernes, vt Achior more palatinorum, eius arrogantiæ veli ficaretur, Iudæos superbiæ, & dementissimæ temeritatis accusaret. Eodemque modo optimates eius, non ex ignorantia, sed ex indignatione rogant. Quis est iste, qui dicat filios Israël resistere posse regi Nabuchodonosor, & exercitibus eius? homines inermes, & sine peritia artis pugnæ, quæ isti ab Achiore non audierant, sed iam sciebant.

Qui in eos ignatu:

VI. Achioris ad eum oratio in gloriam Dei Hebræorum

Cæterum Achior alte ducto narrationis initio, docet Iudæos Deo optimo maximo, cuius essent cultores, semper curæ fuisse, & pro studio pietatis, aut neglectu, ita semper fuisse à Deo suo vel defensos vel castigatos: peccantes prædæ fuisse hostibus suis, bene agentes omnibus populis timori & admirationi. Quæ cum fuse docuisset Achior, iram illorum ita excitauit, vt, cum acerbæ mortis interminatione, ad arborem alligaretur, ac dederetur Iudæis. Quem cum Iudæi soluissent, deduxerunt in Bethuliam, à quo & rem totam didicerunt. Eoque commendato, quòd verum pro Deo testimonium tulisset: ei potestatem fecerunt aggregandi se ad populum veri Dei cultorem, cum Deus illum liberasset ab hostibus suis. Interim Ozias vir in ciuitate primarius, suscepit eum in domum suam, Vbi conuocatis senioribus ciuitatis, sub vesperam expleto ieiunio refecti sunt. Moxq; non contenti diem totum in precibus traduxisse in loco orationis, etiam noctem in eadem animi contentione posuerunt, vt diuinæ misericordiæ vim afferrent, & optatam misericordiam extorquerent.

Cum ira accipitur & deditur hosti.

VII. Holofernes obsidionem incipit. c. 7. 1. 2. &c.

Holofernes autem postridiè quam illa cum Achiore gesta fuerant, præcepit exercitibus suis vt ascenderent contra Bethuliam, quorum multitudinem cum vidissent filij Israël, *prostraverunt se super terram, mittentes cinerem super capita sua, vnanimes orantes, vt Deus Israel misericordiam ostenderet super populum suum.* Dum autem angustos montium aditus tota die ac nocte custodiunt, & obsessam à longe Bethuliam circuit Holofernes, animaduertit à parte australi vrbis fontem, qui per canalem ciuibus aquam largiebatur aliò auerti posse. Itaque incidi præcepit aquæductum, & aquas in vsum exercitus sui deriuari. Erant tamen non longè à muris fontes, ex quibus, inciso canali, furtim aquas non solum noctu, sed interdiu etiam in hostium oculis haurire cogebantur, quo per Ammonitas & Moabitas animaduerso, rem ad Holofernem detulerunt. Qui centenos in singulis fontibus custodes constituit; quæ custodia cum viginti dies, vel vt est in Græco 34. tenuisset, defecerunt cisternæ, & collectiones aquarum, quamuis aqua parce ciuibus distribueretur.

Incidit aquæductum & fontibus adhibet custodes.

VIII. Ciuium in siti ad magistratũ querimonia. c. 7. 12. 13. &c.

Itaque cum tota ciuitas siti deficeret, ad Oziam primarium magistratum queruli, gementesque veniunt, inopesque consilij, produnt ægri animi ac variè fluctuantis æstus oratione sua. Fluctus vnus est, quod populari more, exitu consilia metientes, magistratum accusant, quod non fecerit, quod ipsi quoq; fieri no-

luerant. Fluctus alter est quod se venditos à DEO, id est hosti traditos, aut sine vlla dubitatione tradendos asserunt. Fluctus tertius, quod non sit qui adiuuet, ne ipse quidem Deus, tot precibus supplicijsque sollicitatus. Huic quartus à tergo imminet decumanus, deditionem esse faciendam. Sed ecce iterum ferocissimi hostis crudelitate percelluntur, & nonnulla diuini auxilij spe reflante quodammodo sustentantur, vnde iterata lamenta, preces que ad Deum ingeminant; *& per multas horas vna voce clamauerunt ad Deum dicentes. Peccauimus cum patribus nostris, iniuste egimus, iniquitatem fecimus. Tu quia pius es, miserere nostri aut in tuo flagello vindica iniquitates nostras, & noli tradere confitentes te, populo qui ignorat te, vt non dicant inter gentes, vbi est Deus eorum*, significantes interesse diuinæ gloriæ liberationem suam.

Denique *cum fatigati hi clamoribus, & hi fletibus lassati siluissent. Exurgens Ozias infusus lachrymis dixit. Æquo animo estote fratres, & hos quinque dies expectemus à Domino misericordiam: forsitan enim indignationem suam abscindet, & dabit gloriam nomini suo. Si autem transactis quinque diebus non venerit adiutorium, faciemus hac verba, qua locuti estis.* Eam autem promissionem iureiurando firmauit, vt ex sequentibus intelligitur.

Hactenus Iudaici populi negotia, dissimulante Domino, ad summum fuere deducta discrimen: cum Deus recordatus misericordiæ suæ, suscitat mulierem ad opus, in quo perpetrando fortissimi bellatores cótremiscant; mulierem genere, forma, opibus, pietate præstantem; addo etiam ætate, & quæ vix trigesimum tertium agebat annum, vt docemus in Annalibus, præter multorum opinionem; mulierem quartum iam annum viduam, cuius eximia fama cum insigni virtute certabat, quæ *in superioribus domus suæ fecerat sibi secretum cubiculum, in quo cum puellis suis clausa morabatur, & habens super lumbos suos cilicium, ieiunabat omnibus diebus vitæ suæ, præter festos dies.*

Hæc igitur mulier, tot titulis illustribus, cum audisset Oziam, primatium in ciuitate magistratum, in deditionem Bethuliæ intra quintum diem consensisse, presbyteros Charmi & Chabri euocauit ad se, ne publicè argueret, neque blandam adhibuit orationem, ne mollis oratio, ex elegantissimæ, sapientissimæque mulieris ore profecta, viriles animos ad molliciem frangeret, quando firmandi erant ad certamen. Venerunt illi ad Iuditham, & cum ipsis etiam Ozias, studio addiscendi aliquid, quod ad communem patriæ salutem faceret; quod vt sperarent, publica & constans de eius sanctitate opinio faciebat. Euocatos autem arguit, quod illa dierum certorum definitione, defectu confidentiæ in DEI prouidentiam & bonitatem laborent, atque ita non prouocent misericordiam eius, sed furorem accendant. Itaque admonitis de imploranda super hoc ipsum DEI clementia, spem diuini auxilij excuscitat, ex recordatione bene actæ vitæ, & suggerit eisdem hac ipsa de re exhortationem.

Eam Iudithæ admonitionem cum Ozias & socij æquissimo animo, accepissent, illius ad Deum preces tanquam sanctæ muleris implorarunt; illa vicissim preces eorum, totiusque populi postulat, vt quæ Dominus, pro communi salute suggerebat, perficere posset. Et quoniam eorum iniussu ex vrbe exire, noctu præsertim, & in tanta rerum perturbatione, non licebat, liberum sibi cum ancilla sua exitum petit. Quo impetrato *ingressa est oratorium suum, & induit se cilicio*, deposita scilicet zona cilicina, qua lumbi tantum asperabantur, maius cilicium induit, quo humeri & pectus, & totum pene corpus affligebatur, & Dominum pro suscepto facinore perficiendo obsecrauit, cladem hostibus, & nominatim Holoferni imprecando. Non optauit autem scandalo esse Holoferni, vt in libidinosam voluntatem, ex ipsius aspectu, verbisque corrueret; sed desiderauit potius vt ille coniugium optaret, quod in salutem totius populi redundaret.

ad certamen per preces.

XII. Et corporis cultū. c.10.4.

Cum autem constantiam à Domino ac fortitudinem enixè postulasset, quæ ad corporis cultum formamque pertinebant, quoniam eo telo maximè pugnatura erat, diligenter curauit. Cuius etiam pulchritudinem Dominus amplificauit, *vt incomparabili decore omnium oculis appareret.* Cumque de cibis quoque prouidisset sibi, ne profana mensa pollueretur, exiit ab vrbe cum plurima comprecatione ciuitatis. Hactenus noui huius belli apparatus, nunc ad certamen ipsum veniendum est. In quo post partem noctis extra vrbem in oratione positam, primus est Assyriorum occursus, tum transfugium simulatum, inde pulchritudinis admiratio, ad Holofernem deductio, eius adoratio, & amica receptio, quæ fusius è Scriptura memorantur. In qua narratione dubitationes aliquot occurrunt, quas in Annalibus diligentius explicatas hîc perstringemus, vt compendij ratio postulat.

XIII. Ad simulatione, adoratione, & imprudentia peccarit.

Prima est de simulatione transfugij, quæ virtuti Veritatis opponitur, estque mendacium factorum, cui eiusdem generis verba famulantur. Ait enim se fugisse à facie suorum ciuium, & cognouisse futurum vt præda fierent Assyrijs, aliaque id genus. Respondeo Iudit ham recte dolo ac stratagemate aduersus iniustissimum hostem vti potuisse, & frequenti subinde ironia vti, quæ mendacium dici non debet. Altera de adoratione impio ac profano viro exhibita; quæ accusatio nullum habet pondus. Licitam enim venerationem principibus viris, qui Dei locum in mundi gubernatione tenent, plurima Scripturæ exempla docent. Nam Abraham Ephronem, & populum terræ adorasse legitur, & Iacob fratrem Esau, & patriarchæ Iosephum, & Moses cognatum Iethro. Tertia est de adito grauissimo periculo castitatis: qua in re dici potest eam peculiari Dei instinctu cognouisse, se à Deo & Angelo eius protectum iri, vt ipsa postea in reditu significauit. Deinde prudenter sperare potuit se Holofernem ad voluntatem & spem coniugij allecturam, cum eiusmodi principes plurimas vxores habere solerent.

XIV. Vt excepta fuerit ab Assyriis. c.11.19.

Orationem Iudithæ omnium astantium atque ipsius Holofernis excepit admiratio, vt dicerent, *Non est talis mulier super terram, in aspectu, in pulchritudine; & in sensu verborum. Et dixit ad illam Holofernes, Bene-*

fecit Deus, qui misit te ante populum, vt des illum tu in manibus nostris. Et quoniam bona est promissio tua, si fecerit hoc Deus tuus, erit & Deus meus; & tu in domo Nabuchodonosoris magna eris, & nomen tuum nominabitur in vniuersa terra. Videtur hæc Holofernis promissio, non ex pietate proficisci, sed ex studio eblandiendi Iuditha gratiam, cuius amore, iam à primo aspectu, flagrabat. Tũc iussit eam introire, vbi reposita erant thesauri eius, & iussit illis eam manere, & constituit quid daretur illi de conuiuio sũo, in signum intimæ benevolentiæ. At Iuditha significauit se religione prohiberi, ne alienos cibos vsurparet, vt ille superstitionem potius, quam contemptum interpretaretur. cap. 12. 21.

XV. Reditum maturè parat.

Hactenus cibo & habitationi prouisum est. Deinceps maturè reditum parat. Impetrat enim ab Holoferne vt noctu, & ante lucem liceret ei foras egredi, ad orationem more patrio. Crebrius autem exiuit, vt nocturnos excubitores assuefaceret, vt quacunque noctis hora exiret, nihil mali suspicarentur, sed eam more suo ad orationem exire crederent. Fotis autem lauabat se aqua ritu Iudaico, vt quidquid labis ex profana cohabitatione contraxisset, eluĕretur, sicque purior ad orationem accederet. Atque ita tres dies totidemque noctes abierunt. Quarto autem die cœnam fecit domesticis suis, ad quam, internuncio Eunucho Vagao, Iuditham euocauit. Verborum autem Eunuchi duplex erat sententia, altera simplex qua tantum ad cœnam, ad familiaritatem, & hilaritatem Iuditha inuitabatur; altera insidiosa & tectior, qua ad flagitium vocabatur, priorem sensum accepit Iuditha, ideoque se ad eius obsequium parentem esse professa est; Holofernes autem & Vagao alteram verborum sententiam spectabant, & decepti sunt ambiguitate verborum. Et reuera venit Iuditha ad cœnam eius, & comedit & bibit coram ipso, eodem & verbo & exemplo inuitante, *bibit enim vnum multum nimis, quantum nunquam biberat in vita sua*, id est in die vna, vt habetur in Græco, imo & quantum nunquam erat bibiturus.

Simulatus ciusdẽ cõsensus.

XVI. Apparatus ad eçdem Holofernis.

Ventum est iam ad Holofernis cædem, & nobilissimæ bellatricis glorioſum in patriam reditum. Vt autem sero factum est, ait Scriptor sacer, festinauerunt serui illius ad hospitia sua, ne scilicet propere vino domiti ea repetere non possent, & turpiter ebrietatem prodèrent, *erant enim omnes fatigati à vino*, & concluſit Vagao ostia cubiculi; sic tamen vt Iuditha egredi posset, *quæ sola erat in cubiculo*, vigil scilicet. Nam sequitur. Porro Holofernes iacebat in lecto nimia ebrietate sopitus, immemor iam & impos instituti flagitij. Hic Iuditha iubet ancillam egregi, & stare ante cubiculum, obseruare, ne quis admouet autem propius. Apparet autem ex recepto more non defuisse lumen in cubiculo, *flebitque Iudith ante lectum orans cum lacrymis, & labiorum motu in silentio.*

XVII. Quẽ animo se obtruncat.

Etsi enim ille obrutus vino, vel clamantem exauditurus non erat, conscientia tamen tanti facinoris silentium imperabat & metum. Nihilominus excusciandain Deum fiducia semel iterumque orauit, moxque arrepto acinace, qui pendebat ad lectuli caput, totis viribus insti gens bis in ceruicem eius immersit, & abscisſum caput conopeo inuoluit, corpus autem euoluit in terram, vbi illud postea Vagao reperit, in suo sanguine tabefactum. Prudenter autem eius conopæum abstulit, ne forte qui non norant Holofernem, id caput alicuius pebulonis esse crederent. Cumque aliquantisper resedisset respirandi causa, totum enim spiritum quodammodo effuderat in obesa ceruice geminato ictu abscindenda. Sed & sollicitudo ipsa periculosissimi facinoris, ipsam respirationem intercluserat. Itaque post pusillum exiuit, & caput tradidit ancillæ suæ, iussitque illud immittere in calathum, in quo cibos suos ante posuerat.

XVIII. Et cũ capite redit ad suos.

Et exierunt ambæ de more quasi ad orationem, & transierunt castra, & gyrantes vallem venerunt ad portam ciuitatis, cumque Iudith à longe murorum custodibus dixisset vt portas aperirent, eius voce cognita, euocato magistratu omnes concurrerunt ad eam, expectatione suspensi, quid illa boni nuncij afferret, eoque magis quod cœperant de eius reditu desperare. Itaque facto silentio, rem omnem enarrat, caputque Holofernis, cum eius conopeo ostentat, Deo victoriæ gloriam cum animi demissione tribuens, simulque de conseruata pudicitia gratias agens. Hic populus vniuersus, in primisq; Ozias princeps populi, in gratulationem & gratiarum actionem effunditur. Achior quoque quem conueniebat participem fieri tantæ lætitiæ, à Iuditha nominatim euocatur, eique Dei victoria, cuius ille virtutem prædicauerat, nunciatur. At ille viso capite Holofernis stupore tantæ, tanquam insperatæ rei, deliquium passus est. Postea vero quam resumpto spiritu recreatus est, procidit ad pedes eius, eique cum reliquo populo, diuinam victoriam gratulatus est: & circumcisione suscepta ad populum Dei est aggregatus.

Achioris admiratio & cõuersio.

XIX. Suspenditur è muris caput.

Sed quoniam nondum erat perfecta victoria, & sublato principe militiæ, non erat delectus exercitus, qui poterat vnum aliquem de ducibus in locum demortui subrogare, qui obsidionem vsque ad deditionem ciuitatis vrgeret; suadet populo Iuditha, vt è murorum eminenti aliquo & conspicuo loco suspendatur Holofernis caput, vt eodem spectaculo & hostibus terror injciatur, & ciuibus audacia suscitetur; tum vt sub ortum solis vehemens fiat in hostes eruptio, vt ij ad tabernaculum Holofernis concurrentes, & inuenientes occisum terrore subito affecti, fugiant, & à persequente Israële conterantur, quæ vt prædixerat, ita facta sunt, conciſoque in fuga Assyriorum exercitu, spolijs & præda ditari sunt vniuersi; Ea enim tanta fuit, vt vix spatio 30. dierum collecta fuerit. Quæ autem Holofernis peculiaria fuerunt, Iudithæ à populo tradita sunt omnia.

Assyrij territi fugiunt & à Iudæis cæduntur

c. 15. v. 13.

XX. Lætitia & gratulatio victoriæ.

Interim autem effusa circumquaque tantæ victoriæ fama, quin etiam vt ratio exigit certi ab Oxia ad Ioacimum summum pontificem nuncij, eum ab ipsa Hierosolyma cum sacerdotibus, vniuerso senatu Hierosolymitano Bethuliam vsque acciuerunt, quibus obuiam progressa Iuditha, eximia cum laude & gratulatione accepta est, omnesque certatim choros ducentes laudauerunt Deum, Iudita præ-

eunte cum cantico suo, quod cap. 16. præscriptum est, perseueraruntque lætitia, donec communi consensu, suadente in primis Ioacimo pontifice decretum est, vt pro tam insigni victoria, Deo publice ab omni populo gratiæ agerentur Hierosolymis in templo Domini; eoque profecti, & à cædibus Assyriorum purificati, vota quisque sua Deo persoluerunt, festosq; dies per tres menses agitarunt. ipsáque Iudith vasa bellica Holofernis, & conopæum Deo cósecrauit, vt essent anathema, quo diuinum hoc beneficium ab obliuione vindicaretur.

ANNVS MVNDI 3347.

MANASSIS 10. IOACIMI 4.

MERODACHI 24. Imp. Babylon. 14.

OLYMPIADIS XVIII. An. 2.

NVMÆ 8. VRB. CON. 46.

ANTE CHRISTVM 706.

SAliorum institutionem Romæ in præsentem Pompilij annum refert Plutarchus in Numa. Quod cum morbus pestilens tota Italia, ipsaque in Vrbe grassaretur, pelta aurea è cœlo delapsa, in Vrbis salutem missa esset. Ea vt facilius à furibus cóseruaretur, vndecim aliæ quam similimæ confectæ sunt, quas custodes quidam conseruarent, easque in chorea per vrbem armati, salientesque deferrent, vnde & Saliorum nomen adepti sunt, quæ pluribus in Annalibus & Plutarcho leges, & quidem nonnullis ornata, vel potius inquinata fabellis, vt prudens lector facile iudicabit.

Cæterum multiplicem attulit proxima de Holoferne, & Assyriorum exercitu victoria, omnibus circumquaque gentibus vtilitatem. Nam Manasses, eiusque populus omnis vehementer excitatus est, ad diuinum cultum serio atque ex animo restituendum. Non exigua etiam fuit adepræ à toto populo Iudaico libertatis vtilitas, quæ nuper ad vltimum fuerat adducta discrimen. Accessit infinita præda, & ex variis prouincijs collecti thesaurorum acerui, quibus Iudæi, qui nuper in captiuitate Manassis, cum rege suo spoliati fuerant, locupletati sunt. Sed vicini quoque omnes Asiæ populi Rempublic. ipsi suam, cum auia libertate recuperarunt. Quod de medis in primis existimandum est; quorum regnum, cum suis aliquot regibus, vsque ad Cyrum Persarum imperatorem stetit.

Quid autem Nabuchodonosor, qui & Merodach, tanta clade affectus, & accisis propemodum Assyriorum viribus, quæ se ad tantam expeditionem effuderant vniuersæ? Eius vtriq; iracundiæ calor, quasi superfusa frigida defeuescit, neque vlli negotium facessit, dum paulatim opibus viribusque reflorescat: hocinterea in lucro deputans, quod afflicti ab eius exercitu populi, vicissim in eum non coniurarent, & infesta, contra tot populorum hostem, arma caperent. Intellexit quoque, nisi plane amens fuit, alium esse potentiorem se Deum, qui infinita eius copias, vel manu fœminæ facile delere potuisset: & qui meminerat cædem exercitus Sennacheribi, non multo post secutam Regis ipsius cædem, sibi quoque ipsi poterat formidare. Apparet autem, iussu eius, nomini Holofernis, dedecoris & infamiæ notam iniustam esse sempiternam.

At Iuditha domum regressa, gloria & celebritate nominis ista ëlitas antecedebat vniuersos, præsertim cum virtuti castitas esset coniuncta, vt quanquam à multis, præstantibus vtique viris, in coniugium expeteretur, innupta nihilominus, continensque permaneret. Quæ laus hoc erat maior: quo ipsa ætate florentior. Cum enim statuerimus eam sub annum ætatis 33. extinxisse Holofernem, quando iam à tribus annis cum dimidio vidua erat, dicendum est eam vigesimum nonum annum egisse cum facta est vidua. Facit ad eandem laudem eius formæ præstantia, faciunt amplissimæ facultates, facit magnisudo gloriæ, & vitæ diuturnitas, & constans Reipubl. tranquillitas & quod omnium maximum censeatur, iterandi coniugij incitamentum, defectus prolis; quem ex eo recte probat Serarius, quod in Græco textu habetur, eam priusquam moreretur, omnia bona suis affinibus, & consanguineis diuisisse. Itaque vel perpetuo liberis caruit, vel illi præmaturè è viuis abiere. Eius autem ancilla, quamprimum libertate, videtur cum Domina, quamuis conditione mutata, in eius domo consenuisse.

I V. Iudithæ gloria, & castitas insignis.

Caruit liberis. c. 16. 9. 8.

ANNVS MVNDI 3350.

MANASSIS 13. IOACIMI 7.

MERODACHI 27. Imp. Babyl. 17.

OLYMPIADIS XIX. An. 1.

NVMÆ 11. VR. C. 49.

ANTE CHRISTVM 741.

MVndanus Iubilæus agitur hoc anno ab orbe condito 67. & initium Olymp. 19.

Autor porro imperfecti operis in Matthæum de his & sequentibus annis Manassis, ita loquitur. *Et seruiuit olim Domino Deo in toto corde suo, & in tota anima sua, omnibus diebus vitæ suæ; & reputatus est iustus. Et ideo forte vocatus est. Ab insurgente, & ex obliuione; quia liberauit eum Dominus ab insurgente, & ex oblitione Dei, factus est minor Dei.* Eũ quoque commendat valde Iosephus, & alii secundum illum plurimi. Adde etiam de eo, quæ belli tempore ædificare cœperat in Ierusalem, ea per otium hoc & sequentibus annis perfeciſſe, quorum pleriq; nihil habent, quod in hanc epitomen referendum videatur.

I. Iubilæus mũdanus 67. Manassis opera bona.

ANNVS MVNDI 3370.

MANASSIS 33. IOACIMI 27.

MERODACHI 47. Imp. Babyl. 37.

OLYMPIADIS XXIV. AN. 1.

NVMÆ 31. VR. CON. 69.

ANTE CHRISTVM 683.

I. Nouem magistratus annui Athenis.

NOuem magistratus, quos aliqui Archontes retenta voce Græca; alij Principes alij denique Prætores vocant, Athenis singulis annis Rempub. administrare cœperunt hoc anno iuxta Eusebij chronologiam, quam Pausanias integra Olympiade anteuertit. Eorum primus rex dicebatur, sacrorum videlicet, vt apud Romanos, mox ab exactis Regibus fieri cœptum est. Alter Polemarchus, siue Militiæ præfectus, tertius Ephorus, qui nomen anno dabat, is dictus est Creon, vnde res Creone Prætore facta dicitur, atque ita deinceps in cæteris Ephoris. Reliqui sex Thesmothetæ dicti sunt. In Olympico autem stadio vicit hoc anno Cleoptolemus.

II. Ortus Amonis regis.

Sequenti autem natus est Amon regni Iudaici hæres. Cum enim duorum & 20. annorum fuerit cum regnare cœpit, oportet eum natum esse sub initium 54. anni Manassis, vt primus regni Amonis, sit ætatis eius 23. Qui cum regno tanquam primo genitus successerit, apparet priores Manassis filios, dæmoni pridem ab impio parente consecratos, vlciscente Numine non diu fuisse superstites.

ANNVS MVNDI 3374.

MANASSIS 37. IOACIMI 31.

BEN-MERODACHI 51. Imp. Babyl. 41.

OLYMPIADIS XXV. AN. 1.

NVMÆ 35. VR. COND. 73.

ANTE CHRISTVM 679.

I. Olymp. 25. & Annus Sabbat. 113.

OLympiadis 25. Olympionicam habuit Taipium Lacedæmonium cursorem. Fuit hic annus apud Hebræos Sabbaticus 113. Quem, sicut tres proximè elapsos, rite Hierosolymis obseruatos par est credere, cum Manasses diuinitus iamdudum castigatus, pietatem coleret.

Merodachi obitus.

Sequens autem annus fuit Merodachi 51. & vltimus, vt communis fert sententia. Qui anni à Sennacheribi morte inchoati, hoc anno finiuntur; quorum decem prioribus Babylone regnauit; reliquis, occupatis Assyriis, factus est imperator, sed à morte Holofernis nomine magis quam re fuit Imperator, vt supra declaratum est. Mors eius à Scriptura non traditur.

Ann. 3347. & 3373.

ANNVS MVNDI 3376.

MANASSIS 39. IOACIMI 33.

BEN-MERODACHI 1. Imp. Babyl. 43.

OLYMPIADIS XXV. AN. 3.

NVMÆ 37. VR. COND. 75.

ANTE CHRISTVM 677.

ANnus Manassis 39. cum primo noui Babyloniorum regis anno concurrit; qui cum idem haberet cum priore regi patre suo nomen ad differentiam dictus est Ben-Merodach, id est, filius Merodach: quem Babyloniorum regem prioris successorem Eusebius quoq; agnoscit. Cæterum ab hoc anno, vsque ad initium regni Nabuchodonosoris, qui cognominatus est Magnus, anni intercedunt 53. quarto enim anno Ioachimi regnare cœpit. Eos omnes annos cum eiusdem patri tribuere non possimus, Beroso ac Iosepho repugnantibus, vt mox dicemus, bipertito diuidere oportet, & partem vnã tribuere patri illius Nabuchodonosoris, alterã auo, de quo nunc agimus. Portò pater apud Iosephum, l. 1. contra Apionem vocatur Nabolassar, eique 29. anni tribuuntur. At l. 10. Antiq. c. 11. ex eodem Beroso, vocatur Nabuchodo. senior, eique annus vnus, & 20. assignantur. Quæ loca ita conciliat Torniellus, vt Nabolassar octo annis cum patre, vnum & 20. sine patre regnarit. Ipsius ergo annus primus cadet in 14. Iosiæ, reliqui erunt anni duo & 30. qui ad Ben-Merodach pertinebunt.

I. Ben-Merodach rex Babyloniorum.

Manas. 17
Amon 2
Iosia 31
Ioach. 3
53

Quamdiu regnarit.

l. 3. Chaldæorum

II. Res ab eo gestæ.

Huius regis gestæ res in obscuro manserunt. Significat ex Beroso Iosephus, eum Ægypto, inferiori Syriæ, ac Phœniciæ dominatum esse. Quæ cum à patre eius Merodach Baladan non legamus proprio adiecta regno, quod spe sua frustratus esset, amisso in Iudæa Holoferne cum maximis copijs, consequenter ab hoc eius filio bello acquisita dicendum erit.

l. 1. cont. Apion.

ANNVS MVNDI 3377.

MANASSIS 40. IOACIMI 34.

BEN-MERODACHI 2. Imp. Babyl. 44.

OLYMPIADIS XXV. AN. 4.

NVMÆ 38. VR. COND. 76.

ANTE CHRISTVM 676.

I. Tobiæ senioris ætas & mors.

INcidit in annum Manassis quadragesimum mors Tobiæ senioris. Hic enim est annus 102. vitæ eius, à 51. anno Oziæ; centesimus quippe annus agitur ab initio Olympiadum, ante quod duo regis illius anni elapsi erant. Est hic idem annus 42. ab illuminatione, quæ 27. Ezechiæ anno contigit, & sexagesimo vitæ Tobiæ. Quos annos Scriptura teste transf-

Tob. 14. 1. &c.

SAB. 113.

egit in gaudio *& cum bono profectu timoris Dei.* Noluit bonus senex in eximio virtutum ante partarum gradu conquiescere, sed cum bonorum operum & meritorum incremento consenuit, & perrexit in pace. Quin etiam solliciti-
eius ad suos monita. tus in alios, domesticis præsertim, promouere timorem Dei, filio, & septem filijs eius neporibus suis, monita salutis, præsertim beneficentiã in pauperes moriens inculcauit, eiusque vtilitatem illustribus confirmauit exemplis. Tum diuino spiritu afflatus, tribus de rebus vaticinatus est.

in tex. Græco. Primum vaticinium est de propinquo interitu Niniues, propter quem autor est filio, vt in Mediam proficiscatur, vbi ait pacem futuram ad tempus, quo scilicet magnus Nabuchod. totam sibi Asiam occupaturus erat. Porrò Ninive sæpius capta & vexata, & instaurata est. Existimo autem Tobiam non significare postremã euersionem Ninive, qua funditus deleta est, anno 24. regni magni Nabuchodonosoris, sed eam quæ ab eius patre facta est primis Iosiæ annis, ante mortem Tobiæ iunioris, vt diligentius explicatum est in Annalibus. Huius ruinæ causam à Tobia si exquiramus, *Video*, inquit, *quia iniquitas eius finem dabit ei.* Quasi dicat, non tempus edax rerum, & seculorum vetustas finem dabit ei, quæ Noëtico diluuio prope æqualis fuit, non item arma Chaldæorum, aut Medorũ. sed iniquitas eius, quæ istos in interitum eius armabit. Pœnitentia quidem eorum ad prædicationem Ionæ ante centum & sexaginta annos, diuinam iram ab ipsis auerterat, sed redintegrata scelera eam renouarunt.

c. 14. v. 13. a. m. 3216. Secundo vaticinatur de reditu Iudæorum in terram suam, post annos videlicet 70. captiuitatis eorum. De ea enim loquitur, etsi prophetico more, præterito tempore pro futuro vtatur, vt ex Græco textu apparet, in quo futurum tempus vbique vsurpatur. Tertio denique de vocatione gentium ad veri Dei cognitionem. Nomine enim Ierusalem Ecclesiam Catholicam intelligit, sicut nomine regis Israël Christum Dominum. Nullus enim fuit à restauratio templo rex Israël, quem reges adorarent, præter eum quem reges Magi adorauerunt, de quo populus in Hierosolymitano triumpho, *Benedictus qui venit in nomine Domini rex Israel.* Pluribus alloquitur Tobias Ierusalé ciuitatem Dei, eique tribuit, quæ terrenæ conuenire non possunt: præsertim quæ habentur in textu Græco, vt scilicet, *gaudeat in omnia secula seculorum, vt luce splendida fulgeat: vt omnes fines terræ adorent eã.* Nam quæcunq; tandem fuit à Vespasiano Ierusalem à mille & quingentis annis in tenebris, in luctu, in captiuitate, sine vllo propemodum lucido interuallo, perduravit.

Vide Annal. n. 12. His ergo in hora mortis suæ, à Tobia seniore de sancta ciuitate, ad quam ipse pertinebat, diuino afflatu cognitis, ac prænunciatis, appositus est ad patres suos in senectute bona, & in Niniue honorificè sepultus; quem Deus in id vel maximè videtur suscitasse, eius vt exemplo mortales omnes doceret, quam sit ei grata misericordia in pauperes. Quam diu autem vxor eius Anna superstes fuerit, non constat: illud non dubium est, iuniorem Tobiam, præcepto parentis obsecutum, matrem suam in paterno sepulchro condidisse.

Sequens annus primus fuit Olympiadis 26. cui Spartanus Callistenes nomen dedit, & in qua Carnia Apollinea, placando Apollini, qui peste sæuiebat in Heraclidas, instituta sunt, ob Carnum vatem Apollinis interfectum. Quæ de festinitate, vide plura in Annalibus ex Athenæo.

Carnia Apollinis festum. a. m. 3378 n. 3.

ANNVS MVNDI 3382.

MANASSIS 45. IOACIMI 39.

BEN-MERADOCH. 7. Imp. Babyl. 49.

OLYMPIADIS XXVII. AN. 1.

NVMÆ 43. & vlt. VR. CON. 81.

ANTE CHRISTVM 671.

I. Mors Numæ, & regni tempus. EVrybates Athenien sis in olympico stadio victor hoc anno fuit, vt ait Dionys. Quo ipso anno mortuus est Numa Pompilius, cum tres & 40. regnasset annos, vt communis fert sententia, Eusebius tamen, Eutropius & Cassiodorus duos illi auferunt. Annos autem vitæ exegit vnum & 80. Vrbi enim conditæ æqualis fuit, vt Plutarcho placet: *Id confectum est Numa*, inquit Dionys. *vt & subditi eum amarent, & finitimi æmularentur, & posteri honorifica memoria celebrarent*: & paulò post, *Quem equidem inter celeberrimos felicitatis opinione viros numerare non dubitauerim. Nam & regio genere natus erat, & regia forma præditus, disciplinisque se dederat non inutilium literarum, sed quibus in studio pietatis, & cæterarum virtutum erudiretur.* Cuiusmodi autem fuerit ista pietas, anno Numæ secundo, ex S. Augustino diximus. Sed pergit: *Habuit subditos toto vitæ suæ tempore obsequentissimos. Integris sensibus longissimum traduxit ævum, nullo conflictatus infortunio, facillima morte absumptus est.*

II. Eiusdem progenies. De posteris autem eius hæc subdit, Liberos reliquit, vt plerique sunt autores, mares quatuor, & vnam fœminam, quorum & nunc superstes est posteritas. Eos Plutarchus in Numa nominat Pomponem, Calpum, Pinum, & Mamercum, à quibus quatuor familiæ Romanæ propagatæ sunt, Pomponiorum, Calpurniorum, Pinariorum, & Æmiliorum: filiam autem Pompiliam, quam Marcio pontifici nuptui dedit, vnde natus est Ancus Martius, qui tertio post Numam loco regnum tenuit, vt supra diximus. Publicus in eum amor ex sepultura patuit, quam fœderati quoque populi celebrarunt, Patricij feretrum tulerunt, Sacerdotes assuere, lectumque secuti sunt: reliquaetiam virorum mulierumque multitudo, cum eiulatu & fletu funus duxerunt. Corpus crematum non est, quod ipse, vt fertur, prohibuisset. In arca vna lapidea conditus, extra vrbem trans Tyberim sepultus est. In altera autem libri Sacrorum inclusi erant, quos ipse composuerat, quos secum sepeliri iussit, vbi ea docuisset Sacerdotes, quæ in ipsis scripserat: vt ait Plutarchus. Vide vt circa eas

Et arcæ duæ lapideæ.

arcas

arcas philosophatur S. Augustinus quæ tursum in lucem prodiere post 491. annos.

7. de Civ. c. 34. & 3. a.m. 3873. V.C. 572.

ANNVS MVNDI 3383.

MANASSIS 46. IOACIMI 40.

BEN-MERODACHI 8. Imp. Babyl. 50.

OLYMPIADIS XXVII. AN. 2.

TVLLI HOSTILII 1. VR. C. 82.

ANTE CHRISTVM 670.

I. Iubilæus Mosaicus 16.

OCtingesimus annus agitur ab ingressu Israëlitarum in Chananitidem, & Iubilæus Mosaicus decimus sextus. Qui autem Amoni, filio & successori Manassis, 12. regni annos attribuerunt, eum hoc anno, paterni regni 46. ætatis autem suæ 12. regnare cœpisse dicant oportet, nisi omnia turbare velint. Quod facit Eusebius, & qui eum secuti sunt, qui seorsim à regno patris, duodecim annis Amonem regnasse tradit, ex Sept. interpretum sententia, vt ipse ait, quæ tamen sententia nulla in editione Græca nunc reperitur. Certe Scaliger non dubitat affirmare Eusebium decem illos annos addidisse de suo, vt redderet catenam illam regnorum sibi melius congruentem. In gratiam tamẽ multorum, qui Eusebium de 12. Amonis annis sunt secuti, dicere possemus, Manassem iam propemodum regni pertæsum, simul etiam vt filium ad regnum recte gubernandum, ipsa etiam praxi informaret, eum sibi quasi regni socium hoc anno assumpsisse, qui tamen anni patri, vt pater erat, non filio tribuuntur. Quæ illi fortassis occasio fuit, vt ab impijs quibusdam occultè dementaretur.

Amonis initium regni, secundum aliquos.

II. Tullj Hostilij regnum.

Quod ad Romanam rem attinet, Dionysius prædictam rationem temporis, & Hostilij regis initium accuratè confirmat. Autor est Liuius Numæ morte rem ad interregnum redijsse, patresque certis diebus, vt post mortem Romuli administrasse Rempub. Inde Tullum Hostiliũ nepotem Hostilij regem populum iussisse, Patres autores factos. Cui egregia virtus aui plurimum videtur fauisse, vt ex Annalibus intelliges. Ipse autem rex nouus, teste Dionysio, à facto longè magnificentissimo auspicatus imperium, egenam plebem sibi vehementer deuinxit: cum agrum, qui propria iam regum possessio censebatur, inopi plebi viritim diuisit, professus patrimonium sibi sufficere in sacrificia, sumptusque domesticos. Qua humanitate illis vitæ commoditatem aliquam, sibi magnam benenolentiam conciliauit & gloriam. Sed ne ad habitandum deesset locus, promotis mœnibus Cœlium montem Vrbi adiecit, vbi qui late carebant ædificare cœperunt, ipsomet præeunte.

à beneficentia inchoatur.

ANNVS MVNDI 3385.

MANASSIS 48. IOACIMI 42.

BEN-MERODACHI 10. Imp. Babyl. 52.

OLYMPIADIS XXVII. AN. 4.

TVLLI HOSTILII 3. VR. C. 84.

ANTE. CHRISTVM 668.

ANnum quartum Olymp. XXVII. Quo Pisistratus apud Athenienses summum magistratum gessit, memorabilem facit Pausanias in Corinthiacis, prælio Argiuorum contra Lacedæmonios, quo illi ad Hysias, est id Argolicũ oppidum, Spartanos vicerunt. Videntur autem fuisse, vt pridem, de finibus controuersiæ.

I. Victoria Argiuorum de Lacedæmonijs.

Habet hic idem annus, si credimus fastis Onufrij, bellum à Tullo Hostilio contra Albanos gestum. Nec sane video cur homini per quã erudito, & inuestigandæ antiquitatis studioso non credamus. Præsertim cum legamus apud Liuium, Virgilium, Augustinum, alios que, regem hunc bellorum admodum appetentem fuisse. Vice versa, Dionysius hũc belli pruritum Cluillio Albanorum principi attribuit, ægrè ferenti Romanorum incrementa Siue ergo alter, siue vterque hoc ingenio fuit, non potuit publica res diu à bellis immunis esse. Apparet hîc quoque causa belli huius ambitio, quam Græcus Historicus mauult in Albanum ducem, Latinus in Romanum transferre. Populationes quidem, vtriusque consensu, vtrimque factæ, sed ille initium iniuriæ in Cluillium refert, iste in regem Hostilium. Vterque tamen fatetur in legationibus de rebus repetendis missis, rem à Romanis vafrè, ab Albanis candidè, & sine dolo factam esse.

II. Bellum contra Albanos, eiusque causa.

Ergo bellum vtrimque summa ope parabatur, cum subita & inopinata mors Albanum sustulit ducem, quæ visa est Albanam diuino iudicio damnare causam. Cui suffectus Metius Suffetius, de finiendo potius, quam suscipiendo bello cœpit agere. Eoque denique disputando ventum est, vt paucorum certamine controuersia de principatu dirimeretur. Contigit autem tunc in vtroque exercitu tergeminos reperiri fratres, duabus sororibus genitos, quorum Albani Curiatij, Romani Horatij dicebantur, vtrique neq; ætate, neque viribus dispares. Cum vtrisq; agunt reges, vt pro sua quisq; patria ferro dimicent, ibi imperium fore, vnde victoria fuerit. Nihil recusatur, in loco & tempore vtrique conueniunt, &, vt erant sanguine propinqui, mutuis se prius amplexibus atque osculis, cum multorum lacrymis consalutarunt; tũ pleni adhortantium vocibus, & suopte ingenio feroces, & præmij magnitudine inflammati, in medium, duas inter acies, procedunt.

III. Tergeminorũ Curiatiorum & Horatiorum pugna finitur.

Datur signum, infestisque animi terni iuuenes, magnorum exercituum animos gerentes concurrunt: statimque duo Romani, super alium alius, vulneratis tribus Albanis, ex-

IV. Horatiorum victoria.

Digitized by Google

pirantes corruerunt. Sed Romanus superstes integer fuit, qui vt tribus solus nequaquam par erat, sic aduersus singulos ferox. Itaque simulata fuga, tres habuit insequentes, sed longo interuallo, prout singulorum vulnera sinebant. Ergo in hostem conuerso vultu proximum inuadit, ac sternit, priusquam alij adesse possent: inoxque secundam victor pugnam petit, cáque prius defungitur, quam tertius consequi posset. Iamque æquato marte singuli supererant, sed nec spe, nec viribus pares. Alterum intactum ferro corpus, & geminata victoria ferocem, in tertium certamen dabant. Alter fessum vulnere fessum cursu corpus trahens, & fratrum strage animo debilitatus, facilem de se victoriã dedit. Sicque tergemina spolia præ se gerens, Romã cum totius populi congratulatione reuertitur. Sed dæmon quinque iuuenum cognatorũ sanguine nondum satur, superstitem istum insororem, sponsi mortem deplorantem stimulat, quã ille gloria & ira ebrius, stricto gladio transfigit. Vocatusque ea re in iudicium, à populo patris precibus datus, mortem euasit. Quæ pluribus apud Liuium, & Dionysium, vnde hæc petita sunt, leges.

Victor sororem interficit, & morti eripitur.

ANNVS MVNDI 3386.

MANASSIS 49. IOACIMI 43.

BEN-MERODACHI 11. Imp. Babyl. 53.

OLYMPIADIS XXVIII. AN. 1.

TVLLI HOSTILII 4. VR. C. 85.

ANTE CHRISTVM 667.

I. Messenici belli finis.

VIgesima octaua Olympiade, Prætore Athenis Autosthene, secundum bellũ inter Messenios & Lacedæmonios, Ira oppido Messeniorum exciso, vndecimo deniq; anno, postquam obsideri cœperat, terminatum est, vt fusè tradit Pausanias in Messenicis.

Bellum contra Fidenates apparatus.

Hoc anno apud Romanos quieta res fuit, Albanis tantisper Duce Metio imperata facientibus, & Hostilio victore permittente, vt suam quisque dignitatem, ordinemque retineret. Scribit tamen Dionysius per integrum annum bellum contra Fidenates apparatum esse, quod ij, ascitis Veientium auxiliis, à Romanis defecissent, & antiquo fœderi sub Romulo inito renunciassent.

ANNVS MVNDI 3387.

MANASSIS 50. IOACIMI 44.

BEN-MERODACHI 12. Imp. Babyl. 54.

OLYMPIADIS XXVIII. AN. 2.

TVLLI HOST. 5. VR. CON. 86.

ANTE CHRISTVM 666.

I. Ortus Iosiæ.

QVinquagesimus annus regni Manassis, nouum vidit Dauidici regni successorem, Iosiam Amonis filium, cum is 17. ætatis annum ageret. Est hic idem annus 327. à quo vir Dei in Bethel prædixerat nasciturum in Dauidis familia regem, Iosiam nomine, qui Sacerdotes excelsorum super altare profanum erat immolaturus. Tot enim anni ab 3061. quo id vaticinium contigit, numerantur. 3 Reg. 13. 2

Mors Annæ vxoris Tobiæ. Tob 14. 15

Circa hæc tempora mortua est Anna, vxor Tobiæ senioris, qua honorificè ad marin corpus sepulta, Tobias iunior breui, cum tota familia sua, in Mediam, ad soceros suos commigrauit, paternis mandatis obsecutus: *Inueniteque eos incolumes in senectute bona, & curam eorum gessit, & ipse clausit oculos eorum, & omnem hæreditatem domus Raguelis ipse percepit*, vixit autem adhuc annos 23. vt suo loco dicetur. a. m. 3418. moritur.

II. Bellum contra Fidenates.

Romana porrò historia, iuxta ea quæ proximè dicta sunt, bellum habet gestum contra Fidenates, quod tertio à deuictis Albanis anno contigisse, ex Dionysio aperte constat, & ad sequentem annum protractum esse. Albanum autem hoc ipso anno cum excisa Alba finitum est. Cum enim Metius Suffetius Albanus, qui tertium in annum dictaturam Romæ gerebat, & Fidenates ad pergendum in defectione, & suos ad proditionem contra Romanos incitasset, & in ipsa pugna suos à prælio abduxisset, licet eo facinore Rex ex tempore bene vsus, victoriam nihilominus obtinuisset, postridie coacto ad concionem tam Romano, quam Albano exercitu, Metium perfidiæ ac proditionis conuictum, bigis in contrarium actis, distrahi iubet, tum proditionis socios interimi: cæteros omnes Alba diruta patria mulctari, vt ex duabus vna vrbs, vna respublica fieret. Ergo Alba diruitur, eiusque ciues Romam transferuntur, & per tribus & curias distribuuntur. Alba excisa.

III. Eius duratio.

Sic Alba, inquit Dionysius, quam olim Ascanius Æneæ filius condiderat, cum per quingentos post ædificationé annos, tredecim demptis stetisset, eóque temporis spatio, populi frequẽtia 30. oppidorum Latinorum mater extitisset, à nouissima sua colonia solo æquata est. Stetit ergo Alba ex Dionysij sententia 487. annis; Ex quo in eiusdem sententia consequens est Albã conditam anno 30. abexcisa Troia, id est anno Mundi 2900; à quo hic annus est 487.

3387.
2900.
487.

Sequens annus Manassis 51. idem Sabbaticus est ordine 115. quo apud Romanos à Tullo Hostilio aduersus Fidenates debellatum est; Nam prælio victi, & in vrbem compulsi, obsessique, quibus placuit conditionibus deditionẽ fecere. Rex vrbe potitus, occisis defectionis autoribus, reliquis veniam dedit, & pristina cum bonis suis ciuitatis iura permisit: dimissoque exercitu, vrbem secundùm triumphans inuectus est. Primus enim triumphus de Albanis fuit, tertius aliquanto post de Sabinis, vt omnes fasti consentiunt.

3388.

IV. Fidenates debellati.

Tres Hostilij triumphi.

* * *

ANNVS MVNDI 3389.

MANASSIS 52. IOACIMI 46.

BEN-MERODACHI 14. Imp. Babyl. 56.

OLYMPIADIS XXVIII. AN. 4.

TVLLI HOST. 7. VR. CON. 88.

ANTE CHRISTVM 664.

I. Bellum contra Sabinos exortum.

PRoximo à deuictis triumphatisque Fidenatibus anno, bellum Romanis contra Sabinos exortum est: cuius belli causam Liuius Tulli cupiditati, vel ambitioni haud obscurè tribuit, cum ait illum postquam vidit Romam Albæ ruinis vehementer auctam, fiducia virium Sabinis bellum intulisse, genti ea tempestate secundum Etruscos opulentissimæ, & armis virisque instructissimæ. Verum à Sabinis factum iniuriarum initium ad Feroniæ fanum Romanis profectis, spoliatisque, atque adeo in vincula coniectis, autor est Dionysius. Hinc nato bello, eductisque magnis vtrimque copiis, collatis signis dubio marte decertatum est ad noctem vsque, neutram in partem inclinante victoria. Sequentibus diebus, considerata vtrimque cæsorum & sauciorum multitudine, non libuit armis experiri denuo, sed relictis castris discessum est, nec amplius quidquam eo anno tentatum.

3390. II. Ortus Periandri.

Sequenti anno, qui habuit initium Olympiadis 29. & in ea victorem Xenophontem Corinthium, natus est Periander, vt est in Olympionicarum catalogo, qui postea in patria tyrannidem exercuit, parentem & socerum imitatus. Nam Cypselus eius pater Corinthi sequenti Olympiade tyrannidem occupauit, Patrocles autem pater Melissæ vxoris eius, apud Epidaurios, autore Pausania in Corinthiacis. Ad hanc ipsam Olympiad. Eusebius refert Archilochum, Simonidem, & Aristoxenum musicum; Sed pro Archilocho S. Cyrillus substituit Hipponactẽ. Ad eandem Olympiadem vndetrigesimam, quidam Arionem referunt. Sed ea narratio potius ad vndequadragesimam pertinet.

l. 2. p. 72. Gra.

Viri clari in hac Olympiade

III. Bellum contra Sabinos instauratum. *Dionys. l. 3*

Romæ autem hoc anno instauratum est bellum contra Sabinos & maioribus concursum copijs ex Veientibus mercede conductis. Pugnatum est autem contra Etetum 107. ab Vrbe stadio, vbi cum diu æquo marte certaretur voto à rege facto Saturno & Opi de instituendis solennibus feriis & duplicando numero Saliorum, redintegratis animis in fugam acti Sabini, & castris exuti sunt. Agróque eorum pro arbitrio longè latéque populato, magna cum præda domum reuersi sunt, tertióque à Rege triumphatum. Pax quoque cum ijs, sed parum constans constituta, quamuis in templis columnis inscripta fuisset.

* * *

ANNVS MVNDI 3392.

MANASSIS 55. & vlt. IOACIMI 49.

BEN-MERODACHI 17. Imp. Babyl. 59.

OLYMPIADIS XXIX. AN. 3.

HOSTILII 10. VRB. COND. 91.

ANTE CHRISTVM 661.

I. Mors Manassis.

HIc annus finem imposuit vitæ & regno Manassis: viri in quo insignis Dei misericordia, cum singulari hominis impietate certauit; quæ & immania scelerum portenta perperrantem patienter tulit, & paterno castigatum flagello emendauit. Qui hominem illum in viam & spem æternæ felicitatis reduxit, qui tam multis, & verbis & exemplis, aditum ad æternam calamitatem patefecit. Qui illum incolumem illi regno restituit, propter cuius peccata illud ipsum regnum incredibili vastitate desolatum est, itáque desolatum, vt nunquam in pristinam dignitatem sit restitutum. Qui eius oblationes iterum in suo templo recepit, propter cuius sacrilega sacrificia, & profanam idolomaniam ibi exercitam, illud ipsum templum cædibus & flagitijs contaminatum, flammis incensum, & solo æquatum est. Peccatis enim Manassis Scriptura non semel tribuit, quæ à Nabucho donosore, filiorum Iosię temporibus, Iudæorum Reipub. luctuosissima contigerunt.

Dei erga illum clemẽtia.

4. Reg. 20. 11. 12. 13. & ca 24. 3 & c. 23. 26

II. Eius sepultura.

Dormiuit ergo Manasses cum patribus suis, anno ætatis 67. *& sepultus est in horto domus suæ in horto Oza:* in quo mox conditus legitur Amon filius eius. Dicitur autem hortus palatij hortus Ozæ, fortè quod ab antiquo ille hortus Ozæ fuisset, qui percussus est in translatione Arcæ Domini: vbi Manasses sibi suisque proprium excitauerit Mausolæum: ideóque in sepulchris regum Iuda non fuerit sepultus. Nec probandus videtur Abulensis, quod illi negatum dicat à populo, propter priora scelera. Nam cum adesset filius eius viginti duorum annorum, regnique successor, mirum esset valde populum de corpore defuncti regis, pro arbitrio statuere potuisse.

2. Reg. 6. 7

ANNVS MVNDI 3393.

AMONIS 1. SELLVM Pont. 1.

BEN-MERODACHI 18. Imp. Babyl. 60.

OLYMPIADIS XXIX. AN. 4.

TVLLI HOSTILII 11. VR. CON. 92.

ANTE CHRISTVM 660.

I. Pontificatus Sellum.

NOnum Pontificem cum nouo rege de more tradimus, Chronicum Hebræorum secuti, à quo appellatur Sellum, sicut & in 1. Paral. cap. 6. A Iosepho autem Saldumus, qui habuit filium Helciam, in pontificatu, sub regno Iosiæ, successorem. In hoc porro pon-

tifice, ad catalogum pontificum, qui 1. Paral. 6. habetur, regredimur, vnde nos, sub annũ 29. regni Ioas, necessitas abduxerat, vt ibi diximus.

1. Amonis regnum, & peccata.

Quod ad Regem attinet, viginti duorum annorum erat Amon cum regnare cœpisset, natus quippe est anno 33. regni patris sui, Dei cultu Hierosolymis tam restituto, quo magis mirum est illud. *Et ambulauit in omni via, per quam ambulauerat pater eius, seruiuitque immunditiis, quibus seruierat pater eius, & adorauit eas, & dereliquit Dominum Deum patrum suorum.* Sed illud detestrimum, quod *non est reueritus faciem Domini, sicut reueritus est pater eius Manasses, & multo maiora deliquit.* Quo modo ergo illi nõ tribuitur clades Reipub. Iudæorum sicut Manassi? Respondeti potest ex Hebræo & Græco haberi, *& multiplicauit delictum*, id est multa scelera commisit, sine vlla comparatione ad Manassem. Sed hæc diligentius in Annalibus explicantur. Verum vnde tam subita mutatio, & tam insperata rerum facies, post 46. annos ab Idololatria relegata, ab eo ipso, qui eam ab inferis excitarat? Apparet certe, viuo patre, illum ab impiis quibusdam aulicis clam fuisse corruptum, sicut de Ioas legimus. Itaque vterque coniuratione seruorum suorum occisus est, vt eos scelerum paterentur vltores, quos habuerant ad peccandum incentores.

2. Paral. 33. 23.

Corruptus ab aulicis.

III. Ortus Ieremiæ.

Hoc circiter tempore natus videtur Ieremias propheta, vt qui 13. anno regni Iosiæ se puerũ esse profiteatur, puta 14. aut 15. annorum. Quãuis enim aliqui ipsum à se dici puerum ex humilitate dicant, plures tamen ætatis pueritiam agnoscunt, in quibus S. Ignatius, Origenes, Ambrosius, Hieronymus, Theodoretus, atq; Chrysostomus. Fuit autem filius Helciæ, non summi pontificis, qui sub Iosia rege pontificatum gessit, sed alterius Sacerdotis, qui in pago Anathot, iuxta Ierusalem habitauit, & Hierosolymam ad ministrandum veniebat, in ordine vicis suæ.

Mors Amonis.

3394.

Sequenti autem anno qui fuit primus xxx. Olympiadis, raptus est velociter Amon ad Dei tribunal, ne malitia magis magisque depraua ret intellectum eius, & quandoquidem perituros erat, vt res ipsa docuit, minore sarcina degra uatus, deuolueretur in Tartarum. Raptus est autem domestico scelere, Deo celeriter eius idololatriam puniente, & aditum optimo regi quamprimum patefaciente. Neque vero impunè sacrilegi manus suas regio sanguine cruẽtarunt. Percussit enim populus terræ omnes, qui coniurauerant contra regem Amon, vt ait Scriptura. Non tamen apparet manu facta populum irruisse in hosce coniuratos, sed ad eius postulationem Iudices ordinarios debito supplicio proditores affecisse: quando is qui summum ius animaduertendi habebat in fontes, eo iure vti per ætatem non poterat, vtpote octo dunxtaxat annorum puerulus. Sepultus est autem in paterno Mausolæo: vt paulò ante significatum est.

à populo vindicata

* * *

ANNVS MVNDI 3395.

IOSIÆ 1. HELCIÆ Pont. 1.

BEN-MERODACHI 20. Imp. Babyl. 62.

OLYMPIADIS XXX. AN. 2.

TVLLI HOSTILII 13. VR. C. 94.

ANTE CHRISTVM 658.

1. Iosiæ regnum.

DIuinæ iracundiæ flammam aduersum Iudã à Manasse dudum excitatam nonnihil imminuit eiusdem pœnitentia, sed eam iterum exsuscitauit Amonis filij eius impietas, qui patrem secutus peccantem, non est secutus pœnitentẽ. Vtrique successit Iosias laudatissimus princeps, qui pietate sua vltionem in gentem suam pridẽ paratam non sustulit, sed protulit ac distulit, omnem quantum in se fuit, profanum cultum ex toto Israële profligando: Dominus autem illi suscitauit adiutorem Ieremiam, qui 18. ipsos annos, sub eius regno, duos & viginti, filiis eius regnantibus, & aliquoties etiam amplius prophetando consumpsit, cum alia vitia, tum maximè idololatriam diuino iussu reprehendens: sæpius etiam iterata comminatione imminentis exitij.

II. Dei singularis in eum prouidentia.

Iosias ergo, patre mortuo, in solium Dauidis ab vniuerso populo Iuda euectus est, cæsis omnibus, qui coniurauerant aduersus regem Amõ. Patre enim pueri occiso, necesse fuit populum Deo inspirante zelari pro domo Dauidis, & puerum octennem sibi regem constituere. Quo facto Dominus aperte docuit, quanta sollicitudine regnum Dauidis inter prospera & aduersa tutaretur, dum non permittit sicarios illos, qui regem valida ætate iuuenem interfecerant, tantula ætate puerum, è medio tollere, & regnum in se suasque familias, vt in regno Israëlis crebro contigerat, transferre: nec passus sit populum istum, super puerum regem fastidioso supercilio nauseare. Atque vtinam is fuisset populus, qui tali rege dignus esset, auertisset fortasse Dominus iram suam. Sed habitabat in eo regno lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabat: vitulus, & leo & ouis simul morabantur, & puer paruulus minabat eos. *Itaque noluit Dominus propitiari.*

Esa. 11. 6.

4. Reg. 24. 4.

III. Helcias pontifex.

Quod ad pontificem attinet Helciam regno Iosiæ, Scriptura præeunte, omnes ascribunt, de quo plura suis locis dicenda erunt. His porro Iosiæ initiis videtur prophetasse Sophonias. Nã is initio suæ prophetiæ non solum ait se Iosia regnante egisse propheram, sed ea etiam prædicit quæ aliquot post annos pius rex in disperdenda Idololatria perfecit. Sicque videtur Dominus præparasse Sophoniam; & misisse ante faciem Christi sui Iosiæ, vt ei adhuc adolescentulo muniret aditum, ad glorioſum facinus suscipiendum. Cui inchoato Ieremias superueniret adiutor, qui ea copiosius & frequentius populi auribus ingereret.

Sophonias propheta.

ANNVS MVNDI 3400.

IOSIÆ, & HELCIÆ 6.

BEN-MERODACHI Imp.Babyl.67.

OLYMPIADIS XXXI. AN. 3.

HOSTILII 18. VRB. CON. 99.

ANTE CHRISTVM 653.

I. Senior Nabuchodonosor regnat cũ patre.

TRigesimo quarto mundi seculo, eiusdemque sexagesimo octauo Iubilæo, regni autem Iosiæ 6. senior Nabuchodonosor, pater magni Nabuchodonosoris, qui Nabolassar quoq; à Beroso & Iosepho dictus est, vnà cum patre Ben-Meradocho regnare cœpit, vsq; ad annum Iosiæ 14. quando solus imperio Babylonico præfuit, iuxta ea quæ anno Manassis 39. diximus. Quanquam assertionem de annis 21. veriorem putamus, ideoque Nabolassarum ad illum Iosiæ annum differemus.

Coniugium Iouç. & ortus, Eliacim.

Maturè porro, atque adeo hoc ipso anno, quo Iosias 14. ætatis annum agebat, duxit vxorem Zebidam filiam Phadaiæ: ex eaque proximo anno, qui est Iosiæ 15. regni autem 7. suscepit Eliacim; cui postea rex Ægypti nomen Ioakim imposuit. Cum enim 25. annorum fuerit cum regnare cœpit, sic vt 26. ætatis fuerit regni primus, oportet eum hoc anno fere ineunte natum esse; vt 25. ætatis cum 31. regni Iosiæ concurrat.

2 Par. 36. 4.

3401. II. Bellum cũ Latinis suscipitur

Quod ad Romanam rem attinet, autor est Dionysius Latinas vrbes hoc tempore à Romanis discedere cœpisse, quod Alba diruta aduersoribus eius Romanis imperium tradere recusarent: *Anno*, inquit, *post illius excidium quinto decimo*, is præsens annus est vrbis conditæ centesimus, *Rex Romanus dimissis per 30. eius colonias legatis, postulabat vt imperata facerent, quod ad victores cum ceteris Albanorum rebus, transisset etiam Latinæ gentis imperium.* Apparet ante hunc annum Romanos rem pacifice transigere voluisse; Latinos autem varijs tergiuersationibus visos. Sed hoc denique anno missos fuisse Feciales, qui bellum indicerent, nisi sponte agnoscerent Romanum imperium in Albanorum iura successisse.

III. Sabini bellum instaurãt

Hoc exoriente bello Sabini obliti fœderum, præsentem belli occasionem libenter arripuerunt, rati se mactos opportunitatem pecuniæ, quam Romanis persoluebant, multo cum fœnore, vt ait Dionys. recipiendæ. Estque admodum credibile ipsos eiusdem Latini belli, aut autores primos fuisse, aut incentores, belli certe societatem ambiebant. Sed Tullius eorum mẽte cognita, cum Latinis inducias fecit, & aduersus imminentem hostem, tum domesticas, tum sociorum vires collegit, quod à Sabinis quoq; factum est. Ergo collatis signis diu æquo marte pugnatum est: sub vesperam Romanis victoria, equitatu præualente cessit, & magna strage Sabinorum edita, direptis castris, agro populato, domum reuersi sunt.

& vincũtur.

IV. Bellum cum Latinis inchoatũ.

Latini nihilominus pacem seruitute redimere voluerunt. Priuatim enim oppida nihil responsi dederunt, sed in publico gentis consilio duos elegerunt, penes quos arbitrium esset pacis aut belli. Romani vicissim arma parant contra cognatos populos. Id bellum hoc seculari Vrbis anno inchoatum, ad quinquennium processisse, testatur Dionysius, quia parum hostiliter bellum gerebatur, & Romani sui subditis parcebant.

Sed parũ hostiliter

ANNVS MVNDI 3402.

IOSIÆ, & HELCIÆ 8.

BEN-MERADOCHI 27. Imp. Babyl. 69.

OLYMPIADIS XXXII. AN. 1.

HOSTILII 20. VRB. COND. 101.

ANTE CHRISTVM 651.

I. Iosias Dei cultum palã profitetur.

IOsias octauo regni sui anno, & ætatis decimo sexto, qui Sabbaticus fuit ordine 117. cœpit quærere Deum patris sui Dauid. Cœpit nimirum palam profiteri, se velle sectari vestigia Dauidis in veri Dei cultu: & humanum timorem excutere, etiam erga eos, qui plurimum in Rep. poterant, & fortasse ipsum puerluum in throno Dauidico, cæsis Amonis interfectoribus, collocarant. Hoc ipso anno alteram duxit vxorem Iosias nomine Amiral, filiam Ieremiæ de Lobna, ex qua alterum filium nomine Ioachaz, anno sequenti suscepit.

2 Par. 34. 3.

& aliam ducit vxorem.

4. Reg. 23. 36.

Olym. 23 Ortus Pittaci.

Hoc autem anno secundam supra trigesimam Olympiadem cursu celebrauit Cratinus Megarensis, quando etiam Comæus tertius fratrum pugilatu certans victor effectus est. Huc quoque referunt ortum Pittaci Mitylenæi, ex Lesbo insula, qui vnus de Septem Sapientibus fuit. Eum Mytilenæorum regem Clemens Alexandr. Plutarchus tyrannum vocat, sed de eo rursum Olympiade 43. dicendum erit.

3403. II. Ortus Ioachaz, & quotus fuerit.

Anno ergo sequenti, qui fuit Iosiæ nonus, nascitur Ioachaz, secundo, vel potius tertio genitus Iosiæ. Nam l. 1. Paral. suggerit Iosiæ primogenitum Iohanan, qui in libris Regum omittitur, fortasse, vt putat Tostatus, quod mortuus fuerit ante patrem, sicque primogenitura transierit ad secundo-genitum, qui Eliacim & Ioakim dictus est, per quem propagatum est semen Dauidis vsque ad Christum. Itaque tertio genitus Iosiæ fuit, qui hoc anno natus est Ioachaz, qui & Sellum & Iechonias dictus est, vt in Annalibus ostenditur. Natum vero ipsum oportet hoc anno, quia trium & 20. annorum erat cum regnare cœpit; totidem autem numerantur vsque ad mortem Iosiæ, cui Ioachaz immediatè successit.

cap. 3. 15.

a.m. 3403 n. 2. & 3.

* * *

ANNVS MVNDI 3406.

IOSIÆ, & HELCIÆ 12.

BEN-MERODACHI 31. Imper. Babyl. 73.

OLYMPIADIS XXXIII. AN. 1.

HOSTILII 24. VR. COND. 105.

ANTE CHRISTVM 647.

I. Iosias mundat regnũ ab idololatria. 2. Par. 34. 3.

COepit hoc anno Iosias regnum suum mundare ab Idololatria. Cum enim vigesimum iam ætatis annum ageret, nec regnandi esset insolens, & stabilitum iam videret, firmatumque regnum suum, illustre negotium, quod iamdudum mente versabat, magno animo aggressus est; in quo vsque ad decimum octauum regni sui, operam nauauit laudatissimam, vt constat ex 2. Paral. Et quoniam minime dubitandum videtur, quin ista emundatio ab ipso templo inchoata sit, ab eo, vt par est, ducemus initium, licet hunc ordinem narrandi Scriptura minime seruarit.

II. Et primũ templum 4 Reg. 23. 4. cap. 34 8.

Præcepit ergo *Rex Helciæ Pontifici, & Sacerdotibus secundi ordinis, & ianitoribus, vt proijcerent de templo Domini omnia vasa, quæ facta fuerant Baal, & in luco, & vniuersæ militiæ cœli; & combussit ea foris Ierusalem, in conualle Cedron, & tulit puluerem eorum in Bethel*: quasi in locum immundissimum, eo quod ibi vitulus aureus diutissimè adoratus fuisset. Sacerdotes porrò secundi ordinis videtur intelligere filios Ithamari. Nam primi ordinis erant filij Eleazaris, perseueraruntque ista distinctio, etiam post reditum à captiuitate Babylonica. Nec opus fuit vt Rex omnes Sacerdotes huic operi addiceret, cum pars vna sufficeret.

III. Quomodo adhuc mãserint idololatriæ vestigia. n. 3. & seq. 2 Par. 33. 15.

Illud porro admiratione dignum est, hanc profanam, atque detestabilem idololatriæ suppellectilem, Baalis, Luci, militiæ cœli, ædiculas effeminatorum, quæ mox memorantur, altaria tectorum, & Manassis, Solis equos & currus, aliaque id genus, quæ in Annalibus accuratius explicamus, in templo Domini, reliquaque vrbe, post Manassis pœnitentiam, & longinquum regni tempus, inueniri potuisse, cum hæc ipsa ferme à Manasse sublata legantur. Sed recte dici potest hæc omnia, aut maximam certe partem, ab Amone filio eius intra biennium restituta fuisse: eademque conseruata, forte & amplificata fuisse primis annis Iosiæ, quibus propter pueritiam, magis impietatem ignorare, & improbare poterat, quam impedire. Altaria porro Manassis relicta fuerunt, fortasse disturbata atque semiruta, quæ nulli essent vsui ad cultum idolorum; eam tamen suæ impietatis, ad iugem animi dolorem, non paterentur obliuisci: & monerent posteros ne facerent ea, quæ ipsimet fabricatores eorum euertissent. Quæ tamen euersæ idololatriæ monimenta Amon studiosè instauratit: & Manassis dicantur, quia super eadem fundamenta impius Amon ædificauerit.

IV. Emũdatio Ierusalem ab idolis vbique sparsis. c. 33. 13. c. 36. 25.

Et hæc quidem ad emundationem templi fere pertinent; ad Ierusalem autem & suburbia, ea quæ de aris portarum, & Topheth, & monte offensionis dicuntur. Significat autem in singulis portis ciuitatis aras idolis excitatas fuisse, atque adeo in omnibus vicis ac plateis; quod pertinet illud Ieremiæ, *secundum numerum viarum Ierusalem posuisti aras confusionis, aras ad libandum Baalim.* Adde Ezechielem, quiad Ierusalem de Idololatria, sub allegoria corporeæ fornicationis, sic loquitur: *Et ædificasti tibi Lupanar, & fecisti tibi prostibulum in cunctis plateis; ad omne caput viæ ædificasti signum prostitutionis tuæ.* Iosias igitur hasce aras, quæ ingredientibus & egredientibus scandalo erant, cæterasque omnes sustulit. Nominatim autem aram positam ad ianuam domus Iosuæ, primarij in vrbe magistratus, iuxta portam gregis ad orientem; omnium portarum celeberrimam, & templo ab orientali aditu vicinam, per quam victimæ ingiter deferebantur in templum. Omnia denique idololatriæ monumenta, quæ erant in suburbijs, vel ex antiqua, vel ex recente memoria, coram se rex dissipari ac disperdi iussit.

V. Pax inter romanos & Latinos.

Est hic ipse annus quintus ab excitato bello Romanos inter & Latinos populos, quo pax inter vtrosque conciliata est, vt anno Iosiæ septimo significauimus. Est autem hic idem annus primus Olympiadis trigesimæ tertiæ, quæ Gygem Lacedæmonium habuit in Olympico stadio victorem.

ANNVS MVNDI 3407.

IOSIÆ, & HELCIÆ 13.

BEN-MERODACHI 32. & vlt.

Imperij Babylonici 74.

OLYMPIADIS XXXIII. AN. 2.

HOSTILII 25. VRB. CON. 106.

ANTE CHRISTVM 646.

I. Deus suscitat Ieremiam. Ier. 1. v. 6.

ALACRITER vrgebat Iosias cœptam superstitionis euersionem, cum Deus illi Ieremiam prophetam adiutorem hoc anno suscitauit; quem adolescentulum, ac pene puerum spiritu prophetico hoc anno Dominus afflare cœpit, vt ex initio prophetiæ eius constat, cum 15. circiter annum ageret, vt primo Amonis anno diximus. Totus est autem hic propheta in denuncianda Reipublicæ Iudæorum imminenti ruina, per regem Nabuchodonosorem. Qua in re singularem Origenes Dei bonitatem obseruat, qui nunquam punit eos, quos supplicio dignos iudicauit, sine contestatione venturæ pœnæ. Iam tempore Manassis lata erat sententia contra regnum Iuda, sola executio requirebatur. Mitto nihilominus Deus prophetas sub Iosia, Sophoniã, & Ieremiam, appropinquante vastitate; mittit sub Ioakim ea imminete; mittit deniq; sub Sedecia in ipsa executione, in vltimo mense, in vltimo die;

Dei in peccatores clementia.

cum

cum iam victorum hostium vincula restringerent nocentes manus, vt quamuis sero ad pœnitentiam confugerent: imò iam captis eis dicit, rogate me & parcam vobis, possum eruere de captiuitate qui tradidi. Hæc fere Origenes.

II. Ieremias excusat infantiã.

Hoc ergo anno vocatur à Domino Ieremias ad propheticum munus: at ille excusat infantiam suam, ex ætatis infirmitate profectum, cum & eloquentes, & matura ætate prophetas esse oporteat, vt persuadere copia orationis, ætatis grauitate, & mittentis autoritate possint. Hinc autem intelligitur prophetas non egisse nudos recitatores verborum Dei, sed veros fuisse concionatores ad populum, quarum concionum summa capita mox in scripta referrent.

III. Gemina illius visio.

Hoc ipso primo anno vaticinantis Ieremiæ, oblata est ei gemina visio, virgæ vigilantis, & ollæ succensæ, quæ verba & clades populi, & templi vrbisq; incendium, præmonstrabant, quæ regno Iudæorum ab Aquilone imminebant. Verum totum hunc locum diligenter in Annalibus explicatum studiosus Lector inueniet, à quibus abstinere compendij ratio monet. Est autem hoc quasi argumentum totius prophetiæ Ieremiæ, quæ hoc anno inchoata, ad 43. ab hinc annum producta est. Quænam vero singulis quibusque annis populo concionabundus dixerit, nisi vbi notatum est tempus, incertum est. Hoc quoque anno decimo tertio Iosiæ, qui est 32. regni Ben-Merodach, qui fuit auus Magni Nabuchodonosoris, mortuus est idem Ben-Merodach, cum 24. annis solus regnasset, octo autem cum filio: iuxta ea quæ 39. regni Manassis diximus.

Mors Ben-Merodach.

ANNVS MVNDI 3408.

IOSIÆ & HELCIÆ 14.

NABOLASSARIS 1. Imp. Babyl. 75.

OLYMPIADIS XXXIII. An. 3.

HOSTILII 26. VRB. CON. 107.

ANTE CHRISTVM 645.

I. Initium Nabuchodonosoris senioris.

SOlus hoc anno regnare cœpit Nabolassar, qui & Nabuchodosor senior, vt dictum est 39. anno Manassis. Regnauit autem annum vnum & viginti; cui tamen tribui possent 29. detractis annis 8. de regno Ben-Merodach, & huic attributis, aut vtrique simul concessis. Cœptam porro anno duodecimo idololatriæ euersionem, his annis Iosias strenuè prosequitur. Cum autem is in hoc opere tam in regno suo, post purgatam Ierusalem, quam in regno Israëlis sese exercuerit, ratio postulat vt prius regnum Iuda emendauerit, quam quæ ad Israëlem pertinebant. Deleuit ergo Aruspices, & sacrificulos, qui Baali, & omni militiæ cœli sacrificabant; occidit autem, neque enim minor eis pœna debebatur; erant quippe malefici, de quibus diuina lex, *Maleficos non patieris viuere.* Amouit quoque Sacerdotes excelsorum, qui non sacrificabant illi quidem idolis, sed Deo; verum inconcessis atq; illegitimis locis, cõtra id quod diuina lege fuerat constitutum.

4. Reg. 23. Exo. 22. 18 Deut. 10. 11. 12. 13.

II. Sacerdotes excelsorum de gradu deponit.

Hos ergo omnes tam Sacerdotes, quam Leuitas eduxit de ciuitatibus Iuda, in quibus sacrificabant, populo magis quam Deo gratificantes, excelsa autem contaminauit, immissis, verbi causa, in ea cadaueribus, vel animalium, vel haruspicum, & id genus hominum impiorum. Deinde etiam aras euertit; non enim magis illis, quam eiusdem generis Hierosolymitanis, pepercit. Hoc porro Sacerdotes pœna quadam affecit Iosias. In pœnam enim præuaricationis huius, non permisit eos sacrificare Hierosolymis, sed tantum comedere de oblatis, quod erat de ordine Sacerdotali eos deijcere, & ad ordinem Leuitarum redigere. Nec grauiori pœna duxit esse mulctandos, quod in peccatum iampridem ab optimis regibus toleratum, ac dissimulatum fuerit. Non defuisse autem in Rege iurisdictionem ad puniendos hosce Sacerdotes, ex eo probat Abulensis, vt alio quoque loco notatum est, quod in veteri Testamento æquè subiecti erant regiæ iurisdictioni ac Laici; idque probat ex facto Salomonis, qui Abiatharem Pontificem exautorauit, & relegauit in Anathoth.

non illegitimè.

III. Quã difficile fuerit hoc reformare animum Regis, ostã Ieremiæ.

In his porrò perficiendis non est difficile æstimare, quantum pius rex difficultatis exhauserit, quod deuoratit modestias, quod peruicerit impedimenta. Eius rei duplex occurrit coniectura, altera, quod vix sexto denique anno res perfecta fuerit; altera quod hos omnes labores, & pugnas Dominus prædixit Ieremiæ, qui non exiguam glorioſi huius facinoris partem perfecturus erat: ad quem verba illa referuntur. *Nec formides à facie eorum, nec enim timere te faciam vultum eorum. Ego quippe dedi te hodie in ciuitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æreum, super omnem terram.* Quibus autem? *regibus Iuda*, Iosiæ videlicet filijs, *Principibus eius, & Sacerdotibus*, vel occidendis, vel exautorandis, *& populo terræ.* Cuius erat insanis atque insanabilis in idola pruritus, vt qui statim mortuo Iosia, ad ingenium propère reuerterit.

Ier. 1. 18.

IV. Eiusdem in cõcionando studium.

Vbi ergo cognitum est populo Ieremiam Helciæ Sacerdotis filium, prophetico spiritu diuinitus afflatum esse, simul ei autoritas & reuerentia conciliata est: & ipse egregia fortitudine, & zelo diuinæ gloriæ, & salutis animarum, & cœlesti sapientia, quam citissime instructus fuit. Itaque populis se concionabundus immisit, quasi muniens & complanans viam ijs, qui Iosiæ imperio, perniciosas populi delicias, non sine turbarum, & seditionum periculo, destruebant. Ad hoc autem tempus, octo vel nouem prima capita videntur pertinere, in quibus mira dicendi varietate, & omnis generis argumentis, populum allicit, monet, deterret, arguit, obsecrat, omnem denique in partem vertat, vt serio & ex animo ad Deum conuertatur, vt vitet calamitates capiti suo impendentes. Plerique enim hoc ipso tempore, specie tantum externa Deum colebant, & in mendacio reuersi erant ad Dominum. Cæterum hoc ipso tempore cogebant Leuitæ & Ianitores pecuniam à toto

Ficta quorundam cõuersio. Ier. 3. 10.

populo,eamque deferebant in templum ad instaurationem eius,sub custodia Helciæ summi Sacerdotis.

ANNVS MVNDI 3410.

IOSIÆ,& HELCIÆ 16.

NABOLASSARIS 3. Imp. Babyl. 77.

OLYMPIADIS XXXIV.AN.1.

HOSTILII 28. VRB. CON. 109.

ANTE CHRISTVM 643.

I. Mors Tobiæ iunioris.

*Tob.*14.v.14.

NOnagesimus annus,idemque vltimus Tobiæ iunioris annus in primum annum Olympiadis XXXIV. & decimum sextum Iosiæ cadit; tot enim à quarto regni Ezechiæ, ad hunc numerantur annum. Cum ergo venisset Tobias in Ecbatana, ad Raguelem & Annam socerosuos, *inuenit eos incolumes in senectute bona, & curam eorum gessit*, aliquot annis quibus fuerunt superstites, & ipse sub eorum obitum, *clausit oculos ipsorum*, quod vltimum erga se officiosæ pietatis munus, decrepiti senes à filijs suis expectant, atque expetunt. *Et omnem hereditatem domus Raguelis ipse percepit*: quippe cuius vxor Sara, vnica esset filia & hæres Raguelis. Denique *vidit quintam generationem*, *filios filiorum suorum*,atque adeo nepotes nepotum. *Et completis annis 99.in timore Domini*, mortuus est, *& cum gaudio* propter constantem in virtute perseuerantiam, *sepelierunt eum*, in Ecbatanis Mediæ, vt est in Græco textu: vbi etiam dicitur vitam ad 127.annos produxisse. Additur postremo diuinę benedictionis complementum,quę à seniore Tobia, ad seram vsque posteritatem redundauit.

& vitæ periodus

II. Iosias in Israële quoque contra idololatriã bellũ gerit.

Sed redeamus ad Iosiam, qui duobus adhuc annis reliqua idololatriæ in Israële monimenta,audaci, sed felici conatu exterminauit. In Israële enim altiores egerat radices impietas. Nec tamen abiecit animos optimus princeps,sed diuino primùm præsidio nixus, Helciæ quoque Pontificis, Ieremiæ, & Sophoniæ prophetarum cohortationibus magis magisque incitatus, dæmonis regnum populabundus ingressus est, nihil veritus Babyloniæ regem, qui tum dominabatur Israëlitarum reliquijs. Israëlitas ergo ibi commorantes, quique se illi sponte dabant, & idola nihilominus de more colebant aggressus est: non autem reliquos, quos illuc ex Assyria & Media rex Assyriorum colonos adduxerat, in quos Iosias nullam habuit iurisdictionem, vt disputat Abulensis.

q 27. & 28.*in c.*23 4.*Reg.*

III. Completur in Bethel vaticinium de Iosia.

Ergo & altare,quod erat in Bethel, primaria quondam sede idololatrię,& excelsum quod fecerat Ieroboam destruxit, atque combussit, & comminuit in puluerem: succenditque etiam lucum. Et circumlustrans oculis loca,quæ prope altare erant, vidit ibi sepulchra, quæ erant in monte,in quo erat Bethel, & iussit efferri ossa de sepulchris, & ea super altare combussit.Sicque editum de se vaticinium post trecentos fere & 50. annos impleuit. Agnito autem sepulchro prophetæ illius, quæ id vaticinium ediderat, prohibuit ossa eius loco moueri; eademque opera conseruata sunt ossa prophetæ illius, qui illum deceperat, & leoni tradiderat occidendum, neque enim distingui poterant, atque ita ossa vnius ex aliorum societate conseruata sunt. Eodem zelo incitatus,Samariam quoque & illius oppida purgauit,quæ erant in tribu Ephraim: vrbes quoque Manassis,& Simeonis, vsque ad tribum Nephtalim, quæ erat omnium remotissima à Ierusalem: vbique euertit altaria, dissipauit excelsa,succendit lucos,eorumq; Sacerdotes occidit,quorum cadauera super profanas combussit aras, simulachra contriuit in frusta,cunctaq; delubra demolitus est: quibus peractis reuersus est in Ierusalem.

Alia quoque trib. expurgat

1.*Par.*34 6. 4.*Reg.*23 19.

ANNVS MVNDI 3411.

IOSIÆ,& HELCIÆ Pont.17.

NABOLASSARIS 4. Imp. Babyl. 77.

OLYMPIADIS XXXIV. AN.2.

TVLLII HOSTILII 29. VR. C. 110.

ANTE CHRISTVM 642.

I. Ortus Ezechielis, & ratio temporis

NATALEM Ezechielis prophetæ annum putamus hunc ipsum, qui est Iosiæ 17. Cum enim anno quinto transmigrationis regis Ioachin, cognomento Iechoniæ, qui fuit idem quintus regis Sedeciæ, apertis sibi cœlis visiones Dei videre cœperit, quando trigesimum vitæ annum agebat, iuxta communem interpretationem,necesse est eum præsenti anno in lucem editum fuisse, à quo ad quintum illum transmigrationis annum, 30. omnino numerantur. Annos autem prophetæ ibi numerari, autor est Hieronymus in præfatione in Ezechielem. Origenes,Gregorius Papa, Isidorus, & passim alij recentiores. Non designari autem annos Nabolassaris, neque Iubilæi, in Annalibus non negligenter ostensum est. Probabilius esset trigesimum annum numerari,à celeberrimo illo phase,& inuentione diuini libri, cuius occasione maxima cum celebritate populus vniuersus idololatriam abiurauit, seseque nouo fœdere deuinxit DEO; quoniam hæc omnia in eundem annum 18. Iosiæ cadunt, si inde ad quintum transmigrationis, anni 30. & non 29. duntaxat reperiretur,quoniam vltimus Ioakimi cum primo Sedeciæ,vnum eundemque annum constituunt,vt suo loco dicetur.

*n.*4. & 5.

* * *

ANNVS MVNDI 3412.

IOSIÆ, & HELCIÆ 18.

NABOLASSARIS 5. Imp. Babyl. 79.

OLYMPIADIS XXXIV. AN. 3.

TVLLI HOST. 20. VRB. COND. 112.

ANTE CHRISTVM 641.

I. Summa rerũ huius anni.

CELEBERRIMVS est in Scriptura Iosiæ annus 18. in quo mundata iam terra, & templo Domini, tria eximia opera confecit; templi enim ædificia & vasa instaurata sunt, & cum pecunia ad eos sumptus depromitur inuentus est liber legis, cuius occasione renouatum est fœdus cum Domino, & Phase celebratum die decima quarta primi mensis Nisan, sed templi instauratio hoc ipso anno perfici non potuit. Iamdudum autem pecunia colligebatur ab ijs, qui ad annum ætatis vigesimum transibant, qui ad templi vsus dimidium sicli pendebant, vt in Exodo perscriptum est.

2 Par. 35. 2.

Exod. 30. 13. 14. id est 13. asses & 9. da.

II. Renouatio tẽpli tam vasorũ sacrorum.

Quod ad templi renouationem attinet, in eam Rex iamdudum intentus erat, & quidem, vt videtur à duodecimo regni sui anno, quo tempore illud mundatum est, simulque animaduersum instauratione indigere. Nec mirum; iam enim ab vltima eius instauratione, quæ 23. regni Ioas facta fuerat, ad hunc vsque annum ducentesimus trigesimus quartus agebatur annus. Duabus porro in rebus posita erat hæc instauratio, nimirum in ædificijs, & vasis sacris restituendis. Si forte Iosiæ pater, aut auus, ea deprædati fuerant. Conflata certe fuisse vasa Scriptura docet, cum ait: *Argentum quod repertum est in domo Domini conflauerunt, datumque est præfectis artificum, & diuersa opera fabricantium*; non alij erant hi artifices, quam fusores & aurifices, nec sacra pecunia conflata, nisi ad vasa sacra, sacrosque vsus. Idq; Iosephus aperte confirmat.

ab an. m. 3179.

2. Par. 34. 17.

Ezra. 6. 5.

III. Quã ædificiorum.

Quod autem attinet ad ædificiorum reparationem., misit Rex certos viros ad pontificem, vt ab eo acciperent pecuniam, quam fabris & artificibus distribuerent, lignarijs videlicet ac cæmentarijs, & ijs qui interrupta componunt, vt emerentur ligna, & lapides de lapidicinis, ad instaurandum templum Domini, *& ad contignationem domorum, quas destruxerant reges Iuda.* Cum autem efferretur pecunia, repetit Helcias Sacerdos librum legis Domini; Repertus videtur in quapiam arca pecuniaria, dum inde pecuniam Helcias in templi vsus effundit. Iserat liber Deuteronomij, vt ait Hieronym. & post eum alij, quod est quasi compendium Mosaicæ legis, & in quo ea continentur, quæ terrori esse possunt violatoribus eius. Isà Saphan scriba defertur ad regem, & coram eo legitur, quibus auditis scilicet rex vestimenta sua, zelo diuini honoris, & metu vindictæ in regnum suum. Quem animi motum præ cæteris afferre potuit lectio capitis 28. & 32.

2. Par. 34. 21.

Repetitur liber sacer, & ad Regẽ defertur.

Rex autem iubet Helciam Pontificem, cum alijs viris primarijs, consulere Dominum. Qui adierunt Oldam prophetidem. Nimirum abierat tum Ieremias, vt putat Abulensis, & totum regnum concionabundus obibat, & populum Dei iussu, salutari timore perculsum, Deo reconciliare conabatur. Habitabat autem Olda in ea parte Ierusalem, quæ dicebatur Secunda ciuitas, & iuxta portam, quæ vocabatur Secunda, & respondebat portæ piscium, quæ primo adeunda erat, venientibus in templum, à parte septentrionali. Ea respondit ex ore Domini, populum qui dereliquit Dominum, grauissima animaduersione puniendum, *Succendetur*, inquit, *indignatio mea in loco hoc, & non extinguetur*; propterea enim ollam succensam ostenderat Dominus Ieremiæ. De rege autem respondet, Dominum misericordia erga ipsum, propter pietatem eius, viurum, sic vt in pace colligatur ad patres suos. Etsi enim ex vulnere in bello accepto mortuus est; pacificus tamen fuit Reipubl. status: & rex Ægypti, contra quem pugnando occisus est, eum bello non petebat.

IV. Consulitur super eo Dominus per Oldam.

eiusq; responsum.

2. Par. 34. 24.

His regi nunciatis, conuocauit ad se primarios quosque viros de regno suo, & nominatim Sacerdotes & Propheras, & cum ijs ascendit in templum, & lecto libro legis: *percussit fœdus coram Domino*, promittens, & suo & populi nomine, obseruationem legis eius. *Acquieuitque populus pacto*, sed non omnes in toto corde suo, sicut rex Iosias, sed plerique *in mendacio & dolo*; quod eis Dominus per Ieremiam, & Sophoniam exprobrat. Cupiebat porro Iosias, renouando hoc fœdus Deum placare, ratus fortasse prædictas minas, sub tacita conditione pœnitentiæ, intentatas, vt olim aduersus Niniuitas: aut si esset immutabile decretum, quale fuit de abdicatione Saülis, quamuis Samuële precibus & lacrymis assiduis obnitente, populus præsenti fœdere abduceretur à grauibus peccatis, quibus præparata iam clades augeretur.

V. Rex conuocat maiores natu & renouat cum Deo fœdus.

quo fine

2. 3. 10. 2. 1. 9.

Inito fœdere, ad celebrationem Paschatis ventum est. Id indicant illa verba Regis: *Facite phase Domino Deo vestro, secundum quod est in libro fœderis huius.* Itaque videtur incitatus, ex huius libri lectione, ad phase maiore cum solennitate celebrandum; sicut etiam ad perquirendum exactius, num quæ reliquiæ superstitionis exterminandæ supererent, quamuis totis iam sex annis in id opus incubuerat, vt ex eodem loco quarti Regum, & ex 2. Paralipomenon intelligitur. Iussit ergo rex, quoniam legitimum tempus instabat celebrandi Paschatis, sanctificari Sacerdotes & Leuitas, idque non ex spiritali potestate, quæ pontificis erat, non regis, sed ex zelo & pietate optimi principis, rem diuinam omni studio promouere cupientis. Itaque subditur, *hortatusque est eos, vt ministrarent in domo Domini.* Quod autem iussit eos ponere arcam in Sanctuario templi, perspicuum est eductam fuisse è Sanctuario arcam Domini, idque Amonis tempore, & pueritiæ Iosiæ, & ijs annis quibus templum, & ciuitas, totumque regnum ab idolis perpurgatum est; vt in festo Paschatis,

VI. Indicit celebritatem Paschæ.

4. Reg 23. 21.

4. Reg. 23. 24.

2. Par. 34. 33.

Arca extra Sanctuarium

2. Par. 35. 2.

renouato cum Deo fœdere, maiore cum ſolennitate refertur in locum ſuum.

VII. Multitudo ſacrificiorum per ſeptiduum.

Inſignis porrò fuit multitudo ſacrificiorum, ex Regis, Principum, Sacerdotum & Leuitarum liberalitate; ex qua multitudine Iudæi huius phaſe celebritatem & magnificentiam præ omnibus præcedentibus æſtimabant; tametſi Ezechiæ phaſe per dies 14. Ioſiæ vero, conſueto 7. dierum ſpatio, celebratum fuerit, quibus populus de ſacrificijs pacificis epulabatur. Ioſias in eam rem 30. millia ouium, agnorum, & hædorum; boum vero ſiue vitulorum tria millia largitus eſt, principes autem pro ſua quiſque deuotione. Nec defuit Pontificis, & aliorum Sacerdotum, & Leuitarum, qui erant copioſiores, in populum, alioſque Leuitas tenuiores liberalitas, vt in 2. Paralipom. accuratè perſcriptum eſt. Cum autem pro multitudine ſacrificiorum pauci eſſent Sacerdotes, Leuitæ in detrahendis victimarum pellibus, adiuuerunt eos.

2 Par. c. 35.7.8.9.

ANNVS MVNDI 3441.

IOSIÆ & HELCIÆ 20.

NABOLASSARIS 7. Imper. Babyl. 81.

OLYMPIADIS XXXV. AN. 1.

HOSTILII 32. & vlt. VR. COND. 113.

ANTE CHRISTVM 639.

I. Ortus Thaletis Sapientis.

HAbet hic annus ineuntem Olympiadem 35. ſimulque exeuntem è viuis Tullum Hoſtilium, tertium in Republic. Romana regem. Hanc Olympiadem celebriorem reddit Thales ille Mileſius, à quo Philoſophorum vitas exorſus eſt Laërtius, qui primus vocatus eſt Sapiens, alijque deinceps. Primum quoque numerat Pauſanias lib. 10. quos & regionibus diſtinguit: *Pro Delphici templi foribus*, inquit, *leguntur perutilia vitæ hominum documenta, ab iis hominibus conſcripta, quos Græci Sapientes & habuerunt, & appellarunt. Fuerunt illi, & ſonta quedem Thales Mileſius, & Bias Prienenſis; Ex Aeolica vero nattione, ex Lesbo inſula Pittacus Mitylenæus; ex iis qui in Aſia ſunt Dorienſibus, Cleobulus Lindius. Athenienſis præterea Solon, & Spartanus Chilon. Septimum Plato Ariſtotelis filius pro Periandro, Corinthio, Cypſeli filio, enumerat Chenenſem Myſonem.* Sic ille. Vide S. Auguſtin. l. 18. de Ciuit. c. 24. vbi legitur vixiſſe Thaletem regnante Romulo. Vtique non recte, cum Euſebius, quem ille ſequitur, ſub Ancum Martium illum collocet.

Septē ſapientes, & eorum patriæ.

II. Mors Tulli Hoſtilii.

Mortuus porrò hoc anno Tullum Hoſtilium fatentur omnes, Dionyſius in primis, qui eius hiſtoriam ita concludit, vt illum celebret tanquam virum eximia fortitudine bellica, promptoque in periculis conſilio. Quod is maximè oſtendit in defectione, & proditione Suffetij; cum è re nata Albanorum diſceſſum ſuo conſilio factum dixit, & fraudem perfidorum in ſuam vtilitatem vertit. Perijſſe illum incendio, & cum tota familia flammis abſumptum conſtat; vtrum autem diuinitus fuerit, an humanitus illatum incendium, id vero non conſtat. Dionyſius certe de cœlo tactam eius domum probabilius putat, eamque irato DEO conflagraſſe, ob neglectam quorundam ſacrorum curam. Quod ſenſit quoque M. Tullius in libris de Republic. apud S. Auguſtinum. Illum autem ſacrorum neglectum ita explicat Liuius, vt tam Numam, quam Hoſtilium, magicis veneficijs & cantionibus deditos oſtendat: & hunc aliquid in Iouis Elicij ſacrificio peccantem conflagraſſe; quod nunc quoque magis, atque maleficis contingere dicitur, niſi pactos cum malo dæmone, conuentoſque ritus ad vnguem ſeruent.

ex magico incendio.

l. 3. de Ciu. c. 15.

III. Idola nūc quoque in Iuda.

Pergunt hoc tempore Sophonias, & maximè Ieremias, populo parum fideliter ad Deum conuerſo inculcare minas de aduentu Chaldæorum, & Reipublicæ interitu ab ipſis imminente. Neque mirum; Nam non obſtante fœdere cum DEO recens inito, plerique adhuc colebant Baal, & faciebant placentas reginæ cœli. Ieremias enim accuſat populum, quod non ſolum adhuc pergeret furari, occidere, adultera ri, iurare mendaciter, ſed etiam libare Baalim, & ire poſt Deos alienos; & nihilominus venirent impudenter, & ſtarent coram Domino in templo, illudque redderent ſpeluncam latronum. Sed illud omnem ſuperat admirationem. *Nonne vides*, ait Dominus, *quid iſti faciunt in ciuitatibus Iuda, & in plateis Ieruſalem: filii colligunt ligna, & patres ſuccendunt ignem, & mulieres conſpergunt adipem, vt faciant placentas reginæ cœli, & libent diis alienis, & ne ad iracundiam prouocent.* Omnes videlicet certatim volunt perfidiæ aduerſum me fieri principes, & in contemptum mei, ſacrificia offerre dæmonibus.

ANNVS MVNDI 3415.

IOSIÆ, & HELCIÆ 21.

NABOLASSARIS 8. Imp. Babyl. 82.

OLYMPIADIS XXXV. AN. 2.

ANCI MARCII 1. VRB. CON. 114.

ANTE CHRISTVM 638.

I. Initium regni Anci Marcii.

CENTESIMVS decimus quartus vrbis annus nouum vidit in Vrbe regem Ancum Marcium, de cuius inauguratione hæc habet Dionyſius. *Poſt Tulli Hoſtilii obitum interregum magiſtratus, à Senatu more patrio deſignatur, regem vrbi legit Marcium, prænomine Ancum. Cumque S. C. approbaſſet populus, & fauſta Deus ſigna oſtendiſſet, Marcius, omnibus rite peractis, capeſſit imperium anno 2. trigeſimæ quintæ Olympiadis*, &c. Cum autem Plutarchus in Numa ſcribat Ancum à Numa moriente quinquennem relictum, conſequens eſt eum nunc annum egiſſe 37. Cuius prima inſtituta, eodem autore Dionyſio, fuerunt ſumptos à pontificibus commentarios, quos de ſacris à ſe conſcriptos Numa reliquerat, populo proponere in foro legendos, vt eum à bellicis turbis ad ſtudia

Eualgat Numæ commentarios.

pacis quietisque transferret. Alios ergo commentatios ab istis, Numa defoderat in arca lapidea, quæ, vt supra dixi, post plurimos annos effossa est.

II. Bellum in Latinos bellum.

Politoriū capit, & in Vrbem transfert

Neque tamen Anco Marcio quies à bellis perpetua fuit, ac ne diuturna quidem. Vix enim regnare cœperat, vt ait Dionys. cum Latini eum contemnentes tanquam ignauum, latronum globos in agrum Romanum immiserunt. De quorum iniuriis cum legati frustra questi essent educto in ipsos exercitu Politorium vrbem deditione cepit, ciuesque vniuersos nullo affectos incommodo Romam transtulit, cum rebus suis in curiasque distribuit. Cumque anno insequēti Latini, missis Politorium colonis, desertos agros colere instituerent, Marcius resumptis armis eos inuasit, ijsque deuictis iterum cepit oppidum, eoque incenso, diruptisque muris, copias domum reduxit.

3416. III. Ortus Sedeciæ.

An. Sab. 119.

Insequenti autem, quem dixi anno, qui fuit Iosiæ 22. natus est ei filius Sedecias, qui vnius & viginti annorum erat cum regnare cœpit, totidem autem anni interiecti sunt vsque ad initiū regni eius, quando cœpit agere ætatis annum vigesimum secundum. Dicebatur autem tum Mathanias. Nam notius illud Sedeciæ nomen, ei à Nabuchodonosore cum regno datum est; fuit autem frater vterinus Ioachazi, qui prius tribus tantum mensibus regnauit, vt suo loco dicetur. Hîc autem addo fuisse hunc annum sabbaticum centesimum decimum nonum: est enim 853. ab ingressu in Chananitidem.

ANNVS MVNDI 3418.

IOSIÆ & HELCIÆ 24.

NABOLASSAR. 11. Imp. Babylonici 85.

OLYMPIADIS XXXVI. AN. 1.

ANCI MARCII 4. VRB. COND. 117.

ANTE CHRISTVM 635.

I. Iudithæ obitus. eiusque ætas. 3313. 105.

3418.

INitio 36. Olympiadis, & 24. regni Iosiæ, Iuditha nobilissima Heroina moritur. Cum enim sexto Ezechiæ regis anno eam natam dixerimus, qui fuit Mundi 3314. necesse est vt hic annus sit vitæ ipsius centesimus quintus, numeratis extremis: ad quem vsque annum vitam ab ea propagatam, extremo ipsius libro perscriptum est, & ad quem vsque, Holoferne occiso, pax magna Iudæis fuit, & impletum est illud, *In omni autem spatio vitæ eius* non fuit qui perturbaret Israël. Quod autem additur, *& post mortem eius multis annis*, totis septem annis, qui ad Iosiæ mortem reliqui sunt, cum Bellarmino definimus. Mansit in domo viri sui, vsque dum peruenisset ad centesimum quintum vitæ suæ annum, qui fuit 73. ab Holoferne mactato. Sepulta est in sepulchro viri sui, in agro Bethuliensi. Populus autem non immemor accepti ab ipsa, annos duos & 70. annos beneficij, memoriam quoque quotannis renouabat festus pro victoria dies, *luxit eam diebus septem.*

II. Eius encomium.

Celebrarunt eam plerique antiquorum patrū in quibus Clemens Alexandrinus, Origenes, Ambrosius, Fulgentius, Augustinus, Chrysostomus, Tertullianus, Hieronymus, aliique, vt in Annalibus reperiet studiosus Lector, vt Scripturæ ipsius elogia prætermittam, ex quibus liquidò apparet eam & sanctissimæ Ecclesiæ ſpōsæ Christi, & angustissimæ patentis eius typum egregium fuisse, vsq; adeo illi fortitudine, prudentia, pulchritudine, zelo salutis animarum, studio pœnitentiæ, in primisq; continentiæ similis fuit. Hæc est enim illa Iudith, quæ cum esset formæ prodigium, extitit nihilominus miraculum castitatis, quam ieiunijs, precibus, omnique corporis afflictatione ita coluit, itáq; adamauit, vt cum ætate floreret, careret liberis, diuitiis abundaret & gloria, ipsos 75. annos cœlebs perseueraret, atq; incontaminata fulgeret, sed hæc superius iam attigimus, & copiosius Annales dabunt.

Et castitas singularis.

Hoc anno quarto Anci Marcij Latini Medulliam Romanorum oppidum, facto vndique in muros impetu vi capiunt. Et vice versa Marcius Tellenas nobile Latinorum oppidum, acie primum, mox oppugnatione victor in potestatem redegit, Romamq; transtulit oppidanos. Idemq; cum Ficanæ oppidanis factum. Secutus enim Rex, vt ait Liuius, regum priorum more, qui rem Romanam auxerant hostibus in ciuitatem accipiendis, multitudinem omnem Romā traduxit. Et cum circa palatium sedes veteres Romani, Sabini Capitolium atque arcem, Cælium montem Albani implessent, Auentinus nouæ multitudini datus est. Dionysius addit Medulliam per triennium à Latinis detentam, quarto demum anno à rege Marcio recuperatā.

III. Latini Medullia capiunt.

Varij populi Romam traducti.

Sequenti anno nascitur Ioachinus, filius Ioakimi primogeniti Iosiæ: Ioakimo autem regno vitáque spoliato, filius eius regni miserias potius, quam delicias mensibus aliquot degustauit. Nam cum 18. esset annorum cum regnare cœpit, & totidem à 25. Iosiæ ad vltimum Ioacim numerentur, hoc anno, qui erat 33. vitæ Iosiæ aui ipsius, & 19. Ioakim patris ipsius, natum esse oportet. Hic porro Ioachinus passim Iechonias appellatur, & nominatim in Christi apud Matthæum genealogia.

3419. IV. Ortus Iachini, qui & Iechonias.

c. 1. 11. 12.

ANNVS MVNDI 3422.

IOSIÆ & HELCIÆ 28.

NABOLASSARIS 15. Imp. Babylon. 90.

OLYMPIADIS XXXVII. AN. 1.

ANCI MARCII 8. VR. COND. 121.

ANTE CHRISTVM 631.

TRigesima septima Olympiade Euryclidas Laco in stadio palmam tulit.

I. Olympias 37. Tarquinij ex Etruria Romam demigrāt

Octauo porro anno Marcij, Tarquinius, quem Lucumonem appellat Liuius, Demarato Corinthio genitum, ex Etruria cum tota familia Romam migrauit, cuius deinde posteri, Romæ principatum, semel iterumque tenuerunt. Hic ergo siue Lucumo, siue Tarquinius, in Regis se familiaritatem insinuauit, qui fidem

renouato cum Deo fœdere, maiore cum ſolennitate refertur in locum ſuum.

VII. Multitudo ſacrificiorum per ſeptiduum.

Inſignis porrò fuit multitudo ſacrificiorum, ex Regis, Principum, Sacerdotum & Leuitarum liberalitate; ex qua multitudine Iudæi huius phaſe celebritatem & magnificentiam præ omnibus præcedentibus æſtimabant; tametſi Ezechiæ phaſe per dies 14. Ioſiæ vero, conſueto 7. dierum ſpatio, celebratum fuerit, quibus populus de ſacrificijs pacificis epulabatur. Ioſias in eam rem 30. millia ouium, agnorum, & hædorum; boum vero ſiue vitulorum tria millia largitus eſt, principes autem pro ſua quiſque deuotione. Nec defuit Pontificis, & aliorum Sacerdotum, & Leuitarum, qui erant copioſiores, in populum, alioſque Leuitas tenuiores liberalitas, vt in 2. Paralipom. accuratè perſcriptum eſt. Cum autem pro multitudine ſacrificiorum pauci eſſent Sacerdotes, Leuitæ in detrahendis victimarum pellibus, adiuuerunt eos.

2 Par. c. 35.7.8.9.

ANNVS MVNDI 3441.

IOSIÆ & HELCIÆ 20.

NABOLASSARIS 7. Imper. Babyl. 81.

OLYMPIADIS XXXV. AN. 1.

HOSTILII 32. & vlt. VR. COND. 113.

ANTE CHRISTVM 639.

I. Ortus Thaletis Sapientis.

HAbet hic annus ineuntem Olympiadem 35. ſimulque exeuntem è viuis Tullum Hoſtilium, tertium in Republic. Romana regem. Hanc Olympiadem celebriorem reddit Thales ille Mileſius, à quo Philoſophorum vitas exorſus eſt Laërtius, qui primus vocatus eſt Sapiens, alijque deinceps. Primum quoque numerat Pauſanias lib. 10. quos & regionibus diſtinguit: *Pro Delphici templi foribus*, inquit, *leguntur perutilia vitæ hominum documenta, ab iis hominibus conſcripta, quos Græci Sapientes & habuerunt, & appellarunt. Fuerunt illi, & Ionia quedam Thales Mileſius, & Bias Prienenſis; Ex Aeolica vero natione, ex Lesbo inſula Pittacus Mitylenæus; ex iis qui in Aſia ſunt Doricenſibus, Cleobulus Lindius. Athenienſis præterea Solon, & Spartanus Chilon. Septimum Plato Ariſtotelis filium pro Periandro, Corinthio, Cypſeli filio, enumerat Chenenſem Myſonem.* Sic ille. Vide S. Auguſtin. l. 18. de Ciuit. c. 24. vbi legitur vixiſſe Thaletem regnante Romulo. Vtique non recte, cum Euſebius, quem ille ſequitur, ſub Ancum Martium illum collocet.

Septé ſapientes, & eorum patriæ.

II. Mors Tulli Hoſtilii.

Mortuus porrò hoc anno Tullum Hoſtilium fatentur omnes, Dionyſius in primis, qui eius hiſtoriam ita concludit, vt illum celebret tanquam virum eximia fortitudine bellica, promptoque in periculis conſilio. Quod is maximè oſtendit in defectione, & proditione Suffetij; cum è re nata Albanorum diſceſſum ſuo conſilio factum dixit, & fraudem perfidorum in ſuam vtilitatem vertit. Perijſſe illum incendio, & cum tota familia flammis abſumptum conſtat; vtrum autem diuinitus fuerit, an humanitus illatum incendium, id vero non conſtat. Dionyſius certe de cœlo tactam eius domum probabilius putat, eamque irato DEO conflagraſſe, ob neglectam quorundam ſacrorum curam. Quod ſenſit quoque M. Tullius in libris de Republic. apud S. Auguſtinum. Illum autem ſacrorum neglectum ita explicat Liuius, vt tam Numam, quam Hoſtilium, magicis veneficijs & cantionibus deditos oſtendat: & hunc aliquid in Iouis Elicij ſacrificio peccantem conflagraſſe; quod nunc quoque magis, atque maleficis contingere dicitur, niſi pactos cum malo dæmone, conuentoſque ritus ad vnguem ſeruent.

ex magico incendio.

l. 3. de Ciu. c. 15.

III. Idola nũc quoque in Iuda.

Pergunt hoc tempore Sophonias, & maximè Ieremias, populo parum fideliter ad Deum conuerſo inculcare minas de aduentu Chaldæorum, & Reipublicæ interitu ab ipſis imminente. Neque mirum; Nam non obſtante fœdere cum DEO recens inito, plerique adhuc colebant Baal, & faciebant placentas reginæ cœli. Ieremias enim accuſat populum, quod non ſolum adhuc pergeret furari, occidere, adulterari, iurare mendaciter, ſed etiam libare Baalim, & ire poſt Deos alienos; & nihilominus venirent impudenter, & ſtarent coram Domino in templo, illudque redderent ſpeluncam latronum. Sed illud omnem ſuperat admirationem. *Nonne vides*, ait Dominus, *quid iſti faciunt in ciuitatibus Iuda, & in plateis Ieruſalem? filii colligunt ligna, & patres ſuccendunt ignem, & mulieres conſpergunt adipem, vt faciant placentas reginæ cœli, & libent diis alienis, & ne ad iracundiam prouocent.* Omnes videlicet certatim volunt perfidiæ aduerſum me fieri principes, & in contemptum mei, ſacrificia offerre dæmonibus.

ANNVS MVNDI 3415.

IOSIÆ, & HELCIÆ 21.

NABOLASSARIS 8. Imp. Babyl. 82.

OLYMPIADIS XXXV. AN. 2.

ANCI MARCII 1. VRB. CON. 114.

ANTE CHRISTVM 638.

I. Initium regni Anci Marcii.

CENTESIMVS decimus quartus vrbis annus nouum vidit in Vrbe regem Ancum Marcium, de cuius inauguratione hæc habet Dionyſius. *Poſt Tulli Hoſtilii obitum interregum magiſtratus, à Senatu more patrio deſignatur, regem vrbi legit Marcium, prænomine Ancum. Cumque S. C. approbaſſet populus, & fauſta Dei ſigna oſtendiſſet, Marcius, omnibus rite peractis, capeſſit imperium anno 2. trigeſimæ quintæ Olympiadis*, &c. Cum autem Plutarchus in Numa ſcribat Ancum à Numa moriente quinquennem relictum, conſequens eſt eum nunc annum egiſſe 37. Cuius prima inſtituta, eodem autore Dionyſio, fuerunt ſumpta à pontificibus commentarios, quos de ſacris à ſe conſcriptos Numa reliquerat, populo proponere in foro legendos, vt eum à bellicis turbis ad ſtudia

Eutilgat Numæ commentarios.

pacis quietisque transferret. Alios ergo commentarios ab illis, Numa defoderat in arca lapidea, quæ, vt supra dixi, post plurimos annos effossa est.

II. Ciuis in Latinos bellum.

Politorium capit, & in Vrbem transfert

Neque tamen Anco Marcio quies à bellis perpetua fuit, ac ne diuturna quidem. Vix enim regnare cœperat, vt ait Dionysius, cum Latini eum contemnentes tanquam ignauum, latronum globos in agrum Romanum immiserunt. De quorum iniuriis cum legati frustra questi essent educto in ipsos exercitu Politorium vrbem deditione cepit, ciuesque vniuersos nullo affectos incommodo Romam transtulit, cum rebus suis in curiasque distribuit. Cumque anno insequenti Latini, missis Politorium colonis, desertos agros colere instituerent, Marcius resumptis armis eos inuasit, ijsque deuictis iterum cepit oppidum, eoque incenso, diruptisque muris, copias domum reduxit.

3416. III. Ortus Sedeciæ.

Insequenti autem, quem dixi anno, qui fuit Iosiæ 22. natus est ei filius Sedecias, qui vnius & viginti annorum erat cum regnare cœpit, totidem autem anni interiecti sunt vsque ad initiũ regni eius, quando cœpit agere ætatis annum vigesimum secundum. Dicebatur autem tum Mathanias. Nam notius illud Sedeciæ nomen, ei à Nabuchodonosore cum regno datum est; fuit autem frater vterinus Ioachazi, qui ptius tribus tantum mensibus regnauit, vt suo loco dicetur. Hîc autem addo fuisse hunc annum sabbaticum centesimum decimum nonum: est enim 833. ab ingressu in Chananitidem.

Au. Sab. 119.

ANNVS MVNDI 3418.

IOSIÆ & HELCIÆ 24.

NABOLASSAR. 11. Imp. Babylonici 85.

OLYMPIADIS XXXVI. AN. 1.

ANCI MARCII 4. VRB. COND. 117.

ANTE CHRISTVM 635.

I. Iudithæ obitus, eiusque ætas. 3313. 105.

INitio 36. Olympiadis, & 24. regni Iosiæ, Iuditha nobilissima Heroina moritur. Cum enim sexto Ezechiæ regis anno eam natam dixerimus, qui fuit Mundi 3314. necesse est vt hic annus sit vitæ ipsius centesimus quintus, numeratis extremis: ad quem vsque annum vitam ab ea propagatam, extremo ipsius libro perscriptum est, & ad quem vsque, Holoferne occiso, pax magna Iudæis fuit, & impletum est illud, *In omni autem spatio vitæ eius* non fuit qui perturbaret Israël. Quod autem additur, *& post mortem eius multis annis*, totis septem annis, qui ad Iosiæ mortem reliqui sunt, cum Bellarmino definimus. Mansit in domo viri sui, vsque dum peruenisset ad centesimum quintum vitæ suæ annum, qui fuit 73. ab Holoferne mactato. Sepultus est in sepulchro viri sui, in agro Bethulien si. Populus autem non immemor accepti ab ipsa, ante duos & 70. annos beneficij, memoriam quippe quotannis renouabat festus pro victoria dies, *luxit eam diebus septem.*

3418

II. Eius encomium.

Celebrarunt eam plerique antiquorum patrũ in quibus Clemens Alexandrinus, Origenes, Ambrosius, Fulgentius, Augustinus, Chrysostomus, Tertullianus, Hieronymus, alique, vt in Annalibus reperiet studiosus Lector, vt Scripturæ ipsius elogia prætermittam, ex quibus liquidò apparet eam & sanctissimæ Ecclesiæ ſpõsæ Christi, & angustissimæ parentis eius typum egregium fuisse, vsq; adeo illi fortitudine, prudentia, pulchritudine, zelo salutis animarum, studio pœnitentiæ, in primisq; continentiæ similis fuit. Hæc est enim illa Iudith, quæ cum esset formæ prodigium, extitit nihilominus miraculum castitatis, quam ieiunijs, precibus, omnique corporis afflictatione ita coluit, itáq; adamauit, vt cum ætate floreret, careret liberis, diuitiis abundaret & gloria, ipsos 75. annos cœlebs perseueraret, atq; incontaminata fulgeret, sed hæc superius iam attigimus, & copiosius Annales dabunt.

Et castitas singularis.

Hoc anno quarto Anci Marcij Latini Medulliam Romanorum oppidum, facto vndique in muros impetu vi capiunt. Et vice versa Marcius Tellenas nobile Latinorum oppidum, acie primum, mox oppugnatione victor in potestatem redegit, Romamq; transtulit oppidanos. Idemq; cum Ficanæ oppidanis factum. Secutus enim Rex, vt ait Liuius, regum priorum morẽ, qui rem Romanam auxerant hostibus in ciuitatem accipiendis, multitudinem omnem Romã traduxit. Et cum circa palatium sedes veteres Romani, Sabini Capitolium atque arcem, Cælium montem Albani implessent, Auentinus nouæ multitudini datus est. Dionysius addit Medullianı per triennium à Latinis detentam, quarto demum anno à rege Marcio recuperatã.

III. Latini Medullia capiunt.

Varij populi Romam traducti.

Sequenti anno nascitur Ioachinus, filius Ioakimi primogeniti Iosiæ: Ioakimo autem regno vitàque spoliato, filius eius regni miserias potius, quam delicias mensibus aliquot degustauit. Nam cum 18. esset annorum cum regnare cœpit, & totidem à 25. Iosiæ ad vltimum Ioacim numerentur, hoc anno, qui erat 33. vitæ Iosiæ aui ipsius, & 19. Ioakim patris ipsius, natum esse oportet. Hic porro Ioachinus passim Iechonias appellatur, & nominatim in Christi apud Matthæum genealogia.

3419. IV. Ortus Iachini, qui & Iechonias.

c. 1. 11. 12.

ANNVS MVNDI 3422.

IOSIÆ & HELCIÆ 28.

NABOLASSARIS 15. Imp. Babylon. 90.

OLYMPIADIS XXXVII. AN. 1.

ANCI MARCII 8. VRB. COND. 121.

ANTE CHRISTVM 631.

TRigesima septima Olympiade Euryclidas Laco in stadio palmam tulit.

I. Olympias 37. Tarquinij ex Etruria Romam demigrãs

Octauo porro anno Marcij, Tarquinius, quem Lucumonem appellat Liuius, Demarato Corinthio genitum, ex Etruria cum tota familia Romam migrauit, cuius deinde posteri, Romæ principatum, semel iterumque tenuerunt. Hic ergo siue Lucumo, siue Tarquinius, in Regis se familiaritatem insinuauit, qui fidem

suam fortitudinemque ita probauit, vt nono Anci anno, ad bellum Latinum magister equitum missus sit; reliquisque deinde annis Marcij, eius gratia potitus, eidem etiam post annos 17 in regno successit.

II. Status Iudaicæ rei. 2. Par. 34. fi.

Interea Hierosolymis pietas, annitente Iosia, Helcia, Ieremia, Sophonia, cæterisque pietatis columnis, late florebat. Nam ad hos annos illa Scripturæ verba pertinent. *Cunctis diebus eius non recesserunt à Domino Deo patrum suorum.* Quod sine dubio de externa & publica idololatria intelligendum est. Nam priuatim familias totas sacrificasse reginæ cœli, iam supra ex Ieremia demõstratum est; aliisque multis ex locis probari potest fictam fuisse plurimorum Iudæorum conuersionem; impietate in eorum cordibus perseuerante. Tantum autem abest vt serio resipiscerent, vt etiam Ieremiam, eis Dei iussu ventura mala prædicentem, interficere hoc ipso tempore voluerint, ligno lethifero inficiendo cibum eius. Quod cum illi molirentur, Deus prophetæ suo consilia ipsorum patefecit.

ea. 7. 18.

Ierem. 11. 18.

ANNVS MVNDI 3423.

IOSIÆ & HELCIÆ 29.

NABOLASSARIS 16. Imp. Babylon. 90.

OLYMPIADIS XXXVII. AN. 2.

ANCI MARCII 9. VR. COND. 122.

ANTE CHRISTVM 630.

I. An. Sab. 120. Marcius Medullia recipit.

NOnus Romanorum regis annus, qui Iudæis Sabbaticus erat ordine 120. Romanis, Latinis, Fidenatibus, Sabinisque inter se pugnantibus, non parum cruentus fuit. Primum cum Latinis ad Medulliam bellum fuit. Cum enim eam vrbem Romanis ademptam, quartum iam annum Latini retinerent, Marcius ad eam recuperandam omnes vires intendit. Ergo duobus inter se prælijs concurrẽte. In priore, cum diu æquo Marte pugnatum esset, neutrò inclinante victoria, diremptο prælio, vtrique in sua castra digressi sunt. Posteriore Romani victos Latinos in sua castra compulere. Addit autem Dionysius post has pugnas nusquam acie certatum esse: excursiones tantum in finitimos agros vltro citróque factas esse, conseruisse manus, Romano plerumque superante.

II. Bellum in Fidenates.

Hoc tempore Fidenates occultis excursionibus agrum Romanum infestabant. Contra quos Marcius cum expeditis profectus, contra oppidum castra posuit. Illi tempus ad inquirendos noxios petunt, quod cum in belli apparatu ponerent, contra simulatores dissimulanter egit Marcius. Cuniculos enim à castris ad mœnia vsque hostium agi iussit, quo opere perfecto, comparatis quæ ad pugnam muralem erant necessaria, exercitum militem admouit ad auersam partem mœnium; quò Fidenatibus cõcurrentibus, Romani aperto cuniculo se intra mœnia infuderunt, & per effractam portam suos intromiserunt; & cum plurima iam cædes facta esset, iubet rex parci ferro, in vnum locum per præconem conuocari, armis spoliari, defectionis autores virgis cæsos supplicio affici, denique vrbem militi diripiendam dedit: relictóque in vrbe præsidio in Sabinos latrociniis agrum Romanum incursantes mouit, eosq; varie afflictos compescuit. Et mox pacem nihilominus petentibus dedit, vt Latinis, contra quos adhuc bellum erat, pares esse possent.

Et Sabinos.

Eodem tempore Pharao cognomento Nechao rex Ægypti bellum contra Babyloniorum regem præparabat, Dei vt ferebat, credebatur iussu, de quo sequenti anno pluribus.

III. Pharaonis apparatus ad bellum.

ANNVS MVNDI 3425.

IOSIÆ 31. & vlt. HELCIÆ 31.

NABOLASSARIS 18. Imp. Babyl. 92.

OLYMPIADIS XXXVII. AN. 4.

ANCI MARCII III. VRB. CON. 124.

ANTE CHRISTVM 628.

VAlde luctuosus est, planéque funestus Hebræis hic annus, tristissima regis optimi cæde, quæ aditum diuinæ vindictæ aduersus Iudam, reliquias populi quondam sui, patefecit. Regis quem populus impius diutius habere non meruit, ne cum eodem propinqua tempestate periret. Belli causa Pharaoni, si Iosepho credimus, fuit cupiditas regni Asiæ acquirendi: si autem ipsi Pharaoni, fuit voluntas obsequendi Deo hanc illi expeditionem præcipienti. Quod Iosias minime credens, transitum eius per regnum suum prohibere statuit, nec potuit de sententia dimoueri, seueritus ne specie transitus, suum ille regnum occuparet, aut staret, seu regi Assyriorum improuidè gratificari cupiens, eius periculum in damnum proprium transferendo.

I. Iosiæ bellum contra Pharaonem, eiusque causa.

2. Par. 35. 21.

Cum ergo Pharao pacificum transitum peteret nec impetraret, trãsijt nihilominus, Iosias vero statim collectis copiis, adipsum perrexit, quem inuenit peruenisse ad campum Mageddo, vbi viderunt se, & Iosias vulneratus à sagittariis, quamuis mutasset habitum, iuxta textum Hebræum, ne in eum tela dirigerentur; dixit pueris suis, vt eum de prælio educerent, vtpote grauiter vulneratum; cumque in alium currum transferretur, ex accepto vulnere mortuus est in eodem loco: translatusque Hierosolymam, conditus est in sepulchro suo, *& vniuersus Iuda & Ierusalem luxerunt eum.* Nec immerito, vt qui ex Oldæ prophetia intellexissent, eo viuo rebus ipsorum pacem fore, eo collecto ad patres suos, mala in totam Iudæorum gentem inundatura. Luxit autem *Ieremias maxime*; cuius lamentationes super morte Iosiæ aliæ fuerunt ab ijs, quæ super clade Ierusalem, & vniuersi regni editæ sunt, extantque, in quibus de Iosia mirum silentium, vt diligentius in Annalibus ostensum est, vbi ipsius Iosiæ comparatio cum Christo, cuius typus admodum expressus fuit, reperietur.

II. Eum adit Iosias, & in prælio vulneratur.

4. Reg. 23. 29.

Moritur & lugetur.

2. Par. 35. 25.

Zach. 12. & seq.

à num. 25. ad 28.

Mortuo

III. Ioachaz regnum occupat.

Mortuo Iosia statim turbæ in regno eius excitantur, Nam Ioachaz filius eius secundo genitus, regnum eius inuadit factione populari, ageus annum ætatis vigesimum tertium, cuius trimestre regnum ad hunc ipsum Iosiæ annum referendum est, vt Ioakim, qui ei successit, vndecim annis regnare potuerit. Factionem popularem indicant illa verba, *Tulitque populus Ioachaz filium Iosiæ.* Ab ambitioso vtique iuuene sollicitatus, promissa forte illi religionis libertate, vt res ipsa docuit, qui & inungi voluit, ad regnum sibi confirmandum. Sapientior multo futurus, si pietatem patris æmulari, quam in thronum eius præproperè, & cum fratris iniuria inlilire maluisset. E contrario vero *fecit malum coram Domino, iuxta omnia quæ fecerant patres eius*, qui scilicet Deo nuncium, pietatique remiserant. Idque facile admodum, ac procliue fuit; cum populus magna ex parte corruptus, nihil admodum præter externam speciem pietatis haberet, vt supra dictum est. Præsertim si iam ipsemet in eam se voraginem præcipitem dederat.

Et colit idola.

IV. Pharao victus à Nabolassare redit in Iudæã.

Hæc dum Hierosolymis fiunt, Pharao è bello reuertitur. Infeliciter pugnatum ab Ægyptio quidam putant, quod festinus eius reditus probabile reddit. Nam si in acie victor euasisset, vlterius vtique pugnando progressus esset, quoniam imperium Asiæ, vt ex Iosepho diximus, ambiebat. Conijcere autem possumus cum Abulensi, venisse ad eum Ioacimum Iosiæ primogenitum, & ad eum, quasi ad arbitrum, fratris iniuriam detulisse: opem non sine muneribus, maiorum exemplo postulasse: tributum etiam Ægyptio, si rex fieret, obtulisse. Ægyptius nouũ ad se regem euocauit, quasi eius cum fratre cõtrouersiam amicè ac beneuole compositurus. Venit ergo Ioachaz ad Pharaonem, qui vt hominem habuit in potestate, eum coniectum in vincula, in Ægyptum amandauit, ne qua in vrbe seditio, ipso præsente concitaretur, ibique mortuus est, vt prophetauerat Ieremias.

Eum adit Ioakim regni causa.

Ioachaz euocatus capitur.

V. Ieremiæ de ipsa vaticinium. *ca. 22. 10.*

Dum enim Ioachaz, qui & Sellum dictus est, ad regem Ægypti proficisceretur. *Nolite*, inquit propheta, *flere mortuum*, Iosiam scilicet multis cum lachrymis dudum regio funere elatum ac sepultum, *plangite eum qui egreditur*, Ioachaz scilicet adeuntem in Rebla Pharaonem, *quia non reuertetur vltra, nec videbit terram nativitatis suæ. Quia hæc dicit Dominus ad Sellum filium Iosiæ, regis Iuda, qui regnauit pro Iosia patre suo*, immediatè scilicet, dum adhuc populus mortuum Iosiam plangeret, *qui egressus est de loco isto. Non reuertetur huc amplius, sed in loco ad quem transtuli eum, ibi morietur, & terram istam non videbit amplius.* Itaque Ioachaz celeres suæ impietatis, crudelitatis, nam crudelitatis ab Ezechiele accusatur, & ambitionis pœnas dedit, tres infra menses regno & libertate priuatus.

Moritur in Ægypto.

ca. 19.

***

ANNVS MVNDI 3426.

IOAKIM 1. AZARIÆ Pont. 1.

NABOLASSARIS 19. Imp. Babyl. 93.

OLYMPIADIS XXXVIII. AN. 1.

ANCI MARCII 12. VR. COND. 125.

ANTE CHRISTVM 627.

I. Penander clarescit.

LAërtius hanc 38. Olympiadem, in qua Periander claruerit, cum iam 36. annos natus esset, in eius vita notat: quem ait primum armatis circunseptum incessisse, & magistratum ad tyrannidem transtulisse, eamque ad 40. annos exercuisse. Verum supra ex Pausania diximus, eum habuisse patrem & socerum, quos ea in re imitaretur. Armatos autem circa se Romulus iam ante centum annos habuerat, & Saul ante 462. & quidem tunc, cum adhuc esset optimus princeps. Idque laudatissimis regibus in more positum est, siue ad securitatem personæ, in cuius salute omnium subditorum vertitur salus, siue ad reuerentiam maiestatis.

Militare præsidiũ principũ. *a.m. 2964.*

II. Initium regni Ioakim Azarias pontifex. *c. 6. 13. 14. & 1. Esd. 7. 1.*

Sub initium anni huius, abdicato Ioachaz, beneficio Pharaonis regnare cœpit Ioakim, qui & Eliacim, & quidem sub initium anni sacri, qui ab æquinoctio verno inchoatur, vt ex Annalibus liquet. Nouum etiam pontificem cum nouo rege suggerunt Hebræi chronologi, quem Azariam vocant. Fuisse illum Helciæ filium, & Saraiæ parentem, ex 1. Paral. liquet, & 1. Esdræ.

Ioakim Pharaonis cliens

Cœpit porro regnare Ioakim, sed precariò magis, quam proprio iure. Sic enim rex factus est, vt superiorem tamen agnosceret Ægypti regem. In cuius rei argumentum grauem illi populo mulctam imposuit, & nomen regi commutauit. Sicque cliens, & quasi libertus regis Ægypti factus, Chaldæorum, quibus Ægyptius erat inimicus, factus est hostis, & eorum in se arma conuertit, vt mox intelligetur.

III. Mulcta populi, & qua ex culpa. *4. Reg. 23. 33.*

Interim autem Nechao imposuit *mulctam terræ* & non ipsi regi, qui forte, iam datis illi muneribus, fuerat exhaustus, *centum talenta argenti, & talentum auri*, quæ tota summa ascendebat ad centum & quinquaginta millia aureorũ. Quæ mulcta, quoniam mulcta vocatur, non videtur facta terra vectigalis in perpetuum sed indicta summa semel persoluẽda, quod Abulensis quoque sensit. Sed in cuius peccati pœnã? An quod regem populus iniussu suo constituisset? ex quo enim Iosiam occidit, se pro rege Hebræorum gerere & haberi voluit, vt qui illic regem arbitratu suo constituere, & exautorare posset. An quod Iosias vltro eum cum exercitu inuasisset, neque transitum permittere voluisset? An denique propter iniuriam legitimo regi factam, cui minorem natu filium prætulerant? Nunc enim Ioachaz 23. annorum erat, Ioacim autem 25. vt Scriptura testatur. *4. Reg. 23. 31. & 36.*

IV. Ioakim impius & crudelis.

Porro quod ad Regis huius mores attinet, impium eum fuisse, & fecisse malum corã Domino, ex ipsa Scriptura constat. Voluerit nimirum non minus gratificari populo, quam Ioa-

chaz frater eius, vt sibi eum benevolum redderet, & in persoluenda mulcta prædicta obsequentem. Fuit etiam crudelis, fratrique similimus, autore Ezechiele propheta. Itaque facile est intelligere, eum in amicos & fautores fratris crudelem vltionem exercuisse. Nam hoc ipso anno, Ioakim nobile dedit crudelitatis, & impietatis exemplum, aduersus Vriam prophetã, qui cum prophetaret aduersus Ierusalem & tẽplum eius, vt paulò post Ieremias, te ad regem delata, cum quæreretur ad mortem, fugit in Ægyptum. Quò cum rex misisset nuncios, facile fugitiuum recepit, atque interfecit innocentem Dei prophetam, *& proiecit cadauer eius in sepulchris vulgi ignobilis.*

ca. 19.

Occidit Vriam, prophetam, *Ierem. 26. 20.*

V. Ieremias de vita periclitatur. *ca. 26. 12. & seqq.*

Paulò post in eodem principio regni Ioakim, vt apud Ieremiam legimus, de vita periclitatus est idem Ieremias, eò quod iussu Domini, in tẽplo atrio, coram vniuerso populo diceret, nisi abiecta idololatria conuerterentur ad Dominum. Templum instar Silo futurum, desertum videlicet atque destructum; & Vrbem Ierusalem fore *in maledictionem cunctis gentibus terræ.* Quæ cum audissent improbi sacerdotes eisque non dissimilis populus apprehenderunt eum, reumque mortis pronunciarunt. Tumultuante igitur omni populo, & aduersus Ieremiam, præeuntibus sacrilegis sacerdotibus, & pseudoprophetis, insaniente, è regis palatio exauditus est confusus turbarum clamor: & ascenderunt in templum principes Iuda, in quibus Ahicam filius Saphan, apud quos ab illis accusatus, suam causam egit, ab ipsque absolutus est, exemplo Michææ vtentibus. Vriæ autem exemplum, quod subdunt, eò pertinet, ne se iterum occisi prophetæ scelere contaminent, qui hoc ipso anno cædis Vriæ participes fuerant.

VI. Nascitur Daniel.

Hoc porro anno regni Ioakim primo, natum existimamus Danielem, quem S. Epiphanius abductum ait in captiuitatem pusionem adhuc & infantem. Ea contigit anno Ioakimi tertio vt dicemus, quando Daniel tertium circiter agebat annum, cui nomen pusionis & infantis recte conuenit. Sulpicius Seuerus eum non solum puerum, sed etiam paruum admodum puerum vocat. Nec absurdum est infantem in eam captiuitatem delatum, quoniam ibi non tam captiuus quam obses futurus erat, vt qui erat regij sanguinis, vt tuto Ioakim remitti posset in regnum suum. Sed & Susannæ iudicium, quod plerique sancti Patres, anno Danielis duodecimo contigisse dicunt, cum hac positione nostra recte conuenit. Fuisse vero illum de tribu Iuda, sicut & socios eius Annaniã, Azariam, & Misaëlem, atque adeo de semine regio, & tyrannorum, siue dynastarum & optimatum Iudaicæ gentis, ex primo cap. Danielis intelligitur.

* * *

ANNVS MVNDI 3427.

IOAKIM & AZARIÆ 2.

NABOLASSAR. 20. Imp. Babyl. 94.

OLYMPIADIS XXXVIII. AN. 2.

ANCI MARCII 13. VRB. COND. 126.

ANTE CHRISTVM 626.

I. Ioakimus assumit Ioachinum regni socium. *c. 36. v. 9. c. 24. v. 8.*

IOakimus secundo regni sui anno assumpsit sibi regni socium Ioachinum filium, qui æpius Iechonias appellatur, quique nunc octauũ vitæ annum expleuerat, vtpote natus anno Mũdi 3419. Octo autem annorum fuisse dicitur in 2. Paral. cum regnare cœpit. Et nihilominus in 4. Reg. dicitur decem & octo annorum fuisse cum regnare cœpit. Quæ loca rectè ita conciliantur, vt Ioachin bis regnare cœperit, semel quidem hoc anno cum patre, & rursus post eius mortem: & tamen tribus tantum mensibus cum triente regnasse dicitur, quia decem illi anni patri eius tribuuntur. Cur autem tam cito Ioakimus paruulum filium in regnum cooptauerit, ea fortasse ratio fuit, quod vereretur ne Sedecias frater suus, imitatus alterum fratrem Ioachaz, regnum filio suo debitum factione aliqua occuparet; quod difficilius fieri poterat, eo dudum iam, & viuo adhuc patre, regni gubernaculis admoto.

II. Mores Ioakimi, crudelitas.

Porro de Ioakimi moribus, & nominatim de crudelitate iam dici cœptum, & in Vriæ prophetæ cæde ab eo imperata demonstratum. Sed eam Ezechiel, paucis licet verbis, vehementer exaggerat. *Qui incedebat* inquit *inter leones & factus est Leo, & didicit prædam capere. & homines deuorare; didicit viduas facere, & ciuitates eorum in desertum adducere, & desolata est terra, & plenitudo eius à voce rugitus eius.*

Quæ verba in tres primos illius annos quadrare videntur. Nam quarto superuenit Nabuchodonosor aduersus ipsum. Cædibus igitur, & viduis & orphanis Ioakim ciuitates replebat, ciuibus autem viduabat, & quidem vt quisque erat auitæ pietatis retinentissimus. Idenim principem & religione impium, & moribus barbarum & crudelem decebat. Multi autem vel iussi, vel sponte solum vertebant, adeo vt terra desolata videretur.

III. Auaritia, Ambitio &c. *c. 22. 17. ver. 13.*

Alterum in eo crimen accusat Ieremias illis verbis, *Tui vero oculi, & cor ad auaritiam, & ad sanguinem innocentem fundendum, & ad calumniam, & ad cursum mali operis.* Eodem pertinet illud de eodem, *Væ qui ædificat domum suam in iniustitia, & cænacula sua non in iudicio*, amicum suum opprimet frustra, & mercedem eius non reddet ei. Merces autem operariorum defraudata, vnum est de peccatis in cœlum clamantibus. & proprium tyrannorũ; sicut & oppressio pauperum, dum in magnificis ædibus ambitiose construendis, eos aut gratis seruire cogunt, aut mercede pacta defraudant. Deniq; ibidem propheta eum superbiæ & ambitionis accusat, propter quæ probrosum eius interitum denunciat, qui postea suo loco referetur.

IV.

Secundus Ioakimi annus est Anci Marcij 13.

quo

Res gestæ cum Veientibus.

quo anno præter vrbanas legiones, exercito magno sociorum numero Veientes aggressus, agrum eorum longe lateque populatus est. Ipsi enim superiore anno, irruptione in agrum Romanum facta, magnas prædas abegerant, multasque cædes perpetrarant. Ergo Veientibus cum magno exercitu profectus obuiam, castris trans Tiberim positis, vias eis intercluſit, & in aciem prodire coactos, egregiè vicit, & castris eorum potitus, triumphans in vrbem reuersus est.

ANNVS MVNDI 3428.

IOAKIMI & AZARIÆ 3.

NABOLASS. 21. & vlt. Imp. Babyl. 95.

OLYMPIADIS XXXVIII. AN. 3.

ANCI MARCII 14. VRB. CON. 127.

ANTE CHRISTVM 625.

I. Ioacimus obsidetur in Ierusalem, & capitur.

VIgesimum iam & secundum annum propheta Ieremias diuinas intentabat minas, virgam vigilantem, & ollam succensam à facie Aquilonis: cum cœpit hoc anno virga vigilans primos vibrare ictus, qui post aliquot repetentur annos, donec olla succensa ciuitatis regiæ deflagrationem, & regni totius vastitatem, & desolationem afferat. Hoc enim *tertio anno regni Ioakim regis Iuda venit Nabuchodonosor rex Babylonis in Ierusalem, & obsedit eam.* Ita Daniel, cui repugnare videtur Ieremias, cum vocat annum quartum Ioakimi primum Nabuchodonosoris. Responsio & conciliatio ex Beroso apud Iosephum sumi potest, vnde etiam de Nabolassaris morte, quæ in hunc annum cadit, docebimus & quidem ad Scripturæ veritatem accommodatè.

ca 1. 1.

v. 25.

l. 10. *Ant. c.* 11. *ad fin.*

II. Ordo & modus rei gestæ.

Cum ergo Nabolassar, siue senior Nabuchodonosor contra Ægyptios bellum gereret, nec vltra militiæ labores ferre posset, misit filium suum Nabuchodonosorem, qui postea magnus dictus est, qui cum Pharaone pugnaturus, ex itinere excurrit hoc anno in Iudæam, vbi dum rẽ gerit ex animi sententia, & Ægyptũ cogitat, pater eius Babylone, morbo oppressus interiit, cũ regnasset annos 21. Ea re cognita Nabuchodonosor constitutis pro tempore expeditionis suę negotiis, amicis prædæ & captiuorum, & exercitus cura commissa, Babylonem celerius profectus est, & regni administrationem suscepit, eum iam quartus Ioakimi ageretur annus: sicq; facile intelligitur prophetas inter se consentire.

Mors Nabolassaris, siue Nabuchod. senioris.

III. Causa Belli Nabuchod. contra Iudæos.

Causa porro primæ huius contra Iudæos expeditionis Babyloniorum, omissa diuina vltione impietatis, reliquorumq; scelerum Ioakimi, & populi eius, non alia fuisse videtur, quã Ioakimi cum Pharaone, cuius opera rex factus fuerat, societas & armorum, animorumque coniunctio. Cum enim Nabuchodonosor senior Pharaoni hostis esset, vt patet ex ijs, quę vltimo anno Iosiæ contigerunt; etiam contra Ioakimũ, Pharaonis amicum & clientem, hostiliter arma conuertit, & tanquam hostem tractauit, cum is nihil in eum deliquisset, & Pharaoni ex necessitate iunctus esset: sed fauorem potius à Babylonio rege promereretur, cum pater ipsius Iosias, in prohibendo hostis eius aduersus ipsum trãsitu, vitam profudisset. Sed pondus peccatorum populi huius, tam antiquorum quam recentiũ, diuinam vrgebat vltionem, quam Dominus huic principi destinarat.

Non iusta.

Cum ergo propheticæ, imò diuinæ comminationes nihil proficerent, ad verbera, vt dicebamus, ventum est. Venit insperatus Nabuchodonosor, obsedit ciuitatem, & breui tempore, vtpote minime ad ferendam obsidionem paratam, nec sibi cuiusquam peccatĩ aduersus Chaldæos conscium, eam seu vi, seu fraude, seu terrore cepit; neq; enim id Scriptura explicauit. Nisi enim obsessa vrbe potitus esset, nunquam regẽ in potestate habuisset, quem tamen captum cõstat, & vinctum catenis ductum in Babylonem, cum parte vasorum sacrorum, quam reposuit in domo thesauri Dei sui. Cum rege porro, cũ alij captiui abducti sunt, tum maxime Daniel cum socijs suis. Propterea enim initio prophetiæ suæ memorauit captum Ioakimum, anno regni tertio, vt simul doceret quo tempore, & qua occasione Babylonem ipse transmigrasset.

IV. Obsidet ciuitatẽ, & capit. *Dan.* 1. 1. 2.

Et regem cum captiuis Babylonem abducit. 3. *Par.* 36. 6.

Interea Romæ iterum contra Veientes à Marcio pugnatum est ad Salinas, maiore quam ante prælio, & victoriam adeptus, cætera oppida, quæ Veientes repetebãt, retinuit. In eo prælio magnam fortitudinis laudem consecutus est equitum ductor Tarquinius, & Patriciorum numero adscriptus. Hoc quoq; anno Volscorũ temeritas compressa videtur, qui cum in agro Romano prædas agerent, vicissim Marcius Velitris eorum vrbe obsessa, eos supplices fieri, & damna omnia reparare coëgit: sicque in fœdus & amicitiam recepti sunt. Hoc ipso anno Rex ad ostia Tyberis, vbi se is in mare tyrrenum exonerat, nauale condidit, & qua inter flumen & mare prominens littus curuatur in cubiti speciem, oppidum Antius munijt, Ostiam appellauit ex ipsa re: quò & coloniam deduxit, & vicinam syluam condendis nauibus publicauit. Salinas quoque ibi fieri curauit.

V. Res à Marcio gesta cũ Veientibus & Volscis.

Nauale condit ad Ostiã.

ANNVS MVNDI 3429.

IOAKIMI & AZARIÆ 4.

MAGNI NABVCHO. 1. Imp. Babyl. 96.

OLYMPIADIS XXXVIII. AN. 4.

ANCI MARCII 15. VRB. COND. 128.

ANTE CHRISTVM 624.

I. Ioakimus redit Ierosolymam. *c.* 25. *v.* 9. 10. *&c.*

PErcelebris est hic annus illa in primis prophetia, qua Ieremias annorum Septuaginta captiuitatem Babylonicam populo denunciauit: celebris quoque reditus Ioakimi in regnum suum, & initio Magni Nabuchodonosoris, illustrique eius de Ægyptiis victoria, aliisque nonnullis. Vt autem à Ioakimo duca-

mus initium, cum ex ipsa Scriptura certo constet, cum catenis vinctum abductum in Babylonem; & ex altera parte Ieremias prædixerit cum proiectum iri extra portas Ierusalem, & sepultura asini sepeliendum: certum item sit eum annis vndecim regnasse Hierosolymis, necesse est eum remissum fuisse Hierosolymam, sub conditione tributi, retentis obsidibus Daniele & sociis, qui nobilissimi, &, vt fert communis opinio, regij sanguinis erant. Anno itaque Ioakimi tertio, sub eius finem Rex captus est, abductusque Babylonem, ibique plures menses versatus est, dum procurat dimissionem suam, qua obtenta, quarto anno in patriam reuertitur, & promissum tributum anno quinto, sexto & septimo cum fide persoluit, tribus enim annis seruisse dicitur regi Babylonis, octauo autem non soluit, vana ab Ægypto spe deceptus, & procrastinationibus lactando Chaldæum. Cum autem ne nono quidem soluisset, venit denique contra eum Nabuchodonosor anno decimo, & initio vndecimi illum in potestatem redegit. Hic ordo rei gestæ est, quem sequens historia confirmabit.

2. Par. 36. 6. & 12. IV 4 Reg 23. 36. Et qua conditione.

Tribus annis soluit tributum.

4. Re. 24. 1

II. Septuagenaria captiuitas. 4. & seqq. ad 26. Finitur primo anno Imperij Cyri.

Sequitur vt de septuagenaria Iudæorum captiuitate, quoniam illa ab Ieremia hoc ipso anno denunciata est, breuiter dicamus, de qua accuratiorem disputationem in Annalibus nostris studiosus Lector inueniet. Cum autem tam de initio captiuitatis huius, quam de fine dubitari possit, statuimus primò, cum extremo secundi Paralipomenon, & initio libri Esdræ, septuaginta istos annos, primo anno imperij Cyri Persarum regis esse terminatos, quo Chaldæorum monarcha, occiso Balthazare concidit: quod nos suo loco plenius Deo fauente demonstrabimus. Neque tamen, constituto licet fine, de initio certo constare potest, quoniã regum Babyloniorum numerus & anni valde controuersi sunt. De initio igitur omissis aliis opinionibus, statuimus 70. annos ab vltima clade Hierosolymitana, vrbis templique deflagratione inchoandos esse.

Inchoatur à fine regni Sedeciæ.

III. Probatur ex Ieremia c. 25.

Hæc est profecto clarissima, ipsius Ieremiæ eam cladem denunciantis, sententia, si quis eam integer studiosius examinarit. Nam primò ne quis minorem aliquam calamitatem denũciari putet, quæ partem populi duntaxat attingat, profitetur agere se *de omni populo Iuda*, non de parte, qualis fuit quæ 3. Ioakimi, & 1. Iechoniæ contigit. Deinde accusato populo de diuturna impœnitentia, hanc in eum sententiam pronunciat. *Pro eo quod non audistis verba mea. Ecce ego mittam & assumam vniuersas cognationes Aquilonis, & Nabuchodonosor regem Babylonis seruum meum, & adducam eos super terram istam, & super habitatores eius, & super omnes nationes, quæ in circuitu illius sunt, & interficiam eos, & ponam in stuporem, & in sibilum, & in solitudines sempiternas.* Prædicit se inuecturum calamitatem, quæ Iudæis communis futura sit cum circumpositis gentibus, quod non contigit, nisi post mortem Sedeciæ.

v. 8.

IV. Daniele, Iosepho, Hieronym.

Deinde duas adiungit huic cladi circunstantias, quæ hanc veritatem confirment. Prior est fore talem cladem, quæ desolationem & solitudinem perpetuam inuehat, id est diuturnam & non interruptam, quod soli calamitati congruit quæ à morte Sedeciæ contigit: posterior eandem cladem coniunctam fore cum 70. annorum Babylonica seruitute. Et ita hunc locum intellexit Iosephus, cum annos septuaginta numerat à concremato templo, & totius populi, non partis alicuius captiuitate, vsque ad Cyrum. Imo ita intellexit Daniel, cuius est illa oratio. *Ego Daniel intellexi in libris, sacris numerum annorum* de quo factus est sermo Domini ad Ieremiam prophetam, vt complerentur desolationis Ierusalem septuaginta anni, non dicit captiuitatis, sed desolationis, alludens ad ipsamet verba Ieremiæ; quæ illam solitudinem ac desolationem inculcant. Vbi S. Hieronym. *Prædixerat Ieremias septuaginta annos desolationis templi, post quos rursus veniret populus in Iudæam, vt ædificaretur templum, & Hierusalem.*

1 con. 1. 15. & 110. Ant. c. 11

c. 9. 2.

V. Et aliis antiquis atque recentibus scriptoribus.

Eandem sententiam ex aliis Scripturæ locis confirmatam reperies in Annalibus, & insuper ex sancto Irenæo, Clemente Alexandrino, Leontio Bizantino, Eusebio Cæsariensi, Iulio Hilarione, Sancto Augustino, Beda, Adone Viennensi, Sulpicio Seuero, vtroque Nicephoro, Freculpho, Lactantio Firmiano, qui omnes vel ab excæcato Sedecia, vel ab euerso combustoue templo, vel ab euersa Ierusalem hanc septuagenariam desolationem inchoant. Hos sequuntur doctissimi quique recentiorum scriptorum Pererius, Serarius, Villalpandus, Carolus Sigonius, Torniellus Turcellinus, Vetronius, Mercator, Adrichomius, vt omittam Phrygionem, Functium, aliosque sectarios.

VI. Bellum Chaldæorum cõtra Ægyptios.

Hoc ipso anno primo Nabuchodonosoris, & quarto Ioacimi gestum est bellum Ægyptios inter & Babylonios, cuius exitus Ægyptiis luctuosus fuit, vt paulò ante Ieremias prædixerat, & habetur cap. quadragesimo sexto prophetiæ ipsius. Victus est enim in Charcamis iuxta fluuium Euphratem, & spoliatus tota regione, quæ Euphratem & riuum Ægypti interiacet, vt est apud eundem prophetam, itaque *non addit vltra Rex Ægypti vt egrederetur de terra sua*, vsque ad postrema Sedeciæ tempora, & vltimam obsidionem Ierusalem. Hoc eodem Ioacimi anno quarto iussus est Ieremias scribere sermones, quos ad hanc diem, aut per eum Dominus locutus fuerat, vt dictis apud populum momentum aliquod ad eius conuersionem haberent, vt nuper sub Iosia contigerat.

c. 37. 4. 4 Reg. 24. 7.

c. 36. v. 2.

VII. Rechabitæ migrant Ierosolymã

Existimo etiam hoc tempore Rechabitarum demigrationem, è campestri in tabernaculis commoratione, in vrbanam Hierosolymotum habitationem, contigisse, tot exercitibus breui tempore vtro citróque commeantibus, necinnoxiè, vt assolet, ijs qui ruri commorantur. Id ipsi apud Ieremiam referunt, cum iam in vrbe commorantes, eos Dei iussu Ieremias adijsset, & ad bibendum vinum inuitasset; quod anno sexto Ioakimi creditur contigisse. Hoc ipso anno quarto Ioakim, vt notauit Ieremias, cum Baruch ex ore Ieremiæ scripsisset verba Domini, id est querelas, minas, terrores, famem, pestem, gladium, vastitatem; eáque populo renunciare ac recitare iuberetur, veritus ne excitato tumultu populari, comprehenderetur, vt nuper magister eius Ieremias, aut etiam occideretur, vt Vrias, perinuitus susci-

c. 35. 11.

ca. 45.

Baruch scribæ Ieremiæ metus.

piebat

piebat hoc munus, & ab eo se subducere cupiebat. Quem propterea reprehendit Ieremias Dei iussu, monens ne vitam proprtiam, saluti & conuersioni proximorum anteferat, cui etiam Dominus quietem aliquam pollicetur. Certè postea Babylone incolumis, exulibus consolationi fuit.

Latebræ Ieremiæ & Baruch

ANNVS MVNDI 3430.

IOAKIMI & AZARIÆ 5.

NABVCHOD. 2. Imp. Babyl. 97.

OLYMPIADIS XXXIX. AN. 1.

ANCI MARCII 16. VRB. COND. 129.

ANTE CHRISTVM 623.

I. Ann. Sabbat. 121.

OLympiade 39. ineunte celebrari oportuit annum Sabbaticum 121. nam reuera celebratum esse, sub impio, crudeli, auaro, & tributario principe, vix crediderim. Quando & Draco Athenien sibus leges tulit, quas Demades non atramento, sed sanguine scriptas dicebat. Eum circa hanc Olympiadem floruisse autor est Clemens Alexandrini, & Tatianus apud Eusebium. Eas leges postea Solon magna ex parte antiquauit, vt dicemus Olympiade 46. Huc quoque pertinet Arion ille Methymnæus Cyclei filius, qui certaminis in Sicilia victor, à Delphino in Tænarum Lacedæmoniorum portum deuectus est, vbi ab eo donarium ex ære, Arionis Delphino insidentis consecratum est, vt apud Pausaniam, & Herodotum in Clio; vbi totam historiam fuse enarratam leges. Ex qua etiam intelligitur Arionem hunc ad hanc potius Olympiadem, quam ad 29. pertinere.

Draco Legislator.

Arió Delphino vectus.

II. Primus annus soluti tributi. Baruch legit vaticinia Ieremiæ. *infr. c. 3. n. 1.*

Quintus hic annus Ioakimi primus fuit tributi ab eo Chaldæis persoluti, iuxta rationem temporis, quam statuimus superiore anno, quo anno missus est à Ieremia Baruch, vt coram vniuerso populo legeret Ieremiæ vaticinia à se conscripta, quoniam ipse diuino spiritu detinebatur, aut certe, vt alijs placet, regis & optimatum prohibitione, ne se daret in publicũ, ne ab impijs occideretur. Non erat autem in Barucho par periculum, qui iussus aliena recitabat, non sua: quanquam etiam Ieremias non sua, sed diuina recitabat. Hos ergo sermones, & in die ieiunij, vtique extraordinarij, quod propitiandi Numinis causa videtur indictum, legit Baruch ex volumine, in domo Domini, in gazophylacio Gamariæ, audiente omni populo, legit & mox apud optimates, à quibus monetur vt abscondat se cum ipso Ieremia, ne à rege, quem cum libro adituri erant, iuberentur occidi.

III. Legũtur coram rege & scissa cõburuntur *Ier. 36. 22.*

Veniunt ergo ad regem, qui erat in domo hyemali mense nono, & posita erat coram eo atula plena prunis, & re ad ipsum relata, iubet rex librum ad se deferri ac legi, auditaque parte aliqua, *scidit illud scalpello scribæ, & proiecit in ignem*, cum eum oportuisset scindere vestimenta sua, & cum lacrymis pœnitentiam agere; quin potius tam Ieremiam quam Baruch quæ sunt ad mortem, *abscondit autem eos Dominus*, iam erant absconditi, sed prouidit Dominus ne inueniri possent. Facile quippe illi fuit omnium mortalium conspirantem solertiam inutilem reddere. At Deus iubet volumen iterum describi, in quo minacia vaticinia contra Ioakimum iterãtur; & nominatim quod non habiturus esset filium, qui sederet super solium Dauid: tres enim illi menses quibus Ioachinus eius filius regnauit, pro nihilo reputantur. Iterat illud quoque Dominus de ipsius cadauere ignominiosè abijciendo.

3431. IV. Ieremias adit Rechabitas. 2. annus tributi.

Proximo anno, vt ante significatum est, factum est verbum Domini ad Ieremiam de adeundis Rechabitis, & inuitandis ad vinum bibendum contra ipsorum institutum, quod illi se facturos constanter negarunt. Noluit quidem Dominus eorum abstinentiæ propositum labefactare, sed inde argumentum sumere reprehendi populum, diuiniora, magisque veneranda Dei præcepta violantem; quod non leue est Christianis hominibus maximeque religiosis, quos Rechabitæ repræsentabant, documentum, vitæ ex virtute, sanctisque legibus patrum suorum instituendæ ne Rechabitæ quoq; exurgant in iudicio contra ipsos: vnde sequitur populi obiurgatio cum laude eximia, & remuneratione Rechabitarum.

ANNVS MVNDI 3432.

IOAKIMI & AZARIÆ 7.

NABVCHOD. 4. Imp. Babyl. 99.

OLYMPIADIS XXXIX. AN. 3.

ANCI MARCII 18. VR. C. 131.

ANTE CHRISTVM 621.

I. Tertius annus tributi Prophetæ per lumbare *Ierem. 13.*

HOC quoque anno pendit Ioakim tributum Chaldæis, quo sub hieroglyphis lumbaris, & lagunculæ, ostendit Dominus regnum Iuda, quasi lumbare putridum, & quasi confractam lagunculam redditum iri: & homines omnis conditionis, quasi vino redundantes, & mentis impotes, & quò se vertant ignorantes, huc illucque dispersum iri: fratres à fratribus, filios à parentibus, parentes à filijs distrahendos atque diuellendos, vt scilicet collibitum fuerit victori, qui eos in seruitutem abduxerit, eosque diuersis heris diuenditurus sit. Recte autem hoc præceptum de lumbari, siue zona linea qua lumbi, reneue præcinguntur, ad Iordanem deferendo, ibique in foramine petræ abscondendo, in hunc annum cadit, quo, persoluente adhuc Ioakimo tributum, impunè Euphratem adire licebat. Sicque habuit singulis annis populus hic nouum aliquod ad resipiscendum incitamentum. Vsque adeo Dominus ad decretoriam illam, longeque seuerissimam animaduersionem contra regnum Iuda descendebat inuitus.

II. Et lagunculam.

Quod ad lagunculam attinet, comparat Dominus vnumquemque de populo suo, à regibus

ad Sacerdotes, à Prophetis ad singulos habitatores Ierusalem, lagenis, idque duplici de causa. Prior est vt intelligant se vino indignationis diuinæ replendos, & inebriandos, vt præ inopia consilij attoniti fiant, & mentis impotes, vt neque alios offendere, neque seipsos defendere valeant. Posterior vt sibi persuadeant, se tanquam vasa testea contractum & dispersum iri, vt lagunculæ collisæ huc illucque dissiliunt, quæ similitudo capite 19. eiusdem prophetæ iteratur. Vide & similitudinem calicis pleni mero, quo potandę sint omnes gentes, ab eodem domitore Nabuchodonosore.

cap 25. 15.

ANNVS MVNDI 3433.

IOAKIMI & AZARIÆ 8.

NABVCHOD. 5. Imp. Babyl. 100.

OLYMPIADIS XXXIX. AN. 4.

ANCI MARCII 19. VR. CON. 132.

ANTE CHRISTVM 620.

I. Ioakim defecit à Nabuch.

IOAKIMVS pertæsus soluendi tributi, inductúsque vana spe expeditionis Ægyptiacæ contra Chaldæos, ab eis tributo negato defecit. Nec tamen, vt ante dixi, credibile est eum superbe negasse pactum vectigal, sed procrastinationibus vsum esse. Ex quo factum videtur, vt Chaldæus tardius contra eum arma sumpserit. Suaserit defectionem Ægyptius, qui regem sibi vicinum, quasi propugnaculum esse voluit contra Chaldæos: contrà vero Iudæi existimabant satius esse habere vicinum regem fœderatum & amicum, longinquum autem hostem, quam vice versa. Apparet autem hanc defectionem à Ieremia, qui eam perniciosam videbat, improbatam; sed surdis canebat cantilenam.

II. Danielis & sociorũ eius institutio puerilis.

Existimamus hoc circiter anno contigisse, quæ initio libri Danielis habentur, de ipsius & sociorum eius institutione puerili, quam ex regio mandato accepturi erant ab Alphenes præposito Eunuchorum. Cum enim peregrinæ istæ literæ & solidioris rudimenta doctrinæ ingenuis & liberaliter educatis pueris tradi soleant, anno circiter septimo vel octauo, non est quod vltra hanc differamus eruditionem. Qui autem plurimos annos isti institutioni tribuũt, propter illud *eruditos omni sapientia* &c. videntur pueros hosce doctiores facere voluisse, quam ferat epheborum consuetudo, qui in aulis regũ versantur, quos videmus vbique literis leuiter tinctos esse, nisi vulgaribus. Cuius rei argumento est, triennium omni isti sapientiæ destinatũ. Nam quod inuenti sunt decuplo doctiores cũctis ariolis, & Magis Chaldæorum, id non humanum, sed diuinum fuit: sicut & forma corporis, in victu rusticano, non exiguum habuit cœlitus incrementum.

III. Eorundẽ abstinentia.

Cum enim cibo regio vti nollent, ne polluerentur, quod contingere poterat, vel si idolis consecrati fuissent, vel propria lege prohibiti, vt lepus, sus, aper &c. precibus euicerunt apud præpositum suum, vt decem diebus experimento discerent, num vilis leguminum cibus, & aquæ potus formam eorum deterreret: quod cum è contrario contigisset, apparet eos deinceps, tenui victu contentos, à cibo regio abstinuisse. Hanc ergo Deus dedit pueris istis abstinentiæ mercedem, sed addidit & illam quoq; quam dixi scientiam atque sapientiam, & nominatim *intelligentiam omnium visionum, & somniorum*, adeo vt expleto triennio, cum introducti ad regem, steterunt in conspectu eius, omne verbum sapientiæ, quod scisciratus est ab eis Rex, inuenerit decuplum super cunctos ariolos & magos, qui erant in vniuerso regno eius. Sicque non coæuos solum pueros & condiscipulos, sed magistros quoque longo interuallo superarunt. A meliore quippe magistro fuerant edocti. Cæterum secularis hic imperij Babyloniorum ænus cadit in decimum septimum Mosaicum iubilæum.

Anno 1. Nabuc. 1. a Deo mutata.

Anno sequenti, in quem cadit initium Olympiadis quadragesimæ, quam Ioakimus pecuniam Chaldæis tributi nomine soluebat, eam congregit ad bellum contra eos cum Ægyptio gerendum. Sed Deus qui contra eum pro Chaldęis bellum gerebat, suscitauit in eum *latrunculos Chaldæorum, & latrunculos Syriæ, & latrunculos Moab, & latrunculos filiorum Ammon, & immisit eos in Iudam, vt disperderet eum.* Videntur hi Chaldæi in præsidijs fuisse, pro rege Babylonis in regno Israël, cæteri autem ei parebant à deuicto in Charchamis Ægyptio, Nabuchodonosoris anno primo. Hi ergo varijs excursionibus regnum Iuda vexabant, & regis consilia cædibus rapinisque disturbabant; vt vel eum ad tributum cogerent, vel irritam eius defectionem tantisper redderẽt, dum rex ipse, cum hoc exercitu, in Iudæam veniret. Hoc enim anno valde occupatum fuisse Nabuchodonosorem, in cogendo contra Tyrum & Ierusalem exercitu, ad vtramque ciuitatem obsidendam, quarum singulæ hosti potentissimo plurimum negotij facessere poterant, quæ sequenti anno facta sunt, satis docebunt.

3434. IV. Ioakimus bellũ parat.

4 Reg. 24. 2.

A prædonibus vexatur.

n 6.

ANNVS MVNDI 3435.

IOAKIMI & AZARIÆ 10.

NABVCHOD. 7. Imp. Babyl. 102.

OLYMPIADIS XL. AN. 2.

ANCI MARCII 21. VRB. CON. 134.

ANTE CHRISTVM 618.

I. Ierusalẽ obsidetur hoc anno

ANNVS Ioakimi decimus, non quietis & lætitiæ Iudæis, sed maximi mœroris in Ierosolymorum obsidione fuit. Malum auxit, quod cum imminens necessitas postularet, vt Iudæi terræ fructus ad plures annos congregarent, multiplices illi prædones, prædas toto regno agentes, tenuem omnino

&

& miseram messem, aut famem potius Iudæis reliquerunt. Cœpit autem Nabuchodonosor hoc ipso anno regni sui septimo obsidere Tyrum, rege Tyriorum Ithobalo, eáque obsidio Chaldæum 13. annos detinuit, vt Diocles, & Philostratus apud Iosephum affirmant. Tam diuturna itaque obsidio facile ostendit quam esset tum ea ciuitas & viris & armis potens. Chronicum quoq; Hebræorum habet Tyrum desolatam, & traditam in manus Nabuchodo. anno 13. obsidionis, & anno deinceps consequente Hierosolymam ipsam, anno abhinc duodecimo. Sed de Tyro postea.

Et Tyrus annis 13.

l.1. con tra Apionem. c.21. fi.

II. A rege Nabuchod.

Nabuchodonosor igitur, etsi operosissimam Tyri obsidionem susceperat, Ioakimum nihilominus tributa non persoluentem, & cum hoste suo fœdera contrahentem, non diutius impunitum relinquendum ratus, contra eum venit infestus, & ciuitatem sub finem huius anni obsedit. Initio autem vndecimi in vrbē admissus est, fide data nihil se hostiliter in vrbe facturum: at ille receptus non seruauit fidem, vt sequenti anno dicetur; oportet enim Ioakimum vndecimum regni sui annum attigisse.

obsidet Tyrum.

c.26. & 27.

Obtinet ingressū Ierosolymam.

l.10.c.8.

III. Regem interficit, & abiicit insepultū

c.22.19.

ANNVS MVNDI 3436.

IOAKIMI 11. & vlt. SEDECIÆ 1.

SARAIÆ Pontificis 1.

NABVCHO. 8. Imp. Babyl. 113.

TRANSMIGRATIONIS 1.

OLYMPIADIS XL. AN. 3.

ANCI MARCII 22. VRB. COND. 105.

ANTE CHRISTVM 617.

I. Summa rerū huius anni.

TRes Iudææ reges vidit hic annus, quorum vnus miserè periit; Alter breui in perpetuam seruitutem, & 37. annorum carcerem Babylonem abreptus est: tertius regnum infelix, ac prope desolatum administrare cœpit. Nouum etiam habet annus præsens de more pontificem Saraiam nomine Azariæ filium, vt est in 1. Paral. qui etiam in 4. Regum vocatus Sacerdos primus. Eum Chronicon Hebræorum agnoscit pontificem hoc tempore. Eiusdem filius fuit Esdras, vt in eius libr. c. 7. habetur; Non fuit tamen primogenitus: Nam Iosedech Saraiæ Babylone successit, vt dicemus.

Saraiæ pōtificatus.

cap. 6. 14. & 25. 18. Et Hiere. c.52.24.

Quod ad Ioakimi annos attinet, iam supra diximus, ei à Scriptura vndecim annos tribui; quòd nimirum decimum regnando prætergressus, etiam vndecimum attigit: Nam si eum vndecimum compleuisse dixerimus, fieri non poterit, vt Sedecias vndecim annos regnauerit, neque vt Nabuchodonosor decimo octauo Ierusalem expugnarit, quod tamen Scriptura affirmat. Verum accuratiorem temporis huius rationem ex Annalibus Lectori petere licebit.

Ratio tēporis Ioakimi.

4. Reg 25. 2. 3. Iere. 52. 1. Hoc anno nu. 2. Orin Scho. a. m. 3429.

II. Nabuch

Nabuchodonosor igitur, qui ad Orientis imperium aspirabat, non minus quam ille alter, qui Arphaxad Medum interfecerat, & Tyriorum potentiam ac superbiam, qualem describit Ezechiel, ferre non poterat, aliqua etiam forte sibi ab eo affectus iniuria, eam sibi ciuitatem expugnandam omni animi contentione suscepit, Deo Chaldæi viribus eam superbiam deijcere cupiente. Quoniam ergo difficillimo contra Tyrios bello tenebatur, cupiebat bello Hierosolymitano quoquo modo finem imponere, vt omnibus viribus in Tyri expugnationem incumberet. Cum ergo superiore iam anno mense aliquot in Hierosolymæ obsidione posuisset, eamque longius proferendam timeret, huius anni principio consilium cepit obtinendi in Vrbem ingressum, promittens interposita iurisiurandi religione, pacificum fore ingressum suum, vt Iosephus ait. Cui promissioni Ioakimi eo facilius assensum præbuit, quo minus erat instructus à commeatu: & eius clementiam iam fuerat expertus, Babylonem, tertio sui regni anno abductus, remissusque.

Ergo Nabuchodonosorem cum exercitu suo mœnibus accepit. *At ille receptus, non seruauit fidem*, vt ait Iosephus, *sed florem iuuentutis Ierosolymitanæ, vnà cum ipso rege interfecit.* Ratus videlicet fœdifrago frangendam fidem; quem etiam insepultum, extra mœnia proijci iussit, vt Ieremiæ vaticinium impleretur, qui prædixerat extra portas Ierusalem proijciendum, ad æstum per diem, & ad gelu per noctem, & putrefactum sepultura asini sepeliendum: nemine omnino in tanto populo reperto, qui nocturnam pietatem regio cadaueri exhiberet, exemplo Tobiæ. Sed oportuit Vriæ prophetæ cadauer, proiectum super sepulchra ignobilis vulgi, vindicari. Quod autem nihilominus dicitur dormisse cum patribus suis, sciendum est eam locutionem etiam in morte violenta aliquando à Scriptura vsurpari, vt in Ioram, & Achabi morte. Denique in secundo Paralip. significatur in eius corpore inuentas esse notas, quæ ostendebant eum alicuius idoli stigmaticum factum fuisse, quales in magis & maleficis sæpe reperiuntur.

4. Reg. 24 5. 2 Reg. 22. 40. Fuisse stigmaticū *4. Reg. 8. 24. 2. Par. 36 3.*

IV. Ioachin. fit rex.

Eodem anno, & secundo anni mense in demortui patris locum Nabuchodonosor substituit filium eius Ioachimum; vel quod eodem redit, iam à decem annis cum patre regnantem, in regno perseuerare passus est; atque ita bis regnare cœpit, vt diximus, semel cum patre, & eo occiso iterum solus ex Nabuchodonosoris indulgentia, & Dei patientia, expectantis vt implerentur peccata Amorrhæorum istorum. Qui tamen passus non est adolescentem diutius sequi paterna impietatis vestigia, sed Babylonium regem incitauit, vt regium beneficium, quod ei nuperrime dederat, quamprimum auferret. Imminentis tamen cladis hominem per Ieremiam admonet, eique perpetuum prædicit exilium, vt regni priuationem posteritati eius; propterea enim eum vitum sterilem vocat, neque enim liberis caruit, cum in libr. Paralipomenon octo filij eius nominentur, quorum secundus est Salathiel, à quo ad Christum vsque, Dauidis familia propagata est.

Monetur à Ieremia

l.1.c.13. 17.18.

Eodem autem ipso anno, atque adeo post tertium mensem, Nabuchodonosor veritus, vt ait

Abdicatur a Nabuch.

Ioſephus,ne memor patris per iniuriam occiſi, regionem ad defectionem perpelleret, miſſo exercitu obſedit Ieruſalem,quò & ipſe mox venit,cum ſeruis ſuis. At Ioachinus, qui nullius criminis contra Nabuchod. ſibi conſcius eſſet, neque ſe illi reſiſtere poſſe intelligeret,egit primùm cum Chaldæo per internuncios, promiſitque Nabuchod. nihil ſe mali illaturum ciuitati, velle tantum ſibi obſidibus cautum eſſe, ne Iechonias à ſe deficiens Tyrijs, vel Ægyptijs hoſtibus ſuis iungeretur; vel tributum, patris exemplo,negaret. Cum autem ita conuentum eſſet, *Egreſſus eſt ad eum,ipſe & mater eius, & ſerui eius,* puta domeſtici,*& principes eius, & eunuchi eius, & ſuſcepit eum rex Babylonis anno octauo regni ſui*: qui menſe quinto anni ſacri inchoabatur, ſicut&anni Sedeciæ. Ad externam quidem ſpeciem ſuſcepit eum pacificè; præualens tamen viribus,eum in poteſtate habuit, nec deinceps liberum eſſe permiſit. Simulque cum exercitu in ciuitatem ingreſſus, eam pro arbitrio viris ſpoliauit,ac theſauris.

4. Reg. 24 10. 11.

VI. Eiuſdem tranſmigratio cũ decem millibus. v. 54. & ſeqq.

Et tranſtulit omnem Ieruſalem, & vniuerſos principes, & omnes fortes exercitus decem millia captiuorum, vt ſi forte temeritas ad defectionem impelleret, facultas ad deficiendum deeſſet, *nihilque relictum eſt, excepto pauperibus populi terræ.* Ex quo intelligi poteſt quale fuerit ſub Sedecia regnum, etſi alioqui potuerit eſſe numeroſum. *Tranſtulit quoque Ioachin in Babylonem, & matrem regis, & vxores regis,* iam plures habebat vxores octodecim annorum adoleſcens, *& eunuchos eius,* cubicularios ſcilicet,qui regi ſunt ab intimis miniſterijs. Addit Ieremias multos ſacerdotes & propheras cum Ioachino tranſmigraſſe, in quibus Ezechiel,qui nunc 26. agebat annum. Hos autem captiuos non ipſe per ſe, ſed per milites ſuos Babylonem adduxit. Longius enim à Tyro,quam maximo ſtudio oppugnabat, abeſſe nolebat,ſperans fortaſſe ſimul ſe de vtraq; ciuitate triumphaturum. Itaque hic nobis primus erit trãſmigrationis annus, cuius duodecimus erit deſolationis,primus, vt 25. tranſmigrationis,ſit 14.deſolationis,ſiue,vt loquitur Ezechiel,percuſſæ ciuitatis.

c. 24. 1. Viſio duorum calathorum.

IX. Liber Ieremiæ ad tranſmigrates. c. 29.

v. 8.

An tranſmigratio fuerit 70. annorum

c. 29. 1. ab anno 3416.

c. 40. 1.

Interim vero dum Iechonias cum populo ſuo,regno & libertate amiſſa, vinctus Babylonem extruditur, & illuſtre palatium in triſtem carcerem ad 37. annos commutat, Nabuchodonoſor regnum luctuoſum patruo Iechoniæ tradit *, eique Mathaniæ nomen in Sedeciam commutat,vt cliententem ſe intelligeret ſub patrono Chaldæo;ſed iureiurando etiam ipſum adegit vt fidem ei ſeruaret, nihil in regno moueret,Ægyptiorum ſocietate abſtineret, tributa cum fide penderet,&quę ſunt generis eiuſdem. Rebus in Iudæa ex ſententia compoſitis,Nabuchodonoſor ad vrgendam Tyri obſidionem,vt par eſt credere,profectus eſt. Sedecias vero in eandē cum fratribus impietatis foueam præcipitem ſe dedit,vt ex eadem cloaca,ipſe quoque etiam peſtilentiorem aquam hauriret. *Iraſcebatur enim Dominus contra Ieruſalem, & contra Iudam,donec proiiceret eos à facie ſua.*

V. I. Sedecias fit rex, eiuſq; regni conditiones.

Sectatur impietatem.

4. Reg. 24 20.

Cum autem Nabuchodonoſ. Hieroſolymis abijſſet,plerique eorum, qui Chaldæorum metu huc illucque diffugerant, in Ægyptum præſertim vbi ſe propter vtriuſque regis inimicitias tutiores fore arbitrabantur,Hieroſolymam reuerſi ſunt,& ſeſe adiungentes Sedeciæ,regnum abiectum & humile, in quo ſoli pauperes tertæreliqui fuerant, paulo ſplendidius reddidere. Necdum porro illi redierant, cum de ipſis, ſimulque de ijs, qui cum Iechonia tranſmigrarant,factum eſt verbum Domini ad Ieremiam cum viſione imaginaria duorum calathorum ficuum, qua & tranſmigratis multam proſperitatem,ſuamque protectionem denunciat; fugitiuis autem omnia infelicia & luctuoſa. Ex quo loco non obſcurè colligi poteſt,Iudæos, vexatione dante intellectum, in tranſmigratione ab idolis abſtinuiſſe,ideoque etiam gratiam ibi apud Dominos ſuos inueniſſe, acquiſiſſe diuitias,ædificaſſe domos & atque adeo nonnullos conſtat eorum magna virtute ac ſanctitate floruiſſe,vt Ezechielem,Danielem,Suſannam,Eſdram,Nehemiam,Zorobabelem &c.

VIII. Fugitiui ad eum confluũt.

Et quoniam intererat hæc nota eſſe tranſmigratis, Ieremias occaſione legatorum, quos Sedecias mittebat Babylonem,miſit Epiſtolam ad omnem populum, qui tempore Ioakimi,& filij eius eò abducti fuerant, vel erant abducendi, qua ſuadet eis, vt perſuaſum habeant, ſe non breui reuerſuros in Iudæam, ſicut quidam pſeudoprophetæ mentiebantur,ſed ibidem vſque ad ſeptuageſimum annum manſuros;ideoque poſſe illic ædificare domos, plantare vineas,aliaq; agere,quæ peregrini non ſolent,ſed ciues. Cæterùm,propheta nihil de initio horum 70.annorum dicit,quia initium non erat vnum & idem omnibus tranſmigratis, finis autem maxime. Quidam enim cum Ioakimo demigrauerant,alij cum Iechonia, tertij in fine regni Sedeciæ, migraturi erant, ſed omnibus vna eademque remigratio futura erat. Sic tamen vt etiam vltimi tranſmigrati ibi ſeptuageſimum annum eſſent impleturi. Fruſtra itaque ex hoc loco quidam probare contendunt,non deſolationem,ſed tranſmigrationem annis 70. à Propheta definiri.

X. Improbi ſenes Suſannæ apud Ieremiam.

In his autem pſeudoprophetis duo erant impoſtura & nequitia nobiles, Achab & Sedecias, contra quos ſtylum acuit Ieremias, eiſque ſupplicium crudele denunciat, quodque in exemplum maledictionis vſurpetur. Eos S. Hieron. Origenes, alijque plurimi antiqui recentioreſque putant fuiſſe ſenes illos duos,qui à Daniele falſi teſtimonij conuicti, interfecti ſunt. Nec immerito, facile enim omnia conſentiunt, tẽpus,perſonæ,locus,crimen,ſupplicium. Tempus eſt primus annus Sedeciæ & tranſmigrationis, quo datum eſt vaticinium de iſtorum ſupplicio,quod deinde anno tertio eiuſdem trãſmigrationis contigit, cum Daniel duodecim iameſſe annorum, cum illorum factus eſt Iudex, vt S. Ignatius & Seuerus Sulpitius, alijque prodidere, vt autem perſonæ iudicium,crimen adulterij, ſupplicium ignis lapidationiſq; conueniant,in Annalibus ſtudioſus lector inueniet.

n. 45. 46 & ſeqq.

* * *

ANNVS MVNDI 3437.

SEDEIÆ & SERAIÆ 2.

TRANMIGRATIONIS 2.

NABVCHOD. 9. Imp. Baby. 104.

OLYMPIADIS XL. AN. 4.

ANCI MARCII 23. VRB. CON. 136.

ANTE CHRISTVM 616.

I. Ieremiæ epistola ad transmigratos v. 11.

IEREMIAS, vt suos qui erant in Babylone in officio contineret, frequentes ad eos literas dabat, in quibus, autore Chaldæo paraphraste, est quæ 10. capite Ieremiæ continetur, quæ est aduersus idololatriam; vt eadem opera, & ciues suos aduersus Idololatriam, aut quam incredibili pruritu trahebantur, præmuniret, & ipsos Chaldæos insipientiæ suæ, in colendis idolis commonefaceret, ideoque versus 11. *Sic ergo dicetis eis*, &c. Chaldaico sermone solus scriptus est, vt haberent Iudæi, quod responderent Chaldæis patrio eorum sermone, vt melius intelligerentur.

II. Semeias somniator, eiusque cõtra Ieremiã epistola. v. 24. & seqq.

Huc pertinet historia Semeiæ somniatoris, quæ habetur cap. 29. Ieremiæ. Nam cum suprà dictum libellum, siue epistolam misisset Ieremias ad transmigratos, vnus eorum Semeias nomine, officio pseudopropheta & somniator, qui Deum sibi apparere, & per somnia loqui fabulabatur, cum animaduertisset, se à Ieremia maximè petitum fuisse, vehementer indignans scripsit Ierosolymam, per eosdem forte legatos, ad Sophoniam Sacerdotem secundum, puta Saraiæ sacerdotis primi, id est, pontificis vicarium, eique autor est vt Ieremiam increpitum, ob diuturnam captiuitatem falsò populo denunciatam, in vincula conjiciat, imo & occidat, vt notat S. Hieron. imitando scilicet Ioiadam, qui interfecerat Mathan sacerdotem Baal, ad quod facinus eum, adulatoria potestatis eius amplificatione, alliciebat, tribuendo illi, quæ primi sacerdotis erant, non quæ secundi.

4. Reg. 25. 18.

III. Vaticinium contra Semeiam

Quæ cum Sophonias ad Ieremiam retulisset, factum est verbum Domini ad Ieremiam, responsionem ad epistolam Semeiæ dictantis, qua ipsum falsitatis accusat, significãs eum cum sua stirpe funditus periturum, nec fore quenquam eorum, socium remigrantium suo tempore in patriam. Istum sane supplicium, vt qui alieno tempore finxit terminatum iri captiuitatem, ipse cum suis eam perpetuam patiatur, & qui præpropera, & inani spe patriæ lactauit populum, certe ipse desperatione repetendæ vnquam patriæ affligatur. Cæterum hoc tempore perseuerabat tertium iam annum in obsidione Tyri Nabuchodonosor, & Sedecias in fide erga ipsum, & perfidia in Deum.

***

ANNVS MVNDI 3438.

SEDEKIÆ & SERAIÆ 3.

TRANSMIGRATIONIS 3.

NABVCHOD. 10. Imper. Babyl. 105.

OLYMPIADIS XLI. AN. 1.

ANCI MARCII 24. & vlt. VR. C. 137.

ANTE CHRISTVM 615.

I. Susannæ hist. ex fide habetur. n. 10.

IN annum Sedeciæ tertium, & Daniel. 13. incidit præclarissima Susannæ historia, quæ illustrium eius virtutum, castitatis, fiduciæ in Deum, constantiæ, patientiæ nobilissima monumenta continet; sicut & diuinæ prouidentiæ atque iustitiæ erga probos, & improbos. Rationem temporis anno primo Sedeciæ perstrinximus. Nunc quoniam hominum hostis dæmon vtilissimam historiam nobis à multis iam seculis inuidens, eius autoritatem infringere conatus est, eam pro viribus in Annalibus propugnare conati sumus, grauissimorum scriptorum exempla secuti. Hic de more breuiter dicimus, eam verissimam esse historiam, vtpote omnibus temporum, locorum, & personarum circunstantijs communitam. *Erat*, inquit, *vir habitans in Babylone, & nomen eius Ioachim & accepit vxorem, nomine Susannam filiam Helciæ pulchram nimis, & timentem Deum.* Fuit hic Helcias alius à pontifice dudum mortuo, hic autem adhuc erat in viuis cum vxore sua, vt patet ex fine historiæ huius. Adde quod Helcias pontifex erat filius Aaronis, Susanna vero erat filia Iuda.

Dan. 13. 1.

v. 63.

v. 57.

II. Responderut ob ætis.

Neque vero obstat historiæ veritati, quod in ea tacita sunt nomina improborum senum; parcitum quippe voluit Daniel honori consanguineorum eorum, quibus cum habitabat; præsertim cum eorum nomina apud Ieremiam Hierosolymis extarent. Nec est absurdum, quod causabatur Africanus, in sua ad Originem epistola, Græcum interpretem adumbrasse in Græca lingua allusionem vocum πρῖνα & ἕλυα quam inuenerat in Hebræa: aut Iudæos etiam tunc habuisse Babylone annuos iudices suos, pro priuatis inter ipsos controuersiis, & Chaldæis nihilominus magistratibus subditos fuisse, si quid litis ipsis incideret cum Chaldæis. Idque faterur Origenes etiam temporibus suis vsu receptum fuisse, & Romæ quoque Iudæis exulibus permissum, quod alibi quoque passim vsurpari ab ipsis, concedique constat.

c. 13.

III. Esse canonicam, semper ab Ecclesia receptam.

Denique ne longum faciam historiam Susannæ semper pro historia canonica in Ecclesia fuisse habitam, autor est Hieronymus in proœmio in Danielem, vbi faterur omnes Christi Ecclesias tam Græcorum quam Latinorum, Syrorum quoque & Ægyptiorum, hanc historiam, sicut & alia, quæ in Hebræo desiderantur, in diuinis officijs legere. Addit Rufinus eam in Ecclesiis iussu Apostolorum Petri & Pauli, legi perpetuo solitam, vt egregium castitatis

exemplum. Et nouissimè Concil. Tridentinum, enumerato inter cæteros libros sacros Daniele, anathema ijs dicit, qui ipsum integrum, cum omnibus suis versibus, pro sacro & canonico nõ susceperit. Merito itaque qui secus senserit, non in filijs Ecclesiæ Catholicæ, sed in spurijs Synagogæ censeatur: nos autem se eas Scripturæ partes contemnamus, quæ Hebraicè non habentur; quin potius chariores habeamus, hoc ipso quod diuina prouidentia factum est, vt gypsatas Hebræorum manus euaderent. Quoniam vero nihil admodum occurrit præterea in historia vulgatissima, quod lectorem remoretur, ad alia transeamus.

IV. Olym. 41.

Ne tamen historiæ profanæ obliuiscamur, duabus rebus insignis est hic annus, altera Græca, Romana altera. Nam Græci nouam hoc anno proferunt Olympiadem, à quadragesima primam, in eaque Thebanum Cleonidam stadio victorem. Testis Halicarnass. Dionys. libr. 3. qui addit principatum tunc Athenis obtinuisse Heniochidem. Romana vero historia Ancum Marcium hoc ipso anno defunctum, regno & vita caruisse passim tradit. Hæc iste rex, ait Dionysius, imperij sui tempore gessit memorabilia, vrbemque non paulo quam acceperat maiorem, successoribus tradidit, & imperio per 24. annos administrato, decessit, filijs duobus superstitibus, altero iam pubescente; qui deinde, immani admisso facinore, in exilium acti sunt.

Mors Marcii quarti Rom. regis.

ANNVS MVNDI 3439.

SEDECIÆ, & AZARIÆ 4.

TRANSMIGRATIONIS 4.

NABVCHOD. 11. Imp. Babyl. 106.

OLYMPIADIS XLI. An. 2.

L. TARQVINII PRISCI 1. VR. CON. 138.

ANTE CHRISTVM 614.

I. Reshuius anni.

QVingentesimus agitur quintæ ætatis annus, tot enim à primo Samuelis anno numerantur, qui Ætati regum dedit initium. Habet autem hic annus profectionem Sedeciæ regis in Babylonem, & legationes vicinorum principum ad Sedeciam, vnà cum amplis vaticinijs calamitatum, quæ tam in Babylonem, quam in reliquas gentes imminebant. Accedit in Romana republica rex nouus ordine quintus, L. Tarquinius Priscus. Scribit ergo Ieremias, Sedeciam anno quarto regni sui profectum Babylonem, & comitem itineris habuisse Saraiam, non vtique pontificem filium Azariæ filij Helciæ pontificem, sed filium Neriæ filij Maasiæ. Causa porro profectionis huius videtur fuisse, tum vt Iechoniam nepotem suũ in vinculis, & reliquam transmigratorum multitudinem inuiseret, & consularetur: Regem Chaldæorum patronum suum salutaret, & Iudæis mitiorem redderet, Iechoniæ præsertim, quem forsasse postulauit vinculis solutum in libera custodia detineri: tum denique vt pactum ei tributum persolueret, aliaque munera, promerendæ beneuolentiæ causa, largiretur.

Scribit Ieremias Sedeciam profectũ Babylonẽ

c. 51. 59.

II. Et cladẽ eius cum signo prædicit.

Cum ergo Sedeciæ profectionem adornaret scripsit Ieremias mala quæ Babylonios oppressura erant in fine septuagenariæ desolationis, quæ capite 50. & 51. prophetiæ eius continentur: mandauitque Saraiæ vt ea Babylone, vtique coram captiuis Iudæis, legeret, & inde ad Euphratem profectus, qui mediam interfluebat vrbem, vastitatem & solitudinem Babylonijs à Domino imprecaretur, cum lapidem libello isti alligaret, & vtrumque projcere t in flumen, cum imprecatione hac, *Sic submergetur Babylon*, &c. Summa porro prophetiæ illis capitibus comprehensæ est denunciatio supremæ calamitatis, quæ Chaldæis à Persis & Medis imminebat, & alijs gentibus aquilonaribus, quas isti sub signis erant habituri.

c. 51. 64.

III. Legati vicinorum regum ad Sedeciam de defectione.

c. 27. & 28

Hoc ipso anno quarto Sedeciæ, sub eius initium, cum Rex idem pararet profectionem suam, & vicini reges nuncios ad eum misissent, siue tributi, vnà cum ipso ad Chaldæum deferendi causa, siue instituendæ defectionis, quam Tyri maxime cupiebant, vt cogeretur Nabuch. cœptum laboriosæ & diuturnæ obsidionis Tyri negotium deserere. Sed dũ isti populi de libertate cogitant, Dominus eis mirabili antitheſi longam denunciat seruitutem. Iubet enim Dominus Ieremiam sibi facere vincula & catenas, & cernicibus suis impositas, per vrbem circunferre; tum eas ad vicinos reges per ipsorum legatos mittere, in monimentum Babylonicę seruitutis, qua seruituri erant Nabuchodonosori, & filio eius Euilmeradocho, & nepoti Balthazari, donec veniat tempus, quo ipsimet suorum scelerum pœnas luant. Itaq; tam ipsis, quam Sedecię autor est Ieremias, vt fidem seruent Chaldæis; nisi malint pessimè perire, quam pacifice sub eorum dominatu viuere.

Catenæ Ieremiæ in signum futuræ seruitutis.

Deinde Propheta oratione ad Sacerdotes & populum conuersa, quos Pseudoprophetæ fallebant, inani spe recuperandi quamprimum vasa, quæ Nabuchodonosor in transmigratione transtulerat, donec conseruata vasa cito amittenda esse, nedum amissa cito recuperentur, quod post septimum annum contigit. Cum ergo Ieremias multum de Chaldaïco iugo verbis factisque prophetaret, & mendacij Pseudoprophetas super vasorum restitutione argueret, vnus eorum Hananias nomine, ad confirmandam falsam promissionem suam, de 70. annis in biennium commutandis, inuadit in Ieremiam, & iugum de collo eius, ereptum, in totius populi conspectu confringit, & simul posteriore impostura priorem confirmat: ratus fortasse omnes istas gentes, quæ ad defectionẽ aspirabant, in eandem breui coniurationem consensuras, & propter multitudinem, non solum Nabuchodonosori pares, sed etiam superiores fore. Demens qui humanam prouidentiam incertam & timidam, pro certissimis Dei promissionibus venditabat.

IV. Oraculũ de sacris vasis cõtra Pseudoprophetas.

Et nominatim cõtra Hananiam.

Ieremias contra illi Dei iussu denunciat fore, vt iugum ligneum in ferreum commutetur, & vt homo vanissimus, qui popularis seruitutis finem vsque adeo accelerabat, celerem etiam sui vaticinij mercedem acciperet. *Hoc anno*, inquit, *moriris, aduersum enim De-*

V. Eiusdem supplicium. c. 28. 17.

minum locutus es. Et mortuus est Hananias in illo anno mense septimo: cum prophetia mense quinto facta esset. Itaque mortuus est miser intra menses duos; & hic qui intra biennium toti populo libertatem pollicebatur, intra menses duos, raptus ad furuæ regna Proserpinæ, æternis supplicijs mancipatus est: & qui sanctum prophetam mendacij ad populo blandiendum impudenter arguebat, cum isto populi terrore, & Ieremiæ purgatione, mendacij convictus est.

VI. Vaticinio per lagũculam testaceam. c.19 & 20

Ad hunc ipsum annum quartum Sedeciæ Tostatus non improbabiliter refert vaticinia quæ capite 29. & 20. Ieremiæ continentur. Vbi præcipit ei Dominus, vt accipiat à figulo lagũculam testaceam, & secum assumat aliquos de senioribus populi, & Sacerdotum, & cum illis egrediatur ad vallem filiorum Ennon. Ibiq; denunciet afflictionem super eum locum, tantam vt qui audierit eam tinniant aures eius, propter idololatriam & parricidia ibi commissa, parentibus filios suos idolo sacrificantibus. Itaq; deinceps prædicit horribilem Iudæorum cladem, quam mox Nabuchod. intulit, in qua impletũ est illud, *& cibabo eos carnibus filiorum suorum, & carnibus filiarum suarum*; in pœnam scilicet eorũdem sacrificatorũ in Tophet idolo Moloch. Denique contrita laguncula in conspectu populi, ait ita conterendum populum, vt vltra instaurari non possit. Neque enim vnquam ad priorem rediit dignitatem.

Dehorribili Iudæorum clade.

VII. Eadem in templo denunciat, ob quę Phassur eum vexat, nõ impune. c.20. 1.

Inde reuersus Ieremias, cum stetisset in atrio domus Domini, & eadem ferme iteratsset, Phassur Sacerdos, vnus de præpositis templi, *percussit Ieremiam*, pugno forte aut palma; neq; ea cõtentus iniuria, coniectum in carcerem tormento applicuit, eduxitque postridie; At Ieremias nihilominus forti animo supremam ei cladem tam ipsius & amicorum eius, quam totius Reipub. Iudaicæ, per manum Nabuchodonosoris denunciat; à quo thesauri omnes deripiendi essent: homines autem partim obtruncandi gladio, partim in captiuitatem, cum ipso amicisq; eius abducendi.

VIII. Tarquinius Priscus fit Rex.

Quod ad Romanam rem attinet, Scribit Dionysius Tarquinium, qui altero postea regnante Tarquinio vocatus est Priscus, regnum adijsse anno 2. Olympiadis 41. Hic cum Romã è Tarquinijs, sub octauum Anci Marcij annum, demigrasset, regisq; & populi totius amicitiam, egregia fortitudine, prudentia, liberalitate, omnique humanitate breui adeptus esset, instituit vt quamprimum comitia regi creando fierent, & per causam venationis ablegatis Anci filijs, orationem etiam ad cõciliandos plebis animos, non frustra habuit, Rex quippe creatus est, & regnum annos duodequadraginta administrauit. Mox autem vt principatum accepit, ad conciliandum sibi plebis gratiam, selectis ex ea cõtum viris, fortitudine prudentiáq; præstantibus, in Senatorum numerum cooptauit, qui postea minorum gentium dicti sunt. Auxit deinde Sabino bello equitum centurias, aut earum potius numero seruato, singulas auxit, sic vt nomine tenus centuriæ dicerentur, & in tribus quæ dicebantur centurijs, mille & octingenti numerarentur, Liuio teste.

Non sine ambitione.

auget Senatum, & ordinem equestrẽ.

ANNVS MVNDI 3440.

SEDECIÆ & SARAIÆ 5.

TRANSMIGRATIONIS 5.

NABVCHOD. 11. Imp. Babyl. 107.

OLYMPIADIS XLI. AN. 3.

TARQVINII PRISCI 2. V. C. 139.

ANTE CHRISTVM 613.

I. Bellum in Latinos renouatum.

ETsi Ezechiel propheta hoc primum anno nos ad se non parua de re vocat; pauca tamen prius de Romanis rebus degustanda sunt, quæ hoc initio regni Tarquinij cœpta, in plures annos propagata sunt. Latini enim Anci obitu solutas esse fœderis conditiones arbitrati, latrocinijs, & excursionibus Romanum agrum infestabant; qui à Rege prope oppidatim victi, expugnatiq; sunt, déque ijs ab eodem Tarquinio Romæ magna gloria triumphatum. Vt propterea Eutropius & Florus scribant eum Romæ primum quatuor equis, & curru aureo triumphasse.

II. Initium prophetiæ Ezechielis primáq; visio.

Illustratur porrò hic annus initio nobilissimę prophetiæ Ezechielis, & mirabili illa visione, quæ primo eius capite continetur, & cadit in quintum Sedeciæ, Ioachimi, & transmigrationis annum, qui fuit trigesimus ætatis prophetę, vt 17. Iosiæ anno declaratum est. Eius porrò visionis expositionem compẽdio traditam ex fusis Hieronymi Pradi commentarijs in Annalibus nostris reperies; neque enim vllam inueni vero similiorem expositionem, quæ horribile monstrum quatuor capitum effugiat, nec singulis animalibus singula capita, singulosq; vultus tribuat, quaternas tamen formas, siue figuras animalium, singulis decorè accommodet. Facies hominis videbatur, in erecta corporis figura, in vultu iuuenili, brachijs, manibus, cruribus & tibijs humanis. Facies leonis apparebat in cernicibus, armis, atq; pectore iubato. Facies aquilæ in aliis quaternis, quarum duabus volabant, & duabus medium regebant humani corporis; Facies denique vituli cernebatur in bifidis pedum vngulis. Quaterni autem isti iuuenes, quatuor ex lateribus currum Domini circumstabant, qui, tanquam è curru bellico, inuehebat contra Ierusalem diuinæ indignationis, atq; vltionis incendium.

hoc anno n. 3. & seqq.

III. Mittitur ad transmigratos & quales illi tunc essent.

Ad hunc ipsum annum pertinent cap. 2. & 3. eiusdem prophetæ, in quibus è Domino mittitur ad transmigratos, vt eis denunciet, quæd Domino iussus fuerit. Qualis autem esset hic populus in transmigratione, non difficile est æstimare, non solum ex nequitia senum illorum, iudicum populi, quos Daniel iure ac merito vocauit inueteratos dierum malorum, semen Chanaan & non Iuda, innocentum oppressores, & dimissores fontium, sed ex eo quod Dominus totum populum vocat gentem apostatricem, filios dura facie, & indomabili corde, domum exasperantem, & Deum ad iracundiam prouocantem. Neque id satis: *Increduli*, inquit, *& subuersores sunt tecum, & cum*

scorpionibus habitat. Ad hos igitur Dei missu cum venisset, mansit septem diebus mœrens in medio eorum, & iniecta sunt ei à familiaribus vincula, sicut ei prædixerat Dominus, quod versus putaretur in furorem: sicque rebus ipsis obsidio, qua ciues clausi mœnibus, quasi vinculis constricti erant, repræsentabatur.

Sed eadem clarius capite 4. repræsentatur, vbi iubetur Propheta describere ciuitatem Ierusalem in latericulo, ordinare aduersus eam obsidionem, ædificare munitionem, comportare aggerem, ponere arietes in gyro, sumere sartaginem ferream, & ponere eam, quasi murum ferreum inter se & ciuitatem: obfirmare faciem in signum feueritatis, & latæ sententiæ immutabilis contra eam: quæ fortasse illi, qui mos improborum est, risu & cachinnis excipiebant: sic ut accubationem 390. dierum super sinistrum latus, & 40. super dexterum, & panem afflictionis, bouino fimo lignorum loco excoctum, eumque parcè quotidie ad pondus decem vnciarum sumptum: & capillos nouacula desectos, & tripertito diuisos, partimque igne consumptos, partim concisos gladio, partim dispersos in ventum; quæ Propheta ipse quæ explicat, ex parte operosum est, & alterius instituti distinctius examinare.

IV. Aliæ futuræ cladis typicæ demonstrationes.

Supplicium Iudæorum à gladio.

Ca. 9.

III. Ca. 10.

Et Incendio.

Finis visionis huius.

Ca. 12.

Cap. 20.

ANNVS MVNDI 3441.

SEDECIÆ, & SARAIÆ 6.

TRANSMIGRATIONIS 6.

NABVCHOD. 13. Imperij Babyl. 108.

OLYMPIADIS XLI. AN. 4.

TARQVINII PRISCI 3. VRB. C. 140.

ANTE CHRISTVM 612.

I. Tarquinij bellum in Sabinos.

SEquenti anno, ait Dionys. Tarquinius, mouit in Sabinos, qui obuiam progressi, cum eo acerrimè pugnarunt. Neutram autem in partem inclinante victoria, ad sua quique redierunt, ea mente, vt ineunte vere, vtrique maioribus copijs bellum redintegrarent.

Ezechiel raptus Hierosolymam in spiritu.

Multa porro superiore anno prædixerat Ezechiel funesta & horribilia contra Ierusalem, quæ ne forte prophetam ipsum in tentationem inducerent, hoc anno Hierosolymam in spiritu rapitur, & videt nefarias abominationes, quæ circa idola in templo Domini perpetrabantur; ex quibus facile intelliget, quam iustas illi, meritasque luituri sunt pœnas. Anno igitur sexto tranimigrationis, & regni Sedeciæ, quinto die sexti mensis, cum sederet Ezechiel in domo sua, ad eum conuenerunt aliqui de senioribus Iudæ, noui aliquid à Propheta, post tot prodigia cognituri, cum visus est sibi per medium ædem instar volucris sublimis vehi, & transferri in Ierusalem, ipsumque templum.

Exech. 8. 1. 2. &c.

II. Quæ in templo Hierosolymitano viderit.

Ibi iuxta ostium interius, quod respiciebat ad aquilonem, vidit collocatum idolum Baal, quod vocatum est zeli, quòd ibi Deus ad æmulationem prouocaretur, dum Baal haberet populum eius, & principes, & sacerdotes, eo derelicto sibi famulantes. Inde vt videat scelera, quæ in secreto à Iudæis fiebant, ostendit ei 70. seniores, adorantes simulachra depicta, eisque thus offerentes. Locus vt esset tantæ multitudinis capax, & secretus esset, forte subterraneus fuit: huiusmodi enim pleraque erant in templo; quoniam tota hæc impietas principi tenebratum, in occulto exercebatur, non Dei aut legum metu, sed propter ingenitum hominibus pudorem, qui scelerum arbitros auersatur. Tertio ostenduntur Prophetæ, mulieres sedentes, & plangentes Adonidem Veneris amasium. Quarto introducitur in atrij sacerdotalis intima, inter vestibulum & altare, vbi videt 25. viros dorsa vertentes Sanctuario, & adorantes ad ortum solis. Propter quæ scelera, aliáque id genus, ostenditur ei cædes Hierosolymis perpetranda, per sex primarios Nabuchodonosoris duces, qui, præter aliquos signo Tau notatos, omnes obuios nullo discrimine occisuri erant.

Quoniam vero non solus gladius ciuitatem ac templum vestaturus erat, sed flamma quoq; vtrique interitum erat allatura, iubetur Angelus in conspectu Prophetæ implere manum suã prunis è prunario, quod erat in extremo curru Domini, & effundere super ciuitatem tanquam omen incendij, quo deflagratura erat. Sicque currus gloriæ Domini ascendit de ciuitate, stetitque supra montem Oliuarum: & Propheta visus est sibi rursum transferri in Chaldæam, & sublata est ei visio imaginaria quam viderat, & locutus est ad transmigrationem, quæcumque illi Deus in ea visione patefecerat. Deinceps autem iubetur Ezechiel transmigrationem Sedeciæ & comprehensionem vrbe capta in persona propria repræsentare, quæ tam perspicue à Propheta referuntur, vt historia rei gestæ non sit illustrior, vt anno vndecimo Sedeciæ intelligetur. Quæ autem vaticinia Ezechielis ad caput 20. sequuntur, ad hunc ipsum annum sextum Sedeciæ pertinent, vt ipsemet Propheta significat.

ANNVS MVNDI 3442.

SEDECIÆ & SARAIÆ 7.

TRANSMIGRATIONIS 7.

NABVCHOD. 14. Imperij Babyl. 109.

OLYMPIADIS XLII. AN. 1.

TARQVINII PRISCI 4. V. C. 141.

ANTE CHRISTVM 611.

I. Olymp. 42. Res Græcæ.

QVadragesima secunda Olympiade Lycoras Lacedæmonius in Olympico stadio palmam tulit. Eusebius, eumque secutus S. Cyrillus aiunt Pittacum Mitylenæum, vnum de 7. Sapientibus Græciæ, circa hanc Olympiadem floruisse. Itemque Alcmæonem, & Stesichorũ poetas, Sappho & Erinnam poëtrias,

vide Laertium in Pittaco, & Catalogum Olympionicarum in hanc Olympiadem 42.

& Romanæ.

Tarquinius autem Priscus finito Latino bello, ineunte Vere contra Sabinos arte atque incendiō pugnauit, geminis eos castris exuit, & magna clade affectos ad petendas inducias cōpulit in sexennium, Dionysius tam plutibus executus est.

II. cap. 20, 1 Iudæi voluut interrogare Dominum. v. 32. 33

Hoc anno transmigrationis septimo, mense quinto venerunt viri de senioribus Israël ad Ezechielem, vt interrogarent Dominum; quibus Dominus negat se responsurum, sed eis suam exprobrat impietatem, & idololatriam patrum ipsorum in Ægypto, in Deserto, in Chananitide, quos ipsi ad hanc diem pari sacrilegio imitarentur; imo de Deo penitus deserendo deliberarent, dicentes, *Erimus sicut Gentes, & cognationes terræ, vt colamus ligna & lapides.* Et videlicet Deus nos sicut illas deseret, & pacificè nos agere sinet. Ipsæ quoque gentes, ad quas electi fuerimus, mitius tractabunt nos, eiusdem religionis fœdere copulatos. Quibus respondens Dominus, *Viuo ego*, inquit, *quoniam in manu forti, & in brachio extento, & in furore effuso regnabo super vos. Et educam vos de populis, & congregabo vos de terris, in quibus dispersi estis, in manu valida, & in brachio extento, & in furore effuso regnabo super vos.* in pristinam videlicet redigam seruitutem, vt velitis nolitis, me habeatis Regem, & eius sentiatis iram, cuius clementiam neglexistis.

ca. 20. 31.

Qui accipiuntur ab eo.

III. ca. 21. 19. Deliberatio & sortitio Nabuzhodon. per tela.

Deinde Dominus reuelat Ezechieli Nabuchodonosorem Babylone venientem, & in biuio positum deliberantem, ad dextram ne, Ierusalem versus, an ad sinistram versus Rabbath Ammonitarum Metropolin, cum infesto veniret exercitu; & ex sagittarum coniectu sortientem, vtram in partem sibi eundum esset, aitque sortem casuram contra Ierusalem, vt prophanum & impium Sedeciam de throno deijciat; quem, quasi iam sacro Regis honore spoliatum, hac oratione cruentat, *Tu autem profane, impie dux Israel, cuius venit dies, &c.* Ammonitæ autem, qui ad sinistram in biuio relicti fuerant, cum non solum gauderent se intactos à Chaldæis, sed Iudæorum etiam vastitati insultarent, & in Deum ipsorum blasphemarent, quasi inualidum ad resistendum Chaldæis, accipiunt & ipsi vaticinium de sua vastitate, quæ mox à Hierosolymorum ruina contigit. Capite deinde 22. habetur accusatio scelerum ciuitatis Ierusalem, & prædictio pœnæ imminentis; Capite denique 23. quod est vltimum eorum, quæ ad hunc annum pertinent, sub parabola duarum meretricum, conqueritur Dominus de impietate Samariæ & Ierusalem, spondetque fore, vt sicut Samaria sectata simulacra Assyriorum, ab eis in seruitutem abducta est; ita Ierusalem imitata Chaldæorum superstitiones, ab ipsis quoque omnibus suppliciis, & contumelijs affecta, rapietur in seruitutem.

v. 25.

v. 23.

* *
*

ANNVS MVNDI 3443.

SEDECIÆ, & SARAIÆ 8.

TRANSMIGRATIONIS 8.

NABVCHOD. 15. Imp. Babyl. 121.

OLYMPIADIS XLII. AN. 2.

TARQVINII PRISCI 5. V. C. 142.

ANTE CHRISTVM 610.

ETrusci perpetua Romanorum felicitate, continentibusq; victoriis, nuperq; Sabinorum cladibus, nihilo prudentiores effecti; atq; irati potius, quod Tarquinius Legatis suis captiuos non reddiderat. (Nam in clade Sabinorū, captos magno numero Etruscos, arcta custodia retinebat, quasi obsides, vt amicos eorū in officio contineret, veritos ne ipsorum temeritatem isti capite suo luerent) omnes communibus auspiciis decreuerunt bellum Romanis inferre. Eo decreto confirmato eduxerunt copias, & traiecto Tyberi prope Fidenas castra posuerunt. Id oppidum abeis dissentiebat; eo per proditionē potiti sunt, præsidióq; contra Romanos firmarunt, captiuos, prædamq; ex agro Romano ceperunt, atq; ita domum se quisque receperunt. Eam ob causam Tarquinius contra eos proximo anno Vere ineunte duxit exercitum.

Romanorum bellum contra Etruscos

Pertinet ad hunc annum Prophetia Ieremiæ ad Regem & dominatricem, id est Sedeciam & vxorem eius, quos monet vt imminente tanta calamitate sua, deijciant elatæ mentis superbiā, eóque modo se se ad misericordiam Dei impetrandam idoneos reddant: alioqui vniuersum Iudam, cuius pars iam transmigrauerat in Chaldæos, integra & perfecta transmigratione suis è sedibus excutiendum esse. Fuisse autem hoc tēpore Iudæos mirum in modum moribus perditos, atq; in sceleribus suis obstinatos, nulla vt spes emendationis superesse videretur, verba illa Ieremiæ apertè significant. *Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas, & vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum?* Et infra, *Væ tibi Ierusalem non mundaberis post me, vsquequo adhuc.* id est interprete Hieronymo, quandiu te expectabo, quandiu feram?

II. ca. 13. 33. Vaticinium eōtra Sedeciam & vxorem eius

Obstinatio Iudæorum.

Ierem. 13. 23.

Cæterum, cum Sedecias septem annis cliens Babyloniorum, & vectigalis fuisset, ad libertatē fatali dementia cœpit aspirare: idque permisit Dominus in pœnam & interitum deprauatissimæ ciuitatis. Cum autem sciret immortales Ægyptiorum cum Chaldæis inimicitias, sperauit si cum illis vires coniungeret, facile se Babylonios superaturum. Tyro præsertim bello distentos, & vicinis populis, qui nuper adeū legatos miserant, simul conspirantibus. Spem quoque faciebant Pseudoprophetæ numero plurimi, qui Sedeciæ cupiditati studiosè famulabantur; quibus Ieremias vnus Hierosolymis reluctebat. Itaque fidei immemor, & iuris iurandi, à Chaldæis deficiens, societatem iniit cum Ægyptiis. Quod veget Scriptura cum ait.

III. Sedecias à Chaldeis deficit.

2. Par. 36. 13. c. 17. v. 53. Et nuncios mittit in Ægyptum.

A Rege quoque Nabuchodonosor receßit, qui adiurauerat eum per Deum, & induravit ceruicem suam & cor, vt non reuerteretur ad Dominum Deum Israel. Quæ copiosius exaggerat Ezechiel: aitque Sedeciam misisse in Ægyptum, vt Pharao illi equos, & populum multum suppeditaret; eiusque conatum irritum fore, & in vltionem spreti iuriiurandi, in medio Babylonis morituru fœdifragum Regem.

ANNVS MVNDI 3444.

SEDECIÆ, & SARAIÆ 9.

TRANSMIGRATIONIS 9.

NABVCHOD. 16. Imp. Babyl. 111.

OLYMPIADIS XLII. AN. 3.

TARQVINII 6. VRB. COND. 143.

ANTE CHRISTVM 609.

I. Ortus Anaximandri.

ANno huius Olympiadis tertio natus est Anaximander Milesius Philosophus, vt ex Laërtio colligitur. Tarquinius vero, & suopte ingenio, & Etruscorum coniuratione aduersus Romanum nomen, prouocatus ad bellum, quanto maximo potuit exercitu, ineunte Vere mouit in Etruscos. Et exercitu bifariam diuiso, socios, quorum pars maxima Latini erant, Egerio cognato suo commisit, iusso Fidenas petere. Is cum iuxta oppidum loco parum tuto castra posuisset, propter contemptum hostium, pene totus deletus est, ea clade Deo inuisam sibi superbiam castigante. Ipse autem Tarquinius ductis contra Veios legionibus, eorum agro vastato, commisso que prælio victore effectus, cum magna præda, magnoque captiuorum numero extrema iam æstate domum remigrauit. Vbi ludos maximos siue circenses in circo maximo instituit. Circum autem ex hostium manubiis extruxit, Auentinum inter & Palatinum.

Bellum Tarquinij contra Etruscos.

Circus, & circenses ludi. Onuph. fasti.

II. Nabuchod. expeditio contra Sedeciã.

Quod ad historiam sacram attinet. Intellecta à Chaldæis defectione Sedeciæ, Nabuchodonosor copijs celeriter instructis, hoc anno in Iudæam armatus irrupit, & Hierosolymæ obsidionem inchoauit. Sed mox aduentante Pharaone, & auxilium ferente Iudæis, obsidione ad tempus soluta, contra Ægyptios descendit, quibus facile repulsis, ad obsidionem reuersus, tãdiu Ierusalem oppugnauit, donec plane expugnaret, atque opprimeret. Hæc summa rei totius, quæ paulo plenius ex ipsa Scriptura explicanda est. Cum ergo Nabuchodonosor, ex omnibus regionibus sibi subiectis, quam maximas copias contraxisset, seque dedisset in viam, impleuit quod prædixerat Ezechiel de sortitione per tela in biuio facta. Constat item ex Ieremia Chaldæum bello simul aggressum esse Ierusalem, & alias vrbes Iuda munitas, sic vt belli primo impetu, quasi torrens inundans, omnes nó solum pagos, sed vrbes etiam munitas, præter Lachis, & Azecha, aut vi subita, aut deditione in suam potestatem redegerit.

Ierem. 34. 1.

c. 22. 19.

c. 34. 7.

Apparet autem priorem hanc Hierosolymæ obsidionem, sub initia anni noni fuisse inchoatam; vt ne tempus profectioni in Ægyptum, & reuersioni hoste repulso desit, & posteriori obsidio mẽse decimo huiusmet anni noui possit inchoari, vt Scriptura postulat. Priore igitur obsidione inchoata, perculsus timore Sedecias, quomodo enim mens sibi male conscia, præsente supplicio non timeret? misit ad Ieremiam eius ad Deum preces postulans; responsumque accepit in hæc verba. *Ecce ego tradam ciuitatem hanc in manu Regis Babylonis, & succendet eam igni, & tu non effugies de manu eius*, quamuis te in fugam dederis, *sed comprehensione capieris, & in manu eius traderis, &c.* Qua denunciatione hoc maxime tempore deterritus, ad placandum aliqua ex parte Deum, Ieremiæ, vt par est credere, hortatu, anno præsertim Sabbatico inuitante, qui nunc est ordine 123. ipse cum optimatibus suis dimiserunt liberos seruos, & ancillas Iudæos, quos contra præscripta Diuinæ legis retinebant, & in templo Deo teste spoponderunt se legem deinceps obseruaturos.

III. Ier. 37. 5. 7. Prior obsidio Ierusalem.

4. Reg. 25. 1.

Rex adit Ieremiã.

Anteceß. plum 439. post temp. 422. 461.

Dum hæc Hierosolymis fiunt, *Exercitus Pharaonis egressus est de Ægypto. Et audientes, Chaldæi qui obsidebant Ierusalem huiusmodi nuncium recesserunt ab Ierusalem*, ne simul cum gemino sibi hoste pugnandum esset, & in occursum Pharaonis profecti sunt. Quod videntes Ierosolymitæ, timore simul, & religione soluti, & cupiditate sua victi, *Retraxerunt seruos & ancillas suas, quos dimiserant liberos, & subiugauerunt in famulos & famulas.* Id facinus vindici oppressorum Deo grauissimè displicuit, idque se fame, peste, bello, deportatione, incendio spondet vlturum. Et nominatim de Sedecia, & aulicis eius, ait se traditurum eos in manus exercituum Regis Babylonis, *quirecessserunt*, inquit, *à vobis. Ecce ego præcipio, dicit Dominus, & reducam eos in ciuitatem hanc, & pralia buntur aduersus eam, & capient eam, & incendent igni, & ciuitates Iuda dabo in solitudinem, eo quod non sit habitator.* Hæc est desolatio quæ post bienniũ cœpta est. Vide autem rectitudinem diuini iudicij. Liberarant isti seruos suos innocentes, Deus ipsos, quamuis nocentissimos seruos, obsidione liberarat, retraxerunt illi in seruitutem liberos: retraxit Dominus hostem, qui eos dira obsidione maceratos, quasi flagris seruilem in modum contusos, Chaldæorum mancipet seruituti.

IV. Ierem. 37. 4. Chaldæi obsidione soluta Ægyptũ adeunt.

Ierem. 34. 11.

Prædicuntur reuersuri

Hæc cum plerique falsa & ficta iactarent, negarentque redituros Chaldæos, misit Rex nuncios ad Ieremiam, qui eum ea de re interrogarent. Quod cum Propheta confirmasset, idq; responsum Hierosolymis peterebuisset, & impijs ex discessu Chaldæorum creuisset audacia, odium sibi debitum, in Sanctum Prophetam conuerterunt. Cum enim is egrederetur ex vrbe, profecturus in oppidum Anathot, vnde ipse oriundus erat, ad portam Benjamin à Ieria custode comprehensus, & adductus in iudicium, quasi proditor & transfuga accusatus est. At iudices nimium creduli, & plane iniusti, sine testibus, sine alia probatione, calumniatori fide habita, *iratis contra Ieremiam, cæsum eum miserunt in carcerem.* Cæsum aliqui putant ab iratis iudicibus pugnis, atque colaphis; alij

V. Idque Regi cõfirmat Ieremias c. 37. 3.

Qui tanquam fugitiuus comprehenditur

iuxem, eorum iussu, flagellis, prioribus fauent septuag. Chaldæus, & notata iræ circunstantia. Forte verumque ab iniquis & crudelibus iudicibus factum fint.

VI. c. 37. 14 Et cæsus in carcerem mittitur.

Cæsum igitur Prophetam *miserunt in carcerem, & ingressus est Ieremias in domum laci, & in ergastulum, & sedit ibi Ieremias diebus multis.* Fuisse hunc locum fossam subterraneam, tetram atq; horribilem, in quam conijciebantur grauissimorum scelerum rei, satis deinceps Propheta ipse significat. Quandiu porro ibi manserit, & quo se vsque dies isti multi porrexerint, non satis constat. Suspicor autem ibi mansisse ad duos tresue menses, & reditum Chaldæorum; cũ nouo metu affectus Sedecias, cum euocauit ad se clam, & rogauit num quem haberet à Domino sermonẽ. Ab eoq; audiuit ipsum in manus Regis Babylonis traditum iri: moxq; conquestus de crudeli atque iniusto carcere, eius mutationem exorat, in vestibulum, siue atrium eius, vbi etiam iussu Regis victum deinceps accepit, quamuis laborante fame ciuitate.

c. 37. 16.

In atrio carceris constituitur.

VII. Chaldæi repulsis Ægyptijs redeunt Ierusalẽ. a Ca. 25. 1. b Ca. 39. 1. & c. 52. 4. c Ca. 24. 1. 2. d Ib. 10. 6. 10. v. 16.

Repulsis igitur Ægyptijs, Chaldæorum exercitus Hierosolymam redijt, eamq; iterata atque vltima obsidione cinxit, mense decimo, decima die anni noni, vt scriptum est in quarto Regũ a, & apud Ieremiam b & Ezechielem c. Notauit & hunc diem Iosephus d, omnesq; deinceps Iudæi, qui eum statu & solemni ieiunio miseri consecrarunt, vt in eorum Calendario notatum est. Dominus porro præmonstrauit Ezechieli, tantam Hierosolymis fore frequentiam funerum, vt ne in coniunctissimorum quidem morte ritus funebres obseruari possint. Quod innuit quoque Ieremias cap. 16. 4.

Iudæorũ status infelix.

ANNVS MVNDI 3445.

SEDECIÆ & SARAIÆ 10.

TRANSMIGRATIONIS 10.

NABVCHOD. 17. Imp. Babyl. 11.

OLYMPIADIS XLII. AN. 4.

TARQVINII 7. VR. COND. 144.

ANTE CHRISTVM 608.

I. Romana res.

HOc, & sequentibus aliquot annis, Tarquinius Priscus contra Veios pugnauit. Tribus enim eruptionibus ita eorum agrum in eorũ oculis deuastauit, vt toto triennio nihil fructuum suis ex agris maxima ex parte desertis, perciperent. Inde ad Cere, olim dictam Agyllã, feliciter pugnauit. Hostem denique Fidenis hęrentem oppugnasse, post illum in acie acriter pugnantem deuictum, oppidum vicepisse, prędiatorios, reliquosque Etruscos in vincula coniecisse, constat, defectionis autoribus partim in exilium perpetuum actis, partim securi percussis. Hæc fere gesta cum Etruscis ad annum vrbis 150, quo de Etruscis à Tarquinio triumphatum est. Nunc Hierosolymam modico ex interuallo reuocamur.

II.

Totus hic annus decimus Sedeciæ, in magnis animorum & corporum angustijs actus est Hierosolymis, à Iudæis, non solum foris cum gladijs, & telis Chaldæorum, sed intus etiam cũ fame, siti, & peste confligentibus. Addunt Ieremias & Ezechiel bestias pessimas, pauorem ingentem, & si qua alia, quæ in Annalibus collecta, digestáque reperiet studiosus Lector. Hoc porro pertinent, quæ capite 21. & 32. Ieremiæ continentur. In priore Sedecias ab hoste conclusus, consulit Dominum per Prophetam, sicut & præcedenti anno sub obsidionis initium, an Nabuchodonosor insigni aliquo Dei miraculo abiturus sit obsidione soluta. Cui respondet Ieremias Dominum debellaturum Sedeciam, cũ populo suo, in furore & indignatione, & ipsorum arma versurum in pestem ipsorum atque perniciem. Vniuerso autem populo deditionẽ suadet, ea lege vt qui adij Chaldæos transfugerit, victurus sit, qui in ciuitate remanserit, gladio, fame, & peste sit periturus. Quæ sine insigni magnitudine animi dici non potuerunt ab eo, qui meminisset se anno præterito ob suspicionem perfugij, in tetterrimum carcerem fuisse coniectum; indéque ægrè ereptum, nunc quoque in atrio carceris, conniuente Rege detineri.

Sedecias consulit Ieremiã

Qui deditionem suadet.

Caput 32 quod habet decimum annum Sedeciæ notatum, Domini iussionem continet Prophetæ factã, de emẽdo prædio patruelis sui Hanameelis, filij Sellum, patrui sui, adhibito omni legitimæ emptionis ritu, & quidẽ vili pretio, pro statu rerum perturbatissimo, & imminente transmigratione septuagenaria omnium, qui gladio, pesti, & fami superfuissent. Quod cũ Propheta ipse miraretur, intellexit Dominum hoc facto addicere velle populum in spem rẽuersionis à captiuitate Babylonica, postquam agros iterum essent possessuri. Quod ipsum ca. 33. confirmatur; eaque occasione delabitur ad denuncianda tempora optatissima Christi venturi, quæ perseueratura dicuntur, quandiu mox diei successura est; vnde apparet hæc non ad carnalia Iudæorum sacrificia, & regnum Danidis temporale pertinere, sed ad spirituale & sempiternum Christi Domini regnum in Ecclesia sua, in qua diuina Sacramenta, & augustissimũ sacrificium perseuerabunt vsque ad consummationem seculi. Sed hæc in Annalibus plurimis.

III. Iubetur emere prædium a patruel. Ier.

Vt spem det reuertionis post captiuitatem.

Ad hunc ipsum annum decimum pertinet Ezechielis vaticinium contra Pharaonem Regem Ægypti, qui Iudæos spe auxilij frustratos, Chaldæis deuorandos, præbebat, magna illum ab eis clade afficiendum prophetat, atque adeo regnum eius ad annos quadraginta subuertendum: quæ magno verborum apparatu dicuntur, quod hanc sentiebat aliquam esse populo suo consolationem, cum viderent Dominum iudicia exercentem in aduersarios suos.

n. 20. 21. 22.

IV. c. 29. Vaticinium cõtra Pharaonem.

***

ANNVS MVNDI 3446.

SEDECIÆ, & SARAIÆ II. & vlt.

TRANSMIGRATIONIS II.

NABVCHOD. 18. Imp. Babyl. 113.

OLYMPIADIS XLIII. AN. I.

TARQVINII 8. VRB. COND. 145.

ANTE CHRISTVM 607.

I. Pittaci certamen singulare.

OLympias 43. victorem habuit in Olympico puluere Cleonem Epidaurium, in quo Pittacus Mitylenæus singulare certamen iniit contra Phrynonem Athenienſium ducem, quẽ reti, quod clypeo regebat implicatum interfecit, vt refert Laërtius. Hæc pauca de Græcis, pauciora de Romanis quæ hoc tempore per annos ſingulos diſtingui non poſſunt: plura ſuggeret ſacra hiſtoria.

Luctuoſus Iudæorum ſtatus.

Haber enim hic annus luctuoſiſſimum Iudaicæ Reipub. occaſum, eam quotidie fame, peſte, ac bello ad interitum perurgentibus: dum Sedecias cum ſuis Nabuchodonoſori, Ieremię, ac Deo ipſi inconſulta temeritate, ac fatali obſtinatione reſiſtunt. Nam quæ de flagellis Dei Hieroſolymam immiſſis anno ſuperiore dicta ſunt, tanto incremento amplificata ſunt hoc anno, tragœdiam vt omnem ſuperare videãtur. Id facile præter hiſtoricam Scripturæ narrationem, exaliquot Ieremiæ & Ezechielis prædictionibus intelligi poteſt, quas cum in rem ipſam deductas neceſſariò fatendum ſit, tanquam rerum geſtarum narrationes accipiendæ ſunt. Quinetiam loca è threnis petita germanas narrationes continent, licet poëtica forma potius, quam hiſtorica deſcribantur.

II. Præſertim à fame.

Ex his ergo locis, quos in Annalibus digeſtos habes atque deſcriptos, intelligitur ciuitas oppreſſa fame intolerabili, obſidione decimum nonum iam menſem perſeuerante, quam confirmat antegreſſa ſterilitas, & ſitis, & innumera inſectorum examina, ſegetem in herba, herbamque ipſam præproperè demetentia, atque inſaturabili fame deuorantia. *Præualuit*, ait Scriptura, *fames in ciuitate, nec erat panis populo terræ.* Quaſi dicat, multis modis contra famem certatum eſt, multa præter morem & conſuetudinem omnem, præter decorum & vtilitatem verſa ſunt in cibum, vt quoquo modo rabida fames euinceretur; præualuit ipſa nihilominus, vſque adeo vt non paucis aliquibus tenuioribus, ſed vniuerſo populo terræ nihil ſupereſſet ad cibum. Eadem fames enecabat infantulos in ſinu matrum, & paruulos in plateis, & adultos, hoſtili metu ſuperato, extrudebat foras. Patres, matres, liberos, amicos, ac neceſſarios in mutuas animabat cædes, artuſque fœdè laceratos, nefarios in cibos conuertebat. Et quamuis peſtilentia effusè graſſaretur, mitior tamen erat quam fames, qua miſeri diuturniore cruciatu tabeſcebant.

Quæ ad mutuas cædes.

III. ca. 38. 1. 2 &c.

Contigit hoc anno vt Ieremias crudeliter ab impijs in profundum ac cœnoſum puteum demergeretur. Cum enim ex ipſo carceris atrio deditionem populo ſuaderet, adierunt Regem viri primarij, rogantes vt interficeretur, quod de induſtria virorum bellantium manus diſſolueret; quod cum à Rege impetraſſent, tulerunt Ieremiam, & funibus ſubmiſerunt in lacum, nó ſolum vt neminem alloqui poſſet, ſed vt ibi fame, frigore, pædore, diutina crudelique morte extingueretur. Id cum Abdemelech Æthiops intellexiſſet, Regem adijt, accuſans iſtorũ crudelitatem in ſanctum virum, roganſque illum inde extrahi. Cui Rex aſſenſus, *Tolle tecum*, inquit, *hinc 30. viros, & leua Prophetam Ieremiam de lacu, antequam moriatur.* Non erant tam multi neceſſarij ad extrahendum Ieremiam, ſed ad vim iſtorum arcendam, ſi forte impedire valent ne extraheretur.

Ieremias in cœnoſum puteum demittitur.

IV. Ieremias 38. 11. &c. Educitur & agit eũ Rege occulte.

Itaque demiſſis ad eum veteribus pannis ne à funibus læderetur, extraxerunt eum. Ex quo intelligitur Prophetam ſeminudum eò demiſſum fuiſſe, alioqui propriæ veſtes læſionem impedire potuiſſent. Sed & humanitas hominis alienigenæ cernitur, in ciuium iniuſtiſſima crudelitate. Itaque reſtituto Ieremia veſtibulo carceris, nunciauit Dominus, Abdemelech ipſum in communi Iudæorum clade euaſurum Chaldæorum manus. Sub hæc ſecreto Ieremiã euocauit Sedecias, vt ab eo ſciret quid ſibi denique futurum eſſet, aut quid conſilij daret; cumque mortis metu Propheta reſpondere cũctaretur, iureiurando illius confirmatus reſpõdet, eique deditionem ſuadet. At Rex timens à transfugis illudi: id enim principibus viris intolerantiſſime contingit, non acquieſcit. Ieremias autem negat traditum iri illudendum, bene potius ei futurum. Alioqui fore vt ipſi, capto à Chaldæis, à mulieribus quaſi per cantilenam inſultetur. Hìc Sedecias remittit Prophetam ad veſtibulum carceris, imperato ſuper hac re ſilentio.

ca. 39. 15.

Cui ſuadet deditionem.

V. Fugitiui gratiam Chaldæi Regis Ieremiæ conciliãt

Cæterùm non eſt omittendum hoc loco, quo de Iudæis fugitiuis fit mentio, certum videri pleroſque illorum, dum Nabuchodonoſorem adirent, & cauſam defectionis ſuæ in diuinam voluntatem, & Ieremiæ ſuaſionem referrent, etiam pluribus retuliſſe non ſolum viri ſanctitatem, & futurorum ex diuina reuelatione præſenſionem: ſed etiam quam ille videretur bene erga eum affectus, qui Regi, totique populo deditionem ſuaderet; propterea que multis iam malis affectus, etiam nunc carcere detineretur. Qua relatione factum eſt, vt Chaldæus Rex propenſiore in eum eſſet animo, adeo vt præciperet Nabuzardano Magiſtro militiæ, vt capta ciuitate, omni eum humanitatis officio proſequeretur; quod & fecit, vt ſuo loco dicetur. Sub hoc tempus, cum iam de Ieruſalem actum eſſe putaretur, Tyrus quæ gloriæ illius ſemper æmula fuerat, vt Romæ Carthago, & Niniue Babylonis, lætata eſt, vt ait Ezechiel, ſperans ſe inuictam fore, & ſpoliis Iudæorum ditatum iri. Demens quæ non videbat ſe tanto facilius expugnatum iri à Chaldæis, quo magis illi vires ſuas in vnum ad eam debellandam coëgiſſent.

39. 11.

Tyri æmulatio, ei clades prædicitur. cap. 26.

VI. Arca & altare incenſi feriant.

Valde autem aſſentior ijs, qui exiſtimant ſub huius anni finem, quoſdam de primariis Sacerdotibus, Ieremia non ſolum conſcio, ſed

autore

autore etiam & hortatore, arcam fœderis & altare incensi, ignem perpetuum, nonnulla quæ alia, quæ facile asportari poterant abstulisse, & subterraneo quopiam in loco, maximo studio abscondisse, Deo Religiosos illos viros peculiari prouidentia ab hostibus protegente. Qua de re sequenti anno dicetur. De rebus autem à Iudæis, toto tempore obsidionis gestis contra Chaldæos, mirum est in Scriptura silentium. Dederat enim illis Dominus cor pauidum, & animam deficientem, vt hostem vix intueri, nedum in aciem prodire, & cum eo congredi auderent; nisi cum ad illum, fame compellente, profugerent. Maxima tamen pars aut certe primaria impiorum erat, qui dictis Ieremiæ increduli, nullam à Chaldæis veniam, aut misericordiam expectabant; minimeque omnium Sedecias, qui crudelem Ioakimi fratris interitum, & raptationem, & sepulturam asini meminisset; & simillimam culpam suam in Chaldæorum Regem non ignoraret.

Metus Sedeciæ & Iudæorũ

VII. Tempus modusq; captæ vrbis.

Reliquus est vltimus actus tragœdiæ huius, qui incidit in nonum diem mensis quarti huius anni, quo die vel vi & aperto marte, vel clam & improuisò apertus est murus, per quem aliqui Chaldæorum ingressi, portam proximam, quæ erat ciuitati à Septentrione, occuparunt, & toti exercitui aperuerunt: indeque ad secundum murum progressi sunt, in quo erat porta, quæ tum secunda, tum etiam media dicebatur, quæ erat in muro Bezetha, templum à Septentrione cingente, ibique primarij Chaldæorum duces *sederunt*, id est, locum habuerunt in potestate, & subito præsidio tenuerunt. Ea porta occupata nihil admodum erat, quod eos à templo excluderet. Inde autem ad regiam & arcem Sionis facillimus, & ordinarius erat Regis transitus, & Palatinorum eius. *Cumque vidisset eos Sedecias Rex Iuda, & omnes viri bellatores* non dixerunt *moriamur, & in media arma ruamus*, sed *fugerunt & egressi sunt nocte de ciuitate, per viam horti Regis, & per portam, quæ erat inter duos muros, & egressi sunt ad viam deserti.* Ita Ieremias. Filios quoque Regis fugæ comites fuisse constat.

Ier.39.4.

VII. Locus & modus fugæ Regis *Vide Hierusalem. Villalpädi*

Paulo obscurior est locus, pendetque ex topographia ciuitatis. Egressum arbitror ex Palatio suo & monte Sion, quò nondum penetrauerat hostis. Quærendam primum fuit via, quæ quàm occultissime duceret in hortum Regis, qui erat in valle Hermon, ad torrentem Cedron, indeque desertum versus, & Iericho. Erant autem duæ portæ ciuitatis vicinæ Palatio Regis, quæ eò ducebant, porta scilicet equorum & aquarum, quarum prior erat in angulo muri ciuitatis, & muri Ophel, ideoque dicitur fuisse *inter duos muros*: fuitque omnium occultissima, & in ima valle quæ dicitur Tyropeon, ideoque fugæ opportunissima. Videtur autem clausa fuisse hoc tempore muro lapideo, qui noctu ad egressum Regis perfossus fuerit, iuxta Ezechielis Prophetiam. *Et dux, inquit, qui est in medio eorum, in humeris portabitur*, propter periculum nocturni, & trepidi, & declinis descensus, in sella gestatoria à fortibus & industrijs, & fidis famulis delatus est ad imam vallem Tyropœon, in qua erat porta equorum Orientalis, qua exibatur ad hortum Regis. Pergit Propheta, *in caligine egredietur, parietem perfodient, vt educant eum, faciet eius operietur, vt non videat oculo terram*, atque adeo vt à nemine videri, vel agnosci possit.

Ez.12.12.

XI. Chaldæi fugientẽ persequũtur, & cõprehendunt.

Verum fugientem noctu Regem Chaldæi excubitores senserunt, qui erant in circuitu ciuitatis, monitisque celeriter ducibus, vt quique erant expeditissimi procurrerunt, parte idonea exercitus subsequente, si fortè pugnandum esset; multi enim viri bellatores Regis comites *dispersi sunt, & reliquerunt eum*, plerosque tamen ex fuga retractos, & cum Rege ductos in Reblata ad Nabuchodonosorem, ibi iussu illius occisos, cum filijs Sedeciæ, mox intelliguntur.

4.Reg.25. 5.

Ciuitatis clades.

Dum Sedecias in fuga comprehensus ad Nabuchodonosorem deducitur, luctuosissima Iudæis illuxerit dies, in qua nihil ad summam calamitatem desideratum est, non rapinæ, non cædes, non templi profanatio, non stupra, non adulteria, non omnis generis infandæ libidines, & cumulatæ subsannationibus iniuriæ, aliaque id genus, quæ ex sanctis literis in Annalibus digessimus.

nu.41. & seqq.

X. Sedecias ĩstitui Chaldæo

Quæ dum Hierosolymis à Chaldæis impunè perpetrantur, militares cohortes, quæ fugientem Sedeciam comprehenderant, peruenerunt in Reblata, quæ fuit in terra Emath, in Iudææ finibus, Libanique montis, quatuor circiter dierum itinere à Ierusalem. Illic tunc Nabuchodonosor tanquam in peramœno loco morabatur, expectans euentum obsidionis Hierosolymorum & Tyri, à qua etiam bidui fere itinere distabat. Cum ergo Sedecias metu ac pudore plenissimus oblatus esset Nabuchodonosori, *Locutus est*, ait Scriptura, *cum eo iudicium.* Quod sic explicat Iosephus. *Quem postquam in conspectu habuit, impium & fœdifragum vocare cœpit, & promissionum immemorem. Exprobrat etiam ingratitudinem: quod cum à se regnum accepisset, Ioakimo fratri debitum, accepta potestate abusus esset, in autorem beneficii. Sed magnus est*, inquit, *qui te propter mores tuos pessimos in manus meas tradidit.*

A quo obiurgatur.

His verbis cum Sedeciam increpuisset, è vestigio iussit, ipso, & alijs captiuis inspectantibus, filios eius, & amicos trucidari: quamuis pueruli & innocentes, nam pater trigesimum secundum duntaxat agebat annum, sed ea cædes in supplicium patris redundabat. Ipsi autem, dum supremas perfidiæ pœnas expectat, iussit oculos effodi, injici catenas, & Babylonem abduci. Atque ita concidit regnum Iuda, in potestatem & iura Chaldæorum redactum, cum à Saule primo Hebræorum Rege stetisset annis 485. Numerantur enim à iactis templi fundamentis 424. quibus tres priores anni Salomonis, Dauidis 40. Samuelis 18. addendi sunt, iuxta ea quæ primo Saulis anno sunt constituta. Non numerato autem Saule, neque Athalia, Dauidis familia per vnum & viginti Reges propagata est.

XI. Et punitur cæde filiorum.

Propria ætate, catenis, & deportatione.

Quãdiu stetit regnũ Iuda.

18.	
40.	
3	
424	
485.	

* * *

ANNVS MVNDI 3447.

IOSEDECI PONTIFICIS 1.

TRANMIGRATIONIS 12.

TEMPLI 425. & vlt. DESOLAT. 1.

NABVCHOD. 19. Imp. Baby. 114.

OLYMPIADIS XLIII. AN. 2.

TARQVINII 9. VRB. CON. 146.

ANTE CHRISTVM 606.

I. Summa rerũ anni huius, & ratio temporis

CADIT in hunc annum ruina & deflagratio templi atque ciuitatis, deportatio captiuorum, Ieremiæ lamentatio, collectio Iudæorum & fuga, Tyri calamitas. Ad ea quinque capita referuntur quæcunque in sacra historia ad hũc annum pertinent. Quod ad primum attinet gestæ rei tempus ab historico sacro ita describitur. *Mense quinto, septima die mensis, ipse est annus nonus decimus regni Babylonis, venit Nabuzardan Princeps exercitus, seruus Regis Babylonis in Ieruſalem.* Quæ à Ieremia repetuntur: nisi quod pro septima die mensis legitur decima. Arbitror die septima quinti mensis venire cœpisset ex Reblata, quæ triduo fere Hierosolymis aberat, die autem decima Hierosolymam peruenisse. Est autem hic mensis quintus anni sacri decurrentis, qui dicitur Ab apud Hebræos, & Iulio nostro respondet, quo mense incipiebat annus Nabuchodonosoris 19 & 12. Sedecias inceperus erat, vt alibi dictum est.

4. *Reg.* 25.

II. Ieruſalẽ cum templo succenditur, ac diruitur. *l.* 10. *Ant. c.* 8.

Abijt ergo mensis vnus in cædibus, & populatione ciuitatis: Quo interim tempore Principes exercitus consuluerunt Regem, quid Hierosolymis fieri placeret. *Ille autem*, vt ait Iosephus, *Nabuzardan ducem misit Hierosolymam cum mandatis, vt templum spoliatum incenderet, Regia quoque similiter cremata, vrbem à fundamentis diruerent, populum in Babylonem traduceret.* Quæ ille accuratè præstitit, pretiosa vero suppellex tam sacra quam profana conseruata est. Nam in libro Paralipom. enumeratis cædibus, quæ nullo delectu loci, ætatis, aut sexus perpetratæ sunt, subdit. *Vniuersaque vasa domus Domini tam maiora quam minora: & thesauros templi, & Regũ, & Principum transtulit in Babylonem.* Sed prius *incenderunt hostes domum Dei, destruxeruntque murum Ieruſalem, vniuersas turres combusserunt, & quidquid pretiosum fuerat, demolisi sunt.* Apparuit autem in hac conseruatione vasorum, diuina misericordia, quę paupertati Iudæorum, post finitos desolationis annos, consulebat.

l. 2. *c.* 36. 17. 18.

Sed vasa conseruantur.

III. An libri sacri perierint.

Sed existit hoc loco non negligenda quæstio, non libri omnes sacri, in hac templi & vrbis conflagratione perierint, & ab Esdra postea restituti fuerint: quod plerique sanctorum Patrum existimarunt, scriptoque tradiderunt, Basilius, Irenæus, Tertullianus, Hieronymus, Eusebius, Clemens Alexandrinus, Isidorus, Theodoretus, Rabanus, Leontius, Leo Castius, quorum sententias in Annalibus descripsimus. Quæ opinio ex eo confirmatur, quod anno 18. Iosiæ Regis, pene pro miraculo affertur inuentio libri sacri, ab Helcia Pontifice, cum tamen deinceps, omnes Reges fuerint impij, & ciuitas sancta non semel venerit in potestatem barbarorum.

n. 10. 11. *& seqq.*

IV. Non videri.

Hęc tamen opinio valide impugnari potest; quia supponit libros sacros à Chaldæis combustos; & eos nusquam gentium, præterquam in Iudæa, reperiri potuisse. At neutrum eorum probari potest. Non prius; neque enim tantam cladem facet historicus in libris Regum, aut Paralipom. silentio præteriisset. Quomodo autem Ieremias iacturam tam deplorandam, neque describit in Prophetia, neque lamentatur in Threnis? qui tamen tam multa alia, quæ combusta, quæ fracta, quæ asportata sunt, memoret, pene minutatim? Neque minus curæ fuisset Spiritui sancto id Ieremiæ, aut alicui suggerere te Prophetarum, ad futuri miraculi magnitudinem celebrandam, quam cum Machabæorum tempore scribi voluit libros diuinæ legis, iussu Antiochi, combustos, atque discussos: & apud quemcunque inuenirentur fuisse trucidatum.

V. Libri sancti priuatim habiti. *Dan.* 9.

Ex quo loco habetur, non publicè tantum seruatos fuisse diuinos libros, sed priuatim etiam à plerisque. Id autem à sanctis viris, Daniele, Ezechiele, Ieremia, Baruch, hoc maxime tempore factum fuisse, quis poterit dubitare? De Daniele certe constat eum habuisse libros sacros, & nominatim Ieremiæ Prophetiam de 70. annis exilij, quam longè post hæc tempora legerit, & intellexerit. Quin & Ionathas tempore Machabæorum libros sacros se habere gloriatur, quantauis cura ab Antiocho ad eos perdendos adhibita. Quamuis autem daremus omnes libros sanctos Hierosolymis hoc tempore perijsse, certum est Iudæos pene vbique terrarum habuisse Synagogas, in quibus sacræ literæ per omne sabbatum legebantur; & Danielem in regno Persarum ostendisse atque exposuisse Cyro, quæ de ipso ab Isaia prædicta fuerant, vt autor est Iosephus, & Theodoretus. Erant ergo in Perside libri sacri. Adde quod Scriptura nusquam dicit, Esdram ex mente sua recitasse libros Mosis, sed detulisse librum legis Moysi, & coram populo distinctè & intelligenter, ad meridiem vsque legisse. Probabile autem est illum librum, qui tempore Iosiæ mirabiliter inuentus est, fuisse illud ipsum autographum, quod à Mose scriptum fuerat, vt significat Genebrardus. Sed de hac quæstione hoc loco satis, accuratiorem de ea disputationem Annales ipsi studioso Lectori suppeditabunt.

l. Mach. c. 3. 46.

Et vbiq; geotium. *Act.* 13.

li. 11. *Ant. c.* 1. *comm. in Dan.*

2. *Esdr.* 8.

Liber inuentus sub Iosia quis. *n.* 10. *ad* 23.

Sequitur deportatio captiuorum. Ex quibus cum aliquos serius interfectos legamus, alios non interfectos, sed in vinculis habitos vt transmigrarent, dubium est quid causæ fuerit, cur Chaldæi pari erga omnes clementia, ac sæuitia non sint vsi. In qua dubitatione sic dicendum videtur. Dum templum ac Hierosolymitanorum domos priuatas publicasque, Chaldæi sollicitè scrutantur atque diripiunt, maximè autem dum eas subiectis facibus incendunt, exierunt mures à cauernis suis, & qui mortis aut supplicíorum metu, latebras occultissimas penetrarant, sese in conspectum dederunt, in quibus fuerunt Saraias Pontifex

VI. Aliqui de captiuis cur occisi videatur.

4. *Reg.* 25. 18.

In quibus Saraias Pontifex

&

& Sophonias, qui eius vices gerebat, & aliquot alij viri primarij, & insuper è vulgo 60. viri, quos Nabuzardam duxit ad Regem in Reblata, vbi iussu eius sunt interfecti, nec cæteris captiuis additi ad exilium. Forte postquam primus feruor cædendi deferbuit, iussi sunt omnes dedere se, ad Babyloniam seruitutem, idq; pœna mortis proposita, si quis intra certum tempus imperata facere cunctaretur. Isti ergo, cum suis confisi latebris non paruissent, capitali supplicio affecti sunt, reliqui cum transfugis solum verterunt.

VII. Relicti in Iudæa pauperes & cur.

Relicti tamen sunt pauperes aliqui vinitores atque agricolæ, vt terram non suo, sed Chaldæorum nomine colerent, ne terra fructuosa nouis dominis esset inutilis. Sed quia necessarius erat aliquis, qui rudem hanc & imbellem plebeculam contineret, ac regeret, eam curam dedit Rex Godoliæ, qui videtur fuisse aliquis de Iudæis transfugis, quem sibi fidelem fore Chaldæus credidit. Quia tamen Iudæos non semel fœdifragos expertus fuerat, ita regionem recens acquisitam fidei Iudæi hominis commisit, vt prudenter tamen ei socios Chaldæos adiungeret, qui cum eo morarentur in Masphath. Sed Dominus, qui hanc regionem desolatã volebat, permisit hoc consilium quamprimum dissipari, ac disturbari. Qui autem factum est Ieremiæ? Ita cum eo videtur actum.

Sub cura Godoliæ. 4. *Reg.* 25. 25.

VIII. Ieremias adducitur in vinculis in Rama.

Cum accepisset Nabuzardam mandatum à Rege suo, vt Ieremiam tractaret humaniter, misit is præfectos, qui captiuos Babylonem deportandos in Rama deducerent, nominatimque Ieremiæ, qui in vestibulo carceris esse dicebatur, curam geretent. Illi eum cum cæteris catenis vinctum in Rama deducunt. Vbi Nabuzardam eum agnitum catenis exemit, deditque potestatem demigrandi Babylonem, aut in Iudæa cum Godolia remanendi, aut etiam quocunque libuisset abeundi. Maluit is habitare cum Godolia, vt reliquias Iudaici naufragij colligeret ac curaret. Addit Iosephus prophetam à præfecto militiæ, vt sibi sociam Baruchum, qui simul cum ipso vinctus deductus fuerat in Rama, concederet, quod & obtinuit, eiusque opera scripsit epistolam, in vsum eorum qui abducebantur captiui in Babylonem, quæ habetur sexto capite libri Baruch.

IX. Vt abducti captiui, & nominatim Sedecias. *Ier.* 13. *Isaiæ* 41. 10. & 43. 6.

In captiuis autem, qui bini terniue catenis vincti longo agmine ducebantur, vt solent nũc qui ad triremes ducuntur, erat Sedecias ipse, sed in cauea inclusus, vt ait Hierony. nulla alia prærogatiua cætera turba felicior, nisi quod suã ipse miseriam effossis oculis non videbat. Filiæ autem eius, quarum Ieremias meminit nominatim, quas apparet in palatio cum cæteris mulieribus, vxoribus, & concubinis, Rege fugiente fuisse relictas, vt olim à Dauide fugiente Absalonem, filiæ inquam, quæ aliquid solatij reliquæ ætate patri afferre poterant, instar oculorum, filiorum, regni, libertatis orbitate, ei concessæ non sunt, sed Godoliæ cum reliquis captiuis permissæ, quas Iohanan filius Caree in Ægyptum captiuas abduxit, vt à Chaldæorum elapsæ manibus, Ægyptiorum petulantiæ periculum adirent.

X. *c.* 52. 29.

De numero captiuorum hæc habet Ieremias. *Iste est populus quem transtulit Nabuchodonosor, in anno septimo.* id est, in transmigratione Ioachimi, *Iudæos trea millia & 23. in anno octauo decimo Nabuchodonosor*, in illo quippe anno captiui facti sunt, initio tamen 19. amandati: *de Ierusalem animas octingentas triginta duas.* Quod addit Ierusalem, videtur innuere etiam de aliis ciuitatibus multos abductos fuisse, quorum numerus initus non est. In anno autem 23. eiusdem abducti sunt 745. de quibus infra suo loco dicetur. In huius autem anni captiuis, fuit in primis Iosedec, filius Saraiæ Pontificis, paulo ante occisi, cuius annos nunc inchoamus, qui patri in nudo titulo Pontificatus successit. De quo Script. in 1. Par. *Saraias genuit Iosedec. Porro Iosedec egressus est, quando transtulit Dominus Iudam & Ierusalem per manus Nabuchodonosor.* Iosephus quoq;, *Iosedechum etiam Pontificem vinctum secum duxit Saraea Pontificis filium, quem modo Reblathæ affectum supplicio diximus.*

Numerus captiuorum sub Nabuch.

No idẽ Pontifex Iosedec.

Ibi. 1. *Para* 6. 14.

Ita. *Ant.* c. 11.

Dum illi abeunt Ieremias de sacro depositi solicitus, diuino monitu locum adit, in quo illud abdiderat, eaque inde trans Iordanem vsque transfert in montem, ex quo Moyses terram Chanaam sub mortem contemplatus fuerat. Quò cum peruenisset, *inuenit locum spelunca, & tabernaculum, & arcam, & altare incensi intulit illuc, & ostium obstruxit; & accesserunt quidam simul qui sequebantur, vt notarent sibi locum, & non potuerunt inuenire.* Ita scriptum est in 2. Machab. Eo ministerio piè perfunctus Ieremias ad desertam Ierusalem redijt: ibique per otium contemplatus est, non vltra ciuitatem perfecti decoris, dominam gentium, Principem prouinciarum, gaudium vniuersæ terræ. Non vltra templum illud Salomoncum, Hebraicæ gentis gloriam, mundi miraculum, exemplar diuinæ architecturæ; sed dissectorum murorum aceruos, diffractarum ædium cumulos, omnia rudera & parietinas afflatas fumo, tuligine nigricantes, quæ planxit ea lamentatione, quæ eius Prophetiæ subiecta est.

XI. Ieremias abscõdit arcam & altare in monte.

2. *Mac.* 2. 4. 5.

Et lamentatur super vrbẽ & templum.

Sequitur vt de noua Iudæorum collectione, & fuga dicamus. Ieremias lacrymis iam exhaustus atque suspirijs, desertæ plebeculæ curam spiritalem gesturus, ad Godoliam venit in Masphath; quem locum Samuel olim sacrificijs, populusque vniuersus orationibus celebrauit, fuitque in terra Iuda, vt ait Ieremias, è regione Ierusalem ad Occidentem. Illuc ergo Ieremias cum munetibus & literis commendatitijs à Nabuzardane venit, & habitauit cum Godolia *in* medio populi, quo etiam alij viri primarij ex fuga se receperunt. Qui cum vidissent Chaldæos cum Godolia timuerunt ne illis traderentur, per fraudem Babylonem abducendi, rati ob eam causam cum Godolia relictos: quos confirmare conatus est Godolias, etiam iureiurando adhibito. Mirum autem est quod addit Ieremias, hosce fugitiuos collegisse in reditu vinum & messem multam nimis. Nimirum hinc disciplina militaris Chaldæorum agnoscitur, quorum duces hæc non Iudæis, sed sibi ipsis seruabant, ignorantes quam diuturna futura esset obsidio, quam experti erant ad trigesimum vsque mensem protractam fuisse: nec dubitabant sibi terram omnem, & fructus eius esse acquisitos, & dum ea seruarent, sua sibi conseruare.

XII. Aditque Godoliã. *Ier.* 40. 12.

Ad eundem alij confluũt.

Ibid.

Colligũt messem & vinum.

XIII. Ismaël Godoliæ cædem molitur, & cur.

Nondum erant exiccatæ miserorum Iudæorum lacrymæ, cum noua legendi materia superfuit: proditoria videlicet Godoliæ cædes, cuius industria poterant Iudæi quoquo modo coalescere, sed oportebat prænunciatam Septuagenariam desolationem, quæ nunc inchoabatur, expleri. Causam suscepti, perfectique facinoris Scriptura suspicandam dedit. Ismaël enim cum esset de semine regio, inuidit hanc dignitatem Godoliæ, quamuis eam se assecuturum non speraret: sed in eo fructum ponebat sceleris sui, si quo ipse bono carebat, alterum se inferiorem frui non pateretur. Communicato ergo cum Rege Ammonitarum consilio, qui hostis erat Chaldæorum, facilè ab eo inductus est, vt Godoliam Chaldæorum clientem, & Chaldæos, qui cum eo erant, mactandos susciperet. Res venit in notitiam Iohanã, & cæterorum optimatum, qui eam ad Godoliam detulerunt, sed is fidem eis adhibere, magno suo malo noluit, neque permittere vt Iohanan Ismaëlem interficeret.

Ierem. 41.

Consilio Regis Ammonitæ, ;

XIV. Godolias frustra monitus interficitur cum suis. *Ibid.*

Ergo septimo mense anni huius duodecimi, qui erat tertius anni 19. Nabuchodonosoris, venit Ismaël cum decem viris, & optimatibus aliquot Regis Ammonitarum, qui se honoris & gratulationis causa, à Rege suo missos mentiebantur, qui cum cõiuito accepti fuissent, à Godolia in Masphath, surrexit Ismaël, & decem illius socij, & Godoliam interfecerunt. Addit Iosephus cæteros quoq; cõiuas, præsertim Chaldæos, fuisse interfectos. Postridie commissi facinoris, eoq; nõdum euulgato, quod scilicet, vt ait Iosephus, nocte intempesta perpetratum fuisset, venerunt 80. viri ad Godoliam adoraturi, & ploraturi in templis ruinis. In eorum occursum venit Ismaël, pari tristitia simulata, & in vrbis medium adductos interfecit, ne, cum essent amici Godoliæ, eius necem vlciscerentur: decẽ tamen viri vitam suam pretio redemerunt. Nec eo scelere contentus, *Omnes reliquias populi, qui erant in Masphath* & in ijs filias Sedeciæ, abduxit in Ammonitas.

Ant. l. 10. c 11. Aliiq; insuper, & reliqui ad Ammonitas abducuntur

XV. Liberantur à Iohanan.

In hoc cædium & captiuorum tumultu, fieri non potuit, quin elaberetur aliquis, qui Iohanã filium Caree, reliquosque viros militares eius socios, de hac tota clade doceret. Qui propere assumptis quisque militibus suis, contra Ismaëlem venerunt, & excussa de manibus eius præda, non sine sanguine, in fugam ad Ammonitas compulerunt. Iohanan autem cum suis, & reduce populo cogitant de fuga in Ægyptum, rati Chaldæum nullo discrimine in Iudæos omnes, quas Godoliæ & Chaldæorum necis autores, vltorem exercitum quam primum missurum; nec cogitarunt hanc eorum fugam facturam reos necis, cuius erant innocentes. Neque tamen prius se in fugam dederunt, quam Dominum super ea re per Ieremiam consulerent. Quod cum Propheta fecisset, responsum accepit à Domino, qui prohibebantur descendere in Ægyptum, promissa diuinitus incolumitate in Iuda.

Qui cogitat abire in Ægyptum cum reliquiis populi.

Repugnante Domino.

XVI. Cui resistunt pertinaces, & Ægyptũ abeũt. *Ierem. 43. 2.*

Quæ cum Propheta illis accurate atque animose inculcaret. Illi contra non solum contumaces & perfidi, sed contumelioſi etiam in sanctum Prophetam, *Mendacium*, inquiunt, *tu loqueris, non misit te Dominus Deus noster dicens, ne ingrediamini AEgyptum, vt habitetis illic.* Addunt etiam calumniam contra Baruch eius socium, qui eos velit perditos, neque adire Ægyptum, vt à Chaldæis partim interficiantur, partim Babylonem abducantur. Et habebat locum aliquem ista suspicio, quod Baruch vnà cum Ieremia, liber à Chaldæis dimissus esset, & in eorum gratiam, deditionem sæpe Regi, populoq; suasisset. Itaque nitentes in vetitum, capientesque negata, proficiscuntur in Ægyptum, cum omnibus reliquijs Iudæ, vndecunque collectis: Et in ijs secum etiam abducunt Ieremiam & Baruch socium eius. Atque ita regio Iudæorum plane deserta, & desolata manſit.

XVII. Ibi Ieremias contra eos Prophetat. *c. 44.* ;

Vix in Ægyptum peruenerunt, quod octauo minimùm huius anni mense contigit, cum ibi factum est Verbum Domini ad Ieremiam, iuberturque sumere lapides grandes in conspectu Iudæorum & abscondere eos in crypta, sub muro lateritio; vt repræsentarentur Iudæi, qui se crederent tutos fore tectosque in Ægypto lateritia, aduersus Nabuchodonosorem; quem tamen Dominus se euocaturum dicit in ruinam Ægyptiorum, & eorum qui sub eorum vmbra latere voluissent; quos partim vita, partim libertate priuaturus esset. Quæ minæ non in longum tempus abiere. Anno enim decimo quinto translmigrationis, qui fuit Nabuchodonosoris vigesimus secundus, AEgyptus in eius potestatem venit, eamque pro arbitrio populatus, AEgyptios ac Iudæos partim iugulauit, partim in seruitutem abduxit. Huc porro pertinent aliquot Ezechielis vaticinia, tam de Iudæis habitantibus in ruinosis, super humum Israël, quam de AEgyptijs, quibus Chaldæorum gladius imminebat, de quibus consulentur Annales.

& contra Ægyptũ.

c. 33. 24. c. 32. n. 70. &c.

Superest vt de Tyri expugnatione dicamus aliquid, quam anno 19. Nabuchodonosoris, 13. obsidionis, & vno anno à vastata Ierusalem contigisse passim omnes consentiunt. Idque probari potest ex 25. Ieremiæ, vbi non solos Iudæos, sed omnes etiam gentes, quas enumerat ibidem, Regi Babylonis annis 70. seruituras affirmat, quibus cunctos Reges Tyri, & vniuersos Reges Sidonis annumerat; significans non plane vastandam Tyrum hoc tempore, sed Regi Babylonio ita subiugandam, vt spatio illo 70. annorum Tyrij & Sidonij principes, Chaldæorum clientes essent, & vectigales. Donec Chaldæi ipsi afflicti à Cyro, Persis subijcerentur & Medis. Non fuisse autem Tyrum vi captam, neque prædæ patuisse Chaldæis, ex Ezechiele intelligitur; qui à Domino monetur, exercitum Chaldæorum multis incommodis in hac obsidione affectum; neque tamen ei mercedem redditam, ideoque AEgypti spolia ei datum iri à Domino, cui in hac expeditione seruierant.

XVIII. Expugnatio Tyri, aut pacificatio.

v. 22.

Ez. 29. 18. Sine depræda-tione.

***

ANNVS MVNDI 3448.

IOSEDECI & DESOLAT. 2.

TRANSMIGRATIONIS 13.

NABVCHOD. 20. Imp. Babyl. 115.

OLYMPIADIS XLIII. AN. 3.

TARQVINII 10. VRB. COND. 147.

ANTE CHRISTVM 605.

I. Ratio tẽporis mortis Ieremiæ.

CONTINET hic annus vltimum Ieremiæ vaticinium, eiusdemque mortem in Ægypto, pro Dei causa glorioſe obitam. S. enim Hieronymus initio Comment. in Ieremiam, ait enim Prophetasse annis quadraginta & vno, præter illud tempus, quo ductus est in Ægyptum, quod vnius circiter anni fuit, cum autem à 13. Iosiæ Prophetare cœperit, inde annus præsens 42. numeratur. Sed prius quæ fuerint cædis Prophetæ quasi præludia videamus. Iudæi inuito Domino ac Ieremia in Ægyptum profecti, vitam impiam, atque vtrique inuisam traducere cœperunt, aut potius pertrexerunt, & ad Prophetæ voces, querelas, comminationes non solum obsurdescere, sed etiam sese coram de sua impietate iactare, voluntatem in proposita idola colendi, quasi facta coniuratione, obfirmare; calamitates suas non peccatis suis, sed DEI cultui tribuere; pacem autem & felicitatem, si quam vnquam degustassent, cultui idolorum, ingratissimo animo, execrandaque lingua ascribere. Quæ satis docent has populi Iudaici quisquillias, ad extremum impietatis barathrum descendisse, nihilque aliud vltra desideratum, quam vt scelestissimi apostatæ, vtriusque mortis rei, vtraque propediem plecterentur.

c.44.

Iudæorũ in Ægypto pertinacia.

II. Contra Deum & Ieremiã.

Ex quo autem Iudæi in Ægyptum descenderunt, qui primum in Taphnis subsederant, deinde in tres alias vrbes dispersi sunt Magdalum, Memphim, & Phatures, vbi hæc Prophetia videtur edita, populo Dei iussu, illuc conuocato. Cui cum impudentes, vt dixi, in Deum calumnias responderent viri ac mulieres, iurat Dominus in nomine suo magno, in ruinam obstinati populi, & ipsius Regis Ægypti, in quo isti fiduciam habebant. Cum autem diuturna & vehemens Prophetæ obiurgatio, cum pertinacia populariũ eius malitia certaret, arbitrati sunt, si eum è medio sustulissent, se quietos fore, & molestissimo admonitore caituros. Ergo erupit aliquando insani populi furor, & lapidibus crudeles eorum armauit, in illum manus, qui diuinam in ipsos iram perpetuo mitigare conabatur. Hoc enim mortis genere eum occubuisse testis est Epiphanius, Dorotheus, Hieronymus, omniaque Martyrologia. Romanum primo die Maij sic habet. In Ægypto S. Ieremiæ Prophetæ, qui à populo lapidibus obrutus apud Taphnas occubuit, ibique sepultus est. Ex quo intelligi potest, Ieremiam septem fere mensibus in Ægypto fuisse.

Quẽ lapidibus obruunt.

Tempus mortis eius.

Epiphanius & Dorotheus sepultum fuisse ab Ægyptijs in loco, in quo habitauerat Pharao. Nam beneficijs ab eo affecti, ait Dorotheus, id honoris illi impenderunt. Isidorus enim in libro de ortu & obitu Prophetarum, ait Ieremiam in Ægypto pro liberatione à serpentibus Deum orasse, ijsque sublatis, magno apud eos in honore fuisse; & impie à suis occisum, honorifice ab alienigenis, iuxta Regis palatium, sepultum fuisse. Mortuum quoque beneficia præstare fidelibus autor est Epiphanius, & facta ad eius sepulchrum oratione, sumpto inde puluere, morsibus aspidum mederi, & crocodilos è suis finibus profligare. Verum non dubium est ad maiorem Prophetæ gloriam cedere, quod omnium virtutum genere clarissimus fuerit, quibus Christum Dominum in vita & morte tam insigniter adumbrauit, vt ea in re nulli Prophetarum cedere, sed cunctis anteire videatur, quæ religiosus Lector in nostris Annalibus haud indiligenter explicata reperiet. Sicut & breuem vitæ ipsius sub Epitaphij titulo epitomen.

III. Et sepulchrũ gloriosum.

Figura Christi fuit.

ANNVS MVNDI 3449.

IOSEDECI & DESOLAT. 3.

TRANMIGRATIONIS 14.

NABVCHOD. 21. Imper. Babyl. 116.

OLYMPIADIS XLIII. AN. 4.

TARQVINII 11. VRB. CON. 148.

ANTE CHRISTVM 604.

I. Baruch Babylonẽ cogitat.

MORTVO in Ægypto, sepultoque Ieremia, Baruch Propheta, eiusdem Scriba & discipulus, qui propter magistrum tantùm in Ægypto residebat, Babylonem cogitare cœpit, quod vix vllam de Iudæorum salute spem haberet: non solum quia quod Ieremias irrito conatu susceperat, non videbatur Baruch felicius aggressurus, quippe qui multo minore apud omnes erat autoritate, & opinione sanctitatis, sed etiam quia peculiariter in eum erant infensi. Vnde aiebant Ieremiæ, *Baruch filius Neria incitat se aduersum nos, vt tradat nos in manus Chaldæorum, vt interficiat nos, &c.* vt mirum sit eum non eadem opera, cum Ieremia ab ipsis occisum.

c.43.3.

II. Trãsit per Iudæam.

Egressus igitur ex Ægypto Babylonem profecturus, modico itineris flexu ruinas templi, & Hierosolymorum reuisit, vbi etiam videtur aliquandiu substitisse, quoniam illic nonnulla iam Iudæorum manus collecta erat. Nam anno quinto desolationis, Iudæi collectam Babylone pecuniam miserunt ad Ioakim, alioſque Sacerdotes, qui in vrbis ruinis habitabant, vt ibi Deo sacrificarent. Oportet igitur eos illuc ex diuersis locis adrepsisse, ex quo Ieremias cum reliquo populo, in Ægyptum abducti fuerant; & Baruchum nunciata Ioakimo morte Ieremiæ,

c.1.Bar.7.

Qui tũ ibi fuerint

ei autorem fuisse vt ijs in locis, in quibus altare holocaustorum & thymiamatis steterant, informe quodpiam altare excitaretur, ad aliquam Iudæorum consolationem. Erat autem iste Ioakim filius Helciæ grandæus, vt qui patruus erat Saraiæ, nuper occisi Pontificis. Credibile etiam est Baruchum, qui propter Ieremiam nonnihil gratia valebat apud Nabuzardam, ab eo impetrasse, vt pauci illi fugitiui, in parietinis illis non tam commorarentur, quam templi & patriæ casum lamentarentur.

III. Mors Sedeciæ Regis, & quæ illius causa.

Hoc ipso tempore mortuus videtur Sedecias. Etsi enim non constat quo anno sit mortuus, credibile tamen est eum ad annum sequentem non peruenisse. Cum enim in eo cœtu, qui tum coactus est, Ioachini fiat mentio, Sedeciæ non fiat, quamuis vterque in carcere Babylone teneretur, videtur sane iam fuisse defunctus. Adde quod præ animi mœrore, & oculorum cruciatu, orbitate liberorum, & templi regnique interitu, carceris etiam fortasse dutitia; erat enim propter ingratitudinem & perfidiam inuisus Regi Chaldæo, non potuit diu esse superstes; idque putat Tostatus, omissa inepta traditione Rabinorum, quam recitat Hieronymus eum in conuiuium à Nabuchodonosore illudendi causa vocatum, ibique Sedeciam, vt illi gratificaretur, laxius perpotasse, moxque ebrietate dominante, indecore corpus denudasse, & toti conuiuarum cœtui, sese deridendum propinasse, moxque ad se reuersum, tantum opprobrium non ferentem, breui in carcere fuisse mortuum.

in c. 2. Habac. v. 15.

IV. Non fuisse violentam.

Quidquid sit, illud certo affirmandum est, Sedeciam morte violenta non fuisse defunctum, vt impleretur illud Ieremiæ, *Non morieris in gladio, sed in pace morieris, & secundum combustiones patrum tuorum Regem priorum comburent te, & ve Domino, plangent te, &c.* Iosephus quoque ait Nabuchodonosorem Babylonem reuersum Sedeciam in carcere quidem vsque ad mortem eius detinuisse, mortuum tamen Regia funeris pompa elatum sepelisse, atque ita videtur eius ignominiam honorifica sepultura compensare voluisse. Vtrum autem Sedecias tot obrutus malis, ad sanam mentem redierit, & pœnitentiam ex animo egerit, certo affirmari non potest, etsi in mitiorem partem libenter propendeam; quia video plerosque è prioribus Regibus, hoc ipso nonnullam de sua salute spem reliquisse, quod à Deo in hac vita castigati sunt, nec in flagranti, vt aiunt, facinore, ad diuini iudicij tribunal abrepti. Suspicionem auget quod Baruch scribit, eum vasa argentea in templo Domini fecisse, eorum loco, quæ Nabuchodonosor Babylonem cum Ioachino transtulerat. Accedit quod Ezechielem habuit, & Danielem in captiuitate socios, à quibus potuit ad bene moriendum iuuari, & ad futura mala præsentibus redimenda.

Ier. 34. 5.

Sed honorifice sepultum

An perisse videatur.

V. Apparatus Chaldæi ad expeditionem.

Hoc ipso tempore Nabuchodonosor bellicam expeditionem parauit in Ægyptum, ad Ieremiæ & Ezechielis oracula comprobanda, vt anno sequenti dicetur: fuit autem tanto maior apparatus, quanto victoria de pluribus hostibus parabatur. Prius autem quam abieret è Chaldæa, illa videtur executus, quæ memorat Iosephus, vasa videlicet quibus templum Hierosolymitanum spoliauerat, dijs suis consecrasse, populo in Babylonia certas sedes attribuisse, & Iosedecum Pontificem è vinculis exemisse.

li. 10. 6. 11. Dan. 3. 1. Esdr. 7.

ANNVS MVNDI 3451.

IOSEDECI & DESOLAT. 5.

TRANMIGRATIONIS 16.

NABVCHOD. 23. Imp. Baby. 18.

OLYMPIADIS XLIV. AN. 2.

TARQVINII 13. VRB. CON. 150.

ANTE CHRISTVM 602.

HIC annus est maximarum victoriarum Nabuchodonosoris, & amplificati imperij, in omnes longe lateque regiones, de quibus Ieremias capite 25. prophetauerat, quæ causa nonnullis fuit, vt Babyloniorum imperium, hoc anno inchoandum putarint; quod nos duximus ab excisio Assyriorum imperio auspicandum: etsi id à principio modicum fuerit, & in vtriusque Nabuchodonosoris regno magna cœperit incrementa. In hisce populis ac regionibus imperio suo subijciendis, Ægyptus facile primum locum tenuit; erant enim antiquæ iam inter vtrumque Regem inimicitiæ, & Dominus oracula Prophetarum suorum volebat impleri. Ægypto autem, quam primaria intentione petebat, subiugata, torrentis instar, in cætera regna, & prouincias inundauit. Hanc rerum gerendarum ordinem Ieremias confirmat. Primo enim loco Ierusalem ponit & regnum Iuda, secundo Pharaonem cum omni populo eius, cum terram Ausitidem & Palæstinam: quarum ex Ægypto redeuntibus Septentrionem versus illa ad Orientem sita est, sicut Ammonitis & Moabitis; hæc ad Occidentem, sicut Tyrus & Sidon.

1. Expeditio Nabuchod. in Ægyptũ

Et ordo victoriarum eius.

Quod ergo ad AEgyptum attinet, etsi venienti Chaldæo, alij populi dominandi prius occurrebant, præcipuum tamen aduersarium primùm inuadendum censuit, cum ei per Iudææ litarum regionem iter esset ad AEgyptio, expeditum: quorum cladem plerique Prophetarum prædixerunt, Esaias, Ieremias, Nahum, Ezechiel; quorum vaticinia in historiam versa sunt postea, quæ retulimus in Annalibus; Sufficiet hic nobis vnus Ezechielis locus. *Cessare faciam, ait Dominus, multitudinem AEgypti, in manu Nabuchodonosor Regis Babylonis. Ipse & populus eius cum eo, fortissimi gentium adducentur ad disperdendam terram, & euaginabunt gladios suos super AEgyptum, & implebunt terram interfectis.* Et mox. *Et disperdam simulachra, & cessare faciam idola de Memphis.* Ea enim Chaldæi rapuerunt, & abduxerunt in captiui-

II. Clades Ægypti præuisa.

c. 30. 10. Et prædicta ab Ezechiele.

Etiam Deorum gentium. c.34.12.

tatem cum cultoribus suis, incensis eorum delubris, vt ait Ieremias. Barbaræ enim gentes contra hostium suorum Deos bellum gerebant. Nam Assyrij vitulos Israëlitarum sustulerunt, Chaldæi Chamos Moabitarum, & Melchon Ammonitarum Deos; ideoque & templum Ierosolymitanum nuper incenderunt, omni sacra suppellectili spoliatum. Et Holofernes habebat in mandatis, *omnes vt terræ Deos exterminaret.* Denique Sennacherib Deum Emath, & Deum Arphad, & Deum Sepharuaim deleuerat de terris, in quibus colebantur.

Iudith. 3. 13.

III. Et ipsius regis Ægypti. c.10.18. c.29.30. 31. &c.

Pergit Ezechiel. *Et dux de terra Ægypti non erit amplius*, Externis videlicet & alienigenis principibus, aut certe non regij feminis ibi dominantibus. Et certe Herodotus post Aprie, siue Ephree mortem, ait Amasim hominem de plebe fuisse factum regem. Eoque referri potest illud Ezechielis, *Et in Taphnis nigrescet dies, cum contriuero ibi sceptra Ægypti.* Plurimus agit hic idem propheta contra regem Ægypti, quem vocat Draconem magnum, quem prædicit extrahendum de medio fluminum suorum, & projciendum in desertum &c. De populo autem subdit. *Et dabo terrorem in terra Ægypti, & dispergam terram Phatures, & dabo ignem in Taphnis, & faciam iudicia in Alexandria*, quæ scilicet postea dicta est Alexandria, tunc autem vocabatur Noab Hebræis. *Et effundam indignationem meam super Pelusium robur Ægypti.* Erat enim quasi propugnaculum venientibus ex Syria, Iudæa, & Palæstina, ad primum Nili ostium situm, quod nunc Damatam vocant, & interficiam multitudinem Alexandriæ, & dabo ignem in Ægypto, quasi parturiens dolebit Pelusium, & Alexandria erit dissipata, & in Memphis angustiæ quotidianæ. *Iuuenes Heliopoleos, & Bupasti gladio cadent, & ipsæ captiuæ ducentur*, totæ scilicet vrbes, vel, vt habent Septuagint. mulieres ipsæ in exilium deportabuntur: quo pertinet illud Ieremiæ, *vasa transmigrationis fac tibi habitatrix filia Ægypti.*

c.30.13.14

Et populicius in primariis eius vrbibus.

c.46.19.

Hæc ergo vt diuinitus prædicta fuerant, ita & contigerunt, & in abducendis Ægyptijs, quæ, Iudæorum quisquiliæ in Ægypto repertæ sunt partim gladio perierunt, partim cum Ægyptijs Babylonem translatæ sunt, vt illis Ieremias prædixerat. Qua in re vsus est rex Chaldæus opera principis militiæ suæ; id enim testatur Ieremias, qui etiam numerum captiuorum recensuit. *In anno*, inquit, 23. *Nabuchod. transtulit Nabuzardan magister militiæ animas Iudæorum* 745. In quo numero non fuerunt qui in ruinis & specubus Hierosolymorum latitabant, aut ad transitum Chaldæorum, huc illucque diffugerant. Nam ad eos hoc ipso anno scripserunt Babylone Iudæi; vt patet ex cap. 1. Baruchi, & 9. Danielis. Subiugata porro à Chaldæis Ægypto, cum multo circumquaque positarum regionum terrore, etiam Æthiopias Nabuchod. sibi creditur subiecisse, neque id Sophonias obscurè significat: vbi agens de ijs gentibus, quas deuicit hoc tempore Nabuchodonosor, post enumeratos Philisthæos, Moabitas, & Ammonitas, subdit. *Sed & vos Æthiopes interfecti gladio meo eritis.* Certe Megasthenis apud Iosephum, ait eum magnam Africæ partem sibi subiugasse.

IV. Iudæi in Ægypto partim cæsi, partim Babylonem translati. c.43.& 44. c.52.15. Numerus translatorum.

v.7.

v.7.

Æthiopes à Chaldæis deuicti. c.2.12.

l.1. con. Apionem

Inde reflectens iter Idumæos cum Ausitide, Philisteos, cum omnibus Satrapijs suis, Moabitas & Ammonitas, Ismaëlitas & Agarenos, Tyrios & Sidonios, Syros & Arabes, & insularum mediterranei maris incolas, cæteroque circumquaque populos, cladibus & seruitute oppressit, iuxta oracula prophetarum quæ in Annalibus ordine digessimus, pro ratione temporis ac locorum. Nec sane plures videtur hoc anno gentes Nabuchodonosor sibi subijcere potuisse, sed hisce populis vel vi vel deditione subactis. Babylonem ad hyberna concessisse; sequenti autem anno, Elamitas, Niniuitas, & Medos, aliasque nationes suis adiecisse triumphis. Hanc sententiam suadet quod Elamitæ, Medi & Niniuitæ trans Babylonem erant, partim ad Orientem, partim ad Septentrionem. Itaque venienti ex occidente & meridie, quasi ex itinere diuertendum erat Babylonem, ibique nonnulla quiete reficiendæ vires, & tot captiuis variæ assignandæ sedes. Sicque vides quanta celeritate Nabuchodonosor turbinis instar perflauerit, imo maximis exercitibus peruaserit, exceptaque Europa, totum pene sibi subegerit Orientem, Occidentem, Septentrionem atque Meridiem.

V. Et aliæ deinceps nationes.

Nunc Babylonem nos quoque cum Baruch profecti, transmigrationem inuisamus, ad quam cum peruenisset, librum, quem Ieremia dictante conscripserat, hoc desolationis anno quinto, ex quo Chaldæi vrbem Ierusalem ceperant atque succenderant, & septima die quinti mensis populo recitauit, in primisque Iechoniæ; nam Sedecias mortuus erat, vt diximus. At Iechonias cum esset in carcere, vel ad breue tempus emissus est, ad librum cum populo audiendum, aut certe ad eum ingressus est Baruch cum libello suo. Quo porro fructu is lectus fuerit, subditur. *Qui audientes plorabant & ieiunabant, & orabant in conspectu Domini*, id est, publice & palam, in cœtum & coram omni populo, neque enim erant in templo, sed *ad flumen Sodi*, qui fuit riuus ex Euphrate, sicut & Chobar apud Ezechielem. Neque id vno tantum die factum videtur, sed plurimis; sicut ea collectio, quæ sequitur, plures dies, & fortasse menses tenuit. *Et collegerunt pecuniam secundum quod potuit vnusquisque manus.* Magna quippe videtur collecta pecunia, quæ sufficeret non solum victimis emendis ad sacrificia, sed quibusdam vasis redimendis à Chaldæis, vt ex propheta colligitur. De quibus dicemus anno sequenti, quo missa fuerunt.

VI. Baruch in Chaldæa librū recitat coram captiuis. *Baruch.* 1.1.

Quo fructu Sodi & Chobar.

Collecta pecunia, quo fine.

c.1.v.2.

Hoc autem, qui numeratur 150. ab vrbe cōdita, quoque Tarquinius Priscus de Etruscis post nouennale bellum triumphasse perhibetur, postremo cum illis prælio pugnatum est, quod pax consecuta est. Acies, autore Dionysio, in agro Sabino conflixerunt, quod sperarent Etrusci Sabinos exacto iam inducias sexennio, sibi socios expeditionis fore, quod minime contigit. Nihilominus commissum est prælium, superiorum omnium longe maximū. In quo cum Tarquinius victor euasisset, Romana res magna cepit incrementa. Etruscis contra collapsi sunt animi, & in communi gentis concilio de pace actum est, ad quam impetrandam cum perhonorificam instruxissent

VII. Tarquinij de Etruscis victoria.

Et subiectio Romano imperio.

legationem ad Tarquinium, & se suasque ciuitates ipsius potestati permitterent, non solum pacem petierunt, sed ei principatum in totam gentem suam, cum insignibus regni detulerunt, quæ ille cum bona S. P. Q. Ro. venia admisit. Diuina porro circa Tarquinium prouidentia obseruanda est, quæ omnes hosce populos adegit, vt illum ipsum in principem assumerent, quem antea contemptum, ne in oppidulo quidem magistratum vllum attingere, peregrinitatis causa, passi essent.

ANNVS MVNDI 3452.

IOSEDECI 6. DESOLATIONIS 6.

TRANSMIGRATIONIS 17.

NABVCHOD. 24. qui & 1. Imp. Babyl. 119.

OLYMPIADIS XLIV. A. 3.

TARQVINII PRIS. 14. V. C. 151.

ANTE CHRISTVM 601.

I. Expeditio Nabuchod. in nationes circũ positas.

TErminauit hic annus Nabuchodonosoris pugnas cõtra sibi propinquas nationes sicut præcedens contra remotiores, simulq; imperium eius longe maximum ac potentissimum reddidit; adeo vt ab hoc anno, imperij sui annos numerare cœperit, vt ex Danielis chronologia anno sequenti patebit. Hoc ergo anno, vt à re Iudaica ducamus initium, pecuniæ & sacra vasa delata sunt Hierosolymam. Cum enim statuerimus mense quinto lectum esse librum Baruch, necesse videtur astirmare mense Siuan, qui est tertius anni sequentis, qui mensis mox à propheta memoratur, perlata esse in Ierusalem illa vasa; non autem præmissa esse ante lectionẽ libri: quia collectio pecuniæ secuta est lectionẽ libri, & antecessit redemptionem & missionem vasorum. Miserunt autem ad Ioakim filiũ Helciæ, de quo supra diximus, qui in ruinis Ierusalẽ morabatur, ab vno vel altero anno, tam pecuniam ad emendas victimas in sacrificia, quam vasa argentea, quæ Sedecias fieri curauerat in locum eorum, quæ Nabuchodonosor in transmigratione transtulerat; quæ ipsa postmodum fuerant cum ipso Sedecia Babylonem translata, & nunc à Iudæis redempta fuerant, & missa per certos nuncios, qui suo ea periculo deferrent, & redderent sacerdoti, coram populo qui illic erat.

Missio captiuorum in Iudæam ad Ioakim sacerdotẽ &c. an. Defol. 3. & 4.

II. Eorum literæ.

Miserunt etiam literas in hanc sententiam. Ecce misimus ad vos pecunias, de quibus emite holocaustomata & thus, & facite manna, ea vox oblationem hoc loco significat, & offerte pro peccato ad aram Domini Dei nostri, quam diximus tumultuario opere pristino in loco excitatam; & orate pro vita Nabuchod. *regis Babylonis, & pro vita Balthasar filij eius*, non successit hic Nabuchodonosori, sed Euilmerodach, quem aliqui putant dictum Balthasarem, dum esset priuatus; alij putant fuisse primogenitum, sed mortuum ante patrem. Liberum est vtrouis modo sentire, modo ne hunc cum Balthazare Danielis, qui ne natus quidem nunc erat, confundamus. Vbi autem pro regia familia orationes postulârunt, exorsi in ipso libro à confessione diuinæ iustitiæ, & agnitione culpæ populi totius, ex qua in præsentes calamitates inciderãt, Deũ ad misericordiam variis rationibus conantur inflectere, populumq; erudire, & ad diuinæ legis obseruationẽ incitare, & ad spẽ meliorũ &c.

supra 3. & 4. defol.

Balthasar geminus

Orandũ pro regibus etiã malis.

Primum hoc anno contra Elamitas Chaldæorum bellum fuit, quorum calamitatem Ieremias ca. 49. persequitur: fuit autem Elam prouincia Persidis, quæ apud prophetas, pro tota Perside vsurpatur. De his ergo Dominus apud Ieremiam. *Ecce ego*, inquit, *confringam Ælam, & summam fortitudinem eorum*, erant enim sagittandi peritissimi, vt qui ab anno quinto illi studio, Strabone teste, vacarent. Sed quod ad rem præsentem attinet, significatur Nabuchodonosorem contra Persas pugnasse, eosque fusos, fugatosque ad varias vndique regiones fugiẽdo peruenisse: Chaldæum autem, posito in Ælam solio, regnum occupasse, quod Dominus vocat solium suum, quia illi ad tempus omnia mundi regna concesserat. Babyloniorum quoque iugum Medi subiere, qui ab euerso Assyriorum imperio, Chaldæorum æmuli, de Asiæ, atque orientis imperio, permanserant. Itaque Cyaxares, qui nunc apud eos regnabat, factus est Chaldæorum cliens & vectigalis, eáque seruitus ab Astage successore tolerata, ad imperium vsque Cyri perdurauit.

III. Bellum Chaldæorum contra Elamitas siue Persas. Ier. 49. 35. & 25.

Et Medos Ier. 25. 9. & 26.

Postremum in catalogo Ieremiæ, locum obtinent, *reges Aquilonis de prope & de longe*, in quibus præter Medos, qui viciniores sunt mari Caspio, & Septentrioni, quam Chaldæi, propinqui sunt Assyrij, remoti autem Armeni atque Hircani, & qui habitant Mesopotamiam. Maxime autem expugnata est hoc tempore Ninive, atque euersa funditus, adeo vt nulla deinceps reperiatur eius mentio in sacris literis, aut profanis. Si quid enim in eius ruinis postea, ob loci opportunitatem ædificatum est, non vltra vel nomen vel commendationem Ninives habuit. Eius ruinæ causam suspicari possumus defectionem ad Medos. Erat enim ea vrbs Chaldæis & Medis optabilis ad imperij sedem: quam vtrique ambiebant, vt anno Manassis 40. diximus, & eam vtrique deinceps obtinuerunt. Nabuchodonosor autem Medis subactis, Niniuem toties perfidam, totiesque subactam deleuit, & quidquid in ea eximium fuit, Babylonem transtulit, cum reliquis totius orientis opibus, vt esset imperij Babyloniorum sedes, in eaque mox gloriabundus diceret. *Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei?*

IV. Et reges Aquilonis, Assyrios, Armenos, Hircanos &c. *Vide annũ 40. Manass.* Niniue suprema cladis.

Dan. 4. 27.

Ipsius porro Niniuiticæ cladis causas, ordinem ac modum, obsidionem & prælia, verberata mœnia, patefactum per Tygrim in vrbem aditum, ciuium fugam, irruptionem hostium, turbas captiuorum, domorum deprædationem templorum totiusque ciuitatis euersionem, hostilem irrisionem, vrbis desolationem, & si quæ sunt alia, ex prophetis Nahum & Sophonia petita, in Annalibus nostris non negligenter digesta reperies. Sicque Nabuchodonosor, sine vllo riuali, factus est Dominus Assyriorum,

V. Eiusque causæ, & modus.

n. 6. 7. & seq.

non

Supremus Nabuchodonoſoris principatus anno 1.

non ſecus ac Chaldæorum, factus item Medorum, & reliquarum regionum toto pene orbe ſparſarum, & inſuper earum quas anno ſuperiore debellarat, Syriæ vniuerſæ, Phœniciæ, Palæſtinæ, omniſque Arabiæ, Iudææ, Idumææ, Moabitarum & Ammonitarum, Ægypti atque Æthiopiæ, & inſularum in mari mediterraneo diſperſarum. Quos omnes populos vino furoris Domini inebriauit, iuxta Ieremiæ vaticiniũ, & factus eſt Imperator toto terrarum orbe maximus.

VI. Tarquinij bellũ contra Sabinos.

Hoc fere tempore Tarquinius feliciter abſoluto bello, quod nouem ipſos annos contra Etruſcos geſſerat, Sabinos aggredi ſtatuit. Illi enim ſoli ſupererant, qui cum Romanis de principatu contenderent. Nec deerat bello cauſa, quòd Sabini ſuos populares, qui Etruſcos ad bellum contra Romanos incenderant, Tarquinio dedere noluiſſent. Indixit ergo bellũ, quod Sabini animosè occuparunt, facta in agrum Romanum irruptione. At rex aſſumptis Romanæ iuuentutis expeditiſſimis, prædones oppreſſit, cæſiſque plurimis, omniq; præda recepta, prope hoſtem caſtra poſuit, receptiſq; breui ab vrbe copijs, auxilijſque ſociorum, in campum progreſſus, Sabinis pugnandi copiam fecit, locato prius in inſidijs equitatu: qui cum inter pugnandum à tergo Sabinis appariuiſſet, illico animis fracti, ne vtrimque cæderentur, ſe in fugam dederunt, in qua paſſim ab equite perſequente conciſi ſunt; caſtra & munitiones in Romanorum poteſtatem deditione venerunt.

Quos equitatu circumuentos deuicit.

ANNVS MVNDI 3453.

IOSEDECI, & DESOLATIONIS 7.

TRANSMIGRATIONIS 18.

NABVCHOD. 25. qui & 2. Imp. Babyl. 120.

OLYMPIADIS XLIV. AN. 2.

TARQVINII 15. VR. COND. 152.

ANTE CHRISTVM 600.

I. Bellum contra Sabinos integratur.

SExcenteſimus annus ante Chriſti ortum habet redintegratas pugnas Romanos inter & Sabinos, qui ſe proximo anno fraude potius circumuentos rati quam virtute ſuperatos, nouas contraxere copias, quibus & nouum præfecerunt imperatorem; qui cum, caſtris loco arduo ac prærupto collocatis, pugnæ copiam non faceret, Tarquinius omni prohibitos commeatu compulit ad fugam, intempeſta ac procellis turbida nocte; caſtris, omnique bellico apparatu deſerto.

Somnij Nabuchodonoſoris eiuſque tempus.

Incidit in hunc quoq; annum mirabile ſomnium Nabuchodonoſoris, eiuſque admirabilior interpretatio Danielis, quæ ſecundo illius prophetiæ capite continetur, & *ſecundo regni eius anno* dicitur contigiſſe, ex quo videlicet tot debellatis gentibus totius orientis obtinuit principatum, iuxta S. Hieron. & Ioſephi, & aliorum communiſſimam interpretationem, atque adeo Danielis ipſius, qui eum non regem ſimpliciter, ſed regem regum appellat, cui Deus omnia regna tradiderit, in quibus homines habitant. Agebat autem Daniel annum 29. tot enim à primo anno Ioakimi, quo eum natum ponimus, computantur.

II. Eius obhuſcatur, & ignaros cõtectores intelligi iubet. *Dan.* 2. 1. *& ſeq.*

Vidit ergo *Nabuchodonoſor ſomnium, & contritus eſt ſpiritus eius, & ſomnium eius fugit ab eo.* Ita oblitus eſt ſomnij, vt ſe tamen ſomniaſſe meminiſſet; remanſerat quoq; ex horribili viſione pauor qui eum mire ſollicitum reddebat, reuocandi in mentem ſomnij, & addiſcendi ſignificationem eius. Præcepit ergo rex ſomniorum coniectores conuocari, à quibuscum tam ſomnium, quã eius interpretationem exquireret, ſolertiæ præmio propoſito, & pœna fallaciæ; quod nimirũ ſolerent pro animi libidine, ſomniorum fingere interpretationes. Ratus eos, qui cœlitus ſomniorum interpretationem diſcerent, ipſa quoq; ſomnia diſcere poſſe; alioqui pro fraudatoribus habendos. Cumq; illi tergiuerſarentur, rex furore percitus iuſſit interfici omnes ſapientes Babylonis. Cumq; illi raperentur ad necem, *inquærebatur Daniel, & ſocij eius, vt perirent.*

III. Oblitus Danielis, & ſociorum eius

Obliuſerat Rex Danielis, & ſociorum eius ſiue quia 18. iam anni abierant, ex quo acceperat experimentum ſcientiæ ipſorum, præ omnibus Chaldæis, & interea maximis expedimonibus diſtentus fuerat; ſiue quia diuina prouidentia id factum eſt, quæ volebat ex oppoſita magorum ignorantia, tanto illuſtriorem fieri propheræ ſui ſapientiam. Itaque qui excuſſit à rege memoriam recentiſſimi ſomnij, ſuſtulit etiam antiquam memoriam famuli ſui Danielis. At præfecti rerum capitalium, qui prophetas ab ariolis non diſtinguebant, & vtroſque in ſapientibus æque numerabant, Danielem & ſocios ad mortem quærebant. Quæ cum Daniel ab Ariochó principe militiæ didiciſſet, regem adijt, ab eoq; noctis vnius ſpatium ad conſulendum Dominum impetrauit, & cædis magorum intermiſſionem. Ingreſſus ergo domum, cum ſocios certiores feciſſet, quo ſtatu res eſſet, & omnes ſe in preces, magna animi contentione dedidiſſent, Danieli myſterium regis per viſionem nocte reuelatum eſt.

Daniel à Deo d cetur.

IV. Regem adit ab eoque rogatus.

At Daniel gratijs Deo actis de accepto, in tempore tam neceſſario beneficio, adijt quamptimum Ariochum præfectum, petens ab eo ne perderet ſapientes, ſed eum ad regem introduceret, facturum ipſum voti cõpotem. Quod cum ab Ariocho factum eſſet, rogatur à Rege de ſomnio & interpretatione eius, cui ita reſpõder, vt eum primùm à magis & ariolis auertat, quos negat indicare poſſe propoſitum myſterium, tum inſtillat ei venerationem & amorem veri Dei, qui ſoius id poſſit, & in eius gratiam voluerit reuelare, quæ ventura ſunt in nouiſſimis temporibus, tam ipſi, quam Danieli propter ipſum.

Reuocat ſomnij memoriã de ſtatua

Reuocat igitur Regi in memoriam viſam ab ipſo in ſomnis ſtatuam vnam, qua quatuor imperia Mundi repræſentarentur, quæ & magna erat propter amplitudinem poteſtatis ſingulorum, & ſplendore præſtans, quod metalla omnia ex quibus conſtabat, rutilarent; multum enim gloriæ & fulgoris, omnia illa imperia in orbe obtinuerunt. Denique intuitus illius erat terribilis, quia omnes hæ monarchiæ multum

10. Iothim. 11. Sedecias. 9. Deſolat. 19.

terroris suis quæque temporibus mortalibus intulere.

V. Quam de regno Chaldæorum explicat.

Eius caput erat aureum, eoque Babyloniorum repræsentabatur imperium, vt Daniel ipse interpretatus est. Quod enim quis dixerit Assyriorum imperium primum fuisse tempore, nec infimum fortasse dignitate: respondetur Deum voluisse duntaxat ostendere Nabuchodonosori futura, sicut & ipse tantum sollicitus cogitabat *quid esset futurum post hæc*. Ostensum est autem aureum caput, non quod imperium Chaldæorum cæteris præstantius fuerit, aut ditius, neque comparatione subsequentium, sed eorum quæ tunc vsquam erant; vel opinione Chaldæorum, apud quos agebat Daniel, qui præsentia tantum videbant, & more hominum sua mirabantur, nihilque præstantius existere posse arbitrabantur.

VI. Persarũ.

Secundum Imperium argenteo pectore, & brachijs repræsentabatur, non tam quod Persæ & Medi illud quasi brachia tenuerint, quam quod pectus & brachia proximè sequuntur caput, & regnum Persarum ordine temporis posterius fuerit; non autem potentia & dignitate, quippe quod Chaldæos subegerit, & proprio adiecerit imperio, quidquid illi possederunt. Non enim si aurum argento præstat, ita Babylonicum imperium Persico dicẽdum est præstitisse; aut istud Græco, aut Græcum Romano, sed comparatio ad æstimationem Chaldæorũ, vt cœptum fuerat, accommodata est.

VII. Græcorum,

Tertium imperium in ventre & fœmoribus ferreis figuratum est. Id fuisse regnum Græcorum, quod ab Alexandro magno partum fuit, & regno Persarum successit, vt venter & fœmora succedunt pectori, fatentur omnes. Dicit autem nominatim de hoc imperio Daniel, ipsum imperaturum vniuersæ terræ, quod de Persarũ regno non dixerat; partim quod Macedonum, quam Persarum imperium maius fuit, partim accommodatè ad futuram hominum opinionẽ loquitur, qui Alexandrum magnum totum terrarum orbem subiugasse crediderunt; licet dimidiam eius partem non possederit, ac ne agnouerit quidem.

VIII. Ac Romanorũ.

Supereſt quartum imperium, tibijs ferreis, & pedibus, partim ferreis, partim fictilibus repræsentatum, quod perspicuè pertinet ad Romanos, quod instar ferri omnia comminuit atque perdomuit, & cæteris omnibus latius imperauit. Ex forti autem & fragili compositum ait Daniel, & quidem in pedibus, quia postremis temporibus deliciis elanguerunt, in Asia, Græcia, Ægypto, quas imperio suo adiunxerãt. Quo rerum statu venit in mundum, de monte sancto Dei, lapis ille excisus sine manibus, Christus Dominus, diuinitus ex virgine natus, qui regnum fundauit Christianorum, qui eum regem agnoscimus, & eius regni, cuius nullus erit futurus finis. Cætera vero imperia, vel iam contrita sunt, vel in fine temporum conterentur.

Ad Christi vsque regnum.

IX. Nabuch Danielẽ adorat. & in sublime effert. c. 2. 46. & segq.

His auditis Nabuchodonosor cecidit in faciem suam, & Danielem instar cuiusdam Dei, ipso licet repugnante adorauit, & coli iussit. Cumque videret Rex Danielem hunc honorem sibi vltro delatum non admittere, sed affirmare Deo cœli omnium Domino tribui oportere, dixit ei. *Vere Deus vester Deus Deorum est, & Dominus regum, & reuelans mysteria, quoniam tu potuisti aperire hoc sacramentum. Tunc Rex Danielem in sublime extulit, & munera multa & magna dedit ei, & constituit eum principem super omnes prouincias Babylonis, & præfectum magistratuum super cunctos sapientes Babylonis*, quod fuit ipsum protegem totius imperij constituere. Eam dignitatem non recusauit Daniel, non ambitione, sed eximia charitate in suos, vt eis in captiuitate præsidio apud Regem, & Chaldæos magistratus esse posset: eamque etiam ob causam postulauit à Rege, vt socij sui *super opera prouinciæ Babylonis*, in qua Iudæi dispersi erant, constituerentur.

ANNVS MVNDI 3454.

IOSEDECI 8. DESOLATIONIS 8.

TRANSMIGRATIONIS 19.

NABVCHOD. 26. Imperij Babyl. 12.

OLYMPIADIS XLV. AN. 1.

TARQVINII 4. VR. CON. 153.

ANTE CHRISTVM 599.

I. Conditus Camarinæ & Massiliæ.

NOua Olympiade ordine quadragesima quinta Anticrates Epidaurius in Olympico stadio palmam tulit, qua & Camarina ciuitas in Sicilia condita memoratur apud Eusebiũ sicut & Massilia in Gallia Viennensi à Phocæensibus ex Asia profectis, vt plurimi scriptores antiqui prodidere, quorum qui dixere Phocæenses à Phocæa profectos, vitantes, inclementiam Harpali præfecti Cyri, decepti sunt, cum Cyrus ne natus quidem nunc esset, vt in Annalibus probatum est, forte Harpagum Astyagis præfectum dicere voluerunt. Decepti quoque qui Phocæam Asiæ prouinciam, cum Phocide Græciæ confuderunt, quarum hęc nihil ad Massilienses pertinet.

II. Ortus Darij Medi.

Natus est hoc anno Darius Medus, qui, vt scribit Daniel ca. 5. extremo, Balthazari nepoti magni Nabuchodonosoris *successit in regnum annos natus sexaginta duos*. Ab hoc autem anno, ad finem desolationis totidem numerantur. Dicitur porro Darius Medus, quod de semine Medorum esset, vt ait Daniel, ad differentiam Darij Hystaspis, Darij Nothi, & Darij filij Arsami, qui Persæ fuerunt, nec in Media, vt ille, sed in Perside regnarunt. Eius patrem Daniel Assuerum vocat, quem plerique omnes Astyagem interpretantur, ducibus Iosepho atque Hieronymo, pluribus in locis, & nominatim in ca. 5. Danielis & 8. *Arietem*, inquit, *Darium vocat auunculum Cyri, qui post Astyagem patrem regnauit in Medis. Cornu autem succrescens ipsum Cyrum significat, qui post Astyagem auum maternum, cum auunculo Dario, quem Græci Κυαξάρην vocant, Medis imperauit & Persis.* Sic ipse. Intelligit autem Xenophontem. Nam quod pleriq; scripserunt Astyagem prole mascula caruisse, respondere possumus cum Pererio, ex c. 16. historiæ Scholasticæ, Cyaxarem Astyagis filium fuisse, non natura, sed adop-

Qui & Cyazares ab Astyage adoptatus.

tione, in odium Cyri, quem præuiderat regnum à Medis ad Persas translaturum. Et de Dario Medo siue Cyaxare hoc loco satis. Plura dabit præfatio quarti tomi, cum Appendice sua.

ANNVS MVNDI 3455.

IOSEDECI 9. DESOLATIONIS 9.

TRANSMIGRATIONIS 20.

NABVCHOD. 27. Imperij. Babyl. 122.

OLYMPIADIS XLV. AN. 2.

TARQVINII PRIS. 17. VRB. C. 154.

ANTE CHRISTVM 598.

II. Aurea statua Nabuchod. cur facta.

REfero ad hoc tempus erectionem statuæ Nabuchodonosoris, & mirabilia illa, quæ eius occasione contigerunt, Theodoretum secutus atque Hieronymum, qui breue tempus interiectum sentiunt inter præcedens somniũ, & statuæ huius erectionem. *Velox*, ait Hieronymus, *oblitus veritatis, vt qui dudum seruum Dei, quasi Deum adorauerat, nunc statuam sibi fieri iubeat, vt ipse adoretur in statua.* Nimirum audierat à Daniele se per caput aureum significari. Potuit etiam hanc statuam méliori ad ostentationem opulẽtiæ ac magnificentiæ suæ, quod illi facile fuit corrasis totius orientis opibus, & quidem magnificẽtiorem ea, quam illi nuper Deus per somnium ostenderat. Potuit etiam hac statua voluisse Deos suos, eorumque sacrificulos placare, quibus videri poterat factus Iudæus, Deũ cœli, eiusq; famulos insigniter honorando. Admodum certe probabile est Chaldæos regem ad huius statuæ erectionem incitasse, inuidia stimulante, vt Danieli & sociis perniciem struerent. Sciebant enim eos non posse in alio crimine deprehendi, quam in Chaldaicæ superstitionis contemptu.

II. Magnitudo eius

Fecit ergo Nabuchodonosor statuam aureã, non quidem ex auro solido; sed lapideam aut ligneam, vt ait Chrysostomus, quam crassis auri laminis obtexit, vt vasta moles ex inclusæ statuæ pondere haberet firmitatem. Vasta, vtique moles, vtquæ 60. cubitos haberet altitudinis, sex autem latitudinis, siue 90. pedes longitudinis; latitudinis autem nouem, quæ est decima pars altitudinis. Id si de sola statua sumatur, nulla videtur habita ratio proportionis: nam latitudo humani corporis, vix est sexta pars longitudinis, nedum decima. Itaque in altitudine 60. cubitorum, videtur ara quæpiam, & basis comprehendi, tota vt statua, ab infinita multitudine populi, longe latéque cerni posset: fuerítque ara 12. cubitorum, basis totidem, statua vero ipsa triginta sex.

III. Conuocantur Satrapæ ad dedicationẽ.

Constructa iam statua, erectaque, iussit rex omnes satrapas, præfectosque regionum qui subditos omnes populos repræsentarent, conuenire ad dedicationem statuæ, vt Hebræis operum præpositis, Danielis sociis, quibus vel interitus, vel defectio à vera religione parabatur, abesse non liceret. Conuenerunt ergo cum reliquis Sidrach, Misach & Abdenago, non quidem adoraturi statuam, sed ne absentia sua regem offenderent: ostenderent potius se, quatenus eis liceret, paratos esse regi obtemperare. Daniel vero, cuius hic nulla fit in accusatione mentio, vel non adfuit, vel cum rege fuit; vt qui summa cum eo familiaritate coniunctus esset, qui cum suam ipse statuam non adoraret, Daniel eum honestis sermonibus detinebat. Nec tamen cum sociis accusatus est, aut quia propter excellentem virtutem diligebatur ab omnibus; aut quia propter eminentem autoritatem, & gratiam apud regem, omnibus erat veneratioui.

Etiã ijs socijs Danielis.

IV. Qui non adorant statuam, accusantur.

Quid multa? Promulgatur edictum regis de adoranda statua, insonant tubæ, omniáque instrumenta musica, quæ ad magnificentiam dedicationis, magno numero ac varietate fuerãt præparata; procidunt in terram populi, & adorauerunt statuam; quod cum tres illi Iudæi non facerent, statim apud regem accusati sunt. Quod est manifestum indicium, accusatores istos intentos fuisse in tres istos viros, quos præ inuidia cupiebant perditos. Eos accersitos rex arguit, terretque propositi supplicij magnitudine. Cũque illi nihilominus in proposito constanter persisterent, & regi in faciem resisterent, iussit fornacem succendi solito vehementius septuplum. Neque videbat præ iræ magnitudine, reos eò promptius pœnis exemptum iri, quò maius foret incendium. Sed diuina prouidentia id permisit, vt tanto esset illustrius miraculum quod parabat.

V. Coniiciuntur in ignem e multipli ci miraculo.

Cum enim illi cum vestibus suis colligati cõiecti essent in ignem, egressa flamma quæ illis pepercit, ministros exussit. Sicque apparere cœpit diuina potentia, cui rex insultarat, dicens. *Et quis est Deus qui eripiet vos de manu mea?* Nam vel ipsa diuinę celeritate vindictæ omnes intellexerunt Deo elementa seruire, siue ad puniendum impios, siue ad parcendum pijs; etsi istos potius, qui in medium fornacis septuplum accensæ missi fuerant exurendos consentaneum fuisset quam eos, qui ad oram tantum fornacis accesserant, & illi vincti essent, vt ab incendio euadere non possent, isti soluti, vt se quamprimum periculo eriperent. Et tamen isti puncto temporis flammarum globis inuoluti conflagrarunt, illorum ne vestes quidem, aut capilli afflati sunt incendio. Et cum ne capillus quidem esset adustus, vincula tamen vel combusta, vel dissoluta fuerunt, vt videretur ignis ad eos inseruiendum, non ad molestiam inferendam comparatus, quod S. Hieron. Chrysostomus Theodoretus obseruarunt.

In An. 16.

VI. Angeli ministerio.

Id autem factum Angeli ministerio, qui descendit in fornacem, & excussit flammam ignis, secreuit videlicet, & separauit è medio, quæ in latera erumpens, vicinos Chaldæos spectantes, vel ministrantes succendit, dum medium fornacis ventus rore madens perflare videretur, adeo vt ibi cum iucunditate manerent, & ad canendas Deo laudes incitarentur. Vidit hoc spectaculum Nabuchodonosor, & obstupuit, & accedens ad ostium fornacis euocauit eos. Neque enim flamma, quam fornax euomebat, egredientibus magis nocitura erat, quam in medio fornacis inambulantibus, statimque egressi sunt, flamma eis vbique cedente, &

Agnoscitur cum admiratione miraculi

deinceps agnitioni miraculi seruiente. Ad regem enim satrapæ omnes congregati, facti sunt prodigij exploratores & testes. Ipseque Nabuchodonosor in laudes diuinæ potentiæ erupit. An autem tunc deserto idolorum cultu, ad Deũ fuerit conuersus, non satis constat, & pars negans probabilior videtur, siue quod non iubeat Deum à populo coli, sed tantum pœna proposita edicat ne quis in Deum Hebræorum conuitia de more iactet: siue quia eum nusquam Deum suum vocet, neque abroget aliorum Deorum diuinitatem.

Antex conuersus.

Finis huius historiæ illis verbis continetur. *Tunc Rex promouit Sidrach, Misach & Abdenago in prouincia Babylonis.* Vt scilicet qui præfecti tantum fuerant operum in prouincia, nunc fierent iudices & præpositi prouinciarum, vt ait D. Hieron. In Septuag. Xisti additur, & amplicauit eos, & dignos habuit ipsos, qui præessent omnibus Iudæis, qui in regno suo. Quæ verba etiã Theodoretus agnoscit. Sicque impiorum atque infidelium inuidia, artesque nefariæ ad perdendos innocentes, ad maiorem Dei, & ipsorum gloriam cesserunt. Et Rex ipse, qui Deum ante contempserat, magnificis eum verbis honorauit, & qui eius cultores flammis peroere voluerat, nunc eius contemptores statuit in frustra discerpere, & infamia notare sempiterna, domo eorum in sterquilinium conuersa, iuxta Chaldæam paraphrasim.

VII. Conclusio historiæ.

ANNVS MVNDI 3458.

IOSEDECI, & DESOLATIONIS 12.

TRANSMIGRATIONIS 23.

NABVCHOD. 30. Imp. Babylonici 125.

OLYMPIADIS XLVI. AN. 1.

TARQVINII 20. VR. COND. 157.

ANTE CHRISTVM 595.

CHrysomaxus Lacon Olympiadi quadragesimæ sextæ ineunti nomen dedit, in qua Solon & Epimenides Athenis amicitiam contraxerunt, cum hic expiandæ ciuitatis peste laborantis Creta accitus venisset Athenas. Incidit quoque in Olympiadis huius initia Sabbaticus 125. cum iam tota regio perpetuum sabbatum celebraret. *Cunctis enim diebus desolationis egit sabbatum, vsque dum complerentur septuaginta anni*, vt ait Scriptura. Estque hic annus ab ingressu in Chananitidem 875.

I. Olymp. 46. Epimenidis cum Solone amicitia.

2. Par. 36 21.

Hoc circiter anno existimamus Tarquinij Priscj bella contra Sabinos, quæ autore Dionysio totos quinq; annos perduraruntesta terminata quo toto tempore agri vtrimq; mutuis excursionibus vastati sunt, multáq; identidem cõmissa maiora, minoraq; prælia, in quibus Sabini ratius, Romani sæpius prospera fortuna sunt, sicdonec vltimum prælium, in quo totis vtrimque viribus certatum est, supremam bello manum imposuit. Tandem Romanus, vt cæteris rebus par esset, continenti certe exercitatione fortior, victor euasit statisque multis viris fortibus, cæteris fact sm fugam magnum eorum numerum in fuga cepit: & castris vtrisque potitus, spolijsque admodum locupletatus, domũ reuersus Tarquinius, tertium de Sabinis triumphum reportauit. Cumque sequenti anno Rex nouam pararet expeditionem, illi priusquam subuersionis, & seruitutis periculum adirent, Tarquinio se suaq; oppida dediderunt, eisdemque legibus, quibus Etruscos ante receperat in amicitiam & societatem recepit, captiuosq; sine pretio restituit. Sicque finis præfixus à Tarquinio impositus est.

II. Finis belli contra Sabinos.

Se dedũt Romanis

ANNVS MVNDI 3459.

IOSEDECI & DESOLATIONIS 13.

TRANSMIGRATIONIS 24.

NABVCHODO. 31. Imp. Babylon. 126.

OLYMPIADIS XLVI. AN. 2.

TARQVINII PRIS. 21. VRB. COND. 158.

ANTE CHRISTVM 594.

HOc anno 31. Nabuchod. regnare cœpit Astyages, Darij Medi, qui à Xenophonte & Iosepho Cyaxares dicitur, non natura, sed adoptione pater. Cum enim 35. regnarit annis, vt affirmant Herodotus & Diodorus Siculus, à vigesimo primo Nabuchod. vsque ad vigesimũ secundum Euilmerodachi, quo anno eum mortuum fuisse existimamus, triginta quinque anni numerantur. Hunc Astyagem, quem Assuerum quoque Daniel vocat, celebrem reddidit Cyrus, eius ex filia nepos: Cyrum autem Astyagis timor, eiusq; perdendi cupiditas: sed diuina in primis erga ipsum prouidentia, eum illustrauit, quæ eum nascituri imperij principem, & populi sui libertatis vindicem destinarat. Eius ortus cum incertus sit, de eo breuiter hoc loco atque occasione dicamus aliquid, ex Herodoto, vn de cæteri mutuati sunt.

I. Initium regni Astyagis.

c. 9. 1.

c. 13 fin.

Cyri ortus.

Ex eo notum est geminum Astyagi somnium de Mandane filia sua, quæ coniectorum interpretatione, filium erat editura, qui auum regno spoliaret, & Medos Persarum subijceret seruituti. Ergo filiam nuptui dedit Cambysi Persæ viro mediocris fortunæ, sedatiq; ingenij, eamq; prægnantem accersit. Parienti custodes apposuit, & natum filium Harpago dedit occidendum: qui vel metu, vel commiseratione captus, regio bubulco exponendum dedit. Is ab vxore, quæ mortuum ediderat, persuasus, viuum alienum suo mortuo substituit, aluitque. Post annos decem exludo, in quo regem agebat, agnitus ab Astyage, conseruatus est nihilominus, quod auo de ipsius cæde deliberanti, magi respondissent, iam somnio & satis satisfactum esse, quod regem inter pueros egisset. Gaudens Astyages Cyrum in Persidem ad eius parentes ablegauit. Quæ autem deinceps tam auo, quam nepoti contigerint, suis dicentur locis.

II. Propter Mandanes matris somnium traditur occidendus.

Conseruatur tamen mirabiliter.

Quod

III. Tarquinii opera Romæ mœnia & cloacæ.

Quod ad Romanam rem attinet, Sabino bello confecto, & pace circumquaque stabilita, Tarquinius Romæ præclara quædam opera aggressus est. Cum enim Vrbis mœnia, quæ rudi opere atque extemporali condita fuerant, sectis ad tegulam lapidibus excitare vellet, Sabinum bellum cœptis interuenit, quo feliciter confecto, susceptum opus, magno studio, conatuque fuscepit. Cœpit & cloacas fodere quibus deriuaretur in Tyberim quidquid aquarum è vijs confluerent. Id opus Dionysius inter opera illa numerat, quibus imperij Romani magnitudo indicatur, de quibus consule Iustum Lipsium. *l. 3 c. 12.*

ANNVS MVNDI 3460.

IOSEDECI & DESOLATIONIS 14.

TRANSMIGRATIONIS 25.

NABVCHOD. 32. Imp. Babyl. 127.

OLYMPIADIS XLVI. AN. 3.

TARQVINII 22. VR. CON. 159.

ANTE CHRISTVM 593.

I. Visio templi Ezechielis, qui transmigrationem à desolatione separat.

CAdit in hunc annum vltima nobilissimaque visio Ezechielis, quæ à cap. 49. ad finem vsque prophetiæ ipsius protenditur, & ab ipso propheta duabus notis insignibus Transmigrationis & Desolationis definitur vigesimo quinto illius anno, & huius decimo quarto: quo facto egregie chronologiam nostram confirmat, & eos confutat, qui parum prouide transmigrationem cum desolatione, siue ciuitatis percussione confundunt. Addit & anni exordium, id est mensem Nisan, vt Chaldæus interpretatur, & diem decimum, quo templi & ciuitatis Ierusalem deflagratio inchoata est. De hac porro perobscura templi descriptione vnũ illud hoc loco explicandum videtur, an templi illius idea cum Salomonico templo congruat, quod rectè affirmat Villálpandus, pluribusque confirmat.

II. Esse idem cum Salmonico probatur 1. *c. 2. l. 1. c. 9 & seqq.* 2. 3.

Primum quia idem numero locus vtriusq;, idemque mons excelsus, vergens ad austrum, sicut & Moria. Secundo quia duplex atrium vtrique templo ab Ezechiele, tam in priore sua visione, quæ habetur cap. 8 quam in posteriore tribuitur, & tamen prior visio templo adhuc stante contigit, posteriori iam euerso. Tertio in vtroque, atria senis porticibus, & septenis subdialibus areis distincta fuerunt, & singulæ porticus triplici contignatione in altum excitatæ. Quarto huc facit quod Iosephvs, qui templum Salomonis describit, atria illius templi, eadem qua Ezechiel magnitudine, definit. Quinto quod Sanctum & Sanctum Sãctorum eiusdem omnino mensuræ sunt in vtroq; templo. Quod si primariæ templi partes, & illa ipsa domus, quæ maxime propriè templum dicitur, eadem prorsus est in vtroque templo, cætera quoque omnia, quæ ex ea ordinem, mensuram, dispositionem accipiunt, eadem esse necesse est. Quod si Angelus de parte vna illius ideæ, quem Ezechieli ostendebat, vere dicere potuit, *Hoc est Sanctum Sanctorum*, vtique templi Salomonis; cui spatium totum, & mensuræ singulæ respondebant, quomodo nõ liceat nobis consequenter de reliquis partibus vere dicere, hæc sunt atria templi Salomonis, hi gradus, hæ porticus, hæc vestibula, hæ portæ, hæc gazophylacia; & ita de cæteris omnibus.

III. Solon Athenis princeps & Legislator.

Ad hunc annum Solon ille Athenensium Legislator pertinet in primis. Idoneus est eius rei testibus Laërtius, qui in eius vita, *floruit*, inquit, *maxime circa quadragesimam sextam Olympiadem, cuius tertio anno princeps Atheniensium fuit, vt ait Sosicrates, quo etiam tempore leges eis dedit.* Sic ipse. De tempore consentit Clemens Alexandrinus, Eusebius in Chronico, & Cyrillus in Iulianum. Plutarchus in eius vita, electum fuisse ait. Ciuitatis principem post Philombrotum, simulque & arbitrum, & legum conditorem; in eum tam diuitibus, quam pauperibus libenter consentientibus, illis quod locupletem nossent, istis quod mitem. At ipsemet Solon scripsit se ægre initio Rempublic. attigisse, quod & horum cupiditatem, & illorum superbiam metueret. Phanias autem Lesbius narrat eum vtrisque imposuisse, quò saluti publicæ consuleret, clãculum pauperibus agrorum diuisionem, nouasque tabulas, diuitibus confirmationem contractuum pollicendo.

IV. Recusat tyrannidem.

Cum autem perturbatissimus esset hoc tempore Athenarum status, & Solon vir esset omni ex parte præclarus, qui primos in Republic. gerebant ei tyrannidem offerebant, vt rebus omnibus in suam potestatem acceptis, ægrotanti Reipubl. medicinam facere aggrederetur. Cũque ille tyrannidi ex animo reluctaretur, atque adeo Pisistratum quamuis propinquum, eò aspirantem modis omnibus prohibere conaretur, ab amicis obiurgabatur, quod propter nomen à tyrannide abhorreret, cum liceret ei qui tyrannidem inuasisset, virtute ac modestia sua, tyrannidem in regnum commutare. Quasi facienda sint mala vt eueniant bona, aut regnum à tyrannide sola gubernatione mitri aut rigida, herili aut paterna differat: & non vi maxime legitimo gubernandi iure, quo rex præditus est, tyrannus caret. Quod ius si maxima & præcipua Reipubl. pars Soloni vltro deferret, vtique rex in ciuitate futurus erat, non tyrannus. Quanta porro illi potestas tradita fuerit, quomodo pauperum onera, tam lege lata, quam proprio exemplo sublleuarit, leges Draconis correxerit, geminum Senatum instituerit, studiosus Lector reperiet in Annalibus breuiter explicatum.

Quid ea differt a regno.

Vt Remp administrarit.

n. 10. 11. 12.

3461.

Sequenti anno, qui fuit Iechoniæ transmigrationis 26. ætatis 44. octodecim enim annorum erat, cum regnare cœpit & exulare, Torniellus Salathielem ab eo genitum putat, in captiuitate Babylonica, ex quo postea ortus est Zorobabel, qui tempore Datiæ Hystaspis, de re fortissima coram rege disputauit adolescens, vt hoc loco dicemus.

V. Ortus Salathielis. *4. Reg. 24. 8.*

ANNVS MVNDI 3462.

IOSEDECI & DESOLAT. 16.

TRANSMIGRATIONIS 27.

NABVCHOD. 34. Imp. Babyl. 129.

OLYMPIADIS XLVII. AN. 1.

TARQVINII 24. VRB. COND. 161.

ANTE CHRISTVM 590.

I. Deus dat Ægyptũ in mercedẽ Chaldæis.

SVB initium anni huius Dominus ait Ezechieli se velle reddere mercedem exercitui Chaldæorum, pro labore in obsidione Tyri tolerato, & *seruitute*, inquit, *qua seruiuit mihi aduersus eam.* Si non fuit Nabuchodonosoris mens Deo in illa expeditione seruire, sed propriam vlcisci iniuriam, aut explere cupiditatem, nullam vtique mercedem promeritus est. Quoniam ergo Dominus fatetur suam illi mercedem esse reddendam, videtur is ab aliquo Propheta esse admonitus, vt contra Tyrum arma caperet: quod cum fecisset Dominus illi mercedem dare voluit, dominium terræ Ægypti, & spolia eius. At enim iam possidebat eam inde enim initium victoriarum accepit, quibus factus est Orientis Imperator, quomodo ergo nunc post vndecim annos datur illi AEgyptus pro mercede?

Dubia duo.

II. Ægyptii iterũ rebellantes vincũtur & spoliantur.

Dicendum videtur Chaldæos præsenti anno iterum in tumultuantem Ægyptum, & noua molientem arma conuertisse, eamque attriuisse ac deprædatos esse. In reditu autem, Iudæorum spicilegium factum esse. Abductas videlicet illas Iudæorum reliquias, ad quas Baruch librum cum pecunijs ad sacrificandum miserat, vt Iudæa penitus desolata remaneret, iuxta Ieremiæ vaticinium. Nulla porro deinceps ab hoc anno Ezechielis habetur mentio; propterea que circa hoc tempus vita functus, aut potius occisus putatur. Nam de eo Romanum Martyrologium decimo Aprilis hæc habet. *Ezechielu Propheta*, nimirum obitus, vel natalis dies, *qui à Iudice populi Israel, quod eum de cultu idolorum argueret, apud Babyloniam interfectus, in sepulchro Sem & Arphaxad progenitorum sepultus est, ad quod orationis causa multi confluere consueuerunt.* Additur apud Epiphanium, Chaldæos in tanta hominum frequentia, ad eius monumentum confluentium, timentes ne Propheræ corpus auferretur, solitos comitari, ac deducere egredientes. Ille porro Iudex, à quo fertur occisus, non dissimilis eorum fuit, qui Susannam morti addixerant.

c. 25. 11.

Mors Ezechielis & sepultura.

III. Mortis genus.

De mortis genere hæc habet Autor operis imperfecti apud Chrysostomum. *Misi ad te Isaiam, & serrasti eum: Misi ad te Ieremiam & lapidasti eum; Misi Ezechielem & tractum super lapides excerebrasti eum. Quomodo sanaberis, quæ nullum ad te medicum venire permittis?* Nonnulla miracula ab eo edita circunferuntur, quæ Rabinorum autem & officinam redolent, quæ in Annalibus reperies. Sicut & quæ habet Origenes de eodem Propheta, vt Christi figura, quæ hîc studio breuitatis omittimus.

Cæterum Olympicus est hic annus ordine quadragesimus septimus, in quo Spartanus Eutycles stadij palmam tulit. Socrates apud Laërtium tradit Anacharsim Scytham Athenas hac Olympiade concessisse, Eucrate Athenis Prætore vel Principe, quo maxime tempore Solon Rempublicam Athenis, legesque componebat: quod eius institutum ferunt risisse Anacharsis, qui speraret se ciues suos ab iniustitia, & cupiditatibus reuocaturum scriptis legibus, quæ telis araneatum similes, tenues retinerent, à potentibus perumperentur. Respondit Solon pactis conuentis facile stare homines, si vtrique parti expediat conseruari: leges quoque se ferre, quas pauperum interesit, diuitumque obseruare.

IV. Olymp. 47.

Plut. in Solone. Solon & Anacharsis.

ANNVS MVNDI 3463.

IOSEDECI & DESOLATIONIS 17.

TRANSMIGRATIONIS 28.

NABVCHODO. 35. Imp. Babylon. 130.

OLYMPIADIS XLVII. AN. 2.

TARQVINII PRIS. 25. VRB. COND. 162.

ANTE CHRISTVM 590.

OBiectum est hoc anno Nabuchodonosori somnium, & visio mirabilis arboris, quæ Danielis quarto continetur. Nam is quadragesimo quarto regni sui anno mortuus est, qui annus cum trigesimo septimo Transmigrationis concurrit, quo Euilmerodach illi successit in regnum. Ea mors non multo post tempore contigit, à quo restitutus est sibi. Nihil enim fecisse legitur ad Dei gloriam, ab illo tempore, præter publicam illam confessionem, quam narrare instituimus. Possumus ergo reliquos Nabuchodonosoris annos ita digerere, vt quadragesimus tertius sit recuperatæ sanitatis, furor septennij trigesimo sexto inchoetur, somnium & interpretatio eius in trigesimum quintum cadat, quam duodecim mensium internallum excepit. Totam porro narrationem, somnij, & omnium quæ illi coniuncta sunt, voluit Daniel, ad maiorem fidem faciendam, ipsius Regis verbis referre, quæ simul essent publicum testimonium diuinæ in hunc Regem prouidentiæ, & in omnes deinceps Principes viros.

I. Arbor Nabuch. & ratio temporis

Incipit porro hæc historia ab extremo capite tertio, quo præfatio quædam continetur, salutatione populorum omnium, ad quos dirigitur ista narratio, & generali propositione constans, cum insigni Dei laude coniuncta. Refert tamen primùm oblatum sibi somnium, cum quietus esset in domo sua, cum videlicet

II. Præfatio narrationis eius.

bel-

bella consediſſent, & ſubiecti populi nihil hoſtile molirentur: idemque Chaldæis coniectoribus fruſtra fuiſſet propoſitum. Etſi enim Danielis ſapientia Regi explorata erat, voluit tamen, in re quam magni eſſe momenti perſuaſum habebat, plurium audire ſententias. Accerſiunt ergo Danielem, quem vocat collegam ſuum, eò quod ipſum quaſi Imperij ſui participem fecerat, conſtituens illum Principem ſuper omnes prouincias Babylonis, & præfectum magiſtratuum, &c. quem & laudat quaſi diuina ſcientia præditum: vtitur autem plurali Deorum nomine, iuxta captum, & opinionem populorum ad quos ſcribebat, & prout ipſe tum credebat, & loquebatur, cum hæc facta ſunt; licet ipſe nunc Deum vnum cœli & terræ conditorem, coleret, vt ſequentia clare docent.

II. Narratio ipſa bipertita.

Somnij autem narratio bipertita eſt, prior pars felicem & florentem Regis ſtatum, ſub arboris pulcherrimæ figura, repræſentat, amplitudinem imperij, multitudinem ſubditorum, diuitiarum abundantiam; cuius quaſi arboris opacæ protectione tecti populi, feliciter viuerent, & nullius vim aut potentiam formidarent. Poſterior pars ſententiam diuinam aduerſus Nabuchodonoſorem continet, quam Angelus, qui perpetuo vigilat, Dei mandatis exequendis intentus, denunciat, de ſuccidenda arbore, & præcidentis ramis eius, eius tamen radice relinquenda in terra, vt iterum pullulare poſſet. Addit etiam illum, qui hac arbore ſignificetur ferro vinciendum, & beſtiarũ inſtar, in ſylvis ad ſeptennium victurum; vt homines intelligant, quæſit Dei in omnes mortales, tam abijciendos, quam extollendos autoritas, ac potentia.

Sententia Dei in Nabuchod.

IV. Turbatio Danielis, & interpretatio ſomnii.

Turbatur Daniel intellecto ſomnio, nam commiſeratione mouebatur & admiratione, ex tam inſolenti perſonæ & fortunæ commutatione. Eo ſiquidem pertinet Danielis illa vox, *Domine mi Rex, ſomnium his qui te oderunt, & interpretatio eius hoſtibus tuis ſit.* Et paulo poſt. *Hæc eſt interpretatio ſententiæ Altiſſimi quæ peruenit ſuper Dominum meum regem.* Denique enunciata perſpicuis verbis, ſine vlla allegoria, aut diſſimulatione diuina ſententia; ei dat ſalubre conſilium, redimenti peccata ſua eleemoſynis largiendis, quæ DEO propitiando multum valent. Exiſtimauit enim Daniel fieri poſſe, ſi hæc eſſet duntaxat comminatoria ſententia, qualis enim lata fuerat in Niniuitas, vt eleemoſynis & pijs operibus placatus Deus, ſententiæ acerbitatem, vel minuere, vel commutare ſtatuiſſet: ſi tamen hæc miſericordiæ opera, vera in Deum conuerſio, & peccatorum dolum antecederet.

V. Tempus interiectũ ante executionem.

Abierẽ menſes duodecim à ſomnio ad pœnam eò denunciatam, quibus Nabuchodonoſoris non ſatis ſtrenuè, & conſtanter Danielis conſilium eſt executus. Sic enim ſcribit Sanct. Hieronymus. *Fecit quidem Nabuchodonoſ. iuxta Danielis conſilium, miſericordias in pauperes, & idcirco vſque ad menſem duodecimum in eum eſt dilata ſententia. Sed quia poſtea ambulans in aula Babyloniæ gloriatur & dicit. Nonne hæc eſt Babylon magna, quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria nominis mei? bonum miſericordiæ perdidit malo ſuperbiæ.* Ita Hieronymus. Et

Quid interim Rex egerit.

forte præſens felicitas ipſum incitauit, ad abrogandam paulatim Prophetæ fidem, ſuper tam inuſitato atque inaudito malo: aut certe ad metum vel temporis interualli obliuione delendum, vel præſentium deliciarum dulcedine diluendum. Aliter tamen videtur ſentire Theodoretus. Ait enim Regem Prophetæ ſe durum & inexorabilem præbuiſſe, & male definitum pœnitentiæ tempus conſumpſiſſe. Neutra ſententia clare colligitur ex textu, prior nobis magis placet, vtpote magis conſentanea ſaluti Regis.

ANNVS MVNDI 3464.

IOSEDECI & DESOLAT. 18.

TRANSMIGRATIONIS 29.

NABVCHOD. 36. Imper. Babyl. 131.

OLYMPIADIS XLVII. AN. 3.

TARQVINII 26. VRB. CON. 163.

ANTE CHRISTVM 589.

I. Primus annus ſeptennij demẽtat Regis.

PRimus eſt hic annus ſeptennij admirabilis Dei prouidentiæ ſuper filios hominum. Si quando enim poſt homines natos demonſtrauit ſe Regum dominatorem atque Principem, hoc ille maxime tempore demonſtrauit, quo magnum illum Imperij Babylonici Principem, beſtiarum in morem inſatuatum, ſubditorum regulorum ſubſannationi, domeſticorum cachinnis, amicorũ commiſerationi expoſuit. Et Imperatorem omnium gentium Dominũ, humili Regum famulatu dudum gloriantem, inaudita nunc infamia dementatũ ita dedecerit, nullum vt ſubditum, ſeruulum, aut amicum habuerit, cuius miniſterio vti poſſet, *comparatus iumentis inſipientibus, & ſimilis factus illis.*

Hab. 1. 1c

II. Hiſtoriæ huius veritas, & quę obiiciſolent diluuntur.

Hanc autem Hiſtoriam, quam vt veriſſimam narrationem Catholica fides amplectitur, Origenes abſurdiſſime de diabolo interpretatus eſt, vt in Annalibus docemus. Quæ autem in contrarium abducuntur, vt morem humanum ſuperent, non ſuperant omnipotentiam conditoris. Quanquam quid abſurdum eſt herbis victitaſſe Nabuchodonoſorem, tanta in eo commutatione facta, quantam poſtea dicemus, cum ſciamus tot Anachoretas, rationis & iudicij bene cõpotes, herbis agreſtibus, & radicibus, ipſos 60. annos, incolumes valenteſq; victitaſſe. Vidi ego puellam in Burgundiæ comitatu honeſto loco natam, quæ carbonibus crebro veſceretur, & in eis gratũ quendam guſtum reperiret, & in diuerſis carbonibus alium alijs gratiorem. At quod inter beſtias ſeminudus, ſine vlla corporis laceratione vixerit, tribuamus diuinæ prouidentiæ, & Angelicæ cuſtodiæ, quod Anachoretarum tribuimus ſanctitati, qui nudi vel arborum foliis induti, ſub dio, vel in ſpeluncis, multo diutius perdurarunt.

t. de cibo

t. de cultu corporis.

Neq; vero difficile fuit regnum ab Euilmerodacho filio interim adminiſtrari, & peracto ſeptennio eidem reſtitui, conſilio & autoritate

III. 3. de int regno.

Danielis, qui, vt proregis dignitatem omittam, ab omnibus colebatur vt vir ſanctiſſimus, & diuino ſpiritu plenus, qui vt hanc tantam metamorphoſim ante prædixerat, ita & finem eius certò pronunciabat. Accedebat & peculiaris à Deo motus in cordibus ſubditorum, filij præſertim, quia natiua inſuper in patrem reuerentia, beneuolentia, & commiſeratione mouebatur. Itaque cum omnes ad finem ſeptennij magna expectatione & deſiderio ſuſpenſi penderent; cum primum eo elapſo, rex ſibi redditus eſt, libentiſſimis animis, ſummaque omnium ordinum gratulatione exceptus, regnoque reſtitutus eſt. Quod denique Scriptores Ethnici huius rei non meminerint, nihil derogat veritati, aut ſacrorum voluminum fidei; quę humanis teſtimonijs non eget, neque ijs nititur. Et forte ſcripſerunt, quæ per tot Babylonis ruinas & incendia, ad poſteros non peruenerunt. Quanquam de Nabuchodonoſore furore correpto diuinitus, aliquid ex Abydeno & Megaſthene ſcribit Euſebius.

4. de filę tio Ethnicorum.

IV. Quæ fecerit in Nabuch. deformatio. Ge.19.26.

Iam vero quod ad ipſam deformationem potius, quam transformationem attinet, etſi omnimoda transformatio diuinæ potentiæ negari non debet, ab ijs qui vxorem Loti, in ſtatuam ſalis verſam credunt; ſed eam fidem à nobis circa Nabuchodonoſ. Scriptura non exigit, quæ non obſcure ſignificat, ei tantum rationis vſum, ad certum tempus, fuiſſe ſublatum. Nam ipſemet rex ait ſenſum ſuum ſibi fuiſſe redditum. Cumque referat capillos ſuos & vngues ſibi inſtar aquilarum creuiſſe, ſi qua in membris fuiſſet facta mutatio, vel forma corporis humani perdita, id quoque Scriptura minime tacuiſſet. Ergo neque forma, neque figura corporis in rege mutata eſt, ſed phantaſia ipſius diuinitus ita perturbata eſt, vt ſe in beſtiam conuerſum eſſe arbitraretur, vt aliquibus ex melãcholici humoris intemperie, phreneſi, alioue morbo ſæpe contingit. Ex quo fiebat vt hominum conſortia fugeret, & ſylueſtribus ſe feris aggregaret, & eorum more prono corpore quadrupes ambularet; vnde poſtea oculos in cœlum leuaſſe dicitur, nec humano more articulatas voces proferret, ſed ritu beſtiarum inconditos ſonos reſonaret.

V. Quando & qua occaſione cõtigerit.

Omnia hæc, inquit Daniel, *venerunt ſuper Nabuchodonoſorem regem.* Cum enim poſt finem menſium duodecim in ſolario ſupra tectum palatij, vnde circunquaque vrbis proſpectus patebat, inambularet, eius admirans magnitudinem, pulchritudinem, & magnificentiam, faſtu vaniſſimo tumens dixit. *Nonne hæc eſt Babylon magna, quam ego ædificaui in domum regni*, primariam ſcilicet imperij ſedem, *in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei?* Eius ſe conditorem appellat, eo quod eam vehementer amplificaſſet, ornaſſet, & plurimarum gentium ſpolijs locupletaſſet. *Cumque ſermo adhuc eſſet in ore regis, vox de cælo venit*, iteratque ſententiam damnationis eius: qua reipſa addicitur in ſeptennium pœnæ dementiæ, amiſſionis regni, vitæ ac victus ferini. Videtur autem à principio, cum furere cœpit, vinculis fuiſſe ligatus, & quidem, vt par eſt credere, mollioribus: ſed ijs diffractis, validioribus, & quidem ferreis: dictum enim fuerat, *alligetur vinculo ferreo & ære.* Sed cum vna cum vinculis, inſania & rabies creſcerent, & ipſe ratus ſe feram, quã maxime fugere conaretur, vt reliquæ ſolent belluæ, videntur domeſtici, conſilio Danielis vſi, eum foras, non ſine charorum gemitu, luctuque dimiſiſſe.

Ex hominibus ergo *abiectus eſt, & fœnum vt bos comedit, & rore cæli corpus eius infectum eſt*, pluuias ſcilicet ſoleſque perpeſſus, & cum gelu æſtuque confligens, alium neceſſario colorem imbuit. Septuaginta & Theodoretus aiunt capillos eius quaſi leonum iubas factos eſſe. Hebræo tamen vulgata conſentit, qua ſignificatur hirſutum factum fuiſſe, vt ſicut aquilæ plumis, ita ipſe pilis toto corpore hiſpidus euaderet; & cæſaries per vultum, ceruicem, humeroſque fluitaret, vngues autem in morem auium prædatricum creſcentes rigeſcerent. Sicque totum ſeptennium noctes dieſque eiulans atque vlulans, per ſaltus aviaque diſcurſans, & vbi ſors tuliſſet, & defatigatio compuliſſet iacens, vitam rex infelix poſt homines natos inauditam traduxit. Dum interea regnum ab Euilmerodacho filio Nabuchodonoſoris ſecundo genito adminiſtraretur, vt ex Hebræis refert Abulenſis, & quidem ſatis inſolenter, vt poſtea dicetur: etſi habebat præ oculis tam prodigioſum parentis exemplum.

VI. Feſtina eius vita.

ANNVS MVNDI 3465.

IOSEDECI & DESOLAT. 19.

TRANMIGRATIONIS 30.

NABVCHOD. 37. Imp. Baby. 131.

OLYMPIADIS XLVII. AN. 4.

TARQVINII 27. VRB. CON. 164.

ANTE CHRISTVM 588.

I. Anni aliquot eiuſdem vitę.

ALTER agitur annus ferinæ vitæ Nabuchodonoſoris: cor enim eius ab humano commutatum erat, *& cor fera datum erat ei*, ferę inquam ſylueſtris, non equi aut bouis, aſiniue, vel cuiuſpiam pecudum cicuratum, ſed leonis, vrſi vel apri; alioqui ſtabulum potius, quam ſylvas & ſubdialia loca petiſſet. Nam quod fœnum comeſtutus dicitur, quod ferę non ſolent, fœnum late pro quouis animalium cibo ſumitur, quanquam plereque ferarum comedunt fœnum. Hoc ergo tempore quæ belluarum ſunt propria, phantaſia ſola dominante, cogitat, amat, ſectatur, & quæ illæ fugiunt, ipſa domos, & humanam conſuetudinem, ipſi quoque omni ſtudio refugit. Quæ autem de hiſce duobus annis dicta ſunt, de quinque reliquis ſunt intelligenda.

II. Olym.42 cum Solis Eclipſi.

Sequens annum initium habet Olympiadis quadrageſimæ octauæ, in qua Glaucias quidam, quem aliqui Glyconem vocant, Crotone oriundus, victor renunciatus eſt. Eiuſdem autem Olympiadis anno quarto eclipſis ſolis quam Thales Mileſius prædixerat; dicitur contigiſſe, dum Lydis ac Medis, Aſtyages &

Alia-

Ahattes inter se pugnarent, eoque spectaculo territi, pacem inter se conciliarunt, vt scribit Herodotus. Verum quæ hanc rem dubiam faciant, vide in Annalibus.

ANNVS MVNDI 3470.

IOSEDECI 9. DESOLATIONIS 24.

TRANSMIGRATIONIS 35.

NABVCHOD. 42. Imp. Babyl. 137.

OLYMPIADIS XLIX. AN. 1.

TARQVINII PRIS. 32. VR. CO. 169.

ANTE CHRISTVM 583.

I. Olymp. 49. & anni ultimus ferinæ vitæ.

HOC anno explentur septem illa tempora, diuinitus Nabuchodonosori destinata, ad præcedentis vitæ peccata eluenda, & superbiam in primis edomandam. Et hic idem annus initium Olympiadis 49. qua Lycinus Crotoniates puluerem Olympicum non inutiliter collegit, quando & Isthmica certamina instaurata sunt, quæ temporibus Cypseli Corinthiorum tyranni neglecta fuerant. Refertur in hunc annum Solonis simulatio ad bellum pro Salamina contra Megarenses suadendum, quæ tamen insaniæ simulatio non satis rectæ rationi temporis videtur conuenire, vt in Annalibus docemus.

ANNVS MVNDI 3471.

IOSEDECI & DESOLAT. 25.

TRANMIGRATIONIS 36.

NABVCHOD. 43. Imper. Babyl. 138.

OLYMPIADIS XLIX. AN. 2.

TARQVINII 33. & vlt. VR. C. 170.

ANTE CHRISTVM 582.

I. Annus restitutæ sanitatis Nabuch. *li. 2. c. 12.*

HOC altero 49. Olympiadis anno eclypsem Solis contigisse refert Buntingus, anno, vt scribit Plinius, ab vrbe condita 170. quam cum ea, quæ biennio ante contigit, videtur confudisse, cum tamen illa in mense Maio, hæc in autumno dicatur contigisse, sole tertium gradum Libræ perambulante.

Est autem hic ipse annus memorabilis Nabuchodonosoris sanitate regnoque recuperatis. Expleto enim septennio pœnitentiæ Nabuchod. à iudice Deo præscripto, *Ego*, inquit, *Nabuchodonosor oculos meos ad cælum leuaui, & sensus meus redditus est mihi, & altissimo benedixi & viuentem in sempiternum laudaui & glorificaui.* Video ordinem recuperatæ sanitatis. Primum oculos tollit in cœlum, vnde illi venturum erat auxilium, cum illo ei superueniente, reformatur interior eius, exteriorque dispositio: humorum & cerebri, imaginationisque temperies renouatur, redit antiquus rationis & humanorum organorum vsus. Verum illam ipsam oculorum elevationem diuinæ miserationis instinctus antecessit; alioqui enim ad mortem vsque, in eadem sui Deique obliuione perseuerasse. Et sicut huius insaniæ origo non humana fuit sed diuina, ita debuit curatio diuinitus inchoari.

Et eius ortho.

II. Deū laudat & gratias agit.

Illam elevationem oculorum, & reparationem internam, excepit gratiarum actio, & Dei glorificatio. *Potestas eius*, inquit, *potestas sempiterna, & regnum eius in generationem & generationem. Et omnes habitatores terræ apud eum in nihilum reputati sunt*, quantacunq; tandem potestate polleant. Et quoniam ipsum nihil quod à seipsis habent, nullam habet actionem, nullam resistendi facultatem; ideo Deus omnia bona in hominibus, pro suo arbitrio operatur, vnde subdit. *Iuxta voluntatem enim suam fecit, tam in virtutibus cæli*, id est, angelis, quibus Deus fuerat vsus administris, ad puniendum ipsum, *quam in habitatoribus terræ, & non est qui resistat manui eius, & dicat ei, quare fecisti.* Ecce itaque animo mutatum & corpore Nabuchod. restitutum sibi, & reconciliatum Deo, moxque regno suo restitutum. Ipse enim ait se ad honorem regni sui, decoremque peruenisse, ab optimatibus regni & magistratibus requisitum, & regno redditum cum magnificentia ampliore.

III. Recuperat regni

Tradunt enim Epiphanius atque Dorotheus, Danielem sapientia sua atq; autoritate perfecisse, vt non solum sine vlla difficultate reciperetur à suis, quem ille affirmaret fore deinceps sapientissimum, regijsque virtutibus decoratum: sed vt summo illius desiderio tenerentur omnes, dum finis septennij expectabatur. Itaque mutationem hanc consecutum est magnum totius populi gaudium, magna gratulatio, & solito maior omnium ordinum erga ipsum amor & reuerentia, qui tam admirabilium operum Domini subiecta materies exti tisset.

ANNVS MVNDI 3472.

IOACINI & TRANSMIGRAT. 37.

IOSEDECI & DESOLAT. 26.

NABVCHOD. 44. & vlt.

EVILMERODACHI 1. Imp. Babyl. 139.

OLYM. XLIX. A. 3. TARQ. 34. VR. C. 171.

ANTE CHRISTVM 581.

I. Nabuch curat scribi hanc historiā.

DIVTVRNO totius regni luctu in gaudium commutato, & rege deposita impietate, atque superbia, ad modestiam, ad veri Dei cognitionem, deprædicationem & cultum conuerso, hanc totam ipsemet historiam conscribendam curauit, & vbique gentium voluit esse testatam; cuius exemplum Daniel ipse fideliter in propheticum librum suum transtulit.

Digitized by Google

Cumque in eam curam Rex omni studio incumberet, vt Dei erga se mirabilia operata efferrentur; & ea quoque mente esset, vt par est credere, verum vt Dei cultum exterminata paulatim idololatria, toto suo imperio stabiliret, Deus cuius consilia, & iudicia abyssus multa, eius bona voluntate contentus, eum breui tempore è viuis eripuit; & quidem ea morte, quam, vt communis fert sententia, æterna felicitas sit consecuta.

II. Hic annus ad vtrumque regem pertinet.

Vicimus porro fuit hic annus Nabuchodonosoris, & primus Euilmerodachi filij eius, sed prior pars ad patrem pertinet, posterior ad filium: quem non est verisimile, postquam factus est rex, totum annum Transmigrationis trigesimum septimũ distulisse educere de carcere Ioachinum, sed quam primum, atque adeo primo ipso regni sui die, vt Hebræis placet. Scriptura certe illum hoc anno regem factum esse docet. Prior ergo pars regni ad Nabuchodonosorem pertinet, sicque annum 44. regnãdo attigerit. Cum enim octauus Nabuchodonosoris sit transmigrationis primus, vt ex Scriptura constat, necesse est 37. Transmigrationis cadere in 44. Nabuchodonosoris. Cuius anni cum incipiant mense quinto, vt alibi dictum est, mense sexto aut septimo abierit è viuis, reliquo anno regnauerit Euilmerodach. De morte autem patris eius, Berosus Chaldæus apud Euseb. tradit, eum affecto Babylonis muro, cum in morbum incidisset, è vita migrasse, cum tres & 40. regnasset annos, integros scilicet, neglecta parte 44.

Sederholm c. 28. 4. Reg. 25. 27. Iere. 52. 31. 4. Reg. 24. 37.

l. 9. c. 40. de Prep.

III. De salute Nabuch. satis certa *ep. 122. 10. 2. c. 15. refertur 23 q. 4 c. Nabuch*

Cæterum de salute Nabuchodonosorn equaquam temeraria est assertio. Satis enim constat ex scriptis S. Augustini eum non solum de Nabuchodonosoris salute, sed etiam Darij Medi bene sentire, id colligendo ex miraculis coram ipsis diuinitus pro eorum salute factis; quod etiam contrario Antiochi exemplo confirmat. Libro quoque de prædestinatione & gratia, eum Pharaoni opponit, nihil dubitans de alterius regis perditione, alterius salute, sed huius tam diuersi effectus causam inquirit. Eadem est Tertulliani mens libro de Pœnitentia,

in fine.

vbi vocat hos duos reges quasi pharos humanæ salutis, vt eorum exemplis ante oculos positis, intelligeremus eos, qui ob culpas suas salubriter in hac vita affliguntur, fœlicitati, reliquos qui ad diuinas plagas instar Pharaonis obdurescunt, damnationi esse destinatos. Theodoretus quoque ex eiusdem regis pœnitentia salutẽ eius conijcit, & quidem ex opposito Balthazaris nepotis eius exemplo. Eadem est sententia S. Ambrosij, Iosephi, Epiphanij, Dorothei, & multorum recentiorum. Neq; qui contra sentiunt, solidi quippiam habent quo nitantur, vt in Annalibus ostendimus.

In Dan. c. 3. & 5.

n. 11. & seq.

IV. Eius; successor Euilmerodach. *4. Reg. 25. 27. & Ierem. 54. 31.*

Sequitur, vt de Nabuchodonosoris successore dicamus. Eum Euilmerodachum Scriptura nominat, qui mox à morte patris Ioachinum eduxit è carcere. Idque necesse est, si consentimus communissimæ sententiæ antiquorum atque recentium, qui Nabuchodonosori 43. annos tribuunt, aut 44. inchoatos, qui in 37. Trãsmigrationis incidunt. Cum autem de numero successorum Nabuchodon. annis singulorum multæ reperiantur, pugnantesque sententiæ, nos Scripturam secuti, duos tantum reges illi substituimus, filium eius, & filium filij eius, quorum ille Euilmerodach dictus est, iste Balthazar. Sic enim aperte scripsit Ieremias, *Et seruient ei*, puta Nabuch. *omnes gentes, & filio eius, & filio filij eius donec veniat tempus terræ eius*, id est, ruina imperij Babylonici. Quæ est expositio sancti Hieronymi, D. Thomæ, Isidori, Rabani, Lyrani, & omnium passim interpretum. Quoniam autem vsque ad hanc ruinam & solutionem captiuitatis supersunt anni quadraginta quatuor, eorum tres & viginti Euilmerodacho, reliquos 21. Balthazari tribuemus.

Et deinde Balthazar. *c. 27. 7.*

26. Desol. 44. 70.

V. Periodus regni eius

Euilmerodacho tres & 20. annos Hebræi in Chronico, & alibi tribuunt, eamque sententiã Ribera ait omnium esse receptissimam, non paucos in Annalibus recensuimus, qui eam sequantur. Cum primum autem rerum potitus est, eduxit de carcere Iechoniam, in quo 7. iam ac 20. versabatur annos: nec eo contentus, *posuit thronum* eius super thronum *regum, qui erant cum eo in Babylone*. Apparet patrem eius, pleroſque reges è subiugatis populis, secum abduxisse captiuos, sicut è Iudæa Ioakimum primo, inde filium eius Iechoniam, postremo huius patruum Sedeciam. Addidit & victum, vestitumque præsenti statui congruum; non enim habebat alunde se suosque sustentaret. Quæ beneficentia solertiam Iudæorum fortassis excitauit, ad fabulas de eo excogitandas. Illud tamen probabilitate non caret, quod ab ijsdem refertur, restitutum sibi Nabuchodonosorem, filium suum Euilmerodachum, propter malam regni administrationem durante septennio in carcerem coniecisse, ibique illum cum Ioachino familiaritatem contraxisse: animos enim aliquãdo etiam fortunæ similitudo conciliat, & experientia miseriarum, animos ad misericordiam inflectit. Itaque mortuo patre Ioachinum iterum ad regiam dignitatem Babylone extulit, & dum vixit charum habuit.

Ioachinus educitur è carcere, & honoratur.

Euilmerodach à patre in carcerem coniectus

ANNVS MVNDI 3473.

IECHONIÆ & TRANSMIGRAT. 38.

IOSEDECI & DESOLAT. 27.

EVILMERODACHI 2. Imp. Bab. 140.

OLYMPIADIS XLIX. AN. 4.

TARQVINII 35. VRB. COND. 172.

ANTE CHRISTVM 580.

I. Ratio cẽ poris Danielis in foueam leonum coniecti.

NE mortuo Nabuch. sub rege nouo, semina pietatis recens iacta in solo Babyloniæ, exortis repente spinis, suffocarentur, néue Iechonias ipse, (quem apparet, tum diuturni carceris calamitate, tum diuinis circa Nabuchodonos. prodigijs resipuisse,) in gratiam bene de se meriti Euilmerodachi, ad pristinum Belis siue Baalis cultum facile reduceretur, ad diuinam prouidentiam pertinuit, cognitionem & timorem sui nominis, nouis subinde miraculis fouere ac sustentare. Id hoc ipso tempore ingenti, & multiplici miraculo, circa Danielẽ in lacũ leo-

Dan. c. 14. fuse.

num coniectum, factum videtur. Nam quod aliqui hanc historiam ad Cyri tempora differunt, eis repugnare videtur Cyri potestas & gloria, cui Satrapæ Babylonij obstrepere, nedum minas intentare, ausi non essent, afflicto præsertim iam, ac prostrato Babyloniorum imperio.

Non cadere in regnum Cyri.

II. Seditio Euilmerodachi.

Ac ne opinionem quidem suam satis probant, qui hæc puero Daniele contigisse putant, & sub idem tempus, quo Susannæ iudicium exercuit. Quomodo enim duodennis puer tanti Monarchæ conuiua esse potuit, atque adeo honoratus super omnes amicos eius? Ne tempore quidem Balthazaris res ista contigit, ei enim ignotus fuisse videtur, vt illa verba significant, *Tu es Daniel de filijs captiuitatis Iudæ?* Quomodo igitur erat conuiua Regis, & honoratus præ omnibus? Reliquus est ergo Euilmerodach; in cuius regnum vt hanc historiam conferamus, fauet præsens rerum status, fauent Euilmerodachi mores, quem Scriptura hoc ipso beneuolum fuisse docet in Iudæos, quod Iechoniam quamprimum eduxit è carcere, & præ omnibus regulis honorauit. Nominatim autem in Danielem recte affectus fuisse videtur, propter eius in patrem suum præclara merita, & spectatam iampridem diuinam scientiam, & sanctitatem: Nec conuenit historiam hanc ad finem regni Euilmerodachi referre. Parum enim esset probabilis obliuio rerum Danielis in Balthasare, qui ei proxime successit.

Dan. 14. 1.

Idque confirmatur.

III. Quæ eius mali causa.

Cum ergo Danielis apud Regem gratia inuidiæ fomitem aulicis ministraret, ea velamento religionis, vindicandique numinis tecta, in Danielem exarsit, Rege pro Deo suo Belo æmulatione commoto. Ad eius cultum cum Rex Danielem inuitaret, negauit ipse se manu facta idola colere, sed viuentem Deum, qui omnibus mortalibus dominetur, non Bel qui est statua inanima, intus lutea, ænea foris. Propterea que neque comedens, neque bibens. Indignatus Rex se sacrificulorum fraude delusum, aut in Belis contumeliam se à Daniele derideri, conuocat Sacerdotes, veritatis exprimendæ causa, & sciendi quomodo tantus ciborum apparatus consumeretur; illi perstant in mendacio, & dolosum Regi experimentum offerunt, quod cum Daniel patefecisset, iratus Rex sibi hactenus ab impuris nebulonibus illusum esse, eos morti dedit, ne quis deinceps sub religionis specie fucum faceret. Nec solis istis doli architectis iratus, etiam fraudis machinam & officinam Danieli permisit, qui Belum cum ipsius templo subuertit.

IV. Rex Danielem ad cultū Draconis inuitat.

A quo interficitur, & excitatur in Regem seditio.

Secutum est alterum Danielis contra idololatriam Babyloniorum certamen, nec tam contra Draconem corporeum, quam spiritalem illum tartareum, qui cum à mundi primordijs iudicasset illud animal suis consilijs opportunum, moribusque consentaneum, in eo deinceps honorari ac coli voluit. Cum ergo Rex Danielem ad draconem adorandum inuitaret: ille vt eius infirmitatem ostenderet à diuinitate alieniſſimam, petit à Rege sibi fieri potestatem eius interficiendi. Rege annuente, confectis ex pice, adipe, & pilis confectas, quibus deuoratis *diruptus est Draco*, siue id naturali virtute contigit, siue etiam diuina, angelo in stomacho Draconis ita massas inflante, vt disrumperetur, siue ijs in eius faucibus ita adhærescentibus, vt spiritu intercluso suffocaretur. Quo audito, Babylonij in seditionem versi sunt contra Regem, ab eoque extorserunt, vt vindictam de Daniele sumerent, qui Bel destruxerat, Draconem interfecerat, & Sacerdotes occiderat: qui cum permulti essent, & permultas familias affinitate & consanguinitate contingerent, non fuit difficile ingentem seditiosorum turbam concitare, & Regem necessitate compellere, ad Danielem eorum voluntati permittendum.

V. Daniel in fossam leonum deijcitur.

Qui correptum coniecerunt in lacum leonum, fossam scilicet subterraneam septem leonum crudelitate formidabilem, quorum quotidianus cibus erat duæ oues, & totidem reorum corpora, ad eum vsum conseruata. *Et tunc non data sunt eis, vt deuorarent Danielem.* Quod tamen minime contigit, Angelo Domini feras continente, & famem earum, temperato natiuo calore, moderante. At cum dies vnus miraculo demonstrando sufficeret, id argumento est Chaldæos quotidie obseruasse, an deuoratus esset Daniel, & quotidie ferina rabie contra ipsum obduruisse, vt cogerent bestias, intolerabili ventris rabie stimulante, discerptum deuorare Danielem. Accessit alterum prodigium, vt qui leones sine cibo sustentabat, vellet de cibo famulo suo miro modo prouidere: abducto ex quopiam angulo Iudæo Habacuc, qui prandium ferebat messoribus; ipso autem angelico ministerio in Babylonem translato, ea celeritate atque impetu, quo solem spiritus, siue Angeli iter facere; & cibo Danieli officiose tradito, in suum locum restitutus est, Daniele gratias agente Domino, de diuina inseruos suos prouidentia.

Et à Deo ibidem conseruatur, & pascitur.

VI. Agnoscitur à Rege prodigium.

Impij à leonibus deuorantur.

Venit autem Rex die septimo, vt lugeret Danielem, quem scilicet iam à primo die dilaceratum ac deuoratum putabat, & die septimo cædis eius, ei lactymis suis quoquo modo parentare. Hic enim dierum numerus videtur antiquitus luctui defunctorum destinatus, vt constat ex pleriſque Scripturæ locis. Daniel autem qui lugebatur mortuus, inuentus est viuus. Nam vt introspexit Rex in lacum, ex superiore aditu, vnde leonibus deijciebatur præda, ecce Daniel incolumis in medio leonum sedens, quasi pastor in medio agnorum. Et exclamauit voce magna Rex dicens, Magnus es Domine Deus Danielis, & extraxit eum de lacu leonum. Porro illos qui quantum in ipsis fuerat, *Seditionis eius causa fuerant, intromisit in lacum, & deuorati sunt coram eo in momento.* Primarios autores huius facinoris, & seditionis in Regem, coniectos in foueam credibile est; sicque in laqueum, quem iusto parauerant, impij ceciderunt. Et Rex præclaro elogio, non se quidem Iudæum, quod Chaldæi calumniabantur, sed veri præconem, cultorem, & admiratorem professus est, dignumq; qui toto terrarum orbe, cum religioso metu coleretur.

VII. Filij Anci Marcij per calumniam regnum affectant.

Hæc dum Babylone agitantur, ambitio Romæ res minimè quietas esse permisit. Filij enim Anci Marcij, qui iampridem se, opera Tarquinij, de spe regni paterni deiectos gemebant, quarto ante mortem eius anno ipsum

de principatu deijcere moliti sunt, accusantes eum cædis Neuij auguris, qui repente non cõparuerat, à dæmone, vt de talibus eius mancipiis credere par est, sublatus. At Rex pro se causam dicere exorsus, egregie calumniam diluit, & tempestatem illam facile discussit, annitente præsertim gener eius Tullio, qui multum gratia apud populum atque autoritate valebat, susceptо præsertim patrocinio veritatis. Vicit itaque veritas, & seditiosi è foro abire cum dedecore coacti sunt: moxque reconciliatione per amicos quæsita, Regem memorem paternorum beneficiorum ad veniam facilem inuenerunt. Ipsi autem mala mente præditi, & voluntate iampridem ambitione deprauata, triennio in ficta amicitia permanserunt.

ANNVS MVNDI 3474.

IECHONIÆ & TRANSMIG. 39.

IOSEDECI & DESOLAT. 28.

EVILMERODACHI 3. Imp. Babyl. 141.

OLYMPIADIS L. AN. 1.

TARQVINII 36. VRB. COND. 173.

ANTE CHRISTVM 579.

I. *Dionys. l. 4. init.* Septem Græciæ sapientes florent.

QVinquagesima Olympias Epitelidem Laconem illustrauit, sed multo magis septem Græciæ sapientes, quos S. Cyrillus ait in ea maxime celebratos, vnaque Anaximandrum Milesium physicum. Secutus est sanctus Cyrillus Eusebij Chronicum, vbi illos ait sub hoc tẽpus Sapientis nomen esse consecutos. Primus Thales Milesius id nomen obtinuit, teste Laërtio, quo tempore, inquit, Damasius Athenis Princeps erat. Sub quo septem quoque sapientes appellati sunt, vt scribit Demetrius Phalereus in descriptione Principum. Magnam inter eos animorum consensionem extitisse Plutarchus ait, magnamque de singulis singulorum existimationem, quæ perspicere in aureo tripode patefacta est. Ferunt enim Cois nassam iacientibus, eam capturam à Milesijs hospitibus, incerta adhuc fortuna, emptam fuisse, extractumque reti tripodem auream. Cumq; vtrique altercarentur consultum Pithiam præcepisse, vt sapientissimo eum tripodem darent. Ita eum primo ad Thaletem missum, qui cum sibi Biantẽ præferret, ad eum misisse, & hunc ad alium misisse vicissim, & ita in reliquis contigisse, donec ad Thaletem rediret. Denique Mileto Thebas transportatum, atque Ismenio Apollini consecratum. Vtique sapienter viri sapientes ad Deum fontem sapientiæ præmium sapientiæ retulerunt, si eum lis agnoscere contigisset,

In eius vita.

Mutua eorum beneuolentia, & existimatio.

Tripus aureus.

ANNVS MVNDI 3476.

IECONIÆ 41. & vlt. SALATHIELIS 1.

TRANSMIGRATIONIS 41.

DESOLAT. & IOSEDECI 30.

EVILMEROD. 5. Imp. Babyl. 143.

OLYMPIADIS L. AN. 3.

TARQVINII 38. & vlt. VR. CO. 175.

ANTE CHRISTVM 577.

ANno 30. ruinæ ciuitatis, & desolationis regni Iudæ, qui nunc in cursu est, Esdras quidam, alius omnino ab eo, cuius extat canonicus liber, qui ne natus quidẽ erat hoc tempore fuisse se ait hoc anno Babylone, & in cubiculo suo valde conturbatum, dum pacem peccatorum videret, & piorum desolationem. Cuius querelæ respondet Angelus, minimè vestigabiles esse vias Domini, & iudicia eius esse abyssum multam, quod multiplici similitudine declarat. At facile est directe respondere, alias gentes tanquam mercenarios Dei famulos, recipere in hac vita mercedem suam, neque fieri hæreditatis filiorum participes. At veri Dei cultores & filij, tanquam filij hic eruditur, & castigantur dũ peccant, & quidem fagello laneo, quod nec graues infligit pœnas, nec diuturnas, & mox hęredes fiunt regni cœlestis, cum illi cæduntur virga ferrea, & tanquam vasa testea figuli confringantur.

I. *l. 4. c. 3. Esdr.* Visio Esdræ apocrypha.

Capite autem quinto dicit idem Esdras venisse ad se Salathielem ducem populi, ex quo intelligitur Iechoniam patrem eius, sub hæc tempora fuisse defunctum; &, si eius amicitia cum Euilmerodacho perseuerauit, honorifice tumulatum. Eius salus, sicut & Sedeciæ patris eius, ambigua est, diu tamen toleratus carcer in pœnam peccatorum, & Danielis præsentia, neque enim Duci populi sui morituro, defuisse credendus est, aliquid boni pollicentur. Mortuus autem fuerit anno ætatis vndesexagesimo. Octodecim enim erat annorum cum regnare cœpisset, & inde hic 41. annus est.

II. v. 16. Mors Iechoniæ, & Salathielis initio.

Est hic quoque Tarquinij prisci postremus annus, quo aggressus est ædificare templum Iouis, Iunonis, & Mineruæ, vt totum persolueret, quod postremo contra Sabinos bello nuncupauerat. Postremus, inquam, cum Dionysio teste, ne fundamenta quidẽ illius morte prẽuentus iacere potuerit. Cum enim annum regni ageret 38. & ætatis 80. Ancij Marcij filij duos coniuratorum audacissimos selegerunt, qui habitu pastoritio, & falcibus lignatoriis instructi, meridie regiam adeunt, ibique mutuis se maledictis incessunt, ob illata iniuriam, magnisque clamoribus Regis opem implorant. Vocati ad Regem, dum inter se contendunt, & ludibrio habentur, falcibus impetunt Regis caput, vel, vt ait Liuius, dum Rex ad alterum eorum cõuersus esset, alter ei ictum securim in caput deiecit, relictoque in vulnere telo, ambo se foras eij-

III. Mors Tarquinij Prisci.

Per filios Anci Marcij.

ciunt,

ciunt, sed comprehenti, tormentisque admoti, autores insidiarum prodiderunt, moxque meritas dedere pœnas.

ANNVS MVNDI, 3477.

SALATHIELIS 2. TRANSMIG. 42.

IOSEDECI & DESOLAT. 31.

EVILMEROD. 6. Imp. Babyl. 144.

OLYMPIADIS L. AN. 4.

SERVII TVLLII 1. VRB. CO. 176.

ANTE CHRISTVM 576.

I. Regnum Serui Tullij.

TArquinio Prisco indigna morte sublato, ei successit Ser. Tullius gener eius, anno quarto, vt ait Dionysius quinquagesimæ Olympiadis, qua in stadij cursu vicit Epitelides Lacon. Principe Athenis Archestratide, & Vrbis Cond. 176. quem numerum exacte conficiunt 44. integræ Olympiades, quæ hoc anno finiuntur, posito vrbis conditu in septimæ Olympiadis initio cum Dionysio, qui Ser. Tullij patrem vocat Tullium Corniculanum, qui cum Corniculum oppidum à Romanis caperetur, in pugna interijt. Eius vxor Ocrisia præstanti forma mulier tum prægnans, Tarquinio Regi extra sortem data est, quæ cum peperisset, mariti nomen filio dedit, sed quia natus erat in seruitute Seruium appellauit. Cui cum in somnis caput ardere visum esset, augures regiam ei dignitatem prædixerunt. Itaque regio deinceps more, tanquam ad tantam dignitatem natus, educatus est: cumque regiæ indolis euasisset, neque Romæ vllus ei conferri posset, Tarquinij Regis factus est gener.

Genus eius.

II. Opera socius Tanaquildis regnat.

Refert idem Dionysius Tullium opera Tanaquildis, quæ erat Socrus eius, & Tarquinij prisci coniux regnum obtinuisse. Animaduertens enim quanto in periculo versaretur ipsa, & duo infantuli ex filio defuncto nepotes, totaq; familia Regia, si Regis pertæsi filij Anci Marcij rerum potirentur, aduocato in consilio Seruio Tullio genero suo, statuit rumorem spargere, Regem non lethaliter vulneratum, eiusq; nomine populo commendare, vt interim dum curatur, Seruio quasi sibi ipsi, vt alias non semel factum fuerat, obtemperarent. Tu autem, accepta, inquit, potestate, voca insidiatores vitæ Tarquinij in iudicium populi, primosque omnium Marcij filios, qui si comparuerint, capite plectito: sin causam deseruerint, quod potius facturos arbitror, perpetuo exilio, & bonorum proscriptione mulctato. Inde monet vt sibi fauorem multitudinis conciliet, deinde vbi opportunum fuerit, Regis mortem declaraturum palamque eius funus celebraturum. Quæ accuratè facta sunt omnia, & pulsa factione Marcia, & vicatia Reipub. administratione susceptа, Lucij & Aruntis Tarquiniorum tutor habitus, simul patrimonium eorum & Reipubl. negotia quadragenarius studiosè curauit.

Quasi tutor filiorum regiorũ.

ANNVS MVNDI 3478.

SALATHIELIS 3. TRANSMIG. 43.

IOSEDECI & DESOLAT. 32.

EVILMERODACHI 7. Imp. Babyl. 145.

OLYMPIADIS LI. AN. 1.

SERVII TVLLII 2. VR. COND. 177.

ANTE CHRISTVM 575.

ERathosthenes Cyrenæus hac Olympiade nomen suum illustrauit, cætera vita perobscurus. Interea in Iudæa triste silentium, ad annos adhuc duodequadraginta; Babylone tamen ciues quam peregrini queram vitam ducunt. Valdeque mihi probabile est Salathielem Euilmerodacho charum fuisse. Valuerunt enim apud ipsum, Ioachini sibi dilecti è vinculis abeuntis commendatio; valuerit & Danielis apud eundem Regem gratia, & autoritas, recentibus prodigiis, perpetuaque innocentia & vitæ sanctitate conciliata. Diuina maxime prouidentia, quæ Dauidis familiam in spem Messiæ sustentabat, egregie patrocinante, adeo vt Iechoniæ filios octo m. 1. Paral. legamus, in quibus Salathiel secundo loco nominatur, ex quo deinde natus est Zorobabel dux populi in desolatam patriam, Cyri permissu, reuertentis.

I. Status Iudæorũ Babylonæ.

Salathiel Regicha-tus.

ca 3 17.

Matth. 1.

Sequens porro annus, qui est desolationis 33. numeratus fuisset Sabbaticus 128. Sed erant nunc omnes anni in Iudæa Sabbatici, & terra longa Sabbata, iuxta diuinum oraculum celebrabat, *Donec*, inquit, *compleretur sermo Domini ex ore Ieremiæ, & celebraret terra Sabbata sua. Cunctis enim diebus desolationis egit Sabbatum, vsque dum complerentur 70. anni*, qui 10. Sabbatismos constituunt.

II. 3479. Annus Sabbaticus 128. 419. 424. 3. 896.

Referre hunc possumus initium belli Romani contra Etruscos. Defuncto enim Tarquinio, ciuitates, quæ se illius imperio submiserant, nolebant vltra stare conditionibus fœderis, dedignatæ parere Tullio, homini obscuris natalibus; & sublatæ ad spes nouas, quod viderent Patricios à Rege dissidere, quod is sine decreto Senatus calidè regnum occupasset. Initium defectionis à Veientibus ortum est, qui legatis à Tullio missis respondetunt, se nec vllum ei principatum concessisse, nec amicitiæ, societatisque fœdus cum eo pepigisse. Hos autores secuti sunt Ceretani, & Tarquinienses, postremo vniuersa Etruria in armis fuit. Hoc bellum ad annos 20 continuatum est, multisque prælijs decertatum, è quibus victoriam reportauit Tullius, quotiescumque vel cum singulis ciuitatibus, vel cum tota gente dimicatum est: tandemq; tertiùm triumphatos, imperij frenum accipere coëgit. Primus eius triumphus cadit in annum vrbis 182. secundus 186. tertius 196.

III. Bellum contra Etruscos vicennale.

Tres de iis Seruij triumphi.

Digitized by Google

ANNVS MVNDI 3482.

SALATHIELIS 7. TRANSMIG. 47.

DESOLATIONIS & IOSEDECI 36.

EVILMEROD. 11. Imp. Babylon. 149.

OLYMPIADIS LII. AN. 1.

SER. TVLLII 6. VRB. COND. 181.

ANTE CHRISTVM 571.

I. Anacreon. Tyrannis Phalaridis.

AGis Eleus Olympiade 52. palmam tulit in stadio, quo tempore Anacreon poëta Lyricus floruisse memoratur, & Phalaris Siciliam totam tyrannide diuexasse. Id enim de vtroque Suidas affirmat; addit etiam illum Cyri tempore Olympiade 55. extinctum fuisse. Phalaridem vero ad sequentem Olympiadem refert Eusebius. Cæterum cum tyrannorum violentia omnia, atque iniusta esse soleant, & in tyrannis Agrigentinus Phalaris non vltimum obtineat locum, duo tamen eius opera, iustitiæ vnum, alterum humanitatis, illud à Plutarcho, Plinio, Ouidio, hoc ab Æliano referuntur. Nam Perillum fabrum ærarium, qui buculam æream cruciandis hominibus, & mugitibus tanquam à boue eliciendis, artificiosè conflauerat, eique dono dederat, in eam coniecit, & primum ementitos mugitus edere compulit.

Perillus.

II. *In variis hist.* Phalaridis humanitas.

Refert autem Ælianus Menalippum adolescentem à Phalaride quapiam affectum iniuria, eum perimere statuisse, remq; ad amicum Charitonem detulisse, is timens adolescenti, finxit id sibi pridem deliberatum esse, itaq; totum sibi negotium permitteret. Cum autem in ipso conatu à tyranni satellitibus esset comprehensus, & tormentis ad declarandos socios vrgeretur, isque tacere pergeret, re cognita Menalippus Phalaridem adit, suum id esse facinus non Charitonis contestatus. Miratus amicitiam tyrannus, vtrumq; liberum dimisit, exulare tamen iussit, & bonorum suorum redditibus frui.

ANNVS MVNDI 3483.

SALATHIELIS 8. TRANSMIG. 48.

DESOLAT. & IOSEDECI 37.

EVILMERODACHI 12. Imp. Babyl. 150.

OLYMPIADIS LII. AN. 2.

SER. TVLLII 7. VRB. COND. 182.

ANTE CHRISTVM 570.

I. Iubileus 18. 439. 424. 37. 900.

NOngentesimus est hic annus ab ingressu Israëlitarum in Chananitidem, mirabiliter transgresso Iordane, ideoque Iubilæus 18. hoc anno agitur. Conficitur ille numerus ex 439. annis, qui templi fundationem antecesserunt, secluso ipso anno, quo fundatum est, nec his numerentur, tum 424. annis quibus stetit, & 37. à quo deflagrauit.

Notatus est hic annus Seruij Tullij primo de Etruscis triumpho, sed cum mitius à Romanis victi tractati essent, quia dum ipsis eorumque bonis parcebant, suis ipsorum bonis subditisq; parcebant, cito ad ingenium, & spem pristinæ libertatis redierunt. Itaq; bellum ab eis iterum præparatum est. Sed priore victoria Seruio regnum ita confirmatum est, vt neque apud Patrũ animos, neq; apud plebem periclitaretur. Itaq; hoc & sequentibus annis, ciuitati ornandæ atq; amplificandæ operam dedit. Vrbi enim duos colles Viminalem & Esquilinum addidit, & vrbis pomœria protendit, duobus ad quinq; colles adiectis. Vrbem in quatuor partes tribusve diuisit, quæ dictæ sunt vrbanæ, agrum autem vniuersum 26. sicque factæ sunt Romanæ tribus omnino 30. Hæc ex Dionysio.

II. Primus Seruij de Etruscis triumphus.

Anno sequenti Pittacus Mitylenæus, vnus è 7. sapientibus Græciæ mortuus est, cum iam ab 42. Olympiade floruisset, superq; 70. annos, Laërtio teste vixisset; à quo etiam disces quid illi negotij cum Cræso Lydorum Rege, superbiarum contemptu fuerit. Ad hanc ipsam Olympiadem 52. Æsopum fabulatorem pertinere, senescente iam Chilone, & 54. defunctum scribunt Laërtius, & Suidas.

Vide Annales.

III. 3484. Obitus Pittaci.

Æsopus.

ANNVS MVNDI 3486.

SALATHIELIS 11. TRANSMIG. 51.

IOSEDECI & DESOLATIONIS 40.

EVILMERODACHI 15. Imp. Babyl. 153.

OLYMPIADIS LIII. AN. 3.

SER. TVLLII 10. VRB. CON. 185.

ANTE CHRISTVM 567.

VIctor fuit in Olympico stadio Agno quidam Peparethius; ortus videlicet ex Peparetho insula Macedoniæ, prope montẽ Athos. Hic porro annus ab euersa Hierosolyma quadragesimus, est Sabbaticus ordine 129. Quo anno seditio Athenis conflata est à cupidis rerum nouarum, quæ anno tertio huius Olympiadis erupit.

I. Annus Sabbat. 129.

Sequenti anno, Vrbis 186. pugnatum est feliciter à Rege Tullio contra Etruscos, & secundus de ijs relatus est triumphus. Quo ipso tempore Rex vniuersum populum primum cẽsuit, lustrauit, censusque digessit in classes, pro cuiusque facultatibus. Eam ad rem iussit omnes ciues dare nomina, suaq; bona censere, addito iureiurando se vere illa, & bona fide æstimasse; adscriptis etiam ætatis annis & parentum nominibus, atq; adeo coniugum & liberorum; ad hæc quam quisq; Vrbis regionem, quemue agri Romani pagũ incoleret. Ei qui censum neglexisset pœna proposita, vt bonis in fiscum redactis, virgis cæsus in seruitutem venderetur. Pœnæ timor & iurisiurandi religio, omnes adegit, vt vere quisq; de suis opibus pronunciaret. Accedebat & insitus honorisamor, quo intelligebant prælatum iri tenuioribus copiosiores.

II. 3487. Seruius Roma. loscenset.

Peracto

III. Digerit in sex classes. *Mina 17 mille aris. 20.*

Peracto cen[illegible] primùm selegit ex omni numero partem, c[illegible]us census erat maximus. Centum minas quisque habuit in bonis, vt ait Dionysius id est 1750. Francos, vel, vt ait Liuius, centũ millia æris, id est bis mille Francos, vt diligentius in Annalibus explicatum est. Ex quo perspicuè intelligitur, quam tenuis tum res esset Romanis, apud quos ditissimi quiq; minus habebant in omnium æstimatione bonorum, quã nunc mediocri fortuna viri habeant in reditibus annuis. Hanc ciuium partem Rex primam classem appellauit, quam in 80. centurias distribuit, quas & bipertito diuisit, vt 40. iuniorum essent, qui foris bella gererent, ab anno 17. ad 45. totidem seniorum, qui domi ad vrbis custodiam remanerent. In secunda tertia & quarta classe vicenæ erant centuriæ, quæ in seniores quoque ac iuniores diuidebantur, & facultatibus distinguebantur. In quinta classe erant 30. centuriæ, quindecim iuniorum, & totidem seniorum totidem. Sexta classis egenorum fuit, vnica centuria constans, militiæ & tributorum immunis, eaque proletarij & capite censi continebantur. Addit Dionysius 4. centurias mermes, duas fabrũm ad machinas ferendas, & totidem tubicinum ac tympanistarum, quarum illæ additæ sunt secundæ classi, istæ quartæ.

Et quot centuriis quæ libet constaret.

4. centuriæ inermes.

IV. Equitum 18. centuriæ.

Equitum etiam delectum habuit Seruius è ciuibus maximi census, & eorum 18. centurias constituit. Ita vt primæ classis essent omnino 98 centuriæ, secundæ cum fabris 22 Tertiæ 20. Quartæ cum tympanistis 22. Quintæ 30. Sextæ vnica. Omnes 193. Singulis autem centuriis singuli præerant centuriones spectatæ virtutis. Quæ Rex tam sapienter constituit, vt in primas centurias, sicut maxima ex parte belli onera incumbebãt, ita maximus eis tribueretur honos. Nam prima classis poterat suis suffragiis cuncta conficere. Cum enim singulæ centuriæ vnicum haberent suffragium, prima classis 98. suffragia possidebat; itaq; si omnes eius centuriæ consentirent, res confecta erat, cum dimidiam partem suffragiorum omnium excederet: nec opus erat à cæteris classibus, rogare suffragia: Sin minus ad secundam classem, tertiamque & reliquas descendebatur, donec plures dimidia parte centuriæ, id est 97. in vnam sententiam consentirent. Itaque grauissima quæque negotia Reipub. potentiorum arbitrio transigebantur.

Dignitas primæ classis.

V. Primum lustrum Rom. eiusque modus.

Peracto censu iussit Rex cives omnes in campo Martio cum armis adesse. Ibi equitibus turmatim dispositis, & peditibus aciem directis, velitibusque per suos item ordines digestis, lustrauit eos tauro, ariete & hirco: quas hostias ter circum castra duci iussas, Marti consecrauit. At Liuius, & cæteri suem, ouem & taurum sacrificari solita testantur, quod vox *Suouetaurilia* abunde docet. Fuerunt autem vniuersorum ciuium Romanorum, quorum fortunæ tunc censæ sunt, 85. millia minus trecentis, quem numerum Liuius quinque millibus diminuit, atque ex Fabio Pictore, eum numerum fuisse tantum eorum, qui arma ferre possent, id est ab anno 17 ab sexagesimum. Edixit denique Rex, vt quinto quoque anno, ciuium census habito, lustrum conderetur, quod ab ipso quater obseruatum, vt ait Valer. Maximus, Tarquinius successor eius neglexit, nec deinceps alij satis accurate seruarunt, adeo vt octauum lustrum in annum vrbis 280. cadat.

Eius obseruatio.

li. 3. c 4.

ANNVS MVNDI 3488.

SALATHIELIS 13. DESOLAT. 42.

TRANSMIGRATIONIS 53.

EVILMERODACHI 17. Imp. Babyl. 155.

OLYMPIADIS LIII. AN. 3.

SER. TVLLII 12. VR. COND. 187.

ANTE CHRISTVM 565.

I. Pisistratus Athenis tyrãnidem occupat, eiusque modus.

TVmultuabatur iamdudum Athenis Respublica, tribus diuisa factionibus, quarum antesignani erant Lycurgus, Megacles, & Pisistratus, qui plebi maxime patrocinabatur, eamque valde habebant obsequentem; cuius hoc anno tyrannis erupit, Comio supremum gerente magistratum. Erupit autem hoc modo. Pisistratus impositis sibi ipsi, & multis cutulibus domi vulneribus, bigis in forum prouectus, multitudinis opem contra aduersarios implorauit, à quibus Reipub. causa ita deformatus esset, dum potentioribus resistit, qui plebem opprimere ac deuorare conarentur. Quæ cum voce, vultu, gestuque, quibus multum valebat, & oratione maxime ad veritatem composita diceret, populo persuasit, vt sibi 50. corporis custodes darentur. At ille trecentis satellibus cinctus, arcem Athenis, & cum arce tyrannidem occupauit, aduersariorũ factionibus fuga dilapsis. Cumque ei Solon & nascenti, & natæ frustra restitisset, cumque Pisistratus ipse, vt hominem populo charum, omni honore atque obseruatione coleret, abijt ipse nihilominus ad Cræsum Lydiæ Regem. Vnde eum Pisistratus, literis per humaniter reuocare conatus est. Itaque duplex apparet Solonis peregrinatio, altera decennij, ad l gum suarum confirmationem; altera fere bienn j, ad odium tyrannidis legibus omnibus inimicæ, Athenien sibus demonstrandum. Vt ex Phania Ephesio scribit Plutarchus.

Phil. in Solone.

Quamuis repugnante Solone.

Altero porro anno ab occupata à Pisistrato tyrannide, Hegesestrato Prætore, vltimo anno Olympiadis 53. & mortuus est Solon, 80. natus annos, & quidem in Cypro, vt ait Laërtius, cum patriam tyrannidis causa reliquisset: additque eum suis mandasse, vt ossa sua Salaminam transferrent, & in cinerem soluta per prouinciam disseminarent, vt plerique fide digni tradiderunt, quamuis repugnante Plutarcho, qui ita eum, multa cum sapientiæ laude, diutissimè vixisse tradit, vt impuris puerorum amoribus deditum fuisse fateatur: idque ait cum ex amatoris eius carminibus intelligi, tum ex lege quam posuit, ne quis seruus pueros amaret: quasi ingenuorũm hic amor esset & honestorum, quos ad eum tacite inuitabat, cum alios repellerer. Hæc & plura Plutarchus. Ex quibus intelligis, Christiane

II. 3489. Qui sequenti anno in Cypro moritur.

Fœdi mores Solonis.

lector, quales fuerint insipientes in populo, qui tales haberet sapientes. Si enim ipla lux tenebrosa fuit, ipsæ tenebræ quantæ erant? Quo magis intelligi potest quantum Seruatori nostro, integritatis atque innocentiæ Principi, debeamus, qui hanc sentinam purgauit, tyrannidem carnis compescuit, & corporis animique munditiam inuexit in mundum.

ANNVS MVNDI 3490.

SALATIELIS 15. TRANSMIG. 55.

IOSEDECI & DESOLAT. 44.

EVILMEROD. 19. Imp. Babyl. 157.

OLYMPIADIS LIV. AN. 1.

SERVII TVLLII 14. VR. CO. 189.

ANTE CHRISTVM 563.

I. Ibycus Æsopus. Abaris. *Euseb. Suidas. Menod. in Basil.*

HIppostratus Crotoniates hac Olympiade coronatus est, in qua Ibycus poëta Lyricus Samum, Crœso Lydorum Rege, venisse perhibetur. Æsopus autem Delphos, ibique è saxis Phædeiadibus in præceps datus. Abarim quoque de Scythia in Græciam venisse memorat Eusebius. Ferunt, inquit Nazianzenus, Abarim apud Scythas ab Apolline sagittam accepisse, quam iaculans, simul & ipse cum ea ferebatur. Itaque velocissime populos transmeans per eam responsa dabat. Sic ipse. Non erat vtique difficile dæmoni, quo instante vaticinabatur, eodem transferente, aëtem sagitta celerius peruolare, & immensa terrarum spatia peragrare.

II. 3491. Pisistratus vrbe pellitur.

Anno sequenti Pisistratus, quarto Dominatus anno, opera æmulorum suorum Megaclis & Lycurgi vrbe pellitur, vt libro primo scribit Herodotus, & in Eretriam, quæ vrbs erat in Eubœa insula, vel vt aliis placet, in Thessalia venisse ait.

Iosedeci Pontificatus.

Video porro diuturnum iam videri posse Iosedeci Pontificatum, sed nullus alius reperitur Pontifex toto hoc desolationis tempore. Itaque Genebrardus ei annos septuaginta Pontificatus attribuit, & filij eius Pontificatum, cum Zorobabelis principatu consociat. Neque enim absurdum est, cum Sarias Pontifex à Nabuchodonosore occideretur, Iosedecum eius filium valde iuuenem fuisse, ideoque & Pontificis inane nomen, sine Pontificis muneribus, valde diu Babylone retinuisse.

De ipso ergo sub finem desolationis iterum agemus.

***

ANNVS MVNDI 3493.

SALATHIELIS 18. TRANSMIG. 58.

IOSEDECI & DESOLAT. 47.

EVILMERODACHI 22. Imp. Babyl. 160.

OLYMPIADIS LIV. AN. 4.

SERVII TVLLII 17. VR. CON. 192.

ANTE CHRISTVM 560.

I. Finis regni Astyagis.

TRigesimus quintus & vltimus agitur Astyagis Regis Medorum annus, tot enim regni annos ei tribuunt Herodotus & Diodorus Siculus, totidemque à trigesimo primo Nabuchodonosoris numerantur. Quomodo autem, Cyri & Harpagi opera, regno deiectus fuerit Astyages, paucis ex Herodoto dicendum est. Manebat Harpago Satrapæ alta mente reposita iniuria, quam ab Astyage in filij sui nece, ac ferali conuiuio acceperat: quam vt vleisceretur Cyrum regia stirpe progenitum, pridem in Persidem ablegatum, quique in virilem iam ætatem euaserat, per occultas literas ad bellum contra auum excitat, Medorum defectionem promittens, quos ipse interea ab Astyage, qui alioqui eis erat acerbior, alienos, rerumq; nouarum cupidos reddebat. Quibus literis excitatus Cyrus, Persas suos à Medis, spe iucundissimæ vitæ, abiecto Medorum iugo, abduxit, & contra Astyagem adduxit infestus. Is parat exercitum vt Persis occurrat, eique Harpagum præficit, qui in pugna prætiaticatus, victoriam Cyro dedit.

Harpagi proditio.

II. Astyages vincitur, & venit in potestatem Cyri.

Astyages nihilominus minas intentans Cyro, cum Magos, à quibus supra Cyri fortuna deceptus fuerat, egisset in crucem, omnem armat ætatem, quam in Cyrum ipsemet ducit, sed in pugna victus, fugatur, viuusque capitur: eique capto astans Harpagus insultauit, cædem filij, cœnamque feralem exprobrans. Cyrus Astyagi regnum ademit, eumque apud se habuit, quoad ille vixit. Quæ causa postea Crœso Lydorum Regi fuit, vt Cyrum bello peteret: Astyagem enim, sororis siue Arienæ maritum, illi eripere cupiebat. Neque absurdè aliqui existimant, Cyrum hoc Astyagi materno auo degisse, vt dum viueret, Rex Medorum appellaretur; ipsius autem ex adoptione filius, qui Cyri erat auunculus, (quem alij Cyaxarem, vt Iosephus & Xenophon, alij Darium Medum, vt Scriptura, alij denique iuniores Astyagem appellant) in Media precario regnare permisit, vt sibi Medos conciliaret, quos sciebat Persis, quibus paulo ante dominati fuerant, inuitissimè obtemperare.

A quo conseruatur.

Dario Medo filio eius permittit regnum Mediæ.

ANNVS MVNDI 3494.

SALATHIELIS 19.TRANSMIG. 59.

IOSEDECI & DESOLAT. 48.

EVILMEROD.23.& vlt. Imp. Babyl. 16.

OLYMP.AN. 1.CYRI 1.

SER.TVLLII 18.VR.COND.193.

ANTE CHRISTVM 559.

I. Mors Euilmerodachi.

EVilmerodachus Magni Nabuchodonosoris filius, hoc anno & vitæ & regni finem accepit, à sororis suæ marito, propter iniustitias & libidines, vt ait Berosus apud Iosephum, interfectus. Cæterum celeberrimus est hic annus primus Olympiadis 55. in qua idem qui proxima victor fuit Hippostratus Croroniates, initio regni Cyri Persarum Regis, idque tam certum scriptores antiqui censuerunt, vt ab hac epocha, vltro citroque annos numerarent & confirmarent. Id sentit & sequitur Eusebius in Chronico, & lib.10.de Præpar.cap.10.Vbi ex 3. Chronographiæ Africani hæc habet. *Cyrus Persicum regnum obtinuit, cum Olympias ageretur LV, vt ex Diodori Bibliotheca, Thalli, & Castorii, necnon Polybij, & Phlegontis historiis, auferre licet, aliisque praterea, qui Olympiadum seriem texuerunt: omnibus enim in eo tempore definiendo conuenit.* Sic ipse, qui mox distinctius primum annum eiusdem Olympiadis nominat. Septem ergo habemus huius Chronologiæ testes, quorum recentissimus est Eusebius, quem Hieronymus sequitur, imo communis est omnium sententia, vt ait Africanus.

II. Regnum eius ab Imperio distinctũ 1. Esdr. init.

Sed grauis est hoc loco, neque dissimulanda difficultas. Nam Africanus idem eodem anno, septuagenariam Iudæorum captiuitatem dicit exactam. Imo Scriptura ipsa non vno loco, ait primo anno Cyri dimissos Babylone Iudæos, siue potestatem abeundi factam, scriptoque traditam. Respondendum est ex multorum certissima, verissimaque doctrina, duplex regnandi initium Cyro esse tribuendum, alterum in Perside, quod in hunc annum cadit, alterum Babylone, quando ea capta Imperium Babyloniorũ transtulit in iura Persarum; & de hoc 1. anno Imperij Scriptura, & prædicti Chronologi, & omnes passim interpretes intelligendi sunt, quod post 22. annos continget. Ingenue tamen iciendum est non paucos tam antiquos scriptores, quam nouos, annos regni, & Imperij Cyri non distinxisse, quos tamen minime confundendos esse in Annalibus accuratè docuimus.

n.3.4 & seqq.

III. Confirmatur ex Beroso, Herodoto. Apud Ioseph. l.19. Apionem.

Hic tantum dico Berosum Chaldæum de vltimo Chaldæorum Rege agentem ita scribere. Eius regni anni 17. egressus Cyrus è Perside, cum magno exercitu, vniuersa Asia subacta, impetum fecit in Babylonem. Quod Herodotus explicans, postquam Astyagem à Cyro deuictum narrauit, multas prouincias populosque enumerat, quos Cyrus partim sua, partim Harpagi opera sibi subiecit. Quam enumerationem concludens, ait Cyrum, vbi continentem vniuersam suæ ditionis fecisset, Babyloniis bellum intulisse. Quomodo ergo dici potest initiũ regni eius, à Babyloniorum deleto Imperio, vel quod idem est, à soluta Iudæorum captiuitate ducendum esse? & non potius à deuicto Astyage, aut ciuili eius morte, iuxta illud Danielis, *Et Rex Astyages appositus est ad patres suos, & suscipit Cyrus Perses regnum eius.* Quid enim probabilitatis habet, Cyrum priuatum adhuc, statim Babylonios infinitarum gentium victores & Dominos aggressum esse, nisi plane dementissimum dicamus, quem tradunt fuisse prudentissimum, & non potius per quædam incrementa, à paruis initiis ad summa feliciter peruenisse?

l.23.15 & latiõ ne.

IV. Regnum nunc inchoatur, Imperiũ excisa Babylone.

Ex his ergo, aliisque recte colligimus, Imperium siue Monarchiam Cyri ab eius regno distingendam esse, vt supra de regno & Imperio Nabuchodonosoris dicebamus. Et regnum quidem Cyri, ab Olympiade quinquagesima quinta ineunte inchoandum esse, Imperium autem à subiugata Babylone, & soluta Iudæorum captiuitate incipere oportere, & de primo quidem anno Imperij accipienda esse, quæ hac de re in fine 2. Paral. & initio 1. Esdræ habentur. De primo autem regni anno scriptum à Daniele Cyrum suscepisse regnum Astyagis: vtique quod ille habebat in Media, & Perside, non autem in Chaldæa & Babylone, in qua Euilmerodach Chaldæus regnabat, non Astyages Medus.

V. Initium regni Darij Medi

l.8.Padia.

Hoc ipso anno existimamus Darium Medum, siue Cyaxarem in Media Cyro permittente regnare cœpisse, vt anno superiore dicebamus, & pacem inter eos affinitate firmatam. Nam vt scribit Xenophon, Cyaxares ei filiam, quam habebat vnicam, in matrimonium dedit, & nomine dotis eriam regnum pactus est; vt scilicet illud non iure belli tantum, deuicto Astyage, sed pacis quoque iure, accepta in vxorem regni hærede, possederit. Firmam fuisse hanc pacem, vel ex eo conijcere licet, quod iunctis armis animisque, omnia in Asia bella gesserunt, quodque, vt Scriptura tradit, cum eo Babylonem expugnarit. Eodem igitur tempore deiecto Astyage, qui Persis imperabat & Medis, vt ex Herodoto constat, ei Cyrus in Perside, Darius autem in Media successit, sed ille vi, iste precario.

Dat Cyro filiam vxorem.

Ambo q; simul regnant.

ANNVS MVNDI 3495.

SALATHIELIS 20.TRANSMIG.60.

IOSEDECI & DESOLAT. 49.

BALTHAZARIS 1. Imp. Babyl. 161.

OLYMPIADIS LV.AN.2

CYRI, & DARII MEDI.2.

SERVII TVLLII 19.VR.COND.194.

ANTE CHRISTVM 558.

I. Regnum Balthazaris. Dan.5.1

BAlthazarem hoc anno Chaldæorum Imperio præficimus, post exactos 23. annos Euilmerodachi, quos ei communior sententia tribuit: quam etiam secuti, imo & Scripturam ipsam, reliquos vel tyrannos, vel fictitios Reges exulatoramus, iuxta ea quæ in morte Nabuchodonosoris posita sunt. Balthazari au-

tem, cuius Imperium ad occasum vsque Monarchiæ Babyloniorum cum Scriptura producimus, vnum & viginti tribuimus; quot videlicet ad extremam Desolationem, eiusque annum septuagesimum supersunt. Ad primum autem eorum pertinet somnium Danielis de quatuor ventis, totidemque bestiis, quibus quatuor Imperia significabantur Babyloniorum, Persarum, Græcorum siue Macedonum, & Romanorum, quod excipiet Antichristus, cuius dominatus iudicio Dei generali, & seculi consummatione terminabitur. Florebat hoc tempo-
Chilo Lacon de 7. sapient.
Chilo Lacedæmonius, vnus de 7. Græciæ sapientibus, qui hac ipsa Olympiade Ephorus fuit, primusque instituit, vt Ephori Spartæ regibus iungerentur, vt ait Laërtius; quamuis hoc institutum alij Lycurgo tribuant.

ANNVS MVNDI 3496.

SALATHIELIS 21. TRANSMIG. 61.

IOSEDECI & DESOLATIONIS. 50.

BALTHAZARIS 2. Imp. Babyl. 163.

CYRI, & DARII MEDI. 3.

OLYMPIADIS LV. AN. 3.

SER. TVLLII 20. VRB. COND. 195.

ANTE CHRISTVM 557.

I. An Daniel à Rege abierit.

CReditur Daniel sese ex impij Regis curia subduxisse, ex quo factum sit, vt Regi sub eius mortem esset incognitus. Probabilius tamen videtur illam ignorantiam ex ebrietate fuisse profectam. Nam non potuit plane ignorare Danielem, vnus aut plurium etiam Prouincias Imperij Babylonici præsidem. Vnde in fine visionis, quæ anno sequenti contigit, dicitur Daniel, postquam ex ægritudine conualuisse, sese Regijs negotijs de more applicuisse.
c.8.27.

II. *Herod.* Pisistratus tyrannidem cõmento recuperat.

Huius Olympiadis anno tertio, vt scribit Sigonius, Pisistratus exul tyrannidem ridiculo commento recuperauit. Cum enim Megacles & Lycurgus quorum opera ille Athenis pulsus fuerat, inter se ad seditionem vsq; dissentirent, Megacles ea fatigatus misso caduceatore Pisistratum inuitat ad filiæ nuptias, tyrannide in dotem promissa. Accipiente conditionem Pisistrato ambo mulierem quandam subornarunt, Phyam nomine, quæ se Mineruam simularet. Eam igitur Mineruæ ornatu armisque instructam, & currui impositam in vrbem agunt, præmissis præconibus, qui dicerent, *Athenienses bona mente excipite Pisistratum, quem Minerua ipsa in suam reducit arcem.* Quod cum illi credidissent, mulierem illam vt deam coluerunt, & Pisistratum recepere, qui recuperata tyrannide, Megaclis filiam duxit vxorem.

III. Cyrus inualescit, Crœsus in eum mara cogitat.

Cyrus interea Paulatim inualescebat, cum Crœsus veteri cœpit ne rebus Persarum augescentibus, ipse quoque principatu, sicut Astyages, deijceretur, sed Astyagis quoque, qui sororem suam Arienam habebat vxorem, conditione mouebatur. Multum autem temporis posuit in oraculis toto orbe consulendis, à quibus deceptus est, multum quoq; in auxiliis vndique conquirendis, vt est apud Herodotum.

l.1.

Etruria se Romanis subjecit.

Hoc vigesimo anno Seruij, vt autor est Dionysius, coactæ in concilium duodecim Etruscæ gentis vrbes, tam viris quam opibus bello consumptis, Romanis, iisdem quibus antea conditionibus principatum tradidere: quos Rex posita ira, & omnium iniuriarum memoria, voti compotes fecit, agri parte mulctatis iis, qui belli autores fuerant, Tarquinijs, Veientibus, & Cæretanis.

IV. 3497. Visio Danielis de ruina Imperiorum

10. 6. sub. init.

Sequens annus, qui fuit Balthazaris tertius, nobili Danielis Prophetia illustratur, octauo illius capite comprehensa; in qua de euersione Imperij Persarum per Alexandrum Macedonem, deque Antiochi Epiphanis in Iudæos crudelitate, impietate, nefandisque sceleribus, quæ post trecentos & octoginta circiter annos contigerunt, sanctus Propheta vaticinatur, quæ in Annalibus studiosus Lector non negligenter explicata reperiet; maxime autem vbi ad Machabæos ventum fuerit.

V. 3499. Zorobabelis ortus.

c.3.

Anno autem fere quinto Balthazaris, Tornielus non improbabiliter existimat genitum Zorobabelem à Salathiele filio Iechoniæ, olim Rege Iudæorum. Id enim consentaneum est iis, quæ 3. libro Esdræ scripta sunt, vbi Zorobabel vnus est de tribus iuuenibus, qui erant Regij corporis custodes, sub initium regni Darij Hystaspis. Eiusdem autem Balthazaris anno sexto, contigit Iubilæus ab Orbe condito septuagesimus, (est enim mundi 3500.) quo exciso pridem Assyriorum Imperio, etiam Babylonium inclinabat ad ruinam, inualescente in dies Cyro, illudque crebris carpente victoriis, dum Balthazar, vt extrema docuerunt, in maxima amplissimaque fortuna, genio, & curi curandæ insipienter indulget. Fuit hic idem annus Sabbaticus 131.

3500. Iubilæus 20. Sabbaticus 131.

ANNVS MVNDI 3501.

SALATHIELIS 26. TRANSMIG. 66.

DESOLAT. & IOSEDECI 55.

BALTHAZARIS 7. Imp. Babyl. 168.

OLYMPIADIS LVI. AN. 4.

SER. TVLLII 25. VRB. COND. 200.

ANTE CHRISTVM 552.

I. Secularis annus Romæ, cum centu & lustro.

ADest Romanæ vrbis alter secularis annus, quem verisimile est multis Romæ ludis, sacrificijs, conuiuijsque celebratum. Ad maiorem autem huius anni celebritatem, videtur tertium lustrum à Rege conditum, est enim hic annus à primo lustro decimus quintus, numeratis extremis. Mirum est autem Dionysium dicere hunc Regem vehementer affectum fuisse erga Fortunam, ideoq; duo illi templa excitasse, vnum bonæ fortunæ, alterum fortunæ virilis, ob perpetuum eius fluore: qui vt prima ætate fuerit fœlix, extrema fuit infœlicissimus, vt suo loco dicetur.

Hoc

III. Pisistratus iterū exulat.

Hoc ipso anno Pisistratus, qui nuper Athenis tyrannidem simulatæ regionis ope recepera-rat, iterum vrbe cedere, atque exulare cogitur. Cum enim vxorem tanquam piaculatem contemneret, atque ab ea abstineret, Megacles socer eius iratus, cum Lycurgo, eiusque factione in gratiam redijt, & cum iis aduersus Pisistratum coniurauit; quod ille sentiens, in Eretriam profectus est, vbi in priore exilio vixerat.

ANNVS MVNDI 3502.

SALATHIELIS TRANSMIG. 67.

IOSEDECI & DESOLATIONIS 56.

BALTHAZARIS 8. Imp. Babyl. 169.

OLYMPIADIS LVII. AN. 1.

SERVII TVLLII 26. VR. CON. 201.

ANTE CHRISTVM 551.

I. Olymp. 57. Simonides.

LAdromus Lacedæmonius in Olympicis hoc anno Princeps cursorum fuit, ex quo fortasse hoc nomen accepit. Florebat vero in primis hac Olympiade Simonides, qui in Lyrica poëti eam laudem tulit, vt propter carminis suauitatem Melicertes appellaretur. Certe Plinius eum Melicum siue mellitum vocat, non vtique à patria, vt qui ex insula Ceo esset oriundus. Eidem ars memoriæ, & inuentio aliquot literarum Græcarum tribuitur. Hac ipsa Olympiade quinquagesima septima collocat Eusebius expeditionem Crœsi aduersus Cyrum; cuius causas iam supra attigimus, metum potentiæ Cyri, & studium liberandi Astyagis mariti sororis suæ.

Vide Plin. lib. 7. c. 24.

Crœsi apparatus ad bellū. *a 20. Ser. Tullij.*

ANNVS MVNDI 3506.

SALATHIELIS 31. TRANSMIG. 71.

DESOLATIONIS & IOSEDECI 60.

BALTHAZARIS 12. Imp. Babylon. 173.

OLYMPIADIS LVIII. AN. 1.

SER. TVLLII 30. VR. COND. 205.

ANTE CHRISTVM 547.

I. Templi Apollinis incendiū.

CElebris est Olympias 58. cum aliis rebus, tum iis maximè, quæ à Cyro contra Crœsum, tunc in Asia inferiore potentissimum Principem gesta perhibentur. Nam huius Olympiadis initio, Daphnici Apollinis templum conflagrasse refert Pausanias libro septimo. *Conflagrauit*, inquit, *hoc templum Principatum obtinente Atheniensium Isarchide octauo & quinquagesimæ Olympiadu anno primo, qua palmam tulit Diognetus Crotoniates* Sic ipse. Secundum fuisse hoc incendium scribit Eusebius: sed sæpius etiam deinceps eandem cladem miser Apollo passus est, cum infinita rerum pretiosissimarum tractata: dum à templo suo abfuit, Crœsi iuuandi causa. Claruit hac ipsa Olympiade Theognis poëta, quando Anaximander Philosophus annum ætatis egit 64. pauloque post obijt, vt est apud Laërtium; maxime autem floruit sub Polycrate Samiorum tyranno. Sanctus Augustinus ait eum fuisse Thaletis auditorem, & nihil diuinæ menti in rerum operibus tribuisse. Thaletem autem nonagenarium hac Olympiade mortuum, autor est in eius vita Laërtius.

Theognis.

Anaximander.

l. 8. de Ciu. c. 2.

Narrat Herodotus, quo tempore Crœsus, à fœderatis sibi Lacedæmoniis, obsidente Lydorum Regiam Cyro, auxilia petiit, eos intestino contra Argiuos bello fuisse occupatos, de finibus autem suis contendisse. Cumque placuisset non totis exercitibus concurrere, trecentos vterq; exercitus delegit qui ea conditione pugnarent, vt Regio controuersa victorum esset: & ne succumbentibus socij opem ferrent, vterque exercitus domum abijt. Isti tanta animorum obstinatione certarunt, vt de sexcentis viris duo tantum Argiui, & vnus Lacon superesset, cumque illi victoriam sibi vindicarent, quod duo essent superstites, hi quod suus in campo solus perstitisset, & spoliasset hostem, concurrente rursum vtroque populo, Lacedæmonij victores fuerunt, & agrum magnò emptum obtinuerunt.

II. Argiuorū [illegible]

Iam quod attinet ad præcipuam huius temporis historiam, initium bello datum est à Crœso, qui prior Halim, quo fluuio Cyri & Crœsi distinguebantur fines, traiecit infestus, & venit in Cappadociam. Dum autem Cyrus cogit exercitum, ille prædia Syrorum vastat, & vrbem Pteriorum expugnat, diripitque. Adest Cyrus, diriguntur acies, concurritur, pugnatur acriter, & multis vtrinque cadentibus, ad extremum nocte interueniente dirimuntur acies, neutris victoribus, neutrisque victis. Postera die cum Cyrus quiesceret, Lydus regressus est Sardeis, & fœderatorum auxilia dimisit, & ad quintum mensem Sardeis adesse iussit. Dimisit quoque exercitum suum, minime credens Cyrum, qui proximè æquo marte pugnasset, Sardeis Lydorum Metropolim oppugnaturum. Quo cognito, Cyrus quam maturrimè potest, exercitum Sardeis promouet. Crœsus inopinata re territus, Lydos tamen educit in prælium, equitatu maxime confisus. Eius vt vim Cyrus eluderet, camelos equis eius obiecit, quorum odorem cum equi ferre non possent, auersi equites adducebant à prælio. At Lydi ex equis desiliunt, & pedites cum Persis confligunt, multisque aliquandiu vtrinque cadentibus, tandem vertuntur in fugam, muroque ingressi à Persis obsidentur.

III. Crœsus Halim superat.

Cui Cyrus occurrit, æquo marte pugnatur.

Crœsi imprudētia.

Hic Crœsus mittit ad socios vt quamprimum conueniant, opem laturi Sardibus iam obsessis. Sed tardiora fuerunt auxilia: Nam 14. die ciuitas expugnata est, diteptáque cum ibi Crœsus totidem regnasset annis. Crœsus vinus in Cyri potestatem venit, in cuius cædis periculo, mutum filium locutum Herodotus fabulatur, vt in Annalibus ostendimus. Cætera notiora sunt, quam vt fusius perscribantur. Quomodo scilicet vinctus compedibus, super struem lignorum, cum 14. Lydorum

IV. Sardeis à Cyro expugnantur.

Crœsus capitur, incendio liberatur.

nu. 6.

filiis, impositus fuerit, vt viuus cremaretur, vt Solonem ter ingemiscendo inclamauerit, à quo didicerat neminem ante obitum dici posse beatum: vt ea re cognita Cyrus ipse, reueritus fortunæ inconstantiam, eam flammis eripi mandarit: sed cum iam pyra maiore flagraret incendio, vt rogatus à Crœso Apollo, densissimis imbribus, cum adhuc sudum esset, flammas extinxerit, Crœsusque seruatus sit, quem Cyrus deinceps apud se honorifice habuerit, eiusque consilio multa peregerit.

ANNVS MVNDI 3510.

SALATHIELIS 35. TRANSMIG. 75.

IOSEDECI & DESOLAT. 64.

BALTHAZARIS 15. Imp. Babyl. 177.

OLYMPIADIS LIX. AN. 1.

SERVII. TVLLII 34. VR. CO. 509.

ANTE CHRISTVM 543.

I. Crœsi obitus.

HAc Olympiade, qua Archilochus Cercyræus cursu, Praxidamas Æginetapugilatu victores facti memorantur, Crœsus mortuus perhibetur in catalogo Olympionicarum. Et probabile est hominem à tanto fastigio, ad tantam calamitatem repente deturbatum, mœrore animi cito contabuisse. Præsertim si vera sunt quæ scribit Ctesias, Crœsi filium obsidem Cyro datum, in patris conspectu interfectum; eamque calamitatem eius matrem intuitam, è muro se præcipitem dedisse: ipsum autem Regem sæpius repetitis vinculis fuisse colligatum. Herodotus tamen eum viuum retinet vsque ad tempora Cambysis, filij Cyri, ac successoris. Ad hanc ipsam Olympiadem Laërtius, & sanctus Cyrillus in Iulianum, tradunt Pherecidem Syrum Pythagoræ præceptorem cœpisse innotescere: itemque Phocylidem & Xenophanem tragicum Poëtam; quos Eusebius differt ad sequentem.

l. 1.

Pherecydes. Phocylides. Xenophanes.

II. Cyrus Asiam late occupat.

Cyrus autem hac maxime Olympiade 59. tam ipse per se, quam per suos duces Asiam pene vniuersam occupauit, aditumque sibi per multiplices victorias, ad Babyloniam denique occupandam, & imperium in Persidem transferendum muniuit. Ionas & Aeoles audita Crœsi & Lydorum clade, qui ante Cyri amicitiam recusarant, eandem per legatos expetierunt, oblato tributo, quod Crœso persoluere solebant. Quos cum Cyrus reiecisset, ipsi se ad arma parant, & Lacedæmoniorum auxilia petunt; qui per legatos Cyrum monent, vt à Græcis Asianis violandis abstineat, alioqui id se minimè toleraturos. Quibus respondit Cyrus, se daturum operam, vt propria potius incommoda, quam aliena deplorent. Itaque illos per Harpagum Ducem domuit, alios que deinceps inferiotis Asiæ populos Persarum iugum subire coëgit. Ipse autem in superiorem Asiam expeditionem suscepit.

Huius Olympiadis anno 2. Pisistratus post annos vndecim quam vrbe cesserat, exercitu comparato, & secundo prœlio ad Marathonem cum ciuibus suis facto, vrbe potitus, tyrannidem renouauit & confirmauit, vbi pleraque ciuitates sibi conciliasset, & ab iis copias pecuniasque corrasisset, Marathonem in Attica occupasset, vbi seditiosos ex vrbe ad se confluentes excipiebat. Itaque conflato exercitu vrbem versus mouet, Athenienses obuiam progressos repellit, ac vertit in fugam. Fugientibus autem immittit equites, non qui cæderent, sed qui Pisistrati nomine iuberent bono esse animo, & ad sua quemque incolumen abire. Qua humanitate victi Athenienses, eius se tyrannidi tertio subiecere: quam ille auxiliariorum copiis, pecuniarum prouentibus, & obsidibus Naxum translatis, diligentius stabiliuit.

III. 3511. *Ab an. 4 Olymp. 54* Pisistratus tertium tyrannidem occupat.

ANNVS MVNDI 3514.

SALATHIELIS 39. TRANSMIG. 79.

IOSEDECI & DESOLAT. 68.

BALTHAZARIS 20. Imp. Babyl. 181.

OLYMPIADIS LX. AN. 1.

SERVII TVLLII 38. VR. COND. 213.

ANTE CHRISTVM 539.

I. Mors Habacuc Prophetæ.

HOc anno, qui fuit Sabbaticus 133. mortuum esse Prophetam Habacuc, Epiphanius in eius vita testatur. Hic Propheta, inquit, non pauca de Aduentu Domini vaticinatus est, atque ante biennium quam populus Babylone rediisset, mors Prophetam occupauit, & magnis honoribus in agro suo sepultus est. Hunc autem Habacuc alium esse ab eo, cuius extat Prophetia ratio temporis euincit, vt in Annalibus explicatum est. In hac porro Olympiade sexagesima Apellæus Eleensis in Olympiis coronatus est; circa quam Xenophanes Colophonius claruit, qui Homerum atque Hesiodum iambis insectatus est, propter eas fabulas, quas de diis inuexerunt, vt autor est Laërtius, qui ait eandem floruisse Pythagoram Samium, Principem Italicæ Philosophiæ: sicut Ionicæ Thaletem Milesium. Vixit ad 80. aut vt aliis placet, ad 90. annos, habuitque in Pythagorica disciplina successores vsque ad nonum decimumque doctorem. Scripsit Heraclides eum Metapontij, cum diutius viuere nollet, inedia vitam finiisse.

Xenophanes Colophonius.

Pythagoras, eiusq; mors.

II. Parat Cyrus expeditionem in Chaldæos.

Ipso primo anno huius Olympiadis videtur Cyri expeditio aduersus Babylonios inchoata. Nam vt ex Herodoto & Xenophonte colligitur, ea minimùm tenuit biennium: captam autem Babylonem sub initium septuagesimi anni Desolationis, ostendit illud Ieremiæ, *cum cœperint impleri in Babylone 70. anni, visitabo vos.* Idque requirunt res, quæ in eundem annum cadunt. Illustris huius biennij coniectura habetur ex Ieremia, cum ait biennio ante ruinam Babylonis belli rumorem sparsum iri, & confirmat Iudæos ne illo rumore turbentur.

Et ne

c.51.46. Ratio temporis.

Et ne forte, inquit, *molleſcat cor veſtrum, & timeatis auditum, qui audietur in terra, & veniet in anno auditio. & poſt hunc annum auditio, & iniquitas in terra, & dominator ſuper Dominatorem.* Id eſt, ne paueatis ad quemcunque belli rumorem per Caldæam diſſipandum. Nam vno anno belli rumor ſpargetur (hic eſt annus præſens 68. Deſolationis) in altero autem audietur fama Perſarum atque Medorum iam iamque aduentantium. In alio denique Chaldæus dominator opprimetur à dominatore Cyro.

III. Magnitudo copiarum.

Magnitudinem copiarum eius non ſolum Xenophon, ſed Ieremias quoque vehementer exaggerat, & quamuis vterque taceret, res ipſa clamat, tantam vrbem, quæ iam centum & 80. annis ſedes Imperij totius Orientis extiterat, ſine maximis copiis tentari ab homine ſano non debuiſſe: immenſæ autem ei ex tota iam Aſia ſubiugata ſuppetebant. Maximarum ergo copiarum famam audiuit Rex Babylonis, *& diſſolutæ ſunt manus eius*, vt ait Ieremias. Ex eoque timore factum eſt, vt Chaldæi multorum annorum commeatum Babylonem comportarent. Quibus nihilominus Propheta denunciat, diuinam eis vltionem imminere. *Acuite ſagittas*, inquit, *implete pharetras; ſuſcitauit Dominus Spiritum Regum Medorum, & contra Babylonem mens eius eſt, vt perdat eam; quoniam vltio Domini eſt, vltio templi ſui* profanati, expilati, incenſi, & æquati ſolo. Regem autem Medorum intelligit Cyrum & Darium, quorum ille iure belli Medorum Rex erat, iſte precario, vt ante dixi,

c.50.43.

c.51.11.

Cyrus amnem diſſecat in 360 partes.

Dum autem Cyrus Babylonem verſus iter faceret ad Gyndem amnem, qui influit in Tygrim ſubſiſtere coactus eſt, quod ſine nauibus, quibus carebat, traijci non poſſet. Interim quidam è ſacris equis candidis fluuium petulanter ingreſſus, vorticibus eius abſorptus eſt. Id Cyrus indigne ferens, minatus eſt ſe tam tenuem eum redditurum, vt facile deinceps vel à mulieribus traijci poſſet, ne genua quidem tingentibus. Itaque vtraque ex parte fluuij 180 foſſas duci iuſſit, in quas fluuij aquas deriuauit, tota æſtate in huiuſmodi opere ab vniuerſo exercitu conſumpta, Babylonis interim obſidione dilata. Tantum valuit Regis vanitas inconſulta.

V Conſilia Tarquinij contra ſocerum Regem.

Hæc dum in Oriente gerebantur. Romæ L. Tarquinius Seruij Tullij gener, ægre ferebat ſoceri tam diuturnum regnum, quod ſibi debitum, vt Tarquinij Priſci nepoti, interpretabatur, omnique ſtudio diſpiciebat, quo modo illud occupare poſſet, quantumuis vxore, quæ miti erat ingenio, diſſuadente. Arunti autem Lucij fratri natu minori, minor quoque Seruij filia vxor contigerat, ſed ferox homini mitiſſimo. Vterque maritus cum innatos ſequeretur mores, ab vxore traducebatur in contrarios.

Nec res vlterius hoc anno progreſſas, ſequens annus oſtendet.

***

ANNVS MVNDI 3515.

SALATHIELIS 40. TRANSMIG. 80.

IOSEDECI & DESOLATIONIS 69.

BALTHAZARIS 21. Imp. Babyl. 182.

OLYMPIADIS LX. AN. 2.

SER. TVLLII. 39. VR. CON. 214.

ANTE CHRISTVM 538.

I. Spes & preces Iudæorum.

QVo propior erat nunc ſeptuagenariæ Deſolationis terminus, hoc magis Daniel, cum ſociis, & Ioſedec & Ioſue filius eius, aliique temporis huius Prophetæ & Sacerdotes, intenti erant offerendis Domino precibus, illud Dauidicum inculcantes, *Tu exurgens miſereberis Sion, quia tempus miſerendi eius, quia venit tempus.* Nec minus intenti erant in Babylonis cladem ab eodem Propheta prænunciatam, & eodem annorum curriculo circunſcriptam, cuius non obſcurum videbant apparatum in Cyri & Darij Regum Perſarum & Medorum ingentibus copiis, vrbi imminentibus, & rerum ab iis hactenus geſtarum perpetua felicitate, pugnacibus animis, corporibus laborum tolerantiſſimis, & inexplebili dominandi cupiditate Accedebat fortaſſe Balthazaris ignauia, & maior conuiuiorum, quam præliorum cura.

Pſ.101.14

c.25.12.

II. Cyrus Chaldæos prælio vincit, & obſidet Babylonem.

Acceſſit itaque hoc anno ad ipſam vrbem Cyrus cum omnibus copiis ſuis, Babyloniis eum producto exercitu præſtolantibus. Cumque ventum eſſet ad manus, Chaldæi hoſtilem impetum ferre non valentes, in oppidum fuga ſe receperunt. Hoc iam primum omen victoriæ Cyri, & initium timoris, quem Babyloniis Ieremias Propheta prædixerat, quos ille vno prælio perculſos, opere laborioſiſſimo obſidere, atque oppugnare cœpit: non ſine obſeſſorum contemptu, qui commeatum in vrbem, in plurimos annos intulerant. Multos quoque de Cyri exercitu ſibi quam Perſis amiciores fore ſperabant, & ſcilicet, cum res ferret, præuaricatores fore.

III. Fluuii aquas aliò deriuat.

At Cyrus, vt ait Xenophon, iuſſit exercitum latiſſimam profundiſſimamque foſſam vndique ducere circum muros, vt aqua fluminis eo deriuata, reliquum vado tranſiri poſſet, & exercitus per medium fluminis alueum in vrbem penetraret. Herodotus vero ait aquam deriuatam fuiſſe in lacunam, quam ante multos annos Nitocris Regina, longe ſupra Babylonem neſcio conſilio defoderat, latitudine quoquouerſus trecentorum viginti ſtadiorum, profunditate vero ad aquam vſque, ſiue, vt ait Diodorus 35. pedum: & probabile eſt vtrumque factum. Reliquum ergo huius anni tempus in egerenda vtrobique terra, nouoque alueo & ſede fluminis paranda poſitum eſt, cuius ſub initium anni ſequentis vſus fuit.

IV. Iudæi ad Cyrum tranſfugiunt.

c.51.6. & 45.

Hoc ipſo tempore multi Iudæorum Babylone fugiſſe videntur, prout eos Ieremias tanto ante præmonuerat, ne cum illis perirent, qui

propter sua scelera disperdendi erant. Videntur autem ad Persas & Medos, tam præteritis Esaiæ, & Ieremiæ oraculis admoniti, quam præsentibus Danielis & sociorum eius, confugisse. Quo etiam factum est, vt Cyro ac Dario tanto erga se clementioribus vsi fuerint. Qua etiam occasione dici potest Cyrum concepisse votum illud, cuius fit mentio in 3. Esdræ, vbi ex textu Græco, habetur Cyrum vouisse exscindere Babylonem, si vinceret, & vasa sacra remittere in Ierusalem, cum primum ea haberet in potestate.

Cap 4 44.

Eiusdem votum.

V. Tullia Tarquinium ad coniugium per cædes inuitat.

Hæc dum Babylone geruntur, magnoque nec irrito conatu clades eius præparatur, Romæ quoque res nouas vehementiore conatu L. Tarquinius, & vxor Aruntis fratris eius Tullia moliuntur. Nam ista illum ambitione iam præcipitem in furorem, eique per atrocissima facinora viam ad regnandum munit. Hæc ergo mulier ferox & nata parricidiis, vt ait Dionysius, quærebat quomodo se liberaret à molesto coniuge, quem ad scelesta contra patrem consilia impellere non valebat. Tandem naturæ peruersitate ad desperatam audaciam proiecta, & rata sororis virum suis moribus maxime conuenire, accersit eum in colloquium secretum, & silentio impetrato ad ambiendum regnum, patrique eripiendum omni ratione atque artificio inflammat. Et quoniam intelligebat hæc furia, in Lucij Tarquinij regno, nihil sibi acquisitum iri, quæ tamen Regina audire cupiebat; vxoris cædem Tarquinio persuadet, parata ipsa in cædem mariti, vt ambo mox patefacto nuptiis loco, contraherent matrimonium, atque exturbato, vel occiso etiam Rege parente, regnarent. Tarquinius conditionem accepit, moxque data & accepta fide, & delibato incestarum nuptiarum fructu abijt. Quæ autem secuta sint annus sequens explicabit.

ANNVS MVNDI 3516.

QVINTÆ ÆTATIS 577. & vlt.

SALAT. 41. & vlt. TRANSMIG. 81.

IOSEDECI & DESOLAT. 70. & vlt.

BALTHAZ. 12. & vlt. Imp. Babyl. 183. & vlt.

REGNI CYRI, & DAR. MEDI 23. & vlt.

OLYMPIADIS LX. 3. V. C. 215.

ANTE CHRISTVM 537.

I. Summa capita rerum anni huius.

CElebertimus est hic annus, & rebus maximis insignis, quas huius anni titulus indicat. Hoc enim anno Iudæorum captiuitas, & seruitus Babylonica terminatur, Balthazar in mediis epulis prodigiosam scripturam videt, quam Daniel interpretatur, moxque regno ac vita priuatur. Imperium Chaldæorum concidit, Darius aliquot mensibus imperat cum Cyro, eoque mortuo, solus imperat Cyrus. Daniel apud Darium Medum in lacum leonum iterum mittitur, ac diuinitus liberatur: moxque orans magnum mysterium septuaginta Hebdomadorum addiscit. Accedent postremo infaustæ Lucij Tarquinij & Tulliæ nuptiæ, gemino parricidio copulatæ.

Vt autem à Babylonis clade ducamus initium, á qua reliqua fere pendent; concidit hoc anno magna illa Babylon, quam tanti Imperij pene parens Magnus Nabuchodonosor, qui tot alias regnorum metropoles & viderat, & euerterat, gloriosè, & cum quadam admiratione celebrat, dicens, *Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis mea, & in gloria decoris mei?* Viderat ille Ninivem in Assyria, Alexandriam in Ægypto, Hierosolymam in Iudæa, Gazam in Palæstina, Tyrum & Sidonem in Phœnicia, Damascum in Syria, Susam in Perside, Ecbatanam in Media: de sua nihilominus Babylone dicebat. *Nonne hæc est magna Babylon, quam ego ædificaui, &c.* Omnium quippe aliarum opibus locupletata, sexcentorum principum copiis roborata, & innumeris ædificiorum prodigiis decorata fulgebat. Sed de hac totius ciuitatis magnificentia, murorum præsertim longitudine, latitudine, altitudine, turribus & cubiculis; de vibis portis, fossis ac pomœriis, ædium frequentia & celsitate, de Euphrate ciuitatem interfluente, & bipertitò diuidente, qui latissima crepidine vtrimque prætexebatur, de ponte eidem imposito, regia duplici, altera ad occasum, ad ortum altera, de cuniculo sub fluuio, templo Belis, eiusque turri admirabili, hortis pensilibus, & obeliscis, aliisque regiæ magnificentiæ miraculis, præcipua, breuiter ex probatissimis autoribus explicata, studiosus Lector in Annalibus nostris reperiet.

II. Babylonis magnificentia.

Dan. 4. 27.

c. 3. ad 19.

III. Ratio & modus occupatæ vrbis.

Rationem occupatæ vrbis Herodotus tradit. Abijsse videlicet Cyrum, cum infirmiori parte sui exercitus, & lacum illum, trecentorum quaquauersum stadiorum ambitu, profunditate autem triginta quinque pedum, admittendo flumini præparatum, patefacto eius ostio aperuisse, admissoq; flumine, pristinum Euphratis alueum vadosum ac permeabilem reddidisse. Quod vbi factum agnouere Persæ, qui hoc ipsum instructi ac parati erant, per alueum vnde Euphrates abscesserat, mediorum fere femorum tenus gnauiter Babylonem introiere: quos Babylonij, si rem sensissent, potuissent, ex crepidine fluuij pessime accipere, aut certe singulorum vicorum portas areas, quæ ad crepidinem ferebant, occludere: quas Dominus se patefacturum per Esaiam promiserat, sicut & per Ieremiam venas maris Babylonici, sine, Euphratis siccaturum.

c. 45. & 44. 27. Ier. 51. 36.

Causa porro cur ex improuiso deprehensi captique sunt, fuit, eodem autore Herodoto, quod cum Chaldæis is dies festus esset, ludis, choreis, atque conuiuiis opera dabatur, eumque diem Cyrus de industria captauit, vt scribit Xenophon. Apparet autem Babylonios alicui deorum suorum tunc festum diem celebrasse: quò pertinet laus deorum super mensam à Daniele memorata, & siue præ virium fiducia, hostiumque contemptu, siue ne quid de

IV. In die festo, mediisque ludis, ac cõuiuiis.

c. 5. v. 4.

solita diei celebritate detraherent,ad obsidentium conatus attendere neglexisse. Quidquid sit,hic fuit ille festus, imo infaustus ac detestandus dies,hæc illa conuiuia tota vrbe à rege ciuibusque celebrata, quorum vnum à Daniele refertur, in quo funestus Regis Balthazaris,& imperij Babylonici occasus prodigiosè repræsentatus, & cum iam iamque immineret, prædictus est. Cum enim in Regis conuiuio mille optimatum frequentia celebrato laxè ab omnibus,secundum cuiusque ætatem, biberetur,ad regis imperium allata sunt vasa,& profanè mensæ adhibita, & in honorem Deorum Chaldæorum siccata.

c.5.v.5.

Profanatio sacrorum vasorum.

V. Digiti apparent in pariete scribentes. v.6.

Cum Dominus zelator honoris sui,& rerum sibi consecratarum, hoc postremo sacrilegio impleri voluit mensuram iniquitatum populi huius. In eadē quippe hora apparuerunt digiti, quasi manus hominis scribentis contra candelabrum è regione solij regij,quòd causa regis in primis ageretur, qui & aspiciebat articulos manus scribentis. Est autem ratione consentaneum visam quoque à cæteris conuiuis scripturam, vt Dei iudicium aduersus regem omnibus innotesceret, neq; res perturbatæ regis phantasiæ tribueretur. Hic regem ingens occupauit pauor, & tristium rerum naturali præsentione æstuabat. Videtur autem Rex operam dedisse quamprimum,vt legeret ipse scripturam, deinde etiam reliqui conuiuæ, idque irrito conatu: quod statuisset Dominus Danielem euocari, vt in istum quoque regem diuini Iudicis sententiam pronunciaret.

VI. Daniel euocatur ad scripturam legendam. v.10.

Cum ergo, ne spe quidem ingentium præmiorum, euocati Magi scripturam legere potuissent, nedum illam interpretari, resque tota vulgaretur aula, superuenit Regina conuiuio, cuius suasu accersitur Daniel, quem rex siue ex præsenti temulentia, siue ex perturbatione terroris ad tam insolens spectaculum, non satis cognitum,ad mysterium enunciandum,proposito præmio inuitat. Is hac occasione sumpta regem ad Altissimi cognitionem & timorem adducere conatur, proposito exemplo admirabil. atque domestico aui eius, vt quem secutus erat peccatum & superbientem, sequeretur pœnitentem; cum è contrario peccata vetera nouis accumulans, sacrilegio Dei summi vasa sacra profanaret. *Idcirco*,inquit, *missus est articulus manus,qui scripsit hoc quod exaratum est.* Diuino iudicio tribus verbis comprehenso, Mane, Thecel, Phares.

VII. Qui eam egit & interpretatur.

Quibus significatum est numeratos fuisse annos à Deo, sub cuius nutu vitæ nostræ momenta decurrunt, annos siue regni Balthazaris siue totius imperij Babylonici, quos ab extincto Asarhaddone, vltimo Assyriorum imperatore,numeranimus, quorum hic est 183. Altera vox significat diuino iudicio, quasi in statera,expensas regis actiones, quoniam alios non habent reges in terra iudices, & ipsi nominatim vicariam pro Deo præfecturam in regnis suis gerunt; & inuentas esse iniusti ponderis & retis actitias ipsius actiones:ideoque ipsum,quod tertia vox sonat, à regno eijciendum, & illud inter diuidendum, vt pars vna Medis cederet, altera Persis,donec Dario Medo breui extincto, & quidem hoc ipso anno, omnia in vnius Cyri potestatem redacta sunt. & sub eo Imperium Persarum sumpsit exordium, cui & Media,& Babylonia,& reliquæ Asiæ regiones erant vectigales.

VIII. Rex cum magnificè honorat & cur.

Tunc iubente rege indutus est Daniel purpura, & circundata est torquens aurea collo eius, & prædicatum est de eo coram mille conuiuis, totaque familia regia, *quod haberet potestatem tertius in regno suo.* Non destitit rex stare promissis, quamuis tristia nunciasset, siue quod crederet hæc longo post tempore esse ventura, siue quod speraret,honorando Dei prophetam,se veniam consecuturum, vt ait Sanctus Hieronymus. At tempus vix paucarum horarum fuit. Nam *eadem nocte interfectus est Balthazar Chaldæus, & Darius Medus successit in regnum, annos natus 62.* Hæc est totius fabulæ catastrophe vno verbo comprehensa. Ea tamen pluribus ab Esaia, Ieremia, Daniele, aliisque propheris, qui contra Babylonem oracula ediderunt, ita prædicando, explicantur, vt narrationi Herodoti, Xenophontis, aliorumque antiquorum non parum congruant, vt accurate in Annalibus explicatur. Quo scilicet modo vrbs occupata fuerit, qui terror ciuium, qui fugientium clamores, quæ occurentium cædes, qui concursus ad regiam, qui ad ipsam tumultus, quæ regis turbatio, defensio, & cædes.

Regis cædes & vrbis expugnatio summatim.

IX. Rex cum suis dormiens occiditur. c.51.57.

Quanquam quæ ea de cæde Xenophon probabilitatem secutus tradit,à Ieremia refelluntur; significat enim regem cum aulicis suis omno vinoque sepultos fuisse interfectos. *Et inebriabo*,inquit,*principes eius, & sapientes eius, & duces eius & magistratus eius*, illos scilicet mille conuiuas, *& fortes eius, & dormient somnum sempiternum. & non expergiscentur*, mortem videlicet somno sociata. Nec satis Xenophonti acquiesco,dum Cyrum, in hac ipsa vrbis occupatione, prudentiæ,clementiæ ac moderationis laude præstantem inducit, vt qui audiat Isaiam vaticinantem, indignissimis cædibus in omnes etiam paruulos atque innocentes sæuiturum iri. *Infantes eorum*, inquit, *allidentur in oculis eorum, diripientur domus eorum, & vxores earum violabuntur.* Et Dauid tanto ante, *filia Babylonis misera, beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis. Beatus qui tenebit,& allidet paruulos tuos ad petram.* Significat quoque Esaias ibidem, militem in hac expugnatione nulli Babylonio parciturum,quantouis auro oblato, & monilibus quantumcunque pretiosis.

Sæuitia Persarum in Chaldæos. c.13.16 17 Ps.136.8

X. Depræda tio Babylonis. c.14.23. c.50.10. & 37. c.51.44.

Nihilominus postquam cessatum est à cædibus,versus est exercitus ad prædam. Nam Dominus per Esaiam prædixerat, se velle, quasi ligonis ad manum sumptis, euertere, quæcumque tot annis Babylon vbique rapuerat. Ieremias quoque ait Chaldæam fore in prædam,& omnes vastantes eam repletum iri thesauris eius pridem constructis, & tributis per totum corpus imperij eius. Templa quoque Chaldæorum à Persis Medisque expilata scribit Diodorus,quod nominatim de Bele scripsit Ieremias. *Visitabo*, inquit, *super Bel in Babylone, & eijciam quod absorbuerat de ore eius*, donaria scilicet pretiosa, & vasa aurea atque argentea, præsertim quæ Hierosolymis fuerant exportata. Quæ dum fierent, multos fuga dilapsos, ex Isaia atque Ieremia satis constat, & nominatim Iudæos, qui patriam versus iter arripiebant.

Et templorum eius.

XI. Captiui Chaldæi.

In prædam porro non res tantum, sed personæ etiam venerunt, non Chaldæorum solum, sed eorum quoque, qui eis iamdudum seruiebant, qui non propterea libertatem assecuti sunt, sed heros ac dominos commutarunt. Cum autem in captiuis Daniel vel maximè emineret quippe qui paulò ante indutus fuerat purpura, & torque ornatus aurea, & tertius in regno Babylonico declaratus, Cyrus qui Darium Medum passus est Balthazari succedere, & socerum veneratus, & senem; tanto etiam magis passus est captiuos in eius esse iure atque arbitrio. Daniel autem Dario vsque adeo placuit, vt pari eum potestate apud se esse voluerit, quam Balthazar ei ante detulerat. Dedit enim operam Dominus, vt sicut olim iussu Nabuchodonosoris, Nabuzardan princeps militiæ eius, Ieremiam multa benevolentia prosecutus fuerat, ita nunc Daniel, qui gratiosus fuerat regibus Chaldæorum, Persis quoque & Medis charus fieret, in vtilitatem captiui populi sui.

Et Daniel Darij in bonum populi.

XII. Quando contigerit euersio murorum.

Tria reliqua sunt de clade Babylonica, euersio murorum, irrisio captiuorum eius, ipsaque vrbis desolatio; quæ sine dubio contigisse necesse est, cum tam perspicue à prophetis enuncientur, sed non necesse est hæc omnia hoc ipso tempore contigisse, cum post 18. annos Babylonem iterum rebellasse constet, iterumque deiectam atque euersam, vt tempore Darij Hystaspis, qui capta Zopyri opera Babylone, vt ait Herodotus, muros eius circumquaque deiecit, & portas omnes amolitus est, quorum neutrum, inquit, Cyrus fecerat prius eidem à se captæ. Apparet ergo hæc ex parte fuisse diruta, deinde autem paulatim instaurata, dum insolitæ seruitutis pertæsi, defectionem moliuntur. Repræsentant etiam Prophetæ Iudæorum, aliorumque populorum irrisiones, quibus oppressæ Babyloniorum superbiæ insultatum est. Solitudo denique paulatim per iteratas Babylonis clades secuta est; præsertim post constructam à Nicatore ex eius ruinis Seleuciam; secuta est inquam desolatio, qualem Chaldæi Hierosolymis attulerant, iuxta illud, *vltio Domini est, vltionem accipite de ea, sicut fecit facite ei*, & qualem tam prophetæ quam Scriptores exotici descripserunt. Sic ergo euersum est imperium Caldæorum, & ad Persas Medosque ita translatum, vt licet non statim euersa, ac solo æquata fuerit Babylon, ipsum tamen imperij ius à Chaldæis perditum fuerit, & pro Dominis Asiæ, Medorum ac Persarum partim serui, partim clientes facti sint.

l. 3. sub fin.

Irrisiones captiuorum & vrbis solitudo. *Esaiæ 14. 3. Ierem 50 23 & 51. 7. 8. Ier. 51. 15 Vide Ann n. 51. & segg.*

XIII. Cyrus Babylone substitit. Darius abit in Mediam cũ Daniele.

Apparet autem Cyrum, ad tempus aliquod Babylone substitisse, vnde & Iudæos mox dimisit, eisque sacra vasa restituit. At Darius abijt in Mediam, & Danielem prophetam secum abduxit, magnóque in honore habuit. Cum enim 120. satrapas constituisset in regno suo, eis tres præfecit principes, quibus illi rationem redderent, in quibus Daniel eminebat. Audierat enim Darius, vt ait Hieron. quæ illi nuper apud Balthazarem contigissent, & quo ab illo honore fuisset affectus. Itaque hominem diuino spiritu plenum, quo cæteri Satrapæ erant inanissimi, *cogitabat constituere eum super omne regnum*, vt ipse vnus proximus esset à Rege, vt quondam in Ægypto Ioseph us, & pro trimuro proregem ageret. Et hinc videlicet inuidia satrapatum exarsit in Danielem, & studium vt eam à Regis latere, ac benevolentia abducerent.

Inuidia satrapatum in eum.

Cum ergo illi causam quærerent, vt Danielem à rege abalienarent, inuenerunt: cum tanta innocentia tractare negotia, vt quantumuis inuidi, neque culpam in eo, neque suspicionem culpæ reperire possent, vnde & dixerunt. *Non inueniemus Danieli huic occasionem aliquam*, & calumniæ materiam, *nisi forte in lege Dei sui.* Itaque per fraudem & surreptionem obtinuerunt à rege quod desiderabant, aut etiam per tumultum, qualis est seditiosæ & concitatæ turbæ, à qua armatæ preces afferuntur. Exigunt ergo, ex totius populi consensu, vt fiat edictum ne intra dies 30. quisquam ab vllo vel Deo, vel homine quippiam petat, præterquam à Rege: pœna propolita, vt si quis contra fecerit, leonibus obijciatur deuorandus. At Rex partim seditionis metu, partim ratus id ad gloriam regiæ maiestatis pertinere, quam solent reges vehementer ambire, in legem tam iniustam, tamque inutilem, ac difficilem consensit; neque prænidit quantum inde damni posset emergere. Nihil à patre filius, nihil miserà locuplete petere poterat, præterquam à rege, qui nec vbique erat, neque poterat omnia.

IV. Et apud Regem machinatio.

Cui consentit inuitus.

Vide Ann. n. 63.

Quod cum Daniel comperisset, domum suam de more ingressus, & conuersus contra Ierusalem, ter Deum orabat, non in contemptum regiæ potestatis, sed sancta libertate vsus, nihil de priscina orandi consuetudine, ac modo remisit. Quod cum æmuli eius obseruassent, rem ad Darium retulerunt, rem quantum potuerunt exaggerantes. Hic videlicet animaduertit Rex, temerariam fuisse legem suam, & per eam induxisse se laqueos ab inimicis præparatos, vt subditum fidelissimum atque amantissimum, sua ipse sententia, morte crudelissima perdere cogeretur. Nihilominus Rex, vel certus de Danielis innocentia, vel tristis de tanti viri iactura, studuit liberare eum, nolens inquit Hieron. autoritate, regia, sed ratione atque consilio eum de tanto discrimine liberare. Tandem vel timens seditionem aliquam, vel tot principum virorum gratiam demereri volens, cessit inuitus.

XV. Daniel instituum seruat orandi.

Defertur ad regẽ, qui cum studet liberare.

At illi confestim Danielem adducunt, quem apparet egisse causam suam coram rege, qui eius consolandi gratia, *Deus tuus*, inquit, *quem colis semper, ipse liberabit te.* Cuius spei id signum est; quod allatus est lapis vnus, & positus est super os laci, obsignatusque est, tam regis, quam optimatum eius annulo, ne forte Daniel minus feritatis in leonibus, quam in hominibus reperiret. Abit inde rex & in luctu positus, cibo & somno tota nocte caruit, spem inter metumque pro Daniele suo constitutus. Primo autem diluculo consurgens, festinus ad lacum leonum perrexit, appropinquansq; lacui Danielem voce lachrymabili inclamauit. *Daniel serue Dei viuentis, Deus tuus, cui tu seruis semper, putas ne valuit te liberare à leonibus?* Nõ est absurdũ hominem ad hanc diem infidelem, non nihil circa diuinam potentiam fluctuasse. Nisi forte *valuit*, idem est hoc loco quod, *voluit*, sicut Ioseph Ægyptiæ heræ dicebat, *quomodo possum hoc malum facere?* id est quo modo inducam in animam hoc scelus perpetrare?

XVI. Daniel mittitur in fossam.

Rex eum luget, & postridie viuum reperit.

Et Daniel Regi respondens ait, *Rex in eter-*

XVII.

num

Accusatores leonibus obijciuntur.

num viue. *Deus meus misit Angelum suum & conclusit ora leonum, & non nocuerunt mihi.* Tunc rex vehementer gauisus, factusque animosior iussit Danielem educi de lacu, forte demissum per funem, vt iamdudum Ieremias, & nulla læsio inuenta est in eo, quia fiduciam habuit in Deo, eiusque se voluntati, prouidentiæque permisit. *Iubente autem rege, adducti sunt viri illi qui accusauerunt Danielem*, vtique ignari imminentis mali, in lacum leonum missi sunt ipsi primum; tum filij & vxores eorum, & non peruenerunt vsque ad pauimentum laci. donec acciperent eos leones, & omnia ossa eorum comminuerent. Magnitudo miraculi ita obstupefecit accusatores impios, itaque eis omnem resistendi vim abstulit, vt qui pridie ipsimet regi formidolosi fuerant, nunc in suo suarumque vxorum ac liberorum horribili interitu, ne mutire quidem audeant, sed iustissimam talionis pœnam subeant.

XVIII. Decretũ regis, & euulgatio miraculi.

Et Darij cõuersio.

Et mors.

Supereſt publica tanti miraculi, diuinæque potentiæ confessio, qualem iampridem Nabuchodonosor, visis illustribus Dei miraculis, toto regno suo vulgauerat; in quo Deo magnificè laudato, prodigium Danielis à leonibus liberati, enarrauit, videtur enim fusior deinceps adiecta narratio, quæ toto hoc capite continetur, & hîc breuitatis causa non repetitur. Cum autem imperet subditis omnibus vt contremiscant & paueant Deum Danielis, apparet eum illis exemplo prælucere voluisse, idque verba illa satis probant. *Ipse est enim* inquit *Deus viuens, & æternus in secula, & regnum eius non dissipabitur, & potestas eius vsque in æternum.* Ea certe est S. Augustini sententia, vt supra anno vltimo Nabuchodonosoris explicatum est. Quod autem idola, cum quibus veri Dei cultus stare non potest, tolli non iussit, si tamen non iussit, id ad breuitatem regni eius referri potest. Daniel autem prospera deinceps fortuna apud Darium, quandiu is vixit, vsus est, quod tempus per breue fuit, hoc enim ipso anno climacterico, & vitæ eius 63. abijt è viuis, & vni Cyro vniuersum imperium liberum reliquit. Cui quoque Daniel charus fuit, vt sequenti anno dicetur. Quo autem mortis genere obierit, non liquet.

XIX. Prophetia Danielis anni huius, qui orat intentius pro populo.

Mittitur ad eum Gabriel.

Ad hunc ipsum vltimum desolationis annum, & Darij Medi primum siue vnicum, pertinet prophetia capite nono Danielis comprehensa, vbi habetur feruens Danielis oratio, pro solutione captiuitatis & desolationis Babylonicæ, cui ieiunia, saccum & cinerem adiungebat, veritus ne peccata populi Deum incitarent ad producendam viterius septuagenariam desolationem. Tam feruens autem, tamque intenta atque humilis sanctissimi prophetæ deprecatio, non solum obtinuit à Deo, vt statuto tempore desolatio terminaretur, & populus cum libertate rediret in Iudæam, quod statim anno sequenti factum est; sed etiam vt mitteretur Gabriel Angelus, à quo tempore aduentus Christi doceretur quoniam temporalis hæc Iudaici populi liberatio, facienda per Cyrum, figura illius erat, qua electus Dei populus de seruitute diabolica, per Christum eripiendus erat.

XX. Qui 70. Hebdomadas ei nunciat.

Gabriel ergo celeriter ad Danielem vespertinis horis orantem deuolat, eique nunciat intra 70. Hebdomadas, siue 70. annorum septenaria, Christum ad populum suum, cui factæ sunt de Messia promissiones, esse venturum, vt pro totius mundi præuaricationibus & peccatis satisfaciat; eius autem periodi initium sumendum esse ab eo tempore, quo princeps Persarum, in cuius potestate erant Iudæi, permittet iterum ædificari Ierusalem. Ab eo enim tempore ad Christi manifestationem & prædicationem intercurrent 69. hebdomadæ, vti vt Septuagesima sit initium prædicationis Christi. Intra autem illas hebdomadas 69. imo intra septem primas, quæ seorsim nominantur, rursum vici & plateæ Ierusalem, & muri eius breuissimo tempore, id est diebus 52. ædificabuntur.

XXI. Quę breuiter declarantur

Postquam autem elapsæ fuerint septem illæ & 62. hebdomadæ, occidetur Christus intra proxime sequentem hebdomadum septuagesimam. Cuius criminis pœna erit, vt non ita multo post adueniat Romanus populus, cum duce suo Tito, qui populum, qui Christum negaturus est, & vicissim à Christo abdicabitur, exscindet ciuitatem, & sanctuarium dissipabit, & sempiterna desolatione vastabit. Hæc postrema hebdomada insignis erit; primò eo quod Christus Messias in ea stabiliet & confirmabit fœdus nouum Euangelicæ legis, cum multis de populo, qui Christiani fient, per Christi & Apostolorum prædicationem atque miracula. Secundo, quia in dimidio eiusdem hebdomadæ hostiæ & sacrificia Iudaica per Christi mortem ita deficient, vt inutilia plane, atque inania reddantur. Denique post 40. circiter annos, obsidebitur à Romanis Ierusalem, & capietur, & templum idolis & sacrificijs polluetur, & ad finem vsque mundi Iudaicæ gentis desolatio perseuerabat. Sed hæc digna sunt quæ lusius in Annalibus legantur, propter mysterij magnitudinem, & propheticæ locutionis obscuritatem.

à n 89. ad 96.

XXII. Tarquinij frater moritur, ipso viduam ducit vxorem.

Quod ad Romanam rem attinet tradit Dionys. lib. 4. se in Romanis Annalibus inuenisse Aruntem fratrem Tarquinij Superbi natu minorem anno 40. Seruij Tullij, in quo nunc versamur esse defunctum. Quorum id scelere factum fuerit, minime dubium relinquit, tum Tulliæ vxores eius, cum Tarquinio coniuratio; tum quod proximè secutum est, Tarquinij cum ipsa matrimonium, quod inuitis parentibus contractum est. Vt vero coniuncta sunt ingenia duo nefaria, regno pellere Tullium, si (ponte non cederet machinati sunt: sed hæ machinæ ante quatuor annos optatum exitum sortiri non potuerunt.

XXIII. Conclusio Quintæ Ætatis.

Atque ita peruenimus aliquando, Christiane lector, ad Quintæ Ætatis mundanæ finem, quæ est regum Hebræorum, qua populus ille, ueut in virili ætate, maxime floruit; cuius periodus 577. annorum fuit: quæ in Samuele prophetæ inchoata, in Hierosolymorum vastitate, & Iudaicæ gentis septuagenaria captiuitate, ac desolatione terminata est, & nos ad Imperium Cyri, & sextam cum eo Mundi ætatem deduxit. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.

***

SEXTA MVNDI ÆTAS, quæ est principum, & Sacerdotum Hebræorum.

IMPERIVM PERSARVM.

ANNVS MVNDI 3517.

SEXTÆ ÆTATIS 1.

SOLVTÆ CAPTIVITATIS 1.

ZOROBABELIS Ducis 1. IOSVE Pont. 1.

CYRI & Imperij Persarum 1.

OLYMPIADIS LX. AN. 4.

VRB. COND. 216. SER. TVLLII 41.

ANTE CHRISTVM 536.

I. Sextæ Ætatis initium & imperij Cyri. a. 2940.

NOuum Persarum imperium, nouáque forma Reipub. Iudæorum, sextæ huic Mundi ætati dabit initium, iuxta eam distributionem, quam initio Quintæ ætatis digessimus, quam à Samuele inchoatam, in Balthazaris morte concluſimus, quæ est, vt dixi, 577. annorum periodus.

Vbi habitarit. *L. 8.*

Extincto ergo nuper postremo Babyloniorum Imperatore Balthazare, & Chaldæis Medorum atque Persarum iugum, iam anno præterito vino Dario, subito coactis; nunc tam illo æmulo, quam hoc consorte imperij morte sublatis, ad vnius Cyri arbitrium & dominationem, omnia ferme orientis regna cesserunt, Cæterum res Babylonicas ita constituit nouus Imperator, vt eius vibis nimium glorioſæ fastum comprimere mallet, eamque sibi reddere obsequentem, quam ipsam, nimium indulgendo iracundiæ, funditus perdere. Tradit enim Xenophon, Cyrum tres sibi vrbes ad habitandum delegisse, Babylonem, vbi 7. hybernis mensibus, Susam vbi vernis mensibus tribus, & Ecbatanam duobus mensibus æstuosis habitaret: sicq; in perpetuo quodam vere ætatem transigeret.

II. Solutio Iudaicæ captiuitatis per Cyrum.

Iam vero quod ad res Iudaicas attinet; hoc primum anno soluta est Babylonica Iudæorum captiuitas, tot piorum votis ac precibus à Deo expetita, atque impetrata. Deus autem ipse, qui sæpius hanc libertatem pollicitus fuerat, eam etiam mentem Cyro dedit, vt se facilem Iudæorum precibus, atque exorabilem præberet. *Anno prima*, in quit Scriptura, *Cyri Regis Persarum, ad explendum sermonem Domini, quem locutus fuerat per os Ieremiæ, suscitauit Dominus spiritum Cyri regis Persarum* &c. suscitauit autem Danielis opera vsus, vt scribit Iosephus, & ex eo Theodoretus, qui cum ei familiaris esset, ostendit illi, quæ tanto ante Esaias de ipso prædixerat, fore scilicet vt Deus illi victoriam de Babylonijs daret, & ipse vicissim Iudæis potestatem faceret redeundi in patriam & Ierusalem templumque ædificandi.

2. Par. fin. Quem suscitauit Dominus *Ios. c. 1. in c. 1. Dan. & 44. 26.*

III. Opera Danielis vsus.

Cyrum porro Danielis opera ad huius vaticinij cognitionem venisse, facile coniectare licet. Cum enim Daniel Dario Medo Cyri socero, & imperij consorti charissimus fuerit, summóque apud eum magistratu functus sit, non potuit Cyro ignotus esse, imo illi plane veneration, atque admirationi fuit. Quis enim dubitet Cyrum, vel priuatis Darij literis, vel publico eius decreto, aut saltem rumore nuncio didicisse, quid Danieli nuper contigisset, cum inuidorum artibus, in lacum leonum fuisset coniectus; quid illi in conuiuio Balthazaris, quod in rem Persarum ac Medorum faceret, & diuinam erga se prouidentiam patefacerit, paulò ante accidisset. Nec minus præcedentia quoque, de fraude, quæ ad Belis idolum exercebatur, de dracone interfecto, de septiduo commorationis innoxiæ inter famelicos leones, de prodigijs, quæ circa Nabuchodonosorem facta fuerant, libenter audiuit. Hæc, inquam, aliáque id genus Danielem Cyro studiose retulisse credibile est: quod intelligeret eorum cognitionem multum ad iustum idolorum contemptum, multum ad veri Dei cognitionem & cultum esse valituram.

IV. Eius cum Cyro familiaritas.

Audiebat itaque Daniel apud Cyrum mirabilium patrator, & interpres mysteriorum Dei. Audiebat vicissim à Daniele Cyrus, quid Deus ab illo postularet, quem ad tantum imperium extulisset, & nominatim à tot iam seculis elegisset, ad dandam populo suo libertatem. Hæc ergo cum probe teneret Cyrus, & Deus illi maiorem erga Danielem beneuolentiam, eiusque populum in dies instillaret, maioribus natu Iudæorum annitentibus, statuit publico decreto notum facere omnibus, ac statuere quid ea de re fieri placeret, id totidem verbis extat initio libri Esdræ. In quo tanta cum veneratione de Deo loquitur Imperator, vt eum agnoscat totius mundi principem ac moderatorem, qui regna pro arbitrio distribuat hominibus, atque dispenset. Deinde se illius subditum profitetur, vt qui humiliter eius præceptis obsequatur. Agnoscit tertio peculiarem eius prouidentiam in populum, quem sibi singulariter elegerat. Quarto postposita memoria omnium, qui vulgò appellantur dij, de populi huius Deo dicit, *Ipse est Deus.* Tanta est diuini numinis in corda regum potestas.

Decretũ Cyri pro reditu Iudæorum, eiusque in Deum pietas.

V. Et in populum, eius humanitas.

Perhumaniter etiam cum eius populo agit. Non enim illum à sedibus expellit suis, sed abire permittit omnibus bene precatus. Quin aliorum etiam excitat liberalitatem, ergà eos qui penuria impediti, longinquum iter suscipere non possent: vt scilicet geminam exerceant benignitatem; aliam in viaticum pauperum transmigrantium, aliam in donaria in templum Dei. Neque verbo contentus pius princeps, etiam præiuit exemplo, vt qui voluerit templum suis sumptibus ædificari, vt ex sequentibus aperte constat. Quod autem soljus templi meminerit, non propterea vetuit ciuitatem ædificari, sed qui templum suis sumptibus ædificari volebat, ciuitatis muros & domos propriis Iudæorum sumptibus, atq; industriæ permittebat. Et certe si Templum Dei, & sacra supellex futura erant

An permiserit ædificari Ierusalem. *cap. 6. 4.*

in turo,

in tuto, necessario muri excitandi erant, qui hostium & prædonum prohiberent incursus. Quod si Eliæ vaticinium Cyrum excitauit ad soluendā captiuitatem Iudæorum, certe in eodē habetur, non solum templum ædificandum, sed ipsam etiam ciuitatem Ierusalem. Sed hæc vberius in Annalibus, distinctiusque traduntur.

VI. Apparatus ad profectionem. *1. 11. c. 1.*

Decreto promulgato, & in publicas tabulas relato, *surrexerunt*, inquit Esdras, *principes patrum de Iuda & Beniamin, & Sacerdotes & Leuitæ, & omnis cui suscitauit Deus spiritum vt ascenderent ad ædificandum templum Domini.* Nam plerosque Iudæorum Babylone remanere maluisse, nec possessiones suas voluisse relinquere, autor est Iosephus. Pergit Esdras, *vniuersique qui erant in circuitu*, id est vicini eorum: dubium autem est an Iudæos remanentes intelligat, an alienigenas, qui forte Cyro gratificari voluerunt. Iosephus amicos regios vocat. Isti ergo *adiuuerunt manus eorum in vasis argenteis & aureis, in substantia & iumentis, in supellectili*, præter donaria, quæ templo Dei consecrarunt, & quæcunque instaurationi Hierosolymorum addixerunt. Rex quoque Cyrus protulit vasa templi Domini per manum Mithridatis præfecti ærarij, qui ea Zorobabeli numerauit, qui Chaldaice dictus est Sassabazar, sicut Nehemias Athersata.

Et in abeuntes liberalitas.

Cyrus vasa sacra restituit.

VII. Profectio quam diuturna.

Qui porro fuerit tam vasorum, quam personarum demigrantium numerus, non satis constat. Illud autem satis constare potest eos mense Martio, vel Aprili sese in viam dedisse, & quatuor circiter mensibus hoc iter confecisse, propter multitudinē personarum omnis generis & ætatis, cum tot impedimentis vasorum, pecorum, vatiæque supellectilis. Oportuit autem eos disponere domui & habitationi suæ vno vel altero mense, dum interea mensis septimus aduentaret, destinatus solennitati Tabernaculorum: in quod tempus indictus est conuentus Hierosolymis, ad dedicandum altare Domino. Magna enim prouisione, ait Beda, primò altare ædificauerunt, vt quia templum nondum erat fundatum, haberent tamen, vbi sacrificantes, deuotionem suæ mentis ostenderent.

VIII. Dedicatio altaris & sacrificiorum instauratio. *1. 1. c. 3. v. 1 2. Esd. 3. 6. 7.*

Iamque aduenerat mensis septimus, inquit Esdras, *& erant filij Israel in ciuitatibus suis*, vbi scilicet ipsi, aut patres eorum pridem habitauerant: & condicto tempore venerunt Hierosolymam, *& surrexit Iosue filius Iosedec, & fratres eius sacerdotes, & Zorobabel filius Salathiel, & altare Dei collocauerunt super bases suas, & obtulerunt super illud holocaustum Domini mane & vesperi.* Itaque à primo die septimi mensis, qui fere in Septembrem cadit, antiquus holocaustorum, & sacrificiorum ritus instauratus est. Deinceps autem & de templo ædificando actum, & conuentum est cum latomis, cæmentarijs, & fabris lignarijs, de pretio materiæ, vectura, & opere pretio; qui dum incumbunt operi, annus abijt.

IX. Iudæi deinceps alieni iuris, & vectigales. *1. Esd. 1. 5. 2. Esd. 9. 6.*

Cæterum hoc primo anno instauratæ quoquo modo Reipub. Iudæorum, aliquid de eorum statu ac cōditione dicendum est. Et primo statuendum est Hebræos nunquam deinceps plane fuisse iuris sui, sed primum Persis, tum Græcis, postremo Romanis seruisse: ita vt qui Chaldæis ante seruierant, eorum postmodum serui, aut potius subditi fuerint, & vectigales in patria sua. Duces quoque & magistratus habuerunt in Iudæa, idque ex alienigenarum voluntate ac venia, nec magistratus solum primarios, sed minores quoque: ad istos enim constituendos Esdram ab Artaxerxe potestatem accepisse legimus. Ex quo intelligimus summos pontifices, qui erant maximi magistratus, & totius Cleri, sæpe etiam Reipub. Principes, alienigenis fuisse subiectos; vt quamuis patribus suis naturali generatione succederent, ab illis tamen approbati & confirmati oporteret: itaque ab eis etiam sæpe institutos legimus atque exautoratos. An vero dux pontifici, an vice versa pontifex duci subordinatus esset, vel vterque ex æquo Imperatoribus subesset, vix potest ex ipsa Scrip. definiri.

Ab alienigenis magistratus accipiūt etiā pontificatum. *1. Esd. 7. 25.*

Chronologia porro sacra deinceps, quæ obscura sæpe atque interrupta reperitur, ad Persarum primo, deinde Græcorum & Romanorum principes dirigenda erit. Et quoniam Zorobabel & Iosue reliquos Cyri annos, & alios complures tenuerunt, eos simul numerabimus, donec aut nouus princeps, aut aliqua finiendi probabilitas, nouum vel ducem vel pōtificem suggerere nos admonebit. Quæ causa est cur hoc anno, initium pontificatus Iosue filij Iosedeci collocemus, licet probabile admodum sit, eum annis iam aliquot Babylone egisse pontificem, eo modo quo pater eius Iosedec vmbratilem pontificatum ibidem nomine tenus exegerat.

X. Zorobabel dux, & Iosue pontifex

Res autem Romana nihil occurrit noui, quod propriè in hunc annum cadat. Nam quod ait Dionys. Tarquinium & Tullian nouam eius coniugem pertraxisse in partes suas eam Patritiorum factionem, quam administratio popularis à Rege alienarat, & palem coëmisse fauorem plebeiorum, qui in magna inopia nulla iuris cura tangebantur, æquè ad hunc & sequentem annum videntur pertinere.

XI. Romani res.

ANNVS MVNDI 3518.

SOLVTÆ CAPTIVITATIS 2.

ZOROBABELIS & IOSVE 2.

CYRI & Imperij Persarum. 2.

OLYMPIADIS LXI. An. 1.

SERVII TVLLII 42. V. C. 217.

ANTE CHRISTVM 535.

NOtatur hic annus ab Esdra, estque prima templi, post solutam captiuitatem, fundatione celebris, prima inquam; quoniam secundus Darij annus altera fundatione celebratur, apud Aggæum propheram, de qua suo tempore dicetur. Hæc autem contigit, *Anno secundo aduentus* siue reditus Iudæorum in patriam, mense secundo, & in nouilunio secundi mensis qui est Aprilis, cœperunt Zorobabel & Iosue cum suis iacere fundamenta templi. Ad id enim tempus operarij parauerant materiam necessariam, locumque perpurgarant, vt congregato populo nulla esset mora in primo

I. Templi noua fundatio. *1. 1. 3. 8. c. 2. 19.*

lapide rite deijciendo. Quanquam credibile est magnam antiquorum fundamentorum partem & ab incendio, & à Chaldæorum machinis incorruptam perstitisse. Nondum quippe Dominus super vniuersam templi fabricam, tristem illam emiserat vocem. *Non reliquetur lapis supra lapidem, qui non destruatur.* *Matth. 24. 2.*

II. Ritus illius populi lætitia. & lacrymæ. *Psal. 117. 15.*

Dum autem fundaretur steterunt sacerdotes in ornatu suo cum tubis, & Leuitæ filij Asaph in cymbalis, cantantes psalmos Dauidicos, quibus succinebat populus. Omnis quippe populus vociferabatur clamore magno. Plurimi quoque de senioribus, qui viderant prius templum, & eiusdem nouæ fundationi aderant, flebant voce magna, & multi vicissim in lætitia eleuabant vocem, eratque clamor ex lętitia tristitiaque confusus, & quidem tantus, vt tubæ non exaudirentur, vt est in Græco. Clamor erat ab interno exultantis simul ac gementis animi motu, planctus propter ruinam templi prioris, & lætitia propter spectaculum eiusdem quasi renuiscentis.

III. Æmuli Iudæorũ opem ad templi constructionem offerunt.

Verum non admodum diuturna fuit ista lætitia, cito quippe noua sollicitudine temperata est. Iudæorum enim æmuli, adierunt Zorobabelem, aliosque populi principes, seque obtulerunt ad ædificandum eum eis, sumptibus scilicet, odoribusque pro sua parte suppeditandis. Quos Iudæi non immerito repulerunt, vt quos intelligerent non syncere agere, sed fraudulenter; vt postea templum sibi pro sua parte vindicarent; atque adeo sacrificulos suos cum cultu Iudęorum suorum illuc introducerent, & præteritum Idololatriæ scandalum renouarunt. Simul autem egregium exemplum posteritati reliquerunt deuitandi hæreticos, quibuscum nulla nobis, ob periculum apostasiæ debet esse communio, dum ab Ethnicis mendicare maluerunt, quam ab illis vltro oblata suscipere. Qui hanc ignominiam non ferentes, statuerunt templi ædificationem impedire.

IV. Et repulsam impediunt. *I. 11. Ant. c. 2.*

Sed quoniam id aperta vi perfici non poterat, quia Cyri decretum extabat, & constabat de eius in Iudæos beneuolentia, id clam per regios Cyri administros perfecerunt; *Rogarunt enim Satrapas*, inquit Iosephus, *& eos quibus commendata erat hac ædificatio, vt Iudæos impedirent, quo minus vrbem, ac templum instaurare valerent. Illi vero pecunijs etiam corrupti, vendiderunt* Cuthæis *suam circa demandatum officium, cessationem & negligentiam, Cyro nescíente, vtpote distracto in alia negotia.* Sic Iosephus. Malim non tam cito querelam ad Cyrum delatam: imo neque tam cito Iudæos fraudem sensisse, quæstoribus regijs quorum erat præbere sumptus, non statim corruptelæ & præuaricationis suspicionem præbentibus, sed alias atque alias, vt assolet, causas prætexentibus, vt primo tarde soluerent, sicque operæ cessare cogerentur. Cyro autem mortuo aperto marte pugnarunt, vt suo loco dicemus. Interim Iudæos lætissimo labori operam dare permittamus.

V. Olympias 61. Thespis poëta.

Agones olympici hoc anno instaurati victorem in stadio celebrarunt Agatharchum, principe Atheuis Heraclito, vt notauit Dionysius. Catalogus Olympionicarum Cercyræum appellat, ex Cercyra videlicet siue Corcyra insula maris Ionij oriundum, additque ex Suida hac Olympiade 61. Thespim primum drama docuisse; Athenis scilicet, vbi ille floruit, primusque populo tudes adhuc tragœdias dedit, repugnante Solone. Vide Laërtium, & Plutarchum in Solone.

ANNVS MVNDI 3519.

ZOROBABELIS & IOSVE Pont. 3.

CYRI & Imperij Persarum 3.

OLYMPIADIS LXI. A. 2

SERVII TVLLII 43. VRB. COND. 218.

ANTE CHRISTVM 534.

PErtinet ad hunc annum postrema visio Danielis, quæ cap. 10. 11. & 12. continetur. Id enim Daniel ipse testatur; cui Dominus magnum instillarat desiderium scienti, quid esset euenturum populo Iudaico in nouissimis diebus, vt ex ipsius Angeli verbis, qui eum docturus venerat, intelligitur. Tantum autem fuit desiderium, vt tribus hebdomadis versaretur in luctu, pane desiderabili, carne, vino, & vnguentis abstinens. Soleñe enim fuit sanctis viris, precibus, & corporis afflictationibus diuinam clementiam exorare. Prænunciat autem Gabriel doctor eius, aliqua de futuris Persarum regibus, tum de Alexandro magno, qui finem Persico imperio illaturus erat. Tum pleraque subdit de bellis, quæ Syriæ & Ægypti reges inter se gessere, quæ in sua tempora differenda sunt. Illud tantum dico, Angelum in Antiocho Epiphane diutius immorari, quod is omnium maxime vexaturus esset Hebręos. Ab eóque Prophera ad Antichristum. Nos ad Regem Tullium transeamus.

I. Postrema visio Danielis. *c. 10. v. 12*

Eius feruida oratio.

Hoc penultimo Seruii Tullij anno multa Romæ contra eum, ab ambitioso genero, & filia sacrilega turbata sunt. Cum enim Seruius rex Tarquinium videret haud obscurè res nouas moliri, timeretque ne imparatus opprimeretur à coniuratis, sæpe generum coram amicis acciit in colloquium, priuatimque incusatum monuit, vt ab inferenda iniuria abstineret. Cumque ille se coram Senatu accusationi responsurum diceret: coacto Senatu multa Tarquinius contra socerum criminatus est, quæ ille cum accuratissime refellisset, iniecto magno pudore inimicis, Senatum dimisit, moxque per præconem populum in concionem vocauit, vbi cum egregia, & plena affectibus oratione, sua erga Rempub. merita commemorasset, cum singulari populi approbatione, scire cupientis quò tenderet ista hæc oratio, tandem ait à Tarquinio se accusari, quod regnum sibi debitum iniuste obtineret, nec populo ius esse aliena alteri donare.

II. Seruius Tarquinium arguit.

Et causam suam in senatu agit, & in comitio.

Ad quæ, coorto cum indignatione vniuersi populi clamore, postquam silentium eis imperasset, postulauit vt sine tumultu euocarum Tarquinium pro se dicentem audirent, causaq; cognita siue affectus iniuria, siue principatu dignior videretur, regnum illi traderent: se enim illud deponere, ipsorumque potestati reddere,

III. Populus ei plaudit vniuersus contra Tarquinium.

à quibus

à quibus accepisset. Post hæc verba paranti à tribunali descendere, acclamatum est vndique cum precibus & lacrymis, ne cui cederet principatum: nec deerant qui clamarent *feri Tarquinium*, vtique multiplici scelerum imminutæ maiestatis reum, & in Reipub. perniciem emergentem. Quod ille metuens domum refugit cum socijs. Tullium vero plebs vniuersa cum gaudio & plausu domum reduxit. Hæc ferè hoc anno Romæ.

ANNVS MVNDI 3520.

ZOROBABELIS & IOSVE 4.

CYRI & Imperij Persarum 4.

OLYMPIADIS LXI. AN. 3.

SERVII TVLLII 44. & vltimus.

VRBIS CONDITÆ 219.

ANTE CHRISTVM 533.

I. Res à Cyro gesta contra Lydos.

DVM Cyrus imperium Persarum stabilire, atque amplificare meditatur, ei cum Lydis iterum negotium fuit. Nam hoc fere tempore videtur Lydorum è Cyro defectio contigisse. *Interiecto deinde tempore*, ait Iustinus, à deuictis scilicet Babylonijs, & Crœso eorum rege in potestatem redacto, *occupato in alijs bellis Cyro Lydi rebellauere: quibus iterum victis, arma & equi adempti, iussique*, contemptim videlicet permissi sunt, *cauponas & ludicras artes & lenocinia exercere.* Et sic gens industria, quondam potens, & manu strenua, effeminata mollicie, luxuriaque, virtutem pristinam perdidit. Id consilium à Crœso profectum Herodotus tradit; eum enim adhuc viuum cum Cyro retinet.

Otij & ignauiæ malum.

II. Lenta Iudæorum ædificatio.

Interea Iudæi Hierosolymis, in cœptis templi, vrbisque operibus, quoquo modo progrediuntur: suis magis & amicorum sumptibus, quam regijs, propter regiorum ministrorum preuaricationem, atq; perfidiam. Romæ autem Tarqu. Superbus malis artibus Ser. Tull. optime de se meritum, regem & socerum, principatu & vita spoliat. Postquam enim, vt scribit Dionysius conatus, quem proximo anno retulimus, Tarquinio parum successit, anxius se domi continebat, cum vxore consulente nō esse moliter agendum amplius, conciliato prius per amicos rege, quò minus vt amicum iam caueret obseruato tempore, quo plebs passim per agros colligendis frugibus esset intenta, prodijt cum amicis gladios sub veste occultantibus, ministris quibusdam secures capere iussis. Ipse regio amictu sumpto, cæterisque principatus insignibus, venit in Comitium, iussitque patres à præconibus in curiam vocari.

Tarquin. regnum inuadit.

III. Seruius adit curiã, ibiq; de gradibus deijcitur.

Hi dum conueniunt in curiam, nunciatur Regi, Tarquinium progressum cum veste regia, Senatum cogere. Ille admiratus hominis audaciam, procurrit ex ædibus cum paucis comitibus, & ingressus in Senatum, videt Tarquinium in solio regio, & in eum cum conuitio impetum facit, quasi eum è solio deturbaturus; at ille ætate viribusq; validior, frustra ministrorum opem implorantem, medium corripit, & sub limen per curiæ gradus deijcit. Senex cum è casu ægre se collegisset, vt vidit circunquaque omnia plena fautoribus Tarquinij, & circa se magnam amicorum solitudinem, abijt gemens, paucis toto corpore grauiter afflictum sustentantibus, ac deducentibus. Quæ cum Tullia didicisset, carpento inuecta venit in forum, & in summis curiæ gradibus Tarquinium stantem conspicata, cum prima Regem magna voce salutauit, tum seorsim abducto cœpti facinus cæde Tullij perficere suadet; quod ille celeriter immissis percussoribus conficit, priusquã Rex domum peruenire potuisset.

Et filia suadente trucidatur.

IV. Et multis carpentoq; proculcatur.

Recenti cadaueri, & adhuc palpitanti superuenit filia, quæ in angusto vico carpentum & iumenta, vel per mortuum traduci iubet? ex quo tam atroci facinore, vicus sceleratus est dictus. Porro cum ob Regis cædem magnus tumultus vrbem haberet, seditionem & vim populi veritus, regio funere sepeliri vetuit, sed noctu ex vrbe cum paucis efferri iussit: quod à defuncti vxore, Tarquinij Prisci filia, diras genero & filiæ imprecante factum est. A monumento domum reuersa, vnam non amplius diem superstes funeri, sequenti nocte obijt, siue illa sibi manus intulit, vt quidam crediderunt, siue generi & filiæ opera, laqueo strangulata est. Hunc finem sortitus est Seruius Tullius, post exactum in regno annum quartum supra quadragesimum. Hic ille beatus, & fortunatus. Fortunæ cultor Tullius, quem illa, si quid posset, non poterat maiore mactare infortunio, siue tanti regis cædem, siue cædis modum, siue autores contemplemur.

Cõclusio de Seruio.

ANNVS MVNDI 3521.

ZOROBABELIS & IOSVE 5.

CYRI & Imperij Persarum 5.

OLYMPIADIS LXI. AN. 4.

L. TARQVINII SVP. 1. VR. CON. 220.

ANTE CHRISTVM 532.

I. L. Tarqu. vnde dictus Superbus.

HOC anno L. Tarquinius cognomento Superbus, per vim & scelus, vt dictum est, regnum Romanorum septimus, idemque vltimus vsurpauit, sexagesimæ primæ Olympiadis anno quarto, vt Dionysius accuratè notauit. Qui de eius moribus ita loquitur vt cognominis rationem reddere voluisse videatur. *Hic*, inquit, *contempta plebe*, quam scilicet socer eius coluerat, *contemptis & Patricijs per quos ad regnum prouectus fuerat, confusisque legibus, ac moribus patrijs, & omni decoro corrupto, quo ciuitas sub prioribus regibus floruerat, principatum in manifestam tyrannidem vertit. Nec tamen illum Tarquinium*, ait Augustinus, *Romani crudelem aut sceleratum, sed superbum appellauerunt, fortassis regios eius fastus, alia superbia non ferentes.* Videtur August. alludere ad Platonem, qui dicebat Diogenem fastum calcare Platonis, sed alio fastu.

l. 1. de Ciu. c. 15.

II. Theognis floret. Annus Sabb. 134

Florvit sub hæc tempora Theognis poëta Megarensis, Megaris enim in Achaia natus est, quemadmodum & Euclides. Theognidem ad initia regni huius retulit Eusebius, qui potius præcedentem regem pertinet, cui decem regni annos sustulit Eusebius, quos isti superbos restituit. Fuit hic idem annus apud Iudæos Sabbaticus ordine 134. quem par est credere fuisse obseruatum, quo modo hæc tempora ferre potuerunt. Nisi forte hic annorum sabbaticorum ordo septuagenaria desolatione, & quasi perpetuo sabbatismo perturbatus est, quod nec certo affirmare possumus, nec negare. In re igitur incerta inchoatam iam pridem horum annorum seriem retineamus.

ANNVS MVNDI 3522.

ZOROBABELIS & IOSVE 6.

CYRI & Imperij Persarum 6.

OLYMPIADIS LXII. AN. 1.

L. TARQVINII SVPER. 2. VR. C. 221.

ANTE CHRISTVM 531.

I. Apparatus Cyri ad bellū cōtra Massagetas.

CYrus hoc anno expeditionem decernit in Massagetas, ac bellum præparat, quod sequenti anno ab eo infeliciter gestum est. Nihil autem mirum videri debet expeditioni præparandæ annum præuium assignari. Nam ducenta Persarum millia in armis secum habuisse in bello Massagetico, tradit Iustinus, quo in numero aliæ fortasse gentes, quibus imperabat non continentur. Nec improbabile est eum Indos, non minus quam Semiramidem, vel Bacchum, aut etiam vlteriora cogitasse, vt Strabo significat, propria in bellis, probataque sæpius felicitate ipsum inuitante. Prodigia quoque illa, quæ in eius ortu contigerant, suadebant vt aliquid sibi supra humanam sortem tribueret, vt affirmat Herodotus.

II. Res Iudaica.

Cum ergo Cyrus in tantæ expeditionis apparatum esset intentus, Iudæis non licuit de Persarum præfectis & Samaritis queri. Iosephus enim ait Cyrum nesciuisse quo se illi modo aduersus Iudæos gererent, vtpote distractum in alia negotia, Scythicæ videlicet expeditionis. Quod si, vt probabilius videtur, adnitente Daniele ad Imperatorem admissi sunt. Cum alia ex parte Præsides illi prouinciarum, & Cuthæi multis modis Iudæos criminarentur, & suam improbitatem honestis rationibus obleuarent, Cyrus rem totam in suum reditum fortasse distulerit: aut alijs etiam commiserit, quibus ius fasque non magis curæ fuerit, quam prioribus.

III. Tarquin. tyrānicè regnat.

An hunc porro annum, & aliquot sequentes pertinent, quæ Dionysius de Tarquinio scribit anno non notato. Eum scilicet, cum iam firmatum sibi regnum videret, nequissimorum hominum opera, multos illustret viros criminibus capitalibus inuoluisse, quos à se, vel ab sua administratione sentiebat alienos: diuites præsertim, quibus vel cæsis, vel in exilium pulsis, in eorum bona inuolabat, nonnulla particula in eorū accusatorum collata. Quo factum est vt plerique sponte exilium occuparent, & sese tyrannidi eriperent, & Senatus magna ex parte vacuaretur, quem ille suis fautoribus explebat. In primis autem M. Iunium qui vxorem habebat Tarquiniam, Tarquinij Prisci filiam, de medio sustulit; quæ causa fuit L. Iunio, tum adolescenti, stultitiam simulandi, ex quo Bruti cognomen adeptus, ad familiæ regiæ oblectationem, aliquandiu in regia retentus est.

IV. Olymp. 62. Milo Crotoniates. n. 5. & 6.

Est hic idem annus primus Olympiadis 62. quæ victorem habuit Erexidam Chalcidensem, vt est in catalogo Olympionicarum, vbi & Milonis Croniatæ athletæ roboris stupendi palmæ ad hanc Olympiadem referuntur, quas Suidas quoque memorat, ex Pausania vt arbitror. Aliquot roboris huius argumenta in Annalibus studiosus lector reperiet, ne ipsum properantem hic moremur. De morte autem eius Olymp. 67. dicemus.

ANNVS MVNDI 3523.

ZOROBABELIS & IOSVE 7.

CYRI 7. & vlt. Imperij Persarum 7.

OLYMPIADIS LXII. AN. 2.

VRB. CO. 222. L. TARQVINII SVPER. 3.

ANTE CHRISTVM 530.

I. Ratio tēporis Cyri

TRIGESIMVS est hic annus partim regni, partimque Imperij Superioris Cyri, qui ab initio 55. Olimpiadis inchoati, hoc anno terminantur. Quod autem septem illi duntaxat annos Imperij tribuerimus, Xenophontem in 8. Pædiæ, cum plerisque secuti sumus. Cum enim constans esset apud antiquos opinio, Cyrum triginta circiter annis regnasse, ipseque Herodotus scriptum reliquisset, eum vnde triginta annos omnino regnasse, id est impleuisse: quid fuit causæ cur Xenophon ei septem duntaxat annos imperij daret, qui non ignorabat diuturnitatem imperii, ad felicitatem principum pertinere, nisi significare lectori, testarique voluisset, Cyrum de triginta annis septem in Imperio, reliquos in regno vixisse? Marc. Tullius ex Dionysii Persici libris refert Magos Cyri somnium interpretantes, dixisse, eum triginta annos regnaturum, itaque contigisse. Nā ad septuagesimum peruenit, cum quadraginta annos natus regnare cœpisset. Sic ipse. Sed hos 40. annos parum esse probabiles, in Annalibus docuimus.

l. 1. de Div.

Verum his omissis, Cyrum ad Massagetas iter habentem assectemur. Eam gentem constituit Herodotus ad mare Caspium, orientem versus, in maxime planitie, quam fluuius Araxes claudit. Cum ergo hoc quoque regnum Cyrus in suam potestatem redigere statuisset, esseque eius gentis regina Tomyris nomine, quæ regnum defuncto viro, filioque adolescente moderabatur, ad eā Cyrus legatos misit, qui nu-

a. m. 3454 n. 5.

II. Penetrat Cyrus ad Massagetas.

ptias

ptias eius peterent. Illa prohibet accessum; & transmittentem nihilominus fluuium pugnæ optionem offert, moxque filium cum copijs mittit, quos vino epulisque sopitos. Cyrus interficit. Tomyris cognito exercitus ac filij sui casu; exprobrat Cyro, quod dolo non virtute vicerit, monetque vt reddito sibi filio in Persidem reuertatur; addit & minas, quas Cyrus contempsit. At Spargapises, sic enim filius ille vocabatur, vt ad se ex ebrietate rediit, cum vt à vinculis solueretur, impetrasset, continuo sibi manus intulit, pudore seruitutis.

III. Cyrus in prælio occumbit.

Inde cum ad pugnam ventum esset, & vtrinque acerrimè pugnaretur, ad extremum Massagetæ superiores extitisse feruntur: ibique cum permagnam Persici exercitus partem, tum vero Cyrum ipsum occubuisse; cuius cadauer inter cæsorum aceruos cum Tomyris inuenisset, caput in vtrem humano cruore plenum immisit, & insultans ait *Satia te sanguine quem sitisti.* Hæc ex Herodoto breuiter, quæ si vera sunt, quæ passim apud omnes obtinuerunt fidem, excepto Xenophonte, certe Persæ non Cyri corpus in sepulchro, sed merum cenotaphium habuerunt; quod tamen ornare non destiterunt, vt apud Strabonem leges, cum hac inscriptione. *O homo ego Cyrus sum, qui Persis Imperium paraui, & Rex Asiæ fui. Ne igitur mihi monumentum inuideas.* Hæc pluribus in Annalibus.

Bius fanus. *l.15. ad fi. n.m. n. 4. & seqq.*

IV. Quibus rebus felix.

Ita mortuus est magnus ille Cyrus, Persici fundator imperij, toties sacris literis profanisque celebratus, non tam regnorum amplitudine felix, quam quod in veri Dei cognitionem veniens, ea sibi tanto antequam nasceretur promissa diuinitus, præstitaque deinceps agnouit, atque professus est. Felix quem Deus tanto honore dignatus est, vt eum Christi Domini typum, & quendam quasi Seruatorem populi sui esse voluerit. Sed longe felicior, si quem cœli terræque Dominum prædicauit, cuius cultum restituit, cui templum suis sumptibus excitari præcepit, cuius cultores beneuolentia & fauore prosecutus est, eundem etiam ipse, abiecta inanium Deorum superstitione, veneratus est. Quem è contrario in Deo relatum refert Arrianus, atque ædiculam in turris ambitu exstructam fuisse à Magis, qui sepulchrum custodiebant, iam inde à Cambyse filio Cyri.

Relatus in Deos. *l.6. in fi.*

V. Tarquinius Herdonium per calũniam interficit.

Videtur hoc anno Tarquinius regnum Latinorum affinitate firmasse; quos sibi atroci facinore conciliauit, Turno Herdonio, per atrocem de proditione calumniam, interfecto. Sicque Latini ei se submiserunt, ijsdem conditionibus, quibus quondam auo eius Tarquinio Prisco, & socero Seruio Tullio.

* * *

ANNVS MVNDI 3524.

ZOROBABELIS & IOSVE 8.

CAMBYSIS 1. Imperij Persarum 8.

OLYMPIADIS LXII. An. 3.

TARQVINII 4. VR. CO. 223.

ANTE CHRISTVM 519.

CYRO vita iuncto, regnum suscepit filius eius Cambyses, quem Pater Araxem traiecturus, remiserat in Persidem, in omnem mortis eius euentum, vt autor est Herodotus. Cuius de successione sententiã amplectuntur Thucydides, & Xenophon, Iosephus, Eusebius, Iustinus, & omnes qui res Persarum attigerunt, Græci, Latinique. Itaque qui 1. Esdræ cap. 4. dicitur Assuerus, & Cyro proximè subijcitur, omnino Cambyses intelligendus est, cui gentilitiũ Assueri nomen, honoris ergò tribuitur: sicut longius postea Artaxerxi Estheris marito. Vocatur etiam eodem loco Esdræ [b], Artaxerxes. Etsi enim id videtur ambiguum, tamen ex 3. Esdræ, & Septuag. Xisti id declaratur. Quæ enim in 1. Esdr. dicuntur scripta ad Assuerum, in tertio [c] data leguntur ad Artaxerxem. Imo in quibusdam libris ita scriptum est. *In regno autem Assueri, ipse est Artaxerxes, in principio regni eius*, &c. Iosephus denique prædictis nominibus, non alium quam Cambysem intellexit.

I. Cãbyses imperiũ.

Dictus est Assuerus & Artaxerxes v.6. 7.

a Esth. 2. 1. &c.

b c.4. 7.

c c.2. v.11

Cum primùm igitur Cambyses imperij Persici factus est Dominus, Iudæorum hostes, ipso regni eius initio, ad eum accusationem scripserunt, pro impetranda prohibitione ædificationis Ierusalem, ciuitatis rebellis ac pessimæ, & quæ vbi ædificata fuerit, tributa Persico Imperio negatura sit. Eam accusationem vbi accepit Cambyses, rescripsit, simulque prohibuit Vrbem ædificari. Id edictum cum ad Cuthæos, Samaritas, alios que Iudæorum hostes perlatum esset, venerunt ipsi Hierosolymam, *& prohibuerunt eos in brachio & robore. Tunc intermissum est opus domus Domini in Ierusalem*: quod ad eam diem Iudæi suis sumptibus promouerant, cessatumque est vsque ad annum secundum Darij Hystapsis. Nec tamen plane videntur destitisse Iudæi, ad illum vsque annum, ab ædificando templo. Nam præfecti Darij id coram rege fatentur. *Ex eo tempore*, inquiunt, quo scilicet Zorobabel posuit fundamenta templi; *vsque nunc ædificatur, & necdum completum est*; præsertim cũ decretum Cambysis solam vrbis constructionem prohibuisset, & tot annorum cessationem ardens Iudæorum zelus ferre non posset. Quod autem ait opus domus Dominus intermissum in Ierusalẽ, accipi potest de ipsa vrbe, quæ propter templum extruebatur, vt id esset in turo.

II. Apud Cambysem Iudæi accusantur

l.1.c.4. 23.24. Et prohibentur ædificare Ierusalem. An & templum?

l.1.c.5.16

Initio quoque regni sui, Cambyses multum operæ circa patris sui funus ac sepulchrum posuit, vt supra attigimus: sed affinitatibus etiam sibi adiungendis operam dedisse satis constat, vnde illi occasio Ægyptiæ expeditionis data fuerit. Sed ea quam parũ probabiliter excogitata

III. Causæ expeditionis Cambysis in Ægyptũ.

Digitized by Google

fuerit ab Herodoto, ex Annalibus nostris perspicuè intelliges. Alias quoque causas idem inquirit in Thalia. Non alias tamen inquirendas puto, præter hominis vel ambitionem, vel auaritiam, vel si ex factis consilia placet elicere, odium Ægyptiacæ superstitionis, quam iam Dominus, eius opera deterrere voluit.

IV. Bellum cõtra Volscos apud Suessam. l.1.

In Italia hoc anno Tarquinius conciliatis sibi, mutuoque fœdere coniunctis, Latinis populis, bellum contra Sabinos, Volscos appellat Liuius, gerere aggressus videtur, delectis è Romana gente ijs, quos si in armis essent, minus libertatem suam asserturos suspicabatur. Peruastato hostico, & profligatis qui ausi essent acie congredi, contra Pometinos duxit, qui Suessam incolebant; quos cum, inito in confinijs prælio, magna ex parte strauisset, cæterosque in fugam versus in oppidum compulisset, diu obsidione fatigatos expugnauit. Vrbe opulentissima potitus, armatos occidit, cæteros addixit seruituti, vrbem agrumque diripuit; auri autem & argenti tantum collegit, vt decimis in templi fabricam sepositis, quinque argenti minæ singulis militibus obuenisse dicantur: sacratæ vero argenti decimæ quadringentorum talentorum numerum expleuerint.

Victoria cũ magna præda.

87. *Fran.* 10. *Sol.* 420000. *Attic.*

III. Fundamenta Capitolii.

Cupiebat quoque aui sui vota persoluere, qui vltimo bello cum Sabinis dimicãs, si illa pugna vinceret, Ioui, Iunoni, & Mineruæ templa vouerat. Et tupem quidem sacro ædificio destinatam ingenti sumptu exæquarat: at ipsa templa morte preuentus absoluere non potuerat. Cum ergo id opus perficere cogitaret nepos, & fundamenta in magnam altitudinem perduxisset, ibique recens occisi hominis caput inuenisset, Etrusci vates consulti responderunt eum locum fore totius Italiæ caput. Vnde loco nomen Capitolij datum; Et rege structuram vrgente, magna eius pars perfecta est, nec tamen totum opus, varijs impedimentis interuenientibus, nisi post exactos reges absolutum est.

IV. Iudæorũ ad Deum preces.

Inter hæc Iudæi tristes, vehementerq; afflicti in Iudæa, Perside, & Babylonia, diuinam erga se misericordiam, & Regis beneuolentiam, vt par est credere, implorabant: in primisque Daniel, qui etiam tum viuebat, & Aggæus, & Zacharias, qui nõ ita multo post diuino spiritu agi cœpeurnt; & vel maxime Zorobabel populi Dux, & Iosue pontifex. Earum precum index est illa vox apud Zachariam. *Domine exercituum, vsquequo tu non miserebris Ierusalem, & vrbium Iuda, quibus iratus es; Iste iam septuagesimus annus est*; dolent enim ac gemunt quod 70. Captiuitatis annis elapsis, non liceat ædificare Ierusalem, & cæteras vrbes Iudæ.

c.1.12.

ANNVS MVNDI 3525.

ZOROBABELIS & IOSVE 9.

CAMBYSIS 2. Imperij Persarum 9.

OLYMPIADIS LXII. An. 4.

TARQVINII SVP. 1. VR. CON. 224.

ANTE CHRISTVM 528.

I. Cãbyses dictus secundus Nabuch. Historia Iudithæ.

CAmbyses dictus est ab Hebræis, apud Eusebij Chronicum, secundus Nabuchodonosor, ab ijs credo, qui Iudithæ historiam, quãuis repugnantem, ad hæc tempora aptare voluerunt. Nisi malis Iudæos principem sibi inimicum ita appellasse, quòd quæ Nabuchodonosor euertisset, Cambyses eius vestigijs inhærens, instaurari non pateretur. Dici quidem potest sub hæc tempora scriptam esse illam historiam; eius enim autor fuisse dicitur Ioacim sacerdos filius Iosue, ac postea successor, vt autem hoc tempore res gesta sit, nullo modo dici potest. Consule quæ diximus anno octauo & nono Manassis.

II. Sabini victi subdũt se Romanis.

Tarquinius porro nondum Suessa discesserat, cum ei nunciatum est Sabinorum lectam iuuentutem duobus agminibus in eum agrum irrupisse, & prædas, quæ in Romanorum iura cesserant, inde abigere. Ad quos ille adiens diuersis copijs suis, vtrumque agmen, priusquam ad mutuum auxilium conuenire possent, concidit: præter eos, qui supplices facti deditionem fecerunt. Itaque Sabini vrbium suarum expugnatonem veriti, legatos ad Tarquinium de pace miserunt, promisso in posterum tributo. Pace his data, Suessam reuersus est. Inde assumpto præsidio quod reliquerat, prædaque cum impedimentis cæteris, ditatum exercitum Romam reduxit, vbi & de Sabinis triumphauit: Et templum Capitolinum inchoauit, Suessana præda, quæ hunc destinata fuerat, inuitante.

ANNVS MVNDI 3526.

ZOROBABELIS & IOSVE 10.

CAMBYSIS 3. Imperij Persarum 10.

OLYMPIADIS LXIII. An. 1.

TARQVINII SVP 6. VR. CON. 225.

ANTE CHRISTVM 527.

I. Expeditio Cambysis in Ægyptũ.

PArmenides Camarinæus in Olympico stadio victor euasit, quo tempore & Cambyses expeditionem parabat in Ægyptum, & Amasis Ægypti rex obijt, cum regnasset annis, vt placet Herodoto, 55. Ad eam autem expeditionem multum adiutus fuit opera Phanis Ægyptij, qui ad ipsum transfugerat, vt Persarum copiæ sium, in desertis Arabiæ locis, effugerent.

II. Rursum res gestæ contra Volscos.

Ordo porro temporis ac narrationis Halicarnassensis Dionij requirit, vt in hunc annum res contra Volscos à Tarquinio gestas referamus, quas ipse turmatim in hæc pauca congessit. Fecit, inquit, postea multas in Volscos expeditiones, nunc totis viribus, nunc parte copiarum educta, prædaque potitus est numerosa. Sic ipse. Et quoniam Tarquinius in Capitolinorum triumphorum fragmentis, bis legitur triumphasse, Sigonius vnum de Volscis, alterum de Sabinis esse meritò arbitratur.

ANNVS MVNDI 3527.

ZOROBABELIS & IOSVE II.

CAMBYSIS 4. Imperij Persarum II.

OLYMPIADIS LXIII. AN. 2.

VRB. CON. 226. L. TARQ. SVPER. 7.

ANTE CHRISTVM 526.

I. Cambysis gesta ad Pelusium *Herod. l. 3.*

HABET hic annus inchoatam Persarum de Ægyptijs victoriam. Nam Cambyses traductis per Arabiam copijs Pelusium peruenit. Ibi habebat castra Psammenitus Amasis iam defuncti filius, Cambysem operiens; eum Ctesias Cnidius Amyrtæum vocat. Et Persæ quidem non longe ab Ægyptijs subsedere, tanquã iam congressuri, cum Græci & Cares Ægyptiorum auxiliarij, filios Phani, qui exercitum Persarum contra Ægyptum adduxerat, barbaro facinore, in parentis oculis, in medio duorum exercituum peremetunt: moxque inito prælio victi, versus Memphim sine ordine fugiunt. Cũ eo se recepissent, misit Cambyses aduerso flumine nauim mithylenæam, cum caduceatore Persa, qui eos ad deditionem hortaretur. Quæ vbi Ægyptij Memphim aduentare vident, ex vrbe frequentes effusi, nauim corrumpunt, virosque frustratim dilaniatos in oppidum afferunt: quod ipsum mox, obsidione aliquandiu tolerata, in Persarum potestatem venit, cum ipso rege, regiaque familia: quos, cum 6. millibus Ægyptiorum, Susam translatos Ctesias tradit.

Ad Memphim.

II. Quid Regi tactũ, ad affectus prodendos.

At longe alia Herodotus. Ait enim regem in custodia suburbana à Cambyse positum, vt animi eius sensum, in domesticis externisq; malis, experiretur. Itaque misisse Psammeniti filiam, cum alijs primæ nobilitatis virginibus, famulari habitu, ad seruile ministerium aquæ in hydria comportandæ: quo spectaculo rex deiecto vultu obmutuit; eodemque modo se gessit paulò post, cum filius eius, vna cum duobus Ægyptiorum millibus, æqualis ætatis, fune in collum iniecto, ad supplicium raperetur. At viso amico iam grandæuo olim beato, nunc mendicante, ingentem ploratum edidit. Causam à Cãbyse rogatus respondit, prior illa mala domestica maiora fuisse, quam vt ea deflere posset. Amici autem miseriam, lacrymis & eiulatu fuisse dignam. Quæ cum à Cambyse audita essent, misericordia motus misit, qui regis filium morti eriperent, sed is primus omnium fuerat obtrũcatus; patrem autem ad regem adduxerunt, quo cum sine alio damno vixit, donec reprehẽsus affectare res nouas, & Ægyptios ad defectionem inducere, iussu Cambysis, taurino cruore epoto, expirauit.

III. Cambysis gesta ad Saim.

Hoc quoque anno vrbem Saim adijsse pomit Cambyses, vbi cadauer Amasis omni contumeliarum genere affectum, contra morem Persarum atque Ægyptiorum comburi iussit: nulla satis idonea causa exacerbatus. Hæc fere hoc anno quarto Cambysis, quo ipso Romanis natum est bellum finitimum, quod ipso roris septem annis vehementer exercuit. Id gestum fuit contra Gabinos Vrbem Latini nominis, Albanorum quondam coloniam. Eo confluxerant Pometini, qui de Suella profugerant, cum eam Tarquinius diueret; eodem plerique Romani exules, qui sibi à Tarquinio metuebant, eisque persuaserunt vt arma contra Tyrannum sumerent, seque in patriam restituerent. Volsci quoque Gabinos ad belli societatem contra Tarquinium inuitarant. Posthæc igitur magnis copijs vtrimque in agrum hostium irruptiones factæ, patratæ cædes, abductæ prædæ, alijs alios vicissim vincentibus,

Bellum Rom. in Gabinos.

ANNVS MVNDI 3528.

ZOROBABELIS & IOSVE 12.

CAMBYSIS 5. Imperij Persarum 12.

OLYMPIADIS LXIII. AN. 3.

TARQVINII SVPERBI 8.

VRBIS CONDITÆ 227.

ANTE CHRISTVM 525.

EVsebius quintum annum Cambysis, annum vocat occupatæ ac deuictæ Ægypti. A quo parum abest Diodorus Siculus huius Olympiadis anno tertio; vnde petitur initium Dynastiæ vigesimæ septimæ Ægypti, quæ Persarum fuit, & vsque ad annum XI. Darii Nothi, per annos CXI. propagata est. Ad hunc ipsum annum, vt ex consequenti Herodoti narratione patet, tres simul à Cambyse expeditiones susceptæ, prima aduersus Carthaginenses, altera contra Ammonios, tertia in longæuos Æthiopes. Prima irrita fuit Phœnicibus id bellum detrectantibus, quod Carthago ipsorum esset Colonia, ideoque contra filios suos pugnare fas non esset. Secunda non solum irrita, sed etiam infœlix fuit. Cum enim Thebas ventum esset, delegit de exercitu suo circiter quinquaginta millia, quibus præcepit vt Ammonæos diriperent, deinde oraculum Iouis incenderent. Cumque inter Casim & Ammonios peruenissent, ingestis austro flante magnis arenæ molibus, obruti periere.

I. Dynastia Persarũ in Ægypto.

Tres Cãbysis expeditiones.

II. Ad Æthiopas.

Tertia expeditio felicior non fuit, quam ipse sibi reseruauit. Cum enim ad Æthiopes misisset exploratores, per speciem dona ferendi ipsorum Regi, & Solis mensam inuisendi, Æthiops non ignarus quorsum illi ad se venissent, durius eis respondit, quasi alienorum bonorum cupidis, & valde inconsultè aggredientibus hostem, multo se fortiorem. Quæ cum Cambysi renunciata essent; ira percitus contra eos mouit, cum omni peditatu, sine vlla cura commeatus: quam temeritatem mox egregiè luit. Nam ante quam quintam itineris partem confeciisset exercitus, protinus eum omnis commeatus defecit, mox & iumenta ad vescendum defecerunt, cumque vlterius etiam progrede-

Temeritatis expeditionis exitus.

rentur, & ad arenas deuenissent, ex seipsis sortiti, decimum quemque comederunt. Quæ audiens Cambyses, relicta expeditione in Æthiopes, retro redijt, Thebasque peruenit: indeque Memphim descendit, multis de suo exercitu amissis.

III. Quæ Memphi gesserit in reditu.

Ibi cum reperisset Ægyptios diem festum agere, quod eorum Deus ipsis apparuisset; ipse contra ratus lætari eos de clade sui exercitus, adductum ad se Apim ferro percussit quo ex vulnere ille mox extabuit, eiusque sacerdotes flagris cædi iussit, & ferias agitantes occidi. Multa quoque templa partim ferro vastauit, partim igne consumpsit, ob quæ scelera, præsertim Apis vulnerati, dicitur Cambyses insanijsse. Sed hæc pluribus habentur in Annalibus, maximeque apud Herodotum, tam hoc quam duobus annis sequentibus, quos Cambyses in Ægypto traduxit. Nam fratrem, quem amandarat in Persidem, iussit interfici. Sororem duxit vxorem, quam quod fratris mortem lugeret, interemit: amici monitoris filium, adacta per cor illius sagitta transfixit; Persas 12. viuos defodit in caput. In templum Cabyrorum, alijs inaccessum ingressus, quæ illic reperit simulacra, multis in eis verbis iocatus, concremauit.

Fratrem Susis occidi curat, aliaq; eius scelera.

Præceps reditum parat & vulneratur.

Moritur.

III. Persæ credunt fratrem Cãbysis regnum inuasisse.

IV. Sterilitas in Iudæa.

Ob ædificandi negligẽtiam. *Aggæi 1. 1. 2. 4.*

ANNVS MVNDI 3531.

ZOROBABELIS & IOSVE 15.

CAMBYSIS 8. & vlt. Imper. Persarum 15.

OLYMPIADIS LXIV. An. 2.

TARQVINII 11. VRB. CO. 230.

ANTE CHRISTVM 522.

I. Magi duo inuadunt imperiũ.

CAmbyse circa Ægyptum commorante, & multa sæpe insanę mentis indicia demonstrante, mors illum quinto mense octaui anni regni sui oppressit improuidum, cum Magi duo germani fratres contra eum Susis coniurassent. Nimirum recte cecinit mitissimus Dauid, *viri sanguinum non dimidiabunt dies suos.* Nam ne quadrantem quidem regni paterni explenit. Magorum alter Patizithes dictus est, quem Cambyses in Ægyptum proficiscens, rei domesticæ reliquerat procuratorem: alter autem Smerdis, qui corporis habitu quam simillimus erat Cyri filio, quem Cambyses à Prexaspe interficiendum curauerat, & eum eodem nomine referebat. Hic ergo Smerdes Cyri se filium simulat, & regium solium regij procuratoris artibus occupat; loco videlicet Cambysis, emotæ mentis viri. Fabulam quoque iuuabat, quod verus Cambysis frater, nemine conscio cæsus fuerat.

Ps. 54. 24.

Smerdis filiũ Cyri se simulat

II. Mes Cambysi innotescit.

Cum ergo rex nouus toto regno vulgaretur, res Cambysi innotescit, cui cum de fratris cæde certo constitisset, Magorum fraude cognita, iubet statim, vt erat animo præceps, exercitum Susam versus iter arripere; ipse concitus in equum insilijt, insilienti vagina gladij excidit, vnde nudatus gladius in eius femur infixus est, ea in parte corporis, in qua percusserat Apim AEgyptiorum Deum. Ita Herodotus, agnoscens diuinam in Cambysem vltionem, & manifestam sacrilegij pœnam. Quæ si ille, non ad veri Dei gloriam, quem non poterat ignorare, sed ex superbia, & repugnante conscientia perpetrauit, etiam in bono opere peccauit. Cumque vigesimum iam diem ægrotaret, seque moriturum videret, accitis Persarum satrapis, tam fratris sui cædem, quem Magorum fraudem detegit, rogatque vt ijs pulsis, regnum apud Persas retineant, sicque sortem suam lamentis prosecutus, interijt.

Cambyse mortuo nequaquam persuasum est Persis rerum potiri Magos, sed reuera fratrẽ illius regnare; præsertim cum Prexaspes tunc pernegaret Cambysis fratrem à se interfectum. Ergo hic suppositicius, per hanc credulitatẽ securus, regnauit septem menses, qui reliqui erant ad implendum octauum annum regni Cambysis. Per quos menses regnum sibi stabilire eximia in subditos liberalitate cœpit. Rem aliter narrat Iustinus, sed concinnior est Herodoti narratio, fortassis & verior, plurium certe calculo probatior.

In Italia Romanos inter & Gabinos res, hoc & sequenti anno, eodem statu fuit. Iudæos autem apparet terræ sterilitate vexatos, propter negligentiam eorum, in domo Domini ædificãda, vt ex Aggæi vaticinio perspicuè constat. Oportet igitur prius illud eorum studium vehementer refrixisse, ex quo Cambyses vrbem ædificari vetuerat. Licet enim Templum exstrui nõ prohibuisset, Iudæi tamen dicebant nondum aduenisse tempus templi ædificandi, hoc ipso quod non liceret ædificare ciuitatis muros, per quos templum, & quæcunque erant, essent in tuto. Quæ tamen excusatio eos non satis regebat, cum nihilominus ipsi magnificas sibi domos extruerent; & templum ipsum firmiter ædificari posset & defendi.

ANNVS MVNDI 3532.

ZOROBABELIS & IOSVE 16.

DARII HYSTASPIS 1. Imp. Persarum 16.

OLYMPIADIS LXIV. An. 3.

TARQVINII SVPER. 11. VR. C. 231.

ANTE CHRISTVM 521.

I. Summa rerũ anni huius.

ANni huius initio Imperium Persarũ Smerde incubatore liberatur. Darius Hystaspis, cõmunibus principum votis suffragijsq; capessit imperium. Zorobabel spe noua sub nouo principe sollicitatus, aulam iamdudum desertam feliciter repetit, de singulis eodem ordine pauca dicamus. Octauo mense ex quo Magus regnum inuaserat, anni huius initio surreptitius iste rex patefactus est. Orthanes Cassandanes frater, & Cambysis auunculus, idemq; socer, vt qui ei filiam Phædimam dederat vxorem, primus Magi fraudem odoratus est ex coniectura, quod neq; ex arce progrediebatur vsquam, neq; suum ad conspectum quenquam amittebat, ne Cãbysis

Magus agnoscitur

quidem vxores & concubinas. Phædima igitur monitu patris dormientis aures explorat, iis enim Cyrus illum pridem priuauerat. Quod cum illa manifeste deprehendisset, rem quam primum ad patrem detulit.

II. Coniuratio 7. principũ contra eum.

Othanes rem cum duobus Persarum satrapis sibi fidelissimis communicat; interque eos conuenit, vt quisque eorum alterum sibi socium adscisceret. Itaq; cum iam sex in eam sententiã conuenissent, vt Imperium ab impuro illo Hypobolimæo liberarent; superuenit Darius filius Hystaspis, qui in eandem societatem admissus, perfecit qua ratione, qua metu, ne res vel in alterum diem differretur. Interea Magi Prexaspẽ, qui fratrem Cambysis, iussu eius, clam interfecerat, sibi conciliant, eumque multis allectum promissis inducunt, vt, congregatis Persarũ primoribus, filium Cyri viuere mentiretur. At ille totius rei veritatem ab initio patefecit; Persasq; hortatus, vt Magos vlciscerentur, sese summa è turri dedit in præceps, ex eaque ruina mortuus est. Cuius rei fama cum adconiuratos in itinere peruenisset, regiam adeunt, admissique, resistẽtes Eunuchos interficiunt, tum Magos ipsos inuadunt, nec suo sine sanguine interficiunt.

Cum fratre interficitur.

III. Populus in Magos concitatur.

Interfectis Magis capita demunt, eaque gestantes, quinque eorum, nam duo saucij arcem tuebantur, foras procurrunt, cum vociferatione & tumultu, cæteros sibi Persas adiungunt, Magos quotquot occurrunt obtruncant, donec tenebræ Magorum cædem terminarunt. Ea dies deinceps in Perside Magophonia appellata, qua die nemini Magorum in publicum prodire fas fuit. Post quintum diem, vbi resedit tumultus, Principes de constituenda Repub. deliberant, in qua deliberatione cum Darij sententia, quæ erat de principatu vni deferendo, vicisset, Regis ipsius electionem casui permiserunt. Quia enim Persæ Solem adorabant, eique equum immolabant, conuenit inter eos, vt sub ortum Solis cõscensis equis vectarentur, & cuius equus primus hinnitum edidisset, is Rex esset. Id cum Dario, famuli sui industria contigisset, Dario a omnibus & voce & adoratione delatus est principatus: peculiari vtique intercedente Dei prouidentia, qui huius Regis opera statuerat vti, vt reliquiæ populi sui patriam repeterent, templi intermissi fabricam instauraret, illudque ipse voti reus ædificaret, quod ille votum non multo post feliciter exoluit.

Darius Hystaspis fit Rex.

IV. Zorobabel repetit Babylonem.

Sub hæc tempora Zorobabel Babylonem, vbi multi adhuc de Iudæis habitabant repetiit, vtique cum iis consilium capturus, de vrbis tẽplique instauratione impetranda: vnde etiam Susam, vbi erat Persarum Regia, mox profectus est. Satis credibile est Iudæos, audita morte Cãbysis, quem nunquam beneuolum experti fuerant, spe meliorum inciratos, in Persidem misisse Zorobabelem, veterem, vt Iosephus ait, Darij amicum, vt eius opera fieret voti compos. Diuina vero prouidentia factum est, vt ille idẽ Darius in Imperium eueheretur, sicq; non per ipsum, sed ab ipso tota res impetranda foret. Quod vt suauius fieret, ob veterem amicitiam Cyri tempore contractam, non ægrè impetrauit, vt cum duobus sociis, in Regij corporis custodes cooptaretur, vt rei bene gerendæ occasionem commodius captare posset.

Se in Regiam insinuat.

ANNVS MVNDI 3533.

ZOROBABELIS & IOSVE 17.

DARII HYSTASPIS 2. Imp. Pers. 17.

OLYMPIADIS LXIV. AN. 4.

TARQVINII SVPERBI 13. V. C. 232.

ANTE CHRISTVM 520.

I. Regni comitia cui fini.

INsignis est hic annus nouis duorum Prophetarum vaticiniis, noua que templi instauratione, postquam diuinitus conciliato Iudæis Dario, plurimi Iudæorum, duce iterum Zorobabele, rursus Ierosolymam profecti sunt. Cuius rei occasio ex solenni Darij conuiuio, & comitiis omnium principũ eius sumpta est. Ad præsentem enim annum conuiuium istud, & trium iuuenum concertatio referenda est, vt ex 3. Esdræ perspicuè intelligitur. Indictus est autem hic conuentus, tum vt Rex nouus ab omnibus prouinciarum præfectis, vicem populorum agentibus, agnosceretur & confirmaretur: tum vt populorum suorum tributa ordinaret, quæ sub Cyro & Cambyse incerta fuerant & voluntaria. Quam ob causam Persæ dicebant Darium fuisse institorem, Cambysen autem Dominum, Cyrum vero patrem; Quod Darius instar esset prudentis & attenti patrisfamilias, Cambyses asper ac morosus, Cyrus autem mitis, ac de omnibus bene merendi studiosus.

ca. 5. 6. & c. 3. 4.

II. Disputatio iuuenum de re omnium fortissima.

Cum autem manducassent & bibissent & satiati reuerterentur, tunc Darius Rex ascendit in cubiculum suum, & dormiuit, apparet somnum fuisse pomeridianum, post quod euigilante Rege, & vitis Principibus ad eum iterum congregatis sapientiæ & ingenij certamen institutum est. Cum enim tres iuuenes disputationem instituissent, de re omnium fortissima, propositis ex Regis consensu ingentibus victori præmiis, suam singuli propositionem scripserunt, deque ea iussi differuerunt. Primus de vino dixit ad vulgi sensum accommodatè; alter Regum dignitatem extulit ac potentiam, quod eorum voluntati omnia obtemperent. Tertius autem fuit Zorobabel, qui geminam sententiam posuit, alteram in laude muliebris potestatis, quam habere videantur, alteram in veritissima commendatione veritatis. In quibus Scriptor libri huius, non quam vere quidque dicatur inquirit, sed hæc in eo cœtu dicta fuisse testatur; quorum examen in Annalibus Lector noster inueniet.

III. Vincit veritas, vetus scilicet Deus.

Votum Darij.

Merito porro veritas omnium calculis supremum potentiæ locum, atque dignitatis obtinuit. Nil enim aliud Zorobabel nomine veritatis intellexit, quam ipsum verum Deum, rerum omnium conditorem. Neque enim alioqui veritatem cœlo & terræ, Soli, quem Persæ colebant, & astris, mulieribus & regibus, & omnibus hominibus prætulisset. Rex autem ipse in primis intimis affectus est sensibus, & ad Zorobabelem conuersus, iussit eum petere, præter ea quæ scripta erant, quidquid libuisset. Qua occasione excitatus, Re-

gi reuocat in memoriam votum ab ipso editũ, de ædificanda Ierosolyma, in die qua regnum acceperat,& de factis vasis restituendis : idque Zorobabel à Regia liberalitate postulat ; à qua multo etiam plura obtinuit , quam sperabat.

IV. 3.Esd. 4.47. Insignis & multiplex Regis in Iudæorum liberalitas.

Nam Rex scripsit ad locorum præfectos per quos Iudæi transituri erant, vt si quando opus foret,militaria illis præsidia traderent 2.ad Tyrios scripsit atque Sidonios , vt ligna cedrina Iudæis traderent , ad vrbis & templi constructionem,cuius eos voluit esse adiutores. 3. Voluit eorum loca & personas à tributis esse immunes.4.vt Idumæi à Iudæorum castellis , quæ occupauerunt,decederecogerentur.5.iussit annis singulis viginti talenta de regiis reditibus dari,ad templi constructionem , donec absolueretur.6.vt in sacrificiorum , alia talenta decem Iudæis traderentur.7.vt omnes Iudæi, siue serui facti iure belli,siue in seruitute nati , liberi censerentur. 8. vt ne ijdem ad sumptus extraordinarios , vt ludorum , aliquid persoluerent , sed eis potius ciuitatem custodientibus stipendia darentur. Denique stolam sacram, aliaque vestimenta leuitica , & vasa sacra, quæcumque Cyrus edixerat,Hierosolymam remitti iussit.

V. Et Deo ipsum munus.

Ex quibus omnibus apparet quam cumulatè optimus Princeps votum suum studuerit exsoluere,pro qua eius tam pia ac propensa in se populumque suum voluntate , Deus veritatis quem ille benedixit,non leuiter muneratus est, tributo illi diuturno sex & 30. annorum Imperio. Hæc autem omnia cum Zorobabel à Rege munificentissimo impetrasset , ad suos Babylonem versus profectus est , vbi cum septiduo festos egissent dies,magno numero profecti sunt Ierosolymam, deducentibus mille Regis equitibus, & plurima musicorum turba comitante , ita vt profectio instar haberet ouationis , vel triumphi , vt merito conijcere liceat eos tardius Hierosolymam peruenisse:sub idem scilicet tempus , quo Dominus Aggæum Prophetam, & Zachariam suscitauit , vt vaticiniis clarescerent , & populum ad templi constructionem incitarent , declarata pœna negligentiæ præteritæ,& proposita mercede futuræ pietatis.

Zorobabel Babylonem adit,& inde Iudæam.

2. Agg.16. & seqq.

VI. 1.Esdr.5.3 Agg.2.19 Hierosolymis ædificat, Præfecti Darij ad eum scribunt.

Cum ergo Iudæi ædificare cœpissent, sub finem mensis , aliquanto post præfecti Darij Iudæos adierunt rogantes , qua autoritate templum ædificarent , quod videntur ex officio & consuetudine fecisse , licet regias literas accepissent à Zorobabele : nec seuerius cum ipsis egerunt,diuina id agente prouidentia ; neque enim eos ab ædificatione prohibuerunt,donec nouum acciperent à Rege mandatum,ad quem officiosè scripserunt,quæ causæ eorum fuerẽt, omissis querelis præcedentium magistratuum, & prohibitione Cambysis. Illud porro causæ eorum fauet, quod dicuntur ædificare de lapide impolito , & ligna parietibus inserere , & à tempore Cyri ædificasse vsque nunc , neque opus adhuc esse perfectum. Facilius enim conceditur,vt opus iamdudum inchoatum quodq; continenter promotum fuit,perficiatur, quam vt recens inchoetur.

VII.

Illud autem de lapidibus impolitis confirmatur ex Aggæo , qui iussu Dei alloquitur eos, qui priorem domum à Salomone constructam viderant , præ qua quæ nunc ædificabatur contemptibilis videbatur , & nihili. Promittitque se redditurum nouissimam hanc domum glorioriorem priore ; quod eam præsentia sua glorificaturus esset , qui est *desideratus cunctis gentibus*. Et ratio ipsa docet , superfluam esse mentionem Christi Domini, ex quo gloria ista dependeat, si gloria hæc ex ipso ædificio peti debet. Hinc etiam sequitur hoc ipsum templum Zorobabelis stetisse ipsius Christi tempore ; & non aliud,quod ab Herode à fundamentis excitatum, Iosephus finxit.Hæ porro litteræ, cum extremo anno scriptæ essent,responsio , ex tam longinqua regione , non ante sequentem annum reddita est.

Nouissimum hõc templum priore gloriosius.

Stetit ad Christũ vsque.

VIII. Expeditio in Babylonem rebellantem.

Non differam vltra hunc annum,initium expeditionis Darij, contra rebellantem Babylonem ; Herodotum secutus , qui licet annum inchoati belli non nominet , initio tamen regni Darij gestum esse non obscurè demonstrat. *Nam quandiu* , inquit , *Magus imperauit , & septem coniurati rem aggrediuntur , per hoc omne tempus , & per occasionem rerum turbatarum Babylonij se ad ferendam obsidionem instruxerunt* , consilium tamen defectionis dissimulantes , dum se modis omnibus paratos ad bellum viderent. Tum demum aperte à Persis desciscunt. Matres deinde vrbe eijciunt ; mulierem vnam, quam sibi quisque voluit è domesticis elegit quam retineret ad conficiendum panem: cæteras in vnũ contractas strangulant , ne rem frumentariam absumant, quod illi scelus in patibulo postmodum pependerunt. Quibus cognitis Darius maturè aduersus eos contractis omnibus copiis contendit.

IX. Ratio tẽporis.

Babyloniorum ergo apparatus , & dissimulatio , vltimum annum Cambysis , & Magi 7. menses,& primum Darij annum tenere potuit. Secundo autem aperte patefacta est. Expulsæ enim matres,rem vbique , vt assolet, quiritando declamarunt. Accesserunt negationes tributorum, præsidiariorum militum , & magistratus Persarum cædes , aliaque id genus. Quoniam autem magni momenti erat hæc ciuitas, ne aliis ad defectionem præiret,existimo Darium hoc statim anno exercitum contra Babylonios duxisse,quos vigesimo denique mense,vt tradit Herodotus,subiugauit. Quantum autem munitionibus suis confiderent, & rebus omnibus necessariis,ad diutissimè tolerandam obsidionem instructi essent,ex eo patet , quod licet se obsidione cunctos viderent ab ipsomet Imperatore Persarum , cum innumeris copiis; illi tamen conscensis propugnaculis tripudiare,probraque ingerere Dario,eiusque exercitui non dubitabant.

Babyloniorum fiducia.

X. Finis belli in Gabinos.

Hoc ipso anno bellum in Italia , Romanos inter & Gabinos, vtrisque penuria annonæ laborantibus , finitum est. Sed accessit fraus à Romanis maiore penuria vexatis. Cum enim anxius esset Tarquinius , quod nec ignominiosam pacem vellet admittere,nec longiores belli moras ferre valeret. Sextus eius filius insignem fraudem , solo patre conscio , & cooperatore commentus est. Fingit se offendisse patrem , quod bellum finiendum contenderet. Itaque virgis in foro à patre cæsus , quò latius se fama spargeret,& aliis contumeliis affectus,

Stratagema sexti Tarquinij.

ad Gabios, cum plerisque amicorum transfugit, à quibus etiam dux eligitur. Tum patris cōsilio præcipuos Gabinos tollit è medio, vt in Græcia Periander, & patrem intempesta nocte in vrbem admittit; à quo Rex Gabiis constituitur, gente in fidem & amicitiam Romanorum recepta. Atque hunc finem habuit bellum Gabinum.

ANNVS MVNDI 3534.

ZOROBABELIS & IOSVE 18.

DARII HYSTASPIS 3. Imp. Pers. 18.

OLYMPIADIS LXV. AN. 1.

TARQVINII SVPER. 14. V. C. 233.

ANTE CHRISTVM 519.

I. Rescriptum Darij ad præfectos suos in Iudæam.

REscripsit hoc anno Darius præsidibus Syriæ & Phœnicis in causa Iudæorum. Neque enim ante hunc annum res confici potuit, vt iam superiore anno significatum est. Acceptis ergo præsidum literis, Cyri decretum in gratiā Iudæorum perquisitum est, & inuenta permissio ædificandi templi Hierosolymitani Regiis sumptibus, sumptuum quoque promissio, suppeditandorum in quotidiana sacrificia; inuenta etiam restitutio sacrorum vasorum. Et quoniā intelligebat Darius improbitatem & odium Samaritanorum in Iudæos, & cacozeliam in Templi, vel vrbis instauratione impedienda, prædicta omnia confirmat pœna capitali proposita in eos, qui hoc decretum violare ausi essent. 1. Esdr. 6. 11. *Tollatur*, inquit, *lignum de domo ipsius, & erigatur, & configatur in eo; domus autem eius publicetur.* Hoc de subditis suis intelligit; aliis enim regnis & populis diuinæ domus violatoribus, diuinam vindictam imprecatur.

II. Zopyri stratagema in Chaldæos.

Sub huius anni finem, vigesimo mense ab obsidionis initio, mirabili Zopyri stratagemate Babylon in Darij potestatem venit. Anno enim ac septem mensibus in obsidione consumptis, vt ait Herodotus, sub finem libri tertij, cum iam Darium, & totum eius exercitum tædere cœpisset obsidionis, Zopyrus Megabysi filius, vnus è septem, qui Magum sustulerant, insigni audacia, atrox in se facinus patrauit. Nares quippe sibi, auriculasque deformissima mutilatione præcidit, comam deformiter circumtondit, & sese flagris crudeliter cæcidit, sicq; ad Darium perrexit; quem tali spectaculo attonitum docuit, se vltro in seipsum ita sæuiisse, Babylonios fallendi causa. Ego enim, inquit, ita deformatus, ad muros vt transfuga fugiam, dicamque me hæc à te passum, & hoc corporis habitu fidem facient, consequar exercitus præfecturam.

III. Bo Babylon capitur.

Inde monet, vt per certa dierum interualla milites gregatim certo in loco constituat, in quos ipse irrumpens, eos sine graui Darij iactura conficiat. Quod cum tertiò factum esset, & Zopyrus maximam Babylone fidem obtinuisset, monet & postridie ab vltima victoria, qua Persarum quatuor millia deleta fuissent, reliquis omnibus copiis muros oppugnet, Babyloniis autem ad hostem propellendum concurrentibus, se Persis portas patefacturum, clauibus sibi à magistratu permissis; itaque Darium vrbe potiturum. Hæc vti dixit ita perfecit, atque ita Babylon iterum capta est. Qua potitus Darius muros eius circuncidit, & portas omnes amolitus est; tria millia procerum patibulis affixit; cæteris venia data, Vrbem incolendi potestatem fecit, quam Zopyro immunem, quoad viueret, in peculiarem portionem dedit, aliaque plurima, quæ erant apud Persas honoratissima.

IV. *l. 4.* Romana res Capitolium exædificatur. *An. V. C. 224. a. 2. & 3.*

Quod ad Romanas huius anni res attinet, Rex Tarquinius, vt ait Dionysius, data populo bellorum & expeditionum requie, vertit se ad templorum fabricam, vt aui sui vota persolueret: quæ Liuij quoque mens videtur? qui explicata Gabina re, de inchoata Capitolini templi ædificatione incipit agere. Quam tamen prius inchoatam ex Suessana præda, supra probabilius existimauimus. Itaque hoc tempore potius in ea constructione, forte propter belli molestias intermissa, diligentius laboratum esse credimus.

Olympias porro 65. quæ hoc anno inchoatur Acocham Tarentinum cultorem nobilitauit. Eadem natum Pindarum tradit Suidas, probatque ex eo quod sub expeditionem Xerxis, quæ in Olympiadem 75. cadit natus erat annos 40. Indeque eodem autore quindecim vixit annos. Addit hac ipsa Olympiade floruisse Hecatæum Milesium Protagoræ auditorem, & Dionysium Milesium Historicum, ex quo profecit Herodotus.

Olymp. 65. Pindarus Hecatæus, & Dionysius Milesij.

ANNVS MVNDI 3535.

ZOROBABELIS & IOSVE 19.

DARII HYSTASPIS 4. Imp. Pers. 19.

OLYMPIADIS LXV. AN. 2.

TARQVINII SVPER. 15. V. C. 234.

ANTE CHRISTVM 518.

I. Danielis obitus, & ratio temporis.

CVm Isidorus scribat Danielem ad centesimum decimum ætatis annum peruenisse, quem nos primo Ioachimi Regis anno natum censuimus, oportet eum hoc anno viuendi finem fecisse; totidem eū ab illo initio, ad quartum Darij Hystaspis numerantur. Nimium tres ante initium regni Nabuchodonosoris, tum 18. eiusdem Regis ante Desolationem Hierosolymæ, à qua 70. anni captiuitatis Babylonicæ fluxerunt. Item Cyri 7. octo Cambysis, & Darij 4.

3	
18	
70	
7	
8	
4	
110	

Dies autem mortis sanctissimi Prophetæ in Martyrologio Romano proditur 21. Iulij, cui consentiunt Bedæ, reliquorumque Latinorum Martyrologia. Græci autem eius obitum vnà cum tribus sociis, ad 16. Cal. Ianuarij in Menologio referunt.

II. Biusce mendatio ex Christi figura.

Dorotheus in Synopsi eum sepulchro Regio conditum scribit, nec immerito, vt qui Regio genere ortus, Regis Regum Christi Domini clarissimus typus fuit, quod tota pene Danielis

clamat historia; vt qui propter peccata maiorum suorum, ductus est in captiuitatem, puer in quo nulla erat macula, decorus forma, & eruditus omni sapientia, qui duodennis contra senes disputat, eosque coarguit nequitiæ, ac falsitatis; adoratur à regibus, odium atque inuidiam profanorum Sacerdotum incurrit. Qui in lacum leonum proiectus, ibi incolumis permanet, indeque mox in apertam Dominicæ resurrectionis figuram, egreditur liber, hostibus eius in perniciem ei præparatam proiectis: qui Belis idolum destruxit, Draconem interemit, & afflictis aduersariis suis, in sublime euectus est à regibus terræ. Quæ omnia aliaque id genus, Christo Domino pulcherrimè conueniunt, vt in Annalibus inuenies diligentius explicatum; vbi & vitæ ipsius epitomen, Lector breuitatis amicus, breuem & contractam in pauca, reperiet.

III. Annus Sabbat. I. 6.

Hic addo esse hunc annum Sabbaticum ordine 136. tot enim annorum septenaria ab initio principatus Iosue numerantur; qui incidit in annum mundi 2584. De te quoque Persica hoc addo, Darium bello Babylonico iam confecto, expeditionem aduersus Scythas præparasse, vt Herodotus Iustinusque testantur. Quæ cum admodum longinqua esset, atque operosi laboris, merito hic annus apparatui illi videtur assignandus, quo dimissis ad nationes quibus imperabat nuntiis, alios peditatum, classem alios præparare iussit: alios etiam bosphorum Thracium ponte iungere. Suscepti belli causam assignat Herodotus desiderium vlciscendi Scythas, qui iampridem in Asiam irruptione facta, duodetriginta annis eius Imperium tenuerant. Iustinus ait Darium ab eorum Rege Latino filiam in vxorem petiisse: quam cum non impetrasset, bellum Scythis intulisse.

Darius parat expeditionem in Scythas, eiusque causa.

ANNVS MVNDI 3536.

ZOROBABELIS & IOSVÆ 20.

DARII HYSTASPIS 5. Imp. Pers. 20.

OLYMPIADIS LXV. AN. 3.

TARQVINII SVPERBI 16. V. C. 235.

ANTE CHRISTVM 517.

I. *Herod. l. 4* Scythica Darii expeditio, barbaro facinore inchoata.

DArius, vbi omnia illi ad profectionem expedita fuerunt, copias ex vrbe Susis eduxit, simulque inauspicato facinore infelicem sibi reddidit expeditionem. Cum enim Oeobazus quidam Persa Regem rogaret, vt de tribus filiis, quos secum abducebat in bellum, vnum sibi relinqueret solatium senectutis. Vbi se omnes illi relicturum promisisset, omnes interfecit. Quod facinus postea Xerxes filius eius maiore scelere cumulauit. Susis ergo mouens Darius peruenit ad Bosphorum Thraciæ, vbi pons opera Mandroclis Samnij freto imponebatur, vbi & duos cippos erexit è lapide candido, cum hoc elogio, *Monimentum Asiæ cum Europa coniunctæ.* Ibi traducto in Europam exercitu, partem eius ad Istrum misit, eique pontem imponi iussit, dum ipse per Thraciam eò perueniret. Quò cum peruenisset, deiectis ex itinere Getis, atque exercitum traduxisset, Scythas sese subducentes sequitur, & ad deserta loca pertrahentes.

an. 7. ipsius.

Bosphorus Thraciæ ponte iunctus.

II. Scytharũ ad Dariũ munera hieroglyphica.

Ibi cum Persæ inopia laborare cœpissent, miserunt Scythæ caduceatorem ad Darium cũ muneribus, aue, mure, rana, rana, & quinque sagittis, iubentes eos, si solertes essent, interpretari quid illa significarent. Cumque Darius interpretaretur Scythas velle facere deditionem, Gobrias vnus è septem qui Magos sustulerant, sic ea dona est interpretatus. O Persæ nisi aues effecti subuoletis in cœlum, aut mures subeatis terram, aut ranæ insiliatis in paludes, non remeabitis vnde venistis, his sagittis confixi. Quæ magis ex faceto Herodoti ingenio, quam ex historia petita crediderim. Interim autem cum Iones post dies 60. vti iussi fuerant, à Rege reuocati, pontem iterum iunxerunt, & exercitum alioqui funditus periturum, traduxerunt, 90. hominum millibus amissis. Darius autem ipse per Thraciam iter faciens nauibus traiecit in Asiam, relicto in Europa Megabyso, cum 80. millibus militum, qui reliquam Græciam subiugarent.

Iones Põtem ad Darij reditum restituunt.

Sub hoc tempus, quiescente à bellis Romana Republ. Signia & Circeia coloniæ deductæ sunt, quibus Tarquinius duos è filiis suis præfecit, Circeis Aruntem, Signiæ Titum. Sextus autem Gabiis imperabat. Interea autem Iudæi Hierosolymis templi constructionem, annitentibus Prophetis, adiuuantibus Darij præfectis, vehementer vrgebant, adeo vt sequenti anno res tota perfecta legatur.

II. *Dionys. l. 4.* Circeia & Signia coloniæ. *1. Esdr. 6. 14, 15.*

ANNVS MVNDI 3537.

ZOROBABELIS & IOSVE 21.

DARII HYSTASPIS 6. Imp. Pers. 21.

OLYMPIADIS LXV. AN. 4.

TARQVINII SVPER. 17. V. C. 236.

ANTE CHRISTVM 516.

I. *1. Esdr. 6. 14. & 3. Esdr. 7. 4* Completa templi ædificatio.

CElebratur apud Esdram hic annus, vt in cuius exitu completa sit templi ædificatio. *Seniores enim*, inquit, *ædificauerunt, & constituerunt, iubente Deo Israel*, per Prophetas videlicet Aggæum & Zachariam, *& iubente Cyro & Dario & Artaxerxe regibus Persarum.* Coniecit in vnum locum omnes Persarum Principes, qui res Iudaicas à soluta captiuitate promouerunt. Etsi enim nunc solus Darius Hystaspes Iudæis fauebat, Cyrus tamen per repetitionem, Artaxerxes Longimanus per occupationem recensentur. *Et compleuerunt Domum Dei istam*, quæ à soluta captiuitate ædificata est, *vsque ad diem tertium*, siue 23. *vt est in 3. Esdræ mensis Adar*, is est duodecimus anni sacri, *qui est annus sextus regni Darij Regis*, Itaque templi huius constructio non tenuit septennium, vt vult Iosephus, sed annos quatuor menseu vnũ & dies nouem, nimirum à die 24. mensis noni anni secundi Darij, qua die iacta sunt fundamenta templi, vt scriptum est ab Aggæo, vs.

c. 2 19.

que

que ad diem tertium mensis Adar, anni sexti eiusdem Darij.

II. An. 46. annis extructum.

Multo etiam grauius necesse est errasse Iudæos, qui Christo Domino obijciebant templum istud sex & 40. annis fuisse ædificatum, quod tum è ruinis peritum iactabatur. Quod verum esse non poterat, ne si à primo anno Cyri templi constructo inchoaretur, à quo anno hic est vigesimus primus: sed hæc in Annalibus accuratius. Completam domum excepit dedicatio facta à Sacerdotibus & Leuitis magno cũ gaudio. In qua obtulerunt vitulos centum, arietes ducentos, agnos quadringentos, hircos caprarum, pro peccato totius Israël, duodecim, iuxta numerum tribuum Israël.

Eiusdem dedicatio.

III. Histiæus locum vrbi à Dario accipit.

Quod ad rem Persicam, cum Susis esset Darius, Megabysus, qui anno proximo à Rege in Europa, quasi Prorex fuerat relictus, per Thraciam arma circunferens, omnes eius vrbes ac prouincias Regi subijciebat, iuxta Darij præceptum: qui Histiæum Milesiorum principem, qui tutum ei à Scythis reditum, reparato Istri ponte præbuerat, optare iussit quid præmij mallet. Is locum petiit ad Strymonem fluuium, non procul ab Hellesponto, nomine Myrcinum, in quo vrbem conderet: quam dum strenue condit, cingitque muris, Megabysi opera à Dario in Persidem reuocatus est. Vnde primaria extitit origo defectionis Ionum à Persis, ex qua bella omnia Græcos inter & Persas proseminata sunt; donec tandem ipsum Persarum Imperium, armis Græcorum, & nominatim Alexandri Macedonis euersum est.

Semen belli Persas inter & Græcos.

IV. Paschæ celebritas, ad eâ qui conuenerint.

Sequenti anno pascha legitimo tempore à filiis Transmigrationis celebratum est, non solum qui erant de regno Iuda, sed etiam de cæteris tribubus. Reditus enim à Cyro & Dario indiscriminatim permissus fuerat, & erant omnes nunc sub Persarum Imperio. Quin etiam *omnes qui se separauerant à coinquinatione gentium terræ*, ad eos se aggregarunt, *vt quærerent Dominũ Israel*. Hæc erat non vulgaris causa lætitiæ, quod plerique mortales desertis Idolis ad verum Deũ facti Proselyti conuerterentur, & cum iis, qui origine Iudæi erant, ritus Hebraicos celebrarent. Forte etiam Scriptura eos intelligit, qui tempore captiuitatis ad vicinas gẽtes peregrinati, sordibus idolorum cum ipsis inquinati fuerant, & ad Iudæorum reditum resipiscentes, ad eos sese aggregauerunt: agnita Principum Persarum in eos beneuolentia.

Noui Proselyti

Fuit hic idem annus primus Olymp. LXVI. quo anno cum Megabysus Sardeis Lydorum Metropolim, vbi tum Darius erat, venisset è Thracia, Regem libere monuit, non esse è re Imperij Persici locum dedisse ad vrbem condendam in Thracia Histiæo Milesio viro Græco, eidemque solerti & industrio, qui toti Græciæ dux ad defectionem esse posset, sicque domesticum sibi bellum ipsemet pareret. Itaque suasit vt Histiæum ad se suauiter euocaret, neque permitteret vt vnquam in Græciam reuerteretur. Darius probato consilio, illum ad se peramanter euocauit, secumque Susam, vt fidissimum consiliarium abduxit.

V. Olympias. LXVI. Darius monitu Megabysi Histiæũ euocat ad se.

VI. Aristagoras deficit à Persis ab Histiæo incitatus.

Histiæus autem Aristagoram generum & consobrinum suum, Mileti loco suo procuratorem reliquit ac gubernatorem. Qui cum à Persis Mileto priuari timeret, de defectione cogitabat, socios que facinoris circunspectabat: cum ad eum Susis ab Histiæo nuncius venit, cõpuncto notis capite, quibus Aristagorę defectionem suadebat, sperans eo facto se ad mare cum Rege ventutum, & eo relicto Ionibus cõtra Darium ducem futurum; alioqui se Mileto perpetuo carituru. Re intellecta Aristagoras vicinos populos ad quærendam libertatem induxit. Deinde etiam Lacedæmonios in belli contra Persas societatem inducere conatus est: sed cum id à Cleomene ipsorum Rege non impetrasset, ad Athenienses sollicitandos meliore successu transiuit, quod non nisi anno sequenti arbitror fieri potuisse.

ANNVS MVNDI 3539.

ZOROBABELIS & IOSVE 23.

DARII HYSTASPIS 8. Imp. Pers. 23.

OLYMPIADIS LXVI. AN. 2.

TARQVINII SVPERBI 19. V. C. 238.

ANTE CHRISTVM 514.

I. Aristagoras defectionem Atheniẽsibus persuadet.

ARistagoras Milesius à Cleomene Rege Lacedæmonio Sparta reiectus, Athenas venit, vbi eadem quæ in Sparta commemorauit, de commodis quæ essent in Asia, deque Persici belli facilitate. Addebat etiam Milesios esse Atheniensium colonos, quos æquum esset ab ipsis, qui & multum poterant, & eorum quasi parentes essent, libertati restitui. Eos denique in suam pertraxit sententiam. Ad quod non leue momentum attulit prætiens Athenarum status. Hippias enim Pisistrati dudum tyranni filius, Athenis pulsus, Artaphernem Darij fratrem contra Athenienses accendebat, eumque impulerat, vt ad Athenienses scriberet, vt si salui esse vellent, rursus Hippiam recuperent. Quod cum ipsi recusarent, superueniens Aristagoras facilius Athenienſibus bellum Persicum persuasit. Decreuere igitur 20. naues Ionibus auxilio mittendas Melanthio Nauarcho. Aristagoras autem Miletum reuectus, Pæoniis Thraciæ populis, quos dudum Megabysus in Asiam abduxerat, fugam è Phrygia in patriam persuasit, spe recuperandæ libertatis.

Occasione Hippi

Interea classis Atheniensium ad Milesios appulit, cum quibus, aliisque belli sociis Ephesum peruenere; vbi relictis nauibus, Sardeis impio ui sit aduenium, easque, præter arcem quam Artaphernes ipse turbatur, capiunt & incendunt. Persis autem ad arma concurrentibus, fugæ se dedidere; multisque è suis in pugna Ephesi commissa, amissis, ad propria euasere. Ea re cognita Darius ardens cupiditate vlciscendi Atheniẽses, apud Histiæum quasi defectionis conscium conqueritur: At is tergiuersari, ac dicere, si quid à suis commissum est mali, id propter absentiam suam contigisse: sed si à Rege dimittatur, facile omnia in pristinum statum repositurum. Quibus persuasis Darius Histæum dimisit, hostium deinceps contra se ducem futurum. Res Artaphernem non latuit, eique

II. Cũ classe Ephesum veniunt & Sardes captas incendũt

Histiæus a Dario impune dimittitur.

defectionem cum obiecisset, Histiæus prima statim nocte fuga se ad mare proripuit, duxque factus est Ionici belli contra Darium.

III. 3540. Res gestæ ab Ionibus contra Persas, à quibus deuicti sunt.

Athenienses porro præcedente in Persas expeditione perfuncti, ab Ionibus seiunxerunt se, & nihilominus vtrique seorsim deinceps sese hostiliter contra Persas gesserunt. Nam Iones Hellespontum inuecti, Byzantium & cæteras circa vrbes in potestatem redegerunt, & magnâ Cariorum & Cypriorum partem in belli societatem adduxerunt: sed infeliciter contra Persas pugnauerunt, & in seruitutem denique post longam obsidionem redacti sunt. At contra Athenienses non tam cito à Persis pugnatum est: ad eos enim sibi, per deuictos Iones, iter parabant. Interea cum Histiæus Chium transmisisset, ab iis in vincula coniectus est, existimantibus illum à Dario missum, ad res nouas molien das. Verum vbi rem omnem didicere, hominem soluerunt, qui non destitit Persas, qui Sardibus habitabant, ad rebellandum sollicitare per literas. Quod cum Artapherni innotuisset, de multis Persis, Sardibus supplicium sumpsit.

Histiæus capitur, ac dimittitur.

ANNVS MVNDI 3542.

ZOROBABELIS & IOSVE 26.

DARII HYSTASPIS 11. Imp. Pers. 26.

OLYMPIADIS LXVII. AN. 1.

TARQVINII 22. VR. COND. 241.

ANTE CHRISTVM 511.

I. Annus Sabbat. 137.

SAbbaticus fuit hic annus ordine 137. idemq; Olympiadi 67. initium dedit, qua Phanas Pellinæus vir fortissimus triplici certamine victor fuit, stadij, diauli, siue terati cursus, & armatæ exercitationis, quæ Olympiade 65. introducta fuerat. Hoc porro ac præcedenti anno Persiæ contra Cares & Milesios non incruenta bella gesserunt. Quãdo victus Aristegoras in Thraciam fugiens, à Thracibus cum suis interfectus, pœnas suscepta Ionicæ defectionis exoluit. Histiæus autem exoratis Chiis, à quibus dudum fuerat coniectus in vincula, Milesium reductus est. Sed Milesij libenter Aristagora liberati, alium tyrannum degustata libertate non cupiebant. Histiæus nihilominus conatus sub nocte Miletum introire, à quodam Milesio in femore vulnus accepit; sicque reiectus à patria, rursus se recepit in Chium, & inde Mitylenem, Lesbiisque vt sibi naues traderent persuasis, octo illorum triremibus armatis, piraticam exercebat.

Persæ cõtra Cares, & Milesios bellum gerunt.

Aristagoræ mors

II. Persarũ cum Ionibus pugna naualis.

Histiæo & Mitylenæis hæc agentibus, aduersus ipsam Miletum ingens hostium exercitus terra marique imminebat. Hos aduersus Miletum & cæteram Ioniam, cum venturos Iones accepissent, in commune deliberarunt quid esset opus facto; visum que est classe tantum pugnare cum Persis, Milesijs pro mœnibus suis strenue pugnantibus. Ergo apud Ladam, quæ parua est insula Mileto obiacens, conuenere Ionicæ triremes 363. Barbaræ vero sexcentæ. Pugnatum est, victi Iones fugatique, alij aliò protugere. Persæ victores Mileti obsidionem aggressi sunt, quæ ad annum sequentem tenuit, qui fuit sextus à quo rebellauerat Aristagoras, vt ait Herodotus. Suffossis ergo muris, & omni tormentorum genere quassatis, occupata, direpta, funditusque euersa est: Milesiorum pars à Persis cæsi, pars Susan in seruitutem abducti, nonnulli in Siciliam effugere: vxores ac liberi, bonaque omnia in prædam cessere, templa cõflagrarunt. Statim autem expugnata Mileto, Persæ Cariam partim vi, partim deditione cepere.

3543. Miletus expugnatur.

Videtur hoc anno Tarquinius Superbus bellum contra Ardeates suscepisse, causam prætexés, vt ait Dionys. quod Romanos exules excepissent, eosque in obtinendo reditu adiuuarent, cum reuera eorum diuitiis, vt omnium Italorum locupletissimis inhiaret. Itaque cum hostis fortiter resisteret, diu durauit obsidio.

III. Tarquinij bellũ contra Ardeates l. 4.

ANNVS MVNDI 3544.

ZOROBABELIS & IOSVE 28.

DARII HYSTASPIS 13. Imp. Pers. 28.

OLYMPIADIS LXVII. AN. 3.

TARQVINII SVPER. 24. V. C. 243.

ANTE CHRISTVM 509.

I. Histiæi piratica, & mors

HIstiæus Milesius dum circa Byzantium agit, & Ionum onerarias naues, quæ è Ponto cursum tenebant intercipit, nuncium accipit de rebus ad Miletum gestis, & cum Lesbiis Chium proficiscitur, eosque ex nauali prælio afflictos subigit; inde aduersus Thasum contendit, moxque in Lesbum cum omnibus copiis traijcit. Cumq; mox frumentandi gratia egressus esset in terram, in Harpagum Persam incidit, non parui exercitus ducem, & certamine commisso maiore parte exercitus cæsa, ipsemet Histiæus captus, & Sardeis perductus, iussu Artaphernis & Harpagi, capite truncatus, & in crucem sublatus est. Sperabat tamen si viuus ad Darium perductus fuisset, se veniam fuisse impetraturum. Hunc finem sortitus est Histiæus, Ionici belli contra Persas, defectionisque primarius artifex: quo non multo feliciorem exitum postea nactus est Hippias, qui Persas contra Athenienses incitauit.

II. Bellum ducitur contra Ardeates

Quod ad bellum Ardeatinum attinet. Cum Ardeates viris fortunisque abundarent, & se suaque fortiter propugnarent, longius protrahebatur obsidio. Itaque & in castris milites lentum bellum fatigabat, & in vrbe ciues continua tributa exhauriebant, spectabatque res ad defectionem, si modo quis præberet initium, quod proximo anno factum est, quo exutus est regno Tarquinius.

ANNVS MVNDI 3545.

ZOROBABELIS & IOSVE 29.

DARII HYSTAPSIS 14. Imp. Pers. 29.

OLYMPIADIS LXVII. AN. 4.

TARQVINII 25. & vlt. VR. CO. 508.

ANTE CHRISTVM 244.

I. Iones à Persis domiti.

PERSARVM nauticæ copiæ, vt scribit Herodotus, circa Miletum hybernantem, altero à profectione anno haud difficulter insulas continenti adiectas ceperunt, Chium, Lesbum, Tenedum; vrbes quoque in continente. Sicque tertio Iones in seruitutem redacti sunt. Primo à Lydis, bis deinceps à Persis. Profectusque ab Ionia naualis exercitus, omnia quæ ad læuam sunt, in Hellespontum nauigantibus, subegit. Arthaphernes autem Sardium præses, Ioniam per parasangas diuisit (ita enim Persæ tricena stadia nuncupant) & regionatim vectigal imposuit, quod Iones Regi, ad ætatem Herodoti, pependerunt.

II. Annus Regũ Romæ electorũ

Iam vero quod ad rem Romanam attinet, hic est annus electi ex vrbe regnoque Tarquinij superbi, & mutatæ in nouam formam Reipublicæ. De anno, vt varias mittamus opiniones, consentientes habemus in annum ducentesimum quadragesimum quartum duos historiæ Romanæ principes Dionysium ac T. Liuium. Quorum ille omnium diligentissimum, ita libro quarto rem definit. *Regium ergo Imperium cum annos ab Vrbe condita ducentos quadraginta quatuor, numero perduraſſet, & sub postremo Rege in tyrannidem degenerasset, euersum est.* Liuius quoque, *L. Tarquinius Superbus*, inquit, *regnauit annos quinque & viginti. Regnatum Romæ ab condita vrbe ad libertatem, annos ducentos quadraginta quatuor.* Hi autem M. Varronem, & Messalam Coruinum in libello de Augusti progenie duces habuerunt. Vide tamen Annales in hunc locum.

III. Eius causa Lucretia violata.

Facinus porro, cuius occasione Regiæ Dominationi impositus est finis, fuit adulterium Sexti Tarquinij in Lucretiam, Tarquinij Collatini coniugem, perpetratum. Ad flagitium autem illa consensit, ingenti compulsa metu, cum is minaretur se illam interfectam cum famulo compositurum, vt in flagitio deprehensi, interfectique viderentur. Sed hæc culpa Lucretiæ neque vltima fuit, neque maxima. Nam qui crimen persuaserat Dæmon, eius etiam tantum intulit dolorem, vt præ illius impatientia, illa coram cognatis & amicis denarrato facinore, & vltione illius efflagitata, strictum cultrum, qui veste latebat, in præcordia alte demiserit, & luctantem animam in paternis vlnis emiserit. Tam atroci facinore, eiusque euentu concitati cognati, cum Collatino coniuge, & Iunio Bruto coniurant, de Tarquinio & filijs vrbe pellendis. Id cum toti populo expositum esset ac probatum, plebiscitum super ea re factum est, & ad castra missum, vt exercitus totius vrbis iudicium & consensum sequeretur, quod annitentibus T. Herminio & M. Horatio perfectum est.

Eiusque cædes.

Res Tarquinio innotescit, qui effusis in cursum equis in vrbem properat, immaturam defectionem præuenire cupiens. Cumque portas clausas reperisset, refertaque armatis propugnacula, quantocius castra gemens, seseque afflictans repetebat; sed illuc quoque rebus iam perditis, peruenit. Itaque vrbe exclusus & castris, non vltra Superbus, sed abiectus & humilis Gabios cum paucis ad filium fugit, ex quo facto ab antiquis Romanis dictum est Regifugium; quod 6. Cal. Martias factum, deincepsq; celebratum est.

IV. Defectio a Tarquinio, eiusque fuga.

Quoniam vero necesse erat repudiato Rege, ab aliquo magistratu regi Rempublicam, populus, Bruto in primis autore, statuit abdicata potestate Regia, etiam nomen abrogandum, & potestatem Regiam in duos, qui mitiore vocabulo dicerentur Consules, esse diuidendam, qui annuo magistratu pari iure atque autoritate fungerentur, vt alter alterum reuereri, & si quando res ferret, in officio continere posset. Creati autem sunt L. Iunius Brutus, & L. Tarquinius Collatinus, ambo Patricij. Nam hoc tempore vniuersa Respublica in Patriciorum potestate fuit. Hi autem reliquo anno vsque ad Palilia, quæ XI. Calend. Maij celebrabantur, quod is esset vrbis conditæ dies, indeque annus inchoaretur, Consules fuerunt, & anno deinde sequenti, eundem, vt dicetur, tenuere magistratum.

Creantur Consules ad Regifugium.

V. Inducię cum Ardeatibus

T. porro Herminius, & M. Horatius; qui paulò ante exercitui pro Rege præerant; in annos 15. inducias cum Ardeatibus pacti, domum copias reduxerunt. Coss. autem vocato in concionem populo, nouo decreto confirmarunt ea, quæ prius in vrbe sancita fuerant, perpetuoque exilio Tarquinios mulctarunt: Regem posthac Romæ neminem creaturos, neque creari passuros, pro se suisque posteris iurauerunt, ne tamen Regis nomen funditus deleretur, quoniam plerique eorum de Republ. bene meriti fuerant, decreuerunt vt Pontifex cum Auguribus vnum è senioribus crearent, qui sacris præesset, & Rex sacrorum diceretur. Primus creatus est Manius, siue C. Papirius. Ad vitandam autem apud populum inuidiam, ne pro vno Rege duo creati viderentur, instituerunt vt alterum Consulem duodecim lictores cum securibus præcederent: altetum totidem cum solis fascibus, idque alternatim singulis mensibus fieret.

Rex sacrorum.

Initium à Bruto ductum est.

ANNVS MVNDI 3546.

ZOROBABELIS & IOSVE 30.

DARII HIST. 15. Imperij Persarum 30.

OLYMPIADIS LXVIII. An. 1.

VRBIS CONDITÆ 245.

ANTE CHRISTVM 507.

I. *Diony l 5 Incremẽta Persarũ l 6. p. 352. Græc. Lat.*

SExaginta octaua Olympiade, Prætore Athenis Hagora, Ischomachus Crotoniates in Olympico stadio victor fuit, quando res Persica maiora in dies incrementa capiebat. Ita enim scribit Herodotus. Ineunte statim vere, alijs ducibus à Rege abdicatis, Mardonius Gobriæ filius adhuc adolescens, & recens in matrimoniũ accepta Darij filia Artozostra, ad mare descendit, permagnas ducens peditum & classiariorum copias. Quo cum exercitu postquam peruenit in Ciliciam, alijs ducibus pedestres copias in Hellespontum ducentibus, ipse Asiam classe præteruectus multis ciuitatib. potitus est, quarum Dominis in ordinem redactis, statum popularem in ciuitatibus constituit. Hæc autem omnia eo tendebant, vt vniuersam Græciam, in primis autem Athenas Persæ paulatim sibi subijcerent. Sed res lente festinabat.

Initia Mardonij

II. Tarquin. Etruscos in Romanos concitat.

Romæ autem feruebant omnia, Tarquinio lapidem omnem mouente, vt amissa recuperaret, Consulibus contra omni ope certantibus, vt acquisitam tuerentur libertatem. Cum enim Tarquinius frustra Latinas ciuitates sollicitasset, vt bellum contra Romanos ad se reducendum susciperent: Etruscam ciuitatem adijt, vbi legatos impetrauit, qui res eius Romæ agerent, quos consilijs, literis, pecunia, rebusque omnibus instructos Romam misit. Qui cum frustra postulassent admitti Tarquinium, ad omnem licet satisfactionem paratum; bonorum saltem restitutionem petiere. Eo dissoluendo nodo ita certatum est, vt ij qui retinenda bona censebant, ab alteris, qui reddi iubebant, vno tantum calculo victi fuerint, vtique neque iustè neque sapienter, vt in Annalibus demonstratum est. Quin etiam sententia quæ vicit, & quæ rudi tum populo iustior, & magnitudini animi propior videbatur, in magnum Reipubl. cessit incommodum.

III. Eorũ legati Romæ cõiurationem excitant.

Legati enim dum Tarquiniorum bona colligunt, plerosque deprauarunt, in ijsque duos Bruti filios, & duos Aquilios Collatini Consulis nepotes, qui coniurationis pro reducendo Tarquinio participes facti sunt. Quæ res cum Consulibus innotuisset, comprehensi sunt, conuictique proditionis. Brutus filios ad tribunal suum à lictoribus adduci iussos, in populi ætatem commiserantis conspectu, probris affectos, & virgis fœde laceratos, securi percuti iussit. Tum Aquilios Collegæ nepotes ad eandem pœnam deposcit, pro quibus cum Brutum oraret Auunculus, ille contra conuocato in concionem populo, Collatinum collegam, vt fautorem Tyrannorum, accusauit, & eisdem vt cognatione, sic & voluntate coniunctum, qui in manifesta proditione patriæ deprehensos nepotes supplicio eripere velit: tantumque effecit, vt illi abrogato magistratu, abire ex vrbe iuberetur; qui Lauinium profectus, ibi consenuit, ac mortuus est.

L. Brutus filios occidit. & Collatinum collegã abdicat.

IV. Cui suffi cit P. Valerium.

At Brutus nolens solus imperare, ne ciues suspicarentur eum regni cupiditate Collegam expulisse patria, collegam assumpsit P. Valerium, cuius consensu continuo supplicium sumpsit de omnibus, qui pro Tarquiniorum restitutione coniurauerant. Inde præcipuos ex plebe in Patriciorum ordinem allegerunt, & ex his Senatum ad trecentorum numerum supplenerunt, à Tarquinio Prisco pridem constitutum, & varijs inde cædibus, & electionibus, & bellis ita imminutum, vt 164. ex legitimo numero deessent. Bona quoque Tyrannorum ciuibus auferenda permiserunt: agrum agro carentibus diuiserunt: ciuibus, qui cum Tyranno profugerant, reditum in patriam, intra dies viginti permiserunt, intra quos, si quis non redijsset, perpetuo exilio mulctaretur, & bona eius in publicum ærarium referrentur, quibus rebus Tarquinij factio valde imminuta, atque infracta est.

V. Tarquin. cõtra Romanos pugnat.

Cum ergo Tarquinius nihil hisce artibus profecisset, ad apertam vim progressus est, & collectis vndique militibus, ex Veientibus præsertim & Tarquinijs, contra Romanos duxit exercitum, qui eis obuiam animosè processerunt. Cumque Aruns Tarquinius conuitijs Brutum incessens, eum ad singulare certamen prouocaret, vterque procurrit extra ordines, tantoque impetu equos ex aduerso committunt, vt satis per clypeos & thoraces adactis, certo vterq; ictu sit confossus, cuspide alter in costas, in ilia alter impacta. Ducibus ita iacentibus, reliquæ copiæ magno clamore concurrere, paribusque fere damnis, sub occasum solis, in castra rediere. Sed Valerius hostilia castra nocte inuasit ac cepit. Postridie spoliatis hostium cadaueribus, suisque humatis, in vrbem redijt, Senatu obuiam honoris causa progresso. Postera die pullatus ipse, Bruti Collegæ corpus in foro proposuit, in lectica ornatissima, aduocatoq; in concionem populo, & conscenso tribunali funebrem habuit orationem.

Aruntis & Bruti certamẽ & vtriusq; cædes.

Bruti funus.

VI. Et suffi citur Sp. Lucretius, & mox M. Horatius.

Porro cum P. Valerius collegam sibi asciscere cunctaretur, & nihilominus in eminentiore vrbis loco ædificaret, in suspicionem venit affectati regni. Qua de re admonitus ab amicis, indicto comitijs die, Sp. Lucretium Consulem legit, quo post paucos dies defuncto, in eius locum subrogauit M. Horatium, quintum huius anni Consulem. Deinde domum è summo tumulo, in imum cliuum transtulit; multisq; rebus è populi sententia institutis, Poplicolæ cognomen adeptus est.

***

ANNVS MVNDI 3547.

ZOROBABELIS & IOSVE 12.

DARII 36. Imperij Persarum 31.

OLYMPIADIS LXVIII. An. 2.

VRBIS CONDITÆ 246.

ANTE CHRISTVM 560.

I. Mardonij ac Persarū gesta.

HOC anno Persæ duce Mardonio non exiguum bellum inceperūt. Refert enim Herodotus, Mardonium cum in Hellespontū venisset, ingentem ibi vim nauium ac peditatus coëgisse, easq; copias Hellespontem traiecisse, perq; Europam iter habuisse, Eretriam versus, atq; Athenas. His enim ciuitatibus Darius intentabat bellum, cum tamen in animo haberet omnium sibi Græciam subijcere. Itaq; & classe Thasios, & pedestri exercitu reliquos subegit Macedonas, & apud eos statiua habuit.

II. Bellum contra Porsennā inchoatū

Hoc ipso anno Coss. profert Dionys. quo fideliorem testem aut diligētiorem habemus neminem, P. Valerium Poplicolam iterum & T. Lucretium Tricipitinum, quorum consulatu bellum contra Porsennam inchoatum est, & ciuium census habitus, quo 130 millia Romæ inventa, qui pubertatem attigissent. Tributorum quoq; ratio ex instituto Regis Tullij ita restituto, vt omnia ad deliniendos, imminente Etrusco bello pauperes, dirigerētur, ne oneribus grauati, prodita Republ. ad tyrannos omnia pollicentes transirent. Imminebat, cum Larte Porsena Clusinorum Rege, bellum Etruscum, cum ad Regem illum Tarquinij confugissent; qui ratus non esse è re sua consuetudinem pellendi Reges, quæ frequentabatur in Græcia, in Italiam introduci, misit Romam legatos, qui vel reconciliationem Tarquiniorum impetrarēt, aut saltem adempta bona reciperent. Cum neutrum impetrasset, bellum Romanis indixit, quod vtrique reliquo anno studiosè comparārunt.

ANNVS MVNDI 3548.

ZOROBABELIS & IOSVE 32.

DARII HYSTAPSIS 17. Imp. Persarum 32.

OLYMPIAD. LXVIII. AN. 3. V. C. 247.

ANTE CHRISTVM 505.

I. Gemina clades à Mardonio accepta.

APpetente vere classis Persica, quæ ducem habebat Mardonium Darij generum, & apud Thasios hyemauerat, è Thaso transmittens, dum montem Athon circumuertit, ventus atrox in classem ingruit, nauiumque supra trecentas in montem propulsas ita afflixit, vt supra 20. hominum millia interierint. Mardonium autē cum pedestribus copijs in Macedonia statiua habentē, Thraces sub noctem inuasere, multisq; occisis, etiam Mardoniū vulnerarunt, nec tamen propterea Persarum seruitutem effugere valuerunt. Non enim prius ex ijs locis decessit Mardonius, quam illos subegisset, eoque facto, re male gesta, reuertit cum reliqua classe in Asiam.

II. Porsenna Ianiculū occupat, vincitq; Romanos

Romani autē magnitudine belli contra Porsennam territi, Ianiculum montem trans Tyberim firmioribus præsidijs communierunt, quē tamen ille primo impetu cepit, inoq; sibi præsidio collocato, ad vrbem perrexit. Vbi ad manus ventum est, diu acriter vtrumq; pugnatum, quod Etrusci multitudine, Romani animi magnitudine præstarent. Cumq; post multā vtrimq; cædem, Romani vidissent duces Valerium & Lucretium ex acie referri saucios, erat ille Consulis Frater, hoc superioris anni Consul, metu correpti, in vrbem, per pontem quendam ligneum, confugiunt: hostes magna vi à tergo instant, parumq; abfuit quin vrbs eo die caperetur, nisi trium virorum, Sp. Largij, T. Herminij, qui proximo anno Coss. facti sunt, & P. Horatij Consulis ex fratre nepotis, qui ex amisso in pugna oculo dictus est cocles, præclara virtus obstitisset.

III. Qui afflicti inopia Mutii ope liberantur.

Post hoc prælium, Romani & vltra Tiberim à Rege, & citra à Tarquinijs, fluuium transgressis, valde vexantur, magnaq; fatigantur inopia, qua cognita Rex per caduceatorem postulauit, vt Tarquinium reciperent, si bello & fame liberari vellent. Cumq; Romani extrema omnia pati mallent, C. Mutius Cordus, quem Scæuolam Liuius appellat, bellum terminare, illata Regi morte constituit: & in prætorium dissimulanter ingressus, Scribam Regium pro tribunali sedentem & militi stipendia diuidentem, Regem ratus, interfecit. Comprehenso Rex minatur ignes, nisi socios huiusmodi coniurationis proderet. Ille dexteram in foculum sacrificio præparatum injecit, tandiuq; ardere permisit, dum Rex prope attonitus rei miraculo, iussit iuuenem ab altari dimoueri. At Mutius, quasi rependens gratiam, significat trecentos Romanæ iuuentutis principes, non minore fortitudine in ipsius caput coniurasse. Quo audito, filius eius suadet Romanos ex hostibus amicos facere; quod mox æquis conditionibus, & acceptis obsidibus fecit, obsides quoque & dono remisit, icto cum Romanis fœdere.

Porsenna fœdus init cum Romanis

IV. Templū Iouis Capitolini absoluitur, ac dedicatur

Hoc quoq; anno, tertioq; Consulatu templum Capitolini Iouis absolutum est, & à M. Horatio Consule dedicatum, autore Dionysio, cui Sigonius & Onuphrius, præ Liuio, merito assentiuntur.

V. Etrusci plerique ciuitate donantur

Sequens autem annus cuius iam Coss. prodidimus, quem Hebræi Sabbaticum 138. numerabāt, Romæ à bellis quietus fuit. Quo anno pleriq; Etrusci perhumaniter à Romanis accepti, Romam relicta patria se contulere, quibus Senatus locum in vrbe ad ædificandum dedit, in valle inter Palatinum collem & Capitolinū, qui vicus deinceps appellatus est Tuscus. Darius a. Thasios à vicinis insimulatos, tanquam defectionem molirentur, iussit diruere muros, & naues in Abdera recipere; quod vtrumque illi præstitere. Indetentandum ratus quid in animo Græci haberent, circa deditionē aut pugnā, legatos per Græciam dimittit; alios aliò, iussos petere terram & aquam, quod erat apud Persas deditionis indicium. Alios etiam ad maritimas

Darius Græcorū animos tentat.

ciuitates ſibi tributarias mittit, imperans longas naues & Hippophoras: quæ omnes paſſim imperata fecere, etiam Æginetæ. Quæ res Athenienſium contra ipſos & ſuſpicionem & iram excitauit, quæ ſequenti anno in apertum erupit.

ANNVS MVNDI 3550.

ZOROBABELIS & IOSVE 34.

DARII 19. Imper. Perſarum 34.

OLYMPIADIS LXIX. AN. 1.

VRBIS CONDITÆ 249.

ANTE CHRISTVM 503.

I. Athenienſes Æginetis infenſi.

ANno poſt eiectos Reges quinto, inquit Dionyſius, Olympias erat nona ſupra ſexageſimam, qua idem qui ſuperiore Olympiade in ſtadio victor fuit, idemque Athenis Prætor. Cum autem Ægynetæ apud legatos Perſarum profeſſi eſſent ſe imperata facturos, veriti ſunt Athenienſes, ne vnà cum eis in ſe arma ferrent, propter antiquas inter vtrumque populum inimicitias. Ergo Athenienſes Spartam profecti eos accuſarunt, quaſi eo facto Græciam Barbaris prodidiſſent. Spartæ autem Rex Cleomenes præcipuos facti autores comprehenſurus Ægynam venit, ſed Crio, alijſque Æginetis reſiſtentibus, irrito conatu; contentione inter vtrumque Spartanum Regem concitata.

Eos apud Lacones accuſant.

II. Initium belli Sabini.

Conſulatum Romæ geſſerunt M. Valerius, Valerij Poplicolæ frater & P. Poſthumius Tubertus in quorum Cõſulatum cadit initiũ belli Sabini. Quorum quidam, arbitrati clade Etruſca debilitatem Romanam Remp. latrocinijs eã vexare cœperunt. Contra prędones autem cum alter Conſulum profectus eſſet, magnã eorum ſtragem edidit, moxq; immiſſo à Sabinis exercitu, ad Anienem fluuium, acriter vtrimq; pugnatum eſt; tandemque victoria Romanis ceſſit, quo hoſtium caſtris potiti ſunt, & copioſam prædam militi permiſere. Tum primum Reſp. Romana ex Etruſca ſe clade collegit, reſumptiſque viribus, antiquum ſibi in finitimos imperium vindicare auſa eſt, ac decreuit vt ſimul duo Coſſ. triumpharent.

ANNVS MVNDI 3551.

ZOROBABELIS & IOSVE 35.

DARII HYSTASPIS 20. Imp. Perſarum 35.

OLYMPIADIS LXIX. AN. 2.

VRBIS CONDITÆ 250.

ANTE CHRISTVM 502.

I. Contentio inter Spartæ Reges.

SPartæ Reges erant Cleomenes & Demaratus, ſed hic illius artibus regno pulſus, in Aſiam ad Darium traiecit, à quo benevolè acceptus eſt. Cleomenes autem Leutychidem in eius locum ſubſtitui curauit, Pythoniſſa corrupta, falſumque oraculum edente. Quod crimen digno ſupplicio vterq; luit. Nam Cleomenes miſere perijt, vt ſuo loco dicetur. Leutychides autem pecuniariæ corruptelæ reus, è Sparta profugit, & in exilio diem obijt, domo eius exciſa. Vſque adeo Deus hoſtis ſacrilegij videtur fuiſſe, vt etiam in ſacrilegis ipſis ſimulachris, quos vnos illi agnoſcebant Deos, ſacrilegia ſeuere vindicarit. Quod rurſum anno Darij 22. clariùs agnoſcetur.

Oraculũ corruptũ

Hoc regni Darij anno vigeſimo Lunæ eclipſim contigiſſe notauit Ptolemæus lib. 4. cap. 9.

II. Progreſſus belli Sabini.

Quo ipſo anno Sabinorum gens vniuerſa bellum contra Romanos integrauit, à Tarquinio perſuaſa proximi anni cladem copiarum imbecillitate, & ducis imperitia contigiſſe. Verum electus ipſemet Imperator, quamuis auctis copijs ex Fidenatum & Camerienſium defectione, Romanorum virtute ac prudentia, Sabini victi ſunt iterum cum Tarquinio, & Eidenæ pœnas defectionis dedere; cuius autores virgis cæſi, & ſecuri percuſſi ſunt. Coſſ. Romam ingreſſi ex SC. triumpharunt, Ludoſque ſeculares celebrauere, vt Plutarchus in vita Poplicolæ, eiuſque quarto Conſulatu ſignificat. Qua de re plura in Annalibus.

Ludi ſeculares.

ANNVS MVNDI 3552.

ZOROBABELIS & IOSVE 36.

DARII 21. Imp. Perſarum 36.

OLYMPIADIS LXIX. AN. 3.

VRBIS CONDITÆ 251.

ANTE CHRISTVM 501.

CVm Cleomeni res in Demarathum ex animi ſententia ſuæ ceſſiſſet, aſſumpto ſecum Leutychide contendit aduerſus Æginetas, maiorem in modum illis infenſus, propter priorẽ ignominiam à Crio acceptam. Æginetæ vtriq; Regni non repugnandum rati, eos admiſerunt, qui decem ex ipſis elegerunt, genere opibuſq; præſtantiſſimos, & nominatim Crium illum Polycriti filium, quos in Atticam adductos, penes inimiciſſimos Ægynetis Athenienſes depoſuerunt, vbi non exiguas traxere moras.

I. Cleomenes Æginetas inuadit. & 10. eorũ Primarios Athenienſibus tradit.

Sabini vero prioribus cladibus non ſatis edomiti, hoc anno Romanis Coſſ. tertiũ de ſe triũphum præbuerunt, nõ ſine clade aliqua Romanorum per Poſthumij Conſulis imprudentiã recepta, qui in paratas pertractus inſidias, ita cum Sabinis pugnauit, vt pleriſq; cæſis, ipſemet Cõſul tantũ non captus fuerit. In aſpero certe mõte concluſus, à Collega Menenio cum valida armatorum manu ſuperueniente liberatus eſt. At Romani ægre ferẽtes cladem & ignominiã, quę Sabinorum animos exſtulerat, totis viribus in agrũ Sabinum expeditionem fecere, cõtumelioſis legationibus extumulata vtrimq; ferocia. A primum Poſthumius abolendæ ignominiæ cupidus è ſiniſtro cornu, dextrum hoſtium cornu

II. Sabini tertiũ cõtra Romanos pugnant, tertiũq; vincũtur.

Poſthumij imprudẽtia, & ferocia.

impu-

impulit: morte enim ipsa victoriam redimere cupiens, se in medios conijciebat hostes. Quo factum est vt qui cum Menenio alterum cornu tenebant, tracti iam, & de suo statu exturbati, cognita Posthumianorum victoria, receptis animis, impressione facta aduersum cornu in fugam auerterunt. At Romam tergo hærentes, & simul irruentes, vtraque illorum munitione potiti sunt, pleroſque nox, & semitarum in partio solo peritia, morti eripuit.

III. Ouat. collega triũphãte

Lib. 6. 29.

Postridie Coss. collectis spolijs domum cum splendida victoria, alter ouans, alter triumphans inuecti sunt. Ouationem enim Posthumius propter priorem culpam, qua Romana res in periculum per eius imprudentiam adducta fuerat, duntaxat obtinuit; & quidem primus, vt auctor est Plinius. Differt autem, ait Dionysius, quod in Ouatione dux non curru vt ille, sed pedibus in vrbem præcedit militarem pompam. Deinde pro picta auroque intertexta trabea, induitur toga prætexta; nec sceptrum gesta vt triumphantes, sed coronam lauream. Hoc etiam anno T. Liuius scribit duas colonias Latinas Pometiam & Coram ad Auruncos defeciſſe. Cum Auruncis bellum initum esse, fusoque ingenti exercitu, qui se ingredientibus fines Consulibus ferociter obtulerat, magna seueritate in victos actũ esse. Quippe post prælium passim trucidatos, & ne à trecentis quidem obsidibus abstinuisse. Quæ res sequenti anno Pometianos rabie ac desperatione compleuit.

IV. P. Valerii Poplicolæ obitus, & laus.

Incidit in hunc annum, autore Dionysio P. Valerij Poplicolæ obitus, cuius tanta continentia frugalitasque celebratur, vt qui Patricius cũ tribus primis Patricijs Reges expulerat, qui intra septennium quater Consul fuerat, & duobus maximis bellis victor, de Sabinis & Etruscis triumphauerat, torque honestas parandæ pecuniæ occasiones habuerat, moriens non haberet vnde, pro tanti viri dignitate sepeliri posset. Itaque decreto Senatus publico sumptu sepultus est, & matronæ illum vti Iunium Brutum, per annum integrum, auro purpuraq; depositis, luxerunt, vt solent singulæ coniunctissimos. Sic Dionysius.

ANNVS MVNDI 3553.

ZOROBABELIS & IOSVE 37.

DARII HYSTASPIS 22. Imp. Pers. 37.

OLYMPIADIS LXIX. An. 4.

VRBIS CONDITÆ 252.

ANTE CHRISTVM 500.

I. Cleomenis sacrilegium innotescit.

ADquingentos adhuc annos, absente diuina in humano corpore Veritate temporis filia veritas sacrilegam Cleomenis fraudem aduersus Demaratum patefecit. Ergo Spartiatarum metu in Thessaliam, moxque in Arcadiam fugit. Cumque Arcadas contra Spartam incitaret, à ciuibus ad pristinam dignitatem reuocatus est. Sed eum reuersum statim insaniæ morbis inuasit, vt eum propinqui soleis ligneis illigare coacti fuerint. At is cum à custode gladium extorsisset, sese ipse à furiis incipiens dilacerauit. Carnes enim in longum discindebat è tibijs ad femora & coxas, quousque ad ventrem peruenit, in quo dissecando expirauit. Idque vt plerique Græcorum memorant, quia Pythiam corruperat, ad falsum oraculum dicendum contra Demaratum: siue quod, vt aiunt Athenienses, adortus Eleusinam, fanum Deorum depopulatus fuerat; siue denique, vt Argiui asserunt, quod eos qui è pugna fugerant in templum Argiuorum, inde abstractos obtruncaret, eiusque locum contemptim incenderat. Sic Herodotus, ostendens hominem, siue vno siue pluribus sacrilegijs reum, diuina ira vindicante male perijsse.

Et Lacedæmonij ob sacrilegia pelluntur.

His Coss. bellum contra Sabinos, à quatuor iam annis inchoatum Spurio duce absolutum est, commisso ad Cures magno prælio, in quo plus decem millibus Sabinorum desiderata sunt, capta fere quatuor millia. Ea clade perculsi Sabini, legatos de pace miserunt ad Consulem; à quo ad Senatum remissi, eam ægrè, nec nisi multis grauatam oneribus, impetrarunt. Atque ita cum Sabinis debellatum est, Cassius Consul triumphans in vrbem rediit. Alter Consul Virginius contra Camerinos, qui belli tempore à Romanis defecerant, duxit dimidiam partem exercitus, & noctu iter emensus, oppidanos incautos oppressit, oppidum militi diripiendum dedit: defensionis autores capite truncauit, reliqua turba sub hasta vendita. At Liuius his similia non de Camerinis, sed de Pometinis & Auruncis recitat, additque rabie quadam efferatos, pluresque igne, quam ferro armatos, in Romanos irruisse, cæde atque incendio cuncta compleuisse, & Consulem graui vulnere ex equo deiectum prope interemisse.

II. Sabini debellãtur.

Camerini opprimuntur.

ANNVS MVNDI 3554.

ZOROBABELIS & IOSVE 38.

DARII HYST. 23. Imperij Persarum 38.

OLYMPIADIS LXX. An. 1.

VRBIS CONDITÆ 253.

ANTE CHRISTVM 499.

I. Ortus Abiud.

HOc circiter anno putat Torniellus à Zorobabele genitum Abiud, per quem propagata est genealogia Saluatoris.

Æginetæ suos repetunt ab Atheniẽsibus, nec obtinent.

Æginetæ autem audita morte Cleomenis, Spartam misere nuncios vociferatum contra Leutychidem pro obsidibus suis, qui Athenis tenebantur. Eò venit Leutychides cum Æginetis: nec tamen illi obsides reddere voluerunt, propter antiquum Athenienſium in Æginetas odium, quod Thebanis contra se auxilio fuissent. Ægineteæ igitur Athenienses vlturi biremem quandam eorum, Athenienſium

Et vicissim Athenienses capiunt.

primoribus plenam, quæ Delum quotannis profic.scebatur,insidijs interceperunt,& viros in vincula coniecerunt. Ea clade accepta Athenienses omni studio in vltionem contra Æginetas incubuerunt,cuius occasio,anno,vt arbitror,sequenti,eis data est.

II. Olym.70 qui floruerint.

Hoc ipso anno, qui septuagesimæ Olympiadis initium est, in stadio vicit Nicæas Locrus, cum Myrus Athenis Prætor esset, vt scribit Dionysius. Eadem floruit in primis Zeno Eleates, vt autor est Laërtius, qui adiungit Eusebius Hellanicum Historiæ scriptorem, Democritum Philosophum, Heraclitum cognomento Tenebricosum,& Anaxagoram Physicum, de quibus plura in Annalibus collecta reperies,& rationem temporis ipsorum examinatam. Extat certe apud Laërtium epistola Darij Hystaspis Heraclitum ad se inuitantis, cum responsione Philosophi sese excusantis. Cuius fastum illud indicat, quod cum iuuenis esset, nihil se dicebat scire, vir autem factus, nihil ignorare, omniaque se à semetipso didicisse.

III. Latini populi à Romanis desciscũt

Hoc anno Latini populi ad 30. concitante Octauio Mamilio Tarquinij genero,à Romanorum societate desciuerunt, communi consilio Ferentini coacto. Cumque M. Valerius vir consularis singulas obiret ciuitates pacis firmandæ gratia,à Latinis responsum accepit,fœdus à Romanis esse violatum,seque per otium deliberaturos, quomodo acceptas iniurias vlcisci oporteret. Ipsum autem bellum in aliquot annos dilatum fuisse,Liuius ait,& Dionysius significat. Interea vero Romæ seruilis concitatus est motus,de occupandis arcibus, & vrbe locis aliquot incendenda. Coniuratione patefacta,comprehensi serui,omnes in crucem acti sunt. Sunt qui dicant eos è scopulo fuisse præcipitatos.

Romæ seruilis motus.

ANNVS MVNDI 3555.

ZOROBABELIS & IOSVE 39.

DARII HYST. 24. Imperij Persarum 39.

OLYMPIADIS LXX. An. 2.

VRBIS CONDITÆ 254.

ANTE CHRISTVM 498.

I. Res Athenienſium cum Æginetis.

CVM Æginetæ Athenienses, occupata eorum biremi, vlti essent, eosque ad reddendos suos obsides, captis Athenien sium primoribus, cogerent. Nicodromus quidam Ægineta suis infensus, consilium de prodenda Athenien sibus patria suscepit. At illi vno die serius quam conuenerat affuerunt, ficque corrupta res est. Nicodromus cum suis aufugit, coniurati ad septingentos comprehensi,& supplicio affecti, Athenienses autem cum 70. nauibus congressi, Æginetas superarunt, propter supplicem loco sacro abreptum,& interfectum, vt ait Herodotus.

II. Fidenates a Romanis deficiunt.

Fuit hic annus decimus ab exactis regibus, quo Fidenates à Romanis Tarquiniorum opera defecerunt, eiectis ciuibus, qui in fide perstabant cum Romanis; quorum super ea re legatos ne auditos quidem,à se eiecerunt. Contra quos Senatus Manium consulem misit, cum valido exercitu,à quo agro impune vastato, & castris ad ipsa mœnia positis, omnem commeatum,& sociorum auxilia intercluſit. Illi trepide à Latinis auxilium petunt: qui coacto consilio Romam legatos mittunt, qui postulent Tarquinios exules recipi,& obsidionem solui; alioqui se belli consilium inituros. Romæ autem legati plebem obæratam contra diuites incitant, & seruos qui proximo anno supplicium euaserant spe libertatis contra Dominos iam male animatos exacuunt. Sed diuina prouidentia coniuratio Sulpitio consuli patefit. Is Senatum mouet, legatos dimittit, coniurationis indices callide adhibet, adconiuratos noctu in forum cogendos; cum interea consul opportuna loca occupasset armatis, quibus coniurati circumfusi sunt,& coniurationis conuicti, à Senatu populoq; damnantur,& immisso milite omnes ad vnum interficiuntur.

Cic. in Brut.

Legati Latinorũ mortus in vrbe excitant.

Coniuratio extinguitur.

Quo facto Coss. contra neminem amplius indicium admiserunt, sed quotquot è coniuratis præsentem pœnam effugissent, omnibus veniam dederunt, vt omnis turbarum materia in vrbe aboleretur. Factum est mox SC. vt tota ciuitas ciuili sanguine fœdata lustraretur, cum ludi gratulatorij triduo celebrati, in quibus dum Tullius consul cum pompa deducitur, è sacro curru in ipso circo prolapsus, tertio post pompam die defunctus est. Ad reliquum anni tempus, quia exiguum fuit, Sulpitius solus magistratum obtinuit.

III. Lustratur ciuitas, Consul ex casu moritur.

Sequenti anno Æbutius & Veturius facti sunt Consules; illi res vrbana commissa est, ne quid pauperes rerum nouarum in vrbe molirentur. Veturius autem ad Fidenarum obsidionem continuandam missus est. Solebat enim alter consulum domi res vrbanas curare, alter foris bellicas; nisi si quando res ferret, vt vterq; Consul domi retineretur, aut vterque proditet foras. Veturius cum Fidenas expugnare non posset, vrbem arcte cinctam, fame domare constituit. Quibus iam fame laborantibus, auxilio venit Sex. Tarquinius, cuius copijs animati, foras ad pugnam prodeunt, sed victi, & in vrbem repulsi, in pristinas difficultates redacti sunt. Tarquinius autem contra Signiam Romanorum coloniam profectus, indeque re infecta repulsa est.

IV. Fidenæ obsessæ, fame premuntur.

Irrita Tarquinii auxilia.

ANNVS MVNDI 3557.

ZOROBABELIS & IOSVE 41.

DARII 26. Imperij Persarum 41.

OLYMPIADIS LXX. An. 4.

VRBIS CONDITÆ 256.

ANTE CHRISTVM 496.

I.

HOC anno fame domiti Fidenates, neque à Latinis socijs adiuti, ad deditionem

Fidenatium dicio & pœna.

quibus liberet conditionibus, compelluntur. Consul Largius consilio à Senatu capto defectionis autores virgis cæsos capite truncauit, bona ærario addixit. Reliquos omnes permisit bonis suis & patria frui; agri dimidium ademit, quem præsidiarij Romani, qui ibi ad arcis custodiam relinquebantur, sorte inter se diuiserunt. Huius deditionis fama, vt perlata est ad Latinos, turbatæ ac territæ sunt vrbes vniuersæ, & annitentibus Tarquinio, & genero eius Mamilio, rursum coniurarunt populi 24. aut vt habet Liuius 30. Imperatores creati Octauius Mamilius, & Sex. Tarquinius, quibus potestas data quantas vellent copias colligendi.

Latini in Romanos concitantur.

II. Pauperes Romæ militiam detrectãt

At Romanos res non parua turbauit. Cum enim amicorum auxilijs frustrati essent, domi in conscribendo milite difficultas fuit, egenis & obæratis militiam detrectantibus; imo non deerant qui se vrbem minarentur deserturos, ad idque se mutuo hortarentur. Videntur isti fuisse sextæ classis; qui etsi erant militiæ ac tributorum immunes, vt anno 10. Seruij Tullij dictum est, hoc tamen tempore quo 24. aut 30. populi cõtra Romanos coniurauerant, & ipsi ab amicorum auxilijs destituti erant, videntur ad malitiã euocati, ne difficillimis Reipub. temporibus deessent; quod ipsum sequentibus aliquot annis videtur contigisse. Res accuratè discussa est in Senatu. Quidam enim mitiores suadebant remittenda in opibus debita, paruoque dispendio multorum ciuium beneuolentiam redimẽdam. Rigidior fuit Appij Claudij sententia, qui ante sex annos à Sabinis Romam cum suis trãsierat, qui perquam eleganti ac forti oratione docuit, indulgentiam hanc in egenos, perniciosam esse Reipub. ac deinceps fore, aliaque huiusmodi, quæ in Annalibus vtiliter ac iucundè leges. Sicut & mirabilem T. Largij primi dictatoris moderationem.

Res agitatur in Senatu. V. C. 250.

Appij Claudij prudens ac fortis oratio. n. 5. & 6. n. 11. 12. 13

Mediæ erant sententiæ, quarum ea multum probabatur, quæ controuersiam in belli finem differebat, suspensis interim omnibus exactionibus. Ea suspensio cum plebi non satisfaceret, decreuit Senatus consulari potestate in præsens sublata, alium creare magistratum, penes quem belli pacisque plena potestas esset, qui nec reddendæ factorũ suorum rationi esset obnoxius. Ei semestre spatium præstitutum, quo exacto Coss. Reipub. gubernacula reciperent. T. Largius primus dictus est à Collega Dictator, cui vix denique fatigatus omnium precibus acquieuit, simulque magistrum equitum creauit Sp. Cassium virum consularem. Deinde ostendere volens populo quanta esset huius magistratus potestas, ad terrorem magis quam ad vsum, iussit lictores cum fascibus secures sibi per vrbem præferre, renouato more qui à Cossa gente Poplicola, fuerat intermissus. Eo facto rerũ nouarum studiosis perterrefactis, censet populum ex Seruij Tullij instituto.

III. Dictator eligitur; eiusque potestas.

T. Largius primus Dictator.

IV. Censet populũ.

Reperta sunt ciuium 150. millia & septingenti Ætatem militarem quadripertito distribuit, quarum partem vnam Vrbi præsidio reliquit, cui Largium fratrem præfecit; alteram Cœlio dudum collegæ attribuit, tertiam Magistro equitum, quartam autem eamque præcipuam circa se habuit. Eductis copijs, qua maxime parte Latinos venturos suspicabatur, terna castra metatus est. Vt autem etiam hostium vires debilitaret, studuit inter præcipuos Latinorum spargere de pace consilio; sic enim effecit ne omnes æque ad hoc bellum procliues essent. At Latinorum Imperatores Sextus & Mamilius intra Tusculum copias continebant, dum reliquus exercitus conueniret. Inde pars aliqua diuulsa cum Romanum agrum popularetur, immittit in eos Dictator Cœlium cum fortissima militum manu, qui paucos aliquot repugnãtes interficit, reliquos viuos capit; quos Dictator ex vulneribus curatos, cæterisque humanitatis officijs deuinctos, vniuersos Tusculũ, sine vllo pretio remisit; & cum ijs legatos Romanorum nobilissimos; per quos effectum est, vt dimissio Latinorum exercitu induciæ in annum fierent.

Eiusdem prudentia & humanitas.

Inducie annuæ.

His gestis domum reduxit exercitum, & antequam totum Imperij tempus expleuisset, designatis prius Coss. Dictaturam deposuit, magno prudentiæ ac moderationis exemplo posteritati relicto, quod ad L. Cornelium Syllam valuisse autor est Dionysius; fuitque deinceps Dictatura insanabilium malorum Reipub. præsentissimum remedium.

V. Materiã abit magistratũ Dictatura perfugium Reip.

Sequens annus, qui fuit primus Olympiadis Septuagesimæ primæ, habuitque Olympionicam Tisicratem Crotoniatam, Prætorem Athenis Hipparchum, Romæ autem Coss. Semproniũ, & Minucium, quietus Romæ fuit, propter inducias cum Latinis, & suspensam ex SC. fœneratorum exactionem, vsque ad finem Latini belli. His Coss. templum Saturno dicatum in cliuo, quo è foro in Capitolium ascenditur. Dionysius tradit, & ferias publicas cum sacrificio decretas in annos singulos, quæ dicta sunt Saturnalia: quæ à principio vnius tantum diei fuerunt, id est 14. Cal. Ianuar. deinde plures adiecti sunt dies, vt plurib. explicat Macrobius.

3553

VI. Resquie ta Roma

Saturna lia.

ANNVS MVNDI 3559.

ZOROBABELIS & IOSVE 43.

DARII HYST. 28. Imperij Pers. 43.

OLYMPIADIS LXXI. An. 2.

VRBIS CONDITÆ 225.

ANTE CHRISTVM 494.

INduciæ annuæ cum Latinis, à T. Largio Dictatore initæ, cum hoc anno terminatæ essent, bellum vtrimque magno apparatu instauratum est. Cumque omnes vno consensu iudicarent esse è Repub. vt Dictator iterum crearetur A. Posthumius, qui in hoc honore dictus est Regillensis, à Collega Virginio dictus est Dictator, qui magistrum equitum assumpsit T. Æbutium consularem. Idem exemplo primi Dictatoris copias omnes quadripertito diuisit. Fuerunt autem in acie Romana pedítum 24. millia, & equites mille. In latina vero 40. peditum, & equitum tria millia, qui ad Regillensem lacum castra posuere. Eorum duces erãt Sex. & T. Tarquinij, & Octauus Mamilius Superbi gener; Romanorum autem Dictator

I. Dictat secun Aulus Posthu mius Regillen

Veteri popul copiæ

& Magistet equitum, cum T. Virginio collega Consulatus, & A. Sempronio proximi anni Consule.

II. Prælium contra Latinos diuinitus adiutum.

Romani cum tribus ex locis Latinos conclusissent, & viam commeatus illis Mag. equitum obstruxisset, sperabant sine prælio victoriam. Sed cum interceptis Volscorum literis, didicissent magnas sociorum copias circa diem tertium affaturas, Dictator prælium accelerari iussit. In quo tanto ardore pugnatum est, vt vtraque ex parte primarij quique duces mutuis sese vulneribus conficerent. Huic prælio affuisse Cn. Marcium, qui postea Coriolanus dictus est, in eoque fortiter pugnasse, & coronam ciuicam meruisse, autor est Plutarchus in eius vita. In eodem prelio duo iuuenes humana specie augustiores, pro Romanis pugnasse dicuntur, magnumque ad victoriam momentum attulisse, quos Castorem fuisse ac Pollucem opinati sunt. Id prælium ac victoriam Idibus Quintilibus, qui est Iulij 15. contigisse autor est Dionysius.

Virtus Cn. Marcij.

III. Latini victi cum magna clade.

Cæsis ducibus mox omnes Latini confertim fugam arripiunt, castra à Romanis capiuntur, vbi luculenta præda militi cessit. Latinorum clades maxima fuit, vix enim è tanto numero decem hominum millia domum rediere. Dictator Posthumius illa nocte in castris acta, sequẽti luce coronauit eos, qui in prælio præclare se gesserant, in primisque Marcium Coriolanum, & captiuis custodiæ traditis, sacra victoriarum largitori Deo debita, inscius dæmoni pro victoria fecit. Cui etiam tum coronato, & sacrificanti nunciatur aduentare Volscorum exercitum, qui tardius auxilio venerat Latinis: quorum clade accepta, dubitantes an in fessos & semiarmatos irruerent integri recẽtesque, an victoribus impares retro cederent; tandem speculatores specie legatorum ad Romanos mittunt, qui se eis auxilio venisse fingerent. Sed deprehensi, mira nihilominus Dictatoris humanitate, dimittuntur ad suos. Romanus autem Imperator cum victore exercitu, ingenti præda, & quinque captiuorum millibus ac quingentis, Romam triumphans, ingenti populi gratulatione inuectus est.

Volscorũ aduentus & ficta legatio.

IV. Latini pacem & veniam petunt, atque impetrãt.

Post aliquot dies legati totius Latini nominis, ex ea factione quæ bello reclamauerat oppidatim delecti, supplicum ritu cum oleæ ramis Romam venerunt, veniam cum lacrymis petentes & pacem. Cumque variæ fuissent sententiæ, Largij nuper Dictatoris in primis probata est, nimirum pristinum cum Latinis fœdus renouandum esse, modo captiuos dimittant, perfugas dedant, exules eijciant. Quod cum fecissent, à Senatu in pristinam recepti sunt amicitiam, renouato iureiurando. Hic finis fuit belli, quod cum Tarquinijs post eorum eiectionem per quatuordecim annos gestum est. Ipse autem Tarquinius Rex solus suo generi superstes, nonagesimo ferme ætatis anno, affinibus liberisq; orbatus, omnibus Italiæ populis, quibus tot inuexerat clades, cum reijcientibus, in Campaniã Cũmas se cõtulit ad Aristodemum tyrannum; apud quem cum dies aliquot superuixisset, mortuus est, ab eoque sepultura donatus, pauci comites alij alio dispersi, vitam in exilio finiere.

Tarquinij & reliquorũ exulum finis.

V. Mira plebis Romanæ inopia.

Mirum autem est hoc bello finito, & obtenta de tot populis victoria, post ingentem prædam & triginta millium mortalium spolia, Romæ adhuc perseuerasse inopiam, & æs alienum tantum, vt ad seditiones inuitaret. Nimirum spe aliqua nouarum tabularum data, iuxta mitiorem multorum senatorum sententiam, inopes se dicebant, dicique volebant, vt gratis ære alieno liberarentur. Cum ergo plebecula hæc memor esset hanc totam controuersiam ad finem Latini belli triennio ante dilatam, ideoque nunc domesticæ turbæ, debitores inter & creditores recrudescerent, à quibus plus periculi esset quam ab externis prælijs, Dictator eos bello implicandos censuit. Itaq; priusquam se dictatura abdicaret, cum collega Consule solennes magistratus instituit, Appium Claudium, atque Seruilium perquam dissimili ingenio viros.

ANNVS MVNDI, 3560.

ZOROBABELIS & IOSVÆ 44.

DARII HYST. 29. Imperij Persarum 44.

OLYMPIADIS LXXI. AN. 3.

VRBIS CONDITÆ 259.

ANTE CHRISTVM 493.

I. Plebs militiam in Volscos detrectat.

COss. probe animaduertentes, quod A. Posthumius Dictator ante iam viderat, nihil esse magis è Repub. quam vrbanas turbas abstrahi in externa bella, ne tumultuarentur domi, expeditionem in Volscos, cuius alter ipsorum dux esset, apparabant, vluti quod contra se Latinis superiore anno auxilia misissent. Sed cum Plebei obærati militiam detrectarent, Seruilius cui expeditio ista obtigerat, blãdius cũ eis agebat, Appius autem rigidius. Ille igitur multis precibus & obsequijs plebe ad belli societatem adducta, conscriptis voluntarijs copijs, contra Volscos celeriter profectus, nondum paratos oppressit, quo factum est vt illi se dissimulanter Seruilio dederent, obsides darent, cæteraque imperata facerent. Qui tamen mox digressis Romanis, studiosius bellum instaurarunt, & ad eius societatem Hernicos, Sabinosque adduxerunt: conati sunt & Latinos, qui eorum legatos vinctos Romam perduxerunt, seque belli socios contra Volscos obtulere. Quam fidem promptumque iuuandi studium, Senatus gratuita captiuorum restitutione muneratus est.

Quam Seruilius vincit obsequiis Volsci bellum instaurant.

Latinorũ fides.

II. Rursum plebs detrectat militiam seditione mota.

Inde ad priores angustias, & militis conscribendi difficultates reditum est. Cum enim quidam publice creditoris in se inhumanitatem demonstrasset, coorta est in vrbe seditio, qua Appius Claudius, aliique Patricij sibi fuga cõsuluere. Tumultum tantisper sedauit Seruilius dum Senatus eorum inopiæ & creditorum seueritati prouideret. Interea Volscus ãdest armatus, trepidant ciues, lætantur inopes, perinde ac si Volsci eorum iniurias vlturi essent. Senatus Seruilium orare instituit vt patriæ consuleret. Is conuocata concione, plebem suo nomine rogauit, pro sua in ipsos constanti be-

Seruilius eos rursum demulcet & ducit in Volscos.

neuolentia ne se in expeditionem profecturum deferetent, addens pollicitos sibi patres ratum fore quidquid ipse plebi promisisset, seque vicissim promisisse plebi se persuasurum ne patriã hosti proderent. Quibus dictis iussit præconem proclamare nihil creditoribus interea licere contra eos, qui secum in Volscos proficiscerentur, contra reliquos actionem omnem esse creditoribus. Ea vox omnes flexit inopes, & ad bellum gerendum magna alacritate repleuit.

III. Eosque victi, & dat militi prædam, semel iterumque.

Assumpto ergo exercitu Seruilius Volscis occurrit, manum conserit, hostem fundit fugatque, castris spoliat, quæ maximis referta bonis militi diripienda tradidit. Tum ducto exercitu contra Suessam vrbem opulentam, eam noctes dieſque sine intermissione oppugnatam cepit, prædam totam militi concessit, nihil in publicum retulit. Vt propterea deinceps obæratorum querelæ incredibiles videri possint: & tamen eadem inopia mox secessioni causam dedit. Interim autem Seruilius perdomita tota Volscorum prouincia, victor in vrbem redit, in eamque inuito Senatu triumphans inuectus est. Populique fauore vsus, cum Sabinis Aurunciſque feliciter pugnauit: quo in bello Posthumij, qui superiore anno Dictator fuerat, industria & virtus insignis enituit.

Romæ inuito senatu triumphat.

IV. Pythagoræ obitus, & Magia.

His Coss. extinctum Pythagoram tradit Marianus. Eusebius autem septem annis maturius Largio & Cœlio Coss. Magum autem illum fuisse apparet, cum de ipso Suidas ex Philostrato referat vsum illum fuisse Deorum consuetudine, ex eisque didicisse, quatenus hominibus delectentur, aut eos auersentur, & alios quidem ex coniectura loqui de dijs, ad ipsum vero venisse Apollinem profitentem nomen suum &c. Sed de eo plura in Annalibus hoc loco, & primo anno Numæ, & rursum initio Olympiadis sexagesimæ.

ANNVS MVNDI 3561.

ZOROBABELIS & IOSVE 45.

DARII 30. Imperij Persarum 45.

OLYMPIADIS LXXI. AN. 4.

VRBIS CONDITÆ 260.

ANTE CHRISTVM 492.

I. Persarũ in Eretrienses & Atheniẽses expeditio.

PERSæ hoc anno copias aduersus Eretriam & Athenas congregarunt; & Eretrienses quidem hoc anno vicerunt, sequenti vero ab Atheniensibus apud Marathonem deuicti sunt. Belli autem duces, amoto Mardonio, qui dudum rem nauale male gesserat, Darius constituit Datim genere Medum, & Artaphernem, Artaphernis fratris sui filium, qui sexcentis cum triremibus in Ioniam contenderunt, & Samo soluentes, inter Cycladas cursum tenuere, Naxum occuparunt, vrbem & delubra incenderunt, Delios terruerunt, atque adeo insula ipsa Delos contremuisse fertur, impendentia Græciæ mala significans; Inde reliquas insulas perlustrarunt, ex quibus & copias sumebant & obsides. Carystum autem Euboeæ portum appulsi, eadem negantem, obsederunt, agroque vastato ad deditionem compulere. Inde Eretriam obsident, acrique ad eam pugna per sex dies decertant, septimo proditione capta est, eius templa spoliata atque incensa, in vltionem eorum, quæ Sardibus deflagrauerant; hominibus, Darij iussu, seruituti addictis. Inde Athenas, Prætore Themistocle, nauigarunt.

Insulas Ægæi maris occupant.

Eretriam obsident, & occupant.

Interea Sabini bellum renouant, quibus se Medullini adiungunt, & plebe detrectante militiam, hostes multis in locis sæuiebant, dum iter in vrbem facerent. Quibus malis vt remedium adhiberetur, creatus est Dictator Man. Valerius ex familia maxime populari, qui Q. Seruilium Mag. equitum sibi assumpsit. Valerius bellum plebi persuasit debitorum remissione promissa. Itaque 10. legiones conscriptæ sunt, singulæ quaternorum millium, è quibus ternæ cuique Consulum attributæ, reliquæ Dictatoris auspicia sequebantur. Ad vrbis custodiam T. Largius cum senioribus, & pauca iuniorum manu relictus est. Breui tempore bellũ à singulis feliciter confectum est. Et nominatim Dictator Sabinos aggressus, prælio fusos castris exuit, & videlicet præda militem ditauit, & triumphans vrbem ingressus populum militia liberauit, repugnante Senatu ne inopes tam cito promissa repeterent, è quibus ipse Dictator coloniam in agrum Veliternum dimisit, qui & contra hostem præsidio essent, & seditiosam in vrbe turbam minuerent.

II. Renouatur bellũ Sabinum

Dictator creatur.

Vincit, triumphatque.

Colonia Veliterna

His ita ordinatis, petit à Senatu vt stet promissis. Verum illi periculo liberati, contempserunt audire, imo acerbius in eum, vt plebis deprauatorem, inuecti sunt. At Valerius purgat se apud populum, & abit magistratu. Inopes autem agitaris inter se de secessione consilijs Cõsules ad bellum contra Æquos & Sabinos secuti, armis & signis potiti, à Coss. defecerunt, instigante quodam Sicinio Belluto, ad quem, nouis creatis Centurionibus, rei summam detulerunt, armatique ad Anienem fluuium, montem, qui postea dictus est sacer, occuparunt, nec inde vllis aut Coss. aut Centurionum precibus tunc abduci potuerunt, ad eos potius plerique ex vrbe profugiebant. Patres interim in vrbe timor incessit, ne se isti hostibus coniungerent, & cum illis in vrbem irruerent. Itaque missa est ad eos legatio sed irrita: nihil enim legati præter accusationem Senatus retulere, cum grauibus minis. Coss. autem impeditissimi negotij pertæsi, maturius magistratu abiere.

III. Dictator abit magistratu.

Plebs secedit in montem sacrum.

***

ANNVS MVNDI 3562.

ZOROBABELIS & IOSVÆ 46.

DARII HYSTASPIS 31. Imp. Pers. 26.

OLYMPIADIS LXXII. A. 1. V. C. 261.

ANTE CHRISTVM 491.

I. Ratio temporis, & pugna Marathonia.

INeunte Olympiade 72. qua Tisicrates Crotoniates iterum in stadio palmam tulit; & Darius annum egit imperij 31. Marathonia pugna contigit, Persarum clade nobilitata: cui chronologiæ antiqui Scriptores recentesque subscribunt; vt in Annalibus declaratum est. Certe Dionysius, vt cæteros taceam, ait pugnam Marathoniam sedecim annis funere Bruti esse posteriorem. Mortuus autem est anno Darij 15. Cum ergo Persæ Eretria capta in Atticam navigassent & in ea populabundi versarentur, Hippias Pisistrati filius, qui Athenis pulsus ad Persas auxilij causa confugerat, eos ad Marathonē deduxit, numero 300. millia, vt ait Pausanias. Eodem venere Athenienses decies milleni, cum mille Platæensibus. Nam Spartani, quatridui superstitione detenti, auxilio socijs non venere. Cumque deni essent Athenienstium duces, & plerique tantam hostium multitudinem reformidarent; Miltiades nihilominus pugnam socijs persuasit, qui imperium illi detulerunt.

l. 4 p. 235. Græc.

Copiæ Persarum & Athenien.

II. Pugnæ modus atque victoriæ.

Athenienses ferociter pugnam occupabant Barbaris audaciam in ea paucitate demirantibus, cumque diu fortiter vtrimque pugnaretur, Persæ & Sacæ in acie media vicerunt; Atheniēses autem in vtroque cornu: ac Barbaris qui terga dederant fugere permissis, cornua cōtrahunt, & cum ijs qui mediam aciem fregerant dimicantes, victores fiunt, auxilio cœlitus accepto, & panico vt apparet, terrore barbaris perturbatis. Nam è tanto numero sex millia & quadringentos duntaxat occubuisse legimus, in ijsque Datim ipsum militiæ principem, & Hippiam Athenienstium tyrannum, belli contra patriam autorem & conciliatorem. Ex Atheniensibus autem 192. Scribit Herodotus Persas amisso prælio circumuectos Sunium Atticæ promontorium, quod Cretam respicit, Athenas ante reditum Athenienstium occupare voluisse. At illi re animaduersa, ad tutandam patriam celeriter regressi, Persas præuerterunt, qui circa ea loca propter tempestatem aliquandiu morati, cum præda Eretrienśi in Asiam remigrarunt.

III. Legatio ad plebē lepositā.

Romæ autem Coss maturius creati, quam primum ad Senatum de reuocanda plebe retulere. Vbi cum diu contentiose disputatum fuisset, electi sunt legati decem, omnes viri consulares, cum potestate negotium componendi, quibuscumque ipsis visum esset conditionibus. Quæ cum plebs præsensisset, processit eis obuiā. Interea L. quidam Iunius, qui & Bruti cognomen acceperat, plebi quæ secesserat persuasit, vt se difficilem præberet in postulatis suis, seque eius oratorem obtulit. Cum itaque multa de Senatu, & Creditoribus questus esset, à legatis postulauit, quibus plebem conditionibus reuocare vellent. Hic Menenius Agrippa celebratam illam habuit orationem, in qua fabulā dissidij inter mēbra humani corporis intexuit: obtulit debitorum remissionem, & à pœnis liberationem, quod ad præteritos contractus; de futuris vero ratum fore quidquid ipsi cum Senatu statuissent. Adhibuit & vehementes motus, quibus cum plebs se victam daret. Iunius pro plebe Tribunos annuos petiit qui eum à potentiorum iniurijs tutarentur, essentque inuiolabiles. Quos cum Senatus agnosceret fore perpetuum seminarium dissensionum in Repub. ægrè assensus est: assensus est tamen, primique creati sunt L. ille Iunius, & C. Sicinius Bellutus, qui magistratum inierunt quarto ante Idus Decembris.

Conditiones reconciliationis.

Tribuni plebis creantur.

10. *eiusdē.*

IV. Expeditio in Volscos.

Pacata Repub. magna plebis alacritate delectus habitus est, & expeditio in Volscos susceptа à Consule Posthumo; qui singulis fere diebus, singula eorum oppida occupauit, præter Coriolos, vbi paulò diutius ac laboriosius gemino prælio certatum est, & C. Marcius, virtutis ergò, Coriolani nomen est consecutus. Interea Consul alter in vrbe fœdus cum Latinis renouauit. Cumque Menenius Agrippa eodem tempore obijsset, neque eius facultates sufficerent, ad hominem pro eius dignitate tumulandum, decreto Senatus ex publico ærario sepultus est. Plebs nihilominus, quæ patri mortuo destinarat in funus, viuis filijs largita est.

Menenius publico sumptu sepelitur.

ANNVS MVNDI 3563.

ZOROBABELIS & IOSVE 47.

DARII 32. Imperij Persarum 47.

OLYMPIADIS LXXII. AN. 2. V. C. 262.

ANTE CHRISTVM 490.

I. Annus Sabbat. 140. Gelonis tyrannis.

OLympiadis 72. annum alterum, qui fuit Sabbaticus 140. notat Pausanias *l. 6.* vt insignem occupata à Gelone tyrannide Syracusis, succedens Hippocrati fratri, & ei vicissim demortuo, Hiero frater alter successit. Hoc ipso anno in Græcia initæ sunt inducie tricennales inter Atheniēses & Lacedęmonios, quibus bella ad Eubœam gesta terminata sunt; sed eæ decimo quarto anno ruptæ sunt, cū bellum Peloponesiacū inchoatum est. Darius porrò audita clade Marathonia, infensor factus est Atheniensibus, ac propensior ad bellū Græciæ inferendū, missisq; omnem in partem nuncijs, totam Asiam triennio apparatu bellico fatigauit. Miltiades autem cū ab ea victoria expeditionē suscepisset in Parū insulam, & templum Cereris occupare conatus esset, grauiter saucius in vrbem redijt; vbi accusatus, & 50. talentis mulctatus, excessit è viuis, femore, vt ait Herodotus, putrescente, in pœnam sacrilegij, quod quadam sacrificula vsus esset, ad patriæ proditionem. Quò etiam mors Cambysis, & Cleomenis regis Lacedæmonum aggregari possunt.

Inducie Græcorū tricennales. *i. est Olymp. 85. a. 3. Thucyd. l. 1.*

Persicus belli apparatus triennij.

Miltiadis mors.

II. Annonæ caritas in Vrbe ob secessionem.

Magna hoc anno annonæ caritas, atq; adeo fames vrbem inuasit, ex secessione orta, cum plebs sub ipsum sementis initium se cessisset, &

agri

agri per tres fere menses inculti mansissent, quam scilicet fuit diuturna secessio. Itaque legati mittuntur frumentatum varia in loca, parum felici euentu, præterquam in Sicilia; vnde P. Valerius Poplicolæ filius, & L. Geganius Geganij Consulis frater multum commeatum exacta hyeme adduxerunt. Paulo post facta est in Antiates excursio, duce Marcio Coriolano, qui exercitum rebus omnibus locupletatum domum reduxit, gementibus ijs, qui Tribunorum concionibus obsecuti (iam enim turbas excitare cœperant, & cum Consule contendere) pari fuerant fœlicitate fraudati.

Marcij excursio in Antiates.

3565. III. Portenta Romæ, & ludi propter præsultorem instaurati.

ANNVS MVNDI 3564.

ZOROBABELIS & IOSVE 48.

DARII HYST. 33. Imperij Pers. 48.

OLYMPIADIS LXXII. AN. 3.

VRBIS CONDITÆ 263.

ANTE CHRISTVM 489.

II. Gelonis frumentum Romæ causa turbatũ.

HIc est annus secundus apparatus Persici, aduersus Athenienses, & Græciam vniuersam; quo magnæ turbæ Romæ, in causa C. Marcij sunt excitatæ, & maiorum etiam sementis facta est. Cum enim legati cum 50. millibus Medimnûm Siculorum redijssent in vrbẽ, quorum dimidium emerant admodum vili pretio, reliquum Tyrannus dono miserat. Qui in Patricijs æquissimi erant, pauperum miserti, donum Gelonis plebi diuidendum putabãt, quod autem pretio emptum fuerat, vili pretio distrahendum. Cæteri qui necessitate ad modestiam compellendam plebem putabant, neque donari quidquam volebant, & insuper quod venderetur, carissimè vendendum. Quo in numero erat Marcius ille Coriolanus, plebi, ob repulsam Consulatus, nominatim infensus, qui in Senatu coram Tribunis seueriſſimam dixit in plebem sententiam, quam illi ad plebem pro concione retulerunt, eumque ad causam apud populum dicendam arcessiuerunt, sed contumeliosè reiecti sunt.

Marcius cum offensus plebi.

II. Accusatur à Tribunis, defenditur à Cõsule.

In publico deinde conuentu à Tribunis accusatus, & à Minucio Consule eleganter defensus est, planeque absolutus fuisset, si ferox eius animus populo supplex fieri potuisset. Deinde lis ei tyrannidis affectatæ intẽditur, quam ille à se forti oratione repulit. Denique cum tributis comitijs nouo more iudicium factum esset, & non centuriatis, in quibus Patricij plurimum poterant, eaque in re Senatus male Tribunis cessisset, Tribuni, decreta perpetui exilij pœna, calculum tribubus permiserunt. Cumque vna & viginti tum tribus essent à nouem absoluebatur, à reliquis damnatus est, & cum ingenti Patriciorum luctu, & plebeiorum lætitia in Volscos exulatum abijt. Nec in communi amicorum dolore ac lactymis, & domesticorũ ciulatu ipse gemitum vllum edidit. Addit Plutarchus Marcium, cum primum Roma pulsus est, per paucos dies in quadam villa substitisse, deliberantem apud se, & de inimicis suis vltionem meditantem: moxque ad Tullum Attium, principẽ apud Volscos virum, fuisse profectũ & ab eo percupidè acceptum, vt mox dicetur.

Condẽnatur exilij.

Et abit ad Volscos.

Anno autem sequenti, qui fuit tertius Persici apparatus, Roma multis ostentis territa est. Cõsulibus Q. Sulpicio Camerino. & Sp. Largio 11. Ioue quoq; quendam T. Latinum torquente, vt Senatum moneret de ludis instaurandis, quòd præcedentes molestum sibi præsultorem habuissent: seruum videlicet, quem socij diris lacerabant flagellis, & ad voces motusque inconditos compellebant; quem per forum ad crucem deductum, ludorum pompa fortuitò fuerat subsecuta.

ANNVS MVNDI 3566.

ZOROBABELIS & IOSVE 50.

DARII HYST. 35. Imperij Persarum 50.

OLYMPIADIS LXXIII. AN. 1.

VRBIS CONDITÆ 265

ANTE CHRISTVM 487.

I. Ægyptium a Persis defectio.

QVartus hic annus à pugna Marathonia, idemque primus Olymp. 73. Persis, & Romanis in primis luctuosus fuit. Nam Ægyptij, qui à Cambyse subacti fuerant, post annos 40. à Persis defecere, & Marcius Romanos bello inuasit. Darius autem copias contra Græciã destinatas, eadem opera contra Ægyptum parat, vtrorumq; iniurias eadem expeditione vltus. Eam cum longinquam, & periculosam seni viderent Darij liberi, more patrio instituerunt, vt regni successor à patre declararetur. Erat iusta dubitandi causa, inter Darij liberos ante regnum à Gobriæ filia susceptos, & in regno ab Atossa Cyri filia. Superiorum natu maximus erat Artabazanes, posteriorũ Xerxes. Ille ius suum natiuitatis antiquitate rutabatur, hic matris nobilitate, quæ filia Cyri esset, qui Persis peperisset imperium. Verum Darius cunctatus est, vsq; in annum sequentem, ferre sententiam.

Regni successor quæritur

II. Marcius quo se modo Volscis dederit.

Marcius autem Coriolanus, qui perpetuo exilio à Romanis iniustè mulctatus fuerat, dispiciens qua ratione inimicos vlcisci posset, credidit se id Volscorum ope posse conficere, si eorum eligeretur Imperator; sed hominem ab ea spe, non patriæ reuerentia, quam in odium verterat, sed timor eorum deterrebat, quibus tot clades hactenus intulisset. Nihilominus spreta periculi magnitudine, Antium vrbem Volscorum nobilissimam noctu venit, Attium Tullum adijt, & enarrata necessitate, qua compulsus esset ad hostes confugere, orat ne supplicem pro hoste habeat, pollicens se Volscis, si in eorum gratiam recipiatur, tantum allaturum boni, quantum mali antea intulisset inimicus. Comiter eum accipit Attius, eique ciues primum suos, tum reliquam Volscorum gentem conciliat. Marcius autem belli contra Romanos causam excogitat, occasione ludorum, qui magno instaurabantur apparatu. Tullo

Ope Attij Tulli.

Suscitat bellum in Romanos.

cum suadet, vt cum magna tuorum multitudine Romam veniat, quando per inducias id liceat. Tum Romæ, per amicorum fidissimum, Consulem moneat, Volscos vrbem nocte velle inuadere, ideoque venisse tam multos. Cumque propterea vrbe eiecti essent, non defore belli causam.

III. Volsci bellum parant, eique Marcium præficiũt ducem.

Ergo Volsci Roma ejciuntur, cum calumnia meditatę proditionis, propterea que incentore Tullo oppidatim bellum parant. Quibus congregatis eiusdem suasu accitus est Marcius qui Rem Romanam, si quis alius, & conuellere posset, & vellet; à quibus videlicet tam insigniter violatus esset. Is euocatus recenset illatas sibi à Romanis iniurias, quas vehementer vlcisci cupiat, laudat Volscos, à quibus tanta humanitate acceptus sit, & pro hostibus, amicos benefactoresque repererit. Hortatur deinde vt belli occasionem ambiant, repetendis rebus, tibi prioribus bellis per vim ademptis, quas nũquam inducturi essent animum vt redderent. Monet adesse temporis opportunitatem, dum illi ob seditionem sibi suspecti sunt inuicem, & militiæ duces habent imperitos. Postremo studium suum quam humiliter prolixe que defert, qui apud suos rigidum animum inflectere animi demissione nequiuerat. Nimirum apud eum vindictæ appetitus, amore patriæ ac suorum potentior fuerat.

IV. Mittitur legatio Romam, quæ bellum suscitet.

Mittitur ergo Romam legatio repetendarum rerum causa, sed irrita, quod eas iusto bello dicerent acquisitas. Accepto responso Volsci cõmuni consilio Romanis bellum indicunt, & Imperatores Tullum & Marcium eligunt, quorum ille Volscorum res domi tueatur, hic Romanos inuadat. Interea vero, dum totæ coguntur copię, vterque imperator, cum electa manu agros Latinorum & Romanorum late populantur, prædasque auehunt ingentes. Vtq; Romæ dissensio crescere et Patriciorum bonis parcebant, plebeiorum res rapiebant terebant que.

Marcius multa oppida capit.

Mox Marcius Circeios petit, eoque oppido potitus, Romanis expulsis, illud Volscis tradidit. Tum vero maior Romæ tumultus exitit, Patricijs plebem incusantibus, quod virum bellicosum atque magnanimum falso implicitum crimine, ex vrbe eiecissent, Volsciisque ducem dedissent. Tribuni autem Patricios criminabãtur, quasi belli contra plebem conscios, atque incentores, vt quorum bonis ab hoste parceretur.

Romani contentiose turbantur.

Has inter turbas Senatus iubet Coss. delectum habere militarem, sociorum auxilia accersere, nec prius ex vrbe educere, quam probe parata essent omnia. Sed quoniam vicina erant consularia comitia, res inchoata nouis Consulibus tradita est.

ANNVS MVNDI, 3567.

ZOROBABELIS & IOSVÆ 51.

DARII 36. & vlt. Imperij Persarum 51.

OLYMPIAD. LXXIII. AN. 2. V.C. 266.

ANTE CHRISTVM 486.

I. POstremus est hic annus Hystaspidæ Darij, iuxta Herodoti probatam omnibus chronologiam. Quo anno lis de successore regni Persarum inter Xerxem & Artabazanem, definita est. Cum enim Xerxes apud patrem, suadente Damarato Spartano, dixisset, se primum ex rege natum, ideoque regni se esse primogenitum. Artabazanũ vero ex Dario homine tum priuato genitum, ideoque priuati hominis, non regis successorem esse debere, Darius Xerxem regni successorem declarauit. Xerxi quoque fauebat Atossa mater, quæ tum omnia in regno poterat. Imperij porro successore declarato, cum conaretur Darius rebus apparatis ire in expeditionem, altero à defectione Ægyptiorũ anno, supremum diem obijt, sex & triginta regni annis expletis, nec tamen voti compos de Athenienſibus & Ægyptijs vlciscendis. Sic Herodotus.

Xerxes declaratur regni successor.

Obitus Darij.

II. Exitus Zorobabelis & laus. *l. 11 c. 5.*

Ad Darij porro exitum Zorobabelem & Iosue produximus, quod non constet quando iste Sacerdotio, vel ille Reipub. administrationi finem imposuerit. Nouum tamen sub Xerxe Pontificem, à Iosepho nominatum Ioacimum Iosue filium reperimus, vt proximo anno dicemus. De Zorobabelis porro morte id vnum ab Hebræis traditur eum, ædificato vrbis muro, aptataque æde Sanctuarij, Babylonem redijsse, ibique esse defunctum. Et quidem, vt par est credere, pie ac religiose, vt qui de pietate ac Dei cultu, totaque Hebræorum gente bene meritus fuerat, & tuum in diuinam veritatem amorem ac venerationem, in conspectu regum professus fuerat, eamque rebus omnibus ante tulerat. Quam confessionem videtur Dominus non solum, Darij gratia ac munificentia, sed æterna quoque vita remunerasse.

III. Marcius Romanos late vexat.

Sequitur Romana res, quæ Volscorum imperatore Marcio vehementius afflicta, ab eius matre Veturia, filio affectibus expugnato, restituta est. Rem in tota historia Romana pulcherrimam, non negligenter in Annalibus persecuti sumus, quam piget nunc contrahendo corrumpere. Dicamus tamen breuiter, quoniam iam pridem iacta est alea, Romanos quidem Coss. studiosè domi bellum parasse, sed plerosque sociorum, fide labente, spem eorum fefellisse, & ad Volscos vel clam, vel aperte abijsse. Quibus fretus Marcius, Romanos Latinosque agros populari, oppida expugnare, atque diripere, nemine congredi audente. Volscis noui imperatoris peritiam, fortitudinem, felicitatem deprædicantibus, & Romanorum socijs quotidianis legationibus opem aduersus Marcium frustra implorantibus; ipso autem Romano populo Senatum vrgente, ad redditum in vrbem Marcio decernendum, cui iam imminebat infestus.

Populus agit de antiquãdo ineundo decreto.

IV. Prima ad Marcium legatio. Altera duplo maior.

Ea necessitate coacti Patres, quinque è suo numero elegerunt, Coriolano gratiosissimos, qui de pace cum illo agerent: quorum sapientissimam orationem ille mira ingenij felicitate refutauit, ostendens inter alia, se Romam ab ipsis in certissimam perniciem vocari. Ne tamen ferreus patriam planè excindere velle videretur, durissimas exigit conditiones pacis, datis interea ad deliberandum 30. dierũ inducijs. Subactis interea septem Latinorum oppidis, Romam propius accessit, cum Senatus ad eum decem legatos misit, qui responsum patrum quam blandissimè proponerent. Pacem cum

Volscis inire posse, si deductis ex agro Romano vel Latino copijs, armisque positis eam peterent. At ille eos è vestigio abire iussit, minatus, ni facerent, pro explorationibus habiturum.

Tertia sacrorum virorum.

Cum autem spei adhuc superesset aliquid flectendi Marcium, missa est ad eum tertia legatio sacerdotum, aliarumque personarum sacrarum, cum religioso vestium apparatu; sed irrita, cum Marcius ruberet Romanos imperata facere, nec aliter ad se reuerti.

V. Quarta matronarum & nominatim matris, & vxoris eius.

Statuerunt nihilominus matronæ nobiles, suadente Veturia sorore Poplicolæ, desperatum alioqui tentare negotium, eamque prouinciam committere quamuis repugnanti Veturiæ, Marcij parenti, eiusque vxori Volumniæ. Quibus denique acquiescentibus, illæ cum filijs, & multo matronarum comitatu ad hostilia castra profectæ sunt, vultu, vestituq; lugubri, & omnibus ad commiserationem compositis. Ille vt sensit adesse matrem, magno cum honore ac pietatis sensu eam accepit, tum secuta est multiplex ac vehemens vtrimq; postulatio ac recusatio, quibus haud scio an quidquam artificiosius fingi possit. Postrema fuit hæc Veturiæ conclusio. *Quod si repuleris*, inquit, *matrem tuam & inhonoratam dimiseris, quid tibi propterea mali venturum sit non possum dicere; augurer tamen certe, nihil euenturum prosperi.* Et mox. *Nam Veturia si coram totes tibus contumelioſam patiatur repulſam, non ſuſtinebit vel minimum temporis ſpatium ſuperuiuere, ſed in conſpectu omnium veſtrum me ipſam interficiam. Diraſq; & furias tibi pro me vindices atq; vltrices relinquam.*

Veturia Marcium expugnat.

VI. Qui mox à Volscis lapidibus obruitur.

Hæc elocuta humi se abiecit, & ambabus manibus Marcij pedes amplexa deosculabatur, simul vim intolerabilem Marcio pectori afferens. Accessit quasi ex composito, ingens & longus vniuersarum matronarum eiulatus. Volsci quoque qui assidebant, nouitatem eius spectaculi non ferentes, auerterunt oculos. Ipse Marcus prosiliens è sella, correptam matrem semianimem erexit, eamque complexus exclamauit. *Vicisti mater, quod nec tibi bene vertet nec mihi. Nam patriam quidem seruasti, pium vero & indulgentem filium perdidisti.* Nec vanus augur fuit. Cum enim copias deinceps innoxius reduxisset, odium Volscorum incurrit, à quibus, præsertim à factione Attij Tulli, in conuentu publico lapidibus obrutus est. Pleriq; tamen, qui eius auspicijs non sine fructu militarant, imperatorio cultu ornatum honorifice tepelierunt, Romani publicè priuatimque luxerunt: Volsci autem cito pœnas dederunt, vt mox dicetur, cætera ex Annalibus petantur.

ANNVS MVNDI 3568.

IOACIMI Ducis & Pontificis I.

XERXIS I. Imp. Persarum 52.

OLYMPIADIS LXXIII. A. 3. V. C. 267.

ANTE CHRISTVM 485.

I. Mors pro

TRadunt Hebræi anno 52. Imperij Persarum mortuos esse Aggæum, Zachariam & Malachiam, id est, non ante id tempus esse defunctos, non autem omnes hoc ipso anno. Sic Thare dicitur vixisse 70. annis, & genuisse Abrã; Nachor, & Aram, id est, non ante septuagesimum, sed postea, suo quemque tempore. Sed quia certus annus nobis incertus est, de eorum morte dicamus hîc aliquid. Fuit Aggæus de tribu Leuitica, atque adeo Sacerdos. Nam ab Epiphanio dicitur sepultus honorifice Hierosolymis apud Sacerdotes, & à Dorotheo cum honore sacerdotali. Mors eius in Romano Martyrologio 4. Iulij ponitur, in Menologio autem Græcorum 16. Decembris. Legitur autem apud eosdem, Aggæum habuisse cum Zacharia commune sepulchrum.

phetæ Aggæi. *In Chron. breui.*

Et Zachariæ.

Zachariæ autem mortem Martyrologium Romanum cum reliquis Latinis in 6. Septemb. refert, menologium vero Græcorum in præcedentem diem. Fuisse etiam ipsum de tribu Leuitica, atq; etiam sacerdotem, autor est Dorotheus in Synopsi. Propheta ipse filium se Barachiæ profitetur, & nepotem Addo. De hoc Zacharia non agit Christus Dominus Matthæi 23. vt ostendimus, tam in hoc Annalium loco, quam anno 35. Ioas. Adde quod Epiphanius & Dorotheus satis aperte significant eum, cum esset valde senex, naturæ necessitati cessisse. De Malachia, & an idem fuerit cum Esdra, dicemus in Artaxerxe.

c. 1. v. 15. & Luc. 11. 51.

II. Xerxis imperiũ. *l. 11. c 5.*

Defuncto Dario, inquit Iosephus, *successit Xerxes filius, sicut regni, ita & hæres paternæ pietatis. Nihil enim ex patrij institutis circa diuinum cultum mutauit, & Iudæos summa benevolentia prosecutus est.* Sic ipse, ex quo colligitur Darium toto vitæ tẽpore sacrificiorum sumptus Hierosolymis, magna saltem ex parte suppeditasse, vt ex ijs literis apparet, quas in gratiam Iudæorum, à principio regni sui, miserat in Iudæam. De Pontifice autem sic pergit, *Hoc regnante pontifex erat Ioacimus filius Iebu* siue Iosue. *Apud Babylonem vero degentium Iudæorum primarius sacerdos erat Esdras vir iustus* &c. Pergit enarrare, quæ 1. Esdræ c. 7. sub Artaxerxe contigerunt, in eo vehementer hallucinatus, quod eundem Xerxem cum Artaxerxe fecerit, patrem scilicet cum filio, toto regno Xerxis, quod vnius & viginti annorum fuit, per imprudentiam prætermisso. Nihilominus Ioacimum sub Xerxe fuisse pontificem, aperte suadet longinquitas prioris pontificatus, & quod filius eius Eliasib, sub huius Xerxis successore pontifex fuerit, vt ex 2. Esdræ cap. 3. perspicuum est.

Ioacimi pontificatus.

Iosephi lapsus arguens.

III. Xerxes ad expeditionem in Græcos & Ægyptios incitatur.

Scribit Herodotus Xerxem à principio non fuisse animatum ad bellum Græciæ inferẽdum, sed Ægypto, quæ à Persis paulò ante defecerat. At Mardonius ei autor fuit vt domitis Ægyptijs, de Athenienſibus quoque vindictam sumeret. Cætetum idem Herodotus ait Xerxem secundo à morte Darij anno in Ægyptum expeditionem suscepisse. Nimirum primo anno regnum suum circumquaq; recte stabilire conatus est, ne quid postea in eius absentia turbaretur.

IV. Bellũ in Hernicos & Volscos.

Interea Coss. viri bellicosi decreto senatus bellum Hernicis & Volscis intulerunt. Aquilius Hernicos diu fortiter repugnantes ægrè superauit: ægrius etiam Volscos, & Tullum eorum ducem Siccius. Reperit enim eos ex Marcij disciplina probe exercitatos. Itaque ad multam diei horam vtrimque æquo marte certatum

est, donec pene omnes tam in acie quam in propugnatione castrorum cõfecti vulneribus, in quibus & Attius Tullus, non inulti cecidere-runt. His Romæ cognitis ingens gaudium fuit, & Aquilio ouatio, Siccio triumphus decretus, magnoque apparatu celebratus est. Quod ma-iore vrbe terrore liberasset, insolente Volsco-rum exercitu, cum eorum duce deleto.

Mors Attii Tulli.

Epicharmus.

In hunc annum refert Suidas Epicharmum poëtam, quem ait docuisse Athenis sex annis ante bellum Persicum, eundemque vnà cum Phormo, comœdiæ inuentorem extitisse.

ANNVS MVNDI 3569.

IOACIMI Ducis & Pont. 1.

XERXIS 2. Imperij Persarum 53.

OLYMP. LXXIII. AN. 4. V. C. 268.

ANTE CHRISTVM 484.

I. Ægyptus iterum à Persis edomita.

ANnus hic Persis lætus, Romanis turbulentus, Ægyptijs funestus fuit. Nam Xerxes autore Herodoto, altero à morte Darij anno, primam expeditionem fecit aduersus Ægyptios, qui rebellauerant, quos subactos, & in ar-ctionem, quam sub Dario fuerant, seruitutem redactos, Achæmeni fratri suo tradidit guber-nandos. Tenuit hoc bellum annum vnum. Si-quidem à debellata Ægypto, per totum quadri-ennium Xerxes comparauit exercitum, vt idem ait, atque eius apparatum quinto anno incautè mouit, id est primo anno Olympiadis septuage-simæ quintæ, vt omnes fatentur.

II. Romana res.

Res autem Romana ab anni initio satis bene habuit. Coss. in bellum profecti Virginius Æ-quos, nusquam prodire ausos, deuastauit: Cas-sius autem Volscos & Hernicos; qui mox rebus suis diffisi, pacem à Consule certis conditioni-bus impetrarunt, quam etiam Senatus proba-uit; non probauit autem, quod eas conditiones cum patribus non communicasset; ideoque re-uersus in Vrbem triumphum petijt, & ægrè ob-tinuit. Mox autem trium Consulatuum, & duo-rum triumphorum honore prę ciuibus suis ful-gens, maiora cogitans, plebem sibi demeren-dam, agri frumentiq; largitione putauit. Tum primum, inquit Liuius, lex agraria promulgata est, nunquam deinde vsque ad hanc memori-am, siue maximis rerum motibus agitata.

Cassius Tyranni-dē parat.

III. Ortus Sophoclis.

Refert in hunc annum Suidas Sophoclis poëtæ ortum, quippe quem annis 17. ait fuisse So-crate natu grandiorem, quem Laërtius ex A-pollodoro tradit natum anno quarto Olym-piadis 77. Fuit hic patria Athenien sis, & tragœdiam maxime celebrauit. Vi-de Suidam, & An-nales.

* * *

ANNVS MVNDI 3570.

IOACIMI Ducis & Pont. 3.

XERXIS 3. Imperij Persarum 54.

OLYM. LXXIV. A. 1. V. C. 269.

ANTE CHRISTVM 483.

I. An. Sabb. 141.

INitio Olympiad. 74. in quod cadit annus Sabbaticus 141. vicit in stadio Astyllus Syra-cusanus: quando Xerxes redacta in potesta-tem Ægypto, suorum monitis incitatus, bel-lum olim in Athenienses destinatum, vniuersæ Græciæ, atque adeo Europæ statuit inferre: in-citante Mardonio regis affine. Reges quo-que Thessaliæ, & Pisistratidæ idem suadebant. E contrario Artabanus Darij frater Xerxisque patruus rem vehementer dissuadebat, ex præ-teritis futura coniectans, clade scilicet Mara-thonia, nouam à Græcis imminentem. Itaque Mardonium, qui Græcorum vires inepte de-pressérat, mendacij & vanitatis arguit, & spon-sione prouocat. Cuius cum orationem Rex ip-se respuisset, postmodum inconstanter Xer-xis, & concilij totius voluntati subscripsit, man-dauitque omnibus Persarum Satrapis, vt certo tempore, cum maximis florentissimisque copijs adessent. Appatet datum triennium huic ap-paratui super annum præsentem: nam initio sequentis Olympiadis omnes copiæ se in viam dedere.

Xerxis de expedi-tione in Græciam delibera-tio.

II. Armorũ socia Car-thagine.

Addit Diodorus Siculus Xerxem legatos Carthaginem de re communiter gerenda mi-sisse, atque ita cum illis conuenisse, vt Græciæ incolas inuaderet; ipsi autem eodem tempore Græcos, qui Siciliam & Italiam tenebant, bel-lo opprimerent. Ergo Carthaginenses, vti con-uenerat, stipendiarios, non ex Africa solum & Libya, sed ex Italia & Liguria, Gallia & Iberia conduxerunt, ad trecenta hominum millia, na-uesque ducentas, etsi Herodotus horum subsi-diorum non meminit.

III. Cassii ac-cusatio.

His Consulibus Sp. Cassius superioris anni Consul, agrariæ legis autor, ad populum am-bitæ tyrannidis delatus est, ostensumque à Quæstoribus, qui eum accusabant, omnia eius facta, dicta, consilia eò relata fuisse: arma quo-que, vires, pecunias, ipsi ab alienigenis in promptu esse ad id facinus perpetrandum: quæ cum idoneis testibus confirmarentur, populus hominem capite damnauit, veritus ne si in exi-lium mitteretur, vir imperatorijs artibus clarus, idem faceret quod nuper Marcius Coriolanus. Ergo virum genere nobilem ac Patricium, ter-tium exconsulem & triumphalem, liberis, cog-natis, amicisq; sordidatis, quæstores in forum adducunt, & ex imminente rupe, toto spectante populo, præcipitem dederunt, eiusque bona publicarunt. Cum autem extincto Cassio nulla vltra diuisionis agrorum mentio fieret, plebem sui iudicij pœnitere cœpit. Quin & militiam de-trectabat, sed verita, ne Appius Claudi⁹ Dictator fieret, militiæ nomina dedit, Cornelius Veiētes inuasit, Volscos Fabius: sed tota præda, spolia, &

Er dam-natio.

pecu-

pecunia ex captiuis venditis, in ærarium relata est: quod iram plebis in patricios accendit.

ANNVS MVNDI 3571.

IOACIMI Ducis & Pontificis 4.

XERXIS 4. Imperij Persarum 55.

OLYMP. LXXIV. An. 2. V.C. 270.

ANTE CHRISTVM 482.

I. Persicæ expeditionis apparatus.

XErxis annus quartus, imo quintus quoque ac sextus omnes eius subditos in apparanda expeditione tenuit, Carthaginensesquoque, vt ex Diodoro diximus. Romæ autem Patres qui plebem videbant dolere de damnatione Cassij, prouiderunt ne crearentur Coss. populares, qui turbas in Republ. concitarent. Itaque L. Æmilium & Cæsonem Fabium, vtrumque plebis minime studiosum, Consulatum ambire iusserunt; quem etiam inuita plebe, & è campo Marcio abeunte obtinuere: vnde Liuio teste nonnulla est orta seditio, ad quam comprimendã commode contigit iterata Volscorum defectio, qui rursum victi, priorem ignominiam posteriore cumularunt, si Liuio credimus. Nam Dionys. ait Æmilium contra Volscos infeliciter pugnasse, remque ad Triarios fuisse redactam: adeo vt Consulem in potestatem redacturi essent, nisi collega subsidio veniisset.

Consul cõtra Volscos male pugnat.

II. Aristides ostracismo exulat.

Huius Olympiadis anno secundo Aristides ostracismo ab Athenienſibus in exilium pulsus est. Erat autem Ostracismus, vt Plutarchus ait, non improbitatis pœna, sed nimiæ potentiæ imminutio, atque inuidiæ lenimentum, quæ odium suum decennali absentia exaturaret. Aristidi autem exilij causa fuit inuidia mixta metu. Cognomen Iusti, vt idem ait, primum Aristidi amorem, postea inuidiam excitauit; Themistocle præsertim in vulgus spargente, Aristidem, dum omnia ipse iudicat, (plurimi enim controuersias suas eius arbitrio permittebant, eique propter vitę integritatem iniurato fidem habebant) sublatis tribunalibus, regnum sibi, multo stipatum satellitio, parauisse. Itaque exilio mulctata est virtus eius: quæ in eo quoque egregie eluxit, quod vrbe discedens precatus est, ne Athenienſibus ea vnquam tempora contingerẽt, quibus populus Aristidis meminisse cogeretur. Ergo quasi ex euangelica lege bene precatur inimicis, & voluntariæ paupertatis amator, Xerxis Daricos, & Calliæ diuitias contemnit, atq; repudiat, vt in Annalibus ex Plutarcho leges.

Laus eius

Est hic ipse annus Herodoto natalis, si Pamphilæ apud Gellium credimus. Cum enim initio belli Peloponnesiaci fuerint annos natus 53. id autem bellum inciderit in annum 2. Olympiadis 87. necesse est hoc anno natum est Herodotum.

***

§.3.c.23. Natalis Herodoti.

ANNVS MVNDI 3572.

IOACIMI Ducis & Pont.5.

XERXIS 5. Imp. Persarum 56.

OLYMP.LXXIV. An. 3.V.C. 271.

ANTE CHRISTVM 481.

I. Græci bellũ parans

CVm Asia tota bellico iamdudum apparatu Xerxe imperante ferueret, Athenienses in quorũ maximè pernicię à principio hæc omnia parabãtur, omni vicissim studio publice ac priuatim se ad resistendum comparabant: qui sciebant ingẽtem vindictæ appetitum in cotde Persarum viuere, non solum à tempore pugnæ Marathoniæ, sed à Sardium etiam expugnatione; eundemq; tam à Mardonio, cæterisque Persis, quam à Græcorum exulibus Demarato Lacædæmonio, & Hippia Athenienſi perpetuo suscitari, si tamen Hippias viuebat adhuc. Demaratus autem in Xerxem excitabat, vt Græcis eius consilia artificiose proderet: Vnde rebus inter Græcos communicatis, totius Græciæ comitia Corinthi in proximum annum indicta sunt, vt ex Diodoro Siculo perspicue colligitur.

II. Plebs militiam detrectat

Consules inito magistratu postularunt vt cẽturiæ, quæ bello contra Volscos non parum fuerant imminutæ, supplerentur. Imperatorq; Senatus-cons. diem præscripserunt, qua militaris ætatis homines prępsto essent ad danda nomina, plebe imperia cum vociferatione detrectante, quod promissa de diuidendis agris fallerentur. Itaq; in Consulum &; Tribunorum altercatione, cum Tribuni suam potestatem vrbe ipsa definitam, haberent, Coss. vrbe egressi in adiacenti campo, sellis imperatorijs positis, delectum habebant; & qui citati non parebant, grauiter mulctabantur; itaq; sub suis quiq; signis, plebei à Tribunis suis destituti, nomina professi sunt. Ergo Valerius in Volscos profectus est, sed cum miles pugnaret inuitus, & Imperatorem imperitiæ calumniaretur, nihil recte agi potuit. In ipsa autem vrbe Pompilia virgo Vestalis, polluta libidine, per forum traducta, in specu subterraneo viua defossa est. Qui autem eam polluerant, publice verberati, necatique sunt.

Tribunorum potestas.

Pompilia Vestalis viua defoditur.

ANNVS MVNDI 3573.

IOACIMI Ducis & Pont. 6.

XERXIS 6. Imper. Persarum 57.

OLYM.LXXIV. An.4. V.C.272.

ANTE CHRISTVM 480.

ROMÆ cum tempus comitiorum adesset, magna de creandis Consulibus, Patritios inter ac plebeios, contentione certatum est. Donec creati sunt interreges, qui cum bona vtriusque partis gratia Coss. elegerunt vnum è plebis fautoribus C. Iulium, al-

I. Coss. per interregẽ creati.

terum Q. Fabium ex factione optimatum in cuius secundùm Consulatum plebs consensit, odio Appij, cuius filius Consulatum ambiebat, eiusque repulsa plebs maxime lætabatur. Interea Æqui & Veientes Romanos Latinosq; agros incursabant, contra quos profecti consules nihil memorabile gesserunt.

II. Comitia Græciæ Corinthi tollũt priuatas inimicitias.

Habita sunt hoc anno Corinthi totius Græciæ comitia, de publica Græcorum salute, & clade quæ à Persis imminebat, auertenda. Ei rei duo maxime profutura erant, mutua Græcorum inter se concordia, & belli cum alijs populis societas. Ergo à priuatis odijs discessere tantisper, inprimisque Athenienses cum Æginetis, & cum Aristide Themistocles inimicitias communi saluti Græciæ condonarunt. Quin & Athenienses, abrogata lege Ostracismi, omnibus exulibus reditum decreuerunt, maximeque Aristidi, ne is se cum hoste coniungeret, multisque ciuium ad Barbarum deficiendi autor existeret. Quod ad alterum caput, missi sunt nuncij ad contrahendam aduersus Persas belli societatem, Argos, Siciliam, Corcyram, Cretam, vt communi omnes studio, communi periculo consulerent. Numerum copiarum refert Diodorus, cum ait deuictum Barbarum trecentas agentem myriades, id est, tricies centena millia, vel tres milliones, vt vulgò loquimur. Græcorum autem & sociorum copias non supe rasse centum & decem millia. At Herodotus vt exacte docemus in Annalibus, ait copias Persicas tam classiarias quam terrestres, tam Asiaticas quam Europæas, adiectis eorundem seruitijs ad quingentas & viginti tres myriades, & insuper quinque millia ducentos & viginti ascendisse, Eunuchis ac mulieribus prætermissis.

Colligũt belli socios. *l. 11.*

n. 7. & seq. Persicæ copiæ.

3235220.

III. Xerxes Sardibus hyemat.

Eas copias Xerxes cum lætitia gemituque conspexit, quod se Dominum tantarum copiarum videret, quodque sciret intra centesimum annum neminem fore superstitem. Sed hæc paulò post contigerunt. Nunc Xerxem accingentem se itineri, & iter Sardeis vsque facientem affectemur vbi transacta hyeme, cum vere nouo in Europam transibit. In itinere autem cum Celænas transiret, ibi Pythium Atys filium inuenit, qui omnem regis exercituum, qui scilicet terra iter habebat, atque ipsum Xerxem magnificentissimo accepit hospitio, spoponditque se pecuniam ei in bellum suppeditaturum, quam tamen rex non accepit, sed auctam de suo, hospiti suo remisit. Sed eam gratiam hospitis sui Xerxes barbarum in morem remuneratus est, vt dicemus.

l. 7. Eum Pythius eiusq; exercitum accipit hospitio.

IV. Xerxes à Græcis deditionem postulat.

Simul ac Sardeis ingressus est, præcones misit in Græciam, qui è singulis vrbibus ignem & terram in signum deditionis exposcerent. Partito inde exercitu, partem quæ ad iungendum ponte Hellespontum, partem quæ ad perfodiendum Isthmum montis Athos, qui duodecim stadiorum est, sufficeret, emisit, non tam vt tutum exercitibus, & quam breuissimum transitum pararet, quam vt operum magnitudine Græcos perterrefaceret. Alioqui enim longe breuior erat traiectus ex Æolide & Ionia in Atticam, quam longo in septentrione circuitu Hellespontum & montem Athon petere. Ad quem, quia pridem multæ Persarum naues naufragium fecerant, eum iniuriæ memor, perfodi iussit. Pari vanitate cum Hellespontum ponte iunxisset, eumque perrupisset tempestas, Hellesponto trecenta verbera infligi iussit, & compedes in vndas conijci, & fabros interfici; tum pontem alium firmiorem, atque adeo geminum construi.

Isthmum perfodit, & pontẽ imponit Hellespontem.

ANNVS MVNDI 3574.

IOACIMI Ducis & Pontificis 7.

DARII HYST. 35. Imp. Persarum 58.

OLYMPIADIS LXXV. A. 1. V. C. 273.

ANTE CHRISTVM 479.

I. Trãsitus Xerxis & ratio tẽporis.

CELEBERRIMVS est hic annus transitu Xerxis in Europam, mari ponte constrato. De tempore Olympiadis, & Athenarum Prætore Calliade; consentiunt Herodoto Dionysius; atque Diodorus, Polybius item, & A. Gellius. Postquam ergo Xerxi nunciatum est Isthmum Athi montis esse perfossum, & Asiam Europæ factam esse interiecto ponte continẽtem. Sardibus vbi fuerat in hybernis, ineunte vere Abydum versus cum exercitu profectus est, vnde breuissimus est Hellesponti in Europam traiectus. Eo iter habente contigit solis eclypsis. Qua perturbatus Pythius, qui eum proximo anno hospitio exceperat, rogauit vt ex quinque liberis suis, qui eius copijs adscripti, cum eo in Græciam proficiscebantur, vnum sibi natu maximum solatium senectutis relinqueret. At Barbarus indignatus, illum ipsum medicum discindi iussit, mediasque inter partes traduci exercitum. Barbaro planè ingratissimi hominis facinore. Quo vno fortasse ita diuinam in se iram concitauit, vt breui pro gloriosa victoria, quam quærebat, probrosam fugã inuenerit: sicut & pater eius in non dissimili facinore, cum expeditionem pararet in Scythas. Vide Annales vtroque in loco. Posteriore autem ex Herodoto reperies ordinem procedendi exercitus Persici.

Pythij filiũ crudeliter interficit.

An. mun. 3556. n. 1. & 3574. nu. 4. & 5.

II. Copias cum fletu circumspicit.

Postquam Abydum peruentum est, Xerxes à throno regio, quem ei Abydeni in tumulo erexerant, terrestres simul nauales que suas copias conspiciens, beatum se putauit; vt diximus, & nihilominus lacrymas fudit super breuitate vitæ mortalium, ad quorum tamen cædes tanto apparatu ferebatur. Inde eum Artabano collocutus, eum Susam, proregem ibi futurum dimisit, reliquos Persarum principes ad rem bene gerendam adhortatur, omnes in posterum diem ad traiectum Hellesponti paratos esse iussit. Ipse cum sol esset exortus, ex aurea phiala libans, apud Solem vota fuit, ne quid sibi aduersi contingeret, quo prius desisteret Europam subigere, quam ad illius terminos peruenisset. Hæc precatus phialam in Hellespontum proiecit, aureumque craterem, & gladium Persicum, siue Soli dedicans, siue Hellespontum, quem paulo ante stultè verberari iusserat, placare desiderans.

Artabanũ remittit in Persidem.

Solique sacrificat.

His peractis per alterum pontium, qui ver-

III.

gebat

Trāsitus Hellesponti.

gebat in Pontum, peditatus omnis, equitatusque transiuit; per alterum, qui vrgebat in Ægeum, iumenta atque seruitia, præcedentibus decem millibus Persarum coronatis omnibus, quo promiscuus omnium nationum sequebatur exercitus: quem transitum septem dies, totidemque noctes tenuisse scribit Herodotus. Inde circumducto per Thraciam exercitu, Tempe & Thessalia potitus est: vnde exclusi Græci, aditum Thermophylanum custodire statuerunt, ne Barbari aut multitudine, aut equitatu contra Græcos vti possent. Eum ergo locum Græci ex varij collecti prouincijs occuparunt; in quibus eminebat Leonidas, cum trecentis Lacedemonijs: ad quos Xerxes misit nuncios vt ab armis discederent, & Persarum deinceps societatem colerent: quibus iussa negligentibus, Thermopylas Persæ perueniunt, Medi pugnæ initium faciunt spectante rege; quibus denique cedentibus, submissi sunt Cissij, quorum insignis erat virtus, qui licet recentes & integri defatigatis committerentur, à Leonidæ tamen militibus, cum quibus deteriore conditione pugnabant, vertuntur in fugam.

Græci amissa Thessalia, Thermopylas occupant, ibiq; fortiter pugnant.

IV. Leonidas cum suis circūuēti obruuntur.

Hic Rex suorum clade animaduersa, lectissimos à Persis mittit, quos immortales vocant, quorum dux erat Hydarnes, qui credebantur hostes facile profligaturi. Verum & ipsi congressi, nihilo magis quam Medi aut Cissij, loci & armorum iniquitate, profecerunt. Nox prælium diremit: postridie pertinacius quidem, eodem tamen euentu pugnatum est. Ibi Regem inopem consilij adit quidem Epialtes, polliceturque se, cui montium semitæ notæ forent, Persis ducem fore, vt Leonidæ copias à tergo circumueniant, circumuentos nullo negotio deleri posse. Rex mire lætatus hominem præmijs afficit, & 20. hominum millia deducenda tradit. Hi tota nocte itinere confecto, sub auroram in cacumen montis euasere, & Phocensium præsidio missilibus fugato, Leonidas cum suis tanta Persarum multitudine circumuenti, iaculis obruti non inulti periere, & Persæ victoriam, sed Cadmæam obtinuere.

V. Classis Persica tēpestate vexatur.

Interea nauales copiæ, ad occupandum Euboeæ fretum proficiscuntur: inde enim iter patebat in Achaiam, & Atticam totam, sicut è Thermopylis pedestre iter in Græciam erat expeditum. Dum autem classis Magnesiæ oram teneret & longo ordine staret in anchoris, sub diluculum tempestas subsolano flante coorta est, qua ad quadringentas naues, concussæ conuulsæque periere. Cum autem Græci duces de pugnæ nauali ratione deliberarent, cæterique censerent ad Artemisium hostium incursum operiendum esse, persuasit socijs Themistocles hostem instructa classe inuadere, dum hostiles copiæ toto mari dispersæ, ex varijs portubus exeunt, & necessario tumultuariè pugnaturæ sint, nec sibi inuicem opem laturæ. Id consilium victoriæ initium fuit. Abundante nihilominus nauium Persicarum multitudine, Persarum consilium fuit Græcas à tergo & fronte concludere; verum ea pars quæ Euboeam circumvehebatur, erat que ducentarum nauium selectarum, per noctem & tempestatem in saxa impingens, prope Geresti

Consiliū Themistoclis de Persis inuadendis, qui cursum tēpestate accipiūt.

um & Caphareum promontorium, tota funditus perijt.

Classis interea Græcorum tribus & quinquaginta nauibus Atticis aucta, animos sumpsere inuadendi Barbaros, & in Cilicum naues inuecti eas corruperē. Postridie autem tota, quæ reliqua erat, Persarum classe collecta ad Artemisium, paribus fere damnis pugnatum est, propter Græcorum præ Barbaris paucitatem, qui etiam quinque Græcorum naues eo die, cum suis propugnatoribus, ceperant. Quo factum est vt Græci de fuga in vlteriora Græciæ deliberarent: audita præsertim per id tempus Thermopylarum clade. Ergo ab Artemisio profecti, ad Salaminam insulam, rogatu Atheniensium substitere, quò alijs quoque nauibus confluentibus classis Græcorum 380. nauium effecta est. Cum autem de eligendo ad pugnam loco deliberatur, nuncius ad eos venit de occupata à Persis Attica, Athenis captis, arce expugnata, & omnibus sacris, profanisque locis ferro flammaque vastatis.

VI. Naual pugna

Græci fuga d liberar & Sala nā ade

Quibus auditis tantus omnes terror inuasit, vt plerique de fuga potius, quam de pugna cogitarent. Cumque Peloponnenses, ad tua, quæ adhuc erant intacta, defendenda relictis socijs proficisci vellent, Themistocles clam nuncium mittit ad Persas, qui eis persuaderent vt dissidentes Græcos, & fugam parantes, & à terrestri exercitu seiunctos, quam primum inuaderet. Fide temere habita Themistoclis nuncio; Persæ omnem Græcorum classem ad Salaminam positam sua ipsi circumueniunt. Qua re animaduersa Græci, misso abeundi consilio, ad pugnam, quod cupiebat Themistocles, necessario se comparant. In pugna Iones infideliter se gerunt, Persa deserto. Naualis quoque Imperator fortiter pugnans occumbit. Vnde cum deesset, qui subsidia laborantibus submitteret, nam Xerxes pugnam à longe spectabat innoxius, etsi metu illius, quem pugnæ & fortitudinis testem habebant, Persæ fortiter se gerebant, tandem inclinata re fusi Barbari fugatique, in portum Athenienſium se recepere.

VII. Priusq separēt arte Th mistoc cū Per pugnat

Vincu que.

Cognita Xerxes clade sua, de fuga cogitat, quam ei Mardonius persuader, relictis sibi triginta militum myriadibus, quibus reliquum bellum feliciter conficiat. Abit ergo celeriter Hellespontum versus, ne eum Græci præueniant, pontesque interrumpant: imprudens, cui tot adhuc naues præsto erant, & omnes portus in Asia. Herodotus certe scribit, fuisse qui dicerent Xerxem nauem Phœniciam conscendisse, eamque, dum pelago sæuiente periclitaretur, plerisque Persarum adorato rege in mare vltro desilientibus, onere leuatum in Asiam peruenisse. Ea fuga cognita Græci deliberatione inita statuunt non sequi, sed belli reliquias conficere, & patriæ instaurandę pro facultate diligenter incumbere. Mardonius autem paucis post pugnam diebus, mouit in Bœotios, & inde in Thessaliam ad hyberna concessit, vt ineunte vere tentaret Peloponnesum.

Sē VII Xerxe fugit, fecto liquis piis M donio

Dum hæc in Græcia geruntur, Carthaginenses quoque in Sicilia infeliciter pugnarunt. Cum enim ingentes copias aduersus Græcos, qui erant in Sicilia & Italia compa-

IX. Pœni sarū in Sic male gerun

tassent, vt inter ipsos Persasque conuenerat, eis Amilcarem præfecerunt, qui dum Lybicum mare traijcit, tempestate iactatus, nauigia, quibus equi & currus vehebantur, amisit. Nihilominus Panormum Siciliæ portum inuectus, triduoque exercitu recreato, refectisque naufragij damnis, Himeram obsedit, cum Gelo Siracusis accitus, multa Pœnorum palantium millia cepit. Cumque literas Selinunciorum ad Amilcarem intercepissent, quibus illi se ad certam diem spondebant venturos cum copijs; eadem die Gelo nauales suas copias mittit, quæ se à Selinuncijs venire fingerent; eæ naues vt sociæ admissæ, primum Amilcarem sacrificantem obtruncarunt, tum ignem in punicas naues injcere. Interim autem Gelo cum Pœnis terrestri prælio congressus est, neutram in partem inclinante victoria, donec flamma è nauibus erumpente, & Imperatoris morte nunciata, Carthaginenses animo fracti, & in fugam conuersi, ad 150. millia perierunt. Nam Gelo vnos seruari vetuerat: reliquiæ in reditu absumptæ naufragio, vix vt pauculi cum scapha Carthaginem appulsi, vrbem totam luctu repleuerint, & ad legatos de pace mittendos ad Celonem impulerint.

Gelonis solertia & fortitudine.

X. Fracta intercessio Tribunorum. Ortus Eupidis.

Romæ autem de creandis Coss. contentione orta Optimates inter & plebeios, tandem inter partes ita conuentum est, vt vnaquæque Consulem daret. Senatus Cæsonem Fabium II. qui Cassium tyrannidis reum peregerat, plebs Sp. Furium dedit. Cum autem vterque cum exercitu, alter contra Æquos, alter in Etruriam profecturus esset, Icilius Tribunus plebis conscribi militem non sinebat. Sed Appij consilio cæterorum Tribunorum intercessione introducta, Icilij vis omnis infracta est. Conscriptus est miles, Furius in Æquos profectus, victorum spolia militi donauit. At Fabius cum militi esset exosus, & is se Imperatoris mandatis exhiberet contumacem, in vrbem, cum desertorum castrorum ignominia redire coactus est, non mediocri cum periculo, dum in tenebris per hosticum, nullo ordine discesseret. Hoc ipso anno primo Olympiadis 75. natum esse poëtam Euripidem, autores sunt Laërtius & Suidas.

ANNVS MVNDI 3575.

IOACIMI Ducis & Pont. 8.

XERXIS 8. Imperij Persarum 59.

OLYM. LXXV. A. 2. V. C. 174.

ANTE CHRISTVM 478.

1. Res in Etruria gesta.

PRIVSQVAM Persarum Græcorumque res anni huius, quæ Athenis Prætore Xantippo contigerunt, attingamus, Romanam eiusdem anni historiam paucis expediamus. Cum Etrusci deserta nuper à Romano milite castra, propter odium Fabij, quasi victores populati essent, noui Coss. ad eum tumorem comprimendum, cum exercitu profecti sunt, sed minime sponte militante, propter dilatam adhuc agrorum diuisionem. Itaque veriti Coss. pugnæ copiam facere, suis vtique castris, in duobus tumulis se continuere, hoste quantumlibet ad pugnam extimulante: donec variis ab hoste insultante probris & contumelijs affecti, vno animo à Coss. pugnam postularunt, atque impetrarunt, iureiurando etiam addito, de non repetenda patria, nisi cum victoria. Ergo accerrimè vtrimque, si vnquam alias, pugnatum est; adeo vt alter Consulum C. Manlius in pugna ceciderit, alter immani vulnere sauciatus ita decubuerit, vt se magistratu abdicare coactus sit. Mortuus quoque est vnus legatorum Quintus Fabius, qui bis Consul fuerat, alijque multi Duces, Tribuni, Centuriones. Penes Romanos hoc ipso victoria stetit, quod Etrusci proxima nocte desertis castris abierint.

Et cruenta Romanorum victoria.

II. Persæ Græciq; pro Ionibus sollicitudo.

Classis Persica, post Salaminiæ pugnæ cladem Cumis in Hybernis fuit. Inde appetente vere in Samum traiecit, vt Ioniam, cuius dubia erat fides, in officio contineret. At Græci, quibus se Iones dedere cupiebant, metu Persarum vltra Delum progredi non audiebant. Interea Mardonius Athenienses, quorum totam regionem habebat in potestate, sibi conatur adiungere; cumque id omne consilium Lacedæmonij dissecissent, eisque cum auxilijs præsto esse, aut cum Pausania Rege adfore quamprimum, Mardonius è Thessalia citato cursu Athenas contendit, easque incendit, & si quid murorum, aut priuatarum ædium, aut sacratum ex priore clade supererat, eo omni disiecto atque obruto, subduxit exercitum, Thebasq; reuersus est, vbi proximam cladem ad Platæas Persæ didicerunt, quam tamen nemo Imperatori Mardonio referre audebat.

Athenienses ab vtrisq; sollicitantur.

III. Clades Persarum ad Platæas.

Conuenit enim Græcorum exercitus ad Platæas, conuenit & Persarum, numerosus vterque, & Asopo fluuio seiungebantur. Vtrumque exercitum haruspices prohibebant transgresso fluuio hostem inuadere, quod tamen Mardonius valde cupiebat, & plerique equites, non sine Græcorum damno, facitarunt. Cumque Græci castra mutarent, Persa fluuio transgresso, Lacedæmonios & Tegeates, qui vltimi abibant, assecutus, pugnam inchoauit, in eaque pugnacissime dimicatum est, Mardonio duce cum mille Persarum constantissimis ordines obeunte, & animante pugnantes, & multam cladem, quandiu superfuit, Lacedæmonis inferente. Vbi autem Mardonius, & agmen quod circa ipsum erat, occubuit. Persæ Lacedæmonijs cessere, & alij aliò diffugere. Quos assecuti Græci, præter paucos, qui cum Artabazo fuga euaserunt, omnes ferme deleuerunt, perpaucis Græcorum desideratis.

Mardonij cædes.

IV. Persarum clades ad Mycalē.

Necdum Persis malorum finis. Quæ enim die ad Platæas clade maxima sunt affecti, eadem ad Mycalem vehementer afflicti sunt. Cum enim vterque exercitus ad pugnam se compararet, hinc rumor sparsus est Mardonij copias in Bœotia fuisse deletas, inde Xerxem cum nouis copijs aduentare. Ita commissa est pugna, summa vtrinque virtute, pertinacique constantia; cessere tamen aliquando Persæ, & in munitiones suas se recepere; quibus à Græcis perruptis, hoste cæso, naues, ejecta in litus præda, incenderunt. Indeque

in Samum vela fecerunt, vbi de Ionibus in Græciam transferendis deliberatum est, ne grauibus suppliciis afficerentur à Persis. Tandem decretum est vt Samij, Chij, Lesbij, ac cæteri insulani, vna cum Ionibus, addit Æoles Diodorus, societatem cum Græcis inirent, & iureiurando firmarent, se mutuo, cum res ferret, armis protecturos Lacedæmonij Spartam rediere, Athenienses Seitum ad Hellespontum occuparunt. Perſæ perpauci fuga lapsi Sardeis peruenerunt; vbi Rex accepto vtriusque cladis ad Platæas & Mycalem nuncio, parte exercitus Sardibus, ad bellum continuandum relicto, trepidus Ecbatanam versus iter intendit. Itaque bellum Persicum cum per biennium durasset, quinque præliis ad Artemisium & Salaminam, Thermopylas & Platæas, deniq; ad Mycalem finitum est, vbi historiam suam finit Herodorus, inchoatq; Thucydides.

Ionum cum Græcis Europæis societas.

Xerxes adit Ecbatanam, & bellū Persicum finitur.

ANNVS MVNDI 3576.

IOACIMI Ducis & Pont. 9.

XERXIS 18. Imperij Persarum 60.

OLYMP. LXXV. AN. 3. VR.C. 275.

ANTE CHRISTVM 477.

I. Obitus Gelonis.

IN annum tertium Olympiadis 75. refert Diodorus Gelonis Syracusani Principis laudatissimi funus, post septimum regni annum, Hieroni fratri natu maximo regno relicto, quod is ad vndecim annos, & octo menses tenuit. Refert & Athenarum instaurationem, Themistoclis insigni prudentia, nequicquam repugnantibus Lacedæmoniis, inchoatam atque perfectam. Cum hi timerent ne Athenienses, per quotidiana incrementa, totam sibi Græciam subingatent, illiq; vicissim in patriæ instaurationem, maximeq; murorum incumberent, misere Lacedæmonij legatos, qui autores essent ne mœnia reficerent, imo quæ starent adhuc in Græcia demolirentur, ne si redirent Barbari, tutum receptui locum. vt nuper Thebas haberēt, Peloponnesum enim omnibus receptaculum, & perfugium satis tutum fore.

Athenarum instauratio.

II. Inductria Themistoclis pro reparandis mœnibus.

Athenienses autem de Themistoclis sententia, Lacedæmoniis quamprimum dimissis, suis eos renunciare iusserunt, se legatos ea de re Spartam missuros. Interea autor fuit Atheniensibus, vt se Spartam quamprimum mitterent, alios autem mittere cunctarentur, donec mœnia ad eam essent altitudinem erecta, vt inde hostem propulsare possent, omnibus omnino ciuibus in opus incumbentibus, etiam aliis ædificiis, si opus foret, ad materiam suppeditādam delectis. Interea se Lacedæmone, quæ è re forent curaturum. Quo cum venisset nō statim adiit magistratum, sed rem trahebat, suos collegas expectare se dicens, eosque propediem sperare venturos. Cum autem interea Athenis vrgeretur opus, eaque de re Lacedæmonij priuatim certiores fierent, suasit Themistocles, vt fractæ fidei viros Athenas mitterent, qui certa & explorata renunciarent. Quos cum illi misissent, Themistocles per nuncios suis clam significat, vt illos retineant, nec dimittant, antequam ipse cum reliquis sociis, qui iam venerant domum redissent, ne re comperta Lacedæmonij, se non amplius dimitterent. Tum vero Themistocles & socij magistratum adeunt, vrbem suam mœnibus cinctam fatentur, ita Reipub. suæ visum conuenire, nec in ea re cuiusquam vel egere consilio, vel Imperium expectare.

Romæ cum Senatus interreges comitiorum causa elegisset, maturius quippe magistratu abierat M. Fabius Consul ægritudine impeditus, eius frater Cæso Fabius, qui primas fortitudinis è superiore bello retulerat, nunc tertium factus est Consul, & cum eo T. Virginius, qui contra Veientes progressus est. Hi cum à principio mœnibus se continuissent, vbi Romanum militem, ad prædas nullo ordine effusum viderunt, egressi instructa manu eos inuadunt prædas eripiunt, cædunt, fuganteque. Et nisi T. Siccius legatus auxilio venisset, totus exercitus internecione deletus fuisset. Huius interuentu, reliquis data est copia colligendi se, & tumulum quendam occupandi, vbi & noctem à Veientibus obsessi transegerunt, breuiq; se cum armis dedituri erant, omni commeatu destituti, nisi collega Fabius superueniens rebus desperatis salutem attulisset. Cumque nihilominus Veientes excursionibus Romanum agrum infestum haberent. Visum est Senatui præsidium in eorum finibus excitare ad Cremeram fluuium, vnde & castro datum nomen, ad cuius propugnationem se gens Fabia cum suis clientibus & amicis obtulit, qui quadripartito diuisi, parte vna in præsidio relicta, cæteri excursionibus Veientes innumeris afficiebant malis.

III. Noui Coss. cōtra Veientes infeliciter pugnant.

Fabius auxilio est College. Fabiorum præsidiū ad Cremeram.

ANNVS MVNDI 3577.

IOACIMI Ducis & Pon. 10.

XERXIS 10. Imperij Persarum 61.

OLYMP. LXXV. AN. 4. VR.C. 276.

ANTE CHRISTVM 476.

I. Themistocles maris imperium Atheniēsibus parat.

THemistocles mœnibus Athenarum prudenter excitatis, maiora omnino destinans; cives suos ad maris Imperium sibi vendicandum excitauit. Eò seruiebat in primis Piræeus, portus Athenarum commodissimus atque amplissimus, qui tres portus natura munitos habebat, ad quadringentarum nauium classem continendam. Is ædificari cœptus fuerat, dum Themistocles Athenis annuum generet magistratum, idem vt perficeretur persuasit, excitatusque est murus duorum millium passuum longitudine, vt ait Strabo, latitudine autem, quantam duo currus sibi occurrentes postulant. Magnam quoque eius altitudinem destinarat, vt paucorum, eorumque infirmorum præsidio, hostium conatus facile eludi possent, dum cæteri pugnaciores naues conscenderunt; sed repugnantibus Lacedæmoniis, dimidio humilior factus est. Persuasit etiam populo, vt ad

Excitat Piræ eū.

præsentis classis numerum, viginti quotannis triremes adderent, & inquilinos & opifices ciuitate donarent, tum vt populosa fieret ciuitas, tum vt magnam artificiorum varietatem sibi comparaţent, quod vtrumq; ad maris Imperium stabiliendum vtile iudicabat.

II. Reliquiæ Persarũ è Græcia exterminantur.

Interea Lacedæmonij, qui terrestribus copiis erant instructissimi, Imperatore Pausania, Græcas vrbes barbaricis adhuc præsidiis occupatas, liberare statuunt; quibus adiuncti Athenienses, ducibus Cimone & Aristide, classem 80. nauiũ vniuersè conficiunt. Cyprum nauigant, ibique multas ciuitates, eiectis barbaris eximunt seruitute, inde in patriam hyematum redeũt, proximo vere in Hellespontum ac Byzantium profecturi. Hæc anno Iudæorum Sabbatico 142. gesta sunt.

III. Æmilius in Veientes & Etruscos.

Romæ L. Æmilius Consul contra Veientes & Etruscos cum exercitu profectus est, sociumq; habuit Cæsonem Fabium superioris anni Consulem, qui gentilibus suis, in Cremetensi castro commorantibus, auxilio esse cupiebat. Consul porro cum Veientes cladibus fractos, ad se de pace acturos, supplicum ritu venire coëgisset, & Romam ad eam à Senatu impetrandam, abire permisisset, Senatus legatis auditis, & Consulis literis acceptis, rogantis ac monentis, vt bellum Etruscum celeriter finirent, pacem quam petebant dari statuit, ijs conditionibus, quæ Consuli probarentur. Eas cum Æmilius ex æquitate magis, quam ex victoris populi vtilitate fecisset nec eas retulisset ad Senatum, id arrogantiæ tributum est: sed & imprudentiæ, quod ne obsides quidem, ad firmandam pactorum fidem, accepisset. Itaque cum re bene gesta triumphũ peteret, iussus est in Volscos traducere copias, & collegæ laboranti opem ferre. Eam repulsam ægrè ferens Æmilius, apud militem de Senatu questus est, quasi ægrè ferret bellis finem imponi, ne agri plebi promissi traderentur.

Non satis prudens, neque in Senatum modestus

ANNVS MVNDI 3578.

IOACIMI Ducis & Pont. 11.

XERXIS 11. Imperij Persarum 62.

OLYMP. LXXVI. AN. 1. VR. C. 177.

ANTE CHRISTVM 475.

OLympiade 76. vicit in stadio Scamander Mitylenæus, Phædone Athenis Principe: cum Græcorum classis, cum primum nauigandi tempus aduenit, Hellespontum versus duce Pausania cursum intendit, eoque cum Propontide superatis, Byzantium cepit, & barbaris partim cæsis, partim exturbatis, vrbi libertatem reddidit. Plutarchus, ait Cimonem, cum quatuor Athenienſium nauibus, tredecim hostiles cepisse, multosque magni nominis Persas ibi captos, Gongylo Eretrienſi in custodiam à Pausania traditos, quasi ad supplicium seruandos; re autem ipsa, vt Xerxi restituendos curaret. Occultis enim pactis amicitiam cum Rege contraxerat, & futurum erat vt filiam Regis vxorem acciperet, ad prodendam ipsi Græciam; quæ Thucydides fusius exequitur. Ea re cum Pausanias ritu Barbarico insolesceret, & se aditu difficilem præberet, Aristides contra benignè Græcos acciperet vniuersos, multi se Athenienſibus in clientelam dedere, idq; multum profuit destinato maris Imperio. Crebrescentibus autem de Pausania querelis, Spartam ab Ephoris reuocatus est; nec tamen de proditione, quasi re non satis explorata, damnatus est. Alius tamen eius loco missus, cui cum socij non parerent, tota belli Persici cura in Athenienses recidit.

I. Classis Græcorũ in Hellespontum.

In Cimone.

l. 1.

Pausaniæ infidelitas, & pacta cum Persa.

Romanis porro hic annus, qui Coss. habuit C. Horatium Pulvillum, & T. Menenium Lanatum, admodum luctuosus fuit, tota pene gente Fabia ab Etruscis cæsa. Cum enim Etruscorum vndecim populi bellum Fabiis obtulissent, nisi Crementense castrum diuerent, & præsidium Romanum inde excederet, illiq; rem per literas Romæ nunciassent, missi sunt ambo Coss. in bellum profecturi, Horatius in Volscos, Menenius in Etruscos profectus est; sed cum hic lentius agit, plebe militiam detrectante, Fabij in insidias per spem prædæ pertracti, missilibus obruti sunt. Quibus ita deletis, profecti Cremeram, reliquos ad suorum vindictam progressos internecione deleuerunt, & castrum propugnatoribus vacuum occuparunt. Quod autem vnicum è tota gente Fabium superstitem fuisse nõnulli crediderunt, à Dionysio refellitur, quod absurdum sit trecentorum & sex bellatorũ non plures fuisse aut filios aut fratres nondum ad bellum idoneos. Ea victoria elatus hostis, Menenium Consulem aggressus est, qui contra eos imprudenter infeliciterq; pugnauit, & præter fortissimos quosque viros, etiam castra amisit. cumq; Romam progrederetur hostis, ab altero Consule è Volscis regresso repressus est.

II. Gens Fabia ab Etruscis cæsa.

An ad vnum?

ANNVS MVNDI 3579.

IOACIMI Ducis & Pont. 12.

XERXIS 12. Imperij Persarum 63.

OLYMP. LXXVI. AN. 2. VR. C. 278.

ANTE CHRISTVM 474.

MAritimum Imperium Athenienſium hoc anno vehementer stabilitum est. Cum enim Lacedæmonij bellum contra Persarum reliquias reliquissent Athenienſibus, ipsique sibi delatum libenter accepissent, statuerunt à quibus vrbibus pecunias, & à quibus naues aduersus Barbaros præberi oporteret. Eaque de causa tum primum apud Athenienses constitutus est magistratus eorum, qui Græcorum quæstores dicti sunt, & tributum recipiebant, quod primum constitutum est, 460. talentorum: quæ si Attica fuerunt valent 483000. Francorum, sin autem Euboica 644000. illa enim valent 60. minis, hæc 80. & singula 17. ½. Eius pecuniæ ærarium fuit Delos, vna è Cycladibus oraculo Apollinis celebris, in cuius templo cõuentus fiebant. Itaque Athenienses ab hoc bello contra Xerxem, vsque ad initium belli Pelo-

I. Athenienses: maris Imperiũ stabiliunt sibi.

Tributũ vrbibus ad bellũ impositũ.

ponne-

ponnesiaci, quod spatium 50. annorum fuisse Thucidydes affirmat, ad magnam potentiam peruenire; accedente humanitate Cimonis, & iustitia Aristidis in rebus administrandis, quibus postea deficientibus, turbata sunt omnia.

II. Fames Romæ

Hoc anno Vrbis Cond. 278. Romæ commeatus inopia laboratum est, quod proxima hyeme incultus fuisset ager, propter occupatum ab hoste vicinum Ianiculum, & continentes excursiones, quæ externos quoque negotiatores ab importando commeatu prohibebant. Cumque plebs & Tribuni ea de causa insanirent, Coss. varios in diuersa loca frumentatum miserunt, & in vrbe omnes profiteri iusserunt quantum quisq; frumenti haberet, vt quod vsui familiæ superesset, in publicum honesto pretio venale proferretur. Itaque plebis audacia hoc modo repressa, adiecit animos ad bellum, ne si cunctaretur hostem è finibus eijcere, intra mœnia obsessi, partim fame, partim intestinis seditionibus interirent. Itaque Consul vterq; in Etruscos intempesta nocte mouet, & æquatis fere damnis vtrimq; pugnatur; Seruilius periclitatur, ei Virginius collega fert opem, vnde secuta clades Etruscorum & fuga: qua cognita qui Ianiculum occuparant, cum subsidia vltra desperarent, nocte Veios abierunt. Romani castris potiti, castellum, quod illi vice Cremeræ constituxerant, diruerunt; nec Coss. infuneſta victoria triumpharant. Menenius autem Agrippæ filius ex cõsul, ob rem superiore anno male gestam à Tribunis accusatus, mulctatusq;, mœrore decessit.

Seruilius periclitatur, cui Collega subuenit. Etrusci fusi fugatique.

Menenij obitus.

ANNVS MVNDI 3580.

IOACIMI Ducis & Pont. 13.

XERXIS 13. Imperij Persarum 64.

OLYMP. LXXVI. AN. 3. VR. C. 279.

ANT CHRISTVM 473.

I. Pausanias redit Byzantiũ inde pulsus migrat in Asiam.

NOn potuit diu Pausanias, excelso vir animo & ambitioso, otiosus domi priuatusq; quiescere, nec pati spem tantam, quæ nuper enascebatur, socordia euanescere; itaque Byzantium iterum, iniussu Lacedæmoniorum profectus, vrbem occupauit; vnde ab Atheniensibus, & Byzantiis, Cimone duce pulsus est, & Heracleam ad consulendum profectus oraculum, subobscurè didicit excidium sibi, vbi Spartam peruenisset, imminere. Ergo traiecit in Asiam, ibique cum Barbaris agitare consilia perrexit. Quæ cũ à Cimone & Aristide cognita fuissent, & literis Spartam delata, ab Ephoris domum reuocatus est. Sed non ante annum sequentem: Quo cum publico caduceatore reuersus, ab Ephoris in carcerem coniectus est, sed re mox cum magistratu pecunia verbisque transacta, purgatis vtrimq; suspicionibus, & data de more sponsione iuratoria sistendi se ad nutum magistratui, dimissus est.

II. Seruilius accusatur & absoluitur.

Seruilius autem exconsul in populo iudicium a Tribunis, ob rem male gestam vocatus est. Quæ actio Patriciis merito visa est grauissima, atque indignissima, vt qui se pro Repub. fortiter hostibus obijcerent, si spem aduersa fortuna fefellisset, ignauiæ ab iis accusarentur, qui nunquam in acie stetissent. At Seruilius fortiter causam suam egit: Egit & pro eo Collega Virginius, qui cum gratia plurimum valeret apud populum, obtinuit, vt frustra indignante tribuno, omnium calculis absolueretur. Paulo post Valerius Consul, in Etruriam expeditione suscepta, rem præclare gessit, in eaque expeditione Seruilij Consularis paulo ante iudicio populi totius absoluti, virtus in primis enituit.

Pax cum Veientibus.

Proximo anno A. Manlius Consul rursum in Veientes duxit exercitum, qui à sociis Etruscis & Sabinis deserti, à Romanis obsessi, fame vrgente ad Consulem venerunt, pacem cum supplicum insignibus postulantes, quam rogatu Consulis, non leui pecunia mulctati, à Senatu ad annos 40. obtinuerunt.

ANNVS MVNDI 3582.

IOACIMI Ducis & Pont. 15.

XERXIS 15. Imperij Persarum 66.

OLYMP. LXXVII. AN. 1. VR. C. 281.

ANTE CHRISTVM 471.

I. Pausaniæ cum Ilotis conspiratio.

CHares principatum gerebat Athenis, cum in Olympico stadio victor euasit Dates Argiuus, vt ait Dionysius, quem Diodorus Dãdem vocat; & Pausanias cum Ilotis contra Rẽpub. conspirauit. Audax enim ingenium atque turbulentum, cum foras erumpere non posset, domi tumultuari cœpit, & seruos, quorum tanta erat turba!, vt septeni cum singulis Spartanis ciuibus contra Persas militarint, ad libertatem vocare, eisque ciuitatem polliceri. Erupit eares multis magnisq; seruorum indiciis, nec tamen eis habita est fides: nec in Pausaniam adhuc animaduersum est, donec post annos aliquot deprehensum est illum ad Xerxem, & ad Artabazũ literas mittere, quarum tabellarios ab ipsis iubebat occidi, ne quid reuersi Spartæ vulgarent.

Vide Ann. an. Xerxis 3. n. 5 & 9

II. Romæ turbæ à Genutio tribuno plebis.

Romæ autem cessantibus externis bellis, domesticæ seditiones de agrorum diuisione Rempubl. perturbarunt. Genutio Tribuno plebis Consules perurgente, & Consulares viros in iudicium populi vocante. Sed cum Genutius pridie iudicij, in lecto suo inuentus esset mortuus, res sopita est. Donec Consules turbas improuide renouarunt. Cum enim Voleronẽ quendã, sine vlla illius culpa, è centurione gregarium militem facere vellent, eumq; recusantem virgis à lictore cædi iuberent; ille autem & valide vim vi repelleret, & Tribunorum opem imploraret, exorta est seditio, qua & Volero ereptus, & lictores abacti, & in ipsos Coss. impetus factus est, vt non sine periculo illi se è foro proripuerint. Indeque in Senatu, Consules inter & Tribunos, contentiose reliquo anno certatum est.

& à Volerone.

ANNVS MVNDI 3583.

IOACIMI Ducis & Pont. 16.

XERXIS 16. Imperij Persarum 67.

OLYMP. LXXVII. AN. 2. VR.C. 282.

ANTE CHRISTVM 470.

I. Iubilæus Mosaicus 12.

MIlleſimus agitur annus à morte magni Legislatoris & Prophetæ Moſis, idemq; Iubilæus Moſaicus ordine vigeſimus, ex quo Israëlitæ, duce Ioſue, tranſgreſſo ſicco veſtigio Iordane, in Chananitidem ſunt ingreſſi. Eodem ipſo anno natus eſt Thucydides: quippe qui quadragenarius fuerit initio belli Peloponneſiaci, vt eſt apud Gellium, hinc autem ad id bellum 40. anni numerantur. Eius eſt in hiſtoria peraccurata diligentia & fides, de quo plura in Annalibus leges.

l. 15. c. 23.

Supra Xerxis 7. n. 5. Themiſtocles Oſtraciſmo pellitur, & cur.

Hoc anno patria pulſum Oſtraciſmo Themiſtoclem, qui eſt à pugna Salaminia decimus, ſcriptum reliquit Diodorus, Cimone Miltiadis filio in eius locum ſubrogato. Eius expulſionis tres omnino cauſas reperio. Prima illi cum pleriſque illuſtribus viris communis fuit, excellens nimirum gloria, quæ rebus parta præclare geſtis, non exiguis opibus nitebatur; altera fuit eius in agendo ſeueritas; tertia ſuſpicio occulti cum Perſa fœderis & conſpirationis. Perſis enim occulte fauere, & tutum apud ipſos perfugium captare, ſuſpicio fuit. Pulſus autem patria profectus eſt Argos, & nihilominus reliquas Peloponneſi partes adibat, vt ait Thucydides, & apparet Spartam quoq; adiiſſe, & ibi egiſſe cum Pauſania, & ab eo ad ſua conſilia incitatum: irrito conatu, vt ait Plutarchus invita Themiſtoclis, eius tamen conſilia non euulgauit.

II. Prodigia & peſtis Romæ.

Romæ prodigia hoc anno viſa, contigit & peſtilentia, ob Vrbinam, vt creditum eſt, Veſtalem corruptam, & ſacra impurè tractantem; qua cum inceſti patratoribus ſolito ſupplicio punita, peſtilentia Romæ ſæuire deſijt. Quod ergo iudicium ab vltore Deo expectandum eſt ſacrarum rerum profanatoribus, qui talibus malis ac ſupplicijs paſſus eſt affici, qui res impias, quas ſacras putabant, impurè tractabant. Romæ quoque P. Volero, qui ſe nuper Conſulibus præbuerat contumacem, & ſpem faciebat plebi, ſe optimatibus animoſe reſtiturum, factus eſt tribunus plebis, legemque promulgauit, vt tribunorum comitia non centuriata eſſent, ſed tributa, quod in illis Patricij omnia poſſent, in his autem plebs in ſuas tribus ſegregata. Cui legi cum Coſſ. & Patricij diu reſtitiſſent, ſuperueniens peſtilentia, quæ totam quoque Italiam peruagata eſt, rem in ſequentem annum diſtulit, quo idem Volero ambijt & obtinuit Tribunatum.

Volero Tribunus eiuſque lex.

***

ANNVS MVNDI 3584.

IOACIMI Ducis & Pon. 17.

XERXIS 17. Imperij Persarum 68.

OLYMP. LXXVII. AN. 3. VR.C. 283.

ANTE CHRISTVM 460.

I. Ortus Democriti, & Archelai.

SAbbaticus 143. Iudæorum annus in hunc annum cadit, quo ſummum Athenis magiſtratum gerebat Demotio; quo ipſo Thraſylus, apud Laërtium in vita Democriti, natum ſcribit Democritum, anno ſcilicet tertio Olympiadis 77æ. atque ita anno vno maiorem natu Socrate fuiſſe, & æqualem Archelai Anaxagoræ diſcipuli.

II. Cimon Græcæ claſſis Imperator.

Exautorato porro, atque adeo patria pulſo Themiſtocle, belli dux contra Perſarum reliquias electus eſt Cimon, qui aſſumpta claſſe, Byzantium itinere directo Eionem vrbem, Perſarum adhuc iugo preſſam obſedit, atque expugnauit, & incolas vrbe direpta, in ſeruitutem abduxit. Addit in Cimone Plutarchus Barbaros primum prælio victos in vrbem fuiſſe cõpulſos, deinde Thraces, qui ſupra Strymonem habitabant, vnde Barbaris commeatus ſubuehebatur, regione eieciſſe, totamque cuſtodiendo, in eas anguſtias Medos Perſaſve coniecisse, vt Butes dux regius, quem Bogem vocat Herodotus, Pauſanias Boëm, rebus deſperatis vrbem incenderit, ſeque vna cum coniuge, liberis, cõcubinis, amiciſque perdiderit. Id facinus, quod inconſultè laudat Herodotus, in Annalibus examinatum reperies, atque damnatum. Huius vrbis muros aqua dilatos Pauſanias ſcriptum reliquit. Ea obſidio, quia ad vltimam rerum deſperationem tenuit, Cimonis in Scyrum inſulam expeditionem ad annum ſequentem differemus. Romam interim repetamus.

Eionem expugnat.

Butes, ſiue Boges.

l. 8. p. 242. Græc.

III. Romæ tumultus pro lege comitiorum.

Romæ enim optimates animaduerſis Voleronis tribuni plebis hominis factioſi, eiuſque ſociorum ſtudiis, eis oppoſuerunt virum auſterum, & plebi infeſtum Appium Claudium, eius filium, qui plebi reducendæ plurimum reſtiterat. Appium ergo, vt in Senatu ante decreuerant, ita in comitiis & repugnantem, & abſentem Conſulem elegerunt. Eius Collega fuit T. Quintius Capitolinus, vir mitis, & in plebem propenſior; vt vtilior eſſet Reipub. ex vtriuſque moribus temperata gubernatio. Cæterum Tribunus Volero cum collegis de lege, quam ſuperiore anno perferre non potuerant, iterum rogationem tulerunt; addideruntque vt iiſdem comitiis tributis etiam ædiles plebis crearentur, & quidquid per plebem agi decerniue deberet, tributis comitiis ageretur. Iderat funeſtam ſecurim, poteſtati optimatum injicere; itaque huic rogationi, ad ſeditionem vſque, Coſſ. cæterique Patricij reſtituerunt. Et Quintius quidem, vir moderatus & facundus, rogationem ita diſſuaſit, vt ſuaſores legis prorſus hærerent, reſque tranſacta erat, niſi Appius orationis acerbitate omnia perturbaſſet: adeo vt C. Lectorius Tribunus plebis non dubitaret, nomine Collegij iubere Appium Conſulem in

Appij ſeueritas odioſa plebi.

carcerem

carcerem duci. Inde rixa & aperta seditio, quæ Quintij moderatione sedata est: lex tamen ipsa demum perlata, & deinceps perpetuo obseruata est.

IV. Res à Cons. gestæ.

Consules vero sunt in bellum profecti, mox Quintius in Æquos, Appius in Volscos. Ille militibus vsus obsequentissimis, rem bene gessit, & cum gloria domum rediit. At Appius, qui in sibi infensos milites habebat imperium, proteruos ac fugaces expertus est; qui cum plagis & ignominia sua, ducis gloriam cuperent impedire, ideoque ordines desererent, signa abijcerét, in castra ignominiosè confugerent, vbi facile ab hoste confici potuissent, nisi ex re tam insueta Romanis, illi insidias suspicati fuissent. Verum vbi in agrum pacatum ventum est, Consul exprobrata ignauia, ordinum ductores, quorũ manipuli fugerant, & antesignani, qui signa amiserant, partim securi percussi sunt, partim occisi fustibus. E reliqua multitudine decimus quisq; neci datus est. Quam pœnam solennem fuisse, dicit Dionysius, Romanis qui ordines desererent, vel signa amitterent.

Appius in milites suos animaduertit.

ANNVS MVNDI 3585.

IOACIMI Ducis & Pont. 18.

XERXIS 18. Imperij Persarum 69.

OLYMP. LXXVII. A. 4. VR. C. 284.

ANTE CHRISTVM 468.

I. Ortus Socratis.

VLtimo anno Olympiadis huius natus est celebris ille Socrates, autore Laërtio, qui sententiam suam Apollodori in Chronicis, & Demetrij Phalerei autoritate confirmat. Addit etiam diem sextum mensis Thargelionis, id est sub finem mensis Aprilis. Quo die, inquit, lustrant Athenienses ciuitatem, Dianamque natam Delij tradunt. De Athenarum Prætore cõtentio est, Laërtio Aphepsionem, Diodoro Siculo Phædonem suggerente. Laërtium hæc ex instituto tractantem probabiliorem puto. Eo ne porro in potestatem Atheniensium Cimonis auspiciis redacta, itum est in Scyrum insulã, in Ægæo sitam, quam Dolopes incolebant, eãque incolis in seruitutem abstractis diripuerũt, & colonia eò missa ipsi incoluerunt. Ita l. 1. Thucydides. Addit in Cimone Plutarchus Dolopes istos mare infestum habuisse rapinis, & ne ab hospitibus quidem, & negotiatoribus suis abstinuisse. Iis ergo perdomitis, Cimon Ægeum mare pacauit, ex eaque insula Thesei Lipsana, post 715. annos, Athenas retulit, de quibus ne pigeat Annales consulere.

Res in Syro à Cimone gestæ. Dolopes.

II. Sophocles claresc. & vincit Æschylum.

Athenienses eam Cimonis gratiam munerati sunt, eo iudice constituto in tragœdorum certamine, in quo vicisse Sophoclem tradunt, Æschilumq; ægerrime id ferentem in Siciliam concessisse, ibique mortuum. Apparet pudori fuisse, quod ætate prouectus, sæpiusque iam victor, ab adolescente in prima eius fabula, à viris grauissimis victus iudicatus esset. Scribit enim Suidas, eum in pugna Marathonia cum fratribus contra Persas pugnasse, & poetico certamine vicies & octies, vel, vt alij tradunt, decies & ter victorem extitisse. Subdit autem de morte ipsius. Cum autem collapsis tabulatis eo tragœdiam agente, in Siciliam fugisset, testudine ab aquila in caput eius deiecta, periit, anno ætatis 58.

Æschyli mors.

III. Proagrorum diuisione cõtentio.

Hoc anno Romæ quæstio de agrorum diuisione renouatur à Tribunis, quod vtrumque Consulem haberent fauentem. Venerunt ergo in Senatum & moderata oratione antiquũ S.C. de agrorum diuisione ratum haberi, & decemuiros in eam rem creari postularunt. Primus sententiam rogatus L. Æmilius pater alterius Consulum, sibi è Repub. videri dixit, vt bona publica ab omnibus potius, quam à paucis possiderentur. Eam sententiam Appius Claudius superioris anni Consul, non solum accurate, sed etiam aspere atque acerbe; suo more refutauit, & in plebem instituto patrio fusius inuectus est, iis in sua accusatione positis, quæ superiore anno à suo exercitu passus fuerat, vt non præmio nunc, sed pœna, tanquam de Repub. male meriti, dignissimi iudicandi sint. In quam sententiam cum cæteri ferme omnes discessissent, Tribuni repulsam passi, in Appium ita fremere, & vltionem meditari.

Appius ei acriter resistit.

IV. Vocatur in iudicium. Eius cõstantia, & cædes voluntaria.

Placuit ei diem dicere apud populum, & hominem capitis accersere. Cumque ei pro concione multa crimina obiecta essent, ille antequam iudicij aduenisset dies, neque rei habitũ sumere, neque populo supplicare per se aliumue voluit, sed quasi populo insultans, sibi ipsi miser violentas intulit manus. Causam suam semel dixisse ait Liuius, sed accusatorio spiritu, quo semper agebat omnia; adeoque constantia sua & tribunos obstupefecit, & plebem, vt diem ipsi sua voluntate producerent. Perlato deinde in forum corpore, cum Tribuni non sinerent eum more maiorum à filio laudari, sed iuberent cadauer è foro tolli, restitit eis populus, funebremque orationem adolescenti permisit, imo æquis auribus audiuit, & exequias frequens celebrauit. Nimirum insitum est hominibus non certare cum mortuis, & quantasuis inimicitias, eodem quo mortuos tumulo sepelire; qui secus faciunt humanitatem penitus exuerunt.

Funus laudatur à filio.

V. Res gestæ contra Volscos.

Sequenti anno quo Olympias 78. inchoata est, nihil admodum memoria dignum reperio. Romæ tamen pro re agraria excitabatur seditio, & vltima vis parabatur, vt ait Liuius, cum Volscos adesse, fumo ex villarum incendiis, & agrestium fuga cognitum est; cum Numicius Consul, oppidulum quoddã maritimum eorũ occupauit, quod Antiatibus erat nauale simul & forum, quod totum permissu consulis militi cessit in prædam, mancipia, pecuniæ, pecora, merces. Captæ sunt etiam naues longæ 22. & alia nauium armamenta. Incensæ ædes, diruta nauium receptacula, æquata solo mœnia. Posthæc coniunctis duobus exercitibus fines Sabinorum ingressi, agrosque depopulati sunt, & sub anni finem domum copias reduxerũt. Quæ populationes & prædæ cum pene quotidianæ essent, & iis omnium circunquaque populorum opes Romam transferrentur: mirum plane fuit diuinum iudicium, quo fiebat vt perpetuisti populorum prædones, penuria atque

Prædaq; multiplex.

egestate ita permerentur, vt quotannis ab ipsis Romæ seditio timeretur.

ANNVS MVNDI 3587.

IOACIMI Ducis & Pont. 20.

XERXIS 20. Imperij Persarum 71.

OLYMP. LXXVIII. AN. 2. VR. C. 186.

ANTE CHRISTVM 466.

I. Ratio tẽporis mortis Pausaniæ ducis Lacedæm.

HOc, vt arbitror, anno Pausanias manifestæ proditionis conuictus, morti coactus est. Eius mortem ad extrema Xerxis tempora alij quoque retulerunt. Nam Thucydides & Diodorus in eius morte referenda rationem temporis non habuerunt. Cum ergo Pausanias in instituto perseueraret, nec eum Ephori; quamuis seruorum iudicijs delatum, supplicio afficere vellent, donec ex ipsius ore crimen tenerent: contigit Argilium quendam literas eius ad Regem scriptas, ad Artabazum deferendas accipere; qui cum cogitaret plerosque ante se nuncios à Pausania missos in Asiam, neque eorum quenquam adhuc inde reuersum, suspicatus est, quod res erat, ipsos Bellerophontæas ad Persam literas detulisse; timensque ne idem sibi quoque contingeret, literas aperuit, & in ei quod timebat inuenit, seipsum quoque morti addictum esse.

II. Eiusque modus.

Eas literas cum ipse Ephoris ostendisset, ex composito ad Neptuni templum, tanquam ad tutissimum Asylum confugit, ibique tugurium constructum, in quo aliquos de Ephoris conclusit vt eius cum Pausania sermocinationem audirent. Cum ergo Pausanias ad eum venisset, quęsisset que cur eò confugisset, ille conquestus est, se ab ipso morti addictum, qui fideliter hactenus ipsi; negotijs cum Rege tractandis, insecutisset. Quæ cum exprobrãs ille commemoraret accuratius, nec ille diffiteretur, fidemque nihilominus daret, nihil ipsum mali passurum, sed acceleraret iter ad Regem, neque sua negotia perturbaret. Quæ cum Ephori audissent, vnus eorum ei nutu fugam ad asylum suasit. Fugit ergo Pausanias ad templum Palladis, vbi eũ foribus muro obstructis, Ephori fame necauerunt; qui mox tanquam piaculares homines, & Asyli violatores, ab oraculo Delphico rei facti, ab Athenienſibus ad supplicium postulati sunt.

In Asylo fame necatur.

Themistocles ad supplicium quęritur, & fugit.

III. Athenienses à sociis desciscuntur.

At Lacedæmonij vicissim Themistoclem eiusdem proditionis reum, ad cædem postularunt; quod cum Themistocles, qui propter ostracismum Argis habitabat, præsensisset, Corcyram ex Peloponneso profugit.

Athenienses autem, qui Persarum reliquias iam dudum in Græcia persequebantur, cum pecunias à sociis seuerius exigerent, eosque pro sociis seruos efficerent, ab ipsis deficere coëgerunt. Primi ergo Naxij, Ægæi maris incolæ, acerbius ab Athenienſibus tractati, militiæ societatem repudiarunt, & pecunias pendere detrectarunt; sicque Athenienſium aduersarij facti, non ita multo post eorum arma senserunt: bello tum primum ab hoste, in socias ciuitates, populosque conuerso.

IV. Bellum ab Æquos & Volscos.

Romani autem duce Consule Seruilio, bellum in Sabinos nihil repugnantes, sed intra muros se continentes, & agrotum suorum deuastationem sufferentes, facilè confecerent. At Æqui & Volsci operosius à Quintio, cui sorte obuenerant, debellati sunt. Dubio enim Martę diu certatum est; donec Imperator victoriam stratagemate quęsiuit. Dextro enim cornu maxime laboranti cum fortissimis equitum succurrit, fingens suos in altero cornu esse victores. Quod cum creditum esset, & suis audaciam, & hosti pauorem iniecit, & auertit in fugam; moxque ad alterum celeriter aduolans fugatã hostium partem ostendens, eos qui adhuc stabant cedere compulit, & effusa fuga castra repetere. Sed mox redintegrata pugna, atque victoria Antium deditionem fecit, Romanumq; præsidium in vrbem recepit. Quo facto militem Romam reduxit, obuiam procedente Senatu: & triumpho illum honorante.

Antij deditio.

ANNVS MVNDI 3588.

IOACIMI Ducis & Pont. 21.

XERXIS 21. Imperij Persarum 72.

OLYMP. LXXVIII. AN. 3. V. C. 287.

ANTE CHRISTVM 465.

THemistocles sextum iam annum patria pulsos ostracismo, & insuper proditionis nunc insimulatus, nullũ tota Græcia receptui locum inueniens, quod duæ primariæ ciuitates, quorum alterutrani vniuersa pene Græcia sequebatur, in ipsum coniurasse viderentur, quamuis Asiam cogitans, Corcyram interim profectus est, quod de ipsa in Græcorum concilio bene meritus esset. Verum Corcyræi sibi timentes ab Athenienſibus & Spartanis, in oppositam continentem eum deduxerunt. Cum ergo in Epirum traiecisset, ad Regem Molossorum Admetum, quamuis non amicum, diuertere coactus est, sicut & aliquanto post, ad Artaxerxem Persarum Regem; suorum recentem inuidiam magis metuens, quam antiquam iram Admeti, qui vxoris suæ ope placatus, nec Themistoclem Græcis tradidit, nec ad Persam adire prohibuit, sed omnibus necessarijs ad eam fugam instruxit, cum iam ibidem vxorem & liberos Athenis, opera Epicratis Acharnensis accepisset. Proximè autem Pydnam Macedoniæ vrbem diuertit, vbi apud Alexandrum Amyntæ filium reliquum traduxit annum.

I. Themistocles in Corcyrã

Epirum & Pydnã fugit.

Hoc anno Athenienses Naxum oppugnare cœperunt: eaq; obsidio ad annum sequentem propagata est. Erãt enim potentes, & se ad vim Athenienſium propulsandam comparauerant. Ex Thucydide certe constat nondum eam fuisse expugnatam, cum Artaxerxes iam Xerxe mortuo successisset.

II. Athenienſ. Naxum oppugnant.

Interea Romæ controuersia de re agraria, sub nouis de more consulibus, renouata est, cũ Q. Fabius, consilio neutri parti acerbo, tem ex-

Controuersia de re agraria compouitur.

pediuit

pediuit. Cum enim proximo anno Quintij auspicijs aliquantum agri captum esset à Volscis, Patribus autor fuit vt Antium, propinquam & opportunam vrbem, colonia deduceretur. Ea sententia cum probata esset, & Triumuiri agro diuidendo creati essent, refrixit multorum studium, quod mallent Romæ, quam alibi agrũ accipere. Eo nihilominus colonia deducta est. Porro Fabius cum copias aduersus Æquos duxisset, pacem illi & amicitiam maluerunt quam bellum; & pro ea obtinenda legationem non irritam inierunt, ea lege, vt Romanorum subditi essent. Nihil tamen præter auxilia, quoties accita essent, propitijs sumptibus præbere cogerentur.

Pax inita cũ Æquis

ANNVS MVNDI 3589.

IOACIMI Ducis & Pont. vlt.

XERXIS 22. & vlt. Imp. Persar. 73.

OLYMP. LXXVIII. AN. 4. V. C. 288.

ANTE CHRISTVM 464.

I. Pax cum Æquis corrupta.

ROmana huius anni res paucis expediri potest. Erat enim domi ab agrarijs contentionibus quies, & eam vel ipsi morbi, quibus hic annus Romæ obnoxius fuit, imperabant. Ab Æquis tamen fœdus propere violatum est, prædonibus eorum, agrum Latinum incursantibus. Ad eos missus Q. Fabius, qui fœdus cum gente pepigerat, quæsiuit num publico consilio prædones excurrissent. Quod cum illi negarent, nec tamen res ablatas reperenti, & sontes ad supplicium deposcenti acquiescerent, furtim potius arma pararent, bellum eis per feciales denunciatum est, quod propter vrbis valetudinem, non nisi sequenti anno gestum est.

II. Mors Xerxis.

Mortuus autem est hoc anno Xerxes. Cum enim primus Artaxerxis cadat in annum primum Olympiadis 79. vt dicetur, oportet totam 78. partim Xerxi, partim interfectori eius Artabano tribui. Cumque hic dicatur ab Eusebio in Chron. septem regnasse mensibus, oportebit Xerxem priores quinque menses vltra viginti & vnum annum regnasse. Sed id mox viderimus. Diodorus ergo anno quarto Olympiadis 78. scribit Artabanum natione Hyrcanum, principem satellitum regiorum, Xerxis necandi, regnique ad se transferendi consilia iniuisse; partim ignaui regis contemptu, partim septem robustissimorum filiorum fiducia, cum quibus vesperi regiam ingressus est, introducente Mithridate regio cubiculario; statimque Artabanus regem obtruncat; eodemque ardore ad filios eius properat. Hi tres erant, Darius natu maximus, Artaxerxes, & Hystaspes, qui tum aberat in Bactrianorum præfectura.

Artabani scelere.

III. Et mors Darij primi dẽ fraude

Tum Artabanus profunda adhuc nocte ad Artaxerxem properat, nunciatque patrem à Dario fratre, regni occupandi gratia interfectum, eãdem sibi, nisi maturè prouideat, imminere pestem; itaque vltione de parricida sumpta regnum sibi occuperet; ad id facturus omnia se stipatores regios auxilio præbiturum. Persuasus nimium facile Artaxerxes, eiusdem opera dormientem Darium, quasi somnum fingeret, interfecit. Periculũ Artaxer. Hic Artabanus ex improuiso Artaxerxem stricto ferro inuadit, & diuina opitulante prouidentia, leuiter ferit. At is strenue in percussorem insurgit, & lethali vulnere inflicto prosternit; moxque filios eius sceleris tanti conscios, & adiutores, corripi iubet, atq; mactari. Ex qua narratione à Diodoro & Iustino mutuata, intelligitur nullum tempus Artabani tyrannidi esse tribuendum, sed Xerxem, eiusque primogenitum Darium sub anni finem interfectos, & vtrique Artaxerxem successisse. Is μακρόχειρ, siue Longimanus dictus est, quod manum siue brachium dextrum altero longius haberet, vt ait Plutarchus in eius vita; vbi etiam ait eum magnitudine animi, & lenitate præstitisse.

Artabanus non regnauit.

Interea Themistocles cum Pydnæ aliquandiu substitisset, nauem nactus onerariam, quæ in Ioniam proficiscebatur, eam conscendit, sed tempestate delatus est in castra Atheniensium, qui Naxios obsidebant. Eo casu territus, nauclero tam minis quam promissis persuadet, ne quemquam naui exire patiatur, sed eam retineat in anchoris, dum sedata tempestate vela facere liceat, quod ille consilium secutus, Ephesum peruenit, vbi Themistocles nauclerum suum copiose remuneratus est; plurimas enim pecunias tum Athenis ab amicis missas accepit, tum Argis, quas ibi habebat depositas. Ita Thucydides & Plutarchus. At Theopompus deprehensam & publicatã summam centum talentorum, Theophrastus 80. fuisse aiunt, cum ne tribus quidem talentis eius bona æstimari potuissent, priusquam Reipubl. gubernationem attingeret. Naxus porro paulo post in Atheniensium potestatem deditione redacta est.

IV. Themist. migrat in Asiam.

Eius opes.

Naxi deditio.

ANNVS MVNDI 3590.

ELIASIB Ducis & Pontificis 1.

ARTAXERXIS Long. 1. Imp. Pers. 74.

OLYMP. LXXIX. AN. 1. V. C. 289.

ANTE CHRISTVM 463.

I. Ratio cẽputis.

TEstes habemus huius nostræ Chronologiæ Eusebium in Chronicis, & Catalogum Olympionicarum, & inprimis Dionysium Halicarn. libro nono, & Diodorum libro vndecimo, qui addunt Xenophontem Corinthium in stadio vicisse, Archemidem autem Athenis fuisse Prætorem. Nouum quoque cum Rege nouo Pontificem de more ponimus; quia etsi ex Nehemia constat Eliasib fuisse Hierosolymis Sacerdotem magnum regnãte Artaxerxe, quotoramen anno Pontificatum inierit, aut terminarit non constat. Sed de rege ipso maior est controuersia, quod pertinet ad sacram Historiam cum profana copulandam, fuerit ne is maritus Estheris necne. Nam vix vllus Persa-

Nouus Pontifex. 2. Esd. 3. 1.

est, donec pene omnes tam in acie quam in propugnatione castrorum cõfecti vulneribus, in quibus & Attius Tullus, non inulti ceciderunt. His Romæ cognitis ingens gaudium fuit, & Aquilio ouatio, Siccio triumphus decretus, magnoque apparatu celebratus est. Quod maiore vrbe terrore liberasset, insolente Volscorum exercitu, cum eorum duce deleto.

Mors Attii Tulli.

Epicharmus.

In hunc annum refert Suidas Epicharmum poëtam, quem ait docuisse Athenis sex annis ante bellum Persicum, eundemque vnà cum Phormo, comœdiæ inuentorem extitisse.

ANNVS MVNDI 3569.

IOACIMI Ducis & Pont. 1.

XERXIS 2. Imperij Persarum 53.

OLYMP. LXXIII. AN. 4. V. C. 168.

ANTE CHRISTVM 484.

I. Ægyptus iterum à Persis edomita.

ANnus hic Persis lætus, Romanis turbulentus, Ægyptijs funestus fuit. Nam Xerxes autore Herodoto, altero à morte Darij anno, primam expeditionem fecit aduersus Ægyptios, qui rebellauerant, quos subactos, & in actionem, quam sub Dario fuerant, seruitutem redactos, Achæmeni fratri suo tradidit gubernandos. Tenuit hoc bellum annum vnum. Siquidem à debellata Ægypto, per totum quadriennium Xerxes comparauit exercitum, vt idem ait, atque eius apparatum quinto anno incautè mouit, id est primo anno Olympiadis septuagesimæ quintæ, vt omnes fatentur.

II. Romana res.

Res autem Romana ab anni initio satis bene habuit. Coss. in bellum profecti Virginius Æquos, nusquam prodire ausos, deuastauit: Cassius autem Volscos & Hernicos; qui mox rebus suis diffisi, pacem à Consule certis conditionibus impetrarunt, quam etiam Senatus probauit; non probauit autem, quod eas conditiones cum patribus non communicasset; ideoque reuersus in Vrbem triumphum petijt, & ægrè obtinuit. Mox autem trium Consulatuum, & duorum triumphorum honore prę ciuibus suis fulgens, maiora cogitans, plebem sibi demerendam, agri frumentiq; largitione putauit. Tum primum, inquit Liuius, lex agraria promulgata est, nunquam deinde vsque ad hanc memoriam, siue maximis rerum motibus agitata.

Cassius Tyrannidẽ parat.

III. Ortus Sophoclis.

Refert in hunc annum Suidas Sophoclis poëtæ ortum, quippe quem annis 17. ait fuisse Socrate natu grandiorem, quem Laërtius ex Apollodoro tradit natum anno quarto Olympiadis 77. Fuit hic patria Athenienſis, & tragœdiam maxime celebrauit. Vide Suidam, & Annales.

* * *

ANNVS MVNDI 3570.

IOACIMI Ducis & Pont. 3.

XERXIS 3. Imperij Persarum 54.

OLYM. LXXIV. A. 1. V. C. 169.

ANTE CHRISTVM 483.

I. An. Sabb. 141.

INitio Olympiad. 74. in quod cadit annus Sabbaticus 141. vicit in stadio Astyllus Syracusanus: quando Xerxes redacta in potestatem Ægypto, suorum monitis incitatus, bellum olim in Athenienses destinatum, vniuersæ Græciæ, atque adeo Europæ statuit inferre: incitante Mardonio regis affine. Reges quoque Thessaliæ, & Pisistratidæ idem suadebant. E contrario Artabanus Darij frater Xerxisque patruus rem vehementer dissuadebat, ex præteritis futura coniectans, clade scilicet Marathonia, nouam à Græcis imminentem. Itaque Mardonium, qui Græcorum vires inepte depressérat, mendacij & vanitatis arguit, & sponsione prouocat. Cuius cum orationem Rex ipse respuisset, postmodum inconstanter Xerxis, & concilij totius voluntati subscripsit, mandauitque omnibus Persarum Satrapis, vt certo tempore, cum maximis florentissimisque copijs adessent. Apparet datum triennium huic apparatui super annum præsentem: nam initio sequentis Olympiadis omnes copiæ fere viam dedere.

Xerxis de expeditione in Græciam deliberatio.

II. Armorũ socia Carthaginẽ.

Addit Diodorus Siculus Xerxem legatos Carthaginem de re communiter gerenda misisse, atque ita cum illis conuenisse, vt Græciæ incolas inuaderet; ipsi autem eodem tempore Græcos, qui Siciliam & Italiam tenebant, bello opprimerent. Ergo Carthaginenses, vti conuenerat, stipendiarios, non ex Africa solum & Libya, sed ex Italia & Liguria, Gallia & Iberia conduxerunt, ad trecenta hominum millia, nauesque ducentas, etsi Herodotus horum subsidiorum non meminit.

III. Cassii accusatio.

His Consulibus Sp. Cassius superioris anni Consul, agrariæ legis autor, ad populum ambitæ tyrannidis delatus est, ostensumque à Quæstoribus, qui eum accusabant, omnia eius facta, dicta, consilia eò relata fuisse: arma quoque, vires, pecunias, ipsi ab alienigenis in promptu esse ad id facinus perpetrandum: quæ cum idoneis testibus confirmarentur, populus hominem capite damnauit, veritus ne si in exilium mitteretur, vir imperatorijs artibus clarus, idem faceret quod nuper Marcius Coriolanus. Ergo virum genere nobilem ac Patricium, tertium exconsulem & triumphalem, liberis, cognatis, amicisq; sordidatis, quæstores in forum adducunt, & ex imminente rupe, toto spectante populo, præcipitem dederunt, eiusque bona publicarunt. Cum autem extincto Cassio nulla vltra diuisionis agrorum mentio fieret, plebem sui iudicij pœnitere cœpit. Quin & militiam detrectabat, sed vetita, ne Appius Claudi' Dictator fieret, militiæ nomina dedit, Cornelius Veiẽtes inuasit, Volscos Fabius: sed tota præda, spolia, &

Et damnatio.

pecu-

pecunia ex captiuis venditis, in ærarium relata est: quod iram plebis in patricios accendit.

ANNVS MVNDI 3571.

IOACIMI Ducis & Pontificis 4.

XERXIS 4. Imperij Persarum 55.

OLYMP. LXXIV. An. 2. V.C. 270.

ANTE CHRISTVM 482.

I. Persicæ expeditionis apparatus.

XErxis annus quartus, imo quintus quoque ac sextus omnes eius subditos in apparanda expeditione tenuit, Carthaginensesquoque, vt ex Diodoro diximus. Romæ autem Patres qui plebem videbant dolere de damnatione Cassij, prouiderunt ne crearentur Coss. populares, qui turbas in Republ. concitarent. Itaque L. Æmilium & Cæsonem Fabium, vtrumque plebis minime studiosum, Consulatum ambire iusserunt; quem etiam inuita plebe, & è campo Marcio abeunte obtinuere: vnde Liuio teste nonnulla est orta seditio, ad quam comprimendã commode contigit iterata Volscorum defectio, qui rursum victi, priorem ignominiam posteriore cumularunt, si Liuio credimus. Nam Dionys. ait Æmilium contra Volscos infeliciter pugnasse, remque ad Triarios fuisse redactam: adeo vt Consulem in potestatem redacturi essent, nisi collega subsidio venisset.

Consul cõtra Volscos male pugnat.

II. Aristides ostracismo exulat.

Huius Olympiadis anno secundo Aristides ostracismo ab Athenienſibus in exilium pulsus est. Erat autem Ostracismus, vt Plutarchus ait, non improbitatis pœna, sed nimiæ potentiæ imminutio, atque inuidiæ lenimentum, quæ odium suum decennali absentia exaturaret. Aristidi autem exilij causa fuit inuidia mixta metu. Cognomen Iusti, vt idem ait, primum Aristidi amorem, postea inuidiam excitauit; Themistocle præsertim in vulgus spargente, Aristidem, dum omnia ipse iudicat, (plurimi enim controuersias suas eius arbitrio permittebant, eique propter vitę integritatem iniurato fidem habebant) sublatis tribunalibus, regnum sibi, multo stipatum satellitio, parauisse. Itaque exilio multata est virtus eius: quæ in eo quoque egregie eluxit, quod vrbe discedens precatus est, ne Athenienſibus ea vnquam tempora contingerẽt, quibus populus Aristidis meminisse cogeretur. Ergo quasi ex euangelica lege bene precatur inimicis, & voluntariæ paupertatis amator, Xerxis Daricos, & Calliæ diuitias contemnit, atq; repudiat, vt in Annalibus ex Plutarcho leges.

Laus eius

l.3.c.23. Natalis Herodoti.

Est hic ipse annus Herodoto natalis, si Pamphilæ apud Gellium credimus. Cum enim initio belli Peloponnesiaci fuerint annos natus 53. id autem bellum inciderit in annum 2. Olympiadis 87. necesse est hoc anno natum est Herodotum.

***

ANNVS MVNDI 3572.

IOACIMI Ducis & Pont. 5.

XERXIS 5. Imp. Persarum 56.

OLYMP. LXXIV. An. 3. V. C. 271.

ANTE CHRISTVM 481.

I. Græci bellũ parans

CVm Asia tota bellico iamdudum apparatu Xerxe imperante ferueret, Athenienses in quorũ maximè pernicié à principio hæc omnia parabãtur, omni vicissim studio publice ac priuatim se ad resistendum comparabant: qui sciebant ingẽtem vindictæ appetitum in corde Persarum viuere, non solum à tempore pugnæ Marathoniæ, sed à Sardium etiam expugnatione; eundemq; tam à Mardonio, cæterisque Persis, quam à Græcorum exulibus Demarato Lacædæmonio, & Hippia Athenienſi perpetuo ſuscitari, si tamen Hippias viuebat adhuc. Demaratus autem in Xerxem excitabat, vt Græcis eius consilia artificiose proderet: Vnde rebus inter Græcos communicatis, totius Græciæ comitia Corinthi in proximum annum indicta sunt, vt ex Diodoro Siculo perspicue colligitur.

II. Plebs militiam detrectat

Consules inito magistratu postularunt vt cẽturiæ, quæ bello contra Volscos non parum fuctant imminutæ, supplerentur. Imperatorq; Senatus-cons. diem præscripserunt, qua militaris ætatis homines præsto essent ad danda nomina, plebe imperia cum vociferatione detrectante, quod promissa de diuidendis agris fallerentur. Itaq; in Consulum & Tribunorum altercatione, cum Tribuni suam potestatem vrbe ipsa definitam haberent, Coss. vrbe egressi in adiacenti campo, sellis imperatorijs positis, delectum habebant; & qui citati non parebant, grauiter mulctabantur; itaq; sub suis quiq; signis, plebei à Tribunis suis destituti, nomina professi sunt.

Tribunorum potestas.

Pompilia Vestalis viua defoditur.

Ergo Valerius in Volscos profectus est, sed cum miles pugnaret inuitus, & Imperatorem imperitiæ calumniaretur, nihil recte agi potuit. In ipsa autem vrbe Pompilia virgo Vestalis, polluta libidine, per forum traducta, in specu subterraneo viua defossa est. Qui autem eam polluerant, publice verberati, necatique sunt.

ANNVS MVNDI 3573.

IOACIMI Ducis & Pont. 6.

XERXIS 6. Imper. Persarum 57.

OLYM. LXXIV. An. 4. V. C. 272.

ANTE CHRISTVM 480.

I. Coss. per interregẽ creati.

ROmæ cum tempus comitiorum adesset, magna de creandis Consulibus, Patritios inter ac plebeios, contentione certatum est. Donec creati sunt interreges, qui cum bona vtriusque partis gratia Coss. elegerunt vnum è plebis fautoribus C. Iulium, al-

terum Q. Fabium ex factione optimatium in cuius secundum Consulatum plebs consensit, odio Appij, cuius filius Consulatum ambiebat, eiusque repulsa plebs maxime lætabatur. Interea Æqui & Veientes Romanos Latinosq; agros incursabant, contra quos profecti consules nihil memorabile gesserunt.

II. Comitia Græciæ Corinthi tollūt priuatas inimicitias.

Habita sunt hoc anno Corinthi totius Græciæ comitia, de publica Græcorum salute, & clade quæ à Persis imminebat, auertenda. Ei rei duo maxime profutura erant, mutua Græcorum inter se concordia, & belli cum alijs populis societas. Ergo à priuatis odijs discessere tantisper, inprimisque Athenienses cum Æginetis, & cum Aristide Themistocles inimicitias communi saluti Græciæ condonarunt. Quin & Athenienses, abrogata lege Ostracismi, omnibus exulibus reditum decreuerunt, maximeque Aristidi, ne is se cum hoste coniungeret, multisque ciuium ad Barbarum deficiendi autor existeret. Quod ad alterum caput, missi sunt nuncij ad contrahendam aduersus Persas belli societatem, Argos, Siciliam, Corcyram, Cretam, vt communi omnes studio, communi periculo consulerent. Numerum copiarum refert Diodorus, cum ait deuictum Barbarum trecentas agentem myriades, id est, tricies centena millia, vel tres milliones, vt vulgò loquimur. Græcorum autem & sociorum copias non superasse centum & decem millia. At Herodotus vt exacte docemus in Annalibus, ait copias Persicas tam classiarias quam terrestres, tam Asiaticas quam Europæas, adiectis eorundem seruitijs ad quingentas & viginti tres myriades, & insuper quinque millia ducentos & viginti ascendisse, Eunuchis ac mulieribus prætermissis.

Colligūt belli socios. *l. 11.*

n. 7. & seq. Persicæ copiæ.

3235120.

III. Xerxes Sardibus hyemat.

Eas copias Xerxes cum lætitia gemituque conspexit, quod se Dominum tantarum copiarum videret, quodque sciret intra centesimum annum neminem fore superstitem. Sed hæc paulò post contigerunt. Nunc Xerxem accingentem se itineri, & iter Sardeis vsque facientem affectemur vbi transacta hyeme, cum vere novo in Europam transibit. In itinere autem cum Celænas transiret, ibi Pythium Atys filium inuenit, qui omnem regis exercitum, qui scilicet terra iter habebat, atque ipsum Xerxem magnificentissimo accepit hospitio, spopondit que se pecuniam ei in bellum suppeditaturum, quam tamen rex non accepit, sed auctam de suo, hospiti suo remisit. Sed eam gratiam hospitis sui Xerxes barbarum in morem remuneratus est, vt dicemus.

l. 7. Rum Pythius eiusq; exercitum accipit hospitio.

IV. Xerxes à Græcis deditionem postulat.

Simul ac Sardeis ingressus est, præcones misit in Græciam, qui è singulis vrbibus ignem & terram in signum deditionis exposcerent. Partito inde exercitu, partem quæ ad iungendum ponte Hellespontum, partem quæ ad perfodiendum Isthmum montis Athos, qui duodecim stadiorum est, sufficeret, emisit, non tam vt tutum exercitibus, & quam breuissimum transitum pararet, quam vt operum magnitudine Græcos perterrefaceret. Alioqui enim longe breuior erat traiectus ex Æolide & Ionia in Atticam, quam longo in septentrione circuitu Hellespontum & montem Athon petere. Ad quem, quia pridem multæ Persarum naues naufragium fecerant, eum iniuriæ memor, perfodi iussit. Pari vanitate cum Hellespontum ponte iunxisset, eumque perrupisset tempestas, Hellesponto trecenta verbera infligi iussit, & compedes in vndas conijci, & fabros interfici; tum pontem alium firmiorem, atque adeo geminum construi.

Isthmum perfodit, & postē imponit Hellespontem.

ANNVS MVNDI 3574.

IOACIMI Ducis & Pontificis 7.

DARII HYST. 35. Imp. Persarum 58.

OLYMPIADIS LXXV. A. 1. V. C. 273.

ANTE CHRISTVM 479.

I. Tyrannus Xerxis & ratio tēporis.

CELEBERRIMVS est hic annus transitu Xerxis in Europam, mari ponte constrato. De tempore Olympiadis, & Athenarum Prætore Calliade; consentiunt Herodoto Dionysius; atque Diodorus, Polybius item, & A. Gellius. Postquam ergo Xerxi nunciatum est Isthmum Athi montis esse perfossum, & Asiam Europæ factam esse interiecto ponte continētem. Sardibus vbi fuerat in hybernis, ineunte vere Abydum versus cum exercitu profectus est, vnde breuissimus est Hellespontiin Europam traiectus. Eo iter habente contigit solis eclypsis. Qua perturbatus Pythius, qui eum proximo anno hospitio exceperat, rogauit vt ex quinque liberis suis, qui eius copijs adscripti, cum eo in Græciam proficiscebantur, vnum sibi natu maximum solatium senectutis relinqueret. At Barbarus indignatus, illum ipsum medicum discindi iussit, mediasque inter partes traduci exercitum. Barbaro planè ingratissimi hominis facinore. Quo vno fortasse ita diuinam in se iram concitauit, vt breui pro gloriosa victoria, quam quærebat, probrosam fugā inuenerit: sicut & pater eius in non dissimili facinore, cum expeditionem pararet in Scythas. Vide Annales vtroque in loco. Posteriore autem ex Herodoto reperies ordinem procedendi exercitus Persici.

Pythij filiū crudeliter interficit.

An. mun. 3556. n. 1. & 3574. nu. 4. & 5.

II. Copias cum fletu circumspicit.

Postquam Abydum peruentum est, Xerxes à throno regio, quem ei Abydeni in tumulo erexerant, terrestres simul nauales que suas copias conspiciens, beatum se putauit; vt diximus, & nihilominus lacrymas fudit super breuitate vitæ mortalium, ad quorum tamen cædes tanto apparatu ferebatur. Inde eum Artabano collocutus, eum Susam, proregem ibi futurum dimisit, reliquos Persarum principes ad rem bene gerendam adhortatur, omnes in posterum diem ad traiectum Hellespontiperatos esse iussit. Ipse cum sol esset exortus ex aurea phiala libans, apud Solem vota fuit, ne quid sibi aduersi contingeret, quo prius desisteret Europam subigere, quam ad illius terminos peruenisset. Hæc precatus phialam in Hellespontum proiecit, aureumque craterem, & gladium Persicum, siue Soli dedicans, siue Hellespontum, quem paulo ante stultè verberari iusserat, placare desiderans.

Artabanū remittit in Persidem.

Soli que sacrificat.

His peractis per alterum pontium, qui vergebat

III.

Trāsitus Hellesponti.

gebat in Pontum, peditatus omnis, equitatusque transiuit; per alterum, qui vrgebat in Ægeum, iumenta atque seruitia, præcedentibus decem millibus Persarum coronatis omnibus, quo promiscuus omnium nationum sequebatur exercitus: quem transitum septem dies, totidemque noctes tenuisse scribit Herodotus. Inde circumducto per Thraciam exercitu, Tempe & Thessalia potitus est: vnde exclusi Græci, aditum Thermophylanum custodire statuerunt, ne Barbari aut multitudine, aut equitatu contra Græcos vti possent. Eum ergo locum Græci ex varij collecti prouincijs occuparunt; in quibus eminebat Leonidas, cum trecentis Lacedemonijs: ad quos Xerxes misit nuncios vt ab armis discederent, & Persarum deinceps societatem colerent: quibus iussa negligentibus, Thermopylas Persæ perueniunt, Medi pugnæ initium faciunt spectante rege; quibus denique cedentibus, submissi sunt Cissij, quorum insignis erat virtus, qui licet recentes & integri defatigatis committerentur, à Leonidæ tamen militibus, cum quibus deteriore conditione pugnabant, vertuntur in fugam.

Græci amissa Thessalia, Thermopylas occupant, ibiq; fortiter pugnant.

IV. Leonidas cum suis circūuēti obruuntur.

Hic Rex suorum clade animaduersa, lectissimos à Persis mittit, quos immortales vocant, quorum dux erat Hydarnes, qui credebantur hostes facile profligaturi. Verum & ipsi congressi, nihilo magis quam Medi aut Cissij, loci & armorum iniquitate, profecerunt. Nox prælium diremit: postridie pertinacius quidem, eodem tamen euentu pugnatum est. Ibi Regem inopem consilij adit quidem Epialtes, polliceturque se, cui montium semitæ notæ forent, Persis ducem fore, vt Leonidæ copias à tergo circumueniant, circumuentos nullo negotio deleri posse. Rex mire lætatus hominem præmijs afficit, & 20. hominum millia deducenda tradit. Hi tota nocte itinere confecto, sub auroram in cacumen montis euasere, & Phocensium præsidio missilibus fugato, Leonidas cum suis tanta Persarum multitudine circumuenti, iaculis obruti non inulti periere, & Persæ victoriam, sed Cadmæam obtinuere.

V. Classis Persica tēpestate vexatur.

Interea nauales copiæ, ad occupandum Euboeæ fretum proficiscuntur: inde enim iter patebat in Achaiam, & Atticam totam, sicut è Thermopylis pedestre iter in Græciam erat expeditum. Dum autem classis Magnesiæ oram teneret & longo ordine staret in anchoris, sub diluculum tempestas subsolano flante coorta est, qua ad quadringentas naues, concussæ conuulsæque periere. Cum autem Græci duces de pugnæ nauali ratione deliberarent, cæterique censerent ad Artemisium hostium incursum operiendum esse, persuasit socijs Themistocles hostem instructa classe inuadere, dum hostiles copiæ toto mari dispersæ, ex varijs portubus exeunt, & necessario tumultuariè pugnaturæ sint, nec sibi inuicem opem laturæ. Id consilium victoriæ initium fuit. Abundante nihilominus nauium Persicarum multitudine, Persarum consilium fuit Græcas à tergo & fronte concludere; verum ea pars quæ Euboeam circumvehebatur, eratque ducentarum nauium selectarum, per noctem & tempestatem in saxa impingens, prope Geresti & Caphareum promontorium, tota funditus perijt.

Consiliū Themistoclis de Persis inuadendis, qui tursum tēpestate accipiūt.

Classis interea Græcorum tribus & quinquaginta nauibus Atticis aucta, animos sumpsere inuadendi Barbaros, & in Cilicum naues inuecti eas corrupere. Postridie autem totis, quæ reliqua erat, Persarum classe collecta ad Artemisium, paribus fere damnis pugnatum est, propter Græcorum præ Barbaris paucitatem, qui etiam quinque Græcorum naues eo die, cum suis propugnatoribus, ceperant. Quo factum est vt Græci de fuga in vlteriora Græciæ deliberarent: audita præsertim per id tempus Thermopylarum clade. Ergo ab Artemisio profecti, ad Salaminam insulam, rogatu Atheniensium substitere, quò alijs quoque nauibus confluentibus classis Græcorum 380. nauium effecta est. Cum autem de eligendo ad pugnam loco deliberatur, nuncius ad eos venit de occupata à Persis Attica, Athenis captis, arce expugnata, & omnibus sacris, profanisque locis ferro flammaque vastatis.

VI. Naualis pugna.

Græci de fuga deliberant, & Salamīnā adeūt

VII. Priusquā separētur arte Themistocli cū Persis pugnant

Quibus auditis tantus omnes terror inuasit, vt plerique de fuga potius, quam de pugna cogitarent. Cumque Peloponnenses, ad tua, quæ adhuc erant intacta, defendenda relictis socijs proficisci vellent, Themistocles clam nuncium mittit ad Persas, qui eis persuaderent vt dissidentes Græcos, & fugam parantes, & à terrestri exercitu seiunctos, quam primum inuaderet. Fide temere habita Themistoclis nuncio; Persæ omnem Græcorum classem ad Salaminam positam sua ipsi circumueniunt. Qua re animaduersa Græci, misso abeundi consilio, ad pugnam, quod cupiebat Themistocles, necessario se comparant. In pugna Iones infideliter se gerunt, Persa deserto. Naualis quoque Imperator fortiter pugnans occumbit. Vnde cum deesset, qui subsidia laborantibus submitteret, nam Xerxes pugnam à longe spectabat innoxius, etsi metu illius, quem pugnæ & fortitudinis testem habebant, Persæ fortiter se gerebant, tandem inclinata re fusi Barbari fugatique, in portum Atheniensium se recepere.

Vincunt que.

VIII. Xerxes fugit, prafecto reliquis copijs Mardonio.

Cognita Xerxes clade sua, de fuga cogitat, quam ei Mardonius persuader, relictis sibi triginta militum myriadibus, quibus reliquum bellum feliciter conficiat. Abit ergo celeriter Hellespontum versus, ne eum Græci præueniant, pontesque interrumpant: imprudens, cui tot adhuc naues præsto erant, & omnes portus in Asia. Herodotus certe scribit, fuisse qui dicerent Xerxem nauem Phœniciam conscendisse, eamque, dum pelago sæuiente periclitaretur, plerisque Persarum adorato rege in mare vltro desilientibus, onere leuatum in Asiam peruenisse. Ea fuga cognita Græci deliberatione inita statuunt non sequi, sed belli reliquias conficere, & patriæ instaurandę pro facultate diligenter incumbere. Mardonius autem paucis post pugnam diebus, mouit in Bœotios, & inde in Thessaliam ad hyberna concessit, vt ineunte vere tentaret Peleponnesum.

IX. Pœni Persarū socij in Sicilia male rem gerunt.

Dum hæc in Græcia geruntur, Carthaginenses quoque in Sicilia infeliciter pugnarant. Cum enim ingentes copias aduersus Græcos, qui erant in Sicilia & Italia compa-

rassent, vt inter ipsos Persasque conuenerat, eis Amilcarem præfecerunt, qui dum Lybicum mare traijcit, tempestate iactatus, nauigia, quibus equi & currus vehebantur, amisit. Nihilominus Panormum Siciliæ portum inuectus, triduoque exercitu recreato, refectisque naufragij damnis, Himeram obsedit, cum Gelo Siracusis accitus, multa Pœnorum palantium millia cepit. Cumque literas Selinunciorum ad Amilcarem intercepissent, quibus illi se ad certam diem spondebant venturos cum copijs; eadem die Gelo nauales suas copias mittit, quæ se à Selinuncijs venire fingerent; eæ naues vt sociæ admissæ, primum Amilcarem sacrificantem obtruncarunt, tum ignem in punicas naues inijcere. Interim autem Gelo cum Pœnis terrestri prælio congressus est, neutram in partem inclinante victoria, donec flamma è nauibus erumpente, & Imperatoris morte nunciata, Carthaginenses animo fracti, & in fugam conuersi, ad 150. millia perierunt. Nam Gelo viuos seruari vetuerat: reliquiæ in reditu absumptæ naufragio, vix vt pauculi cum scapha Carthaginem appulsi, vrbem totam luctu repleuerint, & ad legatos de pace mittendos ad Celonem impulerint.

Gelonis solertia & fortitudine.

X. Fracta intercessio Tribunorum. Ortus Euripidis.

Romæ autem de creandis Coss. contentione orta Optimates inter & plebeios, tandem inter partes ita conuentum est, vt vnaquæque Consulem daret. Senatus Cæsonem Fabium II. qui Cassium tyrannidis reum peregerat, plebs Sp. Furium dedit. Cum autem vterque cum exercitu, alter contra Æquos, alter in Etruriam profecturus esset, Icilius Tribunus plebis conscribi militem non sinebat. Sed Appij consilio cæterorum Tribunorum intercessione introducta, Icilij vis omnis infracta est. Conscriptus est miles, Furius in Æquos profectus, victorum spolia militi donauit. At Fabius cum militi esset exosus, & is se Imperatoris mandatis exhiberet contumacem, in vrbem, cum desertorum castrorum ignominia redire coactus est, non mediocri cum periculo, dum in tenebris per hosticum, nullo ordine discesseret. Hoc ipso anno primo Olympiadis 75. natum esse poëtam Euripidem, autores sunt Laërtius & Suidas.

ANNVS MVNDI 3575.

IOACIMI Ducis & Pont. 8.

XERXIS 8. Imperij Persarum 59.

OLYM. LXXV. A. 2. V. C. 274.

ANTE CHRISTVM 478.

I. Res in Etruria gestæ.

PRIVSQVAM Persarum Græcorumque res anni huius, quæ Athenis Prætore Xantippo contigerunt, attingamus, Romanam eiusdem anni historiam paucis expediamus. Cum Etrusci deserta nuper à Romano milite castra, propter odium Fabij, quasi victores populati essent, noui Coss. ad eum tumorem comprimendum, cum exercitu profecti sunt, sed minime sponte militante, propter dilatam adhuc agrorum diuisionem. Itaque veriti Coss. pugnæ copiam facere, suis vterque castris, in duobus tumulis se continuere, hoste quantumlibet ad pugnam extimulante: donec variis ab hoste insultante probris & contumelijs affecti, vno animo à Coss. pugnam postularunt, atque impetrauerunt, iureiurando etiam addito, de non repetenda patria, nisi cum victoria. Ergo accerrimè vtrimque, si vnquam alias, pugnatum est; adeo vt alter Consulum C. Manlius in pugna ceciderit, alter immani vulnere sauciusita decubuerit, vt se magistratu abdicare coactus sit. Mortuus quoque est vnus legatorum Quintus Fabius, qui bis Consul fuerat, alijque multi Duces, Tribuni, Centuriones. Penes Romanos hoc ipso victoria stetit, quod Etrusci proxima nocte desertis castris abierint.

Et cruenta Romanorum victoria.

II. Persæ Græciq; pro Ionibus sollicitudo.

Classis Persica, post Salaminiæ pugnæ cladem Cumis in Hybernis fuit. Inde appetente vere in Samum traiecit, vt Ioniam, cuius dubia erat fides, in officio contineret. At Græci, quibus se Iones dedere cupiebant, metu Persarum vltra Delum progredi non audiebant. Interea Mardonius Athenienses, quorum totam regionem habebat in potestate, sibi conatur adiungere; cumque id omne consilium Lacedæmonij dilecissent, eisque cum auxilijs præsto esse, aut cum Pausania Rege adfore quamprimum, Mardonius è Thessalia citato cursu Athenas contendit, easque incendit, & si quid morum, aut priuatarum ædium, aut sacratum ex priore clade superarat, eo omni disiecto atque obruto, subduxit exercitum, Thebasq; reuersus est, vbi proximam cladem ad Platæas Persæ didicerunt, quam tamen nemo Imperatori Mardonio referre audebat.

Athenienses ab vtrisq; sollicitantur.

III. Clades Persarum ad Platæas.

Conuenit enim Græcorum exercitus ad Platæas, conuenit & Persarum, numerosus vterque, & Asopo fluuio seiungebantur. Vtrumque exercitum haruspices prohibebant transgresso fluuio hostem inuadere, quod tamen Mardonius valde cupiebat, & plerique equites, non sine Græcorum damno, facitarunt. Cumque Græci castra mutarent, Persa fluuio transgresso, Lacedæmonios & Tegeates, qui vltimi abibant, assecutus, pugnam inchoauit, in eaque pugnacissime dimicatum est, Mardonio duce cum mille Persarum constantissimis ordines obeunte, & animante pugnantes, & multam cladem, quandiu superfuit, Lacedæmonis inferente. Vbi autem Mardonius, & agmen quod circa ipsum erat, occubuit. Persæ Lacedæmonijs cessere, & alij aliò diffugere. Quos assecuti Græci, præter paucos, qui cum Artabazo fuga euaserunt, omnes ferme deleuerunt, perpaucis Græcorum desideratis.

Mardonij cædes.

IV. Persarum clades ad Mycalē.

Necdum Persis malorum finis. Quæ enim die ad Platæas clade maxima sunt affecti, eadem ad Mycalem vehementer afflicti sunt. Cum enim vterque exercitus ad pugnam se compararet, hinc rumor sparsus est Mardonij copias in Bœotia fuisse deletas, inde Xerxem cum nouis copijs aduentare. Ita commissa est pugna, summa vtrinque virtute, pertinacique constantia; cessere tamen aliquando Persæ, & in munitiones suas se recepere; quibus à Græcis perruptis, hoste cæso, naues, egesta in litus præda, incenderunt. Indeque

Ionum cum Græcis Europæis societas.

in Samum vela fecerunt, vbi de Ionibus in Græciam transferendis deliberatum est, ne grauibus suppliciis afficerentur à Persis. Tandem decretum est vt Samij, Chij, Lesbij, ac cæteri insulani, vna cum Ionibus, addit Æoles Diodorus, societatem cum Græcis inirent, & iureiurando firmarent, se mutuo, cum res ferret, armis protecturos Lacedæmonij Spartam rediere, Athenienses Sestum ad Hellespontum occuparunt. Persæ perpauci fuga lapsi Sardeis peruenerunt; vbi Rex accepto vtriusque cladis ad Plataeas & Mycalem nuncio, parte exercitus Sardibus, ad bellum continuandum relicto, trepidus Ecbatanam versus iter intendit. Itaque bellum Persicum cum per biennium durasset, quinque præliis ad Artemisium & Salaminam, Thermopylas & Plataeas, deniq; ad Mycalem finitum est, vbi historiam suam finit Herodotus, inchoatq; Thucydides.

Xerxes adit Ecbatanam, & bellū Persicum finitur.

ANNVS MVNDI 3576.

IOACIMI Ducis & Pont. 9.

XERXIS 18. Imperij Persarum 20.

OLYMP. LXXV. AN. 3. VR.C. 275.

ANTE CHRISTVM 477.

I. Obitus Gelonis.

IN annum tertium Olympiadis 75. refert Diodorus Gelonis Syracusani Principis laudatissimi funus, post septimum regni annum, Hieroni fratri natu maximo regno relicto, quod is ad vndecim annos, & octo menses tenuit. Refert & Athenarum instaurationem, Themistoclis insigni prudentia, nequicquam repugnantibus Lacedæmoniis, inchoatam atque perfectam. Cum hi timerent ne Athenienses, per quotidiana incrementa, totam sibi Græciam subiugarent, illiq; vicissim in patriæ instaurationem, maximeq; murorum incumberent, misere Lacedæmonij legatos, qui autores essent ne mœnia reficerent, imo quæ starent adhuc in Græcia demolirentur, ne si redirent Barbari, tutum receptui locum. vt nuper Thebas haberet, Peloponnesum enim omnibus receptaculum, & perfugium satis tutum fore.

Athenarum instauratio.

II. Industria Themistoclis pro reparandis mœnibus.

Athenienses autem de Themistoclis sententia, Lacedæmoniis quamprimum dimissis, suis eos renunciare iusserunt, se legatos ea de re Spartam missuros. Interea autor fuit Atheniensibus, vt se Spartam quamprimum mitterent, alios autem mittere cunctarentur, donec mœnia ad eam essent altitudinem erecta, vt inde hostem propulsare possent, omnibus omnino ciuibus in opus incumbentibus, etiam aliis ædificiis, si opus foret, ad materiam suppeditãdam deiectis. Interea se Lacedæmone, quæ è re forent curaturum. Quo cum venisset nõ statim adiit magistratum, sed rem trahebat, suos collegas expectare se dicens, eosque propediem sperare venturos. Cum autem interea Athenis vrgeretur opus, eaque de re Lacedæmonij priuatim certiores fierent, suasit Themistocles, vt spectatæ fidei viros Athenas mitterent, qui certa & explorata renunciarent. Quos cum illi misissent, Themistocles per nuncios suis clam significat, vt illos retineant, nec dimittant, antequam ipse cum reliquis sociis, qui iam venerant domum redissent, ne re comperta Lacedæmonij, se non amplius dimitterent. Tum vero Themistocles & socij magistratum adeunt, vrbem suam mœnibus cinctam fatentur, ita Reipab. suæ visum conuenire, nec in ea re cuiusquam vel egere consilio, vel Imperium expectare.

Romæ cum Senatus interreges comitiorum causa elegisset, maturius quippe magistratu abierat M. Fabius Consul ægritudine impeditus, eius frater Cæso Fabius, qui primas fortitudinis è superiore bello retulerat, nunc tertium factus est Consul, & cum eo T. Virginius, qui contra Veientes progressus est. Hi cum à principio mœnibus se continuissent, vbi Romanum militem, ad prædas nullo ordine effusum viderunt, egressi instructa manu eos inuadunt prædas eripiunt, cædunt, fugantque. Et nisi T. Siccius legatus auxilio venisset, totus exercitus internecione deletus fuisset. Huius interuentu, reliquis data est copia colligendi se, & tumulum quendam occupandi, vbi & noctem à Veientibus obsessi transegerunt, breuiq; se cum armis dedituri erant, omni commeatu destituti, nisi collega Fabius superueniens rebus desperatis salutem attulisset. Cumque nihilominus Veientes excursionibus Romanum agrum infestum haberent. Visum est Senatui præsidium in eorum finibus excitare ad Cremeram fluuium, vnde & castro datum nomen, ad cuius propugnationem se gens Fabia cum suis clientibus & amicis obtulit, qui quadripartito diuisi, parte vna in præsidio relicta, cæteri excursionibus Veientes innumeris afficiebant malis.

III. Noui Coss. cõtra Veientes infeliciter pugnant.

Fabius auxilio est College. Fabiorum præsidiũ ad Cremeram.

ANNVS MVNDI 3577.

IOACIMI Ducis & Pon. 10.

XERXIS 10. Imperij Persarum 61.

OLYMP. LXXV. AN. 4. VR.C. 276.

ANTE CHRISTVM 476.

I. Themistocles maris imperium Atheniẽsibus parat.

THemistocles mœnibus Athenarum prudenter excitatis, maiora omnino destinans; ciues suos ad maris Imperium sibi vendicandum excitauit. Eò seruiebat in primis Piræeus, portus Athenarum commodissimus atque amplissimus, qui tres portus natura munitos habebat, ad quadringentarum nauium classem continendam. Is ædificari cœptus fuerat, dum Themistocles Athenis annuum generet magistratum, idem vt perficeretur persuasit, excitatusque est murus duorum millium passuum longitudine, vt ait Strabo, latitudine autem, quantam duo currus sibi occurrentes postulant. Magnam quoque eius altitudinem destinarat, vt paucorum, eorumque infirmorum præsidio, hostium conatus facile eludi possent, dum cæteri pugnaciores naues conscenderunt; sed repugnantibus Lacedæmoniis, dimidio humilior factus est. Persuasit etiam populo, vt ad

Excitat Piræ eũ.

præsentis classis numerum, viginti quotannis triremes adderent, & inquilinos & opifices ciuitate donarent, tum vt populosa fieret ciuitas, tum vt magnam artificiorum varietatem sibi compararent, quod vtrumq; ad maris Imperium stabiliendum vtile iudicabat.

II. Reliquiæ Persarũ è Græcia exterminantur.

Interea Lacedæmonij, qui terrestribus copiis erant instructissimi, Imperatore Pausania, Græcas vrbes barbaricis adhuc præsidiis occupatas, liberare statuunt; quibus adiuncti Athenienses, ducibus Cimone & Aristide, classem 80. nauiũ vniuersè conficiunt. Cyprum nauigant, ibique multas ciuitates, eiectis barbaris eximunt seruitute, inde in patriam hyematum redeũt, proximo vere in Hellespontum ac Byzantium profecturi. Hæc anno Iudæorum Sabbatico 141. gesta sunt.

III. Æmilius in Veientes & Etruscos.

Romæ L. Æmilius Consul contra Veientes & Etruscos cum exercitu profectus est, sociumq; habuit Cæsonem Fabium superioris anni Consulem, qui gentilibus suis, in Cremetensi castro commorantibus, auxilio esse cupiebat. Consul porro cum Veientes cladibus fractos, ad se de pace acturos, supplicum ritu venire coëgisset, & Romam ad eam à Senatu impetrandam, abire permisisset, Senatus legatis auditis, & Consulis literis acceptis, rogantis ac monentis, vt bellum Etruscum celeriter finirent, pacem quam petebant dari statuit, ijs conditionibus, quæ Consuli probarentur. Eas cum Æmilius ex æquitate magis, quam ex victoris populi vtilitate fecisset nec eas retulisset ad Senatum, id arrogantiæ tributum est: sed & imprudentiæ, quod ne obsides quidem, ad firmandam pactorum fidem, accepisset. Itaque cum re bene gesta triumphũ peteret, iussus est in Volscos traducere copias, & collegæ laboranti opem ferre. Eam repulsam ægrè ferens Æmilius, apud militem de Senatu questus est, quasi ægrè ferret bellis finem imponi, ne agri plebi promissi traderentur.

Non satis prudens, neque in Senatum modestus

Græciam; quæ Thucydides fusius exequitur. Ea re cum Pausanias ritu Barbarico insolesceret, & se aditu difficilem præberet, Aristides contra benignè Græcos acciperet vniuersos, multi se Athenien sibus in clientelam dedere, idq; multum profuit destinato maris Imperio. Crebrescentibus autem de Pausania querelis, Spartam ab Ephoris reuocatus est; nec tamen de proditione, quasi re non satis explorata, damnatus est. Alius tamen eius loco missus, cui cum socij non parerent, tota belli Persici cura in Athenienses recidit.

II. Gens Fabia ab Etruscis cæsa.

Romanis porro hic annus, qui Coss. habuit C. Horatium Pulvillum, & T. Menenium Lanatum, admodum luctuosus fuit, tota pene gente Fabia ab Etruscis cæsa. Cum enim Etruscorum vndecim populi bellum Fabiis obtulissent, nisi Crementense castrum diruerent, & præsidium Romanum inde excederet, illiq; rem per literas Romæ nunciassent, iussi sunt ambo Coss. in bellum proficisci, Horatius in Volscos, Menenius in Etruscos profectus est; sed cum hic lentius agit, plebe militiam detrectante, Fabij in insidias per spem prædæ pertracti, missilibus obruti sunt. Quibus ita deletis, profecti Cremeram, reliquos ad suorum vindictam progressos internecione deleuerunt, & castrum propugnatoribus vacuum occuparunt. Quod autem vnicum è tota gente Fabium superstitem fuisse nõnulli crediderunt, à Dionysio refellitur, quod absurdum sit trecentorum & sex bellatorũ non plures fuisse aut filios aut fratres nondum ad bellum idoneos. Ea victoria elatus hostis, Menenium Consulem aggressus est, qui contra eos imprudenter infeliciterq; pugnauit, & præter fortissimos quosque viros, etiam castra amisit, cumq; Romam progrederetur hostis, ab altero Consule à Volscis regresso repressus est.

An ad v num?

ANNVS MVNDI 3578.

IOACIMI Ducis & Pont. 11.

XERXIS 11. Imperij Persarum 62.

OLYMP. LXXVI. AN. 1. VR. C. 277.

ANTE CHRISTVM 475.

I. Classis Græcorũ in Hellespontum.

OLympiade 76. vicit in stadio Scamander Mitylenæus, Phædone Athenis Principe: cum Græcorum classis, cum primum nauigandi tempus aduenit, Hellespontum versus duce Pausania cursum intendit, eoque cum Propontide superatis, Byzantium cepit, & barbaris partim cæsis, partim exturbatis, vrbi libertatem reddidit. Plutarchus, ait Cimonem, cum quatuor Athenien sium nauibus, tredecim hostiles cepisse, multosque magni nominis Persas ibi captos, Gongylo Eretrien si in custodiam à Pausania traditos, quasi ad supplicium reseruandos; re autem ipsa, vt Xerxi restituendos curaret. Occultis enim pactis amicitiam cum Rege contraxerat, & futurum erat vt filiam Regis vxorem acciperet, ad prodendam ipsi Græciam. Ea re cum Pausanias ritu Barbarico insolesceret, & se aditu difficilem præberet, Aristides contra benignè Græcos acciperet vniuersos, multi se Athenien sibus in clientelam dedere, idq; multum profuit destinato maris Imperio. Crebrescentibus autem de Pausania querelis, Spartam ab Ephoris reuocatus est; nec tamen de proditione, quasi re non satis explorata, damnatus est. Alius tamen eius loco missus, cui cum socij non parerent, tota belli Persici cura in Athenienses recidit.

In Cimone.

I.I.

Pausaniæ infidelitas, & pacta cum Persa.

ANNVS MVNDI 3579.

IOACIMI Ducis & Pont. 12.

XERXIS 12. Imperij Persarum 63.

OLYMP. LXXVI. AN. 2. VR. C. 278.

ANTE CHRISTVM 474.

I. Athenienses maris Imperiũ stabiliunt sibi.

MAritimum Imperium Athenien sium hoc anno vehementer stabilitum est. Cum enim Lacedæmonij bellum contra Persarum reliquias reliquissent Athenien sibus, ipsique sibi delatum libenter accepissent, statuerunt à quibus vrbibus pecunias, & à quibus naues aduersus Barbaros præberi oporteret. Eaque de causa tum primum apud Athenienses constitutus est magistratus eorum, qui Græcorum quæstores dicti sunt, & tributum recipiebant, quod primum constitutum est, 460. talentorum: quæ si Attica fuerunt valent 485000. Francorum, sin autem Euboica 644000. illa enim valent 60. minis, hæc 80. & singulæ 27. ½. Eius pecuniæ ærarium fuit Delos, vna è Cycladibus oraculo Apollinis celebris, in cuius templo cõuentus fiebant. Itaque Athenienses ab hoc bel-

Tributũ vrbibus ad bellũ impositũ.

ponnesiaci, quod spatium 50. annorum fuisse Thucidydes affirmat, ad magnam potentiam peruenire; accedente humanitate Cimonis, & iustitia Aristidis in rebus administrandis, quibus postea deficientibus, turbata sunt omnia.

II. Fames Romæ

Hoc anno Vrbis Cond. 278. Romæ commeatus inopia laboratum est, quod proxima hyeme incultus fuisset ager, propter occupatum ab hoste vicinum Ianiculum, & continentes excursiones, quæ externos quoque negotiatores ab importando commeatu prohibebant. Cumque plebs & Tribuni ea de causa insanirent, Coss. varios in diuersa loca frumentatum miserunt, & in vrbe omnes profiteri iusserunt quantum quisq; frumenti haberet, vt quod vsui familiæ superesset, in publicum honesto pretio venale proferretur. Itaque plebis audacia hoc modo repressa, adiecit animos ad bellum, ne si cunctaretur hostem è finibus eijcere, intra mœnia obsessi, partim fame, partim intestinis seditionibus interirent. Itaque Consul vterq; in Etruscos intempesta nocte mouet, & æquatis fere damnis vtrimq; pugnatur; Seruilius periclitatur, ei Virginius collega fert opem, vnde secuta clades Etruscorum & fuga: qua cognita qui Ianiculum occuparant, cum subsidia vitra desperarent, noctu Veios abierunt. Romani castris potiti, castellum, quod illi vice Cremeræ construxerant, diruerunt; nec Coss. infunesta victoria triumpharant. Menenius autem Agrippæ filius excõsul, ob rem superiore anno male gestam à Tribunis accusatus, mulctatusq;, mœrore decessit.

Seruilius periclitatur, cui Collega subuenit. Etrusci fusi fugatique.

Menenij obitus.

ANNVS MVNDI 3580.

IOACIMI Ducis & Pont. 13.

XERXIS 13. Imperij Persarum 64.

OLYMP. LXXVI. AN. 3. VR. C. 279.

ANT CHRISTVM 473.

I. Pausanias redit Byzantiũ inde pulsus migrat in Asiam.

NOn potuit diu Pausanias, excelso vir animo & ambitioso, otiosus domi priuatusq; quiescere, nec pati spem tantam, quæ nuper enascebatur, socordia euanescere; itaque Byzantium iterum, iniussu Lacedæmoniorum profectus, vrbem occupauit; vnde ab Atheniensibus, & Byzantiis, Cimone duce pulsus est, & Heracleam ad consulendum profectus oraculum, sub obscurè didicit excidium sibi, vbi Spartam peruenisset, imminere. Ergo traiecit in Asiam, ibique cum Barbaris agitare consilia perrexit. Quæ cũ à Cimone & Aristide cognita fuissent, & literis Spartam delata, ab Ephoris domum reuocatus est. Sed non ante annum sequentem: Quo cum publico caduceatore reuersus, ab Ephoris in carcerem coniectus est, sed re mox cum magistratu pecunia verbisque transacta, purgatis vtrimq; suspicionibus, & data de more sponsione iuratoria sistendi se ad nutum magistratui, dimissus est.

II. Seruilius accusatur & absolmitur.

Sp. autem Seruilius ex consul in populo iudicium à Tribunis, ob rem male gestam vocatus est. Quæ actio Patriciis merito visa est grauissima, atque indignissima, vt qui se pro Repub. fortiter hostibus obijcerent, si spem aduersa fortuna fefellisset, ignauiæ ab iis accusarentur, qui nunquam in acie stetissent. At Seruilius fortiter causam suam egit: Egit & pro eo Collega Virginius, qui cum gratia plurimum valeret apud populum, obtinuit, vt frustra indignante tribuno, omnium calculis absolueretur. Paulo post Valerius Consul, in Etruriam expeditione suscepta, rem præclare gessit, in eaque expeditione Seruilij Consularis paulo ante iudicio populi totius absoluti, virtus in primis enituit.

Pax cum Veientibus.

Proximo anno A. Manlius Consul rursum in Veientes duxit exercitum, qui à sociis Etruscis & Sabinis deserti, à Romanis obsessi, fame vrgente ad Consulem venerunt, pacem cum supplicum insignibus postulantes, quam rogatu Consulis, non leui pecunia mulctati, à Senatu ad annos 40. obtinuerunt.

ANNVS MVNDI 3582.

IOACIMI Ducis & Pont. 15.

XERXIS 15. Imperij Persarum 66.

OLYMP. LXXVII. AN. 1. VR. C. 281.

ANTE CHRISTVM 471.

CHares principatum gerebat Athenis, cum in Olympico stadio victor euasit Dates Argiuus, vt ait Dionysius, quem Diodorus Dãdem vocat; & Pausanias cum Ilotis contra Rẽpub. conspirauit. Audax enim ingenium atque turbulentum, cum foras erumpere non posset, domi tumultuari cœpit, & seruos, quorum tanta erat turba!, vt septeni cum singulis Spartanis ciuibus contra Persas militarint, ad libertatem vocare, eisque ciuitatem polliceri. Erupit ea res multis magnisq; seruorum indiciis, nec tamen eis habita est fides: nec in Pausaniam adhuc animaduersum est, donec post annos aliquot deprehensum est illum ad Xerxem, & ad Artabazũ literas mittere, quarum tabellarios ab ipsis iubebat occidi, ne quid reuersi Spartæ vulgarent.

I. Pausanias cum Ilotis conspiratio.

Vide Ann Xerx. 5. n. 5 &

Romæ autem cessantibus externis bellis, domesticæ seditiones de agrorum diuisione Rempubl. perturbarunt. Genutio Tribuno plebis Consules perurgente, & Consulares viros in iudicium populi vocante. Sed cum Genutius pridie iudicij, in lecto suo inuentus esset mortuus, res sopita est. Donec Consules turbas improuide renouarunt. Cum enim Voleronẽ quendã, sine vlla illius culpa, è centurione gregarium militem facere vellent, eumq; recusantem virgis à lictore cædi iuberent; ille autem & valide vim vi repelleret, & Tribunorum opem imploraret, exorta est seditio, qua & Volero ereptus, & lictores abacti, & in ipsos Coss. impetus factus est, vt non sine periculo illi se è foro proripuerint. Indeque in Senatu, Consules inter & Tribunos, contentiose reliquo anno certatum est.

II. Romæ vrbs à Genutio tribuno plebis.

& à Volerone.

ANNVS MVNDI 3583.

IOACIMI Ducis & Pont. 16.

XERXIS 16. Imperij Persarum 67.

OLYMP. LXXVII. AN. 2. VR. C. 282.

ANTE CHRISTVM 470.

I. Iubilæus Mosaicus 12.

MIlleſimus agitur annus à morte magni Legislatoris & Prophetæ Moſis, idemq; Iubilæus Moſaicus ordine vigeſimus, ex quo Iſraëlitæ, duce Ioſue, tranſgreſſo ſicco veſtigio Iordane, in Chananitidem ſunt ingreſſi. Eodem ipſo anno natus eſt Thucydides: quippe qui quadragenarius fuerit initio belli Peloponneſiaci, vt eſt apud Gellium, hinc autem ad id bellum 40. anni numerantur. Eius eſt in hiſtoria peraccurata diligentia & fides, de quo plura in Annalibus leges.

l. 15. c. 23.

Supra Xerxis 7. n. 5. Themiſtocles Oſtraciſmo pellitur, & cur.

Hoc anno patria pulſum Oſtraciſmo Themiſtoclem, qui eſt à pugna Salaminia decimus, ſcriptum reliquit Diodorus, Cimone Miltiadis filio in eius locum ſubrogato. Eius expulſionis tres omnino cauſas reperio. Prima illi cum pleriſque illuſtribus viris communis fuit, excellens nimirum gloria, quæ rebus parta præclare geſtis, non exiguis opibus nitebatur; altera fuit eius in agendo ſeueritas; tertia ſuſpicio occulti cum Perſa fœderis & conſpirationis. Perſis enim occulte fauere, & tutum apud ipſos perfugium captare, ſuſpicio fuit. Pulſus autem patria profectus eſt Argos, & nihilominus reliquas Peloponneſi partes adibat, vt ait Thucydides, & apparet Spartam quoq; adiiſſe, & ibi egiſſe cum Pauſania, & ab eo ad ſua conſilia incitatum: irrito conatu, vt ait Plutarchus invita Themiſtoclis, eius tamen conſilia non euulgauit.

II. Prodigia & peſtis Romæ.

Romæ prodigia hoc anno viſa, contigit & peſtilentia, ob Vrbinam, vt creditum eſt, Veſtalem corruptam, & ſacra impurè tractantem; qua cum inceſti patratoribus ſolito ſupplicio punita, peſtilentia Romæ ſæuire deſijt. Quod ergo iudicium ab vltore Deo expectandum eſt ſacrarum rerum profanatoribus, qui talibus malis ac ſupplicijs paſſus eſt affici, qui res impias, quas ſacras putabant, impurè tractabant. Romæ quoque P. Volero, qui ſe nuper Conſulibus præbuerat contumacem, & ſpem faciebat plebi, ſe optimatibus animoſe reſtiturum, factus eſt tribunus plebis, legemque promulgauit, vt tribunorum comitia non centuriata eſſent, ſed tributa, quod in illis Patricij omnia poſſent, in his autem plebs in ſuas tribus ſegregata. Cui legi cum Coſſ. & Patricij diu reſtitiſſent, ſuperueniens peſtilentia, quæ totam quoque Italiam peruagata eſt, rem in ſequentem annum diſtulit, quo idem Volero ambijt & obtinuit Tribunatum.

Volero Tribunus eiuſque lex.

***

ANNVS MVNDI 3584.

IOACIMI Ducis & Pon. 17.

XERXIS 17. Imperij Perſarum 68.

OLYMP. LXXVII. AN. 3. VR. C. 283.

ANTE CHRISTVM 460.

SAbbaticus 43. Iudæorum annus in hunc annum cadit, quo ſummum Athenis magiſtratum gerebat Demotio; quo ipſo Thraſylus, apud Laërtium in vita Democriti, natum ſcribit Democritum, anno ſcilicet tertio Olympiadis 77æ. atque ita anno vno maiorem natu Socrate fuiſſe, & æqualem Archelai Anaxagoræ diſcipuli.

I. Ortus Democriti, & Archelai.

II. Cimon Græcæ claſſis Imperator.

Exautorato porro, atque adeo patria pulſo Themiſtocle, belli dux contra Perſarum reliquias electus eſt Cimon, qui aſſumpta claſſe, Byzantium itinere directo Eionem vrbem, Perſarum adhuc iugo preſſam obſedit, atque expugnauit, & incolas vrbe direpta, in ſeruitutem abduxit. Addit in Cimone Plutarchus Barbaros primum prælio victos in vrbem fuiſſe cõpulſos, deinde Thraces, qui ſupra Strymonem habitabant, vnde Barbaris commeatus ſubuehebatur, regione eieciſſe, totamque cuſtodiendo, in eas anguſtias Medos Perſaſve conieciſſe, vt Butes dux regius, quem Bogem vocat Herodotus, Pauſanias Boëm, rebus deſperatis vrbem incenderit, ſeque vna cum coniuge, liberis, cõcubinis, amiciſque perdiderit. Id facinus, quod inconſultè laudat Herodotus, in Annalibus examinatum reperies, atque damnatum. Huius vrbis muros aqua dilatos Pauſanias ſcriptum reliquit. Ea obſidio, quia ad vltimam rerum deſperationem tenuit, Cimonis in Scyrum inſulam expeditionem ad annum ſequentem differemus. Romam interim repetamus.

Eionem expugnat

Butes, ſiue Boges.

l. 8. p. 242 Græc.

III. Romæ tumultus pro lege comitiorum.

Romæ enim optimates animaduerſis Voleronis tribuni plebis hominis factioſi, eiuſque ſociorum ſtudiis, eis oppoſuerunt virum auſterum, & plebi infeſtum Appium Claudium, eius filium, qui plebi reducendæ plurimum reſtiterat. Appium ergo, vt in Senatu ante decreuerant, ita in comitiis & repugnantem, & abſentem Conſulem elegerunt. Eius Collega fuit T. Quintius Capitolinus, vir mitis, & in plebem propenſior; vt vtilior eſſet Reipub. ex vtriuſque moribus temperata gubernatio. Cæterum Tribunus Volero cum collegis de lege, quam ſuperiore anno perferre non potuerant, iterum rogationem tulerunt; addiderunt que vt iiſdem comitiis tributis etiam ædiles plebis crearentur, & quidquid per plebem agi decerniue deberet, tributis comitiis ageretur. Id erat funeſtam ſecurim, poteſtati optimatum injicere; itaque huic rogationi, ad ſeditionem vſque, Coſſ. cæterique Patricij reſtituerunt. Et Quintius quidem, vir moderatus & facundus, rogationem ita diſſuaſit, vt ſuaſores legis prorſus hærerent, reſque tranſacta erat, niſi Appius orationis acerbitate omnia perturbaſſet: adeo vt C. Lectorius Tribunus plebis non dubitaret, nomine Collegij iubere Appium Conſulem in

Appij ſeueritas odioſa plebi.

carcerem

carcerem duci. Inde rixa & aperta seditio, quæ Quintij moderatione sedata est: lex tamen ipsa denique perlata, & deinceps perpetuo obseruata est.

IV. Res à Coss. gestæ.

Consules vero sunt in bellum profecti, mox Quintius in Æquos, Appius in Volscos. Ille militibus vsus obsequentissimis, rem bene gessit, & cum gloria domum rediit. At Appius, qui in sibi infensos milites habebat imperium, proteruos ac fugaces expertus est; qui cum plagis & ignominia sua, ducis gloriam cuperent impedire, ideoque ordines desererent, signa abijcerẽt, in castra ignominiosè confugerent, vbi facile ab hoste confici potuissent, nisi ex re tam insueta Romanis, illi insidias suspicati fuissent. Verum vbi in agrum pacatum ventum est, Consul exprobrata ignauia, ordinum ductores, quorũ manipuli fugerant, & antesignani, qui signa amiserant, partim securi percussi sunt, partim occisi fustibus. E reliqua multitudine decimus quisq; neci datus est. Quam pœnam solennem fuisse, dicit Dionysius, Romanis qui ordines desererent, vel signa amitterent.

Appius in milites suos animaduertit.

ANNVS MVNDI 3585.

IOACIMI Ducis & Pont. 18.

XERXIS 18. Imperij Persarum 69.

OLYMP. LXXVII. A. 4. VR. C. 284.

ANTE CHRISTVM 468.

I. Ortus Socratis.

VLtimo anno Olympiadis huius natus est celebris ille Socrates, autore Laërtio, qui sententiam suam Apollodori in Chronicis, & Demetrij Phalerei autoritate confirmat. Addit etiam diem sextum mensis Thargelionis, id est sub finem mensis Aprilis. Quo die, inquit, lustrant Athenienses ciuitatem, Dianamque natam Delij tradunt. De Athenarum Prætore cõtentio est, Laërtio Aphepsionem, Diodoro Siculo Phædonem suggerente. Laërtium hæc ex instituto tractantem probabiliorem puto. Eo ne porro in potestatem Athemensium Cimonis auspiciis redacta, itum est in Scyrum insulã, in Ægæo sitam, quam Dolopes incolebant, eãque incolis in seruitutem abstractis diripuerũt, & colonia eò missa ipsi incoluerunt. Ita l. 1. Thucydides. Addit in Cimone Plutarchus Dolopes istos mare infestum habuisse rapinis, & ne ab hospitibus quidem, & negotiatoribus suis abstinuisse. Iis ergo perdomitis, Cimon Ægeum mare pacauit, ex eaque insula Thesei Lipsana, post 715. annos, Athenas retulit, de quibus ne pigeat Annales consulere.

Res in Syro à Cimone gesta, Dolopes.

II. Sophocles claresc it, & vincit Æschylum.

Athenienses eam Cimonis gratiam muneratisunt, eo iudice constituto in tragœdorum certamine, in quo vicisse Sophoclem tradunt, Æschilumq; ægerrime id ferentem in Siciliam concessisse, ibique mortuum. Apparet pudori fuisse, quod ætate prouectus, sæpiusque iam victor, ab adolescente in prima eius fabula, à vitis grauissimis victus iudicatus esset. Scribit enim Suidas, eum in pugna Marathonia cum fratribus contra Persas pugnasse, & poetico certamine vicies & octies, vel, vt alij tradunt, decies & ter victorem extitisse. Subdit autem de morte ipsius. Cum autem collapsis tabulatis eo tragœdiam agente, in Siciliam fugisset, testudine ab aquila in caput eius deiecta, periit, anno ætatis 58.

Æschyli mors.

Hoc anno Romæ quæstio de agrorum diuisione renouatur à Tribunis, quod vtrumque Consulem haberent fauentem. Venerunt ergo in Senatum & moderata oratione antiquũ S.C. de agrorum diuisione ratum haberi, & decemuiros in eam rem creari postularunt. Primus sententiam rogatus L. Æmilius pater alterius Consulum, sibi è Repub. videri dixit, vt bona publica ab omnibus potius, quam à paucis possiderentur. Eam sententiam Appius Claudius superioris anni Consul, non solum accurate, sed etiam aspere atque acerbe; suo more refutauit, & in plebem instituto patrio fusius inuectus est, iis in sua accusatione positis, quæ superiore anno à suo exercitu passus fuerat, vt non præmio nunc, sed pœna, tanquam de Repub. male meriti, dignissimi iudicandi sint. In quam sententiam cum cæteri ferme omnes discessissent, Tribuni repulsam passi, in Appium ita fremere, & vltionem meditari.

III. Proagrorum diuisione cõtentio.

Appius ei acriter restitit.

Placuit ei diem dicere apud populum, & hominem capitis accersere. Cumque ei pro concione multa crimina obiecta essent, ille antequam iudicij aduenisset dies, neque rei habitũ sumere, neque populo supplicare per se aliumue voluit, sed quasi populo insultans, sibi ipsi miser violentas intulit manus. Causam suam semel dixisse ait Liuius, sed accusatorio spiritu, quo semper agebat omnia; adeoque constantia sua & tribunos obstupefecit, & plebem, vt diem ipsi sua voluntate producerent. Perlato deinde in forum corpore, cum Tribuni non sinerent eum more maiorum à filio laudari, sed iuberent cadauer è foro tolli, restitit eis populus, funebremque orationem adolescenti permisit, imo æquis auribus audiuit, & exequias frequens celebrauit. Nimirum insitum est hominibus non certare cum mortuis, & quantasuis inimicitias, eodem quo mortuos tumulo sepelire; qui secus faciunt humanitatem penitus exuerunt.

IV. Vocatur in iudicium. Eius cõstantia, & cædes voluntaria.

Funus laudatur à filio.

Sequenti anno quo Olympias 78. inchoata est, nihil admodum memoria dignum repertio. Romæ tamen pro re agraria excitabatur seditio, & vltima vis parabatur, vt ait Liuius, cum Volscos adesse, fumo ex villarum incendiis, & agrestium fuga cognitum est; cum Numicius Consul, oppidulum quoddã maritimum eorũ occupauit, quod Antiatibus erat nauale simul & forum, quod totum permissũ consulis militi cessit in prædam, mancipia, pecuniæ, pecora, merces. Captæ sunt etiam naues longæ 22. & alia nauium armamenta. Incensæ ædes, diruta nauium receptacula, æquata solo mœnia. Posthæc coniunctis duobus exercitibus fines Sabinorum ingressi, agrosque depopulati sunt, & sub anni finem domum copias reduxerũt. Quæ populationes & prædæ cum pene quotidianæ essent, & iis omnium circunquaque populorum opes Romam transferrentur: mirum plane fuit diuinum iudicium, quo fiebat vt perpetuisti populorum prædones, penuria atque

V. Res gestæ contra Volscos.

Prædæ multiplex.

pediuit. Cum enim proximo anno Quintij auspicijs aliquantum agri captum esset à Volscis, Patribus autor fuit vt Antium, propinquam & opportunam vrbem, colonia deduceretur. Ea sententia cum probata esset, & Triumuiri agro diuidendo creati essent, refrixit multorum studium, quod mallent Romæ, quam alibi agrũ accipere. Eo nihilominus colonia deducta est. Porro Fabius cum copias aduersus Æquos duxisset, pacem illi & amicitiam maluerunt quam bellum; & pro ea obtinenda legationem non irritam inierunt, ea lege, vt Romanorum subditi essent. Nihil tamen præter auxilia, quoties accita essent, propitijs sumptibus præbere cogerentur.

Pax inita cũ Æquis

ANNVS MVNDI 3589.

IOACIMI Ducis & Pont. vlt.

XERXIS 22. & vlt. Imp. Persar. 73.

OLYMP. LXXVIII. AN. 4. V. C. 288.

ANTE CHRISTVM 464.

I. Pax cum Æquis corrupta.

ROmana huius anni res paucis expediri potest. Erat enim domi ab agrarijs contentionibus quies, & eam vel ipsi morbi, quibus hic annus Romæ obnoxius fuit, imperabant. Ab Æquis tamen fœdus propere violatum est, prædonibus eorum, agrum Latinum incursantibus. Ad eos missus Q. Fabius, qui fœdus cum gente pepigerat, quæsiuit num publico consilio prædones excurrissent. Quod cum illi negarent, nec tamen res ablatas repetenti, & fontes ad supplicium deposcenti acquiescerent, furtim potius arma pararent, bellum eis per feciales denunciatum est, quod propter vrbis valetudinem, non nisi sequenti anno gestum est.

II. Mors Xerxis.

Mortuus autem est hoc anno Xerxes. Cum enim primus Artaxerxis cadat in annum primum Olympiadis 79. vt dicetur, oportet totam 78. partim Xerxi, partim interfectori eius Artabano tribui. Cumque hic dicatur ab Eusebio in Chron. septem regnasse mensibus, oportebit Xerxem priores quinque menses vltra viginti & vnum annum regnasse. Sed id mox videtimus. Diodorus ergo anno quarto Olympiadis 78. scribit Artabanum natione Hyrcanum, principem satellitum regiorum, Xerxis necandi, regnique ad se transferendi consilia iniuisse; partim ignaui regis contemptu, partim septem robustissimorum filiorum fiducia, cum quibus vesperi regiam ingressus est, introducente Mithridate regio cubiculario; statimque Artabanus regem obtruncat; eodemque ardore ad filios eius properat. Hi tres erant, Darius natu maximus, Artaxerxes, & Hystaspes, qui tum aberat in Bactrianorum præfectura.

Artabani scelere.

III. Et mors Dariieius dẽ fraude.

Tum Artabanus profunda adhuc nocte ad Artaxerxem properat, nunciatque patrem à Dario fratre, regni occupandi gratia interfectum, eandem sibi, nisi maturè prouideat, imminere pestem; itaque vltione de patricida sumpta regnum sibi occuper; ad id facinus omnia se stipatores regios auxilio præbiturum. Persuasus nimium facile Artaxerxes, eiusdem opera dormientem Darium, quasi somnum fingeret, interfecit. Hic Artabanus ex improuiso Artaxerxem stricto ferro inuadit, & diuina opitulante prouidentia, leuiter ferit. At is strenue in percussorem insurgit, & lethali vulnere inflicto prosternit; moxque filios eius sceleris tanti consçios, & adiutores, corripi iubet, atq; mactari. Ex qua narratione à Diodoro & Iustino mutuata, intelligitur nullum tempus Artabani tyrannidi esse tribuendum, sed Xerxem, eiusque primogenitum Darium sub anni finem interfectos, & vtrique Artaxerxem successisse. Is μακρόχειρ, siue Longimanus dictus est, quod manum siue brachium dextrum altero longius haberet, vt ait Plutarchus in eius vita; vbi etiam ait eum magnitudine animi, & lenitate præstitisse.

Periculũ Artaxerx.

Artabanus non regnauit.

Interea Themistocles cum Pydnæ aliquandiu substitisset, nauem nactus onerariam, quæ in Ioniam proficiscebatur, eam conscendit, sed tempestate delatus est in castra Atheniensium, qui Naxios obsidebant. Eo casu territus, nauclero tam minis quam promissis persuadet, ne quem quam naui exire patiatur, sed eam retineat in anchoris, dum sedata tempestate vela facere liceat, quod ille consilium secutus, Ephesum peruenit, vbi Themistocles nauclerum suum copiose remuneratus est; plurimas enim pecunias tum Athenis ab amicis missas accepit, tum Argis, quas ibi habebat depositas. Ita Thucydides & Plutarchus. At Theopompus deprehensam & publicatã summam centum talentorum, Theophrastus 80. fuisse aiunt, cum ne tribus quidem talentis eius bona æstimari potuissent, priusquam Reipubl. gubernationem attingeret. Naxus porro paulo post in Athenienſium potestatem deditione tedacta est.

IV. Themist. migrat in Asiam.

Eius ópes.

Naxi dedit.

ANNVS MVNDI 3590.

ELIASIB Ducis & Pontificis 1.

ARTAXERXIS Long. 1. Imp. Pers. 74.

OLYMP. LXXIX. AN. 1. V. C. 289.

ANTE CHRISTVM 463.

I. Ratio tẽporis.

TEstes habemus huius nostræ Chronologiæ Eusebium in Chronicis, & Catalogum Olympionicarum, & in primis Dionysium Halicarn. libro nono, & Diodorum libro vndecimo, qui addunt Xenophontem Corinthium in stadio vicisse, Archemidem autem Athenis fuisse Prætorem. Nouum quoque cum Rege nono Pontificem de more ponimus; quia etsi ex Nehemia constat Eliasib fuisse Hierosolymis Sacerdotem magnum regnãte Artaxerxe, quoto tamen anno Pontificatum inierit, aut terminarit non constat. Sed de rege ipso maior est controuersia, quod pertinet ad sacram Historiam cum profana copulandam, fuerit ne is maritus Esthetis necne. Nam vix vllus Persa-

Nouus Pontifex. 2. Esd. 3. 1.

tum rex fuit, cui non plerique Estherem connubio sociarint, vt in Annalibus diligenter ostendimus.

II. Esther vxor Artaxerxis Longimani. Esth. 2. 16.

Sed omnibus aliis procis repulsam passis, solus Estheris reginæ coniux, nobis erit Artaxerxes Longimanus. Certe Iosephus historiam libri Esther ad Artaxerxem filium Xerxis retulit. In eadem sententia sunt plerique antiqui, recentioresque, Seuerus Sulpitius, Nicephorus Constant. Suidas, Zonaras, Viues, Sabellicus, Bellarminus, Caietanus, aliique apud Seratium, quibus libenter subscribimus. Nam & nomen conuenit, & beneuolentia in Iudæos, & veri Dei cognitio, & regni amplitudo, & commoratio in Perside, & regni diuturnitas, & similitudo morum, & si quæ sunt alia, quorum singula vt aliis fere Persarum regibus conueniant, huic conueniunt vniuersa, vt sequentia docebunt. Quæ autem contra Longimanum argumenta iaciuntur, ibidem dilutа reperiuntur.

III. Qui & Assuerus. Esth. 1. 3.

Sit ergo positum non alium esse quærendum Assuerum, siue Artaxerxem, vt eum Septuag. nominant, quam Artaxerxem Longimanum: quem scribit Diodorus, vindicato nuper imperio, & paternæ cædis autoribus supplicio affectis, regni sui statum composuisse, satrapas sibi minus beneuolos exautorasse, fidis atque idoneis in eorum locum suffectis. Iosephus quoque ait Artaxerxem, post susceptum imperium, & constitutos ab India vsque ab Æthiopiam 127. satrapas, conuiuium celebrasse, anno regni sui tertio. Nimirum id negotium & magni momenti & magni operis, hunc & sequentem annum videtur tenuisse, rege præsertim contra Græcos bellis, & suorum defectionibus occupato. Quibus rite compositis, tertio anno nobilissimum illud conuiuium celebratum est.

IV. Themistoclis ad eum literæ.

Hoc autem Themistocles, qui nuper traiecerat in Asiam, Artaxerxis amicitiam scriptis ad eum literis experiit, in quibus ingenue confessus se, dum hostis fuit, plurimis affecisse malis Persarum imperium, pluribus tamen affecisse beneficiis profitetur, puta cum impediuit pontium dissolutionem in Hellesponto, ad tutum patris eius receptum. Affirmabat quoque se rem Persicam vehementer promouere posse & velle, qui in odio Græcorum sit, propter suam in ipsum beneuolentiam. Postremo se intra annum ipsum aditurum, & coram aduentus sui causam declaraturum. Volebat autem intra illum annum addiscere linguam Persicam moresque, vt sine interprete tuto ac decenter, cum rege agere posset. Quod rex plurimum probauit: Interea Cimon valida cum classe transgressus in Asiam, ea damna Persis reponere voluit, quæ dudum Xerxes traiecto Hellesponto Græcis intulisset. Fuit autem ea classis nauium trecentarum partim Athenienſium, partim sociarum vrbium, quibus Cariam occupauit & Lyciam, quæ à Persis ad Græcos defecerunt. Persæ quoque gemino exercitu terrestri naualique in Græcos pugnarunt: & nauali quidem ad Cyprum, vbi postquam diu fortiter ab vtrisque pugnatum, (nam Athenienses & Phœnices qui pro Persis pugnabant, erant in naualibus præliis admodum exercitati) ad extremum tamen victoria cessit Athenienſibus, qui multis hostium nauibus afflictis & pessundatis, plures quam centum ipsis classiariis, in potestatem redegerunt. Reliquis nauibus ad Cyprum fuga dilapsis, milites quidem in terram euasere: at naues propugnatoribus vacuæ, in manus Græcorum venere, quibus Cimon magna arte in hostrum perniciem est vsus.

Cimonis gesta in Asia.

V. Et terrestris ad Eurymedontem.

Cum enim accepisset pedestres Persarum copias ad Eurymedontem Pamphyliæ fluuium statiua habere, in naues paulo ante expugnatas fortissimos quosque suorum, tiaris & teltquo ornatu Persico instructos collocat, vt eas sub noctem venientes barbari pro suis accipiant, figura & apparatu nauium decepti. Nocte autem oborta Cimon militem exponit, & pro amico receptus, in castris barbarorum incredibilem stragem excitat, tumultu, terrore, & cædibus replet omnia; adeo vt Pheredates, regis ex fratre nepos, occisus fuerit. Cum autem scirent Græcos nauali tantum exercitu esse instructos, Pisidas finitimos sibi iampridem inimicos, ex continenti & inopinato se adortos putabant; itaque ad naues quasi locias refugiebant, vbi hoste reperto, ingenti strage medius in tenebris affecti sunt. Postera deinde luce, trophæo illic erecto, in Cyprum renauigant, gemina victoria nauali altera, altera terrestri vna die potiti. Nihilominus Thasij, qui & Thalatij à Ptolemæo dicuntur, ab Athenienſibus defecerunt, controuersia de metallis & emporiis oborta. Verum nauali prælio victi, obsessique, tertio denique anno se dediderunt.

Eiusdem stratagema.

Thasiorũ defectio.

VI. Romanarum res.

Denique hoc anno Romani Consules contra Æquos, æquo primum marte pugnarunt, deinde variis excursionibus, variis sese damnis effecere. Altero deinde prælio deuicti, desertis castris intra mœnia se receperunt. Romani cum præda Romam reuersi sunt, quoniam aliis tradendus erat magistratus.

ANNVS MVNDI 3591.

ELIASIB Ducis & Pont. 2.

ARTAXERXIS 2. Imperj. Pers. 75.

OLYM. LXXIX. A. 2. VR. C. 290.

ANTE CHRISTVM 462.

I. Somnium Mardochæi. c. 11. 1.

IN hunc annum Artaxeris secundum cadit somnium Mardochæi; sicut & Themistoclis ad regem profectio, Ægyptiorum à Persis defectio, obsidio Thasiorum, & annus Sabbaticus 144. Vt autem à re sacra ducamus initium. *Erat Mardochæus homo Iudæus*, ait Scriptura, *qui habitabat in vrbe Susis, vir magnus & inter primos aulæ regiæ*, id per anticipationem dicitur, non enim tali erat tempore somnij, sed longe post. Erat autem de eo numero captiuorum, quos transtulerat Nabuchodonosor rex Babylonis de Ierusalem cum Iechonia rege Iuda. Id factum anno regni Nabuchodonosoris octauo, ex quo ad hunc annum numerantur anni 156. quibus si addas annos quatuordecim, quibus forte tunc natus erat, fient 170. Itaque dicendus est translatus in anno suo, vel proauo, à

An & quo modo translatus.

quibus

quibus in captiuitate genitus est. Sic Zorobabel & Iosue & Nehemias, alijque dicuntur reuersi in Ierusalem de captiuitate, quam tulerat Nabuchodonosor: qui tamen nunquam viderant Ierusalem, nec translati inde fuerant, sed eorum parentes.

1 Esdr. 2. 1 2.

II. Expositio somnii.

Obscurum autem tunc somnium historia subsecuta aperte declarauit. Aman enim & Mardochæus dracones erant, ambo quippe potentes, amboque vigiles, alter ad seruandam alter ad perdendam Iudæorum gentem; ambo tremendos sibilos, per nuncios toto Artaxerxis imperio dimissos, ediderunt. Fons etiam recte repræsentabat Estherem, quæ non solum à paruis initijs magna facta est, sed magnum etiam restrinxit incendium. Exacto porro anno à traiectu Themistoclis in Asiam, regem adijt, ab eoque peramanter, perque honorificè acceptus est, tantaque in gratia apud eum fuit, non solum vt in virorum principum inuidiam incurreret, sed vt res abiret in prouerbium. Memorant enim, inquit Plutarchus, subsecutos quoque reges, quoties cuiuspiam Græci opera indigerent, polliceri solitos, & scribere, maiorem apud se fore Themistocle. Addit quoque vsque adeo sibi gratum fuisse aduentum eius, vt dijs gratulabundus sacrificarit, oraritque vt dij eam mentem suis aduersarijs darent, vt tales viros de medio sui submouerent. Inde mox injisse conuiuium, ac præ gaudio in nocte illa ter exclamasse dormientem, habeo Themistoclem Atheniensem.

Themistocles Regem adit.

III. Eius apud eundē gratia.

Eius gratiæ causas refert Thucydides, tum pristinam hominis dignitatem, tum spem quam ei præbebat, fore vt Græciam in eius potestatem redigeret, tum quod plurimum prudentia præstaret. Iunit etiam eam gratiam præsens rerum status. Gemina enim clades eodem die ad Cyprum & Eurymedontem accepta, Regi optimis belli ducibus indigenti, Themistoclem facile conciliauit, qui ferret eum Græcis infensam, propter eius in Persas beneuolentiam, quam propterea sibi persuadebat fore constantem. Hæc ipsa gratia eximia regis liberalitate se prodidit. Nam præter ducenta talenta, quæ illi in aduentu dedit, tres illi vrbes mox tradit, Magnesiam, quæ illi quotannis quinquaginta talenta pendebat, pro pane, Lampsacum vero pro vino, Myuntem autem pro obsonio: quidam addunt duo in Throade oppida in vestes & stragula. Addit Diodorus datam illi à rege vxorem, multamque familiam, omniaq; ad magnificum vitæ cultum: adeo vt in conuiuio splendido, sibi filijsque suis gratulando, diceret, perieramus filij, nisi perijssemus. Sed de Themistocle hactenus hoc loco.

Regis in Themistoclem liberalitas.

IV. Terræ motus Spartæ.

Memorabilis hoc anno clades in Spartanos incubuit, ex ingenti terræ motu, qui plurimis domibus euersis supra 20. Lacedæmoniorum millia obtriuit. Eam occasionem Iotæ ac Messenij Spartanis iam pridem infensi corripuerunt ad Spartam propugnatoribus vacuam euertendam. Sed cum inuenissent Archidamum regem, cum vrbis reliquijs, extra vrbem paratum ad hostem expediendum, à cœptis desitierunt: munitum tamen in Messenia locum Ithomen occuparunt, vnde assiduis incursionibus Lacedæmonios vexarent. Qui sociarum vrbium, nominatimque Atheniensium opem

Origo belli Peloponnesiaci.

implorarunt, à quibus cum copias Cimone suadente, ad vrgendam Ithomes obsidionem impetrassent, moxque animaduertissent, Atheniensis clam ad Messenios inclinare, eos dimiserunt. Quam illi dimissionem contemptum interpretati, magno deinceps odio Spartanos prosecuti sunt, adeo vt hinc grauissimum inter eos bellum Peloponnesiacum exortum fuerit, & in multos annos exarserit.

Athenienses hoc ipso tempore quo Thasios obsidebant, ad Strymonem Thraciæ fluuium decem millia colonorum tam suorum, quam sociorum miserunt, vt sibi vindicarent oppidū, quod tum Nouem-viæ, postea Amphipolis dictum est, quod à flumine cingeretur, indeque ad Mediterranea progressi, à Thracibus, quibus infestus erat ille locus, ad Drabescum profligati sunt.

V. Nouem viæ siue Amphipolis.

Romani porro Consules contra Æquos ad Volscos dubio prælio & ancipiti victoria decertarunt. Et primò quidem Antium, quod ad defectionem spectabat, validiore Romanorum præsidio in fide retentum est. Cum autem vterque exercitus mediocribus cum copijs sibi occurrissent, & Romani castris se continerent dum ea cōmodiore loco collocassent, Æqui Romanis insultabant, idque etiam ferocius fecerunt cum eis subsidia maiora subinissa essent. At Consul qui suos vtrique populo multum impares cernebat, subsidia ab vrbe celeriter experijt. Prima luce profectus est T. Quintius, qui ter Consul fuerat, cum quinque millibus voluntariorum. Alter etiam Consul, cum primū copias aliquas coëgisset, iussus est Quintium sequi. Hæc suspicati Æqui maiore conatu castra Romanorum oppugnarunt, priusquam auxiliares adessent. Et iam ex vtraque parte vallum conscendebatur. Cum erumpens Cōsul cum lectissima iuuenum manu, forti hostem dimicatione repulit, quos frater Consulis, idemque legatus, cum duabus cohortibus incautus persecutus, ab ijs circumuentus ac deletus est.

VI. Res Romana cōtra Æquos & Volscos.

Tum iterum ad castra Romanorum, ad extremam pene rerum desperationem pugnatum est, cum sub vesperam Quintius cum suis apparuit, simulque oppugnatio castrorum cessauit. Cumque aliquandiu in castris exercitus vterque quieisceret, Æqui & Volsci partem exercitus sui ad prædam in agrum Romanum longius dimiserunt, sed in reditu cum in Posthumij copias incidissent, post acerbum prælium aliquando fracti, & vita & præda spoliati sunt. Eam cladem vbi audierunt qui erant in castris, prima statim nocte in patriam redierunt.

VII. Primum dubia, deinde prospera.

Romani, non incruenta victoria potiti, vrbem repetiere.

* * *

ANNVS MVNDI 3592.

ELIASIB Ducis & Pont. 3.

ARTAXERXIS 8. Impetij Persar. 76.

OLYMP. LXXIX. A. 3. V. C. 291.

ANTE CHRISTVM 461.

I. Solenne Artaxerxis epulũ

ANNVS Longimani tertius, epulum illud solenne habet, quod Estheris primo continetur, cum Reginæ Vasthi repudio. Nec est quod quis parum probabile putet tantum, tamque diuturnum conuiuium, dum expeditio maximi momenti contra Ægyptios esset in manibus. Nam neque Rex ipse proficiscebatur ad bellum. Neque necesse est omnes omnium Prouinciarum Satrapas simul adfuisse conuiuio, sed apparet alios alijs successisse, sicut visum est Caietano. Adde quod valebat ista celebritas, non solum ad Regiam magnificentiam ostendendam, sed ad magis magisque sibi demerendos recens electos Satrapas, siue quos emittebat ad bellum, siue quos in suas prouincias remittebat. Quid quod Rex ipse conuiuiorum studiosior fuit? Vnde Esther ad eius se appetitum ac propensionem accommodans, semel iterumque eum excepit conuiuio, antequam illa aperiret, quod habebat in animo.

II. Primum Optimatibus ad sex mẽses

Tũ toti populo ad 7. dies, eiusq; magnificẽtia

Tempus ergo conuiuij quod Principibus & primarijs viris exhibitum est sex mensium fuit, id est, 180. dierum. Vltima tamen sexti mensis Hebdomada vniuersum populum Regiæ ciuitatis magnificentia Regia complexa est, à minimo vsque ad maximum, sic enim videtur accipiendum illud, *Cumque implerentur dies conuiuii.* Quamquam potest explicari cum impleti essent. Nam in Græco & Hebræo textu adduntur sex septemue noui conuiuij dies. Imo & in Latino. Mox enim additur, *& iussit septem diebus conuiuium præparari in vestibulo horti & nemoris*, id est, in atrio hortorum regiorum. Quin & locus conuiuij diuersus significatur, vt plebæi in atrio siue horti vestibulo conuiuio exciperentur, quos non conueniebat ad interiora palatij penetrare, quò tamen admittebantur viri principes: aut certe intra ipsos hortos & lucos, vbi deliciosissimi fontes & vmbracula, & infinitæ illecebræ voluptatum. Quæ suspicari licet ex ijs quæ de ipso atrij ornatu subduntur, totoque conuiuij regij apparatu, quo prouerbia illa Persicorum apparatuum, & mensarum Medicarum confirmantur. Vide Annales; nam hic fastidiosis etiam regiorum conuiuiorum, rem indicasse sat est.

n. 5. 6. 7. 8.

III. Reginæ Vasthi cõuiuium.

Quæ autem de conuiuio regio dicta sunt, de Reginæ quoque conuiuio sunt intelligenda, neque enim minor est in mulieribus magnificentiæ cura, quam in viris: quod tamen non in propatulo, sed in palatio celebratum est; eaque separatio ad modestiæ & pudoris commendationem valet: eodemque referri potest illa ipsa reginæ ad regis euocationem recusatio. Vltimo enim die conuiuij, quo rex post longam palati & ventris hilaritatem, etiam oculos conuiuarum insigni spectaculo delectare voluit, pertinet ad totius celebritatis epilogum. Iussit ergo Eunuchos reginam introducere, posito super caput eius Diademate, vt ostenderet cunctis populis & principibus pulchritudinem eius. At illa, siue vt legi & consuetudini Persarum pareret, quæ vxores vetabant ab alijs, quam à domesticis conspici, vt ait Iosephus, potius quam regi temulento, siue arrogantiæ causa, vt scriptura significat, vocata non venit, stulto rege consultior, ait Sulpitius, pudens vitrorum oculis spectaculum corporis præbere.

A rege euocata non paret, an cũ culpa.

IV. De ea cõsultat, eãque repudiat.

Hic rex contemptum se putans, *Nimio furore succensus est*; fecit tamen quod vehementer irati non solent, vt consuleret sapientes; sed illud iniuste atque imprudenter, quod quasi magni cuiuspiam criminis reginam ream iam esse constaret, quæri voluit *cui sententiæ Vasthi regina subiaceret.* Id autem non in conuiuio quæsitum est, sed in septemuirorum consilio, qui videntur ijdem fuisse cum ijs, qui in libro Esdræ memorantur, vt dicitur à facie regis Artaxerxis, & septem consiliatorum eius Esdram mitti Ierosolymam. Ex quo non leuis coniectura ducitur Artaxerxem Esdræ eundem esse cum Estheris Assuero, quem Septuaginta, vt dixi, vocant Artaxerxem. In eo consilio Mamucham, siue quia ream putaret, siue quia regi, vt consiliarij solent, gratificari vellet, & ream pronunciauit, & regno priuandam censuit, id publici boni interesse contendens. In quam pœnam, licet delicto multo atrociorem, cum Rex eiusque consiliarij consensissent, Vasthi repudiatur, & de huiusmodi repudio vniuersæ prouinciæ edocentur, ad mulierem superbiam comprimendam. Hunc exitum habuit regium conuiuium. Nec videtur res vlterius hoc anno progressa.

Septẽ regis consiliarij.

V. Expeditio in Ægyptum.

Hoc ipso anno, vt ait Diodorus, Artaxerxes ducem belli Ægyptijs inferendi constituit Achæmenem, Darij filium, patruum suum, eique plusquam trecenta equitum peditumque millia tradens, Ægyptum expugnare iussit. Is in Ægyptum profectus, prope Nilum castra posuit, & refectis ab itineris labore militibus, ad pugnam se comparauit. Nec modicæ erant Ægyptiorum copiæ, ad quas Africanæ & Athenienſium ducentæ triremes accesserant; quibus, vt nauali bus prælijs exercitatis, victoria contigit. Et Memphim vsque progressi, duabus eius partibus potiti sunt, & tertiam, quæ Murus albus dicebatur, oppugnare cœperunt.

Ægyptiorũ & Athenienſium copiæ vincunt Barbaros.

VI. Thasiorũ deditio.

Hic quoque annus tertius est obsidionis Thasiorum, qui cum Lacedæmoniorum auxilia, contra Athenienses frustra expetita desperassent, se dediderunt, ijs conditionibus vt vrbis suæ muros demolirentur, naues traderent, & imperatam pecuniam tam in præsens, quam deinceps persoluerent; ipsis denique & continente & metallis cederent. Ita Thucydides. Qui addit Lacedæmonios, cum bellum aduersus Ilotas susceptum ad Ithomen longius produceretur, cum aliorum sociorum, tum etiam Athenienſium opem implorauisse, hosque Cimonẽ ducem, ex Thasiana expeditione reuersũ, cum non exiguis copijs misisse, vt paulo ante

Spartani Athenienſes euocãt, moxq; vt suspectos dimittunt.

dice-

dicebamus. Sed mox Spartani eorum audaciam, & ingenium ad res nouandas promptum reuerti, solos omnium sociorum dimiserunt. Quicum indignatione reuerti, deinceps aperte Lacedæmoniorum fautoribus infesti fuerunt, & Cimonem ipsum, vt ait Plutarchus, qui author eius fuerat auxilia submittendi, in decennium ostracismo exterminauere, & nouam cum Argiis ipsorum hostibus societatem initere. Et hæc semina fuerunt grauissimi belli Peloponnesiaci.

VII. Romæ pestilentia læuissima

Romæ autem, neque domi, neque militiæ, quidquam memorabile gestum esse tradit Dionysius, pestilentia acerrimè sæuiente, adeo vt Senatorum quarta pars ea absumpta fuerit, in ijsque ambo Consules, maior enim pars Collegij Tribunorum. Ea calamitas vbi vicinis gentibus innotuit, Æqui & Volsci eam occasionem arripuerunt, rati adnasisse tempus Romani Imperij exscindendi: cumque vastato agro sociorum, vrbem ipsam oppugnare ausi essent, oppugnationum imperiti, missilibus ex mœnibus retecti sunt, & in patriam, agro, quacunq; iter facerent, vastato, redierunt.

ANNVS MVNDI 3593.

ELIASIB Ducis & Pontificis 4.

ARTAXERXIS 4. Imp. Pers. 77.

OLYMP. LXXIX. An. 4. V.C. 292.

ANTE CHRISTVM 460.

I. Res anni huius.

RECORDATVR hoc anno Vasthi Artaxerxes, suorumque vius consilio, quærit quam illi substituat: Inuper Lacedæmonios contra Athenienses, à quibus tam breui tempore ingentia mala terra marique acceperat, sollicitat: & ipse nouam expeditionem contra Ægyptios, & Græcos, qui eis aderant, parat: quando etiam Themistocles in Asia moritur, & Megarenses à Lacedæmonijs deficiunt, seque Athenienſibus adiungunt. Romani autem Æquos & Volscos vlciscuntur.

II. Rex de Vasthi anxius.

Post quam igitur Assueri defertbuerat indignatio, recordatus est Vasthi. Significat Scriptura cœpisse Regem Sedato animo culpam Reginæ cum ipsius pœna componere, & animaduertere hanc illa esse longe grauiorem: quippe leuiculam mulieris, eiusque clarissimæ petulaciam, quales sæpe in familia contingũt, quamque prudenter dissimulare poterat, regni & coniugij priuatione in perpetuum castigarat. Vnde animum Regis subibat miseratio, accedente præsertim memoria antiquæ cum ea consuetudinis & beneuolentiæ: eximiæ item eius pulchritudinis, quibus animus labefactabatur, & de ea repetenda cogitabat. At huic cogitationi obsistebat decretum, quod iuxta leges Persas mutari non poterat. Itaque Rex, quasi nauis in medio mari, contrarijs agitata ventis, æstuabat.

III. Consilium eius suggerunt, vt virgines formosæ quærantur.

Quia Regis anxietate animaduersa consiliarij eius suggerunt ei, vt toto regno quæri iubeat virgines formosa præstantes, è quibus Rex eligat, quam placuerit loco Vasthi repudiatæ regnare. Itaque Rege annuente factum est. Contigit autem tum Mardochæum Iudæum esse Susis cum Esthere, quam, mortuo vtroque eius parente, adoptarat in filiam. Ea in numerum puellarum, quæ Regi quærebantur, adscita est. Placuit enim Eunucho Egeo, qui præcepit alteri cuidam Eunucho sibi subdito, vt acceleraret ei mundum muliebrem, cui addidit etiam septem formosas virgines, quæ Esthere honoris causa comitarentur, & cum ea in commodissima domicilij parte collocauit. Ea porro iuxta Hebræum, non indicauit Eunucho cognationem suam aut patriam, sicut nec rogata fuerat; quia cum Susis nata, vt videtur, & educata esset, omnes eam Susianam & Persam, non Hebræam putabant. Nam interroganti nolle respondere, suspicionem fuisset. Interea vero Mardochæus curam Esthers gerens, quotidie inambulabat iuxta domum, in qua electæ virgines seruabantur.

Cõsiliatur et suadet delectum virginũ, in quibus Esther.

Nõ agnita Hebræa

IV. Rex frustra Spartã tentat pecunia.

Hæc dum aguntur Susis, Artaxerxes ex Ægypto de clade suorum edoctus, familiares quosdam, cum magna pecuniæ vi, Spartam mittit, Megabazo duce, qui de bello Atheniensibus inferendo Spartanos sollicitent, ratus hoc pacto Athenienses, quorum ope Ægyptij viceranr, ad tutandam patriam retractum iri, & sic Ægyptios desolatos facile superandos. Etenim hæc Persarum postulatio non incongrua tempori, quo Athenienses societatem suam cum Spartanis abruperant. At cum Lacedæmonij neque pecunias acciperent, nec alijs Persarum postulatis aures præberent, & pecuniæ frustra consumerentur, Megabazes redijt in Asiam. Cum Rex desperatis Lacedæmoniorum suppetijs, nouam expeditionem parat contra Ægyptios, & Athenienses, qui cum eis erant. Copijs autem ingentibus Arrabazum & Megabizum præficit. Rogauit quoque Themistoclem, vt res Græciæ susciperet, præstaretque promissa.

V. Themistocles, oppugnet in patriã, se ipse perimit.

At Themistocles cum patriæ bellum inferre nollet, ac ne bello quidem interesse; sorte etiam existimans se, quæ Regi promiserat; præstare non posse, vt eximium colophonem, vt putabat, rebus à se præclarè gestis imponeret, existimauit sibi voluntaria morte esse pereundum. Itaque sacris operatus, conuocatosque complexus amicos, hausto, vt fama est, taurino sanguine, quem aiunt instar esse præsentissimi veneni, illico perijt, anno ætatis 65. vt habet Plutarchus. Eam mortem plerique laudauerunt; atque etiam illi trophæum Magnesiæ erectum est, gloriæ illius monimentum; sed cum grauissimo facinore coniunctum, vt in Annalibus perspicue demonstratum est. Hoc ipso tempore Megarenses ad Athenienses defecerunt, relictis Lacedæmonijs, qui Corinthijs Megarensium inimicis fœderati erant.

Megarẽses ad Atheniẽses deficiunt.

VI. Coss. Æquos vlciscuntur.

Romæ, vt primum Consules magistratum inierunt, pestilentia cessauit. Cumque nihil magis cordi esset toti ciuitati, quam pœnas sumere de ijs, qui male morbo affectam; insuper vexauerant, omnes sponte, etiam im-

munes militiæ nomina dedere. Volscos Vetturius afflixit, bellum oppidatim circumferendo. At Æqui Romam militibus vacuam arbitrati, cum se spe falsos agnouissent, deflexerunt de via, & agrum superiore expeditione intactum, populati sunt. Quo cum Lucret. Consul confestim accurrisset, Æqui certamen libenter inire, priusquam alter Consul sese Lucretio adiungeret: itaque fortiter vtrinque certabatur; donec ostentante se à tergo militum manu, existimauerunt alterum adesse Consulem, veriti ne circumuenirētur, amissis in bello ducibus, & militum fortissimis, se in fugam dederunt. Moxque Coss. vastatis hostium agris, reductisq; domum copijs, Lucretius triumphans, Veturius ouans vrbem ingressi sunt.

Deque iis triūphant

ANNVS MVNDI 3594.

ELIASIB Ducis & Pont. 5.

ARTAXERXIS 5. Imper. Pers. 78.

OLYM. LXXX. A. 1. VR. C. 293.

ANTE CHRISTVM 459.

DEgit Esther hoc tempore in domo Regia virginum electarum. Persæ autem post variam exercitationem militarem, ducibus Artabazo & Megabizo, in Ægyptum proficiscuntur, non temere sperata victoria. Hi ergo, vt narrat Diodorus, in hunc annum primum Olympiadis 80. in qua Torymbas Thessalus victor fuit, assumpta in Sicilia trecentarum nauium classe, assumptoque terrestri exercitu, per Syriam, & Phœniciam iter faciebant, præternauigante ad latus dexterum classe, cum Memphim tandem peruenissent, obsidionem Albimuri illico soluunt, Ægyptijs pariter & Atheniensibus aduentu hostium perterrefactis, prælioque superatis. Persæ, itaque Græcos Memphitide expellunt, & in Prosopitidem Nili insulam compulsos, ad 18. menses obsident. Sed obsidio sub anni huius finem inchoata, ad annum septimum Artaxerxis protracta est. Alio quoque damno affecti sunt Athenienses hoc anno. Namodium Corinthiorum in eos superiore annum conceptum ad apertam vim hoc anno erupit. Coactis enim copijs Corinthij assumptisque secum Epidaurijs, qui ab Atheniensibus quoque defecerant, ad certamen vocatos vicerunt; sed paulo post ab ijsdem nauali certamine ad Cecryphaleam superati sunt.

I. Persæ Ægyptios, & Athenienses vincunt.

Corinthii quoq; Athenienses à quibus Epidaurii deficiunt.

Romæ domesticæ turbæ à Tribunis excitatæ sunt, satagentibus, vt omnes ex æquo ordines ad tractandam Rempublicam admitterentur, & controuersiæ non ex potentiorum arbitrio, sed ex legum præscripto dirimerentur, eæque leges decem viri, legitimis comitijs à populo electi conderent, ac promulgarent. Huic rogationi Consules Patricijque vehementer obstiterunt, in quibus Cæso Quintius, qui calumnijs, falsisque testibus circumuentus, nequidquam omnia mouente parente, in exilium pulsus est. Eius socij nihilominus, ita dictis factisque Rogationem oppugnarunt, vt hoc Consulatu lex nullo pacto perferri potuerit.

II. Tribunō rū rogatio de creandis decemuiris legū latoribus.

Nō perfertur.

ANNVS MVNDI 3595.

ESDRÆ 1. ELIASIB 6.

ARTAXERXIS 6. Imper. Persarum 79.

OLYMPIADIS LXXX. A. 2. V.C. 294.

ANTE CHRISTVM 458.

SECVNDO anno commorationis Estheris in Gynetæo Artaxerxis, cœpit Esdras Sacerdos claresceré; quo à Rege obtinuit, vt Hierosolymam cum multis Iudæis proficisceretur, quò sequenti anno, qui fuit Artaxerxis septimus, profectus est, vt ipsemet Esdras capite 7. testatur. Vbi & genus eius Sacerdotale habetur, & doctrinæ testimonium, vt qui à Rege scriba doctissimus appelletur, nec iniuria. *Certum est* enim, inquit Hieronymus, *Esdram scribam, legisque doctorem, post captam Ierosolymam, & instaurationem templi sub Zorobabel, alias literas reperisse, quibus nunc vtimur; cum ad illud vsque tempus iidem Samaritanorum & Hebræorum characteres fuerint.* Quin etiam fatentur omnes, in primisque Theodoretus, eam Scripturam veterem, deprauatam tempore captiuitatis, restituisse. Prophetam quoque fuisse plerique censent, nonnulli etiam Malachiam, in quibus Hieronymus ipse, vt in Annalibus ostensum est.

I. Esdras io noscitur.

l. 1. c. 7. & 8.

In Prologo Galeato & Præfat. in li. Reg.

Præf. in Ps.

In eodem Esdræ loco, dicitur Regem Artaxerxem dedisse Esdræ, *Secundum manum Domini Dei eius super eum*, id est, iuxta diuinam inspirationem ei factam, *omnem petitionem eius.* Erat autem ipsi propositum Hierosolymam, cum socijs præsertim Leuitis, proficisci, & ibi docere populum legem DEI, & instaurare quæ vel in moribus, vel in DEI cultu deprauata erant. Sed in penuriam Sacerdotum, & Leuitarum ex Regis liberalitate subleuare, vt Regiæ literæ, quæ ibi funduntur, aperte docent. Quid autem contigerit, vt Rex tam propensus factus sit erga Esdram & Iudæos, non satis liquet. Nondum enim Esther, aut certè genus eius, ei notum erat. Iosephus significat eum legum suarum peritia, & opinione sanctitatis, in magna apud suos gloria fuisse, sicque in Regis notitiam atque amicitiam peruenisse. Torniellus satis probabiliter putat Esdram animo prophetico ei prædixisse prosperum rerum suarum successum, si verum Deum coleret, & ab eo implioraret opem, exemplo Cyrij, & Darij Hystaspis aui sui. Cum ergo is proximo anno rem in Ægypto, contra Græcos & Ægyptios prospere gessisset, Prophetam veridicum, & Deum eius honorare cœpit, facilem se postulatis eius præbere, & Regia munera in DEI cultum Ierosolymam destinare, vt ex regijs literis intelligi potest.

II. c. 7. 6. Quid actum sit Ierosolymis.

v. 10.

Qui factus Regi charus.

l. 12. c. 5.

An. 146. ex at.

In ijs primum dat potestatem Esdræ, cæterisque de populo Iudaico, proficiscendi Ierosolymam, tum eò deferendi aurum omne, &as-

III. Artaxerxis in Iudæos magnificētia

gentum, tam quod Rex & optimates, cæteriq; de populo, eorum amici. & in eorum legem & nationem bene affecti, Deo cœli dicare voluerint; quam quod populus Iudaicus, & sacerdotes ipsi sponte obtulerint. In argumentum quo quæ benevolentiæ & fiduciæ regis in Esdram, vult eum, cum in tem præsentem venerit pecunias expendere pro sua prudentia, prout res tulerit. Præter eam quoq; liberalitatem, offert vasa, aurea vtique & argentea, in ministerium domus Dei. Nam vasa alterius metalli, quæ futura erant magni ponderis, in tam longinquo itinere, satius erat Ierosolymis conflare. Deniq; addit vniuersè, cætera omnia, quibus opus fuerit in domum Dei, quantumcumq; necesse fuerit, datum iri de fisco regio; quibus verbis non solum sacrificia, & sartatecta templi, sed & victus sacerdotum comprehenduntur. Quam ob rem scribit ad quæstores suos in eandem sententiam addita etiam tributorum immunitate.

IV. Potestas ab Rege data Esdræ, eiusque professionis socij. c. 7. 25.

Reliqua est potestas Esdræ concessa constituendi Iudices & præsides, ad dirimendas populi Iudaici, quicumque trans Euphratē degerent, controuersias: constituendi etiam doctores, ad eundem populum in diuinarum rerum notitia instruendum: denique populum præuaricatorem pœna congrua delictis coercendi. His ita cum rege transactis, spiritu diuino confortatus Esdras congregauit de Israēl principes populi, qui venirent secum. Numerus eorum recensetur initio capitis octaui, in turmis duodecim, mille quingenti quatuordecim: quibus paulò post additæ sunt tres turmæ quæ efficiebant 261. omnes autē simul ascendunt ad 1775 Et hic quidem totus ad professionem apparatus ad annum sextum Artaxerxis pertinet; professio autem, quæ incidit in primum diem primi mensis, in sequentem, Scriptura dicente, filios Israēl ascendisse anno septimo Artaxerxis regis.

c. 7. v. 7.

V. Bellum Atheniē. contra Æginetas. *Diodor.*

Hoc anno bellum ab Athenienſibus contra Æginetas excitatum est, gloria vtrumque populum concitante, sed Æginetæ deuicti, domumque compulsi, nouem mensibus obsidentur quamuis Corinthij ad soluendam obsidionem, Athenienſium socios Megarenses bello vexarent. Verum Athenienses, nouis copijs pro Megarenſibus contra Corinthios missis, (præter eorum spem, quod crederent Athenienses, bello in Ægypto & Ægina distentos, non posse opem ferre Megarenſibus, nisi Ægina, relicta,) eos vicerunt, deq; Corinthijs trophæum excitarunt.

VI. Romæ turbæ & calumniæ Tribunorum.

Geminati sunt hoc anno, non sublati Romæ tumultus: quoniam Tribuni retinuerunt magistratum suum, neque peruicaciam deposuere; sed per fraudem & calumniam aggressi sunt à Consulibus & Patribus rogationem extorquere, ficta Patriciorum in plebem coniuratione, quam subodoratus C. Claudius Consul, eam coram patribus & plebe exagitauit, atque discussit. Interea Herdonius Sabinus, vir domi nobilis ac potens, cum clientibus & seruis nocte intempesta fluuio Romam delatus, Capitolium, arcemque contigiam occupauit. Sed illa ipsa nocte exorto clamore, tota vrbe ad arma concursum est, & Capitolium celeriter oppugnatum. In ea oppugnatione, cum Romani ex superiore loco peterentur, & inter angustias scanderent, facile opprimebantur, adeo vt alter Consulum Valerius interfectus sit. Tandem tamen arx vix capta est, Herdonius multa edita circa se strage, telis obtutus perijt: lucij. vltro accersita morte, plerique omnes interiere.

Finito hoc bello, siue latrocinio, statim Tribuni seditionem renouarunt. Sed Consul post alias vergiuersationes, opus esse dixit altero Consule, in demortui locum: nec se posse quidquam, nisi cum Collega, pro potestate agere. Indictis comitijs omnium suffragijs renunciatus est Consul L. Quintius, exulis patet: qui cum ex æquo & bono multas ciuium causas diiudicaret, esseque aditu facilis, & tota die pro tribunali sederet, ita plebi satisfecit, vt Tribunos non requirerent, nouas leges non desiderarent. Exacto Consulatus tempore, quamuis repugnante Senatu, abit magistratu, vt exemplo suo, & non verbo tantum, Tribunos reprehenderet, qui tertium iam annum in magistratu permanebant. Ipse autem sese tus, ad pristinum vitæ laborem, recepit.

VII. Surrogatur Consul.

Qui res componit & abit magistratu.

ANNVS MVNDI 3596.

ESDRÆ 2. ELIASIB Pontificis 7.

ARTAXERXIS 7. Imperij Persarum 80.

OLYMP. LXXX. AN. 3. VR. C. 195.

ANTE CHRISTVM 457.

CONuenerunt Babylonem Israëliticæ turmæ quas diximus: & profectionis diem primum primi mensis anni sacri indixerant, vt interim omnia ad profectionem pararentur, Esdras cum primoribus gentis suæ, regem valedicturi adeunt, gratiatque de tanta eius benevolentia, & beneficijs acturi. Nec tamen ausus est Esdras auxilia equitum bellatorum à rege petere, à quibus protegerentur in via, ne rex eam postulationem diffidentiam diuini auxilij interpretaretur. Primo ergo die mensis primi, qui dicitur Nisan, cœpit Esdras cum suis ascendere de Babylone, & congregari iussit omnes affluuium, ibique triduo mansit, dum Leuitæ qui deerant, congregarentur. Omnibus congregatis indixit Esdras ieiunium, & preces, ad propitiandum numen pro itinere prospero. Videtur autem fuisse octo dierum ieiunium, & inchoasse statim post illud triduum; nam duodecimo die progredi cœperunt.

I. Esdræ profectio de Babylone.

c. 7. 9.

Porro intra hos ieiunij dies, dedit Esdras duodecim sacerdotibus curam omnis auri & argenti Deo consecrati, quod appendit eis ac numerauit, volens esse obnoxios reddendæ rationi Ierosolymis, quod & fecit. Cum enim duodecimo die primi mensis se dedissent viæ, eamque intra menses quatuor sine vllo incommodo peregissent, Ierosolymam perueneruut, vbi tribus diebus quieti, amicorum congratulationi datis, quarta die appensum est aurum, & argentum, & vasa in domo Dei, iuxta numerum & pondus omnium, & scilicet omnium ratio constitit. Sacrificatum quoque est ab eo

c. 8. 33.

II. Committit sacerdotibus aurū & argentum.

Iter 4. mensiū.

populo, quem Esdras adduxerat, peractisque sacrificijs, tradita sunt Satrapis edicta regis Artaxerxis; qui tam populum quam domum Dei honore ac fauore prosecuti sunt, animaduersa videlicet Regis in eos insigni beneuolentia.

III. Coniugia cum alienigenis Esdræ nunciata.

Sequitur vxorium negotium Iudæorum cũ alienigenis, quod ab Esdra corrigendum erat. Vna enim de præcipuis causis aduentus eius erat, vt corrigeret, quæ depranata erant in populo, circa legem Dei. Postquam ergo completa sunt ab Esdra Ierosolymis, quę magis vrgere videbantur, & quæ ad templum ipsum, regiosque magistratus spectabant, accesserunt ad eũ principes populi, dixeruntq;, multos de populo atque adeo magistratus ipsos, sacerdotes quoque ac Leuitas coinquinatos esse coniugijs cum alienigenis. Quæ cum audisset Esdras scidit pallium suum & tunicam; capillos quoq; capitis sui, & barbæ euulsit, & sedit mœrens vsque ad tempus sacrificij vespertini; quo interim tempore conuenerunt ad ipsum, huius nouitate spectaculi, omnes timentes Deum, coram quibus, orauit ad Dominum, agnoscens & confitens peccata populi sui, propter quæ serui erant principum alienigenarum. Nominatimq; agnoscit & deplorat peccatum connubiorum illegitimorum.

Quæ ipse fletu prosequitur.

IV. Et populus quoque.

Quæ cum ille flens oraret, & iaceret ante tẽplum Dei, collecta est ad eum magna populi multitudo, quæ exemplo Esdræ in fletus soluta est. Et forte pleriq; lacrymarum causam adhuc ignorabant, sed tanti sacerdotis, & principis populi lacrymæ, omnes ad fletum incitabant. Facile enim sibi persuadebant magnam aliquam ac publicam subesse causam lacrymarum. Tum accessit ad eum Sechenias, authorq; fuit Esdræ, vt populus voto se obligaret Deo, ad repudiandas profanas vxores, & earum filios eiciendos, iuxta legem Domini. Surrexit ergo Esdras, & adiurauit principes Sacerdotum, Leuitarum, & omnem Israël, vt iuramento firmarent promissionem factam Deo. Et quoniam oportebat eũ, pro potestate sibi tradita, malo adhibere remedium, intra triduum conuentum indixit, graui pœna absentibus proposita, priuationis bonorum omnium, & ciuitatis.

Qui promittit repudium.

V. Constituuntur iudices expediẽdo negotio.

Conuenerunt igitur omnes viri Iuda & Beniamin in atrio templi, vigesimo die mẽsis noni quibus Esdras denunciat repudia vxorum alienigenarum. Cui assioni celeriter vniuersa multitudo consensit, etsi valde operosum erat id negotium, & ad multos pertinebat; centum enim & tredecim familiæ in textu numerantur. Rogarunt autem vt ad eam rem prudenter expediendam, constituerentur iudices, per quos connubia ista diirimerentur. Quod & factũ est. Duo enim constituti sunt, cum præcipua potestate superearẽ, quibus additi sunt locij duo, qui rem totam intra spatium trimestre confecerunt. Probabile autẽ est licuisse retinere alienigenas vxores, & ex iis susceptos liberos, siue adueri Dei cultum traduci patererentur, sicut moris erat in mulieribus bello captis. Singuli autẽ pro peccato arietem in sacrificium obtulerunt.

Et trimestri spatio peragitur.

Deut. 21. 10.

Sunt qui hoc anno 70. Danielis hebdomadas inchoari putent; quę autem pro illa opinione faciunt, in Annalibus dicta sunt. Hîc res tota ad annum vigesimum Artaxerxis differenda est.

VI. Estheris nuptiæ.

Huc autem Estheris nuptiæ pertinent, quæ ducta est, vt ait Scriptura, ad cubiculum regis Assueri mense decimo, qui vocatur Tebeth, anno septimo regni eius, peractis prius quæ de more à reliquis virginibus factitari solebant. Nec tamen quæsiuit muliebrem cultum, extraordinarium scilicet, sed quæcumque voluit Egeus Eunuchus custos virginum, hæc ei ad ornatum dedit. Motus nimirum modestia & facilitate puellæ, sponte dedit quæ iudicauit conuenire. Erat quippe formosa valde, & incredibili pulchritudine omnium oculis gratiosa & amabilis videbatur. Non est autem existimandum eam Regis libidini ante nuptias expositã. Intelligendum enim est omnes illas virgines cum deducebantur ad regem, factas fuisse illius concubinas, id est inferioris notæ coniuges nisi si quam Rex ad Reginæ dignitatem vellet euehere, quod Estheri contigit, quæ decimo mense facta est Regis concubina, duodecimo autem Regina, vtrumque enim tempus Scriptura suggerit.

Esth. 2. 16

Prius cõcubina, tum regina fuit.

Serar. Caret.

Qua in re Esther non tam Mardochæi, quem loco parentis habebat, aut Regis, quam Dei acquieuit voluntati, qui has nuptias in publicum gentis Iudæorum bonum destinabat. Quis autem esset affectus Estheris ad has nuptias, ipsa postea confitebatur Domino. *Nosti Domine*, inquit, *quia oderim gloriam iniquorum, & detestet cubile incircumcisorum, & omnis alienigenæ.* Nimirũ non ignorabat religiosa puella, nisi Deo has nuptias conciliante, illicitas fore lege Mosaica. Nisi placet illam prohibitionem ad illas tãtum 7. gentes referre, quæ eo loco memorantur, & erant subiectæ anathemati. Quid quod nonnulla etiam spes erat conuersionis ipsius Assueri, opera Estheris? Vt qui Deum cœli non solum agnosceret, sed hoc ipso tempore magnis muneribus honorasset, & populum eius insigni fauore prosequeretur.

VII. Anlegitimæ nuptiæ.

Esth 14. 15.

Deut. 7. 1. 23.

Adamauit ergo Estherem Rex, & eam prætulit omnibus mulieribus, & concubinis suis, & posuit diadema regni in capite eius, & eam reginam esse voluit loco Vasthi. Et nuptiale cõuiuium iussit magnifice præparari cunctis principibus, & aulicis suis. Quin etiam voluit omnes subditos suos participes esse lætitię suæ. Dedit enim requiem vniuersis prouincijs à pensitatione tributi. Eximia quoq; dona Reginæ data, minimè dubium est, etsi id scriptum non est, quæ scilicet tantam dignitatem decerent, & singularem amorem testarentur.

VIII. Celebrãtur nuptiæ.

Quod ad res Persarum in Ægypto attinet, cum decimus octauus mensis ageretur, ex quo Athenienses, qui Ægyptijs rebellibus subsidio venerant, & cum ipsis in Prosopidite Nili insula concluli erant, in potestatem Persarum insula venit. Nam Megabyzus exsiccato fossæ alueo, & aqua aliò auersa, effecit vt naues in sicco considerent, itaque insulam cum peditatu traiiciens cepit. Sic igitur, aiit Thucydides, pertetunt res Græcorum, qui bellum in Ægypto sex annos gesserant, & ex multis perpauci Cyrenem, indeque in patriam salui peruenerunt. Sed auxilia 50. triremium, quæ tardè Athenienses in Ægyptum summittebant, accepta iam clade, in Phœnicum classem incidere runt, ab eaque profligata sunt. Sed & mox ad Tanagram Bœotiæ à Lacedæmonijs, Thessa-

IX. Persarũ de Ægyptijs, & Athenẽsibus victoria

Thuc. l. 1. p. 71 Gr. Lat.

lo rum

lorum defectione, victi sunt. Ægyptus autem redijt in ditionem Regis. Inarus vero Afrorum rex, qui omnium harum turbarum autor fuerat, per proditionem captus, in crucem actus est. Sic proditione captus proditor, supplicium proditorum & latronum in Africa, & rex, & Afer passus est.

X. Romana res.

Apud Romanos vterque Consul re bene gesta de Æquis Volscisque triumpharunt. Cornelius Antium vi cepit. Quidquid auri argentiq;, ac pecuniarum inuentum est, relatum est in ærarium, reliqua præda militi permissa. Deinde tam ex colonis, quam ex veteribus Antiatibus nobilissimi, defectionis autores fuisse conuicti, magno numero securi percussi sunt, prius verberibus lacerati. Æquis etiam concessa pax, quę breue admodum tempus tenuit.

ANNVS MVNDI 3597.

ESDRÆ 3. ELIASIB 8.

ARTAXERXIS 8. Imperij Persarum 81.

OLYMP. LXXX. AN. 4. V.C. 296.

ANTE CHRISTVM 456.

I. Eunuchorum in regem coniuratio, & causa eius.

EVnuchorum contra regem Artaxerxem insidiæ, non potuerunt ante annum octauum regni eius contingere, forte etiam tardius contigerunt. Nuptias enim Estheris, omnemque illam celebritatem, & amplificatam Mardochæi dignitatem secutæ sunt. Septuaginta quippe coniurationis causam dicunt fuisse inuidiam ob promotionem Mardochæi. Alij eos ægre tulisse aiunt repudium Vasthi, & Estheris subrogationem. Gorionides significat eos Macedoniæ regis gratiam inire voluisse, fuisse enim Amani consiliarios, quem Rex dixit fuisse gente Macedonem, & ad eos imperium Persicum transferre voluisse. Certe ca. 12. legimus Amanum Mardochæo, & populo eius nocere voluisse, pro duobus Eunuchis regis, qui fuerant interfecti. Itaque credibile est eum non ignarum insidiarum fuisse: negotia tamen sua apud regẽ ita tractauit, vt ab eo omnium fidelissimus haberetur. Verum quæcunque causa conspirationis fuerit, certum est eos in regis vitam coniurasse. *Voluerunt* enim *insurgere in regem, & occidere eum*, vt Scriptura testatur.

c. 2. 21.

II. Innotescit & punitur.

Ea res cum in Mardochæi, qui tum in aula versabatur, cognitionem veniſſet, statim nunciauit Reginæ Esther, & illa Regi ex nomine Mardochæi, qui ad se rem detulerat, vt vtrique simul Regis beneuolentia conciliaretur, commendaretur fides, munificentia prouocaretur. Intellecta re quæsitum est diligenter de tanto crimine, inuentaque veritate appensus est vterque eorum in patibulo; relataque historia in commentarios, in quibus quid quoquodie memoria dignum contigisset perscribebatur, quæ Diaria quoque & Ephemerides vocantur. Mardochæus quoque, vt est in Græco textu, scripsit de verbis his. Et præcepit Rex Mardochæo ministrare in aula, & dedit ei munera pro his. Infra quoq; in Latino habetur *datum*, puta Mardochæo, *pro delatione muneribus*. Quæ sane videntur repugnare ijs quæ cap. 6. habentur, vbi nihil honoris ac præmij Mardochæus pro hac fide accepisse dicitur. Est autem duplex respondendi ratio, vel in Græcis codicibus, & Latinis inde transsumptis deesse negationem, vel, prout Serario & Bellarmino visum est, per anticipationẽ memorata fuisse præmia, quæ multo deinde post, non sine fœnore, data sunt Mardochæo.

c. 12. 5. c. 6. 4.

III. Romanorum discrimẽ ingens.

Hoc anno L. Minucij Consulis imprudentia rem Romanam in discrimen adduxit, & Dictatoris necessitatem attulit. Cum enim Sabini propalam defeciſſent, Æqui autem dissimulanter. Nam contra Latinos Romanorum socios hostiliter se gerebant Graccho Cłœlio duce, & legatis Romanorum de iniuria querentibus verba dabant. Ergo Minucius Consul contra eos profectus est, Gracchus timore simulato recedit, & insequentem in conuallẽ quandam pertraxit, cinctam montibus nudis & asperis, & pabulationi inutilibus, cuius exitus ipse occupauit, vt neque inde egredi, neque ibi aut pugnare, aut victum liceret tolerare, & cum capto impetu exire tentarent, multis acceptis vulneribus in sua castra repellebantur, proximumque erat vt circumuallati ad deditionem fame cogerentur.

IV. L. Cincinnati Dictatoris opera discussum.

Res visa est poscere Dictatorem; Consul Nautius L. Cincinnatũ dixit; qui salutẽ patriæ rusticis delicijs præferẽs assumpto imperio Romam venit, dixitque L. Tarquinium magistrum equitum, collectisque quas potuit copijs, hostem adit, & occupato loco vnde poterat commeatu prohiberi, tum Cłœlium ad certamen minime repugnantem vocat, pugnatur acerrime; tandem Cłœlius cum suis in castra se recipere coactus est. At Dictator ex vna parte, Minucius ex altera tantopere hostes auxilijs & commeatibus excluſos fatigarunt, vt supplices legatos ad Quintium de pace mitterent. Ille dedititios armis ademptis, ignominiæ causa: sub iugum mittit, Corbionem eorum oppidum diripit: præda nihilominus Minucij militem priuat, & eorum ducem consulatu. Gracchum autem defectionis autorem vinctum catenis in triumphum ducit, cum alijs captiuis illustribus; & intra 16. dies magistratu depositio, prædiolũ suum, repudiatis, quæ offerebantur diuitijs, repetijt. Nec multo post Nautius Consul, Sabinis acie victis, copias domum reduxit.

Hostem sub iugũ mittit.

3598. V. Hierosolymis illegitima coniugia diſiungũtur. 1. Esdr. 10. 13.

Sequenti anno qui primus fuit Olympiadis 81. & Iudæorum Sabbaticus 145. illegitima coniugia, opus non exigui temporis, diſiungebantur. Pericles dux Athenienſium Sicyonios prælio vicit, Æquos & Sabinos, qui iterum in armis erant, noui Consules Minucius & Horatius adire iussi sunt, sed Tribunis delectum impedientibus, L. Quintius nuper Dictator autor fuit Senatui, vt Patricij cum clientibus suis, & voluntarijs hostem aggrederentur. Quod cum plebi nunciatum esset, ingemuit, veritusq; Virginius tribunus ne se inuito nomina bello darent, petijt vt Tribunorum numerus geminaretur, quod & impetrauit, existimantibus Patricijs facilius esse paucos Tribunos conspirare quam plures: & vnum aliquem è maiore cœtu abduci posse ad intercedendum, quam ex minore. Itaque in eam sententiam S. C. factum est, & Plebiscitum in annum sequentem. Sedi-

tione ita soluta Consules delectu habito, Sabinorum agerà Minutio pernastatus est, hoste se intra mœnia continente, Æqui ab Horatio prælio victi, Corbione diruto, exercitus Romam cum victoria reductus.

ANNVS MVNDI 3599.

ESDRÆ 4. ELIASIB 10.

ARTAXERXIS 11. Imperij Persarum 83.

OLYMP. LXXXI. AN. 2. VR. C. 298.

ANTE CHRISTVM 454.

I. Bellum in Græcia triennio intermissum.

PRimus est hic annus intermissi triennij sine bello Athenienses inter & Lacedæmonios, post quod quinquennalia fœdera inita sunt inter ipsos. Huius porro intermissi belli idem videtur autor fuisse, qui postea fœderum fuit; Cimon nimirum, quem Plutarchus in eius vita, refert, postquam rogatione Periclis in patriam reuocatus est, sustulisse bellum, & ciuitates in gratiam reduxisse. Itaque hoc triennium quasi iustitium armorum inter Græcos fuit.

II. Icilij Tribuni pleb. auctoritas.

Ac ne Romæ quidem hoc anno vllum bellũ externum fuit Sed Tribunorum potentia incrementum accepit. Nam huius anni Tribuni primi Senatum conuocare ausi sunt, cum prius id munus honorq; Consulum fuisset. Id Icilius, qui collegij eius princeps fuit, obtinuit, vir industrius, & Romana pollens facundia. Hic idẽ Auentinum collem, ad ædificia plebis postulauit, nec sine vi obtinuit, adeo vt Consulum lictorem ad rupem Tarpeiam præcipitandum ducerent. Denique eodem agente Icilio lex de prædiis vrbanis perlata est, ad agrarias seditiones coërcendas, & Tribuni inter se conspiratunt nihil nouare, nisi de communi consilio: neque quenquam de collegio intercedere voluntati plurium Collegarum; quo modo Patriciorum spes irrita facta est de Tribunorum consiliis irritandis.

Pacta cõuenta inter Tribunos.

ANNVS MVNDI 3600.

ESDRÆ 5. ELIASIB 11.

ARTAXERXIS 12. Imperij Persarum 84.

OLYMP. LXXXI. AN. 3. VR. C. 299.

ANTE CHRISTVM 453.

I. Res Græcorum obiter. *Esth. 3. Iubil. 71.*

EXistimamus iuxta Scripturæ seriem, ad hũc annum, qui est secundus supra septuagesimum Iubilæum ab orbe condito, exaltationem Amani, & consilium eius de perdenda gente Iudæorum pertinere: quo tempore quies erat Persis & Græcis à bellis inter se. Qui tamen Ithomę erant Iotæ, & decimum iam annum à Lacedæmoniis obsidebantur, cum hosti diutius resistere non possent, deditionem fecerunt, his conditionibus, vt fide publica Peloponneso excederent, nec illuc vnquam reuerterentur; alioqui liberi fierent eorum, à quibus caperentur. Exierunt ergo cum liberis & vxoribus: quos Athenienses excepere, quippe infensi iamdudũ Lacedæmoniis, & Naupacti in Ætolia collocarunt.

II. Amani genus.

Quod ad Amanum attinet diuersa de illius genere referunt. Admodum probabile est eum patre ac gente fuisse Macedonem, matre Persam, loco Agagæum siue Bugæum, antiqua denique origine Amalecitam: sicque in singulis opinionibus aliquid erit probabilitatis. Quare autem ad tantum dignitatis fastigium euectus sit, vt secundus à rege diceretur; imo & regis pater, & adoraretur ab omnibus, & omnibus Imperij Persici prouincijs præpositus esset, distincte non traditur. Vniuerse tamen eius merita significantur cap. 13. vbi dicitur sapientia & fide reliquos præcelluisse. Postea tamen eum rex lõge alium agnouit ac prædicauit, cum illum superbum, crudelem, proditorem, pessimum mortalium appellat.

III. Sũ Mardochæus non adorat.

Mirum autem est vnum Mardochæum Amanum ex regis mãdato adorare noluisse: id enim neque legi Mosaicæ, neque sanctissimorum virorum exemplis repugnat. Abrahami, Isaaci, Iacobi, Patriarcharum, qui ciuiles magistratus, summos præsertim, adorasse leguntur. Nimirũ intellexit Mardochæus Amanum diuinum à se honorem, qualis vulgo Persarum regibus deferebatur, postulare. Nam Mardochæus ipse Deũ alloquens, *Cuncta nosti*, inquit, *& scis quia non pro superbia, & contumelia, & aliqua gloriæ cupiditate feci rem hoc, vt non adorarem Aman superbissimum. Libenter enim pro salute Israel etiam vestigia pedum eius deosculari paratus essem, sed timui ne honorem Dei mei transferrem ad hominem, & ne quenquam adorarem, excepto Deo meo.* At nonne Esdras, & Nehemias, & Esther regem, vt cæteri, adorabant? Cur illis Mardochæus voluit esse religiosior.

ca. 13. 12.

IV. An recte.

Dicendum videtur cum Serario, eos religionem suam & diuinam legem Regi aperuisse, & magnam illi de Deo ingenerasse opinionem; itaque factum, vt ei honorem regibus debitum & diuino inferiorem ipso consentiente, deferrent. Prius autem ita se gessisse in exterioribus vt cæteri, adhibita inter se præmonitione, ne sibi inuicem essent offendiculo. Nam latriæ cultus fortis vix ab eo differt, qui regibus & summis viris defertur. Cum ergo Mardochæus non adoraret Amanum, & monitus perseueraret nihilominus in sententia, detulerunt eum aulici ad Amanum: qui cum id experimento probasset, credereque in sui contemptu, etiam regis iussionem contemni, *iratus est valde, & pro nihilo duxit in vnum Mardochæum mittere manus suas, audierat enim quod esset gentis Iudææ*, vtique ab aulicis: quibus ille dixerat id sibi hominis Iudæo non licere; *magisque voluit omnem Iudæorum, qui erant in regno Assueri, perdere nationem.* Modus autem, quem excogitauit ad id facinus exequendum, ad initium sequentis anni pertinet.

Id Aman agnoscit & vltionem meditatur.

V. Noui Cons. seueritate Rempub. perturbant.

Creati sunt Romæ noui de more Consules, qui cum imminentibus hostibus seuerius delectum haberent, quam in male affecta Repub. conueniret, nec Tribunorum querelas Senatus audiret, sed exasperaret potius, & intentaret minas, parum abfuit quin ea die ciuitas seipsam perderet; adeo omnes ad arma, & ciuile

bellum

bellum parati erant. Tribuni Coss. diem dicunt in trinundinum, legem agrariam promulgant. Siccio Dentato eam seditiose suadente; sed suffragia populi per vim à Patricijs, amicorum & clientum opera, impediuntur.

Pugnatur contra Æquos.

Nec ita multo post, rursus Tribunis legem promulgantibus, intervenit nuncius de hostibus per agrum Tusculanum magno agmine Romam præparantibus, Senatus decrevit ambos Consules Æquis ire obviam, cum Patriciis, eorumq; clientibus & amicis; cæterisque civibus, qui patriam salvam esse vellent. Eo SC. pro concione recitato, multi plebeiorum sponte nomina dederunt. Quin etiam Siccius ipse Dentatus, divitum acerbus accusator, nomen dedit cum cohorte octingentorum emeritorum, qui in eius gratiam iterum militiam sequebantur. Qui cum hosti contra Consulem fortiter pugnanti à tergo supervenisset, victoriæ causa fuit, sed gloriosum facinus in odium atque invidiã & objectationem Consulum malitiose convertit, & præmium culpæ, tribunatum à plebe obtinuit.

Siccius Coss. invidiam & odium conflat.

ANNVS MVNDI 3601.

ELIASIB Pont. 12. ESDRÆ 6.

ARTAXERXIS 16. Imperij Persarum 85.

OLYMP. LXXXI. AN. 4. VR. C. 300.

ANTE CHRISTVM 452.

I. Res anni huius.

RElinquum fere historiæ, & libri Estheris ad hunc annum pertinet, quo sors in vrnam de perdendis Iudæis mittitur, Regis consensus impetratur, literæ per totum imperium mittuntur, Mardochæus, & Regina, & vniversi Iudæi fletibus se, precibus, ac ieiuniis dedunt. Esther ad convivium Regem & Amanum vocat. Amã parat suspendium Mardochæo, quem tamen cogitur summo honore afficere. Moxque à cõvivio in crucem hosti præparatam cum suis agitur. Mardochæus eius dignitati subrogatur: & prioribus literis per nova decreta antiquitatis, Iudæi de hostibus suis pœnas sumere parant. In Græcia hoc quoque anno quiescitur. Romæ contra, Tribunos inter & eos qui proximè Cõsulatu abierant, lites. Indeque legatio legum causa in Græciam destinata. Sed à sacra historia vt par est, ducamus initium.

II. Aman meditatur vltionem de Iudæis.

Cum fixum esset crudeli & superbo Amano, contemptum sui omnium Iudæorum interitu vindicare, rei exequendæ tempus sorti committendum putavit, & descriptis mensium omnũ nominibus, & in vrnam conjectis, Deo sortes attemperante, mensis duodecimus exiit, & rursum altera sortitione dies eius mensis 13. sive vt est in Græco 14. Apparet autem hic primum temeritas hominis, qui prius cædis Iudæorum tempus sortitur, quam à Rege tanti tamque difficilis facinoris potestatem petierit, aut impetrarit. Apparet secundo, quod non viderit duodecim mensium intervallum rebus suis parum convenire; cum eo tempore Iudæi multa moliri, multo contra ipsum, vel contra regem agere, in tam multis regni Persarum locis, ex summa animi desperatione possent; aut certe ad eius eludendos conatus, sua distrahere, fugaque sibi consulere. Apparet & divina providentia, quæ longissimum tempus sortibus ordinarit, vt intra id tempus remedium futuræ calamitati adhiberi posset.

III. Eamque à rege petit, & impetrat.

Petit ergo à Rege vrgens Iudæorum, quam ne nominat quidem, sed eam contemptim describens, accusat superstitionis, & superbiæ in contemnendis regũ imperiis, perire jubeatur. Et ne forte Rex causetur tributorum, imminutionem quæ Iudæi vbique plurimo penderent, offert regi decem millia talentorum. At rex cuius mens & animus ab Amano possidebatur, tanquam sibi, totique imperio fidelissimo, nihil inquirendum ratus, consentit in cædem, eique pecuniam suam remittit. Aman autem nomine Regis, eiusque obsignatas annulo literas dictat, mittitque per cursores regios, ad omnes provincias imperij Persici, omnesque satrapas ac magistratus, vt occiderent atque delerent omnes Iudæos, à puero vsque ad senem, parvulos & mulieres, tertio decimo mensis duodecimi, qui vocatur Adar, & bona eorum diriperent. Ipsa autem epistola habetur infra, c. 13. libri Esther.

VI. Luctus Mardochæi & Iudæorũ.

Dum festinant cursores, quos Persæ vocabant Angaros, statim in vrbe regia pependit edictum, Rege & Aman celebrante convivium, & cunctis Iudæis, qui Susis erant flentibus. *At Mardochæus scidit vestimenta sua, & indutus est sacco, jspargens cinerem capiti: & in platea civitatis voce magna clamabat, ostendens amaritudinem animi sui.* In Septuag. legitur clamasse. *Tollitur gens, quæ nihil iniuste egit.* In omnibus autem deinceps provincijs Iudæi se huiusmodi luctui dediderunt. Cum hoc autem eiulatu, vsq; ad fores palatij gradiebatur Mardochæus, nec in ipsum palatium penetrabat, quod illicitum esset indutum sacco aulam regis intrare. Eo tamen facile querela pervenit. Puellæ enim reginæ, & Eunuchi, re cognita adierunt eam, & nunciaverunt quid à Mardochæo, & reliquis Iudæis fieret, nihil cogitantes, an res ipsam Reginam attingeret.

V. Et Esther ieiunio ad propitiandũ Deum.

Quoniam autem Mardochæus saccum deponere nolebat, vt adiret palatium, res per internuncium Athach Eunuchum acta est: didicitque Esther quo in statu Iudæorum res esset, simulq; monita est vt Regem adiret, eumque pro populo suo deprecaretur. Cumque illa periculum obiecisset, & nihilominus vrgeret Mardochæus, aliud ei periculum intendens, & divinam circaeam prætendens providentiã, Esther rem suscepit, populi sui precibus, & corporis afflictationibus, in triduũ implorat is, quod & ipsa cum ancillis suis imitata est. Mardochæi porro, & Estheris ad Deum oratio, pro avertenda imminente clade, habentur ex Græco textu infra c. 13. & 14. libri Esther, cuius brevem explicationem in Annalibus studiosus Lector inveniet.

n.16 ad 22.

VI. Regem adit cultu magnifico.

Die autem tertio Esther deposuit vestimenta vulgaria, atque lugubria, indutisque regalibus, regem adiit magnifico apparatu, eius nihilominus terribili aspectu examinata est, sed Deus spiritum Assueri in mansuetudinem ita convertit, vt de solio exurgens reginæ blandi-

Rtamo-teraccipitur.

retur, omnemque timorem excuteret, quod legem, de rege non adeundo, negaret ad ipsam pertinere. Cumque rex iterum in solio consedisset, *extendit contra eam virgam auream, quam tenebat manu. Quæ accedens osculata est summitatem virgæ eius. Dixitque ad eam Rex. Quid vis Esther regina? quæ est petitio tua? Etiamsi dimidiam partem regni petieris dabitur tibi.* At illa noluit statim aperire petitionem suam, sed illum prius conuiuio demereri, in quo factus hilarior, facilius quamuis ardua postulata concederet. Accedit quod multi tunc aderant, quos optabat abesse, & Aman aberat, quem maxime adesse oportebat.

VII. Differt petitionẽ suam, & cur.

Cum ergo Esther regem inuitasset ad prandium, eique socium conuiuij peti.sset Amanum, is iussu regis euocatus, Estheris conuiuium cum rege adiit. Vbi cum Rex ex vino factus esset hilarior, iterauit interrogationem suam, cum eadem promissione. At regina differendam putauit petitionem in sequentem diem, vt rex tanto firmius promissione sua teneretur obstrictus, ne in particulari negare posset, quod iam toties in genere concessisset. Ergo sapiens regina vtrumque iterum in sequentem diem inuitauit ad prandium, promittens se tum declaraturam, quid à Rege obtinere vellet. Egressus est à Rege ac Regina lætus Aman & alacer, sed ea lætitia in occursu Mardochæi, eiusq; contemptu multo statim felle diluta est, & dolorem animi domi quamprimum vxori, amicisque patefecit, fassusque est se vno Mardochæi contemptu affligi vehementius, quam reliqua omni sua fœlicitate lætari. Nam *ab affectu non fit passio*, vt ait Philosophus. Itaque beati illi delicijs innutriti, eas aduenientes aut præsentes vix sentiunt. At res aduersæ, quæ præsertim ex improba & inimica voluntate oriantur eorum, qui sibi sint inferiores, eos supra quam credi potest, excruciant.

Amant tristitia.

VIII. Parat crucem Mardochæo.

De consilio ergo vxoris & amicorum, iubet excelsam Mardochæo præparari so.cubitorum crucem, in qua, cum bona regis venia, suspenderetur. Tam excelsum porro videtur elegisse patibulum, vt facilius vndique videri posset, ad maiorem eius ignominiam, & cæterorum terrorem: cum iam Deus omnia vtrique in contrarium verteret. Nulla est enim huius historiæ particula, quæ diuina vacet prouidentia. Nam ea factum est vt rex dormire non posset; eadem, vt historias mallet audire quam musicam; eadem, vt incitaretur ad remunerationẽ; eadem vt mox in atrio adesset Aman: qui præludia luderet in tragœdia sua. Cum ergo interlegendum ad eum locum ventum esset, in quo narrabantur patefactæ à Mardochæo Eunuchorum insidiæ, *Quid pro hac fide*, inquit Rex, *honoris ac præmij Mardochæus consecutus est?* Cumque serui qui astabant negassent quidquam illi mercedis datum, cœlo iam albescente rogauit quis esset in atrio. Aderat autem Aman, qui solito maturius venerat vt à Rege suspendium Mardochæi impetraret, cum Rex eum euocatum iubet Mardochæum per plateam cum summo honore circunducere, quem ille sibi factum Iri sperabat.

Diuina prouidẽtia in hoc negotio.

Amon glorioseinimicũ deducit.

IX. Suo summo cum pudore.

Credibile est vsque adeo perculsum fuisse Amanum, exitu tam inopinato, nullum vt verbum profati potuerit, ad regem abea sententia deducendum, præsertim cum eum videret tam serio, & tam asseueranter loqui, & sibi à subita violenti regis ira metueret. Optasset vtique huius muneris sui actionem illis ipsis decem millibus talentorum redimere, quibus omnium Iudæorum interitum emere voluerat. Sed carius etiam empturus erat miser, mox in summum patibuli dedecus, à summa felicitate puncto temporis præcipitandus. Mardochæus perlustrata Amano duce & præcone, cum regio cultu platea, ad regem videtur ingressus, vtique gratias acturus de tanto beneficio, ipsique regia illa insignia redditurus. Inde autem *ad ianuam palatij reuersus est*, ad pristinum scilicet officium, fortassis & taccum, dum videret quo exitu cœpta fabula clauderetur, cum Iudæi omnes interea peracto ieiunio magna expectatione penderent.

Mardochæus regẽ adit

X. Amani gemitus & querela.

Aman vero festinauit ire in domum suam lugens, atque adeo fremens dentibus, & desiderio vltionis tabescens, sed *desiderium peccatorum peribit*. Protipuit etiam se domum operto capite, quod oculos intuentium ferre non posset, quasi exprobrantes obsequium capitali exhibitum inimico, *narrauitque vxori & amicis omnia quæ euenissent*, vtique sciebant illi iam quod tota vrbe celebrabatur, sed initia & occasionem historiæ nesciebant. Voluit quoque effundere animum suum, ad accipiendam à suis consolationem; quia *Strangulat inclusus dolor*. Sed pro consolatione, responderunt ei Sapientes, quos habebat in consilio. *Si de semine Iudæorum est Mardochæus, ante quem cadere cœpisti, non poteris resistere, sed cades in conspectu eius.* Quæ opinio diuinæ in Iudæos protectionis, ex consuetudine vitæ cum Iudæis oriebatur, qui sacras ea de re historias crebro sermone frequentabant.

Clades ei à suis significatur.

XI. Euocatur ad conuiuiũ

Illo adhuc loquentibus, venerunt Eunuchi regis, & cito eum ad conuiuium, quod Regina parauerat, pergere compulerunt, hac compulsionis voce, & festinationis, quæ in Hebræo legitur, significatur iam hora tardior, & desiderium Amani abstinendi conuiuio, siue quòd pudorem suum lamentari mallet, quam prandere; siue quod tristius etiam aliquid ipsi animus præsagiret. Exhibentes haud dubie aliquid excusationis inuenisset; sed regis indignationem, & reginæ offensionem veritus, ad funestum sibi conuiuium venit. In quo cum incaluisset vino rex, sub ipsius conuiuij finem, mensamque secundam, iterat rex interrogationem illam. *Quæ est petitio tua Esther &c.* Cui illa supplex. *Si inueni gratiam*, inquit, *in oculis tuis ô Rex, dona mihi animam meam, pro qua rogo, & populum meum, pro quo obsecro. Traditi enim sumus ego & populus meus, vt conteramur, iugulemur, & pereamus*, quibus optabile sit in seruos ancillasq; venundari.

Petitio Estheris.

Tam humilis, tamque inopinata petitio, varios in regis animo excitauit motus. Nam & stupore affectus est, ad tantæ, tamque improuisæ rei nuncium, immemor forsitan temerariæ concessionis suæ: & commiseratione motus est in Reginam, sibi non solum carissimam, sed etiam innocentem; & ira exarduit in istius crudelitatis autorem, cuius crudelitas redundabat in regem; non solum quod ei maximum subditorum numerum eripiebat, sed ipsius etiã

XII. Et Amanis accusatio.

con-

Est stupor cum regis ira.

Addicitur cruci, & bona eius fisco.

coniugem morti tradebat imprudens. Audito rex attentato tam atroci facinore. *Quis est*, inquit, *iste, & cuius potentiæ, vt hæc audeat facere? Dixitque Esther. Hostis & inimicus noster pessimus, iste est Aman.* Quod ille audiens illico obstupuit, vultum Regis ac Reginæ ferre non sustinens. *Rex autem iratus surrexit*, quasi nolens vltra hominem intueri, vt sceleſtum caput, & ominosum spectaculum; & intrauit in hortum continens triclinio. Aman quoque surrexit de loco in quo accubuerat, vt rogaret Reginam pro anima sua, sed misericordia, quam implorabat, facta est illi in peccatum. Stetit enim calumniator à dextris eius, & ait, *Etiam Reginam vult opprimere me præsente?* Quid multa? operitur eius facies, suggeritur Regi crux ab eo parata Mardochæo, in eáque iubetur affigi. Domus autem illius, eiusque bona omnia, tanquam fisco addicta Reginę donantur.

XIII. Exaltatio Mardochæi.

Iudæorum hoste afflicto ac perdito, Esther significauit Regi Mardochæum esse patruum suum; qui iam regi valde gratiosus, ingressus est ante faciem eius; tulitque Rex annulum, quem ab Aman recipi iusserat, & tradidit Mardochęo, Esther autem constituit Mardochæum super domum suam, sibi à Rege datam, quæ fuerat Amani, cuius bonis omnibus præpositus est. Traditione porro annuli regii, Rex Amani dignitatem transtulit in Mardochæum, vt deinceps regiorum sigillorum conseruator esset, dicereturque, sicut nuper Aman secundus à Rege, Princeps palatij regij, de quo rex affirmabat se eius fide & beneficiis viuere. Itaque de palatio, & de conspectu regis egrediens fulgebat vestibus regiis, coronam auream portans in capite, & amictus serico pallio, atque purpureo.

c. 8. 15.

XIV. Amani literæ antiquantur.

Verum quia non satis erat ad Iudæorum salutem, Amanum de medio esse sublatum, nisi regis literæ, quibus illi perire iubebantur, nouo edicto antiquarentur, Esther, Mardochæo suggerente, id à rege postulauit, & obtinuit, scriptæque sunt literæ ad magistratus prouinciarum, quibus Iudæorum cædes fuerat demandata, vt priores literæ irritæ fierent, quin potius eis Rex imperauit, vt conuenirent Iudæos per singulas ciuitates, eisque auxilio essent, vt eos interficerent eodem ipso tempore, quo se illi ad Iudæos interficiendos præparauerant. Quoniam autem litteræ regiæ ad iudices & magistratus mittebantur, intelligendum est rem non seditiosè factam esse, sed ex iudiciorum more, legumque præscripto. Nam innocenti homini præparasse mortem capitale est, & venenum præparatum & fica deprehensa, etiam effectu non secuto, legibus morte vindicatur. Quod autem contingit vt plerique innocentes occidantur, ad diuinum iudicium referendum est. Sic enim Deo iudice, plerique in Ægypto, qui populum Dei non afflixerant, cum parentibus, & in parentum culpa perierunt. Sed ea cædes in annum sequentem cadit. Contigit enim mense Iudæorum duodecimo, qui Februario respondet.

Et vindicta Iudæis permittitur.

XV. Ex consules à Tribunis in iudicium vocati, multatique.

Romæ autem nouis consulibus creatis, ex-consules à tribunis in iudicium vocati, damnatuq; multa pecuniaria affecti sunt, Romulius decem, Veturius quindecim millibus æris, id est ducentis trecentisque Francis Gallici æris. Crimini datum est Romulio quòd vim Tribunis attulisset; quodque Siccium vnà cum cohorte sua ab hostibus deleri voluisset. Itaque huius anni Consules cauriores facti populares euaserunt. Cum enim mox Tribum ad Senatum retulissent de scribendis legibus, quibus in perpetuum ciuitas vteretur, Romulius præter omnium expectationem sententiam dixit valde popularem, patresque persuasit, quod parum contra plebem possent. Deinde sensit legatos mittendos, cum ad Græcas vrbes quæ essent in Italia: tum etiam Athenas, ad leges petendas; Romanorum moribus institutisque conuenientes. Electique sunt Legati Sp. Posthumius, Ser. Sulpitius, & A. Manlius.

Legatio in Græciam ad leges petendas.

ANNVS MVNDI 3602.

ESDRÆ 7. ELIASIB Pontificis 13.

ARTAXER. 13. Imperij Persarum 86.

OLYMP. LXXXII. A. 1. VR. C. 301.

ANTE CHRISTVM 451.

IN secundum huius anni mensem, anni Iudaici duodecimum, magna cædes toto Persarum imperio à Iudæis perpetrata est: quam Scriptura breuiter in hunc modum enarrat. Igitur duodecimi mensis, quem Adar vocari ante iam diximus, tertia decima die, quando cunctis Iudæis interfectio parabatur, & hostes eorum inhiabant sanguini, vice versa Iudæi superiores esse cœperunt, & se de aduersarijs vindicare. Congregatique sunt per singulas ciuitates, oppida & loca, vt extenderent manus contra inimicos, & persecutores suos. Nullusque ausus est resistere eò quod omnes populos magnitudinis eorum formido penetraret. Nam & prouinciarum iudices & duces, & procuratores, omnisque dignitas, quæ singulis locis atque operibus præerat, extollebant Iudæos timore Mardochæi, quem principem esse, & plurimum posse cognouerant. Magnum fuisse hunc timorem, atque adeo auctum diuinitus, cum interficientibus resistere non auderent, quasi aliquid violenta morte deterius formidarent. Sed res, vt dixi, per magistratum gerebatur, & pauci erant Iudæorum hostes in singulis locis, præ ipsis, & populus non audebat, in eorum gratiam se Iudæis opponere, metu Mardochæi.

I. Iudæi inimicos cædunt. *c. 9. 1 & &c.*

Magistratus fauent, & nemine resistente.

Susis quoque in ciuitate regia quingenti sunt interfecti, præter decem Amani filios. Sed mortis eorum tempus ambiguum est. Nam Rex, in literis suis ad magistratus, affirmat illum & omnem cognationem eius pendere in patibulis. Nunc autem, post menses octo à patris cæde, filij decem dicuntur occisi, quos Esther petit suspendi in patibulis, vtique recens occisos. Dicendum videtur, illo ipso die, quo suspensus est Aman, & omnia eius bona regio addicta fisco, totam omnino eius familiam carceribus manciparam. E tota vero illa turba præcipuos decem Amani filios fuisse reseruatos, vt essent eorum primitiæ, qui Susis duodecimo mense interficiendi erant; reliquam vero familiam, vxorem, concubinas, filios, filias, seruos ancillasq;, cũ patre familias, in eius ædibus

II. Ordo rei gestæ Susis. *c. 16. 18.*

crucis patibulum pertulisse, moxque corpora cum crucibus ante vrbis portas fuisse translata. Indeque scriptas literas, quæ eius rei meminissent. Postea vero die cædibus destinata, initium cædendi Susis sumptum esse à decem filiis Aman, qui reliqui erant, & ab iis ad quingentos vsque, in eadem vrbe cædem fuisse progressam. Postridie autem postulante Regina alios quoque occisos, & decem istos Amani filios, in crucem ignominiæ causa fuisse sublatos, sicque omnia recte consentiunt.

III. Susis iterata cædes, cæsorumq; numerus vniuersus c. 8. 11. & 9. 16.

Illud autem nominatim Scriptura notauit, nusquam Iudæos, siue Susis, siue reliquis in prouinciis cæsorum bona diripuisse, quamuis id eis per Regis literas nominatim liceret, ne non zelo iustitiæ, sed ardore auaritiæ ad tantam cædem viderentur incitati. Nam cæsorum numerum ad 75. millia peruenisse Scriptura ipsa testatur. Moxque diem festum in memoriam cædis huius fuisse institutum, & in posterum propagatum, & historiam ipsam à Mardochæo literis traditam. Horum autem Iudæorum sacrilegi posteri, peccata vetera nouis accumulantes, ita celebrabant hunc diem, vt eius ritus contra Christum traducerent, vt ex Honorii & Theodosii prohibitione constat. Quoniam autem Mardochæi nulla deinceps habetur in Script. mentio, neque de tempore mortis eius constat: eius ornamenta sepulchralia in hunc annum in Annalibus relata Lector reperiet, vbi etiam Estherem propriis ornauimus & suis, licet eam anno Artaxerxis vigesimo in viuis fuisse non dubitemus.

9. 20. Sacrilega Iudæorũ de Amani cæde celebritas. Cod. delu. deu & Calicolu.

a nu. 14. ad 25.

Cæterum non negligenter prætereundum est, quod initio decimi capitis habetur, nouum ab Assueto vectigal impositum subditis suis, tam qui in continenti, quam qui in insulis habitabant, cuius causa ex præsenti rerum Græcarum statu colligi potest. Cum enim toto triennio in Græcia cessatum esset ab armis, & hoc insuper anno quinquennalia fœdus inter Græcos initum esset, non dubitauit Artaxerxes quin eorum concordia in sua damna firmaretur; sicut reuera contigit, bello ab Athenien sibus contra Cyprum, quæ Persis parebat, Cimone duce cõflito. Hoc ergo nouum vectigal ad nouum bellum vsui fuit: Suscepti belli causam tradit in Cimone Plutarchus. Athenienses otii impatientes, in mari magna cum ducentarum nauium classe vagabantur. Ne ergo inter se Græci bella suscitarent, sed Barbarorum opibus fierent opulenti, sexaginta naues in Ægyptum nauigarunt, quas Amyrtæus, qui Persis non parebat, & in paludibus regnabat, accersiuerat; reliquę Cyprum petierunt, & Citium eius vrbem obsederunt.

IV. Nouum ab Artaxerxe vectigal impositum.

Et bellum cum Græcis ad Cyprum.

De Romana re Dionys. in hunc annum, quo quartum Vrbis seculum inchoatur, scribit 81. Olympiade, qua vicit in stadio Lycus Larissensis, exacto anno ab V. C. 300. P. Horatio, & Sex. Quintilio Coss. pestilentiam vrbem inuasisse, qua seruitia pene omnia absumpta sunt, & ciuium circiter dimidium, neque medicis sufficientibus, neq; domesticorum atque amicorum ministerus. Sic ipse. Plinius tamen in proœmio lib. 29 affirmat Romam sine medicis vltra sexcentesimum annum vixisse. Addit ille multas vulgò cæremonias ac religiones adhibitas. *Vbi vero*, inquit, *increbuit opinio non esse curæ dijs res mortalium, nec tangi eos misericordia, & ipsi religiones neglexerunt.* Itaque Epicuræa doctrina antiquior est Epicuro. Sed reuera istis diis curæ non sunt res humanæ, nisi vt pessimè habeant. Hac ipsa pestilentia absumptus est Quintilius Consul, quique surrogatus est ei Sp. Furius, & 4. de Tribunorum collegio, Senatoresque plurimi. Hostes quoque Romanorum peruagata, quieuere eos coëgit.

V. Romæ pestilentia.

Epicuræa opinio an te ortum Epicuri.

ANNVS MVNDI 3603.

ESDRÆ 8. ELIASIB 14.

ARTAXERXIS 14. Imperij Persarum. 87.

OLYMP. LXXXII. A. 2. VR. CO. 302.

ANTE CHRISTVM 450.

HAbet hic annus rem bene gestam ab Athenien sibus contra Persas ad insulam Cyprum, sed cum Cimonis clarissimi sui Imperatoris iactura. Cum enim is in Citien sium obsidione diuturniores opinione sua traheret moras, vt qui Persicum animo volue bat imperium, ea de re legatos ad Ammonem misit, sed antequam illi reuerterentur, ipse excessit è viuis. Moriens autem suos monuit, vt dissimulata morte sua, extemplò discederent, quasi eiusdem ductu auspicisque Cimonis. Ita Plutarchus. At Thucidides non statim quasi re infecta rediisse vult, sed gemina victoria potitos, & reditum non tam ad Cimonis mortem, quam ad famem exortam refert, eaque vrgente ad Salaminam Cypri cursum tenuisse: vbi cum Phœnicibus, & Cypriis, & Cilicibus naualem ac pedestrem simul pugnam commiserunt, & in vtraque victores effecti, domum redierunt. Addit Diodorus Græcos plurimas Persarum triremes demersisse, & centum cum ipsis militibus cepisse. Artaxerxem vero, suorum in Cypro clade audita, præfectis copiarum suarum Artabazo & Megabyzo per literas edixisse, vt bellum, quibuscumque conditionibus possent, dirimerent, quod & factum est.

I. Persæ ad Cyprum male rem gerunt.

Cimonis mors, & gemina Græcorum victoria.

At Romæ sanitas cum nouis consulibus reddita est. Redierunt & legati leges afferentes Athenis, & ab Italicis Græcorum vrbibus: moxque Tribuni plebis adierunt Consules, postulantes vt ex S. C. legum latores crearentur, qui rem vsque ad propinqua comitia distulerunt, quando & sequentis anni Consules solito maturius designarunt, Appium Claudium & T. Genucium. Quorum ille in Senatu censuit, eligendos decemuiros ex Senatus primoribus, quorum annuum esset imperium & potestas consularis: interim cessare cæteros omnes magistratus, donec iuxta nouas leges creati essent. Decemuiros autem priuatis iura redituros, & Rempub. constituturos. Id SC. Tribunis, populoque gratum fuit.

II. Reditus legatorũ cum legibus.

SC. decemuiris eligendis

* * *

ANNVS MVNDI 3604.

ESDRÆ 9. ELIASIB Pont.15.

ARTAXERXIS 15.Imperij Persarum 88.

OLYMP.LXXXII.AN.3.V.C.303.

ANTE CHRISTVM 449.

TErtius est hic annus à fœderibus quinquennalibus inter Athenienses & Lacedæmonios initis: stabat & pax cum Persis, quando Lacedæmonij bellum, quod vocatum est sacrum, Delphis susceperunt, quod Thucydides gestum esse ait post bellum Cyprium proximè commemoratum. Cum enim Phocenses in quorum prouincia sunt Delphi, eo templo potirentur, id sibi ciues Delphici probrosum putabant, &, vt par est credere, illius emolumenta, in prouinciales suos potius, quam in seipsos transferri ægrè ferebant. Itaque Spartanos rogarunt, vt pulsis Phocensibus suum sibi templum restituerent, quod & fecerunt. At Phocenses, qui ab annis circiter nouem, erant in Athenienſium potestate, eos euocarunt: à quibus Delphi duce Pericle superati sunt, & templum iterum Phocensibus traditum. Vtraque expeditio facile vno anno capi potest, in non magno terræ marisue tractu. Nec tamen propterea fœdera quinquennalia violata fuerunt.

I. Bellum sacrum pro Delphes, geminatum

Romæ autem vbi comitijs destinatus affuit dies, Tribuni conuocato populo, Coss. quoque designatos adesse iusserunt, vt decemuiri creandis legibus, & Reipub. constituendæ eligerentur, qui tanta potestate pollerent, vt ab eis, quemadmodum à Dictatoribus, nulla esset prouocatio; interim autem cæterorum magistratuum cessaret autoritas. In medium ergo progressi designati Coss. magistratum eiurarunt. Quos propterea populus vehementer laudauit, eorumque rationem in primis habuit in creandis decemuiris. Primi enim centuriatis comitijs creati sunt decemuiri Appius Claudius & T. Genutius, tum P. Sextius qui tum abibat magistratu, his tribus adiuncti sunt tres legati qui leges attulerant. Denique T. Romulius cum alijs tribus Patricijs. Penes vnum fasces erant & reliqua Consularis potestatis insignia, ad dies decem, vt significat Liuius, reliqui ad minuendam potestatis inuidiam, non multum habitu à priuatis differebant.

II. Decemuirorum Romæ potestas.

Creantur Consulũ loco &c. magistratuum.

Ille autem Senatum conuocabat, decreta confirmabat, cæteráque agebat pro imperio. Omnes autem à mane pro tribunali cognoscebant causas priuatas & publicas, litesque summa æquitate diritnebant, magna ciuitatis approbatione. Simul autem omnes conscriptas leges, partim ex Græcorum iure, partim ex consuetudine patriæ, in decem tabulis cuilibet cognoscendas proposuerunt, eorumque monita beneuole accipientes, operam dabant vt leges omnibus probarentur. Vbi vero visæ sunt bene habere, primum Senatu coacto, nemine contradicente de ipsis S.C. factum est. Deinde centuriatis comitijs in præsentia Pontificum, aliorumque sacerdotum, centurijs dati sunt calculi, à quibus confirmatæ, & in æreas columnas incisæ, & in fori loco maxime conspicuo propositæ sunt. Et quoniam non multum supererat temporis ad comitia, visum est reficiendos in annum sequentem decemuiros, quod leges aliquæ adhuc deesse viderentur; quodque sic tribunitia potestas, quod maximè cupiebat senatus, abrogabatur.

III. Vt Rempub. cum laude regerent.

Leges ab illis editæ

ANNVS MVNDI 3605.

ESDRÆ 10. ELIASIB Pont.16.

ARTAXERXIS 16. Imperij Pers.89.

OLYMP.LXXXII.AN.4. VRB.C.304.

ANTE CHRISTVM 448.

ATheniensis hoc anno contra Bœotios exules, semel iterumque, primò feliciter, deinde infeliciter conflixere. Ait enim Thucydides, post geminam illam expeditionem in Delphos, hoc bellum susceptum fuisse. Cum enim Athenienses, anno ab hinc nono, Bœotius prælio superassent, eorumque agrum occupassent, pleriique Bœotij partim sponte sua nouorum dominorum odio, partim inuiti iussique solum verterunt, collectique non paruo numero, Orchomenum & Cheronæam, & alia quædam Bœotiæ oppida occuparunt. Contra quos Athenienses duce Tolmide expeditionem susceperunt, & Cheronæa recepta direptaque, collocato ibi præsidio, discesserunt. At Bœotorum exules, alijque eorum socij, Orchomeno eruptione facta, illos reuertentes ad Cheronæam inuaserunt, victoresque effecti, alios occiderunt, in quibus Tolmidem ipsum, alios viuos ceperunt, pro quorum redemptione tota Bœotia cedere coacti sunt Athenienses, & reditum exulibus permittere, eisque pristinam libertatem, iuráque reddere.

I. Bellum inter Bœotios & Athenienses. *l.1.p.74. Gr. Lat.*

Iteratur.

At Romæ indictis comitijs Patritiorum honoratissimi magistratum petiere. Ibi omnium ore ad cœlum ferebatur Decemuirorum princeps Appius, tota plebe annitente vt in magistratu retineretur, illo dissimulanter renitente, tandemque omnium precibus cedente. Itaque rursum centuriatis comitijs factus est Decemuir, multosque competitores criminando repulit, vt amicis suis faueret, vt pluribus enarrat T. Liuius. Cum eo factus est Decemuir Q. Fabius Vitulanus III. Consul, & alij quinque Patricij. Tres etiam è plebe assumpsit Appius, vt eã maiorem in modũ sibi conciliaret. Idibus Maij iniere magistratũ; sed ante omnia, vt ait Dionysius, fœdus clandestinum inter ipsos iureiurando ictum est, ne quis ex collegio alteri aduersaretur, sed quod vni placuisset, omnibus probaretur, néue comitia haberent, sed perpetuo retinerent imperium, singuli pari honore ac potestate essent, Senatus consultis, & plebiscitis aro, nec nisi necessario vterentur. Primo die honoris singuli regio cultu cum fascibus ac securibus processerunt, magno cum totius populi terrore, dicentis se pro vno rege decem habituros. Nec eorum administratio multum à tyrannide aberat. Denique cum comitiorum tempus aduenisset, neque Senatus, neque populi suffragijs expectatis, in magistratu permanserunt.

II. Decemuiri Romæ cõfirmantur & nominatim Appius.

15. eiusdẽ.

Tres è plebe assumpti.

Praua eorum consilia & gubernatio.

ANNVS MVNDI 3606.

ESDRÆ 11.ELIASIB Pontificis 17.

ARTAXER.17.Imperij Persarum.90.

OLYMP.LXXXIII. AN. 1. VR. C.305.

ANTE CHRISTVM 447.

I. Ratio tẽporis.

PRimo anno Olympiadis 83. Crisone Himerensi olympionica, Romani decemuiratum abrogarunt,anno tertio ab eo magistratu introducto.Idem vltimus est annus quinquennalium fœderum inter Spartam & Athenas: quo Eubœa. Bœotorum fortuna & Athenienſium clade excitata, ab Athenienſibus defecit. Quo tempore Pericles, qui tum Rempub. moderabatur, recuperandæ insulæ gratia in Eubœam traiecit, simulque illi nunciatum est Megarenses ab Athenienſibus defeciſſe,cæſis præſidiarijs militibus;ſibique Corinthios, Sicyonios, Epidaurios adſciuiſſe. Peloponnenſios quoque irruptionem in Atticam facturos , quando primum quinquennalia fœdera , quæ erant in exitu,abſoluta eſſent. Quibus auditis Pericles reductis ad tempus ex Eubœa copijs , reuertit in Atticam,ne vel hoſtis interim vaſtaret Atticam, vel diuiſis copijs,vtrobique vinceretur.

Eubœa ab Athenienſibus deficit, & Megara.

Pericli prudentia.

II. Peloponnesios dimittit ab Attica.

Interea Lacedæmonij quoque,irruptione in Atticam facta,populati ſunt agros , duce Pliſtoanacte,Pauſaniæ Spartani regis filio.Sed Pericles conſultorem & cuſtodem eius Cleandridam muneribus corrupit,induxitque vt Pliſtoanax copias Peloponneſum reducere , vbi Lacedæmonij eum ingenti pecunia mulctarunt; quam cum ſoluendo non eſſet,exilio ſolum vertit.Cleandridam vero,qui profugerat , rei capitalis damnauerunt.Megarenſes porro,qui Spartanos euocarant,ſeque eis adiunxerant,deſerti, prælio victi, vaſtatique ab Athenienſibus,defectionis pœnas dederunt, irritis Corinthiorum, Sicyoniorum,& Epidauriorum auxilijs.

Megarenſes vincit

III. Decẽuiri ty rannicè agunt, præſertim Appius.

Romæ porro Reipub.ſtatus perturbatiſſimus Decemuiris quaſi totidem tyrannis eam varijs facinoribus turbantibus, cum populi totius in eos odio : ipſis nihilominus magiſtratu abire negligentibus,&optimis quibuſque viris ſolum vertentibus. Cum interim AEqui & Sabini Vrbi bellum inferrent, delectu ægre habito , duo agmina præſidio relicta ſunt Vrbi,cætera in hoſtem cum decemuiris miſſa,male rem geſſerunt, diuina prouidentia Romanæ rei fauente , ne victores tyrannidem confirmarent. Appius autem interea quantum poterat aduerſarios decemuiratus è medio tollebat. In ijs Siccium,dudum Tribunum plebis, multis militaribus palmis illuſtrem , quem à militibus ſuis interfici curauit. Denique cum Virginiam fruſtra tentatam ad flagitium , in ſeruitutem vindicaret , & ſuppoſito calumniatori plagiario dedendam ſtatuiſſet,à patre miſerè iugulatur. Qui&populum ad libertatem vocat,non irrito conatu. Inde caſtra ad defectionem adducit, docens militem ſacramento ſolutum , quod magiſtratus, tranſacto legitimo tempore , nõ eſſet legitimus.

Virginiã vindicat in ſeruitutem.

Ergo miles in vrbem reuertit innoxius,& Auentinum occupat. Sed alia quoque mox caſtra à decemuiris deficiunt , & ſe ſocijs adiungunt. Indeque mox M. Duillio, qui Tribunus fuerat, hortatore tranſeunt in montem ſacrum , vbi & caſtra locauere. In deſerta vrbe pauci Patritij, cum Horatio & Valerio , vociferantur contra decemuiros,& periculum deſertæ vrbis , vel ab hoſtibus,vel ab armata plebe ingeminant. Tandem victi decemuiri ſe in patrum poteſtate futuros affirmant,vitam orant,ſimulque monent, ne ſuo ſanguine ad ſupplicia patrum plebem aſſuefaciant. Itaque Valerius & Horatius ad plebem reuocandam à Senatu mittuntur. Abeunt, peramanter accipiuntur. Illi viciſſim pacis conditiones,quas plebs poſtulabat,admittunt. De decemuiris tamen , quos illi ad ſupplicium depoſcebant, moniti ſunt , ne crudelitatis odio crudeles fierent, ſed rem iudicio permitterent, in quo ipſimet iudices forent.

IV. Plebs in Auentinũ ſecedit & montem ſacrum.

Decemuiri cedũt, & vitam orant.

Quid multa? decemuiri Senatus Conſulto ſe abdicant, Plebs redit , Tribuni creantur, & Conſules in reliquum annum. Valerius atque Horatius, quorum Conſulatus popularis fuit, legeſque latæ populares;illa in primis,vt plebiſcitis populus teneretur vniuerſus. Quibus peractis Tribuni plebis in decemuiros arma iudicialia depromunt. Et primum factus eſt reus Appius, accuſante Virginio , qui in carcerem coniectus, moritur , vel Tribunorum iuſſu , vel laqueo vltro ſibi accenſito;patruo eius C. Claudio fruſtra pro eo præhenſante. Oppius quoque decemuir damnatus necatur in carcere ; reliqui ſponte exulant , ſed eorum bona publicantur,& à quæſtoribus in ærarium referuntur. Virginiæ calumniator in exilium eiicitur. Reliquis decemuirorum adminiſtris datur venia, ſicque cruentes iudicijs finis impoſitus. Tum demum Coſſ.contra hoſtem miſſi,bene rem gerunt. Nec tamen triumphum obtinet à Senatu, ſed à plebe illo inuito.

V. Appius accuſatus à Virginio perit in carcere,ſicut & Oppius.

Reliqui ſponte exulant.

Sequenti anno Athenienſes rebus domi non male compoſitis, in Eubœam iterum, cum 50. nauibus, & quinque militum millibus traiecerunt,eodem duce Pericle, qui reliquas quidem inſulæ partes, certis conditionibus in fidem ac deditionem accepit. Heſtienſes autem omnes exterminauit , eoque coloniam mille ciuium ſuorum deduxit;hac in eos ſeueritate vſus,quod illi Attica naui capta , omnes qui in ea erant, contrucidaſſent. Romæ autem nonnihil in cõmitijs diſſentionis fuit,quod Tribuni ſibi magiſtratu continuari cuperent,idemque de Conſulibus ſentirent,neutri enim integrum annum in magiſtratu fuerũt,vt tamen longius ab inſtituto decemuirorum abeſſent , noui Tribuni , nouique Conſules creati ſunt Lartes Herminius , & Virginius ; qui otium domi ac foris habuere, quod neutram in partem Reipub. propenderent. At L. Trebonius Tribunus plebis,ab infectandis patribus Aſperi cognomen conſecutus eſt,obtinuitque vt Tribuni omnes vſque ad decimum ſuffragijs crearentur.

3607. VI. Pericles Eubœam rurſum adit, domatque & Heſtienſes exterminat.

Romę noui Coſſ. nouique Tribuni.

Trebonius Aſper.

* * *

ANNVS MVNDI 3608.

ESDRÆ 12. ELIASIB 19.

ARTAXERXIS 19. Imperij Persarum 92.

OLYMP. LXXXIII. A. 3. V.C. 307.

ANTE CHRISTVM 445.

I. Tricennalia fœdera Athen. & Lacedæm.

Hic est annus tricennalium fœderum inter Athenienses & Spartanos. Hunc enim ipsum huius Olympiadis annum eis assignant Diodorus, Pausanias, Eusebius. Nec alia mens Plutarchi atque Thucydidis, cum ait Atheniensis ex Eubœa reuersos, non multo post cum Lacedæmonijs sociisque fœdera tricennalia fecisse, quæ sub extremum hunc annum inita, & iureiurando firmata sunt. Nam annus sequens primus à fœderibus ab ipsomet numeratur. Romæ autem Consules æmulationem perpetuam patres inter & plebeios continuerunt, ne in seditionem erumperet.

p. 14. & 15

II. Nuncius ex Iuda. *l. 2, Esd.*

Ad finem porro huius anni 445. ante Christi ortum, mense Casleu, qui Nouembri respondet, pertinet occasio, vel causa antegressa impetratæ à Nehemia facultatis ædificandi Ierusalem, quæ capite primo Nehemiæ continetur, cap. autem 2. ipsa facultas & profectio. Sub mensem ergo Nouembrem *venit* quidam *Hanani*, quem apparet fuisse Leuitam, quòd eum Nehemias sacerdos vocet de fratrib' suis, prout ab alijs tribubus, puta Iudæa secernuntur, de qua erant comites eius, *viri ex Iuda*. Ipsum autem Nehemiam fuisse sacerdotem & sacerdotale munus exercuisse, perspicuè habetur in 2. Machab. Nehemias ergo interrogat nuncium, quo statu res essent in Iudæa: auditq; Iudæos à captiuitate reduces esse *in afflictione magna, & in opprobrio*. Affligebantur autem à circumpositis populis, vt ex cap. 4. patebit. Sed addit nuncius murus Ierusalem dissipatum esse, & portas eius combustas igni, quod ad Nabuchodonosorem referendum non est, sed ad nouam aliquam cladem.

l. 2. c. 1. v. 21.

III. An & quo modo muri Ierus. destructi sint. n. 41.

Dicendum itaque videtur, iuxta ea quæ septimo Artaxerxis anno diximus in Annalibus, Iudæos partem aliquam murorum, tacito principum consensu coagmentasse, & montem Sionis in primis, & templum circundedisse muris, vt res sacræ essent in tuto, super antiqua fundamenta rudi opere ædificando, lapsantesque adhuc parietinas fulciendo: adhibitis etiam portis idoneis locis, quæ vicini Iudæorum hostes, facta coniuratione diruerint, huc illucque dissecerint, portas quoque cum turrium tectis ac tabulatis incenderint. Quibus perpetratis, Iudæi istum Hanani cum socijs miserunt in Persidem, qui de his apud Nehemiam lamentarentur, vt is pro sua apud principem gratia remedium aliquod hisce malis inueniret: nec tamen quemquam accusari voluerunt; quoniam non poterant Iudæi ostendere sibi permissam murorum instaurationem, sed templi duntaxat; aduersum quod illi nondũ sacrilegas admouerant manus.

IV.

Hæc cum innotuissent Nehemiæ, luctui se dedit diebus multis, ieiunio & oratione: in qua post confessionem peccatorum populi sui, & petitionem veniæ, consentaneam antiquis Dei promissis, orat propitium sibi fieri principem in salutem Israëlitarum. *Dirige*, inquit, *seruum tuum hodie, & da misericordiam ante virum hunc*, terribilem scilicet ac formidolosum, ad quem ne regina quidem ipsa, sine timore mortis, audet accedere. Ad eum tamen Nehemias aditum habebat, quia illi erat à poculis. Quod officium ipsi apud Regem videntur conciliasse Hester & Mardochæus, quos sibi fidelissimos expertus erat, & prædicabat Assuerus. Nec tamen ipsimet postularunt, quæ à Nehemia petita sunt, veriti difficillimum hominis ingenium, cui si contigisset ingratam esse petitionem, periculum adibant eius gratiæ in perpetuum amittendæ. At alio petente poterant ipsi offensionem in Iudæos vel tollere, vel mitigare: sin autem grata esset, eam poterant tutò atque efficaciter promouere.

Nehemi as cum suis Iu Aul Ie dant ad propitia dum De

ANNVS MVNDI 3609.

NEHEMIÆ Ducis Hebræor. 1. ELIAS 20.

ARTAXERXIS 20. Imperij Pers. 93.

OLYMP. LXXXIIII. AN. 4. VR. CO. 308.

ANTE CHRISTVM 444.

I. Summa huius anni & tati tempori

Celebertima de hebdomadibus Danielis, & earum initio cõtrouersia & excitatio murorum Ierusalem Artaxerxis decreto, operáque Nehemiæ, memorabilem hunc vigesimum Artaxerxis annum reddunt. Græcis autem ex recens inito fœdere quiescentibus, Romani neque domi à tumultibus, neque foris à bellis quieuerunt. Cæterum vigesimus annus Artaxerxis concurrit cum vltimo anno Olympiadis LXXXIII, apud Iulium Africanum in quinto temporum volumine, vt refertur à D. Hieronymo, & Eusebio. Qui ne de regno quidem Persarum nobiscum pugnat, etsi hunc annum 115. regni Persarum vocat; priores enim tres ac 20. annos, siue integros 22. quibus Cyrus regnauit ante euersum imperium Babylonicum, cum annis inde subiecutis copulauit. Profectionem quoque Nehemiæ, & inchoatos hoc anno muros Ierusalem, autor Eusebius in chronico, & res ex ipso Nehemia planissima est.

in 9. Dan. l. 8. demonst. dem. 2. fi. med.

2. Esd. 2

II. Hebdomadę? Daniel hinc inc piunt. *Ie. cit. In hunc an.*

Petendum autem ab hoc eodem anno vigesimo Artaxerxis Longimani exordium hebdomadarum Danielis, scriptores grauissimi tradiderunt, in quibus Iulius Africanus apud Diuum Hieronymum, & alij multi quos retulimus in Annalibus nostris, eamque sententiam omnium maxime probabilem arbitramur. Nam cum eas Daniel aut Angelus potius, aperte ordiatur ab exitu sermonis vt iterum ædificetur Ierusalem, hic exitus sermonis de alio loquente nequit intelligi, quam de eo, qui poterat eam constructionem vel permittere, vel impedire; principe videlicet, cui tunc Iudæi parebant. At nullus alius princeps proferri potest, à quo decretum ædificandę

ciuitatis, quod quærimus editum sit, aut tempus, quod non sit multo grauioribus difficultatibus impeditum. Nam Cyrus nullum verbum fecit de extruenda ciuitate, sed templo duntaxat. Darius quoque Hystapides templi tantum extruendi potestatem fecit. Nam quod Esaias de Cyro agens, & Zerobabel de Dario meminere ciuitatis, ea vox proprie ab vtroque pro ciuium congregatione, non pro murorum constructione, de qua agimus, vsurpatur.

c. 44 & 45. 3. Esd. 4. 43.

III. Congruit tempus Artaxerxi, præterea nemini.

Deinde si alio tempore, quam sub Artaxerxe facta est potestas construendæ vrbis, oportet tempus 70. Hebdom. ab illo ad Christi mortem recte congruere. In vltimam enim hebdomadam cadere Christi mortem Scriptura ipsa clare loquitur. At nullum aliud tempus congruit. Nam à dimissa à Cyro captiuitate ad Christi mortem non 490. anni, sed 570. reperiuntur. Ab anno vero secundo Darij Hystaspidæ, quando rursum multa Iudæorum turba Hierosolymam cum Zorobabele profecta est, supra 550. annos reperiemus. Si quartum Sedeciæ, vt putauit Vatablus, 648. numerabuntur. Si autem ad Artaxerxem Mnemonem aut Ochum, multo pauciores colligentur anni, quam 70. hebdomadæ postulant. At tempus Artaxerxis rectè congruit. Nam quamuis à vigesimo Artaxerxis anno ad Christi mortem non inueniantur 490. anni solares, sed ad summum 478, isti tamen 490. lunaribus respondent. De lunaribus autem locutum fuisse Gabrielem, iampridem grauissimi scriptores senserunt: Iulius Africanus, Theodoretus, Rupertus, Beda ac plerique alij, quod ipse quoque Angelus indicauit, cum has hebdomadas vocauit *abbreuiatas*, propter embolismos prætermissos, per quos lunares anni ad solares reducebantur.

Anni lunares.

IV. Cur dilata petitio

Cum ergo totum trimestre positum fuisset à Iudæis, partim in propitiando Numine precibus, ieiunijs, cæterisque pijs operibus; partim in consultando, quomodo, quando, per quos, qua occasione petendum esset hoc decretum, ne eos repulsam pati contingeret; aut vt eam saltem sine grauiore damno paterentur; partim expectando dum tempus hybernum, parum itineri & ædificationi opportunum efflueret, vere appetente in mense Nisam, qui respondet Martio, anno vigesimo regni Artaxerxis: cum rex post cœnam factus esset hilarior, Nehemias pincerna regius eleuatum calicem porrexit regi, & quidem facie languidiore, ex metu & sollicitudine suscepti negotij. Cum ergo rex causam tristitiæ ab eo sciscitaretur, Rex ait, *in æternum viue*, statimque explicat causam mœroris sui, quod Ierusalem, in qua sepulchra maiorum suorum sita sunt, deserta sit, eiusque portæ combustæ sint igni. Et rogante rege quid super ea re postularet, orauit Nehemias vt rex ipsum in Iudæam mitteret, ad ædificandam Hierosolymam.

Modus eius

V. Conceditur à rege cum

At Rex, & Regina, quam Esther em merito credimus, nec parum hoc promouisse negotium; non enim hoc loco sine causa nominatur: *Vsque ad quod tempus*, inquiunt, *erit iter tuum*, quod cum ille indicasset, consensit rex in profectionem. Non exprimitur id tempus à Scriptura. Constat quidem Nehemiam annis 12. mansisse Hierosolymis, & ibi ducem populi fuisse: non tamen arbitror tantum tempus ad hanc profectionem inter Regem & Nehemiam fuisse cõstitutum; neque enim destinatum opus tantum temporis exigebat, vt res ipsa docuit, & ægrè rex, qui Nehemiã diligebat, tanto eũ tempore abesse passus esset. Cum tamẽ iam abesset, & rem Iudaicam bene gereret, ei à Regina & Mardochæo impetratum fuerit, vt ibi Rempub. pro rege administraret, quandiu Regi visum fuisset. Petijt quoque Nehemias à Rege literas commendatitias ad regios præfectos, vt ab ijs tuto deduceretur in Iudæam, & ad Asaph custodem saltus regis, vt obtineret ligna, ad reparandam regiam domum, & portas turresq; murorum; postremo ad extruendam sibi domum.

literis cõmendatitijs. *2. Esd. c. 5. 14. & c. 1. 63.*

VI. Venit Nehemias in Iudæam.

Cum ergo Nehemias cum regio comitatu veniisset in Iudæam, Sanaballat & Tobias, qui clientes erant & beneficiarij regum Persarum, ijdemque putantur fuisse de primarijs Samaritanorum, qui odio prosequebantur Iudæos, & nunc eorum inuidebant prosperitati, valde cõtristati sunt de regis in Nehemiam beneuolentia, veriti ne Iudæis subijcerentur. Venit ergo Nehemias Ierusalem, ibique tribus diebus quieti & salutationibus datis, sicut dudum Esdras dederat, noctu surrexit cum paucis, vt exploraret murorum statum per totum ambitum, ne quid temere in non paruo negotio aggrederetur, priusquam vlli aperiret consilium suum. Præcipuis autem Iudæorum congregatis, *Venite*, inquit, *& ædificemus muros Ierusalem, & non simus vltra opprobrium* inimicis, qui deridebant Ierosolymam in pagum contemptam. Et indicauit eis se suscipiendi operis habere autorem Deum, & consentientem regem, vt nihil præter eorum alacritatem desideraretur, contemptis inimicorum sermonibus, qui magis nocere vellent, quam possent.

2. Esdr. c. 2. 11. Esd. 8. 32. Suisque aperit consilium ædificandi.

VII. Ordo ædificationis

Initium ædificationis sumptum est à porta orientali, quæ dicebatur porta Gregis, quæ erat templo vicina, vbi ædificauit Eliasib sumus pontifex ad centum cubitos longitudinis, vsque ad turrim Hananeel, quæ erat in angulo orientis & aquilonis, vbi erat porta Benjamin inferior, nam superior non ducebat extra vrbem. In hac porro constructione murorũ explicanda Nehemias ordine progreditur, ex orientali latere per aquilonare, ad occiduum & meridianum, donec redeat ad portam Gregis, vnde ductum est initium; quæ sigillatim in Annalibus explicata reperiet Lector eruditus. Ex qua tota explicatione patet Ierusalem 12. portas habuisse in tribus lateribus. Nam in meridiano, in quo præruptæ rupes montis Sion nullum aditum dabant, nullæ fuerunt: reliqua vero latera singula quaternas habuerunt.

Numerus portarum Ierusalem.

Orientale, Portam	*Aquilonare, Portam*	*Occiduum, Portam*
FICTILEM.	BENIAMIN.	ANGVLI.
AQVARVM.	FISCIVM.	VALLIS.
EQVORVM.	VETEREM.	STERQVILINII.
GREGIS.	EPHRAIM.	FONTIS.

Aliæ portæ, quas quidam afferunt, aut ad has pertinent, aut extra vrbem non ducunt, aut nouæ Æliæ, non veteri Ierusalem conueniunt. Sed hoc de toto argumento vide Villalpandum, & Annales hoc loco.

3.l.3.c.6. & 24 ad 32.

VIII. Inimici Iudæorũ eos impedire moliuntur. 1.Esd.4.

Hæc dum Ierosolymis agerentur, & simul omnibus ex locis mœnia surgerent, inimici eorum ipsis, quasi irrita molientibus insultabant, & inani se spe consolabantur, impeditum iri opifices ne ædificarent, de futuros lapides, aut fragiles futuros, vtpote exustos, & totam constructionem infirmam atque humilem, quæ ne vulpibus quidem, nedum armatis hominibus resistat. Cumque verbis & irrisionibus nihil proficerent, sed diligenter vbique promoueretur opus, statuerunt eos nec opinantes opprimere, vt partim occisis, partim dissipatis murorum structoribus, necessario cessaret ædificatio. Quia tamen scribant eos regia autoritate munitos, & Estherem & Mardochæum in aula esse, ac plurimum apud regem posse, cum nihil omnino inuidiæ rumperentur, clam eos perdere statuerunt, ne possent ipsa apud Regem aperti facinoris argui.

IX. Quid cõtra Nehemias.

Quæ cum Nehemiæ innotuissent, opera Iudæorum, qui finitimi erant Samaritis, Ammonitis, cæterisque Iudæorum hostibus, primo ipse cum suis diuinum auxilium imploravit; Deinde speculatores super muros diurnos nocturnosque constituit, vt aduentum hostium nunciarent. Tertio certis locis post murum constituit præsidia Iudæorum armatorum, hostem vt venientem non imparati excipierent. Accessit postremo adhortatio Nehemiæ, ad se suosque fortiter defendendos. Quę cum percrebuissent, dissipatum est eorum consilium, quoniam viderunt se non posse inuadere inscios & imparatos. Iudæi vero reuersi sunt ad murale opus, in suo quisque loco, habentes arma in promptu. Certis quoque locis dispositi sunt tubicines, si quando esset opus congregari, ad vim hostium facta manu propulsandam. Prouidit etiam Nehemias, vt noctu excubiæ intra vrbem agerentur, quas ipse cum suis peruigiles obibant, nec deponebant vestimenta sua, nisi vt se aquis expiatoriis, Iudaico ritu purificarent.

X. Idem suorum inopiæ prouidet.

Sed aliud erat malum inter ipsos Iudæos, cui prouidus princeps, populique sui amans Nehemias sapienter prouidit. Vrgebantur plerique inopia tanta, vt filios, filiasque suas vellent seruituti addicere locupletioribus Iudæorum, vt haberent vnde viuerent. Alij oppignerabant fœneratoribus domos, agros, vineas, vt frumentum haberent, vt tributa persoluerent: vnde & conquerebantur apud Nehemiam, se à fratribus inhumanè tractari. Quibus auditis congregauit seorsum optimates & magistratus, qui tenuiores opprimebant, eosque priuatim increpauit, quod vsuras à fratribus acciperent. Deinde & publicè in magna populi concione, exprobrans quod gentes inhumanitate vincerent, vt qui fratres ipsi suos contra Dei legem, & iura naturæ vexarent. Sed quia potentiora sunt exempla quam verba, offert ipse se & suos ad debita egenis dimittenda, & ad eandem liberalitatem alios creditores inuitat, simulq; ad reddenda gratis pignora, quod erat nouas inducere tabulas: quod à Nehemia facile placidéque perfectum est. Sacerdotes quoque eiusdem reos, criminis seorsim adiuratione increpatoria ad eandem liberalitatem adduxit.

XI. Aliæ hostium cõtra Nehemiam moliriones irritæ.

Interea non destiterunt hostes Iudæorum conari Nehemiam insidiis intercipere, persuasi illo sublato, omnia pessum itura. Itaque miserunt ad eum specie ineundæ amicitiæ, vt ad certum locum se conferret, aut mortem ipsi, aut vincula illaturi. Quod præsentiens Nehemias quater congressum vrgentibus, quater recusauit. Ac ne quinta quidem vice rebellionis calumnia per literas pronocatus, deterritus est, sed opus suum vrgere perrexit. Alius quoque insidiis per Semeiam Pseudopropheram, & crebras falsorum fratrum epistolas illum circumuenire conati sunt, quas Nehemias agnouit, atque contemplit. Itaque irritis omnibus inimicorum insidiis, minis, calumniis, completus est murus vigesimo quinto die mensis Elul quinquaginta duobus diebus: vnde consequens vt est quarto mensis quinti, qui dictus est Ab, fuerit inchoatus. Quo referri potest illud Danielis, muros Ierusalem ædificatum iri *in angustia temporum*. Quod non videri debet incredibile, siquidem multa hominum millia huic vni operi dies noctesque incumbebant; iisque aderant Iudæorum principes, & ipse Nehemias, qui opus præsentia sua, voce, manuque vrgebant. Nec mœnia omni ex parte ab imis fundamentis excitata sunt, sed in illis ipsis ædificatum, & interrupta instaurata.

Absoluitur murus intra 52. dies.

c 9 25.

XII. Prouidet Nehemias vrbis custodiæ, & frequentiæ

Postquam ædificatus est murus, prouidit Nehemias custodiæ vrbis, constituitque ianitores portarum, & custodes de habitatoribus Ierusalem, *singulos per vices suas, & vnumquemque contra domum suam*. At vices istæ crebro redibant. *Ciuitas* quippe *erat lata nimis & grandis, & populus parum in medio eius*: itaque ciuium frequentiæ prouidendum fuit. Id per occasionem dedicationis murorum factum videtur. Nihil enim æque potest incitare populum ad frequentandam vrbem nobilissimam, non incensam vt ante, & hostibus æque atque amicis peruiam, sed mœnibus cinctam, & habitationi tutam, vrbem regiam opportunissimo loco sitam, in qua vna Deo sacrificare liceret, & maximas totius anni celebrare solennitates, quam accurata in ea diuini cultus obseruatio, quæ per absentiam Sacerdotum & Leuitarum languebat. Abfuisse autem patet ex libro Nehemiæ, vbi dicitur ad muri dedicationem accersitos fuisse Leuitas *de omnibus locis suis*, & congregatos fuisse filios cantorum *de campestribus circa Ierusalem*.

c 12. 27.

Traditur porro muri dedicatio Nehemiæ 21. post pleraque alia recensita; quæ causa fuit vt Beda crediderit dedicationem tardius factam esse. Verum nihil est cur negemus: statim ab opere absoluto, factam dedicationem, cum ea tanquam medium assumeretur ad replendam habitatoribus ciuitatem: & facile fuit vergente ad finem ædificio, personas ad dedicationem necessarias conuocare: quanquam maxima pars populi iam in vrbe ædificationi operam dabat, nihil vt necesse foret eos conuocare, aut differre dedicationem. Voluit autem Nehemias sanctificari & dedicari muros Deo, vt hoc quoque nomine vrbs sancta appellari posset; & vt Deus peculiari cura protegeret

XIII. Dedicatio muri quando facta.

& quare.

Digitized by Google

tam mœnia ipsa, quam quæcunque eorum ambitu continerentur. Ideoque sacri ritus & ceremoniæ in hisce encœniis adhibitæ sunt, vt mox patebit.

XIV. c.12.17. Conuocantur Leuitæ, & dedicationis modus.

Itaque in dedicatione muri misit Nehemias nuncios, qui Ierosolymam conuocarent Leuitas de omnibus locis suis. *Et mundati sunt Sacerdotes & Leuitæ, & mundauerunt populum, portas & murum*, certis scilicet ablutionibus, & aspersionibus aquæ, & expiationibus, de quibus Numer. 19. Cum ea lustratione instituit Nehemias comprecationem vniuersi populi bipertitò distributi, vt super murum diuinas laudes, & Psalmos Dauidicos, multo cum instrumentorum apparatu, concinerent, tubis etiam alternatim concrepantibus. Sacerdotes autem & Leuitæ inter eundum cum fasciculo hyssopi aqua lustrationis; murum aspergendo sanctificabant. Diuisus est autem populus in partes, siue choros duos: tum vna pars, in qua erat dimidia pars magistratuum & populi iussa est iter suscipere ad dextram; à porta videlicet Sterquilinij versus montem Sion, & ciuitatem Dauid. Alter chorus, in quo erat Nehemias & dimidia pars magistratuum & populi, ex aduerso procedebat ab eadē porta ad sinistram versus aquilonem, donec occurrerent sibi ad portam Custodiæ, quæ non ducebat extra vrbem, sed erat vicina portæ Gregis, & templo.

Duo chori murum aduersi circumeunt.

Steterunt ergo ambo chori in porta Custodiæ, indéque ascenderunt in templum, vbi cantores sua cantica ingeminarunt, & tubicines sonos, & Sacerdotes sacrificia, & populus preces & gratiarum actiones, & vniuersi lætitiam. Quidni enim lætarentur omnes à puluere excitatam regiam ipsorum vrbem, & opprobrium populi, quod ruinæ ille continenter testabantur, fuisse sublatum? Quandiu enim iacebat illa vrbs, tandiu impij in Deum, & rebelles in principes audiebant. Quidni lætarentur tutos se, tectosque esse ab incursionibus Samaritanorum, Syrorum, Palæstinorum, Ammonitarum, Idumæorum, & aliorum id genus latrunculorum, qui capitali eos odio prosequebantur? Quidni gratias agerent Deo, qui eis propitium Regem Persarum, industrium ac generosum ducem, populum facilem ac labore indefessum dederat; qui eis sumptus, vires animosque ministrarat, vt contemptis inimicorum minis, insidiis, irrisionibus, tantum opus tantulo tempore inchoarent, promouerent, atque perficerent.

XV. Et templum læti adeunt. Causa lætitiæ.

Et gratiarum actionis.

Eadem die constituti sunt, qui curam habebant recipiendi & recondendi, quæ populus offerebat, in vsum Sacerdotum & Leuitarum, in quibus fuit Eliasib Sacerdos. Tradit Iosephus celebritatem hanc octo dierum fuisse, quos populus in epulis transegit. Cuius octidui quintus dies fuit Neomœniæ festum, in quo illa contigit sacri libri lectio, quæ in lege præcipitur, & fuse refertur cap. 8. libri huius, vbi habetur primo die mensis septimi congregatum populum in platea, quæ erat ad portam aquarum, & ibi Esdram Sacerdotem & Scribam legisse librum legis per singulos dies, à mane vsque ad meridiem, toto octiduo solemnitatis. Quid autem legerit non satis constat. Existimauerim eum non totum omninò volumen legis populo perlegisse, sed ea ex illis libris selegisse, quæ ad vniuersi populi eruditionem, & informationem morum pertinebant, bonam scilicet partem Exodi atque Leuitici, maxime autem Deuteronomij, in iis locis, in quibus horribiles comminationes continentur in præuaricatores: quas cum in seipsis experirentur impletas, in lacrymas soluebantur, quos Nehemias & Esdras consolabantur, & ad hilaritatem inuitabant.

Leuit. 26. *Deut.* 28.

XVI. Institutio sacri quæstores. c.12.45. c.13.v.4.

Esdras legit librū Mosis.

Deut. 31. 11.12.

c.8.18.

Postridie autem, die secundo mensis septimi, congregati sunt principes familiarum vniuersi populi, Sacerdotes quoque ac Leuitæ ad Esdram, propter peculiares aliquas difficultates exortas circa ea, quæ pridie lecta fuerant, & nominatim circa festum Tabernaculorum. Nam statim subditur. *Et inuenerunt scriptum in lege, præcepisse Dominum in manu Moysi, vt habitent filij Israel in tabernaculis in die solemni decimo quinto, mense septimo.* Cum ergo consultus Esdras à populo eam solennitatem celebrandam esse docuisset. Iussit Nehemias eam voce præconis vbique denunciari, & colligi arborum ramos, quibus fierent sub dio tabernacula, & scenæ frondeæ, in quibus per septem dies habitarent, memores habitationis patrum suorum in deserto. Itáque factum est, tanta deuotione & lætitia, quanta à diebus Iosuæ non contigerat scenopegiam celebrari, siue propter rei iam pridem intermissæ nouitatem, siue propter singularem ex auditione diuinæ legis animi sensum, siue propter diuina miracula, quæ in ea celebritate præter consuetudinem contigerunt.

XVII. Qui dubiorum causa aditur. *Nehem* 8. 13.

Festum Tabernaculorum indicitur ac celebratur.

Per hos enim scenopegiæ dies, ignem de cœlo datum, quo crassa illa aqua inflammata est, existimamus, iuxta ea quæ 2. Machabæorum leguntur. *Facturi*, ait Scriptura, *quinta & vigesima die mensis Casleu purificationem templi*, in memoriam scilicet templi à Machabæo emundati, *necessariam duximus significare vobis, vt vos quoque agatis diem scenopegiæ, & diem ignis, qui datus est, quando Nehemias ædificato* pridem, *templo & altari, obtulit sacrificia.* Et apparet primo ipso die scenopegiæ ignem diuinitus excitatum; erat enim is dies omnium celeberrimus, & maximo sacrificio honorabatur. Ipsum miraculum fusius narratur eodem loco. Iudæos scilicet, qui præ cæteris pietate præstabant, cum in Chaldæam captiui ducerentur, partem quandam ignis ex altari incensi acceptam, in cauerna sicci putei reposuisse, ac diligenter occultasse.

XVIII. Cum miraculo ignis. c.1.18.

Vide Annal. n 79. *& seqq.*

Cum autem præterijssent anni multi, tres videlicet supra 160, nimirum 70. desolationis, & 93. Imperij Persici, placuit Deo vt mitteretur Nehemias à Rege Persidis; nepotes Sacerdotum illorum, qui ignem absconderant, misit ad inquirendum ignem, qui pro igne aquam crassam inuenerunt. Hoc iam primum miraculum est, vt ignis in aquam verteretur. Et iussit eos haurire, & afferre sibi, & sacrificia, quæ imposita erant, aspergi ipsa aqua, & ligna, & quæ erant superposita. Cumque sol, qui prius erat in nubilo, mox refulsisset, magnus ignis accensus est, ita vt omnes mirarentur renouata Eliæ miracula. Itaque ex admiratione in Dei laudes effusi sunt, donec consumptum esset sacrificium. Tunc autem Nehemias iussit residuum aquæ crassæ infundi in vrnas lapideas, ex quibus mox

XIX. 2. *Mach.* 1. 20. Quomodo res cōtigerit.

iterato miraculo ignis emicuit. At ignis, qui perpetuus erat in altari, ita exarsit, vt aqua quæ erat in lapidibus, inflammata fuerit atque consumpta. Quę autem his cognitis fecerit Artaxerxes, ad sequentem annum pertinent.

XX. Tabernaculũ quoque & arcam, & altare incẽsi tunc inuentum. 2. Mac. 2. 5. & seqq. 2. Mach. 2. 5 6. &c.

Existimo autem hoc ipso tempore, quo ignis, siue aqua illa crassa inuenta est, tabernaculum quoque, & arcum & altare incensi fuisse reperta, vt diligenter à nobis in Annalibus disputatum est. Hic tantum dico, eam assertionem satis ex eodem Machabæorum loco probari, vbi Ieremias prædicit tabernaculum, & arcam, & altare incensi, quæ ipse absconderat, ignota fore, cum loco in quo reposita erant, *donec*, inquit, *congreget Deus congregationem populi, & propitius fiat, & tunc Dominus ostendet hæc: & apparebit maiestas Domini, & nubes erit, sicut & Moysi manifestabatur*, &c. Nemo proferre potest tempus, in quo hæc Ieremiæ prophetia impleta fuerit, in quo visibilis maiestas Domini apparuerit, vt Moysi & Salomoni, quam hoc, in quo Deus præsentiam maiestatis in igne mirabiliter accenso demonstrauit; in quo nubes solem, & sacrificia, & altare obtegebat, vt Mosis & Salomonis temporibus. Ista quoque populi congregatio non alia intelligenda est, quam quæ post captiuitatem Babylonicam facta est, sub Cyro, Dario, & Artaxerxe. Sicut enim per partes dispersus fuerat populus, ita & per partes iterum collectus est. Id autem confirmatur ex instituto Ieremiæ, qui etsi arguebat sociorum suorum curiositatem, consolari tamen eos volebat de restitutiotem, consulari tamen eos volebat de restitutione futura Iudaici cultus, & ceremoniarum post præsentem dispersionem.

XXI. Quare ad omissum à Scriptura.

At inquiunt aduersarij, si arca hoc tempore inuenta est, quare illius Scriptura non meminit, quæ ignis renouati meminit? Quare Iosephus in spoliis à Tito & Vespasiano Romam delatis eam non numerauit? Ad priorem petitionem, obuia est cuiuis illa responsio, *Quis nouit consilium Domini, aut quis consiliarius eius fuit*? Quam multa optamus à Scriptura fuisse tradita, quæ sunt obuoluta silentio? Dici tamen potest, monitos per epistolam Iudæos Ægyptios ignis diuinitus dati, quia renouabant memoriam festi diei, ea de causa celebrandi, quod inuentæ arcæ, non conueniebat. Ad posteriorem respondet Ribera. Quæris, cur huius inuentionis arcæ Iosephus non meminerit; Cur absconsionis non meminit? Cur de igne cælesti Nehemiæ dato nihil dixit? Cur de Iobo nullum vspiam verbum fecit. At asserit nihil penitus in intima templi parte fuisse, ergo ne arcam quidem. Forte quia iam Antiochus illam abstulerat. Aut certe occulte respuit eorum calumniam, qui in intima æde à Iudæis asini caput coli dicebant.

In 1. Agg.

l. 6. bellic. 6.

l. 2. Q. A. pionem.

XXII. Populi luctus & pœnitentia. Nehe. 9. 1.

In die autem 24. mensis septimi, transactis Tabernaculorum diebus, *conuenerunt filij Israel in ieiunio, & in saccis, & humus super eos*. Quamobrem autem? Cum populus ex assidua legis auditione accepisset quam serio in ea vetarentur coniugia cum alienigenis, idque etiam Esdras inculcaret vehementius, sicut iam anno septimo Artaxerxis fecerat: quicunque huic culpæ erant affines, siue qui nondum eiecerant mulieres illas, siue quibus repudiatas iterum acceperant, facti pœnitentes in templum venerunt, & eiusdem Esdræ vt videtur opera, annitente Nehemia iterum *separatum est semen filiorum Israel ab omni filio alienigena*. Mox etiam alia emendata sunt, quæ passim à populo peccabantur; & renouatum est fœdus Deum inter & populum. Postremo ad frequentiam vrbis Ierusalem, in hoc populi cœtu definitum est, vt principes populi habitarent Ierosolymis. Reliqua vero plebs misit sortem vt decima pars eam incoleret, præter eos, qui sponte vellent eligere habitationem in ea.

Separatur ab alienigenis.

XXIII. Plebs Quintij Consulis obiurgatione ad arma cõpellitur.

Hoc anno, & ad quinque sequentes, Græca silet Historia. Romana vero populares habet de more contentiones. Quibus cognitis Æqui & Volsci Romanis populabundi insultarunt. Donec Consul Quintius Capitolinus graui & artificiosa plebis & Tribunorum obiurgatione, eos ad arma pudore compulit, accessit & ira vehementior, vbi intellectum est quæ hostis in agris perpetrasset. Delectus decernitur, habetutque tanta celeritate, vt tertio die cum hoste pugnatum sit, fœliciterque depugnatum, hostilia castra expugnata, ingentes prædæ receptæ, & acquisitæ. Nec tamen triumphatum est, ne triumphus hominibus potius, quam rebus gestis delatus videretur.

Et æquos vincit & Volscos.

Hoc anno iudicium populo Romano delatum de finibus suis ab Aricinis & Ardeatibus, qui vtrisque fecit iniuriam, cum vtrisque ademit quod vsurpauit sibi, ex quo sequenti anno Ardeatium defectio à Romanis exorta est, & consules in præsentia pudore affecti, & populus posterorum reprehensionem insultam incurrit.

Iudicium de agro Ardeatino.

ANNVS MVNDI 3610.

NEHEMIÆ 2. ELIASIB 21.

ARTAXERXIS 21. Imperj Pers. 94.

OLYMP. LXXXIV. A. 1. V. C. 309.

ANTE CHRISTVM 443.

I. Nunciatur in Persidę miraculum ignis.

DElato ad Artaxerxem nuncio, de igne tot annis in subterraneo loco absconsito, & in aquam crassam, & inde rursum in ignem conuerso, vehementer admiratus est, tantóque magis, quo maiore apud Persas veneratione ignis semper fuit. Itaque rei veritatem primum diligentem inquiri iussit atque examinari: tum eum locum sanctum ac religiosum instar templi haberi voluit, eumque ac Sacerdotes multis donatiis ac muneribus honorauit. Nec absurdum est locum aliquem extra templum à Iudæis sanctum æstimari, & eo nomine honorari, præsertim in quo Deus aliquid præter naturæ ordinem perpetrasset, vt locum in quo Dominus dormienti Iacobo apparuisset, & rubum Mosis & piscinam probaticam, imo & sua oratoria. An autem Artaxerxes ignem honorare, ex Persica superstitione voluerit, an potius mirabilium omnium effectorem Deum, qui & aquam ardere faceret, & eandem ex igne produceret, dubitari potest. Certe in meliorem partem vt propendeam suadet Esther Regina, & Mardo-

Rex locũ honorat, & ipsius miraculi autorem Deum.

lam Magistrum equitum dixit. Postero die dispositis per vrbem præsidiis, cum Dictator in forum descendisset, & Melius vim sibi paratam cerneret, missus à Dictatore ad eum Seruilius, ad causam dicendam, iussu Dictatoris hominem euocat. Qui dum tergiuersatur, & plebis opem implorat, à magistro equitum occiditur. Id factum probauit Dictator, & mortui domum euerti iussit, ac bona publicari.

A Seruilio Hala occiditur, &c.

ANNVS MVNDI 3617.

NEHEMIÆ 9. ELIASIB 28.

ARTAXERXIS 28. Imperij Pers. 101.

OLYMP. XXCV. A.4. VR.C.316.

ANTE CHRISTVM 436.

OBsidebant Epidamnios Corcyræi, Corinthius exercitum parantibus, vt eis auxilio essent. Futura erat classis 60. & aliquot nauium, ex diuersis collecta populis. Eo apparatu cognito Corcyræi, cum Lacedæmoniis Sicyoniisque legatis, adierunt Corinthios, suadentes vt res non bello, sed iure dirimeretur; cumque non conuenissent, Corinthij classem mittunt Epidamnum, Corcyræi non intermissa obsidione, illis occurrunt, & nauali acie instructa pugnant, vincuntque, quindecim nauibus profligatis, cæteris in fugam actis. Eodem ipso die Epidamnij obsessi ad deditionem coacti sunt, iussique in vinculis seruare Corinthios, donec statuerent victores quid eis fieri placeret. Corcyræi illis in locis imperium maris adepti, varia Corinthiorum loca peruagati, aliorum agros vastarunt, aliorum naualia incenderunt, sicque reliquus ille annus, ac sequens, sine vllo inter vtrumque populum certamine abiit. Classis tamen interea vtrimque præparata est.

I. Corcyræorum & Corinth. disceptatio.

Et pugna nauali, & victoria Corcyræorum.

Romæ autem Tribuni, cæso Sp. Melio, de eius nece apud populum querebantur, quod indicta causa, & indemnatus esset occisus, & mortem ab inimicis plebis, pro sua in egenam plebem misericordia, retulisset. Peruiceruntque vt huius anni comitiis Tribuni militares crearentur, rati eorum aliquos è plebe fore, qui Melij necem vindicandam susciperent; nec tamen facti sunt voti compotes; tres enim tantum, ijque Patritij creati sunt. In quorum magistratu Fidenæ, colonia populi Romani, ad Veientes, eorumque regem Volumnium defecere, eiusque iussu quatuor Romanorum legatos, causam defectionis inquirentes interfecere: vt spes omnis reconciliationis, tanto admisso scelere, præscinderetur. Ergo bellum cõtra Fidenates & Veientes hoc anno præparatum, sequenti inchoatum à L. Sergio Consule, moxque ab Æmilio Mamerco Dictatore perfectum est. Cæsus in ea pugna Rex Volumnius ab A. Cornelio Cosso, indeque hosti terror & fuga, & Romanis victoria. Dictator Senatus Consulto, iussuque populi triumphans in vrbem rediit. Longe maximum triumphi spectaculum fuit Cossus quadrigis in vrbem inuectus, spolia opima Regis interfecti gerens, quæ in æde Iouis Feretrij, prope Romuli spolia solenni dedicatione fixit.

II. Tribuni Melij. pro Coss. creati.

Fidenæ ad Veientes deficiunt.

3618.

Bellum contra vtrosque gestum.

Cossi spolia opima

Hoc autem posteriore anno, qui fuit Olympiadis 86. annus primus, natus est Isocrates Rhetor egregius, quinquennio ante bellum Peloponnesiacum. Quo tempore floruisse legimus Democritum Abderitem, Empedoclem Agrigentinum, Hippocratem Coum, Gorgiam & Prodicum, Zenonem quoque, atque Parmenidem.

III. Ortus Isocratis.

ANNVS MVNDI 3619.

NEHEMIÆ 11. ELIASIB 30.

ARTAXERXIS 27. Imperij Pers. 103.

OLYMP. XXCVI. AN. 2. V.C. 318.

ANTE CHRISTVM 434.

TOto anno, post nauale prælium infeliciter à Corinthiis gestum, & insequenti, qui nunc agitur Corinthi naualem expeditionem studiose præparatunt, remiges militesque ex Peloponneso, totáque Græcia comparantes. Ea re moti Corcyræi legatos Athenas auxilij causa miserunt. Miserunt & Corinthij rogantes ne se hostibus suis adiungerent, vtrorumque apud Thucydidem extat oratio, mutuis plena criminationibus. Athenienses Corcyræis dissimulanter adhęsere, ne fœdera tricennalia, cum Lacedæmonijs, eorumque sociis inita, violarent, sed societatem tantum subsidiariam cum Corcyræis fecere, vt mutuam sibi ferrent opem, si quis aduersus Corcyram, vel Athenas, vel ipsorum socios adiret. Verebantur enim ne Corcyra, quæ multum classe valebat, in Corinthiorum potestatem veniret, sicq; difficilius ipsi maris imperium obtinerent. Ergo cum Corinthij discessissent, Athenienses decem naues Corcyrensibus subsidio miserunt, mandaruntq; ducibus ne Corinthios inuaderent, sed Corcyræos tantum defenderent. Quod ita fecerunt, vt multa vtrimque accepta clade, vterque se victores dicerent, Corcyræi tamen Epidamno potiti sunt: quæ causa fuit iræ Corinthiorum in Athenienses, quorum opera factum fuerat, vt Corinthij Corcyræos in suam potestatem redigere non potuissent: idque etiam in posterum desperabant, quandiu illi Athenienſium præsidio niterentur.

I. Corinthiorum appparatus, & Corcyræorum legati, ad Athen.

lib. 1. p. 23 29. Gr. Lat.

Qui Corcyræis dissimulanter fauent.

Vnde victi Corinthij.

II.

3260. Perdiccas rex Maced. & Corinth. Athen. infensi.

Itaque anno proximo, vt de ipsis aliquo modo vltionem sumerent, Potidæam illorum coloniam ad defectionem impulerunt, à Perdicca Rege Macedonum, Athenienſium hoste incitati. Cum enim Perdiccæ fratres contra ipsum bellum gererent, Athenienses auxilio fratribus venerunt. Ergo cum sibi ab illis metueret, operam dedit, missis Lacedæmonem legatis, vt bellum inter Athenienses & Lacedæmonios oriretur. Corinthios quoque iam Athenienſibus iratos sibi conciliauit, vt Potidæa, aliæque Thraciæ vrbes ab Athenienſibus deficerent, vt illarum opera, fortior contra fratres suos & Athenienses redderetur. Verum enimuero Athenienses cognitis Perdiccæ & Corinthiorum consiliis, vt earum ciuitatum defectionem anteuerterent, triginta naues cum mille grauis armaturæ militi-

bus in

bus in Thraciam misere, quæ obsides à Potidæatis acciperent, vtibis mœnia demolirentur, & vicinas vrbes à defectione prohiberent.

III. Potidæatæ adl. a ced. con fugiunt.

At Potideatæ cum eam calamitatem frustra ab Athenienſibus deprecarentur, ad Spartanos confugerunt; qui cum polliciti essent se in Atticam irrupturos, si Potidæa ab Athenienſibus inuaderetur, ab eis illico, cum socijs oppidis defecerunt, in quibus Chalcidenſes, qui authore Perdicca, deserto Olynthore in Olynthum emigrarunt, ibique se communiuerunt. Quoniam autem 30. Athenienſium naues impares se bello contra ciuitates quæ defecerant, & contra Perdiccam existimabant, ijs relictis, in Macedoniam emigrarunt, Corinthij autem in Thraciam validum exercitum miserunt, qui Potidæam tutatetur.

IV. Romæ peſtis bienio.

Romæ vtroque anno peſtis grassata est, posteriore præsertim; quo nihilominus Fidenates Aniene traiecto copias ad vrbem posuere. In re trepida dictus Dictator A. Seruilius, qui luce prima ciues, qui arma ferre poterant, educit in aciem, & Fidenates victos in vrbem compulit, quam cum desperaret se vi aut obsidione capere posse: agere in arcem cuniculum instituit, & perfosso monte patefecit in arcem viam, & nec opinantibus Hetruscis, hostilis clamor supra caput vrbem captam ostendit, quæ & mox excisa est.

Fidenates a Dictatore excisi.

ANNVS MVNDI 3621.

NEHEMIÆ 13. ELIASIB 32.

ARTAXERX. 32. Imp. Persar. 105.

OLYMP. XXCVI. AN. 4. V. C. 320.

ANTE CHRISTVM 432.

I. Annus Nehemiæ absolutus a *Esdr.* 5. 14.

CELEBRATVR hic annus apud Nehemiam; est enim duodecimus ducatus siue gubernationis eius in Iudæa. *A die autem*, inquit, *qua præceperat rex mihi, vt essem dux in terra Iuda, ab anno vigesimo, vsque ad annum trigesimum secundum Artaxerxis regis, per annos duodecim* altero extremorum non computato, *ego & fratres mei*, domesticos opinor intelligit, totamque familiam, *annonas, quæ ducibus debebantur, non comedimus*, misericordia videlicet moti erga populum egenum ac *valde attenuatum*, vt eius onera & tributa tantundem minuerentur: vnde sequitur. *Duces autem primi, qui fuerunt ante me, grauauerunt populum; & acceperunt ab eis in pane & vino, & pecunia quotidie quadraginta siclos*, id est, in ære Gallico quinquaginta quatuor Francos cum dimidio. Magnos nihilominus sumptus facere cogebatur. *Nam Iudæi*, inquit, *& magistratus, centum quinquaginta viri, & magistratus, centum quinquaginta viri, & qui veniebant ad nos de gentibus, qua in circuitu nostro sunt, in mensa mea erant. Parabatur autem mihi per dies singulos bos vnus, arietes sex electi, excepta volatilibus: & inter dies decem vina diuersa, & alia multa tribuebam.*

Eius in populum indulgentia.

Vbique acceptis ex fisco regio sumptibus, consentanee ijs quæ hic ipse rex dari præceperat Esdræ, procurante Regina Esthere, & Mardochæo.

Hoc ipso anno Nehemias è Iudæa profectus est in Persidem ad Regem Artaxerxem, qui Rex Babylonis dicitur, & reuera ei Babylonij parebant, & forte tunc erat Babylone, & ad eum profectus est Nehemias, & apud eum mansit vsque ad finem dierum vitæ ac regni eius, vt ibi dicemus. Interea enim dabitur tempus Eliasib, & Tobiæ grande gazophylacium ædificandi, male administrandi templi reditus, & eius ministros fugandi, vt habetur capite decimo tertio, versu decimo. Vide Annales hoc loco. Cæterum prædictis duodecim annis ducatus Nehemiæ credibile est eum non solum beneficentiam erga populum exercuisse, sed omnia promouisse diligenter, quæ ad DEI cultum, & legis obseruationem pertinebant, vt propterea tanto iustius postea zelus eius exarserit, contra violatores eius, & verbis eos castigarit & factis. Quod simul etiam arguit eum in eadem Ducis autoritate perseuerasse.

II. Persidem adit ibique diu mo[illegible]tur.

Hoc autem pertinet in primis constructio Iudaicæ Bibliothecæ, cuius est mentio in secundo Machabæorum, ex quo loco intelligitur Nehemiam, aut Esdram potius illius iussu varios sacrarum literarum codices, earumue partes, quæ apud diuersos varijs habebantur in locis, diligenter collegisse, & nominatim libros Regum & Prophetarum & Psalterium, &c. Apparet quoque, vt fieret Bibliotheca, alios quoque libros collectos, tam patriæ quam peregrinæ sapientiæ, vel exemplo Regum Persarum, quorum Bibliotheca Babylone constructa erat. Quid autem studij circa libros sacros Esdras adhibuerit, ex antiquis patribus colligi potest, quorum sententias in Annalibus recensuimus. Hic breuiter dico Esdram libros sacros, quos habere potuit, diligenter custodisse. Secundo, varijs ex locis & personis eos collegisse, & in Bibliothecam Ierosolymam contulisse. Tertio, varias partes in vnum quasi corpus compegisse, vt Psalmos in vnum librum; eodemque modo Prophetias, prout quoque inuentæ sunt. Quarto, depraua correxisse, recensuisse, renouasse. Quo pertinet nouorum vocabulorum in locum veterum substitutio. Quinto, suppleuisse quæ deesse videbantur: qualia sunt quæ de morte Moysi & Iosue suis habentur locis. Quin & alia quoque suppleta libris sacris, post mortem Esdræ, ex ipsa Scriptura demonstratur in Annalibus.

III. [illegible] Bibliothe[illegible] perfe[illegible] Esdræ.

Quod ad Græciæ res attinet. Cum Athenienses didicissent priorem suam triginta nauium classem tardius in Thraciam peruenisse, nec pares esse bello Thracico simul & Macedonico, quadraginta naues subsidio misere, quibus Calliam præfecerunt ducem. Priores iam Therma potiti erant, quæ postea Thessalonica dicta est & Pidnam obsidebant, cui obsidioni, socios se, qui recens aduenerant, adiunxerunt. Cum autem obsidio produceretur, & ipsi de Potidæa, & Corinthiorum auxilijs, solliciti essent, pacem cum Perdicca,

IV. Athen. [illegible] Thracia & Mace[illegible] donia[illegible] copias [illegible] mittunt

Athen[illegible] reconci[illegible] tur P[illegible] diccæ.

crucis patibulum pertulisse, moxque corpora cum crucibus ante vrbis portas fuisse translata. Indeque scriptas literas, quæ eius rei meminissent. Postea vero die cædibus destinata, initium cædendi Susis sumptum esse à decem filiis Aman, qui reliqui erant, & ab iis ad quingentos vsque, in eadem vrbe cædem fuisse progressam. Postridie autem postulante Regina alios quoque occisos, & decem istos Amani filios, in crucem ignominiæ causa fuisse sublatos, sicque omnia recte consentiunt.

III. Susis iterata cædes, cæsorumq; numerus vniuersus c. 8. 11. c. 9. 12.

Illud autem nominatim Scriptura notauit, nusquam Iudæos, siue Susis, siue reliquis in prouinciis cæsorum bona diripuisse, quamuis id eis per Regis literas nominatim liceret, ne non zelo iustitiæ, sed ardore auaritiæ ad tantam cædem viderentur incitati. Nam cæsorum numerum ad 75. millia peruenisse Scriptura ipsa testatur. Moxque diem festum in memoriam cædis huius fuisse institutum, & in posterum propagatum, & historiam ipsam à Mardochæo literis traditam. Horum autem Iudæorum sacrilegi posteri, peccata vetera nouis accumulantes, ita celebrabant hunc diem, vt eius ritus contra Christum traducerent, vt ex Honorii & Theodosii prohibitione constat. Quoniam autem Mardochæi nulla deinceps habetur in Script. mentio, neque de tempore mortis eius constat: eius ornamenta sepulchralia in hunc annum in Annalibus relata Lector reperiet, vbi etiam Estherem propriis ornauimus & suis, licet eam anno Artaxerxis vigesimo in viuis fuisse non dubitemus.

Sacrilega Iudæorũ de Amani cæde celebritas. *Cod. delud. dau. & Calisolu.*

a nn. 14. ad 25.

IV. Nonum ab Artaxerxe vectigal impositum.

Cæterum non negligenter prætereundum est, quod initio decimi capitis habetur, nouum ab Assuero vectigal impositum subditis suis, tam qui in continenti, quam qui in insulis habitabant, cuius causa ex præsenti rerum Græcarum statu colligi potest. Cum enim toto triennio in Græcia cessatum esset ab armis, & hoc insuper anno quinquennalia fœdus inter Græcos initum esset, non dubitauit Artaxerxes quin eorum concordia in sua damna firmaretur; sicut reuera contigit, bello ab Athenien sibus contra Cyprum, quæ Persis parebat, Cimone duce cõflato. Hoc ergo nouum vectigal ad nouum bellum vsui fuit: Suscepti belli causam tradit in Cimone Plutarchus. Athenienses otii impatientes, in mari magna cum ducentarum nauium classe vagabantur. Ne ergo inter se Græci bella suscitarent, sed Barbarorum opibus fierent opulenti, sexaginta naues in Ægyptum nauigarunt, quas Amyrtæus, qui Persis non parebat, & in paludibus regnabat, accersiuerat; reliquę Cyprum petierunt, & Citium eius vrbem obsederunt.

Et bellum cum Græcis ad Cyprum.

V. Romæ pestilentia.

De Romana re Dionys. in hunc annum, quo quartum Vrbis seculum inchoatur, scribit 81. Olympiade, qua vicit in stadio Lycus Larissensis, exacto anno ab V. C. 300. P. Horatio, & Sex. Quintilio Coss. pestilentiam vrbem inuasisse, qua seruitia pene omnia absumpta sunt, & ciuium circiter dimidium, neque medicis sufficientibus, neq; domesticorum atque amicorum ministeriis. Sic ipse. Plinius tamen in proœmio lib. 29 affirmat Romam sine medicis vltra sexcentesimum annum vixisse. Addit ille multas vulgò ceremonias ac religiones adhibitas. *Vbi vero*, inquit, *increbuit opinio non esse curæ dijs res mortalium, nec tangi eos misericordia, & ipsi religiones neglexerunt.* Itaque Epicuræa doctrina antiquior est Epicuro. Sed reuera istis diis curæ non sunt res humanæ, nisi vt pessimè habeant. Hac ipsa pestilentia absumptus est Quintilius Consul, cui que surrogatus est ei Sp. Furius, & 4. de Tribunorum collegio, Senatoresque plurimi. Hostes quoque Romanorum peruagata, quiescere eos coëgit.

Epicurea opinio an te ortum Epicuri.

ANNVS MVNDI 3603.

ESDRÆ 8. ELIASIB 14.

ARTAXERXIS 14. Imperij Persarum. 87.

OLYMP. LXXXII. A. 2. VR. CO. 302.

ANTE CHRISTVM 450.

I. Persæ ad Cyprum male rem gerunt.

HAbet hic annus rem bene gestam ab Athenien sibus contra Persas ad insulam Cyprum, sed cum Cimonis clarissimi sui Imperatoris iactura. Cum enim is in Citiensium obsidione diuturniores opinione sua traheret moras, vt qui Persicum animo voluebat imperium, ea de re legatos ad Ammonem misit, sed antequam illi reuerterentur, ipse excessit è viuis. Moriens autem suos monuit, vt dissimulata morte sua, extemplò discederent, quasi eiusdem ductu auspiciisque Cimonis. Ita Plutarchus. At Thucidides non statim quasi re infecta rediisse vult, sed gemina victoria potitos, & reditum non tam ad Cimonis mortem, quam ad famem exortam refert, eaque vrgente ad Salaminam Cypri cursum tenuisse: vbi cum Phœnicibus, & Cypriis, & Cilicibus nauale m ac pedestrem simul pugnam commiserunt, & in vtraque victores effecti, domum redierunt. Addit Diodorus Græcos plurimas Persarum triremes demersisse, & centum cum ipsis militibus cepisse. Artaxerxem vero, suorum in Cypro clade audita, præfectis copiarum suarum Artabazo & Megabyzo per literas edixisse, vt bellum, quibuscumque conditionibus possent, dirimerent, quod & factum est.

Cimonis mors, & gemina Græcorum victoria.

At Romæ sanitas cum nouis consulibus reddita est. Redierunt & legati leges afferentes Athenis, & ab Italicis Græcorum vrbibus; moxque Tribuni plebis adierunt Consules, postulantes vt ex S. C. legum latores crearentur, qui rem vsque ad propinqua comitia distulerunt, quando & sequentis anni Consules solito maturius designarunt, Appium Claudium & T. Genucium. Quorum ille in Senatu censuit, eligendos decemuiros ex Senatus primoribus, quorum annuum esset imperium & potestas consularis: interim cessare cæteros omnes magistratus, donec iuxta nouas leges creati essent. Decemuiros autem priuatis iura rediturosque, & Rempub. constituturos. Id SC. Tribunis, populoque gratum fuit.

II. Reditus legatorũ cum legibus.

SC. decemuiris eligendis

* * *

ANNVS MVNDI 3604.

ESDRÆ 9. ELIASIB Pont.15.

ARTAXERXIS 15.Imperij Persarum 88.

OLYMP.LXXXII.AN.3.V.C.303.

ANTE CHRISTVM 449.

I. Bellum sacrum pro Delphis, geminatum

TErtius est hic annus à fœderibus quinquennalibus inter Athenienses & Lacedæmonios initis:stabat & pax cum Persis,quando Lacedæmonij bellum, quod vocatum est sacrum, Delphis susceperunt,quod Thucydides gestum esse ait post bellum Cyprium proximè commemoratum. Cum enim Phocenses in quorum prouincia sunt Delphi, eo templo potirentur, id sibi ciues Delphici probrosum putabant, &, vt par est credere,illius emolumenta,in prouinciales suos potius,quam in seipsos transferri ægrè ferebant. Itaque Spartanos rogarunt, vt pulsis Phocensibus suum sibi templum restitueret,quod & fecerunt. At Phocenses,qui ab annis circiter nouem, erant in Athenienſium potestate,eos euocarunt: à quibus Delphi duce Pericle superati sunt, & templum iterum Phocensibus traditum. Vtraque expeditio facile vno anno capi potest, in non magno terræ marisue tractu. Nec tamen propterea fœdera quinquennalia violata fuerunt.

II. Decemuirorum Romæ potestas.

Romæ autem vbi comitijs destinatus affuit dies,Tribuni conuocato populo,Coss. quoque designatos adesse iusserunt,vt decemuiri creandis legibus, & Reipub. constituendæ eligerentur,qui tanta potestate pollerent,vt ab eis,quemadmodum à Dictatoribus, nulla esset prouocatio;interim autem cæterorum magistratuum cessaret autoritas. In medium ergo progressi designati Coss. magistratum eiuraruut. Quos propterea populus vehementer laudauit, eorumque rationem in primis habuit in creandis decemuiris. Primi enim centuriatis comitijs creati sunt decemuiri Appius Claudius & T. Genutius,tum P. Sextius qui tum abibat magistratu,his tribus adiuncti sunt tres legati qui leges attulerant. Denique T. Romulius cum alijs tribus Patricijs. Penes vnum fasces erant & reliqua Consularis potestatis insignia, ad dies decem,vt significat Liuius,reliqui ad minuendam potestatis inuidiam, non multum habitu à priuatis differebant.

Creantur Consulũ loco &c. magistratuum.

III. Vt Rempub. cum laude regerent.

Illeautem Senatum conuocabat, decreta confirmabat, cæteráque agebat pro imperio. Omnes autem à mane pro tribunali cognoscebant causas priuatas&publicas,litesque summa æquitate dirimebant,magna ciuitatis approbatione. Simul autem omnes conscriptas leges, partim ex Græcorum iure, partim ex consuetudine patriæ, in decem tabulis cuilibet cognoscendas proposuerunt,eorumque monita benuole accipientes,operam dabant vt leges omnibus probarentur. Vbi vero visæ sunt bene habere, primum Senatu coacto, nemine contradicente de ipsis S C. factum est. Deinde centuriatis comitijs in præsentia Pontificum, aliorumque sacerdotum,centurijs dati sunt calculi, à quibus confirmatæ, & in æreas columnas incisæ, & in fori loco maxime conspicuo propositæ sunt. Et quoniam non multum supererat temporis ad comitia, visum est reficiendos in annum sequentem decemuiros, quod leges aliquæ adhuc deesse viderentur; quodque sic tribunitia potestas, quod maximè cupiebat senatus,abrogabatur.

Leges ab illis editæ

ANNVS MVNDI 3605.

ESDRÆ 10. ELIASIB Pont.16.

ARTAXERXIS 16. Imperij Pers.89.

OLYMP.LXXXII.AN.4. VRB.C.304.

ANTE CHRISTVM 448.

I. Bellum inter Bœotios & Athenienses. *l.1.p.74. Gr. Lat.*

ATheniensesses hoc anno contra Bœotios exules,semel iterumque, primò feliciter,deinde infeliciter conflixere. Ait enim Thucydides, post geminam illam expeditionem in Delphos, hoc bellum susceptum fuisse. Cum enim Athenienses,anno ab hinc nono,Bœotius prælio superassent,eorumque agrum occupassent, plerique Bœotij partim sponte sua nouorum dominorum odio, partim inuiti iussique solum verterunt,collectique non paruo numero,Orchomenum & Cheronæam, & alia quædam Bœotiæ oppida occuparunt. Contra quos Athenienses duce Tolmide expeditionem susceperunt, & Cheronæa recepta direptaque, collocato ibi præsidio,discesserunt. At Bœotorum exules, alijque eorum socij, Orchomeno eruptione facta, illos reuertentes ad Cheronæam inuaserunt,victoresque effecti, alios occiderunt,in quibus Tolmidem ipsum,alios viuos ceperunt, pro quorum redemptione tota Bœotia cedere coacti sunt Athenienses, & reditum exulibus permittere, eisque pristinam libertatem, iuráque reddere.

Iteratur.

II. Decemuiri Romæ cõfirmantur & nominatim Appius.

At Romæ indictis comitijs Patritiorum honoratissimi magistratum petiere. Ibi omnium ore ad cœlum ferebatur Decemuirorum princeps Appius, tota plebe annitente vt in magistratu retineretur, illo dissimulanter renitente, tandemque omnium precibus cedente. Itaque rursum centuriatis comitijs factus est Decemuir, multosque competitores criminando repulit,vt amicis suis faueret, vt pluribus enarrat T.Liuius. Cum eo factus est Decemuir Q. Fabius Vitulanus III.Consul, & alij quinque Patricij. Tres etiam è plebe assumpsit Appius, vt eã maiorem in modũ sibi conciliaret. Idibus Maij iniere magistratũ; sed ante omnia,vt ait Dionysius, fœdus clandestinum inter ipsos iureiurando ictum est, ne quis ex collegio alteri aduersaretur,sed quod vni placuisset, omnibus probaretur,néue comitia haberent,sed perpetuo retinerent imperium, singuli pari honore ac potestate essent, Senatus consultis, & plebiscitis raro,nec nisi necessario vterentur. Primo die honoris singuli regio cultu cum fascibus ac securibus processerunt,magno cum totius populi terrore,dicentis se pro vno rege decem habituros. Nec eorum administratio multum à tyrannide aberat. Denique cum comitiorum tempus aduenisset, neque Senatus, neque populi suffragijs expectatis, in magistratu permanserunt.

15. eiusdē.

Tres è plebe assumpti.

Praua eorum consilia & gubernatio

ANNVS MVNDI 3606.

ESDRÆ 11.ELIASIB Pontificis 17.

ARTAXER.17.Imperij Persarum.90.

OLYMP.LXXXIII. AN. 1. VR. C.305.

ANTE CHRISTVM 447.

I. Ratio tẽporis.

PRimo anno Olympiadis 83. Crisone Himerensi olympionica, Romani decemuiratum abrogarunt,anno tertio ab eo magistratu introducto.Idem vltimus est annus quinquennalium fœderum inter Spartam & Athenas: quo Eubœa . Boœtorum fortuna & Athenienſium clade excitata, ab Athenienſibus defecit. Quo tempore Pericles, qui tum Rempub. moderabatur, recuperandæ insulæ gratia in Eubœam traiecit, simulque illi nunciatum est Megarenses ab Athenienſibus defeciſſe,cæſis præſidiarijs militibus;ſibique Corinthios, Sicyonios, Epidaurios adſciuiſſe. Peloponnenſios quoque irruptionem in Atticam facturos , quando primum quinquennalia fœdera , quæ erant in exitu,abſoluta eſſent. Quibus auditis Pericles reductis ad tempus ex Eubœa copijs , reuertit in Atticam,ne vel hoſtis interim vaſtaret Atticam, vel diuiſis copijs,vtrobique vinceretur.

Eubœa ab Athenienſibus deficit, & Megara.

Pericli prudentia.

II. Peloponnesios dimittit ab Attica.

Interea Lacedæmonij quoque,irruptione in Atticam facta,populati ſunt agros , duce Pliſtoanacte,Paulaniæ Spartani regis filio.Sed Pericles conſultorem & cuſtodem eius Cleandridam muneribus corrupit,induxitque vt Pliſtoanax copias Peloponneſum reducere , vbi Lacedæmonij eum ingenti pecunia mulctarunt; quam cum ſoluendo non eſſet,exilio ſolum vertit.Cleandridam vero,qui profugerat , rei capitalis damnauerunt.Megarenſes porro,qui Spartanos euocarant,ſeque eis adiunxerant,deſerti, prælio victi, vaſtatique ab Athenienſibus,defectionis pœnas dederunt, irritis Corinthiorum, Sicyoniorum,& Epidauriorum auxilijs.

Megarenſes vincit

III. Decẽuiri tyrannicè agunt, præſertim Appius.

Romæ porro Reipub.ſtatus perturbatiſſimus Decemuiris quaſi totidem tyrannis eam varijs facinoribus turbantibus, cum populi totius in eos odio : ipſis nihilominus magiſtratu abire negligentibus,& optimis quibuſque viris ſolum vertentibus.Cum interim AEqui & Sabini Vrbi bellum inferrent, delectu ægre habito, duo agmina præſidio relicta ſunt Vrbi,cætera in hoſtem cum decemuiris miſſa,male rem geſſerunt, diuina prouidentia Romanæ rei fauente , ne victores tyrannidem confirmarent. Appius autem interea quantum poterat aduerſarios decemuiratus è medio tollebat.In ijs Siccium,dudum Tribunum plebis, multis militaribus palmis illuſtrem , quem à militibus ſuis interfici curauit. Denique cum Virginiam fruſtra tentatam ad flagitium, ip ſeruitutem vindicaret, & ſuppoſito calumniatori plagiario dedendam ſtatuiſſet,à patre miſerè iugulatur. Qui& populum ad libertatem vocat,non irrito conatu. Inde caſtra ad defectionem adducit, docens militem ſacramento ſolutum , quod magiſtratus, tranſacto legitimo tempore , nõ eſſet legitimus.

Virginiã vindicat in ſeruitutem.

Ergo miles in vrbem reuertit innoxius,& Auentinum occupat. Sed alia quoque mox caſtra à decemuiris deficiunt , & ſe ſocijs adiungunt. Indeque mox M. Duillio, qui Tribunus fuerat, hortatore tranſeunt in montem ſacrum , vbi & caſtra locauere. In deſerta vrbe pauci Patritij, cum Horatio & Valerio , vociferantur contra decemuiros,& periculum deſertæ vrbis, vel ab hoſtibus,vel ab armata plebe ingeminant.Tandem victi decemuiri ſe in patrum poteſtate futuros affirmant,vitam orant,ſimulque monent, ne ſuo ſanguine ad ſupplicia patrum plebem aſſuefaciant. Itaque Valerius & Horatius ad plebem reuocandam à Senatu mittuntur. Abeunt, peramanter accipiuntur.Illi viciſſim pacis conditiones,quas plebs poſtulabat,admittunt. De decemuiris tamen , quos illi ad ſupplicium deposcebant, moniti ſunt , ne crudelitatis odio crudeles fierent, ſed rem iudicio permitterent, in quo ipſimet iudices forent.

IV. Plebs in Auentinũ ſecedit & montem ſacrum.

Decemuiri cedũt, & vitam orant.

Quid multa? decemuiri Senatûs Conſulto ſe abdicant, Plebs redit , Tribuni creantur, & Conſules in reliquum annum. Valerius atque Horatius, quorum Conſulatus popularis fuit, legeſque latæ populares;illa in primis,vt plebiſcitis populus teneretur vniuerſus. Quibus peractis Tribuni plebis in decemuiros arma iudicialia depromunt. Et primum factus eſt reus Appius, accuſante Virginio , qui in carcerem conjectus, moritur, vel Tribunorum iuſſu, vel laqueo vltro ſibi accenſito;patruo eius C. Claudio fruſtra pro eo præhenſante. Oppius quoque decemuir damnatus necatur in carcere ; reliqui ſponte exulant , ſed eorum bona publicantur,& à quæſtoribus in ærarium referuntur. Virginiæ calumniator in exilium eiicitur. Reliquis decemuirorum adminiſtris datur venia, ſicque cruentes iudicijs finis impoſitus. Tum demum Coſſ.contra hoſtem miſſi,bene rem gerunt. Nec tamen triumphum obtinet à Senatu, ſed à plebe illo inuito.

V. Appius accuſatus à Virginio petit in carcere,ſicut & Oppius.

Reliqui ſponte exulant.

Sequenti anno Athenienſes rebus domi non male compoſitis, in Eubœam iterum, cum 50. nauibus, & quinque militum millibus traiecerunt,eodem duce Pericle, qui reliquas quidem inſulæ partes, certis conditionibus in fidem ac deditionem accepit. Heſtienſes autem omnes exterminauit , eoque coloniam mille ciuium ſuorum deduxit:hac in eos ſeueritate vſus,quod illi Attica naui capta , omnes qui in ea erant, contrucidaſſent. Romæ autem nonnihil in cõmitijs diſſentionis fuit,quod Tribuni ſibi magiſtratu continuari cuperent,idemque de Conſulibus ſentirent,neutri enim integrum annum in magiſtratu fuerũt,vt tamen longius ab inſtituto decemuirorum abeſſent, noui Tribuni , nouique Conſules creati ſunt Lartes Herminius , & Virginius ; qui otium domi ac foris habuere, quod neutram in partem Reipub. propenderent. At L. Trebonius Tribunus plebis,ab inſectandis patribus Aſperi cognomen conſecutus eſt,obtinuitque vt Tribuni omnes vſque ad decimum ſuffragijs crearentur.

3607. VI. Pericles Eubœam rurſum adit, domatque & Heſtienſes exterminat.

Romę noui Coſſ. nouique Tribuni.

Trebonius Aſper.

***

ANNVS MVNDI 3608.

ESDRÆ 12. ELIASIB 19.

ARTAXERXIS 19. Imperij Persarum 92.

OLYMP. LXXXIII. A. 3. V.C. 307.

ANTE CHRISTVM 445.

I. Tricennalia fœdera Athen. & Lacedæm.

HIc est annus tricennalium fœderum inter Athenienses & Spartanos. Hunc enim ipsum huius Olympiadis annum eis assignant Diodorus, Pausanias, Eusebius. Nec alia mens Plutarchi atque Thucydidis, cum ait Atheniensès ex Eubœa reuersos, non multo post cum Lacedæmonijs sociisque fœdera tricennalia fecisse, quæ sub extremum hunc annum inita, & iureiurando firmata sunt. Nam annus sequens primus à fœderibus ab ipsomet numeratur. Romæ autem Consules æmulationem perpetuam patres inter & plebeios continuerunt, ne in seditionem erumperet.

p.14.&15

II. Nuncius ex Iuda. *l.1. Esd.*

Ad finem porro huius anni 445. ante Christi ortum, mense Casleu, qui Nouembri respondet, pertinet occasio, vel causa antegressa impetratæ à Nehemia facultatis ædificandi Ierusalem, quæ capite primo Nehemiæ continetur, cap. autem 2. ipsa facultas & profectio. Sub mensem ergo Nouembrem *venit* quidam *Hanani*, quem apparet fuisse Leuitam, quòd eum Nehemias sacerdos vocet de fratrib⁹ suis, prout ab alijs tribubus, puta Iudæa secernuntur, de qua erant comites eius, *viri ex Iuda*. Ipsum autem Nehemiam fuisse sacerdotem & sacerdotale munus exercuisse, perspicuè habetur in 2. Machab. Nehemias ergo interrogat nuncium, quo statu res essent in Iudæa: auditq; Iudæos à captiuitate reduces esse *in afflictione magna, & in opprobrio*. Affligebantur autem à circumpositis populis, vt ex cap. 4. patebit. Sed addit nuncius murus Ierusalem dissipatum esse, & portas eius combustas igni, quod ad Nabuchodonosorem referendum non est, sed ad nouam aliquam cladem.

l.2.c.1.v. 2.

III. An & quomodo muri Ierus. destructi sint. *n.41.*

Dicendum itaque videtur, iuxta ea quæ septimo Artaxerxis anno diximus in Annalibus, Iudæos partem aliquam murorum, tacito principum consensu coagmentasse, & montem Sionis in primis, & templum circundedisse muris, vt res sacræ essent in tuto, super antiqua fundamenta rudi opere ædificando, lapsantesque adhuc parietinas fulciendo: adhibitis etiam portis idoneis locis, quæ vicini Iudæorum hostes, facta coniuratione diruerint, huc illucque dissecerint, portas quoque cum turrium tectis ac tabulatis incenderint. Quibus perpetratis, Iudæi istum Hanani cum socijs miserunt in Persidem, qui de his apud Nehemiam lamentarentur, vt is pro sua apud principem gratia remedium aliquod hisce malis inueniret: nec tamen quemquam accusari voluerunt; quoniam non poterant Iudęi ostendere sibi permissam murorum instaurationem, sed templi duntaxat; aduersum quod illi nondũ sacrilegas admouerant manus.

IV. Hæc cum innotuissent Nehemiæ, luctui se dedit diebus multis, ieiunio & orationi: in qua post confessionem peccatorum populi sui, & petitionem veniæ, consentaneam antiquis Dei promissis, orat propitium sibi fieri principem in salutem Israëlitarum. *Dirige*, inquit, *seruum tuum hodie, & da misericordiam ante virum hunc*, terribilem scilicet ac formidolosum, ad quem ne regina quidem ipsa, sine timore mortis, audet accedere. Ad eum tamen Nehemias aditum habebat, quia illi erat à poculis. Quod officium ipsi apud Regem videntur conciliasse Hester & Mardochæus, quos sibi fidelissimos expertus erat, & prædicabat Assuetus. Nec tamen ipsimet postularunt, quæ à Nehemia petita sunt, veriti difficillimum hominis ingenium, cui si contigisset ingratam esse petitionem, periculum adibant eius gratiæ in perpetuum amittendæ. At alio petente poterant ipsi offensionem in Iudæos vel tollere, vel mitigare: sin autem grata esset, eam poterant tutò atque efficaciter promouere.

Nehemias cum suis luctui se dant ad propitiandum Deũ

ANNVS MVNDI 3609.

NEHEMIÆ Ducis Hebræor. 1. ELIAS 20.

ARTAXERXIS 20. Imperij Pers. 93.

OLYMP. LXXXIIII. AN. 4. VR. CO. 308.

ANTE CHRISTVM 444.

CElebertima de hebdomadibus Danielis, & earum initio cõtrouersia & excitatio murorum Ierusalem Artaxerxis decreto, operáque Nehemiæ, memorabilem hunc vigesimum Artaxerxis annum reddunt. Græcis autem ex recens inito fœdere quiescentibus, Romani neque domi à tumultibus, neque foris à bellis quieuerunt. Cæterum vigesimus annus Artaxerxis concurrit cum vltimo anno Olympiadis LXXXIII, apud Iulium Africanum in quinto temporum volumine, vt refertur à D. Hieronymo, & Eusebio. Qui ne de regno quidem Persarum nobiscum pugnat, etsi hunc annum 115. regni Persarum vocat; priores enim tres ac 20. annos, siue integros 22. quibus Cyrus regnauit ante euersum imperium Babylonicum, cum annis inde subsecutis copulauit. Profectionem quoque Nehemiæ, & inchoatos hoc anno muros Ierusalem, autor Eusebius in chronico, & res ex ipso Nehemia planissima est.

1. Summa huius anni, & ratio temporis

in 9. Daniel l. 3. d. demonst. dem. 2. sub med.

2. Esd. 2. 1.

Perendum autem ab hoc eodem anno vigesimo Artaxerxis Longimani exordium hebdomadarum Danielis, scriptores grauissimi tradiderunt, in quibus Iulius Africanus apud Diuum Hieronymum, & alij multi quos retulimus in Annalibus nostris, eamque sententiam omnium maxime probabilem arbitramur. Nam cum eas Daniel aut Angelus potius, aperte ordiatur ab exitu sermonis vt iterum ædificetur Ierusalem, hic exitus sermonis de alio loquente nequit intelligi, quam de eo, qui poterat eam constructionem vel permittere, vel impedire; principe videlicet, cui tunc Iudæi parebant. At nullus alius princeps profecti potest, à quo decretum ædificandę

II. Hebdomadę 70. Danielis hinc incipiunt. *Incit. In hunc an.*

ciuitatis, quod quærimus editum sit, aut tempus, quod non sit multo grauioribus difficultatibus impeditum. Nam Cyrus nullum verbum fecit de extruenda ciuitate, sed templo duntaxat. Darius quoque Hystapidea templi tantum extruendi potestatem fecit. Nam quod Esaias de Cyro agens, & Zerobabel de Dario meminere ciuitatis, ea vox proprie ab vtroque pro ciuium congregatione, non pro murorum constructione, de qua agimus, vsurpatur.

c. 44 & 45. 3. Esd. 4. 43.

III. Congruit tempus Artaxerxi, præterea nemi-ai.

Deinde si alio tempore, quam sub Artaxerxe facta est potestas construendæ vrbis, oportet tempus 70. Hebdom. ab illo ad Christi mortem recte congruere. In vltimam enim hebdomadam cadere Christi mortem Scriptura ipsa clare loquitur. At nullum aliud tempus congruit. Nam à dimissa à Cyro captiuitate ad Christi mortem non 490. anni, sed 570. reperiuntur. Ab anno vero secundo Darij Hystaspidæ, quando rursum multa Iudæorum turba Hierosolymam cum Zorobabele profecta est, supra 550. annos reperiemus. Si quartum Sedeciæ, vt putauit Vatablus, 648. numerabuntur. Si autem ad Artaxerxem Mnemonem aut Ochum, multo pauciores colligentur anni, quam 70. hebdomadæ postulant. At tempus Artaxerxis rectè congruit. Nam quamuis à vigesimo Artaxerxis anno ad Christi mortem non inueniantur 490. anni solares, sed ad summum 478, isti tamen 490. lunaribus respondent. De lunaribus autem locutum fuisse Gabrielem, iampridem grauissimi scriptores senserunt: Iulius Africanus, Theodoretus, Rupertus, Beda ac plerique alij, quod ipse quoque Angelus indicauit, cum has hebdomadas vocauit *abbreuiatas*, propter embolismos prætermissos, per quos lunares anni ad solares reducebantur.

Anni lunares.

IV. Cur dilata petitio

Cum ergo totum trimestre positum fuisset Iudæis, partim in propitiando Numine precibus, ieiunijs, cæteris que pijs operibus; partim in consultando, quomodo, quando, per quos, qua occasione petendum esset hoc decretum, ne eos repulsam pati contingeret; aut vt eam saltem sine grauiore damno paterentur; partim expectando dum tempus hybernum, parum itineri & ædificationi opportunum efflueret, vere appetente in mense Nisam, qui respondet Martio, anno vigesimo regni Artaxerxis: cum rex post cœnam factus esset hilarior, Nehemias pincerna regius eleuatum calicem porrexit regi, & quidem facie languidiore, ex metu & sollicitudine suscepti negotij. Cum ergo rex causam tristitiæ ab eo sciscitaretur, Rex ait, *in æternum viue*, statimque explicat causam mœroris sui, quod Ierusalem, in qua sepulchra maiorum suorum sita sunt, deserta sit, eiusque portæ combustæ sint igni. Et rogante rege quid super ea re postularet, orauit Nehemias vt rex ipsum in Iudæam mitteret, ad ædificandam Hierosolymam.

Modus eius

V. Conceditur à rege cum

At Rex, & Regina, quam Estherem merito credimus, nec parum hoc promouisse negotium; non enim hoc loco sine causa nominatur: *Vsque ad quod tempus*, inquiunt, *erit iter tuum*, quod cum ille indicasset, consensit rex in profectionem. Non exprimitur id tempus à Scriptura. Constat quidem Nehemiam annis 12. mansisse Hierosolymis, & ibi ducem populi fuisse; non tamen arbitror tantum tempus ad hanc profectionem inter Regem & Nehemiam fuisse cõstitutum; neque enim destinatum opus tantum temporis exigebat, vt res ipsa docuit, & ægrè rex, qui Nehemiã diligebat, tanto eũ tempore abesse passus esset. Cum tamẽ iam abesset, & rem Iudaicam bene gereret, ei à Regina & Mardochæo impetratum fuerit, vt ibi Rempub. pro rege administraret, quandiu Regi visum fuisset. Petijt quoque Nehemias à Rege literas commendatitias ad regios præfectos, vt ab ijs tuto deduceretur in Iudæam, & ad Asaph custodem saltus regis, vt obtineret ligna, ad reparandam regiam domum, & portas turresq; murorum; postremo ad extruendam sibi domum.

literis cõmendatitijs. 2. Esd. c. 3. 14. & c. 1. 63.

VI. Venit Nehemias in Iudæam.

Cum ergo Nehemias cum regio comitatu venisset in Iudæam, Sanaballat & Tobias, qui clientes erant & beneficiarij regum Persarum, ijdemque putantur fuisse de primarijs Samaritanorum, qui odio prosequebantur Iudæos, & nunc eorum inuidebant prosperitati, valde cõtristati sunt de regis in Nehemiam beneuolentia, veriti ne Iudæis subijcerentur. Venit ergo Nehemias Ierusalem, ibique tribus diebus quieri & salutationibus datis, sicut dudum Esdras dederat, noctu surrexit cum paucis, vt exploraret murorum statum per totum ambitum, ne quid temere in non paruo negotio aggrederetur, priusquam vlli aperiret consilium suum. Præcipuis autem Iudæorum congregatis, *Venite*, inquit, *& ædificemus muros Ierusalem, & non simus vltra opprobrium* inimicis, qui deridebant Ierosolymam in pagum conuersam. Et indicauit eis se suscipiendi operis habere autorem Deum, & consentientem regem, vt nihil præter eorum alacritatem desideraretur, contemptis inimicorum sermonibus, qui magis nocere vellent, quam possent.

2. Esdr. c. 2. 11. Esd. 8. 32. Suisque aperit consilium ædificandi.

VII. Ordo ædificationis

Initium ædificationis sumptum est à porta orientali, quæ dicebatur porta Gregis, quæ erat templo vicina, vbi ædificauit Eliasib summus pontifex ad centum cubitos longitudinis, vsque ad turrim Hananeel, quæ erat in angulo orientis & aquilonis, vbi erat porta Benjamin inferior, nam superior non ducebat extra vrbem. In hac porro constructione murorũ explicanda Nehemias ordine progreditur, ex orientali latere per aquilonare, ad occiduum & meridianum, donec redeat ad portam Gregis, vnde ductum est initium; quæ sigillatim in Annalibus explicata reperiet Lector eruditus. Ex qua tota explicatione patet Ierusalem 12. portas habuisse in tribus lateribus. Nam in meridiano, in quo præruptæ rupes montis Sion nullum aditum dabant, nullæ fuerunt: reliqua vero latera singula quaternas habuerunt.

Numerus portarum Ierusalem.

Orientale, Portam	*Aquilonare, Portam*	*Occiduum, Portam*
FICTILEM.	BENIAMIN.	ANGVLI.
AQVARVM.	PISCIVM.	VALLIS.
EQVORVM.	VETERIM.	STERQVILINII.
GREGIS.	EPHRAIM.	FONTIS.

Aliæ portæ, quas quidam afferunt, aut ad has pertinent, aut extra vrbem non ducunt, aut nouæ Æliæ, non veteri Ierusalem conueniunt. Sed hoc de toto argumento vide Villalpandum, & Annales hoc loco.

3. l. 3. c. 6. n. 24 ad 32.

VIII. Inimici Iudæorũ eos impedire moliuntur. 2. Esd. 4.

Hæc dum Ierosolymis agerentur, & simul omnibus ex locis mœnia surgerent, inimici eorum ipsis, quasi irrita molientibus insultabant, & inani se spe consolabantur, impeditum iri opifices ne ædificarent, de futuros lapides, aut fragiles futuros, vtpote exustos, & totam constructionem infirmam atque humilem, quæ ne vulpibus quidem, nedum armatis hominibus resistat. Cumque verbis & irrisionibus nihil proficerent, sed diligenter vbique promoueretur opus, statuerunt eos nec opinantes opprimere, vt partim occisis, partim dissipatis murorum structoribus, necessario cessaret ædificatio. Quia tamen scribant eos regia autoritate munitos, & Estherem & Mardochæum in aula esse, ac plurimum apud regem posse, cum nihilominus inuidia rumperentur, clam eos perdere statuerunt, ne possent ipsa apud Regem aperti facinoris argui.

IX. Quid cõtra Nehemias.

Quæ cum Nehemiæ innotuissent, opera Iudæorum, qui finitimi erant Samaritis, Ammonitis, cæterisque Iudæorum hostibus, primo ipse cum suis diuinum auxilium imploravit; Deinde speculatores super muros diurnos nocturnosque constituit, vt aduentum hostium nunciarent. Tertio certis locis post murum constituit præsidia Iudæorum armatorum, hostem vt venientem non imperati exciperent. Accessit postremo adhortatio Nehemiæ, ad se suosque fortiter defendendos. Quę cum percrebuissent, dissipatum est eorum consilium, quoniam viderunt se non posse inuadere inscios & imparatos. Iudæi vero reuersi sunt ad murale opus, in suo quisque loco, habentes arma in promptu. Certis quoque locis dispositi sunt tubicines, si quando esset opus congregari, ad vim hostium facta manu propulsandam. Prouidit etiam Nehemias, vt noctu excubiæ intra vrbem agerentur, quas ipse cum suis peruigiles obibant, nec deponebant vestimenta sua, nisi vt se aquis expiatoriis, Iudaico ritu purificarent.

X. Idem suorum inopiæ prouidet.

Sed aliud erat malum inter ipsos Iudæos, cui prouidus princeps, populique sui amans Nehemias sapienter prouidit. Vrgebantur plerique inopia tanta, vt filios, filiasque suas vellent seruituti addicere locupletioribus Iudæorum, vt haberent vnde viuerent. Alij oppignerabant fœneratoribus domos, agros, vineas, vt frumentum haberent, vt tributa persoluerent: vnde & conquerebantur apud Nehemiam, se à fratribus inhumanè tractati. Quibus auditis congregauit seorsum optimates & magistratus, qui tenuiores opprimebant, eosque priuatim increpauit, quod vsuras à fratribus acciperent. Deinde & publicè in magna populi concione, exprobrans quod gentes inhumanitate vincerent, vt qui fratres ipsi suos contra Dei legem, & iura naturæ vexarent. Sed quia potentiora sunt exempla quam verba, offert ipse se & suos ad debita egenis dimittenda, & ad eandem liberalitatem alios creditores inuitat, simulq; ad reddenda gratis pignora, quod erat nouas inducere tabulas: quod à Nehemia facile placidéque perfectum est. Sacerdotes quoque eiusdem reos, criminis seorsim adiuratione increpatoria ad eandem liberalitatem adduxit.

Interea non destiterunt hostes Iudæorum conari Nehemiam insidiis intercipere, persuasi illo sublato, omnia pessum itura. Itaque miserunt ad eum specie ineundæ amicitiæ, vt ad certum locum se conferret, aut mortem ipsi, aut vincula illaturi. Quod præsentiens Nehemias quater congressum vrgentibus, quater recusauit. Ac ne quinta quidem vice rebellionis calumnia per literas prouocatus, deterritus est, sed opus suum vrgere perrexit. Alius quoque insidiis per Semeiam Pseudoprophetam, & crebras falsorum fratrum epistolas illum circumuenire conati sunt, quas Nehemias agnouit, atque contempsit. Itaque irritis omnibus inimicorum insidiis, minis, calumniis, completus est murus vigesimo quinto die mensis Elul quinquaginta duobus diebus: vnde consequens vt est quarto mensis quinti, qui dictus est Ab, fuerit inchoatus. Quo referri potest illud Danielis, muros Ierusalem ædificatum iri *in angustia temporum*. Quod non videri debet incredibile, siquidem multa hominum millia huic vni operi dies noctesque incumbebant; iisque aderant Iudæorum principes, & ipse Nehemias, qui opus præsentia sua, voce, manuque vrgebant. Nec mœnia omni ex parte ab imis fundamentis excitata sunt, sed in illis ipsis ædificatum, & interrupta instaurata.

XI. Aliæ hostium cõtra Nehemiam moliriones irritæ.

Abſoluitur murus intra 52. dies.

6. 9. 25.

Postquam ædificatus est murus, prouidit Nehemias custodiæ vrbis, constituitque ianitores portarum, & custodes de habitatoribus Ierusalem, *singulos per vices suas, & vnumquemque contra domum suam*. At vices istæ crebro redibant. *Ciuitas* quippe *erat lata nimis & grandis, & populus parum in medio eius*: itaque ciuium frequentiæ prouidendum fuit. Id per occasionem dedicationis murorum factum videtur. Nihil enim æque potest incitare populum ad frequentandam vrbem nobilissimam, non incensam vt ante, & hostibus æque atque amicis peruiam, sed mœnibus cinctam, & habitationi tutam, vrbem regiam opportunissimo loco sitam, in qua vna Deo sacrificare liceret, & maximas totius anni celebrare solennitates, quam accurata in ea diuini cultus obseruatio, quæ per absentiam Sacerdotum & Leuitarum languebat. Abfuisse autem patet ex libro Nehemiæ, vbi dicitur ad muri dedicationem accersitos fuisse Leuitas *de omnibus locis suis*, & congregatos fuisse filios cantorum *de campestribus circa Ierusalem*.

XII. Prouidet Nehemias vrbis custodiæ & frequentiæ

6. 12. 27.

Traditur porro muri dedicatio Nehemiæ 21. post pleraque alia recensita; quæ causa fuit vt Beda crediderit dedicationem tardius factam esse. Verum nihil est cur negemus: statim ab opere absoluto, factam dedicationem, cum ea tanquam medium assumeretur ad replendam habitatoribus ciuitatem: & facile fuit vergente ad finem ædificio, personas ad dedicationem necessarias conuocare: quanquam maxima pars populi iam in vrbe ædificationi operam dabat, nihil vt necesse foret eos conuocare, aut differre dedicationem. Voluit autem Nehemias sanctificari & dedicari muros Deo, vt hoc quoque nomine vrbs sancta appellari posset; & vt Deus peculiari cura protegeret

XIII. Dedicatio muri quando facta.

Et quare.

tam mœnia ipsa, quam quæcunque eorum ambitu continerentur. Ideoque sacri ritus & ceremoniæ in hisce encœniis adhibitæ sunt, vt mox patebit.

XIV. c.12.17. Conuocantur Leuitæ, & dedic. tionis modus.

Itaque in dedicatione muri misit Nehemias nuncios, qui Ierosolymam conuocarent Leuitas de omnibus locis suis, *Et mundati sunt Sacerdotes & Leuitæ, & mundauerunt populum, portas & murum*, certis scilicet ablutionibus, & aspersionibus aquæ, & expiationibus, de quibus Numer. 19. Cum ea lustratione instituit Nehemias comprecationem vniuersi populi bipertitò distributi, vt super murum diuinas laudes, & Psalmos Dauidicos, multo cum instrumentorum apparatu, concinerent, tubis etiam alternatim concrepantibus. Sacerdotes autem & Leuitæ inter eundum cum fasciculo hyssopi aqua lustrationis, murum aspergendo sanctificabant.

Duo chori murum aduersi circumeunt.

Diuisus est autem populus in partes, siue choros duos: cum vna pars, in qua erat dimidia pars magistratuum & populi iussa est iter suscipere ad dextram; à porta videlicet Sterquilinij versus montem Sion, & ciuitatem Dauid. Alter chorus, in quo erat Nehemias & dimidia pars magistratuum & populi, ex aduerso procedebat ab eadē porta ad sinistram versus aquilonem, donec occurrerent sibi ad portam Custodiæ, quæ non ducebat extra vrbem, sed erat vicina portæ Gregis, & templo.

XV. Et templum læti adeunt. Causa lætitiæ.

Steterunt ergo ambo chori in porta Custodiæ, indéque ascenderunt in templum, vbi cantores sua cantica ingeminarunt, & tubicines sonos, & Sacerdotes sacrificia, & populus preces & gratiarum actiones, & vniuersi lætitiam. Quidni enim lætarentur omnes à puluere excitatam regiam ipsorum vrbem, & opprobrium populi, quod ruinæ ille continenter testabantur, fuisse sublatum? Quandiu enim iacebat illa vrbs, tandiu impij in Deum, & rebelles in principes audiebant. Quidni lætarentur tutos se, tectosque esse ab incursionibus Samaritanorum, Syrorum, Palæstinorum, Ammonitarum, Idumæorum, & aliorum id genus latrunculorum, qui capitali eos odio prosequebantur? Quidni gratias agerent Deo, qui eis propitium Regem Persarum, industrium ac generosum ducem, populum facilem ac labore indefessum dederat; qui eis sumptus, vires animosque ministrarat, vt contemptis inimicorum minis, insidiis, irrisionibus, tantum opus tantulo tempore inchoarent, promouerent, atque perficerent.

sit gratiarum actionis.

XVI. Instituti sacri quæstores. c.12.43.c.13.v.4.

Eadem die constituti sunt, qui curam habebant recipiendi & recondendi, quæ populus offerebat, in vsum Sacerdotum & Leuitarum, in quibus fuit Eliasib Sacerdos. Tradit Iosephus celebritatem hanc octo dierum fuisse, quos populus in epulis transegit. Cuius octidui quintus dies fuit Neomœniæ festum, in quo illa contigit sacri libri lectio, quæ in lege præcipitur, & fuse refertur cap. 8. libri huius, vbi habetur primo die mensis septimi congregatum populum in platea, quæ erat ad portam aquarum, & ibi Esdram Sacerdotem & Scribam legisse librum legis per singulos dies, à mane vsque ad meridiem, toto octiduo solemnitatis. Quid autem legerit non satis constat. Existimauerim eum non totum omninò volumen legis populo perlegisse, sed ea ex illis libris selegisse, quæ ad vniuersi populi eruditionem, & informationem morum pertinebant, bonam scilicet partem Exodi atque Leuitici, maxime autem Deuteronomij, in iis locis, in quibus horribiles comminationes continentur in præuaricatores: quas cum in seipsis experirentur impletas, in lacrymas soluebantur, quos Nehemias & Esdras consolabantur, & ad hilaritatem inuitabant.

Esdras legit librū Mosis.

Deut. 31. 11.12.

c.8.18.

Leuit. 26. *Deut.* 28.

Postridie autem, die secundo mensis septimi, congregati sunt principes familiarum vniuersi populi, Sacerdotes quoque ac Leuitæ ad Esdram, propter peculiares aliquas difficultates exortas circa ea, quæ pridie lecta fuerant, & nominatim circa festum Tabernaculorum. Nam statim subditur. *Et inuenerunt scriptum in lege, præcepisse Dominum in manu Moysi, vt habitent filij Israel in tabernaculis in die solemni decimo quinto, mense septimo.* Cum ergo consultus Esdras à populo eam solennitatem celebrandam esse docuisset. Iussit Nehemias eam voce præconis vbique denunciari, & colligi arborum ramos, quibus fierent sub dio tabernacula, & scenæ frondeæ, in quibus per septem dies habitarent, memores habitationis patrum suorum in deserto. Itáque factum est, tanta deuotione & lætitia, quanta à diebus Iosue non contigerat scenopegiam celebrari, siue propter rei iam pridem intermissæ nouitatem, siue propter singularem ex auditione diuinæ legis animi sensum, siue propter diuina miracula, quæ in ea celebritate præter consuetudinem contigerunt.

XVII. Qui dubiorum causa aditur. *Nehem* 8. 13.

Festum Tabernaculorum indicitur ac celebratur.

Per hos enim scenopegiæ dies, ignem de cœlo datum, quo crassa illa aqua inflammata est, existimamus, iuxta ea quæ 2. Machabæorum leguntur. *Facturi*, ait Scriptura, *quinta & vigesima die mensis Casleu purificationem templi*, in memoriam scilicet templi à Machabæo emundati, *necessariam duximus significare vobis, vt vos quoque agatis diem scenopegiæ, & diem ignis, qui datus est, quando Nehemias ædificato* pridem, *templo & altari, obtulit sacrificia.* Et apparet primo ipso die scenopegiæ ignem diuinitus excitatum; erat enim is dies omnium celeberrimus, & maximo sacrificio honorabatur. Ipsum miraculum fusius narratur eodem loco. Iudæos scilicet, qui præ cæteris pietate præstabant, cum in Chaldæam captiui ducerentur, partem quandam ignis ex altari incensi acceptam, in cauerna sicci putei reposuisse, ac diligenter occultasse.

XVIII. Cum miraculo ignis. c.1.18.

Vide Annal. n 79. & seqq.

Cum autem præterissent anni multi, tres videlicet supra 160, nimirum 70. desolationis, & 93. Imperij Persici, placuit Deo vt mitteretur Nehemias à Rege Persidis; nepotes Sacerdotum illorum, qui ignem absconderant, misit ad inquirendum ignem, qui pro igne aquam crassam inuenerunt. Hoc iam primum miraculum est, vt ignis in aquam verteretur. Et iussit eos haurire, & afferre sibi, & sacrificia, quæ imposita erant, aspergi ipsa aqua, & ligna, & quæ erant superposita. Cumque sol, qui prius erat in nubilo, mox refulsisset, magnus ignis accensus est, ita vt omnes mirarentur renouata Eliæ miracula. Itaque ex admiratione in Dei laudes effusi sunt, donec consumptum esset sacrificium. Tunc autem Nehemias iussit residuum aquæ crassæ infundi in vnas lapideas, ex quibus mox

XIX. 2 *Mach.*1. 20. Quomodo res cōtigerit.

iterato miraculo ignis emicuit. At ignis, qui perpetuus erat in altari, ita exarsit, vt aqua quæ erat in lapidibus, inflammata fuerit atque consumpta. Quę autem his cognitis fecerit Artaxerxes, ad sequentem annum pertinent.

XX. Tabernaculũ quoque & arcam, & altare incẽsi tunc inuentum. 2. Mach. 2. 5 6. &c, 8 5. & seqq.

Existimo autem hoc ipso tempore, quo ignis, siue aqua illa crassa inuenta est, tabernaculum quoque, & arcum & altare incensi fuisse reperta, vt diligenter à nobis in Annalibus disputatum est. Hic tantum dico, eam assertionem satis ex eodem Machabæorum loco probari, vbi Ieremias prædicit tabernaculum, & arcam, & altare incensi, quæ ipse absconderat, ignota fore, cum loco in quo reposita erant, *donec*, inquit, *congreget Deus congregationem populi, & propitius fiat, & tunc Dominus ostendet hæc: & apparebit maiestas Domini, & nubes erit, sicut & Moysi manifestabatur*, &c. Nemo proferre potest tempus, in quo hæc Ieremiæ prophetia impleta fuerit, in quo visibilis maiestas Domini apparuerit, vt Moysi & Salomoni, quam hoc, in quo Deus præsentiam maiestatis in igne mirabiliter accenso demonstrauit; in quo nubes solem, & sacrificia, & altare obtegebat, vt Mosis & Salomonis temporibus. Ista quoque populi congregatio non alia intelligenda est, quam quæ post captiuitatem Babylonicam facta est, sub Cyro, Dario, & Artaxerxe. Sicut enim per partes dispersus fuerat populus, ita & per partes iterum collectus est. Id autem confirmatur ex instituto Ieremiæ, qui etsi arguebat sociorum suorum curiositatem, consolari tamen eos volebat de restitutiotem, consulari tamen eos volebat de restitutiol ne futura Iudaici cultus, & ceremoniarum post præsentem dispersionem.

XXI. Quare ad omissum à Scriptura.

At inquiunt aduersarij, si arca hoc tempore inuenta est, quare illius Scriptura non meminit, quæ ignis renouati meminit? Quare Iosephus in spoliis à Tito & Vespasiano Romam delatis eam non numerauit? Ad priorem petitionem, obuia est cuiuis illa responsio, *Quis nouit consilium Domini, aut quis consiliarius eius fuit?* Quam multa optamus à Scriptura fuisse tradita, quæ sunt obuoluta silentio? Dici tamen potest, monitos per epistolam Indæos Ægyptios ignis diuinitus dati, quia renouabant memoriam festi diei, ea de causa celebrandi, quod inuentæ arcæ, non conueniebat. Ad posteriorem respondet Ribera. Quæris, cur huius inuentionis arcæ Iosephus non meminerit; Cur absconsionis non meminit? Cur de igne cæleſti Nehemiæ dato nihil dixit? Cur de Iobo nullum vspiam verbum fecit. At asserit nihil penitus in intima templi parte fuisse, ergo ne arcam quidem. Forte quia iam Antiochus illam abstulerat. Aut certe occulte respuit eorum calumniam, qui in intima æde à Iudæis asini caput coli dicebant.

Ioſ. Ant.

l. 6. bellic. 6.

l. 2. Q. Apionem.

XXII. Populi luctus & pœnitentia. Nehe. 9. 1.

In die autem 24. mensis septimi, transactis Tabernaculorum diebus, *conuenerunt filij Israel in ieiunio, & in saccis, & humus super eos.* Quamobrem autem? Cum populus ex assidua legis auditione accepisset quam serio in ea vetarentur coniugia cum alienigenis, idque etiam Esdras inculcaret vehementius, sicut iam anno septimo Artaxerxis fecerat: quicunque huic culpæ erant affines, siue qui nondum eiecerant mulieres illas, siue qui eas repudiatas iterum acceperant, facti pœnitentes in templum venerunt, & eiusdem Esdræ vt videtur opera, annitente Nehemia iterum *separatum est semen filiorum Israel ab omni filio alienigena.* Mox etiam alia emendata sunt, quæ passim à populo peccabantur; & renouatum est fœdus Deum inter & populum. Postremo ad frequentiam vibis Ierusalem, in hoc populi cœtu definitum est, vt principes populi habitarent Ierosolymis. Reliqua vero plebs misit sortem vt decima pars eam incoleret, præter eos, qui sponte vellent eligere habitationem in ea.

Separatur ab alienigenis.

XXIII. Plebs Quintij Consulis obiurgatione ad arma cõpellitur.

Hoc anno, & ad quinque sequentes, Græca silet Historia. Romana vero populares habet de more contentiones. Quibus cognitis Æqui & Volsci Romanis populabundi insultarunt. Donec Consul Quintius Capitolinus graui & artificiosa plebis & Tribunorum obiurgatione, eos ad arma pudore compulit, accessit & ira vehementior, vbi intellectum est quæ hostis in agris perpetrasset. Delectus decernitur, baberutque tanta celeritate, vt tertio die cum hoste pugnatum sit, fœliciterque depugnatum, hostilia castra expugnata, ingentes prædæ receptæ, & acquisitæ. Nec tamen triumphatum est, ne triumphus hominibus potius, quam rebus gestis delatus videretur.

Et æquos vincit & Volscos.

Iudicium de agro Ardeatino.

Hoc anno iudicium populo Romano delatum de finibus suis ab Aricinis & Ardeatibus, qui vtrisque fecit iniuriam, cum vtrisque ademit quod vsurpauit sibi, ex quo sequenti anno Ardeatium defectio à Romanis exorta est, & consules in præsentia pudore affecti, & populus posterorum reprehentionem iniustam incurrit.

ANNVS MVNDI 3610.

NEHEMIÆ 2. ELIASIB 21.

ARTAXERXIS 21. Imperj Pers. 94.

OLYMP. LXXXIV. A. 1. V. C. 309.

ANTE CHRISTVM 443.

I. Nunciatur in Persida miraculum ignis.

DElato ad Artaxerxem nuncio, de igne tot annis in subterraneo loco abscondito, & in aquam crassam, & inde rursum in ignem conuerso, vehementer admiratus est, tantóque magis, quo maiore apud Persas veneratione ignis semper fuit. Itaque rei veritatem primum diligentem inquiri iussit atque examinari: tum eum locum sanctum ac religiosum instar templi haberi voluit, eumque ac Sacerdotes multis donariis ac muneribus honorauit. Nec absurdum est locum aliquem extra templum à Iudæis sanctum æstimari, & eo nomine honorari, præsertim in quo Deus aliquid præter naturæ ordinem perpetrasset, vt locum in quo Dominus dormienti Iacobo apparuisset, & rubum Mosis & piscinam probaticam, imo & sua oratoria. An autem Artaxerxes ignem honorare, ex Persica superstitione voluerit, an potius mirabilium omnium effectorem Deum, qui & aquam ardere faceret, & eandem ex igne produceret, dubitari potest. Certe in meliorem partem vt propendeam suadet Esther Regina, & Mardo-

Rex locũ honorat, & ipsius miraculi autorem Deum.

chæus à rege secundus, qui hanc occasionem non omiserint, regem ad pietatem propensum, recte dirigere. Præsertim non ignarum veri Dei, vt ex eius pro Iudæis decreto constat. Retuli porro hæc ad hunc annum; quia non prius res & nota fieri in Perside, & iussu Regis in Iudæa examinari, & locus circumcludi, & religiosus fieri potuit.

II. Rogatio de connubiis Patriciorũ cum Plebeis, & Plebi cõmunicando Consulatu.

Romæ porro domi forisque tumultuatum est. C. enim Canuleius Tribunus plebis initio anni de connubiis Patriciorum cum plebeis rogationem promulgauit. Mentio quoque sensim illata est à Tribunis, vt alterum ex plebe Consulem fieri liceret, qua de re etiam à 9. tribunis rogatio promulgata. Vtrumque indignissime tulere patres; potiusque extrema quæque patienda censuerunt, quam permittendum vt eæ leges perferrentur. Læti ergo audiere patres Ardeaticum populum, ob iniuriam agri abiudicati, desciisse; Veientes depopulatos extrema agri Romani Æquos & Volscos expeditionem parare. Cum tamen Tribuni delectum haberi non sinerent. Consensit tandem Senatus, vt Tribuni militares Cõsulari potestate, partim ex Patritijs, partim ex plebeis crearentur, vti proximis comitiis factum est. Addit Liuius summa Canulei contentione factum, vt lex etiam de communicandis connubiis perferretur.

Conueniunt in Tribunos militares.

Hac Olympiade florent Melissus philosophus Parmenidis auditor, patria Samius. Floruit & Protagoras Abderites, qui Atheos dictus est, eo quod initio cuiusdam libri sui scripsisset, *De diis sintne, aut non sint, nequeo statuere*, &c. de quibus vide plura in Annalibus.

III. Florent Melissus & Protagoras.

ANNVS MVNDI 3611.

NEHEMIÆ 3. ELIASIB 22.

ARTAXERXIS 22. Imperij Pers. 95.

OLYMP. XXCIV. AN. 2. VR. C. 310.

ANTE CHRISTVM 44.

VNius anni inter Liuium & Dionysium dissentio est, de tempore creatorum tribunorum Consulari potestate. Dionys. enim eum annum vocat V.C. 311. Liuius autem, quem deinceps deficiente Dionysio, secuturi sumus, 310. Eumque hoc loco Onuphrius, & Cuspinianus sequuntur. Sigonius maluit 309. cui subscribit Pighius, & Temporarius. Placuit mediam præferre sententiam. Hoc ergo anno comitia Tribunis Consulari potestate creandis indicuntur. Etsi autem Genutij sententia ferebat, vt tres ex Patriciis, totidemque ex plebeis crearentur, tribus Patritiis creatis, plebs nullum præterea voluit, satisque habuit agnoscere se non fuisse contemptam. Creati autem sunt Tribuni Militares Sempronius Atratinus Longus, & Cœlius Siculus. Sed perbreuis fuit hic magistratus. Tertio enim mense quam inierant, Augurum decreto, perinde ac vitio creati, honore abiere. Ex quo intelligi potest quantum Romæ vanissimæ isti Augurum disciplinæ tribueretur, cum primarius magistratus, tanta contentione expetitus, ad Augurum arbitrium tam cito in ordinem digeretur.

I. Creantur Tribuni milit. ex solis Patritiis.

Plebis modestia.

Abdicantur hi Tribuni.

Hic interreges à Senatu creati, qui permissa plebi electione Tribunos ne creare mallent an Consules, cum plebs patriam consuetudinem retinendam iudicasset, facti sunt è Patritijs Coss. L. Papirius Mugillanus, & L. Sempronius Atratinus. Dionys. ait his Coss. amicitiæ societatisque fœdus cum Ardeatibus pactum esse, omissa super controuerso agro expostulatione, quam tamen non omisit Liuius.

II. Coss. restituuntur.

Fœdus cũ Ardeatibus.

ANNVS MVNDI 3612.

NEHEMIÆ 4. ELIASIB 23.

ARTAXERXIS 23. Imperij Pers. 96.

OLYMP. XXCIV. AN. 3. VR. C. 311.

ANTE CHRISTVM 441.

TRecentesimus vndecimus vrbis annus censuræ initiis illustratur. Cuius magistratus creandi causa fuit, quod Coss. Senatum docuissent, propter continuas Consulum expeditiones, cum alia multa neglecta fuisse, tum curam habendi census, è quo & numerus eorum, qui militari ætate essent, cognoscebatur, & opes pro quarum ratione vnumquemque ad bellicos sumptus contribuere oportebat; nullum autem iam à 17. annis actum esse. Visum est Senatui rem operosam, & minime Consularem proptio magistratu egere, quod facile toti Reipubl. persuasum est. Primique censores creati sunt L. Papyrius Mugillanus, & L. Sempronius Atratinus. Quòd eorum Consulatus integer superiore anno non fuerat.

I. Censuræ initium, eiusque causa.

Ab V.C. 295.

Primi Censores.

Consules autem ipsi rem bene gesserunt. Cum enim apud Ardeates res admodum turbulentæ essent, & inter se nobiles, plebeique cædibus sæuirent, optimates Romanos auxilio aduocarunt, plebei vero Volscos, qui vrbem cum plebe obsidebant. At M. Geganius Consul superueniens, obsidentes Volscos inopinatò circumuallauit, eosque commeatu destitutos, & ad pugnam desperata pace progressos, concidit. Qui mox ad preces à certamine versi, dedito imperatore, traditisque armis, sub iugum missi, ignominiæ pleni dimittuntur, sed in Tusculanos cum incidissent in ermes oppressi sunt. Consul autem res Ardeæ composuit, seditionis autoribus securi percussis, & triumphans in vrbem rediit, vbi Quintius quintùm Consul erat in magna apud summos & imos veneratione & gloria. Ardeam vero sequenti anno colonia deducta est.

II. Res Ardeatium.

Volsci ibi cæsi.

3613

* * *

ANNVS MVNDI 3614.

NEHEMIÆ 6. ELIASIB 25.

ARTAXERXIS Long. 25. Imperij Pers. 98.

OLYMP. XXCV. AN. 1. VR. C. 313.

ANTE CHRISTVM 439.

I. Belli Samij origo

SExto anno à tricennali fœdere, quo Crison Himeræus tertiam in Olympico stadio palmam tulit, bellum Samios inter & Milesios propter Prienem excitatum est, vrbem pari fere interuallo ab vtrisque distantem, quamque vtrique sibi vendicabant. Iamque Samij victores facti fuerant, cum Aspasia mulier Milesia Periclem, qui omnia poterat Athenis, & quem illa possidebat, precibus adduxit, vt eius opera Athenienses iuberent Samios à bello quiescere, & apud se de controuersia disceptare, quod illi recusarunt. Ergo bellum contra Samios fabricatus est Pericles, quem Athenienses Imperatorem creârunt, attributa ipsi 40. triremium classe. Cum qua Samum profectus, vrbe potitus, optimatum gubernationem in popularem conuertit, quod vt stabile foret, obsides accepit 50. viros, totidemque nobiles pueros, quos in Lemno deposuit, præsidióque in Samo relicto, discessit.

Plut. in Pericle.

Res ibi primum à Pericle gesta.

II. Samij bellum redintegrant.

At Samij ope Pissúthnæ Persæ, qui tum Sardibus præerat, & Phœnicum bellum redintegrarunt, & vrbe recepta, præsidium Athenienſium in manus Persæ tradiderunt, obsides clam è Lemno surripuerunt, optimatibus Rempubl. restituerunt, & statim expeditionem contra Milesios comparârunt. Sequenti anno, non enim ante sequentem annum debellatum est, vt mox intelliget, Athenienses cognita Samiorum defectione, classem 60. nauium instituxerunt, eique Periclem cum nouem collegis præfecerunt. Eorum aduentu cognito Samij, relicta Milero Athenienſibus occurrerunt, cum quibus acerrime pugnarunt, victi tamen sunt, quamuis nauium numero superiores. Athenienses victori insecuti portum occuparunt, vrbemque obsiderunt; quæ ne tunc quidem animis fracta, eruptione facta victores suos præliis fatigare aucta est. Sed mox superuenientibus auxiliis, pedestri pugna victi, arctiusque concluſi sunt.

3613.

Et à Pericle rursum victi

III. Sed 9. mensibus obsessi deditionem faciunt.

Quo rerum statu audiuit Pericles, Phœnicias naues, quæ Samiis opem ferebant, in cursu esse, quibus ipse cum sexaginta nauibus obuiam progressus est. Interea Samij duce Melisso philosopho eruptione facta insigni victoria de Athenienſibus potiti sunt, quorum etiam captiuis frontem noctua inscripserunt, & per 14. ferme dies quæcunque voluerunt in vrbem importarunt. At Pericles cognita suorum clade, properè ipsis subsidio venit, & Melissó Samiorum prætore fuso fugatoque, hostem confestim muro circumuallauit, nouemque mensibus obsessus, & Artemonis machinis afflictos, ad deditionem compulit, his conditionibus, vt vrbis muros demolirentur, obsides darent, naues traderent, pecunias certis temporibus persoluerent; restituta denique Democratia, Pericles domum magna cum gloria reuersus est. Byzantij autem qui cum Samus defecerant, cum illdem se Athenienſibus subiecerunt. Ex quibus apparet bellum Samium biennio renouisse, si quis tempora tot rebus gerendis necessaria recte dinumeret.

Byzanti

Priore anno Romæ votiui ludi facti sunt, quos decemuiri propter secessionem plebis nuper vouerant. Posteriore, qui Consules habuit Proculum Geganium Macerinum, & L. Menenium Lanatum, fames vexauit vrbem vehementer, cum Sp. Melius exequestri ordine, vir, vt illis temporibus, prædiues, frumento ex Etruria priuata pecunia coëmpto, largitionem facere cœpit, plebemque delinitam ad se trahere, fastu maiore quam priuatum hominem deceret. Iamque non solum de consulatu, sed de regno etiam cogitabat. Verum comitia Consularia instabant, quæres, nondum maturis Melij consiliis, hominem oppressit; præsertim cum, summo Reip bono, T. Quintius Capitolinus iam sextùm Consul factus esset.

IV. Ludi votiui Romæ.

Spurij M. I. largitio.

ANNVS MVNDI 3616.

NEHEMIÆ 8. ELIASIB 27.

ARTAXER. 27. Imperij Persarum. 100.

OLYMPIADIS XXCV. A. 3. V. C. 315.

ANTE CHRISTVM 437.

I. Bellum Corinthiacum cum Corcyræis

COnfecto bello Samio exortum est Corinthiacum, Corcyræos inter & Corinthios: quod in Peloponnesicum tandem terminatum est, eique causam dedit, vt Thucydidi placet. Belli materiam præbuit Epidamnus Illyrij ciuitas, quæ postea Dyrrachium dicta est: quæ cum intestina seditione laboraret, plebs furens potentissimos quosque ciues eiecit. At illi cum ad Taulantios barbaros se recepissent, cum illis eos qui in vrbe erant, terra marique pœdabantur. Itaque Epidamnij legatos Corcyram miserunt, tanquam ad coloniæ suæ matrem, orantes ne se perdi sinerent, & profugos sibi reconciliarent. Sed ab iis neglecti, Corinthiorum opem non frustra imploratunt. In suam enim fidem ac clientelam receptos auxiliis iuuerunt, nouisque colonis. Re cognita Corcyræi cum 25 nauibus Epidamnum veniunt, exulesque recipi iubent, & præsidia Corinthiorum, nouosque colonos dimitti. Cumque Epidamnij imperata non facerent, & à Corcyræis maioribus copiis obsiderentur, rursum ad Corinthiorum opem confugiunt, qui reliquo anno exercitum ad eorum auxilium præparatunt.

Epidamnij à Corcyræis neglecti à Corinthios confugiunt.

Corcyræis obsidentur.

Diuina porro prouidentia Romanam libertatem protegente, factum est vt T. Quint. sextùm Consul crearetur, vir Sp. Melij conatibus minimè opportunus. Cum autem L. Minutius præfectus annonæ didicisset arma parari apud Melium, eumque regni consilia agitare. Tribunusq; mercede emptos ad prodendam libertatem, remque ad Senatum detulisset, Consul Quintius ex omnium sententia Dictatorem dixit Quintium Cincinnatum, qui Sextilium Ha-

II Melij consilia patefiunt.

Dictator dicitur.

lam Magistrum equitum dixit. Postero die dispositis per vrbem præsidiis, cum Dictator in forum descendisset, & Melius vim sibi paratam cerneret, missus à Dictatore ad eum Seruilius, ad causam dicendam, iussu Dictatoris hominem euocat. Qui dum tergiuersatur, & plebis opem implorat, à magistro equitum occiditur. Id factum probauit Dictator, & mortui domum euerti iussit, ac bona publicari.

A Seruilio Mala occiditur, &c.

ANNVS MVNDI 3617.

NEHEMIÆ 9. ELIASIB 28.

ARTAXERXIS 28. Imperij Pers. 101.

OLYMP. XXCV. A.4. VR.C.316.

ANTE CHRISTVM 436.

I. Coryræorum & Corinth. disceptatio.

OBsidebant Epidamnios Corcyræi, Corinthiis exercitum parantibus, vt eis auxilio essent. Futura erat classis 60. & aliquot nauium, ex diuersis collecta populis. Eo apparatu cognito Corcyræi, cum Lacedæmoniis Sicyoniisque legatis, adierunt Corinthios, suadentes vt res non bello, sed iure dirimeretur; cumque non conuenissent, Corinthij classem mittunt Epidamnum, Corcyræi non intermissa obsidione, illis occurrunt, & nauali acie instructa pugnant, vincuntque, quindecim nauibus profligatis, cæteris in fugam actis. Eodem ipso die Epidamnij obsessi ad deditionem coacti sunt, iussique in vinculis seruare Corinthios, donec statuerent victores quid eis fieri placeret. Corcyræi illis in locis imperium maris adepti, varia Corinthiorum loca peruagati, aliorum agros vastarunt, aliorum naualia incenderunt, sicque reliquus ille annus, ac sequens, sine vllo inter vtrumque populum certamine abiit. Classis tamen interea vtrimque præparata est.

Et pugna naualis, & victoria Coryræorum.

II. Tribuni Melit. pro Coss. creati.

Romæ autem Tribuni, cæso Sp. Melio, de eius nece apud populum querebantur, quod indicta causa, & indemnatus esset occisus, & mortem ab inimicis plebis, pro sua in egenam plebem misericordia, retulisset. Peruicerunt que vt huius anni comitiis Tribuni militares crearentur, tati eorum aliquos è plebe forte, qui Melij necem vindicandam susciperent; nec tamen facti sunt voti compotes; tres enim tantum, ijque Patritij creati sunt. In quorum magistratu Fidenæ, colonia populi Romani, ad Veientes, eorumque regem Volumnium defecere, eiusque iussu quatuor Romanorum legatos, causam defectionis inquirentes interfecere: vt spes omnis reconciliationis, tanto admisso scelere, præscinderetur. Ergo bellum cõtra Fidenates & Veientes hoc anno præparatum, sequenti inchoatum à L. Sergio Consule, moxque ab Æmilio Mamerco Dictatore perfectum est. Cæsus in ea pugna Rex Volumnius ab A. Cornelio Cosso, indeque hosti terror & fuga, & Romanis victoria. Dictator Senatus Consulto, iussuque populi triumphans in vrbem rediit. Longe maximum triumphi spectaculum fuit Cossus quadrigis in vrbem inuectus, spolia opima Regis interfecti gerens, quæ in æde Iouis Feretrij, prope Romuli spolia solenni dedicatione fixit.

Fidenæ ad Veientes deficiunt.

3618. Bellum contra vtrosque gestum.

Cossi spolia opima

Hoc autem posteriore anno, qui fuit Olympiadis 86. annus primus, natus est Isocrates Rhetor egregius, quinquennio ante bellum Peloponnesiacum. Quo tempore floruisse legimus Democritum Abderitem, Empedoclem Agrigentinum, Hippocratem Coum, Gorgiam & Prodicum, Zenonem quoque, atque Parmenidem.

III Ortus Isocratis.

ANNVS MVNDI 3619.

NEHEMIÆ 11. ELIASIB 30.

ARTAXERXIS 27. Imperij Pers. 103.

OLYMP. XXCVI. AN. 2. V.C. 318.

ANTE CHRISTVM 434.

TOto anno, post nauale prælium infeliciter à Corinthiis gestum, & insequenti, qui nunc agitur Corinthi naualem expeditionem studiose præparaturunt, remiges milite que ex Peloponneso, totáque Græcia comparantes. Ea re moti Corcyræi legatos Athenas auxilij causa miserunt. Miserunt & Corinthij rogantes ne se hostibus suis adiungerent, vtrorumque apud Thucydidem extat oratio, mutuis plena criminationibus. Athenienses Corcyræis dissimulanter adhęsere, ne fœdera tricennalia, cum Lacedæmonijs, eorumque sociis inita, violarent, sed societatem tantum subsidiariam cum Corcyræis fecere, vt mutuam sibi ferrent opem, si quis aduersus Corcyram, vel Athenas, vel ipsorum socios adiret. Verebantur enim ne Corcyra, quæ multum classe valebat, in Corinthiorum potestatem veniret, sicq; difficilius ipsi maris imperium obtinerent. Ergo cum Corinthij discessissent, Athenienses decem naues Corcyrensibus subsidio miserunt, mandaruntq; ducibus ne Corinthios inuaderent, sed Corcyræos tantum defenderent. Quod ita fecerunt, vt multa vtrimque accepta clade, vtrique se victores dicerent, Corcyræi tamen Epidamno potiti sunt: quæ causa fuit iræ Corinthiorum in Athenienses, quorum opera factum fuerat, vt Corinthij Corcyræos in suam potestatem redigere non potuissent: idque etiam in posterum desperabant, quandiu illi Athenienſium præsidio niterentur.

I. Corinthiorum apparatus, & Coryræorum legati, ad Athen.

lib. 1 p. 23 29. Gr. Lat.

Qui Corcyræis dissimulanter faucrent.

Vnde victi Corinthij.

II. 3260. Perdiccas rex Maced. & Corinth. Athen. infensi.

Itaque anno proximo, vt de ipsis aliquo modo vltionem sumerent, Potidæam illorum coloniam ad defectionem impulerunt, à Perdicca Rege Macedonum, Athenienſium hoste incitati. Cum enim Perdiccæ fratres contra ipsum bellum gererent, Athenienses auxilio fratribus venerunt. Ergo cum sibi ab illis metueret, operam dedit, missis Lacedæmonem legatis, vt bellum inter Athenienses & Lacedæmonios oriretur. Corinthios quoque iam Athenienſibus iratos sibi conciliauit, vt Potidæa, aliæque Thraciæ vrbes ab Athenienſibus deficerent, vt illarum opera, fortior contra fratres suos & Athenienses redderetur. Verum enimuero Athenienses cognitis Perdiccæ & Corinthiorum consiliis, vt earum ciuitatum defectionem anteuerterent, triginta naues cum mille grauis armaturæ militi-

bus in Thraciam misere, quæ obsides à Potidæatis acciperent, vtbis mœnia demolirentur, & vicinas vrbes à defectione prohiberent.

III. Potidæatæ ad Lacedæmonios confugiunt.

At Potideatæ cum eam calamitatem frustra ab Athenienſibus deprecarentur, ad Spartanos confugerunt; qui cum pollicitiſ eſſent ſe in Atticam irrupturos, ſi Potidæa ab Athenienſibus inuaderetur, ab eis illico, cum ſocijs oppidis defecerunt, in quibus Chalcidenſes, qui authore Perdicca, deſerto littore in Olynthum emigrarunt, ibique ſe communiuerunt. Quoniam autem 30. Athenienſium naues impares ſe bello contra ciuitates quæ defecerant, & contra Perdiccam exiſtimabant, ijs relictis, in Macedoniam emigrarunt, Corinthij autem in Thraciam validum exercitum miſerunt, qui Potidæam tutaretur.

IV. Romæ peſtis biennio.

Romæ vtroque anno peſtis graſſata eſt, poſteriore præſertim; quo nihilominus Fidenates Aniene traiecto copias ad vrbem poſuere. In re trepida dictus Dictator A. Seruilius, qui luce prima ciues, qui arma ferre poterant, educit in aciem, & Fidenates victos in vrbem compulit, quam cum deſperaret ſe vi aut obſidione capere poſſe: agere in arcem cuniculum inſtituit, & perfoſſo monte patefecit in arcem viam, & nec opinantibus Hetruſcis, hoſtilis clamor ſupra caput vrbem captam oſtendit, quæ & mox exciſa eſt.

Fidenates a Dictatore exciſi.

ANNVS MVNDI 3621.

NEHEMIÆ 13. ELIASIB 32.

ARTAXERX. 32. Imp. Perſar. 105.

OLYMP. XXCVI. AN. 4. V.C. 320.

ANTE CHRISTVM 432.

I. Annus Nehemiæ abſolutus 2 *Eſdr.* 5. 14.

CELEBRATVR hic annus apud Nehemiam; eſt enim duodecimus ducatus ſiue gubernationis eius in Iudæa. *A die autem*, inquit, *qua præceperat rex mihi, vt eſſem dux in terra Iuda, ab anno vigeſimo, vſque ad annum trigeſimum ſecundum Artaxerxis regis, per annos duodecim* altero extremorum non computato, *ego & fratres mei*, domeſticos opinor intelligit, totamque familiam, *annonas, quæ ductibus debebantur, non comedimus*, miſericordia videlicet moti erga populum egenum ac *valde attenuatum*, vt eius onera & tributa tantundem minuerentur: vnde ſequitur. *Duces autem primi, qui fuerunt ante me, grauauerunt populum; & acceperunt ab eis in pane & vino, & pecunia quotidie quadraginta ſiclos*, id eſt, in ære Gallico quinquaginta quatuor Francos cum dimidio. Magnos nihilominus ſumptus facere cogebatur. *Nam Iudæi*, inquit, *& magiſtratus, centum quinquaginta viri, & magiſtratus, centum quinquaginta viri, & qui veniebant ad nos à gentibus, qui in circuitu noſtro ſunt, in menſa mea erant. Parabatur autem mihi per dies ſingulos bos vnus, arietes ſex electi, excepti volatilibus: & inter dies decem vina diuerſa, & alia multa tribuebam.*

Eius in populum indulgentia.

Vbique acceptis ex fiſco regio ſumptibus, conſentanee ijs quæ hic ipſe rex dari præceperat Eſdræ, procurante Regina Eſthere, & Mardochæo.

1. *Eſ* 7. 20 *& ſeqq.*

II. Perſideo adit ibique diu moratur.

Hoc ipſo anno Nehemias è Iudæa profectus eſt in Perſidem ad Regem Artaxerxem, qui Rex Babylonis dicitur, & ſequenti ei Babylonij parebant, & forte tunc erat Babylone, & ad eum profectus eſt Nehemias, & apud eum manſit vſque ad finem dierum vitæ ac regni eius, vt ibi dicemus. Interea enim dabitur tempus Eliaſib, & Tobiæ grande gazophylacium ædificandi, male adminiſtrandi templi reditus, & eius miniſtros fugandi, vt habetur capite decimo tertio, verſu decimo. Vide Annales hoc loco. Cæterum prædictis duodecim annis ducatus Nehemiæ credibile eſt eum non ſolum beneficentiam erga populum exercuiſſe, ſed omnia promouiſſe diligenter, quæ ad DEI cultum, & legis obſeruationem pertinebant, vt propterea tanto iuſtius poſtea zelus eius exarſerit, contra violatores eius, & verbis eos caſtigarit & factis. Quod ſimul etiam arguit eum in eadem Ducis authoritate perſeuerauiſſe.

3621. *n.* 4. *& ſ.*

2. *Eſdr.* 13 25.

III. *c.* 12. Conſtruit Bibliothecam operâ eiusdem.

Hoc autem pertinet in primis conſtructio Iudaicæ Bibliothecæ, cuius eſt mentio in ſecundo Machabæorum, ex quo loco intelligitur Nehemiam, aut Eſdram potius illius iuſſu varios ſacrarum literarum codices, earumque partes, quæ apud diuerſos varijs habebantur in locis, diligenter collegiſſe, & nominatim libros Regum & Prophetarum & Pſalterium, &c. Apparet quoque, vt fieret Bibliotheca, alios quoque libros collectos, tam patriæ quam peregrinæ ſapientiæ, vel exemplo Regum Perſarum, quorum Bibliotheca Babylone conſtructa erat. Quid autem ſtudij circa libros ſacros Eſdras adhibuerit, ex antiquis patribus colligi poteſt, quorum ſententias in Annalibus recenſuimus. Hic breuiter dico Eſdram libros ſacros, quos habere potuit, diligenter cuſtodiſſe. Secundo, varijs ex locis & perſonis eos collegiſſe, & in Bibliothecam Heroſolymam contuliſſe. Tertio, varias partes in vnum quaſi corpus compegiſſe, vt Pſalmos in vnum librum; eodemque modo Prophetias, prout quoque inuentæ ſunt. Quarto, depraua correxiſſe, recenſuiſſe, renouaſſe. Quo pertinet notiorum vocabulorum in locum veterum ſubſtitutio. Quinto, ſuppleuiſſe quæ deeſſe videbantur: qualia ſunt quæ de morte Moyſi & Ioſue ſuis habentur locis. Quin & alia quoque ſuppleta libris ſacris, poſt mortem Eſdræ, ex ipſa Scriptura demonſtratur in Annalibus.

1. *Eſd.* 5. 17 *& c.* 6. 1. Eius ludi diu circa ſacros libros. *Hoc an. n.* 5. 9 *& alibi n.* 1. *Dec. ſeq. an.* 10. *& ſeqq.*

1
2
3
4.
5

Quod ad Græciæ res attinet. Cum Athenienſes didiciſſent priorem ſuam triginta nauium claſſem tardius in Thraciam peruenſſe, nec pares eſſe bello Thracico ſimul & Macedonico, quadraginta naues ſubſidio miſere, quibus Calliam præfecerunt ducem. Priores iam Therma potiti erant, quæ poſtea Theſſalonica dicta eſt & Pidnam obſidebant, cui obſidioni, ſocios ſe, qui recens aduenerant, adiunxerunt. Cum autem obſidio produceretur, & ipſi de Potidæa, & Corinthiorum auxilijs, ſolliciti eſſent, pacem cum Perdicca,

n. 3612. *n.* 11.

IV. Athen. in Thraciã & Macedoniam copias mittunt.

Athen. reconciliantur Perdiccæ.

& armorum societatem iniere: cumque illic hyemem transegissent, vere nouo contra oppida quæ defecerant, vela fecerunt. Floruit Athenis hoc tempore Meto insignis astrologus, anni decemnouennalis inuentor. Quod spatium 19. annorum, ipse vnum annum vocauit, quod intra illud tempus lunares anni, per septē intercallationes, solaribus propemodum exequentur: puta anno 3.6.8.11.14.17. & 19. vt fusius anno Mosis 81. explicatum est. Id curriculum vulgò *aureus numerus*, propter excellentiam appellatur.

Meto Astrologus. Aureus numerus.

Scho. 7. ad n. 39.

Romæ autem hoc anno vehementer trepidatum est. Nam Veientes & Falisci excidio Fidenatum conterriti, totius Etruriæ populos duos & viginti ad arma conuocarunt. Itaque Romani ad nota Dictaturæ præsidia confugerunt; Senatus Æmilium Mamercum iterum Dictatorem dici iussit. Mox tamen intellectum est iussos Veientes suis viribus bellum exequi, quod suo consilio suscepissent. Tum Dictator ne frustra creatus esset, aliquod Dictaturæ monimentum relicturus, populo persuasit vt Censura quæ quinque annis gerebatur, ne plusquam annua & semestris deinceps foret, legeque lata id perfecit. Quod Censores ægre ferentes ipsum Mamercum, cum Dictatura abijsset, ignominiæ causa, tribu mouerunt, ærariumque fecerunt. Quæres tantam populi mouit indignationem, vt vis à Censoribus, nullius autoritate, præterquam ipsius Mamerci deterreri potuerit. Egregio plane facinore hominis vere magnanimi, qui & casum suum ingenti animo tulerit, & oblatam de inimicis vindictam animo profecto Christiano, ab eorum capitibus auerterit.

I. V. Veientes Etruscos frustra ad arma solicitant.

Dictator Mamercus contrahit Censuræ tempus.

Eiusdem virtus egregia.

ANNVS MVNDI 3622.

NEHEMIÆ 14 ELIASIB 33.

ARTAXERXIS 33. Imperij Persar. 106.

OLYMP. XXCVII. A.1. V. C. 321.

ANTE CHRISTVM 431.

I. Apparatus ad bellum Peloponnesiacum.

HAbet hic annus apparatum ad bellum Peloponnesiacum, quo anno Callias cum omnibus copijs Macedonia digressus, Potidæam versus iter intendit 70. naues maritimam oram legebant; terra iter faciebant tria millia Athenienſium cum multis socijs, & sexcentis Macedonum equitibus, & propè Potidæum castra posuerunt. At Potidæatæ & Peloponnesij prope Olynthum, quæ 60. fere stadijs abest à Potidæa, duce peditatus Aristæo: Equitatus verò Perdicca rege Macedonum, qui protinus iterum ab Athenienſibus defecerat, & Potidæates iuuabat, ne eos desereret, quos nupet in defectionem coniecerat. Denique cum propiores factæ essent acies ancipiti certamine pugnatum est: vniuersè tamen Athenienses amisso duce vicerunt, & Potidæam terra mariq; obsederunt. Aliarum interim vrbium, quæ defecerant, agros deuastantes.

Perdicca ab Athen. deficit.

II. In Græcia vero querelæ Corinthiorum, & vicissim Athenienſium vbique iactantur. Corinthij bellum contra eos postulant, & ad illud socios omnes inuitant. Athenienſium autem legati, qui tum Spartæ erant, dissuadent bellum contra tam potentem ciuitatem. Postremo cum Peloponnesij maxima ex parte cessissent triceñalia fœdera ab Athenienſibus esse violata, bellum decreuerunt. Cum autem Athenienſium sententiæ Athenis de bello ac pace variarent, Pericles, qui se obnoxium reddendæ rationi de ingenti pecunia publica sentiebat, concilio Alcibiadis, qui eius erat ex fratre nepos, bellum vehementer suasit, in quo sperabat se Reipub. necessarium fore, & pecuniarias rationes ad aliud tempus dilatum iri. Suasit autem demonstratis Athenienſium opibus & copijs, & apparatu ad victoriam, præ ipsorum aduersarijs. Itaque Lacedæmonijs respondērunt, se belli initium non facturos, sed ab ipsis illatum propulsaturos. Vide Thucydidem, qui hic primum librum absoluit.

Bellum vtrimque decernitur.

Pericles Athen. accendit, & cur.

Romæ autem pestilentia hoc anno aliarum rerum otium præbuit, vt ait Liuius, & ædes Apollini pro valetudine populi vota est, nihilominus lues in vrbe agrisque grassata est.

Romanæ res.

ANNVS MVNDI 3623.

NEHEMIÆ 15. ELIASIB 34.

ARTAXERX. Long. 34. Imp. Pers. 107.

OLYMP. XXCVII. A. 2. V. C. 322.

ANTE CHRISTVM 430.

I. Initium belli Peloponnesiaci.

HVnc decimum quintum annum ab initis Lacones inter & Athenienſes tricennalibus fœderibus, Thucydides primum constituit belli Peloponnesiaci, quod ait statim ineunte vere inchoatum, quodq; in annum vigesimum septimum propagatum est. Indicium autem belli, & animorum inter se hostiliter affectorum fuit, quod cum superioribus annis multa inter Græcos hostilia facta contigissent, quæ varijs excusationibus velabantur, mutua nihilominus commercia retinebantur, & alteri ad alteros, non sine suspicione, sed sine caduceatore ventitabant. At deinceps nullis inter se commercijs amplius sine caduceatore miscebantur.

II. Thebani Platæam occupāt, moxque cæsi captique.

Primum hostile facinus in Bœotia, quæ est Atticæ contermina, perpetratum est. Trecenti fere Thebani, statim ineunte vere, noctu Platæam Bœotiæ vrbem, Athenienſium sociam ingressi sunt, à quibusdam Platæenſibus introducti, qui eam vrbem Thebanis, cum quibus semper gesserat simultates, adiungere volebāt. Platęenses ciuitatem suam captam animaduertentes, rati magna se hominum multitudine teneri, compositione facta Thebanis dedidere se. At postea rei veritate cognita, consilijs inter se, perfosso communi pariete, communicatis, hostem nocte inuadunt atque interficiunt, viui ad centum & octoginta capti sunt. Cum autem Thebani, qui suis auxilio tardius venerant, rem intellexissent, agros populari, & Platæen-

Plataeo-num per-fidia.

tæenses capere cœperunt, vt suos permutatione reciperent. Plataenses vero polliciti se reddituros, si illi ex agro suo abirent. Illis parentib. suos nihilominus captiuos, cum omnia sua ex agris in vrbem comportassent, perfidiosè peremerunt: & militum cadauera Thebanis restituerunt.

II. Athen. & Spartani belli socios adsciscunt.

Hoc primum aperti belli signum fuit. Itaque vterque populus belli socijs conquirendis intentus fuit, non in Græcia solùm, sed in Asia quoque ac Persida, Italia etiam & Sicilia, insulisque circumpositis. Plures porro in Lacedæmonios beneuolentia propendebant, quod libertatem Græciæ, contra Athenienſium superbam tyrannidem defendere credebantur. Archidamus Rex à Lacedæmonijs Imperator eligitur; eius legatum Athenienses facessere iubent inauditum. Pericles suos ciues ad bellum animat, & res suas in vrbem ex agris comportare, eamque propugnare; & centum nihilominus nauium classem in Peloponnesum immitti suadet. Archidamus Atticæ agros populatur, ad eliciendos ad pugnam Athenienses; quos retinet Pericles, & classem ad paria damna in Peloponnesum mittit, eoque facto Spartanos ad patriâ tutandam retrocedere cogit. Deinde aliquot Lacedæmoniorum locis captis ac vastatis, domum cum hyeme reuersus est. Hæc pluribus Thucydides, qui addit hoc anno Solis eclipsim in æstate contigisse.

Periclis de bello consiliũ.

IV. Romana res.

Romæ autem vis morbi leuata est, neque à penuria frumenti, cui iam prouisum fuerat, periculum fuit: belli consilia ab hostibus in annum dilata. Tribuni plebis satagebant, vt Tribuni militares è plebe crearentur. Sed nihilominus comitia consularia S. C. habita sunt.

ANNVS MVNDI 3624.

NEHEMIÆ 16. ELIASIB 35.

ARTAXERXIS 35. Imper. Persarum 108.

OLYMP. XXCVII. An. 3. VR.C.323.

ANTE CHRISTVM 429.

I. Insignis vbiq; pestilentia. *Thuc. l. 2.*

SEcundus hic annus belli Peloponnesiaci grauissima pestilentia insignis fuit, quæ initio capto ab Æthiopia in Ægyptum, Africamque descendit, magnamq; partem regni Persarum Athenas autem ita vexauit, vt magnam rerum diuinarum atq; humanarum confusionem intulerit; quæ tamen Lacedæmonios dicitur leuiter attigisse, vt diuinum Numen in illos nominatim conspirasse videretur. Bellum nihilominus vtrinq; gestum est: Nam priores Peloponnesij Atticam, tam ab ortu quam ab occasu vexabant. Inde Athenienses cum 150. nauiũ classe duce Pericle in Peloponnesum profecti ad Epidaurum in sinumq; Saronicum peruenerunt, & magna parte agri vastata, vrbem adorti sunt: sed eos morbus occupauit, afflixitq;. Peloponnesi quoq; morbi metu, quem ex transfugis in vrbe grassari audiebant, & ex cateruatim cõgestis in sepulchra cadaueribus agnoscebant, intra quadragesimum diem ex Attica discesserunt.

Athenienses maxime vexat

Athenienses autem, & morbo & bello vexati, post alteram hanc Peloponnesiorum irruptionem, Periclem tanquam belli huius autorem accusare cœperunt, atque adeo magistratu deiectum, ingenti pecunia mulctauerunt. Mox tamen ira depositâ, cum neminem inuenirent eius muneri gerendo parem, cum quamuis domestico luctu afflictum, pestis enim duos illi filios, ac sororem, alios que necessarios abstulerat, rursus ad imperium suscipiendum inuitarunt, ac denique persuaserunt. Interim autem Aristæus Corinthius, cum Lacedæmoniorum legatis, ad Persarum regem proficiscebantur, vt eum ad belli societatem allicerent, & ad belli sumptus pecunias obtinerent. Sed Athenienſium opera comprehensi, & Athenas delati, indicta causa interfecti sunt, & in profundas fossas præcipitati, in vltionem aliquorum Athenienſium, qui eodem modo Lacedæmone tractati fuerant. Hoc quoque tempore Potidæa, fame ad deditionem compellitur, conditionibus non acerbis, quod ipsi quoque qui obsidebant multis afficerentur incommodis. Digressis huc illucque ciuibus, Athenienses eo coloniam miserunt; sicque secundus huius belli annus finem accepit.

II. Pericles magistratu deiicitur, mox que restituitur.

Legati ad Persas capti, & Athenis iudicta causa occisi.

At Romæ non sine sanguine & sudore pugnatum est. Volsci & Æqui intentata iamdudum arma in Romanos vltra non distulerunt, sed cum suis singuli exercitibus in Algidum conuenere, vbi castris communitis, ingenti se studio ad certamen exercebant. Itaque Senatui placuit Dictatorem dici. Dictus est à Quintio Consule A. Posthumius Tubertus. Qui assumpto eodem Consule, copias bipertito diuisas, gemino hostium exercitui opposuit. Acriter vtrimque & industria & virtute pugnatum est, præsertim à Vectio Volscorum duce fortissimo. Quin & Romani duces pleriq; vulnerati, in quibus ipse Dictator. Denique vtraque castra à Romanis expugnata, hostes, præter Senatores, omnes venundati sunt, præda partim spoliatis socijs reddita, partim sub hasta vendita. Dictator triumphans vrbem inuectus Dictaturam abdicauit.

III. Cum Æquis & Volscis bene à Dictatore pugnatũ

ANNVS MVNDI 3625.

NEHEMIÆ 17. ELIASIB 36.

ARTAXERXIS 36. Imp. Pers. 109.

OLYMP. LXXXVII. An. 4. V. C. 324.

ANTE CHRISTVM 428.

I. Mors Periclis & ortus Platonis.

MOrtuum hoc anno Periclem Athenienſium clarissimum ducem liquido constat ex Thucydide, qui ait eum duos annos à bello moto, & præterea sex vixisse menses, id est, intra tertiũ annum, qui nunc agitur, obijsse. Causam mortis eius refert Plutarchus in præcedentis anni lucem, quæ domi eius tanto cum damno grassata, ipsum ita afflauit, vt varias inter mutationes corpus eius paulatim confecerit. Eius virtute plerique celebrarunt, quas tamen fuligine tinxit, nõ solum male administrata pe-

3. tui. n. 3.

cunna publica; sed quod illi ipsi eius laudatores, cum facem Peloponnesiaci belli, quod tam ingentia mala in Europam inuexit, fuisse non negant. Hoc ipso anno natum Platonem autor est Laërtius.

I. Platæēses a Laced. obsessi.

Ineunte Æstate Peloponnesij cum socijs Platæam duce Archidamo obsederunt, quod in fide cum Athenienſibus perſisterent. Itaque imbellem multitudinem Athenas exportarunt, ſolis quadringentis ciuibus, 80. Athenienſibus, & 110. mulieribus ad parandum cibum relictis. Archidamus igitur omni oppugnationum genere eam expugnare conatus est: Nec machinis ſolum, incendio etiam pugnauit: quo magna vrbis parte hausta immissis cœlitus aquis restinctum esse dicitur. Cumque nihilominus obsessi nihil de sententia & fortitudine remitterent, relictis ad obsidionem continuandam Bœotijs ac Lacedæmonijs, ſub mensem Octobrem Rex cum parte copiarum domum se receperunt. Interea Athenienſes in Thracia contra vrbes, quæ dudum à se defecerant, parum feliciter pugnarunt, parum quoq; prospere Peloponēsi in Acharnania, & ad Naupactum contra Phormionem Athenienſium ducem, contra quem iterato certamine, vtriq; semiuicti, semique victores fuerunt, vtrique victoriæ trophæa erexerunt.

Eorū fortitudo.

Pugnæ in Thracia, & Acharnania.

III. Consilū Piræum occupādi irritum.

Moxautem Lacedæmonij pedestres Isthmū Corinthiacum transgressi, assumptisque Megarenſium nauibus, spe Piræum Athenarum portum præsidio destitutum inuadendi, aduerso vento in Salamiam reiecti, eam vastarunt. At Salaminij noctu ignibus in aërem iactis Athenienſes admonuerunt, tum vt cauerent ſibi, tum vt opem ſibi adferrent. Athenienſes eo ſigno moniti, primo quidem magno affecti ſunt terrore, quod hostem Piræo iam potitum crederent. Deinde raptim Salaminam se contulerunt. Quorum aduentum præsentientes Lacedæmonij Corinthum rediere.

Æqui inducias obtinent.

In Italia Æqui Volſcique, præcedentis anni damnis attriti, bellorumque pertæsi ad pacem aspirabant. Et Æquorum quidem legati annorum octo inducias impetrarunt. Volſci autem cum propter eandem cladem alij pacis, alij belli autores essent, in iurgia & seditiones res versa est. Itaque Romanis vndique otium fuit.

ANNVS MVNDI 3626.

NEHEMIÆ 18. ELIASIB 37.

ARTAXERXIS 37. Imper. Persar. 110.

OLYMPIADIS XXCVIII. A.I. V.C. 325.

ANTE CHRISTVM 427.

I. Archidamus rursus in Atticam irrumpit.

ATheniensis huius Olympiadis initio ex Acharnania & Naupacto profecti, ineunte vere Athenas duce Phormione rediere, cum captiuis, quos, permutatione capitum facta, cum totidem è ſuis, liberos dimiserunt. Sequēte æstate Peloponnesij Archidamo duce, in Atticam irruerunt, ibiq; tandiu commorati sunt, dum eos commeatus deficeret; itaque domum mature, leuiter ab Athenienſium equitibus fatigati, redierunt. Interea Lesbos insula ab Athenienſibus deficit, id agentibus Mitylenæis. Eo Athenienſes, quanquam morbo & bello fessi, 40. naues, quæ circa Peloponnesum erant, confestim misere, vt imparatos opprimerēt, simulque 10. Mitylenæorū naues, quæ Athenis erant, retinuerunt, viroſque nauticos in vincula coniecerunt, quorum vnus fuga lapsus, ſuos de imminenti periculo præmonitos seruauit. Superuenientibus enim Athenienſibus, post leuem velitationem induciæ factæ sunt, dum de pace Athenis ageretur: intereaq; Lacedæmonem legatos auxilij causa miserunt.

Lesbos ab Athenienſibus deficit.

II. In quos Mitylenæi inuadunt.

Cum autem nihil Athenis impetratum esset, Mitylenæi in Athenienſium castra irruptionem fecerunt. In qua licet inferiores non fuissent, belli tamen aleam iterum experiri noluerunt, donec ſubsidia Lacedæmone obtinerent, quò rursum aliam misere legationem. Athenienſes autem, quibuſdam ſocijs celeriter accitis, Mitylenem obsederunt. At Mitylenæi, qui primi Lacedæmonem auxilij gratia venerant, ad conuentum Olympicum remiſſi, illic Lacedæmonios omnes orarunt, vt se ad belli ſocietatem pro Græciæ libertate receptos, auxilia iuuarent. Nec frustra; quadraginta enim naues ciuitatibus impetrarunt, quibus destinarunt Alcidam ducem. Vna autem nauis præmiſſa est, quę desperationem auxilij prohiberet. Interea Platæenſes, qui diutius Spartanorum obsidionem ferre non poterant, & Athenienſium auxilia desperarant, conſilium iniere deserendæ vrbis, & per media hostium castra euadendi. In conſilium ducenti & viginti non minus feliciter perfecere, quam audacter aggreſſi fuerant, & Athenas deluſo insequentium ſtudio, peruenere. Quid autem Mitylenæis, & reliquis Platæenſibus factum fuerit, ad quintum belli huius annum pertinet.

Ab iisque mox obſidentur.

Platæēses quidam ex vrbe effugiunt

III. 3627.

Belli annus quintus

Mitylenæi ſe Athenienſibus dedunt.

In quo Mitylenæi obsidione fatigati, auxilio quadraginta nauium desperato, ſese Athenienſibus certis conditionibus dediderunt. Qui cum iam vrbe potirentur, auxilium denique quadraginta nauium duce Alcida ſeptimo die post venit. Is re intellecta, ſuis licet ſuadentibus vt hostes Mitylenæ improuiſos opprimeret, per ſummam ignauiam progredi non est auſus, ſed Peloponnesum, Athenienſibus ipſum perſequentibus, ſumma contentione aufugit. At Paches, qui pro Athenienſibus Mitylenem expugnarat, mox & reliquas insulæ vrbes deditione accepit. Mitylenæos autem, paulo plures, mille capitibus, Athenas miſit, iudicium de ſe, reliquiſque ciuibus expertu-ros. Hi Athenis primo concilio condemnati ſunt, miſſaque triremis ad Pachetem, quæ Mitylenæos omnes interfici iuberet. Sed mox altera populi concione mitior ſententia lata est, quæ iubebat, de ijs quos miſiſſet Paches, per otium deliberari, reliquo autem populo ignoſci. Statimque alia triremis diuiſa, quæ Mitylenem peruenit, dum Paches prius decretum exequi pararet; itaque res diſcuſſa est. At Athenis, qui miſſi fuerant, tanquam præcipui defectionis autores, ex Cleonis feri hominis arbitrio, ad vnum omnes interfecti ſunt.

Tardo & arriro auxilio recepto.

Vt puniti fuerint.

Pla-

IV. Platæenses se dedunt Lacedæmonijs.

Platæenses autem eodem tempore cum auxilia desperarent Athenienſium, ſeſe Lacedæmonijs ea conditione dediderunt, vt nullus indicta cauſa damnaretur. Cumque Lacedæmone quinque iudices aduenissent, iussi sunt Platæenses pro se dicere, quorum orationem exceperunt Thebani illis infensissimi. Iudicij finis hic fuit, vt singuli rogarentur, an aliquo beneficio Peloponnesios in hoc bello affecissent. Cumque illi nullum proferrent, singuli abducti, atque ad vnum interfecti sunt. Eaque ratione fraudulentam eorum perfidiam in Thebanos, crudeliter vlti sunt. Erant autem non pauciores ducentis, (præter 25 Athenienses, qui vnà obsessi fuerant) qui eodem iudicio damnati periere. Fœminas præterea omnes seruituti manciparunt, & vrbem aliquanto post funditus euersam solo æquarunt, vt Thebanis, qui Platęenses capitali odio prosequebantur, quoſque huic bello vtiles esse credebant, gratificarentur.

Supplicio affectũt.

a 3623. n. 4.

V. Res Corcyræorũ.

Hoc ipso tempore res apud Corcyræos perturbatissimæ fuerunt, quod alijs Lacedæmonijs, alij Athenienſibus fauerent, alij suis viuere legibus, cum vtrorumque amicitia cuperent, & seditionibus atque inimicitijs efferati, immanibus in se inuicem cædibus desæuirent. Qui & reliquis Græciæ ciuitatibus exemplo fuerunt ad omnia diuina atque humana iura, per belli huius occasionem, proculcanda, vt fusius describit, deploratque Thucyd. Latius quoque extrema hac ætate propagatum est hoc bellum. Cum enim Leontini & Syracusani bellum inter se gererent, & Leontini in periculum adducti essent amittendæ vrbis suæ, per legatos ab Athenienſibus auxilium petunt, quoniam Syracusani cum Lacedæmonijs fœdere iuncti erant. In legatis princeps erat Gorgias orator clarissimus, qui Leontinorum societatem facile persuasit; præsertim cum iamdudum Athenienses Siciliæ sibi subijciendæ desiderio tenerentur, eamque ob causam Corcyræis contra Corinthios assurrexerant.

l. 3.

Et Siculorum.

Athenienſes Siciliã affectant.

Ergo 20. naues in Siciliam miserunt, duce Lachete & Chareade, quem Diodorus Chabriam vocat, qui Rheginis Italiæ populis adiuncti, Ætoliæ bellum intulerunt, & proximas aliquot Siciliæ insulas incursionibus vastarunt. Addit Thucyd. ineunte hyeme pestilentiam, quæ nunquam plane, ab aliquot annis, sedata fuerat, Athenis recruduisse, & annum integrum tenuisse, adeo vt nihil æquè vires eorum afflixerit. Accesserunt terræ motus in Bœotia, Eubœa, & ipsis Athenis. Sed & Romæ Liuio teste, eiusque agris grassata multos mortales, pecoraque consumpsit. Nihilominus Veientes in agrum Romanum excursiones fecerunt; sed iræ aduersus eos in annum sequentem dilatæ sunt.

V. Et peste vexantur & terræ motu.

Res Romana.

* * *

ANNVS MVNDI 3628.

NEHEMIÆ 20. ELIASIB 39.

ARTAXERX. Long. 39. Imp. Persæ. 12.

OLYMP. XXCVIII. An. 3. V. C. 327.

ANTE CHRISTVM 425.

SExto huius belli anno Athenienses non minus pestilentia & terræ motus, quam Peloponnesiorum arma vexatuar, sicut & superiore biennio; adeo vt ex legionarijs militibus obierint non pauciores quam quatuor millia & quadringenti, & trecenti equites; nam cæteræ turbæ, vt ait Thucydides, numerus iniri non potest. Itaque cum Peloponnesi nihilo secius duce Agide Archidami filio, ad Isthmum vsque Corinthiacum processisset, irruptionem in Atticam de more facturi, crebris terræmotibus deterriti, retro se receperunt. Terræ motibus coniunctæ restagnationes maris, in Eubœa & Achaia terras depressere, & vrbes aliquas nõ leuibus ruinis affecere: cui inundationi causam dedisse terræ motum, qui violentiore impulsu mare longius amãdarit, Thucydides scriptum reliquit. Hoc quoque anno Lacedæmonij coloniam Heracleam iuxta Oetam montem condiderunt, quod ea vrbs ad bellum contra Athenienses idoneo loco sita esset; sed ea à Thessalis, qui nouorum colonorum potẽtiam timebant, prælijs attrita est.

I. Sextus Belli annus. Pestis & terræ motus perseuerant.

Restagnatio maris.

Athenienses quoque, qui in Aetoliam duce Demosthene arma tulerant, multis & ipsi velitationibus ab Aetolis vexati, fugatique sunt, centum & viginti desiderati. Dux re male gesta Athenas tre formidans, Naupactum rediit. Romæ non confestim initum est contra Veientes bellum, quamuis omnes centuriæ iussissent, vt Quintius, qui superiore anno Consul fuerat, de bello referret ad populum; ad sequentem enim annum dilatum est, quo pro Coss. creati sunt Tribuni militares.

II. Athenienses male pugnant contra Ætolos.

Res Romana.

ANNVS MVNDI 3629.

NEHEMIÆ 22. ELIASIB. 40.

ARTAXERX. 40. & vlt. Imper. Persæ. 13.

OLYMP. XXCVIII. A. 4. V. C. 328.

ANTE CHRISTVM 424.

POstremum hunc annum regnauit Artaxerxes, qui in septimum belli Peloponnesiaci annum cadit, vt testatur Thucydides, idemque quadragesimus regni fuit: quæ communis est antiquorum ac recentium sententia. In quem annum referimus Nehemiæ reditum ex Persi de in Iudæam. Quod enim anno 32. Artaxerxis Nehemias ait se in fine dierum rogasse regem, & venisse in Ierusalem de fine regni eius, & non de fine 32. anni intelligendum est, vt ibi docuimus.

Mors Artaxerxis. L. 4. p. 285. & 286. Græc. L. c. 13. 6.

Nehemias redit Ierosolymam, & quæ ibi correxerit.

Cum ergo Nehemias octauum iam annum abesset Ierosolymis, & multis nuncijs didicisset male ibi res ire, summis precibus à rege petijt, & obtinuit facultatem eundi Ierosolymam. Ibi intellexit malum, quod fecerat Eliasib Pontifex, in gratiam Tobiæ alienigenæ, grandi gazophylacio illi excitato, in vestibulis domus DEI, vbi recondebantur varia munera & decimæ, maximè quæ Pontifici obuenichant, quibus Eliasib præfecerat Tobiam propinquum suum, ex affinitate cum eo contracta. At is cum esset hostis Iudæorum, quæ ad Leuitarum sustentationem pertinebant, interuertebat, aut malignè distribuebat, nixus autoritate Eliasib. Id Nehemiæ valde malum visum est, tum quia alienigenum, atque adeo Ammonitam non oportebat vsque ad templi penetrare gazophylacia, sed vix ad atrium gentium admitti. Ideoque proiecit vasa domus Tobiæ foras de gazophylacio, & præcepit emundari gazophylacia, & eò referri vasa domus Dei, sacrificia, & thus: tum quia sacrilegè defraudabatur victus vestitusque Leuitarum, vnde cogebantur alio confugere, vt sibi necessaria compararent: ex quo etiam fiebat, vt Dei cultus desertus esset. At Nehemias restituit vnumquemque loco & officio suo, & curauit deferri, & in posterum per idoneos præfectos distribui, quæ cuique debebantur.

Circa gazophylacia.

III. Et profanationē Sabbati.

Et affinitates male contractæ.

Inualuerat quoque per absentiam Nehemię profanatio Sabbati, quam studiosè correxit, exclusis mercatoribus, obiurgatis optimatibus, & adhibitis ad portarum custodiam famulis suis, atque Leuitis. Correxit & tertium abusum affinitatum male contractarum. Etsi enim ante octo annos, & rursum ante 33. huiusmodi connubia cum alienigenis non solum damnata, sed direpta etiam fuissent. Iudæi tamen nonnulli, contra promissionem iureiurādo firmatam, in eandem se rursum foueam præcipites dederant; ideoque etiam eos asperius tractauit, adeo vt neque à verborum asperitate abstineret, & huiusmodi profana coniugia irritaret, atque distraheret. Atque ita Nehemiæ liber absoluitur, ad quod vero tempus vitam produxerit ignoratur. Ad Alexandrum certe magnum non peruenisse dicendum est, nisi eum plus 150. annis vixisse fateamur.

IV. l. 11. c. 5. f. Obitus & laus Nehemiæ.

Mortem eius sic paucis perstringit Iosephus. Post hæc, inquit, & alia multa honesta & laude digna opera Nehemias iam senex defunctus est, vir ad virtutem & iustitiam natus, & in populares suos beneficentissimus, relicto sempiterno sui monimento in Ierosolymitanis mœnibus. Alludit vtique Iosephus ad illud Eccli. *Et Nehemias in memoriam multi temporis, qui erexit nobis muros euersos, & stare fecit portas & seras, qui erexit domos nostras.* Et quidem multo labore & sollicitudine, multis sumptibus, multa enim corporisque contentione, elusis omnium aduersariorum fraudibus, contemptis minis, & violentia fortiter superata. Denique semel iterumque Iudæorum republica, diuino cultu, honore templi, Sacerdotum & Leuitarum ministerijs, legitimis coniugijs, cæterisque ex diuina lege compositis, atque restitutis. Sed non minore in laude Nehemiæ poni potest, quod plurimis in rebus illustris Domini typus fuit, de quibus pius lector consulet Annales:

c. 49 15.

qui deinceps vsq; ad Machabæos, id est, ad 150. annos, sola profana tractabunt. Diuinæ quippe prouidentiæ visum est, hoc quoque tempore prima illa Patriarcharum tempora, historiæ sacræ luce carentia renouare.

Huius anni initio, ipse vere, vt scribit Thucydides, riuus ignis ex Ætna effluxit, qui partem agri Cataneorum vastauit, quinquagesimo post primam ignis eructationem anno. Nimirum Dominus certis temporum intertuallis, fidem ac metum tormentorum, quæ improbis post hanc vitam parata sunt, renouat, si quo modo illi, tantorum malorum iustissimo concussi metu, resipiscant. Eodem vere Messanæ Syracusanorum & Locrensium opera defecit ab Atheniensibus; & Spartani, Agide duce, in Atticam profecti, agrum de more populabantur; cum interim Atheniensis in extrema Peloponneso, agroque Messenio Pylum occuparunt, & intra sex dies communierunt. Quo perculsi nuncio Peloponnesij, Attica relicta domum rediere. Cumque ad Pylum plurima vtrinque classis conuenisset, pugnatum est, sed victoria penes Atheniensis stetit, magno cum Spartanorum dolore, qui locum in agro suo tumultuariè communitum, quique eis futurus erat, quasi spina in pedibus, expugnare nequiuissent, neque suos in deserta insula ab Atheniensibus circumuentos, liberare.

Ea causa fuit vt induciæ tantisper fierent, dum per legatos de suorum liberatione Athenis statueretur. Sed spe pacis Cleonis improbitate disiecta, bellum ad Pylum redintegratum est: & Cleone cum copijs in desertam illam insulam transgresso, Lacedæmonij post diuturnum certamen, inedia fatigati dedidere sese, numero 292. armisque traditis Athenas deducti sunt, & in vinculis seruati, dum forte aliqua captiuorum commutatio, aliaue compositio fieret: quos tamen statuebant interficere, si Peloponnesi rursum in eorum agros irruissent. Qui è contrario, crebris ad Atheniensis legationibus functi, Pylum & captiuos sibi reddi frustra postularunt, quod Atheniensis victoria elati maiora affectarent. Sub hyemem Aristides vnus è ducibus Atticæ classis, Artaphernem Persam legatum ad Lacedæmonios intercepit, & deduxit Athenas, vnde Ephesum cum legatis dimissus, vbi audita morte Artaxerxis, qui nuper obierat, domum rediere.

V. Ætnæ igneus riuus.

Messana deficit ab Atheniēs. qui Pylū occupāt.

Nec recuperatur à Spartanis

VI. Eorum irrita legatio ad Atheniēses

Deditio Spartanorū in deserta insula.

Artaphernes Persa capitur ab Atheo.

In Italia bello contra Veientes conficiendo, tres Tribuni consulari potestate profecti sunt, Cornelio Cosso vrbis præsidio relicto. Illi cum inter se non conuenirent, & contraria enam militibus imperarunt, Veientes in turbatos impetum fecere, & in castra, maiore ignominia quam damno compulere. Ea res Fidenates ad defectionem mouit. Mœsta ciuitas vinci insueta, odisse Tribunos, poscere Dictatorem. Is dictus est Æmilius Mamercus, qui hostem ait, & iugo montis à tergo eius occupato, ad pugnam elicit. Is facibus armatus erumpit, & quasi fanaticus in Romanos ruit, eosque paulisper exterruit. Sed Dictatoris voce miles animatus pugnam redintegrat, & ereptis ipsi hosti facibus, eos vstulatos fundit fugatque. Cumque iam à tergo fugientibus superueniret Quintius Dictatoris legatus, hostis vtrimque cæsus, mon-

VII. Res gestæ contra Veientes.

Et Fidenates.

tibus & castris exclusus, in flumen se dedit, ibique maxima pars periit: pauci Fidenas euasere, cum quibus Romani irrumpunt, captamq; vrbem & castra diripiunt, captiuos vendunt. Dictator cum locupletato exercitu in Vrbem triumphans inuehitur, & magistratum die decimo sexto deponit.

ANNVS MVNDI 3630.

IOIADÆ Ducis & Pont. 1.

XERXIS II. & SOGDIA. Imp. Pers. 114.

OLYMP. LXXXIX. AN. 1. VRB. CO. 329.

ANTE CHRISTVM 423.

I. Xerxes II Rex Persarum

ANno belli Peloponnesiaci octauo nouum Hebræorum Pontificem Ioiadam, cum nouo Persarum Imperatore suggerimus. Artaxerxe enim sub finem præcedentis anni mortuo, Xerxes filius eius, qui solus erat legitimus, illi successit, sed ad breue tempus. Secundianus enim, quem alij Sogdianum vocant, postquam Pharnacyam Eunuchum sibi conciliauit, cum Xerxes in quodam festo esset ebrius, atq; in regia sua dormiret, ingressus eum interficit, die à patris morte quinto & quadragesimo, vt Ctesias scriptum reliquit. Additq; Sogdianum regno potitum Bagorazum Eunuchum, quo cum iamptidem simultatem exercebat, lapidibus obrui iussisse. Quod factum cum ægerrimè tulisset exercitus, sicut & Xerxis mortem, multis ad Ochum, qui postea Darius Nothus dictus est regnoq; successit, deficientibus, per fraudem captus, & in cineres coniectus interiit; cum sex mensibus & dies quindecim regnauisset. Ita fere Ctesias, sed isti menses pro vno anno computantur. Quidam tamen vtrumq; regem propter imperij breuitatem omiserunt.

Tũ Sogdianus.

II. Athen. Cytherã occupãt. Magno Spartæ damno.

Hoc anno dum Peloponnesij in Asia non satis vtiliter occupantur, Athenienses cum 60. nauibus, & duobus militum millibus Cytherã insulam agro Laconico adiacentem, cum magno Spartæ dolore ac detrimento, duce Nicia occuparunt. In ea quippe insula præsidium habebant, vt quæ ipsis & portus esset nauium onerariarum, quæ ex Africa & Ægypto veniebant, & propugnaculum contra latrocinantiũ circa eas oras incursus. Nunc autem cum eam captam viderent, & Cytheræos sibi amicos & subditos, in alias sedes translatos, & pro ijs præsidium ab hoste impositum, à quo perpetuo vexarentur, vtique vehementer angebantur; præsertim cum altera ex parte, in ipsa sua continente, etiam Pylum teneret hostis cum præsidio, cuius causa ingentem cladem in deserta insula nuper acceperant, & mox cognatam & sociam sibi arcem Megarensium amiserant. Accedebat quod semper nauali prælio contra Athenienses sibi decertandum erat, in quo longe se inferiores agnoscebant. Itaque cum Athenienses maiori in dies spe consurgerent, maioraq; molirentur, Lacedæmonij contra animo contrahebantur, & quidquid aggressi fuissent, infelicem exitum putabant habiturum.

Respirare tamen cœperunt, cum & Athenienses Siculis suspectos, tota è Sicilia dimissos receperunt, & Brasidam ducem suum præclare se in Thracia gerere contra Athenienses didicere, multaque ab eis ciuitates abducere Acanthum, Stagirum, Amphipolim, vt si res ferret, commutatio fieri posset. Quin etiam Bœoti duce Pagonda, contra Athenienses, terrestri certamine commisso, victores effecti, magnam eis cladem intulerunt, cæsis fere milleviris, cum ipsorum imperatore Hippocrate, & eosdem ex Delij oppugnatione multis captis, occisisque repulerunt. Expulerunt & Corinthij Demosthenem ducem; qui in agrum Sicyonium armatus inuaserat: & plerisq; tum captis tum occisis, trophęum de Atheniensibus, licet & Bœoti erexerunt. Amphipolitarum exemplum pleræque aliæ ciuitates certatim secutæ sunt, Brasidæ mansuetudine & libertatis studio motæ, ad quam se vocari, & ab Atheniensium vindicari tyrannide, ope Brasidæ arbitrabantur. Athenienses vero amissionem Amphipolis ægerrimè tulerunt, quod & nauium fabricatio, & multarum pecuniarum prouentus ipsis eadem opera periisset, & via Lacedæmoniis ad omnia turbanda pateret. Itaq; quantum per hybernam tempestatem licuit, præsidia in vrbes miserunt. Brasidas autem auxilia Lacedæmone petit, nec impetrauit; quod suis, qui Athenis captiui erant, timerent, & belli rædio afficerentur. Nihilominus Brasidas reliquum annum in oppugnandis & deditione accipiendis oppidis circa montem Athos, præsertim Toronam Chalcidicã posuit.

III. Atheniẽsium damnã Brasida, Sperthi, & Corinthiis.

Præsertim ex amissa Amphipoli.

De Romanis rebus nihil aliud hoc anno refert Liuius, quam Veientibus 20. annorum inducias datas fuisse, Æquis autem trium, & ab vrbanis seditionibus otium fuisse.

IV Romanæ inducię.

ANNVS MVNDI 3631.

IOIADÆ Ducis & Pont. 2.

DARII NOTHI 1. Imperij Persarum 115.

OLYMP. LXXXIX. AN. 2. V.C. 330.

ANTE CHRISTVM 422.

CÆso intra 7. menses Sogdiano, Ochus qui postea Dariæus siue Darius Nothus dictus est, & ab Artaxer. ex Cosmartidene Babylonia susceptus est, regnum inuasit, & ad 19. annos renuit, vxorem habuit, eandemq; sororem, sed ex diuersa matre Parysatidem mulierem crudelem, cuius consilio Sogdianum oppressit; Ex ea priusquam regnum adipisceretur duos suscepit liberos, Arsacan, qui postea dictus est Artaxerxes Mnemon, & patri in regno successit, & Amistrin fœminam. Post regnum autem occupatum suscepit Cyrum minorem & alios tredecim. Vide in Annalibus schema familiæ huius, ex Ctesia.

I. Darij Nothi familia.

Ineunte vere anni noni belli Peloponnesiaci Lacedæmonij & Athenienses annuas induicias fecerunt. Namillos cupiditas recipiendorum captiuorum, qui Athenis erant, timorem fere iam annum tenebantur in vinculis pertinebat, hos

II. Annuæ inducię Atheniẽsium cum Spartanis

Alia pro Tegeatis Spartanorum pugna contra Argivos atque victoria.

xilium contra Argivos, summo suo periculo, implorassent, adfuere illi confestim, Quibus cum Argivi occurrissent, acriter pugnatum est, cessitque Spartanis victoria: adeo vt de Argivis mille & centum occisi fuerint, de Lacedæmoniis vero fere 300. Qui licet victores extitissent, trophæumque erexissent, legatos tamen de pace ad Argivos miserunt, quam hac occasione facilius coalituram sperabant, & reuera contigit, quantumuis repugnante Alcibiade. Conditiones pacis fuere vt Epidauri obsidio solueretur, indeque Athen. abirent, ni facerent, pro hostibus ab Argivis & Lacedæmoniis haberentur. Postea vero relicta Athenienſium societate, fœdus inter se, bellique societatem in annos 50. pepigerunt, sic vt cum nemine bellum pacemue gererent, nisi communi consensu, armisq; coniunctis.

Qui mox fœdus ineunt ad 50. annos relictis Athen.

III. Romæ irrita Seruiorum coniuratio.

Hoc anno Romani ab ingenti periculo feliciter liberati sunt. Seruitia in Vrbis incendium diuersis in locis conspirauerunt; ad quod restinguendum dum ciues concurrerent, ipsi Capitolium occuparent. Sed nefandis consiliis duorum indicio patefactis, illi comprehensi, meritoque supplicio sunt affecti. Indices decem millibus grauis æris, id est Francis nostratibus ducentis, & libertate donati sunt. Bellum inde ab Æquis reparari cœptum, sed istorum armis annuersarijs, noui hostes Lauicani suscitati sunt, quos vt diligentius obseruarent, negotium datum est Tusculanis.

3637. IV. Argiui democratiam tollunt.

Insequenti vere appetente, mille Argini, qui sumptu publico bellicis muneribus exercebãtur, inter se conspiratũt de populari dominatu euertendo, & optimatum imperio ex se constituendo: cumque multos consilij sui fautores inuenissent, Tribunos plebis comprehensos necarunt, cæterisque metu perculsis, Rempub. pro arbitratu octo mensibus occupatam tenuere, Spartanis incredibili cunctatione auxilia differentibus. Deinde concitato in eos populo, de potestate deiecti sunt, & democratia restituta, cæsis, fugatisue optimatibus. Cumq; mox pars vtraque ciuium coram Spartanis & sociis pro se dixisset, pro exulibus pronunciatum est, pro quibus restituendis Argos cum exercitu sibi petendum censuerunt. Id veritus populus, cũ mora quædam intercederet, Athenienſium societatem iterum Græca leuitate quæsiuerunt, & longos ad mare vsque muros duxere, tota ciuitate in id opus occupata; fabris etiam Athenis accitis, vt si terra prohiberentur, mari commeatum Athenienſium ope reciperent.

Quæ mox restituitur.

Se iungũ Athenien sibus.

V. A Lacedæmoniis vexantur.

Re intellecta Lacedæmonij sequenti hyeme exercitum, duce Agide, Argos duxerunt, & muris, qui adhuc ædificabantur, potiti, eos euerterunt, & Hysia agri Argiui oppido capto, ingenuis omnibus interfectis, domum rediere. Argiui vice versa agrum Phliasium vastarũt, quod ij exules suos recepissent; cuius rei pœnas proximo anno dederunt, cum à Phliasiis & suis exulibus intercepti, circiter 80. perierunt.

VI. Lauicani arma capiunt.

Lauicani hoc anno arma ceperunt, & cum Æquorum exercitu agrum Tusculanum depopulati, in Algido castra posuere. Contra quos profecti Romani, cum castra iniquo loco posuissent, ab hoste fugam simulante decepti sunt. Cum enim derepente impetum ex superiore loco fecissent, multi per supinam vallem profligati sunt, adeo vt castra vix tercenta fuerunt vide postridie circumfusis hostibus per auersam portam turpiter Tusculum profugere. Ob eam cladem cum creatus esset Dictator Q. Seruilius Priscus, & superbia & negligentia exte bene gesta, victoria à Romanis ducibus, ad Æquos transisset, tantus ardor in Romano milite fuit, vt impetum Æqui non tulerint, & acie victi, etiam mox castra amiserint, præda militi concessa. Postridie Lauicanorum oppidum obsessum, captum, ac direptum est; eoque mox ex Vrbe colonia deducta. Dictator octauo die quam creatus fuerat, magistratu abiit.

Romani male pugnant, & Dictatorem creant, qui vincit Æquos.

Lauicam expugnat & eò colonam deducit.

ANNVS MVNDI 3638.

IOIADÆ Ducis & Pontificis 9.

DARII NOTHI 8. Imperij Persarum 122.

OLYMP. XCI. AN. 1. VR. C. 337.

ANTE CHRISTVM 415.

DEcimus sextus belli annus victorem habuit in Olympicis Exænetum Agrigentinum. Habuit & Alcibiadem ducem contra Argivos, qui cum 20. nauibus profectus Argos, inde trecentos suspectos abduxit, & in insulas, quæ Athenienſibus parebant, amandauit. Athenienses quoque aduersus Melum in mari Cretico, cum magnis copiis nauigarunt, quod Atheniẽsium dominatum recusarent, & suas per se res agere cuperent, vtrisque amici, neutris subditi. Itaque ab Athenienſibus obsessi, cum gemina eruptione non leuem eis cladem attulissent, ad deditionem tandem compulsi sunt, puberes omnes interfecti, pueri ac mulieres seruituti addicti, ipsi vrbem, quingentis colonis eò missis, incoluere. Qui etiam Athenienſium in Pylo erant, magnam de Lacedæmoniis prædam cepere. Lacedæmonij vicissim edicto suis permisere prædatoriam in Athenienſium finibus exercere. Qui nunc quoque ab Egestæis Siculis, contra finitimos pugnantibus, ad auxilium euocati, ad occupandam vniuersam Siciliam animos erexerunt, & legatos, qui de statu belli, & pecunia, quam illi pollicebantur, certa referrent, in Siciliam miserunt.

I. Alcibiadis res gesta contra Argos. Et Athenienſium in Melios

Mutuæ Atheniẽsium & Laced. deprædationes.

Qui inde sequenti anno ineunte vere, cum Egestæis & Leontinis reuersi, sexaginta nauium auxilium, promissis demonstratisque 60 talentis in stipendium menstruum, postularũt Athenienses aduocata concione id auxilium decreto confirmant, bellique duces Niciam, Alcibiadem, Lamachum instituunt, qui opem Egestæis ferrent, & Leontinos suis sedibus restituerent. Quinta die cum tursus conuocata esset concio de apparanda celeriter expeditione, Nicias in concionem progressus, populum à proposito affectandæ Siciliæ reuocare conatus est, negans esse è Repub. multis hostibus hîc relictis, alios etiam in Sicilia quærere, & huc attrahere, & aliud imperium affectare, priusquam suum probe stabilierint; aliaque in eandem sententiam. Tum perstringens Alcibiadem negauit habẽdam rationem eorum ducũ,

6339. II. Atheniẽsium magnus in Siciliam apparatus

Dissuadente Nicia, hortatore Alcibiade.

qui

qui cum per ætatem minus sapiant, cum ingenti Reipub. periculo, illustres fieri velint. Cui respondens Alcibiades, Athenienses ad ratam habendam expeditionem hortatus est. Ad cuius suasionem cum accederent Egestæorum, & Leontinorum preces, multo vehementius in expeditionem propédebant, nec magnitudine sumptuum, quam Nicias cauillabatur, à proposito deterreri potuerunt.

III. Siciliam classis petit.

Æstate iam media classis portu soluens in Siciliam nauigare cœpit, apparatu, vt ex vna ciuitate omnium ad eam diem magnificentissimo. Nam Diodorus 140. triremes Athenienſium armatas fuisse dicit, præter reliquas, quæ arma, equos, frumenta conuehebant, armatorum autem militum ad septem millia. Cumq; iam classis Corcyram propemodum teneret, Siculi rumore nuncio territi, Syracusani præsertim, totâ ad arma Siciliam concitarunt. Cum autem Athenienſium duces in varias sententias abirent, Catanam deniq; tota classis confluxit. Ibi nauim inuenere Salaminiam, quæ magistratuum iussu Alcibiadem repetebat, ad causam Athenis dicendam de iis, quæ ipsi nuper obiecta fuerãt: cum tamen maiore affectatæ tyrannidis suspicione laboraret. Alcibiades ergo habens nauim suam, cum sociis, qui vnà insimulabantur, ex Sicilia cum naui Salaminia, tanquam Athenas ituri discesserunt, sed eam ad Thurios secuti, ea relicta venere Lacedæmonem, non ausi se iudicio Athenienſium sistere, à quibus absentes mox condemnati sunt.

Alcibiades reuocatur, & fugit ad Lacedæmonios.

IV. Græci contra Syracusanos pugnant, & aliorum societatẽ ambiunt.

Post discessum Alcibiadis Græci contra Syracusanos non infelici prælio decertarunt: inde quod hyems immineret Catanam & Naxum victores rediere. Vnde Athenas triremem miserе, quæ equitatum Classi commeatumq; colligeret; tum aliarum vrbium amicitiam ac societatem, Camarinæorum præsertim irrito successu tentauere, quod persuasi essent hanc amicitiã viam sternere ad seruitutem. Syracusani quoq; in Peloponnesum ad Corinthios ac Lacedæmonios profecti, addito etiam hortatore Alcibiade, auxilia contra Athenienses petierunt & impetrarunt. Cum enim Alcibiades & se apud eos purgasset, & Athenienſium consilia eis patefecisset, rationemque qua maxima illis damna afferre possent, & suam ipse operam prolixe detulisset, persuasit vt copias aliquas cum Corinthiis in Siciliam contra Athenienses mitterent, & infesto simul exercitu in Atticam irrumperent: qua vtraque expeditione paranda reliqua hyems consumpta est. Dum interim Athenienses postulatis Niciæ satisfacere conati sunt.

Syracusani à Sparta & Corintho auxilia impetrãt.

V. Romana res in Vrbe.

Interea vtroq; hoc anno Romæ cum à bellis cessaretur, seditionibus agrarijs certatum est. Cum enim Tribuni plebis, plebiscito de diuidendis agris, in summam contentionem totam Rempub. coniecissent, quod magnæ partis nobilium fortunæ publicandæ essent, nec atrox inter patres plebemque certamen exitum inueniret, Appius Claudius consilium suggessit dissoluendæ tribunitiæ potestatis per collegarum intercessionem, quod cum Senatui probatum esset, primarij Senatores prehensandis Tribunis sex eorum ad intercessionem adduxere; sicque reliqui Rogationis autores fumum sine flamma eſtuderunt.

ANNVS MVNDI 3640.

IOIADÆ Ducis & Pont. 11.

DARII NOTHI 10. Imperij Persarum 124

OLYMP. XCI. AN. 3. V. C. 339.

ANTE CHRISTVM 423.

MAgnorum malorum apparatus superiore hyeme in Sicilia, Peloponneso, Attica facti sunt, quæ maria hoc anno, terrasq; latè concutere cœperunt, qui fuit belli annus decimus octauus. Eius initio Athenienses nonnullis prælijs victos Syracusanos ad pacis consultationes impulerant: cum auxilijs Corinthiorum superuenientibus, animis viribusq; firmiores, belli curas, magno Athenienſium incommodo, redintegrarunt. Adeo vt Nicias Athenas scriberet, rem Athenienſem in magno discrimine versari; & nisi primo quoq; tempore aut se reuocarẽt, aut alios non paucos mitterent, nullam ipsem salutis superesse. Eo nuncio permoti Athenienses, quamprimum Eurymedontem cum decem nauibus & 20. talentis argenti in Siciliam miserunt, qui laborantibus opem ferret, & supperias maiores quamprimum venturas nunciaret. duce videlicet Demosthene, qui omnem interim nauabat operam, vt nouas copias compararet.

I. Belli 18. Apparatus ad Siculam expeditionem.

Quis sibi status Athenienſium.

Et quoniam Nicias nunciarat, Corinthi, & in reliqua Peloponneso, naues alias auxiliares in Siciliam parari, Athenienses 20. naues miserunt Naupactum, vbi præsidium nauale iamdudum habebant, vt earum iter in Siciliam impedirẽt; contra quas Corinthij 25. nauibus instructi pugnare decreuerunt. Interea Lacedæmonij, instigantibus etiam Syracusanis & Albiciade, expeditionem in Atticam præparabant, sicq; duodeuigesimus huius belli annus abiit. Quo Romani Volanos Æquorum populos, qui in agro Lauicano nouos vexabant colonos, vno prælio subiugarunt.

II. Et quis in Græci

Romani Volanos subiugã

ANNVS MVNDI 3641.

IOIADÆ Ducis & Pont. 12.

DARII NOTHI 11. Imperij Persarum 125

OLYMP. XCI. AN. 4. VR. C. 340.

ANTE CHRISTVM 412.

DEcimus nonus belli annus Athenienſibus luctuosissimus fuit; nam domi forisque maximis damnis & cladibus affecti, pene funditus interiere. Statim enim veris initio Lacedæmonij, Agide rege ductore irruptionem in Atticam fecerunt, & agro circumiacente vastato, Deceleam captam communire cœperunt. Erat is locus medius inter Athenienses & Bœotos, vt inde præsidiarij milites perpetuis damnis Athenas afficerent; & grauiora etiam, quam Pylus Spartanis, detrimenta importarent. Validum quoque exercitum cum Thebanis in Sici-

I. Belli 19. luctuosissimus Athenienſibus.

Decelea capitur.

lam Magistrum equitum dixit. Postero die dispositis per vrbem præsidiis, cum Dictator in forum descendisset, & Melius vim sibi paratam cerneret, missas à Dictatore ad eum Seruilius, ad causam dicendam, iussu Dictatoris hominem euocat. Qui dum tergiuersatur, & plebis opem implorat, à magistro equitum occiditur. Id factum probauit Dictator, & mortui domum euerti iussit, ac bona publicari.

ANNVS MVNDI 3617.

NEHEMIÆ 9. ELIASIB 28.

ARTAXERXIS 28. Imperij Pers. 101.

OLYMP. XXCV. A.4. VR.C.316.

ANTE CHRISTVM 436.

OBsidebant Epidamnios Corcyræi, Corinthiis exercitum parantibus, vt eis auxilio esset. Futura erat classis 60. & aliquot nauium, ex diuersis collecta populis. Eo apparatu cognito Corcyræi, cum Lacedæmoniis Sicyoniisque legatis, adierunt Corinthios, suadentes vt res non bello, sed iure dirimeretur; cumque non conuenissent, Corinthij classem mittunt Epidamnum, Corcyræi non intermissa obsidione, illis occurrunt, & nauali acie instructa pugnant, vincuntque, quindecim nauibus profligatis, cæteris in fugam actis. Eodem ipso die Epidamnij obsessi ad deditionem coacti sunt, iussique in vinculis seruare Corinthios, donec statuerent victores quid eis fieri placeret. Corcyræi illis in locis imperium maris adepti, varia Corinthiorum loca peruagati, aliorum agros vastarunt, aliorum naualia incenderunt, sicque reliquus ille annus, ac sequens, sine vllo inter vtrumque populum certamine abiit. Classis tamen interea vtrimque præparata est.

Romæ autem Tribuni, cæso Sp. Melio, de eius nece apud populum querebantur, quod indicta causa, & indemnatus esset occisus, & mortem ab inimicis plebis, pro sua in egenam plebem misericordia, retulisset. Peruicerunt que vt huius anni comitiis Tribuni militares crearentur, tati eorum aliquos è plebe fore, qui Melij necem vindicandam susciperent; nec tamen facti sunt voti compotes; tres enim tantum, ijque Patritij creati sunt. In quorum magistratu Fidenæ, colonia populi Romani, ad Veientes, eorumque regem Volumnium defecere, eiusque iussu quatuor Romanorum legatos, causam defectionis inquirentes interfecere: vt spes omnis reconciliationis, tanto admisso scelere, præscinderetur. Ergo bellum cõtra Fidenates & Veientes hoc anno præparatum, sequenti inchoatum à L. Sergio Consule, moxque ab Æmilio Mamerco Dictatore perfectum est. Cæsus in ea pugna Rex Volumnius ab A. Cornelio Cosso, indeque hosti terror & fuga, & Romanis victoria. Dictator Senatus Consulto, iussuque populi triumphans in vrbem rediit. Longe maximum triumphi spectaculum fuit Cossus quadrigis in vrbem inuectus, spolia opima Regis interfecti gerens, quæ in æde Iouis Feretrij, prope Romuli spolia solenni dedicatione fixit.

Hoc autem posteriore anno, qui fuit Olympiadis 86. annus primus, natus est Isocrates Rhetor egregius, quinquennio ante bellum Peloponnesiacum. Quo tempore floruisse legimus Democritum Abderitem, Empedoclem Agrigentinum, Hippocratem Coum, Gorgiam & Prodicum, Zenonem quoque, atque Parmenidem.

III Ortus Isocratis.

ANNVS MVNDI 3619.

NEHEMIÆ 11. ELIASIB 30.

ARTAXERXIS 27. Imperij Pers. 103.

OLYMP. XXCVI. AN. 2. V.C. 318.

ANTE CHRISTVM 434.

TOto anno, post nauale prælium infeliciter à Corinthiis gestum, & insequenti, qui nunc agitur Corinthi naualem expeditionem studiose præparauerunt, remiges militesque ex Peloponneso, totáque Græcia comparantes. Ea re moti Corcyræi legatos Athenas auxilij causa miserunt. Miserunt & Corinthij rogantes ne se hostibus suis adiungerent, vtrorumque apud Thucydidem extat oratio, mutuis plena criminationibus. Athenienses Corcyræis dissimulanter adhæsere, ne fœdera tricennalia, cum Lacedæmonijs, eorumque sociis inita, violarent, sed societatem tantum subsidiariam cum Corcyræis fecere, vt mutuam sibi ferrent opem, si quis aduersus Corcyram, vel Athenas, vel ipsorum socios adiret. Verebantur enim ne Corcyra, quæ multum classe valebat, in Corinthiorum potestatem veniret, sicq; difficilius ipsi maris imperium obtinerent. Ergo cum Corinthij discessissent, Athenienses decem naues Corcyrensibus subsidio miserunt, mandaruntq; ducibus ne Corinthios inuaderent, sed Corcyræos tantum defenderent. Quod ita fecerunt, vt multa vtrimque accepta clade, vterque se victores dicerent, Corcyræi tamen Epidamno potiti sunt: quæ causa fuit iræ Corinthiorum in Athenienses, quorum opera factum fuerat, vt Corinthij Corcyræos in suam potestatem redigere non potuissent: idque etiam in posterum desperabant, quandiu illi Athenientium præsidio niterentur.

I. Corinthiorum appparatus, & Corcyræorum legati, ad Athen.

lib. 1. p. 23 29. Gr. Lat.

Qui Corcyræis dissimulanter fauent.

Itaque anno proximo, vt de ipsis aliquo modo vltionem sumerent, Potidæam illorum coloniam ad defectionem impulerunt, à Perdicca Rege Macedonum, Athenientium hoste incitati. Cum enim Perdiccæ fratres contra ipsum bellum gererent, Athenienses auxilio fratribus venerunt. Ergo cum sibi ab illis metueret, operam dedit, missis Lacedæmonem legatis, vt bellum inter Athenienses & Lacedæmonios oriretur. Corinthios quoque iam Athenientibus iratos sibi conciliauit, vt Potidæa, aliæque Thraciæ vrbes ab Athenientibus deficerent, vt illarum opera, fortior contra fratres suos & Athenienses redderetur. Verum enimuero Athenienses cognitis Perdiccæ & Corinthiorum consiliis, vt earum ciuitatum defectionem anteuerterent, triginta naues cum mille grauis armaturæ militi-

Vnde victi Corinthij.

II. 3260. Perdiccas rex Maced. & Corinth. Athen. infensi.

bus in Thraciam misere, quæ obsides à Potidæatis acciperent, vrbis mœnia demolirentur, & vicinas vrbes à defectione prohiberent.

III. Potidæatæ adl. a ced. con fugiunt.

At Potideatæ cum eam calamitatem frustra ab Athenienſibus deprecarentur, ad Spartanos confugerunt; qui cum polliciti essent se in Atticam irrupturos, si Potidæa ab Athenienſibus inuaderetur, ab eis illico, cum ſocijs oppidis defecerunt, in quibus Chalcidenſes, qui authore Perdicca, deſerto littore in Olynthum emigrarunt, ibique ſe communiuerunt. Quoniam autem 30. Athenienſium naues impares ſe bello contra ciuitates quæ defecerant, & contra Perdiccam exiſtimabant, ijs relictis, in Macedoniam emigrarunt, Corinthij autem in Thraciam validum exercitum miſerunt, qui Potidæam tutaretur.

IV. Romæ peſtis bicennio.

Romæ vtroque anno peſtis graſſata eſt, poſteriore præſertim; quo nihilominus Fidenates Aniene traiecto copias ad vrbem poſuere. In re trepida dictus Dictator A. Seruilius, qui luce prima ciues, qui arma ferre poterant, educit in aciem, & Fidenates victos in vrbem compulit, quam cum deſperaret ſe vi aut obſidione capere poſſe: agere in arcem cuniculum inſtituit, & perfoſſo monte parefecit in arcem viam, & nec opinantibus Hetruſcis, hoſtilis clamor ſupra caput vrbem captam oſtendit, quæ & mox excisa eſt.

Fidenates à Dictatore excisi.

ANNVS MVNDI 3621.

NEHEMIÆ 13. ELIASIB 32.

ARTAXERX. 32. Imp. Perſar. 105.

OLYMP. XXCVI. AN. 4. V.C. 320.

ANTE CHRISTVM 432.

I. Annus Nehemiæ abſolutus a *Eſdr. 5. 14.*

CELEBRATVR hic annus apud Nehemiam; eſt enim duodecimus ducatus ſiue gubernationis eius in Iudæa. *A die autem*, inquit, *qua præceperat rex mihi, vt eſſem dux in terra Iuda, ab anno vigeſimo, vſque ad annum trigeſimum ſecundum Artaxerxis regis, per annos duodecim* altero extremorum non computato, *ego & fratres mei*, domeſticos opinor intelligit, toramque familiam, *annonas, quæ ducibus debebantur, non comedimus*, miſericordia videlicet moti erga populum egenum ac *valde attenuatum*, vt eius onera & tributa tantundem minuerentur: vnde ſequitur. *Duces autem primi, qui fuerunt ante me, grauauerunt populum: & acceperunt ab eis in pane & vino, & pecunia quotidie quadraginta ſiclos*, id eſt, in ære Gallico quinquaginta quatuor Francos cum dimidio. Magnos nihilominus ſumptus facere cogebatur. *Nam Iudæi*, inquit, *& magiſtratus, centum quinquaginta viri, & magiſtratus, centum quinquaginta viri, & qui veniebant ad nos de gentibus, quæ in circuitu noſtro ſunt, in menſa mea erant. Parabatur autem mihi per dies ſingulos bos vnus, arietes ſex electi, excepta volatilibus: & inter dies decem vina diuerſa, & alia multa tribuebam.*

Eius in populum indulgentia.

Vbique acceptis ex fiſco regio ſumptibus, conſentaneè ijs quæ hic ipſe rex dari præceperat Eſdræ, procurante Regina Eſthere, & Mardochæo.

1. Eſ 7. 20 & 7.

II. Perſidem adit ibique diu moratur.

Hoc ipſo anno Nehemias è Iudæa profectus eſt in Perſidem ad Regem Artaxerxem, qui Rex Babylonis dicitur, & reuera ei Babylonij parebant, & forte tunc erat Babylone, & ad eum profectus eſt Nehemias, & apud eum manſit vſque ad finem dierum vitæ ac regni eius, vt ibi dicemus. Interea enim dabitur tempus Eliaſib, & Tobiæ grande gazophylacium ædificandi, male adminiſtrandi templi reditus, & eius miniſtros fugandi, vt habetur capite decimo tertio, verſu decimo. Vide Annales hoc loco. Cæterum prædictis duodecim annis ducatus Nehemiæ credibile eſt eum non ſolum beneficentiam erga populum exercuiſſe, ſed omnia promouiſſe diligenter, quæ ad DEI cultum, & legis obſeruationem pertinebant, vt propterea tanto iuſtius poſtea zelus eius exarſerit, contra violatores eius, & verbis eos inſtigarit & factis. Quod ſimul etiam arguit eum in eadem Ducis autoritate perſeuerasſe.

3621. n. 4. & 5.

2. Eſdr. 13. 25.

III. c. 2 11. Cõſtruit Bibliothecam operâ eiusdæ.

Hoc autem pertinet in primis conſtructio Iudaicæ Bibliothecæ, cuius eſt mentio in ſecundo Machabæorum, ex quo loco intelligitur Nehemiam, aut Eſdram potius illius iuſſu varios ſacrarum lucratum codices, earumue partes, quæ apud diuerſos varijs habebantur in locis, diligenter collegiſſe, & nominatim libros Regum & Prophetarum & Pſalterium, &c. Apparet quoque, vt fieret Bibliotheca, alios quoque libros collectos, tam patriæ quam peregrinæ ſapientiæ, vel exemplo Regum Perſarum, quorum Bibliotheca Babylone conſtructa erat. Quid autem ſtudij circa libros ſacros Eſdras adhibuerit, ex antiquis patribus colligi poteſt, quorum ſententias in Annalibus recenſuimus. Hic breuiter dico Eſdram libros ſacros, quos habere potuit, diligenter cuſtodiſſe. Secundo, varijs ex locis & perſonis eos collegiſſe, & in Bibliothecam Ieroſolymam conſtuliſſe. Tertio, varias partes in vnum quaſi corpus compegiſſe, vt Pſalmos in vnum librum; eodemque modo Prophetias, prout quoque inuentæ ſunt. Quarto, depraua correxiſſe, recenſuiſſe, renouaſſe. Quo pertinet notiorum vocabulorum in locum veterum ſubſtitutio. Quinto, ſuppleuiſſe quæ deeſſe videbantur: qualia ſunt quæ de morte Moyſi & Ioſue ſuis habentur locis. Quin & alia quoque ſuppleta libris ſacris, poſt mortem Eſdræ, ex ipſa Scriptura demonſtratur in Annalibus.

1. Eſd 5. 17 & c. 6. 1. Ilius ſtudiũ circa ſacros libros. Hoc an. n. 8. 9 & ait. b. n. 1. De Joel. nũ. 10. & ſeqq.

1. 2. 3. 4. 5.

a. 3612. n. 11.

Quod ad Græciæ res attinet. Cum Athenienſes didiciſſent priorem ſuam triginta nauium claſſem tardius in Thraciam peruenisſe, nec pares eſſe bello Thracico ſimul & Macedonico, quadraginta naues ſubſidio miſere, quibus Calliam præfecerunt ducem. Priores iam Therma potiti erant, quæ poſtea Theſſalonica dicta eſt & Pidnam obſidebant, cui obſidioni, ſocios ſe, qui recens aduenerant, adiunxerunt. Cum autem obſidio produceretur, & ipſi de Potidæa, & Corinthiorum auxilijs, ſolliciti eſſent, pacem cum Perdicca,

IV. Athen. in Thraciã & Macedoniam copias mittunt.

Athen. reconciliãtur Perdiccæ.

& armorum societatem iniere: cumque illic hyemem transegissent, vere nouo contra oppida quæ defecerant, vela fecerunt. Floruit Athenis hoc tempore Meto insignis astrologus, anni decemnouennalis inuentor. Quod spatium 19. annorum, ipse vnum annum vocauit, quod intra illud tempus lunares anni, per septē intercallationes, solaribus propemodum exequentur: puta anno 3.6.8.11.14.17. & 19. vt fusius anno Mosis 81. explicatum est. Id curriculum vulgò *aureus numerus*, propter excellentiam appellatur.

Bellum vtrimque decernitur.

Romæ autem hoc anno vehementer trepidatum est. Nam Veientes & Falisci excidio Fidenatum conterriti, totius Etruriæ populos duos & viginti ad arma conuocarunt. Itaque Romani ad nota Dictaturæ præsidia confugerunt; Senatus Æmilium Mamercum iterum Dictatorem dici iussit. Mox tamen intellectum est iussos Veientes suis viribus bellum exequi, quod suo consilio suscepissent. Tum Dictator ne frustra creatus esset, aliquod Dictaturæ monimentum relicturus, populo persuasit vt Censura quæ quinque annis gerebatur, ne plusquam annua & semestris deinceps foret, legeque lata id perfecit. Quod Censores ægre ferentes ipsum Mamercum, cum Dictatura abijsset, ignominiæ causa, tribu mouerunt, ærariumque fecerunt. Quæres tantam populi mouit indignationem, vt vis à Censoribus, nullius autoritate, præterquam ipsius Mamerci deterreri potuerit. Egregio plane facinore hominis vere magnanimi, qui & casum suum ingenti animo tulerit, & oblatam de inimicis vindictam animo profecto Christiano, ab eorum capitibus auerterit.

Pericles Athen. a cecidit. & cur.

Romanæ res.

ANNVS MVNDI 3622.

NEHEMIÆ 14 ELIASIB 33.

ARTAXERXIS 33. Imperij Persar. 106.

OLYMP. XXCVII. A.1. V. C. 321.

ANTE CHRISTVM 431.

HAbet hic annus apparatum ad bellum Peloponnesiacum, quo anno Callias cum omnibus copijs Macedonia digressus, Potidæam versus iter intendit 70. naues maritimam oram legebant; terra iter faciebant tria millia Athenienſium cum multis socijs, & sexcentis Macedonum equitibus, & propè Potidæum castra posuerunt. At Potidæatæ & Peloponnesij prope Olynthum, quæ 60. fere stadijs abest à Potidæa, duce peditatus Aristæo: Equitatus vero Perdicca rege Macedonum, qui protinus iterum ab Athenienſibus defecerat, & Potidæates iuuabat, ne eos desereret, quos nuper in defectionem coniecerat. Denique cum propiores factæ essent acies ancipiti certamine pugnatum est: vniuersè tamen Athenienſes amisso duce vicerunt, & Potidæam terra mariq; obsederunt. Aliarum interim vrbium, quæ defecerant, agros deuastantes.

In Græcia vero querelæ Corinthiorum, & vicissim Athenienſium vbique iactaptur. Corinthij bellum contra eos postulant, & ad illud socios omnes inuitant. Athenienſium autem legati, qui tum Spartæ erant, dissuadent bellum contra tam potentem ciuitatem. Postremo cum Peloponnesij maxima ex parte cessissent triceñalia fœdera ab Athenienſibus esse violata, bellum decreuerunt. Cum autem Athenienſium sententiæ Athenis de bello ac pace variarent, Pericles, qui se obnoxium reddendæ rationi de ingenti pecunia publica sentiebat, concilio Alciabidis, qui eius erat ex fratre nepos, bellum vehementer fuesit, in quo sperabat se Reipub. necessarium fore, & pecuniarias rationes ad aliud tempus dilatum iri. Suasit autem demonstratis Athenienſium opibus & copijs, & apparatu ad victoriam, præ ipsorum aduersarijs. Itaque Lacedæmonijs respondetunt, se belli initium non facturos, sed ab ipsis illatum propulsaturos. Vide Thucydidem, qui hic primum librum absoluit.

Romæ autem pestilentia hoc anno aliarum rerum otium præbuit, vt ait Liuius, & ædes Apollini pro valetudine populi vota est, nihilominus lues in vrbe agrisque grassata est.

ANNVS MVNDI 3623.

NEHEMIÆ 15. ELIASIB 34.

ARTAXERX. Long. 34. Imp. Pers. 107.

OLYMP. XXCVII. A. 2. V. C. 322.

ANTE CHRISTVM 430.

I. Initium belli Peloponnesiaci.

HVnc decimum quintum annum ab initis Lacones inter & Athenienſes tricennalibus fœderibus, Thucydides primum constituit belli Peloponnesiaci, quod ait statim ineunte vere inchoatum, quodq; in annum vigesimum septimum propagatum est. Indicium autem belli, & animorum inter se hostiliter affectorum fuit, quod cum superioribus annis multa inter Græcos hostilia facta contigissent, quæ varijs excusationibus velabantur, mutua nihilominus commercia retinebantur, & alteri ad alteros, non sine suspicione, sed sine caduceatore ventitabant. At deinceps nullis inter se commercijs amplius sine caduceatore miscebantur.

II. Thebani Platæam occupãt, moxque exsi captique.

Primum hostile facinus in Bœotia, quæ est Atticæ contermina, perpetratum est. Trecenti fere Thebani, statim ineunte vere, noctu Platæam Bœotiæ vrbem, Athenienſium sociam ingressi sunt, à quibusdam Platæenſibus introducti, qui eam vrbem Thebanis, cum quibus semper gesserat simultates, adiungere volebãt. Platæenſes ciuitatem suam captam animaduertentes, rati magna se hominum multitudine teneri, compositione facta Thebanis dedidere se. At postea rei veritate cognita, consilijs inter se, perfosso communi pariete, communicatis, hostem nocte inuadunt atque interficiunt, viui ad centum & octoginta capti sunt. Cum autem Thebani, qui suis auxilio tardius venerant, rem intellexissent, agros populari, & Platæen-

Plataeenium perfidia.

taenses capere cœperunt, vt suos permutatione reciperent. Plataenses vero polliciti se reddituros, si illi ex agro suo abirent. Illis parentib. suos nihilominus captiuos, cum omnia sua ex agris in vrbem comportassent, perfidiosè petemerunt: & militum cadauera Thebanis restituerunt.

III. Athen. & Spartani belli socios adsciscunt.

Hoc primum aperti belli signum fuit. Itaque vterque populus belli socijs conquirendis intentus fuit, non in Græcia solùm, sed in Asia quoque ac Persida, Italia etiam & Sicilia, insulisque circumpositis. Plures porro in Lacedæmonios beneuolentia propendebant, quod libertatem Græciæ, contra Athenienſium ſuperbam tyrannidem defendere credebantur. Archidamus Rex à Lacedæmonijs Imperator eligitur; eius legatum Athenienses facessere iubent inauditum. Pericles suos ciues ad bellum animat, & res suas in vrbem ex agris comportare, eamque propugnare; & centum nihilominus nauium classem in Peloponnesum immitti suadet. Archidamus Atticæ agros populatur, ad eliciendos ad pugnam Athenienses; quos retinet Pericles, & classem ad paria damna in Peloponnesum mittit, eoque facto Spartanos ad patriã tutandam retrocedere cogit. Deinde aliquot Lacedæmoniorum locis captis ac vastatis, domum cum hyeme reuersus est. Hæc pluribus Thucydides, qui addit hoc anno Solis eclipsim in æstate contigisse.

Periclis de bello consiliũ.

IV. Romana res.

Romæ autem vis morbi leuata est, neque à penuria frumenti, cui iam prouisum fuerat, periculum fuit: belli consilia ab hostibus in annum dilata. Tribuni plebis satagebant, vt Tribuni militares è plebe crearentur. Sed nihilominus comitia consularia S. C. habita sunt.

ANNVS MVNDI 3624.

NEHEMIÆ 16. ELIASIB 35.

ARTAXERXIS 35. Imper. Persarum 108.

OLYMP. XXCVII. An. 3. VR. C. 323.

ANTE CHRISTVM 419.

I. Insignis vbiq. pestilentia. *Thuc. l. 2.*

SEcundus hic annus belli Peloponnesiaci grauissima pestilentia insignis fuit, quæ initio capto ab Æthiopia in Ægyptum, Africamque descendit, magnamq; partem regni Persarum Athenas autem ita vexauit, vt magnam rerum diuinarum atq; humanarum confusionem intulerit; quæ tamen Lacedæmonios dicitur leuiter attigisse, vt diuinum Numen in illos nominatim conspirasse videretur. Bellum nihilominus vtrinq; gestum est: Nam priores Peloponnesij Atticam, tam ab ortu quam ab occasu vexabant. Inde Athenienses cum 150. nauiũ classe duce Pericle in Peloponnesum profecti ad Epidaurum in sinumq; Saronicum peruenerunt, & magna parte agri vastata, vrbem adorti sunt: sed eos morbus occupauit, afflixitq; Peloponnesi quoq; morbi metu, quem ex transfugis in vrbe grassari audiebant, & ex cateruatim cõgestis in sepulchra cadaueribus agnoscebant, intra quadragesimum diem ex Attica discesserunt.

Athenienses maxime vexat

Athenienses autem, & morbo & bello vexati, post alteram hanc Peloponnesiorum irruptionem, Periclem tanquam belli huius autorem accusare cœperunt, atque adeo magistratu deiectum, ingenti pecunia mulctauerunt. M. x tamen ita deposita, cum neminem inuenirent eius muneri gerendo parem, cum quamuis domestico luctu afflictum, pestis enim duos illi filios, ac sororem, alioſque necessarios abstulerat, rursus ad imperium suscipiendum inuitarunt, ac denique persuaserunt. Interim autem Aristæus Corinthius, cum Lacedæmoniorum legatis, ad Persarum regem proficiscebantur, vt eum ad belli societatem alliceret, & ad belli sumptus pecunias obtinerent. Sed Athenienſium opera comprehensi, & Athenas delati, indicta causa interfecti sunt, & in profundas fossas præcipitati, in vltionem aliquorum Athenienſium, qui eodem modo Lacedæmone tractati fuerant. Hoc quoque tempore Potidæa, fame ad deditionem compellitur, conditionibus non acerbis, quod ipsi quoque qui obsidebant multis afficerentur incommodis. Digressis huc illucque ciuibus, Athenienses eo coloniam miserunt; sicque secundus huius belli annus finem accepit.

II. Pericles magistratu deiicitur, mox que restituitur.

Legati ad Persas capti, & Athenis indicta causa occisi.

At Romæ non sine sanguine & sudore pugnatum est. Volsci & Æqui intentata iamdudum arma in Romanos vltra non distulerunt, sed cum suis singuli exercitibus in Algidum conuenere, vbi castris communitis, ingenti se studio ad certamen exercebant. Itaque Senatui placuit Dictatorem dici. Dictus est à Quintio Consule A. Posthumius Tubertus. Qui assumpto eodem Consule, copias bipertito diuisas, gemino hostium exercitui opposuit. Acriter vtrimque & industria & virtute pugnatum est, præsertim à Vectio Volscorum duce fortissimo. Quin & Romani duces pleriq; vulnerati, in quibus ipse Dictator. Denique vtraque castra à Romanis expugnata, hostes, præter Senatores, omnes venundati sunt, præda partim spoliatis socijs reddita, partim sub hasta vendita. Dictator triumphans vrbem inuectus Dictaturam abdicauit.

III. Cum Æquis & Volscis pugnat à Dictatore pugnatũ.

ANNVS MVNDI 3625.

NEHEMIÆ 17. ELIASIB 36.

ARTAXERXIS 36. Imp. Pers. 109.

OLYMP. LXXXVII. An. 4. V. C. 324.

ANTE CHRISTVM 418.

I. Mors Periclis & ortus Platonis.

MOrtuum hoc anno Periclem Athenienſium clarissimum ducem liquido constat ex Thucydide, qui ait eum duos annos à bello moto, & præterea sex vixisse menses, id est, intra tertiũ annum, qui nunc agitur, obijsse. Causam mortis eius refert Plutarchus in præcedentis anni lucem, quæ domi eius tanto cum damno grassata, ipsum ita afflauit, vt varias inter mutationes corpus eius paulatim confecerit. Eius virtute plerique celebrauerunt, quas tamen fuligine tinxit, nõ solum male administrata pe-

cuma publica; sed quod illi ipsi eius laudatores, cum facem Peloponnesiaci belli, quod tam ingentia mala in Europam inuexit, fuisse non negant. Hoc ipso anno natum Platonem autor est Laërtius.

3. ini. n. 3.

Ineunte Æstate Peloponnesij cum socijs Plataeam duce Archidamo obsederunt, quod in fide cum Athenienſibus perſisterent. Itaque imbellem multitudinem Athenas exportarunt, solis quadringentis ciuibus, 80. Athenienſibus, & 110. mulieribus ad parandum cibum relictis. Archidamus igitur omni oppugnationum genere eam expugnare conatus est: Nec machinis solum, incendio etiam pugnauit: quo magna vrbis parte hausta immissis cœlitus aquis restinctum esse dicitur. Cumque nihilominus obsessi nihil de sententia & fortitudine remitterent, relictis ad obsidionem continuandam Bœotijs ac Lacedæmonijs, sub mensem Octobrem Rex cum parte copiarum domum se receperunt. Interea Athenienses in Thracia contra vrbes, quæ dudum à se defecerant, parum feliciter pugnarunt, parum quoq; prospere Peloponnesij in Acharnania, & ad Naupactum contra Phormionem Athenienſium ducem, contra quem iterato certamine, vtriq; semiuicti, semique victores fuerunt, vtrique victoriæ trophæa erexerunt.

I. Plateenses a Laced. obsessi.

Eorum fortitudo.

Pugnæ in Thracia, & Acharnania.

Moxautem Lacedæmonij pedestres Isthmũ Corinthiacum transgressi, assumptisque Megarenſium nauibus, spe Piræum Athenarum portum præsidio destitutum inuadendi, aduerso vento in Salaminiam reiecti, eam vastarunt. At Salaminij noctu ignibus in aërem iactis Athenienses admonuerunt, tum vt caueret sibi, tum vt opem sibi adferret. Athenienses eo signo moniti, primo quidem magno affecti sunt terrore, quod hostem Piræo iam potitum crederent. Deinde raptim Salaminam se contulerunt. Quorum aduentum præsentientes Lacedæmonij Corinthum rediere.

III. Consilium Piræum occupandi irritum.

In Italia Æqui Volsciique, præcedentis anni damnis attriti, bellorumque pertæsi ad pacem aspirabant. Et Æquorum quidem legati annorum octo inducias impetrarunt. Volsci autem cum propter eandem cladem alij pacis, alij belli autores essent, in iurgia & seditiones res versa est. Itaque Romanis vndique otium fuit.

Æqui inducias obtinent.

ANNVS MVNDI 3626.

NEHEMIÆ 18. ELIASIB 37.

ARTAXERXIS 37. Imper. Persar. 110.

OLYMPIADIS XXCVIII. A.I. V.C. 325.

ANTE CHRISTVM 427.

I. Archidamus rursus in Atticam irrumpit.

ATheniensis huius Olympiadis initio ex Acharnania & Naupacto profecti, ineunte vere Athenas duce Phormione rediere, cum captiuis, quos, permutatione capitum facta, cum totidem è suis, liberos dimiserunt. Sequẽte æstate Peloponnesij Archidamo duce, in Atticam irruerunt, ibiq; tandiu commorati sunt, dum eos commeatus deficeret; itaque domum mature, leuiter ab Athenienſium equitibus fatigati, redierunt. Interea Lesbos insula ab Athenienſibus deficit, id agentibus Mitylenæis. Eo Athenienses, quanquam morbo & bello fessi, 40. naues, quæ circa Peloponnesum erant, confestim misere, vt imparatos opprimerẽt, simulque 10. Mitylenæorũ naues, quæ Athenis erant, retinuerunt, viroſque nauticos in vincula coniecerunt, quorum vnus fuga lapsus, suos de imminenti periculo præmonitos seruauit. Superuenientibus enim Athenienſibus, post leuem velitationem inducię factæ sunt, dum de pace Athenis agererur: interea; Lacedæmonem legatos auxilij causa miserunt.

Lesbos ab Athenienſibus deficit.

II. In quos Mitylenæi inuadunt.

Cum autem nihil Athenis impetratum esset, Mitylenæi in Athenienſium castra irruptionem fecerunt. In qua licet inferiores non fuissent, belli tamen aleam iterum experiri noluerunt, donec subsidia Lacedæmone obtinerent, quò rursum aliam misere legationem. Athenienses autem, quibusdam socijs celeriter accitis, Mitylenem obsederunt. At Mitylenæi, qui primi Lacedæmonem auxilij gratia venerant, ad conuentum Olympicum remisi, illic Lacedæmonios omnes orarunt, vt se ad belli societatem pro Græciæ libertate receptos, auxilia iuuarent. Nec frustra; quadraginta enim naues ciuitatibus impetrarunt, quibus destinarunt Alcidam ducem. Vna autem nauis præmissa est, quę desperationem auxilij prohiberet. Interea Plataenses, qui diutius Spartanorum obsidionem ferre non poterant, & Athenienſium auxilia desperarant, consilium iniere deserendæ vrbis, & per media hostium castra euadendi. In consilium ducenti & viginti non minus feliciter perfecere, quam audacter aggressi fuerant, & Athenas deluso insequentium studio, peruenere. Quid autem Mitylenæis, & reliquis Plataenſibus factum fuerit, ad quintum belli huius annum pertinet.

Ab iisque mox obsidentur.

Plataenses quidam ex vrbe effugiunt

III. 3627.

Belli annus quintus

Mitylenæi se Athenienſibus dedunt.

In quo Mitylenæi obsidione fatigati, auxilio quadraginta nauium desperato, se Athenienſibus certis conditionibus dediderunt. Qui cum iam vrbe potirentur, auxilium denique quadraginta nauium duce Alcida septimo die post venit. Is re intellecta, suis licet suadentibus vt hostes Mitylenæ improuisos opprimeret, per summam ignauiam progredi non est ausus, sed Peloponnesum, Athenienſibus ipsum persequentibus, summa contentione aufugit. At Paches, qui pro Athenienſibus Mitylenem expugnarat, mox & reliquas insulæ vrbes deditione accepit. Mitylenæos autem, paulo plures, mille capitibus, Athenas misit, iudicium de se, reliquisque ciuibus experturos. Hi Athenis primo concilio condemnati sunt, missaque triremis ad Pachetem, quæ Mitylenæos omnes interfici iuberet. Sed mox altera populi concione mitior sententia lata est, quæ iubebat, de ijs quos misisset Paches, per otium deliberari, reliquo autem populo ignosci. Statimque alia triremis diuisa, quæ Mitylenem peruenit, dum Paches prius decretum exequi pararet; itaque res discussa est. At Athenis, qui missi fuerant, tanquam præcipui defectionis autores, ex Cleonis feri hominis arbitrio, ad vnum omnes interfecti sunt.

Tardo & serio auxilio recepto.

Vt puniri fuerint.

Pla-

IV. Platæenses se dedunt Lacedæmonijs.

Platæenses autem eodem tempore cum auxilia desperarent Athenienſium, ſeſe Lacedæmonijs ea conditione dediderunt, vt nullus indicta cauſa damnaretur. Cumque Lacedæmone quinque iudices aduenissent, iussi sunt Platæenses pro se dicere, quorum orationem exceperunt Thebani illis infensissimi, Iudicij finis hic fuit, vt singuli rogarentur, an aliquo beneficio Peloponnesios in hoc bello affecissent. Cumque illi nullum proferrent, singuli abducti, atque ad vnum interfecti sunt. Eaque ratione fraudulentam eorum perfidiam in Thebanos, crudeliter vlti sunt. Erant autem non pauciores ducentis, (præter 25 Athenienses, qui vnà obsessi fuerant) qui eodem iudicio damnati periere. Fœminas præterea omnes seruituti manciparunt, & vrbem aliquanto post funditus euersam solo æquarunt, vt Thebanis, qui Platęenses capitali odio prosequebantur, quoſque huic bello vtiles esse credebant, gratificarentur.

Supplicio afficiũtur

a 3623. n. 4.

V. Res Corcyræotũ.

Hoc ipso tempore res apud Corcyræos perturbatissimæ fuerunt, quod alijs Lacedæmonijs, alij Athenienſibus fauerent, alij suis viuere legibus, cum vtrorumque amicitia cuperent, & seditionibus atque inimicitijs efferati, immanibus in se inuicem cædibus desæuirent. Qui & reliquis Græciæ ciuitatibus exemplo fuerunt ad omnia diuina atque humana iura, per belli huius occasionem, proculcanda, vt fusius describit, deploratque Thucyd. Latius quoque extrema hac æstate propagatum est hoc bellum. Cum enim Leontini & Syracusani bellum inter se gererent, & Leontini in periculum adducti essent amittendæ vrbis suæ, per legatos ab Athenienſibus auxilium petunt, quoniam Syracusani cum Lacedæmonijs fœdere iuncti erant. In legatis princeps erat Gorgias orator clarissimus, qui Leontinorum societatem facile persuasit; præsertim cum iamdudum Athenienses Siciliæ sibi subijciendæ desiderio tenerentur, eamque ob causam Corcyræis contra Corinthios affuissent.

l. 3.

Et Siculorum.

Atheniẽses Siciliã affectant.

Ergo 20. naues in Siciliam miserunt, duce Lachete & Chareade, quem Diodorus Chabriam vocat, qui Rheginis Italiæ populis adiuncti, Ætoliæ bellum intulerunt, & proximas aliquot Siciliæ insulas incursionibus vastarunt. Addit Thucyd. ineunte hyeme pestilentiam, quæ nunquam plane, ab aliquot annis, sedata fuerat, Athenis recruduisse, & annum integrum tenuisse, adeo vt nihil æquè vires eorum afflixerit. Accesserunt terræ motus in Bœotia, Eubœa, & ipsis Athenis. Sed & Romæ Liuio teste, eiusque agris grassata multos mortales, pecoraque consumpsit. Nihilominus Veientes in agrum Romanum excursiones fecerunt; sed iræ aduersus eos in annum sequentem dilatæ sunt.

V. Et peste vexantur & terræ motu.

Res Romana.

* * *

ANNVS MVNDI 3628.

NEHEMIÆ 20. ELIASIB 39.

ARTAXERX. Long. 39. Imp. Persæ. 11.

OLYMP. XXCVIII. An. 3. V. C. 327.

ANTE CHRISTVM 425.

SExto huius belli anno Athenienses non minus pestilentia & terræ motus, quam Peloponnesiorum arma vexaruat, sicut & superiore biennio; adeo vt ex legionarijs militibus obierint non pauciores quam quatuor millia & quadringenti, & trecenti equites; nam cæteræ turbæ, vt ait Thucydides, numerus initi non potest. Itaque cum Peloponnesi nihilo secius duce Agide Archidami filio, ad Isthmum vsque Corinthiacum processissent, irruptionem in Atticam de more facturi, crebris terræmotibus deterriti, retro se receperunt. Terræ motibus coniunctæ testagnationes maris, in Eubœa & Achaia terras depressere, & vrbes aliquas nõ leuibus ruinis affecere: cui inundationi causam dedisse terræ motum, qui violentiore impulsu mare longius amãdarit, Thucydides scriptum reliquit. Hoc quoque anno Lacedæmonij coloniam Heracleam iuxta Oetam montem condiderunt, quod ea vrbs ad bellum contra Athenienses idoneo loco sita esset; sed ea à Thessalis, qui nouorum colonorum potẽtiam timebant, præliis attrita est.

I. Sextus Belli ann. Pestis & terræ motus perseuerant.

Restagnatio maris.

Athenienses quoque, qui in Aetoliam duce Demosthene arma tulerant, multis & ipsi velitationibus ab Aetolis vexati, fugatique sunt, centum & viginti desiderati. Dux re male gesta Athenas tre formidans, Naupactum rediit. Romæ non confestim initum est contra Veientes bellum, quamuis omnes centuriæ iussissent, vt Quintius, qui superiore anno Consul fuerat, de bello referret ad populum; ad sequentem enim annum dilatum est, quo pro Coss. creati sunt Tribuni militares.

II. Atheniẽses male pugnant contra Ætolos.

Res Romana.

ANNVS MVNDI 3629.

NEHEMIÆ 21. ELIASIB. 40.

ARTAXERX. 40. & vlt. Imper. Persæ. 131.

OLYMP. XXCVIII. A. 4. V. C. 328.

ANTE CHRISTVM 424.

POstremum hunc annum regnauit Artaxerxes, qui in septimum belli Peloponnesiaci annum cadit, vt testatur Thucydides, idemque quadragesimus regni fuit: quæ communis est antiquorum ac recentium sententia. In quem annum referimus Nehemiæ reditum ex Persida in Iudæam. Quod enim anno 32. Artaxerxis Nehemias ait se in fine dierum rogasse regem, & venisse in Ierusalem de fine regni eius, & non de fine 32. anni intelligendum est, vt ibi docuimus.

Mors Artaxerxis. l. 4. p. 285. & 286. Græc. Lat. c. 13. 6.

Nehemias redit Ierosolymam, & quæ ibi correxerit.

Cum ergo Nehemias octauum iam annum abesset Ierosolymis, & multis nuncijs didicisset male ibi res ire, summis precibus à rege petijt, & obtinuit facultatem eundi Ierosolymam. Ibi intellexit malum, quod fecerat Eliasib Pontifex, in gratiam Tobiæ alienigenæ, grandi gazophylacio illi excitato, in vestibulis domus DEI, vbi recondebantur varia munera & decimæ, maximè quæ Pontifici obuenichant, quibus Eliasib præfecerat Tobiam propinquum suum, ex affinitate cum eo contracta. Atqui cum esset hostis Iudæorum, quæ ad Leuitarum sustentationem pertinebant, interuertebat, aut malignè distribuebat, nixus autoritate Eliasib. Id Nehemiæ valde malum visum est, tum quia alienigenum, atque adeo Ammonitam non oportebat vsque ad templi penetrare gazophylacia, sed vix ad atrium gentium admitti. Ideoque proiecit vasa domus Tobiæ foras de gazophylacio, & præcepit emundari gazophylacia, & eò referri vasa domus Dei, sacrificia, & thus: tum quia sacrilegè defraudabatur victus vestitusque Leuitarum, vnde cogebantur alio confugere, vt sibi necessaria compararent: ex quo etiam fiebat, vt Dei cultus desertus esset. At Nehemias restituit vnumquemque loco & officio suo, & curauit deferri, & in posterum per idoneos præfectos distribui, quæ cuique debebantur.

Circa gazophylacia.

III. Et profanationē Sabbati.

Inualuerat quoque per absentiam Nehemię profanatio Sabbati, quam studiosè correxit, exclusis mercatoribus, obiurgatis optimatibus, & adhibitis ad portarum custodiam famulis suis, atque Leuitis. Correxit & tertium abusum affinitatum male contractarum. Etsi enim ante octo annos, & rursum ante 33. huiusmodi connubia cum alienigenis non solum damnata, sed dirempta etiam fuissent. Iudæi tamen nonnulli, contra promissionem iureiurādo firmatam, in eandem se rursum foueam præcipites dederant; ideoque etiam eos asperius tractauit, adeo vt neque à verborum asperitate abstineret, & huiusmodi profana coniugia irritaret, atque distraheret. Atque ita Nehemiæ liber absoluitur, ad quod vero tempus vitam produxerit ignoratur. Ad Alexandrum certe magnum non peruenisse dicendum est, nisi eum plus 150. annis vixisse fateamur.

Et affinitates male contractæ.

IV. *l.11.c.5.§.* Obitus & laus Nehemiæ.

Mortem eius sic paucis perstringit Iosephus. Post hæc, inquit, & alia multa honesta & laude digna opera Nehemias iam senex defunctus est, vir ad virtutem & iustitiam natus, & in populares suos beneficentissimus, relicto sempiterno sui monimento in Ierosolymitanis mœnibus. Alludit vtique Iosephus ad illud Eccli. *Et Nehemiæ in memoriam multi temporis, qui erexit nobis muros euersos, & stare fecit portas & seras, qui erexit domos nostras.* Et quidem multo labore & sollicitudine, multis sumptibus, multa enim corporisque contentione, elusis omnium aduersariorum fraudibus, contemptis minis, & violentia fortiter superata. Denique semel iterumque Iudæorum republica, diuino cultu, honore templi, Sacerdotum & Leuitarum ministerijs, legitimis coniugijs, cæterisque ex diuina lege compositis, atque restitutis. Sed non minorem in laude Nehemiæ poni potest, quod plurimis in rebus illustris Domini typus fuit, de quibus pius lector consulet Annales: qui deinceps vsq; ad Machabæos, id est, ad 150. annos, sola profana tractabunt. Diuinæ quippe prouidentiæ visum est, hoc quoque tempore prima illa Patriarcharum tempora, historiæ sacræ luce carentia renouare.

c.49 15.

nao. & 1995.

V. Ætnæ igneus riuus.

Huius anni initio, ipse vere, vt scribit Thucydides, riuus ignis ex Ætna effluxit, qui partem agri Catanensium vastauit, quinquagesimo post primam ignis eructationem anno. Nimirum Dominus certis temporum intetuallis, fidem ac metum tormentorum, quæ improbis post hanc vitam parata sunt, renouat, si quo modo illi, tantorum malorum iustissimo concussi metu, resipiscant. Eodem vere Messanæ Syracusanorum & Locrensium opera defecit ab Atheniensibus; & Spartani, Agide duce, in Atticam profecti, agrum de more populabantur; cum interim Athenienses in extrema Peloponneso, agroque Messenio Pylum occuparunt, & intra sex dies communierunt. Quo perculsi nuncio Peloponnesij, Attica relicta domum rediere. Cumque ad Pylum plurima vtrinque classis conuenisset, pugnatum est, sed victoria penes Athenienses stetit, magno cum Spartanorum dolore, qui locum in agro suo tumultuariè communitum, quique eis futurus erat, quasi spina in pedibus, expugnare nequiuissent, neque suos in deserta insula ab Atheniensibus circumuentos, liberare.

Messana defecit ab Atheniēs. qui Pylū occupat.

Nec recuperatur à Spartanis

VI. Eorum irrita legatio ad Atheniēses

Ea causa fuit vt induciæ tantisper fierent, dum per legatos de suorum liberatione Athenis statueretur. Sed spe pacis Cleonis improbitate disiecta, bellum ad Pylum redintegratum est: & Cleone cum copijs in desertam illam insulam transgresso, Lacedæmonij post diuturnum certamen, inedia fatigati dedidere sese, numero 292. armisque traditis Athenas deducti sunt, & in vinculis seruati, dum forte aliqua captiuorum commutatio, aliaue compositio fieret: quos tamen statuebant interficere, si Peloponnesi rursum in eorum agros irruissent. Qui è contrario, crebris ad Athenienses legationibus functi, Pylum & captiuos sibi reddi frustra postularunt, quod Athenienses victoria elati maiora affectarent. Sub hyemem Aristides vnus è ducibus Atticæ classis, Artaphernem Persam legatum ad Lacedæmonios intercepit, & deduxit Athenas, vnde Ephesum cum legatis dimissus, vbi audita morte Artaxerxis, qui nuper obierat, domum rediere.

Deditio Spartanorū in deserta insula.

Artapher nes Persa capitur ab Athen.

VII. Res gestæ contra Veientes.

In Italia bello contra Veientes conficiendo, tres Tribuni consulari potestate profecti sunt. Cornelio Cosso vrbis præsidio relicto. Illi cum inter se non conuenirent, & contraria etiam militibus impetrarunt, Veientes in turbatos impetum fecere, & in castra, maiore ignominia quam damno compulere. Ea res Fidenates ad defectionem mouit. Mœsta ciuitas vinci insueta, odisse Tribunos, poscere Dictatorem. Is dictus est Æmilius Mamercus, qui hostem sit, & iugo montis à tergo eius occupato, ad pugnam elicit. Is facibus armatus erumpit, & quasi fanaticus in Romanos ruit, eosque paulisper exterruit. Sed Dictatoris voce miles animatus pugnam redintegrat, & ereptis ipsi hosti facibus, eos vstulatos fundit fugatque. Cumque iam à tergo fugientibus superueniret Quintius Dictatoris legatus, hostis vtrimque cæsus, mon-

Et Fidenates.

tibus & castris exclusus, in flumen se dedit, ibique maxima pars periit: pauci Fidenas euasere, cum quibus Romani irrumpunt, captamq; vrbem & castra diripiunt, captiuos vendunt. Dictator cum locupletato exercitu in Vrbem triumphans inuehitur, & magistratum die decimo sexto deponit.

ANNVS MVNDI 3630.

IOIADÆ Ducis & Pont. 1.

XERXIS II. & SOGDIA. Imp. Pers. 114.

OLYMP. LXXXIX. AN. 1. VRB. CO. 329.

ANTE CHRISTVM 423.

I. Xerxes II. Rex Persarum

ANno belli Peloponnesiaci octauo nouum Hebræorum Pontificem Ioiadam, cum nouo Persarum Imperatore suggerimus. Artaxerxe enim sub finem præcedentis anni mortuo, Xerxes filius eius, qui solus erat legitimus, illi successit, sed ad breue tempus. Secundianus enim, quem alij Sogdianum vocant, postquam Pharnacyam Eunuchum sibi conciliauit, cum Xerxes in quodam festo esset ebrius, atq; in regia sua dormiret, ingressus cum interficit, die à patris morte quinto & quadragesimo, vt Ctesias scriptum reliquit. Additq; Sogdianum regno potitum Bagorazum Eunuchum, quo cum iamtidem simultatem exercebat, lapidibus obrui iussisse. Quod factum cum ægerrimè tulisset exercitus, sicut & Xerxis mortem, multis ad Ochum, qui postea Darius Nothus dictus est regnoq; successit, deficientibus, per fraudem captus, & in cineres coniectus interiit; cum sex menses & dies quindecim regnauisset. Ita fere Ctesias, sed illi menses pro vno anno computantur. Quidam tamen vtrumq; regem propter imperij breuitatem omiserunt.

Tũ Sogdianus.

II. Athen. Cytherã occupãt. Magno Spartæ damno.

Hoc anno dum Peloponnesij in Asia non satis vtiliter occupantur, Athenienses cum 60. nauibus, & duobus militum millibus Cytherã insulam agro Laconico adiacentem, cum magno Spartæ dolore ac detrimento, duce Nicia occuparunt. In ea quippe insula præsidium habebant, vt quæ ipsis & portus esset nauium onerariarum, quæ ex Africa & Ægypto veniebant, & propugnaculum contra latrocinantiũ circa eas oras incursus. Nunc autem cum eam captam viderent, & Cytheræos sibi amicos & subditos, in alias sedes translatos, & pro ijs præsidium ab hoste impositum, à quo perpetuo vexarentur, vtique vehementer angebantur; præsertim cum altera ex parte, in ipsa sua continente, etiam Pylum teneret hostis cum præsidio, cuius causa ingentem cladem in deserta insula nuper acceperant, & mox cognatam & sociam sibi arcem Megarensium amiserant. Accedebat quod semper nauali prælio contra Athenienses sibi decertandum erat, in quo longe se inferiores agnoscebant. Itaque cum Athenienses maiorem in dies spe consurgerent, maioraque molirentur; Lacedæmonij contra animo contrahebantur, & quidquid aggressi fuissent, infelicem exitum putabant habiturum.

Respirare tamen cœperunt, cum & Athenienses Siculis suspectos, tota è Sicilia dimissos recepetunt, & Brasidam ducem suum præclarè se in Thracia gerere contra Athenienses didicere, multasque ab eis ciuitates abducere Acanthum, Stagirum, Amphipolim, vt si res ferret, commutatio fieri posset. Quin etiam Bœoti duce Pagonda, contra Athenienses, terrestri certamine commisso, victores effecti, magnam eis cladem intulerunt, cæsis fere milleviris, cum ipsorum imperatore Hippocrate, & eosdem ex Delij oppugnatione multis captis, occisisque reputerunt. Expulerunt & Corinthij Demosthenem ducem; qui in agrum Sicyonium armatus inuaserat: & plerisq; cum captis tum occisis, trophęum de Athenienſibus, sicut & Bœoti erexerunt. Amphipolitarum exemplum pleræque aliæ ciuitates certatim secutæ sunt, Brasidæ manſuetudine & libertatis studio motæ, ad quam se vocari, & ab Athenienſium vindicari tyrannide, ope Brasidæ arbitrabantur. Athenienses vero amissionem Amphipolis ægerrimè tulerunt, quod & nauium fabricatio, & multarum pecuniarum prouentus ipsis eadem opera periisset, & via Lacedæmonijs ad omnia turbanda pateret. Itaq; quantum per hybernam tempestatem licuit, præsidia in vrbes miserunt. Brasidas autem auxilia Lacedæmone petit, nec impetrauit; quod suis, qui Athenis captiui erant, timerent, & belli tædio afficerentur. Nihilominus Brasidas reliquum annum in oppugnandis & deditione accipiendis oppidis circa montem Athos, præsertim Toronam Chalcidicã posuit.

III. Athenienſium damna à Brasida, Bœotis, & Corinthiis.

Præsertim ex amissa Amphipoli.

De Romanis rebus nihil aliud hoc anno refert Liuius, quam Veientibus 20. annorum inducias datas fuisse, Æquis autem trium, & ab vrbanis seditionibus otium fuisse.

IV. Romanæ inducię.

ANNVS MVNDI 3631.

IOIADÆ Ducis & Pont. 2.

DARII NOTHI 1. Imperij Persarum 115.

OLYMP. LXXXIX. AN. 2. V.C. 330.

ANTE CHRISTVM 422.

CÆso intra 7 menses Sogdiano, Ochus qui postea Dariæus siue Darius Nothus dictus est, & ab Artaxer. ex Cosmartidene Babyloniа susceptus est, regnum inuasit, & ad 19. annos tenuit, vxorem habuit, eandemq; sororem, sed ex diuersa matre Parysatidem mulierem crudelem, cuius consilio Sogdianum oppressit; Ex ea priusquam regnum adipisceretur duos suscepit liberos, Arsacan, qui postea dictus est Artaxerxes Mnemon, & patri in regno successit, & Amistrin fœminam. Post regnum autem occupatum suscepit Cyrum minorem & alios tredecim. Vide in Annalibus schema familiæ huius, ex Ctesia.

I. Darij Nothi familia.

Ineunte vere anni noni belli Peloponnesiaci Lacedæmonij & Athenienses annuas inducias fecerunt. Nam illos cupiditas recipiendorum captiuorum, qui Athenis tertium fere iam annum tenebantur in vinculis perurgebat, hos

II. Annuæ inducię Athenienſium cum Spartanis.

autem Brasidæ felicitas magno metu afficiebat. Initæ sunt ab vtrisq; populis induciæ à 14. Elaphebolionis, id est Februarij, in annum sequentem, quibus ferebatur, vt quæ quisq; adeum diē posslidebat, inducianum tempore retineret. Nec tamen redditi aut permutati sunt captiui, vt ex Thucydide satis constat, & si ea fuerat vna de præcipuis causis inducianum, quæ deditionibus vrbium quæ Brasidæ fiebant, turbatæ sunt. Romæ ludi bello voti à Mamerco Dictatore, magno apparatu, & finitimorum concursu celebrati sunt.

3632. III. Cleonis & Brasidæ gesta in Thracia.

Sequenti anno solutis inducijs, Cleon Atheniensibus persuasit, vt se in Thraciam contra Brasidam cum copijs mitterent, & primum Toronem absente Brasida, expugnauit, cædibusq; desæuijt, vxores & liberos seruituti mancipauit, & viros captiuos ad septingentos Athenas misit; & relicto Toronæ præsidio, Amphipolim petijt, sicut & Brasidas fidas. Et Cleon quidem Amphipolim ex colle speculatus, re infecta abire cupiebat. Cum Brasidas in eius exercitum impetum fecit, turbatisque inopinata re Atheniensibus, reliquæ ex Amphipoli copiæ in eos effusæ magnam stragem, cum totius exercitus fuga, ediderunt. Brasidas vulneratus, eductus ex acie, audita suorum victoria, expirauit, magnoque honore in funere affectus est. At Cleon in fuga à Myrcinio quodam exceptus, atq; interfectus est. Desiderati sunt Atheniensis fere sexcēti, Lacedæmonij vero septem. Deinceps autem vtrique vehementer ad pacem propendebant. Nam illorum spiritus recens acceptæ clades, tam à Bœotis ad Delium, quam à Brasida ad Amphipolim, & sociarum vrbium defectio non parum deprimerant. Et Lacedæmonij dolebant sē latrocinijs perpetuo vexari, ab ijs qui Pylo & Cythera excurrebant. Et cum tricennalia fœdera cum Argiuis inita iam in exitu essent, cum duobus simul populis bellum reformidabant. Denique & suorum recipiendorum desiderio vrgebantur, qui se Atheniensibus in deserta insula iamdudum dediderant. Itaq; annitentibus Nicia, & Plistoanacte Pausaniæ filio, crebra de pace consilia agitata sunt per hyemem ab vtrisque.

Et vtriusque interitus.

Athen. & Laced. in pacem propendent.

IV. Res gestæ cum Volscis.

Romæ periculosè cum Volscis pugnatum est, propter Romanorum negligentiam in parando bello, quasi à victoria deseri, aut à fortuna non possent. Et plane vincebantur, aterga hosti dedissent, nisi Sex. Tempanij eximia virtus, & actimonia in suis extimulandis obstitisset incipitemq; victoriam cum sua cohorte reddidisset. Sed hostis insidiarum metu noctu castris desertis, Romano exercitui victoriā dedit, qui & ipse castra turpiter deseruerat. Iamque fama aduersæ pugnæ, desertorum castrorum, amissorum fortissimorum equitum terrore vrbem, luctuque compleuerat, cum aduentus Tempanij, tristitiam in communem gratulationem vertit. Cumque Sempronius Consul opera Tribunorum plebis flagraret inuidia, Tempanius & modeste de se, & de Consule cum laude locutus, magnam ab omnibus commendationem accepit. Paulóque post Consul vrbem ingressus, non enixus à se culpam amouit, quam Tempanium laudibus extulit.

Vtrimq; male atq; ignominiose.

ANNVS MVNDI 3633.

IOIADÆ Ducis & Pontificis 4.

DARII NOTHI 13. Imperij Persarum 117.

OLYMP. LXXXIX. AN. 3. VR. C. 332.

ANTE CHRISTVM 420.

I. Pax anno belli vndecimo inita.

INtegro exacto belli decennio, & diebus aliquot à prima eruptione in Atticam facta, pax inter Athenienses & Lacedæmonios in annos 50. inita est. Sed cum res fluctuaret, vere iam instante, bellicus apparatus à Lacedæmoniis ostentabatur, vt Athenienses facilius conditiones pacis amplecterentur. Deniq; multis vltro citroq; iactatis, in has conditiones conuentum est, vt vtrique redderent ea quę bello cepissent. Athenienses tamen Niſæam Megarensium arcem retinerent, Thebani Platæam. Templa publica publice ab vtrisq; ritu pristino frequentarentur si quid quæstionis enatum foret, iure dirimeretur. Amphipolis Atheniensibus redderetur. Incolis ciuitatum, quæ à Lacedæmonijs redderētur, impunè emigrare liceret. Captiui vtrimque liberi dimitterentur, fœdera bona fide in annos 50. terra mariq; seruarentur, & iureiurando confirmarentur, & quotannis renouarentur ab vtrisq;, cum potestate addendi mutandique. Verum pleriq; Lacedæmoniorum socij, cū hæc fœdera non probarent, in quibus Corinthij, Megarenses, Bœoti, societatem cum Atheniensibus fecerunt. Cumq; bellum querelis suis excitarent, Nicias ad firmandum pacem permouit Athenienses & Lacedæmonios, vt belli societatem inirent, quo terribiliores, desciscentibus & firmiores inter se efficerentur.

Conditiones pacis.

Fœdera Corinthis, aliisque improbata.

II. Qui cum Argiuis fœdus ineunt.

Cum ergo Corinthij in hæc fœdera non cōsensissent, Argos profecti restituere cœperūt, affirmantes hæc fœdera non in Græciæ libertatem, sed seruitutem potius redundatura: quæ hoc libentius accepta sunt ab Argiuis, quod sibi iam bellum contra Lacedæmonios imminere, elapso fœdere tricennali, & ea tempestate opibus florerent, vt qui totis his decem annis intacti à bello fuerant, itaque se Peloponnesi dominos fore arbitrabantur. Corinthij ergo dederunt operam, vt Argiui decretum facerent de Græcis omnibus, exceptis Atheniensibus & Lacedæmoniis, vno fœdere copulandis, vt si mutuo adessent. Huic societati nomina dederunt Mantinæi & Corinthij, quantumuis obsistentibus Spartanis, & Elei, & Chalcidenses ad Thracia. In eam quoq; Bœoti & Megarenses propendebant. Eodem tempore Lacedæmonij ciues suos, ex Atheniensium carceribus eductos, ignominia notarunt, quod arma sua hosti in deserta insula tradidissent; quos tamen mox in integrum restituerunt. Et quamuis hac tota æstate inter vtrumque populum commercia liberè exercerentur: suspectæ tamen inter se esse cœperunt, quod neutri loca quæ tenebant alteris restituissent, nec socios quisq; suos ad recipiendum fœdus adegissent.

Captiui Lacedæmonij notati.

III. Interea Romæ cum consulare nomen propter Sempronium factum esset odiosum, Tri-

Sempronius exconsul accusatus.

buni militares creati sunt. Ipseque Sempronius exconsul à L. Hortensio Tribuno plebis accusatus est, sed militum suorum, qui vestem mutare parati erant, fauore liberatus est. Tempanius autem, alijque eius socij, absentes à plebe Tribuni plebis creati sunt.

ANNVS MVNDI 3634.

IOIADÆ Ducis & Pontificis 5.

DARII NOTHI 4. Imperij Persarum 118.

OLYMP. XC AN. 1. VR. C. 333.

ANTE CHRISTVM 419.

I. Alcibiades turbat fœdera.

CVm nonnullæ iam offensiones inter Lacedæmonios & Athenienses intercederent, & duodecimus belli ageretur annus, Alcibiades Atheniensis, ætate iuuenis, maioribus clarius, animo elatus & contentiosus, cum fœdera ab æmulo suo Nicia sapienter inita non probaret, quod in eis transigēdis præteritus fuisset, ea turbare aggressus est. Itaq; priuatim nuncium Argos misit, vt quam celerrime Athenas venirent ad societatem cum Atheniensibus ineundam, promittens se eis studiosè affuturum. Ergo illi confestim legatos Athenas miserunt, quos Eleorum & Mantinæorum legati comitabātur. Id verò Lacedæmonij legatos ipsi quoq; Athenas mittunt, cum potestate omnia componendi. Alcibiades autem veritus ne frid ad populū retulissent plebem allicerent, & Argiuorum societas respueretur, homo vafer Lacedæmoniis legatis persuadet, ne coram populo fatererentur, se cum summa potestate omnia transigendi venisse. Quod si facerent Pylum illis redditurum, cæteras controuersias compositurum.

Deceptis Spartæ legatis.

II. Et vrget atque obtinet fœdus suorum cum Argiuis.

Fide habita, cum in concione rogati non dixissent vt in Senatu, se cum summa potestate venisse, Athenienses contra eos conclamarunt, eos inconstanter loqui, & nihil animo versare syncerum; Alcibiade in primis contra eos perfidiosè declamante, & societatem cum Argiuis in odium Niciæ perurgente. Sicque illi mendacij pœnas, ac temeritatis dederunt, qui hosti fidem habuissent. Et Alcibiades per huiusmodi fraudem ac perfidiam, odium Lacedæmoniis, suis graue bellum, sibi conflauit infamiam. Itaque fœdera cum Argiuis, eorumque sociis, in centum annos inita sunt, cum mutua fidei auxilijque promissione. Nec tamen propterea Athenienses initæ cum Lacedæmonijs societati renunciarunt, sed vtrisque, quamuis inter se dissidentibus, amici esse voluerunt.

III. Æqui turbiter fugati.

In Italia Æqui ambiguam Volscorum victoriam pro sua duxerunt, & bellum, quasi eam persecuturi, susceperunt, cum Vibulanus Consul, cui ea prouincia obuenerat, in eos profectus, cum trepidam tantum aciem ostendissent, turpi se fugæ dedidere, haud magno Consulis decore; itaque triumphus ei negatus est. Cæterum ob Semproniæ cladis leuatam ignominiam, concessum est, vt Vrbem ouans ingrederetur.

3635. Sequens annus, belli decimus tertius, nihil habet admodum insigne ad memoriam; Alcibiades societatem cum Argiuis confirmat, quos iuuat contra Epidaurios, & vicissim Spartani Epidaurios contra Argiuos, non sine Argiuorum apud Athenienses querela, & crebris sine iusto prælio, latrocinijs.

Alcibiades Societatem cum Argiuis cōfirmat.

IV. Romæ de magistratu contentio.

Romæ autem magna contentione certatum est, Consules ne an Tribuni militares crearentur, adeo vt per intercessiones magna pars anni extracta fuerit. Tandem L. Papyrius Mugillanus interrex perfecit, vt Tribuni militares omnes crearentur Patricij; deinde vt Patres paterentur promiscue partim ex Patricijs, partim ex Plebeis Quæstores creari, solitamen Patricij creati sunt; quamuis Antistij Tribuni plebis filius, & frater Sex. Pompilij, itidem Tribuni plebis, candidati essent.

Iudicium de Vestali Posthumia.

Editum est eodem anno nobile exemplum in Vestali Posthumia. Nam quamuis crimine innoxia, de incestu tamen causam dixit, ob suspicionem, propter amœniorem corporis cultum, ingeniumque liberius, quam virginem deceret, quodque famę nonnullam fidem faceret. Ampliata primum, deinde absoluta est. Verum ex Collegij sententia iussit Pontifex eam maxime abstinere à iocis, & cultum corporis sanctū potius, quam scitum adhibere. Magno iusto; documento personis religiosis, præsertim mulieribus, quibus maiorem insert natura verecundiam, ne cultu corporis, aut verborum licentia, grauiorum criminum suspicionem populo præbeant.

ANNVS MVNDI 3636.

IOIADÆ Ducis & Pontificis 7.

DARII NOTHI 6. Imperij Persarum 120.

OLYMP. XC. AN. 3. VR. C. 335.

ANTE CHRISTVM 417.

I. Lacedæmonij ro sociis auxilia præparāt.

IN media æstate anni decimi quarti à belli exordio, Lacedæmonij, cum Epidaurij ipsorum socij ab Argiuis grauiter vexarentur, & periculum esset ne pletæq; ciuitates Peloponnesi ab ipsis deficerent, quod nonnullæ iam fecerant, nisi auxilio sociis ferendo in fide retinerentur, ingentes copias contraxere. Argiui quoq; suas viceuersa, ac sociorum copias collegerunt. Cūque proximum esset vt concurrerent inter se acies, duo Argiui priuato suo iudicio persuaserunt vtriq; Imperatori vt inducias ad 4. menses inter se facerent; itaq; fremente vtroq; exercitu re infecta discessum est. Et Argiui quidem, qui victoriam spe deuorauerant, promissores illos lapidibus obruere cœperunt, & fecissent nisi illi ad aras elapsi essent. Lacones autem Agin vehementer inculabant, amissæ occasionis Argos in suam potestatem redigendi. Cumq; insuper allatus esset nuncius de Orchomeno ab Argiuis capto, eum præ ira ingenti pecunia mulctarunt quam cum postea remisissent, legem tulerunt vt decem ei consiliatij adiungerentur, sine quorum sententia rex agere nihil posset.

Prælium inter Argiuos & Spartanos vtro diremptū.

II. Interea cum Tegeatæ Lacedæmoniorum au-

Alia pro Tegeatis Spartanorum pugna contra Argiuos atque victoria.

xilium contra Argiuos, summo suo periculo, imploraſſent, adfuere illi confeſtim, Quibus cum Argiui occurriſſent, acriter pugnatum eſt, ceſſitque Spartanis victoria; adeo vt de Argiuis mille & centum occiſi fuerint, de Lacedæmoniis vero fere 300. Qui licet victores extitiſſent, trophæum que erexiſſent, legatos tamen de pace ad Argiuos miſerunt, quam hac occaſione facilius coaliturum ſperabant, & reuera contigit, quantumuis repugnante Alcibiade. Conditiones pacis fuere vt Epidauri obſidio ſolueretur, indeque Athen. abirent, ni facerent, pro hoſtibus ab Argiuis & Lacedæmoniis haberentur. Poſtea vero relicta Athenienſium ſocietate, fœdus inter ſe, bellique ſocietatem in annos 50. pepigerunt, ſic vt cum nemine bellum pacemue gererent, niſi communi conſenſu, armiſq; coniunctis.

Qui mox fœdus ineunt ad 50. annos relictis Athen.

Hoc anno Romani ab ingenti periculo feliciter liberati ſunt. Seruitia in Vrbis incendium diuerſis in locis conſpirauerunt; adquod reſtinguendum dum ciues concurrerent, ipſi Capitolium occuparent. Sed nefandis conſiliis duorum indicio patefactis, illi comprehenſi, meritoque ſupplicio ſunt affecti. Indices decem millibus grauis æris, id eſt Francis noſtratibus ducentis, & libertate donati ſunt. Bellum inde ab Æquis reparari cœptum, ſed iſtorum armis annuerſarijs, noui hoſtes Lauicani ſuſcitati ſunt, quos vt diligentius obſeruarent, negotium datum eſt Tuſculanis.

III. Romæ irrita Seruorum coniuratio.

Inſequenti vere appetente, mille Argiui, qui ſumptu publico belliciis muneribus exercebãtur, inter ſe conſpiratũt de populari dominatu euertendo, & optimatum imperio ex ſe conſtituendo: cumque multos conſilij ſui fautores ſinueniſſent, Tribunos plebis comprehenſos necarunt, cæteriſque metu perculſis, Rempub. pro arbitratu octo menſibus occupatam tenuere, Spartanis incredibili cunctatione auxilia differentibus. Deinde concitato in eos populo, de poteſtate deiecti ſunt, & democratia reſtituta, cæſis, fugatiſue optimatibus. Cumq; mox pars vtraque ciuium coram Spartanis & ſociis pro ſe diſſeruiſſet, pro exulibus pronunciatum eſt, pro quibus reſtituendis Argos cum exercitu ſibi petendum cenſuerunt. Id veritus populus, cũ mora quædam intercederet, Athenienſium ſocietatem iterum Græca leuitate quæſiuerunt, & longos ad mare vſque muros duxere, tota ciuitate in id opus occupata; fabris etiam Athenis accitis, vt ſi terra prohiberentur, mari commeatum Athenienſium ope reciperent.

3637. IV. Argiui democratiam tollunt. Quæ mox reſtituitur. Se iungũ Athenienſibus.

Re intellecta Lacedæmonij ſequenti hyeme exercitum, duce Agide, Argos duxerunt, & muris, qui adhuc ædificabantur, poſiti, eos euerterunt, & Hyſia agri Argiui oppido capto, ingenuis omnibus interfectis, domum rediere. Argiui vice verſa agrum Phliaſium vaſtarũt, quod ij exules ſuos recepiſſent; cuius rei pœnas proximo anno dederunt, cum à Phlaſiis & ſuis exulibus intercepti, circiter 80. perierunt.

V. A Lacedæmoniis vexantur.

Lauicani hoc anno arma ceperunt, & cum Æquorum exercitu agrum Tuſculanum depopulari, in Algido caſtra poſuere. Contra quos profecti Romani, cum caſtra iniquo loco poſuiſſent, ab hoſte fugam ſimulante decepti ſunt. Cum enim derepente impetum ex ſuperiore loco feciſſent, multi per ſupinam vallem profligati ſunt, adeo vt caſtra vix tenenta fuerunt vide poſtridie circumfuſis hoſtibus per auerſam portam turpiter Tuſculum profugere. Ob eam cladem cum creatus eſſet Dictator Q. Seruilius Priſcus, & ſuperbia & negligentia exte bene geſta, victoria à Romanis ducibus, ad Æquos tranſiſſet, tantus ardor in Romano milite fuit, vt impetum Æqui non tulerint, & acie victi, etiam mox caſtra amiſerint, præda multi conceſſa. Poſtridie Lauicanorum oppidum obſeſſum, captum, ac direptum eſt; eoque mox ex Vrbe colonia deducta. Dictator octauo die quam creatus fuerat, magiſtratu abiit.

VI. Lauicani arma ſumpiunt.

Romani male pugnant, & Dictatorem creant, qui vincit Æquos.

Lauicam expugnat & eò coloniam deducit.

ANNVS MVNDI 3638.

IOIADÆ Ducis & Pontificis. 9.

DARII NOTHI 8. Imperij Perſarum 122.

OLYMP. XCI. AN. 1. VR. C. 337.

ANTE CHRISTVM 415.

DEcimus ſextus belli annus victorem habuit in Olympicis Exænetum Agrigentinum. Habuit & Alcibiadem ducem contra Argiuos, qui cum 20. nauibus profectus Argos, inde trecentos ſuſpectos abduxit, & in inſulas, quæ Athenienſibus parebant, amandauit. Athenienſes quoque aduerſus Melum in mari Cretico, cum magnis copiis nauigarunt, quod Athenienſium dominatum recuſarent, & ſuas per ſe res agere cuperent, vtriſque amici, neutris ſubditi. Itaque ab Athenienſibus obſeſſi, cum gemina eruptione non leuem eis cladem attuliſſent, ad deditionem tandem compulſi ſunt, puberes omnes interfecti, pueri ac mulieres ſeruituti addicti, ipſi vrbem, quingentis colonis eò miſſis, incoluere. Qui etiam Athenienſium in Pylo erant, magnam de Lacedæmoniis prædam cepere. Lacedæmonij viciſſim edicto ſuis permiſere prædatoriam in Athenienſium finibus exercere. Qui nunc quoque ab Egeſtæis Siculis, contra finitimos pugnantibus, ad auxilium euocati, ad occupandam vniuerſam Siciliam animos erexerunt, & legatos, qui de ſtatu belli, & pecunia, quam illi pollicebantur, certa referrent, in Siciliam miſerunt.

1. Alcibiadis geſta contra Argos. Et Athenienſium in Melios

Mutuæ Athenienſium & Laced. deprædationes.

Qui inde ſequenti anno ineunte vere, cum Egeſtæis & Leontinis reuerſi, ſexaginta nauium auxilium, promiſſis demonſtratiſque 60 talentis in ſtipendium menſtruum, poſtularũt Athenienſes aduocata concione id auxilium decreto confirmant, bellique duces Niciam, Alcibiadem, Lamachum inſtituunt, qui opem Egeſtæis ferrent, & Leontinos ſuis ſedibus reſtituerent. Quinta die cum turſus conuocata eſſet concio de apparanda celeriter expeditione, Niciasin concionem progreſſus, populum à propoſito affectandæ Siciliæ reuocare conatus eſt, negans eſſe è Repub. multis hoſtibus hîc relictis, alios etiam in Sicilia quærere, & huc attrahere, & aliud imperium affectare, priuſquam ſuum probè ſtabilierint; aliaque in eandem ſententiam. Tum perſtringens Alcibiadem negauit habẽdam rationem eorum ducũ,

339. II. Athenienſium magnus in Siciliam apparatus

Diſſuaſore Nicia, hortatore Alcibiade.

qui

qui cum per ætatem minus sapiant, cum ingenti Reipub. periculo, illustres fieri velint. Cui respondens Alcibiades, Athenienses ad tutam habendam expeditionem hortatus est. Ad cuius suasionem cum accederent Egestæorum, & Leontinorum preces, multo vehementius in expeditionem propédebant, nec magnitudine sumptuum, quam Nicias cauillabatur, à proposito deterreri potuerunt.

III. Siciliam classis petit.

Æstate iam media classis portu soluens in Siciliam nauigare cœpit, apparatu, vt ex vna ciuitate omnium ad eam diem magnificentissimo. Nam Diodorus 140. triremes Athenienſium armatas fuisse dicit, præter reliquas, quæ arma, equos, frumenta conuehebant, armatorum autem militum ad septem millia. Cumq; iam classis Corcyram propemodum teneret, Siculi rumore nuncio territi, Syracusani præsertim, totâ ad arma Siciliam concitarunt. Cum autem Athenienſium duces in varias sententias abirent, Catanam deniq; tota classis confluxit. Ibi nauim inuenere Salaminiam, quæ magistratuum iussu Alcibiadem repetebat, ad causam Athenis dicendam de iis, quæ ipsi nuper obiecta fuerãt: cum tamen maiore affectatæ tyrannidis suspicione laboraret. Alcibiades ergo habens nauim suam, cum sociis, qui vnà insimulabantur, ex Sicilia cum naui Salaminia, tanquam Athenas ituri discesserunt, sed eam ad Thurios secuti, ea relicta venere Lacedæmonem, non ausi se iudicio Athenienſium sistere, à quibus absentes mox condemnati sunt.

Alcibiades reuocatur, & fugit ad Lacedæmonios.

IV. Græci contra Syracusanos pugnant, & aliorum societatẽ ambiunt.

Post discessum Alcibiadis Græci contra Syracusanos non infelici prælio decertarunt: inde quod hyems immineret Catanam & Naxum victores rediere. Vnde Athenas triremem miserе, quæ equitatum Classi commeatumq; colligeret; tum aliarum vrbium amicitiam ac societatem, Camarinæorum præsertim irrito successu tentauere, quod persuasi essent hanc amicitiã viam sternere ad seruitutem. Syracusani quoq; in Peloponnesum ad Corinthios ac Lacedæmonios profecti, addito etiam hortatore Alcibiade, auxilia contra Athenienses petierunt & impetrarunt. Cum enim Alcibiades & se apud eos purgasset, & Athenienſium consilia eis patefecisset, rationemque qua maxima illis damna afferre possent, & suam ipse operam prolixe detulisset, persuasit vt copias aliquas cum Corinthiis in Siciliam contra Athenienses mitterent, & infesto simul exercitu in Atticam irrumperent: qua vtraque expeditione paranda reliqua hyems consumpta est. Dum interim Athenienses postulatis Niciæ satisfacere conati sunt.

Syracusani ã Sparta & Corintho auxilia impetrãt.

V. Romana res in Vrbe.

Interea vtroq; hoc anno Romæ cum à bellis cessaretur, seditionibus agrarijs certatum est. Cum enim Tribuni plebis, plebiscito de diuidendis agris, in summam contentionem totam Rempub. coniecissent, quod magnæ partis nobilium fortunæ publicandæ essent, nec atrox inter patres plebemque certamen exitum inueniret, Appius Claudius consilium suggessit dissoluendæ tribunitiæ potestatis per collegarum intercessionem: quod cum Senatui probatum esset, primarij Senatores prehensandis Tribunis sex eorum ad intercessionem adduxere; sicque reliqui Rogationis autores fumum sine flamma effuderunt.

ANNVS MVNDI 3640.

IOIADÆ Ducis & Pont. 11.

DARII NOTHI 10. Imperij Persarum 124

OLYMP. XCI. AN. 3. V. C. 339.

ANTE CHRISTVM 423.

I. Belli 18. Apparatus ad Siculam expeditionem.

MAgnorum malorum apparatus superiore hyeme in Sicilia, Peloponneso, Attica facti sunt, quæ maria hoc anno, terrasq; latè concutere cœperunt, qui fuit belli annus decimus octauus. Eius initio Athenienses nonnullis prælijs victos Syracusanos ad pacis consultationes impulerant: cum auxilijs Corinthiorum superuenientibus, animis viribusq; firmiores, belli curas, magno Athenienſium incommodo, redintegrarunt. Adeo vt Nicias Athenas scriberet, rem Athenienſem in magno discrimine versari; & nisi primo quoq; tempore aut se reuocarẽt, aut alios non paucos mitterent, nullam spem salutis superesse. Eo nuncio permoti Athenienses, quamprimum Eurymedontem cum decem nauibus & 20. talentis argenti in Siciliam miserunt, qui laborantibus opem ferret, & suppetias maiores quamprimum venturas nunciaret. duce videlicet Demosthene, qui omnem interim nauabat operam, vt nouas copias compararet.

Quis ibi status Athenienſium.

II. Et quis in Græcia

Et quoniam Nicias nunciarat, Corinthi, & in reliqua Peloponneso, naues alias auxiliares in Siciliam parari, Athenienses 20. naues miserunt Naupactum, vbi præsidium nauale iam dudum habebant, vt earum iter in Siciliam impediret; contra quas Corinthij 25. nauibus instructi pugnare decreuerunt. Interea Lacedæmonij, instigantibus etiam Syracusanis & Albiciade, expeditionem in Atticam præparabant, sicq; duodeuigesimus huius belli annus abiit. Quo Romani Volanos Æquorum populos, qui in agro Lanuino nouos vexabant colonos, vno prælio subiugarunt.

Romani Volanos subiugãt

ANNVS MVNDI 3641.

IOIADÆ Ducis & Pont. 12.

DARII NOTHI 11. Imperij Persarum 125

OLYMP. XCI. AN. 4. VR. C. 340.

ANTE CHRISTVM 412.

I. Belli 19. luctuosissimus Athenienſibus.

DEcimus nonus belli annus Athenienſibus luctuosissimus fuit; nam domi foris que maximis damnis & cladibus affecti, pene funditus interiere. Statim enim veris initio Lacedæmonij, Agide rege ductore irruptionem in Atticam fecerunt, & agro circumiacente vastato, Deceleam captam communire cœperunt. Erat is locus medius inter Athenienses & Bœotos, vt inde præsidiarij milites perpetuis damnis Athenas afficerent; & grauiora etiam, quam Pylus Spartanis, detrimenta importarent. Validum quoque exercitum cum Thebanis in Sici-

Decelea capitur.

liam miserunt, cum nongentis grauis armaturæ militibus. Quibus profectis Corinthij, & Sicionij alterum cum septingentis emiserunt.

Copias in Siciliam mittunt.

Interea autem Athenienses Cariclem & Demosth. quos cum magnis copijs in Siciliã mittebant, iusserunt Peloponnesum circumnauigare, oramque vexare, si forte copias Lacedæmoniorũ ex Atticae o modo extraherent. Quod ille frustra conatus; locum tamen è regione insulæ Cytheræ cœpit Demosthenes, ac communiuit, vt inde sicut ex Pylo Spartani latrocinijs infestarentur.

II. Ibi cum Syracusanis male pugnant in terra.

Quæ dum in Græcia fiunt Syracusani terra marique simul Athenienses adorti, tribus eos munitionibus, cum multa cæde expulerunt: & magna pecuniæ & commeatus vi, multoque frumenti instrumento in potestatem redactis tria trophæa contra ipsos erexerunt. At nauali prælio vndecim nauibus amissis superati sunt, cum tres Athenienſium duntaxat depressissent. Expugnato porro Plemmyrio, vbi munitiones Athenienſium erant, commeatu excludebantur, ita vt nihil in castra sine prælio importari posset: ex quo magnus exercitui terror illatus, & animis vehementer deijci cœpit. Dimiserunt quoque Siculi naues duodecim, quarum vna Lacedæmone rerum Sicularum statum, spesque referret, & bellum subinde vrgeri nouis auxilijs oraret; reliquæ, Athenienses aliquot naues, quæ oram Italiæ legebant, profligarunt, partim vt Siculos, versus Syracusanos cum victoria inclinantes, ad suas partes adducerent; nonnullæ tamen Athenienſium opera interceptæ periere.

In mari vincunt.

III. Decelea vexat Athenas quæ & inopia premuntur.

Interim Decelea incredibilibus damnis Athenienses afficiebat, & ad proximam rerum omnium penuriam adigebat, adeo vt auxilium mille & trecentorum Thracum, qui cum Demosthene ituri erant in Siciliam, cum tardius veniſſent, domum remittere coacti fuerint, quod eis stipendium persoluere non possent, monitos vt in reditu hostem quibus possent damnis afficerent: qui improuisi Mycalessum Bœotiæ vrbem prope funditus deleuerunt. At Syracusani interea nauali prælio contra Athenienses ita pugnarunt, vt semel iterumque cõgressi, eos non sine damno in castra cum fuga compulerint. Sed ecce Demosthenes cum tribus & septuaginta nauibus in Siciliam appellit; ex cuius aduentu, & Athenienſibus vt in malis, quoddam animi robur accessit, & Syracusanos non exiguus terror inuasit. Quo vti volens Demosthenes, quam primum munitiones non admodum feliciter inuasit; neque mox feliciore successu nocturnam pugnam ad Epipolas cõmisit. Itaque optabat inde Catanam emigrare; vt liberiore mari pugnare posset, præsertim cum parum salubri loco castra essent.

Syracusani nauali prælio Athenienses vincunt.

Demosthenes cum copijs adest

IV. Nicias migrationem dissuadet.

At Nicias migrationem dissuasit, quod sperabat Syracusanos, quorum plerosque sciebat fauere Athenienſibus, consilia ipsis vtilia breui agitaturos. Itaque ibidem cum omnibus copijs perstiterunt; donec Syracusani auctis Carthaginẽ copijs se comparauerunt ad Athenienses terra mariq; inuadendos, præsertim cum morbi in castris inualescerent. Quæ causa fuit vt Nicias in migrationem cæteris ducibus consentiret & abiissent, nisi lunæ defectio migrationem differre coëgisset. Quo tempore cum

Tandẽq; consentit & an pugna vincitur.

Syracusani secretæ migrationis consilia didicissent, rati sibi commodius esse ibi pugnare, cum sex & septuaginta nauibus in aciem prodeunt, Athenienses cum sex & octoginta. Victoria penes Syracusanos stetit, qui duodeviginti Athenienſium naues ceperunt, interfectis duobus militum millibus, quæ fuerunt maiorum malorum præludia.

V. Syracusani dilectum Græcorũ impediũt

Nam animis elati Syracusani, magni portus, in quo erant Athenienses, ostia obstruere cœperunt, ne inde abire furtim sine certamine possent. Quæ dum Nicias animaduertit, cum alioqui classis commeatus inopia laboraret; edixerant enim Catameis, ne quid ad se mitterent, quòd eò ipsi quamprimum essent profecturi, necessario classem ad prælium præparauerunt. Milites suos vtrique duces cohortantur, Nicias præsertim, qui exercitum suum ex proxima clade consternatum videat, monens rem ad summum adductam esse discrimen, in hac pugna omnia esse posita. Cum ergo ad certamen ventum esset, nihil artis vel industriæ, nihil roboris vel audaciæ vtrinque prætermissum est, sed toto ferme die summa pertinacia certatum; tandem tamen Athenienses cesserunt, atq; in fugam versi, in terram euaserunt, circunspicientes si quam in castris, aut munitionibus viã salutis inuenirent. Diodorus 60. naues Atticas periisse dicit, Syracusanas vero 4. & viginti.

Rursumque pugnant, & vincunt.

VI. Consiliũ Græcorũ de fuga.

Hic pleriq; Athenienſium fugam quamprimum captandam censebant, Demosthenes autem & Micias eruptionem ad auroram differendam, instructis interim reliquis nauibus, cũ plures sibi naues quam hostibus superessent, sed duplo plus erat tunc animi triginta Syracusanis, quam centum Athenienſibus. Nautæ enim nullam in nauibus spem victoriæ vel salutis habentes naues conscendere noluerunt, sed terrestri itinere aliquò se recipere statuebant. Id præsentientes Syracusani desperantes se fessum & comessabundũ militem ad nocturnas excubias euocare posse, Hermocrates insigni fraude nuncios ad Niciam misit, nomine quorundã, quibus Syracusis amici erant, ne ea nocte iter pararet, quòd transitus à Syracusanis obsessi tenerentur. Creduli duces ad tertiam vsq; noctem ibi substiterunt, vt commodius vasa cum quiete, animosque colligerent. Miseri ac supra modum imprudentes, qui non intelligerẽt sibi magnum ab hoste malum interea præparari.

Callidè à Syracusanis impeditur.

VII. Qui fugientes itinere terrestri modis omnibus vexant.

Gylippus enim dux Syracusanus cum peditatu egressus, vias omnes præsidiis obstruxerunt, riuorum omnium ac fluuiorum transitus obseruarunt, vt venientem hostem & fatigatum, & deteriore loco ac conditione pugnantem, facile perderent. Nihil attinet dicere quã luctuosus fuerit Athenienſium digressus à suis, quos ægros, ac vulneribus debilitatos, aut deficientes in via, hostium crudelitati relinquebãt. Niciæ copiæ quadrato agmine præibant, Demosthenes cum suis sequebatur, vnius vel alterius diei itinere, Siculo equitatu extremos quosque carpente, donec ex munito quodam colle cum clade repulsi, & insuper pluuia tonitrubsque territi, cœlum & terram contra se existimantes conspirasse, animos magis magisque abijciebant. Postridie ac deinceps cum progredi coperent, semper hostem habebant circumfusum, qui telis eos vndique peteret,

multosque

multosque sauciaret. Et quoties Athenienses in Siculos impressionem faciebant, ipsi se subducebant; quoties vero recedebant, illis instabant; sicque certamine miserè lancinato, sine pugna perpetuo depugnabant.

VIII. Et ad deditionem compellunt primo Demosthenem.

Inito deinde consilio aliorsum iter flectere, & non vltra Catanam versus, noctu iter arripuere. Sed cum nocturno itinere, in hostico iter fieret à victis, & locorum ignaris, omnia turbabat trepidatio. Demosthenis copiæ dissipatæ sine ordine quoquo modo sequebantur. Vbi illuxit mirati Syracusani hostem abiisse, eum persecuti, sub horam prandij assecuti sunt: qui cum ad pugnam se compararent, Syracusani cum desperatis ferro decernere nolentes, ab equitatu circumuentos in locum iniquissimum pertraxerunt, vbi conclusi muris, telis vndique petebantur. Cumque totum diem vulneribus eos eminus affligissent: tandem Demosthenes cum suis deditione facta, captiui abducti sunt Syracusas. Postridie Niciam, qui 150. stadiis Demosthenem antecesserat, assecuti, paribus omnino malis ad fluuium Asinarium affectum, ad deditionem compulerunt: ex quibus tota Sicilia captiuis ac seruis repleta est. Plerique in profundas lapidicinas demissi, miserrimo ac tenuissimo victu vitam trahentes, solibus & pluuiis expositi, morbis, ac plagis, ac pœdore confecti periere.

Deinde Niciam.

IX. Ambo interficiuntur.

Nicias autem & Demosthenes, quamuis eos Gylippus vehementer seruatos cuperet, quasi glorioßissimum specimen victoriæ suæ, eos tamen Syracusani, veriti ne quid noui molirentur, quamprimum interfecerunt. Et hic finis fuit omnium copiarum, quæ cum Athenienßibus in Siciliam profectæ, pari cum ipßis clade consumptæ sunt: & quidem ea clade, qua multis seculis nulla maior in Athenienses incubuit. Tantæ cladis nuncij diu Athenis fidem non obtinebant. Tandem re credita, tam dolor præteritæ iacturæ, quam metus imminentium præterea malorum totam Rempublicam impleuit: quòd hostes ex Sicilia & Peloponneso in vrbem desolatam; nauibus, viris, pecuniisque destitutam, quamprimum venturos crederent, & socios à se vbique defecturos.

Quis Athenarũ status.

X. A sociis deseruntur.

Et certe Diodorus scribit Syracusanos extincto bello, Lacedæmonios armatum socios spoliis bello captis remuneratos esse, simulque 35. triremes in subsidium belli contra Athenienses duce Hermocrate misisse. Vniuersi quoque Græci, cum accepissent res Athenienßium clade Sicilienßi attrita, animos erexerunt, & propter commune in eos odium & inuidiam, in ruinam inclinantes, præcipites agere conabantur. Ergo & qui neutrorum erant socii, se Lacedæmonios ad belli societatem dabant: & Laconum socii tanto maiore belli desiderio flagrabant. Qui autem dudum erant Athenienßium socii, ab iis sine metu deficiebant. Visum tamen est non oportere frangi malis, sed afflictis rebus opem ferre, classem parare, pecuniam, materiamque corrogare, socios, & præsertim Eubœam, præsidio firmare, res vrbanas aliqua ex parte cottigere, sumptusque minuere, magistratum qui Reipub. prouideat creare, quod eò facilius erat, quo populus, propter præsentis mali magnitudinem, erat obsequentior.

Nec tamen animis frangũtur.

XI. Lacedæmonij autem ipsi in primum ver bellum parabant, quo sibi victrices copias è Sicilia redituras spẽrabant, simulque persuasum habebant, si hoc eis bellum recte succederet, se totius Græciæ imperium turo consecuturos. Itaque Agis Lacedæmoniorum rex quam maximum belli apparatum facit; ad quem Eubœenses primi deficiunt. Eos sequuntur Lesbij, Bœotis adiuuantibus; Chij deinde & Erythræi Spartam defectionis causa adierunt: Et cum ijs legatus à Tißaphernę missus, qui Dario rege Prætor erat inferioris prouinciæ; qui & Peloponnesios contra Athenienses excitabat, & ipsorum copiis se stipendia præbiturum spondebat. Alcibiades quoque Helleßpontios ad defectionem ab Athenienßibus sollicitabat. Sicque cum hyeme vndeuigesimus huius belli annus excessit. Qui ne Romanis quidem satis lætus fuit. M. enim Posthumius, ducto Volas exercitu, cum leuibus præliis Æquos fregisset, postremo in oppidum irrupit, præda militibus promißa. Eo potitus cum fidem mutasset, ab iis lapidibus obrutus est.

Quos Lacedæmonij affligunt.

Occupãta Eubœa &c.

Posthumius à suis necatur.

ANNVS MVNDI 3642.

IOIADAE Ducis & Pontificis 13.

DARII NOTHI 12. Imperij Pers. 126.

OLYMP. XCII. AN. 1. VR. CO. 341.

ANTE CHRISTVM 411

IPso primo vere anni vigesimi belli Peloponnesiaci. Athenienßium socij, qui defectionem meditati fuerant, Alcibiade in primis annitente eam executi sunt, Chij maxime atque Milesij; post quorum defectionem, Persæ cum Lacedæmoniis belli societatem contra Athenienses inierunt. Athenienses autem contra Chios ter feliciter pugnarunt; contra Milesios autem, pro quibus pugnabant Alcibiades & Tißaphernes; certamen anceps fuit. Cumque interim aduenißent quinque & 50. Siculorum & Peloponnesiorum naues, Athenienses, qui de summa rei hoc tempore periclitari nolebant, relicta oppugnatione Mileti, Samum profecti sunt, vnde Miletum incursionibus fatigabant, Peloponnesiis eam propugnantibus, à quibus & Rhodus ad defectionem adducta est.

I. Anno belli 20. socii Athenienßium deficiunt

Alcibiades porro, versatili vir ingenio, Agidi regi Lacedæmoniorum erat inimicus, & Lacedæmone pleriſque ßuspectus, vnde & epistola de ipso interficiendo ad Astyochum nauarchum venit. Quod ille præsentiens, ac metuens ad Tißaphernem Persam transiuit, apud quem cum degeret, plurima illum docuit in vniuersæ Græciæ detrimentum. Qualia erant, ne properaret bellum finire, sed sineret Græcorum vires mutuis arteri præliis, & separatim imperium habere, vt Regi liceret, alteram partem, in eos à quibus offenderetur, immittere. Et quoniam sibi reditum parabat in patriam, addebat etiam Athenienses imperij socios illi commodiores fore, quam Lacedæmonios, qui ad Græcos in libertatem vindicandos arma ferrent, nec paßsuri essent Persas Græcis imperare. Quæ cum

II. Alcibiades ad Persas deficit, eiusq; improba consilia.

probaret Tissaphernes, non parum fidei Alcibiadi ac beneuolentiæ tribuebat, quam is tanto colebat impensius, quanto eam sciret plus habituram momenti ac reditui suum obtinendum.

III. Pro Oligarchia tatagit.

Ergo principes Athenensium, qui erat in Samo insula, inuitat ad Oligarchiam, ad quam iam ipsi propendebant: docet militem eò deductum iri, spe stipendij à rege suppeditandi; & totum populum spe auxiliorum, quæ Tissaphernes præbiturus esset: apud quem cum omnia posset Alcibiades, eum in patriam reuocatum iri, pulsis, qui eum damnarant, magistratibus. Quæ cum Phrynico non probarentur, mira is cum Alcibiade arte certauit, vt in Annalibus traditum est. Is nihilominus postea Pisandri criminatione de magistratu deiectus, in foro pugione percussus interiit. Idem Pisander, qui primarius erat inter Oligarchiæ candidatos, cum sociis Athenas venit, vt mox dicetur, tantumq; dicendo valuit, vt eam Reipub. formam populo persuaserit, speranti antiquam mox facile restitui posse. Itaque decretum fecit, vt Pisander cum collegis ad Alcibiadem, & Tissaphernem profiscerentur ad rem transigendam. Restamen haud prospere cessit, Tissapherne parum ad id fœdus propenso: quod callidè dissimulauit Alcibiades, legatis se deceptos fuisse conquerentibus. Tissaphernes autem fœdus cum Lacedæmoniis tertio renouauit, ac correxit.

Maximeque Pisander, qui eam populo persuadet.

Romæ iudicium de autoribus Posthumianæ cædis à Consulibus factum, non sine plebis querela.

Iudicium de clade Posthumij.

ANNVS MVNDI 3643.

IOIADÆ Ducis & Pontificis 14.

DARII NOTHI 13. Imperij Persæ, 127.

OLYMP. XCII. AN. 2. V.C. 442.

ANTE CHRISTVM 310.

I. Vrgetur Oligarchia.

MAgna hoc anno belli vigesimo primo Athenis rerum commutatio facta est. Cum enim Pisander Athenis cum suis discederet, reliquit sociis, qui popularem administrationem sublatum volebant, curam, vt omnia, quæ in eam rem essent opportuna, diligenter procurarent: ipse cum sociis ad Tissaphernem nauigauit, sed re infecta cum collegis eò rediit, vbi maxima pars copiarum Athenensium versabatur. Ibi intro cum suis colloquio statuerunt missum facere Alcibiadem; deinde sibi ipsis prospicere, qui inchoata perturbatione Reipub. in periculo versabantur, si res remitteretur. Dederunt quoque operam vt res bellica sustentaretur, pecuniis de suo conferendis. Pisander Athenas cum quinque legatis profectus est, vt ibi Aristocratiæ, & in cæteris in transitu oppidis initium daret. Reliqui autem legati eadem de causa ad alia oppida dimissi sunt.

II. Pisander Athenas venit, ibique eam constituit.

Pisander cum suis, acceptis ex aliquot vrbibus secum armatis militibus, Athenas venit, ubi pleraque à sodalibus suis iam confecta deprehendit; in primisque Androclem de medio sublatum, acerrimum populatis statum propugnatorem, & præcipuum damnandi Alcibiadis autorem, aliosque nonnullos. Et licet adhuc Senatus populusque congregabatur, nihil tamen statuebant, nisi quod placebat coniuratis: qui, cum aduenissent Pisander, coacto populo sententiam dixerunt de eligendis decemuiris, legum scribendarum causâ, qui eas ad certum diem ad populum ferrent. Qui dies vbi aduenisset, edixerunt cuiuis Athenensium licere, quamcunque vellet pronunciare sententiam, ingenti pœna proposita ei qui obstitisset; quo edicto & fucum faciebant plebi, quam redigebant in seruitutem, & sibi omnia edicendi potestatem assumebant: statim enim aperte dixerunt magistratus pristino ritu non esse deinceps constituendos, sed quadringentos viros, qui à quinque electis præsidibus deligerentur. Quorum principes fuerunt Pisander Antiphon, Theramenes &c. à quibus Senatores valere iussi sunt.

III. Res in castris vacillat.

Sed res in castris vacillare cœpit. Etsi enim ibi erant trecenti pro Oligarchia coniurati, decem ex vrbe legati fuerant, qui milites lenirent, & mutationem ad Reipub. salutem pertinere docerent; id tamen illis non persuaserunt, sed pluribus sibi conciliatis, Democratiam restituere statuerunt, & præcipuos Oligarchiæ fautores partim occidere, partim in exilium mittere; præsertim cum intellexissent 400. in vrbe tyrannicè dominari. Verum Thrasybulus & Thrasyllus, quorum ope in restituenda populi administratione milites vtebantur, eorum impetum compressere. Adegerunt potius ad maximum iusiurandum, cuius omnes Samij fuere participes, se deinceps solita populi administratione vsuros, quadringentis, qui Athenis erant hostes futuros, bellum contra Peloponnesios alacriter gesturos. Idem Thrasybulus militibus persuasit Alcibiadem vt reciperent, persuasus hanc vnam esse spem salutis, si Tissaphernem, apud quem Alcibiades plurimum poterat, à Peloponnesiis alienatum ad se traduceret. Ergo eum Samum deduxit, qui causam apud milites ita egit, vt ab iis in numerum ducum reciperetur.

Ope Thrasybuli & Thrasylli retinetur Democratia.

Recipitur Alcibiades.

IV. Et quæ ab eo hanc in rem gesta.

Alcibiades Tissaphernem adit, eumque Peloponnesiis suspectum reddit, & vim cohibet à quadringentis, & eorum legatis, quos in vrbem remittens, monet vt suo nomine quadringentis suadeant, vt pristino Senatui cedant, sperare se fore vt exercitum, qui Sami esset ipsi reconciliaret, & Peloponnesios superaret. Quibus illi verbis multos Athenis, qui hunc rerum statum ægrè ferebant, corroborarunt, iam prospicientes hunc dominatum non fore diuturnum. Cumq; 400. metu se Peloponnesiis coniungere tentarent; & ipsi nihilominus Athen. Euboeam eripuissent, maximam in desperationem adducti sunt; præsertim cum exercitus, qui Sami erat, ab eis defecisset, & ipsimet seditione in vrbe laborarent, vt in dies viderentur infestis armis inter se concursuri. Itaque concione aduocata quadringentos exautoratunt, & quinque millibus, quorum prætexentes gubernationem, illi regnabant, gubernationem attribuerunt; tum aliis mox concionibus cætera Reip. gubernationem spectantia constituerunt. Decreuerunt etiam Alcibiadē, omnesq; eius socios & exercitū, qui Samī erat, Athenas ad se aduocare.

Quadringentorū metus.

Exautorantur.

Quæ

Quæ cum fierent Pisander & præcipui eius socij, clam ad Lacedæmonios abierunt.

V. Spartani ab Athen. in Hellesponto vincũtur.

Qui autem circa Miletum erant Lacedæmonij Hellespontum adeunt, quod Pharnabazus, alter Darij præfectus, eis spondebat se daturum operam, vt omnes Athenientium socij ab ipsis deficerent; quod cum Athenienses didicissent; ducibus Thrasybulo atque Thrasyllo eos insecuti sunt. Ibidemque diebus aliquot in nauali prælio apparanda consumptis, initum est certamen, in quo post diuturnam, ancipitemque pugnam, victoria Athenienſibus cessit, eaque eorum animi, qui cladibus afflicti prope iacebant, ad spem meliorum excitari cœperunt, & trophæum ad Canis sepulchrum, siue Hecubæ monimentum, ad quod pugnatum fuerat, erexerunt. Ad eam victoriam magnum attulit momentum Alcibiades, superueniens pugnæ cum 18. nauibus, qui suis primum terrorem vt ignotus, deinde victoriam attulit, captis de hoste 30. nauibus, nequaquam Pharnabazo cõtra Athenienses pugnante: quod tamen aliqui ad posterius certamen anni sequentis in Hellesponto differunt.

Ope Alcibiadis.

VI. Romæ turbæ tribunitiæ & pestilẽtia

Romæ superiorem annum modestia Tribunorum quietum fecit; In hoc qui Fabium & Furiũ Coss. habuit, I.. Icilius aucta Icilij in turbanda Repub. certamina, de legibus agrarijs renouauit; sed coorta minacior, quam pertinacior pestilentia, cogitationes hominum à litibus ad curam sanitatibus traduxit. Morbum sequenti anno excepit inopia, cui legatis frumentandi causa circumquaq; dimissis subuentum est.

3644. VII. Tissaphernes Alcibiadem comprehendit.

Sequenti ergo anno Alcibiades tam insigni potius victoria, cũ affectaret se ostentare Tissapherni, ad eum cum muneribus, & imperatorio comitatu contendit. Sed Tissiphernes, qui iamdudum apud Lacedæmonios male audiebat, & eorum apud Darium criminationes metuebat, Alcibiadem nihil minus cogitãtem cõprehendit, & Sardibus in vincula coniecit. At 30. post diebus habita alicunde equi copia, elapsus Sardibus Clazomenas profugit, Tissipherneni insuper calumniatus, emissumue ab illo fuisse. Inde cum Sestum ab Athen. castra venisset, audisseq; Lacedæmonios Abydo Cyzicum petisse, eò cum Theramene & Thrasybulo & sex & octoginta nauibus proficiscitur & Lacedæmonios nauali prælio circumuentos superat. Inde copijs vtrimq; in terram traductis Laced. dux Mindarus fortiter pugnans occumbit. Naues omnes in Athen. potestatem venere, ipsaq; vrbs Cyzicena, quæ grandi se pecunia redemit, sicut & aliæ in eodem tractu nonnullæ.

Qui fuga lapsus superat Lacedæmonios.

ANNVS MVNDI 3645.

IOIADÆ Ducis & Pont. 16.

DARII NOTHI 15. Imper. Pers. 129.

OLYM. XCII. A. 4. VR. C. 344.

ANTE CHRISTVM 408.

I. Mœror Lacedæmonior̃ à Pharnabazo lenatur.

Mirum in modum deiectis erant animis Peloponnesij, vt qui nuper literas Spartam in hæc verba scripserant. *Actus est de præclaris rebus nostris; Obiit Mindarus, esuriunt milites; quid agendum sit ex inopia consilii nescimus.* At Pharnabazus eos consolatus est, hortatusque vt saltuis adhuc corporibus, ignorum causa ne contristarentur, quorum vim magnam ditio Regis haberet. Itaque vestem singulis cum viatico duorum mensium donat, nauas armat, & regionem suam maritimam præsidijs munit, conuocatisque vrbium & triremium præfectis apud Antandrum tot triremes ædificare iubet; quot quisque ipsorum amisisset, materia ex Ida monte, pecunijs ex regio thesauro submini strat̃s. Interim Agis Lacedæmonius ex Decelea prædas agebat ad ipsos Athenienſium muros, elaborans ne mari frumentum ad ipsos importaretur. Quem cum Thrasylus Athenienſis non sine eius damno repulisset, magnis copijs à ciuibus suis præfectus est, quibus Ephesi anno sequenti vsus est.

Hoc autem, qui est vigesimus tertius huius belli annus, in Sicilia Annibal cum centum millibus armatorum in eam insulam ingressus, trium mensium spatio, duas vrbes præclaras Selinuntem & Himeram, post maximas vtrinque clades funditus eruit. Sicque lætitia Siculorum, de ingenti Athenienſium clade, non modo felle tristitiæ diluta est. Romæ autem dum Menenius Tribunus plebis de re agraria altercatur, Æqui mixti Volscis arcem Caruentanam occuparunt Cuius recipiendę causa cum Valerius Consul delectum haberet, eumque ille impediret, collegarum intercessione impedimento sublato, miles colligitur, atx primo impetu, deiecto præsidio recipitur, miles præda fraudatus irascitur, & Vrbem Consul ouans ingreditur.

II. Res in Sicilia & Romæ gestæ. *Liuius lib.*

Sequens annus, qui primus fuit Olympiadis 93. & belli 24. victorem habuit in Olympicis Polydamantem Thessalum Pancratiastam, de cuius mirabili robore quædam in Annalibus ex Pausania collecta reperies. Illud tamen non omitto, quod ad firmandam temporis rationem valet, eius roboris fama permotum Darũ Artaxerxis ex pellice filium donis eum & promissis per legatos ad se Sũsam euocasse, vbi solus ipse tres de cohorte regia, qui immortales vocabantur confertim in se irruentes, pugnis opinor & calcibus, interfecit. Thrasyllus autem cum copijs, quas à ciuibus suis acceperat, Lydiam populatus, & aliquot alijs locis re non infeliciter gesta. Ephesum irrito conatu aggressus est, Tissapherne in eius ciuitatis auxilium copias vndique contrahente, Siculorum præsertim, qui cum 25. nauibus Ephesum venere; à quibus Athen. partim occisi, partim in fugam acti Lesbum venere, vbi cum naues Syracusanas ex Epheso reduces præteruehi vidissent, aduersus eas in altum prouecti, quatuor, vnà cum ipsis victoribus, capiunt, reliquas Ephesum vsque persequuntur: captiuos autem Thrasylus Athenas mittit, ignominiæ suæ leuandæ causa.

3646. III. Polydamas Pancratista.

Res à Thrasylo in Asia gestæ.

Hinc Sestum ad exercitum Thrasylus nauigat, vnde copiæ vniuersæ Lampsacum traijciunt; quas cum ibi in ordines Alcibius redigere vellet, eius milites arrogantiam inflati, nolebãt Thrasyli militibus, victores scilicet victis aggregari. Ibi tamen omnes in hybernis habiti, cum Lampsacum muniuissent, expeditionẽ aduersus

IV. Ex in Hellespon cum Alcibiad

Honor Sacerdotib.

Abydum suscepere; cui ferebat opem Pharnabazus; sed prælio superatus terga vertit, eumq; Alcibiades persequi non destitit, donec ipsum tenebræ hosti & cladi eriperent. Plutarchus ait Sacerdotes in ea pugna captas, ab Alcibiade sine pretio dimissos. Nimirum sacerdotium etiam hostibus sacrosanctum fuit.

V. Primi è plebe Quæstores.

Hoc primum anno ab Vr. Cond. 345. Plebeij quæstores facti sunt, ita vt in quatuor creandis vni tantum Patricio C. Fabio Ambusto relinqueretur locus. Ea res tribus Icilijs Tribunis plebis attributa est; quæ victoria eo gratior plebi fuit, quod sic patefactus ad consulatus & triumphos locus nouis hominib. videretur. Quod cum indignissimè ferret Senatus, & vereretur ne ii Tribuni militares crearentur, in eam quoque dignitatem plebs inuaderet, omni contentione comitia consularia postulabat. Ea contentio cum exitum non haberet, Arx Caruentana, digresso ad prædas Romano præsidio, ab hoste recuperatur. Nec tamen propterea Tribuni cessere, donec SC. factum est de Tribunis militaribus creandis, ea tamen lege, ne Tribunis plebis magistratus continuaretur. Tum demum delectus habere cœptus Consules ambo ad eã profecti arcem, eam irrita oppugnatione deteruere. Ita domesticis contentionibus opportunitas gerendæ rei perijt, hoste se per otium, ad tolerãdam obsidionem præparante. Verruginẽ tamen nescio quã Volsci, cum ingenti præda eripuere.

Arx Caruentana perditur.

ANNVS MVNDI 3647.

IOIADÆ Ducis & Pontificis 18.

DARII NOTHI 17. Imper. Persar. 131.

OLYMPIADIS XCIII. A. 2. V.C. 346.

ANTE CHRISTVM 406.

I. Res ab Alcibiade bene gestæ.

QVintus & vigesimus belli Peloponnesiaci annus habet rem bene gestam ab Alcibiade contra Chalcedonenses, qui ab Athenien sibus defecerant, & præsidium Lacedæmoniorũ receperant. Ei præerat Hippocrates, qui cum diu certamen contra Trasyllum produxisset, superueniente Alcibiade interfectus est. Mox autem Pharnabazus eos Athenien sibus, non iniquis conditionibus reconciliauit. Byzantium eodem tempore ab Athen. obsessum, & proditione captum est, admisso in vrbem Alcibiade. Diodorus ait ciues odio Clearchi Lacedæ. qui moribus asper erat, ad proditionis consilia deuenisse. Hæc cum Athen. prosperè cedunt, Lacedæmonij Pylum terra mariq; oppugnarunt. Cumq; Athen. exercitus, tempestate prohibente, auxilio venire nequiuisset, obsessi fessi malis dedidere se, deditionem salute pacti. Atque ita molestissimum Castellum, post annos nouendecim, in potestatem Lacedæmoniorum redijt.

Pylus à Spartanis recuperatur.

Ab Olym. 88. a. 4. ad 93 a. 2.

II. Romani ad Antiũ.

In Italia vero cum hoc tẽpore Æqui & Volsci, ad arma omnes prouinciarum suarum populos conuocasse dicerentur, & ad Vrbem Antium conuenisse, Senatus Dictatorem tanquam rebus desperatis dicendum censuit, repugnantibus licet militarib. Tribunis. Dictus est Cornelius Cossus, qui facili prælio ad Antium vicit hostem. Victor exercitus Volscum agrum depopulatus, castellum ad lacum Fucinum expugnauit, & tria cepit hominum millia. Dictator bello ita gesto, felicitate quam gloria maior, in vrbem redit, & magistratu se abdicauit.

Mem. Dictatoris creati.

3648. III. Persæ fauent Laced. & nominatim Cyrus regis filius.

Sequente autem vere ineunte, Pharnabazo & legatis Athenien sium ad regem Darium pergentibus, Lacedæmoniorum legati eis occurrerunt, qui & narrarunt se quidquid à rege petijssent, impetrasse; Cyrum quoq; iuniorem filium eius, maritimis omnibus cum imperio præfuturum, & in gerendo bello Laced. affuturũ. Quæ cum Athenien sium legati didicissent, cupiebãt vel regem audire, vel domum reuerti. Sed Cyrus volebat Athenien ses ignorare quæ in Asia gererentur, & inani spe extra patriam detineri. Itaq; varijs promissis è Pharnabazo ad triennũ detenti ad suos deniq; inanes reuersi sunt. Hoc ipso anno Alcibiades ritu pene triumphali redit Athenas, & à populo instar Dei cuiusdam receptus est. Quod fuit itaq; exemplum popularis, Græcæ præsertim, inconstantiæ & leuitatis; quæ priuatum hominem primum in altum vehementer extulit; deinde tui piter dejectum cũ execrationibus expulit, mox expulsum cũ summa gloria reuocauit: reuocatum iterum abiecit à se, & ad iteratum exilium compulit, quem deinde reducem frustra desiderauit.

Alcibiades magnifice Athenis acceptus, varièq; actus est a suis.

IV. Res ab eo gestæ prolaciæ cõtra Agidẽ

Sub reditum suum, cum apud patres & populum, violatorum sacrorum calumniam diligenter purgasset, ita res tulit, vt factis ipsis rem confirmaret. Cum enim reditus eius in festa quædã Mineruæ incidisset, ad quæ celebranda nõ terra vt olim, sed mari metu Agidis adibatur, voluit ipse populum ritu pristino illuc, inuito Agide proficisci. Ergo armatus prodit: sed eum Agis armatum timens, prodire non est ausus. Itaquè Alcibiades & tutum iter populo dedit, & sacra domum tanta cum gloria reduxit, vt populus eum sibi regnũ assumere desideraret. Quæ causa fuit vt principes ciuitatis insisterent, vt primo quoq; tempore expeditionem susciperet; suscepit autem Andrum versus, quæ est Ægæi maris insula, populo cuncta prolixe suppeditante. Cum autem Gaurio castello ibi occupato, vbẽ ipsam semel iterumq; frustra tentasset, eaq; deserta Samum venisset, vt militem prædatione aleret, eius gloriam non parum fuisse detritam Plutarchus affirmat.

Eius ad Andrum expeditio parũ felix.

Interim Lysander Laced. Nauarchus creatur, qui cum Rhodum appulisset, coactis 70. nauibus Ephesum profectus est: inde Cyrũ Sardeis adijt, quẽ in rem Laced. propensum, valdeq; liberalẽ expertus est, vt mercenariũ hostis militem vberiore stipẽdio ab hoste ad se attraheret. Nec Lysander prælium cum Alcibiade committere audebat, eius felicitatem veritus. Sed is cũ Hellespontem adijsset, Legatus eius Antiochus cõtra ducis imperiũ pugnat & victus occũbit, 15. nauibus amissis. Ea clade Athenis nudata, exauctoratur Alcibiades, quo vna triremi in Chersonesum profecto, ducẽ duces in locũ eius eligũtur. Lysander autem Sparta successorẽ accepit Callicratidam, quẽ ille inopia laborantem reliquit. Cumq; à Cyro pecuniam non accepisset, Methymnam nihilominus Lesbi oppidũ captũ diripit, Cononem Athen. ducẽ 30. nauibus spoliat, & classẽ eius Mitylene cõmeatu prohibet.

V. Lysander Cyro gratiosus.

Timet Alcibiadem.

Eius legatus male pugnat, & ipse exauctoratur.

Callicratidas successor Lysandri.

VI. Boad Arginusas merso Spartani vincuntur.

Athenienses primum ei opem irritam ferunt, decem eorum nauibus à Callicratida comprehensis. Deinde cum 150. nauium classem comparassent, occurrit ei Callicratidas ad Arginusas, vbi cum inter pugnandum Callicratidas irruptione in hostem facta in mare delapsus, nusquam deinde comparuisset, victi Peloponnesij fuga se in Chium & Phocæum recepere. Amiserunt Athenienses naues duodecim, Peloponnesij ad septuaginta. Cumque illi naufragos suos ad sepulturam, tempestate prohibente, recipere nequiuissent, ab ciuibus suis capitali supplicio iniustissime sunt affecti, qui singulari laude ac præmio digni erant. Sed nimirum eos postmodum facti pœnituit, mox tamen meritissimas huius iniustitiæ pœnas dederunt, vt Diodorus quoque animaduertit. Post cladem autem ad Arginusas acceptam, Peloponnesij Ephesi conuenere, vbi de mittendis Lacedæmonem legatis deliberatum est, qui Lysandrum tam suo, quam Cyri nomine peterent, vt qui nuper gratiosus socijs, hostibus formidolosus fuisset: quem & impetrarunt. Itaque acceptis nauibus sub huius anni finem, Ephesum versus vela fecit.

Athenienses duces suos victores damnant.

Lysander ab exercitu repetitur.

VII. Carthaginenses Sicilia Agrigentū occupant

Hoc ipso anno tertio Olympiadis 93. vt refert Diodorus Siculus, Carthaginenses cum 120. triremibus in Siciliam profectis Agrigentum ad deditionem fame compulerunt, cum ipsi licet prælio superati, totis octo mensibus oppidum obsedissent. In quem etiam annum refert occupatam à Dionysio tyrannidem, occasione ex Agrigentinorum calamitate sumpta, plebem aduersus optimates concitando: quod Agrigentum Carthaginensibus prodidisse viderentur. Neque tamen tyrannis vsque ad annum sequentem plane stabilita fuit, ad annos autem duodequadraginta perseuerauit, quandiu scilicet ille vixit. Hoc ipso tempore Sophocles & Euripides poëtæ insignes obijsse memorantur, ille summa lætitia ad palmam poëtici certamine adeptam; iste mœrore summo, cum inuidorum opera à canibus laceraretur: qua de re studiosus lector plura in Annalibus collecta reperiet.

Dionysius parat in eos tyrannidē.

Mors Sophoclis & Eurypidis.

VIII. Romanorū in hostes humanitas.

Hoc quoque anno Romæ creati sunt Tribuni militares omnes ex Patricijs. Editum quoque à Romanis non contemnendum clementiæ atque humanitatis exemplum. Cum enim tempus inducarum cum Veientibus exijsset, & Romani per Feciales res suas repeterent, Veientes per legatos in Senatu obtinuerunt, quoniam ipsi domi intestina discordia laborarent, ne res ab eis tum repeterentur. Inhumanum quippe rati sunt domi vexatos etiam foris affligere; cū tamen populi Romanis circumfusi, passim eorum discordias ad eos inuadendos captarent. In Volscis Romani cladem acceperunt, amisso præsidio, quo Verruginem tenebant; quod ei, dum obsideretur à Volscis, auxilium tempori præstitum non fuisset.

Amittunt Verrugine præsidium.

* * *

ANNVS MVNDI 3649.

IOIADÆ Ducis & Pontificis 20.

DARII NO. 19. & vlt. Imp. Persar. 133.

OLYMP. XCIII. AN. 4. V. C. 348.

ANTE CHRISTVM 404.

I. An belli 27. & vlt. Mors Darii Nothi l. 13 fi.

VLtimus adest imperij & vitæ Darij Nothi annus, vt omnes consentiunt, & nominatim Diodorus Siculus, qui ait eum paulò post finem belli Peloponnesiaci, qui in hunc annum cadit, rebus humanis exemptum fuisse, cum per annos vndeviginti tenuisset imperium. Xenophon initio libri de expeditione Cyri, significat ipsum ex ægritudine mortuum; & ægrum vtrumq; ad se filium euocasse, illisque præsentibus cum Artaxerxi, qui dictus est Mnemon, regnum assignasset, Cyri autem magnam quandā præfecturam, vita decessisse. Prætulit autem Artaxerxem vt natu maiorem, licet eum ante regnum suscepisset, Cyrum autem cum iam rex factus esset, contra quam in filijs Darij Hystaspidæ contigerat.

Eodem ipso anno vltimo Olympiadis 93. bellum Peloponnesiacum finem accepit, cum annos ter nouenos perdurasset, vt diligentius in Annalibus explicatum est, qui annus Athenis luctuosissimus fuit.

II. Lysander cogit copias, & à Cyro pecunias.

Hoc ergo anno Lysander Ephesum venit, ibiq; omnes vndiq; naues congregauit. Inde ad Cyrum profectus pecunias ab eo accepit, quibus exercitui stipendium debitum persoluit. Athenienses quoq; apud Samum classem instruebant, vnde mox soluentes Regis fines depopulati, Chium & Ephesum versus nauigabant, & ad nauale prælium se parabant. Sub hæc nuncius à Dario ad Cyrum venit, qui eum dicebat ab ægro patre accersiri. Cyrus autem Lysandrum statim accersit, vtique Athenienſibus, ex proxima excursione in Regni fines iratus, & de sua profectione monitum, vetat cum Atheniensibus, nisi cum maiore classe confligere, ad quam parandam profusa largitione vsus, ad regem abijt. Eo digresso Lysander Cedream Atheniensium oppidum expugnat & diripit; indeq; Lampsacum, omnibus diuitijs & commeatu affluentem. Athenienses, qui eius vestigia sequebantur, veniunt ad *Ægos Potamos*, quasi dicas *Capræ flumen*, è regione Lampsaci, ad stadia quindecim, vbi eius vrbis cladem didicerunt.

Cyrus pr trē adit. Atheniē ses a mittunt Lāp sacum.

III. Pugna a Ægos P tamos.

Cum primum illuxit, Lysander suos ad pugnam naualem instruxit, simulq; edixit ne suo se quis loco moueret, aut in altum proueheretur iniussus. Adfuere quoq; Athenienses cum 180. nauibus ad pugnam parati. Verum vbi classem suam Lysander non eduxit, iamq; aduesperasceret, ad Capræ flumen redeunt. Tum Lysander naues omnium expeditissimus eos subsequi iussit, ac speculari quid in littus egressi agerent, moxque ad se referre. Id ipsum quatriduo egit, cum interim Athenienses quotidie aduersus eū in altum proueherentur, & commeatum sesto peterent. Die 5. Lysander mandat ijs nauib. quæ quotidie trecentes Athen. secutæ fuerant, vt postquam ipsos de nauibus egressos, & per

Lysandri victoria & victoria.

Chersonesum palantes vidissent, (quod illi quotidie longius faciebant, Lysandri contemptu, qui classem aduersus ipsos educere non auderet,) conuersis ad se nauibus, scutum inter nauigandum in altum tollerent, quo facto, iuber Lysander suos ad hostem quam celerrimè nauigare, & hostem imparatum inuadere. Milites enim hinc inde palati vagabantur, naues aliæ binos remiges, aliæ vnum, nonnullæ omnino vacuæ remanserant; itaq; victoriam sine pugna consecutus est.

IV. Cononis fuga.

At Cono hostem cum classe irruentem intuitus signa dat suis vt totis viribus ad naues, opis ferendæ causa concurrant, sed omnia turbata erant, & ad pugnam imparata. Sola Cononis nauis, & aliæ septem circa ipsum, cum Paralo, nomen id erat publicæ nauis Athenien sium, vectoribus instructæ in altum prouectæ discesserunt. Et Paralus quidam Athenas cladis nuncium allaturus, profecta est. At Cono postquam animaduertit res Athenien sium perditas, veritus populi furorem, in sex duces nuper agnitum, desperato reditu ad Euagoram in Cyprum cum octo nauibus profugit. Reliquas naues vniuersas Lysander cepit, & turbam captiuorum maximum, quos Lampsacum deduxit, & exprobrata Athenien sibus sæuitia, eorum ad tria millia ingnlauit. Cumque Paralus nocte Athenas appulisset, & acceptam cladem nunciasset, varius hominum vlulatus totam ciuitatem impleuit. Nihilominus metu ferendi, quæ tam multis Græcorum populis intulerant, ad obsidionem ferendam se comparauerunt.

Lysandri præda.

Athenie nũ luctus

V. Eorum socios Lysander occupat. *In Lysandro.*

At Lysander cum suis ducibus, omnia, vbique oppida, excepta Samo insula, ad defectionem compellit, præsidijs Athenien sium, alios que quos vbius reperisset, Athenas ablegat, vt tanto citius obsessi commeatu carerent. Tum Spartam mittit, qui nunciarent se cum ducentis nauibus aduentare. Et quidem lente. Nam, vt ait Plutarchus, per vrbes tam socias quam hostiles lente circumuehebatur, & delecto passim populi iure, & alijs Reipubl. formis, moderatores Lacedæmonios singulis oppidis relinquebat, & conflatis à se per oppida sodalitijs, denos Rectores constituebat: quod ipsum mox ab eo in Asia, & Athenis factum est, eosque eligebat ex amicis & hospitibus suis, quibus vitæ & necis arbitrium tradebat, & specie asserendi ciuitates Græcorum in libertatem, ab Athen. seruitute, eos, constitutis apud eos tyrannis, in multo duriorem seruitutem redigebat.

Decemuiros vbique constituit.

VI. Lacedæmonii Athenas obsident.

Hæc dum maximè Lysander agit, Lacedæmonij coactis totius Peloponnesi viribus, exceptis Argiuis, Athenas conueniunt, & ad vrbem ipsam obsidendam in Academia castra locant, & Pyræum cum 150. nauibus, ne qua nauis accederet, intercludunt. Sicque terra marique obsessi, cum neque classem, neque socios, neque frumenti satis haberent, in magna rerum perturbatione versabantur; itaque penuria laborabant; vt plerique fame interirent: nulla tamen de compositione mentio fiebat, & deficiẽte prorsus frumento, superbia & contumacia non deficiebat. Et cum Spartam denique, & ad Lysandrum legatos mittere cogerentur, cunctatione diuturna macerabantur. Etsi autem plerique, Corinthij præsertim ac Thebani, Athenas funditus euertendas censebant, Spartani tamen id improbarunt. Tandem pax his cõditionibus inita; vt muri longi & Pyræus diruerentur, ipsi naues, exceptis duodecim, omnes traderent, exules reducerent, eundem cum Lacedæmonijs hostem vel amicum ducerent, eos mari ac terra sequerentur, quocunque ducerent. Ipsius tamen vrbis muros non fuisse tum dirutos, ex sequentibus intelligetur.

Cõditiones pacis.

VII. Romani Anxur oppugnant.

Romæ hoc anno bellum in Veientes dilatum. Cumque duo Tribuni militares Volscos populationibus destinent, vnus eorum Fabius Ambustus oppidum Anxur, quod postea Terracinæ dictæ oppugnauit, & cepit; à præda tamen abstinuit, dum exercitus Collegarum venirent, à quibus quoque Anxur captum dicebat, hoc ipso quod auxilia Volscorum auertissent. Ergo oppidum vetere fortuna opulentum tres exercitus diripuere. Eaque benignitas Imperatorum plebem patribus conciliauit. Ad quod etiam maxime valuit, quod Senatus sponte decreuit, vt miles deinceps stipendia de publico acciperet. Ea res cum publico plausu lætitiaque accepta esset, non defuere tamen Tribuni plebis, qui liuore pleni & publicæ expertes lętitię, eam liberalitatem in deteriorem partem interpretarentur.

Expugnant atq; diripiunt

stipendia militũ de publico.

ANNVS MVNDI 3650.

IONATHAN Ducis & Pont. 1.

ARTAXER. Mnem. 1. Imper. Pers. 134.

OLYM. XCIV. A. 1. VR. C. 349.

ANTE CHRISTVM 403.

I. Artaxer. imperiũ.

INsignis est hic annus nouo Persarum Imperatore Artaxerxe, Darij Nothi, & Parysatidis filio; cui memoriæ felicitas longe nobilius cognomen dedit, quam patri eius dederat maternum genus. Eum hoc anno regnare cœpisse testatur Diodorus, qui paulo post pacem initam inter Athenienses & Lacedæmonios, mortuum Darium testatur: cui autem statim Artaxerxem successisse, scribit Xenophon initio expeditionis Cyri. Ionathan quoque nouo Imperatori coniungimus, quod eum vel Iosepho teste, sub hoc Imperatore pontificatum gessisse constet. Hunc ipsum annum Xenophon solis Eclipsi notat, vocatque belli annum 28. quia etiam post pacem in vrbe initam, hoc anno à Lysandro & Lacedæmonijs ad Samum contra Athenienses pugnatum est, & illis denique subactis, Lysander in patriam quasi triumphans inuectus est. Hunc eundem annum vocat Diodorus 780. ab excidio Troiæ, quod cum nostra Chronologia exactissimè congruit.

Ionathæ pontificatus. *l. 11. c. 7. l. 12.*

451. *ante* V. C. 349. *ab* V. C.

780.

Hoc statim regni Artaxerxis initio, turbæ in Perside concitatæ sunt. Postquam enim Darius viuendi finem fecit, & Artaxerxes imperio potitus est, Tissaphernes Cyrum apud fratrem eius accusat ambitionis, cupiditatisque regnandi. Adhibet ille accusationi fidem, siue quia timida & suspicax est omnis ambitio, siue quia fratrem sciebat rege patre natum, se autem ante regnum patris, siue quia indolem fratris eiusq;

II. Cyrus accusatus ambitionis capitis periculum.

superbos spiritus non ignorabat. Itaque Cyrum interficiendi consilio, comprehendit, sed tumma contentione matris, ac precibus, quæ eum regem esse cupiebat, liberatur, & ad præfecturam suam remittitur. Nec calumnia fuit Tissaphernis accusatio, vt Xenophon significat, cum ipsemet narret duos consobrinos eius filios materteræ sororis Darij patris sui, à Cyro interfectos, quod cum occurrissent ei, manus non obtulissent, qui honos solis regibus deferebatur à Persis. Quæres ad Darium delata, Cyri ad regem accersendi causa fuerat. Plutarchus quoq; in Cyri vita, accusatum ait à Sacerdote, quem Tissaphernes ad regem consecrandum adduxerat, Cyro constitutum fuisse regem fratrem, dum vestem in templo exueret, obtrucare. Quę autem postea fecerit ad occupandum regnum, ex ipsiusmet Xenophontis confessione dicemus. Nunc reliquias belli Peloponnesiaci persequamur.

l. 2 hiſtor.

III. Lysander 30. tyrannos Athenis constituit.

Lysander Athenis potitus non decemviros rectores in ea constituit ad Rempub. gubernãdam, sicut in cæteris vrbibus, sed triginta, quasi ea vna tribus vrbibus par esset. Piræo quoque decem præposuit rectores. Præsidium etiam arci imposuit, cuius curam Callibio Spartiatæ cõmisit. Illis porro decemviris potestatem dedit, abrogata vbiq; Democratia, Senatum eligendi, instituendi magistratus, leges condendi, quibus ciuitas regeretur. Et a principio quidem improbissimos quosq; in iudicium pertractos necauere; mox autem licet criminibus eos quos instituram tyrannidem non laturos putabant: in quibus Theramenes vir integerrimus, aliique deinceps plurimi, id maxime agente Critia omnium improbissimo.

IV. Samum deditione occupat.

Interea Samum Lysander cum classe discedit, à qua cum Samij vndiq; obsidione premerentur, de deditione consultare cœperunt, & in eam cõditionem conuentum est, vt liberis hominibus, singulis cum vna veste discedendi facultas esset, reliqua ipsi traderent. Quibus oppido excedentibus, Lysander omnibus potitus, oppidum, resque omnes eorum suis reddidit, decẽuiris vt alibi constitutis, qui insulam custodirent. Tum nauali copiis sociorum dimissis, cum laconica classe Lacedæmonem nauigat cũ innumerabilibus spolijs, ac pecuniarum thesauris, quos Spartani vix persuasi sunt, vt admitterent. Eam pecuniam Diodorus scribit fuisse mille & quingentorum talentorum. Atque ita bello Peloponnesiaco, post 28. annos, & sex menses impositus est finis, vt Xenophon numerauit.

Spartam quasi triumphãs. adit.

l. 2 p. 462 Græc. Lat.

V. Cædes Alcibiadis, eiusque causa.

Hoc ipso anno occisus est Alcibiades. Cum enim tyranni viderent, populo spem quandam meliorum affulgere, dum viueret Alcibiades, Critias Lysandrum docuit, non posse Lacedæmonios tutò imperium tenere, nec Atheniẽses placide ac patienter ferre paucorum dominatum, nisi ille tolleretur. Itaque morti destinatur, quam ille timens, videnſque Lacedæmonios terra marique dominari, secessit in Bithyniam, vbi magna fortunarum suarum parte nudatus, in Phrygiam ad Pharnabazum profectus est, vt eius opera se in gratiam Artaxerxis insinuaret; apud quem aliquandiu honorifice habitus est; dum Lysander accepta Lacedæmone scytala, eum de medio tollere iussus est, siue id illi Agidis gratiæ, qui eum pessimè oderat, ob illarum vxori virium, tribuerunt, siue illi vitro Alcibiadis solertiam ac felicitatem formidarunt. Itaque Lysander ad Pharnabazum nuncium mittit, vt is Alcibiadem de medio tolli curet; quod ille confestim per suos, fratrem & auunculum cõfecit, flamma domui circumiecta, ex qua cum Alcibiades euasisset armatus, barbari non ausi cominus congredi, eum iaculis obruere.

In Italia hoc anno decennale bellum contra Veios inchoatum est, & Democritus in Græcia mortuus, cum ad nonagesimum vitæ annum peruenisset, vt scribit Diodorus. Verum id Laërtij Chronologiæ, quam secuti sumus, non congruit, ab anno enim tertio Olymp. 77. ad præsentem 67. tantum anni reperiuntur.

VI. Initium belli cõtra Veios.

ANNVS MVNDI 3651.

IOIADÆ Ducis & Pont. 2.

ARTAXERXIS Mnemon. Imp. Pers. 135.

OLYMP. XCIV. AN. 2. V. C. 350.

ANTE CHRISTVM 420.

POstquam Cyrus in Persida mortis certissimum discrimen, opera matris euasit consilia iterum inire cœpit, quomodo se deinceps è potestate fratris eximere, atque etiam si fieri posset, eius loco regno potiretur: & vinculorum magis quam indulgentiæ fraternæ memor, acrius quam antea regnum ambire cœpit. Ergo populos sibi conciliabat, auertebat à fratre; Barbaros bello reddebat idoneos, sibique nominatim addictos; Græcas copias quam poterat occultissime cogebat, nutriebatque in Peloponneso, Thessalia, Hellesponto, Bœotia, aliisque locis apud amicos & hospites suos: varias apud regem & Satrapas exculationes prætexẽs, si quid innotesceret. Fauebat eius conatibus Artaxerxis natura lenior. Itaque sub hæc præsertim initia, in admittendis hominibus facilem se præbebat, in largiendo effusum, in puniendo minime contumelioſum, in accipienda reddẽdaque gratia hilarem: quorum exempla apud Plutarchum in eius vita reperies.

1. Cyrus regnum affectat.

Mores Artaxerxis.

Hoc tempore Lysander cum imperium Græciæ Lacedæmonius acquisiuisset, maxima gloria florebat: quo successu elatus, consilium init antiquandi regnum Heraclidarum, & regnum electioni populi permittendum, ratus si id obtinuisset, se ob rerum gestarum magnitudinem in regem electum iri. Oraculum quoque Delphicum & Ammonium pecunia corrumpere conatus est, vt diuinitus ad regnum vocatus putaretur. Consilium tamen de abrogando Heraclidis imperio, non nisi post eius mortem detectum est, inuenta apud eum concione, quam de eo argumento scripserat, vt in eius morte dicetur. Nec sane admodum absurdè regnum apud eum populum ambiebat, qui diuinis illũ honoribus per summam afficiebat assentatio-

III. Lysandri ambitio regni.

Diuinis afficitur honoribus.

nem. Festa enim Lysandræa pro Iunoniis celebrabantur, eiaræ vt Deo excitabantur, & immolabantur victimæ, aliáque id genus in noui Dei honorem fiebant. In Italia porro bellum contra Veientes segnius fuit, quod pars legionum in Volscos traducta esset, quibus deuictis, tota Romana vis ad Veiorum oppugnationem incubuit.

Romanæ res.

III.

3652. 30. Tyranni sæuiunt in vrbe.

Sequenti autem anno cum 30. Tyranni Athenis alia ex aliis facinora quotidie perpetrarent; sibique à populo propterea metuerent, præter prælidiarios Spartanos, tria ciuium millia sibi asciscunt, iisque armatis exarmant cæteros, & vnum de suis Theramenem eorum sceleribus non consentientem, proditionis à Critia accusatum, publicè epota cicuta interficiunt; inde in ciues liberius, bonorum rapinis, cædibusque sæuiunt, eosque ad varia exilia compellunt. At Thrasybulus vnus de primariis exulibus, insurrexit in 30. tyrannos, vna cum 70. viris, & Pylũ Atticæ regionis castellum, centum stadiis Athenis distitum occupat, vnde cum tyranni frustra exturbare conati sunt. Idem mox Piræum mille sociis inuadit. Inde venitur ad prælium, in quo Critias cecidit. Reliquos ciues Thrasybulus docet, se eorum clade non lętari, sed libertatem quærere, quam tyranni opprimerent. Ergo tyranni à tribus illis ciuium millibus exautorantur; qui capta ad Eleusinem triga, Spartæ periculum suum, & populi defectionem nunciant.

Theramenẽ occidunt.

Thrasybulus in eos insurgit, exautorantur.

IV. Lysander in Pyræum arma parat, & a Pausania impeditur.

Re intellecta Lysander copias à magistratu Spartano, pecuniasque obtinet, vt Pyræum terra marique obsessum, fame ad deditionem compellat, idque breui futurum erat: cum rex Pausanias, qui Lysandro inuidebat, verebaturque ne ille gloriam iterum captæ vrbis acquireret, eius consilium omne discussit, & pacem inter vtrosque conciliauit. Interim autem Cyrus in paranda contra fratrem expeditione multus erat: & Romani in Veientibus obsidendis, etiam per hyemem extructis hybernaculis. Quæ cum Tribuni valde reprehenderent. Appius Claudius forti ac diserta oratione docuit hoc institutum hybernæ militiæ, & continuandi belli ad perfectam vsque victoriam, plurimum & Reipub. & militum interesse. Hostes quippe per intermissionem belli vires animosque redintegrare, excurrere, prædari; sicque bella cum singulis populis immortalia geri. Agi de militũ gloria, qui merito dixerint, se inertiæ patrocinium non mandasse Tribunis, quasi frigora & niues pati non possint; ad quæ si durare cœperint, longe formidabiliores hostibus sint futuri. Denique indignum esse, si in castris fustuarium mereatur, qui signa relinquat, aut præsidio decedat. In vrbe autem autores signa relinquendi, & deferendi castra, non vni vel alteri dicere, sed vniuersis exercitibus impune dicere, impune audiri. Vide plura apud Liuium.

Romani hyeme militare incipiunt suasore Appio Claudio.

Liu. l. 5.

* * *

ANNVS MVNDI 3653.

IONATHÆ Ducis & Pontificis 4.

ARTAXERXIS Mnem. 4. Imp. Pers. 137.

OLYMP. XCIV. A. 4. VR. C. 352.

ANTE CHRISTVM 400.

HAbet hic annus expeditionem Cyri, ab extrema Asia in Babyloniam, contra fratrem & male susceptam, & malo exitu terminatam: Deo regem, licet minus bello, rebusq; gerendis idoneum, contra fortem & audacem bellatoré, & fortissimorum militum vallatum exercitu, protegente. Hoc ergo anno, vt Laërtius in vita Xenophontis affirmat, Cyrus maturam existimans profectionem suam, ingentes copias ex Græcis Barbarisq; collectas, Sardibus conuenire iussit; præ se ferens se Pisidas exterminare velle. At Tissaphernes animaduertens longe maiorem, quam pro hostium numero, ad regem cũ quingentis equitibus, quam celerrime potuit, contendit, copiasq; quam potuit maximas ad resistendum contraxit. Cyrus autem pro copiarum multitudine maturabat iter, ingentibus promissis duces militesque sustentans.

I. Expeditio Cyri in fratrẽ.

In his erat Xenophon, qui suo & Græcorum honori consultum cupiẽs, ne viderentur scientes & prudentes, pro fratre perduelle ac perfido, contra legitimum principem arma sumpsisse, ipsos etiam duces consilij Cyri ignaros fuisse ait, excepto vno Clearcho, donec ad Euphratẽ ventum est, vt bellum ab ipsis videatur necessitate non voluntate susceptum; quasi licuerit vllo vel loco, vel tempore, pro tyranno, contra legitimum principem, militare vel pugna decernere. Verum eam ignorantiam Xenophon neque Diodoro persuasit, neque Plutarcho, qui Spartanos dissimulasse aiunt, expectantes quò belli momenta inclinatura essent. Interim autem in ipsa regia magna iurgia, inter Parysatidem regis matrem, & Stattiram eius vxorem, coorta sunt, quod illa indulgentia sua, atq; importuna in Cyrum misericordia, Regem in hasce turbas conciisset; à quo se illa probro, Regina veneno sublata, liberauit.

II. Cũ Græcis non ignaris fusceptæ facinoris

Parysatis Statiram veneno tollit.

Nonaginta quinque castris ad Regis exercitum trans Euphratem peruentum est; cumq; vtraque acies ad prælium constituisset, facile barbari Græcis oppositi auersi sunt in fugam, reliqui vario certamine dimicarunt; sed præcipuũ victoriæ momentum in fratrũ pugna fuit. Erat rex in acie media, stipatus sex millibus lectissimorum militum, insuperque sexcentis, qui ante agmen regis erant dispositi. Cumque læuum cornu Persarum cessisset Clearcho, nemoque aciem mediam inuaderet, cœpit ea mouere se loco, vt Græcos à tergo adoriretur, & barbaros vndique circumfusos deleret. At Cyrus id veritus, cum conferto sexcentorum equitum globo in mediam irruit aciem, & primum sexcentos ante regis agmen collocatos loco mouit, & interfecto eorum præfecto Artagerse vicit. Quin & agmen ipsum sex millium in fugam auertit. Omninoque apparebat Cyrum victo-

III. Pugnæ ratio.

rem

rem fore, si Clearchus, vt iussus fuerat, in mediam aciem ictu esset; sed dum veritus est ne circumueniretur à Persis, Cyrum ipse circumuenit ac perdidit.

IV. Cyrus in pugna occiditur.

Cum fugitiuis regis equitibus Cyri equites persequendi studio dissipantur, cum viso rege Cyrus in eum irruit infestus, eique pectus per mediam ipsam loricam vulnerat, dum vice versa quidam hastam sub oculum Cyri adigit. Ibi dum tex & Cyrus animose inter se dimicant, & qui vtrumque tutabantur, Cyrus ipse interficitur, & super ipsum octo fortissimi pugnatores iacuerunt; statimq; ei caput & dextera præcisa sunt, simulque spes omnes Græcorum accisæ. Parysatis Cyri mater incredibilem exercuit carnificinam in Carem quendam, qui Cyrum à se iactabat occisum. Abreptum enim hominem per dies decem excruciari iussit; inde oculis effossis, in aures eius æs feruens instillari, dum efflaret animam. Nec minorem Rex in Mithridatem exercuit, qui eandem necem sibi per temulentiam arrogabat. In scaphis enim inclusum computrescere viuum in excrementis coëgit. Id supplicij genus, quale fuerit in Annalibus ex Plutarcho leges.

Persarum crudelitas.

In vit. Artax.

Interea Græci de reditu solliciti, consilia inter se agitant, Clearchum ducem eligunt, in occultas Persarum insidias semper intenti, cum sibi mutuo alteri ab alterius timerent. Nec eas tamen satis vitare potuerunt. Cum enim Tissaphernes cum magnis copijs Cyri prouinciam peteret, vix se ducem ac comitem obtulit, & inito fœdere ac iureiurando vtrimque firmato, aliquot progressi dies Tissaphernes erepta Clearcho formidine, eum ad prætorium suum cum aliis quatuor ducibus, & 20. cohortium præfectis adducit, quos milites fere ducenti secuti sunt, quasi ad forum rerum venalium peruenirent. Postea quam ad prætorium Tissaphernis ventum est, duces intro accersiti sunt; præfecti cohortium ad portas substitere. Nec multo post signo dato, tam qui intus erant comprehenti, quam qui foris cæsi fuere, moxq; duces vincti compedibus ad regem perducti, capitibus abscissis viuendi finem fecerunt. Reliqui per varios casus duce Xenophonte euaserunt, qui totam expeditionem 15. mensium fuisse scribit.

V. Reditus Græcorum.

Duces à Tissaphernes cæsi.

l. 7. extremo.

In Italia res à Romanis parum feliciter gesta est. Nam præsidium Romanum Anxuri oppressum est. Capenates & Falisci inita armorum societate, Romanorum castra, qua regione M. Sergius Tribunus militum præerat, inuaserunt, nec satis defendebantur. Cumque remedium facile adhiberi posset, si aduocatis è maioribus castris auxilijs, alij superuenienti hosti resisterent, alij erumpentes Veios cohiberent, id tamen neglectum est. Castris enim præerat Virginius, priuatim Sergio infensus. Is cum pleraque castella oppugnata, superatas munitiones, vtrimque inuehi hostem nunciaretur, milites nihilominus in castris tenuit, dictitans, si opus foret auxilio, collegam ad se missurum. Huius arrogantiam, alterius æquabat pertinacia, qui ne quam opem ab inimico petijsse videretur, vinci ab hoste, quam vincere per ciuem maluit. Diu in medio cæsi milites. Deniq; desertis munitionibus aliqui in maiora castra, maior pars Romam cum Sergio se contulit. Eo cum aduocatus venisset Virginius, multis inter se in Senatu certauere maledictis. Denique noui Tribuni milit. solito maturius ea de causa creati sunt: Calendis scilicet Octobris, qui ante Idibus Decembris creabantur.

VI. Romana res male gesta, Anxur amittitur.

Sergij & Virginij culpa.

Comitiorum tempus.

ANNVS MVNDI 3654.

IONATHÆ Ducis & Pont. 5.

ARTAXER. Mnem. 5 Imperij Pers. 138.

OLYMP. XCV. AN. 1. VR. C. 353.

ANTE CHRISTVM 399.

ETsi bellum à Græcis superiore anno, Cyri gestum auspicijs, satis ampla belli semina Græcos inter & Persas iecerat; quia tamen illa expeditio publico Græcorum consensu suscepta non apparebat, ne Persas quidem contra Lacedæmonios armauit. Nunc autem cum Tissaphernes totius oræ maritimæ loco Cyri Satrapa factus esset, voluit omnes ciuitates Ionicas, quæ illa ora continentur, suo imperio parere. Illæ vero partim quod se in libertatem vindicare cuperent, partim quod Tissaphernem, quem Cyro posthabuerant, timerent, eum in vires suas admittere noluerunt, & Spartam itidem legatos miserunt, rogatum vt qui esset totius Græciæ præsides, se Græcos homines non negligeret. Lacedæmonij turpe ducentes Græcos Asiæ incolas Persarum, quos contemnebant permittere seruituti Thimbronem cū copijs in Tissaphernem mittunt; qui re non male gesta, breui ab Ephoris reuocatus est, ei succedente Dercyllida. Domum autem reuersus à locis accusatus est quod exercitui licentiam dedisset populandi fœderatos; itaque damnatus exulatum abijt.

I. Noua belli causa inter Persas & Græcos.

Lacedæmonij Thimbronem cōtra Tissaphernem mittunt.

Xen. l. 3.

Diodorus ipso primo anno huius Olympiadis, qua Minos Athenensis in stadio vicit, & qua in Iudæa Sabbaticum annum 153. celebrari oportuit, tradit Socratem Atheniensem Philosophum, ab Anyto & Melito lætæ pietatis in Deos, & corruptæ iuuentutis accersitum, capite fuisse damnatū, & hausta cicuta periisse. Cuius iniquissimæ actionis, inquit, populum statim pœnituit, omnemque iram in huius criminatores vertit, eisque ne dictaquidem causa, supplicium capitis intulit. Nimirum Melitus vi multitudinis oppressus interijt, Anytus voluntario exilio similem pœnam euasit. Vide hac de re plurimos Laërtium, & Apologiam Platonis, qui hoc anno, triginta natus erat annos; ita potuit multos cum illo annos versari. Confirmat hanc temporis rationem L. Ærtius in vita Xenophontis, quem ait vno anno ante mortem Socratis cum Cyro expeditionem fecisse. Fuit autem hic annus vitæ eius Septuagesimus; totidem enim numerantur ab anno quarto Olympiad. 77. ad præsentem annum primum 95æ.

21. Annus Sabbaticus 153.

Mors Socratis, & auctorē.

S. Aug. l. 2 de ciu. c. 3.

Romæ duo superioris anni Tribuni militum Sergius & Virginius, inuidia rei male gestæ apud Veios flagrantes, in iudicium à Tribunis plebis vocati, damnatique sunt denis millibus grauis æris, id est ducentis singuli Francis, iuxta

III. Sergius & Virginius damnantur.

æstuationem Cenalis. Ex quorum damnatione suggessere populo Tribuni, vt pro Sergiis & Virginis, egregios de plebe ciues ad summum magistratum promouerent. Nihil hoc anno in bello insigne gestum, continuata Veiorum obsidio. Anxur postquam prima vis irrita fuit, obsideri cœptum.

Anxur obsidetur.

ANNVS MVNDI 3655.

IONATHÆ Ducis & Pontificis 6.

ARTAXERXIS 6. Imperij Persarum 139.

OLYMP. XCV. AN. 2. VR. C. 354.

ANTE CHRISTVM 398.

CVm bellicæ res non bene à Thimbrone in Asia geri viderentur, quod illi obsidio Larissæ parum succederet, ei hoc anno Lacedæmone suffectus est Dercyllidas, qui quod solerti esset ingenio Sisyphus cognominabatur. Hic cũ Tissaphernem ac Pharnabazum inuicem sibi suspectos non ignoraret, habito cum Tissaphernе colloquio, militem in Pharnabazi ditionem abduxit: cum altero enim, quam cum vtroque bellum gerere malebat. Accedebat quod veteres illi erant cum Pharnabazo inimicitiæ. Cum ergo Dercyllidas reipsa doceret, se Asianis Græcorum ciuitatibus quærere duntaxat, suis vt legibus viuerent, diebus octo nouem oppida in suam potestatem redegit, in quorum vno congestas inuenit opes, quæ octo militum millibus in annum vnum stipendio sufficerent, quæ Midias quidam improbe ac flagitiose deprædatus fuerat. Cumque imminente hyeme Pharnabazum rogasset Dercyllidas, pacem ne mallet an bellum, ille inducias elegit.

I. Dercyllidas Thimbroni suffectus illiusque prudentia.

Per earum inducianum tempus Dercyllidas Bithynicam in Thraciam profectus, hyemem ibi multo cum commeatu traduxit; Pharnabazus autem ascendit ad regem, eique persuasit vt adornata classe, ei Cononem Athenien sem præficeret, egregium bellatorem, qui tum in Cypro apud Euagoram regem agebat, aliquam rerum conuersionem expectans. Is oblatam dignitatem admittit, vt qui speraret se patris imperium debellatis Lacedæmoniis, recuperaturum, & magnam sibi gloriam comparaturum. Ergo classe quamuis nondum satis instructa, cum 40 nauibus in Ciliciam deuehitur.

Vide Xenoph. c. 3. Hist. Græc.

II. Conon Persicæ classi præficitur.

Romæ autem hoc anno ad summum honorem plebi patefactus est aditus, P. Licinio Caluo veteri Senatore facto Tribuno militum. Anxur quoq; in Volscis breui receptum est, neglectis die festo vrbis custodiis. Et quia P. Licinius Caluus moderate se in magistratu gerebat, proximis comitijs Tribuni militares omnes è plebe, excepto vno Patricio, creati sunt. Quo anno lectisternia placandis superis super aduersam omnium animalium valetudinem primum instituta sunt, quod S. quoq; Augustinus notauit. Vrgebatur nihilominus Veiorum obsidio, & Capenates & Falisci, qui eis subsidio venerant, non sine clade repressi.

3656. III. Tribunatus Mil. cum plebe communicatur, Anxur recipitur.

c. 3. de ciu. c 17. Lectisternia.

Dercyllidas autem posterioris huius anni vere ineunte, ex Bithynorum finibus excedens Lampsacum venit, vbi didicit, ex legatis ad se Lacedæmone missis, prorogatum sibi in hunc annũ imperium, quando ad Pharnabazum misit nũcios qui rogarent, mallet ne inducias quales per hyemem fuissent, an bellum. Qui cum nũc quoque inducias bello prætulisset, traiecto Hellesponto in Chersonesum venit, & Thracibus inde pulsis, isthmum, qui 37. stadiis porrigebatur, muro intercludere cœpit ad Thracum incursiones prohibendas: & locum vniuersum in milites partitus, propositis præmijs, murum verno tempore inchoatum, ante autumnum absoluit, intra murum ipsum vndecim oppida, portus plures, agrum fertilem, pascua pulcherrima complexus, in Asiam muneribus donatus traiecit: indeque Ephororum iussu in Cariam profectus est, vbi tum Tissaphernes cum Pharnabazo erant: cumq; vtrimque copiæ ad pugnam paratæ essent, dissuadente pugnam Tissapherne ad colloquium ventum est. Dercyllidas, vt pax iniri posset, requirebat vt rex oppida Græci nominis legibus suis viuere sineret. Persæ autem vt Græcæ copiæ Regis è finibus, & Lacedæmoniorum præfecti oppidis excederent. Hæc inter se collocuti inducias pacti sunt, donec Dercyllidas Lacedæmonem, Tissaphernes rem ad regem retulisset.

Dercylidæ prorogatur imperiũ.

Isthmum Chersonesi muro claudit.

Profectus in Cariam cum ducibus Persarum de pace agit.

ANNVS MVNDI 3657.

IONATHÆ Ducis & Pont. 8.

ARTAXERXIS Mnemon. 8. Imp. Pers. 141.

OLYMPIADIS XCV. AN. 4. V. C. 356.

ANTE CHRISTVM 396.

AGis Lacedæmoniorum rex hoc anno mortuus, Agesilaum fratrem habuit Lacedæmone successorem, repulso Leotychide, qui se Agidis filium dicebat, cum esset Alcibiadis qui Agidis vxorem corruperat, qui & negarat Leotychidem esse filium suum. Rem in hunc annũ refert Diodorus, idque series narrationis Xenophontis exigit. Interea Syracusanus quidam è Phœnicia veniens nunciat Lacedæmoniis, ibi classem trecentarum nauium à Rege ac Tissapherne parari, quæ videtur esse classis, cui præficiebatur Conon Atheniensis. Agesilaus, suadente Lysandro, eam sibi expeditionem deposcit, atq; obtinet cum 30. consiliarijs. Eo in Asiã delato, quærit ab eo Tissaphernes cuius rei causa venisset. Respondet Agesilaus, vt Asiæ ciuitates Græci nominis suis legibus, perinde vt in Græcia, viuant. Tissaphernes vicissim spem facit rem à rege impetrari posse, si per inducias eum consulere liceat: cumque vtrimque promissum ac iuramento firmatum esset, rem sine fraude transactum iri, Tissaphernes, qui moras tantum trahere cupiebat, dum maiores à rege copias acciperet, illico irritam habuit fidem.

I. Agis moritur, cui frater Agesilaus succedit.

Eius in Asiam expeditio.

Xen. p. 496. Græc. Lac. De pace cum Tissapherne agit.

Interea pleræque ciuitates, quarum administratio perturbata erat, ad Lysandrum frequentes ventitabant, vt quoniam is plurimum gratia valebat apud Agesilaum, eius opera quod

II. Lysandri gratia in inuidiam versa.

IV.

optabant obtinerent. Cumque ita fieret, vt Lysandrum multa hominum turba sectaretur, Agesilaus quasi priuatus viueret, excitata est inuidia Agesilai, quam factis ipsis præ se tulit. Quotquot enim à Lysandro commendabantur, te infecta discedebant, reliqui voti compotes fiebant. Ea re animaduersa Lysander nemini deinceps patronus fiebat, sed eos sine interprete ad Agesilaum mittebat. Apud quem cum quererentur Lysander, curita amicorum autoritatem ac gratiam infringeret; respondit se id facere in eos, qui maiores ipso videri vellent.

III. Tissaphernes bellum Agesilao denūciat.

Tissaphernes interim acceptis à rege copiis, elatus animo bellum Agesilao denunciat, nisi Asia excedat; nimirum equitatu confidebat, quo carebat Agesilaus. Quare animaduersa Agesilaus relicta Caria, quo prius copias destinarat, iter in Phrygiam conuertit, peditibus quam equitibus commodiorem; & simul oppida in itinere sita subegit, magnisque congregatis opibus, iter reflexit ad mare, daturus operam equitatui comparando, & in hybernis exercendo, dum proximo vere aperto campo cum hoste cōfligere posset. Pugnauit enim, hyeme & exercitationibus transactis, ad Pactolum fluuium Sardibus vicinum, cum equitatu Persarum, & victoria castrisque potitus, opes reperit, quæ 70. talenta superarent. Aberat à pugna Tissaphernes, Sardibusque desidebat. Itaque eum Persæ insimularunt se ab ipso desertos ac proditos. Quæ accusatio cum ad regem Persarum delata esset, isque persuasum haberet, eius vnius culpâ res suas male habere, misso Tithrauste successore, caput ei præscindi tussit. Odium Regis in Tissaphernem domi exacuebat Parysatis regis mater, quòd eius maximè opera Cyrus fuisset oppressus: quod tamen facinus perpetuam regis gratiam merebatur.

3658. Ad Pactolum pugnatur.

Tissapher nes iussu regis capite plectitur.

Cæso Tissapherne, Tithraustes legatos ad Agesilaum mittit, qui eum moneant, quoniam belli, Persas inter & Græcos, autor & fautor sublatus esset, vt impetrata à Rege ciuitatibus Græcis, quæ erant in Asia, potestate viuendi legibus suis, modo Regi consuetum tributum penderent, patriam ipse repeteret. Negat Agesilaus id se posse agere, nisi responso Lacedæmone accepto; quod dum expectat, Tithraustes ei autor est, in Phrygiam, quę erat in ditione Pharnabazi, concedere, 30. talentorum accepto commeatu. Interim nuncium ab Ephoris accipit, vt classis quoque Spartanæ quæ breui 120. nauium facta est, imperium accipiat. Cui Pisandrum vxoris suæ fratrem præfecit, ipse in Phrygiam profectus est. At Tithraustes, qui animaduertit Agesilaum non de reditu, sed de bello ac victoria cogitare, misso in Græciam Timocrate Rhodio cum 50. talentis, Thebanos, Corinthios, Argiuos ad bellum contra Lacedæmonios concitat, vt ij Agesilaum ad patriæ defensionem reuocare cogantur. Accesserunt & Athenienses, qui à Thebanis ad spem gloriæ excitabantur.

IV. Agesilaus cum Tithrauste de pace agit. *Xenophon histor. Græc. Lat. l. 3. p. 501.*

Spartanæ classis imperium accipit. Tithraustes bellum in Græcia suscitat contra Lacedæm.

Primi Thebani, Phocenses Lacedæmonum socios inuadunt, quibus hi opem ferunt præmisso Lysandro, qui auxilia sociorum colligat, dum Pausanias cum domesticis copiis aduentaret. Lysander Haliartum Bœotiæ vrbem Thebanorum sociam inuadit, & rei gerendæ cupidus, exercitum Lacedæmone cum Pausania venientem expectare noluit, occupatæ vrbis gloriam sibi vi ambiens. Verum inito cum Thebanis ad vrbis muros prælio, interficitur. Eo cum Pausanias mox venisset, venissent & Athenienses pro Thebanis, cum se vtrique metuerent à pugna temperatum est. Pausanias per inducias Lysandri & sociorum corpora tollere cupit. Negant ea Thebani se reddituros, nisi illi suis è finibus excederent, qui acceptis suorum cadaueribus tristes domum reuertuntur; vbi Pausanias ob rem male gestam capitis iudicium subiit: sed ipse Tegeam Arcadiæ vrbem fuga se recepit, vbi morbo extinctus est, vt Xenophon extremo l. 3. prodidit, Plutarchus addit eum in delubro Mineruæ supplicem vitam transegisse. Diodorus eius mortem in annum tertium Olymp. 96. refert, & 14. annis regnasse ait, sicut & filium eius Agesipolim. De Lysandro porro, eiusque ambitione, & gloriosa paupertate plura in Annalibus ipsis leges.

V. Lysander in pugna cadit.

Interea Agesilaus res prosperè gerebat in Asia, & Phrygiæ vrbes partim vi, partim deditione sibi adiungebat, regem Paphlagoniæ in primis. Quin & in regiam Pharnabazi profectus, eam cum vicinis vicis occupauit, & exercitum ibi hyeme illa continuit. Superueniens Pharnabazus eius colloquium & amicitiam expetiit; eum Agesilaus ad defectionem inuitauit, quam ille promisit, nisi ei Rex imperium conseruaret. Ex quo apparet qualis esset Pharnabazi in principem suum fides, quam plerique mortales huius exemplo, propria gloria & vtilitate metiuntur. Hoc quoque tempore Sparta Ægyptios ad belli societatem vocat, qui auxiliorum loco, Spartanis apparatum ad centum triremes, & 50 millia tritici dono miserunt, quæ in Cononis Atheniensis manus venerunt, qui Persarum classi præerat, & Rhodi reposuit, mox que Pharnabazum imperij collegam accepit.

Ab ea Pausanias abstinet.

Spartæ damnatus.

Eiusdem mores & *Olymp. 94. a. 2. n. 5 & 6 & Olym. 96. a. 1. n. 4. 5. & 6.*

VI. Agesilaus rem bene gerit in Asia.

Et Pharnabazum ad defectionem inuitat. *Diodor.*

Vrbis porro anno 355. cum Tribunorum militarium Comitia adessent, eorum prope maior cura patribus, quam belli erat, cernentibus non communicatum modo cum plebe, sed prope amissum summum imperium. Itaque summos viros parauerunt ad petendum, quos populus prætetire vereretur; partim etiam religionem iniecerunt, quasi duobus præcedentibus annis diuinam sensissent iram propter honores vulgatos. Itaque Tribuni omnes ex Patriciis creati sunt; à quibus tamen nihil eximium geri contigit, sed Albani potius lacus excrescentis prodigium, de quo oratores ad Oraculum Delphicum missi, Albanum lacum expiandum retulerunt, vbi & magistratus vitio creatos inuenerunt. Itaque illis magistratu abeuntibus, Interreges habendis comitiis sunt electi. Quo ipso anno Tarquinienses noui hostes exorti sunt Romanis. Nam quod eos bello videbant occupatos, crediderunt impunè se in agro Romano prædas acturos. Sed eos Tribuni duo militum præda graues oppresserunt, multisque obtruncatis, omnes impedimentis exuerunt, & receptis agrorum suorum spoliis, Romam reuersi sunt

VII. Romæ [illegible] comitia. Tribuni fiunt [illegible] Patricii.

Albanus lacus.

Res in Tarquinienses gestæ. V. C. 357

* * *

ANNVS MVNDI 3659.

IONATHÆ Ducis & Pont.10.

ARTAXERXIS Mnem. 10. Imp. Pers.143.

OLYMP. XCVI. A.2. VR.CO.358.

ANTE CHRISTVM 394.

I. Agesilaus reuocatur in patriam.

AGesilaus cum bene rem gereret in Asia, reuocatur in patriam, quam ille adit cum spe ac desiderio, rebus ibi compositis, Asiam repetendi: vbi sub Euxeno præfecto 4. millia militum reliquit, quorum opera oppida tueri, & in fide continere posset. In Peloponneso ad Nemeam fluuium à Spartanis contra Thebanos, eorumque socios acriter pugnatum est; victoriam non incruentam obtinuere Lacedæmonij; & vice versa classe victi sunt à Conone, & Pharnabazo, illo Græcis nauibus, isto Phœniciis proposito. Diodorus ait 50. triremes à Lacedæmoniis amissas. Periarchum classis præfectum occubuisse, classem reliquam Cnidum fuga peruenisse. Agesilaus autem in itinere Thessalo sequestri pugna vicit, deinde ad Cheronæam Thebanos, vbi ipse quoque multis affectus vulneribus Delphos delatus, Deo decimam de manubiis consecrauit, moxque domum nauigio deuectus est.

Pugna prospera Laconū in Thebanos, & clades nautica.

Res ab Agesilao in reditu gesta.

II. Laced. classe victi, amittunt maris imperium.

Interea Pharnabazus & Conо post victoriam illam naualem, tota classe Lacedæmoniorum socios inuadunt, passimq; ad suas partes transferunt, adeo vt ex hoc tempore Lacedæmonij maris imperium amitterent. In illa tamen deficientium ciuitatum ruina, Abydeni, qui ad Hellespontum habitant, in officio constanter steterunt opera Dercyllidæ, qui eo collegit eiectos Lacedæmoniorum præfectos: factaque non parua fortium virorum manu, Sestum è regione in Europa situm oppidum occupauit, firmauitque præsidio, quod mox neque Cononi, neque Pharnabazo cessit, qui agro Abydenorum vastato ad hyberna profectus est, data Cononi cura vt oppida prope Hellespontum sita, quam maximam vim nauium ad ver proximum apparent. Quibus instructi per medias insulas Melum petiere. Cono autem totam oram Laconicam circumuectus, quantum damni potuit hostibus intulit, & nominatim Cythera potitus, præsidium ibi Athenienſe reliquit.

Res à Cononе gesta.

3660.

III. Extruit longos muros, & Piræeū

Illud autem in primis hoc anno aggressus est, Pharnabazo cum pecuniis adiuuante, quo & maxime gratificaretur Athenienſibus, & simul Spartanos vlciſceretur, vt Athenis longos muros, vna cum Piræei mœnibus instauraret, quæ vt destruerentur, Lacedæmonij tantopere desudarant. Ergo cum Lacedæmonij didicissent Cononem regis sumptibus, & muros Athenienſium instaurare, & classem alere, qua tum oppida maritima tursus Athenienſibus adiungeret, apud Teribazum regis ducem per Antalcidam egerunt, vrid impediret, & pacem inter ipsorum Rempub. & Regem faceret. Et aliquid omnino effecturus erat. Nam Cononem, qui cum aliis legatis ad Teribazum venerat, ad conatus Antalcidæ impediendos, Sardeis pellectum conie-

Xen. l. 4. p. 518. Gr. Lac.

Legati ac Teribazum qui Cononē in vincula conjicit.

cit in vincula, quasi Regi inimicus esset, & eius copias Athenienſium dictioni vrbes adiungeret: tum ad Regem profectus est, rogatum quid ei fieri placeret. Rex Struthan misit, qui Athenienſibus faueba; contra quem cum Lacedæmonij Thimbronem misissent, qui maritimam oram Regi subiectam popularetur, improuiso impetu à Strutha oppressus est. Hæc fere Græci biennio.

Struthas Thimbronem opprimit.

IV. Licinius Caluus curat filium creari Trib. mil.

Cuius priore anno Licinius Caluus in comitiis Tribunus militum creatus est, quamuis non petereet. Sed cum is grandem ætatem causaretur, & filium suum à se studiose institutum pro se offerret, populum habuit consentientem, isq; Tribunus mil. creatus est. Creati quoque Titinius, & Genutius, qui aduersus Falisco s & Capenates profecti, dum bellum maiore animo gerunt quam cōsilio, præcipitauere se in insidias, vbi Genutius morte honesta temeritatem luit, ante signa inter primores cadens. Titinius in editum tumulum, ex multa trepidatione militibus collectis, aciem restituit. Nec se tamen æquo loco hosti commisit. Plus ignominiæ erat quam cladis acceptum. Tantum tamen terroris in castra ad Veios posita, & Romam attulit rumor, vt in illis ægre retentus sit miles, & Romæ Dictator, vt in rebus pene iam perditis creatus sit. Is fuit M. Furius Camillus, qui in agro Nepesino cum Falisciis & Capenatibus magno consilio congressus, non prælio tantum fudit hostes, sed castris etiam exuit, & ingenti præda potitus est.

Res in Falisco s male gesta.

Furius Camillus Dictator Falisco s vincit.

V. Et Veios post annum decimum.

Inde ad Veios ductus exercitus, vbi opere laboriosissimo cuniculus ad arcem vsq; deductus est: tum abundante multitudine omnibus ex locis vrbem aggreditur, quo minor ab cuniculo ingruentis periculi sensus esset. Ab eo nihil sibi metuentes Veij, in muros armati discurrunt, cum cuniculus delectis militibus plenus, eos repente in æde Iunonis, quæ in arce erat, effudit, & pars auersos in muris hostes inuadunt, pars claustra portarum reuellunt, & Romanum exercitum admittunt; omnia clamoribus personant, armati deijciuntur è mœnibus, tota vrbe pugnatur. Senescente pugna Dictator edicit per præcones, vt ab inermi abstineatur. Ergo inermes dedi cœpti, & ad prædam miles, permissu Dictatoris excurrit. Postridie libera corpora sub corona veneunt. Iuno in Auentinum transfertur. Romæ nunciata de Veiis, post tot annos ibi consumptos victoria, immensum gaudium fuit, triduique supplicationes decretæ. Dictator ipse magnifice, nec sine inuidia, triumphauit.

Cuniculus ad arcem.

Ab an. V. C. 349. ad 358.

VI. Pax cum Æquis & Volscis.

Inter hæc Æquis & Volscis pacem petentibus data, vt populus ex diutino bello fatigatus, nonnihil quieſceret, quam quod ea digni essent, qui postulabant. Petierunt & anno proximo Capenates, post acceptam maximam vastitatem, & impetrarunt. Cum autem Romana colonia duceretur in Volscos, institerunt Tribuni plebis, vt in Veios potius, vrbem egregiam, agrumque fertilem transferentur. Cui rei patres summa contentione obstiterunt, ne vna ciuitas in duas vrbes diuisa maioribus seditionibus scinderetur. Instituit quoque Camillus, vt populus votam à se Apollini decimam persolueret: cumque propterea populus tumultuaretur, matronæ è suo mundo eam pecuniam confecere. Ideoque honos eis à Senatu concessus est, vt pilento, quod est pensile vehi-

Tribuni colonia in Veios postulant.

Matronæ decimam Apollini soluunt.

culum

culum, quod vulgo *caroſſe* appellatur, ad ſacra ludoſque, carpento feſto profeſtoque vterentur.

ANNVS MVNDI 3661.

IONATHÆ Ducis & Pont. 12.

ARTAXERX. Mnem. 12. Imper. Perſ. 145.

OLYMP. XCVI. A. 4. V. C. 360.

ANTE CHRISTVM 392.

I. Teribazus cum Antalcida regem adeunt.

CVM Teribazus conditionibus pacis repugnãtem Cononem in vincula coniecisset, ad regem cum Antalcida, qui eas proposuerat, profectus est, vt rem vterque cum rege transigeret, sed tardius, variorum negotiorum interuentu, res confecta est. Interea Thrasybulus Athenienſis, & Teleutias Lacedæmonius, vterq; pro ſua ciuitate, res præclare gessit, vt apud Xenophontem leges. Insigne tamen studium militum erga Teleutiam non omittam. Nam cum domum abiturus ad mare descenderet, nemo militum erat qui dexteram eius non prehenderet, hic eum serto redimiebat, ille vitta: quod si qui tardius accessissent, cum iam dux in altum prouehereretur, in mare corollas abijciebant, simulque ei fausta multa precabantur. Non sic Thrasybulo contigit, qui per culpam militum ſuorum occisus ab Aspendijs, ſucceſſorem habuit Iphicratem, vt Teleutias Hieracem Spartanæ classis præfectum. Sed hæc postea.

l. 4. extremo & l. 5. init.

Militum in Teleucã beneuolentia.

II. Plebs vrget migrationem in Veios.

Romæ plebs Veiorum desiderio, eosdem magna ex parte Tribunos plebis refecit, quibus Patres M. Furium Camillum Tribunum militũ inter cæteros præstantes viros in comitijs obiecere. Is missus in Faliscos eos populatione facta foras exciuisset, industria & virtute vicit, adeo vt desertis castris in vrbem se fugitiui reciperẽt. Obsidio vrbis inde secuta, quæ diuturna futura videbatur, quod amplo iamdudum commeatu instructa esset. Verum vnius hominis, qui optimatum liberos erudiebat, perfidia, insperatam vrbis deditionem ac pacem attulit. Cum enim pedagogus ille pueros ludibundus in castra Romanorum perduxisset, Camillus denudatum, & vinctis post tergum manibus, pueris verberandum, ac Falerios reducendum tradidit. Quare ita mutati sunt omnium Faliscorum animi, vt legatis primum ad Camillum in castra, tũ eius voluntate Romam ad Senatum dimissis, se suaque omnia Romanis dederent. Pace impetrata Camillo & ab hostibus, & à ciuibus actæ gratiæ, isque iustitia, fide, fortitudine gloriosus, in vrbem cum exercitu reuersus est.

Falisci à Camillo victi, se dedunt, occasione pædagogi.

III. Votũ Camilli crater aureus.

Ea viri virtute ac gloria motus Senatus, votum Camilli statuit sine mora persoluere, tribus legatis electis, qui craterem aureum Delphos ad Apollinem deferrent; qui à piratis Liparensibus deprehensi, Liparas deducti sunt, vt de more præda publice diuideretur, cum eorum vnus Timasitheus religione tactus, eadem suos etiam impleuit, adductosque in publicum hospitium legatos, Delphos etiam cum nauium præsidio prosecutus, Romam inde hospites restituit, vbi hospitium cum eo ex S. C. factum est, donaque publice data, ita Liuius. Diodorus addit post annos 137. cum Carthaginenses Liparam occupassent, Timasithei posteros à tributis immunes, & omnino liberos esse iussisse. Sic Deus voluit opus animo religioso factum mercede, & in autore ipso, & in ſetis eius posteris non carere; vt intelligeremus quid ipse veræ pietatis operibus, tam in hac, quam in futura vita, mercedis relaturus sit, qui opera, quæ vocant mortua, sua mercede carere non patitur.

Timasitthei religio Deo grata.

ANNVS MVNDI 3662.

IONATHÆ Ducis & Pont. 13.

ARTAXERXIS Mnem. 13. Imperij Perſ. 146.

OLYMP. XCVII. A. 1. V. C. 361.

ANTE CHRISTVM 491.

I. Res ad Æginam gestæ. *Xenop. l. 5. p. 544. Gr. Lac.*

HIerax in præfectura Lacedæmoniæ classis Teleuciæ succesſerat, & cœptam ab anteceſſore operam Æginetis contra Athenienſes, à quibus obsidebantur, nauare cœpit. Cumque res longior futura videretur, parte copiarum in Ægina Gorgopæ legato ſuo relicta, Rhodum profectus est. Gorgopas autem, cum 12. nauibus, ita vexare cœpit Athenienſes, vt illi quinto mẽse obsidionem soluere coacti fuerint. Cumque nihilominus à Gorgopa & Æginetis prædonibus vexarentur Athenienſes, Eunomum contra ipsos, cum 13. nauibus mittunt, à quibus mox nocturno prælio victus, quatuor triremibus amiſſis, cum reliquis se in Piræum fuga recepit. Sed aliquanto post idem Gorgopas, Chabriæ ducis Athenienſis insidijs, in Ægina ipsa interceptus, cum magna ſuorum & Æginetorum clade interemptus est.

II. Plebs vrget migrationẽ in Veios.

Tribuni intercessores multati.

Restituti sunt hoc anno Romæ Coss. cum plebs Veienſem Transmigrationem vehementer vrgeret, cui Senatus Conſulesque totis viribus obsistebant. Dies dicta etat tribunis, qui superioribus annis collegis intercesserant, ne lex de migratione ferretur: & quamuis patribus Camilloque repugnantibus, mulcta pecuniaria damnati sunt. Lex tamen ipsa, id maxime agente Camillo, perlata non est, ex quo plebis in se iras vehementer accendit; ea tamen aliquãtum delinita est cum Senatus Consulto agri Veientani septena iugera plebi diuisa sunt. Æqui autem, qui superiore anno dubia primum victoria vsi fuerant, deinde haud dubia clade à Posthumio prostrati, vnde Romam laureatas litteras miserat, hoc anno Vitelliam coloniam proditione occuparunt; sed eò Consul Lucretius cum exercitu missus, hostem acie vicit, &, vt apparet, coloniam populo Romano restituit.

Res gesta cũ Æquis

***

ANNVS MVNDI 3663.

IONATHÆ Ducis & Pont. 14.

ARTAX. Mnem. 14. Imper. Persar. 147.

OLYMPIADIS XCVII. A. 2. V. C. 362.

ANTE CHRISTVM 390.

I. Teleucias militi Spartano præficitur *Xenoph. l. 5. c. 546. Grac. Lat.*

GOrgopa mortuo, cum Etronico apud Æginetas nauium præfecto nautæ non obtemperarent, quod eis stipendium non numeraret, quamuis eis dudum ex Attica prædas agere permisisset: Lacedæmonij in eius locum Teleuciam, quem militibus gratissimum norant successerunt: à quibus magna alacritate acceptus est, tametsi nullas se eis pecunias afferre fateretur, quod ostenderet se daturum operam, nihil vt eis deesset; male sibi quam ipsis vitæ necessaria deesse: quæ habiturus esset, velle suis omnibus esse communia. Vicissim autem desiderare, vt cum eum frigora, calores, famem, vigilias perferentem aspicerent, eadem quoque omnia sibi toleranda existimarent. Elaboraturum vt iucunde vnà labores obirent, neque stipendium à Græcis aut Barbaris seruili adulatione eblandirentur, sed hosti cum gloria extorquerent. Quę, aliaque id genus cum Xenophon de Teleutia memorat, eximium plane exemplum & quasi vexillum in oculis principum erigit, quo sibi subditorum animos incredibili beneuolentia concilient, & ad omnia pericula imperterritos reddant.

Exēplar optimi ducis.

II. Audax eius in portu Atheniensi facinus.

Cum ergo Teleucias omnium suorum animos haberet in potestate, aggressus est facinus memorabile. Cum enim persuasum haberet Athenienses, re bene gesta à Chabria ad Æginam, solutiore animo esse, & paucos in nauibus, plerosque domi somnum capere, cum 12. nauibus in Pyræum prima luce inuadere ausus, triremes alias comprehendit, alias ad nauigandum reddit inhabiles, merces ac mercatores, in sua nauigia captos infert, naues onerarias ad suas triremes alligat & abducit. Dumque tumultu exorta tanquam capto Piræeo ad arma concurritur, ipse capta nauigia cum tribus quatuorue triremibus in vicinam AEginam mittit, simulq; Atticæ oram legens, multa nauigia vectoribus plena occupat, onerarias quoque frumento alijsq; mercibus refertas, & Æginam repetit, distractisq; nauibus stipendium menstruum nondum debitum militibus numerat. Deinceps quoque multis excursionibus tum vexabat hostem, tum suos alebat, & ad omne imperium paratos habebat.

III. Romi ludi, & ædes Iunonis.

Romæ Consules magnos ludos fecere, quos Camillos Veienti bello vouerat. Eodem anno ædes Iunonis Reginæ, ab eodem Dictatore, eodemque bello vota dedicatur, ingenti studio matronarum. In Algido bellum cum Æquis, haud memorabile gestum. Nouum quoque bellum cum Volsinienſibus exortum est, qui Salpinatibus adiuncti, agros Romanos vltro incursauerant: quibus & bellum indictum est, neque gestum propter famem & pestilentiam.

Volsiniēses prædantur.

ANNVS MVNDI 3664.

IONATHÆ Ducis & Pont. 15.

ARTAXERX. Mnem. 15. Imp. Pers. 148.

OLYMP. XCVII. AN. 3. VR. C. 363.

ANTE CHRISTVM 389.

I. Initia belli inter Artax. & Euagorā.

PErtinet ad hæc tempora Cyprius rex Euagoras, de quo hac ipsa Olympiade Diodorus, & nobis postea pluribus dicendum erit. Fuit is antiquissimæ originis, vt qui à conditoribus Salaminis originem duceret. Cum autem exorta seditione in exilium pulsus esset, mox cum modica manu reuersus, vrbem occupauit, Abdemone regulo, Persarum amico vel cliente reiecto. Occupata Salamine Cypri vrbe clarissima regnare cœpit, breuique magnis auctus diuitijs, totam insulam instituit in suam redigere potestatem. At eorum aliqui ad auxilia Persica regis Artaxerxis confugerunt: qui regum more incrementis Euagoræ minime lætabatur, & illam sibi insulam cupiebat adiungere, idoneam parandæ classi ad Asiæ defensionem. Ergo Amathusijs, cæterisque qui ad eum per legatos confugerant, auxilia decreuit, Euagoram bello petere iussit; ipseq; ad eam expeditionem totis viribus incubuit. Vice versa Euagoras ad tantū hostem repellendum se comparat, & opem ab amicis petit. Athenienses Philocratem cum decem nauibus miserunt quas Teleutias, dum in Rhodum nauigant, intercepit. Refert in hunc annum Thrasybuli Athenienſium ducis mortem apud Aspendios, Diodorus, quam supra ex occasione attigimus.

Thrasybuli mors 3661. n. 1.

II. Res gestæ cōtra Volsienses.

Romæ autem superioris anni Coss. morbo implicitis, per interregem creati sunt sex Tribuni, vt si cui eorum incommoda esset valetudo, copia magistratuum Reipubl. non deesset. Ex his duo contra Volsinienses, totidem contra Salpinates profecti sunt; quorum illi acie victi, positis armis ad octo millia deditionem fecerunt, & inducias ad 20. annos obtinuerunt, ea lege, vt sublata Romanis redderent, & stipendium eius anni militibus præstarent. Salpinates suis clausi mœnibus, agris suis vastitatem inferri passi sunt. Eodem anno L. Apuleius Tribunus plebis Camillo diem dixit, quod Veientanam prædam publicando, sacrandoque ad nihilum redegisset. Verum cum eodem tempore Camillus filio adolescente fuisset orbatus, antequam damnaretur, in exilium abijt, precatus superos, vt si hæc innocenti fieret iniuria, primo quoq; tempore ingratæ ciuitati sui desiderium faceret, quod & mox contigit.

Camilli exilium.

III. Legati ad Gallos.

Expulso Camillo legati ab Clusinis in Thuscia venerant, auxilium petentes aduersus Gallos, ad quos Romani tres legatos M. Fabij Ambusti filios miserunt, qui rogarent, ne Romanorum socios, à quibus nullam accepissent iniuriam, oppugnarent. Illi respondent se agrum ab Hetruscis, ipsis non necessarium petere, armis alioqui vindicaturi. Hic cum animi incaluissent, vnus legatorum Q. Fabius ducem Gallorum interemit. Quo facinore

Gallo-

Gallorum ira à Clusinis ad Romanos conuersa est. Prius tamen, quam Romam armati venirent legatos miserunt, qui Fabios, pro iure gentium violato, sibi dedi postularent. Senatus rem ad populum reiecit: apud quem tantum gratia opibusque valuere, vt quorum de pœna agebatur, ij Tribuni consulari potestate in annum sequentem crearentur. Quo facto Galli vehementer offensi, bellum propalam minantes, ad suos redeunt.

Fabius Gallum ducem interfecit.

ANNVS MVNDI 3665.

IONATHÆ Ducis & Pontificis 16.

ARTAXERXIS Mne. 16. Imp. Pers. 149.

OLYMP. XCVII. AN. 4. VR. C. 364.

ANTE CHRISTVM 388.

EXeunte Olympiade XCVII. Antalcidas cum Teribazo Persa Artaxerxis præfecto ex Asia rediit, impetrata pace, regisque societate, si Athenienses eorumque socij, pacem quam ipse proposuisset non aspernarentur, quæ tamen ante annum sequentem, nec proposita, nec transacta est. Nam suis qui auxilio venerant Abydenis in Hellesponto laborantibus, quam primum succurrendum putauit: simulque sperabat ibi quoque debilitatis Athenienſium viribus, eos ad conditiones pacis propensiores fore, sicut reuera contigit; idque tanta felicitate, vt breui 80. naues habens in potestate, maris imperium obtineret, neque naues è Ponto Athenas proficisci pateretur, sed interceptas ad suos adduceret. Vide l. 5. Xenoph.

I. Reditus Antalcidæ, qui abit ad Abydenos.

p. 549. Gr. Lat.

Romana calamitas hunc annum memorabilem reddidit, cui multum negligentia magistratus in parando bello seruiuit, quam T. Liuius vehementer exaggerat, vt minus ignominiosum sit Romanos tanta cum strage superatos. Sed & violati iuris gentium agnoscit vltorum Deum. Gallis ergo, & eorum duci Brenno regulo ad vndecimum lapidem occursum est, vbi Allia Tiberi miscetur: Romani aciem instruunt, & in cornua diducunt, ne à multitudine circumueniri posset, sed omnia pauore ac tumultu plena erant, sic vt fuga prius cœpta quam prælium; nec ea quidem prudenter; quippe qui in vrbem, ad eam ab hoste superuenturo tutandam, non fugerent, sed Veios, quamuis arcente Tiberi, conciti peterent. Itaque ad flumen, quò totum sinistrum cornu armis abiectis defugerat, magna strages facta est, plurimi hausti fluctibus. Qui Veios incolumes peruenere, Romam ne cladis quidem nuncium, nedum præsidij quidquam misere. Nec minor amentia reliquorum fuit, qui ad dextrum cornu steterant. Ersi enim Romam integri, intactique fugerunt, tamen ne clausis quidem Vrbis portis, in arcem confugerunt.

II. Romani a Gallis vincuntur, & dispersi fugiunt.

Ac Galli tam repentinæ victoriæ miraculo obstupefacti, Romam cunctanter adeunt, insidias veriti, præsertim cum portas apertas, ac sine prælidiario milite reperissent. Romam inter & Anienem considere, missis exploratoribus, qui omnia diligentius explorarent. Ij summam rerum confusionem, luctumque reperiunt. Per eam cunctationem, quę biduum triduum vt tenuit, Romani consilium ceperunt, vt arma, & commeatum quantum possent in arcem conuecherent, eòq; iuuentutem ad propugnandum cogerent, seniores in vrbe remanerent, ne commeatum in arce consumerent. Hostem igitur obstinato ad mortem animo, pristinis honorum suorum insignibus ornati, expectabant. Galli, qui à pugna remiserant animos, per Collinam ingressi portam, quam Diodoro teste perfregerant, in forum perueniunt, arcem præsidio cingunt, & dilabuntur in prædam, plebeias domos obseratas, principum atria patentia reperiunt.

III. Galli Romam cunctanter adeunt.

Ad eos velut ad simulachra versi cum starent, M. Papyrius vnus ex iis, Gallo barbam suam permulcenti, dicitur scipione eburneo in caput incusso iram mouisse, atque ab eo initio cædis orto, cæteros in suis sedibus trucidatos. Post principum cædem, nulli deinceps mortalium parcitum, direptæ domus, exhaustis ignes iniecti. Cædes & incendia per plurimos dies perseuerant, in oculis eorum, qui in arce obsidebantur, si forte illi, miserabili rerum suarum vastitate, de deditione cogitarent; vim quoque ad arcem adhibuerunt, sed irritam. Itaque illos fame domandos putarunt, qua tamen ipsi premebantur in primis, frumento improuide per incendium consumpto. Ergo diuiso per finitimos populos exercitu, prædas agebant. Itaque Ardeam adierunt, vbi Camillus exulabat; eoque duce primo noctis silentio, ad castra Gallorum Ardeates progressi, magna in iis strage bacchati sunt. Quorum exemplum secuti, qui Veiis erant Romani, Cæditio centurione duce, contra Thuscos nocturna pugna semel iterumq; grassati, Veios rediere victores: paulatimque auctis viribus, de repetenda patria cogitant.

Aderat Camillus præstantissimus illa ætate imperator, qui nupertime cum Ardeatibus rem bene gesserat contra Gallos; ipsi etiam milites magna ex parte sub eius auspicijs meruerant. Cumque decretum Senatus accessisset, quo & ab exilio reuocabatur, & Dictator dicebatur absens, legati eum Ardea Veios perduxere. Interim autem magnum adiit periculum Capitolium, Gallis eò sublustri nocte perreptantibus, cum M. Manlius anserum clangore excitatus cum suis, eos à summa rupe animosè deturbauit cumque colloquium de pace auro redimenda, obsessos inter obsidentesque, haberetur, superueniens Dictator altero prælio hostem in semirutæ vrbis solo perculit, altero Gabina via, quo se ex fuga contulerat, plane deleuit. Ita fere Liuius; quæ alijaliter, vt ex Annalibus intelliges. Dictator recuperata ex hostibus patria, triumphans in vrbem redit, interque gratulationes, Romulus ac parens patriæ appellatur. Mox etiam rogationem Tribunorum de patria, occasione incensæ vrbis deferenda, & Veiis commutanda, retenta tantisper rogante Senatu dictatura, eleganti oratione discussit, & ad Vrbem instaurandam induxit.

Vrbem cædibus & incendio fœdant.

IV. A Camillo & Cæcutio dissuasis vim cuntur.

V. Camillus dictator contra illos

Capitolium periclitatum.

Camillus triumphus.

Vide

ANNVS MVNDI 3666.

IOIADÆ Ducis & Pontificis 17.

ARTAXERXIS Mnem.17.Imp.Persæ,150.

OLYMP. XCVIII.AN. 1.V.C.365.

ANTE CHRISTVM 387.

I. Pax Antalcidæa Ad eam Græci necessitate cõpulsi.

AD hunc annum Antalcidæam pacem, vel Xenophonte autore referimus, vt diligentius in Annalibus explicatum est. Adeam Rex ipse adducebatur, vt ne in bello contra Euagoram Cyprium suscepto à Græcis impediretur: Græci autem ad eandem, quamuis sibi ignominiosam & noxiam, necessitate adducti sunt. Nam Athenienses,qui magnam videbant Lacedæmoniorum potentiam, eamque Persarum beneuolentia,copijs, sumptibusque subnixam, & Lysandream rursus cladem,imminebat enim Agesilaus, formidabant,ad eam compellebantur. Lacedæmonij quoque,quibus necesse erat pleraſque vrbes copijs munire, & tenere præsidio,ne vel sibi perirent, vel à se deficerent,bello finem imponi non ægrè ferebant, sicut nec Argiui, qui copias contra se decretas scirent. Itaque die dicta ad proferendam pacis formulam, vniuersi ad Teribazum conuenere, qui eam regijs signis commonstratis, legit,in hanc sententiam.

II. Eius pacis formula.

Rex Artaxerxes æquum esse censet, vt vrbes in Asia sitæ, vna cum insulis Clazomenis & Cypro sibi pareant: Cætera Græci nomine oppida parua, magnæ sui iuris sunto, Lemnus, Imbrus, Scirus exceptuntor, quas vt olim, ita nunc etiam Athenienses obtinento. Hanc pacem quicumque reiecerint: iis equidem bellum, vna cum approbantibus eam, mari, terra, pecunia, classe inferam. Hæc cum vrbium legati audissent, viderentque plurimam iacturam fieri à potentioribus ciuitatibus, singuli de his ad suas Respublicas retulerunt, deque earum consensu iusiurandum præstiterunt. Soli Thebani non suo, sed Bœotorum nomine tantum, iusiurandum obtulerunt, quod cum Agesilaus, qui pacis erat executor non reciperet, nec se illi ad regiarum literarum mentem accommodarent, arma contra illos mouit. Iamque Tegeam cum infesto exercitu venerant, cum Thebani affuerunt,& se oppida liberati restituturos ipoponderunt,& fœderis conditionibus acquieuere;idipsum Argiui & Corinthij metu Agesilai fecerunt,& terrestres omnes, nauales que copiæ dimissæ sunt. Et hæc prima pax inter Athenienses & Lacedæmonios,eorumque socios,ab euersione murorum Atheniensium, quæ ante octodecim annos inita fuerat.

Xenoph. l. 5. p. 550. Gr. Lat.

Thebani belli metu consentiunt.

III. Mantinæi muris priuati à Lacedæmoniis.

Eodem anno Lacedæmonij Mantinæos,quos sibi belli tempore parum fideles experti fuerãt, ira mulctare decreuerunt, vt deinceps insidi esse non possent. Itaque missis ad eos legatis,muros diruere iusserunt: quod cum illi recusarent, Agesipolis ciues obsidione cinxit;quę cum diuturna futura videretur ,propter ingentem commeatus copiam ante collectam,flumen obiecto aggere in eorum mœnia immisit;quę cum aqua labefactarentur,timerentque Mantinæi,ne illis corruentibus,ea paterentur quæ solent vi captæ ciuitates, & muros diruere , & sparsim per vicos habitare consenserunt. Itaque diruta est mutus,& vrbe quatuor in partes diuisa,Mantinæi sparsim vt olim habitarunt, 60.de primoribus solum vertentibus. Misit hoc anno Dionysius Tyrannus ad Olympica certamina quadrigas celeritate præstantes, scenasque multo auro,artificioque exornatas;addidit & poëmata, quæ in illa panegyrica celebritate recitarentur; quæ primum quidem propter actorum eximiam vocem actionisque dignitatem, mirifice probabantur; vbi vero quam inepta essent carmina animaduersum est,explosa sunt.

Dionysij poemata, &c.

Romæ ciues magnis animis,& indefesso labore ad instaurandam vrbem incumbebant, cum C.Marcius Tribunus plebis Q.Fabio cum primum abiit magistratu, diem dixit.Is enim erat qui ducem Gallorum legatus interfecerat. Sed illi iudicio eum mors tam opportuna subtraxit,vt à plerisque voluntaria crederetur. Noui autem magistratus nihil antiquius habuere, quam vt Senatum de religione consulerent.Sed eam rem Senatus ad Pontifices sapienter reiecit:à quibus decretum est vt dies ad 15.Cal.Sextiles,qui est Iulij decimus octauus, inter atros censeretur,quòd duplici clade esset insignis,Fabiorum ad Cremeram cæde,& fœda ad Alliam pugna; quasi in diebus , & non in hominibus malæ gestæ rei culpa resideret. Cæterum non diu licuit quietis agitare consilia, exigendæ ex tam graui casu Reip. Volscis,Æquis, Hetruscis Romanos mordentibus; quin & Hernici,quorum fides centesimum iam prope annum steterat,defecisse ferebantur.

IV. Roma instauratur, Fabius legatus moritur.

Dies cladis superstitiose dãnatur.

Itaque cum tanti terrores vndique afferrentur,placuit eiusdem auspicijs defendi Rempubcuius recuperata fuerat, dictusque est Dictator M.Furius Camillus: qui iustitio indicto, delectúque habito copias trifariam diuisit, partem vnam in agro Veiente Hetruriæ opposuit, alteram ante vrbem castra locare iussit,tertiam ipse duxit in Volscos; quos nominis sui gloria territos,igne vincit & ferro,castra primo impetu capit,prædamque militi permittit Inde in Æquos transgressus,eorum exercitum adBolas oppressit,nec castra modo sed vrbem aggressus,primo cepit insultu. Interea cum Hetrusci Sutrinos populi Romani socios, tardante auxilio ad deditionem compulissent,& vrbe eiecissent,eodem die superueniens Camillus,breue gaudium Hetruscis reliquit. Improuisus enim vrbem inuasit incustoditam, & post multam hostium cædem, eam Sutrinis restituit:indeq; triumphans,trium simul populorum victor,in vrbem ingressus est.

V. Camillus tertium Dictator, bene tem cum triplici hoste gerit.

Eodem anno in ciuitatem egentem incolis, diuersi fugitiui accepti sunt,& Senatus Consulto compulsi Romani aliqui , Veiis relictis in vrbem remigrare, quæ intra hunc fere annum nouis ædificijs noua steterit. At ne priuatis tantum ædibus vrbs augeretur , Capitolium quoque proximo anno saxo quadrato substructum est, opus vel in posteriorum temporum magnificentia visendum.

VI. Romæ ciuibus ædibusque renouatur.

3667

Eodemque tempore cum Olynthij in Thracia potentia crescerent, vicinosque grauarent,exorati Lacedæmonij ab iis, qui iniuriam accipiebant, miserunt Phœbidam cum copijs, qui ex itinere Thebas ingressus arcẽ prodidit Leontiade

Arx Thebana à Lacedæmoniis occupatur.

occu

occupauit, quam is odio collegæ Ismæniæ pactauit. Id quia iniussu Reipubl. factum fuerat, etiam improbatum est, adeo vt propterea magistratu deiectus mille minis mulctaretur. Arcem nihilominus præsidio tenuere, persuasi id esse è Repub. Græcis valde admirantibus, quod cuius facinoris autorem pœna affecissent, facinus tamen reipsa approbarent. Nimirum principes proditores oderunt, proditiones sibi vtiles, non item.

ANNVS MVNDI 3668.

IONATHÆ Ducis & Pont. 19.

ARTAXERX. Mne. 19. Imp. Pers. 152.

OLYMP. XCVIII. A. 3. V. C. 367.

ANTE CHRISTVM 385.

I. Teleutiæ de Olynthiis victoria.

TEleutias Agesilaus frater loco Phœbidæ lẽte Olynthum versus progrediebatur, quod & corpus maiores ex itinere cõtraheret, & Macedones subsidiarios ad bellum alliceret, vt Macedonio equitatu esset instructior. Amyntam porro Macedonum regem, & Derdam Elimææ principem excitabat vehementius, spe recuperandi regni, quod magna ex parte ab Olynthijs fuerat occupatum. Ergo cum Potidæam magno cum exercitu peruenisset, inde in hosticũ acie instructa progressus, Olynthios in occursu habuit, cũ quibus atrox extitit pugna, Teleutias tamen denique victor fuit, & trophæum, victoriæ argumentum erexit: reliquus annus in quibusdam excursionibus consumptus est.

II. *Iust. l. 15.* Pugna Persarum cũ Cyprijs, & victoria.

In hunc quoque annum Diodorus refert pugnam Persarum contra Cyprios. Et vtriusque regis erant ingentes copiæ, cum præsertim Euagoras tam Ægyptios, quam cæteros Persarum inimicos sibi adiunxisset, in quibus Titij quoq; fuerunt & Arabes. Cum ergo is prædatorijs nauibus oneratias Persarum intercepisset, in eorum exercitum non caritatem solum, sed famem etiam, & seditionem inuexit. Deinde nauali certamine improuisos inuadens, non leuia Persis damna intulit: donec illi animis viribusq; recepris superiores euadunt, & Euagoriani cum magna triremium iactura fugam capessunt, Persæ Salaminam Cypri terra marique obsident. Teribazus à prælio nauali in Ciliciam traiecit, atq; inde ad regem profectus, victoriæ nunciũ pertulit, & duo talentum millia ad belli vsus importauit. Euagoras in belli proposito perseuerans, cum decem triremibus noctu Salamina soluit, & in Ægyptum deuehitur, regiq; Achori persuadet, vt rotis secum viribus in hoc Persicũ bellum incumbat. Inde anno sequenti redijt, quo bellum hoc secuta pace finitum est.

Euagoras Ægyptũ petit.

III. Tribus Romæ auctæ. Ann. Sabbaticus.

Romæ auctis ciuibus, ædibusque publicis ac priuatis, auctæ quoque sunt tribus, & prioribus, Liuio teste, additæ sunt quatuor. Vide Annales, vbi notatum reperies hunc annum Sabbaticum 155.

ANNVS MVNDI 3669.

IONATHÆ Ducis & Pontificis 20.

ARTAXER. Mnem. 20. Imp. Persar. 153.

OLYMP. XCVIII. An. 4. V. C. 368.

ANTE CHRISTVM 384.

I. Olynthiĩ cũ cladẽ

IAm ver appetierat, cum equites Olynthij fere sexcenti in agrum Apollonienſium infusi, passim omnia populabantur; eos enim oderant, quod nuper missis legatis, Spartanos in auxiliũ contra Olynthios euocarant. Forte autem contigit vt Derdas, qui Thraciam cum suo equitatu repetebat, Apolloniæ prandere t. Itaque incursione perspecta clam suum instruxit, & in hostem, vsque ad portas vrbis contemptim obequitantem, immisit, & fugientes ad Olynthi vsque portas cædendo persecutus est. Aliquanto post cum Teleutias Agesilai frater denuo copias contra Olynthios duceret, primo dux eius Themonidas, propere atq; improuide pugnãs, cum supra centum cetratis suis interficitur. Tũ Teleutias ipse hoc spectaculo vehementius cõmotus, copias omnes in Olynthios educit, eosque ad vrbem vsque persequitur: vbi cum è turribus denso telorum imbre peterentur, referre pedem turbatis agminibus coguntur. Hic Olynthij equites suos in turbatos immittunt, indeq; certatos, reliquasque copias: cumq; ibi Teleutias acriter pugnaret, occiditur. Fusus inde vniuersus Spartanorum exercitus, varia in oppida corripit fugam, & ab Olynthijs persequentibus, magno numero trucidatur.

Rursum q; de Spartanis victoria.

Teleutias occũbit.

II. Pax Euagaræ cũ Persis.

Euagoras hoc anno Cyprum repetit ex Ægypto, vt Diodoro placet. Cumque Salaminam vehementi obsidione pressam inuenisset, seque sociorum auxilio destitutum, legationem de pace mittere cogitur; sed acerbas eius conditiones Theribazus exigebat, vincula & seruitutem afflicto Euagorę destinans, quæ sibi ipsi imminere non putabat. Orontes enim Artaxerxis gener, inuidens Theribazi gloriæ, de Cypro Imperio Persarum acquisita, eum apud regem studij rerum nouarum criminatus est, & priuatæ cum Lacedæmonijs, & copiarum ducibus amicitiæ. Quibus calumnijs vsque adeo illum regi suspectum reddidit, vt is rescriberet, vt Theribazum in vincula coniectum illico ad se mitteret, quod & factum est: illeque superuenientibus alijs negotijs, diu in vinculis hæsit. Orontes autem copijs cum summo imperio præfectus, veritus nouum aliquem motum, pacem cum Euagora ijs conditionibus confecit, quibus ille cum Theribazo consenserat. Sic bellum Cyprium quod decennium tenuit, duobus annis perfectum est.

Orontis in Theribazum simultas.

Allatus porro in vrbem rumor, quod Hetruria in armis esset, Camillo iterum magistratum conciliauit; ei quinque collegæ imperium quasi Dictatori summiserunt; quos cum ea de causa Senatus collaudasset, Camillus vtrisque, confusus animo gratias egit, & operam suam Reipub. verecundè pollicitus, vnumè collegis quasi Magistrum equitum constituit, reliquis munera

III. Camillus iterũ dictator Volsc. bene gerit.

sua, tam ad vrbis custodiam, quam ad aliorum hostium impetum propulsandum demandauit, quæ illi summa concordia sunt executi. Ad Volscos ergo proficiscitur Camillus, quorum exercitus Latinorum atque Hernicorum copijs ita fuerat auctus, vt centenis singuli Romani pugnaturi viderentur. Verum fortissimi Imperatoris oratione, felicitate, exemploque confirmati, in arma ruunt. Volsci contra, certi victoriam vbiq; Camillum sequi, animo debilitabantur. Denique longa pugna milite vtrinque fatigato, repentina imbrium procella pugnam diremit. Mox reliquum bellum confecit. Nam Latini & Hernici domum taciti rediere. Volsci deserti, relictis castris, mœnibus Satrici se inclusere: vbi mox capta vrbe, armisque abiectis, dedidere se. Camillus superuenientibus in vrbem Hetruscis occurrit, & capta ab eis oppida summa celeritate, recuperauit, & multiplici victoria glorioſius Vrbem repetijt.

M. Manlius res nouas molitur.

ANNVS MVNDI 3670.

IONATHÆ Ducis & Pont. 21.

ARTAXERX. Mnem. 21. Imper. Pers. 154.

OLYMP. XCIX. A. 1. V. C. 369.

ANTE CHRISTVM 383.

In vincula à Dictatore Cor. Cosso cõiicitur.

TEleuciæ morte, & clade Lacedæmoniorum Spartã delata, decretum est eò rursus magnas copias, cum rege Agesipoli mittendas esse, quæ elatos prospero successu Olynthiorum animos reprimerent. Porro Agesipoli, sicut pridẽ Agesilao in Asiã proficiscenti, Ephori 30. Spartanos consiliarios adhibent, multiq; voluntarij se illi adiunxerunt, simulque in Thraciam hoc anno profecti sunt. Interea Agesilaus Phliasios Sicyoniæ populum, exules suos male tractantẽ castigat, eorumq; arcem ad 20. menses obsidet. Autor est Dionys. Halicar. natum hoc anno primo Olympiadis vndecentesimæ Aristotelem, prætore Athenis Diotrepe, triennio ante Demosthenem, quando maxime florebat Parmenides, vt autor est in huius vita Laërtius.

Interea Teribazus Orontis oppressus calumnijs, in Perside tenebatur: cum Gaos naualis exercitus Persarum prætor Teribazi gener, sibi à rege metuens, ob communicata cum socero consilia, à rege defecit, seque Ægyptijs Lacedæmonijsq; sociauit. Artaxerxes autẽ, bello quod cum Cadusijs gerebat finito, Teribazi causam tribus iudicibus commisit: quibus ita suam probauit innocentiam, atque in Regem merita, vt ab omnibus absolutus fuerit, & à Rege deinceps magnis honoribus affectus. At Orontem falsæ accusationis damnatum, ex amicorum catalogo eiectum, ignominia notauit, vt scribit Diodorus, qui nihilominus Mysiæ Satrapa postea legitur effectus. Sed de eo nobis postea sermo recurret. Insigne porro fuisse hoc Teribazi iudicium, ex Annalibus intelliges: sicut & Artaxerxis in Iudices iniustos crudelitatem.

Romæ autem M. Manlius, qui Gallos Capitolium nocte inuadẽtes depulerat, superbia elatus, opibusq; subnixus, Camilli gloriæ æmulus, res nouas moliri cœpit, factusque popularis criminari patres, plebẽ ad se allicere, occasionem ærис alieni, quod pleriq; ædificando contraxerant. Imminebat interea bellũ à Volscis, Latinorum atq; Hernicorum defectione cumulatum. Quæ in speciem causa fuit Romanis maioris quærendæ potestatis. Sed noua consilia Manlij magis cõpulere Senatum, ad nouũ Dictatorem creandũ; is dictus est A. Cornelius Cossus, qui re feliciter cum hoste gesta, gliscente seditione Manliana reuocatus est in vrbem, vbi ille largitione regnũ, nouisq; tabulis affectabat. Auxit seditionem eius in patres calumnia, quos criminabatur publicam pecuniã, Gallis pro ciuitatis redemptione numeratã, plebi ereptam, in paucorum prædam vertisse. Dictator euocato per viatorem Manlio, vinculorum pœna proposita, iubet eum indicare apud quẽ præda ista occultetur. Ille cum tergiuersaretur, Dictator hominem falsi criminis insimulantem Senatum, in vincula duci iussit; itaque factum, nemine in contrarium hiscere audente: tanta erat reuerentia maiestatis.

IV. Et plebe tumultuante liberatur.

Coniecto in carcerem Manlio, magna pars plebis vestẽ, vt in luctu mutauit, & in vestibulo carceris mœsta obuersabatur. Dictatoris mox de Volscis triumphus inuidiam & seditionẽ auxit: cumq; vis à plebe ad liberandum Manliũ timeretur, vltro S.C. liberatus est; quo facto seditio non finita, sed dux seditioni datus est. Itaq; seditione Manliana recrudescente proximo anno sex Tribuni ex patribus creati sunt, in quibus M. Camill⁹ quintùm iam supremũ adijt magistratum, Manlius n. ignominia vinculorum irritatus, quorum inuidiam neq; Dictator, neq; Senatus vniuersus ferre potuisset, plebẽ ad vim incitabat, & regnum haud obscurè ambiebat. Senatus contrà, Tribunos plebis in suas partes traduxit, à quibus Manlio dicta est dies apud populũ. Is sordidatus causam dicit, à suis omnibus desertus. Nam affectati regni crimen omnes ab eo reddebat alienos, omnia eius decora obtuebatur. Cumq; in campo Marcio iudiciũ ageretur, atq; is protensa subinde manu, Capitoliũ quod seruauerat populo ostenderet, pleraque amica suffragia consequebatur. Sed mox translato alium in locum iudicio, damnatus, de saxo Tarpeio, Tribunorum iussu, in præceps actus est, & domus, quam in arce habuit, solo æquata.

3671.

Renouat seditiones.

Accusatur à Tribu. plebis.

De saxo deiicitur

Hoc ipso tempore Agesipolis Olynthum fatigabat, sociasque illius ciuitates, è quibus Toronem vi cepit. Sed in ipso æstatis feruore, igneo quodam ardore correptus est, & ad frigidum Pallenes locũ delatus, die 7 viuendi finem fecit, & melle oblitus, domumq; deportatus, regiam consecutus est sepulturam. Cuius morte cognita Agesilaus, non quasi sublato æmulo lætatus est, sed quasi amisso intimo amico lacrymas tudit. Is vigesimum iam mensem Phliasios obsidebat. Qui fame tandem domiti, quamuis non sera vsi parcimonia, inducias ab Agesilao ad Spartanam legationem impetrarunt. Vnde remissi & Agesilai arbitrio permissi, arce sua mulctati sunt, Spartano præsidio occupata.

V. *Xenop. l. 5. p. 564. Græc. Lac.* Agesipolis moritur.

Agesilaus Phliasios domat.

Natus est hoc anno Philippus Macedo magni Alexandri pater, regum ordine vigesimus secundus. Olympiadis nonagesimæ nonæ anno secundo, de quo nobis sæpius sermo recurret.

Ortus Philippi

ANNVS MVNDI 3672.

IONATHÆ Ducis & Pont. 23.

ARTAXERXIS Mne.23. Imp. Pers. 156.

OLYMP. XCIX A.1. VR. C.371.

ANTE CHRISTVM 381.

I. Olynthij vincuntur, & pacem à Sparta obtinent.

POlybiades, qui in curam Olynthiacæ expeditionis, loco Agesipolis demortui à Lacedæmonijs suffectus fuerat, bene rem aduersus Olynthios hoc anno gessit. Eos enim ad supremam famis necessitatem redactos, quod iam neque terra frumentum acciperent, neque mari quidquam importaretur, vtroque aditu à Spartanis intercluso, legatos de pace Lacedæmonē mittere compulit. Eam his conditionibus impetrarunt, vt eosdem cum Lacedæmonijs & hostes haberent & amicos, eosdemque quocunq; ducerent sequerentur. Quæ vbi promissa iureiurando firmata fuerunt, domum vtrique redierunt.

II. Coloniæ Romanæ deficiūt.

Romæ autem hostes noui exorti sunt præter Volscos, velut sorte quadam, inquit Liuius, prope in æternum exercendo Romano militi datos Circeij & Velitræ coloniæ, cum Lanceuinis; contra quos bellum decretum & apparatum; nec tamen, pestilentia & inopia frugum vrgente, gestum est. Quæ cunctatio spatium dederat colonis deprecandi Senatum, & belli à se auertendi; magnaque pars eò inclinabat, vt supplex legatio Romam mitteretur. Sed autores defectionis veriti ne Romanorum iræ dederentur, inconsultam plebem incitarunt, vt prædatum in agrum Romanum exirent, vt noua iniuria spes pacis omnis periret; pessimo consilio cum patria, quam soli perire malentes.

III. 3673. Lacedæm. florent.

Lacedæmonij porro, vt ad sequentem annū transeamus, florebant vehementer hoc tempore, & tantum non imperium totius Græciæ terra marique possidebant. Nam post Olynthios edomitos, Thebani & Bœotij reliqui, Cadmeia occupata, omnino erant in eorum potestate. Corinthios fidelissimos experiebantur, Argiui demissis erant animis, Athenienses passim à sociis deserti erant, Ipsi autem Lacedæmonij, Mātinæos, Phliasios, & quotquot animis non satis amicis in eos fuerant, non leui animaduersione castigauerant. Sed eos iniustitiæ vindex diuina prouidentia, per Thebanos, quorum illi arcem contra promissa iureiurando firmata, retinebant, eadem amissa, ingentibus malis afflixit, vt aliquanto post dicemus.

IV. Ortus Demosthenis.

Hoc eorum statu, atque hoc ipso anno natus est princeps Oratorum Græcorum Demosthenes. Nam Dionys. Halicarnassensis, qui Aristotelem triennio maiorem putat esse Demosthene, huius ortum differt in præsentem annum, qui centesimam Olympiadem antecedit, quo Demophilus Prætor Athenis fuit: de quo plura in Annalibus reperiet studiosus Lector, & de eodem sæpius in posterum sermo recurret.

Pugnatur in colonias.

In Italia duo Tribuni milit. Sp. & L. Papyrius Velitras duxere legiones, quibus auxilio venerant Prænestini. Secundo prælio contra vtrosque pugnatum est, & fuga propere in oppidum facta. Abeius tamen oppugnatione abstinuere Tribuni, quia & anceps erat, nec in perniciem coloniæ pugnandum censebant. Itaque Prænestinis bellum hoc anno indictum est proximoque gestum.

ANNVS MVNDI 3674.

IONATHÆ Ducis & Pont. 25.

ARTAXER. Mnemon. 25. Imp. Pers. 158.

OLYMPIADIS C. A.1. V. C. 373.

ANTE CHRISTVM 379.

CEntesima quam ingredimur Olymp. Dionysidorus Tarentinus palmam in Olympicis meritus & consecutus est, Pythea Athenis Prætore. Qui annus, sicut & sequens, inops rerum Græcarum ac Persicarum fuit. At in Italia Prænestini Volscis coniuncti, Satricum populi Romani coloniam, pertinaciter à Colonis defensam, vi expugnarunt, victosq; fœdè tractarunt. Eam rem ægre passi Romani, Camillum quamuis excusantem, Tribunum cum quinque collegis creauerunt, eiq; bellum in Volscos extra ordinem decretum est, & sorte ex collegis L. Furius adiutor datus, qui cunctātem ad conserendas cum hoste manus Camillum ad pugnā permittendam compulit. Primo fere congressu Volsci ficta fuga, in pugnę locum iniquum Romanos trahunt: quando etiam validæ aliquot cohortes opportunè è castris in Romanos prorupere, eosque in fugam compulere.

At Camillus, qui ex alto in euentum pugnæ erat intentus, suis occurrēs, eis vires animosque restituit, & hostem in veram fugam conuertit, magnamq; partem in fuga, & castris. quæ eodē impetu capta sunt, cecidit, pluresq; captiuos abduxit, in quibus cum Tusculani aliquot deprehensi essent, qui cum denique publico consilio militasse faterentur, iubetur Camillus à Senatu in Tusculanos arma vertere, & quem vellet ex collegis optare. Is cōtra spem omniū L. Furium optauit; qua moderatione animi, cum Collegæ leuauit infamiā, tum sibi gloriam ingentem peperit. Existimauit enim eum euentu rei satis castigatum, sua consilia melioribus non prælaturum, & fortiter pugnando præteritam culpam emendaturum. Verum Tusculi quieta omnia reperta sunt; indeque Romam missi legati, cum ingenua confessione culpæ, non solum pacem, sed ciuitatis etiam societatem impetrarunt.

Porro Prænestini erant in armis, nec Tribuni plebi delectum fieri sinebant, ideoque illi tanto ferocius in bellum ruebant, adeo vt pernastato agro Romano, ad portam Collinam signa inferrent. Id demum ad seditionem in vrbe extinguendam valuit. Quippe ad arma statim cōclamatum est, & T. Quint. Cincinnatus Dictator dictus. Quod vbi auditū est, simul hostes à mœnibus recessere, simul iuuentus Romana conuenit. Illi iuxta Alliam fluuium castra superstitiose posuere: nec tamen equitem Romanū peditemve sustinuere, sed primo impetu ac clamore turbati terga verterunt, nec prius à fuga destiterunt, quam desertis etiam castris Prænestę in cōspectu fuit, vbi locum tumultuosè communiunt. Sed Romanus castris direptis, etiam hoc munimento hostem expulit, & in vrbem

I. Olympias 100.

Bellum Prænestinum & Volscum

II Camillus Collegā liberat.

Res Tusculi gestæ.

III. 367 Prænestini à Dictatore deuicti dedunt se & agrum.

compulit, quæ post octo oppida illi subiecta, haud magno certamine superata, etiam per deditionem recepta est. Velitræ quoque expugnatæ. Ita T. Quintius semel acie victos, binis hostium castris, nouemque oppidis vi captis, & Prænestè in deditionem accepto, Romam triumphans ingressus est, & vigesimo quam creatus fuerat die, se magistratu abdicauit.

IV. Mausolus moritur. *l. 36. c. 5. & 6.*

In hunc ipsum annum Plinius quamuis repugnante Diodoro, Mausoli reguli Cariæ mortem refert, cui vxor magnificum sepulchrum erexit, dixitque Mausolæum: quod cæteris deinceps sepulchris, artè materiaq; visendis, nomen dedit. Est hic idem annus apud Hebræos 156. Sabbaticus.

ANNVS MVNDI 3676.

IOIADÆ Ducis & Pont. 27.

ARTAXERXIS Mnem. 27. Imp. Pers. 160.

OLYMP. C. AN. 3. VRB. CO. 375.

ANTE CHRISTVM 377.

I. Belli Bœotici exordiũ. *Xenoph. l. 5. p. 566. & seq.*

RECuperatam hoc anno arcem Cadmæam à Thebanis, simulq; exortum Bœoticum bellum Lacedæmonios inter & Thebanos, autore est Diodorus in hunc annum. Sed historia ipsa, quamuis temporum notis destituta, non ieui vel autoris culpa, vel posterorum iactura, à Xenophonte petenda est; qui ab hoc facto initium duxit debilitatæ Lacedæmoniorum potentiæ quæ post annos octo à Thebanis in Leuctrica pugna accisa, pene concidit. In quo diuinam etiam prouidentiam Xenophon agnouit, qua factum est, vt per quæ quis peccauerat, per eadem & puniretur. Nam iniuria in Thebanos à Thebanis ita vindicata est, vt sicut 7. Thebanorum proditione in arcis possessionem venerant, ita à 7. exulibus Thebanis illa priuarentur.

II. Coniuratio in Thebanos Polemarchos.

Dominabantur Thebis septem prætores militares, quos Polemarchos vocabant, contra quos septem exules de tyrannide extinguenda coniurant; qui cætera inermes, sicas tantum secum sumunt, Thebanumque agrum noctu ingressi, proximo die latuerunt; vesperi more rusticorum tarde redeuntium, in vrbem ingrediuntur, & eam noctem diemque proximum, se in ædibus cuiusdam Charonis continent. Interim Phillidas, qui erat coniurationis caput, Polemarchis Veneris festum celebrantibus, iãque cœnatis, & vino incalescentibus, promissa cum mulierc arum loco, coniuratos muliebri habitu introduxit, famulis omnibus aliò callidè ablegatis. Cumque singuli coniurati apud singulos collocati essent, cum primum assidere iussi sunt, quisque suum Polemarchum sica confodit.

Eorumq; ædes.

III. Arx Cadmæa à Thebanis recepta.

Inde carcerem adeunt, & specie adducendi reum vinculis constringendum admissi, custodem carceris interficiunt, vinctos soluunt, armis instruunt, eisque se ciues per præconem euocati, & de tyrannorum cæde admonti, coniungunt; tum reliquos exules, & auxilia Athenien sium, ad arcem expugnandam euocant. Auxilia præfecti arcis repellunt, & absessos audacia sua, & rerum successu perterritos, inde cũ armis eijciunt, fide data de incolumitate, sacramentoque firmata, quam tamen mox violarũt; quin & eorum liberos maiori crudelitate peremere. At Lacedæmonij re cognita, Præfectum arcis, qui subsidia non expectarat, morte mulctant, simul aduersus Thebanos delectus habent, & Agesilao ætatem excusante, frater eius Cleombrotus hyeme aspera cum copiis contra Thebanos mittitur. Hæc fere Xenophon, quæ alij aliter retulerunt, vt idem ipse Xenophon non negat.

Lacedæmonij copias in eos mittunt.

Proximo itaque anno Cleombrotus, itinere versus Platæas capto, Cetratos præmisit, qui in præsidium 150. Thebanorum, qui nuper è carcere educti fuerant, cum incidissent, vniuersos interfecerunt. Ipse Platæas primum, tum Thespias profectus, Sphodriam ibi præfecit parti copiarum, inde cum reliquis copiis, domum reuersus est. At Thebani, qui nimirum potentes aduersarios formidabant, Sphodria pecunijs corrupto, Athenienses in belli societatem traxerunt, Athenas quippe Sphodrias temere, atq; inuisus bello petiit. Quam ob rem cum ab Ephoris ad iudicium capitis accerseretur, non est ausus se iudicio sistere; Agesilai tamen fauore absolutus est. Qua re cognita Athenienses irati arma parant, & Bœotis summa alacritate opem ferunt. Lacedæmonij vero nouos delectus aduersus Thebanos decernunt. Et Agesilaum vt exercitum duceret Cleombroti loco exorant. Is profectionem tum Spartana cunctatione, tum propria ab hoc bello alienatione vius, reliquo anno comparauit.

3677. IV. Res à Cleombroto gestæ.

Thebani Atheniẽses belli socios reddunt.

Romæ priore anno prouincia Volscos debellandi Manlijs extra ordinem data; est qui tamen parum feliciter rem gesserunt. Nam in insidias per imprudentiam inducti, multos suorum amiserunt, ac ne castra quidem sua satis tutari sunt, magnaque omnino clades imminebat si Volsci victoria vti sciuissent, sed ij tantisper quieuere, dum sequenti anno legiones suas in agrum Romanum intulere, eumque populati sunt. Romani vicissim, seditione ob æs alienum compulsa, binos exercitus cum totidem tribunis, in Volscorum regionem immiserunt: à quibus, quasi per otium, hostili agro ingentes calamitates illatæ, si forte Volscos ad certamen elicerent; qui cum non comparerent, hominum pecudumque abacta præda, in vrbem reuersi sunt. Iocularibus profecto bellis vsi videntur tam Volsci, quam cæteri fere Romanorum hostes, qui arma magno sonitu ac tumultu crepare nt, deinde abderent se taciti, & abactas prædas, fumantesque villas pauidi respectarent. Neque magis serio vsi agere Romani, qui quod bellum triennio conficere potuissent, hoste semel afflicto, in centum annos plures etiam protraxere.

V. Manlij eam male gerunt contra Volscos.

Bella parum prudenter ut serio gesta.

* * *

ANNVS MVNDI 3678.

IONATHÆ Ducis & Pontificis 29.

ARTAXER. MNEMON. 29. Imp. Per. 162.

OLYMPIADIS CI. AN. 1. VR. C. 377.

ANTE CHRISTVM 375.

I. Agesilai in Thebanos expeditio.

QVadringentis iam annis ab initio Olympiadum exactis, Agesilaus electus copiarum in Thebanos Imperator, antequam in agrum Thebanum irrumperet, Cithæronem occupauit, ac Thespias venit. Inde productis copiis Thebanorum in agrum perrexit, vbi cum hostem aliquandiu varijs velitationibus, ac vastatione fastigasset, Thespias reuersus, mœnibus oppidum illud cinxit, relictóque ibi Phœbida præfecto, (hic erat qui Cadmæam arcem opera Leontiadis occuparat) ciuium exercitum domum abduxit. Phœbidas autem prædonum manipulos emittens, excursionibus agrum Thebanorum populabatur, contra quem egressi Thebani, male ab eo accepti sunt: cumque referrent pedem, ad inuium quendam locum deuenerunt; vbi cum ad pugnæ necessitatem venissent, ipsum Phœbidam persequentem, cum paucis alijs interfecerunt. Ex quo res Thebana cœpit reuiuiscere, multíque se ijs aggregare ex oppidis, quæ Thebani bello petere cœpissent. Dum autem Ephori nouum delectum in ver proximum parant Polemarchum quendam cum cohorte mari mittunt, vt Thespias præsidio teneat.

Phœbidas dux Spartanus occiditur.

1679. II. Iterata Agesilai expeditio.

Inchoante vere Agesilaus cum nouis copijs Thebanos vario stratagemate fatigat, haud magno alterutrius partis cõpendio, dispendióue. Illud tamen memorabile contigit, quòd cum Thebani annonæ inopia premerentur, & frumentandi causa trecentos è suis, cum duabus triremibus & decem talentis Pagasas misissent, idque resciisset Alcetes Lacedæmonius, qui Eubœam cum præsidio tenebat, reuertentes inuadit, frumentum cum triremibus & hominibus capit, eosque carceribus mancipat. Sed cum is negligentius ex arce abiisset, eam captiui occupant, moxque vrbs ipsa à Lacedæmonijs defecit, & Thebani magna frumenti copia abundarũt.

Thebani capti captos suos capiunt

III. Pugna contra Volscos & Latinos.

Romæ autem priore anno, qui fuit Vrbis 377. plebs opibus optimatum coacta, omnes Tribunos militares creauit è patribus, & contra Volscos & Latinos, qui coniunctis legionibus ad Satricum castra habebant, profecta est, ducibus P. Valerio, & L. Æmylio. Vbi feliciter à Romanis semel iterumque pugnatum est, hostiliaque castra capta, direptáque. Hostis Satricum primo profugit, inde proxima nocte Antium. Ibi seditio Antiates inter & Latinos coorta est, quod illi victi malis, in quibus nati consenuerant, deditionem spectarent; Latini ex diutina pace, & non defectione animis ferociores, bellum mallent. Antiates ergo remotis Latinis, vrbem agrosque Romanis dedunt. Latini irati Satricum, quæ vrbs eos fugientes exceperat, incendunt; inde Tusculum profecti, vrbem capiunt, vbi mox à Romanis & Tusculanis, qui arcem retinuerant, ad vnum omnes interfecti sunt.

Antiates se Romanis dedũt

IV. Occasio communicati cũ plebe cõsulatus.

Interea plebi ad consulatum patefactus est aditus, occasione duarum filiarum M. Fabii Ambusti; quarum vna viro Patritio nupserat, altera plebeio. Hæc apud patrem gemebat, quod non nupsisset viro, qui honorum esset particeps. Pater filiam bono animo esse iussit, consiliáque iniri cœpit cum genero C. Licinio Stolone, adhibito etiam L. Sextio strenuo adolescente, de summo magistratu plebi communicando. Quod vt melius succederet, Tribuni plebis facti sunt C. Licinius, & L. Sextius à quibus tres contra Patricios promulgatæ sunt leges: vna de ære alieno, vt deducto de sorte eo quod vsuris pernumeratum esset, id quod superesset, triennio æquis portionibus persolueretur; altera ne quis plus quingenta agri iugera possideret: tertia vt comitia Consulum fierent, eorumque alter è plebe crearetur. His rebus contertiti patres, ad collegarum intercessiones recurrere, qui cum sæpius stipati patrum præsidijs vetarent, ne rogationes recitarentur, aut, ne plebs suffragia daret: Licinius quoque ac Sextius comitia cutulia haberi prohibuerunt; solosque AEdiles, ac Tribunos plebis creari passi sunt: eáque solitudo magistratuum, per quinquennium Vrbem tenuit.

Tres Plebeiæ leges.

Anarchiæ a. 1.

ANNVS MVNDI 3680.

IONATHÆ Ducis & Pontificis 31.

ARTAXERXIS 31. Impetij Pers. 164.

OLYMP. CI. AN. 1. V. C. 379.

ANARCHIÆ AN. 2.

ANTE CHRISTVM 373.

I. Expeditio Cleombroti in Thebanos inanis.

VEre iterum ineunte, cum Agesilaus in lecto diutina ægrotatione ex vena rupta decumberet, Lacedæmonij nouis contra Thebanos copijs, Cleombrotum Agesilai fratrem præficiunt: qui vbi cum exercitu iam ad Cithæronem accessisset, Cerratos præmisit, vt imminentia viæ loca præoccuparent. At ea iam Thebani & Athenienses occuparant, qui venientes male accipiunt, & ad 40. interficiunt. Quo casu Cleombrotus ratus fieri non posse vt in agrũ Thebanum transcenderet, copias inde abductas dimisit. Id ægre ferentes Lacedæmoniorum socij, classem 60. nauium instruunt, qua prohibent annonam Athenas deferri. Ea necessitate compulsi Athenienses naues cõscendunt, Chabria duce: qui nauali prælio cum Lacedæmonijs, eorumque duce Polle congressi, victoriam obtinent, & expectato frumento potiuntur. Nec plura hoc anno in Græcia.

Athenienſium de Spartani victoria. *Xenoph. l. 5. p. 171.*

II. Romanæ res.

Romæ autem duo Tribuni plebis Licinius & Sextius comitia maiorum magistratuum sua intercessione impediebant, & plebem sibi habebant obsequentem, quòd ea obfirmatione sententiæ patrum duriciam se fracturos sperabant, tresque illas rogationes de pecuniis, de agris, de honoribus perlaturos. Interim autem diuina prouidentia factum est, vt quies à bellis foret.

ANNVS MVNDI 3681

IONATHÆ Ducis & Pont. 32.

ARTAXERXIS 32. Imperij. Pers. 165.

OLYMP. CI. AN. 4. VR. CO. 380.

ANARCHIÆ AN. 3.

ANTE CHRISTVM 372.

INcidit in hunc annum, teste Pausania & Diodoro Siculo, horrenda clades in duo Achaiæ oppida, Buram & Hellicem, quæ ob supplices è templo abstractos ac trucidatos, violentis terræ motibus atque inundatione ita concussa sunt, atque obruta cum omnibus ciuibus, vix vt summa extarent arborum cacumina. Meminit quoque Ælianus, aitque quinque diebus antequam Helice pessum iret, ruinam præsensisse mures, indeque magna eorum examina profugisse; Sed hæc pluribus Annales dabunt.

I. Clades Buræ & Helices.

In hunc annum. Philippus obses apud Thebanos.

Hoc anno regnasse Alexandrum, fratrem Philippi, patris Alexandri magni, tradit Eusebius in Chronicis. Is inter prima initia regni sui, bellum ab Illyriis pacta mercede, & Philippo fratre obside dato redemit; quem Illyrij Thebanis conseruandum tradidere. Ibi triennio hospes habitus, prima pueritiæ cum Epaminonda redimenda posuit, sub Pythagoræo philosopho, cuius industria, ad excellentem virtutem vterque peruenit. Quod ad bella Græcorum attinet.

II. Athenienses, rogatu Thebanorum classem in Peloponnesum mittunt.

Cum rursum Lacedæmonij nouam aduersus Thebanos expeditionem pararent, rogarunt Thebani Athenienses, vt & ipsi exercitum in Peloponnesum mitterent, ne illis copiæ sufficerent, ad se socioſque suos tuendos, simulque Thebanos inuadendos. Ergo Athenienses 60. naues instruunt, quæ duce Timotheo circa Peloponnesum oberrant, & Corcyram occupant, vbi cum se Timotheus magna humanitate gessisset, vicinarum ciuitatum studia sibi conciliauit. Contrà Lacedæmonij classem quoque præparant, cui Nicolochum hominem audacem præficiunt. Is cum 55. nauibus aduersus 60. Timothei certat, & vincitur. Receptis deinde sex ex Ambracia triremibus, ad alterum certamen se offert. Timotheus classem quoq; suam, vsque ad septuaginta naues amplificat. Athenis pecunias suggerentibus. Interea Thebani, quod in eorum agrum Lacedæmonii penetrare nequiuissent, finitima Bœotiæ oppida adoriebantur, sibique adiungebant. Et nominatim in Phocensium fines expeditionem susceperè, paulò ante initium Olymp. CII. in qua Damon Thurius iterum victor effectus est; qui annus etiam Sabbaticus reperitur 157.

Timotheus & Nicolochus duces.

3682. Thebani locios acquirunt.

III. Phocenses à Sparta tuuantur. *Xen. l. 6.*

Ergo Phocenses Lacedæmonem sociam ac fœderatam ciuitatem legationem mittunt, ac significant se, nisi suppetias ipsi ferant, ad imperium Thebanorum admittendum coactum iri. Itaque missus est Sparta Cleombrotus cum paucis in agrum Phocensem; quod dum ille exequitur, Thebani re cognita ad fines suos pedem referentes, viarum aditus præsidiis tenuerunt. Interea Athen. qui creuisse Thebanos opera sua cernerent, cum tamen nihil ipsi pecuniæ ad sustentandam classem, cui Timotheus præerat suppeditarent, missis Spartam legatis pacem faciunt. Sed ea breuis admodum fuit. Cum enim Timotheus classem domum reduceret exules Zacinthios patriæ restituit. Quo facto Lacedæmonij classem instaurant 60. nauium cui Mnasippum præficiunt, eumque Corcyram bello aggredi iubent. Is eam insulam celeriter occupatam, per summam militum licentiam deuastat, ipsumque oppidum terra marique oppugnat.

Pax inter Athen. & Lacedæm.

IV. Res Corcyrensiũ.

Corcyrenses auxilia ab Athenienſibus postulant; hi Stesiclem ducem, cum ceteris fere sexcentis; in oppidum noctu immittunt, tum naues 60 instruunt, quibus primo Timotheum, deinde Iphicratem præficiunt, qui Corcyram cum 70. nauibus petit, quas etiam in itinere præparat ad nauale certamen. Fames interea Corcyrenses vehementer vrgebat, & multi ad Mnasippum transfugiebant, quos ille etiam flagris cæsos remittebat in vrbem; cumque eos obsessi non reciperent, foris miserè peribant.

Cum autem Mnasippus se quamprimum oppido potiturum speraret, & ideo militi stipendia malignè persolueret, illi negligentius excubias agebant. Quod animaduertentes oppidani, aliquot eruptionibus afflictum interficiunt, & Lacedæmonios, metu aduentantis Iphicratis perculsos, ex insula profugere cogunt, magna commeatus, mancipiorum & ægrorum turba relicta.

V. Quid egerit eos Iphicrates.

Interea aduenit Iphicrates in Corcyram, cum ex itinere oppida Cephallenię in potestatem redegisset: moxque decem triremes, à Dionysio Siciliæ tyranno, in auxilium Lacedæmoniorum missas, venientes inuasit, & vnà cum victoribus in potestatem redegit: & classe prope 90. nauium iam collecta parabat se, vt Lacedæmoniorũ fines infestaret. Sicque annus hic Græcis peractus est. Romanis autem hic quoq; annus quartus sine curulibus magistratibus transactus est.

ANNVS MVNDI 3683.

IONATHÆ Ducis & Pontificis 34.

ARTAXERXIS 34. Imperij Pers. 167.

OLYMP. CII. An. 2. VR. CO. 382.

ANARCHIÆ AN. 5.

ANTE CHRISTVM 370.

NObilitatur hic annus memorabili pugna Leuctrica, qua Lacedæmoniorum vires aliquot iam annis debilitatæ, propemodum vniuersæ conciderunt. In ratione enim temporis antiqui omnes, quotquot eius meminerunt, conueniunt, Eratosthenes, Clemens Alexandrinus, Diodorus Siculus, Polybius, Pausanias & si qui alij, præter recentiores. Cum igitur Athenienses, sub anni huius initium, Platæensium & Thespiensium exulum precibus moti, Lacedæmone de pace per legatos egissent, eam decreuere Lacedæmonij, his conditionibus

1. Pugna Leuctrica *Vide Ann.*

Pax inter Græcos exceptis Thebanis.

bus, vt præfectos suos ex vrbibus educerent, exercitus tam maritimos quam terrestres dimitterent, vrbes libertate frui sinerent. Quæ cum Lacedæmonij & Athenienses pro se socijsq; iureiurando promisissent, itidemq; Thebani. Illi nihilominus postridie reuersi postulabant, vt mutata scriptura, pro Thebanis Bœoti substituerentur. Quod Agesilaus se facturum negauit, nomen tamen Thebanorum si vellent deleturum; quod & factum videtur.

II. Cleombrotus contra eos mouet.

Nam cum Cleombrotus responsionem expectaret ab Ephoris, vt copias dimitteret, iussus est aduersum Thebanos ducere, ni ciuitatibus suam restitueret libertatem. Quod cum illi negligerent, & pugnam potius contra Cleombrotum pararent, hic improuisus Creusim peruenit, & vnà cú oppido, duodecim cepit Thebanorum triremes. Inde à mari ascendens ad Leuctra, Thespiensium in finibus castra locat. Ei castra sua Thebani duce Epaminonda, qui sex millia duntaxat militum sub signis habebat, vt ait Diodorus, aduerso in tumulo, non magno ex interuallo opponunt. Pars vtraque compellebatur ad pugnam. Nam amici Cleombroti eum ad pugnam incitabant, ne supplicio in patria afficeretur, qui iam semel atque iterum suspicionem dedisset, sui in Thebanos fauoris. Thebanos quoque vrgebat pugnæ necessitas, ne & finitima oppida ab ipsis deficerent, & obsessis Thebis, pace accepta, ipsi in exilium pellerentur, quod morte durius ducebant.

Incitamenta pugnæ.

III. Spartana superbia.

Interea Cleombrotus vel nimium superbè hoste contempto, vel nimium oscitanter à prædio post largiorem potum, de pugna postremú deliberabat. Eodem morbo plerique Spartani tenebantur. Cum enim plerique ex Thebanorum castris abirent, eos socij Cleombroti, ad castra redire compellebant, quasi veriti ne hostium vires minuerentur. Porro Thebani equites præliis exercitati multo meliore conditione erant, quam Spartani equites, tum equitandi rudes. Itaque in pugna equitatus mox succubuit, & fugiens in suos grauis armaturæ milites impegit, in quos eadem opera Thebani impressionem fecerunt; indeq; totus turbatur exercitus, & pleriq; duces ceciderunt, in quibus & Cleombrotus ipse, & Spodrias, & filius eius Cleonymus, & Dino Polemarchus, eiusq; comites. Deniq; Thebanis victoria cessit, amissis prope mille Lacedæmonijs, & Spartanis quadringentis, præter Phocensium, Thespiensium, Platæensium, aliorumq; sociorum numerum ingentem. Nam Diodorus ad quatuor millia Lacedæmoniorum, Bœotorum vero trecentos cecidisse scribit.

A Thebanis cõpressa magna clade.

IV. Cum Athenienſium luctu.

Thebani trophæum erigunt victoriæ testem & inducias hosti ad efferenda cadauera concedunt, nuncium quoq; coronatum Athenas mittunt, qui victoriæ magnitudinem exponat, & belli subsidia exoret. At illi cum mœrore excepterunt, & dimiserunt sine responso; ideoque ad Iasonem in Thessaliam, auxilij causa legatos misere. At vbi cladis nuncius Lacedæmonem delatus est, non clamores exciuit, sed ne ludos quidem interrupit: quin potius qui suos in bello amiserant nitidi ac læti postridie in publico versabantur, quasi ingenti honore affecti, qui suos patriæ saluti consecrassent. Quorum autem cognati superstites fuisse nunciati fuerant, aut publico carebant, aut tristi deiectoq; vultu obambulabant, rati eos vitam fuga atque ignauia redemisse. Apparatum quoque belli in annum sequentem redintegrarunt. Romæ autem hic postremus Anarchiæ annus fuit.

Spartana constantia.

ANNVS MVNDI 3684.

IONATHÆ Ducis & Pontificis 35.

ARTAXERXIS Mnem. 35. Imp. Pers. 168.

OLYMP. XCII. A. 3. VR. C. 383.

ANTE CHRISTVM 169.

I. Lacedæmonij suorum animos.

CLades Leuctrica, etsi priuatim multos Lacedæmoniorum afflixit, publicè tamé Reipub. animos minime fregit, sed instauratis copijs Archidamum Agesilai filium præficiunt, quibus Tegeatæ, Mantinæi, Corinthij, Sicionij, Phliasij, Achæi se socios adiungunt, & triremes ad traducendas copias instruunt. Thebanis viceuersa bellum omni studio moliuntur, & ab Athenienſibus vt dixi neglecti, Iasonem Thessalum adierunt, principem tunc prudentia clarum ac virtute. Is summa celeritate aduolat, pugnam tamen dissuasit, negans imponendam necessitatem Lacedæmoniis aut vincendi, aut moriendi, Lacedæmoniis vicissim suasit, ne Thebanos, ex victoria iam fortiores, nisi maioribus copijs instructi adoriantur, sociorum præsertim fide labefactata: inducias potius vt peterent auctor fuit, quas & impetrauit. Itaque Lacedæmonij quamprimum abeunt, Archidamus reducit exercitum, Iason domum reuertitur, breuique perimitur.

Iason Thessalus inducias persuadet.

II. Romæ ordinarius magistratus restituitur.

Hoc anno Romanis ordinarij magistratus restituti sunt Tribunis intercessionem remittentibus. L. Furius in Veliternos iamdudum Romanis insultantes missus, non solum Tusculo, quod oppugnabant, submouit hostem, sed intra suamet ipsum mœnia compulit, magnaq; vi obsedit, nec tamen hoc anno potuit expugnare. Ac ne sequenti quidem aliquid memorabile gessisse legitur. At in Græcia pax Antalcidæa Athenienſium opera renouatur, & iureiurando in hæc verba firmatur. *Perſiſtam in fœderibus, quæ Rex ad nos miſit, & in Athenienſium ſociorumque decretis. Quod ſi quis bellum fecerit vlli ciuitatum, quæ iuſiurandum hoc præſtiterit, totis virtibus opem feram.* Ita iuratum est ab omnibus, præterquam ab Eleis, qui subiecta sibi oppida sui iuris esse nolebant. Quæ causa fuit vt Mantinæi, qui vicatim, ac per pagos, ab Antalcidæa pace à Spartanis coacti habitauerant, iam facti iuris sui, in vnum se oppidum, muros extruendo cogerent, quantumuis repugnante Agesilao Lacedæmonio.

3635. Pax Antalcidæ renouatur.

III. Bellum quo occasione renouatur.

Contigit autem Tegeates inter se dissidere, quorum pars vna cum auxilium à Mantinæis obtinuisset, alia confugit ad Spartanos Mantinæis infensos, & ab eis auxilium duce Agesilao recepit; qui in agrum Mantinæum profectus, agros populatus est: nec tamen ad manus ventum est, quod Mantinæi, & Arcades, qui se ipsis coniunxerant, non prius pugnandum

conferent, quam Thebani, qui omnino expectabantur, aduenissent. Cum ergo pugnæ copia non daretur, Agesilaus hyeme iam media copias domum reduxit;

ANNVS MVNDI 3686.

IONATHÆ Ducis & Pont. 37.

ARTAXERXIS Mne. 37. Imp. Pers. 170.

OLYMP. CIII. A. 1. VR. C. 385.

ANTE CHRISTVM 367.

I. Aristoteles fit Platonis auditor.

HAc CIII. Olympiade, Aristoteles qui ea incunte decimum septimum agebat annum, Platoni se instituendum dedit, & apud eum viginti annis commoratus est, vt notauit Apollodorus in chronicis apud Eusebium. Eundem sub idem tempus audiuit Eudoxus, quamuis & præceptore, & paupertate repugnante. Hoc ipso anno regni sui 38. mortuus ex crapula traditur Dionysius Siciliæ tyrannus, anno ætatis 63. vt in Annalibus explicatur. Mors Dionysij.

II. Res a Thebanis gesta.

In Græcia vero Arcades, post discessum Agesilai, Heræenses vexarunt agro vastando, moxq; se Thebanis, in auxilium Mantinæorum venientibus, coniunxerunt. Cumque Thebani nullo hoste inuento, de reditu agerent, persuasi ab Arcadibus, cæterisq; Mantinæorum amicis, Spartanam regionem inuadunt, & superatis locorum angustiis, obuijs oppidis flammas injiciunt, ædes intactas, bonisq; refertas populantur. Spartiatæ vrbem tuentur, & sex millia seruorum cum spe libertatis armant, breuiq; sociarum vibium auxilio recepto, cum Arcadibus & Thebanis aliquot velitationibus confligunt. Ipsi quoq; Athenienses auxilia Iphicrate duce miserunt, qui Iudice Xenophonte, male atq; imperite suo munere functus, hostes præda onustos abire permisit, nihilq; eis in difficili transitu, cum maxime posset, molestiæ per socordiam, intulit. Spartam inuadunt.

III. Dictator creatur ad impediendas Tribunitias rogationes.

Tribunis autem Romæ creatis, principio statim anni ad vltimam de legibus dimicationem ventum est; itaq; patres ad auxilium Dictatoris accurrunt, M. Furium Camillum Dictatorem creant, qui cum in comitio consedisset, pro imperio instituit cõpescere Tribunos, & intercessionem collegarum tueri. Verum cum vitio creatus diceretur, magistratu se abdicauit: moxq; ei P. Manlius Dictator suffectus est. Interea cum Tribuni didicissent plebem de fœnore & agris rogationes iubere, de plebeio Consulatu antiquare, id moleste tulere. Itaq; cum eos iam nonùm tribunos, etiam decimùm proximis comitijs creare vellent, négarunt se eum magistratũ grauissimi oneris atq; inuidiæ subituros, nisi omnes simul leges ferri iuberent. Qua in re cum ambitionem suam aperte proderent, Appius Claudius grauem in Tribunos orationẽ habuit qua id modo consecutus est, vt tempus rogationum iubendarum proferretur. Ambitio Tribunorum.

3687. IV. Athenienses & Lacedæmonij in Thebanos conspirant. *Xenoph. l. 7. p. 616. & seq.*

Sequenti anno Lacedæmoniorum legati Athenas venere, deliberaturi de societate bellica, vt communibus armis animisque Thebanos opprimerent; itaque conuenere vt alternis quinis diebus aliquis ex vtrouis populo ducis officio fungeretur. Itaq; Corinthum vtriq; coniunctis viribus veniunt, sed à Thebanis, incauti deprehensi, non exigua clade affecti sunt. Mox autem Arcades à Thebanis, Lycomedis cuiusdam Mantinæi opera distracti sunt, dum alternatim cum Thebanis imperare volunt. Itaque Thebanos à se alienarunt, sicut & Eleos, quide inceps eorum cladibus, non minus quam Lacedæmonij ipsi lætati sunt, ea præsertim quam ab Archidamo acceperunt.

V. Decemuiri ex patribus & plebe creantur.

Romæ autem ijdem hoc anno Tribuni plebis Sextus & Licinius decimùm refecti sunt; qui de Decemuiris sacrorum partim ex patribus partim ex plebe creandis pertulere; qui & mox creati sunt, patefacta quodammodo ad plebeium consulatum via. Nihilominus Tribuni milites hoc quoq; anno creati sunt. Quibus magistratum gerentibus cum rumor Gallici belli [illegible]itatem perculisset, Camillus quintùm Dictator est dictus, qui contra Gallos in agro Albano pugnauit. Et quamquam illi ingentem terrorem memoria pristinæ cladis attulerant, nec dubia tamen Romanis, nec difficilis victoria fuit. Multa Gallorũ millia in acie, multa captis castris cæsa; reliqui fuga, quo eos cumque mortis pauor distulerat, euasere. Dictatori consensu Patrum, Plebisq; triumphus decretus est. Camillus Dictator bellum Gallicum suscepit, triumphat.

ANNVS MVNDI 3688.

IONATHÆ Ducis & Pont. 39.

ARTAXER. Mnemon. 39. Imp. Pers. 172.

OLYMPIADIS CIII. AN. 3. V. C. 387.

ANTE CHRISTVM 365.

I. Græciæ legati ad Persam. *Xenoph. l. 7.*

VAriæ hoc anno legationes in Persidem è Græcia ad Artaxerxem missæ sunt. Cum enim Thebani assiduè consultarent, qua ratione imperio Græciæ potiri possent, id se maxime ope Regis Persarum consequi posse arbitrabãtur. Cumq; iam Eurycles Lacedæmonius apud Regem esset, ad eum miserunt Pelopidam, Arcades Antiochum, Elei Archidamum, Argiui quendam cuius nomen excidit, Athenienses Timagoram & Leontem. Sed Pelopidas omnibus apud regem gratia, atq; autoritate præstitit: quod Thebani soli fere omnium Græcorum, vel cum eo superioribus annis pugnauerant, vel contra eum arma non sumpserant, & nuper contra Lacedæmonios fortissime rem gesserãt. Itaque literas obtinuit quibus ex regis sententia Messene à Laconum potestate eximebatur, Athenienses nauigia sua subducere iubebantur, ni parerent bellum eis indiceretur; si qua ciuitas sequi recusaret Thebanos, ea prima bello peteretur. Verum totus hic eorum conatus, ciuitatibus iurare nolentibus, in nihilum recidit. Epaminondas tamen Achæos tum celeritate, tum humanitate vsus, sibi reddidit obsequentes; idemque in cæteris obtinuisset, nisi per inuidiam alij præfecti ei subsituti fuissent, qui bene instituta mutarent, & pro socijs tederent inimicos. Thebanus Pelopidas gratiosus.

Camillus autem Dictator bello Gallico fe-

II.

licter

Romæ plebs cõsulatum extorquet.

liciter confecto, in orbem redierat, cum atrocem domi seditionem pro cõsulatu inuenit. Et licet tetenta Dictatura cum Senatu plebi resisteret, per ingentia tamen certamina Dictator, Senatusque victus est, vt rogationes tribunitiæ admitterentur. Comitia consularia sunt habita & primus è plebe Consul creatus est L. Sextius Lateranus. Et quia Patricij se autores futuros negabant, plebs autem secessionem minabatur, cum Dictator ædem concordiæ vouisset, ea conditione sedata est discordia, vt pro concesso plebeio Consule, plebs Prætorem vnum nobilitati concederet, qui ius in vrbe diceret. Duo quoque mox Ædiles Patricij creati sunt. Itaq; hic annus nouorum magistratuum fuit. Cumq; Tribuni plebis quererentur pro vno Consule plebi concesso, patres curules tres magistratus sibi arripuisse, concessit Senatus vt Ædiles ex plebe quoque alternis annis crearentur: postea vero id promiscuum fuit.

Nouus Prætor Patricius, & duo Ædiles.

ANNVS MVNDI 3689

IONATHÆ Ducis & Pontificis. 40.

ARTAX. MNEM. 40. & vlt. Imp. Per. 173.

OLYMP. CIII. AN. 4. VR. CO. 388.

ANTE CHRISTVM 364.

I. Obitus Artaxerxis, eiusque mores.

MOrtuus est hoc anno Artaxerxes, cognomento Mnemon cũ annos 40. regnasset, vt autor est Eusebius, & quos ille sequitur Africanus & Manetho, & qui illum sequuntur Hieron. & August. vt omittam Tertull. Bedam, alios q; quamplurimos, est enim communissima sententia. De moribus eius in vtramque partem plura in Annalibus collecta reperies. Hic illud vnum ex Xenophonte & Diodoro dixerim, fuisse illum principem insigniter amantem pacis, quam & in regno suo, & in Græcia magna studio, maximisque sumptibus stabiliendam curauit. Clemens habitus est, vt natura mollior, vt ait Plutarchus & popularium amans: quamuis non desint ab eo edita crudelitatis exempla. Scribit enim Iustinus coniuratorum filiorum coniuges omnes cum liberis, ne quod vestigium tãti sceleris extaret, interfecisse. Verum filius eius, & regni successor Ochus tam sæuus & atrox fuit, vt patri opinionem clementiæ conciliarit. Principem quoque mulierosum fuisse, cum trecentæ & sexaginta concubinæ, quas ei Plutarchus attribuit, tum cẽtum & quindecim filij quos numerat Iustinus, satis docent: qui etiam scribit eum morbo ex animi dolore contracto, decessisse.

Eius cõcubinæ & filii.

II. Aliquot fœdera pacis in Græcia.

Hoc anno Athenienses, salua Lacedæmoniorum amicitia, cum Arcadibus eorum inimicis fœdus iniere, interprete Lycomede. Corinthij quoque, bona cum Lacedæmonum venia, cum Thebanis, qui aduersus Spartanos implacabile bellum gerebant, pacem fecere; neque se belli Laconici socios fieri passi sunt. Quo etiam tempore Dionysius iunior naues duodecim subsidio misit Laced. qui mox Eleis contra Arcades, duce Archidamo semel iterumq; auxilio fuerunt; vbi & Archidamus rex traiecto femore vulneratus, Arcadibus victoriam reliquit, anno Olympiaco appetente, & sublatis per inducias mortuorum cadaueribus discessit, anno Olympiaco appetente, vt ait Xenophon, quod chronologiam nostram confirmat.

l. 7 p. 63 & 38.

III. Ingens Romæ pestilentia, & Camilli mores.

Consules porrò à bellis & seditionibus hoc anno vacarunt, sed pestilentia vehementer laboratum est. Censorem enim, Aedilem curulem, & tres Tribunos plebis mortuos ferũt: ex quo facile est conijcere quot funeribus in plebe grassata fuerit. Eadem etiam extinctum significat Livius M. Furium Camillum, virum in Republica Romana pace belloque clarissimum, annis post restitutã patriam viginti quinque. Est enim hic annus 25. à 364. quo pulsis Gallis Roma recepta est. Quoniam autem Appiano teste octogesimum annum egerat, cum Gallos proxime vicit, deque ijs triumphauit, secundo & octogesimo ætatis excessit è viuis.

Lde bell. Gall. cæ.

ANNVS MVNDI 3690.

IEDDOÆ qui & IADDVS Pont. 1.

ARTAXERXIS Ochi 1. Imp. Pers. 174.

OLYMP. CIV. AN. 1. VR. CON. 389.

ANTE CHRISTVM 363.

I. Ochus Imperũ Persarũ adit.

NOnus Persarum Imperator succedit imperio Artaxerxes Ochus, cui proprium Ochi nomen, quasi cognomen ad regium Artaxerxis nomen additum est. Non fuit hic regis primogenitus, sed Darius, quem pater per indulgentiam viuus regem cõstituerat. Verum is longioris vitæ patris, eiusdemque collegæ pertęsus, patris interficiendi consilium, Tiribazo impulsore cepit. At is Eunuchi opera manifesto in scelere à patre deprehensus, eiusdem iussu, dicta causa damnatus atq; occisus est. De cæteris fratribus Ochus duos, qui regno proximi videbantur, alterum calumnijs ad venenũ compulit; alterum decrepiti patris delicias, per Harpatem Tiribazi filium interemit, vt plutibus tradit Plutarchus in Artaxerxe.

Sub finem

Nouus Pontifex. *c. 12. 11. l. 11. c. 7.*

Nouum quoque regi addimus de more pontificem, qui apud Nehemiam vocatur Ieddoa filius Ionathæ, à Iosepho Iaddus filius Ioannis, qui, vt idem ait, proprium fratrem, nomine Iesum interfecit in templo, quam ob culpam Iudæi 7. annis ea pœna sunt affecti, vt prius quam quotidianas hostias offerrent, in singulos annos ex publico quinquaginta drachmas penderent: qui sunt duodecim sicli cum semisse.

II. Ochi exordia tæua. *l. 10.*

De Ochi autem initijs ista Iustinus. *Hæreditas regni Ocho tradita est, qui* merito *timens parem conjurationem*, ei scilicet quam Darius frater in Artaxerxem Mnemonem parentem excitarat, aut quam ipsemet recens in fratres duos fabricatus erat, *regiam cognatorum cade, & strage principum replet, nulla non sanguinis, non sexus, non ætatis misericordia permotus: scilicet ne innocentior fratribus homicidis haberetur. Atque ita velut purificato regno, bellum Cadusiis infert.* Sic ille. Incurrit autem principium regni eius, in principium Olympiadis centesimæ quartæ, quam Elei inter Anolympiades, id est, illegitimos ludorum conuentus numerauere, vt est apud Pausaniam. Eam autem Arcades celebrarunt eaque de causa populus vterque inter se decertarunt.

Arcades sacrileg.

Incidit in hoc quoque tempus contentio Arcadas inter & Mantinæos, quod illi pecunias sacras ex templo Iouis Olympici acciperent, & in profanos vsus converterent: quod primi Mantinæi suo decreto prohibuerunt: quorum iudicium in publico decem millium consilio comprobatum est, declaratumque sacrilegos, etiam in posteris suis, in omne deinceps tempus esse puniendos.

III. Bellum suscitant. a.m. 3622 n. 9.

Itaque Arcadum præfecti, qui pecuniam sacram contrectauerant, cum se animaduerterẽt de vita periclitaturos, si rationes reddendæ essent, priuatum periculum damno publico, vt olim Pericles, redimere cupientes, Thebanorũ auxilia petunt, ne sui ad Laced. partes transeant. At qui Arcadum & Mantinæorum hanc expeditionem auersabantur, Athenienſium auxilia postulant; Lacedemonios quoque orant, ne Thebanos patiantur in seruitutem redigere Peloponnesum. Interea Epaminondas cum multis Thebanorum, Eubœensium, ac Thessalorũ copijs, Peloponnesum petit, ratus multa ibi oppida ad se defectura, Argiuos adit vt transeũtes Athenienses ad defendendum Peloponnesum interciperet. Moxque Tegeam Arcadiæ vrbem petit, ibique castra ponit. Interim Peloponnesij Laconum fautores Mantinæam conuenere, dum Agesilaus, qui erat in itinere cum copijs expectabatur.

Expeditio Epaminõdæ.

IV. Spartam improuisus inuadit irrito conatu.

Epaminondas autẽ occasionem rei bene gerendę arripiens, Spartam ipsam tum propugnatoribus vacuam nocturno itinere improuisus inuadit, occupasset q; reuera, nisi diuino consilio factum esset, vt Agesilaus à quodam Cretensi de aduẽtu Epaminondæ curriculò monitus fuisset, & in ipso temporis articulo, quo vrbs capiebatur, sub tertiam noctis horam superuenisset, cum quo dubio certamine pugnatũ est. Hic ratus Epaminondas Arcadas quam primum Spartam, opis ferendæ causa concursuros, nolens cum vtrisq; simul ferro decernere, & sperans vicissim Mantineam propugnatoribus, qui Spartam conuolassent, vacuam fore, Tegeam nuam celerrime redit, & pedetentim quiescere iusso, equitem ad Mantinæos misit, qui frumenta, quæ in agris adhuc erant, diriperet, sed eos Athenienses repulerunt, prælio contra Thebanos feliciter commisso. Ergo Epaminõdas, qui paucis diebus semel iterumq; male pugnasset, statuit decretoria pugna, vel aduersos casus abolere victoria, vel mortẽ oppetere in conatu relinquendi patriæ suæ imperium Peloponnesi.

Polyb. l. 9. Sicut & Mantinæam.

V. Stratagemate vincit hostẽ.

Itaque pugnæ certus, cum militem haberet obsequentissimum, aciem instruit, & pugnæ spem hostibus præbet. Eam tamen vt infringeret, vt hostem inuaderet imparatum, subsistere militem suum in armis iubet, & speciem castra munientis exhibere, quo factum est vt maxima pars hostilis exercitus, huc illucq; dilaberetur, persuasa nullam tum pugnam imminere; non dissimili stratagemate illi, quo Lysander Athenienses, ante annos 40. profligauerat improuidè dissipatos. Ergo improuisus in hostem ducit: illi inopinato aduẽtu territi, turbidè ad equos, ad loricas, ad arma concurrere, adeo vt cladem accepturi potius, quam illaturi viderentur. Primus ipse cum parte copiarum longe robustissima, in hostem impetum facit, & qua parte eum aggressus est victoria potitus, vniuersum hostilem exercitum auertit in fugam. Verum postea quam ipse cecidit, sui recte victoria vti nescire, sed casu Imperatoris sui quasi attoniti, ne hostem quidem fugientem persequi potuere, sed quasi ipsimet victi essent, trepide per hostes fugientes elabebantur.

De ipsius autem Epaminondæ morte Diodorus, Æmilius Probus, & Iustinus addunt, eũ multis appetitum iam telis, in pectore lethale vulnus accepisse, hastilique defracto, & ferro in corpore relicto, acerbitate vulneris subactum illico prolapsum esse, & viuum in castra reportatum. Cumque accersiti medici asseuerarent quamprimum corpore telum extractum esset, mortem certissime secuturam; euocatum ad se armigerum rogat, num clypeus saluus sit, quem cum ille ostenderet, rursum rogat vtri vicerint, cumque ille respondisset vicisse Thebanos: iam tempus est, inquit, moriendi: statimque ferrum sibi extrahi iussit, & amicis cum lacrymis quærentibus, an liberorum expers libẽter mori posset, filias se duas ait relinquere, victoriam scilic. ad Leuctra, & ad Mantinæã; atq; his dictis, hastę mucrone educto, animam placide exhalauit.

VI. Et gloriose moritur.

Romæ autem cum morbus præcedenti anno exortus, etiam hoc perseueraret, nec vis morbi, ait Liuius, humanis consiliis, nec ope diuina leuaretur, ludi quoq; scenici sunt instituti, quib. nec religione animi, nec corpora leuata sunt morbis. Quin etiam cum medios forte ludos circus Tyberi superfuso irrigatus, impedisset, id vero velut auersis iam dijs, auersantibusq; placamina iræ terrorem ingentem fecit. At verius August. & Paulus Orosius, Autores suasere pontifices, vt ludi scenici dijs expetentibus ederentur: & ita propellenda temporali peste corporum accersitus est perpetuus morbus animorum. Verum hæc, hisq; similia pluribus referent Annales. Sequenti autem anno Idibus Septembris morbi sedandi causa, & claui figendi, dictus est Dictator L. Manlius cognomento Imperiosus, qui eum defixit, ad dexterum latus templi Iouis, ex parte qua Mineruæ templum erat, vt autor est Liuius. At in Græcia post pugnam ad Mantinæam, Græci perpetuis bellorũ certaminibus defessi de pace ineunda egerunt: Sed Lacedæmonij qui odio implacabili Messenios prosequebantur, eos fœdere communi includi noluerunt. At vrgentibus cæteris Græciæ populis, atq; ipso quoque Rege Persarum, in societatem admissi sunt, solis Lacedæmonijs fœderis legibus exclusis.

VII. Romæ moribus perseuerat.

l. 3. de Ciu. c. 17. l. 3. Instituũtur ludi scenici. *a.m. 3690 n. 4 & segg.* Qui fuit vrbis 390 *l. 9.*

3691.

ANNVS MVNDI 3692.

IEDDOÆ Ducis & Pontificis 3.

ARTAXERXIS Ochi 3. Imp. Pers. 176.

OLYMPIAD. CIV. A. 3. VRB. C. 391.

ANTE CHRISTVM 361.

I. Multæ in Asia defectiones

REfert in hunc annum Diodorus Siculus initia multorum in Asia & Ægypto motuum bellicorum, contra Persarum regem Artaxerxem, quem tamen Ochum, non Mnemonem fuisse putamus, plerisque ab eo

populis

populis satrapisque deficientibus, in quibus Ariobarzanes Phrygiæ satrapa, Orontes Mysiæ, Autophratades Lydiæ, & Mausolus Cariæ regulus: quem tamen Plinius ante quatuor Olymp. mortuum scribit. Addit Diodorus Lycios, Pisidas, Pāphilios, Cilices, Syros ac Phœnices. Tachos autem Rex Ægypti Achoris vestigia secutus, hac defectionū occasione vsus, bellum parat in Persas, multisque Græciæ ciuitatibus conductis, etiam Laced. in suas partes adduxit, qui tum Persis erant infensi, quòd rex Messenios communi Græciæ fœdere contineri voluisset. Ergo ad Ægyptum misere Agesilaum, quem rex mercenario è Græcia milite præfecit, Classi autem Chabriam Atheniensem; octoginta vero millibus peditum Ægyptiorum, Nectanabum filium suum.

l. 16. c. 5. & 6. Olym. 100. a. 2.

II. Ac proditiones desertorum.

In tanta rerum perturbatione, in tot tantisq; defectionibus, cum magna etiam pars vectigalium Artaxerxi perijsset, facile imperium Persicum concidisset, nisi varijs proditionibus in Asia & in Ægypto, ipsi se hostes pene cōfecissent. Cum n. qui à rege defecerant, Orontem Satrapam Mysiæ toti bello præfecissent, is sperans, si Regi socios prodidisset, se totius maritimæ regionis præfectura donatum iri, aliquos eorum comprehensos ad Regem transmittit. Multas inde vrbes, & conductitiam peregrinorum manum, legatis à Rege missis prodit. Reomithres quoq;, qui à Satrapis missus fuerat in Ægyptū, quingentis sibi talentis, & nauibus longis 50. acceptis, Leucas Asiæ vrbem cum classe petit, multosque desertorum duces illuc accersitos comprehendit, vinctosque ad Artaxerxem misit, eoq; proditionis munere in eius gratiam redijt. Geminata quoque Ægyptiorum proditio rem Persarum non parum iuuit.

III. Res Ægyptia.

Cum enim Tachos Rex Ægypti expeditione contra Persam suscepta, iam in Phœniciam peruenisset, is quem ipse proregem in Ægypto reliquerat, ab eo defecit, missisq; ad Nectanabū nuncijs hortatus est, vt pater num in Ægypto regnum inuaderet; qui facile persuasus, cū copijs quibus præerat Ægyptum occupauit. Quibus cognitis Tachos adire Perſidem, & veniam ab Artaxerxe petere non dubitauit, qui eū non solum absoluit à noxa, sed etiam summum belli contra Ægyptios moti Imperatorem declarauit, sperans eadem se opera, à patre ac filio contra se pugnantibus, vltionem sumpturum.

IV. Manlio exdictatori dies dicta à Tribuno.

Huius anni principio dies Manlio exdictatori à M. Pomponio Tribuno plebis dicta est, ob acerbitatem, qua erga ciues in delectu militari fuerat vsus, quaque etiam nunc vrebatur in filium, quem propter aliquam linguæ mentisq; tarditatem, ruri detinebat. Quę cum filius didicisset, inconsultè Pomponium adijt, & præsentis mortis metu jusiurandum expressit desistendi ab accusatione paterna, quod & fecit, ratus se eo iureiurando constrictum teneri. Eodem anno, qui fuit V. C. 391. Scribit Liuius forum medium specu vasto in altitudinem immensam fuisse collapsum, & monitu diuūm id illi loco dicandum esse, quo populus Romanus plurimum posset, si Rempubl. saluam esse vellent. Cumque M. Curtius egregius bello iuuenis, negaret vllum maius esse Romanum bonū bellica virtute, armatus, subiectis equo calcaribus in specum sese coniecit. Quæ si diiudicare placet, minime dubitandum videtur, quin præstantissimus iuuenis egregia se fortitudine; patriæ saluti deuouerit; Id vero maxime dolendum, tantam fortitudinem non diuinæ gloriæ potius quam cruentissimæ dæmonum crudelitati, quæ funeribus hisce patcitur, fuisse consecratam.

M. Curt. io specū insilit.

V. Genutius plebeius male pugnat in Hernicos. Appius Claud. Dictator.

Eodem anno L. Genutius è plebe Consul, cum ab Hernicis in insidias imprudenter esset inductus, etiam ab suscijs est occisus. Cūq; Senatus infelici Consulis plebei ductu fremeret. Appius Claudius, qui legem de communicādo plebi Consulatu dissuaserat, dictus est à Seruilio Consule Dictator: qui cum nouo exercitu contra Hernicos profectus est, eiusq; legatus C. Sulpicius rem præclarè gessit. Aduentu deinde noui exercitus, copijs hostium duplicatis, difficillimo prælio pugnatū est. Nam præter equites aliquot, quarta militum pars desiderata est.

ANNVS MVNDI 3693.

IEDDOÆ Ducis & Pontificis 4.

ARTAXER. OCHI 4. Imp. Pers. 177.

OLYMP. CIV. An. 4. V. C. 392.

ANTE CHRISTVM 360.

I. Ortus Dinarchi

HOc anno, qui Demosthenis fuit vigesimus primus, & Aristotelis 24. natus est Dinarchus Orator, vt scribit Dionys. Halicar. in eius vita, & maxime Alexandri tempore floruit, cum Demosthenes Athenis exularet. Asia vero vtque Ægyptus hoc tempore bello fremebant; sed bellum in Asia proditionibus elanguit; & in Ægypto bellum per Ægyptios ipsos, pro Persis confectum est. In Asia enim, referente Æmilio Probo, Datames Thyum Dynastam Paphlagoniæ, cognatum suum Regi rebellem cum viuum cœpisset, ac Regi tradidisset, Rex eum magnificè muneratum ad exercitum misit, qui cōtra Ægyptum parabatur, eiq; loco Pharnabaz præfuit. Cumq; in Ægyptiacam expeditionem maximè intentus esset, regiæ ad eū literæ venerūt, quib. iubebatur omissa Ægypto Aspim Cataoniæ iuxta Cappadoces Satrapā rebellē bello aggredi. Id cum tanta celeritate confectū esset, quanta ne inchoari quidē posse videbatur, magnā Regis ex admiratione beneuolentiā cōsecutus est; sed maiorē etiā inuidiam æmulorum.

Res à Datamige ritæ pro Rege.

II. Et contra egē meru æmulorum.

Hi enim consilia de ipso opprimendo inire cœperunt. Quod cum ille per literas amicorum didicisset, & fluxā alioqui regū fidem, si quis aduersus incidere casus, apud se reputaret, desciscere à Rege cōstituit. Quare cū Androdē exercitui regio præfecisset, ipse cū sibi fidissimis in Cappadociam discedit, coniunctāq; huic Paphlagoniā occupat, celans qua voluntate esset in regem. Clam a, cum Ariobarzane facit amicitiam, copias cōparat, vrbes munitas suis tuēdas tradit. Interea autem audit Pisidas expeditionem aduersum se parare, in quos filium Aridæum cū exercitu mittit. Sed cadit in prælio adolescens. Proficiscitur eò pater, nō magna cū manu, celans quantum vulnus in filij morte accepisset, ne suorum animi debilitarentur. Sed alterum mox accipit, Mithrobarzane socero equitum præfecto, desperatis genere rebus, sed hostes transfugiente. Id cum Datames accepit-

Eius virtus & prudentia aduersus

Gener ab eo defecit

III. Et filius, qui patrē accusat.

Res gesta in Ægypto.

Agesilai mors.

IV. Galli à Dictatore victi.

Manlius Torquatus.

Gallorū fuga.

fecit, finxit se consciō simulatum fuisse transfugium, vt hostis intus simul & foris reciperetur. Itaque in Pisidas ducit exercitum. At Pisidæ rati mala fide defecisse perfugas, eos primi adoriuntur. Isti cum quod ageretur ignorarent, coacti sunt cum ijs pugnare ad quos transierant, & ab ijs stare quos deseruerant; quibus cū neutri parcerent, celeriter sunt concisi; eademque opera victi Pisidæ ac profligati sunt.

Nihilominus Scisinas eius filius natu maximus à patre defecit: & ad regem patris defectionem retulit. Contra quem rex copias ingentes duce Antophradate misit. Sed Datames locorum opportunitate captata, cū regijs, paruis licet copijs, feliciter pugnauit; quos & compulit ei suadere vt cum Rege rediret in gratiā. Quam licet ipse parum fidam putaret, conditionem tamen accepit; sicque bellum contra Datamen tunc in Cappadocia finitum est. Autophradates in Phrygiam se recepit. At Tachos in Ægypto à filio ad certamē prouocatus, quāuis hortatore Agesilao, pugnare non est ausus, sed in ciuitatem munitam se cum Agesilao inclusit, vnde post obsidionem educto milite, Agesilaus ingemo loci adiuuāte, cum paucis hostem multitudine abundantem deuicit, ac Tachon regno restituit. Postmodum cum reditum in patriam impetrasset Agesilaus, donatus 230. talentis argenti, discessit. Cumque per hyemem littus legendo rediret in patriam, in desertum locum, cui nomen Portus Menelai, delatus, viuere desiit, regni anno 41. vitæ 84.

Cum Galli hoc anno tertio ab vrbe lapide, via Salaria trans pontem Anienis castra posuissent, Dictator creatus est T. Quintius Pœnus, qui cū eius tumultus causa iustitium edixisset, in citeriore Anienis ripa castra posuit. Pons in medio erat, neutris eum rumpentibus, ne timoris esset indicium: cum eximia corporis magnitudine Gallus in vacuum pontem processit, & maxima voce Romanorum fortissimum ad certamen singulare prouocauit. Tum T. Manlius, qui patrem à tribunitia vexatione liberauerat, pugnandi potestate à Dictatore impetrata aduersum Gallū progreditur, & scuto suo imum Galli scutum eluans, vno alteróque subinde ictu ventrem hausit, exanimemque postrauit, iacentis corpus torque spoliauit, colloque suo circundedit, ex quo Torquati nomen accepit, quod in posteros honorifice propagatum est. Tanti autem momenti ad victoriam ea dimicatio fuit, vt Gallorum exercitus proxima nocte, relictis trepide castris, in Tyburtem agrum, atque inde societate belli facta, commeatuque à Tyburtibus adiutus, in Campaniam recesserit, iacto belli semine cum vtroque populo in annum sequentem.

ANNVS MVNDI 3694.

IEDDOÆ 5. PHILIPPI Macedonis 1.

ARTAXERX. OCHI 3. Imp. Pers. 178.

OLYMP. CV. AN. 1. VRB. CO. 393.

ANTE CHRISTVM 361.

I. Regnum

REgnare cœpit hoc anno Philippus Macedo Alexandri magni pareus, cum annum ageret ætatis 24. totidem eum ab anno secundo Olympiadis nonagesimę nonæ numerātur, parq; fuit periodus annorum regni eius; quos deinceps digerere, & Annalibus nostris intexere visum est; quòd Philippus Imperij Græcorū, siue Maced. quod Persico proxime successit, primus fundator extiterit. Nam quibus artibus ait Iustinus, orbis Imperij fundamenta pater jecit, operis totius gloriam filius consummauit. Rationem temporis pluribus explicatam, sicut & schema eius familiæ, in Annalibus studiosus lector inueniet. Status porro Macedoniæ cum regni eius gubernacula Philippus accepit, hic erat. Perdiccas Amynthæ filius, & Philippi frater cum Illyricum iugum excutere conaretur, ingenti prælio ab ijs victus occubuit.

Macedonum sub Philippo.

Orbato regno Philippus, è Thebana custodia elapsus, regno male admodum affecto opē tulit. Nam in acie contra Illyrios supra quatuor hominum millia cum Perdicca rege ceciderant: & qui superfuerant Illyriorum vires tantopere expauescebant, vt nihil eis ad instaurandum bellum animi superesset; cum tamen Illyrij nouam in Macedones molirentur expeditionem. Eodem tempore Pœones Macedonum finitimi, eorum agros contemptim populabantur; & Pausanias quidam de stirpe regia oriundus, auxilio Thracum regnum Macedoniæ inuadere conabatur. Quin etiam Atheniēses à Philippo, qui regno supererat alieni, Argæum ad regnum autem deducebant, vt Amphipolim, quam vehementer ambiebant, recuperarent, missa ad hoc classe probe instructa, cui Mantiam ducem præfecerant. Denique legimus regni hęres Perdiccæ filius puerulus erat, & tantæ negotiorum moli longe impar.

II. Quis tū regni status.

Quoniam ergo serum erat in infantis expectatione præsidium, Philippus à populo compulsus regnum suscepit, sed Tutoris nomine administrandum. Eoque suscepto, nihil habuit antiquius, quam vt populum suum ad bene sperandum animaret, & militari exercitatione armorum bene peritum redderet. Deinde operā dedit vt se quantum posset ab imminentibus periculis expediret. Primum, vt placaret Athenienses, hostem eo tempore grauissimum, Amphipoli decedens, suis eam legibus viuere permisit. Inde missa legatione Pœonios muneribus ac promissis ad pacem ineundam adduxit. Sic & Pausaniam à Macedonia auertit, rege Thraciæ, qui eum reducturus erat, muneribus corrupto. Argæum autem regni recuperandi aditores frustrate quirentem, abeuntemq; persecutus, cum lecta suorum manum, multos ex mercenariorum turba, quos secum Argæus deduxerat, occidit: reliquos, qui ad collem quendam confugerant, ad deditionem compulsos dimisit. Qua victoria erecti Macedones, facti sunt ad futura bella fortiores.

III. Quodq; à Philippo auxiliū.

Laërtius in vita Xenophontis refert eum obijsse anno primo Olympiadis CV. quo Prætor erat Callidemides, eodem anno qui Philippus Macedonibus impetrare cœpit: mortuum autem Corinthi, cum ad maturam senectutem peruenisset. Eum verecundiæ nomine, & eximiæ formæ commendat Laërtius; paricque gratia duos filios Gryllum & Diodorum ex Phylesia suscepit, adeo vt Dioscuri appellarentur

V. Obitus Xenophōtis, &c.

rentur, quasi Castori ac Polluci pares. Xenophontææ formę respondebat orationis elegantia, vt propterea Alpis Attica diceretur; quamuis tum Plato eius condiscipulus viueret, & Isocrates, quorum orationę nihil elegantius dici potest. Nimirum Xenophontis orationem ipsa faciei dignitas commendabat, iuxta illud Poëtæ: *Gratior est pulchro veniens in corpore virtus.* *Virgil.*

V. Insidiæ Mithridatis in Datamen.

Paxerat interea in Persida, Ochum inter & Datamen, sed simulata. Rex quippe implacabili in eum odio flagrabat, eumq; insidijs de medio tollere statuit, quas ille sæpe solerter elusit, ijs tamen aliquando circumuentus occubuit. Mithridates Ariobarzanis filius pollicitus est regi se eum interfecturum, si Rex ei data dextera promitteret, sibi impunè fore quidquid eam ad rem faceret. Quod cum impetrasset, defectionę à rege simulat, eius prouinciam excursionibus vastat, castella expugnat, prædas agit ingentes, quarum Datamum participem facit, inita inter absentes, ex vitæ similitudine, amicitia. Quæ cũ diu faceret, Datami persuasit syncero ex animo fieri, quæ simulato fiebant. Eum deniq; Mithridates monet, tempus esse bellum cõiunctis viribus suscipiendi contra regem; de quare, si ei videretur, quo vellet in colloquium veniret. Die locoq; constituto. Eo prior venit Mithridates, & locis aliquot gladios obruit, eaq; loca diligenter notat. Ipso colloquij die vterque qui locum, arq; ipsos explorarent mittit. Deinde ipsi iunt congressi. Cumq; aliquandiu colloquuti diuersi discessissent, Mithridates in eum locum regreditur, ac sublatum gladium veste tegit. Moxq; Datamen, quasi aliquid oblitus reuocat, & reuersum nec opinantem ferro transfigit.

Mirabile stratagema.

Occiditur.

VI. Pugnatur cõtra Tyburnios & Gallos.

Tyburtium porro societas cum Gallis inita causa fuit cur huius anni C. Petilius aduersus Tyburtes exercitum duceret. Ad quorum auxilium cum Galli ex Campania redijssent, agrũ Romanum fœda populatione vexarunt. Gallicus ergo tumultus Dictatorem postulare visus est, dictusq; Q. Seruilius Hala. Contra eos haud procul à porta Capena pugnatum est: vtrimque magna cædes edita, quod Romanis patria & parentes, in quorum oculis pugnabatur, essent incitamento: Gallos & pudor præteritæ fugæ, & conscia virtus accenderent. Eorum tamen acies tandem loco cessit, & in fugam Tybur auertitur. Dispersi à Consule Petilio excipiuntur, & egressis ad opem ferendam Tyburtibus, vtriq; intra portas compelluntur. Alter Consul Fabius paruis primùm prælijs, postremo vna insigni pugna Hernicos deuicit. Dictator vtroq; magnifice collaudato Dictaturam deposuit. Petilius de Gallis Tyburtibusq; triumphauit, Fabius ouans in vrbem ingressus est.

Vtrique vincuntur.

ANNVS MVNDI 3695.

IEDDOÆ 6. PHILIPPI Maced. 2.

ARTAX. OCHI. 6. Imperij Pers. 179.

OLYMP. CV. AN. 2. VR. CO. 394.

ANTE CHRISTVM 358.

I. PHilippus Athenas legatos de pace mittit, quam facilè impetrauit, quod nuper Athenfortitudinis atque humanitatis exemplum in bello contra Argæum exhibuisset, quodque nihil sibi iuris in Amphipolim vindicaret. Ita nimirum tunc seruiendum tempori credebat homo vafertimus. Nam non ita multo post, rebus suis melius constitutis, eam crebris pulsatam machinis occupauit. Bello Athenienſium liberatus, cum Agim Pœonum regem mortuum audisset, occasionem arripuit Pœones, à quibus agrorum populatione fuerat lacessitus, inuadendi. Armata itaque manu regionem illorum ingressus, barbaros acie vicit, cosque deinceps Macedonibus parere coëgit. Restabant hostes Illyrij, quos magno debellandi studio tenebatur, quòd superioribus annis Macedones magnis cladibus affecissent, tributisq; vexassent; ipsum quoq; Philippum Thebis in custodia tenuissent. Ergo ad Bardylem Illyriorum regem legatos mittit, qui omnes Macedoniæ vrbes, quas illi occupabant, repeterent. Quam pacis conditionem cum Bardyles non admitteret, bellum vtrimque magna contentione præparatum est.

Tyburtes autem qui superioris anni triumphum de se irriserant, quasi veri materiam dare vellent, intempesta nocte Romam infesto agmine profecti, vrbem nocturno terrore repleuerunt, donec prima luce hoste cognito, duab. portis egressi Coss. vtrimque hostem aggrediuntur. At illi vix primum Romanorum impetum sustinuere.

Sequenti anno Philippus copias in Illyriorum fines ducit, pedites ad decem millia, equites ad sexcentos sub vexillis habens: quibus suppares copias Bardyles opposuit. Diu anceps prælium fuit, propter eximiam vtriusq; exercitus fortitudinem. Tandem Illyricus se in fugam dedit: cui Philippus à tergo feruidus institit, tantaq; affecit clade, vt plus septem millibus in eo prælio occubuerint. Addit Diodorus Illyrios missa legatione pacem impetrasse, vbi cunctis Macedonici nominis vrbibus excessissent. Verum non videtur in vno prælio, neq; ante annum sequentem, vt Diodorus innuit, cõtigisse.

Interea Amphipolitæ, qui inimicis erant animis erga Philippum, eique multas belli causas præbebant, eius incrementis territi Athenas venerunt, rogantes vt Amphipolim in suã fidem reciperent. At Philippus nihil id moratus validis eã copijs inuadit, admotisq; machinis, muri partẽ assidua verberatione deiecit, perq; ruinas irrumpens, vrbe potitur: & statim multatis exilio inimicis, humanissimum se reliquis exhibuit, quod ea ciuitas, propter opportunitatem loci, multum ad incrementa Philippi faciebat. Inde Pydnam quoque dudum Macedoniæ vrbem subegit, eamque Olynthijs, quorum societatem ambiebat, sicut & Athenienses, cum agris suis fundisque tradidit. Quin etiam Potidæam se Olynthijs subiecturum pollicitus est, quos sciebat tampridem magno eius acquirendæ studio teneri. Potidæa expugnata Athenienſe præsidium ex vrbe deduxit, & clementer tractatum Athenas remisit vrbemque Olynthijs tradidit. Hinc ad Crenidas profectus, vrbem ciuibus auctam, de nomine suo Philippos nuncupauit. Quin & aurifodinas, quæ obscuræ per illas regiones latebant; operum structuris eo tandem produxit, vt plusquam mille

talentum reditum afferrent. Vnde coacervatis breui diuitijs, & sibi splendorem, & alijs perniciem cogendis stipendiarijs militibus, & proditionibus procurandis attulit. Hæc fere Diodorus. Qui addit Sociale bellum ab Athenien sibus inchoatum hoc anno, cũ ab ijs Chij, Rhodij Coi, & Bizantij defecissent. Et hæc quidem in Græcia.

Initium belli Socialis.

In Italia vero Tarquinienses Romanorum agros populabundi peragrauere. Contra quos Fabius Consul profectus, dum inconsultè pugnat & multos amisit in acie, & trecentos & septẽ captiuos, quos Tarquinienses immolarunt, in honorem Deorum suorum trucidatos. Hernici autem, contra quos missus fuerat C. Plautius Consul, ab eo deuicti subactiq; sunt. Interea Gallici belli fama rursum increbrescente, Dictator C. Sulpitius dictus est. Is cum prælium inferre cunctaretur, sive vt mora primum Gallorum impetum frangeret, sive vt in rerum necessariarum penuriam adigeret, ferox exercitus moræ impatiens, etiam minis pugnam extorsit. Nec minus Galli certaminis auidi, adeo vt vtraque acies in prælium rueret priusquam, signum à ducibus daretur. Tantusq; fuit Gallorum impetus, vt ei dextrum Romanorum cornu par non esset; iamq; nutaret, nisi Dictator increpitans milites in castris feroces, in acie pauidos, tãacres eorum virtuti stimulos admouisset, vt alienatis à memoria periculi animis, hostem prope vecordi impetu turbarent, & turbatos immisso equite in fugam verterent; in qua excepti plurimi ab ijs, qui in sylua latebant, cæsiq;. Dictator illustri honoratus est triumpho.

V. Res male gesta cũ Tarquiniẽsibus, & eorum crudelitas.

Et cum Gallis dubia victoria.

quarto. Sacra pecunia potiti, statim tota ex Græcia copias contraxerunt: eos Thebani bello aggressi, decem ipsos annos alternante victoria, diuexarunt; Philomelus in fuga, cum se ex arduo & præruptoraxo præcipitem dedisset, examinatus est. Quod supplicij genus ante à iudicibus Græciæ in eius factionem fuerat cõstitutum. Quibus autem calamitatibus ex prouincia toto decennio, quo durauit bellum sacrum, sic enim appellatum est, affecta fuerit, vrbes viginti duæ solo æquatæ abunde docuerũt. Hęc totius rei summa est. Diodorus quem cum pluribus hoc de bello secuti sumus, ad biennũ differt, vbi de eo paulo pluribus, paulóque distinctius.

Præcedenti anno Priuernates & Veliterni incursionibus in agrum Romanum, aliquam sibi cladem accersebant. Ergo Marcius Consul hoc anno in agrum Priuernatem duxit, longinqua pace integrum & opulentum. Et milite in concionem vocato, cum ei castrorum atq; vrbis prædam integram spopondisset, tantus est ardor militibus iniectus, vt primo impetu hostem auerterent, fusum inde ad oppidum persecuti, cum iam scalas mœnibus admouerent, in deditionem vrbem acceperunt, ac diripuerunt. Consul de Priuernatibus triumphauit.

III. Res gesta cõtra Priuernates.

Sequenti anno qui fuit mundi 3698. Bellum sociale Athenien sium finitum est. Cum enim Chares, collegis vel mortuis vel exautoratis toti contra rebelles socios expeditioni præesset, dum Rempubl. sumptibus leuare cogitat, facinus quoddam præceps aggressus est. Pharnabazus à Rege Persarum defecerat, & parua instructus manu contra Regis Satrapas instructos 70. armatorum millibus pugnaturus erat. Ad eum se Chares cum vniuersis copijs commodum aggregat, earumq; ope Pharnabazus victoriam obtinet. Qui vt gratiam pro beneficio rependeret, tanta Charetẽ pecunia donauit, vt inde facile stipendia in totum exercitũ erogare posset. Pergratum id facinus initio Athen. fuit. Sed posteaquam Rex de ista iniuria cum ciuitate per legatos expostulasset, & ipsi Athenienses rumore nuncio intellexere Regẽ cum trecentis nauibus subsidio venturum eorum hostibus Chijs, Rhodijs, Byzantijs, id bellum reueriti, sociale bellum, pace inter se composita, finierunt.

3698. Finis belli socialis Athenien sium.

Interea Thraces, Pœones, Illyrij, cum nuper à Philippo victi essent, cum proprio damno, & incrementis inimici affligerentur, quod singuli facere posse desperabant, vt Philippum regno ac fortunis omnibus euerterent, vniuersi aggrediuntur. Verum dum singuli adhuc copias cogunt in ipsum, subito aduentu Parmenionis oppressos, sibi subiugauit. Refert in hunc annum Plutarchus Alexandri magni natiuitatem, cum ait Philippum tres eodem die lætos nuncios accepisse. Primum Illyrios à Parmenione ingenti prælio superatos: secundo in ludis Olympicis se equi pernicitate victorem fuisse declaratum: tertio natum sibi ex Olympiade Alexandrum. Tempore ergo ludorum Olympicorum natus est, qui in hunc annum cadunt, in quibus Poro Melien si victoria contigit. Cum autem feratur natus die sexto mensis Hecatombœonis, qui Iunio nostro extremo respondet: ludi enim Olympici sub æstiuum æ-

V. Philippus Illyrios aliosq; iterũ vincit, suscipit Alexandrum, & vincit in Olympicis.

Ortus Alexandri.

ANNVS MVNDI 3697.

IEDDOÆ 8. PHILIPPI Maced. 4.

OCHI 8. Imperij Persarum 181.

OLYMP. CV. AN 4. V. C. 396.

ANTE CHRISTVM 356.

PHilippus hoc anno à nobilibus Thessalis euocatus in auxilium defendæ tyrannidis, eò profectus Tyrannos debellat, libertatem ciuitatibus reddit, sibique Thessalos maximopere deuincit. Quo circa in omnibus deinceps bellis, tam ipse quam filius eius Alexander, eos perpetuos habuere socios & auxiliares. Philippus idem duxit hoc anno Olympiadem Neoptolemi regis Molossorum filiam, ex qua sequẽti anno suscepit Alexandrum magnum. Nuptias cõciliauit Arymbas Rex Molossorum, qui sororẽ Olympiadis Troadem vxorem duxerat, quæ causa illius exilij, malorumque omnium fuit. Nam dum incrementa regni, affinitate Philippi se acquisiturum sperat, proprio regno ab eo priuatus, in exilio consenuit.

I. Philippus Thessa- os sibi deuincit.

ueis Olympiadẽ

II. mma Ili sacri 8. Gra.

Refert in hunc annum Pausanias insigne sacrilegium Phocensium, quod bellum decennale in Græcia peperit. Nam Phocenses, Philomelo suasore, Delphicum Apollinis fanum diripuere, Agathocle Athenis principatum obtinente, Olympiadis quintæ ac centesimæ anno

quinoctium celebrabantur, oportet Olympiadis cum Philippo nuptias in præcedentem annum referre.

VI. Geminũ bellum à Romanis confectũ.

Furialis apparatus.

Primus è plebe Dictator.

Romæ duo Consules duo bella gessere, facile alterum cum Tyburtibus, quod gessit Popilius Lænas, qui hoste in vrbem compulso vastauit agros. Falisci & Tarquinienses Fabium Ambustum alterum consulem, prima congressione, furiali militum habitu territos, fuderunt: mox autem confirmatis à Ducibus animis, vertit animos pudor, & in ea ipsa quæ fugerant sponte irruentes, auerterunt totam aciem, castrisque etiam eo die potiti, præda ingenti parta victores reuerterunt, militaribus iocis tum apparatum hostium, tum suum increpantes pauorem. Concitatur deinde omne nomen Hetruscum & Tarquinienses Faliscisque ducibus ad Salinas perueniunt. Aduersus eum terrorem Dictator C. Martius Rutilus primus de plebe dictus est, qui magistrum Eq. C. Plautium item plebeium dixit. Et licet Patribus indignantibus ipsam etiam Dictaturam vulgari, & belli apparatum omni ope impedientibus, eò studiosius plebs cuncta iussit quæ ille rogabat: moxque re bene contra hostem gesta, sine auctoritate patrum, populi iussu triumphauit.

ANNVS MVNDI 3699.

IEDDOÆ 10. PHILIPPI 6.

ARTAXERXIS Ochi 10. Imp. Pers. 183.

OLYMP. CVI. An. 2. VR. CON. 398.

ANTE CHRISTVM 354.

I. Initium belli sacri, eiusq; origo. *Olymp.* 106. 2 & 108. 3.

BEllum sacrum hoc anno conflatum, nouemque ipsos annos, aut potius decem duasse autor est Diodorus Siculus, Pausaniæ consentiens. Sed de initio biennio dissentiens. Eius belli hæc origo fuit. Thebani victos Lacedæmonios & Phocenses tam Leuctrica pugna, quam quæ ad Mantineam facta est, quasi paruo supplicio cædes & rapinas luissent, eos apud cõmune Græciæ Concilium, quod Amphictyonũ Senatum vocabant, accusarunt. Conflatum autem erat ex 12 Græciæ populis, qui ad Thermopylas conueniebant, de communibus Græciæ negotiis disceptaturi. Ibi Phocenses multis talentis damnati, cum soluendo non essent: Philomelus quidam Phocensis suos ad Concilij decreta rescindenda excitat, templiq; Delphici clientelam sibi vindicandam. Ad id negotium cum ille dux electus fuisset, Lacedæmonios adit, & ipsos grandi ære mulctatos, & consilium de Delphis inuadendis communicat. Quod cum Archidamus rex non improbaret, clam illi pecunias militesque promisit.

Amphictyonum Senatus.

II. Eius incentor Philomelus.

Tum Philomelus, acceptis ab eo quindecim talentis, deque suo totidem adiectis conductóque milite peregrino, cum mille Phocensibus templum Delphi cum inuadit, & cæsis propugnatoribus occupat. Statim fama occupari fani finitimos Locros auxilio euocat; sed hi cõtra Phocenses male pugnarunt, & post multam suorum cædem domum rediere. Philomelus ea victoria excitatus, decreta Amphictyonum è columnis eradit, tabulas damnatorum abolet, rumoresque disseminat, quibus factum tuũ tueatur; interea que se totis viribus ad bellum parat, quod sibi in primis è Bœotis imminebat. At Thebani hoc tempore expeditionem in Asiam susceperunt. Cum enim Attabazus, quem paulo superius Diodorus Pharnabazum vocauerat, à Charete & Athenien sibus fuisset desertus, ad Thebanos confugit; qui Pammenem cum quinque armatorum millibus ei tradunt, cum quibus traiecit in Asiam, & iunctis cum Attabazo copiis, duobus magnis prælijs regios Satrapas vicit, & magnam Thebanis gloriam comparauit.

Anno præc.

Attabazus cum Thebanis in Asiam traijcit, regiosque vincit.

III. Demosthenes adit Rempub.

Hoc anno, qui fuit Demosthenis 27. Prætore Callistrato, idem Demosthenes Rempubl. cœpit capessere, & orationem publicam habuit contra Androtionem, pauloque post de immunitatibus; quam Halicarnassensis Dionysius, vocat omnium venustissimam atque elegantissimam. Interea Aristoteles trigesimum agebat annum. Qui annus fuit vrbis 398, etsi eum Liuius vocauerit quadringentesimum, vt in Annalibus ostensum est, quo anno nihil ad memoriam insigne proditum est.

ANNVS MVNDI 3700.

IEDDOÆ 11. PHILIPPI 7.

ARTAXERXIS Ochi 11. Imp. Pers. 184.

OLYMP. CVI. An. 3. VRB. CO. 399.

ANTE CHRISTVM 353.

I. Bellum sacrum augescit.

TRigesimum septimum seculum ab ortu rerum hoc anno terminatur, simulque mundanus Iubilæus ordine Septuagesimus quartus, quando bellum sacrum non exigua sumpsit incrementa. Nam Philomelus sentiens pleraſque Græciæ prouincias, sacrilegij nomine sibi infensas, arma in Phocenses parare, vim militum ingentem mercede conducit, pecunias in stipendium à Delphis exigit, vt à sacris donariis abstineat. Hactenus nimirum thesauros pecuniarios aureos, argenteosque sustulerat. Multi quidem se populi Bœotis, Thebanisque aggregarant. At Lacedæmonij, Athenienses, ac nonnulli præterea Peloponnesij, Phocensium partes secuti sunt, quibus cum Philomelus stipendium augere vellet, sacris donariis manus injcere conatus est. Inde cum decem millibus in agros Locrensium excurrit, & quãuis Thebanorum auctos auxilijs, prælio vincit. Moxque etiam Thessalos cum sex millibus armatorum pugnantes.

Quæ vtrimque copiæ.

Superuenit deinde Bœotorum exercitus, in quo ad 13 millia numerabantur; cum etiam Phocenses ab Achæis Peloponnesijs mille & quingentis militibus aucti essent. Cumque mox inter vtrumque exercitũ in syluosis locis, primum velitatio, tum atrox pugna commissa esset, Phocenses succubuere. Philomelus autem ipse, post animosam pugnam, multáque accepta vulnera, in præruptum coarctatus locum, ne viuus veniret in hostiles manus, saltu

II. Pugnatur, vincitur Philomelus & præcipitio petit.

se abiecit in præceps, quo facto & sacrilegij pœnas dedit, & grauioribus se supplicijs eripuit. In eum Scriptores omnes, qui hoc bellum attigerunt, stylum exacuunt, nec immerito. Etsi enim nihil in eo fano non profanum fuit, sacrilegus tamen fuit, qui quæ sacra credit, expilare non dubitauit.

III. Philippus Methonem expugnat, ibique oculũ amittit.

Interea Philippus Methonem expugnat, direptamque solo æquat, & Pagas in potestatem redactas, ciuibus cum singulis vestimentis spoliat, agrum inter Macedonas dispertit. At Iustinus, Cum Methonam, inquit, vrbem oppugnaret, in præterreuntem de muris sagitta iacta dextrum oculum regis effodit; quo vulnere nec segnior in bellum, nec iracundior aduersus hostes factus est: adeò vt interiectis diebus pacem deprecantibus dederit: nec moderatus tantùm, verum etiam mitis aduersus hostes fuerit. Sic ille. At quomodo mitis, qui direptam vrbem solo æquauerit, vt Diodorus affirmat? Dedititios ciues nudos eiecerit? Vtique dolebat ab oculo Philippus. Bellum, inquit Suidas, cum Methonæis in Thracia gerenti. Aster quidam oculum illi excussit sagitta, cui inscripserat, *Aster Philippo telum mortiferum iacit* Philippus vero & ipse telum coniecit, cum hac inscriptione, *Asterem Philippus captum facies pensilem*; quod & fecit. Nec aliam belli causam fuisse apparet, quam quod vtrumque oppidum Macedonici quondam muris fuisset. Hoc anno prætore Athenis Diotimo, Demosthenes habuit orationem de Classibus, anno ætatis 28.

Demosthenes de Classibus.

IV. Patricij Consules ex plebe creati.

Romæ tempus comitiorum aduenerat, & de Dictatore plebeio offensi patres, nec ab eo haberi comitia consularia, nec à plebeio consule volebant. Ergo per interregnum duo Patricij consules creati sunt, summa inter patres plebemque contentione, M. Fabius Ambustus, & T. Quintius Capitolinus, à quibus duo bella prosperè gesta, vnum de Tyburtibus, quorum vrbs Sassula cum capta fuisset, cæteraque oppida eandem fortunam timerent, vniuersa gens positis armis, in fidem Consulis venit, qui de ea triumphauit. Mitis ea victoria fuit. At in altero bello, in Tarquinienses acerbè sæuitum. Nam multis mortalibus in acie cæsis, ex ingenti captiuorum numero, delecti 358. qui Romam mitterentur, reliquum vulgus trucidatum. Nec populus in eos, qui Romam missi fuerant, mitior fuit, medio in foro omnes virgis cæsi ac secuti percussi sunt. Id pro immolatis in foro Tarquiniensium Romanis, pœnæ hostibus redditum.

Tyburtij se Romanis consociant.

Tarquinienses, grauiter puniuntur.

Samnites hoc primum anno amicitiam populi Romani petierunt, & impetrarunt. Plebs de propriis sollicita debitis, minus consularis honoris participationem curauit. Itaque proximo anno nemo de plebe obtinuit Consulatum.

Samnites cũ Rom amicitiã contrahunt.

* * *

ANNVS MVNDI 3701.

IEDDOÆ 12. PHILIPPI Mac. 8.

ARTAXERXIS Ochi 12. Imp. Pers. 185

OLYMP. CVI. AN. 4. VR. CO. 400.

ANTE CHRISTVM 352.

THebani, Bœotique victoriam de Phocensibus adepti, Philomelo extincto, & sacrilegorum copiis dissipatis, extinctum quoque bellum rati, domum copias reducunt. At Onomarchus, quem Iustinus Oenomaum vocat, illius loco à Phocensibus eligitur Imperator, qui collectis impiorum quibusque, & multorum facinorum reis, quorum quies bello, & clade publica salus continebatur, cum & ipse tam pridem legibus esset obnoxius, vacuos cæsorum ordines explet, augetque, arma fabricatur, ac pecuniam, qua amicos inimicosque demeretur; primóque belli impetu multos vicinorum cogit imperata facere. Interea Lycophron Pheræorum tyrannus, iam dudum à Philippo victus, tyrannidem recuperauerat, cum Philippus à Thessalis accitus, copias in Thessaliam traduxit, vbi contra Phayllum Onomarchi fratrem, septem armatorum millibus stipatum pugnauit, & profligatum è Thessalia expulit. At superueniens Onomarchus, cum Thessalis & Philippo confligens, semel iterumque victor effectus est; adeo vt Philippus se in Macedoniam recipere cogeretur; Onomarchus autem expeditione in Bœotiam translata, collatis signis Bœotos vincit, eisque eripit Coronæam.

I. Onomarchus Philomelo sufficitur ad bellũ sacrum.

Philippũ vincit.

Postmodum Philippus in Thessaliam cum exercitu reuersus Lycophronem oppugnat, eique Onomarchus subsidio venit cum 20 peditum, & tribus equitum millibus. Redintegrato prælio victoriam Philippus obtinet, Onomarchus cum suis mare fugitiuus adit. Plerique proiectis armis ad triremes Atheniensium prætereuntes adnatabant, qui passim hausti sunt fluctibus. Nihilominus sex millibus cæsis, tria millia in Philippi potestatem venerunt; in quibus Onomarchus ipse, quem egit in crucem, cæteros vt sacrilegos, in mare demersit. Paulanias tamen ait Onomarchum ad mare fugientem à suis multitudo iaculis fuisse confixum, ipsius imperandi inscitia ea se clade affectos affirmantibus. Philippus autem magnam gloriam consecutus est, quod vindex sacrilegij, & vltor religionum extitisset. Nec tamen bello sacro tum finis impositus est, Phyllo Onomarchi fratre illi succedente.

II. Morque à Philippo vincitur.

Et agitur in crucẽ.

l. 10. p. 518. Gr. Lat.

Romæ hoc quoque anno vterque Consul Patricius fuit, nec magnum ea de re in populo ære alieno grauato, certamen fuit. Etsi incredibile videatur plebem tot dictatum prædis, tot spoliis onustam, tot victoriis, tot castris, tot oppidis vrbibusque potitam, vnciario etiam fœnore leuatam, ipsa tamen sorte ita obrutam vt nexum iniret, vt autor est Liuius. Cum autem Cærites Tarquiniensibus se adiunxissent, & prædæ participes facti essent, & Dictator contra eos T. Manlius destinatus esset. Territi

III. Romana plebs inopia premitur, idque mirũ dictu.

Res in Cæritem & Falliscos gesta.

veniam

veniam Romæ infimis precibus postulatam obtinuerunt, & inducias in centum annos. In Faliscos quorum præcipuum fuerat crimen, belli vis conuersa est, sed hoste nusquam comparente, peragratis cum populatione finibus, miles Romam reductus est, reliquum anni muris turribusque reficiendis consumptum est.

ANNVS MVNDI 3702.

IEDDOÆ 13. PHILIPPI Mac. 9.

ARTAXERXIS Ochi 13. Imp. Pers. 186.

OLYMPIAD. CVII. A. 1, VRB. C. 401.

ANTE CHRISTVM 351.

I. Phayllus Onomarcho successit.

EXtincto Onomarcho Phayllus eius frater Phocensium rebus præficitur sub initium Olympiad, centesimæ septimæ, nec fratris clade, nec causæ iniquitate deterritus. Vt autem acceptæ damna repararet, magnam vim coëgit peregrini militis, duplo maius stipẽdium exoluens. Arma quoque ingenti numero, aurea quoque argenteáque numismata fratris exemplo fabricatus est. Aurea quippe argenteaque donaria, fracta, conflatáque, in pecuniam bello necessariam conuertebat; quæ fusius in Annalibus explicata reperies, cum emẽdatione Diodori. Ad Phayllum porro Lacedæmonij mille armatos, Achæi bis mille misere. Athenienses autem quinque millia peditum, & equites quadringentos, Nausicle duce. Lycophron quoque Pheræorum tyrannus, post interitum Onomarchi auxilio destitutus, Phæras Philippo tradidit, & data fide dimissus, cum duobus millibus ad Phayllum se contulit.

Donaria Delphica consumit.

Eiusdem copiæ.

Phayllus ergo, cum exercitu in Bœotiam progressus, leuia aliquot prælia contra Thebanos parum feliciter commisit: & nihilominus aliquot oppida Locrensium expugnauit, diripuit, excidit. Sed lenta mox tabe correptus, diu cum morbo cõflictatus, inter sæuos cruciatus, prout impietati hominis congruebat, vitam finiuit. Res ab eo gestæ facile hunc annum explere possunt. Reliquit autem moriens, qui Phocensibus deinceps præesset Phalæcum Onomarchi filium, vixdum pubertatem ingressum, adiuncto ei curatore vno de suis familiaribus Mnasea, qui mox à Bœotis cum ducentis Phocensibus occisus est. Philo in libro de Prouid. ait Philomelum, Onomarchum, & Phayllum fratres fuisse, & diuinitus tribus supplicium generibus, quibus sacrilegi affici solent, perisse. Vide Annales.

II. Cito tabe consumitur.

Apud Euseb. de Prep. l. 8. c. 14.

Interea Philippus cum Pheræos à Tyrannide liberasset, rebus in Thessalia compositis, versus Pylas contra Phocenses copias ducit. Sed cum ei transitus ab Athenienſibus negaretur, in Macedoniam se recepit, vt ait Diodorus, quæ Iustinus vehementer exaggerat. Demosthenes hoc anno contra Philippum cõcionari cœpit, populóque suasit vt mitteret conductitium exercitum, & decem celeres triremes in Macedoniam, vt domi occupatus, in Græciam transire, eamque turbare non posset. Neque tamen tam accusandi Athenienses, quod Philippum infidum hominem Græcia prohibuerint, quam ille specie belli Phocensis occupare conabatur, quam quod ipsis Phocensibus, auxilia equitum peditumque, contra Thebanos, cæterosque sacrilegij vindices, summisissent. Hoc ipso tempore, & centesima septima Olymp. inchoante, scriptam ab Isocrate panegyricam orationẽ affirmare licet, vt in Annalibus ostendimus: quando & Demosthenes scripsit contra Aristocratem: autore Dionysio Halicarn.

III. Athenienses Philippũ transitu prohibẽt.

Dionys. ad Ammæũ.

Romæ autem cum tempus comitiorum appeteret, qui contra Faliscos Dictator fuerat dictus T. Manlius, ea habere, & Consulatum apud Patricios retinere moliebatur. Tribuni contra comitia nõ patiebantur haberi, nisi sibi plebeius Consul restitueretur. Prolatandis igitur comitiis, cum Dictator magistratu abiisset, res ad interregnum rediit, & vsque ad vndecimum interregem, id tempus duorum fere mẽsium fuit, seditionibus certatum est. Tandem tædio victi patres, lege Licinia de promiscuo Consulatu, alterum fieri è plebe Cõsulem permisere. Itaque P. Valerio Publicolæ datus est è plebe collega C. Marcius Rutilius. Qui æris alieni cura suscepta, Quinqueviros mensarios creauerunt, quorum industria vis ingens æris alieni, nõ solum sine iniuria, sed etiam sine alterutrius partis querela exhausta est. Inde vano terrore belli Hetrusci, C. Iulius in castris dictus est Dictator: qui tentauit, vt noui Coss. Patricij crearentur.

IV. Romæ Consul plebeius restituitur.

C. Iulius Dictator Quinquevirũ Mensarij.

ANNVS MVNDI 3703.

IEDDOÆ 14. PHILIPPI 10.

ARTAXER. OCHI 14. Imperij Pers. 187.

OLYMP. CVII. An. 2. V. C. 402.

ANTE CHRISTVM 350.

I. Thebani pecunia Persas e mungũt

THebani belli Phocensis laboribus defessi, & exhausti sumptibus, missis ad Regem Persarum legatis, ab eo trecenta argenti talenta dono acceperunt, quod auxilia eorum in expeditionem Ægyptiacam expectaret. Quodque eos iam inde à Xerxis temporibus, amicos fautoresque Persarum esse didicisset. In Asia vero, Ægypto, Phœnicia, Cypro grauissima deinceps bella renouata sunt. Cum enim Ægyptij superioribus annis à Persis impunè defecissent, vt ait Diodorus, quod Ochus imbellis cum esset, omnia per præfectos ageret, quorum vel perfidia, vel imperitia non exiguas clades acceperat. Nunc animaduertens Phœnices & Cyprios Ægyptiorum contemptum imitari, ipse per se bellum defectoribus inferre statuit, eamque in rem magnum collegit apparatum. Collegerunt & Phœnicij defectione suscepta, quod acerbius à regiis præfectis accepti essent: Sidonij præsertim, qui legatos ad Nectanabum Ægyptium de belli societe miserunt, Persas, à quibus contumeliosius accepti fuerant, ad supplicium rapuere, aliaque in Artaxerxis iniuriam perpetrarunt.

Ochus bellum per se cogitat

II. In Phœnices mouet.

Rex igitur in Phœnices mouet; dumque est in itinere, Syriæ & Ciliciæ præsides coniunctis viribus Phœnices aggrediuntur. Tennes contra Sidoniæ rex, cum 4. millibus Græcorũ mercenariorum, quibus Mentor Rhodius præerat, & ciuium suorum delectu, regios Satrapas profligauit, & Phœnicia expulit. Mox autem aduentu regio territus, saluti suæ consulere, non fuga priuatim, sed Sidoniorum proditione cõstituit. Itaque Thessalionem quendam ad regem mittit, promittitque se illi proditurum Sidonios, insuperque bello Ægyptio vtilem operam nauaturum. Sicque Græcæ fidei homo, vna proditione duo regna florentissima perdidit, vtroque nomine grauiter accusandus, siue quod accepta pecunia rebelles Persarum iouit; siue quod in fidem acceptos perfidè prodidit: quos regi conciliare omni ope atque opera debuisset. Sed accepta à Rege fide, ingentibusque promissis, perfidiam ingenti scelere cumulauit. Ipsum enim Tennem Sidoniorum regem, eadem spe vel metu subiugatum, in proditionis suæ societatem, miserum dictu, sed non impune pertraxit.

Mentor Sidonios prodit.

III. Tennes eorum rex eosdẽ prodit.

Cum ergo Rex Ochus non procul Sidone castra locasset, Tennes relicto Mentore in quadam vrbis parte ad proditionem promouendam, cum quingentis militibus ex vrbe egrediens, ad conuentum publicum Phœnicum se pergere simulabat. Habebat autem in comitatu centum primariæ nobilitatis ciues, quasi Consiliarios, quos, cum primum ad Regem accesserunt, comprehensos Artaxerxi tradit, qui eos, tanquam defectionis autores, iaculis confixit. Interea Sidonij quingentos habitu supplicantium ornatos, ad Regem placandum misere. Tum Rex vocatum ad se Tennem interrogat. An ei vrbem sine certis conditionibus tradere posset: Cum Tennes annuisset, Ochus quingentos illos supplices iaculis confixit. Deinde Tennes persuasis mercenariis Ægyptiis, vt se cum rege intra mœnia reciperent, vrbem Artaxerxi tradit. Qui videns Tennis operam sibi non vltra necessariam, eum meritissimo supplicio interfici iussit, qui populi sui prædonem ac proditorem egisset, non regem ac parentem. Mentorem autem cui fidem dederat, & cuius opera in Ægypto egebat, reseruauit. Sidonij, nauibus vltro incensis, se suaque omnia incendio tradita consumpsere.

Ochicru delitas.

Tennes male perit, eiusq; populus.

IV. Duo Cõsules Patricij duo bella feliciter cõfecerunt.

Censor plebeius.

Romæ autem cum Dictator frustra conatus esset vtrumque Consulem creare Patricium, id tamen Interreges C. Sulpicius, & M. Fabius obtinuere, mittore iam plebe, ob recens meritum leuati ære alieni. Ad bellum ambo Coss. profecti, Falisco Quintius, Tarquinienſe Sulpicius; quorũ populatione victa hostium pertinacia, inducias in 40 annos impetrarunt. Eodem anno Censura plebi, inuitis Consulibus & Senatu, communicata est. C. enim Marcius, qui Dictaturam in plebem inuexerat, etiam Censuram extorsit. Nec tamen propterea in annum sequentem Consularum apud solos Patricios retinere potuerunt.

***

ANNVS MVNDI 3704.

IEDDOÆ 15. PHILIPPI Mac. 11.

ARTAXERXIS Ochi 15. Imp. Pers. 188.

OLYMP. CVII. An 3. VRB. C. 403.

ANTE CHRISTVM 349.

BEllum Cyprium superiore anno inchoatũ, isto confectum est, sicut & Ægyptium. Scribit Diodorus fuisse in Cypro nouẽ magni nominis ciuitates, quarum singulæ regulos suos habebant Persis subiectos, qui omnes Phœnicum exemplo desciuere. Ea re cognita Ochus per literas ab Idtieo Carum principe Persatum socio postulat, vt copias in Cyprum paret. Is 40 triremes, cum octo millibus duce Phocione Athenienſi, & Euagora Cyprio, in Cyprum mittit; qui cò transgressi Salaminam terra marique oppugnare cœperunt. Dum autem Protagoras Salaminæ rex obsidionem tolerat, reliquæ omnes vrbes se Persis submisere. Euagoras autem paternum sibi regnum asserebat, & Persarum auxilio restitutionem in pristinam fortunã molliebatur. At Protagoras regi Persarum sese subijciens, regnum Salaminæ, irritis Euagoræ conatibus, retinuit.

I. Persæ Cyprum occupãt.

Frustrato Euagora.

Inde Ochus cum magnis copiis, Græcorum præsertim, Ægyptum petit, & ad voragines, quæ Barathra vocant, per imperitiam locorum, partem exercitus amittit. Inde Pelusium venit ad primum Nili ostium, vbi Thebani, qui fortitudinis gloriam præ omnibus sociis ambiebant, fossa quadam conatu audacissimo superata cum præsidio, quod Pelusio eruperat, pertinaci pugna certauere, donec certamen nox ipsa diuimeret. At Rex Nectanabus, qui maximis copiis Persæ resistebat, per superbiam, & consilij inopiam, omnia perdidit. Cum enim Pelusio Memphim profectus esset, ea re cognita Pelusij deditio Thebanis facta est. Mentor Bupastum, aliasque vrbes fraude in potestatem redegit. Rumorem enim per castra spargi curat, isque in vrbes ope transfugarum peruasit, Artaxerxem statuisse quam humanissimè accipere eos, qui se sponte dedidissent; iis autem quos vi expugnasset, parem cum Sidoniis exitum expectandum esse. Itaque inter vrbes mox certatum est vtra deditionem anteuerteret. Nectanabus his animaduersis pugnare non ausus, spe regni abiecta, congregatis quas licuit opibus in Æthiopiam exulatum abiit. Ochus tota potitus Ægypto, eique Pherendate præposito, Babylonem gloria clarus, spoliisque onustus reuertitur.

II. Ochus Ægyptũ petit quã Mentoris industria occupat.

Nectanabi ignauia.

Omittit Diodorus, quæ Eusebius obiter in Chronicis attigit, Paulus Orosius explicauit, in hæc verba, Ochus, qui & Artaxerxes, post transactum in Ægypto maximum durumque bellum, plurimos Iudæorum in Transmigrationem egit, atq; in Hyrcania ad Caspium mare habitare præcepit, quos ibi in hodiernum diem amplissimis generis sui incrementis consistere, atque exinde quandoq; erupturos opinio est. Sicque interpretatus est Orosius ἀπόκρυφον Eusebij hoc loco.

III. Iudæorum dissipatio.

Isa. 7.

Romæ

IV. Consul plebeius Gallos vincit, ac triumphat.

Romæ Dictatorem hic annus habuit M. Fabium, ne Licinia lex de promiscuo magistratu comitiis Consularibus seruaretur; sed irrito conatu. Nam M. Popilius Lænas è plebe factus est Consul; quem fortuna illustriorem fecit. Nam collega morbo detento, ipse in Gallos, qui in agro Latino castra posuerant, cum 4. legionibus profectus, cum in tumulo quodam castra posuisset, Galli prælium ineunt, sed Romana virtute, & loci iniquitate victi sunt. Rursumque redintegrato in planicie prælio renouata & confirmata victoria est. Illi Albanam arcem ex fuga petunt: hi castra diripiunt victores, & spoliis opulenti Romam reuertuntur. Moram triumpho vulnus Consulis attulit, eademque de causa Dictatoris desiderium Senatui fecit, vt esset qui ægris Consulibus comitia haberet.

ANNVS MVNDI 3705.

IDDOÆ 16. PHILIPPI 12.

ARTAXERXIS Ochi 16. Imp. Pers. 189.

OLYMPIAD. CVII. An. 4. V. C. 404.

ANTE CHRISTVM 348.

I. Ochus Mentorem valde honorat.

ARtaxerxes Ægyptio bello ex animi sententia confecto, tam Græcos magnis muneribus affecit, tum Mentorem Rhodum, qui ad eam victoriam magnum momentum industria sua attulerat, magnis muneribus affecit. Nam præter centum argenti talenta ei tradita, Asiaticæ oræ præfectura eum donauit, quæ iampridem à filiis regum ambiebatur; bellique contra defectores administrationem, ei cum summa potestate commisit. Ea gratia recte vsus Artabazum & Memnonem, qui Persis bellum non ita pridem intulerant, & ex Asia profugi, apud Philippum in Macedonia morabantur, regi reconciliauit, eorumque familiam prouexit. Eadem spe allectum Hermæam Atarnensem ad Hellespontum tyrannum, ad colloquium adductum in vincula coniecit, eiusq; annulo piscatorio potitus, literas ad vrbes quas ille possidebat eius nomine dedit, quibus ille se Mentoris opera Regi reconciliatum dicebat, simulque, qui castella Regis nomine occupareut, mittebat. Quibus literis cum fidem haberent vrbium præfecti, omnia regi, cum summa Mentoris gratia, restituta sunt. Alios quoque duces à Rege alienos partim vi subegit partim fraude circumuenit.

Qui ei reconciliat duces aliquot.

II. Philippi bellum in Olynthios, eiusque causa.

Interea Philippus Chalcidicas Thraciæ vrbes infesto exercitu adortus, Giram castellum oppugnatum diruit, aliaque oppida, formidine iniecta, imperata facere coëgit: Pheraſque Thessaliæ iterum aggressus Pitholaum Lycophronis socium, qui eò denuo irrepserat, rursus eiecit, sibique retinuit, sicut & Oritas. In Chalcidicis vrbibus maxime eminebat Olynthus, quam Philippus occupare discupiebat, intentus in causam idoneam. Cum ergo Olynthij Philippo fœderati eius progressus suspectos haberent, eo absente, per legatos pacem cum Atheniensibus fecerunt, & ab eis auxilia impetrarunt. Philippus in eos, quasi fœdifragos arma corripuit, & duobus prælijs victos obsidione cinxit, tamque animose vrsit, vt licet multos ad muros vrbis amitteret, edixerit tamen alterutrum fieri oportere, vel Olyntho illis extendum, vel sibi Macedonia, vrait Demosthenes. Quomodo autem capta sit dicetur anno sequenti, quo eam capi contigit, vt ex Demosthene liquet.

Orat. 3 in Phil.

Romæ comitiorum causa Dictator L. Furius Camillus dictus est, qui reddidit patribus possessionem pristinam Consulatus. Nam ipse ingenti patrum studio factus est Consul, & collegam dixit Appium Claudium Crassum. Qui priusquam iniret Consulatum, Popilius de Gallis, magno Plebis fauore triumphauit, multis mussitantibus, num quem Plebei Consulis pœniteret. Camilli Consulatum, plebe licet in illum obmurmurante illustrem Galli reddidere. Et primum Galli ex Albanis montibus, quo se receperant effusi, campos vagi populabantur. Interum quoque mare, & oram terrestrem Græcorum classes infestam habebant, cum nó leui Romanorum bono, prædones terrestres cum maritimis congressi, ancipiti prælio decertarunt, deque victoria dubij, Galli in castra Græci in naues se receperunt.

III. Camillus Dictator & Consul.

Bellum in Gallos Græcosque.

Sed ad duo externa bella, defectio Latinorum, à quibus auxilia contra Gallos petebantur, importunè contigit. Nihilominus Romani decem legiones quaternûm millium & ducenorum, equitumque trecentorum conscripsere. Sed in belli apparatu alter Consulum Appius Claudius mortuus est. Itaque res tota ad vnum Camillum redit, quem Senatus nouo Dictatori subiiciendum non censuit; quod Camilli feliciter contra Gallos decertare solerent. Ergo duabus legionibus vrbis præsidio relictis, reliquas octo cum L. Pinario Prætore diuisit, quem oram maritimam contra Græcos tutari iussit. Ipse contra Gallos extra portam venit, quos ex rapto viuentes fame domare aggressus est; cum Gallus quidam, magnitudine atque armis insignis, Romanum aliquem ad certamé singulare depoposcit. Hîc M. Valerius Tribunus militum, trium & 20 annorum adolescens, T. Manlij gloria excitatus, cum bona Consulis venia processit ad pugnam, & corui, pro se contra hostem pugnantis, opera, oculis ac mente turbatum confecit.

IV. Defectio Latinorum.

Singulare certamen M. Valerij Corumi

Dum hostem spoliare parat, quietæ adhuc vtrimque acies concurrere. Valuitque prærogatiua prælij inchoati, duce atque hortatore Camillo. Et inter primos quidem atrox certamen fuit, reliqui per Volscos & Falernum agrum, Apuliamque dissipati sunt. Consul concione aduocata laudatum Valerium decem bobus, aureaque corona donauit. Moxque iussu Senatus ad bellum maritimum cum Prætore castra iunxit, donec appetente comitiorum tempore, Græcis se in aciem non committentibus, Dictatorem T. Manlium Torquatum comitiorum causa dixit.

V. Pugna & clades Gallorũ.

* * *

ANNVS MVNDI 3706.

IEDDOÆ 17. PHILIPPI Mac. 13.

ARTAXER. OCHI 17. Imperij Perſ. 190.

OLYMP. CVIII. AN. 1. VR. C. 405.

ANTE CHRISTVM 347.

HVius anni principia Olynthiis funeſta fuere. Affirmat enim Dionyſ. Prætore Athenis Theophilo Philippum Olynthiorum vrbe potitum, illumque Callimacho ſucceſſiſſe. Demoſthenes quoque ait Philippum Olyntho capta, Olympia celebraſſe, quæ in hunc annum cadunt; & ad id ſacrificium, ac celebritatem omnes artifices congregaſſe, excepiſſe conuiuiis, victores coronaſſe, muneribus ac promiſſis oneraſſe, vt eos in vrbium ſuarum proditionibus haberet obſequentes. Obtinuit autem Olynthum Eutycrate ac Laſthene, qui ſummo ibi magiſtratu fungebantur, pecunia corruptis: captam autem diripuit, & ciues ſeruituti addictos, cum reliqua præda venum dedit: ſicque magnis opibus ad reliquas vrbes pari ſcelere occupandas locupletatus eſt. Nam hoc ipſo tempore, vt ſcribit Diodorus, Micibernam & Toronem, citra pugnæ diſcrimen, proditione occupauit. Tantiſper, ait Demoſthenes, Laſthenes amicus Philippi nominabatur dum Olynthum prodidiſſet, tantiſper Timolaus dum Thebas perdidiſſet, tantiſper Eudicus & Simus Lariſſæi, dum Philippo Theſſaliam ſubiecciſſent. Quo autem ſtudio ad proditionem ferrentur oſtendit, cum ait eos ancipitem Philippum reddidiſſe, nec potuiſſe præſto eſſe ad prodentorum nutum, neque ſciuiſſe quid primum occuparet. Itaque Philippus auro magis quam armis, regnum ſuum creuiſſe dicebat.

Mors Platonis huncipſum annum inſignem facit, teſte Dionyſio, Athenæo, Laërtio, qui in eius vita, *Moritur*, inquit, *vt Hermippus tradit, primo anno centeſimæ octauæ Olympiad. in nuptiis diſcumbens, octogeſimum & primum ætatis annum agens.* Natus nimirum anno quarto Olympiad. 87, ex quo apparet eum totas 20. Olympiades viuendo expleuiſſe. De ætate conſentit Cicero, Plutarchus, Euſebius, Suidas, Auguſtinus, alij. Sepultus eſt autem in Academia, vbi plurimum temporis philoſopharus fuerat, vnde quæ ab eo fluxit ſecta, Academica eſt appellata; in qua ſtatim ei Speuſippus ſucceſſit. Corpus eius elatum honorifice, & ab iis qui frequentes conuenerant, conditum eſt. Sed de his plura in Annalibus. Illud tamen non omiſerim, Ariſtotelem, qui eum hactenus audierat, ad Hermæam nuper Atarnei tyrannum abiiſſe, ac triennium cum eo commoratum eſſe, vt ait Dionyſ. Hicenim eſt Hermæas ille, quem Mentor præcedente anno regno exuit. Is forte nunc in vita priuata non inops, philoſophari cum Ariſtotele deſiderans, eum ad ſe honeſtis conditionibus euocauit, cum annum vitæ ageret 37. totidem enim ab anno Mundi 3670. numerantur.

Romæ T. Manlius comitiorum cauſa Dictator, abſentem M. Valerium Corui num, ſummæ populi fauore, etſi tres tantum & 20 annos natum, Conſulem renunciauit, cui additus eſt Collega Popilius. Quibus Coſſ. nihil memorabile contra Græcos à Camillo geſtum. Quippe nec illi terra, nec Romanus mari bellator erat. Poſtremo cum littoribus arcerentur, aqua et iam ad vſum neceſſaria deficiente, Italiam reliquere. At Romæ fœdus cum Chartaginenſibus ſecundum ictum eſt, vt ſcribit li. 3. Polybius, cum Romanos è bellis & ſeditionibus quietos peſtilentia vexaret: eademque quies ſequenti anno perſeuerauit.

M. Valerius Corui nus ſiue Coruinus dictus ſit ex re ſul.

3707

IV. Philippus Thebanos contra Phocenſes iuuat.

At in Græcia Phocenſes Phalecum ducem, interuerſatum pecuniarum reum exautorarũt, eique tres ſuffecti ſunt ſacræ pecuniæ quæſitores. Cum autem aliquot oppida in Bœotia rite communita haberent, & nominatim Orchomenum & Cheronæam, inde Bœotos ac Thebanos multis damnis afficiebant, vt ad Philippum auxilij cauſa fugere cogerentur. Is tametſi lætabatur eorum ſpiritus ex Leuctrica pugna compreſſos, auxilia tamen miſit, cum quibus Phocenſes vincunt, quorum cum fere quingenti ad vicinum Apollinis templum confugiſſent, ibi pœnam ſacrilegis debitam incẽdio pependerunt. Porro pacem hoc anno conciliatam Philippum inter & Athenienſes, author eſt Dionyſius, eamq; ad ſeptem annos duraſſe. Ea, vt refert Libanius, ab vtriſque expetebatur. Nam Athenienſes hoc tempore non ſatis proſpera fortuna in bello vtebantur: & Philippus dum aduerſarios haberet Athenienſes, quæ Thebanis & Theſſalis promiſerat, præſtare non poterat, præſertim de Phocenſibus debellandis.

Init. pacem cum Athenienſibus.

In Orat. de pace.

Cæterum pax iam anno ſuperiore, non ſolum tractari cœpta, ſed perfecta etiam erat, excepto iureiurando, quod à Philippo edi oportebat. Id autem diu ab eo de induſtria dilatum eſt, dum tota interea Thracia potiretur. Intelligebat enim quæ Athenienſibus eripuiſſet ante præſtitum iuſiurandum, ea ſe omnia conſtãter habiturum, neminemque propterea pacem ſoluturum, ad quod inſtitutum legati Athenienſium cum perfida cunctatione iuuerunt, vt queritur Demoſthenes.

V. Callida Philippi malitia.

Orat. de Corona.

ANNVS MVNDI 3708.

IEDDOÆ 19. PHILIPPI Mac. 15.

ARTAXERXIS Ochi 19. Imp. Perſ. 192

OLYMP. CVIII. AN. 3. VR. C. 407.

ANTE CHRISTVM 345.

HAbet hic annus belli ſacri finem, cum ſuprema Phocenſium pernicie coniunctũ. Bœoti enim ac Phocenſes, quorum armis atque odiis ducebatur hoc bellum, multis vtrimque prœliis, direptionibus, cædibuſque fatigati, ad noua belli auxilia potius, quam ad pacis conſilia, & inimicitiarum finem ſpectabant. Itaque Phocenſes, miſſis Lacedæmonem legatis, auxilia expetiuerunt: quibus Spartani mille grauis armaturæ milites, duce Archidamo rege

I. Finis belli ſacri ope Philippi.

miſe-

Phocēſes ad deditionem cogit.

miſerunt. Bœoti autem ſupperias à Philippo per legatos poſtularunt. Is aſſumptis in belli ſocietatem Theſſalis, cum valido exercitu in Locridem deſcendit; vbi Phalecum denuo ad munus imperatorium euectum inuenit, cum octo millibus armatorum. Qui nihilominus animaduertens ſe Philippo longe viribus imparem, legatione miſſa pacem expetit, & impetrauit, ea conditione, vt ipſe cum ſuis copijs aliò ſe ex ea regione conferret; qui mox data acceptaque fide, ſeſe in Peloponneſum recepit. Ita Phocenſes omni auxilio ac ſpe deſtituta, ſe Philippo dediderunt.

II. Acerbe punitur Philipp. concilio Amphictyonum aggregatur.

Rex vbi citra pugnam, ex inſperato finem ſacro bello impoſitum videt, cum Bœotis ac Theſſalis conſilium capit, quid de Phocenſibus fieri placeat; decernitq; vt indicto Amphictyonum concilio, res integra eorum arbitrio permittatur. Ab ijs in eam ſententiam itur, vt Philippus cum poſteris ſuis, in Amphictyonū cōcilium adſciſcatur, & gemini ſuffragij ius habeat, quod Phocenſes habuerant; vt trium in Phocide vrbium mœnia deſtruantur, aliaq; in Phocenſium perniciem ſeueriſſimè: quæ in rem fuiſſe redacta abunde docet in falſa legatione Demoſthenes. Ex quibus intelligi poteſt quam infenſo animo vniuerſa Græcia in ſacrilegos vnius templi expilatores fuerit: quidque ab vniuerſa Gallia in hæreticos iure decerni potuerit, tot tallumque templorum ſacrilegos expilatores atque euerſores. Præſertim cum fanum illud cacodæmoni, hæc omnipotenti Deo, in Chriſti Domini, & ſanctorum eius honorem fuerint conſecrata.

Odium Græcorū in ſacrilegos.

III. Res geſta à Valer. Coruino in Volſcos.

Romæ a. cum nunciatum eſſet legatos ab Antio circumire populos Latinorum, ad concitandum bellum, M. Valer. Coruinus iuſſus Volſcis inferre bellum, priuſquam vires ampliores colligerent, ad Satricum eorum vrbem, exercitu infeſto pergit. Cui cum Antiates alijq; Volſci occurriſſent nulla mora, inter infeſtos odio diuturno populos, dimicandi fuit, ſed Volſci ad rebellandum, quam ad bellandum ferociores, victi effuſa fuga Satricum petunt; eumq; iam vrbs caperetur, ad 4. millia, præter imbellem multitudinem, ſe dedidere. Oppidum dirutum atq; incenſum, excepta æde Maturæ, præda omnis militi data. Conſul dedititios vinctos ante currum triumphans egit, de vēditis deinde magnā pecuniam in ærarium redegit. Cēſorinus ludos ſeculares ſecundos hoc anno celebratos ſcribit, quem tamen 408. vocat ab V. C. quem faſti Conſulares vocant 407. Qua de re conſule Annales hoc loco.

Ludi ſeculares.

3709. *Iuſt. l. 8.*

Sequenti anno Philippus reuerſus in Macedoniā, debellatis Phocēſibus, multas populorū tranſmigrationes fecit, multo cum mœrore luctuq; propria derelinquentium, & in nouas terras, quaſi noua exilia demigrantium. Sic nimirum prouidebat, vt qui tui bas excitare poſſent, aut ſolerent, opibus fere atque amicis, nouis in colonijs deſtituti, vel inuiti quieti eſſe cogerentur. Hoc ipſo anno Archonte Eubulo Ariſtoteles, cum triennium apud Hermæam commoratus eſſet, venit Mytilenem vrbem in Lesbo inſula, Philoſophandi opinor cauſa & docendi: vnde fama eius in vicinam delata Macedoniā, mox illi aditum ad Philippum, & magiſterium Alexandri muniuit.

IV. Philipp. populos traducit.

Ariſt. venit Mytilenem.

In Italia Auruncum bellum excitum, plus habuit trepidationis quam damni. Itaq; Dictator dictus L. Furius Camillus, votum Iunoni Monetæ vouit; tum progreſſus ad bellum, prædones potius quam hoſtes inuenit; prima itaque acie debellatum eſt. Senatus Decemviros ad eam ædem excitandam conſtituit. Locus in arce deſtinatus eſt, quæ area dum fuerat M. Mālij Capitolini. Ædes autem ipſa proximo anno abſoluta ac dedicata eſt, magna cum ſupplicationum pompa.

V. Bellū Auruncum.

Ædes Iunonis monetæ.

ANNVS MVNDI 3710.

IEDDOÆ 21. PHILIPPI 17.

ARTAXERXIS Ochi 21. Imp. Perſ. 194.

OLYMP. CIX. A. 1. VRB. CO. 409.

ANTE CHRISTVM 343.

PHilippus regno ſuo probe vndiq; ſtabilito, magniſq; incrementis ex aliorum ruinis amplificato, ex antiquo in Illyrios odio, quod quaſi hæreditarium à patre acceperat, eorum terras cum valido exercitu inuadit, & agros populatus, multiſq; vi bus expugnatis, cum maxima præda Macedoniam repetit, vt ait Diodor. Itaque ad hoc tempus referre poſſumus quod ait Plutarchus, Alexand. puerum, is nunc 13. agebat ætatis annum, cum allatum eſſet, aut nobilem vrbem à Philippo captam, aut illum inſigni potitum victoria, veritum eſſe ne nullum ſibi glorioſum facinus pater peragendum relinqueret, idque crebris apud æquales ſermonibus vſurpaſſe. Ipſe autem Philippus per ſpeciem expellendi Tyrānos Theſſalia potitus eſt. Theſſalorum autem vel inſipientiam, vel iudicium ſecuti plerique Græci, Philippo ſe dedidere; miſeri qui non intelligerent ſe non tyrannum expellere, ſed domeſticum in alienigenā mutare.

I. Philippi bellum contra Illyrios

Alexand. gloria capiditas.

Philipp. Theſſali potitur.

ANNVS MVNDI 3711.

IEDDOÆ 22. PHILIPPI 18.

ARTAXER. Ochi 22. Imperij Perſarum 195

OLYMP. CIX. An 2. V. C. 410.

ANTE CHRISTVM 342.

ARiſtoteles Pythodoro Prætore ad Philippum venit, vtique accerſitus, vt Alexand. filium, qui nunc decimum quartum agebat annum, & grauioribus iam ſtudijs videbatur aptus, inſtitueret, cum præceptor ipſe ageret quadrageſimū ſecundum. Apud Philippum autem octo annos exegit, autore Dionyſio, id eſt ad eius vſque mortem. Philoſophorum clariſſimum, ait Plutarchus in Alexandro, Ariſtotelem Philippus acciuit, præmioq; ei dedit inſtitutionis clarum & decorum. Nam Stagiram patriam eius, quam exciderat, iterum frequentauit incolis, ciueſque eius, qui in exilio erant,

I. Ariſt. Alexān. præceptor.

Egregia à Philippo meritede.

aut ſeruiture, reduxit domum. Ludum et & ſtudij locum Nymphæum, prope Miezam Macedoniæ vrbem aſſignauit, vbi & hac ætate ſedes Ariſtotelis lapideas, & ambulationes vmbroſas monſtrant. Sic Plut. Hic idem annus quartus eſt & nonageſimus vitæ Iſocratis, quo eum librum qui Panathenaicus inſcribitur, ſcripſiſſe dicitur, vt ait Cicero in Catone. Natus quippe eſt anno primo Olympiadis 86. vixitque quinquennium poſtea, vt idem ait.

Panathenaicus I. ſocratis.

II. Sicilia tyrãnide liberata.

Inſignis quoque eſt hic annus euerſione Tyrannidis in Sicilia, cum Timoleon Dionyſio iuniore ad ſumam trepidationem adducto, perſuaſit, vt abdicato principatu in Peloponneſum abiret, vbi & reliquum vitæ in egeſtate tranſegit. Interea duo Thraciæ reges, vt ait Iuſtinus, ad Philippum venere, quos Demoſthenes vocat Amadocum & Cherſobleptem filios Cotys, metuentes ne alterius viribus accederet, ad vtrumque ſeorſim opprimendum. At is non quaſi ad iudicium, ſed quaſi ad bellum inopinantibus fratribus inſtructo exercitu ſuperuenit, & vtrumque regno, non iudicis more, ſed latronis fraude ac ſcelere ſpoliauit.

l. 8.

Philipp. regios fratres in Thracia opprimit

III. Initium belli Samnitici. a V.C. 399.

Ortum eſt hoc anno bellum contra Samnites, quibus ab annis vndecim amicitia atque ſocietas inita fuerat. Belli hæc cauſa memoratur. Samnites Sidicinis, eorumq; auxiliarib. Campanis arma iniuſta intulerant, & vtroſq; ex armorum inſolentia, ſemel iterumque vicerant. Victi ad Romanorum auxilia confugere, qui amicitiam cum Samnitibus cauſati, ſpoponderunt ſe legatos ad eos miſſuros, qui tanquam amicos rogarent, ne qua vis Campanis fieret. Hic cum Campani ſe, ſuaque omnia Romanis dedidiſſent, miſſi ſunt ad Samnites legati, qui pro amicitia ac ſocietate peterent, vt deditijs ſuis parcerent, neque in eum agrum, qui populi Romani factus eſſet, hoſtilia arma inferrent. Sed his non ſolum ferociter à Samnitibus reſponſum eſt, ſed coram legatis etiam miſſi cohortiũ præfecti, qui in agrum Campanum populabundi proficiſcerentur, vtroq; populo vna eademque ſuperbia atque iniuria violato.

Campani ſe Romanis dedũt

IV. Romani gemino exercitu Samnites petunt.

His Romæ cognitis, iuſſu populi Conſules ambo cum duobus exercitibus ab Vrbe profecti, Valerius in Campaniam, Cornelius in Samnium profecti ſunt. Valerio Samnitium legiones occurrunt, gemina de Campanis victoria feroces. Valerius leuibus certaminibus tentandi hoſtis cauſa aliquot diebus vſus, ſignum pugnæ propoſuit, & ſuos incredibili alacritate plenos in pugnam eduxit. Prælium magna vtrimq; ſpe, contentione, pertinacia, ſi vnquam alias geſtum eſt; cumq; atrox vbique cædes fieret, fugæ nemo meminerat, adeo ſola morte vinci animis deſtinauerant. Tantum inclinante ad veſperam die ceſſere Samnites. Mox autem Romani fatebantur, nunquam à ſe cum pertinaciore hoſte conflictum: & Samnites oculos ſibi Romanorũm ardere viſos, iiſque magis quam gladijs in terrorem ac fugam verſos. Alter Conſul in Samnio pene ab hoſte concluſus, P. Decij Tribuni militum induſtria, non liber ſolum, ſed difficili ex pugna victor euaſit. Cũque Samnites iterum ſe ex fuga ac terrore collegiſſent, ad Sueſſulam à M. Valerio magna clade affecti ſunt, adeo vt ad Conſulem centum ſeptuaginta ſigna militaria hoſtibus erepta deferrentur. Conſules ambo glorioſe de Samnitibus triumpharunt.

Atrox prælium.

Primus de Samnitibus triumphus

Sicque initium bello Samnitico datum eſt, quod ad annum 482. propagatum eſt, & per annos duos & ſeptuaginta innumerabilium, cædium, & triumphorum materiam præbuit, vt ſcribit Florus. Hæc prima de Samnitibus victoria vicinos Romanis populos partim fœdus perſuaſit. Carthaginenſes etiam ad gratulatoria munera incitauit. Legatos enim Romam miſere, cum coronæ aureæ dono, quæ in Capitolio in Iouis cella poneretur. Poſtremo Campanorum, & Sueſſanorum precibus datum, vt præſidium militare eò in hyberna mitteretur, quo Samnitium excurſiones arcerentur. Vnde non parum mali Romanis exortum eſt, vt ſequens annus docebit.

Belli Samnitici diuturnitas. *l. 1. Epit.*

Carthaginenſium gratulatio.

ANNVS MVNDI 3712.

IEDDOÆ 23. PHILIPPI 19.

ARTAXER. Ochi 23. & vlt. Imp. Perſ. 196.

OLYMP. CIX. An. 3. V. C. 411.

ANTE CHRISTVM 341.

POSTREMVM hunc eſſe Artaxerxis Ochi annum, nec vltra vigeſimum tertium regnando progreſſum Diodorus non vno loco teſtatur: quæ eſt Sulpicij quoque Seueri, & multorum recentiorum ſententia, eaque vt arbitror veriſſima, vt quæ Olympiadibus, & annis Philippi & Alexandri recte conſentiat. Celebratur principis huius crudelitas in primis. Nam præter ea quæ initio regni eius ex Iuſtino retulimus, & quæ in excidio Sidoniorum barbarè perpetrauit, Q. Curtius ſcribit eum vno die ad octoginta fratres ſuos interemiſſe. *Bagoas*, ait Diodorus *militum tribunus, condutione Eunuchus, ſed natura ſceleratus & bellicoſus, veneno regem tollit, medici ad hoc opera vſus.* Mortis cauſam refert Sulpicius Seuerus in irriſionem Ægyptiarum ſuperſtitionum, quas Ægyptius Bagoas vltus fuerit. Addit Ælianus, interemptum in minutas partes conciſum felibus proiecciſſe, & eius loco alium regio ſepulchro condidiſſe. Cum autem in regno poſſet omnia, vt ait Diodorus, interfecto patre, filium eius Arſen natu minimum regem conſtituit, ſimulque omnibus eius fratribus necem intulit, vt deſertus eo modo Rex, tanto plus obſequij illi præſtaret, eóque carere non poſſet. Sed de Arſe anno ſequenti, quo eum regnare cœpiſſe plurium eſt ſententia. Si tamen placeret quatuor regni annos cum Euſebiõ tribuere, oportet primum eius annum cum vltimo patris concurrere.

I. Obitus Artaxerxis.

Eius crudelitas mortis cauſa.

Bagoas ſæuitia & tyrannis.

Arſes.

Arymbas rex Moloſſorum hoc tempore, poſt decimum regni ſui annum, vita decedit, filio poſt ſe relicto Æacida, qui poſtea Pyrrum genuit, ſed in defuncti locum, adiutante Philippo,

II. Philippi regnum Moloſſorum interuertit.

Alexan-

Alexander Olympiadis germanus suffectus est. Aliter rem narrat Iustinus, qui paulo in Philippum videtur iniquior, sicut Diodorus in eundem indulgentior. Media grāditur via Demosthenes, qui cum quadragesimum annum ageret Athenis, Prætore Sosigene, nonam & decimam orationem habuit contra Philippum, vt ait Dionysius.

Ad Ann. ante. Ortus Epicuri.

Natum hoc anno Epicurum voluptatis patronum scribit sectator eius Laërtius ex Apollodori Chronicis. Nascitur, inquit, centesimæ nonæ Olympiadis anno tertio, sub Sosigene principe, mense Gamelione, quiresp̄ondet Ianuario, septimo mensis, septem annis post obitum Platonis, qui sub initia proximè p̄cedentis Olympiadis abijt è viuis.

III. Romani Campaniam affectant.

Huius quoque anni principio, in Campania ad Capuam locus militi Romano nimium placere cœpit, adeo vt de eo incolis eripiendo, soloque Romano deferendo consilia inter se inirent. Quæ cum Rutilio consuli, cui Campania prouincia sorte obuenerat, per Tribunos innotuissent, exercitum purgare missionibus turbulentorum militum cœpit, varijs causis excogitatis; quos Romæ alter Consul, Prætorq̃ alias ex alijs fingendo moras, retinebant. Vbi autem orta est suspicio consilia ista esse patefacta, in vnum se locum non exigua manus receperunt, & prædantes, castris desertis, in agrum Albanum peruenere. Cumque duce carerent,

Seditiosi Quintiū inuitum assumunt decem.

T. Quintium, in Tusculano quietam vitam agentem, quā precibus, qua vi cogunt ad imperium suscipiendum. Cuius opera, & Dictatoris Corumi lenitate & prudentia, improba consilia dissecta sunt, & milites Reipub. reconciliati. Vide Liuium l. 7. extremo.

ANNVS MVNDI 3713.

IEDDOÆ 24. PHILIPPI 20.

ARSIS 1. Imperij Persarum 197.

OLYMP. CIX. AN. 4. VR. CO. 412.

ANTE CHRISTVM 340.

1. Arsis imperium.

REtinemus eundem in nouo Imperatore Pontificem, quia ex Iosepho constat Ieddoam, quem ipse Iaddum vocat, ad Alexandri tempora peruenisse. Nouus porro Imperator, Ochi minimus natu, ex arbitrio Bagaos Eunuchi, imperio sufficitur Arses nomine, vt diximus. De quo illud vnum apud Diodorum legimus, eum triennio, pro Bagaos arbitrio imperasse, illumque eadem perfidia qua patrem occiderat, etiam filium sustulisse, vt suo loco dicetur.

II. Expeditio Philippi in Perinthios.

Tulit arma Philippus hoc anno contra Perinthum Thraciæ vrbem ad Propontidem, ea vt expugnata Byzantio facilius potiretur, & ad Athenienses, reliquamque Græciam sibi subijciendam viam sterneret. Scribit Diodorus eum Perinthum cum 30. armatorum millibus, & telorum ac machinarum infinita copia tanto studio obsedisse, nullam vt obsessis requiem præberet. Cui non solum Perinthij strenue resistebant, sed Byzantij quoq;, quasi in proprio periculo, viros ers, arma, commeatum, omnia bello necessaria studiosè subministrabant. Regem quoq; Persarum Perinthijs auxilio fuisse, tradit Diodorus, nimis jam Macedonis incrementa suspecta habentem, & Satrapis regionum maritimarum mandasse per literas, vt Perinthijs, quantis possent copijs, subuenirent.

III. Et Byzantios.

Itaque æquatis hoc auxilio viribus, Perinthij facile vim Philippi sustinebant, cum is callide consilium de diuidendo exercitu capit, ratus, id quod erat, se facilius Perintho potiturum, si ab ea Byzantiorum auxilia subtraxisset. Et rursum Byzantium nudatū bellicis præsidijs, quæ Perinthijs commodassent, non ægrè subactum iri. Itaque copiarum parte ad Perinthi oppugnationem relicta, cum altera Byzantium infestus petit, magnasque in angustias cogit. Illi Athenas auxiliorum causa conuolant, ad quæ impetranda maximum momentum attulit Demosthenes, vt ipsemet in oratione de corona gloriatur, sed ea res ad sequentem quoque annum pertinet.

III. Bellum in Priuernates & Antiates.

Interea Priuernates in Italia duas populi Romani colonias depopulati sunt. Quos Plautius Consul victos, duabus agri sui partibus mulctauit. Antiates quoque Volscorum atroci prælio vicit, proximaq̃ nocte agmine trepido, saucijs ac parte impedimentorum relicta, Antium repetere compulit. Alter Consul cum Samnites bello peteret, neque vsquam hostis occurreret, agris vastitatem inferebat. Cum ad eum legati Samnitium pacis causa adierunt; à quo reiecti ad Senatum, positis ferocibus animis, pacem sibi à Romanis, bellique ius aduersus Sidicinos petierunt, atque vtrumque impetrarunt. Icto fœdere cum domum reuertissent, exemplo inde Romanis exercitus abductus. Samnites autem, copijs ijsdem quibus Romanos petebant, Sidicinos inuasere. Ar ij cum deditionem, Campanorum exemplo, facere vellent, patres vt nimium seram, atque extrema necessitate expressam aspernati sunt, aut certe ne fœdus proxime cum Samnite ictum violarent. Ergo illi se Latinis dedidere, cum quibus Campani quodque Samnitium agros populati sunt. Cumque Samnites ea de causa ad Romanos recurrissent. Responsum datum est Campanos seu nollent seu vellent quieturos. In fœdere Latino nihil esse qui bellare, cum quibus ipsi vellent, prohiberentur. Id responsum & Latinos ferociores fecit, & Campanos metu abalienauit, & Samnites dubios reliquit. Itaque Latini per speciem belli parandi aduersus Samnites, occulte bellum in Romanos parabant, quibus se Campani quoque aduersus seruatores suos adiunxerunt, sed ad coniurationis indicia Romam per amicos emanarunt.

Pax cum Samnitibus.

Apparatus belli contra Latinos.

***

ANNVS MVNDI 3714.

IEDDOÆ 25. PHILIPPI 21.

ARSIS 2. Imperij Pers. 198.

OLYMP. CX. AN. 1. VRB. CO. 413.

ANTE CHRISTVM 339.

I. Athenie-ses pro Byzantiis contra Philippū arma su-munt.

PErgit Philippus hoc anno ineuntis Olympiadis centesimæ decimæ Perinthum atque Byzantium oppugnare. Byzantij quoque Athenis auxilia vrgebant, quę agente, vt dixi, Demosthene, impetrarunt. Philippo Byzantium subsidēte, inquit Diodorus, Senatus populusq; Athenienſis pacem, quam cum eo firmauerant, violatam arbitrati, exemplo numerosas contra ipsum copias nauales subsidio Byzantinis mittunt, quos Chij, & cum his Coi, Rhodijque, & Græcorum alij quidam, cum auxiliaribus copijs secuti sunt. Quæ clarius habentur in Byzantiorum decreto, quod extat apud Demosthenem, vbi inter alia, Philippo nostrum agrum & vrbē hostiliter aggresso, adexcidium Byzantiorum & Perinthiorum, agrumq; incendijs & succisis arboribus deuastante, Populus Athenienſis opem tulit nauibus centum & viginti, frumento, telis, & legionibus, nosque magis periculis eripuit, & patriam Rempubl. restituit, & leges & monumenta maiorū, &c. Ex quibus patet irritos fuisse Philippi conatus hoc tempore, obsidionem solutam, & pacem cum Athenienſibus tertio redintegratam, donec homini vafro noua nasceretur occasio, ad illam maiore vtilitate violandam.

Orat. de Corona.

Belli finis, & pax cū Athē. renouata.

II. Philippus piraticā agit.

His consequentia scribit Iustinus. Philippus inquit, longa obsidionis mora exhaustus, pecuniæ cōmercium de piratica mutuantur. Captis itaque 170. nauib. mercium, & distractis anhelantem inopiam paululum recreauit. Ab ea re non alienum est, quod scribit Demosthenes, Philippum per speciem arcendi prædones, maris imperium affectasse, insulares ab Athenienſium societate & ditione abalienasse. Nec absurdum est eum, qui prodigè pecunias in emēdis proditoribus profuderat, qui prædis innocentium, & sacrilegijs saginatus fuerat, male partis, male dilapsis, etiam ad piraticam fuisse compulsum. In Scythiam quoque prædandi causa expeditionem suscepisse idem Iustinus affirmat: accersitum tamen à Scytharum rege Machæa, dum is sibi ab Istrianorum rege metuit: cuius tamen morte, metu mox solutus, irrisus Macedonas suum ad regem emisit: Philippus dum vim dissimulanter parat, & à Scythia deluditur: legationibus missitandis reliquus annus abijt.

l. 9.

Et Scythiam cogitat.

III. Romana res cōtra Latinos, & istorū superbia.

Interea Romani aduersus belli molem, quæ à Latinis populis, Volscis & Campanis imminebat, maturius nouos consules per interreges creauere, Torquatum & Decium, eodem anno quo Alexander Epiri rex frater Olympiadis, & magni Alexandri auunculus, in Italiam classe appulit. Cum ergo Samnites Romanis fœderati essent, eosque Latini Campaniq; bello peterent, euocantur Latini Romam, roganturq; vt à Samnitibus socijs abstineant. At Latini superbia tumentes defectionem minati sunt, nisi in signum æquatæ cum ipsis potentiæ ac maiestatis, alterum consulem è Latinis, partemque Senatus acciperent, quæ quanto assensu apud Latinos proposita, tanta indignatione à Romanis accepta sunt, vt Latinus à se vestibulo templi prorumperet, & capite grauiter offenso corruens semianimis jaceret, quod in omen victoriæ Romanus Consul accepit.

IV. Decij Consulis deuotio & cædes

Consules duobus conscriptis exercitibus, per Marsos Pelignosque profecti, adiuncto Samnitium exercitu, ad Capuam, quò iam Latini socijq; conuenerant, castra locant. Ibi dæmonum spectris ludificati, persuadentur eorum fore victoriam, quorū Imperator se dijs manibus deuoueret, atq; in pugna occumberet. Itaq; cum læuum cornu Romanorū hosti cedere inciperet, Decius facta deuotione se in hostem ferox immittit, & post multam editam stragem, telis obrutus cadit, idq; primum ad victoriam momentū attulisse creditum est. Sed longe verius id Torquati Consulis industriæ tribuatur. Qui cum sciret se contra eos pugnare, qui ijsdem assueti militaribus institutis, eosdem pugnæ ordines, pugnatorumque retinerent, contra fessos Latinorum triarios, suos adhuc integros ac recentes immisit, à quibus victoria parta est, tantaq; cæde sæuitum, vix vt quarta pars hostium euaserit. Decij corpus postridie inter hostium aceruos inuentum, honorificè à Collega sepultum est.

Torquati industria & victoria.

V. Filium victorem occidit.

Alterum facinus hoc bello patratum est quod dubiā habuit apud Romanos approbationem. Cum enim Torquati Consulis filius, ab hoste ad certamē singulare prouocatus esset, oblitus edicti, quo vetitum fuerat, ne quis extra ordinē in hostem pugnaret, & decertandi certaminis pudore compulsus, pugnat, & humi hoste affixo, victor & ouans cum socijs in castra reuertitur, & patrem ad prætorium adit cum spolijs, & victoriam narrat infelix. Nam pater eum auctatus, concionem classico advocari iussit, & coram reprehensum filium violatæ disciplinæ militaris, imperijque patrij, ad ea exemplo terrifico stabilienda, iubet ei à lictore præscindi cervices, itaq; exemplo factum est, vtrumque exemplum non negligenter in Annalibus examinatum studiosus Lector inueniet. Hîc illud vnum dixerim Torquatum hominem austerum, qui durum erga se patrem olim fuerat expertus, ferreum, in filium leuiculæ culpæ reum esse voluisse, vt imperia Manliana deinceps proverbio iactarentur.

n. 9. & seqq.

VI. Iterata pugna, & victori de Latinis

Cæterum cum Latini, qui se ex fuga Minturnas contulerant, se collegissent, & raptim conscripto exercitu ex vicinis Volscis ac Latinis, vt Romanos, nihil minus tum quam prælium expectantes, inuaderent, eis Consul occurrit, simulque sarcinis vtrimq; in aceruum congestis, pugnatum ac debellatum est. Adeò enim accisæ res sunt, vt Consuli exercitum ad populandos agros ducenti, omnes se Latini Campanique dediderint, vtrique agro mulctati. Consul bello gesto Romam reuersus est, eique soli seniores honoris causa obuiam processere. Iuuentus eum & tunc, & deinceps auersata est, qui se patrem oblitus ac Consulem, crudelem tyrannum & barbarum egisset in filium innocentem.

Iuuenturis odium in Torquatum.

AN-

ANNVS MVNDI 3715.

IEDDOÆ 26. PHILIPPI 22.

ARSIS 3. & vlt. Imp. Pers. 199.

OLYMP. CX. A. 2. VRB. CO. 414.

ANTE CHRISTVM 338.

I. Arsis Persarum regis cædes

ARses Persarum Imperator, & seruitutis indignissimæ pertæsus, & Bagoæ sceleribus offensus, se pœnas de autore sumpturum, manifestis argumentis incautius declarauit. Insidijs deprehensis Bagoas Arsen cum liberis, tertio Imperij anno è vita sustulit, vt scribit Diodorus initio libr. 17. Alexander vero magnus apud Arrianum, scribens ad Darium ait ipsum, opera Bagoæ vsum, Arsen interemisse. Hoc quoque anno moritur Speusippus Platonis ex sorore nepos, cum eius scholam octo rexisset annis. Cuius cum corpus omne paralysi resolutum esset, accersito Xenocrate orauit, vt sibi in docendo succederet. Auntillum, inquit Laërtius, cum vehiculo ferretur in Academiam, obuium habuisse Diogenem, quem cum salutare iussisset; at tu, inquit Diogenes, nequaquam salue, qui huiusmodi cum sis viuere sustines. Ac ne tu quidem, inquam, improbe atque imperite philosophe, quin nescius vetæ fortitudinis, tã nefarium scelus amico suades; quod ille postmodum infeliciter perpetrauit. Et ad 25. annos in regenda Academia successit Xenocrates, vir haud paulò sapientior ac melior, etsi teste Laërtio, ingenio paulò tardiore.

l. 2. Exped.

Mors Speusippi ex impio Diogenis consilio.

In Speusippo & Xenocr.

II. Philipp. Elateam Athenien. sib exipit. De Corona.

Athenis prætore Lysimachide, qui præsens annus est Philippus Elateam & Cytinium oppida Athenienſium occupauit, confirmatis prius cum Athenienſibus inducijs, sic enim vocat Demosthenes, & Thebanorum beneuolentia amicis literis renouata. Elatea occupata magnus Athenis excitatus est tumultus: cũ Demosthenes autor populo fuit, vt Thebanos missa legatione non solum conciliarent, sed belli cõtra Philippum societate coniungerent, quippe qui Thebanis, æquè atq; Athenienſibus in seruitutem redigendis immineat. Missi Thebas legati, in quibus ipse Demosthenes, qui Pythoni viro disertissimo pro Philippo oranti ita restitit, vt Thebani plane se Athenienſibus darẽt, & contra Philippum bellum decernerent. Is cum ipse sua de Thebanis excidisset, contra vtrosque pugnare decreuit, quod ad Cheronæã Bœotiæ anno sequente fecit. Interim ad Scythas expeditione parata profectus est, vbi irritatis vtrimq; animis, prælium committitur; & licet Scythæ virtute & animo præstarent, astutia tamen Philippi victi sunt, 20. millia puerorum ac fœminarum capta, pecoris magna vis, auri argentiq; nihil. Sed redeunti Tribali Mysiæ populi occurrunt, qui prædam excutiunt, & Philippum ipsum tantum non interimunt.

In eumq; bellũ decernitur.

Scythæ à Philippo victi.

III. Res à Coss. gesta.

P. Philo rem bene gessit hoc anno contra Latinos, quos victos exutosque castris, in deditionem accepit, ac triumphauit. Quare audita ab Æmilio collega, qui prælijs aliquot contra Pedanos feliciter conflixerat, re nondum confecta, Romam triumphi postulandi causa venit, quem cum Patres ad captã vrbem distulissent, alienatus à Senatu, reliquum Consulatum seditioso Tribunatui similem gessit, plebeio collega minime repugnante, quem cum Dictatorem iussu Senatus dixisset Æmilius, ille non minus Dictatura quam Consulatu popularis fuit, legibus aduersus nobilitatem ferendis.

ANNVS MVNDI 3716.

IEDDOÆ 27. PHILIPPI 23.

DARII 1. Imperij Persarum 200.

OLYMP. CX. An 2. V. C. 415.

ANTE CHRISTVM 337.

SEcundo seculo Imperij Persici exeunte, nouus Persarum Imperator, idemq; postremus exoritur, Darius Arsami filius, quem Diodorus fratrem Artaxerxis fuisse tradit. Iustinus Codomanum prius dictum scribit, & obres præclarè gestas, ad regnum euectum, & Darium honoris ergò appellatum. Diodorus tamen Regem ex arbitrio Bagoæ factum tradit, qui Imperio & Imperatori pro libidine dominabatur, etsi Satraparum suffragia fortasse specie tenus vsurpauit. Verum cum mox Darij fastidio, ei medicata potione mortem afferre instituisset, insidijs patefactis, rex Bagoæ comiter aduocato poculum tradit, eumq; ad illud exhauriendum cogit. Sic homo sceleratus, incidit in foueam quam domino suo parauerat. In qua pœna illud dolendum fuit, quod tot regum regiorumq; iuuenũ interfector crudelissimus, tam leui ad exemplum supplicio in Tartarum descenderit.

I. Regnum Darii Persæ.

Qui Bagoam tyrannum perimit.

Insignis quoq; est hic annus pugna ad Cheronæam Bœotiæ, in qua ab Athenienſibus & Thebanis contra Philippũ infeliciter pugnatũ est, qua isti Græciæ totius imperiũ partum, illi ademptum est. Bœotiam ingressus est Philippus, cum numeroso exercitu equitum duorum millium, peditum triginta, nec minores Græcorum copias numerabant: sed Rex belli scientia, Macedones assiduis bellis indurata virtute præstabant. Alterum cornu regebat Alexander 18. annorum adolescens, valido stipatus comitatu, alterum Philippus ipse. In Græcorum exercitu Bœoti cornu vnum, Athenienses alterum ducebant, Lysida propugnabant. Atrox prælium fuit, diu neutram in partem inclinante victoria, donec Alexander studio probandi patri virtutem suã facto impetu oppositam Bœotorum aciem perrumpit, & post multam stragem in fugam vertit. Nec minus Rex ipse in prima acie dimicans, Athenienses è statione depulit, & coniecit in fugam, vt author est Diodorus, licet Iustinus dicat, aduersis omnes vulneribus, loca quæ à iudicibus tuenda receperant, corporibus texisse morientes.

II. Pugna ad Cheronæam & Philippi Græci victoria

9.

Belli cladem paucis refert Lycurgus in accusatione Lysiclis. *Belli prætor, inquit, fuisti ô Lysicles, & quanquam mille ciues occubuerint, bis mille captiuitatem subierint, trophæum ad huius vrbis ignominiam excitatum fuerit, & vniuersa Græcia iugum seruitutis inflictum, & hæc omnia tu belli imperatore contigerint, viuere tamen audes,*

III. Belli clades, & euenta.

soliſque iubar ſuſtines intueri, &c. Addit Diodorus multam Bœotorum multitudinem interemptã, nec exiguam in manus hoſtium veniſſe, Philippum ſeſe inſolentius iactaſſe, captiſq; inſultaſſe; donec à Demade captiuo libera oratione admonitus, tam moderate ſe geſſit, vt miſſis ad Athenienſes legatis, in quibus Alexander ipſe atque Antipater, amicitiæ, atque ſocietatis fœdus cum ipſis, minimè vtique inuitis, renouaret, captiuoſque omnes ſine pretio dimitteret. At de Thebanis Iuſtinus ait, Philippum non ſolum captiuos, verum etiam interfectorum ſepulturam vendidiſſe; principes ciuitatis alios ſecuri percuſſiſſe, alios in exilium exegiſſe, bonaque omnium occupaſſe: eos tamen deinde ciuitati reſtituiſſe. Lyſicles autem Atheuis capitali ſupplicio affectus eſt.

Demades

Philippi in Athen. liberalitas.

Sub huius anni finem Philippus expulſa, propter ſtupri ſuſpicionem, Olympiade matre Alexandri, in matrimonium accepit Cleopatram Attali neptem, aut vt alijs placet, ſororem. Iuſtinus has nuptias coaluiſſe ſignificat, paulo ante quam celebrarentur eæ, in quibus occiſus eſt Philippus. In his Attalus cum vino incaluiſſet, hortatus eſt Macedonas, vt expoſcerent à dijs iuſtum ex Philippo & Cleopatra regni ſucceſſorem. Exarſit Alexander, &, *quid nos tibi ſcelus?* inquit, ſimulque Scyphum in eum intorſit. Statimq; in eum Philippus ſtricto ferro irruit, ſed fallente veſtigio lapſus eſt. Cui Alexander inſultans, Macedones inquit, hic in Aſiam parabat ex Europa tranſmittere, qui ex lecto in lectum tranſgrediens procidit. Ab ea rixa tumultuque domeſtico, Alexander, abducta ſecum matre Olympiade, cum in Epiro collocauit, ipſe ſe in Illyrium contulit.

IV. Philippus ducat Olympiadẽ, & ducit Cleopatram.

Plut. in Alex.

Hic idem annus vndecenteſimus eſt, idemq; vltimus vitæ Iſocratis. Tot enim añi ab Olymp. octogeſimæ ſextæ anno primo, ad præſentẽ numerantur. Totã vitam egit in grauiſſimis & turbulentiſſimis Græciæ temporibus. Cum enim quinquennio ante bellum Peloponneſiacum natus eſſet, totam illam 27. annorum tempeſtatem ſubijt, qua totius pene Græciæ vires acciſę, atque afflictæ ſunt; Inde alia ex alijs nata bella, Sociale, Corinthium, Laconicum, Thebanum, Phocenſe, quod & Sacrum dictum eſt; donec Philippus pugna Chæronea ceruicibus Græcię iugum ſeruitutis impoſuit. Cum enim decreuiſſet Reipubl. cladibus non ſupereſſe, audito eius cladis nuncio, Diogenis alicuius veritus reprehenſionem, quatriduana inedia ſeipſum miſer eduxit è vita, authore in eius vita Plutarcho.

Iurgium Alexãdri.

V. Vita & mors Iſocratis.

Senatus porro in Italia infenſus Æmilio, dedit operam vt bellum ab eo derelictum, à nouis Conſ. gloriosè in eius exprobrationem conficeretur. Cum enim exercitus ad Pedum vrbẽ eſſet admotus, nam vrbibus Latini ſe continebant, vt qui ad bellum infirmi eſſent, & pacem, ob dolorem adempti agri, aſpernarentur: aliquos tamen ad Pedi auxilium profectos, Mænius Conſul improuiſò adortus, fudit. Camillus ex vrbe erumpentes non ſolum repulit, ſed eodem etiam die admotis ſcalis oppidum cepit. Inde ad perdomandum Latium victorem exercitum Coſſ. circumduxere, nec quieuere ante, quam expugnando, aut in deditionem accipiendo ſingulas vrbes, Latium omne ſubegere Præſidijs inde per oppida recepta diſpoſitis, Romam ad deſtinatum omnium conſenſu triumphum deceſſere. Additus eſt etiam nouus honos triumpho, vt illis ſtatuæ in foro ponerentur.

VI. Res ad Pedum geſta, & belli Latini finis.

Triumphus & in foro ſtatua.

ANNVS MVNDI 3717.

IEDDOÆ 28. PHILIPPI 24.

DARII 2. Imperij Perſici 201.

OLYMP. CX. AN. 4. VRB. CO. 416.

ANTE CHRISTVM 336.

MAcedo propter victoriam ad Chæroneam partam celſos ſpiritus gerens, vbi nobiliſſimis Græciæ vrbibus timorem, iniecit, id omni animi contentione molitus eſt, vt totius Græciæ Imperator deligeretur. Sparſa igitur fama de bello à ſe Perſis inferendo, pro Græcorum emolumentis, & ad vindicandam Deorum iniuriam à Perſis eorum ſacris illatam, facile ſibi Græcorum beneuolentiam conciliauit. Ergo ſub hoc exordium tertij ſeculi Imperij Perſarum, qui annus Sabbaticus eſt ordine 162. conuentu publico apud Corinthum indicto, de bello contra Perſas ſuſcipiendo differit, & præclaram de rei ſucceſſu ſpem faciens, Græciæ totius cum ſumma poteſtate creatus eſt Imperator. Nam Athenienſes & clade & beneficio à Philippo affecti, tacebant, Thebani nihil poterant: Soli Spartani reclamabant, cæteros Macedo, vel ſpe, vel metu, vel beneficijs deuinctos habebat.

I. Philippus fit Imperator Græcorũ in Perſas.

Interea autem dum Corinthi degit Philippus, Demaratus eius hoſpes, autor ei eſt reuocandi ad ſe Alexandr. idque eius opera perfectum eſt. Ad bellum porro Perſicum ſcribit Iuſtinus auxilia ſingularum ciuitatum, pro cuiuſque viribus atque amplitudine fuiſſe deſcripta, ſummamque auxiliorum ducenta millia peditum fuiſſe, & equitum quindecim millia. Macedoniæ etiam exercitum, & confinem domitarum gentium barbariem, extra hunc numerũ fuiſſe. Reliquum ergo anni tempus in tanti belli apparatu extractum eſt. In nuptiarũ quoque apparatu Cleopatræ, Philippi ex Olympiade filiæ, cum Alexandro Epirotarum rege, id eſt auunculi cum nepte ſua, quæ proximo anno infeliciter celebratæ ſunt.

II. Reuocat Alexand.

Nuptiæ Cleopatræ cum Auunculo Alex.

Dum autem pax Romæ beneficiis in ſocios Latinos, non minus quam armis parta vigeret, Sidicini Aruncos Romanorum dedititios bello petiere. Quos defendendo cum Senatus ceſſiſſet, tantâq; fuiſſet Conſulum tarditas, vt interea Aurunci vrbem ſuam amitterẽt; indignatus Senatus in Coſſ. Dictatorem dixit C. Claudium Regillenſem, quem cum Augures vitio creatum dicerent, magiſtratu ſe abdicauit. Hoc ipſo anno Minutia veſtalis ſuſpecta primo propter elegantiorem corporis cultum, deinde apud Pontifices ſeruo indice inſimulata, damnata deniq; viua defoſſa eſt in campo, qui dictus eſt Sceleratus.

III. Sidicini Auruncos vincunt.

Minutia Veſtalis viua defoditur.

ANNVS MVNDI 3718.

IEDDOÆ 29. PHILIPPI 25. & vlt.

DARII 3. ALEX. MAG. 1. Imp. Pers. 202.

OLYMP. CXI. AN. 1. VR. CO. 417.

ANTE CHRISTVM 335.

I. Finis regni Philippi, & initium Alexandri.

PRior huius anni pars regno ac vitæ Philippi Macedonis finem imponit, posterior autem dat initium regno Alexandri. Propterea enim Diodorus ei 24 tantũ annos regni tribuit, quod bona pars anni 25 ad Alexandrum pertineat. Rursum necesse est Alexandrum hoc anno regnare cœpisse, si is mortuus est initio Olympiadis 114. vt duodecim annis regnarit, vt Scriptura tradit, & insuper aliquot menses, vt in eius morte dicemus. Nunc Philippi postrema videamus. Is veris initio, vt ait Iustinus, tres duces in Asiam cum parte copiarum præmittit, Parmenionem, Amyntam, & Attalum, cuius sororem nuper in matrimonium, repudiata Olympiade, acceperat. His autem ducibus datum est in mãdatis, vt Græcas vrbes, quę in Asiæ ora sitæ sunt, ereptas à dominatione Persarum, in libertatem asserrent, dum ipse maiora atque iniustiora moliebatur: eóque Pythiæ oracula dubia referebat. Nam qui Persis ruinam se mox illaturum putabat, imminentem sibi cædem improuidus non agnouit.

1. Macchab. c. 1. 8.

l. 9.

Copiæ in Asiam præmissæ.

II. Filiæ Philippi nuptiæ.

Itaque Deos sibi propitios habere se credẽs, magnifico eis sacrificio instituto, simul Cleopatræ aliæ, quam ex Olympiade susceperat, nuptias celebrabat, eamque Alexandro Epirotarum regi dabat vxorem. Maximus erat ex vniuersa Græcia hominum ad nuptias conuentus, quos Philippus acciuerat, quasi gratias agens de sibi delato in Persicã expeditionem imperio. In magno porro ludorum apparatu, illud singulare fuit, non minus superbiæ, quam magnificentiæ monimentum. Duodecim enim Deorum signa, populo in theatro spectante circũferebantur: tum decimum tertium ipsius Philippi simulachrum, diuinis per omnia simile ostentabatur, quasi rege in Deorum consortium admisso. Tum prodiit ipse candidam stolam indutus, satellitibus, longo interuallo sequi iussis; significans Græcorum se beneuolentia munitum, præsidio nihil indigere.

III. Philippi cædes, eiusque causa.

Erat autem Pausanias quidam, ex Orestarum genere nobilis adolescens, quem Attalus mero grauatum fœde illudendum prostituerat. Is cũ factus sobrius illatę sibi iniurię atrocitatem didicisset, regem eius vltorem frustra expetit, quod is Attali opera in suscepto bello plurimũ indigeret: eius tamen animum studuit muneribus, atque honore mitigare. At Pausanias implacabilem iram animo fouens, non iniurię solum autorem, sed pœnæ quoque irrogandę negligentem vlcisci decreuit. Itaque equis ad vrbis portas dispositis occulto gladio accinctus, Philippum à stipatoribus suis semotum, & sese magnifice circumspicientem obtruncat, cursuque ad paratos equos contendit, sed collapsus, dum resurgere conatur, à Perdicca multis ictibus confossus est. Hunc finem Philippus habuit, dum se duodecim diis velut eiusdem maiestatis consortem, annumerat. Addit Iustinus fuisse creditum, percussorem hunc ab Olympiade immissum, repudij vlciscẽdi cupida. Nec ipsum Alexandrum ignarum paternæ cædis extitisse, qui fratrem ex nouerca susceptum regni æmulum timeret. Itaque vterque Pausaniam, de impunitate flagitij in se admissi querentem, ad eam cædem impulisse creduntur. Quin etiã ita se gessit Olympias in Pausaniam defunctũ, vt timuisse videretur, ne non satis certo constaret, facinus ab ea perpetratum. Sed hæc accuratius Annales nostri dabunt.

Cædis conscij ac fautores.

l. 11. c. 7. & 8.

Sub idem tempus, quo Philippus occisus est, vt ait Iosephus, Sanaballetes à Dario rege Persarum in Samariam prouinciæ administrandæ gratia missus, filiam suam nomine Nicaso nuptui dedit Manassi fratri Ieddoæ Pontificis. Quam ob rem cum seniores Iudæorum tumultuarentur, postularentque vt Manasses vel externi generis vxorem dimitteret, aut non amplius accederet ad altare; & eum ipse quoque Pontifex ab altari arceret, socerum adiit, dixitque inuitum se cogi ad dimittendam Nicaso, quod alioqui Sacerdotio priuandus esset. Sanaballetes contra recepit, se illi non Sacerdotiũ tantum seruaturum, sed & Pontificatum ei paraturum, & totius prouinciæ suæ principem facturum, modo filiam suam retineret vxorem: ædificaturum quoque templum iuxta Samariã Hierosolymitano simile, idque se Darij regis autoritate facturum. His ille captus promissis mãsit apud socerum: & ad eum se plerique profanis contaminati coniugiis, aggregarunt, à quibus schisma apud Iudæos conflatum est. Ipsum autem templum aliquanto posterius excitatum est, vt suo loco dicetur.

IV. Initium schismatis Iudaici per Manassem.

a. 5. Alex.

Alexander autem susceptis regni gubernaculis, paternæ cędis conscios vel autores, ad tumulum patris occidi iussit, vt Iustinus & Diodorus affirmant: quod permirum est, cum vterque testatus sit tam Olympiadem quam Alexãdrum ipsum cædis conscios fuisse. Nimirum fucus signato populo faciendus fuit, & verum parricidium vltori Numini reseruandum. Inde cũ varios animorum motus in suis animaduerteret, qui Imperium Persarum, totamque Asiam lacessitam scirent, Græcia nondum perdomita, eos primum, tum reliquos Græciæ populos cõfirmat. Et concilio in Peloponneso coacto, rogat vt patri dudum concessum dignitatem, Imperatoris in Persas, in se transferant. Idque ab omnibus impetratum, exceptis Lacedæmoniis, qui negarunt moris esse apud Lacedemonios, alios in expeditionibus sequi, sed præire. Athenienses autem, qui coronam auream percussori Philippi decreuerant, & in templo consecrarant, Alexandri aduentu metu non iniusto perculsi, plura etiam quam Philippo fecerant, Alexandro detulere. Qui reliquam hyemem, in crebra armorum exercitatione transegit.

V. Vltio cædis Philippi.

Alexandri Græciæ imperator.

* * *

ANNVS MVNDI 3719.

IEDDOÆ 30. ALEXANDRI 2.

DARII 4. Imperij Persarum 203.

OLYMP. CXI. An. 2. VRB. CO. 418.

ANTE CHRISTVM 334.

I. Alexander vicinos populos domat. *Arrian. l.1. Diodorus.* Darius res eius turbat.

ALexander ineunte vere statuit per Thraciam in Triballos & Illyrios Macedoniæ vicinos excurrere, quòd nouis eos rebus studere acceperat; nec nisi domitos, in longinqua expeditione, relinquendos putabat. Arrepto itaque ex Amphipoli itinere Thraces Autonomos, tum Triballos, inde Getas Istri accolas, non minore felicitate, quam celeritate vicit. Interim autem res eius in Asia, Græciáque vehementer laborare cœperunt. Darius enim, qui sibi à Philippo metuebat, bellum ab Asia in Macedoniam auertere conabatur. Sed postquam ille viuere desiit, metu solutus, iuuentutem Alexandri non magni faciendam putabat; donec eum totius Græciæ imperatorem patris loco creatum accepit. Tunc enim arma in Græcos, qui iam in Asiam traiecerant, diligentius moliri, & Græciam largitionibus ad defectionem ab Alexandro concitare studuit.

II. Arms & pecunia. *Iustin.*

Ergo Memnonem Rhodium in Phrygiam cum exercitu misit, qui vario ibi euentu cum Macedonibus pugnauit, & Demosthenem Oratoté magno auri pondere corrupit, qui mox Athenienses, Thebanos, Lacedæmonios ab eo auertit, affirmans Macedonum copias à Triballis esse deletas. Nec defectione sua contenti Athenienses, Attalum Macedonum in Asia ducem, imperandi magis quam parẽdi cupidum, per legatos cum Demosthenis epistola sollicitant, vt ab Alexandro, Græcarum ciuitatum exemplo, deficiat, quæ decretum de abrogando illi imperio faciebant. Verum Deus, qui eum ad euertendum Persarum imperium, & Græcorum excitandum elegerat, omnibus cum difficultatibus superiorem reddidit.

III. Alexander Attalum interficiendum curat.

Nam primùm Hecatæum misit in Asiam, cum manu armatorum non exigua, qui Attalũ comprehensum ad se mittat: aut si id fieri nequeat, nec opinantem interficiat. Is copias cum Attalo & Parmenione coniungit, intentus in opportunitatem exequendi mandati. Attalus interea mutato consilio, epistolam sibi à Demosthene missam, ad Alexandrum, cum amica sui defensione, mittit. Cum Hecatæus illum per dolum circumuentum oppressit. Sicque Asianus Macedonum exercitus desijt ad defectionem propendere. Res autem Græciæ Alexander interim per se ipse componit. Nam deuictis barbaris victorem exercitum in Græciam tumultuantem mira festinatione traduxit. In transitu nihilominus Thessalos sibi adiunxit, Thermopylasque traiecit, Ambraciotas sibi humanitate deuinxit. Tum traductis celeriter in Bœotiam copiis, & castris ad Cadmæam, quę præsidio Macedonico tenebatur positis, non Thebanos modo, sed vicinos quoque Athenienses perterrefecit: quiue primi defecerant, ita primi missis legatis pacem ac veniam impetrarunt. Eam enim clementiam tum vrbis dignitati, tum rerum suarum securitati dedit.

IV. Thebanos vincit ac delet.

Ergo tota vis Alexandri in Thebanos incubuit, qui quamuis longe viribus impares, et tamen superbe, pro libertate sua, contempta pace restiterunt; quamuis Alexander, qui Asiam præcipuè cogitabat, pacis deprecatores libẽter fuisset admissurus. Itaq; vehementer iratus statuit Thebas exscindere. Ergo post acerrimam pugnam, & multam vtrimque cędem deuictos, nullo nocentium aut innocentium delectu, deleri iussit vniuersos. Cumque de Vrbis excidio coactum esset concilium, communi populorũ vicinorum consensu, deleri iussa est. Nec mora vrbs diruitur, agri inter victores diuiduntur, captiui sub corona væneunt. Fertur tamen Pindari domus, familiáque conseruata. Quin etiã miteſcere cœpit Alexander in Thebanos, si qui forte effugerant, & seueritatem in Phocenses, aliosque populos, qui eam ab ipso extorserant, transferre, eosque Athenis habitare permisit.

Pindari domo seruata.

V. De expeditione deliberat

His in Græcia gestis, in Macedoniam profectus, procerum suorum concilium de Asiana profectione coëgit; & Antipatri quidem ac Parmenionis consilium fuit, differendam expeditionem, dum Rex vxore ducta prolem ex ea suscepisset. At Alexander omnis cessationis inimicus cõtra stetit; probrosum fore dicens si totius Græciæ imperator electus, & florentissimis copijs instructus, domi tamdiu cunctaretur. Itaq; omnia ad profectionem in proximum ver apparari iussit, interiectum tempus ludis, sacrificijs, conuiuijs, cum ducibus suis, & ciuitatũ legatis consumpsit, & si Iustino credimus, omnibus nouercæ suæ cognatis interficiendis. Scribunt autem Dionysius atque Laërtius, Aristotelẽ hoc anno secundo CXI Olympiadis, quo Athenis Euænetus Prætor fuit, Athenas, Philippo iam mortuo, concessisse, atque in Lycæo 12. annos scholas habuisse; decimo autem tertio Alexandro mortuo, Prętore Cephisodoro, Chalcidem migrasse. Non enim oportebat Philosophum discipuli sui longinquam expeditionem sequi, cum iam ætas quinquagenaria docendi potius, quam militandi laborem pati posset.

Aristoteles Athenas migrat.

VI. Bellum cum Ausonibus & Sidicinis.

Quod ad Romanam rem attinet, anno superiore Ausones, qui vrbem Cales incolebant, Sidicinis finitimis arma coniunxerant, vnoque prælio fusi, propinquitate suarum vrbium, & ad fugam proniores, & in ipsa fuga tutiores fuerant. At hoc anno Romani, qui Sidicinis admodum erant infensi, quod iam toties aut ipsi bellum mouerant, aut mouentibus auxilium tulerant, aut causa certe armorum fuerant, M. Valerium Coruinum IV. Consulem fecerunt, eique extra sortem id bellum commiserunt. Is Cales adit, & hoste primo impetu fuso, etiam vrbem occupauit, impositoq; præsidio firmauit, & cum præda victore exercitu reducto, Vrbem triumphans ingressus est. Sidicini in annum sequentem reseruati.

* * *

ANNVS MVNDI 3720.

IEDDOÆ 31. ALEXANDRI 3.

DARII 5. Imperij Persæ, 204.

OLYMP. CXI. An. 3. V. C. 419.

ANTE CHRISTVM 333.

I. Alexander traijcit in Asiam.

CElebris est hic annus illustri Alexandri de Persis ad Granicum victoria, quam pleræque aliæ sunt secutæ. Ineunte ergo vere Alexander cum exercitu peditum 30. millium & equitum quinque millium, vt ait Arrianus; & 50 longis nauibus ad Hellespontũ progressus, traiecit in Asiam, administratione Græciæ & Macedoniæ Antipatro tradita. In his copiis reges aliquos stipendiarios suspectioris ingenij, ad commilitium secum traxit, vt scribit Iustinus, additque eum in ipso cursu conspecta Asia incredibili ardore mentis accensum, duodecim aras victoriæ promerendæ gratia vouisse, omnéque patrimonium suum, quod habebat in Europa, amicis diuisisse, Asiam sibi sufficere præfatũ: idemque erat animus exercitus. Troadem appulsus, Macedonum primus hastam eiaculatus è naui, in littore defixit, & è puppi exiliens Asiæ possessionem adiit, antiquorum heroum sepulchra veneratus.

II. Persarum de bello deliberatio.

Interea Persarum duces, qui transitu Alexandrum prohibere non potuerant, eius celeritate præuenti, de ratione gerendi belli inter se deliberant. Et Memnonis quidem Rhodij sententia erat, cum Alexandro collatis signis non dimicare, sed agris longe lateque peruastatis, necessariorum inopia progrediendi facultatem Macedonibus adimere, simulque naualibus, ac terrestribus Persarum copiis in Macedoniã deportatis, totam belli molem in Europam transferre. Verum cum contraria sententia vicisset, coactæ sunt vtrinque copiæ, ad Granicum fluuium interiectum, quem traiecit prima luce Alexander, non sine multa suorum iactura. Pugnauit autem ipse singulari certamine cum Spithrobate Darij genero, eximiæ fortitudinis viro, eumque post aditum magnum vitæ discrimen, denique interfecit. Cæteri vtrinque fortissimè decertarunt; initium fugæ factum est ab iis, qui contra Alexandrum stabant, quam deinde reliqui arripuere. Prima summaque victoriæ gloria, ipsi primum Alexandro consensu omnium, tum Thessalis equitibus tributa est.

Pugna ad Granicũ. Alexandri singulare certamen & victoria.

III. Deditio aliquæ multæ.

Huius terrore victoriæ affectos Sardianos primum deditione occupauit: quos secuti sunt Ephesij, Magnesiani, Trallenses tum aliæ Æolicæ & Ionicæ vrbes, quæ in Barbarorum erant potestate, leui opera receptæ sunt. Miletus, quo se Persæ ex fuga proripuerant, assiduo machinarum verbere quassata quamuis telis & propugnatoribus abundaret, animis ex proxima clade debilitati, cessere, Macedo per dissecti muri ruinas irrupit, Milesij supplicum ritu deditionem fecerunt, Barbari partim cæsi, partim fuga lapsi, reliqui omnes capti, & mancipiorum loco habiti. Fugitiui cateruatim Halicarnassum, vrbem Cariæ maximam, se receperunt, Memnon in primis, qui vxore liberisq; suis ad Darium missis, cum vt periculi aleam deuitaret, tum vt Regi obsidum loco esset, ab eo summã imperij bellici accepit. Ad Halicarnassum acerrimè pugnatum est, celebratáque in primis virtus Ephialtis viri Atheniensis, cuius eruptione, superueniente Memnone cum valida recentiq; manu, & ciuibus insuper è muro hosti damna, suis opem ferentibus, Macedones pedem referre coacti sunt. Alexandro consilij maximo dubio.

Pugnatur ad Miletum & Halicarnassũ.

IV. Macedonum victoria, & Persarũ fuga.

Cum veterani Macedonum, hac necessitate compulsi, pristinum animi vigorem exsuscitãt, & in vnum coëuntes, hostem prope iam victorẽ inuadunt. Et tandem Ephialte, multisque aliis nec ita traditis, reliquũ vulgus fuga in vrbem compellunt, sub noctis initium. Ea nocte Memnon cum cæteris Persarum ducibus vrbe diffisi, arce probe munita, ipse cum reliquo milite opibusque, Con insulam petunt, Alexander, re sub primum diei ortum cognita, vrbem diruit, arcẽ muro fossaque cingit. Tum partem copiarum cum præfectis ad mediterranea subijcienda dimittit; illi ad maiorem vsque Phrygiam omnia Alexandro acquirunt, & commeatum ex hostico reliquo exercitui subministrant. Ipse totã littoralem Asiam, vsque ad Ciliciam partim vi, partim deditione recepit, donec hyems bellum intermittere coëgit. Cumque iam bonam partem vrbium maritimarum haberet in potestate, & classe inferiorem se Persis cerneret, classem suam dissoluit. Pauculas tantum naues Atheniensium retinuit machinis subuehendis. Romæ nihil eximium hoc anno gestum, nisi quod Colonia Cales deducta est. Dictator vitio creatus abdicatur.

ANNVS MVNDI 3721.

IEDDOÆ 32. ALEXANDRI 4.

DARII 6. Imperij Persarum 205.

OLYMPIADIS CXI. A. 4. VRB. C. 420

ANTE CHRISTVM 332.

I. Romana res.

PEstilentia hoc anno in Vrbe iam à præcedenti anno grassante, omnia auspicia vitio contacta credita sunt, vt ait Liuius. Itaque ne consularia quidem comitia, quæ auspicatò gerebantur, videntur hoc anno haberi potuisse, sed mansisse in officio eosdem consules donec res ad interregnum rediit. Pighius tamen eos quos in hoc indice nominaui Consules, ex Solino non male colligit. Nec res alteruttam in partem magni refert, cum eadem constet ratio temporis. Itaque repetamus Asiam, & res collabentis, imo corruentis imperij Persici persequamur. Quamquam huius anni exordia, res Alexandri in magnum adduxere discrimen.

II. Alexandri res periclitatur. Memnonis floret.

Nam Memnon ille Rhodius, quem Darius belli totius imperatorem constituerat, cum sententiam suam de transferendo in Græciam bello, à cæteris Satrapis improbatam, Regi probasset, ingenti pecuniæ vi ab eo accepta, numerosisque mercenariorum copiis contractis, trecentarum nauium classem instruit, Chium

insulam sibi adiungit, Lesbum vniuersam expugnat, plerasque Cycladum insulas in fidem recipit, Eubœa metu percellitur, multiq; Græcorum partim metu, partim muneribus victi, Persis sese addicebant: cum repente Memnonem morbus, morsque breui subsecuta multa meditantem oppressit: eáque morte res Persarum admodum labefactæ sunt, & spes transferendi in Europam belli concidit: nemine illi celeriter suffecto, qui eam spem vel sustentaret vel exequeretur. Nec deerat Charidemus, quē Alexander Athenis expulerat, qui cum regi autor fuisset, vt non ipse per se bellum gereret, alea de toto impetio fortunæ permissa, sed per fidos duces, seque ipsum obtulisset, in Satraparum, quos arguebat, inuidiam, & regis iram ita incurrit, vt eum illico capitis supplicio affecerit. Cuius deinde facinoris eum vehementer, sed nimium tarde pœnituit, quod regium Persarum decretum reuocari non posset. Sicque rex in ruinam præcipitans, duces egregios duos, alterum infelicitate sua, alterum inconsulta iracundia perdidit.

Morbo interit.

Charidemi consilium & cædes.

Dan 6. 12

III. Darius Ciliciam adit.

Ego Rex Satraparum consilio vsus, ingentes omnino copias equitum peditumque Babylone cogit, cum quibus Ciliciam versus proficiscitur. Alexander autem, qui expeditione Memnonis in Græciam valde fuerat perturbatus, eius audita morte respirauit. Sed & ipse morbo contracto valde periculoso decubuit. Sed eo feliciter liberatus, graue adiit ab Alexandro Thessalo periculum, qui Dario principis sui mortem obtulit, quam ille regno Macedoniæ, & mille insuper auri talentis licitatus est. Sed res irrita fuit, siue nuncio à Parmenione deprehenso, siue Darij matre per literas Alexandrum monente, vt sibi ab illo Alexandro caueret. Itaque his ille indiciis deprehensus, atque in custodiam datus est. Tum edoctus Alexander Darium paucorum dierum itinere abesse, Parmenionem mittit ad occupādas locorum angustias, qui barbaris, qui loca illa insederant eiectis, transitu potitus est. Angusta enim loca Darius occupare studuerat, vt fugam Alexandri prohiberet; tam male adhuc ille Alexandrum norat, qualem scilicet eum adulatores aulici Dario depinxerant.

Alexandri gemin um periculum.

Parmenio angustias occupat.

IV. Et Issam Alexander.

Interim Alexander Issam Ciliciæ vrbem occupat, vbi per exploratores certior factus Darium cum immensis copijs 30 tantum stadiis abesse: cum ipse, suorum acie egregie composita, atque cohortatione ad certamen, quo de summa rerum ageretur, excitata, Persis obuiam procedit, dextrum agmen agens cum equitum fortissimis, læuo cornu Thessalis equitibus commisso. Quid multa? pugna committitur, & post ingentes vtrimque clamores, & primam missilium velitationem, cominus res agitur. Alexander omni studio regem oculis perquirens, in eum cum suis intendit impetum. Quod Oxatres Darij frater conspicatus, regi ac fratri opem cum suorum fortissimis affert. Ibi ergo obtinatissimè vtrimq; pugnatur, & fortissimi quiq; in oculis suorum principum depugnantes occumbunt, dumque alij alijs succedunt, ingentes cadauerum strues excitantur. Equi regiæ quadrigæ multis affecti vulneribus, dolotis impatientia, regem in medios ferme hostes abripiunt. Sed in alterum translatus currum, dum timorem suum prodit suis, timorem eis primum attulit, moxque exemplo illos suo coniecit in fugam. In qua immunerabiles cæsi, conculcati, prostrati, plurimi nocte superueniente in vicinas vrbes sese proripuere.

Eiusdem pugna cū Persis & victoria.

V. Persica præda.

Cæsa dicuntur in hoc prælio Persarum peditum 120 millia, equitum ad decem millia; ex Macedonum autem pedita tu 300 & 150 equites. Macedones porro persequendi cura intermissa, castris primo impetu captis, ad prædam, Persicasque gazas conuertuntur, tam regiæ magnificentiæ Satraparum cæsorum, atque fugitiuorum, quam regis ipsius, regiæque familiæ, quæ in prædæ partem venit. In ea primum Regis mater fuisse dicitur, tum eiusdem siue vxor siue soror fuit, duæ item filiæ nubiles, ac sexennis puer, quos Darius infœlix, ritu Persico secū duxerat in bellum, ne non satis prædę Macedones in viris inuenirent. In eam omnem familiam Alexander laudatissima humanitate se gessit. Illud autem omnem superat commendationem, militiæ principem, iuuenem, victorem, vxoris expertem, veræ diuinitatis ignarum, Deos incestos atque adulteros colentem: in tanta hominum corruptela temporumque licentia summáque impunitate, virgines ætate florentes, forma præstantissimas, nobilitate regias, conditione supplices & captiuas, nolle attingere, nolle desiderare, nolle quidquam indecorum audire. *Hæc qui faciat*, vt cum M. Tul. exclamem, *non eum ego cum summis viris comparo, sed simillimum Deo iudico.*

Alexandri humanitas & continentia singularis.

Tantam virtutem rex ipse Darius dicitur non solum admiratus, sed regno etiam numerari voluisse. At Alexander à prælio Parmenionem Damascum mittit, qui regias opes cum vrbe capiat. Damasci enim præfectus, scriptis ad Alexandrum literis, obtulit omnia, & Parmenioni, fuga simulata, quasi parum oppidi munimētis fidens, proditor tradidit. Verum pœna proditori debita non diu dilata est. Vnus enim ex eius consciis, vt ait Curtius, credo Regis vicem etiam in illa sorte reueritus, interfecti proditoris caput ad Darium tulit, opportunum prodito solatium. Hæc Curtius summo in frigore contigisse tradit.

V. Damascū proditione obtinet.

ANNVS MVNDI 3722.

IEDDOÆ 33. ALEXANDRI 5.

DARII 7. Imperij Persarum 206.

OLYMP. CXII. AN. 1. VR. CO. 421. ANTE CHRISTVM 331.

DArius cum ex Issensi pugna ac fuga Babylonem peruenisset, reliquias belli collegit, & quamlibet magna clade affectus, nequaquam tamen animo fractus est, sed per literas Alexandrum monuit, vti fortunæ benevolentiam humanitus ferret, permutatisque captiuis totum Asiæ tractum, quem Fluuius Halys cursu definit cum vrbibus acciperet, si amicus quam hostis esse mallet. Ita Diodorus. Addit Curtius oblatas filiæ nuptias, cui tota illa regio dotis nomine traderetur. Sed Alexander qui bellum malebat quam pacem, fin-

I. Darius ex fuga bellum instaurat.

Alexandro pacē recipiendæ & regia affinitatem.

xit alias Darij literas, quæ Macedones exacerbarent, vt ait Diodorus, pernicioso vtique dolo, ac minime regio. Ergo Darius res amicè componi posse diffidens, maximas iterum copias pedestres equestresque coëgit, iis duplo maiores, quas ad Issum nuper habuerat, præter ingentem multitudinem curruum falcatorum.

II. Alexander Cœlesyriam & Phœniciam occupat.

Interea Alexander Parmenionem, qui Damascum ceperat, Cœlesyriæ præfectum constituit. Mittit etiam in Phœniciam, quò mox erat ipse venturus, & ad alias Asiæ ciuitates, quæ audita fama victoriæ, nullo negotio ipsorum præfectorum deditione, in potestatem victorum venerunt. Venienti in Phœniciam occurrit Strato rex Aradiorum, qui ei coronæ aureæ, Aradi insulæ, & vrbium sibi subiectarum deditionem fecit, Biblon quoque & Sidonem, quæ odio Persarum, à quibus non ita pridem pessimè habiti fuerant, Alexandrum ad se accersiuerant, deditione accepit. Tyrum inde proficiscenti, Tyriorum legati venere obuiam imperata facturi; cum tamen ei suæ vrbis aditum recusassent vehementer iratus, vrbem vi capere constituit, quod crederet id rerum suarum maxime interesse, priusquam Darium in Persidem persequeretur. Tyro enim stante pro Persis Creta & Lacedæmone, facile erat Dario maris imperium obtinere, & bellum in Græciam Macedoniamque transferre. Ergo laboriosissimam Tyri expugnationem aggreditur, quam non negligenter in Annalibus explicatam, studiosus lector inueniet.

Excepta Tyro.

III. Eam laboriosè obsid et Ezech. 28.2.

Hic tantum dico, Tyrum ipsam insulam fuisse *in corde maris*, vt Scriptura loquitur, altis vndique validisque cinctam muris ac turribus, viris, armis, diuitiis, omnique rerum apparatu instructam. Alexander autem aggerem ex continente ad vrbem agere statuit; id interuallum 4. stadiorum fuit. Erat in continente antiqua Tyrus, quam demolitus est, vt lignis eius atque lapidibus aggerem excitaret; atque accitis vndique tota prouincia viris, qui cum suo exercitu, aggerendis lignis saxisque, nunquam intermisso labore defuaderent, moles ad ducentorum pedum longitudinem vrbem versus producta est. Ibi demum ex vrbe telis nauigiisque vtrinque pugnatum est, hinc excitatæ turres, inde sæuitum incendio; quin & Tyrios fluctus ipsi iuuerunt. Ventus enim vehementior fluctus illi sit in molem, crebroque impetu verberatam ita laxauit, vt per eam mediam mare procurreret, sensimque dirueret vniuersam. Ea clades sic Alexandrum afflixit, vt eum tentatæ obsidionis pœniteret.

IV. Inuisit interim Arabiam, & Iudæos per nuncios tentat.

Nec tamen desperat de victoria, sed rursum molem machinasque meditatur, quæ dum ingenti labore construuntur contra vim omnem ventorum & fluctuum, ipse moræ impatiens, cum expedita equitum, peditumque manu Arabiam versus iter intendit, & Antilibani regione partim vi subacta, partim in deditionem accepta, intra decem dies Sidonem reuersus est. Hoc fuit tempus illud, quo Alexander, vt scribit Iosephus, scriptis ad Iaddum Iudæorum pontificem literis, auxilium petebat & commeatum, vtque à Dario ad se beneuolentiam suam transferret. Sed cum pontifex fidem iureiurando firmatam violare nollet, minatus est, se Tyro capta contra Iudæos esse venturum. Interea Sanaballetes, qui socer erat Manassis, fratris Iaddi pontificis, defecit à Dario, & assumptis octo millibus de sua prouincia, in Alexandri castra se contulit. A quo libenter acceptus, petiit vt per eum liceret templum in sua prouincia excitare, cui generum suum Manassem pontificem præficeret. Quod vbi impetratum est, omni ope annitens templum ædificauit, & Manassem eius sacerdorem constituit. Hoc ergo anno inchoatum est in Samaria templum Hierosolymitani æmulum, quod vsque ad ipsam Christi Domini ætatem steterit, in ruinam & euersionem multorum in Israël, & perpetuum inter Hebræos rixarum seminarium.

l.11.c.8.

Sanaballetes a Dario ad Alexandrum defecit.

Templū Samaritanum.

Iam quod ad Tyrum attinet longum esset enumerare eruptiones, effractos refectosque muros, captas vtrimque demersasque triremes, nocendi ac damni propulsandi artes vtrimque excogitatas, quas Arrianus, Diodorus, Curtius, aliique prodidere. Vltimus porro conatus, isque non irritus in Tyrum hic fuit. Alexander copiarum duces ad vltimam pugnam cohortatus, tormenta nauibus imposita vrbi admouet, & primo impetu amplum muri spatium diruit; & retractis nauibus, quibus tormenta vehebantur, duas alias cum pontibus adduci iubet, quibus per murorum ruinam transcendatur. Interim Tyrios variis simul in locis distineri iubet, triremes, quæ sagittarios ferebant, muros circumnauigare, vtrumque etiam portum eodem tempore inuadere, obsessis vndique negotium facessere, dum in vrbē per vtrumque pontem inuaditur. Res succedit è sententia. Vterque portus occupatur, vrbsque ipsa tam per illos, quam per pontes nauticos capitur. Alexander cum suis ingreditur, Tyrij in plateæ conglobantur, ac pugnant. Deniq; vulneribus ac multitudine oppressi, cessere. Alexāder, exceptis iis qui in templa confugerant, omnes interfici, ignemque tectis iniici iubet. Sicque Tyrus in Alexandri potestatem septimo denique mense venit, vt Plutarchus, Diodorus, Curtius, Iosephus prodidere.

V. Vltimus conatus contra Tyrum.

Eiusdēque expugnatio

Alexander capta Tyro Hierosolymam, indēq; Gazam petit, tridui enim propior est Gaza Ægypto, quò tendebat Macedo, quam Ierusalem; nec ratio exigit vt vrbem tantam, quæ auxilia negasset, amicitiamque respuisset, retro intactam relinqueret: licet Iosephus Alexandrum Gaza Ierosolymam reducat. Ait enim eum expugnata Gaza Hierosolymam propere petiisse; Iaddum eius itam timentem ad Deum pro salute publica supplicationibus sacrificiisq; confugisse, edoctumque fuisse diuinitus, vt Macedoni portas aperiret, ipse cum sacerdotibus, solenni sui ordinis cultu, populus autem obuiam procederet candidatus. Id agmen cum è longinquo vidisset Alexander, religione tactus, pontificem adiit venerabundus, & diuinum in tiara nomen adorauit. Quod cum sui mirarentur, respondit, Deo cuius esset pontifex, eum se honorem exhibuisse, qui se illi de hac expeditione deliberanti in Dio Macedoniæ, hoc ipso habitu videndum præbuerat, victoriamque promiserat.

VI. Alexander adit Ierusalem.

Vt acceptus sit.

Ergo complexus Pontificem, sacerdotibus deducentibus in vrbem peruenit, & ascendens in templum immolauit Deo ex sacerdotis præs-

VII. Acceptique Iudæos.

cripto, non ad eius cultum, ait August. vera pietate conuersus, sed impia vanitate cum diis eũ falsis colendum putans. Pergit Iosephus dicere, ostensum ei Danielis librum, in quo Græcum quendam Persas debellaturum significat, quem de se ipse interpretatus est. Latumque concessisse quidquid ab eo postulatum esset: nominatimque vt patriis legibus viuere liceret; & septimo anno immunitatem à tributis dedit. Quæ cum Samaritani quoque postulassent, rem ad suum reditum, puta ex Ægypto, distulisse. Ægyptum enim petebat, sed eius iter Gaza ad duos menses remorata est, quippe sola renuit imperata facere.

l. 18. de Civ. c. 45. l. 11. c. 8. l. 1. c. 8. vide 3. an Baldæi. Chaldæi.

VIII. Gazam oppugnat.

Vrbi præerat Enuchus quidam Batis nomine, qui conductitiis Arabibus, & loci firmitate, & apparatu ad diuturnam obsidionem fretus, Alexandrum, etiam expugnata Tyro, vrbe recipere noluit. Erat quippe vrbs non captu solum, sed etiam accessu difficilis, propter arenarũ copiam, editum vrbis situm, & murorum firmitatem. Eam tamen ex æquo oppugnare aggressus est Alexander, aggere circumquaque excitato tantæ altitudinis, vt machinæ in ea positæ murorũ fastigium æquarent ad 250 pedes, vt scribit Arrianus. His cum murus valide quassaretur, Gazæi eruptione facta, ignem machinis inferunt, & Macedones ex aggere quem extruxerant tantum non depellunt: cum Alexander, quamuis à vate Aristandro præmonitus, accurrit, fugamque, vulnere, in humero accepto compescuit. Quin & mox aliud periculum à sicario proditore adit.

l. 3 init.

IX. Tandẽq; expugnat, vtque se in eos gesserit.

Inde cuniculis variis ex partibus suffodiuntur muri, adeo vt terra clam egesta, pluribus in locis sublidentes corruerent. Et ter quidem oppidani Macedonum impetum, multis suorum interfectis, sustinuerunt. At quarto impetu cum Alexander omni ex parte phalangem admouisset, aditum suis per murorum ruinas præbuit, à quibus portis reclusis, totus exercitus vrbe receptus est. Gazenses nihilominus conglobati pugnabant, tanta contentione, vt eo ipso loco, quo quisque constiterat, pugnans vitam amitteret. Alexander eorum vxoribus & liberis in seruitutem redactis, coloniáque ex finitimis in vrbem deducta, eo tanquam præsidio, vsus est ad reliquum bellum. Hæc fere Arrianus & Curtius, qui addit Betim dum fortiter dimicaret, à suis desertum captum fuisse, & ab Alexandro, loro crudeliter per talos traiecto religatum ad currum, equis circa vrbem fuisse raptatum. Et quoniam Macedonibus incruenta victoria non fuerat. Rex Amyntam in Macedoniam ad nouum delectum misit.

X. Romana res.

Romæ autem fama belli Gallici Dictatorem dici, & intensius delectum habere quam pro finitimis bellis coëgit, ait Liuius: formidolosum quippe hostem semper credidere. Verum per exploratores cognitum est quieta apud ipsos esse omnia: Ex Sidicino agro exercitus deductus non est, propter suspicionem nouarum rerum apud Samnites. Hoc ipso anno Rex Epiri Alexander frater Olympiadis, Samnites & Lucanos in Italia vicit, & pacem cum Romanis fecit.

Censores autem Romæ, duas tribus Metiam & Scaptiam veteribus addiderunt.

ANNVS MVNDI 3723.

IEDDOÆ 34. ALEXANDRI 6.

DARII 8. Imperij Persarum 207.

OLYMP. CXII. AN. 2. VRB. CO. 422.

ANTE CHRISTVM 330.

I. Alexandria Ægyptum expeditio.

ALexander vniuersa Phœnicia, Syria, Palæstina in potestatem redacta, septimo postquam Gaza mouit die, Pelusium Ægypti vrbem peruenit; quo & classem suam è Phœnicia profectam repperit appulisse. Mazaces autem Persa Ægypti Satrapa à Dario constitutus, de rebus eius aduersis certior factus, cum ipse Persicum exercitum non haberet, & Ægyptij Persis infensi essent, vel propter eorum in dominando superbiam, vel eorundem in Deos suos sacrilegia, Alexandrum in Ægyptum, eiusque vrbes amice recepit. Pelusio itaque imposito præsidio, nauibus Memphim aduerso flumine petere iussis, ipse Heliopolim per deserta peruenit, oppidis, quotquot erant in itinere, deditione acceptis. Inde traiecto flumine Memphim appulit, quam ei Astaces Darij præfectus tradidit, multis cum talentis, regiaque suppellectile.

II. Et literæ ad Matrem.

l. 8. de Civ. c. 5.

Huc porro pertinere arbitror, quod ait S. August. Alexandrum scripsisse ad matrem, sibi à magno antistite sacrorum Ægyptiorum fuisse patefactum, Deos omnes, etiam maiorum gentium, ex hominibus factos esse Deos; oratumque Alexandrum, vt re matri enunciata, iuberet epistolam flammis absumi. Quod S. quoque Cyprianus in libro de idolorum vanitate scriptum reliquit, & Minucius Fœlix in Octauio & si qui alij. Iouis filius esse vult. Et forte hæc cognitio incitauerit Alexandrum, ad diuinitatem Iouisque genus ambiendum. Rebus certe in Ægypto cõpositis, Iouis Ammonij celeberrimum oraculum adire constituit, cũ olim tum genus suũ ab Ioue scisciturus. Quo cum per summas itinerũ difficultates peruenisset, in templum introductus, à Sacerdote simulacri nomine salutatur, quasi filius ipsius Ammonij Iouis, non autem Philippi; eius quoque comites iubentur deinceps Alexandrum pro Deo non pro rege colere. Quæ Curtius fatetur à vate in adulationem composito protulisse.

III. Stulte ac superbe.

l. 3. c. 16.

Detegit rem totam Iustinus, Philippus, inquit, vltimo prope vitæ suæ tempore, Alexandrum filium suum non esse palam prædicauerat. Qua ex causa Olympiadem, velut stupri compertam, repudio dimiserat. Igitur Alexander cupiens originem diuinitatis acquirere, simul & matrem infamia liberare, per præmissos nũcios suborsat antistites quid sibi responderi velit &c, quæ apud Paulum quoque Orosium leges. Itaque miser atque inconsultus Imperator, dum maxime satagit vt filius Dei audiat, & credatur, diuino rem moderante consilio atque prouidentia, id consecutus est, vt cum omnes spurium, atque improbissimæ adulteriæ, ac sanguinariæ filium esse cognoscerent, atque prædicarent Iouis ergo filium, ait Curtius, se non solum appellari passus est, sed etiam iussit.

Assumit cornua.

Ut

Et cum vidisset Iouis Ammonij simulacrum arietinis cornibus deformatum, vt est apud Pausaniam, ipse quoq; statuis atq; imaginibus suis arietis cornua iussit apponi.

l. 8. p. 263. Gra.

IV. Redit in Ægyptū, & condit Alexandriam.

Cum autem facto sacrificio magnificis donis simulacrum eiusque antistites honorasset, in Ægyptum reuersus Memphim, indeque secundo flumine Mareotim paludem ad mare mediterraneum adijt: vbi complexus quidquid loci est inter paludem & mare, octoginta stadiorum muris ambitum ciuitatis destinat, Dinochare vsus architecto, eamque nomine suo Alexandriam voluit appellari; eaque deinceps in Ægypto princeps vrbium fuit, permultis vndique incolis illuc confluentibus, etiam ab ipso Alexandro euocatis, vt de Iudæis Iosephus est autor. Et scribunt quidem nonnulli, in nudo solo, & ædificijs vacuo, fuisse constructam, Pausanias tamen, Alexandriam, inquit, in Canopico Nili ostio Alexander Philippi filius condidit: fuisse tamen & ante non magnum eodem in loco Ægyptiorum oppidum Rhacotim memoriæ proditum est. Sic ille. Id autem consentaneum est prophetarum oraculis, quæ Alexandriæ, anticipato ab interprete vocabulo, ante ducentos annos meminerunt, & No appellarunt.

l. 8. p. 169. Gra.

Quæ prius fuerat No, & Rhacotis Ier 46. 25 Ezech. 30 14. 15.

Roma veneficijs hoc anno vehementer afflicta est, adeo vt vtrumque Consulem ea pestis absumpserit: quanquam id vera pestilentia factum quidam credidere, neque rem vt certam Liuius tradit. Veneficij porro facinus, à quibusdam matronis susceptum, & ad multas propagatum, ancillæ indicio à Senatu cognitum ac punitum est. Ad 170. veneficij damnatas, pœnas dedisse, autor est Liuius: additque, in hoc publico malo Senatui placuisse Dictatorem claui figendi causa creari, creatumque fuisse Quintilium, qui piaculi auertendi gratia fixo clauo magistratu se abdicauit.

V. Roma veneficijs vexatur.

Vide supra A. M. 3691.

ANNVS MVNDI 3724.

IEDDOÆ Ducis & Pontificis 35.

DARII 9. & vlt. Imperij Persarum 208.

ALEXANDRI 7. & Imperij 1.

OLYMP. CXII. A. 3. VR. CO. 423.

ANTE CHRISTVM 329.

I. Alexãder redit ex Ægypto in Asiam. l. 3.

ALexander per hyemen rebus suis in Ægypto compositis, cum ineunte vere, vt Arrianus ait, Tyrum peruenisset, indeque ad Euphratem celeriter progressus esset, fluuium ad Thapsacum duobus pontibus iunctum repetit, qui tamen imperfecti ad alteram ripam non pertinebant. Ibi Mazæus Darij iussu, cum tribus equitum millibus, ad transitum impediendum confederat. Sed is statim atque Alexandrum appropinquare cognouit, cum omnibus copijs inde aufugit, & Alexander perfectis pontibus traduxit exercitum. Inde per Mesopotamiam versus Babylonem progressus, in itinere didicit Darium cum maximis copijs ad Tigrim fluuium consedisse, ibiq; eum transitu prohibere velle. Alexander eò contendit, vbi neque Darium ipsum, neque vllum ab eo præsidium relictum inuenit. Itaque per hostis imprudentiam, fluuium rapidissimum ægrè quidem, nec sine iactura, nulla tamen prohibente transiuit.

Euphratē transit, & Tigrim.

II. Et Darium ad Arbelā persequitur.

Ibi nonnihil quietis dat exercitui, quo tempore ingens Lunæ defectio fuit, quam mathematici volunt 20. Septembris, hora octaua cõtigisse. Motis castris à Tigri per Assyriam duxit exercitum, & post aliquot dies, quibusdam equitibus Darij comprehensis, didicit eum cum ingenti exercitu ad Arbelam non procul abesse, adeo vt 40. millia equitum, peditum decies centena millia, currus falcati ducenti, & Indici elephanti quindecim in eo numerarentur. Totus autem Alexandri exercitus septem equitum millibus, & peditum quadraginta constabat. Ita fere Arrianus; cui cæteri in numero copiarum non plane consentiunt. Sub hoc autem tempus mors vxoris Darij contigit, quam Alexander lacrymis dicitur prosecutus, ac magnifico apparatu sepelisse, non secus ac si vir eius fuisset.

Vtriusq; copiæ.

Mors vxoris Darij.

Quæ cum Darius accepisset, ac certior de conseruato eius pudore factus esset, etsi omnia consilia in bellum conuerterat, decem tamen legatos iterum ad Alexandrum misit, qui eum suo nomine laudarent, quod captiuos suos tã honeste tractasset, ac peterent vt amicitia secum inita, quidquid terrarum citra Euphratem esset, triaque millia talentũm, & alterã filiarum suarum vxorem acciperet. Ea re ad consilium delata, *Ego*, inquit Parmenio, *si Alexander essem, oblata acciperem, pacisque fœdus iungerem. Acciperem & ego*, inquit Alexander, *si Parmenio essem.* Nihilominus his conditionibus repudiatis, legatis respondit, nec mundum duos soles, nec orbem terrarum duos summos principes ferre posse. *Proinde*, inquit, *aut deditionem hodie, aut in crastinum bellum paret.* Itaque desperata pace, vterq; exercitus se ad eam pugnam parauit, quæ finem Imperio Persico, & initium Macedonico allatura erat.

III. Darii ad Alexãdrũ irrita legatio.

Ingenti ergo vtrimque spe ac metu acies explicantur, & ad certamen decretorium instruuntur. Consilium Parmenionis fuit, vt hostem nocturno prælio inuaderet; idque Darius facturum coniectans, frenatos equos stare, magnamque exercitus partem in armis esse iussit: quod non leue momentum Alexandro ad victoriam attulit: qui cum negaret se latrunculorum more velle vincere, & malle vt se fortunæ pœniteret, quam puderet victoriæ, exercitui suo nocturnam quietem dedit: sicque postridie recentes contra fatigatos pugnarunt. Denique post principum pro magnitudine negotij ad suos adhortationem, ventum est ad pugnam: atque à principio effusi falcati currus, non leuia Macedonibus intulere damna, adeo vt effusa fuga ordines suos ea parte turbarent, quibus superueniens Mazæus, ad ipsa vsque Macedonum impedimenta, captiuosque penetrauit; qui iuncti suis Macedones ancipiti malo circumuentos inuadunt. Ad impedimenta nihilominus, quæ negligi iubebat Alexander, varia fortuna pugnatum est.

IV. Pugna ad Arbelam.

Macedonum periculum.

Pugna apud Reges.

At in acie media, maxime apud vtrumque regem belli summa vis incubuit. Curru Darius, Alexander equo vehebatur, & iunctis prope agminibus prælium accendebant. Vtrumque regem delecti tuebantur, immemores sui. Macedonibus initium victoriæ fuit auriga Darij hasta transfixus. Cum enim Persæ ipsum regem occisum esse credidissent, lugubri vlulatu, & incondito clamore totam fere aciem, æquo adhuc marte pugnantem, turbauere. Dicitur Darius acinace stricto dubitasse, an fugæ dedecus honesta morte pugnando vitaret: dumq; spem inter & desperationem hæsitat, sensim Persæ cedebant. Alexander autem mutato equo resistentium ora, & fugientium terga fodiebat; cum Darius quoq; currum suum in fugam vertit. Cumque vehementius instaret Macedo fugientibus, altera ex parte Macedonum acies, instante Mazæo cum omni suo equitatu, vehementissime laborabat. Cum Parmenio misit ad Alexandrum, suorum fugam, nisi subueniret ocyus, sisti non posse.

Darii fuga Alexã à persequendo retrahitur.

VI. Persę fusi fugatiq;.

Ille fremens sibi eripi Darium, persequi destitit, & ad aciem redit, in qua audita iam à Mazæo regis fuga Persarum animos fregit; itaque languidius hostibus instabant. Tanto ergo Macedones resumptis animis vrsere vehementius. Denique fuga se Mazæus cum suis è pugna eijcit, & Tigri superato, Babyloniam cum reliquijs deuicti exercitus intrat, Rex ingens spatium fuga emensus. At bellam peruenit, indeque trans montes Armeniæ in Mediam fugit; ratus, vt euenit, Alexandrum copias suas, & infinita prædę impedimenta Susas, Babylonem, aliasque populis frequentes vrbes potius, quam in aspera Medorum deducturum. Reliquum ergo anni tempus Darius in fuga, copijsque reparandis, Alexander in reficiendo primùm Babylone aliqua quiete exercitu, moxque in hoste persequendo consumpsit. Babylonem autem, instructa quasi ad pugnam acie ingressus est. Babyloniorum vniuersa multitudine portis effusa. Sacerdotes, principesque ciuitatis ei obuiam prodiere, & munera certatim, vrbem insuper, ac regis thesauros obtulere. Ibi ad 30. dies moratus, Susas profectus, rebus omnibus, nemine contradicente, potitus est, ibiq; Darij matrem & filias, & Ochum filium reliquit, magistris, qui eos Græcam linguam edocerent, adhibitis.

Darius in Mediam Mazæus in Babyloniam.

Alexand. Babylone honorifice recipitur & Susis.

VII. In Græcia Antipater pro Alex. vincit Lacedæmonios.

Interea in Græcia quoque Deus res Alexandri promouit. Cum enim Græci ducibus Lacedæmonijs, vel fortunæ Alexandri inuidentes, vel timentes suæ, contra Antipatrum arma sumpsissent, prælium commissum est, in quo Agis rex Lacedæmonum occisus est, Antipater cruentam victoriam obtinuit, vt pluribus scribit Diodorus, qui eam ad sequentem annum differt, dissentiente Curtio. Exercitu nonnulla quiete refecto Alexander Persidem cogitat, & Mediam, quò confugerat Darius. Susis ergo mouens, Susianis ductoribus vsus geminas Persidis fauces superauit, & Persepolim magnis itineribus peruenit, priusquam regij thesauri à custodibus diriperentur, vt ab vrbis præfecto Teridate præmonitus fuerat. Quibus potitus, vrbem opulentam militi Græco diripiendam, moxque incendendam dedit, in vltionem malorum, quæ Græcis Xerxes olim tulerat. Quin & arcem ipsam, magnificis operibus visendam, instigante Thaide quadam, temulentus incendi iussit; cuius eum facinoris, mox ebrietate soluta, valde pœnituit.

l. 5. init.

Alexan. Persepolim diripit, atq; incendit.

Reliqua deinde Persidę celeriter in potestatem redacta, in Mediam mouit, vbi Darium esse acceperat, tanta celeritate, vt multi eum consequi non possent: & Rhagas cum vndecimis castris peruenisset, diei vnius itinere à portis Caspijs, Darium esse iam transgressum accepit, multis eum deserentibus, & ad Alexandrum transeuntibus: à quibus accepit Darium à suis satrapis, & nominatim à Bessu Bactrianorum Dinasta, in vincula fuisse coniectum, eiusque imperium obtinere, statuisseque Darium Alexandro, si persequatur tradere, & imperium omni ope tueri. Ergo Alexander tametsi suis valde fatigatis, itinere nõ diebus non noctibus intermisso, & per viarum compendia iter accelerans, Barbaros incomposite fugientes assequitur. Bessus interea, eiusque comites Darium curru auehebant, sordidis intecto pellibus ne agnoscerentur; qui vbi Alexandrum imminere senserunt, Darium ab se grauiter vulneratum deserunt, & se in præcipitem fugam dedunt: iumenta quoque vulnerarunt, ne longius prosequi possent, quæ cum nullo regente à militari via decessissent, in valle quadam, æstu vulneribusque fatigata, constiterant.

VII. Alexand. Mediam

Bessus cũ suis Darium plagis affectum deserunt.

IX. Is moribundus agnoscitur.

Haud procul erat fons, ad quem monstratum à peritis, Polystratus Macedo siti maceratus accessit. Ac dum galea haustam aquam sorbet, tela iumentorum deficientium corporibus infixa conspicit, cumque propius accessisset corpus semiuiui hominis in sordido vehiculo reperit, Dariumq; esse cognouit; qui deficiens aquam popposcit: quam allatam postquam bibit, Polystrato, qui eam tulerat, gratias egit; simulque, Alexandro vero, inquit, dij, pro eius summa in meos humanitate ac clementia, grates referãt; cui hoc fidei regiæ vnicum dextræ pignus pro me dabis. Hæc dicentem, accepta Polystrati manu, vita destituit, edito multo maiori quam Alexander, lenitatis atque humanitatis exemplo, vt ex Annalibus intelligetur. Cæterum Darij morte Alexandro nunciata, ad corpus demortui peruenies, tam indignam illo fastigio mortem lacrymis prosecutus est, demptaq; sibi chlamyde corpus illius contexit, atque regio ornatum cultu, ad matrem Sisygambim, patrio regioque more sepeliendum, ac regijs maiorum tumulis inferendum misit. Atque ita Persarum imperium varijs Alexandri incursionibus concussum, atque impulsum ad ruinam, hoc denique anno, Darij postrema clade & morte plane prostratum est, cum ducentis & octo annis stetisset, ex quo Cyrus superata Babylone, imperium traduxit ad Persas.

Et Alex. bene precatus moritur.

num. 20.

Ab Alex. honoratur.

***

ALEXANDER
IMPERATOR

X. Græcorũ imperiũ ab Alex. ortum a Seleuco, denominatur.

ETsi rationi consentaneum erat, vt Græcorum imperium, ab Alexandro homine Græco partum, & aliquot annis possessum, ab eodem in annis eiusdem imperij numerandis inchoaretur: Asiani tamen, quorum consuetudinem secuti sunt Iudæi, qui libros Machabæorum, & ipsi Asiani scripserunt, initium Regni Græcorum, à Seleuco primo, qui & Nicanor dictus est, duxerunt, vt suo loco dicemus. Mortuo porro Dario, non distulit Alexander eius interfectores bello persequi, siue sua ipsius, siue Darij causa. Multas enim provincias in sua potestate habebant, neque oportebat consceleratos homines, principis sui parricidas, à quo nulla re violati fuerant, sed summis honoribus diuitijsq; aucti, tãtum facinus impune ferre. Præsertim cum Bessus diceretur tiaram erectam, persicamq; vestem, regium in motem gestare, seque mutato Bessi nomine, Artaxerxem & Asiæ regem vocare, plurimisque Bactrianorum, & aliorum copijs abundare.

Alexan. Bessum persequitur.

XI. Et factis se regem Asiæ ostendit, sibique Dynastas recõciliat

Alexander contra, vt se regem Asiæ factis ostenderet, Oxidati nobili Persæ, à Dario capitali supplicio destinato, non solum veniam dedit, sed satrapiam Mediæ attribuit, & Oxatrem Darij fratrem in cohortem amicorum recepit, pristinoque splendori restituit. Tum in Parthienem propressus, in vrbe Hecatompylos statiua habuit, & motu militari de reditu in patriam composito, ad Hyrcaniæ fines penetrauit, vbi literas Nabarzanis, qui Darium cum Besso interfecerat, accepit, quibus & factum excusabat, & fidem ab Alexandro postulabat. Fidem dedit Alexander si veniisset, inviolatum fore, quod & mox factum est. In fidem quoq; senem Artabazum cum 9. filijs, recepit virum Dario pridem fidelissimum; & tota Hyrcania in potestatem recepta, Mardos, qui restituri videbantur, itinere noctu confecto, improuisus inuasit, & victos deditione accepit, & acceptis obsidibus, inde quinto die in statiua reuersus est. Bactriana vero expeditio ad annum sequentem pertinet.

Hyrcaniã subigit. & Mardos.

XII. Lucani à Romanis in fidem accepti.

Romæ sub huius anni consulibus, Lucani Romam venerunt, orantes vt in fidem reciperentur, & ab armis Samnitium defenderentur. Senatus ad Samnites legatos misit, qui denunciarent, vt ab ijs populis vim abstinerent, qui in fide populi Rom. essent. Paruere Samnites, non quia pacem volebant, sed quia nondum erant ad bellum parati. Priuernates quoq; cum quibusdam Fundanis, sponte sua, & non publico consilio militantibus, bellum contra Romanos suscipiunt, qui & anno sequenti debellati sunt.

* * *

ANNVS MVNDI 3725.

IEDDOÆ Ducis & Pontificis 36.

Imperij ALEXANDRI 2. Regni 8.

OLYMP. CXII. A. 4. VRB. CŌ. 424.

ANTE CHRISTVM 328.

I. Alexãdri mollities. *Vide ch. 2. anni præced. in Annal.* Bessum & Bactrianos adit & Nabarzanem.

REGINAM Amazonum hoc tempore ad Alexandrum prolis causa venisse, plerique retuleruntq, qui & turbam concubinatum eius memorant. Ea re cum & ipse molliscereret, & offenderetur exercitus, otium bello interpellat, cuius materiam magnam Bessus tyrannus, & legitimam suggerebat. Ergo cum infesto exercitu Bactrianam regionem petit. Iter facienti litteræ afferuntur Nabarzanem, qui & Satibarzanes appellatur, & cui nuper Satrapiam Areorum, quam viuo Dario possederat, etiam venia data reliquerat, ad Bessum defeciisse, occiso Anaxippe Alexandri amico, cum quadraginta equitibus eius socijs. Eo cognito, quamquam Besso imminebat, tamen Satibarzanem prius opprimendum ratus, tota nocte facto itinere, improuisus hosti superuenit. At is cum duobus equitum millibus Bactra perfugit, moxque suppliciorum metu, abscessit in Indiam.

II. Philotæ in Alexan. coniuratio.

Hoc ipso tempore Alexander domestico scelere propemodum interijt, Philotas enim Parmenionis filius, cum socijs aliquot, in regis necem coniurauerat. Quo facinore ad regem delato, cum in quæstionem datus esset Philotas, & coniurationem fassus esset, ne amicorum quidem commiserationem obtinuit, sed omnium odio oppressus, supplicijs dilaceratus interijt; cæteri qui indicati sunt, iaculis confossi perierunt. Quin etiam amici Philotæ, quamuis innoxij, graue discrimen capitis adiere. Nonita Parmenio Philotæ pater, quem Alexander Medorum Satrapam constituerat. Nam concione dimissa, rex Polydamantem cum fratribus suis vocari iuber, virum Parmenioni longe charissimum. Ei ergo dat in mandatis, vt in Mediam Parmenionis occidendi causa proficiscatur, literas ad eum tam ab Alexandro, quam Philotæ nomine scriptas, eiusque sigillo munitas deferat, tanta celeritate, vt famam cædis Philotæ anteuertat. Eas literas dum leget Parmenio, iubet hominem confodi; fratres eius interea apud Regem obsides fore. Quæ vt mandata fuerant, ita perfecta sunt; & tumultuantium militum seditio, regijs literis compressa est, caput ad regem delatum, reliqua membra tradita sepulturæ.

Eiusq; & Parmenionis cædes.

III. Arimaspi Euergetæ, alique populi subacti.

His gestis Bactrianos, Bessumque tyrannum petit, per Arimaspos, qui Euergetæ dicti sunt, ob annonam præstitam exercitui Cyri maioris, extrema inopia laboranti. Eam gentem 60. dierum spatio rite ordinauit Alexander, & nouis affecit beneficijs. Gedronij. Euergetarum finitimi, amice quoque Alexandrũ acceperunt, qui vtrique genti Teridatem prætorem dedit, qui quondã Dario fuerat à secretis. Inde Ara-

chosios subegit, eisq; prætorem Memnonem assignauit, quatuor peditum millibus, & sexcentis equitibus præsidio relictis, cum qua victoria Diodorus hunc annum definit.

IV. Romana res cum Priuernatib gesta.

Romanos porro nondum perfunctos cura belli Priuernatis, Gallici tumultus atrocior fama peruasit. Itaque noui Consules, ipsis Calend Quint. quibus magistratum inierant, prouincias sortiti sunt. Mamerco Gallicum bellum obuenit, sed ingenti comparato exercitu, Gallus hostis nusquam comparauit; itaque à Gallis Priuernum omnis conuersa vis est: & siue capta vi vrbe, siue dedita, Vitruuius Priuernatium dux, viuus in Plautij Consulis potestatem venit, isque Romam missus, in carcere vsque ad triumphum consulis detentus, inde post verbera, cum socijs noxæ necatus est. Mox Consul autor Senatui fuit vt multitudini parceretur. Et quoniam Romanos inter Samnitesque interiecti erant Priuernates, quam minimum iarum inter Romanos ac Priuernates relinqui cupiebat. Et quamuis loquendi libertas legati Priuernatis res non parum turbauit, Consulis tamen prudentia factum est, vt ciuitatis etiam iure Priuernates donarentur.

ANNVS MVNDI 3726.

IEDDOÆ Ducis & Pontificis 37.

Imperij ALEXAND. 3. Regni 9.

OLYMP. CXIII. AN. 1. VRB. CO. 425.

ANTE CHRISTVM 327.

I. Alex. Paropamisadas domat.

AD Bactrianos hoc anno transiturus Alexander, quo anno Olympias 113. inchoata est, Paropamisadas eis ab occidente coniunctos obiectos habuit, agreste hominum genus, & locorum asperitati consentaneum. Eam regionem nubibus geluque obsitam per summos exercitus sui labores, ærumnasque superauit. Inde Caucasum Taurumque montes, vnde omnia fere Asiæ flumina decidunt, septendecim dierum spatio emensus est. Ibi ad memoratam Promethei rupem, aliam condidit Alexandriam, vbi Barbaros qui in casis medias interniues, habitare solebant, cum ijs qui in exercitu suo, vel ætate, vel laboribus fracti erant, habitare permisit. Interea duces Alexandri aduersus Satibarzanem Satrapam Areorum prælium committunt, qui cum Etigio singulari certamine congressus, faciemque jaculo confossus cecidit, non magno iteratæ perfidiæ supplicio.

Noua ad Caucasũ Alexandria.

Satibarzanes occiditur.

II. Bessus Alexan. remoratur.

Bessus porro, quem vnum maxime petebat Alexander, intelligens eum aduentare, ijs comitatus, qui participes cum eo consiliorum de Dario interficiendo fuerant, alijsque Bactrianorum fere septem millibus, interiectam regionem populatus est, vt Alexandrum à progressione impediret, naues quoque, quibus Oxus traijciendus erat, succendit. At Bactriani, qui intelligebant Bessum in vna fuga spem salutis collocare, in suos quique vicos dilapsi, illum reliquere; ille ad Sogdianos traiecit, Alexander per summa frigora, tantamque rerum inopiam, vt ne à iumentorum quidem carnibus abstinerent, ad Bactrianos peruenit, & regione haud ægre potitus, eam Attabazo cum præsidio commisit: & Oxum fluuium, in nauium lignorumque penuria vt traijceret exercitus, vtres quamplurimos stramentis impleuere, quibus incubantes sexto demum die amnem vniuersi transnauere. Et progressurus erat in eo persequendo Alexãder, nisi ei compendium laboris & viæ, amici Bessi coniuratione facta præbuissent.

Ad Sogdianos transit.

Macedonũ penũria, Oxũ vtribus tranant.

III. Spitamenis in Bessum coniuratio, & ad Alexã. defectio.

Nam Spitamenes vbi Oxum fluuium ab Alexandro superatum cognouit, siue Bessi rebus diffisus, siue Darij vindicandi cupidus, assciscitis Datapherne & Catene coniurationis socijs, Bessum Alexandro tradere statuit. Monitus Alexander, ad eos Ptolemæum Lagi destinat; qui magna celeritate vsus, ad eum vicum peruenit, in quo Bessus cum paucis militibus agebat, quem cum equitatu cinxisset, edicit oppidanis omnes incolumes fore, si Bessum traderent. Ii Ptolemæum in oppidum admittunt à quo Bessus captus est. Alium concinniorem modum capti Bessi, quoniam properamus, in Annalibus reperies, sicut & varias de illius cæde sententias. Is non solum omni corporis ornamento spoliatus, sed vinctus, laceraque veste semitectus, atque adeo resti in collum iniecta Regi sistitur, & vniuerso exercitui Græcorum atque Barbarorum. Et illi exprobrata primum Domini sui cæde, flagris interim cædi iubetur, & in Bactra remittitur; vbi accusata eius in Darium perfidia, nares ei, summæque aures præscinduntur: tum Darij fratri Oxatri permissus, & minutatim per singula membra concisus est.

Bessus capitur, & miserè perit.

IV. Macedones à barbaris male accepti. Alexãder vulneratur.

Interea Macedones ad pabulum incomposito agmine egressi, malè à Barbaris accepti sunt, qui cum se in montes suos cum captiuis recepissent, & ab Alexandro obsiderentur, grauiter is in crure sagitta vulneratus est, & in castra relatus. Collis nihilominus postero die in potestatem regis, Barbarorum deditione venit, fide vtrimque data, redditisque captiuis. Inde castra mouet, & lectica militari delatus, in regiam Sogdianorum Maracandam peruenit, vbi cum legatos à Scythis accepisset, de expeditione contra eos cogitabat. Sed consilium distulit nunciata Sogdianorum defectio, quæ Bactrianos quoque traxit. Alexander Spitamenem & Catenem, à quibus ei nuper Bessus traditus fuerat, accersit, ratus eorum opera redigi posse in potestatem qui defecerant. At illi ipsi defectionis autores fuerant, sparsa in Alexandrum calumnia, de Bactrianis equitibus iussu eius in conuentu prouinciæ occidendis.

Maracãda regia Sogdianorum cũ Spitamene deficit.

V. Alex. obsidet eorũ oppida.

Quibus cognitis Alexander varia simul ipsorum oppida per se suosque obsidere cœpit, ne sibi mutuo auxilio esse possent; & partim vi, partim deditione septem vrbes in suam potestatem redegit, magnaque ex parte diripuit. In ijs fuit Cyropolis, cui in gratiam conditoris Cyri parcere cupiebat, sed ciuium pertinacia, & aditum ab ipso mortis in obsidendo periculum, ita iram eius accendit, vt captam vrbem spoliatamque diueret. Hinc Menedemum cum tribu-

Cyropolim ad eã vulneratus, diripit, atque euertit.

peditum

peditum millibus, & octingentis equitibus ad vrbem Maracandem misit; eò enim Spitamenes profugerat, vnde & Macedonum præsidiũ eiecerat. At Menedemus in insidias à Spitamene paratas incidit, vbi, cum magna suorum parte, fortiter pugnans occubuit.

Amittit Menedemum cũ suis.

VI. Eius in Scythas expeditio.

Noua Alexandria.

Interim autem Alexander contra Scythas vltra Tanaim habitantes expeditionem suscepit, & ad eum fluuium quantum soli castra occupauerat muro circumdedit: sexaginta stadiorum vrbis murus fuit quam Alexandriam appellari iussit. Opus tanta celeritate perfectum est, vt decimo septimo die vel vigesimo, vt ait Arrianus, quam munimenta excitata fuerant, tecta quoque vrbis absolueretur, vt scribit Curtius. Ex quo iure illos accuses, qui muros Ierusalem duobus & 50. diebus restitutos non credunt, & Scripturam id affirmantem, varijs interpretationibus deprauare non verentur.

VII. Traiicit Tanaim nuitis Scythis eosque domat.

Rex porro Scytharum, ratus eam vrbem suis impositam esse ceruicibus, fratrem Chareasim nomine, ad eam diruendam misit, & Macedonum copias procul à Tanai submouendas. Verum Alexander, etsi animo æger ob Spitamenis & Bactrianorum defectionem, & corpore ob vulnus ad Cyropolim acceptum, ita vt neque insistere in terra, nec equo vehi, nec suos adhortari posset, Scythas tamen lacessentes ferre non valens, rates iungi præcepit, quibus equites phalanxque transportaretur: leuius armati super vtres, vt nuper, natando traijciunt, barbaris interea nequicquam eiaculantibus. Qui vt videre transgressos, non ora Macedonum, non clamorem, non arma ferentes, effusis habenis fugam capessunt, quos Rex quamuis inualidi corporis vexationem ægre ferre posset, diu persecutus est; dum æstu correptus & siti, epota aqua in summum vitæ discrimen adductus est.

VIII. Sacas & Scythas in fidem recipit.

Hæc victoria deficientem magna ex parte Asiam continuit, domuitque, quippe Scythas inuictos esse crediderant, quos Macedonum armis fractos esse cernebant. Ergo Sacæ misere legatos, qui sponderent gentem totam mandata facturam, Scythæ quoque receptis sine pretio captiuis, misere legatos, qui negarent totius generis communi consilio bellum ipsi esse illatum, sed ab ijs, qui latronum more ex rapto viuerent, se imperata facere velle. Alexander vtrosque humaniter accepit, Spitamenen quippe quam primum punire, & suorum cum Menedemo cædem vlcisci cogitabat. At is Alexandri aduentu cognito, cum suis Maracanda profugit, quem Macedo ad Scythiæ vsque deserta insecutus est, moxque reuersus Menedemo cum suis parentauit, & barbaros insidiarum administros interfecit. Eorum tamen triginta iuuenis, lætos ad mortem suorumque maiorum cœtum properantes demiratus, conseruauit, filioque deinceps habuit. Tum reliqua Sogdianorum regione, præter rupem inaccessam, edomita, in vrbe Zariaspa brumam transegit.

Spitamenis fuga.

l. 8.

IX. Romana res.

Romæ porro, vt scribit Liuius, annus hic nulla re belli domiue insignis fuit, præterquã quod Fregellas colonia deducta est, & populo, visceratio data à M. Flauio, in funere matris, vt per speciem honorandæ matris, à populo, à quo fuerat absolutus, gratificaretur. Qua liberalitate mox tribunatum plebis adens consecutus est.

ANNVS MVNDI 3727.

IEDDOÆ Ducis & Pontificis 38.

Imperij ALEXAND. 4. Regni 10.

OLYMP. CXIII. A. 2. VR. CO. 426.

ANTE CHRISTVM 326.

I. Alex. 6. oppida condit.

DVm ad Zariaspa Sogdianorum, vel vt alij malunt, Bactrianorum in hybernis commoratur Alexander, & exercitum suum aliqua quiete reficit, eique nouas varijs ex locis copias adiungit, circa Marginiam vrbem sex oppidis condendis sedem eligit, quæ modicis inter se spatijs dissita, mutuum sibi auxilium præberent, & instar freni domitis gentibus essent. Erat porro apud Sogdianos inaccessa rupes 30. stadiorum altitudine, & 150. circuitu, quam Arimazes Sogdianus, congesto ad biennium commeatu, cum 30. millibus armatorum obtinebat; eam Alexander incredibili ausu, per asperrima rupiũ aggressus, obstupefactis omnibus, ad deditionem arbitrarium compulit, sub imminentis veris initia, vt ait Arrianus. Nam trecentos iuuenes præmiorum magnitudine incitauit, qui ferreis fulcris, quæ subinde defigebant, connisi in altum paulatim euadebant. Triginta duo fallente vestigio in ima deuoluti periere, cæteri semilaceri, semineceſque ad verticem euasere, & Macedones sine pennis volare posse docuerunt. Verum hæc concinnius fortasse quam verius dicta sunt, & in Annalibus examinantur.

Sogdiana rupes deditione capta. *l. 4. vide Curtium l. 7. extr.*

Exinde Alexander copias suas tripertito diuisit, quoniam multis locis sparsi erant hostes: partem vnam Hephestioni, alteram Cœnon regendam dedit, tertiam retinuit sibi. Exules Bactriani cum octingentis equitibus Massagetarum proximos vicos vastauerant, ad quos coërcendos cum Attinas cum trecentis equitibus incautius processisset, ab ijs cum suis interemptus est. Sed ea clades mox à Cratero, altero Alexandri duce, cum vniuerso equitatu superueniente vindicata est, & totius regionis defectio finita. Alexander autem Maracandam reperijt, vbi Scythæ affinitatem cum Macedonibus postularunt, & Alexandro nuptias filiæ regis sui obtulerunt. Phrataphernes etiam, qui Messagetis præerat & Dahis, misit qui se imperata facturum pollicerentur, vtraque legatio benigne audita est. Qua forsan occasione lætus Alexander, solenne conuiuium Maracandæ cum principibus suis celebrauit, quod luctuosa cædis Clii catastrophe terminatum est.

II. Clades Macedonũ à Bactrianis. *Curt. 8.*

Alia vicissim eis prospera.

Erat hic vetus Philippi miles, de Alexandro benemeritus, multisque bellicis operibus clarus. Cum ergo Rex mero incalescens res à se præclare gestas immodicè celebraret, Philippi autem Patris sui obtereret, Clitus contra, qui in contemptu operum Philippi se contemni putabat, præterita efferre, præsentia imminuere, cum magna Alexandri offensione cœpit

III. Clitũ in conuiuio cædit.

dolorem tamen animi pressit, contentus iussisse vt ex conuiuio excederet. Quod dum Clitus facere cunctatur, pergit potius lingua intemperantior abuti, hasta à rege lateri immissa confoditur. Cuius facinoris postridie ita illum pœnituit, vt eadem hasta primum, deinde inedia petire statueret. Donec illum amici consolandi causa cum alia, tum illud quoque protulerunt Clitum iure cæsum fuisse. Et certe si vera sunt quæ de illius contentione referuntur, negari nō potest, quin Clitus valde imprudenter se gesserit, multumque in obseruationem principi suo debitam peccarit.

Moxque facti pœnitet.

IV. Amyntæ clades.

Decem porro diebus, maxime ad confirmādum, pudorem Maracandæ consumptis, cū parte exercitus Ephestionem misit in Bactrianam regionem commeatum in hyemen paraturum. Ipsam autem prouinciam, Clito nuper destinatam, Amyntæ dedit: quem Bactriani exules ad duo millia ducenti improuisò adorti, post anceps prælium atque diuturnum, haud inulti terga Macedonibus dedere: qui nihilominus veniam ab Alexādro, etiam post alteram defectionem, impetrarunt. Quibus in fidem receptis, in regionem quam Nautam appellant, Rex cum exercitu venit, quam cum Sysimithe Satrapa, opera Oxyatris in deditionem accepit. Id tamē imperium eidem restituit, spe maioris etiā prouinciæ facta, si cum fide Alexandri amicitiam coleret: duosque iuuenes patre tradente, secum militaturos sequi iussit. Dahas deinde, quos Arrianus Scytas interpretatur, statuerat petere, vbi Spitamenem, quem iam dudum persequebatur, esse cognorat, sed hoc cum labore Spitamenis vxor, proprio scelere leuauit. Cū enim perpetuis excursionibus fatigata marito persuadere non posset, vt clementiam Alexandri expetiretur, cuius denique manus effugere non posset, alto consopitum somno capite truncauit. Sed Alexander morte scelerati hominis lætus, autoris tamen facinoris auersatus est. At Dahæ Spitamenis nece comperta, Dataphernem defectionis eius participem, vinctum Alexandro, seque ipsos dedunt.

Sysimithis deditio.

Spitamenis cædes ab vxore.

Curt. l. 8.

V. Bellum Romanū contra Palæpolitas & Samnites.

Hoc anno cum Palæpolitæ Neapolitanis vicini, Samnitici auxilij fiducia, vicinos suos socios populi Romani deprædari essent, neque rogati satisfacerent, bellum eis indictum est. Inter Coss prouincijs comparatis Palæpolitæ Publio sorte obuenerunt, Cornelius altero exercitu Samnitibus, si qua se mouerent, oppositus in agro Campano steterit. Publius autem Senatum monuit Palæpolim munitam aduentu duorum millium Nolanorum militum, & quatuor Samnitium: qui cum Romanorum legatis expostulantibus atrociter respondissent, vt qui bellum malebant, quam pacem, in illos quoque bellum decretum est. Verum cum & comitiorum dies instaret, & Publilium, sic enim quidam appellant, imminentem hostium muris, auocari à spe capiendæ in dies vrbis, haud è Republ. esset, ei prorogatum est imperium, vt bellum proconsul administraret, Cornelium quoque in Samnium ingressum reuocari non placuit, itaque is Dictatorem comitiorum causa in exercitu noctu dixit M. Claudium Marcellum.

***

ANNVS MVNDI 3728.

IEDDOÆ Ducis & Pontificis 39.

Imperij ALEXANDRI 5, Regni 11.

OLYMP. CXIII. An. 3. VRB. CO. 427.

ANTE CHRISTVM 325.

ALexander non modo subiugandis sibi populis operam dabat, sed recte etiam per præfectos suos gubernandis. Itaque dum in hybernia moratur, conuertit animum ad ius eis dicendum, iniuriasque eorum vindicandas, adeo vt nonnullos præfectos exautorarit, & in ordinem redegerit. Quibus ita gestis Indiam atq; inde Oceanum petiturus, ne quid à tergo moueretur, quod destinata impedire posset, ex omnibus prouincijs triginta millia iuniorum legi iussit, & ad se armata perduci, obsides simul habiturus, & milites: omninoq; sub signis centum & viginti armatorum millia numerauit. Quibus paratis, quomodo sibi diuinos honores vsurparet, agitare cœpit, quo illum maxime adulatores impellebant: Macedonibusque autores erant vt Persarum more prostratis humi corporibus Alexandrum salutarent. Quibus cū Callisthenes philosophus, Aristotelis discipulus & cognatus, graui oratione resisteret, in Regis offentionem incurrit: sicut & Polyspercon, qui hunc Persarum morem deridebat, & vterque in custodiam coniectus est, sed Callisthenes diuturniorem.

I Alexādet ius dicit populis. *Curt. l. 8. Arrl. l. 4.*

Nouos habet delectus, & vult adorari.

II. Ephesborum coniuratio, & iniusta Callisthenis cædes

Eodem tempore cum Epheborum coniuratio in Alexandrum erupisset, Callisthenes quasi facinoris particeps, tametsi nusquam nominatus à coniuratis, iussu regis supplicijs tortus interijt: quod facinus magnam regi apud Græcos inuidiam concitasse tradit Q. Curtius. Erat enim & vir bonus, & de rege benemeritus, nec tamen aulæ & assentatorum ingenio accommodatus. Diuersas de eius morte sententias vide in Annalibus. Ea coniuratione patefacta, oppressaque, Alexander adulto iam vere è Bactris mouet in Indiam, Amynta apud Bactrianos relicto, cum ter mille quingentis equitibus & decem millibus peditum. Indiæ fines ingressus, multi reguli obuiam progressi, se imperata facturos professi sunt. Cūq; nemo amplius occurreret, Ephestionem & Perdiccam cum patre copiarum misit, ad eos subigendos, qui auersarentur imperium; iussitq; ad Indum Fluuium procedere, & nauigia facere quibus exercitus ad vlteriora transportari posset. Illi quia multa flumina superanda erant, sic iunxere rates, vt solutæ plaustris vehi possent, rursumque coniungi.

Hoc anno n. 7. & 8.

Res in India gestæ.

Alexander suos secutus plurimis populis partim vi, partim deditione subactis, decimis sextis castris ad Indum flumen peruenit, & omnia à suis præparata ad traijciendum inuenit. Eo traiecto occurrit rex Omphis, cognomento Taxiles, qui se iamdudum regnumque suum per legatos Alexandri fidei tradiderat. Itaque renouato in occursu fœdere magna numerum magnificentia vtrimque certatum est. Erant Taxili hostes duo reges, & vterque vltra Hydaspem fluuium regnabat, quorum alter

Naues solubiles. *Vide n. 10. 2088. n. 4.*

III. Alexand. traicit Indum.

nomine Abiasetes, missis ad Alexandrum legatis, in quibus erat ipsius regis frater, se suaq; omnia fidei Alexandri permisit; itaque firmata inuicem pace ac fide, remissi sunt ad regem suũ. Non sic alter nomine Porus, cuius tantus fuit ad bellum apparatus, transitumque Hydaspis prohibendum, vt Macedonas vehementer deterreret, flumine præsertim niuibus æstu solutis exundante.

IV. Qui traiecit Alex.

Itaque totum erat Alexandri studium, vt hoste inscio flumen celeriter transmitteret. Cumque notasset in flumine insulã cæteris ampliorem, & tegendis insidiis idoneam, iussit Ptolemæum longius ab insula cum omnibus turmis obequitare, & præ se ferre fluminis traiectionem, vt eò regias copias ex aduerso traduceret: tam longe autem progressus est, vt insula insidiis destinata non vltra esset in conspectu. Cũque maturus iam esset transitus sonora ac tetra tempestate exorta, signum dat Alexander, vt omnes silentio in rates ascenderent. Vacua erat ab hostibus ripa quæ petebatur: non deerant tamen speculatores à Poro dispositi, à quibus non prius conspectus est Alexander, quam præterita syluosa illa insula, non procul à ripa abesset. Dumque speculatores quanta maxima celeritate possunt ad Porum contendunt, eiq; rem totam trepidi nunciant, primus Alexander desilit in terram, & suos, vt quique transibant, dirigit in ordines ad pugnam.

V. Eius pugna cum Poro.

Dum cæteri transeunt, Alexander cum robore equitatus sui antecedit, sagittariis & peditibus celeriter sequi iussis. Occurrit & Porus cũ ingentibus copiis curruum, equitum, elephantorum. Diu anceps certamen fuit, & victoria fluctuans modo in Macedonas, modo in Indos inclinabat, elephantis præsertim, primò in hostes, deinde in suos, vulneribus Macedonum efferatis. Porus autem tela ex elephante suo in circumfusos ingerebat, pluribusque vulneratis, ipse vndique maxime omnium petebatur: iamque nouem acceptis pectore tergóque vulneribus, rector belluæ eam concitat in fugam sequente Alexandro, qui dum equum mutat Bucephalo vulneribus confosso, tardius insecutus est Porum. Iam tamen aderat, cum elephantus quoque deficiebat; & Porus grauatus telis lababat ex bellua: cum Indus, qui elephantum regebat, descendere eum velle ratus, elephantum de more procumbere iussit in genua; qui vt se summisit, cæteri quoque, prout erant instituti, in terram corpora demiserunt; quæ res & Porum, & cæteros victoribus tradidit; quos Alexander honore & beneuolentia prosecutus, studiose curatos in amicitiam recepit; quam Porus constanter retinuit, coluitque.

Bucephali cædes.

Ineunta amicitiã.

VI. Res à victoria gesta.

Eum autem Alexander non auito solum regno restituit, sed donauit etiam ampliore. Taxilem quoque Poro conciliatum in suum regnum misit, iussum ad se cum lectissimis copiis, & elephantis postmodum reuerti. Ipse autem tam insigni victoria lætus, qua sibi orientis fines apertos esse censebat, Soli victimis Persico more cæsis, milites pro concione laudatos, præmiisque donatos docet, quidquid Indis virium fuisset proxima pugna prostratum, reliqua prædam tantum opimam fore. Ex quo magna alacritate indita militi, duas vrbes ad oram vtramque Hydaspis condit. Inde ad Acesinem fluuium adit, quem in mare decursurum Ganges intercipit. Is stadiis quindecim latus, vt ait Arrianus, magnis asperisque cautibus transitu difficilis est, quem partim nauigiis, partim vectibus transmisit; non pauci tamen, qui nambus traijciebant, illisi cautibus periere. Transmisso flumine Cœnum cum suis copiis ad ripam reliquit, qui reliqui exercitus transitum curaret, & imperaret in subiecta India commeatus deuectionem. Ipse cum expeditissimo milite Porum, alterum ab amico persequitur, eiusque fugitiui regnum, totamque illam regionem gubernandam alteri Poro dedit.

Duæ vrbes conditæ.

Transitus Acesinis fluu.

Alius Porus

VII. Res ad Hydraotem flu. gesta, & cum Cathæis ad Sangalã.

Inde Hydraotem fluuium Acesine nihilo latitudine minorem, minus tamen rapidum minore negotio traiecit, obuiosque populos partim vi, partim deditione subegit, in quibus regnum Sophitis, gentis, vt apud Barbaros, sapientia excellentis, vnde illis nomen à Græcis impositum videri potest, de quibus pluribus. l. 9. Curtius. Cum Cathæis strenuis in primis ac bellicosis viris plus negotij fuit. Ad Sangalam cum feliciter à Macedonibus pugnatum esset, ipsa vrbs obsessa, à suisque ciuibus noctu deserta est, sed cum fugitiui in paratos Macedonas incidissent, plurimis desideratis, in vrbem semel iterumque repulsi sunt; Sed eamox, magna cũ Indorum strage, expugnata, ac solo æquata est, regione Indis, qui deditionem fecerant, ab Alexandro attributa, præsidióque vrbibus impositio, ipse cum exercitu ad Hypasim amnem processit, qui expeditionis Alexandri terminus fuit. Etsi intra triduum vlterius progredi statuerat, ibi tamen substistere, atque hyemare coactus est, vt anno sequenti dicetur.

VII. Res gestæ cum Lucanis & Palæpolitanis.

Prima imperij prorogatio, & triumphus post Cõsulatum.

Noui Consules cum iussu populi misissent, qui bellum Samnitibus indicerent, noua ipsis auxilia Lucanorum & Appulorum accessisse cognouerunt, qui tamen ad Romanorum amicitiam traducti sunt; à qua mox Tarentinorum fraude qui sibi à Romanis timebant, abducti sunt; cum Lucanis quibusdam pretio conductis persuasissent, vt se mutuo flagris laceraret, atque ita concisi se populo spectandos præbuissent, adiecta calumnia, se ita iussu Consulis tractatos, quod Romana castra ingredi ausi essent, ac tantum non secuti percussos. Id cum populo persuasissent, bellum contra Romanos postulatum est, & societas cum Samnitibus renouata. Porro Palæpolitani cum in vrba sua male & contumelioſe à præsidiariis Samnitium & Nolanorum tractarentur, leuissimum malorum deditio ad Romanos visa est, idque perfectum, Samnitibus & Nolanis ingenioſe vrbe pulsis. Publio triumphus Romæ decretus: cui duo singularia primùm contigere, prorogatio imperij, & triumphus transacto consulatu.

***

ANNVS MVNDI 3729.

IEDDOÆ Ducis & Pont 40.

Imp. ALEXANDRI 6. Regni 12.

OLYMPIAD. CXIII. AN. 4. V. C. 428.

ANTE CHRISTVM 324.

I. De regressu ad Hypasin contento Alexandri cum suis.

HAbet hic annus Alexandri ex vltima prope India regressionem, quando Macedones longinqua peregrinatione corporibus animisque fatigatis, & insuper auditis, quæ ab vlteriore progressione vehementer absterrerent, Alexandrum iterab Hypasi flumine reflectere domum versus perpulere. Non frangebatur Alexander periculis, quæ magna ex parte vrna esse credebat, & totius orbis imperium mente complexus, se in exordiis adhuc esse credebat. Sed Macedones partim fortunam suam in castris deplorabant, partim se regem secuturos negabant. Adhibuit è contrario monita princeps, adhibuit & preces vehementissimas, ne tantas spes, tamque opportunas animi debilitate infringerent. Sed illi demissis in terram capitibus, in tristi silentio perseuerabant. Cum Cœnus, annuentibus sociis, pro militibus orationem habuit, qua negabat eos bellica munia detrectare, sed sustinere posse. Cumque in eandem sententiam plura magno animi sensu dixisset, clamor vndique cum ploratu exoritur, orantium, vt suorum tanquam pater misereretur, & precibus acquiesceret.

II. Quibus denique cedit.

Quæ indigne ferens Alexander, exiliens è tribunali concionem diuisit; qua postridie rursum iracundè conuocata, se quidem vlterius perrecturum dixit. Neminem vero Macedonũ ad sequendum coacturum: neque enim defuturos, qui regem suum sua sponte sequerentur: iis autem qui abire statuissent, per se liberũ esse; amicis porro nunciarent, Rege suo in medijs hostibus destituto, se domum reuerti. Quæ cum dixisset, in tabernaculum se recepit, neque amicorum quempiam ad tertium diem in colloquium admisit, expectans si qua forte animorum mutatio in exercitu fieret; qui cum nihilominus in proposito persisteret; ipse super transitu extra consuluit, quæ cum infausta portenderent, conuocatis amicis iussit exercitui renunciari, quoniam ipsum omnia ab vlteriore profectione reuocarent, statutum sibi esse domum reuerti. Ea vox magna lætitiæ significatione accepta est, omnibus Alexandro fausta precantibus, qui à cæteris omnibus inuictus, à suis se vinci passus esset.

III. Monimentum expeditionis, Et regressionis initium.

Interea monimentum expeditionis suæ, & profectionis terminos statuere decreuit, duodecim aras ex quadrato lapide visendę magnitudinis, & vt ait Diodorus 50 cubitorum, vel, vt ait Arrianus, maximis turribus bellicis pares. Tum toti regioni ad Hypasim amnem Porum præfecit, ipse ad Hydraotem flnuium redit; quo traiecto ad Acesinem retrocedit, vbi vrbem exædificatam Ephestonis industria reperit. Ibidẽ Cœnus, qui maxime reditum vrsetat, morbo extinctus est. In eam vrbem inductis colonis ex finitimis, & mercenarijs ad militiam ineptis, ipse quæ ad nauigationem Oceanum versus necessaria erant, parare cœpit, & Abisarem tum ægrum prouinciæ illius Satrapam constituit, tributis quæ penderet imperatis, moxque Acesine transmisso ad Hydaspem venit, per quẽ paratam classem in Oceanum nauigare iussit, in qua naues erant triginta, octoginta remorũ, & in vniuersum omnes naues bis mille, vt Arriano placet, Curtius tamen & Diodorus mille tantum numerant. Conuocatis porro amicis, & omnium Indorum sibi parentium legatis, vniuersæ regioni à se deuictæ, id est gentibus omnino septem, & viribus supra duo millia Porum regem constituit.

Classis Alexandri.

Dum autem Alexander ex Indis reuertitur, multæ ad eum querelæ populorum de Satrapis eius deferuntur, in quos dum seuere animaduertit, Harpalus, cuius fidei thesauros Babylonis, & regia vectigalia commiserat, cum existimaret, eum nunquam ex illa expeditione rediturum, sibi male conscius solum vertere statuit, atque in Græciam, Athenienses in primis demerendis proficiscitur; itáque fecit; quinque millibus talentũm congregatis, & sex militum millibus mercede conductis, traiecit in Atticam, seque & sua Athenienses fidei commisit, Oratores in eam rem, inprimisque Demosthenem auro corrupit. At populus bello neque iusto, neque necessario implicari se passus nõ est, sed Harpalum vrbe interdixit; Demosthenes quinquaginta talentis æstimata lite, in vincula coniectus est, vnde mox elapsus est fuga. Eadẽ quoque arte Harpalus Antipatrum & Olympiadem effugit, & ad milites suos, quos in Tænaro Laconiæ promontorio reliquerat, nauigauit, vnde profectus in Cretam, à Thimbrone, vno ex amicis suis, dolo interfectus est.

IV. Harpali fugæ, res in Græcia gestæ, & cædes.

Quæ vbi didicit Alexander consilium traijciendi in Europam omisit: sed Babylonem cogitans, secundo Hydaspis flumine defertur, atque ex itinere nonnullos Indos partim vi subegit, partim deditione accepit. Accelerabat autem iter, vt Mallos & Oxidracas antequã conuenirent, occuparet. Eos enim bellicosissimos esse didicerat; & alioqui inter se hostes, nunc in communi periculo contra Alexandrum armis animisque coniungi velle. Ergo quinto die in um peruenit locum, in quo Acesines influit in Hydaspem, vbi graue naufragij periculũ adiit, multæ quippe conquassatæ sunt naues, duæ ita inter se collisæ, vt cum vectoribus in omnium conspectu perierint. Mox autem diuisa classe, quosdam præcedere Hephestione duce, quosdam triduo post cum Ptolemæo Lagi subsequi iussit, vt qui vnum hostem effugeret, in alterum incurreret.

V. Alexander Oceanum petens tempestate vexatur.

Ipse autem terrestri itinere per Siticulosam regionem, cum tertia copiarum parte celeriter contendit in Mallos: quibus ex improuiso superueniens, plerosque variis præliis fudit, cecidit, vrbes vi captas succendit. Tandem ad vnam vrbem Mallorum, aut vt placet Curtio, Oxidracarum venit, in qua omnium grauissimum vitæ discrimen adijt, ibi enim solus contra populum totum, Deo ipsum protegente ita pugnauit, vt periculosum tamen vulnus acciperet, sed curatione, vel excarnificatione potius fortiter tolerata, in spem vitæ rediit, quã ægrè

VI. Apud Mallos cũ summo vitæ discrimine pugnat.

exer-

n.15.& seqq.

exercitui suo probauit, donec in lectica primum, inde in equo apparuit, postremo etiam pedes in tabernaculum suum transijt. Rem totam accuratius explicatam in Annalibus studiosus Lector inueniet, hoc ipso anno. Malli autem per legatos Alexandro totius gentis deditionem fecerunt, quos Oxidracæ sunt imitati, additis muneribus leonum, & tygrium domitorum: vtrique genti Satrapam Philippum constituit.

Eosque cum Oxidracis deditione recipit

His rebus ita gestis, nauibusque compluribus, dum pectus curatur constructis, militeque iis impositio, secundo flumine Oceanum versus cursum dirigit, vsque ad eum locum in quo Acesines in Indum euoluitur. Ibi pleroſque populos per legatos in amicitiam recipit: ibi vrbē condi, ibi naualia construi iubet, ratus populosam & claram loci opportunitate ciuitatem fore. Inde in Sogdianorum regionem nauigauit, ibique aliam vrbem construi iussit, vnde in Musicanum regnum prouectus, Regem cum amplissimis muneribus obuium habuit, quo in amicitiam recepto, pristinum illi reliquit imperium. In vrbe tamen regia arcem extrui iussit, & in ea præsidium imponi, ad vicinas gentes in officio continendas. Verum paulo post, dum aliquot alios regulos Alexander inditionem suam redigit, Musicanus, Brachmanorum suasu, ab Alexandro deficit. In quem is subito misso exercitu, regnum eius occupat, eumque captum, & ad se adductum, in sua ipsius regione laqueo suspendi iubet, vnáq; cum eo quotquot Brachmani ei fuerant defectionis autores.

VII. Alioſque item populos.

Res cum rege Musicano gesta.

Eodem tempore ad eum venit Pattalorum regulus, qui eam regionem tenebat, quam Indus in formam quartæ literæ Græcorum suo circuitu configurat. Is autem se suáque omnia permisit Alexandro, qui eum sua possidere iussit, & nihilominus exercitui necessaria præparare. Cumque ibi se Indus bifariam diuidat, statuit per eam partem Oceanum subire, quæ dextrorsum ferebatur, sed cum peritis locorum ducibus careret, vehementi tempestate, cum reciproco æstu Oceani vexatus est, in quem ingressus Neptuno sacrificat, & explorato qua fluminis parte tutior esset classi aditus Oceani, Pattala reuersus, per hyemen quæ erant ad reliquam nauigationem necessaria studiose præparauit: itaque hic huius anni expeditionis Alexandrinæ finis fuit.

VIII. Deditio reguli Pattalorum.

Alex. tempestate vexatur.

Romæ bellum aduersus Vestinos Samnitum socios erupit; ea prouincia Bruto, Samnium Camillo sorte euenit. Exercitus contra vtrosque seorsim educti, vt cura tuendorum finium impliciti, arma coniungere non possent. At L. Furium grauis morbus bello subtraxit, iussúsque Dictatorem rei gerendæ causa dicere, L. Papyrium Cursorem dixit, qui Dictaturam serius inchoatam, negotiis exigentibus in annum sequentem protraxit, nec ea se prius abdicare permissus est, quam tempus creandorum Coss. aduenisset. Itaque Brutus hoc anno contra Vestinos feliciter pugnauit; eorum agris vastandis, ipsos pertraxit ad conserendas manus, eosdemque prælio victos castris exuit, & in vrbes compulsos tutos esse passus non est; sed Cutinam & Cingiliam vi cepit, prædam militibus permisit. Dictator autem, aut Magister potius equitum Fabius rem gessit contra Sabinos anno sequenti.

IX. Res Italicæ.

ANNVS MVNDI 3730.

IADDI Pont. vlt. ONIÆ 1.

PTOLEMÆI LAGI 1.

Imp. ALEXANDRI 7. Regni 13. & vlt.

OLYMP. CXIV. AN. 1. VR. CO. 429.

ANTE CHRISTVM 323.

I. Ratio tēporis. a *Mach.* l. 8.

OLympiadis CXIV. anno primum mortuũ Babylone Alexandrum omnes prodidere. Sicut & annos regni duodecim, quod Scriptura ipsa confirmata, Eusebius addit menses sex, Diodorus 7. Arrianus octo: quod tempus T. Liuius, & Æmilius Probus in Eumene vocauerunt annos 13. Sulpicius Seuerus hunc annũ postremum Alexandri vocat septimum à deuicto Dario, regni & imperij annos recte distinguens, sed plura in huius epochæ confirmationem Annales dabunt. b

b n. 1 & 2

II. Fames Macedonum apud Gedrosios. a *Aria.* l.

Dum autem Nearchus Alexandrinæ classi præfectus, tempus nauigationi oppottunum expectat c. Alexander vicinos mari populos perlustrat, sibique subiugat. Sed quosdam præsertim Gedrosios per immensas sibi potusque necessitates, adeo vt ne à iumentis quidem suis abstinerent, tandem in Carmaniam peruenit, quo etiam Nearchus, iis regionibus circumnauigatis, peruenit, qui & iussus est ad Susianorũ regionem, & Tigridis ostia nauigare. Hephestionem autem cum magna parte copiarum præmisit in Persidem, quò ipse quoque profectus apud Pasargadas, Cyri maioris sepulchrũ spoliatum, ac perfractum, magno animi dolore repetit. Eius culpæ per calumniam rex Orsines à quodam Enuncho accusatus apud Alexandrum, iussu eius, per summam iniuriam interfectus est. Verum de Cyri sepulchro alibi actũ est. d Inde Persepolim Persidis metropolim profectus, sera pœnitentia ægrè tulit regiam illius à se antea per temulentiam incensam.

Cyri sepulchrũ.

Reditus Alex. in Persidem d *Olym.* p. 62. a. 2.

Hoc tempore Calanus, vnus de Indorum sapientibus, qui Alexandrum ad Persidem vsque, persuasus à Taxile Indiæ regulo, secutus fuerat, cum ægrotare cœpisset, quod ei nunquam tota vita contigerat, statuit gloriosè, vt arbitrabatur, è vita decedere. Cumque illi ab Alexandro, vt viueret persuaderi non potuisset, in paratum rogum vltro conscendit, hymnos patria lingua concinens, & Indico more coronatus, decoréque compositus in medijs flammis immotus stetit: tantum est animi in sententia obfirmati, in corpus imperium: Eius funus multiplici honore prosecutus est Alexander, variaque certamina musica, equestria, pugilatus, potandi denique celebrauit, vt in varia historia scriptit Ælianus e. Post hæc Susam profectus, in præfectos aliquot prouinciarum, qui desperato eius reditu, multa per vim & scelus perpetrarant, extremo supplicio affecit. Amicos autem multis modis honorauit, affecitque beneficiis.

III. Calani Indi mors.

e *Ael.* l. 2. c. 41.

IV. Varia in suos Alex. beneficia *Arrianus*

Eiusdem vxores.

Dat missionem suis.

V. Inde orta seditio, eamque seuere cõpressa. *Arrianus.*

Macedonum pœnitentia.

VI. Craterũ mittit in Macedoniam vnde reuocat Antipatrum. *Curt. l. 10*

Exules Græciæ reuocari iubet.

Nam Persarum ac Medorum illustrium filias octoginta matrimonio copulauit, omnium nuptias simul celebrauit ipse, atque omnibus dotes contulit. Aliis quoque Macedonibus, qui Asiaticas vxores duxissent, quorum numerus erat decem millium, sponsalia munera dedit. Ipse præter Roxanem, quam ante duxerat, Barsinem ex Darij filiabus natu maximam, & Parysatin, ex Darij Ochi filiabus natu minimam accepit vxores. Adiecit etiam ad reliquam magnificentiam, vt omnium suorum militum debita dissolueret, quæ largitio dicitur ad viginti millia talentũm peruenisse: Dona etiam aliis alia pro cuiusque meritis & dignitate distribuit. Quibus peractis ipse classe, quæ iam in Susiorum regionem erat appulsa, conscensis cum parte copiarum nauibus, per Eulæum amnem ad mare nauigauit, indéque ad Tigridis ostia contendit, & ad Opim vrbem ad Tigrim sitam venit. Vbi cum missionem dedisset omnibus, qui patriã repetere voluissent, qui autem manere vellent, se beatos facturum polliceretur. Ipsi regis orationem in deteriorem partem interpretati, quasi despectui haberentur, & bello inutiles censerentur, seditionem incœptantes à verborum insolentia non abstinuerunt.

Hic Alexander in iram concitatus è solio prosiliens, tredecim ex iis qui seditionem commouebant, per Argyraspidas suos statim comprehendi, & ad supplicium rapi iubet. Quo facto cum reliqui attoniti silu issent, rursum solio conscenso eorum eis ingratitudinem prolixè exprobrauit, qui tot acceptis à patre, & à seipso beneficiis, eum nunc deserere, & fidei Barbarorum permittere non dubitarent. Ea obiurgatione & sociorum pœna deterriti, quid de ipsis quoque Rex statueret, suspensa mente expectabant. Nam rex biduo neque corpus curauit, neque amicorum quemquam ad se admisit. Tertio die vocatis ad se Persarum principibus ducatus agminum inter eos partitus est, & ad osculum admisit. Qua re moti Macedones armis ante regiam in signum pœnitentiæ proiectis, veniam præ foribus cum clamore deposcebant; quam commotus ad misericordiam Alexander, cum lacrymis dedit, eamque publico epulo confirmauit. Tum eorum aliquos, qui propter ætatem, aut corporis infirmitatem bello inutiles erant, liberaliter donatos in patriam remisit, Asiaticos tamen eorum liberos apud se retinuit, vtique prudenter; patribus autem Craterum quem habebat charissimum, & Polyspercontem duces longi itineris dedit.

Cæterum Craterum voluit in Europa regno Macedoniæ, Thraciæ, Thessaliæ, & restituendæ libertati Græcorum præesse. Antipatrum vero, in eorum qui dimissi erant locum, alios Macedones, ætate ac viribus florentes in Asiam ad se adducere, quod sciret ei cum Olympiade in Macedonia non satis conuenire; quod tam ægro animo tulit Antipater, vt de veneno Alexandro tradendo statueret. Cum iisdem emeritis missus est Nicanor Stagirita, cum epistola Alexandri de reuocandis in patriam exulibus, vt in singulis vrbibus multos sibi deuinctos haberet. Ea in ludis Olympicis, qui tunc celebrabantur recitata, soli Athenienses & Aetoli restitere. Contra quos dum bellum & classem parat, immatura morte sublatus est. Bellum autem mox ab Antipatro contra Athenienses gestum est. Interim rex ad Ecbatana Mediæ profectus, dum regni negotia disponit, Hephæstionem, quem fratris habebat loco, morbo sublatum amisit, & intemperanter luxit, & regem digna perpetrauit, vt in Annalibus explicauimus, ex Diodoro, Arriano & Plutarcho.

Hephæstion in Ecbatanis moritur.

Hoc anno a. 14.

Postmodum autem in Babyloniam reuertitur, reclamantibus vatibus, & portentis: ibique omnium gentium legatos benigne susceptos domum remisit. Iisdem fere diebus conuiuium apud Thessalum Medium institutum est, ad quod rex quoque cum sodalibus venit, vbi potus intemperantia morbo correptus interijt, vt plerique omnes, excepto Curtio, retulerunt, in quibus Arrianus, Plutarchus, Iustinus, Athenæus, Liuius, Diodorus, Paulus Orosius, Suidas, Valerius Maximus, Solinus, & si qui alij. Nominatim autem Plutarchus ait regem cum splendido conuiuio excepisse Nearchum, atque inde more suo lotus, cubitum iret, ad Medium obnixe rogantem comessatum iuisse, cumque in sequentem diem perpotasset, febre fuisse tentatum, ex qua cum vehementi siti cruciaretur, vinum potasse, itáque in phrænesim incidisse, ac trigesimo mensis Dalij, qui Iunio respondet, vita excessisse, vt Aristobolus apud Plutarchum scribit. Itaque veneni crimine repudiato, calumnia in Antipatrum, aut etiam in Aristotelem euanescit; valdéque dubia redduntur, quæ de vltimis eius cum suis ducibus colloquiis referuntur. Annulum tamen ab moribundo Perdiccæ datum non videtur dubitandum, sed casu fortasse, aut per aliquod lucidum in delirio interuallum.

VII. Alex Babylonem adit, ibiq; intemperantia potus moritur.

Diodorus.

Mortuus est ergo Alexander vix dimidium vitæ suæ curriculum emensus, anno videlicet ætatis trigesimo secundo expleto, & trigesimo tertio inchoato. Natus quippe est Olympiade centesima sexta ineunte, & mortuus sub initium centesimæ decimæ-quartæ. Virtutes eius plerique scriptores celebrauere, fortitudinem, liberalitatem, clementiam in victos, continentiam, mortis contemptum, in parentes ac superos pietatem, & si quæ sunt aliæ; quarum examen in Annalibus Lector veratum virtutum amans reperiet. Corporis eius optima constitutio commendatur, ex qua pulchritudo, illibata in tot ac tantis laboribus sanitas, & odoris etiam in defuncto fragrantia, quibus corpus ad diem septimum sine tabe, nullo aromatum præsidio, conseruatum est. Quo ex euentu Plutarchus, Curtij de veneno refellit opinionem: veneni enim vestigia in extincto corpore tam diu asseruato apparuissent. Et mandauerat quidem Alexander Perdiccæ, vt corpus suum ad Ammonem ferri iuberet. Sed Ptolemæus Lagi, cui Ægyptus cessit, illud Memphim, & inde paucis post annis Alexandriam transtulit.

VIII. Ætas morientis, virtutes, corporisque dotes.

a 25. & segq.

Inde ad deliberationem de regni successione inter principes, ducesque primarios Alexandri ventum est; Cumque plurimi regis prærogatiuam, & quasi suffragium secuti, in

IX. Vniuersi regni successor Perdiccas, cum Aridæo.

Per-

Perdiccam consentirent, & regis annulum tollere iuberent; is pudorem inter & cupiditatem hærebat, dum illi quod expetebat, peruicacius offerrent. Imprudens qui modestiam potius in gratiarum actione, quam in tergiuersatione non poneret. Turbas enim excitauit Meleager inimicus eius, in quibus mox occisus est. Ipse autem perductus in vrbem exercitu, concilium principum virorum habuit, in quo imperium ita diuidi placuit, vt Philippus quidem Aridæus Alexandri frater, qui in proximo tumultu rex salutatus fuerat, regni summam obtineret, eique Perdiccas adesset, & præesset copiis, quæ regem sequebantur: quibus ita præfuit vt Aridæus regni vmbra videretur: Sicut & postea in Macedonia, cæso Perdicca, & Antipatro dominante.

X. Quod mox varie diuiditur. c. 11. 4.

Sub Aridæo igitur & Perdicca stabat quoquo modo Imperium Magni Alexandri, sed illud mox, Daniele teste laceratum est. Qenim Curtius libro decimo scribit decem prouincias, quasi prima sortitione factas, quibus totidem Satrapæ præpositi fuerunt, qui deinceps regna, quibus erant præfecti, pro regibus gubernarunt. Denique maxima pars imperij per quatuor ventos, vt ait Propheta, & in quatuor Duces distracta est. Ptolemæus Lagi ad meridiem occupauit Ægyptum, Antipater cum Aridæo Macedoniam ad occasum, Antigonus Pontum & Asiam ad septentrionem, Seleucus Nicanor Syriam & Babyloniam ad orientem. Quorum duo tantum regna deinceps persequemur, quæ frequenter à Scriptura memorantur, Syriæ videlicet & Ægypti, quæ illa regnum Aquilonis, siue Græcorum, & regnum Austri crebro vocat. Res tamen Macedonias, plurimis annis cum Asiana Romanaque historia vehementer coniunctas, prætermittere, nec possumus, nec debemus.

Hier. in Dan. c. 8.

XI. Ptolemæi Lagi in Ægypto dominatus. *Arrian. l. 7.* An Lagi filius.

Primus omnium amicorum ac ducum Alexandri, Ptolemæus Lagi filius prouinciam Ægyptum sortitus est, cum ea parte Africæ quæ in ditione Macedonum erat. Quam illi prouinciam tradidit Cleomenes, qui Alexandriam iussu Alexandri ædificari curauerat. Erat is homo improbus, multisque iniuriis Ægyptios affecerat, vt ait Arrianus. Quo etiam factum est, vt Ptolemæus, qui non vulgari animi moderatione, fortitudine, sapientiáque pollebat, tanto Ægyptiis esset acceptior, tantóque facilius aditum sibi pararet ad regnum, quod ad trecentos fere annos propagatum est. Etsi autem Lagi filius dictus est, scribit tamen Pausanias in Atticis, eum fuisse Philippi filium ex Atsinoë cõcubina, quæ ex Philippo grauida, tradita est Lago, & apud eum Ptolemæum enixa est. Est porro hic primus Ptolemæi annus, qui magna ex parte cum vltimo Alexandri concurrit; quẽadmodum & postremus incidit in primum Ptolemæi Philadelphi filij eius. Sicque verum est quod habet Eusebius in Chronico, eum annis quadraginta regnasse, nec falsum quod alij tradunt eum triginta octo annos Ægypto præfuisse, computatis scilicet, vel exclusis extremis.

l. 11. fi.

XII. Contentio inter

Quod ad Romanam rem attinet, nam Hebræa silet, nisi quod Oniam hoc tempore Pontificem Iosephus suggerit, repete Lector memoria, quæ anno superiore extremo diximus de anno hoc, in quo Dictator & Magister Equitum Consulum subiere vices, re contra Samnites gerenda. Et anno quidem præterito res inchoata est; hoc autem, propter acerrimam vtriusque contentionem, primum aliquantulum impedita, deinde Imperatoris sapientia, & in milites humanitate, non exiguum habuit incrementum. Contentio autem fuit huiusmodi. Cum Dictator reperendorum auspiciorum causa Romam reuerteretur, simul Magistro Equitum Fabio edixit, ne absente se manum cum hoste consereret. At is iuuenili gloriæ cupiditate, & rei bene gerendæ opportunitate incitatus, pugnauit & vicit. At Papyrius vel Imperij sui contemptu, vel zelo militaris disciplinæ commotus, venit in castra. Cum interim Fabius, conscius audacis facti, milites sibi magno studio conciliauit, eorumque fidei vitam suam, fortunasque commendauit.

Dictatorem & Mag. Equitum.

Ex Liuio l. 8.

Dictator statim à reditu conuocat concionem, & per præconem Magistrum Equitum citat, cumque eo expostulat de auspiciis, imperioque suo neglectis, tum expediri virgas secutesque iussit. Hic tumultuatur exercitus, & per contentionem res ad noctem trahitur; sub eam Fabius Romam profugit ad patrem, qui tertiam consul fuerat atque Dictator. Is de Dictatoris seueritate in Senatu questus, eius opem implorat, cuius precibus cum Papyrius non flecteretur, Pater tribunos appellans, ad populum prouocat, qui Senis lachrymis, precibusque flexus, & iuuenis commiseratione victoris, Dictatorem rogat, vt sibi pœnam Magistri Equitum Dictator remitteret. Accedebant & Tribunorum preces, & vtriusque Fabij ad Dictatoris genua prouoluti: quibus illum denique donat, egregiè doctum de conseruatione disciplinæ militaris, cum omnium ordinum gratulatione ac lætitia. Exercitus tamen ab Imperatore factus est alienior, quod populi precibus dedisset Fabium, negatum suis. Itaque proxima in Samnites victoria, cessante milite impedita est, quem cum mox insigni humanitate leniuisset, victoriam ac triumphum est consecutus.

XIII. Sum Fabij periculum.

Exercitus in Dictatorem ira.

XIV. Dmeosthenis reditus in patriã.

Contigit hoc ipso anno reditus Demosthenis in patriam. Cum enim in Græcia Antipater pro Macedonum imperio, Laosthenes pro Græcorum libertate bellum gererent, & pro vtrisque legati passim excurrerent, Demosthenes se legatis Athenienſium adiunxit, & populos Græciæ contra Macedones libertatis oppressores excitauit. Eo studio Athenienses excitati reditum ei decreuerunt: missáque ad eum Æginam triremi, ex Pyræeo in vrbem veniens, ab vniuersa ciuitate ad portas effusa gloriosè acceptus est.

***

ANNVS MVNDI 3731.

ONIÆ Pont. 2. PTOLO. LAGIDÆ 2.

Imperij ALEXANDRI 8.

OLYMPIAD. CXI. AN. 2. V. C. 450.

ANTE CHRISTVM 322.

I. Imperiũ Alexandri continuatur.

QVamuis Alexander superiore anno defunctus regnare desierit, diuiso in multos successores imperio, quia tamen Imperium, quod ab ipso partum ac fundatum est, & ex vsu Chronologorum, atque ipsius etiam Scripturæ in Machabæorum libris, Græcorum appellatur, nondum inchoatum est, donec res Asiæ in Seleuci potestatem asserunt, & familia Alexandri in Aridæo rege Macedonię eius fratre, & matre Olympiade quoquo modo stabat: nec se adhuc Alexãdri duces aperte reges dicebant, reliquũ tempus ad Seleucum primũ, ab Alexandro Imperij Græci fundatore duximus appellandum. Oniæ quoque Pontificis secundum hoc anno ponimus, Iosephum secuti, qui ait Iaddum, quẽ Ieddoam Scriptura vocat, eodem quo Alexandrum tempore obijsse, & Oniam filium summi Sacerdotij successorem reliquisse.

Oniæ Põtificatus. *Ios. lib. 11. extr.*

II. Ptolomæus Ægyptum sibi stabilit. *Diod. l. 18*

Porro Ptolomæus Ægyptum citra periculũ adeptus, per humanũ se se exhibebat Ægyptiis, & octo millibus talentũm potitus, mercenariũ militem collegit, societatem quoque iniit cum Antipatro, qui rerum in Macedonia potiebatur, quod certo futurum sciret, vt Perdiccas sibi Satrapiam Ægypti eripere conaretur. Ex quo enim Perdiccas regias copias & regni administrationem adeptus est, vniuersum Alexãdri affectabat Imperium. Et quamuis Antipatrum cogitabat opprimere, prius tamen Ægyptum occupandam putauit. Verum cum eius consilia Antipatro innotuissent, Antigoni opera, qui ad eum ex Asia cum Demetrio filio profugerat, societatem cum Cratero, qui præfecturam Asiæ acceperat, iniit. Vtrique etiam placuit legatos mitti ad Ptolemæum, Perdiccæ maxime infensum, ipsisque amicum, & usdem insidiis appetitum, societatis iungendæ causa, quæ Ptolemæo libentissimo iuncta est. Perdiccas autem, rebus in Asia compositis, iter Ægyptum versus intendit. Nec res vltra hoc anno inter Perdiccam & Ptolomæum progressa est.

Perdiccas affectat imperium, & fœdera contra ipsum.

III. Bellum Lamiacũ Antipater obsidetur.

Bellum autem superiore anno Macedonas inter & Græcos inchoatum, quod Lamiacum est appellatum, hoc anno finitum est. Cum Antipater à Græcis prælio victus esset, seque Lamię vrbe Thessaliæ permunita inclusisset, & suppetias ex Asia præstolaretur, à Græcis duce Laosthene obsidetur, sed is eruptione à Macedonibus facta occiditur. Interea Antipater Leonnatum ad se euocat, qui copiis in Macedonia celeriter contractis ad eum proficiscitur. Quo cognito, Græci ei cum copiis occurrunt, priusquam ille se Antipatro coniũgeret. Committitur pugna, & Thessalorum equitum virtute Leonnatus vincitur, & multis vulneribus confossus occũbit. Postridie Antipater cum agmine suo se victis adiungit, duplici nomine lætus, & quod copiis auctus esset, & quod Leonnatus, ei futurus æmulus, occubuisset.

Reparat vires.

IV. Græcos classe vincit, & cogit ad pacem, præsertim Athenienses.

Interea Græci qui classem auxerant, cum Macedonica ad Echinadas insulas congressi, bis prælio victi sunt. Craterus autem cum copiis non pœnitendis tam Macedonum, quam Persarum, se iungit Antipatro, simulq; ingentem exercitum conficiunt. Moxque Græci, quorum copiæ longe minores erant, coguntur ad certamen, victique pacem ab Antipatro petunt, & eam singulæ ciuitates sigillatim obtinent. Athenienses autem & Aetoli omnium inimicissimi Macedonico nomini, quique primi Lamiacum bellum conciuerant, à sociis derelicti, de bello frustra consultant, Antipatro in Athenienses omnem belli vim conuertente. Itaq; pacis causa Demadem mittunt ad Antipatrum, qui negat, se alia conditione pacem Athenienſibus concessurum, nisi omnia sua eius potestati permitterent. Qua scilicet nuper conditione, Antipatro Lamiæ incluso, Athenienses se pacem facturos eius legatis responderant. Cui conditioni cum acquieuissent, præsidium eis militare Menyllo præfecto imposuit, & ad 12 millia, vel, vt alij habent, ad 22. millia ciuium tenuiorum in Thraciam è patria transtulit.

Et quibus conditionibus.

V. Demosthenis fuga, à populo damnatur, vt desertor. *Plut. in eius vita.*

Mutata porro celeriter Athenienſium fortuna, res quoque Demosthenis illico in deterius conuersæ sunt, cum enim allatum esset, Antipatrum & Craterum Athenas contendere, Demosthenes cum suis clam vrbe excedit, vt qui sibi conscius esset, se omnibus ingenij ac linguæ viribus, populum domi fortisque aduersus Macedones concitasse. Eos populus, ex Demadis rogatione, rei capitalis damnauit, tanquam publicæ rei, in grauissimis eius difficilimisque temporibus, desertores. Fugit autem in Calauriam, quæ modica est in Trœzenio sinu insula, vbi proximo anno, vt dicemus, interiit. Aristoteles quoque hoc anno è Lyceo suo profugit, Theophrasto in docendi munere sibi substituto. Nam qui infestum habuerat Alexandrum propter Callisthenem, sibi ab eius hæredibus, in quorum manus venturæ erant Athenæ, metuebat. Supererant Aetoli, qui rebus suis diffusi, deserta magna ex parte Aetolia, in auia se montium loca receperant, vnde Macedonibus plurimum incommodabant; cum Antipater, intellectis ab Antigono Perdiccæ consiliis, pacem cum illis quoquo modo composuit, speransexpeditis maioris momenti cum Perdicca negotiis, se illos fortunis omnibus euersurum. Sicque Lamiacum bellum, eum præsenti anno terminatum est.

Aristotelis fuga.

Antipatri pax cũ Aetolis.

VI. Romanæ res.

In Italia Samnites, pro pace quam quærebant, annuas inducias retulerunt, quas ne sanctè quidem coluere. Nam cum Apuli recens eis se contra Romanos adiunxissent, animos ad bellum erexerunt. Sulpitio ergo consuli Samnites, Apuli Aemilio sorte obtigerunt, à quibus nihil memorabile actum est. Nocturnus tamen terror vrbem inuasit, & ad arma excitauit. Prima autem luce nec autor, nec causa terroris vsquam apparuit, Dæmone mortales sibi obnoxios pro arbitrio ludificante.

AN-

ANNVS MVNDI 3732.

ONIÆ Pont. & PTOL. LAGIDÆ 3.

Imperij ALEXANDRI 9.

OLYMP. CXV. AN. 3. VRB. CO. 431.

ANTE CHRISTVM 321.

I. Clarorũ virorum cædes.

MVltis clarorum virorum, tam pacis, quam belli artibus insignium funeribus, nobilitatus est hic annus. Perdiccas quippe ducum Alexandri clarissimus atque potentissimus, penes quem reges Macedoniæ Aridæus, & Alexandri filius cum regijs copijs erant, in Ægypto à suis interfectus est. Craterus quoque Alexandro charissimus, & Neoptolemus contra Eumenem pugnantes occumbunt. Postremo Philosophorum atque Oratorum clarissima lumina Aristoteles atque Demosthenes è viuis abierunt. Sed funera ista præcessit Alexandri funus, quod biennio ab Aridæo magnis sumptibus apparatum, maxima pompa Babylone in Ægyptum delatum est. Ptolemæus ei cum exercitu in Syriam vsque obuiam venit, & acceptum corpus magna cura prosecutus, ei delubrum Alexandriæ constituit, & pro dignitate exequijs, ludisque funebribus honorauit. Quo facto, præter singularem, qua erga omnes vtebatur, humanitatem, & rerum gerẽdarum prudentiam, qua pollebat, omnium sibi Macedonum animos conciliauit.

Diod. l. 18.

Funus Alex. celebratur.

II. Res Eumenis.

Interea Perdiccas cum expeditionem in Ægyptum pararet, Eumenem virum fide ac fortitudine præstantem, & regiæ familiæ, quam Perdiccas tuebatur, addictissimũ, ad Hellespõtum cum idoneis copijs præmiserat, vt Antipatrum & Craterem traiectu in Asiam prohiberet; sed illi iam cum Macedonicis copijs trajecerant. Et Perdiccas quidem iusserat Eumeni subesse Neoptolemum, qui id indignum tatus dignitate sua, insidias Eumeni struere cœpit, & clam missis ad Antipatrum nuncijs, societatem cum illo pactus est. Sed fraude detecta, ad manus conserendum adactus, & copias fere omnes amisit, & parum à cæde abfuit. Verum collectis ex fuga trecentis equitibus, ad Antipatrum se contulit & Craterum. Qui mox per legatos Eumenẽ ad se in gentibus promissis pertrahere conati sunt. Sed cum ei rebus omnibus antiquior esset data Perdiccæ fides, pugnandum fuit. At cum Craterus omnibus Eumenis copijs esset acceptissimus, rumore vulgauit se contra Neoptolemum, non contra Craterum inire prælium. Neque contra illum in acie quenquam Macedonum, sed Persas ac Phœnices opposuit. Contra quos pugnans Craterus, ab equo cespitante excussus, in confuso equitum globo proculcatus ignotus interijt. Neoptolemus autem in acie contra Eumenem singulariter congressus, ab eo victus atque occisus est.

Neoptolemus ei aduersatur, & ab eodem vincitur, & mox occiditur.

Eumenis prudẽtia contra Craterũ pugnãtis.

III. Perdiccæ in Ægypto imprudẽtia & cædes.

Hæc dum in Asia geruntur, Perdiccas in Ægypto non procul Peluso castra posuerat, vbi cum exercitum irrito labore fatigasset, & oppidum Nilo vicinum, cui nomen mons Camelorum frustra obsedisset, damnis & ignominia plenus in castra sua reuersus est, eaque noctu mouet, & tacito itinere, in locum venit Memphi aduersum, vbi Nilus duas in partes scissus insulam efficit, quæ & castra & maximum exercitum capere posset. Eo dum parat traducere copias, supra duó suorum millia tam fluuij profunditate, quam armorum & corporum pondere, & belluarum voracitate amisit. Quo facto efferati in eum Macedones, duce Pythone, vno die primarijs Alexandri amicis, vel Seleuco & Antigono, vt ait Probus, noctu eius tentorium inuadunt, eumque obtruncant, & Ptolemæo se dedunt. Atqui ita qui se totius Imperij Alexandræi hæredem fore sperabat, tertio ab eius morte anno, in magno omnium odio extinctus est; aduersario in magna omnũ gratia victoriaque derelicto. Eodem tumultu occisi sunt amicorum Perdiccæ fidelissimi, atque adeo soror eius Atalanta, quam vxorem duxerat Attalus classis eius gubernator, qui hoc nuncio accepto, Peluso soluens cum classe Tyrum venit, vbi collectos Perdiccæ amicos recreauit.

IV. Perdiccæ fautores damnantur. *Diodor.*

Perdicca extincto delatus est nuncius victoriæ Eumenis, & cædis Crateris & Neoptolemi. Quod si pridie Perdiccæ mortem nuncius anteuertisset, nemo illi manus ausus esset inferre. Perdiccæ enim æmuli duorum ducum cæde valde debilitati erant. Nihilominus eo extincto Macedones Eumenem & Alcetam Perdiccæ fratrem capite damnant, Antipatrum in Perdiccæ locum substituunt, qui Macedoniam cum filijs Alexandri, Hercule & Alexandro posthumo adit, vt reges in patriam reducat. Antigonum cum Cassandro filio suo aduersus Eumenem & Alcetam mittit, qui eos in Cappadocia bello persequitur. Verum Eumenes, rogatu Cleopatræ sororis Alexandri, superiorem Phrygiam adijt, ibique hyemauit. Interim autem Ptolemæus non contentus Ægypto, Perdicca cæso, & Antipatro cum regijs copijs à se in Macedoniam amandato, Phœniciam & Cœlesyriam, opera Seleuci Nicanoris, quem cum iustis copijs illuc miserat, acquisiuit, præsidijsque firmauit, vt ex Diodoro liquet.

Et succedit Antipater, qui Eumenẽ persequitur.

Ptolemæus Phœniciam acquirit, & Cœlesyriam. *In fi anni huius.*

Hoc est tempus illud, de quo Iosephus initio libri duodecimi, vbi ait Ptolemæum Lagi Hierosolymam occupasse, opera scilicet Seleuci Nicanoris, qui postea Syriam & Babylonem proprio nomine tenuit; occupasse autem die Sabbati, Iudæis hostem minime accentibus, sed quiete & in otio agentibus; propterea que Iudæis superstitionem ab Agatharchide exprobratum fuisse. Addit etiam plurimos Iudæos ex montano tractu à Ptolemæo in Ægyptum adductos. Aristeas in libello de Septuaginta interpretibus ad centum millia scribit abducta. Ex eoque numero, Regem ad triginta millia armasse, & per varia præsidia distribuisse, vt si quando Ægyptij insolescerent, Iudæorum opera compescerentur. Cæteros autem seruituti addictos apparet. Nam Iosephus ipse tradit ad 120. millia Iudæorum in Ægypto seruientium, à Philadelpho huius filio liberos fuisse dimissos.

V. Cum Iudæa, ex qua magna vis captiuorũ in Ægyptũ abducitur.

VI.

Cum autem in Calauria lateret Demosthenes, cæteriq; , exules alij alijs in locis, misit Antipa-

Mors Demosthenis & aliorum oratorũ.

ter satellites adeos comprehendendos, quorum dux erat Archias quidam, quem Phygadotheram, quasi exulum venatorem appellabant. Hic Hyperidem oratorem, Aristonicum Marathonium, & Himeræum Demetrij Phaleræi fratrem, ex Aiacis fano extractos, Cleonas ad Antipatrum misit, vbi & interfecti sunt. Hyperidi linguam quoque tradunt excisam. Inde ad Demosthenem quem in Calauria sedere supplicem in delubro Neptuni acceperat, venit, iussitque secum venire ad Antipatrum. At is rogat tantulum moræ dum scribat ad suos. Calamum autem veneno imbutum ori admouit, eum de more mordicans, & aliquanto post cum vrgeretur ad discessum, ad aram transiens concidit, & cum gemitu animam efflauit. Hæc fere Plutarchus, qui addit decessisse decimo sexto mensis Pyanepsionis, qui Octobri dicitur respondere. Vixit autem annos sexaginta, tot enim ab anno vltimo nonagesimæ nonæ Olympiadis, ad tertium centesimæ decimæ quartæ numerantur, computatis extremis.

VII. Mors Aristotelis.

Quod ad mortem Aristotelis, quem omnes Chalcide insulæ Euboeæ metropoli postremò commoratum, & defunctum tradunt, Suidas ait obijsse hausto aconito. Causam vero mortis eandem illi fuisse quam Demostheni crediderim, vti supra significauimus. Nec inuenio qui scribit vulgo iactatam fabulam, de Aristotele se in mare abijciente, quod reciprocos illius cursus atque æstus capere non potuisset. Vixit autem annis sexaginta tribus triennio enim Demosthene maior fuit, vtpote natus anno primo Olympiadis nonagesimæ nonæ. *Primus omnium*, ait de ipso Strabo, *qui nobis noti sunt Aristoteles, Bibliothecam congestis libris composuit, idque AEgypti reges facere docuit.* Id certe facile fuit Ptolemæo Lagidæ persuadere, viro non solum militari, sed etiam erudito, cuius de Alexandri expeditione historiam crebro laudat Arrianus.

l. 13.

VIII. Romana res.

In Italia contra Samnites ancipiti prælio diu certatum est. Cum enim à principio castra iniquiore loco posita fuissent, dum noctu ea mouentur, Samnites incursare in hostem, nouissimos carpere, iniquis ad transitum locis agmen detinere, denique pugnæ necessitatem afferre: in qua ita certarunt, vt ab hora diei tertia ad octauam certamen anceps esset, donec ad deserta Romanorum impedimenta irruerunt. Ibi enim circumuenti ab acie instructissima, turbati profligatique sunt, ipso hostium Imperatore interfecto. Hoc prælium Samnitium animos ita infregit, vt belli iniquitate damnata, fœderis frangendi autores, cum Romana præda dedendos adduxerint, pacem postularint, nec impetrarint. Romanus autem Imperator ex Senatus-consulto triumphauit.

* * *

ANNVS MVNDI 3733.

ONIÆ, & PTOLEMÆI LAGI 4.

Imperij ALEXAND. 10.

OLYMP. CXIV. AN. 4. VRB. CO. 432.

ANTE CHRISTVM 320.

I. Eumenis & Antigoni gesta huius anni. *Diod. l. 18. Iust. l. 13.*

AFflictis Perdiccæ rebus, Eumenes cum illius fratre, & amicis, arbitrio Antipatri à Macedonibus proscripti sunt. Missusque contra eos Antigonus cum Cassandro filio Antipatri, qui vtrinque proxima hyeme copias ingentes comparatunt. Sed Antigonus contra Eumenem etiam proditionem molitus est. In castris enim Eumenis libellos spargi curauit, centum talenta, & honestum ordinem proponentes ei, qui Eumenem interfecisset. At Eumenes simulans à se sparsos illos libellos, prouidit vt deinceps non se ab hoste corrumpi, sed à duce tentari milites arbitrarentur. Non frustra tamen sollicitatos ab Antigono scribit Diodorus. Antigonus, ait, per internuncium cum Apollonide quodam equitum præfecto ingentibus promissis effecit, vt in pugna, Eumene prodito, ad hostes transiret. Quod cum fecisset, victoria, cum cæde octo milium Eumenianorum, & omnium impedimentorum præda, ad Antigonum deuolauit.

II. Prudens Eumenis abstinentia.

Fugiens autem cum sexcentorum amicorum iam equitum, quam peditum manu, comprehensum proditorem suspendit, & cum in Antigoni impedimenta, bonis omnibus referta incidisset, Menandrum qui ea seruabat, clam monuit vt se tutiore loco reciperet: tum aduersus illum aperte mouit, qui iam effugerat, sicque suorum odia vitauit, quos tanto lucro priuasset, & Macedones, quorum bonis pepercit sibi demereri voluit, & prouidit ne sui præda onusti, ad fugam minus habiles redderentur. Vnde ad castellum munitum egregiè, Nora nomine, se contulit, militum suorum magna ex parte dimissa, quod pauciores essent quam ad signa conferenda, plures quam ad tegendam fugam suam. Ibi obsessum Antigonus euocat ad colloquium dato obside filio fratris sui, eumque pro veteri amicitia perhumaniter accipit, cumque eum nullam veniæ aut salutis suæ mentionem facere videret, Satrapias sibi potius reddi postularet, hominis animi magnitudinem admiratus, de his se relaturum ad Antipatrum pollicitus, eũ incolumem sue arci restituit, in qua complures menses, atq; adeo fere biennium perseuerauit, vbi cum suis viuebat hilariter, & equos artificiose exercebat. Legatos autem ad Antipatrum de pace non ante sequẽtem annum misit. Antigonus autem relicto quod sufficeret ad castelli oppugnationẽ præsidio, contra Alcetam fratrem Perdiccæ, & Attalum classis eius præfectum contendit, quod ad sequentem annum videtur pertinere.

Nora obsidetur.

III. Romani Samnitibus subiugum missi.

Præsens autem Romanis admodum luctuosus ac probrosus fuit. C. enim Pontius Samnitium Imperator, Romanum exercitum in insidias arte perductum, & quasi in cauea conclusum, patris sui Herennij cõsilio derelicto, nec

liberos

liberos dimittere voluit, neque interficere, sed frustra pugnam, pacemue postulantes irrisit, nunciauitq; se inermes cum singulis vestimentis sub iugum missurum. Deditionem quamuis ignominiosam persuasit L. Lentulus legatus, quod eam diceret esse patriæ charitatem, vt tã ignominia, quam morte ciuium, si opus sit, ferranda videatur; præsertim cum rerum omniũ inopia vrgerentur. Ergo primum sexcenti eduuntur obsides, armis, cæterisque vestibus positis, & sub humili tigillo, duobus lignis hinc inde sustentato, sigillatim traducuntur, & in custodiam abducuntur. Inde Consules, sine lictoribus & paludamento, seminudi, inermesque traducuntur. Tum vt quisque gradu proximus erat, ita ignominiæ obiectus est: denique succedere legiones, armatorum hostium risibus expositæ. Indeque se Capuam pudore pleni, indeque Romam noctu proripuere, lucem fugitantes. Consules quoque in priuato abditi, nihil pro magistratu agere, nisi quod expressum est S.C. vt Dictatorem comitiorum causa dicerent. Sicque annus ille abijt.

ANNVS MVNDI 3734.

ONIÆ, & PTOLEMÆI LAGI 5.

Imperij ALEXANDRI 11.

OLYMP. CXV. An. 1. V. C. 433.

ANTE CHRISTVM 319.

I. Antigon' affectat imperiũ.

Minuuntur in dies præclari illi duces ac bellatores Alexãdri Magni, quibus cum orbem terrarum ille subiugauerat, & mutuis se cladibus conficiũt. Antigonus enim adiunctis sibi copijs Eumenianis, Satrapisque, & redditibus illarum potitus, ad maiora aspirare cœpit. Et quamuis in præsentia erga Antipatrum amicitiam præse ferret, in animo tamen suo constituerat rebus suis rite confirmatis, neque Regibus deinceps, neque Antipatro obtemperare. Quæ causa fuit, vt Eumenem, insignem fide ac fortitudine virum quem obsidebat, omni studio ad suas partes pertrahere conaretur, quod etiam post Antipatri mortem studiosius fecit. Nihilominus Eumenes crebro, cum expedito equite, erũpebat, & Antigoni munitiones modo incendebat, modo disijciebat.

Diod. l. 18

Prebus in Eumene.

II. In Alcetã & Attalũ mouet.

Interea Antigonus, vt prius attigi, in Alcetam Perdiccæ fratrem, & Attalum eiusdẽ classis præfectum, qui soli de factione Perdiccæ resistere sibi posse videbantur, & rei summam adhuc dubiam tenere, expeditionem parat, & in Persidem è Cappadocia, vbi Eumenem vicerat, cum toto exercitu summa celeritate properat. Et primo cum equitatu Alcetæ feliciter initio prælio, vix ei ad pedites aditus patuit. Inde altero prælio cum toto exercitu commisso, victor euadit, Attalum cum Docimo & Polemone alijsque ducibus capit, in fidemque receptos, ordinibus suis adscribit, cumque ijs Alcetam, qui cum lectissima sexentorum Pisidarum mãnu Termessum profugerat, persequitur. At ijs priusquam dederetur à ciuibus, mortem in-

Eosque vincit, suisq; aggregat. Alcetas sibi manũ infert.

felix occupauit, cuius caduaer Antigonus triduo cõtumelioſe tractauit, inde Phrygiam versus iter intendit. Eumenes autem ex arce sua literas ad Antipatrum mittit & legatos, quibus auxilia contra Antigonum postulat, impetratque. Ex quo apparet Antigoni consilia vel patefacta, vel suspecta esse cœpisse, vt est ambitio suspicax; neque enim alioqui inimicum impotem virium Antipater in gratiam reciperet, & amicum longe potentissimum, sibi sine causa redderet inimicum.

Diodor.

Iustinus Eumenis ad Antipatrum legati.

III. Romani Samnites ferociter vlciscuntur.

At Romani vlciscendæ contumeliæ studio flagrantes, primum clarissimos ea tempestate duces Consules creant, qui statim de Caudinis cum Samnitibus pace referunt, Posthumius exconsul sententiam rogatus, censuit eam antiquandam, eorum deditione qui eam fecissent, ne vel iurata fœdera violarentur, vel patria ignominioso fœdere teneretur. Cui cum Senatus esset assensus, sponsores pacis, quorum ipse vnus erat, vincti Samnitibus à Fecialibus traduntur; sed illi oblatos non recipiunt, sed vinculis solui iubent, qui fide sua liberata, in castra Romana inuiolati redierunt. At Romani Coss. inter se partiti prouincias, Papyrius Luceriam in Apulia, vbi equites pacis obsides custodiebantur, petit, Philo in Samnio subsistit. Etsi autem cupiebant Samnites opem ferre Luceriæ, veriti tamen à tergo instantem Philonem, cum eo primum pugnare statuerunt; sed tantus erat militum clamor prælium poscentium, vt nec adhortatio Imperatoris auditi potuerit, neque præliorum legitima seruari. Omnia quippe vesano impetu ira militaris agebat. Itaque fusi non modo hostes sunt, sed ne in castris quidem fugam tardare potuerunt: ibi plus quam in prælio sanguinis fusum est, & prædæ maior pars ita corrupta. Fugitiui autem coacto in vnum agmine Luceriam perueuere.

Deditis prius pacis autoribus.

IV. Luceria edomita, Samnites sub iugũ mitti.

Eodem contendit Philo, vbi iam Papyrius Luceriam obsessam fame fatigabat. Ea ne ad deditionem cogeret, Samnites signa cum Papyrio conferre statuunt. Cumque vtrique se ad prælium pararent, Tarentini frustra prælium impedire conati sunt. Pugnatum est, simulque fuso exercitu, in vallum, in castra Romanus miles impetum facit, & ita extimulante animos ignominia exulceratos, nulli ætati aut sexui, ac ne iumentis quidem parcitur, donec Consul receptui cani iussit, ne Lucetiani sexcentos obsides desperatione trucidarent. Denique Luceria fame expugnatur, redduntur obsides, Samnites, ad septem millia, vicissim sub iugum missi; in quibus ipsum Pontium fuisse traditum est. Exercitus cum triumpho incredibilique lætitia in vrbem reductus est, Papyrio in annum sequentem continuatus est Consulatus.

* * *

ANNVS MVNDI 3735.

ONIÆ, & PTOLEM. LAGI 6.

Imperij ALEXANDRI 12.

OLYMP. CXV. AN. 2. VRB. CO. 434.

ANTE CHRISTVM 318.

I. Antigonus suas per se agere incipit.

INcidit in hunc annum Antipatri mors, & Antigoni dominatus, quo cœpit non quidē se regem dicere, sed neminem agnoscere superiorem, & agere res suas ipse per sese, sicut sextum iam annum Ptolemæus Lagides in Ægypto. Et vt ab Antipatro ducamus initium, cum is in grauiorem morbum incidisset, seniumque migrationem ē vita iuuaret, Athenienses, Demadem Oratorem virum apud Macedones gratiosum mittunt, rogaturum vt præsidium Athenis impositum deduceret. Verum cum eius literæ pridem ad Perdiccam missæ, in Antipatrum contumelioſæ atque hostiles, deprehensæ fuissent, Cassander Antipatri filius, ipsum cum filio trucidauit. Moxq; moritur Antipater Polysperconte regni curatore cum summa potestate relicto, Cassandrum autem filium suum Chiliarchum esse voluit, & in regno Alexandri potestate secundum. Id Cassander cum indignè ferre, & se idoneum iudicaret, qui patri, in regni administratione succederet, illico res nouas moliri cœpit.

Diodor.

Demades legatus Atheniē sium occiditur.

Antipater moritur.

II. Polysperchō tē successore designato rū graui offensione Cassandri.

Et Polysperchon quidem regni tutelam ex Antipatri voluntate adijt; contra eam tamen, ex amicorum consilio, Olympiadem accersit, quæ in Epirum secesserat, quod ei male cum Antipatro conueniret, eamque hortatus est, vt filium Alexandri puellum adhuc, suæ curæ commendatum haberet. At Cassander cum amicis tus profectus eos ingentibus promissis ad principatum sibi deferendum inducit; & properè Nicanorem Athenas misit, qui Munychiam occuparet, priusquam obitus Antigoni vulgaretur. Simul etiam per legatos Ptolemæi amicitiam renouat, cæteroſque quos potuit sibi duces adiungit; postremo clam è Macedonia profectus, Hellespontum petit, indeque ad Antigonum in Asiam traijcit, vt eius quoque auxilio paternæ administrationi succederet. Operam veterator ille prolixè obtulit, memor, vt ferebat, amicitiæ in Antipatrum suæ. Qui tamen cupiebat eum prælijs in Macedonia distineri, vt res suas ipse in Asia securus ageret, & nullius imperium in illa penitus agnosceret.

Qui res nouas molitur.

III. Antigon⁹ Eumenē sibi conatur adiūgere.

Quippe Macedoniam domestica Polysperchontis & Cassandri dissensioni distractam videbat, ideoque nihil inde sibi timendum, & Ptolemæum in alteruttrius partes abiturum. In Asia se Imperatorem regiarum copiarum pridem declaratum esse, viris opibusque, omniq; bellico apparatu abundare; vnum Eumenem superesse virum egregium, quem pene haberet in potestate. Itaque ad eum sibi deuinciendum animum induxit, omniaque ipsi, eiusque amicis prolixè promisit, si tamen iusiurandum conceptis verbis emitteret, se eundem cum Antigono amicum & hostem habiturū. Et Eumenes, correcta formula, reges adiecit, & Olympiadā, quorum in primis hostibus & amicis hostem se atque amicum fore iurabat. Ita dimissus, copias illico contraxit, quod sibi ab Antigono timeret, qui mutationem formulæ, & dimissionem eius ægerrime tulit, suoſq; acerbe obiurgauit ea de causa.

Dimittitur é castro.

IV. Polysperco Græciæ ciuitates liberat.

Postquam autem Cassandri consilia in Macedonia patuerunt, Polysperco Regum tutor magnitudinem belli sibi cum Cassandro futuri prospiciens, vt qui Antigonum & Ptolemæū habiturus secum esset, viris, pecunijsque præpotentes, consilio cum suis inito, Græciæ ciuitates sibi obligare statuit, sua eis pristina libertate ac populari administratione reddita, sed eius beneficij Athenæ, iam à Cassandro occupatæ, participes esse nequiuerunt. Eumenem autem, iam regibus addictum, sibi modis omnib. deuincit, & ad bellum contra Antigonum gerendum, viris pecunijsq; copioſe instruit: eique mille Argyraspides, tanquam totius Asiæ Imperatori designato, sacramento edito subesse iubet. Et hæc quidem in Asia & Macedonia hoc anno gesta.

Et Eumenem sibi deuincit.

V. Res in Italia gesta cum Ferētanis & Satricanis.

In Italia vero Consul Æmilius vno prælio cum Ferentanis debellauit, vrbemque ipsam quò se fuga contulerat miles, obsidibus imperatis in deditionem accepit. Pari fortuna Consul alter cum Satricanis, qui ad Samnites defecerant, & præsidium eorum in vrbem receperant, rem gessit. Cum enim ad vrbis mœnia admouisset exercitum, ciues ad preces conuersi, monent insuper præsidium Samnitium proxima nocte oppido excessurum, quod ad obsidionem tolerandam imparatum cernerent. Consul de hora egressionis & porta monitus suis in insidijs opportune collocatis, illud inuadit ac delet; interimq; qui Romanis fidē seruarent, alia porta eos admittunt, omniaque in Consulis potestatem venerunt: qui quæstione habita defectionis autores virgis cæsos securi percussit, validoque præsidio impoſito, arma Satricanis ademit, & Romam ad triumphum discessit.

Præsidiū Samnitiū deletur.

ANNVS MVNDI 3736.

ONIÆ Pont. & PTOL. LAGIDÆ 7.

Imperij ALEXANDRI 13.

OLYMP. CXV. AN. 3. V. C. 435.

ANTE CHRISTVM 317.

I. Olympiadis ad Eumenē literæ. *Diodor.*

REDditæ sunt hoc anno Eumeni Polysperchontis Regum Tutoris literæ, redditæ sunt etiam Olympiadis, quibus ab eo sollicitè opem sibi & Regibus postulabat, Regum nomine Aridæum Alexandri fratrem, & duos eius filios adhuc paruulos intelligens. Et quoniam eius prudentiæ & fidei plurimum tribuebat, consilium etiam poscebat ab eo, an sibi autor esset diutius in Epiro subsistendi, an Macedoniam, quo eam Polysperchon euocabat, reuertendi. Cui respondit Eumenes, se in fide Alexandro debita con-

stan-

stanter permansurum, nec Antigoni ambitioni adhæsutum. Addit consultum videri, vt in Epiro ad finem vsque belli permaneat. Si autem cupiat in Macedoniam redire, omnium iniuriarum obliuiscatur, neque in quenquam acerbiore vratur imperio. At illa neutrum fecit, nam & in Macedoniam rediit, & in ea crudeliter se gessit. Verum quoniam Antigonus copiosum exercitum contra ipsum duce Menandro mittebat, ex Cappadocia, cum copijs quas habebat ad manum, relicta Cappadocia, Tauroque superato in Ciliciam venit.

II. Eumenes sibi demeretur Argyraspides.

Ibi Argyraspidum duces Antigenes & Teutamus, Regum literis obsecuti, ad eum obuiam veniunt, cum mille suorum, quos tria millia eorundem sunt secuti, omnia prolixe pollicentes, & fortunæ in eo mutationem demirantes. Quorum ne inuidiam in se concitaret, potestate sua magna cum modestia & moderatione vsus est: & quingenta illa talenta, vltrò à Polysperconte oblata, sibi non accepit, sed in illos liberaliter effudit, & cæterorũ militum stipendiũ, quibus copias suas vehementer auxit. Iniquo animo tulit Ptolemæus, qui Antigono consentiebat, Argyraspidas Eumeni coniunctos, eosq; ambo ab illo abducere conati sunt, sed irrito conatu. Quoniam vero minores habebat copias Eumenes, quam vt contra Antigonum aperto Marte pugnaret, Polysperconten in Asiam cum copijs per Phœniciam transferre conatus est. At re parum sibi succedente, quod eam prouinciam cum Syria Seleucus occuparet, non sine graui periculo Babyloniam versus iter intendit, indeque deuenit in Persidem, Antigono ex itinere male accepto: vbi per hyemẽ copias recreauit, & auxilia virorum pecunia tumque collegit.

Phœniciã adit, & mox Persidem.

III. Athenienses Munychiam non recipiunt, & insuper Piræum amittunt.

Interea Nicanor, qui Cassandri nomine Munychiam Athenis præsidio tenebat, ab Athenienſibus vrgebatur, vt ex ea decederet. At ille contrà, etiam Piræum occupauit, & legatos expostulantes ad Cassandrum ablegauit, qui mox ab Antigono reuersus, cum 25. nauibus longis, & quatuor militum millibus, Piræum subijt, & claustra portus in potestatem redegit. At Munychiam Nicanor retinuit, cum manu, quæ tutando castello sufficeret. Interim Polysperchon cum magnis copijs aduenit, quibus diuisis partem vnam ad obsidendum Piræum constituit, eiq; Alexãdrum filium præfecit, ipse cum altera parte in Peloponnesum profectus, Megalopolitas obsedit: cumque lõgius protraheretur obsidio, relicta parte exercitus ad eam continuandam, ipse Clitum classis præfectum in Hellespontum mittit, qui se iungat Aridæo, & hostium ex Asia transitum impediat. Ibi Clitus primùm feliciter pugnat, contra Cassandri & Antigoni classem: sed mox vicissim Antigoni industria vincitur, & classe exutus, dum fuga elapsus, relicta naui Macedoniam cogitat, in Lysimachi quosdam milites delapsus, interijt.

Res à Polysperchõte gesta.

Clitimors.

IV. Ab eo Græci deficiunt ad Cassãdrum. Quid Athenienses.

Pleræque autem Græciæ ciuitates, cum irritos Polysperchontis conatus ad Megalopolim vidissent, eo contempto ad Cassandrum defecerunt, ibique Athenienses de pace cum eo egerunt, iis legibus, vt cætera sibi haberẽt Athenienses, Cassander autem Munychiam retineret, donec cum Regibus debellatum esset, & Præfectus vrbis eius arbitrio constitueretur. Electus est autem Demetrius Phatereus, qui Vrbem pacifice ipsis decem annis administrauit. Mox autem Nicanor, è nauali contra Clitum prælio, victorem classem in Piræum reduxit, & in magno apud Cassandrum honore fuit. Verum tumidum factum, & suis militibus, quibus Munychiam tenebat præsidentem, dolo interceptum necauit.

Nicanoris mors à Cassãdro.

V. Phocionis iudicium, & mors. *Ut 18.*

Incidit in hoc quoque annum, Diodoro teste, Phocyonis interitus. Accusatus enim est quod Munychiam, & Piræum hostibus libertatis publicæ prodidisset. Cumque factione populari cum alijs vrbe pulsus esset, ad Polysperchontem profugerunt. Ad quem vicissim Athenienses miserunt earum accusatores; quibus benignè auditis Polysperchon, siue quod Phocyonem priuatim odisset, siue quod Ciuitati gratificari vellet, & ab æmulo suo Cassandro alienare, Phocionem cum suis comprehendit, & vinctos Athenas misit potestate concessa vel interficiendi si vellẽt, vel absoluendi. At populus, ne facta quidem Phocyoni potestate, vt se defenderet, omnia tumultu & vociferatione complebat; tandemque indicta causa, eum capite socioſque damnarunt, quam illi epota more patrio cicuta obierunt, omnium bonorum comploratione honorati. E quibus cum quidã rogasset, nunquid vellet ad filium. *Maxime*, inquit, *iubeo, vt iniuriarum populi Athenienſis obliuiſcatur.* Egregia plane vox viri magnanimi, & meliore Reipubl. digni.

Egregia hominis in patriã charitas. *Plut. in eius vita.*

VI. Samnites negato fœdere, inducias obtinent.

Romæ hoc anno à frequentibus Samnitium populis de fœdere innouando legati, cum humiſtrati Senatum mouissent, reiecti sunt ad populũ, qui negato fœdere, inducias biennij, multis fatigatus precibus concessit. Viuebat quippe adhuc recens memoria Caudinarum furcularum: & homines superbos, inconstantes, & ancipitis fidei, mallebant perditos, quam fœderatos. Ex Apulia vero Theanenses Canusini; populationibus fessi, obsidibus L. Plaucio Consule datis, in deditionem venerunt.

ANNVS MVNDI 3737.

ONIÆ, & PTOL. LAGI 8.

Imperij ALEXANDRI 14.

OLYMP. CXV. AN. 4. VRB. CO. 436.

ANTE CHRISTVM 316.

ARidæus, qui & Philippus Alexandri frater, ex Phylinna cõcubina Philippi, eiusq; vxor Eurydice militaribus artib. erudita, Macedoniq; præerat, qui non bene cum Polysperconte regni tutore cõueniebat, sicut nec Olympiadi dudum cum Antipatro. Eam ob causam Polysperchon Olympiadem cũ Alexandro, Alexandri ex Rhoxane filio, in regnũ reducere parabat. Quare cognita Eurydice Cassandrũ è Peloponneſo, ad opẽ Macedoniq; ferẽdã euocat: & fortissimos quosq; Macedonũ, munerib. ac promissis ingẽtibus ad suas partes adducit: cum Polysperchon iuncto sibi Æacida Epirotarũ rege, apud quem

I. Polysperchõ reducit Olympiadem.

Aridæo & Eurydice rebellãte, qui à Macedonib. deserti capiũtur.

Olympias iamdudum versabatur, contra Eurydicem ducit exercitum. Iamque erant castra castris opposita, cum Macedones Olympiadis dignitatem reueriti, & Alexandri beneficiorum recordati, mutarunt animos, & Aridæo, atque Eurydice desertis, ad Olympiadem & Polysperconta transierunt. Ergo Philippus rex cum suo comitatu statim capitur, Eurydice paulò post, cum Amphipolim fuga petijsset.

II. Et ab Olympiade trucidantur.

Olympias comprehensos in tetram custodiam conijcit, quos cum diu male tractasset, Aridæum sagittis à Thracibus configi iussit. Eurydicę autem gladium, laqueum, & cicutam misit, vt qua morte perire mallet, eligeret. Quæ similia dona Olympiadi precata, zona vsa pro laqueo, vitam finiuit. Hæc fusius Diodorus. Nec Olympias hîc cædium finem fecit. Cum enim Cassandrum odisset, qui Aridæo, & Eurydice fauerat, & hostis erat Polysperconti, in quo in regnum fuerat restituta, Nicanorem Cassandri fratrem necauit. Tum de Cassandri amicis centum Macedones elegit, quos omnes trucidari iussit, cunctis eius crudelitatem detestantibus. Et merito quidem, præsertim si meminerant, quod obtinuisset nō poterat, quomodo se ista nō regina, sed furia, in Philippum maritum, & æmulam Cleopatram, ante aliquot annos gessisset, vt in morte Philippi diximus.

Muliere crudeli.

a.m. 3718. num. 6. 7. 8. & 9.

Hæc dum geruntur in Macedonia, Eumenes memor sibi demandatæ à Polysperconte prouinciæ, missis ad Seleucum & Pithonem legatis, erat hic Mediæ, ille Babyloniæ Satrapa, postulauit vt auxilia regibus subministrarent, & secum contra eorum hostem Antigonum pugnarent. At illi negant se Eumeni obtemperaturos; quin etiam Antigonem & Argyraspidas sollicitant, vt Eumenem imperio spolient, sed frustra. Itaque Eumenes collaudata militum fide, & beneuolentia, contra vtrumq; exercitum ducit, & Susam versus contendens ad Tigrim castra posuit: vbi illorum Satraparum fraude, aperta vetere quadam fossa, magnum adijt facta inundatione discrimen, sed eo depulso, Tigrim superat, Seleuco transitum per inducias permittente. Qui nihilominus Antigonū monet, vt quam citissime contra Eumenem veniat. At is se maturius sex Satrapis, in quibus eminebat Peucestes, olim Alexandro clarissimus, & corporis eius custos, & ingentibus eorum copijs contungit, & in Susiana stipendijs exercitui in sex menses numeratis, cum quiete aliqua recreauit. Ea re intellecta substitit Antigonus, & maiores copias contraxit. Sicque annus præsens in Asia tractatus est.

III. Eumenes Seleucū, & Pithonē frustra allicit.

Periclitatur.

Alios sex Satrapas sibi iūgit.

In Europa vero inclinatis semel in Apulia ad pacem & deditionem rebus, Theates ad nouos Coss. fœderis causa venerunt, populoque Romano autores erant pacis vniuersæ Apuliæ præstandæ. Impetrarunt autem vt ita fœdus daretur, vt in ditione populi Romani essent. Tarentum quoque in potestatem Iunij Consulis venit. Itaque Apulia perdomita in Lucanos itum est, ibique res prospere gesta.

* * *

IV. Apulia Romanis subiecta.

ANNVS MVNDI 3738.

ONIÆ, & PTOLEMÆI LAGI 9.

Imperij ALEXAND. 15.

OLYMP. CXVI. AN. 1. VRB. CO. 437.

ANTE CHRISTVM 315.

INeunte Olympiade CXVI. aut potius transacta hyeme, & inchoante anno, in quo illa Olympias habitura erat initium, & in quo Iudæi Sabbaticum egerunt 165. Antigonus, motis è Mesopotamia castris, in Babyloniam venit, & cum Seleuco & Pithone societatem init, & Tigrim iunctis nauigijs traijcere conatur. Cum Eumenes, eum transitu prohibiturus, ad Tigrim contendit: & transeuntem eam fluminis partem, quæ Pasitigris dicitur, tanta clade affecit, vt flumen cadaueribus compleret, & caperet ad quatuor millia. Itaq; desperata traiectione ad Eulæum Susianæ amnem consedisse refert Diodorus, & in Mediam, per Cossæorum gentem duxisse, vbi Pithonis opera, exercitum suum male habitum equis & talentis instruxit. Quæ vbi resciuit Eumenes, Persepolim cum copijs 24. dierum itinere contendit, vbi à Peucestę, qui Persidis erat Satrapa, totus exercitus solenni epulo exceptus est, primatum sibi eius fauore ambiente. Sed eum Eumenes in officio continuit, fictis de aduentu Polysperconti contra Antigonum literis; & insuper mutuo acceptis ab ijs, à quibus sibi magis timebat, quadringentis talentis vt de credita pecunia sollicitati, ab eo abstinerent.

I. Antigonus in transitu Tigris malè ab Eumene acceptus. *Diodor.* *Plut.*

Eumenis prudētia.

Interea nuncius ad Eumenem affertur, Antigonum refecto exercitu iter in Persidem suscepisse. Cui obuiam ipse progreditur, vt certaminis aleam experiatur. Sed importuno admodum tempore, dum omnium se desiderijs accommodat, in morbum incidit. Cumq; exercitus non amplius quam vnius diei itinere distarent, ipse melisque habens, lectica circumlatus, in ordines suos egregiè instruxit exercitum, cū Antigoni ex edito colle inspicientis admiratione. Sed cum is locus parum esset pugnæ opportunus, vterque exercitus Gabienem certatim venire contendit, regionem commodam atque opulentam. Ingentes erant vtriusque copiæ, equitum, peditum, elephantorum, sed Eumenis aliquanto maiores. Ventum est ad pugnam, diuque ancipiti Marte pugnatum, donec nox, itineris & pugnæ labor prælium diremit. Etsi autem neutra pars sibi victoriam vindicauit, plures tamen ex parte Antigoni, quam Eumenis interfecti sunt. Ille postridie in Gamarga Mediæ, hic in Gabienem ab hoste intactam, in hyberna concessit.

II. Occurrit Antigono.

Pugnatq; ancipiti victoria.

Priùs tamen suos in prælio mortuos magnificè sepelivit. In his Ceneus quidam Indus fuit natione, duarum vxorum maritus, quas inter ingens contentio fuit, vtra earum impetraret, vt cum marito mortuo viua combureretur. Iunior magno cum gaudio insanam victoriam adepta, æmulam quæ vterum ferebat, viuere coactam mœrore confectam reliquit.

III. Mulierū Indicarū mirabi l certamē. *Diod. l. 16.*

Cassan-

Cassander Olympiadē obsidet.

Cassander autem in Græcia infestus Olympiadi, ob crudelitatem in suos nuper exercitā, eam & tutorem eius Polysperconta bello persequitur. In hunc Callam ducem cum copijs mittit, qui militibus eius largitione corruptis, cum copijs, Olympiadem spoliauit auxilio. Ea se Pydnæ cum modica & imbelli manu concluserat, & à Cassandro terra marique obsidebatur. Cumque Æacides Epirota ei veniret auxilio, conatus eius, Epirotarū seditione ac defectione irritus factus est, pleriſq; ab eo ad Cassandrum emigrantibus. Atque ita Olympiadis res intra breue tempus occidere: nec vltra sequentem annum sunt progressæ.

IV. Res gestæ contra Samnites ad Satriculam & Plistiam.

In Italia L. Æmylius Dictator Satriculam oppugnare adortus, rebellandi causam Samnitibus dedit. Magno enim exercitu coacto, socijs opem ferre aggressi sunt; cumque ambo simul Romanos invasissent, alij in vrbem cum clade repulsi, alij in acie, haud dubia victoria superati sunt. Qui nihilominus desperata Satricula, Plistiam Romanorum sociam, vt parem hosti dolorem redderent, circumsederunt.

ANNVS MVNDI 3739.

ONIÆ & PTOLEMÆI LAG. 10.

Imperij ALEXANDRI 16.

OLYMP. CXVI AN. 2. VR. CO. 438.

ANTE CHRISTVM 314.

I. Summa rerū anni huius.

DEbilitatur hoc anno vehementer, ac pene profligatur imperium ab Alexandro partum. Nam Eumenes maximus regiæ familiæ propugnator occumbit: Olympias Alexandri parens iugulatur. Roxane cum posthumo Alexandri filio à Cassandro periclitatur, & custodiæ traditur. Peucestes & Seleucus satrapiis, Pitho etiam vita priuatur. Antigonus in Asia, Cassander in Græcia, Ptolemæus in Ægypto rerum potiuntur. Antigoni porro castra vt ab eo ducamus initium, ab Eumenianis decem dierum itinere distabant; qui admodū dispersi erant, non ex vsu belli aut Imperatoris voluntate, sed veteranorum parum obsequentiū pertinacia. Eos ergo priusquam se colligere possent, inuadere conabatur Antigonus, sed eius solertiam Eumenis elusit industria.

II. Antigoni contr Eumenē suprema pugna.

Post paucos autem dies, cum 40. tantum stadiis castris castra distarent, dux vterque de summa rerum acturus, exercitum ad prælium instruit. Signo pugnæ dato, initium belluæ inter se cōmissæ faciunt, tum equitum multitudo concurrit, cum Antigonus equites expeditos mittit, qui Eumenianorum impedimenta, quæ quinq; stadiis aberant, occupent, qui leui pugna cōtra propugnatores commissa improuidos fugant, & puluereæ nubes densitate tecti, omnibus impedimentis potiuntur. Interea Antigonus cum conferto lectissimorum globo, Peucestē Persidis satrapam inuadit, qui cum mille & quingentis equitibus excedit è prælio, ex antegressa in Eumenem cōspiratione, vt significat Plutarchus. Nihilominus Eumenes fortiter resistit Antigono, Argyraspides pedestri victoria fiunt potiti. Et cupiebat quidem Eumenes iterū collecto equitatu cum Antigono confligere, vt non sua solum, si vicisset, impedimenta recuperet, sed hostilia quoque lucraretur.

Peucestis proditio.

Verum Eumenes qui precariò fere ducem agebat, propter militum pertinaciam, nihil impetrauit. Quin etiam Macedones amissis cum impedimentis vxoribus & liberis furere, & in Eumenem improbissimè coniurare, & mox legatione ad Antigonum missa de recuperandis impedimentis, Eumenem correptum ac ligatum hosti tradunt, acceptaque fide castris eius aggregātur, quæ copiosius ex Plutarcho in Annalibus explicata studiosus lector inueniet, & indignabitur opinor in istos Argyraspidas, & vicissim in Eumenem virum optimum, ac de ipsis bene meritum commiseratione tangetur, cum viderit illos Eumenem nihil perfidiæ suspicantem, dissimulanter circumstetisse, mox impetu in illum facto, ensem duci suo eripuisse, & zona manus post tergum colligasse. Cum audierit Eumenem proditores suos Argyraspidas ex vinculis increpantem fidei ac iusiurandi violati, & mortem quamlibet à subditis suis iustis precibus implorantem.

III. Argyraspidæ in Eumenē coniurāt, eumque comprehendunt.

Luctuosū spectaculo.

Illum nihilominus Argyraspides, cæteris collachrymantibus, abducti ad Antigonum iubent, qui eum primo quasi trucem belluam custodiri iussit, cumque Antigonus ac Demetrius, aliique principes ab eo cōseruando non alieni viderentur, Argyraspidæ, qui ab eo sibi male metuebant, persuerunt vt tolleretur, ergo biduum triduumue inedia maceratus, à militi percussore trucidatur: anno ætatis 45. quorum 7. cum Philippo, 13. cum Alexandro vixerat. Antigonus corpus concessit amicis, qui cremati reliquias in vrnam argenteam conditas, ad vxorem & liberos eius in Cappadociam detulerunt. Inde reducto in Mediam exercitu, circa Ecbatana reliquam hyemem transegit. Et primum Antigenem Argyraspidum ductorem comprehendit, vinumque in loculo conditum exussit, tum alios etiam è ducibus sibi infensos sustulit, Pithonem quoque defectionē in Media meditantem, promissis ad se allectum comprehendit, & necauit. Eumenis & Pithonis familiares, maioribus copijs circumuentos perdidit. Peucestem satrapia Persidis exuit, & Arachosiorum satrapæ Argyraspidarum turbulentissimos commendat, verbo quidem ad belli vsus, re autem ipsa ad interitum. Priuatim enim iniunxit, vt iis periculis obiiceret, in quibus perituri essent. Sicque Antigonus Eumenem breui vltus est imprudens.

IV. Et Antigono tradunt occidunteq;

Eius ætas & funus.

Argyraspidæ puniuntur. *Diodorus*

Pithonis mors.

Cum autem sine controuersia iam Asiæ Dominus esset, regio honore à Persis acceptus est, ibique satrapias pro arbitratu distribuit. Cumque Susis 25. millia talentūm confecisset, vigesimis secundis castris Babylonem peruenit, vbi Seleucus satrapa eum regalibus donis honorauit, & exercitum vniuersum conuiuio excepit. Dum autem rationes prouentuum ab eo exigit Antigonus, illeque eas reddere non vult, dissidium nascitur: quo gliscente veritus Seleucus Pithonis casum & Eumenis, ad Ptolemæū Lagidem cum 50. equitibus confugit: Antigono gaudio triumphante, quod sine sanguine & sudore Babylonicam satrapiam Seleuco fugiente

V. Antigonus Asiæ Dominus Babylone Seleucum fugat.

Qui cæteros duces contra eum concitat.

recepisset. Ille autem apud Ptolemæum querelas congerit in Antigonum, de meditata omnium principum ruina & totius imperij Macedonici tyrannide; eáque oratione & ipsum & Cassandrum & Lysimachum ad arma contra ipsum Antigonum excitauit, quæ hic præsentiens missis ad eos legatis, rogat vt pristinam secum amicitiam conseruatam velint, Ipse Ciliciam versus iter instituit, & ad Malsum, eius prouinciæ vrbem, milites in byberna dispertit.

VI. Olympias fame fugatur, & capitur a Cassandro.

Et à Macedonibus iugulatur.

Cassander Macedoniæ regnum sibi parat.

Intera Olympias cum aliquibus copiis Pydnæ Macedoniæ, à Cassandro inclusa, incredibilem patiebatur rerum inopiam ac famem, qua coacti milites ad Cassandrum transfugiunt. Illa Pydna excedit, Pellam vel Amphipolim cogitans, sed ipsa primùm, tum tres illæ ciuitates in Cassandri potestatem venerunt. At Olympias multorum scelerum artifex, cum se ad defendendam causam suam, in Macedonum omnium cœtu præpararet, à propinquis occisorum ab ea, in gratiam Cassandri iugulatur. Sicque is viam sibi ad regnum Macedoniæ patefecit; ad quod sibi probabilius vindicandum Thessalonicem Philippi filiam, & Alexandri ex eodem patre sororem, in matrimonium ducit. Roxanē autem, cum Alexandri posthumo, Amphipoli claudit, sublato cultu regio. Eurydicem & Philippum Aridæum, quasi legitimus eorum hæres regio more sepelit, Cassandræam in Pallene condit: Thebas instaurat, Alexandrum Polysperchontis filium in Peloponneso persequitur, vbi multas ciuitates in suas partes traduxit.

VII. Fabius Dictator in Samnites.

Magister eq. eo in consulto pugnat.

Romæ autem anno circumacto, non Coss. Papyrius atque Publilius creati sunt, qui cum è Liuio Romæ mansisse dicantur, bellumque à Q. Fabio Dictatore in Samnio gestum, subit animum illa suspicio, ne id factum sit ob veteres simultates Papyrium inter & Fabium, quem ille Magistrum equitum, dum esset ipse Dictator, in capitis discrimen adduxerat. Cuius etiā culpæ nonnullam hoc tempore videtur Fabius luisse pœnam, cum eius Magister equitum Q. Æmilius Cerretanus, ipso Dictatore inconsulto, prælium in hostem iniit. Verum non impune, vt qui in acie, quamuis fortiter dimicans ceciderit. Cui Caius Fabius Mag. equitum suffectus, cum nouis copiis Satriculam ad Dictatorem venit. Ideo Samnites Satriculam deserunt, & Plistiæ obsidionem redintegrant: sicque illa in potestatem Romanorum deditione venit, hæc vi à Samnitibus capitur. Inde bellum Soram; quæ ad Samnites defecerat, traductum est, vbi Dictatoris industria, hostis inter duas acies conclusus, ac victus est.

ANNVS MVNDI 3740.

ONIÆ & PTOLEMÆI LAGID. 11.

Imperij ALEXANDRI 17.

OLYMP. CXVI. AN. 3. VRB. CO. 439

ANTE CHRISTVM 313.

I. BElla quæ superiore anno profligata videbantur, regijs rebus accilis, inter ipsos duces, qui rerum potiebantur, æmulatione grassante, acerbius redintegrantur. Nam cum Antigonus tam copiarum magnitudine, quam pecuniarum copia terribilis, in superiorem Syriam moueret, legari ad eum à Ptolomæo, Cassandro, & Lysimacho venerunt, qui ab eo postulabant, vt Cappadocia, Lyciáque Cassandro, Phrygia iuxta Hellespontum, Lysimacho, Syria tota Ptolemæo, Babylonia Seleuco traderetur. Thesauros autem, quos à pugna cum Eumene sibi vendicasset, partiretur: quæ nisi faceret, coniunctis viribus bellum ipsi facturos. Verum Antigonus, qui & cætera in Asia tenebat & in Syriam Ptolemæi imminebat, legatis respondit asperius, & re infecta dimisit: vulgauitque se Olympiadis mortem vlcisci velle, & Alexandri filium cum matre, Amphipolitana obsidione liberare.

Belli inter Antigonum cæteroſque duces.

II. Antigonus Polysperconté in Cassandrum cōmittit. *Diodor.*

Belli quoque imminentis magnitudinem perpensus, ciuitates ac principes ad belli societatem inuitabat: Aristodemum enim Milesium cum mille talentis ad Polyspercōtem misit, vt cum eo, filioque eius Alexandro firmata amicitia, Cassandrum bello peterent, amboq; rem ex eius sententia confecere. Sed mox Alexander Cassandri promissis allectus, sperans se Peleponnesi ducem fore, relicto patre ad eum rursus defecit, haud magno fructu: quippe mox à Sycionio quodam proditione interemptus est. Misit quoque Antigonis Ptolemæum exfratre nepotem cum exercitu, qui missos à Cassandro in Cappadociam eiiceret, & eum Hellesponti transitu prohiberet. Ipse in Phœniciam mouet, nauales ibi copias contracturus, quoniam tunc maris imperium penes ipsius hostes erat, & Tyrum, quam præsidio Ptolemæus tenebat, obsidet. Demetrium autem filium in Syria cum validis copiis, & sapientibus consiliarijs relinquit, vt Ptolemæum bello vexet. Denique modica prælia terra marique inter fautores præcipuorum ducum vario euentu committuntur, & pars vtraque Græciæ ciuitates sibi adiungere satagebat, credens in ea re magnum ad victoriam momentum esse positum. Cum autem hyems immineret, Antiochus, Tauro frustra tentato, in Ciliciam regressus, ibi cum exercitu hyemauit.

Demetrium filium Syriæ bello præficit.

At in Italia noui Coss. Soram, quæ à Dictatore obsidebatur, adeunt, & exercitum ab eo accipiunt, moxque Sorani cuiusdam perfugæ opera, in arcem inuadunt, & ciuitate in potestatem redacta, ducenti triginta quinque, qui cædis colonorum, & deditionis autores censebantur, Romam ducti, virgis in foro cæsi, securibus percussi sunt, Soræ præsidium impositum. Eodem tempore tria Ausonum oppida, quæ ad Samnites quoque defecerant, proditione capta; in quæ, propter ducum absentiam, nimia crudelitate sæuitum est. Eodem anno hostibus prodito Romano præsidio, Luceria iterum Samnitium facta est: sed non proditoribus impunita res fuit. Haud procùl inde erat Romanus exercitus, cuius primo impetu capta vrbe Lucerini & Samnites ad internecionem cæsi, eodemque noui coloni ad duo millia & quingentos missi, quicæsorum bona occuparunt.

IIII. Sora expugnatur. & alia oppida.

IV. Capuæ quoque occultę coniurationes principum, quæ Romæ quoque claros viros iniustè

obscu-

Capuana coniuratio.

obscurarunt, detrectæ sunt, ad easq; indagandas C. Manius Dictator creatus est, nonnullique metu sibi manus intulerunt, res tamen breui sopita est. In eam spem Samnites intenti Caudium venerunt ex Apulia; vt si res Capuæ ex eorũ sententia succederet, Capuam ex vicino Romanis eriperent. Eò Consules cum valido exercitu profecti, & post aliquot velitationes, ad prælium totis viribus progressi non sine discrimine victores facti sunt. Ad 30 millia de hostibus aut cæsis aut captis; reliqui Beneuentum, olim Maleuentum profugerunt. Vide hæc apud Liuium pluribus.

Beneuẽtum.

Sequenti anno pleraque minuta prælia commissa sunt variis in locis inter duces & ciuitates, quę alterutri parti fauebant; nec quidquam occurrit ad memoriam insigne, præter Tyrum ab Antigono expugnatam. Cum enim, vt tradit Diodorus, is ab anno superiore iam maris potẽs esset, & frumenti importationem intercluisset, 15 mensibus obsidione tolerata, qui Ptolemæi nomine vrbem propugnabant, necessitate compulsi, deditione facta cum rebus suis abiere, magno vtique Ptolemæi dolore, qui eadem opera vniuersam pene Syriam, & maris imperium, quod fere apud Tyrios erat & Phœnices, amittebat. Hoc quoque anno nota est Cassandri inconstantia. Is enim cum ea conditione in Asia cum Antigono transegisset, vt milites omnes Antigono traderet, & Græcis vrbibus libertatem concederet, & Satrapiam, quam prius habuerat, tanquam donum retineret, & amicitiam cum Antigono fideliter coleret, ad eamq; firmandam fratrem Agathonem obsidem dedisset, post dies aliquot fœderis pœnitens, fratrem è custodia surripit, & legatione ad Ptolemæum & Seleucum missa, vt quamptimum sibi auxilia ferrent, contendit.

3741. V. Tyrus ab Antigono expugnatur.

Cassandri inconstantia.

VI. Fregellæ & Nola captæ

At Romæ simul cum Coss. creatus est Dictator C. Petilius, à quo arx Fregellana, à Samnitibus capta, & noctu Dictatore superueniente deserta, sine certamine recepta est, validoque præsidio imposito, ad Nolam repetendam in Campaniam venit, incensisq; suburbiis, vrbem cepit. Aliquot autem coloniæ hoc anno à Romanis deductæ sunt, Suessa ad Auruncos, ad Volscos Pontia. Aliæ quoque duæ Interannum & Casinum.

Nouæ coloniæ.

ANNVS MVNDI 3742.

ONIÆ & PTOLEMÆI LAGIDÆ 13.

Imperij ALEXANDRI 19. & vlt.

OLYMP. CXVII. A. 1. VRB. CO. 441.

ANTE CHRISTVM 311.

I. Ptolemęus res prospere gerit. Cui repugnat frustra Demetrius.

PRincipio anni huius, quem pleriq; initium regni Græcorum constituunt, Ptolemæus in Ægypto Cyrenæos deficientes, & Cyprios imperium detrectantes subegit. In superiore autẽ Syria & Cilicia res prospere gessit; quippe singulari humanitate ac beneuolentia milites sibi reddebat obsequentissimos, & ad omne discriminis genus expeditos. Quæ cum Demetrius Antigoni filius accepisset, è Cœlesyria in Ciliciam, suis opem allaturus excurrit, irrito tamen conatu, iis iam oppressis, quibus vt opem ferret iter incitatissimum susceperat. Hîc Seleucus Ptolemæum inuitat ad expeditionem contra Demetrium, quem oderat vt Antigoni filium, à quo Babylonica satrapia fuerat eiectus: nec ægre Lagidem lætis successibus gaudentem, perpulit ad bellum. Eduxitque ex Ægypto 18. millia pedĭtum, & equitum quatuor millia, & ad Gazam Palæstinæ castra posuit.

Seleucus bellum mouet in Demetrium.

Demetrius quoque eodem milites vndique ex hybernis coëgit, cumque longe Seleuco copiis impar esset, dissuadentibus suis, iuuenili ferocia incitatus, vix enim secundum ac vigesimum annum excesserat, dimicare statuit, & pugnauit, sed euentu infelici. Nam post acre prælium cedentibus suis, ipse quoque cedere coactus est; dumque plerique Gazam ex fuga inferunt sese, hostis quoque confertim illatus, vtbẽ occupauit, Demetrio noctu Azotum euadente. Scribit Plutarchus in eo prælio quinque millia desiderata, & ad octo millia capta, quorum plerique Ptolemæi humanitate capti ei sese dediderunt, & cum eo in Ægyptum profecti sunt, vt scribit Iosephus ex Hecatæo Abderita, qui cum Ptolemæo commorabatur. Huius humanitatis argumentum fuit: quod cum postridie à prælio Demetrius corpora ad sepulturam postulasset, non solum ea concessit, sed regiam quoque supellectilem, quæ in suam potestatem venerat, cum plerisque aulicis eius captiuis, Demetrio sine redemptione remisit, negans se de præda, sed de gloria, imperioq; certare. At Demetrius contrà precatus est Superos, ne eius beneficij diu debitor maneret.

II. Eumque vincit ad Gazam.

Et cum cohumanitate certat. *Ioseph. l. 1. con. Apionem.*

At Ptolemæus Phœniciæ vrbes, victoria vsus, partim vi, partim deditione accepit: Sidonẽ etiam ac Tyrum, ad quam sibi tradendam cum Andronicum præsidij præfectum magnis præmiis inuitasset, ab eo etiam cum cõtumelia repulsus est. At cum is aliquanto post per seditionem ciuium, in manus Ptolemæi deuenisset, expectare tq; promeritum linguę procacitate supplicium, non solum veniam ei mitis Ptolemęus dedit, sed muneribus etiam affectum inter amicos cooptauit, probata ipsius erga principem suum fide atque constantia. Hæc porro Ptolemæi clementia vehementer ei homines adiunxit, & ad acquirendum firmandumque imperium profuit. Nonnullam tamen mox cladem accepit, cum Cillenum Macedonem, quem cũ valido exercitu reliquerat ad Demetrium iam profligatum, rota Cœlesyria exigendũ, oppressum accepit à Demetrio, viuumque captum, & hostem exercitu sine prælio potitum. Interea vero Antigonus à filio nuper auxilio euocatus superueniens, iunctis cum eo copiis, Phœniciam sine prælio recepit, cedente Ptolemæo, ne rerum suarum summam, aduerso prælio in discrimen adduceret.

III. Ptolemęus Phœniciam recipit, eius in Andronicum humanitas.

Moxque amittit.

Seleucus interea Demetrij & Antigoni absentiam ab Asia, commodam ratus opportunitatem præfecturæ Babylonicæ recuperandæ, acceptis à Ptolemæo peditibus octingentis, & ducentis equitibus, Babylonem proficiscitur, & auctis in Mesopotamia copiis, suisque bene animatis, Babyloniam ingreditur, plurimos, quos quadriennij præfectura deuinxerat sibi

IV. Seleucus ope Ptolemæi Babyloniam recuperat.

IV. Varia in suos Alex. beneficia *Arrianus*

Eiusdem vxores.

Nam Persarum ac Medorum illustrium filias octoginta matrimonio copulauit, omnium nuptias simul celebrauit ipse, atque omnibus dotes contulit. Aliis quoque Macedonibus, qui Asiaticas vxores duxissent, quorum numerus erat decem millium, sponsalia munera dedit. Ipse præter Roxanem, quam ante duxerat, Barsinem ex Darij filiabus natu maximam, & Parysatin, ex Darij Ochi filiabus natu minimam accepit vxores. Adiecit etiam ad reliquam magnificentiam, vt omnium suorum militum debita dissolueret, quæ largitio dicitur ad viginti millia talentûm peruenisse: Dona etiam aliis alia pro cuiusque meritis & dignitate distribuit. Quibus peractis ipse classe, quæ iam in Susiorum regionem erat appulsa, conscensis cum parte copiarum nauibus, per Eulæum amnem ad mare nauigauit, indéque ad Tigridis ostia contendit, & ad Opim vrbem ad Tigrim sitam venit. Vbi cum missionem dedisset omnibus, qui patriâ repetere voluissent, qui autem manere vellent, se beatos facturum polliceretur. Ipsi regis orationem in deteriorem partem interpretati, quasi despectui haberentur, & bello inutiles censerentur, seditionem incœptantes à verborum insolentia non abstinuerunt.

Dat missionem suis.

V. Inde orta seditio, eamque seuere cõpressa. *Arrianus.*

Hic Alexander in iram concitatus è solio prosiliens, tredecim ex iis qui seditionem commouebant, per Argyraspidas suos statim comprehendi, & ad supplicium rapi iubet. Quo facto cum reliqui attoniti siluissent, rursum solio conscenso eorum eis ingratitudinem prolixè exprobrauit, qui tot acceptis à patre, & à seipso beneficiis, eum nunc deserere, & fidei Barbarorum permittere non dubitarent. Ea obiurgatione & sociorum pœna deterriti, quid de ipsis quoque Rex statueret, suspensa mente expectabant. Nam rex biduo neque corpus curauit, neque amicorum quemquam ad se admisit. Tertio die vocatis ad se Persarum principibus ducatus agminum inter eos partitus est, & ad osculum admisit. Qua re moti Macedones armis ante regiam in signum pœnitentiæ proiectis, veniam præ foribus cum clamore deposcebant; quam commotus ad misericordiam Alexander, cum lacrymis dedit, eamque publico epulo confirmauit. Tum eorum aliquos, qui propter ætatem, aut corporis infirmitatem bello inutiles erant, liberaliter donatos in patriam remisit, Asiaticos tamen eorum liberos apud se retinuit, vtique prudenter; patribus autem Craterum quem habebat charissimum, & Polyspercontem duces longi itineris dedit.

Macedonum pœnitentia.

VI. Craterũ mittit in Macedoniam vnde reuocet Antipatrum.

Curt. l. 10

Exules Græciæ reuocari iubet.

Cæterum Craterum voluit in Europa regno Macedoniæ, Thraciæ, Thessaliæ, & restituendæ libertati Græcorum præesse. Antipatrum vero, in eorum qui dimissi erant locum, alios Macedones, ætate ac viribus florentes in Asiam ad se adducere, quod sciret ei cum Olympiade in Macedonia non satis conuenire; quod tam ægro animo tulit Antipater, vt de veneno Alexandro tradendo statueret. Cum iisdem emeritis missus est Nicanor Stagirita, cum epistola Alexandri de reuocandis in patriam exulibus, vt in singulis vrbibus multos sibi deuinctos haberet. Ea in ludis Olympicis, qui tunc celebrabantur recitata, soli Athenienses & Aetoli restitere. Contra quos dum bellum & classem parat, immatura morte sublatus est. Bellum autem mox ab Antipatro contra Athenienses gestum est. Interim rex ad Ecbatana Mediæ profectus, dum regni negotia disponit, Hephestionem, quem fratris habebat loco, morbo sublatum amisit, & intemperanter luxit, & rege indigna perpetrauit, vt in Annalibus explicauimus, ex Diodoro, Arriano & Plutarcho.

Hephestion in Ecbatanis moritur.

Hoc anno n. 14.

VII. Alex Babylonem adit, ibiq; intemperantia potus moritur.

Diodorus.

Postmodum autem in Babyloniam reuertitur, reclamantibus vatibus, & portentis: ibique omnium gentium legatos benigne susceptos domum remisit. Iisdem fere diebus conuiuium apud Thessalum Medium institutum est, ad quod rex quoque cum sodalibus venit, vbi potus intemperantia morbo correptus interijt, vt plerique omnes, excepto Curtio, retulerunt, in quibus Arrianus, Plutarchus, Iustinus, Athenæus, Liuius, Diodorus, Paulus Orosius, Suidas, Valerius Maximus, Solinus, & si qui alij. Nominatim autem Plutarchus ait regem cum splendido conuiuio excepisse Nearchum, atque inde more suo lotus, cubitum iret, ad Medium obnixe rogantem comessatum misse, cumque in sequentem diem perpotasset, febre fuisse tentatum, ex qua cum vehementi siti cruciaretur, vinum potasse, itáque in phrænesim incidisse, ac trigesimo mensis Dasij, qui Iunio respondet, vita excessisse, vt Aristobolus apud Plutarchum scribit. Itaque veneni crimine repudiato, calumnia in Antipatrum, aut etiam in Aristotelem euanescit; valdéque dubia redduntur, quæ de vltimis eius cum suis ducibus colloquiis referuntur. Annulum tamen ab moribundo Perdiccæ datum non videtur dubitandum, sed casu fortasse, aut per aliquod lucidum in delitio interuallum.

VIII. Ætas morientis, virtutes, corporisque dotes.

n 25. & seqq.

Mortuus est ergo Alexander vix dimidium vitæ suæ curriculum emensus, anno videlicet ætatis trigesimo secundo expleto, & trigesimo tertio inchoato. Natus quippe est Olympiade centesima sexta ineunte, & mortuus sub initium centesimæ decimæ-quartæ. Virtutes eius plerique scriptores celebrauere, fortitudinem, liberalitatem, clementiam in victos, continentiam, mortis contemptum, in parentes ac superos pietatem, & si quæ sunt aliæ; quarum examen in Annalibus Lector veratum virtutum amans repetiet. Corporis eius optima constitutio commendatur, ex qua pulchritudo, illibata in tot ac tantis laboribus sanitas, & odoris etiam in defuncto fragrantia, quibus corpus ad diem septimum sine tabe, nullo aromatum præsidio, conseruatum est. Quo ex euentu Plutarchus, Curtij de veneno refellit opinionem: veneni enim vestigia in extincto corpore tam diu asseruato apparuissent. Et mandauerat quidem Alexander Perdiccæ, vt corpus suum ad Ammonem ferri iuberet. Sed Ptolemæus Lagi, cui Ægyptus cessit, illud Memphim, & inde paucis post annis Alexandriam transtulit.

IX. Vniuersi regni successor Perdiccas, cum Aridæo.

Inde ad deliberationem de regni successione inter principes, ducesque primarios Alexandri ventum est; Cumque plurimi regis prærogatiuam, & quasi suffragium secuti, in

Per-

Perdiccam consentirent, & regis annulum tollere iuberent; is pudorem inter & cupiditatem hærebat, dum illi quod expetebat, pertinacius offerrent. Imprudens qui modestiam potius in gratiarum actione, quam in tergiuersatione non poneret. Turbas enim excitauit Meleager inimicus eius, in quibus mox occisus est. Ipse autem perductus in vrbem exercitu, concilium principum virorum habuit, in quo imperium ita diuidi placuit, vt Philippus quidem Aridæus Alexandri frater, qui in proximo tumultu rex salutatus fuerat, regni summam obtineret, eique Perdiccas adesset, & præesset copiis, quæ regem sequebantur: quibus ita præfuit vt Aridæus regni vmbra videretur: Sicut & postea in Macedonia, cæso Perdicca, & Antipatro dominante.

X. Quod mox varie diuiditur. *c.* II. 4.

Sub Aridæo igitur & Perdicca stabat quoquo modo Imperium Magni Alexandri, sed illud mox, Daniele teste laceratum est. Quenim Curtius libro decimo scribit decem prouincias, quasi prima sortitione factas, quibus totidem Satrapæ præpositi fuerunt, qui deinceps regna, quibus erant præfecti, pro regibus gubernarunt. Denique maxima pars imperij per quatuor ventos, vt ait Propheta, & in quatuor Duces distracta est. Ptolemæus Lagi ad meridiem occupauit Ægyptum, Antipater cum Aridæo Macedoniam ad occasum, Antigonus Pontum & Asiam ad septentrionem, Seleucus Nicanor Syriam & Babyloniam ad orientem. Quorum duo tantum regna deinceps persequemur, quæ frequenter à Scriptura memorantur, Syriæ videlicet & Ægypti, quæ illa regnum Aquilonis, siue Græcorum, & regnum Austri crebro vocat. Restamen Macedonias, plurimis annis cum Asiana Romanaque historia vehementer coniunctas, prætermittere, nec possumus, nec debemus.

Hist. in Dan. c. 8.

XI. Ptolemæi Lagi in Ægypto dominatus. *Arrian. l.* 7. An Lagi filius.

Primus omnium amicorum ac ducum Alexandri, Ptolemæus Lagi filius prouinciam Ægyptum sortitus est, cum ea parte Africæ quæ in ditione Macedonum erat. Quam illi prouinciam tradidit Cleomenes, qui Alexandriam iussu Alexandri ædificari curauerat. Erat is homo improbus, multisque iniuriis Ægyptios affecerat, vt ait Arrianus. Quo etiam factum est, vt Ptolemæus, qui non vulgari animi moderatione, fortitudine, sapientiaque pollebat, tanto Ægyptiis esset acceptior, tantóque facilius aditum sibi pararet ad regnum, quod ad trecentos fere annos propagatum est. Etsi autem Lagi filius dictus est, scribit tamen Pausanias in Atticis, eum fuisse Philippi filium ex Atsinoë cõcubina, quæ ex Philippo grauida, tradita est Lago, & apud eum Ptolemæum enixa est. Est porro hic primus Ptolemæi annus, qui magna ex parte cum vltimo Alexandri concurrit; quémadmodum & postremus incidit in primum Ptolemæi Philadelphi filij eius. Sicque verum est quod habet Eusebius in Chronico, eum annis quadraginta regnasse, nec falsum quod alij tradunt eum triginta octo annos Ægypto præfuisse, computatis scilicet, vel exclusis extremus.

l. II. *fi.*

XII. Contentio inter

Quod ad Romanam rem attinet, nam Hebræa silet, nisi quod Oniam hoc tempore Pontificem Iosephus suggerit, repete Lector memoria, quæ anno superiore extremo diximus de anno hoc, in quo Dictator & Magister Equitum Consulum subiere vices, re contra Samnites gerenda. Et anno quidem præterito res inchoata est; hoc autem, propter acerrimam vtriusque contentionem, primum aliquantulum impedita, deinde Imperatoris sapientia, & in milites humanitate, non exiguum habuit incrementum. Contentio autem fuit huiusmodi. Cum Dictator repetendorum auspiciorum causa Romam reuerteretur, simul Magistro Equitum Fabio edixit, ne absente se manum cum hoste consereret. At is iuuenili gloriæ cupiditate, & rei bene gerendæ opportunitate incitatus, pugnauit & vicit. At Papyrius vel Imperij sui contemptu, vel zelo militaris disciplinæ commotus, venit in castra. Cum interim Fabius, conscius audacis facti, milites sibi magno studio conciliauit, eorumque fidei vitam suam, fortunasque commendauit.

Dictatorem & Mag Equitum.

Ex Liuio l. 8.

Dictator statim à reditu conuocat concionem, & per præconem Magistrum Equitum citat, cumque eo expostulat de auspiciis, imperioque suo neglectis, tum expediri virgas fecuresque iussit. Hic tumultuatur exercitus, & per contentionem res ad noctem trahitur; sub eam Fabius Romam profugit ad patrem, qui tertiam consul fuerat atque Dictator. Is de Dictatoris seueritate in Senatu questus, eius opem implorat, cuius precibus cum Papyrius non flecteretur, Pater tribunos appellans, ad populum prouocat, qui Senis lachrymis, precibusque flexus, & iuuenis commiseratione victoris, Dictatorem rogat, vt sibi pœnam Magistri Equitum Dictator remitteret. Accedebant & Tribunorum preces, & vtriusque Fabij ad Dictatoris genua prouoluti: quibus illum denique donat, egregiè doctum de conseruatione disciplinæ militaris, cum omnium ordinum gratulatione ac lætitia. Exercitus tamen ab Imperatore factus est alienior, quod populi precibus dedisset Fabium, negatum suis. Itaque proxima in Samnites victoria, cessante milite impedita est, quem cum mox insigni humanitate leniuisset, victoriam ac triumphum est consecutus.

XIII. Sum Fabij periculum.

Exercitus in Dictatorem ira.

XIV. Demosthenis reditus in patriã.

Contigit hoc ipso anno reditus Demosthenis in patriam. Cum enim in Græcia Antipater pro Macedonum imperio, Laosthenes pro Græcorum libertate bellum gererent, & pro vtrisque legati passim excurrerent, Demosthenes se legatis Athenienſium adiunxit, & populos Græciæ contra Macedones libertatis oppressores excitauit. Eo studio Athenienses excitati reditum ei decreuerunt: missáque ad eum Æginam triremi, ex Pyræeo in vrbem veniens, ab vniuersa ciuitate ad portas effusa gloriosè acceptus est.

***

ANNVS MVNDI 3731.

ONIÆ Pont. 2. PTOLO. LAGIDÆ 2.

Imperij ALEXANDRI 8.

OLYMPIAD. CXI. AN. 2. V. C. 450.

ANTE CHRISTVM 322.

I. Imperiū Alexandri continuatur.

QVamuis Alexander superiore anno defunctus regnare desierit, diuiso in multos successores imperio, quia tamen Imperium, quod ab ipso partum ac fundatum est, & ex vsu Chronologorum, atque ipsius etiam Scripturæ in Machabæorum libris, Græcorum appellatur, nondum inchoatum est, donec res Asiæ in Seleuci potestatem asserunt, & familia Alexandri in Aridæo rege Macedonię eius fratre, & matre Olympiade quoquo modo stabat: nec se adhuc Alexándri duces aperte reges dicebant, reliquū tempus ad Seleucum primū, ab Alexandro Imperij Græci fundatore duximus appellandum. Oniæ quoque Pontificis secundum hoc anno ponimus, Iosephum secuti, qui ait Ieddum, quē Ieddoam Scriptura vocat, eodem quo Alexandrum tempore obijsse, & Oniam filium summi Sacerdotij successorem reliquisse.

Oniæ Pontificatus. *Lib. 11. extr.*

II. Ptolomæus Ægyptum sibi stabilit. *Diod. l. 18*

Porro Ptolomæus Ægyptum citra periculū adeptus, perhumanū sese exhibebat Ægyptijs, & octo millibus talentūm potitus, mercenariū militem collegit, societatem quoque iniit cum Antipatro, qui rerum in Macedonia potiebatur, quod certo futurum sciret, vt Perdiccas sibi Satrapiam Ægypti eripere conaretur. Ex quo enim Perdiccas regias copias & regni administrationem adeptus est, vniuersum Alexādri affectabat Imperium. Et quamuis Antipatrum cogitabat opprimere, prius tamen Ægyptum occupandam putauit. Verum cum eius consilia Antipatro innotuissent, Antigoni opera, qui ad eum ex Asia cum Demetrio filio profugerat, societatem cum Cratero, qui præfecturam Asiæ accepturus erat, iniit. Vtrique etiam placuit legatos mitti ad Ptolemæum, Perdiccæ maxime infensum, ipsisque amicum, & isdem insidijs appetitum, societatis iungendæ causa, quæ Ptolemæo libentissimo iuncta est. Perdiccas autem, rebus in Asia compositis, iter Ægyptum versus intendit. Nec res vltra hoc anno inter Perdiccam & Ptolomæum progressa est.

Perdiccas affectat imperium, & fœdera contra ipsum.

III. Bellum Lamiacū Antipater obsidetur.

Bellum autem superiore anno Macedonas inter & Græcos inchoatum, quod Lamiacum est appellatum, hoc anno finitum est. Cum Antipater à Græcis prælio victus esset, seque Lamię vrbe Thessaliæ permunita inclusisset, & suppetias ex Asia præstolaretur, à Græcis duce Laosthene obsidetur, sed is eruptione à Macedonibus facta occiditur. Interea Antipater Leonnatum ad se euocat, qui copijs in Macedonia celeriter contractis ad eum proficiscitur. Quo cognito, Græci ei cum copijs occurrunt, priusquam ille se Antipatro coniungeret. Committitur pugna, & Thessalorum equitum virtute Leonnatus vincitur, & multis vulneribus confossus occūbit. Postridie Antipater cum agmine suo se victis adiungit, duplici nomine lætus, & quod copijs auctus esset, & quod Leonnatus, ei futurus æmulus, occubuisset.

Reparat vires.

IV. Græcos classe vincit, & cogit ad pacem, præsertim Athenienses.

Interea Græci qui classem auxerant, cum Macedonica ad Echinadas insulas congressi, bis prælio victi sunt. Craterus autem cum copijs non pœnitendis tam Macedonum, quam Persarum, se iungit Antipatro, simulq; ingentem exercitum conficiunt. Moxque Græci, quorum copiæ longe minores erant, coguntur ad certamen, victique pacem ab Antipatro petunt, & eam singulæ ciuitates sigillatim obtinent. Athenienses autem & Aetoli omnium inimicissimi Macedonico nomini, quique primi Lamiacum bellum conciuerant, à sociis derelicti, de bello frustra consultant, Antipatro in Athenienses omnem belli vim conuertente. Itaq; pacis causa Demades mittunt ad Antipatrum, qui negat, se alia conditione pacem Athenienſibus concessurum, nisi omnia sua eius potestati permitterent. Qua scilicet nuper conditione, Antipatro Lamiæ incluso, Athenienses se pacem facturos eius legatis responderant. Cui conditioni cum acquieuissent, præsidium eis militare Menyllo præfecto imposuit, & ad 12 millia, vel, vt alij habent, ad 22. millia ciuium tenuiorum in Thraciam è patria transtulit.

Et quibus conditionibus.

V. Demosthenis fuga, à populo damnatur, vt desertor. *Plut. in eius vita.*

Mutata porro celeriter Athenienſium fortuna, res quoque Demosthenis illico in deterius conuersæ sunt, cum enim allatum esset, Antipatrum & Craterum Athenas contendere, Demosthenes cum suis clam vrbe excedit, vt qui sibi conscius esset, se omnibus ingenij ac linguæ viribus, populum domi forisque aduersus Macedones concitasse. Eos populus, ex Demadis rogatione, rei capitalis damnauit, tanquam publicæ rei, in grauissimis eius difficilimisque temporibus, desertores. Fugit autem in Calauriam, quæ modica est in Troezenio sinu insula, vbi proximo anno, vt dicemus, interiit. Aristoteles quoque hoc anno è Lyceo suo profugit, Theophrasto in docendi munere sibi substituto. Nam qui infestum habuerat Alexandrum propter Callisthenem, sibi ab eius hæredibus, in quorum manus venturæ erant Athenæ, metuebat. Supererant Aetoli, qui rebus suis diffusi, deserta magna ex parte Aetolia, in auia se montium loca receperant, vnde Macedonibus plurimum incommodabant; cum Antipater, intellectis ab Antigono Perdiccæ consilijs, pacem cum illis quoquo modo composuit, sperans expeditis maioris momenti cum Perdicca negotijs, se illos fortunis omnibus euersurum. Sicque Lamiacum bellum, eum præsenti anno terminatum est.

Aristotelis fuga.

Antipatri pax cū Aetolis.

VI. Romanæ res.

In Italia Samnites, pro pace quam quærebant, annuas inducias retulerunt, quas ne sanctè quidem coluere. Nam cum Apuli recens eis se contra Romanos adiunxissent, animos ad bellum erexerunt. Sulpitio ergo consuli Samnites, Apuli Aemilio forte obtigerunt, à quibus nihil memorabile actum est. Nocturnus tamen terror vrbem inuasit, & ad arma excitauit. Prima autem luce nec autor, nec causa terroris vsquam apparuit, Dæmone mortales sibi obnoxios pro arbitrio ludificante.

AN-

ANNVS MVNDI 3732.

ONIÆ Pont. & PTOL. LAGIDÆ 3.

Imperij ALEXANDRI 9.

OLYMP.CXV. AN.3, VRB. CO. 431.

ANTE CHRISTVM 321.

I. Clarorũ virorum cædes.

MVltis clarorum virorum, tam pacis, quam belli artibus insignium funeribus, nobilitatus est hic annus. Perdiccas quippe ducum Alexandri clarissimus atque potentissimus, penes quem reges Macedoniæ Aridæus, & Alexandri filius cum regijs copijs erant, in Ægypto à suis interfectus est. Craterus quoque Alexandro charissimus, & Neoptolemus contra Eumenem pugnantes occumbunt. Postremo Philosophorum atque Oratorum clarissima lumina Aristoteles atque Demosthenes ũ viuis abierunt. Sed funera ista præcessit Alexandri funus, quod biennio ab Aridæo magnis sumptibus apparatum, maxima pompa Babylone in Ægyptum delatum est. Ptolemæus ei cum exercitu in Syriam vsque obuiam venit, & acceptum corpus magna cura prosecutus, ei delubrum Alexandriæ constituit, & pro dignitate exequijs, ludisque funebribus honorauit. Quo facto, præter singularem, qua erga omnes vtebatur, humanitatem, & rerum gerẽdarum prudentiam, qua pollebat, omnium sibi Macedonum animos conciliauit.

Diod. l. 18.

Funus Alex. celebratur.

II. Res Eumenis.

Interea Perdiccas cum expeditionem in Ægyptum pararet, Eumenem virum fide ac fortitudine præstantem, & regiæ familiæ, quam Perdiccas tuebatur, addictissimũ, ad Hellespõtum cum idoneis copijs præmiserat, vt Antipatrum & Craterem traiectu in Asiam prohiberet; sed illi iam cum Macedonicis copijs trajecerant. Et Perdiccas quidem iusserat Eumeni subesse Neoptolemum, qui id indignum ratus dignitate sua, insidias Eumeni struere cœpit, & clam missis ad Antipatrum nuncijs, societatem cum illo pactus est. Sed fraude detecta, ad manus conserendum adactus, & copias fere omnes amisit, & parum à cæde abfuit. Verum collectis ex fuga trecentis equitibus, ad Antipatrum se contulit & Craterum. Qui mox per legatos Eumenẽ ad se in gentibus promissis pertrahere conati sunt. Sed cum ei rebus omnibus antiquior esset data Perdiccæ fides, pugnandum fuit. At cum Craterus omnibus Eumenis copijs esset acceptissimus, rumore vulgauit se contra Neoptolemum, non contra Craterum inire prælium. Neque contra illum in acie quenquam Macedonum, sed Persas ac Phœnices opposuit. Contra quos pugnans Craterus, ab equo cespitante excussus, in confuso equitum globo proculcatus ignotus interijt. Neoptolemus autem in acie contra Eumenem singulariter congressus, ab eo victus atque occisus est.

Neoptolemus ei aduersatur, & ab eodem vincitur, & mox occiditur.

Eumenis prudẽtia contra Craterũ pugnãtis.

III. Perdiccæ in Ægypto imprudẽtia & cædes.

Hæc dum in Asia geruntur, Perdiccas in Ægypto non procul Peluſio castra posuerat, vbi cum exercitum irrito labore fatigasset, & oppidum Nilo vicinum, cui nomen mons Camelorum frustra obsedisset, damnis & ignominia plenus in castra sua reuersus est, eaque noctu mouet, & tacito itinere, in locum venit Memphi aduersum, vbi Nilus duas in partes scissus insulam efficit, quæ & castra & maximum exercitum capere posset. Eo dum parat traducere copias, supra duó suorum millia tam fluuij profunditate, quam armorum & corporum pondere, & belluarum voracitate amisit. Quo facto efferati in eum Macedones, duce Pythone, vno die primarijs Alexandri amicis, vel Seleuco & Antigono, vt ait Probus, noctu eius tentorium inuadunt, eumque obtruncant, & Ptolemæo se dedunt. Atqui ita qui se totius Imperij Alexandræi hæredem fore sperabat, tertio ab eius morte anno, in magno omnium odio extinctus est; aduersario in magna omniũ gratia victoriaque derelicto. Eodem tumultu occisi sunt amicorum Perdiccæ fidelissimi, atque adeo soror eius Atalanta, quam vxorem duxerat Attalus classis eius gubernator, qui hoc nuncio accepto, Peluſio soluens cum classe Tyrum venit, vbi collectos Perdiccæ amicos recreauit.

IV. Perdiccæ fautores damnantur. *Diodor.*

Perdicca extincto delatus est nuncius victoriæ Eumenis, & cædis Crateris & Neoptolemi. Quod si prídie Perdiccæ mortem nuncius anteuertisset, nemo illi manus ausus esset inferre. Perdiccæ enim æmuli duorum ducum cæde valde debilitati erant. Nihilominus eo extincto Macedones Eumenem & Alcetam Perdiccæ fratrem capite damnant, Antipatrum in Perdiccæ locum substituunt, qui Macedoniam cum filijs Alexandri, Hercule & Alexandro posthumo adit, vt reges in patriam reducat. Antigonum cum Cassandro filio suo aduersus Eumenem & Alcetam mittit, qui eos in Cappadocia bello persequitur. Verum Eumenes, rogatu Cleopatræ sororis Alexandri, superiorem Phrygiam adijt, ibique hyemauit. Interim autem Ptolemæus non contentus Ægypto, Perdicca cæso, & Antipatro cum regijs copijs à se in Macedoniam amandato, Phœniciam & Cœlesyriam, opera Seleuci Nicanoris, quem cum iustis copijs illuc miserat, acquisiuit, præsidijsque firmauit, vt ex Diodoro liquet.

Et succedit Antipater, qui Eumenẽ persequitur.

Ptolemæus Phœniciam acquirit, & Cœlesyriam. *in fi anni huius.*

Hoc est tempus illud, de quo Iosephus initio libri duodecimi, vbi ait Ptolemæum Lagi Hierosolymam occupasse, opera scilicet Seleuci Nicanoris, qui postea Syriam & Babylonem proprio nomine tenuit; occupasse autem die Sabbati, Iudæis hostem minime arcentibus, sed quiete & in otio agentibus; propterea que Iudæis superstitionem ab Agatharchide exprobratum fuisse. Addit etiam plurimos Iudæos ex montano tractu à Ptolemæo in Ægyptum adductos. Aristeas in libello de Septuaginta interpretibus ad centum millia scribit abducta. Ex eoque numero, Regem ad triginta millia armasse, & per varia præsidia distribuisse, vt si quando Ægyptii insolescerent, Iudæorum opera compescerentur. Cæteros autem seruituti addictos apparet. Nam Iosephus ipse tradit ad 120. millia Iudæorum in Ægypto seruientium, à Philadelpho huius filio liberos fuisse dimissos.

V. Cum Iudæa, ex qua magna vis captiuorũ in Ægyptũ abducitur.

VI.

Cum autem in Calauria lateret Demosthenes, cæteriq; , exules alij alijs in locis, misit Antipa-

Mors Demosthenis & aliorum oratorũ.

ter satellites adeos comprehendendos, quorum dux erat Archias quidam, quem Phygadotheram, quasi exulum venatorem appellabant. Hic Hyperidem oratorem, Aristonicum Marathonium, & Himeræum Demetrij Phalerei fratrem, ex Aiacis fano extractos, Cleonas ad Antipatrum misit, vbi & interfecti sunt. Hyperidi lingnam quoque tradunt excisam. Inde ad Demosthenem quem in Calauria sedere supplicem in delubro Neptuni acceperat, venit, iussitque secum venire ad Antipatrum. At is rogat tantulum moræ dum scribat ad suos. Calamum autem veneno imbutum oris admouit, eum de more mordicans, & aliquanto post cum vrgeretur ad discessum, ad aram transiens concidit, & cum gemitu animam efflauit. Hæc fere Plutarchus, qui addit decessisse decimo sexto mensis Pyanepsionis, qui Octobri dicitur respondere. Vixit autem annos sexaginta, tot enim ab anno vltimo nonagesimæ nonæ Olympiadis, ad tertium centesimæ decimæ-quartæ numerantur, computatis extremis.

VII. Mors Aristotelis.

Quod ad mortem Aristotelis, quem omnes Chalcide insulæ Eubœæ metropoli postremò commoratum, & defunctum tradunt, Suidas ait obijsse hausto aconito. Causam vero mortis eandem illi fuisse quam Demostheni crediderim, vti supra significauimus. Nec inuenio qui scribit vulgo iactatam fabulam, de Aristotele se in mare abijciente, quod reciprocos illius cursus atque æstus capere non potuisset. Vixit autem annis sexaginta tribus triennio enim Demosthene maior fuit, vtpote natus anno primo Olympiadis nonagesimæ nonæ. *Primus omnium*, ait de ipso Strabo, *qui nobis noti sunt Aristoteles, Bibliothecam congestis libris composuit, idque AEgypti reges facere docuit.* Id certe facile fuit Ptolemæo Lagidæ persuadere, viro non solum militari, sed etiam erudito, cuius de Alexandri expeditione historiam crebro laudat Arrianus.

l. 13.

VIII. Romana res.

In Italia contra Samnites ancipiti prælio diu certatum est. Cum enim à principio castra iniquiore loco posita fuissent, dum noctu ea mouentur, Samnites incursare in hostem, nouissimos carpere, iniquis ad transitum locis agmen detinere, denique pugnæ necessitatem afferre: in qua ita certarunt, vt ab hora diei tertia ad octauam certamen anceps esset, donec ad deserta Romanorum impedimenta irruerunt. Ibi enim circumuenti ab acie instructissima, turbati profligatique sunt, ipso hostium Imperatore interfecto. Hoc prælium Samnitium animos ita infregit, vt belli iniquitate damnata, fœderis frangendi autores, cum Romana præda dedendos adduxerint, pacem postularint, nec impetrarint. Romanus autem Imperator ex Senatus-consulto triumphauit.

* * *

ANNVS MVNDI 3733.

ONIÆ, & PTOLEMÆI LAGI 4.

Imperij ALEXAND. 10.

OLYMP. CXIV. AN. 4. VRB. CO. 432.

ANTE CHRISTVM 320.

I. Eumenis & Antigoni gesta huius anni. *Diod. l. 18. Iust. l. 13.*

AFflictis Perdiccæ rebus, Eumenes cum illius fratre, & amicis, arbitrio Antipatri à Macedonibus proscripti sunt. Missusque contra eos Antigonus cum Cassandro filio Antipatri, qui vtrinque proxima hyeme copias ingentes comparatunt. Sed Antigonus contra Eumenem etiam proditionem molitus est. In castris enim Eumenis libellos spargi curauit, centum talenta, & honestum ordinem proponentes ei, qui Eumenem interfecisset. At Eumenes simulans à se sparsos illos libellos, prouidit vt deinceps non se ab hoste corrumpi, sed à duce tentari milites arbitrarentur. Non frustra tamen sollicitatos ab Antigono scribit Diodorus. Antigonus, ait, per internuncium cum Apollonide quodam equitum præfecto ingentibus promissis effecit, vt in pugna, Eumene prodito, ad hostes transiret. Quod cum fecisset, victoria, cum cæde octo milium Eumenianorum, & omnium impedimentorum præda, ad Antigonum deuolauit.

II. Prudens Eumenis abstinentia.

Fugiens autem cum sexcentorum amicorum iam equitum, quam peditum manu, comprehensum proditorem suspendit, & cum in Antigoni impedimenta, bonis omnibus referta incidisset, Menandrum qui ea seruabat, clam monuit vt se tutiore loco reciperet: tum aduersus illum aperte mouit, qui iam effugerat, sicque suorum odia vitauit, quos tanto lucro priuasset, & Macedones, quorum bonis pepercit sibi demereri voluit, & prouidit ne sui præda onusti, ad fugam minus habiles redderentur. Vnde ad castellum munitum egregiè, Nora nomine, se contulit, militum suorum magna ex parte dimissa, quod pauciores essent quam ad signa conferenda, plures quam ad tegendam fugam suam. Ibi obsessum Antigonus euocat ad colloquium dato obside filio fratris sui, eumque pro veteri amicitia perhumaniter accipit, cumque eum nullam veniæ aut salutis suæ mentionem facere videret, Satrapias sibi potius reddi postularet, hominis animi magnitudinem admiratus, de his se relaturum ad Antipatrum pollicitus, eũ incolumem suę arci restituit, in qua complures menses, atq; adeo fere biennium perseuerauit, vbi cum suis viuebãt hilariter, & equos artificiose exercebat. Legatos autem ad Antipatrum de pace non ante sequentem annum misit. Antigonus autem relicto quod sufficeret ad castelli oppugnationẽ præsidio, contra Alcetam fratrem Perdiccæ, & Attalum classis eius præfectum contendit, quod ad sequentem annum videtur pertinere.

Norę obsidetur.

III. Romani Samnitibus sub iugum missi.

Præsens autem Romanis admodum luctuosus ac probrosus fuit. C. enim Pontius Samnitium Imperator, Romanum exercitum in insidias arte perductum, & quasi in cauea conclusum, patris sui Herennij consilio derelicto, nec

liberos

liberos dimittere voluit, neque interficere, sed frustra pugnam, pacemue postulantes irrisit, nunciauitq; se inermes cum singulis vestimentis sub iugum missurum. Deditionem quamuis ignominiosam persuasit L. Lentulus legatus, quod eam diceret esse patriæ charitatem, vt tã ignominia, quam morte ciuium, si opus sit, seruanda videatur; præsertim cum rerum omniũ inopia vrgerentur. Ergo primum sexcenti eduuntur obsides, armis, cæterisque vestibus positis, & sub humili tigillo, duobus lignis hinc inde sustentato, sigillatim traducuntur, & in custodiam abducuntur. Inde Consules, sine lictoribus & paludamento, seminudi, inermesque traducuntur. Tum vt quisque gradu proximus erat, ita ignominiæ obiectus est: denique succedere legiones, armatorum hostium risibus expositæ. Indeque se Capuam pudore pleni, indeque Romam noctu propipuere, lucem fugitantes. Consules quoque in priuato abditi, nihil pro magistratu agere, nisi quod expressum est S.C. vt Dictatorem comitiorum causa dicerent. Sicque annus ille abijt.

ANNVS MVNDI 3734.

ONIÆ, & PTOLEMÆI LAGI 5.

Imperij ALEXANDRI 11.

OLYMP. CXV. An. 1. V. C. 433.

ANTE CHRISTVM 319.

I. Antigon' affectat imperiũ.

MInuuntur in dies præclari illi duces ac bellatores Alexãdri Magni, quibus cum orbem terrarum ille subiugauerat, & mutuis se cladibus conficiũt. Antigonus enim adiunctis sibi copijs Eumenianis, Satrapisque, & redditibus illarum potitus, ad maiora aspirare cœpit. Et quamuis in præsentia erga Antipatrum amicitiam præ se ferret, in animo tamen suo constituerat rebus suis rite confirmatis, neque Regibus deinceps, neque Antipatro obtemperare. Quæ causa fuit, vt Eumenem, insignem fide ac fortitudine virum quem obsidebat, omni studio ad suas partes pertrahere conaretur, quod etiam post Antipatri mortem studiosius fecit. Nihilominus Eumenes crebro, cum expedito equite, erũpebat, & Antigoni munitiones modo incendebat, modo disijciebat.

Diod. l. 18

Probus in Eumene.

II. In Alcetã & Attalũ mouet.

Interea Antigonus, vt prius attigi, in Alcetam Perdiccæ fratrem, & Attalum eiusdẽ classis præfectum, qui soli de factione Perdiccæ resistere sibi posse videbantur, & rei summam adhuc dubiam tenere, expeditionem parat, & in Persidem è Cappadocia, vbi Eumenem vicerat, cum toto exercitu summa celeritate properat. Et primo cum equitatu Alcetæ feliciter initio prælio, vix ei ad pedites aditus patuit. Inde altero prælio cum toto exercitu commisso, victor euadit, Attalum cum Docimo & Polemone alijsque ducibus capit, in fidemque receptos, ordinibus suis adscribit, cumque ijs Alcetam, qui cum lectissima sexentorum Pisidarum mãnu Termessum profugerat, persequitur. At ijs priusquam dederetur à ciuibus, mortem infelix occupauit, cuius cadauer Antigonus triduo cõtumelioſe tractauit, inde Phrygiam versus iter intendit. Eumenes autem ex arce sua literas ad Antipatrum mittit & legatos, quibus auxilia contra Antigonum postulat, impetratque. Ex quo apparet Antigoni consilia vel patefacta, vel suspecta esse cœpisse, vt est ambitio suspicax; neque enim alioqui inimicum impotem virium Antipater in gratiam reciperet, & amicum longe potentissimum, sibi sine causa redderet inimicum.

Eosque vincit, suisq; aggregat. Alceras sibi manũ infert.

Diodor.

Iustinus. Eumenis ad Antipatrum legati.

III. Romani Samnites ferociter vlciscuntur.

At Romani vlciscendæ contumeliæ studio flagrantes, primum clarissimos ea tempestate duces Consules creant, qui statim de Caudinis cum Samnitibus pace referunt, Posthumius exconsul sententiam rogatus, censuit eam antiquandam, eorum deditione qui eam fecissent, ne vel iurata fœdera violarentur, vel patria ignominioso fœdere teneretur. Cui cum Senatus esset assensus, sponsores pacis, quorum ipse vnus erat, vincti Samnitibus à Fecialibus traduntur; sed illi oblatos non recipiunt, sed vinculis solui iubent, qui fide sua liberata, in castra Romana inuiolati redierunt. At Romani Coss. inter se partiti prouincias, Papyrius Luceriam in Apulia, vbi equites pacis obsides custodiebantur, petit, Philo in Samnio subsistit. Etsi autem cupiebant Samnites opem ferre Luceriæ, veriti tamen à tergo instantem Philonem, cum eo primum pugnare statuerunt; sed tantus erat militum clamor prælium poscentium, vt nec adhortatio Imperatoris audiri potuerit, neque præliorum legitima seruari. Omnia quippe vesano impetu ira militaris agebat. Itaque fusi non modo hostes sunt, sed ne in castris quidem fugam tardare potuerunt: ibi plus quam in prælio sanguinis fusum est, & prædæ maior pars ita corrupta. Fugitiui autem coacto in vnum agmine Luceriam peruenere.

Deditis prius pacis autoribus.

IV. Luceria edomita. Samnites sub iugũ missi.

Eodem contendit Philo, vbi iam Papyrius Luceriam obsessam fame fatigabat. Ea ne ad deditionem cogeret, Samnites signa cum Papyrio conferre statuunt. Cumque vtrique se ad prælium pararent, Tarentini frustra prælium impedire conati sunt. Pugnatum est, simulque fuso exercitu, in vallum, in castra Romanus miles impetum facit, & ita extimulante animos ignominia exulceratos, nulli ætati aut sexui, ac ne iumentis quidem parcitur, donec Consul receptui cani iussit, ne Luceriani sexcentos obsides desperatione trucidarent. Denique Luceria fame expugnatur, redduntur obsides, Samnites, ad septem millia, vicissim sub iugum missi; in quibus ipsum Pontium fuisse traditum est. Exercitus cum triumpho incredibilique lætitia in vrbem reductus est, Papyrio in annum sequentem continuatus est Consulatus.

* * *

ANNVS MVNDI 3735.

ONIÆ, & PTOLEM. LAGI 6.

Imperij ALEXANDRI 12.

OLYMP. CXV. AN. 2. VRB. CO. 434.

ANTE CHRISTVM 318.

I. Antigonus suas per se agere incipit.

INcidit in hunc annum Antipatri mors, & Antigoni dominatus, quo cœpit non quidē se regem dicere, sed neminem agnoscere superiorem, & agere res suas ipse per sese, sicut sextum iam annum Ptolemæus Lagides in Ægypto. Et vt ab Antipatro ducamus initium, cum is in grauiorem morbum incidisset, seniumque migrationem è vita iuuaret, Athenienses, Demadem Oratorem virum apud Macedones gratiosum mittunt, rogaturum vt præsidium Athenis impositum deduceret. Verum cum eius literæ pridem ad Perdiccam missæ, in Antipatrum contumeliosæ atque hostiles, deprehensæ fuissent, Cassander Antipatri filius, ipsum cum filio trucidauit. Moxq; moritur Antipater Polysperconte regni curatore cum summa potestate relicto, Cassandrum autem filium suum Chiliarchum esse voluit, & in regno Alexandri potestate secundum. Id Cassander cum indignè ferre, & se idoneum iudicaret, qui patri, in regni administratione succederet, illico res nouas moliri cœpit.

Diodor.

Demades legatus Athenis occiditur.

Antipater moritur.

II. Polysperchon te successore designato eū graui ostensione Cassandri

Et Polysperchon quidem regni tutelam ex Antipatri voluntate adijt; contra eam tamen, ex amicorum consilo, Olympiadem accersit, quæ in Epirum secesserat, quod ei male cum Antipatro conueniret, eamque hortatus est, vt filium Alexandri puellum adhuc, suæ curæ commendatum haberet. At Cassander cum amicis rus profectus eos ingentibus promissis ad principatum sibi deferendum inducit; & properè Nicanorem Athenas misit, qui Munychiam occuparet, priusquam obitus Antigoni vulgaretur. Simul etiam per legatos Ptolemæi amicitiam renouat, cæterosque quos potuit sibi duces adiungit; postremo clam è Macedonia profectus, Hellespontum petit, indeque ad Antigonum in Asiam traijcit, vt eius quoque auxilio paternæ administrationi succederet. Operam veterator ille prolixè obtulit, memor, vt ferebat, amicitiæ in Antipatrum suæ. Qui tamen cupiebat eum prælijs in Macedonia distineri, vt res suas ipse in Asia securus ageret, & nullius imperium in illa penitus agnosceret.

Qui res nouas molitur.

III. Antigonus Eumenē sibi conatur adiūgere.

Quippe Macedoniam domestica Polysperchontis & Cassandri dissensioni distractam videbat, ideoque nihil inde sibi timendum, & Ptolemæum in alterutrius partes abiturum. In Asia se Imperatorem regiarum copiarum pridem declaratum esse, viris opibusque, omniq; bellico apparatu abundare; vnum Eumenem superesse virum egregium, quem pene haberet in potestate. Itaque ad eum sibi deuinciendum animum induxit, omniaque ipsi, eiusque amicis prolixè promisit, si tamen iusiurandum conceptis verbis emitteret, se eundem cum Antigono amicum & hostem habiturū. Et Eumenes, correcta formula, reges adiecit, & Olympiadā, quorum in primis hostibus & amicis hostem se atque amicum fore iurabat. Ita dimissus, copias illico contraxit, quod sibi ab Antigono timeret, qui mutationem formulæ, & dimissionem eius ægerrime tulit, suosq; acerbe obiurgauit ea de causa.

Dimittitur è castro.

IV. Polysperchon Græciæ ciuitates liberat.

Postquam autem Cassandri consilia in Macedonia patuerunt, Polysperchon Regum tutor magnitudinem belli sibi cum Cassandro futuri prospiciens, vt qui Antigonum & Ptolemæū habituros secum esset, viris, pecunijsque præpotentes, consilio cum suis inito, Græciæ ciuitates sibi obligare statuit, sua eis pristina libertate ac populari administratione reddita, sed eius beneficij Athenæ, iam à Cassandro occupatæ, participes esse nequiuerunt. Eumenem autem, iam regibus addictum, sibi modis omnib. deuincit, & ad bellum contra Antigonum gerendum, viris pecunijsq; copiose instruit: eique mille Argyraspides, tanquam totius Asiæ Imperatori designato, sacramento edito subesse iubet. Et hæc quidem in Asia & Macedonia hoc anno gesta.

Et Eumenem sibi deuincit.

V. Res in Italia gesta cum Ferētanis & Satricanis.

In Italia vero Consul Æmilius vno prælio cum Ferentanis debellauit, vrbemque ipsam quò se fuga contulerat miles, obsidibus imperatis in deditionem accepit. Pari fortuna Consul alter cum Satricanis, qui ad Samnites defecerant, & præsidium eorum in vrbem receperant, rem gessit. Cum enim ad vrbis mœnia admouisset exercitum, ciues ad preces conuersi, monent insuper præsidium Samnitium proxima nocte oppido excessurum, quod ad obsidionem tolerandam imparatum cernerent. Consul de hora egressionis & porta monitus suis in insidijs opportune collocatis, illud inuadit ac delet; interimq; qui Romanis fidē seruarent, alia porta eos admittunt, omniaque in Consulis potestatem venerunt: qui quæstione habita defectionis autores virgis cæsos securi percussit, validoque præsidio impositio, arma Satricanis ademit, & Romam ad triumphum discessit.

Præsidiū Samnitiū deletur.

ANNVS MVNDI 3736.

ONIÆ Pont. & PTOL. LAGIDÆ 7.

Imperij ALEXANDRI 13.

OLYMP. CXV. AN. 3. V. C. 435.

ANTE CHRISTVM 317.

I. Olympiadis ad Eumenē literæ. *Diodor.*

REDditæ sunt hoc anno Eumeni Polysperchontis Regum Tutoris literæ, redditæ sunt etiam Olympiadis, quibus ab eo sollicitè opem sibi & Regibus postulabat, Regum nomine Aridæum Alexandri fratrem, & duos eius filios adhuc paruulos intelligens. Et quoniam eius prudentiæ & fidei plurimum tribuebat, consilium etiam poscebat ab eo, an sibi autor esset diutius in Epiro subsistendi, an Macedoniam, quo eam Polysperchon euocabat, reuertendi. Cui respondit Eumenes, se in fide Alexandro debita con-

stan-

stanter permansurum, nec Antigoni ambitioni adhæsurum. Addit consultum videri, vt in Epiro ad finem vsque belli permaneat. Si autem cupiat in Macedoniam redire, omnium iniuriarum obliuiscatur, neque in quenquam acerbiore vtatur imperio. At illa neutrum fecit, nam & in Macedoniam rediit, & in ea crudeliter se gessit. Verum quoniam Antigonus copiosum exercitum contra ipsum duce Menandro mittebat, ex Cappadocia, cum copijs quas habebat ad manum, relicta Cappadocia, Tauroque superato in Ciliciam venit.

II. Eumenes sibi demeretur Argyraspides.

Ibi Argyraspidum duces Antigenes & Teutamus, Regum literis obsecuti, ad eum obuiam veniunt, cum mille suorum, quos tria millia eorundem sunt secuti, omnia prolixe pollicentes, & fortunæ in eo mutationem demirantes. Quorum ne inuidiam in se concitaret, potestate sua magna cum modestia & moderatione vsus est: & quingenta illa talenta, vltrò à Polysperconte oblata, sibi non accepit, sed in illos liberaliter effudit, & cæterorũ militum stipendiã, quibus copias suas vehementer auxit. Iniquo animo tulit Ptolemæus, qui Antigono consentiebat, Argyraspidas Eumeni coniunctos, eosq; ambo ab illo abducere conati sunt, sed irrito conatu. Quoniam vero minores habebat copias Eumenes, quam vt contra Antigonum aperto Marte pugnaret, Polysperconten in Asiam cum copijs per Phœniciam transferre conatus est. At re parum sibi succedente, quod eam prouinciam cum Syria Seleucus occuparet, non sine graui periculo Babyloniam versus iter intendit, indeque deuenit in Persidem, Antigono ex itinere male accepto: vbi per hyemẽ copias recreauit, & auxilia virorum pecunia tumque collegit.

Phœniciã adit, & mox Persidem

III. Athenienses Munychiam non recipiunt, & insuper Piræeum amittunt.

Interea Nicanor, qui Cassandri nomine Munychiam Athenis præsidio tenebat, ab Atheniensibus vrgebatur, vt ex ea decederet. At ille contrà, etiam Piræeum occupauit, & legatos expostulantes ad Cassandrum ablegauit, qui mox ab Antigono reuersus, cum 25. nauibus longis, & quatuor militum millibus, Piræeum subijt, & claustra portus in potestatem redegit. At Munychiam Nicanor retinuit, cum manu, quæ tutando castello sufficeret. Interim Polysperchon cum magnis copijs aduenit, quibus diuisis partem vnam ad obsidendum Piræeum constituit, eiq; Alexãdrum filium præfecit, ipse cum altera parte in Peloponnesum profectus, Megalopolitas obsedit: cumque lõgius protraheretur obsidio, relicta parte exercitus ad eam continuandam, ipse Clitum classis præfectum in Hellespontum mittit, qui se iungat Atidæo, & hostium ex Asia transitum impediat. Ibi Clitus primùm feliciter pugnat, contra Cassandri & Antigoni classem: sed mox vicissim Antigoni industria vincitur, & classe exutus, dum fuga elapsus, relicta naui Macedoniam cogitat, in Lysimachi quosdam milites delapsus, interijt.

Res à Polysperchõte gesta.

Clitimors.

IV. Ab eo Græci deficiunt ad Cassãdrum. Quid Athenienses

Pleræque autem Græciæ ciuitates, cum irritos Polysperchontis conatus ad Megalopolim vidissent, eo contempto ad Cassandrum defecerunt; ibique Athenienses de pace cum eo egerunt, ijs legibus, vt cætera sibi haberẽt Athenienses, Cassander autem Munychiam retineret, donec cum Regibus debellatum esset, & Præfectus vrbis eius arbitrio constitueretur. Electus est autem Demetrius Phatereus, qui Vrbem pacifice ipsis decem annis administrauit. Mox autem Nicanor, è nauali contra Clitum prælio, victorem classem in Piræeum reduxit, & in magno apud Cassandrum honore fuit. Verum tumidum factum, & suis militibus, quibus Munychiam tenebat præsidentem, dolo interceptum necauit.

Nicanoris mors à Cassãdro

V. Phocionis iudicium, & ædes. l. 18.

Incidit in hoc quoque annum, Diodoro teste, Phocyonis interitus. Accusatus enim est quod Munychiam, & Piræeum hostibus libertatis publicæ prodidisset. Cumque factione populari cum alijs vrbe pulsus esset, ad Polysperchontem profugerunt. Ad quem vicissim Athenienses miserunt earum accusatores; quibus benignè auditis Polysperchon, siue quod Phocyonem priuatim odisset, siue quod Ciuitati gratificari vellet, & ab æmulo suo Cassandro alienare, Phocionem cum suis comprehendit, & vinctos Athenas misit potestate concessa vel interficiendi si vellẽt, vel absoluendi. At populus, ne facta quidem Phocyoni potestate, vt se defenderet, omnia tumultu & vociferatione complebat; tandemque indicta causa, cum capite socioque damnarunt, quam illi epota more patrio cicuta obierunt, omnium bonorum comploratione honorati. E quibus cum quidã rogasset, nunquid vellet ad filium. *Maxime*, inquit, *iubeo, vt iniurtarum populi Atheniensis obliuiscatur.* Egregia plane vox vir magnanimi, & meliore Reipubl. digni.

Egregia hominis in patriã charitas. *Plut. in eius vita.*

VI. Samaltes negato fœdere, inducias obtinet

Romæ hoc anno à frequentibus Samnitium populis de fœdere innouando legati, cum humi strati Senatum mouissent, reiecti sunt ad populũ, qui negato fœdere, inducias biennij, multis fatigatus precibus concessit. Viuebat quippe adhuc recens memoria Caudinarum furcularum: & homines superbos, inconstantes, & ancipitis fidei, mallebant perditos, quam fœderatos. Ex Apulia vero Theanenses Canusiniq; populationibus fessi, obsidibus L. Plaucio Consule datis, in deditionem venerunt.

ANNVS MVNDI 3737.

ONIÆ, & PTOL. LAGI 8.

Imperij ALEXANDRI 14.

OLYMP. CXV. AN. 4. VRB. CO. 436.

ANTE CHRISTVM 316.

ARidæus, qui & Philippus Alexandri frater, ex Phylinna cõcubina Philippi, eiusq; vxor Eurydice militaribus artib. erudita; Macedoniæ præerat, qui non bene cum Polysperconte regni tutore cõueniebat, sicut nec Olympiadi dudum cum Antipatro. Eam ob causam Polysperchon Olympiadem cũ Alexandro, Alexandri ex Rhoxane filio, in regnũ reducere parabat. Quare cognita Eurydice Cassandrũ è Peloponneso, ad opẽ Macedoniæ ferẽdã euocat: & fortissimos quosq; Macedonũ, muneribus ac promissis ingentibus ad suas partes adducit: cum Polysperchon iuncto sibi Æacida Epirotarũ rege, apud quem

I. Polysperchõ reducit Olympiadem

Aridæus Eurydice coniux rebellat, quia Macedones defectum capiũt

Olympias iamdudum vetsabatur, contra Eurydicem ducit exercitum. Iamque erant castra castris opposita, cum Macedones Olympiadis dignitatem reuereriti, & Alexandri beneficiorum recordati, mutarunt animos, & Aridæo, atque Eurydice desertis, ad Olympiadem & Polysperconta transierunt. Ergo Philippus rex cum suo simulitio statim capitur, Eurydice paulò post, cum Amphipolim fuga petijsset.

II. Et ab Olympiade trucidantur.

Olympias comprehensos in tetram custodiam conijcit, quos cum diu male tractasset, Aridæum sagittis à Thracibus configi iussit. Eurydicę autem gladium, laqueum, & cicutam misit, vt qua morte perire mallet, eligeret. Quæ similia dona Olympiadi precata, zona vsa pro laqueo, vitam finiuit. Hæc fusius Diodorus. Nec Olympias hîc cædium finem fecit. Cum enim Cassandrum odisset, qui Aridæo, & Eurydice fuerat, & hostis erat Polysperconti, in quo in regnum fuerat restituta, Nicanorem Cassandri fratrem necauit. Tum de Cassandri amicis centum Macedones elegit, quos omnes trucidari iussit, cunctis eius crudelitatem detestantibus. Et merito quidem, præsertim si meminerant, quod obtinuisset nō poterat, quomodo se ista nō tegina, sed furia, in Philippum maritum, & æmulam Cleopatram, ante aliquot annos gessisset, vt in morte Philippi diximus.

Muliere crudeli.

a. m. 3718. num. 6. 7. 8. & 9.

III. Eumenes Seleucū, & Pithonē frustra allicit.

Hæc dum geruntur in Macedonia, Eumenes memor sibi demandatæ à Polysperconte prouinciæ, missis ad Seleucum & Pithonem legatis, erat hic Mediæ, ille Babyloniæ Satrapa, postulauit vt auxilia regibus subministrarent, & secum contra eorum hostem Antigonum pugnarent. At illi negant se Eumeni obtemperaturos; quin etiam & Argyraspidas sollicitant, vt Eumenem imperio spolient, sed frustra. Itaque Eumenes collaudata militum fide, & beneuolentia, contra vtrumq; exercitum ducit, & Susam versus contendens ad Tigrim castra posuit: vbi illorum Satraparum fraude, aperta vetere quadam fossa, magnum adijt facta inundatione discrimen, sed eo depulso, Tigrim superat, Seleuco transitum per inducias permittente. Qui nihilominus Antigonū monet, vt quam citissime contra Eumenem veniat. At is se maturius sex Satrapis, in quibus eminebat Peucestes, olim Alexandro clarissimus, & corporis eius custos, & ingentibus eorum copijs coniungit, & in Susiana stipendijs exercitui in sex menses numeratis, cum quiete aliqua recreauit. Ea re intellecta substitit Antigonus, & maiores copias contraxit. Sicque annus præsens in Asia tractatus est.

Periclitatur.

Alios sex Satrapas sibi iūgit.

IV. Apulia Romanis subiecta.

In Europa vero inclinatis semel in Apulia ad pacem & deditionem rebus, Theates ad nouos Coss. fœderis causa venerunt, populoque Romano autores erant pacis vniuersæ Apuliæ præstandæ. Impetrarunt autem vt ita fœdus daretur, vt in ditione populi Romani essent. Tarentum quoque in potestatem Iunij Consulis venit. Itaque Apulia peridomita in Lucanos itum est, ibique res prospere gesta.

* * *

ANNVS MVNDI 3738.

ONIÆ, & PTOLEMÆI LAGI 9.

Imperij ALEXAND. 15.

OLYMP. CXVI. AN. 1. VRB. CO. 437.

ANTE CHRISTVM 315.

INeunte Olympiade CXVI. aut potius transacta hyeme, & inchoante anno, in quo illa Olympias habitura erat initium, & in quo iudæi Sabbaticum egerunt 165. Antigonus, motis è Mesopotamia castris, in Babyloniam venit, & cum Seleuco & Pithone societatem iniit, & Tigrim iunctis nauigijs traijcere conatur. Cum Eumenes, eum transitu prohibiturus, ad Tigrim contendit: & transeuntem eam fluminis partem, quæ Pasitigris dicitur, tanta clade affecit, vt flumen cadaueribus completet, & caperet ad quatuor millia. Itaq; desperata traiectione ad Eulæum Susianæ amnem consedisse refert Diodorus, & in Mediam, per Cossæorum gentem duxisse, vbi Pithonis opera, exercitum suum male habitum equis & talentis instruxit. Quæ vbi resciuit Eumenes, Persepolim cum copijs 24. dierum itinere contendit, vbi à Peucestę, qui Persidis erat Satrapa, totus exercitus solenni epulo exceptus est, primatum sibi eius fauore ambiente. Sed eum Eumenes in officio continuit, fictis de aduentu Polysperconti contra Antigonum literis; & insuper mutuo acceptis ab ijs, à quibus sibi magis timebat, quadringentis talentis vt de credita pecunia solliciti, ab eo abstinerent.

I. Antigonus in transitu Tigris malè ab Eumene acceptus. *Diodor.*

Plut.

Eumenis prudētia.

Interea nuncius ad Eumenem affertur, Antigonum refecto exercitu iter in Persidem suscepisse. Cui obuiam ipse progreditur, vt certaminis aleam experiatur. Sed importuno admodum tempore, dum omnium se desiderijs accommodat, in morbum incidit. Cumq; exercitus non amplius quam vnius dieī itinere distarent, ipse meliusque habens, lectica circumlatus, in ordines suos egregiè instruxit exercitum, cū Antigoni ex edito colle inspicientis admiratione. Sed cum is locus parum esset pugnæ opportunus, vterque exercitus Gabienem certatim venire contendit, regionem commodam atque opulentam. Ingentes erant vtriusque copiæ, equitum, peditum, elephantorum, sed Eumenis aliquanto maiores. Ventum est ad pugnam, diuque ancipiti Marte pugnatum, donec nox, itineris & pugnæ labor prælium diremit. Etsi autem neutra pars sibi victoriam vindicauit, plures tamen ex parte Antigoni, quam Eumenis interfecti sunt. Ille postridie in Gamarga Mediæ, hic in Gabienem ab hoste intactam, in hyberna concessit.

II. Occurrit Antigono.

Pugnatq; ancipiti victoria.

Prius tamen suos in prælio mortuos magnificè sepelivit. In his Ceneus quidam Indus fuit natione, duarum vxorum maritus, quas inter ingens contentio fuit, vtraearum impetraret, vt cum marito mortuo viua combureretur. Iunior magno cum gaudio insanam victoriam adepta, æmulam quæ vterum ferebat, viuere coactam mœrore confectam reliquit.

III. Mulierū Indicarū mirabi. certamē. *Diod. l. 16.*

Cassan-

Cassander Olympiadē obsidet.

Cassander autem in Græcia infensus Olympiadi, ob crudelitatem in suos nuper exercitā, eam & tutorem eius Polysperconta bello persequitur. In hunc Callam ducem cum copijs mittit, qui militibus eius largitione corruptis, cum copijs, Olympiadem spoliauit auxilio. Ea se Pydnæ cum modica & imbelli manu concluserat, & à Cassandro terra marique obsidebatur. Cumque Æacides Epirota et veniret auxilio, conatus eius, Epirotarū seditione ac defectione irritus factus est, pleriſq; ab eo ad Cassandrum emigrantibus. Atque ita Olympiadis res intra breue tempus occidere: nec vltra sequentem annum sunt progressæ.

IV. Res gesta contra Samnites ad Satriculam & Plistiam.

In Italia L. Æmylius Dictator Satriculam oppugnare adortus, rebellandi causam Samnitibus dedit. Magno enim exercitu coacto, socijs opem ferre aggressi sunt; cumque ambo simul Romanos invasissent, alij in vrbem cum clade repulsi, alij in acie, haud dubia victoria superati sunt. Qui nihilominus desperata Satricula, Plistiam Romanorum sociam, vt parem hosti dolorem redderent, circumsederunt.

ANNVS MVNDI 3739.

ONIÆ & PTOLEMÆI LAG. 10.

Imperij ALEXANDRI 16.

OLYMP. CXVI AN. 1. VR. CO. 438.

ANTE CHRISTVM 314.

I. Summa rerū annj huius.

DEbilitatur hoc anno vehementer, ac pene profligatur imperium ab Alexandro partum. Nam Eumenes maximus regiæ familiæ propugnator occumbit: Olympias Alexandri parens iugulatur. Roxane cum posthumo Alexandri filio à Cassandro periclitatur, & custodiæ traditur. Peucestes & Seleucus satrapias, Pitho etiam vita priuatur. Antigonus in Asia, Cassander in Græcia, Ptolemæus in Ægypto rerum potiuntur. Antigoni porro castra vt ab eo ducamus initium, ab Eumenianis decem dierum itinere distabant; qui admodū dispersi erant, non ex vsu belli aut Imperatoris voluntate, sed veteranorum parum obsequentiū pertinacia. Eos ergo priusquam se colligere possent, inuadere conabatur Antigonus, sed eius solertiam Eumenis elusit industria.

II. Antigoni contr Eumenē suprema pugna.

Post paucos autem dies, cum 40. tantum stadijs castris castra distarent, dux vterque de summa rerum acturus, exercitum adprælium instruit. Signo pugnæ dato, initium belluæ inter se cōmissæ faciunt, tum equitum multitudo concurrit, cum Antigonus equites expeditos mittit, qui Eumenianorum impedimenta, quæ quinq; stadijs aberant, occupent, qui leui pugna cōtra propugnatores commissa improuidos fugant, & puluereæ nubis densitate tecti, omnibus impedimentis potiuntur. Interea Antigonus cum conferto lectissimorum globo, Peucestē Persidis satrapam inuadit, qui cum mille & quingentis equitibus excedit è prælio, ex antegressa in Eumenem conspiratione, vt significat Plutarchus. Nihilominus Eumenes fortiter resistit Antigono, Argyraspides pedestri victoria sinat potiri. Et cupiebat quidem Eumenes iterū collecto equitatu cum Antigono confligere, vt non sua solum, si vicisset, impedimenta reciperet, sed hostilia quoque lucraretur.

Peucestis proditio.

Verum Eumenes qui precariò fere ducem agebat, propter militum pertinaciam, nihil impetrauit. Quin etiam Macedones amissis cum impedimentis vxoribus & liberis furere, & in Eumenem improbissime coniurare, & mox legatione ad Antigonum missa de recuperandis impedimentis, Eumenem correptum ac ligatum hosti tradunt, acceptaque fide castris eius aggregātur, quæ copiosius ex Plutarcho in Annalibus explicata studiosus lector inueniet, & indignabitur opinorum istos Argyraspidas, & vicissim in Eumenem virum optimum, ac de ipsis bene meritum commiseratione tangetur, cum viderit illos Eumenem nihil perfidiæ suspicantem, dissimulanter circumstetisse, mox impetu in illum facto, ensem duci suo eripuisse, & zona manus post tergum colligasse. Cum audierit Eumenem proditores suos Argyraspidas ex vinculis increpantem fidei ac iusiurandi violati, & mortem quamlibet à subditis suis infimis precibus implorantem.

III. Argyraspidæ in Eumenē conurāt, eumque comprehendunt.

Luctuoso spectaculo.

Illum nihilominus Argyraspides, cæteris collachrymantibus, abduci ad Antigonum iubent, qui eum primo quasi trucem belluam custoditi iussit, cumque Antigonus ac Demetrius, aliique principes ab eo cōseruando non alieni viderentur, Argyraspidas, qui ab eo sibi male metuebant, peruicerunt vt tolleretur, ergo biduum triduumue inedia maceratus, immisso percussore trucidatur: anno ætatis 45. quorum 7. cum Philippo, 13. cum Alexandro vixerat. Antigonus corpus concessit amicis, qui cremati reliquias in vrnam argenteam conditas, ad vxorem & liberos eius in Cappadociam detulerunt. Inde reducto in Mediam exercitu, circa Ecbatana reliquam hyemem transegit. Et primum Antigenem Argyraspidum ductorem comprehendit, viuumque in loculo condirum exussit, tum alios etiam è ducibus sibi infensos sustulit, Pithonem quoque defectionē in Media meditantem, promissis ad se allectum comprehendit, & necauit. Eumenis & Pithonis familiares, maioribus copijs circumuentos perdidit. Peucestem satrapia Persidis exuit, & Arachosiorum satrapæ Argyraspidarum turbulentissimos commendat, verbo quidem ad belli vsus, re autem ipsa ad interitum. Priuatim enim iniunxit, vt iis periculis obiiceret, in quibus perituri essent. Sicque Antigonus Eumenem breui vltus est imprudens.

IV. Et Antigono tradunt occidunturqi.

Eius ætas & funus.

Argyraspidæ puniuntur. Diodorus.

Pithonis mors.

Cum autem sine controuersia iam Asiæ Dominus esset, regio honore à Persis acceptus est, ibique satrapias pro arbitratu distribuit. Cumque Susis 25. millia talentūm confecisset, vigesimis secundis castris Babylonem peruenit, vbi Seleucus satrapa eum regalibus donis honorauit, & exercitum vniuersum conuiuio excepit. Dum autem rationes prouentuum ab eo exigit Antigonus, illeque eas reddere non vult, dissidium nascitur: quo glisceute veritus Seleucus Pithonis casum & Eumenis, ad Ptolemæū Lagidem cum 50. equitibus confugit: Antigono gaudio triumphante, quod sine sanguine & sudore Babylonicam satrapiam Seleuco fugiente

V. Antigonus Asiæ Dominus Babylone Seleucum fugat.

Capuana coniuratio.

obscurarunt, detectæ sunt, ad easq; indagandas C. Manius Dictator creatus est, nonnullique metu sibi manus intulerunt, res tamen breui sopita est. In eam spem Samnites intenti Caudium venerunt ex Apulia; vt si res Capuæ ex eorũ sententia succederet, Capuam ex vicino Romanis eriperent. Eò Consules cum valido exercitu profecti, & post aliquot velitationes, ad prælium totis viribus progressi non sine discrimine victores facti sunt. Ad 30 millia de hostibus aut cæsis aut captis; reliqui Beneuentum, olim Maleuentum profugerunt. Vide hæc apud Liuium pluribus.

Beneuẽtum.

3741. V. Tyrus ab Antigono expugnatur.

Sequenti anno pleraque minuta prælia commissa sunt variis in locis inter duces & ciuitates, quę alterutri parti fauebant; nec quidquam occurrit ad memoriam insigne, præter Tyrum ab Antigono expugnatam. Cum enim, vt tradit Diodorus, is ab anno superiore iam maris potẽs esset, & frumenti importationem intercluisset, 15 mensibus obsidione tolerata, qui Ptolemæi nomine vrbem propugnabant, necessitate compulsi, deditione facta cum rebus suis abiere, magno vtique Ptolemæi dolore, qui eadem opera vniuersim pene Syriam, & maris imperium, quod fere apud Tyrios erat & Phœnices, amittebat. Hoc quoque anno nota est Cassandri inconstantia. Is enim cum ea conditione in Asia cum Antigono transegisset, vt milites omnes Antigono traderet, & Græcis vrbibus libertatem concederet, & Satrapiam, quam prius habuerat, tanquam donum retineret, & amicitiam cum Antigono fideliter coleret, ad eamq; firmandam fratrem Agathonem obsidem dedisset, post dies aliquot fœderis pœnitens, fratrem è custodia surripit, & legatione ad Ptolemæum & Seleucum missa, vt quamptimum sibi auxilia ferrent, contendit.

Cassandri inconstantia.

VI. Fregellæ & Nola captæ

At Romæ simul cum Coss. creatus est Dictator C. Petilius, à quo arx Fregellana, à Samnitibus capta, & nocte Dictatore superueniente deserta, sine certamine recepta est, validoque præsidio imposito, ad Nolam repetendam in Campaniam venit, incensisq; suburbiis, vrbem cepit. Aliquot autem coloniæ hoc anno à Romanis deductæ sunt, Suessa ad Aurunccos, ad Volscos Pontia. Aliæ quoque duæ Interannum & Casinum.

Nouæ coloniæ.

ANNVS MVNDI 3742.

ONIÆ & PTOLEMÆI LAGIDÆ 13.

Imperij ALEXANDRI 19. & vlt.

OLYMP. CXVII. A. 1. VRB. CO. 441.

ANTE CHRISTVM 311.

I. Ptolemęus res prospere gerit. Cui repugnat frustra Demetrius.

PRincipio anni huius, quem pleriq; initium regni Græcorum constituunt, Ptolemæus in Ægypto Cyrenæos deficientes, & Cyprios imperium detrectantes subegit. In superiore autẽ Syria & Cilicia res prospere gessit; quippe singulari humanitate ac beneuolentia milites sibi reddebat obsequentissimos, & ad omne discriminis genus expeditos. Quæ cum Demetrius Antigoni filius accepisset, è Cœlesyria in Ciliciam, suis opem allaturus excurrit, irrito tamen conatu, iis iam oppressis, quibus vt opem ferret iter incitatissimum susceperat. Hîc Seleucus Ptolemæum inuitat ad expeditionem contra Demetrium, quem oderat vt Antigoni filium, à quo Babylonica satrapia fuerat eiectus: nec ægre Lagidem lætis successibus gaudentem, perpulit ad bellum. Eduxitque ex Ægypto 18. millia peditum, & equitum quatuor millia, & ad Gazam Palæstinæ castra posuit.

Seleucus bellum mouet in Demetrium.

Demetrius quoque eodem milites vndique ex hybernis coëgit, cumque longe Seleuco copiis impar esset, dissuadentibus suis, iuuenili ferocia incitatus, vix enim secundam ac vigesimum annum excesserat, dimicare statuit, & pugnauit, sed euentu infelici. Nam post acre prælium cedentibus suis, ipse quoque cedere coactus est; dumque plerique Gazam ex fuga inferunt sese, hostis quoque confertim illatus, vt bẽ occupauit, Demetrio nocte Azotum cuadente. Scribit Plutarchus in eo prælio quinque millia desiderata, & ad octo millia capta, quorum plerique Ptolemæi humanitate capti ei sese dediderunt, & cum eo in Ægyptum profecti sunt, vt scribit Iosephus ex Hecatæo Abderita, qui cum Ptolemæo commorabatur. Huius humanitatis argumentum fuit: quod cum postridie à prælio Demetrius corpora ad sepulturam postulasset, non solum ea concessit, sed regiam quoque supellectilem, quæ in suam potestatem venerat, cum plerisque aulicis eius captiuis, Demetrio sine redemptione remisit, negans se de præda, sed de gloria, imperioq; certare. At Demetrius contrà precatus est Superos, ne eius beneficij diu debitor maneret.

II. Eumque vincit ad Gazam.

Er cum cohumanitate certat. *l. 1. con. Apionem.*

At Ptolemæus Phœniciæ vrbes, victoria vsus, partim vi, partim deditione accepit: Sidonẽ etiam ac Tyrum, ad quam sibi tradendam cum Andronicum prælidij præfectum magnis præmiis inuitasset, ab eo etiam cum cõtumelia repulsus est. At cum is aliquanto post per seditionem ciuium, in manus Ptolemæi deueniisset, expectare tq; promeritum linguę procacitate supplicium, non solum veniam ei mitis Ptolemęus dedit, sed muneribus etiam affectum inter amicos cooptauit, probata ipsius erga principem suum fide atque constantia. Hæc porro Ptolemæi clementia vehementer ei homines adiunxit, & ad acquirendum firmandumque imperium profuit. Nonnullam tamen mox cladem accepit, cum Cillenum Macedonem, quem cũ valido exercitu reliquerat ad Demetrium iam profligatum, tota Cœlesyria exigendũ, oppressum accepit à Demetrio, viuumque captum, & hostem exercitu sine prælio potitum. Interea vero Antigonus à filio nuper auxilio euocatus superueniens, iunctis cum eo copiis, Phœniciam sine prælio recepit, cedente Ptolemæo, ne rerum suarum summam, aduerso prælio in discrimen adduceret.

III. Ptolemęus Phœniciam recipit, eius in Andronicum humanitas.

Moxque amittit.

Seleucus interea Demetrij & Antigoni absentiam ab Asia, commodam ratus opportunitatem præfecturæ Babylonicæ recuperandæ, acceptis à Ptolemæo peditibus octingentis, & ducentis equitibus, Babylonem proficiscitur, & auctis in Mesopotamia copiis, suisque bene animatis, Babyloniam ingreditur, plurimos, quos quadriennij præfectura deuinxerat sibi

IV. Seleuaus ope Ptolemæi Babyloniam recuperat.

adiungit, & cum iis arcem oppugnatam in potestatem redigit, amicos libertati restituit, omnesque ciues ad sui defensionem & obsequium propensos reddidit. Quæ cum Nicanor Mediæ præfectus accepisset, cum magnis copiis in Babylonem mouet, cui occurrens trans Tigrim Seleucus delituit, & hostem negligentem improuisus inuadit, omnia tumultu ac cædibus replet, sed magna pars exercitus ad Seleucũ transit, quo potitus, Nicanore cum paucis ad deserta loca fugiente, humanitate, quam à Ptolemæo didicerat, facile Susianum & Mediam suæ ditioni adiecit, sicque Imperij Seleucidarum, siue Regni Græcorum fundamenta iecit.

Quod tamen dum exoritur non leuiter periclitatum est. Nam cum Nicanor cladem suam, & Seleuci successum perscripsisset ad Antigonum, ipse de superioribus prouinciis sollicitus, Demetrium cum copiis Babylonem misit, qui Satrapiam reciperet, eaq; recuperata celeriter ad mare descenderet. Ille Damasco profectus Babylonem venit, vrbem præsidio vacuam inuadit, arcium vnam expugnat, ac diripit, alteram vni ex amicis suis obsidendã relinquit, quoniã iussio patris reditum vrgebat: vrbem autem ipsam populatus est, quasi defectionem ad Seleucum ulturus; sed eo ipso facto & regnum illius stabiliuit, & omnium animos à se ac parente suo reddidit alienos. Quæ quia exeunte ferme anno contigerunt, Seleuci regnum quod Græcorum dictum est, ad annum sequentem dilatum est.

In Italia Valerio Decioque Coss. cum Samniticum bellum pene profligatum esset, Hetrusci belli fama Senatum ad metum & ad Dictatorem requirendum induxit. Cum autem vterque populus non inferre, sed propulsare bellũ cogitat, neuter finibus suis egressus est. Clara hoc ipso anno Appij Claudij censura fuit, tam via strata lapidibus, per mille amplius stadia, vt ait Diodorus, à porta Capena ad vrbem Capuam; quam aqua fluminis Anienis in vrbem per 80. stadia deducta, quam in Auentini vsq; vertice cõpulit, & vtraque Appia dicta est. sed de ea re plura in Annalibus ex Frontino reperies, sicut & de causis cæcitatis eiusdem.

REGNVM GRÆCORVM.

ANNVS MVNDI 3743.

ONIÆ & PTOLEMÆI LAGI 14.

SELEVCI & Imperij Græcorum 1.

OLYMP. CXVII. An. 2. VRB. CO. 442.

ANTE CHRISTVM 310.

ETsi plerique Æram Seleucidarum, quam Scriptura Regnum Græcorum vocat, in præcedenti anno collocant: ad hunc tamẽ differendam Scriptura ipsa persuadet, quæ exigit vt annus 150. regni Græcorum, qui est mundi 3892. sit Sabbaticus. Id autem contingere non potest, nisi regnum Græcorum hoc anno inchoëtur, Rursus cum ille idem annus, Iosepho teste, incidat in 154. Olympiadem, si regni huius exordium in annum præcedentem referatur, incidet ille idem annus in Olympiadem 153 eiusque annum vltimum. Sed hæc in Annalibus diligentius explicata, hic supponantur. Est ergo hic annus exordium Imperij Græcorum, quo Seleucus, recuperata Babylone, dominari cœpit, & neminem superiorem agnoscere: & propter eximiam erga omnes humanitatem, toti populo acceptissimus fuit; quo etiam factum est, vt in posteros eius subditos, qui Asiam & Syriam incoluerũt, annus hic notabilis transmittendus videretur. Variè tamen à Iudæis & Chaldæis initium vsurpatum est. Iudæi enim, qui in Syria censentur, ab hoc anno regnum Græcorum inchoans, Chaldæi autem à sequenti, vt ex libris Machabæorum constat, quorum prior Syriacam chronologiam sequitur, posterior autem Chaldaicam. Prior enim libet Epiphanem mortuum dicit anno 149. posterior autem refert literas Eupatoris successoris eius anno 148. & post obitum Epiphanis. 49. & 14. 1.14.c 11

Scribit Diodorus hoc anno Cassandrum, Ptolemæum & Lysimachum pacem cum Antigono fecisse, hisce legibus vt Cassander summus Europæ dux esset, donec Alexander è Roxane, ad maturam ætatem peruenisset, Lysimachus Thraciam haberet in potestate, Ptolemæus Ægypto, & conterminis in Africa & Arabia ciuitatibus imperaret, Antigonus præesset toti Asiæ, Græci suis legibus viuerent. Quæ pacta cum nullam Seleuci mentionem faciant, apparet ab Antigono inita, vt vires omnes suas in Seleucum verteret, à quo se Asia tota spoliatum iri, non sine causa metuebat. Verum principes isti non diu hisce pactis steterunt, sed singuli probabiles captando causas, ditiones suas amplificare conabantur. Cassander autem in primis capitalis fuit, qui æmulum ambitionis suæ Alexandrum adolescentem, cum Roxane matre à Glaucia custodiæ præfecto obtruncari iussit. Quo facto principes isti omnes metu, qui ab eo rege imminebat, exoluti sunt. Supererat tamen adhuc Hercules Alexandri ex Barsinia filius, quem Cassander post biennium interficiendum curauit. II. Noua diuisio imperij Græcorum.

Noui Coss. Romæ prouinclas inter se partiti sunt, Iunio Samnites, Æmylio Hetrusci obtigerunt. Iu Samnio Cluuiam, & præsidium Romanum obsessum, Samnites fame in deditionem acceperant, & deditos verberibus fœde laceratos, occiderant. Huic infensus crudelitati Iunius, oppido vno die expugnato, puberes omnes interfecit. Inde Bouianum ductus victor exercitus, oppidum Samnitium longe ditissimum; eóque spe prædæ accensi milites breui potiuntur, vnde plus prædæ, pene quam ex omni Latio vnquam egestum est, eáque omnis militi benigne concessa. Nec ita multo post idẽ exercitus, in saltuosis locis insidiis appetitus, ex magnitudine periculi fortitudinem amplificans, tanto ardore pugnauit, vt viginti hostium millia cæsi dicantur, victorque Romanus ac oblatam vltro ab hoste prædam, securus excurrerit. III. Romana res in Samnio.

In

IV. Et in Hetruria.

In Hetruria, Sutrium, vrbem populi Romani sociam, Hetrusci obsidebant, conuenit vtraque acies; & dum alteri alteros expectant vltra meridiem dilatum est certamen. Tandem à Tuscis inchoata pugna est, quæ diu anceps fuit, donec in mutuam obstinatos cædem, nox pugnare prohibuit. Romani certe multi in prælio cæsi, plures ex vulneribus in castris decesserunt, nec vlterius hoc anno in Hetrusco bello progressum. Vterque Consul alter de Hetruscis, alter de Samnitibus triumphauit: vterque sextili mense, vt in fastis Capitolinis annotatum est.

ANNVS MVNDI 3744.

ONIÆ & PTOLEMÆI LAGIDÆ 15.

SELEVCI Imperij Græcorum 2.

OLYMP. CXVII. An. 3. VR. CO. 443.

ANTE CHRISTVM 309.

I. Insignis Eclipsis Solis. Ptolemæus bellum renouat.

NOtam insignem habet hic annus deliquiũ Solis, quod tantum fuisse Diodorus tradit, vt interdiu stellis vbique apparentibus, dies omnino noctis instar esset. Cum Ptolemæus, vt à pactis cum Antigono initis discederet, ei crimini dedit, quod Græcas vrbes cum præsidio teneret. Itaque bellum renouauit in Antigonum, & missis, Leonide præfecto, copiis, asperæ Ciliciæ vrbes Antigono subiectas potestatis suæ faciebat; sed contra eum missus Demetrius Antigoni filius Ptolemæi duces vicit, & vrbes recuperauit. Interea Polyspercon Macedonia se priuatum ægre ferens, commodam eius recuperandæ viam inuenit, restitutionem Herculis Alexandri & Barsines filij, in patrium, auitumque regnum, cui pridem Cassander incubabat, in eam rem socios vndique pecuniasque conquirit. Ætoli inprimis, cum multis aliis, ad noui regis moliendum reditum confluunt, ad 20 millia peditum, equitesque mille, sed quam luctuosum res exitum habuerit, sequens annus docebit.

Et Polysp. cõ.

II. Appij Claudij Censura.

Romæ autem Appius Claudius cum iam in Censura decimum octauum mensem perseueraret, à Tribunis acerba oratione vexatus est, & in vincula duci iussus. At appellanti Appio tres Tribuni affuere, quorum opera, cum summa omnium ordinum inuidia, in Censura perseuerauit. Interea Sutrium Hetrusci obsidebãt, cui cum Fabius auxilio esse vellet, acerrima vtrimque pugna certatum est, donec Hetruscorum acies auersa est in fugam, versus castra sua, quibus dum Romani intercurrunt, ipsi omissis castris, montes, & Ciminiam syluam, vulneribus multis debilitati, petunt. Romani duodequadraginta militaribus signis captis, castrisq; cum ingenti præda potiti, post late vagatam depopulationem, victores ingenti præda opulenti in castra reuertũtur. Sed hęc victoria belli propagatio fuit. Nam præter Hetruscos, Vmbriæ finitima, ad excindendum Sutrium, quãto nunquam antea exercitu conuenerunt; & Romanos, propter paucitatem cunctantes, ad pugnam iuuitant. Consul suos de more ad hortatus, etiam spe noui auxilij, quod simulabatur, animat. Tum ad quartam noctis vigiliam hostem semisomnem, & pridiano labore fatigatum, inuadit, tantaque in eum cæde bacchatur, vt eo die ad 60 hominum millia, partim cæsa, partim capta dicantur. Itaque legati pacis causa à præcipuis Hetruriæ populis Romam missi, inducias in annos triginta impetrarunt.

Romanorum pugna cõtra Hetruscos, ad Sutriũ.

Renouatur bellũ, quod inducię ad annos 30 sequuntur.

Nec minus interea C. Martius Rutilus, apud Samnites bene rem gerebat. Cum Samnites rati Romanos in Ciminia sylua circumuentos perijsse, armis virisque, ab obterendum C. Martiũ, quasi is vnus cladi superesset, concurrunt. Obuius iis Consul fuit, pugnarum vtrinque atrociter, sed incerto euentu. Fama tamen de aduersa pugna Romam delata, ad dicendum Dictatorem, eumque Papyrium Cursorem, qui tum gloria bellica maxime florebat incitauit. Et quia Marcius qui vulnus acceperat, putabatur occisus, ad Fabium ventum est, qui Papyrium cum quo antiqua iam illi erat simultas, non exigua sui victoria Dictatorem in gratiam Senatus, nocte dixit. Res autem ab eo gesta ad sequentem annum pertinet.

III. Res in S. nio gest

ANNVS MVNDI 3745.

ONIÆ & PTOLEMÆI 16.

SELEVCI Imperij Græcorum 3.

OLYMP. CXVII. A. 4. VRB. CO. 444.

ANTE CHRISTVM 308.

HOc anno, quem Sabbaticum ordine 166. Iudæi numerabãt, Ptolemæus male in Cilicia à ducibus suis gesta correxit. Nonnulla enim oppida, atque arces munitas in Asia minore, Lycia, Pamphilia, aliisque locis occupauit. Tum in Con insulam profectus, acciuit Ptolemæum, Antigoni ex fratre nepotem, qui relicto patruo, cum exercitu ad Ptolemæum Lagidem defecerat. Eum igitur ex Chalcide profectum, & Con delatum Ptolemæus humaniter accepit. Postea vero cum ille se gereret insolentius, & res nouas moliri videretur, præoccupatum custodiæ tradidit, & cicutam bibere coëgit, eiusque milites in suorum ordines coniecit. Atque ita ambitio, quæ hominem desertorem fecerat, etiam perdidit. Sed luctuosus etiam ab ambitione facinus hoc anno contigit.

I. Res à P lem. ęo gesta.

Alter lu Ptolem cædes.

Cum enim Polyspercon numerosum collegisset exercitium, vt Herculem Alexandri filium in paternum Macedoniæ regnum induceret: Cassander cum exercitu superuenit. Cum autem castra castris vicina essent, nec illubentes Macedones viderent Regis sui reditum, veritus Cassander ne se deserto, ad illum transirent, legatos ad Polyspercontem mittit, qui hominem priuatim doceant, constituto rege, se ad aliena imperia adactum iri; sin adolescentem sustulerit, pristinas statim largitiones in Macedonia consecuturum, & coniunctis secum copiis summum Peloponnesi ducem, & omnium secum honorum, ac principatus consortem

II. Cassander & Polysperc filium Alexandri Macedo dunt.

fore. Itaque fœdere cum Cassandro clam inito, regem suum, & quasi pupillum dolo circumuentum sceleratus occidit: moxque viris ac pecuniis potens, transitum in Peloponnesum per Bœotios frustra tentauit, digressusque ad Locros Achaiæ, illic hybernauit. Interim in Chersonelo Lysimachus vrbem condidit, quam Lysimachiam nuncupauit. Eodemque mox iure diuersis temporibus Seleucus, Cassander, Antigonus, Alexandri exemplo vrbibus sua nomina indiderunt.

Lysimachia condita.

III. Victoria contra Hetruscos & Samnites.

Romanus autem Dictator Papyrius cum nouis copiis in Hetruriam venit: & ad Vadimonis lacum cum Hetruscis, pertinaci animorum contentione, certauit. Cæsum in acie quod Hetrusci roboris fuit, castra eodem impetu capta, direptaque. Pari sub idem tempus periculo, gloriæque euentu cõtra Samnites dimicatũ est, quibus scuta auro argentóque cælata, neque auxere fortitudinem, neque Romanorum minuere. Cumque Dictator dextrum cornu duceret, sinistrum Mag. equitum, certamen fuit inter eos, vtra ex parte victoria inciperet. Prior forte Iunius summouit, ac retroëgit hostem. Quod vbi sensit Dictator, verbo atque exemplo milites ita excitat, vt fuga à Samnitibus cœpta, campi corporibus armisque insignibus replerentur, castra ad quæ confugerant, capta direptaque incenderentur. Parta victoria ex Senatus consulto triumphauit, cuius triumpho speciem longe maximam arma captiua præbuere, quæ deinde ad ornandum forum argentariis diuisa sunt. Fabius autem Consul, neque enim successorem habuit hoc anno, reliquias Hetruscorum persecutus, Perusiam deditione accepit, præsidioque imposito Hetruscos pacem petentes Romam misit, ipséque mox fauente Senatu, non minore quam Dictator gloria, triumphauit.

Hoc quoque anno Ptolemæus Græciæ vrbibus libertatẽ restituere conabatur, quod multum rebus suis, ex Græcorum beneuolentia, accessurum speraret. Idque in Andro, Sicyone, Corintho perfecerat. Verum cum vrbes frumentum, & pecuniam suppeditare iussæ, non parerent, indignatus Ptolemæus pacem cum Cassandro, qui Athenas cum præsidio tenebat, ea conditione iniit, vt quas quisque tum vrbes haberet in potestate, eas retineret, ipséque Sicyonem ac Corinthum præsidio firmauit, obsedit Halycarnassum, & obsidione à suis continuata Ægyptum ipse repetit.

II. Græcis vrbes Principibus suis sunt.

Romæ deuictorum Samnitium decus, magna ex parte legatis Consulum P. Decio, & M. Valerio tribuebatur, isque populi fauor Decio alterum Consulatum, M. Valerio quartam Præturam conciliauit. Q. autem Fabio, ob Hetruriam egregie perdomitam, Consulatus continuatur. Prouincias sorte partitis Hetruria Decio, Samnium obuenit Fabio, vbi secundis aliquot præliis rem bene gessit, nominatim autem Marsos, & Pelignos; tum primum à Romanis deficientes, compressit. Decius autem circumferendo per Hetruriam bello, tantum hosti terrorem incussit, vt omne nomen Hetruscum fœdus à Consule peteret; neque tamen quidquam, præter annuas inducias impetrarunt, quas etiam annuo in exercitum Romanum stipendio, cum binis in militem tunicis redemerunt.

III. Res a Romanis Samni & Hetr ria.

Tranquillas res Hetruscorum, Vmbrorum defectio repentina turbauit, qui tantum copiarum contraxerunt, vt vrbem ipsam oppugnaturi crederentur. Itaque Consul Decius sponte, Fabius euocatus in vrbem venit. Ea re cognita tantum terroris Vmbris iniectus est, vt de fuga potius, quam de bello cogitarent. Ne tamen nihil egisse tanto conatu viderentur, Fabium castra vallantem adorti sunt. Verum vbi se Romani collegerunt, tantam in hominibus ignauiam offenderunt, vt pene sine vulnere vincerentur. Eam victoriam Vmbrorum deditio facile secuta est. Tum Fabius victor in suam prouinciam reduxit exercitum. Quas ob res, sicut priore anno populus ei continuauerat Consulatum, ita Senatus in annum insequentem ei prorogauit imperium.

IV. Et con Vmbro gesta.

ANNVS MVNDI 3746.

ONIÆ & PTOLEMÆI LAGIDÆ 17.

SELEVCI & Imperij Græcorum 4.

OLYMP. CXVIII. A. 1. VRB. CO. 445.

ANTE CHRISTVM 307.

Cleopatra soror Alexandri occiditur. *Diodor.*

HIC quoque annus Alexandri magni sanguine cruentatur. Cleopatra enim eius soror Philippi filia, cuius nuptiæ cum Alexandro auunculo, ipsius Philippi cæde funestatæ fuerãt, hoc anno Antigoni iussu interficitur. Eius nuptias ambiebant Cassander, Lysimachus, Ptolemæus quoque & Antigonus, rati Macedones eius auspicia secuturos, cui Cleopatra nupsisset. At Cleopatra Antigono, in cuius erat potestate, infensa, & in Ptolemæum propensa, Sardibus abire, & ad Ptolemæum transportari cupiebat, Sardium Præfecto, ex Antigoni mandato, discessum prohibente. Qui mox iussu eiusdẽ illam per fraudem necauit. Eius mortis infamiã Antigonus vt vitaret, scelus scelere cumulauit. Quasdam enim ex mulieribus, quæ Cleopatræ famulabantur, quasi vitę illius insidiatas capite plexit, & funus regia magnificentia curauit.

ANNVS MVNDI 3747.

ONIÆ & PTOLEMÆI LAGID. 18.

SELEVCI & Imperij Græcorum 5.

OLYMP. CXIII. An. 2. VR. C. 446.

ANTE CHRISTVM 306.

INsignis habetur hic annus Democratia, siue libertate Græcorum, in primisque Atheniensium recuperata, & rebus in Cypro Ptolemæum inter atque Demetrium gestis. Datæ porro libertatis causa partim fuit, vt acquisita vrbium beneuolentia atque subsidiis, singuli facilius æmulis suis præualerent, partim vt gloriosè à populis prædicarentur. Cum enim Ptolemæus obsideret Halicarnassum, eamque Demetrius

I. Græcis vrbibus libertas data, & qua occasione *Diodor.*

metrius obsidione liberasset, eoq; facto ingentem gloriam esset consecutus, magno cupido Demetrium incessit, atq; Antigonum Græciam vniuersam liberandi, quæ Cassandri & Ptolemæi dominatu tenebatur. Eum tamē dominatum Phocion vir prudentissimus, & vere amans Reipubl. vtiliorem Athenien sibus ipsa libertate censebat. Nec tamen ciuium suorum seruitute, sed virtute ac modestia lætabatur, quam maiorem agnoscebat in timore præsidij, quam in laxiore, & impunita libertate.

Phocionis prudentia.

II. Demetrius Athenas liberat.

Cū ergo Demetrius, vt ait Diodorus, ab Antigono patre in mandatis accepisset, vt omnes Græciæ vrbes, primamque omnium Athenas, quæ Cassandri præsidio tenebantur adhuc, in libertatem vindicaret, cum ingēti classe, omniq; telorum apparatu Epheso soluit, & fauces portus nactus apertas, in eū inuectus est, & omnib. factus conspicuus, impetrato silentio, præconis voce proclamauit; sed à patre ad libertatem Athenarum & præsidium ex vrbe tollēdum, missum esse. Eam vocem ingentes publici clamores, plausus, gratulationes sunt consecutæ. Phalereus, qui vrbem Cassandri nomine regebat, cum de retinenda vrbe desperaret, quam videbat Demetrio sese incredibili consensione dedere, eundemq; cum maxima classe portum occupasse, sibi à ciuibus hostibusque timens, ad Demetrium ipsum confugit, à quo Thebas deductus, in Ægyptum ad Ptolemæum venit.

III. Munychiā obsidet, & expugnat.

Demetrius a. Munychiam, quæ valido præsidio Cassandri tenebatur, obsidet, negās se prius vrbem intraturum, quam ei, sublato præsidio, solitam libertatem reddidisset. Dumque tenet obsidio, Megaram incessam à Cassandro, nauigauit infestus, eamque captam Atheniensium precibus liberam prorsus reliquit. Inde Munychiam reuersus, ea potitus, præsidium sustulit, arcemque excidit, & veterem vrbis administrationem ciuitati restituit; deniq; amicitiæ & societatis fœdus cum eis sanxit. Propter quæ merita, Athenienses in Demetrium & Antigonum in putidas adulationes intēperanter effusi sunt, vt in Annalibus leges, eò quod insuper sperarēt se ab Antigono frumentum & naues accepturos, quæ etiam missa legatione impetrarunt.

Atheniēsium adulatio.

IV. Demetrius in Cypro Ptolomæum vincit.

Interea Antigonus iubet Demetrium, transportatis in Cyprum copijs, quam citissime cū Ptolemæi ducibus bellum gerere. Quò vt peruenit, aliquot vrbibus vi captis, Salaminam, vbi Menelaus Ptolemæi frater insulæ præses versabatur, infestus petit, cum eo obuiam progresso pugnat, eumq; vincit. Quin & Ptolemæum auxilio classe subuectum superat, eoq; in Ægyptum reiecto, tota insula potitus, victoriam patri nunciat. Qui successus magnitudine elatus, diadema sibi imposuit, & Regis nomen nuper ab Athenien sibus per adulationem delatum, sibi deinceps filioq; vsurpauit. Quod quam primum Ptolemæus, accepta licet clade, tū Seleucus, Cassander, Lysimachus imitati, sese Reges appellauere. Antigonus autem expeditionem in Ptolemæum in annum sequentem parauit.

Duces Alex. Regis nomen vsurpant.

V. Romana res.

Romæ in creatione Consulum nonnihil certatum. Nam Appius in Censura Consulatum petebat, sed vbi ea abdicauit factus est Consul, Remque publicam Romæ magna cum autoritate gubernauit. Alter Consul Volumnius contra Salentinos profectus multa secunda prælia fecit, benignitate militi gratus. At Fabius proconsul ad vrbem Allifas cum Samnitibus conflixit, victosque, & in castra compulsos sub iugum misit; eorum tamen socios sub corona venumdedit.

ANNVS MVNDI 3748.

ONIÆ, & PTOLEMÆI LAGI 19.

SELEVCI, & Imperij Græcorum 6.

OLYMP. CXVIII. An. 3. V. C. 447.

ANTE CHRISTVM 305.

Hic annus Antigoni Demetrijque animos prospera fortuna tumentes, inopina clade compressit. Nam præter filij natu minimi obitum (vt videtur fuisse, qui ante annos quatuor à patre cōtra Phœnicem in Hellespontum missus fuerat) classis eius ingenti clade afflicta est. Erat ea 150. longarum nauium, & centum militarium, in quibus omne telorum atque armorum genus. Classi Demetrium præfecerat, quem secundum copias terrestres oram legere iussit. Eæ constabant plus octoginta millibus peditum, equitum octo millibus, & 83. elephātis: quarum copiarum ipse ductor erat, quamuis fere octogenarius. Cumque ei nauarchi incommodam nauigationi tempestatem prænūciarent; ille vt nimium timidos increpauit. Sed cum Gaza soluissent, classem tempestas exorta ita disiecit, vt naues onerariæ partim haustæ fluctibus perirent, partim retro Gazam repetere cogerentur; aliæ cum portum capere non possent, iactis anchoris in salo fluctuarent. Ptolemæus quippe omnia loca, quibus aditus in Ægyptum patere poterat, probe communierat. Copiæ quoq; terrestres flumine restagnante accessu prohibitæ, nihil poterant. Cumque iam cōmeatus omnis deficere cœpisset, capto consilio suorum, Antigonus in Syriam reuertit, commodiore tempestate expeditionem redintegraturus. Eo periculo defunctus Ptolemæus, de tota re Seleucum, Cassandrum, Lysimachum certiores facit.

I. Antigoni Ægyptū petentis maritima clades. *Olymp. CXVII. a. 3.*

Redit re infecta in Syriam.

In Samnio noui motus exorti, Samnitibus, vt apparet, proxima ignominia ad vltionem concitatis. Ab ijs Calatia & Sora, præsidiaque Romana, quæ in eis erant, expugnata, & in captiuorum militum corpora fœde sæuitum, Itaque P. Cornelius eò cum exercitu missus est; contra Hernicos autem, qui contra Romanos arma sumpserant, Marcius; qui Hernicis cito deuictis, collegæ auxilio futurus venit in Samnium, omnia enim itinera hostis obsepserat, ne qua subuehi commeatus possent, & loca impeditiora erant: quam vt possent ad certamen compelli. At Samnites veriti ne simul cum duobus exercitibus sibi pugnandum foret, qui vni vix pares essent, incomposito agmine Marcium aggrediuntur. Sed eam pugnam cum editus clamor, elatusque puluis prodidisset, Cornelius arma capit, & transuersam hostium aciem, & alio iam certamine occupatam, inuadit; & gloriæ sibi debitæ sollicitus,

II. Res cōtra Hernicos, & Samnites gesta, ab vtroque Consule.

qua impetum dederat perrumpit omnia, perq; mediam aciem in hoſtium caſtra tendit, eaque capitaq; incendit. Quæ vbi flagrantia conſpexere Samnites, fugam paſſim ineunt; ſed omnia occupauit cædes, vſque ad 30. hominum millia. Cornelius in Samnio relictus, Samnites de pace ad Senatum miſſi. Marcius de Hernicis triumphans in vrbem redijt, cui etiam equeſtris ſtatua, ante Caſtoris templum in foro poſita eſt.

ANNVS MVNDI 3749.

ONIÆ & PTOL. LAGID. 20.

SELEVCI & Imperij Græcorum 7.

OLYMP. CXV. a.4. V. C. 448.

ANTE CHRISTVM 304.

I. Demetrii in Rhodios expeditio, & iuſque cauſa. *Dio. l. 20.*

MAgnam huius anni partem, magnam item conſequentis tenuit Rhodiorum à Demetrio oppugnatio, quæ terra marique ſuſcepta, non minori contentione defenſa, quam oppugnata eſt. Eius belli cauſa fuit, quod cum Demetrius Cyprum claſſe peteret, eam inſulam Ptolemæo Lagidæ erepturus, Rhodij belli ſocietatem recuſaſſent, quod in iſtis Macedonicis bellis, nullarum partium eſſe ſtatuiſſent. In tuenda tamen Ptolemæi amicitia laborabant, quod maximam commodorum ſuorum partem ex Ægypto, per mercatores eò commeantes accipiebant. Illud quoq; facinus Demetrij acuebat iram, quod cum eius vxor Phila literas, ſtragulam veſtem, & pallia, Demetrio curaret, Rhodij captum nauigium cum rebus omnibus ad Ptolemæum eius inimicum in Ægyptum miſiſſent. Id tamen obſidione durante contigiſſe ſcribit Diodorus.

II. Belli vtrimque præparatio. πολιορκητής.

Demetrius itaq; Rhodijs infenſus, maximo virorum, nauium, & machinarũ apparatu, quarum is erat egregius artifex, vnde expugnatoris vrbium nomen accepit, appellit in inſulam, ſtatimque emittit, qui eam terra marique populentur, ſimulque caſtra ſua ingenti opere communit. Rhodij contra ad pacem impetrandam omnia mouent, quod cum fruſtra feciſſent, per legatos à Ptolemæo, Caſſandro, & Lyſimacho iuſta debitaq; auxilia implorant, vt qui propter conſeruatam eis fidem periclitarentur; tũ turbam bello inutilem ex vrbe emittunt, bellatores ad defendendam patriam egregie animant, machinis, baliſtiſq; dant operam, naualibus excurſionibus prædas agunt, hoſtemq; fatigant. Qui interea duas teſtudines ingentes, totidemque turres quatuor tabulatorum, totidem nauibus onerarijs imponit, quibus portum occupare conatus eſt, vt obſeſſos omni excluderet commeatu. Multis diebus in occupando & defendendo portu, incendendis emergentibusq; machinis & nauibus, non ſine multo vtrimque damno certatum eſt.

Pugnatur ad portũ

III. Muri machinis in terra quaſſantur. *l. 125 l. Epiph.*

Nec minus interea terra certabatur. Nam muri tum crebro ariete, tum ſaxorum talenti pondere vibratione quaſſabantur, & cum turribus ipſis deijciebantur, tum crebrè admouebantur ſcalæ, vt tot ſimul malis, obſeſſi pares eſſe non poſſent. Sed illi non ſolũ pares, ſed ſuperiores etiam fuerunt, vt Demetrium, ad reputanda detrimenta ſua, ſeptiduum quieſcere cogerent: dum Rhodij viciſſim, ſua omnia animoſius inſtaurant. Poſt eos dies certamen ad portum ſtudioſe redintegratur, ex quo tria expedita nauigia cum fortiſſimo milite erumpunt, vt machinas ſubiectas naues roſtris perfoſſas demergant, idque per mille tela volantia, ferrato etiam vallo ſuperato perfecerunt, vna tamen nauis, cum prætore claſſis, in hoſtium poteſtatẽ venit, reliqui domum ſalui reuerterunt. Non ita multo poſt aliam machinam fabricatus eſt Demetrius, triplo ijs quas amiſerat ampliorẽ, quæ dum in certamen venit tempeſtate quaſſatur. Qua opportunitate vſi Rhodij, ad quadringentos Demetrianos ad deditionem cogunt, eodemq; tempore à Gnoſiis, Cretenſibus, & Ptolemæo auxilia 650. virorum acceperunt.

Proximo autem anno, qui Olymp. 119. dedit initium, cũ naualis obſidio Demetrij votis parũ reſponderet, rem à terra aggreſſurus, alterã Helepolim conſtruit, forma quam deſcribunt Annales hoc loco, contra quam Rhodij alium intrinſecus murũ conſtruunt, illi reſpondentem, qui oppugnatione laboraturus erat. Interim nouem naues ad commeatum afferendum, & damna hoſti inferenda emittunt, quæ illi egregiè præſtiterunt. Cuniculis quoque tentata eſt in vrbem irruptio, maiore damno quam fructu. Interim autem Ptolemæus, Caſſander & Lyſimachus, magnã frumenti, & reliqui cõmeatus copiam nauigijs vento remiſq; fauentibus, in portũ inuito Demetrio intulere. Ea re animoſiores facti Rhodii, nocte illum, ſub ſecundam vigiliam, ignis machinis ferreis licet laminis obtectis, non irrito plane conatu intulere, quibus reficiendis, dum dies aliquot inſumit Demetrius, Rhodij tertium murum ædificant, eius ambitu complexi, quidquid de mœnibus periculo expoſitum erat.

Repetratis machinis, murorum deuerberatio inſtauratur, & Demetrius ea parte vrbem noctu inuadere cogitat, qua fuerat deiectus murus, eamq; in rem mille & quingentos de præſtantiſſimis eligit, qui ſe in vrbem ſub ſecundam vigiliam inferant, dum ipſe omnibus ex locis terra marique deſtinet obſeſſos. Signo dato electi illi vrbem ſubeunt, & loca theatro circunjecta occupant. At Rhodij qui noua ſubſidia à Ptolemæo acceperant, iuſſis omnibus ſuã ſtationem tueri, & externum hoſtem repellere, ipſi cum agmine lectiſſimo Lagidarũ, internũ inuadunt, aliquandiu neutrã in partẽ inclinante victoria, donec ſuperuenientib. ſubinde Rhodijs Demetriani oppreſſi ſunt, niſi qui deditionem fecere; cæteri cũ damno omnibus ex locis repulſi ſunt.

Sub hæc ab Antigono venêre nuncij ad Demetrium, qui pacem cum Rhodijs, quibus poſſet conditionibus confici iuberent. Pacẽ quoque Rhodijs ſuadebat Ptolemæus. Cumque vtrique eam cuperent, expetebatur occaſio, quæ ſe obtulit, Athenienſium legatis ſuperuenientibus; in eaſque leges conuentum eſt, vt vrbs ſui iuris remaneret, hoſtili præſidio immunis, ſocietatem armorum Antigono præſtaret, niſi forte bellum Ptolemæo inferret, & centum obſides traderet. Atque ita Rhodio bello impoſitus eſt finis. Ipſi in eius belli memoriam, tum diuinis honoribus Pto-

lemæo

Colossus Rhodius. l.34.c.7.

lemæum, Ammone consentiente, affecerunt, tum Solis colossum erexere, altitudinis septuaginta cubitorum, vt Plinio placet, de quo infra, cum terræmotu deiectus est. Inde autem digressus Demetrius, Antigoni iussu, ad liberandas Græciæ ciuitates animum adiecit.

VII. Res Romana anni V. C. 448. cõtra Samnites.

Priore porro anno cum vterq; Consul contra Samnites missus esset, diuersis locis prælijsque certarunt, moxque coniunctis copijs 47. signa deuictis hostibus retulere, ipsumq; eorum Imperatorem Cellium cepere. Sed vice versa Minucius ex vulnere in castra relatus, occubuit; cui suffectus M. Fuluius, Bondanum oppidũ cepit, & in magna rerum gestarum gloria, cum collega Consule triumphauit. Quib. claudibus fracti Samnites, post bellum duobus & viginti annis gestum, Romam, legatos de pace misere. Suppliciter autem agentibus responsum est, nisi sæpe bellum parantes pacem petijssent, de pace transigi potuisse: nunc autem probandę veritatis causa Sempronium Consulem in Samnio fore. Qui cũ omnia sibi pacata reperisset, regressus est cum legatis, & antiquum fœdus Samnitibus redditum est, bellum tamẽ post aliquot annos inter Romanos & Samnites renouatum est; vsq; adeo inuiti Italiæ populi Imperij Romani laborioſe excrescentis iugum accipiebant.

Alsan. V C. 427. ad a.V.C. 449.

Pax cum ijsdem.

VIII. Bellum contra Æquos.

Hoc ipso anno Vrbis 449. Æqui bellum cõtra Romanos renouarunt, contra quos Coss. ambo profecti sunt. Verum cum Æquis visum esset vt sua quiq; oppida tutarentur, recognita Coss. bellum ad singulas vrbes oppidaque circumtulerunt, sorte tam felici, vt intra 60. dies, vnum & quadraginta oppida, omnia oppugnãdo ceperint, aut vt habet Diodorus 40. oppida intra dies 50. quorum pleraque dirupta, atque incensa. Et clades mouit Marrucinos, Marsos, Pelignos, Ferentinos, vt pacem à Romanis peterent, quam & impetrarunt. Quo etiam tempore C. Flauius Appij Claudij scriba, cum fastos circa forum in Albo propositos reseratã grata populo fuit, vt postpositis consularium virorum filijs, ipse Ædilis Curulis factus sit, Ædemque concordiæ magna nobilitatis inuidia dedicarit. Quando & Fabius, propter forensem turbam in quatuor coniectam tribus Maximi cognomen est consecutus.

Prõptiss. simaq; victoria.

C Flauius scriba.

Vide Plin. 33.c.1.

ANNVS MVNDI 3751.

ONIÆ & PTOLEMÆI LAGID. 22.

SELEVCI & Imperij Græcorum 9.

OLYMP. CXIX. AN. 2. VRB. CO. 450.

ANTE CHRISTVM 302.

I. Demetrius auxilio venit Athenienſib.

INceptum pro Græciæ libertate ab Antigono & Demetrio bellum, hoc anno strenue promotum est. Et primùm quidem certum videtur Athenien sibus, quos bello fatigabat Cassander, auxilio venisse Demetrium. Propterea enim ipsis apud Antigonum & Demetrium vrgentib. pax cum Rhodijs conflata fuerat, ne eis Athenę perirent, quas premebat Cassander, præsidium suũ inde eiecturus, & Munichiã solo æquatam. At Demetrius cum 330. nauibus deuectus Athenas, non Attica modo Cassandrum summouit, sed fugientium tergo inhærens, vsque ad Thermopylas fudit, sex millia Macedonum ad se transeuntium recepit. atque Heracleam, vltro ad ipsum deditione transeuntem. In reditu Græcos circa Thermopylas in libertatem asseruit, Philem & Panacton Atticæ præsidia à Cassandro inceſſa, in potestatem redegit, restituitq; Athenienſibus. Quam ob rem Athenienses tursus in adulationem effusi, ei Mineruę arcem prodiuersorio, quasi ab illa hospitio acciperetur, tribuerunt. Sed ille Mineruæ arcem, nihil virginem reueritus, in omnem effusus nequitiã, fœdissimè cõspurcauit; teste Plutarcho in eius vita.

Et quæ pro eis gesta. Eorumdem adulatio, & Demetrii nequitia.

II. Demetrii gesta in Peloponneso.

Inde in Peloponnesum progressus, plurimas vrbes præsidijs sublatis, libertati restituit: in quibus Sicyonios, qui non contenti, in gratiarũ actionem, suã vrbem appellare Demetriadem, eum diuinis etiam honoribus affecerunt. Corintho quoq; præsidia Ptolemæi, quæ tam Sisyphium quam Acrocorinthum occupabãt, partim ad fugam, partim ad deditionem compulit, omnes enim vrbes atq; arces machinarum suarum terrore compleuerat. Ciuium tamen rogatu Acrocorintho præsidium imposuit, quod sub eius tutela permanere cuperent ciues, donec cum Cassandro de bellatum esset.

Romæ cum quies esset à bellis, nouæ sunt deductæ coloniæ. In Vmbria vero ingentem speluncam occuparunt latrones non pauci, qui inde erumpentes agros populabantur, & tenebris assueti vulneribus ingressos conficiebant, donec altero specus aditu reperto, nam peruius erat, vtræque fauces lignis congestis accensæ partim fumo suffocati, partim erumpere conati, flammis absumpti sunt.

Latronũ specus in Vmbria.

ANNVS MVNDI 3752.

ONIÆ, & PTOLEMÆI LAGI 23.

SELEVCI & Imperij Græcorum 10.

OLYMP. CXIX. AN 3. VRB. CO. 451.

ANTE CHRISTVM 301.

I. Cassãder pacem frustra petit ab Antigono.

FVit hic annus Hebræis Sabbaticus ordine 167. habetque apparatum belli, quod in Asia de summa rerum ab hisce regibus proximo anno gestum est, in quo Antigonus occisus est. Seleuci imperium vehementer stabilitum, Demetrij vero debilitatum est. Sed nunc quod instat agamus. Cassander enim Macedoniæ rex multis à Demetrio spoliatus vrbibus ac præsidijs, non in Græcia modo, sed etiam in Macedonia, de suo regno sollicitus, missis in Asiam legatis, Antigonum de pace rogauit, siue quod pacem nisi ex ipsius nutu Demetrius non esset facturus, siue quod hunc, successibus & ætate ferocem, minus tractabilem fore arbitraretur, sed ne senem quidem moderatum inuenit. Nõ enim aliam voluit pacem admittere, quam vt ei Cassander se suaq; permitteret. Itaq; desperata pace, Lysimachum sibi, Ptolemæum, atq; Seleucum adiungit, & quasi contra cõmunem hostem concitat, & ab omnibus conscribuntur exercitus, ad Antigonum in Asia opprimendũ.

II. Lysimachum misit in Asiam.

Primus Cassander cum parte exercitus sui Lysimachum præmisit in Asiam; vbi in transitu multas sibi vrbes adiunxit, & crebris ab Antigono periculis euitatis, in hyberna, dum vniuersæ copiæ confluerent, concessit. At Demetrius, in noua sua Demetriade, non erat præ superbia cõpos sui. Ibi enim coactis comitiis dux Græciæ, vti pridem Philippus & Alexander, renunciatus, præter se & parentem neminem appellabat regem. Eleusinijs quoque Atheniensium sacris initiatus illinsit, sed & pecunijs. Cum enim eis propere 250. talenta imperasset, eaque acerbe exegisset, collectum argentum iussit Lamiæ, cæterisque suis meretricibus dari: pudore magis quam iactura pecuniæ ciues affligerent. Inde in Cassandrum proficisci cœpit, sed aditus ab eo sentieus occupatos, mare proficiscitur. Erant vtriusque ingentes copiæ, quæ cum in cõspectu essent, neutra pars descendebat in pugnam, expectatione rerum quæ in Asia gerebantur; cum Antigonus certior factus Seleucũ ex superioribus prouincijs cum ingentibus copijs descendere, veritus ne si omnes conuenissent, prius certare cogeretur, quam Demetrius venisset è Græcia, ad eum mittit, vt rebus cum Cassandro quoquo modo compositis, ipse in Asiam penetret.

Demetrii gesta Athenis.

A patre in Asiam reuocatur.

III. Eiusdem pax cum Cassãdro

Itaque pacem cum Cassandro fecit, si modo pacta ab Antigono patre probarentur, quæ illum certo sciebat irritaturum, vt qui statuisset armis bello finem imponere. Omnibus ergo ad cursum comparatis, soluit cum tota classe Demetrius, atq; Ephesum appellit: eamq; vrbem, & reliquas quæ paulò ante Lysimachi opera ad Cassandrum defecerant, recuperauit, sibique præsidio firmauit. Cassander autem vice versa, post discessum Demetrij, maritimas vrbes imperio suo iterum vindicauit. Tanta erat tunc vel vrbium infirmitas, vel hominum leuitas & inconstantia. Et quoniam hoste tum carebat, Plistarchum cum exercitu 12. millium peditum & quingentorum equitum ad Lysimachum misit. Verum in traiectu bonam copiarum partem, tam hostium quam tempestatis incursu amisit; ipseque vix fragmento nauis suffultus in portum peruenit, & ad Lysimachum ad hyberna se contulit.

Vrbium Græcarũ inconstantia.

IV. Ptolomæus falso rumore decipitur.

Eodem ipso tempore Ptolomæus ex Ægypto profectus, cum instructissimo exercitu, omnes vrbes in Cœlesyria redegit in potestatem. Dum autem Sidonem obsidet, falsus delatus est nuncius commissi inter reges prælij, & devicti Lysimachi, atque Seleuci; & Antigoni cum victore exercitu ad recuperandam Syriam aduentãtis. Eo deceptus, cum Sidonijs inducias ad 7. menses fecit, & præsidio munitis quæ subegerat oppidis, remeauit in Ægyptum. Id Antigoni stratagema fuisse videtur, ne simul ei cõtra tres exercitus pugnandum esset: cui occasionem aliquam dederit defectio duorum millium & octogentorum militum, qui per id tempus à Lysimacho ad Antigonum, propter non soluta stipendia, defecerant. Eodem quoque tempore Seleucus, re cum Sandrocotto composita, ex superiore Asia coacta ingenti exercitu in Cappadociam venit, militesq; præparatis tabernaculis in hybernis collocauit, idoneam ad bellum gerendum tempestatem præstolantes.

Seleucus bellum parat.

V. Romæ autem bellum contra Æquos redintegratum est. Coloniam enim ægre patientes suis finibus impositam, summa vi eam expugnare adorti, ab ipsis colonis pelluntur. Cæterum tantum Romæ tumultum fecere, vt eius causa Iunius Dictator diceretur, qui ijs deuictis die octauo in vrbem triumphans redijt, & ædem Saluris, quam Consul vouerat, Censor locauerat, Dictator dedicauit.

ANNVS MVNDI 3753.

ONIÆ, & PTOLEMÆI LAGI 24.

SELEVCI, & Imperij Græcorum 11.

OLYMP. CXIX. AN. 4. VRB. CO. 452.

ANTE CHRISTVM 300.

INtenti erant in bellum iam dudum reges Alexandri magni successores, qui hoc anno quatuor duobus oppositi infestis armis cõcurrere, hinc quidem Antigonus & Demetrius habentes sub signis peditum supra 70. millia, decem equitum, elephantos quinque & 70. At Seleuco, Lysimacho & Cassandro 74. millia peditum, equitum decem millia & quingenti, elephãti quadringenti, & currus bellici 120. vt refert Plutarchus in Demetrio. Apparet quoque Ptolemæi copias, in hoc decretorio certamine, non fuisse desideratas, fraude superioris anni patefacta, idq; Diodorus affirmat. Tanta porro tunc erat Antigoni superbia, vt suos quoq; grauiter offenderet; illamq; regum societatem iactaret se, sicut auium pascentium globum, lapidis vnius coniectu, ac strepitu dissipaturũ. Paulo tamen post, præsagia futuri mens hominem cogitabundum reddidit, atq; tacitum; adeo vt præter morem solus cum Demetrio in tabernaculo suo colloqueretur, eum exercitui ostenderet, ac commendaret, successorem designando, si quid sibi humanitus contigisset.

Cum ventum esset ad manus, Demetrius cum lectissimis equitibus concurrit cum Antiocho Seleuci filio, qui patri postea in regno successit, eumque profligauit ac fudit; sed dum hostium tergo ambitiosè atque insolenter instat, inceptam victoriam labefecit. Regressus enim, coniungere se non potuit peditibus, elephantis interiectis. Cernens autem Seleucus aciem Antigoni equitatu nudatam, non irrupit in eam, sed irruptionem ostẽtans circumuectus est, ac potestatem militibus fecit transeundi ad se: quod & factum est. Magna enim pars, ab reliquo abrupta corpore, transitionem voluntariam ad Seleucum fecit, cæteri se in fugam dederunt. Tum ingens hostium globus Antigonum petit. Qui dum Demetrium expectat, sustentat pugnam, respectans si quà erumpat Demetrius. Interim autem telorum grandine in illum coniecta, oppressus occubuit.

Ea clade cognita Demetrius, cum quinque millibus peditum, & quatuor equitum fugam arripuit, & citato cursu Ephesum delatus; cursum direxit in Græciam, vt qui spem maximam in Athenienſium erga se beneuolẽtia reposuisset, propterea apud eos classem, pecuniam,

Coniu-

coniugum Deidamiam reliquisset. Verum Athenienſium legati eiad Cycladas insulas occurrerunt, orantes vt ab vrbe abstineret, eò quòd populus decreto sanxisset, ne quis exregibus vrbe acciperetur. Vxorem autem eius Deidamiam Megaram honorifice, & magno cum commeatu miserunt. Ea res maximâ eius iram in Athenienſium perfidiam inflammauit, qui quem tanquam Deum nuper coluerant, nunc ne mœnibus quidem reciperent. Vlciscendi tamen tempus minime adesse videns, leuiter cum Athenienſibus per legatos expostulauit, petijtque vt classem sibi remitterent, qua accepta in Isthmum, vt vult Plutarchus, aut in Cyprum, vt mauult Diodorus, cum Stratonice matre nauigauit.

Ab Athenienſibus vrbe non admittitur.

IV. Antigoni prouinciæ diuiduntur.

Interea victores Reges Antigonum regio honore sepelierunt, sed eius imperium diuiserunt inter se eiusque prouincias, pro cuiusque commoditate adiunxerunt suis. Seleucus in primis Asiæ ac Babyloniæ imperium sibi magis magisque confirmauit. Quin & Antiochiam Syriæ Metropolim, aut Orontem fluuium construxit. Eam vrbem prius ædificare cœperat Antigonus Demetrij pater, & proprio nomine inscribere. Sed breui temporis interuallo & nomen amisit & fundatorem. Illi enim Seleucus nomen Antiochi patris sui, qui sub Philippo Alexandri patre claruerat, indidit. Inter omnes autem vrbes, quæ hoc nomine insignes fuerũt, hæc fuit clarissima, sicut inter omnes Alexandrias, Ægyptia.

Antiochia a Seleuco cõstruitur.

V. Romæ duo Dictatores hoc anno sine Consulibus.

Caruit hic annus Romæ Consulibus, vt in Annalibus explicatum est, quorum loco duo Dictatores expleruntCum enim Hetrusci Marsique rebellassent, contra Marsos dictus est Dictator Q. Fabius, qui prælio vno Marsos fudit, & in vrbes munitas compulit, quarum aliquot intra paucos dies cepit, & agri parte adempta, fœdus eis restituit. Tum in Hetruscos versum est bellum, quod nouo Dictatori tribuendum est M. Valerio Coruino, qui & de ipsis hoc anno vrbis 452. triumphasse reperitur. Cũ ergo Dictator Fabius auspiciorum repetendorum causa Romam profectus esset, Magister equitum pabulatum egressus, insidiis circumuentus est, & signis aliquot & militibus amissis, in castra fugere compulsus. Ea clades cum maiorem quam pro re timorem in vrbe concitasset, Dictator Coruinus dictus est, qui omnia tranquilliora quam pro fama reperit, & in primis exercitum cupiditate flagrantem ignominiæ delendæ. Præmisit is copiarum partem cum legatis, qui hostem pugnando fatigarent, quibus fatigatis ipse superueniens, magnam intulit hosti cladem. Hoc enim prælio fractæ iterum Hetruscorum vires, indictaque mulcta, à Dictatore permissum, vt legatos Romam de pace mitterent. Pax negata, inducię biennij datæ.

Res gesta cum Hetruscis. 10. Cal. Decemb.

Victoria

Inducię

* * *

ANNVS MVNDI 3754.

SIMONIS Pont. 1. & PTOL. 25.

SELEVCI, & Imperij Græcorum 12.

OLYMP. CXX. An. 1. V. C. 453.

ANTE. CHRISTVM 299.

I. Nouus Pont. Simon.

NOuum hoc anno Pontificem Iudæi Hierosolymis habuerunt, in quem etiam cadit initium Olympiadis vigesimæ supra centesimam, habuitque Olympionicam Pytagoram quendam Magnesium. Hoc itaque anno Simonem Oniæ filium Iudæorum Pontificem maximum ponimus Eusebium secuti, cui inquit, Iusto cognomentum fuit propter sollicitam in Deum religionem, & pronam in suos ciues clementiam: quæ verba ex Iosepho deprompta sunt. *l. 12. c. 2.*

II. Demetrii aduersus & affinitas inspe rata cum Seleuco.

Interea Demetrius exclusus Athenis magno animi mœrore afficiebatur: præsertim quod exemplum Athenarum secuti plerique in Græcia, præsidia eius eijciebant, quæ ad eius hostes Cassandrum ac Lysimachum deficiebant. At Demetrius relicto in Græcia Pyrrho, cursum in Chersonesum Thraciæ intendit: vbi vice versa vastans Lysimachi ditionem, præda retinebat ac ditabat copias suas, cum hominem inspe rata lux mirificè recreauit. Seleucus enim, qui omnia poterat in Asia, filiam eius Stratonicem sibi per legatos vxorem petiit, licet iam ex Apama Persida filium haberet Antiochum. Sed res suas pluribus successionibus sufficere arbitrabatur, easdemque nouam hanc affinitatem postulare: quando Lysimachum quoque videbat ex Ptolemæi filiabus vnam sibi, filio alteram in matrimonium sumere. Verebatur enim ne Lysimachus Ptolemæo coniunctus, negotium sibi facesseret. Itaque Demetrium quamuis afflictum demereri, ac sibi adiungere statuit.

III. Nuptiæ celebrantur.

Eam affinitatem Demetrius, quasi inspera tam salutem libenter amplexus est, assumptaque puella cum tota classe ad Seleucum profectus est, & in transitu in Quindam Ciliciæ venit, in qua regum thesauri pridem custodiebantur, vbi mille & ducenta talenta quæ reperit, obiter exportauit. Mox ei Seleucus ad Orosson venit obuiam, vbi se mutuo amice ac beneuole acceperunt, incustoditi ambo atque inermes, qui ad eam diem infestis inter se armis, animisque pugnarant. Postquam aliquot feriati sunt dies, Seleucus, adducta secum Stratonice, magna cum pompa perrexit Antiochiam. At Demetrius Ciliciam occupauit, aut amissam potius recepit, quam Pistarchus Cassandri frater tenebat, sibi à Regibus post Antigoni mortem donatum: vxoremque suam Philam ad Cassandrum misit, quæ id factum purgaret. Eandem prouinciam Seleucus postulauit à Demetrio, puta doris nomine; quam cum recusasset Demetrius, instituit ille cũ stomacho Tyrum petere ad Sidonem; quas ille nihilominus negauit, ipsq; præsidio firmatis,

Demetr adit Gra ciam.

nauigant in Græciam, vltionem de Atheniensibus cogitans, apud quos Lachares tyrannidem moliebatur, sed tempestate dum Atticam præterueheretur iactatus, nō exiguum nauium atque hominum numerum amisit, & irrito insultu Athenienses inuasit. Inde Peloponneso adita Messenem obsedit, vbi vulnere accepto, magnum adijt vitæ discrimen.

IV. Noui Augures, pōtifices q; de plebe

Factus est hoc anno ex Dictatore Consul M. Valerius Coruinus, cum eam dignitatem neque peteret, neque Romæ adesset. Ei collega datus est Apuleius, quibus Cos. tres foris sati pacatæ fuerunt. Nam Hetruscum aduersæ belli res, & induciæ quietum tenebant. Samnitem multorum annorum cladibus domitum, nondum fœderis noui pœnitebat. Romæ quoque plebem quietam, deducta in colonias multitudo præstabat, cum mota est quæstio Patricios inter & plebeios, de sacerdotijs cum plebe communicandis. In suadenda lege inter Appium Claudium & P. Decium Murem certamen fuit, & quidem non acerbum, quippe plebeiorū Consulum, Censorum, Dictatorum minimè adhuc Rempubl. pœnitebat. Ita prioribus quatuor Auguribus, totidemq; pontificibus, quinque augures de plebe, & quatuor pontifices adiecti sunt. Vide hæc pluribus in Annalibus, vel apud ipsum Liuium.

ANNVS MVNDI 3755.

SIMONIS 2. PTOL. LAGI. 26.

SELEVCI & Imperij Græcorum 13.

OLYMP. CXX. A. 2. V. C. 454.

ANTE CHRISTVM 298.

I. Demetrius obsidet Athenas.

MEssenem Peloponnesi oppugnabat Demetrius; vt autem se ex vulnere collegit, & aliquot oppida, quæ defecerant recepit, tursus incurrit in Atticam, eiusque fines vexauit. In primis autem naue capta, quæ frumentum importabat Athenas, negotiatorem & gubernatorem suspendit, alioſque eo facto ab huiusmodi deportatione deterruit, & fame ciuitatē afflixit. Interea 150. naues circa Æginam conspectæ, spem aliquam Athenienſibus dabant. Verum eæ cum Demetrij classe duplo maiore congredi non ausæ, Cyprum, adeam Demetrio eripiendam, profectæ sunt, tyrannus Lachares deserta vrbe profugit. Athenienses vero licet pœnam sanxissent capitalem in eum, qui pacis cum Demetrio mentionem faceret, mox tamen à fuga Lacharis, proxima porta patefacta legatos ad eos miserunt; non quod ab eo quidquam clementiæ expectarent, sed quia eā legationem desperatio exprimebat. Ingressus in vrbem mitius egit cum ciuibus, & magna vi frumenti donauit, magistratus quoque præfecit, qui populo maxime grati forent; tribus tamen præsidijs perfidam in vrbem in potestate retinuit, Musæo, Munichiæ, & Piræeo.

Et adlegationē cogit.

II. Inuadit Lacedæmonem.

Redactis in potestatem Athenis, mox appetijt Lacedæmonem, atque Rege Archidamo, qui apud Mantineam sibi occurrit, signis collatis fuso fugatoque, Laconiam inuasit: atque in ipsius Spartæ conspectu conflixit iterum cum eo, & ducentis cæsis, captisque quingentis, Spartam ipsam ab omni memoria intactam capturus erat, cum tristibus nuncijs aliò abstractus est, gaudente fortuna hominem alternatim in altum excitare, & ex alto mox volucri vicissitudine deiicere. Nunciatus enim Lysimachum ei vrbes Asianas abstulisse; Ptolemæū autem, etsi recens cum Demetrio, data sorore affinitatem contraxerat, Cyprum, excepta vnica vrbe Salamina cepisse, in eaque liberos eius & matrem obsidere. Itaque licet ancepserat quam se prius in partem verteret, Cyprum tamen videtur adiisse, propter periculum suorum, quamuis tacente Plutarcho.

Amitti Cypru

III. Cassan obitus, extinct familia Alexādr in Bœot.

Interea Cassander Antipatri filius, vigesimo circiter à morte parentis anno, morbo intercutis obiit. De quo ita Pausanias. Restituisse Thebas crediderim Cassandrum Alexandri maxime odio: eius enim domum totam funditus euertere contendit. Nam & Olympiadem Alexandri matrem, ijs Macedonum, qui in eam acerrimus flagrabant odijs, lapidibus obruendam tradidit; & Alexandri filios, Herculem ex Barsine, Alexandrum ex Rhoxane susceptos venenis peremit. Neque tamen ipse fortunatus è vita discessit: ex morbo enim aquæ subter cutem fusæ, erumpentibus ex viuente vermibus extabuit. Ita Pausanias. Sed & gladium quem ille in Domini sui familiam strinxerat, Deus in eius domum conuertit. Nā ex tribus filijs quos post se reliquit, Philippus primogenitus mox tabe interijt. Antipater secundo genitus matre Thessalonica propria manu obtruncata, à Lysimacho socero interficitur. Tertius Alexander matris cædem vindicaturus Demetrium aduocat, à quo & interficitur; sicque intra quatuor annos scelerati hominis familia tota deleta est.

Eius familia vi ciſſim breui ex tincta.

IV. Narnia i Vmbria capta. *Liu. l. 10.*

Apuleius Consul in Vmbria frustra Neguinum oppidum obsedit, id noui Coss. proditione sine certamine occuparunt, ibique nouam coloniam, quæ à Narnia flumine nomen accepit, eduxerunt. In Hetruria vero T. Manlius Consul ex equo effusus interiit, cum vix dum hostium fines esset ingressus. Cum autem Galli Hetruscis iuncti dicerentur (& reuera Hetruscos illi inuaserant, sed pecunia victi se belli socios pro hostibus fore spoponderant; inde promissione maligna interpretatione elusa, cum Hetrusca pecunia domum redierant) Romani patres iussuri erant, vt Valerius Coruinus Dictator diceretur, sed consentientibus centurijs, in demortui locum suffectus est Consul. Cuius aduentus ita compressit Hetruscos, vt nemo ad pugnam prodire auderet, ac ne vlla quidem aut agrorum vastatione, aut villarum incendio eliceretur ad certamen.

Mors Manlii Cōsulis.

Galli iuncti Hetruſcis.

* * *

ANNVS MVNDI 3756.

SIMONIS 3. PTOLEMÆI 27.

SELEVCI, & Imperij Græcorum 14.

OLYMPIAD. CXX. AN. 3. VR. C. 455.

ANTE CHRISTVM 297.

CAssandro mortuo successit regno Macedoniæ Philippus eius filius natu maximus, qui haud diu regnum tenuit [a]. Vt propter ea Iustinus [b] Cassandri Regis, & filij eius Philippi continuas mortes appellet. Non multo post Thessalonice Cassandri vxor, cum propentior fuisse videretur ad Alexandrum, ab Antipatro interfecta est. Qui cum etiam fratrem Alexandrum regno pellere conaretur, is belli socios ex Epiro Pyrrhum euocauit, ex Peloponneso Demetrium, vt & regnum sibi conseruaret, quo tamen eum vterque spoliare cupiebat, & maternam cædem vlcisceretur. Pyrrhus maturius venit, Demetrius autem rebus aliis occupatus, tardius. Quæ autem Pyrrhus pro Alexandro gesserit, ad annum sequentem cum Carolo Sigonio differemus.

I. Philippus Cassandri, & mox Antipater Rex Macedonũ, matrem occidit, & cum fratre pugnat.

a *Plut in Demet.*

b *Iust. l. 16.*

Quod ergo ad Romanam rem attinet, Dionysius Halycarnassensis, ait bellum in Samnites hac occasione renouatum, quod Samnites aduersus Lucanos sibi finitimos dudum arma sumpserant, vetere quadam simultate impulsi. Id bellum cum Lucani ferre non possent, sed omnibus prælijs inferiores discederent, & multis iam locis amissis de reliqua prouincia periclitarentur, Romam ad implorandam opem confugerunt. Et quia olim fidem fefellerant, obsides ex singulis ciuitatibus pueros nobilissimos miserc. Cum amicitia cum Lucanis S. P. Q. R. probata esset, Samnitibus per legatos significatur, Lucanos socios esse, & amicos populi Romani, qui eos rogat, vt ademptum Lucanis agrum restituant, nihilque amplius hostile in eos admittant. Quibus cum Samnites non acquiescerent, negarentque pacem ea lege cum Romanis initam, vt eorum iniussu neminem liceret, vel hostem, vel amicum ducere, bellum decretum vtrimque ac paratum est.

II. Samnites propter Lucanos bellum in Romanos renouant. *Id Excerpt legat.*

an. V. C. 427.

Scipioni obtigit Hetruria, Fuluio Samnis. Illi hostes ad Volaterras occurrerunt, & post diurnum prælium, nocturna fuga, & desertione castrorum se victos confessi sunt. Fuluius autem claram de Samnitibus ad Boianum victoriam retulit, & oppidis aliquot vi captis, Romæ Idibus Nouembris triumphauit.

Ad Volaterras vincuntur Hetrusci, ad Boianũ Samnites.

***

ANNVS MVNDI 3757.

SIMONIS 4. PTOLEM. LAG. 28.

SELEVCI, & Imperij Græcorum 15.

OLYMP. CXX. AN. 4. VR. C. 456.

ANTE CHRISTVM 296.

CErtabant inter se odiis armisque Antipater & Alexander Cassandri filij, quorum ille Lysimachum Thraciæ Regem, eundemque socerum sibi habebat fauentem: hic autem Pyrrhum Epirotarum Regem atque Demetrium. Verum Lysimachus atque Demetrius aliis distenti negotiis, suis clientibus mature adesse non potuerunt. Affuit atque occurrit Alexandro Pyrrhus, eiusque ope rem contra fratrem Antipatrum bene gessit, eique nonnullas Macedoniæ vrbes eripuit, quas magna ex parte in mercedem auxilij, cedente adolescente, sibi retinuit firmauitque præsidijs. Lysimachus autem, Iustino teste, veritus aduentum Demetrij, persuasit genero suo Antipatro, vt mallet cum fratre in gratiam redire, quam paternum hostem in Macedoniam admittere. Verum inchoatam reconciliationem, Demetrij aduentus euertit. Alexander enim eius potentiam veritus, cum exercitu enim venerat, ei ad Dion processit obuiam, & salutatum comiter accepit: sed res suas negauit iam eius præsentiam requirere. At is Macedoniæ regnum spe deuorauerat, & traxit moras. Hinc mutuæ extitere suspiciones, quæ in Alexandri cædem denique erupere.

I. Pyrrhus pro Alexandro contra Antipatrum pugnat.

Lysimachus fratres conciliare studuit.

Romæ autem in comitijs Consularibus, cum fama Hetrusci Samniticique belli terrorem attulisset, visum est Fabium Maximum, primùm non petentem, deinde etiam recusantem eligere Consulem: qui ea denique conditione acquieuit, si ei Decius iterũ collega daretur, quod & obtinuit. Vterque in Samnium profectus est, Fabius per Soracum agrum, Decius per Sidicinum: vterque populabundus per hostium graditur fines. Hostis autem, cum insidiæ non procederent, ad apertam vim descendit; & quia cõtra Romanorum superbiam animos faciebat indignatio, incredibili à Samnite obstinatione pugnatum est; nullâque vi eorum acies dimoueri loco potuit, donec subtracti quidam è legionibus Romanis, occulto circuitu ex montibus descendere visi sunt, terga hostium inuasuri: quos cum alterum Consulem esse iactaret Fabius, tantum animi viriumque additum est Romanis, quantum Samnitibus detractum. Ergo ne fessi obijcerentur integris, passim in fugam dissipati sunt. Apuli quoque à Decio deuicti sunt, priusquam se Samnitibus possent cõiungere; & vtrique incredibili cladeaffecti sunt, vt habetur in Annalibus.

II. Fabius fit Consul, & collegam Decium obtinet.

Eorum pugna in Samnio, victoriaque difficilis.

Apuli quoque victi.

III. 3758. Imperũ prorogatur Coss. Decius oppida Samnij expugnat

Sequenti anno, etsi noui Coss. creati sunt Appius Claudius cum L. Volumnio, qui ante annos 10. Collegæ fuerant Consulatus, Veteribus tamen Coss. Imperium in sex menses prorogatum est, quibus non destitere, vicatim circumferre bellum, & in præcipua oppida ar-

ma conuertere, Murgantiam, Romuleam, Ferentinum vi cepere, multisq; hominum millibus cæsis, captisque, diripuerunt. Plerique interim eorum Hetruriam petiere, omnemq; motuerunt lapidem, vt viribus omnibus contra Romanos pro libertate pugnaretur; quorum Dux fuit Gellius Egnatius Samnis. In eos missus est cum exercitu Appius Claudius, qui cum militibus parum esset acceptus, ab ipsis è Samnio Volumnius euocatus est, minime probante Appio. Contentione tamen militari factum est, vt simul vterque contra hostem pugnaret, & æmulatione socij vtriusque vim atque industriam acuente, feliciter.

Noui Coss in Hetruria rem simul bene gerunt.

IV. Volumnius redit in Samnites.

Dum hæc ab vtroque Consule geruntur in Hetruria, & Fabius Deciusque expleto prorogati Imperij tempore Romam reuersi sunt, Samites Campaniæ agrum populantur. Eo magnis itineribus tedit Volumnius; vtque in Calenum agrum venit. Narrant Calenj, hostes tantum prædæ secum trahere, vix vt agmen explicare possent. Dum ergo moliuntur iter, Romanus in eos inexpectatus irruit, & omnia terrore, fuga, cædibus replet. Captiui Romanis iuncti in prædones suos arma conuertunt, & ducem ipsum Egnatium captum ad Romanum Consulem trahunt. Cæsa ad sex hostium millia, duo millia, & 500 capti: recepti captiui ad septem millia & quadringentos, præda veris dominis restituta; Romæ pro iustitio, supplicationes Consulis nomine decretæ.

Et præda spoliat.

ANNVS MVNDI 3759.

SIMONIS 6. PTOLEM. LAGI 30.

SELEVCI, & Impetij Græcorum 17.

OLYMP. CXXI. An. 2. V. C. 458.

ANTE CHRISTVM 294.

I. Annus Sab. 168. Alexander timet a Demetrio. 168 7 1176 2583 3759

SAbbaticum an. 68. supra centesimum Iudæi Hierosolymis agebant, cum Alexander, qui non ignorabat Demetrium ambire Macedoniam, eumq; ad se imprudenter accierat, graiter ferebat præsentem, & quo se liberare non poterat, occidere cupiebat, cumque euocatum ad conuiuium, inter pocula cædi destinasset; Demetrius re cognita plures suorum secum adduxit, quorum præsentia deterriti percussores, nihil aggredi ausi sunt. Postridie autem discessit ex Macedonia, gaudente Alexandro, eum non infensum abire, quem etiam officij gratia Lariss am vsque Thessaliæ prosecutus est. Addit Plutarchus, ibi alterum alteri struxisse insidias, sed Alexandrum à Demetrio præuentum, atque necatum. Iustinus tamen mutuas insidias non agnoscit, sed totam in Demetrium culpam conijcit, qui veritus fratrum reconciliationem, quæ autore Lysimacho cœperat coalescere, Alexandrum per insidias interfecerit. Nec probabile est adolescentem vix precario regnantem (nam vnam regni partem Antipater, alteram Pyrrhus, tertiam vir ipse retinebat) non maluisse Demetrium potentem seruare amicum, quam regni finibus iam egressum, periculosissimo conatu perdere.

A quo & occiditur.

Quin euentus ipse Demetrij ambitionem arguit, regno Macedoniæ non legitimo heredi reddito, sed sibi vindicato. Nam vbi cædes Macedonibus innotuit, consternati omnes, sibi à Demetrij copiis male metuebant. Sed eos ipse aduocatos benignè allocutus, timorem omnem abstersit, sibique ita cõciliauit, vt quoniam Antipatrum matris percussorem oderãt, Regem illum Macedonum appellarent, receptumque in Regem, deducerent in Macedoniam, vbi, autore Eusebio, anno sequenti regnare cœpit.

II. Fit rex Macedoniæ Demetrius.

In Italia porro L. Volumnius Romam comitiorum causa reuocatus erat, cum crebræ ab Appio qui in prouincia restiterat, literæ deferuntur ad Senatum, Hetruriæ bellum ingraescere, quatuor gentes arma conferre Hetruscos, Samnites, Vmbros, Gallos. Ergo Volumnius cum significaret populo, se Fabium Dictatorem esse dicturum, populusque eum cum Volumnio Consulem creare maller. Restitit populo Fabius, vrgentemque exorauit, vt consuetum sibi collegam Decium restituerent. Nec repugnauit Volumnius, qui expertus erat in Appio, quam periculosa esset mutua ducum dissensio. Nec tamen propterea honore priuatus est; ei quippe in annum hunc imperium prorogatum est. Ergo prouincia Hetruria extra sortem Fabio decreta est, quò mox etiam, consentiente Fabio, missus est Decius, Volumnius in Samnium abijt. Priusquam autem Coss. in Hetruriam peruenirent, Galli Senones L. Scipionem propretorem, cum vna legione circumuentum, oppressere, vt ne nuncius quidem cladis superfuerit. Quo cognito dederunt operam Coss. vt eorum copias ad suos fines tutandos distraherent, ne simul cum omnibus pugnare cogerentur: idque ex sententia successit.

III. Hetruriæ bellum ingraescit.

Fabius fit Consul, & Decius collegam obtinet.

Scipionis clades.

Post velitationes aliquot, tertia die totis viribus certatum est, dextro cornu Galli, sinistro Samnites constiterant, itáque æquis viribus pugnatum, vt nisi prudenter distractæ fuissent copiæ, ingens clades à Romanis accipienda foret. Cumque Fabius arceret magis hostem quam inuaderet, vt mox facilius fatigatos, cum suis propemodum recentibus sterneret, Decius à principio vires omnes effuderat. Iamque bis Gallicum equitatum auerterat, cum è curribus pugnantes hostes superfusi, insolito fragore ac tumultu, Romanos cõturbarunt fuderuntque; instabatque acriter hostis fugiẽtibus, cum Decius exemplum patris secutus, se hostesque dijs manibus deuouit, moxque in confertissimam se aciem conjecit, vbi & telorum multitudine oppressus est. Cum Fabius, qui cunctando extraxerat diem, acrius instare hosti cœpit, & dum equitum alas iubet ex transuerso in Samnites quanto maximo possent impetu inuolare. Eum impetum Samnites non ferentes, præter ipsam Gallorum aciem, effuso cursu feruntur in castra. Cumque adhuc Galli inuicti consisterent, Fabius facto Ioui voto, à tergo circumuentos perdidit.

IV. Coss. cũ Gallis & Samnitibus pugnant.

Decius manibus deuouet & occiditur.

Cæsa eo die dicuntur hostium 25 millia, octo capta. Nec incruenta victoria fuit, ex P. Decij exercitu cæsa septem millia, ex Fabij mille ducenti, spolia hostium in aceruum congesta. Ioui victori cremata sunt. Consulis corpus postridie inuentum, omni honore, laudibusque funes-

Cic. in Catma.

A Fabio vincũtur

V. Quæ v triuque clades.

ratum

Fabij triumphus & Perusinorum clades.

ratum est. Fabius relicto in Hetruria Deciano exercitu, suis legionibus ad vrbem deductis, de Gallis, Hetruscis, ac Samnitibus triumphauit. Cum quibus tamen nondum debellatum erat. Nam Perusini deducto in vrbem exercitu, in Romanum agrum prædatum descēdere: quorum Fabius quatuor millia & quingentos occidit, 1740. captiuos cepit, quorum redēptionis pretium militi concessum est. Alio quoque loco in Samnites pugnauit Volumnius cum Appio, & quidem animis infestissimis: hinc ira stimulante aduersus totiesre bellantes, illinc ab vltima iam spe dimicantibus. Cæsa Samnitium 16 millia trecenti, capti bis mille septingenti. E Romano exercitu desiderata duo millia & septingenti. Nec tamen in tot cædibus, & tot annorum bellis fere semper aduersis, abstinere bello poterant: adeo ne infeliciter quidem defensæ libertatis tædebat, & vinci malebant, vt ait Liuius, quam post annorum 48 clades non tentare victoriam. Sed de hisce annis consulantur Annales.

Rursum alia Samnitium clades.

Ædes Iouti Statori vota.

Do Romæ tenuit, Attilius ex templo profectus, obuios habuit Samnites, qui vix dum certa luce, & eam ipsam premente caligine, Romanos ex improuiso inuadunt, & ad 230 cum Quæstore Opimio Pansa interficiunt. Ea fama Posthumium eius collegam vixdum validum coēgit ex vrbe proficisci, ad cuius aduentum Samnites in vrbes munitas recepere sese; quos Posthumius insecutus Milioniam post diutinā oppugnationem occupauit, & cum plurima cæde prædáque vastauit; tum pleraque alias metu desertas sine pugna recepit. Attilio vero ad Luceriæ fines, atrox cum Samnitibus atque anceps prælium fuit, donec vtrique animis vulneribusque fracti, discessionem mallent quam pugnam. Vtrique tamen hi Consulis clamore, illi necessitate compulsi pugnam repetunt; cūque Romani fugerent, Samnites terga cæderent, Attilius Ioui Statori, Romuli exemplo, ædem vouet, & simul suis in castra tendentibus cædem ab obiectis equitibus minitans, eos conuersa facie remittit in hostem, quem non nimis auidum pugnæ superauere, non incruenta victoria. Romæ Attilio triumphus negatus est, quem Posthumius ægrè à populo extorsit. Hoc quoque anno cœpta est Romæ pestilentia, quæ triennium tenuit.

ANNVS MVNDI 3760.

SIMONIS Pont. 7. PTOL. LAGI 31.

SELEVCI, & Imperij Græcorum 18.

OLYMPIAD. CXXI. An. 3. VR. C. 459

ANTE CHRISTVM 293.

1. Demetrius Rex Macedoniæ. *Plut. in Dem. Iust. l. 16.*

DEmetrius extincto Alexandro hoc anno regnare cœpit in Macedonia, licet adhuc Antipater viueret sub Lysimachi soceri cura. Distulisse porro videtur in hunc annum Demetrius, ne præpropera regni Macedonici occupatio, ambitiosam in Alexandrum crudelitatem, & perfidiosa auxilia patefaceret. Neque eum auersati sunt, qui erant tunc in regno Macedones: siue quia memores erant scelerum Cassandri aduersus Alexandri Magni familiam, ideoque in filios eius infensi erant: siue quia Philam veteris Antipatri filiam habebat vxorem, atque ex ea filium Antigonum Gonatam regni successorem, iam tum adultum, qui patris castra sequebatur. Hoc rerum secundarum cursu Demetrius liberos suos à Ptolemæo recipit & vxorem, quos ille expugnata Salamina Cypri comprehenderat, ab eo cum muneribus atque honore dimissos. Discit quoque filiam suā Stratonicem, quam Seleuco dederat vxorem, Antiocho Seleuci filio nupsisse, ac superiorum prouinciarum Asiæ renunciatam esse reginam. Seleucus enim eam filio suo perditeamanti cesserat, vt pluribus refert Plutarchus. Qui deinceps narrat Demetrium adepta Macedonia, etiam Thessalia potitum fuisse. Cumque magna ex parte Peloponnesum, Megaram atque Athenas teneret, bellum mouisse Bœotiis; quod in annum sequentem cum Sigonio referemus.

Stratonice priuigno nubit.

2. Res in Samnio ab vtroq; Consule gesta.

Samnium ambobus Coss. decreta est prouincia; quia fama erat tres scriptos hostium exercitus, vno Hetruriam, altero Campaniæ populationem tepeti, tertium tuendis finibus parari. Et quoniam Posthumium aduersa valetu-

ANNVS MVNDI 3761.

SIMONIS 8. PTOLEMÆI 32.

SELEVCI, & Imperij Græcorum 19.

OLYMP. CXXI. An. 4. V. C. 460.

ANTE CHRISTVM 292.

1. Res ad Thebas gesta.

CLeonymus Lacon Acrotati regis Spartanorum frater, & Areī regis patruus, Thebas cum exercitu ingressus Bœotiorum animos ad defectionem erexit, annitente Pisīde Thespiensi, qui opibus ac dignitate ciuium princeps erat. Verum Demetrius mox Thebas machinis admotis obsedit. Perterritus Cleonymus, ex vrbe subduxit se, Bœotij deditionem fecere. Demetrius impositio vrbi præsidio, magnáque exacta pecuniæ summa, cum eis clementer egit, adeo vt Pisidem captum Thespiis, Polemarchum crearet. Interea Lysimachus cū bello à Dromichete rege Thracum premeretur, ne eodem tempore aduersus Demetrium, prospera tum fortuna vrentem, & regem Macedoniæ declaratum, dimicare cogeretur, parte Macedoniæ, quam ipse, pro genero suo Antipatro, in potestate habebat, Demetrio tradita, pacem cum illo fecit. Sicque ille iniuste quæsita iure perdidit, & quæ ab inuito genero acceperat, inuitus dedit.

Plut. in Demet.

Lysimachus cū Demetrio pacē init, data parte Macedoniæ.

Atque ita Demetrius totam fere obtinuit Macedoniam, excepta ea parte quam Pyrrhus ab Alexandro mercedis nomine extorserat; quod etiam belli, Demetriū inter & Pyrrhum, seminarium fuit. Verum Antipater regnum sibi soceri iussu ademptum, hostique traditum queritur: additur ei socia querelarum vxor Eu-

2. Et generum Antipatrum interficit.

Cassandri domus extincta. 416.

rydice Lysimachi filia. Qua vt molestia Lysimachus liberaret sese, generum interfecit, & filiam in vincula coniecit. Atque ita vniuersa Cassandri domus, Alexandro seu necis ipsius, seu stupris extinctæ pœnas, partim cæde, partim supplicio luit, vt ait Iustinus.

III. Samnitiũ maximus ad bellũ apparatus.

Ingens fuit hoc anno Samnitium apparatus ad bellum, tam multitudine militum, nam ad 40. millia ad vrbem Aquiloniam conuenere, quam execrando, & per vim extorto ad aras iureiurando. Delecta ex omni numero sedecim millia, quę propter certum integumenti genus, dicta est Legio Linteata. Coss. ambo in Samniũ profecti. Et Papyrius expugnata primum vrbe Duronia, venit Aquiloniam, ibique militem suum iam victorem, pugnæ desiderio accendit, & contemptu replet apparatus superstitiosi, qui vt olim contra Papyrium patrem, gloriæ victoribus futurus sit, non tegumento victis, superis in tot fœderum violatores iratis. Ergo cõtempta execratione hostium, & suorum augurum obnunciatione, procedit ad pugnam. Romanos ardor animi & odium fœdifragorum Samnitium, & conscia virtus impellebant ad pugnam. Samnites iam toties victos necessitas ac religio inuitos magis resistere, quam volentes pugnare cogebat. Quo minus autem fugæ fuit, hoc magis bacchata est cædes. Cum autem apparuit ex colle Sp. Naucius, quem alterum Consulem dicebat esse Papyrius, expugnato Cominio, ilicet funduntur Linteatæ cohortes, & iurati pariter iniuratique fugiunt, pedites ad castra, equites in vrbem compulsi, cædes plusquam 30. millium fuit. Signa militaria capta ad 97. homines ad 5870.

Quid in eos Papyrius Consul. a. v c. 444.

IV. Quidque alter Cõsul Caruilius.

Alter Consul Caruilius, cui veteres Attilij copiæ, Interamnæ relictæ traditæ sunt, dum Samnites sese execrationibus obligant, eis vi eripit Amiternum, multis hominum millibus cæsis, captisve. Inde Cominium venit, vbi totis copiis corona cinxit vrbem, subsidiaque firma, ne eruptio fieret, portis opposuit, & vrbe mox per vim capta, Samnites in medium denlati forum, paulisper restitere, mox abiectis armis deditionem fecere, cæsa ad 4380. Oppidum militi datum in prædam, exhaustoque ignis iniectus. Eodem die Aquilonia, & Cominium deflagrauere. Inde ad alias vrbes bellum à Coss. circumlatum est; quatuor vrbes vi captæ, plurima mortalium millia partim cæsa, partim capta sunt. Inde Hetruscos quoque adijt rebellantes, réque bene gesta Romam venit, vterque glorioso triumpho honoratus est, Papyrius præsertim magnificis Samnitium spoliis, militumque donatiis: qui & ædem Quirini à Dictatore patre votam, Consul filius dedicauit, & hostium spoliis exornauit.

Etiam contra Hetruscos.

V. Romæ pestilitas.

Verum dum Romani tam multa hominum millia in Sabinis & Hetruscis morti dant, vicissim orta superiore anno pestilentia eos populata est, præter multa Romanorum millia in præliis atque obsidionibus desiderata. Quæsitum remedium, aditi libri, inuentum est Æsculapium Romam ab Epidauro accersendum. Id in annum sequentem dilatum, hoc autem, vno die Æsculapio supplicatum est. Sed hic quoque annus luctuosus historiæ Romanæ contingit, quo nos T. Lutius, amissa decade secunda, ad quinque & 70. annos deserit, annis hactenus nobiscum ad 460. decursis.

Historiæ Liuianæ lades.

ANNVS MVNDI 3762.

SIMONIS 9. PTOLEM. LAG. 33.

SELEVCI & Imperij Græcorum 20.

OLYMP. CXXII. AN. 1. V.C. 461.

ANTE CHRISTVM 291.

LYsimachus in pœnam proditi atque interfecti superiore anno generi, hoc anno ineũtis CXXII. Olympiadis, cũ Dromichete Thraciæ Rege infeliciter pugnat, & capitur. Quapropter properante in Thraciam Demetrio, & sperante se vacuam occupaturum, defecerunt iterum Bœotij, simul nunciatur Lysimachum dimissum esse. Itaque Demetrius tetro recepit se, in Bœotios ira flagrans; sed inuenit eos iam in acie ab Antigono filio suo deuictos, & Thebas iterum obsedit. Pyrrho autem populante Thessaliam, & vsque ad Thermopylas excurrére, relinquens ad continuandam obsidionem Antigonum, contendit in ipsum. Qui cũ propere fugisset, decem millibus peditum, & mille equitibus ad præsidium Thessaliæ relictis, rursum pressit Thebanos, & Helepolim instituit vrbi admouere. In ea obsidione non multos solũ milites amisit, ingemiscente nequidquam Antigono, sed ipse quoque graue adijt vitæ discrimen, collo ipsius acuto telo traiecto. Neque tamen obsidione destitit, donec vrbe potitus est. In ea tamen verbis magis quam factis sæuijt; tredecim enim interfectis, & nonnullis in exilium pulsis, cæteros noxa metuque liberauit. Moxque apud Athenienses Pythia in honorem Apollinis celebrauit.

Fabius porro Consul cognomento Gurges male contra Samnites hoc anno pugnauit, adeo vt amisso exercitu, cæsis tribus Romanorũ millibus in vrbem refugerit. Itaque cum Senatus de eo exautorando deliberaret, pater eius Fabius Max. ignominiam filij deprecatus, eius se legatum obtulit, si ei facultas daretur iterandi belli. Quod cum obtinuisset, ita bellum cum filio administrauit, vt ipse quoque Samnitium Dux Pontius caperetur, sed res in annum quoque sequentem protracta est. Tradit Zonaras alterum quoque Consulem rem bene aduersus Falisco gessisse, Sp. Caruilij exconsulis opera.

ANNVS MVNDI 3763.

SIMONIS 10. PTOLEM. LAG. 34.

SELEVCI, & Imperij Græcorum 21.

OLYMP. CXXII. AN. 2. V.R.C. 462.

ANTE CHRISTVM 290.

CVm Demetrius Pythia egisset Athenis, in Macedoniam regressus, in Aetolos, qui

ei

ei aditum Delphienm intercluserant, mouit exercitum, & vastatis eorum finibus, relictóque ibi Pantaucho, cum magna exercitus parte, in Pyrrhum Epirotam arma conuertit. Nā is paulo ante Thessaliam populatus fuerat, & ipsemet ad quietem factus non erat, præsertim cum Macedones in expeditionibus magis sibi audientes haberet, quam domi, vbi eos seditiosos, & rerum nouarum cupidos expetiebatur. Ergo Epirum populatus Demetrius, parem Pyrrho gratiam reposuit. Cum autem Pyrrhus in Pantauchum incidisset, pugnatum est acriter ab vtriusque exercitu; sed præcipuum fuit ipsorum ducum certamen. Nam Pantauchus inter Demetrij Duces & corporis viribus, & animi magnitudine longe primus, Pyrrhum prouocauit ad singulare certamen. At Pyrrhus, qui laudes Achillis virtute magis quam genere studeret acquirere, conditionem accipit. Cumque arte gladios lacertisque tractant, Pyrrhus vno accepto vulnere, inflictis duobus, altero in femur, secundum collum altero, pepulit prostrauitque Pantauchum, nec tamen eum occidit, amicis ipsum eripientibus. Ea victoria, vt ait Plutarchus, Demetrij res vehementer afflixit, quod præter acceptam cladem Pyrrhi virtus ac fortitudo Macedonum animos sibi vehementer conciliauit, eique aditum ad Macedoniæ regnum muniuit; quippe quem agnoscebant Alexandro audacia & strenuitate simillimum.

Pyrrhi & Pantauchi pugna.

In Pyrrh. Aditus Pyrrho munitur ad regnū Macedoniæ.

Hoc anno Fabio Gurgiti, patris vt apparet studio, prorogatum est imperium. Ea de causa, inquit Zonaras, cum ipsi Fabio honos est habitus, tum eius filio permissum, vt pro Consule imperaret, tum quoque patre legato vtens, qui nihil senectuti suæ parcens, ipse administrauit omnia, sed dissimulanter, vt à filio facta esse viderentur. Victos ergo Samnites castris exuit, agros vastauit, & ingentem prædam partim militibus distribuit, partim in ærarium retulit. Addit Valerius, patrem filij triumphantis currum equo insidentem secutum, quem ipse paruulum in suis triumphis gestauerat.

II. Fabij Gurg. victoria & triūphus.

l. 5. c. 7.

Ad hunc ipsum annum pertinet Æsculapij Romam deportatio, altero scilicet anno, quam Gurges male pugnauerat, vt ait Oros. Cum ciuitas, inquit Florus, pestilentia laboraret, missis legatis, vt Æsculapij signum Romam ab Epidauro transferrent, anguem, qui se in eorum nauem contulerat, in quo ipsum Numen esse constabat, deportauere, eoque in Tiberis insulam egresso, eodem loco sedes Æsculapij constituta est. Sic ipse, quæ pluribus autor libri de viris illustribus, & Valerius Maximus. Nihil autem narrant, quod à veternoso ac veteratore illo serpente, quæ primæ parenti illusit, non facile fieri potuerit. Vide Augustinum libro tertio capite decimo septimo de Ciuitate Dei.

III. Æsculapius Romam defertur.

l. 3. c. 22. Epit. l. 11.

l. 1. c. 8.

***

ANNVS MVNDI 3764.

SIMONIS 11. PTOLEM. LAGI 35.

SELEVCI, & Imperij Græcorum 22.

OLYMPIAD. CXXII. An. 3. V. C. 463.

ANTE CHRISTVM 289.

HOc anno Seleucus, vt Eusebio placet, in eas vrbes quas extruxerat, Iudæos transfert, iuris eis ciuium, & municipalem ordinem, cum Græcis æquali honore concedens; quod ille ex Iosepho mutuatus est. Vrbes autē intelligit, quas ante nominauerat, Antiochiam, Laodiciam, Seleuciam, Apameam, Edessam, Beræam & Pellam. Primam à patre nominauit, alteram à matre, tertiam à seipso, quartam ab vxore, reliquas ab vrbibus Macedoniæ. At Demetrius cū Peliæ Macedoniæ incipitem morbum incidisset, totam pene amisit Macedoniam, Pyrrho subito incurrente, & Edessam vsque progrediente; obsistente nullo, & multis ad eum deficientibus. At amici Ducesque Demetrij ipso vrgente, ingentibus breui contractis copiis, in Pyrrhum mouent, qui quod prædandi, non belli gerendi causa venerat, non expectauit eos, sed fugiens partem copiarum in itinere amisit. Demetrius autem vbi conualuit, cum de paterno regno recuperando cogitaret, noluit cum Pyrrho conflictari, & grauem ac vicinum Macedoniæ relinquere aduersarium, sed fœdus cum eo, pacemque composuit, & reliquum annum in bellico apparatu consumpsit.

I. Seleuci vrbes. Dat Iudæis ius ciuitatis.

In Chron. l. 12. c. 3.

Plut. in Pyrrho, & Demet.

Demetrius Pyrrhum fugat, & cū eo fœdus init.

M. Curium hoc anno Consulem agnoscit M. Tullius: est enim quintus à morte & deuotione Decij, à quo bellum contra Samnites gessit, eosque ad mare vsque superum ita domuit, vt Sānitico bello finem imposuerit, & ad pacem petendam compulerit: cum quibus quartò fœdus renouatum esse scribit Florus in epitome; quod ipsum perpetuum non fuit, sed nouem post annos, Tarentini belli occasione, diremptum. Ad hoc tempus plerique referunt illud, de auro Samnitium repudiato, quasi id missum fuerit hominis corrumpendi causa. Verum cum satis constet oblatum aurum in agello suo agenti, & rapas elixanti, & quidem post bellum confectum, & fœdus quartùm innouatum, & actum de ijs triumphum, grati potius animi gratia videtur oblatum, quod ipsius autoritate pacem neq; meritam, neque speratam obtinuissent.

II. Curius Samnites vincit, & pacem cū eis quartum renouat.

De senect. V. C. 458.

Aurum eorum repudiat.

ANNVS MVNDI 3765.

SIMONIS 12. & vlt. PTO. LAG. 36.

SELEVCI, & Imperij Græcorum 23.

OLYMP. CXXII. An. 4. V. C. 464.

ANTE CHRISTVM 288.

REferimus ad hunc annum mortem Simonis Pontificis Hebræorum, cognomento

I. Mors Simonis Pontif.

Iusti, Eusebium secuti, qui anno sequenti ponit initium Pontificatus Eleazari fratris eius, cum Simon 12 annis Pontificatum, sancte atque vtiliter administrasset. Verum cum duo per hæc tempora reperiantur Simones, ambo Pontifices, ambo filij Oniæ, quorum vnus à Scriptura in libro Ecclesiastici egregiè commendatur, dubium est ad vtrum eorum laus illa pertineat. Quo autem res sit apertior, series Pontificum, qui ab Alexandro Magno Pontificatum gessere, sub vnum aspectum ponenda est.

a.50.1.

Series eorum.

1. *Iaddus, siue Ieddoa regnante Alexandro Magno Pontificium gessit.* Ioseph.lib.11.c. 8.
2. *Onias Iaddi filius, sub Ptolemæo Lagida, à morte Alexandri Magni.* Ioseph. lib.11.in fine.
3. *Simon filius Oniæ, Iustus, qui & Priscus ad differentiam posteriorum, vixit sub eodem Lagida.* Ioseph.lib.12.c.a. ante medium. *Ab Olympiade* 120.Euseb.Chron.
4. *Eleazar frater Simonis, quod filius Simonis paruulus esset.* Iosephus ibid.
5. *Manasses Eleazari & Simonis patruus, frater Oniæ Pontificatum assumpsit, gessitque viuo adhuc Philadelpho.* Ioseph.lib.12. c.3. fine. *ineunte Olympiade* 131.Euseb.
6. *Onias secundus Simonis Iusti filius, vixit sub Ptolemæo Euergete.* Iosephus lib.12.c.3.fine.
7. *Simon secundus filius Oniæ,* Iosephus li. 12. c. 4. fine. *Sub eodem Euergete* apud Eusebium. *Olymp.*137.
8. *Onias tertius filius Simonis, ad quem putatur scripsisse Arius rex Lacedæmonum.* Iosephus lib. 12. cap. 4.fine,& c. 5.*qui etiam restitit Heliodoro.* 2. Machab.3.

Inde Iason & Menelaus, vsque ad Mattathiam patrem Machabæorum. Ioseph.l.12.c.6,

II. Simon Iustus in Scriptura laudatur.

Priorem ergo Simonem à Iesu Sirachide cõmendari credimus, tum quia ille vel Iusti cognomento publico, vel peculiari Iosephi laude, illustris fuit; iste autem posterior, prorsus obscurus: tum quia apparet autorem libri Ecclesiastici Sirachidem, ad secundum Simonem nõ peruenisse, vt qui de Eleazaro vito perillustri, qui tempore Philadelphi misit ad eum septuaginta Interpretes, & Simoni priori successit, nihil dixit. Denique ita sentit Iansenius accuratus interpres, limatique iudicij vir, in Comment. in eum librum; cui consentiunt Torniellus, Genebrardus, à Lapide, Scaliger, Emanuel Sa, quibus libenter subscribimus. Quæ autem pro altera opinione facere videntur, in Annalibus refutata reperies, & laudes prioris Simonis diligentius explicatas. Hic ad historiam dico breuiter hunc Simonem domum Dei suffulsisse, reparandis substructionibus, quibus templi fũdamenta fulciebantur, & peribolus circumquaq; nitebatur, quò populus à casu liberaretur. Sicque ingressus domus, & atrij amplificatus est. Denique curauit, vt aquis in ciuitate deficientibus, reparerentur aquæductus, vt deinceps ciuitas aquis instar maris abundaret.

III.

Luctuosus porro fuit hic annus regi Demetrio, qui cum paternum in Asia regnum recuperare contendit, nuper acquisitum Macedoniæ regnum amisit. Tantis viribus, ait Plutarchus, Asiæ imminebat, quantas secundum Alexandrum nemo collegerat, cum Seleucus, Ptolemæus, Lysimachus, cognita Demetrij voluntate, missis communi nomine ad Pyrrhum legatis, hortati sunt eum, Macedoniam vt sibi vindicaret, reiecto Demetrij fœdere, quod ille interim inierat, quò bellum prius quibus vellet mouere posset. Ea spes Pyrrhum aduersus Demetrium mouit. Mouit & accepta iniuria. Nam Lanassa Pyrrhi vxor, eo repudiato Demetrio nupserat, eique Corcyram oppidum, dotis nomine à patre Agathocle Syracusano acceptum, tradiderat, præsidióque tenebat. Ergo se Pyrrhus cæteris principibus adiũgit. Ptolemæus cum magna classe in Græciam proficiscitur, ciuitates sollicitat, & aliquas ad se trahit. Eodem tempore Lysimachus superiorem Macedoniam ex Thracia, inferiorem ex vicino Pyrrhus populantur.

Demetrius multis malis circumuentus, Asiæ consilia necessariæ distulit, & Antigono filio in Græcia relicto, ipse ad tuendam Macedoniam in Lysimachum contendit, cum Pyrrhus, nocturno Alexandri Magni viso, ac promissione roboratus, Beræam vrbem, in Emathia regione Macedoniæ, celeriter occupauit. Quo nuncio omnia apud Macedonas in exercitu Demetrij perturbata sunt, omnia gemitu ac querelis repleta, adeo vt cuncti missionem peterent. Veritus ergo Demetrius ne si Lysimachum infestus aditet, sui ad eum deficerent, contra Pyrrhum mouit, quem vt alienigenam sibi Macedones non prælaturos putabat. Sed Macedones, qui virtutem Pyrrhi iamdudum admirabantur, ad eum palam frequentesque transiere, adeo vt quidam ex eius amicis Demetrio suaderent, vt imperio deposito, sibi fuga consuleret. Ille trepidus, vili tegmine capitis, & humili lacerna tectus, clam se è castris proripuit, quæ mox Pyrrhus occupauit, & prædas inhibuit, Rexque Macedonum salutatus est.

Nudatus regno Demetrius cum Cassandriam refugisset, vxor eius Phila non sustinens iterum priuatum & exulem videre Demetrium, abiecta spe omni, & fortunam eius execrata, hausto veneno extincta est. Athenienses quoque ab afflicto Demetrio defecerunt, ac Diphilum, qui seruatorum Sacerdos erat, id est Antigoni & Demetrij, quos illi retulerant in Deos, & Archontum loco annis nomen dare voluerant, è fastis expunxerunt, & antiquæ gloriæ memores in spem libertatis excitati, omnia eius præsidia Pyræo, Munichia, Musæo expulerunt. Ipse autem Demetrius, siue non satis se tutum Cassandræa ratus, siue reliquias naufragiorum suorum adhuc colligere deliberans, contendit in Græciam, vbi erat filius eius Antigonus, ducesque ibi amicosque collegit. Res autem Romana nihil admodum suggerit hoc anno memoria dignum, ac ne sequenti quidem deficiente Liuio.

* * *

ANNVS MVNDI 3766.

ELEAZARI 1. PTOL. LAGI 37.

SELEVCI & Imperij Græcorum 24.

OLYMP. CXXIII. AN. 1. VRB. C. 465.

ANTE CHRISTVM 287.

I. Eleazar Pontifex.

NOuum Iudæorum Pontificem, nouamque Olympiadem suggerit hoc anno Euseb. De quo Iosephus *Simone mortuo*, inquit, *superstite vnico filio paruulo, frater Eleazarus, de quo nunc est sermo, Pontificatum assumpsit.* Sic ipse. Filius autem ille paruulus dictus est Onias, qui postea sub Ptolemæo Euergete Pontifex fuit, Eleazaro & Manasse Pontificibus interiectis, vt ex tabula præcedentis anni liquet. Fuit autem hic idem annus Sabbaticus ordine 169.

II. Lysimachus Macedoniã cũ Pyrrho pacitur.

Scribit Plutarchus in Pyrrho superuenisse Lysimachum, dum Pyrrhus ab exercitu Macedonico, qui Demetrium deseruerat, Rex Macedoniæ salutatus est, qui etsi id munus libenter integrum capturus erat, Lysimacho tamen contendente Demetrij oppressionem vtriusque esse commune opus, & regni partem postulante, Pyrrhus nondum satis fidens Macedonibus, annuit Lysimachi postulatis, regionesque & vrbes inter se diuisere, sed ea partitio breui discordiarum semen fuit. Interea Demetrius in Græcia resumptis viribus Asiatici belli cogitationem resumpsit: sed prius statuit Athenienses vlcisci, qui tempori seruientes modo blandissimos adulatores agebant, modo hostes improbissimos. Eam ad rem Thebanos sibi demeritus est, sua ipsis Reipublicæ administratione restituta, tum in Athenienses mouit, & eorum vrbem valida obsidione cinxit. Athenienses autem simul Pyrrhum è Macedonia exciuere, simul ad eum Craterem Philosophum magnæ sapientiæ atque autoritatis virum misere, qui tantum apud eum oratione precibusque valuit, vt is Demetrium ad soluendam obsidionem compelleret; præsertim cum aduersam Pyrrho pugnam timeret, & obsidionis diuturnitatem, quibus Asiana consilia aut nimium tardarentur, aut etiam penitus infringerentur.

Demetrius reflorescit, & Athenas obsidet.

Breuique soluit obsidionẽ Pyrrhi metu.

III. Et cum classe transit in Asiam.

Ergo Athenienses & vetere Demetrij dominatu, & nouo periculo liberati sunt. Demetrius autem soluta obsidione, & facta cum Pyrrho pace, quæ tamen id agente Lysimacho perbreuis fuit, coacta classe, in eaque vndecim militum millibus cum equitatu impositis, in Asiam nauigauit, duxitque vxorem circa Miletum, Ptolemaidem Ptolemæi filiam, ne eum haberet aduersarium; protinusque ad vrbes, quæ Lysimacho parebant, oppugnandas se conuertit, quarum multæ vltro in eius potestatem venere, multæ ab eo vi subactæ sunt. At superueniente cum exercitu Agathocle Lysimacho filio, cum eo pugnans aliquot leuioribus prælijs superior fuit. Mox tamen necessariarum rerum penuria vrgente, & ex fame orta pestilentia, varia loca obire coactus est, & à Seleuco genero, & inimico, petere commeatum. Quem ille primum concessit, misericordia in Regem afflictum commotus. Mox autem veritus nouam aliquam Demetrij felicitatem, contra eum Ciliciam versus duxit exercitum. Mutationem miratus Demetrius, legatos obsidesq; misit, vt sibi quiete liceret ad duos menses in Cataonia, quæ est confinis Cappadociæ, hybernare.

Quid ibi cũ Agathocle & Seleuco egerit.

IV. Obitus Theophrasti.

Mortuus est hoc anno Theophrastus, cum scholæ Peripateticæ annis sex & triginta præfuisset, & innumera volumina edidisset, quæ recenset Laërtius, additq; ad eum audiendum ad duo millia discipulorum concurrisse, obijsseq; annos natum quinque supra octoginta. Eius gloria hoc ipso magna est, quod magni fieret ab Aristotele præceptore, à quo & Theophrasti nomen accepit, cum antea Tyrtamus diceretur. Mortuus Athenienses pedibus publice prosecuti honorauerunt, & Stratonem Lampsacenum eius loco scholæ præfecerunt, quam tenuit annis decem & octo. Fuit is disertissimus & Physicorum scientissimus, vnde & Physici nomen accepit. Ptolemæi Philadelphi præceptorem fuisse ferunt, ab eoq; octoginta talentis donatum. Laërtius. Demetrio quoque Phalereo amicus ac familiaris fuit.

Ei Strato succedit.

ANNVS MVNDI 3767.

ELEAZARI 2. PTOLEMÆI 38.

SELEVCI & Imperij Græcorum 25.

OLYMP. CXXIII. AN. 2. VRB. C. 466.

ANTE CHRISTVM 286.

I. Demetrius Seleucum feliciter pugnat. *Plut. in Demet.*

INclusus instar feræ Demetrius, vt qui hinc Agathoclem, inde Seleucum haberet obiectos, ad vim se ex necessitate conuertit, finesque Seleuci depopulatus est, & cum adoriente Seleuco pugnans, semper euasit superior, & claustra Syriæ deiectis munitionibus, in suam redegit potestatem. Iamque plane animo erectus, cernens milites suos alacres, instituit cum Seleuco de rerum summa dimicare. Seleucus autem vehementer anceps fuit, quippe qui iam auxilia Lysimachi recusauerat, quod rebus suis ab eo metueret. Timebatq; solus cum Demetrio signa conferre, desperationem eius formidans, & perpetuam fortunæ ipsius vicissitudinem. At cum interea Demetrium grauis morbus occupasset, is non leuiter res eius afflixit, quoniam pars militum eius ad hostem transiit, pars dilapsa est. Cum autem post quadraginta dies à morbo recreatus esset, superato Amano monte, descendit in Syriam.

Morbo Demetrii res eius afflictæ.

II. Pugnat in Seleucum, & à suis desertus, fugit. *Plut. in Dem.*

Cum superuenisset Seleucus, & castra metatus esset in propinquo, mouit in eum nocte Demetrius sopitum occupaturus; sed eius consilio à perfugis quibusdam patefacto, destitit ab inceptis. Orta luce cum vterque aciem explicasset ad pugnam, & Demetrius nonnullos in opposito sibi cornu egisset in fugam, Seleucus demisso equo, galeaque detracta, & parma sumpta processit in primam aciem, monstrans se

mercenarijs, inuitansque vt ad se transirent, quod ipsis parcitum vellet, non Demetrio. Ibi omnes salutantes eum, & Regem appellantes, transitionem fecere. At Demetrius deflectens de via, ad Amani montis angustias cum paucis confugit, densam assecutus sylvam, ibi noctem transegit, certus si qua fieri posset, iter Caunum versus arripere, indeque ad propinquum mare euadere. Quod cum parum succederet, & montium iuga ab hostibus occupata cerneret, quidam ei dicere ausus est, vt se traderet Seleuco; cum Demetrius gladio manum admouit ad se interficiendum. Verum circumfusi amici consolantes eum, induxerunt vt id consilij sequeretur. Itaque missis ad Seleucum nunciis, eius fidei salutem suam permisit.

Et dedit se Seleuco.

III. Ab eoq; in custodiā mittitur.

Ea deditione nunciata misit Seleucus Apollonidem Demetrio quondam familiarem, qui eum consolaretur, diceretque ipsum non hostem aditurum, sed generum. Quæ vox cum multos rursum Demetrio conciliasset, quod sperarent summo eum loco apud Seleucum futurum, & se videlicet eius gratiæ participes fore. Ea res miserationem Seleuci in inuidiam vertit, ac rerum nouarum timorem, cum primum Demetrius conspiceretur in castris. Ergo dum Apollonides lætiora illa Demetrio nunciat, superuenit ab eodem Seleuco Pausanias, cum mille equitum peditumque militibus, qui comprehensum Demetrium, non in Seleuci conspectum, sed in Chersonesum Syriæ abduxit, vbi valida cinctus custodia, reliquum vitæ egit, quod ferme triennium fuit. Securus à Demetrio Lysimachus, mouit confestim in Pyrrhum regni Macedoniæ consortem; quicum statiua haberet ad Edessam, Lysimachus in commeatum, qui ei supportabatur, incidit, eumque abstulit. Ita annonæ difficultate primo macerauit eum; tum principes Macedonum per literas amice obiurgauit, quod peregrinum hominem, cuius maiores semper seruissent Macedonibus, fecissent dominum, amicos vero & familiares Alexandri extruderent Macedonia. Multis ita commotis, metuens sibi Pyrrhus, cum Epiroticis socijs discessit, & Macedoniam, qua facilitate quæsiuerat, amisit.

Plut. in Pyrrho. Lysimac. Pyrrhum pellit Macedonia.

ANNVS MVNDI 3768.

ELEAZARI 3. PHILADELPHI 1.

PTOLEMÆI LAGIDÆ 39.

SELEVCI, & Imperij Græcorum 26.

OLYMP. CXXIII. A.3. VRB.CO.467.

ANTE CHRISTVM 285.

1. Seleucus Rex Asiæ & Syriæ.

SEleucus cum haberet in potestate Demetrium, qui Syria aliqua ex parte potiebatur, simul etiam Syria tota potitus est, sequeRegem Asiæ, ac Syriæ deinceps appellauit. Demetrius autem in Syria custodiebatur, sed regia custodia. Nam præter necessaria quotidie prolixè subministrata, ambulationes Regiæ, & instructa feris viuaria, & amicorum consuetudo concedebatur. Veniebant quoque à Seleuco, qui spem libertatis facerent, vbi Seleuci filius Antiochus, & vxor eius Stratonice filia Demetrij aduenissent, vt eius libertas beneficium illorum foret. Nihilominus Demetrius postquam in eam decidit fortunam, principum fraudes suspectas habens, mandauit filio suo, ducibusq; & amicis, qui Athenis & Corinthi erant, ne literis, vel annulo suo fidem haberent, sed, perinde ac si mortuus esset, reseruarent oppida, regnique reliquias Antigono, qui & diu in Macedonia postea regnauit, quippe per se, perque amicos omnes apud Seleucum egit omnia pro patris libertate, pro qua etiam Seleuco se obsidem obtulit. Verum dum tempus protrahitur libertatis, prius à vita, quam è custodia excessit, vt sequenti anno dicetur.

II. Initium regni Philadelphi. *Lib.4.*

Regnare cœpit hoc anno cum Patre Ptolemæus Philadelphus, vt accurate in Annalibus probatum est, ex Claudio Ptolemæo in Almagesto. Eamque regni cum patre societatem requirit multorum sententia, qui Lagidæ regnum ad quadragesimum annum producunt. Eandemque confirmant Iustinus, Appianus, Pausanias, qui ait Ptolemæum Lagidem Eurydicem Antipatri filiam vxorem duxisse, ex qua cum iam liberos suscepisset, etiam Berenicem Eurydices comitem adamasse, & filios ex ea quoque suscepisse, in quibus fuit Ptolemæus, quem iam prope moriens regni successorem declarauit. Addit Pausanias hunc ipsum Philadelphum minorem natu fratrem Argæum, eundemque vterinum sibi insidias parantem, vt fama ferebatur, interfecisse; rursumque alterum innominatum, quod Cyprios ad defectionem sollicitaret. Itaque duorum fratrum interfector, per antiphrasim dictus est Philadelphus.

Lib. 6. Gr.

Vnde dictus.

III. Romæ pro æ. alieno seditio ac secessio. *in Epit. 11.*

Sub hoc tempus Romæ post lustrum conditum seditio exorta est. Nam plebs, vt Florus ait, propter æs alienum, & graues & longas seditiones, ad vltimum secessit in Ianiculum: vnde à Q. Hortensio Dictatore deducta est, isque in ipso magistratu decessit. Addit Zonaras seditionem non prius conquieuisse, quam hostes vrbem inuaserunt; post vnum videlicet, alterumque annum. Id autem non solum animaduertendum, sed etiam valde admirandum videtur, post congestas Romæ ex vniuersa pene Italia prædas, post tot vrbes opulentas à milite direptas, tanta penuria vexatam plebem Romanam, vt alieno ære obruta in seditionem versa, vrbis locupletes domos diripuerit, patriam desperata salute deseruerit. Nimirum qui opes iniuste congregabant, quasi eas in dolium pertusum coniicerent, egentiores illico atque exinaniti, iusto Dei iudicio, reddebantur.

Eaque mira.

***

AN-

ANNVS MVNDI 3769.

ELEAZARI 4. PTOL. LAG. 40. & vlt.

PTOL. PHILADELPHI 2.

SELEVCI, & Imperij Græcorum 27.

OLYMP. CXXIII. AN. 4. V. C. 468.

ANTE CHRISTVM 284.

I. Obitus Demetrii, & funus. *Plut. in Demet.*

MOritur hoc anno Demetrius, cum annum tertium in Seleuci custodia versaretur; quandiu enim corporis exercitationibus operam dedit, recte valuit: cum autem ad ignauiam delapsus, in pocula sese atque aleam præcipitasset, ex otio & sagina in morbum delapsus interijt, annos natus, vt ait Plutarchus, quatuor & quinquaginta: princeps, si quis vnquam, crebra fortunæ mutatione mirabilis, vt ex tota præcedenti historia facile constare potest. Eius filius Antigonus, quem ille ex Phila susceperat, funus eius magnificè curauit. Lipsana enim vrna aurea condita, multisque honoribus in via affecta, Demetriadem vrbem ab eo conditam detulit, ibique honorifice sepeliuit.

II. Obitus Ptolemæi Lagi.

Ptolemæus autem Lagides annum regni sui quadragesimum ingressus, qui idem fuit ab Alexandri morte quadragesimus, viuendi simul regnandique finem fecit. Etsi autem Pausanias eum accusat intemperantiæ, quòd tres simul vxores habuerit, Thaidem Alexandri concubinam, Eurydicem Antipatri filiam, & Berenicem Eurydices comitem, Magni tamen cognomen est consecutus, quod primus Ptolemæorum in Ægypto fundauit Imperium, quod difficillimis temporibus ad annos quadraginta gubernauit, & multam ad posteritatem propagauit, quæ tota honoris causa nomen eius retinuit. Regno quoque suo Cyprum adiecit & Syriam. Soteris etiam cognomen illi datum Laërtius, & Suidas affirmant. Iosephus item, qui id illi præter meritum scribit attributum, quòd Hierosolymis per diem festum occupatis, Iudæos acerbè inclementerque tractauerit, plurimosque in Ægyptum captiuos abduxerit. Eo itaque mortuo, & magnificè sepulto, vt par erat ab eo fieri, à quo in regnum præ omnibus filiis, non spe solum, sed reipsa euexerat, & consortem Imperij viuus effecerat, solus ipse regnare cœpit, & maiore quam pater potentia excrescere, vt prædixerat Daniel, interprete Hieronymo; cum Pyrrhus interea amissa Macedonia, rebus suis in Epiro quiete fruebatur, donec breui in Italiam euocatus est. Lysimachus autem in Thracia & Heraclea bellum gerebat. Consulum vero Romanorum gestæ res, hoc anno & præcedentibus aliquot propter librorum iacturam, ad nos non peruenere.

Dictus est Magnus, & Soter. *l. 12. c. 1.*

Regnum Philadelphi soli.

ca. 11. 5.

ANNVS MVNDI 3770.

ELEAZARI Ducis & Pontif. 5.

PTOL. PHILADELPHI 3.

SELEVCI & Imperij Græcorum 28.

OLYMP. CXXIV. AN. 1. VR. C. 469.

ANTE CHRISTVM 283.

SVB hæc initia Philadelphi, atque adeo hoc ipso primo anno Olympiad. centesimæ vigesimæ quartæ, scribit Eusebius Sostratum Guidium architectum, Pharum in Alexandria, Regis vtique iussu, construxisse, ne temere nautæ in insulam importuosam prouecti, naufragium in portu facerent, sed maturè, dum adhuc in alto nauigarent, accensa in Pharo face monerentur. Eo porro nomine tam insula, quam turris in ea excitata dicebatur, vt autor est Strabo. *Hæc insula*, vt scribit Cæsar libro tertio de belli ciuili extremo, *obiecta Alexandriæ portum efficit: sed à superioribus regibus, in longitudinem passuum nongentorum in mare iactis molibus, angusto itinere, & ponte cum oppido coniungitur.* Ille autem Isthmus ἑπταστάδιον dictus est. Id testatur Iosephus, cum ait Demetrium Phalereum deduxisse in Pharum septuaginta Interpretes. *Assumptis eis*, inquit, *transiuit aggerem illum septem stadiorum & pontem, qui insulam continenti adiungit*, &c. Opus autem suum Sostratus dijs seruatoribus dicauit, id est, vtrique Ptolemæo, nam Lagides dictus est Soter, vt paulo ante diximus; Philadelphus, tam nunc à Sostrato, quam postea à Rhodijs dictus est Soter.

I. Pharus Alexandriæ.

li. 17.

l. 12. c. 2.

Rursum porro hoc anno, atque his Romæ Coss. bellum Senonicum contra Gallos Senonas gestum fuisse scribit Polybius libro secundo. *Vix decem*, inquit, *elapsi erant anni*, & reuera hic vndecimus est annus à quadringentesimo quinquagesimo octauo ab vrbe condita, quo Samnitibus iuncti Galli, in agro Clusino contra Romanos pugnauerant; in qua pugna Decius iunior deuotione perierat, *cum iterum Galli magna belli mole Aretium parant obsidere*: ea est Thusciæ vrbs, & Romanorum colonia. Ergo adsunt Romani ad ferendam opem. Sed ante vrbem collatis signis inferiores è pugna discedunt. In eo prælio cum occisus fuisset L. Cæcilius Consul, in eius locum suffectus est M. Curius, qui mox ad Gallos misit de captiuorum redemptione legatos, quos ipsi, datam fidem fallentes, necarunt. Hæc ex Polybio: quæ autem subdit, ad proximum Dolabellæ Consulatum pertinent.

II. Bellum contra Gallos Senones.

Romani victi occiso Consule.

ANNVS MVNDI 3771.

ELEAZARI 6. PHILADELP. 4.

SELEVCI & Imperij Græcorum 24.

OLYMP. CXXIV. A. 2. V. C. 470.

ANTE CHRISTVM 282.

I. Achæorũ societas *l. 2.*

REfert ad hanc Olympiadem Polybius initia concordiæ ac societatis Achæorum, cuius Patrenses & Dymæi fundamenta iecerunt, sunt hi in Peloponneso populi, oppida Patræ, & Dyme. Cum autem Lysimachus Macedoniam pacatus obtineret, pulso Pyrrho, mortuoque Demetrio, ipse domestico scelere turbauit omnia. Nam, vt Iustinus refert, breui tempore à Lysimachia terræ motu prostrata, Agathoclem filium suum, quem regni successorem destinarat, per quem multa bella prosperè gesserat, ministra Arsinoë nouerca, veneno sustulit. Ea fuit Ptolemæi Lagidæ filia. Quid causæ tanto facinori aut patri, aut nouercæ datum fuerit, non liquet. Illud certo constat mulierem breui id scelus magnò emisse, tribus liberorum suorum occisis.

Iust. l. 17.

Iust. l. 17. Lysimachus Agathoclẽ filium occidit.

II. Galli Senones à Dolabella victi. *Polyb. l. 2.*

Vltus est hoc anno Dolabella acceptam à Gallis Senonibus iniuriam, & ius gentium in legatorum cæde violatum. Cum ergo in eos duxisset exercitum Dolabella Consul, prospera fortuna vsus, maximam eorum partem concidit, reliquos sedibus expulit; ita vniuersa Senonum ditione potiti Romani, primam coloniam in eorum vrbem Senam misere. At Boij, vt Senones patria excidisse vident, alieno malo non sunt facti prudentiores, sed omnibus suis, qui arma ferre poterant, excitis, Hetruscis etiam aduocatis contra Romanos proficiscuntur. Ad lacum Vadimonis pugnatur, cæsi sunt plerique omnes Hetrusci, Boiorum perpauci fuga euasere. Ita fere Polybius. Ea victoria ab Æsi fluuio Picenorum, prope Anconam Italiæ quondam finibus, ad Rubiconem vsque ijdem fines producti sunt.

Sena Colonia.

Victi quoque Boii, & Hetrusci.

ANNVS MVNDI 3772.

ELEAZARI 7. PTOL. PHIL. 5.

SELEVCI, & Imperij Græcorum 30.

OLYMP. CXXVI. AN. 3. VR. C. 471.

ANTE CHRISTVM 281.

I. Milites Lysimachi cum filio ad Seleucũ deficiũt. *l. 17. vid. Oros. in fi l. 3.*

LYsimachi in amicos domesticosq; crudelitas, nam præter Agathoclem regni designatum heredem, alios etiam filios suos sustulit, adeo vt ante mortem quindecim amisisse variis casibus scribat Iustinus. Hæc inquam crudelitas, militum animos valde ab eius fide, beneuolentiaq; distraxit; adeo vt etiam qui eius copijs præerant, certatim ad Seleucum deficerent; in quibus quidam eius filius Alexander, quem illi id bellum ipsi Lysimacho patri suo inferendum impulerunt, sub auspicijs Seleuci, cum quo anno sequenti, vltimo certamine pugnatum est.

In Italia vero Boij Hetruscique, iterum conspiratione facta, bellum hoc anno, teste Polybio, renouarunt; sed adeo profligati sunt, vt pene ad internecionem delerentur. Quamobrem mitigatis parumper animis, fœdus cum Romanis per legatos percusserunt. Ita Polybius l. 2. De re à Fabricio gesta, hæc pauca Dionys. in excerptis legationibus. C. Fabricius tertio anno ante Consul Samnites, Lucanos, & Brutios magnis prælijs superauit, Thuriosque obsidione liberauit. Sic ipse; quem propterea triumphasse, merito Sigonius arbitratur. Hic est ille Fabricius multorum literis, ipsiusque M. Tullij commendatus, ob eximium eius diuitiarum contemptum.

Hoc ipso anno bello Tarentino causa data est, quam præ cæteris tradidit Dionys. Cũ enim Tarentini otio atq; opibus abundarent, Hetruscis, Gallis, & Samnitibus, cõtra Romanos bella gerentibus, sese coniunxerant, nec tamen in aciem cum eis aperte descenderant: cum L. Valerius Romanæ classis præfectus, Tarentum appellit, sociam vrbem arbitratus. At Tarentini, qui tum in theatro, ex quo prospectus erat in portum, spectaculis intererant, classem contra se missam ex facinorum conscientia existimantes, eam hostiliter inuaserunt, ac profligarunt, quinque tantum nauibus per fugam elapsis. Quibus Romam delatis, etsi omnes grauiter illam iniuriam ferebant, non prius tamen ad arma veniendum putarunt, quam de iniuria per legatos expostulassent; inuiti quippe nouos hostes, nondum perdomitis veteribus accipiebant: sed legati ipsi, in quibus L. Posthumius, fœdè atq; ignominiosè tractati sunt, Romamq; peruenerunt, cum L. Æmilius Barbula recens Consulatum inijsset.

II. Causa belli Tarentini *In excerpt. leg.*

III. Tarentini Pyrrhum accersunt belli cem.

Interea Tarentini cum se Romanis armis pares non esse satis intelligerent, de accersendo Pyrrho, eoq; belli duce constituendo deliberabant; magnam enim belli peritiam habere credebatur; Ei consilio optimi quique ciuium, ac prudentissimi resistebant, publicæ libertati timentes, qui clamore, atq; impetu plebis explodebantur. Missi ergo quamprimum in Epirum legati, qui non suo tantum, sed Italicorũ quoq; nomine dona Pyrrho ferrent, monerentq; electum ipsum contra Romanos belli Ducem, Italiam ipsi copias ingentes suppeditaturam, equitum 20. millia, peditum ad trecenta quinquaginta millia, ex Lucanis, Messapijs, Samnitibus, Tarentinis. Quæ Pyrrhum & Epirotas, ad eam expeditionem libenter suscipiendam, impulerunt. Nam Pyrrhus impatiens otij, cum magnam Græciæ partem sibi obstrictam teneret, Siciliam, Sardiniam, Carthaginem sibi subijcere cupiebat, Romanos tamen lacessere non audebat. Itaq; auxilia Tarentinis pollicitus est, ratus eorum societatem consilijs suis opportunam fore; sed ne ea patescerent, se domum statim à victoria rediturum dixit; & maiori parte legatorum obsidum loco retenta, suas ipse copias cum Cinea Tarentum misit, quò non ante sequentem annum peruenerunt.

* * *

Zona Quæ moli tur.

Cin preh

ANNVS MVNDI 3773.

ELEAZARI 8. PHILADELPHI 6.

SELEVCI & Imperij Græcorum 31.

OLYMP. CXXIV. AN. 4. VRB. C. 472.

ANTE CHRISTVM 280.

I. Prælium inter Seleucū & Lysimachum. *Iust. l. 17.*

HAbet hic annus, qui est Sabbaticus 170. vltimum certamen commilitonum Alexandri Magni, Seleucum inter & Lysimachū, quorum ille Asiam & Syriam, hic Macedoniam tenebat & Græciam. Lysimachus quatuor & 70. annos natus erat, Seleucus 77. Sed in ea ætate animi vtriq; iuveniles erant, propter insatiabilem Imperij cupiditatem. In eo bello Lysimachus, vt ait Iustinus, amissis antea variis casibus quindecim liberis, non instrenue moriens, postremus domus suæ ruinæ cumulus accessit. Sic ipse. Non vult tamen illum omnibus orbatum liberis interisse. Nam mox ipsemet aliquot filiorum eius meminit, quos Ceraunus in oculis matris interfecit. Scribit Appianus extinctum eius corpus, canem domesticum diu aduersus alites & feras protexisse, donec Thorax Pharsalius, aut, vt alii malunt, Alexander eius filius inuentum ac tabefactum sepelijt. Lætus tanta victoria Seleucus, quodq; se vltimum de cohorte Alexandri superesse videret, post menses admodum septem, à Ptolemæo Ceraunno, cuius sororem Lysandram Lysimachus duxerat, per insidias circumuentus occiditur, regnumque Macedoniæ, quod Lysimacho eripuerat, cum vita pariter amisit.

Moritur Lysimachus, cuius corp" à cane protegitur. *In Syriacis*

Seleuc" à Ptol. Ceraunno occiditur

II. Romani Tarentinū bellū cunctanter suscipiunt.

Consulibus recens creatis, aduenit Tarento Posthumius cum cæteris legatis, qui cum acceptam iniuriam enarrassent, magnam omniū indignationem mouerunt; plerisq; tamen bellum differendū putabant, donec cum veteribus hostibus debellatum esset, vicit tamen sententia, quæ bellum illico suscipi volebat, vt ait Halicarn. quæ causa etiam fuisse videtur, cur Æmilius, cui bellum hoc obtigit, ita illud à principio gesserit, vt se pacis amantem aperte demonstraret. Sed dissensione inter Tarentinos perseuerante, deterior pars quæ bellū cupiebat, & Pyrrhum iam acciuerat, meliorem vicit, & iteratam ad Pyrrhum legationem misit. Quo cognito, vt ait Zonaras, Æmilius agrum populatur, & vastat, eosque in aciem progressos profligat, & quædam castella capit, & captiuos perhumaniter tractat, aliquot etiā è potentioribus dimittit. Quo facto cum omnium animi ad pacem propenderent, Cineas legatus à Pyrrho præmissus consilia paci seuertit. Non multo post superuenit Milo cum copijs à Pyrrho præmissus, qui arcem occupauit, ac præsidio Epirotico tenuit, non inuitis Tarētinis, qui laboris omnis immunitate gaudebant. Itaque militi cibaria præbuerunt, Pyrrho pecuniam miserunt.

Cineas pacis cōsilia disijcit.

III. Æmilius ad hybernа se recipit.

Quando Æmilius, qui ad id tempus in castris se continuerat, Pyrrhi militū aduentu cognito, cum per hyemem vrbem oppugnare nō posset, in Apuliam abire statuit. At Tarentini angustiis quibusdam faucibus occupatis, iter ei missilib. conijciēdis impediebant, cum Æmylius captiuos in fronte constituit, quo maxime tela mittebantur. Itaque veriti Tarentini ne suos pro Romanis conficerent, destiterunt. Aduentus autem Pyrrhi, quia pertinet ad anni sequentis initium, quamuis sub his ipsis Consulibus contigerit, differetur. Quantum enim licet res gestas ad annos Iulianos accommodamus.

ANNVS MVNDI 3774.

ELEAZARI 9. PHILADELPHI 7.

ANTIOCHI SOTERIS 1. Imp. Gr.

OLYMP. CXXV. AN. 1. VRB. C. 473.

ANTE CHRISTVM 279.

I. Breue regnū Ceraunī in Macedonia. *l. 1. & 10. In Chron.*

CAdit in hunc annū breue Ptolemæi Ceraunni regnum; cui id cognomen inditum ait Pausanias, quod audax esset, & manu prōptus. Regnum eius septem mensium fuisse Iustinus scribit, Eusebius autem nouem; sed rectius fortasse fuerit vltra vnum annum id prorogare, vt ex sequentibus intelligitur. Ceraunum porro in Macedonia hoc anno regnare cœpisse, sicut in Asia Antiochum Soterem filium Seleuci, ex Iustino perspicuum est, qui ait Pyrrhum in Italiā pro Tarentinis proficiscentem, ab Antiocho Seleuci filio pecuniam, à Ptolemæo Macedonū auxilia accepisse. Ergo iam regno potiebantur, quamuis constet Pyrrhū maturius hoc anno in Italiam esse profectum; & vere, vt ait Zonaras, non expectato. Itaque dum Ionium mare traijcit orta tempestate, multis nauibus amissis, cæteris dissipatis, terrestri itinere Tarentum ægrè peruenit, quæ fusius explicat Plutarchus in Pyrrho. At Cineas de eius aduentu factus certior, obuiam illi cum suis militibus in vrbe statuit, donec naues eius militesq; magna ex parte conuenerunt. Tunc enim ludis, spectaculis, & commessationibus interdictis, Tarentinam iuuentutem ordinibus suis inseruit, commeatum suppeditare iussit, milites propriis ædibus recipere, vrbe se continere; aliaq; id genus, quibus Tarentini se non socium, sed dominum accipisse, atque accepisse senserunt.

I. Pyrrhus Italiam petens tempestate vexatur.

Tarentinis dominatur

II. Valer. Læuinus in Pyrrhū mouet.

Nouis Coss. Romæ creatis, Tarentinum bellū obtigit Valerio Læuino. Qui parte exercitus in vrbe præsidij causa relicta, statim Roma profectus est, vt bellum quam longissime à patria gereret, & terrorem Pyrrho incuteret, dum ab iis vltro lacessitur, quorum se mœnia oppugnaturum putabat. Pyrrhus ergo, etsi socij eius ad eum nondum cōuenerant, fœdum ratus pati hostem propius accedere, contra Læuinum Lucaniam euastantem mouit, & caduceatore præmisso, petit à Consule, placeret ne antequam veniretur ad manus, vt se iudice ac disceptatore, ipsis Itali satisfacerent? Respondet Consul, Populum Romanum Pyrrhum, neque iudicem velle capere, neque hostem formidare. Is itaque vltra progressus, & Romana castra contemplatus obstupuit, ac de rei eventu sollicitus, pugnam detrectabat, dum fœderati conuenirent, sperans Romanos in hostili agro, commeatus penuria laboraturos. Quod

ipsum veritus Lævinus, Sirim amnem vado pluribus in locis equites peditesque transmittere curat.

III. Et ad pugnam cōpellit.

Eo nuncio perculsus Pyrrhus aciem instruit, ipseque cum tribus equitum millibus obequitans, fortissimi ducis, ac militis partes exequitur; cumque ita conspicuus, omnium telis peteretur vnus, habitu armisque cum amico Megacle mutatis, cito illum pro se interficiendum dedit. Elephantis demum Romanos prementibus, quòd insolitas belluas equi expauescerēt, equitesque transuersos auferrent, immisso Thessalico equitatu, eos magna cum cæde conuertit in fugam. Nec hosti fuit incruenta victoria. Nam & ipse Pyrrhus grauiter vulneratus est, & magna pars militum eius cæsa. Itaque cum ei victoriam quidam gratularentur, respondisse fertur. Si denuo ita viceremus, actum de nobis erit. Plurimos quoque vtrimq; in hostium venisse potestatem, missæ de captiuis legationes ostendunt. Castra quoque à Romanis deserta cepit, socias ciuitates ab eis alienauit, agros late vastauit, eoque progressus est, vt non plus 36. miliarib. abesset ab vrbe. A pugna coniunxerūt se Pyrrho Lucani & Samnites: quorum licet incusaret moram; gaudebat tamen, gloriabaturque, quod cum solis Tarentinis Romanorum copias profligasset.

Romani Elephantorū ope vincūtur.

IV. Romam cogitat Pyrrhus.

Romani in cæsorum & captiuorum locum Lævino supplementum miserunt, & altero Consule ex Hetruria reuocato, vrbem, ad quā Pyrrhum tendere audierant, præsidiis firmarunt. Lævinus renouato exercitu Pyrrhum aspectando vexauit; & Capuam, quam ille affectabat, occupauit. Cumq; Neapoli quoq; mox frustratus esset, ad Romam occupandam contendit. Sed cum audisset alterum Consulem sibi venire obuiam, alterum à tergo sequi, veritus ne ab eis in regione ignota circumuenirentur, vlterius non est progressus. Vt vero recedēti, & Campaniæ fines ingresso, Lævinus cum maiore exercitu apparuit, *Hydræ instar*, inquit, *Romanorum legiones cadendo renascuntur*. Et aciem quidem ad terrorem incutiendum Romanis instruxit; sed cum eos nihil terreri animaduertit, pugnam inire noluit, & sacra inauspicata causatus, Tarentum captiuos reduxit.

V. Legatio Romanorū de captiuis.

Eo Romani legauere C. Fabricium pro libertate captiuorum, siue corpora corporibus mutare vellet, siue certum singulis pretium imponere. Eam optionem cum Pyrrho legati obtulissent, ille re cum amicis deliberata, Cyneas censuit captiuos gratis esse reddendos, & legatos Romā de pace mittendos. Eā sententiā Pyrrhus secutus; egit de pace cū legatis, quæ si fiat, gratis offert captiuos vniuersos. Et Fabricium nominatim ad se allicere conatur ingentib. promissis, adeo vt primū inter suos amicos & duces locum illi esset daturus. Cui summisse Fabricius. Atqui id non fuerit è re tua. Nā illi ipsi qui nunc te venerantur, si me probauerint, me tibi anteponēt. Quam animi celsitudinem demiratus Pyrrhus, captiuos omnes vnius illius fidei credidit, hac lege, vt si pacem abnuisset Senatus, salutatis amicis, Saturnalibusq; celebratis, ad se remitterentur. Interim Cyneam multo cum auro Romam ornamentisq; muliebribus misit, vt si viri postulata Pyrrhi auersarentur, vxores ornamētis allectæ viros corrumperent.

Pyrrhus Fabriciū allicit.

Romam vt peruenit Cyneas, non statim Senatum adijt, sed varia causatus ad moram, potentium ædes circumijt, eosque verbis & muneribus sibi conciliauit. Tum in Curiam admissus, retulit Pyrrhum in Italiam venisse, non vt Romanos bello vexaret, sed vt Tarentinos sibi supplices factos illis reconciliaret, propterea que captiuos sine pretio restituisset. Et cum agrum eorum vastare, & vrbem oppugnare potuisset, se in numerum sociorum atq; amicorū adscribi malle, & mutuis inter se meritis, officijsque certare. Cyneæ honestissima erat oratio, cui fauebant multi Senatores auro victi, fauebant captiui gratis redditi, quibus nisi pax conficeretur, in captiuitatem redeundum erat, periculumq; grauius, ob contentam amicitiā extimescendum: fauebat prærogatiua suffragij C. Fabricij legati: fauebat acceptæ iam cladis dolor, & non leuioris ab eo imminentis metus. Nam quantum vires Romanorum imminutæ fuerant, tanto potentior, nouorum sociorum aduentu, Pyrrhus euaserat. Itaque sententia de pace vincebat, cum Appius Claudius, in Senatum delatus, eam sua autoritate discussit: persuaditque non prius de pace agendum cum Pyrrho, quam ille domum reuersus, pacem per legatos peteret: alioqui illum ex Italia non discessurum, Romanos habiturum contemptui, & præmium ex illatis iniurijs accepturum. Interea Cyneam, qui ciues corrumperet, quam primum vrbe pellendum, restituendosq; captiuos. Eam sententiam frequens Senatus secutus est.

VI. De pace cum Pyrrho in Senatu agitur.

Pacem Claudius discutit.

ANNVS MVNDI 3775.

ELEAZARI 10. PHILADELPHI 8.

ANTIOCHI SOTER. 2. Imp. Gr. 33.

OLYMP. CXXV. A. 2. VRB. CO. 474.

ANTE CHRISTVM 278.

I. Fœdus Græcarū ciuitatū. *Iust. l. 24*

IN Græcia dissidentibus inter se bello Ptolemæo Cerauno, Antiocho Sotere, & Antigono Gonata regibus, omnes ferme Græciæ ciuitates, ducibus Spartanis, velut occasione data, ad spem libertatis erectæ, missis inuicem legatis, per quos in societatis fœdera alligarentur, in bellum prorumpunt, & Ætolos Antāgoni socios haud satis prospero euentu inuadunt. Interea inter Reges bellum finitur. Nam Ptolemæus Ceraunus, pulso Antigono Gonata, cum regnum totius Macedoniæ occupasset, pacem cum Antiocho facit, affinitatemq; cum Pyrrho, data ei in matrimonium filia sua, iungit. Sic Iustinus: at Pyrrhus iamdudum erat in Italia. Itaque id videtur prius factum, posteriusque narratum. Extremo autem metu depositio, impium ac facinorosum animum, ad domestica scelera conuertit.

Ptol. Ceraunus potitur Macedonia.

II. Specie nuptiarū sororem fallit, vrbem occupat, filios eius interficit.

Cum enim vrbem Cassandream, quam soror eius Arsinoë vidua Lysimachi tenebat, occupare vellet, eius nuptias petit, ac fidem obligat iureiurando, se filijs eius tutorem fore, quorum patrem Lysimachum peremerat. Spe & metu victa mulier consentit in nuptias; quibus

celebratis Cassandręam ingressus, occupari arcem iubet, pueroſque interfici, quod barbarè, ac crudeliter factum est: & Arsinoë etiam filiorum orbata cadaueribus, scissa veste, sparsisque crinibus, cum duobus seruulis ex vrbe extracta, Samothraciam in exilium abiit. Potuit meminisse infelix priuigni Agathoclis, quem, furente in eius mortem Lysimacho, eiusdem parente, marito suo, ipsa veneno sustulerat. Quæ ergo crudelis non pepercit alieno, nunc crudeliter amittit suos. Et quæ mariti sui iussu, carnifex in eius filium fuerat, maritum suum carnificem, in filios suos experitur; & quidem carnificem tanto detestabiliorem, quod iidem & nepotes sui erant, & pupilli, & filij, & quod caput est, innocentes: ipse auunculus, tutor, & vitricus.

Diuinum iudicium

III. Ceraunus mox regno & vita priuatur a Gallis. *Pauſa. l. 10. In chron.*

Verum non diu tulit impune, tot scelera Ptolemæus hic; breui enim post & regno & vita spoliatus à Gallis, bene meritas pœnas dedit. Id hoc ipso anno contigisse oportet, cum ne integrum quidem annum, ipsum regnasse tradat Eusebius. Cum ergo Galli, qui totam Europam armorum suorum terrore complebant, Macedoniam quoque inuaderent, pacemque Cerauno si eam emere vellet, offerrét, superbia tumens legationem eam cum fastu repulit, sicut & viginti armatorum millia, quæ Dardanus offerebat. Itaque acie instructa, prœlium conseritur, victi Macedones cæduntur. Ptolemæus multis vulneribus saucius capitur, caput eius amputatur, & lancea fixum, tota acie ad terrorem hostium circunfertur. Paucos ex Macedonibus fuga seruauit, qui totam Macedoniam terrore luctuque complerunt. Cum Sosthenes Macedo in ipsem aliquam, publicam rem erigere cœpit. Nam contracta iuuentute Gallos victoria exultantes compescuit, & Macedoniam ab hostili populatione defendit, cui etiam regnum mox delatum tradit Iustinus, omisso Meleagro, qui menses duos, & Antipatro, qui 45 dies in Macedonia, teste Eusebio, regnasse perhibentur.

Ei succedit Sosthenes. *l. 24. In Chron.*

IV. Translatio Scripturæ, Dei beneficium.

Sub hoc ipsum Philadelphi tempus contigit diuinum beneficium versionis sacrarum literarum in Græcam linguam. Quoniam enim non solis Iudæis Hebræarum literarum peritis, sed ethnicis maxime nationibus præparabatur salus, apud quas Græca tunc lingua, vt in Græcorum imperio, frequentabatur: & Iudæi pro sua obstinatione malitiæ, magna ex parte Christum non erant recepturi, sed alus etiam nationibus lucem veritatis inuisuri, necesse fuit sacra oracula in eam linguam transferri, quæ passim intelligeretur; & ita transferri, vt de interpretum fide, & peritia dubitare non liceret, & tanta cura conseruari, quantam ea volumina merebantur, quibus conficiendis vertendisque diuina sapientia elaborasset. Itaq; ea interpretatione tanquam Spiritus Sancti oraculis, Apostoli ipsi, atque Euangelistæ, omissa quam vocant Hebraica veritate, sunt vsi, in libris & epistolis, quas ad Ecclesiæ doctrinam atque institutionem reliquere. Sed hæc studiosus lector in Annalibus diligentius disputata, reperiet, sicut & temporis rationem.

V. Quando cõtigerit.

Communis sententia est hanc interpretationem ab initio regni Philadelphi, siue primum eius decennium pertinere. Iosephus enim & Aristæas, in epistola Philadelphi ad Eleazarum pontificem, scribunt Philadelphum cum primum adeptus est principatum, Iudæos maximo numero captiuitate liberasse, vt libros sacros, & fidos eius interpretes facilius impetraret. Itaque Eusebius hac historia tertium Philadelphi annum insignem fecit. Etsi enim manuscripti codices nonnihil varient, omnes tamen ad hæc initia eandem referunt. Eusebium autem plurimi de more sequuntur, etiam recentiores, vt Baronius, cum ait hanc interpretationem diuino consilio elaboratam, annis 280 ante Christi aduentum. At Epiphanius anno septimo Philadelphi, & non 17 vt habent latini codices, factam dicit. Numerat enim 249. annos hinc ad finem vsque regni Cleopatræ, & regnum Ægyptiorum exitum, quod contigit anno 4024. quam sententiam sequuntur Bellarminus, Lipsius, Dionys. Petauius, & plerique sectarij. Altera opinio est eiusdem Iosephi & Aristæ, qui tradunt eodem die Septuag. interpretes Alexandriam ad regem peruenisse, quo is nauali prælio Antigonum Gonatam vicerat: id autem cadit in annum 18 Philadelphi, vt suo loco dicemus. Nos nihilominus in anno septimo Philadelphi absoluto, vel octauo ineunte hæremus, quoniam illi tota nostra chronologia rectè congruit.

l. 12. c. 2.

120000

an X. 231 n. 17.

l. de Pond. & Mens. n. 12. Gr. Lat. t. 2.

Altera opinio.

VI. Occasio versionis.

Occasionem versionis huius Aristæas & Iosephus, Eusebius & Epiphanius, aliique deinceps, afferunt cupiditatem Philadelpho diuinitus iniectam colligendi nobilissimam Alexandriæ bibliothecam. Cuius cum præcipuum ornamentum futuri crederentur Iudæorum libri, quos ipsi diuinos profitebantur, & summo studio conseruabant, nec in vulgus efferri patiebantur. Ptolemæus collato in Iudæos ingenti beneficio, sacrisque muneribus, vim eis sapienter iniecit, vt sacros libros in Græcum idioma vertendos præberent, atque adeo peritissimos probatissimosque interpretes, qui eam curam fideliter susciperent, feliciterque conficerent. Res per epistolas vtrimque transacta est, quæ passim extant, & in Annalibus explicantur; sicut & pleraque dubia, quæ circa hanc historiam à nonnullis excitata sunt: præsertim de cellis in quibus singuli secluſi fuerint, quas S. Hieronymus reiecit, quem plerique sunt secuti, inprimisque nouatores, qui communem antiquorum patrum sententiam detrisere.

Ptolemęi liberalitas in Iudæos.

Prafat. in Penat & Paralip.

Catholici contrà recentiores, pro patribus suis certamen animosè susceperunt, in quibus eminent Leo Castrius in disput. de Translationibus sacræ Scripturæ, Baronius, Alphonsus Salmeron, Gretserus, Serarius. De patribus autem, qui priuatas admisere cellas, vnus sit instar omnium S. Iustinus martyr, ætate antiquissimus, sanctitate clarissimus, natione Palæstinus, patria Samaritanus, doctrina rerum Iudaicarum peritissimus, qui in cohortatione ad Græcos, eam rem distincte narrat, Regem in insula Pharos, pro interpretum numero domunculas extrui præcepisse, vt sigillatim pro se quisque interpretationem perficeret, & à mutuo congressu prohiberentur, quòd exquisita interpretationis veritas, ex ipsorum etiam consensu cognosci posset. Mox autem animaduersum, omnes 70 viros non solum eadem sententia, verum etiam eisdem verbis in transla-

VII. Interpretes 70 inclusi cellis ex Iustino martyre.

tione vsos. Nec narrasse contentus, eam visu ipse suo, audituque confirmat. Hæc vobis, inquit, viri Græci, non vt fabulam neque vt confictam historiam renunciamus: sed qui ipsi Alexandriæ fuerimus, & vestigia domunculorum apud Pharum adhuc reliqua viderimus, & ab incolis, qui res patrias à maioribus per manus sibi traditas acceperunt, audierimus, commemoramus.

Non potuit vir sanctissimus suffragium afferre manifestius, neq; dignius quod ab omni posteritate tanquam ipsius veritatis testimonium cum debita veneratione reciperetur. Eadem sensit, scripsitque S. Irenæus, S. Cyrillus Hierosolymitanus, S. Epiphanius, cui adhæret Iustinianus Imperator, Philastrius Episcopus Brixianus, D. Augustinus non vno in loco, Ruffinus cum Hebræis, qui discrtè separatas cellas prodidere. Alios quoque eadem sentisse ex eorum verbis agnoscitur, in quibus Philo Iudæus, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Chrysostomus, & si qui alij, quorum verba ipsa in Annalibus descripsimus: qui etiam docent fuisse rationi consentaneum, vt huiusmodi miraculo hæc interpretatio commendaretur, quo maiori esset veneration, non ipsi solum Philadelpho, sed omnibus gentibus, qui ex Græcis Christianam fidem erant amplexuri. Denique eidē miraculo patrocinantur, quæ à Philone dicuntur, ad perpetuam rei memoriam à Rege institutæ, de quibus aliquanto post.

Nam quod aliqui, in quibus Iosephus, & Philo, non totam Scripturam, quæ tunc extabat, ab illis conuersam putant, sed solos Moysi libros, non recte putant: cáque opinio & rationi ipsi, & communi Sanctorum Patrum sententiæ apertè repugnat. Nam vel ex ipso S. Hieronymo constat, Christum Dominum, Apostolos, & Euangelistas vetus testamentum, iuxta Septuag. interpretationem citare; at idem psalmos & prophetas afferunt. Vt ibi *Nonne scriptum est in lege vestra, quia ego dixi, dij estis*, &c. *Odio habuerunt me gratis.* Et *Populus hic labiis me honorat.* Deinde quomodo ingentē Ptolemæi famem, quæ librorum myriadas esuriebat, quinque Moïsis libelli exaturare potuissent, præsertim cum eos tanta beneficentia præuenisset, & ij relinquerentur libri, qui sui desiderium maxime excitare possunt: quales sunt prophetici, qui futura prænunciant, quorum scientiam homines vehementer ambiunt; quales & historici, qui regnum & principum res præclarè gestas continent, & eis pœnas vel præmia diuinitus irrogata. Denique Hebræos illos S. Ireneus, S. Iustinus, Clemens Alexand. S. Epiphanius, S. Hilarius, S. Cyrillus Hieros. Eusebius; S. Augustinus atque Chrysostomus aperte refellunt, quorum sententias Annales dabunt.

Versionē duos intra & septuaginta dies absolutam scribunt Aristæas & Iosephus, quibus Cyrillus & Epiphanius consentiunt, simulque collectos omnes interpretationem cōprobasse. Imo cum Rex ipse acceptos à Demetrio libros adorasset, asseruari iussit diligenter, vt incorrupti manerent. Asseruatum porro & exemplar Hebraicum apud Regem videtur existimare Tertullianus. Addita est etiam solennis imprecatio ab iisdem interpretibus, si quis vel addere vel minuere, vel omnino mutare quidquam auderet, eorum quæ scripta essent. Denique cum ingentibus donis dimissi sunt domum. At Rex annuam etiam celebritatem instituit. *Hodie*, inquit Philo, *solennia celebrata renouantur in Pharo insula, ad quam non tantum Iudæi, sed & alij plurimi trasiciunt locum venerantes, in quo primum visa est hæc interpretatio, & pro tanto beneficio quasi recenti, acturi Deo gratias. Post vota autem & gratiarum actiones, cum amicis & domesticis in littore epulantur.* Scio esse qui hanc celebritatem annuam referant ad victoriam naualem de Antigono Gonata à Philadelpho obtentam: sed frigidè. Ea enim perexigui momenti fuit: cum nihilominus Athenarum obsidio soluta non fuerit, sed ciuitas in Antigoni potestatem deditione deuenerit.

In Italia hoc anno cum Pyrrhus disiecta pacis consilia cerneret, & interiectis diebus sociorum exercitus superuenisset, iteratò prælium cū Romanis facit, in quo par fortuna priori bello fuit, vt ait Iustinus, id est, magna sua cum clade victi. Orosius certe & Eutropius aiunt hoc prælio 20 hostium millia cæsa, Romanorum autem quinque millia. Regis signa ablata 53. Romanorum vndecim. De profligatis elephātis, in quibus maximum erat momentum victoriæ, diuersa legimus. Zonaras ait Elephantos in acie collocatos, non qua falcati currus stabant, qui ad eos excipiendos ferratis cornibus instructi erant: sed in alteram partem adductos, Romanum equitatum profligasse, peditibus parum nocuisse. At Florus de more declamans, ait eorum terrorem exoleuisse, postquā C. Minucius, quartæ legionis hastatus, vnius proboscide abscissa mori posse belluas ostendisset. *Itaque*, inquit, *& in ipsas pila congesta sunt, & in turres vibratæ faces, tota hostium agmina ardentibus ruinis operuerunt.* Orosius ait subiectis inter posteriora corporis & mollia ignibus exagitatos, & in fugam compulsos. Mortuum hoc prælio Decium Consulem, patriam atque auitam deditionem imitatum, locuples testis est M. Tullius.

XI. Pyrrhus iterum pugnat cum Romanis, & cum clade vincit, ope Elephantorū *l. 18. l. 4. c. 1. l. 1.*

Decius Consul deuotione perit. *l. 2. de fin.*

ANNVS MVNDI 3776.

ELEAZARI 11. PHILADELPHI 9.

ANT. SOTERIS 3. Imperij Græcorum 34.

OLYMP. CXXV, A. 3. VRB. CO. 475.

ANTE CHRISTVM 277.

HVius anni chronologiæ patrocinatur Polybius, cum tradit Boios atque Herrusc os magna clade cæsos, quod Fabricio primum Consule contigit, quinto anno ante Delphicam Gallorum cladem: quo scilicet Fabricius iterùm, cum eodem collega factus est Consul. Eam cladem fusè narrat Iustinus, ex quo hæc pauca. Brennus collectis 15 omillibus peditum, & 15 millibus equitum, vel potius, vt ais Diodorus, 140 millibus scutatorum, & 10 millibus equitum, aliáque turba in Macedoniam rursus irrumpit. Cui agros populanti occurrit cum Macedonum exercitu Sosthenes, sed pauci à

I. Clades Gallorū delphica *V. C. 471. l. 24. in Exc. l. 22. n. 13.*

pluribus

pluribus, trepidi à valentibus facile vincuntur. Itaque cum victi Macedones intra muros vrbium se continerent, Brennus nemine prohibente, agris infert pagisq; vastitatem. Inde quasi spolia profana sorderent, animum ad templa conuertit, scurriliter iocatus, locupletes Deos largiri hominibus oportere.

II. Diuinitus accepta.

Vbi ad templi Delphici conspectum venere, cibo se primùm, potuque ingurgitant, dum vrbem suam Delphi, aucti sociorum viribus permuniunt. Inde Galli ad 65. millia collecti, ad prædam sacram festinant; quos scandentes, Delphi è montis vertice saxis obruebant. Accessit etiam diuinum auxilium, quod terræmotu cõtra Gallos, ac cœli tempestate pugnans, pene perdidit vniuersos. Dux ipse Brennus, inquit Iustinus, cum vulnerum dolorem ferre non posset, pugione vitam finiuit, cum prius suis autor fuisset, vt creato sibi rege Cichorio, omnes saucios barbara crudelitate interficerent, vt vult Diodorus. Itaque ad 20 millia languentem suorum animam ferro exegerunt. Addit Iustinus, alterum ducem cum decem sociorum millibus raptim è Græcia excessisse, quocunque tamen illi pergerent, carptim ab omnibus populis lancinatos, ad vnum omnes miserè periisse. Voluit Dominus etiam falsæ diuinitatis contemptum, qui in veram derivabant, vindicare: & vice versa spem in æstimatum Deum positam non confundere.

Eorum in suos languentes crudelitas.

III. Carthaginenses auxilia vltro Romanis offerunt.

Quod ad Romanam rem attinet, Carthaginenses qui magnæ Siciliæ parte potiebantur, veriti ne Pyrrhus à Siculis euocaretur in Sicilã, eum in Italia terrere conati sunt, centum & 20 nauium classe Magone duce ad Romanos auxilij causa missi, vt quoniam, vt aiebant, ab hoste oppugnabantur externo, externis auxiliis tuarentur. Gratiæ à Senatu Carthaginensibus actæ, auxiliaque remissa: siue quia totam deuicti Pyrrhi gloriam sibi ambiebant, siue quia fraudem senserant, & eorum præuaricationem timebant, quos vafros & infido ingenio esse non dubitabant. Nihilominus fœdus cũ ipsis quarto renouatum est. Romani autem fœdus cum Pyrrho, quod is plurimum optabat, non recusabant, si prius ille Italiæ finibus excessisset. Itaq; cum huius anni Consulibus non pugnauit, sed patefactis potius ab ipsis, regij Medici insidiis, valde eis conciliatus est, & gratis captiuos remisit.

Fœdus quartò innouatum.

IV. Pyrrhus Siciliam adit.

Hoc ipso tempore Pyrrhum Siculi, Græciq; legati adierunt; illi eum ad exigendos ex insula Pœnos accersebant, simulque illi Agrigentum, Syracusas, & Leontinos dedebant. At Græci eũ ad regnum Macedoniæ, occiso Cerauno, & deuicto Sosthene, aliisque ducibus euocabant. Hic videlicet Pyrrhus animo fluctuabat. Tandem ratus Siciliam aditum sibi ad res maiores patefacturam, ad eam expeditionem adiecit animum: tum Locris filium suum Alexandrum cum valido præsidio, reliquit. Inuitis quoque Tarentinis Milonem cum præsidio imposuit: ipse cum ingenti classe in Siciliam traiecit, cum annos duos & menses quatuor, vt Diodoro Siculo placet, in Italia transegisset. Post cuius discessum rem bene gestam à Fabricio cõtra Pyrrhi socios Brutios ac Lucanos, Samnites atque Tarentinos, eius triumphus, qui in extremum huncannum cadit, satis declarat.

ANNVS MVNDI 3777.

ELEAZARI 12. PHILADELPHI 10.

ANT. SOTER. 4. Imperij Græcorum 35.

OLYMP. CXXV. An. 4. VR. CO. 476.

ANTE CHRISTVM 276.

1 Soteris cum Gonata pax.

ANtigonus Gonatas Demetrij Poliorcetæ filius, pacem hoc tempore cum Antiocho Sotere statuit. Ambiebat scilicet regnum Macedoniæ Soter, quod pater ipsius Seleucus, occiso Lysimacho adeptus erat, & quod mox à Ptolemæo Cerauno occisus amisit. Illud autem Antigonus Gonatas, quasi hereditarium, & à Demetrio patre iam pridem possessum sibi vindicabat. Soter igitur, qui longe lateque in Asia Syriáque regnabat, inita pace Macedonia cessit Antigono. Is cum in Macedoniam reuerteretur, nouus ei exortus est hostis. Quippe Galli, qui à Brenno ad terminos gentis tuendos relicti fuerant, deuictis vicinis Macedoniæ gentibus, pacem Gonatæ venalem per legatos obtulerunt. At is cum suas eis copias & diuitias imprudenter ostentasset, non eis terrorem, sed prædę cupiditatem iniecit. Ad quam cum auide ac temere conuolassent, à parte exercitus Antigoni oppressi sunt.

Iustin. l. 24. Gonatæ imprudentia & victoria de Gallis

II. Pyrrhi in Siciliam secundæ. *Plut. in Pyr.*

Pyrrhus autem vt appulit in Siciliam, cuncta eius spei respondere, ciuitates certatim se illi tradiderunt, & vbi vi opus fuit, nihil ei obstitit. Pœnos profligauit, prouinciam eorum subegit, Eryce m expugnauit, rex Siciliæ appellatus est; breuique tempore tantus euasit, vt illius metu Pœni ex Italia militem conducerent. Qua fœlicitate lętus, Heleno filio Siciliam tanquam autum regnum assignat, susceptus enim fuerat ex Lanassa Agathoclis Syracusani regis filia: Alexandro autem Italiæ regnum destinat.

III. Res gestæ in Samnio & Crotona.

Interea Romani per absentiam Pyrrhi animis confirmatis, Samnium Consulum auspiciis inuasere, agrisque vastatis, cum fugitiuos Samnites in montes Cranitas persequerentur, multos amiserunt. At Rufinus ad Crotonem recuperandam profectus est. Ea est magnæ Græciæ vrbs ad sinum Tarentinum, quæ defecerat à Romanis. Rufinũ aduocabant eius amici Crotonienses: sed cæteri ante aduentum eius, præsidium, cui Nicomachus præerat, à Milone accersiuerant; cuius rei ignarus, cum tanquam ad amicorum mœnia negligentius accessisset, subita hostium eruptione cladem accepit. Nihilominus mox arte quadam vrbe potitus est, & male accepto Nicomacho, etiam lucros Romanis acquisiuit.

***

ANNVS MVNDI 3778.

ELEAZARI 13. PHILADELPHI 11.

ANT. SOTER. 5. Imperij Græcorum 36.

OLYMP. CXXVI. A. 1. VR. C. 477.

ANTE CHRISTVM 275.

Sillet hoc anno Græcorum historia, nisi quatenus Pyrrhum attingit: quem vicissim hoc anno aduersæ res in Sicilia perculerunt; quamuis eius initia prioris anni cursum tenuisse videantur. Nam Iustinus ait Pyrrhum, post filios suos Siciliæ atque Italiæ reges destinatos, multa secunda prælia cum Carthaginensibus fecisse, quorum aliqua ad hunc annum oportet pertinere, sicut & rem cum Mamertinis gestã; qui cum maiorem in modum Græcos Siciliæ incolas premerent, & nonnullos insuper fecissent vectigales, Pyrrhus exactores tributorum comprehendit, necauitque: illos acie fudit, & pleraque eorum oppida excidit, vt scribit Plutarchus in Pyrrho.

I. Pyrrhi aduersæ res in Sicilia. *l. 23.*

At prosperitate insolescens Carthaginensibus pacem petentibus non iniquis conditionibus, iussit eos tota Sicilia excedere. Cumque ea ipse, quæ ipsum à principio domo exciuerat, eum vigeret ad petendam Africam, & ad eam expeditionem nauibus abundaret, classiariis militibus & remigibus deficeret, eos asperius ac minaciter à ciuitatibus exegit. Penitus autẽ Siculos auertit à se, cum Thœnonem & Sostratum principes ciuitatis Syracusanæ, qui primi eum in Siciliam inuitarant, eique multis in rebus adfuerant, suspectos habuit, quod eos nec adducere secum posset, nec vellet in Sicilia relinquere. Itaque Sostratus ab eo defecit, Thœno autem, quasi consiliorum eius particeps, interfectus est. Tum demum res eius retro versæ sunt, eiusque odio aliæ ciuitates ad Carthaginenses defecerunt, aliæ Mamertinos acciuere. Iamque vndique defectiones & conspirationes audiebat, cum literas à Tarentinis accepit, atque Samnitibus, qui eius opem implorabant, quod vndique à Romanis pulsi, ægre bellum à mœnibus propulsarent.

II. Ex eius insolẽtia & imprudentia.

Hic ei idoneus obtentus fuit, ne discessus eius pro fuga, & rerum Sicularum desperatione haberetur. In traiectu cum Pœnis male pugnauit, & classe magna ex parte amissa, cũ reliquis nauibus fugit in Italiam, simulque ab Antigono Gonata Macedoniæ rege supplementum militum petit, denuncians ni mittat, redire se in regnum necesse habere, & incrementa rerũ, quæ de Romanis voluerat, de ipso quæsiturum. In ipso in Italiam ingressu cum Mamertinis, quorum decem millia paulò ante transmiserant, aliquot velitationibus, non acie instructa, neque satis feliciter pugnauit, vt qui multos è suis amiserit, & ipsemet in capite vulnus acceperit.

III. Eius in Italiam reditus. *Plut. in Pyrrho.*

Interea Romæ grassata est pestis, abortusq; fœminarum, cuius Augustinus quoque meminit; Atque in tanta inquit strage bellorum, etiam pestilentia grauis exorta est mulierum. Nam priusquam maturos partus ederent, grauidæ morierentur. Vbi se credo Æsculapius excusabat, quod ἀρχίατρος esse, non obstetrix profitebatur. Pecudes quoque similiter interibant &c. Causa mali credita Sextilia virgo Vestalis, quæ incesti Romæ conuicta, damnatáq; ad portam Collinam viua defossa est. Hîc obserua, pie lector, quantum flagitium Romani existimarent violatam corporum Deo consecratorum pudicitiam; quando Vestalis vnius cúlpam tot publicis malis crederent vindicatam.

IV. Romæ pestilẽtia ob Vestalem corruptam. *l. 3 ad c. 17.*

ANNVS MVNDI 3779.

ELEAZARI 14. PHILADELPHI 12.

ANTIOCHI SOTER. 6. Imperij Gr. 37.

OLYMP. CXXVI. A. 2. VR B. CO. 478.

ANTE CHRISTVM 274.

Hic est sextus ac postremus Pyrrhi annus ex quo primum Italiam à Tarentinis excitus, inuasit. Nam 473 ab V. Cond. primus fuit, cum iam 72 præuium præmisisset exercitum. Pyrrhus ergo, vt refert Plutarchus, Tarentum cum 20 millibus peditum, & tribus equitum venit, & secum eductis Tarentinorum lectissimis, in Romanos, quorum statiua erant in Samnio, signa mouit, diuisásque bipartito copias, partim in Lucanum misit ad detinendum alterum Cõsulem, ne collegæ opem ferre posset; partim duxit contra M. Curium, qui tuto loco ad Beneuentum confederat, & auxilia ex Lucania expectabat: quæ priusquam venirent maturauit Pyrrhus, cum militum atque elephantorum robore, ad castra Romanorum contendere. Quẽ vbi è vertice montium Curius vidit, suis ad pugnam paratis, primam Pyrrhi aciem inuasit, qua profligata multis cæsis, & elephantis aliquot captis, terror totum inuasit exercitum.

I. Pyrrhus Tarentũ repetit. *In vita Pyrrhi.*

Pugnat cum M. Curio.

Hoc victoriæ initium M. Curium ad prælium decernendum deduxit in campum: vbi signis collatis pepulit ab vno cornu hostem; in altero belluarum impetu pedẽ referre ad castra coactus, stationem frequentem, quæ sub vallo stabat, & recens erat, excitauit ad pugnam. Hæc ex editiore loco decurrens, telorum procella in belluas coniecta auertit eas. Illæ fuga retro per suos delatæ, turbauerunt & dissipauerunt ordines, quæ res pariter victoriam Romanis, & imperium dedit. Nam hisce rebus contra Pyrrhũ gestis, cum animos sumpsissent, opes collegissent, & nomen quasi insuperabiles adepti essent, Italia statim, Sicilia paulò post sunt potiti. Ita Pyrrhus cum hisce in bellis sex annos contriuisset, viresque suas non parum imminuisset, ab spe Italica, & Sicilienſi excidit. Hæc fere Plutarchus. Addit Zonaras Regium oppugnatum à Pyrrho, ibique vulneratum multos amisisse de suis: Locros autem in Brutiis, qui Romanum præsidium ceciderant, recepisse.

II. Et vincitur, magno Romanorũ incremẽto.

Discessit nihilominus ex Italia Pyrrhus in Epirum, vt breui rediturus, Milone cum præsidio Tarenti relicto; data scilla, vt ait Zonaras, quæ loris constricta erat, è pelle Niciæ ob

III. Pyrrhi discessus ex Italia.

proditionem

proditionem occisi. Addit Iustinus alteram profectionis causam, vt Antigonum, qui subsidia militaria recusasset, vlciscereturSocios interim parare bellum iubet, & arcis Tarentinæ custodiam Heleno filio, & amico Miloni tradit. Transportauit autem in Epirum octo millia peditum, & equites quingentos, vt ait Plutarchus. De ipso autem Curius magnificè triumphauit. Audi enim Florum. Eodem postea bis exuto castris, bis saucio, & in Græciam suam trans mare ac terras fugato, pax & quies: & tanta adeo de opulentissimis tot gentibus spolia, vt victoriam suam Roma non caperet. Neque enim temerè vllus pulchrior in vrbem, aut spectosior triumphus intrauit: cum ante hanc diem nihil nisi pecora Volscorum, greges Sabinorum, carpenta Gallorum, fracta Samnitium arma vidisset. Tu si captiuos aspiceres Molossi Thessali, Macedones, Brutius, Apulus atque Lucanus. Si pompas, aurum, purpura, signa, tabulæ, Tarentinæque deliciæ. Sed nihil libentius populus Rom. aspexit, quam illas quas timuerat cum suis turribus belluas, quæ non sine sensu captiuitatis, summissis ceruicibus victores equos sequebantur.

M. Curij de eo triumphus.

ANNVS MVNDI 3780.

ELEAZARI 15. PHILADELPHI 13.

ANT. SOTERIS 7. Imperij Græcorum 38.

OLYMP. CXXVI. A. 3. VRB. CO. 479.

ANTE CHRISTVM 273.

PYrrhus qui proximis annis Italiam Siciliamque turbauerat, hoc anno Macedoniam impatiens otij perturbauit. Cum autem inopia rei pecuniariæ premeretur, cum ei se Galli aliquot adiunxissent, vt præda exercitum aleret, in Macedoniam Gonatæ regnum incursionem fecit, vbi cum multa oppida cepisset, & ad eum duo militum millia transissent, spe affulgente maiore, in ipsum mouit Antigonum, eiusque copias partim concidit, partim circumuentas, præsertim Macedonum phalangem abduxit ab Antigono, omnes quippe ductores ordinum cognoscebat, & cœptæ cladis metu territos, nominatim inclamans, traduxit ad se. Antigonus Thessalonicam se recepit, vt inde bellum conducta mercenariorum manu, repararet. Retinuit tamen aliquot oppida maritima, reliqua Pyrrhus à pugna recepit. Qui & mox relictum Tarenti filium Helenum, & amicum Milonem in Macedoniam accersiuit. Sed reditus Milonis non nisi post sequentem annum contingere potuit. Helenus autem quamprimum traiecit ad patrem. Neque enim satis erat hoc anno sui arbitrij Milo Tarenti. Tarentini enim quidã Milonem, à quo male accepti fuerant, Nicone duce aggressi, cum nihil profecissent, castello quodam ditionis eius occupato, illi infesti erãt.

I. Pyrrhi contra Gonatã pugna, atque victoria.

Interim Romani, non modico Pyrrhi onere leuata Italia, bellum in Tarentinos parabant, quo cognito Tarentini odio Milonis, & spe Romanæ lenitatis, legatis Romam missis, pacem impetrarunt. Hunc enim illi aditum sibi aperiri gaudebant, ad totam Tarentinorum regionem possidendam, vt ait Zonaras, sed id nõ videtur tam cito contigisse, nec nisi Papyrio Consule, post deditionem factam, vt ex eodem Zonara constat.

II. Romana pax cum Tarentinis.

Zonaras.

Sequenti quoque anno Fabio & Canina Coss. Philadelphus, cognitis quæ à Romanis aduersus Pyrrhum gesta fuerant, missis ad eos muneribus, amicitiam pepigit; Ea re delectati Romani, legatos vicissim ad eum miserunt, qui ab eo magnificè donati redierunt, & munera in ærarium referre voluerunt, sed ea Senatus non admissa eos habere iussit. Valerius Max. legatos nominat Q. Fabium Gurgitem Consularem & Fabium Pictorem cum Q. Ogulnio; quorum abstinentia probata, populus eos post aliquot annos Consules fecit: & collegas esse voluit magistratus, qui fuerant legationis.

3781. Et amicitia cum Philadelpho.

l. 4. c. 3.

V. C. 484.

ANNVS MVNDI 3782.

ELEAZARI 17. PHILADELPHI 15.

ANT. SOTER. 9. Imperij Græcorum 18.

OLYMP. CXXVII. An. 1. VR. C. 481.

ANTE CHRISTVM 271.

ANtigonus Gonatas, vt rerum gestarum series exigit, hoc anno celebratæ Olympiadis centesimæ vigesimæ septimæ bellum reparauit, & cum mercenaria Gallorum manu, spe & desiderio recuperandæ Macedoniæ, contra Ptolemæum Pyrrhi filium congressus, ab eo fũditus victus est; ita vt cum septem comitibus fugiens, non recuperandi regni spem, sed salutis latebras, ac fugæ solitudines captaret, vt ait Iustinus: maritimæ tamen vrbes, vt Plutarcho placet, in eius potestate remanserant. Ergo Pyrrhus altera aduersarij sui clade lætus & legationibus Athenienſium, Achiuorum, Messeniorũ gratulantiũ hilaratus, Græciæ & Asiæ regnum meditatus est, & verbis Antigono insultauit, qui tot rerum vicissitudines esset expertus, quibus etiam non multo post ipsemet afflictus, planéque prostratus est: quo eius casu Antigonus, cui ille illudebat, erectus, & regno suo restitutus est. Vltima enim Pyrrhi expeditio in Peloponnesum hoc anno contigit, in qua tam ipse, quam Ptolemæus filius eius occubuit, eorumq; mors Romæ his Consulibus cognita fuit, vt ait Zonaras.

I. Gonatas cum Pyrrho male pugnat.

Pyrrhi secundæres.

Causa, modusq; ex Plutarcho & Iustino hic fuit. Cleonymus Lacedæmonius oriundus erat ex stirpe regia; sed φ animũ præ se ferret imperiosum atq; violentũ, ciuibus erat ingratus & regnum obtinebat Areus, eius ex fratre nepos. Vxor quoq; eius Chelidonis orta regio sanguine, quã ille adolescentẽ grandæuus duxerat, hominẽ fastidiebat, scq; Acrotato Arei filio addicebat. Itaq; cũ ad publicã ægritudinẽ domestica accessisset, Pyrrhum Spartã inuitauit, adduxitq; minime repugnantem, cum 25 millibus peditum, equitum duobus millibus, & viginti quatuor elephantis. Qui apparatus statim docuit

II. Adiit Lacedæmonem ab Cleonymo euocatus.

In Pyrrho l. 25.

Cuius oppugnationē male differt.

Pyrrhum non Cleonymo Spartam quærere, sed Peloponnesum sibi: cum tamen alia omnia præ se ferret. Spartam adit, quam cum moneret Cleonymus, vt statim ex itinere oppugnaret, rem in sequentem distulit diem. Sed ea nocte mulieres, & quicunque postridie pugnaturi non erant, vrbem mœnibus carentem fossa & plaustris, longe latéque permuniuerunt. At Chelidonis restim collo iniecit, ne vrbe capta veniret in Cleonymi potestatem.

Lacænarum fortitudo.

III. Pugna ad Spartam.

Pugnatum est acriter tum à Pyrrho, cuius impetum in prælio nemo sustinebat, tum à Ptolemæo filios eius, cum duobus Gallorum millibus, & manu ex Chaonia delecta. Sed Spartanos habebant aduersarios, & quidem mori persuasos, & de summa rerum in oculis patriæ, & in extrema desperatione certantes. Tota die pugnatum est. Nox prælium diremit. Postridie certamen redintegratur, hinc Lacedæmonij supra vires defendunt Spartam suam; quibus præsto sunt supra fœminam mulieres, quæ tela suggerunt, cibum & potum pugnantibus præbent, excipiunt vulneratos. Inde Macedones fossam complere moliuntur, cadaueribus, armis, materiáque congestis. Pyrrhus fossi, plaustrisque superatis, equo in vrbem irrumpit: sed is cretica sagitta ictus, pronum Pyrrhum in fastigio lubrico effudit; qui tamen, inter amicos & Spartiatas tumultuantes, elapsus est, & cecinit receptui, ratus Spartanos, quod omnes saucij essent, plurimique interfecti, fore animis infractiores. Sed superuenientibus ab Area rege & Antigono Gonata auxilius, spe frustratus est.

Spartanarum mulierum virtus.

IV. Superuenientibus auxiliis filius eius occiditur.

Cum autem in Vrbis obsidione peruicax hyemem traducere cogitaret, eum inde Argiuę res celeriter abduxerunt. Aristippus enim & Aristias Argiui primarij inter se dissidebant, cumque Aristippus Antigono fauere putaretur, maturauit Aristias Pyrrum Argos adducere. Is aduersa prosperis farcire desiderans, Argos è vestigio contendit. Cumque Areus abeuntes idoneis locis per insidias vbique vexaret, & extremos carperet, misit Pyrrhus filium Ptolemæum, qui assumptis familiaribus, auxilium laborantibus ferret, dum ipse ocyus ex angustiis exercitum extraheret. Sed Ptolemæus inita pugna strenue dimicans occumbit: ad cuius casum eius caterua terga vertente, dum eam Lacedæmonij persequuntur, relicto peditatu, in apertum se campum imprudentes cōiecerunt. Vbi Pyrrhus audita filij nece ingenti dolore percitus, Molossorum equitatum conuertit, atque ipse ante alios inuectus, se Lacedæmoniorum cæde satiauit, quasi funebres ludos pugnando celebraret.

V. Res apud Argos gestæ à Pyrrho & Antigono.

Inde mouit Argos, & Antigonum, qui in editis locis confederat, cum probris prouocauit ad pugnam. At legati Argiuorum vtrumque adierunt, orantes ne ciuitatem vtriusque studiosam, in alterius finerent recidere potestatem. Vterque assensus est; sed cum multa de nocte Pyrrhus venisset ad muros, portam reperit sibi ab Aristea patefactam; nec quisquam eius sensit aduentum, donec Galli, quos secum habebat, insinuassent se in vrbem, forumque occupassent: Sed re tandem in strepitu elephantorum animaduersa, Argiui Antigonum per alias vrbis portas accersunt; qui exercitu propius admoto substitit, in rei bene gerendæ occasionem imminens. Affuit Areus quoque cum mille Cretensibus, & expeditissimis Spartiatis, vrbemq; omnes per noctem multo cum tumultu occuparunt. Vbi illuxit Pyrrhus vrbem plenam armis hostibus intuitus, perculsus est, præsertim omine sibi mortis obiecto, in imagine ærea tauri cum lupo pugnantis.

Cum ergo vellet se ex vrbe recipere, & portarum timeret angustias, Heleno filio, quē extra vrbem cum magna copiarum parte reliquerat, mandat, vt muri partem diruat, & excipiat exeuntes, si hostes vrgerent. At cum nuncius præfestinatione & trepidatione nihil certi nūciasset, adolescens in vrbem per portam, ad opem parenti ferendam pergit. Iamque regrediebatur Pyrrhus cum incurrit in suos, qui māgna copia influebant, & inter vociferationes regis imperium non exaudiebatur; præsertim cum maximus elephas casu suo aditum portæ obstruxisset. Itaque ipsimet in angustiis, dum alij ingredi, alij egredi properant, vt erant stricta gladiis, configebant sese per imprudentiā, & insuper hostium sagittis à tergo petebantur. Hic Pyrrhus ipse ab Argiuo quodam vulnus non lethale accepit: contra quem dum congreditur, mota periculo filij mater, ingētem tegulam in Pyrrhi caput libratam deiecit: quo ictu mersis caligine oculis, ignotus prolabitur. Mox tamen à Zopyro, aliisque Antigoni militibus agnitus, & in vestibulum quoddam raptatus, quamuis horribili contuitu ferox, capite truncatur. Quod Gonatas ad se delatum cum reliquo trunco magnifice cremauit, & Helenum eius filium comiter acceptum in Epirum remisit, exercitum in suam potestatem redegit. Atque ita Antigonus regno Macedoniæ restitutus est.

Nec facile dixerim, modo hanc nobis excursionem lector ignoscat, vllumne regnum vsquam gentium tam breui tempore tot dominos mutarit. Nam ab Alexandri morte ibi dominatum tenuit Antipater, Philippus Aridęus, & Eurídice, omnes cum summa potestate. Mox Polyspercon & Olympias cum filio Alexandri. Paulo post regnum inuadit Cassander, quod tradidit Philippo filio, qui statim mortuus Antipatro & Alexandro id reliquit. Hi autem inter se dissidentes, regno priuati sunt ab iis quos belli socios accersebant, Demetrio, Pyrrho, Lysimacho. Qui omnes Macedoniæ reges fuerunt, vndecim numero, dum vnus Ptolemæus Lagides in Ægypto regnauit. Occisi Lysimachi regnum septem menses tenuit Seleucus, indéque Ceraunus non multo amplius. Tum Meleager mēses duos, Antipater alius 45. dies, Sosthenes annum vnum, aut aliquāto amplius. Inde Antigonus Gonatas, eóque pulso Pyrrhus, cum filio Ptolemæo. Quibus occisis, rursum Antigonus regnum Macedoniæ capessit, quo etiam aliquanto post, è Pyrrhi filio priuatus est.

Romanis autē hic annus admodū fœlix fuit, quo magnæ partis Italiæ imperium obtinuere, bello Sānitico fine imposito, post annos 72. & Tarētino, anno decimo à quo fuerat, Tarētinorum insolentia, inchoatum. Vtriusque belli reliquias paucis persequitur Zonaras. Post hæc, inquit, Samnites per Caruilium subegerunt,

Lucanos

Lucanos & Brutios per Papyrium vicerunt, qui idem Tarentinos domuit. Hi enim cum Milonem, à quo vrgebantur, ægrè paterentur, interitu Pyrrhi cognito, Carthaginensium opem implorarunt. Itaque Miloin angustias redactus Romanis terra, Carthaginensibus mari prementibus, arcem Papyrio ea conditione tradidit, vt sibi cum pecunijs, & militibus incolumi discedere liceret. Inde Carthaginenses, vt Romanis fœderati recesserunt, vrbs Papyrio deditionem fecit, armis nauibusque traditis, muris dirutis & tributo imposito. Quod autem Florus & Orosius aiunt Carthaginenses auxilio venisse Tarentinis, contra Romanos pugnasse, & sic fœdus violasse; dicendum videtur Carthaginenses non contra Romanos aperte venisse, sed contra Milonem, qui acrem inuitis Tarentinis tenebat, quem Romani quoq; vrgebant, & per quem stabat, quo minus Tarentini se Romanis dederent.

Nũ violatũ nunc fœdus à Pœnis.

ANNVS MVNDI 3783.

ELEAZARI 18. PHILADELPHI 16.

ANTIOCHI SO. 10. Imp. Græc. 4

OLYMP. CXXVII. An. 2. VR. C. 482.

ANTE CHRISTVM 270.

I. Mors Epicuri, & Stratonis Lampsaceni.

EPicurus natus anno 3. Olympiadis 107. hoc anno mortuos duos & septuaginta implenit annos, vt est apud Laërtium; qui eum calculo obijsse, ex Hermacho tradit, quatuordecim dierum morbo fatigatum, cum in peluim æneã calentibus aquis plenam descendisset, & meri haustum postulasset, amicosq; ad decretorum suorum memoriam cohortatus esset. Eodem anno mortuus est Strato Lampsacenus Theophrasti successor, cui in philosophiæ magisterio successit Lycon, qui propter dicendi suauitatem dicebatur Glycon, & scholæ annis 40. præfuit, & cum discipulis pudore & laudis studio, tanquam freno & calcaribus, vtebatur. Hoc quoque tempore claruit Aratus poëta, cuius extant phœnomena, quæ vertit M. Tullius adolescens, sed de his plura in Annalibus.

Lycõ qui & Glycõ & Aratus.

II. Noui in Macedonia mot⁹. *I.* 26.

A Pyrrhi morte Antigonus Gonatas non diu tranquillam tenuit Macedoniam; quin etiam in Asia & Græcia magni bellorum motus extitere, Iustino teste, illos tamen Asiæ motus dum tacuit, obliuione sepeliuit, Macedonicos autem intelligit, quos Philadelphus & Lacedæmonij in eum proximo anno excitarunt. Hoc autẽ ipso Aristotimus in Epiro tyrannidem inuasit, Heleni vt apparet contemptu, quẽ Gonatas, cæso Pyrrho, eiusque filio Ptolemæo, in Epirum remiserat. Sed tyrannidem, quod esset intolerabilior, vltra quintũ mensem tenere non potuit. Narrationem elegãtem, quoniam festinamus, studiosus lector ex Iustino petet, sicut à Polybio vnius Romanæ legionis perfidiam, à Genutio Consule castigatam. Cum enim Regini sibi à Pyrrho & Carthaginensibus metuerent, Romanum sibi præsidium postularunt. Missa quatuor millia, qui cum fidem aliquandiu seruassent Mamertinorum exemplo, atque auxilio ciuibus male habitis, oppidum in sua potestate retinuerunt: quin & Ctoronem proditione captam, vt ait Zonaras, euerterunt, & Romanos ipsos in ea deprehensos occiderunt.

Aristotimus Epiri tyrannus.

Defectiõ Romanæ legionis Regii.

Grauiter id Romani tulerunt, sed alijs impliciti bellis, vindictam in hunc annũ distulerunt. Eos Genutius Consul intra Regium conclusos obsedit, & quidem diu. Oppidum enim eò pertinacius defendebant, quo clarius intelligebãt certissimam sibi perniciem imminere. Diuturnę quoq; obsidionis indicium est, quod qui obsidebãt, cum ciborum inopia, tum alijs incommodis affecti, ab Hierone Siculo, frumento & milite adiuti sunt, quo primum beneficio Hiero, qui sibi à Carthaginensibus metuebat, Romanos deuinxit. Hoc ergo auxilio plurimis in propugnando cæsis, vrbe potiti sunt, viui in potestatem venerunt ferme trecenti, qui Romã missi, virgis in foro cæsi, ac securi percussi sunt. Huius rei meminere insuper Valerius, Florus; & Zonaras.

III. Obsidetur, cæditur.

Romæ 300. capite truncantur.

l. 2. *cap.* 8 *Epit.* 15.

ANNVS MVNDI 3784.

ELEAZARI 19. PHILADELPHI 17.

ANT. SOT. 12. Imperij Græcorum 42.

OLYMP. CXXVII. An. 3. V. C. 483.

ANTE CHRISTVM 269.

DVm Aristotimi in Epiro tyrannis opprimitur, Antigonus Gonatas multiplici bello & Ptolemæi regis & Spartanorum premitur. Cum enim à morte Pyrrhi multos vrbibus in Græcia, & Peloponneso potiretur, etiam Spartã à Pyrrho non leuiter afflictam, sibi subiicere voluit. Illi autem ad Philadelphum, viris opibusq; florentem, confugerunt; à quo & adiuti sunt, inita armorum societate aduersus Antigonum. Quẽ etiam nouus hostis præter opinionem conterruit. Gallogræci hi fuerunt, qui iamdudum à rege Bithyniæ in auxilium euocati, regnum cũ eo patta victoria diuiserant, eamque regionem Gallogræciam cognominarant. Hi ergo ex Asia effusi, in Antigonum arma conuertunt, & quasi Deos placaturi, qui auspicia parum læta monstrabant, vxores liberosque suos furiosè peremerunt; tum ipsimet in prælio interneciõe deleti sunt, tanta strage, vt dij pariter cum hominibus, in excidium patricidarum consensisse viderentur.

I. Gonatas Gallogræcos delet. *Iustil.* 26

Eorum barbara crudelitas.

Post huius pugnæ euentum, Ptolemæus & Spartiatæ victorem hostiũ exercitum declinantes, in tutiora se recipiunt. Antigonus quoque cognito eorum discessũ, recenti militum ardore vsus, bellum Athenienſib. infert, quod hoc anno inchoatum, in sequentem prorogatum est. Isto a. Romæ sæuissima hyeme Tyberis in magnam altitudinẽ conglaciauit, arbores aruerũt, iumenta ex inopia pabuli perierunt. Nihilominus in fragmentis Capitolinis Blasio Consul de Sassinatibus triumphasse memoratur. Sequenti autem, vt dicebamus, Antigonus obsedit Athenas, nec belli causa diu quærenda fuit, à patre suo Demetrio quondam defecerant, prę-

II. Antigon⁹ bellũ cõtra Athenienses mouet.

Sæua hyems.

3785 Belli cau sæ.

tidium Athenis, & in primis Musæo, quod ille munierat, hostiliter depulerant. Vera autem causa fuit, quod Græcia quam ambiebat, nunquam se potiturum speraret, nisi Spartam atq; Athenas haberet in potestate. Hoc porro bellum grauissimum fuit, Athenas quippe diu terra mariq; oppugnauit.

III. Philadelphi defendit Athenas, & Antigonum nauali prælio vincit

At Philadelphus qui Spartam superiore anno contra Antigonum defenderat, hoc Athenas cõtra eundem defendit. Id enim regibus innatum videtur, vicinos vt principes augescere nolint etiam sine damno suo, ne forte potentiores effecti, ipsis molesti ac formidolosi euadant. Itaque ad eorum subsidium Patroclum ducem cum classe misit, qui feliter contra Antigonum pugnauit; cuius rei testes extant Aristæas & Iosephus, qui affirmant eodem die, tam nunciũ de victoria nauali contra Antigonum ad Philadelphum venisse, quam Septuag. interpretes Alexandriam, Hieronymus euocatos, appulisse. Quod non leue est argumentum nobilissimam illam Scripturarum conuersionem in hunc Philadelphi annum incidisse. Qua de re quia commodiore loco, vt arbitramur, iuxta cõmuniorẽ sententiam actum est, pauca quæ de illo bello referuntur, addamus. Spartanos videlicet, quibus idem Antigonus erat infensus, Areo rege duce Athenienſibus subsidio venisse. Neutra tamen auxilia Athenas obsidione liberare potuerunt. Ea enim perseuerauit; donec salute desperata, Antigono sese dedere coacti sunt, quod non videtur ante annum sequẽtem contigisse.

Versio Septuag.

IV. Bellum contra Picenos *l. 33. c. 3.* Argentũ primum signatum

De Coss. traditur eosdem hoc anno fuisse, qui quadriennio ante legati in Ægyptum missi fuerant, Fabius Pictor, & Q. Ogulnius, & hoc anno bellum contra Picenos commotum, sequẽti oppressum fuisse. Isdem Coss. quinq; annis ante primum bellũ Punicum, scribit Plinius argentũ primùm Romæ signatũ. Magnã quippe argenti vim ex præda Lollij Samnitis, qui latrocinium exercuerat, collegerunt, multoq; etiam maiorẽ ex deuicto Pyrrho, Tarentinis, atq; Samnitibus, & tam multorum iam populorum tributis.

ANNVS MVNDI 3786.

ELEAZARI 21. PHILADELPHI 19.

ANT. SOTERIS 13. Imperij Græcorum 44.

OLYMP. CXXVIII. A. 1. VR. CO. 485.

ANTE CHRISTVM 267.

I. Antigonus Athenas ad dedi-tionem cõpellit. *l. 3.*

Diuturnam Athenarum obsidionem fuisse testatur Pausanias, Athenienſibus acriter resistentibus, & omnia contra Antigonum Gonatam frustrà mouentibus. Ægyptios enim Lacedæmonios, Epirotas in eum concitarunt. Verum Ægyptij duce Patroclo, classe quidem vicerunt Antigonum, pedestri tamen acie cum Macedonibus certare non sunt ausi. Spartiatæ, licet prælij aleam subire non recusarent, Areus tamen Rex eorum, commeatu iam omni fere consumpto, exercitũ domum reportauit. Denique Alexander rex Epiri, patris sui mortem vlcisci cupiens, Macedoniæ fines populabatur, vt de regno suo sollicitus alienum dimitteret. Perstitit nihilominus Antigonus in cœptis, donec Athenas ad deditionem coëgit, & populum ad præsidium iterum in Musæo recipiendum cõpulit, quod tamen non multo post vltro deduxisse, Paulanias affirmat. Rebus autem in Græcia & sententia compositis, in Macedoniam reuersus, contra Alexandrum Epirotam regni sui prædonem infeliciter pugnauit. Nam à suis militum transitione destitutus, regnũ Macedoniæ eum exercitu amisit, quod postea Demetrius Gonatæ filius, pulso Alexandro recuperauit.

Male pugnat contra Epirotam.

Rem à Romanis gestam sic fere explicat Paulus Orosius. Sempronius Consul aduersus Picentes duxit exercitum: & cum intra teli iactum acies vtraq; constitissent, repente horrendo fragore terra contremuit, sic vt stupore miraculi diu vtrumque pauefactum agmen hebesceret; inito tandem certamine, tantum humani sanguinis terra suscepit, vt merito prius ex horrore terra tremuisse videretur. Florus addit Sempronium Tellurem deam æde promissa placauisse. Romani vicerunt, qui tamen pauci admodum è prælio fuere superstites. Hic nihilominus Coss. duas colonias conditas, Ariminum in Gallia, Beneuentum in Samnio, autores sunt Eutropius atque Paterculus.

II. Terremotus, & pugna contra Picentes. *l. 4. c. 4.* *l. 1. c. 19.*

Ariminũ & Beneuentum coloniæ. *l. 1. infi l. 1.*

Sequenti anno Attilio Regulo, & Iulio Libone Coss. bellum contra Salentinos, & caput regionis illius Brundusium excitatũ fuisse, Eutropius Florusque testantur. Causam memorat Zonaras. Aiunt eis crimini datum quod Pyrrhum recepissent, & socios infestassent: *sed verior*, inquit, *causa fuit, vt Brundusium sibi subiicerent, propter portuum commoditatem, & facilem in Illyrium & Græciam trajectum.* In hoc bello periclitatos Romanos ad vota confugisse coniectura est, ex eo quod Florus ait, *victoriæ pretium pastoriam Palem templum sibi vltro popposcisse.* De Salentinis Regulum triumphasse scribit autor libri de viris illust. Addit Zonaras coloniã missam Brundusiũ post victoriam. At id factum non est ante annũ ab V. C. 509. vt ex Velleio colligimus. Proximo tamen anno, quo Fabius Pictor, & Iunius Pera facti sunt Consules rebellasse Sallentinos, vna cum Sassinatibus, iteratæ de ipsis victoriæ, triumphiq; testantur. Volsinij quoq;, apud quos seruorum insolentiã Domini seruiebant, bello afflicti sunt. Eos Fabius Gurges III. Consul profligauit, & in vrbem compulsos oppugnauit, in eaq; obsidione ex vulnere occubuit.

3787. III. Bellum cõtra Salentinos & Brundusinos.

c. 40.

3788. & 89. Volsiniĩ.

ANNVS MVNDI 3790.

ELEAZARI 25. PHILADELP. 23.

ANTIO. SO. 17. Imperij Græcorum 48.

OLYMP. CXXIX. A. 1. V. C. 489.

ANTE CHRISTVM 263.

II. Initium primi belli Punici.

VALde insignis est hic annus initio primi belli Punici, quod omnes antiqui recentioresque, qui Consulum notam temporibus addunt, Appio Claudio, & Fuluio Flacco Coss. contigisse prodiderunt. In quibus est Polybius;

T. Liuius, Eutropius, Victor, Velleius, Gellius, qui addit annum Vrbis quadringentesimum & ferme nonagesimũ, id est 89. vt habet Solinus: idque requirit stabilita à principio cum Halicarnassæo chronologia, tam in annis vrbis, quã Olympiadum: in quibus Polybium habemus consentientem. Sed de hac tota ratione temporis plura suggerent Annales hoc loco. Belli causa obtendebatur à Romanis, quod Carthaginenses Tarentinis opem tulissent; à Carthaginensibus, quod Romani cum Hierone amicitiam iniuissent. At vera causa erat, vt aiunt Florus & Zonaras, quod se inuicem suspectos haberent, & vtriq; incolumitatem suam in eo sitam esse putarent, si alteros subegissent.

Bi^a causa

II. Eiusdem belli origo.

Veram belli originem accuratius enarrat Polybius, quod Mamertinis latronibus, qui Messanam occupauerant, auxilio venissent, & eiecto ex arce Messanensi Hannone Carthaginensium duce, Vrbem occupassent. Nam Mamertini, qui vicinis suis ante terrori fuerant, dum Romanorum præsidio, qui Regium tenebant iuuarentur, istis sublatis, supplicioque affectis, alijs prædæ esse cœperunt, & ab Hierone Syracusanorum duce magna clade affecti sunt, tanta suorum ciuium approbatione, vt Syracusas reuersus, ab omnibus Rex salutatus sit. Ergo fracti viribus Mamertini, ad auxilia vicinorum oculos circuntulere. Aderant Pœni cum classe valida, ijdemq; totius pene insulæ domini. Non longe aberant Romani, à quibus dudum auxilium accipiebant, dum illi Regium tenerent. Verum in eandem sententiam non omnes conuenere. Pars prætulere Carthaginenses, eisque se arcemque suam tradiderunt: pars missis ad populum Romanum legatis, vrbem eis offerunt, auxiliumque postulant.

2. V. C. 482.

III. Romani bellum cõtra cõscientiã suscipiũt.

At Romani in ancipiti versabantur. Perabsurdum enim putabant se, qui paulò ante in proprios ciues, ob occupatum cõtra fidem Regiũ, tam grauiter animaduertissent, nunc Mamertinis, qui eiusdem sceleris contra Messanam & Regium rei essent, auxilio venire. Id nihilominus Populus fieri iussit, licet contra sentiente Senatu, ne si totam Siciliam Pœni occuparent, eum haberent pontem ad traiectum in Italiam, eiusque imperium, quod Romani tot æ umnis belliſque acquisiuerant, occupandum. Itaque bellum Plebiscito decretum est, & Appio Claudio demandatum. Dum autem Romani cunctantur, Carthaginenses eorum auxilia veriti, cum Mamertinis, & cum Hierone qui eos oppugnabat, pacem confecerunt, & vrbe occupata, fretum ad impedi dum transitum Romanorum, Hannone duce cum classe obsederunt.

Pœni cũ Hierone & Mamertinis cõueniũt & Nassanã occupãt

IV. Romani ægrè Siciliam adeunt.

Interea C. Claudius tribunus militum, ab Appio Consule cũ paucis nauibus præmissus, Regium venit, sed hostili classe territus, non ausus traijcere, cum nauicula Messanam appulit, & ad conflandum Pœnis odium, præse tulit se liberandæ vrbis ergò adesse, eaq; re confecta rediturum. Eam orationem Mamertini cum laude acceperunt, apparebatq; eos inuitos teneri, & si Romana classis adesset, ei se facile dedituros. Claudius ergo statim Regiũ redit, ac paulò post cum tota classe traijcere conatus, partim à Carthaginensibus, partim à tempestate subito exorta male habitus, triremibus aliquot amissis, cum reliquis Regium ægrè tenuit: vbi naues refecit. Hanõ causam rupti fœderis Romanis ad scripturus, etiam captas triremes Claudio remisit, captiuosq; restituit, eumque prouocauit ad pacem, quam Claudius repudiauit; & mox considerata freti natura, ventisque captatis, in Siciliam nemine prohibẽte traiecit, & Mamertinis persuasit, vt Hannonẽ ex arce euocarent, quem Romani comprehensum in carcerem coniecerunt, sicque tota Messana potiti sunt.

Messanã fraude recuperãt

Hic Carthaginenses caduceatorem mittunt, qui suo nomine iubeat eos Messana, totaq; Sicilia intra certum diem excedere. Romanis vero non obtemperantibus, Italos, qui apud se stipendia merebant, occiderunt, & Hierone adiuuante Messanam obsederunt. At Consul, cum promitteret se in Italiam vela facturum, dimissus est cum suis; sed mox velificatione conuersa, noctu non procul à castris Hieronis appulit, eumque statim aggressus est, priusquam vel illic se colligeret, vel à Pœnis iuuari posset; itaq; victus, primùm in montes, inde Syracusas se contulit. At Consul Mamertinos recreat, Pœnos à Siculis destitutos inuadit, & in eorum castra impetum facit: quæ cum essent & ingenio loci & arte munitissima, nihil admodum profecit. Ergo præsidio Messanæ relicto, adit Syracusas, vbi periclitatus ne ab hoste caperetur, solerter euasit; moxque Regium traiecit, quod & Syracusæ non facile capi poterant, & ipse peste ac commeatus inopia fatigabatur. Romæ nihilominus de Afris & Hierone triumphauit; qui primus fuit de Pœnis triumphus.

V. Messana iterum à Pœnis & Hierone obsidetur

Hiero à Romanis deceptus vincitur.

Qui mox Regium repetunt.

Alter Consul Volscinios obsidione domitos deditione cepit, vt scribit Zonaras: & eos qui suis Dominis magistratus eripuerant, excruciatos necauit, vrbem euertit; indigenas, & seruos qui in Dominorũ fide permanserant, alibi collocauit, & Romam ad triumphum venit. Legimus porro apud Valer. Max. hoc anno atq; his ipsis Coss. primum gladiatorum munus in foro Boario, à M. & D. Brutis, in honorem demortui patris datum fuisse, in eoque tria gladiatorum paria depugnasse. Eusebius quoque initio huius Olympiadis mortuum scribit Zenonem, Stoicum disciplina, origine Cyprium, quem Laërtius scribit annis 58. scholæ præfuisse, & 8. supra 90. annos vixisse, & incolumem ac sine morbo vita excessisse, propter continentiam singularẽ, quæ etiam proverbio locum dederat, vt quis moderatissimæ vitæ diceretur *Zenone continentior*. De eius morte ita Laërtius cecinit:

VI. Volscinii domiti.

Primi gladiatores.

Mors Zenonis & mores.

Cittensem varie extinctum Zenona loquuntur:
His confectum annis, his periisse fame.
Ast alii dixisse ferunt, lapsu male lasum.
Ecce tibi vltro adsum, quid me ita quæso vocas?

Familiarem aliquem dæmonem videtur postremum allocutus, cuius monitu se continuo strangulans interijt. Eius nihilominus funus Athenis magnifice curatum est, propter diuturnam in eadem vrbe philosophiæ professionem, & vitam, vt illis locis temporibusque, laudabilem.

* * *

ANNVS MVNDI 3791.

ELEAZARI 26. PHILADELPHI 24.

ANTIOCHI SOTER. 18. Imp. Gr. 49.

OLYMP. CXXIX. A. 2. VRB. CO. 490.

ANTE CHRISTVM 262.

I. Romanorum in Sicilia progressus.

AVgentur hoc anno in Sicilia bellici motus Romanos inter & Pœnos. Nam vt scribit Zonaras, Romani rebus Hetruriæ compositis, atque Italia plane pacata, Carthaginensium autem viribus increscentibus, vtrumque Consulem in Siciliam ire iusserunt, qui insulam tam simul quam seorsim peragrantes, plurima oppida tam Pœnorum, quam Siculorum, in suam potestatem redegerunt. Diodorus numerat 67. atque eorum copijs assumptis, Syracusas petiisse Hieronem oppugnaturos. At is processit obuiam, feliciterque contra Romanos pugnauit, multa eis oppida sustulit, multos captiuos cepit. Cum autem postea aduersus Valerium Consulem male pugnasset, seque ex pugna Syracusas recepisset, Romani vrbē obsidione cinxerunt. At Hiero cum videret Syracusanos obsidionem grauiter ferre, & populum, qui ei regnum vltro detulerat, nollet offendere, legatos de bello dirimendo misit ad Coss. qui libenter admissi sunt, quod Romani cuperent cum solis Pœnis bellum gerere; eorumq; vires non parum minuerentur sublato Hierone, quodque huius amicitia sibi perutilis futura esset ad commeatum; cuius penuria superiore anno laboratum fuerat. In conditionibus autem pacis fuit, vt vrbes quas Romanis acceperat, restitueret, captiuos sine pretio redderet, & centum talenta persolueret; Romani regnum illi Syracusanum, cū vrbibus illi subiectis habere permitterent.

In Excerp.

Hieronis pax & amicitia cum Romanis.

II. Eaq; cō stans ad annos 20.

Hoc fœdere Romam perlato, & confirmatis populi iussu conditionibus pacis, deinceps non vniuersas copias in Siciliam mittere decreuerunt, sed duas tantum legiones. Nam & coniunctione Regis belli onere nonnihil subleuatos se putabant, & hoc modo exercitum rerum omnium copia abundaturum arbitrabantur. Hoc autem anno quatuor totas legiones Romanas in Siciliam fuisse transuectas, præter sociorum auxilia, Polybius ait: erant autem singulæ, vt idem scribit, 4. millium peditum, & equitum trecētorum. Perstitit in fide Hiero, non minore sua, quam Romanorum gloria & vtilitate, & perstitit, si Liuio credimus, ad annos quinquaginta.

3792. III. Mors Antiochi Soteris.

At sequenti anno, qui fuit Punici belli tertius, & Antiochi Soteris decimus nonus regni, idemque postremus, Carthaginenses, qui hostem sibi factum Hieronem cernerent, & Romanos maiore studio Siciliam sibi vindicare, maiore apparatu ad eis resistendum incumbūt: ad quod Agrigentum deligunt, vbi & commeatum, & conductum ex Liguria, Gallia & Hispania militem cogunt. Noui Coss. cum in Siciliam venissent, hostium consilio animaduerso, Agrigentum cum omni exercitu adeunt, & bipertito exercitu ciuitatem obsident. Et iam quintus mensis aderat, cum nondum de summa rei pugnatum fuerat; & vtrique fame morbisque pressi, prælium generale affectabant. Ergo eductis vtrimque copijs, pugna committitur, & post diuturnum certamen, cum Romani mercenarium militem dedissent in fugā, illique in elephantos incidissent, reliqui ordines, totusque exercitus tumultu repletur, quem plurima cædes secuta est; reliqui Heracleam se fuga receperunt. Romani & bestijs quamplurimis, & tota suppellectile potiuntur. Hostis noctu euadit. Ea re cognita, Romani vrbē præsidijs nudatam occupant, militem Hannonis cædunt, Agrigentinos direptis opibus vēdunt. Coss. Messanam in hyberna concedunt, tum Romam reuersi de Pœnis triumphant: qui fuit alter de ipsis triumphus.

ANNVS MVNDI 3793.

ELEAZARI 28. PHILADELPHI 26.

ANT. DEI 1. Imperij Græcorum 51.

OLYMP. CXXIX. An. 4. V. C. 492.

ANTE CHRISTVM 260.

NOvum hoc anno Asiæ ac Syriæ regem, cū Eusebio proferimus, Antiochi Soteris & Stratonicæ filium, qui ipse quoque dictus est Antiochus. Dei autem cognomen à Milesijs accepit, tum Timarchum eorum tyrannum sustulisset, vt autor est Appianus in Syriacis. Refert in hunc annum Sigonius, quod Iustinus l. 26. extremo, de Antigoni Gonatæ filio Demetrio tradit; eum scilicet admodum puerum reparato exercitu, absente patre, non solum amissam Macedoniam recepisse, verum etiam regno Epiri Alexandrum spoliasse, eumque exulem ad Arcades confugisse; qui mox non minore Epirotarum desiderio, quam sociorum auxilio in regnum restitutus est.

At Roma profecti noui Consules rem bene cœptam in Sicilia studiosa promouent: & cum terrestri essent certamine formidabiles, multæ illis vrbes mediterraneæ sese adiungebant; & vice versa maritimæ, Africanæ classis terrore, vel se dedebant Carthaginensibus, vel in eorum fide præstabant. Accedant quod Carthaginenses Italiæ oram classe infestam habebant, quib. partem reddere vicem Romani non poterant. Classem itaque constituendam statuerunt. Ad eum enim diem conductis tantum nauigijs Tarentinorum, Locrensium, Rhegiorum, in Siciliam delati fuerant. Itaque occupata vna Carthaginensiū triremi, quæ ad littus impacta fuerat, ad eius exemplum classem vniuersam ædificarunt; sed ea res non exigui temporis fuit. Eadum paratur, Carthaginenses, Hannoni ob Agrigentinam cladem irati, Hamilcarem Barchinum ei successorem dedere.

Anno sequenti, qui fuit apud Græcos 130. Olympiadis initium; & apud Hebræos annus Sabbaticus 173. in cursu fuit, Scipione & Duillio Coss. Romani prima victoria natali potiti sunt; quæ tanto mirabilior fuit, quanto hostis

3794. III. Romani classem in Pœnos pa-

non

tant.

non solum potentior erat, sed etiam exercitatior, Romanus autem horum certaminum insolentior. Cum ergo iam 130. nauium classis staret in anchoris eam Cornelius Consul oram Italiæ legere iussit, quod paulo ante Pœni faciebant, ipse cum nauibus aliquot Messanam versus anteceſſit, & inde Liparam profectus est, spe proditionis, quam Pœni vafrè confixerant, ibique à Boodo Annibalis senioris legato, cum 20. nauibus in portu circumventus fuit. Cum autem Romani se ad defensionem pararent, Pœnus eorum audaciam veritus, Romanos ad pacis conditiones prouocauit. Cumque Consuli, & tribunis militum persuasisset, vt ipsius triremem conscenderent, quò cum classis præfecto colloquerentur, eos Carthaginem misisse, cæteros non repugnantes cepisse. Ita Zonaras, Orosius in vinculis necatos tradit, in Punicæ fidei documentum.

Clades Cornelii Consulis

IV. Duillii pugna naualis. *Polyb.*

Interea Romana classis Siciliæ appropinquabat, cum Duillius Cornelij clade intellecta, classem ad pugnam instruit, erat enim vicinus hostis, quo cum vt cominus congredi posset, ferreas manus comparauerat, & in proris erexerat, vt ijs apprehensæ hostiles naues, celeriter defugere de more non possent, sed statarium cogerentur inire certamen. Dux classis Annibal, qui septireme, quæ Pyrrhi fuerat, vehebatur. Signo dato triginta naues in Romanos impetum faciunt, qui illico iniectis coruis illigatæ, Romanis aditum ad pugnam in tabulatis ipsis dederunt, & in potestatem venerunt, in quibus etiam prætoria, ex qua tamen Annibal se in scapham eiecit, atque euasit. Reliquę naues, etsi coruos lubrica celeritate vitabant, propius tamen, metu coruorum, accedere non audebant, atque ita 50. nauibus amissis, reliquæ se in fugam dederunt.

In senio rem Annibalem.

V. Qui calide apud suos pœnã victus deuitat.

Romani exscensione in Siciliam facta Ægestanos ad vltima iam redactos, obsidione liberarunt, indeque profecti Macellum oppidum expugnarunt. Et vicissim Annibal cum 4. fere millia sociorum Romanorum, qui à legionibus secesserant, ob natam ex prædæ diuisione discordiam, incautos oppressisset, cum reliquis nauibus Carthaginem petijt, vbi dissimulata clade, populum interrogauit quid faciendum censerent; omnibus vt pugnaret conclamantibus, *feci*, inquit, *& victus sum*, sicque crucis pœnam, ob rem malè gestam effugit: puduit quippe punire, quod ipsis autoribus factum esset. Zonaras ait vitam illi fuisse concessam, imperium abrogatam. Polybius tamen tradit, eum non multo post redijsse cum nauibus. Duillius autem firmatis ciuitatibus, transacta æstate Romam reuectus, magno plausu exceptus triumphauit, & triumphi quandam speciem tota deinceps vita prorogauit. Vide Annales, vbi hæc ex Floro & Plinio pluribus.

Zonaras Victor de viris ill.

Duillius triũphat.

* * *

ANNVS MVNDI 3795.

ELEAZARI 30. PHILADELPHI 28.

ANTIOCHI DEI 3. Imp. Græc. 53.

OLYMP. CXXX. AN. 2. VR. C. 494.

ANTE CHRISTVM 258.

AQuilius Florus in Sicilia, Scipio in Sardinia & Corsica, rem hoc anno bene gesserunt. Nam, vt scribit Zonaras, post Duillij abitum, Hamilcar Drepanum munijt, eoque res maximi pretij contulit. Erycinum vrbem euertit, ciuesque aliò transtulit, ne munitissimus locus Romanis ad bellum gerendum vsui esset. Alias vrbes vi, alias proditione cepit; ac nisi ab Aquilo, qui ibi hybernabat, coërcitus fuisset, totam Siciliam subegisset. At Scipio cum in Corsicam exercitum duceret, tempestate iactatus, ædem Tempestati vouit, dicauitque postea, ædisq; propylæum ornauit elogio, quod recens è terra effossum, atque eleganter à P. Sirmundo explicatum est, vt in Annalibus reperies. Ex eodem autem elogio liquet eum cepisse Corsicam, Aleriamque vrbem Zonaras vi captam scribit, quæ cum esset Corsicæ princeps, reliquis citra laborem est potitus.

I. Res gestæ ab Hamilcare.

Et à Scipione in Corsica.

Inde cum nauigaret in Sardiniam, & classem Carthaginensem conspexisset, in eam impetum fecit. Sed cum illa, priusquam veniretur ad manus, se in fugã dedisset, Olbiam vrbem aggressus est, simulatoque metu, speciem fugientis præstitit; insecutisque temere oppidanis, per eos, quos in proximo occultauerat, oppidum inuasit, vt ait Frontinus. Valerius autem autor est, in huius vrbis oppugnatione, Hannonem Carthaginensium ducem fortissimè pugnãtem cecidisse, & à Scipione amplo funere elatum fuisse. Fasti Capitolini tradunt eum de Pœnis, Sardinia & Corsica triumphasse. Refert quoq; Zonaras, hoc eodem anno, Romæ tria millia seruorum, & quatuor millia naualiuu sociorũ in vrbis excidium coniurasse: sed ea per Elium quendam Potilium patefacta est, qui ideo coniurationem finxerat, vt patefaceret.

II. Hanno in pugna cadit.

l. 3. c. 10. l. 5. c. 1. Romana cõiuratio

Sequenti anno, Attilio Catalino, & Sulpitio Paterculo Coss. copias Romani Panormum ducunt vbi Pœni hybernabant; & acie instructa, cum nemo prodiret ad pugnam, inde profecti Hippanam obsident & capiunt, tum Mytistratum post septem mensium obsidionem, eamque tertiò repetitam; itaque acriter à Romanis in eam sæuitum est. Camarinam quoque ope machinarum Hieronis occuparunt, murisque deiectis, magnam captiuorum partem vẽdiderunt. Addit Zonaras, & Florus, aliique, Romanos Camarinam inconsultè aggressos, atque in insidias delapsos, omnes fuisse perituros, nisi Calphurnius tribunus militum imminentem calamitatem arte correxisset. Cũ enim tumulum quendam cum trecentis occupasset, omnium in se hostium tela conuertit, ibique dum pugnat, Consul Attilius se suumque exercitum periculo subduxit. At illi trecenti ad vnũ omnes periere, solus Calphurnius vulneribus

3796.

III. Vrbes aliquot à Rom. capræ.

Cladis eorum ad Camarinam.

deformatus inter cadauera iacuit semiuiuus, moxque euasit, triumpho longe dignior, quam Consul ipse.

IV. Hannibalis filii Giscónis res gestæ & interitus.

Sulpicius porro cum pleraque Sardiniæ loca vexasset, successibus elatus, etiam Africam versus iter intendit. At Carthaginenses cum Hannibale Giscónis filio, patriæ metuentes, ipsi quoque soluerunt; sed aduerso vento ambo repulsi redierunt. Deinde Annibal ab Attilio per subornatos transfugas deceptus, quasi eò rursum Romani proficiscerentur, celeriter è portu soluit. Cum Sulpicius contra eum inuectus, pleraſq; illius naues, diu præ caligine ignorantes quid rei esset, ac turbatas demersit, reliquæ ad terram refugere, atque inanes captæ sunt. Annibal quippe eas deseruit, quod portum minime tutum videret, & in vrbem Sulcos eiusdē Sardiniæ se contulit, vbi orta contra eum seditione, è suis interemptus est. Polybius in cruce actum dicit, Orosius lapidibus obrutum.

Sulci vrbs Sardiniæ.

ANNVS MVNDI 3797.

ELEAZARI 32. PHILADELP. 30.

ANTIO. DEI 5. Imperij Græcorum 55.

OLYMP. CXXX. A. 4. V. C. 496.

ANTE CHRISTVM 256.

I. Bella inter Philadelphũ & vtrumq; Antiochũ

PAusanias in Atticis scribit Magam, qui Cyrenæis cum imperio præerat, hostili animo fuisse contra Philadelphum quamuis fratrem. Itaque Apamen Antiochi Soteris filiam duxit vxorem, soceroque persuasit, vt violato fœdere, quod ab eius patre Seleuco cum Ptolemæo ictum fuerat, in Ægyptum cum exercitu inuaderet. Quod cum Antiochus comparato exercitu moliretur, Philadelphus in omnes populos imperio Antiochi subiectos, copias dimisit, quæ eos multis modis vexarunt. Quod consilium, omnem Antiocho facultatem in Ægyptũ proficiscendi præcidit, Antiocho Sotere mortuo, hostiles inimicitiæ ac bella inter Antiochũ Deum eius filium, & Philadelphum diu perseuerarunt; tandemque sub hæc tempora videntur extincta, iuxta Danielis vaticinium, quod S. Hieronymus sic interpretatur.

cap. 11. 6.

II. Nuptiis Berenices terminatur.

Primùm Syriæ regnauit, vt diximus, Seleucus cognomento Nicanor. Secundus Antiochus, qui appellatus est Soter. Tertius & ipse Antiochus, qui vocabatur Θεὸς, id est, Deus. Iste aduersus Ptolemæum Philadelphum qui secũdus imperabat Ægyptijs, gessit bella quamplurima & totis Babylonis atque Orientis viribus dimicauit. Volens itaque Ptolemæus Philadelphus, post multos annos molestum finire certamen, filiam suam nomine Berenicem Antiocho vxorem dedit; qui de priore vxore nomine Laodice duos habebat liberos, Seleucum, qui cognominatus est Callinicus, & alterum Antiochum Hieracem. Deduxitque eam (Philadelphus pater) vsque Pelusium, & infinita auri & argenti millia dotis nomine dedit, vnde Φερνοφόρος, id est, dotalis appellatus est. Antiochus autem Berenicem consortem regni se habere dicens, & Laodicem in concubinæ locum, post multum temporis amore superatus, Laodicem cum liberis suis reduxit in regiam. Sic D. Hieronymus. Verum hęc reductio, vt idem significat, non multum huius Antiochi Dei mortem antecessit, ideoque ad illa tempora differatur.

Duæ vxores Antiochi Dei.

Hoc anno, vt tradit Polybius, C. Attilius Consul cum Tyndaridem applicuisset, præternauigantem agmine incomposito classem Carthaginensium conspicatus, cum reliquas naues sequi iussisset, ipse cum decem præit. Conuersi Pœni eas inuadunt, & vndique cinctas perdunt. Prætoria etiam ipsa cum viris suis pene capta est, sed remigum contentione, præter omnium opinionem, tandem periculo se subduxit. Interea reliquæ Romanæ naues paulatim in vnum coactæ pugnam capessunt, decem hostium naues cum hominibus capiunt, octo deprimunt. Pœni cum classe reliqua in Liparam se recipiunt. Et quoniam ex eo prælio ita ambo exercitus discesserant, vt pari vtrimque periculo, & damno pugnasse viderentur, vtraque pars ad comparandas maiores copias nauales, & asserendum maris imperium omne studium conuertit.

ANNVS MVNDI 3798.

MANASSIS 1. PHILADELPHI 31.

ANT. DEI 6. Imperij Græcorum 56.

OLYMP. CXXXI. AN. 1. VR. CO. 497.

ANTE CHRISTVM 255.

DVO nobis hoc anno suggerit Eusebius. Primum redditam Atheniensibus ab Antigono Gonata libertatem, de qua non ita pridem ex Pausania in Laconicis dicebamus, Antigonum pace facta præsidium ipsis in Musæo imposuisse, & vltro inde præsidio αὐτὰ χρόνον deduxisse, quod Eusebius significat hoc anno factum. Alterum est nouus Hebræorum pontifex Manasses, qui Eleazari demortui patruus fuit, vt Iosepho placet, qui de rebus ab eo gestis nullum verbum fecit. Sed illustratur in primis hic annus gloriosis Romanorum de Pœnis ad Herculeam, & in Africa ipsa victorijs. Siciliam enim quasi iam ducentes animosiores facti, Africam ipsam atque Carthaginem petere ausi sunt. Et optabant illi quidem Africam ipsam, belli caput & fontem petere, Pœnosque ad sua protegenda retrahere. Pœni contra eis aditum omni ratione intercludere cogitabant, naualique prælio decernere.

Ergo cum supra trecentas naues Romani, plures etiam Pœni contraxissent, ita eas vtriq; ad pugnam diuiserunt, vt sex simul exercitus inter se pugnare viderentur. Duobus Coss. Attilio & Manlio, duo duces Hanno & Amilcar erant oppositi, & paribus propemodum virib. inter se confligebant. Nam quantum Carthaginenses nauium celeritate & numero, & vsu rei nauticæ præstabant, tantum Romani pugnandi violentia, & cornuorum apparatu. Illos ingens metus imminentis domi cladis vrgebat;

istos gloriæ amor, ardor quoque, acconsuetudo vincendi. Deniq; summa victorię penes Romanos stetit, quorum naues quatuor & viginti periere, nulla cum viris in hostium potestatē venit. At Pœnorum amplius 30 demersæ, tres & sexaginta cum viris in manus Romanorum deuenere. Cæterum tam illustri victoria non contenti, quasi obice sublato, ad eam victoriam, quam primum ambiebant, properant, classem celeriter instaurant, & commeatu instruunt, & Africam versus vela faciunt, Hanno autem ad tutandam Carthaginem properat.

III. Romana classis ad Africam appellit.

Primæ Romanorum naues ad Hermæum promontorium, quod in altum longe Siciliam versus excurrit, cum appulissent, ibi tota in vnū classe coacta, Africæ oram ad Clypeam vsque legunt. Ibi exscensione facta, & nauibus in portum subductis, quia deditionem oppidani recusabant, obsidionem parant. Pœni contrà, oppidum, & regionem præsidiis firmant, vt Polybio placet. At Zonaras ait oppidanos, viso statim hoste vrbem deseruisse, Romanos vacuam occupasse. Ea certe Romani potiti sunt, & relicta manu idonea ad oppidi agriq; custodiam, & nunciis Romam de re gesta missis, mox omnibus profecti copiis, agris late vastitatem inferunt, nemine occurrere audente; multas villas magnificè structas corrumpunt, magnam quadrupedum prædam abigunt, mancipiorum amplius viginti millia ad naues adducunt, suorum plerosque prioribus bellis captos recipiunt. Interea Roma redeunt, qui Senatus mādata referunt, alter vt Consul cum idoneis viribus remaneat, alter exercitum Romam reportet. Mansit M. Attilius seruatis nauibus 40, peditibus ad quindecim millia, equitibus quingentis. L. Manlius, sæuiente licet hyeme, Siciliam prętrectus, Romam peruenit, ibique de nauali contra Pœnos victoria triumphauit.

Agrum populatur, occupat oppida.

ANNVS MVNDI 3799.

MANASSIS 2. PHILADELPHI 32.

ANTIOCHI 7. Imperij Græcorum 57.

OLYMP. CXXXI. An. 2. V. C. 498.

ANTE CHRISTVM 254.

I. Res ab Attilio in Africa gesta. *Polybius.*

MOnet nos hyems vt cætera, quæ à Regulo gesta sunt in sequentem annum Iulianum differamus, quo Fuluius Nobilior, & Æmylius Paulus creati sunt Consules. Cum Carthaginenses vbi sensere Romanos ad diuturnius bellum se comparare, tres duces elegerunt Hasdrubalem, Hamilcarem, & Bostoarum, qui regionem tuerentur, & populationes prohiberent. Attilius nihilominus populabatur vicos, occupabat oppida, vel obsidebat. In quibus cum Adin oppugnaret, Pœni copias educunt, cumque spem suam in elephantis reponerent, Consul studiosè operam dedit, vt eis in pugna neque equi, neque elephanti vsui essent. Itaque & victi sunt. Romanus castris direptis liberius deinceps agros vrbesque incursare cœpit. *Contra tres*, inquit Eutropius, *Carthaginensium duces Attilius dimicans victor fuit, octodecim hostium millia cecidit, quinque millia cum 8. elephantis cepit*, aliqui 18 legunt, *tres & 70 ciuitates in fidem recepit.* Deinde oppido, cui Tuneti nomen, potitus, intra vrbem castra posuit, illectus opportunitate loci, ad Carthaginem, vicinamque ei regionem diuexandam. Mox etiam horrendum serpentem, quem 120 pedum fuisse ferunt, qui squamarum duritie tela impunè respuebat, saxo murali spinæ eius incusso afflixit, moxque circumuentum telis oppressit.

Eutrop. *Polyb.* Serpens horrendus.

Pœni vincuntur.

II. Attilius ad pacem ferocior.

Cum autem Regulus Carthaginenses terra marique vicisset, & vrbis mœnibus immineret, pax ab ipsis petita est, quam ipse cupiebat in primis, ne belli confecti laudem successor Consul obtineret. Imprudenter tamen duriores pacis conditiones imperauit, quam vt eas Pœnus, quamuis fessus malis, ferre posset. Adeo autem fastu plenus fuit, vt Romam scriberet, se metu obsignatas habere Carthāginis portas. Sedeum animi tumorem Deus breui compressit. Nam Xantippus egregius Imperator, idemque Lacedęmonius cum mercenario milite venit è Græcia, & à Pœnis electus Imperator, cum alia probe ordinauit, tum Carthaginenses à tumulis, in quibus præmetu agebant, in planiciem deduxit, vbi & elephanti & equitatus eorum plurimum poterat. Cumque Romani elati victoria, Xantippum vt Græculum hominem nihili facerent, sic affectos adortus, eorum equitatu per elephantos profligato, multos occidit, multos cepit, atque ipsum Imperatorem Regulum. Cladem distinctius explicat Eutropius, *Duo millia*, inquit, *hominum tantum ex omni Romano exercitu remanserunt, quindecim millia cum Imperatore Regulo capta sunt, triginta millia occisa, Regulus ipse coniectus in carcerem.* At non tam multos habuit Regulus in toto exercitu suo. Itaque de quingentis viris cum duce captis Polybio assentiamur: qui tamen habet duo millia cladi erepta persequentis hostis, Clypeam miraculo euasisse, vbi mox à Pœnis obsessi sunt: dimissis illico Græcis cum eorum duce, ne ab illis seruati viderentur, & quidem ad certam perniciem, nec mercede soluta.

A Xantippo vincitur.

Vide supra n. 3. fi.

Ea clade Romæ nunciata, statim ad reparandam classem animum Romani applicant, ad eos in primis periculo eximendos, qui Clupeæ obsidebantur. Id cum Pœnis esset nunciatum, breui ducentarum nauium classem instruxere, cum qua obuiam prodiere Coss. qui initio æstatis cum 350 nauibus Africam petebant, qui tamen Corcyram tempestate delati, eam occuparunt, præsidióque munierunt. Inde repetito cursu versus Carthaginem, & mox circa Hermæum promontorium inito certamine, primo statim impetu hostem in fugam vertunt, nauibus 114 cum omnibus vectoribus potiuntur: deinde suis, qui ad Clupeam erant, acceptis, quamuis reclamantibus nautis, Siciliam Romamque cogitant. Cumque Camarinæ appropinquarent tanta tempestate, naufragioque affecti sunt, vt à Camarina Pachinum vsque cadauera hominum & iumentorum, fractarumque nauium reliquiæ, littus omne consternerent. Qui euaserant eos Hierò benigne susce-

III. Romani classem instaurant, & Pœnos vincunt. *Zonar.*

Mox ingęti naufragio affligūtur. *Diod. Sic.*

pit, & vestibus ciboque recreatos Messanam vsque deduxit incolumes.

ANNVS MVNDI 3800.

MANASSIS Pont. 3. PHILADELP. 33.

ANTIOCHI DEI 8. Imp. Græc. 58.

OLYMP. CXXXI. An. 3. VR. C. 499.

ANTE CHRISTVM 153.

I. Pœni Siciliam repetunt. *Polyb.*

ANno ab ortu rerum termillesimo & octingentesimo Pœni fama Romanæ cladis erecti, in spem venerunt Siciliæ adhuc armis retinendæ. Itaque cum primum nauigare licuit, Hasdrubalem cum classe trecentarum nauium, & Elephantis 160, in Siciliam miserunt, qui expotitis copiis socias Romanorũ ciuitates grauiter vexauit. At Romani, etsi magnum animo cepere dolorem, ob tantam virorum rerumq; iacturã, stetere tamen animis, certi Pœnis nusquam cedere. Itaque trimestri spatio naues 120 ædificant, in quibus noui Consules fretum traijciunt, & assumptis Messanæ, quæ naufragio superfuerant 80 nauibus classem ducentarum nauium efficiunt. Tempori autem aduenisse Coss. in Siciliam autor est Zonaras, alioqui Hasdrubale totam Siciliam recepturo. Panormum adeunt, quod erat in Sicilia Punicæ ditionis caput, & machinis admotis duobus in locis vrbẽ expugnare moliuntur: deiectáque turri, quæ ad mare sita erat, inde ingressi milites vrbis partẽ, quæ noua dicebatur, occuparunt, vetus periclitabatur; itaque deditionem oppidani fecere, pactis in singula capita duabus minis, vt ait Diodorus, idque factum à 40 millibus, reliqua 30 millia venere. Multæ aliæ vrbes Panormi exemplum secutæ. Addit Zonaras Pœnos obseruato Romanarum nauium reditu, multas pecunia plenas intercepisse.

Romani rursum classem parant.

Panormũ obtinent.

Corrasam pecuniam amittunt.

II.

3801. Geminũ Rom. naufragium. *Polyb.*

Sequenti anno, qui fuit vrbis quingentesimus, & Iudæis Sabbaticus 174. non alia re fere, quam duobus Romanorum naufragiis insignitur. Noui enim Coss. Cn. Seruilius, & C. Sempronius cum vniuersa classe sublatis anchoris in Siciliam traijciunt, vnde mox in Africam proficiscuntur, nauigantes autem secundum Africæ littus, pluribus locis exscensionem facere conantur, Carthaginensibus eos vndique, ne portum capere possent, repellentibus. Itaque nulla re memorabili gesta, ad Lotophagorum insulam, prope Syrtim minorem deuenerunt, vbi delati in breuia omnium onerum iactura, ægre tandem naues subleuarunt, indéque fugientibus similes discessere. Delati autẽ in Siciliam superato Lilybæo, iterum tempestate iactantur, adeo vehementi, vt amplius 150 naues amitterent, vt Polybius, Diodorus, Orosius scripto tradiderunt. Quę clades atque naufragia, populum Romanum quamuis gloriæ cupiditate flagrantem, à reparanda classe aliquandiu prohibuerunt, atque ad spem in terrestribus copiis, oráque Italiæ 60 tantum nauibus tutanda, collocandam impulerunt. Verum id decretum celeriter indomita cupiditate adacti ruperunt.

Prius ad Syrtes.

Posterius ad Lilybeum.

Nam proximo anno, qui fuit primus Olympiadis 132, primusque noui seculi ab Vrbe condita, habuitque Aurelium Cottam & Seruilium Geminum Consules, Zonaras tradit eos in Siciliam profectos, & tum alia loca, tum Himeram cepisse, sed vacuam ciuibus, quos Carthaginenses noctu asportarant. Idem ait Aurelium Cottam, nauibus ab Hierone acceptis, & Romanis omnibus, qui in insula erant assumptis, Liparam traiecisse, quæ insula est non longe à Peloro promontorio, & freto Messanensi, ibique Q. Cassio Tribuno militum relicto, qui eam sine pugna obsideret, Messanam ad auspicia repetenda redijsse. Sed Cassium mandato Consulis neglecto, vrbem aggressum multos amisisse. Qua deinde Aurelius expugnata, omnes occidit, & Cassio magistratum abrogauit. Id factum Frontinus narrat de quodam Aurelio Consulis cognato, quem & virgis cæsum, & in gregarios milites relatum tradit: sed hęc pluribus in Annalibus. Non omittam tamen hoc loco memorabile facinus, quo hoc anno auaritia castigata est. Refert Diodorus in Excerptis, portæ Thermarum præfectum in Romanorum manus incidisse, eisque pretium libertatis suæ promisisse, noctu ciuitatis portam se Imperatori patefacturum. Mittit is constituto tempore mille viros, quibus præfectus portam ex condicto aperit. Vbi autem præcipui quique eorum ingressi sunt, custodem portæ iubent portam occludere, nec alium intromittere, vt ipsi soli opibus potirentur. At ciues eos omnes conciderunt, digno eorum cupiditate præmio.

ANNVS MVNDI 3803.

MANASSIS 6. PHILADELPHI 36.

ANTIOCHI DEI 11. Imp. Græc. 61.

OLYMP. CXXXII. An. 2. V. C. 502.

ANTE CHRISTVM 250.

INsignis est hic annus Metelli rebus in Sicilia bene gestis, & M. Atilij Reguli legatione celeberrima. Nam Romani tot tempestatibus, naufragiisque vexati, maris Imperio Pœnis cedebant, & eorum elephantos, à quibus pessimè habiti fuerant, exhorrescebant. Quæ res Pœnos in Romanorum contemptum paulatim adducebant. Itaque tum noui Coss. in Siciliam cum 60 tantum nauibus, iuxta decretum Senatus traiecerunt, ad commeatum exercitui importandum, supplendasque legiones: tum Hasdrubal Pœnorum Imperator, qui Romanos belluarũ metu pauitantes animaduerterat, & alterum Consulem Romam cum parte copiarum redijsse cognorat, contra Metellum Panormi agentem ex Lilybæo profectus est, & quidem cum 130 elephantis, & equitum peditumque amplius triginta millibus; & vicino amne superato, circa muros castra posuit, quæ, propter hostis contemptum, nec vallo, nec fossa cinxit.

At Cæcilius, qui se portis de industria conti-

Victoria de bellu s virisque.

nuerat, dum vniuersi hostes flumen traijcerunt, ne mox vel fuga elaberentur, vel fugientes fluctibus hauirirentur; expeditam manum ante vrbem, & ad ima mœnia, & in fossis collocauit, vt appropinquantes belluas telis obruerent. Ergo rectores Elephantorum, vno omnes impetu, in primos propugnatores irruunt, eosque facile auersos in fossis compellunt. Cum autem telis vndique configerentur, sæuire cœperunt, & conuersi in suos irruere, pedibus conculcatos interimere, ordinesque dissipare. Eo cognito Cæcilius copias exemplo educit, & cum recentibus suis, compositáque acie, hostium incompositorum latera inuadit, occisisque plurimis, reliquos in effusam fugam auertit. Belluæ cum Indis suis captæ sunt decem, cęteræ quæ rectores deiecerant, proposita rectoribus incolumitate, paulatim ab iis delimitæ, & ab eo equitibus Romanis circumuentæ, ad 120 captæ sunt, & Romam traductæ, maximum Italicis gentibus spectaculum præbuere. Cum autem Hasdrubal Lilybæum profugisset, absens à Pœnis capite damnatus est. Addit Zonaras reuocatum in patriam, & in crucem actum.

Hasdrubalis pœna.

III. Legatio M. Attilij Reguli.

Hæc victoria contrarios, vt par erat, animorum motus in Romanis & Pœnis excitauit. Nã Pœni pacem à Romanis petendam statuerunt; adeamque rem Attilium Regulum, qué quintum iam annum habebant in vinculis, cum aliis legatis mittendum putarunt, de pace & permutatione captiuorum; iureiurando adstrictum, vt nisi ea impetraret, Carthaginem ad vincula reuerteretur. Atis Romæ minus omnibus displicuit vtrumque, idque vt arbitror, nec satis prudenter, nec satis è Repub. vt in Annalibus ostendimus; quamuis ille se & Reipubl. commodis seruire, & propriæ fortitudini arbitraretur. Ergo redit in Africam, repugnantibus suis, neque probante Repub. quippe qui cum damno patriæ reuerteretur. Vbi sumptum de eo crudele supplicium, quod Romani in captiuorum principibus vlti sunt, quos liberis Attilij excruciandos, necandosque, iniuste profecto, tradiderũt, vt qui crudelitatis suorum ciuium non fugrant vlla ratione participes.

Parum probata: neq; Romanorũ vindicta. a V. C. 501. n. 9. 10. 11. 12.

IV. 3804. Victoria Metelli. Mutantur animi Romanorum.

Audita porro tam insigni Cæcilij Metelli victoria, effertri omnes lætitia, animos ad pericula obfirmare, Coss. Attilij Reguli fratrem cum L. Manlio, vtrumque secundùm Consulem creare, classem nauales que copias rursum mari committere decreuerunt. Id anno proximo factum est, quo etiam Metellus de Pœnis speciosissimum triumphum egit, tredecim ducibus hostium, & 120 Elephantis in eo ductis, vt est in Epitome Liuiana 19. Hoc ergo anno, qui fuit Vrbis 503. ambo Coss. cum classe ducentarum nauium in Siciliam proficiscuntur, & Panormũ delati inde Lilybæum traiecerunt, eoque pedestres copiæ Romanorum, quæ in Sicilia erant, confluxerunt. Ibi eiusdem oppidi obsidendi consilium ineunt, rati eo capto se in Africam bellum facile translaturos, nulla Pœnis arce belli in Sicilia relicta. Quod cum Pœnis quoque notum esset, vterque populus, alter in oppugnanda, alter in propugnanda illa ciuitate omnia conferebat, quæ erat & arte & ingenio loci munitissima. Quinetiam vtrisque noua auxilia superuenere, quibus obsidio diutius protracta est; sed ita vt Romana res priore loco nunc, quam Punica videretur; præsertim cum illi commeatu prohibiti, peste ac fame laborarent.

Polyb. Diod. Sic. Lilybæũ obsident, nec satis feliciter.

ANNVS MVNDI 3805.

MANASSIS 8. PHILADELPHI 38.

ANT. DEI 13. Imperij Græcorum 63.

OLYMP. CXXXII. An. 4. V. C. 504.

ANTE CHRISTVM 248.

I. Geminatum rursum Romanorum in Sicilia clades.

TRistis illuxit hic annus Romanæ Reipubl. gemina clade, altera ad Drepanum, altera ad Lilybæum accepta. Carthaginenses qui Lilybęam propugnabãt, quum equos suos in locorum angustiis inutiles viderent, eos Drepanum miserunt, qui inde crebris excursionibus Romanos pabulatione & commeatu prohibebant, eorumque sociis infesti erant. Ergo Claudius Consul cum ad Romana castra, cum decem millium supplemento peruenisset, Drepanum cum omni classe adire, & ibi Adherbalem nec opinantem opprimere aggressus est. Itaque media nocte soluit; quem cum sub lucem venientem conspicatus esset Adherbal nõ deditionem cogitauit, vt putabat Claudius, etsi 90 tantum naues haberet, Romani autem 120: sed aperto mari naues ad pugnam instruxit. Quod animaduertens Consul naues suas partim intra portum receptas, partim portum subeuntes, retro nauigare omnes iubet, magno cũ tumultu nauium, nautarumque, in angustus concurrentium, & remos sibi inuicem detergentium. Eductas ad littus collocat, dum reliquas naues, paulatim prodeuntes è portu expectat.

Polybius.

II. Prior Claudij Coss. ad Drepanũ

Signum ex vtraque prætoria datur ad pugnam: & quamuis vtrimq; à principio paribus momentis pugnaretur, paulatim tamen Punica res meliore loco cœpit esse, & peritia remigum, & fabrica nauium, & celeritate nauigandi, & opportunitate loci, vt se omnẽ in partem flectere possent, siue ad vitandũ periculum, siue ad subueniendum à tergo periclitanti. Quibus cõmodis cum Romani ad litus compulsi caterẽt, atque è contrario in breuia incidere nt, vel solo illiderentur, nec laborantibus suis auxilio esse possent, plane vincebantur. Quo agnito Claudius à lęua fugam capessit cum 39. nauibus. Cęteras ad tres & 90, vt ait Polybius, cum omnibus qui intus erant, Pœni cœperunt, & misere Carthaginem, vbi tot laudibus affectus est Adherbal, quot Romæ Claudij temeritas lacerata est maledictis; præsertim cum opinio impietatis accederet, ex auspiciorum neglectu, vt qui pullos qui pasci nollent, in aquam mergi iussisset, vt biberent.

Cic. 1. de Diuin.

III. Posterior Iunij ad littus Geloum, eaque bipertita.

Quod ad Iunium Consulem attinet, is iussus Lilybæum obsidentibus annonam deferre, auxiliáque sufficere, cum 60 nauibus, quæ commeatui præsidio essent, Messanam venit, & aliis ibi assumptis, Syracusas contendit. Inde Quæstores præmittit cum parte nauium &

commeatus, ipse Syracusis subsistit, expectans naues, quæ subsequebantur. Interea Romanæ naues quæ Lilybæi in anchoris stabant, male à Carthalone duce Pœnorum acceptæ sunt, & ab oppidanis eodem tempore irruentibus. Inde Carthalo illata clade ferox, Quæstorum naues venientes agnoscit, & pugnam affectat, priusquam illæ sociis coniungere se possent. At Romani pugnam declinant, & ad littus appulsi, machinis petrariis Pœnos arcent, aliquot tamen onerarias naues amittunt. Horum ignarus Consul Pachino promontorio superato Lilybæum petebat, cui Carthalo in occursum properat. At Consul magnitudine classis inimicæ territus, pugnam detrectat; & quia fugere non poterat, ad aspera & periculosa loca recipit se, satius iudicans, quemuis subire casum, quàm integrum exercitum hostium permittere potestati. Pœnus eo locovitato, in medio se classis vtriusque Romanæ collocat, in vtramque pariter intentus: cum exorta tempestate, ipse ægre Pachino euadit. At Romana classis vtraque, in locis confragosis importuosisque deprehensa, fluctibus & saxis ita conquassata, & confracta est, vt ne tabula quidem vlius vsus ex naufragio superesset. Quam cladem ad neglecta quoque auspicia, Cicero, Valerius, alijque retulerunt.

Quæstoris.

Et Consulis.

Tempestate cõterruntur.

ANNVS MVNDI 3806.

MANASSIS 9. PHILADELPHI 39.

ANT. DEI 14. Imperij Græcorum 64.

OLYMP. CXXXIII. An. 1. V. C. 505.

ANTE CHRISTVM 247.

I. Laodicee reducitur in Regiã.

SVb extremos hosce Antiochi & Philadelphi annos contigerunt ea, quæ paululum ante vtriusque mortem legimus contigisse, quæ ex S. Hieronymo mutuamur. Qui postquã nuptias Antiochi Dei, cum Berenice, altera filia Ptolemæi Philadelphi retulit, & reiectam Laodicem in concubinæ locum. *Post multum vero temporis autem, amore superatus Laodicem cum liberis suis reduxit in regiam. Quæ metuens ambigui viri animum, ne Berenicem reduceret, virum per ministros veneno interfecit.* Sic ipse. Sed mors non nisi sequenti anno, qui est vltimus regni vtriusque, contigit.

In Daniel. 11.

II. Iunius Erycẽ occupat.

Sub huius anni principium, antequam noui Coss. magistratum inirent, Iunius ad legiones post naufragium reuersus, in eam curam incũbebat totus, vt memorabili aliquo facinore acceptum detrimentum repararet. Itaque Erycem in monte sitam vrbem, cum Veneris æde proditione occupauit, ad quam multa postea contentione inter Amilcarem & Romanos pugnatos esse scribit Polybius, sed sine distinctione temporis. Huius porro anni Coss. cum classe caterent, & Romani naufragiorum tædio, ac damnis, de maris imperio Pœnis concederent, Lilybæum & Drepanum terra vexabant, & Carthaginenses littore prohibebant: quod Carthalo quoque in Italiæ ora tentauit; vnde & rediens mercenarium militem tumultuantem compressit; & Romani perpetuam cum Hierone amicitiam, tenuibus tributis annuis constabilierunt.

Amicitia cum Hierone firmatur.

Sequens annus, qui est decimus quintus Antiochi Dei, vltimus etiam fuit, vt fatentur omnes, improbissimæ Laodices nuper ei reconciliatæ opera; quo illa scelere ad reliquam deinceps crudelitatem sibi viam muniuit. Hoc quoque anno, qui fuit Philadelphi quadragesimus & vltimus, constat ipsum esse mortuum: & quidem vt apparet, paulo ante Antiochum. Mors enim Patris videtur animos fecisse Laodice contra maritum & sororem, quam sequẽti anno immissis percussoribus sustulit. Naturali porro morte defunctum Philadelphum, ex Strabone suspicari licet, qui eum tenuissima valetudine fuisse tradit, semperque noui aliquid perquisisse, quo se sine labore oblectaret. Qua eius animi dispositione vsus est Dominus, ad inspirandum desiderium conuersionis Bibliorum in Græcam linguam. Apparet autem mortuum non grandem natu, etiam post 40 regni annos, vt qui minimus natu omnium fratrum à Iustino dicatur, & à posteriore Lagidæ vxore natus fuerit.

Cum huius etiam Regis morte Eusebius Manassis Pontificis iungit interitum, siue is vere hoc anno contigit, siue circa hæc tempora, de quibus cum non certo constaret, constaret autem successorem eius sub Euergete vixisse, Manassem Pontificem, cum Philadelpho vita & pontificatu functum hoc anno posuit. Diu certe in pontificatu viuere non potuit, cum fuerit Eleazari pontificis patruus, qui ante ipsum triginta duos annos pontificatum gessit, & Simonis Iusti, qui eundem magistratum duodecim annis tenuerat, & Oniæ frater qui tres & viginti, vt fere centenarius mortuus fuerit, si viginti annorum eum fuisse dicamus, cum frater eius Onias filius Ieddoæ, factus est Pontifex.

Hoc anno decimo octauo belli Punici Carthaginenses classis imperium Amilcari, qui cognominatus est Barcas, tradidere, qui ad vastandam Italiam profectus, & Locrorum ac Brutorum populatus agros, in fines Panormitanos cum vniuersa classe appulit, ibique locum Erycem inter ac Panormum occupauit: ex quo multum negotij Romanis facessiuit. Romani autem bello nauali propter acceptas clades publicè abstinuere. Quidam tamen priuatim nauibus postulatis in Africam profecti, tum alias hostibus intulere clades, tum Hipponem ingressi, nauigia omnia, multasque ædes incenderunt; & quamuis in portu catena conclusi, mirabiliter euaserunt. Coss. autem tam ad Lilybæum, quam ad Drepanum nihil admodum hoc anno dignum literis gessisse reperiuntur.

***

ANNVS MVNDI 3808.

ONIÆ II. SIMONIS IVSTI fi. 1.

PTOLEMÆI EVERGETIS 1.

SELEVCI CALLINICI 1. Imp. Gr. 66.

OLYMP. CXXXIII. A. 3. VR. C. 507.

ANTE CHRISTVM 245.

I. Initium regnorũ Euergetis & Callinici.

EXtincto Ptolemæo Philadelpho, successit ei Ptolemæus filius cognomento Euergetes, propter egregia in Ægyptum promerita. Antiocho autem Deo, filius ex Laodice improbissima muliere, Seleucus Callinicus. Illa vbi mariti Antiochi cæde nefaria, aditum sibi filióque suo Seleuco Callinico patefecit in regnum Asiæ, sororis suæ Berenices, eiusque filij mortẽ accelerat: in eos quippe zelotypiæ & ambitionis facibus incenta furebat. Maior quippe natu erat, & prior regina fuerat: neque iis viuis pacificum sibi filióque suo regnum fore sperabat. Itaque vt scribit Sanctus Hieronymus, Berenicem cum paruulo filio, quem hæc ex Antiocho Deo susceperat, Icadioni & Gennæo optimatibus, Antiochiæ tradidit occidendos. Eam cædem Iustinus à Callinico hortante matre patratam scribit, eóque facinore, & sibi infamiam, & commune odium ciuitatum Asiæ quæsiuisse, & bello se Ptolemæi Euergetis implicuisse. Sed priusquam ab ipsis auxilia venirent, ex asylo Daphnes per dolum educta trucidatur.

Laodice Berenicẽ cum filio necat.

l. 27.

II. Ortus Annibalis.

l. 15.

Hoc ipso anno in magnas Italiæ atque Africæ clades natus est Annibal. Nam, Polybio & Liuio testibus, anno 17 secundi belli Punici, qui est Vrbis 551. quadragesimum quintum agebat annum. Ex quo necessario sequitur præsentem annum illi esse vitæ primum. Captam quoque ab Amilcare hoc anno Erycem, etsi distinctè non traditur, series tamen Polybianæ narrationis ostendit. Ait enim integro biennio ibi pugnatum esse, nimirum continenter. Nam bellum, etiam vsque ad Catuli Consulatum, progressum fuisse constat.

Eryce ab Amilcare capitur.

V. C. 511

Euseb. porro ad hos Consules, & ad hæc duorum Regum initia refert Oniæ Pontificis exordium, viri, qui Simonem Iustum patentem habuit, ante annos tres & 40 defunctum; parum tamen ipse iustus fuit, si Iosepho credimus, qui eum auaritiæ insimulat, vt suo loco dicetur.

Oniæ secundi Pont. initium.

a. m. 3765

l. 12. c. 3. fi.

III. 3809. Regni defectio & bellum Euergetis, ob eẽdem Berenices & filij.

Berenices porro, filiiq; eius mors, à priuigno & fratre, à sorore & amita illata, cum omnibus res indigna videretur, vniuersas ciuitates ad defectionem compulit, quæ & ingentem sequenti anno classem comparauerunt, & Ptolemæo, qui recens ex Ægypto aduenerat, sese tradiderunt, in vltionem eius quam alioqui defensuri erant: qui nisi in Ægyptum domestica seditione reuocatus esset, totum regnum Seleuci occupasset, vt ait Iustinus. Cui consentiẽs Hieronymus, *Et venit* Euergetes *cum exercitu magno, & ingressus est prouinciam Regis Aquilonis, id est Seleuci cognomento Callinici, qui cum matre Laodice regnabat in Syria, & abusus est eu, & obtinuit in tantum, vt Syriam caperet, Ciliciam, superioresque partes trans Euphratem, & propemodum vniuersam Asiam.* Sic Hieronymus: quæ non videntur nisi sequenti anno perfici potuisse. In primis autem hoc ipso anno captam & interfectam à Ptolemæo fratre Laodicen, tot criminum ream, & belli cruentissimi Syriam inter & Ægyptum, originem, scribit Appianus in Syriacis.

In 11 Dan.

Cædes Laodices

Horum autem occasione bellorum, Parthi primùm, vt idem ait, à Macedonibus defecerunt. Macedonas vocat Seleucidas à Macedonibus ortos, qui iam reuera Asiani erant, & in Asia nati. Huic Chronologiæ nostræ belle præiuit Suidas, vbi de Arsace. *Arsaces*, inquit, *Parthus Macedonibus, qui Persicum regnum annos 293 tenuerunt, eiectis Parthis regnum peperit.* Qui nobis idem ipse annus est textæ Ætatis, quæ ab imperio Cyri sumit exordium. Huius defectionis impunitatem illis dedit Seleuci & Euergetis discordia, qui dum sibi inuicem regnum eripere volunt, persequi non potuere defectores.

IV. Parthorũ defectio, & initia Arsacis.

Etsi autem nauali bello abstinere populus Romanus iam secundùm decreuerat, & reuera quinquennium, & eò amplius abstinuit, vt ex Polybio suo loco dicemus; hoc tamen anno alterum ex Floro nauale certamen occurrit. Nam Fabino Buteone Consule, classem hostilem in Africo mari apud Ægimurum iam in Italiã vltro nauigantem cælam fuisse ait. Ex quo intelligitur hanc Romanam classem non adinuadendos Pœnos, sed ad tutandam ab eorum incursibus Italiam fuisse destinatam. Vlterius autem ad Ægimurum progressam, hostium tergo institisse, ibique victoria potitam esse, sed breui: opulenta enim præda grandi ventorum ac fluctuum tempestate disiecta est.

V. Clades Pœnorũ ad Ægimurum.

ANNVS MVNDI 3810.

ONIÆ II. 3. PTOL. EVERGETIS 3.

SELEVCI CALL. 3. Imperij Græc. 68.

OLYMP. CXXXIV. A. 1. V. C. 509.

ANTE CHRISTVM 243.

I. Euergetes occupata Syria repetit Ægyptũ.

l. 27. Init. Dan.

CVm Ptolemæus Euergetes res feliciter in Asia gereret, & occupata vniuersa Syria magnam Asiæ partem in potestate haberet, excitata præter spem in Ægypto seditione, in regnum suum reuocatus est. Ita Iustinus. Hieronymus autem. *Cumque audisset in Ægypto seditionem moueri, diripiens regnum Seleuci, quadraginta millia talentorum auri tulit, & vasa pretiosa, & simulacra deorum duo millia & quingenta: in quibus erant & illa quæ Cambyses capta Ægypto in Persas portauerat. Denique gens Ægyptiorum Idololatriæ dedita, quia post multos annos Deos eorum retulerat, Euergetem, id est, benefactorem appellauit. Et Syriam quidem ipse obtinuit, Ciliciam autem amico suo Antiocho gubernandam tradidit, & Xantippo alteri Duci prouincias trans Euphratem.* Hactenus S. Hieronymus. Vide quanti stetit Laodice & filio eius ambitiosa crudelitas in sororem ac nepotem. Dein-

Cur dictus Euergetes.

l. 2. Ap pianum.

ceps autem multis annis Syriam tenuit Euergetes, in qua Iudæa tota, & Palęstina. Itaque Hierosolymam venit, siue vt eam occuparet, siue vt Deum veneraretur, vt Iosephus prædicat. Id tamen quod ille narrat, non ad Euergetem, sed ad filium eius Philopatorem pertinere, suo loco docebimus.

II. Pertinaces ad Erycem pugnæ.

Hoc quoque anno Romani cum Pœnis ad Erycem pertinaciter pugnauerunt. Cum enim Romani, vt ait Polybius, Erycem, præsidio vertici impolito, & ad radices montis, in potestate haberent, & Amilcar vrbem in medio monte sitam occupasset, incredibile dictu est quam multa præsidiarij à ciuibus, & vicissim ciues à præsidiariis, maxime ex inopia & difficultate commeatus perpessi sint, vt ille pluribus explicat. Huc etiam videntur illa Zonaræ pertinere, Carthaginenses, inquit, Romanis crebra detrimenta inferebant, nunc in Siciliam, nunc in Italiam traiiciendo. Captiuos viritim permutarũt, cæteros Pœni, quorum maior erat captiuorum numerus, pecunia redemerunt. Illud autem maximo detrimento Romanis fuit, quod duces quotannis mutabant, & cum imperatoria munera discere inciperent, reuocabantur: quasi non rei gerendæ, sed exercitationis causa mitterentur. Ita fere Zonaras, qui propterea scribit pleroſque Consules hisce annis nihil historia dignum gessisse.

a. m. 3808

Romani crebra ducum permutatione rem male gerunt.

Hoc primum anno vsos stipendiario milite Romanos autor est Zonaras. Cum enim Gallis à Carthaginensibus socijs stipendia malignè soluerentur, præsidium quoddam suæ fidei commissum Romanis pecunia prodiderunt, ab eisque, vnà cum aliis, qui à Pœnorum societate defecerant, stipendio conducti sunt, cum prius peregrino milite vti Romani non consueuissent. His freti, & classe priuatorum hominum Africam infestantium, naues denuo compararunt; quibus vsus Lutatius Consul, proximo anno victor euasit.

ANNVS MVNDI 3811.

ONIÆ II. 4. PTOL. EVERGETIS 4.

SELEVCI CAL. 4. Imperij Græc. 69.

OLYMP. CXXXIV. An. 2. VR. C. 510.

ANTE CHRISTVM 242.

I. Oniasnegat tributum.

ONiam Pontificem hoc anno detrectasse soluere tributum Ægyptio Regi, quod solebat Syrio, ex missi in Ægyptum legatione, quam Iosephus copiosè narrat, non leuis suspicio est. Homo enim auarus, qualem describit Iosephus, mutato Domino, hoc se onere leuatum iri, aut sperabat, aut moliebatur, sed frustra. Nam Euergetes misso Hierosolymam legato incusabat Oniam, quod solita 20 argenti talenta tributi nomine non solueret, sæuaque intentabat minas. At Iosephus quidam huius Pontificis ex sorore nepos, legationem ad Regem suscepit, eique factus amicus, imminentem Iudæis calamitatem depulit.

l. 12. c. 3. fi. & 4.

II. Seleucus classem tempestate amittit, & ciuitates recuperat.

Post discessum autem Ptolemæi Euergetis, Seleucus cum aduersus ciuitates quæ defecerãt ingentem classem comparasset, repente orta tẽpestate, quasi diis victoribus parricidij, naufragio classem amittit vniuersam. Quæ tamen clades optanda Seleuco fuit. Ciuitates enim quæ defecerant, quasi diis arbitris satisfactum sibi esset, ex naufragio in misericordiam versæ, eius imperio se restituunt. Ita Iustinus: quod tamen neque de Parthis, qui sub Arsace perstiterunt, neque de Syris, qui sub Euergete, dici potest: nouo enim bello ad Syriam recuperandam opus fuit.

ANNVS MVNDI 3812.

ONIÆ II. & PTOL. EVERGETIS 5.

SELEVCI CALL. 5. Imp. Græc. 70.

OLYMP. CXXXIV. An. 2. V. C. 511.

ANTE CHRISTVM 241.

SEleucus ciuitatum suarum reconciliatione lætus, in luctu tamen de magna regni sui parte amissa versabatur; neque illi malo remedium apparebat vllum nisi in eum à quo victus ac spoliatus fuerat, arma conuerteret. Quod cum fecisset, prælio iterum victus, non multo quam post naufragium comitatior, trepidus Antiochiam confugit. Iude ad Antiochum fratrem cognomento Hieracem literas dedit quibus auxilium eius implorat, oblata ei Asia intra fines Tauri montis, in præmium latæ opis. Sed Antiochus non contentus iis quæ frater obtulerat, totum ei regnum eripere cupiens Gallos mercenarios conduxit, eorumque opera Seleucum vicit. Cumque ijdem Galli in ipsum met Antiochum arma vertissent, auro se velut à prædonibus redemit, & cum iis belli societatem inijt. Euergetes autem vtriusque fratris arma veritus, in annos decem cum Seleuco pacem fecit. Hæc cursim Iustinus.

Duas alias classes hoc anno mediterraneum mare tulit, & duorum aliorum hostium cædibus cruentatum est. Nam Romani, qui post tot ac tanta naufragia, semel atque iterum naualia certamina publicè damnarant, quique videbant exercitus suos ad Lilybæum, ad Drepanum, ad Erycem multos iam annos nullo emolumento versari, nũc mercenario aucti milite, minore periculo rati se in mari posse versari, tertiò mutato decreto classem instruxerunt. Cumque exhaustum esset ærarium, priuatis sumptibus multæ naues constructæ sunt, ea lege, vt ait Polybius, vt rebus ex sententia confectis sumptus reciperent. Quo collationis genere paratæ sunt quinqueremes ducentæ, quarum fabricam instituerunt ad illius exemplar, quam Rhodio cuidam Nauarchæ, ad Lilybæum iam dudum eripuerant.

Consul ergo cum Prætore socio in Siciliam profecti, terra marique Drepanum aggressi, partem muri deiecerunt, oppidumque cepissent, nisi vulnerato Consule; milites in eo eripiendo occupati fuissent. Pœni autem, vt

ait Polybius, vbi cognouerunt Romanos cum classe in mari esse, illudque sibi rursum velle asserere, exemplo naues instruunt, easque rebus omnibus instructas, Hannone duce in hostem mittunt, qui omni studio intendebat ad Erycem inscijs Romanis appellere, vt ibi commeatu, cæteroque onere leuatis nauibus, cum suorum lectissimis, & Amilcare in primis, posset cum hoste confligere. Quæ cum Lutatius coniecisset, properauit, quamuis aduerso vento, cum hoste pugnare, priusquam ille vel onera deponeret, vel eum Amilcare coniungeretur. Ergo transitu Hannonis præcluso, pugnam ineunt, & primo statim congressu Pœni superantur, naues quinquaginta demerguntur, septuaginta cum vectoribus ipsis capiuntur, reliqua classis Hieronesum mutato vento repetijt. Consul Lilybæum cum multis captiuorum millibus remigrauit. Et Erycinam, spe commeatus destitutam, Romanis mari potientibus, deditione recepit, Amilcare nihil prætet missionem sub iugum recusante. Miles duodeuicenis denarijs æstimatus, demissus est.

Er altera naualis contra Hannonem, & victoria.

Ericinæ editio.

IV.

Proximo anno Carthaginenses, tanta accepta clade, etsi animis fracti non erant, Romanis tamen mare tenentibus Siciliæ subuenire non poterant, Erycinæ præsertim, quam deditionem fecisse nesciebant. Itaque ad Amilcarem scribunt, summamque rerum illi permittunt. Is rerum necessitatem intuitus, & de suorum salute sollicitus, legatos de pace mittit ad Consulem. Grata Lutatio res accidit, vt qui attritas hoc bello populi Romani opes, suisque iam graue id onus esse probe sciret. Itaque pacis conditiones in hunc fere modum scriptæ. *Amicitia Carthaginensibus cum Romanis, sita populo Romano videatur, his legibus esto. Pœni vniuersa Sicilia excedunto, cum Hierone bellum ne gerunto. Syracusanos armis ne petunto, neque Syracusanorum socios. Captiuos omnes sine pretio Carthaginenses Romanis reddunto. Argenti talenta Euboica bis mille & ducenta, intra annos viginti Pœni Romanis pendunto.* His conditionibus Romani perlatis, missi sunt legati, qui duo immutarunt: nam 20. annos in 10. contraxere, quibus eadem summa pro belli sumptibus penderetur: & mille insuper talenta illico, ac tine mora persoluerentur. Atque ita primum bellum Punicum vigesimo quarto denique anno finitum est.

3813. Pœni pacẽ petũt, nec ægre impetrãt. *Polyb.*

Cõditiones pacis, & Punici belli finis *Talentum Euboicum* 1400. *Frãcorũ fuit. Atticum* toto. *Vide Annal. in schol. huius anni.*

V.

Triumphum egit hoc anno de Pœnis Catulus proconsul, ei quippe honor & imperium prorogatum fuit. Valerius quoque Prætor biduo post, mense vterque Octobri V. C. 512. de ijsdem triumphauit. At huius anni Coss. Lutatius Cerco, & Manlius Torquatus bellum ambo contra Falisços, intra sex dies quam venerant, transegerunt. Belli causa fuit, quod Genucium quendam tribunum plebis contumelia affecissent. Quindecim millibus cæsis, cæteris pax concessa, dimidia tamen agri parte sublata. Vterque mense Martio triumphauit. Gemina clades hoc anno Vrbem vehementer afflixit; prior ab inundatione Tyberis, posterior ab incendio, quo sæuiente L. Metellus Pontifex maximus Palladium ex æde Vestæ rapuit. S. Augustinus insultat Romanorum dijs qui cultores suos, neque ab aquis, neque à flammis protegere potuerunt. Interim autem dum Romani ab hisce vexantur elementis, bellum Libycum à mercenarijs militibus excitatum est, quod & cruentissimum fuit, & Carthaginem vehementer afflixit, vt copiose scribit Polybius.

Quatuor triumphi Romæ intra annũ.

Clades duæ, inũdationis, & incendii.

l. 3 de Ciu. c. 18. Bellum Libycũ. *ad finem vsq; l. 1.*

ANNVS MVNDI 3814.

ONIÆ II. 7. PTOL. EVERGETIS 7.

SELEVCI CALL. 7. Imperij Græc. 72.

OLYMP. CXXXV. AN. 1. VRB. C. 513.

ANTE CHRISTVM 239.

I. Eumenis bellũ cõtra Hieracem. *li. 27.*

SParsis consumptisque fratribus bello intestinæ discordiæ, inquit de Callinico & Hierace Iustinus, Rex Bythiniæ Eumenes, quasi vacantem Asiæ possessionem inuasurus, victorem Antiochum, Gallosque aggreditur, & adhuc ex superiore congressione saucios, integer ipse viribus superat, sub primum annum Olympiadis centesimæ trigesimæ quintæ. Quo etiam videtur pertinere legatio Romanorum ad Ptolemæum Euergetem, auxilia promittentium aduersus Regem Syriæ, vt est apud Eutropium, quæ Ægyptius gratijs actis tanquam sera recusauit.

Init. li. 3.

II. Sicilia prouincia.

Hoc anno Q. Lutatius, qui proximo anno fuerat Consul, cum fratre C. Lutatio Catulo, qui primo bello Punico finem imposuerat, in Siciliam profectus, omnia ibi ordinauit, vt ait Zonaras, Siculis arma ademit. Denique Siciliam in provinciæ formam redegit; itaque merito M. Tullius eam principem prouinciarum populi Romani appellat, & valde deprætieat. Regnum tamen Hieronis in eius potestate manit: cuius rei gratia ille Romam veniens, Floralium occasione ludorum, ducenta millia modiorum tritici populo dono dedit, vt ait Eutropius. Floralium porro ludorum hoc anno initium factum esse ex Velleio satis constat, quando & Spoletum colonia deducta est. In quibus ludis, vt ait Augustinus, tanta exhiberi turpido consueuit, vt in eorum comparatione cæteri honesti sint, à quibus tamen ipsis agendis, vel spectandis viri graues prohibebantur, vt plurib. in Annalibus leges.

Hieronis in Rõ. liberalitas. Flotales ludi instituti. *5. in Var*

l. 1. de cõs Eutr. c. 33 n. 3. & 4

III. Qua de causa.

Quoniam autem ad placandos Deos, hosce ludos tam institutos, quam frequentatos liquet, suspicio est Romanos suspicatos fuisse Deos iratos qui proximo anno eluuionem & deflagrationem in populum Romanum immiserant; ideoque hisce ludis exhilarandos esse, atque placandos credidisse. *At satius erat*, ait Augustinus, *tales Deos irritare temperantia, quam placare luxuria: & eos honestate, etiam ad inimicitias prouocare, quam tanta deformitate lenire.* Perseuerauit hoc anno bellum mercenariorum in Africa, in quo diuimendo Romani laudabilem operam dederunt. His denique Coss. primus omnium L. Liuius poëta fabulas docere Romæ cœpit, anno ipso antequam Tarenti natus est Ennius, vt ex M. Tul-

l. 2. de Ciu. c. 27.

Liuii fabulæ, & ortus Enn.

lio in Bruto, & A. Gellio liquet. Sequenti tamen anno quo C. Mamilius & Q. Valerius Coss. fuerunt, Vrbis conditæ 514. pax Romanos inter & Pœnos nutare cœpit, quod Romani mercatores hostibus Carthaginensium commeatum deferrent, eosque Pœni in vincula conijcerent. Mox tamen captiuorum permutatione res beneuole transacta est, vectiique mercatores necessaria ad Carthaginensium hostes deferre; & ipsi Romani mercenarius in Sardinia & Vtica deficientibus adhærere noluerunt.

l. 17. vlt. 3815. Pax cum Pœnis nutat.

IV. Bellū inter fratres Callinicū & Hieracem. l. 27.

De re autem Asiana hæc habet Iustinus. *Victo Antiocho Hierace, cum Eumenes maiorem Asiæ partem occupasset, ne tum quidem fratres, perdito præmio propter quod bellum gerebant, concordare potuerunt, sed amisso externo hoste, in mutuum exitium bellum reparant. In eo Antiochus denuo victus, multorum dierum fuga fatigatus, tandem ad socerum suum Artamenem Regem Cappadociæ prouehitur. A quo cum primum benigne susceptus esset, mox insidias veritus, fuga sibi consuluit:* quandiu autem fugituus fuerit incertum est.

ANNVS MVNDI 3816.

ONIÆ II. 9. PTOL. EVERGET. 9.

SELEVCI CAL. 9. & vlt. Imp. Gr. 74.

OLYMP. CXXXV. A. 3. VRB. CO. 515.

ANTE CHRISTVM 237.

I. Liby ci belli finis *Polyb. l. 1.*

BEllum Libycum, quod Pœni cum mercenarijs suis gesserunt atrocissimum, vna cum trecentesimo anno ab imperio Cyri terminatum est. Cum tres annos & menses ferme quatuor, vt ait Polybius, perdurasset. Bellum, inquit, omnium de quibus fando accepimus, longe crudelissimum, & maxime nefarium, in quo post grauissima damna, victoria tandem potiti sunt Carthaginenses, & meritissima supplicia omnes belli autores obruerunt. Hamilcaris autem Barcæ virtute inprimis ac fortitudine confectum est. Cum primum autem res in Africa sunt compositæ, Carthaginenses coactis copiis eundem Amilcarem in Hispaniam miserunt. Duxit is secum nouennem filium Annibalem, eumque aiunt Iouis altari admotum ad iusiurandum adegisse, nunquam se populo Romano amicum fore. Existimat autem Polybius Amilcarem eo consilio ad res Hispanas animum adiecisse, vt præsidia contra Romanos inde sibi compararet.

Annibal cū patre Hispaniā petit. Eiusdē iusiurandū. *Polyb. li. 2 l. 3.*

II. Romani Sardiniā petunt. Pœnis ingratis.

Eodem fere tempore Romani ab illis mercenarijs inuitati, qui Sardinia pulsi ad ipsos transfugerant, in eam insulam nauigare instituerunt. Quod Pœni cum ægre ferrent, & arma ad repetendam insulam comparatent, Romani, ea occasione accepta, bellum contra Carthaginenses decernunt. At hi qui propter Libycum bellum male omnino parati erant, ad suscipiendas cum populo Romano inimicitias, tempori cedendum rati, non solum Sardiniâ cessere, verum etiam Romanis mille ac ducenta talenta adiecerunt, ne bellum hoc tempore sustinere cogerentur. Hæc Polybius. Ex quibus intelligas non omnia bella iure à Romanis suscepta fuisse. Nam qui iamdudum arma in Siciliam, ad prædones Mamertinos defendendos intulerant, nunc ad mercenarios transfugas protegendos arma ostentant; non minus Sardiniæ nunc auidi, quam tunc fuerant Siciliæ. Nam hic quoque appetitus comedendo crescit. Et Pœni, qui vim patiebantur, etiam pœnas dederunt, quasi vim intulissent.

Gallicum bellum hoc anno in Italia renouatum, ait Polybius, post annos 45. à pace Gallos inter & Romanos inita. Id est ab anno 470. ab Vrbe condita, quo à Dolabella ingenti clade prostrati fuerant. Cum autem intestina discordia concitati, cædibus inter se mutuis, signis etiam collatis grassarentur, Romani, qui eorum aduentu territi, copias suas eduxerant, certiores facti de pernicie, quam sibi ipsis hostes intulerant, domum rediere. Ita Polybius. Verum Zonaras & Orosius aiunt à Valerio Consule bis pugnatum esse contra Gallos, & primo quidem prælio victum fuisse, amissis tribus suorum millibus & quingentis. Cumque sibi Roma mitti auxilia didicisset, pugnam anteuertisse, optantem aut per se victoria potiri, aut mortem oppetere. Fuit illi victoria, 14. millia Gallorum cecidit, duo millia cepit: sed ob priorem cladem triumphus Consuli negatus est. Sed nec bellum hoc anno finitum est. Ligusticum quoque hoc anno à Sempronio Graccho inchoatum ob Ligurū latrocinia, triennium tenuit, etsi primo statim anno male accepti fuissent.

Sequenti anno vtrumque bellum continuatum est; tertio autem, Cornelio Lentulo, & Licinio Varo Coss. terminatum. Cum enim Galli, sua multitudine feroces, per legatos Arminensem agrum cum vrbe à Coss. peterent, Consules nec ob paucitatem confligere auderent, nec illa concedere quæ petebatur, inducias fecerunt, dum legati Romam à Gallis mitterentur, qui cum nihil impetrassent, in castra reuersi, res suas mutua dissensione perditas inuenerunt.

Gallicis bellis iam confectis, Lentulus Consul contra Ligures profectus, iis qui occurrebant profligatis, castella quædam subegit. At Varus eius collega Corsicam petiturus, cum propter nauigiorum penuriam traiicere non posset, Claudium Cliniam legatum cum parte copiarum præmisit: qui Corsis territis, & in colloquium adductis, cum eis propria autoritate pacem fecit. Varus autem nulla pactionis habita ratione, eos oppugnare non destitit, donec subegisset. Romani vero ne violati fœderis crimen incurrerent, Cliniam eis dediderunt, quem non receptum, crudeliter ac contumelioſe peremerunt, vt ex Valerio Maximo in Annalibus aperte demonstratum est.

ANNVS MVNDI 3819.

ONIÆ II. Ducis & Pont. 12.

PTOLEMÆI EVERGETIS 12.

SELEVCI CALLINICI 12. Imp. Græc. 77.

OLYMP. CXXXVI. AN. 2. VR. C. 518.

ANTE CHRISTVM 234.

I. Bellum Sardicum innouatũ *l. 4. c. 12.*

BELLVM in Sardinia hoc anno gestum, atque his Coss. Eutropius & Orosius perspicue tradidere. Zonaras quoque Sardos dicto non audientes, à Romanis debellatos affirmat. Itaque Manlium Torquatum de Sardis triumphasse tabulæ Capitolinæ confirmant. Alia porro videtur hæc res gesta in Sardinia, ab ea, quam ante Triennium ex Polybio retulimus. Eo enim tempore, acquisita est Sardinia, isto post defectionem, quam memorat Orosius, recuperata. Quoniam autem ea deditio culpa Carthaginensium contigisse videbatur, bellum contra eos decretum est, sed ipsi pace suppliciter multis legationibus postulata, eam denique impetrarunt. Tam studiose autem Pœni pro pace apud Romanas egisse videntur, propter Amilcarem pro copijs absentem, quem, cum bene res in Hispania gereret, non videbatur è Republica illum inde medio ex cursu reuocare.

Pax cum Pœnis turbata firmatur.

II. Ianus secundum clausus. *l. 2.*

Sardinia, inquit Velleius, *inter primum & secundum bellum Punicum, ductu T. Manlii Consulis, certum recepit imperijugum: immane bellicæ ciuitatis argumentum, quod semel sub regibus, iterum hoc T. Manlio Consule; tertio Augusto principe, certa pacis argumentum Ianus Geminus clausus reddit.*

Verum quam incerta, atque inconstans fuerit hæc pax in Sardinia, sequentes anni docebunt. Nam anno statim sequenti, quo Posthumius Albinus Consul fuit, cum Sp. Caruilio, qui primus hoc anno diuortium cum vxore fecit, Sardi, Corsi, & Ligures ex condito defecisse, ex locorum vicinitate satis apparet, vt sibi mutuo ferrent opem. At Romani copias trifariam diuisere, Albinus in Liguriam, Caruilius in Corsicam, Publ. Cornelius ædilis in Sardiniam missi sunt. Sed Cornelio demortuo, suffectus est Caruilius, qui de Sardis ingenti prælio deuictis triumphauit, vt Tabulæ Capitolinæ testantur. Quos nihilominus cum Liguribus rursum sequenti anno defeciſſe, suo loco dicturi sumus.

3820. Caruilii diuortiũ, & bellum tripartitum. *Zonaras.*

* * *

ANNVS MVNDI 3821.

ONIÆ II. Pont. 14. & vlt. PT. EVER. 14.

ANTIGONI TVT. 1.

SELEVCI CALL. 14. Imp. Gr. 79.

OLYMP. CXXXVI. AN. 4. VRB. C. 520.

ANTE CHRISTVM 232.

IADDVS. *Onias I. Simon I. Eleazar. Manasses. Onias II. Simon II. Onias III.*

VLtimum hunc annum tribuit Eusebius Oniæ Pontifici, huius nominis secundo, qui à primo Onia quintus fuit, & cuius tertius Onias nepos fuit. Cum autem constet ex primo Machabæorum literas ab Aria Rege Spartiatarum missas ad Oniam Sacerdotem magnum, non leuis est controuersia ad quem Oniam missæ fuerint. Quam quæstionem in Annalibus diligenter excussimus. Hic breuiter dicimus, eas literas ad Oniam secundum pertinere, quoniam earum autor Arius, siue Areus filius Acrotati regnauit hoc tempore, & sub extrema Pyrrhi tempora regnare cœpit, & Atheniensibus opem tulit, cum ab Antigono Gonata obsiderentur, teste Pausania in Laconicis, anno Philadelphi decimo octauo, vt suo loco dictum est, id est ante annos triginta sex. Regnauit autem annos quadraginta quatuor, vt scribit Sigonius in Lacedæmoniorum temporibus; itaque totum huius Oniæ tempus facile occupauit. A primi autem Oniæ morte, iam sexaginta octo anni transacta sunt. Nec est vllus in tota Regum Spartanorum serie hoc Ario prior. Ac ne posterior quidem, præter Areum huius nepotem, quem Pausanias annis octo duntaxat vixisse tradit; vt ad eum literæ illæ pertinere non possint.

I. Mors secundi Oniæ. *c. 12. 20.*

Arii Regis ad eũ literæ.

p. 87. Gr.

Epistola porro ipsa ex priore Machabæorum sic habet. *Arius Rex Spartiatarum, Oniæ Sacerdoti magno salutem. Inuentum est in Scriptura de Spartiatis & Iudæis, quoniam sunt fratres, & quod sunt de genere Abraham. Et nunc ex quo hæc cognouimus, benefacitis scribentes de pace vestra. Sed & nos rescripsimus vobis. Pecora nostra, & possessiones nostræ vestræ sunt, & vestræ nostræ. Mandauimus itaque hæc nunciari vobis.* His addit Iosephus, *Demoteles est, qui has vobis reddit literas in pagina quadrangula scriptas, & obsignatas aquilæ sigillo, vnguibus draconem tenentis.* Scripturam vocat Arius, Spartiatarum Annales. Et totus quidem stylus Hebraismum sapit, potius quam Laconismum. Nimirum Græca Epistola primum in Hebræum versa est, qua lingua prior ille Machabæorum liber scriptus fuit, Hieronymo teste. Deinde rursus ex Hebræo in Græcum Latinumque conuersa est. Quod ad cognationem illam attinet ab Abrahamo vsque repetitam, minime absurdum est coloniam aliquã Abrahamitarum, ex Cetura susceptorum, in Græciam, agrumq; Spartanum esse deductam, remque ipsam ad posteritatis memoriam, scriptis fuisse commendatam.

l. 3. ibid.

II. Earum exemplar. *c. 12. 20.*

l. 12. c. 5.

Spartiatarum & Iudæorũ cognatio.

Epist. 106 to. 3.

Addimus porro deinceps Annalib. Antigonũ Tutorem, cæteroſq; Macedonum reges, quod

III.

Antigon' Tutor Philippi.

eorum res vehementer cum Romanis coniunctæ sunt, & ægrè alteræ, sine alteris explicari possunt. Hoc ergo anno circiter exeunte mortuum esse Demetrium Gonatæ filium ex Polybio satis constat. Sed quia Eusebius hunc annum primum Antigoni esse vult, priorem anni partem Demetrio, posteriorem huic Antigono tribuamus, cui cognomen Tutoris ipsum eius officium dedit. Nam Philippi Demetrij filij tum paruuli Tutor fuit: sed accepta mox in matrimonium pupilli matre Phthia, Alexandri Epirotæ filia, Pyrrhi nepte; Regem se constituere laborabat, vt ait Iustinus, regnavitque reuera, vsque ad decimum quartum pueri annum.

IV. Sardi & Ligures rursum tumultuantur.

Sardi & Ligures hoc anno rursum, Pœnis instigantibus, vt tradit Zonaras, defecerunt, vt ab his attriti, faciliorem ipsi postea victoriam obtinerent. Ea re cognita Carthaginenses hostes iudicati sunt, & missa ad eos hasta & caduceo, data est optio vtrum mallent. At illi nihil territi neutrum se velle dixerunt, sed illud alacriter accepturos, quod legati reliquissent. Neutri tamen bellum adhuc auspicati ausi sunt. Missa fuit legatio à Fabio Consule, qui de Liguribus hoc anno triumphauit, & templum Honoris dedicauit. Pomponius Matho eius collega de Sardibus quoque triumphum egit. His ipsis Consulibus natus est Cato maior, si bene anni apud M. Tullium, in libello de Senectute dinumerentur, vt ex Annalibus intelligetur.

Pœnorũ fiducia. *Vide Gell. l. 30. c. 27.*

Ortus Catonis maioris.

ANNVS MVNDI 3822.

SIMON. II. PTOL. EVERGETIS 15.

ANTIGONI TVTORIS 2.

SELEVCI CAL. 15. Imperij Græcorum 80.

OLYM. CXXXVII. AN. 1. VR. C. 521.

ANTE CHRISTVM 231.

I. Simon II Pontifex.

NOVVM in Iudæa Pontificem suggerit Eusebij Chronicum, cum ineunte Olympiade CXXXVII. cuius initium incurrit in annum Sabbaticum 177. Sed recordetur Lector priorem Simonem cum posteriore confundi ab Eusebio, & quæ illius Prisci, & Iusti sunt, huic tribui, vt pluribus suo loco explicatum est.

a. V. C. 464. Mundi 3765.

Res Macedonica & Romana.

Ad hunc annum, quo viuere ac docere desijt Lyco Philosophus, referre possumus Dardanorum & Thessalorum incursiones in Macedoniam, quas Antigonus Tutor compressit, quod ille postea in seditione mitiganda sapienter vsurpauit, dum regni administrationem apud populum dissimulare deponeret, vt pluribus explicat Iustinus. At Zonaras de Romana re, *contra Sardos*, inquit, *denuo tumultuantes ambo Coss. exercitum duxerunt, qui cum magnam prædam cepissent à Corsis, cum eò appulissent, eis erepta est.* Qua de causa Romani postea vtrosque inuaserunt.

II. *li. 3.*

Refert in hunc annum Polybius causam & originẽ noui belli Gallici, quod Romani Galliæ Cisalpinæ agrum, Picenum dictum, quem deuictis Senonibus ademerant, inter se diuisissent. Crediderunt quippe illos non iam de imperio secum certare, sed omnino propositum habere, illos suis sedibus funditus euertere ac perdere. Itaque duæ apud illos potentissimæ gentes Insubres & Boij, legationem ad eos Gallos misere, qui inter Alpes Rhodanum accolebant, qui à Gæsis ferendis, id fuit Gallici teli genus. Gæsati dicti sunt, quo modo Cetrati, & Galeati milites dici solent. Sequenti anno Pomponius Consul inquietos Sardos è specubus suis extraxit; Papyrius eius collega rapinam Corsorum vltus est, & in Albano monte, vrbi vicino parum æquo senatu, triumphauit.

Causa & origo Gallici belli

3823. Res gestæ in Sardos & Corsos

ANNVS MVNDI 3824.

SIMON. II. 3. PTO. EVERGETIS 17.

ANTIGONI TVTORIS 4.

SELEVCI CALL. 17. Imp. Græc. 82.

OLYMP. CXXXVII. A. 3. V. C. 523.

ANTE CHRISTVM 229.

I. Mors Amilcaris.

MORTVVS est hoc anno Amilcar Annibalis pater, qui nonus fuit à bello Lybico, siue mercenario, dum Hispaniæ populos Pœnis subiugare molitur: in bello cæsum fortiter dimicantem tradit Polybius. Diodorus autem Siculus, fugientem & profundum fluuium transeuntem, ab equo excussum periisse. Aliter etiam Zonaras. Ei gener Hasdrubal successit, qui nouam Carthaginem condidit ad littus maris, & 12. vrbes Hispaniæ subegit, & post nouem Præturæ annos occisus est, vt suo loco dicetur.

Hasdrubal.

Præludia belli Gallici.

Interea Galli bellum, & pecunias ad id necessarias comparabant, præsertim venditione captiuorum, eò quod mercenario milite eis vtendum erant, quales erant Gæsati illi quos memorat Polybius. Iidem cognita expeditione Coss. in Ligusticum, se ad Romam ex improuiso inuadendam pararunt. Quo Consules intellecto, eos adoriuntur, dissimulantes tamen. quasi per amicitiæ speciem eis obuiam egressi essent. Simularunt illi quoque se non contra illos esse profectos, sed per eorum agros in Liguriam ituros.

II. Semina Illyrici belli, & eorum iniuriæ. *Polyb.*

Hoc ipso anno Illyrici belli semina iacta sunt. Illyrici enim Rex, contra Aetolos re bene gesta, gaudio, & ebrietate inter paucos dies consumptus, regnum Teutæ vxori reliquit administrandum; quæ cum à suis piraticam exerceri pateretur, multas Italicis quoque mercatoribus intulit iniurias, quas cum illi detulissent in Senatum, misit is ad Reginam legatos, qui re accuratius cognita expostularent. Quod cum illi fecissent, Teuta curæ sibi fore dixit, ne populo Romano publicè ab Illyriis iniuria fieret; vt autem impediat quominus priuatim quam potest quisque vultratem è mari capiat, hoc vero à regibus minime postulandum esse. Eam ora-

tionem

ionem cum liberius legatus arguisset, misit regina qui abeuntem, contrarius gentium, interficeret, eiusque socios male mulctaret. Cumque illa, pro improuida ac muliebri superbia, parum cogitaret quales sibi hostes in Italia peperisset, nauales copias partim Dyrrhachium, partim Corcyram misit. Et Dyrrhachium quidem primo impetu fere captum obsedit, Corcyræos, amissa nauali pugna, ad deditionem compulit, & loco præsidium imposuit, Demetrio Pharioprælecto.

III. 3825. Romam Illyricum classe petunt.

Horum pars aliqua ad sequentem annum videtur pertinere, qui fuit Vrbis Conditæ 524. quo facti sunt Coss. Posthumius Albinus, & Fuluius Centumalus, qui cum ducentarum nauium classe, dum Posthumius dum terrestribus copijs Roma proficiscitur, Corcyram appellit. Læti Corcyrenses præsidium Illyriorum, consentiente Demetrio, Romanis tradunt. Is quippe apud Reginam calumnijs appetitus, male sibi ab illa metuebat. Inde Corcyrenses sese de communi sententia Romanis tradunt, vtab Illyrijs protegantur. Quibus in fidem receptis, Apolloniam classe petunt, ducemque habent ad reliqua peragenda Demetrium. Interea Posthumius terrestres copias Brundusio traducit. Statim atque vterque exercitus Apolloniam attigit, Apolloniates eos vbe recipiunt, seque ac sua illis permittunt. Interim Dyrrhachium obsidebatur ab Illyrijs; qui cum primum aduentum Romanorum sensere, obsidione soluta, effusam fugam capessiuerunt.

IV. Et sibi subiiciũt.

His quoque in fidem receptis, ad vlteriora Illyrici progrediuntur, subactis obiter Atdyæis, mox plures populi per legatos in fidem atque amicitiam sunt recepti. Ita ventum est ad Issam, quam Illyrij obsidebant: sed illico soluta est obsidio, & 20. lembi præda Peloponnesiaca onusti, obsessoribus erepti, & Issæi in fidem recepti; quædam oppida per vim expugnata. Itaque rebus omnibus Romanis è sententia fluentibus, Teuta cum paucis in Rizonem oppidum valde munitum euasit. Romani autem, plerisque Illyrici populis Demetrio subiectis, vtrumque exercitum Dyrrhachium reducunt. Inde Cn. Fuluius Romam cum maiore parte copiarum reuersus est. Posthumius cum 40. longis nauibus est relictus, qui amicos in officio, inimicos in metu contineret.

V. 3826. Teuta regina pacé petit, & duris conditionib' impetrat.

Sub initium autem veris, vt ait Polybius, Teuta legatis ad Romanos missis, pacem cum illis hisce conditionibus sancit, vt tributa, quæ ipsi imperarentur, quotannis penderet. Illyrico toto, præter pauca loca excederet, & ne vltra Lissum, quæ est maritima ciuitas vicina Dyrrhachio, pluribus quam duobus lembis, ijsque inermibus, liceret ei nauigare. Sicque Romani iam totius fere Italiæ Domini, omniumque insularum mediterranei maris, ad alteram Europæ continentem delati, Imperium obtinere cœperunt. Id ne inuidiosum, simul & formidolosum foret vniuersæ Græciæ, eamque aduersum se concitaret, operam dederunt, vt rebus, prout gestæ fuerant, probe intellectis, non commouerentur, sed communi potius amicitia iungerentur. Cui rei operam dedit Posthumius, qui superiore anno in Illyrio, cum quadraginta nauibus relictus fuerat, missis ad Aetolos, & Achæorum gentem legatis. Quod primum fuit Romanorum cum Græcis per legatos commercium, vtait Polybius.

Romani Græcorũ offensionẽ vitant.

ANNVS MVNDI 3827.

SIMONIS II. 6. PTOL. EVERG. 20.

ANTIGONI TVTORIS 7.

SELEVCI CAL. 20. & vlt. Imp. Gr. 85.

OLYMP. CXXXVIII. An. 2. VRB. C. 526.

ANTE CHRISTVM 226.

I. Mors Seleuci Callinici.

MOritur hoc anno Seleucus Callinicus Rex Asiæ, Syriæque: sed titulo magis quam reipsa. Quippe ab ipso fere initio regni sui, ab Euergete Syria, magnaque parte Asiæ spoliatus, pauper & inglorioſus, reliquum vitæ ac regni ad vigesimum vsque annum traduxit. Res ab eo gestæ perobscuræ sunt, mortem eius, itemque fratris ipsius in idem tempus coniicit Iustinus libro vigesimo septimo extremo. Et de Antiochio primum Hierace. *Cui cum profugo nusquam locus tutus esset, ad Ptolemæum Euergetem quamuis hostem decurrit; quod eius fidem tutiorem, quam fratris, existimabat, memor vel qua facturus fuerat fratri, vel qua meruisset a fratre. Sed Ptolemæus non tam ei ex deditione amicus, quam hostis factus, seruari cum arctissima custodia iubet. Hunc quoque Antiochus, opera cuiusdam meretricis adiutus, deceptis custodibus, fugiensque à latronibus interficitur. Seleucus quoque iisdem ferme diebus, amisso regno, equo præcipitatus, finitur. Sed fratres, & quasi germani casibus, exules ambo, post regna, suorum scelerum pœnas luerunt.* Ita Iustinus.

Et fratri eius Antiochi Hieracis

II. Romanorũ fœdus cum Hasdrubale. *Polyb. l. 2.*

Romani per hæc tempora cum multa de Gallorum consiliis, & belli apparatu audirent, de rebus suis solliciti, ne simul duobus potentibus hostibus obiecti opprimerentur, fœdus cum Hasdrubale, qui Hamilcari successerat, sanxerunt, quo vltra Iberum amnem continere se Carthaginenses oporteret. Tum cogitationes omnes ad bellum Gallicum converterunt. Sardiniam autem & Siciliam hoc primum anno per Prætores Romani administrarunt, illam M. Valerius, hanc C. Flaminius. Vide Sigonium in Fastis.

3828 Sardinia & Sicilia per Prætores administrata. *In Dan. 11. 10.*

III. Regnum Seleuci Cerauni

Sequens annus habuit in Asia initium regni alterius Seleuci, de quo ita Hieronymus, *Post fugam & mortem Seleuci Callinici, duo filii eius, Seleucus cognomento Ceraunus, & Antiochus, qui appellatus est magnus, prouocati spe victoria, & vltione parentis, exercitu congregato, aduersus Ptolemæum Philopatorem arma corripiunt*, &c. Vbi necesse est sanctum Hieronymum lapsum esse memoria, cum ait vtrumque fratrem contra Philopatorem arma corripuisse; dictum

enim oportuit contra Euergetem. Nam Ceraunus hic cum triennio tantum regnarit, occisus est antequam Euergetes regnare desineret. Et enim Eusebius & Beda, alijque passim omnes 26. annos tribuunt, quorum hic est 21. Itaque prior fratrum Euergeti infestus fuit, posterior vtrique. Cæterum Seleuci Cerauni primus annus, in apparando bello contra Attalum consumptus est. Is enim, vt scribit Polybius, omnem eis Taurum Asiam imperio suo subiecerat, qui nuper Rex Pergami tantum fuerat.

In Attali bellū parat.

l. 4 p. 315. Gr. Lat.

IV. Romani viuos defodiunt.

At Romani nefario sacrificio vrbem suam funestarunt. Gallum enim vnum, & Gallam fœminam cum muliere simul Græca, in foro boario viuos defoderunt, nec impune. *Obligamentum enim hoc magicum in contrarium continuo versum est*, vt ait Orosius. *Nam diras illas quas fecerant externorum mortes, fœdissimis suorum cadibus expiauerunt.* Vide Annales.

l. 4 c. 13.

ANNVS MVNDI 3829.

SIMONIS II.8. PTOL. EVERGET. 22.

ANTIGONI TVT. 9.

SELEVCI CERAVNI 2. Imp. Gr. 87.

OLYMP. CXXXVIII. A. 4. VRB. CO. 528.

ANTE CHRISTVM 224.

I. Res Seleuci. An. Sab. 78. l. 4 p. 315. Gr. Lat.

SELEVCVS Ceraunus cum Achæo principe, qui eum cognatione attingebat, & copioso exercitu Taurum montem superauit, paterni regni partem Attalo ereptum, vt autor est Polybius; sed quo fructu, sequens annus, quo eum ibi contigit interfici, declarabit. Interea Hermiæ cuidam è Caria, homini improbo ac crudeli, regnum administrandum reliquit.

II. Bellum Gallicū erumpit.

Erupit hoc anno bellum, quod octauum iam annum Insubres, Boij, Gallique finitimi contra Romanos meditabantur. Accessere Gessatæ Galli cum regibus suis Concolitano, & Aneroëstо, & ingenti exercitu magnifice instructo. Pertinuit autem ad Romanorum prudentiam innumerabiles Gallorum copias decessione aliquorum populorum minuere. Itaque legatione missa Venetos atque Cenomanos ad se traduxere, vt necesse fuerit Gallorum regibus, quod sibi ab istis metuerent, partem copiarum ad fines suos tutandos relinquere, & eadem exercitum diminuere pugnaturum. Ipsi nihilominus cum ingenti exercitu qui supererat, Hetruriam versus iter arripuere.

III. Romani tres illis exercitus obijciunt

At Romani audito Celtas traiecisse iam Alpes, magna celeritate L. Æmilium Consulem cum legionibus Ariminum miserunt, si forte illac hostis impetum faceret. Vni Prutorum decreta est Hetruria. Nam Consul alter in Sardiniam cum parte copiarum erat profectus. Neque solum tota vrbs erat in armis, adeo vt senes, & qui legitima iam stipendia confecerant, ipsique Sacerdotes, qui perpetua militiæ vacatione gaudebant, ad Sacramentum adigerentur, sed vniuersa quoque Italia ad hoc bellum, tanquam pro aris ac focis decertatura, concurreret. Itaque Polybius ad septingenta & septuaginta septem millia & trecentos enumerat. Postquam in Hetruriam peruenere Galli, latè prominciam populantur, & Romam iter intendūt, cum audiunt Romanum exercitum Prætore duce ipsis à tergo imminere. Eo cognito Galli conuersa facie eis obuiam procedunt, cumque vespere in conspectu essent, castris vtrique positis, constiterunt. Prima luce maximo animorum ardore pugnatur, sed Galli superiores euasere, Romanorum ad sex millia periere. Plerique qui effugerant in editum collem euasere; Gallico equitatu ne euaderent obseruante.

Prima cū ipsis pugna Infelix Romanis.

IV. Altera in qua Regulus Cōsul occumbit.

Interea L. Æmilius Consul, qui ad tutandam Adriatici maris oram Arimini resederat, audito quo res statu, quo hostis esset loco, magnis itineribus ad eum pergit, sese adiungit suis. Cum Galli de sua præda solliciti, statuunt eam deferre domum, tum ad Romanos debellandos reuerti. Abeuntes persequitur Æmylius, omnemque eis nocendi occasionem captat: cum alter Consul Attilius Regulus exercitum è Sardinia commodùm reportabat. Itaque in medio duorum exercituum Romanorum Galli tenebantur, quibus ex periculo crescente audacia, atrox pugna committitur, in eaque dum inconsultius pugnat Attilius, totius rei bene gestæ decus ad se transferre cupiens, occumbit. Aduenit interea Æmylius, tribusque exercitibus acerrime pugnatur, Gallis præsertim statuentibus aut vincere, aut mori: & fortasse vicissent, nisi sagis baccisque reiectis, nudi cum solis armis pugnare, & primos ordines occupare statuissent, à sagittarijs enim telis confixi, partim in vestigio cecidere, partim retrocedentes ordines turbauere, & Romanis præbuere victoriam. Ad quadraginta millia cæsa Gallorum, capta decem millia, in quibus Rex Concolitanus. Alter cum paucis fuga elapsus, mox sibi suisque manus intulit. Æmylius Romam vtrumq; reducit exercitum, & de Gallis triumphat, eos in Capitolium ducens, qui iurarant se thoraces non prius exuturos, quam in Capitolium venissent.

Galli temeritate sua vincuntur.

De iis Æmylius triūphat

Sub hoc ipsum Gallici belli tempus, etiam Cleomenicum gestum est, quod Cleomenes Rex Spartanus contra Aratum & Achæos gessit, & magnam Græciæ partem variis motibus cladibusque labefecit. De quo plurima Plutarchus tum in Arato & Cleomene, & Polybius libro secundo, quæ in Annalibus contracta reperies

V. Bellum Cleomenium.

***

ANNVS MVNDI 3830.

SIMO. II. 9. EVERGETIS 23.

SELEVCI CERAVNI 3. & vlt.

ANTIGONI TVT. 10.

ANT. MAGNI. 1. Imperij Græcorum 88.

OLYMP. CXXXIX. A. 1. VR. CO. 529.

ANTE CHRISTVM 223.

I. Seleuci Cerauni Mors. l. 4. p. 315.

SVb anni huius exordium, & Olympiadis centesimæ vndequadragesimæ, Seleucus Ceraunus & regnum amisit & vitam. Fulmen quippe intra breue tempus vim suam omnem effundit. *Iunior Seleucus*, ait Polybius, *statim à suscepto regno factus certior de Attalo, qui omnem iam cis Taurum Asiam suo imperio subiecerat, rebus suis consulendi impetum cepit. Sed vbi Taurum magno cum exercitu esset transgressus, dolo appetitus*, cum dolum Appianus venenum interpretatur, *ab Apaturio Gallo, & Nicanore vitam cum morte commutauit.* Quam cædem Achæus è vestigio vlciscens tanquam occisi cognatus vtrumque trucidauit. Copias vero & res vniuersas, & prudentia & magnitudine animi singulari administrauit. Cumque ei populi certatim regnum deferrent, restitit ipse fortiter, & Antiocho, iunioti filio Callinici imperium conseruans, perque omnes regiones bellum circumferens, quidquid cis Taurum fuerat amissum, recepit, & ab ipso Antiocho administrandum accepit. Mediam autē Molo, Persidem Alexander. Cæterum adhuc admodum puer regno initiatus est, vt propterea non diu post Satrapas suos, eius puritiam contemnentes, tyrannos expertus fuerit.

Quam Achæus vlciscitur, & regnū Antiocho parat.

II. Pugna cū Gallis Insubribus.

De re Gallica, quam in tres adhuc annos propagari contigit, scribit Orosius à nouis Coss. trans Padum Romanas ductas fuisse legiones, ibique cum Insubribus Gallis esse pugnatum, quorum cæsa fuerint viginti tria millia, quinq; millia capta. His consentit Zonaras, & Epitome 20 Liuij. Reliqui se fidei Romanæ permiserunt. Totodeinde expeditionis reliquo tempore, propter imbres immodicos, grassantemque pestilentiam, nihil memoria dignum gestum esse scribit Polybius.

3831. Achæus fideliter ac feliciter pro Antiocho pugnat. l. 4. p. 315.

Sequenti quoque anno Achæus Antiochi regis tum pueri cis Taurum satrapa, res Domini sui fideliter gessit, & multis subactum cladibus Attalum, in ipsam vrbem Pergami, paternique regni fines compegit, vt est apud Polybium.

III. Bellum cum Insubribus iteratum.

Romani porro ad Insubres rursum penetrant, & multas subinde clades accipiunt inferuntque, sed victoria denique penes Romanos sterit, vt qui & disciplinæ militaris legibus, & armorum commoditate, & aciei collocatione hostes suos longe superarent. *Flaminius Consul*, inquit Orosius, *contemptis auspiciis, quibus contra Gallos pugnare prohibebatur, confluxit, & vicit. In quo bello nouem millia Gallorum cæsa, decem & septem millia capta sunt.* Sic ipse. Illud autem de contemptis auspiciis Plutarchus explicat in Marcello. In comitiis consularibus Coss. vitio creatos Augures obnunciarunt. Itaque Senatus extemplo literas in castra mittit, quibus Coss. Romam euocantur, vt se magistratu abdicent. Quod sentiens Flaminius non prius eas aperuit, quam pugna cōmissa victoriam esset cōsecutus. Idcóque Romam cum multa præda reuertenti populus non processit obuiam. Quinimo nihil propius factum est, quam vt ei negaretur triumphus. Certe secundùm triumphū vtrique Consuli magistratus abrogatus est. Voluit Dominus, etiam contemptis auspiciorum sacrilegiis interdum victoriam contingere, interdum cladem, vt ea nihil in alterutram partem facere à prudentibus intelligeretur. Quāquam potuit & culpam ducum, contra conscientiam pugnantium, clade castigare.

Flaminius vincit, etiam contemptis auspiciis.

IV. Terræ motus, & ruina Rhodij Colossi. ab anno 3750.

Hocipso anno, qui fuit Olympiadis 139 annus 2. contigit terræ motus ingens in Asia, in Caria præsertim & insula Rhodo, teste Eusebij Chronico, tantum vt labentibus vulgo tectis, ingens quoque ille Colossus rueret, vt ait Orosius, cum annum vnum & 80 stetisset. Circa quem multa peccasse Scaligerum in Annalibus studiosus lector inueniet.

ANNVS MVNDI 3832.

SIMONIS II. 11. PTOL. EVERG. 25.

ANTIGONI TVTORIS 12.

ANTIO. MA. 3. Imperij Græcorum 90.

OLYMP. CXXXIX. A. 3. VR. C. 531.

ANTE CHRISTVM 221.

I. Achæus tyrannidem occupat.

CVm Achæus Attalum Pergami conclusisset, omniáque loca, quæ ipsi eripuerat, in suam potestatem redigisset, inopinato successu elatus, à recta via deflectit, & in Laodicæa Syriæ, impulsore Syiride quodam exule, diadema sibi nomenq; regium assumpsit. Quo ipso tēpore Molo & Alexander, Satrapæ Mediæ & Persidis, defecerunt ipsi quoq; ab Antiocho rege suo. Cumq; Epigenes regiarum copiarū dux primarius, regi autor esset copias aduersus Molonem ducere, quod rebelles regis præsentiam veriti, tyrannū deserturi essent: optimum consilium Hermias per calumniam disiecit, & regis adolescentis animum ad Syriacam expeditionem aduersus Euergetem compulit, vt negotiorū multitudine obrutus rex, ipso perpetuo indigeret, neq; in eius vitam & gubernationem inquireret. Hæc pluribus Polybius.

Molonis item, & Alexandri defectio.

Hermias

l. 5. p. 386 &c.

II. Galli pacem petunt nec impetrāt l. 2. p. 121.

De re autem Gallica, scribit missos hoc anno à Gallis de pace legatos, ad omnem conditionem paratos, quæ ne illis concederetur, per huius anni Coss. M. Claudium, & Cn. Cornelium effectum esse, qui nolebant materiam sibi præripi glorioſi triumphi, propriamque gloriam publicæ vtilitati anteponebant. Quamobrem Galli vltimam spem sibi tentandam rati, mercenarios Gallorum Gessatas iterum ad 30 millia conducunt Rhodani accolas, quorū dux erat Rex Virdomarus. Coss. primo vere

Coss. bellum instaurant & vincūtur

legiones in agros Insubrum ducunt, Acerras iuxta Padum obsident, quibus cum illi opem ferre non possent, traiecto fluuio, in ditionem Romanorum transeunt, & Clastidium obsident. Quibus cum Marcellus opem ferret, Galli ei procedunt obuiam obsidione relicta, & à Marcello vincuntur, qui Acerras reuersus oppidum expugnat. Galli Mediolanum, iam tum Insubrum caput, se recipiunt, quod ipsum in Consulis Cornelij potestatem venit, post pugnam, in qua fugam, & magnam suorum stragem passus est.

Opima spolia Marcelli.

Amisso Mediolano principes Insubrum, omne spe salutis amissa, se Romanis dedunt; qui Gallici belli finis fuit. Hæc fere Polybius & Zonaras. Cæteri addunt Virdomarum regem à Marcello ad certamen singulare prouocatum, ad Clastidium oppidum fuisse prostratum, & opima spolia suspensa Quirino. Quam victoriam magnus Poëta celebrat.

III Insubres Romanis se dedũt.

Aspice vt insignis spoliis Marcellus opimis
Ingreditur, victorque viros supereminet omnes,
&c.

ANNVS MVNDI 3833.

SIMONIS II. 12. EVERGETIS vlt.

ANTIGONI TVTORIS 13.

ANTIO. MA. 4. Imperij Græcorum 91.

OLYMP. CXXXIX. A. 4. VR. C. 532.

ANTE CHRISTVM 218.

I. Mors Euergetis.

PTolemæus Euergetes tertius Ægypti rex, anno regni sui 26 finem viuendi fecit, vt Eusebio placet, quem sequitur Beda, & passim recẽtiores, vt habes in Annalibus. Confirmat mortem Euergetis Polybius libro 2. extremo licet aliquantò laxius, cum ait circa Olympiadem 139. mortuum Seleucum Callinici filium, qui dictus est Ceraunus, Ptolemæum Euergetem, & Antigonũ Tutorem, quibus Antiochus cognomento Magnus, Philopator, & Philippus, in Asia, Ægypto, & Macedonia successerunt.

II. Antiochi magni coniugiũ cum Laodice.

Incidit in hoc tempus Antiochi Magni matrimonium, quantum ex serie rerum gestarum quæ à Polybio narrantur l. 5. colligi potest. Nã cum Hermiæ impulsu Ptolemæo bellum inferre studeret, & ad Zeugma Seleuciæ ageret, aduenit Diognotus Nauarchus è Cappadocia, Mithridatis Regis filiam ducẽs, Regis adolescẽtis matrimonio destinatam. Cui cũ idoneo comitatu occurrit Antiochus, & nuptiis quãprimum celebratis Antiochiam descendit, ibique Laodicem Reginã salutari iubet; cætera totus in belli apparatum intentus. Cum interim Molo Mediæ Satrapa, qui ab ipso defecerat, contra Zenonem & Theodotum ipsius duces progressus, eos in vrbes compulit. Quo facto vehementer animatus, etiam Seleuciam obsidere statuebat, sed nauibus ad traiiciendum destitutus, sese ad hyberna contulit Ctesiphontem.

Res porro à Coss. hoc anno gestas, breuitomnes compendio perstrinxerunt. Imminens enim secundi belli Punici fulgor, vicina tempora obscurauit. Zonaras ait vtrumque Consulem ad Istrum Dalmatiæ duxisse copias, & multas illius prouinciæ gentes partim vi, partim deditione subegisse: causam tradit Eutropius, quia naues Romanorum frumenta portantes deprædati fuerant.

III. Romana res. l. 3.

Cæterum Asdrubal Amilcaris gener post administratam octo annis prouinciam Hispaniã, & Carthaginensium imperio, non tam armis quam comitate vehementer aucto, noctu in hospitio suo periit, à Gallo quodam, priuatas iniurias vlciscente, per dolum cæsus. Eandem prouinciam Carthaginenses Annibali, sextum & vigesimum annum agenti detulere, quod in omnibus quæ instituerat, magni ingenij, virtutisque specimen daret. Eius porro ætatis anni sic colliguntur. Nouennis erat puer cum venit in Hispaniam cum parente, & odium iurauit in Romanos; ibi nouem annis eodem patre Amilcare gubernante vixit: adde Asdrubalis octo, fient omnino 26, quos ei Zonaras hoc tempore tribuit, quod cum nostra chronologia rectissime congruit. Annibal simul ac dux creatus est Olcadum gentem Pœnorum imperio subiiciendam suscepit, & Althæam primatiam eorum gentem ad sua vota compulit, cuius exemplum plurima oppida sunt secuta, in quibus cum essent argenti fodinæ, earũ factus dominus, maximis abundans opibus Carthaginẽ nouam se ad hyberna recepit, vbi stipendiis militi persolutis, magnum sui amorem, præter egregiam de eius præstantia opinionem, suis excitauit, qui amor fuit erga ipsum in tanta bellorum & casuum varietate, perpetuus.

IV. Mors Hasdrubalis. *Polyb.* Annibalis initia, & ætas. *Vide an.* 3808. Argenti fodinæ Hispaniæ.

Proximo anno, qui fuit initium Olymp. 140 Euergetis filius Ptolemæus Philopator in Ægypto regnare cœpit. Cui, si Iustino credimus, ex parricidio vtriusque parentis, & insuper fratris, per contrarium nomen est inditum. Eius tamen patrem morbo decessisse Polybius autor est, cui minime repugnat Plutarchus, qui etiam addit mox regnum in multam lasciuiam, vinolentiam, & fœminarum arbitrium fuisse delapsum. Nimirum ipsemet rege luxu perdito præcipua interim regni negotia, amica eius Agathocha, eiusq; mater & lena Oenanthe procurantibus. Hoc quoque anno mortuus est Antigonus Tutor, sub 14 regni sui annum. Qui vt ait Plutarchus, post deuictum Cleomenem, Spartamque occupatam, accepto nuncio de barbaris Macedoniam deuastantibus, ducto contra eos exercitu, venam in prælio clamore rupisse, tertioque die decessisse fertur.

3834. V. Initium Philopatoris. *l.* 29. & 30. *l.* 2. *In Cleomene.* Mors Euergetis *ibid* Et Antigoni Tutoris.

Eo mortuo Philippus Demetrij filius, cuius Antigonus Tutor fuerat, regnum 14 annos natus suscepit; cuius res gestas, cum Romanis, Asinis & Ægyptiis implicatas, omittere non possumus. Quem à Tutore suo, præceptore vtique non pœnitendo, artem didicisse regnandi, eamque ad annos circiter quadraginta duos, cum potentibus aduersariis exercuisse sequentia docebunt.

VI. Initia Philippi Macedonis. *Iust. l.* 29

Interea cum Antiochus rem male gestam contra Molonem à suis ducibus accepisset, voluit ipsemet eam expeditionem quod iam dudum senserat Epigenes, suscipere, sed cum

Antiochus in Molonẽ mouet. *vol.* 5. p 390.

Hermias

Hermias communi omnium suffragio vltra resistere non posset, Epigenem per calumniam, ficta Molonis ad eum epistola, & cæteris Epigenis inserta chartis, de medio sustulit. Rex cõtra Molonem progressus, vt ad Euphratem venit, assumptis, quas ibi habebat copiis, Antiochiam in Mygdonia circa brumam peruenit, ibique dum desæuiret hyems, substitit. Addit Polybius Achæum hoc tempore, cum Philopatore, inimico domini sui, consiliorum societatem iniisse, idque Antiocho innotuisse.

Epigenes arte Hermiæ tollitur. *Cassiod. & T. Liuius l. 38.*

III. Via & circus Flaminius. Annibalis in Vaccæos expeditio. *l. 3. p. 169.*

Roma nihil suggerit hoc anno memorabile, nisi quod C. Flaminius Cẽsor viam Flaminiam munit, & circum Flaminium construxit, ne Romani milites otio diffluerent.

Sagunti porum metus.

Sequenti Vere, vt ait Polybius, Annibal susceptam in Vaccæos expeditione Hermanticam repentina inuasione occupauit, Arbucalam vi cepit, Carpetanos multo labore atque industria superauit. Quibus deuictis nemo vltra Iberum fuit, qui contra Carthaginenses oculos auderet attollere, exceptis Saguntinis, qui interea in futurum prospicientes, Romanos crebris nunciis fatigabant. Annibal rursum Carthaginem nouam hyemis causa concessit. Eadem fere habet Liuius l. 21.

ANNVS MVNDI 3835.

SIMON. II. 14. PHILOP. & PHILIP. 2.

ANTIO. MAG. 6. Imperij Græcorum 93.

OLYMP. CXL. An. 2. VR. CON. 534.

ANTE CHRISTVM 218.

I. Cleomenes Spartanus in Ægypto detentus, se suosq; perdit.

CVm Cleomenes Spartæ rex ab Antigono Tutore victus degeret in Ægypto, virgeretque aut publicam cum classe & commeatu dimissionem, aut priuatam suam cum amicis; nec Sosibius, nam rex nulli serio negotio attendebat, assentiretur, (quippe cui formidini erat hominis audacia, & mercenariorum in ipsum propensio, & Antigoni inimici eius interitus, & regis sui ignauia & fatuitas, & variæ inuadendi regni opportunitates,) consilium cum amicis suis iniit, deeo comprehendendo antequam euaderet, & includendo, quod & factum est. Cumque è custodia erupisset, & populum ad libertatem frustra vocasset, se ipse interemit; cuius exemplum amici ac famuli ac filius natu maior secuti sunt, reliquos cum mulieribus Ptolemæus sustulit.

II. Theodotus præfectus Syriæ ab Ægypto deficit.

Necmulto post quam hæc acciderunt, defecit pariter à Ptolemæo Theodotus Cœlesyriæ præfectus, genere Ætolus, partim turpissimæ illius vitæ contemptu, partim quia procerum erga se suspectam habebat voluntatem. Itaque Antiochum statuit conuenire, ipsique Cœlesyriæ vrbes tradere, breuique rem perduxit ad exitum, vt suo loco dicetur. Interea Antiochus Molonem persequitur, quietsi à suis deseri formidabat, aciem tamen contra regem instruit, & exercitu in duo cornua diducto, sinistrum Neolao fratri committit, alterum retinet sibi. Vbi concurrere acies dextrum cornu in fide

Antiochus Molonem vincit.

perstitit, & acerrime contra regios conflixit; at sinistrum ad regem transitionem fecit. Ea re animaduersa Molo, cum propeiam vndiq; cingeretur, reputans sibi paratos cruciatus, si vinus in regis potestatem veniret, manus sibi ipsemet intulit, pariterque omnes qui cõiurationis participes fuerant. Rex Molonis corpus in crucem tolli edito loco iussit; rebellem autem exercitũ duris verbis increpitum, data dextera recepit in fidem; certosque viros constituit, qui istos in Mediam reducerent, & eam prouinciam recte constituerent.

Qui sibi manos infert.

Ipse autem Seleuciam versus regrediens, præfecturarum statum mansuetudine atque humanitate rite composuit: & terrorem nihilominus vicinis dynastis iniecit, ne facile ipsius satrapis in defectione auxilio essent: in primisque Artabazani, qui inter cęteros eminebat, qui cum esset ætate decrepitus, ad omnes pacis conditiones descendit. Sub idipsum tempus natus est Antiocho filius, qui videtur fuisse Seleucus Philopator, qui patri successit in regnum, post annos 32. Eo nato ratus Hermias fieri posse, vt Rex in superioribus Asiæ partibus bellum gerens, alicubi moreretur, aut eius tollendi de medio aliqua se opportunitas offeret, ipseque omne imperium haberet in potestate, nomine Tutoris infantuli, in eam expeditionem consensit. Cum Apollophanes medicus ab Hermia sibi timens & Regi, Antiochum adit, eique suspectum facit Hermiam; monetque vt caueat ne quis eum casus, sicut & fratrem Seleucum è medio tollat: & omnes eius amicos, sicut nuper Epigenem, in eandem perniciem præcipitet. Quæ cum Rex libenter audisset, & in suspecti sibi Hermiæ necem consensisset, inualetudine simulata foras abductum, coniuratis occidendum præbet: bonis omnibus id factum probãtibus. Nam etiam Apamensium vxores, vxorẽ Hermiæ, & liberi liberos lapidibus obruerunt. Rex autem domum reuersus militem ad hyberna dimisit. Quæ nota est anni finientis.

III. Antiocho nascitur filius Seleucus. *Polyb. l. 5.*

Hermiæ in regem molitiones.

Occiditur cum suis.

Quod ad Romanam rem attinet, duo illustria bella in hunc annum cadunt, Saguntinum & Illyricum contra Demetrium Pharium, qui oblitus beneficiorum populi Romani, ratus eum à Gallis & Pœnis oppressum iri, sibi autem auxilia Macedonica pollicitus, à Romanis defecit, eorumque socios vexare cœpit, pactisque leges temere violare.

IV. Bellum Illyricum contra Demetrium Phariũ.

Ergo Romani ineunte vere Æmylium Consulem in eum mittunt, qui primùm Dimalum oppidum rebus omnibus instructissimum, adhibitis machinis septimo die expugnat. Quæ res ita hostium animos fregit, vt confestim vndique accurrerent, qui se Romanorum fidei permitterent. Eos Consul receptos Pharum versus contra Demetrium nauigare iubet, quã arte aggreditur, magna suorum parte occultata, moxque cæso vtrimque hoste occupat. Demetrius fuga lapsus Macedoniam petit, & Philippum regem in Romanos accendit. Consul Illyrico vniuerso in potestatem redacto, rebusque rite compositis, affecta iam æstate magnifice triumphauit; nec minorem solertiæ, quam fortitudinis laudem è prouincia reportauit.

Ab Æmylio Consule feliciter cõficitur.

Interea legati pro Saguntinis qui in fide & clientela populi Romani erant, Annibalem

Saguntinorum ad Annibalem ir ita legatio. *Polyb. l. 3 Liuius, l. 21.*

adiere; qui tergiuersatur, querelis contra Romanos congerendis, & Carthaginem scitatum mittit, quid opus facto sit, cum Saguntini, amicitia Romanorum freti, populos ditionis ipsorum iniuriis lacessant. Legati quoque Carthaginem, pro Saguntinorum salute, proficiscuntur. Quæ dum hunt, & Romæ multa de bello deliberantur, Annibal ad 150 millia hominum in armis habens, Carthagine noua profectus, Saguntum petit, eamque obsidet contentione maxima; eius enim expugnationem rebus suis magnas opportunitates sperabat allaturam. Ergo obsidionem acriter vrgebat, & moliendis operibus ipse desudabat in primis, & periculis obiiciebat sese, adeo vt dum murum subit incautius, tragula femur grauiter ictus ecciderit, cum multa suorum trepidatione ac fugi. Mox autem renouata pugna quassati dissectique muri ac turres, & vtrimque inter ruinas murorum, quasi in aperto campo pugnatum est, donec fracti malis Pœni sua castra repeterent.

Saguntũ summa vi oppugnat.

VI. Tãdemque expugnat, ac delet.

Ibi data quies aliquot diebus, & promissa militi vrbis præda redintegrati animi, dum Saguntini continuato die noctesque labore, diruta murum instaurarunt, ad quem mox cõtentiosius pugnatum est; sed recens opera, machinarum & hominum subruentium violentię facile cessit, vt magna iam pars oppidi esset in hostium potestate. Hic demum de conditionibus dedendæ vrbis actum est; quæ cum proponerentur acerbissimæ, optimates vrbis quæcũque habebant pretiosissima, & nominatim aurum & argentum in forum comportata flammis corrumpunt, inquas se plerique præcipitant. Tum arce perruinam turris occupata, exercitus in vrbem desolatam ingreditur, daroque signo omnes puberes interficiuntur qui occurrebant. Nam viri aut inclusi cum coniugibus ac liberis, domos supra seipsos concremabant, aut eundem pugnandi viuendiq; finem faciebant. Præda etsi tota pene corrupta flammis, quæ reliqua fuit partim distributa militibus, partim missa Carthaginem Sicq; Saguntus intra octo menses tibi Romanisque periit, & secundo bello Punico initium dedit.

ANNVS MVNDI 3836.

SIMO. II. 15. PHILOPAT. & PHIL. 3.

ANTIOC. MAG. 7. Imperij Græcorum 94.

OLYMP. CXL. A. 3. VRB. CO. 535.

ANTE CHRISTVM 217.

I. Antiochus Achæum monet. *Polyb. l. 5*

Antiochus post sumptum de Hermia supplicium, dum in Hybernis agit, nuncios ad Achæum misitat, quibus eum defectionis arguit & cladem cæteris tyrannis ac perduellibus familiarem minatur. Sed illo ad tempus, ipsaque Syria dilata, Seleuciam, quæ Pieria dicitur, adit; & plerisque pecunia promissisque corruptis, captoque suburbio, vrbem deditione recepit, ciuesque perhumaniter tractauit. Quæ dũ Rex maxime ageret, ei literæ à Theodoto Æ tolo afferuntur, quibus rogabat Antiochum, vt se quamprimum in Syriam conferret, se eam totam in eius manus traditurum. Ergo Rex ad eum progreditur, sed Theodotus, proditione patefacta, à Nicolao Ptolemæi duce in Ptolemaide obsidebatur. Verum victo in pugnis Beryti Nicolao, & obsidione soluta, obuiam venit Antiocho Theodotus, eique Ptolemaidem tradit ac Tyrum, & Cœlesyria peragrata multas vrbes, alias vi, alias deditione accepit, aliæ vt Dura siue Dora Phœniciæ diutius obsidionem tolerarant.

Seleũciã recuperat.

Theodotus ei Syriam tradit.

II. Sosibius pro Ægyptio bellum parat.

Interea nullam quidem rerum suarum curam gerebat Philopator; sed Agathocles & Sosibius, penes quos erat regni administratio, operam omnem in parãdo bello collocant, idq; inscio, quantum fieri potuit, Antiocho. Quin & legationibus eius impetum relaxant, confirmantq; quod ille cogitabat, Ptolemæum per amicos & colloquia, omnia sine armis confecturum. At illi interea militem Alexandriam cogunt, eumque studiose exercent, eodemq; omnis generis commeatum comportant, & inducias ad quatuor menses impetrant, spondente Ptolemæo se de summa re ad conditiones æquissimas deliciturum. Ergo relicto Theodoto, qui rem bellicã in Syria curaret, ipse Seleuciam hyemem traducturus profectus est, & militem ad hybernadimisit, nullam gerens curam disciplinæ militaris; quippe qui rem prope confectã putaret, vt qui iam partem Cœlesyriæ, & Phœniciæ haberet in potestate, & reliqua se ex conditionibus pacis acceptum speraret.

Antiochi negligẽtia.

III. Bellum in Pœnos renouatur. *Polyb. li. 3. & T Liuius l. 21.*

Sed Romana res ad se nos iamdudum vocat. Romæ sub idem tempus & excidium Saguntini nunciatum est, & legati Carthagine reuersi, omnia hostilia retulerunt. Tantusque simul mœror patres, & misericordia sociorum indignè peremptorum, & pudor non lati auxilij, & ira in Carthaginenses, metusque de summa rerũ cepit, velut si iam ad portas hostis esset. Nihilominus legatos Carthaginem properare iubent, qui Annibalem eiusque socios, tanquam fœderis violatores, dedi Romanis iubeant, alioqui bellum denuncient. Ibi cum circa fœdera frustra disputatum esset, bellum non recusantibus indictum est. In Hispaniam quoq; ac Galliam legati missi, eorum animos ab Annibale occupatos repererunt. Quibus etiam desertio Saguntinorum obiiciebatur. Quin etiam Galli Romanos irrisere, qui peterent Pœnos transitu prohiberi, vt scilicet bellum in Italos destinatum, in se transferrent.

Irritę Romanorũ legationes.

IV. Annibal ab Hispania profectionẽ parat.

Interea prospexit Annibal, vt Hispanos hyberna quiete, promptiores ad imminentem expeditionem redderet, & Asdrubalem fratrem, quem Hispaniæ præsidem relinquebat, copiis monitisque instrueret. Et quò securitati Africæ consuleret, Afros milites in Hispaniam, Hispanos in Africam traduxit, & crebris literis Gallos subalpinos cisalpinosque à Romanis alienatos, cò allexit, vt spem de trallciendis Alpibus facerent. Ergo cum 90 millibus peditum, & 12 equitum, primo vere se in viam dedit.

At Romanis consulibus prouincias sortitis, Cornelio Hispania & Annibal obtigit, Sempronio Africa cum Sicilia, cum magnis ciuium & sociorum copiis; adiecerunt & supplicatio-

nes

nes, vt bellum bene ac feliciter cueniret, magna quippe sollicitudo de hoc bello Romanos inuaserat, quod contra maximas copias, viginti trium annorum bello duratas, idque sub clarissimis imperatoribus bellum futurum erat.

V. Pyrenæũ transit.

Annibal Pyrenæos non sine suorum iactura, longinquam expeditionem detrectantium, transit; moxque transitum à Gallis obtinet, cum Boij sollicitatis Insubribus, quasi iam Alpes superasset Annibal, propere defecerunt, & L. Manlium prætorem cum exercitu missum, & circumuentum insidijs non exigua clade afficerunt; sed mox superueniente alterius Prætoris subsidio, diffugerunt. At Cornelius Consul cum 60 longis nauibus oram Hetruriæ, Ligurum, Salyorumque præteruectus, Massiliam peruenit, & ad proximum Rhodani ostium castra locauit. Eum tamen fluuium Pœni, Volcarum operâ & Annibalis industriâ traiiciunt; & mox vtriusque exercitus speculatores inter se congressi, magnam vtrique cladem passi sunt; vicerunt tamen Romani, in quoddam totius belli omen. Cumque Cornelius totis copiis contra Annibalem pugnare cuperet, & ipse maliet integras copias Italiæ reseruare; misso in Hispaniam fratre Cn. Cornelio, ipse cum reliquis copijs ad occursum Annibalis ex Alpibus descendentis, se comparat, Genuamque repetit, eo qui circa Padum erat exercitu, qui nuper, L. Manlio Prætore, male acceptus fuerat, à Boijs, Italiam defensurus.

Cornelius ei occurrit.

Velitatio speculatorum.

VI. Annibal transit Alpes. *Liuius l. 21. Pol. l. 3.*

Annibal vero per immensos labores ac pericula, iacturamque hominum & iumentorum, decimo quinto die Alpes superauit, quinto mense ex quo Carthagine noua discesserat. Ad reficiendum exercitum fame, frigore, labore, illuuie afflictum, iuxta Taurinos statiua sibi castra fecit, ex quibus mouens Taurinos triduo expugnauit. Iam prope in conspectu erant exercitus, conuenerantque duces, vterq; alterius admiratione imbutus. Annibal Scipionem hoc ipso magni faciebat, quod aduersum se potissimùm dux fuisset electus, & relictus in Gallia obuius esset in Italiam transgresso. Scipio Annibalem præstantẽ imperatorem ducebat, quod Alpes cum exercitu traiicere potuisset. Cum vterque suos animasset ad pugnam, & vterq; partem suorum ad exploranda hostilia castra præmisisset, constiterunt ad pugnam. Anceps aliquandiu certamen fuit, Consule tamen saucio, quem filius morti eripuisse dicitur, proxima nocte Romani vasa silentio collegere, & ponte quo Ticinum amnem iunxerant, Placentiã peruenere. Quo cum post aliquot dies traiecto Pado peruenisset Annibal, pugnæ potestatem Romanis fecit. Insequenti nocte cum tumultus exortus esset in castris, duobus Gallorum millibus, cum ducentis equitibus ad Annibalem deficientibus, Scipio reliquorum defectionem veritus, proxima nocte ad Trebiam fluuium profectus, ibi statiua communiit, dum Collega Sempronius è re bene gesta in Sicilia ad ipsum iussu Senatus se contulit.

Bi rursum Scipio occurrit.

Nec feliciter pugnat.

VII. Bi adiungitur Collega Sempronius.

Et Cornelius quidem rem trahi cupiebat; at Sempronius è re bene gesta ferocior, nullã dilationem ferebat, præsertim cum Pœnos, qui Gallicum agrum diripiebãt, immisso equitatu cum mille iaculatoribus inopinantes inuasisset, maléque multatos, ad sua vsque castra persecutus esset. Tum demum ambire prælium Sempronius, sperans ægro collegâ, totam ad se victoriæ gloriam peruẽturum. Pugnam quoque cupiebat Annibal, qui sciret alterum Consulem ægrũ esse, alterum læto successu ferociorem facilius in fraudem induci posse. Itaque cum à speculatoribus didicisset Romanos quoque parare certamen, locum ad insidias idoneum circumspectat, in quo mille equites, totidemque pedites Magoni fratri committit, qui pugnantem hostem ex improuiso adoriantur, & fessum integri debilitent. Tum mature cibo refici omnẽ exercitum iubet, & Numidas equites Trebiam flumen transgressos, obequitare hostium portis, eosque iaculando ad pugnam elicere.

Qui imprudenter pugnã cupit.

Sempronius ad tumultum Numidarum omnes copias educit, quæ refugientes Numidas insequuntur, in aquas niuali tum die præfrigidas, pectoribus tenus ieiuni ingrediuntur, egrediunturque rigido corpore, & vix ad arma tenenda idoneo. Ergo venitur ad certamen longe impari alacritate ac robore; nec diu anceps pugna fuit, præsertim superuenientibus à tergo, qui latuerant in insidijs. Cædes & fuga vndique facta, decem millia impetu facto mediam aciẽ perrupere, & Placentiam se recepere, cæteri fere variis casibus perierunt. Insequente nocte Cornelius Consul reliquias exercitus Placentiam, & inde Cremonam perduxit. Romam tantus terror ex hac clade perlatus est, vt iam ad vrbem crederent hostem esse venturum, quo mox Sempronius ingenti periculo penetrauit, & comitiis consularibus habitis, ad hyberna reuersus est.

VIII. Et ad Trebiam cũ totis copijs vincitur.

ANNVS MVNDI 3837.

SIMON. II. 16. PHILOP. & PHILIP. 4.

ANTIO. MA. 8. Imperij Græcorum 95.

OLYMPIA. CXL. A. 4. VR. CO. 536.

ANTE CHRISTVM 216.

I. Antiochi bellum in Ægyptios.

TAndiu Ptolemæi legati tempus altercationibus, & crebro aditu redituque extraxerunt, dum bellicus Ægypti apparatus Alexandriæ paratus esset. Maxime autem de Achæo certabatur, quem Ægyptij volebant fœdere comprehendi. Antiochus contrà nullam eius mentionem fieri patiebatur, rem indignam esse clamans, quod Ptolemæus rebelles protegeret, qui interea in Asia non exiguos profectus fecit. Cum ergo nihil de pace transigeretur, Antiochus ineunte iam vere copias contrahit, & ad reliquam Syriam terra marique occupandam progreditur: exercitum tripertito diuidit, in quorum medio ipse cum prætoria sua cohorte gradiebatur vt vel terra vel mari laborantibus ipse opem ferret. Sed cum Ægyptij in terra ad Libanum victi essent, classis se Sidonem recepit. Quam vrbem vt munitissimam Antiochus obsidere noluit, sed classe Tyrum appulsa, ipse Iudæam peragrauit, omniaque passim loca vel vi, vel deditione accepit; quæ à Iosepho prorsus omissa, Polybius libro 5. persecutus est.

Antiochus Ptolemaidem versus castra mouit, illic hybernaturus.

II. Annibal hyeme Romanos fatigat.

Porro in Italia ne hyberna quidem Romanis quieta erant, vagantibus passim Numidis equitibus, aliisque Annibalicis; quo fiebat vt omnes viæ commeatibus clausæ essent, nisi quos Pado naues subuehebant. Cumque Emporium prope Placentiam occupare vellet, equestri prælio cum Romanis propugnatoribus toto, Annibal saucius è pugna eductus est. Inde mox ad emporium Vicumuias oppugnandum progressus, ad 35. hominum millia, qui ei armati occurrerant, ipse cum paucis fudit, & deditione mox facta, præsidio intra mœnia posito, armis spoliat oppidanos, oppidumq; quasi vi captum, militi diripiendum dedit, & in miseros edidit omne crudelitatis exemplum. Mox Hetruriam sibi subiicere cupiens, ad prima ac dubia signa veris Appenninum transire aggressus, tam atroci tempestate vexatus est, vt Alpiū fœditatem prope superauerit: adeo vt præ ventorum procella imbrium eluuione, tonitruumque fragoribus, Pœni neque progredi, neque subsistere, neq; satis animam reciprocare possent. Itaque multis ibi hominibus ac iumentis amissis, retro Placentiam mouit, & ad decem millia progressus, cum Sempronio ancipiti victoria pugnauit, & æquali partis vtriusque pernicie, nisi tenebræ superuenissent. Romanis autem eo luctuosior fuit, quo plures insignes viros amiserunt, in quibus equites aliquot, tribuni militum quinque, & tres præfecti sociorum. Secundum eam pugnam Annibal in Ligures, Sempronius Lucam concessit.

Appenninum prematurè tentans regredi cogitur.

Et cum Sempronio pugnat.

III. Scipio in Hispaniam præclare gerit, præsertim contra Hannonem.

Dum hæc in Italia, Syriaque geruntur, Cn. Scipio in Hispaniam cum exercitu profectus, in Emporiis classem appulit, & exposito ibi exercitu, orsus à Lacetanis, omnem oram, vsque ad Iberum flumen, partim renouandis societatibus, partim nouis instituendis, Romanæ ditionis fecit, concilia atque fama clementiæ, etiam validas auxiliorum cohortes ex mediterraneis collegit. Ergo cum Hannone feliciter pugnat, adeo vt non victus solum, sed etiam captus fuerit, sex hostium millia cæsa, duo capta fuerint: castra cum vicino oppida capta direptaque militem ditauere; ibi quippe præter victorum supellectilem, ea præda potiti sunt quam exercitus Annibalis reliquerat longinqua expeditione suscepta. Inde autem varie contra Asdrubalem decertatum est, nullaque re admodum memorabili edita, Tarraconem in hyberna rediit.

IV. Flaminius Cōsul turbulentus.

At Romæ Flaminius fauore populi secundùm designatus Consul in prouincia Consulatum inire statuerat, memor certaminum, quæ illi cum patribus in priore consulatu, triumphóque contigerant; itaque veritus ne diutius in vrbe retineretur, simulato itinere priuatus clam in prouinciam profectus est, neque reuocatus ad ea Romæ exequanda quæ moris erant magistratibus, paruit, non magis quam priore consulatu, literis à Senatu ad eum missis, sed paucos post dies magistratum cum signis terrificis adit, quæ à Liuio congeruntur vt contemptor rerum sacrarum, & auctoritatis Senatus, eam cladem quæ mox illi contigit meritus esse videatur. Cum ergo legiones à Sempronio exconsule, & Atilio exprætore accepisset, & ab Hierone subsidium mille & quingentorum militum, vere appetente per Hetruriam itinere facto Aretium peruenit, collega eius Seruilius Ariminum contendit, illo vt aditu prohiberet hostem.

V. Annibal transiens Apēninū altero priuatur oculo.

Annibal autem cum frustra prius Appenninum transgredi conatus esset, nunc denique vere appetente ex Hybernis mouit, Afris & Hispanis præeuntibus, Gallis sequentibus, extremum agmen equitibus claudentibus. Per palustria loca quatriduum, & tres noctes luctatus est. Accedebat inedia atque vigilia, nocturnus humor, & verna intemperies. Palustri denique cœlo degrauante caput, cum medendi nec locus nec tempus esset, altero oculo captus est. Vbi primum inde emersit, castra in sicco posuit. Et exploratis Flaminij consiliis, vbi eum didicit pugnæ appetentem, inconsultam hominis iram populatione irritauit. Eam contumeliam sibi fieri ratus Flaminius, suis nequicquam hortantibus vt hostem, ab effusa prædandi licentia, leuioribus excursionibus prohiberet, neque prius de rei summa decerneret, quam collega Seruilius aduenisset, vt maiori consilio viribusq; res gereretur, monita prodigiis firmata neglexit.

Flaminiū irritat.

VI. Et ad Thrasymenum trahit.

Inde cœpit exercitus incedere, quos ad se omni vastatione trahebat Annibal, ad Thrasymenum vsque lacum insidiis aptissimum, quo cautissimè vsus est Annibal, & Flaminium, temerè se locis inexploratis committentem, circumfudit. Tum suis omnibus signum dat inuadendi: illi pariter vndique irruunt, vt omnibus ex locis petiti, vix instituendi ordines, vix etiam arma expediendi potestatem haberēt. Pugnatum est à Romanis, vt in ipsa rerum desperatione acerrimè, viam ferro aperire, aut fortiter mori satagentibus, & quidem trium horarum spatio, tanta cōtentione, ardoréque animorū, vt terræ motum ingentem, qui tum concutiebat vrbes, nemo senserit. Consul Flaminius dū egregiè pugnat, omnemq; in partem, qua suos maxime laborare cernebat, auxilij gratia irruit, ab Insubro equite agnitus; lancea transfixus occubuit: Cum Rempub. Romanam in summum discrimen contumaci temeritate adduxisset; simulque debito Romæ dedecori, supplicioque ereptus est.

Vbi Flaminius pugnans occūbit.

VII. Fuga, cædesque Romanorum.

Magnæ partis fuga inde primum cœpit, vt nec lacus, nec montes, nec conferti hostes eam reprimerent. Sex millia ferme primi agminis, per confertos hostes eruptione facta, in tumulum euasere; vnde cognito rem Romanam perditam, inde se quam celerrime proripiūt; quos cum equitatu consecutus Maherbal, cum super cætera fames instaret, traditis armis se dediderunt, fide data de permissione libere abeūdi: quos nihilominus Annibal coniecit in vincula, dimissis tantum, qui erant Latini nominis. Sed non leue auctarium cladis accessit. Nam quatuor millia equitum, quos Seruilius Consul mittebat ad collegam, ab Annibale circumuenta, maxima ex parte periere. Sicque vulnus vulneri additum, non solum Romanorum dolorem amplificauit, sed summam pene desperationem ipsi quoque Senatui attulit. Itaque vt in rebus afflictis, absente Consule, à populo creatus est Prodictator Fabius Maximus, & Magister equitum M. Minucius, qui-

Alia rursum clades.

bus

bus publica res admodum ægra commissa est. Paulo post Cn. Seruilius Consul ad tutandam Vrbem rediit.

VIII. Semina belli Macedonici.

Hic autem belli Macedonici semina exorta sunt. Cum enim Philippus Macedonum rex Argis Nemæos ludos spectaret, nuncium per literas accepit, victos ab Annibale Romanos in Hetruria. Eam epistolam rex confestim Demetrio Phario secreto monstrauit, (is dudum ad eum confugerat, & à Romanis per legatos repetebatur) vt habet Liuius. Qua occasione cœpit is autor esse Philippo, vt omissis Ætolis, contra quos bellum gerebat, vicinum Illyricum Romanis eriperet, & de traiectione in Italiam, & imperio adipiscendo serio cogitaret. Quod ille Regi, & Iuueni, & prosperis adhuc fortunæ flatib. vtenti, & eorum, qui orbẽ pene vniuersum domuerant successori, facile persuasit. Interim Annibal recto itinere Spoletum venit, vnde magna cum suorum cæde repulsus, in agrum Picenum, omnium rerum copia abundantem auertit iter, itaq; per dies aliquot statiua, reficiendo militi habuit, populationibus, omniumque obuiorum cædibus, quicumq; ætate militari essent, sicut in capiendis vrbibus fieri solet, operam dedit, & literas de rebus à se gestis Carthaginem misit. Quo illi nuncio exhilarati, omni studio exercitibus, qui in Italia & Hispania rem gerebant, necessaria subministrabant.

Annibalis crudelitas.

IX. Fabius cũctatur, vnde & male audit.

At Fabius, qui Sempronium Flaminiumque meminerat, præcipiti consilio pugnando cõtra Annibalem, Romanam rem in magnum adduxisse discrimen, Annibale pugnæ copiam præbente, satis habebat illum è superioribus locis affectari, & oẽs rei bene gerẽdæ occasiones occupare. Sed sanis eius consiliis, non tam infestũ Annibalem, quam Minutium magistrum equitum habuit, hominem ferocem atq; inconsultum, qui Dictatorem quasi segnem arguebat, præsertim cum Punico incendio villas Romanorum flagrantes cernerent; tunc enim pugnã atroci oratione postulare, & Tribunos, equitesque in suam sententiam trahere & Fabio præferre Minutium. Romam quoque deferre querelas; vt Fabij cunctatio, nõ minus in vrbe, quã in castris male audiret. Itaq; Romam specie sacrorum reuocatus, Minutiũ etiã atq; etiam rogat, vt consilio potius, quam fortunæ confidat.

X. Minutii ferocia Fabio æquatur, & ab eo sũmo periculo liberatur.

Qui cum abijsset, Minutius exercitũ è montibus in plana deduxit, & cum Annibali, pari prope vtrimq; clade, pugnauit, sex quippe hostium millia cæsa, quinque admodum Romanorum. Quibus tamen in Vrbem haud ex fide perlatis, iura magistri equitum, cum Dictatoris iure sunt æquata, fasces cum Minutio legioneſq; diuisæ, castra quoque duodecim stadiorum interuallo separata. Nec multo post tota re cognita lætus Annibal, Minutium ad certamẽ dispositis idoneo loco insidijs, allectat. In ipsa pugna cũ circumfusi ab hoste Romani, & animo ad pugnã, & spe ad fugam destituti essent, nihilque facto propius esset, quam vt ad vnum omnes misere conciderentur, Fabiana se acies, tanquam cœlo demissa ostendit, quæ Minutij exercitum præsentissima clade liberauit. Annibal enim receptui canitussit. Eo casu Minutius factus prudẽtior, non solum Fabio gratias egit de conseruato exercitu, sed abdicata potestate, omnia in Dictatoris arbitrio, quem patrem prædicabat, esse voluit. Fabio autem maxima in exercitu gloria, & Romæ, & apud ipsos Pœnos concilata est.

Principio æstatis qua hæc gerebantur, in Hispania quoque terra marique feliciter à Cn. Scipione cœptum est bellum, adeo vt de 30. nauibus, ad quinque & viginti religatæ puppibus, in altum extraherentur, & Romanus vnica pugna totoeius oræ mari potiretur. In terra quoque egregie rem gesserat, duobus prælijs Asdrubalem superauerat, multas vrbes, per se socioſque Pœnis ademerat, cum P. Scipio frater eius, prorogato post consulatum imperio, à Senatu cum exercitu in Hispaniam missus est. Ea classis cum magna ciuium sociorumque lætitia portum Tarracone tenuit. Inde fratrum arma animiq; coniuncti: & dum Asdrubal bello cum Celtiberis occupatur, Romani duces Iberum transgressi, obsides Hispanorum, quos Saguntí habebat Asdrubal, receperunt, quod vnum pignus inclinatos ad Romanam societatem Hispanorum animos retinebat, ne sanguine liberorum, parentum defectio lueretur. Eos cũ suis Scipio reddidisset, & magna clementiæ laude affectus est, & ingenti consensu omnes defectionem spectarunt, armaque extemplo mota forent, nisi hyems interuenisset.

XI. Res à Scipionibus in Hispania bene gesta.

Captiui, siue obsides liberati.

Eodem tempore Neapolitani 40. pateras aureas magni ponderis, subleuandi ærarij gratia Romam miserunt: gratiæ à Senatu actæ de munificentia, vnica, quæ minimi erat ponderis, accepta. Sequenti quoque anno, ait Liuius, legati à Pesto pateras aureas Romam detulerunt, quibus gratiæ quoque actæ sunt, aurum acceptum non est: tam adeo pecuniæ tunc inopes erant, vt argenteum nummum prius purum & impermisũ, ære admisto adulterarent, vt ait Zonaras. Ne scilicet Roma rerum domina ære alieno indiguisse, & accepto beneficio, aliquid inferiori debere videretur.

XII. Romanorũ abstinentia. li. 21.

Nũmos adulterãt

ANNVS MVNDI 3838.

SIMON. II. 17. PHILOP. & PHILIP. 5.

ANT. MAG. 9. Imperij Græcorum 96.

OLYMP. CXLI. An 1. VRB. C. 537.

ANTE CHRISTVM 215.

CAdunt in hunc annum Olympiadicum duæ pugnæ celeberrimæ, altera inter Antiochum Magnum, & Philopatorem; altera Romanos inter & Pœnos, totis fere viribus Asiæ, Africæ & Europæ. Nam Antiochus & Ptolemæus, vt ab ipsis ducamus exordiũ, ineũte vere in eo erant vt expeditionem susceptam prælio terminarent, hic cũ 70. peditũ millibus, & quinque equitum, & tribus & 70. elephãtis. Ille duo & 70. peditum millia, equitum sex, duos supra centum elephantos secum trahebat. Cumque ad oppidum Raphaim, quinq; à se inuicem stadiorũ interuallo castra posuissent, Theodotus Ætolus, qui à Ptol. defecerat audax facinus aggressus est. Noctu enim in Ptolemæi castra penetrauit eum interfecturus: sed cũ peculiari Dei in reges quamuis malos & inutiles prouidentia,

I. Antiochi & Philopatoris bellum. Polyb. l. 5.

Dei in reges etiã malos prouidentia.

contigiſſet, vt rex in ſolito tabernaculo non cubaret, pro eo duos famulos vulnerauit, & Archiatrum occidit, & incolumis ad caſtra reuerſus eſt.

Poſt dies quinque viſum eſt regibus prælio decernere, inſtruuntur acies, prima pugna elephantorum fuit, ſed Libyci Aſianos & Indicos ferre non poſſunt. Cum ergo conſternatæ Ptolemæi beſtiæ, quæ ſiniſtrum cornu oppoſitum Antiocho protegebant, in fugam auerterentur, & militum ordines, quos tutari debebant perturbarent, Antiochus magno impetu irruit in turbatos, & in fugam compulit. At Ægyptiorũ cornu alterum, agnito belluarum ſuarum metu, duce Phoxida Græcorum mercenario, eductis longo agmine equitibus, hoſtium, qui elephãtis à fronte tecti erant, latera inuaſit, & improuiſum Antiochi equitatum auertit in fugã, ſicq; dextrum cornu Antiochi vincebat, ſiniſtrum vincebatur. At Ptolemæus qui ad phalangem in acie media ſe receperat, vbi in vtriuſq; exercitus conſpectum venit, ſuis alacritatem, hoſtib. pauorem attulit & fugam. Antiochus autem, qui ex cornu quod vicerat, totius exercitus victoriam æſtimabat, eò cum prætorianis ſuis accurrit, ſed vbi ſuorum omnium fugam agnouit, ipſe quoq; Raphiã conceſſit, ſe ipſe conſolans, quod ſua parte viciſſet, licet vniuerſa dimicatione victus eſſet.

Ptolemæus in caſtris quaſi victor ea nocte manſit, poſtridie humatis ſuorum corporibus, inimicorum autẽ ſpoliatis, ſigna mouet & Raphiam ducit. Antiochus prima luce reliquijs exercitus eductis Gazam contendit, & inde Antiochiam reuerſus eſt, Ptolemæus & Raphiam. & reliquas vrbes recepit, tanta celeritate, vt certamen inter eas eſſet, quænam alteram hoc officij genere anteuerteret. Antiochus quoque veritus ne aduerſa pugna ſubditos à ſe alienaret, præſertim cum Achæum haberet in ſuo imperio tyrannum, de pace legatos miſit ad Ptolemæum, & inducias in annum impetrauit. Is quippe Cœleſyriam recuperaſſe contentus, quietis amãs, ad vitia ſibi familiaria feſtinabat. Ergo firmando fœderi Sofibium miſit. Ipſe vero tres menſes in Syria ac Phœnicia eſt commoratus, ad componendum ſingularum ciuitatum ſtatum: quibus omnibus relicto Prætore Andromacho, cum Atſinoë ſorore, & amicis Alexandriam reuerſus eſt.

Hoc trimeſtri ſpatio Hieroſolymam quoq; profectũ eſſe extertio, qui dicitur Machabæorum, conſtat. Cum enim Syriæ ciuitates in recipiendo Ptolemæo, victoria gratulanda, doniſq; offerendis certarent: ipſeque vice verſa eorum delubra inuiſeret, doniſque honoraret, Iudæi huic officio minime defuerunt. Ille vbis templiq; viſendi deſiderio incitatus Hieroſolymam venit, templum adijt, cuius pulchritudinem admiratus, etiam adyta penetrare voluit. Quod cũ Iudæi contentioſiſſime recuſarent, & regi creſceret ex recuſatione deſiderium, tõto templo lacrymis & eiulatu, ciuitate tumultu & querelis confuſa, Simon Pontifex ex aduerſo templi flectens genua elata voce orationẽ ad Deũ habuit, opem ab eo præſenti neceſſitati implorãs. Ea finita rex corpore animoq; ita perturbatus eſt; vt ne fari quidem poſſet, & inde à ſuis abduceretur. Sequenti autem tẽpore cum ſe collegiſſet, nequaquam à propoſito deſtitit, ſed in Ægyptum cum atrocibus in Iudæos minis diſceſſit. Quæ autem deinde conſecuta ſunt ad annum ſequentem pertinent.

V. Terẽtius Varro Conſul. & copiæ bellicæ Romanorum.

Romæ contentioſa fuere comitia, res ad interregnum abijt, Conſul creatus eſt C. Terentius Varro, repugnante Senatu, qui hominẽ nouũ atq, præcipitem, quiq; maledicẽdo maioribus, factus fuerat plebi gratioſus, nolebat ad ſummum prouehi magiſtratum; hoc præſertim tẽpore, quo tantus hoſtis in Romanã pernicie erat intentus. Vicit tamen populus, & Varroni collega datus eſt L. Æmylius Paulus. Copię coactæ ſunt quantæ nunquam antea, adeo vt 80. millia peditum, equitum ſupra ſex millia numerarentur, vt eſt apud Polybium: adeo vt plus dimidia parte hoſtium numerum ſuperaret, quia ſpem præbuerat Dictator Fabius Annibalem vinci poſſe: eius tamen monita, aut Æmylii collegæ, ſuperbiæ ac temeritati Varronis ſanandæ nihil valuerunt. Vterq; Conſul venit in caſtra, Æmylius dextrũ cornu tenuit, Varro ſiniſtrum, mediam aciem Regulus & Seruilius exconſules, qui proximo anno fuerant imperatores.

VI. Annibal inſidias ſtruit.

Ea re cognita lætatus eſt Annibal, ei quippe pugnare neceſſe erat, quippe cuius exercitus omnium terũ penuria vrgebatur, & rẽ ſe cum temerario aliquo duce habiturum ſperaret. Cuius etiam temeritatem auxit tumultuariũ prælium, quod contra Pœnorum prædatores commiſſum fuerat, in quo Annibalici ad mille & ſeptingentos ceciderant, vix, centum Romanis deſideratis. Parat nihilominus inſidias Annibal, caſtris cum multa præda ſimulatè deſertis, vt eo proiectum hoſtem & præda impeditũ circumfuſus opprimeret; ſed res mox patefacta ſucceſſu caruit. Itaq; in Apuliam profectus ad oppidum Cannas caſtra locat, & opportuniſſimum occupat pugnæ locũ, ſic vt ventus & puluis ſuorum terga pugnantium, Romanorum ora verberaret. Cumq; ſeptemtriones Pœnus, meridiem Romanus aſpiceret, futurum etiam erat vt Romanorum oculos in acie ſolis fulgor ſubinde perſtringeret.

Adit Apuliam, & Cannas.

VII. Pugna Cannenſis.

Initum eſt prælium, quo die penes Varronẽ imperium fuit, equeſtre certamen anteceſſit, quo Romani fuerũt inferiores; eo ad finem vergente, coorta eſt pugna peditum grauis armaturæ, in qua Romani Punicã aciem impulere, quam dum auidius perſequuntur, coëũtia cornua Romanos concluſerunt, qui aduerſus terga cædentes conuerſi, iniqua cõditione pugnarũt, quod & incluſi aduerſus circumfuſos, & feſſi cum recentibus, vegetiſq; pugnarent. Acceſſit & fraus Numidarũ, qui transfugio ſimulato, in mediam recepti aciem, ductiq; ad vltimos, cũ certamen vndiq; ferueret, ipſi quoq; terga Romanorum cædere cœperunt, & poplites ſuccidere. Ergo tumultus, pauor, & fuga fieri vndiq; cœpta eſt. Æmilius pugnans occumbit. Varro cum 50. fere equitibus Venuſiam profugit: ſeptem millia in minora caſtra decem in maiora, duo in Vicum Cannas ſe receperunt, qui extẽplo à Carthalone & equitibus circumuenti ſunt, quorum ad duo millia cæſi, reliqui in hoſtis poteſtatem venerunt, vt ait Polybius.

VIII. Et magnitudo cladis.

Liuius 40. millia peditũ, duo millia & 700. equites, pari prope ciuium ſociorumque numero cæſa refert; in quibus fuit alter Conſulum,

duo

duo præcedentis anni Consules, Quæstores duo, vnus & viginti Tribuni militum, Consulares quidam prætorij, atque ædilitij: octoginta præterea Senatores, capta tria millia peditum, & equites trecenti. At cum binis in castris semiermis esset multitudo sine ducibus, qui maioribus præerant nũcium mittunt sociis, vt nocte ad se hoste quiescente transirent, vno agmine Canusiũ abituros esse. Ad maiora castra sexcenti euasere; atque inde protinus, alio magno agmine adiuncto, Canusium incolumes peruenere. Annibal autem cum victoria vti posset, & ipsam vrbem luctu & timore perditam inuadere, & quinto die victor in Capitolio epulari, maluit aliquid temporis quieti dare. Interim Romani circunspexerunt se præsertim acceptis à Varrone literis de re tota, & copijs, quæ Canusij saluæ erant. Dictatorem eligunt Iunium Peram, vrbem muniunt, nouos delectos habẽt, nec solum libera capita, sed seruitia quoque armant, quæ ad octo millia publicè coempta, milites habere maluerunt, quam captiuos minoris redemptos, quos duri vtique & inconsulti, iniuste atque crudeliter abiecerunt, & Annibali barbarè tractandos remisere, vt in Annalibus accuratè demonstratum est, quæ non pœniteat prudentem lectorem inspexisse.

Annibalis imprudentia, & Romanorum in captiuos inhumanitas.

n. 27. 28. & seqq. & rursum n. 40.

IX. Gesta Annibalis à clade Cannẽsi. Capuæ ad eum defectio.

Itaque Annibal ex Apulia, diuina Romanis parcente prouidentia, Samnium mouit, Cossanam vrbem sine certamine recipit, eique præsidium imponit, Neapolim male accipit, Capuã spe imperii Italiæ ad defectionem à Romanis adducit, & in vrbẽ certis conditionibus admissus, periculum cædis adiit, Decium Magiũ, virũ Capuæ primarium, qui ei vehementer restiterat, sibi deditum, & in vincula coniectũ Carthaginem deportari iubet, sed Alexandriam tẽpestate delatus, vbi viuere, indulgentia Ptolemæi permissus est. At Mago Annibalis frater nuncius Canensis victoriæ Carthaginem venit, cui cum Senatus esset datus, narrauit Hannibalem cum sex Imperatoribus, quorum quatuor Coss. duo Dictator & Magister eq. fuerant, cũ sex consularibus exercitibus acie conflixisse, occidisse supra ducenta hostium millia, supra 50. cepisse, aliaque id genus, quæ narrata sunt hactenus: in cuius rei argumentum coram senatu ingentem aureorum annulorum vim effudit. In cuius gratiam quamuis resistente Hannone, Senatus cons. datum est ei supplementum 40. millium Numidarum, cum multis talentis.

Carthagine celebrantur eius victoriæ.

X. Eius à Marcello clades Nolæ.

Annibal recepta Capua, iterum Neapolitanos frustra tentat, tẽtat & Nolanos, apud quos plebe nutante, Senatus Romanum Prætorem Marcellum cum exercitu vrbe accipit; ad cuius aduentum Pœnus agro Nolano excessit, & Nuceriam petijt, quam fame in deditionem acceptam, multis ciuium crudeliter interemptis, diripuit atque incendit. Cumq; Nolam noua spe deditionis redijsset, à Marcello feliciter erumpente ingentem cladẽ accepit, duobus millibus & trecentis suorum impunè cæsis. Desperata Nola Acerras, ciuibus fuga elapsis, capit & euertit, Casilinũ quod valido Romanorum præsidio tenebatur, & cuius eruptionibus grauia damna patiebatur, obsidet: & inde Capuã in hyberna concessit, maioremq; partem hyemis exercitũ in tectis habuit, maximo damno suo; nam quos labor durauerat, Capuanæ deliciæ perdidere.

Capuæ hyemat.

ANNVS MVNDI 3839.

SIMONIS II. 18. PHILOPAT. & PHIL. 6.

ANTIOCHI MAG. 10. Imp. Gr. 97.

OLYMP. CXLI. An. 2. VRB. C. 538.

ANTE CHRISTVM 214.

I. Antioch. Achæum petit, & Sardibus obsidet. *Polyb.*

ANtiochus compositis cum Ptolemæo rebus suis, bello per hyemem multa cura præparato, ineunte æstate Taurum superat, & facta cum Attalo societate; Achæum bello est aggressus. Quid autem ab eo factum sit, priusquam se Sardibus includeret, ibique ad alterum vtique annum obsideretur, non satis constat, propter interruptam Polybij narrationem. Pugna quæpiam vtique præcesserit, in qua superior factus Antiochus Achæum Sardeis compulerit. Ibi autẽ, vt ait l. 7. Polybius, leues dimicationes & pugnæ, sine vlla intermissione, erumpentibus obsessis, diu noctuque committebantur, militibus vtrimque omnia in alterius partis damnũ atque perniciem comminiscentibus; donec sequenti anno oppugnationi, & bello, Lagoræ Cretensis opera, impositus est finis.

II. Ptolom. Hebræos vexat. *l. 3. Mach.*

Ptolemæus autem, vt ex 3. Machabæorum constat, in Ægyptum reuersus, præter consuetam temulentiam, atque libidines, famosis libellis Iudæorum gentem vexare cœpit, & ad Ægyptios ritus compellere; qui resisterẽt, vel occidi iussit, vel omni dignitate ac libertate priuatos, stigmaticos fieri, inusto hederę folio, Liberi patris insigni; qui autem patrijs institutis desertis, obtemperarent, hos voluit iure Alexandrinæ ciuitatis frui. Itaq; multi Regis voluntati cesserunt; plurimi autem constantes fuerũt, seque à vitæ discrimine, & inustione, pecuniæ largitione redemerunt. Cumq; apostatas exe crarentur, eosque contumelijs afficerent, & omni consuetudine vitæ, atque vtilitate priuarent, hi querelas ad Regem detulerunt, qui in reliquos etiam Iudæos, qui in regno suo essent, iratus, omnes in vnum locum cogi iussit vltimis supplicijs afficiendos. Epistolam ipsam, eum eius interpretatione, reperiet studiosus Lector in Annalibus.

n. 3. 4. & seqq.

III. Edicto euocantur Alexandriam.

Edictum hoc ab Ægyptijs, alijsque hostibus Iudæorum, omni cum lætitiæ significatione acceptum est: à Iudæis a. cum luctu & lacrymis, cum gemitibus & lamentis, quibus oppida omnia, & præfecturæ, viæ omnes, domusq; personabant. Nimirum tam inhumaniter vbique, ipsisq; in nauibus tractabantur, vt ipsis quoque inimicis misericordiam commouerent. Alexãdriæ in Hippodromo constituuntur, vt omniũ prætereuntium probris & irrisionibus paterẽt. Tum Rex Hermonem elephantorum præfectum aduocat, iuberque sub insequentem diẽ, multo thure in merum infuso, potari elephãros numero quingentos, eaq; potione efferatos in Iudæos immitti, ab ijs proterendos ac discerpendos. Sub vesperã immittuntur ministri, qui Iudæorum manus colligent, vt crepusculo matutino, exitium ipsis ab elephãtis afferatur. Sed paratis omnibus, & Iudæis diuinam misericordiam cum lacrymis implorantibus, tantũ Regi

In Hippodromo compingũtur ab elephãtis conterendi.

soporem Deus immisit, vt ad horam decimam non expergefieret, donec congregatis qui ad conuiuium præmonitierant, à cubiculario excitatus, ad conuiuium cum eis versus est.

IV. Tertiũ à cæde diuinitus liberatur.

Inter prandendum rex Iudæorum recordatus, accersit Hermonem, & hodierno, inquit, somno illi gratias habeant. Cæterum in sequẽtem diem eodem modo præparari iussit elephantos in sequentem diem, in Iudæorum perniciem; cui præsens ipsemet adesse cupiebat, & clamoribus, detruncationibus, cædibusque inimicorum suorum exsaturare crudelitatem suam. Adest secundus dies, adsunt elephanti, exercitus, & turbæ innumeræ populorum, qui ad sæuum spectaculum confluxerant. Rex euigilat, amicos admittit, adest Hermon, qui regem monet parata esse omnia ad explendam eius voluntatem. At Rex diuinitus in obliuionem præteritorum adductus, interrogabat quodnã id esset negotium, quod tanta cum festinatione ageretur. Cumque Hermon cum amicis regi rem suggessisset, iratus rex Iudæos laudat, atque eorum inimicos in eorum locum substituendos, ipsumque Hermonem cum socijs vehementer obiurgat; quibus ad sua cum pudore metuque dilapsis, Iudæi hanc secundam Dei clementiam, cum gratiarum actione prosecuti sunt.

V. Vltima Iudæorũ liberatio angelorũ interuẽtu

Nec ita multo post rex ad se ingeniumq; suũ reuersus instauraro conuiuio, tertio iubet parari elephantos, multo quam prius in Iudæos ferocior. Adit spectaculum, prodeunt elephanti, procedunt armati exercitus, clamorq; horrisonus belluarum Iudæos de imminãti exitio monet. Illi ad lacrymas precesque confugiunt, semel iterumq; expertam Dei misericordiam implorantes, cum visi sunt duo terribiles angeli de cœlo descendere, omnibus præterquam Iudæis, manifesti, qui Ægyptios ita perturbarunt, vt quasi cõstricti vinculis immobiles fierent. Rex quoque totus inhotruit, atque animo commutatus feritatem deponit. Quin & belluæ in sequentes exercitus conuersæ, eos pedibus proterebant. Tum Rex Iudæos laudatos, vinculis solui iubet, Deumq; ipsorum protectorem agnoscit, deinde diebus septem eos conuiuio excipi iubet, quibus expletis accipiunt potestatẽ interficiendi apostatas, quorum supra trecentos occiderunt. Deniq; Ptolemaidem apulsi, rege omnes viæ sumptus suggerente, ibidem conuiuia instaurarunt, & in suam quisq; domum cum gaudio incolumes reuerterunt. Nos autem ab Ægypto digressi repetamus Italiam, mox etiam Hispaniam adituri.

Occidũt apostatas, & redeunt ad suos.

VI. Annibal varia loca occupat.

Huius anni initio Casilinum oppidum ab Annibale fame expugnatum est, ne quicquam opem ferentibus Romanis, vt autor est Liuius, eique deditione, & corporum redemptione traditum est. Alijs quoq; locis in Italia, Sicilia, Sardinia, cum opem Romanorum hac rerum necessitate implorarent, sibi consulere iussi sunt, id est, cum hoste quam minimo damno depaciſci. Interea qui Romam ad comitia accisi fuerant, ijs adfuere; ea Dictator habuit, quibus creati sunt L. Posthumius III. absens, Galliam enim prouinciam obtinebat, & T. Sempronius Grachus, nuper Magister equitum. Qui cum initio magistratu Senatum de nouo delectu consuleret, clades L. Posthumij Consulis designata, nunciata est, quem Boij in Libana sylua, in insidias nec opinantem illapsum cum 25. armatorum millibus oppressérant: qua cladem Romani ingenti publicoque luctu, clausis per multos dies tabernis, prosecuti sunt, eique Q. Fabius Maximus suffectus est: quoniam M. Marcellus vitio creatus indicatus est, quod eo magistratum ineunte, tonitru fuisset auditum.

Noui Cõsules.

Hoc eodem anno P. & Cn. Cornelij Scipiones, præclare in Hispania contra Asdrubalem rem gesserunt. Qui cum iuberetur exercitum in Italiam traducere, idq; Scipiones modis omnibus prohibere conarentur, nihil dubitantes eum diem, quo se Annibali Asdrubal adiunxisset, imperij Romani vltimum fore, Iberam vrbem opulentissimam valide obsident, & Asdrubalem ex itinere retrahunt, moxq; cum eo velut ex composito prælio decernunt. Romani sic erant in pugnam excitati, vt à se pugna crederent vltimam patriæ cladem auertere; itaque obstinauerant aut vincere aut mori. Minus pertinaces habebat acies altera. Nam maxima pars Hispani erant, qui vinci in Hispania quam victores in Italiam trahi malebant. Itaque victi sunt, capta castra direptaque, & quæ adhuc oppida dubia erant, Romanis adiuncta Asdrubali vno non modo traducẽdi in Italiam exercitus, sed ne manendi quidem in Hispania satis tuto spes relicta est. Quæ postquam literis Scipionũ Romæ vulgata sunt, non tam victoria, quam prohibito Asdrubalis in Italiam transitu lætabantur. Pœni autem ea clade cognita, subsidia quæ Annibali destinauerunt, in Hispaniam Magone duce mittunt.

Hoc ipso anno, teste Liuio, posteaquam tertia iam pugna, tertiaq; victoria fauerat, Pœnis, Philippus Macedonum Rex, qui Italiam spe deuorauerat, Demetrio Pharios impulsore, & iuuenili ætate suadente, vigesimum enim agebat annum, legatos ad Annibalem Capuam mittit, qui cum in Romana præsidia incidissent ementita legatione, periculo exempti ad Annibalem peruenerunt, certisque legibus fœdus cum eo inierunt. Sed ijsdem in reditu deprehensis, Romamque missis res patefacta est. At Patres, qui vix se bello Punico ferendo pares esse sentiebant, ad noui belli Macedonici emergentis curam, anxiè descendebant, et tamen non succubuerunt, sed extemplo dederunt operam, vt bello vltro Macedonibus inferendo ab Italia illud auerterent. Ergo captiuis partim in vincula coniectis, partim sub hasta venditis, Quinto Fuluio, qui littoribus Calabriæ cum classe præerat, & Marco Valerio prætori præceperũt, vt primo quoque tempore in Macedoniam cum classe transmitterent, & Philippum in regno continerent. Cæterum dum capti legati Romam mitterentur, nauis vna elapsa fuerat, quæ ad Philippum peruenit, qui ex ea didicit Legatos à Romanis cum literis interceptos. Et ignarus quid confectum esset, legationem aliam mittit cum ijsdem mandatis, quæ felici cursu iter emensa, & re confecta remeuit æstate iam circumacta, nihil vt hoc anno rex in Romanos moliri posset.

Interea in Italia feliciter à Romanis contra Pœnum, & qui ab eo stabant, dimicatum est. Nã Sempronius Consul Campanos, qui fraude

Cumas opprimere cogitabant, quod nollent ad Annibalem deficere, inuasit improuisos, & duo millia ipsorum cum duce Campano cõcidit, & Annibalem vltionem parantem elusit, obsidẽtem repulit, & noua clade affecit ad mille & quadringentos Pœnorum occisis, & vndequadraginta viuis captis. Iisdem diebus Hanno in Lucanis cum Sempronio Longo male pugnauit, & duobus militum millibus amissis, & supra 40. militarib. signis, Lucania pulsus, in Brutios compulsus est. In Sardinia quoq; ,quæ defecerat ad Pœnos, à Prætore T. Manlio res bene gesta est, Sardiniaq; tota perdomita. Præter itẽ Otacilius contra Asdrubalem in mari pugnauit, eiq; septem naues cum viris eripuit. Præclare denique à Marcello in propugnanda Nola, in Samnitibus & Hirpinis, qui Romanos deseruerant, crebra excursione vexãdis, & obsidione Annibalica fortiter prudenterq; toleranda, res gesta est, non eruptionibus solum, sed collatis etiam signis; adeo vt pugna vna plus mille hostium cæsa fuerint, mille & sexcenti capti, & signa militaria vndeviginti; multa cum gratulatione plebis, quæ fuerat in Pœnum ante propensior. Accessit postremo die inde tertio defectio 1272. equitum tam Numidarũ quam Hispanorum, quorum deinceps forti ac fideli opera Marcellus est vsus. Annibale in Apuliam ad hyberna profecto, Q. Fabius agrum Campanum populatus, ad Capuam castra posuit.

Præsertim Marcellus Nolæ.

X. Feliciter quoq; in Hispania Scipiones. *Liuius. l.*

In Hispania res etiam felicius gesta est à Scipionibus. Commeatu enim ex vrbe accepto, Illiturgum oppidum nobile, quod tribus hostium castris Asdrubalis, Magonis, & Amilcaris oppugnabatur, per magnas eorum strages cum frumento penetrarunt; tum ciues bene animatos ad maiora castra, quibus præerat Asdrubal, oppugnanda ducunt, quo reliqui etiam exercitus conuenerant, quasi de summa rei agendum foret. Hostis ad 60. millia pugnatorũ numerauit, Romanus fere sedecim. Quibus nihilominus ita fauit victoria, vt plures cæsi fuerint, quam ipsi Romani essent, ad tria millia capti, signa militaria vndesexaginta, præter equos & Elephantos; ternis denique castris eo die Scipiones potiti sunt. Illiturgo obsidione liberato, ad Incibile quoq; oppidum feliciter à Scipionibus iterum pugnatum est; eamque victoriam omnium prope populorum defectio ad Romanos secuta est. Hæc ad Hyemem vsque in Hispania contigerunt.

ANNVS MVNDI 3840.

SIMON. II. 19. PHILOP. & PHILIP. 7.

ANT. MAG. 11. Imperij Græcorum 98.

OLYMP. CXLI. An. 3. VRB. C. 539.

ANTE CHRISTVM 213.

I. Res ab Antiocho in Achæum gesta. *Polyb. l. 7. & 8.*

ANtiochi magni res admodum secundæ hoc anno in Asia fuerunt. Nam captis per insignem audaciam Sardibus, & per insigniorem proditionem Achæo, quidquid ipsi parebat, facile in legitimi principis potestatem redactum est. Et Antiochus quidem tota hac expeditione maximè cogitabat Achæum, quem vt in suam redigeret potestatem Ægyptio bello parũ se honorifice expedierat, moxq; cum Attalo societatem inierat. At ille Sardeis, inque eius arcem munitissimam se receperat, vbi alterũ iam annum Antiochi conatus omnes eludebat. Hoc ergo anno Lagoras Cretensis explorat vrbis capiendæ locum præruptum atq; inuitum atque ideo incustoditum, per quem statuit cum 30. socijs audacissimis noctu in vrbem invadere. Quod dum illi exequuntur, Antiochus, vt obsessos a ea cogitatione auerteret, ad portã dictam Persidẽ copias admouet, quasi ea in vrbẽ penetraturus. Eò Aribazus vrbis præfectus copias, ad hostem repellendũ, mittit. Interea Lagoras cum socijs superatis rupibus, ad portam subiectam perueniunt, qua perfracta, duo millia in id destinata theatri summam coronã occupãt, moxq; aliis portis occupatis, totius regis exercitus irrumpit, oppidanis cum Aribazo se in arcem, post leue certamen, recipientibus.

Sardeis captæ.

II. Apparatus ad Achæũ capiendum

Supererat Achæus in arce, quem votis omnibus iampridem comprehendere cupiebat Antiochus: quod hostium suorũ opera, ac proditione consecutus est. Bolis quidam Cretensis Alexandriæ in aula versabatur, vir audacia & calliditate singulari. Eũ Sosibius, qui Achæũ intimè diligebat, & in Ægypto poterat omnia, cõuenit, oratq;, vt ad eripiendum ex arce Achæũ cõminiscatur aliquid; nihil ipsum hoc tempore Ptol. gratius, nihil sibi fructuosius efficere posse. Bolis vbi multa versasset animo, negotium in se recipit, vt qui amicum haberet ac cognatum Cambylum præfectum Cretensium, qui in exercitu Ant. Magni, ad ipsam arcem custodias agebant. Sosibius illi decem talenta interim numerat, & ingenti spe plenum cum literis commendatijs dimittit ad Nicomachum Rhodiũ, & Melancomam Ephesium intimos Achæi amicos, quorum opera Bolis ad perdendum Achæum improbissimè abusus.

Rhodum venit atq; Ephesum, sumac Sosibij consilium aperit, redditis commendatitijs ad eos literis: qui vicissim omnẽ operam ad Achæi salutẽ promiserunt. Tum vnum è famulis suis Arianũ mittit ad Cãbylum, vt locus ab eo & tempus designetur, quo tuto conuenire possint. Statuitur locus in quo noctu conuenerũt, & expositio rei statu in eam sententiam conuenerunt, vt pecuniam à Sosibio acceptã inter se diuiderent, rem Antiochio aperirent, amicorũ literis in arcem penetrarent, & Achæo fidem facerent, vt se ipsis crederet; eductũ ex arce non in libertatẽ assererent, sed comprehensum Antiocho excruciandum traderent. Cambylus Antiocho rem aperit, Bolis autem literas à Nicomacho & Melancoma, qui rem syncere agi arbitrabantur, ad Achæum exprimit, quibus hortantur vt Bolidi & Cambylo fidem habere ne dubitet. Eas Bolis mittit per Arianum ad Achæum in arcem, in quam Cambyli opera admittitur, & Achæ fidem facit, qui denique se Bolidi & Ariano permittere statuit.

III. Bolidis ea rem ferentes.

Illi priusquã illucesceret, admittuntur in arcem, Bolidem Achæus singulari comitate accipit, moxque variis interrogationibus explorat hominis fidẽ; quem cũ cerneret vultu verbisq; constantem, abeundi propositum apud se con-

IV. Achæum ex arce educit.

firmat, ſed pro ſua prudentia, ſtatuit ipſi quoque Bolidi ignotus abire. Ideoque negauit Bolidi ſe cum eo nunc exire poſſe, verum tres quatuorve ex numero amicorum cum ipſo miſſurum, qui cum Melancoma colloquerentur, moxque paratum ſe fore ad eundem. Vbi mox aduenit, præmiſſis Ariano & Bolide ad portam qua exituri erant, ibi operiri eos iuſſit, qui cum ipſis erant abituri. Mox ſalutata ac bene animata vxore, quatuor aſſumit ſocios, quibus mediocrem amictum dedit, ipſe plebeium indutus eſt. Ergo viæ ſe dant, præit Arianus propter viæ notitiam, ſequitur Achæus, ponè ſubit Bolis cum reliquis, & quidem maxime anxius, vt qui omnino neſciret an adeſſet Achæus, impedientibus tenebris. Id tamen agnouit vbi animaduertit reliquos in locis difficilibus ei officioſè adeſſe.

V. Comprehenditur, & traditur Antiocho, traiicitur.

Vt ergo ventum eſt ad locum inſidijs obſeſſum à Cambylo, Bolis ſibilo dat ſignum. Illico exurgunt qui erant in inſidijs, alijque alios comprehendunt. Bolis Achæum cum veſtibus ſuis corripit, ſtatimque à militibus vinculis cõſtringitur, & ad Antiochum cum ſuis è veſtigio adducitur. Is enim rei exitum cum duobus tribuſue Satellitibus ſollicitus expectabat: ſubitoque ingreſſus Cambylus vinctum Achæum humi abiectum, cũ omnium admiratione deſtituit. Vbi illuxit, ex procerum ſententia placuit, vt miſer extremis primum membris mutilaretur, tum amputato capite, atque vti aſinino inſuto, truncus in crucem tolleretur. Quo facto tantus caſtra motus inuaſit, vt Laodice mariti caſum è tumultu conijceret. Ad quam mox Caduceator aduenit totius rei nuncius, ſimul iubens vt arcem traderet: qua de re cum Ariobazus & Laodice diſſentirent, dum ſibi inuicem diffidunt, celeriter vtraque factio, ſe & arcem fidei Regis permiſit. Sicque Deus Achæum proditione perire permiſit, qui prodita per ambitionem fide ætate ſui regis abuſus, bonam regni partem hoſti ſublatam ſibi vſurpaſſet.

Supplicio afficitur, & arx Antiocho traditur.

VI. Philopatoris vitæ ratio.

Interea in Ægypto *Philopator*, vt ſcribit Iuſtinus l. 30. *contentus recuperatione vrbium, quas amiſerat, factaque pace, auido materiam quietis arripuit, reuolutuſque in luxuriam, occiſa Eurydice vxore eademque ſorore*, eam autor l. 3. Machabæ. Atſinoëm vocat, ſi tamen eadem fuit. Cauſam mortis ſuſpicari poſſumus zelotypiam concubinatum: ſequitur enim, *Agathoclea meretricis illecebris capitur: atque ita omni magnitudine nominis & maieſtatis oblitus, noctes in ſtupris, dies in conuiuiis conſumit*, &c.

VII. Mors Hieronis, & motus in Sicilia.

In Sicilia hoc ipſo tempore mortuus eſt Hiero rex Syracuſanus: vnde contigit res in ea inſula valde perturbari. Cum enim Hieronymo nepoti, qui decimum quintum agebat annum, regnum reliquiſſet, eumq; generoſq; ſuos, quos ei gubernatores relinquebat, hortatus eſſet, vt amicitiam Romanorum, quam ipſe 50. ipſos annos coluerat, conſeruarent, ipſi contra Annibali adhærere maluerunt, eaque lege fœdus inierunt, vt cum Romanos Sicilia expulſiſſent, inſula ad Himeram fluuium diuiſa, foret Syracuſani & Punici imperij. Mox autem aſſentatorum monitis acquieſcens Hieronymus alteram legationem Carthaginem miſit; qua æquum cenſebat omnem ſibi cedi Siciliam, Imperium Italiæ Carthaginenſium fore. Sed hæc vota in ventos celeriter abiere. Cum enim in Leontinos profectus eſſet, ad tentandas vrbes, quæ Romanis præſidijs tenebantur, ad viæ angustias à coniuratis interfectus eſt, qui mox liberas proclamauere Syracuſas.

VIII. Noui Coſſ. & belli apparatus.

Romæ autem arbitrio Q. Fabij Conſules facti ſunt clariſſimi imperatores, qui contra Annibalem in acie ſtare poſſent, Fabius ipſe & Marcellus, qui omnium in ſe animos expectatione conuerterunt; multis enim annis tale par Conſulum non fuerat. Ijs ad bellum proficiſcentibus, omnibus, qui cum exercitu varijs in locis erant, prorogatum eſt imperium, duodeviginti legionibus bellum geri placuit. Hic apparatus Campanos exterruit, & ad accerſendum Annibalem excitauit. Quem ſecutus Fabius, Sempronium Gracchum iubet occupare Beneuentum; quo ipſo tempore Hanno ex Brutis cum magna equitum & peditum manu eodem venit; vbi & acerrimè pro Romanis pugnatum eſt à Volonibus, conditione ſeruis in præmium victoriæ libertate promiſſa, & ingens obtenta victoria. Quæ dum ad Beneuentum geruntur, Annibal agrum Neapolitanum depopulatus, ad Nolam caſtra mouet, vbi à Marcello male acceptus eſt; & niſi per Neronis imprudentiam ſtetiſſet, accepta ad Cannas reddebatur hoſti clades.

Vide Annalium n. 26

IX. Annibal ambit Tarentũ.

Deſperata Nola Tarentum venit Annibal magna ſpe, magnoque deſiderio. Nam quinque iuuenes, de quibus ipſe dudum bene meritus fuerat, quaſi totius iuuentutis legati, eum inuitarunt, ſpondentes fore, vt ſi eius ſigna eminus conſpecta forent, Tarentum deditionem faceret. Ingens autem cupido tenebat Annibalem Tarenti potiundi, vrbis inprimis potentis, & opportunè in Macedoniam verſæ: Regemque Philippum hunc portum, ſi in Italiam tranſiret, cum Brunduſium Romani haberent, petiturum. Sed tardius ad eos venit Annibal. Nam T. Valerius eò maturius à Proprætore miſſus, vrbem in officio tenuit, & hoſtis re infecta reuerſus eſt, & Salapiam ad hyberna deſtinans, eò ſtudioſe concuchit commeatum, & prædas equorum præſertim per Apuliam collectas.

X. Caſſilinũ à Coſſ. obſidetur, & capitur.

Interea Conſul vterque Caſilinum venit, quod valido Campanorum & Pœnorum præſidio tenebatur, cumque res minus bene ſuccederet, Fabius curas aliò vertendas cenſebat; At Marcellus conſtantiam metu aduerſæ famæ, collegæ perſuaſit. Cumque machinæ omnis generis admouerentur vrbi, Fabium Cãpani orabant, vt abire tutò Capuam liceret, egreſſi ad 50. Sed Marcellus portam qua egrediebantur occupauit; deinde eruptione facta, vrbe potitus eſt. Captiui Annibalici, Campanique Romam miſſi, carceribus mancipati ſunt. Marcellus Romam redijt, vbi aduerſa valetudine tentatus eſt. Fabius in Samnio multa oppida vicepit, recepitque perfugas 370. quos cũ Romam miſiſſet, virgis in comitio cæſi omnes, ac de ſaxo deiecti. Quæ dum in Italia geruntur, pleraque feliciter à Romanis in Sicilia, Hiſpania, & Illyrio contra Philippum Macedonem geſta ſunt.

Perfugarum ſupplicium.

XI.

Occiſo in Sicilia Hieronymo, Demarata filia Hieronis vxor Andronodori, maritum ſti-

Andronodorus tyrānidē affectat in Sicilia.

mulabat ad vsurpandam tyrannidem; cui cum is acquieuisset, accinit in consilij societatem Themistium, cui Gelonis filia Harmonia nupserat. At re ad Prætores clam delata, in curiam euocati, occisi sunt ambo, & mox cum ipsis eorum vxores. In eorum locum legati Annibalis Hippocrates & Epicides Prætores effecti sunt Syracusis, à quibus turbata sunt omnia, quæ de pace, & renouata cum Romanis societate agi cœperant. Cum enim nouam Carthagine classem in Siciliam appulisse intellectum est, isti depositio timore Romanos criminantur, & in odium vocant. Sed mox sapienti Apollonidis oratione persuasi, Syracusani legatos ad Marcellum Consulem mittunt, pacis confirmandæ causa. Marcellus pacem confici posse negat, nisi Hippocrates & Epicides tota Sicilia ablegentur, vt qui recentibus iniuriis Romanos afficerant. At Leontini, quos illi à Romano fœdere interfecta statione abduxerant, ferociter respondentes Romana in se arma concitarunt.

Legati Annibalis ibi omnia turbant.

XII. Leontini deficiūt, & capti punitur.

Marcellus in eos mouet, Appio quoque accito, qui ad Murgantiam cum classe aderat, vt ex altera parte vrbem aggrederetur. Tanto ardore militum vsus est, vt primo impetu vrbem expugnarent; ad duo millia transfugarum verberati, ac secuti percussi. At turbatum duces cū ex arce profugissent, occurrerunt exercitui Syracusano, qui Romanis auxilio veniebat, eique referunt Romanos vrbem cædibus repleuisse, nec quemquam superesse puberem. Ea retemere credita, cum Hippocrates insuper fictis literis mercenarios concitasset, quasi morti destinati essent, aliisque mendaciis non milites solum, sed plerosque etiam optimates à Romanis auertisset, Syracusæ in pristinam seruitutem recidere. Romani semel iterumque Syracusas mittunt, ad hosce tumultus pacificè componēdos, qui vix tuto elapsi sunt. Inde terra marique cœptæ obsideri Syracusæ, sed Romanorum conatus variis artibus machinisque ludificabatur Archimedes, adeo vt speculis vstoriis in remotas naues flammas iniiceret, itaque in tertium annum obsidio protracta est.

Et Syracusani decepti calumniis, qui obsideri cœpti.

Archimedes.

XIII. Res gesta contra Philippū in Illyrico, eiusque fuga.

Eadem æstate cum Macedone quoque res gesta est. M. Valerius Prætor Brundusinæ classi præerat. Ad eum legati ex Orico Epiri vrbe maritima venerunt opem implorantes, quod eorum vrbem Philippus occupasset. Eò Prætor cum classe traiecit, & pulso Philippi præsidio vrbem recepit. Eò legati ex Apollonia venerūt, nunciantes obsideri se, quòd à Romanis deficere nollent. Prætor mille milites duce Nævio Crispo Apolloniam misit, qui nocte vrbem, nemine hostium sentiente, ingressus est. Postridie agnitis vrbanis copiis, & oppugnantium negligentia, eruptionem in proximam noctem parat; quæ ei tam feliciter cessit, vt castra occuparet, & hostem pro arbitrio cæderet: & Rex ipse somno excitatus, seminudus ad flumen naues que perfugeret. Crispus paulo minus tribus hostium millibus, aut cepit, aut occidit, castra diripuit, machinas vrbi capiendæ, ad eam defendendam in vrbem transtulit. Quæ cum Orici Valerius accepisset, classem protinus duxit ad Aluminis ostium, ne Rex nauibus effugeret. Itaque Philippus incensis nauibus cladium plenus ac pudoris, terra Macedoniam petiit, Prætor cum classe Orici hybernauit.

In Hispania vario euentu à Pœnis Romanisque certatum est, ad Castrum altum, ad mōtem victoriæ, ad Illiturgum, ad Mundam, ad Auringem. Denique Saguntum oppidum, pulso Punico præsidio, receptum est, ciuibusque, quos belli vis reliquerat, restitutum: anno sexto ex quo in potestatem hostium venerat, quamuis in Liuio legatur octauus.

XV. Et in Hispania contra Pœnos. *Vide Annal. n. 44. 45. 46.*

ANNVS MVNDI 3841.

SIMO. II. 20. PHILOPAT. & PHIL. 8.

ANTIO. MA. 12. Imperij Græcorum 99.

OLYMP. CXLI. A. 4. VRB. CO. 540.

ANTE CHRISTVM 212.

ALtum est hoc anno, & aliquot sequentibus de Antiocho Magno, & Philoparore silentium, donec hic per immensam nequitiæ turpitudinem extinctus est. Hebraicæ quoque res, vsque ad mortem Simonis in obscuro sepultæ iacent. De Philippo Plutarchus ait eum, cum turpissimè bello Romano victus esset, vt proxime dictum est, ex miti Rege, & modesto adolescente, in virum lasciuum, ac detestabilē degenerasse tyrannum. In Peloponneso contra Messenios bellum gessisse, & Aratum, qui Achæorum prætura decies & septies cum laude functus fuerat, veneno sustulisse. Interea Valerius Læuinus in eum erat intentus, ne quo modo Pœnis contra Romanos adesset. Itaque per secreta colloquia Ætolos, qui hoc tempore potentes erant, quosque Philippus recenti fœdere occuparat, tentare cœpit, vt scribit Liuius, idque sequenti quoq; anno factitatum est, minime irrito conatu.

I. Res Philippi. *In eius vit. Pol. l. 8.*

Arati mors.

Romæ Sempronius Consul in Lucanos, in Apuliam Fabius profectus, cui Fabius cunctator pater legatus venit, probauitque Consulatem aduersus parētem autoritatem, cum equo desiliens ad lictoris imperium, *Experiri*, inquit, *volui, fili, satin scires Consulem esse.* In ea castra Altinius Arpinas venit, qui oppidi proditionem pollicebatur, qui pridem ad Pœnos à Romanis transfugerat. Vt cognitum est in oppido abesse Altinium, monitus Annibal, coniugem eius ac liberos in castra accitos, viuos combussit, eos videlicet meditatæ defectionis conscios arbitrabatur. Fabius Arpos noctis ac pluuiæ fauore occupauit, & Arpinates prudenti admonitique eò deduxit, vt conuersis armis, ipsi quoque Pœnos inuaderent. Hispani quoque fere mille secuti sunt Arpinates, ea conditione vt sine fraude Punicum præsidium emitteretur. Itaque factum: deinceps que Hispani hi dediticij fortem fidelemque operam Romanæ Reipub. nauarunt. Romæ fœdum incendium per duas noctes, & vnum diem tenuit, lateque vagatus ignis, sacra multa profanáque cōsumpsit; quæ clades addita publicis malis, causa esse potuit Oppio Tribuno plebis legis ferendæ de sumptu mulierum, quæ Oppia dicta est, quam constat hoc anno latam.

II. Consulatus autoritas.

Arpinates ad Romanos deficiunt, dimisso præsidio.

Romæ incendiū, & lex oppia.

Liuius l. 34.

III. Syphax Numidas se iungit Romanis

Hoc anno P. & Cn. Scipiones, cum in Hispania res prosperè gererent, etiam in Africam spē extenderunt. Cum enim Syphax Rex Numidarum subito Carthaginensibus hostis factus esset, Scipiones tres ad eos legatos miserunt, de amicitia & societate iungenda, & Numidis è Pœnorum castris ad Romana castra traducendis. Cumque ab vno legatorum pedestris militiæ disciplinam didicissent, tantum profecerūt, vt Carthaginenses, collatis ex æquo signis, superarent. At Pœni Gelam ex altera Numidiæ parte regnantem adeunt, docentque Syphacē sese Romanis in perniciem populorum Africæ coniunxisse ideóq; opprimendum, priusquam Romanorum copiis iuuari posset. Rex filium suum Masanissam magnæ spei adolescentem contra eum misit, qui iunctis Carthaginensium legionibus, Syphacem simul iterumque magna clade affecit, dum Marcellus in Syracusarum obsidione perseuerat. Annibal autem in ambienda Tarenti proditione, magnam anni partem frustra consumpsit.

A Masanissa vincitur.

ANNVS MVNDI 3842.

SIMONIS II. Ducis & Pont. 21.

PHILOPATORIS, & PHILIPPI 9.

ANTIOCHI MAG. 13, Imp. Græc. 100.

OLYMP. CXLII. A. 1. VR. C. 541.

ANTE CHRISTVM 211.

I. Res anni huius.

IN historiæ Græcæ Iudaicæque silentio, hoc regni Græcorum anno seculari, & primo Olympiadis CXLII. Romana historiā copiosam rerum gestarum syluam suppeditat; quarum hæc primaria, & summa sunt capita, Tarentinorum defectio in magna Græcia, Capuæ in Campania obsidio, Syracusarum in Sicilia expugnatio, clades multiplices Romanorum in Hispania, cum vtriusque Imperatoris cæde, quibus alia minutiora coniungūtur, quæ Liuius toto 25 libro fuse persequitur, & octauo Polybius. Cum ergo Tarentinorum defectio iamdiu & in spe Annibali, & in suspicione Romanis esset, causa illius maturandæ fugæ obsidum Tarentinorum fuit, qui mox ex fuga retracti, & virgis in comitio cæsi de saxo deiecti sunt. Ea pœna Tarentinos ad defectionem ad Annibalem concitauit. Id negotium in primis Nico & Philomenes, per speciem venationis, cum Annibale tractarunt, moxque plane confecerunt.

Vide a. m. 3840. n. 9 Causa defectionis Tarentinorum.

II. Ab Annibale per proditionem occupatur.

Portus enim duabus eorum opera patefactis, cæsisque custodibus, Annibal cum peditum agmine ingreditur, forum occupat, suos per vrbem dispertit, Romanos occurrentes cædi mandat, parci Tarentinis, quos & quiescere iubet, & bono esse animo; sibi libertatem non perniciem adesse. Præfectus tumultu excitatus semisomnis in portum, indéque assumpta scapha cum paucis in arcem confugit. Vbi illuxit vrbem ab Annibale captam esse cognitum est, notatæ, ex mandato Annibalis, Tarentinorum ædes, vt cæteræ diriperentur. Inde arx oppugnare cœpta, etumpentes malè à Pœnis accipiuntur; quibus vicissim Romani cladem reponunt, subsidio à Metapontinis accepto. Reliqua erat spes Annibali, arcis fame ad deditionem compellendæ. Sed cum arx in peninsula composita faucibus portus immineret, ad quē commeatus mari inferrentur, propius erat vt obsidentes quam obsessi fame premerentur. Itaque statuit naues è portu abstractas, per mediam vrbem, in medium mare ante fauces portus transferre, idque cum omnium admiratione perfectum est. Neque tamen arcis deditionem extorsit; quin ipsam quoque vrbem post triennium amisit.

Interea vterque Consul erat in Samnio, & Capuam obsessuri videbantur. Iamque famem ante obsidionem Campani metuebant, quippe Romanorum exercitus eos sementem facere prohibuerant. Itaque per legatos frumentum ab Annibale flagitant, qui opera Hannonis magnam eis frumenti vim ex Bruttiis procurat, sed Capuanorum socordia factum est, vt pauca tantum plaustra reciperent. Nam occasione amissa superuenientibus Coss. Hannonis castra cum cæde multorum expugnantur, multa hostium millia cum frumentatoribus Campanis, totoque frumenti apparatu capiuntur, quod in arcem Tarentinam & Metapontū deuehi curant, Consul Beneuentum redit, quo mox alter Consulum venit. Ab iis præda, quam Hanno ex sociorum agris corraserat, partim vendita, partim diuisa est. Hanno furtim in Bruttios rediit, male à Romanis per culpam Capuanorum acceptus.

At vicissim Romani non leuia damna passi sunt hoc tempore. Nam Capuani, qui sibi à Romanis male metuebant, duo millia equitum ab Annibale acceperunt, qui agros ipsorum populatione prohiberent, Metapontini frumento à Romanis accepto, se Pœnis dediderunt, sicut & Thurij, & alij in eadem ora, non tam odio Præfectorum, quam dolore obsidum crudeliter interfectorum. Sempronius Gracchus proconsul, spe conciliandi sibi Lucanos, in Punicas deductus insidias, fortiter pugnans occubuit; mortui corpus ab Annibale dicitur honoratum. At Volonum exercitus, qui eo viuo summa fide stipendia fecerat, velut exauctoratus morte ducis, à signis abscessit, quos postmodum. Senatus conquiri, & ad signa reuocari iussit. Coss. in agrum Campanum prædas agebant, cum Magonis & oppidanorum eruptione, supra mille & quingentos suorum amisere. Annibal autem vicissim in agrum Beneuentanum veniens, Romanis fecit pugnandi potestatem. Pugnatum est, & acies Romana equitum incursu grauiter laborare cœpit; cū procul visus Sempronianus exercitus, cui Cornelius Quæstor præerat, vtrique parti parem metum attulit, ne noui hostes aduentarent. Itaque velut ex composito, vtrimque signum receptui datum est.

Paulo post Annibal geminam intulit Romanis cladem; alteram in Lucanis contra M. Centenium, quam secum congredi ausum acie vicit, atque interfecit, cum septem millibus, tam ciuium, quam sociorum, vix mille

fuga

fuga elapsis. Alteram in Apulia contra Cn. Fuluium Prætorem, qui milites suos prospero nescio quo euentu elatos, vix impetu continebat, qui tamen ne primum quidem hostis impetum sustinuere. Nam Dux vbi aciem inclinatam, ac suos trepidantes vidit, cum ducentis ferme equitibus effugit. Cætera acies à fronte pulsa, ab alis circumuenta, eousque cæsa est, vt ex duodeuiginti hominum millibus, duo millia haud amplius euaserint. Quæ clades alia super aliam Romam allatæ, ingentem luctum ac pauorem ciuitati attulerunt; eos tamen res à Consulibus bene gestæ consolabantur.

VI. Obsidio Capuæ.

Vbi enim Consules Annibalem Capua, ad Lucanos Apulosque auertterunt, Capuæ obsidionem summa cura aggrediuntur, frumentum ad maritima castella conuehunt; ad Vulturni ostium præsidium imponunt, vt & mare proximum, & flumen esset in potestate. Tria prætoria ad Capuam excitata sunt, Consulis vtriusque & Claudij Neronis Prætoris, simulque à tribus exercitibus, diuersis locis vallo fossaque vrbs cingi cœpit, & castella modicis interuallis excitari, Capuanis nequicquam ad impediendum excurrentibus, & Annibalem euocantibus, qui Tarentinam arcem interea neque vi occupare potuerat, neque proditione Brundusium. Legatis magnificè respondit Annibal, & antea Consules obsidionem soluisse, & nunc aduentum suum non laturos. Interim literæ à Prætore Vrbano acceptæ, vt potestas fieret Capuanis, vsque ad Idus Martias, Capua cum rebus suis exeundi, post eam diem, quique exissent, quique ibi mansissent, hostium loco futuros. Quæ temporis nota monet, vt reliqua ad sequentem differamus annum.

Annibal euocatur.

15. Eiusdem.

VII. Syracusæ expugnantur, & quis expugnationis modus.

Sequitur non minus illustris, quam luctuosa Syracusarum expugnatio, M. Marcelli auspiciis hoc anno perfecta, quæ iam pene desperabatur, mari commeatum suppeditante. Cum autem occasione colloquij de Damasippo quodam Lacedæmonio redimendo, Romani muri altitudinem & ordines lapidum æstimassent, vidissentque multo humiliorem opinione sua murum, & scalis superari posse, Marcellus clam scalas parari iubet, & festo Dianæ die muris, nocte applicati, cum ciues vino madidi, & obruti somno iacerent. Vbi sine tumultu ac strepitu, primi euaserunt in murum, alij atque alij deinceps secuti sunt; à quibus qui in turribus, aut cubilibus reperti sunt, vino fatigati facile perierunt. Inde terrendi hostis causa, signum occupatæ vrbis tuba datur, tum ciues, omnia ab hoste teneri existimantes, huc illucque diffugiunt, plerique ne mali quidem sui magnitudinem partim propter somnum & crapulam, partim propter vrbis amplitudinem ad lucem vsque senserunt, cum Marcellus effracto Hexapylo, copias omnes suas in vrbem induxit, eamque è superiore loco contemplatus, propter imminentem tantæ ciuitatis vastitatem, lacrymas tenere non potuit.

VIII. Marcelli humanitas.

Omnes subinde partes vrbis deditionem fecerunt, rogantes Marcellum, vt cædibus atque incendiis parceretur. Is militibus edixit ne quis liberum corpus violaret, cætera prædæ futura. Signoque dato milites discurrerunt ad prædam, neque rapinis ante modus fuit, quam omnia diuturna felicitate cumulata bona egessere. Domilcar sub ipsum expugnationis initium Carthaginem profugit, vnde irritum mox retulit auxilium. Memoriæ porro proditum est, Archimedem in tanto tumultu quantum vrbs tanta, in diripientium militum discursu ciere poterat, intentum formis quas in puluere descripserat, abignaro milite quis esset, interfectum. Addit Valerius interrogatum quisnam esset, nomen suum, propter nimiam ad figuras illas suas attentionē, edere non potuisse, sed protecto manibus puluere, oras se ne lineamenta confunderet; iratumque militem hominem obtruncasse, admodum ægre ferente Marcello, vt Liuius, & Plutarchus in Marcello, prodiderunt. A quo illud quoque proditum est, Marcellum res in Sicilia ita composuisse, vt deinceps populi, à Romanis clementiæ & humanitatis exempla non desiderarent.

Cædes Archimedis. l. 8. c. 7.

Marcelli humanitas.

IX. Eius pugna contra Annibal. Liuius l. 26.

Secuta est noua Marcelli pugna contra Duces Annibalis, in qua Romanus ægrè victor fuit, ope tamen deficientium Numidarum vicit, eique Syracusas reuerso, imperium in annum sequentem prorogatum est. Quæ dum in Sicilia geruntur, M. Valerius Læuinus, qui Græciæ & Philippo imminebat, non solum Ætolos sibi deuincire, & à Philippo abducere conatus est, sed vltra progressus, in Asia Attalum Pergami Regem populo Romano socium acquisiuit; idque hoc facilius fuit, quò ille sibi magis ab Antiocho vicino, & recens Achæi victore metuebat. Duos quoque Illyriorum regulos Pleuratum & Sardiletum, populosque duos Lacedæmonios & Eleos, fœdere, quod cum Aetolis anno proximo initum est, voluit comprehendi.

Romanorū cū Attalo & aliis societas.

X Hispanicæ res.

Restant Hispanicæ res anni huius, quo Scipiones ex hybernis egressi, copias coniunxerunt, vt si quomodo fieri posset, bellum in Hispania finiretur, ad quod magnum momētum allatura videbantur 30. millia Celtiberorum, illa hyeme ad arma excitata. Tres erant Pœnorum exercitus, Asdrubalis vnus, Magonis alter, tertius filij Amilcaris, qui & ipse Asdrubal dicebatur, Annibalis frater. Sed duo illi coniunctis copiis quinque ferme dierum itinere à Romanis aberant; propior erat cum exercitu ad vrbem Anitorgim Annibalis frater, quem primum opprimere Scipiones cupiebant. Sed veriti ne hoc deuicto, cæteri fugitantes bellum extraherent, copias tripertito diuisere, sic vt P. duas partes contra priores illos duceret, reliqua Cn. contra Asdrubalem pugnaret. Is paucitate contempta, etiam Celtiberos, quorum auxilio Scipio nitebatur, fidem fallere magna merce de persuasit. Scipio consilii inops, cum nec pugnare posset, nec fratri iamdudū antegresso coniungi, retro vnde venerat abire constituit, neque vsquam hosti pugnæ copiam dare.

XI. P. Scipionis vltima pugna & cædes.

Nec minus interea negotii P. Scipioni creatum est, cui Masaniss a, eo tempore Carthaginensium socius, cum lectissimo Numidarum equitatu occurrit, qui dies noctesque illi erat infestus. Res etiam iniquiore loco futuræ erāt, vbi se Indibilis Pœnis coniunxisset, qui cum 7.

II. Lis Marcellum inter & Syracusanos.

M. enim Marcellus, qui Consulatum Idibus Martiis inierat, Siculos obtrectatores suos, ad accusationes suas in Senatu promendas prouocabat, cum primum collega Læuinus aduenisset, neque prius quidquam agi patiebatur. Itaque dum ille expectatur, prope iustitium Romæ fuit. M. quippe Cornelius, qui in Sicilia Marcello successerat, & literas & querulos de eo nuncios Romam miserat, ad Marcelli gloriam deterendam. Cumque nihilominus factus esset Consul, reliqua eorum spes in Læuino collega fuit. Graues quoque erant Campanorum de Flacco querelæ. Itaque Læuino Consuli Capuam prætereunti multitudo Campanorum circumfusa est, obsecrantium cum lacrymis, Romam vt sibi ad Senatum ire liceret, oratum, si quatandem misericordia flecti possent, ne se vltimum perditum irent, & Campanorum nomen à Quinto Flacco deleri sinerent.

II. Et inter Capuanos, & Q. Fuluium Flaccum.

Verum eorum causam valde affligebat, per eos dies Romæ excitatum incendium, à quo publica priuatáque ædificia, cum graui damno comprehensa fuerant, & Manno quodam seruo reuelante cognitum fuerat, id à Campanis, quorum parentes à Fuluio Flacco securi percussi fuerant, excitatum. Itaque comprehensi, supplicióque cum conscijs affecti sunt. Flaccus autem apud Læuinum Consulem negare vllam sibi cum Campanis priuatam esse simultatem, publicas & hostiles esse, vt qui hostili essent animo in Romanos. Eorum aliquos ex vrbe, tanquam feras è caueis, elapsos, partim ad Annibalem confugisse, partim ad Romam incendendam esse profectos. Inuenturum Cōsulem in semiusto foro vestigia sceleris Campanorum. Nec tutum censere eos intra mœnia Romana versari. Læuinus Campanos iureiurando à Flacco adactos, quinto die quam à Senatu responsum accepissent, Capuam redituros, sequi se Romam iussit. Hac multitudine circumfusus, simul Siculis obuiam egressis, Romam venit.

IV. Syracusanorum causa diiudicatur.

Ibi in Senatu, de rebus à se in Græcia gestis disseruit. Inde cum de prouinciis, & copijs quibus obtinendæ essent, fuisset actum, & in sortitione Consulum, Sicilia & classis Marcello, Italia cum bello contra Annibalem Læuino obuenisset: ea sors velut captis iterum Syracusis, ita examinauit Siculos, vt complorationem dolorem animi publicè testarentur, omnemque Senatum in veste sordida circumirent, orantes ne Marcello, nec ante beneuolo, & nunc irato, Siculos iterum dederent affligendos: tantumque perfecerunt, vt inter Coss. fieret permutatio Prouinciarum. Quibus permutatis Siculi in Senatum introducti, de Hieronis regno misere à Marcello deformato conquesti sunt, & misericorditer secum agi postularunt, præsertim cum quæ in Romanos fecissent, id eo tempore fecissent, quo à Tyrannis oppressi sui iuris non essent. Quæ vbi à Marcello refutata essent, & inde successisset, decreuit Senatus, quæ à Marcello in Sicilia facta essent, recte facta videri. Rem Syracusanam sibi curæ fore, & Læuino commendatum iri. At legati, ne tantum virum inimicum haberent, ad genua se Marcelli Consulis proiecerunt, veniam postulantes, si quid in deploranda patriæ calamitate dixissent acerbius, aut fecissent, quos ille clementer appellatos dimisit.

Marcello reconciliantur.

Deinde Campanis datus est Senatus. Ij culpam non negabant, meritasque pœnas, verum satis se supplicij in 80 Senatorum cæde, & totius vrbis clade perpessos credebant. Qui cum ab Attilio absente Fuluio accusati essent, Senatus de iis seuerissime censuit, præter præcedentem omnem calamitatem, eorum bona publicanda, ipsos qui superessent, cum liberis atque coniugibus vendendos, aliaque id genus, quæ fusius apud Liuium reperies: ob quæ miseri, mœstiores quam venerant, Capuam ex dicto reuerterunt.

Interea Annibalem angebat, quod amissa Capua, multorum Italiæ populorum animos à se auertebat, quibus captandis Marcellus Consul nequaquam deerat. Itaque Salapiam Apuliæ oppidum cæso Punico præsidio recepit. Maroneam etiam & Meles Samnitibus vi eripuit, tribus millibus præsidiariorum militum oppressis, & multo commeatu acquisito. At Cn. Fuluius proconsul, qui per absentiam Annibalis Herdoneam recipere cupiebat, superueniente Annibale ingentem cladem accepit, & præter multa suorum millia, castra quoque amisit, & præda locupletauit hostem. Quintius quoque ad Tarentum cum Nicone classe pugnauit, & per imprudentiam occisus, Pœnis victoriam dedit; quem luctum læta eruptio præsidij leniuit.

Eodem tempore Læuinus Consul, magna iam anni parte circumacta, Syracusis noua pace compositis, Agrigentum, quod belli reliquum erat, proditione Pœnorum accepit. Ea vrbs valido Pœnorum præsidio tenebatur, & Hannone licet Imperatore, Mutines, qui & Hipponiates, omnia gerebat, totáque Sicilia prædas ex Romanorum sociis agebat, nec intercludi Agrigento, neque impediri vi vlla, vel arte poterat. Cumque eius gloriæ Hanno inuidere cœpisset, eius præfecturam suo filio dedit, ratus se cum imperio, autoritatem quoque ipsi inter Numidas erepturum. Quod longe aliter euenit. Nam veterem eius fauorem sua insuperauxit inuidia: & Mutines indignitatem iniuriæ non ferens, vrbem Læuino prodidit. In eam cum Hanno sensisset admissos Romanos, assumpto Epicide comite, per auersam portam emissus, cum paucis ad mare peruenit, nactique opportunè nauigium, relicta hostibus Sicilia, de qua tot annis certatum fuerat, in Africam traiecerunt. Læuinus oppido recepto, qui capita rerum Agrigenti erant, virgis cæsos securi percussit, cæteros, prædamque vendidit, omnem pecuniam Romam misit.

Fama cladis Agrigentinorum Siciliam cum peruasisset, omnia repente ad Romanos inclinarunt. Prodita sunt breui 20 oppida, sex vi capta, voluntaria deditione in fidem venerunt ad quadraginta. Quarum ciuitatum principibus, pro cuiusque merito cum præmia pœnasque Consul exoluisset, coëgisseque Siculos positis tandem armis terram colere, ab Agatirna inconditam multitudinem quatuor millium hominum exulum, obæratorum, criminosorum, ad leuandam Siciliam secum in Italiam transuexit, & Rheginis ad populandum Brutium agrum, qui Pœnis parebat, attribuit.

Itaque

Itaque hoc anno in Sicilia debellatum est, qui fuit 56. ex quo primum Romani in eam insulam ad iuuandos Mamertinos transgressi fuerant, anno scilicet ab Vrbe Condita 489. quo primum anno bellum Punicum inchoatum est.

VIII. P. Scipio Hispanos sibi conciliat.

In Hispania res hoc anno à Scipione, cum annum gerret 25. feliciter gestæ sunt. Principio veris vniuersum exercitum Tarracone conuenire iubet, eoque mox ipse, cum quinque millibus sociorum venit. Ibi cum omnes copias sibi summa modestia conciliasset, & ad spem rerum bene gerendarum erexisset, relicto ad præsidium regionis eius M. Syllano cum tribus peditum millibus, & trecentis equitibus; cæteras omnes copias, erant autem viginti quinque millia peditum, equitum duo millia & quingenti, traiecit Iberum: tum vno C. Lælio, quem præfectum classis habebat, conscio, Carthaginem nouam, vrbem rebus omnibus instructissimam, vno eodemque die occupare statuit, nec minus audaci conatu, quam felici successu eam cum arce expugnauit. Vrbi Mago præerat, & contra terræ marisque oppugnationem omnia diligenter moliebatur, duo millia oppidanorum ab ea parte qua castra Romana erant, aperta porta immisit in hostem: qui Romam ducis iussu cessit parumper: inde submissis auxilijs tam acriter institit, vt effuse fugientibus immistus in vrbem irrupturus esset, nisi receptui Scipio cecinisset.

Carthaginē nouam aggreditur.

IX. Et expugnat.

Cum autem Scipio animaduertisset ex tumulo, Vrbem magna trepidatione turbatam, cum præsertim classis è mari Vrbem machinis verberaret, peteretque missilibus. Scalas vndique admoueri iussit, militemque in muros euadere. Imminebat vrbi vna ex parte palus, quæ decedente æstu erat admodum imminuta, quare facilem inde transitum in vrbem haberi posse Scipio monitus, quod ea pars palude satis defendendi credebatur, eò armatus Scipio ducit, facileque in muros, præter Pœnorum opinionem, inuadit, quod nulla ibi armatorum statio esset opposita. Inde cursu ad eam portam ad quam pugnabatur euadunt, propugnatores. qui vrbem captam non senserant, à tergo petunt, & ancipiti pugna perturbant, atque conficiunt, portas intus foresque confringunt, ijsq; patefactis, multitudo pugnatorum ingressa, in forum cum ducibus progressa est. Inde cum hostis partim ad arcem, partim ad tumulum, qui quingentorum militum præsidio tenebatur, confugeret, Scipio partem copiarum ad tumulum expugnandum misit, qui primo impetu captus est, partem secum ad arcem duxit, & Magonem vsq; adeo perterruit, vt se protinus, arcemque cum præsidio dederet.

V. Scipionis in victos humanitas. n. 25. 26. & seqq.

Tum demum signo dato finis cædibus factus est, & miles ad prædam conuersus, quæ ingens omnino fuit. Scipio in captos ciues insigni humanitate vsus, eos sibi mirum in modum conciliauit. Sed & magnam Hispaniæ partem, obsidibus, vltro ac sine precio parentibus suis amicisve restituendis. Exempla quoque edidit continentiæ singularis, ac liberalitatis, quæ diligentius à Liuio, Polybio, & Floro celebrantur, vt ex Annalibus intelliget Lector eruditus. Militaribus quoque præmijs distributis, Magonem cum captiuis, & quindecim Senatoribus, qui simul capti fuerant, Romam à C. Lælio deducendos, nuncius victoriæ misit. Omnibus autem in vrbe recte compositis, data etiam militi nonnulla quiete refectis, quos machinæ quassauerant muris, dispositisque ad vrbis custodiam præsidijs, ipse Tarraconem, quo conuentum edixerat, est profectus, Lælius Romam Tarracone quarto & trigesimo die ex quo se in viam dederat, in huius anni exitu peruenit. Liu. l. 27

Huius anni æstas varijs legationibus Romæ celebrata est, Syphacis præsertim, qui cum prius Romanorum amicitiam, missa dudum ad Scipiones legatione, expetijsset, nunc eam ab ipso fonte petere voluit. Senatus non legatis modo benigne respondit, sed & ipse legatos cum donis misit ad Regem, alioſque Africæ regulos. Amicitiam etiam cum Ægypti Rege Philopatore, iam ab anno Vrbis Conditæ quadringentesimo octogesimo initam, confirmauit.

XI. Legationes & fœdera.

ANNVS MVNDI 3845.

SIMONIS II. Ducis & Pont. 24.

PHILOPATORIS & PHIL. 12.

ANTIOCHI MAG. 16. Imp. Gr. 103.

OLYMP. CXLII. A. 4. VRB. CO. 544.

ANTE CHRISTVM 208.

I. Messalæ in Africā excursus.

CVM Marcellus comitiorum causa euocaretur à Senatu, isque negaret esse è Republic. Annibalem deserere, Læuinus è Sicilia reuocatus est, qui Prouincia atque exercitu Prætori Cincio commendato; Misso etiam M. Valerio Messalia præfecto classis, cum quinquaginta nauibus in Africam, prædatum simul, & speculatum quid rei agerent Pœni, ipse cum decem nauibus Romam profectus, cum prospere peruenisset, Senatum extemplò habuit, & res à se gestas commemorauit. Mutinem etiam, quo autori Romani Agrigento potiti fuerant, ciuitate donari, alijsque alios præmijs pro meritis affici curauit. Interim ad eum literæ è Sicilia deferuntur, Messalam cum ante lucem ad Africam appulisset, improuisò in agrum Vticensem excursionem fecisse, & cum multa præda intra tredecim dies in Siciliam redijsse: Et ex captiuis didicisse Masanissam cum quinque millibus Numidarum esse Carthagine, & alios per totam Africam milites mercede conduci, qui in Hispaniam ad Hasdrubalem traijcerent, & cum ea in Italiam trangressi, Annibali se coniungerent. Ingentem quoque parari classem ad Siciliam recuperandam.

Pœnorū nouus ad bellū apparatus.

II. Noui Cōsules in metu facti.

Hæc à Consule recitata cum ex captiuis quoque, quos sub idem tempus L. Lælius ex Hispania Romam deduxerat, confirmarentur, ita mouere Senatum vt Dictatorem comitiorum causa quamprimū dici vellent. Marcellus

contigiſſet, vt rex in ſolito tabernaculo non cubaret, pro eo duos famulos vulnerauit, & Archiatrum occidit, & incolumis ad caſtra reuerſus eſt.

Poſt dies quinque viſum eſt regibus prælio decernere, inſtruuntur acies, prima pugna elephantorum fuit, ſed Libyci Aſianos & Indicos ferre non poſſunt. Cum ergo conſternatæ Ptolemæi beſtiæ, quæ ſiniſtrum cornu oppoſitum Antiocho protegebant, in fugam auerterentur, & militum ordines, quos tutari debebant perturbarent, Antiochus magno impetu irruit in turbatos, & in fugam compulit. At Ægyptiorũ cornu alterum, agnito belluarum ſuarum metu, duce Phoxida Græcorum mercenario, eductis longo agmine equitibus, hoſtium, qui elephãtis à fronte tecti erant, latera inuaſit, & improuiſum Antiochi equitarum auertit in fugã, ſicq; dextrum cornu Antiochi vincebat, ſiniſtrum vincebatur. At Ptolemæus qui ad phalangem in acie media ſe receperat, vbi in vtriuſq; exercitus conſpectum venit, ſuis alacritatem, hoſtib. pauorem attulit & fugam. Antiochus autem, qui ex cornu quod vicerat, totius exercitus victoriam æſtimabat, eò cum prætorianis ſuis accurrit, ſed vbi ſuorum omnium fugam agnouit, ipſe quoq; Raphiã conceſſit, ſe ipſe conſolans, quod ſua parte viciſſet, licet vniuerſa dimicatione victus eſſet.

Ptolemæus in caſtris quaſi victor ea nocte manſit, poſtridie humatis ſuorum corporibus, inimicorum autẽ ſpoliatis, ſigna mouet & Raphiam ducit. Antiochus prima luce reliquijs exercitus eductis Gazam contendit, & inde Antiochiam reuerſus eſt, Ptolemæus & Raphiam. & reliquas vrbes recepit, tanta celeritate, vt certamen inter eas eſſet, quænam alteram hoc officij genere anteuerteret. Antiochus quoque veritus ne aduerſa pugna ſubditos à ſe alienaret, præſertim cum Achæum haberet in ſuo imperio tyrannum, de pace legatos miſit ad Ptolemæum, & inducias in annum impetrauit. Is quippe Cœleſyriam recuperaſſe contentus, quietis amãs, ad vitia ſibi familiaria feſtinabat. Ergo firmando fœderi Soſibium miſit. Ipſe vero tres menſes in Syria ac Phœnicia eſt commoratus, ad componendum ſingularum ciuitatum ſtatum: quibus omnibus relicto Prætore Andromacho, cum Arſinoë ſorore, & amicis Alexandriam reuerſus eſt.

Hoc trimeſtri ſpatio Hieroſolymam quoq; profectũ eſſe ex tertio, qui dicitur Machabæorum, conſtat. Cum enim Syriæ ciuitates in recipiendo Ptolemæo, victoria gratulanda, doniſq; offerendis certarent: ipſeque vice verſa eorum delubra inuiſeret, doniſque honoraret, Iudæi huic officio minime defuerunt. Ille vbis templiq; viſendi deſiderio incitatus Hieroſolymam venit, templum adijt, cuius pulchritudinem admiratus, etiam adyta penetrare voluit. Quod cũ Iudæi contentioſiſſime recuſarent, & regi creſceret ex recuſatione deſiderium, tõto templo lacrymis & eiulatu, ciuitate tumultu & querelis confuſa, Simon Pontifex ex aduerſo templi flectens genua elata voce orationẽ ad Deũ habuit, opem ab eo præſenti neceſſitati implorãs. Ea finita rex corpore animoq; ita perturbatus eſt; vt ne fari quidem poſſet, & inde à ſuis abduceretur. Sequenti autem tẽpore cum ſe collegiſſet, nequaquam à propoſito deſtitit, ſed in Ægyptum cum atrocibus in Iudæos minis diſceſſit. Quæ autem deinde conſecuta ſunt ad annum ſequentem pertinent.

Romæ contentioſa fuere comitia, res ad interregnum abijt, Conſul creatus eſt C. Terentius Varro, repugnante Senatu, qui hominẽ nouũ atq; præcipitem, quiq; maledicẽdo maioribus, factus fuerat plebi gratioſus, nolebat ad ſummum prouehi magiſtratum; hoc præſertim tẽpore, quo tantus hoſtis in Romanã pernicie erat intentus. Vicit tamen populus, & Varroni collega datus eſt L. Æmylius Paulus. Copię coactæ ſunt quantæ nunquam antea, adeo vt 80. millia peditum, equitum ſupra ſex millia numerarentur, vt eſt apud Polybium: adeo vt plus dimidia parte hoſtium numerum ſuperarẽt, quia ſpem præbuerat Dictator Fabius Annibalem vinci poſſe: eius tamen monita, aut Æmylii collegæ, ſuperbiæ ac temeritati Varronis ſanandæ nihil valuerunt. Vterq; Conſul venit in caſtra, Æmylius dextrũ cornu tenuit, Varro ſiniſtrum, mediam aciem Regulus & Seruilius exconſules, qui proximo anno fuerant imperatores.

Ea re cognita lætatus eſt Annibal, ei quippe pugnare neceſſe erat, quippe cuius exercitus omnium rerũ penuria vrgebatur, & ré ſe cum temerario aliquo duce habiturum ſperaret. Cuius etiam temeritatem auxit tumultuariũ prælium, quod contra Pœnorum prædatores commiſſum fuerat, in quo Annibalici ad mille & ſeptingentos ceciderant, vix, centum Romanis deſideratis. Parat nihilominus inſidias Annibal, caſtris cum multa præda ſimulatè deſertis, vt eo proiectum hoſtem & præda impeditũ circumfuſus opprimeret; ſed res mox patefacta ſucceſſu caruit. Itaq; in Apuliam profectus ad oppidum Cannas caſtra locat, & opportuniſſimum occupat pugnæ locũ, ſic vt ventus & puluis ſuorum terga pugnantium, Romanorum a. ora verberaret. Cumq; ſeptemtriones Pœnus, meridiem Romanus aſpiceret, futurum etiam erat vt Romanorum oculos in acie ſolis fulgor ſubinde perſtringeret.

Initum eſt prælium, quo die penes Varronẽ imperium fuit, equeſtre certamen anteceſſit, quo Romani fuerũt inferiores; eo ad finem vergente, coorta eſt pugna peditum grauis armaturæ, in qua Romani Punicã aciem impulere, quam dum auidius perſequuntur, coëũtia cornua Romanos concluſerunt, qui aduerſus terga cædentes conuerſi, iniqua cõditione pugnarũt, quod & incluſi aduerſus circumfuſos, & feſſi cum recentibus, vegetiſq; pugnarent. Acceſſit & fraus Numidarũ, qui transfugio ſimulato, in mediam recepti aciem, ductiq; ad vltimos, cũ certamen vndiq; ferueret, ipſi quoq; terga Romanorum cædere cœperunt, & poplites succidere. Ergo tumultus, pauor, & fuga fieri vndiq; cœpta eſt. Æmilius pugnans occumbit. Varro cum 50. fere equitibus Venuſiam profugit: ſeptem millia in minora caſtra decem in maiora, duo in Vicum Cannas ſe receperunt, qui extẽplo à Cartalone & equitibus circumuenti ſunt, quorum ad duo millia cæſi, reliqui in hoſtis poteſtatem venerunt, vt ait Polybius.

Liuius 40. millia peditũ, duo millia & 700. equites, pari prope ciuium ſociorumque numero cæſa refert; in quibus fuit alter Conſulum,

duo

II. Regum ſyria, & Ægyptii victoria.

III. Quid in re factũ regibus.

IV. Ptolom. Hieroſolymam dit. Macha

Non permittitur templi adyta penetrare.

V. Terẽtius Varro Conſul, & copiæ bellicæ Romanorum.

VI. Annibal inſidias struit.

Adit Apuliam, & Cannas.

VII. Pugna Cannenſis.

VIII. Et magnitudo cladis.

duo præcedentis anni Consules, Quæstores duo, vnus & viginti Tribuni militum, Consulares quidam prætorij, atque ædilitii: octoginta præterea Senatores, capta tria millia peditum, & equites trecenti. At cum binis in castris semiermis esset multitudo sine ducibus, qui maioribus præerant nũcium mittunt sociis, vt nocte ad se hoste quiescente transirent, vno agmine Canusiũ abituros esse. Ad maiora castra sexcenti euasere; atque inde protinus, alio magno agmine adiuncto, Canusium incolumes peruenere. Annibal autem cum victoria vti posset, & ipsam vrbem luctu & timore perditam inuadere, & quinto die victor in Capitolio epulari, maluit aliquid temporis quieti dare. Interim Romani circunspexerunt se præsertim acceptis à Varrone literis de re tota, & copijs, quæ Canusij saluæ erant. Dictatorem eligunt Iunium Peram, vrbem muniunt, nouos delectos habẽt, nec solum libera capita, sed seruitia quoque armant, quæ ad octo millia publicè coempta, milites habere maluerunt, quam captiuos minoris redemptos, quos duri vtique & inconsulti, iniuste atque crudeliter abiecerunt, & Annibali barbarè tractandos remisere, vt in Annalibus accuratè demonstratum est, quæ non pœniteat prudentem lectorem inspexisse.

Annibalis imprudentia, & Romanorum in captiuos inhumanitas.

n. 27. 28. & seqq. & rursum n. 40.

IX. Gesta Annibalis à clade Cannẽsi. Capuæ ad eum defectio.

Itaque Annibal ex Apulia, diuina Romanis parcente prouidentia, Samnium mouit, Cossanam vrbem sine certamine recipit, eique præsidium imponit, Neapolim male accipit, Capuã spe imperii Italiæ ad defectionem à Romanis adducit, & in vrbẽ certis conditionibus admissus, periculum cædis adiit, Decium Magiũ, virũ Capuæ primarium, qui ei vehementer restiterat, sibi deditum, & in vincula coniectũ Carthaginem deportari iubet, sed Alexandriam tẽpestate delatus, vbi viuere, indulgentia Ptolemæi permissus est. At Mago Annibalis frater nuncius Canensis victoriæ Carthaginem venit, cui cum Senatus esset datus, narrauit Hannibalem cum sex Imperatoribus, quorum quatuor Coss. duo Dictator & Magister eq. fuerant, cũ sex consularibus exercitibus acie conflixisse, occidisse supra ducenta hostium millia, supra 50. cepisse, aliaque id genus, quæ narrata sunt hactenus: in cuius rei argumentum coram senatu ingentem aureorum annulorum vim effudit. In cuius gratiam quamuis resistente Hannone, Senatusconsultum est ei supplementum 40. millium Numidarum, cum multis talentis.

Carthagine celebrantur eius victoriæ.

X. Eius à Marcello clades Nolæ.

Annibal recepta Capua, iterum Neapolitanos frustra tentat, tẽtat & Nolanos, apud quos plebe nutante, Senatus Romanum Prætorem Marcellum cum exercitu vrbe accipit; ad cuius aduentum Pœnus agro Nolano excessit, & Nuceriam petijt, quam fame in deditionem acceptam, multis ciuium crudeliter interemptis, diripuit atque incendit. Cumq; Nolam noua spe deditionis redijsset, à Marcello feliciter erumpente ingentem cladẽ accepit, duobus millibus & trecentis suorum impunè cæsis. Desperata Nola Acerras, ciuibus fuga elapsis, capit & euertit, Casilinũ quod valido Romanorum præsidio tenebatur, & cuius eruptionibus grauia damna patiebatur, obsidet: & inde Capuã in hyberna concessit, maioremq; partem hyemis exercitũ in tectis habuit, maximo damno suo; nam quos labor durauerat, Capuanæ deliciæ perdidere.

Capuæ hycmat.

ANNVS MVNDI 3839.

SIMONIS II. 18. PHILOPAT. & PHIL. 6.

ANTIOCHI MAG. 10. Imp. Gr. 97.

OLYMP. CXLI. An. 2. VRB. C. 538.

ANTE CHRISTVM 214.

ANtiochus compositis cum Ptolemæo rebus suis, bello per hyemem multa cura præparato, ineunte æstate Taurum superat, & facta cum Attalo societate; Achæum bello est aggressus. Quid autem ab eo factum sit, priusquam se Sardibus includeret, ibique ad alterum vtique annum obsideretur, non satis constat, propter interruptam Polybij narrationem. Pugna quæpiam vtique præcesserit, in qua superior factus Antiochus Achæum Sardeis compulerit. Ibi autẽ, vt ait l. 7. Polybius, leues dimicationes & pugnæ sine vlla intermissione, erumpentibus obsessis, diu noctuque committebantur, militibus vtrimque omnia in alterius partis damnũ atque perniciem comminiscentibus; donec sequenti anno oppugnationi, & bello, Lagoræ Cretensis opera impositus est finis.

I. Antioch. Achæum petit, & Sardibus obsidet. *Polyb.*

Ptolemæus autem, vt ex 3. Machabæorum constat, in Ægyptum reuersus, præter consuetam temulentiam, atque libidines, famosis libellis Iudæorum gentem vexare cœpit, & ad Ægyptios ritus compellere; qui resisterent, vel occidi iussit, vel omni dignitate ac libertate priuatos, stigmaticos fieri, inusto hederę folio, Liberi patris insigni; qui autem patrijs institutis desertis, obtemperarent, hos voluit iure Alexandrinæ ciuitatis frui. Itaq; multi Regis voluntati cesserunt; plurimi autem constantes fuerũt, seque à vitæ discrimine, & inustione, pecuniæ largitione redemerunt. Cumq; apostatas exe crarentur, eosque contumelijs afficerent, & omni consuetudine vitæ, atque vtilitate priuarent, hi querelas ad Regem detulerunt, qui in reliquos etiam Iudæos, qui in regno suo essent, iratus, omnes in vnum locum cogi iussit vltimis supplicijs afficiendos. Epistolam ipsam, eum eius interpretatione, reperiet studiosus Lector in Annalibus.

II. Ptolom. Hebræos vexat. *l. 3. Mach.*

n. 3. 4. & seqq.

Edictum hoc ab Ægyptijs, alijsque hostibus Iudæorum, omni cum lætitiæ significatione acceptum est: à Iudæis a. cum luctu & lacrymis, cum gemitibus & lamentis, quibus oppida omnia, & præfecturæ, viæ omnes, domusq; personabant. Nimirum tam inhumaniter vbique, ipsisq; in nauibus tractabantur, vt ipsis quoque inimicis misericordiam commouerent. Alexãdriæ in Hippodromo constituuntur, vt omniũ prætereuntium probris & irrisionibus paterẽt. Tum Rex Hermonem elephantorum præfectum aduocat, iubetque sub insequentem diẽ, multo thure in merum infuso, potari elephãtos numero quingentos, eaq; potione efferatos in Iudæos immitti, ab ijs proterendos ac discerpendos. Sub vesperã immittuntur ministri, qui Iudæorum manus colligent, vt crepusculo matutino, exitium ipsis ab elephãtis afferatur. Sed paratis omnibus, & Iudæis diuinam misericordiam cum lacrymis implorantibus, tantũ Regi

III. Edicto euocantur Alexandriam.

In Hippodromo compingũtur ab elephãtis conterendi.

soporem Deus immisit, vt ad horam decimam non expergefieret, donec congregatis qui ad conuiuium præmoniti erant, à cubiculario excitatus, ad conuiuium cum eis versus est.

IV. Tertiũ à cæde diuinitus liberatur.

Inter prandendum rex Iudæorum recordatus, accersit Hermonem, & hodierno, inquit, somno illi gratias habeant. Cæterum in sequẽtem diem eodem modo præparari iussit elephantos in sequentem diem, in Iudæorum perniciem; cui præsens ipsemet adesse cupiebat, & clamoribus, detruncationibus, cædibusque inimicorum suorum exsaturare crudelitatem suam. Adest secundus dies, adsunt elephanti, exercitus, & turbæ innumeræ populorum, qui ad sæuum spectaculum confluxerant. Rex euigilat, amicos admittit, adest Hermon, qui regem monet parata esse omnia ad explendam eius voluntatem. At Rex diuinitus in obliuionem præteritorum adductus, interrogabat quodnã id esset negotium, quod tanta cum festinatione ageretur. Cumque Hermon cum amicis regi rem suggessissent, iratus rex Iudæos laudat, aitque eorum inimicos in eorum locum substituendos, ipsumque Hermonem cum socijs vehementer obiurgat; quibus ad sua cum pudore metuque dilapsis, Iudæi hanc secundam Dei clementiam, cum gratiarum actione prosecuti sunt.

V. Vltima Iudæorũ liberatio angelorũ interuẽtu

Nec ita multo post rex ad se ingeniumq; suũ reuersus instaurato conuiuio, tertio iubet parari elephantos, multo quam prius in Iudæos ferociores. Adit spectaculum, prodeunt elephanti, procedunt armati exercitus, clamorq; horrisonus belluarum Iudæos de imminãti exitio monet. Illi ad lacrymas precesque confugiunt, semel iterumq; expertam Dei misericordiam implorantes, cum visi sunt duo terribiles angeli de cœlo descendere, omnibus præterquam Iudæis, manifesti, qui Ægyptios ita perturbarunt, vt quasi cõstricti vinculis immobiles fierent. Rex quoque totus inhotruit, atque animo commutatus feritatem deponit. Quin & belluæ in sequentes exercitus conuersæ, eos pedibus proterebant. Tum Rex Iudæos laudatos, vinculis solui iubet, Deumq; ipsorum protectorem agnoscit, deinde diebus septem eos conuiuio excipi iubet, quibus expletis accipiunt potestatẽ interficiendi apostatas, quorum supra trecentos occiderunt. Deniq; Ptolemaidem apulsi, rege omnes viæ sumptus suggerente, ibidem conuiuia instauratunt, & in suam quisq; domum cum gaudio incolumes reuerterunt. Nos autem ab Ægypto digressi repetamus Italiam, mox etiam Hispaniam adituri.

Occidũt apostatas, & redeunt ad suos.

VI. Annibal varia loca occupat.

Huius anni initio Casilinum oppidum ab Annibale fame expugnatum est, ne quicquam opem ferentibus Romanis, vt autor est Liuius, eique deditione, & corporum redemptione traditum est. Alijs quoq; locis in Italia, Sicilia, Sardinia, cum opem Romanorum hac rerum necessitate implorarent, sibi consulere iussi sunt, id est, cum hoste quam minimo damno depacisci. Interea qui Romam ad comitia accisti fuerant, ijs adfuere; ea Dictator habuit, quibus creati sunt L. Posthumius III. absens, Gallham enim prouinciam obtinebat, & T. Sempronius Grachus, nuper Magister equitum. Qui cum initio magistratu Senatum de nouo delectu consuleret, clades L. Posthumij Consulis designati nunciata est, quem Boij in Libana sylua, in insidias nec opinantem illapsum cum 25. armatorum millibus oppressere: quã cladem Romani ingenti publico quo luctu, clausis per multos dies tabernis, prosecuti sunt, eique Q. Fabius Maximus suffectus est: quoniam M. Marcellus vitio creatus iudicatus est, quod eo magistratum ineunte, tonitru fuisset auditum.

Noui Cõsules.

Hoc eodem anno P. & Cn. Cornelij Scipiones, præclare in Hispania contra Asdrubalem rem gesserunt. Qui cum iuberetur exercitum in Italiam traducere, idq; Scipiones modis omnibus prohibere conarentur, nihil dubitantes eum diem, quo se Annibali Asdrubal adiunxisset, imperij Romani vltimum fore, Iberam vrbem opulentissimam valide obsident, & Asdrubalem ex itinere retrahunt, moxq; cum eo velut ex composito prælio decernunt. Romani sic erant in pugnam excitati, vt à se pugna crederent vltimam patriæ cladem auertere; itaque obstinauerant aut vincere aut mori. Minus pertinaces habebat acies altera. Nam maxima pars Hispani erant, qui vinci in Hispania quam victores in Italiam trahi malebant. Itaque victi sunt, capta castra direptaque, & quæ adhuc oppida dubia erant, Romanis adiuncta Asdrubali vno non modo traducẽdi in Italiam exercitus, sed ne manendi quidem in Hispania satis tuto spes relicta est. Quæ postquam literis Scipionũ Romæ vulgata sunt, non tam victoria, quam prohibito Asdrubalis in Italiam transitu lætabantur. Pœni autem ea clade cognita, subsidia quæ Annibali destinauerunt, in Hispaniam Magone duce mittunt.

Hoc ipso anno, teste Liuio, posteaquam tertia iam pugna, tertiaq; victoria fauerat, Pœnis, Philippus Macedonum Rex, qui Italiam spe deuorauerat, Demetrio Pharios impulsore, & iuuenili ætate suadente, vigesimum enim agebat annum, legatos ad Annibalem Capuam mittit, qui cum in Romana præsidia incidissent ementita legatione, periculo exempti ad Annibalem peruenerunt, certisque legibus fœdus cum eo inierunt. Sed ijsdem in reditu deprehensis, Romamque missis respatefacta est. At Patres, qui vix se bello Punico ferendo pares esse sentiebant, ad noui belli Macedonici emergentis curam, anxiè descendebant, et tamen non succubuerunt, sed extemplo dederunt operam, vt bello vltro Macedonibus inferendo ab Italia illud auerterent. Ergo captiuis partim in vincula coniectis, partim sub hasta venditis, Quinto Fuluio, qui littoribus Calabriæ cum classe præerat, & Marco Valerio prætori præceperũt, vt primo quoque tempore in Macedoniam cum classe transmitterent, & Philippum in regno continerent. Cæterum dum capti legati Romam mitterentur, nauis vna elapsa fuerat, quæ ad Philippum peruenit, qui ex ea didicit Legatos à Romanis cum literis interceptos. Et ignarus quid confectum esset, legationem aliam mittit cum ijsdem mandatis, quæ felici cursu iter emensa, & re confecta, remenia est æstate iam circumacta, nihil vt hoc anno rex in Romanos moliri posset.

Interea in Italia feliciter à Romanis contra Pœnum, & qui ab eo stabant, dimicatum est. Nã Sempronius Consul Campanos, qui fraude

Cumas opprimere cogitabant, quod nollent ad Annibalem deficere, inuasit improuisos, & duo millia ipsorum cum duce Campano cõcidit, & Annibalem vltionem parantem elusit, obsidẽtem repulit, & noua clade affecit ad mille & quadringentos Pœnorum occisis, & vndequadraginta viuis captis. Iisdem diebus Hanno in Lucanis cum Sempronio Longo male pugnauit, & duobus militum millibus amissis, & supra 40. militarib. signis, Lucania pulsus, in Brutios compulsus est. In Sardinia quoq; ,quæ defecerat ad Pœnos, à Prætore T. Manlio res bene gesta est, Sardiniaq; tota perdomita. Præter itẽ Otacilius contra Asdrubalem in mari pugnauit, eiq; septem naues cum viris eripuit. Præclare denique à Marcello in propugnanda Nola, in Samnitibus & Hirpinis, qui Romanos deseruerant, crebra excursione vexãdis, & obsidione Annibalica fortiter prudenterq; toleranda, res gesta est, non eruptionibus solum, sed collatis etiam signis; adeo vt pugna vna plus mille hostium cæsa fuerint, mille & sexcenti capti, & signa militaria vndeviginti; multa cum gratulatione plebis, quæ fuerat in Pœnum ante propensior. Accessit postremo die inde tertio defectio 127 2. equitum tam Numidarũ quam Hispanorum, quorum deinceps forti ac fideli opera Marcellus est vsus. Annibale in Apuliam ad hyberna profecto, Q. Fabius agrum Campanum populatus, ad Capuam castra posuit.

Præsertim Marcellus Nolæ.

X. Feliciter quoq; in Hispania Scipiones. *Liuius. l.*

In Hispania res etiam felicius gesta est à Scipionibus. Commeatu enim ex vrbe accepto, Illiturgum oppidum nobile, quod tribus hostium castris Asdrubalis, Magonis, & Amilcaris oppugnabatur, per magnas eorum strages cum frumento penetrarunt; tum ciues bene animatos ad maiora castra, quibus præerat Asdrubal, oppugnanda ducunt, quo reliqui etiam exercitus conuenerant, quasi de summa rei agendum foret. Hostis ad 60. millia pugnatorũ numerauit, Romanus fere sedecim. Quibus nihilominus ita fauit victoria, vt plures cæsi fuerint, quam ipsi Romani essent, ad tria millia capti, signa militaria vndesexaginta, præter equos & Elephantos; ternis denique castris eo die Scipiones potiti sunt. Illiturgo obsidione liberato, ad Incibile quoq; oppidum feliciter à Scipionibus iterum pugnatum est; eamque victoriam omnium prope populorum defectio ad Romanos secuta est. Hæc ad Hyemem vsque in Hispania contigerunt.

ANNVS MVNDI 3840.

SIMON. II. 19. PHILOP. & PHILIP. 7.

ANT. MAG. 11. Imperij Græcorum 98.

OLYMP. CXLI. An. 3. VRB. C. 539.

ANTE CHRISTVM 213.

I. Res ab Antiocho in Achæum gesta. *Polyb. l. 7. & 8.*

ANtiochi magni res admodum secundæ hoc anno in Asia fuerunt. Nam captis per insignem audaciam Sardibus, & per insigniorem proditionem Achæo, quidquid ipsi parebat, facile inlegitimi principis potestatem redactum est. Et Antiochus quidem tota hac expeditione maximè cogitabat Achæum, quem vt in suam redigeret potestatem Ægyptio bello parũ se honorifice expedierat, moxq; cum Attalo societatem inierat. At ille Sardeis, inque eius arcem munitissimam se receperat, vbi alterũ iam annum Antiochi conatus omnes eludebat. Hoc ergo anno Lagoras Cretensis explorat vrbis capiendæ locum præruptum atq; inuitum atque ideo incustoditum, per quem statuit cum 30. socijs audacissimis noctu in vrbem invadere. Quod dum illi exequuntur, Antiochus, vt obsessos a ea cogitatione auerteret, ad portã dictam Persidẽ copias admouet, quasi ea in vrbẽ penetraturus. Eò Aribazus vrbis præfectus copias, ad hostem repellendũ, mittit. Interea Lagoras cum socijs superatis rupibus, ad portam subiectam perueniunt, qua perfracta, duo millia in id destinata theatri summam coronã occupãr, moxq; aliis portis occupatis, totius regis exercitus irrumpit, oppidanis cum Aribazo se in arcem, post leue certamen, recipientibus.

Sardeis captæ.

II. Apparatus ad Achæũ capiendum

Supererat Achæus in arce, quem votis omnibus iamprídem comprehendere cupiebat Antiochus: quod hostium suorũ opera, ac proditione consecutus est. Bolis quidam Cretensis Alexandriæ in aula versabatur, vir audacia & calliditate singulari. Eũ Sosibius, qui Achæũ intimè diligebat, & in Ægypto poterat omnia, cõuenit, oratq;, vt ad eripiendum ex arce Achæũ cõminiscatur aliquid; nihil ipsum hoc tempore Prol. gratius, nihil sibi fructuosius efficere posse. Bolis vbi multa versasset animo, negotium in se recipit, vt qui amicum haberet ac cognatum Cambylum præfectum Cretensium, qui in exercitu Ant. Magni, ad ipsam arcem custodias agebant. Sosibius illi decem talenta interim numerat, & ingenti spe plenum cum literis commendatijs dimittit ad Nicomachum Rhodiũ, & Melancomam Ephesium intimos Achæi amicos, quorum opera Bolis ad perdendum Achæum improbissimè abusus.

III. Bolidis in eam rem ittes.

Rhodum venit atq; Ephesum, suum ac Sosibij consilium aperit, redditis commendatitijs ad eos literis: qui vicissim omnẽ operam ad Achæi salutẽ promiserunt. Tum vnum è famulis suis Arianũ mittit ad Cãbylum, vt locus ab eo & tempus designetur, quo tuto conuenire possint. Statuitur locus in quo noctu conuenerũt, & expositio rei statu in eam sententiam conuenerunt, vt pecuniam à Sosibio acceptã inter se diuiderent, rem Antiochio aperirent, amicorũ literis in arcem penetrarent, & Achæo fidem facerent, vt se ipsis crederet; eductũ ex arce non in libertatẽ assererent, sed comptehensum Antiocho excruciandum traderent. Cambylus Antiocho rem aperit, Bolis autem literas à Nicomacho & Melancoma, qui rem syncere agi arbitrabantur, ad Achæum exprimit, quibus hortantur vt Bolidi & Cambylo fidem habere ne dubitet. Eas Bolis mittit per Arianum ad Achæum in arcem, in quam Cambyli opera admittitur, & Achæ fidem facit, qui denique se Bolidi & Ariano permittere statuit.

IV. Achæum ex arce educit.

Illi priusquã illucesceret, admittuntur in arcem, Bolidem Achæus singulari comitate accipit, moxque variis interrogationibus explorat hominis fidẽ; quem cũ cerneret vultu verbisq; constantem, abeundi propositum apud se con-

firmat, sed pro sua prudentia, statuit ipsi quoque Bolidi ignotus abire. Ideoque negauit Bolidi se cum eo nunc exire posse, verum tres quatuorve ex numero amicorum cum ipso missurum, qui cum Melancoma colloquerentur, moxque paratum se fore ad eundem. Vbi mox aduenit, præmissis Ariano & Bolide ad portam qua exituri erant, ibi operiri eos iussit, qui cum ipsis erant abituri. Mox salutata ac bene animata vxore, quatuor assumit socios, quibus mediocrem amictum dedit, ipse plebeium indutus est. Ergo viæ se dant, præit Arianus propter viæ notitiam, sequitur Achæus, pone subit Bolis cum reliquis, & quidem maxime anxius, vt qui omnino nesciret an adesset Achæus, impedientibus tenebris. Id tamen agnouit vbi animaduertit reliquos in locis difficilibus sei officiose adesse.

V. Comprehenditur, & traditur Antiocho, traiicitur.

Vt ergo ventum est ad locum insidijs obsessum à Cambylo, Bolis sibilo dat signum. Illico exurgunt qui erant in insidijs, alijque alios comprehendunt. Bolis Achæum cum vestibus suis corripit, statimque à militibus vinculis cõstringitur, & ad Antiochum cum suis è vestigio adducitur. Is enim rei exitum cum duobus tribusue Satellitibus sollicitus expectabat: subitoque ingressus Cambylus vinctum Achæum humi abiectum, cũ omnium admiratione destituit. Vbi illuxit, ex procerum sententia placuit, vt miser extremis primum membris mutilaretur, tum amputato capite, atque vti asinino insuto, truncus in crucem tolleretur. Quo facto tantus castra motus inuasit, vt Laodice mariti casum è tumultu conijceret. Ad quam mox Caduceator aduenit totius rei nuncius, simul iubens vt arcem traderet: qua de re cum Ariobazus & Laodice dissentirent, dum sibi inuicem diffidunt, celeriter vtraque factio, se & arcem fidei Regis permisit. Sicque Deus Achæum proditione perite permisit, qui prodita per ambitionem fide ætate sui regis abusus, bonam regni partem hosti sublatam sibi vsurpasset.

Supplicio afficitur, & arx Antiocho traditur.

VI. Philopatoris vitæ ratio.

Interea in Ægypto *Philopator*, vt scribit Iustinus l. 30. *contentus recuperatione vrbium, quas amiserat, factaque pace, auide materiam quietis arripuit, reuolutusque in luxuriam, occisa Eurydice vxore eademque sorore*, eam autor l. 3. Machabæ. Atsinoëm vocat, si tamen eadem fuit. Causam mortis suspicari possumus zelotypiam concubinatum: sequitur enim, *Agathoclea meretricis illecebris capitur: atque ita omni magnitudine nominis & maiestatis oblitus, noctes in stupris, dies in conuiuijs insumit*, &c.

VII. Mors Hieronis, & motus in Sicilia.

In Sicilia hoc ipso tempore mortuus est Hiero rex Syracusanus: vnde contigit res in ea insula valde perturbari. Cum enim Hieronymo nepoti, qui decimum quintum agebat annum, regnum reliquisset, eumq;, generosq; suos, quos ei gubernatores relinquebat, hortatus esset, vt amicitiam Romanorum, quam ipse 50. ipsos annos coluerat, conseruarent, ipsi contra Annibali adhærere maluerunt, eaque lege fœdus inierunt, vt cum Romanos Sicilia expulissent, insula ad Himeram fluuium diuisa, foret Syracusani & Punici imperij. Mox autem assentatorum monitis acquiescens Hieronymus alteram legationem Carthaginem misit; qua æquum censebat omnem sibi cedi Siciliam, Imperium Italiæ Carthaginensium fore. Sed hæc vota in ventos celeriter abiere. Cum enim in Leontinos profectus esset, ad tentandas vrbes, quæ Romanis præsidijs tenebantur, ad viæ angustias à coniuratis interfectus est, qui mox liberas proclamauere Syracusas.

Romæ autem arbitrio Q. Fabij Consules facti sunt clarissimi imperatores, qui contra Annibalem in acie stare possent, Fabius ipse & Marcellus, qui omnium in se animos expectatione conuerterunt; multis enim annis tale par Consulum non fuerat. Ijs ad bellum proficiscentibus, omnibus, qui cum exercitu varijs in locis erant, prorogatum est imperium, duodeviginti legionibus bellum geri placuit. Hic apparatus Campanos exterruit, & ad accersendum Annibalem excitauit. Quem secutus Fabius, Sempronium Gracchum iubet occupare Beneuentum; quo ipso tempore Hanno ex Brutis cum magna equitum & peditum manu eodem venit; vbi & acerrimè pro Romanis pugnatum est à Volonibus, conditione seruis in præmium victoriæ libertate promissa, & ingens obtenta victoria. Quæ dum ad Beneuentum geruntur, Annibal agrum Neapolitanum depopulatus, ad Nolam castra mouet, vbi à Marcello male acceptus est; & nisi per Neronis imprudentiam stetisset, accepta ad Cannas reddebatur hosti clades.

Desperata Nola Tarentum venit Annibal magna spe, magnoque desiderio. Nam quinque iuuenes, de quibus ipse dudum bene meritus fuerat, quasi totius iuuentutis legati, eum inuitarunt, spondentes fore, vt si eius signa eminus conspecta forent, Tarentum deditionem faceret. Ingens autem cupido tenebat Annibalem Tarenti potiundi, vrbis inprimis potentis, & opportunè in Macedoniam versæ: Regemque Philippum hunc portum, si in Italiam transiret, cum Brundusium Romani haberent, petiturum. Sed tardius ad eos venit Annibal. Nam T. Valerius eò maturius à Proprætore missus, vrbem in officio tenuit, & hostis re infecta reuersus est, & Salapiam ad hyberna destinans, eò studiose conuehit commeatum, & prædas equorum præsertim per Apuliam collectas.

Interea Consul vterque Casilinum venit, quod valido Campanorum & Pœnorum præsidio tenebatur, cumque res minus bene succederet, Fabius curas aliò vertendas censebat; At Marcellus constantiam metu aduersæ famæ, collegæ persuasit. Cumque machinæ omnis generis admouerentur vrbi, Fabium Cãpani orabant, vt abire tutò Capuam liceret, egressi ad 50. Sed Marcellus portam qua egrediebantur occupauit; deinde eruptione facta, vrbe potitus est. Captiui Annibalici, Campanique Romam missi, carceribus mancipati sunt. Marcellus Romam redijt, vbi aduersa valetudine tentatus est. Fabius in Samnio multa oppida vi cepit, recepitque perfugas 370. quos cũ Romam misisset, virgis in comitio cæsi omnes, ac de saxo deiecti. Quæ dum in Italia geruntur, pleraque feliciter à Romanis in Sicilia, Hispania, & Illyrio contra Philippum Macedonem gesta sunt.

Occiso in Sicilia Hieronymo, Demarata filia Hieronis vxor Andronodori, maritum sti-

Andronodorus tyrānidē affectat in Sicilia.

mulabat ad vsurpandam tyrannidem; cui cum is acquieuisset, acciuit in consilij societatem Themistium, cui Gelonis filia Harmonia nupserat. At re ad Prætores clam delata, in curiam euocati, occisi sunt ambo, & mox cum ipsis eorum vxores. In eorum locum legati Annibalis Hippocrates & Epicides Prætores effecti sunt Syracusis, à quibus turbata sunt omnia, quæ de pace, & renouata cum Romanis societate agi cœperant. Cum enim nouam Carthagine classem in Siciliam appulisse intellectum est, isti depositio timore Romanos criminantur, & in odium vocant. Sed mox sapienti Apollonidis oratione persuasi, Syracusani legatos ad Marcellum Consulem mittunt, pacis confirmandæ causa. Marcellus pacem confici posse negat, nisi Hippocrates & Epicides tota Sicilia ablegentur, vt qui recentibus iniuriis Romanos afficerant. At Leontini, quos illi à Romano fœdere interfecta statione abduxerant, ferociter respondentes Romana in se arma concitarunt.

Legati Annibalis ibi omnia turbant.

XII. Leontini deficiūt, & capti puniūtur.

Marcellus in eos mouet, Appio quoque accito, qui ad Murgantiam cum classe aderat, vt ex altera parte vrbem aggrederetur. Tanto ardore militum vsus est, vt primo impetu vrbem expugnaret; & duo millia transfugarum verberati, ac securi percussi. At turbarum duces cū ex arce profugissent, occurrerunt exercitui Syracusano, qui Romanis auxilio veniebat, eique referunt Romanos vrbem cædibus repleuisse, nec quemquam superesse puberem. Ea temere credita, cum Hippocrates insuper fictis literis mercenarios concitasset, quasi morti destinati essent, aliisque mendaciis non milites solum, sed plerosque etiam optimates à Romanis auertisset, Syracusæ in pristinam seruitutem recidere. Romani semel iterumque Syracusas mittunt, ad hosce tumultus pacificè componēdos, qui vix tuto elapsi sunt. Inde terra marique cœptæ obsideri Syracusæ, sed Romanorum conatus variis artibus machinisque ludificabatur Archimedes, adeo vt speculis vstoriis in remotas naues flammas injiceret, itaque in tertium annum obsidio protracta est.

Et Syracusani decepti calumniis, qui obsideri cœpti.

Archimedes.

Eadem æstate cum Macedone quoque res gesta est. M. Valerius Prætor Brundusinæ classi præerat. Ad eum legati ex Orico Epiri vrbe maritima venerunt opem implorantes, quod eorum vrbem Philippus occupasset. Eò Prætor cum classe traiecit, & pulso Philippi præsidio vrbem recepit. Eò legati ex Apollonia venerūt, nunciantes obsideri se, quòd à Romanis deficere nollent. Prætor mille milites duce Nævio Crispo Apolloniam misit, qui nocte vrbem, nemine hostium sentiente, ingressus est. Postridie agnitis vrbanis copiis, & oppugnantium negligentia, eruptionem in proximam noctem parat; quæ ei tam feliciter cessit, vt castra occuparet, & hostem pro arbitrio cæderet: & Rex ipse somno excitatus, seminudus ad flumen nauesque perfugeret. Crispus paulo minus tribus hostium millibus, aut cepit, aut occidit, castra diripuit, machinas vrbi capiendæ, ad eam defendendam in vrbem transtulit. Quæ cum Orici Valerius accepisset, classem protinus duxit ad fluminis ostium, ne Rex nauibus effugeret. Itaque Philippus incensis nauibus cladium plenus ac pudoris, terra Macedoniam petiit, Prætor cum classe Orici hybernauit.

XIII. Res gesta contra Philippū in Illyrico, eiusque fuga.

In Hispania vario euentu à Pœnis Romanisque certatum est, ad Castrum altum, ad mōtem victoriæ, ad Illiturgum, ad Mundam, ad Auringem. Denique Saguntum oppidum, pulso Punico præsidio, receptum est, ciuibusque, quos belli vis reliquerat, restitutum: anno sexto ex quo in potestatem hostium venerat, quamuis in Liuio legatur octauus.

XV. Et in Hispania contra Pœnos. *Vide Annal. n. 44. 45. 46.*

ANNVS MVNDI 3841.

SIMO. II. 20. PHILOPAT. & PHIL. 8.

ANTIO. MA. 12. Imperij Græcorum 99.

OLYMP. CXLI. A. 4. VRB. CO. 540.

ANTE CHRISTVM 212.

ALtum est hoc anno, & aliquot sequentibus de Antiocho Magno, & Philopatore silentium, donec hic per immensam nequitiæ turpitudinem extinctus est. Hebraicæ quoque res, vsque ad mortem Simonis in obscuro sepultæ iacent. De Philippo Plutarchus ait eum, cum turpissimè bello Romano victus esset, vt proxime dictum est, ex miti Rege, & modesto adolescente, in virum lasciuum, ac detestabilē degenerasse tyrannum. In Peloponneso contra Messenios bellum gessisse, & Aratum, qui Achæorum prætura decies & septies cum laude functus fuerat, veneno sustulisse. Interea Valerius Lævinus in eum erat intentus, ne quo modo Pœnis contra Romanos adesset. Itaque per secreta colloquia Ætolos, qui hoc tempore potentes erant, quosque Philippus recenti fœdere occuparat, tentare cœpit, vt scribit Liuius, idque sequenti quoq; anno factitatum est, minime irrito conatu.

I. Res Philippi. *In eius vita. Pol. l. 8.*

Arati mors.

Romæ Sempronius Consul in Lucanos, in Apuliam Fabius profectus, cui Fabius cunctator pater legatus venit, probauitque Consulatem aduersus parētem autoritatem, cum equo desiliens ad lictoris imperium, *Experiri*, inquit, *volui, fili, satin scires Consulem esse.* In ea castra Altinius Arpinas venit, qui oppidi proditionem pollicebatur, qui pridem ad Pœnos à Romanis transfugerat. Vt cognitum est in oppido abesse Altinium, monitus Annibal, coniugem eius ac liberos in castra accitos, viuos combussit, eos videlicet meditatæ defectionis conscios arbitrabatur. Fabius Arpos noctis ac pluuia fauore occupauit, & Arpinates prudenti admonitique eò dedùxit, vt conuersis armis, ipsi quoque Pœnos inuaderent. Hispani quoque fere mille secuti sunt Arpinates, ea conditione vt sine fraude Punicum præsidium emitteretur. Itaque factum: deincepsque Hispani hi dediticij fortem fidelemque operam Romanæ Reipub. nauarunt. Romæ fœdum incendium per duas noctes, & vnum diem tenuit, lateque vagatus ignis, sacra multa profanaque cōsumpsit; quæ clades addita publicis malis, causa esse potuit Oppio Tribuno plebis legis ferendæ de sumptu mulierum, quæ Oppia dicta est, quam constat hoc anno latam.

II. Consulis autoritas.

Arpinates ad Romanos deficiunt, dimisso præsidio.

Romæ incendiū, & lex oppia.

Liuius l. 34.

III. Syphax Numida se iungit Romanis.

Hoc anno P. & Cn. Scipiones, cum in Hispania res prosperè gererent, etiam in Africam ipsè extenderunt. Cum enim Syphax Rex Numidarum subito Carthaginensibus hostis factus esset, Scipiones tres ad eos legatos miserunt, de amicitia & societate iungenda, & Numidis è Pœnorum castris ad Romana castra traducendis. Cumque ab vno legatorum pedestris militiæ disciplinam didicissent, tantum profecerũt, vt Carthaginenses, collatis ex æquo signis, superarent. At Pœni Gelam ex altera Numidiæ parte regnantem adeunt, docentque Syphacẽ sese Romanis in perniciem populorum Africæ coniunxisse idcóq; opprimendum, priusquam Romanorum copiis iuuari posset. Rex filium suum Masanissam magnæ spei adolescentem contra eum misit, qui iunctis Carthaginensium legionibus, Syphacem simul iterumque magna clade affecit, dum Marcellus in Syracusarum obsidione perseuerat. Annibal autem in ambienda Tarenti proditione, magnam anni partem frustra consumpsit.

A Masanissa vincitur.

ANNVS MVNDI 3842.

SIMONIS II. Ducis & Pont. 21.

PHILOPATORIS, & PHILIPPI 9.

ANTIOCHI MAG. 13, Imp. Græc. 100.

OLYMP. CXLII. A. 1. VR. C. 541.

ANTE CHRISTVM 211.

I. Res anni huius.

INhistoriæ Græcæ Iudaicæque silentio, hoc regni Græcorum anno seculari, & primo Olympiadis CXLII. Romana historiâ copiosam rerum gestarum syluam suppeditat; quarum hæc primaria, & summa sunt capita, Tarentinorum defectio in magna Græcia, Capuæ in Campania obsidio, Syracusarum in Sicilia expugnatio, clades multiplices Romanorum in Hispania, cum vtriusque Imperatoris cæde, quibus alia minutiora coniungũtur, quæ Liuius toto 25 libro fusè persequitur, & octauo Polybius. Cum ergo Tarentinorum defectio iamdiu & in spe Annibali, & in suspicione Romanis esset, causa illius maturandæ fugæ obsidum Tarentinorum fuit, qui mox ex fuga retracti, & virgis in comitio cæsi de saxo dejecti sunt. Ea pœna Tarentinos ad defectionem ad Annibalem concitauit. Id negotium in primis Nico & Philomenes, per speciem venationis, cum Annibale tractarunt, moxque plane confecerunt.

Vide a. m. 3840. n. 9 Causa defectionis Tarentinæ.

II. Ab Annibale per proditionem occupatur.

Portis enim duabus eorum opera patefactis, cæsisque custodibus, Annibal cum peditum agmine ingreditur, forum occupat, suos per vrbem dispertit, Romanos occurrentes cædi mandat, parci Tarentinis, quos & quiescere iubet, & bono esse animo; sibi libertatem non perniciem adesse. Præfectus tumultu excitatus semisomnis in portum, indéque assumpta scapha cum paucis in arcem confugit. Vbi illuxit vrbem ab Annibale captam esse cognitum est, notatæ, ex mandato Annibalis, Tarentinorum ædes, vt cæteræ diriperentur. Inde arx oppugnare cœpta, erumpentes malè à Pœnis accipiuntur; quibus vicissim Romani cladem reponunt, subsidio à Metapontinis accepto. Reliqua erat spes Annibali, arcis fame ad deditionem compellendæ. Sed cum arx in peninsula composita faucibus portus immineret, ad quẽ commeatus mari inferrentur, propius erat vt obsidentes quam obsessi fame premerentur. Itaque statuit naues è portu abstractas, per mediam vrbem, in medium mare ante fauces portus transferre, idque cum omnium admiratione perfectum est. Neque tamen arcis deditionem extorsit; quin ipsam quoque vrbem post triennium amisit.

Interea vterque Consul erat in Samnio, & Capuam obsessuri videbantur. Iamque famem ante obsidionem Campani metuebant, quippe Romanorum exercitus eos sementem facere prohibuerant. Itaque per legatos frumentum ab Annibale flagitant, qui opera Hannonis magnam eis frumenti vim ex Brutiis procurat, sed Capuanorum socordia factum est, vt pauca tantum plaustra reciperent. Nam occasione amissa superuenientibus Coss. Hannonis castra cum cæde multorum expugnantur, multa hostium millia cum frumentatoribus Campanis, totoque frumenti apparatu capiuntur, quod in arcem Tarentinam & Metapontũ deuehi curant. Consul Beneuentum redit, quo mox alter Consulum venit. Ab iis præda, quam Hanno ex sociorum agris corraserat, partim vendita, partim diuisa est. Hanno furtim in Brutios rediit, male à Romanis per culpam Capuanorum acceptus.

At vicissim Romani non leuia damna passi sunt hoc tempore. Nam Capuani, qui sibi à Romanis male metuebant, duo millia equitum ab Annibale acceperunt, qui agros ipsorum populatione prohiberent, Metapontini frumento à Romanis accepto, se Pœnis dediderunt, sicut & Thurij, & alij in eadem ora, non tam odio Præfectorum, quam dolore obsidum crudeliter interfectorum. Sempronius Gracchus proconsul, spe conciliandi sibi Lucanos, in Punicas deductus insidias, fortiter pugnans occubuit; mortui corpus ab Annibale dicitur honoratum. At Volonum exercitus, qui eo viuo summa fide stipendia fecerat, velut exauctoratus morte ducis, à signis abscessit, quos postmodum. Senatus conquiri, & ad signa reuocari iussit. Coss. in agrum Campanum prædas agebant, cum Magonis & oppidanorum eruptione, supra mille & quingentos suorum amisere. Annibal autem vicissim in agrum Beneuentanum veniens, Romanis fecit pugnandi potestatem. Pugnatum est, & acies Romana equitum incursu grauiter laborare cœpit; cũ procul visus Sempronianus exercitus, cui Cornelius Quæstor præerat, vtrique parti parem metum attulit, ne noui hostes aduentarent. Itaque velut ex composito, vtrimque signum receptui datum est.

Paulo post Annibal geminam intulit Romanis cladem; alteram in Lucanis contra M. Centenium, quam secum congredi ausum acie vicit, atque interfecit, cum septem millibus, tam ciuium, quam sociorum, vix mille

fuga elapsis. Alteram in Apulia contra Cn. Fuluium Prætorem, qui milites suos prospero nescio quo euentu elatos, vix imperio continebat, qui tamen ne primum quidem hostis impetum sustinuere. Nam Dux vbi aciem inclinatam, ac suos trepidantes vidit, cum ducentis ferme equitibus effugit. Cætera acies à fronte pulsa, ab alis circumuenta, eousque cæsa est, vt ex duodeuiginti hominum millibus, duo millia haud amplius euaserint. Quæ clades alia super aliam Romam allatæ, ingentem luctum ac panorem ciuitati attulerunt; eos tamen res à Consulibus bene gestæ consolabantur.

VI. Obsidio Capuæ.

Vbi enim Consules Annibalem Capua, ad Lucanos Apulosque auerterunt, Capuæ obsidionem summa cura aggrediuntur, frumentum ad maritima castella conuehunt; ad Vulturni ostium præsidium imponunt, vt & mare proximum, & flumen esset in potestate. Tria prætoria ad Capuam excitata sunt, Consulis vtriusque & Claudij Neronis Prætoris, simulque à tribus exercitibus, diuersis locis vallo fossaque vrbs cingi cœpit, & castella modicis interuallis excitari, Capuanis nequicquam ad impediendum excurrentibus, & Annibalem euocantibus, qui Tarentinam arcem interea neque vi occupare potuerat, neque proditione Brundusium. Legatis magnificè respondit Annibal, & antea Consules obsidionem soluisse, & nunc aduentum suum non laturos. Interim literæ à Prætore Vrbano acceptæ, vt potestas fieret Capuanis, vsque ad Idus Martias, Capua cum rebus suis exeundi, post eam diem, quique exissent, quique ibi mansissent, hostium loco futuros. Quæ temporis nota monet, vt reliqua ad sequentem differamus annum.

Annibal euocatur.

15. Eiusdem.

VII. Syracusæ expugnantur, & quis expugnationis modus.

Sequitur non minus illustris, quam luctuosa Syracusarum expugnatio, M. Marcelli auspiciis hoc anno perfecta, quæ iam pene desperabatur, mari commeatum suppeditante. Cum autem occasione colloquij de Damasippo quodam Lacedæmonio redimendo, Romani muri altitudinem & ordines lapidum æstimassent, vidissentque multo humiliorem opinione sua murum, & scalis superari posse, Marcellus clam scalas parari iubet, & festo Dianæ die muris, nocte applicati, cum ciues vino madidi, & obruti somno iacerent. Vbi sine tumultu ac strepitu, primi euaserunt in murum, alij atque alij deinceps secuti sunt; à quibus qui in turribus, aut cubilibus reperti sunt, vino fatigati facile perierunt. Inde terrendi hostis causa, signum occupatæ vrbis tuba datur, tum ciues, omnia ab hoste teneri existimantes, huc illucque diffugiunt, plerique ne mali quidem sui magnitudinem partim propter somnum & crapulam, partim propter vrbis amplitudinem ad lucem vsque senserunt, cum Marcellus effracto Hexapylo, copias omnes suas in vrbem induxit, eamque è superiore loco contemplatus, propter imminentem tantæ ciuitatis vastitatem, lacrymas tenere non potuit.

VIII. Marcelli humanitas.

Omnes subinde partes vrbis deditionem fecerunt, rogantes Marcellum, vt cædibus atque incendiis parceretur. Is militibus edixit ne quis liberum corpus violaret, cætera prædæ futura. Signoque dato milites discurrerunt ad prædam, neque rapinis ante modus fuit, quam omnia diuturna felicitate cumulata bona egessere. Domilcar sub ipsum expugnationis initium Carthaginem profugit, vnde irritum mox retulit auxilium. Memoriæ porro proditum est, Archimedem in tanto tumultu quantum vrbs tanta, in diripientium militum discursu ciere poterat, intentum formis quas in puluere descripserat, ab ignaro milite quis esset, interfectum. Addit Valerius interrogatum quisnam esset, nomen suum, propter nimiam ad figuras illas suas attentionē, edere non potuisse, sed protecto manibus puluere, orasse ne lineamenta confunderet; iratumque militem hominem obtruncasse, admodum ægre ferente Marcello, vt Liuius, & Plutarchus in Marcello, prodiderunt. A quo illud quoque proditum est, Marcellum tes in Sicilia ita composuisse, vt deinceps populi, à Romanis clementiæ & humanitatis exempla non desiderarent.

Cædes Archimedis. l. 8. c. 7.

Marcelli humanitas.

IX. Eius pugna contra Annibal. Liuius l. 26.

Secuta est noua Marcelli pugna contra Duces Annibalis, in qua Romanus ægrè victor fuit, ope tamen deficientium Numidarum vicit, eique Syracusas reuerso, imperium in annum sequentem prorogatum est. Quæ dum in Sicilia geruntur, M. Valerius Læuinus, qui Græciæ & Philippo imminebat, non solum Ætolos sibi deuincire, & à Philippo abducere conatus est, sed vltra progressus, in Asia Attalum Pergami Regem populo Romano socium acquisiuit; idque hoc facilius fuit, quò ille sibi magis ab Antiocho vicino, & recens Achæi victore metuebat. Duos quoque Illyriorum regulos Pleuratum & Sardiletum, populosque duos Lacedæmonios & Eleos, fœdere, quod cum Aetolis anno proximo initum est, voluit comprehendi.

Romanorū cū Attalo & aliis societas.

X Hispanicæ res.

Restant Hispanicæ res anni huius, quo Scipiones ex hybernis egressi, copias coniunxerunt, vt si quomodo fieri posset, bellum in Hispania finiretur, ad quod magnum momētum allatura videbantur 30. millia Celtiberorum, illa hyeme ad arma excitata. Tres erant Pœnorum exercitus, Asdrubalis vnus, Magonis alter, tertius filij Amilcaris, qui & ipse Asdrubal dicebatur, Annibalis frater. Sed duo illi coniunctis copiis quinque ferme dierum itinere à Romanis aberant; propior erat cum exercitu ad vrbem Anitorgim Annibalis frater, quem primum opprimere Scipiones cupiebant. Sed veriti ne hoc deuicto, cæteri fugitantes bellum extraherent, copias tripertito diuisere, sic vt P. duas partes contra priores illos duceret, reliqua Cn. contra Asdrubalem pugnaret. Is paucitate contempta, etiam Celtiberos, quorum auxilio Scipio nitebatur, fidem fallere magna merce de persuasit. Scipio consilii inops, cum nec pugnare posset, nec fratri iamdudū antegresso coniungi, retro vnde venerat abire constituit, neque vsquam hosti pugnæ copiam dare.

XI. P. Scipionis vltima pugna & cædes.

Nec minus interea negotii P. Scipioni creatum est, cui Masanissa, eo tempore Carthaginensium socius, cum lectissimo Numidarum equitatu occurrit, qui dies noctesque illi erat infestus. Res etiam iniquiore loco futuræ erāt, vbi se Indibilis Pœnis coniunxisset, qui cum 7.

millibus & quingentis Sueſſetanorum aduentabat. Itaque conſilium capit illi occurrendi, & cum eo ſolo pugnãdi, relicto modico in caſtris cum T. Fonteio præſidio. Cum hoſte congreſſus ſuperior, vt in tumultuaria pugna, Romanus erat: ſed equites Numidæ, quos ſe fefellisſe Scipio arbitrabatur, repente adfuerunt, & ad pugnantium latera circunfuſi, magnum terrorem intulere. Sed tertius inſuper hoſtis ſuperuenit, duces Pœni, in quos vnos ſe pugnaturum Scipio crediderat. Igitur Romani tot hoſtibus circumfuſi, in cumulum malorum etiam Imperatorem lancea transfixum amittunt: ſtatimque deſperatis rebus, fuga vndique fieri cœpta eſt, in qua tam multi occiſi, vt niſi nox interueniſſet, nullus fuiſſet ſuperfuturus.

XII. Item Cn. Scipionis

At Pœni duces confeſtim è prælio ad Aſdrubalem Amilcaris filium accurrunt, & copias cum eo coniungunt, cum nondum ad Romanos tantæ cladis fama peruenisſet; eam tamen Cn. facile ſuſpicabatur. Itaque iniquo marte pugnat vel inuitus, & multitudine oppreſſus occumbit. Magna pars tamen militum, cum in propinquas refugiſſent ſyluas, ad caſtra T. Fontei perfugerunt. Cæterum cum deletus exercitus, amiſſæque Hiſpaniæ viderentur, L. Marcius eques Romanus, collectis ex fuga militibus, & quibuſdam ex præſidiis deductis, cũ ea manu, quæ erat cum Fonteio, rem Romanã reſtituit. Improuida enim Pœnorum caſtra, quaſi accenſi rabie, vlturi ſuorum Imperatorũ cædem, inuadunt, & ingenti clade afficiunt, fugientes paratis in ſylua interiecta inſidiis, excepros conficiunt. Inde ad ſecunda hoſtium caſtra prioris cladis ignara noctu perueniunt, quę plane incuſtodita reperiunt; itaque ferro flammáque ſæuiunt, ſi quis ad altera caſtra fugam arripiebat, in eaſdem incidebat inſidias. Itaque nocte & die Pœni geminis exuti ſunt caſtris, dum hoſte contempto, ſecuri negligenteſque degunt. Sicq; aliquandiu res in Hiſpania quietæ fuere, poſt tantas clades vtrimque acceptas.

L. Marcius victores delet.

ANNVS MVNDI 3843.

SIMONIS II. Ducis & Pont. 22.

PHILOPATORIS, & PHILIPPI 10.

ANTIOCHI MAG. 4. Imp. Græc 101.

OLYMP. CXLII. A. 2. V. R. CO. 542.

ANTE CHRISTVM 210.

I. Obſidio Capuæ.

AMpla quoque eſt huius anni rerum Romanarum ſeges, in magno reliquarum ſilentio. In primis autem vis omnis belli verſa erat in Capuam, quæ fame potius quam telis vrgebatur. Elapſus eſt medios inter hoſtes Numida nuncius, ad perurgendum Annibalis aduentum. Is licet arcem Tarentinam valde affectabat; ratus tamen pluris eſſe Capuam ſibi nõ perire, ad eam, ſi poſſet, obſidione liberandam copias celeriter traduxit. Ergo Romanorum caſtra totis viribus aggreditur, eo ipſo tempore quo Campani ex Vrbe eruumperent, vnáque Punicum præſidium, cui Boſtar & Hanno præerant. Verum Campanos Appius Claudius facile vallo arcebat, Fuluius ab Annibale premebatur. Et iam ſexta legio loco ceſſerat, eáque pulſa cohors Hiſpanorum cum tribus elephãtis ad vallum vſque peruaſit, & periculum erat ne vel in caſtra irrumperet, vel eam legionem, à reliquo diuulſam exercitu profligaret. Verum eximia virtus Q. Nauij Centurionis, periculum depulit, edita ingenti hoſtium & elephantorum ſtrage, quorum corporibus foſſa oppleta, quod reliquum erat cohortis euaſit.

Annibalis auxilij irritum.

Annibal ſtrage ſuorum animaduerſa, receptui cani iuſſit; Flaccus quoque ardorem militis inſequentis cohibuit, præſertim Appio proconſule vulnerato; ſatis hac pugna demonſtratum ratus, quam parum ab Annibale Campanis auxilij afferri poſſet. Qui cum nec Romanos ad pugnam poſſet elicere, nec ad Capuam per eorum caſtra perrumpere, veritus ne ſuos commeatus noui Conſſ. intercluderent, præſertim cum antea proconſules late totis agris vaſtitatem intuliſſent, animo verſabat quam ſe in partem deſerta Capua conuerteret. Subijt animum cogitatio, Romam ipſam belli caput, nec opinato pauore perculſam occupari poſſe. In eo diſcrimine, vel alterum, vel vtrumque Conſulem, omiſſa Capua, ad ſe venturos, & ſic tam ſibi, quam Capuanis bene gerendæ rei copiam daturos. Ne autem Capuani cognito eius diſceſſu deditionem facerent, eos de re rota per literas, quas fictus transfuga tulit, monitos continuit, tantæ rei expectatione ſuſpenſos.

Scribit Polybius clam ex caſtris ſuis nocturno itinere profectum Annibalem, & clam quoque itinere confecto, repente Romanis ad quintum ab Vrbe lapidem apparuiſſe. Ex quo tanto maior, inquit, Vrbem terror occupauit, quod crederent fieri non poſſe, vt niſi deletis Romanis legionibus, tantus hoſtis Vrbi tam vicinus adeſſet. Ergo viris vndique in munienda vrbe occupatis, mulieres omnia cõploratione in templis domibuſque replebant. A nouis autem Conſſ. legio vna dudum conſcripta, & iuramento firmata, eo die Romam venit, quando & altera legio recens delecta probatur; quæ cauſa fuit, vt multi eo die viri militares Romam peropportunè confluerent. Eos animosè Conſul vterque ante vrbem obiecit Annibali, & à conſilio oppugnandæ vrbis auertit. Quin potius magna præda ex locis iampridem intactis collecta, feſtinatò retroceſſit, vt incautum Appium ad Capuam opprimeret: ideóque oblatam ſibi à Conſſ. pugnam detrectauit, & in tranſitu Anienis trecentos de ſuis, cum magna prædæ parte amiſit. Sed hæc aliter à Liuio narrata in Annalibus Lector inueniet, & mecum, vt arbitror, Polybio æquali illorum temporum, plus fidei tribuet.

Idem ſcribit regreſſum Annibalem caſtra Romanorum noctu aggreſſum multos occidiſſe, reliquos eieciſſe caſtris, poſteróque die in Brutios, Rhegiumque captorum ire peruolaſſe. Inde intellexere Capuani relictos ſe deſertoſque, & ſpem Capuæ retinendæ apud Pœnos eſſe deploratam. Neque tamen ad Romanos facta eſt ab ipſis vlla tranſitio, dum timent ne

fidem

fidem Campanis ea religione Romani teneant, quam Romanis ipsi ad Pœnos transeundo remisserant. Cumque omnia teneret desperatio, coacto concursu populi in curiam Senatu, de legatis ad Romanos Imperatores mittendis agebatur, cum Virius, qui defectionis autor fuerat, sententiam dixit nihil à Romanis gratiæ, aut veniæ expectandum esse, sed mortem cum cruciatibus & ignominia. Itaque Senatui autor fuit mortis sibi veneno conscisc endæ: quicumque ita sentirent domum suam ad epulas & venenum inuitauit. 27. assensi, secutique sunt. Alij populi Romani clementiam sæpius experti, legatos de vrbe dedenda miserunt.

V. Cn. Fulvij in eos seueritas

Ingressus est C. Fuluius legatus cum legione vna & duabus alis: arma omnia, telaque ad se deferenda curauit, custodias ad portas omnes disposuit, præsidium Punicum comprehendit. Senatum in castra ad Imperatores misit: quo cum peruenissent, omnibus extemplo iectæ catenæ, & quidquid auri argentiue haberent expilatum, & ad quæstores delatum est. Tres & 50 Senatores in custodiam traditi. De eorum supplicio non satis inter Imperatores constabat, Claudius ad veniam erat propensior, & rem totam ad Senatus arbitrium deferebat. Q. Fuluius erat durior. Itaque Appius Romam ea de re scripsit. Sed Fuluius omnes virgis cæsos securi percussit, priusquam aut venirent ab Vrbe literæ, aut legerentur. Ita ad 80. Senatores periere. Trecenti quoque Campani nobiles in carcerem conditi, alij per sociorum Latini nominis vrbes in custodias dati, variis casibus interierunt, alia multitudo venundata, & in nullam spem reditus dissipata. Vrbi, tectisque propter agri bonitatem parcitum, vt esset habitatio aratoribus ac vinitoribus, quibus daretur quotannis aliquis ex vrbe magistratus. Sed in Græciam ad Valerium Lævinum, & Aetolos transeundum est.

VI. Lævinus fœdus init cum Græcis. *Vide Liuium l. 26. & Iustinũ l. 29.*

Cum ergo iam Aetolorum animi, opera Lævini, in Romanos bene affecti essent, Concilium Aetolorum indictum est. Ad id Valerius cum expedita classe venit; vbi Syracusas, Capuamque captas ostentauit, in testimonium Romanæ potentiæ. Addit Philippum & Macedonas, graues eorum accolas, à se ante biennium domitos, eóque redactos, vt non solum Aetolorum vrbibus excedant, sed Macedoniam infestam habeant. Daturum denique operam, vt Acarnanes, quos ægre ferrent Aetoli à suo corpore diremptos, eorum ditioni restituantur. Ea spes maxime mouit Aetolos ad societatem ineundam; qua amici sociique populi Romani facti sunt; eodemque iure Elæos, Lacedæmonios, Attalum Pergami Regem, Pleuratum & Sardilerum Illyrij Reges comprehenderunt. Bellum extemplo Aetoli contra Philippum terra gerere cœperunt; quibus Romani, cum viginti quinque remibus, auxilio fuerunt, & aliquot Acarnanum oppida capta, ex fœdere Aetolis attribuere, sicque Philippum bello implicitum, ab Italia cogitanda prohibuerunt.

VII. Exercitus Capua in Hispaniam traducitur.

Interea proconsules Capuana cura perfuncti, exercitum in Hispaniam Claudio Neroni transportandum dedere, Tarraconem is appulit, & ad Iberum flumen progressus, exercitum à L. Martio, & T. Fonteio accepit: sed cum ab Asdrubale deceptus fuisset, successorem accepit Scipionem cum Syllano. Cum enim Romæ quæreretur idoneus Imperator, qui duobus Scipionibus in Hispania succederet, obtulit se P. Cornelius, Publij, qui nuper in Hispania ceciderat, filius: cui populus vniuersus singulari fauore decreuit Hispanias, & ad copias quas ibi recens habuerat, decem millia peditum, & mille equites addidit. Et quia vigesimum quartum duntaxat agebat annum, datus est ei socius Iunius Syllanus prætor ætate prouectus. Ita cum 30 quinqueremium classe profectus, Emporiis copias exposuit: inde nauibus sequi iussis, Terraconem pedibus adiit, quo se omnium sociorum legationes effuderant, quibus se mirificè probauit, sicut & militibus, & L. Martio, quam semper apud se summo in honore habuit. Denique omnibus rite dispositis, Terraconem in hyberna concessit. Hostes tripertitò diuisi hyemarunt.

Eique præficiuntur P. Scipio.

Sub extremam æstatem classis Punica à Sicilia Tarentum accita ad subigendam arcem, nullo edito operæ pretio dimissa est. Eodemq; tempore Marcellus successorem accepit, M. Cornelium, & negato triumpho Romam ingressus est ouans, cum pridie in Albano monte triumphasset; signis autem, & pacis bellique ornamentis Vrbem locupletauit vniuersam. Cum autem Cos. ambo Apuliam prouinciam haberent, quoniam minus iam ab Annibale terroris erat, sortiti Apuliam & Macedoniam, hæc P. Sulpicio exconsuli euenit, & Lævino successit, Fuluius Romam comitiorum causa euocatus est.

VIII. Marcelli ouatio.

ANNVS MVNDI 3844.

SIMONIS. II. Ducis & Pont. 23.

PHILOPATORIS & PHILIPPI 10.

ANTIO. MA. 15. Imperij Græcorum 102.

OLYMPIA. CXLII. A. 3. VR. CON. 543.

ANTE CHRISTVM 209.

I. Torquatus recusat Consulatum.

ROmæ in comitiis Consularibus quamprimum factus est Consul T. Manlius Torquatus, cum collega T. Otacilio, qui paulo post mortuus in Sicilia nunciatur, absens enim creatus fuerat. Manlius autem Torquatus ne Consul fieret valetudinem oculorum excusauit, negauitque gubernatoris esse, vel imperatoris, omnia alienis oculis agere. Cumque nihilominus centuriæ in sententia persisterent. *At enim*, ait Torquatus, *neque vestros mores Consul ferre potero, neque vos imperium meum.* Ergo Valerius Lævinus, qui res egregiè aduersus Philippum terra marique gesserat, & cum eo M. Marcellus quartùm factus est Consul. Ad Lævinum autem delatæ sunt literæ nunciæ Cõsulatus, & P. Sulpicij exconsulis successoris sui, cum Anticyram vna cum Aetolis oppugnaret, quæ intra paucos dies deditione recepta. Aetolis tradita est, Romanis præda ex pacto cessit. Lævinus autem ipse, diuturno ibi morbo implicitus, serius omnium spe Romam venit.

II. Lis Marcellum inter & Syracusanos.

M. enim Marcellus, qui Consulatum Idibus Martiis inierat, Siculos obtrectatores suos, ad accusationes suas in Senatu promendas prouocabat, cum primum collega Læuinius aduenisset, neque prius quidquam agi patiebatur. Itaque dum ille expectatur, prope iustitium Romæ fuit. M. quippe Cornelius, qui in Sicilia Marcello successerat, & literas & querulos de eo nuncios Romam miserat, ad Marcelli gloriam deterendam. Cumque nihilominus factus esset Consul, reliqua eorum spes in Læuino collega fuit. Graues quoque erant Campanorum de Flacco querelæ. Itaque Læuino Consuli Capuam prætereunti multitudo Campanorum circumfusa est, obsecrantium cum lacrymis, Romam vt sibi ad Senatum ire liceret, oratum, si quatandem misericordia flecti possent, ne se vltimum perditum irent, & Campanorum nomen à Quinto Flacco deleri sinerent.

III. Et inter Capuanos, & Q. Fuluium Flaccum.

Verum eorum causam valde affligebat, per eos dies Romæ excitatum incendium, à quo publica priuatáque ædificia, cum graui damno comprehensa fuerant, & Manno quodam seruo reuelante cognitum fuerat, id à Campanis, quorum parentes à Fuluio Flacco securi percussi fuerant, excitatum. Itaque comprehensi, supplicióque cum conscriis affecti sunt. Flaccus autem apud Læuinum Consulem negare vllam sibi cum Campanis priuatam esse simultatem, publicas & hostiles esse, vt qui hostili essent animo in Romanos. Eorum aliquos ex vrbe, tanquam feras è caueis, elapsos, partim ad Annibalem confugisse, partim ad Romam incendendam esse profectos. Inuenturum Cōsulem in semiusto foro vestigia sceleris Campanorum. Nec tutum censere eos intra mœnia Romana versari. Læuinus Campanos iureiurando à Flacco adactos, quinto die quam à Senatu responsum accepissent, Capuam redituros, sequi se Romam iussit. Hac multitudine circumfusus, simul Siculis obuiam egressis, Romam venit.

IV. Syracusanorum causa diiudicatur.

Ibi in Senatu, de rebus à se in Græcia gestis disseruit. Inde cum de prouinciis, & copiis quibus obtinendæ essent, fuisset actum, & in sortitione Consulum, Sicilia & classis Marcello, Italia cum bello contra Annibalem Læuino obuenisset: ea sors velut captis iterum Syracusis, ita examinauit Siculos, vt complorationem dolorem animi publicè testarentur, omnemque Senatum in veste sordida circumirent, orantes ne Marcello, nec ante beneuolo, & nunc irato, Siculos iterum dederent affligendos: tantumque perfecerunt, vt inter Coss. fieret permutatio Prouinciarum. Quibus permutatis Siculi in Senatum introducti, de Hieronis regno misere à Marcello deformato conquesti sunt, & misericorditer secum agi postularunt, præsertim cum quæ in Romanos fecissent, id eo tempore fecissent, quo à Tyrannis oppressi sui iuris non essent. Quæ vbi à Marcello refutata essent, & inde successisset, decreuit Senatus, quæ à Marcello in Sicilia facta essent, recte facta videri. Rem Syracusanam sibi curæ fore, & Læuino cōmendatum iri. At legati, ne tantum virum inimicum haberent, ad genua se Marcelli Consulis proiecerunt, veniam postulantes, si quid in deploranda patriæ calamitate dixissent acerbius, aut fecissent, quo ille clementer appellatos dimisit.

Marcello reconciliantur.

Deinde Campanis datus est Senatus. Ij culpam non negabant, meritasque pœnas, verum tanta se supplicij in 80 Senatorum cæde, & totius vrbis clade perpetuos credebant. Qui cum ab Attilio absente Fuluio accusati essent, Senatus de iis seuerissime censuit, præter præcedentem omnem calamitatem, eorum bona publicanda, ipsos qui superessent, cum liberis atque coniugibus vendendos, aliaque id genus, quæ fusius apud Liuium reperies: ob quæ miseri, mœstiores quam venerant, Capuam ex condicto reuerterunt.

Interea Annibalem angebat, quod amissa Capua, multorum Italiæ populorum animos à se auertebat, quibus captandis Marcellus Consul nequaquam deerat. Itaque Salapiam Apuliæ oppidum cæso Punico præsidio recepit. Maroneam etiam & Meles Samnitibus vi eripuit, tribus millibus præsidiariorum militum oppressis, & multo commeatu acquisito. At Cn. Fuluius proconsul, qui per absentiam Annibalis Herdoneam recipere cupiebat, superueniente Annibale ingentem cladem accepit, & præter multa suorum millia, castra quoque amisit, & præda locupletauit hostem. Quintius quoque ad Tarentum cum Nicone classe pugnauit, & per imprudentiam occisus, Pœnis victoriam dedit; quem luctum læta eruptio præsidij leniuit.

Eodem tempore Læuinus Consul, magna iam anni parte circumacta, Syracusis noua pace compositis, Agrigentum, quod belli reliquum erat, proditione Pœnorum accepit. Ea vrbs valido Pœnorum præsidio tenebatur, & Hannone licet Imperatore, Mutines, qui & Hipponiates, omnia gerebat, totáque Sicilia prædas ex Romanorum sociis agebat, nec intercludi Agrigento, neque impediri vi vlla, vel arte poterat. Cumque eius gloriæ Hanno inuidere cœpisset, eius præfecturam suo filio dedit, ratus se cum imperio, autoritatem quoque ipsi inter Numidas ereptum. Quod longe aliter euenit. Nam veterem eius fauorem sua insuperauxit inuidia: & Mutines indignitatem iniuriæ non ferens, vrbem Læuino prodidit. In eam cum Hanno sensisset admissos Romanos, assumpto Epicide comite, per auersam portam emissus, cum paucis ad mare peruenit, nactique opportunè nauigium, relicta hostibus Sicilia, de quatuor annis certatum fuerat, in Africam traiecerunt. Læuinus oppido recepto, qui capita rerum Agrigenti erant, virgis cæsos securi percussit, cæteros, prædamque vendidit, omnem pecuniam Romam misit.

Fama cladis Agrigentinorum Siciliam cum peruasisset, omnia repente ad Romanos inclinarunt. Prodita sunt breui 20 oppida, sex vi capta, voluntaria deditione in fidem venerunt ad quadraginta. Quarum ciuitatum principibus, pro cuiusque merito cum præmia pœnasque Consul exoluisset, coëgisseque Siculos positis tandem armis terram colere, ab Agatirna inconditam multitudinem quatuor millium hominum exulum, obæratorum, criminosorum, ad leuandam Siciliam secum in Italiam transuexit, & Rheginis ad populandum Brutium agrum, qui Pœnis parebat, attribuit.

Itaque

Itaque hoc anno in Sicilia debellatum est, qui fuit 56. ex quo primum Romani in eam insulam ad iuuandos Mamertinos transgressi fuerant, anno scilicet ab Vrbe Condita 489. quo primum anno bellum Punicum inchoatum est.

VIII. P. Scipio Hispanos sibi conciliat.

In Hispania res hoc anno à Scipione, cum annum geret 25. feliciter gestæ sunt. Principio veris vniuersum exercitum Tarracone conuenire iubet, eoque mox ipse, cum quinque millibus sociorum venit. Ibi cum omnes copias sibi summa modestia conciliasset, & ad spem rerum bene gerendarum erexisset, relicto ad præsidium regionis eius M. Syllano cum tribus peditum millibus, & trecentis equitibus; cæteras omnes copias, erant autem viginti quinque millia peditum, equitum duo millia & quingenti, traiecit Iberum: tum vno C. Lælio, quem præfectum classis habebat, conscio, Carthaginem nouam, vrbem rebus omnibus instructissimam, vno eodemque die occupare statuit, nec minus audaci conatu, quam felici successu eam cum arce expugnauit. Vrbi Mago præerat, & contra terræ marisque oppugnationem omnia diligenter moliebatur, duo millia oppidanorum ab ea parte qua castra Romana erant, aperta porta immisit in hostem: qui Romam ducis iussu cessit parumper: inde submissis auxilijs tam acriter instituit, vt effuse fugientibus immistus in vrbem irrupturus esset, nisi receptui Scipio cecinisset.

Carthaginē nouam aggreditur.

IX. Et expugnat.

Cum autem Scipio animaduertisset ex tumulo, Vrbem magna trepidatione turbatam, cum præsertim classis è mari Vrbem machinis verberaret, peteretque missilibus. Scalas vndique admoueri iussit, militemque in muros euadere. Imminebat vrbi vna ex parte palus, quæ decedente æstu erat admodum imminuta, quare facilem inde transitum in vrbem haberi posse Scipio monitus, quod ea pars palude satis defendendi credebatur, eò armatus Scipio ducit, facileque in muros, præter Pœnorum opinionem, inuadit, quod nulla ibi armatorum statio esset opposita. Inde cursu ad eam portam ad quam pugnabatur euadunt, propugnatores. qui vrbem captam non senserant, à tergo petunt, & ancipiti pugna perturbant, atque conficiunt, portas intus foriſque confringunt, ijsq; patefactis, multitudo pugnatorum ingressa, in forum cum ducibus progressa est. Inde cum hostis partim ad arcem, partim ad tumulum, qui quingentorum militum præsidio tenebatur, confugeret, Scipio partem copiarum ad tumulum expugnandum misit, qui primo impetu captus est, partem secum ad arcem duxit, & Magonem vsq; adeo perterruit, vt se protinus, arcemque cum præsidio dederet.

V. Scipionis in victos humanitas. n. 25. 26. & 1099.

Tum demum signo dato finis cædibus factus est, & miles ad prædam conuersus, quæ ingens omnino fuit. Scipio in captos ciues insigni humanitate vsus, eos sibi mitum in modum conciliauit. Sed & magnam Hispaniæ partem, obsidibus, vltro ac sine precio parentibus suis amicisve restituendis. Exempla quoque edidit continentiæ singularis, ac liberalitatis, quæ diligentius à Liuio, Polybio, & Floro celebrantur, vt ex Annalibus intelliget Lector eruditus. Militaribus quoque præmijs distributis, Magonem cum captiuis, & quindecim Senatoribus, qui simul capti fuerant, Romam à C. Lælio deducendos, nuncius victoriæ misit. Omnibus autem in vrbe recte compositis, data etiam militi nonnulla quiete refectis, quos machinæ quassauerant muris, dispositisque ad vrbis custodiam præsidijs, ipse Tarraconem, quo conuentum edixerat, est profectus, Lælius Romam Tarracone quarto & trigesimo die ex quo se in viam dederat, in huius anni exitu peruenit. Liu. l. 27.

XI. Legationes & fœdera.

Huius anni æstas varijs legationibus Romæ celebrata est, Syphacis præsertim, qui cum prius Romanorum amicitiam, missa dudum ad Scipiones legatione, expetijsset, nunc eam ab ipso fonte petere voluit. Senatus non legatis modo benigne respondit, sed & ipse legatos cum donis misit ad Regem, alioſque Africæ regulos. Amicitiam etiam cum Ægypti Rege Philopatore, iam ab anno Vrbis Conditæ quadringentesimo octogesimo initam, confirmauit.

ANNVS MVNDI 3845.

SIMONIS II. Ducis & Pont. 24.

PHILOPATORIS & PHIL. 12.

ANTIOCHI MAG. 16. Imp. Gr. 103.

OLYMP. CXLII. A. 4. VRB. CO. 544.

ANTE CHRISTVM 208.

CVM Marcellus comitiorum causa euocaretur à Senatu, isque negaret esse è Republic. Annibalem deserere, Læuinus è Sicilia reuocatus est, qui Prouincia atque exercitu Prætori Cincio commendato; Misso etiam M. Valerio Messalia præfecto classis, cum quinquaginta nauibus in Africam, prædatum simul, & speculatum quid rei agerent Pœni, ipse cum decem nauibus Romam profectus, cum prospere peruenisset, Senatum extemplò habuit, & res à se gestas commemorauit. Mutinem etiam, quo autori Romani Agrigento potiti fuerant, ciuitate donari, alijsque alios præmijs pro meritis affici curauit. Interim ad eum literæ è Sicilia deferuntur, Messalam cum ante lucem ad Africam appulisset, improuisò in agrum Vticensem excursionem fecisse, & cum multa præda intra tredecim dies in Siciliam redijsse: Et ex captiuis didicisse Masanissam cum quinque millibus Numidarum esse Carthagine, & alios per totam Africam milites mercede conduci, qui in Hispaniam ad Hasdrubalem traijcerent, & cum ea in Italiam trangressi, Annibali se coniungerent. Ingentem quoque parari classem ad Siciliam recuperandam.

I. Messalæ in Africâ excursus.

Pœnorū nouus ad bellū apparatus.

Hæc à Consule recitata cum ex captiuis quoque, quos sub idem tempus L. Lælius ex Hispania Romam deduxerat, confirmarentur, ita mouere Senatum vt Dictatorem comitiorum causa quamprimū dici vellent. Marcellus

II. Noui Cōsules in metu facti.

Q. Fuluium Flaccum Dictatorem dixit, qui & ipse Consul non sine Tribunorum contentione factus est, additusque Collega Q. Fabius Maximus, quoniam tales viros Imperatores tempora postulabant. Idibus Martij Consulatum inierunt: Fabius ad Tarentum, Fuluius in Lucanis & Brutius rem gerere iussus est, Marcello nihilominus in Italia Imperium est prorogatum, sicut & in Hispania Scipioni, Syllanoque. Quando & murmur duodecim coloniarum Romanarum excitatum est, decimum iam annum delectibus & stipendijs exhaustarum, quot scilicet iam annis secundū bellum Punicum perseuerabat. Itaque statuebant & militem denegare & stipendia negare Consulibus. Ea res Senatum vehementer afflixit. Quippe si earum exemplum reliquæ duodeuiginti sequantur, actum esse de Romano Imperio. Verum cum reliquæ studiosè in officio perstarent, publiceque à Coss. Senatu, populoque vniuerso commendari essent, in harum laude valentium, ægræ ad tanitatem sunt retitatæ.

His ita Romæ transactis, Coss. ad bellum profecti sunt: prior Fuluius Capuam prægressus est, quem post paucos dies Fabius consecutus, coram obtestatus est, & per literas Marcellum, vt quam acerrimo bello detinerent Annibalem, dum ipse Tarentum oppugnaret, vt ea vrbe hosti adempta, vbi in Italia consisteret non haberet. Nuncium etiam ad præfectum præsidij Rhegium misit, vt Brutios, qui ab Annibale stabant, strenuè popularetur, illaque perditorum hominum manu vteretur, quam ex Sicilia Leuinus abduxerat, deinde etiam Cauloniam vrbem occuparet; At illi rapto viuere assueti, iussioni Consulis libentissime paruerunt. Marcellus quoque Annibal ad Cannusium occurrit, eumque vehementer vrget. Annibal crebris incursionibus rem agebat, nec ad vniuersam pugnam descendere cupiebat. Ad eam tamen à Marcello pertractus, instante nocte pugnatum, & quo marte discessum est.

Postero die luce prima pugna commissa est vltra duas horas, in eaque victus est Marcellus, qui etsi fortissime se gesserat, non leuiter tamen peccabat opinione sua. Nec tacuit enim non otiose Liuius, Marcellum ita in animum suum induxisse, se præcæteris Romanorum ducibus Annibali parem esse, Itaque eum tumorem Dominus exercituum duorum millium & septingentorum clade compressit. Nec tamen ille animo fractus, vehementer hortatus est suos, ne permitterent prius hesternæ fugæ quam hodiernæ victoriæ famam Romam peruenire. Itaque mirante Annibale, rursum initum est certamen pugnatumque acerrimè. Pœnis ad retinendum hesternum decus annitentibus, Romanis ad ignominiam abstergendam. Tandem Pœni ab elephantis suis perturbati sunt, eis quippe Romani pilis vehementer infesti erat, adeo vt in fugam versi, suos etiam auerterent. Tum in fugientes Marcellus equitatum immittit, nec ante finis factus est insequendi, quam in castra pauidi compulsi sunt. Vbi cum in ipsa porta duo elephanti corruissent, coacti milites per fossam vallumq; in castra ruere, magna cæde conciti sunt.

Annibal proxima nocte castra mouit, victoria non incruenta Romanis relicta, Bruttioſque petijt, vbi Cauloniæ oppugnatores in cumulum compulsos, mox deditione accepit. Sed vicissim Fuluius iisdem fere diebus Hirpinos, Lucanos, Volscenses, traditis præsidijs in fidem recepit. Brutiis quoque similis veniæ spes facta est. At Fabius Manduria oppido in Salentinis vi capto, cum quatuor fere hominum millibus Tarentum profectus est, omniaque ad vrbis expugnationem instruxit; Eius instituto fauit quod classis Punica transmissa fuerat Corcyram ad Philippum Ætolos oppugnantem iuuandum; fauit & Carthalo præfectus Punici præsidij, qui mulierculæ, cuius frater erat in castris Fabij, amore captus, dissimulanter patriam vrbem Romanis prodidit; in qua perinde sæuitum est, ac si per vim fuisset occupata. Mox autem præfectus ille ad Consulem veniens, ab inscio milite obtruncatus, perfidiæ, nequitiæque meritas pœnas dedit. Et Fabius, qui vi captum Tarentum videri voluit, gloriam suam nota ambitiosæ crudelitatis aspersit. Moxque Metapontri spe nouæ proditionis, pene in manus Annibalis incidit.

Hæc dum geruntur in Italia, P. Scipio in Hispania, cum hyemem totam reconciliandis Hispanorum animis consumpsisset, eius rei fructum non exiguum cepit; Multi enim viri principes relictis Pœnis ad Scipionem transiere: cui & regium nomen, summa omnium consensione obtulere, quod ipse vicissim summa constantia recusauit. Fœdere porro cum Scipione percusso, copiis secum adductis, duces Romanis aduersus Asdrubalem fuerunt. Cum quibus Scipio contra eundem, quamuis perniquo loco pugnans, victor euasit, & hostem magna clade affectum, spoliauit castris, cæsis octo virorum millibus: præda omnis militibus concessa. In recensendis captiuis decem millia peditum, duo equitum Scipio inuenit. Ex his omnes Hispanos domum sine pretio remisit, Afrosà Quæstore vendi iussit. In his inuentus est puer Numida nomine Massiua, cuius auunculus Masanissa, ad quem decore ornatum tuto deduci nepotem iussit, non irrito consilio egregij bellatoris sibi demerendi. Paucis post prælium diebus, ferum videlicet auxilium Asdrubal Giscónis, & Mago ex vlteriore Hispania ad Asdrubalem venerunt, & collatis inter se de reliquo bello consilijs, Asdrubali traijciendum censuerunt in Italiam cum Hispanis, qui in patria ad Scipionem facile deficiebant. Alteri Asdrubali & Magoni in vltimam Hispaniam, quo nōdum Romanus fauor penetrauerat, bellum esse traducendum: dum Masanissa citeriorem Hispaniam Romanis fœderatam, cum tribus equitum millibus fatigaret.

At Romæ Scipionis fama floreſcente, Fuluij senescebat, Marcellus autem etiam male audiebat, & quia primum male pugnauerat, & quia vagante per Italiam Annibale, ipse media æstate Venusiam sub tecta milites abduxisset, tantumque profecit accusando Bibulus, vt de Imperio illi abrogando ageretur. Verum cum amicorum Marcelli rogatu ad eius aduentum dilatum esset iudicium, ipse se

V. Multæ dedinones factæ Romanis

Fabius Tarentū expugnat

VI. Multi ex Hispania ad Scipionem trāseunt.

Qui magna clade Asdrubalē afficit.

Noua Pœnorum de bello consilia.

VIII. Marcellus male audit, & accusatur quinquies, hic quintum Consul.

defendit, itaque res suas populo probauit, vt ab eo quinto consulatu honoraretur.

Ortus Ptol Epiphanis

Natus est hoc anno Ægyptij regni successor Ptolemæus Epiphanes, filius & nepos Philopatoris. Et Eurydice quippe sorore & conjuge. Eum suscepit Philopator quinque annis antequam vita fungeretur.

ANNVS MVNDI 3846.

SIMON. II. 25. & vlt.

PHILOP. 7 & PHILIP. 13.

ANT. MAG. 17. Imperij Græcorum 104.

OLYMP. CXLIII. An. 1. VRB. C. 545.

ANTE CHRISTVM 207.

I. Noui Coss. Hetruriæ motus. li 27.

VNDECIMVM hunc annum secundi belli Punici vocat Liuius, quo Consulatum inierunt M. Marcellus quintum, & T. Quintius Crispinus, qui tum Prætor erat: sed vtrique Consulatus hic funestus fuit, vt mox dicetur. Ipsorum comitiorum diebus ciuitas de Hetruriæ defectione sollicita fuit, cuius principium ab Aretinis fiebat. Eò missus Marcellus Consul designatus, cum potestate eò transferendi exercitum, metu continuit Hetruscos; cum autem mox eadem fama renouaretur Aretium præsidio firmatum est, obsides 120. ipsorum Senatorum liberi accepti, & Romam abducti. Septem primarij Senatores cum liberis suis nocte euaserunt, eorumque bona venierunt.

II. Tarentinorum causa, Liuiuq; disceptatur.

Tarentinorum legatis pacem petentibus, cum libertate ac legibus suis, eis non parum fauebat Fabius Consul à quo capti fuerant, alij contrà eos Campanorum noxæ ac pœnæ æquabant, cum Senatus Consultum factum est, vt oppidum præsidio custodiretur, Tarentini omnes intra mœnia continerentur, & cum tranquillior esset Italiæ status, res integra referretur. De Liuio quoque Præfecto arcis certatum est, alijs hominem notantibus, quod eius socordia Tarentum proditum fuisset hosti, alijs præmia decernentibus, quod per quinquennium arcem tutatus esset, maximeque eius opera Tarentum receptum fuisset, res ad Censores autore Fabio reiecta videtur. Eam operam cum amici iactarent, merito eleuauit Fabius, dicens recipi non potuisse oppidum, nisi amissum foret; nam huic operæ præmium non debebatur, illi autem socordiæ vtiq; pœna debebatur.

III. Coss. cũ Annibale pugnam ambiunt.

Vtrique porro Consuli Italia prouincia decreta est, P. autem Scipioni, & M. Syllano suæ Hispaniæ, & sui exercitus in annum decreti. Ambo Coss. cum suo quisque exercitu in Apuliam venerunt, & minus trium millium interuallo consederunt, cupidi iunctis viribus cum Annibale de belli summa decernere. Id cum vitaret Annibal, insidijs tamen locum quærebat. Cum ergo terra marique Locros oppugnare vellent, & partem exercitus, eum in finem, Tarento euocarent, opportuno loco Annibal viam insedit insidijs, in quæ cum Romani inexploratò euntes incidissent, ad duo armatorum millia cæsa sunt, & ferme mille ducenti viui capti, cæteri fuga per agros saltusque dissipati, Tarentum rediere. Atque ita qui nuper inermes, & dedititios Tarentinos interficere, quam viuos capere maluerãt, vt vi potius, quam proditione captum Tarentum videretur, nunc diuina vltione crudelem vlciscente fraudem, hostili fraude perierunt.

Annibal Romã ex insidiis, clade afficit.

Eodem ipso tempore insidiæ Annibali feliciter successere. Erat tumulus quidam syluestris inter Punica & Romana castra, quem Annibal insidijs idoneum ratus, aliquot Numidarum turmis occupauit prior. Eum deinde collem Consules ipsi cum paucis exploraturi profecti sunt. Nec multum progressi erant, cum Numidæ à speculatore moniti consurgunt, eosque à tergo prius, quam à fronte circumueniunt. Ibi cædes & fuga facta, præsertim cum Marcellum transfixum lancea, ex equo prolabentem viderunt, & Crispinum duobus iaculis grauiter saucium, vna cum adolescente Marcello item saucio fugientes agnouere. Ita Marcellus est mortuus dum inconsulte munus explorandi, quod expedito militi, & leuis armaturæ debebatur, ipse sibi Imperator assumit, & collegam in eandem temeritatem inducit.

IV. Alijs insidiis Coss. profligat.

Marcelli mors.

Annibal autem Marcelli corpus inuentum honorauit Romana mansuetudine, quem punico æstu deceperat. Nam reliquias combusti corporis in argenteam vrnam coniectas, cum corona laurea ad Marcellũ filium remisit; quæ tamen vrna à Numidis prædonibus occupata est, & proiectis ossibus sublata. Ne autem Marcelli annulo abuteretur Annibal, Crispinus tam sapienter prouidit, vt Salapiani præmoniti sexcentos Annibalicos, quos in vrbem fraudulenter admiserant, interficerent. Inde profectus Annibal Locrorum obsidionem soluit, Romanis ad naues, relictis operibus machinisque, fugientibus. At Crispinus cum publicæ rei pro tempore prouidisset, & Dictatorem comitiorum causa dixisset L. Manlium Torquatum, ex vulneribus Capuæ, vel vt alijs placet, Tarenti moritur. Sicque ambo Consules, quod nullo ante bello contigerat, sine memorando prælio interfecti, orbam quodammodo Rempubl. reliquerunt.

V. Corpus humani iterab Annibale tractatur. Valer. l. 5. c. 1.

Cladem accipit per fraudem ad Salapiã.

Crispin' Consul moritur.

Eadem æstate M. Valerius cum classe centum nauium, ex Sicilia transmisit in Africam, & ad vrbem Clupeam excensione facta prædas egit. Cum autem fama vulgasset Punicam adesse classem cum tribus & octoginta nauibus, prædones raptim in naues recepti sunt. Pugnaque ad Clupeam commissa Romanus vicit, & 18. nauibus captis, cum magna terrestri nauali que præda, Lilybæum reuertit. Interea Philippus opem fert Achæis contra Ætolos Romanorum socios, eosque, cum Romano Attalique auxilio, semel iterumque vicit. Cum diuidenti prædam, nuncius aduenit à Macedonia, ibique motus retulit excitatos. Ipse eò celeriter se confert, relictis in Græcia bis mille & quingentis armatis: decimisque castris Demetriadem Thessaliæ peruenit, vbi maiores etiam motus agnoscit, Dardanis in Macedoniam effusis, quod Philippum in Græcia occisum accepissent. Post cuius profe-

VI. Nauale certamen in Africa cũ Rom. victoria.

Et Philippi in Græcia.

ctionem P. Sulpicius Æginam classe profectus, Attalo sese coniunxit, vbi & cum eo hyemem traduxit.

VII. Antioch' vincit Euthydemũ

Huc quoque refertur Antiochi Magni de Euthydemo, qui ab ipso defecerat victoria. Ea in Bactriano regione ad Arium lamnem contigit, & à Polybio extremo libro decimo narratur. Vbi inter alia habetur, in quo prælio occiso Regis equo, Regem pugnasse peditem, & accepto in ore vulnere, dentes quosdam amisisse, insignemque fortitudinis famam adeptum esse.

ANNVS MVNDI 3847.

ONIÆ III. Ducis & Pont. 1.

PHILOPATORIS & PHILIPPI 14.

ANT. MAG. 18. Imperij Græcorum 105.

OLYM. CXLIII. AN. 2. VR. C. 546.

ANTE CHRISTVM 206.

I. Nouus Pontifex. *l. 12. c. 4 fi.*

NOVVM hoc annum Pontificem suggerit Eusebij Chronicum, Oniam tertium, Simonis filium. Nam Iosephus, *Deinde*, inquit, *vita perfuncto Simone, Onias filius eius successit, ad quem Lacedæmoniorum Rex Arius legationem misit cum literis.* Verum hæ literæ non ad tertium hunc Oniam, sed ad secundum missæ fuerunt, vt suo loco diligentius explicatum est.

a m. 3821.

II. Nouique Coss. eorumque prouinciæ.

Consul factus est hoc anno C. Claudius Nero, vir promptus & acer, qualem hæc tempora postulabant; eius tamen acre ingenium moderato collega temperandum censebant. Occurrebat M. Liuius, qui postea dictus est Salinator, duodecimum iam annum exconsul. Verum is & abhorrebat à magistratu, propter antiquam ignominiam iudicio populi acceptam, & veteres inimicitias cum Nerone exercebat. Vtrumque tamen impedimentum, *vicit amor patriæ, laudumque immensa cupido.* Nam & populus præteritam ignominiam præsenti honore compensauit: & Senatus ab vtroque obtinuit, vt positis simultatibus, communi animo consilioque Rempubl. administrarent. Neroni aduersus Annibalem Brutij Lucanique decreti, Liuio Gallia aduersus Asdrubalem, quem iam Alpibus appropinquare fama erat. Censebantque omnes primo quoque tempore Consulibus eundum in prouincias, vt alter Asdrubali occurreret, priusquam Gallos Cisalpinos, aut Hetruriam in spem rerum nouarum erectam sollicitaret; alter proprio bello destineret Annibalem, ne qua emergeret ex Brutijs, & fratri se coniungere posset.

Vide An. V.C. 534

III. C. Hostilius feliciter pugnat contra Annibalem.

Dum autem Claudius Nero in prouinciam proficiscitur, C. Hostilius Annibalem ducentem in Salentinos exercitum, adortus cum expeditis cohortibus, incomposito agmini terribilem intulit cum clade tumultum. Ad quatuor hominum millia occidit, nouem militaria signa cepit. Inde Capuam petens, ad Venusiam obuius fit Claudio Consuli. Ibi ex vtroque exercitu electa quadraginta peditum millia, & quingenti equites, quibus Consul aduersus Annibalem tem gereret: reliquas copias Hostilius Capuam ducere, & Quinto Fuluio proconsuli tradere iussus est. Interim Annibal à Brutijs ad Lucanos venit, spe recipiendi oppida, quæ per metum ad Romanos defecerant. Eum Nero persequitur, & leuibus primum prælijs fatigat, tum legitimo prælio impugnat & vincit, artificio occultatæ partis exercitus, quæ integra in fessos irruens, Romano duci victoriam dedit; cæsis supra octo millibus, captisque septingentis.

Consequentibus aliquot diebus Annibal se castris, quamuis lacessitus continuit: Inde nocte Apuliam versus iter intendit. Eum Consul insecutus, haud procul Venusia assequitur, vbi tumultuaria quoque pugna fuit, nec Punicæ cladis expers. Nocturnis mox, montanisque itineribus, ne locum pugnandi daret, Metapontum petijt, vbi Hannonis copias adiunxit suis, tum Venusiam ijsdem itineribus repetijt, atque inde Cannusium processit, Nerone vestigijs eius semper insistente. Inter hæc literæ ab Asdrubale ad Annibalem missæ interceptæ sunt, quibus scribebat se fratri in Vmbria occursurum. Ea re motus Nero, lectis è suo exercitu sex peditum millibus, & mille equitibus, quam potest occultissimis, maximisque itineribus ad alterum Consulem properat, ne id callidissimus hostis persentisceret. Ad Senam Liuij castra erant, in quæ Nero cum suis nocturnus ingreditur, & à sui quisque ordinis hominibus magna lætitia accipitur. Statimque prælium iniri persuadet, ne consilium suũ, quod tutum celeritas fecerat, tempus ducendo temerarium fieret. Dum errore tenetur Annibal, exercitum Asdrubalis deleri posse, & repeti Apuliam.

Ergo signum pugnæ proponitur: nam hostes ante castra instructi stabant. Sed moram pugnæ attulit, nouarum copiarum indicia ab Asdrubale notata, atque alterius Consulis aduentus animaduersus. Itaq; siniſtrum aliquid de Annibale suspicatus, receptui cecinit, moxque signa ferri iussit secundum Metauri fluminis ripam, vbi eum assecutus Romanus exercitus, inuitum pugnare compulit. Et primo quidem elephantorum incursu res Romana fluctuare cœpit, tum Neronis industria restituta pugna, Romani vincunt; cum Asdrubal & Imperatoris, & militis munere præclare functus, cũ haud dubie hostium victoriam esse cerneret, concitato equo, in cohortem se Romanam immisit. Ibi vt patre Amilcare, & Annibale fratre dignum erat, fortiter pugnans cecidit. Polybius in hac pugna desideratos ait, tam Carthaginensium, quam Gallorum, non pauciores decem millibus, Romanorũ circiter duo millia: quem vtrumq; numerum Liuius supra fidem supraq; modum amplificat. Postridie cum Liuio Consuli nunciatum esset hostium reliquias agmine incomposito, sine duce, sine signis, sine imperio abire, & facile posse immissa vna equitum ala deleri, *superfint*, inquit, *aliqui, nuncii & hostium cladis, & nostræ virtutis.*

Nero ea nocte quæ secuta est pugnam, etiam citatiore itinere quam venerat, ad exercitum

Redit in Apuliam Luctus Annibalis ob fratris cædem.

suum die sexto redijt, & victoriæ famam antecessit. Caput Asdrubalis quod attulerat, prope castra Annibalis affixit cruci, Afros captivos ostentauit, duos solutos ad Annibalem ire iussit, & quæ acta erant expromere. Facile est conijcere quanto luctu fuerit affectus Annibal, & publica & priuata clade. Itaque castris inde motis in Brutios, extremum Italiæ angulum, Carthaginis fortunam deplorans, se contulit. Non dispar fuit Romæ lætitia, nec minus effusa est tota ciuitas in gratiarum actionem, ad omnes ædes sacras, omnesque cælites, quam fuerat ante, dum immineret periculum, in supplicationibus & votis. Vtrique consuli decretus est triumphus, sed quia in prouincia M. Liuij res gesta fuerat, M. Liuius quadrigis in vrbem, prosequente exercitu, inuectus est, Claudius cum insigni modestiæ laude, equo contentus fuit.

VII. 1. Hispanæ res.

Asdrubale ad Annibalem in Italiam profecto suffectus est Hanno, qui cum nouo exercitu ex Africa transgressus, Magonique iunctus, in Celtiberia magnum hominũ numerum armauit. Recognita Scipio aduersus eum, M. Syllanũ cum decem peditum millibus, & quingentis equitibus misit. Qui summa celeritate vsus Celtiberos, qui Magonem habebant ducem, inuadit, cæditque. Dux ipse vix inito prælio, cum equitatu, & duobus ferme peditum millibus in Gaditanam prouinciam, quæ Gisconis filio parebat, profugerunt. Sed Hanno alter Imperator, cum his qui postremi, iam profligato prælio, aduenerant, vivus capitur, victoriæ peropportunus. Scipio magnifice collaudato Syllano, aduersus alterum Asdrubalem Gisconis, qui Boeticam præsentia sua in fide continebat, profectus est. Atis pugnam declinans, exercitum in ciuitates dimisit, vt & muris seipsi, & armis muros tutarentur. Earum vnam Oringim opulentissimam L. Scipioni obsidendam dedit, cum decem millibus peditum, & mille equitibus, quam & breui expugnavit. Cecidere in eius vrbis oppugnatione duo ferme hostium millia, Romanorum haud plus nonaginta, Captivi ad Publium Scipionem deducti, qui fratre valde commendato, eum Romam cum Hannone, cæterisq; nobilibus captiuis misit: ipse mox Tarraconem ad hyberna concessit.

Hanno à M. Syllano capitur.

L. Scipio Oringim expugnat, Romã à fratre mittitur.

VIII. Læuinus Africam classe populatur, & Punicã vincit.

Eodem anno Romana classis, cum M. Valerio Læuino proconsule, ex Sicilia in Africam transmissa, in Vticensi & Carthaginensi agro, atque adeo circa Vticæ mœnia populationes fecit. Repetentibus Siciliam classis Punica septuaginta longarum nauium occurrit, pugnatum est, decem & septem Africanæ captæ, quatuor in alto mersæ, cætera fusa & fugata classis. Terra mariq; Romanus victor cum omnis generis præda Lilybæum repetit. Toto inde mari pulsis hostium nauibus, magna commeatus frumenti Romam subiecti sunt.

Res à Sulpitio gesta in Græcia.

At P. Sulpitius proconsul rem bene gessit in Græcia contra Philippum: Cum enim in Ægina insula, vnà cum Attalo Rege hybernasset, Lemnum ambo cum sexaginta quinqueremibus, quarum 25. erant Romæ, 35. Regiæ, transmiserunt. Quarum aduentu cum Ætoli animos sustulissent, vicinos omnes aut terrebant, aut populabantur. Inde illi in Euboeam transmittunt, & Oreum vrbem duplici arce munitam Romani à terra, Regij à mari obsident: sed eam Plator, qui illic Philippico præsidio præerat, hostibus prodidit, & ad Attalum se recepit. Hoc successu læti Sulpitius Chalcidem irrito conatu petit, Attalus Opuntem occupauit. Inde vterque Oreum se recepit, mœrente & fortunam suam incusante Philippo, quod iam tertio, quamuis summa celeritate vsus esset, tempori tamen ad opprimendum hostem adesse non potuisset, Oretis videlicet, Opuntijs, & Eleis. Toronem tamen, & aliquot aliqua oppida cepit.

IX. Attalus Asiam repetit, legati de pace.

Attalus autem cum accepisset Prusiam Bythyniæ Regem in fines regni sui transgressum, omissis Romanis atque Ætolis, traiecit in Asiam; Sulpitius Æginam, vnde initio Veris abierat, classe repetijt. Philippus Elatiam Phocidis vrbem venit, vbi iusserat Ptolemæi & Rhodiorum legatos, qui de finiẽdo Ætolico bello rursum acturierant, & iam Heraclææ concilio Romanorum & Ætolorum adfuerant, se operiri. Sed re Machanidæ tyranni expeditione in Eleos impedita, cum eum frustra persecutus esset, Ægium ad concilium Achæorum venit, inde Oreum vrbem è Romanis direptam, ab Attalo desertam repetit, & ciuibus qui fugere maluerant, quam seruire Romanis, eam custodiendã committit. Cassandreæ operam classi fabricandæ nauat: & rebus in Græcia discessu Attali tranquillioribus, ipse retro in regnum, Dardanis bellum illaturus reuertitur. Hoc quoq; anno bellum Antiochi contra Euthydemum perseuerauit: & Philopœmen Machanidam Spartanum tyrannum confecit.

Philippꝰ Macedoniam repetit.

Machanidas tyrannus.

ANNVS MVNDI 3848.

ONIÆ III. Ducis & Pont. 2.

PHILOPATORIS & PHIL. 15.

ANTIOCHI MAG. 19. Imp. Gr. 106.

OLYMP. CXLIII. A. 3. VRB. CO. 547.

ANTE CHRISTVM 205.

I. Noui Consules

POpuli Romani fauor in vtrumq; Consulem victorem, fecit, vt Philo & Metellus Coss. hoc anno fierent. Nam illi legatos in bello suos, magnis extulerant laudibus, hortatiq; erant plebem, vt eos Coss. in annum proximum crearent, quod & factum est, comitia habente M. Liuio, quem ea de causa Claudius Nero dictatorem dixerat, non leui redintegratæ gratiæ argumento. Vtriq; Consuli Brutij prouincia decreta, vt ambo cum Annibale bellum gererent, quod cum extrema tantum Italia gerendum esset, eis Senatus agriculturam reliqua Italia cõmendauit, in agro præsertim Cremonensi & Placentino, qui nominatim Manlio Prætori sunt commendati. Coss. in Consentinum agrũ duxerunt exercitum, neque inde ptædam sine periculo, à Brutijs Numidisque iaculatoribus, extulerunt. Inde in Lucanos profecti, totam

Lucani à Romanis recepti.

gentem ſine certamine in ditionem populi Romam deduxerunt. Cum Annibale porro nihil hoc anno geſtum. Nam neque ſe ipſe obtulit in tam recenti vulnere publicò privatoque; neque Romani laceſſiuerunt quietum; tantum ineſſe vim in illo vno duce cenſebant, quamuis omnia circa illum ruerent.

II. Scipionis cum Aſdrubale pugna.

In Hiſpania Giſconis filius Aſdrubal, regreſſus à Gadibus, adiuuante Magone Amilcaris filio, ingentes per vlteriorem Hiſpaniam copias armauerat, peditum ad 50. millia, equitum quatuor millia & quingentos, quem numerum etiam auget Polybius, præter quatuor & triginta elephantos. Scipio cum exercitu quinque & quadraginta millium, ad Bætulam vrbem, Tarracone profectus, venit: vbi caſtra ponentem Mago & Maſaniſſa aggreſſi, cum omni equitatu turbaſſent, ni Scipio abditos de induſtria poſt tumulum equites, in effuſos improuisò immiſiſſet; à quibus, alijſque viciſſim vtrimque ſuperuenientibus, ita pugnatum eſt, vt Pœni denique funderentur, in omen euentus iuſtæ ac legitimæ pugnæ, ad quam Romani audaciores, Pœni timidiores facti ſunt. Ea poſt varias velitationes, & aliquot dierum quietem commiſſa eſt. In qua victoriam Scipioni dedit, non ducum ſolum & militum fortitudo, ſed Imperatoris etiam prudentia, quæ & aciei ordinem, præter hoſtis expectationem, mutauit, & ſuos maturè inſtructos, paſtos paratoſque in aciem eduxit, & hoſtem minus his rebus paratum pugnare compulit, & pugnam ad multum diem extraxit, vt feſſi fame, æſtu, labore deficerent.

Et victoria gemina.

III. Ad Scipionem plerique deficiunt

Acceſſit ad damna Pœnorum, ſuorum defectio, in primiſque Attanis Turdetanorum in Luſitania reguli, qui cum ſuis ad Romanos defecit. Duo quoque præſidia cum oppidis, à præfectis traditis Romanis. Id malum ne latius ſerperet, Aſdrubal noctis ſilentio caſtra mouit. Eum inſequitur Scipio, & incurſando detinet dum ſuperuenere legiones, à quibus ingens hoſtium cædes patrata eſt, donec dux ipſe nocte relicto exercitu Gades profugit. Ea re audita Scipio decem millia peditum cum mille equitibus, M. Syllano reliquit, qui hoſtium reliquias conficeret, ipſe cum cæteris copijs Tarraconem ſeptuageſimis caſtris peruenit, cauſas ciuitatum regulorumque cogniturus. Interim Maſaniſſa cum Syllano collocutus defectionem meditans, cum paucis popularibus traiecit in Africam. Cæteri deſerti à ſuis ducibus, partim tranſitione ad Romanos, partim fuga in proximas ciuitates diſſipati ſunt. Nec multo poſt Syllanus debellatum referens, tertio decimo anno poſt initum bellum, Tarraconem ad Scipionem rediit.

Altera de Aſdrubale victoria.

IV. Scipio fratrem cũ captiuis Romã mittit. Syphacẽ ſibi adiungit. Illiturgũ delet.

Is maiora molitus, primum L. Scipionem cum multis nobilibus captiuis, nuncium receptæ Hiſpaniæ Romam miſit. Ipſe regulos tentaturus, traiecit in Africam cum C. Lælio, vbi inito cum Syphace fœdere, Hiſpaniam repetijt, & duabus vrbibus, male de Romanis meritis, parauit vltionem. Illiturgo quod labore multo expugnauit, erat enim certamen cum deſperatis, funditusque deleuit: & Caſtuloni, quam partim Hiſpani, partim Pœni ex fuga collecti tutabantur. Terror cladis Illiturgitanæ cunctos ad ſibi conſulendum mouebat. Sciſſa eſt bipertito ciuitas; & Hiſpani clam Scipioni vrbe tradita, mitiorem victoriam ſunt experti. Scipio Carthaginem nouam, ad vota ſoluenda, munuſque gladiatorium, quod parentis patruique manibus honorandis parauerat, venit: vbi & plerique viri illuſtres contentiones ſuas ſingulari certamine, quæ iure non potuerant, ferro diremerunt.

L. Martius inde in Barbaros, ſi qui nondum perdomiti erant, ſub ditionem redigendos mittitur, & Circio anne ſuperato, duas opulentas ciuitates, ſine certamine in deditionem accepit. Verum Aſtapenſium non minus, quam Illiturgitanorum atrox fortuna fuit, vt diſtinctius habetur in Annalibus. Hi deſperatione horribili, domeſticis, fortuniſque omnibus in medio foro cædi atque incendio deſtinatis; ipſi cæci furore in ferrum & vulnera vecordi audacia ruebant, donec acie patefacta circumfuſi, omnes ad vnum trucidantur; tum 50. iuuenes, vti iuſſi fuerant, imbellem omnem multitudinem obtruncant, & in paratum incendium, illos, ſeque ipſos cum armis præcipitant. Sub idem tempus Romanus irripuit, & tam luctuoſi ſpectaculi ſpectator fuit, prædæ flagrantis particeps non fuit. Ita ciuitas tota, & parricidis ciuibus, & hoſti, qui miſeros in eam deſperationem adegerat, funditus perijt.

Interim autem dum ad Gaditanum fretum bene atque è Republ. à L. Martio & C. Lælio contra Hannonem & Magonem res geritur, Scipio Carthagine grauem in morbum incidit, quem cum grauiorem etiam fama feciſſet, nec ſocij in fide manſerunt, neque exercitus potuit in officio contineri; is præſertim qui ad Sucronem erat, vbi non ſolum ſeditio excitata eſt, ſed ſeditionis etiam principes Imperij honore, cum ſecuribus & faſcibus ſunt affecti. At cum paulo poſt non mors Scipionis, ſed incolumitas nunciata eſt, omnia illico refrixerunt. Duces deſtinati ſua ipſi inſignia, cum iuſto timore imminentis ſupplicij, repudiarunt. Imperatoris tamen humanitas ſpem veniæ faciebat. Nihilominus exercitus conuocato, 35. ſeditionis autores à Tribunis militaribus diſſimulanter comprehenſi, in concione deligati ad palum, virgiſque cæſi, & ſecuri percuſſi ſunt, vniuerſo exercitu obtorpente metu. Mandonius & Indibilis Hiſpaniæ reguli, qui opinione mortis Scipionis defecerant, vulgata eius vita, & noxiorum ſupplicio, cum ſuam perfidiam pari pœna caſtigatum iri crederent, arma compararunt, in acie ſteterunt, magnaque ſuorum parte conciſa, veniam ſupplices poſtularunt, eamque à Scipionis clementia impetrarunt.

His ita geſtis, Syllano Tarraconem remiſſo, Scipio Martium in vlteriorem Hiſpaniam præmittit, vt clam cum Maſaniſſa fœdus ineat. Ea res ante fuerat inchoata, ſed dilata quod Maſaniſſa coram Scipione ipſo agere, atque eius dextera fidem ſancire cuperet. Itaque certior factus adeſſe Scipionem tres principes Numidarum præmittit, ad tempus locumque colloquio ſtatuendum, quorum duos Scipio pro obſidibus retineret, tertiũ remitte-

ret, qui quo iussus esset adduceret Masanissam. Cum paucis ventum est in colloquium; gratias agit de fratris filio remisso, cupere se illi, populóque Romano eam nauare operam, quam nemo alius in Africa, quod nondum in Hispania potuisset. Si ipsum ducem Romani in Africam mittunt, satis sperare Carthaginem non diutur̃am fore. Lætus eum Scipio vidit audiuitque; quippe qui sciret Masanissam in Pœnorum equitatu, caput rerum fuisse, fideque data & accepta, Tarraconem Scipio, Masanissa reuersus est Gades ad Magonem, re tota dissimulata.

VIII. Mago iubetur traiicere in Italiam eiusdemque apparatus.

Magoni autem paranti traiicere in Africam, desperatis in Hispania rebus Carthagine nunciatum est, iubere Senatum, & classem, quam Gadibus haberet, in Italiam traiiceret: conductáque illic Gallorum ac Ligurum quanta maxima posset iuuentute, Annibali se coniungeret: ad eamque rem pecunia Magoni aducta est, & ipse quantam potuit à Gaditanis extorsit, sacram, profanam, priuatam, atque publicam. Cumque Hispaniæ oram prætueheretur Carthaginem nouam tentauit; sed ab ea cum ignominia & clade repulsus, retro ad oceanum vnde venerat euasit, Gadesque repetiit: sed inde exclusus ad Cimbim locum vicinum classe appulsa, legatos mittit, quæritque quam ob causam amicum sociumque excluserint, summóque eorum magistratu ad colloquium euocato, laceratum verberibus cruci iussit affigi. At Gaditani post eius discessum se Romanis dedunt; ille ad Baleares inde profectus, & vrbe sine certamine potitus, duo millia auxiliariorum ibi conscripsit, quos Carthaginem ad hybernandum misit.

IX. P. Scipio Romam venit. *Poly.*

Scipio autem rebus in Hispania feliciter gestis, exercitu Iunio Syllano, & L. Marcio tradito, cum C. Lælio aliisque amicis Romam cum decem nauibus venit. Et Senatu in æde Bellonæ dato, quas res in Hispania gessisset exposuit, quot prouincias occupasset, quot fudisset exercitus, & reliqua id genus; neque tamen triumphum obtinuit; quia neminem ad eam diem triumphasse constabat, qui sine magistratu res gessisset.

ANNVS MVNDI 3849.

ONIÆ III. 3. PHILOPAT. & PHIL. 16.

ANTIO. MAG. 20. Imp. Græcorum 107.

OLYMP. CXLIII. A. 4. VR. CO. 540.

ANTE CHRISTVM 204.

I. Scipio fit Consul, magnãque sustinet expectationẽ

COmitia consularia maiore quam antea frequentia celebrata sunt, P. Scipio magno omnium fauore factus est Consul, quem animo sibi despondebant, bellum hoc Punicum, quod decimum quartum iam tenebat annum, finiturum. Ergo illi extra sortem Prouincia Sicilia data est, ex qua scilicet in Africam facilis traiectus esset. Sub initum autem Consulatũ, ludos, quos in Hispania vouerat, Senatu consentiente fecit. Inde de Scipione in Africam mittendo, quod ipse cupiebat in primis, deliberatum est. Aiebat enim se ad bellum non gerendum, sed finiendũ factum esse consulem, eamq; prouinciam sperabat se à populo, vel inuito tenatu impetraturum. Id consilium primoribus patrum non placebat, idque à Fabio dissuasum est. Cui etsi magnifice respondit Scipio, non tamen obtinuit quod petebat, sed ita decretæ sunt prouinciæ, vt alteri consuli Sicilia daretur, cum 30 nauibus stratis, quas ibi superiori anno C. Seruilius habuisset, permitteretur que vt in Africam traiiceret, si id è Rep. esse censeret; inde illi ea prouincia extra sortem, vt dixi, data est, eius collegæ Licinio, qui esset pontifex max. cui ab Italia abesse non licebat, Brutij dati sunt.

II. Proficiscitur in Siciliam eximia diligẽtia.

Non obtinuit Scipio vt delectum haberet, obtinuit tamen vt voluntarios sibi milites ducere liceret, & à sociis accipere, quæ vltro in classem fabricandam darent. Ipse autem ita instituit operi, vt die 45. quam detracta à syluis materia esset, triginta longæ naues instructæ, armatæque essent; impositisque in eas septem fere voluntariorum millibus in Siciliam traiecit, eosque illic in ordines centuriasque redegit, ex quibus trecentos iuuenes elegit, quos circa se haberet, eosque Siculorum armis, qui domesticam quietem longinquo bello anteferebant, instruxit, & diligenter exercuit. Inde legionibus inspectis, plurimorum stipendiorum milites delegit, maximè qui sub Marcello, in oppugnatione Syracusarum operam nauarant, vt iis in oppugnatione Carthaginis, quá versabat animo vteretur. Moxque C. Lælium in Africam, cum aliquot nauibus, prædatum misit, ipse Syracusis interim ciuium controuersias componit.

III. Mago Italiam adit, cum magnis copiis.

Eadem æstate Mago Amilcaris filius, ex minore Balearium insula, vbi hybernarat, cum 30 ferme rostratis nauibus, & multis onerariis, duodecim peditum millibus, & duobus equitum, in Italiam traiecit: Genuamque præsidiis maritimis destitutam, repentino aduentu cepit; inde oram Ligurum classe lustrauit, si quos ibi motus facere posset. Et præda Sauone deposita, quia fama erat Scipionem traiecturum esse Carthaginem, decem longis nauibus in statione ad præsidium relictis, cæteras Carthaginem ad oram tutandam misit. Exercitum autem congregauit ingentem, Gallis ad eum, odio Romani nominis, vndique confluentibus. Ea re cognita Romæ dederunt operam patres, vt eò legiones vrbanas & Hetruscas ad conatus illius frangendos mitterent. In Brutiis nihil fere memorabile actum est, peste Romanum exercitum Punicumque vexante. Annibal propter Iunonis Laciniæ templum æstatem egit, vbi & aram condidit, dedicauitque, cum ingenti rerum à se gestarum titulo, literis Græcis Punicisque insculpto.

Annibalis cippus insculptus Græcè & Punicè.

IV. Bellum ab Indibili renouatum, qui in eo perit.

Interea bellum in Hispania renouatum est. Indibili maxime id agente, & quidem tanto studio, vt intra paucos dies 30 millia peditum, quatuor ferme equitum millia in armis haberet. Romani Imperatores L. Lentulus, & L. Manlius in eas copias arma mouent, pugnatur vtrinque fortiter, sed Romani cum industriè hostem vsu equitatus prohibuissent, victoriam obtinuere. Ipse Indibilis in acie fortiter pugnans occubuit, & sæpius

Renouata Hispanorum deditio. Mandonius supplicio afficitur.

fractæ Romanis huic pœnas dedit. Tredecim millia Hispanorum eo die cæsa feruntur, octingenti ferme capti. Romanorum paulò amplius ducentis desiderati. Hispani ex fuga collecti, Mandonio euocante concilium coëgere, vbi increpitis defectionis autoribus, legatos miscunt ad arma tradenda, deditionemque faciendam. Qui in deditionem accepti sunt, si Mandonium, cæterosque belli concitatores tradidissent viuos. Illi comprehensos Romanis ad supplicium tradiderunt. Ita Hispaniæ rebellantis tumultus breui compressus est.

V. Lælius Hipponenem depræda-tur.

C. autem Lælius ad Hipponem Regium hostem cædibus ac rapinis vehementer perturbauit: cum Masanissa fama Romanæ classis accitus, quasi adesset Scipio, Lælium etiam atque etiam rogat, vt is quamprimum in Africam cũ classe traiiciat, neque Syphaci, nihil syncere agenti, fidem habeat: se tametsi regno pulsum, cum copiis non contemnendis illi affuturum. Postridie Lælius Siciliam repetit, Masanissæ mandata Scipioni exponit, exercitum magnitudine prædæ ad Africanam expeditionem accendit. Sed opportunitas recipiendi Locrorum vrbem rem distulit. Captiui enim Locrenses Romano militi à Scipione misso aditum in arcem præbuerunt, sed arx altera tenebatur à Pœnis, & vrbs ipsa periclitabatur. Amilcar qui præsidio præerat, euocat Annibalem, sed Scipio, fratre in Sicilia relicto, in Italiam secundo mari traiicit, & in vrbem hoste improuiso ingreditur, ab eáque repellit Annibalem; quo abeunte, Pœni, arce quoque sua deserta, eum consecuti sunt, & Scipio rerum potitus est Locris, sumptoque de autoribus defectionis supplicio, & Q. Plemminio legato ad vrbem tutandam relicto, Messanam reuersus est. Sed Plemminius multa auare, crudeliter, flagitiose in ea vrbe perpetrauit, vt videri posset non armis solum Pœnos, sed vitiis etiam superare voluisse. Quæ pluribus in Annalibus explicata reperientur.

Scipio Locros recuperat.

Plemminij improbitas. n. 11. & 12.

VI. Idæa Pessinunte legatione petitur.

Eodem tempore cum Romæ ex Sybillino carmine intellectum esset, hostem alienigenam Annibalem scilicet, ex Italia pelli, vinciq; posse, si mater Idæa Pessinunte Romam aduecta esset. Missi sunt in Asiam legati ad Attalum, regem socium & amicum, propter commune bellum contra Philippum M. Valerius Læuinus princeps legatorum fuit, qui res in Græcia cum eo gesserat. Ab eo Pergami comiter accepti legati, Pessinuntem in Phrygiam deducti sunt; factumque iis lapidem, quem matrem Deûm incolæ esse dicebant, tradidit ac deportare Romam iussit, & ab eo qui Romæ vir optimus censeretur, hospitio accipi. Vide August. de Ciuitate Dei. Ea itaque magnificè Romam deuehitur, quò non nisi sequenti anno peruenit. Hoc autem videtur pax ab Antiocho magno cum Eutydemo satrapa Bactrianorum cõposita. Cum enim is post multa vltro citróque relata nuncia, Demetrium filium, ad fœdus sanciendum misisset, eius indole ac specie rex delectatus, regno dignum iudicauit, eiq; vnam de filiabus suis vxorem promisit. Eutydemo nomen regis vsurpare permisit, & fœdus cum eo iureiurando firmauit, & elephantos eius accepit. Moxque superato Caucaso Indorum fines ingressus amicitiam cum Sophagaseno rege

l. 1. c. 30. & ibi Vsum Polyb. l. 11.

Pax Antiochi cũ Eutydemo.

Eiusdem in Indos expedi-tio, & re-ditus.

renouauit, ibique alios etiam elephantos accepit; vt iam centum & quinquaginta haberet. Inde per Aracosiam, & Drangianam itinere habito, in Carmaniam venit, vbi per hyemem cum copiis resedit, vt eas mitescente cœlo in Ægyptum deduceret.

ANNVS MVNDI 3850.

ONIÆ III. Ducis & Pontificis 4.

PHILOPAT. 17. & vlt. PHILIPPI 17.

ANTIOCHI MAG. 23. Imp. Græco. 108.

OLYMP. CXLIV. A. 1 VRB. C. 549.

ANTE CHRISTVM 203.

I. Mors Philopatoris *Vide sup. a. 3845. c. 11. Dan.*

HOc anno regni 17. moritur Philopator, homo vitæ turpitudine infamis, cum is ab Agathocle & Agathoclæa, & vtriusque matre Oenanthe, turpiter cum toto regno, vt scribit Iustinus, regeretur, *adeo vt nemo minus in regno quam rex ipse posset; cum interim, relicto quinquenni ex Eurydice sorore filio, moritur.* Hieron. in Danielem 4 annorum fuisse dicit, nempe expletorũ, sic vt quintus esset in cursu, pergit Iustinus. *Sed mors eius dum pecuniam regiam rapiunt mulieres, & imperium inita cum perditissimis societate occupare conantur, diu occulta fuit,* &c. Huc autem in primis pertinet illud Danielis oraculum. *Et conuertetur rex Aquilonis*, nimirum Antiochus Magnus interprete Hieronymo, ab expeditione Bactriana reflectet iter, *& præparabit multitudinem multo maiorem quam prius*, cum scilicet anno regni sui nono adiit infestus Ægyptum, vnde & victus potius quam victor abierat. Quod autem subdit propheta, *& in fine temporum annorumque veniet*, etsi recte explicari potest exacto tempore aliquot annorum, siue post annos aliquot, puta duodecim, non male tamen opinor, de fine annorum vitæ & regni Philopatoris explicabuntur, in quod tempus hæc Antiochi expeditio prorsus cadit: adeo vt cum exercitus Antiochi ex superiore Asia in Ægyptum deducitur, Philopator mortuus fuerit, & bellum quod parabatur in patrem, in filium eruperit.

Daniel de ipso vaticin-um.

c. 11. v.

II. Explic-tur, ac cõfirm-tur.

Illud porro Danielis, *veniet properans cum exercitu magno, & opibus nimiis*, satis ex Polybio intelligitur. Centũ enim illi & quinquaginta elephanti, & omnes dynastę superioris Asiæ ab eo domiti ingentem vtique copiarum multitudinem satis indicant. Denique quod multos in regem Austri consurrecturos dicit, non solum multos populos Asianos intelligit, qui Antiocho magno parebant, & domesticos, qui in Ægypto dominante Agathocle tyrannidi eius fauebant, sed etiam Europæos, qui suberant Philippo regi Macedonum. Nam, vt ait S. Hieron. bi duo reges pace facta, aduersus Agathoclem & Ptolemæum ea conditione dimicaturi erant, vt proximas regno suo ciuitates, aut prouincias potius sibi adiungerent. *Orabant*, ait Iustinus, *legati Alexandrini Romanos, vt pupilli regnum tuerentur, quod iam Philippum & Antiochum, facta inter se pactione diuisisse dice-*

bant

bant, vt scilicet Philippus Ægyptum & Cariam, Antiochus vero Syriam cauam & Phœnicem obtineret, vt habet Polybius, sub initium libri tertij.

III. Res in Græcia compositæ, & pax cum Romanis à Philippo facta.

Resporro Græciæ biennio neglectæ fuerunt à Romanis. Itaque Philippus Ætolos ab eis desertos, quibus voluit conditionibus ad pacem adegit; quam nisi maturasset, aderat cum copiis P. Sempronius proconsul, sociis opem allaturus. Vixdum enim pace facta, nuncius Regi venit Romanos Dyrrachium venisse, Dymalum vrbem Illyriorum oppugnare, Ætolis iratos, quod sine eorum consensu, pacem cum Rege fecissent. Eamq; Sempronius Tuditanus, missis quindecim in Ætoliã nauibus, disturbare conatus est. Philippus contra Apolloniam Romanorum sociam oppugnare cœpit. Itaque Epirotæ belli vtriusque tædio, tentata prius Romanorum voluntate, legatos de communi pace ad Philippum misere, qua multi reges populique continebantur. Induciæ à Sempronio ad duos menses factæ sunt, donec Romam mitterẽtur Legati de cõditionibus pacis. Iusserunt eam omnes tribus; quia verso in Africam bello, cæteris in præsentia leuari volebant. Nec minus Philippus res in Ægyptum & Syriam cum Antiocho Magno tranligere festinabat. Sempronius pace facta Romam ad Consulatum profectus est, Scipioni in annum imperium prorogatum est, omnibus in eam spem erectis, hoc anno in Africa debellatum iri.

IV. Idæa mater Romæ accipitur *Liuius l. 29.*

Consultatum est de matre Idæa accipienda, quæ Terracinæ iam esse, quinquagesimo ab vrbe lapide nunciabatur. Quieam reciperet, vir optimus iudicatus est P. Scipio Cn. filius, eius qui in Hispania cum fratre occubuerat, nondum Quæstorius. Is cum omnibus matronis Ostiam Deæ obuiam ire iussus, ibi à sacerdotibus eius simulachrum accepit, & matronis sibi inuicem succedentibus ferendum, dedit, quod in ædem Victoriæ, quæ erat in palatio pertulere, ciuibus omnibus cum thuribilis accenso thure precantibus, vt propitia Vrbem intraret, sed hac de re plura in Annalibus leges.

a 10.

V. Locrensium legatio, & querela de Plemminio, eiusdemque mors

Secuta est Locrensium legatio & querela, de Q. Plemminio legato, qui Locris tyrannum egerat, potius quam legatum. Eorum oratio ita Senatum concitauit, vt Fabius princeps Senatus sententiam dixerit placere Plemminium legatum vinctum Romam deportari, & ex vinculis causam dicere, ac si vera essent, quæ Locrenses quererentur, in carcere necari, bonaque eius publicari. Ergo Romam deductus & in carcerem conditus, cum duobus & 30, sceleru sociis, prius in vinculis mortuus est, quam iudicium de eo perficitur. Quoniam autem Scipio Plemminio fauisse videbatur, & iniussu Senatus prouincia decesserat, militarem quoque disciplinam in Sicilia dissoluere ferebatur, placuit Senatui Pomponium prætorem, cum decem Senatoribus, Locros primum, deinde in Siciliam mitti, vt de Scipione inquirerent, eiusne iussu aut voluntate ea facinora essent perpetrata. Quod cum Locrenses constanter negassent, sed id vnum dicerent, aut Plemminio nimium, aut sibi parum fuisse creditum, magno onere Prætorem socioſque leuarunt. Quibus in Siciliam profectis, cum Scipio egregium belli apparatum ostendisset, & militem instructum ad terrestrem militaremque pugnam, eisque omnia vehementer probasset, cum felici comprecatione ac laude Romam redierunt, totaque accusatio ad maiorem Scipioni gloriam redundauit.

Ei iudicio infectus Scipio, & cũ gloria absolutus.

Interea Syphax, cuius maxime fiducia Scipio in Africam traiecturus erat, ab Asdrubale Giscónis filio à Romanis abducitur, ac Carthaginensibus, sibique data illi in vxorem filia sua, fœdere copulauit: quin & puellæ blanditiis victus, literas ad Scipionem dedit, quibus eum à traiectione auerteret; se enim pro Carthaginẽsibus, quibus cum fœdus atque affinitatem contraxisset, & pro terra Africa, in qua natus esset, necessario dimicaturum. Perculit ea res Scipionem, & Regem per literas grauiter monuit, ne fœdus secum sancte initum violaret. Apud exercitum autem præ se tulit euocari se in Africam à Syphace, sicut nuper à Masanissa, mirarique profectionis tarditatem. Itaque se primo die ad nauigandum idoneo vela facturum; itaque fecit copiis omnibus in Lilybæum coactis: vbi & delectum habuit, & omnia ad profectionem summo studio per se, perque M. Pomponium in Sicilia Prætorem, & C. Lælium classis præfectum, L. Scipionem fratrem, & M. Catonem seniorem tum Quæstorem præparauit.

VI. Syphax à Romanis defecit ad Pœnos, affinitate contracta

Scipionis dissimulatio, & profectio in Africã

T. Liu. l. 29.

Scipio è prætoria naue bene precans, tuba signum proficiscendi dedit, prosperáque nauigatione vsus, cum 50 longis nauibus, & quadringentis ferme onerariis, ad Pulchri promontorium, Zonaras Apollonium vocat, appulit, copiasque omnes in terram exposuit, & in proximis tumulis castra metatus, classem Vticam cum C. Lælio misit. Magnum id terrorem attulit Africæ vniuersæ, Carthagini præsertim, in cuius caput vibrabatur hoc telum. Augebat metum, quod neminem tum ducem habebant præter Asdrubalem, quem Scipio toties in Hispania fuderat: nec exercitum nisi tumultuarĩum, quem florentissimis Romanorum copiis opponerent. Itaque velut si vrbem aggressurus esset extemplo Scipio, ad arma conclamatum est, portæque raptim clausæ, & armati in muris, vigiliæque, & stationes dispositæ. Proximo die quingenti equites ad mare progressi, ad exscensionem prohibendam, in stationes Romanorum inciderunt: cum quibus inito certamine, Pœni aliqui in ipsa pugna, plures in fuga ceciderunt, in quibus Hanno eorum præfectus iuuenis nobilis. Scipio late vastatis agris, vrbem etiam satis opulentam occupauit, atque diripuit, prædam, in qua erant octo millia capitum, tam liberorum quam seruorum, in Siciliam misit.

VII. Pœnorũ metus.

Prælium tumultuarium ad prohibẽdam exscensionem.

Lætissimus etiam initio rerum gerendarum Masanissæ aduentus fuit, cum ducentis equitibus, cum quibus nouum Carthaginensium equitatum quatuor fere millium ad certamen, & ad insidias Romanorum fugitando pertraxit, vbi dux ipse captus & cum matre Masanissæ permutatus est, vt ait Zonaras. Inde Scipio omissis populationibus, Vticam expugnare aggressus est, omnemque operam in ea obsidenda terra marique adhibuit, cum Asdrubal & Syphax cum ingentibus copiis superuenere; ille ad 30 millia peditum, & tria equitum sub signis habuisse dicitur, Syphax autem 50 millia

VIII. Masanissa Scipioni se coniungit.

Pœnorũ & Syphacis copiæ

peditum & decem equitum; qui cum prope Vticam, munitioneſque Romanas conſedissent, Scipio 40 diebus omnia circa Vticam expertus, obſidionem ſoluit: & in idoneo ad hyemãdum promontorio, caſtra vtrique exercitui tuta communiuit.

IX. Geminũ cum Annibale prælium, aduerſum & proſperũ

Quæ dum in Africa geruntur, gemino prælio in Bruttiis cum Annibale pugnatum eſt, in priore P. Sempronius Conſul ad mille & ducẽtos de ſuis amiſit. Qui proxima nocte, miſſo ad Licinium proconſulem nuncio, vt ſuas legiones admoueret, copias iunxit: ita duo duces cũ duobus exercitibus ad Annibalem rediere. Nec mora dimicandi facta eſt cum Conſuli duplicatæ vires, Pœno recens victoria animos faceret. Conſul ædem Fortunæ primigeniæ vouit, ſi vinceret, vicit, adeo vt ſupra quatuor armatorum millia Pœnorum amiſerit Annibal, & Crotonem exercitum reliquum abduxerit. Quo tẽpore alter Conſul Hetruriam totam ferme ad Magonem inclinantem, non tam armis, quam iudiciorum terrore continuit. Cenſores interim M. Liuius, & Claudius Nero, dudum collegæ in Conſulatu, Senatum recitarunt, princepsiterum lectus Q. Fabius Maximus. Vectigal nouum ex ſalaria annona ſtatuerunt. Id vectigal quia populus Liuii commentum eſſe credebat, Salinatoris ei cognomen dedit. De hac cenſura vide plura in Annalibus.

Liuius Salinator n. 24. & 25.

ANNVS MVNDI 3851.

ONIÆ III. Ducis & Pontificis 5.

PTOLEMÆI EPIPHANIS 1. PHIL. 18.

ANTIO. MAG. 22. Imp. Græcorum 109.

OLYMP. CXLIV. A. 2. VR. C. 550.

ANTE CHRISTVM 202.

I. Initium regni Ptol. Epiphanis, & ſeditio Alexandrina. Inſt. l. 30.

ÆGypti regno ſuccedit hoc anno Ptolemæus Epiphanes, Philopatoris ex Eurydice ſorore filius, ætate quinquennis, Agathocle regnum, ſicut & viuo patre, adminiſtrante, cũ Antiochus & Philippus conſpiratione facta, & neglecta filij infantia, ſicut nuper Patris ignauia atque nequitia, bellum Ægypto inferunt. Quare moti Alexandrini Legatos Romam mittunt. Sed hanc legationem anteceſſit Tutorum regiorum cædes. Nam Agathocles, qui primas tenebat, breuiſſimo tempore, vt ait Polybius, vitam cum adminiſtratione perdidit. Cum enim communi ciuium odio flagraret, ſeditio in eum exorta eſt. Ille Macedonum opem, qui præſidium habebant Alexandriæ, implorauit, mõxque ſe cum Rege occultat in regia. Sed cum Macedones cogunt ſibi regem tradere, quem in publicum educunt, & in regio throno collocant, populo lætitia geſtiente. Statimque produci iubent ad ſupplicium malorum authores Agathoclem cum ſuis, qui omnes crudeliter à furente populo interfecti ſunt, vt pluribus narrat Polybius.

l. 15.

Mors Agathoclis

II.

His de medio ſublatis, cum Regis infantia tutoribus carere non poſſet, nec regnum eius propugnatoribus, Alexandrini, vt dixi, legatos Romam miſerunt, vt pupilli tutelam ſuſciperent, regnumque Ægypti tutarentur; quod iam Philippum & Antiochum inter ſe diuiſiſſe dicebant. Grata legatio Romanis fuit, cauſam belli aduerſus Philippum quærentibus, qui Carthaginenſibus in hoc bello fauerat. Sed legatio non tam cito exitum habuit. Itaque Antiochus interim Syriam & Phœnicem, à Philoparore dudum occupatam, ad ſe autem ſuoſque maiores iampridem pertinentem, inuaſit, cum Romana legatio aduenit, qua denunciabatur ei vt regno pupilli abſtineret: ſed is in inſtituto permanſit. Interea vero Soſibius, vt ex Polybio colligitur, regnum adminiſtrabat, & quantum poterat tutabatur, & Scopas militiæ præerat, vt ex ſequentibus intelligitur. Iudæi autem in medio poſiti ab vtriuſque regis ducibus alternatim vexabantur, vt tradunt Hieronymus ac Ioſephus.

P. Scipioni hoc anno imperium nouo modo prorogatum eſt. Nam cæteris in annos ſingulos, ipſi donec debellatum in Africa foret; decretumque vt ſupplicatio fieret, vt Africana expeditio populo Romano, ipſique duci atque exercitui ſalutaris eſſet. Ex quo intelligitur quã propenſus eſſet in pietatem populus, ſi veram noſſe potuiſſet, vt qui non tam à viribus ſuis, ab Imperatore præſtantiſſimo, à lectiſſimis copiis, quam à ſuperis victoriam expectaret. Et quoniam quam in regionem eruptura eſſet Carthaginenſium claſſis, ignorabat, Siciliam, Sardiniam, Italiæ oram, Hiſpaniam, tum veteribus legionibus & claſſibus inſtruxit, præter duas legiones vrbanas ad incerta belli. Viginti omnino legionibus, & 160 nauibus longis Romana res hoc anno geſta. Conſules Prætoreſque in ſuas Prouincias profecti ſunt, omnes tamen Africæ curam gerebant, & Scipioni certatim vndique de commeatu prouidebant.

At Scipio qui hyeme belli opera non remiſerat, de reconciliando Syphace cogitabat: qui niſi pace Pœnos inter & Romanos inita, à fœdere ſuo non videbatur receſſurus: pacis autẽ eam conditionem proferebat, vt Romani Africa, Pœni Italia excederent, & quæ vteruis populus nunc poſſideret, ea deinceps retineret. Dum hæ conditiones pacis vltro citroque agitantur, Romani Pœnorum caſtra diligenter obſeruant, & agnoſcunt incendio peropportuna. Itaque Maſaniſſæ curam dat, multis locis in caſtris Syphacis, quæ illi ſatis explorata erant, ignes inuicere, Lælio excipere fugientes, atque obtruncare; quæ dum fiunt, ipſe in Punicis caſtris excitat incendium; immenſo vtrobique damno. Duces ambo, & ex tot millibus armatorum, duo peditum millia, & quingenti equites ſemiermes, magna pars laucij afflatique incendio, effugere. Cæſa ſunt aut hauſta flammis, ad 40 hominum millia, capti ſupra ſex millia, multi Carthaginenſium nobiles, Senatores vndecim, ſigna militaria 178 Equi Numidici ſupra duo millia ſeptingenti; elephanti ſex capti, octo flamma ferróque abſumpti, armorum vis magna Vulcano ſacrata, incenſa eſt. Hæc fusè Polybius, & ex eo T. Liuius.

Aſdrubal ex fuga cum paucis, Afrorum vrbem proximam adiit, atque inde Carthaginem

ad

Bellum ab Asdrubale renouatum

ad belli consilia renouanda. In Senatu tres dictæ sententiæ, vna de pace legatos ad Scipionem decernebat: altera Annibalem ad tuendam ab exitiali bello patriam reuocabat; terna, Romanæ constantiæ in aduersis rebus exemplo, reparandum censebat exercitum, orandumque Syphacem ne bello absisteret. Hæc sententia propter Asdrubalis præsentiam, eiusque fautorum, quæ factio Barcina dicebatur, vicit. Itaque missa classis aduersus eos qui Vticam obsidebant, & Vrbs ad ferendam obsidionem parata, missi quoque ad Syphacem legati, quorum postulata vxor precibus iuuabat & lacrymis. Spem quoque opportunè oblatam legati adferebant, 4 millia Celtiberorum, qui mercede conducti fuerant. Deniq; paucis post diebus conuenere Syphax & Asdrubal, quorum totus exercitus triginta fere millium armatorum fuit.

VI. Renouatur & clades.

Scipio qui, quasi iam debellatum esset, Vticę expugnandæ machinas admouebat, ad nuncium redintegrati belli certamen parat, & aciem in magnos, qui dicuntur, campos ducit. Ibi magnis animis viribusque à sæpius victore exercitu pugnatum est. Itaque Syphax & Asdrubal cito fusi fugatique sunt. Victoriam Celtiberorum desperatio retardauit. Nam neque in fuga salus vlla ostendebatur locis ignotis, neque spes veniæ à Scipione erat, quem bene de se & gente sua meritum, mercenariis armis in Africam oppugnatum venissent. Itaque dum pugnant, & alij super alios vsque ad noctem cadunt, tutam Pœnis fugam præstiterunt. Postridie Scipio Lælium & Masanissam cum omni Romano & Numidico equitatu, ad persequendos Syphacem atque Asdrubalem mittit, dum ipse Tunetum, locum & natura & arte munitum, 12 millia passuum Carthagine distantem occupat. Inde classem Punicam vidit Vticam Carthagine petentem. Terruit ea res Scipionem i qui naues haberet, non ad certamen nauale præparatas, sed ad oppugnationem vrbium. Quod si classis hostilis celeritate vsa, impetum quam primum fecisset in Romanorum naues, insigni haud dubie clade eos affecisset: nunc tot cladibus timidiores effecti, retardato conflictu, & præparata pro tempore à Scipione classe, vix quidquam damni acceperunt, excepta sex onerariarum iactura, quas harpagonibus in portum Carthaginensem pertraxere.

Punetū.

Scipionis nauale damnū.

At Lælius & Masanissa in Numidiam die decimo quinto perueniunt, vbi Syphax breui tempore magnas copias contrahit, exercitum ad pugnam instruit, atque Romano more distribuit, cum tamen eis Romanam fortitudinem non dedisset. Romanæ legionis stataria pugna, Numidarum equitum procursiones fregit, & auertit in fugam. Ibi Syphax dum obequitat hostium turmis, si pudore, si periculo suo fugam suorum sistere posset, equo grauiter icto effusus opprimitur, capiturque, & ad Lælium viuus adducitur: cui Masanissa persuasit, vt se cum equitatu, victóque Syphace, Cirtam, quæ erat regni caput, præcedere sinat; ipse cum peditatu modicis itineribus subsequatur. Assentiente Lælio, Cirtam adhuc regij casus ignaram venit, ad cuius vincti spectaculum comploratione, metu, ac desperatione orta patefactæ sunt portæ, admissus victor exercitus. Masanissa idoneis locis præsidio occupatis, ad regiam contēdit. In ipso limine occurrit Sophonisba vxor, & genibus eius aduoluta, per omnia sacra profanaque orat, vt ipse de captiua pro arbitrio suo statueret, nec in potestatē Romanorum venire permitteret, sed ab ipsis, si nulla alia re posset, morte liberaret. At Masanissa non Reginæ solum misericordia, sed amore etiam præstantis captiuæ captus, tatus non alia se ratione ipsam à Romana seuentate liberare posse, eam illico duxit vxorem.

VII. Syphax à Masanissa capitur, regnumq; occupatur.

Sophonisba ab eodem capta ducitur.

VIII. Morque deseritur Romanorum voluntate, & veneno tollitur.

Factis nuptiis supervenit Lælius, factumque vehementer improbauit, eamque nisi victus Masanissæ precibus, ad Scipionem cum Syphacerege reliquisque captiuis misisset. Interim autem cæteras Numidiæ vrbes, quæ præsidiis regiis tenebantur, adiuuante Masanissa recepit. Syphax autem à Scipione cum perfidiæ exprobatione accipitur: neque ille quod excusaret habebat, præter importunas vxoris preces, quod Masanissæ quoque causam grauabat, qui mulierem belli facem aduersus Romanos, qui amicum ac fœderatum Romanis regem blanditiis suis alienasset, & in arma præcipitem coëgisset, & nunc Romani iuris factam accepisset vxorem; quam cum rege captiuam Romam mitti oporteret. Hæc cum Scipio seorsim Masanissæ amice demonstrasset, simulque hortatus esset ne incontinentiæ vitio cæteras virtutes deformaret; ille post multos gemitus, suspiriáque luctantis animi, inter amorem mulieris & Romanorum metum, promissi memor, venenum mulieri, ne illa in Romanorum potestatem veniret, mittit. Illa dirum poculum sine trepidatione hausit, & præteritis flagitiis, hoc omnium teterrimum infelix adiunxit.

IX. Scipio Masanissā regno Syphacis munerat.

Postero die Scipio, vtà præsenti luctu auerteret animum Masanissæ, concione aduocata in tribunal ascendit, & eum egregiè laudatum, regio titulo ac vestitu, insignibusque ornat, & in spem propinquam erigit, sublato Syphace omnis Numidiæ potiundæ. Lælium deinde, reliquosque, pro suo quemque merito, muneribus donat. Inde C. Lælio cum Syphace, aliisque captiuis Romam misso, cum quibus & Masanissæ legati profecti sunt, ipse rursum ad Tunetum castra refert, & quæ munimenta cœperat, permunit. Carthaginenses autem hoc rerum statu, bellum auersati, 30 seniores ad pacem petendam supplicum habitu ad Scipionem mittunt, veniamque ciuitati rogant. At Scipio qui victoriam prope haberet in manibus, has tamen pacis conditiones dixit, vt captiuos & perfugas sine pretio restituant, exercitus ex Italia, Galliáque deducant, Hispania abstineant, Insulis omnibus, quæ inter Italiam & Africam sunt, decedant; naues longas, præter viginti, omnes tradant: tritici 50, hordei trecenta millia modiorum, certamque pecuniæ summam persoluant. His conditionibus pacem offert, & triduum ad deliberandum, si placuerint inducias fore, dum Legati Romam ad Senatum mittantur.

Carthag pacē no lyncere petunt.

Ita dimissi Carthaginenses, cum nullas pacis conditiones recusandas dixissent: quippe qui moras temporis quærerent, dum Annibal in Africam transiceret, legatos alios ad Scipionem, qui inducias facerent, alios Romam ad

X. Spe Annibalis, quem Italia ci fratre r uocant.

pacem petendam mittunt. Lælius Romam cum Syphace captiuisque nobilibus venerat, resque gestas cum communi omnium lætitia in Senatu exposuerat, auditique erant Masanissę legati, & omnia quæ à Scipione gesta promissaue fuerant Senatus probauerat, insuperque captiuos Numidas Masanissæ donauerat, vt inde sibi popularium beneuolentiam conciliaret, & ipsi priuatim donis affecti fuerant, præter ea quæ Regi Masanissæ delaturi erant: cum legatos Carthaginensium aduentare auditum est; interim retentus est Lælius, Syphax Albam in custodiam missus est. Interea Mago in Liguria parum feliciter pugnauerat contra Prætorem Quintilium, & Cornelium proconsulem, sauciusque è prælio sublatus fuerat, cum proximę noctis silentio ad maritimos Ligures peruenit. Ibi cum Legati Carthagine missi adierunt iubentes primo quoque tempore in Africam traiicere, idem & fratrem eius Annibalem facturum; nam ad eum quoque iussse legatos eadem iubentes. Ille dum obtemperat, vix dum superata Sardinia, ex vulnere moritur.

Annibal autem auditis legatis, vix à lacrymis temperauit, Senatum incusans, qui iampridem supplementum & pecunias non misissent. Iam autem animo præsagiens se reuocatum iri præparauerat naues, & in speciem præsidij turba inutili nonnullis locis relicta: occisis quoque in Iunonis templo nonnullis Italici nominis, qui in Africam abire nolebant, quod reliquum erat roboris in naues imponens, sæpe Italiæ littora respiciens, Cannasq; animo retractans, in Africam transuexit. Interea Q. Fuluius Gillo legatus Scipionis, Carthaginenses Romam adduxit, quibus vetitis vrbem ingredi, Senatus ad ædem Bellonæ datus est, ab iisque pax summisse, sicut prius à Scipione postulata. In sententiarum diuersitate ea vicit, quæ speculatores nō legatos esse dicebat, omnia simulare, dum noui duces cum suis copiis in Africam traiecissent. Id cum vel nonnullis indiciis cognitum esset, vel ex ingenio & perfidia Punica creditum, legati pace infecta, ac prope sine responso dimissi, Carthagine omnia hostilia nunciarunt. Cum autem Pœni recens inducias violassent, & classem Cn. Octauij tempestate disiectam; Scipio bellum deintegrò præparauit, nec aliorum iniuriam in legatis, quos habebat in potestate, vlcisci voluit, non sine Pœnorum, ipsiusque Annibalis approbatione.

In huius anni exitu legati sociarum vrbium ex Græcia, questi sunt de Philippo rege, qui agros earum à præsidiis regiis impune vexari pateretur. Simulque nunciarunt quatuor millia militum, cum Sopatre duce in Africam traiicere vt essent Carthaginensibus præsidio. Senatus legatos misit qui Regi nunciarent, hæc aduersus fœdus Patribus facta videri.

***

ANNVS MVNDI 3852.

ONIÆ III. Ducis & Pontificis 6.

PTOL. EPIPHANIS 2. PHILIP. 19.

ANTIO. MA. 23. Imperij Græcorum 110.

OLYMP. CXLIV. An. 3. VR. C. 551.

ANTE CHRISTVM 201.

I. Scopas Syriam capit & Iudæam. *l.* 12. *c.* 3.

PTolemæus Epiphanes, Scopa principe militiæ destinato, Iudæam capit & plurimas Syriæ ciuitates. Ita Eusebius in chronico hoc anno, quæ ex Iosepho mutuatus est. Iosephus autem ex Polybij 16. quem citat in hęc verba. Scopas copiarum Ptolemæi dux, ad mediterranea verso impetu, per hyemem Iudæorum gentem subegit. Nec plura de his Polybius, quin ne hęc quidem ipsa extant apud Polybium, sed apud Iosephum tantum. Hierosolymis autem, atque ipsa eius arce potitum esse, in eaque posuisse præsidium, intelligetur ex iis, quæ post annos aliquot ab Antiocho in recuperanda Iudæa gesta sunt, anno regni Græcorum 114. Hunc porro annum, quo à Scipione in Africa debellatum est; & cum Annibale ibidem pugnatum, Polybius decimum septimum belli huius vocat, quo Dictatura comitiorum causa vlurpata, ad Scyllæ vsque Dictaturam ad 120 annos intermissa est: ad annum scilicet Vr. Cond. 671.

Ratio tēporis. Dictaturæ intermissio.

II. Res à Consule Nerone gesta.

Principio huius anni cum de Prouinciis à Coss. ad Senatum relatum esset, amboq; Africā cuperent, populus Scipionem in Africa bellum gerere iussit. Nihilominus cum voluntate Patrū Italia atque Africa in sortem conjectæ essent, T. Claudio contigit Africa, decreuitque Senatus vt in Africam, cum quinqueremium classe traiiceret, parique imperio, cum Scipione Imperator esset. Cumque ad primum nunciū defectionis Carthaginensium iussus esset mature in Siciliam classem ducere, atque inde in Africam traiicere, segniter omnia cōfecit, eò quod Patres de pace, Scipionis potius arbitrium esse quibus legibus daretur, quam Consulis censuerant. Verum huius negligentiæ non exiguas pœnas dedit. Non tempestate varie multumq; iactatus est, naues disiectæ, quassatæ, quædam etiam fractæ sunt. Ita vexata & lacerata classis Sardiniam tenuit, vbi dum subductæ reficiuntur naues, hyems oppressit, & anni tempus circumactum est, & nullo imperium prorogante, classem priuatus Romam reduxit.

III. Communis pro bello metus.

Discessus Annibalis ex Italia Romanos non exiguo liberauit metu, manebat tamen sollicitudo, ne qua Scipionem in Africa, contra tantum imperatorē pugnantem, clades affligeret, & pristina omnia decora pessumdaret. Nec minor Carthaginenses formido turbabat, cum bis se iam victos acie, captum Syphacem, eiusque viribus armatum contra se Masanissam animaduerterent. Denique Scipionem, ingenito quodam sensu, tanquam in perniciem suā natum ducem horrebant. Auxit hunc metum apud Annibalem fiducia Scipionis, qui captos eius speculatores per omnia castra sua circum-

Fiducia Scipionis

duci

duci iussit, & omnia pro arbitrio explorare, indeque tuto ad Annibalem remitti: vt qui non dubitaret eam fiduciam magnis viribus esse nixam: præsertim cum eo die contigisset Masanissam cum sex millibus peditum, & quatuor equitum in Romana castra peruenire. Itaque nuncium ad Scipionem, colloquij impetrandi causa misit, & obtinuit; æquiores pacis conditiones ratus obtinere posse, si integer, quam si victus eam peteret. Nihil tamen eo colloquio perfectum est, Scipione postulante, vt Pœni se patriamque suam Romanorum fidei permitterent, aut prælio dimicantes vincerent.

Annibal pacē frustra petit.

IV. Postrema pugna, & Scipionis victoria.

Pace infecta paratur vtrinque prælium, decretoriumque certamen, & ab vtroq; Imperatore instruitur acies scientissimè; pugnatur, & Elephantis in suorum damna conuersis, Romani meliori loco esse incipiunt; tum redintegrato certamine victores euadunt. Vltimum ad victoriam momentum attulere Lælius & Masanissa, qui pulsos equites per aliquantum spatium secuti erant, & reuersi in auersam hostium aciem incurrere. Is demum impetus hostem, cum vtrimque cæderetur, perculit, totisq; campis cædes, & fuga latè vagata est. Annibal cum paucis equitibus inter tumultum elapsus. Adrumetum profugit. Accitus Carthaginē post sextum & trigesimum annum, ex quo puer inde cum patre discesserat, in curia fassus est, se non solum prælio, sed etiam bello victum esse, nec spem salutis alibi, quam in pace impetranda superesse. Itaque cum Scipio perculsæ Carthagini terrorem admouere, terra, marique præpararet, decem legati principes ciuitatis ab Annibale missi ad eum veniunt, veniam ac misericordiam implorantes, qui sine alio responso Tunetum venire iussi sunt.

Punica pax.

V. Consilia de pace cū Pœnis, eiusque causæ.

Ibi etsi omnes ita stimulabat ad delendam Carthaginem, non tamen spes omnis pacis intercluſa. Reputabant enim animo Vrbis munitissimæ longinquam obsidionem: quin & Scipionem ipsum metus ille angebat, ne sibi succederetur, misso qui victoriam & finiti belli gloriam, suo periculo partam sibi vindicaret: etsi proximo anno imperium ipsi prorogatum fuerat, donec debellatum esset, populi tamen inconstantiam verebatur, & iam Claudius Nero Consul pari potestate in Africa donatus fuerat à Senatu; itaque omnium animi in concilio ad pacem versi sunt. Postera die aduocatis legatis, & de perfidia vehementer increpitis, pacis conditiones propositæ sunt, quas ipsemet Annibal Senatui Punico persuasit, quæ etiam Romam missæ, & anno sequenti confirmatæ sunt, vt dicemus. Interea inducię Carthaginensibus ad tres menses datę, ab ipsis autem in prę sens persoluta, quæ tempore inducіarum in nauibus Romanis rapuerant, quæ ad 25. millia pondo æstimata sunt, & centum obsides arbitrio Scipionis dati. Cum legatis Carthaginensibus tres Scipio Romam misit, & in ijs L. fratrem, & L. Veturium Philonem, qui sub comitia consularia Romam peruenerunt.

Legati Romam missi.

275000. aurei.

* * *

ANNVS MVNDI 3853.

ONIÆ III. Ducis & Pontificis 7.

PTOL. EPIPHANIS 3. PHILIP. 20.

ANT. MAG. 24. Imperij Græcorum 111.

OLYMP. CXLIV. AN. 4. VRB. C. 552.

ANTE CHRISTVM 200.

HVNC Punicæ pacis annum, ab inchoato bello decimum octauum, celebrat Liuius, eumq; quadragesimum à pace postremo facta, quo anno Scipionis acta Romæ probata, & confirmata sunt. Cum enim legati Romani cum Carthaginensibus in Vrbem venissent, Senatus eis ad ædem Bellonæ datus est, vbi L. Veturius Philo retulit suprema pugna cum Annibale & Pœnis esse pugnatum, finemque tandem lugubri bello impositū. Verminam quoq; filium Syphacis bello victum. Responsum dilatum est, dum Coss. creati essent. Quibus creatis de prouincijs eorum nihil prius agi placuit, quam legati Philippi regis, & Carthaginensium auditi essent, præsagientibus animis belli vnius finem, alterius initium fore. Priores illi sunt introducti, qui primo conati sunt purgare, quæ quæsti erant Roma missi legati, de populatione suorum, tum M. Aurelium vnum de legatis accusarunt, qui Macedonas bello contra fœdus lacessisset, Postremo petebant vt Macedones, duxque eorum Sopater, qui apud Annibalem mercede militassent, captique in vinculis essent, sibi restituerentur.

I. Senatus legatis datus.

Primum Philippi regis.

Ad quæ Furius pro Aurelio ex Macedonia missus respondit, relictum in prouincia M. Aurelium ne socij fessi populationibus, ad Philippum deficerent, & dedisse operā ne impune in agros eorum populatores transcenderent. Sopatrum ex propinquis regis esse, eū nuper missum in Africam, cum quatuor millibus Macedonum, & pecunia, vt esset Annibali & Carthaginensibus auxilio. De quibus cum rogati Macedones perplexe responderent; responsum acceperunt, Regē bellum quærere, si pergat, propediem inuenturū: dupliciter fœdus ab eo violatum, & quod socios populi Romani iniurijs & damnis affecerit; & quod hostes Romanorum auxilijs & pecunia iuuerit. Ita Macedones dimissi sunt. Nec propterea Philippus desiit bello vexare Athenienses, & populato agro obsidionem parare, vt sequenti anno intelligetur.

II. Status rei Macedonicæ.

Inde introducti Carthaginenses, quorum ætas ac dignitas, & humilis oratio ita mouit Patres, vt ad pacem omnium animi properarēt, nihil quippe in eis simulatū vt pri⁹ agnoscebatur. Decreuit Senatus vt P. Scipio ex 10. legatorū sententia pacem cū populo Carthag. quibus ei legibus videretur faceret. Gratias egere legati, tū etiā petiere, vt vrbē ingredi, & suos captiuos inuisere liceret, idq; cum impetrassent, etiam vt ducentos sibi redimere liceret orarunt. Cōsensit Senatus vt in Africā deportarentur, & si pax cohuenisset, Scipio eos sine pretio Carthaginensibus redderet. Ita dimissi legati, & pax in

III. Pax cum Pœnis admissa.

Eiusque conditiones. Ex Polyb. l. 15. & Liuio l. 30.

Africa his conditionibus confecta eſt. Vt quæ Carthaginenſes ante hoc vltimum bellum in Africa poſſediſſent, vrbes, agros, pecora retinerent, ſuis legibus viuerent, nullo præſidio tenerentur. Quæ per inducias male abſtuliſſent, captiuos itẽ ac fugitiuos redderent; naues omnes longas; præter decem triremes traderẽt, eadem lex de Elephantis eſſet. Bellum extra Africam nemini omnino inferrent, ac ne in Africa quidem, iniuſſu populi Romani. Sua omnia Maſiniſſæ redderent: Decem millia talentûm argenti, deſcripta penſionibus æquis, ducenum Euboicorum talentum in annos 50. ſoluerent. De qua pecunia conſule Annales.

in Schol. anni 3852

IV. Executioni mãdantur.

Ergo naues longas, elephantos, perfugas, fugitiuos, captiuorum quatuor millia tradidẽrũt. Naues prouectas in altum Scipio, magno cum luctu ciuitatis, incendi iuſſit, ſed & cum populi Romani, ad quem eæ nunc pertinebant, non leui damno. De fugitiuis qui Latini nominis erant, ſecuri percuſſi ſunt, Romani in crucem acti. Bona quæ Syphacis fuerant, ex S. P. Q. R. voluntate Maſaniſſæ tradit; præter regnum paternum. Legatos ad pacem confirmandam Romam miſit; Ipſe terra mariq; pace parta exercitu in naues impoſito, Lilybęum trajecit, indeq; Romam, totius Italiæ effuſa gratulatione peruenit, & omnium clariſſimo triumpho Vrbem eſt inuectus, & Syphax ipſe, vt tradit Polybius, cum cæteris captiuis, per vrbem ductus eſt in triumphum, qui & poſt tempus aliquod in carcere diem ſupremum obijt. Cæterum huius triumphi magnificentiam in Annalibus ex Appiano retulimus, qui addit Maſaniſſam fretum Romanorum amicitia, magnam ſibi agri Carthaginenſium partem vendicaſſe, & eorum opera obtinuiſſe. Primus hic Imperator, nomine à ſe deuictæ gentis eſt nobilitatus, vt Africanus diceretur; ſiue id militaris primum fauor, ſiue popularis aura celebrarit.

Scipio Romam proficiſcitur, ibiq; triũphat. *l. 16. licet aliter Liu. l. 30.*

In fine 2 belli Pun. n. 9. 10. 11 a. m. 3853.

Maſaniſſæ auaritia, & Africani cognomẽ *T. Liu. l. 30 ſ.*

Interea ad Ptolemæum Ægypti regem tres legati miſſi C. Claudius Nero, M. Æmylius Lepidus, P. Sempronius Tuditanus, tum vt Annibalem, Pœnoſque victos regi nunciarent, tum vt Regi gratias agerent, quod in rebus dubijs, cum finitimi etiam ſocij Romanos deſererent, in fide manſiſſet, & peterent vt ſi coacti iniurijs bellum aduerſus Philippum ſuſciperent, priſtinum animum aduerſus populum Romanum conſeruaret. Legatis regis nomine ſatisfecit Oſibius, qui regnũ pro puerulo rege adminiſtrabat, nec tutorem, vt putauit Iuſtinus, ab vrbe requirebat. Cæterum Romæ frequens, Senatus decreuit, vt P. Ælius Conſul cum imperio mitteret, qui claſſe accepta; quam ex Sicilia Cn. Octauius reduceret, in Macedoniam traijceret. M. Valerius Læuinus Prætor miſſus cum 38. nauibus in Macedoniam tranſmiſit. Ad quem cum M. Aurelius legatus veniſſet, edocuiſſetq; quantæ eſſent Philippi copiæ, maiore apparatu id bellum capeſſendum eſſe cenſuit, idemque Senatui per literas perſuaſit. Neque res vltra hoc anno progreſſa eſt.

V. Romana in Ægyptum legatio.

Læuinus cũ claſſe tranſit in Macedoniam.

* * *

ANNVS MVNDI 3854.

ONIÆ III. Ducis & Pont. 8.

PTOL. EPIPHANIS 4. & PHILIPPI 21.

ANT. MAG. 25. Imperij Græcorum 112.

OLYM. CXLV. AN. 1. VR. C. 553.

ANTE CHRISTVM 199.

I. Initium belli Macedonici.

IN hunc annum initium belli Macedonici omnes cum Liuio referunt, paucis menſib. poſt pacem Carthaginenſibus datam. Idibus Martiis, quo primum die initus eſt conſulatus, P. Sulpicius Conſul retulit ad Senatum de bello regi Macedonum inferendo. Dumq; per ſacrificia diuina voluntas exquiritur, literæ Aurelij legati, & M. Valerij Læuini, cum noua Athenienſiũ legatione venerunt, quibus animi ad hoc bellũ magis irritati ſunt. Nam Athenienſes nunciarunt Philippũ appropinquare finibus ſuis, breuique non agros modo, ſed urbem etiam in eius ditione futuram, niſi quid in Romanis eſſet auxilij. Ijs gratiæ à Senatu actæ ob fidei conſtãtiam: de auxilio vero tum reſponſum iri, cum Coſſ. prouincias ſortiti eſſent. Obuenit Macedonia Sulpicio Galbæ, Aurelio Italia.

II. Id populꝰ primum improbat, deinde approbat.

Sulpicius populo rogationem promulgauit de bello Philippo inferendo, eiuſque iniurijs contra ſocios vindicandis. Sed ea rogatio abomnibus ferme centurijs antiquata eſt. Quod Q. Bæbius tribunus plebis in concionibus ſuis Patres criminaretur, quaſi bella ex bellis ſererent; ne plebs pace vnquam frui poſſet. Quem cum Patres in Senatu probris laceraſſent, inſtitere Sulpicio vt deintegrò comitia rogationi ferendæ ediceret, doceretque populum id agi bellum ne contra Philippum gereret, translatis in Macedoniam legionibus, an hoſtem viribus potentem in Italiam admittere velint, quod ille iam Annibali ſpoponderat, feciſſetque niſi miſſo Valerio Læuino, in Macedonia retentus fuiſſet. Adhuc in Italia hæſurum Annibalem, ſi piguiſſet bellum in Africam transferre: ſatius eſſe Macedoniam bello ardere quam Italiam. His alijſque id genus perſuaſus populus, bellum, vti Conſul rogarat, Quirites iuſſerunt.

III. Gallicus tumultꝰ

Omnia animis in bellum Macedonicum verſis, repẽte Gallici tumultus fama exorta eſt. Inſubres, Boij, Cenomani, Ligures, Amilcare Pœno duce, qui in ijs locis de Annibalis exercitu ſubſtiterat, Placentiam inuaſere, & direptã vrbem magna ex parte incendere, tum traiecto Pado ad Cremonam diripiendam, pertexere. Quibus ad auxilia Romana confugientibus, iubet Senatus Aurelium Conſulem exercitum Hetruria deſtinatum Ariminũ cogere, & coloniam obſidione liberare. Quæ dum parantur decreto Senatus mittuntur legati Carthaginẽ, qui Amilcarem nuncient Gallos ad arma cõtra populum Romanum conciuiſſe, fœdus violare, eũ ſi pax placeat reuocandũ illis, & dedendũ populo Rom. Reſponſũ eſt à Carthag. nihil vltra ſe facere poſſe, quã vt eum exilio mulctarent, bonaq; publicarent. Sed ipſi labore com-

Lega ad Ca thag. Amil

pre-

prehendendi, & dedēdi Amilcaris libertati sunt, vt qui mox in prælio contra L. Furium pugnando perierit, magna cum clade Gallorum. Furiæ n. genti Gallica bella cōficere fatale videbatur. Triumphauit ergo de Gallis Furius prætor, repugnante Consule, qui eam sibi laudem vendicabat, & inuito fere Senatu, siue quod alieno exercitu Aurelij Consulis rem gessisset, siue quod prouinciam triumphi auiditate reliquisset.

Furios Gallos vincit, & triūphat.

Qui porro legati Carthaginem de Amilcare missi fuerant, ijdem in Numidiam ad Masanissā abire iussi, eidemq; gratulari, quod non patriū modo regnum recuperasset, sed parte florentissima, quæ Syphacis fuisset, amplificasset. Ab eo mille equites in subsidium belli Macedonici acceperunt, quos ille in naues impositos, cū frumenti commeatu misit in Græciam. Per eos dies Verminæ filij Syphacis Legati Senatum adiere, errorem & adolescentiam regis sui excusantes, postulantesq; vt Rex & amicus & socius populi Rom. à Senatu nominetur. Responsum est legatis, pacem illi prius petendam esse, quam ea nomina, quæ Senatus, non nisi benemeritis de populo Romano principibus conferre cōsueuerit. Romanos legatos in Africa fore, à quibus leges pacis accipiat, quarum confirmationem postea sit à Senatu postulaturus, quod & factum est.

IV. Alię legationes.

Vermina amicitiā Rō. petit.

P. Sulpicius Cōsul, cui obuenerat Macedonia, votis in Capitolia nuncupatis, Brundusium venit, indeq; traiecit in Macedoniam. Ibi ei præsto fuere Athenienſium legati, orantes vt se obsidione eximeret. Missus extemplo Athenas est Claudius Centho cum 20. longis nauib. & militum copijs. Neq; tamen Rex ipse per se Athenas obsidebat, sed Abydum, cum iam naualib. certaminibus cum Rhodijs & Attalo parum feliciter pugnasset, Abydenos autem non iniqua ab eo postulantes, feroci responso ad desperationē adegit, quarum supra de Saguntinis & Astapensibus in Hispania retulimus. Eo profecto Æmylius eum Philippo collocutus, dixit visum esse Senatui eum hortari, ne quem Græcorum bello impeteret, néue rebus Ptolemæi manus injiceret, & pro iniurijs Rhodijs & Attalo illatis iudicium subiret; sin minus se ad bellum pararet. Ille fœderi cum Antiocho nixus, bellum nō recusauit, & impositō Abydi præsidio, redijt in regnum; vbi didicit Consulem iam in Epiro esse, & Apolloniā terrestres copias, nauales Corcyram in hyberna deduxisse. Nam autumno ferme exacto venerat in prouinciam.

V. Sulpicius traiicit in Macedo.

Abydenorū clades. *nu. 13. & Vide Ann. 5099.*

At Claudius Centho cum classe sua, & tribus Rhodiorum quadriremibus, Athenas, agrūque circumpositum ab hostium incursionibus liberum reddidit, & exulū Chalcidentium monitu, Chalcidem improuisus occupauit, multaq; cæde fœdatam populatus est. Præsidij præfectus Sopater occisus. Carcer à Rhodijs refractus, emissiq; captiui, quos Philippus illic tanquam in munitissima custodia conciderat. Statuis inde Regis deiectis, truncatisq;, signo receptui dato Piræeum redierunt. Demetriade cum Philippus erat, quo cum clades sociæ vrbis delata esset, quamquam serū erat auxilium perditis, vltionē tamen expēdens, Chalcidem cum expedita manu accurrit, si quo modo posset Romanos opprimere; sed ea spe frustratus, ad deforme spectaculum fumantis adhuc ac semiruţ vrbis venit. Ergo pari celeritate per Bœotiam venit Athenas, quas sine dubio improuisus occupasset, nisi per noctem à speculatore præmoniti ciues, irritum quoq; hunc Philippi conatum reddidissent. In vindictam tamen succensæ Chalcidis, quidquid circa vrbem erat sancti amœnive, diruit, ac succendit. Inde agros ad concilium Achæorum venit, eosq; bello contra Romanos implicare conatur, spe Nabidis tyrāni bello opprimendi. Itaq; magna spe depulsus, Athenas iterum frustra tentat, & ira in loca sacra conuersa, pagatim omnia confregit atque diripuit.

VI. Claud. Centho Chalcidē occupat, & diripit.

Philipp⁹ imminet Athenis, ac spe bis frustratur

ANNVS MVNDI 3855.

ONIÆ III. 9. PTOL. EPIPH. 5 PHIL. 22.

ANTIOCHI MAG. 26. Imp. Gr. 113.

OLYMP. CXLV. A. 2. VRB. CO. 554.

ANTE CHRISTVM 198.

IPsis huius anni initijs, cum primū tempus rei gerendæ facultatem dedit, Sulpicius adhuc Consul, T. Apustium legatum è castris ad populandos Macedoniæ fines emittit: qui, cum ad Consulem cum magna præda reuerteretur, incidit in regium Præfectum Athenagoram, qui eum in transitu Apsi fluminis turbauit; sed mox acie in pugnam directa, Romanus effectus est victor. Itaq; bello feliciter inchoato, multi principes accolæ Macedonum, qui inimico erant in eos animo, operam cōsuli suam obtulerunt, qui eorum se opera dixit vsurum, cum in Macedoniam exercitum induceret. Interim Animādro Athamanum regulo Ætolos vicinos ad bellum concitandos attribuit. Et in eorū Panętoliū misit, qui idem vrgeret. Philippus quoq; per legatos vehemēter vrgebat constantiā fœderis nuper sec̄ū initi. Ibidē Athenienſes in regē, à quo plurima dāna acceperant, grauiter inuecti sunt. Verū Democritus Prætor animos Ætolorum in Romanos propendentes, callida cunctatione auertit, pecunia, vt fama est, à rege accepta, & dimissis suspensa re legatis, Genti suæ autor fuit, vt mox ad eam se partem conferrent, in quā melior belli fortuna vergere videretur.

I. Bellum à Rom. in Macedonia feliciter inchoatū.

Ætolos vtrique ambiunt.

Interea Philippus terra mariq; impigre bellū parat, filium Perseum adhuc puerū mittit ad angustias, quæ ad Palegoniā sunt obsidendas, diruit aliquot vrbes nō ignobiles, ne classi hostiū prædæ essent; nauales copias in Thessalia cōtrahit, cui Heraclidem, vna cū ora maritima, præficit, vt Romæ Attaliq; classi resistat. Mox Consul ad Regē mouet, simulq; alam equitū exploratorū mittit, qui exquirat quo Rex loco sit. Idipsū cū à Rege factū esset, sibi equites vtrimq; occurrerūt, pugnāq; inierunt, quā fatigatio diremit, paribus fere vtrimq; dānis. Facta est mox altera velitatio equitū peditumq;, pari ferme vtrimq; numero. Verū cū statariam & constantem Romanorum pugnam, longe à fugaci illa & cursoria certandi ratione diuersam regij milites experirentur, non tulere diu dimicationē, sed cito in castra refugerunt. Vno deinde intermisso die, Rex cū omnibus copijs pugnaturus erat, & nocte cetratos opportuno intidijs loco

II. Philippus bello studiose incumbit

Explora-tores v-triq; pugnant.

constituerat, quo cedentes equites hostem adducerent. Et equitatus quidem cessit, verum insidiæ ante tempus excitatæ occasionem bene gerendæ rei amiserc.

III. Rex frumētarios intercipit, mox quegraue periculū adit.

Rex deinde aliquandiu dissimulans, suos in castris tenuit, moxq; summa celeritate frumentarios à reliquo exercitu intercluſos oppressit, sed & equites Romanos celeriter accurrentes, male mulctauit, verum auiditate cædis intemperantius secutus Romanos equites eousque fugauit, dum antegressa peditum signa ijs occurrerent, quibus conspectis animosiores facti, conuerso vultu eos fugare cœperunt, à quibus in fugam acti fuerunt; eaque in fuga multi periere, rexque ipse amisso equo insigne vitæ discrimen adijt, indeque se ad tutiora loca recepit. At Consul post aliquot loca partim vi, partim metu occupata, peragratis hostium agris, ad Apolloniam se recepit. Ætoli audita ea pugna, cum rem ad Romanos inclinare iudicassent, ad eos Philippo relicto rediere; statimque ad arma confugiunt contra Philippum, sed semiermes & incompositi. Itaque superueniens Philippus eos fundit, fugat, cædit, castrisque spoliat. Cum interea Athenagoras Dardanos in Macedoniam progressos non sine clade compescuit, sicque damna à Romanis accepta reparauit. Sed hæc quæ in Macedonia à Liuio in æstate gesta narrantur, haud dubie ad P. Villium Consulem, cui obuenerat Macedonia, pertinent, qui iam ab Idibus Martijs Consul fuerat, sed narrationem rerum in Macedonia gestarum Historicus noluit interrumpere.

Ætoli à Philippo deficiūt, à quo male accipiuntur

IV. Athenie ſiū leuitas & linguæ petulātia in Philippum.

Eiusdem æstatis principio classis Romana à Corcyra cum L. Apustio legato profecta, circa Scyllæum Attalo regi coniuncta est. Tum vero Athenienſium ciuitas, quæ adhuc Philippi metu retenta fuerat: ne odium in illum suum plane proderet, id omne præsentis auxilij spe nixa profudit, rogatione edita firmataque decreto, quod gentis leuitatem, & mulierem vlciscendi libidinem prodit; quam alijs quoq; illustribus exemplis confirmatam in Annalibus reperies. Alia minutiora sunt, quam vt huic breuitati conueniant, quę ibi si placet, leges. Duo tantum addo, de Philippo vnum, alterum de Romanis, Philippum præter hostes tam multos, terra marique vndique imminentes, etiam sociorum, imo & subditorum Macedonum dubia fides angebat. Itaque & Achæos sibi solido iureiurando firmauit, eisque demerendis aliquot ipsis oppida reddidit. Macedonas autem ingēti gaudio affecit, cum Heraclidem multis criminibus oneratum, coniecit in vincula. Deinde bellum si vnquam aliâs magna cura præparauit, & militem per hyemem diligenter exercuit.

n. 14. & 15

Philippi cura multiplex.

V. Romana clades ab Insubrib.

At C. Bæbius Pamphilus prætor, qui à C. Aurelio exercitum, cum prouincia Gallia acceperat, temere ingressus Gallorum Insubrium fines, prope cum toto exercitu circumuentus est: supra sex millia & sexcentos milites amisit. Tāta ex eo bello, quod iam timeri desierat, clades accepta est. Ea res L. Lentulum Consulem ex vrbe exciuit, qui vt in prouinciam plenam tumultu & trepidatione venit, Prætorem seuerè increpitum prouincia decedere, & Romam abire iussit. Neque ipse Consul memorabile quidquam gessit, Romam comitiorum causa reuocatus.

ANNVS MVNDI 3856.

ONIÆ III. Ducis & Pontificis 10.

PTOL. EPIPH. 6. PHIL. 23.

ANT. MAG. 27. Imp. Græc. 114.

OLYMP. CXLV. AN. 3. VR. C. 555.

ANTE CHRISTVM 167.

HAbet hic annus expeditionem Antiochi Magni aduersus Scopam, principem militiæ Ptolemæi Epiphanis, vt ex T. Liuio aperte colligimus, eamq; ad Cœlesyriam, aliasq; prouincias recuperādas; quas cum iam à principio regni Ptolemæi Epiphanis recuperasse constet, vt suo loco cum Hieron. & Iosepho diximus, oportet Scopam intra hoc quinquennium easterum occupasse, vt eas hoc anno Magnus Antiochus iteratò receperit. Quo factum est vt Iudæa in medio posita, alternatim ab vtroq; subinde vexaretur, vt ait Iosephus. De re autem anni huius ita scribit. Aliquanto autem post Antiochus, ad fontes Iordanis cum Scopa prælio congressus, fit superior: cumque recepisset occupatas à Scopa vrbes Cœlesyriæ simul & Samariæ, Iudæi quoq; vltrò deditionem fecerūt, receptumque intra mœnia eius exercitum, & elephantos liberaliter aluerunt, & oppugnantibus præsidium in arce à Scopa relictum, impigrè auxilium tulerunt. Ipsam porro Antiochi pugnam contra Scopam, victoriamque paucis ita perstringit S. Hieronymus. Antiochus volens Iudæam recuperare, & Syriæ vrbes plurimas, Scopam ducem Ptolemæi iuxta fontes Iordanis, vbi nunc Paneas condita est, inito certamine fugauit, & cum decem millibus armatorum obsedit clausum in Sidone. Ob quē liberandum misit Ptolemæus duces inclytos Europum, & Menecleam, & Damoxenum. Sed obsidionem soluere non potuerunt, donec fame superatus Scopas manus dedit, & nudus cum socijs dimissus est.

Romæ facti sunt hoc anno Consules Quintus Flamininus Patricius, & Sex. Æmilius Pætus non sine intercessione Tribunorū propter transgressos medios magistratus. Sed ea intercessione Senatus autoritate sublata, prædicti facti sunt Coss. Prætor autem M. Porcius Cato, cui Sardinia obtigit, Flaminino Macedonia, Italia Ælio Pæto. Attali deinde legatos in Senatum Consules introduxere, qui retulerunt Antiochum regnum Attali terrestribus nauali-busque præsidijs destitutum inuasisse, dum ijs Romanum Consulem contra Philippum iuuat. Miserunt Romani ad Antiochum legatos, qui rogarent vt Attali regno abstineret, belloque absisteret; æquum esse socios & amicos populi Romani reges, inter seipsos quoque pacem seruare. Acquieuit Antiochus & finibus Attali deduxit exercitum. Quod beneficium Attalus gratiarum actione, cum ingenti aurea corona rependit.

At Quintius Cos. Brūdusio mature profectus, cū octo millib. peditū & octingentis equitibus

Cor-

Quintius venit in prouinciam.

Corcyram tenuit, indeque Epirum profectus, Romanis copijs se adiunxit, Villio exconsule dimisso. Tum consilio habito de inuadenda tuto circuitu per Dassaretios Macedonia, aut ipso Philippo recta via inuadendo, qui fauces Macedoniæ ad Antigoniam difficillimo aditu occuparat, hoc ille iter prætulit, ne longe à sua classe discederet. Et quadragesimum iam diem in hostium conspectu cunctabantur, cum Philippus sermones de pace cum Consule intulit irrito conatu. Victoriæ viam aperuit pastor quidam à Charopo principe Epirotarũ missus, qui eorum locorum scientissimus, quinque millia peditum cum trecentis equitibus Romanis, supra hostium capita deduxit, & inde signo, vti conuenerat, fumo edito. Consul pugnam capessit, Romanis iniquitate loci valde laborantibus, cum exortus à tergo clamor, & cœpta pugna regios vehementer exterruit, cum à tergo & à fronte cæderentur, & locus ipse per incommodam præberet fugam. Et poterat deleri totus exercitus, nisi per tam aspera & confragosa loca & eques insequi non posset, & pedes grauis armis tardaretur. Cæsa sunt nihilominus ad duo fere millia, & regia castra direpta.

Romani occupatas fauces transcendunt, & vincunt.

Rex ad quinque millia fuga progressus, suos collegit, Thessaliam perijt, & oppida, per quæ subiturus erat hostis, incendens, Macedoniam petijt. Ea Philippi clade audita, Ætoli, Animander, & Flaminius Consul, suis quisque ex locis in eum insurgunt, & varijs damnis afficiunt. Tres item classes Romana, Rhodia, & Attalica in eius perniciem conuenerunt, & in Eubœa, Caristum & Eretriam tum vi, tum deditione occuparunt. Inde Cenchreas Corinthiorum nauale petierunt, Corinthum oppugnaturæ. Quod priusquam aggrederentur, Achæos à Philippo, post multam Sicyone disputationem, abduxerunt, eis promissa Corintho, quæ tamẽ irrito conatu oppugnata, Philippo conseruata est, & insuper Argos, opera Philoclis, cui se dedidit ciuitas, acquisiuit: Sed vicissim Elateam à Consule vi captam & direptam amisit. Romæ autem seruilis tumultus excitatus, & quingentorum supplicio oppressus est ab Vrbano Prætore. Ab altero autem Consule Placentini & Cremonenses in suas colonias reducti sunt.

IV. Multæ res aduersæ Philippi.

Achæi eũ deserunt

Seruilis motus Romæ.

ANNVS MVNDI 3857.

ONIÆ III. Ducis & Pontificis 11.

PTOL. EPIPHANIS 7. PHILIP. 24.

ANT. MAG. 28. Imperij Græcorum 115.

OLYMP. CXLIV. AN. 4. VRB. C. 556.

ANTE CHRISTVM 196.

I. Antiochi in Epiphanem expeditio.

SCribit Liuius l. 33. Antiochum cum priore æstate omni Cœlesyria, quæ tam Iudæam quam Phœnicem comprehendit, potitus esset, & Antiochiæ hyemem transegisset, his Coss. omnibus regni viribus contra Epiphanem esse connixum, & ingentes terra marique copias contraxisse: illas filijs suis Sardeis ducendas tradit, has ipsemet deducit, per omnem oram Ciliciæ & Cariæ, tentaturus vrbes, quæ Ptolemæo parebant, simulque Philippum, quocum nondum debellatum fuerat, aditurus. Cumq; plurima iam oppida tum vi tum deditione occuparet, mittunt ad eum Rhodij legatos, qui nuncient se, nisi desistat, obuiam cum armis ituros, quos Antiochus prudenter à se, atq; amicè dimisit. Qui mox audita Philippi clade ad Cynocephalas, obuiam ire Antiocho cum classe statuunt, adiutis interim vrbibus, quæ fœdere cum Ptolemæo iunctæ erant.

Quam Rhodii turbare conantur

Creatis Romæ Consulibus, eisque parantibus Macedoniam & Italiam prouincias sortiri, Tribuni plebis obstiterunt, quod Macedonia longinqua esset prouincia: nec aliam magis rem impedimento fuisse ne bellum ante confectum esset, quam quod vix dum inchoatis rebus, in ipso conatu gerendi belli, prior Consul reuocaretur. Hæc autem Quintius per amicos Romæ satagebat, paratus aut pacem, aut bellum conficere, prout fuisset à Senatu de successore decretum; ne scilicet proprij laboris laudem & fructum successori concederet. Quæ autem causa fuit Scipioni pacis in Africa faciendæ, qua in re propriam gloriam publicæ vtilitati, haud sane laudabiliter, antetulerunt. Itaque T. Quintio prorogatum est imperium, donec ei successor venisset. Eidemque supplementum decretum est, peditum quinque millia, & trecenti equites, & sociorum naualium tria millia. Classis etiam præfectura L. Quintio eius fratri prorogata est.

II. Quintio prorogatur imperium in Macedonia.

Id nondum Flaminino cognitum fuerat, cum rex misso caduceatore, Consulis colloquium de pace expetijt, & pacis conditiones non improbabiles obtulit, & concessis in duos menses inducijs, misit Romam legatos, misit & Quintius ac cæteri populi, qui cum Philippo contendebant. Vt ventum est Romam, prius sociorum legati quam regij auditi sunt, Senatumque aperte docuerunt, si Philippus Demetriadem in Thessalia, Cholchidem in Eubœa, Corinthum in Achaia retineret, Græciam liberam esse non posse; quas ipsemet Philippus Græciæ compedes appellaret. Legati deinde Regis intromissi, quibus longiorem orationem exorsis, breuis interrogatio sermonem incidit, cessurus ne esset ijs tribus vrbibus Philippus. Cum negarent sibi quidquam de his nominatim esse mandatum, infecta pace dimissi sunt, & arbitrium pacis ac belli Quintio permissum: qui victoriæ quam pacis auidior, nullam de pace vocem admisit, quam quæ Philippum tota Græcia decedere nunciaret, quod is nunquam erat facturus.

III. Philippi cũ Quintio de pace colloquium.

Cõpedes Græciæ.

Quin potius de Achaia, quæ plurimum à se remota erat, Argisque sollicitus, quæ vrbs nuper ad eum defecerat, eam Nabidi Lacedæmoniorum tyranno fiduciariam dare constituit, eam vt ille sibi victori restitueret, sin aliquid aduersi accidisset, retineret sibi. Argos ille noctu ingressus; vbi eam in potestate habuit, in ciues, qui eum execrabantur, per se ipse, perque vxorem suam vehementer grassatus est, & Philippo deserto, transijt ad Romanos. Ipse autem Quintius Philippum, vt dudum Fabius Annibalem sequebatur; sed Rex ex occasione potius hostem clade aliqua

IV. Argos Philippus Nabidi credit, homini crudeli & perfido. *Vide hic Annales n. 10 11. & 12.*

afficere, quam de ſumma rei iuſto prælio decernere cupiebat; quod è contrario Flamininus optabat. Cumque vicini eſſent exercitus duces, vtrique ſpeculandi gratia tricenos equites, totidemque velites miſerunt, inter quos atrox & diuturna pugna commiſſa eſt; tantum Macedonum deterior conditio fuit. Aliquanto poſt Quintius Stotuſſam verſus, Philippum diuerſis itineribus ſecutus, decem equitum turmas, & velites ad mille dimiſit, iuſſos caute loca explorare; qui mox, propter eius diei caliginem, in ſtationes Macedonum inciderunt. *Polyb. l. 17*

V. Pugna inter exploratores.

Hic videlicet conſeruntur manus. In eo concurſu Romani cum laborare inciperent, ſubſidium è caſtris ſuis accuerunt: ſummittit Quintius duo peditum millia, cum quingenti equitibus, quo auxilio recreati animoſe pugnant, Macedones cedere incipiunt, & à Philippo interim opem curriculò petunt. Ille qui nunquam futurum cogitarat, vt eo die de ſumma rei dimicaretur, bonam partem ſuorum pabulatum dimiſerat, nihilominus laborantibus ſuis, Theſſalicum equitatum, & Macedonicum auxilio ſubmiſit, quibus aucti Macedones Romanos de ſummis collibus depellunt, & niſi pertinax Ætolorum propugnatio Macedonibus obſtitiſſet, terga penitus vertere hoſtes coëgiſſent, ſed Ætoli dum hoſtium impetum audacius ſuſtinent, Romani ex fuga ſeſe colligunt, & in hoſtem rurſus obuerſi conſiſtunt. Hic Quintius videns ex illorum fuga totum exercitum affectum metu, copias omnes educit, & ad pugnam inſtruit. Philippus viciſſim accepto nuncio de fuga Romanorum, inchoatam victoriam vrgere cupiens, toto exercitu prælij aleam ſubit, dumque animosè vtrimque pugnatur, pars vna vtriuſque exercitus vincit, altera vincitur.

VI. Pugna vtriuſque exercitus

At dum dextrum Macedonum cornu ſiniſtrum Romanorum vehementius perſequitur, dextrum Romanorum perſequentes à tergo perſequitur, & concluſam phalangem, quæ ſe retrorſum conuertere, & viritim prælium capeſſere non poteſt, atrociter cædit, dum Romani conuerſo vultu eos à quibus fugabantur inuaderent. Itaque fugam proiectis armis arripiunt. Quos dum Titus perſequitur, in ſiniſtros Macedonum ordines incurrit, à quibus cædendis abſtinuit, quia ſariſſas in altum erectas tenebant, quaſi deditionem aut tranſitionem facturi. At Philippus fuga ſuorum animaduerſa, congregata ſubito Thracum & Macedonum manu, fugæ ſe dedit verſus Tempe, ſuos ex fuga collecturus. Quintius autem victoria caſtriſque potitus eſt amiſſis circiter ſeptingentis. E regijs vero deſiderata ſunt circiter octo millia, nec pauciores quinque millibus viui capti. Sed & multæ ciuitates in victoris partes conceſſerunt. Quod cum audiſſet Philippus, caduceatoribus miſſis, pecuniaque & filio Demetrio præter alios obſide dato, inducias à Flaminino impetrauit, & legatos Romam pro pace miſit, qui cum legatis Quintij, ſub ipſa comitia conſularia Romam venerunt; itaque & pax in annum ſequentem differenda eſt. Et Romanorum victoria. *Zonaras.*

VII. Alia Philippi damna.

Hæc dum in Theſſalia aduerſus Philippũ geruntur, L. Quintius Imperatoris frater Leucadem Acarnaniæ caput oppugnat, & proditione expugnatam ad deditionem compulit. Et poſt paucos dies audito Philippi aduerſo prælio tota Acarnania deditionem fecit. Iiſdem diebus Rhodij Peræam regionem à Philippo dudum armis occupatam, armis recuperarunt. Interea dum audiſſet Philippus Dardanos regni fines tranſgreſſos, ſuperiora Macedoniæ euaſtare, quamuis vndique ſe ſuoſque profligante fortuna, vrgebatur; tamen ratus morte triſtius eſſe, etiam Macedoniæ poſſeſſione pelli, raptim collectis aliquot millibus, hoſtes oppreſſit improuiſos; eaque expeditione refectis ſuorum animis, Theſſalonicam recepit ſeſe. Quæ cum ad Orientem geruntur, noui in Hiſpania excitati ſunt motus, de quibus anno ſequenti, quibus prouiſum eſt, dicendum erit. Hoc autem ipſo Coſſ. ambo in Italia contra Ligures, Boios, atque Inſubres feliciter pugnarunt, de que ijs magnis cladibus affectis triumpharunt, ſed Minutius in Albano Monte. Quintio autem, vt dixi, prorogatum eſt imperium, vt pacem vti cœperat, conficeret, & res Macedonicas, Græcaſque componeret.

ANNVS MVNDI 3858.

ONIÆ III. Ducis & Pont. 12.

PTOL. EPIPHANIS 8. & PHILIPPI 25.

ANT. MAG. 29. Imperij Græcorum 116.

OLYM. CXLVI. AN. 1. VR. C. 557.

ANTE CHRISTVM 195.

GEmina pace inſignis eſt hic annus, qui Olympiadem inchoat 146. altera Philippi cum Romanis, altera Antiochi cum Epiphane. Et priorem quidem illam ſub huius anni Conſules factam, autor eſt Liuius, poſteriorem autem memorat, vbi Antiochus legatis Romanis, à quibus pax Philippica tractata fuerat, reſpondet, ſibi cum Ptolemæo amicitiam eſſe, & id agere ſe, vt breui etiam iungatur affinitas. Quod ergo ad priorem attinet, creatis nouis Coſſ. Quintij literæ exeunte anno datæ de Philippo debellato, à S. P. Q. R. magna cum lætitia, & gratulatione ſunt exceptæ, quod diuina prouidentia factum eſſet, ne ſimul cum duobus regibus huius æui potentiſſimis pugnandum eſſet. Datus eſt Senatus Philippi legatis in æde Bellonæ: nec multis verbis actum eſt, cum Macedones quæcumque Senatus cenſuiſſet, id regem facturum eſſe dicerent. Decem legati more maiorum decreti quorum ex conſilio T. Quintius Imperator leges pacis Philippo daret, quarum ſumma fuit, vt Philippus Macedoniæ antiqua poſſeſſione contentus, Græcas omnes ciuitates liberas eſſe, ſuiſque legibus vti permitteret, & præſidia, quæcumque in ijs haberet, deduceret; captiuos, tranſfugaſque redderet, naueſque bellatrices cum mille talentis. At Græciæ libertas cum in publica ludorum celebritate, præconis voce promulgata eſſet, incredibili gaudio & gratulatione Græcia vni-

uersa personuit; tres tamen illæ, quæ dicebantur Græciæ compedes, cum præsidio retentæ sunt, ne ab Antiocho occupatæ, compedes in collum transferentur.

II. Romanorum aduersus Antiochum pro Ptolemæo mãdata.

Secundum ista Quintius, & decem legati Regum, gentium, ciuitatum legationes audiuere. Primi omniũ Antiochi legati vocati sunt, quibus aperte pronunciatum est, vt Asiæ vrbibus, quæ aut Philippi, aut Ptolemæi fuissent, excederet, easque liberas relinqueret, sicut & Græcas omnes, neque in Europam cum copiis traijceret. Quæ dum in Græcia fierent, Antiochus longe alia in Asia meditabatur. Omnes enim Asiæ ciuitates in antiquam Imperij formulam redigere cupiebat, ducto initio à Smyrna in Æolide, & Lampsaco in Hellesponto, ratus reliquas vrbes harum exemplum secuturas; itaq; Epheso misit, qui eas obsiderent. Ipse initio veris, Epheso, vbi hyemauerat profectus, traiecit Hellespontum, & naualibus, terrestribusque copiis iunctis, Chersonesi vrbes deditione accepit, Lysimachiam, à Thracibus euastatam, instaurare cœpit, quos ipse vicissim populatus est, ibidemque Seleuco filio suo regni sedem parabat.

III. Et querelæ.

Sub hoc tempus L. Cornelius missus è Senatu, ad dirimendas inter Antiochum Ptolemæũque certamina, simulque alij tres legati, ex iis qui pacem Philippicam fecerant, Lysimachiam petiere, quo mox Antiochus ipse ex Thracia venit. Ibi cum Romani quererentur in primis de ciuitatibus in Asia Ptolemæo ademptis, respondit sibi cum Ptolemæo & amicitiam esse, & id, vt dixit agere se, vt breui etiam affinitas iungatur; quæ hoc anno, id est septimo adolescentis, vt ait Hieronymus, exacto videlicet, coaluit; anno autem decimo tertio nuptiæ celebratæ sunt, vt suo loco dicemus. Inter has disceptationes rumor increbuit mortuum esse Ptolemæum, quod quidquam certi definiri prohibuit, cum legatis. Ex Polybio autem suspicari licet, Scopam Regi mortem esse machinatum, sed ab Aristomene præuentum, atque interfectum esse, vnà cum Dicearcho præfecto nauium Philippi, homine infigniter impio, vt qui duas excitarat aras, vnam Impietati, Iniquitati alteram, & ijs sacrificauit; significans se gloriosum putare, impie in Deum, & iniuste in homines impunè facere.

Responsio Antiochi.

Ad 11. Dan.

lib. 19. Scopas Regi suo mortem molitur.

Dicearchus impius.

IV. Antiochi naufragium.

Antiochus autem, qui durante rumore cogitabat Ægyptum, cum Pataris cognouisset viuere Ptolemæum, omissa Ægypto, tetendit in Cyprum. In eo itinere & suorum seditione, & maris tempestate iactatus, naufragium fecit: collectisque naufragij reliquiis, spe tentandi Cyprum deposita, Seleuciam redijt, vbi subductis, propter hyemem instantem nauibus, ipse in hyberna processit Antiochiam.

V. Romana clades in Hispania

Romæ autem sub huius anni principium, cum noui Coss. prouincias sortirentur, tristis ex Hispaniis allatus est nuncius, C. Sempronium Tuditanum proconsulem in citeriore Hispania prælio victum; exercitum eius fusum fugatumque, & illustres viros in acie cecidisse; ipsumque Tuditanum, cum graui vulnere ex prælio elatum, non ita multo post expirasse. Ergo noui Prætores cum nouis copijs in Hispaniam profecti sunt, à quibus quid factum fuerit, anno sequenti intelligetur. Cum autem vtrique consuli decreta esset Italia, Marcellus ingressus Boiorum fines, castra fatigato exercitu ponebat, cum Boiorum regulus Corolanus occupauit incautum, & ad tria hominum millia occidit, in iisque nonnullos illustres viros, adeóque vix castra retinuit; cui cum alter Consul venisset auxilio, & Romanos ira pudorque acceptæ cladis animaret, ita pugnatum est, vt vix nuncius cladis hosti superesset. Insubres quoque, quibus se Comenses adiunxerant, ingenti clade victi, triumphatique.

Et in Boios & Insubres vicissim clades, sicut & insubriũ

ANNVS MVNDI 3859.

ONIÆ III. Ducis & Pont. 13.

PTO. EPIPHANIS 9. PHILIPPI 26.

ANTIO. MA. 30. Imperij Græcorum 117.

OLYMPIA. CXLVI. A. 2. V. CON. 562.

ANTE CHRISTVM 194.

CVm noui Coss. ad Senatum de prouinciis ex more retulissent, Patres censuerunt, cum tantum in Hispania glisceret bellum, vt iam Consulari & duce & exercitu opus esset, placere Consules, Hispaniam citeriorem, & Italiam prouincias sortiri. Hispania Catoni obtigit, Gallia Cisalpina Valerio, cui duæ legiones datæ, ad retinendam prouinciam, in qua proximo anno hostes fuerant vehementer attriti: Hispaniis autem multæ copiæ designatæ. Refrixit tamen aliquanto post metus Hispanici belli, cum literæ à Q. Minucio allatæ sunt, quibus ferebatur ipsum ad oppidum Turbam, cum duobus Hispanorum imperatoribus signis collatis, prospere pugnasse, 12 hostium millia cæsa, vnum ex Imperatoribus captum, cæteros fusos fugatosque. Itaque omnes curæ in bellum Antiochenum conuersæ; multæq; copiæ Quintio decretæ.

I. Hispania obuenit Catoni

Quæ ibi a Minucio gesta.

Nam decem legati ex Græcia reuersi, expositis quæ cum Philippo gesta essent, non minorem belli molem ab Antiocho restare docuerunt. Ingenti illum classe, egregio terrestri exercitu in Europam traiecisse. Sed ne Ætolos quidem quieturos, gentem & ingenio inquietam, & Romanis iratam. Hærere quoque in Græciæ visceribus ingens malum Nabin nunc Lacedæmoniorum, mox si liceat, vniuersæ Græciæ tyrannum, vt qui iam Argos velut arcem Peloponeso impositam teneat. Censebat Senatus rem contra tyrannum esse maturandam, præsertim Antiocho in Syriam transgresso; rem tamen Quintij arbitrio permiserunt. Illud potius animaduertendum putabant, quid Annibal & Carthaginenses, si cum Antiocho bellum gereretur, essent facturi, præsertim cum non deesset, qui Romam scriberent, literas nunciosque ab Annibale ad Antiochum & vicissim crebro commeare; quæ cum Annibali scriberentur, minorem obtinebant fidem. Tandem tamen missi sunt in Africam legati, qui ea dere inquirerent, & apud eorum Senatum expostularent. Verum Annibal se vnum peti in-

II. Quo statu essent res Antiochi ad bellum.

Timor ab Annibale, qui fugit ad Antiochum.

telligens, clam ad Antiochum profugit, quem Ephesi est consecutus, nec ei modicum momentum attulit, ad bellum contra Romanos suscipiendum.

Interea T. Quintius in hybernis gaudio pacis cum vniuersa Græcia fruebatur, exceptis Ætolis, quibus non pro spe sua victoriæ præmia contigerant, cum Senatus Consultum de bello aduersus Nabim tyrannũ afferetur. Quod cum omnibus in conuentu Corinthiaco, præterquam Ætolis, placuisset, auxilia ex vrbibus ad Quintium libenter summissa sunt: qui Argos primum obsedit, deinde ad ipsum belli fontem exsiccandum, Spartam, vbi erat Nabis armatum instituit. Eo Philippus mille & quingentos Macedones, & quadringẽtos equites Thessalos misit. Eodem nauales copiæ L. Quintij Rhodiæ item & Eumenicæ confluebant. Nec minus Lacedæmoniorum exules, duce Agesipoli, qui Regiæ familiæ cum esset, à Lycurgo tyranno pulsus fuerat, in Romana castra spe recuperandæ patriæ conueniebant. At Nabis licet copias haberet non pœnitendas, illis tamen impares, & sibi à ciuibus quoque suis timeret, octoginta principes iuuentutis accepit obsides, quos custodiæ traditos, proxima nocte crudeliter interfecit. Deinde quosdam Ilotas transfugere voluisse insimulatos, per omnes vicos verberibus actos necauit. Sicque multitudinem nefarius homo terrore continuit.

Nihilominus terra marique conclusus, de pace cum Quintio cœpit agere, quam cum cõcilium omne respueret, in eam tamen Quintius inclinabat, quod Spartæ obsidionem fore diuturnam videret, ad quam dum starent copiæ, non erant quibus Antiocho, si ingrueret ab eo bellum, resisteretur: & priuatim veritus ne sibi à nouo Consule succederetur, qui fructus decerperet laborum eius, in trãsuersum actus est, & infandum caput ad certas pacis conditiones admisit, & Argiuis liberatis, seruam Spartam reliquit, Achæis & omnibus bonis gementibus: Ætolis etiam in Romanos maledicta torquentibus, qui cum libertatem se Græcis omnibus reddere gloriarentur, nihilominus nobilissimam ciuitatem in manu teterrimi tyranni relinquerent, legitimo Rege contempto, ciuibusq; nobilissimis, quos in exilio viuere cogerent, sed & Græciæ compedes Philippo ereptas, ipsi haberent in potestate. His illi aculeis Romanum Imperatorem figebant, qui copias Elatiam reduxit, vnde Romam literas misit, de rebus ad Lacedæmonem gestis.

Romæ porro priusquam in Hispaniam Cato proficisceretur, de lege Oppia, quæ erat de mulierum ornatu, magna contentione certatum est. Cato pro lege ne abrogaretur grauem orationem habuit, sed Valerius Tribunus plebis probabiliorem, quæ & vicit, Tribunis qui intercedebant, mulierum importunitate intercessionem remittentibus. Oppia lege abrogata, Cato extemplò cum viginti quinque longis nauibus Hispaniam proficiscitur, cuius admodum æger erat status, maiorque incumbebat Romanis difficultas, quam superioribus annis. Nam Hispani tunc tædio Carthaginensium, ad Romanos facile deficiebant: nunc ex vsurpata libertate, iterum velut in seruitutem asserendi erant. At Cato cum haud procul Emporiis castra haberet, tres ad eum legati ab Ilergetum Regulo venere, quorum vnus erat Reguli filius. Hi à Catone postularunt aliquot millia militum, ad hostem sibi imminentem depellẽdum. Verum Cato haud tutum ratus inter hostes minuere copias, neque honestum socios in summo discrimine deserere; præsentiam auxilia missurum, quæ etiam in naues imposuit, moxque reuocauit ad sese. Præcedens interim aduentantis auxilij rumor, & Ilergetum erexit animos, & hostium concilia discussit.

Interea Cato cum viciniore hoste non sine periculo pugnauit, victorque castra expugnauit, multisque millibus cæsis diripuit; eam victoriam multorum oppidorum deditio secuta est. Cum autem Imperator ipse laboris esset patientissimus, & diligentissimus disciplinæ militaris obseruator, adeo vt parcimonia & vigiliis & labore cum militum vltimis certaret, nec quidquam in exercitu suo præcipui haberet, præter honorem & imperium, totum exercitũ habebat obsequentissimum: idque obsequium victorias sine magno labore pariebat. Sed ad perpessionem laborum industria ducis accedebat. Cum enim in Lusitania Turdetani Celtiberos auxilio euocassent, ipse operam dedit, vt Celtiberos distraheret à Turdetanis, duplici stipendio proposito, aut data venia, quod se Romanorum hostibus adiunxissent si domum se infecta pugna reciperent. Inde ad Iberum Cato regressus Lacetanis vrbe prudenter elicitis, ipsorum occupauit vrbem, & eos in deditionem accepit; moxque & Vergestanos deuicit, ac vendidit. Prouincia pacata, vectigalia ex ferrariis & argentariis fodinis instituit, quo prouincia in dies lucupletior facta est.

VI. Quæ ibi ab eo gesta, eiusq; virtus.

ANNVS MVNDI 3860.

ONIÆ III. Ducis & Pont. 14.

PHTO. EPIPHANIS 10. PHILIPPI 27.

ANTIOCHI MA. 31. Imp. Græc. 118.

OLYMP. CXLVI. 3. VRB. CO. 559.

ANTE CHRISTVM 193.

CVm à Scipione & Sempronio huius anni Coss. de prouinciarum distributione relatum esset, & Senatus frequens in eam sententiam iret, vt quoniam in Hispania & Macedonia debellatum esset, vtrique Consuli prouincia esset Italia: Scipio sentiebat Italiæ vnum satis esse Consulem, alteri decernendam esse Macedoniam, quod graue bellum ab Antiocho, qui iam in Europam traiecerat, immineret, ad quod Ætoli, & Annibal ipse stimularet. Et apparebat Scipionem bellum ambire Asiaticum. Non placuit tamen Senatui, nouum in Macedoniam deduci exercitum, sed cum potius qui ibi erat, à Quintio reduci in Italiam, ac dimitti.

I. Noui Cõsules.

Scipio ambit bellum Asiaticũ.

Quintius autem veris initio, cum de repetenda vrbe cogitaret, conuentu edicto Corinthum

II.

venit,

venit, quasi Græciæ vale dicturus, vbi cum de rebus à se gestis ageret, probata sunt omnia vehementer, præter pacem tyranno datam, quam Senatus hoc anno ratam esse voluerat. Eam tamen excusabat, quod Nabis exarmatus esset, & sine Spartæ ruina opprimi non potuisset. Illud autem fuit longè grauissimum, quod ad perfectam Græciæ libertatem compedes eius sustulit, dimissis præsidiis, quæ Corinthum, Chalcidem, & Demetriadem, Oreum quoq; & Eretriam continebant. Thessaliam quoque, vbi omnia confusa erant, & perturbata, præclarè cõposuit, & ingentem numerum ciuium Romanorum, præsertim quos bello Punico Annibal, cum à suis non redimerentur, venundederat, tota indulgente Græcia, seruitute liberauit. Denique Brundusium copias omnes transportauit, quæ per totam Italiam ad Vrbem vsq; prope triumphantes venerunt. Vbi triumphus Quintio decretus, triduoq; magna pompa celebratus est.

Quintius Græcis valedicit & de Nabide excusat.

Romani serui ei donantur

Redijt quoque ex Hispania Cato, vbi plura recepit oppida, quam dies egisset in Hispania, & magnifice quoque de ea triumphauit; quamuis vtriusque triumphum Fasti capitolini prætermittant.

Cato redit ex Hispania.

In vrbe hoc anno Censores Sex. Ælius Pætus, & C. Cornelius Cethegus, Scipionem secundum Consulem principem Senatus legerunt; quo cum honore priores etiam Censores affecerant. Gratiam quoque ingentem sibi apud Senatũ peperierunt, quod ludis Romanis Ædilibus Curulibus impetrarunt, vt loca Senatoria, quæ hactenus promiscua fuerant, à reliquo populo secernerentur. Id factum M. Tullius Scipioni iterum Consuli tribuit, eaque re Valerius Max. ait vulgi animos à Scipione non mediocriter auersos.

III Sedes Senatoriç in ludis discretæ. *Liuius.*

De Arusp. resp l.2.c.4.

In Cisalpina Gallia L. Valerius Flaccus proconsul, circa Mediolanum cum Gallis Insubribus, & Boiis, qui Padum transgressi fuerant, ad Insubres concitandos, signis collatis depugnauit, & ad decem hominum millia cecidit. At Sempronius Consul in Boios profectus, totam gentem ad rebellandum concitatam inuenit, tanta multitudine, vt collegæ copias accerseret, & interim pugnam tergiuersando extraheret. Ea re cognita, Boij castra tribus ex locis oppugnare aggressi sunt, ibique diu, non irrito labore pugnarunt, Posthumio Quæstore cum ducentis militibus interfectis. Qui mox extraordinaria cohorte, à Consule summissa, repulsi, & ad sua castra compulsi, ibique vicissim oppugnati sunt. Ibi dum quidam pertinacius pugnant, nec reuocanti Consuli obtemperant, erumpentibus Gallis male mulctati, & in castra sua compulsi sunt. Ita varia hinc atque illinc victoria, & fuga fuit.

IV. Cum Insubribus & Boiis res gestæ.

* * *

ANNVS MVNDI 3861.

ONIÆ III. Ducis & Pont. 15.

PTOL. EPIPH. 11. & PHILIPPI 28.

ANTIOCHI. MAG. 32. Imp. Gr. 119.

OLYMP. CXLVI. An. 4. V R. C. 560.

ANTE CHRISTVM 192.

CVm Coss. in suas prouincias profectiessent, T. Quintius à Senatu postulauit, vt legatos de rebus à se gestis in Græcia, audiret, & si videretur, confirmaret; auditi omnes, benignéque omnibus responsum; At cum Antiochi legatis disceptatio diuturnior fuit, quæ Quintio huius negotij scientissimo commissa est. Eius hæc summa fuit. Illi amicitiam populi Romani petebant, hac conditione duas afferebat, alteram vt Antiochus omni Europa abstineret, alteram vt Romanis ius esset Græcarum Asiæ ciuitatum amicitias, & tueri quas habent, & nouas amplecti. Respondent legati iniustè agere Romanos, qui Antiochum auita possessione in Thracia priuare velint. Neque rectum fuerit externum principem eximere velle subditos aliquos à subactione Regis sui, sub speciosa titulo libertatis; præsertim cũ Antiochus nollet Græcas hasce ciuitates seruas habere, sed subditas, vt antea, retinere. Itaq; iniuste illarum ciuitatũ odium conflabant Antiocho, cum ad fucum faciendum nominibus seruitutis & libertatis abuterentur, loco subiectionis & rebellionis. Sed hæc limatius in Annalibus studiosus Lector disputata reperiet. Legati porro super ea re ad Antiochum Roma mittuntur.

I. Disceptatio Romani cum Antiochi legatis & Quintio.

Bellum Romanorum iniustum.

n.2.3. & seq.

Vixdum ij profecti erant, cum Carthagine legati attulerunt, bellum ab Antiocho, ministro Annibale haud dubiè apparari. Is ante triennium ex Africa ad Antiochum profugerat, eique autor erat, vt bellum in Italia gereretur, ibi tantum Romanos vinci posse, sibi centum rectas naues, sedecim millia peditum, & mille equites deposcebat: ea se classe primum Africam petiturum, & confidere se Carthaginenses ad rebellandum adducturum, si illi cunctẽtur, se in aliqua Italiæ parte bellum Romanis excitaturum, Regem cum cæteris copiis in aliqua Græciæ parte subsistere oportere, expectãtem rei bene gerendæ occasionem. Excitasse autem Pœnos, misso ad eos Atistone, autor est Liuius, ab eóque Carthaginem suspicionibus impletam. Neque eam vnam fuisse Pœnis legationis causam, sed vt de finibus suis male à Masanissa vsurpatis, quererentur; cui Romani, ipseque Africanus nimium fauentes, eam controuersiam dirimere noluerunt, ne scilicet socium fidelissimum Masanissam amitterent, quod tamen sine alioruminiuria factum oportuerat.

II. Annibalis de hoc bello cõsilium Antiocho datum.

Romani Masanissæ iniuste fauẽt

In Hispania post reditum M. Catonis plurima oppida rebellauerant, contra quæ Digitius Prætor crebra magis quam dicta digna prælia fecit, atque adeo pleraque aduersa, vix vt dimidium militum quos acceperat, successori re-

III. Hispaniæ res tum aduersæ, tum prosperæ.

liquerit. At contra P. Scipio Cn. filius multa secunda prælia fecit, quibus plus 50 oppidis recepit. Difficilem tamen obtinuit de Lusitanis victoriam, & post votos Iouiludos, vt ait Liuius, sed insignem. Ad duodecim quippe hostium millia cæsa sunt, capti 540, omnes ferme, equites, & signa militaria 134. De Romano autē exercitu tres tantum & septuaginta desiderati. Præda quam illi, peruastata vlteriore prouincia corraserant, quæ agnosci potuit, suis dominis restituta; reliqua militi diuisa. Successit C. Flaminius Prætor, sed tardius in prouinciam venit. Nam totum fere tempus consumpsit in delectu habendo in Italia & Sicilia, quin etiam in Africam tempestate delatus est. Itaque Iluciam oppidum in Oretanis tantum cepit: deinde milites in hybernа deduxit, vnde & aliquot excursiones in prædones, non sine iactura, fecit.

IV. Res gestæ contra Ligures & Boios.

Romæ principio anni crebri terræ motus contigerunt. Cornelius Consul Galliam prouinciam Minucius Liguriam sortiti sunt. Ligures ad 20 millia in armis erant, & multitudine freti, prælium de summa re ambiebant. At Cōsul suos in aciem non educebat milites, quos nouos habebat & paucos. Paulo tamen post idem Minucius in agro Pisano contra eos confixit & vicit, & eorum castra diripuit. Cornelius quoque Merula contra Boios feliciter pugnauit, eorumque insidias irritas reddidit. Itaque aperta acie pugnatum est, multaque vtrinque strage edita, Romanus victor fuit. Cumq; Romam, ad habenda comitia Consularia fuisset euocatus, triumphum quem petebat, non obtinuit; quippe supra quinque millia militum amiserat, centuriones tres & viginti, præfectos sociorum quatuor, Tribunos militum secundę legionis duos.

ANNVS MVNDI 3862.

ONIÆ III. Ducis & Pont. 16.

PTOL. EPIPHANIS 12. PHILIPPI 29.

ANTIO. MA. 33. Imperij Græcorum 120.

OLYMPIA. CXLVII. A. 1 V. CON. 561.

ANTE CHRISTVM 191.

I. Ambitio pro Consulatu.

a. m. 3850

COnsularibus comitiis tam candidatorum, quam petitorum gratia incaluit ambitio. Petebat enim L. Quintius, qui in Græcia classi præfuerat, fratre T. Quintio in bello Philippico Imperatore. Petebat & P. Cornelius Cn. filius, qui nuper in Hispania rem bene gesserat, & habebat pro se petitorem Africanum; & ipsemet ante 12 annos à Senatu fuerat vir optimus iudicatus. Petebat quoque Africanus pro C. Lælio sibi charissimo, sed in vtraque petitione victus est Africani fauor, populo in eum, obsedes theatri discretas, nonnihil infenso. L. ergo Quintius factus est Consul, &, quia alterum è plebe esse oportebat, Domitius Ænobarbus Verum Africani candidati alter proximo, alter deinde sequenti facti sunt Consules.

Hoc anno Olympico Græciæ res Asiæque vehementer turbari cœperunt, Ætolis bellum vbique contra Romanos excitantibus, legatis ad Nabin, ad Philippum, ad Antiochum missis, quibus auxilia superbe pollicebantur. Sed regibus tardius motis, Nabis extemplo ad arma conuolat, maritimosque vicos à Romana societate abductos, sibi pecunia metuque subiicit, & Gytheum oppugnat: quā dere Achæi ad eum primo; deinde Romam per legatos querelas detulerunt. Antiochus autem Ptolemæo Epiphani Cleopatram filiam in matrimonium dedit, concessa dotis nomine Cœlesyria, vnà cum Phœnice, Iudeáque & Samaria; diuisisque inter vtrumque Regem vectigalibus, optimates suæ quisque patriæ exactionem eorum redimebant, & collecta quæ imperata esset pecunia, conferebant eam in regium Ærarium, vt ait Iosephus. Ex quo intelligitur ita traditam Ptolemæo Syriam, vt Antiochus in eadimidium vectigalium, quasi pensionem sibi retineret: vt præter præsens emolumentum, etiam aditum haberet ad eandem prouinciam aliquando recuperandam.

II. Ætoli omnes in Romanos excitant.

Ioseph. l. 12 c. 3. Antiochus dat filiam Ptolemæo.

Alios quoque Regulos sibi affinitate coniungere statuit, vt potentior contra Romanos redderetur, Antiochidem enim dedit Ariarathi Regi Cappadociæ, tertiam etiam obtulit Eumeni Pergami, filio Attali, qui affinitatem recusauit, ne contra Romanos bellum gerere cogeretur, & fœdus cum eis à patre initum violare. Quin potius legatos Roma ad se missos, ad bellum quantum potuit incitauit. In his legatis fuisse Africanum scribit Appianus, & alij, eumque cum Annibale Ephesi de præstantissimo Imperatore collocutum. Cumque Annibal primum nominasset Alexandrum, Pyrrhum alterum, tertium seipsum. *Quid tu*, inquit Scipio subridens, *diceres, si me vicisses? Tum vero me*, inquit illi, *& ante Alexandrum, & ante Pyrrhum, & ante omnes Imperatores esse.* Arguto responso propriæ laudis offensionem, Scipionis laude, atque assentatione temperauit. Romani autem Rege adito, institutum colloquium cum eo non perfecerunt, morte filij Regis audita: cum Minione autem disceptatione susceptā, Romam re infecta redierē. Ipsum autem Regem sui ad bellum perpulere, certam polliciti victoriam, si modo Græciam maturè præoccupasset. Ibi enim Aetolos in media acie habiturum, in vno cornu Nabidem, in altero Philippum, accessurum Annibalem, qui Pœnos ducat in Romanos, quos isti omnes pessime oderint.

III. Eumenes eius affinitatem recusat.

Zonaras. Val. Max.

Annibalis cum Scipione colloquium.

Antiocho bellum persuadetur

Rex aliquanto post Hellespontum cum exercitu traiecit: quod cum Romanis Eumenes, misso ad eos Attalo fratre, nunciasset, & Aetolos in armis esse, proximo quoque tempore visum est Consules designare, qui proximo anno irent magistratum, Scipio Nasica, & Acilius Glabrio. Prætor autem Attilius classem parat, & in Græciam proficiscitur. Interim autem ibi Quintus, cum cæteris legatis, socias vrbes populosque circumeunt & confirmant, Athenas, Chalcidem, Demetriadem, ne eas Aetoli ad Antiochum traherent. Aetolorum quoque concilio interfuerunt, Athenienſibus id agentibus. Ibi nihilominus decretum fit, vt Antiochus ad liberandam Græciam euocare-

IV. Designātur Coss.

Legati socios in Græcia continē

tur. &

tur, & ad controuersiam Ætolos inter & Romanos dirimendam. Id decretum cum posceret Quintius ab Ætolorum prærore Damocrito superbè reiectus, Corinthum cum legatis reuersus est,

V. Ætolis tres vrbes affectans, & quo euentu. Demetrias capitur, Nabis occiditur.

Post quorum discessum statuerunt vno die Demetriadem, Chalcidem, & Lacedæmonem occupare, Thoas Chalcidem, Alexamenus Lacedæmonem, Diocles Demetriadem missus est, qui eam per speciem reducendi Eutylochi, occupauit; Alexamenus eductum foras Nabidem, specie exercendi militem ad Antiochi aduentum, equo deturbatum confodit. Sed Ætoli præproperè ad prædam versi, à populo partim cæsi, partim sub corona venierunt. Lacedæmonij, opera atque industria Philopœmenis, Achæorum societati se adiunxerunt. Thoanti quoque conatus occupandæ Chalcidis parum feliciter successit, quod is principibus ciuitatis innotuisset, & mature sociarum vrbium præsidio, ciuitatem suam muniuissent. Cumque Aetoli munitissimæ vrbi vim afferre non possent, re infecta domum reuersi sunt: eamque mox Quintius præsidio firmauit. Conatus est quoque Demetriadem ab Ætolis liberare; sed eo missus Villius, infecto negotio ad Quintium rediit, & cum eo Corinthum se recepit.

Chalcis frustra tentatur.

VI. Romanorum ad bellū apparatus.

Iam fere in exitu annus erat, & in dies magis fama & cura de Antiochi bello crescebat, cum de prouinciis magistratuum designatorum agi cœptum est, vt paratiora essent omnia, decretum vt Consulibus Italia, & quo Senatus censuisset, prouinciæ essent; intelligebant autem omnes bellum in Antiochum, cui ea sors obtigisset, decem millia peditum, & septingentos equites, tam ciuium, quam sociorum, decreuerunt: præter classem, & copias quæ in Brutiis stationem habebant, vt Græcorum & Asianorum appulsum in Italiam prohiberent. Antiochum autem tres ciuitates morabantur Smyrna in Ionia, Lampsacus & Troas in aditu & exitu Hellesponti, quas neque vi expugnare ad eam diem potuerat, neque in amicitiam pellicere, neque à tergo relinquere volebat. Aetolus quoque Thoas, & Annibal diuersa in concilio sentiebant, tantumque ille effecit, vt Annibalis sententia vtilior repudiaretur, ipseque etiam suspectus fieret.

VII. Antiochus Demetriadē venit.

Antiochus Demetriadem, quæ erat in Aetolorum potestate, cum ingentibus copiis venit, & ab iis belli decernitur Imperator; cui etiam triginta consiliarios attribuunt; cum quibus capto consilio, visum est Chalcidem nuper frustra tentatam, primùm aggredi, cui cum deditionem frustra suasissent, Demetriadem reuersi sunt. Inde in Achaia coactum est concilium, vbi legati Antiochi, & Ætolorum cum Achæis, & T. Quintio conuenerunt. Ætoli Achæos excitarunt, vt neutri parti se adiungerent, sed ab vtrisque pacem peterent. At Quintius contrà monet ne Regis vel Aetolorum vanitati, sed expertæ Romanorum fidei ac fortitudini sese committant; neutri autem parti sese addicere, non solum vanum, sed etiam perniciosum fore; quippe sine gratia, sine dignitate, vtrumlibet victoris prædam fore. Assensere Quintio Achæi, & ex eius voluntate quingentos milites in Chalcidem, totidem in Piræum miserunt, quod Athenis res fluctuarent. Nihilominus Chalcidenses Antiocho imminenti portas aperuerunt, cuius exemplum tota Eubœa secuta est. Rex captiuos Romanos omnes sine fraude dimisit, & Chalcide hyemem traducens, partim legatis ciuitates sollicitabat, partim excipiebat venientes: Annibale improbante, quod ciuitates facile in vtramlibet partem defecturæ essent. Philippi potius societatem captandam, qui totius belli molem sustinere posset.

Achæis Roma fidem seruant.

Chalcis & Eubœa Antiocho paret.

Sed is leui quadam de causa ab Antiocho alienatus est, dum is se Philippo gratificaturum sperat. Misit enim Cynocephalas, vbi cum Philippo de bellatum fuerat à Romanis, qui ossa Macedonum, qui ibi ceciderant, sepulturæ mandarent. At Philippus neglecti officij se accusari existimans, Romanis se Antiochō deserto dedidit, qui anteà consilium ex belli euentu capturus videbatur. Addit Zonaras ortam offensionem, quod Antiochus ei quædam Thraciæ loca eripuisset. Pheras quoque & Scotussam, & aliquot alia oppida in suam potestatem redegit. Sed Larissa frustra tentata, Demetriadem, & inde Chalcidem venit, ibique per hyemem, cum filia hospitis sui, ineptis celebratus est nuptiis; indèque tempus conuiuiis, & voluptatibus transegit: Ducisque exemplum exercitus secutus est.

VIII. Philippus ab Antiocho alienatur.

Nouæ Antiochi nuptiæ

In vtraque Hispania res hoc anno prospere gestæ. Nam C. Flaminius oppidum Litabrum opulentum ac munitum expugnauit, & Regulum Corribilonem viuum cepit: & M. Fulvius proconsul, cum duobus hostium exercitibus duo secunda prælia fecit, oppida quatuor, castella multa expugnauit, denique & Toletum opetibus cepit. At in Liguria male pugnatum est, & castra Consulis ægrè defensa. Nec ita multo post in eas angustias adductus est Romanus exercitus, vt mili Numidarum equitatus ludibundus euasisset, & flammis in Ligurum vicos iniectis, Ligures ad eas extinguendas accurrere coëgisset, Caudinam cladem Romani iterato subiissent. At cum Consul vterque diuersis ex locis Boios peruastassent, illi belli cladiumque pertæsi, ad Consules turmatim transfugerunt. Denique hoc quoque anno L. Quintio Consule, vrbem duo maximi terrores tenuerunt, terræmotus per duodequadraginta dies, & incendium, quod ortum à foro Boario, diem noctemque ædificia ad Tyberim versa exussit.

IX. Hispaniæ res.

Et Italicæ ambiguæ.

Romæ terræmotus, & incēdium.

ANNVS MVNDI 3863.

ONIÆ III. Ducis & Pont. 17.

PTO. EPIPHANIS 13. PHILIPPI 30.

ANTIOCHI MA. 34. Imp. Græc. 121.

OLYMP. CXLVII. 2. VR. CO. 562.

ANTE CHRISTVM 190.

I. Bellum Antiochenū Acilio Imperato.

ERupit hoc denique anno bellum, Antiochum inter & Romanos, vbi diu inter vtrosque variis dissimulationibus, legationibus,

apparatibus tractum fuisset, quo anno M. Cato ait se ad Thermopylas, Acilio Glabrione Consule, quarto à suo Consulatu anno, Tribunum militum, aut potius legatum pugnasse. Cæterum cum S. P. Q. R. bellum contra Antiochum, rogante Cornelio Consule, iussisset, auctæ sunt etiam copiæ, quæ iam decretæ fuerant anno præcedente. Acilio Græcia, Cornelio Italia sortitione contigit. Sub idem tempus legati à duobus regibus Philippo & Ptolemæo Ægyptio Romam venerunt, belli auxilia offerentes; quæ Romani non accepere. Responsum tamen est Philippo, cum Senatui, populoque Romano gratum factuum, si Acilio Consuli non deesset. Nec minus Carthaginenses & Masanissa, adiumenta belli obtulerunt, quæ Romani recusarunt, præter quingentos Masanissæ equites, & viginti elephantos.

Philippus & Ptolemæus subsidia Romanis offerunt.

II. Antiochus Ætolos vrget.

Interea in Græcia Antiochus, sub veris initium, magnam Acarnaniæ partem occupat, Philippus Athamaniam, Latissam Acilius Consul, cui etiam Thessaliam proficiscenti, aliquot oppida præsidiáque sese dediderunt. Dum hæc agerentur Chalcide erat Antiochus, quem sero pœnitebat Thoantis Ætoli potius, quam Annibalis secutum esse consilium. Ne tamen temere cœpta, per ignauiam euerteret, nuncios in Aetoliam mittit, qui delectum vrgeant, ipse in saltum Thermopylarum se recipit, ibique castra diligentissime communit, ne inuitus cogeretur ad pugnam, dum exercitum expectat ex Asia, quem quotidianis nunciis efflagitabat. Ætolos autem iuga montium imminentium occupare iubet. Sed ad eos inde exturbandos Catonem & Valerium Flaccum legatos Consul cum binis millibus mittit. Interea Consul pro loci natura aciem explicat, prælinmque parat, suis prius, pro magnitudine negotij, bene animatis. Rex quoque copias suas educit, qui vt superiore loco pugnabat, & Macedonum robur pro vallo collocarat, ingruentes Romanos male accipiebat: & irrito libere receptui canere coëgisset, nisi Cato ex iugo vnde deiecerat Ætolos, apparuisset. Ea re cognita regios tantus terror inuasit, vt omnes abiectis armis fugerent. Rex ipse non prius ab effuso cursu constitit, quam Elatiam peruenit, vbi fugæ & pugnæ reliquis collectis, cum exigua manu semiermium militum Chalcidem se recepit, indéque Ephesum transmisit. Accepta insuper ab Actilio Romanæ classis præfecto, maritima clade.

Pugnat, & opera Catonis vincitur, & fugit Ephesum

III. Romani Chalcidē & Eubœā recipiūt.

At Romanis non facile fuit persequi fugientes. Nam & munimenta & vallis angustiæ fugientes à tergo tutabantur, sicut & Elephanti, quos pedites ægre præterire poterant, & equites ne adire quidem, equis ad eorum visum, & odorem tumultuantibus. Castrorum etiam direptio Romanos remorata est. Paulo post Consuli Chalcidem venienti, vnde Rex iam abierat, portæ patuerunt; præfecto quoque vrbis Antiocho ad eius aduentum vrbe excedente. Chalcidis exemplum reliqua insula nunc quoque secuta est. Inde Consul M. Catonem Romam misit, vt per eum S. P. Q. R. quæ gesta fuerant certo cognosceret; ipse quippe non exigua victoriæ pars fuerat, adeo vt Consul adhuc à victoria calens, cum diu in cōplexu tenuerit, & præ gaudio exclamarit, neque ipsum, neque populum totum Catonis meritis referendæ gratiæ parem esse.

Plutar. Cato Romam mittitur.

Hæc cum ita gesta essent; Consul à Thermopylis Heracleam misit, qui Aetolos ad deditionem, & veniam à Romanis petendam inuitarent. Atipsi libi conscij quam male de Romanis meriti essent, quantique belli incentores extitissent, nihil pacati responderent. Ergo Consul vrbem munitissimam ipsos quatuor & viginti dies, diu noctuque oppugnauit. Sed Aetolos terum desperatio fatigari non sinebat, donec Consul eos ficta cessatione deceptos expugnauit, & mox arcem, quò illi confugerant, deditione recepit. Paucis autem diebus priusquam Heraclea caperetur, Ætoli concilio Hypatæ coacto, legatos ad Antiochum miserunt, vt primum à Rege peterent, vt ipse coactis iterum terrestribus, naualibusque copiis in Græciam traiiceret, aut certe pecunias & auxilia mitteret: ni faceret, Romanos deuictis Ætolis, nemine repugnante in Asiā traiecturos. Quod Rex satis persuasus, primum pecuniam, deinde & copias se missurum spopondit, quas Thoas, qui vnus erat ex legatis, in Asia expectauit.

IV. Consul Heracleā Ætolorū obsidet.

Verum Heraclea capta fregit tandem animos Aetolorum, qui abiectis belli consiliis, legatos ad Consulem de pace miserunt, in quibus Phaneas orator, qui cum dixisset Aetolos se suáque omnia fidei populi Rom. permittere, existimans id esse, optare se victoris clementiā experiri, non autem se eius arbitrio permittere, cum Consul principes aliquos viros, qui defectionis causa fuerant, sibi dedi iuberet, & ni facerent vincula in præsentia minaretur. Territus Phaneas inducias decem dierum petiit, dum hæc à Senatu populóque Aetolorum probarentur. Populus autem sæuitia Imperij exacerbatus, bellum præoptauit. Præsertim cum Nicander ex Asia rediens, pecunias attulisset, & affirmaret bellum ab Antiocho terra marique præparari. Ergo proximo decreto antiquato, Aetoli Naupactum concurrunt, illud que ad sustinendum Romanorum impetum vndique communiunt; nec tamen difficiles montium transitus stolidi occupant: Consul autem iis occupatis, Naupactum cum copiis circunsedit.

V. Expugnatque; tum illi pacem petunt.

Moxque bellum redintegrant, & Naupacti obsidionem ferunt.

Iamque post duos oppugnationis menses imminebat exitium, & simul omne Ætolorum nomen ad internecionem peribat, cum Quintius Hyacyntho Naupactum traiicit, & misericordia motus, dum muris obambulat, agnoscitur, & concursu facto obsecratur, vt opem ferat pereuntibus, eosque propitius conseruatos velit. Qui eorum causa susceptā Consulem exorat, vt eis inducias concedat, dum Romam legatos mittant, qui se suaque Romano Senatui permittant; sicque obsidio soluta, exercitus in Phocidem missus est. Eodem tempore Philippus coronam auream in Capitolium misit, ad ædem Iouis, cuius legatis non solum benigne à Senatu responsum est, sed Philippi quoque filius Demetrius, qui erat obses Romę, ad patrem deducendus eisdem traditur.

VI. Quintij ope & misericordia respirant.

Demetrius patri Philippo redditur.

Neque vero Antiochus maritima, quam terrestri expeditione fortunatior fuit. C. Liuius præfectus Romanæ classis fuit, Regiæ

VII. Maritima clades Antiochi

vero Polyxenidas, qui pugnandum censuit, priusquam Eumenis & Rhodiorum naues Romanis iungerentur. Itaque pari fere vtrimque nauium numero concurritur, cum Eumenes qui inchoato iam certamine aduenerat, vt vidit læuum cornu hostium à Liuio turbatum, dextrũ ipse, vbi æqua pugna erat, inuadit, pauloq; post fuga cœpit à læua, cum Polyxenidas, vt virtute militum superari se vidit, sublatis dolonibus effusè fugam capessit, quem secuti sunt, qui ad dexteram contra Eumenem pugnabant, Romani & Eumenes, quoad sufficere remiges potuere, satis pertinaciter secuti sunt: sed superiores pugna, fugiendi celeritate victi sunt. Nec prius Regij fugiendi finem fecerunt, quam in portum Ephesinum peruenerunt. Tredecim tamen naues cum milite & remige Romani ceperunt, demerserunt decem, vnicam à principio, eamque punicam amiserunt. Postero die cum Romani hostem persequi intenderent, medio fere cursu Rhodiæ naues 25. obuiæ fuerunt; cum quibus hostem persecuti, ante ostium portus Ephesini acie instructa stetetunt. Et postquam confessionem à victis satis expresserunt, Rhodii & Eumenes domos dimissi, C. Liuius Cannas ad hyberna concessit.

Hier. in Dan. 11.

VIII. Boiorum clades & deditio.

Alter Consul Scipio Nasica in prouinciam profectus, Cn. Domitio ei exercitum tradente, in agrum Boiorum legiones induxit, & cum ipsis cum magna ipsorum clade confluxit, castra cepit, eosdem ad deditionem compulit, obsides accepit, & gentem dimidia fere agri parte mulctauit, deque ijs triumphauit. Sicq; apparet cum Boijs hoc anno plane fuisse debellatum. Minucius quoque Proconsul supra quatuor Ligurum millia confecit, trecentis fere de suo exercitu amissis.

ANNVS MVNDI 3864.

ONIÆ III. Ducis & Pont. 18.

PTOL. EPIPH. 14 PHIL. 31.

ANTIOCHI MAG. 35. Imp. Gr. 122.

OLYMP. CXLVII. A. 3. VRB. CO. 563.

ANTE CHRISTVM 189.

I. Ætoli pacem non impetrãt.

SVperior annus Antiocheni belli præludium fuit, præsenti cum eo Rege debellatum est. Cum primum creati sunt Coss. Aetolorum legati varijs in Senatu interrogationibus fatigati sunt: eisquippe Patres, & indomitæ, & insociabili genti succensebant, duæ illis ad pacem conditiones datæ sunt, vt vel mille talentũm darent, & eosdem amicos haberent & inimicos; vel Senatui liberum de se arbitrium permitterent. Exprimere cupientibus quarum rerum in ipsos arbitrium postularent, nihil certi responsum est, sed infecta pace dimissi. Tum de Consulum prouincijs cœptum est agi. Cumque ambo Græciam cuperent, ambo relicta sorte, rem arbitrio Senatus permiserunt. Senatu in electione suspenso, dixit Africanus, si fratri suo Lucio Græciam prouinciam decreuissent, se ei legatum iturum. Ea vox certamen sustulit. Prope totus Senatus Scipioni Græciam, Lælio Italiam decreuit, classis Æmylio Regillo Prætori obtigit, qui C. Liuio Salinatori successit. Ad eum autem exercitum, quem Scipio Cõsul ab Acilio Glabrione exconsule acceptурus erat, multa millia, præsertim voluntariorum adiecta sunt; adeo vt tredecim millia peditum, cũ equitibus quingentis Apolloniam transuexerit.

Græcia prouincia Scipioni tribuitur.

Venerunt hoc tempore à Ptolemæo & Cleopatra ex Ægypto legati, gratulantes, quod M. Acilius Consul Antiochum Græcia expulisset. hortantesque vt in Græciam traijcerent. Quod si mirum videtur generum & filiam Romanis gratulari, socceri & patris cladem, & hortari ad regnum eius inuadendum, memoria repetendum est affinitatem hanc in ruinam Ægypti fuisse contractam; Cleopatram coniugi fauere maluisse quam parenti. Itaq; eius consilia marito patefecit, ex quo alienati sunt animi, & iure affinitatis & consanguinitatis violato, procuratum vt Romani viribus eius debilitatis, impotentem ad Ægyptum inuadendam redderent.

II. Ptol. Romanis tũ. gitur.

T. Liuius l. 36.

Sub illud porro tempus, quo prouinciæ Romæ distribuebantur, principes Ætolorũ tres & quadraginta, inter quos Damocritus & frater eius erant, qui in expugnatione Heraclææ capti fuerant, Romam deducti, in latomias coniecti sunt. Vicissim autem eorum legata cũ Roma retulissent nullam spem pacis esse, rati Romanos ad oppugnationem Naupacti redituros, Coracem montem præsidio occuparunt. At Consul Lamiã ex insperato oppugnauit, & intra biduũ ad deditionem coegit. Inde Amphissam vẽtum est, quæ dum obsidetur, allatum est Scipionem Consulem successorẽ aduenisse, cum Africano fratre, qui honestã soluendi Ætoli belli causam quærebat, in Asiam & Regem Antiochum intẽtus; itaq; Ætoli, Athenien sibus deprecatoribus vsi, obtinuerunt sex mensium induciãs, quibus iterum Romã legati mitterentur, interim Amphissæ obsidione soluta. Exconsul Acilius exercitũ Scipioni tradit, deque prouincia decedẽs, Romam ad triũphum profectus est. Consul a. Amphissa Thessaliam repetit, vt per Macedoniam & Thraciam duceret in Asiam. Cui expeditioni cum Philippus amicam operam nauasset, Scipiones ei reliquum pecuniæ debitæ remiserunt, vt Senatus mandarat.

III. Captiui Ætolorũ in latomiis.

Ætoli bellũ redintegrant, moxque pacẽ requirunt.

Consul ducit in Asiam.

Antiochus autem post naualem ad Corycũ pugnam, totam hyemem in terrestri, naualique apparatu posuit, nauali præsertim, ne tota maris possessione pelleretur. Romana vero classis, cui se mature Rhodia cum 36. nauibus, & Eumenia coniunxerat, Hellespontum petijt, & multas ex itinere ciuitates deditione occupauit, & Abydi oppugnationem parauit. At Polyxenidas Regiæ classis præfectus genere Rhodius, vnde & exulabat, cum Pausistrato Rhodiarum nauiũ præfecto gerebat inimicitias, quem simulata proditione deceptum, intercepit; at is fortiter pugnans vitam cum 29. nauibus amisit. Nã quinque tantum Rhodiæ, cum duabus Cois, prælata contis flamma effugerunt. Inde deditio impedita, Phocæa à Romanis cum maritima illa ora, Seleuci Antiochi filij opera deficit. Rhodij ingenti luctu affecti, neque minori cupiditate vindictæ viginti naues, studio magno instruunt, & se Romani Sami coniungunt. Cum ijs sta-

IV. Antioch⁹ reparat copias.

Clades Rhodiæ classis.

tim Epheſum adeunt, vt aut nouo certamine decernerent, aut recuſata pugna, timoris confeſſionem exprimerent. Nemine prodeunte claſſem diuidunt, pars in ſalo ſtetit in anchoris, pars in terram milites ad prædam expoſuit. Sed in eos præda onuſtos Andronicus Macedo è præſidio irruit, & magna prædæ parte exutos, ad naues compulit, qui mox inde Samum reuerſi ſunt; quo nouus prætor Æmylius peruenit. Liuius aliquot vrbibus ex itinere deditione acceptis, & conuentis in Theſſalia Scipionibus, in Italiam reverſus eſt.

V. Res à Seleuco geſta.

Liv. l. 37.

Interea Seleucus Antiochi filius Eumenis ſocij populi Romani fines populatur, Elæam & Pergamum caput regni eius oppugnat, quo & Antiochus ipſe venit. Venit & Eumenes ad ſua defendenda: eodemque Rhodia & Romana claſſis, ad Eumeni opem ferendam venerunt; Achæi quoque eidem ſocietate coniuncti. Cum Antiochus Aemilij Prætoris colloquium expetiit, de pace acturus: at re in aduentum Cõſulis dilata, populationibus vtrimque agitur. Nauali quoque pugna, Rhodios inter & Regios, ad Eurimedontem Pamphyliæ fluuium commiſſa eſt, in qua ſiniſtrum cornu regebat Annibal, Rhodijs victoria caſſit, Eudamo, qui Pauſiſtrato ſucceſſerat, claſſis præfecto; qui etſi ab Annibale periclitatus eſt, ab eo denique Annibal actus eſt in fugam. Interea Antiochus Pruſiam Bithyniæ Regem, & literis ſollicitabat, & nuncijs in Romanos, quaſi in Regem perniciem coniuratos; cum eũ animo iam fluctuantem, literæ Conſulis, atque in primis Africani, & C. Liuius Roma legatus, ab ea ſuſpicione liberarunt. Vbi Rex à ſpe ſocietatis Pruſiæ decidit, Notium oppidum Colophoniorum oppugnare aggreditur. ad quod liberandum cum Ronana claſſis aduenisſet, occaſio pugnæ naualis & victoriæ Romanorum data eſt, in qua Rex duas & quadraginta naues amiſit, cum exiguo damno Romanarum atque Rhodiarum.

Antioch° pacẽ petit, & nauali pugna vincitur ad Eurymedontem fluuium.

Et ad Notium oppidum.

VI. Æmilius Prætor Phocæã recuperat

Ea clade tertius Antiochus, quia maris poſſeſſione pulſus, longinbua ſe poſſe tueri diffidebat, præſidium à Lyſimachia, ne ibi à Romana opprimeretur, inconſultiſſime deduxit, loco rebus omnibus ad diuturnam obſidionem ferendam permunito, dum ipſe pacem quoquo modo tentaret. Itaque contemptis ciuium precibus atque lacrymis, ciuitatem cum omni armorum, frumenti, pecuniæ, machinarum apparatu, in vſum hoſtium dereliquit. Notij quoque obſidione ſoluta, Sardeis ſe recepit, & ad copias vndique contrahendas incubuit. Æmylius autem Prætor à victoria nauali Epheſum profectus, quaſi hoſti inſultans, naues aliquot ante portam diripuit. Inde Chium, quo ante prælium nauigare ſtatuerat, profectus, quaſſatas naues refecit, moxque Phocæam traiecit, quæ dudum à Romana ſocietate defecerat. Eã gemino portu inſtructam Prætor ad hyberna Romana deſtinabat. Et miſit qui ciuium animos tentarent; obſtinatos duobus ſimul locis ariete verberat. Denique cum nulla ſpes auxilij ab Antiocho eſſet, portas aperuerunt, pacti ne quid hoſtile paterentur, ſed, & inuito Prætore, direpti ſunt.

VII.

Per idem fere tempus Conſuli Thraciæ fines ingreſſo, nunciatur victam claſſem Regiam, & Lyſimachiam à præſidio relictam eſſe: quo multo, quam victoria naualis, lætius fuit. Refertam quippe omnib. cõmeatibus vrbem inuenerunt, velut in aduentum exercitus præparatis, vbi vltimam inopiam, & labores in obſidenda vrbe ſe perpeſſuros crediderant. Inde poſtaliquot dierum quietẽ, per Cherſoneſum ad Helleſpontum peruenium: vbi omnibus, cuta Regis Eumenis, ad traijciendum paratis, ſine tumultu traiecerunt; quam tamẽ traiectionem multi certaminis fore crediderant, & eſſe oportuerat, ſi rex ſuis rebus ſapienter conſuluiſſet: multo enim ſuauiores pacis conditiones, vt mox faſſus eſt Africanus, obtinere potuiſſe.

Scipio ſimahiã occupat, & rafferein Aſiam.

VIII. Antioch° iterũ de pace agit cũ Africano, & Conſule.

Nam per eos dies in caſtra venit Heraclides, legatus ab Antiocho, de pace acturus. Et primum, vt iuſſus fuerat, adhit Africanum, virum fortitudine, & clementia ſingularem; cui præter ingens auri pondus, regni ſocietatem Regis ſui nomine obtulit, Regis titulo duntaxat excepto, filium quoque eius, quem apud ſe habebat captiuum gratis redditurum ſpopondit. Scipio autem reſpuit, de filio gratias egit, ſpondens ſe priuatim gratiam cum liceret, beneficiumque repoſitum: publicè autem ſuadere, vt pacem quibuſcumque tandem conditionibus faciat Inde Conſulem legatus adit, concilioque coacto ait Dominum ſuum, Lyſimachia ceſſiſſe, ne quid in Europa retinere videretur, quod prius Romani deſiderauerant (ſic enim Rex inſignem illam imprudentiam ſuam, in bouũ cauſæ ſuæ vertere conabatur.) Aſiæ ciuitatibus, de quibus diſceptatum fuerat ceſſurum, & dimidium impenſarum bello factarũ Romanis perſoluturum. Verum cum Romani poſtularent, vt Rex tota Aſia, quæ cis Taurũ ſita erat, cederet, totaſque belli impenſas redderet, Rex à ſpe pacis abductus, ad bellum ſumma contentione conuertit, miſſo interim ad Scipionem filio, à quo monitus eſt ne prius in aciem deſcenderet, quam intellexiſſet Scipionem in caſtra reuertiſſe: ab ijs enim æger aberat.

Non cõueniunt.

IX. Poſtrema cum Antiocho pugna.

Et id quidem cupiebat Antiochus: ideoque caſtris circa Magneſiam poſitis, ea duplici vallo ingentique foſſa communiuit, ne inuitus pugnare cogeretur. Verum Romani poſt aliquot dies vehementius inſtantes, magno ardore parati caſtra perrumpere, ſi Rex pugnæ copiã non faceret. Antiochus non vltra tergiuerſandum ratus, ne ſuorum animos infringeret, præſertim cum copias haberet multo Romanis maiores, copias eduxit, prudenterque digeſſit; ſed quod illi ad victoriam magnum momentum allaturũ erat, initium cladis fuit. Falcatæ enim quadrigæ perturbationem Romanis ordinibus, perniciemque allaturæ erant. Verum cum Eumenes terrorem equis eas trahentibus ingenti telorum grandine per Cretenſes Sagittarios intuliſſet, ille retrorſum auerſæ, non exiguam ſuis calamitatem intulere, ſic vt totum læuum cornu inclinaret ad fugam. A dextro cornu pugna feliciter cedebat Antiocho, Romani enim effuſo curſu in caſtra compellebantur. Verum ijs occurrens M. Æmylius Tribunus militum cum duobus millibus, qui ad cuſtodiam caſtrorum relicti fuerant, fugitiuos ad repetendam pugnam coëgit.

X. Et Romanorum victoria

Antiochus cum eos quos ad fugam compulerat, repetere pugnam vidit, & nouam è caſtris

aciem

aciem, & aliam à dextro cornu victricem turbam irruentem, in fugam vertit equum, quem videlicet multi sequuti in fuga cæsi sunt. In castris quoque grauis pugna cædesque edita. Fugitiui enim ijs adiuncti, qui ad castrorum custodiam relicti fuerant, diu restiterunt. Tandem vbi victores perrupere aditus, maiorem ab ira cædem ediderunt. Ad quinquaginta millia peditum eo die cæsa dicuntur, equitum quatuor mille, & 400. capti, & quindecim cum rectoribus elephanti. Antiochus fugiens media ferme nocte Sardeis peruenit. Ibi cum audisset Seleucum filium, & quosdam amicorum Apamæam prægressos, ipse cum coniuge & liberis Apamæam petit, Zenoni tradita vrbis custodia. Inde etiam in Syriam profectum scribit Appianus. Cuius fugam deditio ciuitatum Asiæ in fidem Consulis, ditionemque populi Romani consecuta est. Nec minus Rex legatos de pace misit ad Consulem, quæ opera Africani admissa, non alijs conditionibus, quam quæ ante hanc pugnam fuerant constitutæ, quas diligentius explicatas in Annalibus studiosus Lector, non frustra requiret. Illud non omitto paucos post dies Ephesum ad Consulem adductos obsides, in quibus fuit Regis filius iunior, qui postea Epiphanes dictus est, qui Romam cum legatis ad pacis confirmationem profecti sunt.

Regis fuga, & ciuitatum deditio.

Iteratur pax iisdē conditionibus

Antiochi filius obses.

XI. Acilii de Antiocho triūphus.

Dein Proconsules fere sub idem tempus cum spe triumphi Romam redierunt, Q. Minucius ex Liguribus, M. Acilius ex Ætolia. Auditis vtriusque rebus gestis, Minucio negatus est triumphus, Acilio magno consensu decretus, isque de Rege Antiocho, & Ætolis triumphus fuit, nisi quod milites defuerunt, qui currum sequerentur, quoniam successori L. Scipioni traditi fuerant. Verum huius triumphi lætitiam minuit tristis ex Hispania nuncius, L. Æmylium Paulum proprætorem aduersa pugna, apud oppidum Lyconem cum Lusitanis conflixisse, sex millia de Romano exercitu cecidisse, cæteros pauentes intra vallum compulsos, ægrè castra defendisse, & ad modum fugientium in agrum pacatum reductos. Sed eam maculam Aemyliusnon multo post egregie deleuit, vt anno sequenti dicetur. Hoc autem anno Iudæi celebrarunt annum Sabbaticum 183.

Romana clades in Hispania.

ANNVS MVNDI 3865.

ONIÆ III. Ducis & Pontificis 19.

PTOL. EPIPHANIS 15. [PHILIP. 32.

ANT. MAG. 36. Imperij Græcorum 123.

OLYMP. CXLVII. AN. 4. VRB. C. 564.

ANTE CHRISTVM 188.

I. Ratio tēporis.

TRigesimum sextū Antiochi Magni annum, plerique Eusebium secuti, faciunt eiusdem regni vltimum. At nos cum Polybio, Liuio, Appiano, & alijs, ei etiam sequentem tribuimus; quod ipsa quoque Eusebij Chronologia postulat, quæ Seleucum eius filium post sequentem annum in regno collocat, anno secundo Olymp. 148. cuius toto regno Onias tertius in Pontificem perseueraat, vt ex 2. Machab. constat.

c. 4. v. 7.

Cum autem sub initium Consulatus Fulvij & Manlij Romæ falsus increbuisset rumor, de aduersis in Asia Romanorum rebus, Aetolorum legati, qui Romæ veniæ obtinendæ gratia per inducias aderant, animos natura feroces nonnihil extulerant, cumque in fatenda culpa, & venia imploranda toti esse debuissent, beneficia bello Philippico in Romanos collata, odiosè referebant. Itaque irritatis animis odium pro misericordia inuenerunt. Interrogati enim ab vno Senatore, permitterentne arbitrium de se populo Romano; deinde ab altero, habituri ne essent eosdem hostes & socios, quos populus Romanus, nihil ad ea respondentes, egredi templo iussi sunt: tum ab vniuerso prope Senatu conclamatum est, totos adhuc Aetolos Antiochi esse, bellum cum haud dubijs hostibus gerendum esse, ferocesque animos perdomandos. Itaque abire quamprimum ex vrbe, atque Italia iussi sunt.

Ætolorū legatio irrita.

II. Aliæ legationes

Dimissis Aetolis de prouincijs Consularibus actum est, Aetolia Fulvio, Asia obuenit Manlio. Cumque nihil adhuc Romæ de Antiocho victo intellectum esset, magnum militum supplementum vtrique prouinciæ decretum: nec tamen audita victoria quidquam mutatum est, metu ne cum Gallogræcis bellandum foret. Haud multo post M. Aurelius Cotta Scipionis Consulis legatus, cum Antiochi legatis, & Eumenes Rex, Rhodijque Romam venerunt. Cotta in Senatu primum, deinde in concione narrauit, quæ essent gesta in Asia. Eumenes deinde, postulante Senatu, sua merita in hoc bello, postulataque modeste exposuit, cui Rhodij tam pro se, quam pro libertate Græcarum ciuitatum restiterunt. Inde auditi sunt Regij legati Antipater & Zeuxis, qui obtestati sunt P. C. vt suæ potius clementiæ memores, quam Regis culpæ, qui satis superque pœnarum dedisset, pacem à L. Scipione Imperatore, datam autoritate sua confirmarent. Auditæ quoque sunt, & aliæ legationes ex Asia.

Pax cum Antiocho rotabatur.

III. Responsa legatis.

Quibus omnibus datum est responsum Senatum more maiorum decem legatos mittūtū in Asiam, ad res disceptandas, componendasque. Interim pacem cum Antiocho, cum conditionibus à Consule constitutis, seruandam censere, & eam populum iussurum, & fœdus cum Antipatro principe legationis, eodemque Regis ex fratre nepote, in Capitolio ictum iri. Legatos autem in Asia Eumeni attributuros, quæ eis Taurum montem intra fines regni Antiochi fuissent, præter Lyciam & Cariam, vsque ac Mæandrum amnem, quæ ciuitatis Rhodiorum essent futuræ. Cæteræ Asiæ ciuitates, quæ Attali vectigales fuissent, eædem Eumeni vectigal penderent: quæ vectigales Antiochi fuissent, eæ liberæ atq; immunes essent: quorum executio magna ex parte in annum sequentem cadit.

IV. Clades Bæbii Prætoris.

Per eos dies, quibus hæc gesta sunt Romæ, legati Massilienſium nuncıauere Lucium Bæbium Prætorem, in Hispaniam vlterio-

rem proficiſcentem, ab Liguribus circumuentum, magna parte comitum cæſa, vulneratum ipſum cum paucis Maſſiliam ſine lictoribus profugiſſe, & intra triduum expiraſſe. Eius loco Iunius Brutus, qui in Hetruria Prætor erat, ſuffectus eſt. Sed priuſquam in eam prouinciam veniret, L. Æmylius Paulus, qui poſtea Macedonicum bellum confecit, cum præcedenti anno infeliciter rem geſſiſſet, tumultuario exercitu collecto, cum Luſitanis pugnauit; fuſi fugatique ſunt hoſtes, cæſa decem & octo millia armatorum, tria millia & trecenti capti, & caſtra expugnata. Quæ victoria tranquilliores in Hiſpania res fecit.

V. Triũph. L. Æmylii, & L. Scipionis Aſiatici.

Sub id tempus Romæ Cenſores creati ſunt T. Quintius Flamininus, & M. Claudius Marcellus, eius filius, qui quinquies Conſul, in ſecundo bello Punico cæſus eſt. P. Scipio Africanus iam tertiùm princeps Senatus lectus eſt. Per eoſdem Cenſores, L. Æmylio Regillo, qui præfectum claſſis Antiochi deuicerat, magno Patrum conſenſu triumphus naualis eſt decretus, actuſque, vt Liuio placet, Calendis Februarij. Quem ſecutus eſt pridie Cal. Martias L. Scipionis, de Antiocho in Aſia debellato, triumphus magnificentiſſimus, quem idem ait ſpectaculo maiorem fuiſſe, quam Africani fuerat, ſed æſtimatione certaminis atq; periculi tanto minorem, quanto minor belli dux Antiochus, quam Annibal fuit: qui etſi prælio ad Magneſiam interfuit, belli tamen Imperator non fuit. Ne autem L. Scipio cognomine fratri cederet, Aſiaticum ſe voluit appellari, de cuius apparatiſſimo triumpho vide Annales, hoc loco aut ipſummet Liuium lib. 37.

VI. Fuluiu Ætolos ad pacem petendã cogit.

Fuluius Conſul cui Ætolia prouincia obuenerat, Epirotarum conſilio obſedit Ambraciam, primariam Ætolorum ciuitatem, nam illi obſidionem ſoluere irrito labore conati ſunt; cum autem ſimul à Pleurato Illyriorum Rege maritima ora Ætolorum vaſtaretur, & à Perſeo Philippi filio Amphilochia & Dolopia, tribus ſimul locis, hoſtibuſque fatigati, pacis iterum conſilia repetunt, eamque duris admodum cõditionibus, Atheniẽſibus & Rhodijs deprecatoribus obtinent, & Romam legatos eiuſdem confirmandæ cauſa mittunt, vbi cum occupatas iam à Philippo de ipſorum iniurijs expoſtulante, Senatorum aures inueniſſent, ijſdem tamen deprecatoribus confirmata eſt. Quæ dum fiunt, Conſul Cephaleniam inſulam occupauit; & controuerſias Achæos inter & Lacedæmonios componere, adita Peloponneſo, conatus eſt, bello certe abſtinere, & Romam legatos mittere iuſſit, quo & ipſe comitiorum cauſa profectus eſt.

Achæos & Spartanos Romã mittit

VII. Cn. Manlii bellum in Gallo græcia.

Eodem tempore alter Conſul Cn. Malnius in Gallogræcia bellum geſſit. Is principio Epheſum venit. Ibi copijs à L. Scipione acceptis, in Galatiam Attalo duce ac comite proficiſcitur. Multi in itinere populi ſalutem pecunia frumentoque redimunt, multos timor in abdita ſyluarum, montiumque compellit. Denique auditum eſt magnam Gallorum vim, tribus Regulis ducibus, in altiſſimis montibus conſediſſe, eoque res ſuas, cum longi temporis commeatu contuliſſe. Et quamuis eos loci altitudo tutaretur, ipſos nihilominus vertices, in quibus inſederant, munimentis tutari ſunt; ſed cum telorum miſſilibus non ſatis prouidiſſent, prius fere Romanorum telis confixi ſunt, quam ferro comminus dimicare poſſent, cum præſertim conferti impreſſionem hoſtium, nudique de more expectarent, cumque tela intra caſtra, vbi erat promiſcua puerorum ac mulierum multitudo, penetrarent, qui ploratu omnia & confuſione replebant. Denique fuga vndique facta eſt, magna ſtrages fugientium edita, captiuorum numerus quadraginta millia dicitur expleuiſſe, quia omnis generis, ætatiſque turbam illi ſecum traxerant.

VIII. Et contra Tectoſages.

Inde Conſul adit Tectoſages, & Ancyræ Galatiæ metropoli ſtatiua conſtituit. Eo Tectoſages Oratores de pace mittunt, ſed ſimulate, dum Romanos ex inſidijs occuparent: quorum etiam plurimos præualente multitudine peremerunt, magnaque pars oppreſſa foret, niſi pabulatorum ſexcenti equites ad clamorem & cædem fugientium occurriſſent. Hi arma expediunt, profligatam pugnam integri accipiunt, & terrorem à victis ad victores conuertunt, in fugam compellunt, & maximam partem cædunt, reliquos fuga ſeruauit. Poſtridie Romani ira ardentibus animis, cum omnibus copijs ad hoſtem peruenerunt, & locis, ne fraus ſubeſſet, diligenter exploratis, Conſul prælium eodem modo, quo in altero monte inijt, & à paribus initijs cœpta res, eundem exitum habuit, magna pars, poſt plurima ſuorum cædem, dextra læuaque effuſi, quo quemque tulit impetus, fugerunt. Mox autem ex diſſipata fuga, vnum in locum congregati, magna ex parte ſaucij aut inermes, oratores de pace ad Conſulem mittunt, qui eos Epheſum venire iubet, vbi ipſe hyemem erat acturus. Ibi reſponſum acceperunt, ſe, cum Eumenes veniſſet, eis leges eſſe datutum.

Qui pacẽ petunt.

ANNVS MVNDI 3866.

ONIÆ III. Ducis & Pont. 20.

PTOL. EPIPHANIS 16. & PHILIPPI 33.

ANT. MAG. 27. & vlt. Imp. Græcorum 124.

OLYM. CXLVIII. AN. 1. VR. C. 565.

ANTE CHRISTVM 187.

ANTIOCHVM Magnum hoc quoque anno viciſſe, qui novæ Olympiadis primum fuit, iam ſuperiore anno diximus, ſicut & M. Fuluium Romam comitiorum cauſa profectum, vbi creatis Meſſala & Salinatore Coſſ. ipſe Proconſul in prouinciam Ætoliam reuerſus eſt. Cn. quoque Manlio in Aſia prærogatum eſt Imperium, Conſulum alteri Piſæ cum Liguribus, alteri Gallia prouincia decreta eſt; illa Meſſalæ, iſta C. Liuio contigit. Manlius Proconſul ex hybernis, quæ traduxerat Epheſi, Apamææ bis mille & quingenta talenta ab Antiocho pacta recepit, cum frumento, quod militibus diſtribuit. Inde Per-

I. Fuluio & Manlio prorogatum Imperium.

gam

Pax & fœdus cum Antiocho cõfirmatum promulgatur. *a n. 4. ad 13.*

gam Pamphyliæ vrbem adijt, eamque deducto Regio præsidio, occupauit. Et quia Eumenem, & decem legatos Roma Ephesum venisse audierat, Antiochi legatis sequi iussis, Perga Apamæam reduxit exercitum. Ibi, ex decem legatorum sententia, fœdus Romæ confirmatum, vna & viginti conditionibus constans, recognoscitur, quod ex Polybio, Liuioque conflatum, in Annalibus studiosus Lector inueniet.

II. Et iuramento vtrimque roboratur.

In id fœdus iurauit Cn. Manlius proconsul, misitque in Syriam Q. Minutium Thermum, vnum de decem legatis, & L. Manlium fratrem suum, vt à Rege Antiocho iusiurandum exigerent. Ipse proconsul elephantos, quos à Rege ex fœdere acceperat, omnes Eumeni dono dedit, & in eius gratiam Ariarathem Regem Cappadociæ, non tantum in amicitiam populi Romani accepit, sed remisit etiam ei partem dimidiam pecuniæ imperatæ: per eos quippe dies Ariarathes filiam suam Eumeni desponderat. Deinde cum decem legatis Apamææ causas ciuitatum, Eumenis quoque ac Rhodiorum constituit, iuxta ea quæ à Senatu Romano definita fuerant. Fabium quoque Labeonem, qui classi præerat, iussit Pataram extemplo proficisci, & regias naues, quæ ibi essent, concidere ac cremare. Ille Epheso profectus, quinquaginta naues tectas concidit, aut incendit, exemplo obedientiæ memorabili, ad terrorem Romani nominis augendum. Inde Telmesso in Lycia occupata, traiecit in Græciam, vnde totam classem in Italiam reduxit.

Alia Mãlii gesta.

Naues Antiochi incendit.

III. Dat leges Gallo-Græcis.

At proconsul Manlius rebus ita confectis, cum decem legatis, omnique exercitu ad Mellespontum profectus, euocatis eo Gallorum Regulis, leges quibus pacem cum Eumene seruarent, edixit, monitosque vt more vitæ vagæ ac prædatoriæ relicto, suis se finibus continerent, dimisit. Contractis deinde omni ex ora nauibus, & Eumenis etiam classe, quam eò frater eius adduxerat, omnes copias in Europam traiecit; inde per Thraciam itinere difficili, & impedito agmen trahens, omnis generis præda graue, in Thraciæ prædones incidit. Cum enim diuisis copijs, pars vna cum Imperatore antecederet, altera longo interuallo sequeretur, in medio erant impedimenta, prædaque omnis cum pecunia, cum decem millia Thracũ prædam in locorum angustijs adoriuntur, cæsisque custodibus, rapiunt feruntque. Clamor ad vtrumque peruenit agmen; in medium vtrimque concurritur, & confuso prælio hîc prædo, illic prædæ vindex cadit, prout locus aut numerus fauebat alterutris. Vtrinq; plerique cecidere, in quibus Minutius Thermus, vnus de decẽ legatis. Inde in Macedoniam ac Thessaliam traductus exercitus, postremo per Epirum cum Apolloniam peruenisset, non ausus traijcere imminente hyeme, Apolloniæ hybernauit.

Incidit in prædones

IV. Mors Magni Antiochi. *li 32.*

Interea moritur Antiochus Magnus, magnam fortunæ varietatem 37. annis expertus, de cuius morte hæc habet Iustinus. In Syria Rex Antiochus, cum graui tributo pacis à Romanis premeretur, seu inopia pecuniæ compulsus, seu auaritia sollicitatus, qua sperabat se, sub spem tributariæ necessitatis, excusatius sacrilegia commissurum, adhibito exercito nocte templum Dyndimæi Iouis aggreditur. Quare prodita, concursu incolarum cum omni militia interficitur. Idem fere habet Strabo, nisi quod pro Iouis templo, Beli ædem ponit. Sed hæc pluribus in Annalibus, ex Daniele, & S. Hieronymo prosecuti sumus.

l. 16. vbi de Elymæis. n. 15. & seqq.

ANNVS MVNDI 3867.

ONIÆ III. Ducis & Pont. 21.

PTOL. EPIPH. 17. PHIL. 34.

SELEVCI 1. Imp. Græc. 125.

OLYMP. CXLVIII. A. 2. VRB. CO. 566.

ANTE CHRISTVM 186.

I. M. Æmylii Consulatus. *Liui. l. 38.*

INexitu prope superioris anni, M. Valerius Consul ex Liguribus, Romam ad magistratus subrogandos venit, nulla memorabili re in prouincia gesta. Porro M. Æmylius factus est Consul, qui iam bis in petendo Consulatu repulsam passus fuerat, tum annitente inimico eius M. Fuluio, tum quod prouinciam Siciliam, quam Prætor administrabat, petendi causa, inconsulto Senatu, reliquisset. Ita præpropera ambitio, repulsa & tarditate punita est. Deinde tamen iterum factus est Consul, & Censor, & sexies princeps Senatus.

II. Exordiũ regni Seleuci. *Vide ibid. num 10. l. 12. c. 4 fi*

Regnare cœpit hoc anno Seleucus cognomento Philopator, natus annos triginta duos, natus quippe est anno regni paterni sexto, mũdi autem 3835. Cognomen Philopatoris videtur consecutus in bellis contra Romanos, pro patre gestis. Iosephus eum Soterem cognominat; nec causam affert vllam. Id certe rebus gestis non est consecutus, quippe quem Daniel vocat vilissimum, & indignum decore Regio. Vbi Hieron. *Seleucum dicit cognomento Philopatorem, filium Magni Antiochi, qui nihil dignum Syriæ, & patri gessit Imperio, & absq; vllis præliis inglorius periit.* Ex quo fortasse factus est Rex: nam regnante patre nonnulla ab eo gesta leguntur, quæ supra attigimus.

c. 11. 20.

a m. 3864. 11. 15 17. 42.

III. Achæorũ & Spartanorum dissidia. *Liui. l. 38.*

Superiore anno Achæorum & Lacedæmoniorum legati Romæ disceptarant, neque à Senatu, qui Achæos tunc potentes nolebant offendere, responsum satis explicatum acceperant, ideoque Achæi Spartanos suæ potestati traditos interpretabantur. Itaque multa in eos superbe ac crudeliter perpetrarunt; & insuper Lycurgi legibus abrogatis, Achæorum legibus viuere iusserunt, suas tamen leges aliquãto post, populi Romani beneficio, recuperarunt. Nihilominus Lacedæmonij hoc anno Romam querelas detulerunt, & literas à M. Æmylio Cõsule expressérunt, quibus Achæos obiurgabat, ob Spartæ res male administratas. Potentia Achæorum, quæ Philopœmene Prætore, viro admodum insigni nitebatur, ex eo quoque agnoscitur, quod hoc ipso anno Ptolemæus Epiphanes, legatum misit Demetrium Athenienſem, qui fœdus cum eis amicitiamque renouaret. Qui fœdere libenter renouato, legatos in Ægyptum miserunt, qui illud

Plut in Agida.

Achæorũ cum Ptolemæo fœdus. *Poly. n. 37.*

In Lega. n. 37.

IV. Æmylii & Fulvii dissidia.

ibi iureiurando firmarent, in quibus fuit Lycortas pater Polybii, vt ipse testatur.

Romæ vterque Consul in Ligures destinatur, ægre ferente Æmilio, ac iactante M. Fulvium, & Cn. Manlium, alterum in Europa, alterum in Asia, quasi Philippo & Antiocho substitutos regnare; vagari eos cum belli terrore per nationes, quibus bellum indictum non sit, pacem pretio venditantes. Quinetiam legatos Ambracienses in Senatum induxit, qui quererentur sibi bellum innatum, cum in pace essent, & imperata à Coss. facerent, terrore subitæ populationis clausisse portas, inde omnia hostilia expertos. Æmylij tamen Collega Flaminius absentis Fuluij causam suscepit, obtinuitque vt ea de re iudicium in aduentum Fuluij differetur. Æmylius nihilominus per absentiam Flaminij à Senatu obtinuit, vt Ambracienſibus tes suæ redderentur, in libertate essent, ac legibus suis viuerent. Non tamen obtinuit, vt Fuluio aut Manlio succederet, sed eos Senatus iussit decedere de prouincijs, & Romam exercitus transportare. Id vterque fecit, & post multam contentionem aduersariorum, vterque triumphauit. Eam contentionem Liuius copiose persecutus est,

Manlii & Fuluii tri umphus.

Scipiones Romæ. *Vide Annal n. 9. & 10. & n. 19. 20. 21.*

Hoc quoque anno clarior contra Scipionem Africanum contentio excitata est. Duo Q. Petilij Tribuni plebis ei diem dixere, & pecuniæ male acceptæ, maleque gestæ rei bello Asiatico reum fecerunt. Scipio iussus causam dicere, de rebus à se gestis, criminum purgatione neglecta, magnifice perorauit: & auium fastidium aberat, quod ea non superbè pro gloria, sed necessariò pro periculo dicerentur. Orationibus in noctem perductis producta dies est. Vbi eo venit Tribuni in rostris prima luce consederunt. Citatus reus magno agmine amicorum & clientum per mediam cõcionem ad rostra subijt, silentioque facto, Tribunos, populumque Romanum monuit, illum ipsum esse diem, quo cum Annibale & Carthaginensibus feliciter in Africa pugnarat. Itaque se inde recta in Capitolium, ad gratias superis agendas proficisci, auctoremque esse ipsis omnibus, vt eodem gratulabundi ipsi procedant, deosque orent, vt multos sibi similes principes concedant. Inde recta in Capitolium profectus, totam secum concionem abduxit, solis Tribunis cum pudore derelictis. A Capitolio per totam vrbem omnia templa cum populo Romano, maiore prope gloria quam cum triumpharet, circumijt: nam festo habitu, & non reorum more sordidatus, in iudicium venerat.

V. Africanus maior Romæ accusatur, vtque se in iudicio gesserit.

Appianus.

Post eum diem cum inuidiam, & certamina cum Tribunis prospiceret, in Linternum coloniam prope Neapolim concessit, cumque absens citaretur ad iudicium, L. Scipio, morbum absentiæ causam excusabat. At illi excusationem non accipere, sed accusare superbiam, qui cum nunc declinare iudicium, eique nuper insultare coëgisset. Tandem statuerunt morbi excusationem accipere, diemque producere; annitente Tib. Graccho, quamuis inimico: qui rei commotus est indignitate, vt is reus adolescentium conuicijs exponeretur, qui Romanam Rempubl. rebus vbique gentium præclarè gestis, ad tantam dignitatem extulisset. Et Senatus eo nomine gratias egit, quod Reipubl. maiestatem, quæ in Africano violari videbatur, priuatis simultatibus potiorem habuisset. Et hinc fortasse factum, vt postea inimicitiæ affinitate tolerentur, Graccho Africani filiam Corneliam in vxorem accipiente: ex qua susceptus illi Gracchi, qui postea Rempubl. perturbarunt.

IV. Vltro abit in exilium.

Et Gracchus fuerit, siquidem illius gener. *Vide Vell. l. 2. & inf. an. V. C. 620 n. 2.*

VII. Cato eius inimicus.

Eius absentia creuerunt inimicorum animi, quorum princeps fuit M. Cato, eoque autore existimantur Petilij, & præsente Africano rem aggressi, & exule rogationem promulgasse, qua iussit populus inquiri de pecunia bello Antiocheno quæsita, qua rogatione L. Scipio, & Cn. Manlius petebantur, cumque Terentio prætore damnatus esset Scipio, & in vincula duceretur, Gracchus idem intercessit. Permisit tamen Quæstores in bona eius inuadere, quæ cũ modica inuenta essent, intellectum est eum non furti, sed inuidiæ fraternę causa esse damnatum. Itaque Scipionum inuidia in Prætorem, eiusq; concilium, & accusatores conuersa est; adeo vt post damnationem eius, & bona vendita, legatus in Asiam missus fuerit, ad dirimenda inter Antiochum Magnum, seu potius Seleucum eius filium, & Eumenem certamina, tantumque illi pecuniæ collatum, vt ludos ante votos, per dies decem fecerit.

L. Scipio damnatur, & mor in Asiam legatur.

l. 39. Liv

Cum Liguribus porro ambo Coss. pluribus secundis prælijs decertarunt, & armis spoliatos in deditionem acceperunt. In Cisalpina Gallia M. Furius Prætor insontibus Cenomanis ademerat arma. At ij magna contentione apud Senatum & Æmylium Consulem conquesti, obtinuerunt vt sibi arma redderentur, ipseq; Prætor decedere prouincia iussus est. Et Latini, qui sponte Romam immigrarant, Prætoris iussu domum ad duodecim millia redierunt.

VIII. Res apud Ligures gesta.

ANNVS MVNDI 3868.

ONIÆ III. Ducis & Pont. 22.

PTOL. EPIPHAN. 18. PHIL. 35.

SELEVCI 2. Imp. Græc. 126.

OLYMP. CXLVIII. An. 3. V. C. 567.

ANTE CHRISTVM 185.

NAtus est hoc anno Seleuco Philopatori Demetrius filius, qui postea tredecim annis Romæ obses fuit, loco patrui Antiochi Epiphanis. Romæ autem extincta est intestina coniuratio, sic enim vocat Liuius nefanda quædam Bacchanalia, in quibus omnia flagitiorum genera patrabantur. Modum proditæ & extinctæ nefariæ coitionis fusius persequitur Liuius, in qua licet agnoscere repræsentata Ammonitarum, imo & Israëlitarum ad idolum Moloch, & in Tophet impurissima sacrificia. Infernus enim ille parricida sibi semper similis fuit. At magistratus, omnibus vestigijs odorati indicatos sibi coniuratos, comprehendere, supplicijs addicere, præmia indicibus largiri; denique tota fœdissimorum scelerum officina oppressa est.

L. Ortus Demetrii.

l. 39.

Bacchanalia Romæ extincta.

II. Consul Marcius male pugnat in Ligures.

Perfectis quæstionibus, Q. Marcius Consul in Ligures Apuanos profectus est. Quos dum penitus in saltus abditos, quæ latebræ receptaculáque illis semper fuerant, persequitur, in præoccupatis angustiis, loco iniquo circumuĕctus, quatuor amisit militum millia, signáq; militaria ciuium & sociorum plurima; arma quoque multa, quæ quia fugientibus per syluestres semitas impedimento erant, passim iactabãtur, in hostium potestatem venerunt. Consul vbi primum ex agro euasit hostili, dimisit exercitũ, ne quantum essent diminutæ copiæ appareret. Nec tamen male gestæ rei famam obliterare potuit: quippe saltus ille Marcius est appellatus. At in Lusitania proprætor Catinius ingenti prælio victor, vulnus accepit, ex quo intra paucos dies occubuit. In citeriore vero Hispania L. Manlius cum Celtiberis ita pugnauit, vt incerta victoria discessum fuerit: Illi tamen castris nocte motis, non leue dederunt concessæ victoriæ argumentum; quod paucos post dies, maiore etiam clade, confirmatum est ad oppidum Callagurrim: & quidem tanta, vt nisi successoris aduentus victoris impetum repressisset, Celtiberi plane subacti forent.

Res Hispanica.

III. Et in Liguria.

In Liguria Consul vterque prosperis aliquot pugnis afflixit hostem, oppida, vicosque cepit, agros vastauit, saltus incendio aperuit, captos belli authores securi percussit. Inde prior Claudius comitiorum causa Romã venit, quoniam fratrem habebat candidatum Consulatus. Sub huius porro anni finem mortuum esse Scipionem Africanum, ante quam M. Cato crearetur Censor, auctor est Liuius, & M. Tullius in Catone. Linterni autem sepeliri se iussit, nec sibi funus in patria ingrata fieri voluit. Cum autem Liuius & Polybius affirment, eum, initio secundi belli Punici, annum egisse decimum septimum, necesse est eum natum esse anno V. C. 519 à quo hic quinquagesimus est, quamuis eum Plutarchus 4. & 50 annos vixisse tradat.

Mors Africani. 569.

ANNVS MVNDI 3869.

ONIÆ III. Ducis & Pontificis 23.

PTOL. EPIPHANIS 19. PHILIPPI 36.

SELEVCI 3. Imperij Græcorum 127.

OLYMP. CXLVIII. A. 4. VR. C. 568.

ANTE CHRISTVM 184.

I. Semina 2 Belli Macedonici.

IActa sunt hoc anno semina renouati belli Macedonici. Dolebat enim Philippus ademptum sibi ius sæuiendi in Macedones, qui à se in bello defecerant. Querebantur quoq; de eo apud Romanos Thessali, atque Perrhœbij de vrbibus suis ab eo possessis. Querebatur & Eumenes de quibusdam Thraciæ oppidis à Philippo per vim occupatis, quæ sibi à Romanis data contendebat, aliaque nonnulla. Cumque missi Roma legati non satis ex Philippi arbitrio iudicassent, grauiter eum offenderunt, præsertim cum præsidia eius, ex quibusdam vrbibus deduci iuberent. Itaque conquestus se non vt regem socium & amicum, sed quasi hostem tractari, bellum animo agitare cœpit, quod postea Perseus filius eius infeliciter gessit.

II. Manlius ouat.

Interea Romam L. Manlius ex Hispania redierat, triumphumque petebat, cui tantum permissum est, vrbem vt ouans ingrederetur. Etsi enim rerum gestarum magnitudo digna triumpho videbatur, negatus est tamen, quod nec victorem exercitum deportasset, nec prouinciam pacatam successori reliquisset. Eodem anno L. Posthumius Prætor in Apulia seruorum ac pastorum motus, seuere exercita quæstione compescuit. C. Calphurnius & L. Quintius Prætores varia in Hispania fortuna iactati sunt. Nam primo vere in Carpetania victi, & in castra cõpulsi, eadem proxima nocte deseruerunt. Post modum ad Tagum actos prælium fuit, hinc Hispanis recenti victoria inflatis, inde Romanis insueta ignominia, quam delere cupiebant, incensis, & metu Hispaniæ amittendæ, si hæc secunda clades contigisset. Ergo perrupto eorum cuneo ita vicere, vt nõ plus quam quatuor millia de 35 millibus effugerent. Romani autem captis 135 signis militaribus, ad 750 de suis duntaxat amiserunt.

Res gestæ in Apulia, & Hispania.

ANNVS MVNDI 3870.

ONIÆ III. Ducis & Pontificis 24.

PTO. EPIPHANIS 20. PHILIPPI 37.

SELEVCI. 4. Imperij Græcorum 128.

OLYMP. CXLIX. A. 1. V. CO. 569.

ANTE CHRISTVM 183.

I. Noui Cos.

PEtebant in hunc annum Consulatum è Patriciis viri clari, iam aliquoties repulsam passi, eóque intentius Claudius Consul pro fratre candidato petebat, adeo vt toto foro fine lictoribus, suffragia emendicando volitaret, non sine offensione competitorum; sed etiam Senatus, qui monebat vt Consulem se populi Rom. esse meminisset: coërceri tamen ab effuso studio nonpotuit, donec peruicit, vt deiecto competitore Fabio, fratrem crearet Consulem. Ex plebeis, cum multi gratiosi ambirent, L. Porcius Licinius obtinuit Consulatum.

II. Simonis & Oniæ querela.

Sub his Coss. atq; huius Olympiadis anno primo, collocat Eusebius historiam Heliodori quę accuratè traditur tertio cap. 2. Machab. Simon videlicet quidã de tribu Beniamin, qui officio cuipiã in templo præpositus erat, iniquum aliquid in ciuitate moliebatur; qualia fortasse postea ab impio Iasone, fratre pontificis Onię, perpetrata legimus. Cumq; Simoni resisteret pontifex, ille ad Apollonii prouinciæ præfectum se contulit, eius vt opera, vel inuito pontifice, obtineret, quod optabat: & quidem multarum pecuniarum interuentu, quas cum suppeditare ipse non posset, aperiebat viam qua alienæ in eius, aut regis potestatẽ venirent. Nũciauit enim ei pecuniis innumerabilibus plenũ esse ærariũ, quæ possent in Seleuci regis cadere potestatem. Quæ cum rex, qui ingenti tributo Romanis

2 Mach. 4 10. & seqq. Simon sacrum prodit ærarium

erat obnoxius, libens accepisset, Heliodorum regiis negotiis præpositum misit Hierosolymam, qui eas pecunias regio ærario vindicaret.

III. Heliodorus dat pœnas suscepti sacrilegij.

Quod cum ille pontifici denunciasset, neq; Heliodorus Oniæ rationibus, precibusue, aut populi tumultuantis dolori acquiesceret, Pontifex acerbius angebatur. Timebat enim ne populus ad seditionem concitatus, Heliodorum cum suis trucidaret, eáque clades in totius populi ruinam, rege vlciscente, redundaret; aut ne mutuis ciuium & regiorum cædibus, templum Domini pollueretur. Cum autem nihilominus Heliodorus institutum vrgeret, Deus ostento singulari, præsentem se, ac propugnatorem ostendit sancti loci; sic vt qui conuenerant ad sanctum ærarium spoliandum, diuina virtute animo viribusque destituerentur. Apparuit enim illis eques ornatu splendido armis auro rutilantibus, vultu minaci, cuius equus in Heliodorum insurgens, anterioribus vngulis impulsum prostraut in terram; Prostratum inuadunt iuuenes duo, insigni gloria & decore, à quibus in ipsum vtrimque plagæ continenter ingerebantur, donec Heliodorum multa caligine circumfusum famuli rapuerunt, atque in sella gestatoria positum, ex gazophylacio eiecerunt. Cumque ille iaceret mutus, ac plane de salute periclitaretur, Onia pro ipso sacrificium offerente, restitutus est sanitati, iussusque à castigatoribus angelis Dei prædicare virtutem. Reuersus ad regem, totam illi narrauit historiam, & à destinato sacrilegio reuocauit. At Simon tam illustri miraculo non resipiscit, sed euadit deterior, & præcedentia crima nouis accumulans, Pontificem, bene de tota gente meritum, quasi regni insidiatorem calumniatur.

Simon non resipiscit.

IV. Res Macedonicæ per legatos agitantur.

Principio huius anni, legati qui in Græciam ad disceptandum Eumenem inter & Philippū, reliquosque eius aduersarios missi fuerant, legationem renunciarunt, simulq; partis vtriusque legatos in Senatum introduxerunt. Quibus auditis, decreuit Senatus aliam legationem in Macedoniam & Græciam, ad visendum redditæne essent ciuitates Rhodiis, Thessalis, Perrhœbiis. Eius princeps Appius Claudius excōsul fuit. Item mandatum vt ab Æno & Maronæa præsidia deducerentur, omnisque ora maritima Thraciæ à Philippo liberaretur. Quæ cū Philippus accepisset, infensus omnibus, iram in Maronitas effudit, in eamque vrbem tanquam bello captam cædibus grassatus est. Id facinus cum Maronitæ apud legatos Romanos quererentur, iussus est Philippus Onomastum & Casandrum, per quos res facta diceretur, Romam mittere ad Senatum. Ea postulatione perculsus Philippus, & veritus ne Onomastum multorū consiliorum conscium amitteret, Casandrum obtulit, quem etiam in itinere, vt opinio fuit, veneno tolli curauit. Quia vero res ad rebellandum nondum maturæ erant, ad moram interponendam, Demetrium minorem natu filium, qui dudum obses Q. Flaminio datus fuerat, & postea vltro à Senatu patri redditus, Romam mittere statuit, tum ad purganda crimina tum ad iram Senatus, cui dudum fuerat acceptissimus, molliendam.

Demetrius Romam à patre rursum mittitur.

V. Censura Catonis.

Consulibus hoc quoque anno Liguria prouincia data est, quoniam nusquam alibi bellum erat; à quibus nihil hoc anno, vel domi vel foris memorabile gestum est. De Censoribus certatum est. Multi enim, iique viri clarissimi, ambiebant, in quibus Cato eminebat, cuius seueritas erat plerisque formidini: Censuram tamē non sibi solum, sed Valerio etiam Flacco, qui ante decennium eius fuerat in Consulatu collega, obtinuit: in eáque Flamininum consularem, notata eius libidine, è Senatu mouit. L. quoque Scipionem Asiaticum equo priuauit, nec culpa memoratur. Constat certe eum odio persecutum esse fratrem eius Africanum, veritem ne insignis illa claritas Africani, exemplo noceret Reipub qui timor fortasse in L. quoq; redundabat. Prætores C. Calphurnius Piso & L. Quintius ex Hispania reuersi, magno Senatus consensu triumpharunt, multa auri argentique vi inde relata.

558 V. C.

Res Hispanica.

Hoc circiter anno, Prusias Bithyniæ rex, contra Eumenem bellum gessit, & Annibalis fiducia prior intulit. Namque Annibal, cum Romani ab Antiocho dedi sibi postularent Annibalem, admonitus à rege primum Cretam, deinde Bithyniam fuga petiit, & à Prusia amanter acceptus, terra victum, mari victorem nouo commento reddidit, plurimis serpentibus, quos in lagenas fictiles incluserat, in naues hostium proiectis.

VI. Prusiæ bellum contra Eumenē Annibalis opera

ANNVS MVNDI 3871.

ONIÆ III. Ducis & Pontificis. 25.

PTOL. EPIPHANIS 21. PHILIPPI. 38.

SELEVCI 5. Imperij Græcorum 129.

OLYMP. CXLIX. A. 2. VRB. C. 570.

ANTE CHRISTVM 182.

AD hunc annum Sabbaticum ordine 184 consentaneum est pertinere illud quod in Eusebij chronico legimus. Oniam pontificem curasse Simonem extorrem patria fieri, à Seleuco videlicet, & quidem Heliodori ipsius interuentu, quem ille non solum in spem inanem, sed ad vltimum vitæ discrimen adduxerat, eamque rem probabilem faciunt inimicitiæ, quas Scriptura deinceps vlterius processisse docet, in tantum, vt etiam per quosdam Simonis necessarios homicidia fierent. In Græco habetur, per quendam ex iis, qui Simoni accepti erant. Innuitur vtique absentia Simonis, qui per suos cædes patraret eorum quos oderat. Confugerat autem ad Apollonium eundem Cœlesyriæ præpositum, qui malitiam Simonis augebat, & mutuo se acuebant ad vindictam de Onia sumendam, qui vtrumque regi ingratum de vana promissione reddiderat. Hoc rerum statu Onias ad regem profectus est, vt is de tota re edoctus, remedium, turbulento Simone coërcendo, adhiberet, & pacem Hierosolymis redderet.

I. Simon. exilium opera O niæ.

Onias adit Seleucum regem.

Multæ rursum querelæ hoc anno de Philippo Romam delatæ, ab Eumene præsertim. Querebatur enim frater eius, non solum præsi-

II. Querelæ de Philippo Romam delatæ.

dia

lia ex Thracia non deducta, sed etiam auxilia contra se à Philippo ad Prusiam missa esse. Quibus cum Demetrius coram Senatu satisfacere non posset, eius tamen excusatione, moderatione ac promissione plurimum lenitus est, adeo vt scripserit ad Philippum, nihil eum magis è re sua facere potuisse, quam quod Demetrium filium, iis quæ perperam facta esse dicebantur, defendendis, vel excusandis misisset: & integra sibi esse omnia cum populo Rom. Demetrij filij beneficio. Sicque illum Senatus ad patrem remisit. Sed ea Demetrij apud populum Rom. gratia, primo illi inuidiam apud Philippum, ac Perseum, deinde etiam perniciem attulit. Cui etiam illud nocuit, quod in spem inductus est, quasi eum Romani regem non multo post essent constituturi.

Demetrius ad patrem remittitur.

III. Annibalem Romani à Prusia expoſcũt

Sub hæc missus est legatus ad Prusiam T. Quintius Flamininus, cum L. Scipione Asiatico, & P. Scipione Nasica, tum vt controuersias eius cum Eumene componerent, tum vt deditium Annibalem repeterent. His legatis, vt ait Æmylius Probus, Prusias non est ausus negare Annibalem: illud tamen recusauit, ne id à se fieri postularent, quod ea res contra hospitij ius esset: ipsi si possent comprehenderent, locũ enim vbi esset facile inuenturos. Hærebat is in castello sibi à rege dato, quò cum Romani venissent, & ille se elabi non posse intelligeret, ne vitam alieno arbitrio dimitteret, veneno hausto, septuagesimo ætatis anno, interiit. Ita Probus. Verum si nonum agebat annum, cum à patre in Hispaniam ductus est, anno V. C. 515. vt ex Polybio diximus, necesse est eum ad 65. duntaxat annum peruen sse. Mortuus quoque est hoc anno Philopœmen, annum agens, autore Plutarcho, septuagesimum, & octauã Achæorum Præturam; qui dum æger contra hostem pugnat, & receptui suorum indulget, in confragosis locis equo lapsus, in manus hostium venit, à quibus veneno mori compulsus est, sed mox à suis victoribus magnificè tumulatus est. Vide in eius vita Plutarchum.

Is veneno se necat.

Philopœmen moritur.

IV. Galli transalpini coloniam in Italia frustra moliuntur.

Interea Galli, cum coloniam in Italiam deduxissent, eique ruendæ oppidum conderent, occurrenti Marcello Consuli sese innoxios dedidere, ab eo nihilominus spoliati sunt, iussique oppido & agro decedere. Rogatus Senatus respondit, neque illos recte fecisse, qui locum ad ædificandum in Romano agro inuisi occupassent, neque Senatui placere deditos spoliari, Itaque iussu Senatus sua eis reddita, ipsi trans Alpes remissi cum legatis, quos beneuole transalpini Galli excepere, suorum temeritate damnata, Romanáque clementia, ac moderatione laudata, legatos cum donis prosecuti sunt, modestia ac moderatione non minore.

* * *

ANNVS MVNDI 3872.

ONIÆ III. Ducis & Pontificis 26.

PTO. EPIPHANIS 22. PHILIPPI 39.

SELEVCI 6. Imperij Græcorum 130.

OLYMP. CXLIX. AN. 3. VR. CO. 571.

ANTE CHRISTVM 181.

CONsulibus anni huius Liguria prouincia decreta est, nouique delectus habiti, non solum qui in Liguriam, sed etiam qui in Hispaniam mitterentur. Nam & Apuani Ligures ad defectionem spectabant, periculumque erat ne in agrum Pisanum impetum facerent. Et ex Hispaniis citeriorem in armis esse, & cum Celtiberis bellare constabat; & in vlteriore propter diuturnum morbum mortem quo Sempronij Prætoris, disciplinam militarem otio esse solutam. Eò maturius Prætores Q. Fuluius Flaccus, cui citerior obtigerat, & P. Manlius, cui vlterior, iussi sunt in suas prouincias proficisci. Nihil tamen ab ipsis aut à Consulibus in suis prouinciis gestum insigne memoratur. Attamen Terentius Proprætor, ex Hispania reuersus, in vrbem ingressus est ouans, cum multo auro & argento.

I. Motus in Liguria & Hispania.

Multæ hoc anno legationes transmarinę auditæ sunt, Eumenis, Pharnacis, Rhodiorum, Achæorum, Lacedæmoniorum, & Philippi Macedonis. Sed illis breuitatis causa omissis, responsum est Philippi legatis à Senatu, ita se Philippum laudare ob ea quæ iussus fecerat, vt cauendum ipsi in posterum diceret; ne quid aduersus populum Romanum faceret. Q. enim Marcius legatus inde reuersus Senatum docuerat, illum rebellionem moliri; cuius non leue argumentum fuit, quod omnem fere multitudinem ciuium cum familiis suis, ex maritimis ciuitatibus in Emathiam traduxisset, & in eorũ locum Thraces, alioſque barbaros induxisset, quos sibi fideliores in Romano bello crederet: sed ex transmigrationes ingens Macedonum odium aduersus Philippum accenderunt. Adiecit & crudelitatem tyrannon rege dignam. Filios enim eorum, quos dudum interfecerat, variis de causis & criminationibus tollendos curauit è medio. Quibus facinoribus id consecutus est, vt vulgò ipsum, liberosque eius execrarentur, Deoque vltore inter ipsos intestina odia nascerentur.

II. Variæ legationes ad Senatum.

Philippus defectionem molitur suorũ transmigratione.

Perseus certe Demetrij fratris sitiebat vitam quod eum natu minorem, & legitimæ vxoris filium, in dies crescere apud omnes fauore cernebat, & apud Romanos gratia valere plurimum. Itaque illi parentis odium quantum poterat conflabat, eiusque amicos ad se pertrahere conabatur, non irrito vtique conatu, vt qui cernerent incautum Demetrium fraternæ fraudi succubiturum; eo quod amore in Romanos suo patefaciendo, obuium se criminationibus fratris, & parentis suspicionibus faciebat: adeo vt expertem eum omnium de Romanis consiliorum Philippus haberet: totusque in Perseum versus, ab eo non sine fide audiret

III. Odium & inuidia Perſei in fratrem Demetrium.

Apud Philippũ patrem gemina calumnia refertur

Demetrium, si non proditorem, certe speculatorem regni pro Romanis esse: animum apud ipsos, corpus apud suos esse. Quin & semel cum accusauit, quod ipsum interficere voluisset, ideóque cum armatis in domum ipsius venisse. Ea calumnia cum verissima defensione depulsa fuisset, addit alteram Perseus. Demetrium enim insimulabat, quasi cum T. Quintio, aliisq; Romanis de regno sibi interuertendo transegisset. Eam vt suspicionem rex illustraret, Philoclem & Apellem legatos Romam mittit, quos præter opinionem patris, Perseus fraudis suæ participes habuit, & administros.

ANNVS MVNDI 3873.

ONIÆ III. Ducis & Pontificis 27.

PTO. EPIPHANIS 23. PHILIPPI 40.

SELEVCI 7. Imperij Græcorum 131.

OLYMP. CXLIX. A. 4. VR. C. 572.

ANTE CHRISTVM 180.

I. Pestilentia Romæ & in Italia.

HOc anno terra Italica pestilenti, mare piratarum latrociniis infestum fuit. Pestilentiæ tanta vis fuit, vt eum propter defectionem Corsarum, bellumque in Sardinia concitatum, delectus in Latio habendus esset, vt octo millia peditum, & trecenti equites à M. Pinario Prætore in Sardiniam traducerentur, is militum numerus effici non potuerit. Tantum vbique vel ægrorum, vel mortuorum erat. In vrbe quoque tanta vis eius erat, vix vt mortuis Libitina sufficeret. In Macedonia res hoc anno in deterius sunt prolapsæ, vsque adeo vt Demetrius Persei artibus, Philippi veliussu, vel consensu interfectus sit. Rex enim ne miles otio deterior fieret, & simul vt opinionem parandi Romanos belli auerteret, exercitum in Pœoniam proficisci iubet. Ipse præcelsum mõtis Æmi verticem adit, vt inde subiiceret oculis vias opportunas Romano bello, de quo vt cum Perseo consultaret, eum secum adduxit. Demetrium ab se in Macedoniam ablegauit, iussitque Didam, qui Pœoniæ præerat, comitari Demetrium. Hunc quoque Perseus inter coniuratos in fratris perniciem habuit. In præsentia dedit ei mandata, vt per omne obsequium, se quam maxime in intimam eius familiaritatem insinuaret, vt omnia eius consilia arcanosque sensus eliceret.

Philippus adit montem Æmum.

Didas Demetrii proditor.

Rex interim in incepto progreditur, & mõtem Æmum multo labore transcendit, & temeratio inceptoexercitum, in solitudine inopia & fame fatigatum, cogit sociorum agrum, non secus atque hostium populari. At Didas cum incauti iuuenis simplicitatem, suis haud immerito succensentis, assentando, indignandoque captaret, in omnia vltro suam operam offerens, fide data aperuit se fugam ad Romanos meditari, gratiasque superis agebat, quod is sibi fugæ adiutor datus esset, per cuius prouinciam tuto elabi posset. Verum hoc consilium extemplò fratri proditur, & ipso autore indicatur patri. Inde Herodotus, qui amicorũ Demetrij princeps erat, in custodiam est coniectus, Demetrius dissimulanter asseruari iussus, dum rex legatorum suorum ex vrbe reditũ expectabat: qui post aliquot menses reuersi, literas iam in Macedonia ante profectionẽ meditatas, T. Quintij nomine, eiusque signo adulterino signatas, ad Regem attulerunt. Deprecatio erat in literis, si quid adolescens, cupiditate regni prolapsus, secum egisset, nihil eum aduersus quemquam suorum facturum; neque se eum esse, qui vllius impij consilij autor, vel adiutor fieri vellet.

II. Eius consilia de fuga explicatur.

Et Perseo prodit.

Hæ literæ fidem Persei criminationibus fecerunt. Itaque Herodotus extemplo diu excruciatus, sine rei vllius indicio, in tormentis mortitur. Demetrius apud patrem de captata fuga accusatur, & falsis Quintij literis in primis vrgetur. Philippus eum dolo interficiendum cẽsuit, ne pœna eius, consilia aduersus Romanos nudaret. Itaque ipse Thessalonica Demetriadem profectus, Demetrium ad Æstræum Pœoniæ mittit, eodem comite Dida; cui digredienti mãdata dedisse dicitur, de filio occidendo. Sacrificium à Dida vel institutum vel simulatum est: ad quod celebrandum inuitatur Demetrius, eique in cœna datur venenum. Poculo epoto extemplo fraudem sensit, & mox coortis doloribus relicto conuiuio, cum in cubiculum recepisset sese, crudelitatem patris conquerens, parricidium fratris, ac Didæ scelus incusans, iniectis in caput tapetibus, ne forte à veneno reualesceret, intercluso spiritu suffocatur.

III. Demetrius fratris calumnia occiditur.

Dum hæc in Macedonia geruntur L. Æmylius Paulus, prorogato ex Consulatu imperio, principio veris in Ligures Ingaunos duxit exercitum, statimque hostis fictam de pace legationem mittit, inducias decem dierum impetrat, intra quos ingenti cura exercitum parat: & repente multitudine maxima Romanorum castra portis omnibus adoriuntur, summáque vi diem totum oppugnant, vt nec signa efferendi, neque aciem instruendi Romanis spatium darent. Sub vesperam cum Æmylius frustra vicinorum imperatorum opem imploraſſet, per se fortunam tentare statuit, præsertim cum iam segnius ab hoste oppugnaretur: & instructa diligenter acie, atque ad cupiditatem vlciscendę ignominiæ incitata; certamen init in Ligures, nihil tum minus quam pugnam expectantes. Exiguo tempore aliqua pugnæ species fuit, fuga deinde effusa, & fugientium cædes passim, donec suis quoq; exuti sunt castris, supra quindecim Ligurũ millibus occisis, captisque duobus millibus & quingentis. Triduo post omne Ligurum Ingaunorum nomen, obsidibus datis in deditionem venit, pacemque perpetuam postulauit, Æmylius autem triumphum, quem & obtinuit.

IV. Æmylius Ligures Ingaunos domat, deque iis triũphat.

Hoc eodem anno post 491 annos à morte Numæ, in agro L. Petilij scribæ sub Ianiculo dum cultores agri terram altius molinntur, arcæ duæ lapideæ inuentæ sunt, operculis plumbo deuinctis, in altera scriptum erat Numam Pompilium ibi esse conditum, in altera libros eius. Eas arcas cum ex amicorum sententia Petilius aperuisset, quæ titulum sepulti regis habuerat, prorsus inanis reperta est: altera septenos habuit libros. Septem Latini erant de iure

V. Duæ arcę Numæ effodiuntur a. u. 1382.

Libri eius publicè combuntur. *l. 7. c. 34. & 35.*

pontificio, totidem Græci de disciplina sapientiæ. Sed hi libri cum à Prætore vrbano lecti essent, is rem ad Senatum retulit, dixitque separatum esse iusiurandum dare, illos libros legi, seruarique non oportere, quod pleráque ad dissoluendas religiones valerent. Itaque ex mãdato Senatus, in conspectu populi à vectimariis in comitio combusti sunt, vt Liuius affirmat & Plutarchus. Cum autem S. Augustin. in ciuitate Dei, scribat, Numam magna dæmonum familiaritate vsum, artibusque nefariis, nihil admodum absurdum videtur, etiam corpus à dæmonibus retecto operculo asportatum, vt arca lapidea plane vacua reperiretur. Nonenim fieri potest vt integrum hominis cadauer in aërem ita dissipetur, nihil vt ossium aut pulueris appareat; præsertim cum in simili arca libri non incorrupti modo, sed recentissimi etiam reperti perhibeantur.

VI. Fuluius Flaccus Celtiberos cruẽta victoria superat.

Celtiberos Q. Fuluius Flaccus ingenti prælio vicit. Ad 35 hominum millia in armis habere dicebantur, quantum nunquam antea. Ad montem vtraque castra posita erant, sed Flaccus sex millia suorum nocte montem circumire iubet, & dum hostem à fronte inuadit, à tergo ignem castris eius iniicere, moxque hostilia terga cædere. Itaque hostis dum vtrimque cæditur, nec receptum vllum habet in castris igne flagrantibus, valde cruentam Romanis victoriã reliquit, adeo vt 3450 ex Romano exercitu desiderata referantur. Inde Prætor ad Contrebiã legiones duxit, eamque circumsedit; & tardantibus auxiliis Celtiberorum, ad deditionem compulit, indéque tarda auxilia & improuida, ad 12 millia concîdit, præter eos qui vnà in eius potestatem venere. Res quoq; in Lusitania, Corsica, Sardinia, Romanis cessit è sententia; qui Pœnorum quoq; controuersiam cum Masanissa de finibus composuerunt, & Carthaginensibus centum obsides restituerunt.

Masanissa conciliatur Pœnis.

ANNVS MVNDI 3874.

ONIÆ III. Ducis & Pont. 28.

PTOL. EPIPH. 24. & vlt. PHILIPPI 4t.

SELEVCI 8. Imp. Græcorum 132.

OLYMP. CL. 1. VRB. CON. 573.

ANTE CHRISTVM 179.

I. Expulsio Philometoris & mors patris eius Epiphanis. *Vide Ann. Paus. l. 1. in legat. nn. 57.*

IN hunc annum primum Olympiadis 150 cadit expulsio Philometoris in Cyprum; id agente ipsius matre Cleopatra, quæ illum oderat. Constat enim ex Pausania eum ablegatum esse viuo adhuc patre, quem plurimi antiqui recentioresq; hoc anno mortuum tradunt, regni sui anno vigesimo quarto. Meminit mortis eius Polybius, dum ait eum renouare cupientem cum Achæis societatem, misso legato decem naues obtulisse omnibus rebus instructas. Verum legatio ista patriæ fines non excessit, Ptolemæi morte subidem tempus interueniente. Mortis autem genus aut modum non explicat, sicut nec Iosephus. *l. 12. c. 5.*

II. Pisonem Consulẽ vxor interficit.

Romanorum Cos. Calphurnius Piso intra duos menses domestico scelere prostratus est. Necatus enim à Quarta Hostilia dicebatur, vt filius ipsius Q. Fuluius Flaccus, qui in comitiis consularibus rem repulsam tulerat, loco vitrici demortui sufficeretur. A principio ea mors pestilentiæ tribuebatur, quę nouum quoque Prætorem sustulerat, multosque alios illustres viros: & tertium iam annum Romam Italiamq; late vastabat, sed mulierum vox sua prodidit, meritoque supplicio perdidit.

III. Deditio Ligurũ.

Ligures porrò Apuani post multas antiquas clades sese populo Romano hoc anno sine certamine dedidere, oppressi inopinato Cornelij & Bæbij proconsulum aduentu. Imitati sunt videlicet Ligures Ingaunos, qui præcedenti anno Æmylio Paulo post magnam cladem acceptã, deditionem fecerant. Isti autem Apuani ex auitis sedibus ac montibus Senatus auctoritate, suasu Proconsulum abducti sunt, quod negarent vllum alioqui Ligustini belli finem fore. Grauis erat Liguribus ista transmigratio, eamq; per legatos sæpe deprecati sunt. Stetit tamen Senatus in sententia, cui illi acceptis 15 millibus sestertiũm, quibus sibi de habitatione prouiderent, denique paruerunt. Traducta sunt publico sumptu ad 40 millia liberorum capitum, & translata in agrum Samnitium, qui Tarausinorum fuerat, quem iidem Proconsules, qui traduxerunt, eis diuiserunt, & veteri exercitu Romam deducto, omnium primi nullo gesto bello triumpharunt.

Et transmigratio.

Triumphus sine bello.

IV. Res à Fuluio gesta contra Celtiberos.

Hoc ipso anno à Q. Fuluio Flacco Prætore, cum ex prouincia decessurus esset, res præclare contra Celtiberos gesta est. Cum enim Tarraconem duceret exercitum, ex nouo Prætoris Gracchi mandato, Celtiberi saltum Manlianum, quà transeundum erat, obsedêre, & Romanos in eum intrantes, duabus simul ex partibus repente inuaserant. Fuluius quantum locus tempusque ferebant; suos instruxit atq; animauit ad pugnam. Acies vtrimque concurrerunt, atrox vbique prælium fuit: auxilia Romanorum cedebant Celtiberis, sed Romanæ legiones eos virtute superabant; quarum vim vt perrumperent, cuneo facto impressionem fecerunt, quo genere pugnæ tantum valent, vt quam in partem cuneus impactus fuerit sustineri non possit, sed medios diffindat globos. Tunc quoque turbatæ sunt legiones, & acies media prope interrupta: cum iussu Fuluij equitum turmæ, vtraque ex parte cunei immissæ, bis vltro citroque cum magna hostium strage, infractis omnibus hastis trãscurrerunt. Dissipato cuneo, in quo omnis spes fuerat, Celtiberi trepidare, fugæ locum circumspicere; Romani equites in perturbatos irruere, & toro saltu cædere dissipatos; cruenta denique victoria potiti sunt. Fuluius Romam reuersus cum parte exercitus exauctorata, triumphum obtinuit, & in annum sequentem consulatum.

Cuneus quid sit.

V. Querela de Gẽtio rege Illyrici.

Eodem anno L. Duronius in Senatu de Gentio Illyriorum rege questus est, omnes latrocinantium naues, & oram infestam habentium ipsius esse; nec legatis ad eum missis conueniẽdi sui potestatem fecisse. Multis ciuibus Romanis, & sociis Latini nominis, in regno eius factas iniurias, multos captiuos Corcyræ tenuerit. Eos omnes Senatus Romam adduci iussit, &

apud Prætorem vrbanum disceptare, nec ante Gentij legatis responsum dari.

ANNVS MVNDI 3875.

ONIÆ III. Ducis & Pontificis. 29.

PTOL. PHILOMETORIS 1. PHIL. 42.

SELEVCI 9. Imperij Græcorum 133.

OLYMP. CL. A. 2. VRB. CO. 574.

ANTE CHRISTVM 178.

I. Exordiū regni Philometoris. *in c.11 Dan. li.30 Lit.c.5.*

NIcam regnandi Philometori hoc anno tribuunt, Eusebio duce, plerique omnes, qui Patri eius Epiphani 24 annos regni concedunt, qui fuit vitæ 28 autore Hieronymo, vel 29 autore Iustino. Ex quo etiam intelligitur Philometorem tenera adhuc ætate regnare cœpisse. Certe Iosephus, *Moritur* inquit, *Ptolemæus, & ipse eodem cognomine dictus Epiphanes, superstitibus duobus filiis impuberibus, quorum grandiori cognomen inditum Philometor, minori vero Physcon.* Teneræ etiam ætatis indicium est, quod post 6 annos, eius auunculus Antiochus Epiphanes tutor eius esse voluit, vt specie tutelæ regnum eius inuaderet. Porro de Philometoris regni exordio, & causa nominis, hæc habet Pausanias. *Qui Philometor est dictus, octauus est à Ptolemæo Lagi filio*; imo sextus. Primus enim est Ptol. Lagides, 2. Philadelphus, 3. Euergetes, 4. Philopator, 5 Epiphanes, cui successit sextus Philometor. *Id autem cognomen per ironiam nactus est; neque enim regum quisquã fuit ex omnibus, quem maiori matre odio prosecuta fuerit. Hunc enim, maiorem quamuis natu, regem saluta ri passa non est, & vt in Cyprum viuente patre ablegaretur effecit, sperabat enim iuniorem sibi obsequentiorem fore.* Hæc & plura Pausanias, quæ suis reddentur locis.

l 1.

Vnde id cognomen.

II. Philippi mors ex mœrore. *l 40 extremo, & sub init. 45.*

Hoc ipso anno, atque his Coss. mortuum fuisse Philippum Macedoniæ regem, testatur Liuius, & Perseum regnare cœpisse. Nimirum patri mortuo filius illico successit in regnum. Ait autem Liuius eum mœrore magis, ob indignissimam Demetrij necem, quam senio consumptum, vt qui vix annum agebat ætatis 56. Et autem Demetriade hybernanti calumnia innotuit, indicante Xycho, qui fuerat scriba Philoclis & Apellis, qui T. Quintij literas fabricati fuerant; deinde Philocle, qui comprehensus, in tormentis, aut tormentorum metu rem omnem patefecit. Sicque Philippo geminatus est luctus quod filium innocentissimum perdiderat, & scelere fraterno. Perseus certior factus omnia esse detecta, potentior quidem erat, quam vt fugam necessariam duceret; tantum curabat vt procul abesset à patre, quem consolabatur Antigonus, Antigoni Tutoris ex fratre nepos, qui solus ei fidus remanserat, propterea que eũ Perseus pessimè oderat: & Perseum vicissim Philippus, sed spe potiendi corporis eius amissa, id studebat, ne præter impunitatem, etiam præmio sceleris sui frueretur.

Cognita in Demetrium calumnia.

III. Initium regni Persei.

Itaque Antigonum regno destinat, omnique genere honoris afficit, & circumiens Macedoniæ vrbes, cum in Thracia esset Perseus, principibus eum, præfectisque commendabat. A Demetriade autem profectus Thessalonicam, inde Amphipolim venit, vbi graui morbo implicitus, cum identidem species insontis filij interempti recurreret, curis, vigiliisque confectus moritur. Admoueri regno poterat Antigonus, nisi tum, Philippi iussu, legatus abfuisset, & Philippi mors præmaturè à Calligene medico Perseo nunciata fuisset, qui accurrens regnum scelere partum inuasit, statimque Antigonum interfici iussit, & dum firmaret res suas, legatos Romam ad amicitiam paternam renouandam misit, petendumque vt Rex à Senatu appellaretur, quod & impetrauit.

Patet ex Liuio l. 41.

IV. Reconciliatio Æmilij Lepidi, & Fuluij Nobilioris. *Liuius l. 40. Vide Annal. n. 9. & 10.*

Insignis hic annus Romæ fuit reconciliatione duorum virorum, principum ciuitatis, M. Æmylij Lepidi, & M. Fuluij Nobilioris; quorũ vterque consularis, hic etiam de Ætolis triumpharat, ille erat Pont. Max. Cum ambo in Censorum comitiis Censores creati essent, ad eos principes Senatus venere, vt mutuas multorum annorum inimicitias, in noui magistratus honore in gratiam Reipub. & Senatus noua gratia terminarent, idque in primis Q. Cœcilij Metelli interuentu perfectum est. Inde fideli concordia Senatum legerunt, cuius princeps electus est M. Æmylius Lepidus Pont. Max. tres eiecti de Senatu. Eo biduo quo Senatum legerunt Censores, Q. Fuluius Consul profectus in Ligures, per montes valles que inuias cum exercitu trãsgressus signis collatis cum hoste pugnauit, nec tantum acie vicit, sed castra quoque eodem die cepit. Tria millia & ducenti hostium, omnisq; ea Ligurum regio in deditionem venit. Sic Liuius, qui addit Consulem Ligures deditos in campestres agros deduxisse, quod tamen anno præcedenti à Cornelio & Bæbio factum iam videtur. Triumphauit de Liguribus Fuluius, contigitque eius triumphus eodem die, quo priore anno in Prætura triumphauerat.

Res gesta in Ligures.

V. Et in Hispania, ab Albino, & Sempronio Graccho.

In Hispania Albinus & Gracchus, quibus Proprætoribus imperium fuerat prorogatum, rem bene gesserunt. Mundam Sempronius vicepit, deditione Certimam, à qua quater & vicies sestertiũm exactum est, quæ sunt 40 millia coronatorum. Inde ad Alcem vrbem cum Celtiberis, qui ingenti prælio deuicti sunt, deinde vrbs ipsa deditione recepta est, sicut & Ergauia, quæ mox abductis legionibus rebellasse dicitur, & alteram cladem viginti duobus hostium millibus cæsis, accepisse. At Posthumius in vlteriore Hispania bis cum Vaccæis, cum ingenti eorum clade, pugnasse traditum est. At Liuius propius vero esse putat; eum serius ad prouinciam peruenisse, quam vt ea ætate res gerere potuerit. Vtrumque tamen anno sequenti triumphasse, vnum de Celtiberis, alterum de Lusitanis idem ipse tradit, & Gracchum in Hispania Terraconensi oppidum Gracchurim, monimentum rerum à se gestarum, condidisse.

* * *

ANNVS MVNDI 3876.

ONIÆ III. Ducis & Pontificis 30.

PTOL. PHILOMETOR. & PERSEI 2.

SELEVCI 10. Imperij Græcorum 134.

OLYMP. CL. An. 3. VRB. C. 575.

ANTE CHRISTVM 177.

I. Legatio fratrum Eumenis a.m. 56. ad 60.

SVB hoc tempus videntur contigisse, quæ à Polybio in Excerptis legationibus traduntur. Eumenem scilicet tam bello cum Pharnace, quam morbo releuatum, fratres omnes suos Romam misisse legatos, vt eorum studio bellum eius cum Pharnace plane finiretur, eos enim plurimum gratia valituros sperabat apud pleroſque Romanorum optimates, sibi ex bello Antiocheno cognitos. Excepti sunt Romæ, tum ab ijs magnifice priuatim, tum publice ab ipso Senatu. In quo cum Attalus de Pharnacis iniurijs questus patres orasset, vt negotium susciperent, & Pharnacem castigarent: respondit Senatus missurum se legatos, qui bello isti finẽ essent imposituri, quibus id conditionibus factum sit, apud Polybium leges. Qui deinceps de Perseo scribit, eum regni possessionem adeptum, firmandi eius causa, Laodicen, Rhodiam vt arbitror, vxorem duxisse. Rhodiorum enim, qui tum mari potentes erant, beneuolentiam quæsiuit: & quia in Romanos perturbatis tunc erant animis, quod ij statuissent Lycios, quod bello Rhodii oppressérant, censendos Rhodiorum socios, non famulos pro munere datos. Ergo eos muneribus, & pleraſque alias ciuitates, templis & theatris extruendis, magnifice donauit, earum beneuolentiam aduersus Romanos tacite ambiens.

a.m. 59. Perseus colligit amicos cõtra Romanos.

II. Res à Manlio in Histria male gestæ.

Consulibus anni huius prouinciæ decretæ sunt; Manlio Gallia, Bruto Liguria. Verum Manlius cum aduentum Histrorum sensisset, non expectato super ea re decreto Senatus, ac ne consulto quidem, ab Aquileia profectus, castra posuit ad lacum Timaui, mari supero imminentem; & vt à mari ad castra quinque millibus distantia commeatus tutius supportarentur, stationes ab omnibus castrorum partibus circumpositæ sunt. Quæ cum inualida Histri animaduertissent, duo simul præsidia aggressi sunt. Nebula matutina texerat inceptum, qua dilabente ad primum teporem solis, lux adhuc incerta speciem rerum omnium multiplicem intuendi reddens, non solum hostem patefecit, sed multo maiores copias, quam res ferebat adesse persuasit. Ergo territi vtriusque stationis milites, cum in castra ingenti tumultu confugissent, nec dicere possent quid fugissent, haud paulò ibi plus, quam secum ipsi attulerãt, terroris fecerunt; adeo vt ex castris sese omnes ad mare, vbi erant Romanæ naues, partim armati, partim inermes proriperent. Quos cum neque autoritate Consul, neque precibus retinere posset, ipse quoque castris desertis, ad mare profectus est; vbi non minor trepidatio fuit, quasi iam omnia in stationibus & castris essent profligata.

Terror panicus Romanorum.

Interea Histri in castra vacua impetum faciunt, ibi paucos, qui ad defensionem castrorum substiterant, obtruncant, & copia rerum omniũ exposita fruuntur, hostium & armorum obliti. Tum demum nuncius venit ad tertiam legionem, quæ longius aberat, & expers terroris fuerat, & simul ex omnibus locis ad castra recipienda, demendamq; ignominiam rediti cœptũ est. Omnia incustodita, plurimos somno vinoq; sepultos inueniunt; passimq; omnes quorquot offendunt, magna indignatione trucidant. Ad octo millia cæsi, captus nemo, quia ira & indignatio immemores prædę fecit. At rex Histrorũ temulentus, ex conuiuio raptum à suis, in equũ impositus fugit, Romanæ fugæ nuncius primo Aquileiam, deinde Romam trepidatione compleuit, & ad delectus nouos copiasque vndique contrahendas adduxit, donec totius rei euẽtus innotuit, literis Iunij Bruti, qui & ipse ex Liguria, quasi ad restinguendum incendium accurrerat. Idem Romam venit ad habenda comitia. Nam Manlius Romæ ardebat inuidia, ob cladẽ & ignominiam acceptam, & Tribuni plebis eũ mox abire magistratu cupiebant, vt rationẽ populo Romano redderet & male susceptí, & male administrati belli. Vtriq; nihilominus Consuli prorogatum est imperium, & ab ijs legiones Aquileiam ad hyberna reductæ.

III. Histrorũ victoria, ebrietate & cædes

Manlii inuidia Romæ.

ANNVS MVNDI 3877.

ONIÆ III. Ducis & Pontificis 31.

PTOL. PHILOMETORIS, & PERSEI 3

SELEVCI 11. Imp. Græc. 135.

OLYMP. CL. An. 4. VR. C. 576.

ANTE CHRISTVM 176.

Consularibus comitijs creati Coss. Claudius & Sempronius: Sardinia & Histria propter belli magnitudinem prouinciæ consulares factæ. Histriam sortitus est Claudius, Gracchus Sardiniam, vtriq; binæ legiones conscriptæ. Idibus Martijs magistratum inierunt. Hoc ipso anno, (ad quem Polybius legationem Licyotũ de Rhodijs expostulantium refert) missam apparet à Seleuco legationem ad Romanos, Antiochi fratris, qui postea dictus est Epiphanes; repetendi causa, qui ibi obses tertium decimũ iam annum agebat: sequenti quippe anno dimissus est à Romanis, accepto in eius locum Demetrio, eius fratre nepote.

I. Seleucus mittit Romã filium Demetrium obsidẽ & reuocat fratrem. In Exc. leg. n. 61.

App. in Syriacis.

Iunius autem & Manlius exconsules, principio veris exercitum ex Aquileia in fines Histrorum duxerunt, vbi cum effuse populantur, dolor magis & indignatio Histros, res suas diripi cernentes, exinit, quam spes satis sibi virium fore contra duos exercitus consulares: Concursu facto iuuentutis ex omnibus populis, repentinus, & tumultuarius exercitus, acrius primo impetu, quam perseuerantius pugnauit. Ad 4. millia cæsa, cæteri ad ciuitates passim diffugerunt; vnde legatos de pace in

II. Res gestæ in Histria.

Propera Conſulis ambitio.

caſtra Romana, tum obſides imperatos miſerunt. Quæ cum Romæ Proconſulum literis cognita fuiſſent, præceps in prouinciam venit Claudius, ne forte ea res prouinciam exercitumque ſibi adimeret, non votis nuncupatis, nec cæteris, quæ moris erant Romæ, peractis. Ac ne in aditu quidem prouinciæ moderatè ſe geſit. Exprobrauit quippe in concione ipſorum anni fugam; Proconſules quoque verbis increpitos, prouincia decedere iuſſit. Sed ei tam exercitus, quam imperatores ſe paſturos negarunt, donec more maiorum in prouinciam veniſſet. Itaque ille coactus, ad ea explenda, quæ temerè omiſerat, Romam redit.

III. Tribus oppidis captis Hiſtriam domat.

Interea Proconſules Neſatium in Hiſtria, quò ſe Hiſtrorum principes, & regulus ipſe receperat, ſumma vi oppugnant, cum Claudius eò cum nouo exercitu ſuperuenit, & vetere exercitu, cum duobus ſuis dimiſſo, ipſe oppidum circumſedit, & amnem mœnia præterfluentem, aliquod dierum opere auertit in nouum alueum. Qua re moti barbari, in deſperationem acti, coniuges liberoſque trucidant in muris, atque inde præcipitant. Dumque interea Romani oppidum occupaſſent, Rex ne in eorum poteſtatem veniret vnus, pectus ſibi ferro traiecit; cæteri capti, aut occiſi. Duo deinde oppida Mutila, & Faueria vi capta & deleta; autores belli virgis cæſi & ſecuri percuſſi. Sicque tota Hiſtria trium oppidorum excidio & morte regis, in Romanorum poteſtatem venit. Inde Claudius mandato Senatus in Liguriam de more tumultuantem traduxit exercitum, eamque ingenticlade compeſcuit. Itaque duarum gentium vno anno victor Romam reuertit, & de vtraque triumphauit. Nec tamen illi minus, poſt Romani exercitus diſceſſum, conuenientes in populationem agri Mutinenſis, etiam coloniam ipſam ceperunt, ne vllus deeſſet annus, quo miſeri Romanorum armis non mactarentur.

Barbarorum crudelitas.

Et Ligures.

IV. Quid Sempronius in Sardinia.

Sempronius quoque in Sardinia feliciter pugnauit, cæſis ad 12. armatorum millibus, & arma victorum in aceruum congeſta, Vulcano ſacra cremauit. Inde victorem exercitum in hyberna ſociarum vrbium reduxit. Nec minus tamen habuit quod ageret anno ſequenti in Sardinia, quo anno imperium ſibi prorogatum eſt, cum nouus Prætor iuſtam Senatui excuſationem attuliſſet, cauſamque non ſuccedendi.

ANNVS MVNDI 3878.

ONIÆ III. Ducis & Pont. 23.

PHILOMETORIS & PERSEI 4.

SELEVCI 12. & vlt. Imp. Græcorum 136.

OLYM. CLI. AN. 1. VR. C. 577.

ANTE CHRISTVM 175.

I. Finis regni Seleuci.

DVODECIMVS eſt idemque poſtremus hic annus Seleuci Philopatoris Antiochi Magni filij, quo domeſtico ſcelere interfectus eſt, anno ætatis 44. vt qui anno regni patris ſui ſexto natus eſt, vtibi diximus. Rem paucis perſtringit Appianus. *Antiocho magno defuncto*, inquit, *in regnum ſucceſſit Seleucus filius, qui fratrem Antiochum obſidem à Romanis receptum, dato in eius vicem filio ſuo Demetrio.* Is nunc decennis fuit, vt ex Annalibus clare intelligitur. Cum primum autem Romam attigit, vel huius anni exordio, vel fine præcedentis, Antiochus cupidus libertatis ſe dedit in viam. *Iamque Athenas peruenerat*, ait Appianus, *cum Seleucus inſidijs Heliodori cuiusdam amicorum eius oppreſſus interiit.* Sic ipſe. Hunc fuiſſe Heliodorum, qui ſuper regni negotiare rat, miſſuſque dudum fuerat ad ſacrum ærarium expilandum, plerique merito cenſent. Nam & perſonæ dignitas, & nomen, & tempus recte conſentiunt. In qua etiam re obiter diuinum agnoſcas iudicium. Nam cuius opera Rex vti voluerat ad ſacrilegium perpetrandum, eadem Deus ad illud vindicandum eſt vſus.

in Syriacis. n. 1.

Occiditur ab Heliodoro.

II. Cauſa cædis.

Cauſam porro cædis in ambitionem Heliodori refert Appianus. Qui enim hactenus Regis ſui nomine regnabat proprio & ſuo regnare cupiebat; præſertim cum regni hæres Demetrius Romam ablegatus eſſet, & Antiochus Regis frater, qui regnum ſibi vendicare poterat, abeſſet adhuc. Itaque mature parricidium regis, ante illius aduentum occupauit, ſed irrito conatu. Nam Eumenes Pergami Rex cum fratre Attalo, Heliodorum expulerunt, deducto in poſſeſſionem regni Antiocho, vt eum ſibi amicum hoc beneficio redderent, qui à Seleuco dudum vexati fuerant. Eius cædis Eumenes quoque ſuſpitione non caruit. Oportet autem hoc facinus ſub finem anni contigiſſe, cum ex Scriptura conſtet, Antiochum non ante ſequentem annum regnare cœpiſſe. Daniel intra paucos dies contritum iri dixit, quod non ad 12. regni annos retulerim, ſed ad ipſam necem; ſignificans crimen intra paucos dies ſuſceptum fuiſſe, atque perfectum.

Vide Ann. an. m. 3864. n. 17.

c. 11. v. 17.

Romæ creatis Coſſ. C. Claudius, cui prorogatum erat in annum imperium, & Gallia prouincia, ad recuperandam Mutinam reuerſus eſt; Vbi admonuit exercitum, eamque oppugnare cœpit, & ante triduum ab hoſte receptam, colonis reſtituit, octo Ligurum millibus intra mœnia cæſis. Qua victoria elatus Romam ſcripſit, ſua virtute ac felicitate neminem cis Alpes iam hoſtem populi Romani reperiri. Sed non multo poſt ad ſpiritus hominis comprimendos illi ipſi Ligures rebellarunt. Ad quos idem Claudius proconſul recurrit; contra quem illi montibus muro cinctis ſeſe obſepiunt, ſed qui tardius ex agris demigrarunt oppreſſi, mille & quingenti periere. Cæteri montibus ſe tenebant, & ne in metu quidem fetitatis obliti, ſæuiunt in prædam, quæ Mutinæ parta erat, captiuos quippe cum fœda laceratione interficiunt.

IIIo. Mutinâ Romani recuperant.

Ligures rebellãt.

Res conſularis hoc anno plurimum turbata eſt. Nam cum Cn. Cornelio Piſæ, Ligures Petilio obtigiſſent, Cornelio ex Albana rediens ira concidit, vt parte membrorum captus, ad aquas Cumanas profectꝰ ingraue ſcẽte morbo Cumis deceſſerit, Vnde mortuus Romam

IV. Cornelii Conſulis obitus.

dela-

delatus, magnifico funere sepultus est: cui suffectus est M. Valerius Læuinus. At Petilius Consul veritus ne se absente debellaretur, recepto exercitu à Claudio proconsule, dum montes oppugnat, dum incautius ante signa obuersatur, vt suos à fuga cohibeat, missili traiectus occumbit. Ea cædes cum prudenter occultata fuisset, Romanus exercitus nihilominus montes sine duce subijt atque occupauit, & ad quinque Ligurum millia prostrauit, amissis duntaxat duobus & quinquaginta de suis. Et profecto valde mirum est iam tot annis, post tot mortalium millia in Ligusibus cæsa, tot deditiones, tot emigrationes, tot incendia & vastitates, tot prædas, vlla ibi non dicam hostium, sed hominum vel animantium vestigia reperiri potuisse. Bella tamen atrocia ibidem intra triennium semel iterumque recrudescent.

Itemque Petilij.

Miræ tot Ligurum clades.

an. V. C. 580.

V. Res in Sardinia gesta.

In Sardinia Proconsul Sempronius, vtiliter in debellanda prouincia laborauit, multis quippe secundis prælijs Sardos, cum quindecim millium cæde, perdomuit, & ad deditionem compulit. Tum pacata prouincia Romam legatos misit, vt victorem exercitum ad triumphum deportare liceret. Verum Senatus crebris defectionibus rebellantium motus, eum iussit; annitente Popilio Prætore, qui Senatum docuit quantum Reipubl. interesset, res in prouincijs bene cœptas, ab ijdem imperatoribus, perfici, & non successoribus interrumpi. Eodem modo Prætores duo quibus Hispaniæ obuenerant, profectionem excusarunt, & proprætoribus, qui eas prouincias tenebant, prorogatum est imperium, & militum supplementum de more transmissum. Meminit porro huius anni qui est Ptolemæi Philometoris quartus, Hesteris libellus. Vbi dicitur Dositheum in Ægyptum tulisse illam historiam, à Lysimacho interpretatam 276. annis post rem gestam, proxime ante initium Antiochi Epiphanis.

In Hispania Prætoribus imperiũ prorogatum.

Versio libri Hester. *a.* III. 3602. 276. 3878.

ANNVS MVNDI 3879.

ONIÆ III. 33. IASONIS PSEVD. 1.

PTOL. PHILOM. & PERSEI 5.

ANT. EPIPHANIS 1. Imp. Græc. 137.

OLYMP. C LI. A. 2. VRB. CO. 578.

ANTE CHRISTVM 174.

1. Prolusio in libros & tempora Machabæorum.

INgredimur in luctuosissima Iudaicæ Reipublic. tempora, quibus in eam omnia scelera, cum deserto magna ex parte Dei cultu, & inuectis Idololatrarum ritibus, patefacta per suos ianua, inundarunt, quibus ex æquo crimina supplicijs, & peccatis sua pœna certauit, vt ex libris Machabæorum, qui huc maximè pertinent, facile intelligemus: quando tanta feritate atque barbarie in sanctos Dei famulos, à perditissimo tyranno Antiocho, teterrimis facinoribus illustri sæuitum est, vt in eo Antichristi præcursorem cum sancto Hieronymo, & eius regni præludia facile possis agnoscere. Talis enim moribus, & crudelitate, & in DEVM impietate fuit Antiochus hic, ea satellitum eius immanitas, ea impiorum Iudæorum crimina: ea sanctorum in eadem gente pro religione certamina, vt postremis Antichristi temporibus, quæ atrocissima futura sunt, ista simillima. & quasi gemina videri possint; & iste rex illi suppar, quo nihil sceleratius sol ille vnquam vidit, aut visurus est in terris.

int. 11 *Dd.* Antioch' figura Antichristi.

Cum ergo proximo anno Seleucus, aulici sui Heliodori scelere regnare aut viuere desisset, in eius se regnum insinuauit Antiochus, anno regni Græcorum 137. Vt Scriptura testatur, ab Eumene & Attalo, vt ait Appianus, *in regni possessionem deductus, quem*, inquit, *Syri cognominarunt illustrem, quod alienis regnum vsurpantibus*, Heliodoro videlicet, vel Ægyptijs, *ipse aucta ditione* Syriæ nimirum, *assertor exortus, fuit illuxerit.* Sic ipse. Quæ non videntur satis consentanea ijs, quæ habet Daniel. *Et stabit in loco eius*, puta Seleuci, *despectus* οὐδενὸς, homo nihili, nullius pretij, *& non tribuetur ei honor regius & veniet clam & obtinebit regnum in fraudulentia.* Quomodo enim illustris appellatur, qui despectus priuatur honore regio? Aut quomodo clam venit, si euocatus à fratre, misso in locum eius Seleuci regis filio Demetrio? Dicendum videtur non statim à principio appellatum Epiphanem, sed post primam eius in Aegyptum expeditionem, quæ illi admodum ex sententia successit. Despectum autem fuisse propter conditionem obsidis, qui tot annis Romæ captiuus detentus est, & qui, dum viuebat Demetrius regni hæres, precariò, atque alieno nomine rex erat.

II. Insinuatur in regnum Seleuci. 1. *Mach.* 1. 11.

Qui Antiochus dictus Epiphanes. *c.* 11. *v.* 21.

Non dicitur autem dixisse clam, ex Vrbe videlicet, sed venisse clam in possessionem regni Asiæ, prætextu scilicet aliquo vtentem; ne videretur filium fratris sui absentem, quique eius libertatem sua captiuitate redemerat, regno fraudare voluisse. Asia quoque & Babylone potitus, rebusque suis ibidem constitutis, Syriam, nepotis sui Philometoris prouinciam, quasi auunculus, & naturæ iure tutor inuisit, post diuturnam in Europa peregrinationem, non vt eam nepoti confirmaret, sed vt vindicaret sibi. Et hic est clandestinus aduentus, quem Propheta commemorat. Nimirum præ se tulit se nepotis sui Tutorem agere, eiusque nomine velle rem Syriacam administrare, nihil sibi quærere, sed paternæ sollicitudini pro ipso, curæque succedere. Eumenes quoque & Attalus ergo præpositos & duces Ægyptios tanquam fidi monitores accesserunt, nouo vt Regi plane confiderent, eiusque arbitrio permitterent vniuersa; ne virum, qui parentis instar obtineret, virum Romana beneuolentia, & vicinorum regum amicitia, studijsque subnixum, hostem sibi imprudenter quærerent, quem patronum habere & amicum seruare possint, ac debeant. Denique victi sunt, & omnia illi, tanquam ipsi regi commiserunt. At ipse mox amicis suis omnia loca munita commisit: & regni non tutorem, sed prædonem egit.

III. Clam regnũ obtinet, & quomodo.

Eumenis opera.

IV. Iasō ambit pontificatum Oniæ fratris.

Hic Iaſon Oniæ Pontificis frater, pertæſus diuturni pontificatùs fratris ſui, eius adipiſcendi cauſa, maturè nouum adijt regem, ſperans ſe illi gratum fore; præſertim cum minimè gratis eam dignitatem obtinere vellet, & Rex pecuniarum eſſet appetentiſſimus, ad ſuum, patriſque ſui æs alienum Romæ diſſoluendum. Ergo regem adit, & fratrem, quem ſolio deturbare cupiebat, ambitioſorum more calumniatur, tanquam parum ipſi fidelem: ſe ſi velit pontificatus honore dignari, ipſi fideliſſimum atque addictiſſimum fore. Ac ne ingratum quidem ſe, aut ſordidum eſſe velle. Ea quippe dignitate ornatum, habiturum ſe in poteſtate ingentem auri argentique vim, quæ in templi ærario, ac gazophylacijs congeſta eſſet, quam dudum frater eius Seleucus, obnitente Onia, obtinere nequiuiſſet: DEO ipſi teſeruante ea, quibus ille fruſtra inhiaſſet. Quantam autem auri argentique vim promitteret, habes in Annalibus explicatum. Hic tantum dicam, incredibilem fuiſſe hominis ambitionem, & parem ambitioni nequiſſimi capitis impietatem ac turpitudinem, quod tantis opibus pontificatum emere, & Dei religioſo cultu, ſanctiſque legibus antiquatis, impudentiſſimæ nequitiæ ſcholam aperire non erubuerit, pro qua occlu dēda, eam vitam ipſam profundere oportuiſſet.

Multa pecunia.

V. Onias fugit Antiochiam

Intruditur ergo Iaſon in pontificatum, & autoritate regia, & ſacrilega pecunia. Onias autem ita circumuentus, & extruſus à fratre, vitans fortaſſe mortis admodum probabiles inſidias, Antiochiam ſecus Daphnem, tutum ſcilicet in locum ſe recepit. Iure tamen pontificatum ad mortem vſque tenuit: neque enim illo viuo, & nullius criminis reo, alius potuit eſſe legitimus pontifex: ne duo capita vni corpori Eccleſiæ tribuantur. Accedit quod Iaſon obtento à rege principatu, *ſtatim ad gentilem ritum contribules ſuos transferre cœpit.* Itaque ipſo autore & hortatore Ethnicorum inſtituta ſecuti ſunt. *AEdificauerunt gymnaſium Hieroſolymis, ſecundum leges nationum, & fecerunt ſibi præputia*, abdicata videlicet circumciſione, *& receſſerunt à teſtamento ſancto, & iuncti ſunt nationibus, & venundati ſunt vt facerent malum.* Hæc autem, atque his ſimilia apoſtatarum ſcelera autorem habuerunt Iaſonem. *Etenim auſus eſt*, vt ait Scriptura, *ſub ipſa arce gymnaſium conſtituere, & optimos quoſque ephebororum in lupanaribus ponere. Erat autem hoc non initium, ſed incrementum quoddam & profectus gentilis & alienigenæ conuerſationis, propter impii & non Sacerdotis Iaſonis nefarium & inauditum ſcelus.* In Græco eſt, non pontificis. Qui enim pontifex eſſe poterat, qui ne Iudæus quidem erat, ſicut nec reliqui ſectatores eius apoſtatæ.

Iaſon deſerta religione, profanos ritus inducit. 2. Mach. 4. 10. 1. Mach. 1. 12.

Huic in DEVM impietati, & contra naturam dedecori, addidit Iaſon tyrannicam improbitatem in patriam. Priuilegia quippe tam à Syriæ, quam ab Ægypti regibus, per Ioannem Eupolemi patrem impetrata, antiquauit: omnem ſibi poteſtatem, nulliſque finibus circumſcriptam cum Pſeudopontificatu arrogans. Fuit hic Eupolemus vnus de legatis Romam à Iuda Machabæo miſſis, bene de Republic. meritus, ſicut Iohannes pater eius. Hæc porro priuilegia, ſiue *legitima ciuium iura*, fuiſſe arbitror, vt per principes, quibus ſubditi erant, liceret patrijs vti legibus & inſtitutis Moſaicis, quæ deſertor iſte *deſtituens, prauainſtituta ſanctebat.* Et hæc fuerunt Hieroſolymis initia & cauſæ malorum imminentium.

VII. Priuilegia patrię antiquat. 1. Mach. 4. 11.

VII. Res Liguſtica & Macedonica. l. 41.

Romæ in principio anni tumultus Gallicus Liguſticuſque exortus eſt, qui à Conſulibus armis haud magno conatu compreſſus fuit. Patres tamen belli Macedonici ſubibat cura inquit Liuius, miſcente Perſeo Dardanos inter Baſtarnaſque certamina. Horum enim opera Dardanos primum ſubiugare, tum victores in Romanos immittere cogitabat, ex Philippi parentis inſtituto. Et iam legati, qui ad res viſendas in Macedoniam miſſi fuerant, reuerterant, & bellum in Dardania eſſe nunciabant. Simul venerant & Oratores à Perſeo, qui eum purgarent, docerentque neque accitos à rege Baſtarnas, neque autore ipſo quidquam facere. Senatus neque immunem ab ea culpa Regem eſſe dixit, neque quaſi obnoxium arguit: moneri eum tantummodo iuſſit, vt etiam atque etiam curaret, vt ſanctum haberet fœdus, quod ei cum Romanis eſſet. Quod ille minime ſatagebat, vt qui legatos miſiſſet in Africam, ad Carthaginenſes contra Romanos excitandos, vt ſequenti anno intelligetur.

ANNVS MVNDI 3880.

ONIÆ III. Ducis & Pont. 34.

IASONIS PSEVDOPON. 2.

PTOL. PHILOMET. & PERSEI 6.

EPIPHAN. 2. Imp. Græc. 138.

OLYMP. CLI. An. 3. V. C. 579.

ANTE CHRISTVM 173.

I. Profani ritus Hieroſolymis inualeſcunt.

INVALESCEBANT hoc tempore Hieroſolymis impuriſſimi Ethnicorum ritus, id agente in primis pſeudopontifice Iaſone, Onia pontifice, qui hæc, ſi quis alius, prohibere poterat, expulſo, de quibus ritibus paulò ante ex occaſione diximus. Sed ad hoc ipſum quoque tempus pertinet illud, quod ſub quinquennali agone Tyrio contigiſſe Scriptura tradit. Cum enim in ea ludorum celebritate Rex adeſſet, *miſit Iaſon facinoroſus ab Hieroſolymis viros peccatores.* Vtique pecatores erant, & qui mittebat, & qui mittebantur, nefariæ idololatriæ publici procuratores & adminiſtri. Sed cum Græcus textus eos vocet θεωρές, forte legendum eſſet in Vulgata *viros ſpectatores.* Erant enim θεωροὶ, qui ad ſpectacula, feſta, oracula, rerumque diuinarum curationem mittebantur. Itaque Iaſon miſit huiuſmodi ſpectatores, cum trecentis drachmis *in ſacrificium Herculis*: ſed is ſacrilega ſpe ſua falſus eſt. Qui enim eam pecuniam attulerant, obtinuerunt, vt in fabricam nauium potius, quam in ſuperuacanea ſacrificia conſumeretur.

2. Mach. 4. 19. Iaſon ſacrificat Herculi.

Habuit

II. Sacerdotes sub Iasone quales. 2 Macch. 4. 14.

Habuit quoque Iason dignos suo pontificatu sacerdotes, qui vt Scriptura refert, *non iam circa altaris officia desisti erant, sed contempto templo, & sacrificiis neglectis festinabant participes fieri palestræ; & prohibitionis eius iniustæ, & in exercitus disci.* Ad verbum in Græco est, post disci pronocationem, proposito scilicet præmio ab agonotheta, profani sacerdotes cum palæstritis & athletis, publicè, cum ignominia dignitatis suæ, decertabant, & eorum instituta æmulabantur, & illis *per omnia* corpore scilicet & animo *similes esse cupiebant*, adducto videlicet præputio, *vt nudi quoque*, vrait Iosephus, *non essent Græcis dissimiles: & contemptis omnibus patrijs ritibus, imitabantur mores externarum gentium*; quas postea hostes atrocissimos habuerunt.

l. 12. c. 16.

III. Antioch⁹ affectat Ægyptũ.

Interea Antiochus cum se in regno Asiæ confirmatum sensit, regnum etiam Ægypti studuit occupare. Et sicut olim pater eius per speciem affinitatis & nuptiarum, ita nunc Antiochus, cuius soror Cleopatra mater erat Philometoris, sub specie regni Tutoris nomine administrandi, regnum pupilli nepotis inuadere cupiebat. Itaque misit in Ægyptum Mnestei filium Apollonium, qui cum regni optimatibus ageret, vt sibi tanquam auunculo, tutelam regis adolescentuli committerent: quod illi recusarunt, non ignari consiliorum eius, & in Syria, ab eo sibi iam occupat, satis edocti. Eam repulsam indigne ferens, bellum Ægypto inferre statuit, si quo modo id sibi per Romanos liceret, quorum propterea beneuolentiam studiose captabat. Interim Tyro profectus venit Ioppem, & inde Hierosolymam: vbi magnifice ab Iasone in ciuitate acceptus est, cum festis ignibus, & acclamationibus, quales à populo fieri solet in admittendis cum pompa principibus vitis in amicas vrbes, qui eis vitam, victoriam, felicitatem gratulantur, aut imprecantur. Postmodum autem digressus inde, in Phœnicem exercitum conuertit, vt instructa ibi classe, suo tempore Ægyptum inuaderet.

2. Macch. c. 4. 21.

Honorificè accipitur Hierosolymis.

IV. Res Macedoniæ. Liu. l. 41.

Quod ad Perſei & Macedoniæ res attinet, Romanorum legati nonis Iulij ex Africa redierant, vbi didicerant legatos à rege Perseo illuc veniſſe, ijsque noctu Senatum in æde Æsculapij datum esse. Carthagine quoque legatos in Macedoniam missos. Itaque Roma legatos in Macedoniam mittendos Senatus censuit, missique sunt C. Lælius, Messala, & Digitius. Interea Perseus Dolopes, qui de controuersiis suis Romanos appellabant, subiugat. Deinde per Græciam, sine vlla cuiusquam iniuria vel damno, itet habet, postulatque vt veterum simultatum obliuionem, Philippo patre mortuo inducant. Maxime autem Achæos sollicitat, apud quos vtramque in partem disputatum est. Tandem decretum in fauorem Perſei dilatum est, indignatione principum, quod legatos ea de re non misisset: nec decere aiebant eum id paucorum versuum literis impetrare. Sed cum postea legatos Amphipolim ad concilium misisset, data est opera, ab ijs qui Romanorum offensionem timebant, ne in concilium admitterentur.

Perseus græcas vrbes sibi cõciliat.

Scribit Liuius Romæ hoc anno delectum militum, qui in Corsicam mitterentur, ægrè conficí potuisse, quod pestilentia, quæ priore anno in boues ingruerat, hoc verterat in hominum morbos; *qui inciderant* ait, *haud facile septimum diem superabant: qui superabant, longinquo quartana morbo implicabantur. Senectus maximè moriebantur, eorum insepultorum strages erat per omnes vias; quod ne liberorum quidem funeribus libitina sufficiebat.* M. Æmylio Lepido proconsuli à Senatu negotium datum est, vt Patauinorum seditionem comprimeret, quæ re feliciter procurata, reducem Censores principem Senatum iterum legerunt, & de eo nouem iecerunt, in ijs L. Cornelium Scipionem prætorem Vrbanum, & M. Cornel. Maluginensem prætorium, atque adeo L. Fuluium Censoris germanum fratrem. Sed hæc pluribus apud Liuium leges.

Romæ pestis grassatur.

Æmylius princeps Senatus.

l. 41. *subfi.*

In Hispania res ab Appio Claudio Prætore contra Celtiberos, qui ad eius aduentum rebellauerant, feliciter gesta est, adeo vt ad quindecim millia cæsa vel capta fuerint, duo & triginta signa adempta, castra etiam eodem die expugnata, & ad viginti annos debellatum, nempe Vrbis Con. sexcentesimum. Ipse ouans vrbem iniit, vi multa auri argentique in ærarium delata.

VI. Res Hispaniæ.

ANNVS MVNDI 3881.

ONIÆ 35. IASONIS PSEVDOP. 3.

PHILOMETORIS, & PERSEI 7.

EPIPHANIS 3. Imp. Græc. 139.

OLYMP. CLI. An. 4. VR. C. 580.

ANTE CHRISTVM 172.

I. Maior Antiochi expeditio. l. 44 1. Macch. 1. 17. 18.

HABET hic annus priorem Antiochi Epiphanis in Ægyptum expeditionem, quæ, vti Liuio placet, ideo susceptа est, vt maior natu Ptolemæus, matris artibus regno pulsus Auunculi opera restitueretur; simul etiam vt negatam sibi ab optimatibus Ægypti regni tutelam, vi & armis sibi vendicaret, & sub specie tutelæ regnum ipsum occuparet, vtrumque enim regnum affectasse scriptura testatur. Ergo *intrauit in Aegyptum*, ait Scriptura, *in multitudine graui, in curribus & elephantis, & equitibus, & copiosa nauium multitudine, & constituit bellum aduersus Ptolemæum regem Ægypti*, minorem scilicet natu, nam maior cum ipso erat, & ad eum confugerat: *& veritus est Ptolomæus*, quem Pausanias Alexandrum, Eusebius Euergetem, Iosephus Physconem vocauit: *à facie eius, & fugit*, Alexandriam vt munitissimam; vbi aliquandiu ab auunculo Epiphane obsessus est, *& ceciderunt vulnerati multi. Et comprehendit ciuitates munitas in terra Ægypti, & accepit spolia terra Ægypti.* Hæc ibi. Quæ Iosephus explicans, *Profectus*, inquit, *cum magno exercitu Pelusium, astu circumuento Philometore, Ægyptum occupat, & redacta prius in potestatem Memphi, locisque circumiacentis, ad Alexandriam duxit, & vrbem & Regem* iuniorem *subiugaturus.*

Quæ ibi ab eo gesta.

Sicille. Liuius addit Antiochum frustra, tentatis mœnibus Alexandriæ, abscessisse, cæteraque Ægypto potitum, relicto Memphi maiore Ptolemæo, eique cætera Ægypto tradita, Pelusij validum præsidiū reliquisse: quo apparebat eum clauem Ægypti sibi retinere, vt cum vellet rursum in Ægyptum exercitum induceret, vt res ipsa docuit.

II Res Macedonica

Romæ principio huius anni legati, qui in Macedoniam & Ætoliam missi fuerant, multa de Perseo, & eius in bellum Romanum tacito apparatu, deque colligenda Græcarum ciuitatum gratia renunciabant, quæ legati Thessali confirmabant. Occisum quoque abeo Apellem, quo ille fraternæ cædis administro fuerat vsus, ne Romani rem omnem abeo resciscerēt, & indignissimam regij adolescentis necem vlcisci vellent. Hæc, aliaque id genus odium Romanorum in Perseum accendebant. Quia tamen in suscipiendis bellis admodum cunctari solebant, placuit Senatui rursum quinque legatos in Macedoniam mittere, ad regem, vt tam ipse, quam cæteri omnes intelligerent, eos bellum necessitate compulsos suscipere. Iidem Alexandriam ad Ptolemæum renouandæ amicitiæ causa proficisci iussi sunt.

III. Antioch' legatos Romam cum tributo & muneribus mittit.

Nec oblitus est sui vafer Antiochus. Præuenire enim vel famam, vel querelas Ægyptiorum volens, legatos Romam misit, quorum princeps erat ille Apollonius Mnestæi filius, qui in Senatum introductus, multis regem excusauit quod stipendium serius præstaret, id se omne aduexisse, ne cuius rei nisi temporis, gratia regi fieret. Illa nimirum quindecim millia talentùm, quæ magnus Antiochus persoluere debuerat, ad rependendos belli sumptus, nondum erant persoluta, licet annus duodecimus iam dudum abijsset. Donum præterea affert se dixit vasa aurea quingentûm pondo, id est 50. millium nummorum aureorum. Petere regem vt quæ cum patre suo societas atque amicitia fuisset, ea secum renouaretur. Sentis Lector, vt arbitror, vnde tanta pecunia prouenerit. Vtique ex Ægyptiaca præda, quam bonus iste Tutor ex ciuitatibus pupilli sui, auidè copioseque corraserat: de qua Daniel. *Et abundantes & vberes vrbes ingredietur, & faciet quæ non fecerunt patres eius, rapinas, & prædam, & diuitias eorum dissipabit.* Accesserunt quingenta illa & nonaginta talenta impij & sacrilegi Iasonis, quæ magna iam ex parte persoluerat.

Vnde ea sumpta.

Dā. 11. 24

IV. Vt Romę accepti.

Benigne responsum est legatis à Senatu, idemque iussit Attilium Prætorem vrbanum societatem, quæ cum patre fuerat, cum Antiocho renouare. Quæstores vrbani stipendium, vasa aurea Censores acceperunt, quæ in quibus templis videretur reponerent. In legatos quoque minime parci fuerunt. Socijs tamen graues esse cœpere. Nam Posthumius Consul à Senatu missus in Campaniam, ad agrum publicum à priuatis terminandum, Prænestinis iratus, literas ad eos misit, vt sibi magistratus exiret obuiam, locum publice pararet, vbi diuerteretur, iumentaque, cum exiret inde præsto essent: quæ nemo adhuc Consul socijs imperauerat. Sed modestia & patientia Prænestinorum fecit, vt, quasi exemplo probato, grauiora in dies imperia vsurparentur.

in l. 42. ass. ocii Rō. tauari ciprunt

V.

Maiorem etiam licentiam Q. Fuluius Flaccus Censor, idemque Pontif. Maxim. cum magna omnium inuidia vsurpauit, dum regulas ædis Iunonis Laciniæ, in templum fortunæ equestris, quam magno studio construebat, transtulit, quæ Senatus restitui iussit. Idem Senatus, cum alter Consulum Popilius hoc anno seuerius in victos Ligures, ac dedititios desæuisset, vrbem enim Carystum diruerat, superstites armis spoliarat, ipsosque cum bonis suis vendiderat, eam seueritatem improbauit, & referente Attilio Vrbano prætore, Senatus Consultum factum est, placere Senatui M. Popilium Consulem, Ligures, pretio emptoribus reddito, restituere in libertatem, bona restitui, arma in ea gente quam primum fieri, Consulem de prouincia decedere, cum deditos Ligures in suam sedem restituisset. Claram quippe victoriam fieri, vincendo repugnantes, non sæuiendo in afflictos.

Fuluii sacrilegiū

Lenitas Senatus in Ligures.

ANNVS MVNDI 3882.

ONIÆ III. Ducis & Pont. 36. & vlt.

IASONIS vlt. MENELAI 1. PHILOM. 8.

EPIPHANIS 4. Imp. Græcorum 140.

OLYM. CLII. AN. 1. VR. C. 581.

ANTE CHRISTVM 171.

I. Iason deijcitur pontificatu. 2. *Mach.* 4. 23.

IAson pseudopontifex, patriæ religionis desertor & transfuga, priore quoque huius anni parte pontificatum male vsurpatum, viuo adhuc Onia tenuit, posteriore Menelaus, qui ad malas artes & Simoniam, generis defectum, vt in Annalibus docuimus, & cædem veri pontificis adiecit. De priore hæc habet Scriptura. *Post triennii autem tempus,* cum scilicet iam quartus annus esset in cursu, ex quo Iason Oniæ solio pontificio incubabat, & Rex ex Ægypto rediisset in Syriam: *Misit Iason Menelaum, fratrem supradicti Simonis de tribu Beniamin,* qui tempore Seleuci Oniæ multum negotij facesserat, *portantem pecunias regi,* precium videlicet sacerdotij, vt de necessarijs negotijs cum Rege ageret. *At ille commendatus regi,* à Iasone scilicet aut amicis, cum plurimum regi adulatus esset, vt potentium in Asiæ, Syriæ, & Ægypti regna, multum quoque se regi venditasset, quasi Iasone potentiorem, vt qui maiorem vim pecuniæ regi polliceretur, si rex in ipsum vellet transferre pontificatum, supplantato Iasone, *In semetipsum retorsit summum sacerdotium,* pollicitus se trecenta talenta pecuniæ Iasonis additurum.

Fraude Menelai.

II. Qui fit pseudopontifex.

Ergo Menelaus *acceptis à Rege mandatis,* quibus loco Iasonis pontifex esse iubebatur, venit Hierosolymam, pontificatum viuentis, ipse quoque occupauit, *nihil dignum habens sacerdotio,* ac ne tribum quidem Leuiticam, *animos vero crudelis tyranni, & fera bellua iram gerens,* quam mox multis patratis in vrbe cædibus patefecit. Et Iason quidem, qui proprium fratrem circumuenerat, & per sacrilegam fraudem expulerat Sacerdotio

eodem modo circumuentus ipse, *profugus in Ammanitidem expulsus est regionem*, vt inde mox rediret cum copiis ad cladem suis ciuibus inferendam, in conatu recuperandi Pontificatus. *Menelaus autem principatum quidem obtinuit, de pecuniis vero Regi promissis nihil agebat.* neque Sostrato quæstori Regio, arci & vectigalibus præposito, à quo Regis nomine exigebantur, satisfaciebat. Cumque Sostratus rem detulisset ad Antiochum, vterque ad Regem euocatus est, cui cum pro pecuniis verba daret *Menelaus amotus est à Sacerdotio*, ad tempus videlicet Pontificatu abdicatus est, dum promissam pecuniam expediret. Interea Lysimachus eius frater vicario nomine, summum administrauit Sacerdotium.

Suspenso Menelao ad tempus, Lysimachus sufficitur.

Vide Anna. n. 9.

III. Menelaus Andronicũ sacrilegis demeretur donis. *2. Mach. 4. 30. &c.*

Et cũ hæc agerentur, contigit Tharsenses & Mallotas Ciliciæ populos, *seditionem mouere*, quòd se contemptim tractari arbitrarentur, *eo quod Antiochi Regis concubina dono essent dati. Festinanter itaque Rex venit sedare illos, relicto suffecto*, siue vicario suo in vrbe Antiochena, *Andronico* vno de præfectis suis; quem demereri donis conatus est Menelaus, vt haberet eum consiliorum suorum fautorem. Ratus igitur Menelaus accepisse se tempus opportunum, aurea quædam vasa é templo furatus, donauit Andronico, & alia vendiderat Tyri, & per vicinas ciuitates, scilicet Ptolemaidem, Sidonem, Beritum, Laodiceam, & forte Antiochiam vsque, ex quo factum est, vt res Oniæ Pontifici, qui erat Antiochiæ, innotesceret, & eam ob causam Menelaum argueret sacrilegij. Quod ille indigne ferens Andronicum rogabat, vt Oniam interficeret, siue vt molesto liberaretur obiurgatore, siue ne is fluctuantem adhuc Pontificatum recuperaret.

IV. Qui Oniam Pontificem interficit.

Quæ subodoratus Onias, in Daphnem Antiochiæ suburbanum peramœnum, & asyli iure præditum se recepit. Eo cum venisset Andronicus, ei suadebat, vt inde exiret, quod cum recusaret Onias, ille data ei cum iureiurando dextera, hominem ex asylo eductum statim peremit; non publicè quidem, & in oculis hominum, sed in potestatem redactum, domique clausum, sine tumultu afflictum senem extinxit. Nec impunè. Cum enim Epiphanes Antiochiam reuersus esset, Iudæi apud illum de iniqua Oniæ cæde conquesti sunt. Contristatus autem Rex *Andronicum purpura exutum*, scissisque vestibus, *per totam ciuitatem circumduci iussit, & in eodem loco, in quo Oniam interfecerat, sacrilegum vita priuari.* Ita ergo mortuus est vir sanctus, sacrilegiorum ac sicariorum profano ferro, qui ipsos sex ac triginta annos Iudæorum sacram profanamque Rempublicam magno animi robore sustentarat. Est porro credibile eum honorifice tumulatum, siue iussu Regis ipsius, pro sua in ipsum beneuolentia, quam lacrymis testatus fuerat, siue grata piorum amicorum voluntate.

παῤῥησίαν.

Et is vicissim iussu Regis occiditur.

V. Lysimachus sacrilegia instaurat. *2. Mach. 4. 39. 40. &c.*

Interea Lysimachus, Menelai consilio ac voluntate, multa in templo sacrilegia perpetrabat, vt promissa Regi pecunia solueretur. Quod cum emanasset in vulgus, congregata est multitudo aduersus Lysimachum, *multo iam auro exportato. Turbis autem insurgentibus, & animis ira repletis, Lysimachus* vim multitudinis reformidans, *armatis fere tribus millibus*, quibus Tyrannum quendam præfecit ætate patiter & dementia prouectum, vt ait Scriptura, in cines grassari cœpit. At illi contrà, alij lapides alij fustes validos attripuere, quidam vero cineres in Lysimachum, & videlicet in reliquam eius cohortem iecere, significantes eos dignos, qui flammis redigerentur in cineres. In eo porro tumultu ac seditione multi vulnerati sunt, quidam etiam cæde prostrati, reliqui in fugam conuersi sunt. *Ipsum sacrilegum secus aratrum interfecerunt*, vt scilicet vbi scelus commiserat sacrilegij, ibidem sacrilegam animam effunderet: sicut paulo ante Andronicus, in eodem loco, in quo impiam cædem commiserat, debitam exoluit pœnam. Hæc de re Iudaica.

tem tumultu iceditur

v. 38.

Postrema hoc anno dispositio allata est ad bellum Macedonicum, multis iam annis & Romanis non sine causa suspectum, & à Philippo & Perseo destinatum, ad excutiendum Romanorum iugum. Hoc enim anno apertius consilia Persei de bello patefacta sunt, quo is Romano fœderi atque amicitiæ renunciauit. Romani vicissim eum hostem iudicarunt, vtrique alteros suis finibus excedere iusserunt, vtrique copias & commeatum, ad graue & diuturnum bellum apparatunt. Nam Eumenes Pergami Rex amicus ac socius populi Romani fidelissimus, eóque etiam nomine Perseo inuisus, Romam vltrò venit, & Senatui patefecit, quæ & dudum à Philippo, & deinceps à Perseo ad hoc bellum prouisa, suscepta, ac præparata forent. Itaque cum Persei legatis post paucos dies Senatus datus esset, animis ab Eumene Rege præoccupatis, omnis defensio eorum ac deprecatio respuebatur: præsertim cum princeps legationis Harpalus, extrema oratione dixisset, Regem, si pertinacius causam belli quæri videat, forti animo defensurum se, Martem communem esse, & exitus bellorum incertos.

VI. Postrema ad bellũ Macedonicum dispositio.

Perseigesta Romanis ab Eumene nunciantur.

Dimissa legatione Harpalus quanta maxima celeritate potuit, regressus in Macedoniam, quo statu res omnis esset Regi nunciauit. Itaque Rex Eumeni vehementer infensus ad eum de medio tollendum adijcit animum, immissisque percussoribus in destinatum locum, ita saxis afflictus est, vt efferretur semiuiuus, & mortuum in Græcia & Asia, Romæ quoque fama vulgaret, vbi mox ex hospite Brundusino cognitum est Perseum veneficiis quoque in Romanos agere. Cum Perseus legatos iterum Romam misit Solonem & Hippiam, qui cum alia, tum crimen insidiarum Eumeni factarum purgare conarentur. At Senatus, qui bellum iam in Macedonem decreuerat, denunciauit eis, vt & ipsi, & quicunque è gente Macedonum Romæ adessent, extemplo mœnibus vrbis, Italia in trigesimum diem excederent, ne cum quoquam colloquerentur, & Perseo aditum Italiæ plane interdictum nunciarent; qui non regio tantum animo bellum pararet, sed per clandestina scelera latrociniorum ac veneficiorum grassaretur. Ergo Perseus hostis iudicatus est, qui vicissim Romanos legatos triduo suis finibus excedere iussit, Romanorum amicitia renunciata. Sicinius prætor copias maturè Brundusium ducit, & traijcit in Epirum, vt maritimas vrbes occupet ad exercitum, Cõ-

VII. Perseus Eumenẽ struit in Indias.

Polyb. in legat. n. 60.

Macedones vrbe & Italia pellũtur, & Perseus hostis iudicatus.

fulis cui bellum Macedonicum obtigisset, aduentum. Legatos quoque in Asiam & insulas miserunt, renouandæ amicitiæ, quam recens Thraces, magna Senatus lætitia, expetierunt, quod eos à tergo Macedones inuasuros speraret.

VIII. Pœnorũ de Masanissa querela.

Romæ quoque Pœni de Masanissa querũtur, qui Romana fretus amicitia, biennio ad 70 oppida castellaque in agro Carthaginensiũ vi & armis occupasset. Et quamquam aderat pro Masanissa Gulussa filius, cum tamen negaret sibi facile esse de his agere, cum Senatus ad patrem misit, qui nunciaret vt quamprimum legatos, de iis quæ Carthaginenses querebantur, mitteret, vt ius vtrique parti reddatur, nec gratia, qua Masanissa apud Romanos valet, iniuriæ præsidio sit. Nihil porro hoc anno Coss. memoria dignum gessere. Magis è re publica visum Ligurum animos sedari, quam exasperari, cum bellum Macedonicum expectaretur, & Gentium Illyriorum Regem cum Perseo sentire ac facere cognitum esset, qui Romæ specie legatorum speculatores haberet.

ANNVS MVNDI 3883.

MENELAI PSEVDOP. 2.

PTOL. PHILOMET. & PERSEI 9.

ANT. EPIPH 5. Imp. Græcorum 141.

OLYMPIAD. LII. A. 2. VR. CO. 582.

ANTE CHRISTVM 170.

I. Menelaus pecunia cudit iudicium, & pœnam in accusatores denoluit.

ANnus præsens, qui fuit Iubilæus Mosaicus 26. fuit idem ingentium Iudaici populi malorum præcursor atque prænuncius: cuius ipsum initium; insigni quadam iniustitia, in causa Menelai Pseudopontificis, funestatur. Cum enim Lysimachus, propter sacrilegia in templo perpetrata, consilio, ac voluntate Menelai, qui eo sacrilegiorum administro potius, quam pontificatus procuratore vtebatur, à populo per seditionem concitato interfectus fuisset; aliorum quoque vtrimque fuga, vulnera, cædes contigissent: probe intelligens Menelaus rem ad iudicium regium deductum iri, & se de iis sceleribus periclitari, quæ & mortis Lysimachi, & seditionis causa fuerant, aulicum quendam Ptolemæum auro corrumpit, & per eum Regem ipsum ita deprauat, vt sibi debitam mortem in insontes transferret, *& propter eorum, qui in potestate erant auaritiam, permaneret in potestate, crescẽs in malitia, ad insidias ciuium.* Quę Scripturę verba satis ostendunt Menelaum non fuisse plane de pontificatu deiectum, neque illum ad Lysimachum fuisse translatum. Alioqui dicendum fuisset, restitutum ei fuisse principatum, non in eo permansisse.

II. Commus is de Macedonicobello sollicitus.

Interea Romæ prouincia Macedonia obtigit Licinio Cos. Italia Cassio. Sed in bellũ Macedonicum non solum Romani singulari cura, & extraordinario rerum omnium apparatu erant intenti, sed omnes pene populi ac Reges Asiæ, Africæ, Europæ, atque ipsæ insulæ expectatione pendebant, quod velin alteram partem propenderent, vel alteram obrui plane, cum publico damno reliquorum formidabant. Erat autem ingentes erant vtriusque partis terrestres, maritimæque copiæ, Perseus tamen optabat pacem, eamque per legatos expetit, oblata satisfactione ex Senatus arbitrio: sed ille ad Consulem sunt reiecti, qui breui futurus esset in Macedonia, & intra vndecimum diem ex Italia abire iussi. Nihilominus Perseus consilia pacis agitabat: & Q. Marcij Legati colloquio expetito, atque impetrato, cum legatus querelas de Perseo, & causas susceptæ à Romanis contra eum belli coram exposuisset Rex tam accurata responsione ad singula obiecta satisfecit, vt Marcius dicenti assensus, autor ei fuerit Romam legatum mittendi, ad idque inducias dederit, eò libentius, quod, ea Romanis nondum satis præparatis, necessaria viderentur, Perseo autem damnosæ, qui cum omnia haberet instructa, vana spe pacis ludebatur. Itaque nihil à legatis eius Romæ actum est.

Perseus optat pacem, territo conatu.

III. Eius de bello cõsilium.

Postquam autem legati Roma regressi spem omnem pacis præciderunt, Perseus de rerum suarum summa Pellæ, in vetere Macedonum Regia, consilium habuit. Ibi quoniam multo maior pars censebat cum Romanis pacem esse non posse, nisi toto regno cederet, & ignominiosus in aliquam se insulam conijceret; Satiusque esse armatum, fortunæ, dignitatisque suæ vindicem, vt forti viro dignum est, aut pati quidquid tulerit belli casus; aut victorem, orbem terrarum ab Imperio Romano liberare. *Geramus ergo*, inquit Rex, *bellum, diù bene iuuantibus.* Omnibusque copiis Citium Macedoniæ oppidum contractis, & ad bellum cohortatur, & cum multas fiduciæ causas aperit, tum etiam rei bene gerendæ necessitatem. Agi enim hoc bello de ipsius Macedoniæ possessione retinenda, vel de illa superbis dominis cum Rege suo tradenda, & Macedonibus olim terrarum dominis, iugum Romanæ seruitutis subeundo. Tota Regis oratio magno assensu excepta est.

Et ad suos exhortatio.

IV. Leuiores pugnæ inter Romanos atque Macedones.

Inde ad hostem per Thessaliam profectus, agros late populabatur, si quo modo Romanos, longius à castris abstractos, opprimere posset: idque veriti Romani, dum quiescunt non leuem sibi inuidiam conflatunt. Rex ex concessa impune vastatione sumptis animis, ad hostẽ cum equitibus ac leui armatura propius accedit; ibi pari fere numero cum Eumenianis certatum est: & primæ velitationis, dum neutra ex parte subsidia summittuntur, incerta victoria fuit. Post aliquot dies legitimo certamine vtrimque pugnatum est. Thraces equites & initium pugnæ, & victoriam dedere Perseo, Romanorum equitatu perculso. Perseus etiã ipse, non leue ad victoriam momentum attulit, cum in mediam inuectus aciem, Græcos primo impetu auertit. Et opinio fuit, si inclinatis Romanorum rebus, Rex constantius institisset hosti, eo die debellari potuisse. Sed dum sperat re bene gesta, se meliores pacis conditiones habiturum, receptui canì iussit, spem eandem fouebat clades Romanæ classi eodem tempore ad Oræũ illata. Itaque legatos ad Consulem de pace mittit, cum iis conditionibus quas pater eius

Persei pugna legitima, & victoria.

Rursumque pacẽ frustra quærit.

Philippus à T. Quintio Flaminino accepisset. At Romani aduersis rebus facti ferociores, responderunt ita pacem dari, si de se Rex, deque tota Macedonia statuendi liberum ius Senatui permitteret.

V. Pompeium in summũ discrimẽ adducit.

Ergo bellum redintegrat, in omnem occasionem intentus bene gerendæ rei, & nominatim L. Pompeium Tribunum militum cum præsidio octingentorum militum Romanorum in summum discrimen adduxit, sed Consule suis succurrente, grauiore pugna dimicatum est; in qua Regis prudentia desiderata est. Neque nunc primum. Nam Consul Licinius ex Epiro Thessalium petens per aspera difficiliaque loca, miratus est ab hostibus ea non fuisse occupata, vbi Romani cladem ingentem accipere potuissent. Denique nõ leuibus damnis vtrimque acceptis, post dies aliquot Rex copias in Macedoniam traduxit, Consul in Bœotiam, vocantibus Thebanis, se ad hyberna recepit. Interim autem C. Cassius Consul neq; in Gallia, quam sortitus erat prouinciam, memorabile quidquam gessit, & per Illyricum ducere legiones in Macedoniam inconsulto Senatu, vano incepto conatus est, & medio ex itinere per legatos reuocatus, multa damna quietis intulit; qua de re querelæ Romæ proximo anno auditę sunt. Hoc autem, ex Hispania de Romanis præfectis; cui malo & in præsens per quorundam exilia, & in futurum certis legibus prouisum est. Hoc quoque anno notatum est Q. Fulvium Flaccum, pœnam sacrilegij fœda morte pependisse.

C. Cassij temeritas & violentia.

Vide supra an. V.C. 580. *n* 5. Mors Flacci in pœnam sacrilegij.

ANNVS MVNDI 3884.

MENELAI PSEVDOP. 3.

PTOL. PHILOMET. & PERSEI 10.

ANT. EPIPH. 6. Imp. Græcor. 142.

OLYMP. CLII. A. 3. VR. CON. 583.

ANTE CHRISTVM 169.

I. Antiochus alteram in Ægyptũ profectionẽ parat. 2. *Mach.* 5.

Circa hoc tempus arbitramur Antiochum secundam profectionem in Ægyptum parasse; ipsa enim expeditio, omnium consensu in sequentem annum cadit. Eius causa, consentaneè iis, quæ de priore dicta sunt, ex Liuio atque Polybio, hæc fuit. Antiochus Memphi constituerat Philometorem Regem, dum Euergetes minor natu frater, Alexandriæ clausus obsideretur; cuius mœnibus frustra tentatis, callide in Syriam abduxit exercitum, partim ne Romanis suspectus esset, quasi Ægyptum sibi occupare vellet, specie reducendi maiorem natu in regnum suum: partim sperans fore, vt ipsimet fratres armis inter se decertarent, & ipse mox victorem certamine debilitatum integer aggrederetur. Huius voluntatis non ignarus Philometor, dum minorem fratrem habet obsidione contertitum, cum ipso eiusque amicis, vtriusque sorore adiuuante, non prius agere destitit, quam stabilita pace in Alexandriam cum omnium consensu reciperetur.

Fratres Regis reconciliantur.

II. Quibus cum Antiochum lætari paresset adeo est offensus, puta quod ipso, qui Auunculus esset, & Tutorem ageret, minime consulto, atque adeo suspecta de mala in nepotes suos voluntate, pacem inter se conciliassent, multo vt acrius atque infestius aduersus vtrumque nepotem, quam ante aduersus vnum bellum pararet. Ergo primo vere in Cœlesyriam, indeque in Ægyptum infestis armis progressurus, classem extemplo misit in Cyprum. Hoc autem se facilius victoria compotem fore credidit, quod bellum Macedonicum, quod inceptum erat, non Romanos solum atque Macedonas, sed omnes quoque Reges ac populos, qui pro alterutris erant in armis, detenturum erat, ne Ægyptiis opem ferre possent. E contrario Achæ gratulandi, & amicitiæ renouandæ gratia, legatos in Ægyptum miserunt. Cum autem vterque Ægyptius intellexisset Epiphanem in eos arma parare, per legatos auxilia Achæorum petiuerunt, quibus Lycortas & Polybius præfuturi erant.

Magno Antiochi dolores eiusdem de hac expeditione cõsilia.

III. Ostenta Hierosolymitanæ cladis prænuncia. 2. *Mach.* 5. 1. & *seqq.*

Interim multa ostenta futurorum malorum prænuncia Hierosolymis ad dies 40. visa sunt, vt iis Israëlitæ conterriti, peccatorum suorum magnitudinem agnoscerent, atque sub ipsum imminentis pœnæ tempus, deplorarent. Iis dedit initium impij Iasonis conatus, ad recipiendum Hierosolymis pontificatum, qui in sexti mensis anni huius initium cadit, vt in Annalibus explicatum est. Quo tempore cum falsus de morte Epiphanis rumor increbuisset, impius ille apostata, occupata improuiso impetu cum mille viris ciuitate, non parcebat ciuibus suis, sed cædibus grassabatur. Quo tempore, fugiente in arcem Menelao, qui erat instar pontificis, & cædibus tota ciuitate turbata, etiam templum desolatum est, & sacrificia intermissa, Sacerdotibus vnà cum Pseudopontifice fugientibus, vel latebras captantibus. Quid autem hac clade consecutus est Iason? *Principatum autem non obtinuit*, ait Scriptura, *finem vero insidiarum suarum confusionem accepit.* Ab vrbe scilicet præter opinionem expulsus, multitudine aduersus ipsius Iasonis manum conglobata.

n. 5. & 6 Iason vrbem inuadit, irrito conatu.

c. 5. *v.* 7.

IV. Et profugus miserè perit. *v.* 8. & 9

Insidiarum mentio innuit præter apertam vim, quæ memorata est, etiam proditionem aliquam ab amicis Iasonis interuenisse. Sed præualente multitudine *profugus abiit iterum in Ammanitidem.* Addit his Scriptura consequenter, quæ deinceps Iasoni ad mortem vsque contigerunt, temporis distinctione prætermissa. Significat enim ab Ammonitis abijsse ad Arabas, ibique suspectum molitionis alicuius aut criminis, in vincula fuisse coniectum; indeque etiam emissum, & eiectum, instar Caini profugum, ad Antiochi aduersarios in Ægyptum se contulisse. Bello autem perfecto, veritus ne ab Antiocho ad supplicium reposceretur, vt qui vrbem per vim fraudemque occupasset, & multam ibi cædem perpetrasset, ad Lacedæmonios euasit, apud quos miserè perijt, & insepultus abiectus est: cuius calamitati Scriptura, quasi diuinæ iustitiæ congratulans, non immerito insultat.

V. Multæ de Romanis præfectis in Senatu querelæ.

De Romana re huius anni, nihil fere proditum est, præter querelas Græcorum contra Licinium Consulem & Lucretium Prætorem, eiusque successorem Hortensium, à quibus cru-

deliter & barbarè bellatum esse ferebatur, & socios præsertim Abderitas, hostili more tractatos. Gallorum quoque legati, Carnorũ, Histrorum, Iapidum eadem de C. Cassio exconsule querebantur, Chalcidensium item contra Lucretium & Hortensium; Quibus omnibus Senatus quantum fieri potuit, curauit vt fieret satis; maximéq; vt seruituti addicti manu mitterentur. Ligures nihil hoc anno mouerũt. Hostilius in Macedonia nihil memorabile gessit. Quia tamen bellum in Illyrico à Gentio suspectum erat, eò misit Appium Claudium, qui Illyricum tutaretur, cum quatuor millibus peditum. Qui ad Vscanam oppidum, dum se gerit incautius, ingentem cladem accepit. Ea tamen mox in Romanorum potestatem venit. Sed illam Perseus proxima hyeme obsedit, & ad deditionem coëgit, Romanos inde eiectos armis exuit, ciues Vscanenses, Illyriosque venditione distraxit, vt habet Liuius. Hæc & alia haud prospere in Macedonia gesta sunt hoc tempore à Romanis, diuino numine iniurias, & oppressionem pauperum vindicante. Satis autem prospere agebat Perseus. Sed eleuabatur, vt mox ruina maiore corruens, confringeretur.

Res ad Vscanam gesta.

ANNVS MVNDI 3885.

MENELAI PSEVDOP. 4.

PTOL. PHILOMET. & PERSEI 11.

EPIPHANIS 7. Imperij Græcorum 143.

OLYMP. CLII. A. 4. VRB. CO. 584.

ANTE CHRISTVM 168.

I. Secunda Epiphanis in Ægyptum expeditio. 1. *Mach.* 1. 21. & 2. *Mach.* 5. 1.

NEcesse est, nisi à Scriptura discedere placet, hoc anno 143 Regni Græcorum, alteram Antiochi expeditionem in Ægyptum contigisse fateamur. In qua tamen hostiliter, vt animo destinarat, se gerere non potuit, Romanorum metu, vt diserte Iosephus asseruit, & Liuius diligenter explicat. Primo inquit vere Antiochus cum exercitu Ægyptum petens, processit in Cœlesyriam. Ea re cognita Ptolemæi legatos ei obuiam mittunt, qui causam susceptæ expeditionis exquirant, illique omni ratione satisfacere conentur: simul etiam, nisi potius id factum prius, Romam alios destinant, qui à Romanis quamprimum impetrent, vt vel gratia, vel iussione, à bello ipsis inferendo Antiochum auertant. Priores illum ad Rhinocoturam offendunt, qui negat se reducturum exercitum, nisi sibi & tota Cypro, & Pelusio cum eius agro cedatur, & Cœlesyriam retineat, diemque præstituit, intra quam de admissis conditionibus responsum accipiat. Interea vero, dum finem induciis præstitutum expectat, excurrit in Arabiam, eiusque populos sibi subiicit.

Eiusdẽque postulata.

II. Alexandrini Romę opem implorãt, & legatos obtinent.

Alexandrini vero legati summa celeritate vsi Romam peruenerunt, & in curiam admissi docuere patres Antiochum Ægypto imminere, regesque Ægypti, populi Romani amicos & socios, nisi opem ferant, subiugaturum. Eam esse Senatus in Antiochum autoritatem & merita, vt si legatos mittat, qui significent Senatui non placere sociis regibus bellum fieri, extemplo Alexandria relicta, in Syriam cum exercitu sit rediturus. His precibus moti Patres, legatos extemplo mittunt, quorum princeps C. Popilius Lænas, qui nuncient nisi bello absistatur, per vtrum steterit, eum neque amicum populi Romani, neque socium fore. Illi quamprimum Ægyptum petunt; cum interim finitis dudum indutiis, Antiochus Pelusium adierat, & interiectam Ægyptum Alexandriam vsque subiecerat, ipsamq; Alexandriã modicis itineribus petebat, cum legati Romani ei occurrũt. Quos cum Rex salutaret prior, dextramque Popilio, sibi iamdudum familiariter noto porrigeret. Ille tabellas ei scriptas offert, ac prius legere iubet; & differentem radio circunscribit, ex quo priusquam excedat, responsum dare iubet, quod Senatui referri velit. Obstupefactus Antiochus tam violento Imperio, faciam inquit, quod censet Senatus. Tum demum Popilius dextram Regi, tanquam socio & amico, benuole porrexit. Mox etiam constituta à legatis die Ægypto excessit Antiochus, & Cyprum, subductis nauibus, Ptolomæis dimisit.

Qui Antiochum territum ab incœpto retrahunt.

III. Præmatura comitia Coss.

Hunc annum, quo iterum Q. Marcius cum Seruilio Cæpione creatus est Consul, Rhodij tertium belli annum vocant, in sua in vrbem legatione, qua de eo finiendo agunt: quo anno præmaturè habita sunt comitia Consularia, ad quintùm Cal. Septembris, vt expeditis & paratis per hyemem rebus necessariis, cum primum nauigare liceret, Macedonia classe peteretur, cum exercituum supplemento Marcio obtigit Macedonia, qui partim maritimo, partim terrestri itinere Thessaliam petiit, vbi Hostilius prioris anni Consul erat cum exercitu, quo ab eo accepto, Macedoniam versus difficillimo itinere proficiscitur, vt fatentur omnes, vniuersum exercitum à Macedonibus, si quid animi vel industriæ habuissent, deleri potuisse. Multis diebus non magno itinere laboriosissimè confecto, Marcius ad vicina Regi loca peruenit. Quo accepto nuncio ita perturbatus est, Perseus vt de fuga potius, quam de prælio cogitans, omnes Romanis aperuerit victoriæ vias, & quæ temeritas Consulis videri potuisset, eam non inconsultam audaciam fecit. Qui si vel decem dies terrorem appropinquantis ferre potuisset, Romanis extrema omnia ferenda erant.

Gesta Marcij in Macedonia, & insignis Persei imprudentia.

IV. Consul male deserta loca occupat.

Consul ergo & inertia & stultitia Regis vsus, loca ab hoste temerè derelicta occupauit, & explorato circa Dium transitu postquam omnia in omnem partem patere animaduertit, secundis castris Dium peruenit, & vrbem ingressus est egregie munitam, vix vt sibi Consuli persuadere posset non subesse alicubi insidias. Itaque diem vnum explorando circumomnia moratus, progreditur vlterius, sed inopia commeatus regredi ad Dium coëgit, indéque etiam Philam petere. Cum Perseus agnita præcedenti culpa sua, & Consulis discessu Dium regressus, omnia, quę vastata fuerant à Romanis, diligenter instaurat, & animo ex improuido pauore recepto, stulta imperia reuocat, & non impleta lætatur. Nam trepidans

Perseus crudeliter resipiscit.

gazam Pellæ in mare deijci, & Thessalonicæ naualia iusserat incendi, ne hostibus vsui forent. At Andronicus Thessalonicam missus traxerat tempus, pœnitentiæ Regis dato prudenter loco. Incautior Nicias pecuniæ partem, quã Pellæ inuenerat, proiecit in mare; sed ea mox per vrinatores recepta est. Tantus porro Regi pauor: seius pudor fuit, vt vrinatores clam interfici iusserit: deinde Andronicum quoque & Niciam, ne quis tam dementis Im perij conscius existeret. Hoc nimirum deerat criminibus miseri Regis, quę illum ad probrosam ruinam trahebant.

V. Romanorũ res aduersæ.

Interea Romani maiori damno quam emolumento, consulari exercitu, atque prætorio in diuersas vrbes impetum fecerunt, Thessalonicam, Antigonæam, Cassandræam, Toronem Demetriadem, Melibœam, Rege simul & Regijs eas vrbes egregie propugnantibus: adeo vt fama fuerit tractatas Demetriade conditiones amicitiæ inter Eumenem & Perseum Reges. Eumenes tamen, qui maritima auxilia ad Cassandrææ obsidionem irrita detulerat, ad Consulem nauigauit, eique prosperum in Macedoniam gratulatus ingressum, Pergamum in regnum abijt, ille ad hyberna concessit.

VI. Legationes quætulæ, & Rhodiorum superbæ.

Multæ legationes Romæ obitæ sunt hoc anno Gallorum, Pamphiliorum, Bythinorum & maximè Rhodiorum, qui superbè, atque incõsultè pacem cum Perseo non rogabant, sed imperabant, adhibitis etiam minis, se in eos arma moturos, per quos stetisset quo minus pax conficeretur. Sed eos postea huius legationis vehementer pœnituit, sed in præsentia quoque. Factum est enim Senatus Consultum quo Cares & Lycios, qui tum Rhodijs parebant, liberos esse populus Romanus iubebat, literæque extemplo missæ, quibus id iis populis indicabatur. Cæterum in extru tam annus erat, & populus de bello Macedonico finiendo sollicitus, circunspiciebat quos Consules esset creaturus: ideóque de comitijs primo quoque tempore habendis S.C. factum est.

VII. Clades Hierusalẽ quando cõtigerit.

Expeditis porro iis quæ ad profanam historiam pertinent, luctuosissimam Hierosolymitanæ ciuitatis cladem, atque adeo totius Reipub. Iudaicæ immensam calamitatem paucis exequamur; quam minime dubium est Ægyptiaco bello soluto contigisse. In posteriore siquidem Machabæorum perspicue habetur Antiochum *efferatis animis* ex Ægypto profectum, armis ciuitatem cepisse, idque 143 anno regni Græcorum, vt habetur in priore, exeunte videlicet, & sequentibus deinceps. Cur autem *efferatis animis*? Nimirum suspicatus est Iudæos ad Regem Ægypti, tanquam legitimum Syriæ Regem defectionem moliri. Augebat suspicionem sparsus de eius morte rumor visis prodigijs, quæ supra significauimus; quibus cum lætati essent Iudæi, vt ait Gorionides, voluit Antiochus gaudium eorum in luctum vertere. Accessit eius ira in Romanos, à quibus iussus erat Ægypto, quam spe deuorauerat, abstinere. In Iudæos enim, male alioqui erga se affectos, iram in superba Romanorum imperia collectam, crudeliter effudit.

c. 5. v. 11.

l. 1 c. 11 de bello Iud.

Eius causa.

VIII Captavi ciuitas, & quãta in ea cædes.

Cum autem Scriptura dicat, eum cum ingentibus copijs armis cepisse ciuitatem, apparet restitisse ciues, & vrbem, vt ait Iosephus, fortiter expugnatam; quæ autem ibi perpetrarit partim ad ipsam ciuitatem, partim ad templum pertinent, Ad ciuitatem pertinet illa iussio de interficiendis, nullo ætatis sexusve discrimine omnibus obuijs, ipsasque penetrate domos, ibique repertos, pro libidine trucidare. Itaque triduo bacchatus militaris furor, quadraginta millia ferro perdidit in ipso ardore certaminis, totidemque vendita seruituti mancipauit. Non dubium est autem has inter cædes & captiuitates multos fuga, vt fit, euasisse, & in Ægyptum terrâ marive penetrasse, in quibus fuit Onias, Oniæ iusti nuper occisi filius natu minimus, qui ibi beneuolentiam Philometoris: & vxoris eius Cleopatræ conciliauit sibi, vt sequentia docebunt.

l. 2. c. 15. & 1499.

Oniæ iusti oris fuga.

IX. Templi expilatio, duce Menelao.

Neque his contentus Antiochus, quæ in reliqua ciuitate patrauerat, *ausus est etiam intrare templum vniuersa terra sanctius, Menelao ductore, qui legum & patriæ fuit proditor.* Leges enim violando templo profanabat, per introductionem hominis profani atque sacrilegi, quo ne Israëlitæ quidem, nisi essent Sacerdotes, admittebãtur. Violatis autem legibus & profanato templo, consequenter patriam, quæ illis nitebatur, hostibus euertendam prodebat. Ex hoc autem loco intelligitur, Menelaum adhuc in occupato summo Sacerdotio perseuerasse. Honoratissimus quippe Sacerdotum, Regem honoris causa deducebat. *Et scelestis manibus sumens sancta vasa, quæ ab aliis regibus & ciuitatibus erant posita, ad ornatum loci & gloriam, contrectabat indignè & contaminabat*, nec contrectabat modo, sed deprædebatur, Domino id propter Iudæorum peccata permittente, & eorum scelera ea iactata castigante. *Igitur mille & octingentis*, tam auri, quam argenti, *ablatis de templo talentis, velociter Antiochiam regressus est.* Ea porro pecunia, etiam vasa sacra, tam aurea, quam argentea continentur, prout distinctius habetur in priore libro, vbi dicitur *accepisse altare aureum, & candelabrum luminis, & vniuersa vasa eius, & mensam propositionis* extrahendo inde auri argentique laminas, & ligna, quibus sustentabantur, Iudæis reliquens. Quæ autem Ethnici in templo ab Epiphane inuenta mentiantur, vide in Annalibus.

Pecunia, vasisque sublatis.

l. 1. c. 1. 23.

Vide Anm n. 32. & 33. & 35. & 36.

ANNVS MVNDI 3886.

MENELAI PSEVDOP. 5.

PTO. PHILOM. & PERSEI 12. & vlt.

ANT. EPIPH. 8. Imp. Græcorum 144.

OLYMPIA. CLIII. A. 1. VR. CO. 585.

ANTE CHRISTVM 167.

I. Clades absente Antiocho ab eius præfectis renouatur. T. Liuius l. 45. 2. Mach. 5. 11. 12.

LAmentabantur hoc tempore Iudæi acceptas anno proximo ab Epiphane clades, & effusam indignationem eius in sanctuariũ Dei; quam apud Romanos ne præse quidem ferre ausus est. Eius enim legati Romæ retulerunt, pacem quæ Senatui placuisset, omni victoria ei visam esse potiorem. Falsum id quidem,

Incitante Menelao

cum efferato animo cum inde rediisse Scriptura testetur. Ad hunc autem annum in primis illa pertinent, quæ post discessum Antiochi ex vrbe, ministri eius, Domini sui voluntate, in Iudæa perpetrarunt. *Reliquit & præpositos*, ait Scriptura, *ad affligendam gentem, Hierosolymis quidem Philippum genere Phrygem, moribus crudeliorem eo ipso, à quo constitutus est. In Garizim autem Andronicum, & præter hos Menelaum qui pessime aliis ciuibus imminebat*, vt est in Græco. Nimirum hic pseudopontifex stimulus erat præpositis illis barbara feritate sæuientibus, & vnguis in vlcere ciuium suorum, tam Hierosolymis, quam Samariæ vbi erat mons Garizim, & in eo templum Samaritanorum: per quotidianas fortunarum expilationes, corporum verbera, seruitutes ac cædes, tam in priuatos inimicos, quam in patriorum institutorum tenaces.

II. Æmylio Consuli obuenit Macedonia.

Sed iam in Macedoniam dudum in ruinam inclinantem, & hoc anno plane collabentem inuisamus. Ea sors L. Æmylio Paulo, post 15. annos iterûm Consuli, obtigit, ineunte Olympiade CLIII. Qui primum legatos in Macedoniam misit, qui explorarent, certòque referrent, quis esset tam Romanæ rei quam Macedonicæ status. Id cum factum esset, Consul, cum Cn. Octauio præfecto classis, in Macedoniam est profectus.

Perseus Gentium fallit, aliosq; Reges cetat

Interea Perseus Gentium Illyriorum Regẽ, promissa pecunia, & perfidiosè fraudata, Romano bello implicat, legatis eorum tanquam exploratoribus in vincula coniectis. Rhodios quoque Eumenem & Antiochum pertentat, docetque populum Romanum singulos aggredi Reges vniuersos si possit perditurum. Indignum esse facinus si Regum viribus expugnentur Reges, si Macedonia sublata fuerit, Asiam ruinæ proximam fore, quam iam ex parte sub specie liberandarum ciuitatum suam fecerint, aliàque id genus.

III. Auaritia Perseo pernicio-sa.

Verum Perseus non in solo Illyriorum Rege fallendo prodidit auaritiam suam, sed in Eumene quoque, & in Gallis. Nam cum Eumenes mille & quingenta talenta requireret, vt à bello abstineret, aut ne pacem cum Romanis transigeret: ea se daturum re perfecta spondebat Perseus, Eumenes patrem præsentem habere cupiebat. Ita nihil inter eos perfectum, præter infamiam Eumeni conflatam. Cum autem Gallorum ingens agmen ex Istria effusum esset in finibus Macedoniæ, operamque suam stipendiariam offerret, dum parcit pecuniæ, eamque victoribus inconsultè conseruat, eos à se alienatos dimittit, quibus sine rem suam recte administrasset, ad certam victoriam vti poterat. Agnoscit Polybius in hac Persei auaritia diuinam prouidentiam. Nam si largiri voluisset, plurimi se eius partibus adiunxissent; sicque aut plena victoria parta superbam dominationem exercuisset; aut si vinceretur in eiusdem ruinæ societatem plurimos attraxisset. Rhodios tamen missa legatione attraxit, cui pondus addidit non modo classis Macedonica, quæ Antenore & Callippo præfectis, toti Ægeo imperitabat; sed coniunctio ipsa Persei Gentijque, & fama Gallorum magno equitum peditumque numero Perseo venientium. Ita que cum Rhodiis animi accessissent, palam superbè pronunciârunt, se bello finem autoritate

n. 77. Alius Dei prouidẽtia vtilis.

Rhodiorum insolens superbia.

sua imposituros, qui & Cretenses in Persei societatem adduxerunt.

Polyb. n. 56 & 57.

IV. Res Illyrica, & Gentij clades.

Dum hæc à Rhodiis & Perseo geruntur, Æmylius Consul in Macedoniam, Cn. Octauius Oreum ad classem, Anicius in Illyricum perueuerunt. Hic cum viciniore & infirmiore hoste negotium gereus, citius rem confecit. Gentius ad quindecim armarorum millia Lissum contraxerat, & inde socias Romanorum vexabat vrbes. Cui cum copiis suis resistebat Appius, quando Anicius Prætor cum nouo exercitu ad eum venit, & apparet eum feliciter cum hoste pugnasse, quam pugnam multarum vrbium deditio subsecuta sit. Ad Scodram ventum est, vrbem & ingenio loci, & arte munitissimam, quam Rex vt totius regni arcem & belli caput, cum tota Illyriorum gente tutabatur: Anicius tamen quia prima successerant, sperans repentinum terrorem ad victoriam valiturum, instructo exercitu succedit ad mœnia. Egressi Illyrij male pugnant. Pulsi & fuga conglobati, cum ducenti amplius in ipsis portæ faucibus cecidissent, tantum intulerunt terrorem, vt extemplo Gentius legatos de induciis mitteret ad Prætorem, vt de rebus suis statueret. Triduum datum est ei, intra quod frustra expectatis cum fratre auxiliis, Prætori sese suáque omnia dedidit, vxorem, fratrem, filios, parentem, cum aliis Illyriorum principibus, quos cum ipso Gentio Anicius Romam ad triumphum misit, bello intra dies triginta confecto.

Et deditio cum familia Regia.

V. Timor Persei, & legatie Rhodiorum importuna.

Quibus diebus hæc agebantur, Perseus quoque in magno terrore erat, propter aduentum noui Consulis, & Prætoris, sed eum mox Illyricæ victoriæ fama vehementer auxit, & vice versa animos Romanorum erexit. Quo tempore cum Rhodiorum legati pacis imperia ferentes aduenissent, prope præcipites è castris electi sunt, & in eorum contemptum belli consilia studiosius agitata sunt, & mox Scipio Nasica cum Milone Persei duce feliciter pugnauit. Cumque aliquanto post traiecto fluuio Æmylius Scipioni se coniunxisset, pugnam à Perseo oblatam recusauit, tum propter maiores hostium copias, tum propter temporis, locique incommoditatem. Castris permunitis Sulpicius Gallus Tribunus multum prædixit, lunę diliquium ea nocte futurum, qua præmonitione sublatus est Romanis timor, qui Macedonas perculit, ratos eo prodigio regni supremam cladem nunciari, quæ reuera erat in ianuis, licet ad eam syderis illius defectio nihil pertineret.

Lunæ defectio.

VI. Suprema pugna cũ Perseo, eiusque occasio & modꝰ.

Postridie occasio supremæ pugnæ præter spem exorta est. Medius erat fluuius haud magnus inter vtraque castra, in quo vtrique aquabantur; quod dum fit, vnius iumentum in vlteriorem ripam euadebat, id tres milites quorum duo erant Thraces secuti sunt, vt ad se retraherent, quibus dum Romani resistunt, vnus Thracum occumbit, & iumentum à Romanis abducitur. Eam rem Thracos indignè ferentes, qui ad ripam ad octingentos in præsidio erant, ad persequendos interfectores, primum pauci fluuium transgressi sunt, deinde plures, postremo omnes, & cum præsidio Thracum reliquum etiam exercitus in aciem processit. Pugnatum est vtrinque acriter, donec pha-

lange

lange Macedonica, quæ à fronte erat intolerabilis, à lateribus carptim dissipata est, & victoriæ datus est aditus. In ea cædenda dum Romanus insistit, equitatus prope integer pugna excessit: princeps fugæ Rex ipse erat, & à Pydna ad quam pugnabatur, Pellam petebat, cædes & fuga reliqui exercitus secuta est. Cæsa sunt ad 20. hominum millia, ad sex millia, qui Pydnam ex acie profugerant, viui cum ipsa vrbe capti, & vagi ad quinque hominum millia. E victoribus ceciderunt non plures centum, vulnerati aliquanto plures.

Fuga Persei.

VII. Deseritur à suis.

Perseus per Pieriam syluam noctu fugiens, multis comitum amissis, Pellam sub mediam noctem peruenit, variè terrore, & viæ difficultatibus vexatus, vbi Euctum & Eudæum ærario præfectos, eum intempestiua libertate admonentes pugione confodit; quo facto omnes prope amicos à se abegit: qui cum euocati non venirent, veritus ne ab ijs dederetur hosti, quarta vigilia noctis Amphipolim versus cum quingentis fere Cretensibus profugit. Quò cum aduersæ pugnæ fama peruenisset, ipse ad concionem coacto populo cum filio Philippo ad ciues confirmandos venit; sed animi dolore & lacrymis impeditus, cum profari non posset, & Euander, cui eam Rex curam committebat, præ lacrymis etiam ipse loqui non posset, multitudo Euandri fletus aspernata. *Abite*, inquit, *hinc, ne pauci quos superstites propter vos pereamus.* Hæc ferocia vocem Euandro clausit. Rex domum se recepit, & oratores cum caduceo ad Paulum misit, pecuniaque & auro, argentoque in lembos, qui in Strymone stabant delatis, in flumen descendit, indeque in Samothraciam, cum duobus talentûm millibus, peruenit.

Eiusdem luctus irritus.

VIII. Æmylius recipit totâ Macedoniâ.

Interea Consul recepto filio, quem amissum timuerat, pleraſque omnes Macedoniæ ciuitates, intra biduum deditione recepit, & præsides adeas misit, ne qua deditis iniuria fieret, retentisque apud se caduceatoribus Regis, P. Nasicam Amphipolim misit, ipse Pellam vrbem munitissimam Macedoniæ Regiam, temere à Rege derelictam venit, vbi trecenta duntaxat talenta reperit, quæ ad Gentium destinata, deinde violata fide retenta sunt. Ibi accepto nuncio Perseum Samothraciam traiecisse, profectus à Pella, quartis castris peruenit Amphipolim, turba omni obuiam effusa, in signum se adhuc non bono aciusto Regi paruisse. At Æmylius, acceptis per tres ignobiles legatos à Perseo Rege literis, sorti humanæ collacrymasse dicitur. At postquam in inscriptione legit. *Rex Perseus Consuli Paulo S.* stultitia hominis fortunam suam ignorantis omnem miserationem exemit; itaque sine responso ea legatio dimissa est. Mox ergo priuatis literis obtinuit, vt aliqui ad se mitterentur, cum quibus de rebus suis agere posset, nihil tamen cum ijs perfectum est, Perseo Regium nomen mordicus retinente, Paulo è contrario contendente, vt se suaque omnia fidei ac clementiæ populi Romani permitteret.

Cum Rege per legatos agit.

IX. Victoriæ nuncij Romæ.

Victoriæ nuncij Q. Fabius, qui postea minor Africanus, Lucius Lentulus, & Q. Metellus cum Romam summa festinatione venissent, præceptam tamen eius rei lætitiam inuenere. Nam quarto post die quam cum Rege pugnatum est, cum in circo ludi fierent, murmur repente populi tota spectaculâ peruasit, pugnatum in Macedonia, & deuictum Regem esse; nec quærentibus magistratibus autorem repentinæ lætitiæ, quisquam apparuit. Addit his Polybius legatos Rhodios nondum dimissos; post nunciatam victoriam in Senatum vocatos esse, velut ad ludibrium stultitiæ superbiæ: qui cum admissi gratularentur victoriam, à patribus cum exprobratione vanitatis reiecti sunt.

Rhodiorum legatio.

Etsi autem parta erat victoria, nondum tamen Rex venerat in potestatem Romanorum. Itaque classis Octauij prætoris in Samothraciam, vbi se Rex fana religione tutabatur, appulsa est. Ibi L. Attilius questus est apud magistratum insulæ sanctitatem violari, Euandri homicidæ præsentia, qui Eumenem Regem ad Delum proditione mactare voluisset. Magistratus, qui totam iam insulam in Romanorum potestate esse videret, Regem ipsum adijt, & Euandrum iudicio permitti postulauit. At Rex cernens crimen suum patefactum iri, Euandrum vltimum amicorum interfici curauit, & mox eum manus sibi intulisse vulgauit. Quo facto omnium qui secum erant alienauit animos, & pro se quisque ad Romanos confugere, præsertim vbi iussu Prætoris Octauij per præconem nunciatum est, regios pueros, reliquosque Macedonas, qui essent in Samothracia, libertatem & sua omnia seruaturos. Rex tamen nihilominus fugæ consilium capit, opera Oroandis cuiusdam Cretensis, qui accepta Regis pecunia, dimisso Rege vela fecit, & Gentium Illyriorum Regem inscius vltus est. Rex autem cum neminem apud se haberet vltra præter Philippum natu maximum, se ipsumque Octauio tradidit.

X. Res gestæ in Samothracia. n. 88.

Euandri mors.

Rex in Prætoris potestatem venit cũ filio.

Is ipsum in prætoriam nauim cum filio imponi iussum, cum pecunia quæ reliqua apud Regem inuenta est, extemplo cum tota classe deduxit Amphipolim. Inde Octauius Regem ad Consulem misit in castra; vbi honorifice ab Aemylio, omnibus vndique ad id spectaculum confluentibus, exceptus est, & ad spem bonam de Romana clementia erectus, Q. Ælio seruandus traditur. Hic finis belli cum Perseo, idemque finis Regni Macedonici cum quadriennium, totum pugnatum esset, durasserque ab Alexandri Magni obitu 156. annis, ab initio Philippi patris eius centum nonaginta tribus.

XI. Deducitur Amphipolim, & ad Æmylũ.

Belli Macedonici & regni finis.

Vide Annal.

ANNVS MVNDI 3887.

MENELAI PSEVDOP. 6.

PTOL. PHILOMATORIS 13.

ANT. EPIPHANIS 9. Imp. Græc. 145.

OLYMP. CLIII. A. 2. VRB. CO. 586.

ANTE CHRISTVM 166.

MAlorum huius temporis incrementa cõtra Iudæos eiusmodi fuerunt, vt nihil ad-

I.

Iudæorũ nouæ calamitates *l. 1. Mach. c. 130. &c*

modum ijs cederent, quæ biennio ante contigerant, quod ad cædes, expilationes & fugas: sed habet insuper domorum incendia, murorum euersionem, & arcis, ad vsum tyrannidis, instaurationem. Habet diuinam legem Imperio Regis antiquatam, atque conscissam, templum etiam horribilius profanatum, & abominationem desolationis constitutam in loco sancto, barbaras & inauditas in Mosaicæ legis obseruatores, crudelitates. Quæ post duos annos dierum contigisse Scriptura testatur, id est, plenos & integros, suisque omnibus diebus constantes. Duos autem annos dicit à priore clade numerandos, quando ipsemet Hierosolymam, & templum, infestus & populabundus intrauit. Præsens autem clades per Apollonium Regium quæstorem facta est, quem cum exercitu duorum & viginti millium misit Antiochus, iussum *omnes perfecta ætatis interficere, mulieres ac iuuenes vendere.* Et apparet sane principem nouo aliquo facinore offensum, aut recenti calumnia irritatum, vt ista mandaret, quæ in Annalibus diligenter ordinata, & breuiter explicata reperies.

Post biennium. *l. 2. c. 5. 24*

II. Iudæi diffugiunt, in quibus Mathatias cum suis. *l. 1. c. 2. l. 2. c. 5. 27 duy dixiosme. dinatós su.*

Dum autem furor hic in theatro, in templo, totaque vrbe bacchatur, *fugerunt habitatores Ierusalem*, in quibus Mathatias cum sua familia, quæ decem personis constabat. Eo enim pertinet, quod alio loco dicitur, Iudam Machabæum, *qui decimus fuerat*, id est vnus è decem, *secessisse in desertum locum, ibique inter feras vitam in montibus egisse cum suis*, herbisque ac radicibus vitam toleraſſe, donec anno sequenti processerunt in publicum, & se profanis hominibus, murum pro domo Domini, obiecerunt. Interea desolata ciuitate, & valido Antiochenorum præsidio in arce collocato, nusquam vt Iudæi se commouere possent, *misit Rex senem quendam Antiochenem, qui compelleret Iudæos, vt se transferrent à patrijs, & DEI legibus.* Decretum enim Regis ferebat ad omnes subditos eius, *vt esset omnis populus vnus*, quod ad diuinum cultum attinet, *& relinqueret vnusquisque legem suam.* Voluit autem Antiochus hanc legem generalem esse, vt Iudæi, quos sciebat rituum suorum retinentissimos, facilius, communi cæterorum exemplo, mandatis Regijs obtemperarent. Neque id ægre à cæteris gentibus impetratum est, præsertim cum ea iussio capitali pœna sanciretur. Sed plurimi quoque Iudæi sese ad eos aggregarunt, *qui* prius cum Iasone *dereliquerant legem Domini.*

Decretũ Antiochi de antiquanda Iudaica lege. *l. 1. c. 1. v. 43. l. 2. c. 6. 1.*

l. 1. c. 1. v. 55.

Nominatim autem misit diplomata Regia Hierosolymam, quibus prohibebantur holocausta & sacrificia omnia, Sabbatha & dies festi tollebantur, luci & delubra idolis ædificati iubebantur, carnes suillæ & immunda pecora immolari, circumcisio morte quoque proposita vetabatur, ciborum delectus antiquabatur. Nouam quoque templi dedicationem, aut execrandam potius profanationem fieri iussit, quæ decima quinta die mensis noni contigit, quo abominandum idolum Iouis Olympij altari holocaustarum impositum est, & templum nominatum Iouis Olympij; sicut & illud quod erat in Garizim Iouis hospitalis, prout conueniebat moribus & institutis Samaritanorũ in eodem loco, vbi hospitij iura exercebant. Libros quoque diuinæ legis conscissos combusserunt igni, & apud quemcunq; inueniebantur, aut quicunq; legem domini obseruabant, ex Regis edicto trucidabantur; itaque nemo se Iudæum confiteri audebat, sed tanquam cultores Bacchi *in die natali Regis cogebantur hedera coronati Libero circuire*, id est, choreas agere circa Bacchi simulachrum; sacrificare quoque, & idolothytis in conuiuijs participare. Ad quæ ipsa apud vicinas gentes adigebantur.

III Quo prohibet sacrificia, &c.

Iouis templũ consecrat.

In hac tanta religionis ac morum ruina, inuenti sunt aliqui sexus vtriusque, qui constantes patrijs ritibus adhæserunt. *Duæ* enim *mulieres delatæ sunt*, ac productæ, quod circuncidissent infantes suos, *quas infantibus ad ubera suspensis, cum publicè per ciuitatem*; ad aliorum terrorem, *circumduxissent, per muros præcipitarunt. Alii vero ad proximas cocuntes speluncas, & latenter Sabbati diem celebrantes, cum indicatæ essent Philippo* Præfecto Regio *flammis succensi sunt, eò quod verebantur, propter religionem & obseruantiam, manu sibimet auxilium ferre*, id est, se defendere, hostique resistere, ne Sabbatum violarent, ac ne aditum quidem speluncæ obturare ausi. Et hęc quidem exempla sunt eorum, qui pro circuncisionis & Sabbati obseruatione crudeliter interempti sunt; Deinceps alia duo longe clarissima à Scriptura referuntur pro ciborum delectu, Eleazari senis, & septem adolescentum cum matre sua: in quibus diuina lex de immanissimo tyranno, per pueros, mulierem, & decrepitum senem egregiè triumphauit: quæ à Scriptura fusius narrata, & in Annalibus breuiter explicata reperientur: ne forte bilem breuitatis amatorib. moueamus. Adeamus itaque Romam, Antiochi ad modicum tempus derelicta.

IV. Iudęi occiduntur propter circumcisionem seruatam *l. 2. c. 6. n. 10. l. 2. c. 1. v. 63.*

Et Sabbatum.

Et ciborum delectum.

Eò multi legati, perfecto Macedonico bello, confluxerunt, Romanis victoriam gratulatum, tres præsertim Eumenis, Masaniſſæ, & Rhodiorum. Eumenis legatus erat frater eius Attalus, vtique prudenter electus. Erat enim Romæ gratiosus, & res Eumenis valde laborabãt, ob dubiam eius in eo bello fidem, vt videretur paratus Senatus ad omnia Eumeni etipienda, & Attalo tribuenda. Nec ab ea spe & cogitatione abhorrebat Attalus; sed Statius medicus, in eam rem ab Eumene prudenter electus; tempestiuis admonitionibus hominem ab eo voluntate dimouit, felici profecto, difficilique victoria. Itaque introductus in Senatum, gratulatus victoriam, vbi Ænum & Maronæam à Senatu sibi petijt, curia excessit, eorum spe destituta, qui fratre accusato, partitionem regni petiturum crediderunt. At vide gloriosum veræ virtutis fructum. Non enim magno tantum assensu omnium est auditus, sed omnibus honoribus, muneribusq;, & præsens cultus est, & inde proficiscens, quod fidem fratri ad vltimum præstitisset.

V. Legatio Eumenis.

Attali modestia

Altera legatio fuit à Masaniſſa, quam obijt eius filius Masgabas, tam gratiarum actionis, pro acceptis à populo Romano beneficiis, quam gratulationis, pro deuicta Macedonia. Cui Senatus humanissime respondit, & muneribus suam in patrem, filiosque testatus est beneuolentiam, præter præbitum omnem sumptum quandiu in Italia subsitit. Tertia

VI. Legatio Masanissæ.

fuit

fuit legatio siue concertatio Rhodiorum, qui cum victoriam Macedonicam in veste candida gratulari vellent, tam male accepti sunt, vt prætor vrbanus rogationem ad populum ferre vellet, vt bellum Rhodijs indiceretur. Itaque illi, post obitas in veste sordida principum domos, precibus lachrymisque obtinuerunt, ne indicta causa damnatentur. Admissi tandem in Senatum orationem habuerunt, quam Liuius elegantissime repræsentauit. In qua tam fortiter suauiterque pugnarunt, vt Portius etiam Cato, etsi asper ingenio, in lenem mitemque Senatorem conuersus sit. Nihilominus Rhodijs ita responsum est, vt nec hostes fierent, neque socij remanerent, & Lycia & Caria, quibus dudum donati fuerant, mulctarentur. Tantum inconsulta illa legatio, in superbis Romanorum animis, vulnus infixerat! Tantum atrocis vltionis reliquerat appetitum! Eam pœnam Rhodij, qui deteriora timuerant in lucro posuerunt, & virgam qua cæsi fuerant, exosculati, coronam viginti millium aureorum decreuerunt, vt societatem cum Romanis impetrarent.

Et Rhodiorum

Romana in eos seueritas.

VII. Legati in Macedoniam & Illyricum

Gratijs porro Superisà Senatu actis, decreti sunt legati, de quorum sententia Imperatores Æmylius, & Anicius in Macedonia, & Illyrico res componerent, in Macedonia decem, quinque in Illyrico. Cæterum quamquam tales viri mittebantur, quorum de sapientia, & consilio sperari posset, Imperatores nihil indignum, neque clementia, neque grauitate populi Romani esse decreturos: tamen in Senatu quoque agitata est summa consiliorum, vt inchoata omnia legati, domo ad Imperatores ferre possent: qualia fuerunt, vt libertas vtrique populo conseruaretur, vectigalia dimidia parte minuerentur, partim etiam tollerentur. Macedonia in quatuor regiones describeretur, & suum singulæ concilium haberent: esset insuper totius gentis commune concilium. Similia his & in Illyricum mandata; cætera ipsis Imperatoribus legatisque permissa. Quæ Anicius in Illyrico, cum quinque legatis est executus, pro conditione regionis.

VIII. Æmylius dat vrbes militi diripiẽdas.

Quæ dum in Illyrico geruntur, Paulus ante aduentum decem legatorum, Q. Maximum filium iam ab vrbe regressum, & L. Posthumium ad aliquot vrbes diripiendas misit, magis, vt apparet, ad satiandum præda militem, quam ad culpas vindicandas. Ipse in Græciam, eius visendæ studio, per autumnum profectus, maximam eius partem perlustrauit. Inde venit Demetriadem, vbi audito decem legatorum aduentu, ad eos Apolloniam venit, & concilium indixit Amphipoli, vbi omnia ex mente Senatus sunt constituta, Legesque tanta cura datæ, non vt hostibus victis, sed socijs bene meritis datæ viderentur. Plerosque tamen Optimatum, qui haud facile in Macedonia quieturi videbantur, solum vertere, & in Italiam mortis pœna proposita venire iussit. Hoc cautelæ fuit: illud humanitatis, quòd ludos magno apparatu exhibuit, epulasque adiecit. Imprudentiæ vero, quòd prædæ Macedonicæ spectaculum exhibuit, quo inuidiam & dolorem Macedonibus, qui tanquam à potentioribus prædonibus spoliabantur, acuere potuit, & Romani militis auaritiam vehementer accendit; adeo vt permissa iterum in Epiro, atque Illyrico septuaginta oppidorum, quæ Perseum iuuisse dicebantur, direptione satiari non potuerit, sed centum etiam & quinquaginta millia captiuorum in seruitutem abduxerit, quantumuis promissa ciuitatibus libertate.

Amphipoli res Macedoniæ constituit.

Alia rursum direptio 70. oppidorũ

IX. Æmylius Romam venit.

Paulum Oricum ad mare descendit, ibique exercitu in naues imposito, in Italiam traiecit, quem post aliquot dies receptis ijsdem nauibus, Anicius cum suo exercitu, & Octauius cum classe sua secutus est. Romam primùm Reges captiui Perseus & Gentius, in custodiam cum liberis abducti; deinalia turba captiuorum, tum ij Macedonum optimates, quibus denuntiatum fuerat, vt Romam venirent. Paulus ipse, post dies paucos, regia naue ingentis magnitudinis inuectus est, ornata Macedonicis spolijs, cui aduerso Tyberi nauiganti, ripæ effusa multudine complebantur: Post aliquot deinde dies Anicius & Octauius classe sua sunt aduecti. Omnibus decretus, datusque est triumphus, quamquam de Æmyliano, odio Sulpicij Galbę, & multorum militum, quorum auaritiam non satis expleſſe videbatur, aliquandiu certatum est, Senatu ipso, bonisque omnibus non sine causa frementibus. Denique triduo magnificentissime triumphauit, vt habes in Annalibus, ex Æmylio Plutarchi.

Et magnifice triumphat.

X. Pauli orbitas non immerita

Et Perseus quidem & Gentius per illos dies humanorum casuum documento fuere mortalibus, in carenis ante currum victoris, per vrbem hostilem deducti; sed Paulus etiam documento fuit, licet auro purpuraque fulgens. Is enim duodennem filium quinq; diebus ante triumphum amisit; triduo autem post, alterum, quem reliquum habebat quatuordecim annos natum. Quam cladem si quis recte æstimare voluerit, non ad temperandam felicitatem contigisse dicat, sed ad puniendas culpas, quas obsecundante felicitate contraxerat. Meminisse poterat tot oppidorum in rapinam concessorum ad saginandam militarem auaritiam, quos etiam diuino iudicio habuit triumphi sui refragatores. Meminisse oportuit Perseum ad sibi manus inferendas, cum irrisione à se inuitatum. Cum enim misisset ad Æmylium Perseus, qui deprecarentur ne in triumphum duceretur, ei molliciem, ac vitæ cupiditatem exprobrans, respondit, hoc in eius fuisse potestate, & etiam nunc esse. Cæterum Rex Gentius cum liberis, fratre & coniuge, Spoletium in custodiam ex Senatus Consulto ductus est. Rex autem Perseus cum Alexandro filio Albam deductus, deprecante Æmylio, pro carcere in libera custodia tentus est, & ad cumulum malorum eius, inedia vltro consumptus.

Plut. in vita Æmil.

Gentii carcer, & mors Persei.

* * *

ANNVS MVNDI 3888.

MATHATIÆ Ducis & Pont. 1.

PTOL. PHILOMETORIS 14.

ANT. EPIPH. 10. Imp. Græcorum 146.

OLYM. CLIII. AN. 3. VR. C. 587.

ANTE CHRISTVM 165.

I. Galli Cõsulatus.

SVlpicium Gallum scientia eclipsis lunaris tam Imperatori Æmylio, quam toti exercitui gratiosum fecit, nec leue ad Consulatũ momentum videtur attulisse. Huius anni Coss. Bithyniæ Rex Prusias Romam venit, cum filio Nicomede, Romanis recentes victorias, auctũque imperium gratulaturus, quamuis Perseum magna affinitate contingeret, vt qui sororem eius haberet vxorem. Filium suum autem voluit Romanis moribus assuescere, eumque Senatui commendauit, & renouata societate, agrum quendam Antiocho sublatum, & nemini adhuc à Romanis concessum, à Gallis autem vsurpatum sibi dari postulauit, & voti compos cum muneribus domum remissus est.

Rex Prusias Romã venit

II. Eumenes Vrbe prohibetur.

Eumenes autem Romam venit, quia tamen Macedonico bello se medium gesserat, inurbane admodum Roma exclusus est, cum tamen frater eius nuper peramanter fuisset acceptus: quo facto non leui damno affectus est Eumenes. Nam cum ingens regno eius periculum immineret à Gallogræcis, ea contumelia amicorum eius animi conciderunt, & hostes eiusdem duplo facti sunt animosiores, vt ait Polybius; qui etiam addit nullam fuisse ciuitatem, nullum Dynastam, nullum Regem, qui eo tempore legatos ad gratulandam Romanis victoriam non mitteret. Tantus omnes Romani nominis terror inuaserat. Hic idem timor Antiochum Epiphanem, alioqui crudelem ac ferum, ad insignem compulit erga Romanos lenitatẽ, vt habet in legationibus Polybius. Cum enim ad eum venisset Tiberius legatus, ad explorandum statum regni eius, tanta illum dexteritate excepit Rex, vt non solum moliri eum res nouas nihil suspicaretur, aut vllum signum animaduerteret animi subalienati, propter ea quæ contigerant Alexandriæ, sed omnibus se palam opponeret, qui huiusmodi aliquid dicerent. Denique tantam humanitatem legatis exhibuit, vt eis aula concesserit, & ipso prope Diademate: in speciem quidem, cum tamen non ad Romanos voluntas eius inclinaret, sed in contrariam potius partem. Ita Polybius, ex quo intelligitur meritò illum à Daniele Propheta, vafrum depingi, atque fraudulentum.

Antiochi ficta lenitas.

Polyb. l. 31. c. 3.

III. Deus rerus afflictis auxilium

Iam quod ad sacram historiam pertinet, quò nos sensim deducit, tam Rex iste, quam sanctus ille Propheta, funditus propemodum perierat Hebræorum Respubl. leges, religio, sacerdotium, cum Deus hæc ipsa iuxta vaticinium Danielis, *auxilio paruulo subleuauit*, Mathatiæ videlicet & filiorum eius, vt passim omnes interpretantur. Accepisse autem ipsum hoc anno principatum, & eodẽ terminasse, Scriptura cũ Iosepho testantur. Nam illa refert eum anno Regni Græcorum 146. defunctum, hîc vero tradit annum vnum administrasse Remp. Vtiq; auxilium parvulum fuit Mathatias cum filijs suis, viri à patria extorres, spoliati facultatibus, nõ domesticis, nõ externis nixi præsidijs, sed egentes, angustiati, afflicti in solitudinibus errantes. Tantoque minus videbatur hoc auxilium, quo cum potentiore hoste pugnandum erat, qui Asiam prope vniuersam, ac Syriam habebat in potestate. Deus nimirum infirma eligit, vt fortia quæque confundat.

Iacheorum. Mach. 7o.

IV. Mathatias sũ suis Deũ propitiantur.

In diebus ergo illis, quibus res Iudæorum ruebat præceps, surrexit Mathatias filius Ioannis Sacerdos ex filijs Ioarib, quæ prima fuit in 24. sortibus, & cum eo quinque filij eius, qui videntes mala, quæ fiebant in populo Iuda, & in Hierusalem, vnde iamdudum effugerant: sed & audientes quæ alijs in locis, tam vicinis, quam remotioribus patrabantur, & nominatim Antiochiæ, vbi Rex erat, & in omni regno eius, continuis pene lamentis publica damna prosequebantur, & sponte susceptis corporis afflictationibus, diuinam indignationem in Iudæos sæuientem mitigare cupiebant, & consilium atque animos ad res bene gerendas accipere. Et hæc erat, quasi crisis Iudaicæ ægritudinis, quæ hactenus ad summum elata, modicis leuamentis cœpit reualescere. Huius autem peripetiæ occasio fuit aduentus præfectorum Regis Antiochi, qui in oppido Modin cogebant Iudæos idolis sacrificare. Cumque iussu Regis omnes conuenirent, iussus est & Mathatias adesse cum suis, simulque inuitatur, vt Regi obediat, *sicut fecerunt*, inquiunt, *omnes gentes, & viri Iuda, & qui remanserunt in Ierusalem*, ne prudentior omnibus gentibus, neque religiosior Hierosolymitis esse velit.

Occasio defectionis.

V. Mathatias idololatras petimit.

Quæ ille vehementer auersatur, tenax patriarum legum, aspernatur & munera. Cum autem cessasset loqui Mathatias, *Accessit quidam Iudæus in omnium oculis, sacrificare idolis super aram* in ciuitate *Modin iuxta ritum Regis*: quem apparet de industria præparatum à præfectis regijs, vt verbis exempla coniuncta vehementius permouerent fideles. At zelo diuinæ legis accensus Mathatias, *insiliens trucidauit eum super aram, sed & virum quem Rex Antiochus miserat, qui cogebat immolare, occidit in ipso tempore, & aram destruxit.* Statimque publice populum ad defectionem euocauit, qui inuento duce viro principe, cum illustri familia, vexillum pietatis est secutus. Cædes enim illas culpa vocasse Scriptura satis ostendit, quas ex diuino zelo profectus ait, & zelo Phineis comparat, quem Deus laude sua, & amplissimo præmio dignum putauit. Adde quod princeps populi erat in ea ciuitate, & Sacerdos primarius, vt tantam Dei & populi iniuriam iure vendicare posset. Populus enim quẽ ducem præter ipsum habebat neminem, in ipsum tacitè consentiebat. Et Iosephus affirmat ipsum à populo electum principem.

Non iniuste,

l. 12. c. 8.

VI. Mathatias Dux & Pontifex eligitur,

Et quidem non politicæ tantum, sed etiam sacræ militiæ. Idq; ratio aperte conuincit. Non enim credibile est, vt recte notauit Seratius in hunc locum, populum zelo diuinæ legis flagrantem curam eligendi Pontificis neglexisse, qui populum in tam turbulentis temporibus, in ijs quæ Dei sunt, dirigeret. Itaque & Pontificis

munus

munus exercuit, cum in diuina lege, circa Sabbati obseruationem dispensauit, aut certe interpretatus est, illud in hoste repellendo non violari. Accedit quod nullus erat tunc legitimus Pontifex. Nam Onias mortuus erat, eius filius in Ægyptum profugerat, vbi sub hoc tempus, sacrilegum templum schismaticus erexit, Iason religionis apostata in malam rem abierat, Menelaus ne Leuita quidem erat, nedum Sacerdos aut Pontifex. Itaque Mathatiæ Pontificatum plerique antiqui, recentioresque agnouerunt, atque prædicarunt, vt videre est in Annalibus. Ad eum ergo, vt legitimum ducem, atque Pontificem, plurimi se aggregarunt. Ea enim munera tam coniuncta erant, sicut ab aliquot iam seculis, & deinceps plurimis annis, vsque ad regnum Herodis iuncta permanserunt.

Hoc anno n. 21.

VII. Ad eum multis confluũt.

Cum autem à principio metu violandi Sabbati, non pauci ab hoste cæsi essent. A Mathatia, vt ait Iosephus, quasi communi parente, & diuinæ legis interprete, statutum est, vt in Sabbatis se populus ab inuadente hoste defenderet. Indeque quasi ex rescripto Imperatoris, aut definitione Pontificis, ille mos ad Iosephi ætatem inoleuerat. In ijs autem, qui ad Mathatiam confluxerunt, numeratur in primis Synagoga Assydæorum, quæ erat virorum religiosorum familia, quales erant Esseni quoque. Illi ergo qui in Republ. Iudaica non viribus solum pollebant, sed sanctitate quoque & zelo diuinæ gloriæ, tum alij omnes viri boni, tanto numero, vt exercitum conficerent: *& percusserunt peccatores in ira sua*, Iudæos scilicet apostatas, occiderunt, præter eos, qui *fugerunt ad nationes* infidelium, *vt evaderent*. *Et persecuti sunt filios superbia* regios puta præfectos, & comites eorum, quibus in fugam actis, *destruxerunt aras* cum idolis suis, *& circumciderunt pueros incircumcisos, quotquot invenerunt in finibus Israel*: neq; permiserunt deinceps impios tam libere tollere cornua, & innocentes nemine repugnante vexare.

l. 12. c. 8.

Perdunt impios.

VIII. Mathatias moriturus hortatur suos 1. *Mach.* 2. 43.

Quæ dum strenuè aguntur, *appropinquauerunt dies Mathatiæ moriendi*. Cum senex congregatos ad se filios hortatus est ad fortitudinem & constantiam in patrijs institutis, & diuinis legibus propugnandis, dum Deus hostium suorum superbia vtitur, ad castigandos & probandos suos: idque exemplo veterum patrum, qui tentationibus probati, fideles se exhibuerunt, & gloriam apud Deum hominesque sunt consecuti. Addidit exhortationi testamentum, quo disponens domui suæ, & Reip. Iudæorum, belli ducem constituit Iudam Machabæum, eique dat consiliarium Simonem natu maiorem, vt quidam ex huius officij conditione suspicantur. Denique paternam ac pontificiam benedictionem omnibus impartitus, *appositus est ad patres suos. Et defunctus anno 146. sepultus à filijs suis, in sepulchris patrum suorum in Modin, & planxerunt eum omnis Israel planctu magno*, quasi communem, ac bene de omnibus bonis meritum parentem.

***

ANNVS MVNDI 3889.

IVDÆ MACHAB. Ducis & Pont. 1.

PTOL. PHILOMETORIS 15.

ANT. EPIPHANIS 11. Imp. Græc. 147.

OLYMP. C LIII. A. 4. VRB. CO. 588.

ANTE CHRISTVM 164.

SVggerit hic annus nouum Pontificem, eundemque populi ducem clarissimum Machabæum: cuius auspicijs Iudæi, non respirare solum, vt proximo anno sub Mathatia, sed florere etiam, hostibusque suis terroti esse cœperunt. *Surrexit* ergo *Iudas*, ait Scriptura, *qui vocabatur Machabæus filius eius pro* ■, in vtroque scilicet officio ducis atque Pontificis, tam voluntate patris, quam iure primogenituræ, quod testatur Iosephus, & ipsa ratio postulat. Si enim pater iuniorem primogenito, contra iura naturæ, & consuetudinis patriæ prætulisset, discordiæ seminarium inter eos reliquisset. Itaque Iosephus Gorionides, *Protulit*, inquit *Mathatias cornu cum oleo, & effundens super caput eius vnxit eum ad prælia; vociferansque vniuersus populus, & clangentes tuba dixerunt viuat Rex.* De pontificatu etiam consentit Iosephus, quamuis non recte eum Alcimo successisse dicat, cum ex Scriptura constet Alcimum vno anno Iudæ fuisse superstitem. Iudas enim mortuus est anno Græcorum 152. mense primo. Alcimus autem anno 153. mense 2.

I. Iudas Machab. dux & Pont. *l. 1. Mach. c. 3. l. 1. belli c. 1.*

l. 12. c. 17. & 19 fi. l. 1. Mach. c. 9 54 55. & v. 3. & 18

Iudas ergo collectis copijs præter eas quas à patre acceperat, ad sex millia virorum sub signis habuit, & inuocato diuino auxilio *intolerabilis gentibus efficiebatur, quorum ira Domini in misericordiam conuersa erat, & superueniens castellis & ciuitatibus, improuisus succendebat eas, & opportuna loca occupans non paucas hostium strages dabat.* Hæ fuerunt velitationes, & quasi præludia ante legitimum certamen. Mox enim iustis prælijs contra præfectos regios pugnauit, quater viuo Antiocho, quorum tria prælia ad hunc annum pertinent. Primum contra Apollonium fuit, qui auditis quæ à Iudæis duce Iuda gerebantur congregauit ingentem à Samaria exercitum: cui Iudas processit obuiam, eumque interfecit, & ceciderunt vulnerati multi & reliqui fugerunt, & accepit spolia eorum, & nominatim gladium Apollonij, quo deinceps perpetuo vsus est.

II. Pugnat cõtra Ethnicos & Apostatas. *l. 2. c. 8. n. 1. &c.*

Primò contra Apollonũ. *l. 1. c. 3. v. 10.*

Alterum prælium Iudæ contra Seronem fuit, principem exercitus Syriæ sub Apollonio, ita vt eo mortuo, ipse locum eius tenuerit, in administranda prouincia; idque innuitur cum mox dicitur, eum studuisse nomen sibi ex deuicto Iuda comparare; vt scilicet egregio facinore gratiam Regis adeptus, ex Vicario Syriæ, Apollonij loco fieret Præfectus. Seronis porro copijs se coniunxerunt *auxilia impiorum*, eorum scilicet qui fidem & religionem eiurauerant, quod viderent Iudam cum suis sibi esse infensissimum, eosq; ferro flammisque persequi. Vterque exercitus conuenit ad Bethoron, sed Iudæi multo pauciores erant; & insuper labore

III. 1. Contra Seronem *l. 1. c. 3. 13.*

itineris & ieiunio fatigati: ſed Iudæ oratione, & in Deum fiducia bene animati, inſiluerunt ſubito in hoſtem, & contritus eſt Seronis exercitus, cæſique octingenti viri, reliqui ad Philiſthæos fuga ſe receperunt. Duobus prælijs feliciter à Machabæo & fratribus eius confectis, cecidit formido ſuper omnes gentes in circuitu eorum: & mox peruenit ad Regem nomen eius.

IV. 3. contra altos Antiochi duces.

Sequitur itaque tertium prælium aut multiplex potius, quod contra Gorgiam, Ptolemæũ, Nicanorem, Antiochi duces, aliquot pugnis confectum eſt. Vt ergo geminam ſuorum cladem accepit Antiochus, *tratus congregauit exercitum vniuerſi regni ſui*, ad octoginta millia peditum, & equitum 14. millia, rebus omnibus probe inſtructa. Aperuit quippe Rex ærarium ſuũ, & ſtipendia exercitui prærogauit in annum, ſicque exinanito ærario, timuit ne non haberet in ſumptus & munera, qualia iam ſemel & iterum magnifice dederat, in quibus præcedentiũ Regum magnificentiam poſt ſe reliquerat. Ex quibus intelligitur quanta Iudæis tempeſtas immineret, qui vix ſeptem hominum millia ſub ſignis habebant, quorum plerique neque gladijs ſatis inſtructi erant, neque tegumentis. Ergo timore illo excitatus Epiphanes cogitauit ire in Perſidem, & ſuperiores Aſiæ regiones, ad pecunias tributis congregandas, & Lyſiam regio genere hominem, proregem conſtituit, & nutritium filij ſui Eupatoris, donec rediret: & tradidit ei dimidium exercitus vniuerſi cum elephantis, inſtructq; delere funditus Iudæorum nomen, & eorum regionem dare alienigenis incolendam, vt iampridem in Iſraële contigerat. Cum reliquo exercitu ipſe profectus Antiochia, traiecit Euphratem.

Eoſdem Regis copiæ.

Lyſias autem in mandatum Regis intentus, tres duces elegit Ptolemæum, Nicanorem, & Gorgiam, quos contra Iudæos miſit, cum 40. millibus peditum, & ſeptem millibus equitum, quibus Ioſephus addit magnum numerũ perfugarum. Nominatim autem miſſus eſt Nicanor cum viginti millibus. Neque enim ſimul omnes mittendi erant, ſed reſeruandi qui ſuppetias ferrent, & integri ſuccederent fatigatis. Nicanor autem ſtulta confidentia, pellem vendit nondum capta fera. Ratus enim certam ſe de Iudæis habere victoriam, conuocauit vicinarum ciuitatum mercatores, ad emptionem mancipiorum Iudaicorum; promittens ſe viliſſimo eos pretio diſtracturum: & ſperans ſe inde Regem ære alieno Romano liberaturum, quod erat duorum millium talentorum.

t. Mach. 4. 6.

V. Pugna ũtra Nicanorem, iuſque ſtulta cõfidentia.

12. 6. 11.

ide Ann. 12.

At Iudas his cognitis de præſenti periculo ſuos admonet, partim vt formidoloſi ex priuilegio legis dimitterentur, partim vt Dei fiducia in viris fortibus excitaretur, quorum plerique ſua vendebant, aut quaſi morituri, ſi res ferret, aut neceſſarijs belli vſibus prouiſuri: plerique enim, vt diximus, male ad bellum erant inſtructi. Deum porro deprecabantur in primis, vt eos liberaret ab impio Nicanore, qui eos priuſquam cominus veniret, vendiderat. Orabant autem in Maſphat, antiquo orationis loco, quia Ieruſalem, & templum eius erat in manu infidelium, cum ipſa Sionis arce, quæ gentium præſidio tenebatur. In Maſphat igitur orauerunt, neque id ſolum, ſed *ieiunauerunt* etiam, *& induerunt ſe ciliciis, & cinerem impoſuerunt capitis ſui, & diſciderunt veſtimenta ſua, & expanderunt libros legis*, vt olim Ezechias, quaſi Deum admonentes de promiſſa ſuis pœnitentibus venia, & auxilio aduerſus impios, quæ impij curioſe ſcrutabantur, vt ea ſacrilego mendacio dijs ſuis affingerent. Attulerunt quoque ornamenta ſacerdotalia, erepta ſcilicet ex rerum ſacrarum naufragio, quæ pariter poſuerunt in conſpectu Domini lamentantes apud eum, quod nullus nunc eſſet eorum vſus, nec primitiæ, nec decimæ offerri poſſent, neque circa Nazaræos legitima præcepta ſeruari.

VI. Iudæ ad hoc bellũ paratus

Denique conſtitutis exercitus ſuis ducibus, fratribus ſuis, ſingulis millenos & quingentenos ſubiecit, omneſque ſtudioſe animauit ad pugnandum fortiter, & mortem pro patria, diuiniſque legibus oppetendam, omni nihilominus euentu diuinæ prouidentiæ permiſſo. *Sicut*, inquit, *fuerit voluntas in cœlo, ſic fiat.* Cum autem prælium in proximum diem paratum eſſet, Gorgias incautos noctu opprimere conatus eſt, & aſſumptis quinque millibus peditum, & mille equitibus electis, Iudæorum caſtra, ducibus præſidiarijs Sionis, adijt. Ea re cognita Iudas, capta ſapienter opportunitate diutius exercitum inuadendi, profectus eſt ad Emmaum contra Nicanorum, dum abeſſet ſcientiſſimus belli Gorgias. Qui cum veniſſet in caſtra Iudæ noctu, & neminem inueniſſet, ratus eos fugere, quærebat hoſtes ſuos in montibus. At Iudas cum ſuis itinere noctu facto, apparuit in campo prope Emmaum, ſuoſque inſtruxit ad prælium contra Nicanorem, qui obuiam profectus in prælium, clangentibus tubis, *in prima acie dux ipſe* Iudas *commiſit cum Nicanore, & facto ſibi adiutore omnipotente, interfecerunt ſuper nouem millia hominum. Maiorem autem partem exercitus Nicanoris, vulneribus debilem factam fugere compulerunt.* In fuga vero, nouiſſimi omnes cæſi ſunt, *vſque ad tria millia virorum.*

VII. Gorgias Iudã fruſtra conatur opprimere. *l. 1 c. 3. ſſ. & li. 2. c. 8. 22.*

l. 1. c. 4. 1.

Iudæ prudentia & victoria de Nicanore.

Is his fugitiuis fuerunt etiam mercatores, qui ademptionem Iudæorum cum pecunijs venerant, quos *ſublatis pecuniis vſque quaque perſecuti ſunt, ſed reuerſi ſunt hora conclusi.* Finiente ſcilicet tempore profecto, quo Iudæis pugnare fas erat, imminente Sabbato, quod à veſpera incipiebat, *Reuerſus eſt ergo Iudas; & exercitus eius ſequens eum.* Et videlicet ſtatim ad ſpolia & prædas conuertebantur, & ignem in caſtra conijciebant, cum eos tantiſper cohibuit Iudas, quod eis dimicatio immineret contra Gorgiam, ex irrita expeditione reuertentem. Statimque apparuit pars quædam exercitus proſpiciens de monte, vnde Gorgias agnouit fugam ſuorum & caſtrorum incendium. Vidit & Iudam cum ſuis paratum ad prælium, & exterriti fugerant omnes in campum alienigenarum, verſus Ptolemæum Cœleſyriæ ducem primum, à quo exiſtimatur mox redintegratum prælium, Timotheo, & Bacchide ducibus: deinde vero ad Lyſiam proregem ſe contulerunt.

VIII. Eiuſdem religio.

Et victoria de Gorgia.

l. 1. c. 4. 26

Interea victor reuertitur *ad ſpolia caſtrorum, & acceperunt aurum multum, & argentum, & hyacinthum*, & purpuram marinam, & opes magnas. Vnde hæc in exercitu? niſi à ſpoliatis

IX. Spolia, & præda pie diſtributa.

mercatoribus, qui præter pecuniam etiam merces attulerant, quas victori exercitui venderẽt, aut cum captiuis Iudæis commutarent. Et reuersi sunt Iudæi cum laude Numinis, & gratiarum actione. Transacto vero sabbato debilibus, & orphanis, & viduis partem spoliorum largiti sunt, vtique monente Iuda, qui vt dux & pontifex, pater erat populi, & eius gerebat vices, qui se patrem orphanorum, & iudicem viduarum appellat. Mox autem secutum est aliud certamen Iudæ cum Timotheo & Bacchide, quos Ptolemæus dux Cœlesyriæ & Phœnicis, in locum Nicanoris & Gorgiæ submisit. Hi ergo prælium contra Iudæos redintegrarunt, simulque dedecus suum, & ipsorum gloriam. *Ex ijs enim qui cum Timotheo & Bacchide erant*, quorum incertus est numerus, *supra viginti millia interfecerunt*.

Psal. 67. 6

Victoria de Timotheo & Bacchide.

X. Turpis fuga Nicanoris. *l. 2. c. 8. 34.*

Nonnulli tamen fuga salutem sunt consecuti, in quibus Nicanor, cui Scriptura in hunc modum insultat. *Facinorosissimus autem Nicanor, qui mille negotiantes ad Iudæorum venditionem adduxerat, humiliatus auxilio Domini, ab his quos nullos existimauerat depositis vestis gloriæ, per mediterranea fugiens, solus venit Antiochiam, summam infelicitatem, de interitu exercitus sui consecutus. Et qui promiserat Romanis tributum se restituere de captiuitate Ierosolymorum*, siue Ierosolymitarum, *prædicabat nunc protectorem Deum habere Iudæos, & ob ipsum inuulnerabiles esse, eò quod sequerentur leges ab eo constitutas.* Quod Iudæi dicuntur inuulnerabiles, indicium est omnes in his prælijs fuisse incolumes, nec quemquam in pugna desideratum. Iudæi autem vsi victoria *munitiones excelsas obtinuerunt, & plures prædas* ab hoste pulso acceptas *diuiserunt, aquam portionem debilibus, pupillis, & viduis sed & senioribus facientes. Et cum arma eorum diligenter collegissent, omnia composuerunt in locu opportuno.* In eorum scilicet vsum, qui forent male armis instructi.

Iudæi inuulnerabiles.

XI. Romana res.

De Romana re deficiente nunc Liuio, vix est certum aliquid quod dicamus. Manlium & Octauium Coss. suggerunt Capitolinæ tabulæ, Cassiodorus & Iulius Obsequens, qui pestilentia, fame, multisque prodigijs Vrbem hoc anno territam scribit. Hunc autem puto esse Cn. Octauium qui triennio post legatione functus in Asiam, ibi iussu Lysiæ interfectus est, vt ex Polybio & Zonara suo loco dicetur. Huc autem illud ex Epitoma 46 pertinet, legatos Prusiæ Romæ conquestos de Eumene, quod fines suos depopularetur, dixeruntque eum conspirasse cum Antiocho Epiphane contra populum Rom. quæ à Polybio in legationibus firmantur. Quibus auditis Senatus neque criminationes respuit, neque mentem suam aperuit, sed clam apud se habuit. Eumeni atque Antiocho penitus diffidens. Et erat iam inter eos à principio regni Antiochi contracta amicitia, vt ex Appiano diximus, quam par à Romanis disiunxerat metus. Eodem tempore Rhodij, legatum agente Astymede, societatem cum Romanis, post varias tergiuersationes tandem obtinuerunt.

Legati Prusiæ.

n 104. Amicitia Eumenis & Antiochi Romæ suspecta.

Polyb. ibid.

Adhæc ipsa tempora referenda est noui Iudaici templi constructio in Ægypto. Ex Iosepho enim habetur extructum regnante Philometore, post fugam Oniæ filij Oniæ pont. & aliquam eius in Ægypto moram; item post vastatam Iudæam, & templum desolatum, & viuo adhuc Antiocho Epiphane, qui anno proxime sequenti mortuus est. Itaque Onias Antiochiæ profugus, videns vastatam Iudæam ab Antiocho, volens æternum sibi nomen comparare, petit à Regina Cleopatra vt liceret sibi templum in Ægypto ædificare, instar Hierosolymitani, & in eo Leuitas & Sacerdotes ex suo genere constituere. Ita enim contra Antiochum libentius pugnaturos Iudæos, qui templum Hierosolymis deuastasset, ipsi benenolentiores fore, eoque plurimos Iudæorum religionis ergo collecturi. Assensus est Ptolemæus, eique locum dedit 180 stadijs à Memphi distantem in tractu Heliopolitano, apud Leontopolim. Ibi Onias templum excitauit, ad similitudinem Hierosolymitani, sed magnitudine dispar, aram quoque imitatus est, & lichnum aureum loco candelabri: cui autem ad sumptus rex donaria & reditus assignauit. Hæc & alia Iosephus, quæ in Annalibus examinantur. Durauit autem profanum hoc templum, ad tempora vsq; Vespasiani, annis 237. Totidem enim à præsenti anno ad 73 à Christo nato numerantur, quo anno exitum fuisse autor est Baronius.

15. & l. 13. c. 6. Oniæ templum in Ægypto.

XII. *l. 7. de bel. c. 30. l. 12. Ant. cap.*

ANNVS MVNDI 3890.

IVDÆ 2. PTOL. PHILOMET. 16.

EPIPHANIS 12. Imperij Græc. 148.

OLYMP. CLIV. A. 1. VR. C. 589.

ANTE CHRISTVM 163.

ADmodum ieiuna est Romana historia, vsque ad initium tertij belli Punici, verum tanto copiosior est Hebræa, quam Scriptura ipsa ad annum regni Græcorum 148. Iosephus ad Olymp. 154. referunt. Nominatim autem celebris est emundatio templi, à Iuda Machabæo Hebræi populi Iudice atque pontifice celebrata, & tam ante, quam post eam compiures ab eodem relatę victoriæ. Quarum hoc erit initium. Lysias post acceptas clades, quas superiore anno retulimus, dolore animi ardens & cupiditate vindictę, congregauit virorum electorum sexaginta millia, & equitum quinq; millia, vt debellaret Iudæos. Et venerunt in Iudæam, & castra posuerunt in Bethoron, & occurrit illis Iudas cum decem millibus, qui viso tam valido exercitu, ad nota fidáque orationis præsidia confugit. Nec frustra: commisso enim prælio ceciderunt de exercitu Lysiæ quinque millia virorum. Modica hæc erat pars tanti exercitus, sed non modicus pauor reliquos auertit in fugam. Nam sequitur. *Videns autem Lysias fugam suorum, & Iudæorum audaciam, & quod parati sunt aut viuere aut mori fortiter, abijt Antiochiam, & elegit milites, vt multiplicati rursus venirent in Iudæam.*

I. Emundatio templi. *2. Mach. 6. 4 52. l. 12. c. 11.*

l 1. c. 4. 28 &c. Iudæ victoria de Lysia.

1. Mach. 4. 25.

Interea Machabæus expleto strenue ducis atque Imperatoris officio, pij ac religiosi pontificis curam suscepit. Consilio enim cum fratribus inito, diuinum cultum restituere Hierosolymis quam primum statuit. Nec fuit in vrbe

II. Diuinum cultum restituit Hierosolymis.

occupanda mora. Nam *Ierusalem non habitabatur, sed erat sicut desertum*, vt ait Scriptura. Ergo cũ omni exercitu ascenderunt in montem Sion. Oportuit autem congregari exercitum, vt sacrã ceremoniã tuto celebrare possent, præsertim ab imminente hostili præsidio quod erat in arce, siue ciuitate Dauid: simul etiam maiore vt pompa & numero solennitas cohonestaretur. *Et viderunt sanctificationem desertam*, domum scilicet sanctam constantem porticu, sancto, & oraculo. *Et altare profanatum*, æneum scilicet, nam aureum iamdudum abstulerat Antiochus: profanatum autem vel sacrificiis idolorum, vel impositio idolo Iouis Olympij, *& portas exustas*, cuius sceleris pœnas dederat exustus cum portis & domicilio suo Callisthenes, *& in atriis* tam sacerdotum & Leuitarum, quam Israëlitarum & Gentium, *virgulta nata sicut in saltu, vel in montibus*, exedras quoque & gazophylacia diruta.

1. Mach. 4. 45.

2. Mach. 8. 33.

III. Rei gestę modus. v. 3. c. 8. & 39.

Erli autem iamdudum sciebant quam luctuosus esset templi status, obiectum tamen præsens vehementiores concitauit motus. Itaq; *scinderunt vestimenta sua, & planxerunt planctu magno, & imposuerunt cinerem super caput suum, & ceciderunt in faciem super terram.* Post eum luctum clangore tubarum denunciauerunt encœnia. Interim autem Iudas partem copiarum constituit, vt præsidiarios, si forte erumperent, repellere possent. Elegit quoque sacerdotes sine macula, zelo diuini cultus præditos, & mundauerunt Sanctuarium, sublatis omnibus idolorũ sordibus, quas in locum immundum detulerunt, puta in vallem Tophet ad torrentem Cedron. Aras quoque, & delubra, quæ alienigenæ per plateas extruxerant, demoliti sunt. Altare quoque holocaustorum ab ethnicis profanatum euerterunt, reseruatis lapidibus in loco idoneo, & nouum excitarunt ad prioris similitudinem, exedras quoque & pastophoria instauratunt, cum vasis sanctis, nominatim *intulerunt candelabrum, & altare incensorium, & mensam in templum* & accenderunt lucernas, & incensum apposuerunt super altare, vtique & panes propositionis super mensam, *& de iguitu lapidibus igne concepto sacrificia obtulerunt post biennium.*

l. 2. c. 10. 3.

n. 14. & seqq.

IV. Biennii pontificatus Iudæ.

Quo referendum sit hoc biennium, in Annalibus disputatum est. Hic breuiter dico illud in pontificatu Iudæ inchoari, & in hac Encœniorum celebritate terminari; quæ expositio Seratio quoque probatur & Marianæ. At profanatio templi per sacrificia idolis oblata, vsque ad tempus purificationis huius per legitima sacrificia, integri triennij fuit. Nimirum à 25 die mẽsis noni anni 145 ad eundem diem & mensem anni 148. Dici tamen potest profanationem per tres annos & sex menses, durasse inchoando eam non ab Idolo Iouis Olympij super altare constructo, sed ex quo Apollonius cum exercitu duorum & viginti millium, ab Antiocho missus venit Hierosolymam, vbi die festo multam ciuium stragem edidit *& contaminauit sanctificationem*: quò videtur quoque respexisse Iosephus l. 1. de bello c. 1. vbi dicitur quotidiana religionis assiduitas, per annos tres sexq; menses inhibita.

l. 2. c. 10. 5. & l. 1. c. 1. 62. & c. 4 52.

l. 1. c. 1. v. 39.

V. Lætitia

Dum autem celebrantur sacrificia, luminaria rutilant, panes propositi cernuntur in mensa, organa musica hilares reddunt sonos, *cecidit omnis populus in faciem, & adorauerunt, & benedixerunt in cœlum eum qui prosperauit eis.* Hæc porro lætitia ad dies octo propagata est in modum Tabernaculorum, eaque sancita est in posterũ id octiduum. Ornauerunt quoque faciem templi coronis aureis, & scutulis, & dedicauerunt portas & pastophoria, quæ recens fuerant instaurata. Dicti autem sunt isti dies Encœniorũ, & Scenopegiæ & Luminum apud Iosephum. Porro dies Scenopegiæ bis quotannis à Iudæis, Encœnia vero etiam tertiò celebrabantur. Nã præsens festiuitas dicta est Scenopegia mensis Casleu, quia acta est in modum quo festum Tabernaculorum celebrabatur, ad differentiam mensis Tisri, in quo proprie dicta Scenopegia à Moyse decreta agebatur. Encœnia vero templi Salomonis in mense Tisri, Zorobabelis mense Adar, Machabæi vero mense Casleu agitabantur.

populi, & encœnia octidui.

l. 12. c. 11. l. 2. c. 12. c. Triplicis celebrat.

Diuino cultu & religionibus piè feliciterque restitutis, etiam prouidendum fuit, vt id bonũ Iudæis perpetuum foret, neque iterum locus sanctissimus prædæ & profanationi impiorum pateret. Itaque ædificauerunt in tempore illo montem Sion, & per circuitum muros altos, & turres firmas, in quibus constituit Iudas præsidium validum, vt populum templum adeuntẽ protegeret, contra præsidium impiorum, qui erant in arce. Contra remotiores autem hostes, qui ab Idumæa veniebant, Bethsuram alio præsidio communiuit. Curam quoque gessit Iudas librorum sacrorum, quos Antiochus disperdere conatus fuerat, (vt in eo non solum prouidũ Reip. ducem agnoscas, sed religiosum etiam, sapientemque Pontificem) eosque libros vndique constructa Bibliotheca, vt olim Nehemias, congregauit. Quæ autem bella in hoc tempus cadunt, & ægrè à posterioribus separari possunt in annum sequentem non incongruè differemus.

IV. Munitur locus templi.

Iudas sacram bibliothecã curat.

Ad præsentem vero pertinere arbitror, quæ habet Polyb. in legationibus n. 106. de missis Romam ab Eumene fratribus ad diluendas criminationes, quibus eum præcedenti anno Prusias in Senatu onerauerat. Viuo enim adhuc Antiocho ea legatio facta est, vt mox patebit. Hi ergo, Attalus, inquam, & Athenæus, curiam ingressi obiectionibus non male visi sunt respondere, itaque à Senatu honore affecti sunt. Neque tamen propterea suspicionem dudum conceptam aduersus Eumenem & Antiochum remisit Senatus, sed Sulpicium Gallum, & M. Sergium decreuit legatos, partim vt res Græcorum propius aspicerent, partim vt de consiliis Eumenis & Antiochi, quæ admodum recta videbantur, accurate inquirerent, nunquid bello necessaria compararent, cui suspicioni seruire poterant, quæ Lysias contra Iudæos apparabat.

VII. Legatio fratrum Eumenis

* *
*

ANNVS MVNDI 3891.

IVDÆ MACHABÆI 3.

PHILOMETORIS 17.

ANT. EPIPH. 13. & vlt. Imperij Græc. 149.

OLYMP. CLIV. A. 2. VRB. C. 590.

ANTE CHRISTVM 162.

I. Ratio tẽporis mortis Antiochi *1. 1. c. 6. v. 5. & seqq. v. 16.*

1. 1. belli c. 1. & l. 12. Ant c. 14

MOrtuum hoc anno Antiochum Epiphanem perspicuo Scripturæ testimonio cõstat; & quidem sub anni huius initium. Scriptum est enim eum accepto nuncio victoriarum Iudæ, & emundationis templi, in supremam ægritudinem incidisse, qua & extinctus est, anno 149. Peruenit ad eum hic nuncius non multo tempore post rem gestam. Clarè Iosephus. *Sacro autem ritu vix ciuitati reddito, moritur Antiochus.* At ille sacer ritus, vt diximus, est redditus extremo anno 148. vigesimo quinto nouembris. Quæ causa est vt hic annus non ipsi, sed eius filio tribuatur.

II. Res ab eo gesta. *1. 1. c. 3. 57*

n. 59. 1. 1. c. 6. v. 1. 2 Mach. 11. 3.

Cum ergo Antiochus assumpta parte exercitus sui, ex Isse Antiochia, anno 147, & traiecto Euphrate superiores regiones Asiæ, corradendæ pecuniæ causa peragraret, bellum ei cõtra Arsacem Armeniorum regem contigit, quẽ deuictum cepit, Appiano teste, atque Polybio, Porphyrius quoque apud D. Hieron. in c. 11. Danielis v. 45. Dum autem in ea pecuniaria cura anno superiore versatur, audiuit esse ciuitatem Elymaidem, quæ Persepolis quoque dicta est, auro argentóque abundantem, templumq; inea valde locuples, & pretiosis donatiis tum inde ab Alexandro magno refertum. *Quar. Lat,* itaque, *caperecinitatem, & depradari eam,* vtique & templum eius, iam expertus Hierosolymis quã exped ta esset eiusmodi via ad magnas opes, *& non potuit, quia res innotuit ciuibus, & insurrexerunt in prælium, & fugit inde, & abyit cum tristitia magna,* Babyloniam versus, neque enim eò peruenit: nam morbo correptus in itinere periit. Interfugiendum autem cum venisset circa Ecbatanam, didicit quæ contigerant in Iudæa, & expauit: & plenus minarum & cædis, iussit agitari currum suum, sine intermissione agens iter, cum Deus eum insanabili atque inuisibili plaga percussit, ita vt diro viscerum dolore torqueretur. Cum tamen nullo modo à sua malitia cessaret, sed negotium magis acceleraret, contigit illum impetu euntem decurru cadere, & graui corporis collisione membra vexari.

Vulcapere Persepolim, & spoliare templum.

Percutitur a Deo

III. Lecto affixus torquetur.

Itaque cum currus agitationem ferre ipse non posset, vt Babylonem, quam cogitabat, appelleret, in humili gestatorio portabatur, manifestam Dei virtutem in semetipso contestans, *Et decidit in lectum, & incidit in languorem pra tristitia,* quod res illi præposterè, tam in Perside quam in Iudæa, contigissent, & pro lucro ignominiam vt vbique reportasset, & insuper quod intimis viscerum doloribus torqueretur. Cumque per dies multos iaceret æger, renouata est alio ex capite tristitia magna, ex conscientia admissorum scelerum, quæ cum amicis lamentatur, & prægustatione imminentium alterius vitæ tormentorum: arbitratus quippe est hanc ægritudinem sibi lethalem fore. Interea intimæ plagæ rupta cute eruperunt foràs, sic vt de corpore impij vermes scaturirent, ac viuentis in doloribus carnes eius effluerent, & illius fœtore exercitus grauaretur, nec quisquam eum poterat propter intoletantiam fœtoris portare. Quæ cum Scriptura dicat, apparet eum voluisse in sella gestatoria Babylonem deferri, vt commodius sibi curaretur, sed viui cadaueris terterrimum fœtorem, nemo, ac ne ipse quidem denique ferre poterat, neque cruciatum, doloribus per momenta singula capientibus incrementum.

Eius fœtor. *1. 2. c. 9.*

IV. Agnoscit morbi causam, & qualis eius pœnitentia.

Postremo agnoscit culpam, eamque vocem propria superbia damnata, pronunciat. *Iustum est subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire,* & tamen audit. *Orabat autem hic sceleftus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus,* sanitatem videlicet, aut veniam peccatorum. Nimirum vera pœnitudine propter offensum Deum non tangebatur, sed propter dolores suos, instar improbi seruiad plagas eiulantis. Frustra quoque in Iudæorum gratiam, & satisfactionem vota nuncupat, quæ, si voti compos fieret, irritaret illico, ac derideret. Ad eos autem blandissimè scribit, in gratiam filij, quem designabat successorem, veritus ne Demetrius, qui Romæ erat obses, filius Seleuci primogeniti Magni Antiochi, regnum sibi debitum vendicaret; quod & fecit, Lysia & Eupatore occisis, vt suo loco dicetur. Quoniam autem puerulus adhuc erat filius Antiochi, *vocauit Philippum vnum de amicis suis, & præposuit eum super vniuersum regnum suum, & dedit ei diadema, & stolam suam & annulum,* vt esset quasi nutritius pater regij pueri: qui cum esset apud Lysiam, Rex imprudens, discordiarum seminatium suscitauit Lysiam inter & Philippum. *Igitur homicida & blasphemus,* ait Scriptura, *pessime percussus, vt & ipse alios tractauerat, peregre in montibus miserabili obitu vita functus est,* in Tabes oppido Persidis, vt habet Porphyrius apud S. Hieronymum. Breuem vitæ ipsius epitomen, instar Epitaphij, Lector studiosus in Annalibus reperiet, hic omissam, ne forte fastidiosis stomachum moueremus.

Curam gerit successoris, & moritur.

1. 2. c. 9. sint. Dan. v. 45

V. Res sub idem tẽpus gesta a Iuda *1. Mach c. 5.*

Nunc priusquam de Eupatore Antiochi successore dicamus, quædam quæ sub interitum Antiochi gesta sunt à Iudæis breuiter proferenda sunt, quæ non facile disiungi possunt, & modico distant interuallo temporis. Cum ergo Ethnici, qui in circuitu Iudæorum erant, audissent altare, & Dei cultum cum sanctuario restitutum, *irati sunt valde, & cæperunt occidere de populo, & persequi,* improuisis videlicet excursionibus, insidiis, aliisque hostilibus modis. Contra quos consurrexit Iudas, & primum contra Idumæos, qui erant in Acrabatane quos ingenti clade affecit; tum Bæanitas, qui ex turribus suis erumpentes, Iudæis vt laqueis insidiabantur: at Iudas incendit turres eorum igni, cum omnibus qui in eis erant. Tertia expeditio fuit in Ammonitas, & ipsorum ducem Timotheum. Et commisit cum eis prælia multa, eosque contriuit capta ciuitate Gazer, cum pagis suis. Cumque inde Iudas in Iudæam reuersus esset, Galaaditæ vicinos

Contra Idumæos & alios vicinos hostes.

Israëlitas vexare cœperunt, & in munitionem Dathemam compulerunt: vnde auxilium per literas à Iuda postularunt: qui ad eos quam primum cum fratre Ionatha profectus est, misso in Galilæam Simone, contra Tyrios & Sidonios, & vtrobique res bene gesta est à Iudæis, & vtriq; liberatos Iudæos deduxerunt in terram Iuda.

Grauibus vtique de causis: Siue vt tuti essent ab insultibus, & vexatione infidelium, quorum multitudini pares esse non poterant: siue ne in medionationis prauæ, discrimen amittendæ religionis adirent: siue vt terram Iuda. quam Antiochus eiusque duces desolatam cladibus ac pene desertam effecerant, populosiorem & fortiorem ad resistendum gentibus efficerent. Cum ergo Galaaditæ duce Iuda venissent vsque ad Ephron, ciuitatem magnam atq; munitam, in ipso itinere positam, Ephronitæ animaduersa tanta multitudine, & colonia nouarum sedium candidata, occluserunt vrbis suę ianuas, & lapidibus etiam obstruxerunt. A quibus cum Iudas pacificum trãsitum peteret, nec impetraret, obsessam vno die ac nocte ciuitatem expugnauit, atque deleuit, omnibus maribus ferro sublatis: quos sine dubio oportet maioris alicuius criminis fuisse reos, quam negati transitus, ne sit longe impar culpæ supplicium. Inde transmisso Iordane veniunt in Iudæam incolumes, *& ascenderunt in montem Sion cum lætitia, & obtulerunt holocausta, quod nemo ex eis cecidisset*, quamuis medios inter hostes sibi viam patefecissent.

Verum Deus hæc gaudia non modica tristitia permisit temperari. Dum enim Machabæi absunt, Iosephus & Azarias moti cupiditate gloriæ, quam Iudas cum fratribus acquirebant, contra ducis atque pontificis mãdatum, expeditionem susceperunt contra Iamniam ciuitatem maritimam, quam Gorgias præsidio tenebat, qui Iudæis egressis obuiam in pugnam, occisis duobus hominum millibus, reliquos egit in fugam; cuius cladis causa fuit non solum violatio mandati, sed diuina electio, quæ ipsos ad hasce victorias non elegerat. Sed eam cladem Iudas hostibus citò repositi cepta Idumæis Hebrone cum pagis suis, & aliquot in Samaria & Palæstina ciuitatibus, & nominatim Azoto, *& diruit aras eorum, & sculptilia Deorum ipsorum succendit igni*, (quod Iosephus non est ausus confiteri) *& cepit spolia ciuitatum, & reuersus est in terram Iuda.*

Quæ dum à Machabæis gloriosè circumquaque perpetrantur, Philippus corpus Antiochi, nuper in superiore Asia mortui, transferebat Antiochiam, opinor ad Eupatorem & Lysiam, quibus absentibus occupauit ciuitatem. Sed *metuens filium Antiochi, ad Ptolemæum Philometorem in Ægyptum abiit.* Non ille sibi opinor à nouenni puero metuebat, sed à Lysia, qui eum habebat in potestate, & de regiò erat genere, & regno fuerat à defuncto rege præpositus, à flumine Euphrate, vsque ad flumen Ægypti. Philippus autem acceperat à moriente rege diadema, annulum, vestemque regiam, & mãdatum gubernandi & nutriendi regem & consequenter abducendi à Lysia; quod sine summa eius offensione fieri non poterat. Itaque Philippus se tanquam æmulum dignitatis proregis à Lysia de medio sublatum iri formidabat: nec se parem illi viribus aut gratia existimans, competitori cedens, in Ægyptum profectus est; id tamen non ante annum sequentem contigisse, ex sequentibus intelligetur. Interim nos paulum ad Eupatoris initia regrediamur.

IX. Lysias Eupatori regnum attribuit. *l.1.c.6.15. l.1.c.6.17. l.2.c.10.11*

Cum Lysias mortem Antiochi didicisset, filium eius quem nutriebat regno suffecit, eumque vocauit Eupatorem, in gratiam videlicet patris, qui de se benemeritus fuerat. Nam Scriptura, *Nunc autem*, inquit, *de Eupatore Antiochi impij filio, quæ gesta sunt narrabimus.* Eupator autem *suscepto regno Lysiam super negotia regni constituit.* Confirmauit videlicet potestatem, ipsi ab Epiphane traditam. Id enim Lysias propter æmulum Philippum satagebat. Sub hæc autem initia, Ptolemæus quidam cognomento Macer, qui Cyprum sibi creditam à Philometore, Epiphani prodiderat, minus acerbus erat in Iudæos, quos iniuste vexatos cernebat. Cumque in præmium proditionis suæ, nulla esset honorifica præfectura decoratus, & insuper Iudæorum inimicis odiosus esset, & subinde proditor audiret, ad voluntarium exilium hausto veneno compulsus est.

Obitus Ptol. Macer.

Interim Gorgias, qui nuper Iosephi & Azariæ temeritate bene vsus, magnam Iudæis cladem intulerat, frequentibus excursionibus eis molestus erat. Idumæi quoque eos incursabant, & fugatos Hierosolymis recipiebant in munitiones suas in quas Machabæus inuasit, & iis occupatis ad viginti millia trucidauit, partim in occursu pugnæ, partim propugnantes in muris. Cumque ad alias munitiones, quæ magis vrgebant, proficisceretur, Simonem cũ idoneis copiis reliquit, ad duas turres, siue munita castella expugnanda. At milites pecuniæ cupiditate victi, quosdã fuga elabi permiserũt. Quod cum Machabæo innotuisset, collecto concilio, *eos accusauit, quod fratres pecunia vendidissent, aduersarijs eorum dimissis.* Non enim vitam suam duntaxat, aut bona recipiebant, sed potestatem recuperabant vexandi Iudæos cædibus & rapinis. Hoc igitur proditores cædi iussit, & confestim prædicta castella expugnauit, in quibus *plusquam viginti millia peremit*, præter eos, qui pecunia sibi salutem inuenerant.

X. Gorgias & Idumæi vexant Iudæos quibus fertopem Machabæus.

Sequitur alia glorioſissima de Timotheo Iudæ victoria, in qua Machabæus singulari Dei benignitate armigeros habuit angelos. Cum enim Timothæus, qui prius à Iudæis superatus fuerat, in Galaaditide, cum dux Ammonitarum esset, & primo Machabæi anno cum Bacchide, ingentes copias in Asia collegisset, & Iudæam expugnaturus aduentaret, Iudæi causam suam infimis precibus, & corporis afflictationibus Domino commendarunt. Inita cũ solis ortu pugna, apparuerant aduersariis de cœlo viri quinque in equis, frenis aureis, vtique & reliquo egregij bellatoris apparatu decori, ducatũ Iudæis præstantes. Ex quibus duo Machabęũ mediũ habẽtes armis suis circumspectũ incolumẽ cõseruabant, in aduersarios autẽ tela & fulmina iaciebant. Ex quo & cœcitate ob igneũ fulgorẽ confusi, & repleti perturbatione cadebant. Interfecti sunt autem viginti quinq; millia quingenti, & sexcenti equites. Qui autem ab hoste visi sunt, ad terrorem, fortasse e-

XI. Mira Iudæ de Timotheo victoria. *l.2.c.10. 24. 1.Mac.56. l.2.c.8.30*

Angeli pugnatores.

tiam

tiam à Iudæis visi sunt, ad fiduciæ incrementum. At Timotheus fugit in Gazaram: quo loco à Iuda quinto die expugnato, occultantem se Timotheum, cum fratre Chærea & Apollophane peremit.

XII. Alia de Lysia victoria.

Non minorem deinceps victoriam, at multo etiam maiorem de Lysia prorege Iudas obtinuit. Contra Iudæos enim venit cū 80 peditum millibus, & vniuerso regis equitatu, & elephantis 80. Iamque Bethuræ præsidium expugnabat; cum Iudas ad solita primùm Dei præsidia confugit, suos hortatus, hosti obuiam Ierosolymis procedebat, cum apparuit eis præcedens eques in veste candida, armis aureis hastam vibrans. Quo cælesti auxilio vehementer animati, leonum more irruentes in hostem, prostrauerunt ex eis vndecim millia peditum, & equitum mille sexcentos, reliquis in fugam actis. Sed & ipse Lysias turpiter fugiens euasit, iam tertio prælio superatus, quantumuis singulis præliis copias vehementer auxisset. Itaque intelligens Deum pugnare pro Iudæis consilia pacis init, quibus Iudas acquieuit. Res autem hunc in modum progressa est. Misit Lysias ad Iudam legatos de pace, promisitque se æquis eius conditionibus consensurum, & regem puerum, quem habebat in potestate, compulsurum amicum fieri.

Angeli rursum pugnæ.

XIII. Lysiæ de pace cōsilia.

Machabæus publicæ vtilitati consulens Lysiæ precibus acquieuit. Petuisse autem patriis vt legibus, atque institutis viuere liceret, satis omnes intelligunt; quando hanc vnam fuisse Iudæis belli causam, Lysias quoque fatebatur. Id certe constat tam Lysiam, quam regem ipsum, quæcunque postulauerat Iudas cōcessisse. Extant enim de hoc toto negotio Regis & Lysiæ epistolæ, quas in Annalibus reperies breuiter explicatas. Ad pacis autem firmitatem, vult Rex quandam quasi amnistiam induci eorum, quæ hostiliter vtrimque gesta fuerant hactenus, quasi per ignorantiam, cui venia facile tribuitur, fuissent perpetrata. Illud autem obiter monendum, literas Eupatoris subscribi anno Regni Græcorum 148 cum patrem eius constet mortuum anno 149. Nimirum anni Græcorum à Iudæis prius sex mensiū spatio inchoabantur, quam à Syris. Itaque scriptor prioris libri Iudæorum Chronologiam secutus est, posterioris autem Syrorum. Vide Annales.

n. 78. & 199.

Gemina chronologia Iudæorum & Syrorum.

n. 79.

Iam quod ad Romanos attinet quorum epistola prioribus subiicitur, facile intelligi potest Iudæos, qui viderent omnia circumquaque regna ex eorum nutu pendere, ad eorum legatos quitum erant in Syria, confugisse, vt quæ cum Lysia gesta erant confirmarentur, quod & obtinuerunt. Iudæorum tamen legatos Antiochiam, vbi erat consilium regium, euocauerunt, vt de quibusdam coram disceptaretur. Nec mirum est alios hic nominari Romanorum legatos ab iis, quo ex Polybio in fine proximi anni retulimus. Neque enim necesse est omnes à Polybio fuisse nominatos; & apparet alios ad Eumenem in Asiam, alios ad Antiochum in Syriam fuisse profectos. Nihilominus cito rupta sunt ista fœdera à quibusdam ducibus regiis. Nimirum miles pacem non amat, qui belli spoliis rapinisque saginatur. Vicinorum enim locorum quinque præfecti, dum Lysias regem adit; & Iudæi quiescunt, in eos se hostiliter gesserunt. Nam Ioppitæ ducentos Iudæorum in altum perductos submerserunt. Re cognita Iudas superueniens cum suis, cum primo impetu oppido potiri non potuisset, in naue & portum flammas iniecit, moxque discessit, certus redeundi, & vniuersos Ioppitas exstirpandi. Persimilem quoque Iamnius intulit cladem, qui simile facinus aggredi debantur: & meditatum in vndis facinus, succensis eorum nauibus impediuit.

XIV. Iudæi ad Romanos legatos confugiunt. l. 2. c. 11. 34

Ioppitarum in Iudæos crudelitas a Iuda punita. 2. Macb. 12. 3.

Iamnitarum quoque.

Alias quoque pugnas commisit Iudas contra latrones Arabiæ, contra Timotheum & Gorgiam præpositum Idumææ, & si quos alios, quos breuitatis causa omittimus. Illud autem non omittendum, notare Scripturam in pugna contra Gorgiam *contigisse paucos ruere Iudæorum*, suis tamen relicta victoria. A qua Iudas collecto exercitu venit in ciuitatem Odollum, iuxta quam spelunca erat in tribu Iuda, conscia latebrarum Dauid, vbi cum dies sabbati superueniisset, secundum consuetudinem quieuerunt. *Et sequenti die venit cum suis Iudas, vt corpora prostratorum tolleret, & cum parentibus poneret in sepulchris paternis. Inuenerunt autem sub tunicis interfectorum de donariis idolorum, quæ apud Iamniam fuerunt, à quibus lex prohibet Iudæos. Omnibus ergo manifestum factum est, ob hanc culpam eos corruisse. Omnes itaque benedixerunt iustum iudicium Domini, qui occulta fecerat manifesta.* Tacita hæc admiratio satis ostendit in præliis Iudæ, victorias incruentas illi diuinitus solitas esse contingere. Donaria vero fuerunt parua quædam dona idolis oblata magni pretij, quæ cupiditatem accenderent, & facile sub tunicis laterent.

XV. Idolorū donaria malè à Iudæis seruata.

Deut. 7. 25.

Vide l. 1. c. 5. 54.

Vide autem hic accuratè expletas à Iuda, & sociis eius virorum religiosorum partes. Principio diuinum iudicium in suorum castigatione agnoscunt & probant, cum iustum appellāt & benedicunt Deum, qui etiam in eo scelere vindicando misericordia vsus, victoriam nihilominus Iudæ concesserit, cum olim violato ab Achan anathemate, Iudæorum exercitus cum cæde actus fuisset in fugam. Deinde ad preces cōuersi, Deum rogauerunt vt id delictum perfectè deleretur, vt culpa scilicet per animi dolorem delera, pœna quoque illi debita deleretur. Tertio Iudas, ea occasione bene vsus, suos hortatur vt hac Dei animaduersione in socios admoniti, Dei offensam reformident. Quarto destinat sacrificium expiatorium, pro animabus eorum à pœnis eripiendis: eamque in rem collatitia pecunia datur, & à Iuda Hierosolymam mittitur. Porro hoc Iudæ factum, ad quod accessit consensus vniuersi exercitus, apertè docet vsu receptas apud Iudæos preces, & sacrificia pro defunctis, & animorum immortalitatem, & corporum resurrectionem fuisse creditam, & mercedem benefactorum existere apud Deum.

XVI. Vt Iesus eos gesserit Iudas.

τὰς ἁμαρτίας ἐκλυθῆναι.

Publica Iudæorū fides.

Cæterum cum Antiochus Epiphanes sub anni huius initia moriturus esset, vt ex literis filij eius Eupatoris aperte constat, nuncius mortis eius maturè Romam delatus, Demetrium Seleuci filium, qui Romam in locum patrui Antiochi à patre missus fuerat obses, vehementius incitauit, vt missionem à Senatu Hagitaret: qui enim molestè tulerat patrum suo

Miles fœdera rumpit.

XVII. Demetrius missionē frustra petit a Senatu. Polyb. in legat. 107.

loco regnare, iniquius etiam ferebat, in eius filio patruele suo, eam iniuriam tolerari. Itaque ingressus in curiam à Patribus postulauit, vt per populum Romanum regnum sibi debitum redderetur. Erat quippe filius primogeniti Antiochi magni, Eupator autem secundogenitus; & regnauit annis duodecim priuatus fuerat. Atis in optima causa Romanos, quos appellabat Patres, ne iudices quidem satis æquos expertus est. Etsi enim æquitate postulationis mouebantur, omnes tamen communi consensu decreuerunt Demetrium esse retinendum, & Eupatori puero regnum firmandum. Cuius cõsilij causam fuisse putat Polybius, quod florem ætatis, in qua erat Demetrius, agebat autem annum vigesimum tertium, suspectum habebat Senatus, & rebus suis conducibiliorem iudicabat Eupatoris ætatem, qui iam regno successerat. Itaque Cn. Octauum, alioſque duos legatos miserunt in Asiam, ad regnum illud ex voluntate Senatus administrandum: idque non difficile fore putabat, rege puero, & principibus aulæ bene secum agi existimantibus, si Romani Demetrio regnum non traderent, qui alios sibi aulicos cooptaret.

Senatus ut faueret Eupatori, ad quem mittit legatos Octauium, &c.

XIII. Consules anni huius, & vnius subita mors. *l. 9. c. 12.*

De Cossi huius anni perpauca traduntur, prior fuit T. Sempronius Gracchus secundùm Consul, pater eorum Gracchorum, qui multas posteà turbas in Repub. excitarunt, cui Sardinia regenda obtigit; eius autem collegæ M. Inuentio Thaliæ Corsica; Qui, vt scribit Valerius, cum in Corsica, quam nuper subegerat, sacrificaret, receptis literis decretas ei à Senatu supplicationes nunciantibus, intento illas animo legens, caligine obortа ante foculum collapsus, mortuus humi iacuit: idque prægaudio, vt idem interpretatur. Nemo ei reperitur suffectus.

ANNVS MVNDI 3892.

IVDÆ MACHABÆI 4.

PHILOMETORIS 18.

EVPATORIS 2. Imperij Græcorum 150.

OLYMP. CLIV. A. 3. VRB. C. 591.

ANTE CHRISTVM 161.

I Præludia belli, à Sionis præsidiatis. *l. 1. 6. 20. l. 2. 6. 13.*

HAbet hic annus bellum à Iuda gestum cõtra Eupatorem, & eius proregem Lysiam, & cædem Menelai pseudopontificis, Eupatoris iussu, Lysiæ hortatu perpetratam. Mortem item Eleazari fratris Iudæ, & res à legatis Romanis in Syria gestas, aliáque his connexa nonnulla. Præludia belli orta sunt ab hostibus, qui erant in arce Sionis, à quibus crebri fiebant incursus in Iudæos, qui templum frequentabant, & in omnem erant occasionem intenti, vt eos male mulctarent. Itaque cogitauit Iudas disperdere eos, & conuocauit vniuersum populum, vt obsiderent eos anno centesimo quinquagesimo, & admouerunt expugnandæ arci machinas. Quod cum vidissent qui erant in arce, timuerunt incredibilem Iudæ in bello felicitatem, quatenus in loco totius regni munitissimo atq; firmissimo clausi essent. Huius timoris indicium est, quod exeuntes quidam ex eis qui obsidebantur, quibus adiunxerunt se aliqui impij ex Israel, & regem adierunt, vt eo cum magnis copijs aduenient obsidio solueretur, & Iudas opprimeretur cum suis. *venerunt*, ait Iosephus *ad Antiochum postulantes ne se in extremum periculum à suis contribulibus redactos despiceret: maximè quod patrij ipsius auctoritatem secuti, in tam necessitatem adducti essent, dum maluntpatriosritus, quam regis mandata contemnere.*

Eos Iudas obsidet, qui ad regem confugiunt.

Quibus auditis rex cum Lysia congregant vndique copias ingentes equitum peditumque cum elephantis, curribusque falcatis. Regi venienti occurrit Menelaus ille pseudopontifex, qui cæteris commixtus apostatis, deprecabatur Antiochum, non pro patriæ salute, sed sperans se loco Iudæ constitutum iri populi ducem atque pontificem; At ipsum sua scelera iamdudũ ad interitum deposcebant. Itaque *rex regum suscitauit animos Antiochi in peccatorem*: & suggerente Lysia hunc esse causam omnium malorum, mandauit, vt est in Græco, Beroeam abducendum, eóque loco vsitato supplicio necandum. Erat enim ibi turris 50 cubitorum plena cineribus, quæ machinam habebat in summo versatilem, vndique decliuem in cineres. Ibi eum qui damnatus esset sacrilegij, aut insignis alicuius facinoris, omnes protrudebant ad interitũ. Ibi præuaricatorem legis Menelaum mori contigit, neque mortuum terræ mandari.

l. 12. c. 1.

II. Rex in Iudæa os mouet, & Menelaũ occidi iubet. *l. 1. 6. 28.*

Sed rex mente efferatus veniebat, nequiorem se patre suo Iudæis ostensurus. Quibus Iudas cognitis præcepit populo, vt die ac nocte Dominum inuocarent, vt solito præsidio ipsis adesset. Neque propterea defuit officio ducis, & communicato cũ suis consilio, priusquam Rex admoueret exercitum ad Iudæam, & occuparet ciuitatem, statuit exire obuiã regi, & exercitum suum circa Modin constituit, arcis obsidione soluta. Interea hostes venerunt per Idumæam, & applicuerunt ad Bethsuram, *& pugnauerunt dies multos*, obsidẽdo arcem egregiè munitam, adhibitis machinis. Sed exeuntes Bethsuræi eas incenderunt, & pugnauerunt viriliter. Iudas autem castra mouit ad Bethzacharam contra castra regis. Et quia temerarium videbatur modicam manum contra tantas copias aperto marte pugnare, nocturnam occupauit pugnam, ipsumque regis Prætorium est aggressus, vbi ad quatuor virorum millia interfecit, qui eo defendendi regis causa confluebant: Castrisque metu ac perturbatione repletis, victores ad sua redierunt.

III. Iudas obsidione soluta Regi occurrit *l. 2. 13. 9*

Et noctu aduadit.

Hoc tumultu Rex excitatus surrexit ante lucem, & aduersus Iudam mouit exercitum, nocturnam contumeliam in eius autores vindicare cupiens, & iræ eius indicium erat, quod belluas quoque efferari volebat, vino & mororum succo potatas. Erant autem numero triginta duæ, quibus singulis mille nos tribuerat viros, equitesque quingentos; eratque egregius armorum apparatus, ita vt sole radios in clypeos aureos æreosque vibrantes, vicini colles resplenderent. Quid plura? *Appropiauit Iudas & exercitus eius in prælium, & ceciderunt de exercitu regis sexcenti viri.* Tum Eleazar cognomento Abaron frater Iudæ, vt Iosepho

Et bestias efferat. *l. 1. 6. 35. &c*

Eleazar vna peremptus occubit *c. 6. 42. &c.*

placet

placet, ratus præclaro elephanto insidere Regem, illuc cursu, cæsis hinc & inde hostibus, peruenit, & succedens sub ventrem eius belluam confudit, & ipse simul pondere eius illabentis oppressus est. Iudas autem animaduertens hostem tanto superiorem numero, Hierosolymam se recepit; volens, vt idem ait, arcem iterum oppugnatione aggredi, simul & succurrere Bethsuræis fame laborantibus, quos Rex obsidebat, sed *fugabatur* per eruptiones inclusorum, *impingebat*, per temerarios obsidentium insultus, *minorabatur* per varias suorum cædes & funera, quæ bellum famesque inferebatur.

l. 12. c. 14. & l. 1. bell. c. 1.

V. Bethsura à Rege obsidetur

Interea ijs qui intus erant, Iudas, pro sua tenuitate, necessaria occultè mittebat, cum rem Rhodocus quidam ad hostem transfugere cupiens, ei patefecit, sed eo à Iudæis comprehenso, & in carcerem coniecto, *Rex iterum sermonem habuit ad eos, qui erant in Bethsuris, dexteram dedit, accepit, abiit*, ait Scriptura. Quasi dicat. Rex primo quidem allocutus est Bethsuræos, & ad deditionem inuitauit, sed contemptus, repulsus, ac damnis affectus est. At postquam eos fame laborare cognouit, & vias obstruxit inferendo commeatu, iterum eos allocutus, ad amicam deditionem adduxit. Itaque *dexteram dedit, accepit, abiit.* In primo autem libro. *Et fecit pacem cum his, qui erant in Bethsuris, & exierunt de ciuitate, quia non erant eis ibi alimenta conclusis; quia sabbatum erant terræ*, annus videlicet septimus, quo terræ vacatio dabatur, qui est annus sabbaticus 187. ab ingressu Israëlitarum in Chananitidem: ex quo nostra circa annos sabbaticos chronologia egregiè confirmatur.

Et facta conuentione deditur.

Annus sabbaticus 187. *Vide Ann. n. 26.*

VI. Antioch' obsidet Ierusalē.

Antiochus Bethsura potitus, eaque præsidio firmata, copias omnes traduxit Hierosolymam, ad quam obsidendam iam partem copiarum miserat, dum ipse Bethsuram obsideret. Vrbe autem potitus, noua templi propugnacula diebus multis obsedit. Cumque propugnatores inopia ciborum victi dilaberentur, ad deditionem veniendum erat, nisi Deus necessariam deditionem per ipsos hostes præuenisset. Cum enim Lysias prorex audisset Philippum æmulum suum Antiochiam occupasse, & regni negotia velle suscipere, redacto scilicet in ordinem Lysia, qui hoc munere fungebatur, eius conatus quamprimum infringere conatus est. Vt ergo totas regni vires in illum conuerteret, Iudææ negotia quamprimum componere studuit. Itaque Regi ducibusque persuasit, vt pacem darent Iudæis, permissa eis libertate viuendi iuxta ritus patrios. Cumque pax Iudæis placuisset, & vtrimque iureiurando firmata esset. Rex templum ingressus obtulit munera, & sacrificia, Iudam amplexus est, ornauit præfectura.

Lysias procurat pacē, propter æmulum Philippū.

VII. Initur pax non diuturna *l. 1. c. 6. v. 62.*

Sed breuis fuit hæc beneuolentia, breuis iurisiurandi fides. Nam in priore libro ita legimus. *Et intrauit Rex montem Sion, & vidit munitionem loci, & rupit citius iuramentum quod iurauit, & mandauit destruere murum in gyro. Et discessit festinanter, & reuersus est Antiochiam, & inuenit Philippum dominantem ciuitati, & pugnauit aduersus eum, & occupauit ciuitatem.* Ex itinere autem adijt Ptolemaidem, vbi inuenit ciues grauiter ferentes quædam Iudæis concessa ob quæ volebant fœdera pacis irritare. Erant enim Ptolemæenses hostes Iudæorum, & indignabantur datam Machabæo præfecturam. Ob quam cum illi tumultuarentur, *ascendit Lysias tribunal, & exposuit rationem, & populum sedauit, regressusque est Antiochiam.* Ex eo igitur quod dicitur populum sedatum à Lysia, eius rationibus acquieuisse, satis intelligitur fœdus cum Iudæis non fuisse statim diremptum, præsertim si verum est Iudæos Euparorem multum iuuisse in recuperanda Antiochia: quo tempore ait Menelaum suasu Lysiæ, & iussu Regis, Beræam amandatum, ibique interfectum.

Ptolemais inimica Iudæis. *l. 2. c. 13. 26.*

Hoc anno legati Romanorum C. Octauius, Sp. Lucretius, & L. Aurelius in Asiam & Syriam superiore anno destinati, in Asiam primò ad Ariarathem regem Cappadociæ venerunt, vt ex Polyb. in legat. perspicuum est, qui se, de sua cum Galatis controuersia, promisit eorum iudicio acquieturum: quin & comitem se illis in Syriam obtulit, vbi res sciret admodum esse turbatas, nimirum propter Lysiæ & Philippi æmulationem, & Iudæorum cum rege pugnas. Legati beneuolentiam grato animo, & cum laude acceperunt, comitatum remiserunt. Inde Laodiceam Syriæ venerunt; vbi quid factum sit his verbis declarat Appianus. *Cum audisset Senatus multos elephantos esse in Syria, & naues aliquot supra definitum Antiocho numerum, legati missi sunt, qui elephantos interficerent, & naues exurerent. Hoc spectaculum miserabile visum est, occidi mansuetas & raras belluas, & naues concremari. Id non ferens quidam Leptines*, quem Zonaras à Lysia subornatum atque summissum tradit. *Cn. Octauium legationis principem, dum vngitur in gymnasio confodit, quem Lysias sepelist.* Sic Appianus. Ea cæde patrata nihilominus Laodiceæ in publico versatus est, qui etiam se obtulit vt Romam iret, factumque suum Senatui Romano probaret. Fuit & Rhetor quidam Isocrates, qui eam cædem publicè probaret, & reliquos etiam legatos diceret occidendos, vt Romani discerent modestius imperare.

VIII. Quæ a legatis Romanis gesta. *n. 20.*

In Syriaca Cn. Octauius occiditur Laodiceæ

Statim ab ea cæde Lysias Romam legatos misit, qui Senatum docerent, Regem eius cædis non fuisse conscium. At Senatus legatos remisit, nulla prolata sententia, quia mentem suū prodere omnino nolebat. Eo accepto nuncio Demetrius de fuga Polybio consilium capit, quod sequēti anno in rem deductum est. Vtriusque etiam Ptolemæi legati in Senatu pro dominis suis contenderunt. Et Senatus iuniori fauens Cyprum minori addixit, quia diuisum cupiebat Ægypti regnum, vt si res ferret, diuisum facilius in suam potestatem redigeret, vt ait Polybius, quam vnitum. Itaque legatos misit, qui iuniorem in Cyprum reducerent.

IX. Lysias ea de re mittit e legatos. Demetrius fugam cogitat *Polyb. legat. n. 114.* Senatus iniquior Philometori.

***

ANNVS MVNDI 3893.

IVDÆ MACHABÆI 5.

PHILOMET. 19. DEMETRII SOTER. 1.

ANT. EVPAT. 3. & vlt. Imp. Græcorum 151.

OLYM. CLIV. AN. 4. VR. C. 592.

ANTE CHRISTVM 160.

I. Demetrius de fuga cõsituit 2. *Mach.* 7. 2. *Mac.* 14

HOC anno regni Græcorum 151. Demetrium Seleuci filium, ab vrbe Roma fuga lapsum, in Syriæ vrbe maritima regnare cœpisse Scriptura testatur. Sed prior huius anni pars ad Eupatorem pertinet, qui regnauit partem anni 149, quo mortuus est pater eius, & partem 151. quo Demetrius ex vrbe venit: quam profectionem sic explicat Polybius. Cum statuisset Demetrius sequi consilium Polybij monentis ne bis in eundem lapidem impingeret, quo eum obscure hortabatur ad fugam, non frustra iterum tentato senatu, vt eius opera regno suo restitueretur, Diodorum, qui recens è Syria venerat, ad se vocat, hominem vafrum à quo fuerat olim educatus. Ab eo discit res in Syria, propter Octauij cædem, esse turbatas, cũ neque Lysias populis fideret, neq; Lysiæ populi, & Senatus crederet, opera & fraude aulicorũ, legatos suos fuisse violatos. Syros si se ipsis ostẽderit regnum illico in ipsum translaturos, neq; Romanos auxilium Lysiæ, qui tantum facinus admisisset, esse præbituros.

II. Et quis fugæ modus.

Cum persuasisset fugam, eius quoque viam modumque aperit opera Menithylli legati Philometoris, qui fingens reditum ad suos, illi nauem præparauit Carthaginensem, quæ Tyrum vela faceret. Cum dicta profectioni dies aduenisset, Nauarchum adit, fingitque noui sibi aliquid à rege mandatum, quod eum adhuc Romæ detineret, sed daturum nihilominus loco suo iuuenes aliquot probatissimæ fidei, qui Tyrum proficiscuntur. Exeunte tertia vigilia Demetrius adest cum octo socijs, quinque famulis & tribus pueris, quos cum Menithyllus Nauclero, qui rem totam ignorabat, diligenter commendasset, cum prima luce vela faciunt. De eius discessu nihil Romæ cogitatum ante diem quartum, quo sollicite quæsitus non comparuit. Die quinto cum Senatus ea de re fuisset habitus, patres abeuntem persequendum non duxerunt, sed legatos mittendos, qui res in Græcia primùm inspicerent: deinde in Asiam transgressis, quid moliretur Demetrius observarent, animos item aliorum regum explorarent.

III. Scribit ad Senatũ, & regno occupato, Eupatorem, & Lysiam necat.

Interea Demetrius defertur in Lyciam, vnde ad Senatum scribit, se non contra patruelem Antiochum, sed contra Lysiam, ad vlciscendam Octauij necem proficisci. Inde Tripolim Syriæ appellit, vbi à Syris magna omnium gratulatione acceptus est, quod à Senatu ad regnum occupandum missus putaretur, vt ait Zonaras, & Apamea potitus, comparatis copijs Antiochiam contendit, ibique puerum & Lysiam amicè obuiam egressos, Romanorum enim metu armis abstinuerant, interfecit. *Et factum est*, ait Scriptura, *vt ingressus est domũ regni patrum suorum* sibi scilicet à patre Seleuco, & auo Antiocho magno debitum, tanquam primogenito Seleuci eius primogeniti, cõprehendit exercitus Antiochum & Lysiam, vt adducerent eos ad eum. *Et res ei innotuit, & ait, nolite mihi ostendere facies eorum*, ne scilicet à me aliquid extorqueant, *& occidit eos exercitus*. Sicq; sublato æmulo *sedit Demetrius super sedem regni sui.* l. 2. c. 7. 2.

IV. Dei in Epiphanẽ vindicta.

Cædem Eupatoris Sulpicius tribuit diuinæ iustitiæ perfidiam eius vlciscenti; & reuera datam Iudæis pacem breui tempore semel iterũq; violauit. Verum merito possumus altius diuinã vltionem repetere, patris peccata grauissima in filio vlciscentem, & radicem eius de terra tollentem, sicut domum Achabi & Ieroboami, & aliorum impiorum principum. Sic radix peccatrix in primo frutice exaruit. Occisis porro qui regno Demetrij domi maxime officere poterant, & locis munitis opportunè occupatis, de Romanis omni ratione placandis atque demerendis cogitauit. Primum insigni comitate aduersus Romanos legatos, in Pamphylia & Rhodio vsus est, præsertim in Tiberium Gracchum, cuius maxime opera obtinuit vt rex ab eis salutaretur. Secundo consiliatis sibi personis, quæ causam suam Romæ fructuosè agerent, muneribus quidem, vt par est credere, legatos priuatim prosecutus est, sed publicè etiam S.P.Q.R. corona aurea maximi pretij dono missa. Tertio ad expiationem Octauianæ cædis, non contentus Lysiam & Eupatorem eius conscios, vel autores interfecisse, Leptinem, qui cædem pararat, & Isocratem qui approbarat, Romam misit, dedititios, & pro arbitrio supplicijs afficiendos; qui non ante annum sequentem Romã peruenerunt. In illorũ autem cæde id Demetrio percommode cecidit, vt quos de medio tolli rerũ eius maxime intererat, in ijsdem etiam tollendis, magnam Romanis satisfactionẽ præberet.

Demetrius Romanos placare studet. 1. *Pol.* l. 30 2. 3.

Regno porro Syriæ à Demetrio occupato, *venerunt ad eum viri iniqui & impii ex Israel*, qui scilicet ad profanos defecerant Ethnicorum ritus, *& Alcimus dux eorum*, qui & ipse non coactus supplicijs, sed *voluntarie coinquinatus fuerat* eo tẽpore, quo Iudæi commisti sunt gentibus, neglectu ciborum delectu, superinducto præputio, ludis sacrificijsq; idolorum celebrandis. Itaque factus erat irregularis, & alienus à sacerdotio, atq; adeo bonis omnibus execrandus. Nihilominus cum esset de genere sacerdotali, occiso ab Eupatore impio Menelao, ipse à Rege pontificatum obtinuit, & Menelao successit, vt autor est Iosephus l. 12. c. 15. Rege autem mortuo *volebat fieri sacerdos*, id est sibi à Demetrio confirmari pontificatum, ad quem aditũ sibi præclusum cernebat, propter præcedentem impietatẽ, & apostasiam à Iudaica religione. Sed eum defectum muneribus supplere conatus est, data corona aurea, quæ fortassis ea fuit, quam Demetrius hoc tempore Romam misit, & vna quæpiam de ijs quibus Iudas ornauerat faciem templi, in nupera eius dedicatione. Addidit quoq; palmam & thallos, id est ramos palmarum separatos ab ipsa palma, *qui templi esse videbantur*, & inde sublati sacrilego, sicut & reliqua. Atque ita impius Alcimus factus siue confirmatus est pseudopontifex.

V. Alcimus prophan⁹ ambit sacerdotii confirmationẽ.

Sacrilegis munerib.

l. 12. c. 4. 57. l. 2. 14. 4.

VI. Incumbit in ruinâ Iudæ.

Atis cum intelligeret non satis esse obtinere à rege pontificatum, nisi Iudam qui eo potiebatur, & amicos eius, fautoresque, regis opera tolleret, Demetrium adijt, Iudamque, & eius socios, & nominatim Assidæos, qui erant omnium religiosissimi: quasi regni perturbatores accusauit: tantumque apud Regem profecit, vt is Bacchidem in Iudæam mitteret, vt videret, quam regioni calamitatem Iudas intulisset, simulque Alcimum in pontificatus possessionem mitteret, & ambo vltionem in filios Israël exercerent. Ergo in Iudæam cum exercitu magno profecti, Iudam cum fratribus circũuenire conati sunt. At Iudas ex diuino lumine, & rerum militarium peritia, facile intellexit, neque sacrilego Alcimo, neque Bacchidi adhibendam fidem. Alij autem viri minime mali fidem eis adhibentes, in eorum retia incidere. Alcimus enim iureiurando violato 60. viros, qui ab eo pacem poscebant, vno die crudeliter interfecit. Itaque plerique tam eius quam Bacchidis perfidiam auersati, ab eo profugerunt, quorum quidam ex fuga retracti pœnas immeritas dederunt; *quosdam etiam de populo mactauit, & inputeum magnum proiecit.* Denique Bacchides abiturus ad regem *commisit regionem Alcimo*, vt scilicet dux esset, & pontifex loco Iudæ, vt eum omni ope persequeretur: eumque in finem auxilium ipsi militare reliquit. Abijt itaque ratus Iudææ negotijs satis esse prospectum, si mutuis se ipsi cædibus Iudæi attererent, ne posset deinceps Demetrio resistere.

60. viros perfidiose necat.

1. *Mach.* 7. 19.

VII. Facinorosi ad Alcimum confluũt, & vexant bonos. *l.* 1. c. 7. 21.

Bacchide Antiochiam ad regem reuerso, Alcimus satagebat vt Iudam summo sacerdotio spoliaret, eoque se iuxta regis voluntatem indueret. *Et conuenerunt ad eum omnes, qui perturbabant populum suum, & obtinuerunt terram Iudæ, & fecerunt plagam magnam in Israel.* Excursiones videlicet faciebant, & in ijs cædes, rapinas, & omne genus hostilitatis exercebant. Contra quæ fortiter insurrexit Iudas, & impiorum insultus non solum debilitauit ac repressit, sed etiam sustulit, *& cessauerunt vltra exire in regionem.* Alcimus autem videns præualuisse Iudam cum suis; neque se illis parem esse posse, *regressus est ad regem, & accusauit eos multis criminibus.* Cuius criminationibus motus Demetrius, neque suis rebus tutum existimans, si Iudæ vires augere sineret: misit Nicanorem præpositum elephantorum, qui hostili erat animo in Iudæos, cui mandata dedit profligare populum, capere Iudam, eius comites dispergere, & Alcimum in possessionem pontificatus mittere. Oderat iste Iudam, à quo iamdudum turpiter victus fuerat, sed nondum iustas malitiæ suæ pœnas dederat.

Eos tollit Iudas.

Demetrius mittit Nicanorem.

VIII. Ad eum fugitiui conueniunt. *l.* 2. 14. 15. *l.* 1. 7. 26. Conatur Iudã dolo capere.

Venit ergo Nicanor in Ierusalem cum exercitu magno, cui se adiungebant ij, quos nuper Iudas pro Alcimo pugnantes, ex Iudæa fugauerat. Quare cognita Iudæi ad solita munitionum præsidia confugerunt. At Nicanor colloquium Iudæ experijt, desiderans eum ex mandato regis comprehendere: fingens videlicet contentiones eorum verbis componi posse. At Iudas Simonem fratrem virum consilij misit, qui ageret cum Nicanore, qui viso Simone loco Iudæ anceps animi atque consilij, in re inopinata, subito obmutuit. Ille autem suspicatus insidias, continuo recessit. At Nicanor nihilominus non cupiebat ferro decernere, expertus iam virtutem Iudæ & comitum eius in patria propugnanda. Itaque per nuncios de pace cœpit agere cum Iuda; cumque res diu agitata fuisset, tandem secretò collocuti, pacem quamuis inconsulto rege stabilierunt, vixeruntque pacificè, adeo vt Nicanori Iudas ex animo charus esset.

Moxque pacem cũ illo constituit. 2. *Mach.* 14. 24.

IX. Quã Alcimus disiecta *l.* 2. 14 26.

Alcimus autem tabescebat inuidia, propter irritos iam semel iterumque conatus suos, lugens eum quem quæsierat æmulo suo perduellem, factum illi ex animo amicum. Itaque tertiam hoc anno profectionem ad regem instituit: vt coalescentem amicitiam quamprimum distraheret, atque dissiungeret: Regemque monuit Nicanorem se negotijs, quæ à regis commodis aliena essent, implicare, Iudamque regni insidiatorem ita complecti, vt illum vicarium suum destinasse videretur. Quibus criminationibus exasperatus rex, scripsit Nicanori se grauiter ferre eius amicitiam cum hoste suo, iubere tamen Machabæum vinctum quamprimum mitti Antiochiam. Perculit ille nuncius Nicanorem, quia tamen regi suo resistere non poterat, & eius amicitiam rebus omnibus antiquiorem habebat, *opportunitatem obseruabat, qua præceptum perficeret.* Id subodoratus Iudas, occultauit se à Nicanore. At is vbi sensit detectas insidias, venit ad templum, *sacerdotibus solitas hostias offerentibus, iussitque sibi tradi virum. Quibus cum iuramento dicentibus nescire se vbi esset,* iureiurando affirmauit, se, nisi Iudam vinctum sibi traderent, DEI templum Hierosolymitanum solo æquaturum, & eius loco alterum Libero patri consecraturum.

Nicanor studet Iudam cõprehendere.

Minas intentat. 2. *Mach.* 14. 33.

His dictis abijt ad regem, tum vt se de obiectis ab Alcimo criminibus purgaret, tum vt collectis iterum viribus, nam magnam partem copiarum, inita cum Iuda amicitia, dimiserat, vim adhiberet, vbi fraus irrita eccidisset. At Iudæi, in re quæ ipsis erat longe formidolosissima, territi, DEVM supplices orabant, vt Nicanoris minas redderet inanes.

X. Adit Demetrium

v. 35. 36. 2. *Mach.* 14. 37. Redit cũ magnis copijs & Iudæ tẽdit insidias.

Post aliquod tempus venit iterum Nicanor Hierosolymam cum exercitu magno, & misit ad Iudam se velle cum eo, & fratribus eius pacifice agere. Fingebat videlicet Regem à se placatum, inuiolatam deinceps inter ipsos amicitiam fore, & his similia. Quibus Iudas ita credidit, vt caueret sibi, & fraudem, si qua esset, circunspiceret, ac vitaret. Venit enim Nicanor ad Iudam, & salutauerunt se inuicem pacificè. Et hostes paratiores erant rapere Iudam, vt ait Scriptura. Quod cum Iudæ innotuisset, noluit amplius videre faciem eius. Sed vtrimque pugna parata est, & Nicanor obuiam progressus est Iudæ, & commissa pugna, ceciderunt de Nicanoris exercitu fere quinque millia. Fugitiui autem in Sionis arcem se receperunt, quam regij milites adhuc occupabant.

Eodem venit & Nicanor, indeque facile habuit transitum ad templum; quo cum appropinquaret, exierunt ei obuiam sacerdotes honoris causa, & ostenderunt ei sacrificia, quæ pro Rege offerebantur Deo; quæ ille contempsit, & sacerdotes ipsos ignominiosè tractauit,

XI. Venit ad templũ, & minas iterat.

suasque illas iterauit minas, nisi Iudam sibi cum exercitu ipsius traderent; ineptus, qui post irritam vim minas valituras credebat; inconsultus, qui temere sibi promittebat pacificum reditum superato Machabæo, à quo semper fusus fugatus, cæsusue fuerat. At sacerdotes, eo dimisso, ingressi sunt in templum, ibique diuinam opem contra Nicanorem suppliciter imploratunt, vt eius blasphemias vlcisceretur.

XII. Raziam capere cupit. 2. Mach. 14 37.

Interea cum esset Hierosolymis Nicanor, & in cunctis domibus Iudam quæreret, vt ait Gorionides, delatus est ad Nicanorem vir insignis nomine Razias, *qui pro affectu, pater Iudæorum appellabatur*, quique tempore illo, quo nemo se Iudæum confiteri audebat, multa passus perstiterat constans, & confessionis gloria erat illustris; quem propterea oderat Nicanor: qui volens ostendere suum in Iudæos odium, misit quingentos milites vt eum comprehenderent. Turbis ergo militaribus irruere cupientibus in domum eius, & ianuas disrumpere, atque ignem admouere, cum proximum esset vt comprehenderetur, *gladio se petiit*, & ex alto se præcipitem dedit in turbas, quibus locum cedentibus in vacuum decidens toto corpore conquassatus, animosè tamen surrexit, & cursu in petram quandam ascendit, ex qua intestina sua spargens super turbas, inuocans Dominum vita functus est. Hoc factum cum Diuus Augustinus variè omnem vertet in partem, ad cõdemnandum multo promior est, quam ad probandum. Quod & ipsa facti natura postulat, & id tunc temporis Donatistarum, contra quos disputabat, & circumcellionum furiosa dementia requirebat. Existimari tamen potest id facinus ab illo patratum impulsu Spiritus sancti, quippe quod à Scriptura cõmendatur; & ipse Razias tanquam vir bonus, & religiosi professor instituti, laudatur, & tanquam populi Dei amator, & parens, & boni nominis apud omnes; quippe iam plagas à tyranno pro religione pertulerat, & pro ea corpus & animam tradere semper paratus fuerat.

Et ad mortem adigit.

Quale hoc eius facinus. Epist. 61. & l. 2. cõtra gaudent. c. 23. & l. de Ciu. 1.

XIII. Apparatus Nicanoris & Iudæ ad pugnam. 2. c. 15. & 7. & seqq.

Cum Nicanor intellexisset Iudam abesse Hierosolymis, & in locis Samariæ versari, exijt Hierosolymis, cum ei copiarum incrementum ex Syria aduenit, & castra posuit ad Bethorum, Iudas autem ad Adarsa cum tribus virorum millibus, 30. modò stadijs ab hoste. Dabat autem operam Nicanor vt pugnaret die Sabbati, ratus fortasse Iudæos vt olim, ne arma quidem ad sui defensionem capturos, sed in sua simplicitate morituros. Verum illi columbarum simplicitati, iam serpentum prudentiam Iudæi addiderant. Cumque amicè moneretur à quibusdam Iudæis, qui eum ex necessitate sequebantur, vt diei sabbati, eiusque authori honorem deferret, monitores superbe reiecit. Tanto magis Machabæus orabat cum suis, ac sperabat auxilium sibi diuinitus affuturum. Quos egregiè animauit, declarato eis nocturno viso apparentis sibi Oniæ, dudum defuncti pontificis, pro omni populo Iudæorum protensis manibus orantis; Hieremiæ item prophetæ, qui visus est dedisse Iudæ gladium aureum, dixisseque, *Accipe sanctum gladium munus à Deo, in quo deijcies aduersarios populi mei Israel.*

XVI.

Commissum est ergo prælium, quod tam feliciter Iudæ successit, vt non minus 35. hostium millia, tam in prælio, quam in fuga prosternerentur. Cum enim Nicanor ipse in acie cecidisset, idque innotuisset exercitui, proiecerunt arma sua ad expeditiorem fugam. Iudæi autem instabant animose fugientibus, & simul tubis omnes Iudæos euocabant, vt vndique conuolarent ad fugientium hostium cædem. Qui dum fugientibus occurrunt, & rursum faciem ad eos conuertere coguntur: à quibus fugabantur, in medio concluſi, ad vnum omnes cæsi sunt. Reuersi Iudæi in locum certaminis, cognita morte Nicanoris, vehimenti gaudio affecti sunt. Eius caput Iudas amputari iussit, & manum cum humero abscissam Hierosolymam perferri, & hostibus, qui in arce erant, ostentari. Linguam etiam præcisam iussit particulatim auibus dari: manum autem dementis contra templum suspendi, & deinceps festum diem in gratiarum actionem decima tertia die mensis Adar, qui est duodecimus, celebrari. Nihil habet hoc anno Romana res, quod huc referendum videatur. Consulantur Annales.

Nicanor cũ omnibus copijs deletur

Iudæorũ de illo vindicta.

ANNVS MVNDI 3894.

IVDÆ 6. & vlt. IONATHÆ 1.

PTOL. PHILOMETORIS 20.

DEMETRII 2. Imp. Græc. 152.

OLYMP. CLV. A. 4. VRB. CO. 593.

ANTE CHRISTVM 159.

I. Res anni huius.

LVctuosissimus Iudæis annus exoritur, tristissimo funere Iudæ Machabæi. Antecessit eum cladem Romam missa legatio, amicitiæ Romanos inter & Iudæos, & fœderis ineundi causa. Sed ea legatio priusquam Romam perueniret, Iudas, qui eam mittebat, ex humanis sublatus est: & aliquanto post Ionathas frater eius in demortui locum suffectus est. Erant porro iam Romæ legati Demetrij, & dedititios, & dona ferentes. Verum, vt scribit Polybius, perdiu dubitatum est à Patribus, qui esset opus facto. Tandem Senatus legatos suscepit, & coronam. Leptinem vero cum socio dedititios non recepit: ne vulgò crederetur Senatum debitas pro eo facinore exigisse pœnas à Syris, si eius autores supplicio effecisset. Illis autem reiectis, omnia sibi integra seruare voluit, vt quoties vellet vindicandi criminis in Demetrium, eiusque regnum integram potestatem haberet. Sicque Demetrium spem inter & metum retinuit, dum & dedititios reiecit, & dona recepit, ne eum in desperationem, & apertas conijceret inimicitias.

In legat. n 122. Demetrii legati vt accepti Romæ: dedititi cur reiecti.

II. Iudas quærit Romanorũ amicitiam *l. 1. Mach c. 8.*

At Iudas extincto Nicanore, & ingenti eius exercitu deleto, ad pacem gentis suæ intentus, & humana quoque præsidia circunspiciens, dum Romanorum potentiam didicisset, quantumque sibi Demetrius inde timeret, eum augere metum, & in rem suam conuertere constituit. Suadebat etiam humanitas,

quod

quod omnibus populis regibusque afflictis perfugio essent, atque præsidio. In explicanda porro potentia Romanorum excurrit in varias victorias ab eis toto passim orbe adeptas, quas suis locis explicatas reperies. Addit & varia eorum instituta, quæ hoc loco iterare non est necesse. Quæ tamen in narratione Iudæ de Romanis obscura sunt vel ambigua, in Annalibus studiosus lector explicata inueniet. Nos ipsam Iudæ legationem consideremus, quam Eupolemus, & Iason obierunt. Et ingressi curiam dixerunt. *Iudas Machabæus, & fratres eius, & populus Iudæorum miserunt nos ad vos statuere vobiscum societatem & pacem, & conscribere nos socios, & amicos vestros.* Vrsisse vero in primis vt eximerentur à potestate Demetrij, quæstosque de eo Romæ legatos, rescripti verba significant. Porro Iudæ, fratrumque, ac populi totius nomine facta est legatio, vt maioris autoritatis res esset, & si quid humanitus Iudæ contigisset, vt reuera contigit, eius successores eodem fœdere comprehensi reperirentur.

Legati de rege Demetrio querũtur

III. Amice accepta Romæ legatio.

Romani legatorum postulatis libenter acquieuerunt, non solum quod amicis abundare vtile, atque honorificum est, sed maxime quia hoc quasi freno Demetrium in officio retinere voluerunt. Decreti porro fœderis sententia fuit, vt Iudæi pro Romanis, & Romani vicissim pro Iudæis suis sumptibus militare cogerentur, pro eorum arbitrio, in quorum vtilitatem susciperetur expeditio. Nam quibus bello necessaria suppeditanda sunt, ij non amici aut socij, sed milites videntur mercede conducti. Nominatim autem fit mentio Demetrij, qui Iudæos bello vexabat, ad quem scripsit Senatus, expostulans quod seruilem in modum opprimeret Iudæorum gentem sibi amicam & sociam. Si ergo iterum, inquit, adierint nos aduersum te, faciemus illis iudicium; persequemur scilicet ius eorum armis, & pugnabimus contra te mari terraque. Quo porro fructi initum fuerit hoc fœdus, nusquam apparet. Nihil enim auxilij à Romanis aut petitum à Iudæis aut acceptum reperitur in his libris; etsi semel iterumque à Ionatha & Simone renouatum fuerit idem fœdus.

Cũ minis ad Demetrium.

IV. An male initũ hoc fœdus. *l.10 c.vlt. in.c.9.l.1.* Non videri.

Cæterum non desunt qui Iudam reprehendant initi fœderis cum Romanis: eamque proximè subsecutæ mortis ipsius causam fuisse affirmare non dubitant, eandemque culpam & pœnam cum Ionatha & Simone communicant: In ijs Rupertus & Emanuel Sa, quibus in Annalibus non negligenter respondimus. Hic tantum dico. Cum Iudas, cæterique principes Machabæi necessitate coacti has amicitias & fœdera expetierint, eaque ad sanctissimum finem retulerint, nullum periculum propriæ subuersionis adierint, nemini in ea re offendiculo fuerint, neque se gentilitiæ impietatis protectores exhibuerint, nullam super ea re prohibitionem acceperint, & vbi non est lex ibi non sit præuaricatio, parum videtur idonea eorum accusatio, quos Scriptura non arguit, imo vehementer commendat tanquam viros, imo Heroas fortitudine & sanctitate clarissimos? Quin etiam arbitror eos id fœdus non prudenter solum, sed etiam religiose ex diuina inspiratione iniuisse, ne DEVM tentare, humana præsidia negligenda viderentur: quæ aduocare poterant debita in DEVM fiducia nihil imminuta, cuius prouidentia concursum desiderat, & cooperationem causarum secundarum.

Quod ad postremam Iudæ pugnam attinet, vt audiuit Demetrius cæsum Nicanorem, eiusque exercitum deletum, misit iterum in Iudæam Bacchidem & Alcimum, qui primo mense anni 152. applicuerunt exercitum ad Ierusalem; quærebant scilicet Iudam cum copijs suis, in eius quippe vel clade, vel cæde victoria vertebatur. Ergo ipso ibi non inuento, abierunt in Beream viginti millia virorum, & duo millia equitum. Iudas autem posuerat castra in Laysa, cum tribus millibus electorum, qui visa hostium multitudine timuerunt valde: & multi subtraxerunt se de castris, & non remanserunt cum Iuda nisi octingenti viri. Mirus profecto fuit hic timor, in ijs qui part numero paulo ante Nicanorem cum multo maioribus copijs internecione deleuerant; quique istum ipsum Bacchidem proximo anno ex Iudæa re infecta repulerant. Ac forte ex præcedente victoria vanitas quædam, & fiducia sui Iudæis obrepsit, quæ nunc ista timiditate diuinitus castigetur, dum sese potius intuentur, quam victoriarum largitorem Deum.

V. Bacchides & Alcimus redeunt in Iudæam. 1. *Mach.* 9.4.

Iudæ copiæ defluunt.

Cumque octingenti qui remanserant multo potiori iure timerent, & autores essent Machabæo pugnam in aliud tempus differendi, Iudas id probrosum ratus est; etsi reuera nullum erat dedecus tam impares viribus id tempus cedere, quin potius id recta ratio postulabat. Nisi forte existimabat etiam fugam DEI exercituum gloriam imminuere, qui fortasse statuisset, ea die vitæ ipsorum periodum terminare, quod decretum ipse statuisset amplecti. Ventum est igitur ad pugnam: cumque exercitus regius in duo cornua rederetur, & cornu dextrum, cui præerat Bacchides esset firmissimum, conuenerunt ad Iudam omnes constantes corde, & contrita est dextera pars ab eis: & persecutus est eos Iudas, vsque ad montem Azoti. Quod cum vidissent, qui in sinistro cornu erant, persecuti sunt Iudam & eos qui cum ipso erant à tergo, & ingrauatum est prælium, quod iam à mane ad vesperam durauerat, & ceciderunt vtrimque multi vulnerati, & Iudas cecidit, & cæteri fugerunt. Nimirum delecta columna, corruit quæ illi innitebatur domus.

VI. Reliqui pugnam prudẽter dissuadent, nec persuadent. *Vide Sà in c.9.n.10.*

Pugna postrema, in qua Iudas cadit.

Ita victoria Bacchidi cessit, non cruenta solum, sed etiam pudenda: cum viginti duobus militum millibus, octingenti viri non solum totum diem restiterint, sed robur ipsum exercitus contriuerint, fuderint, fugarint, & cæsum ducem suum incolumes à prælio sui fratres abstulerint; quod tamen per inducias factum Iosephus tradit: quas Scriptura prætermisit. *Et Ionathas*, inquit, *& Simon tulerunt Iudam fratrem suum, & sepelierunt eum in sepulchro patrum suorum in ciuitate Modin. Et fleuerunt eum omnis populus planctu magno, & lugebant dies multos*, septemne, vt Saulem Iabesithæ, aut Iuditham omnis populus? An triginta vt Moysem & Aaronem Israëlitæ in deserto, an septuaginta vt Iosephum Ægyptij? In funebri autem pœnia iterabant

VII. Qualis victoria Bacchidis.

Lugetur Iudas. 1. *Reg.* 31. *Iudith.* 16. *Num.* 20 30. *Deut.* 34.9 *Gen.* 50 3.

illud. *Quomodo cecidit potens, qui saluum faciebat populum Israel*, forte & illud addebant. *Et dilatauit gloriam populo suo, & induit se loricam sicut gigas, & succinxit se armis bellicis suis in præliis, & protegebat castra gladio suo. Similis factus est leoni in operibus suis* &c. Imo similis factus est Christo Domino, vt in Annalibus explicatum est, vbi habes & epitomen vitæ eius appensam Mausolæo, quam fortasse non pigeat lectorem percurrisse.

1. Mac. 3. 3

n. 52. & segq.

VIII. Rerũ miserandus status ab eius morte. l. 1. c. 9. 23.

Post obitum autem Iudæ emerserunt iniqui in omnibus finibus Israel, qui scilicet metu Iudæ, aut abscondebant se, aut pietatem simulabant, hi nunc impune volitare, & perfricta fronte impietatem ostentare, hosti sese adiungere. Cumque fames vrgeret eos, qui præsidia Machabæorum tenebant, omnis se regio, & loca omnia munita se Bacchidi dediderunt; nihil vt tutum fratribus & amicis Iudæ remaneret, qui partim in deserta loca fugere compulsi sunt, vt tempore Epiphanis, partim comprehensi multis modis afflicti, atque illusi fuerunt. Bacchides enim desertores illos præposuit regioni, qui perscrutabantur amicos Iudæ, eosque adducebant ad Bacchidem pro arbitrio castigandos. Quæ causa fuit vt reliquiæ virorum bonorum Ionatham Iudæ suffecerint, ne oues sine pastore morsibus luporum paterent. Et suscepit Ionathas tempore illo principatum, & vna coniunctum illi pontificatum. Nec vlla fuit de successione ambitio: res enim erat non tam honoris, quam oneris, grauissimique periculi.

Ionathas fit dux & pontifex.

IX. Fugit à Bacchide

Cognita electione Ionathæ, Bacchides quærebat eum occidere; quod cum illi, eiusque fratri Simoni, & socijs innotuisset, fugerunt in desertum Thecuæ, & cõsederunt ad aquam lacus Asphar, omnis quippe regio se tradiderat Bacchidi, & potiebatur omnibus munitis locis. Itaque cum nullum haberent in Iudæa tutum receptum, aut sibi, aut rebus suis, ad externos confugerunt. Nam Ionathas misit fratrem suum Ioannem, cum militum manu, & rogauit Nabuthæos amicos suos, qui longius trans Iordanem ad orientem habitabant, vt apud eos sua impedimenta deponerent. Quibus occurrerunt filij Iambri ex Madaba, quos Arabes fuisse scribit Iosephus, & incursu in eos facto, Ioannem cum socijs occiderunt, prædaq; omni collecta, abierunt. Neque tamen diuturna fuit horum prædonum lætitia. Cum enim didicisset Ionathas celebrari nuptias filiæ vnius principis gentis illius, cum ambitione magna, multoque optimatum illorum comitatu, *surrexerunt ex insidiis*, factoque in eos impetu partem occiderunt, si Iosepho credimus, ad quadringentos; *& ceciderunt vulnerati multi & residui fugerunt in montes, & acceperunt omnia spolia eorum, & conuersa sunt nuptia in luctum, & reuersi sunt ad ripam Iordanis.*

Non impune.

X. Bacchidis pugna cum Ionatha, & illius periculum.

Non latuit ea res Bacchidem, & vltionis appetens, parem Iudæis cladem festo die sabbati reponere conatus est, siue in contemptum diei sancti, vt Nicanor, siue vt quietos Iudæos incautosque opprimeret, ratus non repugnaturos, propter religionem diei, sed eos iamdudum Mathatias ista religione soluerat. Monuit Ionathas suos de necessitate pugnandi, quod vndique circumuenti essent, nec vllum vt nuper pateret effugium. Ergo partio more ad preces recurritur: tum pugnatur. In ea pugna Ionathas Bacchidem inuasit infestus, sed ictum, letiferum Bacchides caute declinauit. Ergo Ionathas, cum ab inferendo meditato vulnere aberrasset, desperans de victoria, licet mille hostibus occisis, natatu cum suis Iordanem transiuit, nec eum hostis persequi conatus est. Sed reuersus in Ierusalem, omnia loca Iudææ ad resistendum idonea communiuit, additis præsidiarijs & commeatu, obsides quoque accepit, quos in Sionis arce conclusit. Nec plura nobis hoc anno sacra historia suggerit.

Transit cum suis Iordane.

1. Mach. 9. 50. &c.

Romana vero mortem L. Æmylij Pauli, eius qui deuicto Perse, Macedoniam populo Romano acquisierat. Cuius funus, authore Plutarcho, non auro vel ebore ornatum est, sed eximia ciuium beneuolentia, atque adeo eorum populorum, quos ipse deuicerat. Nam qui tum Romæ fuerunt iuuenes Macedonum, Ligurum, Hispanorum, eius feretrum vltro subierunt. Eius abstinentiam, propter pugnantes scriptorum sententias, in ambiguo relinquimus.

XI. Mors Æmylij Pauli.

ANNVS MVNDI 3895.

IONATHÆ Ducis & Pontificis 2.

PTOL. PHILOMET. 11.

DEMETRII 3. Imp. Græcorum 135.

OLYM. CLV. AN. 4. VR. C. 594.

ANTE CHRISTVM 158.

LÆtos sibi posthac spondebat annos, & liberum ab æmulis pontificatum impius Alcimus, opinione sua summus sacerdos, re autem ipsa pseudopontifex, fidei desertor, & sicarius improbissimus; spondebat, inquam, sibi pontificatum, prostrato Iuda Machabæo, cum duobus fratribus Ioanne & Eleazaro, quorum hic ab elephanto, alter à latronibus Madabæis oppressus interiit: pulsis procul vltra Iordanem qui reliqui erant, Ionatha & Simone: & tota regione, cum omnibus vrbibus & præsidijs, in Demetrij, à quo Sacerdotium obtinuerat, potestatem redacta, diuinitus hoc anno 153. regni Græcorum mense secundo extinctus est, cum cœpisset destruere muros domus sanctæ interioris. Potest intelligi atrium Leuitarum, quod quatuor ex partibus muro cingebatur, ad altitudinem duorum cubitorum & senis, ne liber esset aditus Israelitis in atrium Leuitarum. Videtur autem hic murus construi iussus ab Aggæo & Zacharia, quibus prophetantibus hoc templum excitatum est; ideoque dicitur opus prophetarum. Vide Annales.

I. Mors Alcimi.

1. Mac. 9. 50.

1. Mach. 9. 54.

Cum ergo inuito Numine hæc in templo moliretur Alcimus, forte vt potestatem suam pontificiam ostentaret, qui viuo Iuda vti non licuerat, percussus est diuinitus, *& impedita sunt opera illius, & occlusum est os eius, & dissolutus est paralysi, nec vltra potuit loqui verbum,*

II. Eius causa & modus. v 55.

& mandare de domo suo, & mortuus est cum tormento magno. Insultat Scriptura isti Pseudopontifici, qui cum de domo Dei improba mandata dedisset, de domo sua nihil mandare potuit, & qui opus Prophetarum dissoluebat, paralysi dissolutus est, & cum tormento magno ad maiora descendit. Eo mortuo Bacchides reuersus est ad Regem, puta vt eum de Pontifice Hierosolymis constituendo consuleret, neq; enim Ionatham quamuis legitimum Pontificem, à se non constitutum habebat pro Pontifice. Itaque illo absente *siluit terra annis duobus.* Silet quoque Romana historia.

v.57.

ANNVS MVNDI 3896.

IONATHÆ Ducis & Pontific. 3.

PTOL. PHILOMETORIS 22.

DEMETRII 4. Imperij Græcor. 154.

OLYMP. CLV. An. 3. VR. C. 595.

ANTE CHRISTVM 157.

I. Rerum status in Iudæa. *1. Mach. 50. & segq.* De Dalmatis querelæ. *n.124. in legat.*

IOnathas hoc anno cum sociis trans Iordanem agit, tota Iudæa in Demetrij potestate posita, vt paulo ante cum Scriptura dicebamus: itaque boni in metu viuebant, improbi licentia infinita abundabant.

Ad hunc ipsum annum pertinent querelæ, quas Dalmatarum finitimi de ipsis Romam detulere: quibus auditis Senatus misit C. Fannium ad res Illyrici visendas, & maxime Dalmatarũ. Hic populus, inquit Polybius, quandiu vixit Pleuratus ei paruit. Post obitum vero illius, cũ regno Gentius successisset, ab illo defecerunt Dalmatæ, & bella cum finitimis gerebant, eosque imperio subiiciebant, ita vt eorum nonnulli tributa ipsis penderent pecoris & frumenti.

II. Statuæ è foro sublatæ. *l.34.c.6.*

Scribit Plinius his Coss Censores P. Cornelium Scipionem, & M. Popilium statuas circa forum, eorum qui magistratus gesserant, sublatas omnes, præter eas quæ populi, aut Senatus sententia statutæ essent. Valuit id ad ambitionem immeritorum castigandam, qui vltro vitis præstantibus, ac publico iudicio probata virtute, præmiis æquari volebant, qui meritis non valebant. Hic idem Scipio Nasica in Censura primus aqua diuisit horas, æque noctium ac dierum, idque horologium sub tecto dicauit anno Vrbis Conditæ 195. Tandiu populo Romano indiscreta lux fuit. Sic ille.

Plin.l.7. c.vlt. Censor. c. 25. Horologium aqueum.

III. Demetrij res in Cappadocia. *nn.5.& 6.*

Demetrius autem liber à bello Iudaico, res turbauit in Cappadocia; vbi duo fratres Ariarathes & Orofernes de principatu contendebant. Demetrius acceptis mille talentis, pulso Ariarathe, Orofernem in regnum induxit, quamuis Romanis placeret vtrumque fratrem pariter regnare. Ita Appianus in Syriacis quamuis aliter Iustinus, Polybius, Zonaras. Vide Annales.

3897. IV. Turbę in Iudæa renouatæ.

Sequenti anno renouatæ sunt turbæ in Iudæa. *Cogitauerunt* enim *omnes iniqui*, ait Scriptura, *dicentes. Ecce Ionathas, & qui cum eo sunt, in silentio habitant confidenter.* Id nimirum graue est hominibus improbis ac turbulentis, si inimicos suos, quamuis innoxios, bono pacis frui perspexerint. *Nunc ergo*, inquiunt, *adducamus Bacchidem, & comprehendet eos omnes in vna nocte, & abierunt & consilium ei dederunt*, atque adeo persuaserunt nouam expeditionẽ in Iudæam. *Surrexit* quippe *Bacchides vt veniret cum exercitu multo.* Verum quia multus exercitus non nisi multo molimine iter conficit, faciliusque incauti à paucis, quam à pluribus opprimuntur, misit occultè epistolas sociis suis, qui erant in Iudæa, vt comprehenderent *Ionathan, & qui cum eo erant: sed non potuerunt, quia innotuit eis consilium eorum, & apprehendit* Ionathas *de viris regionis, qui principes erant malitiæ quinquaginta viros, & occidit eos.* Et quia id erat irritare crabrones, secessit Ionathas & Simon cum sociis in desertum Ierichuntinum, eiusque oppidum Bethbessem, quod diligenter instaurarunt, & communierunt, armis, viris, commeatu.

Lt. Mach c.9.58.

Irritæ in Ionathan insidiæ.

V. Bacchides cum obsidet. *l.1.c.9.64*

Vt autem cognouit Bacchides insidias fuisse irritas, & Ionathan in tutum se locum recepisse, vi agendum ratus, congregauit vniuersam multitudinem suam, & iis qui de Iudæa erant denunciauit, vt venirent ad expugnandum prædictum locum; quem & oppugnarunt diebus multis, adhibitis etiam machinis. At Ionathas relicto Simone fratre ad propugnandam vrbem, exiit in regionem, collectáque militum manu, irruit in castra Bacchidis, & aliquot primarios viros interfecit. Et inde resumptis animis cœpit cædere hostes, & factis egregiis clarescere. Simon vero cum sociis eruptione facta, *incenderunt machinas, & pugnauerunt contra Bacchidem:* eodem tempore, vt ait Iosephus, quo Ionathas alia ex parte pugnabat: *& contritus est ab eis.* Itaque ea clade vehementer afflictus, iram conuertit in viros impios, qui expeditionis huius ipsi autores fuerant, *& multos ex eis occidit*, & factum est iuxta prouerbium vetus, malum consilium consultori pessimum.

Cum proprio dãno. *l.13.c.1.*

VI. Init cum Ionatha pacem. *v.70.*

Cumque cogitaret quomodo ex sua & Regis dignitate posset obsidioni fidem imponere: misit ad eum Ionathas de pace legatos, quam ille libenter accepit, & redditis vtrimque captiuis, pax inita est, iurante Bacchide se nihil ei mali facturum omnibus diebus vitæ suæ. Sicque reuersus est in terram suam, Antiochiam videlicet ad Regem suum, vt Iosepho placet, nec vnquam posthac Iudæam cum exercitu repetiit. Ionathas vero hanc securitatem nactus, & degens apud Machmam oppidum, administrationi rerum, & iuri populis reddendo operam dedit, & seuere animaduertens in religionis patriæ desertores, gentem suam ab huiusmodi contagione purgauit.

l.13.c.2.

VII. Belli Dalmat. causa. *n.125.126*

Duæ legationes memorabiles hoc anno Romam venerant, altera ex Illyrico, ex Cappadocia altera. Meminit vtriusque Polybius. Retulit ex Illyrico Fannius Dalmatas, neque satisfacere iis voluisse, quos plurimis iamdudum iniuriis affecerant, neque aures sibi præbere, vt qui negarent quidquam sibi cum Romanis esse commune; & non solum nulla sibi hospitij & humanitatis officia exhibita, sed equos etiam ademptos, & vim timentem, silent o ex

eorum finibus excedere coactum. Eam belli occasionem Romani libenter arripuere, qui Italicos homines longa pace torpere nolebant. Agebatur autem duodecimus iam annus à bello Macedonico. Itaque bellum Dalmatis indictum est. Altera legatio fuit Ariarathis Cappadociæ Regis, quam obiuit ipsemet, ea specie quæ afflictam eius fortunam ostenderet. Questus est de fratre Oroferne, & Demetrio Sotere, quorum opera regno pulsus fuerat. Sed quoniam isti paratos habebant legatos, qui obiectionibus respondebant, & Ariarathem criminabantur, donaque Romanis præbebant, plures vnum facile obruerunt. Florus tamen eum à Senatu restitutum tradit.

Legatio Ariarathis. Epit 47.

ANNVS MVNDI 3898.

IONATHÆ 5. PTO. PHILOM., 24.

BELLI DALMATICI 1. & 2.

DEMETRII SOT. 6. Imp. Gr. 156.

OLYMP. CLVI. 1. VRB. CON. 597.

ANTE CHRISTVM 155.

I. Status Iudææ hoc tempore.

QVatuor annorum res Iudaicas, ad annum videlicet Regni Græcorum 160, Scriptura silentio inuoluit, quod ijs nihil memorabile cõtigisse videretur, Bacchide ad Demetrium Regem reuerso, & illo in Cappadocia pro Oroferne res agente, Ionatha vero ad Machmas ius Hebræis dicente, & apostatas persequente. Quo tempore Græci in Olympiacis consueta certamina celebrarunt, vbi Leonidas Rhodius pedestri certamine tertiam palmam tulit. At Romani bellum Dalmaticum Figulo Imperatore inceperunt, ob causas paulo ante dictas. Sed Dalmatæ primam Figuli impressionem ita fregere, vt Romanas copias, ad Naronem vsq; fluuium, fugientes persequerentur. Inde incõpositè reuertentes Consul inuadens, in fugam vertit, & ad vrbem vsque Delminium compulit. Quam cum parum vtiliter obsideret, bicubitales sudes, pice ac sulphure stuppáque componens, ex catapultis iacit in oppidum, quæ ab impetu succensæ, quæcunque attigissent igne corripiebant. Ea res multum vexauit Dalmatas; nec tamen ad deditionem ad annum vsque sequentem, Consule Nasica bellum vrgente, compulsi sunt, qui de ipsis etiam triumphauit, vt in Capitolinis fragmentis notatum est. Victor tamen in lib. de viris illustr. ait eum oblatum à Senatu triumphum recusasse.

Bellum Dalmaticum.

Delminij deditio.

3899. c. 44.

Circa hoc idem tempus, qui fuit Hebræis annus Sabbaticus 188, Attali de Prusia querelæ auditæ sunt Romæ, Attali fratre Athenæo cum P. Lentulo legationem obeunte. Quibus auditis misit Senatus tres legatos, qui Prusiam bello contra Attalum abstinere iuberent. Adfuerunt etiam Romæ Massilienſium legati, quos iampridem Ligures vexabant: tum vero vrbes eorum Nicæam & Antipolim obsidebant. Quibus à Senatu auditis legatio decreta est partim ad inuisendum regionum illarum statum; partim ad emendandum, si fieri posset, sine armis, quæ peccata erant à Barbaris. Vide Polybium in legationibus.

II. Legatio Attali contra Prusiam.

n. 131. & 134.

ANNVS MVNDI 3900.

IONAT. 7. PTOL. PHILOMET. 26.

DEMETRII SOT. 8. Imp. Græc. 158.

OLYMP. CLVI. A. 3. VRB. CO. 599.

ANTE CHRISTVM 153.

EXplet hic secularis annus 78 mundi Iubilæum, in quo Posthumio Consuli Lusitania, Opimio Gallia Ligustica prouinciæ contigerunt: sed Posthumius in prouinciam proficiscens, post diem septimum æger Romam relatus expirauit, vt scribit Iulius obsequẽs. Mortuo suffectus est M. Acilius Glabrio. Quod autem ad bellum Ligusticum attinet. Legati tres cum Massilienſibus profecti, Ægitnam vrbem in agro Oxybiorum naues appulerunt. At Ligures cum accepissent venisse illos, vt obsidionem solui iuberent, cæteros quidem tum excessionem facere prohibuerunt, Flaminium autem, qui primus erat in legatis, cum iam nauigiolum inuemissent, & farcinas in terram expositas, principio excedere agro suo iusserunt, deinde, quia imperium contemnebat, impedimenta illius diripere, eos qui pro sarcinis dimicabant vi ac ferro inuadere, ipsum Flaminium vulneribus affectum in nauim compellere, vt ægrè saluti suæ præcisis anchoris consuleret. Inde Massiliam delatus, omnique studio curatus est.

I. Bellum Ligusticum pro Massiliensibus.

Polyb. n. 134.

Ligurum in legatos iniuriæ.

Quibus intellectis Senatus Opimium Consulem extemplo mittit, qui Ægitnam oppidũ, vbi fuerant violati legati, vi occupat, ciues multat seruitute, autores iniuriæ catenis oneratos Romam mittit: tum obuiã hosti procedit, Oxybij de venia desperantes, cæco impetu in Romanos irruerunt, idem mox Deciatæ faciunt, sed vtrique victi, se suaque in fidem Romanam dederunt. Quos Consul exarmauit, magnam agri ipsorum partem Massilienſibus attribuit, eisque obsides certis temporibus renouandos dari iussit. Atque ita hoc bellum magna celeritate susceptum atq; confectum est, vnde Opimius triumphauit. Quo autem tempore missi eum Senatus ad gerendum bellum aduersus Oxybios, iunior Ptolemæus in vrbem venit, & ingressus in Curiam cœpit accusare fratrẽ suum eumq; autorem dicere insidiarum quibus fuerat appetitus; simul vulnerum cicatrices oculis spectandas exhibebat: quare ita flexit Senatorum animos, vt cum adessent senioris Ptolemæi legati, ad eius criminationes refellendas, ne audientiam quidem obtinere potuerint: sed iis facessere iussis, quinque legatos decreuerit, quibus negotium dedit, vt Ptolemæum, cum quo proficiscebantur, in Cyprum reducerent. Scripserunt etiam ad socios Græcos & Asiaticos, licere ipsis Ptolemæum contra fratrem, in quem erant parum æqui, adiuuare.

II. Ab Opimio victi puniuntur.

Iunior Ptolemæus Romæ queritur.

Senatus iniustitia

n. 139.

Ad hunc ipsum annum pertinere arbitror

Hera-

Heraclidis pro Alexandro legatio. n. 138.

Heraclidis legationem, quam habet Polybius, cum is Romam deduxit Alexandrum & Cleopatram sororem eius, quos filios Epiphanis esse dicebat, qui postmodum magnas in Syria turbas excitauit contra Demetrium, cuius regnum ope Romanorum occupare cupiebat, vt plenius ex sequentibus intelligetur.

ANNVS MVNDI 3901.

IONAT. 8. PTOL. PHILOM. 27.

DEMETRII 9. Imp. Græcorum 159.

OLYMPIA. CLVI. A. 4. VR. CO. 600.

ANTE CHRISTVM 152.

I. Tempus Consulatus initi varium.

ANnus sexcentesimus ab Vrbe Condita, antiquum institutum ineundi Consulatum mutauit. Nam, vt autor est Cassiodorus, hi primi Coss. Calendis Ianuariis magistratum inierunt, propter subitum Celtiberiæ bellum. Mansisse autem ab anno 531. ad hunc vsque annum solennem Consulatus diem in Idibus Martiis, scribit Sigonius. Deinceps vero stante Repub. in Calend. Ianuariis perseueratsse. Habet porro hic annus initium belli Celtiberici, quod ad vigesimum ferme annum, & Numantiam delectam propagatum fuisse tradunt Strabo atque Paterculus, *Illæ prouincia*, inquit iste, hispanicæ videlicet, *Scipiones consumpserunt: illa contumelioso 20 annorum bello, sub duce Viriatho, maiores nostros exercuerunt*, &c. Id bellum quod Fuluio Nobiliori obtigit, hoc anno, hac occasione, vt scribit Appianus exarsit, quod Segeda vrbs Celtiberorum ampla & potens, fœderique Sempronij Gracchi adscripta, minoribus oppidis exercitos ciues ad se traducebat, murum ambitu 40 stadiorum ducebat, idemque vicinos facere cogebat; tributa quoque, & societatem militiæ recusabant.

l. 3. l. 2.

Initium belli Celtiberici eiusque causa. *l. de bellis Ibericis.*

Aduersus eos profectus Nobilior, cum exercitu fere 30 millium, contra Carum Segedensem, qui locum insidiis opportunum insederat, æquo fere marte, paribusque damnis pugnauit. Eo duce mortuo, hostis Numantiam vrbem validissimam venit, vbi duces Ambonem & Leuconem creauit. Triduo post Nobilior subsecutus, trecentos equites à Masanissa, cum decem elephantis accepit. Quibus assumptis aciem in hostem promouet, belluasque post principia, ne conspici ab hostibus possent, collocat. Inito prælio, cum se acies deduxisset, belluæ ex improuiso conspectæ, tantum terroris tum Celtiberis, tum eorum equis iniecerunt, vt terga vertentes in oppidum fugerent, fugientibus instans Romanis Imperator, mœnibus admouet elephantos, quorum vnus saxo in caput impacto saucius, iras cum ingenti barritu concepit, & in suos conuersus in obuium quemque sæuire cœpit; quem cæteri imitati Romanos proterere, dissipere, proboscide in altum tollere, atque affligere. Inde effusa Romanorum fuga; quam è mœnibus conspicatus hostis, in palantes erumpit, multaque millia trucidat. Alias quoque accepit offensiones & clades, quibus sociorum quoque animi sunt auersi. Nam Ocilis vrbs, in qua Romanorum commeatus, & pecuniæ asseruabantur, ad Celtiberos transit. Denique in hybernaculis cum fame & frigore conflictatus, nomine & cladibus nobilior, quam rebus gestis euasit.

I. Res à Nobilio re parum prospere gesta.

III. Res felicius a Mummio in Lusitania gesta.

Neque in Lusitania Romanæ res, L. Mummio Prætore feliciorem habuere successum. Nam Lusitani Punico duce, agros sociorũ populi Romani populati, Romanos Imperatores Manlium, & Calphurnium, cum sex millibus cæde, in quibus Terentius Varro quæstor, in fugã egerunt. Qua victoria Punicus elatus, arma victricia ad Oceanum vsque circumtulit, donec Blastophœnicas obsidens, saxo in caput impacto mortuus, alteri duci, nomine Cæsaras, locũ dedit. Hic cum L. Mummij recenti exercitu pugnans victus fugit. Sed mox in hostem effusè & incomposite persequentem conuersus, ad nouẽ eorum millia concidit, & præda omni castrisq; suis receptis, Romanorum castris potitus, signa multa, armáque diripuit, & tota Celtiberia per ludibrium circumtulit. Res Mummio felicius successit, pugnanti contra Lusitanos, alteram Tagi partem incolentes. Nam cum ingenti hostium strage, obsidionem Ocilæ amicæ vrbis soluit, & prædam auertentes ad vnum concidit, atq; deleuit; quam partim militibus distribuit, partim dus belli præsidibus consecratam succendit, & Romam reuersus triumphauit.

IV. Attali res contra Prusiam. *Polyb. n. 135. 136.*

In Asia vero Attalus cum Athenæo fratre, & sociis Ariarathe & Mithridate, contra Prusiam terra marique pugnarunt, in quem etiam Romani legati seueriores videntur extitisse: pax tamen inter eos sequenti anno composita est. Interim Attalus iunior Eumenis filius Romam venit, vt Senatui se commendaret, & amicitiam hospitijque ius, quod patri fuerat cum populo Romano renouaret, qui à Senatu & paternis amicis beneuole acceptus, ac dimissus est, omnibus Græciæ ciuitatibus eum cum honore accipientibus, propter solitam, vt apparet, Romani Senatus commendationem. Affuit quoque per id tempus Romæ Demetrius Demetrij Soteris filius, quem pater Romam videtur misisse, vt ipsi, quem regni hæredem habebat, mature fauorem populi Romani conciliaret; sine cuius gratia regnare non poterat. Sed is modico paratu, vt puer, acceptus, in patriam denuo se contulit, vt scribit Polybius, qui tum Romæ versabatur.

Eumenis filius Romæ honorifice acceptus. Itemque Demetrij filius. *n. 140.*

Aderat etiam Romæ Heraclides ab æstate præterita, cum Alexandro & Laodice Antiochi Epiphanis, vt dicebat, filiis, quibus Romanorum beneuolentiam conciliabat, vt eorum ope regnum Syriæ, abdicato Demetrio, consequerentur. Eamque in rem S. C. obtinuit. Ergo Heraclides militem extemplo conducit, multosque viros illustres sibi adiungit. Deinde Ephesum vt venit, bellum quod moliebatur sedulo apparare cœpit. Hæc fere Polybius. Ex quibus intelligi potest Heraclidem istum à Demetrio aliqua re offensum, hunc ei æmulum suscitasse: Senatum autem, qui discordiam malebat in regnis quam pacem, ne potentiores essent ad resistendum, vt si res ferret, cum altera parte coniuncta, alteram facilius opprimerent, Senatum inquam non ægrè ei potestatem fecisse regnum Syriæ occupandi: cum tamen eo-

V. Heraclides ebiã datur S. C. pro Alexandro contra Demetrium. *n. 140.*

Senatus iniustitia.

dem ipso tempore Demetrio Demetrij filio, amicos ie beneuolosque exhibuissent. Ex his autem non modicam lucem accipient, quæ sequenti anno de Alexandro, & Demetrio ex Machabæorum libro referemus.

ANNVS MVNDI 3902.

IONATNÆ Ducis & Pontific. 9.

PTOL. PHILOMETORIS 28.

DEMETRII 10. Imp. Græcor. 160.

OLYMP. CLVII. AN. VR. C. 601.

ANTE CHRISTVM 151.

I. Initia Alexandri Balæ.

REdimus ad sacram historiam hoc anno Olympiaco, qui Leonidam Rhodium quartùm in stadio victorem vidit: quo anno dum regnum Demetrij labefactatur, res Iudaicæ reflorescunt. Horum motuum initia tempusque paucis Scriptura notauit. *Anno*, inquit, *centesimo sexagesimo ascendit Alexander Antiochi filius, qui cognominatus est nobilis, & occupauit Ptolemaidam, & receperunt eum, & regnauit illic.* Filius dicitur Antiochi Epiphanis, siue quia filios eius reuera, sed illegitimus fuerit, ex Bala quadam concubina, ex qua dictus est Bales, siue Balas, siue qua talem se ipse dixerit, & à plerisque creditus fuerit. Nam Polybius, qui tum Romæ versabatur, cum hic Alexander, opera Heraclidis emersit, & quem tanquam filium Antiochi Epiphanis Romanis obtrusit, hoc totum negotiũ, fictam vocat commentitiamque fabulam, sanæ mentis hominibus odiosam. Iustinus ait Antiochenos, qui prius contra Demetrium conspirauerant, subornasse Prompalum quendam sortis extremæ iuuenem, qui se filium Antiochi diceret, & Alexandri nomen vsurparet, adiuuantibus Ptolemæo Rege Ægypti, & Attalo Rege Asiæ, & Ariaratho Rege Cappadociæ, qui bello fuerant à Demetrio lacessiti, Appianus quoque in Syriacis. Aduersus hunc, inquit, puta Demetrium Soterem, exortus est quidam Alexander, falso in Seleucidarum gentem se ingerens, quem Ptolemæus Ægypti Rex fouebat odio Demetrij. Florus quoque Epitoma 52 vocat hunc Alexandrum hominem ignotum, & stirpis incertæ. Sulpitius ait eum se Antiochi filium falsò dictitasse, Genebrardus suppositium vocat.

Quis fuerit.

In legat. n. 140.

l. 35.

Epit 52. l. 2 hist.

II. Belli cõflati causa.

Conflati porro in Demetrium odij causam quod ad victos attinet Reges, iam ex Iustino attigimus. Quod ad subditos autem hanc refert Iosephus. *Alexander*, inquit, *Antiochi Epiphanis filius, veniens in Syriam Ptolemaidem occupauit proditione militum, quæ eam tenebant præsidio, moresque Demetrij oderant, vt parum comis, & admodum superbi. Incluso enim in regium quoddam castellum, inimicam quatuor turribus, non procul situm ab Antiochia.* Daphnem fortassis intelligit, locum in suburbiis Antiochiæ Syriæ delicios issimum, *neminem admittebat, & omissa Reip. cura, degebat in otio per segnitiem; vnde grauiora etiam odia contra eum exorta sunt.* Sic ipse, cui repugnat Iustinus, vt paulo ante dicebamus. Non solum autem Antiocheni, sed Ptolemeenses quoque infesti erant Demetrio, quando primi omnium tyrannum, contra legitimum principem, pro Rege acceperunt. Tyrannum inquam. Nam quãuis hic Alexander fuisset legitimus Epiphanis filius, ad eum tamen regnum non pertinuisset, sed ad Demetrium istum Soterem, qui ex Seleuco Philopatore primogenito Antiochi Magni natus erat, cuius Antiochus Epiphanes erat secundo genitus.

l. 13. c. 3.

Demetrius odiosus suis.

Cum ergo Demetrius accepisset occupatam ab æmulo Alexandro Ptolemaidem, copiosum contraxit exercitum, vt tyrannum opprimeret, sed interim gemina prouidentia rebus suis prospexit. Nam primùm, vt Iustinus ait, initio belli huius, duos filios Demetrium Nicanorem, & Antiochum Sedetem, qui ambo postea regnarunt, apud hospitem suum Gnidium, cum magno auri pondere deposuit. Deinde in augendis belli sociis elaborauit; propterea que Ionathæ reconciliari, eumque ab Alexandro studuit auertere, missa ad eum epistola, qua pacem ante quadriennium initam, interprete Bacchide, renouaret, ne nunc data occasione turbarum, memor esset Ionathas omnium malorum, quæ Demetrius in Iudæa perpetrarat, & vltionem expeteret. Itaque dedit illi potestatem congregandi copias, & armis instruendi, vt armis animisque coniunctis Alexandrum debellarent. Vt autem illius gratiam aliquo beneficio demereretur, Iudæorum obsides, qui erant in arce, ei reddi iussit, quos ipse reddidit parentibus eorum: ipsa tamen arce sibi retenta.

I. I. Prudenter rebus suis prouidit.

Vide Annã nu. 7.

Eius filij duo.

Nixus porro Ionathas præsenti fauore Demetrij, relinquens Machmas habitauit in Ierusalem, & cœpit ædificare & innouare ciuitatem, ab Antiocho & Apollonio pridem vastatam: montem autem Sionis quadratis lapidibus communiuit, contra insultus præsidij, quod erat in arce: quod ipsum iam fecerat Iudas, sub templi emundationem, sed eum murũ Eupator destrui iusserat aliquanto post. Alienigenæ quoque & Apostatæ qui erant in regiis Demetrij præsidiis, veriti ne venirent in manus Ionathæ, desertis præsidiis fugerunt, exceptis iis qui Bethsuram tenebant, propter eximiam loci firmitatem. Quibus cognitis Alexander Ionathæ amicitiam quæsiuit, quod eum didicisset eximia virtute præditum esse, & peculiares odij causas in Demetrium habere, ob illatas vicissim, acceptaque clades. In pignus autem amicitiæ, misit ei purpuram & coronam auream, & quantum in se fuit constituit eum pontificem, quam tamen dignitatem nonum iam annum tenebat. Ionathas vero non neglexit quod dabatur, sed stolam sanctam in die solenni Scenopegiæ induit, non tunc primùm, sed nouo titulo Regiæ concessionis, quoniam iam vsus à Pseudopontificibus introductus habebat, vt Reges Pontificatum conferent. Vide Annales hoc loco.

IV. Ionathas recipit Iudæam, & Ierusalem.

l. 1. c. 4. v. 60.

l. 1. c. 6. v. 62.

Alexander qua re ita ei usa amicitiam dato põtificatu.

Vide Annã nu. 11. 12. & 199.

At enim, inquies, nonne iniuste fecit Ionathas, siue ab vtraque parte bellantium beneficia recipiendo, cum vtrumque bellum iustum esse non possit, & ipse receptis vtrimque muneribus, vtrique se commilitonem futurum spondeat; siue deserta iusta parte, quæ prior

V. An Ionathas iniuste se gerat.

societatem eius ambierat, iniustæ adhærendo. Respondendum est, Ionatham nihil à Demetrio præter obsides accepisse, quos ille iniustè retinebat, sicut & totam Iudæam iniuste vexabat, quam etiam iniuste occupatat, cum ea prouincia ad Israëlitas à mille & trecentis annis pertineret. Et quamuis regio fauore vsus fuerit ad solutum gentis suæ, ei tamen armorum societatem non promisit. Postremo dicimus Demetrium iustum quidem Syriæ fuisse Regẽ, non tamen Iudææ, sed eam tyrannicè vexasse: à qua vt Ionathas populum suum liberaret, potuit alteri adhærere; imo auxilium eius vltro aduocare, sicut Iudas licitè ad Romanos confugit.

VI. Demetrius multis promissis Iudæos sibi demereri cupit.

Vt audiuit autem Demetrius Alexandrum præoccupasse Ionathæ amicitiam, mittendis scilicet donis, & conferenda Pontificia dignitate; nam alioquin Demetrius anteuerterat Alexandrum in ambienda Ionathæ amicitia, cõtristatus est valde. Statuitque duplici in Iudæos vti liberalitate, remittendo debita, siue præstationes, & varia dona conferendo. Et ne inania tantum promissa iactare videatur, subdit ad duodecim rerum capita, quibus Iudæis gratificari velit, quæ ad illa duo summa, quæ dixi capita reuocantur, quæ in Annalibus exposita, hic breuitatis causa prætermittuntur. Ex magnitudine porro istarum remissionum intelligitur quanta Iudæi sub istis regibus seruitute premerentur. Tam profusa porro promissorum copia hoc ipso parum probabilis visa est, quod ab homine proficisceretur, qui rebus ipsis docuisset se odisse Iudæos, nihilque eorum præstiturum, si à præsenti necessitate euaderet. Repudiato itaque Demetrio, Ionathas Alexandri partibus adhęsit, à quo victus est sequenti anno Demetrius.

Frustra.

VII. M. Marcelli gesta in Hispania.

Hoc anno Marcellus Consul in Celtiberia Nobiliori successit, Mummio Attilius prætor in Lusitania. Ille cum octo millibus peditum, & quingentis equitibus in prouinciam venit: & vitatis prudenter insidiis ad Ocilim castra posuit, & vt erat bello felix Imperator eam statim subiecit, & acceptis obsidibus, & triginta talentis argenti ei veniam dedit. Ea lenitate moti Nergobriges pacem petierunt, datis 1000 equitibus, qui cum Consule militarent. At cum interea quidam eorum nonnihil ex Romanorum sarcinis diripuissent, Marcellus equites vinciri, equos vendi iubet, & vrbem eorum, agros populatus, obsidet, mœnia quatit, nec pacem misso caduceatore petentibus concedit, nisi cæteri populi, qui rebellauerant, eam peterẽt: quod cum illi fecissent, res ad Senatum relecta est, qui eam improbauit, quod se Romanis, vt Nobilior ante censuerat, non permisissent. Sed res aliter à Polybio narratur, quem consule.

n. 143.

VIII. Et Attilij in Lusitania.

At successor Mummij M. Attilius incursione in hostem facta septingentos Lusitanos interfecit, excisaque maxima eorum vrbe, sic vicina loca terruit, vt omnia deditione acciperet: sed Attilio in hyberna profecto, omnes illico defecerunt, atque adeo quosdam Romanorum subditos obsederunt: ita materia bello in annum sequentem parata est. In Asia vero, pax inter Prusiam & Attalum, interuentu trium legatorum Romanorum composita est, Prusia ad duras conditiones adacto.

Interea Carthuginenses, Masanissæ iniuriis iamdudum fatigati, & iniquis Romanorum iudiciis, bellum contra Romanos dissimulanter parabant. Placuit Senatui mitti Carthaginem legatos, qui rem explorarent. Ij castigato Carthaginensium Senatu, quod contra fœdus exercitum & materiam naualem haberent, pacem inter ipsos & Masanissam facere voluerũt, Masanissa agro, de quo lis erat cedente. Sed Gisco Amilcaris filius, homo seditiosus qui tum in magistratu erat, turbauit omnia, itáque bellum suadendo populum aduersus Romanos concitauit, vt legatos, quo minus violarentur, fuga explicuerit. Ea res nunciata Romæ, infestum iam Carthaginensibus Senatum, reddidit infestiorem. At Cato, qui bellum Pœnis nunc indicendum censebat, filium sub hoc ipsum tempus amisit, quem Pater apud Ciceronem in libro de Senectute luget.

IX. Pœnibellum occulte parant. *Flor. Epit.* 48.

Sub hæc postrema Demetrij Soteris tempora Andriscus quidam vltimæ sortis homo, Persei Regis se filium ferens, & mutato nomine Philippus vocatus, ab vrbe Roma, quò illum Demetrius, ob hoc ipsum mendacium miserat, clam profugit, de qua fuga suo loco dicetur.

X. Andriscus euemergit. *Epit.* 49.

ANNVS MVNDI 3903.

ALEXANDRI BALÆ 1.

IONATHÆ 10. PTO. PHILOM. 29.

DEMET. SOT. 11. & vlt. Imp. Gr. 161.

OLYMP. CLVII. 2. VRB. C. 602.

ANTE CHRISTVM 150.

I. Mors & periodus regni Demetrij. 1. *Mach.* 9. 1

DEmetrius Soter hoc anno, regni vndecimo inchoato extinctus est. Cœpit enim regnare anno 151. quo Roma exiit. Ei suscitatus est æmulus Alexander anno 160. cuius anni quod reliquum fuit contrahendis vndique copiis & sociis positum est, vt sub huius anni primordia quando solent Reges ad bella procedere, prælio inito pugnans occumberet. Quo mortuo regnare cœpit Alexander, qui viuo Demetrio tyrannus fuit. *Congregauit* ergo *Rex Alexander exercitum magnum*, vt ait Scriptura, *& admouit castra contra Demetrium. Et commiserunt prælium duo Reges, & fugit exercitus Demetrij, & insecutus est eum Alexander, & incubuit super eos*, qui fugiebant, *& inualuit prælium usque, donec occidit sol*, de regno quippe Asiæ retinendo, acquirendoque agebatur, *& cecidit Demetrius in die illa*, & cum regno vitam pariter amisit. Vnicum prælium ponit Scriptura, Iustinus, vt videtur, geminum, *Demetrio*, inquit, *animus in propulsando bello non defuit. Nam & primo prælio hostem fugauit*; *& regibus* Alexandri scilicet fautoribus *bellum restituentibus, multa millia cecidit in acie. Ad postremum tamen inuicto animo inter confertissimos hostes fortissime dimicans cecidit*, cui consentit Iosephus, qui eum paulo ante otiosæ ignauiæ accusauerat.

1. *Mach.* 10. 1

1. *Mach.* 10. 48.

Victor Alexander desiderans partum sibi regnum Syriæ confirmare Ptolemæi Regis affi-

Pugnáque postrema.

l. 13. c. 5 fi. l. 15. c. 3.

II.

Alexander affinitatem Ptolemæi petit.

v. 57.

III. Marcellus pacē in Hispania cupit.

Id bellū Romani defugiūt. Scipionis fortitudo

IV. Marcellus dat pacem Hispanis.

Et in matri perit.

Luculli auaritia crudelis

V. Res ad Intercatiam & Palantiā gesta.

mitatem expetit, eius filia in vxorem requisita; qui un ei Ptolemæus ita promittit, vt patrium illi, auitumque regnum gratuletur; quod argumento est illum non fuisse infimæ sortis hominem, vt dixit Iustinus, ab ipsomet Ptolemæo & aliis suppositum, sed potius filium illegitimum Antiochi ex Bala concubina. Assignat porro Ægyptius locum nuptus Ptolemaidem; sed ea non ante annum sequentem celebratæ sunt, vt Scriptura testatur, anno scilicet centesimo sexagesimo secundo.

Quod ad res Hispanicas attinet, scribit Polybius ita remissos Hispanorum legatos ad Marcellum, vt quoniam existimabant eum metu bellum defugere, legatis suis arcana darent mādata, vt bellum fortiter, atque vt Romanos deceret gererent. At Marcellus non belli metu, sed triumphi cupiditate de Hispania pacata, pacem quærebat. Ea tamen erat de ipso Romæ opinio. Ideoque cum bellum continuati placeret, de alio duce mittendo cogitabant. Itaque noui Coss. omni studio bellum apparant, sed quo maiore studio in delectum incumbūt, hoc magis milites ab Hispanico bello abhorrebāt, tum propter opinatum illum Marcelli metum, tum propter sermones militum Q. Nobilioris, qui formidolosa inde referebant. Magistratus autem cum non haberet quò se verteret, P. Cornelius Scipio, qui bellum suaserat, surrexit, dixitque siue Tribunum siue legatum se in Hispaniam mittere vellent cum Consulibus iturum. Excepta est magna omnium approbatione eius oratio, eáque ita iuuentutem commouit, vt deinceps cateruatim nomina profiterentur. Fuitque Scipio Lucullo Consuli legatus, ille inquam Scipio, quem mox Carthago & Numantia vehementer illustrarunt.

Dum Lucullus cum suis in bellum proficiscuntur, Marcellus omni studio conabatur ante eius aduentum bello finem imponere, & Celtiberis persuadere, vt se, suáque omnia arbitrio suo permitterent, quod cum Numantini fecissent, acceptis quos imperarat obsidibus ac pecuniis, cunctos liberos dimisit, sicque bellum ante aduentum Luculli magna ex parte extinctum est. Triumphasse Marcellum de Celtiberis creditur, quoniam tres triumphi, sicut & Consulatus celebrantur. Scribit tamen Padianus, eum ad ipsam Africam paulo ante tertium bellum Punicum naufragio periisse: quod Cicero quoque confirmat; eò fortasse in reditu ex Hispania, tempestate proiectus est. At Lucullus tum gloriæ, tum rei familiaris, quam angustam habebat, augendæ cupidus, vt ait Appianus, vltro Vaccæis bellum intulit, nullo mandato Senatus, nulla iniuria prouocatus. Et cum post aliquas velitationes ad Caucam vrbem, ciues pacem petiissent, eamq; obtinuissent datis obsidibus, & centum argenti talentis, vrbem ingressus eam cædibus impleuit ac diripuit, perfidiam Romanorum ac crudelitatem detestantem.

Melius ad Intercatiam gesta res est, vbi Scipio barbarum Romanos ad singulare certamen prouocantem interemit, & Intercatios fidei Scipionis se permittentes certis conditionibus cladi exemit. Inde Palantiam psofectus Lucullus, vrbem nobilem, in quam multi confugerant frustra tentauit, & commeatus inopia in Turdetaniam hiematum abiit, vbi quatuor millia incursantium Lusitanorum concidit, & circa Gades ad mille quingentos fudit, infinita hominum multitudine capta. At Galba Prætor, qui Attilio successerat, cum præpropere cum fatigato exercitu hostem fugatum persequitur, septem millia suorum amisit. Ergo vindictæ auidus, cum ad eum legati ad fœdus renouandum venissent, terram eis opulentam promittit, si amici esse velint. Persuasos tres in partes diuisit, & primam partem exarmatam circumuentam crudeliter ac perfidiose peremit. Eodem modo secundos, & tertios, priusquam aliquid de suorum clade inaudissent, summa celeritate deleuit, Deûm atque hominum fidem implorantes, & Romanorum perfidiam detestantes.

Galbæ perfidia & crudelitas.

VI. Viriathus emergit.

Euasere tamen ex illis pauci, in quibus Viriathus, qui mox non paucis Romanos affecit detrimentis. Cumque Galba ditissimus esset, & nihilominus Lucullum auaritia superaret, in iudicium tractus, quamuis accusante M. Catone octogenario, diuitiarum præsidio euasit. De Punicis autem rebus illud ad belli præparationem pertinet, quod his Coss Gulussi Masanissæ filius, denunciauit Carthagine delectus agi, classem comparari, & haud dubium bellum strui. Cum Cato suaderet, vt iis bellum quamprimum indiceretur, Nasica lentius agendum censeret, placuit eò decem mitti legatos, exploratum, in quibus Catonem fuisse auctor est Plutarchus, qui sequentibus Coss. reuersi sunt. Scipio autem à Lucullo in Numidiam missus ad Masanissam, inde Elephantos in Hispaniam deuexit.

Præparatio belli Punici.

ANNVS MVNDI 3904.

IONAT. 11. PTOL. PHILOMET. 30.

ALEXAND. BALÆ. 1. Imp. Græc. 162.

OLYMP. CLVII. A. 3. VR. CO. 603.

ANTE CHRISTVM 149.

I. Alexandri & Cleopatræ nuptiæ. 1. 1. Mach. 10. 57.

CElebratæ sunt hoc anno nuptiæ inter Alexandrum Balæ, & Cleopatram filiam Philometoris. *Eximit enim Ptolemæus de Ægypto & Cleopatra filia eius, & venit Ptolemaidem anno 162, & occurrit ei Alexander Rex; & dedit ei Ptolemæus Cleopatram filiam suam. Et fecit nuptias eius Ptolemaide sicut Reges in magna gloria.* conuiuiorum scilicet, ludorum, certaminum, spectaculorum, & conuentu virorum principum, in quibus Ionathas Dux & Pontifex Iudæorum, ab Alexandro euocatus ad nuptias honoris causa. Cumque vtrique Regi, & eorum amicis, vtique & nouæ nuptæ munera dedisset, *inuenit gratiam in conspectu eorum.* Quo facilius impiorum Israëlitarum in ipsum querelas eluit, & factus est glorioſior, adeo vt eum Rex, non quidem regni sui socium, sed quasi non quidem regni sui socium, sed quasi proregem in omni regione Iudæorum, quæ Syriæ Regi subesset, constitueret. Quem cum eius inimici purpura indutum vidissent, eius po-

Ionathæ gloria.

tentiam

tentiano veriti, & sib: debitas pœnas, fugerunt vniuersi. *Et reuersus est Ionathas, in Ierusalem cum pace & lætitia.*

II. Viriathi initia, in Vetilium Prætorē.

Celtiberiumporro bellum languescens, industria Viriathi renouatum est. Nam, vt ait Appianus. Hispani, quos Luculli & Galbæ perfidia reliquos fecerat, ad decem millia congregati Turdetaniam incursionibus vastarunt. Aduersus quos Roma missus Vetilius prætor cum nouis copijs; hostem in arctum compulit locum, in quo aut fame moriendum erat, aut Romanis deditio facienda. Quos cum inde Viriathus solerter eduxisset, dux eorum factus est, & Vetilium in sylua occupatum insidijs, superauit, atque interfecit. cum quatuor Romanorum millibus. Reliquos ex fuga receptos Vetilij quæstor Carpesij per mœnia distribuit adhuc trepidantes. Ac quinque millia sociorum obuiam Viriatho misit, quos ille ita cecidit, vt ne nuncius quidem cladis superfuerit. Exinde Quæstor intra vrbem quietus auxilium Roma expectabat, quod sequenti anno C. Plautius attulit.

III. Gemina ex Africa, & in Africam Romanorū legatio.

Interea Acilio & Flaminino Coss. legati decem ex Africa cum Carthaginensium oratoribus, & Gulussa Masanissæ filio redierunt, dixeruntque & exercitum, & classem se Carthagine deprehendisse. Perrogari sententias placuit, Catone & alijs principibus Senatus sentientibus quamprimùm exercitum in Africam deportandum: Naticæ tamen sententia obtinuit, vt à bello desisteretur, si Pœni classem exussissent, exercitum dimisissent; sin minus, proximi Coss. de bello Punico referrent. Quæ dum Romæ deliberantur, Carthaginenses cum Masanissa, rupto fœdere, quod inter eos Scipio Nasica pepigerat, pugnarunt, & magno prælio victi sunt, & insuper bellum Romanum meruerunt. Hæc fere Zonaras, quæ pluribus ab Appiano narrantur.

Pœni à Masanissa victi.

IV. Andriscꝰ inualescit, & Rex factꝰ Macedoniam occupat.

Nec minus interim turbæ in Macedonia ab Andrisco, qui & Pseudophilippus, excitatæ sunt. Cum enim Roma profugisset, aut vt ait Zonaras, per contemptum dimissus esset, magnam factiosorum hominum manum collegit, multas vrbes attraxit. Denique regio habitu sumpto, collecto exercitu in Thraciam profectus, multis populis liberis, multis Dynastis Romanorum Imperium ægrè ferentibus adscitis impressionem fecit in Macedoniam, eaque occupata, in Thessaliam transgressus, non pauca loca subegit, licet Achæorum auxilijs per Romanorum legatos defenderentur.

***

ANNVS MVNDI 3905.

IONATHÆ 12. PTO. PHILOM. 31.

ALEXAND. BALÆ 3. Imp. Græc. 163.

OLYMP. CLVII. An. 4. VR. C. 604.

ANTE CHRISTVM 148.

SAcra Machabæorum Historia hunc, & sequentem annum transilit. Hunc autem celebrem reddidit initiū tertij belli Punici, quo deniq; Carthago excisa est, quæ est communissima sententia. Omnes n. huius anni Coss. proferunt, licet aliqui eos ad diuersos Vrbis annos referat, pro varia ratione numerandi nobis cum magna parte Chronologorum est 604. Cum ergo Romani optarent, & M. Cato continenter vrgeret, vt Carthago deleretur, ratu illa stante Imperium Romanum stare non posse, eius alteri potentiam, perpetuis propemodum Masanissa iniurijs, non molestè ferebant; idq; experientia ipsa docti Carthaginenses non ignorabant. Nunc autem accepta clade à Masanissa vehementer debilitati, & ipsum regem timebant, magis habentem copias in propinquo, & populum insuper Romanum, quem non dubitabant arma pro amico, & socio Masanissa sumpturum. Nec mali fuerunt coniectores. Romani quippe sine mora milites tota Italia imperarunt, vt parati essent, in quem eius cumq; locū Senatus destinaret. Pœnis autem bellum indici placuit, quod contra fœdus naues haberent, & extra fines duxissent exercitum; quodq; socio & amico populi Rom. arma intulissent.

I. Tertium bellum Punicum

Romani Carthaginē delectam capiunt.

Epit. 49. Flor.

Carthaginenses omnem operam dederunt, vt Romanos mitigarent, & crimina diluerent per legatos, negātes bellum publica authoritate illatum, publicè è contrario damnatos qui illud intulissent. Cum autem res in eo discrimine versaretur, incommodissimè factum est, vt Vticēses Romanis sese per legatos vltro dederēt. Quæres Carthaginensibus peracerba fuit. Et merito; Nam præterquam quod Romanus commodissimam in propinquo belli gerēdi sedem habiturus erat, sexaginta enim tantum stadijs Carthagine distat, eò etiam vehementer angebantur, quod eam vltimam spem ad placandos Romanos destinatam, sibi ereptam viderent. Nihilominus quia bellum gerēdum erat, ad quod male instructi erant, post cladem à Masanissa acceptam, aut Romanis deditio facienda; post multam deniq; in Senatu contentionem, Romam legationem mittere decreuerunt, quæ pro præsenti rerum statu, Reipubl. quàm minimo posset damno consuleret.

II. Carthag. Romanos placare student.

Vticæ importuna deditio.

Dum illi abeunt Senatus Romanus Vticensium deditione excitatus, & iampridem ad bellum propensus, & paratus, decernit Carthaginenses bello persequendos esse; continuoq; in Africam vtrumq; destinat Consulem, Manilium cum exercitu pedestri, Censorinum cum classe, eisq; secreto mandat, ne nisi diruta Carthagine, à bello desistant. Attribuit eis 80. milia peditū, & equitum quatuor fere millia. Ad tantā enim expeditionem, spemq; tam certam, Romani ciues socijq; vltro properabant. Perueniunt in-

III. Decernitur belli; Coss. cū copijs proficiscuntur.

Legati suos ciues Romanis dedunt.

terea Romam legati, & non solum bellum decretum, sed exercitus etiam cum ducibus profectos inuenerunt. Itaque cum nullum superesset deliberandi tempus, se suaque omnia Romanorum fidei atque arbitrio permiserunt. Hic laudare illos patres, quod rectam concilij viam inuenissent, concedere libertatem, leges suas, agrumque omnem, si tamen intra triginta dies obsides trecentos principum ciuitatis liberos, Lilybæum mitterent, & ea facerent, quæ Cos. imperarent. Quæ postrema conditio legatos Romæ, & domini Senatum suspensum tenuit, nec immerito, sed deditione facta, iacta erat alea.

IV. Carthaginenses dant 300. obsides.

Iam pene ad portas erat maximus exercitus, & Carthaginenses omnibus rebus erant ad bellum, vel ad obsidionem tolerandam imparati. Et quamuis suspicabantur ne datis quidem obsidibus, satis firmam pacem habituros, tamen in tanto rerum discrimine, spem inparendi celeritate collocarunt. Obsides magno cum gemitu lachrymisque parentum ac necessariorum mittunt, qui Romam continuo à Siciliæ prætore deportati sunt. Terrestres copiæ, postquam in Africam traiecerunt, castra metatæ sunt vbi quondam Scipio. Classis in portus Vticensium diuertit; eodem & legati Pœnorum venerunt, & causam suam apud Consules egerunt, non minus accuratè quam verè, vt pluribus apud Appianum leges, ostendentes iniuste se bello præsenti vrgeri, præsertim cum se suaque omnia eorum arbitrio permisissent.

V. Exarmatur classis; succenditur.

Respondit Censorinus Consul; quoniam pax futura erat, nihil armis opus esse, itaque arma omnia tradere iussi sunt. Cumque legati responderent, velle se quidem ea in re parere, sed sibi prouidendum esse quomodo Asdrubali, quem proscripserat, quippe cum viginti millibus armatorum contra se venturus esset, resisterent, responderunt Cos. id S. P. Q. R. curæ fore. Ergo vis ingens armorum ex vrbe educta est, plaustra sequentibus legatis, Sacerdotibus, ac principibus ciuitatis. Inde classem sibi tradi postularunt, vt ait Florus, quam sub ipsa Vrbis ora succenderunt. Inde Censorinus laudata eorum obedientia, in obsidibus, armis, & classe tradenda, vnum dixit superesse mandatum Senatus paulo durius, quod tamen eis ad certam pacem, obeúdum, ac fortiter ferendum sit. Cedite nobis, inquit, Carthagine, sedes ad quemlibet ditionis vestræ locum transferte, modo vltra octogesimum à mari stadium; certum est enim nobis hanc diruere.

Vrbe cedere iubentur. l. 2. c. 15.

VI. Vt acceptus fierit is nũcius à legatis.

Hæc Consulis verba excepit clamor tollentium manus ad cœlum, & Deos irritorum fœderum testes inclamantium, non sine multis grauibusque conuitijs, siue mortem appetebant, siue mentis erant impotes: procumbebant humi, & solum frontibus manibusque pulsabant, vestes dilacerabant, sua ipsi corpora præ furore laniabant, adeo vt Romanis ipsis lacrymas elicerent. Deinde facto silentio redintegrarunt preces, sed nihil impetrarunt, respondente Censorino, id esse mandatum Senatus, quod neque à se mutari, neque differri posset. Cumque his dictis summouerentur, & abire iuberentur, rogauerunt vt classem ad ipsam vrbem admouerent, si forte eo metu, ad hanc calamitatem ferendam adigi possent, nec à ciuibus suis discerperentur. Illi profectis Censorinus cum viginti quinque millibus, circa vrbem ea de causa oberrabat: Legatorum pars ex itinere diffugerunt, alij taciti in vrbem pergebant, multis vbique sciscitantibus, & nemine respondente ingemiscentibus, vt rebus perditis, alijs prope vim inferentibus, nisi dixissent primum opus esse tem ad Seres deferre.

VII. Eiaculatibus.

In curia summotis cæteris legati Senioribus iussa Consulum renunciarunt; ad quod nuncium orta conclamatione in curia, plebs quoque foris clamorem reddidit. Tum facto silentio, pertexentibus legatis, quid à se fuisset dictum esset, ad flectendos Romanorum animos, præsumma rerum desperatione ingentem vlulatum ediderunt; ad quem plebs irrupit in Curiam, & acerbissimo nuncio cognito, omnes quasi in furorem acti, alij in legatos irruebant, alij in optimates, qui autores fuerant tradendorum obsidum, vel armorum cum contumelijs insurgebant; alij in Italos, qui in vrbe tum reperti sunt, inuolabant, & varijs cruciatibus afficiebant. Matres obsidum, quasi furiæ quædam tragicæ, perditos filios lamentabantur, & Senatoribus exprobrabant, ploratabant armamentaria vacua, naualia exinanita, classem exustam, Deos denique ipsos conuiuijs furiose impetebant; omnia clamoribus & eiulatibus personabant.

VIII. Defensionẽ parant.

Verum alij magis sobrij vrbis portas claudere, defensionem parare, lapides in muros congerere, quod mallent patriam suam hostium manibus euerti, quam suis. Senatus eadem die bellum decernit, seruos per præconem ad libertatem vocat, Asdrubalem eligit belli ducem, paulo ante capite damnatum, qui foris cum viginti millibus armatorum erat, mittit curriculò qui oret, vt patriæ misereatur in summo discrimine constitutę, culpam condonet, in se immerentem, cogente necessitate admissam. In vrbe autem alterum Asdrubalem, Masaniſſæ ex filia nepotem, ducem creat. Deinde à Coss. per nuncios 30. dierum inducias petunt, Romam vt legatos mittant. Quibus non impetratis, totam vrbem in officinas armorum vertunt, tantaque contentione die nocteque operi insiterunt, vt breui copiam non exiguam comparârint; cunctantib. Consulibus vim afferre ciuitati, quam exarmatam, se cum liberet occupaturos sperabant: & tempus aliquod dandum putabant ciuibus, dum furor aliquantulum resedisset, nullo vt suo periculo vrbem diruerent.

IX. A Romanis frustra oppugnantur.

Iuter hæc paucis diebus transactis, vrbem terra marique oppugnare parant. Verum cum & armatos, & ad pugnam, repellendamq; vim alacres reperissent, falsi opinione sua retrocesserunt: iterato deinde conatu, cum hostiles nõ succesissent, creuere animi Pœnis. Coss. vero timentes Asdrubalem, qui à terra non longe castra posuerat, & ipsi bina castra munierunt: deinde vrbem varijs assultibus, sed irritis petierunt, & murorum partes crebro ariete, nullo tamen emolumento deiecerunt. Et vice versa Pœni Himilcone duce, nonnulla damna Romanis intulere, in quib. illud fuit memorabile, quod scaphas aridamateriã clã oppletas, & pice deinde ac sulphure conspersas, immisso

Quibus vicissim clades inferunt.

igne

igne, vento obsecundante, in Romanorum classem immiserunt, quo facto magno eius pars conflagrauit. Deinde cum Censorinus paulo post comitiorum causa Romam esset profectus, Pœni facti animosiores Manilij castra nocturna eruptione inuaserunt, & iam vallum conuellere cœperant, cum Scipio Tribunus per auersam castrorum partem cum equitibus procurrens, eos in vrbem compulit; quod secundò etiam fecit, cum hostis nauale Romanorum intempesta nocte esset aggressus. Himilco etiam equitum præfectus, non paucas ex insidijs intulit Romanis clades. Consul quoque Manilius, cum Asdrubalem iniquo loco esset aggressus, ingentem accepit cladem, qua tres Tribuni militum periere.

X. Viriathi victoriæ.

In Hispania Viriathus C. Plaucium Prætorem gemina clade ita perculit, vt nusquam prodire ausus, media æstate se ad hyberna reciperet. In altera deinde parte Hispaniæ contra Quintium ancipiti marte pugnauit, aliaq; gessit è re Hispanorum, dum Quintius Cordubæ maneret inclusus. Andriscus quoq;, quem Romani ante contempserant, P. Iuventium Prætorem cum exercitu deleuit.

ANNVS MVNDI 3906.

IONATHÆ Ducis & Pont. 13.

PTOL. PHILOMET. 32.

ALEXAND. 4. Imp. Græc. 164.

OLYMP. CLVIII. An. 1. VR. C. 605.

ANTE CHRISTVM 147.

I. Controuersia Iudæorum & Samaritanorum. l. 13. c. 6.

EVSEBIVS ad initium huius Olympiadis refert controuersiam Alexandriæ agitatam Samaritanos inter & Iudæos, quam Iosephus ad hæc tempora retulit. His Hierosolymitanum templum legitimum esse profitentibus, illis autem Garizitanum; cuius religio sub Alexandro Magno fuerat inducta. Ad Regem porro, & consessum amicorum eius prouocatum est, sed ea lege, vt ait Iosephus, vt victus partis patroni succumberent, morte mulctarentur. Acerba vtique pœna, sed non indigna seditiosis hæreticis, errorem pro veritate sponte colentibus, & immensa animarum stragem excitantibus; Patrocinabatur Samaritis Sabbæus cum Theodosio, Hierosolymitis Andronicus; eamque pœnam vltro à Rege vtrique poposcerunt. Probauit primùm Andronicus ex lege Mosis sacrificia, & celebritates præcipuas ter in anno fieri oportere, in loco quem elegisset Dominus, illumque locum esse Ierusalem, vbi sibi templum à Salomone construi nominatim iussisset, illudq; ingentibus prodigijs sanctificasset, & regibus ipsis honorabile reddidisset. Postremo Sacerdotium in eo per continuam successionem propagasset, quæ neq; Garizitano templo, neque Heliopolitano conuenirent, quæ nuper admodum per seditionem extructa constaret. Itaq; damnatis Samaritis victoria Iudæis cessit.

Iudæorũ victoria

Extremo porro anno superiore, aut hoc ineunte, dum hyems esset in cursu, vt ait Appianus, mortuus est Masanissa. Nam sub anni huius initium Manilius Scipionem Romam misit, cum iam à Masanissa rediisset, quem mortuum reperit, & regno eius filijs diuiso, vnum eorum Gulussam deduxit ad Consulem Manilium. Masanissa ergo morbo senioque fessus, erat enim nonagenario maior, etsi varie à varijs definitur eius ætas, Scipionem, vt auitum amicum, literis ad Manilium Consulem datis accersiuit, consulturus eum de regno liberis relinquendo. Quo habebat plurimos ex concubinis, tres autem ex legitimo matrimonio. Scipio ad eum confestim profectus est, sed paulo autem quam peruenisset, Masanissa agens animam vxori liberisq; præcepit, Scipioni vt parerent, regnum quo is cumque modo diuideret. Quo ille munere sapienter pro cuiusque ingenio atque ætate perfunctus, Gulussam, cui belli pacisque curam commiserat, secum, vt dixi ad bellum Punicum Carthaginem deduxit. Stemma vniuersæ familiæ Masanissæ studiosus Lector in Annalibus reperiet.

II. Masanissæ mors.

Vide Ann. n. 6.

Eius in Scipionē amor & fiducia.

n. 8.

Reuertens Scipio cum Gulussa, Himilconem cognomento Phamæam offendit in prælio, quem ad defectionem induxit, quando patriæ saluti esse non posset, promissa apud Romanos non solum venia, sed etiam gratia. Nec ille admodum cunctatus, cum bis mille & ducentis ferme equitibus Scipioni adhæsit. Quo facto Manilius Consul, qui rursus imprudenter Asdrubalem aggressus, in periculum Romanos adduxerat, euasit impunè, hostibus tanta equitum decessione diminutis. Manilius autem audito sibi successorem venire Pisonem, præmisit Romam cum Himilcone Scipionem, quem exercitus deduxit ad naues, comprecatus superos, vt Carthaginem Consul ad eam expugnandam reuerteretur: idque multi Romam scribebant ad suos, Senatus Scipionem publicè laudauit, Phamæam donis honorificis cumulauit, iussitque sperare ampliora, si conficiendo bello strenuam operam attulisset. Ille omnia pollicitus, in Africam ad Romana castra profectus est.

III. Scipio Himilconē ad transitionē ad Romanos adducit.

Interea eodem venit Piso Consul, cum L. Mancino classis præfecto, qui nec Carthaginem tentarunt, nec Asdrubalem, sed bellum circa oppida circumtulerunt. A Clupea, terra marique oppugnata, repulsi sunt. Piso propinquum oppidum cepit, atque diripuit. Hipponem, quæ media inter Carthaginem & Vticam, Romanos commeatus intercipiebat, profectus est, vlturus latrocinia, vt sperabat. Sed cum ad eam vrbem rebus omnibus instructam per totam æstatem assedisset, & obsessi bis eruptione facta, Carthaginensibus quoque opem ferentibus; Romanorum machinas incendissent, irrito labore Vticam in hyberna concessit. At Carthaginenses spe atque animis erigebantur, cum & Asdrubalis exercitum haberent incolumem, & ad Hipponem superiores fuissent, auctiq; etiam octingentis equitibus Numidis, qui Bithya duce à Gulussa transfugerant, Phamææ iactura aliquatenus resarcita, viderentq; alios Masanissæ filios, in suppeditandis armis pecunijsque tardiores,

IV. Pisonis Consulis res gestæ.

Pœni rebellescũt.

timentes ne sublata Carthagine, ipsi quoque subiugarentur; quem metum Pœni Mauris quoque ingerebant, & Andriscum in Macedonia aduersus Romanos hortabatur ad bellum, pollicentes naues illi ac pecunias Carthagine non defuturas.

V. Andriscus profligatur.

Hic porro Andriscus, qui & Pseudophilippus, hoc anno victus ac profligatus est. *Pratore Metello*, inquit Florus, *populus Romanus amissum cum legione Pretorem*, Iuventium *plenissime vltus est. Nam & Macedoniam*, quæ se Andrisco dederat, *seruitute multauit, & ducem belli deditum, ab eo ad quem confugerat Thracia regulo, in vrbem in catenis reduxit: hoc quoque illi in malis suis indulgente fortuna, vt de eo populus Romanus, quasi de vero Rege triumpharet.* Sic ipse. Addit Eutropius 25. millia militum Andrisci interfecta. Rem totam pluribus Zonaras tradit, quem retulimus in Annalibus. Porro Metellus cum triumpho, Macedonici cognomen est consecutus.

VI. Græcorũ motus cõtra Romanos. *n.* 143 & 144.

Andriscus autem ita Græcos odio Romanorum repleuerat, vt bis eorum legatos violarent, vt autor est Polybius. Primum ea legione cuius princeps fuerat Aurelius, qui Senatui retulit, prope factum fuisse, vt vitæ & omnium rerum periculum adirent. Iterum quando missi à Metello legati blande conabantur eos à studio contentionis, & odio Romanorum auertere, turbæ non se continuere, sed legatos subsannantes, cum tumultu & clamore concione eiecerunt. *Et cum omnes*, inquit Polybius, *ciuitates stultitia, quasi populari quodam morbo tenerentur, Corinthiorum tamen præ cæteris amentia insignis extitit.* Quæ etiam causa fuit, vt Corinthij, apud quos Achæorum comitia celebrata sunt, præ cæteris pœnas darent. Vera porro causa turbarum, & Achaici belli, quantum ex Iustino & Pausania colligitur, fuit quod Achæi nimium potentes in Græcia, videbantur, non tam propter opes singularium ciuitatum, quam propter conspirationem vniuersarum: itaque ab Achæorum societate Spartam & Corinthum separare voluerunt. Ergo Achæi tumultuantes electis legatis, Critolaum belli ducem elegerunt, Boeotos etiam, qui grandi pecunia à Metello multati fuerant, ad arma concitarunt. Hæc fuerunt semina belli Achaici.

Eorum causa.

VII. Viriathus Vnimanũ delet. *l.* 2. *c.* 17.

Quod ad Celtibericum attinet, C. Plaucio contra Viriathum successit Claudius Vnimanus, de quo hic habet Florus. Viriathus castra Prætorum, & Præsidum aggressus, Claudium Vnimanum, pene ad internecionem exercitus cecidit, insignia trabeis & fascibus nostris, quæ ceperat, in montibus suis trophæa fixit.

***

ANNVS MVNDI 3907.

IONATHÆ 14. PTO. PHILOM. 33.

ALEXAND. BALÆ. 5. Imp. Græc. 165.

OLYMP. CLVIII. A. 2. VR. C. 606.

ANTE CHRISTVM 146.

I. Demetrij Iunior exoritur. *l.* 1. *c.* 10. 67.

HAbet hic annus nouas in Syria turbas Alexandrum inter atque Demetrium, Demetrij Soteris filium, quas deinceps Scriptura persequitur, à quibus par est nos initium ducere. Sequentur deinceps Punica, Celtiberica & Achaica. In tribus enim mundi partibus Asia, Africa, & Europa bellicum hoc tempore flagrabat incendium. Anno ergo Regni Græcorum 165. *venit Demetrius filius Demetrii à Creta*, quo cum pater initio belli ablegarat, vt ex Iustino supra diximus; venit autem regni paterni recuperandi causa, *acceptis*, vt ait Iosephus, *multis mercenariis militibus à Lasthene Cretensi, soluens ab ea insula, traiecit in Ciliciam.* Agebat hic Demetrius decimum sextum circiter annum, quem ad audendum incitauit Alexandri desidia inter scortorum greges captiui. Præter autem Cretensiũ auxilia, Antiochenses quoque, veterem in patrem offensam nouis meritis correcturi, se ei tradiderunt. Sed & milites paterni, fauore Adolescentis accensi, signa ad Demetrium transtulerunt. Et hæc causa fuit cur Alexander ex Phœnicia reuersus sit Antiochiam, vt scilicet Antiochenorum defectionem impediret, qui, pro insita sibi leuitate, nutabant.

A Græc. 160 *l.* 35. *l.* 13. *c.* 8.

II. Apollonius præfectus Cœlesyriæ et adhæret. *l.* 35.

Et constituit Rex Demetrius Apollonium ducem, qui præerat Celesyriæ; & quidem à tempore Demetrij Soteris, quam præfecturam Alexander, in defectionis præmium, ipsi confirmarat; quo pertinet, quod ait Iustinus, paternos milites ad filiũ Demetrium signa transtulisse. Hunc ergo Apollonium Rex nouus constituit exercitus sui ducem ad Iudæos, qui Alexandro fauebant, debellandos. Is congregauit exercitum magnum, quo plerosq; ab Alexandro traduxit ad Demetrium, cumq; Ionathas in fide Alexandro data persisteret, scripsit ad eum, expostulans, siue quod aliorum non sequeretur exemplum, in rege legitimo agnoscendo, siue in non agnoscendo Apollonio Cœlesyriæ præfecto, ad quẽ Iudæa, cui præerat Ionathas, pertinebat. Quoniam autem plurimũ se valere equitatu credebat, prouocat Ionatham ad certamen in planicie, additq; multa thrasonicè. Quibus commotus Ionathas, elegit decem millia virorum, cum quibus exijt Hierosolymis, eique se adiunxit frater eius Simon, & applicuerunt castra in Ioppem. Sed præsidium Apollonij, quod ibi erat, eos à ciuitate excluſit. Ciues tamen eorum obsidione territi, apertis ianuis deditionem fecerunt.

l. 1. *c.* 10. 47.

Rius in Ionathan conatus.

Ioppe se dat Iudæis

Vt autem audiuit Apollonius Ioppen amissam, vltionis appetens, parauit tria millia equitum; præter pedestres copias, quas octo milliũ fuisse Iosephus ait, & profectus est Azotũ versus, relictis in insidijs mille equitibus, vt cum Ionathas persequens Apolloniũ prætergressus esset in insidiarum locum, illi à tergo exurgerẽt, &

III. Ionathæ de Apollonio altera victoria. *l.* 13. *c.* 8.

Apol-

Apollonius conuersis copijs instaret à fronte, sicque Iudæi vtrimque cederentur. Vt autem Ionathas prætergressas est insidiarum locum, agnouitq; insidiatores emergere; & castra eius circumire, iussit suos iacula scutis excipere, dum equites & telis & viribus ad vesperam vsque iaculando fatigati essent. Tum demum Simon copias suas contra pedites eduxit, quos & contriuit, fugauitque. Equites quoque sparsi per campum fugerunt vsque Azotum, adeoque ad fanum vsque Dagonis: qui eis præsidio non fuit. Nam Ionathas Azoto vim attulit, captamque & spoliatam succendit, cum circumpositis pagis; sed & templum, cum omnibus qui in illud confugerant, succendit, itaque ad octo virorum millia, tam gladio, quam incendio perierunt.

Asdrubalis crudelitas.

IV. Tertia ad Ascalonẽ

Hac altera victoria refutata est inanis Apollonij iactantia, sequitur tertia; sed incruenta ad Ascalonem, quæ aliquanto vltra Azotum erat meridiem versus, media inter Azotum & Gazam. Ionathas ergo victoria prudenter vsus, Ascalonem adit infestus; sed isti proxima clade Azotiorum territi, exierunt de ciuitate obuiam ipsi, magnoque honore illum affecerunt. Sicq; reuersus est Ionathas victor in Ierusalem cum exercitu, præda & spolijs onusto; data Apollonio iustissima causa iterandi illud, *Ego autem factus sum in derisum, & in opprobrium.* Quæ vbi Alexandro innotuissent, perrexit honorare Ionathan, *& misit ei fibulam auream sicut consuetudo est donare cognatis Regum.* Quales nunc dantur torques equitibus velleris aurei, S. Michaëlis, aut S. Spiritus. Alij militare cingulum intelligunt, cui vestium ora, vel ensis annectebatur. *Dedit quoq; ipsi Accaronem*, Philisthæorum olim oppidum, sicut Azotus & Ascalon, *& omnes fines eius in possessionem.* Sequens porro expeditio, quia ad annum sequentem pertinet, abeamus in Africam.

Ionathas ab Alex. honoratur.

V. Scipio ætate illegitima fit Consul, eiq; datur extra sortẽ Africa

Cum in vrbe de Pisonis segnitie, & hostium incrementis nunciatum esset, & Scipio, rerum iam in Hispania, & Africa, quamuis sine imperio, gestarum gloria celebraretur, à populo factus est Consul, quamuis decem annis legitima ætate minor, cũ ipse ambiret ædilitatem. Quin etiam Druso collega sortitionem prouinciarum Consularium de more postulante, populus extra sortem Scipioni Africam dedit, permisitque, vt voluntarios ad militiam acciperet, & literas ad Reges & ciuitates nomine populi Romani daret, aut belli auxilia, quæ & impetrauit. Expeditione recte præparata, vela fecit in Siciliã, atque inde Vticam traiecit, & aduentu suo Mãcinum classis præfectum, qui in munitione quadam circumclusus, ad deditionem breui fame adigendus erat, & per præruptas rupes agendus in præceps, adductis eo copijs liberauit, eoque facto ad tria millia & quingentos milites morti eripuit: & Mancinum Romam remisit, quoniam ei Serranus successor aduenerat, simulq; animum ad instaurandam militarem disciplinam adiecit.

Ibi liberat Mancinum.

VI. Megarã occupat.

Inde Megaram petijt, vbi peramplum, mœnibusque contiguum locum, noctu occupauit, cum quatuor militum millibus, quem tamen cum suis periculosum animaduertisset, mox deseruit. Eam audaciam indignè ferens Asdrubal, vbi lux redijt quotquot ex Romanis captiuos habebat, productos in mœnia, vnde suis poterant esse conspicui, aut oculis, aut linguis, aut neruis, aut pudendis mulctauit, aliisque cruciatibus affectos præcipitauit per rupes; ne suis spẽ vllam pacis à Romanis impetrandæ relinqueret, sed in solis armis salutem reponerent. At illi contra timidiores effecti, etiam Asdrubalem oderant, qui eis spem veniæ præcidisset. Cumq; Senatus intempestiuam eius crudelitatem detestaretur, eorum aliquot comprehensos, vt proditionis suspectos interfecit. Interea Scipio intentius Carthaginem obsidet, fossaq; & muro ingenti cinctam, commeatu excludit, os quoq; portus ingentibus saxis obstruit. Sed Pœni alio patefacto portu magnam vim nauium instructarum eduxerunt, quibus desertas tum Romanorum naues, si mens non læua fuisset, occupare potuerant, sed stulta ostentatione contenti, in portum reuerterunt.

VII. Pugna naualis.

Tertia inde die nauali prælio ad noctem vsque certamen fuit, paribus fere vtrimque damnis & lucris. Postridie Scipio occupauit aggerẽ, qui erat ante mœnia spacioſus, vnde vrbem machinis quatere cœpit: At Pœni, quamuis fame malisq; fatigati, noctu eo natatu peruenerunt, & quamuis accensis facibus agniti, ora & pectora configerentur telis, non remittebant tamen impetum, sed more ferarum in vulnera ruebant, donec incẽsis machinis, nudi propugnatores earum verterunt in fugam. Itaque in eo occupando cum diu pugnatum esset, tandem totum Scipio occupauit, eoque permunito quatuor militum millibus insedit, vnde tela in hostes aduersos non parce tota æstate ingesta sunt. Hyemis initio Scipio Nepherim profectus, vnde commeatus hosti summittebatur, vrbem per duos & viginti dies obsessam partim vi, partim insidijs occupauit, castrisq; potitus, ingentem hominum multitudinem, vel occidit, vel cepit; tum reliqua eius regionis loca deditionem fecerunt. Nec plura in Africa hoc anno gesta.

Nepheris expugnatio.

VIII. Res à Viriatho, & Metello gesta.

Hoc quoque tempore C. Nigidius Prætor Vnimano contra Viriathum successit, eodem cum illo successu, ab eodem quippe cum copijs suis oppressus est. Itaque Viriathus florebat hoc tempore, & copijs in dies viribusque crescebat, siue ad Romanorum fastum comprimendum, siue ad Prætorum auaritiam & crudelitatem castigandam. Cum autem bellicus Achæorum apparatus Romæ auditus esset, bellum eis indictum est, & Metello Prætori, qui Macedoniam regebat imperio prorogato demandatum. Is in Peloponnesum descendit armatus, ne qui in Thessaliam iam intrauerant, in Macedoniam quoque penetrarent. Ergo cum Achæis, vt ex Epitome Liuiana constat, Metellus ad Thermopylas bello conflixit, vicitque, quamuis illi Bœotios & Chalcidẽses auxiliarios haberent: quib. victis dux eorum Critolaus veneno sibi mortem conscisit. Diæus vero, qui militem ex Arcadia deducebat, ab eodem Metello & L. Mummio sequenti anno cum exercitu suo oppressus est.

ANNVS MVNDI 3908.

IONATHÆ 15. PTOL. PHILOM. 34.

ALE. BALÆ 6. & vlt. Imp. Græcor. 166.

OLYM. CLVIII. AN. 3. VR. C. 607.

ANTE CHRISTVM 145.

I. Expeditio Philometoris. *l. 1. c. 11. 17. & 18*

HAbet hic annus expeditionem Philometoris Ægyptij in Syriam, & amissum ab Alexandro regnum cum ipsa vita: Philometore eâdem regni & vitæ aleam triduo post subeunte. Verum expeditionis huius causam Scriptura refert in ambitionem Philometoris, cupientis regnum Syriæ, quo potiebantur Alexander, occupare, & Ægypto coniungere. Præ se tamen ferebat se auxilio venire Alexandro genero suo contra Demetrium: propterea que Alexander omnia ipsi in vrbibus suis permittebat. Atis cũ introibat in ciuitatem aliquam, Alexandri præsidia commutabat suis. Cumq; Azotij ei occurrissent honoris causa, eique acceptam nuper à Ionatha cladem inuidiosè narrarẽt, tacuit Rex. Etq; Ionathas magnifico cum apparatu occurrit, eumq; ad fluuium Eleutherum comitatus, postridie reuersus est Hierosolymam, vt in tuto expectaret, quem rex exitum esset habitura, in ablentia Alexandri, qui tunc erat in Cilicia.

Et in genere perfidia.

II. Occupat ciuitates eius. *1. Mach. 11. 8.*

Cum autem iam multas obtinuisse Syriæ ciuitates vsq; ad Seleuciam maritimam, apparuit eius ambitio; quæ cum innotuisset Alexandro, amico suo Ammonio curam dedit illius interficiendi, quod is Ptolemaide irrito conatu tentauit. Moxq; ad Demetrium legatos misit, quibus ei filiam suam Alexandro exceptam obtulit, offerens etiam auxilium ad regnum Syriæ obtinendum; quod tamen ille fictè dicebat, vt qui nouũ hoc regnum cuperet sibi; sed simul vtrũque sibi aduersarium habere nolebat: sperans altero sublato, alterum facile in ruinam impelli posse. Ea porro ambitio mox innotuit, cum ingressus Antiochiam imposuit duo diademata capiti suo, Ægypti & Asiæ, vt Scriptura testatur. Quæ cum accepisset Alexander, qui tum erat in Cilicia, propter Cilicum defectionem, contractis copijs contra Ptolemæum, à quo perfidiosè regno, vxore, omnibusque rebus euersus fuerat, bellum mouit. Et forte minus instructus ab exercitu; certè non accitis amici Ionathæ copijs. Non ita Ægyptius, nam produxit Ptolemæus Rex exercitum, & occurrit ei in manu valida, & fugauit eum.

Et Demetrio dat filiam vxorem Alexãdri. *1. Mach. 11. 13.*

Alexander à Ptolomæo vincitur.

III. Ptolomæus vulneratur. *l. 13. c. 8. Epit. 52.*

Neque tamen Ptolemæus è prælio euasit incolumis. Nam Iosephus, Strabo, & Florus testãtur, eum in prælio equo excussum, vulneribus ab hoste in caput inflictis, à suis exportatum & inter curationem, dum ossa medici terebrare contendunt, expirasse. Interim tamen Alexander, qui fugerat in Arabiam, vt ibi protegeretur, ab Zebdiele Dynasta interfectus est, eiusq; caput Ptolemæo missum; siue illi sponte gratificari voluit, siue ab eo redemptus ficarius ad vitandam, quam à violato tam insigniter genero, timere poterat vltionem. Sed vltionem dominus ipse occupauit: die enim tertia mortuus est. Vtrum autem accepto Alexandri capite, incertum est. Id Iosephus affirmat, aitq; exsatiatũ fuisse gaudio, ex interitu inimici, quod Scriptura, cæteriq; tacuerunt. Scribit Iustinus Ptolemæũ istam segnem admodum fuisse, & quotidiana luxuria ita marcidum, vt non solum regię maiestatis officia intermitteret, verum etiam sensu hominis nimia sagina caroret. Id tamen valde dubium reddit in prælio mors obita, & regni longinquitas, quæ 34. annorum fuit: etsi 35. ipsi tribuat Eusebius. Quod ita accipi potest, vt initium tantum anni sequentis ei tribuamus: nam illum ipsum annum Demetrio Scriptura assignauit. Alexander autem post sextum regni annum, meritas occupati regni Syriæ, & occisi Demetrij legitimi Regis pœnas dedit, vt à Iustino quoq; notatum est.

Alexander occiditur.

Ptolomæus moritur.

l. 1. c. 11. v 19. l. 35. fi.

Sub veris initium, creatis iam à Cal. Ianuarij Romæ Coss. Scipio Consulari Imperio prorogato, Byrsam arcem, & portum quem Cothonẽ vocabant, occupare aggressus est. Eius mutum Lęlius inuasit, vnde Scipio in forum propinquũ irrupit, vbi, quia mox imminebat, pernoctauit armatus, ciuibus ita affectis, quasi ferrum iam in viscera recepissent. Vbi illuxit 4. millia recentiũ militum euocauit, qui templum Apollinis deprædati sunt, tam diues, vt Appiano teste, præda mille talentorum fuerit, fastigium quippe laminis aureis opertum fuisse dicitur. Interim Scipio properabat ad Byrsam, ad quam tribus vijs ascendebatur à foro. Sed cum ex ædibus circũpositis Romani peterentur telis, prioribus expugnatis, ex ijs sese à proximis defendebant, & in eas transuersis trabibus quasi pontibus traijciebant, socijs interim in medijs viis pugnantibus, & ingentes strages edentibus. Erant omnia plena clamoribus & eiulatibus, dum alij cominus cæduntur, alij viui deijciuntur in præceps, quorum nonnulli cadentes rectis hastis, lanceis, gladijsve excipiebãtur. Quosdam ædiũ ruinę, alios absumebat incendium, deniq; deploratissima rerum facies totis sex diebus fuit.

IV Scipio pconsul in forum irrumpit.

Inde tendit in arcem.

Vrbanæ strages.

Vide Anna nn. 20. 21 &c.

Die septimo quidam supplices adiere Scipionem, vt saluis ex arce liceret excedere, quod ille omnibus, præter transfugas, concessit. Illi ergo duplici agmine prodierunt, primũ agmen mulierum fuit satis miserabile ad 25. millia, alterum fuit virorum situ & squalore deformius, ad 30. millia. Transfugæ ad summum nongenti, desperata salute, in Æsculapij templum, cũ Asdrubale, vxore, duobusq; filijs, se receperunt. Inde, vt è loco edito & munito, facile resistebant. Tãdem famis, vigiliarũ, pauoris impatientia, exitio iã appropinquante, fano deserto in summam ædẽ se proripuere. Sed Asdrubal clam cũ ramis oleę ad Scipionem confugit: quem cũ ille transfugis ostẽdisset, miseri, post multa in Asdrubalẽ probra effusa, templũ incenderunt, & seipsos concremarunt. Multos tamen in Scipionis potestãtẽ venisse autor est Florus, quos ille feris obiecit, siue elephantis obterendos, siue leonib. dilacerandos. Ipse a. Asdrubal Romã in triumphũ adductus, vitam deinde in libera custodia exegit, cũ obsidibus, & aliquot alijs claris viris. Dũ a. vndiq; succenderetur ignis, vxor Asdrubalis astantibus duobus filijs, Scipioni bene precata, in maritum contumelias, probra & imprecationes vbi coniecisset, iugulatis duobus filijs, eos in ignem, seque insuper insana proiecit.

V. Arcis deditio, & Asdrubalis. *Oros. l. 4. & c. vlt.*

Perfugarum interitus, & vxoris ac filiorum Asdrubalis.

Epit. 51.

VI. Luctuosus ciuitatis interitus.

Reliqua vrbe, ædificiis horrisono fragore corruentibus, cadauera omnis generis, sexus, ætatisque mortalium, confertim cum ruderibus prorue bant, quos vel incendium, vel Romani militis, vel proprium etiam, aut necessariorum ferrum crudeliter hauserat. Quidam etiam viui, præsertim senes, mulierculæ, pueri, qui se intimas in ædium latebras abdiderant, aut vulnerati, aut semiustulati, tristissimos edebant clamores & ex alto, cum lignorum lapidumque fragmentis cadendo lacerabantur. Deinde cogestores ruderum, rastris, furcis, aliisque ferramentis, viuos mortuosque in foueas tractim cum cætera materia congerebant: vbi diu palpitantes, alij hac, alij illa parte corporis extantes, vngulis equorum dedita opera conterebãtur. Quæ cum ex parte vidisset Scipio, illacrymasse dicitur, hostium tristissimæ sorti condoleus, & vrbi euersæ atque incensæ, quæ per annos septingentos maris & insularum imperio floruerat, armis, classibus, elephantis, auro argentoque, cum maximo quoque regno conferenda, & similem aliquando cladem patriæ suæ reformidans; vt spectator Polybius scripto reliquit.

Ipsimet Scipioni.

VII. Prædavrbis: victoria nunciatur.

Plurima præda partim ruina contrita est, partim incendio conflagrauit, partim etiam restituta est Siculis, aliisque populis, qua Pœni ipsos spoliauerunt, partim distributa militibus, partim ærario & triumpho reseruata. Exornata nihilominus spoliis nauis celerrima, victoriæ nuncia misit in vrbem: vnde mandata Senatus accepit, vt cum decem legatis eam prouinciam ordinarent, si quid Carthaginis superesset diruerent, habitationem eius loci diris execrationibus interdicerent, oppida, quæ hosti fauissent delerent, agros Vticensibus, aliisq; populi Romani sociis contribuerent, cæteros tributarios facerent. Quæ executus, classe reuectus in Vrbem, triumphum egit omnium nobilissimum, refertum statuis & donariis, quæ Carthaginenses per tot ætates, ex tot victoriis toto orbe partis in Africam comportauerant. Hoc ipso porro anno Vrb. C. 607. deletam Carthaginem, & à Scipione triumphatum, autor est Macrobius, quando & Africani cognomen accepit. Addit Appianus in fine libri Punici, triũphum Scipionis eo tempore contigisse, quod de Macedonibus & Pseudophilippo tertiò triumphatum est.

Africa in prouinciæ formam redacta.

Scipionis & Metelli triũphi.

l. 2. c. 11.

VIII. Clades Corinthia.

Eodem anno quo Carthago deleta est, inquit Orosius, *Cn. Cornelio Lentulo & L. Mummio Coss. ruinam Carthaginis euersio Corinthi subsecuta est, duarumque potentissimarum vrbium, paruo vnius temporis interuallo, per diuersas mundi partes miserabile colluxit incendium.* Cum enim Critolao cæso, vt ait Zonaras, Græci in duas partes distracti essent, cum alij positis armis pacem expeterent, alij seditionem vrgerent, Dæo summa rerum permissa est. Quo Romani cognito Mummiũ Metello successorem miserunt, qui primùm contra Dæum male pugnauit; tum victor effectus, Dæum desperatis rebus ad mortem compulit. Cum enim prius domum incendisset, & interfectam à se vxorem in ignem præcipitasset, veneno periit. At Corinthij, qui mœnia propugnabant omnes periisse rati, vrbem deseruerunt. Qua Mummius occupata, illos & cæteros Græcos sine labore domuit, eisque arma, donaria templorum, statuas, picturas, & reliqua ornamenta ademit. Corinthum autem nominatim ex SC. diruit; quia ibi Romanorum legati violati fuerant. Thebæ quoque & Chaleis, quæ auxilio fuerant dirutę sunt. Mummij triumphus in sequentem annum cadit. Patre veto Mummij cũ aliis ad res post victoriam componendas misso, omnes liberos, suique iuris esse passus est, præter Corinthios, quos diligenter conquisitos sub corona vendidit, agro eorum publicato, cuius partem maximam Sycionij obtinuerunt.

Dixia trox. facinus.

Victor in vrbis Ill.

Corinthus diruitur.

ANNVS MVNDI 3909.

IONATHÆ Ducis & Pontific. 16.

PTOLEM. EVERGETIS 1.

DEMETR. NICANORIS. 1. Imp. Gr. 167.

OLYMP. CLVIII. A. 4. VR. C. 608.

ANTE CHRISTVM 144.

I. Regnum Demetrij 1. *Macb.* 11 19. 1. *Macb.* 10. 67. 13. c. 8.

DVorum regum initium in hunc annum Græcorum, à Scriptura refertur, quæ habet regnasse Demetrium anno 197. mortuo scilicet Alexandro Balæ, quo viuo, etsi biennio ante in Syriam, terram patrum suorum venerat, non tamen regnasse dicitur, nisi æmulo eius sublato. Hunc porro Demetrium Iosephus Nicanorem, Appianus Nicatorem secundum cognominat, idque ei cognomen à Syris inditum ait, quod alienum à sua familia Alexandrum regno pepulisset. Post cuius obitum cum triduo Philometorem constet esse defunctum, consequens est & fratrem natu minorem qui Cyrenis regnabat successisse, vt est in Epit. 52, Strabone. Iosepho, Iustino, Phisconem cognominat Iosephus, & Strabo, & Clemens Alexand. quasi dicas Ventriosum, Epiphanius Philologum, Eusebius Euergetem, prout ille se dici volebat, Alexandrinis illum Cacergetem siue Maleficum appellantibus. Strabo certe hunc septimum Ptolemæum inter deterrimos nequissimosque numerat. De cuius in regnum ingressu, hæc habet Iustinus.

l. 17. l. 2. contra Appionem. l. 38. Nomina huius Ptolemæi.

In Ægypto mortuo rege Ptolemæo, ei qui Cyrenis regnabat Ptolemæo, per legatos regnum, & vxor Cleopatra regina soror ipsius desertur, vt ducta regina simul rex esset, & pupillorum tutor. Pergit. *Latus igitur hoc solo Ptolemæus, quod sine certamine fraternũ regnum recepisset, in quod subornari à matre Cleopatra, & fauore principum fratrũ filium cognouerat. Cæterum infestus omnibus, statim vbi Alexandriam ingressus est, fautores pueri trucidari iussit. Ipsum quoque puerum, die nuptiarum, quibus marem eius in matrimonium recipiebat, inter apparatus epularum, & solemnia religionum in complexu matris interficit; atque ita therum sororis, cade filij eius cruentus ascendit. Post quod non mitior in populares, qui eum in regnum vocauerant, fuit.* Hæc ibi, vt non sine causa eum Cyrenenses tanquam tyrannum execrati sint, regnoque expulerint, vt docet Polyb. in legat. n. 115. Quando autem in regno quietus

III. Initium regni eius, & crudelitas tyrannica.

tu timeru Romanorum qui fratrum discordias nutriebant, quietus fuit.

III. Conatus Ionathæ pro arce. *1. Mach. 11. 20.*

Ad horum regum exordia, pertinet conatus Ionathæ, ad occupandam Hierosolymorum arcem, vt tutum se redderet Hierosolymis in hac mutatione regum Asiæ & Ægypti, in quarum medio erat Iudæa. Id licet ad salutem ac libertatem populi pertineret, abierunt tamen quidam, qui oderant gentem suam, viri iniqui ad regem Demetrium, & renunciauerunt ei, quod Ionathas obsideret arcem. At rex nolens id sibi præsidium eripi, quo Ierusalem, & omnem pene Iudæam habebat in potestate, venit Ptolemaidem, & scripsit Ionathæ ne obsideret arcem, sed occurreret sibi ad colloquium festinatò. Ionathas non expectata vi regem adire, eumque placare statuit, iubens nihilominus obsidionem vrgeri: quam tamen solutam fuisse expugnationis difficultate, siue potius propinqui regis imperio, ex sequentibus patet, vbi Ionathas à rege postulat ab arce præsidiarios eiici. Ommino credibile est Ionatham in adeundo rege præparasse, quid ei de arcis obsidione responderet. Id se videlicet necessitate compulsum aggressum esse, quod multis quotidie à præsidiariis afficerentur iniuriis, essetque id perfugium omnium sceleratorum gentis suæ: id vt probaret deduxit secum primarios in Repub. viros, & sacerdotes fide dignissimos. Accepit & munera pretiosa, quibus sibi aditum ad gratiam patefecit, & irritos reddidit impiorum Iudæorum conatus. Et licet alias publicis literis concessit immunitates, arcem tamen sibi retinuit, promittens se tutos ab iniuria Iudæos redditurum.

v. 41.

IV. Demetrius imprudenter dimittit militē veteranum.

Rebus cum Ionatha & Iudæis compositis, Demetrius videns ditionem suam pacatam, retento peregrino milite, quem minimo periculo dimittere poterat domesticum ac veteranū dimisit, cuius bona pars dudum Alexandrum secuta, & reconciliata fuerat, & facile poterat, tali occasione data, fidem frangere, vt reuera fregit. Fiduciam porro illi videntur attulisse, tum affinitas cum rege Ægyptio; eius enim sororem recens vxorem acceperat, tum amicitia Ionathæ, quam sibi aliquanto post expertus est salutarem, idque, vt arbitror, sequenti anno: neque enim tantæ turbæ tam cito concitari potuisse contra regem videntur, præsertim cum Tryphon, qui cum cætero exercitu missione accepta, in Arabiam se contulerat, ibi dicatur mansisse *diebus multis*; quibus persuasit Emalchueli Arabi, nutritio Antiochi pueruli, filij Alexandri, sibi hunc ipsum Antiochum tradere in paternum regnum sua opera collocandum. Duæ res Tryphonem ipsum acuebant, odium in Demetrium, à quo, tanquam sibi inutili, dimissus esset, ex quo propterea vltionem expetebat; & desiderium regni tutoris nomine administrandi, aut etiam sibi obtinendi, vt postea res ipsa docuit.

Tryphon res nouas molitur. *v. 40.*

Quod ad Romanam rem attinet, & huius anni Coss. scribit Valerius Q. Cæcilium Metellum, quamuis triumphalem passum esse repulsam in petitione Consulatus, quem tamen comitate quadam adeptus est Hostilius Mancinus, qui primus, inquit Plinius, Carthaginem irruperat, situm eius, expugnationesque depictas proponendo in foro, & ipse assistens populo spectanti, singula enarrando: ea comitate proximis comitiis cōsularum adeptus est. Subiugata porro triumphataque Macedonia, deleta Carthagine ac Corintho, & toto Oriente ad Romanum nomen trepidante, non tamen illi in Hispania pax fuit, nec fractus animo est Viriathus, qui totiam Romanos duces, exercitusque deleuerat. Missus est hoc anno contra illū C. Lælius prætor, qui nuper in Africa cum Scipione militauerat. Is Cicerone teste, Viriathum fregit Prætor & comminuit, feroci tatemque eius ita repressit, vt facile bellum reliquis traderet. Priusquam autem abiret in prouinciam rogationem disuasit, quæ sacerdotum electionem, à collegis eorum, ad populi suffragia transferebat.

Metellus repulsam patitur Consulatus quem Mancini comitas obtinet. *l. 7. c. 13.*

l. 55. c. 4.

Lælius contra Viriathū.

l. 2. offi. l. de Amic.

Missus quoque est in Hispaniam hoc anno Consul Fabius Æmylianus, filius Æmylij Pauli, qui Perseum regem Macedonum sustulerat, qui parcens veteranis militibus tot expeditionibus fatigatis, tyronum duas legiones conscripsit, additisque sociorum auxiliis, quindecim millia peditum, & duo circiter equitum sub signis habuit, magnáque anni parte diligenter exercuit, ne rudem & inexercitatum militem, obiiceret hosti peritissimo. Eo tamen absente, nonnullæ velitationes eius legato parum feliciter cesserunt. Ipse iusto prælio cum Viriatho, quamuis assidue prouocante, pugnare noluit, vsque ad annum sequentem.

VI. Et Fabius Consul.

VII. L. Mammij triūphus. *l. 6. Æn.*

Iam quod ad L. Mummij triumphum attinet, quem nobilissimus Poëta celebrat illo carmine,

Ille triumphata Capitolia ad alta Corintho
Victor aget currum, cæsis insignia Achiuis.

Eum super tore anno geri non potuisse certū est, quamuis illud pleriq; ad annum V. C. 607. referant, quo anno finito bello, cum legatis Roma missis, totius prouinciæ res composuit. De spoliis & Mummij continentia, Victor in vitis illustr. Mummius Corinthum signis, tabulisque spoliauit, quibus cum totam repleuisset Italiam, in domum suam nihil intulit. An quia magnanimitatis erat, quàm artificiorum studiosior, vt ait Strabo, ideoque illa petentibus facilè largiebatur. An quia rudi erat ingenio? Audi enim Velleium. *Mummius*, inquit, *tam rudis fuit, vt capta Corintho cum maximorum artificum perfectas manibus tabulas, ac statuas in Italiam portandas locaret, iuberet prædici conducentibus, si eas perdidissent, nouas eas reddituros.*

Spolia Corinthi, & Mummij abstinentia.

& in Pun

ANNVS MVNDI 3910.

IONATHÆ 17. PTOL. EVERG. 2.

DEMETRII NIC. 2. Imp. Gr. 168.

OLYMP. CLIX. A. 1. VR. C. 609.

ANTE CHRISTVM 143.

1. Res anni huius.

FRemebat iam inde ab anno præterito Syria militum imprudenter à Demetrio dimissorum tumultibus, fremebant Antiochenses seditione contra Demetrium, sed isti opera Ionathæ compressi sunt, ab illis Tryphone duce regno pulsus est Demetrius, in eiusque locum in-

trulus Antiochus puer: cui Ionathas adhæsit, pugnauitq; feliciter, quæ anno primo Olymp. 159. contigerunt. Sed hæc paulò latius explicanda sunt. Ionathas qui regis Demetrij voluntate, arcis Hierosolymitanæ obsidionem soluerat, expectabat vt præsidiorum insolentiam Rex pro sua autoritate comprimeret. Quod cum ille non faceret, Ionathas ad eum super eodē negotio legatos misit. Cum autem interea Antiocheni grauissima seditione mota regem Demetrium vellent interficere. Respondit legatis se non solum postulata facturum, sed glorioſum illum cum gente sua effecturum, cum opportunum foret; nunc enim populatibus se motibus impediri, absente exercitu suo; ideòque & auxilium ab eo militare postulare. Cui Ionathas quamprimum obsecutus, tria millia virorum fortium misit Antiochiam.

Ionathas petit leuari præsidio arcis. *li. 1. c 11. 41.*

II. Mittit auxilia Demetrio contra Antiochenos.

Eos excepit Demetrius in supremæ necessitatis articulo; iam enim ad centum & viginti millia ciuium conuenerant, qui regem cupiebant interficere. Rex fuga se recepit in arcem: illi per omnes vicos dispersi sunt, qui ducebant in arcem, ne qua via regi ferretur auxilium, vt is se coniuratis dedere cogeretur. Sed superuenerunt Iudæi, qui dispersos sigillatim aggressi, maxima strage conciderunt, ad centum hominum millia; *succenderunt quoque ciuitatem, & ceperunt spolia multa.* Id facile est intelligere de maxima, atque opulentissima, & tot annis in tacta bello ciuitate, in quam omnia Syriæ bona confluebant: & ex eo in primis quod eam rex ipse iusta hac animaduersione castigari cupiebat, vt ne si vellent quidem deinceps possent animos tollere, tot cædibus ac direptionibus attriti. Qui autem superauerant veniam prolatis armis suis obtinuerunt. Iudæi vero gloria spoliisque insignes, regressi sunt in Ierusalem. Sed vide hominis imprudentiam atq; ingratitudinem, qui cinctus adhuc infestis hostibus, fidem fallat, abalienato à se Ionatha, à quo vitam regnumque receperat.

Qui eum alienat à se.

III. Et fidem ingrate atque imprudēter frangit. *l. 1. Mach 11. 51.*

Postquam enim atroci illa seditione sopita, *siluit terra in conspectu eius*, compressis aliquantisper reliquis hostibus, audita tanta Antiochenorum cæde, tantaque vrbis regiæ vastitate atq; incendio, quasi nihil superesset hostium, nihilque vltra Iudæis opus haberet, *Rex mentitus est omnia quæcunque dixit*, de educendis præsidiariis ex arce & castellis, *& abalienauit se à Ionatha, & vexauit eum valde*, opera vtique Antiochenorum, qui suam in regem iram in Iudæos, per quos rex ipsos castigauerat, transferebant. Quin etiam bellum minatus est, vt ait Iosephus, nisi redderet tributa omnia, quæ Iudæorum gens solebat prioribus regibus pendere. Feciſſetque etiam, ni impeditus fuisset à Tryphone, coactus apparatum contra Ionathan factum, in illum penitus vertere. Reuersus enim ex Arabia in Syriam cum Antiocho adolescentulo, diadema capiti eius imposuit, *& congregati sunt ad eum omnes exercitus, quos dispersérat Demetrius, & pugnauerunt contra eum.* Qui victus fugit in Ciliciam.

l. 13. c 9. Tryphon coronat Antiochū & Demetriū victum fugat.

IV. Occupat Antiochiam.

At Tryphon victoria potitus, Demetrij elephantos accepit, & vrbem Antiochenam. Facile enim fuit viduatam ciuibus ciuitatem, & incendio deformatam occupare. Qua occupata vt maiore cum authoritate regnum administraret, Tutorem se pupilli à populo constitui voluit. Deinde eius nomine scripsit ad Ionathan, quem sciebat Demetrio propter recentem iniuriam infensum: confirmans eius sacerdotium & principatum, aliisque eum muneribus afficiens, tanquam regis amicum. Simonem quoque fratrem eius constituit ducem à terminis Tyri, vsque ad fines Ægypti, totius videlicet Palæstinæ, vt eam sibi Iudæorum armis subiectam redderet. Addit Iosephus, ex congrua probabilitate, Ionathan etiam ipsum legatos suos ad Antiochum & Tryphonem misisse, amicum se & socium professum, contra communem hostem Demetrium, à quo pro beneficio, iniuria sibi reposita fuisset. Et conueniebat amorem & fidem in Alexandrum defunctum, in filium eius à Ionatha transfundi, atque transferri.

Ionathan demetertur.

Cum ergo Ionathas ciuitates transIordanem lustraret, & se Antiocho iuniori, & Tryphoni militare ostendisset, *congregatus est ad eum omnis exercitus Syriæ*, qui à Demetrio alienatus erat, & cū iis venit Ascalonem; neque enim eos aspernatus est, aut sibi suis contribulibus vti voluit, ne eos à se, sicut ante Demetrius, redderet alienos. Ascalonitæ eum honorifice acceperunt. At Gazæi portas ipsi occluserunt, Ionathas autem suburbia villasque depredatus, incendit. Ea clade accepta Gazæ pacem postularunt, datisque obsidibus impetrarunt. Cumque misisset obsides Hierosolymam, & perambularet latè regionem vsque Damascum, audiuit quosdam *principes Demetrij*, qui scilicet partes Demetrij secuti fuerant, aut sequebantur adhuc, fierant ex peregrino exercitu, qui non fuerat exauctoratus: paratum habere exercitum in Cades Galilææ, *volentes eum remouere à negotio regni, occurrit illis.* Dum autem contra eos progreditur, fratrem Simonem reliquit in Iudæa, vbi oppugnatam Bethsuram, ad deditionem compulit, & ejecto inde alieno præsidio, suum collocauit, sicque locus ille munitissimus, post multos denique annos, rediit in Iudæorum potestatem.

V. Paṫque eo militat, & Palæstinam acquirit.

Gesta Simonis in Iudæa, vbi recipit Bethsurā. *Vide Ann. n. 14.*

Hæc dum in Iudæa fiunt, multis enim diebus durauit obsidio loci, totius Iudææ munitissimi. Ionathas ad aquas Geneſar castra posuit, & in campum Asor nobiliſſimę quondam ciuitatis, ante lucem peruenit, vbi hostilem exercitum inuenit, qui insidias in monte tetenderat: quæ cum se in conspectu dedissent, veriti Iudæi, ne in medio intercepti contrucidarentur, in fugam se dederunt, ita vt pene omnes Ionathan in periculo delererent, exceptis duobus ducibus, cum quinquaginta virorum fortium manu. Tum *Ionathas*, super suorum timiditate *scidit vestimenta sua*, & ad exorandum humilitate diuinum auxilium, *posuit terram in capite suo, & orauit*, & ab oratione vires accepit, non à desperatione audaciam, vt ait Iosephus: & reuersus est cum paucis illis ad præ lium, & conuertit eos in fugam. Qua fuga à Iudæis, qui Ionathan deseruerant, animaduersa, reuersi sunt ad eum, & cum eo hostem fugientem ad sua vsque castra ceciderunt, & tribus eorum millibus interfectis, reuersi sunt Hierosolymam.

VI. Pugna Ionathæ in agro Asor.

Periculū, fuga, victoria. *Ioseph. l. 13. c. 8.*

Sequitur in Romana historia res à Fabio Æmyliano proconsule in Hispania gesta. Neu-

VII.

trum enim Contulum eo mitti placuit, alterum propter inopiam, alterum propter auaritiam. Nec sine causa Galba reiiciebatur, qui Prætor in Hispania auaritia sua & crudelitate parauerat incendium, quod mox Viriathus accendit, in multorum Romanorum perniciem, qua de causa à Catone maiore fuerat accusatus. De re autem à Fabio gesta, hæc breuiter Appianus. *Exacta hyeme exercitato iam & confirmato exercitu, Viriathum fortiter pugnantem secundus ipse in fugam vertit.* Et quis primus fuit? An Vetilius, qui primus quæ à Lucullo, & Galba deprauata fuerãt, corrigere cœperat, & eos qui à Romanis defecerant, ad pacem petendam compulerat? qui tamen mox ab eo occisus est. An potius C. Lælius? qui Cicerone teste *Viriathum ipsum fugientem ad locum vsque, cui nomen erat Bacor insecutus, multos peremit, deinde Corduba hyemauit.*

Romana ces in Hispania.

in Celtib.

Gemina Viriathi fuga.

ANNVS MVNDI 3911.

IONATHÆ Ducis & Pontificis 18.

PTOLEM. EVERGETIS 3.

DEMETR. NICANOR. 3. Imp Gr. 169.

OLYMP. CLIX. A. 2. VRB. CO. 610.

ANTE CHRISTVM 142.

I. Demetrius regnat etiã Syria pulsus.

QVamuis pulsum è Syria Tryphonis coniuratione Demetrium, regem tamen numerare pergimus, non solum quia regno in superioribus Asiæ prouinciis potiebatur, sed etiã quia Tryphon & Antiochus eius pupillus tyranni erant, non legitimi principes. Inuaserant enim regnum Demetrij Nicanoris, filij Demetrij Soteris, qui ex Seleuco primogenito Antiochi Magni ortus fuerat. Interea Ionathas videns res sibi prospere cedere, pulso Demetrio, Demetrianis victis, Antiocho & Tryphone benevolis, recordatus fœderis à fratre tuo iampridem cum Romanis initi, illud renouare studuit, vt vndiq; subnixa Iudæorum Respub. firmius consisteret. Elegit in eam rem legatos duos Numenium Antiochi filium, & Antipatrum Iasonis, qui etiam à Ionatha mandatum acceperunt, vt in reditu Lacedæmonios obiret inuiseret, eosque cognationis ac pristini fœderis admoneret, data in eam rem epistola, quæ mox subditur, prius enim summa Romanę legationis ponitur.

Legatio Ionathæ Romam.

II. Et ad partiaos, cum teris nutuis. Mac. 11.

Et abierunt Romam, & intrauerunt Curiam, & dixerunt. Ionathas summus sacerdos, & gens Iudæorum miserunt nos, vt renouaremus amicitiam & societatem secundum pristinum: prout scilicet inita ac stabilita fuerat ante annos 18. eo ipso anno, quo mortuus est Iudas, regni Græcorum 152. Et impetratis, ait Iosephus, quæ volebant omnibus, acceptisque literis commendatitiis ad præsides locorum, per quæ transituri erant, quò tutius possent iter facere; in reditu peruenerunt etiam ad Lacedæmonios, & obtulerunt eis Ionathæ literas, quibus renouatur memoria fœderis iampridem, id est, ante annos 9 circiter initi, & literarum inter Oniam II. & Arium regem, anno regni Græcorum 79, vt ibi accuratè probatum est. In signum autem perseuerantis amicitiæ, declarant se pro eis preces, & sacrificia offerre Deo. Ad eorum etiam consolationem pertinet, commemoratio malorum & cladium, quibus Iudæi diu multumque fuerant exerciti: nunc autem respitare cœperant vt Spartani quoque finem aliquem suarum ærumnarum sperent. Epistolæ porro Ionathæ subditur antiqua epistola. Arij regis ad Oniam, de qua superius suo loco actum est. Rescriptum autem Spartiatarum, ad præsentes Ionathæ literas, inferius alia occasione, defuncto iam Ionatha recitatur.

c.14.20.

III. Demetriani rursum insurgunt in Ionatham.

Interea vero Ionathæ quieto esse non licuit. Qui enim partes Demetrij sequebantur, & nuper à Ionatha victi fuerant, maiore cũ exercitu cõtra eum venerũt, eò quod Tryphoni & eius pupillo, Antiocho adhæreret. Quibus occurrit Ionathas in extremis finibus Chananitidis, ad vrbem Amatham, quæ & Epiphania dicta est. Misit autem Ionathas speculatores in castra eorum, qui renunciarunt, quod ibi audierant, illos nocte superuenturos contra Iudæos. At Ionathæ iussu tota nocte in armis steterunt, parati ad pugnam. Quod cum audissent aduersarij, timore perculsi per castra sua crebris ignibus excitatis, Iudæis opinionem dare voluerunt, totis se castris obseruare vigilias, & ad pugnam expeditos esse, cum tamen se illi clam proriperent, & hosti potestatem prompte insequendi, & fugientium humeris inhærẽdi adimerent. Eam fraudem Ionathas ad matutinum vsque tempus non agnouit: itaque frustra est eos insecutus, quippe qui iam flumen Eleutherum transiuerant. Ne porro laboriosa expeditio sine fructu abiret, Ionathas diuertit ad Arabas Zabadæos, viros ex rapto viuẽtes, & percussit eos, & acceptis spoliis venit Damascum, & perambulabat omnem regionem illam, inquirens ac persequens Demetrianos.

Et territi clam fugiunt.

IV. Simon conseruat Ioppem. vlt. & 76

Nec quieuit interea Simon, sed expeditione suscepta Ascalonem versus, & proxima præsidia, occupauit Ioppem. Erat illa quidem in potestate Ionathæ, vt ex cap. 10. intelligitur, sed præuenit defectionẽ eius. Audiuit enim quod ciues tradere vellent præsidium Iudæorum partibus Demetrij, & posuit ibi custodes, vt custodirent eam. Postquam autem huic periculo prouisum est, Ionathas reuersus ab expeditione sua, conuocauit seniores populi, & cogitauit cum eis ædificare præsidia in Iudæa & ædificare, instaurare videlicet, muros Ierusalem; & in primis excelso muro secludere arcem à ciuitate, vt omni commeatu impedito, fame domiti præsidiarij succumberent, sicut & factum est. Causa vero institutæ reparationis fuit, quod pars muri orientalis, quæ respiciebat torrentem Cedron, corruerat.

Ionathas Hierosolymis ædificat. c.13.v.49 c.12.37.

Inter hæc Iudæi scribunt in Ægyptum, ad eos, qui illic habitabant, Iudæos: & habetur inserta ea epistola in compendium redacta, in alia, quæ multo post ad eosdem scripta est. Vtraque habetur c. 1. secundi Machabæorum. Hæc autem de qua agimus habetur v. 8. in hæc verba. *Regnante Demetrio anno 169.* is præsens annus est, vbi vides Demetrium agnosci regem non autem Antiochum; quem Tryphon intruserat, *nos Iudæi scripsimus vobis, in tribulatione*

V. Iudæorũ literæ in Ægyptũ.

&

& impetu, id est summo rerum discrimine, in quo versati fuerant, à defectione Iasonis & sociorum eius, quæ defectio ante duos & 50 annos contigerat, initio regni Epiphanis, quando impij *portam* templi scilicet, aut vt bis *succenderunt, & effuderunt sanguinem innocentem: & orauimus ad Dominum, & exauditi sumus*, Domino suscitante Mathatiam, & filios eus; *& obtulimus sacrificium, & similaginem, & accendimus lucernas, & proposuimus panes.* Hæc facta sunt in emundatione templi Iuda Machabæo pontifice, anno 148. quando statutum est vt quotannis hæc templi dedicatio, per dies octo celebraretur in mense Casleu, ad quam celebritatem frequentandam hac epistola inuitantur Ægyptij.

a. reg. Græc. 137.

l. 1. c. 4. v. 52.

VI. Viriathi res gestæ cũ Quintio.

In Celtiberia hoc anno Viriathus collatis signis cum Quintio Prætore dimicauit, & victus montem Veneris repetiit; vnde iterum in hostẽ conuersus, ex Quintianis militibus mille ferro sustulit, signis aliquot captis, atque hostibus in castra propulsis. Quin etiam præsidium, quod Itucæ erat, vi deiecit, & Basitanorum regionem depopulatus est, Quintio interea Itucæ incluso, & C. Marcium per eruptiones emittente. Hoc anno natus videtur Romæ M. Antonius Orator, apud M. Tullium celeberrimus. Nam eum triennio L. Crasso maiorem: qui natus est Lælio & Cæpione Consulibus, idem Tullius in Bruto testatur.

Ortus M. Antonii Oratoris.

Porro Appius Claudius Consul hoc anno aduersus Salassos in Insubribus bellum gessit, pari fere vtrimque clade. Itaque cum triumphum Romæ non impetraret, priuatis sumptibus triumphare instituit. Quem cum Tribunus plebis non dubitaret violenta manu è curru detrahere, filia eius Quintia, Virgo vestalis, aut vt alij malunt soror, Tribunum repulit. Ex quo illud licet animaduertere, quanto in honore essent virgines Vestales, vt eius filiam Tribunus plebis repellere non fuerit ausus, quem Consulem & triumphantem de curru deturbare aggressis fuerat.

In Salassos Claudius pugnat.

Vestaliũ autoritas

ANNVS MVNDI 3912.

IONAT. 19. & vlt. PTOL. EVERG. 4.

SIMONIS Ducis & Pontificis 1.

DEMETRII NIC. 4. Imp. Græc. 170.

OLYMP. CLIX. A. 3. VR. C. 611.

ANTE CHRISTVM 141.

ANnus præsens Iudæorum luctum redintegrauit, amissione Ionathæ principis sui, atque pontificis, quem nimia credulitas sua, & Tryphonis fraus sacrilega perdidit. Eum luctum cumulauit irrita patris redemptio, & indignissima trucidatio filiorum. Cum enim statuisset Tryphon occupare pupilli sui Antiochi regnum, & timeret ne Ionathas, pro defensione regij adolescentis, arma sumeret; quod illum sciret virum, non solum fortem ac potentem; sed qui pietatem ac fidem ambitioni, rebusque omnibus anteferret, hoc se impedimẽto liberare volens, *quærebat comprehendere eum, & occidere.* Ergo cum copiis venit in Bethsam, ciuitatem in tribu Manassis, citra Iordanem, quæ & Scythopolis dicta est. Cum autem suspecta esset Ionathæ Tryphonis expeditio, ne tutus à Demetrio Iudæam occupare vellet, exiuit illi obuiam, cum 40 millibus virorum electorum: terruitque Tryphonem, qui nec ausus est immittere in illum manus: sed dissimulata perfidia, excepit illum cum honore, & commẽdauit eum omnibus amicis suis, & dedit ei munera, & præcepit exercitibus suis, vt obedirent ei, sicut sibi.

I. à Tryphonis consiliis in Antiochum & Ionathan.

II. Quem deceptũ comprehendit, cædítque mille Iudæos.

Hoc ille honoris fumo excæcare voluit Ionathæ oculos, ne videret anguem sub herba latentem. Denique persuasit vt exercitum dimitteret, paucis retentis, cum quibus in possessionem Ptolemaidis mitteretur. Quod ille hoc facilius credidit, quod erant consentanea illi promissioni. *Constituo te super quatuor ciuitates, vt sis de amicis regis*, &c. & quod Ionathas nullius sibi in regem aut Tryphonem delicti esset conscius, & se illis in nullis vtilem videret. Itaque ei credidit, & dimissis reliquis copiis tam in Iudæam, quàm in Galilæam, mille tantum viros sibi retinuit, cum quibus profectus est Ptolemaidem, nimirum cum Tryphone, cuius imperio clausis portis ciuitatis, comprehensus est Ionathas, & omnes, qui cum eo intrauerant, interfecti sunt. Neque mille virorum strage contentus Tryphon, misit exercitum & equites in Galilæam, qui illa duo millia paulò ante dimissa perderent. Verum cum accepta clades illis innotuisset, parauerunt se in prælium. At Tryphonis milites, rati sibi cum desperatis, & in vltionem proditionis, ac mortis principis sui furentibus rem fore, reuersi sunt ad suos.

III. Simon loco Ionathæ eligitur.

Iudæi quoque reuersi sunt domum, & vniuersi Israëlitæ magno luctu prosecuti sunt acceptam cladem, & timuerunt, tanquam oues pastore destitutæ: quo vicissim prostrato, lupi exultare cœperunt, & gregis vniuersi interitum moliri. Congregauit enim Tryphon exercitum copiosum, vt veniret in terram Iuda, & atteret eam. Qua re cognita, Simon ascendit Ierusalem, populóque conuocato ostendit, quàm bene merita esset Mathathiæ familia de tota Repub. pro qua fratres vniuersi, se videlicet excepto, periissent. Nam Iudas in prælio cecidit, l. 1. c. 9. 36. Eleazar ab elephanto oppressus est, Ioannes à Iambritis interceptus occubuit. Ionathas in manibus erat perfidi Tryphonis, cæsum in singulas horas expectans, nihilominus operã suam obtulit populo ad defensionem eius. Quæ cum ille audisset, accensus est spiritus eius aduersus eum, electusque est magno consensu in principem, loco Iudæ & Ionathæ. Ergo Simon statim publicæ rei prouidere cœpit, militem colligere, absoluere murorum instaurationem, Ioppem periclitantem nouo firmare præsidio, cæteróq; boni ducis munere fungi.

IV. Altera fraus Tryphonis.

Interim Tryphon venit in Iudæam cum exercitu, & Ionatha, quem habebat in vinculis, proditoria fraude magis, quam bellatoribus armatus. Videns enim Iudæos ad prælium paratos, fingit Ionatham à se detentum, propter debitum centum talentorum argenti; quæ si mittantur: & simul duo filij eius obsides, ne

Simonis prudentia.

demissis vincula sua velit vicissi, spondet eum dimissum iri liberum. Fraudem agnouit Simon, viditque pecuniam & liberos incrementum fore iacturæ. Videbat è contrario se accusatum iri auaritiæ, quod vitæ fratris pecuniam prætulisset, & fortasse ambitionis, quod vt rerum ipse potiretur, fratrem vinculis eximi noluisset. Sicque populi odium incurreret, eumque tam necessario tempore forti ac fideli duce priuaret, minus malum maiori sapienter prætulit, & pecuniam, puerosque misit, & vtraque perdidit.

Et Tryphonis perfidia.

Mentitus est enim Tryphon, & non dimisit Ionatham. Necdum tamen interfecit, cogitans si quam aliam fraudem parare posset. Sed eum peragrantem regionem cum exercitu, Simon consectabatur armatus.

V. Cædes Ionathæ & filiorũ eius. *Vide Ann. n. 2. & seqq.*

Venit autem in Galaaditidem, & cum appropinquasset Bascaman oppidum, occidit illic Ionathan, & filios eius, genus mortis, quia expressum non est, nihil videtur habuisse singulare. Barbarus autem Simoni fratri petenti corpus ad sepulturam, vtique & filiorum Ionathæ, non negauit, quæ magnifico sepulchro condidit. At Tryphon sublato impedimento, quo vno sibi obstrui aditum ad regnum Asiæ arbitrabatur, non distulit, cæso rege adolescentulo, illud inuadere. Itaque subdit author. *Tryphon autem cum iter faceret cum Antiocho rege adolescente, dolo occidit eum, & regnauit loco eius, & imposuit sibi diadema Asiæ.* Eum dolum refert Liuius Epitome 55. *Alexandri filius*, inquit, *Rex Syriæ decem annos admodum habens, à Diodoro, qui Triphon cognominabatur, tutore suo, per fraudem occisus est, corruptis quidem medicis, qui eum calculi dolore consumi ad populum mentiti, dum secant illum, occiderunt.* Atque ita misere ille Deus, sic enim illum Iosephus cognominat, mortuus est cum cruciatu.

l. cit. c. 13. 31. Et regis Antiochi

VI. Tryphonis tyrannis. *l. 13. c. 12.*

Quam primum autem Tryphon declaratus est rex, vt ait Iosephus, non amplius dissimulare prauum ingenium valuit, sed personam deposita, Tryphonem agere cœpit, hominem scilicet vafrum, ambitiosum, crudelem, perfidum, denique tyrannum. Simon autem prouinciam suam vndique communit, & ad Demetrium, quamuis Syria profugum, transit, tyranno proditore repudiato. Missisque legatis cum muneribus, amicitiam petit, & vacationem ab oneribus & tributis, propter Tryphonis rapinas & direptiones, quæ facile impetrauit. Gaudebat enim Demetrius, qui totâ Syria erat exclusus, & reditum in eam multo pretio libenter redemisset, illum per Iudæos sibi consentientes obtinere. Itaque Demetrius honorificè scripsit ad Simonem, pacem concessit, & ipsum, gentemque totam magnis prærogatiuis ornauit. Quæ vt liberaliter promisit, ita & cum fide præstitit, & sic ablatum est iugum gentium ab Israëlitis, anno 170. facti deinceps regum Syriæ non subditi, sed amici, & plane sui iuris, quandoquidem & ab omni pensitatione tributi liberati sunt, & præsidia, quæ ab ipsis vnis dependerent, habere permissi. Ea res tanta lætitia populum perfudit vniuersum, huius vt temporis notam in omnes deinceps annos transfundi voluerit, in contractibus, publicisque gestis. Sed adeamus Hispaniam atque Viriathum.

Simon adhæret Demetrio.

Iudæi fiunt plane liberi

1. Mach. 3. 41. 42. Epocha principatus Simonis.

VII. Seruilianus in prouinciam profectus est cum sedecim peditum millibus, & equitibus mille sexcentis. A Micipsa quoque rege Numidarum decem elephantos, cum trecentis equitibus accepit. Eis Viriathus cum sex militum millibus occurrit, quos Romanus, quantouis impetu ac terroris apparatu irruentes, fortiter sustinuit, atque irritum repulit, deinde auctis copiis vltro Viriathum aggressus, cum fudit fugauitque. Sed dum turbatis ordinibus insequitur fugientem, reuersus Viriathus tria millia interfecit; reliquos in castra compulit, quæ noctis beneficio magis, quam militum virtute defensa sunt. Nec destitit deinceps noctu diuque Seruilianum fatigare, donec eum Itucam motis castris migrare compulit. Ipse in Lusitaniam concessit. Seruilianus abeuntem non assecutus in Bœturiam translato bello quinque oppida, quæ Viriathi rebus studuerant, diripuit, & in Cuneos Romanorum subditos hyematum abiit.

Res gestæ a Seruiliano cõtra Viriathum.

VIII. Metelli gesta in Celtiberia. *n. 38 & 39.*

Metellus autem Macedonicus, qui superiore anno in Celtiberiam Consul venerat, hoc quoque anno res bellicas Proconsul administrauit, & egregia disciplinæ militaris & humanitatis exempla edidit, quæ in Annalibus retulimus. Sed omnem eam laudem odij in Q. Põpeium Consulem successorem suum magnitudine fœdauit. Audi enim Valerium Max. *Q. Metellus cum prouinciam Hispaniam Consul prius, deinde proconsul pene totam subegisset, postquam cognouit. Q. Pompeium Consulem inimicum suum successorem sibi mitti, omnes, qui modo militiam suam voluerunt finiri dimisit.* Et mox, *horrea custodibus remotis, opportuna rapinæ prabuit; arcus sagitasque Cretensium frangi, atque in amnem abiici iussit: Elephantis cibaria dari vetuit. Quibus factis vt cupiditati suæ indulsit, ita rerum magnificè gestarum gloriam corrupit, meritumque honorem triumphi, hostium quam ira fortior victor amisit.* Sic ille. Et tamen Paterculus vocat acres & innocentes eius pro Republica cum inimicis contentiones. Quę nocentes sunt, si hæ innocentes?

l. 9. c. 3. Pernicio sum eius odiũ in Q. Põpeium.

l. 1.

Exortus est hoc anno in Macedonia quidam Pseudophilippus, Eutropio teste, qui se Persei filium esse dicebat, qui collectis seruis rebellauit: & cum septendecim armatorum millia haberet, à Tremellio Quæstore superatus est.

Pseudophilippus

ANNVS MVNDI 3913.

SIMONIS 2. PTO. EVERGETIS 5.

DEMETRII NICANOR. 5. Imp. Gr. 171.

OLYMP. CLIX. A. 4. VR B. CO. 612.

ANTE CHRISTVM 140.

I. Ortus Antiochi Gryphi. *1. Mach. 13. 43.* Simon Gazam domat & purgat

NAscitur hoc anno Antiochus Gryphus Demetrij filius: vt Iosepho teste mortuus fuerit ætatis anno 45. qui fuit 215 regni Græcorum. Simon autem dux & Pontifex Hebræorum, pace cum Demetrio, plenaque libertate constituta, Gazæos, qui mortuo Ionatha rebellauerant, obsedit, & adhibitis ad vrbem machinis ad deditionem compulit: nec delere voluit, sed eam ab omnibus idolorum sordibus

emundauit.

emundauit,& eiectis de ciuitate seditiosis ciuibus,virisq; Dei cultoribus ibi constitutis, *in ea sibi habitationem fecit*, in quam scilicet subinde se conferret. Nam pontificia sedes erat Hierosolymis,vbi etiam sibi ædes iuxta templum & arcem ædificauit. Sed Gaza vrbs erat egregia in primis,& ad belli vsus opportunissima, & frequentem principis præsentiam,propter inconstantiam populi,requirebat.

II. Arcē Sionis recuperat. v.49.

Arcem quoq; Sionis tam diu frustra expetitam atque tentatam hoc anno subiugauit. Cum enim post trieñij obsidionem,qua egredi prohibebantur,& sibi de cibo consulere, multi fame perirent, *clamauerunt ad Simonem vt dextras acciperent*, incruenta videlicet deditione facta;& acquieuit petitioni eorum,& eiecit eos inde,& mundauit arcem à contaminationibus. Et intrauerunt in eam tertia & vigesima die secundi mensis Iiar anno 171.cum laude & gratiarum actione,ob iugum hoc ingens deiectum de ceruicibus suis,quas die ac nocte, ipsos 27. annos pressérat. *Et constituit vt omnibus annis agerentur hi dies cum lætitia. Et munuit montem templi, qui erat secus arcem,& habitauit ibi ipse, & qui cum eo erant.* Filium quoque suum Ioannem nomine,bellicis negotijs præposuit,& habitauit Gazæ,vbi pater eius nuperrime sibi habitationem constituerat. sed hæc multum à Iosepho deprauata,& ex ipsa Scriptura emendata in Annalibus, lector veritatis amicus inveniet.

ab an. Græc.141. l.1.c.1.v. 35.36.

Filiū suū cōstituit militiæ principē *n.6. ad 11.*

III. Seruiliani in Celtiberia gesta.

In Celtiberia cum Seruilianus apud Cuneos hyemasset, rursus in Lusitaniam contra Viriathum contendit.In itinere duo prædonū principes Curius & Apuleius, cum decem hominū millibus obuiam facti Romanos turbauere; consertoq; mox prælio,in quo Curius cecidit, prædam eripuerunt:quam omnem non multo post Seruilianus recepit;Alia quoque oppida vi cepit,Viriathi firmata præsidijs, quorum nonnulla diripuit,alijs veniam dedit.Et decem millibus captiuorum quos habuit, quingentos securi percuti iussit,reliquos vendidit. Post hæc in hyberna, inde Romam rediit, altero sui imperij anno.Hæc Appianus. Addit Valerius, omniū qui ex præsidijs Romanis ad hostes transfugerant, manus abscidisse, vt trunca præ se brachia gestantes, defectionis metum reliquis injcerent. Id tamen supplicium alij alijs tribuunt.

Truncat manibus trāsfugàs

l.2.c.7.

IV. Pacem init cum Viriatho

Hoc ipso anno factam cum Viriatho à Seruiliano pacem refert Appianus. Dum inquit Seruilianus Viriathum persequens Erisanem eius vrbem vallo fossaq; circundat,Viriathus vrbem noctu ingressus, facta sub lucem eruptione,non solum eos, qui vallum ducebant in fugam ligonibus abiectis conijcit, verum etiam reliquas copias à Seruiliano instructas,vrgendo instandoq;,in loca prærupta atque iniqua, vnde euadere non licebat, deduxit. Ibi Viriathus non insolenter sua fortuna vsus,honestis conditionibus bellum extingui,& magnam à Romanis gratiā initi posse ratus,fœdus pepigit,quod postea populus Romanus ratum esse voluit:ipsumq; Viriathum amicum nominauit,& eius socios, quos agros possidebant, habere iussit. Sic bellum Romanis grauissimum, cum bona gratia videbatur extinctum, nisi Seruiliani frater Cœpio,qui ei successit,pacem male fregisset.

Romæ probatā.

ANNVS MVNDI 3914.

SIMONIS 3. PTOL. EVERGET. 6.

DEMETRII 6. Imp. Græc. 172.

OLYMP.CLX.A.1. VRB. CO. 613.

ANTE CHRISTVM 139.

I. Demetri⁹ male pugnat cum Parthis, & capitur *l.1. Mach. 14.11.*

ANnus regni Græcorum 172. Demetrio luctuoso,Iudæis iucūdissimus fuit.Ille enim dum cogitat Iudæorum ope Tryphonem tyrānum Syria extutbare,&temerè Arsacemaggreditur,ab eo captus,& in vincula coniectus, in multos annos regno caruit. Belli à Demetrio contra Arsacem suscepti causam Iosephus atq; Iustinus hanc referunt, quòd cum Demetrius Syria pulsus, in superioribus Asiæ Prouincijs incertis sedibus versaretur,per crebras legationes euocatus fuerit à Græcis & Macedonibus, qui ab Arsace Parthorum rege opprimebantur, pollicentibus deditionem si veniret, & auxilia contra Parthos. Ea spe accensus properauit ad illos;modicis cum copijs,sperans auxilia eorum à quibus euocabatur,&cogitans, si res aduersus Parthos prospere cessissent, facile deinde se Tryphonem Syria expulsurum. Magna alacritate exceptus est Demetrius ab illius regionis hominibus,& contracto valido exercitu in fines regni Parthorum inuasit. Cum Arsaces misit vnum de principibus suis, qui prælio victum, & in castra compulsum Demetrium castris expugnatis eum comprehendit,& deduxit ad Arsacem, qui eum traduxit per ora ciuitatum in ludibrium populis, qui desciuerant, vt ait Iustinus.

l.13.c.9.fi. l.26.init.

l.36.init.

II In pace Indæorū gesta Simonis terra marique.

Dum autem Demetrius in superiore Asia teneretur captiuus,& Tryphō cum fratre &vxore Demetrij digladiaretur, vt postea ex Iosepho referemus,Iudæi Simone duce atq; pontifice, iucundissima pace fruebantur.NamSimon studiosus erat commodorum Reip. & vicissim in summa erat apud suos gratia,quos mari terraq; potētes reddidit. Celeberrimo enim portu Ioppes potitus est,ex quo in mare & insulas excurrere licuit,siue ad petenda auxilia, siue ad negotiationes,commerciaq; celebranda. Dilatauit quoq; fines gentis suæ, occupatis plerisq; Palæstinæ locis,vt Gaza,Azoto, Ioppe, Ascalone. Plurimos quoq; Iudæorum, qui varijs locis captiui tenebantur,vel gratia, vel precio recepit. Sed & ipsam Hierosolymam, recepta Sionis arce,& Bethsura,intus & foris à seruitutis iugo liberauit.Nec minus egit pontificem Simon, exquirenda lege diuina,& in eius obseruationem incumbendo, improbis aut conuertendis aut auferendis,sanctis locis honorandis, vasisque sanctis multiplicandis, quæ pridem ab Antiocho Epiphane,&sacrilegis Pseudopontificibus sublata fuerant.Deniq;res in morte Ionathæ & filiorum eius & mille insuper primariorum ciuium, pene desperatæ, in statum non solum quietum, sed etiam florentissimum Dei benignitate conuersæ erant.

Et pro Dei cultu.

III. Res gesta cūRomanis, & Spartanis

Res quoq; Iudaicæ foris commodissimo loco fuerunt. Nam legati Ionathæ Romā peruenerant,&societatem eius nomine cū Romanis

renouarant. Ipsis autem inde digressis, & Lacedæmonem venientibus, auditum est Romæ & Lacedæmone de morte Ionathæ, & vtrique valde doluerunt super indignissima cæde principis optimi. At quia non oportebat legatos è medio cursu Romanum iter remetiri, non adito prius nouo pontifice, & nouis ab eo mandatis acceptis, Hierosolymam adeunt, renouata interim cum Spartiatis nomine Simonis amicitia. Et hæc fuit causa cur solæ Spartiatarum literæ ad Simonem nouum pontificem directæ fuerint: & cur statim legati Romam à Simone remissi fuerint cum muneribus, à qua legatione, non nisi anno 147. reuersi sunt, vt capite 15. scriptum est. Responsio vero Spartiatarum ad hunc ipsum annum pertinet, quæ habet acceptos ab eis glorioſe legatos, renouatamq; amicitiam, ipsumq; fœdus tabulis æneis ad gloriam & diuturnitatem exaratum, & ad Simonem missum.

l. 1. c. 15. v. 15. c. 14 20.

IV. Ordo rei gestæ.

Quæ vt à Numenio legato Simon accepit, eundem in Vrbem remisit, cum clypeo aureo magno mille minarum, ad statuendam cum eis amicitiam, aut renouandam societatem, iam cũ Iuda & Ionatha initam. Interim autem dum ille obit legationem, populus Iudæorum, auditis quæ ab Spartiatis scripta, & Romæ gesta fuerant, prout Antipater & Numenius retulerant, commotus grati animi affectu. *Quam*, inquiũt, *grattarum actionem reddemus Simoni & filiis eius?* Ratio petitur à beneficijs acceptis, quæ sic habetur in Græcis. Firmauit enim ipse, & fratres eius, & domus patris eius, nimirum Israëlem, & debellarunt inimicos Israëlitarum, & præstiterunt populo libertatem. Itaq; statuerunt describere in tabulis æreis bonam partem egregiorũ operum quæ Machabæi, præcipue autem Ionathas & Simon pro Rep. Iudaica perpetrarant, eaq; ad perpetuam rei memoriam publice legẽda proponere. Erat autem huiusmodi narratio. *Octaua decima die mensis Elul*, qui est sextus, & respondet ex parte Augusto, *anno* 172. regni Græcorum, *anno* 3. *sub Simone Sacerdote magno*, nimirum pontificatus eius & principatus, quod est reuocare in praxim, quod supra decretum fuerat & iteratur infra v. 43. de numerandis annis Simonis in publicis actis, quale fuit hoc decretum, quod in conuentu magno principum populi celebratum est. Sequitur deinceps narratio ipsa rerum fusè perspicueq; descripta, & suis iam locis explicata.

Gratus Iudæorũ animus in Simonem.

à v. 18. ad 27.

V. Cæpio pacẽ diremit cum Viriatho.

In vtraq; Hispania gemina pax hoc anno, altera facta, altera fracta est à Romanis, Cæpione Consule, & Proconsule Pompeio, quorum ille pacem cum Viriatho indecore fregit, & turpius etiam quem amicum habere nolebat, & timebat hostem per proditionem interfecit: hic pacem indecoram cum Numantinis composuit. Itaque Cæpio Seruiliani successor & frater, pacem ab ipso initam cum Viriatho criminabatur, tantumque Senatum obtundendo effecit, vt is ruptis fœderibus bellum Viriatho inferendũ decerneret. Eum ergo persequitur, pugnam de industria vitantem, quod de resarciendo fœdere cogitaret: de qua etiam intimos amicorum ad Cæpionem misit, qui ingentibus ab eo promissis onerati, in proditores versi sunt, & Viriathum dormientem sicarij peremerunt. Magno Cæpionis probro & Viriathi gloria, qui non nisi per fraudem, & percussores domesticos visus est vinci potuisse.

Et per sicarios interficit.

Mortem eius sui luctu ingenti & apparatissimo funere celebrarunt, eius enim æquitatem, fortitudinem ac liberalitatem dilexerant, itaq; perpetuo fuerant obsequentes, quocumq; duceret liberet, vt quamuis haberet exercitum varijs ex gentibus conflatum, 11. annis, quibus bellum gessit, nulla seditio in castris eius exorta sit. Mortuus est autem anno belli Celtiberici 14. tertio quippe illius anno exortus est Viriathus. Nec eo extincto id bellum plane extinctum est. Nam milites eius Tantalum quendam eius loco Imperatorem creant, eoque duce aduersus Saguntum expeditionem suscipiunt: sed inde repulsi, cum Bætim amnem transirent, subsecutus Cæpio ita pressit, vrsitque, vt Tantalus suis rebus diffidens, & se & exercitum ea conditione traderet, vt eos non iniquius tractaret quàm subditos. Omnibus armis spoliati, & ne deinceps latrocinijs viuerent, terra satis ampla donati sunt. Sicque bellum in Lusitania, & vltiore Hispania finitum est.

VI. Eius mores & suõ in amor. *Vide ann. n. 24.*

Tantalus pro eo exurgit.

Appian.

In citeriore Metellus iam bellum pene confecerat, sed restabant oppida duo, Termantia & Numantia. Cumque Numantia tam ingenio loci, quam militum præsidio egregiè firmata esset, Pompeius quotidianis excursionibus ita fatigabatur, vt plures à pauciorbus subinde carperentur, Termantiam transtulit exercitum, vbi aliquoties maiore damno, quam emolumento pugnauit. Moxad Numantiam obsidendam reuersus, cum fluuium quendam aliò deriuare conaretur, egressi oppidani præfectum operis cum quadringentis interfecerunt; miles quoq; in castris morbis tentatus est. Itaq; Pompeius, quem tot cladium pudebat, pacem clam cum Numantinis quæsiuit, de qua cum iam conuenisset, superuenit successor eius Pompilius Lænas Consul, de quo sequenti anno dicetur.

VII. Res ad Mumantiã gesta, & pax à Pompeio inita.

ANNVS MVNDI 3915.

SIMONIS 3. PTOL. EVERGET. 7.

DEMETRII NIC. 7. Imp. Græc. 173.

OLYMP. CLX. A. 2. VRB. CO. 614.

ANTE CHRISTVM 138.

DVm Iudæa, Simone principe ac Pontifice Iudæorum, alta pace fruebatur, & Demetrius Nicanor apud regem Parthorum Arsacem habebatur in vinculis, res Syriæ non parum turbatæ erant. Nam Tryphon tyrannus magnam Syriæ partem occupabat: Demetrij vero vxor Cleopatra cum filijs suis Seleuciam tenebat, cum quibusdam copijs, quæ nuper cum Ionatha conflixerant. Sed Tryphone tyrannice agente, cum suis, plerique eo deserto ad Cleopatram transfugerant; quæ vt partes suas redderet validiores, etiam mariti fratrem natu minorem Antiochum, quem Iosephus Soterem, Eusebius Sidetem vocat, sibi adiungere statuit, ei coniugium suum cum regno vltro offerens.

I. Cleopatra res Mariti ex suscitat.

l. 1. c. 11. 63 & c. 12. 24 l. 12. c. 12.

Quod

Ducit fratrē eius.

Quod autem Iosephus ait eum oberrasse, dum nulla vrbe metu Tryphonis reciperetur, id de initio Tyrannidis eius accipiendum videtur, vt propterea ad insulas confugere coactus fuerit, vnde ad Simonem literas dedit, vt Scriptura testatur, & quidem postquam in spem regni à Cleopatra fuisset adductus: quod illa eius verba testantur, *cum obtinuerimus regnum nostrum.*

II. Simonē demeretur. 1. *Mach.* 15. 1.

Scripsit autem ad Simonem pontificem, quem potentem sciebat, vt sibi eum deuinciret, veritus ne propter beneuolentiam, & societatem Simonis cum Demetrio, se fratrem ipsius, quasi regni inuasorem vellet excludere. *Et misit Rex Antiochus*, ait Scriptura nomen dignitatis anticipans, *filius Demetrii* Soteris, quem Alexander Balæ interfecerat, *epistolas ab insulis maris*, id est Rhodo, vt ait Appianus in Syriacis, *Simoni Sacerdoti, & principi gentis Iudæorum, & vniuersæ genti salutem.* In ipla vero epistola, questus de hostibus suis, ostendit se ad vltionem sumendam paratum, ne forte regis nomen frustra vsurpasse videretur. Inde conciliandi Simonis causa eas spondet immunitates, quas pridem Iudæi à regibus acceperant: addit & ius cudendæ monetæ in signum supremi dominij. Denique promittit ea quibus Iudæos maximè capi posse intelligebat, pro sua in Deum pietate, & zelo in cultum eius. Quid autem responsi datum sit à Simone ex ipsa Scriptura non liquet. Iosephus ait Simonem postulata eius libenter admisisse.

III. Res Hispanica.

Quod ad res Hispanicas, videtur hoc anno Cæpio, confecto bello Viriathico prouinciam ordinasse Lusitanam. In citeriore vero Hispania Pompeius sciens se ignominiosam pacem, & iniussu populi cum Numantinis fecisse, inficiari cœpit à se quidquam cum eis fuisse transactum. At cum eum plurimi testes omnis generis reuincerent, Popilius eos Romam ad Senatus judicium dimisit. Apud quem cum disceptatum esset, Senatui placuit bellum cum Numantinis geri. Quæ dum agitantur, Popilius, Mancino sibi succedente, Romam rediit, cum male in prælio à Numantinis fuisset acceptus.

ANNVS MVNDI 3916.

SIMONIS 1. PTOL. EVERGETIS. 8.

DEMETR. NICANOR. 8. Imp. Græc. 174.

SIDET. 1. OLYMP. CLX. AN. 1. VR. C. 615.

ANTE CHRISTVM 137.

I. Initia Antiochi Sidetis.

HOC sextæ ætatis anno quadringentesimo duos Syriæ reges ad octo annos ponemus; ambos fratres, ambo Demetrij Soteri filios, ambos simul vnius vxoris viros; alterum cum regni iure in Asia captiuum, alterum cum regni possessione in Syria dominantem, & Tryphonem tyrannum bello persequentem. Huc enim annum Græcorum, initio Antiochi Sidetis Scriptura tribuit. Is ergo accepta conditione regni atque coniugij, quam Cleopatra ipsi obtulerat, Seleuciam ad ipsam venit, eoque confluxerunt exercitus omnes, ita vt pauci cum Tryphone remanerent. Addit Iosephus eum Tryphoni bellum intulisse, & prælio victum ejecisse è superiore Syria, & Phœnicem vsque persecutum esse, & compulsum in Doram castrum munitissimum, illudque obsidione cinxisse. Quæ sunt Scripturæ consentanea, quæ habet obsessam fuisse Doram cum centum vigiti millibus peditum, & equitum octo millibus, & terra marique vexatam.

Obsidet Tryphonem.

II. Redit us Numenij legati, & Romanæ pro Iudæis literæ.

Interea venit Numenius ab Vrbe cum socijs, habens epistolas diuersas ad aliquot reges, & regiones, scriptas in gratiam Iudæorum, eratque vna omnium sententia. Exempli vero causa ponitur ea, quæ erat ad Ptolemæum Euergetem Ægypti regem. Nomine autem Reipubl. scribebat. *L. Consul Romanus.* Quis autem fuerit iste Consul prænomine Lucius, nonnulli ambigunt. Ego minime dubito fuisse L. Calphurnium Pisonem præcedentis anni Consulem, quo anno scriptæ sunt literæ, Numenio Romæ existente. Piso autem Romæ erat, Popilio eius collega in Hispaniam profecto. Extat autem illud eius prænomen apud Valerium Maxim. Scripsit ergo L. Piso in hanc sententiam. *Legati Iudæorum venerunt ad nos amici nostri,* in Græco additur & socij, *renouantes pristinam amicitiam & societatem, missi à Simone principe sacerdotum, & populo Iudæorum. Attulerunt autem & clypeum aureū minarum mille*; id est centum millium aureorum, si minam pro libra sumpseris. Placuit itaque nobis scribere regibus & regionibus, vt non inferant illis mala, neque impugnent eos, & ciuitates eorum & regiones eorum, id est, agros ciuitatibus circumpositos, & non ferant auxilium pugnantibus aduersus eos. *Visum est autem nobis accipere ab eis clypeum. Si qui ergo pestilentes*, perfugas intelligit patriæ & religionis desertores, *refugerunt de regione ipsorum ad vos, tradite eos Simoni principi Sacerdotum, vt vindicet in eos secundum legem suam.*

l. 1. c. 4.

III. Ad diuersos missæ.

Deinde subduntur quinque regna, Ægypti, Syriæ, Pergami, Cappadociæ, Parthiæ, & loca minora nouemdecim. Et ad quosdam quidem eorum populorum datæ literæ videntur, quia in ipso nauigationis cursu adeundi erant; ad alios, quia peculiariter addicti Romanis, ad alios denique, quia multum Iudæis prodesse poterant, vel obesse. Apud omnes autem populus Romanus multum autoritate valebat. Denique harum literarum exemplum ad Iudæos missum est, in quorum gratiam cæteris omnibus scribebatur. Sed oportuit etiam proprias ad ipsum Simonem literas cum aliqua gratiarum actione scriptas esse, quæ prætermissæ sunt, neq; apud Iosephum extant.

IV. Ortus Syllæ & Crassi *Cic. in Bruto. l. 9. c. 3. l. 1. Ciuil.* Curiatius Tribunus Coll. in carcerē coniicit

Quod ad Romanam rem attinet, natus est hoc anno L. Cornelius Sylla, fax prima Romanæ Reipub. biennio post natum L. Crassum Oratorem, & quinquennio post M. Antonium. 60. enim annos Sylla vixit, vt ex Valerio cōstat & Appiano, & mortuus est anno V. C. 675. Cōsul porro Nasica magna apud populum autoritate fuit, eam tamen C. Curiatius Tribunus plebis non parum labefactauit; non tam imposito illi ridiculo Serapianis nomine, quam ipso cūBruto Collega in vincula cōiecto, vt testis est M. Tullius. Bruti porro res gestæ in Lusitania

prælerum contra latrones ab Appiano celebrantur, sed illud etiam exemplum clementiæ memorat. Quod cum Talabriga sæpius rebellasset, ejusque se nihilominus arbitrio permitteret, primùm imperauit vt transfugas Romanorum & captiuos, armaque omnia cum obsidibus traderent, deinde vt cum vxoribus & liberis vrbe migrarent. Quod vbi facere sustinuerunt, circunfusis copijs eos includens, orationem habuit, qua quoties defecissent, quoties bellum renouassent disseruit, ad extremum iniecto metu quasi grauiter in eos esset animaduersurus, verborum castigatione contentus, suam ipsis vrbem habitãdam præter spem reddidit. Popilius porro Proconsul parum feliciter apud Numantiam rem gessit, vt ex Frontino constat.

l. 3. de leg.

Bruti in Hispania clementia.

l. 3. c. 17. n. 9.

V. Scipionis minoris Africani legatio.

Sub hoc ipsum tempus contigit minoris Africani legatio, cum L. Mummio, & L. Metello. Scipioni amicitiæ causa socius fuit C. Lælius, doctrinæ autem Panætius, vt est apud Cic. in Lucullo, & autorem de viris illust. c. 58. de qua legatione Cic. in Somnio. *Cum autem*, inquit, *Carthaginem deleueris, triumphum egeris, censorque fueris, & obieris legatus Ægyptum, Syriam, Asiam, Græciam, delegere iterum absens Consul, bellumque maximum conficies*, &c. Eius legationis causa fuit varius multiplexque motus in prouincijs sociorum populi Romani, vt ex Athenæo & Strabone liquet, qui propter piratas susceptam significant. In Ægypto autem Ptolemæi sæuitia maximam ciuium partem ad voluntarium compellebat exilium; itaque peregrinos edicto sollicitabat, quando legatis Romanorum processit obuiam: quibus tam ridiculus fuit, quam fuerat ciuibus suis cruentus. *Erat enim*, vt ait Florus, *& vultu deformis, & statura breuis, & sagina ventris non homini, sed belluæ similis*, &c. Pergami quoque, vt idem ait, & cum eo Iustinus, Attalus florentissimum regnum cædibus amicorum, & cognatorum supplicijs fœdabat, nunc matrem anum, nunc Berenicem sponsam maleficijs eorum necatas confingens. Denique tantum luctum suscepit, vt infamie, & pœnas pendere manibus interfectorum videretur. In Græcia quoque & Macedonia res à Pseudoperseo mouebantur; vt propterea ad hos omnes populos, regionesque missa legatio à Cicerone memoretur.

Ptolemæi sæuitia, & Attali.

Epit. 59.

l. 36.

in Somnio.

ANNVS MVNDI 3917.

SIMONIS 6. PTOL. EVERGETIS 9.

DEMET. NICANOR. 5. Imp. Græcor. 179.

OLYM. CLX. AN. 4. VR. C. 616.

ANTE CHRISTVM 136.

I. Obsidio Doræ iterata. *1. Mach. 15. 25.*

AD hunc annum pertinere arbitror, quam secundò factam obsidionem circa Doram oppidum Scriptura testatur. Non intermisit ille quidem obsidionem, fugisset enim Tryphon, & vtrumque illa verba significant; *admouens es semper manus, & machinas faciens, & conclusit Tryphonem, ne procederet.* Ergo semper vt sit obsidionem, sed cum haberet infinitã hominum multitudinem, ipse per hyemem subduxerit se, & cælo clementiore redierit ad castra, & nouo conatu presserit hostem. Hoc rerum statu *misit Simon ad Antiochum duo millia virorum electorum in auxilium* contra communem hostem, *& argentum, & aurum, & vasa copiosa*, varia scilicet arma bellica, quæ Hebræi vocant *vasa belli, & voluit ea accipere Antiochus, sed rupit omnia, quæ pactus est cum eo antea, & alienauit se ab eo.* Quem aduersa fortuna mitem fecerat & mansuetum, prospera efferauit. Vidit totius pene regni vires ad se confluxisse, victum sine certamine tyrannum, oppido clausum teneri; inuidit Iudæis amplissimi regni particulam, eamque sibi voluit vindicare: & repudiandis muneribus malè affectum animum prodidit, & sibi præsidentem.

Antioch. Sid. alienat se à Simone.

II. Mittit ad eũ Athenobiũ, & quæ eius legatio.

Id etiam clarius constitit, misso ad eundem Simonem legato Athenobio, qui Gazam & Ioppem, & arcem Sionis à Simone repeteret, tributa exigeret, damnis satisfacere iuberet, mille talenta postularet, additis postremo minis; *sin autem venerimus, & expugnabimus vos.* Venit Athenobius Hierosolymam, & vidit Simonis magnificentiam, & nominatum abacum, multo auro, argentoque instructum, & reliquum domestici apparatum, & obstupuit, & retulit ei verba regis. At Simon se aliena negauit oppida possidere, sed ea legitimi belli iure, in quod grauibus iniurijs esset impulsus. Redimendæ tamen vexationis gratia obtulit ei centum talenta. Ille cum ira ad regem suum reuersus est; putabat enim se contemni, cui decima pars postulatæ pecuniæ offerebatur. Nec minore Antiochus, qui videbat sibi non obtemperari, nec obiectam vim timeri. Auxit etiam iram, quod pro vno bello geminum sibi subito enatum videbat. Tryphon quippe naui fugit in Orthosiadem vrbem Phœniciæ, sparsis per viam pecuniis, vt ait Frontinus, vt ijs colligendis equites moraretur insequentes. Sparsit vbique opinor, non quomodo sparguntur lapides, sed quomodo sparguntur pecuniæ in custodes, vt ipsis conniuentibus aliquis effugiat.

Ian. 18. 1633.

Tryphon fugit Orthosiadẽ.

l. 2. c. 13. n. 2.

III. Quẽ Rex persequitur mittitq; Cẽdebæum contra Iudæos.

Ergo rex copias suas diuidit bipartitò, partem alteram Cendebæo duci tradit contra Iudæos; cum altera contra primarium hostem ipse proficiscitur, cum quo de summa rei erat disceptatio. Cendebæo porro mandauit vt Gedorem oppidum instauraret, firmaretque præsidio militari, vt inde è vicino Iudæos impunè vexare posset, quod & studiosè fecit. Vt enim peruenit Iamniam, cœpit Iudæos pagorum incolas excursionibus irritare, & dum Gedor ædificatur, infestam habere Iudæam cædibus & rapinis, vt ei rex dederat in mandatis. Cætera pertinent ad annum sequentem, quo Tryphon ad manus sibi inferendas compulsus est.

IV. Brutus Gallæci cognomen obtinet.

Romanæ autem res partim infeliciter ad Numantiam à Mancino Consule, partim feliciter à Iunio Bruto Proconsule in Lusitania contigerunt: vbi per domitis ad extremum Oceanum Lusitanis Gallæci cognomen obtinuit, vt ait Appian. cui Strabo consentiens, *Gallæci*, inquit, *vltimi sunt, montes incolentes, ac propterea qui subigantur difficillimi, qui Bruto, qui Lusitanos debellauit, cognomen dederunt.* Victoriæ ma-

gni-

gnitudinem ostendit Orosius, Brutus, inquit, in vlteriore Hispania sexaginta millia Gallæcorum, qui Lusitanis auxilio venerant, aspertimo bello & difficili, quamuis incautos eu cumueniſſet, oppreſſit: quorum in eo prælio 50. millia captata feruntur, pauci fuga euaſerunt.

5 c. 5.

Mancini autem primum ominosam profectionem tradunt: deinde cum Numantinis sæpius congressus, vt ait Appianus, semper victus fuit: tandem multis amissis in castra fugit. Et falso rumore iactato Cantabros & Vaccæos auxilio Numantinis aduentare, trepidus noctis silentio, quam totam extinctis ignibus traduxit, in desertum locum fugit, eumque neque præparatum neque munitum, vbi à Numantinis sub lucem incluſus est, necem minantibus, nisi pax fieret. Ergo pacem iniit; quæ Romæ valde improbata est. Itaque missus est alter Roma Consul Æmylius, Mancino Romam ad dicendam causam reuocato, sequentibus Numantinorum legatis. Hæc ex Appiano, qui ipsas pacis conditiones omisit.

Mancin' rem mali gerit. *Obſeq. l. d. prod. Valer. l. 2. c. 7.*

ANNVS MVNDI 3918.

SIMONIS 7. PTOL. EVERG. 10.

DEMETRII NIC. 4. Imperij Græc. 176.

OLYMP. CLXI. A. 1. VR. C. 617.

ANTE CHRISTVM 115.

I. Tryphonis interitus & diuturnitas dominatus eius *Ioseph. l. 13. c. 12. d. 14.*

RElevatur hoc anno Olympico Syria', nequissimi tyranni Tryphonis interitu, quem in Orthosiade obsessum, Antiochus, vel vi vel deditione captum, interfecit: aut certe vt Strabo prodidit, ad mortē sibi conscisendam adegit: postquam vel tutorio, vel proprio nomine ad annos 9. rerum potitus esset. Cum enim regnare cœperit Antiocho filio Alexandri & Ionatha pontifice occisis, nunc autem Simonis fratris & successoris Ionathæ septimus inchoëtur, clarum est longe falli Iosephum, qui Tryphoni triennium tantum regni tribuit. Porro illis septem annis à morte Ionathæ, fere tres anni addi possunt, quibus puerum regium habuit in potestate, ab anno regni Græc. 168. Itaque tota illius dominatio nouem circiter annorum fuit.

II. Cendebæus Iudæos vexat.

Interea Cendebæus Sidetis iussu Iudæam populabatur, eamque in primis partem, quæ olim ad tribum Simeonis, in qua erat Gaza, pertinebat. Propterea que Ioannes Simonis filius: qui Gazæ à Patre præpositus fuerat, inde ascendit Hierosolymam, nunciauitq; patri, quæ à Cendebæo gerebantur. *At Simon vocauit duos filios seniores Iudam & Ioannem* (tertius erat minimus natu Mathatias, qui anno sequenti cum patre interfectus est) *in eorumq; humeros deposuit belli onus, quod totis triginta annis, ipse cum fratribus suis tulerant, ab anno scilicet 146.* quo mortuus fuerat Mathatias, vsque ad præsentem 176. Paterna exhortatione animati, ac benedictione roborati iuuenes bellū parant. Ioannes in primis, qui egregius erat bellator, & mortuo patente ac fratribus, Iudæorum Rempub. sacram & profanam administrauit: ad quem pertinet illud. *Et elegit de regione viginti millia virorum belligeratorum, & equites, & profecti sunt ad Cendebaum, & dormierunt in Modin,* oppido ipsorum natali, eòque vicino Gedori, vbi erat hostis, vt inde recentes, & non de via fessi, prælium inirent.

Simon bellum filijs cōmittit.

Ioannis opiæ. *1. Mach c 16. 4.*

Et sic exierunt mane, & abierūt in campum, vbi eis occurrit copiosus aduersariorum exercitus, sed interiectus erat torrens, cuius transitum Iudæi formidabant, veriti ne hostis transeuntibus superueniret, eosque male mulctaret. Sed Ioannes prior vadum ingressus est, ducemque celeriter populus eius secutus est: quem ita diuisit, vt equites in medio peditum positi, eos protegerent, & vicissim protegerentur ab ipsis, contra ingentem aduersariorum equitatum. Datum est pugnæ signum, *& exclamauerunt sacris tubis,* ministrum sacerdotes, quorum in bello fere id officium fuit, *& in fugam conuersus est Cendebæus, & castra eius; & ceciderunt ex eis multi vulnerati,* siue qui in acie, siue qui in castris pugnauerant: *residui autem in munitionem fugerunt,* Gedorem scilicet, vbi habebant statiua. Sed fugientium tergo hærere non potuit vterque dux. Nam vulneratus est Iudas frater Ioannis: Ioannes autem insecutus est eos, diuque persecutus, ad duo hominum millia cecidit; & successis turribus, & locis munitis in agro Azotio, incolumem in terram Iuda reduxit exercitum; his victoriæ præludiis principatu, cuius erat candidatus, ornato.

III. Hostem adeunt.

Quem & vincunt.

VI. Res Demetrij apud Parthos, & nouum cōiugiū. *Iust. l. 38.*

Interea Demetrius apud Parthos non cultum tantum regium accepit ab Arsacide, sed etiam affinitatem, data ipsi in vxorem filia sua, quam Appianus Rodogunam vocat, fide data se illi regnum Syriæ, quod per eius absentiam Typhon occupauerat, redditurum. Sed Arsacide mortuo, desperato reditu Demetrius, priuatam vitam, quamuis opulentam in Hyrcania pertæsus, fugam molitur ad suos. Et iam habitu Parthico Babyloniam, Callimandro duce peruenerat, cum à Phraate, qui Arsacidæ successerat, persequente comprehensus, & verbis grauiter castigatus, ad nouam vxorem in Hyrcaniam remissus est, & arctioribus excubiis custodiri iussus. At Sidetes occiso Typhone, priusquam expeditionē in Parthos suscipiat, tam fratrem, quam plurimas regni partes, quas illi occupauerant recuperaturus, de Iudæis, à quibus recēs victus fuerat Cendebæus, vlciscendis cogitat; & Ierusalem occupanda. Cui rei occasionem dedit facinus sequenti anno contra Simonē, à genero eius perfidiosissimè perpetratum.

V. Mancini causa Romæ.

Romæ hoc anno Mancini causa & fœdus examinatum est, quod Senatus dissolui iussit, & Mancinum dedi Numantinis, quorum legati fœdus valere cupiebant, aut sibi Romanum exercitum, vti fuerat, captiuum reddi. Mancinus culpam reijciebat in Pompeium superiorem ducem, qui iguauum sibi exercitum tradidisset, quem ille sæpius victum, inito fœdere, ab interitu liberasset. Nihilominus Patres Mancinum dedendum censuere, rati se hoc modo fœderis violati religione liberari. Adductum in Hispaniam L. Furius Consul Numantinis nudum dedidit, à quibus is minime receptus est. Hæc Appia. *Nudato corpore,* ait Oros. *l. 5. c. 4. fi*

manibus poſt tergum reuinctis, ante portas Numantinorum expoſitus, ibi vſque in noctem manens, à ſuis deſertus, ab hoſtibus autem non ſuſceptus, lachrymabile vtriuſque ſpectaculum præbuit, de cuius iniquitate iudicij plutibus ille, vt ex Annalibus intelliges.

Aita eiuſdem factiora.

Interea Æmylius Lepidus, qui propere in locum Mancini miſſus fuerat, dum ab vrbe reſponſa de Numantina pace expectat, impatiens otij, Vaccæos iniuſto bello petit, eorumq; agris vaſtatis, Palantiam aggreditur, Bruto ſocero ſuo, in eiuſdem belli ſocietatem accito. Quod cum Senatus per legatos Cinnam & Cæcilium prohibuiſſet, ille nihilominus in incepto perſtitit; ſed pro male quæſita gloria, ignominiam eſt conſecutus. Nam cum Palentiæ diutius obſidio traheretur, & Romani fame perirent, Æmilij & Bruti pertinacia inopiæ magnitudine ſuperata eſt. Repente noctu circa vltimam vigiliam feſtinatò diſcedunt, cum Palentini abeuntes, & tantum non fugientes adorti, à prima luce ad veſperam multis detrimentis affecerunt. Senatus re cognita imperio ipſi abrogato, Romam priuatum reuocarunt, & pecunia inſuper mulctarunt. Addit Oroſius ſex millia Romanorum in bello iniuſto iuſte periiſſe, reliquos exutos caſtris, armis etiam perditis euaſiſſe.

Ioannes mortem euadit.

De bello Numantino hoc tantum habet Appianus, eò miſſum Calphurnium Piſonem conſulem, qui verſus Numantiam exercitum non duxit, ſed Palentinorum fines ingreſſus, exigua præda inde abacta, quod ſupererat temporis imperij ſui, in Carpetania hybernando conſumpſit. Nimirum eum Mancinus, Æmylius, Pompeiuſque terrebant, qui ex ſuis expeditionibus nihil ſibi præter infamiam & detrimenta collegerant. Fœlicior fuit eius collega Fuluius Flaccus, cui Illyrij obuenerãt, quos Romanis ſubditos, cum finitimę gentes temerè inuaſiſſent, nec legatis, qui ad eos deterrendos miſſi fuerant, obtemperarent, eò miſſus eſt Cõſul, cum decem millibus peditum, & ſexcentis equitibus, ab eoque ſubactæ ſunt non ſine ſolito præmio triumphali.

III. De bello Numantino. De Illyrico.

His ipſis Coſſ. ortum eſt in Sicilia ſeruile bellum, cuius initium fuit Eunus ſeruus, natione Syrus, à quo ad ſeptuaginta ſeruorum millia collecta referuntur, ab ipſque memorantur victi prætores Manilius, Lentulus, Piſo, Hypſæus; donec à Perpenna de ipſis ſupplicium ſumptum eſt, aut à P. potius Rupilio, vt ſuo loco dicetur.

IV. Seruile bellum Euno duce. *Florus Oroſ.*

ANNVS MVNDI 3919.

SIMONIS 8. & vlt. PTOL. EVERGETIS 11.

DEMETR. NICANOR. 11. Imp. Græc. 177.

OLYMP. CLXI. An. 2. VR. C. 618.

ANTE CHRISTVM 134.

INſignis eſt hic añus iniuſtiſſima morte Simonis; quam Scriptura teſtatur anno regni Græcorum 177. contigiſſe. Eius autor fuit Ptolemæus filius Abobi Simonis gener, à quo præpoſitus fuerat Ierichuntinæ prouinciæ, qui cum diuitijs abundaret, proprio nomine regionem obtinere cupiebat. Itaque *cogitabat dolum aduerſus Simonem & filios eius, vt tolleret eos*, & ſimul patriæ ſeruitutem, & religioni ruinam afferret. Ergo deſtinato intus facinori, dum quærit occaſionem, contigit Simonem, dum luſtrat Iudææ regiones, deſcendere in Iericho, cum duobus filijs Mathathia & Iuda, quos ille conuiuio excepit in præſidiaria domo, abſconditis ibi ſicarijs, cum quibus, vbi conuiuæ bibiſſent aliquanto laxius, in eos armatus irruit, & ſocerum ſenem eundẽque pontificem cum duobus filiis, & aliquot famulis interfecit; ſtatimq; de perpetrato ſcelere regem Sidetem certiorem fecit, petens ab eo exercitum in auxilium, vt ei regionem omnem Iudæorum, cum ciuitatibus eorum traderet in manus. Quætam ſubita enunciatio patrati criminis, promiſſioque tradendę regionis, non leuem ingerit ſuſpicionem totum hoc facinus nõ ignaro rege fuiſſe ſuſceptum, & ab eodẽ dignitatem quam iſte proditor ambiebat, illi in precium ſceleris, ptius fuiſſe promiſſam.

Ecce autem facinoroſus iſte Ptolemæus, non contentus tanto patricidio, etiam alios ſicarios in Gazam miſit, vt incautum Ioannem è medio tollerent, & ne à Iudaicæ militiæ ducibus, qui ſub Ioanne militabant impedirentur, eos ad ſe multis cum promiſſis euocauit. Miſit & militarem manum ad occupandam Ieruſalem, & mõtem templi. At Dominus qui familiam Simonis conſeruatam volebat, prouidit vt præcurreret aliquis, qui Ioannem de periculo ſuo, & accepta tam clade faceret certiorem. Quo tam triſti nuncio etſi conſternatus eſt animo, meditatum tamen ſicariorum ſcelus anteuertit, & occidit eos. Sicque Machabæorum familia deinceps ad annos inſuper 105. propagata eſt, vſque ad poſterioris Hyrcani mortem, quæ in tempora Herodis cadit, & annum Vrbis Cond. 723. quando & nepotes eius Antigonus & Ariſtobulus ab Herode ſublati ſunt. Sicque tota Machabæorum, & Veteris Teſtamenti hiſtoria terminatur, præter pauca, quæ ad annum 188. pertinent, & habentur initio lib. 2.

ANNVS MVNDI 3920.

IOANNIS HYRCANI Pont. 1.

PTOL. EVERGET. 12.

DEMETRII 12. Imp. Græc. 178.

OLYMP. CLXI. A. 3. VRB. CO. 619.

ANTE CHRISTVM 133.

OCcidit hoc anno Sabbatico 191. noſtris Annalibus ea lux, quam ex ſacris autoribus hauriebant. Nunc Ioſephum fere vnicum in hiſtoria Iudaica ducem habebimus, non petitiſſimum vtique viæ ducem, & quod deterius eſt, ſponte, vt in Annalibus crebro docuimus, à recto veritatis tramite aberrantem, quem deinceps ex ipſa Scriptura reducere in viam non poterimus. Quemadmodum tamen præ-

I. Annus Sab. 191.

greſſa lux, nonnullas etiam reliquias fulgoris relinquit in oculis noſtris : ita & Scriptura finem imponens narrationi ſuæ in morte Simonis, certum hunc reliquit annum primum Pontificatus Ioannis filij eius : qui mox Aſiana expeditione cum Sidete, Hyrcani cognomen adeptus eſt. Nam cum eam mortem contigiſſe tradat anni 177 menſe vndecimo, conſequens eſt vt eius filius eius ſucceſſor, à præſentis anni exordio Iudæorum Dux, & Pontifex eſſe cœperit.

Pontificatus Ioannis Hyrcani.

II. De obſeſſo Ptolemæo fabula Ioſephi.

Ex eadem Scriptura affulget, & alia ſcintilla lucis, ad corrigendum Ioſephum initium rerũ geſtarum Hyrcani à fabuloſa narratione ducẽtem, de matre ipſius & fratribus ad mœnia à Ptolemæo illo parricida verberatis, quam fabulâm perſonæ, tempus, & locus multiplicis arguunt falſitatis. Nam, vt cætera taceam, quæ veritatis ſtudioſo Lectori Annales dabunt, dicit verberatos in obſidione Hircani fratres, & poſt eam ſolutam occiſos, quos ex Scriptura conſtat ſimul cum patre necatos. Verior omnino eſt Hieroſolymitana obſidio à Sidete, nunc cõtra Ioannem ſuſcepta. Cum enim Ptolemæus Abobi ſimul euocaſſet exercitum regium, ſimul etiam miſiſſet qui Ieruſalem & montem templi occuparent, re intellecta Ioannes, Gaza illico profectus, ad propugnandam Hieroſolymam venit, quam ſeptenis caſtris Regem cinxiſſe tradit Ioſephus, toto ſcilicet exercitu in ſex partes diuiſo, ad obſtruendos omnes aditus, exituſque obſeſſorum. Obſidio porro ad annum vſque ſequentem protracta eſt.

1 *Mach.* 16. 19.

Ieruſalẽ obſidetur à Sidete.

l. 13. *c.* 16.

III. Scipio fit iterum Conſul contra Numantiam.

Iam quod ad Romanam rem attinet, vigeſimus agabatur Celtiberici belli annus, & Numantia Romanis Imperatoribus atque exercitibus inſultabat, cum longioris belli pertæſus populus Romanus alterum Conſulatum Scipioni, qui Carthaginem deleuerat, mandauit. Fuerat is primum Conſul an. Vrbis Conditæ 606, quando autore Velleio annum agebat 36 Itaque non fuit nunc infra ætatem Conſulatẽ vt putauit Appianus, ſed ea fuit ſex annis prouectior. Ea tamen lege ſolutus eſt Scipio, quam tulerat Cato, ne quis iterum Conſul fieret. Et reuera à Conſulatu M. Claudij Marcelli, qui in annum vrbis 601 cadit ad 649. quo C. Marius iterum Conſul fuit, nemo præter hunc Africanum bis factus eſt Conſul. Sed geminam præterea prærogatiuam addidit ei populi fauor, alteram vt neque ambienti, neque præſenti deferretur Conſulatus : alteram vt ei extra ſortem Hiſpania, vt prius Africa, tribueretur. Amicorum & voluntariorum ſub ſignis habuit ad quatuor millia, præter copias quæ iam erant in Hiſpania, vbi diſciplinam militarem pluribus militum laboribus inſtaurauit, ac tum demum Numantinos propius adiit, quibus commeatum, quem à Vaccæis accipiebant, ſuſtulit, & in ſua tranſtulit caſtra. In agro Palentino inſidias hoſtium ſemel iterumque feliciter euaſit. Inde hybernatum in fines Numantinorum tranſijt, quò Iugurtha Maſaniſſæ nepos ex Africa venit cum duodecim elephantis, & qui vnà in aciem proditent, ſagittariis & funditoribus.

In Somnio Scipion. Al. Max. l. 8. *c.* 16.

Eius copiæ in quibus diſciplinam militarem reſtituit.

Hoc quoque anno Attalus Pergami Rex moriens Populum Romanum hæredem reliquit. Ea pecunia vbi cum tabulis Romam delata fuiſſet, egit apud populum Tiberius Gracchus, vt diſtribueretur in plebem, quæ rogatio cauſa fuit tum multarum turbarum in populo, tum mortis eiuſdem Gracchi, quæ in ſequentem annum cadit.

IV. Attali hæres pop. Romanus.

ANNVS MVNDI 3921.

IO. HYRCANI Ducis & Pontific. 2.

SIDETIS 6. EVERGETIS 1.

DEMETRII 13. Imperij Græcor. 179.

OLYMP. CLXI. A. 4. VR. C. 620.

ANTE CHRISTVM 132.

HVius anni videtur eſſe poſterior illa fuga Demetrij, quam refert Iuſtinus, ex qua ſe rata in fœlicitate retractus eſt, & in Hyrcaniam remiſſus, vxori, liberiſque reſtitutus eſt. Nec ſeuerius in eum ab illa gente actum eſt, quod ipſo vti vellent in bello, quod ipſis, in fratrem eius Antiochum Sidetem imminebat, prout res, ac belli fortuna exegiſſet. Interea Antiochus obſidionem Hieroſolymorum conſtantet vigebat, cum Hyrcanus Pontifex veritus famem, nõ ſatis humaniter imbellem multitudinem vrbe eiecit, ſed cum Rex inuiolatam in vrbem repelleret, nec admitteretentur, mœnibus miſerabiliter oberrantes inedia conficiebantur. Cum autem ſuperueniſſet feſtum Tabernaculorum, miſeratione ſuorum rurſus in vrbem recepti ſunt. Rex etiam rogatus, vt gratia feſti ſeptem dierũ inducias concederet, non ſolum eas conceſſit, ſed victimas etiam magnificas miſit, & pocula tam aurea, quam argentea referta omnis generis aromatibus, vnde & Pij cognomen eſt adeptus, quod alij quoque à Iudæis vſurparunt, vt eſt apud Appianum.

I. Altera Demetrij fuga. *l.* 58.

Obſidio Ieruſalẽ. & Antiochi pietas.

Ea pietas aditum aperuit paci. Nam ea permotus Hyrcanus legatos de pace miſit, modo patriis ſibi legibus viuere liceret, quod & impetrauit à Rege, repulſis, qui ſuadebant vt gentem inſociabilem exſcinderet. Adiecit & alias conditiones, quas Iudæi admiſerunt, excepto præſidio, quod Rex vrbi imponere cupiebat, cuius loco dederunt obſides, in quibus fuit ipſius Hyrcani frater, & inſuper quingenta talẽta, ſicq; obſidio ſoluta eſt Maioris quippe momenti Rex arbitrabatur Parthicam expeditionẽ, in qua magna pars regni eius agebatur, quã vt diutius circa vnam vrbem moras traheret. Præſertim cum eam gentem vel ſociam expeditionis habiturus eſſet, vel ſi ſocietatem recuſaret, bello in ſuperiore Aſia rite confecto, facilem totius Iudææ expugnationem crederet. Forte etiam Romanorum cum Iudæis amicitiam verebatur, quæ patentibus literis per totam Aſiam, atque Europam fuerat euulgata : qua tamen nihil vſus fuiſſe Iudæos, mirum ſane videtur. Id certe Ioſephus minime tacuiſſet, qui haud obſcurè indicat expeditionem Aſianam ad ſequentem annum pertinere.

II. Pax Antiochi cum Iudæis.

Eius initia menta

Interea Scipio in Hiſpania opprimendę Numantiæ intentus erat, geminis caſtris prope vr-

III.

bem positis; quorum alteris fratrem Fabium præfecerat, alteris ipse præerat. Cumque Numantini instructa acie prælium crebro deposcerent, respondit malle se fame inclusos expugnare, quam cum terum omnium desperatione efferatis, confligere. Interea Antiochus Sidetes, qui Scipionem ex celebri legatione, initio regni sui obita cognoscebat, & clarissimi Imperatoris interuentu Romanam sibi conciliare beneuolentiam, & fortassis auxilia aduersus Parthos regno suo imminentes obtinere cupiebat, munera ad Scipionem misit amplissima, quæ is præmia fortitudinis esse voluit, eumque in finem in tabulas publicas à Quæstore referri.

Cum ergo Scipio Numantinos fame expugnare statuisset, auxilia vndique literis suis acciuit, adeo vt exercitum 60 millium armatorum collegerit, quos varias in partes diuisos iussit vallum vrbi fossamque circumducere, duplo ipsa vrbe, cuius ambitus erat 24 stadiorum, ampliorem, vltra quam duxit & alteram; adiecit & muros quibus turres imposuit, amne Durio auxiliisque hostem intercluſit. Is fame vexatus quinque viros ad Scipionem mittit sciscitatũ an clementer, si sesederent, acciperentur. Cumque responsum accepisset, vt se vrbemq; cum armis traderent, irati legatos malorum nuncios quasi cum Scipione priuatim de sua salute pactos, interfecerunt. Deinde cibis omnibus deficientibus cum morientium quoque corporibus vescerentur, Scipioni se dediderunt; à quo spoliati armis, vnum diem obtinuere, quo, qui in libertate mori cupiebant, sibi manus inferrent. Reliqui sub corona venerunt 50 demptis quos Scipio triumpho reseruauit. Tum oppidum solo æquauit, eiusque agrum in finitimos diuisit, & reliquis ciuitatibus iu dicendo perlustratis, & rite compositis domum redit. Atque ita bellum Celtibericum, post annum 21 à quo cœptum fuerat, confectum est, 14 anno post deletam Carthaginem.

Affuit huic bello Iugurtha, operamq; suam Scipioni vehementer probauit, multisque Romanorum sibi beneuolentia coniunctis, in Numidiam deleta Numantia, cum multa Imperatoris laude reuersus est. Hic Micipsa Rex Masanissæ filius ferocem Iugurthæ animum beneficiis vincere aggressus, eum adoptauit, & testamento pariter hæredem cum filiis reliquit. Eoque facto post annos aliquot mortuus, aditum Iugurthæ ad omnia diuina, humanáque iura violanda patefecit, vt suis dicetur locis. In Sicilia res contra fugitiuos bene gesta est à Pisone Consule, qui Mamertiam oppidum expugnauit, vbi octo millia fugitiuorum interfecit, quos autem viuos capere potuit, patibulis affixit, nimirum viuos se capi non sinebant, sed sponte ruebant in cædem. Itaque Sicilia seruili bello ex parte liberata est: sequenti autem anno debellatum fuit.

Reliqua nobis est Romæ hoc anno excitata seditio, à Tib. Graccho Tribuno plebis, quæ illius etiam morte terminata est. *Quod mirum in vrbe Romæ*, inquit Velleius, *ciuili sanguine, vbi rarumque impunitatis fuit.* Et mox. Immanem deditio Mancini ciuitatis mouit dissensionem; quippe Tib. Graecchus Africani ex filia Nepos, quo Quæstore & autore id fœdus ictum fuerat graui ter ferens aliquid à se factum infirmari, & similis vel iudicij, vel pœnæ metuens discrimẽ. Tribunus plebis creatus, vir alioqui innocentissimus, Scæuola & Pisone Coss. defciuit à bonis, pollicitusque toti Italiæ ciuitatem, simul etiam promulgatis agrariis legibus, Rempub. in summum discrimen adduxit. Octauio Collegæ, pro bono publico stanti, imperium abrogauit, triumvitos agris diuidendis, coloniſque deducendis creauit. Cum Scipio Nasica eius consobrinus, patriam cognationi præferens quamuis priuatus Ducem se præbuit omnibus qui saluam Remp. vellent: à quibus inuentibus Graecchus actus in fugam, fragmine subsellij ictus occubuit. Hæc pluribus Paterculus, quibus alij alia iungunt, vt videbis in Annal.

Liuius Epit. 58. Appianus l. 1. Ciuil. Plutarch. &c.

ANNVS MVNDI 3922.

IO. HYRCANI 3, PT. EVERGETIS 14.

DEMETRII NIC. 14. Imp. Gr. 180.

OLYMPIA. CLXI. A. 1. VR. C. 621.

ANTE CHRISTVM 131.

I. Parthica Sidetis expeditio, eiusque victoriæ.

ANtiochus Sidetes Parthicam hoc anno suscepit expeditionem, in quam eum cum auxiliaribus copiis secutus est Hyrcanus Pontifex. De qua scribit Nicolaus Damascenus apud Iosephum, Indatem Parthorum ducem occurrisse Antiocho ad Lycum fluuium, deque eo profligato ibi trophæum erexisse: hæsisse tamen ibi per biduum, ad preces Hyrcani Iudæi, quod in id tempus forte quædam Iudæorum festiuitas incurrisset, quam Iosephus, ait fuisse Pentecostem, post Sabbatum. Ex quo apertum est quo tempore facta fuerit ista expeditio. Addit Iustinus multos Reges Orientales ei se tradidisse, execraros superbiam Parthicam, & tribus præliis victorem occupasse Babyloniam, nihilque Parthis prætet fines suos reliquisse. Quæ cum reliquum annum tenuissent, copias suas circunquaque ad hyberna dimisit. Dimissio autem Demetrij Nicanoris ad annum sequentem pertinet, sicut & Sideris interitus. Ad hunc autem spectant barbaræ crudelitates Ptolemæi Euergetis in Ægypto, & maximi in ea motus, quos referunt Iustinus, Liuius, & Orosius, & nos in Annalibus.

l. 13. c. 16.

l. 38.

Euergetis crudelitas.

Hoc anno D. Iunius Brutus, & P. Cornelius Scipio, ille de vlteriore, hic de citeriore Hispania triumpharunt: ille Callaici, siue Gallæci, hic Numantini cognomine decoratus. De tempore certus est author M. Tullius, qui ait à Scipione triumphatum, anno ante Valerium & Lucullum Consules. Id ergo hoc anno factum, decimo quarto post delatam Carthaginem, vt ait est Eutropius, qui vtriusque triumphum coniungit. Porro cum Florus & Orosius dicant, nec viros superfuisse victoriæ Numantinæ, nec arma vel prædam incendio, & de nomine tantum fuisse triumphum, mirum est Plinium scribere Africanum septemdecim millia pondo argenti dedisse militibus, vtique ex præ-

II. Geminus de vtraque Hispania triumphus.

l. 33. c. 12.

da, quæ-

da, quæ penè nulla fuit: omnino que existimo voculam *millia* in eo loco abundare, vt diligentius in Annalibus probatum est.

nu. 6.

III. A Rupilio cum seruis in Sicilia debellatū est. *In frag. l.34. tit.2*

Quod ad seruile bellum attinet, id in Sicilia ingraueſcebat, vt Diodorus prodidit, donec Rupilius Imperator Tauromenium recuperauit, cum per acerrimam oppugnationem ad extremas famis angustias redegisset obsessos, adeo vt à carnibus liberorum deuorandis exorsi, & ad vxorum corpora progressi, ne sibi quidem dum alter alterum vorat, parcerent. Ibi Comanum Cleonis fratrem ex vrbe circunsessa fugientem cepit. Postremo cum Serapion Syrus arcem prodidisset, omnes in ea fugitiui in potestatem Consulis venerunt, quos excruciatos præcipites dedit. Hinc Ennam progressus, eodem modo desertoribus coarctatis spem omnem salutis ademit, & Cleonem ducem vrbe egressum fortissimè pugnantem vicit, quo mox ex vulneribus mortuo, ea quoque vrbe proditione potitus est. Eunus autem assumptis sexentis stipatoribus, ad prærupta quædam loca fuga se contulit. In quos cum Rupilius duceret, cruciatuum metu, præcisis ceruicibus se mutuo perimebant. Eunus autem ex speluncis, in quas se cum quatuor famulis abdiderat, extractus, & in carcerem compactus, phthiriasi consumptus est. Indeque Rupilius cum exigua delectorum manu, per totam Siciliam excurrens, eam ab omni latrocinio spe celerius liberauit.

Fames horrenda

Mors Cleonis & Euni.

ANNVS MVNDI 3923.

HYRCANI 4. PT. EVERGETIS 15.

DEMETRII NIC. 15. Imp. Græc. 181.

OLYMP. CLXII. A. 2. V. CON. 622.

ANTE CHRISTVM 130.

I. Demetrius in Syriam remittitur. *Iust. l. 38.*

CVm Phraates in superiore Asia ab Antiocho Sidete, & iis qui ad eum defecerant vehementer vrgeretur, Demetrium in Syriam ad occupandum regnum cum Parthico præsidio mittit, vt eo pacto Antiochus ad sua tuenda à Parthia reuocaretur. Interim autem insidiis Antiochum, quoniam viribus non poterat, vbique tentabat. Quoniam autem exercitum suum Sidetes propter multitudinem per ciuitates in hyberna diuiserat, ciuitates cum tam militum iniuriis, quam præbitionibus grauarentur, ad Parthos deficiunt, & statuta die omnes apud se diuisum exercitum, ne inuicem auxilia ferre possent, per insidias aggrediuntur. Quæ cum Antiocho nunciata essent, auxilium proximis laturus, cum ea manu quæ secum hyemabat, progreditur. In itinere obuium Regem Parthorum habuit cum quo fortiter pugnans à suis desertus occubuit, Cui Phraates exequias regio more fecit, filiamque Demetrij, quam secum adduxerat Antiochus, captus amore virginis, vxorem duxit.

Antiochi copiæ diuisæ deleuntur, & ipse cum eis.

II. Phraates Demetrium retrahere conatur.

Pœnitere deinde dimissi Demetrij cœpit, nimirum sublatus erat Antiochi morte metus propter quem eum dimiserat. Ad quem retrahendum cum turmas equitum festinatò misisset, Demetrium hoc ipsum metuentem, iam in regno missi inuenerunt, frustráque omnia conati, ad Regem suum reuersi sunt. Porro diuersa de Antiochi huius morte narrantur. Appianus ait eum sibi manus intulisse, Ælianus se de quodam loco deiecisse præcipitem, Iustinus occisum in prælio. Verum Scriptura initio lib. 2. Machabæorum refert eum in templo Nanææ fuisse lapidibus obrutum à Sacerdotibus, dum sperat se in vxorem ducturum deam illam & ingentes pecunias dotis nomine accepturū. Nam Regem istum Scriptura vocat Antiochū, nec est vllus Antiochus præter Siderem cui vel tempus, vel res ipse conueniant.

In Syriac. l 10. c. 34. de Anim. l. 38 c. 1. 32 &c. Antiochus in templo Nanææ saxis obruitur.

Itaque Rupertus, Sigonius, Michaël Medina, Ioannes Mariana, Serarius, recte de hoc Antiocho Sidete interpretantur. Nam tempora consentiunt. Eique recte verba illa conueniunt, quibus Iudæi se fatentur de magnis periculis liberatus, quippe qui biennium fere obsidionem illo oppugnante pertulerant. Aduersus eum quoque dimicauerant, tam ante obsidionem viuo Simone, quam post ipsius mortē Hyrcano duce. Ipse est qui abduxit in Persidem & regiones Asiæ superioris immensum exercitum, vt Iustinus quoque testatur, in quo erant, qui pugnauerant contra Iudæos, & obsederant Hierosolymam. Nec obstat quod reconciliatus Iudæis eosdem habuit commilitones, vt propterea de eius morte non sibi congratulaturi fuisse videantur. Nam merito hominem ambiguæ fidei, in posterum si victor fuisset, metuebant, qui à principio maximam cum Simone benuolentiam præ se tulerat, moxque ruperat omnia, quæ cum eo pactus fuerat. De modo autem cædis non conuenit inter Scriptores, vt dixi, & sicut occultè illata est, ita apparet fuisse occultatam, tanquam probrosam & sacrilegio fœdam; innotuisse tamen Iudæis, & à Cyrenæo Iasone fuisse scripto traditam, Scriptura ostendit.

III. Vt refertur initio 2. Mach.

Cur de eius morte lætentur Iudæi

Caterum Hyrcanus, vt inquit Iosephus, *audita morte Antiochi, confestim ad vrbes Syriæ reduxit exercitum, ratus, id quod erat, inuenturum se eas vacuas propugnatoribus, Medabam igitur non sine labore sexto demum mense vi cepit.* Non carebat ergo propugnatoribus. Hæc est autem vrbs, ex qua exeuntes filij Iambri comprehenderunt Ioannem fratrē Ionathæ & Simonis, & interfecerunt cū, moxque, vltoribus iisdem fratribus, pœnas dederant vt est in priore Machabæorum: quæ etiam causa videri potest cur eam nunc Hyrcanus subiugare voluerit, & patrui cædem vlcisci. Ea vrbe potitus Samegam, cum vicinis oppidis, siue pagis, & insuper Sichimam & Garizim occupauit, cum gente Cuthæorum, quæ accolebat templum instar Hierosolymitani extructum permissu Alexandri, à Sanaballete duce in gratiam generi ipsius Manassis, qui fuerat frater Iaddi Pontificis. Id templum si hoc anno ab Hyrcano desolatum est, ducentis annis stetit, vt recte subduxit annos Iosephus. Nec plura videntur hoc anno ab Hyrcano geri potuisse.

1. *Mach.* 15. 27.

2. *Mach.* 2. 24.

IV. Hyrcanus Syriā repetit, & Iudæam, & quæ ibi gesserit. *l. 13. c. 17.*

c. 9. 36. & seqq.

A. Alex. 5. V. C. 421.

l. 13. c. 17.

Demetrius autem vbi rediit ad suos, cum omnia Syria esset in luctu, propter amissum ingentem, cum Antiocho Sidete, exercitum: & ipse redux populum suum humaniter tractare, & consolari debuisset, pro innata morum al-

V. Demetrius suos male tractat.

peritate, superbe se crudeliterque gessit, sic vt eos breui ad defectionem coëgerit, vt ex Iustino & Iosepho constat. Idque hoc imprudentius ab eo factum, quod malo domestico vexabatur Ægyptia scilicet Cleopatra Philometoris filia, quæ quartum iam maritum mutarat. Primum enim nupserat Alexandro Balæ, ex quo susceperat Antiochum Deum, quem Tryphon interfecit. Secundo Demetrio isti Nicanori, ex quo genuit Seleucum & Antiochum Gryphum qui postea ad duodecim regnauit annos. Tertio Antiocho Sideti, qui nuper in Persida periit, ex quo suscepit Antiochum Gyzicenum. Quarto rursus Demetrio Nicanori ex Persida reduci. Ab ea tamen, propter Rhodogunes zelotypiam, repulsus est, vt sequentia docebunt.

li.39. l.13.c.17.

Cleopatræ 4. mariti. & proles eorum.

VI. Altera Cleopatra auxilium à Demetrio petit. *Vide a. m. 3922 n.4. in Annal l.38.&39.*

Interea Cleopatra soror & coniux Ptolemæi Euergetis, quem sui ob crudelitatem expulerãt, cum fraterno bello vrgeretur, per legatos à Demetrio recens ex Parthis reuerso auxilium petiit, & regnum Ægypti pretium auxilij pollicita est, vt ait Iustinus; sed id non ante annum sequentem videtur attulisse Demetrius, & quidem maiore damno suo, quam reginæ Ægyptiæ vtilitate.

VII. Bellum Rom cõtra Aristonicum eiusque causa.

Hoc anno bellum à Romanis contra Aristonicum infeliciter inchoatum est. Belli causa fuit Pergami regnum, quod ante biennium Attalus moriens populo Romano testamento reliquerat, cum viuens æque ac moriens in consanguineos parum æquus fuisset. Eius frater fuit Eumenes, qui ex pellice Ephesia susceperat Aristonicum, qui postmortem Attali, velut paternum regnum inuasit Asiam, qui cum multa secunda prælia fecisset aduersus ciuitates, quæ Romanorum metu ei se tradere nolebant, iustusq; Rex iam videretur, Asia Licinio Crasso Consuli decernitur, qui attentior Attalicæ prædæ quam bello, cum extremo anni tempore inordinata acie prælium conseruisset, victus pœnas inconsultæ auaritiæ sanguine dedit. Ita Iustinus. Hoc porro admirabilior fuit Aristonici victoria, quod Eutropius & Orosius aiunt, Crassum secum habuisse infinita regum auxilia.

Iust. l. 36.

Crassi in eum expeditio.

VIII. Mortis eius modus. *l.5.c.10. Valer l.3. c.2.*

De mortis genere sic scribit Orosius. Conserto prælio bello victus est Crassus, & exercitu post plurimam cædem in fugam acto, cum ipse iam circumuentus ab hostibus, & pene captus esset, virgam, qua vsus erat ad equũ, in oculum Thracis impegit. Barbarus autem cum ira & dolore exarsisset, latus Crassi gladio transuerberauit. Ita ille excogitato genere mortis, effugit & dedecus & seruitutem. Mortui caput resectum Aristonico oblatum est, corpus Smyrnæ sepultum. Atque ita mortuus P. Licinius Crassus, vir qui, vt scribit Gellius, traditur quinque habuisse rerum bonarum maxima & præcipua, quod esset ditissimus, quod nobilissimus, quod eloquentissimus, quod iurisconsultissimus, quod Pontifex Maximus. Nihilominus, si Iustino credimus, tot titulis illustre caput, auaritia dominante à barbaris desectum est.

* * *

Eiusdem prærogatiuæ. l.1.c.13.

ANNVS MVNDI 3942.

IOHANNIS 5. PT. EVERGETIS. 16.

DEMETRII NIC. 16. Imp. Gr. 182.

OLYMP. CLXII. 3. VR. CO. 623.

ANTE CHRISTVM 129.

I. Hyrcani in Idumæos expeditio, qui ad Iudaismum transeunt

REferimus deinceps in hunc annum Hyrcani gesta aduersus Idumæos, ordine narrationis à Iosepho institutæ, necnon expeditionem Demetrij in Ægyptum, & Syriæ defectionem, quam Iustinus ordine suggerit. *Hyrcanus*, inquit Iosephus, *etiam Idumææ vrbes cæpit Adoram & Mariſſam: subiugatisque omnibus Idumæis edixit, vt circumciderentur, nisi mallent è propriis pelli sedibus. At illi amore patriæ admiserunt, & circumcisionem, & reliquam iuxta Iudaicos ritus viuendi formulam. Atque ex eo primum tempore inter Iudæos censeri cœpti sunt.* Non male Hyrcanus Idumæos Esau & Abrahæ filios ad circuncisionem adegit, ad quam Deus totam Abrahæ posteritatem obligauerat. Circuncidentes autem se debitores facti sunt vniuersæ legis, ideóque recte cæteros ritus dicuntur amplexi. Hyrcanus porro late in vniuersa Iudæa rerum potitus est. Etsi enim Demetrius Iudæam, tanquam Syriæ partem, sibi cuperet vendicare, & Hyrcano bellum inferre, opportunitatem tamen non habuit; tum quia, tam Syris, quam militibus suis erat inuisus, propter morum importunitatem, tum quia Ægyptiaca expeditio longe gloriosior, atque fructuosior futura videbatur.

II. Hyrcani potentia. Legatos Romam mittit.

At Hyrcanus qui Idumæos à Meridie, Ammonitas ab Oriente, Samaritas à Septentrione recens domuerat, non videtur tamen Gazam, Accaronem, & Ioppem habuisse in potestate, aliasque aliquot ad Occidentem vrbes, proximo contra Sidetem bello amissas, vt ex literis Fannij prætoris intelligi potest. Itaque ad eas recuperandas ad præsidium Romanorum respexit, quod ad ea quoque firmanda quæ possidebat non parum valiturum erat. Et hoc fuit argumentum, & finis legationis ab Hyrcano hoc anno, vt arbitror, missæ, quam Simon, Apollonius, & Diodorus obierunt, de qua sequenti anno, quo responsum est à Romanis, dicendum erit. Quod certius affirmare possemus, si Iosephus in ea referenda Consulem eius anni nominasset. *Hyrcanus*, inquit, *Pontifex renouaturus cum Romanis amicitiam, misit legatos ad Senatum*, vbi recitatis eius literis, amicitia firmata est.

III. Demetrio parante bellum Ægypto, Syria ab eo defecit. *li 39.*

Demetrius autem cum bellum Ægypto inferre statuisset, inquit Iustinus, *Cleopatra soceri regnum Ægypti pretium auxilij aduersus fratrem pollicente, dum aliena affectat, vt assolet fieri, propria per defectionem Syria amisit. Siquidem Antiochenses primi, duce Tryphone execrantes superbiam Regis, qua conuersatione Parthica crudelitatu intolerabilis facta erat, mox Apameni, cæteraque ciuitates exemplum secutæ, per absentiam Regis à Demetrio defecerunt.* Quis fuerit iste Tryphon non satis apparet: Ille certe quem Scriptura memorat, iam à sex annis

a.m.3918.

erat

erat extinctus, vt suo loco docuimus. Itaque apparet Iustinum Demetrij & Tryphonis tempora confudisse. Interea vero cum Euergetes in Cypro exularet, mittunt ad eum Syri legatos rogantes, vt aliquem ex Seleuci genere eis daret, quem possent sibi Regem constituere. Eóque facto illum tacite obligabant, si res ita postularet, ad eius suique defensionem, contra legitimum Regem Demetrium. Sed ille non ante sequentem annum missus est, cum iam Demetrius in Syriam reuertisset, vt ex Iustino dicemus.

IV. Turbæ à Tribunis Africani constantia.

Romani autem neque domi satis quieti fuerunt, neque Aristonicum diu de victoria lætari permiserunt. Nam vt habetur Epit. 59. cum C. Carbo Tribunus plebis rogationem tulisset, vt eundem Tribunum plebis, quoties quidem vellet creari liceret; rogationem eius P. Africanus grauissima oratione dissuasit, & à Carbone rogatus quid de Tib. Gracchi cæde sentiret, respondit si is occupandæ Reipub. animum habuisset, iure cæsum videri, Obstrepente autem populo, *Taceant*, inquit, *quibus Italia nouercans non mater est*. Nimirum priuigni obstrepunt nouercis, non filij matribus. Nihilominus acerba erat populo Tiberij cædes, & præ se ferebat vltionis se opportunitatem exspectare. Et vero iam Scipioni Naficæ iudicia intentabantur, cui Senatus ad securitatem liberam legationem in Asiam decreuit; quam ille obijt, licet Pontificatu Maximo esset deuinctus. Ad Aristonicum autem se contulit, cuius labefactatis fortunis Pergami sibi ipsi miser intulit manus, vt ait Plutarchus.

Pluth. in Gracch.

Naficæ libera legatio.

V. Perperna Aristonicum ad deditionem cogit. *l. 5. c. 10.*

Iam vero de re gesta à M. Perperna Consule, cui Asia obtigerat, sic Orosius. *Perperna Consul, qui Crasso successerat, audita morte Crassi, & clade Romani exercitus, raptim in Asiam peruolauit, Aristonicum recenti victoria feriatum, improuiso bello adortus, nudatumque omnibus copiis in fugam vertit. Cumque Stratonicem vrbem, ad quam ille confugerat, obsidione cinxisset, fame ad deditionem coëgit. Perperna Consul apud Pergamum morbo diem obijt.* Aristonicus autem Romam deportatus, iussu Senatus in carcere strangulatus est anno sequenti.

ANNVS MVNDI 3925.

IO. HYRCANI 6. EVERGETIS 17.

DEMETR. NIC. 17. Imp. Græc. 183.

OLYMPIA. CLXII. A. 4. V. C. 624.

ANTE CHRISTVM 128.

I. Res à Iudæis Romægestæ. *Ioseph. l. 13. c. 17.*

IVdæorum Romana legatio ad hunc annum pertinet, & Demetrij reditus in Syriam, & fuga Ægyptiæ Cleopatræ, & noui tyranni Alexandri Zebinæ in Syria suscitatio. Reliquiæ item belli Asiatici Aristonici, Romana seditio Triumuirorum, mors Africani iunioris. Prima occurrit Fannij responsio data legatis Iudæorum, quæ in sextum Februarij cadit. Cuius literis præcipitur, vt quæcunque per Antiochum Sidetem postremo bello Iudæis, præter decretum Senatus, ablata fuerant restituantur, eaque legati à Senatu missi reddi curent, & precium agrorum eodem bello vastatorum æstiment; veterentque milites turmatim per ipsorum regionem iter facere, legati autem Iudæorum commendatitijs literis donentur ad Reges & liberos populos, quò tutius in patriam reuerti possint; denique viatico sumptu publico instruantur.

II. Demetrius redit in Syriam.

Iust. l. 39.

Demetrius autem cum in Ægypto Syriæ defectionem intellexisset, propere Ægypto relicta, in qua ipsi cum Euergete pugnandum fuerat, in Syriam reuertitur. Cleopatra vero hoc orbata præsidio, Euergetis crudelitatem reformidans, in Syriam ad generum confugit, & filiam, opibus Ægypti nauibus impositis. Quibus cognitis Ptolemæus immittit iuuenem quendam Ægyptium Protarchi negotiatoris filium, qui regnum Syriæ armis peteret, composita fabula, quasi per adoptionem Antiochi Regis, in Regiam familiam receptus esset, Syris qui defecerant, nullum Regem aspernantibus, modo ne Demetrij superbiam paterentur. Nomen iuueni Alexander impositus, quem Iosephus Zebinam cognominat, eique ex Ægypto ingentia auxilia submittuntur. Iuuit fabulam, quòd corpus Antiochi, interfecti à Rege Parthorum, in loculo argenteo ad sepulturam in Syriam remissum peruenit, cum iam ibi adesset Alexander, qui ingenti luctu, studioque ciuitatum Regis corpus excepit, quæ res ei magnum fauorem popularium conciliauit, omnibus in eo veras lachrymas existimantibus.

In eum Ptolemæus Zebinam subornat.

III. Aquilius belli Asiatici reliquias cõficit. *l. 2. c. vlt.*

Quod ad reliquias belli Asiatici, Florus ait M. Aquilium eas confecisse mistis veneno fontibus, ad deditionem quarundam vrbium; quæ res vt maturam ita infamem fecit victoriam. Triumphasse nihilominus, sed post annum tertium in tabulis Capit. legitur, siue quod rebus in prouincia ordinandis longiores traxerit moras, siue quod ei diutius pro triumpho cum inimicis certandum fuit, à quibus etiam postea accusatus est. Et fortasse ipsemet Aristonicum, quem à Perperna captum in vinculis reperit, Romam duxit, non exiguum ad triumphum impetrandum momentum allaturum. Cui tamen Senatus iussit in carcere frangi ceruices. Quod Velleius scribit M. Aquilio Consule contigisse.

Mors Aristonici.

IV. Vrbanæ seditiones.

Vrbis porro seditiones nequaquam mortuo Graccho extinctæ sunt. Populus enim, cæteris Tribunis flammas iracundiæ ministrantibus irasci cœpit in Optimates, ipsumque in primis Naficam cædis autorem, adeo vt Senatus & hunc dimittere sub specie legationis coactus fuerit, & plebis leniendæ causa, contentionem de agraria lege remittere, aliumque triumuirum Tib. loco agris diuidendis designare, vt scribit Plutarch. in vita Gracchorum. Ea diuisio seditiones excitabat, quibus cum iunior Africanus aduersaretur, cum pridie domum validus se recepisset, postridie in cubiculo inuentus est mortuus. Nec caruit suspicione dati veneni Sempronia vxor eius, & Gracchorum soror, cum quibus simultas Africano fuerat. Id innuit Tullius in Somnio, cum superiorem Africanum ita loquentem inducit. *Dictator Reipub. constituas oportet, si impias propinquorum ma-*

Mors iuniotis Africani.

nus effugerit. Contigit ea mors anno ætatis eius 56.iuxta illud eiusdem. *Namcum ætas tua septenos octies solis anfractus,redituſque conuerterit*, &c. De tanto tamen viro ita sublato,nulla quęstio propter triumuirales seditiones habita est, Senatu talium virorum cæde deterrito.

V. Sempronij resgestain vrbe, & in Illyrico.

Porro Sempronius Tuditanus, vt ait Appianus, electus est iudex causarum, quæ in agrorum diuisione plurimæ ac difficillimæ enascebantur. Id negotium Consul aggressus, cum perdifficile animaduerteret, prætextu Illyrici belli,abijt in prouinciam. In qua,vt ait Florus, primo rem male gessit, mox victoria cladem acceptam emendauit, virtute Iunij Bruti, qui Lusitaniam subegerat.De iis etiam triumphas se hoc ipso anno Cal.Octob.habetur in tabulis Capitolinis.

Epit.59. a.V.C.615

VI. Obitus Carneadis.

Eadem anno Carneades nouæ Academiæ autor,genere Afer,patria Cyrenæus,cui M.Tullius tribuit diuinam quandam celeritatem ingenij,dicendique copiam,cum venenum sponte bibisset, extinctus est, quarto huius Olympiadis anno,cum vixisset annos 85,vt refert Apollodorus in Chronicis,aut vt habet M. Tullius in Lucullo XC.de eo pluta apud Laërtium, ipsumque Ciceronem leges.

4.*Acad.*

ANNVS MVNDI 3926.

HYRCANI 7. PT. EVERGETIS 18.

DEMETRII NIC. 18. Imp. Gr. 184.

OLYMP. CLXIII. A. 1. V. C. 625.

ANTE CHRISTVM 127.

I. Demetrius à Zebina vincitur.

DEmetrius infeliciter hoc anno contra Alexandrum Zebinam, regni æmulum à Ptolemæo summissum,pugnauit: nec mirum, qui contra suos simul alienosque pugnabat, eadéque pugna & exercitum amisit,& regnum.Nec tamen Zebinam tyrannum, quandiu ille vixit, Regem agnoscimus. De hac pugna ita Iosephus.*Cumque Ptolemæus misisset Alexandrum Zebinam,commisso prælio Demetrius vincitur, & refugiens à pugna ad Cleopatram vxorem in Ptolemaidem, exclusus est ab ea, delatusque inde Tyrum,ab inimicis capitur,& diu miserè vexatus,tandem interficitur.* Hęc diutina vexatio causa est,cur Demetrij mortem in annum sequentem differamus: vt ei quatuor annos à reditu in Syriam cum Eusebio saltem inchoatos tribuamus.A filiis quoque desertum Iustinus tradit. Appianus autem ait vnum tantum è filiis, Seleucum nomine, adfuisse in Syria, Antiochum vero cognomine Grypum Athenis fuisse; alterum autem Antiochum cognomine Cyzicenum filium Sidetis,fuisse Cyzici ad Propontidem.Interea Ptolemæus reconciliata sororis gratia,in regnum,autore Iustino, reuersus est.

l.13.ant.c. 17.

Filij Demetrij. *l.39.*

II. Læli de Amicitia sermo.

Magnæ erant hoc tempore turbæ Romæ, Tribunos inter & Optimates, ex agrorum diuisione excitatæ: magna quoque hominum, vel admiratio, vel querela de morte Africani, vt scribit M. Tullius in Lælio,cum C. Lælius, qui cum Scipione intima iunctus fuerat amicitia,cum generis sui C.Fannio,& Q.Mutio, de Amicitia sermonem habuisse dicitur, vt se ipse, super amantissimi hominis morte consolaretur: quem sermonem Cicero mandauit literis, in libello quem inscripsit de Amicitia, & illum ipsum possis in præcedentem annum referre. Paucis enim diebus post Africani mortem habitam eam disputationem, scribit ibidem eius autor Tullius.

ANNVS MVNDI 3927.

IO. HYRCANI 8. PT. EVERGETIS 19.

DEMETRII 19. & vlt. Imp. Græc. 185.

OLYMPIA. CLXIII. A.2. VR. C. 626.

ANTE CHRISTVM 126.

I. Demetrij mors ci ab vxore illata.

DIstulimus in hunc annum Sabbaticum 192 apud Hebræos, Demetrij Nicanoris mortem,vt quadriennium illi a reditu Parthico cũ Eusebio tribueremus. De cuius morte, præter ea quæ proxime ex Iosepho dicebamus, scribit Iustinus eum à suis derelictum,cum paucis seruulis Tyrum petiisse, vt ibi se templi religione, quasi Asylo tueretur,*sed naui egredienti*, inquit, *præfecti iussu interficitur*,id factũ autoritate Cleopatræ intelligendum est;quæ propterea ab Appiano in Syriacis,à Liuio Epit.60, maritum dicitur interfecisse. Nec eo scelere contenta sæua Proserpina, vltra etiam progressa est, vt mox dicemus. De rebus Italicis illud vnum occurrit ex Plutarcho.C. Gracchum declinantem Reipub.tractationem,in somnis à fratre monitum atque incitatum,vt Rempub.fatis exigentibus capesseret.Nimirum malus Dæmon turbarum autor & seditionum incentor,sub specie fratris, quasi fati necessitate, Caium ad paratas turbas immisit.Itaque persuasus, proximo anno Oreste Consule factus est Quæstor. Huius somnij meminit M.Tullius 1.de Diuin.& Valer. Max.

C. Gracchus somnio ad Remp. euocatur.

l.1.c.8.

II.

Sequenti anno cum Zebina victor Demetrij in Syria dominaretur, familia tamen Demetrij non plane iacebat. Multa enim in potestate Cleopatræ ab eo fuisse relicta, in gratiam Ptolemæi Euergetis eius patrui, ex eo satis constat, quod Seleucus Demetrij filius,&quidem, vt apparet, primogenitus, regnare aggressus est. Sed cum Cleopatra mater, aut furia potius, scelera sceleribus accumulans, interemit, quod iniussu suo diadema sumpsisset: sagitta illum sua manu emissa confixit, vt ait Appianus, siue metuens ne ille patris necem vlciscetur, siue eodem furore gerens omnia. Potuit etiam Zebinæ gratiam quærere, qui regnum possidebat,eius æmulum tollendo. Alexander autem,inquit Iosephus,regnum adeptus fœdus feriit cum Hyrcano Pontifice, vt scilicet ea ex parte res suas roboraret in Syria, contra filios Demetrij,& Antiochi Sidetis, à quibus tyrannidi suæ metuebat. Credibile autem est Pontificem non tam fœdus inijsse cum tyrãno, quam populi sui vexationem vitasse eo tempore,quo nihil legitimo hæredi prodesse poterat. Ad-

3928. Seleucus regnare aggressus à matre interficitur.

dit

dit porro Iosephus Hyrcani res maximis hoc tempore auctas fuisse incrementis; quippe qui secure totius ludææ prouentibus fueretur.

III. Ætnæ incendium, & Liparę l. 5. c. 10.

His Coss. vt scribit Oros. Ætna vasto tremore concussa exundauit igneis globis. Rursusque alio die Lipara insula, & vicinum circa eam mare in tantum æstum efferbuit, vt adustas quoque rupes dissoluerit, exanimatos pisces, & supernatantes excoxerit: homines quoque, nisi qui longe diffugere potuere, reciprocato habitu calidi aëris, adustis introrsum vitalibus suffocarit.

Oresti in Sardos expeditio *Plut. in Gracch.*

Prosectus est hoc anno contra Sardos Consul Orestes, quæstore vsus C. Graccho; qui in ea insula, iustitiæ, fortitudinis, omnisque virtutis specimen dedit. Gratia quoque & eloquentia tantum valuit, vt cum atrox simul & insalubris hyems in Sardinia contigisset, nec imperatam vestem à ciuitatibus Imperator obtinuisset, quin potius ciuitates eius oneris immunitatem à Senatu impetrassent, Caius ciuitatibus aditis persuasit, vt vestes Romanis militibus spōte mitterent. Plura in eandem sententiam suggeret Plutarchus.

C. Gracchi dicēdi vis.

ANNVS MVNDI 3929.

IO. HYRCANI 10. EVERGETIS 21.

ANTIOCHI GRYP. 1. Imp. Græc. 187.

OLYMP. CLXIII. A. 4. VR. C. 628.

ANTE CHRISTVM 124.

I. Initiū regni Grypi, & Zebinæ cædes, opera Ptolemæi.

INitium regni Antiochi Grypi in hunc annum cadit, quo Regis Ægypti ope, Zebinam tyrannum victum capturoque interfecit. Nam qui ex humilibus orti principijs in magnam dignitatem casu euehuntur, ipsi se propter angustras animi satis capere non possunt, sed facile insolescunt, etiam aduersus eos, à quibus sunt in altum euecti. Nam Zebina tumens ex successu rerum, vt ait Iustinus, ipsum etiam Ptolemæum, cuius opera Syriam occuparat, superba cœpit insolentia spernere. Itaque Ptolemæus reconciliata sororis gratia, Zebinam summa ope constituit euertere. Mittit igitur ingentia Grypo auxilia, & filiam Tryphenam eidem nupturam, vt populos in auxilium generi, non societate belli tantum, sed sua etiam affinitate sollicitaret. Euocauerat enim recens Athenis Cleopatra Grypum filium in Syriam, vt regnaret, sed ita vt Regis nomen penes filium, ius autem totius imperij penes matrem esset.

II. Zebinæ sacrilegia, fuga, interitus.

Cum ergo Grypum instructum Ægyptijs copijs Syri viderunt, paulatim ab Alexandro Zebina deficere cœperunt. Prælio deinde decernitur, quo victus Alexander Antiochiam profugit, quæ ipsum prima receperat. Ibi inops pecuniæ cum stipendia militibus deessent, ex Iouis templo solidum ex auro victoriæ signum tolli iubet, dicens commodatam sibi à Ioue victoriam. Interiectis deinde diebus, cum ipsius Iouis aureum simulacrum infiniti ponderis tacitè euelli iussisset, deprehensusque in sacrilegio, concursu multitudinis versus esset in fugam, magna vi tempestatis oppressus, ac desertus à suis, à latrocinibus capitur, perductusque ad Grypum interficitur. Ita tyrannus cito exaltatus, cito deiectus est. Quam ad rem sacrilegium non leue momentum attulisse, ethnici ipsi senserunt, sæpiusque in diuersis principibus notarunt, præsertim Syriæ regibus, Antiocho Magno, Antiocho Illustri, Antiocho Sidete, Heliodoro, & nunc in isto Zebina, quem Iosephus in prælio cæsum occubuisse tradit.

Ethnici sacrilegia exhortu- erunt.

l. 13. c. 17.

His Consulibus incredibilis in Africa pestilentia orta est à maxima multitudine locustarum, quæ cum viuæ quidquid erat virens corrosissent, vento in mare proiectæ, & fluctibus in omnia sparsæ littora, multis vbique aceruis ita computruerunt, vt inde enata pestis infinitam hominum, atque omnium animantium multitudinem morte prosterneret, vt pluribus explicat Paulus Orosius. Romæ porro minime quietæ res erant. Nam Fuluius Flaccus & triumuir agris diuidendis & Consul multa mouebat, ius ciuitatis Italicis populis tribuere volens, quantumuis resistente Senatu, qui subditos æquari ciuibus ægre ferebat. Fuluij tamen conatus irritus fuit. Ita rebus affectis C. Gracchus se candidatum Tribunatus professus est, tanto studio Romanæ plebis totiusque Italiæ, quæ in vrbem influxerat, illustriore, quanto maiore conatu nobilitas illi vniuersa resistebat. Etsi autem renunciatus est quartus, inito tamen magistratu facile omnium primus fuit, vt qui facundia, vt nemo alius polleret, quam in deploranda fratris calamitate patefecit. Confestim autem, inquit Appianus, cœpit dolos Senatui nectere, lege lata de frumento menstruo, plebi viritim ex publico diuidendo, qua re plebe sibi celeritate deuincta, Flacco adiutante, in sequentem quoque annum Tribunus refectus est.

III. Africanā pestilētia ex locustis.

l. 5. c. 11.

Romanæ turbæ, & C. Gracchi Tribunatus.

Hoc ipso anno geminum Romanorum bellum occurrit, alterum in Italia, in Gallia alterum. Nam Fregellæ populi Romani colonia, cum ab eo defecissent à L. Opimio Prætore deuictæ, & ad deditionem compulsæ sunt, Pulli cuiusdam Numitoris proditione intercedente, Tullio teste. Defectionis causa creditur spes data populis Italicis Romanæ ciuitatis, & mox irrita facta. Eius coniurationis creditus est conscius C. Crassus, quod tamen crimen ille accurate purgauit. Confecto bello non triumphauit Opimius, quod cautum esset, vt pro auctо imperio, non pro rebus recuperatis triumphus decerneretur.

IV. Bellū Fregellanū.

l. 5. de fin. Valer. l. 2. c. 8.

Exortum quoque bellum est, quod vocatum fuit Allobrogicum, quod à M. Fuluio Flacco geri cœptum, à Q. Fabio Maximo post quadriennium confectum est. Causa belli fuit quod Gallici quidam populi, Massilienſium populi Romani sociorum fines popularentur.

Et Allobrogicū.

***

excubias agentes. Vbi diluxit, ægrè excitauerunt sopitum mero Fuluium, armaueruntque se spolijs, quæ ille dudum Gallis detraxerat, & ad occupandum Auentinum contenderunt. Gracchus cætera inermis, modico se pugione succinxit. Exeuntem Licinia coniux frustra retinere conata est; ille ad Fuluium tacitus cum amicis processit. Fuluius, vbi frequentes conuenerunt, filium minorem de Caij concilio, cũ caduceo mittit in forum, vt de pace cum Consule & Senatu ageret. At Opimius iussit eos, vt sontes, ad causam dicendam descendere, & Senatui se permittentes pœnam deprecari. Et adolescenti edixit, vt nisi his conditionibus ne rediret; redeuntem nihilominus comprehendit, & tradidit in custodiam.

III. Fuluius cum filio obtruncatur.

Inde in Fuluij cohortem impressionem facit, eaque cum vulneribus dissipata, Fuluius in balneum contemptum confugit, vnde extractus, cum filio natu maiore obtruncatus est. C. autem in ædem Dianæ se recepit, vbi cum sibi manus inferre conaretur, ab amicis prohibitus, gladio spoliatus, & ad fugam compulsus est. Interea pronunciata per præconem impunitate ijs, qui seditiosos desererent, plerique ad Opimium se contulere. In Gracchum autem fuga capessentem inferentibus se hostibus, & eum ad pontẽ sublicium assecutis ijdem amici hortati sunt eũ, vt iter ante caperet, dum ipsi ad pontem irruentium impetum sustinerent, nec cuiquam dum vixerunt transitus patuit. Interea C. in lucum Furinæ confugit, vbi à famulo fugæ comite, iussu ipsius obtruncatur, statimque eodem se ferro perfossum, super Domini cadauer abjecit. Caij caput præcisum amicus Opimij Septimuleius abstulit, quod pari auri pondere repensum est, vti sponderat Opimius: quamuis plumbum exempto cerebro esset infusum.

Et Gracchus a famulo.

IV. In eius factionẽ sæuitur.

Ex factione Gracchi, inquit Orosius, 250. in Auentino cæsa referuntur. Opimius Consul sicut in bello fortis, ita in quæstione crudelis fuit. Nam amplius quam tria millia hominum supplicijs necauit, ex quibus plurimi innocentes, ne dicta quidẽ causa, interfecti sunt.

Alij addunt cadauera in amnem proiecta, & eorum bona publicata. Inde lustrata vrbe à cædibus, concordiæ Fanum in foro Senatus Consulto conditum est: quod plebs in detectorem partem accepit, quasi de tanta ciuium strage triumphus agi videretur. Sed de his pro instituto satis, plura in Annalibus studiosus Lector inueniet.

V. Res Allobrogica

Cum autem Domitio Consuli prorogatum esset imperium, Allobroges, quo nomine Delphinates & Sabaudi continentur, cũ Cauaribus: ad Vindalium oppidum, & Sulgam fluuium ingenti prælio vicit. Fabius quoque Maximus contra Aruernos feliciter pugnauit. Quamquam id prælium aliqui Domitio tribuunt. Certe satis constat Aruernos Allobrogico bello fuisse comprehensos, & Fabium victorem Allobrogicum esse nuncupatum.

***

ANNVS MVNDI 3934.

IO. HYRCANI 15. PTOL. EVERGETIS 26

ANTIOC. GRYPI 6. Imp. Græc. 192.

OLYMP. CLXV. AN. 1. VR. C. 633.

ANTE CHRISTVM 119.

I. Plebs Opimium persequitur, quẽ Carbo defendit.

IN nouam Olympiadem nouus quoque Sabbaticus annus incurrit, ordine 193. Et vt in Syriæ res quietæ erant, ita Romæ in agitatione & motu. Crudelitas enim Opimij ab eo plebis animos abalienauit, & in mortuorum Gracchorum fauorem conuertit. Cum primum enim à magistratu abijt, apud populum à Q. Decio Tribuno plebis accusatus est, quod indemnatos ciues in carcerem coniecisset, imo etiam ad tria millia morte affecisset, præter eos qui in conflictu ceciderant. Verum L. Opimij causam Carbo Consul, qui antea popularis, ad Optimatum partes transierat, defendit ad populum, Gracchum pro salute patriæ iure cæsum confessus. Verum cum omnia Senatus Cõsulto armatus fecisset, quo ei Dictatoria potestas in Consulatu tradi videbatur, absolutus est: inuisus tamen, & probris à populo agitatus consenuit. Gracchorum autem simulacra erexerunt, & loca, in quibus fuerant interempti, consecrarunt.

Epit. 61. Plut. & Oros.

Et mortuos Gracchos plebs honorat.

II. Fabii bellũ contra Auernos.

Pugnatum est hoc anno contra Aruernos, à Fabio Proconsule, & eorum Rege Bituitum, qui maximas copias sub signis habebat, cui Fabius tam paruo cum exercitu occurrit, vt Rex paucitatem Romanorum, vix ad escam canibus suis sufficturam iactaret. Quæ iactatio videtur ad præcedentis anni prælium pertinere, cum nondum Bituitus Romanorum vires esset expertus. Nam Strabo affirmat Aruernos bis cum Rege suo contra Romanos pugnasse: & iam semel victo, hæc verborum vanitas parum conueniret, præsertim cum Fabius nunc ad 30. millia in suo exercitu habuisse dicatur. Is cum ad transferendas copias, vnũ in Rhodano pontem sibi non sufficere crederet, aliũ compactis lintribus, catenisque connexum superstratis confixisq; tabulis instruxit. Cõserta pugna, post diuturnum certamen victi Galli, fugatiq; dum sibi quisq; timet, coaceruatis supra pontem agminibus, vinculisq; ruptis, cum ipsis lintribus submersi sunt. De 180. millibus, 150. millia, vel cæsa, vel submersa scribit Orosius.

III. Et Senatus cõtra Regẽ eorum iniustitia.

Rex ipse postea captus, & in triumphum ductus est, cum argenteo carpento, in quo pugnauerat. *Vtriusq; victoria*, ait Florus, *quod quantumq; gaudium fuerit, vel hinc æstimari potest, quod & Domitius Aenobarbus & Fabius Maximus ipsis quibus dimicauerant in loco, saxeas erexere turres, & desuper exornata armis hostilibus trophæa, prætor Romanum morem fixere.* Sed illud minime omittendum, quod ibi subdit. *Et cum ipse Bituitus, ad satisfaciendum Senatui Romam profectus esset, Albæ custodiendus datus est, quia contra pacem videbatur*, id est, contra firmitatem pacis, *vti in Galliam remitteretur. Decretum quoque est, vt Congentiatus filius eius comprehensus Romam mitteretur.* Valerius

Epit. 61.

per-

perfidiam in hunc Regem admissam agnoscit. Nam pace facta vltro ad vrbem profectus, ibi capitur, ibi in triumphum ducitur, & in perpetuum carcerem conijcitur: & ne quid iniustitiæ deesset, etiam regni hæres eandem cum patre calamitatem subire cogitur. Et tamen populus Romanus ijs ignouisse dicitur, quia scilicet maiori etiam facinore, pace facta, gentem funditus delere potuerit. Ita paulatim ea perpetrabat hic Domitor terrarum populus, quæ aliquando in caput eius verterentur: eamque libertatem ipse perderet sibi, quam alijs iniuste rapiebat.

ANNVS MVNDI 3935.

IO. HYRCANI 16. EVERGETIS 27.

ANTIOCHI GRYP. 7. Imp. Græc. 193.

OLYMP. CLXV. A. 2. VR. C. 634.

ANTE CHRISTVM 118.

I. Initia belli Iugurthini.

ARbitramur hoc anno L. Opimium missum legatum in Numidiam, ad regnum, improbitate Iugurthæ vehementer perturbatum recte componendum. Micipsa enim mortuo, in regulorum conuentu, dum de regni administratione disseritur, Iugurtha dixit oportere quinquennii consulta, & decreta omnia rescindi, quod per ea tempora confectus annis Micipsa parum animo valuisset. Tum Hiempsal id sibi placere respondit. Namillum ipsum trib. vltimis Regis annis in regni iura adoptione peruenisse: Id verbum cum in Iugurthæ pectus altiùs descendisset, ita & metu anxius, omnia ad interitum Hiempsalis molitus est. Denique in eius domum cum armata manu ingressus, eius caput obtruncat. Inde Africa bipertito diuiditur, alijs Iugurtham, alijs Adherbalem sequentibus. Adherbal Romam mittit legatos, qui de fratris morte Senatum doceant. Iugurtha vrbes partim vi, partim voluntate sibi adiungit, & Adherbalem ad pugnam inductum, vincit, ac fugat in prouinciam, vnde Romam contendit.

Iugurtha Hiempsalem occidit.

II. Romanos precio corrumpit, & Opimium inprimis.

Iugurtha tota Numidia potitus, timere Romanos, nec spem salutis, nisi in Romanorum auaritia ponere, à quibus Numantiæ didicerat, omnia Romæ esse venalia. Itaque paucis post diebus legatos Romam cum multo auro & argento mittit iussos veteres amicos explere muneribus, nouos acquirere, largitionibus omnia moliri; quod ab illis tanto studio perfectum est, vt iustissimæ Adherbalis querelæ propemodum irritæ cesserint. Decretum quippe factum est, vt decem legati regnum Micipsæ Iugurtham inter & Adherbalem diuiderent. Cuius legationis princeps fuit L. Opimius, quem Iugurtha accuratissime accepit, dandoque & pollicendo multa perfecit, vti famæ fidei que suæ, iustitiæ, rebusque omnibus Iugurthæ commoda præferret: idemque cæteris fere legatis contigit. Itaque in diuisione regni melior pars Iugurthæ data est, altera deterior Adherbali, cui vtramque daram oportuit, & æmulo eius insuper pœnam irrogari.

Et dimidiũ regni obtinet.

Hoc primum anno C. Marius in theatrum Romanum ingreditur, multos in eo turbas deinceps excitaturus, factusque Tribunus plebis, se non tolum spectandum, sed etiam formidandum exhibuit, multas prius passus repulsas. Cum enim Cæcilij Metelli fauore eam dignitatem fuisset adeptus, legemque ferret de suffragijs, cui vterque Consul resistebat, Totiæ minatus est se eum ducturum in carcerem, nisi Senatum de sententia deduceret. Metellum etiam collegæ consentientem, accito viatore duci præcepit in vincula, quo alios Tribunos appellante, nemo fuit ei auxilio. Itaque cedens Senatus suum antiquauit decretum. Marius victor in concionem egressus legem pertulit: habituque est inuictus à metu, sed ignarus pudoris, quem Metello debebat, & benefactori, & Consuli.

III. C. Marius fit Tribunus plebis.

Eius in Consules acerbitas.

ANNVS MVNDI 3936.

HYRCAN. 17. PTO. EVERGETIS 28.

ANTIOCHI GRIPI 8. Imp. Græc. 194.

OLYMP. CLXV. A. 3. VRB. CO. 635.

ANTE CHRISTVM 117.

RES Ægyptiæ, atque Syriacæ silent, Numidia nouum scelus Iugurthæ loquitur. Postquam enim diuiso regno legati Africa discessere, & Iugurtha, præmia sceleris adeptum se videt, in regnum Adherbalis hominis placido ingenio, atque iniuriæ opportuno, animum intendit, vt suam in Romanos largitionem alieno damno repararet. Itaque ex improuiso fines eius cum magna manu inuadit, & multa cum præda, magna illata clade, in regnum suum regreditur. Adherbal legatos ad Iugurtham de iniurijs questum misit: qui tametsi contumeliosa dicta retulerant, prius tamen omnia pati decreuit, quam male antea tentatum bellum redintegrare.

I. Iugurtha fines Adherbalis inuadit.

Deducta est hoc anno colonia, quæ Narbo Martius dicta est, à Consule à quo deducta est, vt Velleio placet. Et quidem, vt apparet, post bellum in Gallia Narbonensi à Martio Consule confectum; de quo hæc habet Orosius. *Q. Martius Consul Gallorum gentem sub radice Alpium sitam*, at Narba adiacet Pyrenæo, *bello aggressus est: qui cum se Romanis copijs circumseptos viderent, bellog; impares fore intelligerent, occisis coniugibus ac liberis in flammas sese proiecerunt. Qui vero præoccupantibus Romanis capti fuerant, alij ferro, alij suspendio, alij abuegato cibo sese consumpserunt, nullusque omnino, vel parvulus superfuit, qui seruitutis conditionẽ vitæ amore toleraret.* Furore vtique incredibili, maximo malo multo minus redimentes: & insuper calamitate sua, grauissimis in innocentes parricidijs, cumulata. Porro M. Cato, huius anni Consul, filius illius Catonis fuit, qui Prætor designatus viuo patre mortuus est, & nepos nominatissimi Catonis, qui dictus est Censorinus. In Africam autem Consul profectus ibi mortem obijt. Vide Gellium.

II. Narba Martius colonia. *l.5.c.14.*

l.13.c.18.

manibus post tergum reuinctis, ante portas Numantinorum expositus, ibi vsque in noctem manens, à suis desertus, ab hostibus autem non susceptus, lachrymabile vtriusque spectaculum præbuit, de cuius iniquitate iudicij pluribus ille, vt ex Annalibus intelliges.

n. 14. & 5.

VI. Æmylius iniustum bellum suscipit, ac male gerit.

Interea Æmylius Lepidus, qui propere in locum Mancini missus fuerat, dum ab vrbe responsa de Numantina pace expectat, impatiens otij, Vaccæos iniusto bello petit, eorumq; agris vastatis, Palantiam aggreditur, Bruto socero suo, in eiusdem belli societatem accito. Quod cum Senatus per legatos Cinnam & Cæcilium prohibuisset, ille nihilominus in incepto perstitit; sed pro male quæsita gloria, ignominiam est consecutus. Nam cum Palentiæ diutius obsidio traheretur, & Romani fame perirent, Æmilij & Bruti pertinacia inopiæ magnitudine superata est. Repente noctu circa vltimam vigiliam festinatò discedunt, cum Palentini abeuntes, & tantum non fugientes adorti, à prima luce ad vesperam multis detrimentis affecerunt. Senatus re cognita imperio ipsi abrogato, Romam priuatum reuocarunt, & pecunia insuper mulctarunt. Addit Orosius sex millia Romanorum in bello iniusto iuste periisse, reliquos exutos castris, armis etiam perditis euasisse.

ANNVS MVNDI 3919.

SIMONIS 8. & vlt. PTOL. EVERGETIS 11.

DEMETR. NICANOR. 11. Imp. Græc. 177.

OLYMP. CLXI. An. 2. VR. C. 618.

ANTE CHRISTVM 134.

INsignis est hic annus iniustissima morte Simonis; quam Scriptura testatur anno regni Græcorum 177. contigisse. Eius autor fuit Ptolemæus filius Abobi Simonis gener, à quo præpositus fuerat Ierichuntinæ prouinciæ, qui cum diuitijs abundaret, proprio nomine regionem obtinere cupiebat. Itaque *cogitabat dolum aduersus Simonem & filios eius, vt tolleret eos*, & simul patriæ seruitutem, & religioni ruinam afferret. Ergo destinato intus facinori, dum quærit occasionem, contigit Simonem, dum lustrat Iudææ regiones, descendere in Iericho, cum duobus filijs Mathathia & Iuda, quos ille conuiuio excepit in præsidiaria domo, absconditis ibi sicarijs, cum quibus, vbi conuiuæ bibissent aliquanto laxius, in eos armatus irruit, & socerum senem eundēque pontificem cum duobus filiis, & aliquot famulis interfecit; statimq; de perpetrato scelere regem Siderem certiorem fecit, petens ab eo exercitum in auxilium, vt ei regionem omnem Iudæorum, cum ciuitatibus eorum traderet in manus. Quæ tam subita enunciatio patrati criminis, promissioque tradendę regionis, non leuem ingerit suspicionem totum hoc facinus nō ignaro rege fuisse susceptum, & ab eodē dignitatem quam iste proditor ambiebat, illi in precium sceleris, prius fuisse promissam.

I. Mors Simonis ex ambitione generi

Sidere conscio.

II.

Ecce autem facinorosus iste Ptolemæus, non contentus tanto parricidio, etiam alios sicarios in Gazam misit, vt incautum Ioannem è medio tollerent, & ne à Iudaicæ militiæ ducibus, qui sub Ioanne militabant impedirentur, eos ad se multis cum promissis euocauit. Misit & militarem manum ad occupandam Ierusalem, & mōtem templi. At Dominus qui familiam Simonis conseruatam volebat, prouidit vt præcurreret aliquis, qui Ioannem de periculo suo, & accepta iam clade faceret certiorem. Quo tam tristi nuncio etsi consternatus est animo, meditatum tamen sicariorum scelus anteuertit, & occidit eos. Sicque Machabæorum familia deinceps ad annos insuper 105. propagata est, vsque ad posterioris Hyrcani mortem, quæ in tempora Herodis cadit, & annum Vrbis Cond. 723. quando & nepotes eius Antigonus & Aristobulus ab Herode sublati sunt. Sicque tota Machabæorum, & Veteris Testamenti historia terminatur, præter pauca, quæ ad annum 188. pertinent, & habentur initio lib. 2.

Alia eiusdem factiosa.

Ioannes mortem euadit.

De bello Numantino hoc tantum habet Appianus, eò missum Calphurnium Pisonem consulem, qui versus Numantiam exercitum non duxit, sed Palentinorum fines ingressus, exigua præda inde abacta, quod superarat temporis imperij sui, in Carpetania hybernando consumpsit. Nimirum eum Mancinus, Æmylius, Pompeiusque terrebant, qui ex suis expeditionibus nihil sibi præter infamiam & detrimenta collegerant. Fœlicior fuit eius collega Fuluius Flaccus, cui Illyrij obuenerāt, quos Romanis subditos, cum finitimę gentes temerè inuasissent, nec legatis, qui ad eos deterrendos missi fuerant, obtemperarent, eò missus est Cōsul, cum decem millibus peditum, & sexcentis equitibus, ab eoque subactæ sunt non sine solito præmio triumphali.

III. De bello Numantino. De Illyrico.

His ipsis Coss. ortum est in Sicilia seruile bellum, cuius initium fuit Eunus seruus, natione Syrus, à quo ad septuaginta seruorum millia collecta referuntur, ab ijsque memorantur victi prætores Manilius, Lentulus, Piso, Hypsæus; donec à Perpenna de ipsis supplicium sumptum est, aut à P. potius Rupilio, vt suo loco dicetur.

IV. Seruile bellum Euno duce. *Florus Oros.*

ANNVS MVNDI 3920.

IOANNIS HYRCANI Pont. 1.

PTOL. EVERGET. 12.

DEMETRII 12. Imp. Græc. 178.

OLYMP. CLXI. A. 3. VRB. CO. 619.

ANTE CHRISTVM 133.

OCcidit hoc anno Sabbatico 191. nostris Annalibus ea lux, quam ex sacris autoribus hauriebant. Nunc Iosephum fere vnicum in historia Iudaica ducem habebimus, non peritissimum vtique viæ ducem, & quod deterius est, sponte, vt in Annalibus crebro docuimus, à recto veritatis tramite aberrantem, quem deinceps ex ipsa Scriptura reducere in viam non poterimus. Quemadmodum tamen præ-

I. Annus Sab. 191.

greſſa lux, nonnullas etiam reliquias fulgoris relinquit in oculis noſtris : ita & Scriptura finem imponens narrationi ſuæ in morte Simonis, certum hunc reliquit annum primum Pontificatus Ioannis filij eius : qui mox Aſiana expeditione cum Sidete, Hyrcani cognomen adeptus eſt. Nam cum eam mortem contigiſſe tradat anni 177 menſe vndecimo, conſequens eſt vt eius filius eius ſucceſſor, à præſentis anni exordio Iudæorum Dux, & Pontifex eſſe cœperit.

Pontificatus Ioannis Hyrcani.

II. De obſeſſo Ptolemæo fabula Ioſephi.

Ex eadem Scriptura affulget, & alia ſcintilla lucis, ad corrigendum Ioſephum initium rerũ geſtarum Hyrcani à fabuloſa narratione ducẽtem, de matre ipſius & fratribus ad mœnia à Ptolemæo illo parricida verberatis, quam fabulam perſonæ, tempus, & locus multiplicis arguunt falſitatis. Nam, vt cætera taceam, quæ veritatis ſtudioſo Lectori Annales dabunt, dicit verberatos in obſidione Hircani fratres, & poſt eam ſolutam occiſos, quos ex Scriptura conſtat ſimul cum patre necatos. Verior omnino eſt Hieroſolymitana obſidio à Sidete, nunc cõtra Ioannem ſuſcepta. Cum enim Ptolemæus Abobi ſimul euocaſſet exercitum regium, ſimul etiam miſiſſet qui Ieruſalem & montem templi occuparent, re intellecta Ioannes, Gaza illico profectus, ad propugnandam Hieroſolymam venit, quam ſeptenis caſtris Regem cinxiſſe tradit Ioſephus, toto ſcilicet exercitu in ſex partes diuiſo, ad obſtruendos omnes aditus, exituſque obſeſſorum. Obſidio porro ad annum vſque ſequentem protracta eſt.

1. Mach. 16. 19.

Ieruſalẽ obſidetur a Sidete.

l. 13. c. 16.

III. Scipio fit iterum Conſul contra Numantiam.

Iam quod ad Romanam rem attinet, vigeſimus agabatur Celtiberici belli annus, & Numantia Romanis Imperatoribus atque exercitibus inſultabat, cum longioris belli pertæſus populus Romanus alterum Conſulatum Scipioni, qui Carthaginem deleuerat, mandauit. Fuerat is primum Conſul an. Vrbis Conditæ 606, quando autore Velleio annum agebat 36 Itaque non fuit nunc infra ætatem Conſulatẽ vt putauit Appianus, ſed ea fuit ſex annis prouectior. Ea tamen lege ſolutus eſt Scipio, quam tulerat Cato, ne quis iterum Conſul fieret. Et reuera à Conſulatu M. Claudij Marcelli, qui in annum vrbis 601 cadit ad 649. quo C. Marius iterum Conſul fuit, nemo præter hunc Africanum bis factus eſt Conſul. Sed geminam præterea prærogatiuam addidit ei populi fauor, alteram vt neque ambienti, neque præſenti deferretur Conſulatus : alteram vt ei extra ſortem Hiſpania, vt prius Africa, tribueretur. Amicorum & voluntariorum ſub ſignis habuit ad quatuor millia, præter copias quæ iam erant in Hiſpania, vbi diſciplinam militarem pluribus militum laboribus inſtaurauit, ac tum demum Numantinos propius adiit, quibus commeatum, quem à Vaccæis accipiebant, ſuſtulit, & in ſua tranſtulit caſtra. In agro Palentino inſidias hoſtium ſemel iterumque feliciter euaſit. Inde hybernatum in fines Numantinorum tranſijt, quò Iugurtha Maſaniſſæ nepos ex Africa venit cum duodecim elephantis, & qui vnà in aciem proderent, ſagittariis & funditoribus.

In Somnio Scipionis Val. Max. l. 8. c. 16.

Eius copiæ in quibus diſciplinam militarem reſtituit.

IV. Attali hæres pop. Romanus.

Hoc quoque anno Attalus Pergami Rex moriens Populum Romanum hæredem reliquit. Ea pecunia vbi cum tabulis Romam delata fuiſſet, egit apud populum Tiberius Gracchus, vt diſtribueretur in plebem, quæ rogatio cauſa fuit tum multarum turbarum in populo, tum mortis eiuſdem Gracchi, quæ in ſequentem annum cadit.

ANNVS MVNDI 3921.

IO. HYRCANI Ducis & Pontific. 2.

SIDETIS 6. EVERGETIS 1.

DEMETRII 13. Imperij Græcor. 179.

OLYMP. CLXI. A. 4. VR. C. 620.

ANTE CHRISTVM 132.

HVius anni videtur eſſe poſterior illa fuga Demetrij, quam refert Iuſtinus, ex qua ita rata in fœlicitate retractus eſt, & in Hyrcaniam remiſſus, vxori, liberiſque reſtitutus eſt. Nec ſeuerius in eum ab illa gente actum eſt, quod ipſo vti vellent in bello, quod ipſis, in fratrem eius Antiochum Sidetem imminebat, prout res, ac belli fortuna exegiſſet. Interea Antiochus obſidionem Hieroſolymorum conſtantet vigebat, cum Hyrcanus Pontifex veritus famem, nõ ſatis humaniter imbellem multitudinem vrbe eiecit, ſed cum Rex inuiolatam in vrbem repelleret, nec admitterentur, mœnibus miſerabiliter oberrantes inedia conficiebantur. Cum autem ſuperueniſſet feſtum Tabernaculorum, miſeratione ſuorum rurſus in vrbem recepti ſunt. Rex etiam rogatus, vt gratia feſti ſeptem dierũ induciis concederet, non ſolum eas conceſſit, ſed victimas etiam magnificas miſit, & poculatam auream, quam argentea referta omnis generis aromatibus, vnde & Pij cognomen eſt adeptus, quod alij quoque à Iudæis vſurparunt, vt eſt apud Appianum.

I. Altera Demetrij fuga. l. 38.

Obſidio Ieruſalẽ. & Antiochi pietas.

II. Pax Antiochi cũ Iudæis.

Ea pietas aditum aperuit paci. Nam ea permotus Hyrcanus legatos de pace miſit, modo patriis ſibi legibus viuere liceret, quod & impetrauit à Rege, repulſis, qui ſuadebant vt gentem inſociabilem exſcinderet. Adiecit & alias conditiones, quas Iudæi admiſerunt, excepto præſidio, quod Rex vrbi imponere cupiebat, cuius loco dederunt obſides, in quibus fuit ipſius Hyrcani frater, & inſuper quingenta talẽta, ſicq; obſidio ſoluta eſt. Maioris quippe momenti Rex arbitrabatur Parthicam expeditionẽ, in qua magna pars regni eius agebatur, quã vt diutius circa vnam vrbem moras traheret. Præſertim cum eam gentem vel ſociam expeditionis habiturus eſſet, vel ſi ſocietatem recuſaret, bello in ſuperiore Aſia rite confecto, facilem totius Iudææ expugnationem crederet. Forte etiam Romanorum cum Iudæis amicitiam verebatur, quæ patentibus literis per totam Aſiam, atque Europam fuerat euulgata : qua tamen nihil vſus fuiſſe Iudæos, mirum ſane videtur. Id certe Ioſephus minime tacuiſſet, qui haud obſcurè indicat expeditionem Aſianam ad ſequentem annum pertinere.

Iuſiuſiciamenta

III.

Interea Scipio in Hiſpania opprimendę Numantiæ intentus erat, geminis caſtris prope vr-

bem positis; quorum alteris fratrem Fabium præfecerat, alteris ipse præerat. Cumque Numantini instructa acie prælium crebro deposcerent, respondit malle se fame inclusos expugnare, quam cum rerum omnium desperatione efferatis, confligere. Interea Antiochus Sidetes, qui Scipionem ex celebri legatione, initio regni sui obita cognoscebat, & clarissimi Imperatoris interuentu Romanam sibi conciliare beneuolentiam, & fortassis auxilia aduersus Parthos regno suo imminentes obtinere cupiebat, munera ad Scipionem misit amplissima, quæ is præmia fortitudinis esse voluit, eumque in finem in tabulas publicas à Quæstore referri.

Cum ergo Scipio Numantinos fame expugnare statuisset, auxilia vndique literis suis acciuit, adeo vt exercitum 60 millium armatorum collegerit, quos varias in partes diuisos iussit vallum vrbi fossamque circumducere, duplo ipsa vrbe, cuius ambitus erat 24 stadiorum, ampliorem, vltra quam duxit & alteram; adiecit & muros quibus turres imposuit, amne Durio auxiliisque hostem intercluſit. Is fame vexatus quinque viros ad Scipionem mittit sciscitatũ an clementer, si se sede derent, acciperentur. Cumque responsum accepissent, vt se vrbemq; cum armis traderent, irati legatos malorum nuncios quasi cum Scipione priuatim de sua salute pactos, interfecerunt. Deinde cibis omnibus deficientibus cum morientium quoque corporibus vescerentur, Scipioni se dediderunt; à quo spoliati armis, vnum diem obtinuere, quo, qui in libertate mori cupiebant, sibi manus inferrent. Reliqui sub corona venerunt 50 demptis quos Scipio triumpho reseruauit. Tum oppidum solo æquauit, eiusque agrum in finitimos diuisit, & reliquis ciuitatibus iu dicendo perlustratis, & rite compositis domum rediit. Atque ita bellum Celtibericum, post annum 21 à quo cœptum fuerat, confectum est, 14 anno post deletam Carthaginem.

Affuit huic bello Iugurtha, operamq; suam Scipioni vehementer probauit, multisque Romanorum sibi beneuolentia coniunctis, in Numidiam deleta Numantia, cum multa Imperatoris laude reuersus est. Hic Micipsa Rex Masanissæ filius ferocem Iugurthæ animum beneficiis vincere aggressus, eum adoptauit, & testamento pariter hæredem cum filiis reliquit. Eoque facto post annos aliquot mortuus, aditum Iugurthæ ad omnia diuina, humanáque iura violanda patefecit, vt suis dicetur locis. In Sicilia res contra fugitiuos bene gesta est à Pisone Consule, qui Mamertiam oppidum expugnauit, vbi octo millia fugitiuorum interfecit, quos autem vinos capere potuit, patibulis affixit, nimirum vinos se capi non sinebant, sed sponte ruebant in cædem. Itaque Sicilia seruili bello ex parte liberata est: sequenti autem anno debellatum fuit.

Reliqua nobis est Romæ hoc anno excitata seditio, à Tib. Gracchо Tribuno plebis, quæ illius etiam morte terminata est. *Quod minimum in vrbe Roma*, inquit Velleius, *ciuilis sanguinis, gloriarumque impunitatis fuit.* Et mox. Immanem deditio Mancini ciuitatis mouit dissensionem; quippe Tib. Gracchus Africani ex filia Nepos, quo Quæstore & autore id fœdus iictum fuerat graüiter ferens aliquid à se factum infirmari, & similis vel iudicij, vel pœnæ metuens discrimẽ. Tribunus plebis creatus, vir alioqui innocentissimus, Scæuola & Pisone Coss. defciuit à bonis, pollicitusque toti Italiæ ciuitatem, simul etiam promulgatis agrariis legibus, Rempub. in summum discrimen adduxit. Octauio Collegæ, pro bono publico stanti, imperium abrogauit, triumviros agris diuidendis, coloniſque deducendis creauit. Cum Scipio Nasica eius consobrinus, patriam cognationi præferens quamuis priuatus Ducem se præbuit omnibus qui saluam Remp. vellent: à quibus irruentibus Gracchus actus in fugam, fragmine subsellij ictus occubuit. Hæc pluribus Paterculus, quibus alij alia iungunt, vt videbis in Annal.

Liuius Epit. 58. Appianus l. 1. Ciuil. Plutarch. in vit.

ANNVS MVNDI 3922.

IO. HYRCANI 3, PT. EVERGETIS 14.

DEMETRII NIC. 14. Imp. Gr. 180.

OLYMPIA. CLXI. A. 1. VR. C. 621.

ANTE CHRISTVM 131.

I. Parthica Sidetis expeditio, eiusque victoriæ.

ANtiochus Sidetes Parthicam hoc anno suscepit expeditionem, in quam eum cum auxiliaribus copiis secutus est Hyrcanus Pontifex. De qua scribit Nicolaus Damascenus apud Iosephum, Indatem Parthorum ducem occurrisse Antiocho ad Lycum fluuium, deque eo profligato ibi trophæum erexisse: hæsisse tamen ibi per biduum, ad preces Hyrcani Iudæi, quod in id tempus forte quædam Iudæorum festiuitas incurrisset, quam Iosephus, ait fuisse Pentecostem, post Sabbatum. Ex quo apertum est quo tempore facta fuerit ista expeditio. Addit Iustinus multos Reges Orientales ei se tradidisse, execratos superbiam Parthicam, & tribus præliis victorem occupasse Babyloniam, nihilque Parthis præter fines suos reliquisse. Quæ cum reliquum annum tenuissent, copias suas circunquaque ad hyberna dimisit. Dimissio autem Demetrij Nicanoris ad annum sequentem pertinet, sicut & Sidetis interitus. Ad hunc autem spectant barbaræ crudelitates Ptolemæi Euergetis in Ægypto, & maximi in ea motus, quos referunt Iustinus, Liuius, & Orosius, & nos in Annalibus.

l. 13. c. 16.

l. 38.

Euergetis crudelitas.

II. Geminus de vtraque Hispania triumphus.

Hoc anno D. Iunius Brutus, & P. Cornelius Scipio, ille de vlteriore, hic de citeriore Hispania triumpharunt: ille Callaici, siue Gallæci, hic Numantini cognomine decoratus. De tempore certus est author M. Tullius, qui ait à Scipione triumphatum, anno ante Valerium & Lucinium Consules. Id ergo hoc anno factum, decimo quarto post delatam Carthaginem, vt auctor est Eutropius, qui vtriusque triumphum contingit. Porro cum Florus & Orosius dicant, nec viros superfuisse victoriæ Numantinæ, nec arma vel prædam incendio, & de nomine tantum fuisse triumphum, mirum est Plinium scribere Africanum septemdecim millia pondo argenti dedisse militibus, vtique ex præ-

l. 33. c. 11.

da, quæ-

da, quæ penè nulla fuit: omninoque existimo voculam *millia* in eo loco abundare, vt diligentius in Annalibus probatum est.

nu 6.

III. A Rupilio cum seruis in Sicilia debellatũ est. *Infrag. l.34.fit.2.*

Quod ad seruile bellum attinet, id in Sicilia ingraueſcebat, vt Diodorus prodidit, donec Rupilius Imperator Tauromenium recuperauit, cum per acerrimam oppugnationem ad extremas famis angustias redegisset obsessos, adeo vt à carnibus liberorum deuorandis exorsi, & ad vxorum corpora progressi, ne sibi quidem dum alter alterum vorat, parcerent. Ibi Cumanum Cleonis fratrem ex vrbe circunsessa fugientem cepit. Postremo cum Serapion Syrus arcem prodidisset, omnes in ea fugitiui in potestatem Consulis venerunt, quos excruciatos præcipites dedit. Hinc Ennam progressus, eodem modo desertoribus coarctatis spem omnem salutis ademit, & Cleonem ducem vrbe egressum fortissimè pugnantem vicit, quo mox ex vulneribus mortuo, ea quoque vrbe proditione potitus est. Eunus autem assumptis sexentis stipatoribus, ad prærupta quædam loca fuga se contulit. In quos cum Rupilius duceret, cruciatuum metu, præcisis cerui cibus se mutuo perimebant. Eunus autem ex speluncis, in quas se cum quatuor famulis abdiderat, extractus, & in carcerem compactus, phthiriasi consumptus est. Indeque Rupilius cum exigua delectorum manu, per totam Siciliam excurrens, eam ab omni latrocinio spe celerius liberauit.

Fames horrenda

Mors Cleonis & Euni.

ANNVS MVNDI 3923.

HYRCANI 4. PT. EVERGETIS 15.

DEMETRII NIC. 15. Imp. Græc. 181.

OLYMP. CLXII. A. 2. V. CON. 622.

ANTE CHRISTVM 130.

I. Demetrius in Syriam remittitur. *Iust.l.38.*

CVm Phraates in superiore Asia ab Antiocho Sidete, & iis qui ad eum defecerant vehementer vrgeretur, Demetrium in Syriam ad occupandum regnum cum Parthico præsidio mittit, vt eo pacto Antiochus ad tuenda à Parthis reuocaretur. Interim autem insidiis Antiochum, quoniam viribus non poterat, vbique tentabat. Quoniam autem exercitum suum Sidetes propter multitudinem per ciuitates in hyberna diuiserat, ciuitates cum tam militum iniuriis, quam præbitionibus grauarentur, ad Parthos deficiunt, & statuta die omnes apud se diuisum exercitum, ne inuicem auxilia ferre possent, per insidias aggrediuntur. Quæ cum Antiocho nunciata essent, auxilium proximis laturus, cum ea manu quæ secum hyemabat, progreditur. In itinere obuium Regem Parthorum habuit cum quo fortiter pugnans à suis desertus occubuit, Cui Phraates exequias regio more fecit, filiamque Demetrij, quam secum adduxerat Antiochus, captus amore virginis, vxorem duxit.

Antiochi copiæ diuisæ deleantur, & ipse cum eis.

II. Phraates Demetrium retrahere conatur.

Pœnitere deinde dimissi Demetrij cœpit, nimirum sublatus erat Antiochi morte metus propter quem eum dimiserat. Ad quem retrahendum cum turmas equitum festinatò misisset, Demetrium hoc ipsum metuentem, iam in regno missi inuenerunt, frustráque omnia conati, ad Regem suum reuersi sunt. Porro diuersa de Antiochi huius morte narrantur. Appianus ait eum sibi manus intulisse, Ælianus se de quodam loco deiecisse præcipitem, Iustinus occisum in prælio. Verum Scriptura initio lib. 2. Machabæorum refert eum in templo Nanææ fuisse lapidibus obrutum à Sacerdotibus, dum sperat se in vxorem ducturum deam illam & ingentes pecunias dotis nomine accepturũ. Nam Regem istum Scriptura vocat Antiochũ, nec est vllus Antiochus præter Sidetem cui vel tempus, vel res ipse conuenant.

In Syriacis c.10.c. 34. de Anim. l.38 c.1.32 &c. Antiochus in templo Nanææ saxis obruitur.

Itaque Rupertus, Sigonius, Michaël Medina, Ioannes Mariana, Serarius, recte de hoc Antiocho Sidete interpretantur. Nam tempora consentiunt. Eique recte verba illa conueniunt, quibus Iudæi se fatentur de magnis periculis liberatus, quippe qui biennium ferè obsidionem illo oppugnante pertulerant. Aduersus eum quoque dimicauerant, tam ante obsidionem viuo Simone, quam post ipsius mortẽ Hyrcano duce. Ipse est qui abduxit in Persidem & regiones Asiæ superioris immensum exercitum, vt Iustinus quoque testatur, in quo erant, qui pugnauerant contra Iudæos, & obsederant Hierosolymam. Nec obstat quod reconciliatus Iudæis eosdem habuit commilitones, vt propterea de eius morte non sibi congratulaturi fuisse videantur. Nam merito hominem ambiguæ fidei, in posterum si victor fuisset, metuebant, qui à principio maximam cum Simone beneuolentiam præ se tulerat, moxque ruperat omnia, quæ cum eo pactus fuerat. De modo autem cædis non conuenit inter Scriptores, vt dixi, & sicut occultè illata est, ita apparet fuisse occultatam, tanquam probrosam & sacrilegio fœdam; innotuisse tamen Iudæis, & à Cyrenæo Iasone fuisse scripto traditam, Scriptura ostendit.

III. Vt refertur initio 2. Mach.

Cur de eius morte lætentur Iudæi

Caterum Hyrcanus, vt inquit Iosephus, *audita morte Antiochi, confestim ad vrbes Syriæ reduxit exercitum, ratus, id quod erat, inuenturum se eas vacuas propugnatoribus, Medabam igitur non sine labore sexto demum mense vi cepit.* Non carebat ergo propugnatoribus. Hæc est autem vrbs, ex qua exeuntes filij Iambri comprehenderunt Ioannem fratrẽ Ionathæ & Simonis, & interfecerunt eũ, moxque, vltoribus iisdem fratribus, pœnas dederant vt est in priore Machabæorum: quæ etiam causa videri potest cur eam nunc Hyrcanus subiugare voluerit, & patrui cædem vlcisci. Ea vrbe potitus Samegam, cum vicinis oppidis, siue pagis, & insuper Sichimam & Garizim occupauit, cum gente Cuthæorum, quæ accolebat tẽplum instar Hierosolymitani extructum permissu Alexandri, à Sanaballete duce in gratiam generi ipsius Manassis, qui fuerat frater Iaddi Pontificis. Id templum si hoc anno ab Hyrcano desolatum est, ducentis annis stetit, vt recte subduxit annos Iosephus. Nec plura videntur hoc anno ab Hyrcano geri potuisse.

1. *Mach.* 15.27.

2. *Mach.* 2.24.

IV. Hyrcanus Syriã repetit, & Iudæam, & quæ ibi gesserit. *l.13.c.17.*

c.9.36.& seqq.

A. Alex.5. V.C.421.

l.13.c. 17.

Demetrius autem vbi rediit ad suos, cum omnia Syria esset in luctu, propter amissum ingentem, cum Antiocho Sidete, exercitum: & ipse redux populum suum humaniter tractare, & consolari debuisset, pro innata morum as-

V. Demetrius suos male tractat.

peritate, superbe se crudeliterque gessit, sic vt eos breui ad defectionem coëgerit, vt ex Iustino & Iosepho constat. Idque hoc imprudentius ab eo factum, quod malo domestico vexabatur Ægyptia scilicet Cleopatra Philometoris filia, quæ quartum iam maritum mutarat. Primum enim nupserat Alexandro Balæ, ex quo susceperat Antiochum Deum, quem Tryphon interfecit. Secundo Demetrio isti Nicanori, ex quo genuit Seleucum & Antiochum Gryphum qui postea ad duodecim regnauit annos. Tertio Antiocho Sideti, qui nuper in Persida periit, ex quo suscepit Antiochum Gyzicenum. Quarto rursus Demetrio Nicanori ex Persida reduci. Ab ea tamen, propter Rhodogunes zelotypiam, repulsus est, vt sequentia docebunt.

li.39. l.13.c.17.

Cleopatræ 4. mariti, & proles eorum.

VI. Altera Cleopatra auxilium à Demetrio petit. *Videa. m. 3922 n.4. in Annal l.38.&39.*

Interea Cleopatra soror & coniux Ptolemæi Euergetis, quem sui ob crudelitatem expulerat, cum fraterno bello vrgeretur, per legatos à Demetrio recens ex Parthis reuerso auxilium petiit, & regnum Ægypti pretium auxilij pollicita est, vt ait Iustinus; sed id non ante annum sequentem videtur attulisse Demetrius, & quidem maiore damno suo, quam reginæ Ægyptiæ vtilitate.

VII. Bellum Rom. cõtra Aristonicum eiusque causa.

Hoc anno bellum à Romanis contra Aristonicum infeliciter inchoatum est. Belli causa fuit Pergami regnum, quod ante biennium Attalus moriens populo Romano testamento reliquerat, cum viuens æque ac moriens in consanguineos parum æquus fuisset. Eius frater fuit Eumenes, qui ex pellice Ephesia susceperat Aristonicum, qui postmortem Attali, velut paternum regnum inuasit Asiam, qui cum multa secunda prælia fecisset aduersus ciuitates, quæ Romanorum metu eis se tradere nolebant, iustusq; Rex iam videretur, Asia Licinio Crasso Consuli decernitur, qui attentior Attalicæ prædæ quam bello, cum extremo anni tempore inordinata acie prælium conseruisset, victus pœnas inconsultæ auaritiæ sanguine dedit. Ita Iustinus. Hoc porro admirabilior fuit Aristonici victoria, quod Eutropius & Orosius aiunt, Crassum secum habuisse infinita regum auxilia.

Iust. l. 36.

Crassi in eum expeditio.

De mortis genere sic scribit Orosius. Conserto prælio bello victus est Crassus, & exercitu post plurimam cædem in fugam acto, cum ipse iam circumuentus ab hostibus, & pene captus esset, virgam, qua vsus erat ad equũ, in oculum Thracis impegit. Barbarus autem cum ira & dolore exarsisset, latus Crassi gladio transuerberauit. Ita ille excogitato genere mortis, effugit & dedecus & seruitutem. Mortui caput resectum Aristonico oblatum est, corpus Smyrnæ sepultum. Atque ita mortuus P. Licinius Crassus, vir qui, vt scribit Gellius, traditur quinque habuisse rerum bonarum maxima & præcipua, quod esset ditissimus, quod nobilissimus, quod eloquentissimus, quod iurisc õsultissimus, quod Pontifex Maximus. Nihilominus, si Iustino credimus, tot titulis illustre caput, auaritia dominante à barbaris desectum est.

VIII. Mortis eius modus. *l.5.c.10. Valer l.3. c.2.*

Eiusdem prærogatiuæ. *l.1.c.13.*

* * *

ANNVS MVNDI 3942.

IOHANNIS 5. PT. EVERGETIS. 16.

DEMETRII NIC. 16. Imp. Gr. 182.

OLYMP. CLXII. 3. VR. CO. 623.

ANTE CHRISTVM 129.

I. Hyrcani in Idumæos expeditio, qui ad Iudaismum transeunt

REferimus deinceps in hunc annum Hyrcani gesta aduersus Idumæos, ordine narrationis à Iosepho institutæ, necnon expeditionem Demetrij in Ægyptum, & Syriæ defectionem, quam Iustinus ordine suggerit. *Hyrcanus,* inquit Iosephus, *etiam Idumææ vrbes cæpit Adoram & Mariſſam: subiugatisque omnibus Idumæis edixit, vt circumciderentur, nisi mallent è propriis pelli sedibus. At illi amore patriæ admiserunt, & circumcisionem, & reliquam iuxta Iudaicos ritus viuendi formulam. Atque ex eo primum tempore inter Iudæos censeri cœpti sunt.* Non male Hyrcanus Idumæos Esau & Abrahæ filios ad circuncisionem adegit, ad quam Deus totam Abrahæ posteritatem obligauerat. Circuncidentes autem se debitores facti sunt vniuersæ legis, ideóque recte cæteros ritus dicuntur amplexi. Hyrcanus porro late in vniuersa Iudæa rerum potitus est. Etsi enim Demetrius Iudæam, tanquam Syriæ partem, sibi cuperet vendicare, & Hyrcano bellum inferre, opportunitatem tamen non habuit; tum quia, tam Syris, quam militibus suis erat inuisus, propter morum importunitatem, tum quia Ægyptiaca expeditio longe glorioſior, atque fructuosior futura videbatur.

II. Hyrcani potentia. Legatos Romam mittit.

At Hyrcanus qui Idumæos à Meridie, Ammonitas ab Oriente, Samaritas à Septentrione recens domuerat, non videtur tamen Gazam, Accaronem, & Ioppem habuisse in potestate, aliasque aliquot ad Occidentem vrbes, proximo contra Sidetem bello amissas, vt ex literis Fannij prætoris intelligi potest. Itaque ad eas recuperandas ad præsidium Romanorum respexit, quod ad ea quoque firmanda quæ possidebat non parum valiturum erat. Et hoc fuit argumentum, & finis legationis ab Hyrcano hoc anno, vt arbitror, missæ, quam Simon, Apollonius, & Diodorus obierunt, de qua sequenti anno, quo responsum est à Romanis, dicendum erit. Quod certius affirmare possemus, si Iosephus in ea referenda Consulem eius anni nominasset. *Hyrcanus,* inquit, *Pontifex renouaturus cum Romanis amicitiam, misit legatos ad Senatum,* vbi recitatis eius literis, amicitia firmata est.

III. Demetrio parante bellum Ægypto, Syria ab eo defecit. *li 39.*

Demetrius autem cum bellum Ægypto inferre statuisset, inquit Iustinus, *Cleopatra socru regnum Ægypti pretium auxilij aduersus fratrem pollicente, dum aliena affectat, vt assolet fieri, propria per defectionem Syria amisit. Siquidem Antiochenses primi, duce Tryphone, execrantes superbiam Regis, qua conuersatione Parthica crudelitate intolerabilis facta erat, mox Apameni, cæteraque ciuitates exemplum secutæ, per absentiam Regis à Demetrio defecerunt.* Quis fuerit iste Tryphon non satis apparet: Ille certe quem Scriptura memorat, iam à sex annis

a.m.3918.

erat

erat extinctus, vt suo loco docuimus. Itaque apparet Iustinum Demetrij & Tryphonis tempora confudisse. Interea vero cum Euergetes in Cypro exularet, mittunt ad eum Syri legatos rogantes, vt aliquem ex Seleuci genere eis daret, quem possent sibi Regem constituere. Eóque facto illum tacite obligabant, si res ita postularet, ad eius suique defensionem, contra legitimum Regem Demetrium. Sed ille non ante sequentem annum missus est, cum iam Demetrius in Syriam reuertisset, vt ex Iustino dicemus.

IV. Turbæ à Tribunis Africani constantia.

Romani autem neque domi satis quieti fuerunt, neque Aristonicum diu de victoria lætari permiserunt. Nam vt habetur Epit. 59. cum C. Carbo Tribunus plebis rogationem tulisset, vt eundem Tribunum plebis, quoties quidem vellet creari liceret; rogationem eius P. Africanus grauissima oratione dissuasit, & à Carbone rogatus quid de Tib. Gracchi cæde sentiret, respondit si is occupandæ Reipub. animum habuisset, iure cæsum videri, Obstrepente autem populo, *Taceant*, inquit, *quibus Italia nouercam non mater est*. Nimirum priuigni obstrepunt nouercis, non filij matribus. Nihilominus acerba erat populo Tiberij cædes, & præse ferebat vltionis se opportunitatem exspectare. Et vero iam Scipioni Nasicæ iudicia intentabantur, cui Senatus ad securitatem liberam legationem in Asiam decreuit; quam ille obijt, licet Pontificatu Maximo esset deuinctus. Ad Aristonicum autem se contulit, cuius labefactatis fortunis Pergami sibi ipsi miser intulit manus, vt ait Plutarchus.

Pluth. in Gracch.

Nasicæ libera legatio.

V. Perperna Aristonicum ad deditionem cogit. *l. 5. c. 10.*

Iam vero de re gesta à M. Perperna Consule, cui Asia obtigerat, sic Orosius. *Perperna Consul, qui Crasso successerat, audita morte Crassi, & clade Romani exercitus, raptim in Asiam peruolauit, Aristonicum recenti victoria feriatum, improuiso bello adortus, nudatumque omnibus copiis in fugam vertit. Cumque Stratonicem vrbem, ad quam ille confugerat, obsidione cinxisset, fame ad deditionem coegit. Perperna Consul apud Pergamum morbo diem obijt.* Aristonicus autem Romam deportatus, iussu Senatus in carcere strangulatus est anno sequenti.

ANNVS MVNDI 3925.

IO. HYRCANI 6. EVERGETIS 17.

DEMETR. NIC. 17. Imp. Græc. 183.

OLYMPIA. CLXII. A. 4. V. C. 624.

ANTE CHRISTVM 128.

I. Res à Iudæis Romæ gestæ. *Ioseph. l. 13. c. 17.*

IVdæorum Romana legatio ad hunc annum pertinet, & Demetrij reditus in Syriam, & fuga Ægyptiæ Cleopatræ, & noui tyranni Alexandri Zebinæ in Syria suscitatio. Reliquiæ item belli Asiatici Aristonici, Romana seditio Triumuirorum, mors Africani iunioris. Prima occurrit Fannij responsio data legatis Iudæorum, quæ in sextum Februarij cadit. Cuius literis præcipitur, vt quæcunque per Antiochum Sidetem postremo bello Iudæis, præter decretum Senatus, ablata fuerant restituantur, eaque legati à Senatu missi reddi curent, & precium agrorum eodem bello vastatorum æstiment; veteruntque milites turmatim per ipsorum regionem iter facere, legati autem Iudæorum commendatitiis literis donentur ad Reges & liberos populos, quò tutius in patriam reuerti possint; denique viatico sumptu publico instruantur.

II. Demetrius redit in Syriam. *Iust. l. 39.*

Demetrius autem cum in Ægypto Syriæ defectionem intellexisset, propere Ægypto relicta, in qua ipsi cum Euergete pugnandum fuerat, in Syriam reuertitur. Cleopatra vero hoc orbata præsidio, Euergetis crudelitatem reformidans, in Syriam ad generum confugit, & filiam, opibus Ægypti nauibus impositis. Quibus cognitis Ptolemæus immittit iuuenem quendam Ægyptium Protarchi negotiatoris filium, qui regnum Syriæ armis peteret, composita fabula, quasi per adoptionem Antiochi Regis, in Regiam familiam receptus esset, Syris qui defecerant, nullum Regem aspernantibus, modo ne Demetrij superbiam paterentur. Nomen iuueni Alexander imponitur, quem Iosephus Zebinam cognominat, eique ex Ægypto ingentia auxilia submittuntur. Iuuit fabulam, quòd corpus Antiochi, interfecti à Rege Parthorum, in loculo argenteo ad sepulturam in Syriam remissum peruenit, cum iam ibi adesset Alexander, qui ingenti luctu, studioque ciuitatum Regis corpus excepit, quæ res ei magnum fauorem popularium conciliauit, omnibus in eo veras lachrymas existimantibus.

In eum Ptolemæus Zebinam subornat.

III. Aquilius belli Asiatici reliquias cõficit. *l. 2. c. vlt.*

Quod ad reliquias belli Asiatici, Florus ait M. Aquilium eas confecisse mistis veneno fontibus, ad deditionem quarundam vrbium; quæ res vt maturam ita infamem fecit victoriam. Triumphasse nihilominus, sed post annum tertium in tabulis Capit. legitur, siue quod rebus in prouincia ordinandis longiores traxerit moras, siue quod ei diutius pro triumpho cum inimicis certandum fuit, à quibus etiam postea accusatus est. Et fortasse ipsemet Aristonicum, quem à Perperna captum in vinculis reperit, Romam duxit, non exiguum ad triumphum impetrandum momentum allaturum. Cui tamen Senatus iussit in carcere frangi ceruices. Quod Velleius scribit M. Aquilio Consule contigisse.

Mors Aristonici.

IV. Vrbanæ seditiones.

Vrbis porro seditiones nequaquam mortuo Graccho extinctæ sunt. Populus enim, cæteris Tribunis flammas iracundiæ ministrantibus irasci cœpit in Optimates, ipsumque in primis Nasicam cædis autorem, adeo vt Senatus & hunc dimittere sub specie legationis coactus fuerit, & plebis leniendæ causa, contentionem de agraria lege remittere, aliumque triumuirum Tib. loco agris diuidendis designare, vt scribit Plutarch. in vita Gracchorum. Ea diuisio seditiones excitabat, quibus cum iunior Africanus aduersaretur, cum pridie domum validus se recepisset, postridie in cubiculo inuentus est mortuus. Nec caruit suspicione dati veneni Sempronia vxor eius, & Gracchorum soror, cum quibus simultas Africano fuerat. Id innuit Tullius in Somnio, cum superiorem Africanum ita loquentem inducit. *Dictator Reipub. constituas oportet, si impias propinquorum ma-*

Mors iunioris Africani.

nus effugerit. Contigit ea mors anno ætatis eius 56.iuxta illud eiusdem. *Namcum ætas tua septenos octies solu anfractus,redituſque conuerterit*, &c. De tanto tamen viro ita sublato,nulla quęstio propter triumuirales seditiones habita est, Senatu talium virorum cæde deterrito.

V. Sempronij resgestain vrbe, & in Illyrico.

Porro Sempronius Tuditanus, vt ait Appianus, electus est iudex causarum, quæ in agrorum diuisione plurimæ ac difficillimæ enascebantur. Id negotium Consul aggressus, cum perdifficile animaduerteret, prætextu Illyrici belli,abijt in prouinciam. In qua,vt ait Florus, primo rem male gessit, mox victoria cladem acceptam emendauit, virtute Iunij Bruti, qui Lusitaniam subegerat.De iis etiam triumphas se hoc ipso anno Cal.Octob.habetur in tabulis Capitolinis.

Epit.59. a.V.C.615

VI. Obitus Carneadis.

Eadem anno Carneades nouæ Academiæ autor,genere Afer,patria Cyrenæus,cui M. Tullius tribuit diuinam quandam celeritatem ingenij,dicendique copiam,cum venenum sponte bibisset, extinctus est, quarto huius Olympiadis anno,cum vixisset annos 85,vt refert Apollodorus in Chronicis,aut vt habet M. Tullius in Lucullo XC.de eo plura apud Laërtium, ipsumque Ciceronem leges.

4. Acad.

ANNVS MVNDI 3926.

HYRCANI 7. PT. EVERGETIS 18.

DEMETRII NIC. 18. Imp. Gr. 184.

OLYMP. CLXIII. A. 1. V. C. 625.

ANTE CHRISTVM 127.

I. Demetrius à Zebina vincitur.

DEmetrius infeliciter hoc anno contra Alexandrum Zebinam, regni æmulum à Ptolemæo summissum,pugnauit: nec mirum, qui contra suos simul alienosque pugnabat, eadęque pugna & exercitum amisit,& regnum.Nec tamen Zebinam tyrannum, quandiu ille vixit, Regem agnoscimus. De hac pugna ita Iosephus.*Cumque Ptolemæus misisset Alexandrum Zebinam,commisso prælio Demetrius vincitur, & refugiens à pugna ad Cleopatram vxorem in Ptolemaidem, excluſus est ab ea, delatusque inde Tyrum,ab inimicis capitur,& diu miserè vexatus,tandem interficitur.* Hęc diutina vexatio causa est,cur Demetrij mortem in annum sequentem differamus: vt ei quatuor annos à reditu in Syriam cum Eusebio saltem inchoatos tribuamus.A filiis quoque desertum Iustinus tradit. Appianus autem ait vnum tantum è filiis, Seleucum nomine, adfuisse in Syria, Antiochum vero cognomine Grypum Athenis fuisse; alterum autem Antiochum cognomine Cyzicenum filium Sidetis,fuisse Cyzici ad Propontidem.Interea Ptolemæus reconciliata sororis gratia,in regnum,autore Iustino, reuersus est.

l.13.ant.c. 17.

Filij Demetrij. *l39.*

Magnæ erant hoc tempore turbæ Romæ, Tribunos inter & Optimates, ex agrorum diuisione excitatæ: magna quoque hominum, vel admiratio, vel querela de morte Africani, vt scribit M. Tullius in Lælio,cum C. Lælius, qui cum Scipione intima iunctus fuerat amicitia,cum generis suis C.Fannio,& Q.Mutio, de Amicitia sermonem habuisse dicitur, vt se ipse, super amantissimi hominis morte consolaretur: quem sermonem Cicero mandauit literis, in libello quem inscripsit de Amicitia, & illum ipsum possis in præcedentem annum referre. Paucis enim diebus post Africani mortem habitam eam disputationem, scribit ibidem eius autor Tullius.

II. Lælij de Amicitia sermo.

ANNVS MVNDI 3927.

IO. HYRCANI 8. PT. EVERGETIS 19.

DEMETRII 19. & vlt. Imp. Græc. 185.

OLYMPIA. CLXIII. A. 2. VR. C. 626.

ANTE CHRISTVM 126.

DIstulimus in hunc annum Sabbaticum 192 apud Hebræos, Demetrij Nicanoris mortem,vt quadriennium illi a reditu Parthico cū Eusebio tribueremus. De cuius morte, præter ea quæ proxime ex Iosepho dicebamus, scribit Iustinus eum à suis derelictum,cum paucis seruulis Tyrum petiisse, vt ibi se templi religione, quasi Asylo tueretur,*sed naui egredienti*, inquit, *præfecti iussu interficitur*,id factū autoritate Cleopatræ intelligendum est;quæ propterea ab Appiano in Syriacis,à Liuio Epit.60, maritum dicitur interfecisse. Nec eo scelere contenta sæua Proserpina, vltra etiam progressa est, vt mox dicemus. De rebus Italicis illud vnum occurrit ex Plutarcho.C. Gracchum declinantem Reipub.tractationem,in somnis à fratre monitum atque incitatum,vt Rempub.fatis exigentibus capesseret.Nimirum malus Dæmon turbarum autor &seditionum incentor,sub specie fratris, quasi fati necessitate, Caium ad paratas turbas immisit.Itaque persuasus, proximo anno Oreste Consule factus est Quæstor. Huius somnij meminit M.Tullius 1.de Diuin.& Valer. Max.

I. Demetrij mors ci ab vxore illata.

C. Gracchus somnio ad Remp. euocatur.

l.1.c.8.

II.

Sequenti anno cum Zebina victor Demetrij in Syria dominaretur, familia tamen Demetrij non plane iacebat. Multa enim in potestate Cleopatræ ab eo fuisse relicta, in gratiam Ptolemæi Euergetis eius patrui, ex eo satis constat, quod Seleucus Demetrij filius,&quidem, vt apparet, primogenitus, regnare aggressus est. Sed eum Cleopatra mater, aut furia potius, scelera sceleribus accumulans, interemit, quod inuisu suo diadema sumpsisset: sagitta illum sua manu emissa confixit, vt ait Appianus, siue metuens ne ille patris necem vlciscetur, siue eodem furore gerens omnia. Potuit etiam Zebinæ gratiam quærere, qui regnum possidebat,eius æmulum tollendo. Alexander autem,inquit Iosephus,regnum adeptus fœdus ferit cum Hyrcano Pontifice, vt scilicet ea ex parte res suas roboraret in Syria, contra filios Demetrij,& Antiochi Sidetis, à quibus tyrannidi suæ metuebat. Credibile autem est Pontificem non tam fœdus iniisse cum tyrāno, quam populi sui vexationem vitasse,eo tempore,quo nihil legitimo hæredi prodesse poterat. Ad-

3928. Seleucus regnare aggressus a matre interficitur.

dit

dit porro Iosephus Hyrcani res maximis hoc tempore auctas fuisse incrementis; quippe qui secure totius Iudææ prouentibus fruueretur.

III. Ætnæ incendium, & Liparę l.5.c.10.

His Coss. vt scribit Oros. Ætna vasto tremore concussa exundauit igneis globis. Rursusque alio die Lipara insula, & vicinum circa eam mare in tantum æstum efferbuit, vt adustas quoque rupes dissoluerit, exanimatos pisces, & supernatantes excoxerit: homines quoque, nisi qui longe diffugere potuere, reciprocato habitu calidi aëris, adustis inrorsum vitalibus suffocarit.

Orestis in Sardos expeditio *Plut. in Gracch.*

Profectus est hoc anno contra Sardos Consul Orestes, quæstore vsus C. Graccho; qui in ea insula, iustitiæ, fortitudinis, omnisque virtutis specimen dedit. Gratia quoque & eloquentia tantum valuit, vt cum atrox simul & insalubris hyems in Sardinia contigisset, nec imperatam vestem à ciuitatibus Imperator obtinuisset, quin potius ciuitates eius oneris immunitatem à Senatu impetrassent, Caius ciuitatibus aditis persuasit, vt vestes Romanis militibus spõte mitterent. Plura in eandem sententiam suggeret Plutarchus.

C. Gracchi dicẽdi vis.

ANNVS MVNDI 3929.

IO. HYRCANI 10. EVERGETIS 21.

ANTIOCHI GRYP. 1. Imp. Græc. 187.

OLYMP. CLXIII. A. 4. VR. C. 628.

ANTE CHRISTVM 124.

I. Initiũ regni Grypi, & Zebinæ cædes, opera Ptolemæi.

INitium regni Antiochi Grypi in hunc annum cadit, quo Regis Ægypti ope, Zebinam tyrannum victum capturaque interfecit. Nam qui ex humilibus orti principijs in magnam dignitatem casu euehuntur, ipsi se propter angustias animi satis capere non possunt, sed facile insolescunt, etiam aduersus eos, à quibus sunt in altum euecti. Nam Zebina tumens ex successu rerum, vt ait Iustinus, ipsum etiam Ptolemæum, cuius opera Syriam occuparat, superba cœpit insolentia spernere. Itaque Ptolemæus reconciliata sororis gratia, Zebinam summa ope constituit euertere. Mittit igitur ingentia Grypo auxilia, & filiam Tryphenam eidem nupturam, vt populos in auxilium generi, non societate belli tantum, sed sua etiam affinitate sollicitaret. Euocauerat enim recens Athenis Cleopatra Grypum filium in Syriam, vt regnaret, sed ita vt Regis nomen penes filium, ius autem totius imperij penes matrem esset.

II. Zebinæ sacrilegia, fuga, interitus.

Cum ergo Grypum instructum Ægyptijs copijs Syri viderunt, paulatim ab Alexandro Zebina deficere cœperunt. Prælio deinde decernitur, quo victus Alexander Antiochiam profugit, quæ ipsum prima receperat. Ibi inops pecuniæ cum stipendia militibus deessent, ex Iouis templo solidum exauro victoriæ signum tolli iubet, dicens commodatam sibi à Ioue victoriam. Interiectis deinde diebus, cum ipsius Iouis aureum simulacrum infiniti ponderis tacitè euelli iussisset, deprehensusque in sacrilegio, concursu multitudinis versus esset in fugam, magna vi tempestatis oppressus, ac desertus à suis, à latrocinibus capitur, perductusque ad Grypum interficitur. Ita tyrannus cito exaltatus, cito deiectus est. Quam ad rem sacrilegium non leue momentum attulisse, ethnici ipsi senserunt, sæpiusque in diuersis principibus notarunt, præsertim Syriæ regibus, Antiocho Magno, Antiocho Illustri, Antiocho Sidete, Heliodoro, & nunc in isto Zebina, quem Iosephus in prælio cæsum occubuisse tradit.

Ethnici sacrilegia exhortu-erunt.

l.13.c.17.

His Consulibus incredibilis in Africa pestilentia orta est à maxima multitudine locustarum, quæ cum viuæ quidquid erat virens corrosissent, vento in mare proiectæ, & fluctibus in omnia sparsæ littora, multis vbique aceruis ita computruerunt, vt inde enata pestis infinitam hominum, atque omnium animantium multitudinem morte prosterneret, vt pluribus explicat Paulus Orosius. Romæ porro minime quietæ res erant. Nam Fuluius Flaccus & triumuir agris diuidendis & Consul multa mouebat, ius ciuitatis Italicis populis tribuere volens, quantumuis resistente Senatu, qui subditos æquari ciuibus ægre ferebat. Fuluij tamen conatus irritus fuit. Ita rebus affectis C. Gracchus se candidatum Tribunatus professus est, tanto studio Romanæ plebis totiusque Italiæ, quæ in vrbem influxerat, illustriore, quanto maiore conatu nobilitas illi vniuersa resistebat. Etsi autem renunciatus est quartus, inito tamen magistratu facile omnium primus fuit, vt qui facundia, vt nemo alius polleret, quam in deploranda fratris calamitate patefecit. Confestim autem, inquit Appianus, cœpit dolos Senatui nectere, lege lata de frumento menstruo, plebi viritim ex publico diuidendo, qua re plebe sibi celeritate deuincta, Flacco adiutante, in sequentem quoque annum Tribunus refectus est.

III. Africanæ pestilẽtia ex locustis.

l.5.c.11.

Romanæ turbæ, & C. Gracchi Tribunatus.

Hoc ipso anno geminum Romanorum bellum occurrit, alterum in Italia, in Gallia alterum. Nam Fregellæ populi Romani colonia, cum ab eo defecissent à L. Opimio Prætore deuictæ, & ad deditionem compulsæ sunt, Pulli cuiusdam Numitoris proditione interuenien-te, Tullio teste. Defectionis causa creditur spes data populis Italicis Romanæ ciuitatis, & mox irrita facta. Eius coniurationis creditus est conscius C. Crassus, quod tamen crimen ille accurate purgauit. Confecto bello non triumphauit Opimius, quod cautum esset, vt pro aucto imperio, non pro rebus recuperatis triumphus decerneretur.

IV. Bellũ Fregellanũ.

l.5. de fin. Valer. l.2. c.8.

Exortum quoque bellum est, quod vocatum fuit Allobrogicum, quod à M. Fuluio Flacco geri cœptum, à Q. Fabio Maximo post quadriennium confectum est. Causa belli fuit quod Gallici quidam populi, Massilienſium populi Romani sociorum fines popularentur.

Et Allobrogicũ.

***

ANNVS MVNDI 3930.

HYRCANI II.PTOLEMAEVERGETIS 22.

ANTIOCHI GRYPI 2. Imp. Græcor. 188.

OLYM.CLXIV. AN. 1. VR.C.629.

ANTE CHRISTVM 123.

HOc anno regni Græcorum 188. Iudæi, qui erant Hierosolymis, scripserunt Iudæis, qui erant in Ægypto; quæ epistola habetur initio secundi Machabæorum, quæ incipit à salutatione,& precatione,cui subditur admonitio de epistola ad eosdem missa ante annos nouendecim,cum mentione aliquorum,quę in ea cõtinebantur. Inde subijciunt præcipuum totius epistolę argumentum,de frequentandis diebus festis scenopegiæ, & instaurationis diuini cultus,quæ à Iuda Machabæo facta fuerat, mense Casleu,ante annos quadraginta.Nimirum Regni Græcorum 148. Tum distinctius in epistola ponitur tam tempus quo scripta est ; quam quorum nomine,& ad quos scribatur, eaq; occasione salutatio iteratur. Deinceps autem causa memoratur cur prædicti dies festi celebrãdi sint,in gratiarum scilicet actionem,quod diuinitus à magnis periculis &calamitatibus liberati fuerint,tam tempore Iudæ & fratrum eius, quam nuper tempore pontificatus Hyrcani,Antiocho Sidete in Perside extincto, vt suo loco expositum est.

Ille porro Iudas,qui hic v.10. nominatim ponitur,fuit quidam Iudæus,secta Essenus, prædictionis gratia celebris,cuius prædictiones, inquit Iosephus,nunquam fefellerunt, quiq; Antigoni, filij Hyrcani mortis diem , ac locum certo ante prædixerat. Hunc ergo Iudam hoc loco intelligi par est , virum religione & prophetiæ gratia celebrem, ideoque magnæ apud Iudæos omnes autoritatis : præsertim circa ea quæ ad religionem,& Dei cultum pertinerent, quod erat epistolæ huius argumentum. Aristobulus autem hic qui magister Ptolemæi , puta Euergetis memoratur , qui vigesimum iam & secundum regnabat annum,aut, vt alij malunt, Philometorem,& de Sacerdotum genere fuisse dicitur. Aristotelicę peritus philosophiæ fuit, vt testatur Eusebius,scripsitque librum ad Ptolemæum, in quo docet quomodo membra intelligenda sint quæ tribuuntur Deo,ex quo nomen magistri Ptolemæi videtur consecutus, de quo plura suggerent Annales.

Ea porro morte narrata,quæ in delubro Nanææ contigit,Iudæi Hierosolymitæ hortantur Ægyptios, vt Deo agentes gratias pro hoc beneficio,quod ad ipsos quoque , vtpote fratres, & Israëlitas, pertinebat, non solum diem festum purificationis templi cum ipsis agant : sed & festum ignis diuinitus dati, cuius rei historiam fuse tradunt, à vers.decimo nono vsque ad finem capitis , quæ exposita sunt à nobis anno Artaxerxis Longimani vigesimo,qui est mundi 3609. Sequuntur deinde, quæ cap. 2. ex descriptionibus Ieremiæ recitantur vsque ad v. 13. de tabernaculo, & arca , & altari ab eo absconditis, quæ pertinent ad Hierosolymitanæ desolationis initium; vbi & de ijs breuiter egimus,an.Vtb.C.146. Desbibliotheca quoque Nehemiæ, vide quæ diximus anno 32.eiusdem Artaxerxis. Nehemiæ exemplum imitatus Iudas Machabæus, quæ ad restituendam Remp. Iudæorum sacram profanamque diligenter executus est. Nominatim autem librorum sacrorum curam gessisse , quos Epiphanes summa cura abolere conatus fuerat, consentaneum est pietati Iudæ Machabæi. Neque enim hic est ille Iudas,quem paulo ante Scriptura nominauit, vt plerique omnes fatentur.

Reliqua est Epistolæ conclusio,in qua renouatur adhortatio celebrandi festum purificationis templi Hierosolymitani.Id autem pertinebat ad tollendum schisma eorum,qui aliud in Ægypto templum erexerant , ante vnum & 40.annos,si Hierosolymitanum , quasi legitimam diuini cultus sedem agnoscentes, eius purificationis & dedicationis festos dies agerent. Accedit postremo comprecatio illa. *Deus autem qui liberauit populum suum , & reddidit hæreditatem omnibus & regnum & sacerdotium, & sanctificationẽ sicut promisit in lege*, hæc autem temporibus Simonis & Hyrcani recte congruunt,pergit *speramus quod cito nostri miserebitur, & congregabit de sub cœlo in locum sanctum* sublato scilicet Garizitano templo atq; Ægyptio, Hierosolymitano solo, secundum legem Domini retento. Id autem speratur. *Eripuit enim nos*,inquiunt, *de magnis periculis, & locum purgauit*,quasi aduentui suorum ex omnibus locis illud præparans. Interim dum Syriæ reges mutuis se prælijs,cædibus,direptionibusque conficiunt.

Nam hoc ipso tempore Antiochus Grypus recuperato regno patrio,externisq; periculis liberatus, vt ait Iustin. insidijs matris appetitur. *Qua cum cupiditate dominationis prodito marito Demetrio,& altero filio* Seleuco *interfecto; huius quoq; victoria* de Zebina tyranno,*inferiorem dignitatem suam factam doleret , venienti ab exercitatione veneni potulum obtulit.Sed Grypus præscitis ante iam insidijs, veluti pietate,cum matre certaret , bibere ipsam iubet ; abeunti instat. Postremo prolato indice eam arguit,soliũ defensionem sceleris superesse affirmans.si bibat quod obtulit filio. Sic victa Regina scelere in se verso , veneno quod alij parauerat extinguitur.* Minore vtiq; longe,quam commerita fuerat supplicio , furiosa dominandi cupiditate mulier , aut furia potius Ægyptia, quæ marito & filio , Rege vtroque, interfectis,etiam tertium Syriæ Regem,eundẽque filium interficere parabat : quæ facinora Iudæi deinceps sunt imitati , vt in Aristobulo Hyrcani filio,matris,ac fratris interfectore intelligetur.

C.autem Gracchus,opera Fuluij Flacci continuato secundo anno Tribunatu,actius vrgere cœpit institutum deliniendi populi , judicis cũ equestri ordine communicatis, aut etiam, vt nõnulli putant,ad equites plane translatis,propter inuidiam quorundam Senatorum, qui auro corrupti, aliquos repetundarum reos dimiserant. Alias quoque leges de colonijs deducendis,de vijs muniendis, de ædificandis horreis, tuliſse scribit Plutarchus, omnibusque illis operibus rectorem se & dispensatorem præfecisse , omniaque ad optatum exitum perduxisse,incredibili animi robore ,atq; constantia.

Sunt

Biblio-theca Machabæi.

v.14.

IV. Cõclusio epistolæ ad tollendum schisma Iudæorum. *Onia fugiens in Ægyptum a.m.3889.*

V. Grypus matrem cogit ad venenum.

Scelestã mulierẽ.

VI. Gracchi iteratus Tribunatus & seditiosæ leges.

I. Epistola ex initio 2.Mach.

Vide 1. Mach. c.4 n.52. & & seqq.

a.m.3925 n.6. & seqq.

II. Iudas Essenus, & Aristobulus,philosophus *l.13.c.9.*

III. Alia capita eiusdem epistolæ.

c.79. & 199.

VII. Mors Polybii.

Sunt qui putent hoc quoque anno è viuis abijsse Polybium, anno ætatis 82. vt ait Lucianus in longæuis, quem minoris Africani præceptorem fuisse scribit Suidas. Velleius autem, *Scipio*, inquit, *tam elegans liberalium studiorum, omnisque doctrinæ & autor & admirator fuit, vt Polybium Panætiumque, præcellentes ingenio viros, domi militiæque secum habuerit.* Addit Pausanias, illum statua honoratum fuisse, & Scipioni vtenti eius consilio cuncta feliciter euenisse: in ijs vero offendisse, in quibus minus illi audiens fuisset.

ANNVS MVNDI 3932.

IO. HYRCANI Ducis & Pont. 12.

PTOLEM. EVERGETIS 23.

ANTIOCHI GR. 3. Imperij Græc. 189.

OLYMP. CLXIV. A. 2. VR. C. 630.

ANTE CHRISTVM 122.

I. Quietū Grypi regnum.

DEuicto, interfectoq; Zebina, sublatis, vindicatisq; domesticis insidijs, parata regni securitate, Grypus octo annis quietem & ipse habuit, & regno tuo præstitit, vt autor est Iustin. lib. 39. Neq; tamen ausus est expeditionem suscipere contra Iudæos, audito quod frater ipsius Antiochus cognomento Cyzicenus, copias contra ipsum Cyzici colligeret. Erant autem veterini fratres eadem Cleopatra geniti, & patrueles, quia Demetrius & Sidetes fratres, ex eadem muliere illos susceperant. Rumorem autem illum falsum fuisse oportet, aut non tam cito natum, si verum est quod de octo annorum quiete Iustinus scribit.

Antioch' Cyzicenus.

II. Coloniæ Aquæ Sextiæ, & Carthago. *li. 2.*

Hoc anno Sextius Caluinus Proconsul prorogato imperio Saluctiorum gente perdomita, coloniam aquas Sextias deduxit, ob aquarum copiam, & calidos frigidosq; fontes, atq; à nomine suo appellauit, vt est in Epitome 61. & apud Velleium: qui hoc quoq; anno Carthaginē coloniam C. Graccho autore deductam scribit, vel vt ait Plutarchus, Rubrio Trib. plebis, sed Graccho tributa est Rogatio, quod eo maximè annitente perlata est, & deducendi munus sortitus, eò nauigauit, nec sine prodigijs auspicatus est, in ruinis ipsius Carthaginis, anno ab illa clade 24. Rebus autem ibi dispositis atq; cōpositis, diebus non amplius 70. Romam regressus est, cum Fuluium à Druso premi accepisset, & ipsæ res præsentiam eius requirerent. Fuluium nihilominus de Liguribus, Vocantijs, & Salybus triumphasse constat ex tabulis Capitol. Quæ dū Romæ geruntur Q. Cæcilius Metellus Consul ré feliciter gessit contra Baleares & Piratas, vnde & Balearici cognomen est consecutus, deq; ijs proximo anno triumphasse videtur. In quo Fannius cognomento Strabo, opera Gracchi factus est Consul, L. Opimio repulsam passo, vnde atroces inimicitiæ inter eos sunt exortæ.

Metellus Baleario'

3932.

III. *Plut. in Gracch.*

Cum ergo populus C. Gracchum in oculis ferret, ob populares leges ab eo latas, dixit ille in concione gratiam se ab eo petiturum, quam si esset adeptus, instar se omnium habiturū, sin tulisset repulsam, nihil de eo conquesturum. Id dictum ad Cōsulatus petitionem pertinere putabatur, atq; opinionem omnib. præbuit, ipsum consulatum patiter & Tribunatum petiturum. Instantibus comitijs consularibus, omnibusq; expectatione suspensis, prodijt Caius ad Fannium in Campum deducendum, atque adiuuandam studio suo, cum amicis illius petitionem. Nec frustra, Fannius Cōsul, C. autem Tribunus plebis, cum non esset candidatus, populi studio renunciatus est. Nec tamen Graccho Fannius admodum gratus fuit, opera enim Senatus, eo deserto, ad Optimates se conuertit, & orationem contra eum habuit de socijs, & nomine Latino, contra legem quam ille promulgabat, de adscicēdis in ciuitatem Latinis. Liuium quoq; Drusum Gracchi collegam Senatus ei suscitauit aduersarium, & omnibus eius aduersarijs fauit, vt nimiam eius potentiam infringeret.

Fannius fit Consul opera Gracchi.

Cic. in Bruto. Cui tamē aduersatur opera Senatus.

ANNVS MVNDI 3933.

HYRCANI 14. PT. EVERGETIS 25.

ANTIOCHI GRYPI 5. Imp. Gr. 191.

OLYMP. CLXIV. A. 4. V.C. 632.

ANTE CHRISTVM 120.

ROmæ turbæ Tribunitiæ, hoc anno C. Graccho necem, id maxime agente Opimio cōsule, peperetunt, anno à fratris morte duodecimo. Is quippe anno V.C. 620. interemptus est. Cum ergo L. Opimius Gracchi fauore iam elāgueſcente, consul factus esset, ille ęstate sequenti Tribunatum sibi continuari cupiens, excidit à spe sua, nō suffragiorum defectu, sed quod eius collegæ, quos paulo ante in gladiatorijs ludis per ferociam offenderat, designatum fraudulenter non renunciassent, vt ait Plutarchus. A quibus, Minutio præsertim, pleraeq; eius leges antiquari, & Carthaginensis colonia turbari cœpta est: quibus rebus stimulabant eum, vt cū causam iræ præbuisset interficeretur. Cumque ab amicis, Fuluio præsertim excitaretur, ne leges suas pateretur antiquari, aggressus est præsidium aduersus Consulem contrahere. Ergo qua die Opimius eius leges erat antiquaturus, vtraq; factio insedit prima luce Capitolium. Cumq; rem diuinam Consul faceret, vnus è lictoribus eius, aliò exta auferens, ad Fuluij cohortem ait, *date locum bonis improbi cines:* Ibiq; è vestigio cōfigitur longis stylis, ad id ipsum paratis: quod Caius ægerrimè tulit.

I. Gracchi fauor lā gueſcit.

Gemina factio Gracchi & Opimi.

Opimius hac occasione accepta, populum ad vltionem exasperat, & Senatum consulit quid facto sit opus. Patres Consuli mandant, vt prouideat ne quid Resp. detrimenti capiat. Ille denunciat patribus vt arma capiant, equitibus edicit, vt singuli cum luce binos seruos armis instructos adducant. Fuluius quoque parauit se, & coēgit multitudinem, cum qua noctem in vino & tumultu transegit. Caium è foro digredientem multi affectati sunt, vicem eius miserantes, totamque noctem apud ipsum

II. Opimi⁹, Senatus Consulto armatus Gracchū persequitur, & Fuluium.

excubias agentes. Vbi diluxit, ægrè excitauerunt ſopitum mero Fuluium, atmaueruntque ſe ſpolijs, quæ ille dudum Gallis detraxerat, & ad occupandum Auentinum contenderunt. Gracchus cætera inermis, modico ſe pugione ſuccinxit. Exeuntem Licinia coniux fruſtra retinere conata eſt; ille ad Fuluium tacitus cum amicis proceſſit. Fuluius, vbi frequentes conuenerunt, filium minorem de Caij concilio, cũ caduceo mittit in forum, vt de pace cum Conſule & Senatu ageret. At Opimius iuſſit eos, vt ſontes, ad cauſam dicendam deſcendere, & Senatui ſe permittentes pœnam deprecari. Et adoleſcenti edixit, vt niſi his conditionibus ne rediret; redeuntem nihilominus comprehendit, & tradidit in cuſtodiam.

III. Fuluius cum filio obtruncatur.

Inde in Fuluij cohortem impreſſionem facit, eaque cum vulneribus diſſipata, Fuluius in balneum contemptum confugit, vnde extractus, cum filio natu maiore obtruncatus eſt. C. autem in ædem Dianæ ſe recepit, vbi cum ſibi manus inferre conaretur, ab amicis prohibitus, gladio ſpoliatus, & ad fugam compulſus eſt. Interea pronunciata per præconem impunitate ijs, qui ſeditioſos deſererent, plerique ad Opimium ſe contulere. In Gracchum autem fuga capeſſentem inferentibus ſe hoſtibus, & cum ad pontẽ ſublicium aſſecutis ijdem amici hortati ſunt eũ, vt iter ante caperet, dum ipſi ad pontem irruentium impetum ſuſtinerent, nec cuiquam dum vixerunt tranſitus patuit. Interea C. in lucum Furinæ confugit, vbi à famulo fugæ comite, iuſſu ipſius obtruncatur, ſtatimque eodem ſe ferro perfoſſum, ſuper Domini cadauer abjecit. Caij caput præciſum amicus Opimij Septimuleius abſtulit, quod pari auri pondere repenſum eſt, vti ſponderat Opimius: quamuis plumbum exempto cerebro eſſet infuſum.

Et Gracchus à famulo.

Ex factione Gracchi, inquit Oroſius, 250. in Auentino cæſa referuntur. Opimius Conſul ſicut in bello fortis, ita in quæſtione crudelis fuit. Nam amplius quam tria millia hominum ſupplicijs necauit, ex quibus plurimi innocentes, ne dicta quidẽ cauſa, interfecti ſunt.

IV. In eius factionẽ ſæuitur.

Alij addunt cadauera in amnem proiecta, & eorum bona publicata. Inde luſtrata vrbe à cædibus, concordiæ Fanum in foro Senatus Conſulto conditum eſt: quod plebs in deteriorem partem accepit, quaſi de tanta ciuium ſtrage triumphus agi videretur. Sed de his pro inſtituto ſatis, plura in Annalibus ſtudioſus Lector inueniet.

V. Res Allobrogica

Cum autem Domitio Conſuli prorogatum eſſet imperium, Allobroges, quo nomine Delphinates & Sabaudi continentur, cũ Cauaribus: ad Vindalium oppidum, & Sulgam fluuium ingenti prælio vicit. Fabius quoque Maximus contra Aruernos feliciter pugnauit. Quamquam id prælium aliqui Domitio tribuunt. Certe ſatis conſtat Aruernos Allobrogico bello fuiſſe comprehenſos, & Fabium victorem Allobrogicum eſſe nuncupatum.

***

ANNVS MVNDI 3934.

IO.HYRCANI 15.PTOL.EVERGETIS 26

ANTIOC.GRYPI 6. Imp. Græc. 192.

OLYMP.CLXV. An. 1. VR.C. 633.

ANTE CHRISTVM 119.

IN nouam Olympiadem nouus quoque Sabbaticus annus incurrit, ordine 193. Et vt in Syriæ res quietæ erant, ita Romæ in agitatione & motu. Crudelitas enim Opimij abeo plebis animos abalienauit, & in mortuorum Gracchorum fauorem conuertit. Cum primum enim à magiſtratu abijt, apud populum à Q. Decio Tribuno plebis accuſatus eſt, quod indemnatos ciues in carcerem conieciſſet, imo etiam ad tria millia morte affeciſſet, prætereos qui in conflictu ceciderant. Verum L. Opimij cauſam Carbo Conſul, qui antea popularis, ad Optimatum partes tranſierat, defendit ad populum, Gracchum pro ſalute patriæ iure cæſum confeſſus. Verum cum omnia Senatus Cõſulto armatus feciſſet, quo ei Dictatoria potestas in Conſulatu tradi videbatur, abſolutus eſt: inuiſus tamen, & probris à populo agitatus conſenuit. Gracchorum autem ſimulacra erexerunt, & loca, in quibus fuerant interempti, conſecrarunt.

I. Plebs Opimium perſequitur, quẽ Carbo defendit.

Epit. 61. Plut. & Oroſ.

Et mortuos Gracchos plebs honorat.

Pugnatum eſt hoc anno contra Aruernos, à Fabio Proconſule, & eorum Regem Bituitum, qui maximas copias ſub ſignis habebat, cui Fabius tam paruo cum exercitu occurrit, vt Rex paucitatem Romanorum, vix ad eſcam canibus ſuis ſuffecturam iactaret. Quæ iactatio videtur ad præcedentis anni prælium pertinere, cum nondum Bituitus Romanorum vires eſſet expertus. Nam Strabo affirmat Aruernos bis cum Rege ſuo contra Romanos pugnaſſe: & iam ſemel victo, hæc verborum vanitas parum conueniret, præſertim cum Fabius nunc ad 30. millia in ſuo exercitu habuiſſe dicatur. Is cum ad transferendas copias, vnũ in Rhodano pontem ſibi non ſufficere crederet, aliũ compactis lintribus, catenisque connexum ſuperſtratis confixiſq; tabulis inſtruxit. Cõſerta pugna, poſt diuturnum certamen victi Galli, fugatiq; dum ſibi quiſq; timet, coaceruatis ſupra pontem agminibus, vinculiſq; ruptis, cum ipſis lintribus ſubmerſi ſunt. De 180. millibus, 150. millia, vel cæſa, vel ſubmerſa ſcribit Oroſius.

II. Fabii bellũ contra Auernos.

Rex ipſe poſtea captus, & in triumphum ductus eſt, cum argenteo carpento, in quo pugnauerat. *Vtriuſq; victoria*, ait Florus, *quod quantumq; gaudium fuerit, vel hinc æſtimari poteſt, quod & Domitius Aenobarbus & Fabius Maximus ipſis quibus dimicauerant in locis ſaxeas erexere turres, & deſuper exornata armis hoſtilibus trophæa, prater Romanum morem fixere.* Sed illud minime omittendum, quod ibi ſubdit. *Et cum ipſe Bituitus, ad ſatisfaciendum Senatui Romam profectus eſſet, Alba cuſtodiendus datus eſt, quia contra pacem videbatur*, id eſt, contra firmitatem pacis, *vt in Galliam remitteretur. Decretum quoque eſt, vt Congentiatus filius eius comprehenſus, Romam mitteretur.* Valerius

III. Et Senatus cõtra Regẽ eorum inſtitia.

Epit. 61.

per-

perfidiam in hunc Regem admissam agnoscit. Nam pace facta vltro ad vrbem profectus, ibi capitur, ibi in triumphum ducitur, & in perpetuum carcerem conijcitur: & ne quid iniustitiæ deesset, etiam regni hæres eandem cum patre calamitatem subire cogitur. Et tamen populus Romanus ijs ignouisse dicitur, quia scilicet maiori etiam facinore, pace facta, gentem funditus delere potuerit. Ita paulatim ea perpetrabat hic Domitor terrarum populus, quæ aliquando in caput eius verterentur: eamque libertatem ipse perderet sibi, quam alijs iniuste rapiebat.

ANNVS MVNDI 3935.

IO. HYRCANI 16. EVERGETIS 27.

ANTIOCHI GRYP. 7. Imp. Græc. 193.

OLYMP. CLXV. A. 2. VR. C. 634.

ANTE CHRISTVM 118.

I. Initia belli Iugurthini.

ARbitramur hoc anno L. Opimium missum legatum in Numidiam, ad regnum, improbitate Iugurthæ vehementer perturbatum recte componendum. Micipsa enim mortuo, in regulorum conuentu, dum de regni administratione differitur, Iugurtha dixit oportere quinquennii consulta, & decreta omnia rescindi, quod per ea tempora confectus annis Micipsa parum animo valuisset. Tum Hiempsal id sibi placere respondit. Nam illum ipsum trib. vltimis Regis annis in regni iura adoptione peruenisse: Id verbum cum in Iugurthæ pectus altiùs descendisset, ita & metu anxius, omnia ad interitum Hiempsalis molitus est. Denique in eius domum cum armata manu ingressus, eius caput obtruncat. Inde Africa bipertito diuiditur, alijs Iugurtham, alijs Adherbalem sequentibus. Adherbal Romam mittit legatos, qui de fratris morte Senatum doceant. Iugurtha vrbes partim vi, partim voluntate sibi adiungit, & Adherbalem ad pugnam inductum, vincit, ac fugat in prouinciam, vnde Romam contendit.

Iugurtha Hiempsalē occidit.

II. Romanos precio corrumpit, & Opimium inprimis.

Et dimidiū regni obtinet.

Iugurtha tota Numidia potitus, timere Romanos, nec spem salutis, nisi in Romanorum auaritia ponere, à quibus Numantiæ didicerat, omnia Romæ esse venalia. Itaque paucis post diebus legatos Romam cum multo auro & argento mittit iussos veteres amicos explere munenbus, nouos acquirere, largitionibus omnia moliri; quod ab illis tanto studio perfectum est, vt iustissimæ Adherbalis querelæ propemodum irritæ cesserint. Decretum quippe factum est, vt decem legati regnum Micipsæ Iugurtham inter & Adherbalem diuiderent. Cuius legationis princeps fuit L. Opimius, quem Iugurtha accuratissime accepit, dandoque & pollicendo multa perfecit, vti famæ fideique suæ, iustitiæ, rebusque omnibus Iugurthæ commoda præferret: idemque cæteris fere legatis contigit. Itaque in diuisione regni melior pars Iugurthæ data est, altera deterior Adherbali, cui vtramque datam oportuit, & æmuloeius insuper pœnam irrogari.

III. C. Marius fit Tribunus plebis.

Hoc primum anno C. Marius in theatrum Romanum ingreditur, multas in eo turbas deinceps excitaturus, factusque Tribunus plebis, se non solum spectandum, sed etiam formidandum exhibuit, multas prius passus repulsas. Cum enim Cæcilij Metelli fauore eam dignitatem fuisset adeptus, legemque ferret de suffragijs, cui vterque Consul resistebat, Cotiæ minatus est se eum ducturum in carcerem, nisi Senatum de sententia deduceret. Metellum etiam collegæ consentientem, accito viatore duci præcepit in vincula, quo alios Tribunos appellante, nemo fuit ei auxilio. Itaque cedens Senatus suum antiquauit decretum. Marius victor in concionem egressus legem pertulit: habituſque est inuictus à metu, sed ignarus pudoris, quem Metello debebat, & benefactori, & Consuli.

Eius in Consules acerbitas.

ANNVS MVNDI 3936.

HYRCAN. 17. PTO. EVERGETIS 28.

ANTIOCHI GRIPI 8. Imp. Græc. 194.

OLYMP. C LXV. A. 3. VRB. CO. 635.

ANTE CHRISTVM 117.

I. Iugurtha fines Adherbalis inuadit.

RES Ægyptiæ, atque Syriacæ silent, Numidia nouum scelus Iugurthæ loquitur. Postquam enim diuiso regno legati Africa discessere, & Iugurtha, præmia sceleris adeptum se videt, in regnum Adherbalis hominis placido ingenio, atque iniuriæ opportuno, animum intendit, vt suam in Romanos largitionem alieno damno repararet. Itaque ex improuiso fines eius cum magna manu inuadit, & multa cum præda, magna illata clade, in regnum suum regreditur. Adherbal legatos ad Iugurtham de iniurijs questum misit: qui tametsi contumelioſa dicta retulerant, prius tamen omnia pati decreuit, quam male antea tentatum bellum redintegrare.

II. Narba Martius colonia. *l. 5. c. 14.*

Deducta est hoc anno colonia, quæ Narbo Martius dicta est, à Consule à quo deducta est, vt Velleio placet. Et quidem, vt apparet, post bellum in Gallia Narbonensi à Martio Consule confectum; de quo hæc habet Orosius. *Q. Martius Consul Gallorum gentem sub radice Alpium sitam*, at Narba adiacet Pyrenæo, *bello aggressus est: qui cum se Romanis copijs circumseptos viderent, bello, impares fore intelligerent, occisis coniugibus ac liberis in flammas sese proiecerunt. Qui vero præoccupantibus Romanis capti fuerant, alij ferro, alij suspendio, alij abnegato cibo sese consumpserunt, nullusque omnino, vel paruulus superfuit, qui seruitutis conditione vitæ amore toleraret.* Furore vtique incredibili, maximo malo multo minus redimentes: & insuper calamitate sua, grauissimis in innocentes parricidijs, cumulata. Porro M. Cato, huius anni Consul, filius illius Catonis fuit, qui Prætor designatus viuo patre mortuus est, & nepos nominatissimi Catonis, qui dictus est Censorinus. In Africam autem Consul profectus ibi mortem obijt. Vide Gellium. *l. 13. c. 18.*

III. 3937. Mors Ptol. Euergetis. *l. 39.*

Sequenti anno mortuus est Ptolemæus Euergetes. Hic est enim regni eius vigesimus nonus, ad quem vsque peruenisse, Eusebius, Epiphanius, Tertullianus, Clemens Alexandr. alijque testantur. De cuius morte ita Iustinus. *Inter has Regni Syria parricidiales discordias, moritur Rex Ægypti Ptolemæus, regno Ægypti vxori & alteri filio, quem illa elegisset, relicto.*. Sicipse. Merito reprehendenda intipientis principis imprudentia, qui ius maioris in regnum negligebat, vt blandienti mulieri gratificaretur, bellorumque tumultus moriens in regnum accerseret. Sed non erat mirum si qui in perniciem regni sui, suorumque necessariorum vixerat, sibi cõsentaneus etiam moriens populo calamitates, filijs parricidia parturiret.

IV. Cyzicenꝰ æmulus regni Syriæ, cõtra fratrem Grypum. *li. 39.*

De re autem Syriaca Iustinus idem, cum quieros octo Grypi annos posuisset, ita pergit. *Natus deinde illi est æmulus regni frater ipsius Cyzicenus, eadem matre genitus,* Cleopatra, trium Syriæ Regum coniuge, *sed ex Antiocho patruo* Sidete *susceptus, quem cum* Grypus *veneno tollere voluisset, vt maturius cum eodem armis de regno contenderet, excitauit.* Quem & regno expulit, & pro eo post triennium in Syria regnauit. Apparet autem eum hoc anno, qui fuit Grypi nonus, venisse cum copijs in Syriam. Fratribus autem mutuo se bello atterentibus, Iudæi sub Hyrcano magna pace, opibusque fruebantur, vt ait Iosephus.

V. Metellus Dalmaticus.

Metellus porro, cuius Consulatus in hunc annum cadit, is est qui deuictis hoc tempore Dalmatis, Dalmatici nomen est consecutus. Cæcilius Metellus, ait Appianus, Consulatum adeptus, nihil delinquentibus Dalmatis, triumphandi libidine, bellum ex decreto intulit: à quibus amice susceptus, in Salone eorum vrbe transegit hyemem, postremo Romam delatus nulla ex causa triumphauit. Hic idem quod diu in publico versaretur, fronte, in qua vlcus habebat, obligata. Diademetus appellatus est, Mutius autem eius collega, ob eximiam augurandi scientiam, vel studium, Augur est appellatus. Vtramque Ædilitatem, curulem & plebeiam petijt hoc anno C. Marius, & in vtraque repulsam eodem die passus est. Cum enim prius ædilitatem curulem peteret, & se præteriri videret, confestim transit ad alterius Ædilitatis candidatos, cum vtriusque magistratus comitia eodem die haberentur, ibique etiam, tanquam arrogans & ambitiosus præteritus est.

Cic. pro Plã. Plut in Mario Marius ædilitatẽ cum gemina repulsa petit.

VI. Iugurtha Numidiã affectat.

Iugurtha interea non vt antea cum prædatoria manu, sed magno exercitu comparato, bellum gerere cæpit, & aperte totius Numidiæ imperium petere, & obuia quæque vastare. Cui Adherbal non nisi summa necessitate coactus, & quam tardissime obuiam venit, vrbes interim munire contentus, nolens totius rei summam huius prælij discrimini committere.

* * *

ANNVS MVNDI 3938.

IO HYRCANI Ducis & Pont. 19.

PTOLEMEI LATHVRI 1.

ANTIOCHI GRYPI 2. Imp. Græcor. 196.

OLYM. CLXVI. AN. 1. VR. C. 637.

ANTE CHRISTVM 115.

I. Initium Ptol. Lathuri. *l. 13. c 10. l. 6. c. 30.*

NOvum Regem in noua Olympiade profert Ægyptus, qui præter vulgare Ptolemæi nomen dictus est Lathurus, siue Lathyrus apud Iosephum & Plinium, qui scribit eo regnante totam circumnauigatam fuisse Africam ab Eudoxo quodam fugitiuo. Cum ergo Cleopatra defuncti Euergetis vxor regnum haberet in potestate, vt illud pro arbitrio, aut Lathuro natu maiori, aut Alexandro traderet: ipsa cum proniorem esset in minorem filium, à populo compellitur maiorem eligere. Id tamen illa obtinuit, vt Lathurus vxorem, eandemque sororem Cleopatram dimitteret, minorem autem sororem Seleucem, siue Selenem duceret; non materno, sed tyrannico iudicio, quo vtriq; faciebat iniuriam, præsertim Cleopatræ, cui maritum eripiebat & regnum: sed ea in Syria Cyziceno nupsit, eique exercitum Cyprium quasi dotalem deduxit. Pax igitur viribus iam factus Cyzicenus, prælium committit, ac victus in fugam conuertitur, & Antiochiam venit. Secuta est vrbis obsidio & expugnatio, quæ non videtur ante annum sequentem contigisse.

Africa tota circumnauigata.

Iust. li. 37.

Cyzicenus à fratre in pugna victus.

II. Adherbal cũ Iugurtha pugnat, & vincitur.

Adherbal autem Numidiæ regulus, vbi intellexit res eò progressas, vt regnum, aut relinquendum, aut armis retinendum esset, necessario copias parat, & Iugurthæ obuius procedit. Exercitus vterque prope Cirtham oppidum consedit. Iugurthini autem milites dato signo noctu castra hostium inuadunt: exercitum partim trucidant semisomnem, partim fundunt, fugantque. Adherbal cum paucis equitibus Cirtham profugit. Iugurtha oppidum obsidione cingit, festinans tempus legatorum ante capere, quos ante prælium ab Adherbale Romam missos audierat. A quibus cum Senatus accepisset, quæ in Numidia gererentur, tres adolescentes in Africam legat, qui ambos Reges adeant, eisque S. P. Q. Rom. verbis nuncient, velle & censere eos ab armis discedere. Legati maturantes in Africam veniunt: quod Romæ, dum proficisci parant, de bello facto, & oppugnatione Cirthæ audiebatur. Iugurtha respondet legatis, Adherbalem dolis vitæ suæ insidiatum; quod vbi comperisset, eius sceleri obuiam isse, se breui legatos Romam de omnibus esse missurum. Ita illis, cum appellandi Adherbalis copia non esset, Romam reuertuntur. Sic ille Romanos verbis, & calumnijs innocentes ludificatus, sceleratis sceleribus cumulabat, dum quamuis sera Dei vindicta, perditi hominis nefandum caput, obrueret.

Cirtha obsidetur

III.

Hæc autem hoc & sequenti anno qui fuit Vr-

bis C. sexcentesimus tricesimus octauus, Antiochia, vna orientalium vrbium seditiosissima ab Antiocho Grypo obsidebatur, ciuitas perpetua tyrannorum fautrix, & in legitimos principes rebellis, vt in Annalibus explicatum est, vbi & aliquod istarum mulierum furorem breuiter collegimus. Grypus nihilominus victum in acie Cyzicenum, etiã in obsidione vicit, atque in fugam compulit: sed noua Cyziceni vxor Cleopatra pœnas pro ipso luit. Capta enim vrbe, Grypina vxor Grypi nihil antiquius habuit, quam sororem in suam redigere potestatem, quam hoc ipso reã esse dicebat, quod hosti suo nubere ausa esset. At Grypus omnia expertus, vt vxorem suam à nefario instituto reuocaret, mulieris pertinacia victus est. Illa militum manum in templum mittit, qui eam simulacrum Deæ amplexantem, truncatis manibus confoderunt: ne scilicet minus sorores inter se, quam fratres pugnare viderentur.

3939. Antiochia à Grypo obsidetur. *Iust. l. 39.*

Eius vxor sororem necat.

IV. Hyrcan° obsidet Samariã. *Ioseph. l. 13. c. 18.*

Dum autem Grypus & Cyzicenus populationibus inter se cædibusque grassantur, Hyrcanus vtroque contempto, exercitum ducit ad Samariam vi occupandam, infensus ei propter iniurias illatas Mariss enis colonis Iudæorum & socijs, sed Syriæ regi subditis. Cumque vrbem fossa, duplicique muro per stadia 80. cinxisset, obsidioni præfecit filios Antigonum, & Aristobulum, quibus vrgentibus ad eam famis necessitatem venerunt, vt cibos homini insuetos vsurparent, postremóque Cyziceni opem implorarent, quam is non ante sequentem annũ, quo respirare cœpit, afferre potuit.

Scaurus Ligures vincit, genus eius, & auctoritas. *c. 72.*

Memoratur hoc anno Æmylij Scauri bellum aduersus Ligures, déque ijs reportatus triumphus, vt est in libello de viris illust. vbi habetur eum è paternis auitisque sordibus, carbonariam quippe exercuerant, eloquentiæ præsidio emersisse, adeo vt mox non solum Consul, sed princeps etiam Senatus effectus sit: & quidem ijs Censoribus, à quibus duo & triginta Senatu moti fuerant: in quibus etiam Geta consularis, qui tamen postea factus est Censor. Sed & illud eximiæ signum autoritatis in Scauro fuit, quod Consul P. Decium prætorem, ipso transeunte sedentem iussit assurgere, atque vestem discidit, & sella eius concisa edixit, ne quis ad eum in ius iret.

Epit. 53.

ANNVS MVNDI 3940.

HYRCANI 21. PTO. LATHVRI 3.

ANTIOCHI GRYPI 12. Imp. Gr. 198.

ANTIO. CYZICENI 1.

OLYMP. CLXVI. A. 4. V. C. 639.

ANTE CHRISTVM 113.

I. Cyzicen° fratre victo regnat.

ANtiochus Cyzicenus, Antiochum Grypum hoc anno vicit, ac regno deiecit, eoque plurimis potitus est annis. Ideoque Eusebius Grypo deinceps præterito, Cyzicenum Syriæ constituit regem. Nos Iosephum secuti, à quo Grypus non 12. sed 29. annis regnasse traditur, eidum in viuis fuerit, regni annos continuabimus. Regni tamen socium adjungemus Cyzicenum fratrem, & quamuis multo simul regnare patiemur, vt nuper Demetrium & Sidetem fratres. Cyzicenus ergo non multò postquam à Grypo victus fuerat, prælij congressione repetita, victor euadit, & Gryphinam Grypi vxorem, quæ paulò ante sororem interfecerat, vlciscente Numine cepit, eiusque supplicio vxoris manibus parentauit.

Et Grypi vxorem interimit. *Iust. l. 39.*

II. Samaritæ Cyziceni opem bis frustra implorãt. *Ioseph. l. 13. c. 18.*

Interea arctè obsessi Samaritæ, fame vehementer premebantur, ideòque Cyzicenum victoris opem imploratum. Qui cum propere venisset, victus est ab Aristobuli militibus, & fratribus eum Scytopolim vsque, quæ & Bethsa dicitur, persequentibus, ægrè euasit. Quam victoriam illico diuinitus ab Hyrcano pontifice sacrificante agnitam, ac prænunciatam, scribit Iosephus, non absurdè, etsi de viro non sancto. Reuersi bellatores rursum Samaritas intra vrbem cogunt, & ad petenda rursum à Cyziceno auxilia compellunt. Isaccitis à Ptolemæo Lathuro circiter sex armatorum millibus; cum ijs per Hyrcani ditionem prædas agens vagabatur, non audens aperto marte decernere, existimans tamen se vastandis agris effecturum, vt Hyrcanus obsidionem Samariæ solueret. Sperabatque se liberatis Samaritis eorum opera Iudæos superaturum, & regno Syrię iterum aggregaturum. Sed postquam multos è suis amisit, exceptos hostium insidijs, profectus est inde Tripolim, Callimandro & Epicrati ducibus bello Iudaico demandato. Ex his Callimander, audacius quam prudentius cum hoste congressus, cum suis profligatus occubuit. Epicrates autem corruptus à Iudæis pecunia, Scythopolim, aliáque oppida illis prodidit: neque Samaritis obsessis profuit.

III. Hyrcan° Samariã solo æquat.

Hyrcanus autem integro anno in obsidione exacto, non contentus vrbem capere, eam solo æquauit, non tamẽ inductis eò torrentibus, vt scribit Iosephus. Quomodo enim id fieri queat in ciuitatem supra montem positam? ex quo vt ipsemet alibi refert, quaquauersum longissimum habebat prospectum.

Cato bellum Thracicũ male gerit. *Cic. in Pisonem.*

Bellum Thracicum infeliciter hoc anno à C. Catone Consule gestum est. Interceptus enim à Scordiscis Thracibus, perierat cum toto exercitu, nisi Didius Prætor Consulis ignominiam feliciter correxisset. Quo facto consecutus est triumphum. Iugurtha interea omni ope Cyrthæ expugnationem vrgebat. Adherbal vbi sentit omnes fortunas suas in extremo situs, per medias hostium munitiones, duos noctu Romam mittit cum literis, quibus apud Senatum rerum suarum statum lamentatus, obtestatur, vt se ab impijs manibus eripiant. Quibus literis recitatis, fuere qui statim Adherbali cum exercitu subueniendum censerent: fautorum tamen Iugurthæ artibus effectum est, ne id decretum fieret. Missi tamen sunt legati viri illustres, in quibus Æmylius Scaurus, qui graues Iugurthæ intentaret minas, quod ab oppugnatione non desisteret. Sed Scauro pecunia victo discessere legati, & Iugurtha susceptum facinus audacius perfecit.

Adherbal legatos iterum Romam mittit.

* * *

ANNVS MVNDI 3941.

HYRCANI 22. PTO. LATHVRI 4.

GRYPI 13. CYZICENI 2. Imp. Gr. 199.

OLYMP. CLXVI. A. 4. V. C. 640.

ANTE CHRISTVM 112.

I. Annus Sabbat. 194.

AD hunc annum, apud Hebræos Sabbaticum ordine 194. sequentesque annos illa Eusebij verba in Chronico pertinent. *Antiochum Cyzicenus, Grypo ejecto, Syriam obtinuit, ac rursum Grypus superato Cyziceno eandem recepit. Ita ex successione regnabant aduersum se inuicem dimicantes.* In Græco vero ita legitur, Primus Grypus cum regnasset annis 4. expulsus est à Cyziceno, & regnauit annis quatuor & sic vicissim inter se bella ferebant. Sic ibi: nos vtrumque simul regem, vt vides, constituimus. Vterque enim, vt ea ferebant tempora, ius regni habuit.

II. Adherbalis & Cyrthæ deditio.

Quod ad rem Numidicam, postquam legatorum discessus Cyrthæ nunciatus est, Italici, quorum virtute mœnia defendebantur, confisi se inuiolatos fore, Adherbali suadent, vti se & oppidum Iugurthæ tradat, tantum ab eo vitam paciscatur, de cæteris Senatui curæ fore. Ille inuitus, vt qui perfidiam Iugurthæ nosset, deditionem facit. Iugurtha in primis Adherbalem excruciatum necat: tam in Numidia magna cæde bacchatur. Quod postquam Romæ cognitum est, & res in Senatu agitari cœpit, ministri regis variis artibus rem extenuare, tempus trahere prolatandis consultationibus; & nisi C. Memmius Tribunus plebis designatus, vir acer populum incitasset, omnis inuidia dilapsa foret.

Adherbalis cædes.

III. Metellus in Macedonia té bene gerit.

Metellus huius anni Consul, quartus est Metelli Macedonici filius, quem moriens pater prætorium, & candidatum Consulatus reliquit. Macedonia illi obtigit, Illyricum Carboni. Ille re bene gesta, de Macedonia, in quam infesti Thraces irruebant, cum fratre suo Marco, qui tertio ab hinc anno cum Scauro Consul fuerat, triumphauit, sed M. de Sardinia & Corsica. At Carbo, cum Cimbri populabundi in Illyricum venissent, ab iis cum exercitu suo fusus est. Id ad Nerciam oppidum contigisse Strabo scribit. His enim Coss. Cimbri & Teutones Rhenum transgressi ex Germania eruperunt. *Sexcentesimum & quadragesimum annum*, ait Tacitus, *vrbs nostra agebat, cum primum Cimbrorum audita sunt arma, Cæcilio Metello ac Papyrio Carbone Coss.*

3939.

Carbo male in Illyrico contrà Cimbros

Sopitum nihilominus apparet hoc bellum ad quadriennium.

* * *

ANNVS MVNDI 3942.

HYRCA. 23. PTO. LATHVRI 5.

GRYPI 14. CYZICENI 3. Imp. Gr. 200

OLYMP. CLXVII. AN. 1. VR. C. 641.

ANTE CHRISTVM 111.

I. Historiæ silentium

SEculari hoc regni Græcorum anno, & aliquot sequentibus, nihil nobis Ægyptus, Syria vel Iudæa suggerit, vsque ad Hyrcani pontificis mortem, quæ post annos octo contigit. Sola ergo Romana Historia interim contentos esse oportebit; quæ Iugurtham ad aliquot annos dabit: cuius nunc negotia Romæ agitabantur per homines, Iugurthina pecunia fagitatos, qui contendebant vt Iugurthæ scelus ei condonaretur. Sed vbi Senatus populum, quē tribuni ad vindictam excitabant, timere cœpit lege Sempronia prouinciæ futuris consulibus decretæ sunt, Numidia & Italia, illa Calphurnio Bestiæ, hæc Nasicæ. Dum Drusus, hoc & sequenti anno aduersus Thraces bene rem gerit.

3943. II. Initium belli Iugurthini

Bellum itaque à multis iam annis Iugurthæ sceleribus debitum, & Romanorum Optimatum auaritia dilatum, anno Vrbis 642. inchoatum est: dumque Calphurnius studiose Numidicam expeditionem parat. Eo nuncio accepto Iugurtha filium & cum eo duos familiares ad Senatum legat, iussos mortales omnes aggredi pecunia. Quibus Romam aduentantibus consulente Calphurnio decreuit Senatus, nisi regnum, ipsumque regem deditum venissent, decem proximis diebus Italia decederent; itaque illi re infecta domum discedunt. Calphurnius autem in Numidiam cum exercitu ingressus, multos mortales, & vrbes aliquot pugnando cepit. Sed vbi eum Iugurtha per legatos tentare pecunia, & belli quod administrabat asperitatem cœpit ostendere, animus æger auaritia facile conuersus est. Scaurus quoque pecuniæ magnitudine victus, atque in prauum abstractus est. Præuiæ pacis inducię fiunt. Sextus quæstor fidei causa in oppidum Vaccam mittitur, Iugurtha venit in castra, ac pauca præsenti concilio locutus de inuidia sui facti, atque vt in deditionem acciperetur, reliqua cum Bestia & Scauro secreta transegit. Postero die de concilij sententia in deditionem accipitur, 30. elephanti, pecus atque equi multi cum non paruo argenti pondere, quæstori traduntur. Calphurnius Romam proficiscitur ad rogandos magistratus, pace Numidiæ relicta, sed vendita, Senatus populique iniussu.

Iugurthæ legatio reuocatur.

Ipse pecunia pacem emit

* * *

ANNVS MVNDI 3944.

HYRCANI 25. PTO. LATHVRI 7.

GRYPI 16. CYZICENI 5. Imp. Græc. 202.

OLYMP. CLXVII. AN. 4. V. CON. 633.

ANTE CHRISTVM 109.

I. Ea pax Romæ improbatur.

POstquam res in Africa gestas, quóque modo gestæ fuissent fama vulgauit, Consulis factum populo Rom. dolorem & inuidiam, Senatui metum & dubitationem attulit, probaretne tantum flagitium, an decretum Consulis subuerteret, cuius Æmylius Scaurus author fuisset. Memmius interea Tribunus plebis populum concionibus acuebat, ad vindicandum in eos, qui hosti Remp. prodidissent. Denique populo persuasit vt L. Cassius, qui tum Prætor erat, ad Iugurtham mitteretur, eumque inter posita fide publica Romam duceret, vt eius indicio Romanorum auaritia proderetur; quæ tum quoque in Africa, inter Bestiæ milites grassabatur. Cassius adit Iugurtham, eique persuadet vt Romam veniat, & misericordiam populi Rom. quam vim experiri malit. Ille persuasus, Romam cum Cassio venit cultu miserabili, & solitis vtens artibus C. Bæbium tribunum plebis magna mercede sibi contra Memmij accusationem parat, eamque irritam, cum populi offensione, reddit.

Iugurtha Romam adducitur.

II. Vbi Massiuam curat interfici.

Interea Massiua filius Gulussæ Masanissæ nepos, qui Adherbali fauerat, ex Africa profugus, Romæ agebat. Hunc Spurius Albinus Consul incitat ad regnum Numidiæ à Senatu petendũ, quoniam Iugurtha magno tum odio, ob sua scelera flagrabat. Quod vbi Iugurtha sensit, ad præcedentia crimina & illud adiecit, vt hunc regij sanguinis iuuenem, opera Bomilcaris interficeret, quem Iugurtha clam in Numidiam amandauit, ipseque mox iussus à Senatu Italia decedere, paucis diebus eodem profectus est. Interim Albinus renouato bello mature in Africam cum commeatu ad exercitum profectus est, vbi cum laxe ageret omnia, creditus est cõsilij reg j haud ignarus. Denique ad comitia Romam venit. Aulo fratre in castris pro Prætore relicto. A quo quam male res gesta fuerit, anno sequenti, mense quippe Ianuario pugnatum cribit Salustius, cum ipso dicemus.

Et redit in Numidiam.

III. Minucius rem gerit cum Thracibus. Liu. l. 64. n. 3.

At M. Minucius, qui Macedoniam sortitus erat, bellum feliciter contra Sordiscos reliquosque Thraces administrauit, quos toto Hebro vastasse scribit Florus, multos tamen suorum amisisse, dum per strictum glacie flumen, equitatur. De ijs nihilominus triumphasse ex Velleio liquet. Vide Frontinum.

* * *

ANNVS MVNDI 3945.

HYRCANI 26. PTOL. LATHVRI 8.

GRYPI 17. CYZICENI 6. Imp. Græ.. 203.

OLYMP. CLXVII. A. 4. VR. C. 644.

ANTE CHRISTVM 108.

I. A. Albinus male rem gerit in Numidia.

ALbinus pro Prætore in castris Numidiæ relictus à fratre, milites mense Ianuario ex hybernis educit, & temerè oppidum Suthul, vbi regij thesauri erant, aggreditur. Sed mox inde à Iugurtha abstractus, & circumuentus, turpiter victus, armis castrisque exuitur, & in colle circumsessus sub iugum mittitur, & intra dies decem tota Numidia ejcitur. Tam probrosa pace Romæ audita, omnia indignatione replentur. Albinus exconsul omnia mouet ad eam ignominiam delendam, copias ad supplemẽtum exercitus cogit, auxilia socioru accersit, quæ tamen Tribuni plebis abducere non permittunt. Ergo solus in prouinciam venit, vbi exercitus Numidia exclusus agebat, & quamuis inustam delere ignominiã ardebat, solutam tamen videns disciplinã militarẽ, ne ignominiam veterem noua clade cumularet, nihil sibi agendum putauit. Irrita quoque Romæ rogatio fuit Mamilij tribuni plebis de inquirendo in eos, qui pecunias à Iugurtha accepissent, nimirum de tribus quæsitoribus, Scaurus qui reus erat in primis, electus est vnus.

Rogatio in depeculatores.

II. Metello Numidia obtigit, & quæ ibi gesserit.

Interea Coss. prouincias sortiuntur, obtigit Metello Numidia, qui diffidens veteri exercitui, conscripsit nouum & in prouinciam, magna omnium spe ac fauore proficiscitur, exercitum imbellem inertemq; ab Albino traditum corrigit, & restituta disciplina militari, confirmat. Quæ cum Iugurtha cognouisset, simulq; Metelli nosset integritatem, veram deditionem per legatos frustra facere conatus est. Nam Metellus genus Numidarum infidum, & ingenium mobile perspectum habens; eos seorsum omni studio ad Iugurtham sibi vnum, vel certe mortuum tradendam inuitabat: palã autem Regi nec spem plane dabat, neque præcidebat; sibiq; ab hoste vafertimo vehementer cauebat, munitoque agmine incedens, prima regebat, Marcus legatus in postremo agmine cũ equitibus versabatur. Mox Vaccam adit oppidum insigne, & posito in eo præsidio, quæ bello vsui forent, imperat. At Iugurtha vbi suis se artibus tentari animaduertit, statuit armis agere, & hostium explorato itinere, insidijs loca opportuna captare, deniq; tumultuario pene concursu, dubiaque victoria pugnatum est, Bomilcar qui Rutilium legatum aggressus erat, ne suis veniret auxilio, ab eo victus est, quatuor & 40. elephantis locorum iniquitate amissis. Rutilius victor ad Metellum noctu venit.

III. Iugurtha Metellũ insequitur, non irrito conatu.

Inde Metellus loca Numidiæ opulentissima populatur, oppida temere munita capit, omnia cædibus incendióq; miscet, & ad deditionem compellit, magno Iugurthæ mœrore, qui cum delectis equitibus Metellum insequitur, ac subinde inexpectatus incursat, & illata clade in

proximos colles euadit. At Romanus Imperator vbi se dolis fatigari videt, neque ab hoste pugnæ copiam fieri, Zamam regni arcem statuit oppugnare, ratus Iugurtham laborantibus suis auxilio venturum, ibique prælium fore. Quod ille edoctus, Metellum magnis itineribus antecenit, & oppidanos monitis virtusque confirmat: & ipse cum exercitu in tempore adfore pollicetur. Inde occultè digressus, Marium, qui cum cohortibus aliquot Siccam oppidum, quod paulò ante à Rege defecerat, frumentatum venerat, improuisus inuadit, ciuesque ad hostem à tergo inuadendum hortatur; sed Marius propere ex oppido egressus, periculum & Siccensium perfidiam euasit, & Zamam, post leue cum Rege prælium, peruenit.

Eam vrbem Metellus ingenti studio vndiq; oppugnabat, cum Iugurtha Romana castra inuadit, eo successu vix vt 40. euadere in collem editiorem potuerint. At Marius superueniens, ea non sine regis clade, recuperat, Cumque Zama iamdudum irrito labore propter Iugurthæ incursus oppugnaretur, exacta æstate soluit obsidionem, & Regi per Bomilcarem insidias parat, qui Iugurtham ad deditionem faciendam impellit. Qua facta, armis, viris, pecunijsque spoliatus, cœpit miser, stimulante conscientia, digna factis supplicia extimescere, & seruilè conditionem cum regia comparando animum reflectere, & bellum de integro resumere. Interea Romæ Senatus iussit Metellum pro consule Numidiam, eiusque bellum administrare.

Ad hunc annum pertinet res à Silano Metelli collega male gesta cum Cimbris. Quem Florus ait à Cimbris per legatos aditum, indèq; Senadum, agrum sibi dari postulantibus ad incolendum: repulsos autem, armis rapere constituisse, quod precatio obtinere nequiuerant. Sed nec primũ ait impetum barbarorũ Silanus, nec secundũ Mamilius, nec tertium Cœpio sustinere potuerũt. Sic ipse. Sed iam ante quadriennium Carbo male ab eis in Illyrico fuerat acceptus vt supra diximus.

ANNVS MVNDI. 3946.

HYRCANI 27. PTO. LATHVRI. 9.

GRYPI. 28. CYZICENI 7. Imp. Gr. 204.

OLYMP. CLXVIII. A. 1. VR. CO. 645.

ANTE CHRISTVM 107.

IMperio in alterum annũ Metello prorogato, C. Marius eius legatus ad consulatum aspirare cœpit, & petẽdi gratia à Metello missionem rogat; quam cum non impetraret, obloqui de Metello, & milites laxiore imperio habere cœpit, vt eorũ fauore ad destinatã dignitatẽ pertingeret; è quibus plurimos sollicitauit, qui Romã ad suos in deteriorẽ partem de Metello scriberẽt, & Mariũ Imperatorẽ poscerent. Metellus ergo Mariũ perfectionẽ vrgentẽ dimittit, ratus inutum publicæ rei parum vtilem fore.

Interim Iugurtha, qui deditionis pœnitens, belli consilia renouarat, Vaccenses, apud quos Metellus præsidium ab initio posuerat, Regis precibus fatigati, coniuratione facta per diem festum Italicum omne præsidium inter epulas inuadunt, atque trucidant. Quæ vbi Metellus accepit, accensus ira ad vltionẽ sumẽdam festinat. Legionẽ cum qua hyemabat, & quã plurimos potest Numidas equites pariter cum occasu solis educit, & Vaccã cum luce peruenit. Vaccenses vbi animaduerterũt exercitũ ad se pergere, primo vti res erat, Metellũ rati, portas clausere. Deinde vbi neque agros vastari, & eos qui primi aderãt Numidas equites vident, rursum Iugurthã arbitrati, cum magno gaudio obuij procedũt, ibiq; signo dato cædũtur, occupantur portæ, & turres. Ita Vaccenses biduũ modo de perfida lætati, ciuitas magna & opuẽta tota pœnæ aut prædæ fuit. Præsidij vero præfectus Turpilius, qui vnus cædẽ intactus euaserat, suspectus proditionis, capite pœnas luit.

Per idem tempus Bomilcar, qui Iugurthæ deditionis autor fuerat, Regi suspectus insidias illi parat, adiuncto sibi socio Nabdalse regi gratioso, qui cum non venisset ad dictam insidijs diem, obiurgatur per literas à Bomilcare, quæ literæ cum ad Iugurtham delatę fuissent, omnia patefecerunt. Iugurtha Bomilcarem, aliosque suspectos interficit, & deinceps nemini fidens, neq; die neq; nocte tutò quiescit, omnia circũspectat, ab amicis deseritur, Pugna quoq; cũ Metello conserta vincitur, & per solitudines Thalã oppidum opulentum proficiscitur. Eum Metellus persequitur, & intra 40. dies oppido potitur, sed ab oppidanis incenso. Imminente enim expugnatione præcipuã prædã in regiam comportarunt, ibique vino epulisque onerati flammas tectis injciunt, & secum omnia incendio consumunt. Ea clade cognita Iugurtha Getulos adit, eosque sibi armorum socios facit, tum etiam Bocchum generum suum Mauritaniæ regem: cum quibus copijs Cirtham ad Metellum venit, vbi is cum de successore Mario cognouisset, gemens bellum ad eius aduentum traxit.

Interea Scaurus cui obtigerat Gallia, in locum Silani missus, tertiam à Cimbris cladem accepit, ab ijs fusus fugatusque, & exutus exercitu, teste Velleio. Melius res Q. Seruilio Cæpioni Prætori cecidere. Nam cum Lusitanos rebellantes vicisset, de ijs etiam Proprætor hoc anno triumphauit.

ANNVS MVNDI 3947.

HYRCANI 28. PTOL. LATHVRI 10.

OLYMP. CLXVIII. A. 2. V. C. 646.

GRYPI 19. CYZICENI 8. Imp. Gr. 205.

ANTE CHRISTVM 106.

CVm Marius à Metello digressus Romam venisset, literæ quę proipso, contra Metellum erant, suis redditæ, tantos in plebe animorum motus fecere, vt annitentibus Tribunis plebis, qui nouos homines extollere cupie-

bant

Marij periculũ ad oppidum Siccam.

IV. Metellus Zamam obsidet parum feliciter.

V. Res gestæ cum Cimbris. l. 3. c. 3. & Epit. 65.

A. V. C. 640.

I. Marius Romam dimittitur.

II. Iugurtha bellũ renouat.

Vaccenses defectionis istant pœnas.

III. Bomilcar insidijs deprehẽsis interficitur.

Iugurtha trepidat, Thalam expugnatur, & incenditur.

IV. Scaurus male acceptus à Cimbris.

Marius fauore plebis fit Consul, & Metello subrogatur.

bant, C. Marius perculsa nobilitate factus sit Consul,& Metello in Iugurthino bello subrogatus, itnto Senatus decreto, de prorogando imperio Metello. Qui cum rem totam Roma didicisset, doluit partam eam victoriam sibi eripi,& Mario æmulo suo concedi. Itaque à pugna abstinuit, ne suo periculo rem alienam curaret,& Bocchum,qui dudum Romanam affectabat amicitiam,per legatos à Iugurthæ societate abstrahere conatus est. Interea venit in prouinciam Marius rebus omnibus bello necessariis plebe secundissima præparatis. Exercitus ei traditur à P.Rutilio legato. Nam Metellus conspectum Marij vitauerat,& Romam profectus contra spem suam lætissimis animis excipitur, inuidia iam sopita,adeo vt rebus ab eo biennio præclare gestis,clarissimum triumphum egerit, & insuper Numidici nomen sit consecutus.

Qui nihilominus triumphat. *de Vir. ill. c.62.*

II. Marius in prouincia bene rẽgerit.

Marius cum primum Africam attigit, ad militem sibi demerendum,eum præda laginat,exercet tamen adeo, vt tyronum virtus veteranis æquaretur. Duobus quoque regibus,qui intenti erant vt Romanos incautos opprimerent, studiose inuigilabat, cosq; ex itinere pugna vicit,& armis exuit. Captum oppidum magnum atque munitum,ad deditionem coactum diripuit,præda militibus concessa, atque incendit, terrore hostibus iniecto, qui pleraque alia loca metu deseruere. Denique Mulucham munitissimam temere aggressus, expugnatione pene desperata, industria Liguris militis,qui nouum aditum in castellum per ardua saxa inuenerat, feliciter occupauit. Interea L.Sylla quæstor magno cum equitatu in castra venit, citóque se probauit vniuersis. At Iugurtha cunctantem Bocchum, promissa tertia Numidiæ parte,traxit ad partes suas; simulque sub vesperam Romanos ad hyberna proficiscentes inuadit, vexatque plurimum tota nocte; sed cum Romanus iussu Marij duos colles occupasset, postridie in Numidas semisomnes effusi, maximam eis intulere cladem, & plurimis armis signisque captis, in hyberna, vt cœperant, profecti sunt.

L.Sylla Marij Quæstor.

III. L.Cassius male à Tigurinis acceptus. *l.1.de bell. Gall.*

Alter Consulum L. Cassius, cui prouincia Gallia obtigerat, contra Tigurinos rem infeliciter gessit, adeo vt cum exercitu suo cæsus fuerit. Milites tamen, qui ex ea clade superauerant, obsidibus datis, & dimidia rerum omnium parte, sub iugum insuper missi, vt autor est Cæsar,incolumes dimissi sunt. Quod dedecus nuper quoque in Numidia, Albino duce subierant.

ANNVS MVNDI 3948.

HYRCANI 29. PTO. LATHVRI. 11.

GRYPI 20. CYZICENI 9. Imp. Gr. 206.

OLYMP. CLXVIII. A. 3. VR. C. 647.

ANTE CHRISTVM 105.

I. Lathurus

CRediderim hoc circiter anno Ptolæmeum Lathurum à Cleopatra matre Alexandria pulsum, in Cyprum esse profectum. Iosephus enim aperte significat, floiente adhuc Hyrcano, Iudæos in Ægypto & Cypro, in bello contra Lathurum susceptо, in magna apud reginam gratia & fide perstitisse, licet cæteri ad Ptolemæũ deficerent: Iudæorum autem duces fuerunt Ananias & Chelcias filij Oniæ. Ex quo apparet Iudæos Cleopatræ tyrannidi addictos fuisse, quæ legitimum expulerat Regem, & in ea perfidia obdurnisse, quod Ios. plus non animaduertit genti suæ probro esse. Ex Strabone autem intelligitur Lathurum satis diu in Cypro regnasse, cum affirmat reginam crebro copias in Cyprum contra Lathurum misisse; & ibi adhuc Iannæo pontifice fuisse. Nec contenta Cleopatra expulisse regem Alexandria, etiam Seleucem vxorem, à qua duos susceperat filios, abduxit ab ipso,& Alexandrum eius fratrem loco eius regnare fecit, aut tyrannum potius legitimi regis loco agere: quæ causa est cur cum Regibus Ægypti annumerandum, quandiu vixit Lathurus, non censuerimus.

à matre regno pellitur.

Iust. 39.

C. Mario Romæ in alterum annum de more prorogatum est imperiũ, vt in Numidia debellaret, quod & fecit. Et primum cum vtroq; rege pugnat ad Cirtham, vbi illi copias quadripertito diuiserant, vt quamcumq; se in partem Romanꝰ inferret, aliqui ipsum à tergo inuaderent. Sed Marius spem Iugurthæ fefellit, dũ stetit immotus, in omnem hostis impressionẽ intentus. Ergo in prima simul & postrema pugnatur acie, à Voluce Bocchi filio contra Syllam, à Iugurtha contra Marium, quem cum Iugurtha à se clamaret occisum,& gladium cruentum ostentaret, Romanos pene dedit in fugam. Sed Marij & Syllæ virtute sustentati, ac restituti, etiam victores facti sunt. Aduersarij multa cum clade Cirtham abiere. Post dies quinque Bocchus de pace cũ Romanis agit. Eum Sylla hortatur, vt populi Romani amicitiam deserto Iugurtha quærat, ne sceleratissimi hominis pœnis inuoluatur. Persuadet vt Romam ea de re legatos mittat. Mittit,& veniam impetrat, & spem amicitiæ ac fœderis vbi id promeuerit, egregio scilicet in gratiam Romanorum facinore.

II. Marius debellat in Numidia contra Iugurtham.

Bocchus de pace agit cum Romanis

Cumque Sylla Iugurthæ ab eo deditionem exposceret,& Bocchus multis vtrimque de causis fluctuaret. Syllam ne Iugurthæ, an Iugurtham Syllæ traderet, tandem tutius ratus Romanos amplecti, à quibus sublato Iugurtha sperabat omnia, eum spe pacis lactatum, in Syllæ manus tradit, quem is vinctum ad Marium deduxit; iusta in eo Dei emicante prouidentia, quæ huius belli confecti gloriam à Mario ad Syllam vertebat: vt quoniam Marius ea malis artibus Metellum priuauerat, eadem ipse à Sylla orbaretur. Romanis, qui Mario aduersabantur, exordium belli, eiusque præcipua Metello, extrema & finem Syllæ tribuentibus: quæ prima sementis extitit atrocissimi belli ciuilis, quod postea Syllam inter & Marium concitatum est, quod Romanum imperium pene dedit in præceps.

III. Et in suscipienda proditione fluctuat & tandem Iugurtham prodit.

Q. autem Seruilius Cæpio huius anni Consul, Galliam prouinciam sortitus, bellum cum Tectosagis gessit, de quo nihil præter sacrilegium, abeo Tolosæ commissum, memoriæ proditum est. Iustinus cum Delphicos thesauros à Gallis direptos memorasset, id factum

IV. Cæpionis bellum cum Tectosagis & eius sacrilegium.

anno Vr.C.475.*Tectosagi*,ait,*cum in antiquam patriam Tolosam venissent, & lue pestifera comprehensi essent,non prius recuperauere sanitatem, quam aruspicum responsis moniti,aurum argentumque bello sacrilegiisque quæsitum, in Tolosensem lacum mergerent,* quod omne magno post tempore, (172 annis) *Cæpio Romanus Consul abstulit*: & quidem sacrilegio, vt ipsi putarunt,adeo vt Cæpioni, eiusque exercitui excidij causa fuisse creditum fuerit. Verum si memoria sacrilegij obliterata fuerat, thesauri non minus ex aqua, quam ex terra extrahi sine culpa potuerunt;quanti autem illi fuerint, ex Annalibus addisces.

V. Natalis Pompeij magni,& Ciceronis. *l.37.c.2. 4.1.*

Illustris est hic annus duorum clarissimorum virorum natalibus.Cn. Pompeij magni,qui ortus est pridie Cal.Octobris,teste Plinio, atque Velleio: nouem videlicet post Ciceronem mẽsibus. Is enim autore Gellio, huius anni Coss. die tertio Ianuarij natus est, quod ipsemet Cicero confirmat in Bruto, quando L. Crassus legem Seruiliam suasit, de communicandis cum Senatu & Equitibus iudiciis. Porro Pompeius natus est anno Sabbatico 195. apud Hebræos inchoato. De vtroque crebra nobis deinceps erit mentio.

ANNVS MVNDI 3949.

HYRCANI 30. PTO.LATHVRI 12.

GRYPI 21. CYZICENI 10. Imp. Gr.207.

OLYMP. CLXVIII. A. 4.V. C.648.

ANTE CHRISTVM 104.

I. Marius ordinat Numidiæ prouinciam.

POsuit hunc annum C.Marius in ordinanda Numidia prouincia, per multos iam annos, tam Numidarum inter se bellis, quam Romanorum aduersus Numidas conquassata: sed & in apparatu triumphi,quem ipso statim anni sequentis initio gessit. Itaq; etiam hoc anno Marius cum imperio fuit,in quo diu perseuerauit.

Bellum Lusitanicum.

Geminum contigit Romanis hoc anno bellum & vtrumque luctuosissimum. Alterum in Lusitania, his enim Coss. cæsum à Lusitanis Romanum exercitum,notauit Iulius Obsequens, & ex eo Cuspin & Sigonius: alterum quo Q. Seruilius Cæpio Proconsul maxima omnino clade à Cimbris affectus est, cum eadem prouincia Gallia Cn. Mallio siue Manilio consuli obtigisset. Florus vtrumque seorsim pugnasse significat, cum ait, *nec primum impetum barbarorum Stlanus, nec secundum Manilius, nec tertium Cæpio sustinere potuerunt.* Rem sic explicat Orosius.

II. Et Cimbricum.

C. Manilius Consul, & Q. Cæpio Proconsul, aduersus Cimbros & Teutonas, & Tigurinos & Ambronas Gallorum & Germanorum gentes, quæ tunc, vt imperium Romanum extinguerent, conspirauerant missi, prouincias sibi Rhodano flumine medio diuiserunt; vbi dum inter se grauissima inuidia, & contentione disceptant, cum magna ignominia, & Periculo Romani nominis victi sunt. Siquidem in ea pugna M. Aurelius Consularis captus, atque interfectus est Scaurum intelligit, qui ante triennium Consul fuerat, *duo filij Consulis cæsi*, octoginta millia Romanorum sociorumque ea tempestate trucidata, 40. millia calonum atque lixarum interfecta scribit Antias. Hunc scriptorem Liuius nonnũquam nimiarum exaggerationum arguit, qui & addit ex omni penitus exercitu decem tantum homines superfuisse, itaque rem transactam nihil vt prædæ victor, nihil misericordiæ victus agnouerit. Tantam cladem maximus Romæ luctus,metusque consecutus est,quo Italiam omnem contremuisse testatur Salustius,indeque ad ætatem ipsius Romanis persuasum fuisse alia omnia virtuti suæ prona esse,cum Gallis pro salute non pro gloria certari.

V.C.645.

Maxima iræ pars in Cæpionem deriuata est, C.Norbanus in eum seditionem concitauit, qua imperium illi abrogatum, bona publicata; crudeli etiam morte affectum esse autor est Valerius Max.& in publicis vinculis spiritum deposuisse: corpusque eius funestis carnificis manibus laceratum,in scalis Gemoniis iacens,magno cum horrore totius fori Romani conspectum esse.Sic ipse,quæ in Annalibus examinata reperies.

III. Q.Cæpionis pœna, *l.6. c.11.*

ANNVS MVNDI 3950.

HYRCA.31. & vlt. PTO. LATHVRI 13.

GRYPI 22. CYZICENI 11. Imp.G. 208

OLYMP. CLXIX. AN.1. VR. CO. 649.

ANTE CHRISTVM 103.

I. C.Marius absens fit Consul, & triumphat. *l.3.c.6.*

POstquam,inquit Salustius, *bellum in Numidia confectum, & Iugurtham Romam vinctum adduci nunciatum est, Marius Consul absens factus est, & ei decreta prouincia Gallia*, vtique extra sortem alioqui etiam prouinciam illi obtigisse dixisset, pergit, *isque Calendis Ianuariis magna gloria Consul triumphauit: ea tempestate spes atque opes ciuitatis in illo sita.* Ei concinens Florus, *Actum erat*, inquit de Romana Rep. *nisi Marius illo seculo contigisset.* Eum scilicet afflictus ac deiectus Cæpio, in altum gloriæ fastigium, spe metuque populum incitante, sustulit. De triumpho eius hæc habet Plutarchus, Marius deportatis ex Africa legionibus, ipsis Cal. Ian. quem diem Romani principium anni celebrant, Consulatum iniit,& triumphauit,atque incredibile populo Rom. spectaculum exhibuit, vinctum Iugurtham, quo viuo nemo sperauerat se prouinciam illam confecturum. Addit Liuius eum ante C. Marij currum cum duobus filiis ductum fuisse catenatum, moxque iussu Consulis in carcere strangulatum, fame tamen sexdecim enectum Plut.affirmat.

in Mario

Epit. 67.

II. Barbari in Hispaniam digrediuntur. *In Mario*

In hoc altero Consulatu Marius magno fortunæ fauore vsus est, vt ait Plut. Nam cum Barbari, quasi quodam impetus reflexu prius ferrentur in Hispaniam,spatium habuit corpora militum exercendi, & animos eorum ad audendum firmandi, & suis ipsius moribus assuefaciendi. Iustitiæ atque integritatis eius idem hoc memorat exemplum, quod Trebonium adolescentem, qui C. Lusium Marij ex sorore nepotem, pudicitiæ conseruandæ causa inter-

fecerat, non solum innocentem indicauit, sed corona etiam virtutis ergo donauit. Nec sua mercede Marius ipse caruit. Id enim postquam Romæ nunciatum est, tertium ei Consulatum confecit. Sic Plutar. Et conueniebat vt qui milites suos egregie ad bellum parauerat, dum hostis Celtiberiam populatur, ibique in fugam agitur, cum imperio in illum decertaret.

Thraces à Rom. victi. *li. 39. egl. 1 n. 5. 6. 7. 8.*

His Coss. Thraces à Romanis victos tradit Iulius Obsequens. Bellum autem Seruile secundum excitatum in Sicilia, compressumque, Licinio Nerua prætore, scribit Diodorus Siculus pluribus. Consule Annales.

Hoc quoque anno, qui fuit mundanus Iubilæus 79. & Hyrcani 31. Mortuus est idem sacrorum ac Reipubl. Iudaicæ princeps Ioannes Hyrcanus, Simonis filius, Mathathiæ nepos: relictis, vt ait Iosephus, quinque filijs superstitibus, tribus maximis à Deo habitus dignus honoribus, principatu gentis, pontificatu, & prophetia; cuius exempla duo apud Iosephum leges; qui dum ei in Antiquit. vnum & 30. pontificatus annos attribuit, videtur corrigere voluisse totos triginta & tres annos, quos ei alio loco tribuerat. Eum etiam affirmat à Pharisæis ad Saducæorum sectam transiuisse.

III. Hyrcani mors. *Ioseph. l. 13. c. 18 fi.*

l. 1. de bell. c. 3.

ANNVS MVNDI 3951.

ARISTOBVLI Pont. & Regis 1.

PTOL. LATHVRI 21.

GRYPI 23. CYZICENI 12. Imperij Græc. 209.

OLYMP. CLXIX. A. 2. VR. C. 650.

ANTE CHRISTVM 102.

I. Aristobulus rex & pont. *l. 13. c. 19 init.*

DEfuncto, inquit Iosephus, *Hyrcano, Aristobulus natu maximus volens principatum in regni formam vertere, diadema sibi primus imposuit, post* 481. *annos, & menses tres, ex quo de captiuitate Babylonica liberatus populus, ad pristinas sedes postliminio reuersus est.* Verum cum id primo anno Imperij Cyri contigerit, inde 35. tantum anni supra quadringentos numerantur, quot anni sextæ ætatis iam decursi sunt, vt diligentius in Annalibus, aduersus vtrumque Iosephum explicatum est. Sed Iudæum de Aristobulo audiamus. Cumque fratrem suum secundum Antigonum amaret, in societatem dominationis eũ assumpsit, cæteros vero in vinculis habuit, matrem etiam coniecit in carcerem principatus æmulam: nam illam Hyrcanus dominam rerum reliquerat, atque eo crudelitatis processit, vt eam fame necaret in vinculis. An autem hæc regni æmulatio vera fuerit, non habeo vnde confirmem: nisi placet imitationem Cleopatræ Ægyptiæ, quæ Lathurum expulerat regno, apud Hyrcani vxorem valuisse.

Matrem interfecit.

II. Et fratẽ Antigonum calumnijs decepit.

Sed audi cætera. *Post matrem vero interfecit fratrem quoque, quem præ aliis diligere videbatur, & in regni societatem admiserat, alienatus ab eo per calumnias,* & artes Salomes vxoris suæ, quæ & Alexandra dicta est, quæ non magis ferre valuit mariti fratrem regni æmulum aut ciuilem, quam maritus tulerat matrem. Nisi forte vtramque cædem muliebris ambitio machinata est. Ergo Antigono quasi regnum inuadere cupiente, iussu Aristobuli interfecto, cœpit Aristobulus, qui ex ægritudine decumbebat, fraternæ cædis pœnitentia, ita vexari, vt sanguinem etiam vomeret, qui diuina prouidentia in eo effusus est loco, vbi is Antigoni sanguinem fundi iusserat. Qui & mox eadem ægritudine hoc ipso anno extinctus est; post auctam, vt idem ait, multis beneficijs patriam, illato bello Iturææ, magnaque eius parte attributa ad Iudææ limites, cuius habitatores comminatione exilij, coëgit circumcisionem, cæteroſque Iudaicos ritus admittere. Qua in re nullam eis fecit iniuriam: erant enim omnes Iturææ incolæ origine Iudæi. Pertinebat quippe Ituræa ad tribum Nephtalim.

Vide Anna. n 5. & seq.

Moxque ipsemet moritur.

Interea vero dum Hyrcani filij suspicionibus in Iudæa, cædibusque agitantur, Grypus & Cyzicenus in Syria, in Cypro mater contra filium, de regno aliquot iam annos certabant. Tertius autem Marij Consulatus in apparatu belli consumptus est, dum aduentus Barbarorum ineunte vere expectatur, & populus non vult alio duce contra illos Martis aleam iacere. Hoc ipso anno Cn. Domitius Tribunus plebis legem tulit, vt sacerdotes quos antea collegæ sufficiebant, populus crearet, vt ait Velleius libr. 2. Ipseque primus populi suffragijs pontifex maximus creatus est. Cum interim seruile bellum in Sicilia gliscceret in dies, siue Prætorum ignauia, siue seruorum nequitia, siue seueritate Dominorum. Nam Saluius regis assumptis insignibus, Athenionem militiæ principem sibi assumpsit, à quo mox sibi timens, eum in vincula coniecit, vt scribit Diodorus Siculus.

III. Tertius Marij cõsulatus.

Lex de sacerdotibus.

Epit. 67. Seruile bellum.

l 36 in Egla.

Contra hos tandem à Senatu eligitur L. Licinius Lucullus, qui Siciliam cum 17. hominum millibus adijt. Quapropter Saluius, qui se Tryphonem cognominabat, Athenionem vinculis & culpa solutum in consilium adhibet, eiusque hortatu acie cum Romanis certare instituit. Athenio cum 40. millibus Lucullo occurrit; vbi multis affectus vulneribus, viginti millibus amissis inter mortuos delituit, reliqui fauentibus tenebris, Tricalam egregium oppidum, à seruis istis non ita pridem occupatum, confugere. Nono post die Lucullus ad Tricalam obsidendam venit, vbi res eius alternatim meliore ac deteriore loco erant, tandemque inferior discessit, nihilque deinceps egregium præstitit. Ita Diodorus loco citato.

IV. Res in ea a Lucullo gesta.

***

ANNVS MVNDI 3952.

IANNÆI Iud. Regis & Pont. 1. LATH. 15.

GRYPI 24. CYZICEN. 13. Imp. Græc. 210.

OLYMP. CLXIX. AN. 3. VR. C. 651.

ANTE CHRISTVM 101.

I. Iannæi pontificatus. *Ioseph. l. 13. c. 20.*

POST *Aristobuli obitum*, inquit Iosephus, *Salome eius vxor, quam Graci Alexandram nominant, solutis eius fratribus, quos ipse vt diximus vinxerat, Iannæum, qui & Alexander est, regem constituit, ætate cæteros, atque modestia præcedentem. Cui accidit vt mox natus exosus patri factus sit, nec vnquam dum ille viueret, in eius conspectum admissus. Eius odii hanc causam ferunt. Cum aliquando in somnis Deus apparuisset, rogauit de successore, sollicitus de Aristobulo, & Antigono, quos præ cæteris fratribus diligebat. Sed cum Deus Iannæi effigiem designasset, contristatus quod is in omnes fortunis esset successurus, in Galilæa eum voluit educari.* Iustum plane ac nefarium Hyrcani odium, si Iosephum vera narrare credimus. Primùm quod filium innoxium atq; immerentem odisset, atque ab se amandasset: secundo quod diuina ipsius electio in regem, & odij causa esset, quæ debuerat esse singularis beneuolentiæ ac venerationis: qui si Deum quo par erat honore prosequeretur, eius prouidentiæ non conaretur reluctari. Potitus regno Iannæus alterum fratrem sibi insidiantem peremit, alterum nomine Absalonem; priuata vita contentum, in honore habuit.

Et patris in eum iniustum odium,

Fratrem matute interficit.

II. Quartus Matii Cõsulatus per dissimulationem obtentus.

Romæ autem vrgentibus comitijs, cum Orestes collega defunctus esset inquit Plutarch. in Mario, relicto ad exercitum M. Aquilio, Marius contendit Romam, vbi multis insignibus viris Consulatum ambientibus, eum se Marius detrectare simulabat, & callide per L. Saturnium tribunum, qui plebem tum maximè regebat, ambiebat, qui ipsum Marium proditorem patriæ appellare non dubitauit, quod tãti belli periculo impendente, magistratum repudiaret. Quamuis autem hæc colluſio histrionica non admodum lateret: populus tamen cũ arbitraretur hoc tempus Marij virtutem requirere atque fortunam, Consulem eum quartùm creauit, eique collegam Lutatium Catulum, virum primarię autoritatis, addiderunt. Vtrique prouincia Gallia cum Cimbrico bello tributa est. Vbi Marius hostem prope esse intellexit raptim superauit Alpes, & castris ad amnem Rhodanum communitis, ingentem fossam à Rhodano in mare duxit, vt per eam nauigia ad castra vsque commeatum deueherent, ea fossa Mariana est appellata, retinuitque deinceps nomen autore Plutarcho. Insula certe inter duo Rhodani ostia intercepta *Camargue* dicitur, id est, Camaria siue Camarca, à C. vtique Mario molitore.

Res ab eo gesta cõtra Barbaros,

III. Eos cunctatione irritatos magna clade afficit.

Interea Barbari bipertito diuisi sunt, Cimbri per Noricos, qui nunc Bauari sunt, aduersus Catulum mouere, Teutones per Liguriam aduersus Marium. Sed illis cunctantibus, isti confestim ad castra Marij progressi, eum ad certamen immensa multitudine prouocabant. Sed Marius de industria certamen tardabat, tum vt iram suorum acueret, in prouocatores barbaros, tum vt eos ad vocem, & conspectum hostium assuefactos, minus formidabiles redderet. Ergo Teutones post oppugnata non sine damno castra Marij, Alpes transgredi statuunt, Prægressos Marius composito gradu subsequitur donec ad aquas Sextias peruentum est. Ibi loci commoditate captata, Marius prælio decernere statuit: quod ei feliciter contigit, in eoque Teutonicarum mulierum incredibilis audacia sese prodidit, nec minor amor castitatis. Nam Orosius, Mulieres eorum, inquit, cõstantiore animo quam si vicissent, consuluerunt Consulem, vt si inuiolata castitate, virginibus sacris, ac dijs seruiendum esset, vitam sibi reseruarent. Quod cum non impetrarent, paruulis suis ad saxa collisis, cunctæ se se ferro, aut suspendio peremerunt.

Teutonicarum mulierũ ferocia & amor castitatis.

l. 5. c. 16.

IV. Alia Barbarorum clades.

Supererant adhuc innumeræ Barbarorum legiones intactæ, quæ cum iniquo loco contra Marcellum pugnare magna cum clade cœpissent, in planicie quoque tanta strage affecti sunt, vt plus centum millibus vel capti, vel trucidati fuerint, adeo vt Massilienses ossibus mortuorum vineas suas circũsepsisse perhibeantur. Florus scribit ipsorum regem Teutobocchum in fuga proximo in saltu comprehẽsum, insigne triumphi spectaculum fuisse, quippe virum eximiæ proceritatis, super trophæa ipsa eminuisse. Interea Catulus Cimbris obuersus, cum diffideret Alpium iuga tueri se posse, descendit in Italiam, amnemque Athesim obiecit hostibus, atque eum egregie vtrimque vallauit, & ponte iunxit, vt si res ferret vnum se in locum omnes reciperent. At Cimbri cum saxis ingentibus atque arboribus amnem replerent, pontemque concuterent, tantus Romanos terror inuasit, vt fugam pleriq;, castris desertis signisque arriperent. Quos cum retinere monitis Catulus precibusque non posset, præmissa aquila fugæ se ducem præbuit. Barbari agrum præsidio destitutum late vastarunt.

V. Seruile bellũ augescit in Sicilia.

l. 36. Eclog. l. 3. c. 19.

In Sicilia per Luculli siue ignauiam, atque laxitatem, siue ob munerum corruptelam, ob quam postea repetundarum postulatus est, seruorum audacia vires q; creuerunt: contra quos C. Seruilius in Luculli prouinciam missus successor, nihil memoria dignum gessit, propterea que vt Lucullus in iudicium vocatus, pœnas exilio dependit. Mortuo inter hæc Typhone, qui & Saluius, regnum Athenioni obtigit. Is quà vrbes oppugnans, quà regionem totam populationibus, non obstante Seruilio, sine metu vexans, ingenti præda potitus est. Hæc ex Diodoro Siculo, & Floro.

* * *

ANNVS MVNDI 3953.

IANNÆI 2. PTO. LATHVRI 16.

GRYPI 25. CYZICENI 14. Imp. Græ. 211.

OLYMP. CLXIX. A. 4. VRB. CO. 652.

ANTE CHRISTVM 100.

I. Vltimum ante Christum seculum.

VLtimum inimus seculum ante Christi Domini ortum, in quo reliquæ fere orbis terrarum provinciæ & regna, inprimisque Syriæ, Asiæ, Iudææ, Ægypti, Galliæ, fasces Imperio Romano subiecerunt, quoniam omnibus populis vnius potestati subiectis, nasciturus erat Dominus ac princeps regum terræ. Habet hoc idem seculum luctuosissimas populi Romani calamitates, eoque luctuosiores, quod intestinæ fuerunt atque domesticæ, quibus magnis diuturnisque motibus ambitionis concussa libertas, tandem oppressa est, quando illuxit mundo Iesus Christus autor summæ perfectæque libertatis.

II. Iannæus Ptolemaidem obsidet.

In Iudæa Rex nouus idemque Pontifex Iannæus, cognomento Alexander rebus domi constitutis, ad Ptolemaidem duxit exercitum, & cum prospere pugnasset, victos intra mœnia compulsos obsedit: volebat quippe totam sibi illam oram subijcere, dum Grypus & Cyzicenus pro regno Syriæ sese cladibus atterebant, quando Zoilus quoque tyrannus Straronis turrim & Doram occupauerat. Itaque Ptolemenses à Lathuro Ægyptio petunt opem contra Alexandrum, spondentque multos illum in Syria habiturum qui eum adiuuent, Zoilum, Gazæos & Sidonios. Quibus promissis persuasus ex Cypro expeditionem parat, quæ in annum sequentem cadit.

Ciues Lathurum euocant.

III. Marii quintus Cõsulat⁹.

Quod ad Cimbricum bellum attinet, cum Marius deuictorum Teutonum armis ac spolijs facem subiecturus esset, affertur ei Roma nuncius delati ad eum quinti Cõsulatus, quem illi tam victoria Teutonica, quam Catuli fuga, & imminentes Vrbi Cimbri conciliarunt. Ergo reuocatus ad vrbem, triumphum oblatum distulit: in Catuli castro profectus eum erexit, legiones suas è Gallia exciuit, quæ vbi aduenere, traiecto Pado, instituit arcere barbaros ab Italia cispadana. Mox Cimbrorum rege postulante, præstitutus est prælio locus ac dies. Pugnatum est apud Vercellas, & infinita strages edita barbarorum. Prædam ait Plutarchus milites Marij diripuerunt, spolia, signa militaria, tubæ in Catuli castra relata, docuerunt ab eo maxime victoriam fuisse partam. Cui consentit Eutropius, Mario tamen, vt idem ait, & superior victoria, & maiestas quinti Consulatus, huius quoque prælij laudem adscripsit: tanto Romanæ plebis fauore, vt tertius Romę conditor appellaretur. Vtrumque etiam triumphum soli decernere voluerunt. At ille vel modestiæ cansa, vel inuidiam exercitus Catuli veritus, eum socium voluit habere triumphi.

Et de Cimbris victoria, & triumphus cũ Catulo.

IV. Seruile bellũ ab Aquilio confectũ. *l. 36. ad. 1. l. 6.*

Aquilius autem Marij collega Seruile bellum in Sicilia post quartum fere annum tam hoc, quam sequenti anno confecit, seruis in primis insigni prælio deuictis, tum Athenione singulari prælio prostrato, atque interempto, reliqui ad bestias damnati, mutuis se vulneribus ad publicas atas concidere. Hæc pluribus Diodorus. Athenæus scribit his bellis seruilibus supra centum myriades seruorum perijsse.

ANNVS MVNDI 3954.

IANNÆI 3. PTO. LATHVRI 17.

GRYPI 26. CYZICENI 15. Imp. Græc. 212.

OLYMP. CLXX. A. 1. VR. C. 653.

ANTE CHRISTVM 99.

I. Lathurus venit in Syriam.

LAturus à Ptolemæensibus euocatus in Syriam, cum magna spe rei bene gerendæ, Cypro discedit, prætextu cedendi matri, quæ illic ipsum iam ad aliquot annis persequebatur. Id enim sibi populi beneuolentiam conciliaturum sperabat; & Syriam quæ offerebatur, merito Cypro anteferebat. Syria vero si esset potitus, facile se non solum Cyprum, sed Ægyptum etiam recuperaturum. Sed dum Syriam cogitat, Ptolemais autore Demæneto sententiam mutat, & metu ascitæ dominationis, Lathurum excludit. Ille nihilominus cursum tenuit, & Sycaminum Phœniciæ appulsus, militum 30. millia exposuit; quibus Ptolemaidem adductis. Iannæi obsidionem soluit; qui in Zoilum & Gazæos conuersus, eorum agros populari cœpit: at illi ad Lathurum confugerunt, eius opem cõtra Iudæos implorantes. Quam cum Lathurus spopondisset, Iannæus Zoili consilia euertit, inita specie tenus cum Ptolemæo amicitia, & quadringenta argenti talenta pollicitus, si is Zoilum tolleret, & agros eius Iudæis attribueret, quod & syncere à Lathuro factum est.

Iannæus soluit obsidionem.

Et ficte conciliatur Lathuro.

II. Et Cleopatram ad eũ opprimendũ euocat.

Iannæus autem perfidè ac proditoriè interim Cleopatram, quam sciebat plusquam hostili in filium animo esse, clam ad Ptolemæum opprimendum euocauit, opem ad eam rem suam, industriamque promittens: quod cum ille comperisset, soluto cum proditore fœdere, ad Ptolemaidem, quæ ei portas clauserat, oppugnandam, indeque etiam contra Iudæos profectus est. Hæc ex Iosepho, quæ expeditio, aut in annum sequentem dilata, aut ad eum vsq; protracta videtur. Hæc ipso tempore Lathurus Antiochum Cyzicenum, alterum de fratribus, de regno Syriæ obstinate concertantibus, sibi amicitia & societate iunxit. Cleopatra vero timens ne Ptolemæus à Cyziceno, ad recuperandam Ægyptum auxilijs iuuaretur, ingentia Grypo misit auxilia, vt Iustinus ait, idque, vt appareat, anno proxime sequenti.

l 13. c. 20. Lathurus se adiungit Cyziceno, Cleopatra Grypo mittit auxilia.

III. Sextus Marii Consulatus, & cæ in Metellũ cõsilia. *in vita Marii.*

Sextum Consulatum Marius vehementer affectauit, quem denique magna vi pecuniæ per tribus pronunciata, vt Plutarchus ait, adeptus est; & Valerium Flaccum, assecla potius, quam collegam dignitatis accepit. Quoniam vero consiliis suis Q. Metellum Numidicum, de quo pridem in Iugurthino bello

sanctissimæ familiæ, qua nihil habuit terra cœlumue præstantius. Quamuis autem Iosephus regem impium ac crudelem oderat, ambitio tamen magnificandæ gentis suæ potentior fuit, ad tantam illi potentiam tribuendam: accedē te etiam studio gratificandi Agrippæ nepoti eius, cui Iosephus se carissimum fuisse testatur.

VII. Herodis templum male à Iosepho fictum.

Dicimus quarto, Herodianum Iosephi templum parum prudenter ab eo fictum fuisse. Nā vt cætera hoc loco dissimulem, ait templum cū centum & viginti cubitis assurgeret, aliquanto post viginti cubitos, subsidentibus fundamentis decessisse, quod in petricoso tumulo, in quo hæc ædes constructa erat, vt ipse fatetur hoc loco, aut super durissimum collem, vt alio loco idem ait, fieri omnino non potest. Quæro enim an ex æquo vbique fundamenta subsederint, an vna aliqua parte. Si ex æquo omnia, nō ne ianuæ & fenestræ maxima ex parte sepultæ erant, vt in id templum nullus aditus pateret? deinde cum interior altitudo partis illius quæ dicebatur Sancta, esset 25. cubitorum, vt ipse ait, decedentibus 20. cubitis, quinque remansissent ad fornum non templum. Sinautem in vna aliqua parte fundamenta subsederunt, qualis erat connexio eorum quæ steterant, cū iis quæ subsederant? aut quomodo quæ subsederant etiam reliqua ingenti ruina non secum trahebant? Quis hic non solum Iosephi fidem, sed etiam prudentiam non vehementer desideret; atque adeo eorum, qui talia sibi persuaderi patiuntur?

l. 15 c. 14 l. 6. de bell. c. 6. Fundamenta eius non subsedisse. *l. 6. de bell. c. 6.*

VII. Tumultus Romæ propter Cōsulatum. *Dio l. 54.*

Sed Romana videamus. Cum C. Sentius hoc anno Consul factus esset, eique dandus esset collega, nam tum quoque reseruatum sibi Cōsulatum Augustus non accepit, iterum seditiones Romæ contigerunt, adeo vt Senatus legatos ad Augustum mitteret; qui vnum ex legatis Q. Lucretium, quem Hieronymus in Eusebij chronico Cinnam cognominat, Consulem declarauit, simulque Romam contendit. Quò cū peruenisset, de multis honoribus oblatis, id tātum accepit vt Fortunæ reduci ara consecraretur, & dies eius reditus inter ferias relati, Augustalia dicerentur, tametsi noctu, vitandæ celebritatis causa, vrbem iniisset. Propter seditiones autem in eius reditu decretum est, vt Magister morum per quinque annos esset, & consularem potestatem quandiu viueret haberet, legesque ferret quas vellet, quæ Augustæ vocarentur. Hæc plurib. Dio. De Agrippa vero hæc habet.

Augustus Romam reuertitur.

VIII. Agrippa Gallos sedat.

Agrippa qui prius ex Sicilia ad gubernandam Vrbem missus fuerat, Gallis tum administrandis est præfectus. Tumultuabantur enim inuicem Galli, & à Germanis infestabantur. Iis motibus sedatis in Hispaniam transiit. Nam Cantabri in seruitutem redacti, suis Dominis interfectis, domum redierant, & multis ad defectionis societatem permotis, castellis quibusdam occupatis, præsidia Romanorum adoriebantur. Contra quos profectus Agrippa post multam suorum cædem, nam plerique inuiti pugnabant, & hostes cum salutis desperatione certabant, tandem victor Cantabros, qui essent militari ætate, omnes prope deleuit reliquos armis exuit, & ex montanis locis transtulit in campestres. Neque tamen triumphum Augusti iussu ei decretum agere voluit, perinde ac si Augusti legatus, eius auspicijs pugnasset, non suis.

Cantabros domat, & recusat triumphum.

His porro Coss. abiit è viuis gloria Romanæ oēcus Virgilius Maro, vt habet in Eusebij Chronico Hieron. ad Olymp. 190. annum secundum, vt in eo genere tam eximius, nemo vt fuerit, futurusne videatur omni poëtica laude cumulatior.

Virgilij mors.

ANNVS MVNDI 4036.

SIMONIS Pont. 7. HEROD. 20. & 23.

AVGVSTI 36. Imperij Roman. 31.

OLYMP. C XC. AN. 3. VR. C. 735.

ANTE CHRISTVM 17.

HOc anno Cæsar Agrippam pene ad Imperij societatem prouexit. Cum enim eius opera plurimum in Repub. vteretur, insidiasque ipse metueret, parumque præsidij in thorace, quem etiam cum in Senatum iret, sub veste gestabat, esse arbitraretur, Agrippam quasi alterū se, ad expedienda negotia habere voluit. Ergo cum in aliud quinquennium suum sibi principatum prorogauit, tum Agrippæ tribunitiam potestatem ad quinquennium dedit. Multum deinde in deligendis Senatoribus laborauit, multamque inuidiam, querelas, atque insidias adiit cum Agrippa, quantumuis eas sortitione vitare conati essent. Et cupiebat quidem Augustus trecentos tantum, secundum antiquam consuetudinem retinere, bene cum Repub. agi ratus, si tot ex iis Senatu digni reperti essent. Veritus tamen offensionum multitudinem, sexcentos Senatores delegit, in quibus Lepidus olim Triumuir ægrè retentus est. Multa quoque alia Romæ è Rep. ordinauit, quæ pluribus apud Dionem reperies.

I. Cæsar Agrippam sibi supparem efficit. *Dio l. 54.*

Cum eo Senatum legit ad 600.

Arbitror hoc anno Herodem filios suos Alexandrum & Aristobulum, quos ex Mariamna susceperat, Romam ad Cæsarem, tum officij causa misisse, idque maturè, post eius reditum in vrbem, qui magna celebritate actus fuerat, vt diximus, tum etiam Romanarum disciplinarum gratia. Missos enim ait Iosephus constructa iam Sebaste, & interim dum Cæsaræa ædificabatur. Eratque eis paratum hospitium apud Pollionem Herodis studiosissimum; licuit tamen etiam Cæsaris hospitio vti; summa enim humanitate adolescentes excepit, fecitque Herodi potestatem, vt è liberis suis quemcumque vellet hæredem regni designaret. Cæterum correxisse videtur hoc loco Iosephus, quod l. 1. de bello c. 17. dixerat,

tres videlicet filios Mariamnes Romam missos, ibique minimum natu fuisse defunctum,

II. Herodes mittit Romam filios. *L. 15. c. 13.*

ANNVS MVNDI 4037.

HERODIS 21. & 24. SIMONIS 8.

AVGVSTI 27. & Imperij Rom. 32.

OLYMP. CXC. A. 4. V. C. 736.

ANTE CHRISTVM 16.

I. Ortus Lucij nepotis Augusti. *Dio l. c.*

ALterum hoc anno filium ex Iulia Augusti filia suscepit Agrippa, cui Lucio datum est nomen, tanto aui gaudio, vt eum fratremq; eius Caium triennio grandiorem Augustus statim adoptarit, & hæredes imperij destinarit, non expectato dum virilem ætatem attingerent. Huius enim geminæ sobolis incremento tutiorem se fore censuit ab insidiis. Itaque ad diem ortus eius celebrandum, festum quod Virtuti & Honori tributum erat 4. Cal. Iunias, ad Lucij natalem honorandum transtulit. Quin & seculares ludos, quos hoc anno celebratos, & quidem ingenti apparatu Censorinus testatur, Augusti voluntate potius, quam ordine temporis id exigente, actos fuisse in lætitiæ argumentum facile credo.

Ludi seculares. *c. 17. & Dio l. 53.*

II. Concipitur B. Virgo.

Longe maioris causa lætitiæ fuit hic annus vniuerso terrarum orbi, quo in spem minimè fallacem, vt filij Iuliæ nepotes Augusti, genita est regina, & hæres imperij orbis terrarum, quã retroactaomnia secula expectarunt, figuris prænonstrarunt, vaticiniisque prædixerunt. Nullũ habemus hac de re certius neque antiquius testimonium eo, quod ex Euodio Antiocheno Episcopo recitat Nicephorus. Nam in epistola quam vocauit Lumen, inter alia hæc habet. *Trimula cum esset, in templum præsentata, ibi in sanctu sanctorum*, id est, locis custodiæ virginum Deo dicatarum destinatis, *traduxit annos vndecim: deinde vero Sacerdotum manibus Iosepho ad custodiam est tradita*, coniugium enim ad custodiam referebatur, pergit, *apud quem cum menses quatuor peregisset, ab Angelo latum illud accepit nuncium. Peperit autem huius mundi lucem annum agens decimũ quintum, vigesima quinta die mensis Decembris* decimum quintum, vtique non exactum, sed decurrentem, & per quatuor menses inchoatum.

III. Non sine miraculo. *s 2. in 3. part. disp. 2. sect. 1.*

Concepta porro est exeunte hoc anno Virgo beatissima, ex Ioachimo patre, & Anna matre, parentibus genere & virtute nobilibus, via quidem communi, non tamen sine aliquo miraculo, & supernaturali virtute conceptio perfecta est. Referunt enim sancti Patres, quo Suares fuse recenset, B. Annam fuisse sterilem, & vitam sine prole vsque ad senectutem produxisse, & orationibus conceptionem Virginis impetrasse: *vt ad summum miraculum*, ait Damascenus, *via per miracula sterneretur.* Quin & prænunciatam parentibus conceptionem, ipsumque Mariæ nomen, non parum verisimile facit prærogatiua Isaaco, Samsoni, Samueli, & Ioanni Baptistæ concessa. Neque enim negandum est Matri Dei vllum priuilegium, cuius illa fuerit capax, quod alicui seruorum Dei fateamur fuisse concessum. Accedunt & Patrum testimonia, nominatim Epiphani, Damasceni, Nysseni, quæ in Annalibus retulimus.

Orat. 1. de Nat.

Haresi 78. 79. l. 4. c. 15. De Nat. Christi.

ANNVS MVNDI 4038.

BEATÆ VIRGINIS 1.

HERODIS 22. & 25. SIMONIS 9.

AVGVSTI 28. Imperij Roman. 33.

OLYMP. CXCI. A. 1. V. CON. 737.

ANTE CHRISTVM 15.

I. Natiuitas B. Virginis. *l 2. c. 3. ſ. c. 12 6. c. 2. ſ1 c. 2. 23.*

HOc mundi atque Imperij Romani anno 8. Septembris, nono à Conceptione mense, nata est beatissima Christi mater, iuxta ea quæ proximè ex Euodio & Nicephoro dicta sunt. Nam porro fuisse conceptam quæ in oppido Nazareto prouinciæ Galilææ, in Iudæa regione Syriæ, constans est communisque sententia: ibi habitasse Ioachimum, ibidem ei nupsisse Annam testatur Hippolytus apud Nicephorũ. Ibidem conceptum educatumque Dei filium, Euangelium Lucæ & Matthæi dubitare non sinunt.

II. Augusti peregrinatio. *Dio l. 54.*

Augustus huius anni Cos. in Gallia profectus est, vt Dioni placet, prætendens bellicos eius prouinciæ motus, cum reuera vel fugæ tristitiam vitare vellet, vel ægre ferret se, dum in vrbe esset, delinquentes puniendo, multorum offensionem contrahere, vel suas ipsum leges parcendo antiquare. Itaque Solonis exemplo peregre abire decreuit. Volebat quoque cum Mecœnatis vxore Terentia, sine obiectatoribus viuere. Ante discessum autem Quirini templum recens ædificatum dedicauit, in quo sex & septuaginta columnas excitarat, quot deinde quasi diuinans viuendo expleuit annos. Deinde Vrbis & Italiæ gubernatione Statilio Tauro imposita (Nam Agrippam rursus in Syriam mittebat, Mœcenatem minus amabat, Tiberium quamuis Prætorem secum abducebat, Druso in eius locum ex S. C. suffecto) cum Augusto abeũti multa prodigia contigissent, vota pro reditu eius concepta sunt, & quinquennalia principatus eius ludis celebrata, Agrippa XV. viro faciente sumptus.

Quirini templum

III. Agrippa in Iudæa. *Ioseph. l. 16 c. 3. & 4.*

Interea M. Agrippa peruenit in Asiam, ad quem Herodes adiit, eumque cum amicis & sociis abductum in Iudæam, benèuolentiæ significatione tractauit, quippe quem sciret secundum Cæsarem posse omnia, recens à se conditas vrbes arcesque ostentans, occurrentibus populariter omnibus, amictu & cultu festiuo, & cum faustis acclamationibus. Addit etiam Iosephus, Agrippam Deo hecatombem immolasse, epulumque præbuisse. Et quamuis ibi libenter diutius fuisset commoratus, appetente tamen hyeme tempestatum metu, matturius nauigasse in Ioniam.

ANNVS MVNDI 4039.

BEATÆ VIRGINIS 2.

HERODIS 23. & 26. SIMONIS 10.

AVGVSTI 29. Imperij Roman. 34.

OLYMP. CXCI. 2. VRB. CON. 738.

ANTE CHRISTVM 14.

I. Herodes tursum adit Agrippam. *Ioseph. l.16 c.3. & 4.*

HErodes exacta domi hyeme, instante vere rursum properauit ad Agrippam, audito quod cum exercitu Bosphorum peteret, Rhodo & Coo præternauigatis, Lesbum, deinde Byzãtium profectus, eum apud Sinopem vrbẽ Ponticam offendit, vbi confecto negotio Scribonij, qui regnum Ponti occupauerat, idq; sibi ab Augusto traditum asserebat, cum eodem Agrippa terrestri itinere peruenit Ephesum, inde Samũ nauibus traiecerunt. Toto autem eo itinere fere per singulas ciuitates, in multis Herodi gratificatus est Agrippa, & ad eius preces multorum necessitatibus subuenit: præsertim autem Iudæorum Ionicorum, quos indigenæ vexabant, nec suis patiebantur viuere legibus, & fastis diebus trahebant ad tribunalia, in religionis contumeliam, & oneribus grauabant, contra concessa per Romanos priuilegia. Quibus Agrippa respondit se & propter Herodem amicum illis gratificari paratum; & quia æquum postularẽt, itaque & priuilegia rata esse voluit, neque illis, iuxta sua instituta viuentibus, quemquam molestũ esse. Tum Herodes assurgens ei gratias egit omnium nomine: deinde post mutuos cõplexus vale dicto, à Lesbo digressi sunt. Herodes Iudæam repetiit, & nos ob impetratam Iudæis per Asiam degentibus immunitatem, & quarta parte tributorum remissa, valde exhilarauit.

Qui multa ei gratificatur in gratiã Iudæorũ

II. Res à Cæsare in Germania, & Gallia gesta. *ex Dione l.54.*

Dio autem narrat Germanos Augusti aduẽtu territos, in suam regionem regressos, datisq; obsidibus pacem impetrasse: & Cæsarem res Germaniæ, Galliæque composuisse. Galliæ præsertim, vbi Licinnius quidam indigenas insigni rapacitate expilarat, quorum accusationes cum ægre ferret Augustus, & tum Gallorum miseretur, tum præfecti sui eum puderet. Licinnius Augustum in suas ædes adducit, eique congestos thesauros demonstrat, eosque ipsi Cæsari collegisse, & conseruasse, & nunc tradere se dixit. Ita Licinnius, quasi vires Gallorum, in Augusti gratiam euerusset, discrimẽ euasit; & crimen in Augustum cum pecunia transtulit. At is rectius rem cum Vedio Pollione transegit. Erat is libertino genere Romanus eques, diuitiis potens, & sæuitia insignis, vt qui murænas in piscinis haberet, quas humanis carnibus saginabat. Mancipia enim quæ morti addixisset, eis obijciebat. Is cum aliquando Augustum conuiuio excepisset, & calicem crystallinum minister poculorum fregisset, murænis eum proijci iussit. At is ad Augusti pedes prouolutus, veniam & vitam supplex precabatur; quam cum ab hero, ne interueniente quidem Augusto, impetraret, omnia eiusdem generis vasa quasi ad vtendum

Licinnij & Augusti auaritia.

Vedius Pollio.

confertri iussit, & prolata confringi. Sed vnum quoque defuit, quod non etiam tam crudelem herum ad murænas proijci iussit.

Eodem tempore Augustus multas in Galliam & Hispaniam colonias deduxit, Cyzicenis libertatem restituit, Paphiis terræ motu afflictis pecunias largitus est, permisitque vt vrbem suã vocarent Augustam. Natus quoque est hoc anno Germanicus Cæsar, à Tiberio Augusti iussu adoptatus, Caligulæ pater, qui breuis æui anno vitæ quarto & trigesimo extinctus est, vt suo loco dicetur.

III. Ortus Cæsaris Germanici.

An. V. C. 772.

ANNVS MVNDI 4040.

BEATÆ VIRGINIS 3.

HERODIS 24. & 27. SIMONIS 11.

AVGVSTI 30. Imperij Roman. 35.

OLYMPIAD. CXCI. A. 3. VRB. C. 739.

ANTE CHRISTVM 13.

BEatissimæ Virginis inchoatos tantum numeramus annos, itaque eius Præsentationem ad sequentem annum differimus. Vrgebat interea Herodes cum alia ædificia, tum Cæsaream & templum, iuxta distributionem temporis suis locis constitutam. Dio porro scribit hoc anno Crasso & Lentulo Consulibus, Æmylij Pauli porticum Romæ incendio absumptam fuisse, ignemque ab ea ad Vestæ vsque grassatum, ita vt sacra à Vestalibus in palatium deportata fuerint, & in domo Flaminis dialis deposita. Quæ postea porticus ab Augusto, & Pauli Æmylij amicis restituta est. Hoc anno propter rem in Ponto ab Agrippa præclarè gestam, honores illi supplicationum, & triumphi decreti sunt; sed ipse triumphum non admisit, & cæteris ne admiterent suo præiuit exemplo, quod Augusti auspiciis res à se gestas quasi ab eius legatis, profiterentur.

I. Incendiũ Romæ, porticus Æmylij, &c.

Agrippa triumphum recusat.

Hunc porro Lentulum Consulem cognominant Augurem, quem Seneca diuitiarum maximum exemplum vocat antequam libertini cum pauperem facerent, vt qui quater millies sestertiũ suum viderit. Eam summam Cenalis æstimat 20. millionibus libratum Turon. Significat autem Seneca eum, quòd esset auaritissimus opes suas vidisse tantum, non etiam iis vsum fuisse. Tiberio enim Cæsari eas seruauit miser. Nam Sueton. *Sat constat*, inquit, *Cn. Lentulum Augurem, cui census maximus fuit, metu & angore ad fastidium vitæ ab eo actum, dum prohibet ne quo, nisi ipso hærede moriatur.* Quo modo igitur eum libertini pauperem fecerunt? non furto vtique, sed maiore censu, Claudio quippe Imperatore, quidam libertini ditiores fuisse perhibentur, quorum comparatione hic Augur poterat videri pauper.

II. Lentuli Auguris opes. *L.2. de ben. c.27.*

l.3.n. 49.

* * *

ANNVS MVNDI 4041.

BEATÆ VIRGINIS 4.

SIMONIS Pont. 12. HEROD. 25. & 28.

AVGVSTI 31. Imperij Roman. 36.

OLYM. CXCI. AN. 4. VR. C. 740.

ANTE CHRISTVM 12.

I. Præsentatio B. Virginis. *De Nat. Christi.*

EXpleto triennio Beata Virgo à Parentibus delata Hierosolymam & illic Deo ex voto ipsorum oblata, vitam deinceps in templo vsq; ad sponsalia traduxit, quando Iosepho sponso tradita Nazarethum abducta est. Ex voto dixi. Promiserat enim Deo Anna mater, vt ait Gregorius Nissenus, quod si mater euaderet, se quodcunque peperisset ei dicaturam. Quamobrem cum voti compos effecta, filiam suscepisset, eam vocauit Mariam, vt ipso etiam nomine testaretur acceptum munus à Deo. Illam igitur, cum iam grandiuscula esset, nec vbere matris amplius indigeret, duxit ad templum, Deoque reddidit, & studiose promissum expleuit. Sacerdotes autem quandiu paruula fuit, ad Samuelis similitudinem in sanctis ædibus educarunt. Hæc Nissenus corrigens quod aliqui de templi adytis, aut sancto sanctorum dixerant; quibus consentit S. Damascenus. Habemus etiam de hac sancta oblatione Deiparæ, Ecclesiæ Catholicæ iudicium atq; consensum, quem illa die festo peculiari, officio proprio, Missæque sacrificio prodit: simulque antiquam traditionem exemplo suo, atque autoritate cõfirmat. Sed plura hoc toto de argumento Annales suggerent.

Ecclesiæ autoritate firmatur.

à n. 1. ad 8. l. 54.

II. Augusti in Vrbem reditus.

Augustus autem, vt ait Dio, rebus Gallicis, Germanicis, Hispaniciisque confectis, Druso in Germania relicto, Romam reuersus est, Tiber. & Varo Coss. nec passus populum sibi venire obuiam, noctu sine pompa ingressus est vrbem. Postridie autem populum in palatio salutauit, & in Capitolium ascendens laurum fascibus detraxit, eamque ad Iouis genua deposuit. Deinde conuocato Senatu, ipse raucedine laborãs, Quæstori libellum recitandum dedit, quo res ab eo gestæ recensebantur, & anni militiæ ciuibus determinabantur, quantumque ij pecuniæ emeritis stipendiis, pro agro, quem nunquã non petebant, essent accepturi, ne reliqui ciues suis in posterum prædiis spoliarentur. Definiti autem erant Prætorianis anni duodecim, cæteris sedecim. Postea tamen anno Vrb. C. 757. Cinna & Messala Consulibus, militiæ tempus Prætorianis 16. annis definitum fuit, reliquis viginti, & illis quinq; millia drachmarum constituta sunt, istis tria.

Decretũ de militũ præmiis, & annis militiæ.

875. Frã. 525. Fran

III. Balbi & Marcelli Theatrũ & Ludi.

Subaduentum Cæsaris Cornelius Balbus theatrum suum dedicauit, ac spectacula exhibuit, & Tiberius ludos votiuos pro eius reditu. Mox autem Augustus ipse theatrum dicauit, quod appellauit Marcelli, ludisque eius rei gratia factis, Troiam inter pueros patricios Caius nepos Augusti octennis lusit. Feræ Africanæ sexcentæ depugnantes occisæ. Dies quoque natales Augusti, variis ludis epulisque celebratus. Cumque hoc anno Lepidus olim Triumuir, deinde Pontifex Maximus mortuus esset, Augustus eam sibi dignitatem assumpsit. Vestales virgines Pontifici subiectas muneratus est, libros fatidicos combussit, & Sibyllinos expurgauit, non sine peculiari Dei prouidentia: vt Christiani ex libris Sibyllinis ab ipso Augusto expurgatis, fidem Christianam apud Ethnicos maiori cum fide stabilire possent, quod à plerisque patribus videmus diligentissimè factitatum. Reuersus est hoc anno ex Syria M. Agrippa, quem Augustus tribunitia potestate in aliud quinquennium cohonestauit, & in Pannoniam vbi iam bellum gliscebat, misit, cum maiore imperio, quam vllus extra Italiam haberet: sed profectio in exordium sequentis anni cadit.

Augustus fit Pontifex, & libros Sibyllinos expurgat.

Agrippa in Pannoniam.

ANNVS MVNDI 4042.

BEATÆ VIRGINIS 5.

HERODIS 26. & 29. SIMONIS 13.

AVGVSTI 32. Imperij Roman. 37.

OLYMPIA. CXCII. A. 1. V. C. 741.

ANTE CHRISTVM 11.

I. Cyrinus consul.

HAbet hic annus Olympiacus Diophanem Aeolium in stadio victorem, & Consulem illum Quirinium, qui postea Syriæ præses factus est, Luca teste, qui eum Græco more Cyrinum, cum Dione & Eusebio vocat. Habet & profectionem Herodis in Italiam repetendorum filiorum causa, qui quintum iam illic morabantur annum, simul etiam vt eadem opera felicem Augusto reditum, & nouam Pontificatus dignitatem gratularetur, & cum S. P. Q. R. Patrem patriæ salutaret, quod nonis Februarij contigisse auctor est Ouidius in Fastis. Suetonius ait ter ei nomen Patris patriæ fuisse delatum: primum à plebe legatione Antiũ missa. Quod ille nomen cum modeste recusasset, tursus plebs eadem frequens & laureata, ipsi Romæ spectacula ineunti obtulit: postremo in Curia Senatus vniuersus per Messalem consulem. Cui ille lacrymans respondit, optare se vt perpetuo ea salutatione dignus esset, nec eam moribus appellationem refelleret.

Herodis in Italiam profectio

li. 2. c. 2. n. 58

Augustus pater patriæ.

Sed sanctissimam Virginem Hierosolymis commorantem, & dicatas fœminis templi Hierosolymitani exedras sanctificantem, inuisamus. In hoc ergo loco, inquit Suares, Deipara Virgo permansit vsque ad nubiles annos, soli Deo vacans, & forma virtutis effecta, vt dicit Ambrosius. Quos enim Deus singulariter sibi consecrat, ab infantia separat à cura sensibilium rerum, vt sibi liberius vacare possint: quod in multis, & præsertim in Ioanne Baptista cernimus, & multo perfectius credendum est, hoc esse concessum Virgini. Vnde etiam referunt autores graues, toto illo tempore accepisse Virginem cibum ministerio angelorum. Quod ex Hieronym. refert S. Bonauentura in libro Medit. vitæ Christi c. 3. & Georg. Nicomed. Homil. de oblat. Virg. in

II. B. Virginis commoratio in tẽplo.

t. 2. in 3 p. disp. 7. l. 2. de Virg.

Et cibus Angelorum ministerio.

Apud Surium 21. Nouem.

templo Cedren. in compen. histor. Et facile credi potest. Nam simile priuilegium concessum legimus Paulo primo heremitæ longo vitæ tempore. Quid ergo mirum quod concessum fuerit B. Virgini? Eo præsertim tempore, quo vitam tantum contemplatiuam profitebatur, ne vel minimum de illius cura remitteret? Hæc & plura Suares, hoc maiori digna fide, quo studiosius magnus ille Theologus res sacras solet expendere. Vide & Petrum Canisium in Mariali [a], & Annales [b].

Apud Hier. in eius vita.

a l. 1. c. 13.

b num. 5

III. Herodes domum reducit filios.

Herodes porro cum Romam venisset, à Cæsare humanissime tractatus, filios domum reducendos accepit, satis iam instructos liberalibus disciplinis. Qui postquam reuersi sunt in patriam, statim excepti sunt magnis studiis multitudinis, propter varia corporis animique ornamenta, ita vt regium quiddam ipsa specie præ se ferrent. Inde autem natam inuidiam, vel metum & insidias eorum, qui Mariamnem adolescentium matrem perdiderant, narrat Iosephus [c]; quas ratio exigere videtur, vt ad sequentem differamus annum.

c l. 16 c. 2

IV. Obitus Agrippæ *l. 54.*

Ad præsentem autem pertinet M. Agrippæ mors, autore Dione. Expeditionem, inquit, instante iam hyeme dictis Coss. fecit, quo eius aduentu exterriti Pannonij, cum à rebellione destitissent, reuersus, postquam in Campaniam venisset, morbo decubuit. Augustus tum forte quinquatribus mense martio munus gladiatorium filiorum nomine, Caij scilicet & Lucij, exhibebat. Eo cognito propere profectus ex Vrbe mortuum reperit: corpus eius in vrbem aduexit, & in foro propositum funebri laudatione decorauit, atque in eum extulit locum, in quem deinceps ipse relatus est; suóque eum in sepulchro condidit, & populo viritim pecunias eius nomine distribuit. Quæ fuerunt signa singularis in Agrippam, neque immeritæ beneuolentiæ, vt qui fuerit omniū qui ea ætate Rempub. attigerunt, si ab Augusto discesseris, facile princeps, propter eximiam moderationem, fortitudinem atque prudentiam: quique principis amicitia, cui gloriam tribuebat omnem, in publicæ rei vtilitatem sapienter vteretur, sicque esset & Cæsari & populo gratissimus.

Augusti in eum officia.

V. Agrippæ filius.

Et posthumus natus est filius, quem Augustus Agrippam nominari voluit, posteáque adoptauit; sed is multum à virtute parentis abfuit, vt suis diceretur locis. Cum autem Agrippa mortuo, Augustus indigeret viro, qui Agrippæ potentia & dignitate responderet, quoque in maximis Reipub. negotiis vteretur, & nepotes puerilem ætatem agerent, Tiberium priuignū. trigesimum annum agentem ad hoc munus assumpsit. Itaque Iuliam Agrippæ viduam, filiam suam ei despondit, prius illi ademptā, quam habebat vxore; licet ea esset Agrippæ ex priore vxore filia, quæ & infantem ex eo genitum iam alebat, & ferebat vterum. Tiberium ergo factū generum contra Pannonios misit, qui audita morte Agrippæ bellum renouabant. Ad eos profectus Tiberius, finitimorum Scordiscorum opera vsus, eos multis damnis affectos fregit, & armis spoliatos vendidit. Quam ob rem cum ei triumphus Senatus decerneret, Augustus triumphalibus ornamentis contectum esse iussit. Drusus quoque eodem tempore contra Gallos Germanosque vsque ad sequentem annum rembenè gessit, vt plurimus ex Dione intelliges.

Natus V C. 711.

Tiberius Agrippæ sufficitur

Vincitq; Pannonios.

Romæ autem Augustus in aliud quinquennium magister morum constitutus est: nam hunc quinque magistratum sicut & imperium ad certum tempus accipiebat. Iussit vt Senatores, quoties Curiam conuenire, aut accedere ad se vellent, suffitum adolerent, vt se tanquam in loco sacro, aut Deos adituri, religiose gererent. Illustre quoque edidit hoc tempore liberalitatis exemplum. Cum Asia prouincia terræ motibus concussa, ope aliqua indigeret, ex suis ipse pecuniis, tributum eius annuum in ærarium intulit; ne scilicet cum publico detrimento misericors esset.

VI. Augustus Magister morum.

Augusti liberalitas.

ANNVS MVNDI 4043.

BEATÆ VIRGINIS 6.

HERODIS 27. & 30. SIMONIS 14.

AVGVSTI 33. Imperij Roman. 38.

OLYMP. CXCII. A. 2. VR. C. 742.

ANTE CHRISTVM 10.

IN hunc annum referimus initia metus & insidiarum in Alexandrum & Aristobulum filios Mariamnes, metus inquam illorum, qui calumniis Mariamnem oppresserant, videbātque non defore materni interitus vltores. Furtim ergo sermones vulgo iactabantur, parum eis gratam esse patris consuetudinem, memoria supplicij de genitrice sumpti, quasi auet santibus materno sanguine pollutum. Sed hæc tardius perlata sunt ad Herodem, qui illis interea, quod iam essent adulti, vxores dedit, Alexandro, Archelai Cappadocum regis filiam Glaphyram; Aristobulo autem Berenicem filiā Salomes; quo facto videtur Herodes odium sororis suæ Salomes, in filios Mariamnes, noua affinitate extinguere voluisse: sed ea paulatim recaluit, ac reuixit, vt sequenti anno dicetur.

I. Calumniæ in filios Mariamnes. *Ioseph. l. 16 c. 1. & 2.*

Quos Herodes iungit coniugio.

Hoc anno Drusus Tiberij frater, & Augusti priuignus, cum ex Germania Romam sub hyemem rediisset, ibi Prætor Vibanus creatus est, quanquam prætorios honores iam adeptus, Fabio & Tuberone Coss. Idemque veris initio, rursus ad bellum profectus est, vbi etsi rem bene gessit, summum tamen periculum adiit, ab hoste in loco angusto & concauo circumclusus. Aqua pernicie nihil aliud cum eripuit, quam hostium temeritas, qui contemptis Romanis, quasi iam captis, & vno velut ictu concidendis, cum nullo eius ordine aggressi essent, ferocia fracta inde discesserē. Drusus vicissim iis contemptis castellum contra eos, ad Lupiæ & Alisonis fluuiorum confluentes, aliudque in Chattis ad ipsum Rhenum extruxit. Eodem tempore Tiberius Dalmatas rebellantes, atque inde Pannonios, qui per eius absentiam res nouas moliti fuerant, vtrisque bello simul illato, eóque modo hac modo illac trāsilato, vtrosque in suam potestatem redegit; vtri-

II. Drusus Prætor. *Dio l. 54*

Res ab eo in bello gestæ.

Tiberius Dalmatas domat & Piso Thraces.

vtique honores triumphales decreti, sicut & L. Pisoni, qui in Thracia rem bene gesserat: nomen autem Imperatoris, quod vtraque illorum suus tribuerat exercitus, Augustus non probauit.

ANNVS MVNDI 4044.

BEATÆ VIRGINIS 7.

SIMONIS Pont. 15. HEROD. 28. & 31.

AVGVSTI 34. Imp. Rom. 39.

OLYMP. CXCII. A. 3. VR. C. 743.

ANTE CHRISTVM 9.

I. Ortus Claudii Imper. *Iulius. Augustus Tiberius. Caligul. Claudius. Nero. a. V.C. 751.*

HVnc annum insignem facit Claudij Imperatoris ortus, à Iulio Cæsare quinti. Testis Suetonius, qui etiam addit natum Lugduni Calend. Augusti, eo ipso die, quo primum ara ibi Augusto dedicata est. Porro Iul. Antonius hoc anno Consul, filius fuit M. Antonij triumuiri, pater L. Antonij, & post annos aliquot, ob adulterium Iuliæ, morte punitus est. Eam Iuliam Augustus hoc anno Tiberio, cui antea illam desponderat, matrimonio coniunxit, & Octauiam sororem vita functam, in sacrario Iulio publicè exposuit, publiceque laudauit, anno ætatis suæ quinquagesimo quarto, teste Suetonio. Censum egit, eoque facultates suas, perinde ac si priuatus quispiam foret, descripsit. Senatumque legit. Et cum videret non semper frequentes conuenire Senatores, statuit vt Senatus Consulta etiam à paucioribus quam quadringentis fieri possent, cum antea hunc numerum, vt rara essent, requirerent.

Matrimonium Iuliæ, & mors Octauiæ. *l. 2. n. 61.*

Dio l. 54. exitu. S.C. quot Senatores requireret.

II. Decretũ de Iani portis irritum.

Decretum fuerat hoc anno vt Iani Gemini templum, quod bellis quæ diximus exortis apertum fuerat, ijs iam compositis clauderetur, verum id ne fieret Daci obstitere, qui Istrum frigore concretum transgressi è Pannonia prædas abstulerant. Dalmatæ quoque propter exactum tributum defecerant. Hos motus Tiberius ex Gallia, in quam cum Augusto profectus fuerat, aduersus eos missus, pacauit, sicut & Drusus tumultuantes Germanos. Sub extremum annum Tiberius & Drusus cum Augusto, qui in Lugdunensi Gallia plerumque versabatur, haud procul à bello Germanico remotus, & in eius cuentum intentus, Romam redierunt.

Bella à Tiberio & Druso confecta

III. Cæsaræa ab Herode dedicatio. *a. V.C. 731. n. 5. li. 16 c. 9.*

Hoc anno, qui est duodecimus à Cæsarea Herodis inchoata, eadem absoluta est ac dedicata, vt vult Iosephus, & quidem tanta magnificentia, quantam nemo prudenter credat; præsertim qui hominem norit, indebitam opinionem magnificentiæ, genti suæ inuerecunde affectantem. Post quam celebritatem addit etiam ab Herode ædificatum aut renouatum potius oppidum Caphartsalama, & in patris honorem dictum Antipatrida. Deinde castellum, quod in gratiam matris vocauit, Cypron. Turrim præterea in vrbe pulcherrimam, quæ instar Phari Alexandrini esset: Phasaëlum vocauit, deinde eiusdem nominis oppidum circa vallem Hiericuntinam, aliaq; plura, quæ apud Iosephum, à bonæ fidei Lectoribus legi possunt, & credi.

Alia ab eodem ædificia.

IV. Domestieum dissidium apud Herodem.

Interea domesticum dissidium augebatur apud Herodem. Quippe Salome eius soror timebat, idque agebat, ne quis superesset, qui mortem Mariamnes vlciscereturo. Itaque adolescentes à Salome & Pherora instigati, matris interfectores conuitijs incessebant, in quibus Herodes ipse includebatur. Apud quem ijdem qui instigauerant, eos accusarunt, quasi propositum haberent vindictam de matris interfectoribus sumere: illisque spem facere Archelaum Cappadocem, cuius filiam Glaphyram minor fratrum habebat vxorem. Quibus auditis Herodes turbatus, animo fluctuans statuit alterum filium Antipatrum, qui tum priuatus agebat, accersere, comprimendisque ferocibus adolescentum animis opponere, & honoribus augere: quo facto maiorem dissentionum & odiorum flammam succendit imprudens. Nam Antipater, qui fratres videbat parum patri charos, cœpit esse vnguis in vlcere & clam peridoneos homines Herodem in illos exasperare. Denique eum Romam misit pater suæ ætatis anno sexagesimo tertio, quasi regni hæredem designans, & Cæsari eum per literas sæpe commendans. Quid autem Romæ fecerit sequenti anno dicetur.

ANNVS MVNDI 4045.

BEATÆ VIRGINIS 8.

HERODIS 29. & 32. SIMONIS 16.

AVGVSTI 35. Imp. Rom. 40.

OLYMP. CXCII. A. 4. V.C. 744.

ANTE CHRISTVM 8.

I. Claudius Drusus Consul. *Dio l. 5. init.*

INsignis est hic annus Consulatu & morte immatura clarissimi viri Claud Drusi, vtique clarissimi, quippe qui Imperatoris Augusti priuignus fuit, Imperatoris Tiberii frater, Imperatoris Claudij parens, quem bellum in Germania trigesimo ætatis anno gerentem mors intra triginta dies oppressit, vt Velleius affirmat. Hostem frequenter cæsum, inquit Suetonius, ac penitus in intimas solitudines actũ, non prius destitit insequi, quam species barbaræ mulieris humana maior victorem vltra tendere Latino sermone prohibuit, quod iam ipsi, vt Dio addit, operum suorum, ac vitæ terminus instaret. Itaque in itinere priusquam Rhenum attingeret, morbo decessit. Ad famam ægrotantis Drusi, Augustus, qui non ita procul ab eo aberat, Tiberium celeriter accersijt, isque fratrem suum adhuc animam trahentem reperit, Romamque defuncti corpus attulit. Ipse, inquit Liuius, ex fractura, equo supra crus eius collapso, trigesimo die quam id accidit, mortuus est.

l. 5. n. 2.

Morbo decedit.

Epit. 140.

Cadauere in foro proposito duplex ei laudatio contigit, altera à fratre Tiberio in

II.

Ab Augusto & Tiberio laudatur.

ipso foro; altera in circo Flaminio ab Augusto: in Vrbem enim propter mortem Drusi ingredi noluit: quem viuum tantopere dilexit, vt coheredem filijs suis semper instituerit, nec sine causa. Quippe quem plerique Augusti filium fuisse censuerunt, ex eius cum Liuia consuetudine, dum illa cum priore marito esset. Inde funus ab equitibus & patricijs in campum Martium illatum, ibique crematum: reliquiæ in Augusti sepulchrum illatæ, Germanicique cognomen ipsi & filijs datum, honoresque statuarum & arcuum triumphalium in via Appia, & honorarij ad Rhenum, tumuli, quæ *νεκροταφία* vocant.

III. Antipater Roma turbat patrē contra fratres suos.

Interea Romæ elatescit Antipater, Herodis ex Doride filius, paternis literis omnibus amicis commendatus. Cumque vereretur ne patris animus mutatus, æquiorem se præberet erga filios Mariamnes, eum per literas quantum poterat exacerbabat, quasi de ipsius incolumitate sollicitus: tandemque eò induxit, vt in filios statueret seuerius animaduertere; sed ne quid temere ageret, decreuit Romam nauigare, & ibi filios accusare apud Cæsarem; quod proximo anno factum est, vt dicemus.

ANNVS MVNDI 4046.

BEATÆ VIRGINIS 9.

HERODIS 30. & 33. SIMONIS 17.

AVGVSTI 36. Imperij Roman. 41.

OLYM. CXCIII. A. 1. VR. CO. 745.

ANTE CHRISTVM 7.

I. Sextilis denominatur Augustus. *De die nat. c. 22.*

SEXTILI mensi inditum hoc anno, Augusti nomen, testis est Censorinus. Nam qui Quintilis fuit, inquit, Iulius cognominatus est, C. Cæsare quintùm, & M. Antonio Coss. Iuliano secundo. Qui autem Sextilis fuerat, ex Senatus Consulto, Marcio Censorino, & C. Asinio Gallo Coss. in Augusti honorem dictus est Augustus. Quod nomen, inquit Dio, cum alij Septembri, quo mense natus est Augustus, indere vellent, ipse Sextilem prætulit, quod eo mense primum Consul factus, & multis magnisque prælijs victoria potitus esset. Idem habet Suetonius. Hic quoque annus celebratur quod in eo sit emendatus error, qui à Pontificibus in intercalatione committebatur, ex quo annus à Iulio correctus fuerat. *Nam cum oporteret*, inquit Macrobius, *diem qui ex quadrantibus conflt quoque anno perfecto, antequam quintus inciperet intercalare, illi non peracto, sed incipiente intercalabant. Hic error sex & triginta annis permansit, quibus annis intercalati sunt dies 12. cum debuerint intercalari nouem. Sed hunc quoq; errorem sero deprehensum correxit Augustus, qui annos duodecim sine intercalari die transigi iussit*, &c.

li. 55.

l. 1. n. 31.

li. 1. Sat. n. 31. Corrigitur annus ab Aug.

II. Augustus lustrum condit.

Idem Augustus, *cum principatum deposuisset*, inquit Dio, ad annum hisce Coss. insignitum, *hoc enim præ se ferebat, exacto decennio altero* (ab anno scilicet vrbis septingentesimo trigesimo quinto) *inuitus iterum suscepit, & in Germanos bellum molitus, ipse domi subsitit*, & lustrum condidit, quo lustro censa sunt quadragies centum millia, & ducenta triginta tria millia, vt ex Lapide Ancyrano constat. Cum autem proximo anno propter Drusi mortem Vrbem intrare noluisset, nunc finito luctu Romam adijt, & bellum Germanicum à Druso inchoatum, in fratrem eius Tiberium transtulit, eique Imperatoris nomen dedit, & Consulem designauit. Quod bellum Tiberius ita gessit, vt omnes, exceptis Chattuaris, legatos de pace mitterent, quam tamen non impetrarunt. Interea cum vix finitus esset de Drusi morte luctus, alia superuenit Augusto lugendi materia. Mecœnatis enim morte ingenti dolore affectus est. Virum quippe fortem ac fidelem, & in monendo liberum amiserat, & cui Vrbis custodiam diu commisit, sicut Agrippæ, virum ab ambitione alienum, quippe cuius nullum legimus Consulatum, & qui in equestri statu consenescere voluerit. Fuisse autem illum eo tempore literatorum præsidium, ex Virgilio & Horatio notissimum est: ne sine illustri eius gloria nomen Mecœnatis ad posteros, benignitatis ipsius imitatores propugnatum est.

Lapis Anyr.

Druso Tiberium fratrem iubet.

Vellei. l. 2.

Mecœnatis obitus & laus.

III. Horatius Poëta moritur.

Paululum ei Horatius poëta Lyricus superstes fuit; hoc quippe anno atque his ipsis Coss. mortuum esse autor est Suetonius in eius vita, non tamen ineunte sexagesimo ætatis anno, vt ipse putat, sed quinquagesimo septimo, vt in Annalibus ostendimus. Mortuum autem ex dolore defuncti patroni sui Mecœnatis, non leuis est suspicio, cum eius ægritudinem, tàm impotenter eum tulisse legamus, in illa ode, cuius est initium, *Cur me querelis exanimas tuis*, &c. Vir fuit lingua melior quam vita, vt ex plerisque ipsius odis intelligi potest, in cuius sepulchro ipso non repugnante inscribatur, *Epicuri de grege porcus.* Hæredem constituit Augustum, sicut & Mecœnas, qui & Cæsari liberum reliquit, velletne aliquid quibusdam amicis dare.

p. 14.

IV. Herodes cum filijs apud Cæsarem litigat. *Vide Ann. n. 8. 9. & 10.*

Peruenit hoc anno Romam Herodes cum filijs, quos apud Cæsarem accusaturus erat, sed eum ibi non inuentum Aquileiam vsque persecutus est. Egressus videlicet fuerat cum Tiberio contra Germanos proficiscente, aut potius paulo post; expectauit enim dum sibi imperium in alterum decennium decerneretur, sed non vltra Aquileiam processerat. Cum ibi Herodes incolloquium cum Augusto venisset, rogasset que vt de infortunio suo vellet cognoscere, adductos coram filios accusauit insolentiæ, tentatique veneficij; sed cum res tota careret probationibus, idemque esset accusator & patens, facile intellexit Cæsar rem totam calumnijs esse subnixam, & Regem ipsum non carere culpa, qui sine certis argumentis temere criminationem esset amplexus: præsertim cum filij dudum Romæ ab Augusto noti, se & verbis & lacrymis ab eo facinore longe abesse fuisse demonstrarent, & omnes, atque adeo accusatorem ipsum adsui commiserationem commouerent.

V.

Itaque Cæsar auditis vtrisque, hoc ipso iuuenes alioqui insontes, peccasse pronunciauit, quod non tales parenti se præstitissent, vt nulla

Augustus vtroque conciliat l. 16. c. 8

neos posset hærere suspicio. Herodem autem rogauit, vt suspicari desineret, & filius reconciliaretur, & vtrimque deinceps, ad abolendas suspiciones veteres, nouis officijs certaretur. Post hunc admonitionem iuuenibus innuit, vt se ad genua patris abijcerent; quod Pater non expectans, prior flentes vnum post alium complexus est; moxque Cæsarem trecentis talentis donauit, munera edentem Romæ, & congiarium diuidentem populo. Ita Iosephus. At quomodo Romæ, cum res gesta sit Aquileiæ: Cæsar autem vicissim Herodi donauit dimidium è metallis Cyprijs, & reliquum dimidium procurationi eius commisit, alijsque hospitalibus officijs honorato, liberam potestatem permisit eligendi successorem, quemcumque è filijs, aut si mallet, regni in singulos diuidendi. Quos cum ille iam tacere pararet, negauit Cæsar se commissurum, quin ille quam diu viueret tam regnum haberet in potestate, quam filios.

Dona mutua.

IV. Herodes cum suis domum redit. *Ioseph. ibi.*

His ita peractis, post actas Cæsari gratias vnà discesserunt, & cum eis Antipater, simulans se gratulari reuersis in gratiam. Cumque peruenissent ad Eleusiam oppidum Ciliciæ, quod Sebaste mutato nomine dicitur, offendunt ibi Archelaum Regem Cappadociæ, de reconciliata gratia valde gaudentem, datisque vicissim regis muneribus digressi sunt. Vbi autem Herodes peruenit Hierosolymam, aduocata in templum concione, quid in ea peregrinatione egisset exposuit: denarrataque humanitate Cæsaris, & alijs rebus, quas illos scire voluit, extrema oratione omnes ad concordiam cohortatus, pronunciauit filios post se regnaturos, primum Antipatrum, deinde ex Mariamne natos Alexandrum & Aristobulum: qua voce inuidiæ & æmulationis facem, inter filios vtcumque sopitam, imprudenter accendit.

Imprudenter nominat successores.

ANNVS MVNDI 4047.

BEATÆ VIRGINIS 10.

HERODIS 31. & 34. SIMONIS 18.

AVGVSTI 37. Imper. Roman. 42.

OLYM. CXCIII. A. 2. VRB. CO. 746.

ANTE CHRISTVM 6.

I. Tiberii eõsulatus & triumphus. *Dio l. 55.*

DEsignarat Augustus proximo anno Tiberium Consulem secundùm, sexto à priore consulatu anno. Hunc ille magistratum Calend. Ianuarijs inijt cum Cn. Pisone, qui septemdecim ante annis, cum Augusto ipso vndecimùm consule, Consul fuerat. Tiberius porro veteri more triumphauit, cum prius ad Senatũ ex Prouincia literas dedisset. Quo peracto ipse Senatum in Capitolio, Liuia eius mater seorsim matronas epulo excepit. Paulo post autem coortis in Germania motibus, ad bellum profectus est Tiberius, eiusque loco ludos pro Augusti reditu votos Caius ac Piso fecerunt. De bello autem illo nihil memorabile reperio. Sed Augustus ipse, quierat spectaculorũ studiosissimus, tumulet iam honorandi Agrippæ gratia, cuius campus & Diribitorium recens perfectum ac dicatum fuerat, funebre munus gladiatorium datum est, primo singulis contra singulos pugnantibus; post æquali numero commissis, omnibus in pulla veste, excepto Augusto, spectantibus.

Munus gladiatorium ab Aug.

II. Herodes eum Dauidis sepulchrũ adierit.

Sub hæc tempora cum Herodes immensas pecunias domi forisque profudisset, exemplo Hyrcani, Simonis Machabæi filij, sepulchrum Dauidis adijt, vbi nõ inuenta pecunia, vim magnam mundi precioſi, & aureorum ornamentorum inde sustulit. Eo lucro inuitatus ad diligentius scrutandum, progressus ad conditoria Dauidis & Salomonis, flamma ex aditis erumpente duos amisit satellites: quo casu territus exiuit, & ad expiandum facinus, monimentum in aditu sepulchri extruxit. Hæc & plura Iosephus, quam verissimam, vt arbitror, fabulam, nos iam semel iterumque refutauimus, vt non sit opus hoc loco actum agere. Illud tantum dico, tam Hyrcanum, quam Herodem ab hoc sacrilegio immunes videri, neque Herodis, quæ deinceps exortæ dicuntur calamitates, huic crimini ascribendas esse.

l. 16. c. 11. a.m. 3021. n. 109. & seqq. & 3021. n. 8. & 9.

III. Antipater turbas excitat.

Cæterum Antipater, qui specie tenus reconciliatus erat fratribus, falsis eos criminationibus aliorum opera inuoluens, ipse patrocinium eorum sæpe simulabat, vt approbata sua beneuolentia facilius iuuenes clam posset opprimere. Atque huiusmodi artibus ita circumueniebat patrem, vt is eum solum putaret suæ incolumitatis curam gerere; ideoque illi, cum eius matre, omnia sua cõmunicabat, omnia eorũ arbitratu gerebat: filios autem Mariamnes, eorumque vxores, tum negligebat, tum auersabatur. Quæ illi indigne ferentes, cum pleraque minarentur domi, ea Salome ad Herodem improbissima delatione referebat; quæ suspiciosum, & credulum hominem, ita exasperabant, vt ab insania parum abesse videretur, & Alexandrum filium in vincula conijceret. Quod cum Archelaus eius soccr accepisset, ab Herodem venit, & simulata in generum indignatione, præ se fert se matrimonium velle dissoluere. Quo periculo quasi vero motus pater, cœpit in Alexandrum mitescere: quam occasionem sumens Cappadox, filio patrem, f. atri etiam fratrem reconciliauit, id est Pherorum Herodi, postquam ille calumnias in Alexandrum suas detexit. Et quoniam Herodes de hoc negotio Romam scripserat ad Cæsarem, conuenit inter eos vt Romam Herodes aditet. Feceruntque simul iter vsque Antiochiam, vbi præsidem Syriæ Titum reconciliauit Archelao, atque ita in Iudæam reuersus est, in Italiam primo quoque tempore nauigaturus.

Archelaũ domesticos Herodi conciliat.

l. 16. c. 11 fi.

* * *

ANNVS MVNDI 4048.

BEATÆ VIRGINIS 11.

HEROD. 32. & 35. SIMONIS 19.

AVGVSTI 38. Imp. Rom. 43.

OLYMP.CXCIIIA.3. VR.C. 747.

ANTE CHRISTVM 5.

I. C. & L. filii Augusti petunt consulatum. *Dio l.55.*

DOMESTICÆ res Augusti nonnullam in Vrbe turbationem senserunt, sicut Herodianæ Hierosolymis. Nam C. & L. Augusti ex adoptione filij, in principatu educati, & amplissima fortuna, ex molliori vita etiam audaciores fiebant. Lucius quippe, minor scilicet natu, iniussu aliquando in theatrum ingressus, cum omnium applausu acciperetur, aucta licentia ausus est petere, vt Caio fratri, nondum ex ephebis egresso, consulatus daretur: eumque id ipsum ab Augusto contenderent, postulationem immaturam reijcere visus est, licet eam, si Tacito credimus, flagrantissimè desideraret: nolebat tamen vt quisquam minor viginti annis Consul fieret. Itaque præmature non facti, sed designati sunt Consules. Nam in monimento Ancyrano ita legitur. *Honoris mei causa* S. P. Q. R. *annum quintum & decimum agentes consules designauit, vt eum magistratum inirent post quinquennium, exeo die quo deducti in forum.*

II. Quando designati, adeptique cõsul *l.2.n.26. ab u.* V.C. 730.

Quando autem deducti sint in forum, ex Suetonio satis constat. Duodecimum, inquit Consulatum, magno, id est septemdecim annorum interuallo, & rursum tertium decimum biennio post vltro petijt, vt C. & L. filios, amplissimo præditus magistratu, suo quemque tyrocinio deduceret in forum. Sic ipse. At duodecimus Augusti consulatus ad annum sequentem pertinet; alter autem ad Vrbis Conditæ 751. ergo non prius deducti sunt in forum. Nam sequens annus Caio decimussextus erat, qui annus legitimus erat deponendæ prætextæ, & assumendæ togæ. Itaque in Augusti gratiam C. & L. futuri erant Consules ætatis anno vigesimo primo, ille Vrb. Cond. 753. hic autem 756. Sed eam spem præmatura mors præcidit, cæteraque omnes irritas fecit. Hoc autem anno Caius princeps iuuentis effectus est: vtrique autem permissum decreto Senatus, vt interessent consilijs publicis, ahaque nonnulla concessa.

C. princeps iuuentutis.

III. Augustus Tiberiũ promouet.

Vt autem eos Augustus modestiores efficeret, eis quasi æmulum suscitauit Tiberium cui Tribunitiam potestatem in quinquennium cõcessit, eiq; Armeniam, quæ defecerat, mandauit. Quo facto filios qui se spreros iudicabant, offendit, & Tiberio ab eorum ira timorem iniecit. Itaque Rhodum se contulit, vt sequenti anno diceretur, quasi disciplinæ capiendæ causa: re autem vera vt se ab eorum conspectu & actionibus subduceret; sicut pridem Agrippa Marcellum vitans, in Syriam abierat. Nec desunt qui abisse Tiberium putent, quod Iuliam filiam Augusti conjugem vltra ferre non posset, certe abiens eam Romæ reliquit, vt ait Dio, cuius hoc loco manca & confusa decem annorum chronologia nonnullos induxit in fraudem.

V.C. 730.

Vide Ann. n. 7. & sequ.

IV. Herodis in Vrbem profectio *Ioseph. l.16. c. 13.*

Herodes autem, iuxta ea quæ proximo anno dicta sunt, hunc annum in Romana profectione, tedituque consumpsit, vbi quid cum Cæsare, aliisue gesserit, Iosephus oblitus est recensere. Interea latronum excursiones in Iudæa factæ sunt, receptatore Syllæo. Quorum cum domesticos Herodes remissus in Thrachonitide interfecisset, illi irritatiores, Herodis ditionem perpetuis incursionibus vexabant. Tum Rex ad præsides à Cæsare missos Saturninum & Volumnium rem detulit, latronem deposcens ad supplicium, & simul sexaginta talenta Arabiæ Regi mutuo data. Illi statuunt vt intra dies triginta & debitum redderetur, & perfugæ vtrinque restituerentur. Vbi tempus aduenit, Syllæus nolens stare conuentis Romam profectus est, Herodem criminaturus apud Cæsarem. Interea Herodes permissu præsidum Syriæ in Arabiam cum exercitu penetrauit, & pecuniam, & prædones exigens; quorum castellum primo impetu cepit, ducem eorum cum viginti quinque occidit, reliquis in fugam compulsis. Quæ cum Romam ad Syllæum; & per eum Augusto relata essent, cum amplificatione multa, vehementer commotus est in Herodem, ad eumq; minaces literas dedit, quod exercitum extra regni sui fines eduxisset iniussus.

Et res in Arabia gesta, eaque offensus Aug. *c.14. & 15.*

ANNVS MVNDI 4049.

BEATÆ VIRGINIS 12.

HERODIS 33. & 36. SIMONIS 20.

AVGVSTI 39. & Imper. Rom. 44.

OLYM. CXCIII.A.4. VRB.CO.748.

ANTE CHRISTVM 4.

I. Augusti XII. Cõsulatus. *l.2.n.26. Ouid. l.3. Fast. Tertio post Idus, Oct.*

MAgno septendecim annorum interuallo factus est duodecimùm Consul Augustus, vt ex Suetonio dicebamus, quem, quamuis honorum satur, cum Cornel. Sylla suscepit; vt C. Cæsarem annos sexdecim natum maiore pompa & gloria, Consul in forum deduceret. Id decimo septimo Martij die more factum est. Mox autem Tiberius ex Vrbe abijt, teste Paterculo. Cum enim dicat eum Rhodi septem annos esse commoratum, rediisseque P. Vicinio Consule, id est, anno V. C. 754. oportet ipsum hoc anno discessisse, post datam Caio ab Augusto virilem togam. Profectionis autem causas iam proximo anno indicauimus. Dum autem abiens oram Campaniæ legeret, audita Cæsaris valetudine, subsistit. Sed iuniores ventus, quasi mortis nuncia ad inuadendum Imperium præstolaretur, tantum non aduersis tempestatibus Rhodum enauigauit, amœnitate ac salubritate Insulæ captus.

Tiberius Rhodum adit.

II.

Interea vero Arabes in Iudæa Herodem vexabant, quæ ille territus Augusti literis ferre cogebatur. Præsertim cum Cæsar eius le-

gatos

Augustus in Herodem cõmonetur calũniis.

gatos primùm ne admisisset quidem, deinde iterum se offerentes infecto negotio dimisisset. In quo, si vera scripsit Iosephus, Augustus non satis boni Iudicis expleuit officium, qui accusatione audita, responsioni autem indignabundus occluserit. Cum autem in Iudæa & Arabia res in dies ruerent in peius, aliam legationem Romam misit, in qua Nicolaus Damascenus, si quid æquius per amicos Cæsaris impetrare posset. Sed neque per id tempus domi quietus fuit; sed eius cum filijs dissidium vehementius exacerbatum est, artibus cuiusdam Euryclis Lacedæmonij, qui se in singulorũ gratiam insinuabat, vt perderet vniuersos. Cumq; Herodes omnibus calumnijs aures præberet, & per tormenta ad eas excogitandas miseros cogeret, filios Mariamnes, quasi comictos insidiarum in patrem, coniecit in vincula, in eos sæuiturus, prouꝛ res suæ Romæ tulissent.

III. Herodes in filios.

Cum autem Alexander & Aristobulus negassent quidem vllas à se in patrem paratas insidias, facti tamen essent se fugam ad Archelaum meditatos, vt sese ab hisce turbis, & suspicionibus expedirent; Herodes etiam Archelao infensus, literas Olympo dedit & Volumnio, iussis vt inter nauigandum appellerent ad Eleusam oppidum Ciliciæ, & Archelao de his scripta redderent, & post expostulationem, quod improborum conatum esset particeps, Romam inde nauigare pergerent, & literas de hisce rebus Cæsari redderent, sicum à Nicolao placatum inuenirent. Quid autem ab hisce legatis & Damasceno Romæ factum fuerit, cum eos in Iudæam reduxerimus, sequenti anno dicemus.

Arabum testimonio confirmaret, etiam addidit Cæsarem eius mendacijs in Herodis causa circumuentum. Quæ cum Augusti iussu aperte retexisset, certisque testimonijs comprobasset, eò res ad vltimum deuenit, vt Cæsar damnato capitis Syllæo, & dolens quod eius mendacijs impulsus durius scripsisset ad Herodem, cum recepit in gratiam, & Syllæum remisit in prouinciam, vt postquam satisfeciisset creditoribus, pœnas daret. Aretæ quoque qui regnum Arabum, loco Obedæ acceperat, non expectata Augusti sententia, reconciliatus, eius munera dudum reiecta, recepit, eique regnum illud sua autoritate confirmauit.

III. Et de filiis iudicũ permittit

Post hæc Herodi iam placatus, rescribit, dolere se vicem eius, qui tales haberet liberos, debere eum, si quid contra paternam pietatem ausi sunt, vt in parricidas animaduertere: se enim liberam ipsi potestatem permittere. Quod si fugam tantum meditati sint, ipsum quoque oportere leui castigatione contentum esse. Itaque sui consilij esse, vt indicto apud Berytum conuentu, & adhibitis præsidibus cum Rege Cappadocum Archelao, alijsque amicis & viris illustribus, de re tota decernat. Hoc fuit argumentum epistolæ Cæsaris. Ille de reconciliatione lætus, deque potestate in filios sibi permissa, concilium Beryti cogit, sed omittit Archelaum, ne is proposito suo obstet. Ibi Herodes accusatorem agit & Iudicem, mortique addicit regios iuuenes, neque auditos, neque in concilium vocatos, friuolis nixus coniecturis, reliquosque iudices ad damnandos innoxios, exemplo suo atque autoritate compellit. Damnati primo Tyrum, deinde Sebastem ducti, ibi parentis iussu strangulantur, & in Alexandrio sepeliuntur. Hic huius tragœdiæ finis, quam Iosephus, cum Dei hominumque iniuria, ad fatalem confert necessitatem.

Quos & morte afficit.

Vide Ann. n. 7. & 8.

ANNVS MVNDI 4050.

BEATÆ VIRGINIS 13.

SIMONIS Pont. 21. HEROD. 34. & 37.

AVGVSTI 40. Imperij Roman. 45.

OLYM. CXCIV. A. 1. VR. CO. 749.

ANTE CHRISTVM 3.

I. Tiberii modestia Rhodi. li. 3. n. 11.

SEcundus est hic annus commorationis Tiberij in insula Rhodo, quem Suetonius, modestiæ nomine atque humanitatis commendat. Hic modicis, inquit, contentus ædibus, nec multo laxiore suburbano, genus vitæ ciuile admodum instituit, sine lictore aut viatore gymnasia interdum obambulans, mutuaq; cum Græculis officia vsurpans, prope ex æquo. Ea tamen habitatio paulatim satietatem attulit atq; fastidium, Romanis assueto delicijs, atque maiestati.

II. Cæsar placatur Herodi. l. 16. n. 16. & 17.

Herodis porro legati Romæ inuenerunt eum Cæsari reconciliatum, eique literas Regis sui reddiderunt. Nam Nicolaus Damascenus iunctus Arabibus, qui ad Syllæum accusandum venerant, eiusdem se accusatorem professus est apud Augustum, non Herodis defensorem sicut cæteri, ne repelleretur. Cumque multa illius crimina patefaceret, ac legatorum

ANNVS MVNDI 4051.

BEATÆ VIRGINIS 14.

HERODIS 35. & 38. MATTHIÆ 1.

AVGVSTI 41. Imp. Rom. 46.

OLYMP. CXCIV. A. 2. V. C. 750.

ANTE CHRISTVM 2.

I. Res anni huius.

COnceptionẽ sanctissimi Præcursoris, & desponsationem intemeratæ Virginis, quæ ad penultimum ante Christum annũ pertinent, huc referemus, si prius res Herodis pertexuerimus. In Romana vero illud non negligendum, natum huius anni Coss. Sulpitium Galbam, qui postea septimus fuit Imperator: natum autem hoc anno 9. Cal. Ianuar. Interea Caius Augusti filius in Orientem expeditionem parat, quæ nõ ante sequentem annum suscepta est, vt suo loco docebimus. Tiberius autem Rhodi tertium hunc annum egit.

II.

Herodis porro filius Antipater, sublatis fratribus, gradu ad supremam impietatem facto,

Antipater parricidium parat. l. 17. c. 1.

patrem quoque de medio tollere statuit, vt fuse narrat Iosephus. Cum autem plurimis in regno se odiosum esse non ignoraret, muneribus sibi eorum animos, tam Romæ, quam in Iudæa, sategit adiungere, in primisque Saturninum Syriæ tum præsidem, & regis sororem Salomen. Cumque videret Herodem, miseratione filiorum quos occiderat, in eorum pupillos beneficentia ferri, curamque eorum gerere singularem, inuidia stimulante sceleste ingemuit, timensque ne adulti potentiæ ipsius officerent, eis perniciem moliebatur; sed parenti in primis; quippe eo sublato, & se illico regem fore credebat, & omnia in promptu habiturum. Vt autem tectius esset meditatum scelus, Romam scripsit ad amicos, vt eorum opera Cæsar ipsum Romam accerseret. Quod cum factum esset, Herodes Antipatrum misit cum pretiosissimis muneribus, & testamento, in quo ipsum Antipatrum declarabat regem: aut si ille prior vita decederet, Herodem natum sibi è filia Simonis Pontificis.

Et perniciem aportibus.

Romam mittitur à patre.

III. Frater Herodis veneno tollitur.

Interea Pheroras Herodis frater, cui regnum Pharisæi non impune vaticinati fuerant, veneno tollitur, id agente Doride Antipatri matre, digna filio muliere. Patri quoque venenum se absente dari iubet Antipater per procuratorem suum, vt suspicio parricidij in absente filio non hæreret. Verum cum ea res in Herodis cognitionem per Pheroræ libertos venisset, etiam Mariamne Simonis Pontificis filia Regis vxor accusata est, quasi secretorum horum particeps: quapropter & ipsam rex abiecit, & filium eius Herodem è testamento deleuit. Sed & Simonem socerum Pontificatu priuauit, eique subrogauit Matthiam Theophili filium. Nec contentus impius Antipater priori veneno procurato, aliud efficacius Roma misit, per Bathillum libertum suum; simulque etiam duos alios patris sui filios, qui Romæ educabantur, per amicos suos calumniis apud patrem in odium vocabat, quasi patrem crebro accusantes, ob Alexandrum & Aristobulum interfectos, quos Antipater ipse dissimulanter excusabat, intemperantiam linguæ in ætatem reijciens. Nec tamen cum per septem menses ante eius reditum, omnis eius malitia innotuisset patri, quidquam ad Antipatri notitiam peruenit; vt diuina prouidentia, quæ improbissimam hominis malitiam vltra ferre non poterat, illum ita regeret, vt ipse se in laqueos mortis indueret, vt proximo anno factum est.

Matthias Pontifici subrogatur.

Antipatri crimen innotescit Herodi.

IV. Zachariæ prænunciatur filius.

Sed tantisper omissis feralibus hisce consanguineorum odiis, quæ ambitio continenter inflammabat, ad lætiora mentem & orationem conuertamus. Ad sanctum videlicet Sacerdotem ac Prophetam Zachariam, cui præparatur gaudium & exultatio, aliisque multis, in Natiuitate filij, iam tot annis efflagitati, atque expectati. Id nuncium hoc ipso anno Zachariæ allatum fuisse, ex proximè sequenti intelligetur. Quoniam ergo prope erat in ianuis ille Messias Hebræorum, ille desideratus cunctis gentibus, quem sui in propria venientem neque agnoscerent, neque reciperent, eò quod ad terrenarum rerum cogitationes depressi, spiritalia & cœlestia non saperent, neque sentirent: necessarius fuit vir, istorum quoque opinione maximus atque sanctissimus, qui eum cæcutientibus, vel digito demonstraret, diceretque palam, *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Oportuit vocem tonitrui quasi surdastris intonare, *Parate viam Domini, rectas facite semitas eius*, vt eo sono aliquando excitati, mentes ad Verbum ipsum audiendum conuerterent.

Messiæ præcursor.

Ioan. 1. 29.

Epip. hær. 69.

Hunc admirabilem virum, veteris ac noui Testamenti horizontem, hoc anno Angelus Zachariæ Sacerdoti, futuro parenti annunciat: & quidem idem ille Gabriel Angelus, qui proximo anno Incarnationem filij Dei nunciaturus erat. Conueniebat enim eundem Angelum, qui olim definitis annorum Hebdomadis, Danieli aduentum Messiæ prænunciarat, nunc cum illæ incipiebant impleri, appatere & ad executionem promissorum, præcurrentia cuncta disponere. Zachariam porro summum fuisse Sacerdotem quidam ex patribus existimarunt. At contrarium satis docet sanctus Lucas, cum eum vocat Sacerdotem de vice Abiæ, quæ erat octaua classis earum, in quas omnis Sacerdotum turba distributa erat, & per vices ministrabat, cum Pontifex, nullum statum, sed perpetuum haberet ministrandi tempus. Fuit autem hinc nuncius plenus prærogatiuis, maximisque laudibus Sancti Ioannis, quas Lector in Annalibus reperiet, cum parentis diffidentia, eiusque pœna. Hic tantum dico Zachariam amissæ illico locutionis pœna percussum fuisse, quippe qui egrediens ex templo populum alloqui non potuit. Nuncio tamen acquiescens genuit filium 24. Septembris, sex mensibus ante conceptum virginis, & duobus ante eiusdem desponsationem.

V. Nuncio Gabriele. Luc. 1. 19.

Zacharias non fuit Pontifex.

Conceptio S. Ioannis

Ex Euodio enim supra diximus, Virginem sanctissimam, cum apud Iosephum menses quatuor peregisset, nuncium diuinæ Incarnationis accepisse: quæ cum cadat in vigesimum quintum Martij, oportet desponsationem incidere in vigesimum quintum circiter Nouembris, absoluto vndecimo à Præsentatione anno, & vitæ decimo quarto per duos menses cum dimidio inchoato. De qua desponsatione hæc habet ex antiqua traditione Nyssenus. Sacerdotes autem quandiu paruula fuit, ad Samuelis similitudinem eam in sanctis ædibus educarunt; sed cum iam adolesceret, consulebant quidnam agerent de sacro illo corpore, ne matrimonio tradentes, Deum offenderent, cui se illa consecrauerat. Rursum adultam & nubilem virginem, non decebat in templo inter Sacerdotes versari. Ergo in eam sententiam diuinitus conuenerunt, vt eam connubij nomine cuipiam desponderent, qui tamen ad custodiam eius duntaxat esset idoneus. Ad hoc autem munus aptissimus inuentus est Ioseph, ex eadem tribu & patria, qua erat virgo. Sacerdotum ergo consilio Ioseph puellam sponsam accipit, quæ tamen coniunctio sponsalia non est egressa. Hæc fere Nyssenus, quibus simillima tradunt Damascenus atque Nicephorus.

VI. Virginis cum Iosepho desponsatio.

Qui licet significare videantur non fuisse verum matrimonium Iosephum inter & B. Vir-

VII.

Fuisse verum coniugium duntaxat.

ginem, sed veluti quoddã pactum ad mutuam tantum cohabitationem ordinatum, vt Ioſephus B. Virgini miniſtraret, eiuſque virginitatis cuſtos & teſtis exiſteret. Certum tamen eſt, vt ſuſius probant Doctores Theologi, qui ſubtilius ſacra myſteria perſcrutantur, in iiſq; Suares, inter B. Virginem & Ioſephum verum ac proprium fuiſſe matrimonium, quod vocatur ratum. Id enim ſatis docet nomen vxoris & coniugis, quod Scriptura eis tribuit, quæ nihil vetat, proprio & vero in ſenſu accipi. Nam vt vulgatiſſimum eſt illud Auguſtini. Hoc exemplo magnificè fidelibus inſinuatur coniugibus, etiam ſeruata pari conſenſu continentia, poſſe permanere, vocarique coniugium, non permixto corporis ſexu, ſed cuſtodito mentis affectu. Cui Reliqui patres non contradicunt, cum eum maritum negant: quippe ſolam carnis coniunctionem excludunt, in quo omnes conſentiunt, ſicut & in Voto à B. Virgine emiſſo.

to 2. diſp. 7. ſect. 1.

l. 2. de Conſenſu Euang. c. 1.

VIII. Quomodo votũ non impedierit coniugiũ contra Helu.

Sed nec minus conſentiunt, eam ex diuina reuelatione in matrimonium conſenſiſſe, ſimulque diuinitus intellexiſſe, ſponſum ſuum libenter in perpetuam eius virginitatem conſenſurum: quippe quem vitam omnem virginem traduxiſſe graues autores, in primiſque Hieronymus & S. Thomas affirment. Itaque ab Origene, Epiphanio, Hippolyto, aliſque diſſentiunt, qui & viduam fuiſſe & octogenariam crediderunt; cum tamen illum ea ætate eſſe oportuerit, quæ probabilem faceret vulgò Chriſti ex eo generationem, & iis viribus, quæ ad tot peregrinationes obeundas pares eſſent, & familiam manuum labore ſuſtentandam, qualis eſt triginta circiter, vel quadraginta annorum.

Ioſephi ætas.

Vide Suarez lib. c. ſect. 3.

ANNVS MVNDI 4052.

Sextæ Ætatis 536. & vltim. B. Virginis 15. AVGVSTI 42. Imp. Rom. 47. HERODIS regni 36. qui & 39. Ætatis eiuſdem 71. MATTHIÆ Pont. 2. Præſidibus Syriæ VARO & CIRINO. OLYMP. CXCIV. A. 3. VR. CON. 751. Coſſ. AVGVSTO XIII. & SILVANO. Anno IVL. 44. AVGVSTORVM 28. ACTIACÆ Victoriæ 30. Annus Concepti natique CHRISTI.

I. Prolusio in præsentem annum.

ADeſt aliquando nobis ſingulari Dei præpotentis beneficio, expectatiſſimus ille annus, ad quem per quadraginta iam ſecula & ſupra octoginta mundana lubilæa decurrebamus; circa quem quaſi cardinem verſantur omnes menſes, atque dies ſeculi, & qui præceſſerunt, & qui deinceps ſecuti ſunt, & qui porro exorientur, & occident in omnes annos conſequentes. Annus adeſt omnium maximus atque ſacratiſſimus, in quo primum & maximum omnium myſteriorum ab Orbe condito, ad infinitam vſque æternitatem peractum eſt, & maxima omnium miraculorum perpetrata ſunt, quandoquidem Incarnatio filij Dei, quæ omnem vincit admirabilitatem, & partes intaminatæ Virginis in eum cadunt. Quoniam ergo anni omnes, hunc reparati mundi annum reſpiciunt, & in eo præcedentes fundantur omnes, cum quanta maxima potuimus diligentia in Annalibus per ſingulas epochas ſtabiliuimus, Mundi videlicet, & ſextæ ætatis, & B. Virginis, & Romani Imperij, cæteraſque omnes, quas in indice anni huius attingimus; à quibus nos Epitomes ſuſcepta breuitas hoc loco, cum bona ſtudioſi Lectoris venia, abſtinere compellit. Eam tamen quæ ab Auguſti Conſulatu petitur, & quæ ab annis Herodis, hiſtoriæ vtriuſque, quæ in hunc annum cadit, declaratio, eadem opera confirmabit.

II. Romanæ res anni huius.

Augustus XII. Cõſul, & ſpectacula in gratiam Lucii. l. 2. n. 26. Vide ſupra 4. m 4048. n. 1 & 2. l. 55. Suet. l. 2. n. 43. Naumachia.

Init itaque Auguſtus hoc anno decimum tertium Conſulatum, dat togam virilem Lucio alteri filio, cum multo ſpectaculorum apparatu. Caius in Orientem cum Quirinio proficiſcitur, Iulia relegatur, Tiberius reditum in Italiam petit, & ſi qua ſunt alia, quæ ad hæc capita in Romana hiſtoria referuntur. Iam enim ſupra cum Suetonio dictum eſt, ſuſceptum ab Auguſto, & vltro petitum decimum tertium Conſulatum, biennio poſt duodecimum, vt amplißimo præditus magiſtratu C. & L. in forum deduceret, ad ſumendam virilem togam, prætextatæ poſita. Itaque egit hoc anno Lucius annum decimum ſextum, vt qui natus fuerit anno V.C. 736. Ad hanc celebritatem ſpectant illa ſpectacula, quæ tangit Dio; eorum quippe ſtudioſiſſimus erat Auguſtus, eorumque aſſiduitate, varietate, atque munificentia omnes anteceſſit. Ludos enim ſuæ nomine quater edidit, pro aliis magiſtratibus ter & vicies. Hoc autem anno Naumachiam dedit, aqua in Circum Flaminium inducta, in qua & ſex triginta crocodili ſunt conciſi, plurimæque triremes, ac 30. roſtratæ naues inter ſe depugnarunt.

III. Gladiatores &c. Iulia relegatur. l. 2.

Suet. l. 2. n. 62.

Gladiatorum quoque munus dedit magnificentiſſimum, & Martis templum dedicauit, Velleio teſte, quando fœda dicti in ipſius domo tempeſtas erupit. Iuliæ enim eius filiæ, & Tiberij abſentis vxoris libidines eruperunt, ac plerique illuſtres viri prætorij atque conſulares, & nominatim Antonij Triumuiri filius, admiſſa cum ea adulteria apte luerunt. Iulia ipſa relegata in inſulam, patriæ & parentum oculis ſubducta eſt. Auguſtus præ pudore diu caruit conſpectu hominum, & de ea necanda deliberauit. Relegatæ vſum vini, omnemque delicatiorem cultum ademit, neq; adiri à quoquam libero ſeruóue, niſi ſe conſulto permiſit. Tiberius quoque nequiſſimam mulierem, Auguſti autoritate repudiauit. Sicque ſummo loco nata mulier, in oculis filiorum, quorum ſingularis erat apud Auguſtum gratia, ſumma ignominia affecta eſt: prius enim aliquanto, autore Velleio, Iulia relegata eſt, quam Caius in orientem, Lucius in Hiſpaniam ab Auguſto mitterentur.

IV. C. in orientem mittitur, eiuſque belli cauſa. Velleius S. & Dio.

Belli cauſa, ad quod conficiendum mittebatur Caius, erat minor Armenia, ad quam Parthus à Romana ſocietate deſciſcens, adiecerat manum. Cumque nihilominus literas ad Auguſtum de pace dediſſet, reſcribens Auguſtus iuſſit eum prouincia cedere; quod ille neglexit, donec ſenſit Caium eſſe in Syria cum exercitu. Cum Caio miſſus eſt M. Lollius, quaſi moderator iuuentutis Caij, cui etiam Sulpicius Quirinius datus eſt comes. Sed Lollio breui tempore mortuo, de Rectoris honorario ſocio factus eſt Rector, ex Auguſti vt apparet deſtina-

Eius rector Lollius, ſode Quirin Suet & Tacit.

tione, ne in tam longinqua regione, dum consulitur Augustus, iuuenis in tanto negotio Rectore careret; & vt via eum honorem ambientibus obstrueretur. Porro Caius dum in Asiam pergeret.

V. Visitatur à Tiberio

Rhodium ad Tiberium, quartum iam annum illic commorantem diuertit; & vitrico lese, si Velleio credimus, summisit: Dio enim & Suetonius contra sentiunt. Nam hic, Priuignum Caium, inquit, orienti præpositum cum vilendi gratia traiecisset Samum, aut Chium, vt habet Dio, alieniorem sibi sensit ex criminationibus M. Lollij. Inde profectus in Syriam Iudæorum templum adire neglexit, Augusto non improbante. Vbi autem Phraates Rex Parthorum Caium in Syria sensit esse, turbas in regno suo veritus, dimissa Armenia, iuxta mandatum Augusti, in gratiam redijt cum Romanis, re ab armis ad mutua conuiuia conuersa.

Oros. l. 7. c. 3. Vellei. l. 2.

VI. Antipater redit in Iudæam. *l. 17. c. 7.*

Sed quoniam in Syriam cum Caio peruenimus, quæ illic apud Herodem gerantur, ex Iosepho videamus. Scripserat ad Herodem Antipater, suisq; litteris callide excusabat fratres, quos aliorum literis curabat fieri suspectos, simulq; significabat, rebus ex sententia peractis, breui se redditurum in patriam. Rex dissimulata ira de veneficio; rescripsit vt acceleraret, ne quid sibi, per eius absentiam, quod nollet accideret. Has litteras in itinere recepit in Cilicia: eas vero quę Pherotæ mortem continebant Tarenti, acceperat, tristi animo, non tam quod Pheroram amaret, quam quod ille morte præuentus, pollicita de patre veneno tollendo, non præstiterat. Itaque dubitabat an alicubi rerum euentum expectare deberet, an nauigare quamprimum, vt natas per suam absentiam criminationes coram dissiparet. Forte per id tempus Hierosolymis erat Quintilius Varus successor Saturnino missus in Syriam, quem Herodes in consilium de rebus agendis adhibebat. Quibus vnà sedentibus superuenit Antipater omnium insciis: eoque admisso, cum comitatus eius esset excluſus, sensit quò deuenisset: quando etiam accedentem pater à complexu repulit, fratricidium præparatumq; parricidium, exprobrans, & Varum cognitorem & iudicem in crastinum denuncians.

VII. Accusatur, coniicitur in vincula.

Postridie Rex iubet Antipatrum in medio sisti, simulque deplorata sua in procreandis filijs infelicitate, & Antipatri improbitate & dementia, hominem fratrum per calumniam interfectorum, & parati in parentem veneni accusat, quod Varus cum in medium proferri iussisset, & homini damnato capitis bibendum dedisset, eum sine mora necauit. Quod facto surgens è concilio Varus, regemque allocutus, sequenti die Antiochiam profectus est, Herodes autem vincula iniecit Antipatro, eoque in carcerem coniecto, Romam Cæsari de eo per literas legatosque significauit, quanta esset hominis malitia, qui præter hostilem in patrem animum, fratribus vitam per calumniam extorsisset, omnesque inter se domesticos per varia scelera cõmisisset. Interea cum Rex in morbum incidisset, (quippe septuagesimum circiter agebat annum, vt ait Iosephus, & versus anni finem inchoaturus erat septuagesimum primum) testamentum condidit, regni successionem relinquens Antipæ minimo filiorum, exasperatus in Archelaum & Philippum, calumnijs Antipatri.

l. 18. c. 8.

Desperata deinde salute mirum in modum efferatus est, iræ impatiens, & in omnibus amarulentus, quod existimaret subditos suis lætari infortunijs. Sed animaduertere etiam oportuit, sua ipsum crimina persequi, qui præter alia facinora, Deo populoque odiosissima, tot iam profana dilubra, idololatriæ officinas, in veri Dei cõtemptum erexerat, cuius eum admonere potuit hoc ipso tempore excitata seditio, quæ initio consequentis anni crudeli multorum morte compressa est. Iuuentus enim âsuis cõcitata doctoribus, morbo regis cognito aquilam aureã, quæ supra maiorem templi portam dicata fuerat ab Herode, quasi ad idololatriam ea res pertineret, inde detractam securibus conciderunt: captiq; cum se recte fecisse iactarent, & promptos se ad mortem præberent, Rex eos vinctos Hiericuntem misit. Matthiæ pontifici sacerdotium ademit, quasi non alieno ab hoc consilio, eiq; successorem dedit fratrem vxoris suæ Ioazarum, & seditionibus authores viuos exussit. Addit Iosephus in eam noctem lunæ defectum contigisse, quem aliqui volunt in 9. Ianuar. incidisse: ex quo liquidò apparet Herodianas res hoc anno non fuisse vltra progressas.

VIII. Herodes effectator desperatæ salutis. *Ioseph. ibid.*

Aquila aurea cõciditur.

Ioazarus pontifex. *l. 17. c. 8.*

His expeditis de summo huius anni mysterio, aut summo potius omnium seculorum miraculo dicamus aliquid. Miraculo, inquam, quo *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis*, quo Deus ipse summa edidit sapientiæ suæ, potentiæ, iustitiæ, bonitatis, si aliàs vnquam admirabilia documenta. Miraculum enim est tantum profecto, tamque inopinatum, vt ad illud prouidẽdum antequam fieret, nulla hominum vel Angelorum intelligentia sufficere posset: quo neque factum est maius vnquam, neque fiet, neque fortasse per diuinam potentiam effici possit. Cuius magnitudo vel ex eo intelligi potest, quod vnius miraculi ambitu octo prodigia comprehenduntur. Primum, quod corpus Dei Verbo destinatum, non paulatim, tacitisque incrementis, ex materia sanguine conceptum, coagmentatum, ac figuratum est in vtero materno, & animæ sanctissimæ copulatum, sed vtũq; vno eodemque temporis momento. Alterum quod illo eodemq; temporis puncto, quod beatissima Virgo assensum dedit, diuinitas animę, itemque corporiseorsim iuncta est, simulq; pars vtraque concursu materno vnita est. Ex quo verissime factum est, vt eadem mulier Dei esset hominisque mater.

IX. Incarnationis miraculum.

Octo prodigia cõprehẽdit.

1.

2.

Tertium quod totum alterius parentis concursum Trinitas sacrosancta, & nominatim Spiritus sanctus immensa sua potestate suppleuit. Quartum quod ea conceptio, sicut & partus postea subsecutus matris integritatem non minuit, sed sacrauit. Quintum prodigium, quod in tantulo infante fuit plenus rationis vsus, & sapientia, quanta postea in viro fuit, vt propterea Ieremias admirans dixerit. *Nouum creauit Dominus super terram, fœmina circundabit virum.* vt omnes sancti Patres interpretantur. Sextum quod in primo illo temporis momento gratia diuina omnique sanctitate plenissimus fuit, vt non minus peccati, quam ignorantiæ perpetuo expers esset. Septimum quod diuina illa anima eodem instanti lumine gloriæ perfusa, diuinam cœpit essentiam contemplari, vt Christus iden-

X.

3.

4.

5.

Hieron. Cyprian Augustin.

6.

7.

simul

simul viator esset & comprehensor Octauum quod tunc quoque eadem anima in gratiarum actionem effusa, pro tot tantisque prærogatiuis, sese patri libentissime pro humano genere in mortem obtulit, *in qua voluntate sanctificati sumus.*

Heb. c. 10. 10.

XI. Gabriel eius nuncius.

Aditum huic tanto miraculo patefecit Angelus Gabriel, illius tot ante seculis destinatus administer, & nuptiarum diuinæ humanæque naturæ quasi paranymphus. Namille ipse Gabriel, qui hoc anno 25. Martij beatissimæ Virgini fortunatissimum attulit nuncium, & ante sextum mensem Præcursoris generationi nunciandæ famulatus est, ille idem ante quingentos & 36. annos hoc ipsum mysterium reparationis mundi, delendi peccati, adducendæ iustitiæ sempiternæ, Danieli propheræ prænunciauit, qui cum immediate missus & illuminatus à Deo fuerit, vt ait S. Bernardus, hoc ipso intelligitur non fuisse infimi ordinis, sed supremi. *Summum enim Angelum venire dignum fuerat*, inquit Gregorius, *qui summum omnium nunciabat.* Cadit autem tempus legationis huius, vt dixi in 25. Martij. integris nouem mensibus ante natiuitatem, quæ incidit in eundem diem mensis Decembris, vt sentit vniuersa Ecclesia Catholica, quæ illos dies maximis illis mysterijs dominicæ Incarnationis & Natiuitatis consecrauit, & iam tot retro seculis celebrauit, itaque sensere, antiqui patres, Ecclesiæque doctores, vt diligentius in Annalibus explicatum est.

a m. 3516.

Hom. 1. de Annun.

Hom 14. in Euang. Tempus cius.

XII. Et locus.

Eiusdem obitæ legationis locus fuit Nazarethana domus, in qua sancti coniuges habitabant, quæ deinde Angelorum ministerio in Italiam translata est. Ea domuncula, vt ipsi vidimus, quadrata est, altera tamen parte longior, eoque situ collocata, vt longitudine sua orientem & occidentem æquinoctialem respiciat rectis lineis mense Martio & Septembri: anterioribus autem angulis, duo puncta solstitiorum orientalium, posterioribus autem duo illis opposita solstitia ad occasum intueatur. Fertur autem communi consensu, orasse tum virginem de more intempestæ noctis silentio, ad angulũ æstiui ortus, in quo nunc celebratur Euangelium; Angelum autem venerabundum ad angulum brumalis occasus ad salutandum substitisse. Vide Suarem & Baradium, & Richeomum in Peregrino Lauretano.

to. 2 disp. 9. sect. 5. to. 1. l. 7 c. 6. & l 8 c. 5. init.

XIII. Visitatio Elisabethæ. *Luc. 1. 39.*

Visitauit mox S. Elizabetham virgo beatissima, dicente Euangelista. *Exurgens autem Maria in diebus illis abiit in montana cum festinatione in ciuitatem Iuda.* Innuens non statim vt illuxit, Virginem ad cognatam properasse, sed intra dies aliquot. Quoniam enim diuturniorem ibi moram factura erat, disponẽda erant omnia, tam domi, priusquam susciperetur iter, quam in itinere necessaria, & in domo ipsa Zachariæ. Et quamuis non est existimandum Virginem sine comite aut sponsi consensu, quasi fugitiuam è sponsi domo montana cum festinatione percurrisse: sed in comitatu aliquo vicinorum, aut cognatorum eodem proficiscentium sociam factam esse; Ioseph tamen abfuisse necessarium videtur. Didicisset quippe à cognata, quod ab vxore non didicerat, nec in eam turbationem, quæ postea subsecuta est, incidisset. Audisset quippe. *Vnde hoc mihi, vt mater Domini mei veniat ad me: & Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.* Humilis enim Virgo gratiam sibi factam Ioseph tacuerat: cognatæ autem Elizabethæ collatam enunciarat causam suscipiendi itineris patefaciens, & absentiæ prolixioris.

Absente Ioseph.

XIV. Mutua salutatio. *Adrich. in tribulado n. 243.*

Venit autem in domum Zachariæ, quæ milliario vna distabat ab Emaus, & salutauit Elizabeth. Verba salutationis reliquit Lucas piorum meditationi. Et vero satis intelligi potest ea fuisse quæ ab humillima, & diuinorum beneficiorum gratissima expectari possent, qualia essent. Salue Domina mea, cognata mea, benedictus Dominus qui magnificauit tecum misericordiam suam. Idque suspicari licet ex salute ab Elisabetha reddita, quæ alludens ad verba Beatæ Virginis, dixit, *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.* Illico enim Spiritu sancto repleta est, & mysterium, quod virgo tacebat, agnouit, & Ioannes in materno vtero exultauit ad præsentiam Saluatoris. Et Elizabeth *exclamauit voce magna*, præ voce scilicet depressiore S. Virginis, dicens. *Et vnde hoc mihi vt veniat mater Domini mei ad me?* Hinc cognatarum amplexus, & dulcia pacis oscula, dum se interea infantuli ex materna vteris consalutant.

XV. Maria paricri adest.

Ibi post tertium mensem natus est Ioannes Baptista, sed præsente virgine dubium est. Videtur enim id negare Lucas, cum ait: *Mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus, & reuersa est in domum suam.* Tum demum subdit. *Elisabeth autem impletum est tempus pariendi & peperit filium.* Verum reuersionem præmissam fuisse per occupationem merito putat Baradius, plurimosque refert, qui in eam sententiam abeant. Et reuera æquum erat vt tum B. Virgo non abesset, quando cognata eius opera, & consolatione maxime indigebat, in nouo, & senilis infirmique corporis puerperio. At magnamitaque Ioannis felicitatem pertinet, vt quamprimum natus, sinu beatissimo diuinę matris exceptus, confoueretur.

l. 1. d. 7. c. 13

XVI. Turbatio Ioseph.

Sub tempus reuersionis B. Virginis in domum suam, contigit illa Ioseph eius sponsi tẽtatio, cum agnoscens coniugem suam ferentem vterum, conscius continentiæ suæ, nolens eam traducere, atque infamem reddere, dato palam libello repudij, incontinentię causa, præsertim cum eam probare non posset, *voluit occultè dimittere eam.* Sed de diuino mysterio instructus edoctus ab Angelo, qui dudum nuncium Virgini diuinæ incarnationis attulerat, consilium eius dimittendæ reliquit, retinuitque apud se coniugem suam. Sed quid causæ fuisse dixerimus, cur hæc reuelatio Ioseph in somnis facta sit. Prior autem illa Virginis facta fuerat in vigilia? Sic nimirum factum oportuit, quia circa Domini incarnationem Virginis consensus erat obtinendus, qui somno impeditur: in Ioseph autem sola intellectus illustratio requirebatur, vt cognosceret quomodo mysterium hoc tractatum esset, & quanta esset Virginis innocentia, quamque ipsius non temeraria illa quidem, sed tamen iniusta suspicio.

Cur in somnis edoctus est.

XVII. Cur tardius ei reuelatũ hoc mysterium.

Apparet nihilominus hoc loco admirabile diuinæ prouidentiæ consilium, vt incarnatio Verbi Sanctæ Elisabethæ quamprimum innotesceret, eiusque infantulo adhuc in vtero de-

genti, quorum non adhodum adhuc interesse videbatur, S. autẽ Iosepho nõ innotesceret, cuius tamẽ maxime intererat, vt isà iudicio erroneo, illa ab iniusta apud maritũ infamia liberaretur. Vsque adeóne placet æternæ Sapientiæ rẽb⁹ aduersis exercere seruos suos, vt ne à matre quidem sanctissima, & optimo eius sponso nutricio suo abstineat? Præsertim cum res tota in eius dedecus redundaret, vt filius Dei genitus ex adulterio censeretur. Itaq; cum vellet Dominus sanctissimos hosce cõiuges, graui aliqua molestia, ad meritorum cumulum exercere; nec videretur locus vllus tentationi patere, quã ipsi facile se mutuo cõsolando non ferrent, eos consultò hac tentatione ita distraxit, vt Virgo dulcissimum sponsum affari, in causa præsertim sua, & cum propria laude coniũcta, non audetet: & Iosephus nullum ab ea muliere verbum laturus videretur, à qua Deum & se intolerabili scelere putaret esse violatum.

XVIII. Magnitudo perturbationis sanctorum cõiugũ.

Auxerit fortassis hunc luctum ipsa temporis diuturnitas. Nam vt S. Elisabetha pudore nouitatis occultabat se mensibus quinque, vt ait S. Lucas, ita & Virgo diu occultauit se, ne matiti suspicioni insultare videretur, S. autem Ioseph suis ipse oculis credere diu ausus non est; diu pię pudore & reuerentia eam super hac re interrogare non sustinuit. Videbat enim vitam omnẽ sponsæ suæ laudatissimam, omnia verba, gestus, actiones spirare sanctitatem: cernebat animi demissionem, pietatem, atq; admirabilem cum Deo familiaritatem; quæ sunt à tantæ culpæ suspicione remotissima. Itaque hærebat anceps, neq; quid consilij caperet inueniebat. Ac ne cõqueri quidem audebat, ne quid forte in talem mulierem peccaret, & priuatam ignominiam publicam faceret. Orabat interea Virgo Dominum gemitibus inenarrabilibus, vt perturbato negotio Incarnationis filij sui prouideret; & famæ suæ, quantum ipse expedire iudicaret, prospiceret. Sanctum quoq; sponsum suum, ab illa tristitiæ nube liberaret, in quam eius occasione incidisset. Et exaudita est S. Virgo pro sua reuerentia.

XIX. Edictum Cæsaris, aut potius Cæsaris. Luc.2.1.

Hac perturbatione semota vixerunt communiter sancti coniuges, cum admirabili animorum consensu, & pari animi corporisque puritate. Extremo autem anno *exijt edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis*, præside Syriæ Cyrino. Existimamus edictum hoc, iuxta ea quæ in Annalibus explicata sunt, Caij nepotis Augusti præfecti Orientis auctoritate factum: vt maiores pecuniæ in bellum Parthicum cogerentur, vel aliam ob causam; & quidem inscio Augusto; eáque causa fuerit, cur eius memoria in historia Romana non extet. Dicitur tamen edictum à Cæsare Augusto, quia de more Augusti præferebatur nomen. Nam sæpe Regum nomine multa edicuntur & fiunt, quorum ipsi penitus sunt ignari. Eodem in edicto præ se tulit Caius, & qui sub ipso rerũ potiebãtur in Syria, & nominatim Quirin. qui vtdiximus, Lollij loco Rector Caij factus erat, generalem esse descriptionem hanc, & orbis vniuersũ, tum vt tanto esset probabilius, eam iussionem esse profectam ab Augusto, qui toti Romano imperio præerat Imperator, tum vt reliquorum populorum consortio Iudæi, qui sæpe turbas concitabant, facilius obtemperarent.

XX. Maria & Ioseph adeunt Bethleẽ. c. 22. 19. 13. §. 3.

4. *Vide Ruth c.4.§.& 1.Reg. 16.*

Ibant igitur *omnes, vt profiterentur singuli, in suam ciuitatem*, vtq; impositum tributum soluerẽt, quod quidem volunt fuisse numisma census, quod denarius à S. Matthæo dicitur, & à quibusdam 4. solidis, ab alijs decem, iuxtà rationẽ nominis, ab alijs dimidio sicli siue quadrante vnciæ æstimatur. At credibile non est Romanos tantula pecunia fuisse contentos. *Ascendit autem & Ioseph à Galilæa de ciuitate Nazareth, in Iudæam in ciuitatem Dauid, quæ vocatur Bethlehem*, vbi scilicet ille natus, & vnde tota eius familia duxit originem, *eò quod esset de domo & familia Dauid, vt profiteretur cum Maria desponsata sibi vxore pregnante*, atque adeo proxima partui. *Factum* enim *est cum essent ibi, impleti sunt dies vt pareret, & peperit filium suum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præsepio, quia non erat eis locus in diuersorio.* In stabulo igitur, quod excisum fuit in spelunca, cuius partum pleriq; meminerũt, Virgo peperit, ad quod, occupato ab alijs diuersorio, quod vnicum in oppidulo fuisse Euangelista significat, ipsa cum Iosepho necessitate diuerterat.

Nascitur Dominus.

XXI. Deuotio Virginis.

Non est dubiũ quin diuina puerpera, facta in exstasi præ admiratione non haberet vltra spiritum: tantam agnoscebat in hoc mysterio & circumstantijs eius Dei sapiẽtiam, potẽtiam, bonitatem, quantam vix Prophetæ suspicari, vix Angeli ipsi satis prædicare potuerunt. Præsertim cum se & matrem sentiret & Virginem; itàque enixam esse, factamque puerperam, vt virginitatis gloria permanente lumẽ æternum mundo effuderit, vt canit Ecclesia, cũ immunem sentiret à dolore partum, & expers omni sorde puerperium. *Genitrix est & obstetrix* ait Cyprianus, *& deuotam dilectæ sobolis exhibet clientelam: attrectat, amplectitur, iungit oscula, porrigit mammam? totum negotium plenum gaudio, nullus dolor, nulla naturæ contumelia in puerperio.* Et mox. *Nec locus ibi erat lanacris, quæ solent puerperis præparari quippe nec aliqua naturæ iniuria matrem Domini læserat; quoniam sine tormento peperit, quæ in conceptione caruit voluptate.* Et iterum, *vltro maturus ab arbore baiula fructus elapsus, non oportuit vellicari, quod sponte prodibat.* Sic ipse de facilitate virginei partus: De eiusdem autem cõsolatione, & sensu pietatis paulo post. *Sed & cor matris quadam dulcedine quæ humanum superat intellectum imbuebant, eratque vtrimque mira incunditas, cum pia sancta matris, & deuota humilitas, & Sancti Sanctorum immensa benignitas confœderatis affectibus mergerentur.* Sic ipse.

Opusc. de Christi nat.

Et paulo ante, *Angelica famulatus, &c.*

XXII. Natiuitas nunciatur pastoribus.

Natum porro Dei filium nõ angelico solum præconio celebratum est, sed etiam euulgatũ primum pastoribus, qui eo tempore in vicino loco vigilabant, & *custodiebant vigilias noctis super gregem suum*: iuxta quos stetit Angelus Domini, vt facile exaudiri vox posset: & inter illos radiante fulgore merito circumfulsit, erat enim Angelus lucis, & lucem magnam mundo exortam nunciabat, sed & gaudium magnum quod futurum erat omni populo: quia vbique gentium canere oportet mortales, *qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis &c.* Quoniam vero neque parentes proximi ab Angelo nominabatur, & vt nomi-

narentur

narentur, peregrini erant & ignoti Bethlehemitis, neque infanti nomen adhuc inditum erat, signum dat non solum infantis pannis inuoluti; sed quod erat singulare, positi in præsepio. Erat enim id signum magnum, germanumque prodigium demissionis animi ac charitatis.

XXIII. Et hymnoo celebratur.

Vix orator ille cœlestis finem dicendi fecerat, cum multitudo beatæ militiæ, quæ diuinum comitabatur legatum, consona voce nobilissimum inchoauit hymnum, vt exemplo suo mortales excitaret ad laudandum Deum, & gratias agendas de tam singulari beneficio. Nec tacuit Euangelista istius glorioſi cantici principium, quo illi gloriam Deo, terræ pacem, & hominibus bonam voluntatem precabantur. In textu enim Græco tria sunt vnius membra sententiæ. Dum autem illi cæpta hic cantica in cœlum transferunt, pastores sibi ipsis redditi, se mutuo ad Bethlehemiticam profectionem inuitant, & eo mox cum festinatione profecti, agnouerunt accepti nuncij veritatem; quod mox sparsere in vulgus, & eos qui audierunt propriæ admirationis & gaudij participes effecerunt. Et de integerrimo Virginis partu, diuinaque natiuitate hactenus. Simulque textæ ætati finem imponimus, quæ in primo Imperantis Cyri anno exorta, in Christi Domini ortu terminatur, & 536. annis circumscribitur.

Pastores adeunt Bethlehē

SEPTIMA ÆTAS.

ANNVS MVNDI 4053.

Septimæ Ætatis 1. IESV CHRISTI an. 1. B. Virginis 16. AVGVSTI 45. Imp. Rom. 48. HERODIS 37. qui & 40. & vlt. ARCHELAI 1. IOAZARI Pont. 1. Præside Syriæ VARO. OLYMP. CXCIV. A. 4. VR. CO. 752. Coss. LENTVLO & PISONE. AN. IVL. 45. AVGG. 29. ACT. Victoriæ 31.

I. Summa rerū anni huius.

PRIMVS à Christi Domini natiuitate aperitur annus, ab ipsis Calend. Ianuarijs, eius circumcisioni, & sacrosancti Iesu nominis impositioni consecratus. Primus item exoritur septimæ mundi ætatis annus, quæ cum eiusdem occasu terminabitur: in cuius etiam initium ducentesimus & decimus sabbaticorum annorum cadit; tot enim annorum septenaria, ab ingressu in Chananitidem numerantur. Primi autem diei mysteria, sexto mox die Epiphania secuta est, tum Virginis Purificatio in templo, & Infantis oblatio, & redemptio, cum reliquis, quæ illo ipso tempore in templo contigisse, narrat Euangelista. Mox indicitur, & suscipitur fuga in Ægyptum, Innocentes occiduntur, Herodes moritur, ei succedit Archelaus, qui mox Romam proficiscitur. Sed his Romana, quasi fundamenta, præstruamus.

Luc. 2.

II. Tiberius Rhodi moratur inuitus.

Ad hunc ergo annum pertinent illa quæ Trãquillus de Tiberio, Augusti postmodum successore scribit. *Transacto*, inquit, *Tribunitiæ potestatis tempore*, quinquennio scilicet, quod inchoatum anno V. C. 747. anno proximè præcedenti terminatum est, *confessus tandem nihil aliud secessu deuitasse se, quam amulationis cum Caio, Luciog; suspitionem, petiit vt sibi securo tam ab hac parte, corroboratis hu, & secundum locum ab Augusto facile curantibus, permitteretur reuisere necessitudines, quarum desiderio tenerentur. Sed neque impetrauit, vltroq; etiam admonitus est, dimitteret omnem curam suorum, quos tam cupide reliquisset.* Quod erat ei non obscure insultare. Remansit ergo hoc quoque anno quinto Rhodij Tiberius admodum inuitus, vixque per matrem Liuiam Drusillam Augusti vxorem consecutus est, vt ad velandam ignominiam exilij, quasi legatus ab Augusto abesset. Addit etiam Suetonius factum Romæ suspectum, quasi cupidum rerum nouarum, ob mãdata ambiguè data compluribus, magnumque propterea adijsse discrimen. Quæ omnia Velleius dissimulauit.

l 3. n. 5.

III. Caius redit ũ parat. Lucius Massiliæ ægrotat.

Cum autem Romana res in Oriente ex sententia succederet, & Parthus, vt anno superiore dictum est, pacem obtinuisset, Caius reditum parabat in Italiam, vt sequenti anno gereret Consulatum. Interea L. Cæsar Caij frater, ad Hispanienses exercitus proficiscebatur: sed in itinere Massiliæ in morbum incidit, quem fuisse diuturnum ex eo satis constat, quod ibidem solutus est vita, duodeviginti mensibus ante Caium, vt post annum sequentem dicemus, neque vnquam in vrbem reuersus est, vt Velleius affirmat. Primum huius anni Iuliani 45. diem Christus Dominus pretioso sanguine suo consecrauit. Historiam porro inuenti præcedẽti seculo diuini præputij, & prodigijs euulgati, in Annalibus ex Toleto studiosè descripsimus; eam ex alterutro, si videbitur, candidus lector petet. Factam autem circumcisionem in templo scriptum reliquit Hilarius, S. Epiphanius in spelunca, id est loco, in quo natus fuerat, vbi etiam à Magis adoratum Iustinus tradit. Ea fortasse de causa, quod Euangelistæ nullam fecere mentionem migrationis ex eo stabulo, in quo natus est diuinus infans.

Christus circunciditur, & vbi.

initio Psal 118. hæresi 30. Dial cum Tryphone

IV. Non videri in stabulo

Non leues tamen causæ occurrunt cur migrationem factam in aliquam oppidi domum dicendum videatur, in eaque circumcisionem & epiphaniam fuisse peractam. Neque enim æquum est existimare sanctum Domini nutricium, ac custodem Iosephum, qui ad hasce curas fuerat diuinitus electus, tam parum sollicitum aut industrium fuisse, vt octo, aut duodecim, aut 40. etiam diebus non quæsierit, aut inuenerit in oppido commodiorem aliquem locum ad commorandum. Præsertim cum in stabulo, si plures ibi dies, noctesque perseueratum esset, tam recens infantulus, quam adulescentula puerpera humanitus loquendo, valde periclitarentur; frigidissimo præsertim anni tempore, & loco, in quo nec caminus esset, vt in stabulo, neq; si esset, ignis in eo excitari posset. Neq; rationi consentaneum est, si vrgente necessitate diuertit in stabulum, in eo deinceps sponte hærere voluisse, quasi loco sanctificato, id enim non minus impudentiæ vel negligentiæ, quam deuotioni adscribi potuisset.

V. Eademq; est ratio Epiphaniæ.

Esset hæc quoque non leuis accusatio inhumanitatis nimium perseuerantis Bethlehemitarum, si visitato angelico monitu infantulo, cum matre puerpera, & euulgata tota ciuitate

mysterio, nemo omnium sanctis cõiugibus cubiculum obtulisset, & quamuis verecundantes coëgisset, vt ad se diuerterent. Adde quod intra tot dies, aduentitia soluentium tributũ turba defluxerat, & ipsi pecunia non carebant vnde viuerent, & professi soluerent tributũ Romanis. Itaq; vel gratia, vel pretio in commodiorem locum migrare potuerunt, & verò etiã emigrasse vero simillimum est. Dicamus ergo, admodum consentaneè verbis Euangelistarũ, illud stabulum siue speluncam, in qua constat natum esse Saluatorem, fuisse imam domus illius, siue diuersorij partem, qua dominus eius stabuli vice vtebatur, vt præsepe demonstrat; eam enim S. Matthæus domum vocat, in quã ingressi sunt Magi; quæ vox ægrè solitario stabulo, aut speluncæ conueniat. Ea domus erat hospitium, siue diuersoriũ, sic enim vocatur à S. Luca, quod totũ ad Iosephi aduentum erat hospitibus occupatum. Itaq; non ait Euangelista, declinasse eos ad speluncam, quia non inuenerant diuersorium; sed *quia non erat eis locus in diuersorio*, illo scilicet, ad quod de vita diuerterant.

VI. Sed domi, siue in diuersorio.

Ergo postridie emigrantibus aliquibus hospitibus, ascenderunt superius in cubiculũ aliquod, in quo habitauerũt ad quadraginta dies, vbi circumcisus est puer, ne præcipuum legis Mosaicæ sacramẽtum, in olido stabulo profanari videretur: in eodemque cubiculo reges adorato puero, munera obtulerunt: ibidem admonitio ab Angelo facta est de reditu per aliã viam, & fuga in Ægyptum. Patres autem, quos in Annalibus retulimus, cum dicunt circumcisum & adoratum in stabulo, vel spelũca, interpretandi sunt de domo, in qua erat præsepium Christi cunis consecratum. Hanc expositionẽ æquus lector inueniet autoritate S. Fulgentij S. Chrysostomi, S. Cypriani in Annalibus confirmatam: vbi & circumcisionis causæ aliquot ex S. Epiphanio referuntur.

VII. Aduẽtus Regum quando cõtigerit

Sextus inde dies Epiphania, & Regũ aduẽtus in Bethlehem celebratur, & primitiæ gentiũ, ad nouum Iudæorum regem adorandũ adductæ sunt. Aduẽtum dixi Regum, iuxta Ecclesiæ traditionem communissimam: quam cõfirmat S. Cyprianus, libello de baptismo Christi. *Nam satis est*, inquit, *quod Angeli locuti sunt pastoribus, quod apparuit stella Regibus*, &c. dixi & sextum à circumcisione diem, licet Epiphanius biẽnio à natiuitate id factum putet, propter illud Matthæi *à bimatu & infra, secundum tempus quod exquisierat à Magis*. Existimo tamen communissimam antiquorum patrum, & recẽtiorum doctorum sententiam, in eo conspirare, vt tam Magorum aduentus, quam innocentium cædes ab Herode perpetrata, intra tres circiter menses à Christi Domini natiuitate contigerit: idque ex Iustino martyre, Augustino multis locis, Athanasio, Isidoro Pelusiota, Hieronymo, Gregorio Nysseno, Chrysostomo, Cypriano, Orosio, plurimisque recentioribus, in quibus Tostatus, Suares, Baradius, Ianssenius, Maldonatus, in Annal. non negligenter ostendimus.

VIII. Aliquot tantum diebus à Natiuitate. *Matt.* 2. 16.

Idque persuadet ex Euangelio ducta ratio. *Tunc Herodes videns quoniam illusus esset à Magis.* Quando quæso illud *Tunc?* num post annũ vnum, aut etiam biennium? Quis tam farũ dicat Herodem, hominem callidum, atque ambitiosum? Præsertim cum ad tumultum insonuisset illud classicum, *Vbi est qui natus est Rex Iudæorum?* Euigilasset saltẽ post quadragesimũ diem, acceptis iis quæ publice in templo contigerunt, Simeone prophetante, & Anna de eo loquente omnibus, qui expectabant redemptionem Israël. Quis autem Iudæorum non expectabat? quomodo nemo omnium fuit, qui autem Herodi vellicaret, & in memoriam reuocaret recens natum, & à Magis palam quæsitum Iudęorum regem? Denique cum accuratissimè probatum sit, mortuum hoc anno, atq; his Coss. Herodem, oportet ab eo occisos ante mortem Innocentes. Mortuum autem sub festa paschalia, autor est Iosephus, nec plura hoc loco de tempore. Rem autem ipsam quod ad Magos attiner, Baronius copiosè tradet.

in Annal. n 21.22. 23.24. &c.

l 17. c. 11.

Illud tamẽ addiderim, singuli ne singula munera obtulerint, an singulitria. Legimus quidem apud S. Augustin. in sermone quodam, si tamen Augustini est ille sermo, *In eo vero*, inquit, *quod tres sunt & singuli singula offerunt, in trinitate vnitas declaratur.* Verum S. Anselmus, *Magis fatendum est*, inquit, *quod congruit mysterio scilicet quod singuli tria. Vnusquisque enim Regem, & Deum, & passibilem crediderunt.* Cum autem, vt ait Abulensis thus & myrrha in illis regionibus essent admodum vilia, etiam magna thuris aut myrrhæ quantitas, parum dignum rege munus fuisset, & munera valde inæqualia in viris æquali dignitate; nullã enim in eis inæqualitatem Scriptura significat. Sicut autem pastores primitiæ Iudæorum fuerunt, ita & Magi ethnicorum. Vnde S. Leo. *Agnoscamus*, inquit, *dilectissimi in Magis adoratoribus Christi, vocationu nostræ fideique primitias, & exultantibus animis beatæ spei initia celebremus*, & quæ sequuntur.

IX. Singulitria munera obtulerunt. *Serm. 29. de Temp.*

in illum Matthæi locum.

Fuerunt primitiæ gentium. *Serm. 2. de Epiph.*

A discessu Magorum expectauit B. Virgo ad hunc 27. dies, dum impleretur purgationis tempus in lege Mosis constitutum. Aduenientе autem quadragesimo die, venerunt sancti coniuges in templum, vt ibi duplici legi satisfacerẽt, alteri de offerendis Deo primogenitis, & quinque siclorum precio redimendis, qui in ære gallico respondent sex francis & septendecim solidis cũ dimidio: quo precio redemptus est is, qui morte sua mundum redemit vniuersum, & quinque siclos sacerdotibus dedit, qui ab eis aliquando quinque atrocissimas plagas erat accepturus: Altera lex, cui satisfactum est à Beata Virgine, fuit lex purificationis, ad quam obseruandam, stitit sese templo purgandam. Etsi enim mulier erat omni ex parte purissima, quippe amicta sole qui purgat omnia, fuit tamen pulchra vt luna, quæ maculas habet non veras, sed apparentes. Hoc enim ipso quod filium vera mater verè cõceperat & pepererat, eandem immundicię, quam reliquæ mulieres contraxisse putebatur, quæ inde collegerat incredibilem puritatem. Dedit autem oblationem pauperum, qualem se esse profitebatur.

X. Oblatio & redẽptio Christi.

Purificatio Virginis.

Peracta celebritate sacrificij & redemptionis, Simeonis item & Annæ vaticinijs, reuersi sunt in Galilæam in ciuitatem Nazareth, vnde migrauerant, vt venirent in Bethlehem. Dũ ergo peruenissent in Nazareth, aut dum essent in itinere, Angelus Domini apparuit Iosepho,

XI. Fuga in Ægyptũ.

vt patrifamilias monuitque de fuga in Ægyptum, vt vitæ infantis consuleret, & Herodis conatus eluderet. Qui in signum promptissimæ diligentiæ, in re tanti momenti, vtque difficilis esset occultior, vitatis vicinorum ac propinquorum interrogationibus, & responsionibus, quibus Herodi hæc fuga innotescere potuisset, *nocte consurgens accepit puerum & matrem eius, & secessit in Ægyptum*, ibique mansit, vt iussus fuerat, donec ab eodem Angelo moneretur.

XII. Herodes illusus à Magis sęuit in Infantes.

Herodes autem, qui ad Magorum aduentum turbatus fuerat, & omnis Hierosolyma cum illo, noui regis natiuitate nunciata, mandarat quidem Magis, vt inuento puero rem sibi renunciarent; quod illi ab Angelo moniti non præstiterunt. Quod Herodes videtur interpretatus, non contemptu factum, sed pudore, quod reuerti noluissent, ne se Hierosolymitis propinarent deridendos, tamquam expectatione delusos, irritis sumptibus & labore. Verum purificatione peracta, cum rumor ex verbis Simeonis & Annæ spargeretur de nato Messia, qui foret *lumen ad reuelationem Gentium, & gloriam plebis suæ Israel*, res ad Herodis quoque cognitionem peruenit, & rum primum sensit se illusum fuisse à Magis, quos ipse prior plenus dissimulationis illuserat. Et mittens occidit omnes infantes Bethlehemitas, omnesque finitimos, qui intra biennium nati erant, siue illi natu maiores Christo essent, siue minores, nimirum ad cautelam, ne quo modo elaberetur is, propter quem hæc laniena exercebatur.

XIII. Ratio tẽporis, & diuina in Herodẽ vltio. *l. 1. hist. c. 8.*

Quoniam vero isti innocentes pueruli sua morte Christi vitam quodammodo protegunt, vitam æternam, quam fortasse nunquam obtinuissent adulti, consequuntur, & perpetuis ab Ecclesia honoribus afficiuntur in terris. *Verum quæ merces*, ait Eusebius, *crudele Herodis facinus contra Christum, & pueros eius æquales admissum, subsecuta sit, & quo pacto statim post, nullane minima quidem interposita dilatione, diuina vltio illum, dum adhuc in vita manebat, exagitauerit, operæpretium est intelligere.* Ex quibus aperte confirmatur ratio temporis quam sequimur, quę in hunc ipsum annum mortem Herodis refert. Illud etiam *statim post, & nulla interposita dilatione*, satis tempus circa paschа quod Iosephus tradit, confirmat: vt purificatione facta initio Februarij, Christus mox translatus sit in Ægyptum, inde secuta fuerit reliquo mense infantium cædes, deinde ægritudo Herodis, & mors in mense Martio, cui respondet Nisan Hebræorum. Ipsius tamen mortem, Iosephus copiose persecutus, eam non tribuit cædi Innocentium, aut insidijs Seruatori factis, vtraque enim prætermisit, vel inuidus vel imprudens, sed multis modis violatæ pietati, tot scilicet aris & templis Cæsari excitatis, in Dei contumeliam & fauorem idololatriæ, torque iniustis cædibus, domi forisque perpetratis.

l. 17. c. 8. 9. 10.

XIV. Herodis morbi mortis præuu.

De ea morte pauca referre par est, in argumentum diuinæ in consceleratum hominem vindictæ. *Regi* ait, *morbus factus est grauior, pœnam impietatis exigente Numine. Lento enim calore torrebatur, qui nontam externo tactu deprehenderetur, quam intus viscera popularetur. Aderat & vehemens voracitas, cui necesse esset cibos suggerere continenter: simulque vexabatur intestinorum exulceratione, & coli doloribus pedes tumebant phlegmate humido & pellucido, similiterque inguina: ipsa quoque verenda putrefacta scatebant vermibus, cum molestia tetrigine & fœtore grauissimo. Super hæc omnia neruorum contractione laborabat, & difficultate anhelitus.* Cumque ei mortem remedia accelerarent, atra bile prægrauante, immane facinus aggressus est. Nobiliores enim Iudæorum minaci edicto conuocatos conclusit in circo, & sororem suam Salomen, eiusque virum Alexam infimis precibus ac lacrymis exorare aggressus est, vt cum primum animam exhalasset, tantisper eius morte cælata, eam omnem multitudinem immisso milite trucidarent; sicque publico luctu honoraretur, omnibus per totam ditionem nõ ficte lugentibus. Expectatione tamen sua frustratus est tyrannus immanissimus, & totum facinoris reatum secum tulit ad inferos, facinore non perpetrato, sicut mox cum sibi ipse manus afferre tentauit.

Dira hominis crudelitas.

XV. Accipit potestatẽ in filium. *l. 17. c. 9.*

Dum hæc ille dat mandata cognatis, superuenerunt ab vrbe literæ, quibus Antipater suscepti conuictus parricidij, & Regis & Patris arbitrio relinquebatur, siue ipsum vellet in exilium pellere, siue capite plectere. Quibus auditis Herodes paululum re creatus est: moxque graui dolore repetitus, cibi tamen auidus, malum simul & cultellum popposcit, seipsum ferire cupiens, fecisset que, nisi Achiabus ex sorore nepos, ictum præueniens, eius dexteram clamore sublato cohibuisset. Is tumultus auditus est ab Antipatro, qui ratus Patrem extinctum, seque statim regem fore, egit cum custode carceris multis promissis, vt dimitteretur liber. Ille vero vsque adeo non paruit, vt Herodi rem totam proderet. Rex præ indignatione exclamans, & caput sibimet verberans, misit vnum de satellitibus, qui Antipatrum sine mora perimeret, & corpus ignobili conderet sepulchro. Sic vir sanguinum non dimidiauit dies suos, & quem ambitio ad calumnias, cædesque coniunctissimorum armauerat, eadem in manus carnificis, & obscurum sepulchrum.

Sibi manus inferre cupit.

Antipater occiditur.

XVI. Herodes testamẽtũ mutat *a. V. C. 751 nu. 30. & seq.*

Herodes à cæde Antipatri testamentum mutat, & Archelaum successorem regni constituit, Antipæ & Philippo prouincias assignat, legata Cæsari, à quo omnia confirmari oportebat, & vxori eius Liuiæ, Sorori quoque ac militibus attribuit, quanta nemo prudens sibi à Iosepho persuaderi sinat, & quinta die ab Antipatri cæde, morte defungitur, anno à destructo regno Antigono 37. ex quo autem rex à Romanis declaratus fuerat 40. ætatis denique 71. inchoato, vt in Annalibus diligenter explicatum est. Eius mores, elogio ex eius vita collecto sic accipe. Herodes Antipatri filius, Antipæ N. ortu Idumæus, educatione Ascalonita, cognomento Magnus, reipsa vitijs omnibus, in primisq; impietate in Deum, & in homines crudelitate maximus fuit. Qui regno per vim & cædem legitimi principis Antigoni potitus, religione fotis Iudæorum proselytus fuit; intus eam coluit, quam Ambitio præscribebat. Messiam filium Dei quæsiuit ad mortem, & vt eum perderet, horribilem Bethlehemi exercuit carnificinam. Profana templa & aras, impia adulatione Principibus Romanis erexit.

Moritur. Eius elogium.

Pontifices duos regij sanguinis, alterum calumnijs, alterum inuidijs circumuentum sustulit. Quatuor alios pontificatu dejectos redegit in ordinem: Scribas, Pharisæos, sacerdotes plurimos interfecit, & in ijs Zachariam Ioannis Baptistæ patrem, Dauidis sepulchrum suffodit, templum instauravit. Homo mulierosus, nouem eodem tempore, præter alias nefandas delicias, vxores habuit, quarum duas expulit; tertiam cum matre, & duobus ex ea susceptis filijs interfecit: parique pœna patruum, & primogenitum filium, magnamque domesticorum partem mulctauit. Domi calamitosus, foris in præliis satis fortis ac felix fuit. Denique multis sceleribus perpetratis, & morte lectissimæ totius regni nobilitatis imperata, plurimorum morborum supplicijs excruciatus, victusq; cum sibi etiam manus afferre conatus esset, sub paschales ferias sceleratam animam euomuit.

Archelaus autem per dies septem, luctu parentis celebrato, & in fine luctus funebri epulo multitudini præbito, in templum ascendit, & quamuis faustis acclamationibus, quacumque transiret, acciperetur, à Regis tamen nomine ac diademate abstinuit, donec fieret à Cæsare testamenti Herodis confirmatio. Eam vt obtineret, dum profectionem in Vrbem parat, excitata est seditio ab amicis eorum, quos propter concisam Aquilam auream Herodis supplicio affecerat, qui tum conuitia in defunctum regem iactabant, simulque Pontificem Ioazarum dejci pontificatu postulabant; Quos cum Archelaus frustra placare conaretur, res eo denique processit, vt sub festum Paschæ, ad tria millia, immisso ab Archelao exercitu, circa templum perirent. Ita seditione compressa, Archelaus ad mare descendit, cum multis ex familia regia, & nominatim Antipa, & Salome, multisque amicis. Quid autem Romæ factum sit dicetur anno sequenti.

ANNVS MVNDI 4054.

CHRISTI 2. B. VIRGINIS 17.

AVGVSTI 44. Imp. Rom. 49.

ARCHELAI 2. IOAZARI Pont. 2.

OLYM. CXCV. A. 1. VR. C. 753.

ÆRÆ CHRISTIANÆ 1.

NOVAM nunc cum noua Olympiade inchoamus Epocham, qua Christiani omnes vtimur, quæ & Dionysiana ab Autore Dionysio, cognomento Exiguo dicitur. Eius initium in hunc Orbis & Vrbis annum cadere docent bissexti, qui quarto quoque anno cadunt. Si enim citius seriusue vno vel altero, aut etiam tertio anno ponatur eius exordiũ, annus 1624. 28. 32. 36. non erunt bissextiles, quod falsum est. Alias quoque probationes in Annalibus adduximus, quæ tamen nihil impediunt, quo minus quæ de verò Christi conceptu natique anno statuimus, multiplicique ratione firmauimus recte consistant. Incidit porro in hunc annum Consulatus Caij nepotis Augusti, hoc enim anno quinquennium ab eius designatione terminatur, quæ inciderat in duodecimum Augusti Consulatum. Et quia nominatim ex Velleio Paterculo constat, Caium ex Orientali expeditione nunquam fuisse reuersum, sed in itinere obijsse, dicendum est C. Cæsarem absentem inijsse, gessisseque Consulatum, Augusti exemplo, qui, Tranquillo teste, quartum Consulatum in Asia, quintum in Samo insula, octauum & nonum inijt in Hispania Tarracone.

Accedit quod hoc anno data est Augusti epistola ad Caium, initio anni sexagesimi, quarti quem 9. Cal. Oct. inchoauit, quippe qui natus est an. V. Con. 690. Antonio & Cicerone Coss. Aberat ergo ab Vrbe Caius, ad quem Roma scribebat Augustus. Ex quo constat errasse Iosephum, cum semel iterumque affirmat C. Romæ in iudicio de Archelao interfuisse. Fefellit hominem, quod non cogitauit C. absentem gessisse Consulatum. In eo iudicio Archelaus & Antipas fratres de regni successione apud Augustum disceptarunt: quorum Antipas prioribus testamenti tabulis hæres ab Herode scriptus fuerat, Archelaus autem posterioribus, qui & regni possessionem inierat, expectans dũtaxat Augusti confirmationem. Post multam disceptationem Cæsar Archelaum dimidia parte paternæ possessionis donat; nec regem constituit, sed ethnarcham; alterum dimidium in Antipam & Philippum Herodis filios partitus est, & Tetrarchus esse voluit.

ANNVS MVNDI 4055.

CHRISTI 3. B. VIRGINIS 18.

AVGVSTI CÆSARIS 45. Imp. Rom. 50.

ARCHELAI 3. ELEAZARI Pont. 1.

OLYMP. CXCV. AN. 2. V. C. 754.

ÆRÆ CHRISTIANÆ 2.

NOtatur hic annus reditu Tiberij, morte L. Cæsaris, & Christi reditu ex Ægypto. De Tiberio perspicue Velleius asserit, ante C. & L. obitum P. Vinucio Consule Tiberium Neronem Rhodo reuersum, incredibili lætitia patriam repleuisse: fuit autem eius exilium annorum septem, ab anno scilicet Vrbis 748. ad 54. statimque in hortos Mecœnatianos transmigrauit, vt ait Sueton. totumque se ad quietem contulit, priuata modo officia obiens, ac publicorum expers. Memor scilicet conditionis, sub qua reuocatus fuerat, ne quam partem cotamue Reipubl. attingeret. Non diu post eius reditum, sub finem videlicet anni huius, Massiliæ mortuus est Lucius anno ætatis 19. quippe qui natus fuerat, anno Vrbis Conditæ 736. octodecim deinde post mensibus, id est sub initia anni Vrbis Cond. 756. in Lycia mortuus est Caius. *Caium & Lucium*, inquit Suet. *in*

duode-

Lt.n. 56.

II. Ætas Augusti. *Apud Gellium l. 15. c. 7. l. 2. de bello c. 1. l. 17. Ant. c. 12.*

Archelaus dimidiã regni partem obtinet, singuli quadrantem. *Ioseph. l. 17. c. 13.*

I. Reditus Tiberij ex Rhodo *l. 2.*

Reipubl. abstinet. *l. 1. n. 14.*

Lucii mors. A. V. C. 736.

Digitized by Google

32. *mensium spatio amisit ambos*, quod non repugnat ei quod ibidem ait, vtrumque videlicet intra triennium defunctum. Itaque hoc anno Lucius Massiliæ diuturno morbo, ac fere triennali extabuit. Post cuius obitum cœpit Augustus agere de Tiberio adoptando, eique Tribunitia potestate conferenda, plurimum resistente Tiberio, qui Caij verebatur inuidiam; itaque res vsque ad Caij mortem delata est.

Velleius.

II. Christi reditus ex Ægypto, & ratio temporis.

Iam vero quod ad reditum Christi Domini ex Ægypto in Iudæam, de die quidem ex Romano martyrologio constare potest, cui cætera quoque de septimo Ianuarij consentiunt. De anno maior est difficultas. Sed res ex Herodis morte pendet, quam cum ad primum Christi annum circa festa paschalis retulerimus, consequens videbatur, vt statim initio anni secundi eius reditum constitueremus, & facturi eramus, nisi Sanctus Matthæus nos ab ea sententia deduxisset, qui ait, sub reditum Ioseph cum familia sua, Archelaum regnasse in Iudæa. At septimo Ianuarij anno præcedentis nõdum regnabat Archelaus, nec erat in Iudæa, sed Romæ apud Augustum de summa rerum periclitabatur, à multis diuersis temporibus accusatus, vt accurate in Annalibus explicatum est. Denique autor est Sueton. Archelaum Romæ à Tiberio defensum, Augusto de causa cognoscente: at is præcedenti anno nondum ex septennij peregrinatione redierat. Itaque ad biennium Christus Dominus in Ægypto substitit, vt Epiphanius, alijque prodiderunt: neq; plurimis annis voluit, ne à Iudæis vt alienigena reijceretur.

n. 5. 6. & 7

l. 3. n. 8.

III. Quid Ioseph timuerit ab Archelao *Hæres. 20. 51. 78.*

Ergo Decembri mense monitus fuerit Ioseph ab Angelo: qui non Herodis solum mortem expectauit, sed aliorum etiam *qui quærebant animam pueri*: & fortassis etiam dum Varus Syriæ præses, motus bellicos in Iudæa per absentiam Archelai excitatos, componeret. Quid autem timuerit ab Archelao, intelligi potest ex eius sæuitia, quam ipso primo regni aditu exercuit, quamque tam eius cognati, quam alij Iudæorum legati apud Cæsarem accusarunt. In Iudæam autem iam Ethnarcha reuersus, Ioazaro Pontificatum abrogauit, insimulato quod seditiosis consensisset, eamque dignitatem in Eleazarum fratrem ipsius transtulit. Non fuit ille quidem vnus eorum, qui quærebant animam pueri; nam eos qui iam defunctos dicit Angelus; si quis tamen ad Archelaum retulisset, apparuisse puerum illum, quem pater eius quærebat ad mortem, vtique vt videtur ab illo fuisset occisus. Quod vitans Ioseph, secessit ad Galilæam, & Dominus ex Nazarethana commoratione Nazaræi cognomen acquirebat, quod in Christianos quoque omnes, sicut & Galilæi, initio nascentis Ecclesiæ transfusum est.

Nouus pontifex.

***

ANNVS MVNDI 4057.

CHRISTI 5. BEATÆ VIRGINIS 20.

ARCHELAI 5. ELEAZARI Pont. 3.

AVGVSTI 47. Imp. Rom. 52.

OLYMP. CXCV. A. 4. V.C. 756.

ÆRÆ CHRISTIANÆ 4.

I. Mors Caij.

MOritur hoc anno C. Cæsar Augusti filius, post duodevigesimum à L. morte mensem, anno ætatis vigesimo quarto, vt qui natus fuerit anno Vrbis Cond. 733. tanto maiore parentis dolore, quanto maior fuerat eius in ipsum amor, & studium Lucio eius fratre iam defuncto. Sicque Augusti spe de Imperij hæredibus collapsa, Tyberij non solum spes, sed dignitas & amplitudo reflоruit, vt ait Velleius, nimirum adoptione secuta, vt mox dicetur. De Caij morte idem scribit, eum Armeniam ingressum prima parte introitus prospicere gessisse, mox in colloquio, cui se temere credideraf, circa Artageram grauiter à quodam nomine Adduo vulneratum: ex eo vt corpus minus habile, ita animum minus vtilem Reipubl. habere cœpit. Deinde reluctatus, inultusque reuertens in Italiam, in vrbe Lyciæ, Limyram nominant, morbo obijt, cum ante annum ferme, L. Cæsar frater eius Hispanias petens Massiliæ decessisset. Addunt Florus & Rufus percussorem obtulisse Caio libellum, in quo scripti thesauri continebantur, quem cum legeret attentius, gladio fuisse vulneratum. Ipsum autem percussorem & à militibus confossum, se in pyram conieciisse. Parthos autem dedisse obsides, & signa sub Crasso erepta retulisse. Sed id factum iamdudum fuerat. Ann. Vrbis Conditæ 733. Apuleio & Silio Coss.

Eiusque mortē ex Velleio.

Floro & Rufo.

II. Tiberius adoptatur, & Tribunitia potestate donatur.

Cum de morte Caij Romæ constitit, Augustus, qui vt scribit Velleius, Lucio mortuo, superstite autem Caio, Tiberium ad summam dignitatem prouehere, ipsomet resistente Tiberio cupiebat, id deniq; post vtriusq; obitum ad 5. Calen. Iulias perfecit, vt & tribunitiæ potestatis consortem faceret, in quinquennium ait Suet. ad decennium Dio. & in filium, & imperij hæredem adoptaret, idque se Reip. causa facere professus est. Adoptatus est eadem die M. Agrippa, quem post magni Agrippæ mortem Iulia enixa erat. Sed prius coactus est Tiberius Germanicum, Drusi fratris sui filium adoptare. Publice huius occasione lætitiæ factum videtur, quod scribit Tranquillus de Iulia Augusti filia quinto abhinc anno relegata. *Post quinquennium*, inquit, *ex insula in continentem lenioribusque paulo conditionibus transtulit eam.* Nam vt omnino reuocaret, exorari nullo modo potuit, neque vt Domini titulum admitteret. Quod Tiberius postea imitatus est, qui tamen Senatores Dominos appellabat.

Iuliæ pœna mitigatur. *l. 2. n. 65.*

Domini titulus. *Suet. l. 2. 53. Idem l. 3. n. 27. & 72.*

Hoc ipso anno missum in Germaniam ab Augusto Tiberium, autor est Velleius, qui id protinus ab adoptione factum scribit, quippe ante triennium, Marco Vinicio Consule; immensum

III. Tiberius in Germaniam mittitur.

exarserat bellum in Germania. Ibi cum eo præfectus equitum fuit Paterculus, successor officij patris sui, ad annos nouem, vt ipsemet scriptum reliquit. Addit paulò post, intratam prouinciam fuisse Germaniam, & subactos aliquot populos à Tiberio, vtente legato Sentio Saturnino, qui erat hoc anno Consul, quique antea legatus patris Tiberij in Germania fuerat, & sub mensem Decembrem in vrbem reuertisse. De rebus Iudaicis perpauca Iosephus habet, & quidem sine vlla temporis nota. Itaq; si placet huc refer regiam ab Archelao apud Hiericuntem instauratam, aliaq; nonnulla.

17. c. 25

Et cur crebro Romam rediret. l. 55 subfi. a. m. 4060.

ANNVS MVNDI 4058.

IESV CHRISTI 6. B. VIRGINIS 21.

AVGVSTI 48. & Imperij Romanorum 53.

ARCHELAI 16. IESV Pont. 1.

OLYMP. CXCVI. A. 1. VR. C. 757.

ÆRÆ CHRISTIANÆ 5.

I. Augusti mira in Cinnam clemētia *Seneca l. 1 de Clē. & Dio l. 55.*

MAgnum præbuit Augustus præcedenti anno modestiæ documentum, in nimis glorioso, vt putabat Domini titulo repellendo, ne forte ciues omnes subditosque famulorum vel seruorum loco habere videretur. At nunc longe mirabilius dedit clementiæ ac mansuetudinis argumentū, cum suasu Liuiæ coniugis, Cn. Cornelium Cinnam, filia Pompeij Magni genitum, insidiarum contra se coniurationisque compertum, obiurgasse contenstu, non solum illi vitam, sed etiam Consulatum hoc anno dedit, eumque deinceps fidelissimum atque amicissimum habuit; & merito, qui in tenebris infidelitatis malefacta potuerit obruere beneficiis, Iulij Cæsaris, quem agnoscebat patrem, post bella ciuilia placabilitatem imitatus.

II. Romæ terræ motus inundatio & fames.

Hoc ipso anno, inquit Dio, horrendi terræ motus acciderunt, Tiberisque deiecto ponte vrbem septem dies nauigabilem fecit, Sol aliqua parte lumen suum amisit, fames coorta. Rem confirmat Paulus Orosius, additis Consulibus, & Imperij Augusti anno quadragesimo octauo, *quo adeo dira*, inquit, Romanos fames consecuta est, vt Cæsar Lanistarum familias, omnesque peregrinos, seruorum quoque maximas copias, exceptis medicis & præceptoribus, trudi vrbe præceperit. Hæc Orosius, ex Suetonio libro secundo. Eodem anno Agrippa annum agens decimum septimum virili toga donatus est. Ludi Circenses seorsim à Senatoribus, & equitibus spectati sunt, Ius datum libertinis virginibus, vt collegio Vestalium admitti possent, cum ægrè nobiles virgines id institutum sectarentur. Præmia emeritis militibus aucta.

n. 42. vide an. m. 4042. nu. 8. in Ann.

III. Tiberius Germaniam repetit.

Initio veteris Tiberius Germaniam repetijt, & eam totam, vt ait Velleius, perlustrauit armis, victæ gentes pene nominibus incognitæ, receptę Cauchorum nationes omnis eorum iuuentus infinita numero, immensa corporibus, siue locorum tutissimo, traditis armis, vnà cum ducibus suis, ante Imperatoris procubuit tribunal. Et paulò post huius anni gesta concludens. Victor omnium gentium locorumque quos adierat Cæsar, cum incolumi, inuiolatoque, & semel tantummodo magna cum clade hostium, fraude eorum tentato exercitu, in hyberna legiones reduxit, eadem qua priore anno festinatione Vrbem petens. Hæc, & plura Velleius, nimium vbiq; ad Tiberij gratiam aucupandam effusus. Dio ait Tiberium frequenter solitum, ab administratione bellorum quoties liceret in Vrbem commeare, metuentem ne quem ipsi absenti alium Augustus præferret, timida quippe est & suspicax ambitio. Id etiam optasse Augustum mox intelligetur.

Ad hunc consequenter annum, illa fortasse Iudaica Iosephi pertineant. *Nouum etiam*, inquit, *vitium à se conditum denominauit Archelaida.* Retulimus ad hunc annum nouum Pontificem Onuphrium secuti, qui Christi anno sexto Iesum Siæ filium Pontificem constituit. Nam Iosephus tempus non notat. *Nec Eleazarus*, inquit, *diu sacerdotio potitus est, subrogato in viuentis locum Iesu Siæ filio.* Sic Iosephus. Nimirum Archelaus, parentem imitatus, in Pontificibus commutandis ludebat.

IV. Iesus nonus pont. Viuo Eleazaro subrogatur. *l. 17. c. 15.*

ANNVS MVNDI 4059.

CHRISTI 7. B. VIRGINIS 22.

AVGVSTI 49. Imperij Roman. 54.

ARCHELAI 7. Pont. 2.

OLYMP. CXCVI. 2. VRB. CO. 758.

ÆRÆ CHRISTIANÆ 6.

I. Fames Romæ aucta, & vastatus incendiis. *mil. 81. 1. 4.*

FAmes quam præcedentibus Coss. coortam dixit Dio, hoc anno ita auctam tradit, vt gladiatores mancipiaque venalia, vltra sexcenta quinquaginta stadia ab vrbe reiecta fuerint; multosque ex suis famulis tum alij, tum Augustus ipse ablegauerint, instirium indictum fuerit, permissumque Senatoribus, vt quò gentium vellent proficiscerentur. Incendijs quoque vrbs hoc anno vastata est, vt propterea libertinos septem curandis incendijs constituerit Augustus, quibus equitem præfecit. Cum autem annuo reditu indigeret in emeritorum militum præmia, deque eo consultus Senatus nullam idoneam expediret viam, Augustus pro se & Tiberio pecuniam in ærarium intulit, quam appellauit militarem, eiusque administrationem prætorij, tribus sorte delectis mandauit in triennium. Annonæ porro difficultate finita Germanicus & Tiberius filij Drusi, in honorem patris, munus gladiatorium præbuerunt.

Ærarium militare.

II. Tiberius contra Marcomannos.

Rem gessit hoc anno Tiberius contra Marcomannos, qui Maroboduo duce, belli societate cum Pannonia & Dalmatia iunctâ, diu meditata arma corripuit, & partim in Macedonia erupit, partim Italiæ imminebat, adeo vt territus Augustus in Senatu dixerit, decimo

die, ni caueretur, posse hostem in Vrbis venire conspectum. Contra eos varijs in locis partim à Tiberio, partim à Sentio Saturnino, partim à Messala Consulibus viris feliciter pugnatum est. Huc videntur pertinere res à Cornelio Cosso in Africa contra Getulos latrocinantes prospere gestæ, propter quos subactos triumphalibus honoribus, & cognomento Getuli ornatus est. In eo bello Iuba cecidit, cuius vxor Glaphyra Archelai regis Cappadociæ filia, ad patrem reuersa, tertijs nuptijs Archelao Iudæo coniuncta est, Mariamne repudiata. Vide Iosephum l. 17. c. 15.

Corn. Cossus contra Getulos.

4060 III. Augustus Germanicum mittit in Germaniam. *Dio.*

Sequenti anno cum Tiberius in Pannonia cum Messalino diutius commorari videretur, nec hostes, sociorum agros crebris insultibus, inuadentes, promptè debellaret, suspicari cœpit Augustus eum consulto bellum trahere, quo diutius in armis esset. Itaque Germanicum tum Quæstorem eò misit cum exercitu, ex ingenuis libertisque conflato. Qui cum in Pannoniam venisset, ad eum vndiq; milites confluxerunt, tantusq; exercitus est conflatus, quantus post bella ciuilia nusquam fuit, vt ait Velleius. Dio nihilominus ait nihil admodum memorabile à cæteris ducibus, quoniam diuidi placuerat copias, hoc anno gestum fuisse: Germanicum Macæos gentem Dalmaticam pugna victam dánis affecisse. Cadit in hoc quoque tempus Agrippæ iunioris calamitas, qui cum moribus importunis, & Liuiæ artibus à se alienus reddidisset Augustum, ab eo abdicatus est, eius facultates in ærarium militare relatæ, ipse in Planasiam Corsicæ propinquam insulam relegatus est in perpetuum, & insuper militum custodia septus.

Iunior Agrippa abdicatus relegatur.

ANNVS MVNDI 4061.

CHRISTI 9. B. VIRGINIS 24.

AVGVSTI 51. Imperij Roman. 56.

ARCHELAI 9. IOAZARI Pont. 11.

OLYMP. CXCVI. AN. 4 VR. C. 760.

ÆRÆ CHRISTIANÆ 8.

1. Archelaus à suis apud Cæsarem accusatur, & ab eo euocatur *Iosep. l. 17. c. 15. l. 2. bellic. c. 6.*

PRofecti sunt hoc anno Archelai accusatores in Italiam, ibique eum apud Cæsarem tyrannicæ dominationis accusarunt. Tum Augusti iussu venerunt in Iudæam qui Archelaum Romam ad Cæsarem accerserent: qui cum sub hyemem Hierosolymam peruenissent, Archelaum sub Pascha, & initium anni decimi regni sui Romam deduxerunt. Videtur autem eadem opera Cæsar ad Quintilium Varum tum Syriæ præsidem litteras & mandata dedisse, vt Iudæam ditionem Archelai, prouinciæ Syriæ contribueret. Nam Quirinius sequenti anno Varo succedens, id iam factum inuenit, vt Iosephus affirmat: etsi id dilatum crediderim vsque ad profectionem Archelai ex Iudæa, vt illo re dum adhuc integra, Romanam profectionem minus formidaret, nihilque moueret. De Varo autem è Syria decedente scribit Velleius ortum illum ex illustri familia, ingenio mitem, otio magis quàm bellicis tumultibus idoneum. *Pecunia vero quam non contemptor fuerit, Syria cui præfuerat declarauit, quam pauper diuitem ingressus, diues pauperem reliquit.* Sic ille.

l. 18. c. 1.

l. 2. c. 117. Vari conditio & mores.

Hic Coss. inquit Dio Pannonij & Dalmatæ pacem expetiuere, fame primum, deinde morbis inde secutis confecti, quo minus tamen peterent per eos fiebat, qui nullam spem salutis reliquam apud Romanos habebant. Cum interea Germanicus validam obsideret orbem, missili saxo in murum coniecto, ita pinnas concussit, vt statim cum viro eis incumbente corruerint. Id sic reliquos perterruit, vt muris relictis in arcem confugerent, ac post se, eamque ipsam dederent. Cum autem etiam Bato, qui concitatis ad rebellionem Dalmatis, multum damni Romanis intulerat, Tiberio se per transactionem dedidisset, ab eo rogatus, qui ita magno suo malo rebellarent. *Vos*, inquit ille, *in culpa estis ipsi, qui ad greges vestros custodiendos, non canes pastores sue, sed lupos mittitis.* Bellorum porro administrationi ita intentus fuit Augustus, vt cæteris negotijs in Senatum reiectis, ipse Ariminum se contulerit, quò propius quæ in Pannonia & Dalmatia gerentur acciperet, & quæ essent gerenda præscriberet. Ex quo etiam colligitur, neque hoc anno Archelaum Romam venisse, neque ab Augusto iudicatum.

II. Pax facta cum Pannonijs & Dalmatis *l. 55. extrè.*

Romanorum auaritia causa defectionum fuit.

Augustus Ariminj.

ANNVS MVNDI 4062.

CHRISTI 10. B. VIRGINIS 25.

AVGVSTI CÆSARIS 52. Imp. Rom. 57.

ARCHELAI 10. & vlt. ANANI Pont. 1.

OLYM. CXCVII. VRB. CON. 761.

ÆRÆ CHRISTIANÆ 9.

I. Natiuitas Vespasiani. *l. 8. n. 2.*

FIrmat huius anni Coss. & imperij Augusti annos Tranquillus, cum Vespasianum Imperatorem natum ait in Sabinis 15. Calend. Decembris vesperi Q. Sulpicio Camerino, & C. Poppæo Sabbino Coss. quinquennio antequam Augustus excederet. Hic ille dux erit, quê Christus Dominus ad vltionem de inimicis suis destinauerat. Hoc denique anno Iudææ Ethnarcho Archelao in ordinem redacto, atq; adeo in exilium deportato, Iudaicus populus consecutus est, vt non haberet regem, nisi Cæsarem, Iudæa, quæ ad Archelaum pertinebat, Syriæ prouinciæ contributa, vt illi iamdudum ab Augusto solenni legatione petiuerant: alijs interea duobus Herodis filijs Philippo & Antipa qui & Herodus dictus est, in sua ditione & tetrarchia perseuerantibus, illo Trachonitidis, isto Galilææ; idque ad multos annos, vt ex Euangelio constat.

Archelai exilium. *Iosep. l. 17. c. 12.*

Mox Ergo vt Archelaus, accersitu Cæsaris Romam venit, vt narrat Iosephus, Augustus *auditis eius accusatoribus, & ipsius defensione, misit eũ Viennam Galliæ vrbem in exilium, multatum prius omni pecunia*, quam scilicet habebat Hierosolymis reconditam, *simulq; ditione omni*, id est, Iudæa proprie dicta, quæ tribum Iuda & Beniamin

II. Ditione & pecunia mulctatur. *l. 17. c. 15.*

Ioſephi 18. c. 1. Alius ſub Quirinio Cenſus.

a. V. C. 751. ſupra n. 19. Coponius Iudææ procurator. *l. 2 de bello c. 7.*

III. Ioazarus Pontificatu abdicatur. *l. 18. c. 1.*

Ananus qui & Annas pontifex. *Luc. 2. 10. c. 8.*

IV. Auguſtus matrimonio iunctos laudat.

t Virgi es. *ellæius l. & Dio 56.*

rtiana ades.

continebat: Samaria item atq; Idumæa. Et dationem quidem iam Syriæ contribuerat Varus, Syriæ iamdudum præſes, cui ſucceſſor miſſus eſt Quirinius, vt conſularis, *vt intra populis redderet, facultateſque cenſeret omnium* altera ſcilicet cenſione, poſt eam quam decennio ante fecerat, *& cum eo venit Coponius, præfectus turmæ equitum, penes quē eſſet totius Iudææ rerū adminiſtratio,* ſubipſo Quirinio Syriæ præſide, ideoque Coponius Iudææ procurator tantum appellatur. *Ipſe autem Quirinius in Iudæam venit tam attributam prouincia Syria, vt percenſeret facultates eius regionis ciuium, & Archelai pecunias in ſuam poteſtatem redigeret.*

Iudæi autem tametſi primùm ægre ferrent mentionem deſcriptionis huius & cenſus, quod eam manifeſtam eſſe dicerent ſeruitutis profeſſionem, non ſunt tamen reluctati pertinaciter, parendo autoritati pontificis Ioazari (eũ enim hic rurſum Ioſephus intrudit) atq; ita illius ſuaſu ſine controuerſia cenſus peractus eſt. Nec tamen à Romanis obtinuit, vt dignitatem paulo ante, vt apparet, recuperatam retinere poſſet. Nam vt idem ſcribit, *Quirinius venditis & fiſco addictis Archelai facultatibus, peractoq; cenſu, qui incidit in annum 37.* exeuntem ſcilicet, *poſt victum à Cæſare in Actiaca pugna Antonium*, cum mota eſſet contra Ioazarum pontificem plebis ſeditio, priuauit eum hac dignitate, & Ananum Sethi filium ſubſtituit, qui Annas in Euangelio dicitur, quem Ioſephus ſeniorem vocat, & quinq; filios pontifices habuiſſe dicit. Facile autem agnoſci poteſt quam turbatus eſſet Iudæorum pontificatus hoc tempore & deinceps, quo iam natus erat magnus ille ſacerdos & pontifex, qui Aaronico ſacerdotio imponebat finem.

Habuit hoc anno publicam orationem Auguſtus, cum in laudem eorum, qui legitimo matrimonio iuncti eſſent, aut liberos ex eo procreaſſent; tum in eorum accuſationem, qui eo neglecto, vagas libidines, prætextu continentiæ, ſectarentur, nec legitimam prolem Reip. ſufficerent. Nec tamen conſecratam Deo virginitatem improbauit; quippe qui collegium Veſtalium commendauit, auxit, ac præmijs affecit, vt ex Annalibus prius lector intelliget. Interea Romani ad Rhætinum Dalmatiæ cladem incendio circunfuſi accepere, cumq; bellum extraheretur, Auguſtus Tiberium iterum miſit in Dalmatiam, vbi rem feliciter cum Germanico geſſit, Bato duce iterum victo, & in deditionem accepto. Quibus cum Romæ parantur honores, Quintilij Vari clades ex Germania nuncia ta eſt. Is enim ab Arminio in paratas inſidias pertractus, tres legiones, ne data quidem pugnandi facultate, amiſit; ipſe videns exercitum intercecione deletum, paterno, auitoq; exemplo, ſe ipſe transfixit. Ea clade audita Cæſar magno in luctu fuit de amiſſo exercitu, & ſollicitudine, ne hoſtes victoria elati in Italiam irrumperent. Itaque omni cura incubuit ad bellum proximo anno inſtaurandum.

***

ANNVS MVNDI 4063.

CHRISTI 11. B. VIRGINIS 26.

AVGVSTI 53. Imp. Rom. 58.

ANANI 2. OLY. CXCVII. A. 2. V. C. 762.

ÆRÆ CHRISTIANÆ 10.

PRoximo anno repetita eſt à Tiberio Germania, & vltra Rhenum cum exercitu tranſgreſſus eſt. Cum autem animaduerteret Varianam cladem, temeritate & negligentia ducis accidiſſe, tum præter conſuetudinem cum pluribus de ratione belli communicauit, & militarem diſciplinam ab antiquo repetitam ſeuere exercuit, itaque fuſis fugatiſq; hoſtibus, & regioni illata vaſtitate, incolumem exercitum in hyberna reduxit.

I. Tiberius Germaniã repetit. *Suet. l. 3. c. 18. Velleius l. 2.*

Sub hoc autem tempus occaſione nouæ deſcriptionis ac cenſus à Quirinio Hieroſolymis initi, vt aperte ſignificat Ioſephus, & Gamalielis apud Lucam, extitit Iudas quidam Galilæus, qui adiuncto ſibi Sadduco Phariſæo, ſollicitabat ad defectionem populos, cenſum nihil aliud eſſe dictitans, quam manifeſtam ſeruitutis profeſſionem, & vniuerſam gentem ad tuendam libertatem adhortans. Quid autem turbatum & cædium in Iudæa iſti cum ſuis ſectarijs ediderint, pluribus apud Ioſephum leges. Horum Galilæorum primarium crimen fuit, quod præ inſigni ſuperbia, cum hoſtes ſublimiorum poteſtatum eſſent, ſoli Deo parendũ eſſe iactabant, eumque vnum Dominum agnoſcendum, tanta pertinacia, vt ne exquiſitiſſimis quidem ſuis ſuorumq; ſupplicijs, ab ea dementia reuocari poſſent. Itaque iuſtiſſimum erat in eos principum odiũ, quod in Chriſtianos quoque, tanquam illius hæreſis ſectatores, primis illis temporibus deriuabatur, quoniam ex Galilæa Chriſtus & Apoſtoli orſi fuerant: qui propterea ſæpius in ſuis epiſtolis Chriſtianos, ad obedientiam principibus debitam hortabantur. Quin & Ioſephus contra Galilæos illos, in laude Eſſenorum ponit, quod fidem omnibus ſeruarent, maxime vero principibus. *Neq; enim*, inquit, *abſque voluntate Dei cuiquam poteſt principatus contingere.*

II. Hæreſis Galilæorum eiuſq; autor. *l. 18 c. 1. Act. c. 5. 37.*

l. 18 c. 2. 2.

In Chriſtianos per calũniam deriuatur.

Vide Annal. n. 3. & 4. Rom. 13. 1. 1. Petri 2. 13 Tit. 3. 10. & 3. 1.

Etſi autem Iudas iſte male perijt, vt autor eſt in Apoſtolorum actis Gamaliel, tacente de illius interitu Ioſepho, habuiſſe tamen diu ſuæ nequitiæ ſectatores, maxime poſtremi belli tempore, idem oſtendit; quando etiam duo eius filij, Iacobus & Simon, crucis ſupplicio affecti ſunt ab Alexandro, Cuſpij Fadi ſucceſſore. Quorum etiam ſpiritu merito creduntur his temporibus afflati Anabaptiſtæ: eius videlicet, qui à principio confregit Dei iugum, rupit vincula eius, dixitque *Non ſeruiam.*

III. Propagatur cadẽ hæreſis. *Act. 5. 37.*

Luc. 2. 10. c. 23.

Mich. 2. 30.

***

ANNVS MVNDI 4064.

CHRISTI 12. B. VIRGINIS 27.

ANNÆ, siue ANANI 3.

AVGVSTI 54. Imperij Romani. 59.

OLYM. CXCVII. A. 3. VR. C. 763.

ÆRÆ CHRISTIANÆ 12.

I. Puer Iesus adit Ierusalē. *c. 2. 41.*

DVodecimus Iesu Christi annus insignis est, non tam Hierosolymitana eius profectione, cum parentibus suis; (ea quippe singulis annis frequentabatur. *Ibant* enim *parentes eius*, ait Lucas, *per omnes annos in Ierusalem, in die solenni Paschæ*, nec credibile est eum in oppido Nazareth, sub cura cognatorum, aut vicinorum, interea fuisse derelictum. Ergo deducebant eum secum; idque affirmant Suares, & Maldonatus in eum locum,) quam tristissima eius, licet inculpabili amissione, moxque lætissima inuentione: & maxime insolita manifestatione diuinæ sapientiæ, qua futuris prædicationibus quodammodo præludebat, vt significat sanctus Ambrosius. Potuerunt tamen hæc ad sequentem annum differri, ita vt illud Euangelistæ Lucæ, *cum factus esset annorum duodecim*, de illis expletis intelligatur, & decimo tertio per tres menses inchoato: idque videtur verborum vis ipsa postulare.

disput. 15. sect. 3. ann. duodecimo.

l. 2. in Luc.

II. Decurrente.

Communem tamen sequamur chronologiā de año duodecimo decurrente; præsertim cum hic sit huius Euangelistæ mos, vt elapsum tempus pro ineunte sumat, vt *postquam consummati dies octo, vt circumcideretur*, id est, die octauo. Et, *postquam impleti sunt dies purgationis*, id est dum implerentur, & in hac ipsa historia, *post triduum inuenerunt illum in templo*, id est die tertio, non autem quarto. Primo enim die iuerunt versus Nazareth, vespere puer quæsitus est *apud cognatos & notos*; postridie autem vix albescente cœlo regressi sunt in Ierusalem requirentes eum, tertio vero die mane templum adierunt, ibique eum inuenerunt *sedentem in medio Doctorum, audientem illos & interrogantem eos.* Quibus ex verbis, & humiliore loco sessionis, etsi plerique notarunt Christum Dominum non Doctoris, sed discipuli partes eo tempore suscepisse, vt diximus in Annal. docebat tamen interrogando, vt postea non semel. Maxime Matth. 22. 41. vbi Dominus interrogat Pharisæos, cuius filius sit Christus. Et probabile est eum hoc quoque tempore interrogasse eos de Messia, & aduentu eius. Hæc enim maxime eius animo insidebant, & doctoribus istis maxime necessaria erant. Docebat quoq; vel maxime respondendo, vnde subditur. *Stupebant autem omnes super prudentia & responsis eius*, præsertim ab ætate puerili profectis. An autem eo triduo Dominus mendicauerit, consuli possunt Annales.

Inuenitur in tẽplo die tertio.

Docẽs de Messiæ aduentu. *num. 4. & 5. Matt. 16. 13. & 21. 24. & 22. 41. &c.*

III. Ambitius Iudææ procurator.

Ad hoc tempus pertinet illud Iosephi de nouo Iudææ procuratore, vel præside. *Paulo post Coponius Romam reuertitur, successore accepto M. Ambiuio.* Cum autem de Præside Syriæ taceat, apparet Quirinium in eadem dignitate perseuerasse. Diutius enim aliquando fuisse hunc magistratum, ex Agrippa, & Quintilio Varo perspicuum est. Huius Ambiuij tempore, Salome soror Herodis defuncti vita decedens, Iuliæ Iamniam cum sua toparchia reliquit, vt ait Iosephus. At Iulia duodecimum iam annum relegata erat, nec aliud ab Augusto, quam vomic- & carcinoma, Tranquillo teste, audiebat. Itaq; pro Iulia, Liuia substituenda est.

Mors Salomes.

IV. Res Germaniæ. *Dio.*

In Germania Tiberius & Germanicus, cui pro consulare erat imperium, ad pugnam parati, sine prælio vicerunt, quod nemo ad repugnandum occurreret. Veriti enim Varianam cladem, haud ita procul à Rheno discesserant, sed prope eum vsque ad autumnum morati, ludis in honorem natalium Augustus actis, & equestri centurionum certamine, dum Italiam repetunt, Tiberius graue à sicario quodam capitis periculum addit, & Viennæ seditiones repressit. Romæ autem Augusto postulante S. P. Q. R. decreuit vt Tiberio ius æquum in omnibus prouincijs & exercitibus esset cum patre; idque factum postquam de septem triumphis promeritis, tres duntaxat, vsurpasset, de quibus plura apud Suetonium leges. illudq; nominatim, quod prandium populo dederit mille mēsis, & in congiarium viritim trecentos nummos. Dedicasse quoque ait de manubijs, suo fratrumque nomine, ædem Concordiæ, Castoris & Pollucis.

Tiberii periculū, triūphi, & ius Augusto æquatū &c *l. 3. c. 20.*

ANNVS MVNDI 4065.

CHRISTI 13. BEATÆ VIRGINIS 28.

AVGVSTI 55. & Imperij Roman. 60.

ANANI 4. OLY. CXCVII. A. 4. V. C. 764.

ÆRÆ CHRISTIANÆ 12.

I. De S. Iosephi morte. *Amb. Cyp. Vide Ann.*

SVb hoc tempus mortuum fuisse S. Iosephum B. Virginis sponsum existimauit S. Epiphanius, & quicunque eum valde senem B. Mariam duxisse putarunt; Alij etiam morientem Christo vixisse crediderunt. Nec tamen id posteriores doctores satis probabile iudicarunt, quin potius hoc ipso quod Virgo coniugi commendata non fuit, probabilius colligunt illum iam è viuis excessisse, ne aliquam iniuriam nutricio suo amantissimo, grauissimus filius, dictæ coniugis separatione fecisse videretur. Media ergo sententia est, non tam cito mortuum, nec tamen ad trigesimum Christi annum peruenisse, quod in nuptijs Galilææ eius nulla fiat mentio: & tamen ad aliquot annos pertinere videatur illud, *& erat subditus illis.* Et quia B. Virgo, quæ vix 28. agebat annum, adhuc ad coniugium expeti posse videbatur. Vt ergo ea molestia liberaretur, & filius in tenella adhuc ætate non destitueretur cura Nutricij sui, cuius laboribus sustentabatur, videtur diuina prouidentia ad extremam potius Christi adolescentiam Iosephum in vitis retinuisse. Quoniam tamē de certo animo nihil alibi mare possumus, de die dicamus cum Romano martyrologio, felicem eius ad Deum transitum in Martij contigisse. Id quoque meditatur Gerson

Gerson Bonū. Sunnes.

Quando videatur cōtigisse.

Serm. de Natiu. B. Virg.

Iosephum vnum ex illis fuisse, qui cum Christo resurrexerunt, & apparuisse charissimæ sponsæ, eamque fuisse consolatum, & tandem cum Christo glorificatũ ascendisse, *non dubium in anima*, inquit, *sed an & in corpore, nescio, Deus scit: & collocatus est à dextris ipsius Iesu, hoc est, in potioribus bonis suis.* Hæc pius Doctor, in cœtu vniuersæ Ecclesiæ constantiæ congregatæ.

II. Consulatus Germanici, ortus Caligulæ, libri famosi damnati. *Dio li. 56.*

Hoc anno Germanicus, Tiberij filius, Augusti nepos, Consulatum nondum Prætura functus, accepit, ac præter morem toto anno gessit, nulla tamen re memorabili peracta. Huic filium suscepit, cognomento Caligulã, qui postea imperauit. At vero Augustus senectute tam grauis, Germanicum Senatui, Senatum Tiberio scripto commẽdauit; famosos libellos conquisitos & repertos, in vrbe ab Ædilibus, extra vrbem, à singulorum locorum præfectis, comburi mandauit, & in quosdam eorum auctores supplicio animaduertit; in quibus Cassium quendam Seuerum Tacitus memorat. *ib 1. Ann.*

III. *A. M.* 4066. Testamentum Augusti. *l. 2. c. 101.*

Sequenti anno L. Planco & C. Silio Coss. Testamentum, inquit Sueton. 3. non. Aprilis, ante annum & quatuor menses quam decederet, factum est ab Augusto, ac duobus codicibus scriptum, partim ipsius, partim libertorum manu, apud virgines Vestales depositum est. Sic ipse. vbi plura de hæredibus, & legatariis subiungit, quæ apud ipsum leges. Misit quoque Germanicum in Germaniã, vt reliqua belli conficeret. Eo enim profectum esse constat, antequam Tiberius in Illyricum expeditionem susciperet, quæ sub initium sequentis anni cõtigit. Idque Velleius haud obscure significat. Iosephus autem Annium Rufum Iudææ procuratorem suggerit hoc anno, qui fuit Olympiacus 198.

Rufus Iudææ Procurator.

ANNVS MVNDI 4067.

CHRISTI 15. B. VIRGINIS 30.

ANANI 6. TIBERII 1.

AVGVSTI 57. & vlt. Imperij Roman. 62.

OLYMPIA. CXCVIII. A. 2. V. C. 766.

ÆRÆ CHRISTIANÆ 14.

I. Res anni huius. *Dio lib 56.*

SVlpitius Galba, qui primus post Augusti finitum genus imperio potitus est, ipsis Calend. Ianuar. huius anni virilem togã sumpsit, anno ætatis 17. ineũte. Sed Octauiani Cæsaris Augusti mors, & initia Tiberij, hunc annum longe insigniorem faciunt: in vtroque passim omnes consentiunt; quibus etiam coniungitur annus Sabbaticus 211. De ea morte priusquam dicamus, quæ ordine temporis antecedũt præmittenda sunt. Lustrum enim sub anni huius initia cum Tiberio condidit, priusquã illũ mitteret in Illyricum. Testatur id monumentum Ancyranum, vbi hæc leguntur. *Nuperrime lustrum, collega Tiberio* (Imperij scilicet, & Tribunitiæ potestatis, & administrationis exercituũ, & prouinciarum Augusti, vt aiunt Velleius & Suetonius,) *Sex. Pompeio, & Sex. Apuleio Coss. fecit, quæ lustro censa sunt Romanorum capitum quadragies centum millia, triginta & septem millia*, &c. Meminit huius lustri Sueton. *Cum lustrum*, inquit, *in campo Martio magna frequentia conderet, aquila cum sepius circumuolauit*, & mox. *Sub idem tempus ictu fulminis ex inscriptione statua eius prima nominis littera effluxit, responsum est, centum solos dies posthac victurum.* Id si verum fuit, dicẽdum est hoc prodigium 12. Maij contigisse. Pergit Suetonius. *l. 2. c. 97.*

ÆSAR.

II. Præmia mortis Augusti

Peracto lustro Tiberium in Illyricum dimissurus, & Beneuentum vsque prosecuturus, Asturam pertexit, & inde præter consuetudinem de nocte ad occasionem auræ euectus est. Causam valetudinis contraxit ex alui profluuio. Pergit inde exponere quomodo recuperandæ, vt apparet valetudinis causa, animũ ad otium & omnem comitatem remisit, nulloque genere hilaritatis abstinuit, quippe qui & sibi & suis *in Saeculo* precari solebat, quæ & ipsi mox contigit. *Cum Tiberio traiecit. Neapolim, quamquam & tum infirmis intestinis morbo variante, tamen & quinquennale certamen gymnicum honori suo institutum perspectauit, & cum eodem ad destinatum locum contendit. Sed in redeundo aggrauata valetudine tandem Nola succubuit, reuocatumque ex itinere Tiberium, diu secreto sermone detinuit. Neque post vlli maiori negotio animum accommodauit.* Postremo demissis omnibus, dũ aduenientes ab Vrbe de Drusi filia ægra interrogabat, repente in osculis Liuiæ & in hac voce defecit. *Liuia nostri coniugij memor viue, ac vale*, sortitus exitum facilem, & qualem semper optauerat, celerem videlicet, ac sine vllo cruciatu.

Nolæ moritur.

III. An Liuiæ vxoris atte. *l. 1. Ann.*

Verum parum his consentanea scribunt Tacitus & Dio, suspectam scilicet fuisse Liuiam de veneno Cæsari dato, quòd vereretur Augusti cum Agrippa dudum relegato reconciliationem, in quam eum didicerat propẽdere. Verita itaque, vt aiunt, ne eum reduceret Augustus, atque imperium ei traderet, ficus quasdam in arboribus adhuc pendentes, quas Augustus sua manu decerptas comẽdere consueuisset, veneno inunxit, eique medicatas carpendas obtulit, ipsa sanas edisse fertur. Sic Dio; cui suspicioni fauet mors Agrippæ quamprimum secuta. Addit Tacitus Augusti domũ acribus custodijs, atq; ipsas etiam viasà Liuia obsessas; donec prouisis quæ tempus monebat, simul excessisse Augustum, & rerum potiti Neronem fama eadem tulit.

IV. Periodus vitæ & imperij Augusti. *l. 2. c. 100*

Iam quod ad periodum vitæ & imperii eius, tempusque mortis attinet, Suetonium hæc cæteris accuratius notantem sequamur licet. *Obijt*, inquit, *in cubiculo eodem quo pater Octauius duobus Sextio Pompeio & Apuleio Coss. 14. Calend. Septembris, hora diei nona, septuagesimo & sexto ætatis anno, diebus quinque & triginta minus.* Exactè sane Suetonius, sibique consentiens, qui cap. 5. dixerat natum 9. Calend. Octobris Cicerone & Antonio Coss. Quod ad tempus imperij, si illud auspiceremur à quo primum inuasit Consulatum, prius enim priuatus plane erat, totos 56. annos imperauit, factus est enim Cõsul 14. Calend. Sept. qua die & mortuus est, vt ait Dio. Quod si placet à Triumuiratu initium ducere, qui cœpit 5 Cal. Decembris, ex eo numero detrahẽdi sunt cen-

Vltimum Augusti lustrum. *l. 2. c. 121. l. 5 c. 21.*

l. 56. A. V. C. 710.

tum lies. Ab Actiaca porro victoria, quæ anno V.C. 721. secundo Septembris contigit, ex qua rerum potitus est solus, ad diem obitus eius reperiuntur anni 43. vndecim menses, & 18. dies. A debellata denique Alexandria, quæ consequenti anno, mense Augusto contigit, hic erit annus eius 43. integer, eorum quos Ægypti Augustos vocant.

Dio init. l. 51.

V. Eiusdem funus. & apotheosis.

Defuncti corpus Romam honorifice delatum est, primo à decurionibus municipiorum & coloniarum, deinde à Romanis equitibus, postremo à Senatoribus in campũ, vbi & crematus est. Laudatus est pro æde D. Iulij à Tiberio, & pro rostris à Druso Tiberij filio. Reliquias collegerunt primores equestris ordinis, tunicati, & discincti, pedibusque nudis, & in Mausolæo condiderunt. Denique non defuit vir Prætorius, qui se effigiem cremati euntem in cœlum vidisse iuraret. Numerium eum Senatorem Dio vocat, atque à Liuia decies sestertiũm dono accepisse, quæ 50 Francorum millibus æstimantur. Sed de inceps ad initia Tiberij transeamus.

Suet. in Tib. Dio l. 57. extr.

VI. Tiberius Agrippã necat.

l. 1. Annal.

Primum facinus, inquit Tacitus, noui principatus fuit, posthumi Agrippæ cædes, quem ignarum inermemque, quamuis firmatus animo centurio, ægrè confecit. Nihil ea de re Tiberius apud Senatum disseruit, patris iussa simulabat: propius tamen vero est Tiberium ac Liuiam, illum metu, hanc nouercalibus odijs, suspecti & inuisi iuuenis cædẽ festinauisse. Romæ porro vniuersi ordines, præeunte vtroque Sexto Coss. Tiberio principatum detulere, quẽ cum ille iam haberet in manibus, & armato milite possideret, diu tamen, vt ait Suetonius, imprudentissimo animo recusauit, nunc adhortantes amicos increpans, vt ignorantes quanta bellua esset Imperium; nunc precantem Senatum, & sibi ad genua procumbentem ambiguis responsis, & callida cunctatione suspendens; vt quidam patientiam tumperent, atq; vnus in tumultu proclamaret, *aut agat, aut desistat*: alter coram exprobraret, cæteros quòd policiti sunt, tarde præstare, sed ipsum, quod reipsa præstet, verbo tarde pollicere.

Imperiũ quasi coactus accipit.

l. 3. c. 24.

VII. Turbæ in Germania, & Illyrio.

Suet. l. 3. c. 5.

Tandem querulus, & quasi coactus recepit imperium, quasi illud breui depositurum, annum agens 55. vt qui natus fuerat a. V. C. 711. 16. Calen. Decembris post bellum Philippense. Interea turbę à militibus in Germania, ipso præsente Germanico sunt excitatæ; legiones quoque, quæ erant in Illyrio, tumultuabantur, vt dux tantum ad defectionem deesse videretur: sed vtrobique res sedatæ sunt tam Tiberij literis, eiusque filij Drusi præsentia, quam Iunij Blæsi & Dolabellæ sapientia, vt autor est Tacitus, qui addit Iuliam Augusti filiam, Tiberij dudum vxorem, & ab Augusto ante annos 15. relegatam ob impuratam vitæ licentiam, hoc anno extinctam esse. *Imperium adeptus*, inquit, *exterrem, infamem, & post interfectum posthumum Agrippam, omnis spei egenam, inopia, ac tabe longa peremit, obscuram forenicem exitii longinquitate ratus.* Tiberij in eam acerbitatem apud Suetonium leges. Accelerandum enim est.

Velleius l. 2. c. 125. Dio l. 57. & Suet. l. 3. c. 25.

Iuliæ relegatæ mors.

V. C. 771.

l. 3. c. 10.

* *
*

ANNVS MVNDI 4068.

CHRISTI 16. B. VIRGINIS 31.

ISMAELIS 15. Pont. GRATI Præs. 1.

TIBERII 2. Imperij Roman. 63.

OLYMP CXCVIII. A. 3. V. C. 767.

ÆRÆ CHRISTIANÆ 15.

I. Augusti legata Tiberius, vt persoluerit.

Sub init. l. 57.

Quæ à Tiberio ipsis Calen. Ianuar. hoc anno gesta sint, dum populariter Remp. gerere conatur, quod Germanicus adhuc viueret, quẽ æmulum imperij metuebat, apud Dionem leges. Illud tamen non omittam. Cum funus quoddam per forũ efferretur, accessit qui mortuo quiddam in aurem insusurraret: Rogatusq; quidnam ei dixisset, respondit, indicare eum Augusto iussisse, nihildum à quoquam acceptum eius nomine. Quod cum accepisset Tiberius. *At tu*, inquit, *eum iuuenem perferes*, simulque hominem interfici, cæteris legata persolui iussit, viritim 75. denarios, id est 15. libras Tuton. iuxta Cenalis æstimationem. Verum de legatis Augusti consule Suetonium.

iuxta Cenal. l. 2. c. 101.

II. Tiberius Romæ Pont. *l. 18. c. 3.*

Onufrius in fastis ex antiquo monimento tradit Tiberium factum hoc anno Pontificem Maximum, 6. Idus Mart. Nouus quoque Hierosolymis factus est Pontifex. In hunc enim Christi domini annum decimum sextum quadrant illa Iosephi. Et, puta Augusto, Tiberius Nero priuignus successit Liuiæ filius, Romanorum tertius Imperator, à quo quintus Iudæorũ præses missus est in Annij Rufi locum Valerius Gratus. Hic adempto Anano sacerdotio, Ismaẽlem Fabi filium insit esse Pontificem. Porro hic Valerius vndecim annis eam præfecturam gessit, vt ait Iosephus. Nam id quoque mortuum Tiberij fuit, Tacito teste, continuare imperia, ac plerosque ad finem vitæ in ijsdem exercitibus, aut iurisdictionibus habere.

Ibid. Ismaël Hierosolymis. *l. 1. Ant. fi.*

III. Res à Germanico in Germania gestæ V. C. 771.

Sexto post Varianam cladem anno, Druso & Norbano Coss. Germanicus diuisis cũ Cæcinna copijs, initio veris in Chattos Germaniæ populos ducit exercitum, eosque improuiso aduentu opprimit: fuerat animus Cheruscis iuuare Chattos, sed exterruit eos Cæcinna, hucillucq; arma circumferens, & Marsos congredi ausos prospero prælio cohibuit. Germanicus Segestem amicum populi Romani ab Arminio obsessum liberauit, & spolia pleraque Varianæ cladis recuperauit. Quin & saltum adijt, in quo illa fuerat accepta, Cæcinna præmisso, qui occulta saltuum scrutaretur, ibique suis sexto demum anno humi condendis, Romani parentarunt, primum extruendo tumulo cespitem Cæsare ponente, Tiberio, ait Tacitus, pium eius officium haud satis probante, siue quod cuncta Germanici in deterius traheret, siue quod suam tacite arguì putaret negligentiam.

* *
*

ANNVS MVNDI 4069.

CHRISTI 17. B. VIRGINIS 32.

ELEAZARI Pont. 1. GRAT. 2.

TIBERII 3. Imperij Romani. 64.

OLYM. CXCVIII. A. 4. VR. C. 768.

ÆRÆ CHRISTIANÆ 16.

I. Tiberij in Germanicum æmulatio. *l. 2 Annal*

TErtium hunc annum expeditionis Germanici in Germaniam numerat Tacitus, cum rebus in Oriente turbatis, eò Tiberius illum destinabat. Verebatur enim ne legionum in se fretus benevolentia, res novas moliretur, studebatque ab eis abstractum, novisq; provinciis impositum, dolo simul & casibus obiectare. At is tanto accelerandæ victoriæ intentior, classem mille navium fabricat, & ad Batavos convenire iubet, moxque velitationibus aliquot exploratis suorum animis, iusto prælio cum Arminio confligit. Ab hora diei quinta ad noctem cæsi hostes, decem millia passuum cadaveribus atq; armis oppleuere, repertis inter eorum spolia catenis, quas Romanis vinciendis, vt non dubia victoria portauerant. Arminius eiusq; patruus, faciem cruore obliti ne noscerentur, impetu in obsistentes facto, euaserunt. Mox tamen ob trophæum à Romanis erectum, pugna victoriaque redintegrata est, hostibus ad internecionem concisis. Nec virtutem magis in pugna Germanicus, quam modestiam in trophæo præse tulit, tota laude victoriæ ad vnum Imperatorem relata.

Rex in Arminiū gesta. *Vide 2. Mach. ab.*

II. Clades nauales Germanici.

Æstate iam adulta legionum alias itinere terrestri in hyberna remisit: plures Cæsar impositas classi per flumen Amisiam Oceano inuexit, vbi tempestate afflictæ, ac pene consumptæ sunt. Eius cladis fama Germanos erexit, vt inhoatam à Neptuno perniciem ipsi perficerent; sed brevi collectis à Cæsare copiis ita pugnatum est, vtro vt Germani fatererentur, inuictos, nullisque casibus superabiles esse Romanos. Itaque clades maritima, terrestri victoria compensata est. Iamque hostis sæpius fractus concilia pacis agitabat; & si proxima æstas esset adiecta, apparebat posse in Germania debellari; sed crebris epistolis à Tiberio revocatus Germanicus ad decretum triumphum, & consulatum, contra invidiam gemens Romam reuertit. Vbi Scribonius Libo Magorum impulsu res novas moliebatur. Sed delatus ad Tiberiū ab iis ipsis, qui eum in fraudem impulerant, supplicium propria manu anteuertit. Itaq; Mathematici S.C. Italia pulsi, duo præsenti supplicio affecti sunt. Nec tamen ipse minus cum Thrasyllo erat Mathematico, à quo spe longioris vitæ, à morte pleriſque inferenda deductus est.

Mathematici, siue Magi Italia pulsi. *Suet l. 3. c. 14. Dio l 58. fi & 55. n. 6. & 7.*

De luxu cohibendo decretum Senatus, déque Pseudoagrippa supplicio affecto, vide Annal.

ANNVS MVNDI 4070.

CHRISTI 18. BEATÆ VIRGINIS 33.

SIMONIS Pont. 1. Grat. 3.

TIBERII 4. & Imperij Roman. 65.

OLYMP. CXCIX. A. 1. V.C. 769.

ÆRÆ CHRISTIANÆ 17.

I. Germanicus magnificè de Germanis triumphat. *l. 2. Ann.*

NOuum hoc anno Syriæ Præsidem Pisonem Tacitus suggerit, qui idoneus visus est ad consilia Tiberij de perdendo Germanico; non Metellus, qui et erat affinitate coniunctus. Nō tamen nisi anno sequenti facta est illa mutatio. Porro Germanicus 7. Calend. Iunias hoc anno de Germanis, quasi iam debellatum esset, triūphauit, quarto Tiberij anno, vt notauit Orosius. Quæ fuerit Triumphi magnificentia intelligi potest, tum ex quinque liberis eius, qui ad triumphalem eius currum additi sunt, tum ex publica omnium in ipsum benevolentia, & gradu quem in Repub. tenebat, vt Agrippæ Germanici filius, Augusti ex filia Nepos, Tiberij priuignus, & adoptione filius, & insuper bello fortis ac fortunatus. Tiberius eius nomine trecenos plebi sestertios viritim dedit, seque collegam eius consulatui destinauit.

l 7. c. 4.

II. Tiberius eius æmulus eū destinat in Orientem.

Viuebat nihilominus in eius spectore Germanici timor, & æmulatio quædam ideóque sub honoris speciem illum in Orientem amandare aggressus est, & occasionem oblatam auide arripuit. Archelaus quinquagesimum iam annū Cappadociæ rex erat, Tiberio inuisus, quod eum Rhodi hærentem nullo officio coluisset. Illum ergo matris suæ interuentu accersitum, in Senatu accusat, breviquead mortem adigit. Itaque id regnum in formam provinciæ redigendum erat. Per idem tempus Antiocho Comagenorum, Philopatore Cilicum regibus defunctis, turbabantur eæ nationes, pleriſque Romanum, aliis regium imperium cupientibus; & provincia Syria atque Iudæa fessæ oneribus, imminutionem tributorum orabant. Parthorum quoque res turbatæ erant, Venone eorum rege ab Artabano Medo in Armeniam fugato, & in Romanorum fidem sese permittente. De quibus cum Tiberius apud Patres disseruisset, Patrum decreto permissæ sunt Germanico provinciæ, interiecto mari diuisæ, maiusque imperium quocunque adisset, quam iis qui sorte, aut missu principis eas obtinerent: vt pridem bello piratico in gratiam Magni Pompeij factum fuerat, Drusi quoque expeditio in Illyricum designatur, sicut & Pisoni Syriæ præfectura, ad spes Germanici coërcendas.

Mors Archelai Cappadocis.

Alia in Oriente negotia;

Cōmissa Germanico.

III. Noui in Germania motus. *Tacit.*

Germani autem discessu Romanorum, vacui externo motu, inter se ad arma conuersi, alij pro Arminio, cæteri pro Maroboduo pugnarunt, qui mox deuictus Romanorum auxilia frustra petijt. Cum interea terræmotus ita concussit Asiam, vt duodecim celebres vrbes pene abirent in præceps: cuicladi Tiberius non solum remissione tributi in quinquennū, sed alia etiam liberalitate subuenit, sed pluta

hac de re Annales suggerent studiosis. Hoc ipso anno Furius Camillus Proconsul, in Africa bene rem gessit contra Mazippam & Tacfarinatem, & à Tiberio in Senatu laudatus triumphalia obtinuit ornamenta. Hoc anno T. Liuium, & Ouidium Nasonem viuere desijsse legimus apud Eusebium. Lilius Giraldus, ex Minutiani Apulei fragmento, recitat Ouidiũ anno exilij sui septimo, calendis Ianuarij, fuisse mortuum, quo die T. quoque Liuius decesserit: structumque poëtæ à Barbaris monimentum, quorum scilicet gratiam promeritus erat, cum Getico scripsit sermone libellum, in laudem & apotheosim Augusti defuncti, vt ipsemet scribit ad Carum. Mortuus est circiter 57. ætatis anno: non tam de poësi bene meritus, quam male de moribus.

Mors T. Liuij, & Ouidij.

ANNVS MVNDI 4071.

CHRISTI 19. B. VIRGINIS 34.

IOSEPHI CAYPHÆ Pont. 1.

TIBERII 5. Imperij Romani. 66.

OLYMP CXCIX. A. 2. V. CON. 770.

ÆRÆ CHRISTIANÆ 18.

I. Pontificatus Cayphæ. *Ioseph. l. 18. c. 3.*

NOuum singulis annis cum Iosepho Pontificem Iudæorum damus, prout illi nunc arbitratu Valerij Grati mutabantur, qui vt idẽ fecit, adempto Anano Sacerdotio, Ismaëlem Fabi filium iussit esse pontificem; quo paulo post deiecto, in Eleazarum Anani Pontificis filium eum hónorem trãstulit. Elapso deinde anno, & hunc redigit in ordinem, & Simoni Canithi filio Pontificatum tribuit. Hic quoq; anno in hac dignitate exacto, iussus est eam cedere Iosepho, qui cognominabatur Cayphas. His ita gestis Gratus Romam repetit, annis vndecim in Iudæa exactis. Sic Iosephus, quo duce Caipham Pontificem retinebimus, dum ille alterum suggerat.

II. Germanici profectio in Orientẽ. *Tacit. l. 2. Annal.*

Habuit hic annus Tiberium tertiùm, & Germanicum secundùm consules. Sed cum honorem Germanicus inijt apud vrbem Achaiæ Neapolim, quo venerat per Illyricam oram, viso fratre Druso in Dalmatia, vnde constat vtrumque sub finem anni præcedentis ex Vrbe profectum, & quidem Drusum priorem. Quæ causa fuerit, vt Adriatici, & mox Ionij maris aduersam nauigationem perpessus sit. Igitur paucos dies reficiendæ classi, & visendis locis Actiaca victoria inclytis insumpsit. Tum Athenas venit, vbi eum Græci exquisitissimis honoribus accepere. Petita inde Eubœa transmisit Lesbum, vbi Agrippina eius vxor nouissimo partu Iuliam edidit. Tum extrema Asiæ, Perinthumque ac Bisantium Thracias vrbes, mox Propontidis angustias, & os Ponticum intrat; cupidine veteres locos, & fama celebratos noscendi, pariterque prouincias internis certaminibus, aut magistratuum iniurijs fessas refouebat. Hæc fere Tacitus.

Suet. l. 4. c. 1.

III. Et Pisonis in Syriã.

At Piso Germanicum celeriter subsecutus, cum Rhodi assecutus est, & ab eo nautragij periculo ereptus, nihilo minor in eum factus, præcurrit in Syriam, vbi statim largitione, ambitu, licentia legiones sibi conciliare studuit. Eius autem vxor Plancina contumelias in Agrippinam, ipsumque Germanicum iactabat; idq; hoc facilius, quod id haud inuito Imperatore fieri occulto sermone ferebatur. Quæ licet Germanico innotescerent, non prius tamen Syriam adiit, quam res Armeniæ composuisset, Zenone filio regis Ponti constituto, Cappadoces & Comagenos in prouinciæ formam redegisset. Eius interea iram auxit Pisonis superbia, qui iussus partem legionum aut ducere, aut mittere in Armeniam, vtrumque neglexerat. Ergo cũ Cyrrhi vrbe Syriæ conuenissent, ita coram paucis familiaribus disceptatum est, vt apertis odiis discederent.

Eius eum Germanico simultas.

IV. Herodes Tiberiadem construit.

Ioseph. l. cit.

Interim à Rege Parthorum Artabano venere legati renouandæ amicitiæ gratia, in quam libenter consensit Germanicus, in odium Pisonis, vt pluribus narratur à Tacito, & Iosepho l. 18. 3. Antipas autem, qui & Herodes Tetrarcha, receptus in amicitiam Tiberij, de ipsius nomine vrbem à se conditam vocauit Tiberiada, electo ad hoc loco in ora lacus Genesareth, quò plerique incolæ ob agri bonitatem facile confluxerunt, eos præsertim Herode immunitatibus alliciente.

ANNVS MVNDI 4072.

CHRISTI 20. B. VIRGINIS 35.

IOSEPHI CAYPHÆ Pont. 2.

TIBERII 6. Imperij Roman. 67.

OLYM CIC. A. 3. VRB. CO. 771.

ÆRÆ CHRISTIANÆ 19.

I. Germanicus adit Ægyptum.

LVctuosum hunc annum facit indigna mors clarissimi atque optimi principis Germanici, qui cum Ægyptum cognoscendæ antiquitatis causa petisset, ibi aliquandiu moratus saxea Memnonis effigiem ad solis radios vocalem, pyramidum miracula, aliáque id genus perlustrat; dum interea res in Germania turbantur. In Syria vero & in Asia cuncta quæ Germanicus, siue in legionibus, siue in vrbibus constituerat, reuertens ex Ægypto antiquata repetit: vnde in Pisonem vehementer exarsit, verborum etiam vsus contumelijs. Piso vero abire Syria statuit, querelas vtique Romam ad Tiberium delaturus. Mox aduersa Germanici valetudine detentus, vt si is moreretur in prouincia subsisteret, vbi morbo recreatum accepit, Seleuciã digreditur, opperiens ægritudinem, quæ illum rursus inuaserat, & quidem tanta, vt veneni persuasionem à Pisone afferret. Ergo in multa ira & gemitu, eius amicitiæ per literas renunciat, & prouincia decedere iubet.

Pisonem Syria abire iubet.

Dati veneni suspectum.

II. Germanicus mortur.

Nec Piso vltra moratus naues soluit, cursuique moderabatur, quo citius regrederetur, si Germanici mors ei Syriam aperuisset. At ille morbo fractus, finem imminentem sentiens, Pisonem & Planci-

l.4.init.

nam eius vxorem incusans, & vltionem ab amicis postulans, ab vxore in sauiente fortuna moderationem ac modestiam, moritur: haud multum triginta annos egressus Sic Tacitus. At Suetonius distinctè, *annũ ætatis agens quartum & trigesimum.* Recte: natus quippe fuerat an. Vrb. C. 738. pergit, *diutino morbo Antiochiæ obijt, non sine suspitione veneni.* Et mox *Obiit autem, vt opinio fuit, fraude Tiberij, ministerio & opera C. Pisonis, qui sub idem tempus Syriæ præpositus, filium sibi potius quam patrem offendendum censuit.* Sic ipse, cui cæteri scriptores, præter Velleium, consentiunt. At Tiberius, qui Germanicum quem adoptauerat, veneno alienâ manu sustulit, mox vltore Deo, Drusum quem genuerat, non dissimili scelere Seiani, amissum luxit, & eiusdem Germanici filium hæredem imperij habere coactus est. Piso autem audita morte Germani Syriam iterum occupare conatus est; sed à Saturnino, quiei successerat, repulsus Romam petere coactus est.

III. Sacra Ægyptia quare Vrbe pulsa. c.4 & 5.

Actum est etiam hoc anno Romæ, teste Cornelio Tacito de sacris Ægyptiis, Iudaicisque Vrbe pellendis: causam fusius explicat Iosephus lib.17. Docet enim in sacris Isidis summam turpitudinem fuisse deprehensam, Paulina illustri fœmina, coniuge prædicti Saturnini, à Decio quodam Mundo, simulatione Dei Anubis, in templo nocturna compressione polluta. Re cognita Tiberius sacrificos impostores, quorum fraude mulieri illusum fuerat, in crucem egit, dirutoque templo, statuam Isidis in Tiberim demergi iussit, Mundum autem mitiore pœna exilij castigasse contentus fuit. De Iudæis vrbe pulsis scribit idem, culpam regerens in 4. Iudæos, qui Fuluiam Saturnini coniugem, quam paulo ante Paulinam vocauerat, adductam ad amplectendam Iudaicam legem fraudauerant, purpura & auro eius, non in templum Hierosolymitanum misso, sed in proprios vsus conuerso.

Decius Mundus.

IV. Iudæi quoque cum suis ritibus, & qua ex causa. *l.3.c 36.*

At profecto fallor, nisi aurum hoc & purpura excogitata sunt à Iosepho, & non tota culpa fuit, quod ritus Iudaicos nobilis mulier amplexa fuerat. Suetonius certe ac Tacitus solius peregrinæ religionis meminerunt, quam Imperator & Senatus, occasione nobilis mulieris proselytæ damnarunt, & ne malum serperet latius, erecerunt. Iosephus autem illam excogitauit causam, ne hoc extaret præiudicium damnatæ à Principe & Senatu Iudaicæ religionis, ipsius per se religionis causa. *Factum est autem* S.C. vt ait Tacitus, *vt quatuor millia libertini generis, quos Iosephus fatetur fuisse Iudæos, ea superstitione infecta, quibus idonea erat ætas in Sardiniã, coercendis illic latrociniis vehrentur, vilis damno, si illic ob cœli grauitatem interirent: cæteri Italia cederent, nisi ante certam diem profanos ritus exuissent.*

l 3. Ann fi

V. 4073. Funus Germanici. *Tacit l.3 Anna.*

Sequenti anno ipso mense Ianuario, cum vix Valerius Messala, & Aurelius Cotta magistratum iniissent, Agrippina nihil intermissa hyberni maris nauigatione, Romam cum mariti reliquiis venit, tota in luctum versa ciuitate, iustitioque vltro suscepto: & Tiberio luctum domesticis patientibus, cum sua Germanicique morte, obtegente. Ossa in Augusti Mausolæum illata sunt, magno omnium in defunctum honore, magnis in Agrippinam viduam studiis, & in Tiberium querelis. Cumque omnium animi intenti essent ad vltionem è Pisone petendam, ille præmisso in Vrbem filio, datisque mandatis per quæ Principem molliret; Drusum in Illyricum adit, quem sperabat, Imperij sublato æmulo, sibi æquiorem fore. Cum neutrius verbis impulsus esset in metum, naui in Vrbem venit, & reditum festo ornatu epulisque celebrat: sed postridie in iudicium rapitur. Tiberius causam ad Senatum reijcit, sua oratione mitigatum; præsertim quod venenum ab accusatoribus non satis probari posset.

Cautela Pisonis.

Interim populus foris in Pisonem furebat, ad discerpendum paratus, si Patrum sententiis euasisset: in cuius rei argumentum eius effigies traxerant in Gemonias, & diuellebant. Nec minus erat in Plancinam odium sed eam Tiberij fauor, male conciliatus, vt credebatur, protegebat. Ea cum causam suam à mariti causa diiunxisset, sensit Piso actum esse de se. Ergo domum relatus certus mori, scripsit ad Cæsarem, suos ei filios Cn. & M. Pisones infimis precibus commendans; tum immisso in iugulum gladio, sibi vitam extorquet. Tiberius M. Pisoni, qui paternæ culpæ videbatur esse particeps, veniam dedit. Dedit & Plancinæ illius matri, preces obtendens matris suæ. Sicque paulatim tota illa accusatio causaque consenuit. Gloriam autem dẽsiderium q; defuncti auxit atrocitas insequentium temporum: cunctis nec temere opinantibus, reuerentia eius & metu repressam Tiberij sæuitiam, quæ mox erupit.

VI. Populus in eum furit.

Sibi manus infert.

Suet l 4 c.6. Dnl 57.1.

ANNVS MVNDI 4074.

IESU CHRISTI 22. B. VIRGINIS 37.

TIBERII 8. Imperij Roman. 69.

IOSEPHI CAIPHÆ Pont. 4.

OLYMP. CC. 1. VRB. COND. 773.

ÆRÆ CHRISTIANÆ 11.

OLympias ducentissima inchoatur hoc anno, in cuius etiam initiũ cadit annus Sabbaticus 213. Cum autem Tiberius in quarto suo consulatu Drusum filium secundùm consulem haberet, statim, inquit Dio, Druso perniciem ominati sunt, quod nullus hactenus eius collega, nisi violenta morte obierat: exemplo Quintilij Vari, Cn. Pisonis, ipsiusque Germanici: ita Drusus quoque, & Seianus postea eius collegæ perierunt. Principio anni Tiberius, quasi firmandæ valetudini in Campaniã concessit, longam & continentem absentiam paulatim meditans, vt per eius absentiam Drusus munia consularus solus impleret, & summæ potestati exercendæ ferendæque assuesceret.

I. Collegæ Tiberij infelices. *l.57.*

Motus in Africa renouauit Tacfarinas, diuersique in Thracia populi, & in Gallia Treueri, & Ædui, Floro & Sacrouiro ducibus, qui ob magnitudinem æris alieni, ad quod tributorum magnitudine adigebantur, rebellionem cœpere. Ij tumultus Vrbem de more, in magnum cõiecere metum, forriter dissimulante Tiberio. Sed vtrisque bello victis, vterque dux manus intu-

II. Varij bellorum motus.

lit sibi, vt fusius narrat Tacitus. Tum demum Tiberius Senatui scripsit, ortum patratumque bellum, consilijs suis, fide ac virtute legatorum. Hoc tempore, vt idem ait, Sulpicius ille Quirinius, quo in Syria Præside natus est Christus dominus, extinctus est, sed in sordida, & præpotente senecta, post repudiatam multos ante annos Æmyliam Lepidam, adulterij causa.

Obitus Quirinii.

III. Occasio decreti de differendo mortis supplicio.

In fine anni C. Luterius Priscus, Romanus eques, celebre carmen in funere Germanici scripserat, cuius causa donatus à Tiberio pecunia fuerat. Quo præmio excitatus, Druso ægrotante aliud scripsit, quod in eius funere vsui foret, quod maiore etiam præmio dignum ducebat. Id cum per iactantiam lectitasset, quasi ominosus vates, & reus mortis principis concupitę, vltimo supplicio celeriter affectus est. Quę fuit causa Tiberio, vt decretum fieret à Senatu, ac deinceps mortis sententia ante decimum diem executioni mandaretur, si qua forte interea causa gratiæ nasceretur, quam apparet Tiberiũ huic poëtæ conferre voluisse, nisi eum properata mors hominis occupasset: idque tempus tempore Theodosij ad 30. diem, S. Ambrosio agente protractum est.

In l. si vindicari, C. de pœnis.

VI.

4075. Noui magistratus. *l. 7. c. 3. l. 3. c. 42.*

Sequente anno Sulpicium Galbam, patrem Galbæ imperatoris factum consulem memorat Tranquillus, eoq; cum Haterio Agrippa Consule, factus est Syriæ Præses L. Pomponius Flaccus. Perstrictim Suetonius, qui ait ipsa publicorum morum correctione, Tiberium cum Pomponio Flacco, & L. Pisone noctem, continuumque biduum epulando potandoque consumpsisse, quorum alteri Syriam prouinciam, alteri Præfecturam Vrbis confestim detulit. Eã correctionem declarat Tacitus, cum ait hoc anno de compescendo infinito luxu vehementer in Curia decertatum fuisse, remque integram ad principem fuisse translatam: qui literis ad Senatum datis, fassus est imparem se perficiendo negotio. Nimirum quia ipsemet luxui deditus in primis, correctione vel maxime indigebat: quod Suetonius pluribus docet exemplis.

Tiberii intemperantia.

loc. cit.

Mox autem literas ad Senatum misit, quibus Tribunitiam potestatem Druso filio, quem modeste ac moderatè laudabat, à Patribus postulabat; qua dignitate Augusti exemplo, illum sibi successorem Imperij designabat: nec mortuo Germanico supererat alius, qui in hoc fastigiũ eueheretur. Res ab ijs facile impetrata est, qui dissentire poterant, impedire non poterant. Agebat is nunc 36. annum, & erat trium liberorũ pater, & vir triumphalis, & fuerat semel iterũque Consul, & quod caput erat, filius erat Imperatoris. Refert Tacitus in præsentem annum casu incensum Theatrum Pompeij, quem Cæsar se restituturum pollicitus est, eo quod nemo ex ea familia instaurando sufficeret, manẽte tamen nomine Pompeij. Cumque simul Seianum laudibus extulisset, quod eius labore ac vigilantia factum esset, statuam æneam, iuxta id theatrum, Patres decreuere. Quod exemplum pleriq; secuti sunt, immensæ illius gratiæ apud Tiberium, potentiæque velificantes. In quem cum aliqui dicaces extitissent, specie alicuius alterius culpæ, eius opera damnati, periere.

V. Druso filio tribuit Tribunitiã potestatem

Theatrũ Põpeii.

Seiani fauor & potentia.

ANNVS MVNDI 4076.

CHRISTI 24. B. VIRGINIS 39.

IOSEPHI CAYPHÆ Pont. 6.

TIBERII 10. Imperij Roman. 71.

OLYMP. CC. A. 3. V. C. 775.

ÆRÆ CHRISTIANÆ 23.

REddidit Deus hoc anno promptam Tiberio mercedem perfidiæ in Germanicũ suæ, Druso Seiani fraudibus interempto, vt mox dicetur. Nec nobis repugnat Tacitus, quamuis his Coss. nonum numeret annum Tiberij. Nonum enim agebat imperij cum Coss. isti creati sunt, decimum autẽ mense Augusti inchoauit, eiusq; nos rationem habemus, sicut & ipse habuit, qui tum ludos decennales celebrari voluit, & Imperium, exemplo Augusti, in quinquennium sibi, aut decennium confirmari. Ambiebat hoc tempore Syriæ præfecturam Ælius Lamia, & videtur à Tiberio eius promissionem abstulisse; sed nunquam ea potitus est, vt qui mortuus fuerit ante Flaccum, qui ad mortem vsq; Syriæ Præses fuit. Sed iam Drusi & Seiani rem agamus.

I. Ratio tẽporis. *Vide Ann. n. 1.*

Tacit l. 1. & 6. Ann.

Ælius Seianus, Seio Strabone equite Romano genitus, in Æliorũ familiã adoptione transiit, & factus est Seianus. Hic cum in intimam Tiberij amicitiã irrepsisset, in maximam ab eo potentiã est euectus, & crescente ambitione dominatum captare cœpit. Et cũ esset Præfectus Prætorio, vt milites haberet ad manũ, si qua vis esset adhibenda, multũ castra in Vrbe, consensu Tiberi collocauit, quos ijsdem sibi artibus conciliauit, qui agitare solent, quity rannidem affectant. In Senatu quos habebat clientes, eos honoribus & prouincijs à Tiberio ornari curabat. Et quoniam vim periculosam cernebat, per fraudem tollere statuit, qui cœptis obsistebant. Primus occurrit Drusus iam consors imperij, in quem etiam recenti ira ferebatur.

II. Seianus ambit dominationem.

Et Drusi ruinam.

Nam Drusus impatiens æmuli, & animo cõmotior, orto forte iurgio intẽderat Seiano manus, & contra tendentis os verberauerat. Seianus vindictæ auidus, Liuillam eius vxorem, adulterio ante polluram, regni, aut coniugij potius promissione allectam, in mariti armauit necem. Et vt spem Liuillæ faceret nuptiarum, propriam vxorem Apiacam, ex qua tres susceperat liberos, domo pellit, & venenum tollẽdo Druso eligit, quo paulatim irrepente, fortuitus morbus adsimularetur. Id Druso datum per Lygdũ spadonem, vt octo post annos cognitum est, quando scilicet extinctus est, Apicata eius scelera prodente. Per omnes autem eius valetudinis dies, Tiberius laudem fortitudinis in iustissimo dolore captabat: eodemq; defuncto, necdum sepulto, curiam ingressus, Senatum in luctũ effusum consolatus est, & Germanici liberos Neronem & Drusum, adolescentes in curiam euocatos patribus enixe commendauit. Funus Drusi maxima pompa celebratum est, Tiberio ipso filium pro rostris laudante, Senatu populoque in eius gratiam foris lugente.

III. Rixa Drusi & Seiani *Vide hic Annal.*

Drusus opera vxoris à Seiano veneno tollitur.

IV. ublicus n Germa icum fa or. Dio l. 57.

In quem eianus Tiberiũ ncitat.

V. C 776. Tacit. l. 4.

4077. Debella tum in A frica.

I. Cædes in iustæ o peraSeia ni patrat. Tacit. l. 4. Ann. Dio l. 57 & Suet. l. 3 4. 41.

Liuillam coniugẽ ambit Se ianus.

Animo enim lætabantur reuiuiscere Germanici domum, qui Drusum, vt hominem impurissimum & extremæ ſæuitiæ oderant, vt gladij acutissimi ab eo Drusiani vocarentur. Cæterum hoc publici fauoris initium, in eoque spem suam Agrippina Germanici vidua male tegens, perniciem ipsi accelerauit. Interea alter ex Drusi geminis extinguitur, & histriones, Cæsare ipso ad Senatum referente, Italia pulsi sunt, vt scribit Tacitus, Dio vero Roma tantum pulsos ait, interdictumque ne histrionica deinceps arte vterentur. Seianus autem Tiberium in Germanici familiam, quasi æmulam imperij exasperabat, affirmans ciuitatem, vt in ciuili bello, in duas partes esse distractam, alteramque Agrippinæ fauere, alteram ab ipso stare. Itaque Tiberius in eam familiam alioqui parum æquus, simulque in eam Seiani felle aspersus, primum Pontifices & Sacerdotes, qui Germanici filios dijs commendabant, quando pro Principe vota faciebant, ad se vocatos arguit, quod adolescentes senectæ suæ exequarent. Deinde Senatum oratione monuit, ne mobiles adolescentium animos, præmaturis honoribus ad superbiam extolleret. Denique Seiani monitu aliquos, qui eminebant in fautoribus Germanici calumnijs, quasi reos maiestatis oppressit, in ijs C. Silium virum clarissimum, & Calpurnium Pisonem, quem ad manus sibi inferendas adegit. Hæc tam his, quam sequentibus facta consulibus, quibus in Africa à Dolabella occiso Tacfarinate debellatum est: & seruile bellum in Italia exortum, propere à Curtio Lupo Quæstore oppressum est.

ANNVS MVNDI 4078.

CHRISTI 26. B. VIRGINIS 41.

IOSEPHI CAYPHÆ Pont. 8.

TIBERII 12. Imperij Roman. 73.

OLYMP. CCI. A. 3. V. C. 777.

ÆRÆ CHRISTIANÆ 25.

OCto iam secula sub Olympiadibus transacta sunt, huius initio, atque his Coss. Cremutius Cordus nouo crimine postulatur, quod editis Annalibus, laudatoque M. Bruto, C. Cassium Romanorum vltimum appellasset. Accusabant Seiani clientes, & Cæsar truci vultu defensionem accipiebat. At verum crimen erat, quod Seianum liberius perstrinxisset. Addit Tacitus, egressum è Senatu vitam abstinentia finiuisse. Et quamuis Patres censuissent libros per ædiles cremandos, manserunt tamen occultati, moxque editi à filia eius Marcia, ad quam extat Senecæ consolatio. Hoc anno Tiberius Hispanos postulantes, vt sibi liceret templum extruere Tiberio, eiusque matri, non minus sapienter fortiterque repulit, quam stulte, atque ambitiose Asianis ante concesserat. Seianus autem, muliebri cupiditate incitante, & promissum matrimonium flagitante Liuilla, præmium sublati veneno mariti, id à Cæsare per codicillos petit: quod à Tiberio obliquè negatum est, & vitandæ inuidiæ causa, dissimulatum ad tempus. Interim eum Seianus ab Vrbe abducere parat, relaxationis ac tuitionis causa, vt ipse commodius eo absente, gradum ad dominationem faceret; quam ille viam, scelera sceleribus accumulando, sibi sternebat.

Tiberius abire ab vrbe meditatur.

II

4079 Pilatus Iudææ Procurator. l. 18 c. 3.

Sequenti anno, Gætulino & Sabino Coss. durante adhuc anno Tiberij duodecimo, *Gratus Romam repetiit*, vt ait Iosephus, *exactum Iudææ anno vndecimo, cui deinde Pontius Pilatus successor missus est*, qui cum signa quædam cum effigie Cæsaris in vrbem intulisset, grauiter à Iudæis tumultuatum est, vt accurate in Annalibus explicatur. Iisdem Coss. series futuri Agrippinæ exitij cœpta est, Claudia Pulchra sobrina eius adulterij accusata, atque damnata; nequicquam Tiberium sollicitante Agrippina. Quæ mox, corporis animique morbo affecta, visitur à Tiberio. Illa profusis diu per silentium lacrymis, rogauit Tiberium, vt sibi succurreret solitudini, & maritum daret. At Tiberius intelligens quantum interesset Reipubl. iratæ Augusti nepti coniugem dare, qui res nouas moliretur, mulierem quamuis instantem, sine responso reliquit. Sed mœrentem atq; improuidam Seianus altius perculit, suspectum ei reddens Tiberium, de præparato ipsi veneno.

Tiberius negat maritum Agrippinæ.

III

In perniciem quoque filiorum Germanici & Agrippinæ intentus, maiorem natu Neronem circumuenit. Nam illum iuueniliter de futura imperij successione exultantem, magis magisque per clientes suos instigat ad improuidas voces, quas illi ad Seianum & Tiberium deferunt, ex quo Tiberij odium in illum non occultum. Dumque huius ruinam texit Seianus, simul etiam fratris eius Drusi perniciem orditur, dum eum æmulatione in spes fratris exacuit, spe obiecta principis loci, si priorem ætate, & iam labefactum demouisset. Sic ille Drusum pernicioſe fouebat, quem sciebat præferocem, & insidijs magis opportunum.

Seianus intectus in perniciẽ filiorum eius.

IV.

Aliquanto post Tiberius diu meditatam ex Vrbe profectionem in Campaniam suscipit, specie dedicandi templum, apud Capuam Ioui, apud Nolam Augusto, re autem ipsa, vt procul ab vrbe degeret, siue ex Seiani consilio, siue quod vellet ſæuitiam & libidinem, quæ factis promebat, locis occultare, siue quod matrem dominationi sociam vitare cuperet, quam ferre cogebatur, vt qui eius opera Imperium Germanico ab Augusto destinatum accepisset. Ergo cum Seiano, pauciſque alijs profectus est, quibusdam vaticinantibus, eum Romam nunquam rediturum, quamuis ipse subinde reditum polliceretur, vt ait Dio.

Tiberius abit ab Vrbe.

Suet. l. 3. c. 40. Tacit. l. 4. Annal.

* * *

ANNVS MVNDI 4080.

IESV CHRISTI 28. B. VIRGINIS 45.

CAYPHÆ Pont. 10. PILATI 2.

TIBERII 14. & Imper. Rom. 75.

OLYM. CCI. A. 3. VRB. CO. 779.

ÆRÆ CHRISTIANÆ 27.

I. Ruina theatri Fidenatis. *Tacit.* 4. *Suet* l 2. c. 40. *Oros.* l. 3 c. 4.

INgentis belli cladem æquauit hoc anno geminum malum, alterum ex ruina amphitheatri Fidenatis, qua ad quinquaginta hominum millia, vel debilitata casu, vel obtrita sunt: & ipse operis autor Attilius in exilium actus est. Alterum ex incendio montis Cælij, cui malo cum Tiberius benignitate pecuniaria subuenisset, pro modo accepti detrimenti tribuendo, magnam populi beneuolentiam est assecutus; gratiæq; illi apud Senatum actæ, additæq; sententiæ, vt mons Cœlius in posterum appellaretur Augustus. Ipse autem dedicatis per Campaniã, Nolæ scilicet & Capuæ, templis, Capreas se in insulam abdidit, trium millium freto ab extremis Surrentini promontorij distinctam, importuoso circa mari, & vix modicorum nauigiorũ patiente. Id factum ait Tacitus amore solitudinis & quietis. Quam autem adamaret quietem, discе Lector ex Suetonio.

Et incendiũ montis Cœlii.

Tiberius abdit se Capreis.

II. Neglecta Reip. cura. *l.* 3 c. 41.

Regressus, inquit, *in Insulam Reip. curam vsq; adeo abiecit, vt postea non decurias equitum vnquam supplerit, non tribunos militum præfectosque, non prouinciarum præsides vllos mutauerit. Hispaniam & Syriam per annos aliquot, sine consularibus legatis habuerit, Armeniam à Parthis occupari, Mœsiam à Dacis, Sarmatisq;, Gallias à Germanis vexari neglexerit, magno dedecore imperij, magnoq; discrimine, victos quoque negligebat audire.* Moræ etiam causas referebat amicis, vt non solum ipse vitaret molestias, sed subditis consuleret, quos noui Præsides egeni spoliabant, saginati segniores erãt ad rapinam: victos autem volebat interea priorum scelerum pœnas dare. Alium quoque finem habebat Tiberij quies. Audi eundem Suetonium. *Nactus*, inquit, *secreti licentiam, & quasi à Ciuitatis oculis remotus, cuncta simul vitia dudũ dissimulata profudit.* Et alio loco, ait eum in secessu Capreensi sellariam excogitauisse sedem arcanarum libidinum, quas pudor est vel scriptas legere, vel audire. Sed illam ipsam nihilominus quietem Seianus nouis semper in Germani familiam artibus perturbabat.

Cur præfectos diu conseruaret.

Eiusdem nequitia.

III. Herodes fratris vxorem accipit.

Sub hoc tempus contigit Herodem Antipam Galilææ tetrarcham Herodiadem vxorem fratris sui Philippi non inuitam sibi accipere; moribus enim satis congruebant, vterque crudelis ac ferox, cum Philippus, Iosepho teste, vir esset perpetuo modestus, & amans quietis. Sub hoc, inquam, tempus susceptũ est hoc scelus, cum à Ioanne sub initium prædicationis suæ, quod in 15. Tiberij annum cadit, de eo facinore fuerit reprehensus, & Ioannes vicissim missus in carcerem, vt dicetur. Quoniam autem hic Antipas, vt Herodiadem duceret, repudiarat vxorẽ suam Regis Aretæ filiam, bellum inter vtrumq; conflatum est. Prælium tamen in quo exercitus Herodis internecione deletus est, non ante mortem Ioannis cõmissum est: creditum quippe est eam cladem diuinitus inflictam Herodi, propter interfectum ab eo Ioannem Baptistam. *Luc.* 3. Bellum eiusdem cũ Areta. *Ioseph. l.* 18 c. 7.

ANNVS MVNDI 4081.

CHRISTI 29. B. VIRGINIS 44.

CAIPHÆ Pont. 11. PILATI Præf. 3.

TIBERII 15. Imperij Roman. 76.

OLYMP. CCI. AN. 4. VR. C. 780.

ÆRÆ CHRISTIANÆ 28.

I. Ioannes incipit cõcionari, & baptizare.

INchoabat Tiberius 15. annum Imperij ab Augusto mense anni præsentis. Quo anno iam per quatuor menses inchoato, Christus Dominus inijt annum 30. in cuius initio ad Baptismũ venit, vt dicetur anno sequenti. Ex quo intelligitur 15. Tiberij, cum 29 & 30. Christi componi. Quamquam fatemur factum esse verbum Domini ad Ioannem filium Zachariæ in deserto, cum Christus nondum explesset annum 29 Iam enim dudum, vt ex Euangelistis liquet, Ioannes concionabatur, & baptizabat ad Iordanem, & ad eum veniebat omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem, cum ad eum Iesus quoque venit à Galilæa, vt ab eo baptizaretur, idque factum est, vt dicetur, 6. Ianuarij anni sequentis. *Matt.* 3. 1. *Mar.* 1. 4. *Luc.* 3.

II. Sabini inusta cædes opera Seiani & Tiberii *Tacit. l.* 4.

Porro hoc anni principio tractus est in carcerem Titius Sabinus Romanus eques, ob amicitiam Germanici, cuius familiam etiam nunc, infenso Tiberio & Seiano, sectabatur. Quatuor accusatores Prætorij eum inuadunt cupidine cõsulatus, ad quem non nisi per Seianam aditus patebat. Illum ergo vnus ad liberiores de Imperatore sermones domi trahit, positis in insidijs, qui dictorum testes forent. Itaq; accusatus, & rescripto Imperatoris ipsis Calend. Ianuarijs damnatus est. Dio tamen, ait illum indicta causa coniectum in carcerem, & necatum: & corpus eius ad scalas Gemonias primum, deinde in flumen proiectum. Eius casus atrocitatem adauxit Sabini canis, qui cum eo in carcerem iuit, morienti affuit, denique cum eo se in flumen præcipitem dedit. Hæc Deo, & ex eo Zonaras. Secutę sunt mox literæ Tiberij gratias agentes Senatui, quod hominem infensum Reipubl. puniuissent.

l. 5. init. Canis in herum amor.

III. Clades Romanorum.

Eodem anno Frisij male Romanos acceperunt. Nam nongentos apud Lucum Baduhennem confecerunt; & rursum quadringenti mutuis vulneribus perierunt, dissimulante damna Tiberio, ne cui bellum permitteret, à quo imperio priuaretur. Interea neq; ipse, neq; Seianus vllam visendi sui copiam faciebant, neque, licet crebris solicitati precibus, aut in vrbem, aut in propinqua vrbis digressi sunt. Cæterum Tiberius neptem Agrippinam Germanici filiam, Cn. Domitio vxorem tradidit, ex quo matrimonio postea natus est Nero ille, qui præ cæteris Imperatoribus crudelitate notissimus est.

Agrippina Domitio nubit.

ANNVS MVNDI 4082.

CHRISTI 30. B. VIRGINIS 45.

IOSEPHI CAYPHÆ Pont. 12.

PILATI IVDÆÆ Præsidis 4.

TIBERII 16. Imperij Roman. 77.

OLYMPIA. CCII. A. 1. V.C. 781.

ÆRÆ CHRISTIANÆ 29.

I. Christus baptizatur anno 16 ineúte Luc 3.

ETsi decimus sextus Tiberij inchoatur Augusto mense, hunc tamen annum recte vocat Euangelista Tiberij decimum quintum, quoniam is adhuc per octo fere menses voluebatur, in quorum initio, sexto videlicet die Ianuarij Iesus Christus ad Ioannem venit, ab eoque baptizatus est, anno ætatis trigesimo per tredecim dies inchoato. Idex historia horum temporum, à cæde Iulij Cæsaris, ad præsentem annũ, per tres & septuaginta annos expansos, in Annalibus nostris accuratè demonstrauimus. Et clarissimo D. Lucæ testimonio, dicentis Christum inchoasse trigesimum annum, cum à Ioanne baptizatus est. *Et ipse Iesus*, inquit, *erat incipiens quasi annorum triginta.* Quæ verba licet plerique variis interpretationibus in suam sententiam trahant, illa tamen planissima proculdubio mens est Euangelistæ, vt cum protulisset ætatem Christi, *quasi annorum triginta*, videretque adhuc dubitari posse, an esset in principio, subdidit declarando ἀρχόμενος, *incipiens*; quod verbum plane superfluum est, ne dicam falsum, & S. Lucas dicere voluit, Christum triginta annos propemodum expleuisse.

9.1. ad 17.

Luc. 3. 23.

II. Multorũ testimonio.

Nostra porro interpretatio est grauissimorum virorum, qui tum nostra, tum patrum memoria floruerunt, consentiens conspiransque sententia, Vatablum dico & Oecophitium, Sigonium & Pererium, Baradium, Lyranum & Caietanum, Hugonem Cardinalem, Carthusianum, & Clarium, Genebrardum & Adrichomium, Marianam & Cardinalem Toletum, Suarem & Abulensem, quorum magna ex parte verba retulimus in Annalibus, quoniam eum locum ex instituto tractant, Addidimus & antiquiores S. Thomam, venerabilem Bedam, Eusebium, S. Irenæum, Tertullianum, Africanum, Clementem Alexandrinum, cum ijs omnibus, qui olim putauerunt Christum passum anno ætatis trigesimo, duobus Geminis Coss. in quibus est etiam sanctus Augustinus, Lactantius, & Paulus Orosius, qui necessario dicere debent Christum initio trigesimi anni esse baptizatum, & vno tantum anno concionatum: quod nemo nunc dicit, quod Euangelistæ plura Paschata prædicationis Christi aperte suggerant, vt deinceps dicemus. Nam quod aliqui illud Euangelistæ *erat incipiens annorum triginta* referunt ad initium prædicationis Christi, non ad definitionem annorum eius, cum à Ioanne baptizatus est, vim afferunt verbis Lucæ, & recto loquendi modo; præsertim cum toto illo capite, & bona parte sequentis, nulla sit de Christi prædicatione mentio; proxime autem de baptismo ageretur.

Etiam Antiquorũ

f 18. de Ciu. c. vlt. l 4. c. 10. fi. 7. c. 4.

c. 3. 23.

Cæterum quod S. Ioannes dicitur exercuisse prædicationis officium in deserto, sub principibus Sacerdotum Anna & Caypha, non ita accipiendum est, quasi fuerit vterq; hoc tempore pontifex, vnus enim Cayphas annum iam duodecimum ea dignitate fungebatur, neque Ananus, siue Annas à morte Augusti pontificatum attigisse reperitur. Dicitur tamen princeps Sacerdotum, siue quia pridem fuerat pontifex: neque insolens est in Scriptura dici pontificem, nó qui sit, sed qui ante fuerit. Nam Abiathar amotus à Salomone à Sacerdotio, æque ac successor eius Sadoc Sacerdos dicitur. Et Simon Leprosus appellatur in Euangelio, non qui erat, sed qui fuerat. Siue quia sanctiori concilio Sacerdotum præsidebat, siue quia ex Cayphæ consensu, erat quasi Coadiutor Pontificis, qui id honoris illi vt socero, vt seniori, vt pridem eadem dignitate functo, libenter deferebat.

III. An Annas & Cayphas annum simul pontifices

1. Reg. 4. 4 Mar. 14. 3. Matt. 26 6.

Sed occurrit grauis, minimeque dissimulanda difficultas. Si enim ineunte trigesimo anno Christus baptizatus est, & conciones habere cœpit, cum eius conciones ex munitissima sententia tribus annis circunscribantur, oportebit Christum mortuum esse trigesimo tertio ætatis suæ anno per tres quatuorve menses inchoato, & non 34. ineunte. Respondet primo nihil esse absurdi, neq; repugnans Euangelistis, concedere quinque Paschata, ex quo Christus per baptismum mundo factus est manifestus. Primum est id quod proxime secutum est eius baptismum, 6. Ianuarij receptum. Alterum est id quod secutum est nuptias in Cana Galilææ celebratas, quas Ecclesia prædicat eadem die celebratas. Fieri autem non potest vt eodem numero die quo baptizatus est Christus, venerit ad nuptias, quia, vt ait Marcus, *statim* à baptismo *Spiritus expulit eum in desertum*, vbi 40. dies commoratus est. Tertium memoratur à Ioanne init. c. 5. nam ibi memoratum festum S. Irenæus, Rupertus, Toletus, Iansenius, alijq; passim pascha interpretantur. Quartum perspicuè nominatur à S. Ioanne, vbi celebrat miraculum quinque millium hominum, quinque panibus & duobus piscibus cibatorum; deque eo nulla est controuersia, sicut nec de quinto in quo passus est Christus.

IV. Quando cœperit Christus cõcionari

Quinque paschata

c 5. 12.

c. 6. 4.

Respondeo secundo, non esse absurdum Christum primo anno, qui intercurrit inter baptismum eius, & miraculum factum in nuptijs, non esse concionatum, neque vllum edidisse miraculum, cui primum in nuptijs factum esse constet. Eam sententiam tanquam veram, & Ecclesiæ sensui consentaneam amplectitur S. Thomas, Caietan. Rupert. Genebrardus, Baradius, Benedictus Pererius, & alij quibus libenter subscribimus. At eluditur fundamentum nostrum de consensu Ecclesiæ in miraculo vini, baptismo & Epiphania Christi in eundem diem incidentibus, eluditur inquam, à dicentibus Ecclesiam illo die tria illa mysteria celebrare, peinde ac si eadem die contigissent, licet diuersis diebus, ijsque incertis contigerint. Quibus cum Baradio nostro respondemus: hanc sententiam perspicuè verbis Ecclesiæ significari, ei qui tergiuersari nolit

V. Cœpisse anno posł baptismũ

Luc. 3. 2. Ioan. 10. 14.

Eu Amphilochium Basilium Bẽ, & ad Magnũ;

Eodẽ die Epiphaniam, Baptisma, & miraculũ vini contigisse, l. 2. l. 1. c. 11

Quor-

Quorsum enim Ecclesia vno eodemque die illa celebraret, quæ eodem die acta esse non putaret? Nunquid deerant diuersi dies, qui his miraculis celebrandis destinarentur? Imo illo eodem die peracta esse asserit, celebrat vero diuersis. Ipso videlicet die Epiphaniæ Magorum aduentum, in octaua Epiphaniæ baptismum, Dominica sequenti aquæ in vinum transmutationem. Quid igitur opus erat affirmare eodem die esse peracta, si diuersis contigerant? Idem affirmant S. Ambrosius, S. Augustinus, S. Maximus, S. Thomas, & Rupertus, quorum verba recitamus in Annal.

VI. Res anno Baptismi gesta.

Quæ autem hoc reliquo anno ad nuptias vertente anno celebratas contigerunt summa breuitate notata sic habe. Christus baptizatus à Ioanne in Iordane, ducitur à Spiritu sancto in desertum, vbi ieiunat totos quadraginta dies: deinde esuriens tentatur à diabolo, eoque in triplici tentatione superato, accesserunt Angeli, & ministrarunt ei. Inde Christus in Galilæam abijt ad matrem, vt ait S. Epiph. extremo mense Februario. Deinde partim in Galilæa, partim in Iudæa vsque ad Decembrem egit, sæpiusque ad Ioannem venit. Interea Ioannes coram turbis, absente Christo testimonium perhibet de eo. Mox secuta est Hierosolymitana legatio, scitatum num Ioannes esset Messias. Qua ille occasione sapienter vsus, Christum eis adhuc ignotum annunciauit. Postridie à legatione venit Iesus ad Ioannem, qui eo præsente dixit circunstantibus, *Ecce agnus Dei*, &c. Sequenti die ab hoc testimonio dato, erat Ioannes cum duobus discipulis suis, cum vidit Iesum ambulantem, & dixit eis, *Ecce Agnus Dei*. Qua illi voce commoti venerunt ad Iesum. In ijs erat Andreas, qui sub vesperam à Christi domo digressus, inuentum fratrem deduxit ad Iesum. Postridie Christus rediturus in Galilæam inuenit Philippum, & vocauit eum: & ille adduxit ad eum Nathanaëlem, quem Rupertus putat esse Bartholomæum. Nec plura hoc anno gesta reperiuntur.

Hæresi 51.

Barrad l. 2. c. 16. Sophro. in prato Spir. cap. 1. Ioan. 15. Ioan 1. 29. & 35. &c.

v. 43.

VII. Obitus Liuiæ vxoris Aug.

De historia Romana scribit Tacitus, sub huius anni Consules Liuiam vxorem Augusti extrema ætate esse defunctam, anno, vt ait Dio, octogesimo sexto, vel secundo, vt Plinio placet. Eam Tacitus Iuliam Augustam vocat, quod id nomen in funere Augusti acceperat, vt ex Dione constat. Funus eius modicum, inquit Tacitus: testamentum diu irritum fuit; laudata est pro rostris à C. Cæsare pronepote, qui mox rerum potitus est. At Tiberius, quod supremis in matrem officijs defuisset, nihil mutata vitæ amœnitate, magnitudinem negotiorum per literas excusauit, honoresque memoriæ eius, ab Senatu large decretos, quasi per modestiam imminuit, paucis admodum receptis, & addito, ne cœlestis religio decerneretur, sic ipsam maluisse: præ modestia videlicet.

l. 5. Anna. l. 58. init. l. 14. c. 6. l. 56. in fi.

VIII. Eiusdem superbia, & autoritas apud Tiberiũ.

Eius tamen factum Dio vehementer arguit, eamque superbia omnes tetro fœminas longo interuallo post se reliquisse dicit, adeo vt literæ ad Tiberium, ad ipsam quoque inscriberentur: ac nisi quod in Senatum, ad exercitum, aut conciones, venire ausa non est, cætera omnia ageret, quasi Imperium ipsa teneret, & priores Tiberio gereret, quod ipsi eius opera Imperium, quamuis non sine scelere, collatum fuisset; si suspiciones Taciti de nece Augusti, Marcelli, Germanici, & Agrippæ iuniotis veræ sunt. Qui ait eam publicæ rei vtilem fuisse, quod ea incolumi, erat adhuc perfugium, propter inueteratum Tiberij in matrem obsequium, cui neque Seianus audebat anteire. Tunc autem velut freno exoluti ambo, in grauiora scelera prorupere.

ANNVS MVNDI 4083.

CHRISTI 31. BEATÆ VIRGINIS 46.

IOSEPHI CAYPHÆ Pontif. 13.

IVDÆÆ PILATI Præsidis 5.

TIBERII 17. Imp. Rom. 78.

OLYMP. CCII. A. 2. V. C. 782.

ÆRÆ CHRISTIANÆ 30.

I. Alter annus à Christi baptismo

QVoniam superiore anno de dispositione téporis rerum à Christo gestarum satis dictum est, ea suppolita, quæ in hunc annum cadunt, pari qua cœpimus breuitate decurramus, expolitione interpretibus relicta, quam copiose tradent Baradius, Iansenius, Maldonatus, alijque numero plurimi, omniq; eruditione clarissimi. Initium anni huius, sextus videlicet Ianuarij dies, eximio miraculo aquæ in vinum conuersæ consecratur, tertio die ex quo Iesus abijt in Galilæam, vt ait Origines. Affuit nuptijs mater eius (nam nutritius iam obijsse creditur) & discipuli illi pauci, quos adhuc collegerat, Petrus, Andræas, Philippus, Nathanaël, & si quis alius: qui viso miraculo, maiora in eũ fidei incrementa ceperunt. Inde Christus venit in vrbem Capharnaum cum suis: ibique cum eis non multis diebus est commoratus: nam festo Paschatis appropinquante ascendit Hierosolymam, venitque in templum, vnde vendentes & ementes flagello expulit.

Et quæ in eo gesta. *tom. 9. in Ioan.*

Ioan. 2. 12

II. Sub festũ Paschatis

Cum Iudæi signum peterent, quo probaret, se legitima potestate instructum negotiatores templo exegisse, Christus signum eis dare noluit, in præsentia contentus suam mortem & resurrectionem prænunciare. Mox autem in eodem festo multa miracula edidit, propter quæ multi crediderunt in eũ. In ijs fuit Nicodemus, qui venit ad Iesum nocte, vi miraculorũ incitatus: cũ quo Dominus de baptismo disputationẽ instituit, deq; sua missione in mũdum, vt omnis qui in ipsum crederet, haberet vitam æternam. Post hæc Iesus digressus Hierosolymis, venit in alia Iudææ loca, & illic demorabatur cũ discipulis suis, quorũ opera baptizabat. Refert tamẽ Nicephorus ex Euodio Christũ manibus suis Petrum tantũmodo baptizasse, ab eo vero fratrẽ & filios Zebedæi baptizatos; ab his deinceps reliquos Apostolos & discipulos. Euthymius autem in 3. Ioan. Scribunt, inquit, quidam Apostolorum temporibus proximi, quod Christus Petrum ac Virginem matrem baptizauerit, Petrus vero reliquos Apostolos. Addit Nazianzenus Ioannem Baptistam à Christo baptizatum.

Ioan. 2. 23.

c. 3. 3. 16.

ibid. v. 21.

Christi baptismꝰ variis cõfertur. An à Christo ipso. *l. 2. c. 8.*

Orat. 39. sub fi. vide ar. Christi 30. n. 41. & 42. in Annal.

III. Ioannis de Christo testimonium.

Cum autem discipuli Ioannis ad eum retulissent: Christum baptizare, ea occasione præclarum eis de Christo testimonium dedit. Sub idē tempus Ioannes coniectus est in vincula, quo audito Iesus in Galilæam secessit. Cum autem transiret per Samariam, cum muliere Samaritana collocutus, eam conuertit, multosque Samaritanos, cum biduū apud eos commoratus esset. Id contigit sub mensem Decembrem, id est quatuor mensibus ante messem: ex quo sequitur proximum festum de quo agit cap. 5. esse Pascha, vt optimi quique interpretes contendunt. Samaria digressus, relicta Nazareth abijt in Galilæam, vbi honorifice exceptus est à Galilæis, qui viderant quę fecerat in die festo Hierosolymis, Ioan. 4. 45. Venit autem iterum in Cana Galilææ vbi fecit aquam vinum, & occurrit ei Regulus, cuius filium ægrotantem atq; animā agentem sanauit absens, ex quo factum, vt tota familia in eum crederet.

vide Ann. n. 6. & 7

Initio. Rupert. Tolet. Idem. Barr. Mald. præter Antiquos.

IV. Ioannes cōiicitur in carcerem.

Iam quod ad Ioannis carcerem attinet, trium Euangelistarum autoritate constat, veram vinculorum causam fuisse, dolorem ex impatientia correptionis, ob acceptam, ac detentam fratris Philippi vxorem Herodiadem, quæ Regi tunc erat quasi vnguis in vlcere; nec destitit ab immani in illum odio, quo libido inflammauerat, donec eum curaret occidi, vt suo loco dicetur.

V. Tiberij erudelitas in Asinium Gallum, & alios, *l. 58.*

Romæ autem, vt scribit Dio, Tiberius consulem designauit Seianum, sed prius Asinium Gallum virum clarissimum coniecit in vincula, propter ductam ab eo vxorem suam, & vsurpatam de publica re dicendi libertatem. Cum ergo is ad Tiberium venisset legatus, conuiuio acceptus, comiterq; habitus est, literæque ad Senatum simul à Tiberio missæ, quibus eum accusabat. Itaque Gallo contigit, vt eodem die Tiberij conuiua esset, & à Senatu damnatus ad supplicium duceretur. At Tiberius negata Gallo moriendi facultate, vt is diutius ignominia simul & metu conflictaretur, in libera custodia vsque ad suum in vrbem aduentum habere iussit, vbi eum ad triennium inedia ac solitudine miserè macerauit, simul quoque alios afflixit supplicio, vt mori volentes ad miseram vitam trahendam compelleret, quibusdam redire se dicebat in gratiam, cum patiebatur occidi. Plura exempla suggerunt Dio, atque Tranquillus, qui addit ostendi Capreis carnificinæ locum, vnde damnatos Tiberius post longa & exquisita tormenta, præcipitari coram se in mare iubebat, excipiens classiariorum manu, & contis atq; remis elidente cadauera, ne cui residui spiritus quidquam inesset.

l. 3. n. 62.

Eiusdem in Capreis carnificina.

Interea Seiani ambitio alijs super alios honoribus extollebatur, vt maiore mox ruina abiret in præceps. Pares quippe ei cum Tiberio tribuebantur honores, & pro eis vota conuinctum, & sacrificia fiebant, thura ad eorum statuas adolebantur, ciues per vtriusque fortunam iurabant, amborum aureos curru in theatrum inuehebant. Denique decretum est vt ad quinquennium Coss. constituerentur. Cum ipse se pro imperatore, Tiberium pro insulæ custode gereret. Quæ vbi resciuit Tiberius, veritus ne et recta deferretur Imperium, nihil contra eum palàm aggressus est, in eius quippe manu sciebat esse milites prætorianos, atque adeo Sena-

VI. Seiani potentia.

Tiberius ei perniciem molitur.

tum populumque, sed callide cum vafro ratus agendum, eum designauit consulem, suarumq; curatum participem nominauit, Seianumque suum vocabat, cum ad S. P. Q. R. scriberet. Ea re decepti Romani, omnia in eum ornamenta congerebant, adeo vt nihil præter tribuniciam potestatem; & Imperatoris nomen in eo desiderari videretur. Quæ cum se pene manu tenere crederet, sequenti anno miserè prostratus interijt.

ANNVS MVNDI 4084.

CHRISTI 31. B. VIRGINIS 47.

CAIPHÆ Pont. 14. PILATI 6.

TIBERII 18. Imperij Roman. 79.

OLYMP. CCII. AN. 3. VR. C. 785.

ÆRÆ CHRISTIANÆ 31.

I. Publica prædicatio Christi. *c. 4. 13. 17. 23.*

CVM sub exitum anni præcedentis Christus Dominus in Galilæam venisset, habitauit in Capharnaum, vt scribit Matthæus, & deinceps publicè, conuocatis ad audiendum populis, concionari cœpit, & homines inuitare ad pœnitentiam, denunciata propinquitate regni cœlorum: quod ipsum antea fuerat S. Præcursoris concionum argumentum. Sed ea vox dudum clamantis in deserto, aut tacebat in custodia, aut potius foras erumpere prohibebatur. Nec vno tantum in loco cœpit Christus habere conciones. Nam Matthæo teste, circuibat totam Galilæam docens in Synagogis, & sanans omnem infirmitatem in populo, & fama de eo per vniuersam Syriam effusa est. Sed eodem tempore assumpsit sibi concionum & miraculorum administros Apostolos Petrum, Andræam, Iacobum & Ioannem piscatores. Post quorum vocationem, venit cum eis Capharnaum, & ingressus in Synagogas docebat eos Sabbatis, cum stupore audientium: ibique Dæmonem vltro eum annunciantem iussit obmutescere, & exire de homine.

c. 4. 23. & c. 9. 35.

Assumit 12. Apostolos.

II. Multiplex ægrotū curatio. *Marc. 1. 29.*

Et protinus egressi de Synagoga venerunt, vt ait Marcus, in domum Simonis & Andrææ, cum Iacobo & Ioanne, vbi Christus socrum Petri, depulsa febri curauit: & mox vespere facto, cū transacto Sabbato totum oppidum ad ianuam cōgregatum videretur, curauit omnes, indicto etiam dæmonibus silentio. Cum autem ea nocte egisset in domo Petri, surgens valde diluculo, abijt in desertum locum: ibiq; orabat: & reuocatus à suis, iuit ad proximos vicos, prædicans in Synagogis, & mira faciens in omni Galilæa. Cumque à multis vndique turbis circunfunderetur, iussit ire trans fretum, cum Scriba quidam se ipsi obtulit, vt eum quasi discipulus sequeretur. Cui Dominus suam paupertatem declarauit, vt ille vitæ religiosæ sub Christo ducendæ difficultatem æstimaret. Alium autem discipulum differre volentem suum apud Christum famulatum, vltro retinuit.

v. 35.

25 & c. 8. Matt. 4. 19. & 6.

II.

Itum est ergo trans lacum, sed in cursu excitatur Domino dormiente tempestas, quam

exci-

excitatus ledat. Cum autem ventum esset trans fretum in regionẽ Gerasę quorum liberati sunt duo obsessi à dæmonibus, qui permissu Christi gregem porcorum in mare præcipitem dederunt. Tum ciues ei occurrentes rogauerunt eum, vt transiret ab eorum finibus, ne Syri ad quos porci illi pertinuisse creduntur, ciues male mulctarent, vt fauentes illi, per quem ea clades contigisset. Conscensa ergo nauicula redijt Capharnaum, ibique paralyticum sanitati restituit, dimissis prius peccatis ejus; eiusque facti calumniatores reprehendens, omnes in admirationem conuertit. Post sanatum paralyticum, iussumque in signum adeptæ sanitatis ferre lectum suum.

Alia deceps miracula. *Matth. c. 8.23.*

IV. Vocatio publicani *Luc. 5. 29. & seqq.*

Digressus inde vidit publicanum sedentem in telonio, & eum vocauit ad se: & Scribas & Pharisæos obmurmurantes, quos cum publicanis cibum sumeret, sapienter repressit. Qui nihilominus de discipulis Ioannis quæstionem proposuerunt, cur ipsis ieiunantibus, Christi discipulis non ieiunarent, quibus cum Christus responsum daret, Archisynagogus eum rogauit, vt ad filiam suam morti vicinam veniret; ad quam proficiscens, sanauit in via mulierem fluxit sanguinis duodecimum iam annum laborantem, fimbriæ suæ contactu. Moxque filiam Archisynagogi Iairi mortuam reuocauit ad vitam. Transeunte autem inde Domino, secuti sunt eum duo cæci clamantes, quos tactis eorum oculis illuminauit: & homini ex infesto dæmone muto, illo electo locutionem restituit, non sine blasphema calumnia Pharisæorum.

Matt. 9. 18

Excitatio puellæ mortuæ.

Id. v. 27. Phariſæi blaſphemant.

V. Alterum pascha, & quę deinceps à Christo gesta. *Vide Ann. n. 5. & 6.*

Hæc cum trium fere mensium spatio confecta essent, aduenissetque dies festus Iudæorum, ascendit Iesus Hierosolymam, vt ait Ioannes c. 5. Id festum fuisse Pascha, plerique omnes consentiunt, vt iam diximus, ibiq; ad piscinam probaticam, hominem 38. iam annos ægrotum sanitati restituit, & post disputationem cum Iudæis ea occasione habitam, abijt per sata die sabbati, paulo post festum Paschatis, & discipulos spicas vellentes, contra ineptas Iudæorum criminationes defendit. Deinde altera die sabbati manum aridã sanauit in Synagogo. Inde inuidia frementes Pharisæi, cum Herodianis consilium inierunt vt eum perderent. Iesus autem cum discipulis suis secessit ad mare Galilææ, & multæ vndique turbæ secutæ sunt eũ; quas docuit è nauicula ne comprimeretur ab eis, quas & sanauit. Secuta est deinceps electio duodecim Apostolorum, cum prius in oratione pernoctasset. Secutus est & sermo Dominiin monte Galilææ omnem pene Euangelicam doctrinam continens, quam breui paraphrasi explicatam, Lector in Annalibus reperiet,

Luc. c. 6. 1.

Mar 3. 6. & seqq.

Sermo Domini in monte *Matth. 5. n. 8. 9. 10. & seqq. & sebol. 1.*

VI. Et in regione cãpestri.

Cum autem Dominus post copiosum sermonem ex monte descendisset, etiam turbas docuit in loco campestri: pleraque repetens eorum quæ in monte dixerat; & ingressus Capharnaum, puero Centurionis restituit sanitatem: sed in via leprosum sanauit. Mox excitatus est à mortuis adolescens filius viduæ. Hæc miracula cum nunciata essent Ioanni à discipulis suis, duos eorum misit ad Iesum, vt se ad illum, tanquam ad verum Messiam aggregarent, quasi præsentiens non diu se in viis futurum. Addit continuo Lucas idem conuertionem mulieris peccatricis, in domo Simonis Phariſæi, quam fuisse Mariam Magdalenam sororem Matthæ & Lazari, communis est sententia. Offertur deinde Christo dæmoniacus cæcus & mutus, quem ipse tribus simul affecit beneficijs. Nec tamen, in tam laudabili glorioſoque facinore, vitauit blasphemas Phariſæorum calumnias, quas & sapienter confutauit, & signum petentibus, signum dedit Ionæ Prophetæ, eosque à Niniuitis in iudicio condemnatum iri profetsus est. Quæ cum dicere mulier de turba extulit vocem in eius, sanctissimæque matris ipsius commendationem.

Matth. 1. Marc. Luc. 7. 11. Excitatio mortui Adolescentis. *c. 7. 36.*

Cõuersio Magdalenæ. *Matt. 12.*

Superuenit his B. Virgo cum cognatis: quæ causa fuit, vt carnali affinitati spiritalem anteferret. Secuta est eodem die concio habita secus mare, ad concurrentem omnibus ex locis multitudinem, in qua proposuit parabolam teminantis, quam & postea discipulis exposuit. Adiecit & parabolam zizaniæ, seminis crescentis, grani sinapis, & fermentis. Item thesauri absconditi in agro, margaritæ, & sagenæ missæ in mare. Cumque hasce parabolas enarrasset, venit in patriam suam Nazareth, vbi perpauca edidit miracula, propter ipsorum incredulitatem. Quinetiam, vt narrat Lucas, eiecerunt eum ciues sui extra ciuitatem, & voluerunt eum de monte præcipitem agere. Paulo post Christus Dominus conuocatis discipulis suis, misit eos ad prædicandum Iudæis, tribuens illis gratiam & potestatem miraculorum, simulque eos egregijs præceptis instruens, quæ tres Euangelistæ tradiderunt.

VII. Aliæ tres anni huius. *Matth. 13.*

c. 4. 29.

Matt. 10. Marc. 6.

Interea vero dum Christus in Galilæa conciones habet, & discipuli missi in vineam Domini fructus colligunt, Herodes Antipas tetrarcha Galilææ, in conuiuio iussit interfici Ioannem Baptistam, non tam perræsus reprehensionis, quam stulta promissione, & iureiurando compulsus. Eo mortuo, & à discipulis sepulto, cum fama miraculorum Christi Domini peruenisset ad Herodem, existimauit ea miracula fieri à Ioanne à mortuis excitato. Interea redierunt sub Pascha discipuli à missione sua; quemnos reditum, & quæ inde secuta sunt proximo anno referemus.

VIII. Cędes Io Baptistæ. *Luc. 9. Mat. 14 3 Marc. 6. 7. & 29*

Romana porro historia nihil habet hoc anno illustrius morte Seiani, consulis & collegæ Imperatoris, quæ in 15. Calend. Nouembris incidit, eodem die, quo biennio post mortua est Agrippina. Cum ergo Tiberius Seianum æmulum suum euertere, ac perdere statuisset, tam varie de se, deq; ipso subinde Romã scribebat, & de amicis eius statuebat, vt oẽs animis incerti fluctuarent. Perculit etiam Seianum, quod cum Tiberius C. Caligulæ sacerdotium addita laude contulisset, ac non nihil præ se tulisset, velle se eum habere Imperij successorem, ea re populũ magna lætitia vidisset affectum; quem tamen rebus suis valde affectum crediderat. Itaque doluit quod non esset conatus aliquid in Consulatu, quem iam abdicarat, sicut & Tiberius, quod erat tũ temporis summis viris frequentissimũ, eisque Regulum & Trionem, ait suffectos Tacitus. Interim pertexit Tiber. alia ex lubere indicia minus beneuolæ in Seianum voluntatis, quibus factum est, vt iam multi ab eo se subtraherent, palamque hominem deserereut.

IX. Apparatus ad Seianicæ dẽ *Tacit. 6. Ann.*

Iosephum vnum ex illis fuisse, qui cum Christo resurrexerunt, & apparuisse charissimæ sponsæ, eamque fuisse consolatum, & tandem cum Christo glorificatũ ascendisse, *non dubium in anima*, inquit, *sed an & in corpore, nescio, Deus scit: & collocatus est à dextris ipsius Iesu, hoc est, in penetralibus boni sui.* Hæc pius Doctor, incœtu vniuersæ Ecclesiæ constantiæ congregatæ.

II. Consulatus Germanici, ortus Caligulæ, liberi famosi damnati. *Dio li. 56.*

Hoc anno Germanicus, Tiberij filius, Augusti nepos, Consulatum nondum Prætura functus, accepit, ac præter morem toto anno gessit, nulla tamen re memorabili peracta. Huic filium suscepit, cognomento Caligulã, qui postea imperauit. At vero Augustus senectute iam grauis, Germanicum Senatui, Senatum Tiberio scripto commẽdauit; famosos libellos conquisitos & repertos, in vrbe ab Ædilibus, extra vrbem, à singulorum locorum præfectis, comburi mandauit, & in quosdam eorum autores supplicio animaduertit; in quibus Cassium quendam Seuerum Tacitus memorat.

ib 1. Ann.

III. *A. M.* 4066. Testamentum Augusti. *l. 2. c. 101.*

Sequenti anno L. Planco & C. Silio Coss. Testamentum, inquit Sueton. 3. non. Aprilis, ante annum & quatuor menses quam decederet, factum est ab Augusto, ac duobus codicibus scriptum, partim ipsius, partim libertorum manu, apud virgines Vestales depositum est. Sic ipse. vbi plura de hæredibus, & legatariis subiungit, quæ apud ipsum leges. Misit quoque Germanicum in Germaniã, vt reliqua belli conficeret. Eo enim profectum esse constat, antequam Tiberius in Illyricum expeditionem susciperet, quæ sub initium sequentis anni cõtigit. Idque Velleius haud obscure significat. Iosephus autem Annium Rufum Iudææ procuratorem suggerit hoc anno, qui fuit Olympiacus 198.

Rufus Iudææ Procurator.

ANNVS MVNDI 4067.

CHRISTI 15. B. VIRGINIS 30.

ANANI 6. TIBERII 1.

AVGVSTI 57. & vlt. Imperij Roman. 62.

OLYMPIA. CXCVIII. A. 2. V.C. 766.

ÆRÆ CHRISTIANÆ 14.

I. Res anni huius. *Diolib 56.*

SVlpitius Galba, qui primus post Augusti finitum genus imperio potitus est, ipsis Calend. Ianuar. huius anni virilem togã sumpsit, anno ætatis 17. ineũte. Sed Octauiani Cæsaris Augusti mors, & initia Tiberij, hunc annum longe insigniorem faciunt: in vtroque passim omnes consentiunt; quibus etiam coniungitur annus Sabbaticus 212. De ea morte priusquam dicamus, quæ ordine temporis antecedũt præmittenda sunt. Lustrum enim sub anni huius initia cum Tiberio condidit, priusquã illũ mitteret in Illyricum. Testatur id monumentum Ancyranum, vbi hæc leguntur. *Nuperrime lustrum, collega Tiberio* (Imperij scilicet, & Tribunitiæ potestatis, & administrationis exercituũ, & prouinciarum Augusti, vt aiunt Velleius & Suetonius,) *Sex. Pompeio, & Sex. Apuleio Coss. fecit, quæ lustro censa sunt Romanorum capitum quadragies centum millia, triginta & septem millia, &c.* Meminit huius lustri Sueton. *Cum lustrum*, inquit, *in campo Martio magna frequentia conderet, aquila eum sepius circumuolauit, & mox. Sub idem tempus ictu fulminis ex inscriptione statuæ eius prima nominis littera effluxit, responsum est, centum solos dies posthac victurum.* Id si verum fuit, dic ẽdum est hoc prodigium 12. Maij contigisse. Pergit Suetonius.

Vltimum Augusti lustrum. *l. 2. c. 121. l. 3 c. 21.*

l. 1. c. 97.

ÆSAR.

II. Præmia mortis Augusti

Peracto lustro Tiberium in Illyricum dimissurus, & Beneuentum vsque prosecuturus, Asturam perrexit, & inde præter consuetudinem de nocte ad occasionem auræ euectus est. Causam valetudinis contraxit ex alui profluuio. Pergit inde exponere quomodo recuperandæ, vt apparet valetudinis causa, animũ ad otium & omnem comitatem remiserit, nulloque genere hilaritatis abstinuerit, quippe qui & sibi & suis *in Saecula* precari solebat, quæ & ipsi mox contigit. *Cum Tiberio traiecit Neapolim, quamquam & tum infirmis intestinis morbo variante, tamen & quinquennale certamen gymnicum honori suo institutum perspectauit, & cum eodem ad destinatum locum contendit. Sed in redeundo aggrauata valetudine tandem Nolæ succubuit, reuocatumque ex itinere Tiberium, diu secreto sermone detinuit. Neque post vllis maiori negotio animum accommodauit.* Postremo demissis omnibus, dũ aduenientes ab Vrbe de Drusi filia ægra interrogabat, repente in osculis Liuiæ & in hac voce defecit. *Liuia nostri coniugij memor viue, ac vale*, sortitus exitum facilem, & qualem semper optauerat, celerem videlicet, ac sine vllo cruciatu.

Nolæ moritur.

III. An Liuiæ vxoris arte. *l. 1. Ann.*

Verum parum his consentanea scribunt Tacitus & Dio, suspectam scilicet fuisse Liuiam de veneno Cæsari dato, quòd vereretur Augusti cum Agrippa dudum relegato reconciliationem, in quam eum didicerat propẽdere. Verita itaque, vt aiunt, ne eum reduceret Augustus, atque imperium ei traderet, ficus quasdam in arboribus adhuc pendentes, quas Augustus sua manu decerptas comedere consueuisset, veneno inunxit, eique medicatas carpendas obtulit, ipsa sanas edisse fertur. Sic Dio; cui suspicioni fauet mors Agrippæ quamprimum secuta. Addit Tacitus Augusti domũ acribus custodijs, atq; ipsas etiam vias à Liuia obsessas; donec prouisis quæ tempus monebat, simul excessisse Augustum, & rerum potiti Neronem fama eadem tulit.

IV. Periodus vitæ & imperij Augusti. *l. 2. c. 100*

Iam quod ad periodum vitæ & imperij eius, tempusque mortis attinet, Suetonium hæc cæteris accuratius notantem sequamur licet. *Obyt*, inquit, *in cubiculo eodem quo pater Octauius duobus Sextis Pompeio & Apuleio Coss. 14. Calend. Septembris, hora diei nona, septuagesimo & sexto ætatis anno, diebus quinque & triginta minus.* Exactè sane Suetonius, sibique consentiens, qui cap. 5. dixerat natum 9. Calend. Octobris Cicerone & Antonio Coss. Quod ad tempus imperij, si illud auspiceremur à repore quo primum inuasit Consulatum, prius enim priuatus plane erat, totos 56. annos imperauit, factus est enim Cõsul 14. Calend. Sept. qua die & mortuus est, vt ait Dio. Quòd si placet à Triumuiratu initium ducere, qui cœpit 5. Cal. Decembris, ex eo numero detrahẽdi tunt cen-

l. 56. a. V. C. 718

tum lies. Ab Actiaca porro victoria, quæ anno V.C. 722. secundo Septembris contigit, ex qua rerum potitus est solus, ad diem obitus eius reperiuntur anni 43. vndecim menses, & 18. dies. A debellata denique Alexandria, quæ consequenti anno, mense Augusto contigit, hic erit annus eius 43. integer, eorum quos Ægypti Augustos vocant.

Dio init. l. 51.

V. Eiusdem funus, & apotheosis.

Defuncti corpus Romam honorifice delatum est, primo à decurionibus municipiorum & colonarum, deinde à Romanis equitibus, postremo à Senatoribus in campū, vbi & crematus est. Laudatus est pro æde D. Iulij à Tiberio, & pro rostris à Druso Tiberij filio. Reliquias collegerunt primores equestris ordinis, tunicati, & discincti, pedibusque nudis, & in Mausolæo condiderunt. Deniq; non defuit vir Prætorius, qui se effigiem cremati euntem in cælum vidisse iuraret. Numerium eum Senatorem Dio vocat, atque à Liuia decies sestertiūm dono accepisse, quæ 50 Francorum millibus æstimantur. Sed deinceps ad initia Tiberij transeamus.

Suet. l. 2. c. 10. Dio l. 56.

l. 57. extr.

VI. Tiberius Agrippā necat.

l. 1. Annal.

Primum facinus, inquit Tacitus, noui principatus fuit, posthumi Agrippæ cædes, quem ignarum inermemque, quamuis firmatus animo centurio, ægrè confecit. Nihil ea de re Tiberius apud Senatum disseruit, patris iussa simulabat: propius tamen vero est Tiberium ac Liuiam, illum metu, hanc nouercalibus odijs, suspecti & inuisi iuuenis cædē festinauisse. Romæ porro vniuersi ordines, præeunte vtroque Sexto Coss. Tiberio principatum detulere, quē cum ille tam haberet in manibus, & armato milite possideret, diu tamen, vt ait Suetonius, imprudentissimo animo recusauit, nunc adhortantes amicos increpans, vt ignorantes quanta bellua esset Imperium; nunc precantem Senatum, & sibi ad genua procumbentem ambiguis responsis, & callida cunctatione suspendens; vt quidam patientiam tumperent, atq; vnus in tumultu proclamaret, *aut agat, aut desistat*: alter coram exprobraret, cæteros quòd polliciti sunt, tarde præstare, sed ipsum, quod reipsa præstet, verbo tarde polliceri.

Imperiū quasi coactus accipit.

l. 3. c. 24.

VII. Turbæ in Germania, & Illyrio.

Suet. l. 3. c. 5.

Tandem querulus, & quasi coactus recepit imperium, quasi illud breui depositurum, annum agens 55. vt qui natus fuerat a. V. C. 711. 16. Calen. Decembris post bellum Philippense. Interea turbę à militibus in Germania, ipso præsente Germanico sunt excitatæ; legiones quoque, quæ erant in Illyrio, tumultuabantur, vt dux tantum ad defectionem deesse videretur: sed vtrobique res sedatæ sunt tam Tiberij literis, eiusque filij Drusi præsentia, quam Iunij Blæsi & Dolabellæ sapientia, vt autor est Tacitus, qui addit Iuliam Augusti filiam, Tiberij dudum vxorem, & ab Augusto ante annos 15. relegatam ob impuram vitæ licentiam, hoc anno extinctam esse. *Imperium adeptus*, inquit, *extorrem, infamem, & post interfectum posthumum Agrippam, omnis spei egenam, inopia, ac tabe longa perennit, obscuram forenecem exilii longinquitate ratus.* Tiberij in eam acerbitatem apud Suetonium leges. Accelerandum enim est.

Velleius l. 2. c. 125. Dio l. 57. & Suet. l. 3. c. 25.

Iuliæ relegatæ mors.

V. C. 771.

l. 3. c. 20.

* *
*

ANNVS MVNDI 4068.

CHRISTI 16. B. VIRGINIS 31.

ISMAELIS 15. Pont. GRATI Præs. 1.

TIBERII 2. Imperij Roman. 63.

OLYMP CXCVIII. A. 3. V. C. 767.

ÆRÆ CHRISTIANÆ 15.

QVæ à Tiberio ipsis Calen. Ianuar. hoc anno gesta sint, dum populariter Remp. gerere conatur, quod Germanicus adhuc viueret, quē æmulum imperij metuebat, apud Dionem leges. Illud tamen non omittam. Cum funus quoddam per forū efferretur, accessit qui mortuo quiddam in aurem insusurraret: Rogatusq; quidnam ei dixisset, respondit, indicare eum Augusto iussisse, nihildum à quoquam acceptum eius nomine. Quod cum accepisset Tiberius. *At tu*, inquit, *eum nuncium perferes*, simulque hominem interfici, cæteris legata persolui iussit, vicitim 75. denarios, id est 15. libras Turon. iuxta Cenalis æstimationem. Verum de legatis Augusti consule Suetonium.

I. Augusti legata Tiberius, vt persoluerit.

Sub init. l. 57.

iuxta Cenal. l. 2. c. 101.

Onufrius in fastis ex antiquo monimento tradit Tiberium factum hoc anno Pontificem Maximum, 6. Idus Mart. Nouus quoque Hierosolymis factus est Pontifex. In hunc enim Christi domini annum decimum sextum quadrat illa Iosephi. Et, puta Augusto, Tiberius Nero priuignus successit Liuiæ filius, Romanorum tertius Imperator, à quo quintus Iudææ præses missus est in Annij Rufi locum Valerius Gratus. Hic adempto Anano sacerdotio, Ismaëlem Fabi filium iussit esse Pontificem. Porro hic Valerius vndecim annis eam præfecturam gessit, vt ait Iosephus. Nam id quoque mortuo Tiberij fuit, Tacito teste, continuare imperia, ac pleroſque ad finem vitæ in iisdem exercitibus, aut iurisdictionibus habere.

II. Tiberius Romæ Pont. *l. 18. c. 3.*

Ibid. Ismaël Hierosolymis. *l. 1. Ant. fi.*

Sexto post Varianam cladem anno, Druso & Norbano Coss. Germanicus dimissis cū Cæcinna copijs, initio veris in Chattos Germaniæ populos ducit exercitum, eosque improuiso aduentu opprimit: fuerat animus Cheruscis iuuare Chattos, sed exterruit eos Cæcinna, huc illuc q; arma circumferens, & Marsos congredi ausos prospero prælio cohibuit. Germanicus Segestem amicum populi Romani ab Arminio obsessum liberauit, & spolia pleraque Variani cladis recuperauit. Quin & saltum adijt, in quo illa fuerat accepta, Cæcinna præmisso, qui occulta saltuum scrutaretur, ibique suis sexto demum anno humi condendis, Romani parentarunt, primum extruendo tumulo cespitem Cæsare ponente, Tiberio, ait Tacitus, pium eius officium haud satis probante, siue quod cuncta Germanici in deterius traheret, siue quod suam tacite argui putaret negligentiam.

II. Res à Germanico in Germania gestæ V. C. 761.

* *
*

ANNVS MVNDI 4069.

CHRISTI 17. B. VIRGINIS 32.

ELEAZARI Pont. 1. GRAT. 2.

TIBERII 3. Imperij Romani. 64.

OLYM. CXCVIII. A. 4. VR. C. 768.

ÆRÆ CHRISTIANÆ 16.

TErtium hunc annum expeditionis Germanici in Germaniam numerat Tacitus, cum rebus in Oriente turbatis, eò Tiberius illum destinabat. Verebatur enim ne legionum in se fretus benevolentia, res novas moliretur, studebatque ab eis abstractum, novisq; provinciis impositum, dolo simul & casibus obiectare. At is tanto accelerandæ victoriæ intentior, classem mille navium fabricat, & ad Batavos convenire iubet, moxque velitationibus aliquot exploratis suorum animis, iusto prælio cum Arminio confligit. Ab hora diei quinta ad noctem cæsi hostes, decem millia passuum cadaveribus atq; armis oppleuere, repertis inter eorum spolia catenis, quas Romanis vinciendis, vt non dubia victoria portauerant. Arminius eiusq; patruus, faciem cruore obliti ne noscerentur, impetu in obsistentes facto, euaserunt. Mox tamen ob trophæum à Romanis erectum, pugna victoriaque redintegrata est, hostibus ad internecionem concisis. Nec virtutem magis in pugna Germanicus, quam modestiam in trophæo præse tulit, tota laude victoriæ ad vnum Imperatorem relata.

Ætate iam adulta legionum aliæ itinere terrestri in hyberna remissæ: plures Cæsar impositas classi per flumen Amisiam Oceano inuexit, vbi tempestate afflictæ, ac pene consumptæ sunt. Eius cladis fama Germanos erexit, vt inchoatam à Neptuno perniciem ipsi perficerent; sed brevi collectis à Cæsare copiis ita pugnatum est, vltro vt Germani faterentur, inuictos, nullisque casibus superabiles esse Romanos. Itaque clades maritima, terrestri victoria compensata est. Iamque hostis sæpius fractus concilia pacis agitabat; & si proxima æstas esset adiecta, apparebat posse in Germania debellari; sed crebris epistolis à Tiberio revocatus Germanicus ad decretum triumphum, & consulatum, contra invidiam gemens Romam reuertit. Vbi Scribonius Libo Magorum impulsu res novas moliebatur. Sed delatus ad Tiberiū ab iis ipsis, qui eum in fraudem impulerant, supplicium propria manu anteuertit. Itaq; Mathematici S.C. Italia pulsi, duo præsenti supplicio affecti sunt. Nec tamen ipse minus cum Thrasyllo erat Mathematico, à quo spe longioris vitæ, à morte plerisque inferenda deductus est.

De luxu cohibendo decretum Senatus, deque Pseudoagrippa supplicio affecto, vide Annal.

ANNVS MVNDI 4070.

CHRISTI 18. BEATÆ VIRGINIS 33.

SIMONIS Pont. 1. Grat. 3.

TIBERII 4. & Imperij Roman. 65.

OLYMP. CXCIX. A. 1. V.C. 769.

ÆRÆ CHRISTIANÆ 17.

NOuum hoc anno Syriæ Præsidem Pisonem Tacitus suggerit, qui idoneus visus est ad consilia Tiberij de perdendo Germanico; non Metellus, qui et erat affinitate coniunctus. Nō tamen nisi anno sequenti facta est illa mutatio. Porro Germanicus 7. Calend. Iunias hoc anno de Germanis, quasi iam debellatum esset, triūphauit, quarto Tiberij anno, vt notauit Orosius. Quæ fuerit Triumphi magnificentia intelligi potest, tum ex quinque liberis eius, qui ad triumphalem eius currum additi sunt, tum ex publica omnium in ipsum benevolentia, & gradu quem in Repub. tenebat, vt Agrippæ Germanici filius, Augusti ex filia Nepos, Tiberij priuignus, & adoptione filius, & insuper bello fortis ac fortunatus. Tiberius eius nomine trecenos plebi sestertios viritim dedit, seque collegam eius consulatui destinauit.

Viuebat nihilominus in eius spectore Germanici timor, & æmulatio quædam ideóque sub honoris speciem illum in Orientem amandare aggressus est, & occasionem oblatam auide arripuit. Archelaus quinquagesimum iam annū Cappadociæ rex erat, Tiberio inuisus, quod eum Rhodi hærentem nullo officio coluisset. Illum ergo matris suæ interuentu accersitum, in Senatu accusat, breuique ad mortem adigit. Itaque id regnum in formam provinciæ redigendum erat. Per idem tempus Antiocho Comagenorum, Philopatore Cilicum regibus defunctis, turbabantur eæ nationes, plerisque Romanum, aliis regium imperium cupientibus; & provincia Syria atque Iudæa fessæ onerib⁹, imminutionem tributorum orabant. Parthorum quoque res turbatæ erant, Venone eorum rege ab Artabano Medo in Armeniam fugato, & in Romanorum fidem sese permittente. De quibus cum Tiberius apud Patres disseruisset, Patrum decreto permissæ sunt Germanico provinciæ, interiecto mari diuisæ, maiusque imperium quocunque adisset, quam iis qui sorte, aut missu principis eas obtinerent: vt pridem bello piratico in gratiam Magni Pompeij factum fuerat, Drusi quoque expeditio in Illyricum designatur, sicut & Pisoni Syriæ præfectura, ad spes Germanici coërcendas.

Germani autem discessu Romanorum, vacui externo motu, inter se ad arma conuersi, alij pro Arminio, cæteri pro Marobodduo pugnarunt, qui mox deiectus Romanorum auxilia frustra petijt. Cum interea terræ motus ita concussit Asiam, vt duodecim celebres vrbes pene abirent in præceps: cui cladi Tiberius non solum remissione tributi in quinquennū, sed alia etiam liberalitate subuenit, sed pluta

I. Germanicus magnificè de Germanis triumphat. *l. 2. Ann.*

l. 2. c. 4.

II. Tiberius eius æmulus eū destinat in Orientem.

Mors Archelai Cappadocis.

Alia in Oriente negotia;

Cōmissa Germanico.

III. Noui in Germania motus. *Tacit.*

hac de re Annales suggerent studiosis. Hoc ipso anno Furius Camillus Proconsul, in Africa bene rem gessit contra Mazippam & Tacfarinatem, & à Tiberio in Senatu laudatus triumphalia obtinuit ornamenta. Hoc anno T. Liuium, & Ouidium Nasonem viuere desijsse legimus apud Eusebium. Lilius Giraldus, ex Minutiani Apulei fragmento, recitat Ouidiũ anno exitij sui septimo, calendis Ianuarij, fuisse mortuum, quo die T. quoque Liuius decesserit: structumque poëtæ à Barbaris monimentum, quorum scilicet gratiam promeritus erat, cum Getico scripsit sermone libellum, in laudem & apotheosim Augusti defuncti, vt ipsemet scribit ad Carum. Mortuus est circiter 57. ætatis anno: non tam de poësi bene meritus, quam male de moribus.

Mort T. Liuij, & Ouidij

ANNVS MVNDI 4071.

CHRISTI 19. B. VIRGINIS 34.

IOSEPHI CAYPHÆ Pont. 1.

TIBERII 5. Imperij Roman. 66.

OLYMP CXCIX. A. 1. V. CON. 770.

ÆRÆ CHRISTIANÆ 18.

I. Pontific. Cayphæ. *l. 18. c. 3.*

NOuum singulis annis cum Iosepho Pontificem Iudæorum damus, prout illi nunc arbitratu Valerij Grati mutabantur, qui vt idẽ fecit, adempto Anano Sacerdotio, Ismaëlem Fabi filiũ iussit esse pontificem; quo paulo post deiecto, in Eleazarum Anani Pontificis filium eum hónorem trãstulit. Elapso deinde anno, & hunc redigit in ordinem, & Simoni Canithi filio Pontificatum tribuit. Hic quoq; anno in hac dignitate exacto, iussus est eam cedere Iosepho, qui cognominabatur Cayphas. His ita gestis Gratus Romam repetit, annis vndecim in Iudæa exactis. Sic Iosephus, quo duce Caipham Pontificem retinebimus, dum ille alterum suggerat.

II. Germanici profectio in Orientẽ. *Tacit. l. 2. Annal.*

Habuit hic annus Tiberium tertiũm, & Germanicum secundùm consules. Sed cum honorem Germanicus inijt apud vrbem Achaiæ Neapolim, quo venerat per Illyricam oram, viso fratre Druso in Dalmatia, vnde constat vtrumque sub finem anni præcedentis ex Vrbe profectum, & quidem Drusum priorem. Quæ causa fuerit, vt Adriatici, & mox Ionij maris aduersam nauigationem perpessus sit. Igitur paucos dies reficiendæ classi, & visendis locis Actiaca victoria inclytis insumpsit. Tum Athenas venit, vbi eum Græci exquisitissimis honoribus accepere. Petita inde Eubœa transmisit Lesbum, vbi Agrippina eius vxor nouissimo partu Iuliam edidit. Tum extrema Asiæ, Perinthumque ac Bisantium Thracias vrbes, mox Propontidis angustias, & os Ponticum intrat; cupidine veteres locos, & fama celebratos noscendi, pariterque prouincias internis certaminibus, aut magistratuum iniurijs fessis refouebat. Hæc fere Tacitus.

Suet. l. 4. c. 1.

III.

Ac Piso Germanicum celeriter subsecutus, cum Rhodi assecutus est, & ab eo naufragij periculo ereptus, nihilo minor in eum factus, præcurrit in Syriam, vbi statim largitione, ambitu, licentia legiones sibi conciliare studuit. Eius autem vxor Plancina contumelias in Agrippinam, ipsumque Germanicum iactabat; idq; hoc facilius, quod id haud inuito Imperatore fieri occulto sermone ferebatur. Quæ licet Germanico innotescerent, non prius tamen Syriam adiit, quam res Armeniæ composuisset, Zenone filio regis Ponti constituto, Cappadoces & Comagenos in prouinciæ formam redegisset. Eius interea iram auxit Pisonis superbia, qui iussus partem legionum aut ducere, aut mittere in Armeniam, vtrumque neglexerat. Ergo cũ Cyrrhi vrbe Syriæ conuenissent, ita coram paucis familiaribus disceptatum est, vt apertis odiis discederent.

Et Pisonis in Syriã.

Eius cum Germanico simultas.

IV. Herodes Tiberiadem constituit.

Ioseph. l. 18. c. 3. Antiq.

Interim à Rege Parthorum Artabano venere legati renouandæ amicitiæ gratia, in quam libenter consensit Germanicus, in odium Pisonis, vt pluribus narratur à Tacito, & Iosepho l. 18. 3. Antipas autem, qui & Herodes Tetrarcha, receptus in amicitiam Tiberij, de ipsius nomine vrbem à se conditam vocauit Tiberiada, electo ad hoc loco in ora lacus Genesareth, quò plerique incolæ ob agri bonitatem facile confluxerunt, eos præsertim Herode immunitatibus alliciente.

ANNVS MVNDI 4072.

CHRISTI 20. B. VIRGINIS 35.

IOSEPHI CAYPHÆ Pont. 2.

TIBERII 6. Imperij Roman. 67.

OLYM CIC. A. 3. VRB. CO. 771.

ÆRÆ CHRISTIANÆ 19.

I. Germanicus adit Ægyptum.

LVctuosum hunc annum facit indigna mors clarissimi atque optimi principis Germanici, qui cum Ægyptum cognoscendæ antiquitatis causa petisset, ibi aliquandiu moratus saxeã Memnonis effigiem ad solis radios vocalem, pyramidum miracula, aliáque id genus perlustrat; dum interea res in Germania turbantur. In Syria vero & in Asia cuncta quæ Germanicus, siue in legionibus, siue in vrbibus constituerat, renertens ex Ægypto antiquata reperit: vnde in Pisonem vehementer exarsit, verborum etiam vsus contumelijs. Piso vero abire Syria statuit, querelas vtique Romam ad Tiberium delaturus. Mox aduersa Germanici valetudine detentus, vt si is moreretur in prouincia subsisteret, vbi morbo recreatum accepit, Seleuciã digreditur, opperiens ægritudinem, quæ illum rursus inuaserat, & quidem tanta, vt veneni persuasionem à Pisone afferret. Ergo in multa ira & gemitu, eius amicitiæ per literas renunciat, & prouincia decedere iubet.

Pisonem Syria abire iubet.

Dati veneni suspectum.

Nec Piso vltra moratus naues soluit, cursuique moderabatur, quo citius regrederetur, si Germanici mors ei Syriam aperuisset. At is morbo fractus, finem imminentem sentiens, Pisonem & Plancti-

II. Germanicus moritur.

nam eius vxorem incusans, & vltionem ab amicis postulans, ab vxore insaniente fortuna moderationem ac modestiam, moritur: haud multum triginta annos egressus Sic Tacitus. At Suetonius distinctè, *annũ ætatis agens quartum & trigesimum.* Recte: natus quippe fuerat an. Vrb. C. 738. pergit, *diutino morbo Antiochæ obiit, non sine suspitione veneni. Et mox Obiit autem, vt opinio fuit, fraude Tiberij, ministerio & opera C. Pisonis, qui sub idem tempus Syriæ præpositus, filium sibi potius quam patrem offendendum censuit.* Sic ipse, cui cæteri scriptores, præter Velleium, consentiunt. At Tiberius, qui Germanicum quem adoptauerat, veneno aliena manu sustulit, mox vltore Deo, Drusum quem genuerat, non dissimili scelere Seiani, amissum luxit, & eiusdem Germanici filium hæredem imperij habere coactus est. Piso autem audita morte Germanici Syriam iterum occupare conatus est; sed à Saturnino, qui ei successerat, repulsus Romam petere coactus est.

l. 4. init.

III. Sacra Ægyptia quare Vrbe pulsa. *c. 4 & 5.*

Actum est etiam hoc anno Romæ, teste Cornelio Tacito de sacris Ægyptiis, Iudaicisque Vrbe pellendis: causam fusius explicat Iosephus lib. 17. Docet enim in sacris Isidis summam turpitudinem fuisse deprehensam, Paulina illustri fœmina, coniuge prædicti Saturnini, à Decio quodam Mundo, simulatione Dei Anubis, in templo nocturna conpressione polluta. Re cognita Tiberius sacrificos impostores, quorum fraude mulieri illusum fuerat, in crucem egit, dirutoque templo, statuam Isidis in Tiberim demergi iussit, Mundum autem mitiore pœna exilij castigasse contentus fuit. De Iudæis vrbe pulsis scribit idem, culpam regerens in 4. Iudæos, qui Fuluiam Saturnini coniugem, quam paulo ante Paulinam vocauerat, adductam ad amplectendam Iudaicam legem fraudauerant, purpura & auro eius, non in templum Hierosolymitanum misso, sed in proprios vsus conuerso.

Decius Mundus.

IV. Iudæi quoque cum suis ritibus, & qua ex causa. *l. 3. c. 36.*

At profecto fallor, nisi aurum hoc & purpura excogitata sunt à Iosepho, & non tota culpa fuit, quod ritus Iudaicos nobilis mulier amplexa fuerat. Suetonius certe ac Tacitus solius peregrinæ religionis meminerunt, quam Imperator & Senatus, occasione nobilis mulieris proselytæ damnarunt, & ne malum serperet latius, etecerunt. Iosephus autem illam excogitauit causam, ne hoc extaret præiudicium damnatæ à Principe & Senatu Iudaicæ religionis, ipsius per se religionis causa. *Factum est autem* S.C. vt ait Tacitus, *vt quatuor millia libertini generis, quos Iosephus fatetur fuisse Iudæos, ea superstitione infecta, quibus idonea erat ætas in Sardiniã, coercendis illic latrociniis vehrentur, vilis damno, si illic ob cœli grauitatem interirent: cæteri Italia cederent, nisi ante certam diem profanos ritus exuissent.*

l. 3. Ann. fi.

V. 4073. Funus Germanici. *Suet l. 3 Ann.*

Sequenti anno ipso mense Ianuario, cum vix Valerius Messala, & Aurelius Cotta magistratum iniissent, Agrippina nihil intermissa hyberni maris nauigatione, Romam cum mariti reliquiis venit, tota in luctum versa ciuitate, iustitioque vltro susceptо: & Tiberio luctum domesticis partibus, cum sua Germanicique matre, obtegente. Ossa in Augusti Mausolæum illata sunt, magno omnium in defunctum honore, magnis in Agrippinam viduam studiis, & in Tiberium querelis. Cumque omnium animi intenti essent ad vltionem è Pisone petendam, ille præmisso in Vrbem filio, datisque mandatis per quæ Principem molliret; Drusum in Illyricum adit, quem sperabat, Imperij sublato æmulo, sibi æquiorem fore. Cum neutrius verbis impulsus esset in metum, nati in Vrbem venit, & reditum festo ornatu epulisque celebrat: sed postridie in iudicium rapitur. Tiberius causam ad Senatum reiecit, sua oratione mitigatum; præsertim quod venenum ab accusatoribus non satis probari posset.

Cautela Pisonis.

VI. Populus in eum furit.

Interim populus foris in Pisonem furebat, ad discerpendum paratus, si Patrum sententiis euasisset: in cuius rei argumentum eius effigies traxerant in Gemonias, & diuellebant. Nec minus erat in Plancinam odium sed eam Tiberij fauor, male conciliatus, vt credebatur, protegebat. Ea cum causam suam à mariti causa diiunxisset, sensit Piso actum esse de se. Ergo domum relatus certus mori, scripsit ad Cæsarem, suos ei filios Cn. & M. Pisones infimis precibus commendans; tum immisso in iugulum gladio, sibi vitam extorquet. Tiberius M. Pisoni, qui paternæ culpæ videbatur esse particeps, veniam dedit. Dedit & Plancinæ illius matri, preces obtendens matris suæ. Sicque paulatim tota illa accusatio causaque consenuit. Gloriam autem desiderium q; defuncti auxit atrocitas insequentium temporum: cunctis nec temere opinantibus, reuerentia eius & metu repressam Tiberij sæuitiam, quæ mox erupit.

Sibi manus intulit.

Suet l. 4 c. 6. Dio l. 57. i.

ANNVS MVNDI 4074.

IESU CHRISTI 22. B. VIRGINIS 37.

TIBERII 8. Imperij Roman. 69.

IOSEPHI CAIPHÆ Pont. 4.

OLYMP. CC. 1. VRB. COND. 773.

ÆRÆ CHRISTIANÆ 21.

L. Collegæ Tiberij infelices. *l. 57.*

OLympias ducentissima inchoatur hoc anno, in cuius etiam initiũ cadit annus Sabbaticus 213. Cum autem Tiberius in quarto suo consulatu Drusum filium secundùm consulem haberet, statim, inquit Dio, Druso perniciem ominati sunt, quod nullus hactenus eius collega, nisi violenta morte obierat: exemplo Quinctilij Vari, Cn. Pisonis, ipsiusque Germanici: ita Drusus quoque, & Seianus postea eius collegæ perierunt. Principio anni Tiberius, quasi firmandæ valetudini in Campaniã concessit, longam & continentem absentiam paulatim meditans, vt per eius absentiam Drusus munia consulatus solus impleret, & summæ potestati exercendæ ferendæque assuesceret.

II. Varij bellorum motus.

Motus in Africa renouauit Tacfarinas, diuersique in Thracia populi, & in Gallia Treueri, & Æduï, Floro & Sacrouiro ducibus, qui ob magnitudinem æris alieni, ad quod tributorum magnitudine adigebantur, rebellionem cœpere. Ij tumultus Vrbem de more in magnum cõiecere metum, fortiter dissimulante Tiberio. Sed vtrisque bello victis, vterque dux manus intu-

Obitus Quirinii.

lit sibi, vt fusius narrat Tacitus. Tum demum Tiberius Senatui scripsit, ortum patratumque bellum, consilijs suis, fide ac virtute legatorum. Hoc tempore, vt idem ait, Sulpicius ille Quirinius, quo in Syria Præside natus est Christus dominus, extinctus est, sed in sordida, & præpotente senecta, post repudiatam multos ante annos Æmyliam Lepidam, adulterij causa.

III. Occasio decreti de differendo mortis supplicio.

In fine anni C. Luterius Priscus, Romanus eques, celebre carmen in funere Germanici scripserat, cuius causa donatus à Tiberio pecunia fuerat. Quo præmio excitatus, Druso ægrotante aliud scripsit, quod in eius funere vsui foret, quod maiore etiam præmio dignum ducebat. Id cum per iactantiam lectitasset, quasi ominosus vates, & reus mortis principis concupitę, vltimo supplicio celeriter affectus est. Quę fuit causa Tiberio, vt decretum fieret à Senatu, ac deinceps mortis sententia ante decimum diem executioni mandaretur, si qua forte interea causa gratiæ nascereturin l. si vindicari, C. de pœnn. , quam apparet Tiberiũ huic poëtæ conferre voluisse, nisi eum properata mors hominis occupasset: idque tempus tempore Theodosij ad 30. diem, S. Ambrosio agente protractum est.

VI.

4075. Noui magistratus. l. 7 c. 3. l. 3. c. 42. Tiberii intemperantia.

Sequente anno Sulpicium Galbam, patrem Galbæ imperatoris factum consulem memorat Tranquillus, eoq; cum Haterio Agrippa Consule, factus est Syriæ Præses L. Pomponius Flaccus. Persuadet Suetonius, qui ait ipsa publicorum morum correctione, Tiberium cum Pomponio Flacco, & L. Pisone noctem, continuumque biduum epulando potandoque consumpsisse, quorum alteri Syriam prouinciam, alteri Præfecturam Vrbis confestim detulit. Eã correctionem declarat Tacitus, cum ait hoc anno de compescendo infinito luxu vehementer in Curia decertatum fuisse, remque integram ad principem fuisse translatam: qui literis ad Senatum datis, fassus est imparem se perficiendo negotio. Nimirum quia ipsemet luxui deditus in primis, correctione vel maxime indigebat: quod Suetonius pluribus docet exemplis.

loc. cit.

V. Druso filio tribuit Tribunitiã potestatem

Mox autem literas ad Senatum misit, quibus Tribunitiam potestatem Druso filio, quem modeste ac moderatè laudabat, à Patribus postulabat; qua dignitate Augusti exemplo, illum sibi successorem Imperij designabat: nec mortuo Germanico supererat alius, qui in hoc fastigiũ eueheretur. Res ab ijs facile impetrata est, qui dissentire poterant, impedire non poterant. Agebat is nunc 36. annum, & erat trium liberorũ pcrens, & vir triumphalis, & fuerat semel iterũque Consul, & quod caput erat, filius erat Imperatoris. Refert Tacitus in præsentem annum casu incensum Theatrum Pompeij, quem Cæsar se restituturum pollicitus est, eo quod nemo ex ea familia instaurando sufficeret, manẽte tamen nomine Pompeij. Cumque simul Seianum laudibus extulisset, quod eius labore ac vigilantia factum esset, statuam æneam, iuxta id theatrum, Patres decreuere. Quod exemplum pleriq; secuti sunt, immensæ illius gratiæ apud Tiberium, potentiæque velificantes. In quem cum aliqui dicaces extitissent, specie alicuius alterius culpæ, eius opera damanati, periere.

Theatrũ Põpeii.

Seiani fauor & potentia.

ANNVS MVNDI 4076.

CHRISTI 24. B. VIRGINIS 39.

IOSEPHI CAYPHÆ Pont. 6.

TIBERII 10. Imperij Roman. 71.

OLYMP. CC. A. 3. V. C. 775.

ÆRÆ CHRISTIANÆ 23.

REddidit Deus hoc anno promptam Tiberio mercedem perfidiæ in Germanicũ suæ, Druso Seiani fraudibus interempto, vt mox dicetur. Nec nobis repugnat Tacitus, quamuis his Coss. nonum numeret annum Tiberij. Nonum enim agebat imperij cum Coss. isti creati sunt, decimum autẽ mense Augusti inchoauit, eiusq; nos rationem habemus, sicut & ipse habuit, qui tum ludos decennales celebrari voluit, & Imperium, exemplo Augusti, in quinquennium sibi, aut decennium confirmari. Ambiebat hoc tempore Syriæ præfecturam Ælius Lamia, & videtur à Tiberio eius promissionem abstulisse; sed nunquam ea potitus est, vt qui mortuus fuerit ante Flaccum, qui ad mortem vsq; Syriæ Præses fuit. Sed iam Drusi & Seiani rem agamus.

I. Ratio tẽporis. *Vide Ann. n. 1.*

Tacit. l. 1. & 6. Ann.

Ælius Seianus, Seio Strabone equite Romano genitus, in Æliorũ familiã adoptione transiit, & factus est Seianus. Hic cum in intimam Tiberij amicitiã irrepsisset, in maximam ab eo potentiã est euectus, & crescente ambitione dominatum captare cœpit. Et cũ esset Præfectus Prætorio, vt milites haberet ad manũ, si qua vis esset adhibenda, multũ castra in Vrbe, consensu Tiberi collocauit, quos ijsdem sibi artibus conciliauit, qui agitare solent, quity rannidem affectant. In Senatu quos habebat clientes, eos honoribus & prouincijs à Tiberio ornari curabat. Et quoniam vim periculosam cernebat, per fraudem tollere statuit, qui cœptis obsistebant. Primus occurrit Drusus iam consors imperij, in quem etiam recenti ira ferebatur.

II. Seianus ambit dominationem.

Et Drusi ruinam.

Nam Drusus impatiens æmuli, & animo cõmotior, orto forte iurgio intẽderat Seiano manus, & contra tendentis os verberauerat. Seianus vindictæ auidus, Liuillam eius vxorem, adulterio ante polluram, regni, aut coniugij potius promissione allectam, in mariti armauit necem. Et vt spem Liuillæ faceret nuptiarum, propriam vxorem Apiacam, ex qua tres susceperat liberos, domo pellit, & venenum tollẽdo Druso eligit, quo paulatim irrepente, fortuitus morbus adsimularetur. Id Druso datum per Lygdũ spadonem, vt octo post annos cognitum est, quando scilicet extinctus est, Apicata eius scelera prodente. Per omnes autem eius valetudinis dies, Tiberius laudem fortitudinis in iustissimo dolore captabat: eodemq; defuncto, necdum sepulto, curiam ingressus, Senatum in luctũ effusum consolatus est, & Germanici liberos Neronem & Drusum, adolescentes in curiam euocatos patribus enixe commendauit. Funus Drusi maxima pompa celebratum est, Tiberio ipso filium pro rostris laudante, Senatu populoque in eius gratiam foris lugente.

III. Rixa Drusi & Seiani *Vide hic Annal.*

Drusus opera vxoris à Seiano veneno tollitur.

IV. Publicus in Germanicum fauor. *Dio l. 57.*

Animo enim lætabantur reuiuiscere Germanici domum, qui Drusum, vt hominem impurissimum & extremæ læuitiæ oderant, vt gladij acutissimi ab eo Drusiani vocarentur. Cæterum hoc publici fauoris initium, in eoque spem suam Agrippina Germanici vidua male tegens, perniciem ipsi accelerauit. Interea alter ex Drusi geminis extinguitur, & histriones, Cæsare ipso ad Senatum referente, Italia pulsi sunt, vt scribit Tacitus, Dio vero Roma tantum pulsos ait, interdictumque ne histrionica deinceps arte vterentur. Seianus autem Tiberium in Germanici familiam, quasi æmulam imperij exasperabat, affirmans ciuitatem, vt in ciuili bello, in duas partes esse distractam, alteramque Agrippinæ fauere, alteram ab ipso stare. Itaque Tiberius in eam familiam alioqui parum æquus, simulque in eam Seiani felle aspersus, primum Pontifices & Sacerdotes, qui Germanici filios dijs commendabant, quando pro Principe vota faciebant, ad se vocatos arguit, quod adolescentes senectæ suæ exequarent. Deinde Senatum oratione monuit, ne mobiles adolescentium animos, præmaturis honoribus ad superbiam extolleret. Denique Seiani monitu aliquos, qui eminebant in fautoribus Germanici calumnijs, quasi reos maiestatis oppressit, in ijs C. Silium virum clarissimum, & Calphurnium Pisonem, quem ad manus sibi inferendas adegit. Hæc tam his, quam sequentibus facta consulibus, quibus in Africa à Dolabella occiso Tacfarinate debellatum est: & seruile bellum in Italia exortum, propere à Curtio Lupo Quæstore oppressum est.

In quem Seianus Tiberiũ incitat.

V. C. 776. *Tacit. l. 4.*

4077. Debellatum in Africa.

ANNVS MVNDI 4078.

CHRISTI 16. B. VIRGINIS 41.

IOSEPHI CAYPHÆ Pont. 8.

TIBERII 12. Imperij Roman. 73.

OLYMP. CCI. A. 3. V. C. 777.

ÆRÆ CHRISTIANÆ 25.

I. Cædes in iustæ operæ Seiani patratæ. *Tacit. l. 4. Ann. Dio l. 57 & Suet. l. 3. 4. 41.*

OCto iam secula sub Olympiadibus transacta sunt, huius initio, atque his Coss. Cremutius Cordus nouo crimine postulatur, quod editis Annalibus, laudatoque M. Bruto, C. Cassium Romanorum vltimum appellasset. Accusabant Seiani clientes, & Cæsar truci vultu defensionem accipiebat. At verum crimen erat, quod Seianum liberius perstrinxisset. Addit Tacitus, egressum à Senatu vitam abstinentia finiuisse. Et quamuis Patres censuissent libros per ædiles cremandos, manserunt tamen occultati, moxque editi à filia eius Marcia, ad quam extat Senecæ consolatio. Hoc anno Tiberius Hispanos postulantes, vt sibi liceret templum extruere Tiberio, eiusque matri, non minus sapienter fortiterque repulit, quam stulte, atque ambitiose Asianis ante concesserat. Seianus autem, muliebri cupiditate incitante, & promissum matrimonium flagitante Liuilla, præmium sublati veneno mariti, id à Cæsare per codicillos petit: quod à Tiberio oblique negatum est, & vitandæ inuidiæ causa, dissimulatum ad tempus. Interim cum Seianus ab Vrbe abducere parat, relaxationis ac rusticationis causa, vt ipse commodius eo absente, gradum ad dominationem faceret; quam ille viam, scelera sceleribus accumulando, sibi sternebat.

Liuillam coniugẽ ambit Seianus.

Tiberius abire ex vrbe meditatur.

Sequenti anno, Gætulino & Sabino Coss. durante adhuc anno Tiberij duodecimo, *Gratus Romam repetiit, vt ait Iosephus, exactis in Iudæa annis vndecim, cui deinde Pontius Pilatus successor missus est*, qui cum signa quædam cum effigie Cæsaris in vrbem intulisset, grauiter à Iudæis tumultuatum est, vt accurate in Annalibus explicatur. Iisdem Coss. series futuri Agrippinæ exitij cœpta est, Claudia Pulchra sobrina eius adulterij accusata, atque damnata; nequicquam Tiberium sollicitante Agrippina. Quæ mox, corporis animique morbo affecta, visitur à Tiberio. Illa profusis diu per silentium lacrymis, rogauit Tiberium, vt subueniret solitudini, & maritum daret. At Tiberius intelligens quantum interesset Reipubl. iratæ Augusti nepti coniugem dare, qui res nouas moliretur, mulierem quamuis instantem, sine responso reliquit. Sed mœrentem atq; improuidam Seianus altius perculit, suspectum ei reddens Tiberium, de præparato ipsi veneno.

II. 4079 Pilatus Iudææ Procurator. *Ioseph. l. 18. c. 3.*

Tiberius negat matrimũ Agrippinæ.

III. Seianus intẽtus in perniciẽ filiorum eius.

In perniciem quoque filiorum Germanici & Agrippinæ intentus, maiorem natu Neronem circumuenit. Nam illum iuueniliter de futura imperij successione exultantem, magis magisque per clientes suos instigat ad improuidas voces, quas illi ad Seianum & Tiberium deferunt, ex quo Tiberij odium in illum non occultum. Dumque huius ruinam texit Seianus, simul etiam fratris eius Drusi perniciem orditur, dum eum æmulatione in spes fratris exacuit, spe obiecta principis loci, si priorem ætate, & iam labefactum demouisset. Sic ille Drusum pernicioſe fouebat, quem sciebat præferocem, & insidijs magis opportunum.

IV. Tiberius abit ab Vrbe.

Suet. l. 3. c. 40. Tacit. l. 4. Annal.

Aliquanto post Tiberius diu meditatam ex Vrbe profectionem in Campaniam suscipit, specie dedicandi templum, apud Capuam Ioui, apud Nolam Augusto, re autem ipsa, vt procul ab vrbe degeret, siue ex Seiani consilio, siue quod vellet læuitiam & libidinem, quæ factis promebat, locis occultare, siue quod matrem dominationi sociam vitare cuperet, quam ferre cogebatur, vt qui eius opera Imperium Germanico ab Augusto destinatum accepisset. Ergo cum Seiano, pauciſque alijs profectus est, quibusdam vaticinantibus, eum Romam nunquam redituru, quamuis ipse subinde reditum polliceretur, vt ait Dio.

* * *

ANNVS MVNDI 4080.

IESV CHRISTI 28. B. VIRGINIS 43.

CAYPHÆ Pont. 10. PILATI 2.

TIBERII 14. & Imper. Rom. 75.

OLYM. CCI. A. 3. VRB. CO. 779.

ÆRÆ CHRISTIANÆ 27.

I. Ruina theatri Fidenatis *Tacit. 4. Suet l 2. c. 40. Oros. l. 3 c. 4.*

INgentis belli cladem æquauit hoc anno geminum malum, alterum ex ruina amphitheatri Fidenatis, qua ad quinquaginta hominum millia, vel debilitata casu, vel obtrita sunt: & ipse operis autor Attilius in exilium actus est. Alterum ex incendio montis Cælij, cui malo cum Tiberius benignitate pecuniaria subueniisset, pro modo accepti detrimenti tribuendo, magnam populi beneuolentiam est assecutus; gratiæq; illi apud Senatum actæ, additæq; sententiæ, vt mons Cœlius in posterum appellaretur Augustus. Ipse autem dedicatis per Campaniã, Nolæ scilicet & Capuæ, templis, Capreas se in insulam abdidit, trium millium freto ab extremis Surrentini promontorij distinctam, importuoso circa mari, & vix modicorum nauigiorũ patiente. Id factum ait Tacitus amore solitudinis & quietis. Quam autem adamaret quietem, discе Lector ex Suetonio.

Tiberius abdit se Capreis.

II. Neglecta Reip. cura. *l. 3 c. 41.*

Regressus, inquit, *in Insulam Reip. curam vsq; adeo abiecit, vt postea non decurias equitum vnquam supplerit, non tribunos militum præfectosque, non prouinciarum præsides vllos mutauerit. Hispaniam & Syriam per annos aliquot, sine consularibus legatis habuerit, Armeniam à Parthis occupari, Mœsiam à Dacis, Sarmatisq; Gallias à Germanis vexari neglexerit, magno dedecore imperii, magnoq; discrimine, vinctos quoque negligebat audire.* Moræ etiam causas referebat amicis, vt non solum ipse vitaret molestias, sed subditis consuleret, quos noui Præsides egeni spoliabant, saginati segniores erãt ad rapinam: vinctos autem volebat interea priorum scelerum pœnas dare. Alium quoque finem habebat Tiberij quies. Audi eundem Suetonium. *Nactus*, inquit, *secreti licentiam, & quasi à Ciuitatis oculis remotus, cuncta simul vitia diu dissimulata profudit.* Et alio loco, ait eum in secessu Capreensi sellariam excogitauisse sedem arcanarum libidinum, quas pudor est vel scriptas legere, vel audire. Sed illam ipsam nihilominus quietem Seianus nouis semper in Germani familiam artibus perturbabat.

Cur præfectos diu conseruaret.

Eiusdem nequitia.

III. Herodes fratris vxorem accipit.

Sub hoc tempus contigit Herodem Antipam Galilææ tetrarcham Herodiadem vxorem fratris sui Philippi non inuitam sibi accipere; moribus enim satis congruebant, vterque crudelis ac ferox, cum Philippus, Iosepho teste, vir esset perpetuo modestus, & amans quietis. Sub hoc, inquam, tempus susceptũ est hoc scelus, cum à Ioanne sub initium prædicationis suæ, quod in 15. Tiberij annum cadit, de eo facinore fuerit reprehensus, & Ioannes vicissim missus in carcerem, vt dicetur. Quoniam autem hic Antipas, vt Herodiadem duceret, repudiarat vxorẽ suam Regis Aretæ filiam, bellum inter vtrumq; conflatum est. Prælium tamen in quo exercitus Herodis internecione deletus est, non ante mortem Ioannis cõmissum est: creditum quippe est eam cladem diuinitus inflictam Herodi, propter interfectum ab eo Ioannem Baptistam.

Luc. 3. Bellum eiusdem cũ Areta. *Ioseph. l. 18. c. 7.*

ANNVS MVNDI 4081.

CHRISTI 29. B. VIRGINIS 44.

CAIPHÆ Pont. 11. PILATI Præf. 3.

TIBERII 15. Imperij Roman. 76.

OLYMP. CCI. AN. 4. VR. C. 780.

ÆRÆ CHRISTIANÆ 28.

I. Ioannes incipit cõcionari, & baptizare.

INchoabat Tiberius 15. annum Imperij ab Augusto mense anni præsentis. Quo anno iam per quatuor menses inchoato, Christus Dominus iniit annum 30. in cuius initio ad Baptismũ venit, vt dicetur anno sequenti. Ex quo intelligitur 15. Tiberij, cum 29 & 30. Christi componi. Quamquam fatemur factum esse verbum Domini ad Ioannem filium Zachariæ in deserto, cum Christus nondum explesset annum 29 Iam enim dudum, vt ex Euangelistis liquet, Ioannes concionabatur, & baptizabat ad Iordanem, & ad eum veniebat omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem, cum ad eum Iesus quoque venit à Galilæa, vt ab eo baptizaretur, idque factum est, vt dicetur, 6. Ianuarij anni sequentis.

Matt. 3. 1. Mar. 1. 4. Luc. 3.

II. Sabini inusta cædes opera Seiani & Tiberii *Tacit. l. 4.*

Porro hoc anni principio tractus est in carcerem Titius Sabinus Romanus eques, ob amicitiam Germanici, cuius familiam etiam nunc, infenso Tiberio & Seiano, sectabatur. Quatuor accusatores Prætorij eum inuadunt cupidine cõsulatus, ad quem non nisi per Seianam aditus patebat. Illum ergo vnus ad liberiores de Imperatore sermones domi trahit, positis in insidijs, qui dictorum testes forent. Itaq; accusatus, & rescripto Imperatoris ipsis Calend. Ianuarijs damnatus est. Dio tamen, ait illum indicta causa coniectum in carcerem, & necatum: & corpus eius ad scalas Gemonias primum, deinde in flumen proiectum. Eius casus atrocitatem adauxit Sabini canis, qui cum eo in carcerem iuit, morienti affuit, denique cum eo se in flumen præcipitem dedit. Hæc Deo, & ex eo Zonaras. Secutę sunt mox literæ Tiberij gratias agentes Senatui, quod hominem infensum Reipubl. puniuissent.

l. 5. init. Canis in herum amor.

III. Clades Romanorum.

Eodem anno Frisij male Romanos acceperunt. Nam nongentos apud Lucum Baduhennem confecerunt; & rursum quadringenti mutuis vulneribus perierunt, dissimulante damna Tiberio, ne cui bellum permitteret, à quo imperio priuaretur. Interea neq; ipse, neq; Seianus vllam visendi sui copiam faciebant, neque, licet crebris solicitati precibus, aut in vrbem, aut in propinqua vrbis digressi sunt. Cæterum Tiberius neptem Agrippinam Germanici filiam, Cn. Domitio vxorem tradidit, ex quo matrimonio postea natus est Nero ille, qui præ cæteris Imperatoribus crudelitate notissimus est.

Agrippina Domitio nubit.

ANNVS MVNDI 4082.

CHRISTI 30. B. VIRGINIS 45.

IOSEPHI CAYPHÆ Pont. 12.

PILATI IVDÆÆ Præsidis 4.

TIBERII 16. Imperij Roman. 77.

OLYMPIA. CCII. A. 1. V.C. 781.

ÆRÆ CHRISTIANÆ 29.

I. Christus baptizatur anno 30 ineúte *Luc 3.*

ETsi decimus sextus Tiberij inchoatur Augusto mense, hunc tamen annum recte vocat Euangelista Tiberij decimum quintum, quoniam is adhuc perfecto fere menses voluebatur, in quorum initio, sexto videlicet die Ian. Iesus Christus ad Ioannem venit, ab eoque baptizatus est, anno ætatis trigesimo per tredecim dies inchoato. Id ex historia horum temporum, à cæde Iulij Cæsaris, ad præsentem annũ, per tres & septuaginta annos expansos, in Annalibus nostris accuratè demonstrauimus. Et clarissimo D. Lucæ testimonio, dicentis Christum inchoasse trigesimum annum, cum à Ioanne baptizatus est. *Et ipse Iesus*, inquit, *erat incipiens quasi annorum triginta*. Quæ verba licet plerique variis interpretationibus in suam sententiam trahant, illa tamen planissima proculdubio mens est Euangelistæ, vt cum protulisset ætatem Christi, *quasi annorum triginta*, videretque adhuc dubitari posse, an esset in principio, subdidit declarando ἀρχόμενος, *incipiens*; quod verbum plane superfluum est, ne dicam falsum, & S. Lucas dicere voluit, Christum triginta annos propemodum expleuisse.

n.1. ad 17.

Luc. 3. 23.

II. Multorũ æstimatio.

Nostra porro interpretatio est grauissimorum virorum, qui tum nostra, tum patrum memoria floruerunt, consentiens conspiransque sententia. Vatablum dico & Oecolampadium, Sigonium & Pererium, Baradium, Lyranum & Caietanum, Hugonem Cardinalem, Carthusianum, & Clarium, Genebrardum & Adrichomium, Marianam & Cardinalem Toletum, Suarem & Abulensem, quorum magna ex parte verba retulimus in Annalibus, quoniam eum locum ex instituto tractant, Addidimus & antiquiores S. Thomam, venerabilem Bedam, Eusebium, S. Irenæum, Tertullianum, Africanum, Clementem Alexandrinum, cum ijs omnibus, qui olim putauerunt Christum passum anno ætatis trigesimo, duobus Geminis Coss. in quibus est etiam sanctus Augustinus, Lactantius, & Paulus Orosius, qui necessario dicere debent Christum initio trigesimi anni esse baptizatum, & vno tantum anno concionatum: quod nemo nunc dicit, quod Euangelistæ plura Paschata prædicationis Christi aperte suggerant, vt deinceps dicemus. Nam quod aliqui illud Euangelistæ *erat incipiens annorum triginta* referunt ad initium prædicationis Christi, non ad definitionem annorum eius, cum à Ioanne baptizatus est, vim afferunt verbis Lucæ, & recto loquendi modo; præsertim cum toto illo capite, & bona parte sequentis, nulla sit de Christi prædicatione mentio; proxime autem de baptismo ageretur.

Etiam Aug. quorũ

l. 18. de Ciu. c. ult. l. 4. c. 10. & l. 7. c. 4.

c. 3. 23.

Cæterum quod S. Ioannes dicitur exercuisse prædicationis officium in deserto, sub principibus Sacerdotum Anna & Caypha, non ita accipiendum est, quasi fuerit vterq; hoc tempore pontifex, vnus enim Cayphas annum iam duodecimum ea dignitate fungebatur, neque Annas, siue Annas à morte Augusti pontificatum attigisse reperitur. Dicitur tamen princeps Sacerdotum, siue quia pridem fuerat pontifex: neque insolens est in Scriptura dici pontificem, nõ qui sit, sed qui ante fuerit. Nam Abiathar amotus à Salomone à Sacerdotio, æque ac successor eius Sadoc Sacerdos dicitur. Et Simon Leprosus appellatur in Euangelio, non qui erat, sed qui fuerat. Siue quia sanctiori concilio Sacerdotum præsidebat, siue quia ex Cayphæ consensu, erat quasi Coadiutor Pontificis, qui id honoris illi vt socero, vt seniori, vt pridem eadem dignitate functo, libenter deferebat.

III. An Annas & Cayphas anno simul pontifices

1. Reg. 4. 4. Mar. 14. 3. Matt. 26 6.

Sed occurrit grauis, minimeque dissimulanda difficultas. Si enim ineunte trigesimo anno Christus baptizatus est, & conciones habere cœpit, cum eius conciones ex munitissima sententia tribus annis circunscribantur, oportebit Christum mortuum esse trigesimo tertio ætatis suæ anno per tres quatuorve menses inchoato, & non 34. ineunte. Respondet primo nihil esse absurdi, neq; repugnans Euangelistis, concedere quinque Paschata, ex quo Christus per baptismum mundo factus est manifestus. Primum est id quod proxime secutum est eius baptismum, 6. Ianuarij receptum. Alterum est id quod secutum est nuptias in Cana Galilææ celebratas, quas Ecclesia prædicat eadem die celebratas. Fieri autem non potest vt eodem numero die quo baptizatus est Christus, venerit ad nuptias, quia, vt ait Marcus, *statim* à baptismo *Spiritus expulit eum in desertum*, vbi 40. dies commoratus est. Tertium memoratur à Ioanne init. c. 5. nam ibi memoratum festum S. Irenæus, Rupertus, Toletus, Iansenius, alijq; passim pascha interpretantur. Quartum perspicuè nominatur à S. Ioanne, vbi celebrat miraculum quinque millium hominum, quinque panibus & duobus piscibus cibatorum; deque eo nulla est controuersia, sicut nec de quinto in quo passus est Christus.

IV. Quando cœperit Christus ócioparı

Quinque paschata

c 5.12.

c. 6. 4.

Respondeo secundo, non esse absurdum Christum primo anno, qui intercurrit inter baptismum eius, & miraculum factum in nuptijs, non esse concionatum, neque vllum edidisse miraculum, cui primum in nuptijs factum esse constet. Eam sententiam tanquam veram, & Ecclesiæ sensui consentaneam amplectitur S. Thomas, Caietan. Rupert. Genebrardus, Baradius, Benedictus Pererius, & alij quibus libenter subscribimus. At eluditur fundamentum nostrum de consensu Ecclesiæ in miraculo vini, baptismo & Epiphania Christi in eundem diem incidentibus, eluditur inquam, à dicentibus Ecclesiam illo die tria illa mysteria celebrare, peinde ac si eadem die contigissent, licet diuersis diebus, ijsque incertis contigerint. Quibus cum Baradio nostro respondemus: hanc sententiam perspicuè verbis Ecclesiæ significari, ei qui tergiuersari nolit

V. Cœpisse anno post baptismũ

l. 1. in 2. Ioan. 10. 14

In Anaphor. Benedictus, & ad Magnif.

Eodẽ die Epiphaniam, Baptisma, & miracul. vini contigisse.

t. 2. l. 1. c. 12

Quor-

Quorsum enim Ecclesia vno eodemque die illa celebraret, quæ eodem die acta esse non putaret? Nunquid deerant diuersi dies, qui his miraculis celebrandis destinarentur? Imo illo eodem die peracta esse asserit, celebrat vero diuersis. Ipso videlicet die Epiphaniæ Magorum aduentum, in octaua Epiphaniæ baptismum, Dominica sequenti aquæ in vinum transmutationem. Quid igitur opus erat affirmare eodem die esse peracta, si diuersis contigerant? Idem affirmant S. Ambrosius, S. Augustinus, S. Maximus, S. Thomas, & Rupertus, quorum verba recitamus in Annal.

VI. Res anno Baptismi gesta.

Quæ autem hoc reliquo anno ad nuptias vertente anno celebratas contigerunt summa breuitate notata sic habe. Christus baptizatus à Ioanne in Iordane, ducitur à Spiritu sancto in desertum, vbi ieiunat totos quadraginta dies: deinde esuriens tentatur à diabolo, eoque in triplici tentatione superato, accesserunt Angeli, & ministrarunt ei. Inde Christus in Galilæam abijt ad matrem, vt ait S. Epiph. extremo mense Februario. Deinde partim in Galilæa, partim in Iudæa vsque ad Decembrem egit, sæpiusque ad Ioannem venit. Interea Ioannes coram turbis, absente Christo testimonium perhibet de eo. Mox secuta est Hierosolymitana legatio, scitatum num Ioannes esset Messias. Qua ille occasione sapienter vsus, Christum eis adhuc ignotum annunciauit. Postridie à legatione venit Iesus ad Ioannem, qui eo præsente dixit circunstantibus, *Ecce agnus Dei*, &c. Sequenti die ab hoc testimonio dato, erat Ioannes cum duobus discipulis suis, cum vidit Iesum ambulantem, & dixit eis, *Ecce Agnus Dei*. Qua illi voce commoti venerunt ad Iesum. In ijs erat Andreas, qui sub vesperam à Christi domo digressus, inuentum fratrem deduxit ad Iesum. Postridie Christus rediturus in Galilæam inuenit Philippum, & vocauit eum: & ille adduxit ad eum Nathanaëlem, quem Rupertus putat esse Bartholomæum. Nec plura hoc anno gesta reperiuntur.

Hæresi 51.

Barrad l. 2. c. 16. Sophro. in prato Spir. cap. 1. 1. Ioan. 15. Ioan 1. 29. & 35. &c.

v. 43.

VII. Obitus Liuiæ vxoris Aug.

De historia Romana scribit Tacitus, sub huius anni Consules Liuiam vxorem Augusti extrema ætate esse defunctam, anno, vt ait Dio, octogesimo sexto, vel secundo, vt Plinio placet. Eam Tacitus Iuliam Augustam vocat, quod id nomen in funere Augusti acceperat, vt ex Dione constat. Funus eius modicum, inquit Tacitus: testamentum diu irritum fuit; laudata est pro rostris à C. Cæsare pronepote, qui mox rerum potitus est. At Tiberius, quod supremis in matrem officijs defuisset, nihil mutata vitæ amœnitate, magnitudinem negotiorum per literas excusauit, honoresque memoriæ eius, ab Senatu large decretos, quasi per modestiam imminuit, paucis admodum receptis, & addito, ne cęlestis religio decerneretur, sic ipsam maluisse: præ modestia videlicet.

l. 5. Annal. l. 58. init. l. 14. c. 6. l. 56. in fi.

VIII. Eiusdem superbia, & autoritas apud Tiberiũ.

Eius tamen fastum Dio vehementer arguit, eamque superbia omnes retro fœminas longo interuallo post se reliquisse dicit, adeo vt literæ ad Tiberium, ad ipsam quoque inscriberentur: ac nisi quod in Senatum, ad exercitum, aut conciones, venire ausa non est, cætera omnia ageret, quasi Imperium ipsa teneret, & priores Tiberio gereret, quod ipsi eius opera Imperium, quamuis non sine scelere, collatum fuisset; si suspiciones Taciti de nece Augusti, Marcelli, Germanici, & Agrippæ iunioris veræ sunt. Qui ait eam publicæ rei vtilem fuisse, quod ea incolumi, erat adhuc perfugium, propter inueteratum Tiberij in matrem obsequium, cui neque Seianus audebat anteire. Tunc autem velut freno exoluti ambo, in grauiora scelera prorupere.

ANNVS MVNDI 4083.

CHRISTI 31. BEATÆ VIRGINIS 46.

IOSEPHI CAYPHÆ Pontif. 13.

IVDÆÆ PILATI Præsidis 5.

TIBERII 17. Imp. Rom. 78.

OLYMP. CCII. A. 2. V. C. 782.

ÆRÆ CHRISTIANÆ 30.

I. Alter annus à Christi & baptismo

QVoniam superiore anno de dispositione tẽporis rerum à Christo gestarum satis dictum est, ea suppolita, quæ in hunc annum cadunt, pari qua cœpimus breuitate decurramus, expositione interpretibus relicta, quam copiose tradent Baradius, Iansenius, Maldonatus, alijque numero plurimi, omniq; eruditione clarissimi. Initium anni huius, sextus videlicet Ianuarij dies, eximio miraculo aquæ in vinum conuersæ consecratur, tertio die ex quo Iesus abijt in Galilæam, vt ait Origines. Affuit nuptijs mater eius (nam nutritius iam obijsse creditur) & discipuli illi pauci, quos adhuc collegerat, Petrus, Andræas, Philippus, Nathanaël, & si quis alius: qui viso miraculo, maiora in eũ fidei incrementa ceperunt. Inde Christus venit in vrbem Capharnaum cum suis: ibique cum eis non multis diebus est commoratus: nam festo Paschatis appropinquante ascendit Hierosolymam, venitque in templum, vnde vendentes & ementes flagello expulit.

Et quæ in eo gesta. *tom. 9. in Ioan.*

Ioan. 2. 12.

II. Sub festũ Paschatis

Cum Iudæi signum peterent, quo probaret, se legitima potestate instructum negotiatores templo exegisse, Christus signum eis dare noluit, in præsentia contentus suam mortem & resurrectionem prænunciare. Mox autem in eodem festo multa miracula edidit, propter quæ multi crediderunt in eũ. In ijs fuit Nicodemus, qui venit ad Iesum nocte, vt miraculorũ incitatus: cũ quo Dominus de baptismo disputationẽ instituit, deq; sua missione in mũdum, vt omnis qui in ipsum crederet, haberet vitam æternam. Post hæc Iesus digressus Hierosolymis, venit in alia Iudææ loca, & illic demorabatur cũ discipulis suis, quorũ opera baptizabat. Refert tamẽ Nicephorus ex Euodio Christũ manibus suis Petrum tantũmodo baptizasse, ab eo vero fratrẽ & filios Zebedæi baptizatos; ab his deinceps reliquos Apostolos & discipulos. Euthymius autem in 3. Ioan. Scribunt, inquit, quidam Apostolorum temporibus proximi, quod Christus Petrum ac Virginem matrem baptizauerit, Petrus vero reliquos Apostolos. Addit Nazianzenus Ioannem Baptistam à Christo baptizatum.

Ioan. 2. 23.

c. 3. 3. 16.

ibid. v. 21.

Christi baptismo variis cõfertur. An à Christo ipso. *l. 2. c. 8.*

Orat. 39. sub fi. vide ar. Christi 30. n. 41. & 42. in Annal.

excitatus sedat. Cum autem venturn esset trans fretum in regionē Gerasē quorum liberati sunt duo obsessi à dæmonibus, qui permissu Christi gregem porcorum in mare præcipitem dederunt. Tum ciues ei occurrentes rogauerunt eum, vt transiret ab eorum finibus, ne Syri ad quos porci illi pertinuisse creduntur, ciues male mulctarent, vt fauentes illi, per quem ea clades contigisset. Conscensa ergo nauicula redijt Capharnaum, ibique paralyticum sanitati restituit, dimissis prius peccatis ejus; eiusque facti calumniatores reprehendens, omnes in admirationem conuertit. Post sanatum paralyticum, iussumque in signum adeptæ sanitatis ferre lectum suum.

Alia deinceps miracula. *Matth. c. 8. 23.*

IV. Vocatio publicani *Luc. 5. 29. & segq.*

Digressus inde vidit publicanum sedentem in telonio, & eum vocauit ad se: & Scribas & Pharisæos obmurmurantes, quos cum publicanis cibum sumeret, sapienter repressit. Qui nihilominus de discipulis Ioannis quæstionem proposuerunt, cur ipsis ieiunantibus, Christi discipulis non ieiunarent, quibus cum Christus responsum daret, Archisynagogus eum rogauit, vt ad filiam suam morti vicinam veniret; ad quam proficiscens, sanauit in via mulierem fluxit sanguinis duodecimum iam annum laborantem, fimbriæ suæ contactu. Moxque filiam Archisynagogi patri mortuam reuocauit ad vitam. Transeunte autem inde Domino, secuti sunt eum duo cæci clamantes, quos tactis eorum oculis illuminauit: & homini ex infesto dæmone muto, illo ejecto locutionem restituit, non sine blasphema calumnia Pharisæorum.

Matt. 9. 18.

Excitatio puellæ mortuæ.

Idē v. 27. Pharisæi blasphemant.

Hæc cum trium fere mensium spatio confecta essent, aduenisseque dies festus Iudæorum, ascendit Iesus Hierosolymam, vt ait Ioannes c. 5. Id festum fuisse Pascha, plerique omnes consentiunt, vt iam diximus, ibiq; ad piscinam probaticam, hominem 38. iam annos ægrotum sanitati restituit, & post disputationem cum Iudæis ea occasione habitam, abijt per fata die sabbati, paulo post festum Paschatis, & discipulos spicas vellentes, contra ineptas Iudæorum criminationes defendit. Deinde altera die sabbati manum aridā sanauit in Synagogo. Inde inuidia frementes Pharisæi, cum Herodianis consilium inierunt vt eum perderent. Iesus autem cum discipulis suis secessit ad mare Galilææ, & multæ vndique turbæ secutæ sunt eū; quas docuit è nauicula ne comprimeretur ab eis, quas & sanauit. Secuta est deinceps electio duodecim Apostolorum, cum prius in oratione pernoctasset. Secutus est & sermo Dominiin monte Galilææ omnem pene Euangelicam doctrinam continens, quam breui paraphrasi explicatam, Lector in Annalibus reperiet,

V. Alterum pascha, & quę deinceps à Christo gesta. *Vide Ann. n. 5. & 6.*

Luc. c. 6. 1.

Mar 3. 6. & segq.

Sermo Domini in monte *Matth. 5. n. 8. 9. 10. & segq. & sebol. 1.*

Cum autem Dominus post copiosum sermonem ex monte descendisset, etiam turbas docuit in loco campestri: pleraque repetens eorum quæ in monte dixerat; & ingressus Capharnaum, puero Centurionis restituit sanitatem: sed in via leprosum sanauit. Mox excitatus est à mortuis adolescens filius viduæ. Hæc miracula cum nunciata essent Ioanni à discipulis suis, duos eorum misit ad Iesum, vt se ad illum, tanquam ad verum Messiam aggregarent, quasi præsentiens non diu se in viuis futurum. Addit continuo Lucas idem conuertionem mulieris peccatricis, in domo Simonis Pharisæi, quam fuisse Mariam Magdalenam sororem Martha & Lazari, communis est sententia. Offertur deinde Christo dæmoniacus cæcus & mutus, quem ipse tribus simul affecit beneficijs. Nec tamen, in tam laudabili glorioso que facinore, vitauit blasphemas Pharisæorum calumnias, quas & sapienter confutauit, & signum petentibus, signum dedit Ionæ Prophetæ, eosque à Niniuitis in iudicio condemnatum iri professus est. Quæ cum dicere mulier de turba extulit vocem in eius, sanctissimæque matris ipsius commendationem.

VI. Et in regione cāpestri. *Matth. 8. Marc. Luc. 7. 11.*

Excitatio mortui Adolescentis. *c. 7. 36.*

Conuersio Magdalenæ. *Matt. 12.*

Superuenit his B. Virgo cum cognatis: quæ causa fuit, vt carnali affinitati spiritalem anteferret. Secuta est eodem die concio habita secus mare, ad concurrentem omnibus ex locis multitudinem, in qua proposuit parabolam feminantis, quam & postea discipulis exposuit. Adiecit & parabolam zizaniæ, feminis crescentis, grani sinapis, & fermentis. Item thesauri absconditi in agro, margaritæ, & sagenæ missæ in mare. Cumque hasce parabolas enarrasset, venit in patriam suam Nazareth, vbi perpauca edidit miracula, propter ipsorum incredulitatem. Quin etiam, vt narrat Lucas, eiecerunt eum ciues sui extra ciuitatem, & voluerunt eum de monte præcipitem agere. Paulo post Christus Dominus conuocatis discipulis suis, misit eos ad prædicandum Iudæis, tribuens illis gratiam & potestatem miraculorum, simulque eos egregijs præceptis instruens, quæ tres Euangelistæ tradiderunt.

VII. Aliæ tres anni huius. *Matth. 13.*

c. 4. 29.

Matt. 10. Marc. 6.

Interea vero dum Christus in Galilæa conciones habet, & discipuli missi in vineam Domini fructus colligunt, Herodes Antipas tetrarcha Galilææ, in conuiuio iussit interfici Ioannem Baptistam, non tam perræsus reprehensionis, quam stulta promissione, & iureiurando compulsus. Eo mortuo, & à discipulis sepulto, cum fama miraculorum Christi Domini peruenisset ad Herodem, existimauit ea miracula fieri à Ioanne à mortuis excitato. Interea redierunt sub Pascha discipuli à missione sua; quem nos reditum, & quæ inde secuta sunt proximo anno referemus.

VIII. Cędes Ioannis Baptistæ. *Luc. 9. Mat. 14. 3 Marc. 6. 17. & 29*

Romana porro historia nihil habet hoc anno illustrius morte Seiani, consulis & collegæ Imperatoris, quæ in 15. Calend. Nouembris incidit, eodem die, quo biennio post mortua est Agrippina. Cum ergo Tiberius Seianum æmulum suum euertere, ac perdere statuisset, tam varie de se, deq; ipso subinde Romā scribebat, & de amicis eius statuebat, vt oēs animis incerti fluctuarent. Perculit etiam Seianum, quod cum Tiberius C. Caligulæ sacerdotium addita laude contulisset, ac non nihil præ se tulisset, velle se eum habere Imperij successorem, eare populū magna lætitia vidisset affectum; quem tamen rebus suis valde affectum crediderat. Itaque doluit quod non esset conatus aliquid in Consulatu, quem iam abdicarat, sicut & Tiberius, quod erat tū temporis summis viris frequentissimū, eisque Regulum & Trionem, ait suffectos Tacitus. Interim pertexit Tiber. alia exlubere indicia minus beneuolæ in Seianum voluntatis, quibus factum est, vt iam multi ab eo se subtraherent, palamque hominem deserereut.

IX. Apparatus ad Seiani cædē *Tacit. 6. Ann.*

Hæc vbi cognouit Tiberius, sumpsit animos, ratus sibi Senatum populumque in Seianum auxilio futurum; vtque magis hominem improuisum opprimeret, rumore prius spar-so, quasi tribunitiam ei potestatem esset collaturus, eum per literas apud Senatum accusauit, easque Sertorio Macroni perferendas dedit, quem iam occultè prætorijs cohortibus præfecerat, & quæ agenda erant docuerat. Is noctu Romam venit, & mandatis cum Regulo Consule, & Gracillo nocturnorum vigilum præfecto communicatis, milites Prætorianos ablegat in castra, Senatum in Apollinis templum indicit, tristem Seianum consolatur, dicens ferre se illi Tribunitiam potestatem. Tum literas consulibus exhibet, quæ publicè recitantur, in quarum fine duos Senatores Seiani familiares plectendos, ipsum habendum in custodia lectum est. Tum demum omnibus stupore affectis. Regulus Consul protenta manu, *Seiane*, inquit, *ades adhuc*, idque iterum ac tertio inclamauit, ille deiecto animo tantum rogauit, an ipse vocaretur. Demum cum surgeret, Præfectus vigilum, Prætores ac Tribuni plebis eum circunsteterunt, iniectisque vinculis traxerunt in carcerem.

Perlecta tandem epistola, vno omnes ore in Senatu Seianum clamore ac maledictis incessere, milites teginine capitis detracto, verberabant misero caput, cui paulo ante genua pauidi flexerant; populus multo clamore exprobrabat ei cædes perpetratas, & spes illius inanes irridebat: neque se intra verba conuiciaq; continuit, omnes enim statuas eius deiecit, confregit, raptauit, quorum ipse, dum traheretur in carcerem, spectator fuit; dum Tiberius interea incredibili sollicitudine de huius negotij euentu percellebatur, adeo vt fugam patatis nauibus ad quascunque regiones meditaretur. Eodem die prope carcerem in æde Concordiæ conuenit Senatus, qui cum hunc populi sensum videret, neq; Prætorianos quidquam in eius gratiam mouere, eum morte damnarunt: intelligebant enim id gratum esse Tiberio, qui tumultum veritus non esset ausus id mandare. Itaque capite mulctatus, in Gemonias proiectus est, totoque triduo ludibrio habitus, proiectus est in Tiberim. Liberi quoque eius ex Senatus Consulto necati: filia quoque quam pactus erat Claudij filio, indignissima prius affecta contumelia, in carcere strangulata est. Quod non de vna tantum tradit Sueton. Eiusdem autem Seiani vxor Apicata dudum repudiata, cum Tiberio totam de Drusi morte, actibus Seiani & Liuillæ tragœdiam patefecisset, vita seipsam priuauit. Habes hic Lector luculentum exemplum inconstantiæ & vanitatis rerum humanarum.

* * *

ANNVS MVNDI 4085.

CHRISTI 33. B. VIRGINIS 48.

IOSEPHI CAYPHÆ Pont. 15.

IVDÆÆ PILATO Præsidis 7.

TIBERII 19. & Imperij Romani 80.

OLYMPIA. CCII. A. 4. V.C. 784.

ÆRÆ CHRISTIANÆ 32.

I. Res à Christo hoc anno gestæ. *Marc. 6. Ioan. 6. 4.*

ANNI huius initio reuersi sunt Apostoli ad Iesum, & renunciauerunt ei omnia, quæ egerant & docuerant: qui iussit eos seorsum venire secum in desertum locum, ad nonnullam quietem. Quod cum turbæ cognouissent, secutæ sunt eum trans mare Galilææ imminente paschate, ibique ex quinque millia hominum. Facto vespere iussit Dominus discipulos conscensa nauicula iterum traijcere lacum, cùm coorta tempestate, & viso domino ambulante super aquas, turbati sunt, Petrus imitatus præceptorem periclitatus est, & Christo in nauiculam ingresso cessauit ventus, & venerunt in terram Genezareth, vbi multos infirmos contacto sue fimbriæ curauit. Postridie venerunt turbæ ad Iesum traiecto mari Tiberiadis, quo dominus de Incarnatione sua, & mysteria Eucharistiæ, quod proximo anno erat institutus, disseruit, cum scandalo multorum discipulorum, qui magistrum deseruere: duodecim nihilominus Apostolis cum Christo perseuerantibus.

Denunciat mysterium Eucharistiæ.

II. Varia deinceps gestaex Euangelijs. *Matt. 7. 1. 14. c. 15. 21.*

Post hæc perambulabat Iesus Galilæam, cum ad eum Hierosolymis venerunt Scribæ & Pharisæi discipulos accusantes, quod illotis manibus manducarent; quos ipse vicissim reprehendendos ostendit. His Marcus & Matthæus subrexunt profectionem Christi in fines Tyri & Sydonis, vbi filiam Chananææ à Dæmone liberauit. Inde regressus ad mare Galilææ, surdum fecit audire, & mutum loqui. In montem deinde ascendens, sequentibus eum turbis, nec habentibus quod manducarent, ite rata panum multiplicatione, quatuor millia septem panibus saturauit. Dimissa turba, vt ait Matthæus, ascendit in nauiculam, & traiecto lacu, venit in fines Magedam trans Iordanem, vbi Pharisæi & Sadducæi signum de cœlo ab eo petunt, quibus dat signum Ionæ prophetæ, & ijs relictis redit cis mare cum discipulis, quos monet cauere à fermento Pharisæorum. Inde venitur Bethsaida, vbi illuminatur cæcus. In itinere autem circa Cæsaream Petrus edidit celebrem illam confessionem, ob quam promisit illi Dominus se eum facturum petram Ecclesiæ suæ, & claues regni cœlorum ipsi traditurum. Deincepsque egit cum discipulis suis de passione sua, & cruce omnibus tollenda.

Matt. 8. c. 15. fi.

Mat. 8. 21. Confessio Petri.

Matt. 16. 21.

III. Transfiguratio Christi.

Post sex autem dies, assumpsit Iesus tres ex discipulis suis, & transfiguratus est coram eis in monte Thabor. Vbi sermo est Christum inter,

Moysem & Eliam de excessu, quem completurus erat Hierosolymis. Cumque inde, mandato discipulis silētio, descendisset, lunaticum quē-dam siue dæmoniacum curauit, moxq; iterum mortem suam ac resurrectionem prædixit. Eo enim frequentius assumebatur hic sermo, quo propius accedebat tēpus Dominicæ passionis, vt discipuli, cum in rem ventum esset, minus turbarentur. Et ingressus cū discipulis Capharnaum, solui iussit tributum pro se & pro Petro. Quæ causa discipulis fuit, vt cum iam in via disputassent, quis eorum maior esset, domi magistrum aditent, & quæterent quis maior esset in regno cœlorum; quos Dominus de amāda humilitate studiosius erudiuit, & de putillorum scandalo vitando, addens etiam sermonem de correctione fraterna, & parabolā de seruo debitore decem millium talent: à quo Dominus, propter inhumanitatem in conseruum, dimissum semel debitum repetiit.

Matt. 17.

Prædicit crebro mortem suam.

Discipulorum de primatu disceptatio. Marci 9. Matth. 18.

IV. Festum Tabernaculorum.

Post hæc, sub festum Tabernaculorum Christus relicta Galilæa rediit in Iudæam. Cum autem per Samariam transiret, noluerunt eum recipere Samaritani, eò quod iret in Ierusalem. In itinere autem 10. leprosos mundauit, in quibus vnus tantum Samaritanus reuersus est, gratias acturus medico suo. Sub mediumdierum festorum venit Iesus in templum, vbi coram populo & Pharisæis disserit de doctrina sua. Sermonis exitus fuit, vt plerique inter se altercarentur, Nicodemo partes Christi propugnante. Cumque reuersi essent vnusquisq; in domum suam, Iesus perrexit in montem Oliueti, & diluculo iterum venit in templum, quò Scribæ & Pharisæi adducunt mulierem deprehēsam in adulterio, qua misericorditer liberata ab eorū manibus, iterum docere cœpit in templo; Pharisæis rursus contra ipsum altercantibus, & postremo lapidare volentibus. Cum Iesus exiuit de templo, & præteriens vidit hominem cæcū à natiuitate, & luto illitum illuminauit. Eum animose pro Christo disputantem, Pharisæi à templo eiecerunt.

Luc. 9.

Ioan. 7.

Christi cum Pharisæis altercatio. Ioan. 8.

Ioan. 9.

V. Festum Encæniorum ante 196. annos institutum.

Inde secuta est altera cum Pharisæis disputatio, quæ habetur Ioan. 10. vbi pleraque de bono pastore disseruit, moxque transit Euangelista ad festum Encæniorum, quod nono mense agebatur. Sed eam celebritatem ante cessit designatio, & missio 72. discipulorum, quos præceptis instruxit, data potestate prædicandi, & curandi infirmos: simul etiam quibusdam ciuitatibus impœnitentiā exprobrat, & incredulitatem. Quantum vero temporis in hac missione posuerint non constat; certe Lucas eodem c. 10. v. 17. eorum reditum recensет: moxque Patrem laudat Christus, quod fidei mysteria paruulis aperuerit. Quo tempore adiit eum quidam legisperitus, quem docuit, allata parabola eius, qui inciderat in latrones, misericordiam aduersus proximos. Subdit idem Lucas Christum in Iudæa iter habentem hospitio acceptū à Martha sorore Mariæ & Lazari, moxque rogatum à discipulis, docuisse eos orare, & orandi perseuerantiam inculcasse: Pharisæos obiurgasse, damnasseque præpositam eorum mundiciam.

Messio 72. discipulorum. Iansen c. 80. conc. Luc. 10. 1.

c. 10. 25. Luc. v. 38.

c. 11. 1. 2.

V. Pharisæorum hypocrisis.

Subdit idem Lucas c. 12. monitionem factā discipulis de vitanda Pharisæorum hypocrisi, & constantia habenda aduersus mortis timorem, & paupertatis; addito etiam officio fidelis serui aduersus absentem Dominum. Occasione autem Galilæorum à Pilato occisorum, docet agendam omnibus pœnitentiam, nec patientia Domini abutendum, sub parabola fici; cui subditur obiurgatio Pharisæorum murmurantium quod Christus die sabbati, mulierem iam 18. annis inclinatam erexisset. Inde amplitudinem regni cœlorum ita declarat, vt nihilominus angustam esse dicat portam, quæ ad illud aditū præbeat: præter opinionem hominum, multos expulsum iri qui videbantur admittendi, & multos admissum iri, & recubituros in sinu Abrahæ, qui videbantur expellendi; significans reprobationem Iudæorum, & vocationem Gentium. Occasione vero monitionis sibi factæ de Herodis insidiis, prædicit se occisum iri Hierosolymis, super cuius desolatione lamentatur.

Ioseph. l. 18. c. 5.

v. 18.

v. 31.

Cap. 14. sanat hydropicum sabbato, cum confutione Iudæorum, qui ei struebant calumniam: & Pharisæū, à quo fuerat inuitātus, docet misericordiā in pauperes: addita parabola eius qui parauerat cœnā, & excusantibus se qui fuerant inuitati, repleuit domū suam pauperibus, debilibus, cęcis & claudis: iis autē qui ipsū sequi vellent, omnibus rebus renunciādum esse pronunciat. Quæ dum à Christo docentur, superuenit festum Encæniorum, quod cadebat in 15. mensis noni, & octo diebus agitabatur, cū circunsteterunt Iesum Iudæis, volentes, vt palam profiteretur se esse Christum, quibus cum vere ac sapienter respondisset, sustulerunt lapides, vt eum quasi blasphemum obruerent. Sed ipse exiuit de manibus eorum: & venit trans Iordanem, vbi dudum Ioannes baptizarat, vbi turbæ confluentes, docuit & curauit. In his erant publicani & peccatores, de quibus cum Scribæ & Pharisæi de more murmurarent, repressit eos Dominus tribus parabolis, de oue, drachma, & filio prodigo perditis, quibus ostenditur quantam Deus curam peccatorum gerat.

VII. Eorundē auaritia.

Ioan 10. 1 Mach. 4 59.

Iudæi Christum vrgent vt se Messiā profiteatur. c. 14. 24. Ioan. Luc. 15.

Recipit publicanos & peccatores.

Iis cum Dominus æmulorum suorum superbiam & inuidiam contudisset, altera parabola de villico iniquitatis, eorum auaritiam arguit. Secuta est mox disputatio cum Pharisæis de indissolubilitate matrimonij & cum discipulis de continentia. Sed cum Pharisæi auari Christum de facienda eleemosyna, sub parabola villici iniquitatis disputantem irriderent, addit historiam de diuite Epulone, ob inhumanitatem in Lazarum mendicum inferni suppliciis addicto. Pauca quæ supersunt de Christi gestis, vsq; ad suscitationem Lazari, quæ sub festū Paschatis contigit, in sequentem annum probabiliter reseruabimus.

VIII. Christus iusserit contra Pharisæorum auaritiam.

Luc. 16. 14.

Diuitis Epulonis historia.

Gessit hoc anno Consulatum Domitius Ænobarbus toto anno, in cuius priore parte collegam habuit Vitelliū, cui demortuo suffectus est Camillus Scribonianus, quo āno multa stragis edita est amicorum Seiani. In iis tamen Varronis insignis vel constantia vel felicitas fuit. Cum enim de amicitia cū Seiano accusaretur, se eum, exemplo Tiberij, impensè coluisse professus est. Qui si recte fecit, inquit, eius amicitia vtens, ne ego quidem peccaui, cum æquum sit nos amare, quos ille amore suo & honoribus dignos duxerit. Sin Imperator ipse, qui omnia explorata habet, deceptus fuit, quid mirum me vnà quoque in errorem tractum esse: Ergo absolutus est Senatorum suffragiis, & accusatores,

IX. Cōs. anni huius, & clades amicorum Seiani.

Varronis felix cōstantia.

approbante Tiberio, pœna mulctati: vsque adeo anceps erat, & inconstans hominis ingenium.

Apud Dionem.

ANNVS MVNDI 4086.

Septimæ Ætatis, & IESV CHRISTI 34. B. VIRGINIS 49. TIBERII 20. Imp. Rom. 81. PHILIPPI TETRARCHÆ 33. & vlt. CAYPHÆ Pont. 16. P. æside Syriæ POMP. FLACCO 12. Iudææ PILATO 8. OLYM. CCIII. 1. V.C. 785. COSS. SVLPITIO GALBA & CORNELIO SYLLA. Annus IVLIANVS 78. AVGVSTORVM 62. ACT. VIC. 64.

ÆRÆ CHRISTIANÆ 33.

I. Ratio tẽporis, de Christi morte à baptismo, & de inceps. an. 4082.

POstremus hic annus Iesu Christi Redemptoris nostri, in carne visibili atque mortali cõmorantis in terris, vt finem labori nostro imponet, ita præcedentes quoque annos Deo fauente firmabit. Cum ergo diligenter probatum fuerit ex D. Lucæ testimonio, & grauissimorum iutorum interpretatione, Christum Dominum ineunte trigesimo vitæ suæ anno, à Ioanne baptizatum: indeque natalis eius annus in 42. Aug. & V.C. 751. euidenti supputatione relatus sit. Deinde vero post vnum, à recepto baptismo, annum aquam in vinum in nuptijs conuerterit, vt ibidem probatum est, secutaque sint tria Paschata, quæ à Ioanne Euangelista c. 5. 6. & 12. memorantur, & rebus gestis, quas enarrant Euangelistæ distincta sint, necesse est anni huius initium, esse principium trigesimi quarti vitæ Domini nostri: in cuius annum primum exordium septimæ ætatis coniecimus.

n. 4. & 5.

II. Anni à Cal. Ian. denominantur. licet posterius incipiant

Iam quod ad reliquas Indicis nostri partes attinet, in quo 49. B. Virginis annum ponimus, nec vocamus vltimum, quippe nobis inexploratũ, quippe extra stadium Annalium nostrorum excurrit, intelligendũ est eum denominari à Cal. Ianuar. sicut & reliquos fere. Itaque cum reuera B. Virgo 8. Septembris nata sit, & ab eo die anni eius incipiant numerari, consequens etiã est Christum mortuum cum illa vitæ annum 48. ageret, neque illum adhuc absoluisset. Et cũ Imperium Romanum à pugna Pharsalica, quæ incidit in æstatem inchoëtur, eius tantum annus 80. agebatur cum Christus est mortuus. Eodem modo Tiberii annus agebatur 19. quippe 20. ab Augusto incipiebat, quando mortuus est Augustus. Quæ autem affirmant Christum 18. Tiberij mortuum, cum inueniantur 18. cum dimidio, dicendum est eos annos integros duntaxat numerare voluisse, fragmenta neglexisse, quod ipsa quoq; Script. non raro fecit.

III. Mors Philippi Tetrarchæ.

Hoc quoque anno ponimus Philippi Tetrarchæ mortem: eam enim Iosephus tefert ad vigesimum Tiberij principatus annum, sed idem hallucinatur, cum eum 37. annis suæ Tetrarchię præfuisse ait. Ab anno enim V.C. 753. quo regnum Herodis ab Augusto diuisum est, anni tantum tres & 30. numerantur. Fuit etiam hic annus Flacco Syriæ Præsidi postremus. Tacitus enim sub finem huius eum defunctum tradit, sicut & Ælium Lamiam, quem Tiberius diu spe illius præfecturæ lactauerat. Istius spei, & illius officio successit proximo anno L. Vitellius Nepos, quo & Consul fuit.

l. 6. Ann.

IV. Ratio Olympiadum ad Christi mortem.

Olympiasquoque CCII. eiusq; annus quartus accipiendus est, mortuus enim erat Christus mensibus aliquot ante initium centesimæ tertiæ; sed nos eas denominamus, quasi à Ianuario inciperent. Illum porro annum Phlegon disertis verbis Christi passioni attribuit, hoc ipso quod ait in illum annum mirabilem solis eclipsim contigisse. Mirabilem, inquam, ac præter naturæ ordinem, quippe in plenilunio vt ex Areopagita Dionysio, & Origine proditum est. Verba Phlegontis habentur apud Eusebium. *Scribit*, inquit, *super his & Phlegon, qui Olympiadũ egregius supputator est, in 13. libro ita dicens. Quarto autem anno 202. Olympiadis magna & excellens inter omnes, quæ ante eam acciderant defectio solis est facta. Diei hora sta in tenebrosam noctem versus, vt stellæ in cælo visæ sint, terræque motus in Bithynia Niceæ vrbi multas ædes subuerterit.* Hæc ille. Et hæc de anno hoc loco pro instituta breuitate satis.

Epist. ad Polycarp. trac. 35. in Matt. in chron. Phlegon.

V. Mensis & dies mortis Christi

Quod ad mensem & diem attinet, communissima est, fuitque omnium Christianorum ab initio Ecclesiæ seculis omnibus repetita, confirmataque sententia, Christum Dominum mense Martio crucifixum, in eumque Nisan, primum Hebræorum mensem incidisse, cuius 14. luna exeunte, ad vesperam Christus agnum paschalẽ comedit, qui tum fuit Martij 24. Decima quinta, qui fuit primus azymorum dies, & Martij 25. fuit actus in crucem, 20. autem 7. resurrexit. Ita sentit Ecclesia Romana in suo martyrologio, quæ mortem latronis cum Christo crucifixi coniicit in 25. Martij, quem minime dubium est eodem die fuisse mortuum. Quo minus mirum est Tertullianum, August. Hieron. Bedam, alioſque permultos tam antiquos quam recẽtiores, quos in Annalibus retulimus, in eandem sententiam conspirasse. De feria 6. audi Venerabilem Bedam. *Nam quod Dominus*, inquit, *decima quinta luna, feria 6. crucem ascenderit, & vna sabbatorũ, id est dies Dominica resurrexerit à mortuis nullis licet dubitare Catholico, ne legi pariter & euangelio videatur incredulus.* Sic ipse. Eadem feria 6. dicitur à Ioanne modo parasceue, modo parasceue Paschæ, non quod Pascha haberet parasceuem, id enim erat proprium sabbati, sed quod ea incurreret in festa Paschalia, non autem quod antecederet.

l. de rat. tẽp. c. 45.

Parasceue.

c. 9. 124. 35. 42.

VI. Res euãgelicæ anni huius.

Iam quod ad res euangelicas anni huius attinet, Lucæ 17. quædam miscellanea narrantur, quæ cum ab alijs Euangelistis alia occasione narrata sint, videntur sæpius à Domino dicta; qualia sunt. Erunt nouissimi primi, & primi nouissimi; Qui se humiliat exaltabitur &c. Eodẽq; modo quæ sunt de vitando scandalo, de correctione fraterna, de efficacitate fidei, de agnoscenda propria inutilitate, de perseuerantia orationis, & humilitate in ea adhibenda, quæ duabus parabolis ponũtur ob oculos, altera de iniquo iudice & vidua; altera de Publicano & Phariseo orantibus in templo; quæ Lucæ 18. referuntur. Quibus subijcitur interrogatio illius, qui à Christo petebat, quid sibi faciẽdum esset, ad vitam æternam obtinendam: cui cum præcepta Domini, deinde consilia sua Dominus proposuisset, illicque tristis abijsset, data est occasio tum Christo docendi, quam difficulter diuites

saluа-

salvarentur; cum Petro interroganti, quo præmio discipuli eius cuncta reliquissent, respondens Dominus promisit centuplum, & vitam æternam: quæ habentur quoq; Marci 10. & Matt. 19. vbi subditur parabola de patrefamilias, diuersis horis conducente operarios in vineam suam.

VII. Suscitatio Lazari *Ioan. c. 10. fi.*

Dum autem Iesus moraretur trans Iordanem vbi Ioannes baptizarat, & quò à festo Encæniorum fuerat profectus, Maria & Martha sorores Lazari illuc miserunt, qui nunciarent morbum fratris sui. Ille autem qui non sanare æquũ, sed quatriduanum excitare cupiebat à mortuis, distulit biduum profectionem, eoque peruenit cum discipulis, cum quartum iam diem esset mortuus, quem nihilominus eodem imperio potestati mortis eripuit, quo dæmones ipsos, peccati & mortis autores, è corporibus animisque pellebat. Eo tam insigni miraculo multi ex Iudæis crediderunt in Iesum: quidam autem ex ipsis abierunt ad Pharisæos, & retulerunt tam miraculum, quam multitudinem eorum, qui eo persuasi se illi adiunxerant. Qua re moti Pontifices & Pharisæi collegerunt concilium, in quo de sententia Cayphæ decretum est Christũ occidendum esse; imo & edictum, vt quis sciret vbi esset, indicaret ipsis, vt apprehenderent eum.

Ioan. 11. 14

At Iesus ad modicum secessit in ciuitatem, quæ dicitur Ephrem, ibique aliquandiu moratus est cum discipulis suis.

VIII. Ascendit Hierosolymã, & quæ in itinere contigerint.

Appetente autem tempore à Patre præfinito cruento filij sacrificio, se dat in viam cum discipulis Hierosolymam versus, eisque secreto enunciat, quę sibi mala imminebant, quãuis prę stupore, non intelligentibus quæ dicebantur. Cum mater filiorum Zebedæi accessit ad eum, postulans primas sedes in regno Christi pro filijs suis: quos ille vice versa docuit sectari humilitatem exemplo magistri sui, inepta ambitione repudiata. In ipso autem itinere ante ingressum Iericho cæcum illuminauit, in ipso vero oppido conuertit Zachæum publicanum. Et in progressu cum iam esset prope Ierusalem, & Apostoli quam primum regnum Dei, quod ipsi temporale suspicabantur, manifestatũ iri crederent, narrauit eis parabolam de homine nobili, abeunte in regionem longinquam, ad accipiendum sibi regnum, & interim dante seruis suis talenta ad negotiandum. Eodem tempore digressis à Iericho, duo cæci occurrerunt, qui, sicut & prior ille, voti compotes facti sunt.

Luc. 18.

IX. Quæ Bethaniæ gesta die sabbati. *Ioan. 11. Vide Ann. n. 19. & 20.*

Denique peruentum est in Bethaniam, vt mox inde digressus, cum triumpho intraret Hierosolymam. Eo porro peruenit feria sexta ad vesperam, ibique toto die sabbati permansit, qui tum incidit in diem 19. Martij, vbi ei cœna data est, in domo Simonis quondam leprosi, & Lazarus vnus erat è discumbentibus, Martha ministrabat, Maria Christi pedes vngebat, cuius charitatem Christus contra Iudam obloquentem defendit. Confluxerunt eo multi, vt Iesum viderent, & Lazarum nuper à mortuis excitatum; quem ideo principes sacerdotum inuidia furentes occidere cogitarunt. Postridie sabbati, qui fuit Dominicus dies, idemque Martij 20. venit Iesus Hierosolymam insidens asinæ: cui cum ramis & canticis occurrit turba plurima; ad quorum lætitiam Dominus, præuisam ciuitatis ruinam paterno affectu defleuit, vt olens patres filijs in phreneſi concinentibus. Ingrediente Hierosolymam commota est vniuersa ciuitas, gratulans Iesu prophetæ à Nazareth. Pharisæis interim fremẽtibus, & dicentibus. *Videtis quia nihil proficimus, ecce mundus totus post eum abiit.*

Ioa. 12. 19

Inde ingressus in templum, cæcos & claudos ibi sanauit: & scribas indignantes de puerorum cantu repulit: & quibusdam Ethnicis Christum videre cupientibus, Christum imminentem mortem suam, & fructum ex ea, in salutem omnium mortalium, orturum prædixit; quando & vox de cœlo ad eum delata est, ad confirmandam prædictionem. Cumque nemo auderet Iesum hospitio recipere, facta vespera rediit cum suis in Bethaniam. Postridie, feria secunda, Martij 21. reuertens è Bethania in ciuitatem esurijt, & ficum orbam fructibus arefecit; & ingressus in templum ex eo ementes & vendẽtes eiecit, exprobrans eis quod domum Domini facerent speluncam latronum. Vespere facto egrediebatur de ciuitate, ait Marcus, nimirum in Bethaniam, aut potius in montem Olineti, vt Lucas cap. 21. extremo testatur. Subdit autem de sequenti die. *Et mane*, feria nimirum tertia Martij 22. *viderunt ficum aridam factam à radicibus.* Quod cum Petrus miraretur, audiuit à Domino, quanta vis esset fidei & orationis. Inde venit in templum, vbi circumsteterunt eũ scribæ & seniores, quærentes qua posteritate hæc faceret; ejceret scilicet mercatores de templo, & sibi permitteret acclamari, Osanna filio Dauid, &c.

X. In templo.

Quæ feria secũda gesta.

c. 11. 19.

Quæ tertia.

Sed Dominus vicissim altera interrogatione de Ioannis baptismate os illi obstruxit. Addidit etiam parabolam hominis, qui habebat duos filios, quorum alter verbo inobediens fuit, alter facto. Et rursum alteram patris-familias, qui vineam suam locauit agricolis homicidis: qua cum se perstringi sentirent, voluerunt in eius manus mittere, sed populi metu abstinuerunt. Tertiam etiam adiecit de rege, qui fecit nuptias filio suo, ad quas inuitati venire noluerunt, & insuper seruos regios contumelijs affecerunt; nec impune; eos enim Rex missis exercitibus perdidit, & ciuitatem eorum succendit. Cũ autẽ mox conuocari iussisset omnes obnios, vnus carens veste nuptiali supplicio affectus est. Quibus omnibus reprobatio Iudæorũ & vocatio gentium obscure significabatur. At illi non solum emendati non sunt, sed etiam studio perdendi doctorem suum, eo quod eius sententiam de tributo Cæsari persoluendo: sed eos diuina sapientia confutos reddidit, sicut & Sadducæos, super muliere septem virorum vxore, sic vt eum vltra non auderent interrogare.

XI. Aliquot Christi parabolę.

Reprobatio Iudæorum.

At Pharisæi æmuli Sadducæorum, eum de magno legis mandato tentantes interrogatũt, qui & ipsi dicere coacti sunt, *bene magister in veritate dixisti.* Sed eos vice versa interrogauit Dominus cuius filius esset Christus: Cui quæstioni, cum ignari diuinæ incarnationis, satisfacere nequiuissent, nemo deinceps ausus est eum interrogare. Cum autem eorum correctio desperata videretur, turbas discipulosq; suos monuit de prauis ipsorum moribus, ne eorum exemplo deprauarentur; præcipiens tamen, vt eorum doctrinam & præcepta seruarent. In eos autem tam seuera obiurgatione inuehitur, vt octies

XII. Sadducęis & Pharisæis silentium imponit.

Eosque seuere obiurgat.

Quæ die Dominico.

eis maledictionem interminetur: addita nihilominus paterna commiseratione in Hierosolymitas, in quos vindicta cæsorum Prophetarum impendebat. Tum laudata oblatione pauperculæ viduæ, egressus est de templo: cuius cum structuræ magnificentiam discipuli magistro demonstrarent, ab eo tam templi quam vrbis luctuosam euersionem didicerunt: quibus consequenter res aduersas iustorum vsque ad finem mundi subnectit.

XIII. Monet de nouissimis temporibus.

Nominatim quæ sunt de Antichristo, & signis imminentis Iudicij, & secundi Aduentus filij hominis, docens quomodo nos ad eius aduentum præparare debeamus, allata de decem virginibus parabola, & altera de distributis talentis, de quibus rationem exacturus sit Dominus, rediens ad seruos suos. Sed mox relicta parabola, quam seuerum futurum sit iudicium, & quæ de probis improbisque sententia, apertissima oratione pronunciat. Et hæc feria tertia cõtigerunt, ad cuius vesperam, sicut & superioribus diebus, Christus oliuetanum montẽ adiit. Feria vero quarta denunciauit Dominus post biduum fore pascha, computata præsenti die ac sequenti, id est 23. & 24. Martij, & se traditum iri Iudæis, vt crucifigeretur: qui interim in atrio principis sacerdotum consultant, de Iesu dolo tenendo, & occidendo: quando ludas qui iamdudum gemebat iacturam vnguenti, venit ad eos, & cum eis pactus est se pretio 30. argenteorum siue siclorum, eum traditurum. Vide Annales n. 27. & 28.

Matth. 25

Luc. 21. 37 Quæ festa quarta gesta.

Iudę proditio.

id est 41. fr. 3. si.

Sequitur feria quinta, quam Lucas vocat diẽ azymorum, quia ad eius vesperam incipiebat azymorum esus: & ne ambiguum id esset, volẽs significare lunam decimam quartam, addit, *in qua necesse erat occidi pascha.* Hac ergo die, quæ erat vt dixi 24. Martij, misit Dominus Petrum & Ioannem ad parandum pascha. Quod cum illi fecissent, vespere facto venit Dominus cum 12. Et cum agnum tanquam Pater familias sacrificasset, eo mox aflato discubuit, & 12. Apostoli cum eo. Post agni esum, figuris volens sufficere veritatem, & magnum Eucharistiæ mysterium instituere, surrexit à cœna, & positis vestimentis, lauit pedes discipulorum, Petro præ humilitate aliquandiu resistente. Quo humilitatis exemplo tradito, simulque indicata puritate, qua cum sumenda esset Eucharistia, eam solennibus verbis conficit ac consecrat, distribuitque omnibus, præcipiens vt in posterum idem in sui memoriam facerent.

XIV. Quæ feria quinta. *c. 22. 7.*

Esus Agni, ablutio pedũ, institutio Eucharistię.

Hanc celebritatem secuta est cœna communis, in qua Dominus prædicit, se ab vno eorum traditum iri Iudæis. Quo nuncio perterrefactis omnibus, singulisque de se sollicitis, & innocentiæ testimonium à Præceptore postulantibus, Dominus Iudam non patefecit publicè, vt si vellet, saluo adhuc honore, resipiscere posset: eum tamen Ioanni, intincto pane illi præbito, indicauit, moxque hominem dimisit. Ex quo eorum ordine intelligitur, cum Iudam participem fuisse Eucharistiæ, tum bucellam intinctam embammati non fuisse Eucharistiam: quamuis post eam Satanas in illum introisse dicatur: ad pleniorem scilicet possessionem, & executionem suscepti criminis. Cum autem ille exisset, & Christus se clarificatum esse diceret, & iterum clarificatum iri', discipuli id de eius morte intelligentes, de successore & primatu inter se agere cœperunt: sed eam disputationem Dominus proposita sua humilitate discussit; additaetiam communis honoris promissione in die iudicij.

XV. Cœna communis.

Aug. tr. 62. in Ioan.

Inde sermonem infert de suo discessu, cuius illi comites esse non possent, simulque mandatum nouum mutuæ dilectionis imponit, cũ Petrus animosior paratum se ad carcerem offert ac mortem: cui Dominus trinam negationem prædicit. Quæ cum Petrum, cæterosque omnes, qui eadem pollicebantur, vehementius perturbarent, intulit Dominus sermonem ad eos cõsolandos, & contra imminens crucis scandalũ confirmandos; quæ oratio aliquot Ioannis capitibus continetur. Eam excipit oratio ad Patrem, in qua, more boni patris-familias, suos illi commendat, vt ab eo protegantur, & per ipsius merita sanctificentur. Nec pro eis tantum rogauit, sed & pro nobis, qui deinceps, per eorum prędicationem, credituri eramus in ipsum. Quę omnia cum ad horam fere decimam tenuissent, hymno dicto in gratiarum actionem, abiit in montem Oliueti, & octo de suis in villa Gethsemani relictis, tres secum deduxit in mõtem, quibus orare iussis, progreditur ipse ad orationem: in qua summa cum humilitate, atque angore animi corporisque versatus est. Non enim positis solum humi genibus orauit, vt Lucas ait, sed procidit etiam in faciem super terram, vt habent Matthæus & Marcus.

XVI. Christi sermo postremus ad discipulos. *Ioan 15. 33. &c.*

c. 14. 15. 16.

Vide Suar. in 3 p. disp. 40. sect. 7.

Tristitiam autem immensam illa primum verba testantur. *Tristis est anima mea vsque ad mortem*, & illa postrema, *Deus meus, Deus meus vt quid dereliquisti me.* Ergo mirum in modum tristitia, pauore, tædio afflictus, semel, iterum, tertio fundit preces, vt ab ipso transiret calix amarissimæ passionis: quando apparuit illi Angelus confortans eum. Et ad vltimum expirantis hominis certamen adductus, prolixius orabat, & factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. Cumque tertio veniisset ad discipulos, superuenere, qui à Pontificibus & Pharisæis missi fuerant, cum cohorte militari, quorum ductor erat Iudas, qui osculo Iesum turbis satellitum prodidit. At Iesus progressus, eos primum verbo prosternit, moxque verbo erigit, & suis abire permissis, factáque sui capiendi potestate, frustra resistente Petro, & restituta seruo auricula, magno tumultu capitur, crudeliterque sub mediam iam noctem ligatur, trans torrentem Cedron tumultuosissimè reducitur, vbi quidam impletum existimãt illud, *de torrente in via bibit.*

XVII. Eiusdem Tristitia, oratio, sudor, comprehensio.

Ingenti tumultu Hierosolymam ascenditur; & suadente commoditate vię, & dignitate personæ ducitur primum ad Annam socerum Cayphæ pontificis, indéque ad pontificem ipsum, in cuius domo facta est interrogatio de Christi doctrina, & discipulis eius. Ibidem accusatur, adiuratur, percutitur, mortis reus proclamatur, & indignissimis tractatur modis. Ibidem Petrus ter Dominum negat, & aspectu eiusdem Domini percussus, egressus foras fleuit amarè. Quæ omnia eadem nocte in domo Cayphę cõtigerunt, nulla enim mora in domo Annæ facta est. Sed ei tantum ostensus, grauationis causa, captiuus. Itaque doctissimi quique interpretes, illa verba Ioannis. *Et misit eum Annas li-*

XVIII. Tumultuosè deducitur ad Annã, & Cayphan.

gatum ad Caypham Pontificem, per parenthesim legunt, & *misit* interpretantur *miserat*. Hæc ad horam tertiam vel quartam post noctis mediũ facta fuisse, satis probabile est. Nam inter secũdam & tertiam Petri negationem interuallum horæ vnius interiectum, testis est Lucas. Reliquum tempus vsque ad primam horam diei, in diuexando à satellitibus Christo positum est.

c. 22. 59.

XIX. Deducitur ad Pilatum & Herodẽ.

Mane autem facto, prima scilicet hora diei primi azymorum, conuenerunt principes sacerdotum, & seniores populi, & concilium inierunt, vt Iesum morti traderent, quippe quem iam mortis reum Pontifex cum suis proxima nocte pronunciarant. Nihilominus eum in cõcilium suum adducunt, & rogant an esset Christus. Quod cũ ille non negasset, imò & se Filium Dei professus esset, illi satis se instructos rati ad accusandum eum apud Pilatum, & exigendam eius damnationem, eum vinctum ad profanum Iudicem adduxerunt. Interea Iudas videns Magistrum morti adiudicatum, quem fortasse crediderat sese, vt aliàs, ex eorum manibus ereptum, crudeli pœnitentia ductus, retulit 30. argẽteos, & dato de magistri innocentia testimonio, ad laqueum infœlix, potius quam ad Petri lacrymas confugit. Apud Pilatum Iudæi Christum variis criminationibus onerant, imminutæ diuinæ atque humanæ maiestatis. Quæ cum Præses parum probabilia crederet, cuperetque se à caula innocentis hominis extricare, audito eum esse Galilæum, ad Herodem Antipam Galilææ tetrarcham, quitum erat Hierosolymis, eum mittit; sed is illum quasi amentem, propter silentium eius, contemptum, & veste alba indutum ad Pilatum remisit. Cumq; Herodes eo Pilati facto honorem sibi exhibitum arbitraretur, ei reconciliatus est.

Desperatio Iudæ

Pilatus condẽnat Christũ.

XX. Pilatus studet Christũ liberare.

Hora octaua Christus reducitur ad Pilatum, apud quem nouis accusationibus impetitur à Iudæis, ad extorquendam ab eo, Christi necem. At ille alteram eius liberandi viam tentat. Nam occasione festi, & priuilegij populi, dimittere eũ conatur. Populus vero persuasione Scribarum & Phariszorum, terrimum sicarium autori vitæ anteferunt. Ea spe depulsus Pilatus, crudeli ac probroso supplicio Iudaicam abiem exaturare cupiens, Christum rapi iubet ad flagrum, & tanquam scenicum regem ignominiose illudi. Ex quo etiam intelligitur quã luctuosa esset conditio Christi Domini in tortorum manibus, qui hòc maiori misericordia eum prosequi videbantur, quò eum crudelius verberibus lacerarent, quasi hac eum carnificina supplicio crucis erepturi. Moxque quasi in regni affectati reum crudeli spinarum diademate, caput eius, cui vni flagra pepercerant, ludificarũt; adeo vt cruciatus inter se, opprobriaque certarent. Sed ecce adducitur à Pilato foras, cupienter am luctuoso spectaculo inuidiam odiumq; æmulorum eius placare ac frangere; erga hominem illum, quem miles reddiderat commiseratione potius, quam æmulatione dignum.

Etiã ipsa flagellatione.

vide Ann 44 45.

Sed illi oblata sibi specie hominis crudelissimè cæsi, adeo vt à planta pedis vsque ad verticem capitis non esset in eo sanitas, hominis spinis coronati, arundineo sceptrõ & lacera purpura illusi, hominis colaphis liuidi, & sputis deformati, hominis innocentissimi, atque optime de se meriti, nihilominus efferati instabant magnis vocibus postulantes vt crucifigeretur. Reluctabatur adhuc Pilatus, partim intus obmurmurante conscientia, partim vxore foris admonente, sed metus Cæsaris vicit omnia: Sæuus enim erat Tiberius, & recens manus eius consulari Seiani sanguine stillabant, & Pilatus ipse multorum criminum à Iudæis ferebatur reus. Itaque rursus protestatus hominis innocentiam, ablutis manibus condemnauit eum, tradiditque voluntati eorum: qui sibi suisque inæstimabilem cladem, & vindictam vltro accersentes clamarunt, *Sanguis eius super nos, & super filios nostros*, Statimque suæ traditum potestati, exuunt purpurea chlamyde, & propriis vestibus induunt, vt agnitus maiore per vrbem confusione circunducerẽtur. Sed ne solo pudore affligeretur, accessit tormentum gestandæ crucis; cui languenti ne immoreretur, additus est adiutor Simon. Spatium gestatæ crucis apud Adrichomium, à palatio Pilati vsque ad locum vbi crux rupi defixa est, dicitur trium millium trecentorum & trium pedum. Superest vltimus huius tragœdiæ actus, quo hora sexta Seruator affixus est cruci, & cum eo latrones duo, vt ex consortio infamia cresceret, quo ipso tempore tenebræ factæ sunt ab hora sexta vsque ad nonam, toto scilicet tempore quo viuus in cruce pependit. Additus est titulus cruci *Rex Iudæorum*, Iudæis licet apud Pilatum frementibus. Accesserunt eorundem blasphemiæ, & diuisio militaris vestimentorum eius: dum interim mãsuetissimus Dei Agnus, eis à patre veniam cum lacrymis postulabat. Et cum vnus latronum exempla illorum imitaretur, socium obiurgantem audiuit: quo charitatis officio mox regni cœlestis promissionem accepit. Inde astantem matrem discipulo commendat, & discipulum vicissim matri; vt matris inter se filique munera expleant. Deinde in summa desolatione cordis, à patre se derelictum lamentatur. Cumque sanguine exhaustus & viribus, sitim suam profiteretur, aceto potatus est. Denique consummatis omnibus, cum tres ipsas horas crucis acerbissimos cruciatus pertulisset, spiritum suum patri sonora voce commendans, inclinato capite in signum obedientiæ ad mortem vsque, profudit.

XXI. Iudæi crucifixionẽ vrgent.

XXII. Crucifigitur, & quæ in cruce gesta dictaue.

Moritur.

XXIII. Prodigia mortem õtecuta c. 2. 51.

Secuta sunt inde prodigia. Solis suæ luci restituti, per regressum lunæ ad locum suum, fortasse cum colore sanguineo, iuxta illud Prophetæ Ioëlis, *Sol conuertetur in tenebras, & luna in sanguinem.* Velum templi, siue quod operiebat Sanctum, siue potius quod Sanctum se parabat à Sancto Sanctorum, sponte sua bifariam discissum est, Deo quodammodo in crudelissima filij sui morte, vestem suam dilacerante. Iam terræ motum, & scissionem petrarum, sicut & parefactionem sepulchrorum Origenes terræ Iudææ peculiarem fuisse censet. Neque tamen putandum est sola vi concussæ terræ monumenta fuisse aperta, cum enim magnis admodũ lapidibus clauderentur, horrendas clades vnius fere vrbi attulisset ille motus, propterea que à Deo ministerio Angelorum vtente, factam illam apertionem credendum est. Sed & corpora quę surrexisse dicuntur, post Christi resurrectionem excitata sunt, in testimonium Christi, ab inferis excitati, propterea que multis apparuerunt.

tract. 35. in Matth.

XXIV. Qui cũ surrexerunt, iterum obisse.

ca. 11. 40.

l.6.c.94. &

l.7.c.28.

n. 59. 60. 61. Luc. 23. 49.

Illud autem non leuem habet dubitationem, an ad vitam beatam atque immortalem resurrexerint, an vero post datum de Christi Domini resurrectione testimonium, iterum defuncti sint. Quæ posterior sententia vt plurium est, ita videtur probabilior, & patronum habet Apostolum ad Hebræos negantem sanctos veteris testamenti consummationem accepturos, id est integram & perfectam remunerationem, per animæ & corporis beatitudinem, sine aliis sanctis. Nam animæ beatitudinem in Christi morte sine aliis sanctis receperunt. Certe legimus apud S. Brigittam, Beatissimam virginem ei dixisse, animas sanctorum qui surrexerunt, cum Christo ascendisse, sed corpora expectare resurrectionem. Et alio loco, *Scias*, inquit, *quod nullũ corpus humanum in cœlo est, nisi corpus gloriosum filij mei, & corpus meum, &c.* Sed hæc pluribus disputata sunt in Annalibus nostris. His porro prodigiis moti plurimi circumstantium, reuersi sunt percutientes pectora sua. Nominatim Centurio testimonium dedit de Christi innocentia, dicens, *verè filius Dei erat iste.*

XXV. Sepultura, & sabbatum sequens.

Mat. 27. 60. Ioan. 19. 41.

Cum autem imminente Sabbato corpora de cruce tollenda essent, vnus militum siue ad explorandã, siue ad perficiendam Christi mortem, lancea latus eius aperuit, sanguine simul & aqua inde decurrente. Secuta est honorifica sepultura, impensa à Nicodemo, & Iosepho ab Arimathia in monumento nouo, in quo nõdum quisquam positus erat, ne resurrectio esset obnoxia calumniis Iudæorum, qui dicturi essent, non ipsum, sed alium quempiam resurrexisse. Altera autem die, quæ est post parasceuen, Iudæi custodiam sepulchri à Pilato impetrarunt. Sed milites non tam custodes sepulchri, quam testes resurrectionis facti sunt improbissimis Iudæis; sicut probis illi fuere testes, qui mox à Christo resurgente excitati, venerunt in sanctam ciuitatem, & apparuerunt multis. Sabbati porro diem cũ duabus noctibus, Christi anima mirabili gloria coruscans, transegit in locis subterraneis, ibique animas sanctorum patrum, aliorumque in gratia defunctorum beatitudine donauit, & sui in cœlum triumphi comites assumpsit.

XX. I. Res gesta die Dominica.

Interea sanctæ mulieres expectarunt dum transacto sabbato, cum prima luce ad sepulchrũ venirent, vt ibi Christi corpus, pro sua deuotione pervngerent, quod feria sexta temporis angustiis exclusæ, pietati suæ non satisfecissent. Ergo conuenientes vespere transacto sabbato, emerunt aromata in sequentem diem. Dominus autem summo mane resumpto corpore factus est rediuiuus, omnibus glorioſi corporis dotibus magnifice præditus, statimque, vt par est credere, ad visendam & consolandam matrem profectus est. Dum piæ mulieres valde diluculo veniunt ad monumentum: vbi ab Angelo de Christi resurrectione docentur, & Petro, cæterisque discipulis eam nunciare iubentur. Et quoniam diuinarum apparitionum ordo ex quatuor Euangelistis difficilior videtur adeo vt quidam recentiores chronologi asserant tertio loco visam à Domino Magdalenam, cui S. Marcus primo apparuisse testatur, rem totam hoc ordine contigisse arbitramur.

Paran. Tir. c. 16. 9.

XXVII. Series & ordo ipsius. Ioann. 2. 1. Marc. 16. 5. 7. 8.

Venerunt sanctæ mulieres ad vngendum Dominum, & cum iam prope sepulchrum essent, viderunt lapidem, de quo reuoluendo sollicitæ fuerant, à monumento reuolutum. Hic Magdalena cæteris feruentior festina cucurrit ad discipulos nunciatura corpus Domini furto sublatum. At reliquæ mulieres progressæ intrauerunt in monumentum, nec inuenerunt Domini corpus, sed ab Angelis didicerunt Dominum resurrexisse, iussæque sunt id discipulis renunciare. *At illæ exeuntes fugerunt de monumento, inuaserat enim eas tremor & pauor, currentes rem nũciare discipulis*, vt aiunt Marcus, & Matthæus. Et apparet ex ijs, quæ mox secuta sunt, eas cursu & fuga, & pauore fessas, aliquo in loco substitisse. Veniunt interim Petrus & Ioannes, & Maria Magdalena cum eis. Perlustrant discipuli sepulchrum, moxque reuertuntur domum. At illa remansit foris plorans, ibique primum Angelos, deinde Dominum Angelorum vidit & agnouit, statimque feruidius in amplexus ruens prohibita est à Domino, quod diceret, satis adhuc superesse temporis, ad ascensionem vsque ad eum videndum & alloquendum. Tum demum cæteræ mulieres resumunt iter ad discipulos, eisque apparet Dominus, salutatisque, & ad oscula pedum admissis, mandauit vt fratribus suis nunciarent resurrectionem suam. Sicque facilis est Euangelistarum concordia.

Mat. 28. 8.

Ioann. 20. 16.

XXVIII. Ordo apparitionum primæ diei. Luc. 24. 34. vers. 13. & seq.

Hæc ergo fuit secunda, aut tertia potius Christi apparitio. Mater enim filium rediuiuum, vt ratio postulabat, omnium prima conspexit. Quarta apparitio facta est Petro, ad eius lachrymas absterg endas. Quinta discipulis euntibus in Emmaus, post diuturnũ cum eis colloquiũ. Sexta facta est eadem die ad vesperam, reuersis illis in Hierusalem, vbi erant vndecim congregati. Narrantibus enim illis visum à se Dominum, & agnitum in fractione panis, superuenit Dominus ianuis clausis, & stetit in medio discipulorum, eosque salutans, de resurrectione sua certiores fecit, se palpandũ præbuit, cibum etiam sumpsit, & diuinam potestatem remittẽdi, retinendique peccata, illis concessit. Ad hunc ipsum diem putamus pertinere ea Marci verba. *Nouissimè recumbentibus illis vndecim apparuit, & exprobrauit incredulitatem eorum, &c.* Idque proximè præcedentia verba satis ostendunt, etsi non defuerint qui illud *nouissimè*, non ad finẽ primi diei, sed quadragesimi retulerint. Cum autem abfuisset Thomas eo tempore, te mox audita, mœrens de sua absentia, ne ea vehementius affligeretur, maluit non credere resurrectionem: donec post octauum diem apparens Christus iterum, ouem pereuntem ad ouile reduxit, & resurrectionem suam magis magisque confirmauit, quę fuit Apparitio septima.

Marc. 16. 16.

Apparet Thomæ post octauum diẽ

Post transactos Azymorum dies abierunt discipuli in Galilæam, vti iussi fuerant, vbi à 7. discipulis piscantibus, post captam ingentẽ vim piscium, agnitus est, & sumpto cum eis cibo, Petro Ecclesiam suam commisit, iuxta promissionem ei factam. Cumque ei mortem suam prædiceret, ille de Ioanne sollicitus, iussus est à Domino eam curam deponere, innuens eum placida morte decessurum. Facta est & alia apparitio in Galilæa, in monte Thabor, vt quibusdam placet, vbi congregatis vndecim discipulis, vt scriptum est à Matthæo, Dominus se videndum præbuit: quem illi vbi adorassent, accedens, testatusque datam sibi omnem pote-

XXIX. Posteriores apparitiones. Ioan. 21.

Mat. 28. 16.

tatem in cœlo & in terra, præcepit eos docere omnes gentes, ad fidei confirmationē signa facere, & edoctas baptizare in nomine sanctissimæ Trinitatis; addita promissione se cum suis futurum vsq; ad consummationem seculi, quāuis visibili præsentia priuarentur.

XXX. Posteriora in die Ascensionis. 1. Cor. 15. 6.

Deinde visus est plusquam quingentis fratribus simul, ex quibus, inquit Paulus, multi manent vsque adhuc, quidam autem dormierunt. Deinde visus est Iacobo, deinde Apostolis omnibus, in die scilicet Ascensionis. Cum enim Dominus dixisset prædicationem Euangelij Hierosolymis inchoandam, aperuisseque eis sensum, vt intelligerent scripturas, & Spiritum sanctum doctorem ac paracletum promisisset, eumque Hierosolymis expectari iussisset, inde eos foras deduxit in Bethaniam, vt ait Lucas; vt scilicet inde abductam matrem sanctissimam, aliasque pias mulieres nobilissimi, desideratissimique spectaculi participes faceret. Alioqui nihil erat opus longius in Bethaniam iter circumflectere, cum mons Oliueti, ex quo Dominus ascendit in cœlum, propius Hierosolymis abesset. Ergo officiose Bethaniam ipsemet adijt, & matri cæterisque necessarijs valedicto, inde digressus, sancta illa familia comitante, venit in montem Oliueti, ibique monitis, valedictionibus, amplexibus iteratis, eleuatis manibus vniuersè benedixit, & à terra paulatim excitatus, ferebatur in cœlum, & sedit à dextris Dei. Ipsi autem adorantes reuersi sunt in Hierusalem cum gaudio magno, licet tanta iactura facta.

4. 24. 49.

Cur Bethaniam adierit.

Inde postea accepto Spiritu sancto profecti, *Prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.* Quæ autem deinceps sunt contecuta, locupletissimè persecutus est in suis Annalibus Baronius, cui deinceps lampadem libenter tradimus: quandoquidem vltra id quod animo destinatum nobis fuerat à principio, in sacra profanaque historia, ad annos quatuor & triginta progressi sumus: sitamen quæ reliqua sunt hoc anno in Romana Historia breuiter expedierimus. Sulpicio Galba & Cornelio Sylla huius anni Coss. Tiberius neptes suas Drusillam & Iuliam, Germanici in Syria defuncti, & Agrippinæ filias in matrimonium collocat: quarum nihilominus matrem, & fratrem Drusum hoc anno sustulit, post illustres aliquot equites Romanos, Prætoriosque viros calumnijs circumuentos, mortique traditos, post mulieres in exilium electas, & aqua ignique interdictas, cunctosque qui carcere tenebantur, accusatos societatis cum Seiano necati iussos. Nemo puniturum ait Suetonius non & in Gemonias abiectus, vncoque tractus: viginti, vno die abiecti, tracti sunt; inter eos pueri & fœminæ.

XXXI. Romana res.

Tiberii in propinquos, aliosque crudelitas.

cap. 61. vide Annu 77. & 78. &c.

In his eminet Sextus Marius homo ditissimus, & nuper Tiberio charissimus, qui cum filiam suam pulchritudine præstantem aliquò sublegasset, ne Tiberius eam pollueret, incesti cum ea commissi accusatus est, & cum filia perijt, è saxo Tarpeio deiectus, moxque latro nefarius in eius fortunas præceps inuolauit. Eodem tempore vulgata est mors Asinij Galli quem Tiberius triennium iam habebat in vinculis, & egestate cibi peremisse ferebatur, quem etiam paulo post in Agrippina interficienda, calumnijs oneravit. Eam prius quam interficeret, filium eius Drusum Neronis fratrem extinxit fame; cum miserandis alimentis ac mandendo quoque tormento nonum diem animam retinuisset in corpore. Nec ea re contentus, etiam calumnijs infamem reddere voluit, quem biennio ante, dum Seianum metueret, suo loco Principem iusserat enunciari. Sed & Caium cognomento Caligulam interempturus erat, nisi ei Thrasylius Mathematicus, spem vitæ longioris attulisset. De Agrippina quoque mox auditum est voluntate sua extinctam esse: nisi si negatis alimentis ait Tacitus, voluntarius simulatus est finis. Tiberius certe in eam criminationibus exarsit, impudicitiam arguens, & Asinium Gallum adulterum, eiusque morte ad tædium vitæ compulsam: eodem die quo biennio ante Seianus.

Drusum & Agrippinam.

vide Suet. c. 54.

15. Cal. Nou.

XXXII. Sextum Marium, Asinium Galli, cū calumnia

Haud multo post Cocceius Nerua, in medio secundissimæ fortunæ cursu, moriendi consilium cepit, veritus ne qua cum fortuna, vt iam tam multos euerteret, neque ab improbo consilio vel Tiberij precibus abduci potuit, sed cibi abstinentia mortem sibi accelerauit. Neque admodum dissimilis casus fuit Acunij, tædio temporum mortem venatum resolutione occupantis, sub ipsum finem imperij Tiberij. Eodemque tempore Plancina nupta olim Cn. Pisoni, & mortis Germanici conscia, haud ignotis criminibus in iudicium vocata, sua manu, sera magis, quam immerita supplicia persoluit. Tot cædibus, nefarijsque alijs criminibus quæ referre puder, Tiberius tot annis infamis, hoc tamen anno egregia in populum vsuris oppressum liberalitate vsus est, dispositio per mensas millies sestertio, factaque mutuandi copia sine vsuris, per triennium. Ea summa est quinque milionum libratum Turon. vt Cenali placet. Eodem videlicet tempore, quo mundi verus Imperator & Redemptor, sanguinem suum ac merita inæstimabilis pretij, in sacramenta disposuit, quibus in perpetuum debitis nostris soluere-mur.

XXXIII. Cocceius Nerua sponte sua moritur, & Plancina.

Tacit. l. 6. Ann. fi.

Tiberii liberalitas.

Et in hac liberalitate Tiberij pareat nos & annum hunc, & hanc Annalium nostrorum Epitomen, cum bona tua venia, Lector benuole terminare, simulque rogare te, vt si quid tem tuam literariam, publicamue, hoc Annalium contrahendorum labore, promouimus, tum vicissim Deum Optimum Maximum, eiusque vnigenitum Seruatorem nostrum, cum eius parente beatissima, quibus nostra maxime desudabat industria, enixius nostro nomine deprecare; vt decursis aliquando nostræ huius mortalitatis annis, si qui forte huic ætati, annorum septem supra septuaginta supersunt, beata cum ipsis immortalitate perfruamur. Quæ vero aut ignorantia nostra, cuius nobis satis conscij sumus, aut negligentia peccata repereris, tu pro tua humanitate benuole condonabis: nam emendandi tempus deinceps mihi non audeo polliceri. Nos vero Deo ipso teste, sanctisque eius Angelis profitemur, si quid, grauioris præsertim erroris, vel in hac Epitoma, vel in toto Annalium opere, nobis

XXXIV. Cōclusio Epitomes, & Annaliū.

per imprudentiam irrepserit, id nos totum arbitrio sacrosanctæ matris Ecclesiæ committere, & quæcunque illa improbauerit abijcere, atque abiudicare.

XXXV. Cum oratione ad Christū beatissimāq; Virginem.

At tu Iesu Christe Optime Maxime, cuius auspicijs, & spiritu obsecundante, post absolutos sex Annalium tomos, eos studiosis gratificaturi in paucioracontraximus, vtique operi vitam & perennitatem dabis; vernæ enim tui sunt, & in tua nati, eductique domo, & à te in libertatem asserti, nomen tuum in fronte descriptum gerunt. Sed & tu quoque mater nostra es, ô magna parens, Dei genitrix Virgo, & omnia nostra tua sunt, quia à filio tuo per te profecta sunt, qui omnia nos habere voluit per Mariam, Vtrique honor & gloria in omnem æternitatem.

Amen.

Regi seculorum immortali, atque inuisibili soli Deo honor & gloria, in secula seculorum, Amen.

FINIS.

INDEX
COPIOSVS ET ACCVRATVS
rerum præcipuarum, quæ hac Annalium Ecclesiasticorum veteris Testamenti Epitome continentur.

A

Aaronis natiuitas, p. 182. c 2. fi. quieſt ab Abrahamo ſeptimus. p 183. c. 1. n. 2. pr. inſtitutio, p. 187. c. 2. n. 3

Aaronis coniugium, p. 191. nu. 6. & cum tribu Iuda affinitas, ibid. datur diuinitus Moſi ſocius, p. 198. n. 10. ei occurrit, p. 199 n. 27. eorũ colloquium, n. 28 & ingreſſus in Ægyptum, p 200 n 29

Aaron cum filiis videt Dominum, p. 231. n. 149. vocantur ad Sacerdotium, p. 236. n. 175. conflanter vitulum aureum conficit, p. 239 nu. 193. & 94. grauiter in eo peccat, n. 195. & à Moſe obiurgatur, p. 241. n 202

Aaron cum filiis conſecratur, p. 251 num. 6. incipit agere pontificem n. 7. eius ſacrificiũ diuinitus incenditur, ibid. & filij eius occiduntur, p. 252. n. 8. qua de cauſa, ibid. occurrit ad incendium in ſeditione Core, p. 269 n 14

Aaronis virga frondet, floret, fert fructus, p. 269. n. 18. locus & tempus mortis eius, p. 273. nu. 15. 16 fletur & commendatur, nu. 17. ei ſuccedit Eleazar, n. 18

Abaris hyperboreus legatus, p. 568. c. 2. fi. & 660. n. 1

Abdias occurrit Eliæ, p. 515. col. 2. num. 2

Abdiæ prophetia, p. 562 c. 1. n. 1

Abdon fit Iudex, p. 348. c. 1. n. 1. moritur, c. 1. n. 2

Abel naſcitur, & ratio nominis eius p. 41. n. 4. eius indoles, p. 42. nu. 2

Abelis ſanctitas inuiſa fratri, p. 43 n. 3. an fuerit coniux, p. 44. n. 7. 8

Abeſan eligitur Iudex, p. 343. c. 1. n. 1 putatus eſt Boos, ibid. moritur, p. 345. c. 1. n. 1

Abimelech Gedeonis filius, p 328. c. 2. n. 1. ambit principatum, p. 329. nu. 2. eligitur à Sichimitis in regem & occidit ſeptuaginta fratres, n. 3. 4. tyrannum agit, p. 330. n. 1. in ipſum coniuratur, nu. 2. etumpit coniuratio, p. 331. n. 2

Abimelech vincit Gaalem cũ ſuis, p. 331. n. 3. 4. vrbem & turrim Sichimorum delet, n. 4. 5. occiditur à muliere, nu. 5

Abimelechi fœdus cum Abrahamo, p. 112. n. 2. 3

Abiathar cur ſauet Adoniæ. p 467. n. 4. exauctoratur, p. 471. n. 13 & in pagum amandatur, 473. n. 5

Abiathar mature euadit ex Nobe, p. 403 nu. 15. & adit Dauidem in Ceilam, ibid. & n. 18. nouus pontifex, p. 404. nu 1. an ſimul etiam Sadoch. ibid. eſt in conſiliariis Dauidis, p. 424. n. 4

Abiathar venit ad Dauidem cum Arca, quam remittit, p. 454. n. 8

Abel quando occiſus, p. 45. n. 1. fuſe eius cum Chriſto comparatio, p. 46. n. 10. 11. eius epitaphium, pag. 47. n 12

Abimelech Iſaaci alius videtur à priore, p. 124 n 2

Abigail occurrit Dauidi cum muneribus, p. 409. n. 9. eumque placat, p. 410. nu. 10. redit ad virum, eique rem nunciat, nu. 11. fit vxor Dauidis, nu. 13

Abiæ regis ætas & coniugium, pag 501. c 1. nu 4 regnat, p. 503. col. 2 n. 1. bellum parat, n. 2. 2. vincit Ieroboamum, p. 504. n. 4 5. contrahit affinitates, n. 1. moritur, p 505. c. 1. n. 2

Abner arguitur à Dauide ob male cuſtoditum regem, p. 412. num. 7 conſtituit regem Iſboſeth, p 423 n. 63. diſſimulanter optat pacem, p. 425. c. 2. n. 2. 3. ludũ offert militarem, p. 426. n. 4. Aſaelem inuitus interficit, ibid. prælij finem obtinet. n. 5

Abner itaſcitur Iſboſetho, p. 427. n. 2, defectionẽ regni ad Dauidem molitur, n. 47. rem cum eo tranſigit, nu. 4. & 5. & fœdus init priuatim cum eo, p. 428. n. 9

Abraham egreditur de Vr. p. 92. col. 2 nu. 1. & in Haran quinquennio habitat, ibid. gemina eius vocatio & quia differãt, n. 2. 3. eiuſdem obedientia, p. 93. n. 3. vt exierit de Vr. n. 4

Abrahæ primum appãret Deus, pa. 93. nu. 5. abit ex Haran, anno ſuo 75. p. 94 n. 1. & qui cũ eo. n. 4. itetũ illi Deus apparet, ibid. & promiſſis onerat, nu. 3. apparet tertiò p. 95 n. 8. & promittit ei Chananitidem, ibid

Abrahæ fides & obedientia, pag. 94 n. 2. an Lotũ adoptarit, n. 4. Abrahæ familia numeroſa, n. 5. peruenit in Chananitidem, p. 95. n. 6. & conuallem illuſtrem, n 7

Abrahæ pietas & zelus animarum, p. 95. num. 8. 9. migrat in Ægyptum, n. 9. 10. eius pro Sara ſollicitudo, nu. 10. nec dicit, nec ſuadet mendacium, pag. 96. pr. ingreditur in Ægyptum, p. 96. co. 1. num. 1

Abraham erigit altaria, p. 95. nu. 8. 9. num docuerit Ægyptios, pa. 96. num. 3. redit ex Ægypto, p. 96. c. 2. n. 1. & ſeparatur à Loto, nu. 2. Abrahæ filij, vt ſtellæ & puluis, p. 97 n. 5

Abraham non fuit primogenitus Tharæ, p 81. nu. 2. ſed Aran, ibid. ortus Abrahæ, p. 85. nu. 1. quo patris anno natus, nu. 2. 3. &c. fuſe. eius gemina migratio abſurda, p. 85. n. 3. 4. 5. &c.

Abrahæ ratio nominis. p. 86. num. 9 eiuſdem patria, ibid. num adoleſcens idola coluerit, p. 89. nu. 1. 2. 3. ducit Saram, p. 90. c. 1. n. 1. an fuerit in ignem coniectus, c. 2. 1. vnde orta ea fabula, ibid.

Abraham dat decimas Melchiſedecho, p. 100. n. 12. 13. Abrahæ merita, p. 106. n 2 fides, p. 101. nu. 4. & 5 Dei cum eo fœdus, nu. 6. ducit Agarem, p. 102. num. 1. Saræ voluntate, ibid.

Abraham migrat in Hebron, p. 97. n. 1. & fœdus init cum Hebronitis, n. 2. liberat Lotum, p. 98. n. 5. & ſeqq. eius pugna & victoria, n. 7. ei gratulatur Melchiſedech, p. 99. n. 8.

Abraham ſe ſuoſque circuncidit, p. 105. n. 8. eius hoſpitalitas, nu. 10. accipit Angelos hoſpitio, nu 11. pro Sodomitis orat. p. 106. nu. 15. abit in Gerara & cur, p. 108. num. 30. 31

Abraham apud regem Geraræ ſuam excuſat diſſimulationem, p 110. nu. 36. & Saram cum muneribus recipit, n. 37. eius mœror ſuper Iſmaële eiiciendo, p. 111. nu. 3. vt eum cum matre dimittat, n 4

Abrahã moritur, 121 n. 1. commendatur, n. 2 à filiis ſepelitur, nu. 3.

INDEX.

Abrahæ puteus & nemus, p.112.n.4 eius tentatio grauissima, p.114. n 3 & mirabilis obedientia, n.4. diuinissimè non communicat cũ suis Chaldæis, p.115 c.1.n.1.2

Abraham emit locum sepulturæ, p. 116.nu.3. mittit Eliezer ad quærendam Isaaco vxorem, p.116.n. 1.ab eo iuiurandum exigit, pag. 117.n.3. habitatio præsens Abrahæ & Isaaci, p.118 n.9

Abraham ducit Ceturam, p.118.n.1. noui coniugii causæ, n. 2. distribuit bona sua, p.120.c.2.1

Absalon abit cum copiis trans Iordanem, p.456.n.19. vincitur à Danidicis, p.457 n.21 fugiens comprehenditur à quercu, nu.22. interficitur a Ioabo, nu.23. proijcitur in foueam & lapidibus obruitur, 24

Absalonis ambitio erumpit per hypocrisim, p.453.n.2. ordo rei gestæ, p.454.n.4

Asaloni innotescit Thamaris violatio. p 448.n.5. odium dissimulat, n.2. vindictam parat, p.449 n 1.2. in cõuiuio occidit Ammonẽ, p. 449 n.3. fugit ad Auum, num.4 eius reditum Ioab impetrat, pag. 450 n.4. non permittitur venire ad patris conspectum, p. 451. n.5. magno suo cum mœrore, nu.1

Absalonis pulchritudo, Cesaries, liberi, p.452.c.1 nu 1. fatagit apud Ioab pro conspectu Dauidis, pa. 452.n 2. quem impetrat, n.3. affectat, regnum & populo blandituri c 2 n 2 3. & p 53 n4.

Byssus quid ex Bathio, p.10.n.6

Achias qui & Achimelech filius Achitob pontifex, p. 369. n.2. delatus a Doeg, euocatur à Saule, pa 402. n.12.13 2 quo obiurgatur & iubetur interfici cum suis, p.403 n.14

Azarias qui & Ozias nascitur, p 552 c.2.fi

Academia Chananæorum Dabira, quæ & Cariath-Sepher, p.29, 5...

Achaz à Syris & Israelitis bello vexatur, p 57 ..n.3. & 4. bellum redintegrant, c.2.n 1

Achab promouet impietatem, pag 513.n 4 pugnat contra Benadad p.518.n 1.2 vincitque, p.519.n 6 Achabi comitas & prudentia, pa 518.nu 3 4.5. iterum vincit eique parcit. p.519 nu. 3. 4. vnde a propheta arguitur, p.520.6

Achab filius Amri regnare incipit, p. 511. c. 2. fi eius vxor Iezabel, p. 512 pr. colit Baal, n 2

Achab adit possessionem vineæ, p. 521.n.5 ab Elia obiurgatur, nu.6 assumit Ochosiam regni socium n 7. militat contra Syros, p 522 dissuadente Michea, n.3 4 mutato licet habitu vulneratur, nu 6. moritur, n.7

Achaz nascitur, pa.564. præmature gignit filiũ, p.568 c.2. pr. regnat, p 569. c 2. med. fœdus init cum Assyrijs, ibid. nu 2. à Syro victus abducitur Damascum, pag. 570. nu.3

Achaz occurrit Assyrio Damasci, p 571 c 2 n.3. cum muneribus, pa. 572. c. 1. pr. altare nouum exstruit in Ierusalem, p.572 n. 4. col. 1 accipit Assyrium magnifice, nu. 1 sacrificat in nouo altari, n 2. Assyriorum vectigalis, p.573. col. 2. nu. 2

Achaz insanit in Deum, p.572. c. 2 n. 3. summa capita malitiæ eius, n. 4. 5. condit leges iniquas, pag. 576 c. 2. n. 1. moritur, p.577. 3. & suprema impietas, ibid.

Actiaci ludi, p.1057. n.1. census Romanus, ibid.

Achæorum societas, p.830.

Achæus vlciscitur mortem Seleuci Callinici, p.857.n.1. & 2. tyranni dem occupat, c.2 nu.1. in eũ mouet Antiochus Mag. & mira fraude eũ capit, p. 867. n.3. 4. supplicio afficitur, p.868.n.5

Achani sacrilegium, p.290.nu.29. punitur, n.30. & 31

Achabitæ in Iezrael occiduntur, p. 538.n.11

Achabi filij 70 occiduntur, p.538.n. 8. iussu Iehu, nu.9. ad eum capita deferuntur, nu.10

ad Actium pugna naualis, p.154.nu. 4. Antonii & Cleopatræ fuga, absurda & improuida, n.4. & 5. rursus bellum parant, n. 6 Antonius in Africa male rem gerit, p.1055. n.4. pacem quærit à Cæsare, n.5. pugnat, ibidem, se interimit, pa. 1056 n.6

Achior Ammonita dat testimonium pro Deo Hebræorum, p 603 n.6 obstupescit ad eædem Holofernis, & conuertitur, n.18

Achiacharis opes & officia, pa. 591. nu.3

Achis rex Gethæus accipit ad se Dauid. m cum sociis, p.413.n 2 dat ei Siceleg. p.414.n. 4. dimittit eum ex præmio, p 4.6 n 18

Adam & Eua qua ætate creati, p.24 n 17

Adam peccat, p.36.n 14 nec agnita culpa veniam petit, nu.18.19. sed excusat, p.37.n. 19. grauitas peccati eius ex 7 capitibus, p. 38. nu. 29. & mulieris, n 30. &c.

Adami ad suos monita, p. 53.n.6 obitus & funus, p.54. Christi cum eo comparatio, nu.8.9

Adami pœna multiplex, p.39.n.33. 34 & c. pellibus induitur, p.40.n. 36 & irridetur n.37 priuatur ligno vitæ misericorditer, num. 38. ejicitur ex paradiso, n.39. vbi habitarit, ibid.

Adami luctus diuturnus, p.41.n 5 & consolatio, n.6

Adami dotes quinque primatiæ, p. 26. nu. 30. &c. quæ eius scientia tam naturalium, n.31. quam supern. 32. 33 corporis eius dotes, vide corpus, vnde translatus, pa. 28 num. 43. eius somnus, pag. 29 n. 48

Adam deditus agriculturæ, p 31.n.5. accipit à Deo præceptum post Euam conditam, n.60 & 61. quandiu manserit in paradiso, p 33.n. 3.4. videri octiduo, n 5. quam ibi vitam egerit, n.6.7.8

Adã moritur decima generatione, p.52.n.1, multitudo liberorũ eius p.53 nu.2. eius luctus & diuturna pœnitentia, n 3 & salus, ibid. locus sepulturæ eius in Caluario monte, n. 4. translatio Liptanorum eius, nu 5

Adherbalis & Cyrthæ deditio & cædes, p.978 n 2

Adad aduersarius Salomonis, pag. 492.n.4

Adad Idumæus defertur in Ægyptum, p.441.c.1.n.2

Adarezer Syrus contra Dauidem pugnat & vincitur, pag.439.fin.& 440. iuuant eum Damasceni, n.4

Adarezer rursus pugnat contra Dauidẽ, pag 443.n.2. euocat Syros trans Iordanem, ibid. qui vincũtur & subijciuntur Dauidi, pag. 443.n.3

Adonibezec bello petitur, à Tribu Iuda, p.303. n. 5. Imperatore Caleb. ibid. quis ille, n.6. vincitur, & capitur, n.7. pœna talionis punitur, n.8 & moritur. ibid.

Adonias insolescit & regnum ambit, p.466.nu.4. patris in eum indulgentia, p.467.n 6. quę ipsi fauerent, n.3. cur Ioab, n.4. inungitur & proclamatur rex, pag.468. nu.4.

Adonias turbatur cum suis, p.469. n.12.& à Salomone veniam obtinet, ibid adest comitiis, p.470. n.3. nouacius in Salomonem cõiuratio, p.473.n.2. à quo iubetur occidi, n.4

Achilles per fraudem interficitur, p.346.c.2.n.2

Ægyptij mare ingressi demerguntur, p.220.n.87.88 &c.

Ægyptia sacra vrbe erecta, an. Chr. 20.n.3

Ægypti rex vexatur diuinitus propter Saram, p.96.c.1.nu.2. eius cũ Abrahamo querela, n.3. restituit ei vxorem, ibid. Ægyptia seruitus prædicitur Abrahæ, p.181. n.7 8.

Ægyptiorum multiplex sapientia, p.186.c.2.n.1

Ægypti clades à Chaldæis, præuisa & prædicta, p.642.n.1 2. etiã regis ipsius. p.643.n 3 & p.650.c.1.n.2

Ægyptij pecora nutriebant, p.160. n.11. licet pastores detestarentur, ib. in fame primum omnem suam pecuniam consumunt, p 161.n.2 tum pecora, n.1. postremo agros & libertatem, p.162.n 2 3

Ægyptij cum Iosepho contrahunt p 162.c.2.n 2. eorumque gratus animus, p.163 nu 3. eorum metus inuidia contra Israelitas, pag 180. & seqq

Ægyptiorum à Persis defectio, pa. 695.c.2. nu. 1. iterum domantur, p 596.c.1.n.1. ope Athenienſium vincunt Attaxerx. Longimanum p.710.num.5. moxque ab eodem vincuntur, p.712 n.1

Ægypti facies misera, p.214 n.55. a liquibus saluti fuit, nu 56. vrgent Hebræorũ discessum, p.215.n.59

Ægyptiorum stupor, p.207, nu.4 eorum idola coruunt, p.214 54

Æmylius Paulus totam recipit Macedoniã, p.923.n. 8. Persem victum humaniter recipit, n. 11. dat vrbes militi diripiendas, num. 8. triumphat magnifice, nu.9. eiusdem orbitas non immerita, n.10 moritur, p.9.40.n.11

Æra Christiana, a. Chr. 2.n 1

Ærarium militare, a. Ch. 7. n 1

Æsopus quando vixerit, p.658.n.5 & 660 c.1.n.1

Æras secunda, p.69.n.1. trium temporum ex Varrone distributio, num.2

Ætatum mundi distinctio in octo partes, p.184.n.6

Ætates octo durationis mũdi, p.363 n 1.2

INDEX.

Æneæ profectio, p.347.nu.7.mors eiusdem, p.348.c.1.n.1 fi.
Ætnæ riuus igneus, p.736.n.5
Æthiopes à Chaldæis deuicti, p 643 nu.4
Æthiopia gemina, p.12 n.29
Æthiopicum Mosis bellum, mera fabula, p.188.c 1.n.1.2.3
Ætoli excitant omnes in Romam, p. 896. n.2. capiunt Demetriadē, p.897.n.5 vincuntur à Catone, p. 898.n.2.& ab Acilio Consule, n.4 5. Quintius eis veniam obtinet, n.6.pacē tamē Romæ non impetrant, p.899.n.1. bellum redintegrant, n.3. Antiochus pacem petit & nauali pugna vincitur, pag. 900.n.3.iterum de pace agit cum Africano, nu.8. postrema pugna vincitur, p. 9 10. pax postremo fit dato filio obside, p.901.n.10. Acilius de eo triumphat, n 11. pax cum eo Romæ confirmatur, n.2.
Ætoli domiti, p.902.n 5
Africa in formam prouinciæ redigitur, p.953.n.7
Africani Iunioris mors, p.969.n 4
Africanum bellū, p.1031.n.2.3.&c.
Agaris filiis Abraham dat munera, eosque ab Isaaco separat, p.121.c 1.n.3
Agaris luctus super Ismaële, p.112. n.5.ab Angelo consolatur, n.6.& dat filio vxorem, nu.1
Agar nubit Abrahæ, p.102.nu.1 insolescit, n.4 quam vexat Sara, p. 103.n.4. Agar fugit, n. 5. eius cum Angelo colloquium & consolatio, n.5.& 6.redit ad Heros, nu.7
Aggæi prophetæ mors, p. 695. n.1
Agesilaus reuocatur in patriam. pa. 754.obsidet Phliasios, p.760.n.1. & domat, n. 5. eius in Thebanos expeditio, p.763.c.1.n.1.& 2.eius mors, p.770.c.1.n.3
Agis moritur Spartæ, cui succedit frater Agesilaus, p.752.c.2.n.1.eius in Asiam expeditio, ib. de pace agit cum Tissapherne, nu.1 qui ei bellū denunciat, p.753.n.4.& victus à rege capite plectitur, nu.3. agit quoque de pace cū Tiribaze Persa, nu.4. accipit imperium Spartanæ classis, ibid. rem bene gerit in Asia, & Pharnabazum ad defectionem inuitat, n.6
Agni paschalis celebritas, institutio, &c p.212.n.43.& seqq.fusè.
Agones Olympici ab Hercule instituti, p.340.n.11
Agraria controuersia Romæ componitur, p.706.c.2.fi.
Agrippa iunior abdicatus relegatur, a.Christi 7.n.1 à Tiberio necatur, a.Chr.15.n.6
Agrippam Augustus generum assumit, & præficit vrbi, p.1062. col. 2. pr.
Agrippa Gallos sedat; Cantabros domat, & recusat triumphum, p. 1064 n.8.cum Augustus sibi supparem reddit, c.2.n.1. Agrippa in Iudæa, p 1065.col. 2. 3. eum adit Herodes, p.1066.c.1 n.1. recusat triumphum, c.2.n.1. adit Pannoniam, p.1067.c.2.pr. moritur; p. 1068.n 4
Agrippæ filius posthumus, ibid.n.5
Agrippinæ Augusti neptis Germanici vidua petit maritum à Tiberio, quem iste negat, an.Chr.27. nu.1. Agrippina filia Germanici Domitio nubit, patri Neronis, a. Christi 29.fi. & 34.n. 32
Albana colonia, p.574.n.4
Alcibiades deficit ad Persas, eiusq; improba consilia, p.743.n.2. pro Olichargia satagit, p.744. Spartanos in Hellespontо vincit, pa. 745.n.3. capitur à Tissapherne & euadit, nu.7. pugnat pro Athen. contra Chalcedonenses, p.746. num.1
Alcibiades turbat fœdera inter Athen.& Spartanos, p.739 c.1.nu.1 obtinet eum Argiuis, nu 2.& 3. contra eos rem gerit, p.740, nu.1 suadet bellum in Siciliam, c.1.n. 2. inde reuocatus fugit ad Laced. p.741.n.3
Alcibiades Athenis magnifice accipitur, p.746.n.3.ad Andrum non bene rem gerit, n.4.ob infelicem legati sui pugnam exautoratur, n.5.eius cædes, p.749 n.3
Alcimus ambit Sacerdotiū sacrilegiis, p.936.n 5. incumbit in ruinā Iudæ Mach p.937. n. 8. necat 60 viros innoxios, ib. ad eum congregantur impij, n. 7. quos tollit Iudas, ib. curat mitti Nicanorem contra Iudæos, ibid. frangit pacem Nicanoris cum Iuda, nu.9 ducit Bacchidem contra Iudæos, pag. 939.num.5. perit, pag. 940.n. 1.2
Alexander apud Mallos pugnat cū magno vitæ discrimine, p.799.n. 6. multos populos deditione accipit, num.7.8 eius liberalitas in suos, p.800.n.4. eiusdem vxores, ibid. dat missionem suis, & ortam seditionem seuerè punit, nu.4.5 exules Græciæ iubet reuocari, n. 6. intemperantia potus moritur, n.7. eius ætas, & mores, nu.8. fūnus, pag. 803. num. 1. eius imperium continuatur, pag. 801. num.1
Alexander Alexandriā in Ægypto condit, p.791.c.1.n.4. Persepolim diripit atque incendit, p.792.n.7 mouet in Mediam, nu.8 Darium mortuum honorat, n.9. fit Imperator Asiæ, p.793.n.10 11. Bessum persequitur, num.10. Hyrcanos Mardosque domat, num.11. eius mollicies, p.795.n.1. multas gentes domat, n.3. vulneratur, p.794 c.1.n.4.& 5.
Alexandri in Scythas expeditio, pa. 795.nu.6.7.8. ad Margintam sex oppida condit. n.1. occidit Clitū in conuiuio, n.3. vult adorari, pa 796.n.1 Epheborum in eum cō iuratio, n.2. Indum traiicit, n.3.4 Porum vincit; n.5. duas vrbes ad Hydaspin condit, p.797.nu. 6.2 suis inde regredi cogitur, p.798 n.1.2. tempestate vexatur, n.5.& 799.n.8
Alexandria noua ad Caucasum, pa. 794.n.1. altera ad Tanaim, p.795. nu.6
Alexander insurgit contra Demetrium ope Senatus Rom. p. 943. nu.5. eius initia, p.944.n.1. bellū gerit in Demetrium, nu.2. quem vincit, p.945.n.1. quærit affinitatē Ptolemæi, p.946.n.2. nuptiæ celebrantur, co.2.n.3
Alexander honorat Ionathan, pag 951. nu. 4. à socero Philometore proditur, & in pugna cum eo moritur, p.952.n.3
Alexandri Magni ortus; p.772.c.2 n.5. eius gloriæ cupiditas, p.779 col. 2. med. an consilius paternæ cædis, p.785. nu. 3. fit Imperator Græciæ contra Persas, n.5. vicinos populos domat, p.786.nu.1. Attalum interficit, p 786.n.3. res Græciæ cōponit, n.3. Thebanos victos deler, n 4 de Persica expeditione deliberat, p.786.n. 5. trajicit in Asiam, p.787.c.1.n.1
Alexander & Antipater filii Cassandri inter se pugnant; p 821.c.2.n. 1. Alexander cæditur à Demetrio p.822.n.1
Alexander Magni filius cum Roxane matre à Cassandro necatur, p. 812.nu. 2. eiusdem Magni duces Regis nomen assumūt, p.815.n.4
Alexander Aristobuli filius à Gabinio vincitur, p.1017.nu.2
Alexander frater Lathuri matrem Cleopatram occidit præuenta illius cæde, p.989.num. 1. Ægypto pulsus moritur, p.990.n.1
Altaria Abrahæ, p.95.n.8.9.& Isaaci p.125.c.2.n.2 & Iacobi, p.129.n. 10.& 137.c.1.med.& 139.n.7
Altare holocaustorum in templo, p.478.n.10
Altare thymiamatis, p.233.nu.160. 161 vbi situm, p.251.n.4
Altare alieno loco à Samuele excitatur, p.368.n.2
Altare holocaustorum, p.233.n.161. & seqq. instar erat fornacis, nu. 163. Altare de terra quid, ib.
Altare ad Iordanem erigitur; pag. 299.n.12.& inde turbæ, ibid.
Alba diruitur eiusq; duratio, p.610 c.2.n.2.3.
Amalecitæ inuadunt Israëlitas, pa. 216.n.121. Belli causa, &c. n. 122. vincuntur impune, p.227.n.126. iubentur à Deo deleri funditus, n.127. mirabili Dei odio, nu.128. eorum spolia, n.129
Amarias pontifex, p.521. nu.1
Amasa princeps militiæ Absalonis, p.426. nu.19. cui David locum Ioabi destinat, p.458.n.28.29
Amasias filius Ioas regnare incipit, p.549.2. num. 1. pr. inuadit Idumæos cum auxilio Israelitarum, p.551.c.2.fin. vincit, & captiuos eorum Deos adorat, p.552.c.1.n. 3. arguitur à Propheta, nu.1. temere bellū suscipit contra Ioas, c.4.n.2
Amasias male pugnat cum Ioas, p. 552.c.2.fi. fit ei vectigalis, p.553. nu.3. viuit inglorius, co.2. pr. instaurat murum vrbis, ibidem num.4.
Amasias non perseverat in cultu idolorum, p.554.n.2. moritur, 555 c.2.n.1.fi. ex coniuratione, eiusq; causæ, p.556.c.1.n.1 2
Amenophis rex Ægypti, p.278.c.2 nu.1.2. incipit vexare Israelitas, p.279.c.2.n.1.2. &c. init consilia contra eos, p.280.n.8. vexat primùm in fortunæ bonis, ibid.& corporibus, p.281.n 9.10
Amenophis mors, & eius decretum antiquatum, p.286.c.1.n.1
Amilcar Barcas dux Pœnorum; p. 848.n.3
Amilcar dux Gallis Cisalpinis contra Rom p.888 n 3. de eo Romanorum querela Carthaginē, ibid.
Ammonitæ vexant Israelitas, p.336 n.1.fi.& 337.n.2.3.&c. & 338.c.2. num.1

INDEX.

Amonis regnum & peccata, pa. 612 c.1.n.1. eius mors, à populo vindicata, n.3
Amonis regis ortus, p.607.c.1.nu.1
Amos propheta, p.549.co.2.med.& 557.n.4
Amos incipit prophetare, p.560.c.1 nu 1. biennio tantum vaticinatus est, n.3 moritur. p.561.n.1.
Amphyctionum Senatus, p.773 co. 1 n.1
Amphion, p.317.c.2.n.1 med
Amri cogit Zambri ad sui cædem, p.510.c.1.n.1. regnum affectat, n. 3. habet æmulum Thebni, quem denique vincit, p.511.c.1.nu.1. de noua regni sede cogitat, pag.511. n.2.
Amrami ortus. p.168.c.2. n. 2. coniugium, p.181.n.1. moritur, p.193. c.1.n.1 fin.
Amulli regnum in Italia, p.562.c.2 n.1.2
Amulius Rheam neptem Vestæ cõsecrat, p.567.c.1. n. 1. ex qua corrupta gignit Romulum & Remũ. p.568.n 3
Amnonis facinus in sororem, p 447 n.3. occiditur, p.449 3
Anarchia quinquennis Romç, p.763 num.4
Anaximandri ortus, p.614 n.1
Anacharsis leges telis aranearum confert, p.650.n 4
Anacreon, p 658.n.1
Anathema denunciatur contra Iericho, p 289.n 24
Anci Marcii regnum Romæ, p.618 c.2.n.1. eundem vulgat Numæ commentarios, ibid. vincit Veientes, & Volscos, p 623 n 5. nauale condit ad Ostiam, ibid. moritur, pag 63[illegible] c 1.n 4
Anci Marcii filii regnum affectant, p.655.n 7
Andriscus agnoscitur, p.945.nu.10 fit rex & occupat Macedoniã, pa 947.n 4 profligatur, p.950.nu.5
Angeli pugnant pro Machabæo, p 932.n.11
Angelica prouidentia. p.276.nu. 30 & 33
Angelus ductor Hebræorum locũ mutat, p.219.n 83
Angelus arguit Israëlitas, p.300 n 4 qui soluuntur in fletus, nec emendantur, nu 5
Angelus apparet Iosue, p.288 nu 20 & p 300 n 3
Angelorum nomina, p.136.num.11 Angeli cum Iacobo lucta, colloquium, &c. p.135 n 9 & 136.num. 10.11
Angelorum concilium, p.109.n.3. à Dæmone aditur, ibid.
Angelus vt à Deo differat, pag 25. nu.21
Angeli vbi & quando creati. p.7.n.2 3.&c. creati in gratia, pa.8.n.2 promeriti sunt beatitudinem, n. 3. quanta fuerit eorum via, nu.4.
Anglia facta à Cæsare Romæ tributaria, p 1021.n.6
Animalia noxia à principio producta, p 21. 3 quem ad finem, p.22. nu. 4 an etiam quæ dicuntur adulterina, n.5 non viderit, ibidem
Animalia cur ad Adamum adducta, p.29 n.45
Anima cur inspiratione creata, pa. 24.n.18. extrinsecus aduenit, ib. cur in faciem facta inspiratio, nu. 19 Dei imago, n 20
Annas non fuit simul pontifex cum Caypha, an. Christi 30.n.3
S. Annæ ortus, p.1047.n.6
Annæ vxoris Tobiæ mors, p.610.c. 2.n 1
Annas, siue Ananus Pont. a. Christi 10.n.3
Annæ sterus propter sterilitatem, p.355.nu.3.4. &c. vouet & quasi cbria obiurgatur, n.5. 6. insignis, & multiplex eius patientia, pag. 356.n.7. cur non adierit Sanctuarium die 40.n. 2. prole abundat, p.358 n.2.c.2
Annibalis initia mortuo patre, pag. 858.n.4. expugnat Saguntum, p. 860.n.5.6. abit ex Hispania, nu.4 transit Pirenæum, p 861.nu 5.& Alpes. n.6. vtrobique illi occurrit Scipio, ibid.
Annibal cum Patre Hispaniam petit, p.852 n 1. iurat inimicitias cũ Romanis, ibid.
Annibalis ortus. p 849.n.1. eius cũ Scipione colloquium, p 896.n.3
Annibalis filij Gisconis res gesta & interitus, p.844.n 4
Annibal Romanos vincit ad Trebiam, p.861 nu 8. Apenninũ præmaturè tentat, p.862.n 2. pugnat cum Sempronio, ibid. vincit ad Thrasimenum, n.6 7. eius crudelitas, p.863 n 8 ad Cannas vincit p 864 n 5.6.7. eius imprudentia post victoriam, p.865 n 8.9
Annibal Nolæ a Marcello cladem accipit, p.865 n.10. Capuæ hyemat, quid vide p 867. nu. 9. varia loca occupat, p 866 n 6 init fœdus cum Philippo Macedon. n.8. ambit Tarentum, p.868. n. 9. legati eius turbant Siciliam, p 869. n. 11. geminam cladem Romanis infert, p 870.n.5
Annibal amissa Capua Romam frustra cogitat. p.872.n 3 ex insidiis Cosi profligat, p 877 n.4. honorat Marcelli corpus, n.5. per fraudem cladem bis accipit, p 877.5. & 878.n.3. Apuliam petit, p.878 n.4. amittit fratrem Asdrubalem Neronis opera, n. 5.6 reuocatur Carthaginem, p 886.n.10.11
Annibal pacem frustra petit. p.887. n.3 tandem obtinetur & cur, n.4 5. fugit ad Antiochum, p.893.c.2 n.2. eius de bello cum Rom. consilium, p.895.n.2. cum Romani à Prusia reposcunt, p 907.num.3. sponte veneno moritur, ib.
Anni sacri institutio, p.212 nu.40. profani. n.41 & 42
Anni correctio à Iul. Cæsare. p.1033 n.10. & seqq.
Annus ciuilis in Autumno olim inchoatus, p.5.n.8
Antalcidas cum Teribaze regẽ Persarum adit pacis causa, p.755.c.1 n.1. pacem refert, p.757.num.1.& 758.n 1. eius formula, n 2. eadem pax renouatur, p.765.c.2.n.2
Antenor regnat in regni reliquiis, p 347.n 7
Antenor & Æneas proditionem agitant, ibid.n.3
Antigoni superbia, p.818.c.2 n.1. sex regum pugna, ibid. Antigoni cædes, n 2
Antigonus Babylone Seleucum fugat p 809.n.5. parat bellum cum aliis Alexandri ducibus, p 810 c. 2.n.1. filium Demetrium Poliorcetem Syriæ præficit, n.2. Tyrum expugnat, p 811.n. 5. eius maritima clades, p.815 n.1. re infecta redit in Syriam, ibid.
Antigonus pugnat contra Eumenẽ, vincitque, p.804.n.1. Affectat imperium, p 805. n 1 vincit Attalum & Alcetam, n.2 res suas per se agere incipit, p.806. nu.1. sibi conatur Eumenem adiũgere, n 3 cum eo pugnat & proditione captum occidit, p.809. nu.2.3.4 fit Asiæ dominus, n 5
Antigonus Tutor, p 854.n.1
Antigonus Iudæus rex creatur à Pacoro Parthorum, p.1045.n.8. cum bello persequitur Herodes, n 10 securi ab Anton. percutitur rogatu Herodis, p.1047.n.1
Antiochena pax promulgatur, pag. 903.c.1.n 1.2
Antiochia à Seleuco constituitur, p. 819 n.4
Antiochi Soteris mors, 841.c.1.nu.3
Antiochi Dei principium, p.842.c. 2 n.1
Antiochus Deus filius Antiochi Soteris, p 844.c.1.nu.1. duas habet vxores, n.2 bellum diu gessit cõtra Philadelphum, nu.1.2 amborum mors, p.848 n.3
Antiochus Sidetes ducit Cleopatrã Demetrij vxorem, p.960 n.1. sibi demeretur Simonem, p.961.n.2. eius initia. n 1. obtidet Triphonẽ ibid. & p.962 nu.1. alienat se a Simone, ibid. mittit ad eum Athenobium legatum, n.2. & Cur de bæum contra Iudæos, n.3 obsidet Ierusalem .965.n 2
Antiochus Mag Sardeis & Achæum obsidet, p.865.n.1 & 867.n.1. vincit Eutydemũ, p.878.n 7 & 881 nu.6 Syriam recipit, p.884 nu.1. iterat in Syriam expeditionem, p.890 n.1 dat filiam suam Ptolemæo Epiphani, p 896.n.2
Antiochus Magnus Seleuciã occupat, p.860.n.1. Theodotus ei Syriã tradit, ib. male pugnat in Ægypto, p.863.n.1.& 864.n.2
Antiochus Mag. filius Seleuci Calinici ei succedit, p 857.c.1.nu.1 duces eius ab eo deficiunt, col.2. n.1. duxit vxorem Laodicen, p. 858.n 2. mouet in Molonẽ, p.858 n.6. eumq; vincit, p.859. n.2. suscipit Seleucum primogenitũ, n.3
Antiochus Gryphus, & Antiochus Cyzicenus fratres filij Demetrij, p 970.n.1
Antiochus Mag. bellum molitur in Philopat Ægyptiũ, p.893.c.1. n.2 3 & in Romanos, p.896 n.3. 4 & p. 897.n.7 8.&c. bellum in Romanos gerit, p.897.n 898 fuse. cladem in mari patitur, p.898. num.8. reparat copias, p.899 n.4
Antiochus Epiphanes figura Antichristi, p 913.n.1. insinuatur in regnum Seleuci fratris, n.2.& 3. cur dictus Epiphanes, nu. 2 affectat Ægyptum, p.915. n.3. prior in ea expeditio. nu 1. mittit Romam legatos cum muneribus, p 916. n. 3.4 alteram molitur, p.918 n 1 & 920.n 1.2 Romanorum impeditur, n.2
Antiochi Gryphi cædes, p 957.n.4
Antiochus Gryphus exoritur, p.958 n 1 cogit matrem ad venenum, p. 972.5
Antiochus Eusebes filius Cyziceni, 988.c.1.nu.1 a Parthis occiditur, p 989.n.11

INDEX.

Antipater pro Alexãdro vincit Lacedæmonios, p.792.n.7.reuocatur ex Maced p.800.n.6
Antipater res turbat in Iudæa, pag. 1009.n.1.floret ibid. p.1014 n.12 moritur. 1039.8
Antipater bello Lamiaco obsidetur, moxque resumit vires, p.802 n.3.Græcos vincit & cogit ad pacem, n. 4. eiusdem pax cũ Aetolis.n.5.succedit Perdiccæ, & Eumenem persequitur, p.803. nu. 4 moritur. p.806.n.1
Antiquitatis consensus argumentũ veritatis, p.3.n.3
Antonius Mag. Equitum Cæsaris, p.1030 n.2.deprauat acta Cæsaris p.105.7.9
M. Antonius orator nascitur, p.957 num.6
Antonius quæ gesserit in Asia, pag. 1045.hyemat Athenis,n.7. ducit Mineruam,n.1
Antonius male gerit bellum Parthicum ob Cleopatram, p 1048.n.2
Antonius hostis iudicatur a Senatu p 1038. n. 1. ad Mutinam cladem accipit,n.4 Octauius ambit cum eo reconciliationem, p.1039.n.9 iungitur Lepido, n.10
Antonius & Cæsar imperium inter se partiuntur, p.1042.n.1
Anton. Græciam & Asiam tributis exhaurit, p. 1042.nu 2.eiusdem largitiones in milites,p.1043.n.2 Iudæorũ ad eum legatio n 3 adit Ægyptum, p 1043 nu. 3 Cæsari reconciliatur, qui eius necnam meditatur, p.1044.n.4 5
Antyllus Antonij filius occiditur, p.1056.n,8
Aod liberat populum à seruitute Eglonis,p.314. col. 2. quis fuerit Aod n,1.modus cæsi tyranni. n.2. 3 classicum inlonat, p.315 num.5 obitus eius, p.316 c.fin.
Apostolorũ 12.electio,c.Ch.32.n.1
Apparitio quinta facta Abrahæ, p. 100 n.1.2 sexta,p 104.n.3 septima p.105 n 10.
Apparitiones primi diei resurrectionis & earum ordo, a. Ch. vlt. n.28.29.305
Apparitiones Dei factæ Abrahæ, prima,p 93.n.5 secunda p.94.n 1 tertia,p.95 n.8.quarta,p.97 n.4 vbi iterat promissionem Chananitidis, & quomodo dicatur in sempiternum, num.5
Appia via,eiusdemque censura, p. 812.n.6
Appij seueritas odiosa plebi, pag 704. nu. 3. fi. in suos milites animaduertit,p.705 c.1.n. 4. acriter restitit diuisioni agrorum, c.2.n. 3.eius cædes voluntaria, n 4
Aquæ super cælos,p.13 n 7.inferioribus homogeneæ, nu. 8. quis ibi earum vsus, n.9
Aqua ex nihilo producta, p. 9 c.2 n 1.eius creatio, p.10.n.5
Aquæ inferiores quomodo congregatæ, p.14.nu. 2. & terra patefacta,n. 3. cur per terram distributæ, n.4
Aquarum fœcunditas, p 19.nu.2.opera Domini super aquas, n.1
Aquæ inualescunt. p 67.n.20.21.operiunt omnes montes,n.22. cõsistũt 150.diebus.n.23 minuũtur, p.68.n.24. quò redierint, nu.24
Aquarum amator sublatus, p.221 n. 97. Aqua datur ex petra Horeb, p.225.n.120.eaque perpetua, pa. 226.n.120. aqua de Bethlehẽ petitur à fortib. Dauidis,433.n.6.7
Aquæ Sextiæ, 973.n.2
Aqua contradictionis, p.271.nu.6. Deus iubet imperari aquã, p.272 n.8 percusso silice exiliunt,nu.9
Aquila aurea Hierosolymis, & inde turbæ, p.1076.n.8
Aradiorũ rex vincitur ab Hebræis, p 274 n.18
Arabum seruitus,p.1054.n.1.& bellum, p.1060.n 2
Arbores infrugiferæ ab initio creatæ, p.15. n.10.11.12
Arbores vitæ & scientiæ, p.17.n.22 & 24
Arcades sacrilegi bellum suscitant, p.768.n.3
Arca Diluuii,quo & quanto tempore facta,p.62.num.7.1.2.vt à naui differat, p.62.n.7.eius materia,& amplitudo,9.& 13.operculũ,n.10 eius interior distributio, num.11
Arca deducitur à filiis Helt, p.361 n.4.5.qui occiduntur, & arca capitur, p.362.n.6.7
Arca subsistit intra 13. dies diminutionis,p.68.n.26.& vbi ibid
Arcæ cum Dagone certamen, pag. 364.n.8.9.Philistheos male accipit,n.10. remittitur ad Iudæos,n. 11. 12. defertur in Cariathiarim. p.365.n.1.2.num ibi 20. tantũ annis mansit, p.367.n.1.fi.
Arca fœderis,eiusque vsus, p 252. n.154.155.vbi sita fuerit,p.251.nu 3. à Sacerdotibus per Iordanem defertur, p.287.n.11.12.
Arca ex Cariathiarim deducitur in Sion, p.454. num.2.3.imponitur plaustrio n. 6. periclitatur à casu. pag. 435. 8. deponitur apud Obededõ,n.9 10. demque deducitur in Sion multa cum pompa,p.436 n.1.2. &c. fulc,quis eius ibi locus n 2.3
Achitophel fauet Absaloni contra Dauidem,p.452.c.2.n.2. æmulus eius Chusai, p.455.n.9
Achitophel persuadet Absaloni polluere patris concubinas,pag.456. n.15 & Dauidem imparatũ obruit. n.16
Arcæ translatio ex Sion in templũ, p.481.num. 3.4. pompa & modus translationis, n. 4. 5. & seqq. collocatur in Oraculo, nu. 9
Arca extra sanctuarium, p. 617.n.6
Arca, altare incensi & Tabernaculũ reperta sub Nehemia,p.727 n.20 & 21
Archelaus tyrannus Ægypti loco Auletis, p.1017.n.3
Archelaus succedit Herodi, a. Chr. 1.n.18.cædes iussu eius in templo patrata num.18. dimidium regni obtinet, fratres quadrantem, an. Ch.2.n.2.eum timet Ioseph. nu.3
Archelaus a suis accusatus à Cæsare euocatur,a.Chr.9.n.1.eius exiliũ, an.Chr.10.n.1.
Areopagi institutio,p.194.c.1.nu 2
Argus rex Argiuorum. p.167. nu.2
Argentũ primum signatũ,p 840 n 4
Argyraspides produnt Eumenem Antigono,& occidunt,p.809.n § 4. mox pœnas luunt. ibid. vide *Eumenes*.
Argiuorum cum Spartanis prælium diremptum vitio, p. 739.c.2.nu.1 inde pugna & victoria Spartæ,tũ fœdus ad annos 50.p.740.c.1.nu. 2.Democratiam tollunt & mox restituunt,n.4. iuncti Atheniensib. à Lacedæm.vexantur, num. 4.5
Arideus cum Perdicca Alexandro succedit, p.800.n.9
Ariminum Colonia, p.840.c.2.n.2
Aristagoras deficit a Persis, p.683. n.6.& defectionem Athenienſibus persuadet, [c.1.n.2
Aristides exulat ostracismo,p 697
Aristoteles venit Mitylenem,p.779 n.4.fit doctor Alexandri,ibid fin. migrat Athenas, p.786.n.3
Aristotelis ortus,p.760.n 1. Platonem audit, p. 766. n. 1. c. 1. adit Hermeam,p.778.n.2
Aristotelis fuga,p.802.n.5. mors,p. 804.n.7
Aristobuli & Alexandri Iudæorum cædes à Pompeio,p.1026.num 7
Aristobulus Iudæus magister Ptolemæi, p.972 n.2
Aristobulus Rex & Pont. p.893.n.1 matrem interficit,n.1.& fratrem, mox ipsemet moritur, p.983.n 1
Aristobulus Roma profugus cum Antigono filio, à Gabinio victi captique Romam in vinculis reportantur,p.1018 n 1 iterum victus à Gabinio, p.1019.n.2 3
Aristobulus ope matris pontificatũ obtinet ab Herode, p.1050 nu.1.
Aristobulus a Pompeio in vincula conijcitur, p 1011.n.2
Aristonicus bellum in Rom. gerit, p 968.n.7 8 vincitur à Perperna p 969 n.5.moritur, n.1
Arii literæ ad Omiam Pont.p.853.c. 2.n 1.2.
Armenia ad plane deserta, p.76.c.2 n.3.eius situs, p.77.nu.6.vt ibi bus frequentatur, p.80.n.2
Arphaxad nascitur, p.17.n.1
Arphaxadi obitus & ratio temporis p.92.c.1.n.1.& sepultura, n 2
Arphaxad vincitur à Nabuchod. qui & Merodach Babylonius,pa. 601.n.2.3
Arsaci Parthi initia, p.849.n.4
Artes Persa Ocho succedit, p. 780 c.2 n. 1. & p. 781. n. 1 occiditur à Bagao cũ regiis liberis, 783. c.n.1
Arta anus Xerxem & Darũ eius filium interficit, p.707. c.1.nu.2.3 qui mox occiditur cum filiis, ibi
Artabanus à Xerxe in Persidem remittitur, p.698.c.2.n.2
Artaxerxes Mnemon regnat,p. 741 n.1.eius natura lenior, p.749.n.1 vide *Cyrus* iunior.
Artaxerxes in Euagoram bellũ gerit p. 756. c. 2 n. 1 vide *Euagoras*, & *bellum Cyprium*, mors & mores Artaxerxis,p. 767. c. 1. num.1
Artaxerxes fit Rex Persarum,p.707 n.3.dictus Longimanus & Assuerus,p.708.n.2.3. est maritus Hesteris, ibid. Regis solemne epulũ p.710. n.1.2. & reginæ Vasthi,n.3
Artaxerxis in Aegyptum expeditio, ibique vincitur, p.710.n.5.tentat Spartãnos pecunia, p.711.n.4 renouat expeditionem cui præficit Themistoclem, nu. 5.Rex Athenienses & Aegyptios vincit, pa. 712.c.1.n.1.& 714.n 9
Achitophel laqueo se suspendit,p. 456 n.18.
Artes Adamo doctore exercentur, p.3.4.n.4 & scientiæ, nu.5
Asaël frater Ioab occiditur ab Abnere,p 426.n.4.sepelitur, n.6

INDEX.

Aialon Iudex, p.345.col.2.n.1. obit. p.348.n.8
Asa diu bellum gerit cum Baasa, p. 507. vincit Æthiopes, p.508 n.2 purgat regnum ab Idolis, nu.5.& renouat fœdus cum Deo, num.6 confugit ad Syros, p.509.n.2. reprehenditur à propheta, num.4 quem coniicit in vincula, n.5
Asa regnare incipit, p 505.nu.3.& 1. eius pro religione zelus, nu.2. vota sua patrisque reddit, p.506.co. 1.n.3.exscindit idololatriam, nu. 2. instaurat vrbes regni sui, p.506 col.2 n.1
Asa podagra laborat, p.512.col.1.n. 1.moritur bona morte, c.2.nu.1.2
Asdrubalis crudelitas, p. 951.n. 6. se dedit Scipioni, p.952.nu.5. vxoris & filiorum eius interitus Carthagine, ibid.
Asdrubal à Scipionibus in Hispania vincitur, p.866.n.7
Asdrubal ab incendio fugit Carthaginẽ, p.884.nu.5.renouat bellum & cladem, p 885.n.5.& 6.
Astapensium in Hispania atrox clades, p.880.n.5
Aseris obitus, p.177.n.6
Asina loquitur cum Balaam, p 276 n.31.moritur, n.31
Asinius Gallus crudeliter à Tiberio cæsus, a Chr.31.n.5.vide An. Chr vlt.n.32
Asoris rex cum fociis in Iosue mouent, p.194.n.1. vrbs tandem occupata succenditur, & postea instauratur, p.295.n.4
ab Assyriis auxilium petit, p.571.c.1 a 3.qui vastant Damascum, pag. 571.col.2.n.1.& grassantur in Ierusalem, p 572.c.2.n.3
Assyriorum imperij finis, p 593.co.1 n.1. fiunt vectigales Babyloniis, n.2
Assyrij vincunt Pentapolitas, p.98 n.4.& vincuntur ab Abrahamo, n.7. Quatuor Assyriorum reges ab Eusebio omissi, p.360.col.1.n 1 pr. quinque reges à Scriptura suppleti, p 559.co.1.initio
Assyria vrbs conditur, p.80.n.1 quæ postea Ninive facta est, ibid. Babylon initium regni Assyriorum, vide *Babylon* occupatur à Nino, p.82.n.2.3
Astyages victus à Cyro capitur, & seruatur, p.660.c.2.n.2
Asturum & Cantabrorum Augusti bellum, p.1058.col.2.num.1 & 1059.n.1
Astyages adoptat Darium Medum, p.646.nu.2. regnare incipit, p. 648.c.2.n 1.desinit, p.660.col.2. nu.1
Asylum violatum diuinitus punitũ p.690.c.1.n.1 fine
Athalia filia Achab, Ioramo nubit, p.514.n.1 mortuo Ochosia occidit regiam familiam, p.519.nu.16 regnat sex annis, p.540.nu.1.co.1 fouet Idololatriam in Iuda, ibid. occiditur, p 541.n 3
Athei conuincuntur erroris, pag.1 nu.3
Athenis 30. tyranni sæuiunt, p.750 n.3.exautorantur, ibid.
Atheniensium apparatus in Siciliã, p 740.c.2.n 2.infelix eorum status, p.745.n.9 10.& col.2. num.1 Athenis Oligarchia stabilitur, p. 744.n.3.& n.1. 2. restituitur Democratia, c.2.nu.3.4.duces suos victores damnat, p.747.n.6
Athenis nouem annui magistratus, p.607.c.1.pr.
Atheniensium leuitas, & linguæ petulantia in Philippum, pag. 990 nu.4
Atheniensium adulatio, p.815.n.3. & 817.c.2. pr. Repellunt Demetrium cui fuerant adulati, p.819. c.1.n.3 vide etiam, p.826.n 5
Athenarum instauratio, p.701.col.1 n.1.2. muris imperium sibi stabiliunt, p.702.c.2.n.1. tributum vrbibus imponunt, n. 2. deseruntur à sociis, p 706.nu.3. Naxum oppugnant, c.2.n.2. eius deditio, p. 707.n.4
Athenienſibus persuadet, col.2.n.1. occasione Hippiæ, ibid.
Athenienses Ephesum veniunt, & Sardeis incendunt, n.2
Athenienses Æginetis infensi, pag. 688.c.1.n.1. mutuo captiuos capiunt, p. 689. col. 2. fi. res Atheniensium cum Æginetis, p.690 eorum odium in Spartanos & origo belli Peloponnesiaci, p.709 n.4 & 710.n.6
Athenarum clades à Sylla, p. 995 pr.
Athenienses affectant Siciliam, p. 735. nu. 5. male pugnant contra Ætolos, c.2.n.2. damna à Laced. accepta, p.737.n.3
Atrium Israelitarum in tẽplo multiplex, p.477.n. 6. illius forma & mensura, p. 478. num. 7. 8. & seqq
Attali regis sæuitia, p.962 n. 5. constituit Romanos heredes, p.965 nu.4
Auaritia Romanorum punita, pag. 846 c.2 n.2
Auaritia Romanorum causa defectionis populorum, a.Chr.9.n.2.
Augustus hyemat Sami & adit Asiam, p.1062.c.2.pr & med.
Augustus, vide *Octauius*
Augusta Prætorianorum & Emeritorum, p.1059.c.2.n.2
Augustus Dictaturam recusat, pag. 1061.n 2.& Censuram verbo tenus, ibid. vide p.1068.nu. 6. oppressa in eum coniuratio, num.3 addit Siciliam, ibid. & Græciam, p.1062.c.1.n.1
Augustus nascitur, p.1012.n.11
Augustorum anni qui dicantur, p. 1056.n.1
Augustus 13. Consul extremo eius anno nascitur Christus, p.1075. & 78.n.20.edit Naumachiam aliaque spectacula, & Iuliam relegat, p.1075.n.2.n. Caium in Orientem mittit, n.4
Augustus rem cum Parthis componit, p.1062.c.2 nu.1. alia ibid. ab eo gesta, n.2. Romam redit, p. 1064 n.7. Senatum cum Agrippa legit ad sexcentos, nu.1 Augusti peregrinatio, p.1065.col.2.nu.2 Augusti auaritia, p.1066.c.1.n.2. redit in vrbem, pag.1067.col.1 nu.2
Augustus fit Pontifex & libros Sibyllinos expurgat, p.1067.ca.2. pr. dicitur Pater patriæ, ibid n 1 eius in Agrippam officia, n.4 liberalitas in Asianos, nu.6 Herodem filijs conciliat, p 1071.nu.5 dat munus gladiatorium, c.2 pr. in Herodem offensus, p 1072.n. 4.& 73.n.2. placatur, c.1.n.2.ei permittit iudicium, n.3
Auium & Piscium affinitas, p.20.n. 6.an aues e terra producta, nu 7 an potius ex aquis, ibid. magna varietate, & copia, p.21.n.8.& 10. perfectæ magnitudinis, n.9
Auletem Ægyptij ad fugam compellunt, p.1015.n 2. Catonis ad eũ sapiens consilium, ibid. eum fugæ pœnitet, p.1017.n.3. eius reductio impedita, p.1018 n.2
Pt. Auletes regnare incipit, p.999 n.1. Romanorum amicitiam impetrat, p.1014.col.2.n.2
Auletes Gabinium pecunia expugnat ab eoque reducitur, p.1019 n 1.2. moritur, 1023.1
Aureus numerus Metonis, pag. 732 num.4

B

BAal exterminatur in Iuda, p.541 n. 4. & in Israel à Iehu, p.539. 13.14
Baana & Rechab Isbosethi regis cædem moliuntur, p. 419.n.2.& perpetrant, p.450.nu.3. quos David iubet interfici, n 4.5
Baasa regnum occupat, & delet domum Ieroboam, p 506.c.2. nu.3 & 507 col.1.n.2. cum Iehu propheta arguit, & occiditur, col.2 n.1.2. bellum gerit diu cum Asa, ibid. fi.
Baasa occupat Ramam, p.509.nu.2 moritur, p.510.nu.1. cui Ela filius succedit, n.2
Babel ciuitas & turris inchoantur. p.76.c.1.n.2. à quibus & quorum consilia suscepta, col.2.num.3 ædificandi occasio & finis, n.4.5 materia ædificij, p.77.n.7. Turris moles & modus, ibid
Babylonis ædificatio cessat, p.79.n 11 an vsque ad Semiramidem, ibid. quæ eam instaurauit, p.118. nu.3
Babylonici regni initium, pag.79 quod mox Assyriorum fuit, n.1 & 80.n.6. primum omnium fuit, p 80.n.5. regnum Babylonicum Assyrio iungitur, pag. 81. num. 1.2 fine.
Babylonis magnificentia, p.666.n.2 quomodo a Cyro capta, nu 3. in die festo, mediisque ludis, nu.4 diripitur, p. 667.n. 10, morum euersio, p.668.n.12. vrbis solitudo, & captiuorum irrisiones, ibid.
Babylon rebellat, p.680.n.8 9. opera Zopyri iterum capitur, p.681 nu.3
Babylonici imperij principium sub Merodach, p.593.n.3.4 &c.
Bacchanalia Romæ indagata & extincta, p.904.n.1
Bacchides pugnat contra Iudam, qui in pugna cadit, p 939.num.7 pugnat contra Ionatham, p.940 n.9.10 eum obsidet cum damno suo, p.941 nu.5. mox pacem facit cum eo, n.6
Bagasi sæuitia & tyrannis, p.778 n.1.& 783.c 1.nu.1.à Dario occiditur, col.1.n.1
Balenatum moles, p.20.n.5
Balæ flagitium cum Ruben, p.141 n.6.7. abdicatur a Iacobo, n.7
Bala ancilla Rachelis ducitur Iacobo, p.131.n.3. parit Dan.n.3.&

INDEX.

Nephthalim, p.132. num. 2.
Balaac inuocat Balaam contra Israelitas, p.275.n.27.
Balaami magusne an prophera, p. 275. nu. 28. ad eum regis legatio iterata, p.276. n. 29. adit regem, n.30. occurrit ei Angelus, n.30. & seqq. occurrit & rex, pa. 277. num.34.
Balaami consilium improbum, p. 277.n.35.36. eius ex patria reuersi cædes, p.279.n.48.
Baltheus pontificis, p.238.n.187.
Balthazar geminus, p.644.n.2. succedit Balthazar Euilmerodacho p. 661. co.2. n. 1. videt digitos in pariete scribentes, p 667.n.5. occiditur, & quomodo, n.8.9.
Banaiæ virtus in bello contra Moabitas, p.419.c 2.n.3.
Baptismus Christi, an Christi, 30.
Baraci principatus, p. 317. c.2. nu.1. quis fuerit, p.319.co.1.n.1.si euocatur à Debbora ad bellum, n. 2. 3. eius copiæ, ibidem, vincit Sisaram, p.319.n.4.5. moritur, p.321. c.2.n.1.
Baruch scriba Ieremiæ timet, p.624 n.7. legit vaticinia Ieremiæ, p.625. col. 1. nu. 2. absconditur cum eo, nu.3. adit Babylonem occiso Ieremia, p 641.col. 2. nu.1. transit per Iudæam, num.2. legit librum Iudæis in Chaldæa, p.643.n.6.
Bela Beniamini primogenitus, p. 150 c.1.n.4.
Belus idem cum Nemrod p. 79. n. 3. mors eius, p.81. col.2. prin eiusdem apotheosis, p.8: num. 2.5. & sacrificia illi oblata, p. 83. num 4.
Benedictiones Patriarcharum, p. 165 n.8. & maxime Iudæ benedictio exponitur. n.9 19.
Benedictiones & maledictiones Hebræorum, p.282.n.77.
Benadad bellum contra Achab, p. 518.n. 1. Syri superbia, n 2.3. vincitur, p.519 n.6. redintegrat bellum.n.1 iterum vincitur, num. 3. fœdus init cum Achabo, p.520. num.5.
Beniamin nascitur, p.140. n. 3.
Beniamin à Iosepho deposcitur, p. 153 n.11.12. à patre ægerrime dimittitur, p.155.n. 6. apud eum repetitur Scyphus, p.156. n. 14. moritur, p.177.n.23
Beniaminiæ tribus clades, p.308 n. 6.13.14 eius conseruandæ cura, & modus, p.310.n.15.17.
Ben-Merodach, filius Merodach Rex Babylonis, p.607. col.1 n.1. quamdiu regnarit, ibid. moritur, p.615.c 1.n.3.
Bella à Romanis diu parum prudenter, aut serio gesta, p.762. nu.5.
Belli ciuilis origo inter Syllam & Marium, p 981.n.3
Bellum Æthiopicum, & Asæ victoria, p.508.n.1.2
Bellum ciuile inter Dauid & Isbaseth, p.425 col.2.n.1.& p.426.n. 2.3. occasio illius finiendi, p.427. num.2.
Belli ciuilis apparatus inter Absalonem & Dauidem, p.452. n.1.2 &c.
Belli ciuilis Philippensis finis, p. 1042.n.9. eius reliquiæ dispersæ, ibid.n.1
Bellerophon vir insignis, p 316. col. 2.n.2.
Berenice Auletis filia fit regina, p. 1015. num. 2. quæ maritum intra paucos dies strangulauit, ibid. à patre reduce perimitur, p. 1019. num. 2.
Berias filius Ephraim nascitur, p.173. n.4.
Bessus Darium plagis impositis deserit, p.792. n. 8. multa eius fuga, p.793.n.10. p. 794. num. 2. denique capitur, & dira morte necatur, nu.3.
Bethsamitæ male accepti ab Arca, p.365.n.13.14.
Bethel à Iacobo consecratur, p.139. nu.10.
Bethsabea vxor Uriæ adulterium cum Dauide committit, p.444. nu.4. luctus eius breuior, p.445.n.9.& nouæ nuptiæ, ibid. eam Dauid consolatur super morte filij adulterini, & promissione Salomonis, p.446.n.6
Bibliotheca Alexandrina exusta, p. 1209. nu. 14. instituitur Romæ à Varrone, p.1039. 2. vide p. 1057. num.2.
Bibliotheca Iudæorum opera Nehemiæ & Esdræ, p.731.c.2. num.3 vide etiam, p.972.n.3
Bibulus classi Pompeij præest. p.1027 num.3
Blasphemi pœna, p.253.n 14
Bœoticum bellum inter Thebanos & Laced. p.762. n.1. & seqq.
Bochus de pace agit cum Romanis, p.982.c.2 n.2. Iugurtham prodit, n 3.
Bomilcar insidiis deprehensus interficitur, p.980 n.3
Boos primus, p.306.c.2. med. Boos alter. p.320.nu.9. tres esse constituendos, ibid. comis in Rutham. p 333.n.4. 5. dat illi fidem de coniugio, nu.8. eius prudentia circa cognatum, p.334. nu. 9.10. ducit Rutham, n.11.
Bosphorus Thracius ponte iunctus p.682.c.1.n.1. cum pontem Iones restituunt. c.2.n.2
Brasidas dux Spartanus in Thracia contra Cleonem pugnans vincit, & moritur. p. p.738.c.1.n.3
Brundusium colonia, p.840.c.2.n.3 post victos Brundusinos. ibid.
Brutorum tria summa genera, p.21. n.2. magna copia à principio producta, ibidem
Brutus in Cæsarem incitatur, pag. 1036.n 4. alij coniurati, ibid
D. Brutus Mutinæ obsidetur, p.1038 n.2. eius cædes, p 1048 13
Brutus à suis cogitur ad pugnam, p. 1041. n. 7. 8. & victus se perimit. num. 9.
Iun. Brutus filios occidit coniurationis participes, p 686. n.3. collegam abdicat magistratu, ibidem singulari certamine cum Aruntе Tarquin. pugnat, & vterque conciditur, p.686.5
Burræ oppidi dira clades, p.764. col. 1. nu. 1

C.

CAath oritur, p 146.c.1 n.3
Caathi mors, p.179.c.1. vide p. 178.c 1.n.2
Cadmæa arx Thebana capta à Spartanis, p.758.n.6. recepta à Thebanis, p.762.3
Cadesbarne quid à Rhethma differat, p.265.n.3
Cæsaris prædæ in Gallia immunes, p.1018.n.7. in 4. eius partibus pugnat & vincit, magistratus prouinciasque dispensat. col. 2. nu.6 eiusdem potentia, & prouinciæ in quinquennium, p.1019.num.4 gesta eius in Germania, & Anglia, p.1020.n.7.& 1021. nu 6. ei prouincia prorogatur, p.1023.n. 5. In Italia corrumpit ciues, n.6
Cæsar quærit in Lusitania materiam triumphi, p.1014. n.3. ambit consulatum & triumphum, nu.4 Sibi adiungit Crassum & Pomp. ibid. in eius consulatu triumuiratus, p. 1014. col. 2. n.1. ei vtraque Gallia decernitur, p.1015. n. 5. Clodium instruit in Ciceronem, n.6. abit in prouinciam, bellum inchoat ab Heluetiis, num.7. p. 1016
Cæsar in Africa vincit Pompeianos, p.1032.n.4. Dei in Cæsarem prouidentia, p.1033. n.6. pugna decretoria, ibidem, potitur Vtica n 8. Cæsaris 4. triumphi, n.10. Dictator & Consul, p.1034. num.1. quæ in Hispania gesserit, nu. 2.3. &c. Romam redit, p. 1035 effusæ ibidem gratulationes, n.6. diuinitas quoque illi tributa, ibidem, pacifice dominatur, p.1036.nu.2 quæ illi odium conflarent, n.3. in Curia à coniuratis confoditur, n.5. tumultus inde, num 6. &c. et mortuo honores delati, p.1041. num.1
Cæsaræ ab Herode dedicatio, pa. 1069.n.3
Cæsar retinet exercitum, p.1023.n. 3. & res gerit in Gallia, ibid. n.4 pecuniis ciues ad se trahit, pag. 1024. n.2. & 3. Gallias sibi conciliat abiturus, n.3
Ciuile bellum inchoat Cæsar, pag. 1025.n.1. eius ambitio, ibid. transit Rubiconem, 4. vrbem adit. n.6 expilat ærarium, p. 1026. n.6
Cæsaris in Hispania gesta, p. 1026. nu. 8. 9. absens creatur Dictator, qua demum se 33. die abdicat, n. 11. Pompeium persequitur, pag. 1027.n.2. & traiecto mari potitur Epito, ibidem, ambo duces Dyrrhachium petunt, n. 3. ibi Cæsar cladem accipit, n.4. in Thessalia decretoria pugna vincit, p. 1028 n. 6. 7. &c. persequitur Pompeium, n.9
Cæsar adit Alexandriam, & humaniter in hostes se gerit, p.1029.n 11. Regum controuersias componit, n.12.13. data victori Romæ priuilegia, p 1030.n.1. bellum gerit Alexandriæ & vincit, p 1030. n.6. Syriam adit, & Iudæis gratificatur, p.1031. 7. & 8. repetit Italiam, p.1031.nu.11. militares turbas ingeniose componit, p 1032 pr.
C. & L. filij Augusti petunt consulatum, p.1072.c.1.n.1.2
Caius princeps Iuuentutis, p 1072 col.1.n.2.in Orientem mittitur, p. 1075. n. 4. visitatur à Tiberio vitrico, p.1076.n.5 reditum præparat, p.1079.n.3. C. Absentis Consulatus, an Christi 2. n. 1. eiusdem obitus, p.103 n.1.
Cainam exoritur, p.50.num.1. eius

mors, p.60.n.5.
Caini cædes. p.51.nu.5.
Cainan minor affertur & probatur, p.72.nu.1.2.3. & p.73.nu 45 moritur, p.89.col.2.n.1
Cain concipitur, p.41.n 42. instruitur, n.1. an partu simplici, n.2. ratio nominis eius, nu. 3. eius indoles, p 42.col.2.n.1. Vitia, p.43. n.1 2
Cain instruitur, & à Deo monetur, p.45. n.3 fratrem abductum foras interficit.n 4.5. eiusdem scelere patefacto pertinacia, p.46.n. 6. à Deo condemnatur, & multiplici pœna afficitur, n.7
Caini desperatio & querela, p. 46 n 8 Dei in ipsum prouidentia, n. 9 eius exilium, p.47. nu.13. progenies, p.48 n.5. à reliquis separata, ibid. & p.49.n 3
Caligulæ filij Germanici ortus, pag. 088 n 2
Calani Indi vltronea mors, p.799. num 3
Caleb nascitur, p.192.col 1. n. 2. pr.
Calebi obitus, p 3: 7 c.1.pr.
Caleb petit sibi Hebronem, p.256 n.3 4 cõtra Adonibezec pugnat, p 303.n 5.promittit filiam victori Dabiræ, p.305.col.1.n 1 2. Calebi ætas, p.306,col.2 med.
Caleb resilit murmurãtibus, p.263 nu. 69. ei & Iosue lapides intentantur, p 264.n.72
Calisthenis ab Alexandro iniusta cædes, p.796.n.2
Callinici Seleuci, & Hieracis fratris eius mors, p.855.n.1
Camarina Romanorum clades, pag. 843.n.3 & 845. c 2.n.3
Camertini in Piceno opprimuntur, p.689.c.2 n.2
Camertini à Romulo victi, p.582.c.2 num.1
Cambysis imperium, p.675.n.1. dictus est Assuerus & Artaxerxes, ibidem, & secundus Nabuchod. p.676.c.1.nu.1 Apud eum Iudæi accusantur, & prohibentur ædificare, 675.n. 2. suscipit expeditionem in Ægyptum, n 3 & pag. 676.c.2.n.1. quæ ad Pelusium & Memphim gesserit, p 667 c.1.n.1
Cambyses in regem Ægypti miserecors, quem mox interficit, co.1 n. 2 tres eius expeditiones temerariæ, p.677.col 2.n 1 2. 3. Apim ferro percutit, p 678.col.1.nu.1. fratrem Smis interficit curat, ibid. rediens in Persidem vulneratur, & moritur, c.2.n.2
Camillus vincit Falisios, p.755.co.1 n.2. vouet Apollini citatem autem, nu. 3. resistit migrationi in Veios, col.2.n.2. & in Dictatura, pag. 757. num 5 exilium, pag. 756.col.2 num. 2. Gallos vincit, 757. num. 4. 5. eius dictatura & triumphus, ibid. Tertium Dictator cum triplici hoste agit, nu.5. iterum Dictator rem bene gerit in Volscos, p.759 n.3
Camillus collegam liberat, p.761.c. 2.n.2. Quintum Dictator in Gallosagit, p.766.n.5, eiusdem mors p.767.n.3
Camillus alius Dictator & Consul Gallos Græcosque vincit, p.777 n 3. & 5
Canis protegit extinctum herum suum, p.831.c.1.n.1
Cannensis pugna, & clades, p 864.n. 5. 6. 7.
Candelabrum, eiusque lucernæ, &c. p.232.n.157
Canticum Mosis pag.283. num. 82. & 83.
Capitolium incenditur, p.997.co.1 nu. 2
Capitolij fundamenta iacit Tarquinius superbus, p 676. n. 3. exædificatur, p.681.n. 4. ab Herdonio Sabino occupatur, & mox recipitur p.713.n.6
Capua ad Annibalem deficit, p.865 nu.9. timet obsidionem & male prouidet commeatus, p.870.c.2 n.3. obsidetur, p.871. n. 6. & 872. n.1. eiusdem desperatio, deditio & clades grauissima, p.872.n.4.5 contendunt in Senatu contra Fulvium p.874.n. 3. & damnantur, nu.6
Carbo Cõs. fugit in Africam, p.997 nu. 3. Carboniani vibem adeunt, pugnant & victi diffugiunt, n.4
Cariath-Sepher Academia Chananæorum, p.294.n.50
Carneades Academicus moritur, p. 970.n.6
Carnium desiderio murmurat populus, p.258.nu.44. quas Dominus promittit, pag 259.num.48 darque ibid.
Carnium esus nunquam prohibitus, p.70. num 8 neque præceptus, num.9. semper in vsu fuit apud iustos iniustosque, num 10 veratur eius esus cum sanguine, ibidem.
Carthago condita, pag 338 col.2. num.2
Carthago condita, p.542.n.1
Carthago colonia. p 973.n.2
Carthago socia Xerxis in Græcos, p 696.c 2 n 2
Carthaginenses opem Romanis offerunt, p.835 col.1.nu 3. & fœdus quarto renouant, ibidem, crebræ clades & victoriæ. vide consequentes, p 843 844.&c. eius luctuosus interitus, p.953 n.6
Carthaginenses in Sicilia Agrigentum occupant, p.747.n.7
Cassius Syriæ præfectus Parthos repetit, p.1022.num.1. vide & pa. 1023 n.1.
Cassilinum Annibali eripitur, pag. 868.n.16
Cassij sapinæ in Syria, aliaque ab eo gesta, p.10.9.nu.7. Ægyptum cogitans a Bruto revocatur, nu. 8. eos Cæsar & Antonius adeunt p 1041 n.1. Coss. & Brut. populos exactionibus opprimunt, num.2 apparatus vtrimque ad pugnam, n.3 4 Cassius se vltro perimit. nu.6
Cassius Romæ tyrannidem parat, p.696.col.1 nu.2. eiusdem accusatio & damnatio, c.2.n 3
Cassiander frustra pacem petit ab Antigono, p.817.c.2. nu. 1. Lysimachum in Asiam mittit, p. 818. c.1.n.2 Extincta familia Alexandri moritur, p. 820.n.3. eius familia breui vicissim extincta, ibidem, & 821.c.1.nu.1.& 824.col.1. init
Cassiander contra Polyspercontem mouet, p 806 n.2. ad eum Græci deficiunt, p.807.n. 4. obsidet Olympiadem, p.8c9.ca.1.& captã interficit, p. 810 nu.6. & regnum Macedonum sibi parat, ibid. eius inconstantia, p.811.nu. 5. interficit Roxanem cum filio Alexandri, p.812. nu.2. itemque Herculem alium eius filium, p.815.col. 2.n 2
Cato in Cyprum à Clodio ablegatur, p.1016.n 6 ibi rex se perimit & Cato eius opes inuadit, p.1017 num.4. eius è Cypro reditus, pa. 1018.n.3
Cato petit Consulatum cum repulsa, p.1023.n.2. se Vticæ interimit, misso ad Cæsarem filio, pag. 1055.n.7
Cato maior nascitur, p.854. ei obtigit Hispania, & quomodo se ibi gesserit, p.893.n.1.& 894 nu.5.6. inde redit, p.895.2. bene rẽ gerit in Antiochum, p. 898. nu. 2. eius Censura, p.906.5
Catilina mortem Ciceroni parat. p.1012 n.9. abit ex vrbe, ibid. occumbit, c.2.n.2
Cayphæ Pontificatus, a.Ch.19.nu.1 p.1091.c. .n.1
Cecrops moritur. p.289.n.18
Cecrops rex Athenienssium, pa.188 c.2.fi Idola in Græciam inuexit, ibid.
Cedarenus ab Assyriis afflicti, pa.581 num 5
Cendebeus dux Ant. Sideris vexat Iudæos, p.962.n.3.& 963.num.2. fugatur a Ioanne filio Simonis, nu.3
Census populi, eiusque causa, pag. 253 nu.15. multi census ordine, n 15.16
Censuræ initium eiusque causa, pa. 728.c.2.nu.1. à quinquennio ad sesquiannum contrahitur, pag. 732.nu. 5. a Mamerco Dictatore ibid.
Census primus à primo Dictatore factus, p 69: n.4
Censor Plebeius, p.776.n 4
Ceraunus Ptol. potitur Macedonia. p. 832. col. 2. num. 1. eius crudelitas in suos, nu. 2. regno & vita priuatur à Gallis, p 835.n.3
Ceraunus alius, p.855 3
Ceres frugum in Attica inuentrix, p.167.n 2
Cerinthi error, p.1.n.2
Cetturam ducit Abraham, p 118 n 1 quæ illa mulier, p. 119 col.1 n 3. filij eius, nu.4 eis dat munera Abrahamus, & seperat ab Isaaco, p 121 c.1.3
Chabrias Atheniensis Spartanos classe vincit, p 763.c.2.n.1
Chaldæi vincunt Æthiopes, p.643 n.4. Persas & Medos, p.644. nu.3 & alios reges aquilonis, n.4
Chaldæorum bellum contra Ægyptios, p.621.n 4.& 624. nu. 6. & 641.n.1.2.& 645.n.5
Chaldæorum clades à Persis, p.667 n.9.& 668 n.1
Chananæi à plerisque tribubus cõsternantur, p.306.n.4
Chananæorum obduratio Dei permissu, p.295.n 4
Chananitis tota quam angusta, pa. 196.n 10
Chananæi iubentur deleri, p.280 n.53.& p.294.51
Cham non maledicitur à Noë, sed eius filius, p.72 n.4
Chaos antiquorum 1. p. 9. col. 2. num.2
Charitatis in hostem exemplum egregium, p.570.n.5

INDEX.

Chilo Lacon vnus de 7. Sapient. p. 662.p.
Chobar fluuius, p.643.n.6
Christus expectatio gentium, pag. 165.n.11
Christi natiuitas, p.1078.n.20. nunciatur pastoribus, n.22. & hymno celebratur, p.1079.n 23. adesit Bethlehem, ibidem. Circuncisio Christi vbi facta, p.1079.n.3. non videri in stabulo, n.4. neque Epiphania, n.5. & 6
Christi oblatio & redemptio, pag. 1080 n.10. fuga in Ægyptum, n. 11. & reditus, p.1083.c.1.n 2. duodennis adit Ierusalem, p.1087. nu. 1. 3 disserit in templo de aduentu Messiæ, n 2. ibidem
Chronologia Græca, 70. & Hebræa p.47.n 1.2
Chusai remittitur in Vrbem a Dauide fugiente vt resistat Achitophel, p.455. num.9. se dat Absaloni, n.14 persuadet ei differri expeditionem in Dauidem, pag. 458.num.16 quem moneri curat num 17
Cibus hominis geminus, p.31.n.56. 57. qui a principio cibus animalibus carnium, num. 59. vide *Caro*.
Ciceronis ortus, p.982.n.5
Cicero designatur consul, p.1010. n.4. eius studium pro Republica contra coniuratos. p.1012.nu 9. Clodij in eum odium. & vnde, p. 1013 n.6 offendit Cæsarem, pag. 1015. nu.6. ad eum & Pompeium frustra adit, p.1016.n 4. abiectus eius animus, ibid. a Pompeio delectus nocte fugit, n.5. restituitur cum gloria, p.1017.n.5 6. ex vrbe fugit, p 1038 nu 5
Cimbri rem gerunt contra Romanos, p.980.n.5. & 982.c.2. nu 2.
Cimon Græcorum Imperator in Persas. p.704 col 2. nu. 1. quæ in Asia gesserit, p.708. nu.4.5. terra marique victor insigni stratagemate, ibid. eius mors, p 720 co.2 num.1.
Cimbri rursum vincuntur a Mario & Catulo, p 985.n.3
Cinnæ cum Sylla contentiones, pa. 994.n 2.3. vrbem cum Mario capit, & hostiliter se gerit, n.4. se cum Mario consulem creat. pag. 995. assumit Carbonem Cos. pa. 995.c.2 n.2 a suis confoditur, pa. 996.c.2 n.2
Cinæorum variæ coloniæ, pag.305. num.3.
Cinæi belli periculo educuntur, p. 279.n 46.
Cineas Pyrrhi orator, p.830.col.2. fi. Tarenti pacis concilia dissicit, p 831.c.1.n.2
Cincinnatus Dictator contra Prænestinos, p 761 c.2.n.3
Cincinnatus hostem sub iugum mittit, p.715.n.4
Circus & Circenses ludi, pag.634. num.1.
Circuncisio instituitur, pag.104. n. 4. & 5
Circuncisio a Iosue inducitur, pag. 287.num.16. celebratur, num.16. 17.
Circuncisionis omissæ causa filius Mosis percitatur, p 199. nu.25. 26.
Circenses aurei & vectes Tabernaculi, p.234.n.168. & 170. vide *Tabernaculum*.
Claudij Imperatoris ortus, p.1069. c.1.n.1
Classes & centuriæ Romanæ, autore Ser. Tullio, p.659.n.3.4.
Clauus figitur a Dictatore morbi causa, p.768.n.7
Clementia Drusi in Hispania, pag. 962.c.1. n. 4. obtinet Galecij cognomen, c.2.nu.4
Cleopatra mater & hostis Lathuri, p.985.n.2. & 986.n.1. eius tyrannica dominatio, ibid eius in Lathurum expeditio, p.987.1. & fœdus init cum Iannæo, ibid.
Cleopatra prodito Antonio sibi apud Augustum consulit, p.1055. n 5. mortem simulans ad eam impellit Antonium, p.1056. num.6. eam Cæsar triumpho seruare cupit, sed ea se interimit, num.7. eius filius Cæsario ceditur, num.8.
Cleopatra vxor Demetrij ducit fratrem eius Ant. Sidetem, p.960.n. 1 qui Simonem demeretur, p 961 n.2. quatuor habuit maritos, pag. 968.n.5
Cleopatra sibi demeretur Cęsarem, p.1029 nu.12. frattis eius Ptolemæi interitus, p.1030.nu.6. ex ea Cæsar filium suscepit, 1031 pr. Romam venit, p 1034 num 11.
Cleopatræ naufragium, pag.1041. nu 2. Antonium illecebris capit, p.1043. n.3. eius in eum profusio, & duos ab ea liberos susceptos, 1046,n 3
Cleopatra maximum Parthici belli apparatum Antonij dissipat, pa. 1048 n.2. adit Antonii cum muneribus, p.1050.n 2. Arabas bello iuuat contra Herodem, pag. 1052.n 1. c.2. obtinet vt bello interfit, p.1053.n.4. ei simulque Antonio bellum indicitur, n.5. abit a pugna Actiaca, p.1054.num.3. & 4.
Cleon homo ferox Athenis, p.734. c.2 n.3. & p 736.n.6. res ab eo gesta in Thracia contra Brasidam, mors, p 738.n.3.
Cleomenis sacrilegium ob quod misere perit, p.689.c 1.n 1.
Cleomenes Spartanus se in Ægypto pertnir, p.859 n 1.
Cleopatra soror Alexandri, Antigoni iussu interficitur, p.814.c.1. num.1.
Clodius cur odisset Ciceronem, p. 1013 n.6. ambit tribunatum, pag. 1014 n.2. Ciceronem facit reum, p. 1016. n. 1. Clodij in Cic. furor, n. 5. Catonem ablegat in Cyprũ, n.6. vexat Pompeium, nu.9. qui cogitat propterea de restituendo Cic. ibidem. Clodij cædes, 1022. n.1.
Clitus in conuiuio ab Alexand. occiditur, p.795 nu.3. moxque facti eum pœnitet, ibid.
Clypei erectio, tatio victoriæ, p 291 nu.33.
Coccolahomor de Pentapolitis prima victoria, p 92. c.1. fi. alterum bellum, p.97. col.2. fi. quæ causa belli, qui socij, p.98.n.1.2. vincit, & prædas auferunt Assyrii. n.4.
Cœptionis sacrilegium in Tectotages, p.981.num.4. eius pœna, nu.3.
Cœlum Empyreum, & quale id sit. p.6.n.1. & seqq.
Colossus Rhodius, p.817. pr. terræ motu corruit. p.857.n.4.
Columnæ ante oraculum, p.235.n. 171. ante sanctum, ibid columnæ atrii, earumque dispositio, n.172, 3.4.
Columna ignis & nubis eadem, pa. 216. n.67. eius multiplex officiũ, p.217. nu.70. & seqq. eius motor Angelus, pag. 218. num. 74. 75.
Coloniarum Romanarum 12. defectio, p.876.pr.
Collectæ dies, p.481.n.12.
Comitia sex de causis a Dauide indicta, p.469 n.13. & n.1.2.
Comitia ad creandum regem Dauid, p 430 n.6.7.8. & seqq.
Coniugum benedictio non habet præceptum, p 30.nu.55.
Coniuratio Capuana, p.810 num. 4 fin.
Coniurati adeunt Capitolium, pag. 1037.n.6.7. bellum parant, pag 1038. nu. 12. a Senatu opera Cæsaris consulis damnantur, p.140. n.13.
Coniurationis suspecti Crassus & Cæsar, p.1010. nu.3. & 4. patefit, p.1012. 0. coniurati occidentur, p 1012 nu.10. Senatus eis fauet, vide Senatus.
Coniuratio Romæ sub Regifugiũ, p 686.n 3. a Latinorum legatis, p. 690.c.2.pr.
Coniuratio Sp. Melij, p.729. col.2.
Canon Spartanos classe vincit, pag 754.n.1. Lysandrum fugit, pag. 748. n. 4. vastat Lacedæmonem, p.754 n.2. extruit longos muros & Piræum, nu.3. a Teribazo in in vincula conicitur, ibid.
Consulatus cum plebe communicati occasio, p.763. n.4.
Consules creantur pulsis regibus, p. 785.n.4.5. &c.
Consul primus è plebe, pag. 767. pr.
Corcyræi cum Corinthiis bellum gerunt, p.709. & 730.c.1.n.1. amboapud Athenienses litigant, co. 2.n.1.
Core seditio quando contigerit, p. 266.n.1. primarij eius autores, n. 2 quod consiliũ seditiosorum, n. 3.4. iusurandum in Mosem, p.267. num. 5. a quo obiurgantur, num. 6.
Corinthi suprema clades, p 953 n.8. eius spolia, p 954.n.7
Coritæ cum cæteris seditionis a terra absorbentur, p 268. n 9 etiam Core, nec periit incendio, ibid cum Core pereunt leuitæ, 250. n.10.11.
Corporis Adędotes & ornamenta, p.27.num.35. nobilitas, pulchritudo, robur num. 35.36. Statura, complexio, compositio membrorum, ibidem, immortalitas, 33.
Corpus humanum an Deo simile, p.26.n 27.
Corsicum bellum, p 852 n.5. & 854. c.1 n.1.2.
Corui Valerij certamen singulare, p.777.n 4 fit consul ante ætatem, p.778.c.2. nu. 3. rem gerit in Volscos, p.77 n.3.
Corvus dimittitur a Noe, p. 68. num.27 & columba, nu. 28. & 29.

Coturnices Hebræis dantur diuinitus, p.223.n.1016.semel, sed abundantius indies aliquot, nu. 107.
Coturnices, p.260. nu.51. immensa copia, n.52. an comedentes peccarent, n.53. quæ pœna gulosorum, n.54.
Crassus abit in Syriam, p.1020.n.6. mouet in Parthos. num.1. spoliat templum Iudææ, ibid. inconsulte bellum gerit, p.1021. n 1. eius filius occiditur, n.2.& mox ipse met, num.1.
Crassus multis prærogatiuis nobilis ab Aristonico occiditur, p.968 pr.7.8.
Cratetus succedit Antipatro in Macedonia iussu Alexandri. pag.800 num.6
Craticula altaris holocaustorũ cur in medio, & quomodo, p.833. nu. 162.& 3
Creta ex nihilo tria, p.6.n.1
Creticum bellum renouatum, pag. 1007.n.4. à Metello perfectum, p.1008 n.7.& p.1009 num.6. de Creta Metellus triumphat, pag 1002.n.2.
Crœsus arma in Cytum mouet. p. 663. c.1. med. Halim superat, n. 3. eius imprudentia, ibid. capitur à Cyro, n. 4. incendio liberatur, ibid. eiusdem obitus, p.664 n 1
Crotonæ conditus. p.600.n.1.
Cyaxares idem cum Dario Medo, adoptatus ab Astyage, pag.646. num.2.
Cyprium bellum male gestum à Persis, p.720.& iussu Artaxerxis direptum, ibid. nu.1. Euagoræ item contra Persas.p.756 & 759 decennium tenuit, c.1.n.2
Cyri ortus, p. 648. c.2. n.1. propter matris somnium traditur occidendus, n.2. mirabiliter conseruatur, ibid.
Cyri sepulchrum, p.799 n.2
Cyropolis ab Alexandro diripitur atque euertitur, p.794.n.5
Cyrus ab Esaia prædicitur, p.576.c. 2.fin.
Cyrus regnare incipit, p.661. nu.1. eius regnum ab Imperio distinctum, n.2.3.4. regnat cum Dario Medo, p.661.nu.5. accipit filiam eius vxorem, ibid. inualescenti Crœsus arma parat, pag. 661. num.3.
Cyrus iunior fauet Lacedæmoniis, p.746.dat pecunias Lysandro, p. 747. n.2. patrem adit, nu. 2. adit capitis periculum ob ambitionẽ p.748.n.2. regnum affectat, pag. 749. n.1. in fratrem cum Græcis expeditionem suscipit, p.750 n.1 2 pugnat, vincitur, occiditur, nu. 3.4.
Cyrus vincit Crœsum, expugnat Sardeis, regem capit, qui diuinitus incendio liberatur, p.663.n. 3.4. Asiam late occupat, p.664 c. 1.n.2. parat expeditionẽ in Chaldæos, p.664.c.2.n.2. eius copiæ, p.665.c.1.n.3. dissecat amnem in 360. partes, nu.4. Chaldæos prælio vincit, & obsidet Babylonem, p.665.n.2. fluuij aquas alio deriuat, n.3.
Cyrus recipit Iudæos transfugas, p. 665.c.2.n.4. eiusdem votum, p. 666.pr. quando & quomodo ceperit Babylonem, ibid.n.3.4. ibidem substituit, p.668.n.13. imperare incipit, p.670.n.1.
Cyrus quomodo soluerit captiuitatem Iudæorum, p.670.n.2.3.4. eius ea de re decretum, nu. 4. in Iudæos humanitas, n.5.6. an permiserit ædificari Ierusalem, n.5. sacra vasa restituit, p.671.n.6. contra Lydos bellum gerit, p.673.c. 1 n 1. bellum parat in Massagetas p.674.c.1.n.1.
Cyrus penetrat ad Massagetas, p. 674.c.2.n.2. in prælio occumbit, p.675 n.3. eius funus, ibid. quibus rebus fœlix, nu. 4. referrur in Deos, ibid.
Cyzicenus æmulatur Grypum fratrem, p.976.n.4. à fratre pugna vincitur, n.1.
Cyzicenus fratre victo regnat, pag. 977.n.1. finis regni eius, 987.2.

D.

DAbira quæ & Cariath Sepher Cananæorum Academia, pa. 194.nu.50. expeditio in illam, p. 305.c.1.n.1. promittitur filia Caleb victori, n.1.2.
Dædalus, p.327.c.1.n 3.
Dæmonis tentatio primorum parentum, p.35.n.7.8.& seqq.
Dæmones an inuidia peccarunt, p. 8.n.1. an potius superbia, n.2.& quomodo, n.3. eorum multitudo p 8 c.2. n.3. eorum pœna multiplex. p.9.c.1.n 1.2. &c.
Dalmaticum bellum, p.941.n.7.& p 942.n.1.
Dan oritur ex Bala, p.131.n.3. fine, moritur. p.177.n 6.
Danitæ nouas sedes quærunt, p.308 nu. 4. & ex itinere idola rapiunt, ibid. quandiu viguerit apud eos idololatria, p.308 nu.5.
Daniel Cyro familiaris, p 670.n.3. 4. eius postrema visio, pag. 672. num.1.
Daniel somnium Nabuchodon. explicat, p. 645. n.4. & seqq. ab eo adoratur, 636.n.9.
Daniel in lacu Leonum à Deo seruatur & pascitur, p.655. n.5. impij à Leonibus deuorantur, nu.6. abit à Rege Balthazare, p.662.c 1. nu.1. eius visio de ruina imperium, p.662.n.4. legit scripturam in pariete & interpretatur, p.667 n. 7. a rege magnifice honoratur nu.8.
Daniel abducitur ad Medos cum Dario, p.668.nu.11.& 13. inuidia Satraparum in eum, num, 13.14. mittitur in fossam Leonum, n.16. orat pro populo suo, & à Gabriele docetur, nu.19. de septuaginta Hebdomadis vsq; ad Christum. nu.20.21.
Danielis obitus, p.681.c.1.nu.1. fuit Christi figura, nu.1.
Daniel nascitur, p.622.n.6. eius institutio puerilis, p.626.n.1.
Danielis socij non adorantes statuam, coniiciuntur in fornacem, p.647 n.4.5. cum multiplici miraculo, n.5.6. interpretatur somnium de arbore magna, p.650.c. 2. n. 1. & seqq. n. 4 coniicitur in lacum leonum, p.654 nu.1. fin. & quando, p.655.n.1.2. & cur, n 3.
Dardani regnum, p.170 c.2. fi.
Darius inuitus permittit Danielem Satrapis. p.668. nu.14.15. eum luget, n.16. & postridie viuum reperit, ibid. & accusatores Leonibus obiicit, p.669.nu.17. decretum Regis, & conuersio, & mors, nu.18.
Darij Medi ortus, p.646.n.2. qui & Cyaxares ab Astyage adoptatus, ibid. à Cyro fit rex Medorum, p. 660.c.2.fi.& 661.n.5.
Darius tentat deditionem Græcorum. p.687.n.5. moritur, p.696. c.2.n.1.
Darij Nothi familia, p.737.c.2.n.1. mors, 747.n.1.
Darij vltimi regis Persici initium, pa. 783.c.2. n.1. res Alexandri iuuabat armis & pecunia. p.786. num.1.2. Charidemum improuide necat, 788 pr Ciliciam adit, n.3. victus ad Issam pugnam instaurat, nu.1. offert Alexandro filiam & pacem p.788.n.1. mors vxoris eius, pag. 791.n.2. Darij Alexandri irrita legatio, nu.1.
Darij clades & fuga, p.792.num.5. plagis à Besso affectus moritur, num. 9.
Darius Hystaspis fit Persarum Imperat. p.679. c.1.n.3. eius votum, p.679.c.2. nu.3. insignis eius in Iudæos liberalitas, p.680.n.4 & Der in ipsum fauor. nu.5. Darius rescribit pro Iudæis, p.681.col.1. n.1. parat expeditionem in Scythas, p.682. nu.3. quam inchoat barbaro facinore, n.1.n.1
Datamis pro Persa pugnat, p.769. n.1.& mox ab eo deficit, n.2. eius virtus & prudentia, ibid. filius ab eo deficit, n.3 à Mithridate per fraudem occiditur, pag. 771.5.
Dauidis ortus, p.366.c.2.fi. quotus Isai filius, ibid. Samuel ad eum inungendum mittitur, p.385.nu. 2.3.&c.
Dauid reprehendit Michol. p 417. n.12. nec eum pœnitet humiliatis suæ, ibid. cogitat de construendo templo; p.438.n.13.14. quod Dominus improbat, n.15. quid ei de templo reuelatum, n 16. promittitur ei perpetua familia, ibi. bellum gerit contra Philisthæos, p.439 quos reddit tributarios, c. 1.n.2.& contra Moabitas, p.439. c.1.n.1.2. contra Adarezer, c.2.fi. contra Idumæos, p.440.c.1.fi.& 441.n 2. contra Ammonitas, pag. 441.n.1.
Dauide regnante qui Reipub. administrti. p.441 n.1. bellum eius contra Ammonitas, violatores legatorum eius, p.442. n.1.2.&c. & 443.c.2.n.2. Dauid Bethsabæam corrumpit, p.444.n.3.4. laborat in cælando crimine, n.5. & seqq. monetur à propheta; p.445. n.1. 2. & seqq. denunciantur ei mala, n.4. agnoscit culpam, ibid. infantulus moritur; n.6
Dauidis æquanimitas, p.446. nu.6 consolatur Bethsabæam, ibid. an crudelius punierit Ammonitas, p. 447. n 10. & 11 est indulgentior in filium stupratorem; pag. 448 n. 6. eiusdem luctus illo occiso, p.449. num.4.5. & pag.450 num.1. pr. mitigatur, num. 1. fin. promittit eius reditum, p.450. n 4
Dauid an negligens in Absalonis ambitione, p.453. n. 5. 6. & n.1.2.

INDEX.

ei nunciatus coniuratio, pa. 454. n.5. & fugit num. 6. ad eum venit Pontifex cum Arca, n.8. quam remittit, n.9. decipitur à Siba, p.455. n.11. maledicitur à Semei, nu.12. subsistit in Bahurim, nu.13 iubet conseruari Absalonem, pag 457. nu 20.

Dauid extinctum Absalonem luget p. 457 n. 25. quem obiurgat Ioab n.26. mansuetudo Dauidis, p.458 nu. 26. studet reconciliando sibi populo, n.27.28. iniustus in causa Miphibosethi, nu.7.

Dauid gratitudo erga Berzellai, pa. 459 nu.8. concludit concubinas, p.460. nu. 12. constituit Amasam loco Ioab, nu.13. iubet numerari populum, p.463. c.2. n 4. cui Ioab frustra resistit. p.464. nu.5. quomodo confectus census, n.1 punitur, n. 2,3.

Dauid Angelum percutientem videt, p.464. n.3 4. orat pro populo p.465. n.4. sacrificat & Deum placat, n.6. locus templo addicitur, ibid. senilis Dauidis infirmitas, p 466. n. 2. 3 est indulgentior in Adoniam, p.467. n.6. indicit comitia, p.469. n.13. sex eorum causæ, num. 1.

Dauidis in comitiis oratio, p.470. n.5. 6. 7. excitat populum ad largiendum pro templo, p. 471. n.9. gratias agit Deo, nu.11. Dauidis testamentum, p.472. n.16. diuersa eius mandata. n.16. 17. mors, sepultura, laudatio, n 18.

Dauid à Samuele euocatur ex agro, p.386. n. 9. inungitur, ibid. Spiritus Dei in eo dirigitur, n.10 redit ad pascua, p.387 n.13. ibi psalmos componit, & an omnes, n 14. reuocatur à Saule, n 4. cur in aula debuit residere, p.388. n.4. mittitur à patre cum muneribus, n. 5.

Dauid redit ad patrem post aliquot menses, p 388. n.6. 7. venit in castra ad fratres, p.389. n.5 à quibus obiurgatur, n.7. ad regem adducitur, n. 8 cui suum contra Goliath certamen persuadet, p.390. n.9. quem lapide prosternit, n.13. qui cum ignotus Sauli, p.390. n.12

Dauid victor ad Saulem adducitur, p.391 n.15 triumphus Dauidis fit occasio offensionis regis, p. 392. n.21 A telo Saulis semel iterumque liberatur, n.24.

Dauid Tribunus prudenter se gerit, p.193. num 2. accipit vxorem Michol & explet conditiones, p.394 n. 6. 7. mutuus coniugum amor, nu.7.8. Dauid reprimit excursiones Philisthæorum, nu.9. & iterum, p.395. n.5.

Dauid tertio hasta Saulis frustra petitur, p. 95. n. 7. domi obsidetur, & à Michole officiose dimittitur, n.8.9. fugit ad Samuelem, p.396. n 12. & cum eo in Naioth n.13.

Dauid fugit in Naioth, p.397. n.17. mox reconciliatur Sauli, ibidem. Dauid de eo apud Ionatham cõqueritur, n.18. &19. qui eum consolatur, n. 20. Dauid latebras in triduum petit, n.22. vltimum valedicit Ionathæ, p.399. n.26.

Dauid venit ad Pontif. in Nobe, pa. 399. n.27. apud quem fugam dissimulat, & accipit commeatum, n.28. & Goliathi gladium, n.30.

Dauid adit Gethæum regem, pa. 400. n.31. 32. & c. stultitiam simulat, n.34. & abit à Philisthæis, nu. 35. ad eum amici cognatiq; confluunt, ibid. & p.401. n.4 & 5.

Dauid transit ad Moabitas cum parentibus p.401, n.2. & honorifice accipitur, n.3. redit in terrã Iuda, n.6. 7. eius parentes in Moabitide moriuntur p.402. n.7. adit Dauid Ceilã, p.403. n.16. & inde migrat, p. 404. n. 21. latet in deserto Ziphæo, n.2. frustra quæritur à Saule, n.3. aditur à Ionatha, p.405. n.4

Dauidis maximum periculum, pag. 405. n.8.9. in spelunca orã chlamydis Saulis resecat, p.407. n.5. queritur apud Saulem, nu. 6.7.8. eique iurat se nondeleturum eius stirpem, p.408. n.12. mittit Dauid nuncios ad Nabal, p.409. nu.5. gratias agit Deo quod non sit vltus, p.410. n.11.

Didis vxores, p.410. nu. 13. & 14. prohibet Saulem dormientem interfici, p.411. n.4.5. hastam secũ aufert & scyphum, p.412. n.6. Abnerem obiurgat, nu. 7. eius cum Saule querela, n.9. &c. adit Gethæum, p.413. n 13 14 & n.2.3.

Dauid an prædas egerit de Philisthæis. p.414. n.5 quæ eius mẽs in bello contra Saulẽ, p.415. n.10 11. Dei in Dauidẽ prouidentia, p.416 n.17 abit in Siceleg n.20 quidam Manassæi ad eũ deficiũt. p.417. n. 23. plangit in Siceleg. acceptam cladem, p.419. n.33. persequitur hostem, comprehendit & delet, n.34.35.36.

Dauidis præda de Amalecitis, pag. 420. n.42. an recte acquisita, ib & p.421. n.46. diuiditur cum iis, qui substiterant ad sarcinas, n.43 mittit munera ex præda sua, pag. 421. n. 46. Saulis mors ipsi nunciatur, p.422. n.52.53. & deferuntur ad eum Regis insignia, ibid. eius luctus pro Saule & Ionatha, n.54.55.

Dauid consulto Domino ascendit in Hebron, p.423. n 57. apparatus ad regnum eius, n.58. inungitur iterum, n.59. sibi allicit Iabesitas, n 60. ordinat militiam suam & officiales, p.424. n.2.34. augetur eius familia vxoribus & filiis, p.425. n.1.2.3. eorum ordo, ibid.

Dauid ægerrime fert mortem Abneris, p.429. n.12. idque publice præ se fert, 13. cur non vltus sit, n 14. init fœdus cum populo pro regno, p.431. n.10. tertio inungitur, pag. 431. triduo populũ excipit cõuiuio, n.11. constituit arcem, quæ ciuitas Dauid dicta, p.432. n.5

Dauid vincit Philisthæos, p.433 n.3 4. 5. libat aquam de Bethlehem Domino, nec bibit, n.7 ægrotat, p.432. init. eius incrementa vxores nouæ, p.434. n.1 2 Non audet adducere arcam ad se, p 435. n.9. deducit denique, p.436. n.1.2. saltat in pompa coram arca, p.437. n.7. populo benedicit, n.9.

Deboræ obitus & sepultura, p.239. num.9

Decalogum Angelus terrifice intonat, p 229. n.141

Decem viri Romæ electi legũ causa, 720. c.2. n.2. eorum potestas, p.721. c.1. n.2. primo Remp. bene gerunt, n.3. mox tyrannice, c.2 n. 2. & 722. n.3. exautorantur, & cur, n.4. quidam eorũ in carcere percunt, alij sponte exulant. n.5.

Decimam Apollini Matronæ Romæ soluunt, p.754. n.6

Decius se manibus deuouet, & occiditur, p.822. n.4. item filius eius p.854 n 11.

Deiotarus veniam obtinet, p 1031. nu 9.

Delphica Gallorum clades, p. 834. num.1.

Decilea à Spartanis capitur, p.741. c. 2. fi. qui inde vexant Athenas, 742. n.3.

Delbora prophetis, p.318. c.1. n.1.2. an & quatenus fuerit Iudex, n.2. & 3.

Demades legatus Atheniensium à Cassandro occiditur, p.806. col.1 num.1.

Demetrius Eucherus Grypi filius venit in Iudæam, p.991. nu.1. & Ianneum vincit, ibid. à Parthis captus morbo perit, p. 994. n.1.

Delphicum bellum quod & sacrum dictum, p.721. c.1. n.1

Demetrius Antigoni filius à Seleuco vincitur, p 811. n.1.2.3. Athenas liberat, p.815. c.1. n.2.3. Ptolemæum Lagi vincit in Cypro, n. 4. eius in Rhodios expeditio, p.816 n.1. & seqq. pacem cum eis iussu patris componit, n.6. iuuat Athenienses contra Cassandrum, p.817 c 1. n.1.

Demetrij nequitia, p.817. c.1. n.1. liberat Peloponnesum, c. 2. nu.2. eius in meretrices profusio Athenis, p.818. c.1. n.2 euocatur à patre in Asiam, ibid. pacem init cum Cassandro, n.3. cæso patre fugit, c.2. n.3. ab Atheniensibus repellitur. p.819 c.1. n.3. eius res adersę c.2. num.2. ducit filiam Seleuci, nu.3.

Demetrius obsidet Athenas, p.820. capitque, n.1. Spartam inuadit, n. 2. occidit Alexandrum filiũ Cassandri, p.822. n.1 fit rex Macedoniæ, n. 2. & p.823. c.1. n.1. pugnat in Aetolos, p.824. c.2. fi. Pyrrhum fugat, & mox cum eo fœdus init, p.825 c.2. nu.1 contra eum 4. reges insurgunt, p.826. 3

Demetrio nubit Lanassa Pyrrhi vxor, p.826. n.3. quem Phila deserit, & se veneno perimit, n.5. Reflorescit Demetrius & Athenas obsidet, morque soluit obsidionem Pyrrhi metu, p.827. c.1 n.2. abit in Asiam & quid ibi gesserit, n.3. in Seleucum feliciter pugnat c.2. n 1. morbo ipsius res eius afflictæ, ibid.

Demetrius pugnat in Seleucum, & à suis desertus fugit, p.827. c.2. n. 2 & mox se dedit Seleuco, pag. 828. pr. eius obitus & funus, pag. 929. c.1. n.1

Demetrius Seleuci filius, nepos Antiochi Mag. obses Romæ. p.904. n.1 fugam cogitat, p.915. n.9. & 916. n.1 2 regnum occupat, & Eupatorem & Lysiam necat, num.3. studet placare Senatum, pag 936 num. 3. 4. vt accepti eius legati, pag. 938. n.1. bellum gerit in Cappadocia, pag. 941. nu.3. eius filius Romæ honorifice acceptus, pag. 943. n.4

Demetrius Philippi filius, Perseî frater, bis Romæ obses, p.906 n 4. ad patrem remittitur, p.907. pr.

Oditeum Perſeus, c.2.n.3.& calumniatur apud Patrem, ibidem, eoque conſcio necatur, p.908. n.1.2.3
Demetrius Demetrij filius exoritur, p.950.n.1 mittit Apollonium ducem contra Ionatham, num.2. quem Ionathas tertio vincit, n.2. 3. 4. mortuo Alexandro Balæ regnat, p.953.n.1 militem veteranum, imprudenter dimittit, p. 954.n.3.4 Auxilium petit à Ionatha contra Antiochenos, quem mox alienat à ſe, p.955.n.2.3. fugatur à Triphone, nu.3
Demetrius regnat, p.956.n.1. Demetriani rurſus inſurgunt in Ionatham, & territi fugiunt, p.956 n.3. Demetrius male pugnat cum Parthis, & capitur, p.959.n.1.ibi ducit vxorem.p.963.n.6 moxque fugiens in Syriam retrahitur. ib. eiuſdem altera fuga, p.965.nu.1. remittitur in Syriam, p.967.n.1. ibi ſuos male tractat, nu 5.
Demetrius dum affectat Ægyptum amittit Syriam, p.968.n.3.in eam redit, p.969 n.2. a Zebina vincitur, p.970. n.1.ab vxore occiditur, p.970.col.2.n 1. eius filij. Seleucus & Gryphus. c.1.n.1.
Democritiortus, pag.704. col.2. num.1.
Demoſthenis ortus, p.761.n.4. Adit Rempub, p.763.n 3
Demoſthenes incipit concionari contra Philippum, p.775.n.3
Demoſthenis in patriam reditus, p. 801.n 14.eiuſdem fuga, p.802.n. 5 vt deſertor damnatur, ibid. eius mors, p 804.n.6.
Dercyllidæ Spartani res geſtæ, p.752 c.1.n 1.&c.
Dei in Reges etiam malos prouidẽtia, p 863.n.1
Deus iraſcitur in ſepulchris concupiſcentiæ, p.258 n.45. & ad murmur explotatorum, p.264.n.72. 73. iubet populum tegredi in ſolitudinem, num.74. & 75. iraſcitur in ſeditione, 76.
Deucalionis diluuium, p.193.c.2.n.1 fin.
Deus ſeptimum apparet Iacobo, p. 139.10.
Deus conſolatur Iſaacum, p.125.c. 2.n 2.
Deus primum apparet Abrahæ, pa. 93 nu.5.vide Apparitio, & Abraham.
Dei nomen, p.197.n.13.14. vt induxerit Pharaonem, p.199. num.14. eius æquitas iudicij contra Ægyptios, p.206.n.68.
Deus tres leges inſtituit in exitu de Ægypto, p.216.nu 64 Azymorum, primogenitorum, & rituum Paſchæ.
Dei odium in Amalecitas mirabile, p.227.n.218.
Deum mundi autorem tota antiquitas agnoſcit, p.2.nu.2 idque ratio probat, p.3.nu.4. idem finis eſt mundi, n.4 & 5.
Dei ſtatus ante mundi conſtitutionem, p.1.num.1.& ſeqq vbi eſſet ante mundum conditum, p.2 n.5. quid tum faceret. nu.6.
Dei cultus in Gabaon & Sion ſimul, p.437.n.10.
Dei poteſtas in intellectum, & voluntatem noſtram, pag.397. nu. 15.
Deus iraſcitur in ſeditiones Core. p. 267.n.7.8.& rurſum, p.268.n.14. iræ ſignum eſt appartitio gloriæ in nube, ibid.
Deus dat Ægyptum in mercedem Chaldæis, p.650.c.1.n 1.
Dei in peccatores clementia, pag. 614.c.2.n.1.
Dei in Salomonem ira & vltio, p. 492.n.1.2.&c. ei ſuſcitat aduerſarios, n.4.5.6. miſericordia mouetur erga bruta, p.555.n.8
Deus conſolatur Ezechiam prædicta ei victoria, p.585.n. 9.& 11. an reuocauit ſententiam de morte Ezechiæ, pag.586. num.15. 16.
Deuteronomij liber ad quod tempus pertineat, p.281.n.58. vbi reperta lex, ibid. eius libri ſumma capita, num. 59. 60. & ſeqq.
Dictator primus è plebe, pag.773. num.6.
Dictator primus Romæ T. Largius p.691 n.3.eiuſque poteſtas, ibid. Dictatura erat perfugium Reip. nu 5.
Dictatores duo, Conſulum loco, p. 819.n.5.intermiſſio Dictaturæ, p. 886 n.1.
Dies longitudo ſub Ezechia, p.587. nu.17.
Dies mundi primus qualis, p.12.n.5. fuiſſe dominicum, n.6.
Diluuium Ogygium quando contigerit, p.116.c.2.n 1.
Diluuij tempus præmonſtratur, pa. 61.n.1.non fuiſſe imminutum, n. 2.eius cauſæ multæ, p.61.n 4.5. &c.tempus ſtabilitur, p.64 nu.4. 5.6.
Diluuio an omnes extra arcam perierint, an potius plerique reſipuerint, p.65.n 7.8. eius initium menſe Maio, n.12 eius cauſæ diruptio fontium, immenſæ pluuiæ n 13.14 15.
Diluuio pereuntium ſpectaculum atrox.p.67.nu.17.18.triplex indicium aquarum inualeſcentium, n. 20. 21. omnes montes aquis operti, n 22.
Diluuij annus fuit 365. dierum, pag. 69.n.3.
Dina oritur ex Lia, p.133 c.1. pr. violatur, p.138. n.1. culpæ remedium quæritur à nuptiis, n.2.
Dionyſius Mileſius hiſtoricus, pag. 681. n.4.
Dionyſius parat Agrigenti tyrannidem, p.747.n.7. eius poemata irriſa, p.758.4.
Diuinæ iuſtitiæ in Ezechiam ſeueritas, p.590.n.14.
Diuina prouidentia circa Tobiam, p.594.n.1. & ſeqq. & nominatim circa bona illius, p.595. n. 6. & 10.
Diuortium Caruili Romæ, p.853.c.1 nu.2.
Doeg videt quæ Dauid accipit à pontifice, p.399 n 29. & Sauli renunciat, p.402.n.12. an fuerit armiger Saulis, p.420.n.39.
Dolabella occidit Trebonium, pag. 1038.n.12.iudicatur hoſtis, n 3.ſe interficit, p.10.9.n.8.
Dolopes piratæ, p.705.n.1. Damaſcum Alex.proditione obtinet, p. 788.n.6
Dominium in animalia à Deo datur Noe, & filiis eius, pag 70. num.7.
Dominium hominis ſimile diuino, p.25. n.23. dominium eius in animantia, p.27.nu.37.& p.70.nu.7. quę conciliarent eorum obſequium, p.28.n.40.dominium in homines quale, ibid.
Domus doctrinæ, pag.123. col.1. num.2.
Draco legislator, pag.615. col.2. num 1.
Draco à Daniele occiditur, p.655. num.4.
Duillius Pœnos claſſe vincit, & triumphat, p.843.n.3.4 &5.

E.

EDictum Cæſaris videtur fuiſſe Caij, p.1078.n.19.
Eglon expugnatur à Ioſue, p.293. num.49.
Eglon ſuſcitatur à Deo contra Iſraelitas, pag.313.col.1.n.2. & c.2. num.2.
Ela ſuccedit Baaſæ patri in regnum, p.510.n.2.qui mox à Zambri cum tota familia perimitur, col.2.nu. 1.2.
Elcanæ & Annæ coniugium, p.351. c.2.n.1.ducit Phenennam, c.2.6. Elcana Siluntem venit, pag.355. cum vxoribus, n.3.
Eleazar perfoſſio Elephanto occumbit, p.914.n.4
Eleazari mors, p.302.n.7.
Eleazarus pontifex, pag.827. col.1. nu.1.
Eleazar ſuccedit pontificatui Aaronis, p.273.nu.18. imponit manus Ioſue, p.283 n.80.
Electio diuina Ioſue ſapientiæ, plena, p 278 n.41.&c.
Elias apparet primum, p.514.genus eius & tempus, ib.obtinet a Deo ſiccitatem,n.3.abſconditur & nutritur à coruis, nu.4.eius vita in ſolitudine, pag.514.c.1.num.2. mittitur à Deo in Sarephat, num 3.
Elias ſuſcitat filium viduæ, p.515.n. 5.6.adit Achabum, nu.1.2.cum alloquitur, p.516. n.2.contendit cum prophetis Baal, n.3.4. quos victos interficit, nu.5.6. pluuiam impetrat & fugit, n.6.
Elias obdormiſcit in deſerto, & nutritur ab Angelo, p.517.nu.2. venit in Horeb, n.4. vbi cum Deo loquitur, & quomodo, n.5.ſumit ſocium Eliſeum, n.6 7. vaticinatur contra Achab poſt cædem Nabothi, p.521.n.
Eliæ veſtes & cultus corporis, pag. 523. n.13. accerſitur ab Ochoſia, p.524.n.14.15.eius translatio, pa. 524.n.1.eiuſque modus,n 2.viſitat poſtremùm ſuos, comite Eliſæo, n.3. 4. aperit Iordanem, p. 525.n.5. aufertur in curru igneo, n.7.nec vltra comparet, n 8.fuit typus Chriſti, ibid. fruſtra triduo quæritur, p.526.n.10.
Eliſæus optat & accipit ſpiritum duplicem, p.525.n. 6.7.redit ad ſuos cum pallio Eliæ, n.9. Iordanem aperit, p.526. nu.9 ſanat aquas Iericho, num.11.illuditur à pueris, nec impune, nu.12. abit in Carmelum & Samariam, nu. 13.
Eliſæus prouidet exercitui ſitien-

INDEX.

ti, p. 526. & 27. num. 15. 16. multiplicat oleum viduæ, p. 527. nu. 2 dat Sunamitæ fœcunditatem, n 3 4 excitat eius filium. p. 529. n. 7. 8 edit miraculum circa cucurbitas ad Iericho, p. 530 n. 2

Eliſæus panes multiplicat, pag. 530. n. 3. ſecurim ex fluuio recipit. p. 531. num. 4. patefacit conſilia Syrorum, nu. 5. qui eum capere conantur, num. 2. fruſtra, num. 3. Angelorum pro eo præſidium, ibid.

Eliſæus ægrotat, pag. 550. col. 1. nu 1. inuiſitur à Ioas rege Iſrael, nu. 2. propheta cum conſolatur, nu 3. & victoriam et de Syris pollicetur, num. 4. moritur & honorifice ſepelitur, nu 5. corporis eius contactu mortuus excitatur, pa. 550. col. 2. nu. 1. & 2.

Ephraimitæ iurgantur contra Gedeonem, p. 525. n. 13

Epicuri mors, p. 839. c. 1. n.

Epiphania num in ſtabulo facta, pag. 2079. num. 5. 6 Regum aduentus quando contigerit, pag 1080. numero 7. & 8. ſinguli tria munera obtuleruut, num 9.

Equites Romani, pag 575. col. 1 nu. 2.

Equus ligneus ad capiendam Troiã p. 347. n. 4. 5.

Ericinæ deditio, pag. 851. col. 1. nu. 3.

Eſaiæ viſio ſub mortem Oziæ. pag 565. c. 1. n. 1. vaticinia de Chriſto, pa. 591. c. 2 n 1.

Eſaiæ cædes, pag. 599. num. 6. & 7.

Eſau, vide *Iacob*. Vendit primogenituram, p. 123. nu. 1. vide tamen, nu. 3.

Eſau vxores, pag. 126. num. 1. cur parentibus ingratæ, col 2. num 2. agnoſcit ſe benedictione priuatum, pag. 128. num. 7 inde eius in fratrem odium, pag. 129 nu. 8.

Eſau alias ducit vxores, pag. 130. col. 1. num. 1. 2. ſeparatur à Iacobo, pag. 146. num 1. 2 Eſau familia, nu. 3 moritur, p. 150. col. 2 n. 4.

Eſdras innoteſcit, pag 712. col 2. num. 1. fit Regi charus, num. 2. & magna ei poteſtas tribuitur, pag 713. num. 4 è Babylone proficiſcitur, col. 2 num. 1. committit aurum & argentum Sacerdotibus, num. 2 diſſoluit matrimonia cum alienigenis, pa. 714. num. 3. 4. 5. legit librum Moſis in dedicatione vibis, pag. 726. n. 16.

Eſdræ ſtudium circa libros ſacros, p. 731. c. 2. n. 3

Eſther vxor Artaxerxis Longimani, pag. 708. num. 2. aggregatur puellis Regis, pag. 711. num. 3. eius nuptiæ, pag. 714 num. 6. an legitimæ, num. 7. celebrantur, n. 8. luctus eius & preces ad Deum, p. 717 num. 5.

Eſther Regem adit cultu magnifico, p. 717. num. 16. amanter ab eo accipitur, pag. 718. num. 6. bis conuiuio Regem accepit, nu. 7. declarat petitionem ſuam contra Aman, num. 11. & 12. liber Eſther quãdo verſus, p. 913. num. 5.

Etruria ſe Romanis ſubiicit, pag. 662. n. 3.

Etruſcos Tarquinius concitat in Romanos, p. 686. n. 2. eorum legati Romæ conjurationem excitant, n. 3

Etruſcorum bellum in Romanos, pag. 633. num. 1. & p. 634. num. 1. ſub Tarquinio Priſco, ibidem, & 643. num. 9. vicennale, pag. 657. num. 1

Euagoras in Cypro bellum contra Perſas gerit, pag. 756 col. 2. num. 1. vincit, moxque vincitur, pag. 759. col. 1. num. 2. Ægyptum petit, ibidem, pacem agit cum Perſis, col. 2. num. 2.

Euæ conditus, pag. 28. num. 44. & pag. 29. num. 48. & pag. 30. num. 49. 50. cur ex viro producta, pag. 30. num. 51. ad Adamum deducitur, num. 52. in matrimonium conſentiunt, & à Deo benedicuntur num. 52 53. & amplo patrimonio locupletantur, n. 54

Eua tentatione labefactatur, pag. 35. num. 12 peccat, num. 14. & virum inducit in ſcelus, pag. 36. nu. 14. non petit à Deo veniam, ſed excuſat peccatum, p 37. num. 20. 21

Euæ punitio à Deo lenis, pag 38 num. 28. eius peccati grauitas ex 7 capitibus, num. 30. 31. 32.

Euæ obitus, pag. 54. num. 1 eiuſdem pœnitentia & ſalus, numero 2. funus & comparatio cum virgine, pag. 55. num. 4. & 5.

pro Euergetis Ægyptii crudelitas p. 966. n. 1

Euergetes, vide *Ptolemæus*, cur ita dictus, pag. 849. col. 2 nu. 1

Euilmerodach ſuccedit Nabuchodonoſori, pag. 634. num. 4 educit Iechoniam de carcere, n 5 in quo fuerat cum eo, ibidem, mors eiuſdem, pag. 661. num. 1. col. 1.

Eumenis legatio Romam contra Pharnacem, pag. 911. col. 1. num. 1. iuuat Epiphanem ad occupandum regnum, p. 913 num. 3 Perſeus ei ſtruit inſidias, pa. 917. nu. 7.

Eumenis legatio & Attali fratris eius modeſtia, pag. 924 num. 5. vrbe prohibetur, pag 926. num. 2. mittit legatos Romam ad purgandas criminationes Pruſiæ, pag. 930. num. 7.

Eumenis filius Romæ honorifice accipitur, pag. 943. num. 4.

Eumenis fides erga Alexandri familiam, pag. 803. num. 2. proſcribitur ab Antipatro, & Antigonus contra eum mittitur, pag. 804. col. 2. num. 1. quem & vincit, ibidem, eius prudentia & abſtinentia, n. 2. Notæ obſidetur, ibid. eius ad Antipatrum legati, p. 805. n. 2

Eumenes ſociatur Polyſperconti, pag. 806. num. 4. ad eum ſcribit Olympias, pag. 806. col. 2. num. 1. ſibi demeretur Argyraſpidas, pag. 807. num. 1. periclitatur ab Antigono, pag. 808. num. 3. quem viciſſim male accipit in tranſitu Tigris, num. 1.

Eumenis prudentia, pag. 808. num. 1. occurrit Antigono, pugnatque ancipiti victoria, num. 2. vltimum pugnat contra Antigonum, pag. 809. à Peucesto proditur, num. 2. comprehenditur ab Argyraſpidibus & Antigono traditur atque occiditur, c. 2. n. 3.

Euni & Cleonis mors, pag. 967. n. 3.

Eupator ſuccedit Antigono Epiphani, opera Lyſiæ, pag. 932. num. 9. ei Senatus Romæ fauet, pag. 934. num. 12. mouet in Iudæos, & iubet occidi Menelaum, num. 2. obſidet Bethſuram & Ieruſalem, pag. 935. num. 5. & 6. pacem init autore Lyſia, num. 6. occiditur iuſſu Demetrij, pag. 936. num. 3. 4.

Euphrates, pag. 18. numero 30.

Europæ raptus, eiuſque cauſa, pagina 31-, columna ſecunda fine.

Euripidis mors, pagina 747. numero 7.

Exhortationes Moſis ex Deuteronomio, pag. 281. num. 60. 61 &c.

Exitus ab Ægypto, pagina 215. an armati abierint, numero 60. ſex circunſtantiæ huius diſceſſus, numero 61. & ſeqq.

Explorandæ Chananitidis conſiliũ non fuit à Domino, p. 262. n. 64. & 65.

Exploratores qui fuerint, numero 66. terram luſtrant, & fructus inde referunt, pagina 263. numero 67. redeunt in Rethma, & de terra detrahunt, num. 68. eorum pœna, pag. 247. nu. 76

Exploratores Iericho, pagina 285. num. 2. 3. &c. iuuant Rahab, pa. 286. num. 6. redeunt ad ſuos, ibid.

Extenſio manuum Moſis victoriæ conditio, pag 226. num. 124. & 125.

Ezechias regnare incipit, pagina 577. numero 4. ſtatim curam gerit reſtituendæ pietatis, numero 5. purgat templum, inſtituit celebritatem azymorum, &c. pagina 578. nu. 6. 7. 8. &c. prouidet Leuitis, n. 10.

Ezechias cogitat libertatem ab Aſſyriis, pagina 579. columna prima, numero ſecundo, percutit Philiſthæos, numero tertio, defectionem & bellum parat, pagina 583. columna ſecunda, numero ſecundo & tertio, auxilia Ægypti quærit, numero quarto, recuſat tributum Aſſyriis, pagina 584. columna. 1. med.

Ezechias ſe contra obſidionem parat, pa. 583. num. 5. & tamen

pacem quærit, quam emit ingenti pecunia, num. 6. eius ad blasphemias Rabsacis luctus, & Dei consolatio. num. 9. & ægrotat Ezechias. p 586. n. 13. & morbi causa, num. 14. orat pro sanitate, nu. 15.
Ezechias an peccarit signum petens, p. 586 nu. 16. quale id fuerit, num 17. gratias agit Deo scripto cantico, p. 587 n. 18
Ezechiæ lætitia, & opum ostentatio. p. 589 n. 12. & munera mutua ad Merodach, num. 13. arguitur ab Esaia, pag 590 num 14. captiuitas filiorum eius prædicitur, n. 15. qui illi fuerint, ibid. Ezechiæ humilitas, nu 16. fama & opibus floret. n. 12. moritur. p. 596 6. 1. num. eius singularis pietas & obedientia, nu. 2. 3. sepultura, nu. 4
Ezechielis prophetæ ortus, p. 626. col. 2 1. prima eius visio, p. 631 n. 2. altera vitio scelerum, quæ fiebant Hierosolymis, pag. 632. c. 1. nu. 1. 3. &c. moritur, pag. 650. 2. 3.
Ezechiæ regis ortus, pag. 568. col. 2. prin.

F

FAbiorum præsidium ad Cremeram. p. 7 1. n. 3 ab Hetruscis totum cæditur, p. 702. c. 2 n 2 an ad vnum? ibid
Fabius Gurges male pugnat, sed patris opera redintegratur, p 824 n 2. & 825. c. 2. n 2.
Fabius cunctatur, contra Annibalem, p 863. nu 9 succurrit Minutio quamuis æmulo, ac male de se merito, n 10.
Fabius Tarentum expugnat, p. 876. n. 3 5
Fabricius rem bene gerit contra Italiæ populos aliquot, p. 830. c. 2. pr. legatus ad Pyrrhum de captiuis, qui eum ad se allicit, p. 832. n. 5
Fabrorum mira paucitas apud Israelitas, p. 377. n 11
Falisci occasione perfidi pædagogæ sese Camillo dedunt, p. 55. col. 1 nu 2
Fames Macedonum apud Gedrosios, p 799. n. 2
Fames triennii sub Dauide, p 461. nu 1. qui super ea dominum consulit. ibid.
Fames septennii in Israel, p 519. nu. 1 si dira fames in Samaria, p. 532. c. 2. pr. & 533. n. 5
Fames Romæ, p. 703. c. 1. nu. 2
Fames horrenda. p 967 n. 3
Fertilitas Ægypti ad septennium, pag. 148 num. 1 & p. 149 num. 2 col. 1.
Fidenates à Dictatore exciti, pag. 731. c. 1. n. 4. eorum defectio, pag. 736. n. 7
Fidenates bello victi à Romulo, pa. 582. col. 1. num. 2. a Tullo Hostilio, pag 610 col 1 & 2 4. ab Anco Martio, pag. 620 col. 1. fin.
Fidenates à Romanis deficiunt, pa. 690. col. 1. fine. obsessi fame premuntur, col. 2. num. 4. eorum deditio & pœna, pag 691. col 1 nu. 1. ad Veientes deficiunt, pa. 730. col. 1
Filius Dei maxime proprie filius est, p. 25. num. 26. sub forma hominis apparuit Adamo, pag. 26. n 29.
Filij Dei in Genesi qui dicantur, pa. 58. n. 4. 5
Filii impetrari precibus, egregii, pa. 353. c. 1. pr
Filij Iacob graue facinus edunt contra Sichimitas, pag. 138. num. 3. 4. damnantur à patre, p. 139. num. 5 decem criminibus cumulatũ fuit nu 6.
Fimbriæ Iudæorum, pag. 266. nu. 5.
Fimbriæ gesta, p. 995. col. 1 num. 1. eius contra Ilienses crudelitas, c. 2 nu. 2. desertus a suis se interimit, p. 996. n. 3
Firmamenti & orbium cœlestium creatio, pag. 11. num. 1 quid nomine firmamenti intelligendum, n. 2 3
Flaminia via, & circus Flaminius, p 859. n. 8
Flaminius Consul turbulentus, pa. 862. nu. 4. ad Thrasymenum victus occumbit, n 6
Florales ludi quando instituti, pag. 851. n. 2. 3
Fœderis cum Deo per Moysem initi ritus, pag. 230. num. 147. 148.
Fœdus cum Deo à morituro Mose renouatur, p 283. n. 78. & 79 itẽ à Iosue, p. 301. n. 5
Fœdus Iacobi cum Labano, pa. 135. nu. 5.
Fœdus Abrahæ & Abimelechi, pa. 112. 2. ritus fœderis n. 4. & Isaaci, p. 126. pr.
Fœdus Rom. cum Græcis per Lævinum, p. 873. n 6
Fœminalia Saterdotalia, p. 238 nu. 188.
disputatio iuuenum de re omnium fortissima, p. 679. col. 2 n. 1 2.
Fortium Dauidis catalogus, p. 463. num. 2 3. adsunt comitiis, pa. 470 n. 4.
Fratres Iosephi Ægyptum petunt. p. 152. num 6. 7. & c. ignorum fratrem venerantur, num. 9. à quo accipiuntur asperius, num. 10. & triduo in carcerem missi agnoscunt se reos, p. 153. num. 12. 13. 14.
Fratres Iosephi redeunt ad patrem, 153. n. 17. ab eo Beniaminum postulant, nec obtinent, p. 154. nu. 17. & 18. eo obtento redeunt in Ægyptum, vbi suspicione turbantur, p. 155. nu 7
Fratres cum Beniamino domum redeunt, p. 156. n. 12. retrahuntur cum calumnia, n. 13. 14. 15. mutua fratrum agnitio, p. 157. n. 22. & p. 158. n 23 24.
Fratres Iosephi reuersi ægrè tandem obtinent fidem, p. 158 n 28 à morte patris timent, p. 167. n. 20. quos Ioseph consolatur, & pergit nutrire, n. 21. 22
Fulvii Flacci sacrilegium, p. 916. n. 5 eius mors, p. 918. n. 5
Funus Satæ, eiusque ritus, p. 115. c. 2 n. 1. 2.
Futura contingentia Deo nota, p. 404. n 20. licet sub conditione, ibidem.

G

GAbaonitarum timor, & fraus, p. 291. num. 36. 37. fœdus iuncti cum Israelitis, num. 38. ipsa irritum, pag. 292. num. 39. facti sunt serui in templo, ibidem.
Gabaonitæ à quinque regibus oppugnantur, contra quos venit Iosue, p. 292. n. 40 & 41
Gabaonitæ male à Saule vexati, pa. 461. num. 2. eius filii suspensi, num. 4. postea sepulti cum Saule, &c. ibid.
Gabelus dat pecuniam Angelo, & cum eo venit ad nuptias, pag. 595 nu. 6.
Gabinius Syriæ præest, p. 1017. nu. 2. vincit Alexandrum Iudæum, & Iudæam in 5. conuentus iuridicos distribuit, ibidem. Reducit Ptol. Auletem, p. 1019. nu. 22. male prouinciam regit. nu. 3. eius reditus in vrbem clandestinus, p. 1020. n. 2. 3. accusatur, damnaturque, ibid.
Gad nascitur ex Zelpha, p. 132. num. 2. col. 1. moritur, pag. 177. num. 4.
Gadibus res gestæ, p. 881 n. 8.
Galbæ in Hispania perfidia & crudelitas, p 946. n. 5
Galgal vnde dicatur, pag. 318. num. 17.
Galilæorum hæresis, p. 1086. c. 2. n. 2. in Christianos per calumniam detruatur, ibidem. propagatur, nu. 3.
Galli in Italia coloniam moliuntur p 907. n. 4.
Gallicum bellum renouatur, p 852. n. 3. eius præludia, p. 854 c. 2. n. 1 & maxime, p. 856. n. 2. 3. &c. p. 857 c. 1. n. 2. & c. 2. n. 2.
Galli Senones vincunt Romanos, p. 819 c. 2. nu. 2. morquè à Dolabella vincuntur, p. 830. c. 1. n. 2
Galli legatos Romã mittunt, vnus eorum à Fabio occiditur, p. 756. col. 2. num. 3. Romanos vincunt, p. 757 num. 2. Romam adeunt, n. 3. vrbem cædibus & incendio fœdant, ibidem, à Camillo vincuntur, nu 4 5. & à Manl. Torquato p 770. c. 1. n. 4
Gallicus tumultus Cisalpinorũ duce Amilcare, p. 888. n. 3. eos Furius vincit ac triumphat, p. 889 num. 3. pr.
Gallogræci cum Roman. bellum gerunt, p. 902. nu. 7. victi leges à Proconsule Manlio accipiunt, p. 907. n. 3.
Gallorum clades Delphica, p. 834. n. 1. 2 eorũdem crudelitas, p. 835. n. 2. c. 1.
Gallogræcorum barbara crudelitas, p. 839 c. 2. nu. 1. à Gonata delentur, ibidem, qui bellum in Athen. mouet, p. 839 co. 2. 2 nauali prælio à Philadelpho vincitur, p. 840 n. 3
Gangem traiicit Alexand. pag. 797. num. 6.
Ganges non est Phison, pag. 18. nu. 18.
in Garizim monte gesta, pag 297. nu. 34
Gaza ab Alexio oppugnatur, p. 790. n. 8. expugnaturque, n. 9

INDEX.

Gazaræ quid factum ſit à Ioſue, p. 193.n.48
Gedeonis initium, p.321.nu.2.ad eũ mittitur Angelus, pag.323.num. 2. 3. qui nunciat ei libertatem, nu.4
Gedeon domeſticam ſuperſtitionem euertit, p.323.nu.6.ſigna petit, n.7. perſequitur Madianitas, p.325.n. 14. duos reges comprehendit, n.15.& occidit, n.17. Soccothæos, & Phanueliras vlciſcitur, p.325.n.14.&16.an ſeuerius ibid.
Gedeoni defertur dominatus, pag. 326.nu.18. petit inaures vnde ornatus pontificius, n.19. tes in Idololatriam vertit, ibid.
Gedeonis ſeptuaginta filij, p.326. col.1.fine, & concubina, pa.327. col.1. pr. mors eius & laus, pa. 328. num. 2. ætas & modeſtia, n 2.3
Gehon non eſt Nilus, pag 18.n.29
Gelonis frumentum cauſa turbarum Romæ, p.695.c.1. nu. 2. eius ſolertia & fortitudo, pag. 700. num.9
Gelonis obitus, p.701.c.1.n.1
Gemmæ humeris Sacerdoris impoſitæ, p.236.n.177.inſcriptæ, ibid.
Gentius Illyricus piraticam agit, p. 909.n.5.fallitur à Perſeo, p.922. n.2.vincitur à Romanis & capitur.n.4.eius carcer cum ſuis, pa. 925.n.10
Germanicum Tiberius deſtinat in Orientẽ, p.1090.n 2. eò proficiſcitur, p.1091.n.2.adit Ægyptum, p.1091.n.1. eius cum Piſone querelæ, ibid moritur, nu.2.eius funus, p 1092.n.5
Germanicus ab Auguſto mittitur in Germaniam, an. Chr. 8.nu.3. eius Conſulatus, an Chriſti 13.num.1 geſta eius in Germania, a.Ch.16. nu.3. Tiberij in eum æmulatio, a. Chr.17.n.1.clades eius nauals, n. 2.de Germanis triumphat, a.Ch. 18 n.1
Geſſen eligitur ad habitationem Iacobi & ſuorum, p.160.n.8.& p 161.n.14.
Gethæi inuaſerunt Ephraimitas, & magna clade affecerũt. p.173.n.3.
Giezi accipit munera à Naaman Syro, p.556.nu 10. per cutitur lepra, n.11.
Gigantes quo primum tẽpore fuerint, p.58.n.6.eorum ſtatura, n.7. mores, &c.8.9 10
Gigantes Hebronitæ, p.304.c.2.n.3 victi cæſique, ib
Gladiatores primi Romæ, pag.841. nu 6
Gladiorum mira inopia apud Iſraelitas, p.377.n 11
Gloria Domini in nube lucida, ſæpe indicium eſt iræ Dei, vide Deus iraſcitur.
Godollas curam habet pauperum Iudæ, p.639.nu.7. adit eum Ieremias cum aliis, nu.11.ab Iſmaele occiditur, p.640.n.13.14
Goliath prouocat Hebræos ad ſingulare certamen, p.389.nu. 3. interficitur, p.390. nu.13. eius gladius Deo conſecratus, p.399.n.30
Gonatas Athenas ad deditionem cõpellit, p.840.n.1.c.1.male pugnat contra Alexãd. Epirotam & Macedoniam amittit, c.2.pr.
Gonatæ Antigoni imprudentia & victoria de Gallis, q.835. c. 2. n.1. vincitur à Pyrrho, p.837.c.1.n.1. eius in Pyrrhum occiſum humanitas, p.838.n.6
Gracchus gener Africani maioris, pater ſeditioſorũ, p.904.n.6. res ab eo geſta in Hiſpania, p 910.n.5
Gracchorum ſeditiones, p.966.n.6 & 969.n.4.&C.Grace.p.970.n.1 eius in dicẽdo vis, p.971.n.3. eius ſeditioſæ leges; p.972.nu.6.aduerſatur Opimio, p.973.n.3.occiditur; p.974.n.3.à plebe honoratur Gracchus occiſus, n.1
Græcorum regnum inchoatur à Seleuco, p.812.n.1
Græciæ vrbibus data libertas, pag 814.c.2.nu.1.& prius à Polyſperconte, p.806.n.4
Græciæ compedes tres vrbes, p.891. c.2.n.3.& 893.c.2 n 1
Græcorum imperii finis, p.996.col. 1 n 1
Græciæ libertas per Quintium contra Philippum, p.892.n.1
Græcarum ciuit. fœdus cõtra principes, p.832.c.2.n.1
Græcorum metus contra Rom. pa. 950.n.6
Grandine affliguntur & à Ioſue vincuntur quinque reges, pag 292. n.42
Gryphus, vide Antiochus, eius initia regni, pag.971.nu.1.finis regni Gryphi & Cyziceni, pag. 987 n.2
Gryphi filij quinq; L.Seleucus, qui occidit Cyzicenum, p.988.n.1.& à Cyziceni filio; qui dictus eſt Pius, victus eſt; moxque in Cilicia occiſus, n.3.ſecundus Antiochus ab eodem Antiocho Pio cęſus eſt, c.2.n.1. Tertius fuit Philippus, nu.2. Quartus fuit Demetrius Eucærus, p.989.c.1.num.1. Quintus Dionyſius, p.995.c.1.n. 1.moritur, ibid.
Gurges, vide Fabius.

H

HAbacuc propheta, p.591.n.3
Hanon rex Ammonitarum legatos Dauidis iniuria afficit, pag. 442.n.2
Harpagi proditio, p.660.c.2.n.1
Harpali fuga in Græciam, furta & cædes, p.798.n.4
Hazael Syrus eripit Iſraeli regionem trans Iordanem, p.540.n.2.3 capta Geth adit Ieruſalem, pag. 546.c.1.n.1.ſi moritur, p.547.n.5.
In Hebal monte geſta, p.291.nn.34
Heberis ortus, p 73.n.1.ſi. vir illuſtris, ibid.& p.122.n.2
Heber moritur poſt multam caſuũ varietatem, p. 121. c.1. nu.1.2. an fuerit pontifex, n.3
Hebræi à Philopatore vexantur, p. 865.n.2.3. diuinitus liberantur, 866.n.4.5
Hebron vnde dicta, p.98.n.2
Hebronitarum fœdus cum Abraham, p 97.n.2
Hebronitæ gigantes, p.263.n.66
Hebron à Ioſue obſidetur & capitur, p.294.num. 49. expeditio in Hebron cui duci tribuenda, pag. 304 c.2.n.1.2. eius propugnatores gigantes, n.3.
Hecatæus Mileſius Philoſophus, p. 681.n.4
Helcias pont. p.612.c.2.n.3.
Helenæ raptus à Theſeo p.340.n.11 & à Paride p.343.c.1.n.2.3.
Heli ortus p 458.n.1
Heli fit pontifex & Iudex, p.355.n.1 obiurgat Annã, moxque ei bene precatur p.356.n.6.8
Heli filii profani, p.358.c.1.nu.1 eos indulgentius tractat, c.2.n.2.3.ad eũ vir Dei mittitur, n.1.accuſatur p.359.c.1.nu.2. acquieſcit diuinæ iuſtitiæ, n.3
Heli audita clade ſuorum & amiſſione Arcæ moritur, p.362.nu.9. videtur ſaluus, & filii eius, n.6.& to.aborſus & mors nurus eius n.11
Helices oppidi dira clades, p.764. c.1.n.1
Heliodorus dat pœnas ſuſcepti ſacrilegii, p.906.n.3.occidit Seleucum, p.912.n.1.2
Henoch Caini filius, p.48.n.4.5 ab eo prima ciuitas dicta eſt Henochia, p.48 n.1 quando condita & quibus de cauſis, n.1.2.& vbi, pa. 49.n.4.an in ea reges, ibid.
Her filius Iudæ naſcitur, p.142.n.17 eius coniugium & mors, p.149.n. 3.& 4
Heraclides ducit Romã Alexandrũ & Cleopatram filios, vt ferebat Ant. Epiphanis, p.943.pr. eblãditur iniuſte Sen.C. contra Demetrium, n.5
Heraclitus quando floruerit, p.690 c.1.pr.
Heraclidarum reditus, p.366.c.e.ſi.
Herbæ noxię ab initio productæ, p. 15. nu. 10. 11. 12. ſicut & animalia p.21.n.3
Hercules inſtituit agones Olympicos, p.340.n.11
Hercules filius Alexãdri à Caſſandro & Polyſperconte occiditur, p 823.c.2.n 2
Hermias infidus Antiochi magni cõſiliarius, p.857.c.2.n.1. calumniis tollit Epigenem, p.859.nu.7. occiditur cum ſuis, nũ.3
Herodoti natalis, p.697.c.1.n.2
Herodes Herodis filius Tiberiadem conſtruit, an Chr.19.n.4
in Herode quomodo deficit ſceptrũ de Iuda, p.1048.n.3. Repler Antoniũ muneribus & vbẽ cædib. & rapinis, n.4.ſocrũ eiuſque filium vexat, p.1051. & ad fugam cogit, nu.1. tollit Ariſtobulum, p.1052. n.1.2. occidit & patruum, ib pugnat contra Arabas, p.1052.nu.1. vincitque, p.1054.c.2.n.1
Herodes interficit Hyrcanũ, p.1055 n.1.ſocrũ & vxorẽ caſtello claudit, n.2 Cæſarẽ excipit, p 1056.n. 8.occidit Mariamnẽ vxorẽ, & Alexandrã ſocrũ, n.2.multæ ab eo cædes, p.1059 nu.3.ca.1. quædam eius opera, c.2.n 3.& nominatim liberalitas in populum ad eum placandum, ibid. alia eius opera p 1060.c.1.n.2.& c.2 n 5
Herodis nouum cõiugium cum filia Simonis, p.1060.nu 3. adit Agrippam Mitylenem, p 1061. inſtaurat Samariã, & inchoat Cæſaream, p.1061.nu.5. an Templũ Hieroſolymis à fundamentis excitarit, an potius inſtauratit, p. 1063, n.1.2.3. &c. mittit Romam filios, p.1064.c.2 n.2
Herodes rurſum adit Agrippam in Pontum, p.1066.c.1.n.1.

INDEX.

Herodes num ſepulchrum Dauidis adierit, p.1071.n.2. eum ſuis conciliat Archelaus, c.1.n 3. redit in Vrbem, p.1072.col.2.n.4. Cæſar ei placatur, pag 1073.col.1.num. 2.& de filiis ei iudicium permittit, quos & occidit, n.3. efferatur in Antipatrum, deſperata ſalute, p.1076.n.8

Herodis ſcelerum ſynopſis, p.1081. n.16.& 1082.n.17

Herodis ortus, p.1004.n.1. Galileæ præfectus, p.1034.nu.12. 13. Mariamnem ducit, vide, p.1047.5.& p.1042.num.11. res aliæ ab eo geſtæ, ibid. metu Parthorum Romam venit, & rex declaratur à Senatu ope Cæſaris & Antonij, p.1045.n 9. venit Antiochiam & fratrem amittit, p.1046.n. 4 obſidet Ieruſalem, p.1047.nu.5. capitque, n 1.

Herodes occidit infantes. an. Chr.n.12. diuina in eum vltio, nu 13. eius morbi præuit mortis, nu.14. dira eius crudelitas, ibid. accipit poteſtatem in filium Antipatrum num.15 ſibi manus inferre cupit, ibid. iubet occidi. Antipatrum, 15 teſtamentum mutat n.16. moritur, ibid. eius elogium, num.16 & 17.

Heroum ſeptem expeditio, pa.335 c.2 fi.

Heſiodi tempus, p.560.c.1.n.1. eius mors, 2

Hieiax frater Callinici, p.850.co.2. mors vtriuſque, p 855.nu.1. bellũ gerunt, p.852.co.1.n.4

Hiero Meſſanam obſidet, & à Roman deceptus vincitur, pag.841 n.5. amicitiam init cum Roman. ſeruatque ad annos 50 p.842.n.1 2. eadem firmatur, p 848. eius in Rom. liberalitas, p 851.n.2. moritur, p.868.nu.7

Himilco cum copiis deficit ad Romanos, p.949.n.3

Hippias Piſiſtrati filius confugit ad Perſas, p.681.c2 n.1

Hirami & Salomonis mutua munera, p.486.c.2. nu.1.2.3.& 488.co. 1.n.2

Hiſpanicæ res proſperæ & aduerſæ, p.895.c.1.n.3

Hiſpanienſe bellum Iul. Cæſ. pag. 1034.n.2.& ſeqq.

Hiſtiæus locum à Dario accipit vrbi conſtruendæ, p.683.nu.3 inde ſemen belli inter Perſas & Græcos, ibid.

Hiſtiæus à Dario imprudenter dimittitur, p 683.c 2. nu. 2. capitur ac dimittitur, p.684.c.1.nu.3 piraticam agit, & occiditur, c.2.n. 1.& c.2.n.1.

Hobal filius Iethro remanet cum Moſe patre abeunte, p.250.num. 249 petit commeatum & retinetur, p 158.n.40

Holofernes mittitur ad bellum à Nabuchodonoſore, ſiue Merodach, p. 602. num. 2. vaſtat prouincias & earum Deos, p. 603. nu.3. ab eo geſta in Chananitide, ibidem, & deinceps. Obſidet Bethuliam, & ſiti premit, pag.603. n.7.8.

Homeri ortus, p.485 nu.2. mors, p. 529.n.10.

Homicidii deteſtatio, p.71.n.11.

Hominis cauſa mundus conditus, p.7.n 2.3

Hominis dignitas, p.22.nu.6. Deus de eo producendo deliberat, pag. 23.n.11. ordo productionis eius, n.13 Deus eius plaſtes, n.14 ex 4. elementis, nu.15. magna cum ſapientia, n.16

Homo horizon rerum creatarum, p 24.n.20

Homo in quibus ſit ad imaginem Dei, p.25.n.22.23 &c. fuſe. ſimilis Trinitati, p.25.n.25. an corpore ſit Deo ſimilis, p.26.n.27

Horatij poetæ mors, p.1070. col.2. n.3

Horatiorum de Curiaciis victoria, p.609.c.2.n.4

Horatius victor ſororem interficit, & morti eripitur, p.610 c.1.pr.

Hoſtilius rex ter triumphat, p.610. c.2.nu.4.

Hyrcanus Pont. filius Simonis, pag 965.n.1 Syriã reperit, p.967 n.4. Idumæos ad Iudaiſmum transfert, p 968 nu.1. Romam legaros mittit, n 2.& 969.n.1. obſidet Samariam, p.977.n.4

Hyrcanus Samariam ſolo æquat, p.977.n.3. eius mors, p.983.1

Hyrcanus ſecundus Pontificatum init, p 1002.c.1 n.1. fugit ad Arabes, p.1009 nu.1 cum fratre Ariſtobulo contendit apud Pompeium, p.1010.n 1. truncatur auribus à Pacoro Partho, p.1045.n. 8. redit Ieruſalem, p.1048.n.1

I

Iabel & Iubal filij Lamech Cainitæ, & eorum artes, p.52.n.7

Iabeſitæ tollunt corpora Saul & filiorum, & tradunt ſepulturæ, pa. 421 nu.48.4 v. eis gratulatur David p.423.n.60

Iabin opprimit Iſraelitas ad 20. annos, p.317.c.2.n.1.2 paulatim deletur. p.321.c.1.n.1

Iacob & Eſau in matris vtero colluctantur, p.119.n.2.3. naſcuntur, p.120 qualis tunc vterque & ratio nominis, n.1.2

Iacob an ſit mentitus apud patrem p.128.n.4 quem manzie decipit, n. 5 fugit a fratre, p.129.nu.8. videt ſcalam, num. 9. in loco religioſo n 10

Iacob peruenit ad Labanum, p.129. nu.11. offert pro Rachele ſeptennium famulatus, & admittitur, n. 12. ducit Balam perſuaſus a Rachele, p.131.n.2.3

Iacob ducit Zelpham Liæ famulam p.132.c.1.n.1. molitur diſceſſum, p.133.nu.1. ſed eum Labam retinet, nu.2.3. Iacobi ars ad acquirendos greges, n.4.5

Iacobi & Eſau diuerſa ſtudia, p.122 c.2.n.1

Iacob habitat in tabernaculis, pag 122.c.2.fi. vir ſimplex & rectus, p.123.c 1.n.3. an emerit primogeniturum, ibid.

Iacob rurſum diſceſſum molitur, eumque perſuadet vxoribus pag 134 c.1.n 1.2.3.& cum ſuis omnibus, c.2 n.1.2. Iacobi in Labanum querela, p.135.n 4

Iacobo Angeli occurrunt, p.135.n.4 mittit ad fratrem nuncios cum muneribus, n 7.8. luctatur cũ Angelo, n.9 claudicat, & obtinet benedictionem, &c. p.136.10. duorum fratrum occurſus, complexus, colloquium, p.136.n.12 13. adit Iſaacum, nu.14 abit in Salem ad octennium, n.1.

Iacob eladem Sichem à ſuis illatam ægre fert, p.139 nu 5. abit in Bethel defoſſis idolis, n. 8. eius dolor ob Rubeni facinus, p. 141.n.7 venit ad Iſaac cum tota familia, num.8

Iacobo mittit filios in Sichem cum gregibus, p.141 n. 9. eius pro Iolepho luctus, p.142.n.15.& 143.c. 1.fin. deſcendit cum tota familia in Ægyptum, p.159.n.1

Iacobo deſcendenti in Ægyptum Deus apparet, p.159. n 4. eius familiæ catalogus, n.5.6 7. nunciat Ioſepho aduentum ſuum, p.160. n.8. introducitur ab eo ad regem p.161.n 15

Iacob quid in Ægypto poſſederit, p.163.c.2.n.1. conſtituit de ſepultura ſua, n 2 & p.165.n 12. adorat ad lecti caput, ib. adoptat duos filios Ioſeph. p.164.n.4. eiſq; benedicit decuſſatis brachiis, n.6

Iacob moritur, p.165.n.12. fletur & inungitur, p.166.n.13. defertur ad ſepulturam, ibid. n.14.15. ſepelitur & laudatur, num.16. eius cum Chriſto ſimilitudo multiplex, n. 17.18 &c.

Iahel Siſaram dormientem interficit, p 3 0.n.7 8

Iair Iudex octauus, p.336.c.1.n 1.fi. oppida Iair quæ, ibid. videtur electus à populo, n 2. eius familia numeroſa, ibid. moritur, p.338.c 1 n.1.

Ianus ſecundùm clauſus, p 853 n.2

Iani portæ iterum apertæ bello Hiſpanico, p.1057.n.3 & paulo poſt bello contra Dacos, pa.1067.c 1. n 2.& 1069.c.1.n 2

Iannæi pontificatus, p 984.nu.1. fratrem mature interficit, ibid. Ptolemaidem obſidet, p 985.2. ſoluit obſidionem aduenientc Lathuro, p.985.num.1. in quam euocat Cleopatram, n.2. eius fœdus cum Cleopatra, p.987.nu.1 eiuſdem Iannæi crudelitas & perfidia, nu. 3. eiuſdem ſeditio & ſæuitia, col.2 n 5. alia eius geſta, p.988.n. 3. ſuis eſt inteſtus, p.990.n. 2. & immaniter crudelis. p.994.n.1

Iannæi expeditio triennij, p.997.n. 1.& morbus triennij, p.100.nu.1. eiuſdem mors, p.1001.n 3

Iaphet Europæorum parens, p.72. num.4

Iaredi ætas, & obitus, p. 60.col.2. fin.

Iaſon ambit pontificatum Oniæ, p. 914.nu.4. inducit profanos ritus deſerta religione, nu.5. antiquat patriæ priuilegia, nu.7. ſacrificat Herculi, ibid nu 1. quales ſub eo Sacerdotes, p 915.nu. 2. deijcitur pontificatu fraude Menelai, pag. 916 n 1

Iaſon vrbem inuadit irrito conatu, 919.n.3.& profugus miſere perit, n.4.

Idæa Peſſinunte petitur, p 881.n.6. & recipitur, p.885.n.4

Idioma quo Deus cum Adamo eſt vſus, p.29.n.46

Idola in Iuda etiam ſub Ioſia, p.615. n.4.& 618.n.3 & 620.c.1.n.2

Idolorũ initium ex Epiphanio, p.75 c 2.n 1.2 incrementa, p.76.n.1.

INDEX.

Idololatriæ ortus à Nino, p. 81. col. 2. n. 5

Idololatria à Cecrope in Græciam inducta, pag. 188. col. 2. fin.

Idololatria in tres tribus inuecta, p. 307. n. Idola Michæ, ibid. Idolorum Sacerdos Ionathan nepos Moſis. p. 308. n. 4. viget ſub Iudicibus Thola & Iair, p. 337. n. 3. 4. eaque multiplex, n. 4. Idololatria Salomonis ex libidine, pag. 489. n. 2. 3

Idololatria inualeſcit in Iuda & Iſrael, p. 501. nu. 1. in Iuda dormitat, col. 2. num. 1. med. & pag. 502. nu. 2

Idololatria exterminatur ſub Ezechia in regno Iuda & Iſraelis, pa. 578. n. 8

Idololatriæ reſtitutio ſub Manaſſe, pag 597. num. 4. & num. 2. & 598 nu. 2

Idumæi reiiciunt legationem Iſraelitarum, p. 273. nu. 14. qui terram eorum circumeunt, p. 274. n. 19

Idumæi victi à Davide, mox delent eius præſidiũ, p. 441. c. 1. 2. moxque à Ioabo delentur. ib.

Idumæi à Iuda deficiunt, p. 532. c. 2. fi. & p. 533. n. 3

Idumæi tempore Achaz vexant regnum Iudæ. p. 573. c. 1. n. 1. 2

Iebuſæi obſidentur in arce Sionis, p. 432. nu. 3. capti delentur funditus n. 4

Ieconiæ, ſiue Ioachini mors, p. 656. num. 2

Ieſtam naſcitur, p. 75. c. 1. n. 1

Iehu in fugitur, p. 537 n. 2. rex agnoſcitur & venit adloramum, n. 3 & fugiens occiditur, nu. 4. fugit & Ochoſias & vulneratur moxque moritur, n. 5. occidit ſacrificulos Baal, p. 539. nu. 13 fanaque diſperdit, n. 14. nec tamen idola deſerit, ib. mercede afficitur ob deletam domum Achab, n. 15

Iehu retinèt cultum viculorum, pa. 540. n. 2 regnat inglorius, p. 541. n. 1. moritur, p. 543 num. 3. ei ſuccedit filius Ioachaz, pag. 543. col. 2. n. 1

Ieiunium ſupra defunctos, p. 422. n. 50. & 55

Iephte patria pulſus vagatur, p 338. c. 1. fi. dux conſtituitur trans Iordanem, p. 339. n. 5. 7. 8. quis fuerit, n. 6. pacem quærit ab Ammonitis, p. 340. num. 9. repletur ſpiritu domini & conuocat Iſraelitas, n. 10. tranſgreditur regionem hoſtilem, n. 1. votum emittit, n. 2. Deo inſpirante, ibid. & nu. 3. 4. vincit hoſtem, n. 5.

Iephte reuertenti occurrit filia, pag. 341. nu. 6. eius virtus atque conſtantia, num 7. necatur à patre in ſacrificio, p. 342. nu. 10. cur id ſacrificium non impeditum à Deo nu. 10

Iephte fit totius populi Iudex, n. 11. eius obitus, p 342. n. 1. & laus, n. 3

Ieremiæ ortus, p. 612. c. 1. nu. 3. Deus eum ſuſcitat Ioſiæ adiutorem, p. 614. c. 2. 1. & p. 615. c. 1 n. 2. 3. & c. 2 n. 2. 3. eius conciones, n. 4. de vi. . . . perichitatur, p. 622. n. 5.

Ieremias ſcribit ad tranſmigrationem, p. 628. n. 9. & 629. c. 1. n. 1.

Ieremiæ catenæ & prophetia contra Hananiam, p. 630 n. 3. 4. 5. viſione lagunculorum teſtacearum prædicit horribilem Iudæorum cladem, p. 631. n. 6. 7. percutitur à Phaſſur, ibid.

Ieremias vaticinatur contra Sedeciam & vxorem eius, pag. 633. col. 2. num. 2. aditur à Rege. 634. num. 3. tanquam fugitiuus comprehenditur, num. 5. & cæſus in carcerem mittitur. p. 635. nu. 6. fit gratioſus Nabuchodon. p. 636. n. 5. abducitur ſolutus in Rama, p. 639 n 8

Ieremias abſcondit arcam & altare thymiamatis, pag. 639 num. 11. & 636. 6. lamentatur ſuper vrbem & templum, pag. 639. n. 11. adit Godoliam cum aliis, ibidem, abducitur in Ægyptum, num. 16. vbi prophetat contra reliquias Iudæ & Ægyptios, nu. 17. lapidatur, p. 641. nu. 2. ſepulchrum eius glorioſum, n. 3

Iericho vrbs qualis, p. 288. n. 21. quomodo expugnata, p. 289. n. 22. & ſeqq. eius muri corruunt, nu. 25. imprecatio Ioſue contra eam, p 290. n. 28.

Iericho inſtauratur, p. 513. n. 3.

Ieroboam fit aduerſarius Salomonis, pag 492. num. 6. ei prophetа regnum prædicit, pag. 493. num. 7. habet inde ius ad regnum, n. 8. fugiunt ambo, nu. 9. regnare incipit, p. 497. n. 9. communit ſe in Sichem, nu. 10. cur inuexerit Idola, pag. 498. nu. 3. 4. 5. 6. & 499. n. 5. 6.

Ieroboam legatus ad Roboam pro tributorum imminutione, p. 496. num. 4. vaticinium contra eum prodigio firmatur, pag. 499. n. 6. 7. deſeritur à fidelibus, p. 500. n. 1. & nominatim à Leuitis, nu. 1. 2. Deus curam gerit ſalutis eius num. 2.

Ieroboam perſeuerat in peccatis, p. 502. num. 5. aliquot annis pugnat contra Roboamum, pag. 502 col. 2. fine, vincitur ab Abia cum magna clade, p. 504. nu. 4. & num. 2. conſulit prophetam per vxorem, nu. 3. 4. moritur filius eius, nec tamen ipſe reſipiſcit. pag. 505. num. 5. moritur, p. 506. col. 1. num. 1

Ieroboam filius Ioas Iſraelitæ, regnat cum patre, pag. 549. col. 2. fin.

Ieroboam ſolus regnare incipit, p 553. c. 2. fi. excitatus à Iona prophetа contra Syros rem bene gerit, c. 2. n. 1. 2. & p. 554. c. 1. n. 3. atterit Syros, p. 554. n. 2

Ieruſalem obſidetur, p 626. col. 2. num. 1. admittitur Nabuchodonoſor. nu. 2.

Ieruſalem in viſione Ezechielis obſidetur, p. 632. n. 4

Ieruſalem capitur à Chaldæis, pag. 637. num. 7. ſuccenditur, p. 638. num. 2

Ieruſalem an obſeſſa fuerit à Senacherib, p. 585. nu. 7.

Ieruſalem obſidetur à Sidete, pag. 565. n. 2

Ieruſalem quo tempore capta à Pompeio, & Herode, pag. 1047. num. 2

Ieſu Chriſti geſta anno vitæ ſuæ trigeſimo, p. 1096 item anno trigeſimo primo, pag. 1097. geſta trigeſimo ſecundo, p. 1098. geſta trigeſimo tertio, pa. 1100. n 1. &c. denique trigeſimo quarto, pag. 1102. & ſeqq. firmatur Chronologia huius anni, menſis & diei, p. 1 2. 5

Iethro princeps in Madianitide, pa. 191. num. 5. dat filiam Moſi vxorem, num. 3. 4. an fuerit veri Dei cultor, nu. 5. venit ad Moſem in deſertum, p. 248. n. 241. & 42. non fit proſelytus, p. 249. n. 243

Iethro monita ad Moſem, pag. 249. ſacrificia, & epulæ, num. 243. & 44. quando receſſerit, p. 250. nu. 249. eius filius Hobal remanſit cum Moſe, ibid.

Iezabel vxor Achabi, p. 512. num. 1 molitur Nabotho cædem, p. 520 n. 3. occidit propheras Domini, 3. Reg. 18. 4. 13. occiditur præcipitio iuſſu Iehu, p. 538. n. 6. & vorator à canibus. n. 7.

Ignis verus in rubo Moſis, pag. 196. nu. 8

Ignis miraculum ſub Nehemia, pa. 726. n. 18. & 19. nunciatur in Perſide, & rex honorat locum, &c. p. 727. n. 1.

Illyricum bellum, p. 854 c. 2. n. 2. & 855. n. 3 4. 5. & pag 859. n. 4

Ilotarum decennalis obſidio, & libertas, p. 716. c. 1. fi.

Imago Dei in anima hominis, pag. 24 num. 20 & p. 25. n. 22. 23. &c. fuſe.

Immortalitas Adæ, p. 27. n. 37

Imperii prorogati initium, pa. 797. nu. 7.

Inarus rex Aſer actus in crucem, p. 715. pr.

Incarnationis myſt. Adæ cognitum p. 26. n. 32

Incarnationis myſterium multiplex miraculis, p. 1076. n. 9. 10. eius nuncius, tempus & locus, pa. 1077. n. 11. & 12.

Incendium Romæ porticus Æmylij, &c. p. 1066. c. 2. nu. 1

Indibilis in Hiſpania regulus à Romanis in pugna victus cadit, pag. 881. 4

Induciæ triennales inter Athen. & Lacedæmones, pag. 694. col. 2. num. 1.

Inferorum cauerna, p. 14. n. 5

Inimicitias priuatas Græci tollunt dum arma parant in Xerxem, pa. 698. c. 1. n. 2. item Romani contra Annibalem, A. M. 3847 num. 2

Inſubres bellum contra Rom. gerunt, p. 857. n. 2. 3

Inuidia diuturna Palæſtinorum in Iſaacum, pag. 125. col. 1. 2. quem & migrare compellunt, ibid. & col. 2

Inobedientia Adæ graniſſima. p. 32. nu 6. 7.

Inundatio & incendium Romæ, pa. 851. n. 5. p. 869. n. 2

Inuocatio ſanctorum ſtabilitur, pa. 164. n. 7

Ioab ruibat fœdus Abneris cũ Davide, p. 428. n. 10. renocat Abnerẽ nomine Davidis, eumque obtrũcat, n 11. pugnat contra Idumæos rebelles, quos ſex mẽſibus ad 12. millia interficit, p. 441. c. 1. n. 2

Ioab pugnat contra Ammonitas, & Syros, pag. 442. num. 3. veroſque vincit, pag. 443. nu. 5 redit ad David, ibid. redintegratur bellum, num. 1. 2. non peccat in

INDEX.

morte Vriæ, p.445.num.8.euocat Dauidem ad laudem [illegible]oriæ, p. 446 n. 8. molitur reditum Abſalonis, p.450.n.1.ſi.&c.
Ioab vrgetur pro Abſalone, pa.452. nu. 2. cui patris conſpectum impetrat, n 3.eum interficit, p.457. n. 13. & Dauidem lugentem obiurgat & reuocat à luctu, pa.457. n.25.26.interficit Amaſam, p.460 n 14 Dauide lugente.
Ioab cur faueret Adoniæ, p.467.n.4 fugit ad tabernaculũ, p 473.n.6. ibique occiditur, n.6.
Ioachaz filius Ichu regnare incipit, p.543.c.2.n.1.
Ioachaz Deum exorat, qui dat ei ſaluatorẽ, p.548.nu.3.4.moritur, c.2.med.
Ioachaz naſcitur Ioſiæ, pa 613.co.2. n.2.regnum occupat & colit idola, p.621.c.1.n.3
Ioachaz exautoratur, p.621.c.1.n.4. Ieremiæ de eo vaticinium, nu 5. moritur in Ægypto, ibid.
Ioachim, qui & Iechonias ortus, p. 619.n.4.
Ioakim regnat, p. 621.nu.2. Pharaonis clients, ibi. impius & crudelis. c.2.n.4.occidit Vriam propheta. p.622 n 4 aſſumit Ioachimũ regni ſocium, n.1 eius mores, n 2.3 obſidetur in Ieruſalem, & capitur, p.623.nu.1.2.4. redit in Ieruſalem à Babylone, pag.623.col.2. fine
Ioakimus triennio ſoluit tributum, d.624 nu.1.inde deficit à Nabuchod p.626.ca.1.n.1. bellũ parat. n.4 a prædonibus vexatur, ibid. à Nabuchod.occiditur,& abiicitur inſepultus, pag.627 fuit ſtigmaticus, n.3
Ioacimus pont.ſub Xerxe, pag.695. n.2
Ioakim qui & Eliacim filius Ioſiæ naſcitur, p.613 c.1.n.1
Ioachinus eius filius fit rex, pa.627. n.4 abducitur in Babyl.pag.628. nu 6
Ioannis Baptiſtæ conceptus nunciatur, p.1074 num.4 à Gabriele Angelo, nu.5.eius cædes, p.1099 num.8
Ioas internecioni ſubducitur ab vxore Ioiadæ, p.540 nu.17. creatur rex, pa.541 n.2.ducit vxorem p.542.n 1 ſuſcipit ex ea filium Amaſiam, p. 543 num. 4. inſtaurat templum, p.543 col 1. nu 1 2 deprauatur a ſuis idola colentibus, p.545.c.2 n 2.
Ioas ægrotat, eiuſque loco Amaſias filius eius regnum adminiſtrat, p.548 c.1.num 1 ex Dei vindicta moritur, pa 549 non ſepelitur in regum ſepulchris, n.1.2
Ioas Iſraelita prouocatur ab Amaſia ad bellum, p.452.c 2.nu. 2. 3. Amaſias vincitur & capitur, p. 553.c.1 n.1.2.Ioas adit Ieruſalem, murorum partem diruit, aufert theſauros,& reddit Amaſiam vectigalem, num. 5 moritur Ioas, ibid.
Ioas redimit pacem à Syris, pa.546. n.1.conſentit in mortem Zachariæ p.547.n.1 3 ingratitudo regis n.4.male mulctatur a Syris, c. 2 n.2
Ioas filius Ioachas à patre aſſumitur regni Iſrael ſocius, pag. 548. num.3
Ioatham filius Oziæ naſcitur, pa. 561.c.2.ſi.regnare incipit, p.566. nu.4.
Ioatham pontifex eodem regnante, ibid.Ioatham rex templi portã ædificat, p.567.c. 2. pr. pugnat contra Ammonitas, pag.569.col. 1, pr.
Ioatham rex moritur, pag. 569.c.2. num.1.
Iobum fuiſſe Idumæum, p.146.n 4. 5 ad quod tẽpus pertineat, p.147. nu.6.
Iobi ortus, p.154.nu.4.eius à puero mores, pag.168.c.1.nu.1.eiuſdem coniugium, n.2, & tempus certaminum, col.2.n.1.eius libri autor p.169.n.1.
Iobi felicitas, n.2.
Iobus Sathanæ permittitur ſuis bonis ſpoliandus, p. 69.num.4 &c. Iobi in hac priore lucta conſtantia, n.6. nõ videtur ſtatim omnibus fortunis euerſus, p.170.nu.7. ſed paulatim, ibid.
Iobi certamen alterum, p 170.nu.8. 9. totum eius corpus morbis corruptum, n 9 ſed ordine quodam, num.10.& per ſeptennium, nu.11.quando in ſterquilinio depoſitus, n.12 & ab amicis viſitatus, ibid.
Iobi extrema certamina, p.174.c 2 n.1.in fine ſeptennij, effertur in ſterquilinium, p.175.nu.2 ibi ab vxore obiurgatur, n.3.ab amicis inuiſitur, n 4.5.6
Iobum Dominus erudit, p.175.n.7. eius victoria,& reſtitutio in integrum, pa.176 n 8.retinuit priorem vxorem, nu.9.ex eaque prolem ſuſcepit, n.10.
Iobi obitus & ætas, p 250 num. 250 multiplex eius dignitas, num.251 52.
Iochabetha patruelis Amrami, pag 181.nu.1.2.moritur, pag.193. col. 1.fin.
Ioel Pontifex, p.556.c.1.n.2.
Ioel propheta quando vixerit, pag. 557.n.4.
Iohanan pontifex, p. 509.n 1.
Ionas quis fuerit, 553 c.2.ſi.mittitur in Niniuem,& fugit, p.554,c.2.n. 3. ex fuga tempeſtate retrahitur, n.4.à piſce voratur, num 5.poſt prædicationem conturbatur, pa. 555.n.7.& à Deo reprehenditur, nu 8.
Ionathas delet præſidium Philiſthæorum, pa.376 nu.3. an omen quæſierit, p.378 n.13.inuadit hoſtem, qui mox ſe mutuo interimunt, n.15.ſorti ſubiicitur, & periculum adit mortis, p.379.n.23. ab exercitu liberatur, pag. 380. n.24
Ionathas init amicitiam cum Dauide, p.391.n. 16.17.18.& fœdus, nu.19.à patre ad cædem Dauidis inuitatur, p 394.nu.1.vt ſe amicè pro eo geſſerit, p.395.num.3.eum patri reconciliat.n.3.4.5.& pag 397 n.17
Ionathas Dauidem conſolatur, pag. 398. nu. 20.cum eo loquitur per ſagittas, nu. 21. & 25 ſibi vale dicunt, p.399.n. 26. adit Dauidem apud Ziphæos, & renouat fœdus, p.405.n.4.& regnum prædicit, n.4 & 5.moritur in montibus Gelboë, p.419.nu.37.cum ſpe ſaluris, p.420.num.41. Dauid eum laudat, p.421.n.55.eius filius claudus ex caſu, p.423.56
Ionathas fit dux & pontifex, p.940 num.8.fugit a Bacchide, n. 9. 10. appetitur inſidiis, p.941.n.4. Demetrius eius amicitiam quærit, p 944. n. 3. Ionathas recipit Iudæam & Ieruſalem, n.4. Alexander quærit eius amicitiam, ibid. & obtinet, an iniuſte, nu.5. Ionathæ gloria, p.946.n.1.pugnat, cõtra Apollonii Demetrii ducem, vincitque, p.950.nu. 2.3. ab Alexandro honoratur, pag. 951. num.4
Ionathas conatur recuperare arcem Sionis, p.954.nu.3.& 955 n.1 mittit auxilia Demetrio contra Antiochenos, num.2 qui eum mox alienat à ſe, fidemque frangit, nu. 3 militat pro Tryphone & Antiocho iuniore, nu.5. vincit Gazæos, ibid.pugnat contra Aſoritas, eoſque vincit, nu. 6. legationem in Vrbem mittit renouando fœderi & ad Spartiatas, pag. 956.n.1.2. Hieroſolymis ædificat nu.4.
Ionathas capitur à Tryphone, pag. 957.n.2 & occiditur cum filiis, p. 958.n.5
Iones cum Græcis Europæis ſocietatem ineunt, pag. 701. col. 1. pr.
Iones contra Perſas pugnant, pag. 684. col. 1. & 2. à Perſis domiti. 685.n.1
Ionica emigratio, p.461.nu.2
Ioiadas conſtituit regem Ioas, pag 541 nu. 2. fœdus cum Deo renouat, p. 541. nu. 4 res templi ordinat, n.5.& regem inſtituit, num.1. ſub eo Reſpub. floret, p.544.n.1. moritur, & glorioſe ſepelitur, pa. 545 c.1.n.1 2
Ioram Iſraelita parentibus melior, p.526.num.13.adit Ramoth cum Ochoſia, p 536.nu.12 vulneratur & abit in Iezrael, ibid. ibi cum inuiſit Ochoſias, n.12.
Ioram Iudæus bis vno patre nominatur rex, pa 548 interficit fratres & eorum amicos, p 531.nu.1. ad eum ab Elia translatæ literæ, p 533.n.4 iacet in tormentis, pa. 534 n.4 magnis afficitur damnis, ibid.moritur, p 535.2
Ioram filius Ioſaphat naſcitur, pag. 511.num.3.ſuccedit Ochoſiæ fratri.
Iordanis tranſitus, p 286.n 8.9.&c. cur nemo Iudæis reſtiterit in tranſitu, p.287.n.15
Ioſaphat naſcitur.p.507.c.2.n.1.pr. ſuſcipit filium, p.511.nu.3
Ioſaphat regnare incipit, p.512.c2.2. n.3 cõmunit vrbes, p.513.c.1.n.1. promouet pietatem, nu.4. & n.1. adit Achabum ad Syriacam expeditionem, p 521.n.1.2. eo mortuo redit in Ieruſalem, pag.523. n.8.viſitat regnum ſuum, p.524. nu.16.
Ioſaphat militat cum Ioramo contra Moabitam, p.526.n.14
Ioſaphat bello periit ab Iſraelitis. p.528.n 2 ad Deum recurrit, nu. 3.hoſtes ſe ipſi conficiunt, nu.4. moritur, p.530.c.2.n.1.
Ioſedech pont. p.660.c.1.n.2
Ioſeph ex Rachele naſcitur, pag. 131.c.1.n.2.pr.
Ioſephi pueritia, p.137.c.1.n.2.ſi.a-

INDEX.

pud patrem fratres accusat, nu.3. qui illi inuident, ib. eius tunica, u.4. somnia. n.1.2.

Ioseph mittitur ad fratres, p 141 n. 9. qui de eius cæde deliberant, n.10. mittunt in cisternam, n.11. 12. vendunt, nu.13. res innotescit patri, num. 14. iterum venditur, 16.

Iosephus Hero gratiosus, &c. pag. 143.c.1.n.1.& c.2. n.1. eius carcer triennii, p.143.col.2. fin. eius modestia & continentia, p.144. nu. 3 4.

Ioseph in carcere fit gratiosus custodi, p.144.nu.6. reuelat somnia Eunuchis, p.145.n.1 3.4. euocatur ad expositionem somnii Pharaonis, p.147.n.8.9. 10.

Iosephi prudentia in re frumentaria, p 147.nu.10.& p.148.num.11. 12 fortunæ eius mira commutatio, n 1 initium principatus eius p.148.n.1,

Ioseph lustrat Ægyptum, p.148.n.1. horrea construit, ibid. aperiùs fratres accipit in Ægypto, p.152. n 10. & seqq. exquirit Beniaminum, n.11.12.

Ioseph super Beniamino lacrymatur p 155 nu 8. struit calumniam fratribus suis, n.10. & p.156.n.11. 12. agnoscitur, p.157. n.22.23. & eos consolatur, p 158.nu.24. patrem in Ægyptum euocat, num. 25.

Iosephi liberalitas in suos, p. 158. n.27. occurrit patri, p.160.nu.9. mutuus complexus, n.10. cur voluit suos haberi pastores, ibid. suos ad regem introducit, num. 12.

Ioseph gratis suos nutrit in Ægypto. p 161.n.1. etusdem fides, n.2. & sapientia singularis, p.163.n.3. adit cum filiis patrem morituru, p.164.n 3.

Iosephi obitus, p.171.num.1.2. supremum eius cum fratribus colloquium de corpore in Chananitidem transferendo, n.3. conditur à suis, n.4. eius laus multiplex, d 171.n.4. & 5. & p.172.n.6. 7. &c.

Iosephi & Azariæ infelix expeditio, p.932.n.7.

Iosephus regnum Xerxis omisit, p. 692.n.2.

Iosephi historici negligentia, pag. 1060.c.2.n.3.

S. Iosephi turbatio, p.1077.n.16. in somnis eur edoctus, ibi. cur permissa ista turbatio, numero 17. 18

S. Iosephi mors, p.1087.n.1. quando videatur contigisse ibid.

Iosiæ ortus. p.610.c.1.fin. regnat, p. 612.c.2.nu.1. Dei in eum providentia. n.2.

Iosiæ coniugium, p 613.c.1.n.1.& col.2.n.1. cultum Dei palam profitetur, ibid. mundat regnum ab Idololatria, p.614.col.1.nu.1.& primum templum, n.2.& Ierusalem, n.4.& p. 615. fere tota, & in Bethel, p.616.n.2.3.

Iosias fœdus cum Deo renouat, pa. 617.n.5. indicit celebritatem Paschæ, n.6.

Iosias a Pharaone vulneratus, moritur & tingetur, p.620.col.2. nu. 1.2.

Iosue ortus, p.187.c.1.fi. genus eius p.188.c.1.n.2.pr.

Iosue restitit murmuranti populo cum periculo lapidationis, p.264 n.72.

Iosue successor Mosis eligitur diuinitus sapienti consilio, pag.278. n.42. eiusdem initiatio & monita n.43 &44. iubetur Pontifici obtemperare, n.44. instituitur Mosis successor, p.283.n.80. init magistratum, p.285.nu.1. mittit exploratores, nu.2.

Iosue male pugnat contra Hai, pag. 290.nu.29. mox illam expugnat, 32. succendit, & regem agit in crucem, p.291.n.33 auxilio venit Gabaonitis, p.292.contra quinque reges, n.41 quos vincit, ibid. sistit Solem & Lunam, n.43. eosdem reges interficit, p.293.n.44. & 45.

Iosue capit Macedam, p.293.n.46. deletque, ibid. oppugnat expugnatque Lebnam, nu.47. & Lachis, nu.48.&c. redit in Galgala, p. 294. n.51. nona eius expeditio in regem Asor, p. 294.n.1.2 pugna & victoria, n.3. redit in Galgala, p.296.n.1.

Iosue migrat è Galgalis, p 296.n 5. fi. sexto anno Imperij sui, p.297. ibid.

Iosue prior concio in Silo, pag 330. n.1.2. quandiu gubernarit Rempub. p.301. videri 17. ibid. nu.1.2. posterior eius concio, n.3. renouat cum Deo fœdus, n.5. moritur, & laudatur, p.302.n.6.

Iphitus instaurat ludos Olympicos p 42.n.3.

Iris, qui & Arcus in nubibus, p.71. n.11.

Isaac nascitur, p.110.nu.1.2.3. ablactatur, pag.111.n.1. cum conuiuio nu.2.

Isaac quando obiatus in sacrificium, p.113.c.1.n.1. quæ illius causæ, p. 114.n.2. liberatur, p.115.n.7. eius coniugium quando contigerit. p. 116.n.1 cur tardius, ibid.

Isaaci habitatio præsens, p.118.n.9. occurrit Rebeccæ, n.10. & eam accipit vxorem. ibid.

Isaac opulentus, p.120.c.2.n.2. augetur bonis, p.122.n.1. & 124.c.2. n.2

Isaac fame compellitur in Palæsthinam, p.124.n 1.2. ei apparet Dominus, n.3. de vxore apud regem Abimelechum dissimulat, nu 4. sed mox dissimulatio patefit, c.2. n.1.2.

Isaac quando benedixit Iacobo, p. 127. fin. voluit benedicere Esau, p.128.n.2.& benedicit Iacob, n.6. & cõtinuat benedictionem fraude quæsitam, nu.7.

Isaac moritur, p.141.n.1. longa eius patientia, num.2. Christi figura, ibid.

Isai ortus, p.350.n.1.

Isboseth regnat super Israel, p.422. n.51.&61. quandiu regnarit, n.62. turbarum propter cædem Abneris, pag.429.num.1. de eius cæde consilia, n.2. occiditur, pag.430. n.3. eam cædem Dauid vlciscitur, n.4.5.

Ismaelis ortus, p.103.n.1. med. Abrahæ pro eo preces, p.105.nu.7. admissæ, n.8.

Ismael Isaacum vexat, & cum matre eiicitur, p.111.n.1.2.3.&c. quibus fert opem Angelus, p 112.n.6. ducit vxorem, n.1. moritur, p.127. c.1.n.2.

Ismael occidit Godoliam, p.640.n. 13. 14. captiuos abducit in Ammonitas, ibid. qui liberantur à Iohanna, nu.13. qui eos abducit in Ægyptum, n. 16. inde captiui à Chaldæis abducuntur, pag.643. n.4.

Isocratis ortus, p.730.col.2.num.3. eius panathenaicus, pag. 780. pr.

Isocratis vita & mors, pagina 784 num. 5.

Israelitæ Iosepho viuente florent, p. 168.c.1.pr.

Israelitæ quandiu manserint in Ægypto, p.194.c.2.nu.2 colligunt paleas & cæduntur, p.200.nu. 33. murmurant apud Mosem, p. 201.nu.35. eos Deus consolatur, nu.37.

Israelitæ mutuantur pretiosam supellectilem Ægyptiorum, pag. 211.nu.23. 25.26.27. quando, & qui, n.28. quo iure acceperint, p. 212.n.29.

Israelitarum discessus, p.215. nu.58. vrgetur ab Ægyptiis, n 59. quis eorum commeatus, ibid. sex circunstantiæ profectionis eorum, p.215.n.61.62.&c.

Israelitæ cur deducti per desertum, p 216.65. imbelles erant, n.66. eorum dux columna, pag.67. reflectunt iter ad mare, p.218.nu.80. ibi ab Ægyptiis deprehensi clamant ad Dominum, p.219. num. 81.& Moysen increpant, ibid.

Israelitæ mare transgrediuntur, non 12. viis, sed vnica, p.219. n.85. & 86. Cantica celebrant victori Deo p.220.n.90. & 91. spolia mortuis detrahunt, n.92.

Israelitæ pugnant duce Iosue contra Amalecitas, p.226.n.123. Israelitæ territi rogant Deum secum agere per interpretem, pag. 229, n.142. sunt Domino vectigales, p.239.n.190.

Israelitæ pugnant inuito Domino & Mose, p.265.n.77. & 78. & victi concidunt, n.78. diu peregrinantur, nec tamen vagè, pag. 270.c.1.n.1.2. sed duce columna, ibid.

Israelitarum defectio prædicitur, p. 283.n.82.

Israelitæ peccant cum filiabus Moab & Madian, p.277.num.35.36. puniuntur, n.37.& 38.

Israelitæ à Domino deficere incipiunt, p.307 col.1.fi. rursum declinant ad idola, p.312.col 2 n.1. fin. eorum ignauia, p.315 n.5. iterum redeunt ad impietatem post Aod defunctum, pag 317. n.1.& post Batacum, p.321. num.3. & post Gedeonem, pag.328.col.2. num.1.

Israelitæ à Madianitis oppressi clamant ad Dominum, & à propheta reprehenduntur, p.322.col.2. n.1. congregantur à Gedeone ad bellum p.323.num.7 plurimi dimittuntur, p.324 n.8. reliqui diuino viso confirmantur, n.9. eorum arma, nu.10 castra hostilia inuadunt, num.11.

Israelitæ ingrati in Gedeonem, pag. 329. n.2. eos Ioathamus per parabolam accusat, p.329 num.5.6.

clamant ad Dominum in seruitute Ammonitica, p.338.nu.2. & p.339 n.5 reprehenduntur ob mutatam regni gubernationem, p.375 nu.17 18 19.qui Israelitæ reliquerunt ciuitates suas occiso Saule, p.421.n.45.
Israelitæ petunt regem, p.369.n.3.4 neque acquiescunt Samueli dissuadenti, p.370.n.7.8. passim arma non ferebant p.399.n.25.
Israelis ruina prædicitur 65. annis ante eam, p.561.n.3.inter regnum in eo regno annorum 12. p.561. c.2.fin. clademaccipit ab Assyriis, p.566.c.2.n.1.
Israelis regnum tres habuit reges vno anno, p.563.c.1. n.1. quandiu in domo Iehu steterit, ibi.
Israelitæ magna clade afficiunt Achaz, pag.570. num.4.5.& 571. num.2.
Israelis regnum deficit, p.580.col.2 nu 2.
Israelitarum seruitus Ægyptiaca, vide Seruitus.
Issachar ex Lia nascitur, p.532.c.2.1. eius obitus, p.176.n.3.
Italici belli origo, p.988 num.2.& 989.n.1.c.1. & c.2.n.4 apparatus belli vtrimque: mox num.2.& p. seq & c.2.n.3.eius belli finis, p. 991.n.2.
Iuba contra Cæsarem pugnat, pag. 1032 n 5.moritur cum Petreio, p. 1033.n 8.
Iubilæus Mosaicus & mundanus, p. 312.pr.
Iubilæus annorum 50. non 49. pag 246 n.230.eius prærogatiuæ, 232 quando inchoaretur, p.247. nu. 233.vt obseruati fuerint, n. 234 & cur denique antiquati, ibid.
Iudæ ortus, p.131. n 1.suadet fratris venditionem, p.142.n.19.eius cõiugium infaustum, p.142 nu 17. suscipit Her filium, ibidem, filiorum eius coniugium, pag.149.n 1.2.3.
Iudæ vxor moritur, p.171. n.2.vrget patrem pro dimittendo Beniamino, p.154.n.5. causam eius agit, p.156.n.16.&p.157 17 18.&c. paterna Iudę benedictio exponitur, p.165.n 9.10.
Iudæ obitus, p.174.c.1 n 1.eius virtutes regiæ, num.2. quæ vitia, num.3.
Iudæ tribus accipit sedem suam, p. 296.n.4.&297 n.6.tribus Ioseph id est, Ephraim cum quercia, n.6. & 7.
Iudas præuenit Israelem in reducendo Dauide, p.458.n 2.iurgium tribuum, p.460.n.9.10
Iudæ regnum quandiu steterit, pag 637.n.11.
Iudaici & Samaritani schismatis initium & causa, p.785.n.4.
Iudas pugnat contra Idumæos, pa. 931. n.5. expugnat Ephron, pag. 932.num.6. habet commilitones angelos, p.932.n.11.obsidet Sionis præsidiarios, p.934. n. 1. obsidione soluta mouet in Eupatorem, n.3 pacem init, sed breuem p. 935.n.7 pugnat contra Alcimum, p.937.n.7.
Iudas pacem init cum Nicanore, qui mox cum ad mortem quærit, 937. n. 10. Iudas cum eo pugnat eumque delet cum suis, n.13.14. quærit amicitiam Romanorum, pag.938.n.2.& obtinet, p.939.n. 2.3.an male initum hoc fœdus, n. 4.postrema Iudæ pugna & cædes contra Bacchidem, nu.6.7.lugetur, ibid.quis rerum status ab eius morte, p.940.n.8.
Iudas Machabæus fit Dux & Pont. Iudæorum post patrem, p.927.n. 1. pugnat contra Ethnicos & apostatas, n.2.3.& p 928.nu.4.5.6 & nominatim vincit Nicanorem & Gorgiam, n.6.7.8.9. & p.929. n.9.& 10. curam gerit pauperum n.9.vincit Lysiam proregem, p. 929.n.1.munit templum, & curat Bibliothecam, p.930.n.4.
Iudæi vrbe pulsi sub Tiberio, & cur an.Chr.20.n.4.
Iudæi ad Cyrum transfugiunt in Babylone, p.665.c.2.n.4.redeunt in patriam, p.671.n.6.7. sunt deinceps alieni iuris & vectigales, n 9. Iosue pontifex à soluta captiuitate, p.671.n.10
Iudæi res suas apud Cyrum agere nequeunt, p.674.co.1. n. 2. apud Cambysem accusantur, & prohibentur ædificare, p.675.c.2.num. 2.eorum ad Deum preces, p.676. nu.4.
Iudæi vexati à vicinis Hierosolymis, p.723. nu.2.3. ædificant murum Ierusalem, p.724.n.2.ab inimicis impediuntur, p.725 nu. 8. frustra per industriam Nehemiæ, n 9.10.
Iudæi crudeliter ab Ant. Epiph. vexati, p.921.n.7.8. nouæ Iudæorum post biennium calamitates, p.924 nu.1. diffugiunt in quibus Mathatias cum suis, n.2.
Iudæi inuulnerabiles, p.919.nu.10.
Iudæi scribunt in Ægyptum, p.956. n.5 fiunt plane liberi sub Simone p.958.n.6.
Iudæi Hierosolymis ob trophæa tumultuantur, p.1061.c.2.n.4. & conturbant in Herodem, p.1062. nu 4.
Iudæi vrbe pulsi eorumque ritus, p. 1092 n 4.
Iudæorum obstinatio, p.635.col.2 nu 2.& status infœlix, p.635.n.2
Iudæorum luctus ab Amano, p.717 num 45.inimicos occidunt, 1010 in regno Assueri, pag. 719.n.1. 2.ordo rei gestæ Susis, ibid. & nu.3.
Iudæorum dissipatio, siue apodasmos, p.776 c.2.n.3.
Iudicium Dei in primos parentes, p.36.n.16.17 &c.
Iudicum conditiones, p.249.n.245. hi magistratus alij à Synedrio, n. 248.
Iudicum dignitas, vt similis regiæ, ac dissimilis, p.302.n.2.3.putantur sancti, p.312.c.2.pr.
Iudithæ ortus, p.581.n.5. ratio temporis eius, p.600.n.2.
Iudith agit cum magistratu Bethuliæ, p.604.n.9.10.eius apparatus ad certamen, n.11.12. an peccarit, n.13. ab Assyriis ducitur ad Holofernem, n.14.cuius cædem parat ac perpetrat, n.16.17. & cum eius capite redit ad suos, n.18. eius obitus & ætas, p.619.c.1.n.2.2 castitas, ib. Iudithæ gloria & castitas insignis, p.606.nu.4. caruit liberis, ibid.
Iugo subiecti à Cincinnato Æqui & Sabini, p.715 n 4.Volsci quoque, p.728.c.2 n.2.
Iugurthæ initia, p.966.n.5 & p.975. nu.1. occidit Hiempsalem, ibidem.
Iugurtha Romanos pretio corrumpit, p.975 nu.2. dimidium regni occupat, n.2.fines Adherbalis inuadit, c.2.n.1.Numidiam affectat p.976. n.6.ab Adherbale vincitur, & obsidetur, n.2.
Iugurtini belli initium, p.978.n.1. eius legatio reiicitur, nu.2. emit pacem pecunia, n.2. ea pax improbatur, p.979.n.1. Romam adducitur, ibid.ibi Massiuam curat interfici, & Numidiam redit, nu.2.
Iugurtha Metellum persequitur, p. 979.n.3.bellum renouat, p.980. n.3. trepidat, fugiens Metellum, ibid.
Iulius Cæsar nascitur, pag. 986. num.5.
Iulia filia Augusti Caium parit, pa. 1062.c.2.nu.1.relegatur, p.1075. n.3.eius pœna mitigatur, an. Chr. 5.n.2.eius relegatæ mors, 2. Chr. 15.n.7.
Iuliam filiam Augustus elocat Tiberio, p.1069.c.1.n.1.
Iulia vxor Pompeij moritur, pag. 1021.n.5.
Iusiurandum magnæ curæ Hebræis, p.291.num.38.& 39.in causa Gabaonitarum, & rursum in causa Beniamitarum, p 309. num.11. & 310. n.14. & 17. in cæde Ioan. Baptistæ.
Iustitia Originis totum hominem componebat, pag.28.num.41. & 42.

L.

Laban accipit Iacobum venientem, p.129 nu.11 cui spondet Rachelem, nu.12.sed mox fallit, cum multiplici crimine, p.130. c. 2.n.2.3.
Laban offert Iacobo alteram filiam, p.131. nu. 4. consentitque Iacob, nu.5. qui ex Lia suscipit liberos, n.6.
Laban persequitur Iacob, p.134.c.2. n.3.eiusdem querela in Iacobum, p.135.pr.
Labienus à Cæsare deficit, p.1025. n.3 degit apud Parthos, p.1045. n.8.moritur, n.10.
Labrum Æneum, p.234.n.164. eius vsus, & situs ibid.
Lacedæmonij Pylum amittunt, & frustra recipere conantur, pag. 736.n.5.6.in deserta insula deditionem faciunt, nu.6. Cytheram insulam amittunt, pag.737.col.1. nu.1.
Lacedæmoniorum status miser, pa. 745.n.37. & n.1. Persæ illis fauent, p.746. nu.3. variæ Lacedæmoniorum pugnæ contra Thebanos, p.762. n.1. &c. & 763. c.1. 2.& 3.
Lælius Hipponem deprædatur, p. 882.n.5.
Lælij de Amicitia sermo, p.970.n.2 vide Scipio
Lemnus in Africa bene rem gerit contra Pœnos, p.879 n.8.
Lagides Ptolemæus moritur, pag. 829.c 1.n.2.
Lagidarum, siue Ptolemæorum re-

INDEX.

gni finis. p.1056.n.8.
Lamech Cainita polygamus, p.51. n 4.interficit Cain,n.5.eius libeti p.52.6.
Lamech Sethianus pater Noe naſcitur,p.52.col.2 n.1.moritur, pa. 64.1.
Lamiacum bellum, p.802.n 3.
Lamina Pontificis, pag 238. num. 185.
Laodice Berenicem ſororem cum filio necat, p.849.c.1.n.1.
Lapides precioſi Vrim an præmunciarent futura, pag.237. num. 182.
Lathuri Ægyptij initia, pag.976. num 1.
Lathurus à matre regno pellitur, p. 981.c.1. nu.1.regnat in Cypro, ibidem, cum cives euocant contra Iannæum, p.985.n.2. venit in Syriam contra Iannæum, p.985. n.1 Lathurus ſibi iungit Cyzicenum, & Cleopatra Gryphum, ibid n. 2. vincit Iannæum perfidum,p.986.n.1.Lathuri finis, pa. 998.n.1.
Latini à Roman.deficiunt,p.690 c. 1. n.3. Romæ coniurationem excitant, c.2.n.2.
Latinorum prælium contra Roman. qui diuinitus adiuti dicuntur viciſſe Latinos,p.692.nu 2.3. veniam petunt atque impetrant, n.4.fidem ſuam probant, p 692. c.2.n.1.
Latini bellum atrox in Roman parant, p.781.n.4. & pugna, in qua Decius deuotione perit, & Torquatus filium iugulat, p.782.n.3. 4.& ſeqq. à Philone victi triumphatique,p.785.c.1.n.3. eius belli finis, p.784.n.6.
Latinorum bellum contra Romanos,p.613.c.1.nu.2.4. pax initur inter ipſos,p.614.n.5. in eos bellum gerit Ancus Marcius, p.619. c 1.n.2. & c.2.n.3. renouatur ſub Tarq.Priſco, p.631.nu.1.
Latronum ſpecus ingens in Vmbria p 817.n.2.
Lauicani Romanos vincunt,p.740. n.6.moxque expugnantur, & ad eos ducta colonia, ibid.
Leuctrica pugna, p.764.c.2.n.1.& p.765.tota.
Legati ab Athen.capti, & indicta cauſa occiſi, p.633.c.2.n.2.
Legatio in Græciam legum cauſa, p.619.n 15.eorum reditus,p.720 c. 2. n. 2.leges à Decemviris editæ, 721.c.1.n.3.
Legatio ad Idumæos, p.272.n.12. 13.ab Idumæis reiicitur, p.273. num. 14. ad regem Heſebon, 274 num.21. pugnat & vincitur n.22.
Leges variæ Iudæorum, p.282.nu. 74.75.76.
Legem Angelus terrifice intonat, p.229.n.141.cur ſcriptodata,pag. 230.n.146.
Legio Romana Regij deficit, p.839. c.1. nu. 2. ibi obſidetur & Romæ punitur, n.3.
Lentuli Augutis opes,p.1066.col.2. n.2.
Leonidas ad Thermopylas glorioſe ecumbit, p.699.n.4.
Lepidus afflicto Sex. Pompeio inſolefcit,p.1059.n.8.& deſertus in ordinem redigitur, n 9.
Lepidi bellum contra Syllanos e- ſuſque mors, p.1001.n.1.
Leui ducit vxorem, p.143.co.2.n.2. moritur, p. 177. col.2.nu.1.eius tribus Sacerdotio honorata, pag. 178 c.1.n.2.
Leuitæ in cenſu omittuntur, p.253. n.16.eorum officia obiter, n.17. & locus circa tabernaculum, pa. 254 n.19. Leuitæ donantur Aaroni,n.19.electi ad res ſacras, nu. 20 eorum numerus, n.21.
Leuitarum officium in manſionibus,p.254. nu. 23. an excubarent cantando in ſanctuario. p.255. n. 24.tripartito diuiſi certis officiis deputantur in via, n.25.
Leuitarum conſecratio,p.255.n.26. 250. pereunt in ſeditione Core, p.268.nu. 10. 11. tori abſumuntur incendio, n.11.
Leuitæ occidunt vituli adoratores. p 241.n.204.qui & ideo laudantur,nec tamen ea cauſa honorati Sacerdotio, n.205.
Leuitis nulla terræ portio datur, p. 280. n.54. præter vrbes ad habitandum,nu.55. quarumnon erant Domini,licet dicantur Leuiticæ, ibid.
Leuitæ,qui vxorem diſſecuit,hiſtoria,p.308.n.6.7.& ſeqq omnium tribuum motus,p.309.n.9. ordo rei geſtæ, n.10.11
Leuitis prouidet Rex Ezechias, pa. 578.n.10.
Lex regni quid, p.373.n.6
Lia quintum concipit, pag. 132. nu.3.
Liberalitas populi mira in Leuitas p.578.n.10.
Liberalitas Iſraelitarum in Sanctuarium, pag.248.num.230. & 40.
Liber ſacer ſub Ioſia reperitur, pag. 617. nu.3. & conſulitur ſuper eo Dominus,num.4. vide & 638.5
Libri ſacri non perierunt in Vrbis incendio p.638.n 3.4.5.
Libri ſacri quomodo ab Eſdra collecti, correcti, &c. pag. 731. nu.3.
Libri famoſi damnati,an.Chriſti 13. n.2.
Libido Salomonis,p 489.num 2.3 cur in alienigenas ardentior, num.3.
Libidinis in Antonium dominatus, p.1052.pr.
Licinij & Auguſti auaritia, p.1066. c.1.n.2.
Liguſticum bellum,p.852.c.2.n 3.& p.854.n.4.
Liguſticum bellum pro Maſſilienſibus, p 942.c.2.n.1.2.
Linguarum confuſio quando contigerit,p.77.n.1.2 3 &c. Dei in hac confuſione bonitas & ſapientia,p.78.n.5.fueritne confuſio an diuiſio, n.6.
Linguarum multiplicatio quomodo facta,p.78.n.7.8. numerus earum, n 9 10.
Linus Herculis præceptor,p.328.c. 1.pr.
Lipſana Patriarcharum deportantur in Chananitidem,p 181.n.3.& Ioſephi in exitu, p.113. nu. 60.& 297.n.7.
Liuii poetæ fabulæ, p.851. col. 2. nu.3.
Liuius Salinator, p.884.n.9.
L.Liuii mors, p.1091.pr.
Lidia vxor ſuſpecta mortis Auguſti p.1088.c 2.n 3.
Locros Scipio recuperat,p.882.n.5. eorum legatio & iudicium, pag. 883,n.5.
Lot naſcitur anno patris 70. p. 87. c. 2. n.2. an adoptatus ab Abrahamo, p.94 n.4. ab eo ſeparatur, p.96.c. 2. n.2. Lot optio, p.97. num.3.
Lot capitur ab Aſſyriis.p.98 n.4. ab Abrahamo liberatur,n.7. excipit Angelos Sodomis,p. 06.n.17.an Sodomitis filias offerat ſine culpa, p.107.n.19.
Lot cunctatur abire & monere cognatos, p.107. n.21.22. educitur cum ſuis, 22. cur retrò aſpicere prohibeatur, n.23 orat pro Segor, n.24. vxor eius verſa in ſtatuam ſalis, p.108.n.25. quæ mirè perdurat, ibid.
Lot ex Segor abit in montem, pag. 108 nu.29. & eo filiæ abutantur, ibid.
Lucani à Romanis in fidem accepti p.791.n.11.& p.797.& 7.
Lucernæ candelabri nocte tantum lucebant, p 232.n.158.159.
Lucifer Angelorum primus, p.8 c. 2.n.3.
L. Auguſti nepos Maſſiliæ ægrotat, p.1079.n.3.eius ortus, p.1065.c.1 n.1.moritur, p.1082.c.2.n.1
Lucretia violata ſibi manus infert, p.685 n.3.
Luculli in Hiſpania crudelis auaritia, p.946.n.4.
Lucullus bellum ambit Mithridaticum, p.1002. c. 2.n.2.bis à rege vincitur ſemel vincit,p.1004. n. 2. reprimit fœneratores in Aſia,p.1005.n.1.c.1.eius de Tigrane victoria, p.1006.n.5. eiuſdem continentia, c.2.n.1. Niſibin occupat,p.1007. n.3. eius res collabuntur.nu.2. de Mithrid. triumphat,p.1012,8.auctor Romani luxus, ibid.
Ludi quinquennales Herodis, pag. 1061.n.4.ſeculares Auguſti, pag. 1065.c.1.n.1.
Ludi ſeculares,p.688.col.2. med.& 779 3.
Ludi ſcenici inſtituuntur, p.768. num.7.
Ludi propter præſultorem inſtaurati, p.695.n.3.
Luſtrum primum Romanorum eiuſque modus, p.659.n.5
Lux prima vnde producta, p.11.nu. 2 qualis fuerit,num.3. & quanta, p.12. nu. 4. eius motus in triduo num.5.
Luza gemina, p.306.n.3 4.
Lybicum bellum, p.851.n.5.eius finis,p.852.c.1.n.1.
Lycon, qui & Glycon ſucceſſor Stratonis Lampſaceni, p.859 c.1. num.1.
Lycurgus floret.p.540.n.4. eius tutela, p. 542. c.2.n.1.iuſtitia eius, & fides erga nepotem regem, n. 2.reſtituit ludos Olympicos n.3. eius leges quales eſſent,pag.544. n.2.
Lyſander Cyrogratus, p.746.nu.5 habet ſucceſſorem Callicratidem.ibid. repoſcitur ab exercitu, n. 6. cogit copias & pecunias à Cyro contra Athenienſes,quibus eripit Lampſacum, p 747 n.2. quos ingenti clade vincit ad Aegos Potamos, n.3.4.5.

INDEX.

Lyſander Decemvitos vbique conſtituit, p.748.n.5. obſidet Athenas, nu. 6. & pacem duris conditionibus tribuit, n.6.30. tyrannos Athenis conſtituit, p.749.num.3 Samum deditione occupat, n.4. & Spartam vt triumphans adit, ibid. regnum affectat, n.3. diuinis honoribus afficitur; ibid.

Lyſander in Pyræum arma parat, & à Pauſania per inuidiam impeditur, p.750.nu. 4. eius gratia apud Ageſilaum in inuidiam vertitur, p.752.c.2.n.2. in pugna pro patria ambitione dominante cadit, p.753.n.5.

Lyſias pro rex pro Epiphane vincitur à Iuda, p.929. num.1. Eupatori regnum attribuit, p.932.n.9. procurat pacem cum Iudæis propter Philippum æmulum, num.6 curat occidi M. Octauium legatum Romanorum, p.935.nu.8. & mittit Romam legatos, nu.9

Lyſimachus Agathoclem filium perimit, p.810.c.1 n.1. alius eius filius Alexander cum militibus deficit ad Seleucum, col. 1. fi. Lyſimachus pugnat cum Seleuco & occiditur, pag. 831. col 1.num.1. corpus à cane protegitur, ibidem.

Lyſimachia conditur, pag. 814. prin.

Lyſimachus filios Caſſandri conciliare ſtudet, p 8 1. col 2. num.1. pacem init cum Demetrio, pag. 823. col.2 num 1. & Antipatrum generum interficit, num.2. male pugnat contra regem Thraciæ, p. 824. num 1. Macedoniam cum Pyrrho partitur, pag. 827. col.1. num. 2. moxque illum Macedonia pellit, pag. 828. num. 3. col.1.

Lyſimachus ſufficitur Menelao Pſeudopontifici, p.917. num.2 inſtaurat ſacrilegia, n 5. & in tumultu occiditur, ibid.

M.

MAachæ matris Aſæ impietas, p.505.c.2.n.2.

Macedoniæ ſtatus ante Philippum & ſub eo, pag 770.num.1.2.3. col.2.

Macedonici belli ſemina, pag.863. nu.8.

Macedonici belli initium, p.887. n.1.2. & 888.n.5. & 1.2. vide *Philippus*. Renouatur hoc bellum, p. 905.col.1.n.1 & 906 n.4 Macedones vrbe & Italia pelluntur ſub Perſeo, p.917.n.7

Macedonia tota capitur à Roman. pag. 913. num. 8. nunciatur Romæ celerrimè, num. 9. eius regni finis, nu. 11. in formam prouinciæ diſtribuitur, pag. 925. nu. 7.

Macedoniæ reges plurimi intra breue tempus, p.838.n.6

Machanidas tyrannus; pag. 879. nu.9

Magonis res geſta Gadibus, p. 881. num. 8. adit Italiam cum magnis copiis, num.8. reuocatur, pag 886. num. 10. moritur, ibidem.

Machabæos Deus ſuſcitat, p.926. nu.3. & nominatim Iudam, ibid.

Machabæorum tempora, pag. 913. num.1.

Madianitæ & Moabitæ mulieres Iſraelitas ad geminam fornicationem adducunt, p.277.n.35. & 36. quatuor gradus eius peccati, n.36. punitur, n.37.

Madianitæ Dei iuſſu puniuntur, p. 278. n.39. bellum contra eos ſuſcipitur, p.279 num.45. & 46. duce Ioſue, ibidem, pugna & victoria, nu.47. multa populi cædes & præda, n.49.50.

Madianitæ opprimunt Iſraelitas, p.322.num.3.4. à Gedeone victi, fugiunt & cæduntur, p.324.n.11. 12. fugientes Iſraelitæ perſequũtur, p. 325. n. 12. quatuor reges eorum occidunt, n. 12. & 17. deletur ille populus, pag. 326. col. 2. pr.

Magi duo inuadunt Perſarum imperium, p.678. col 1.num.1, eorum vnus Smerdis, ſe filium Cyri ſimulat, ibi id Perſæ credunt, c.2. n.3. occiduntur, p.679.c.1.n.2. populus in omnes Magos concitatur, n.3.

Magi Ægyptiorum colubros veros edunt, pag.202.num.40.41. qui fuerint hi Magi, n. 42. producunt & ranas. pa.204 num 52. nequeunt producere Sciniphes n. 57. vlceribus torquentur, pag. 206.n.67.

Magicæ artes Manaſſis, pag. 598. num. 4.

Malalcelis ortus & obitus, p.60. co. 2.n.1.

Malogranata veſtis Pontif. p.238.n. 184.

Manahem regnum Iſraelis occupat occiſo Sellum, p.563.c.1.n.3. eius ſæuitia, c.2.n.1. euocat Aſſyrios, ſitque eis vectigalis, n.2. moritur p.564 4.

Manaſſis regis ortus, p.591.c.1.n.1.

Manaſſis patriarchæ ortus, p.149.c. 1.n.3. eiuſdem obitus, p.178.c.1.n. 1.& 2.

Manaſſes vi ne captus an dolo, pag. 601.num.6. redit ad ſuos, num. 4.5.

Manaſſis regnum, & quale, p.596. col.2. num. 1. 2. mala eius initia, p.597.num.3. multiplex eius idololatria, p.598.n.2. filios traducit per ignem, num.3. magicæ illius artes, n.4. & cædes innocentium, nu.5.

Manaſſis captiuitas, pag.600.num. 4 5.

Manaſſis cur nulla mentio in bello contra Holofernem, p.602.n.6. gratioſus fuit apud Merodach, n. 7. Manaſſis opera bona, p.606 c. 2.n.1. moritur, p.611 n.1. ſepelitur c.2.n.2.

Mandonius Hiſpaniæ regulus ſupplicio à Roman. afficitur, pag. 882.pr.

Manlius Torquatus Gallos vincit p.770.c.1.n.4.

M. Manlius Romæ res nouas molitur, pag.760 num.3. in vincula conjectus liberatur, n.3.4. renouat ſeditionem, & de ſaxo deijcitur, ibid.

Manna promittitur murmurantibus, p.223.nu.104. depluit, num. 108 quando, quanta copia, & c.n. 109. eius color, ſapor, &c. p.224. n. 110. 111. tria præcepta circa vſum eius, 112.

Manna retinet Iudæos à vaga peregrinatione, p.270.c.1. fi. quando defecerit, p.288.n.19. ſub eſum frugum, n.18.

Manſiones in deſerto prima in Rameſſes, p.215.num.61. Secunda in Socoth, p.218.n.76. Tertia in finibus Elham, nu.77. Quarta ad mare, ibid & 80. Quinta in Mara p.221.n.95.

Manſio ſexta, pag. 222. in Elim, quot dierum, num.97.98. ſeptima ad mare rubrum, num. 100. Octaua in deſerto Sin, quæ eſt vna de quinq; eiuſdem ſolitudinis n.101.

Manſio nona & decima, p 225. nu. 117. vndecima in Raphidim, nu. 118. Manſio duodecima in Sina p.227. num.130. & 131. Migratio ex ea per 4. acies, p.257.nu.34. & ſeqq.

Manſio decima tertia in Sepulchris conc. pag.258.n.42.& 14. in Hazeroth, nu.55. Manſio 15. luctuoſa in Rhetma, p.262.n.62.63.&c. Manſio 16. Remmomphares, pa. 266. n.3. Manſio Lebna & Reſſa, 17 18.n.5. fine.

Manſiones in Salmona & Phunon, p.274. num. 19. manſiones aliquot, p.274.num.21. Manſio 41. in montibus Abarim, p.275. n 25. manſio vlt. in campeſtribus Moab n 26.

Marathonia pugna, eiuſque modus p.694.c.1.n.1.2.

Marcellus ad Nolam vincit Annibalem, p.865 n.10

Marcellus filius ſororis Auguſti, ei charus, pag. 1060. col.1. num.1. obitus eius. p. 1061. c.1.n.3. eius theatrum & ludi ab Auguſto, p. 1076.c 1.n.3.

Marcelli humanitas in expugnatione Syracuſarum, p.871. n.8. pugnat contra Annibalicos, num 9. ambit pugnam cum Annibale & vincitur, pag.876.num.3.4. male audit moxque & quintum Conſul, n.7. moritur, pag.877. num. 4.5.

C. Marcius bellator egregius, pag. 692.col.1.n.2 infenſus plebi, pa. 695.col.1 num.1.2. miſſus in exilium abit in Volſcos, ibidem, & col. 2. num. 2. bellum Romanis ſuſcitat, eique præficitur, p 696. num. 3.4. latè vexat Romanos, col. 2. num. 3. multæ ad eum legationes, num. 4. 5. &c. à matre victus, à Volſcis occiditur, pag. 697.n.5.6.

Mardochæi ſomnium, p.708.nu. 1. an & quomodo trãſmigrarit, ibidem, non oderat Aman, p.716. num. 3.4. luctus eius & Iudæorum, p.717.nu. 4.5. deducitur ab Aman cum triumpho, p.718.nu. 8. exaltatur ſuſpenſo Aman, pag. 719.13.

Mardonij principium, p.686. num. 5. progreſſus pro Perſis, p. 687. col.1 num 1. gemina clades ab eo accepta, ibidem, relinquitur à Xerxe in Græcia, p 699.nu.8. Athenas ſuccendit, p.700 num.2. pugnans in Græcos, occumbit, num.3.

Mariæ ſororis Moyſis ortus, pag. 182. col. 2. num. 1. lurgatur cum Sephora, pag. 261. nu.56. ineam

INDEX.

Dominus itaſcitur, n.57. & lepra percutit, n.59. ad ſeptiduum, pa. 262.n.61.
Mariæ obitus vbi, & quando contigerit, p.271.n.3. laus eius, num. 4.5.
B. Mariæ Virginis conceptus, pag. 1085. col. 1. num.3. Natiuitas, col. 2. n 1. eiuſdem Præſentatio, p.1067.col.1.num.1. eius in templo commoratio, c.2.n.2. nutritur Angelorum miniſterio, ibid. deſponſatur Ioſepho, p.1074.n. 6. fuit verum coniugium ratum, num.7. etiam voto iam emiſſo, n. 8. adit Bethlehem, pag. 1078. num.20.
B. Mariæ deuotio in partu, p.1078. n.81.
Maris ſalſedo, eiuſque commoditates, & cauſæ. p.15, nu 8.
Maris teſtagnatio, pag. 735. col. 2. nu.1.
Maritos laudat Auguſtus, an. Chr. 10.n.4.
C. Marius fit Tribunus plebis. Eſt acerbus in Coſſ.p.975.num.3. ædilitatem petit cum repulſa, pag. 976.
Marij periculum ad Siccam, p.980. num. 3. aſpirat ad Conſulatum, n.1. fit Conſul plebis gratia, pa. 980. col. 2. num. 1. in prouincia bene rem gerit, 981.1. debellat in Numidia contra Iugurtham, pa. 981.n 2 & 3.
Marius fit abſens Conſul & triumphat, p 982.co.2.n.1. eius tertius Conſulatus, pag.983.n.3. Quartus Conſulatus, p.984. n.2. contra Cimbros & Gallos bellum gerit, p.984.num.2 & 3.4. Quintus eius Conſulatus, p.985.nu.3. Sextus, col.2.n.3. eius in Metellum conſilia, p.985. n.3. in eum præuaricatur, p.986.& pellit in exilium, num.4. ipſe abit in Aſiã, ſeritque ſemina belli, pag.986. num 2.
C. Marius moritur, p.995.n.2.col.1. vide ſupra Cinna.
Maſaniſſa vexat Pœnos conniuentibus Romanis, p.895. num.2. reconciliantur, p.909 nu.6. iterum querelæ p.918.n.8.
Maſaniſſa Syphacem vincit, p.870. num.3. fœdus eius cum Scipione p.880.nu.7. Syphacem capit, pa. 885 & regnum eius occupat, nu. 7. quod à Scipione dono accipit, n.9. ducit Sophonisbam, moxque dimittit, n.7.8.
Maſaniſſæ mors, p.949.nu.2. eius in Scipionem amor & fiducia, ibid.
Maſſilienſes à Pompeio ſtant, pag. 1026.n.8. a Cæſare obſeſſi, ibid. clade affecti bis deditionem faciunt, n.10.
Mathatias cum ſuis fugit, p.924.n. 2. Deum propitiatur, p.962. col. 2. num. 4. qui perimit idololatras, n.5. fit Dux & Pontifex gentis ſuæ, num.6.7. moriturus hortatur ſuos ad defenſionem populi, & legis Dei n.8.
Mathematici, ſiue magi Italia pulſi an. Chr.17 n.2.
Mathias Theophili filius Pontifex p 1074.n.3.
Mathuſalæ obitus, pag.64. nu.1.2. ſeptiduo ante diluuium, n.3. eius Lipſana, Lamechi & Adami in Arcam recepta. n.7.
Matrimoniorum lex, pag. 281. nu. 57.
Matrimonia cum alienigenis ab Eſdra diſſoluuntur, p.714. n.3 4.5. & p 715 n.5.
Mauſolus moritur in Caria, p.762. c.1.n.4.
Mecenatis obitus & laus, p.1070.c. 2.num.2.
Medorum imperium, p.559.c.2.n.2. pr. Aſſyriis ſubditum, p.567.n.4. fine.
Medi a clade Holoſernis ſua recuperant, p.606.c.1 n.2.
Medorum defectio cogitata, p.589. n.9. an paruerint Babyloniis, pag 593.c.2.n.1.
Megabyzus curat euocari à Dario Hiſtiæum, p.683.num.5. Ægyptios & Athenienſes vincit, pag. 714. n.4.
Melchonis corona, p. 446. n.9.
Melchiſedech gratulatur Abrahæ victoriam, p.99.n.8. fuit Chananæus, num.9. non eſſe Semum, neque Henochum, nu 10. Deo ſacrificat, & dat populo conuiuium, n.11. eius obitus, & epitaphium, n.14.
Melii malehabiti ab Athenienſibus p.740.n.1.
Sp. Melii largitio, p 729. num 4. aſpirat ad regnum, col. 2. nu.2 à Mag. Equitum occiditur, p.730. prin.
Memnon Rhodius pugnat contra Alexand. moxque morbo interit, p. 788.n.3.
Menelaus deiicit pontificatu Iaſonem & fit Pſeudopontifex, pag. 916. col. 2. num 1.2. Lyſimachus eius vicarius, pa. 917. ſacrilegiis demeretur Andronicum, vt Oniam interficiat, p.917.num.34. pecunia euadit iudicium, p.918. n. 1. fit Dux Epiphani ad ſacrilegia & templi expilationes. p.921. n.9.
Menelaus nouam cladem Hieroſolymis iuuat, pag. 922. pr. moritur iuſſu Eupatoris, pag. 934. num.2.
Menodorus deficit à Pompeio, pa. 1046.nu. ad eundem redit, n.4.p. 1047.
Menſa propoſitionis, pag.232. nu. 256.
Mentor Rhodius prodit Sidonios, pag. 776. col.2. num.2 prodit & Ægyptum, p.776. col.2. num.2. valde honoratur ab Ocho, pag. 777. n. 1. qui ei duces aliquot reconciliat ibid.
Merari ortus, pag. 163. col. 2. prin.
Meritum bonorum operum, p.501. n.4.& 523.n.8.
Merodachi imperij Babylonici & principium, pag. 193 num. 4.1.
Merodach & Nabuchodonoſor idem p.600 n.3.
Merodach mittit legatos ad Ezechiam, p.589 n.11 tribus de cauſis ibid.
Merodach Baladiam fit rex Babylonis mortuo Sennacherib, pag. 589. num. 9. quis ille fuerit, num. 10. occaſio defectionis, ibid.
Merodach aſpirat ad Imperium Aſſyriorum p. 601. num. 2. pugnat contra Arphaxad, nu.2.3. regem Medorum, ibidem, Merodachi conſilium publicum & ſecretum p 602.n.1. afflictus quieſcit, pag. 606.c.1.n.3. moritur, p.607.col. 1.fine.
Meſa Moabita vincitur à Ioſaphato, & Ioramo, & obſidetur, p.527 nu. 16. immolat primogenitum, nu.17.
Meſſana Romani iniuſte potiuntur p 841.n.4.
Metellus ab exilio reuocatur, pag. 986.n.2.
Metallorum & miſtorum productio p.14.n.6.
Meto Aſtrologus p.732.n 4.
Michæ idola, p 307. nu.3. quandiu apud Danitas manſerint, p.308. nu.5.
Michael apparet Moyſi in Sina, p. 168.n.8.
Michol Dauidem diligit & illi nubit, pag. 394. num. 7. præter ſpem Saulis num. 8. in Dauidem officioſa, pag.195.n.8 quem dimittit per feneſtram, pag. 306. num.9.
Michol ſimulachro illudit patri, p. 396.n.10.11. datur alteri vxor, pa. 410.n.14.
Michol reditum parat ad Dauidem, pag. 428.num. 6.& 8. arguit Dauidem, p. 437. num.11 an recte, ibid.
Miletus expugnatur à Perſis, pag. 694.c.2 pr.
Militiam Romæ pauperes detrectant, p. 691 n.2. eorum inopia mira, p.692.c.2.tota, & p.697.co. 2.n.2.
De Militum præmiis, & annis militiæ decretum, pag.1067.col.1. num.2.
Milo Crotoniates p.674.n.4.
Milo Clodium necat, p.1022.nu.2. acculatur, n 3 damnatur n.4 eius mors p 1029. n.15.
Miltiadis mors, pag. 694. col. 2. num.1.
Miphiboſeth naſcitur, p.404.num. 2. filius Ionathæ, ibidem, fit claudus ex caſu, pag.423. n.56. Dauid eius miſeretur, pag 441. nu. 3.4.
Miphiboſeth adit Dauidem reuertentem, pag.459. num 5.& cauſam ſuam agit apud eum, num.6. & iniuſte iudicatur n.7.
Mithridaticum bellum ex Romanorum iniuria, p.990. num. 4.& Mithridatis de Romanis inſignis victoria, pag. 991. col. 1. num. 5. eius in Rom. conſpiratio, col. 2. nu. 5. male pugnat in Rhodios, ibid.
Mithridates quærit à Sylla pacem & impetrat p.996.n.3.
Mithridaticum bellum renouatur, p. 998. num.8. Archelaus à rege deficit ad Murenam, ibidem, fœdus init cum Sertorio, & bellum in Romanum parat, p.1002. nu.1.
Mithridates Bithyniam inuadit, Cottam terra marique vincit, p. 1003. num. 4. oppugnans Cyzicum fallitur. num.3. clademaccipit à Lucullo, n.6. ſoluit obſidionem Cyzici, pag 1003. num. 7. vincit Lucullum, pag. 1004. 2. moxque ab eo victus fugit ad Tigranem & familiam

interficit, ibid.
Mithrydatem Romani à Tigrane repetunt, p.1005. num 2. coniuratio in ipſum, p.1007 col.2.nu. 2. res ſuas magna ex parte recuperat, num 3. cladem à Pompeio accipit, pace fruſtra petita, pa.1006 n.4. à Tigrane non recipitur, n.5. bellũ reuocat Mithridates, cuius filios ſibi manus infert, pag. 1010. num.2. altum ipſe interfecit, num 5. rurſum pacem quærit & bellum parat, pag. 10 1. n.6. multi ab eo deficiunt & filias amittit, ibid et filius necem parat, n.7. Rex ſibi manus infert, ibid.
Mitylenæi ſe dedunt Atheniẽſibus p.734.c.2 n 3.
Moabitæ ab Aſſyriis cladem accipiunt, p.582.c.1 n.1
Monetæ Iunonis ædes, pag.779. nu 5
Mors pœna peccati, pag.32.nu.63. 64
Moſes initium quartæ ætatis, pag 184. num. 1. naſcitur magnam in ſpem. nu.3. forma decorus, num 4 occultatur, nu.5 exponitur in ſiſcella, num.5. a filia Pharaonis excipitur, num.7. matri lactandus datur, num.8. ratio nominis, ibid.
Moſes ablactatus reginæ redditur, p.185 nu.1. à qua adoptatur, ibidem quomodo ſe negarit filium filiæ Pharaonis, p.185. col.1. nu. 2. eius in aula educatio, & Dei in ipſum prouidentia, num. 2. col.2.
Moſis inſtitutio puerilis, p.186.col. 2. num.1. à parte inſtituitur, nu. 2. eius profectus, p 187. num. 3. eiuſdem adoleſcentia, col.1. nu. 1. Iuuentus, c.2.n 1. verbis, & operibus potens, n.2
Moſes deſerit aulam, p.189. num.1. perimit Ægyptum, num. 3 an iuſte, num.4. re vulgata fugit in Arabiam, p.19 . nu.5.6.7. apud Madianitas degit, n 1.2. adeſt filiabus Iethro, n.2
Moſes ducit vxorem filiam Iethro, p 191. n.3. 4. in ſolitudine philoſophatur, & an ibi Geneſim ſcripſerit, pag 192. col. 2. num. 2. ſuſcipit filios, pag 194. col.1. nu 1.
Moſes quo ſuo anno eduxit Hebræos ex Ægypto, p.195.num.2. Deus illi apparet in monte Sina. num. 5 6 aut potius Angelus, p 196. num 7. eumque videri Michaelem, num. 8. Moſis colloquium cum ipſo, nu 9. & ſeqq & multiplex cunctatio, p.597 n.12. & ſeqq
Moſes an linguæ impedimentum habuerit, pag.198.num.17. & 18. profectionem parat, num. 21.22. tres illi in itinere cõtingere, p.199 n.23 adit cum fratre Pharaonem p.200. is commeatum recuſat, n. n 30.31.32.
Moſes apud Deum gemit, p. 201. num. 36 38 cum populus increpat, quem ipſe viciſſim conſolatur, pag. 219. num. 81. & 82. virga mare aperit, cuius fundum ventus exſiccat, num.83 & 84.
Moſes orans extenſis manibus dat victoriam contra Amalecitas, p. 226. nu. 124. aſcendit ad Dominum ſæpius antequam lex daretur. p.228.n.134.5.6.
Moyſes Deum videt præſtantius quam Aaron, p.231.num.150. redit in montem cum Ioſue, num. 151. vbi quadraginta dies ieiunus perſeuerat, ibidem, veniam populo impetrat pro crimine vitulli. p 240.n.197.
Moyſes redit in montem ad placandum Deum, ad dies quadraginta, pag.241. num.206. & blandæ preces, pag. 243. num.212. quomodo notus ex nomine Deo, nu. 213.
Moſes non petiit viſionem diuinæ eſſentiæ, p.243.num.214 ſed gloriæ Angeli ſecum loquentis, nu. 216. quomodo facta, num. 217. 218. dimittitur ad nouas tabulas, p.244. nu.219. populum in metu retinet, n 220.
Moſes redit in montem tertio ad quadraginta dies, p.245.nu.223. redit in caſtra cum nouis tabulis, p.247.num.225. & 236. fulgor vultus eius, & qua de cauſa, num. 237. fuit deinceps perpetuus, pa. 248.n 238.
Moſes congregato populo nunciat conſtructionem ſanctuarij, pag. 248 num. 239. in progrediendo per deſertum Moyſes cum Arca præcedit exercitum, & ita deinceps, n.37.&38.
Moſes petit leuationem oneris ſui, p.259. n. 45. cum Deus ſubleuat, additis ſociis, nec imminuto ſpiritu Moſis, p.2 9 n 47 peccat in murmure pro deſiderio carnium n.48.
Moſis præ cæteris prophetis excellentia, p.261.num 58. eius annus vltimus, p.271.n.1. populo murmurante cum fratre confugit ad Dominum, p.772. num.7. geminum eius peccatum ad aquas cõtradictionis, p 272. n.9. eius culpa, & pœna luctuoſa, nu.10. & 11.
Moſis nepos idolorum Sacerdos, p. 3 8 n.4.
Moſi ſua mors prædicitur, pag. 278.num 41. qui ſucceſſorem petit, num.42. dat hæreditatem duabus tribubus & dimidiæ Moſis exhortationes ex Deuteron. p. 2c 1.n 60.& 61.
Moſes moriturus aſcendit in montem, p.284 n. 84. conuocat principes populi, eique benedicit, n. 85. mors eius, & ſepultura, n.87. 88. laus.89.
Mulierum Iudicarum mirabile certamen, p.808.c.2.n.3
Multiplicatio filiorum Adam, p.42 c.2 n.1.& p.44.n.8
Mundus per Verbum totamq; Trinitatem conditus, p.2 n.1.
Mundi condendi cauſæ, p 3 n.1.2.3. 4. & Dei in eo condendo conſilium, p.4 n 5.
Mundus creatus in principio rerum & temporum, p.4.num.1. non ab æterno, n.2. creatus, non in Autumno, nu.4 ſed Vere, num 4.5. &c.
Mundus an productus in inſtanti. p 5 num. 1. 2. an potius ſex dierum ſucceſſione, nu.3.4 &c. in ea apparet Dei ſapientia, p.11. nu 1. 2. &c.
Dec. Mundus impoſtor, pag.1092. n.3.
ad Mundam Cæſaris victoria & periculum, pag. 1035. num. 3.4.
Murena in Aſia à Sylla relinquitur p.996.col 1.n.1. vaſtat dictionem Mithrydatis. p.999.n.4
Muri Ieruſalem quomodo tempore Nehemiæ deſtructi, pag 723 num. 2.3. petit ædificandi facultatem, & obtinet, p.724.nu.4.5. murus abſoluitur intra 52. dies, pag 725. n. 11. dedicatur. num.13. 14.15.
Murmur populi in ſiti, p.271.nu.6. in tædio itineris & laboris, vnde a ſerpentibus occiduntur, p.274. n.19.20.
Murmur ex deſiderio carnium, pag. 258. nu. 44. quas Dominus promittit, pag. 259. nu. 48. murmur ab exploratoribus. pag.263.num. 69. populus in Moſem & Aaronem irritatur & in Deum ipſum, n.70.71.
Murmur Hebræorum contra Moſem, p 201. num.35. & imminente Pharaone ad mare, p 219. nu 81. & aquas Mara, pag.221, num.96. pro cibo, pag. 222. num.101. 103.
Murmurantibus Dominus promittit manna, p.223. num.104. vindicta mirabili, n.105.
Murmur pro ſiti, p.225.nu.118. pro labore itineris, p.258. nu 41. punitur incendio, nu.42.
Muſæus Orphei diſcipulus magus, p.327.c.2.n.2.
Muſica iuuat arreptitios, pag.387. nu.2.
Mutia Feſti dies in honorem Scæuolæ, p.88.n.2
Murinæ res geſtæ contra D.Brutũ, p 1038.n.24.

N.

NAaman Syrus adit Eliſæum, p. 537.n.7. ſanatur, n.8. conuertitur, n.9.
Naas rex Ammon Iabeſitas obſidet p.374. num. 9 à Saule victus fugit, num.14. moritur, pag. 442. nu 6.
Naaſon naſcitur, pag. 192. col. 2. nu.1.
Nabal quis fuerit, pag.409.n.6. reiicit Dauidis nuncios, n.7. moritur, p.410.n.11.
Nabis tyrannus Lacedæmon. pag. 891. num. 4. hominis crudelitas, p.894.n.3.4. occiditur, p.895. nu 5.
Nabonaſſaris epocha, p.5 6.col.2. prin.
Naboth negat vineam ſuam regi, p.520.n.2 cui eædem molitur Iezabel, n.3 damnatur per calumniam, n.4.
Nabuchod.& Merodach.idem, pa. 600.n.3.
Nabuchodonoſor ſenior regnat cum patre, p 613.c.1.n 1 inde ſolus, p 615.num.1 moritur, p.623. nu.2.
Nabuchodonoſor magnus cur bellum in Iudæos ſuſceperit, p.623. nu.3. obtinet ciuitatem & capit & regem abducit Babylonem, n. 4. eum obſidet Ieruſalem, p.

INDEX.

616.c.2.n.1.admittitur in eam,p. 627.n.2

Nabuchodonoſor interficit Ioakimum & abiicit inſepultum, p. 627.nu.3. venit in Ieruſalem ſortitus per tela, pag. 633. col. 1. num.3. obſidet Sedeciam Hieroſolymis, pag. 634. numero 2. & 3. petit Ægyptum, numero 4.

Nabuchodonoſor ex Ægypto redit contra Ieruſalem, p 615.nu.7. vt prædictum fuerat, p.634.n.4. eiuſdem expeditio in Ægyptũ, p. 614.n.3. & ordo victoriarũ eius, ibid. & pag. 644. numero 1. & ſeqq.

Nabuchodonoſoris ſomnium, pag. 645.nu.1. & ſeqq. aliud ſomnium de ingenti arbore, pa.650.col.2. num. 1. &c. ſeptennio dementatur, pag.651. num.1. ea dementia declaratur, num 2.3 &c. mens illi redditur, pag.653.num.2.& regnum,nu. 3. curat ſcribi hanc hiſtoriam, p.653.col.2.fine, ſalus eius ſatis certa, pag. 654. numero 3.

Nachoris ortus, pag.75.col.2.fine, gemini Nachores, p.76.c.1.pr. & p.82.n.1.

Nachoris patris Thare obitus, pag. 84.c.2.fi.

Nachor frater Abrahæ ducit Melcham, pag.90.col.1.n.1.nuncium ad eum mittit, p. 115. num.1. eius proles, n.2.

Nadab filius Ieroboam regnat, pag. 506. col.1.num.1 eius impietas, ibidem, moritur, columna 2. nu. 2.

Nadab & Abiu filii Aaronis diuinitus occiduntur, pag. 152 num. 8 9. & qua de cauſa, ibidem, vbi, à quibus & quomodo ſepulti, n. 11.12.

Nahum contra Ninivem vaticinatur, p.582.n 4

Nannææ templum Sidetes ſpoliare cupiens extinguitur, pag. 967. n.2.3.

Narbo-Martius colonia, pag.975. n 2.

Nathinæi reliquiæ Gabaonitarum, p.192.n.39

Nauale ad Oſtiam condit Ancus Martius, p.623.n.5

Naues ſoluibiles, pag. 796. numero 2.

Naufragium ingens Romanorum, p 845.c.2.n.3. & rurſum ad Syrtes, & ad Lilybæum, pag.846.nu. 2.

Nauigationes Salomonis, p.485.n. 6. & p 487.n.3 & 4.

Nectanabus, vide *Tachos* eius ignauia, pagina 776. columna 2. n.2.

Nehemias cum ſuis luctui ſe dat ad propitiandum Deum, pag. 723. num. 4. obtinet ædificare muros Ieruſalem ab Artaxerxe, pag. 724. numero 4. & 5. venit in Iudæam, & incipit ædificare. num.6. & 7. fruſtra reſiſtentibus inimicis, pag.725. num. 9.10. & ſeqq.

Nehemias duz annis duodecim eiuſque in populum indulgentia, pag.731. col. 1. num. 1. Perſidem adit, ibique diu moratur, co.2. n 2. opera Eſdræ conſtruit Bibliothecam, n.3

Nehemias redit Ieruſalem, pagina 756. num. 2. & quæ ibi coercuit, num.2. 3. laus eius & obitus, n. 4.

Nemrodi ortus, p.73. num. 5. eius conſiliũ in Babylone conſtruenda. p 77.n.5

Nembroth poſt linguarum multiplicationem ædificauit Babylonem, pag.79.num. 11. idem cum Belo, n.3. moritur, pag.81.n.1.c.2. prin.

Nephtali obitus, pag. 177.num. 4.

Nicanor venit contra Iudam, & conatur eius dolo capere, pag. 937. nu. 8. mox pacem init cum eo, quam diſiicit Alcimus, nu.9.

Nicanor ſtudet comprehendere Iudam, num.9. minas intentat & adit Demetrium, num. 10. redit cum copiis & tẽdit inſidias Iudæ, n 10. venit ad tẽplũ & minas iterat, n.12. apparatus pugnæ contra Iudam, n. 13 deletur cum omnibus copiis, n.14

Nicias diſſuadet bellum Siculum, pa.740.col.2.num.2. vincitur, p. 742.nu. 4. & 5. fugiens cum ſuis valde vexatur à Syracuſanis, nu. 7. ad deditionem compellitur, ſicut & Demoſthenes, pag.743. n.8 ambo interficiuntur, numero 9.

Nilus num ſit Gehon, pag.18.num. 29.

Nini bella & victoriæ, pagina 84. num.1. mors, pag.87.col.1.numero 1.

Niniue conditur, pag.81.num.3. & 4.

Niniue ſuprema clades, pag.644. num. 4. eiſque cauſæ & modus, n. 5.

Niniuitæ pœnitentia, pa.555.n. 6. obſidetur à coniuratis contra Sardanap. pa.558.col.1.num. 1. 2. &c. non eſt penitus deleta cum Sardanapalo, c.2.n.2

Ninus Aſſyriam armis occupat, pa. 81.num.2. 3. fit Aſſyriorum non Babyl. Imperator, ibidem, refert patrem Belum in Deos, p.82.nu. 2.5.

Ninyæ filij Semiramis imperium & ignauia, pag.91.col. 2. nu. 1. prudens eius inſtitutum militare, n. 2. obitus eius, p.103 num.1.fin. ei ſuccedit Arius, ibid.

Nobe ſanctuarium conſtitutum, cum ſacrificiis, pag. 366.num.3. & 4.

Noe ortus, pag.59.num. 1. ratio nominis, n.2.3. eius exordia, pa 60. num. 2. eius liberi priores, nu.2. præco iuſtitiæ pa.60. col.1.num. 1. aliò non migrauit, col. 2.nu.2. tres Noe filij quando nati, pa.62. n.3.& p.63.n.1.2.

Noe cum ſuis præco iuſtitiæ, perſeuerat, pa.63.col.2.num.1.2. ingreditur in arcam, p.66.num.16. eius miſericordia & pro pereuntibus preces, pag.67. num.18. 19.

Noe egreditur ex arca, pa.69.nu.3. quandiu in ea manſerit, ibidem, ædificat altare, pa.70.nu.3. in eoque offert holocauſta, num. 6. Deus familiam eius benedicit, eique dat dominium in animalia, n.7

Noe an ſuſceperit liberos à diluuio, pa.71.num. 13. ejus oru largius vino ſit ebrius, nudatur, irridetur p.72.num.3. nepoti maledicit, n. 4. Semo & Iapheto bene precatur, ibid.

Noe & filiorum eius habitatio, pagina 73 num. 2. vrget migrationem in colonias, pag. 76. numero 3.

Noe obitus, pag. 83. eius proſpera & aduerſa, num. 2.3.4. multa de eo ſilentio prætermiſſa, pa.84. nu.5. eius cum Chriſto ſimilitudo, n.5.

Noema filia Lamechi ingenioſa, p.52.n.8.

Noemi cum viro Elimelech peregrinatur, pagina 330. num.8 amiſſis filiis reditum molitur in patriam, pag.332.n.1. 2. eam nurus comitatur, n.2. quod Rutha impetrat, n.3

Noemi quærit coniugium Ruthæ, pagina 333 num.7. an rectè, ibid. fuit figura Virginis, pag.335. numero 3.

Nominum impoſitio quomodo facta, pag. 29. numero 46. & 47.

Nubes ducens Hebræos, pagina 216. numero 67. alia à protegente, pag.217. numero 68. & 69.

Numæ ortus, pag. 575. numero 6.

Numæ arcæ duæ effodiuntur, pag. 908.n.5.

Numæ regnum, pagina 598. numero 1. cur Pythagoræus creditus ibidem. Reipub. turbas componit, pa.599.columna.1. num.1. ſacra conſtituit malis artibus vſus, columna 2. prin. reſtituit annum, pag. 599. columna 2. fine.

Numæ pecunia lignea, ſcortea, &c. pa.600.col. 1. numero 3. inſtituit ſummum Pont. Numam Marcium, pa.601.numero 1. eius mors & regni tempus, pagina 608. columna 1. num. 1. eius progenies, & arcæ duæ, numero 2.

Numantiæ res geſta cum Pompeio, pag.960.numero 7 & pag. 961. num. 3. & cum Mancino, pag. 962. numero 4. & pag.963. nu.3.

Numidiam Iugurtha affectat, pag. 976. num. 6. male res geritur in Numidia, pag.979. numero 1. & 2. fit prouincia, pag. 1033.num. 9.

Nuncij Ochoſiæ pereunt incendio p.524.nu.14.15.

O

Obed, ex Booz & Rutha naſcitur, p.334.n.1 cum communi lætitia, nu.2.

Obededon recipit Arcam hoſpitio cum benedictione, pag. 435. num.9.&10. cur dictus Gethæus, num.10.

Obedientia mirabilis Abrahæ, pag. 114.nu.4. eiuſque merces. pa.115. nu.7.

Obedientia Ezechiæ illuſtris, pagina 596. numero ſecundo & tertio.

INDEX.

Oblationes 12. principum tribuum quando factæ, pagina 255. numero 17. & 18. quæ oblata, pag. 256. nu 29. 30. 31. omnino patiã, n. 31.

Obstetricibus Ægyptiis mandatur infantum cædes, p. 182. c. 1. nu. 1. 2 cui mandato illæ non parent, num. 3. nec mentiuntur, pag. 183. num. 1. à Deo mercedem accipiunt, n. 2.

Obstinationis Dæmonum causa, p. 9. c. 1. n. 2.

Ochi Artaxerxis imperium, p. 767. col. 2. num. 1. sæua eius exordia, num. 2. multi ab eo deficiunt, pa. 768. fine, qui mox se inuicem produnt, pag. 769. prin. Ochi in Sidonios crudelitas, p. 776. nu. 3. eius obitus & mortis causa, pag. 780. n. 1.

Ochosias filius Ioramí nascitur, pa. 518. num. 8 regnat cum patre, pa. 521. num. 7. & eo mortuo, pag. 523 nu 9. eius regnum multis humi cladibus affectum, nu. 9. 10. consulit Beelzebub, nu. 12. accersit Eliam, p. 524. n. 14. 15. moritur, ibid.

Ochosias regnat Hierosolymis, pa. 535. num. 3. ei nascitur Ioas, n. 4.

Ochosiæ cognati 42. à Iehu occiduntur, p. 539. n. 11.

Ochosias ipse à Iehu vulneratur, mox moritur, p. 537. n. 5

Ochus qui & Darius Nothus, pag. 737 c. 2. n. 1.

Ochus in Phœnices mouet, pag. 776 & quæ ibi gesserit, nu. 2. 3. adit Ægyptũ occupatque Mentoris opera, col. 2. num. 2. dissipat Iudæos, p. 776. c. 2. n. 3. valde honorat Mentorem, pa. 777. n. 1.

Octauiani initia, p 1037. nu. 10. eius multiplex prudentia, num. 11. recusat reconciliationem cum D. Bruto, pag. 1039. num. 6. Octauianum Pansa contra Senatum excitat, ibidem. Milites suos in Senatum exasperat, num. 11. & per eos consularum postulat, pa. 1040. ducit in vrbem copias, nu. 12 Consul creatur & percussores damnari curat, n. 13. morbus Cæsaris & ab eo in Vrbe gesta, pag. 1043. n. 4.

Octauianus Cæsar ruinam Antonii meditatur. p. 1044. nu. 4. male pugnat in Sicilia contra Sext. Pompeium, pa. 1046. num. 2. eius clades naualis, num. 3. summo studio bellum reparat, pag. 107. num. 1. Siciliam aggressus tempestate affligitur, p. 1049. nu. 3. victum Sext. Pompeium non persequitur, n. 10

Octauiæ sororis Augusti obitus, pa. 1069, c. 1. n. 1.

Octauiani Augusti mira in Cinnam clementia, anno Christi 6. num. 1. eiusdem Augusti testamentum, anno Christi 14. num. 3. vltimum eius lustrum, anno Chr. 15. num 1. eius mors Nolæ, &c. num. 2 an Liuiæ vxoris arte, n. 3. periodus vitæ & imperij eius, n. 4. eiusdem funus & apotheosis, n. 5.

Octauianus Augustus victor Pompeii in Sicilia Rempub. administrat, pag. 1051. num. 3. eius & Antonii mutuæ querelæ, pagina 1053. num. 2. ad Actium vincit Antonium & regnare incipit solus, p. 1054. n. 4. 5. Redit in Italiam & quartũ accipit consulatũ pag. 1055. num. 3. repetit Asiam, nu 4

Tres Augusti triumphi, pa. 1056. n. 1. quintus eius Consulatus, pag. 1057. & honores ei exhibiti, nu. 3. dicitur singulari modo Imperator, ibidem largitiones eius numero 4. triumphat de Ægypto & Cleopatra, numero 4. eiusdem censura, &c. numero 5.

Octauii in Agrippam beneuolentia, pag. 1057. præfert imperii depositionem, pagina 1058. num. 1. & 2. denominatur Augustus, num. 3. & quanta eius potestas, ibidem, eius in Hispania morbus, p. 1059. c. 1. nu. 2. & pag. 1060. c. 2. n. 1.

Odium pernicioſum inter Metellum & Pompeium, pag 958. nu. 8.

Og pugnat cum Israele & vincitur, pag. 275. num. 23. & 24. eius magnitudo prodigiosa, ibidem.

Ogygis diluuium, p. 126. col. 2. nu. 1. 2.

Olympiadum geminum initium, p. 542 n 3 & p. 565. c. 2. n. 1. & p. 566 c. 1. probatur, n. 3.

Olympias mater Alexand. scribit ad Eumenem, pag. 806. col. 2. nu. 1. Reducitur à Polysperconte, p. 807. num. 1. trucidat Macedonas, pag. 808. num. 2. obsidetur à Cassandro, pag. 809 num. 3. pr. fame fugatur & capitur ab eodem, pag 810. nu. 6. à Macedonibus iugulatur, ibid.

Olynthiorum clades pa. 759. col. 1. num. 1. & col. 2. & pag. 761. col. 1. n 1.

Olynthus à Philippo capta, pa. 778. c. 1. n. 1.

Onan filius Iudæ nascitur, pag. 143. col 1. num. 1. non vult suscitare fratri semen, pagina 150. num. 1. eius nequitia, & mors, numero 2.

Onias secundùm Pont. pag. 849. n 2. Tributum negat Euerget regi Ægypti, pag. 859. col. 1 num. 1. moritur, p. 853. n. 1. Arii Lacedæmoniis ad eum literæ, ibid.

Oniæ iunioris fuga, p. 921. num. 8 in Ægypto templum constructt, pa. 929. n. 12.

Oniæ tertium Pont. querelæ cum Simone, vide *Simon.* adit regem Seleucum filium Antiochi Magni, pagina 906. nu. 1. fugit Antiochiam, pag. 914. ibique ab Andronico Menelai persuasione interficitur, pa. 917. num. 3. & 4.

Onias apparet Iudæ, p. 938. num. 13.

Onomarchus Philomelo in bello sacro succedit, pag. 774. num 1. à Philippo victus in crucem agitur, ibid. n. 2.

Ophir quid, & vbi, pag. 485. num. 6.

Opimius aduersatur Graccho, pag. 973. n. 2. fi. & c. 2. n. 1. 2. & p. 924. n. 3. 4.

Opiniones falsæ vnde, pag. 3. numero 3.

Oppia lex, p. 869. n. 2. abrogatur, pa. 894. n. 5.

Orandum pro Regibus, etiam malis, p. 644. n. 2

Orebi & Zebi cædes, pa. 325. nu. 12.

Orpheus poeta, & theologus, vel potius magus, pa. 327. col. 2. nu. 1. 2.

Orus regnat in Ægypto, pag. 186. num. 3. moritur, pag. 191. numero 1.

Osaias Pontifex sub Manasse, pag. 597. n. 3. cædes eius sub eodem, p. 599 n. 6.

Oseas propheta, p. 556. num. 3. quomodo vixerit, ibid.

Osee regis initia turbulenta, pag. 573. num. 6. fit Assyrijs vectigalis, ibidem, minus malus suis maioribus, pagina 575. col. 2. num. 1. condit leges iniquas, p. 576 c. 2. num. 1 molitur defectionem, pag. 579. c. 2. num. 2. finis eiusdem regis, pag. 580. numero 3.

Ostracismus in Aristidem, pagina 697. n. 2. & Themistoclem, p. 704. c. 2. n. 1.

Othonielis successoris Iosue anni quomodo censendi, p. 302. nu. 1. & p. 303. n. 4. fit gener Calebi, pa. 305. n. 2.

Othoniel restituit diuinum cultum, pa. 311. columna 2, fine, eius obitus & ætas, pag. 312. col. 1. fine.

Otij & ignauiæ malum, 673. col. 1. n. 1.

Ouationis modus, pag. 689. num. 3

Ouidii mors, an. Chr. 18. nu 3. pag. 1091. pr.

Oza deducens Arcam in plaustro, diuinitus percutitur, pagina 435 non videtur periisse, n. 8.

Ozeæ prophetia, pag. 561. columna 1. n. 2. diligit adulteram, ibid.

Ozias nascitur, pag. 552. col. 2. fin. pugnat contra Idumæos, pa 557. col 1. num. 1. quibus deuictis recuperat Elath. num. 2. bellum gerit contra Philisthæos, col. 2. num. 1. recuperat Lobnam & Geth, n. 2. Iamniam & Azotum, n 2. 3.

Ozias ædificat Hierosolymis, pag 559 col. 2. nu. 1. & in solitudine, nu. 2. deditus agriculturæ, ibid.

Ozias acquieſcit deditioni Bethuliæ, p. 604 n. 9

Ozias lepra percutitur, p. 564. eius causa & occasio, n 1. 2. quam iuste, n. 3. moritur, eiusque mores, p. 565. c. 1. nu. 2. fi. videtur saluus, ibid.

P

PAne vſi primi parẽtes, p. 31. n. 58. Papyrii Dictat. & Fabii Magistri Equitum grauis contentio, p. 801. n. 12. 13.

Paradisus terrestris quando productus, p. 15 n. 13. 14. & vbi, nu. 15. videtur in Mesopotamia, n. 16. &c. an nunc extet, n. 19. eius pulchritudo, n. 20. & 21

Paradiso eiicitur Adam, p. 40. n. 39. homini & dæmoni præcluditur, n. 40.

Paradisi fons & fluuius, p. 28 n. 6. quatuor flumina inde orta n. 27.

Parasceue Iudæorum sex Sabbati tantum, p. 102. n. 5.

Parthorum defectio p. 849. n. 4

Parthi crebro victi Ventidio, vide *Ventidius*

INDEX.

Paſchatis celebritas ſub Ezechia, pag. 577. num. 6. ad eam euocat Iſraelitas, pag. 578. numero 7. inſolita huius celebritatis lætitia, n 9.

Paſcha tertium ab Iſraelitis celebratum, p.288 n.17.

Patriarcharum oſſa deportantur in Chananitidem, pag 181. numero 3.

Patricij & plebeii Romæ, p.575.c.1. n 2.

Pauſanias infidelis patriæ, pag.702. col 1.numero 1. fine, Byzantio pulſus migrat in Aſiam, pag.703. col.1.num.1 conſpirat cum Ilotis, col.1.n 1. curat interfici nuncios ſuos, pag.706.c.1. num 1. res innoteſcit, num.2. in Aſylo fame necatur, ibid.

Peccatum Originis, eiuſque pœnæ.p.39.nu.35.quomodo purgatetur, p.42.n.7

Peccatorũ obſtinatio ſub diluuiũ, pag.64.col.1.num. 2. & pag. 66. n.11.

Pecunia antiqua Italiæ, p.600.n.3.

Pedaias Pontifex, p.545.c.2 num.1. moritur, p 549.n.3

Peloponneſiaci belli origo, p.709 n.4.& p.710.n.6.

Peloponneſ. bellum paratur, pag. 732.col.1.num.1.inchoatur, col. 2.num.1.2. Athenienſes & Spartani ſocios belli ſibi quærunt, p. 733.c.1.n.3.

Pelops vnde Peloponneſus, pa.319. c. 1.med.

Pelopidas gratioſus apud Perſas, p. 766.c.2.n.1

Pentapolitæ à Codorlaomor deuicti, pag. 92. columna 1. fine iterum bello petuntur, pa.97.fin. eorum ignauia, p.98.n.3, vincuntur, n 4.

Perdiccas Rex Macedonum infenſus Athenienſibus, pag.730. col 2.nu.2.eis reconciliatur, pa. 731.n.4.Iterum ab eis deficit, pag. 732.c 1.n.1.

Perdiccas cum Aridæo ſuccedunt Alexandro, pag.800. num.9.10. affectat imperium. p.801.nu.2. eius imprudentia, & cædes in Ægypto, p.803.n.3

Periandri ortus, pag.611.col.1. num. 2.claret, p.621.num.1.

Pericles de bello conſilium, pag. 733.col.1 num.3. magiſtratu deiicitur, moxque reſtituitur, ca. 2. n.2.

Periclis bellica prudentia, pagina 721. num. 1. Eubœam domat, num.6.moritur, pag.733. col.2. n.1.

Perperna Ariſtonicum ad deditionem cogit, pag.969.n.5.

Perperna iungitur Sertorio contra Pompeium, pag.1001. numero 2.

Perperna occiſo Sertorio poſt decem dies occiditur, pag.1004. n.3.

Perſarum crudelitas, pag.751. num. 4. nouum eorum bellum contra Græcos, pagina 751. num.1. vide *Euagoræ*, & *Cyprium bellum*.

Perſarum claſſis tempeſtate vexatur, pag.699. num. 5. vincuntur [illegible] pugna, nu. 7. eorum ſocii Pœni in Sicilia male rem gerunt, n.9

Perſarum clades ad Mycalem, pag. 700.num.4.& ad Platæas, num. 3. Perſici belli finis, pag.701. col. 1.princ. per quinque prælia, ibidem.

Perſarum reliquiæ è Græcia exterminantur, pa.702.numero 2. col.1.

Perſarum imperium ſub Cyro, pag. 670.n.1

Perſæ contra Ionas pugnant, eoſque vincunt, pag.684.col.1.nu.3. & contra Cares & Milesios, ibidem, num. 1. & 2. triennio bellum in Græcos parant, pag.694. c.2.n.1.

Perſarum incrementa, pa.686.n.1. pag.687.col.1. num. 1. expeditio contra Eretrienſes, & Athenienſes, pag. 693.numero 1. inſulas Ægei maris occupant, ibidem.

Perſei odium in fratrem Demetrium, p.907.num.3. regnare incipit, pa. 910. num. 3. arma parat in Romanos, p. 911. col.1.num.1. monetur à Senatu.p.914.num.7. ſibi conciliat Græcas ciuitates, p. 915. num. 4. & pag.916.num.2. poſtremum bellum parat, pag. 917. num. 6. &c. ſtruit inſidias Eumeni, num.7. hoſtis iudicatur ibid.

Perſeus petit pacem irrito conatu p.918.n.2.& 4, leniores pugnæ, ibidem, num. 3.4. & 5. inſignis Perſei imprudentia, p.920. num. 3.4. crudeliter teſipiſcit, num. 4.

Perſeus Gentium fallit, p.922.num. 2. auaritia fit ei perniciosa, nu.3. ſuprema eius pugna, num. 6. victus fuit, & à ſuis deſeritur, n.7 venit in poteſtatem Romanorum cum filio, p.923.n.10. & 11. de eo triumphus, p.925.n.9. eius mors, n.10.

Perſonarum pluralitas in diuinis, p.2.n.4

Peruſini belli origo, eius autor L. Antonius, p 1043.num.5. Peruſiç obſidetur, n.6.& p.1044.n.1. ſe dedit Auguſto, n 2.belli finis, n. 3 vrbis incendium, ibid.

Peſtis Africana ex locuſtis, pa.971. n.3.

Peſtis vbique graſſatur, p.733. præſertim Athenis, c.1.n.1.& pa.735. n 6,& c.2.n.1.

Peſtis Romæ ob Veſtalem corruptam, p.836.n.4

Peſtis Romæ ingens, p.767. num.3. perſeuerat, p.768 nu 7. & p.824. n 5.

Peſtis inſignis Romæ, p.711.nu.7.& p.720.n.5.

Phaceias regnat in Iſrael, pagina 564.num.5. occiditur, columna 2.n 1.

Phacee regnat, p.565.num.3.fœdus init cum Syris, pa.569.col.2.nu. 2.

Phalaridis tyrannis, pag. 658. num. 1. eiuſdem humanitas, num. 2.

Phalegi ortus, pag. 74. num. 1. ante confuſionem linguarum, pa. 77. n.3. eiuſdem obitus, pa 84.col.2. med.

Pharao Necao bellum parat in Babylonios, p.620.nu. 3. in eum Ioſias bellum ſuſcipit, & quare, c.2.n.1.2.

Pharao à Nabolaſſare victus redit in Iudæam, pag.621. c. 1. num. 4. inſtituit Ioakimum regem, & Ioachaz abdicat, ibidem, imponit populo mulctam, numero 3.

Pharaonis filia migrat in domum ſuam, p.486. n 2

Pharao induratur, p.202.c.1.nu 43. & pag.203.num.49.& p.204.n. 55.& p.205.num.63. & pag.206. num. 67. grandinis plaga territus euocat Moſem, pagina 208. num.9. & mox induratur, num. 10.

Pharao ſuis tumultuantibus dat commeatum vitis, pag.208.nu. 11. & 12. finem plagæ octauæ impetrat, nec emendatur, p.209. num.14.15. retinere cupit pecora Hebræorum, pagina 210. num. 21.

Pharao accepta decima clade euocat Moyſem, pag.214 num.57. & Iſraelitas dimittit cum rebus ſuis, num. 58. pœnitet eum dimiſſionis, pagina 218.numero 78. eoſque perſequitur, numero 79.

Pharao mare ingreſſus cum ſuis fluctibus hauritur, pag 220.nu 87. 88. 89. hanc victoriam Hebræi celebrant, n. 91. & Deus ipſe, n 94

Pharao Iacobum cum ſuis euocat in Ægyptum, pa.158. nu.27. eius in ſuos Sacerdotes indulgentia, p.162.n.4.

Phares naſcitur, p.154.n.2.

Phariſæi vt Romp. geſſerint tempore Hyrcani, p. 1003. num. 1. & p.1007.n.1.

Pharnaces contra Cæſarem male pugnat, pag.1031.num.9.10.& 11.

Pharſalica pugna, & cauſa victoriæ Cæſaris, p.1028. n.5.6, vtriuſque clades, n.8

Pharus Alexandriæ, pag.819.col.2. num.1.

Pherecides Syrus Pythagoræ præceptor, p.664.med.

Pherorã Herodis frater veneno tollitur, p.1074.n.3

Philadelphus regnare incipit, pag. 818. col. 2. num. 2. ſolus regnat, pag.819 col.1.num. 2. curat Scripturam in Græcum transferri, pag.833. num. 3. & ſeqq. eius liberalitas in Iudæos, pa.833.num. 6.cum Romanis amicitia, pagina 837.col.2.n.3 mors, pag.843.numero 3.

Philippi Macedonis ortus, pa.760. num.5.fit obſes apud Thebanos pag 764.col.1.num. 1. eius regnum in Macedonia, p.770.n 1. pacem init cum Athenienſibus, pag.771.n.1.variæ eius victoriæ, pag. 771. & 72. ducit Olympiadem, ibidem, nu.1. Methone pugnans amittit oculum, pag.774. col.1.num. 3. vincitur & vincit in bello ſacro, p.774 n.1 & 2.

Philippus bellũ gerit in Olynthios p.777.nu.2. Olynthum aliaſque vrbes capit proditione, pa.778.c. 1.n.1.init pacem cum Athen.ca.2. n.4.eius calliditas, n.5.finem imponit bello ſacro, p 778.ca.2.fin. Aggregatur Amphyctionibus, p. 779.c.1.n.2.populos traducit, n. 4. bellum gerit in Illyrios, ibid. c.2.med.

INDEX.

Philippus occupat Theſſaliam, pa. 179. col. 2. med. regnum Moloſſorum interuertit, pag. 780. col. 2. numero 2. eius expeditio in Perinthios & Byzantios, pag. 781. num 2. 3. quos defendunt Athenienſes, breui pace ſecuta, pag. 782. num. 1. piraticam agit, & Scythiam cogitat, num. 2. eoſque vincit, pagina 783. col. 1. nu. 2.

Philippus Athenis Elatyam eripit, vnde bellum in eum repetitur, pag. 783. col. 1. num. 2 eius de Græcis ad Cheronæam victoria, pag. 783. col. 2. num 2. 3. eius in Athenienſes humanitas, & in Thebanos ſeueritas, pa. 784. col. 1. pr. Abdicat Olympiadem & ducit Cleopatram p. 784. n. 4

Philippus eligitur Græcorum Imperator in Perſas, pag. 785. Copias præmittit in Aſiam, ibidem. Cædes eius, illiuſque cauſa, pag. 785. num. 3 eius cædis vltio, nu. 5.

Philippi Macedonis patris Perſei exordia, pag. 858 num. 6. in Illyrico vincitur, pag. 869. num. 13. eius mores, nunc 1 pro Achæis contra Ætolos pugnat, & vincit, pag 877. num. 6. male rem gerit, pag 879. num. 8. pacem init cum Romanis, pag. 883. num 3. querelæ de eo, pag. 886 num. 12. & pag. 887. num 1. 2.

Philippus contra Athenienſes bellum gerit, pag. 889. num. 3. & contra Roman. numero 1. 2. & pag. 890 num. 3. & contra Ætolos, ibidem, vincitur a Quintio, pag 981. num. 3. eius multæ ſes aduerſæ, num 4 & pag 892. nu. 7. Agit de pace cum Quintio, num. 3. pugnat cum Romanis & vincitur, pag. 892. numero 5. 6.

Philippus rurſus pacem init cum Romanis, pag 892. num. 1. ficalienus ab Antiocho Magno, pag 897. num. 8. Romæ de Philippo querelæ, pa. 906 num. 2. molitur defectionem, pag. 907. nu 2 eius mors ex mœrore, pag. 910. num. 2.

Philippi Tetrarchæ mors, pa. 1102. n. 3.

Philippus Grypi filius vltimus Seleucidarum regnat, pa 995. col 2. nu. 1.

Philiſthæi bellum mouent in Achaz, p. 573 c. 2. n. 1 2

Philiſthæorum Satrapiæ an & quomodo captæ, pag. 306. num. 2. ad Simeonem pertinuere, ibidem.

Philiſthæi bellum in Hebræos inſtaurant, pag 388. num. 1 2. &c. cæſo Goliatho fugiunt, pag 391 n 14.

Philiſthæi bellum parant in Saulem, pag. 415. num. 9. & 10. Dauidem a Gethæo dimitti iubent p. 416. n. 17. vincunt Iſraelitas, pa 419. n 37

Philiſthæi ſpoliant Iſraelitas, pag. 420. Saulem habent ludibrio, ibidem, eorum conſilia bellica contra Dauidem, pa. 431 num. 1. 2. eos vincit Dauid, 433. num. 3. & 439. col. 1 num. 2. quam diuturnum hoc bellum, columna 1. nu. 3.

Philiſthæis Iſraelitæ ſeruiunt quadraginta annis, a ſexto Abeſam ad vltimum Samſonis, pag. 343 col. 2. num. 2. & pag. 344. nu. 3.

Philiſthæi incendunt vxorem Samſonis eiuſque ſocrum, pag. 350. num. 10. a Samſone magna plaga puniuntur, nu. 11.

Philiſthæi ſemel iterumq; vincunt Iſraelitas, pag 361. num. 3. & 6. conſurgunt in Iſraelitas, pag. 367. num. 4. diuinitus territi vincuntur. p. 368. n. 5. pax cum Philiſthæis eiuſque conditiones, pa. 368. n 1.

Philomelus incentor belli ſacri, pag. 773. col. 1. num 2. male perit, col 2 num 2. et ſuccedit Onomarchus, moxque Phyallus huius frater, pag. 771. col. 1. nu 5. qui breui tabe conſumitur, num. 2.

Philotæ in Alexandrum coniuratio, pag. 93. n. 2. eiuſque & Parmenonis eius parentis cædes, ibid.

Phinees fit pontifex pa 302. num. 3. moritur, p. 312. n 3

Phiſon non eſt Ganges, p. 18. num. 28.

Phocionis Iudicium & mors, pag. 807. nu. 5. eius in patriam charitas, ibidem, & prudentia, pa. 815 prin.

Phraates rex Parthorum patrem necat, p. 1048. nu. 5

Phul inſtaurat Aſſyriorum imperium, pag 559. col 11 num. 3. & 4. regnat ex Arbacis indulgentia, nu. 1.

Pindari ortus, pag. 681. numero 4.

Pindari domum Alexander Thebis eo ſeruat, p. 786. n. 4.

Piratici belli origo a Mithridate, pa. 1008. n. 4. quomodo geſtum, n 5. & 6.

Piſander Oligarchiam populo perſuadet, p. 744 n. 3. vrgetur, num. 1. 2.

Piſces ex aquis producti, pag. 19. num. 2. 3. varia eorum genera, n 4.

Piſcium & volucrum affinitas, pag. 20. n 6.

Piſiſtratus tyrannidem vafre & per calumniam occupat, pag. 659. numero 1. vrbe pellitur, pa. 660. num 2. recuperat tyrannidem, pag. 662. nu. 2. iterum exulat, pa. 663. num. 3. col. 1. tyrannidem tertium occupat, pa. 664. nu. 4.

Piſo in Syriam mittitur a Tiberio, aduerſarius Germanico, pag. 1091. num. 3. & anno Chriſti 20. num. 1. Romæ populus in eum furit, p. 1092. nu. 6. ſibi manus infert, ibid.

Pittaci ſapientis obitus, pag 658. n. 3.

Plagæ Ægypti annum duraunt, pag. 195. num. 2. 3. prima aquæ vertæ in ſanguinem, p. 202. num. 44. & 45. quis ſeptiduo potus Ægyptiis & Iſraelitis, p. 203. num. 4. & 48. ſecunda plaga ranarum p 203. num. 50. & quam moleſta fuerit, nu. 51. quamque diuturna, n. 53.

Tertia plaga Sciniphum, pag. 204 n. 56.

Quarta muſcarum, p. 205. num. 58. 59. huius plagæ magnitudo, n. 60 61. 62.

Quinta peſtis armentorum, p. 206. n. 64. 65.

Sexta vlcerum, n 66.

Plagæ cui in duos annos diſtractæ. pa. 207. num. 2. Plaga ſeptima grandinis, numero 3. eaque ſeptuplex, num. 5. 6. &c. Plaga octaua locuſtarum, p. 208. nu. 11. & 209 n. 13.

Plaga nona tenebrarum, pagina 209. num. 16. ſex eiuſdem mala, num. 17. 18. 19.

Plaga decima, primogenitorum cædes, p. 213. n. 50. eorum multitudo, p. 214 nu. 51. peſte periiſſe, n. 52.

Plataea à Thebanis occupata, pag. 731. c. 2. n. 2.

Plataeenſium perfidia, pa. 733 col. 1. prin. a Lacedæm. obſeſſi, pa. 734. c. 1. n 2.

Plataeenſes ſe dedunt Lacedæmonius, p. 735. nu. 4. & ſupplicio afficiuntur, ibid.

Platonis ortus, pa. 733. columna 2. num. 1. mors, pag. 778. numero 2.

Plebs ſecedit in montem ſacrum, pag. 693. num. 3. fine, ad eam legatio & reconciliatio, p. 694. num. 3. ob ſeceſſionem caritas annonæ. c 2. fin.

Plemminij improbitas, p. 882. num. 5. eiuſdem mors, pagina 883. nu. 5.

Pœna data primis parentibus leuis p. 31 n. 64.

Pœna damni & ſenſus dæmonum, p. 9 n 3. 4. aliæ dæmonum pœnæ nu. 5.

Pœni bellum occulte parant, pag. 941. num. 9 & pag 946. num. 6 a Maſaniſſa victi, pag. 947. num. 3. & inſuper a Romanis tertio bello punico inuaduntur, numero 1. & 3. quos Pœni placare ſtudent, num. 2. 3. 4. & 5. datis obſidibus trecentis, armis, & nauibus, ibidem vrbe etiam cedere iubentur, nu 5. 6 7. defenſionem parant. nu. 8. & Romanis cladem inferunt, num. 9. reualeſcunt, pa 949. n. 4.

Pœni pacem non ſyncere petunt, pa 885. numero 9. & 10. euocant Annibalem & Magonem ex Italia, ibidem, redintegrant bellum, num. 11. fit pax cum ipſis a Scipione, pagina 887. num. 3. 4. & 5.

Polybii hiſtorici mors, pag. 973. n. 7.

Polydamas Pancratiſta, pag. 745. n. 3.

Polygamia Abrahæ, pag. 102. ex diuina diſpenſatione, numero 2. & 3.

Polyſpercon ſuccedit Antipatro, pag. 806. num. 2. liberat ciuitates Græcas, & Eumenem ſibi deuincit, num. 4. res ab eo geſtæ, pag. 807. num. 1. Reducit Olympiadem, pa. 807. n 1. occidit Heſculem Alexandri filium, p. 813. ca. 2. nu. 2.

Pompeii Magni ortus, pag. 982. n 5.

Pompeii geſta in Aſia, pa. 1012. n. 1.

INDEX.

Romam venit, numero 4 magnificentia triumphi eius, num. 5. pag. 1013. de orbe vniuerso triumphat, numero 6. eius theatrum, ibidem, gloria eius defloreſcit, num. 1. in tumultu Candidatorum Pompeius ſit ſolus Conſul, p. 1022 col. 2. nu 4 non prouidet ciuili bello contra Cæſarem, pa. 1024. columna 2. num.

Pompeius improuide Italiam deſerit, quam Cæſar occupat, pag. 1015. num. 5. moxque vrbem, num. 6. ad Dyrrhachium bis imprudenter in Cæſarem agit, pag. 1028. n. 4.

Pompeij Conſulatus, & geminus ab eo metus, p. 1005. col. 2 num. 1. & 2. committitur Pompeio, pug. 1008. n. 5. & Mithrydaticum, 1009. num. 3. 4. coniicit Ariſtobulum Iudæum in vincula, pag. 1011. num. 2. Vrbe recipitur, nu. 3. & Iudæis eripit libertatem, num. 4. Res Armenorum & Parthorum componit, pagina 1011. nu. 5.

Pompeij in Africam expeditio, pag. 998 n. 5. eius crudelitas, num. 6. de Africa triumphat, pag. 999. nu. 3. col. 1. eius perfidia, p. 1001. nu. 1.

Pompeii fuga & præceps deſperatio, pag. 1028. num. 7. & 8. Ægyptum adit, ibique occiditur, nu. 10.

Sext. Pompeii & Antonii quæſita ſocietas, pag. 1024. num. 1. & ab ipſo Cæſare, num. 4. propter famem vrbis, num. 6. pugnat contra Cæſarem feliciter, pag. 1046. nu. 1.

Sext. Pompeius imprudenter pugnat, pa. 1047. num. 3. & p. 1049. num. 5. pugna decretoria Cæſaris & Pompeii in Sicilia, num. 7. Pompeii clades & fuga, num. 8. fugit ad Antonium, pag. 1051. ſimul Parthos ambit, ibidem, nu. 3. à ſuis deſertus perit, num. 4.

Pompeii filiorum Sext. & Cn. fuga, p. 1035. num. 5. Cn. occiditur, ibid.

Ponticum bellum, pagina 1032. n. 9.

Pontificis conſecratio, p. 238. nu. 189.

Pontificum anni, p. 333. n. 3. & 339. nu. 4.

Pontifex num geminus ſub Dauide p. 441. c. 1. fin.

Pontifices de plebe Romæ, p 620. c. 1. n. 4.

Pontificum Hebræorum ſeries ab Alexandro, p. 816. n. 1.

Pori pugna cum Alexandro, moxque amicitia, pa 797. num. 5. ab Alexandro conſtituitur ſupra ſeptem gentes, & vibium duo millia, p 798. n. 3.

Porus alius, pag. 797. euius victi regnum dat priori Poro, pag. 797. num. 6.

Porſenæ bellum contra Romanos, pag. 687. col. 1. numero 2. vincit, Romanos & Ianiculum occupat, col. 2. num. 2. Mutius Scævola ei cædem parat, numero 3. fœdus init cum Romanis, ibidem.

Portæ Hieroſolymæ 12. pagina 724. num. 7.

Poſthumius non ſtans promiſſis à ſuis interficitur, pag. 743. num. 11.

Potidæa ad Spartanos confugit, p. 731 fame ad deditionem cogitur, pag. 733. columna 2. num. 2.

Præceptum datum Adamo & Euæ, pag. 31. nu. 60. & ſeqq. eius cauſa, n. 61.

Præda de Madianitis, eiuſque diſtributio, pag. 280 num. 50. & 51.

Prædicationis publicæ Chriſti principium, pagina 1098. columna 2. nu. 1.

Præſidium militare principium, pa. 621. n. 1.

Præſidium militare Saulis & aliorum regum, pag. 376 numero 2. & 3.

Prætor nouus Patricius, & duo Ædiles, p. 767 pr.

Prandium verſum in ſacrificium, p. 223. n. 5.

Priami regnum, pagina 335. col. 1. nu. 1.

Primogenitura, & iura illius 8. pa. 123. n. 2. an eam vendiderit Eſau, nu 3.

Primogenita Deo ſanctificata, pa. 216 n. 64.

Primogeniti cur non retenti loco Leuitarum, p. 254. n. 21. aut ſumpti Rubenitæ, ibid.

Principes nolunt videri beneficium accepiſſe, p. 388. n. 6.

Promiſſio Dei facta Abrahæ, pag. 94. num. 2 3. & pa. 95. num. 8. & pa. 97. num. 4. 5. & pa. 100. num. 2. promittit ei ptolem, p. 101. nu. 3.

Promittit Deus Abrahæ ptolem ex Sara, p. 104. num. 6. & pag. 105. n. 2.

Promiſſionis anni, pag. 194. col. 1. n. 2.

Prophera qui arguit Ierodoam, deceptus occiditur à Leone, pag. 499. n. 8.

Prophetæ varii generis, p. 371. n. 17. 18. & 19.

Propheriæ duo modi, p. 261 num. 57.

Propitiatorium, pa. 232. num. 154. 155.

Proſcriptio facta à Cæſare Antonio & Lepido, p. 1040 num. 14. 15.

Pruſiæ bellum contra Eumenem, p. 906. n 6.

Pſeudophilippus exoritur, p. 958. n. 9.

Ptolemæi Ceraunι improbitas, pa. 832. c. 2. n. 1. 2.

Ptolemæus Lagi dominatur in Ægypto, pa. 801. num. 11. an fuerit Lagi filius, ibidem, ſtabilit ſibi regnum Ægypti, pa. 802. num. 2. acquirit Phœniciam, & Cœleſyriam, pa. 803. num. 4. Iudæos captiuos abducit in Ægyptum, num. 5. Rem bene gerit contra Cyrenæos & Cyprios, pag. 811. nu. 1. 3.

Ptolemæus cum Seleuco pugnat in Demetrium, pa. 811. num. 1. 2. breui recipit, & amittit Phœniciam, n. 3. fruſtra bellum in Antigonem renouat, p 813. c. 1. n. 1. & c. 2. n 1.

Ptol. Euergetes regnat, p. 849. c 1. num. 1. Ægyptus ab eo deficit, nu. 3.

Ptolemæus Euergetes occupata Syria Ægyptum repetit, p. 849. col. 2. n. 1. moritur, p. 858. num. 1. & 5.

Ptol. Euergetes, eiuſque tyrannica crudelitas, pa. 953. n. 1. 2. & p. 962. n. 5.

Ptolemæi Euergetis interitus, pa. 976. n. 3.

Ptolemæus Philometor perfide agit in Alexandrum generum, pa. 962. num. 1. 2 eumque vincit, ſed vulneratur, & mox moritur, n. 3 cui ſuccedit Euergetes, p. 953. c. 2

Ptolemæi Philopatoris initia, pa. 858 num. 5. proſpere cum Antiocho Magno pugnat, pa. 864. num. 2 3. adit Ieruſalem, nec admittitur ad penetralia templi, num. 4. vexat Hebræos, & obiicere vult Elephantis, p. 865. n. 2. 3. &c. fuſe, eius mors, p. 882. n. 1 2.

Ptolemæus Epiphanes filius Philopatoris naſcitur, p. 877. prin. eius initia; p. 884. num. 1. Antiochus in eum mouet, pag. 801. nu. 1.

P. Val. Publicolæ obitus & laus, pa. 689 n. 4

Pulchritudo Adæ, pag. 27. num. 35.

Punicum bellum, pa. 840. col. 2. fine, eius cauſa & origo, p. 841. n. 1. 2. 3.

Punicum bellum, p. 860. n. 3.

Punici belli finis, & conditiones pacis, p. 851. c. 1. n. 4 ea pax nutat, p. 852. co. 1. pr. firmatur, p. 853. nu. 1.

Purificatio B. Virginis, an. Chr. 1. n. 10.

Putei Iſaaci, p. 125. c. 2. nu. 1. 2. & p. 126. c. 1. 2.

Putiphar herus Ioſephi, pag. 143. col. 2. num. 1. nimium credulus, p. 144. n. 5. eum in carcerem mittit. n. 6.

Pylus præſidium à Spartanis amittitur, pa. 716. num. 5 recuperatur poſt annos nouemdecim, p. 749. num. 1.

Pyrrhi & Pantauchi pugna, p. 815. col. 1. num. 1. ad Pyrrhum Macedones deficiunt, pag. 826. num. 4. Lanaſſa eum repudiat, nu. 3. Pyrrhus Macedoniam cum Lyſimacho partitur, pa. 827. col. 1. num. 2. à quo mox inde pellitur, pag. 828. c. 1. n. 3. euocatur à Tarentinis, p. 820 nu. 3. Italiam petit, pa. 831. c. 2. n. 1.

Pyrrhus dominator Tarentinis, pa. 831. col. 2. num. 1. Læninum vincit opera Elephantorum, p. 832 n. 3 Romam cogitat, n. 4 de pace agit, nu. 5. & 6. quam Appius diſſicit, ibid.

Pyrrhus iterum Romanos vincit cum clade ſua, pa. 834. num. 11. Siciliam adit, pa. 835. num. 4 res eius ibi ſecundæ, col. 2. num. 2. aduerſæ, pa. 836. col. 1. num. 1. 2. redit in Italiam, num. 3 Repetit Tarentum, col. 2 num. 1. vincitur à M. Curio, pag. 836. columna 2. num. 1. 2. abit ex Italia. n. 3.

Pyrrhus vincit Antigonum Gonatam, pa. 837. col. 1. num. 1. Adit Spartam euocatus à Cleomene,

INDEX.

nu.1.3. Argis pugnans occiditur, p.838.n.5.6.
Pythagoræ obitus & magia, p.693. nu.4.
Pythagoræ mors, pag 664. col. 2 num 1.
Pythii magnificentia in Xerxem, p. 698. nu.3. & huius in eum ingratitudo, num.1.

Q.

Quadringentorum dominatus Athenis, pagina 744. statuitur, num.2. vacillat & tollitur, n. 3.4.
Quæstores sacri à Nehemia instituti, p.716.n.16.
Quæstores primi è plebe Romæ, p. 746.c.1.n.5.
Quies diei septimi, pag 32.n.1. eius obseruatio mundo coæua, nu.2. vide *Sabbatum*.
Quies gemina Israelitarum in deserto, p.217.n.73.
Quinqueviri mensarii Romæ, pag. 775 n.4.
Quirinus Consul qui post Syriæ Præles, pag.1067.col.2. num.1.
Sub Quirino census, p.1078. num. 19. Alius sub eodem census, pag. 1086.n 2.
Quirini templum ab Augusto, par. 1065. col.2.num.2.

R.

Rabba obsidetur, pa 444. nu. 2. capitur ac diripitur, pa.446. nu.8 9.
Rabsaces deditionem ab Ezechia nomine Sennacherib postulat, p. 585.n.7.
Rachelis cur meminerit Iacob moriturus. p.164.n 5.
Rachelem ducit Iacob, pa.130.col. 2. num. 1. à Labano interpellatur, num.2. eius luctus ob sterilitatem, pa.131. num. 1.2. viro persuadet accipere Balam, num. 2 3.
Rachelis furtum idolorum, pagina 134 col.2. nu. 2. & pag 135. num. 4 eius obitus, pag.138.col.1. nu. 3. & p.140.n.2. in partu Beniamini, n.3. sepulchri locus & forma, n.3. 4.
Rachelis ætas & laus, p.140. num. 4.5.
Rachab officiosa in exploratores, pa.285. nu. 4. an proditionis rea, pa.286. num.5. capta vrbe seruatur, p.299.nu.36. ad Deum conuersa a Salomone ducitur, n.26. 27.
Ranæ Ægypti quales, & quam molestæ, pa.203.numero 30.& 31.
Raphael ducit Tobiam in Mesopotamiam, &c. pa.594.n.4. & seqq agnoscitur ac discedit, p.595.nu. 9 10.
Raptus aliquot mulierum, p.317.c. 2 fin.
Rasin Syrus vexat Achaz, & obsidet Ierusalem, & mox ab Assyriis interficitur, pagina 570. & 71.
Rationale, eiusque compositio, pa. 236. num 178. &c. causa moralis reuelationis, pa.230. numero 182.
Razias se perimit, pag.958. numero 12.
Razon Syrus aduersarius Salomonis, p.492.n 5.
Rebeccæ ortus ex Rabbinis, p. 115. num 3. puella officiosa, pa. 117. num. 5. de coniugio cum Isaaco assentitur, nu.6.7. discedit cum Eliezer. p.118.n.8.
Rebeccæ sterilitas, pa.119.col.1.n. 1.concipit, col.2 num.1.gemini in eius vtero colluctantur. pag. 119. num. 2. ea de re oraculum, n 3.
Rebecca Dominum consulit, pag. 119 nu. 2. ambit benedictionem Iacobo, p.128.nu.2. & fraudem parat, num.3.moritur, pag.130. col.1.n.3.
Rechabitæ migrant Ierosolymam, p.614.n 7. eos adit Ieremias, pa. 615.n.4.
Rehu ortus, p.75.c.1.n.2. & obitus, p.89.c.1.n.2.
Reges quando Romæ electi, p.685. n.2.
Regis in pontificem ius in veteri lege, p.544.n.3.
Regnorum origo, pag. 80. num 4.
Regulus, vide *Attilius*.
Remus occiditur, pag.574. numero 5.
Resphæ charitas in filios Saulis, p. 462.n.4.
Rethma mansio iusta Cadesbarne, pag.265. num.1. quid differant, n.3.
Rex sacrorum constituitur, p.685. n.5.
Rhea neptis Amulii Vestæ consecratur, p.567.c.1.n.1. an occisa p.568. c.1.n.1.
Rhetores à Crasso Roma pulsi, pa. 989.c.1.
Rhodiorum superba legatio, pag. 921.num. 6. & pa.922.num.3. & 5. irridetur, pa.923.num.9. Romanorum in eos seueritas, pag. 925.n.6.
Rhodiorum fortitudo in defendenda patria contra Demetrium Antigoni filii, pagina 816. fuse, eorum Colossus, pag. 817. prin.
Roboam nascitur, pagina 466 numero 1.
Roboam fit Rex, pag.496. num.2. 3 consulit seniores. p 497 n 5. & iuniores, n.6. populus ab eo deficit, n.7.8.
Roboam bellum parat in Ieroboam, pag.498.nu.ms. à Deo impeditur, num.2. ædificat, pagina 499. nu. 10. Dei cultum deserit, ciuibus & affinitatibus roboratus, p.500.c.2.n 1. eius vxores & filii, n.3.
Roboami ignauia, p. 501. num 3. & pœnitentia, num. 4. redit ad ingenium, pag.502.num 1.2.col. 2.moritur, pag.503.col.1. med. quæ illi ad ruinam incitamenta, nu.2.
Robur Adæ, p.27.n.36.
Romanæ vrbis natalis, p.574 num. 1.2 3. ætatis Romuli 18.num.3. asylo proposito ciuibus augetur, num.4.
Roma cædibus & incendio vastatur à Gallis, p.757.n.3. instauratur p 758. num. 4. dies cladis superstitioſe damnatur, ibidem, ædibus ciuibusque vrbs renouatur, n.6.
Romanæ plebis paupertas mira, p. 691.c.2. pr. & med. vide *Militia*, & p.774.n.3.c.2.
Romanorum in hostes humanitas, pagina 747. numero 8. per hyemem militare incipiunt, p.750. n.4.
Romani Veios affectant, pag.754. num.6. & pa.755.col.1. num.2. & col.2. num. 2. & postea Campaniam, p.781. col.2.n.3. seditiose ducem assumunt T. Quintium inuitum, ibid.
Romani à connubiis repulsi, p.575. num.3. coniuges in ludis rapiunt, ibid.
Romani à Samnitibus sub iugum missi, p.804.num.3. qui mox vicissim victos sub iugum mittunt p.805 n.3.4.
Romani contra conscientiam primum bellum Punicum suscipiunt, pag. 841. nu.3. cum Hierone pacem ineunt, pagina 842. col. 1. num.1. 2. Romana classis in Pœnos, pag.842.columna 2. n 3.
Romana clades ad Camarinam, p. 843.c.2.n.3.
Romanorum auaritia punita, pag. 846. num. 3. rursus gemina eorum in Sicilia clades, p 847.nu. 1. 2. & 3. stipendiario milite vti incipiunt, pagina 850. num. 3 viuos defodiunt, pag.856. col 1. num 4
Romanorum abstinentia, pag 863. num.12. fœdus ineunt cum Græcis, pag. 873. numero 6. pacem Græciæ afferunt, pag 892.nu.1. in Hispania cladem accipiunt, pag. 893. numero 5. bellum eorum contra Antiochum iniustum, p 895.num 1. iniuste faciunt Masanissæ, n.2.
Romani Imperij exordium sub C. Cæsare, p.1027. n.1. libertas eius extincta, p.1036.n.12.
Romani regum heredes, pa. 988. prin.
Romuli & Remi ortus. p.567.col.2. n.2. natiuitas, expositus, &c. pa. 568. columna 1. numero 1. 2. eorum institutio, pagina 570.col.1. prin.
Romuli & Remi adolescentia, pag. 573.n.3.
Romulus fit rex, pagina 579 col.1. num. 1. imperia insignia lictores, ibidem, constituit Rempubl. Curias, Senatum, &c. n.1.2.
Romuli triumphus moris antiqui, pagina 576. num. 4. Camerinos & Fidenates bello vincit, pagina 582. columna 2. num. 1. & 2. & Veientes, pag.584.col.1.num. 1.2.
Romuli mors, p.507.n.5. Romæ interregnum, n.1.
Rubeni cum Bala flagitium, p. 142. num. 6. 7. eius Luctus pro fratre p.142.n.14. moritur, pag.176.nu. 12.
Rubenitæ contumelioſi in Mosem in seditione Core, pagina 176.
Rubenitæ bellum gerunt contra Agarenos, pag. 881. numero 5.6. & 7.

INDEX.

Rupes Sogdiana mire ab Alexandro occupata. p.795.n.1.
Rutilii iudicium, pag.988.col.2. n.5.
Ruthæ historia, p.329.num.7.sequitur Noemi redeuntem in patriam.p.332.num.3.spicas legit in agro Booz, pag.333.num.4. & 5. suscipit Obed ex Booz, pag.334. num.1.

S.

SAbæ reginæ aduentus, p.488.n. 1.2. &c locus, tempus, &c. ibidem, mutua munera, p.489.nu. 8.9.
Sabbati institutio, p.32.n.1. mundo coæua, num.2. vide p.239.num. 191.
Sabbati violator lapidatur, p.266. n.4.
Sabbaticus annus quando institutus, p.245.n.225.inchoabatur in Autumno, primo die septimi mensis, nu.226.capita legis illius anni. n.227.&c.
Sabbaticus annus primus, p.297.n. 1.secundus, p.299.n.1.
Sabbaticus annus tertius, p.305.c.1. num.1. quartus, p 306.num.1 med. quintus, p.307.col 1. prin octauus, p.312.col.1.med decimus, 11.12. p.314 col.1.med alij Sabbatici decimus septimus, pa 315.c.2.pr.& fi. p.316.fi. & 317.
Sabini belli principium, p.388.c.1 nu. 2. & c.2. nu.2. tertio vincuntur, ibid fin. vide pag.689.col.2. n.2.
Sabinum bellum, p.611.c.1.nu.1.& 3.instauratur, p.613.n.3.
Sabinum bellum cum Anco Marcio, p.620.c 2.n.2.sub Tarquinio Prisco, p.632.c.1.n.1. & pag.645. n.6.& 1.finis belli Sabini, p.648. c.1.n.2.
Sabinorum & aliorum bellum in Romanos, ob raptas virgines, p. 576. col.1.n. 1, pacem & societatem ineunt, p.577.n.1.2.
Sacerdotium ab hoste honoratum, p.746 pr.
Sacerdotes Hebræi tubicines, pag 156.n.33.
Sacerdotis conseruatio, p.238.n.189 & p.251.n.6.7.
Sacerdotium in Ægypto priuilegium, p.162.n.4.dediti Mathematicis, n.5.
Sacti belli initium in Græcia, pag. 773.c.1. & seqq.augescit, c.2.n.1. eius finis ope Philippi, pag.778. c.2.fi.
Sacra Ægyptia Roma pulsa, pag. 1092.n.3.
Sacrificia primorum fratrum, pag. 44.n.1.2.quo autore,n 3. sacrificium late sumptum, ibid. cur aliud præ alio probatum, p.44.n. 4 & p.45.n.2.
Sacrificia Aaronis diuino igne consumuntur, p.251.n.7.
Sacrificium expiationis triplicis culpæ, p.253.n.13.
Sacrilegi magno in odio Græcis, vt punitum in Phocensibus Sacrilegium, p.779.pr.n.2.
Sacrilegium Fulvii Flacci, pa.918. num.5.eiusdem mors, pa.981.n. 5.fin.
Sacrilegium Cæpionis, pag.981 num.4.
Sacrilegium Cleomenis dire punitum, p.609.col.2.prin.p.690.co. 1. num. 1. ob Asylum violatum, ibid. ex oraculo corrupto, pag. 688. col. 2. prin. pestilentia ob Vestalem corruptam, pag.704. num.2.
Sacrilegium, vide *Vestales*, Buræ & Helices clades ob violatum sacrum locum, pa.764.n.1. col.1. sacrilegi Arcades damnantur, p. 767. fi. Sacri belli causa sacrilegium, p.772.nu.2.
Sacrilegia Ethnicis damnata, p.971. n.2.
Sacrorum classes octo à Numa institutæ, p.599.col.2.pr.
Sadoc inungitur in pontificem, pag. 471.num.13 moritur, p.496.col. 1.n.4.
Sadoch an pontifex vnà cum Abiathare, p.404.n.1.
Saguntinorum metus, p.859.n.8.legatio ad Annibalem, pag.160. vrbs expugnatur, n.5.6.
Salæ ortus, p.73.n.1.
Salæ & Semi obitus, pag.113.nu.1. Semi virtus & gloria, n.2.3.putatur pontifex, ibid.
Salathielis ortus, p.549.n.5 fit populi dux, p.656.n.2
Salathiel charus Euilmerodacho p. 657.c.2 n.1.
Salem oppidum inhabitat Iacob, p. 136.n.1.
Salii Romæ instituuntur, p.606.n.1. c.1.
Salmanasaris bellum contra Tyrios, p.582,c.2.n.2.fi.moritur, p. 583.c.1.pr.
Salmanasar Assyrius regnat, p.579. c.1.n.1.alius fuit à Nabonazare, ibid.ascendit contra Oseam, n.2. populatus Israelem obsidet Samariam, p.580.c.1.n.1.
Salomon concipitur, p.446.num.7. nascitur, p.447.num.2. eius nomina, ibid ablactatur, p 450.nu. 6.eius institutio puerilis, pa.451. n.6.& 2.pr. à Mathan, ibid. & p. 463.c.1.n.4.
Salomonis ætas, & primæ nuptiæ, p.465 n.1.2 regno præficitur, illudque administrat vino patre, p.467. nu.1. quotannis tunc fuerit, num.2. qui pro eo starent, p. 468 num. 5.6 iussu Dauidis Rex creatur in Gihon, n.7.8.cum statis ceremoniis, n.9.10.
Salomon fœdus init cum Deo & populo, p. 469. num.11.sedit in throno Dauidis ab eoque adoratur, ibid. secundo consecratur, p. 472. nu. 15. optat Sapientiam, p.474. num. 8. solenni sacrificio Deũ placat, n.9. Deus ei largitur Sapientiam, nu.10, & alia non petita, ibid.
Salomon euigilat, & agnoscit Dei beneficium, p. 474. n.11.indicat causam Semei, nu.7. & duarum mulierum, p.475.num.12.13.ducit Ægyptiam, n.14.iacit primum templi lapidem, p.476.n.7. classem parat, p.477.n.7. diuinitus admonetur, p.480.n.1.
Salomonis reditus, p.485.num.7.8. vxores plurimæ, n.9. Deus ei rursum apparet, p.486 n.1.
Salomon orat in dedicatione templi, p.483.num.10.11.inchoat domum suam, n.13. eam fuisse tricenn, n 14. locus regiæ Salomonis, numero 15. & pag.484.prin. 1. & fin. 1. Supellex eius aurea, pag. 484.num.2.nauigationes, pagina 485.n.6.
Salomonis ruinæ initia, pag.480.n. 1.eius idololatria orta ex libidine, num 2. eiusdem profusio & auaritia, pag.490. columna 1. num.1.onerat populum tributis, col. 2. num. 1. 2. eius idololatria quam diuturna. num. 1. fin. eam extorquent ab eo mulieres, pagina 491.num.2. an idola ex corde coluerit, num.4.deditus Magiæ,n.6.in eum Dei vltio, p.492. n.1.2.
Salomon an pœnitentiam egerit, vel perierit, pag.493.num.1.2. & pag.494. num.3.4. & seqq ad 11. anni eius &apparatus ad mortem p.495.n.1.2.mors eius atque elogia, p.496.n.3
Samaria obsidetur, pag.532 col.1.n. 1.dira ibi fames. n.2. & rursum. pag.533. num. 5. soluitur obsidio, n 7.
Samaritani cum Iudæis de religione litigant & vincuntur, pag.949 n.1.
Samariam obsidet Salmanasar, pag. 580. columna 1. numero 1. capitur, num.3.noui Samariæ coloni vexantur à Leonibus, pag. 581. col. 2. num. 2. liberantur etsi Deum cum idolis colerent, num.3.
Samgar an Iudex, pag.315.col 2.fin. aut potius dux sub Aodo, pagina 316.col.1.n.2.& p.317.col.1.num. 2.3.
Samnitici belli exordium, pagina 774 & pag.780.numero 4. & 5. diuturnitas 72.annorum, ibid. & derenceps.
Samnitium maximus belli apparatus, contra quos Papyrius, pagina 824.num.3.4.id bellum duranit annos 72. pag. 838. numero 8.
Samsonis ortus, pag.344.numero 4. & pag.345. col.1. num.1. eius parentes, numero 5. & cum iis Angeli colloquium, num.6. & 7 qui cœperit liberare Israel à Philisthæis, num.6.Nazaræus, ibidem, initium gubernationis eius. p.348.col.2.n.1. ducit vxorem, n.2.
Samson leonem occidit, pag.349 n. 3. nec parentibus factum aperit, num. 4. redit ad nuptias, num. 5.proponit ænigma, num. 6 deserit ad tempus vxorem, num.7. quæ datur alteri à patre, num. 8.immittit in Philisthæos incendiarias vulpes, pagina 358. num. 9.
Samson à suis vinctus traditur Philisthæis, pag.350.num.1.&3.quos asini maxilla millenos interficit, pag. 351. num. 4. sitim eius nouo fonte Dominus extinguit, num. 5.quando videatur factus Iudex, nu. 1. etiam Philisthæorum consensu, n.2.
Samson abit in Gazam, pag.352.c. 1. num. 1. obsessus abit cum foribus, n.2.amat Dalilam, quæ eum prodit Philisthæis, p.353 nom.2. cui denique secretum prodit, n. 4.capitur, & excæcatur, numero 5.

Digitized by Google

INDEX.

Samſon Gozam ducitur, & in piſtrinum compingitur, p.354.nu. 6. in templo Dagonis ludit & illuditur, n.7.concutit deiicitque columnas cum domo, num.9.ea clade ſeruitus finita eſt, ib. num moriendo peccatit, n.10. ſepelitur à ſuis, n.11.

Samuelis ortus, p.255.n.1. & p.356. n.8.natiuitas, nu.1. defertur ad Sanctuarium, p.357.n.1.1.2. ibiq; à parentibus educatur, ib.ibi incipit miniſtrare Domino, p.358. n.1. prima Dei apparitio facta Samueli, p.359.c.1.n.1.2.

Samuel ducit vxorem, & filios ſuſcipit, p.360.c.2. num.2.prin. eius gloria, & varia vaticinia, nu.1.2. ſuccedit Heli, & incipit quintam mundi ætatem, p.363.n.3.4. fuit Sacerdos extraordinarius, n.5.

Samuel viſitat ſubditos, pag.366.co. 2.prin & pag.367.num.2.indicit comitia in Maſphath, p.367. nu. 3. ſacrificat integrum holocauſtum, n.4. recuperat vrbes & libertatem, n.5.

Samuel rurſum comitia indicit in Maſphath, p.372.num.23. & pag. 373. num. 2. coram rege probat ſuam innocentiam, obiurgat Saulem, p.377.num.7.8. Deus ei reuelat peccatum Saulis, p.382. nu.7.

Samuel orat pro Saule ignarus decreti Dei, pa.382 nu.8 eius cum rege colloquium, pa.383. num.9. 10. &c. regem accuſat, qui non agnoſcit culpam, p.383.n.11.12. Agagem iubet interfici, pag.384. n.18.

Samuel ſtatum Reipub.corrigit, p. 364.n 4.

Samuelis filii iudices, pa.368. num. 6.male ſe gerunt, pag.398.numero 3. ipſe alieno loco altare conſtruit, & ſacrificat, num.2.

Samuelis translatio magnifica, pag. 409. numero 4. per Pythonissam non fuit excitatus à mortuis, pagina 418.numero 18.ſed apparuit anima eius diuinitus, n. 29.cum Saule colloquitur, num. 30.

Samuel diu luget Saulem, pag.384. numero 19.& 1.mittitur ad inungendum Dauidem, p.385. numero 2.3.&c. omnes filii Iſai ei fruſtra iſtuntur, p.385.num.7.& 8. domum redit, p.386. numero 12. moritur, p.408. nu.1.2.& 3.

Sanctuarium è Silo in Nobe translatum, pag.366. num.3. & 4. ibique ordinaria ſacrificia peracta, n.4.

Sanctuarium confici iubetur diuinitus, pa.231.n.152. populo contribuente ex triplici præda, num. 153.

Sanctuarium quando perfectum fuerit, p.250.num.2.erigitur. pa. 251.num.3.quæ fuerint in ſancto, & quæ in atrio, num.4.5. d.u diuinitus conſeruatur in Silo, pag. 328.c.1.pr.

Sanctuarium populo denuntiatur à Moſe, pag.148. numero 239. populi in illud liberalitas, ibid.

Sanctuarium in Silo collocatum, p. 297.n.1.

Sanctum ſanctorum caruit luminibus. p.479.n.15.

Sapientia Dei in productione mundi, p.11.n.1.2 &c.

Sapientes ſeptem floreni, pagina 656.mutua eorum benevolentia & exiſtimatio, n.1.

Sapientes ſeptem, eorumque pattia. pag. 618.col.1.n.1.

Saræ ortus, pag. 87. fine, & pag.88. num. 3. non fuit filia Thare, ſed Arani, n.4. cur dicatur filia Thare, num.5. nubit Abrahæ, p.90. col.1.n.1.eius pulchritudo, p.95. n.10.

Saræ promittitur filius ab Angelis, p.105.n.12.

Sara ad regem Ægypti deducitur, p.96 col.1. n.1. pro ea Ægyptius vexatur, c.1.nu.2. redditur viro, n.3.

Saram cur rex Geraræ optaret vxorem, pag 109. numero 33. quam reddit intactam, num.35.

Saræ filiæ Raguelis luctus, p. 594. col.1 fi.ducitur à Tobia Iuniore, p.595.n.5.6.

Saraias Pontifex, pag.617.col.1. fine, occiditur, pa.638.num.6.

Saræ obitus, & funus, p.115.col.2. n.1.2.locus, pagina 116.num.4. & 5.

Sardanapalus, pagina 554.numero 1. quotus fuerit, ibidem, duæ eius vrbes, pag. 555. col.2. med. obſidetur à coniuratis, pag. 558. columna 1. numero 1. & 2. mittit filios in Paphlagoniam, nu.3. ſe ſuaque abſumit incendio, c.2. n.1.

Sardæis captæ & incenſæ ab Athenienſibus, pag.683. col.2. n.2.

Sardæis expugnat Cyrus, pag. 665. n.4.

Sardiniam Romani addunt, pagina 851.num.2.& pag.853.num.1.iterum tumultuantur, pag. 854 nu.4.

Sardinia & Sicilia per prætores adminiſtratæ, pag 855. num. 2.

Sarug naſcitur, pag.75.col.2.num. 1.obit, pagina 90. columna 1. fine.

Saturnalia, pag.691.n.6.

Saulis regis initium cum Samuele, pagina 369. num. 1. adit Samuelem, pag.370.num.10.&c.coniuratur cum eo, pag.371.num.13.& ſecreto inungitur, n.14.15.16. tribus ſignis confirmatur eius electio, n.17.

Saul mutatur corde, pag.372 num. 21. ſors in eum adit in comitiis, pagina 373. num.4. iretum inungitur. numero 5.diſſimulat contemptum ſui, pag.374.num.7.& 8. venit auxilio labeſitis, contra Ammonitas, numero 10. & 11.

Saul vincit Ammonitas, pag. 374. 13. & 14.eius manſuetudo, pag 375. nu.14. regnum ei confirmatur in Galgalis, num.15. quales primi duo eius anni, p.375. nu.1. aſſumit militare præſidium, pag. 376.n.2.

Saulis filii, pag. 365. num.15.

Saulis expeditio in Philiſthæos, pa. 376.num.4. eiuſdem metus, nu. 5.num ſacrificarit, num.6. à Deo repudiatur, ibidem, nihilominus perſeuerat rex, vſque ad culpam contra Amalecitas, num.8. & 9.

Saul ad arma conclamat cõtra Philiſthæos, pag. 378. nu.16. quos perſequitur ad veſperam indicto ieiunio, nu.18.an recte, ibidem, & an recte filium occidere voluerit, p.379. num.19. ceſſat perſequi hoſtem, n.20.

Saulis expeditio contra Moabitas, pag.380.num. 1. Ammonitas, Idumæos, reges Soba, Philiſthæos, Amalecitas, num.2.3. & 4. quod eis diuinitus mandatur, p.381.nu. 2.vincit Amalec. & regem capit, pag.382.num.5.& ſeruat ex commiſeratione, ibid.

Saul adit Carmelum & Galgalam, pag.382.num,7. reprehenditur à Samuele, pa. 383. num 10. & 11. non agnoſcit culpam, n.12 regno abdicatur, & quatenus, num.13. 14 denique culpam ex humano timore agnoſcit, n,15.16. ſcindit pallium Samuelis, pa.384 n.17.

Saulis de bello contra Philiſthæos ſollicitudo, pag.415. numero 12. Dominum fruſtra conſulit, pag. 416. numero 19. & pagina 417. numero 22. vius hoſtibus expauit, pag.416 nu. 19. adit Pythoniſſam, pagina 417.n.24.& ſeqq. exanimatur ad Samuelis colloquium, & ſumpto cibo redit ad ſuos, n.32.

Saulem malus ſpiritus inuadit, pagina 386. num. 12. nec ſtatim agnoſcitur, pagina 387. numero 13. denique agnoſcitur, num.1 euocat Dauidem, num.4. Saulis in Dauidem callida conſilia. pag 393. n. 1.2. nominatim in nuptiis filia, n.3.4.

Saulis miſera inuidia, foras erumpit, pag. 394. inuitat domeſticos ad mortem Dauidis, n.2. turſus à malo ſpiritu corripitur, pag.395. ei adeſt Dauid magno ſuo periculo, n.7.

Saul & lictores prophetant, pagina 396. numero 14. & pag. 397. inuiti, numero 15. & 16. præſertim Saul, qui & ſpoliauit ſe, nu.16.mox reconciliatur Dauidi nu. 17. & iterum in eum coniurat n.18.

Saul Ionathæ excuſationem pro Dauide accipit cum contumelia, pagina 398. numero 23. & 24. Agnoſcit Dauidem eſſe in ſaltu Hareth, pagina 402.num. 8. 9. de ſuis acerbe conqueritur, præſertim de Ionatha, num. 9.10.

Saul nouit fœdus Dauidis cum Ionatha, pagina 402. numero 11. fruſtra perſequi cupit Dauidem in Ceila, pagina 404. numero 20. & 21.eiuſdem ardor in perſequendo Dauide in deſerto Ziph. pag.405.n.7. pugnat contra Philiſthæos, p.406.n.10.

Saul agnoſcit culpam ſuam in perſequendo Dauidem, pagina 407. numero 9. 10. & 11. redit ad ingenium, pagina 411.numero 1. & 2. caſtrametatur in colle Hachila, num.3.vbi mortis periculum adit dormiens, num.4. & 5.

Saul agnoſcit culpam Ioabi & Dauidem ad reditum inuitat, p.412. numero 11.& 12.poſtremum vtriuſque colloquium, pagina 413. numero 12.vexat Gabaonitas, p. 414.n.8.

INDEX.

Saulis proles appensa patibulis, pa. 462.n.4.
Saulis filii occiduntur in montibus Gelboë, pag. 419.num.37 Saul fugit, vulneratur, num. 38. ab armigero suo mortem exposcit, p. 420. num.39. se ipse confodit, ibidem, quem armiger imitatur, num. 40. eius salus desperata, ibid.
Scæuolæ integritas, p.986.n.3. & p. 988.c.1.n.2
Scaurigenus, p.977.n.4. & authoritas, ibid.
Scaurus male acceptus à Cimbris, p.980.n.4.
Schisma Iudæorum & Samaritanorum, p.785.n.4
Scientia Adami, vide *Adam.*
Scientiæ arbor, p.17.n.24. hic effectus non fuit ei naturalis, numero 25. fuit singularis speciei, ibid.
Scipionis res gesta in Numantiam, pag. 965. num. 3. & ad deditionem cogit, p.966.num.4. nomen Numantini obtinuit, p.966.n.2. vide *Africanum.*
Scipionis minoris legatio, pag.962. n.5.
Scipio occurrit Annibali, tam ad Pyreneum, quam ad Alpes, pag. 861. num. 5. 6. nec feliciter pugnat, num. 6. rem bene gerit in Hispania contra Hannonem, pa. 862. num. 3. & pa.863. num.11. & contra Asdrubalem, p.866.nu.7. & p.867.num. 10. duorum Scipionum in Hispania cædes, pag. 871.num. 10. 11. & seqq filius P. Scipionis, P. Scipio bellum suscipit in Hispania, pa.873.num.7. sibi conciliat Hispanos, pag.875 n.8. Carthaginem novam expugnat, n 8.9. eius in victos humanitas, n.10.
P. Scipio magna clade Asdrubalem vincit, p.876.num. 6. L. fratrem Romam mittit, p.879 num. 7. & pa. 880.num. 4. semel & iterum vincit Asdrubalem, pa.880.num. 2. 3. Syphacem sibi adiungit, pa. 880 num.4. Scipionis morbus & inde seditio, & pœna seditiosorum, numero 6. fœdus init cum Masanissa, nu. 7. Romam venit, ibique fit Consul, pa.881.num. 9. & 1. Adit Siciliam ibique probat diligentiam suam, nu. 2. Locros recuperat, p.881.nu.5.
Scipio adit Africam, pa.883.num.6. 7. Ei se iungit Masanissa, num.8. studia Romanorũ in Scipionem, p.884.nu.3. Pœnorum castra incendit, n.4. ipse nauale damnum accipit, p.885.n.6.
Scipionis in bello Punico fiducia contra Annibalem, p.886.num.3 consentit paci, & cur, pa.887.n.5. Romæ triumphat de Pœnis, pag. 888. num. 4. eius cum Annibale colloquium, p.896.n.3
Scipio Minor Masanissæ amicus, p. 949.num.2. Himilconem cum copiis ad defectionem adducit, ibidem, num.3. ante ætatem fit Consul, & Africam extra sortem accipit, pa.951.num.5. Manonum liberat, & Megaram occupat, num. 6. pugna ancipiti victoria nauali, nu. 7. Carthaginem oppugnat & invadit, p 952. n. 4. Ingens eius suprema clades, p.953.n.6
Scipio Africanus maior vitro abit in exilium, & quomodo in iudicio se gesserit, p.904.numero 5. & 6. eius frater L. damnatur, mox tamen mittitur legatus in Asiam, num.7. Africani mors, pag.905. n.3.
Scopas Syriam capit & Iudæam, p.886.n.1. vincitur ab Antiocho Magno, p.890.n.1.
Scopas regi suo mortem molitur, & præcentus occiditur, pag.893. n.3.
Scripturæ translatio per Septuaginta, pagina 833. num. 4. & seqq.
Scuta & peltæ Salomonis, aliaque suppellex aurea, pag.484.num.2. & 3.
Scythiarum ad Darium Hystaspis munera, p.682.co.2.n.2.
Seba dux seditionis contra Dauidem, p.460.num. 11. obsidetur à Ioab, & interficitur, pag. 461. n.16.
Secessio, vide *Plebs.*
Sedeciæ regis ortus, pag.619.col.1. num 3 fit rex, pag.628.num.7. sectatur impietatem, ibidem, adit Babylonem, pa.630.num. 1. eum adeunt varii legati pro defectione, num 3. deficit à Chaldæis, pa. 633. col. 2. num. 3. auxilium ab Ægypto petit, ibid. adit Ieremiam, p.634.n.3
Sedecias consulit Ieremiam, pag. 634.num.3. & pag.636.nu. 4. cui suadet deditionem, ibidem, Metus Sedeciæ & Iudæo. pag.637.n. 6. fugit ex vrbe, num. 8. comprehenditur. num. 9. sistitur Chaldæo, num. 10. à quo occisis filiis excæcatur & deportatur, nu. 11.
Sedeciæ deportatio in Babylonem, d.639.num.9. mors eius, & quæ illius causa, p.642.n.3. non fuisse violentam, num. 4. an perierit, ibid.
Sedecias pontifex sub rege Amasia, p.549.c.2.med.
Seditio ob frumentum Geleonis, p. 695.col.1.n.c. alia, p.703.col. 2. n.2.
Seditio Romæ pro lege Comitiali, pag.704. col.1. num. 2. & col.2. nu.3.
Seditio Romæ pro ære alieno, pag. 818.c.2.n.3. & vide etiam.p.840. n.3.
Seditio Core, vide *Core*, eadem seditio redintegratur, p 268.num. 13. numerus cæsorum, pag. 269. n.15.
Sehon rex Hesebon, p.774. nu.21. 22.
Senani mors, p.1099.n.9. & p.1010. n.10. & 11. & totius familiæ ipsius, ibid.
Sela filius Iudæ nascitur, p.143.ca.1. n.2.
Seleucus Callinicus filius Antiochi Dei & Laodices regnare incipit, p.849.c.1.n.1.
Seleuci Cerauni regnum, p.855.co. 2. num. 3. res ab eo gesta, pag. 856.n.1. &c. mors eiusdem, p.857. c.1.n.1.
Seleucus rex Asiæ & Syriæ, pa.818. num.1. occiditur, pag. 831. col.1. n.1.
Seleucus filius Demetrij à matre occiditur, p.970.nu.2.
Seleucus Antiochi filius Eumenem vexat, p.900.num.5. regnare incipit, pag. 903 num.2. suscipit filium Demetrium, qui fuit obses Romæ annos tredecim, pagina 904.n.1.
Seleucus mittit filium Demetrium obsidem Romam, & liberat Ant. Epiphanem fratrem, pa.911.co.2. n.1. occiditur ab Heliodoro Seleucus, p.912.n.1.2.
Seleucus ab Antigono Babylone fugatur, pag.809 num.5. pugnat cum eius filio Demetrio ad Bazam, vincitque, pag.811.n.2. opera Ptolemæi Babylonem recipit, pa.811.col.2.num.4.& 5. vincit Antigonum, pag.818.num.1. & 2.
Seleucidarum æra, eiusque initium p.812.n.1. Solis eclipsis insignis, p.813.c.1.n.1.
Seleucus condit Antiochiam, pag. 819 num.4. quam à patre nominat, ibidem fauet Iudæis, pa.825. col.2.prin. in Demetrium feliciter pugnat, pa.827.c.2 nu.1. mox vincit eum & deditum mittit in custodiam, n.2.3.
Seleucus Grypi filius, pa.987 num. 1.col.1. perit in Cilicia, p.988.n. 3 eiusdem frater moritur, col.1. n.1.
Sellum regnum Israelis occupat, pa.563.col.1.num. 2. interficitur à Manahem, ibidem, numero 2.
Semeiæ vaticinium, pag.501. numero 3.
Semei maledicit Dauidi, pag.455.n. 11. qui mortem eius prohibet, ibidem, officiosè ambit veniam à Dauide, p.459.n.3. 4. repellitur ab Abisai, num.4. Salomonis in eum iudicium, p.474.n.7. violat præceptum sibi datum, p.480.n. 2. & occiditur, n.3
Semeias, & Ieremiæ contra eum vaticinium, 629. col, 1. num.2. & 3.
Semi ortus, pag. 63. fuisse natu maximum, nu.1.2. ei Noe bene precatur, p.71.n.
Semiramidis regnum, pag.87.col.2. fine, non regnasse pro filio, pa 88. num.2 Babylonem instaurat, pa. 88 num.3. alia eiusdem gesta, pa. 89.col.2.num.2.& pa.90.c.1.n.2. & c.2.nu.2. eius crudelis libido, ibid.
Semiramis bellum in Indos parat, pag.91.col.1.pr.& med. vincitur, & abit in Bactra, ibid. moritur, n.3.
Senatus Romæ constituitur, pa.575. c.1.n 2.
Senatoriæ sedes in ludis discretæ, p. 895.n 3 & p 896.n.1.
Senatus Pompeio fauet contra Cæsarem, p.1025.nu.2.3. eiusdem in Cæsarem victorem prærogatiuæ, p.1029.n.1.& p.1033.n. 9. occiso Cæsare paci studet, & antiquat Dictaturã, p.1037.n. 9. hostem iudicat Antonium, p.1038. n. 2. & Lepidum, pag.1039. fauet valde coniuratis, n.3.
Senatus Consultũ quot requireret Senatores, p.1069.c.1.n.1
Seniores non administrarunt Rempub. post Iosue, & ante Othonielem, p.302.n.3.

INDEX.

Samſon Gozam ducitur, & in piſtrinum compingitur, p.354.nu. 6. in templo Dagonis ludit & illuditur, n.7. concutit deiicitque columnas cum domo, num.9. ea clade ſeruitus finita eſt, ib. num moriendo peccarit, n.10. ſepelitur à ſuis, n.11.

Samuelis ortus, p.255.n.2. & p.356. n.8. natiuitas, nu.1. defertur ad Sanctuarium, p.357.n.1.2. ibiq; à parentibus educatur, ib. ibi incipit miniſtrare Domino, p.358. n.1. prima Dei apparitio facta Samueli, p.359.c.1.n.1.2.

Samuel ducit vxorem, & filios ſuſcipit, p.360.c.2. num.2. prin. eius gloria, & varia vaticinia, nu.1.2. ſuccedit Heli, & incipit quintam mundi ætatem, p.363.n.3.4. fuit Sacerdos extraordinarius, n.5.

Samuel viſitat ſubditos, pag.366.co. 2. prin & pag.367.num.2. iodicit comitia in Maſphath, p.367. nu. 3. ſacrificat integrum holocauſtum, n.4. recuperat vrbes & libertatem, n.5.

Samuel rurſum comitia indicit in Maſphath, p.371.num.23. & pag. 373. num. 2. coram rege probat ſuam innocentiam, obiurgat Saulem, p.377.num.7.8. Deus ei reuelat peccatum Saulis, p.382. nu.7.

Samuel orat pro Saule ignarus decreti Dei, pa.382 nu.8. eius cum rege colloquium, pa.383. num.9. 10. &c. regem accuſat, qui non agnoſcit culpam, p.383.n. 11.12. Agagem iubet interfici, pag.384. n.18.

Samuel ſtatum Reipub. corrigit, p. 364.n 4.

Samuelis filii iudices, pa.368. num. 6. male ſe gerunt, pag.398. numero 3. ipſe alieno loco altare conſtruit, & ſacrificat, num.2.

Samuelis translatio magnifica, pag. 409. numero 4. per Pythoniſſam non fuit excitatus à mortuis, pagina 418. numero 28. ſed apparuit anima eius diuinitus, n. 29. cum Saule colloquitur, num. 30.

Samuel diu luget Saulem, pag.384. numero 19. & 1. mittitur ad inungendum Dauidem, p.385. numero 2.3. &c. omnes filii Iſai ei fruſtra ſiſtuntur, p.385.num.7. & 8. domum redit, p.386. numero 12. moritur, p.408. nu.1.2. & 3.

Sanctuarium è Silo in Nobe translatum, pag.366. num.3. & 4. ibique ordinaria ſacrificia peracta, n.4.

Sanctuarium confici iubetur diuinitus, pa.231.n.152. populo contribuente ex triplici præda, num. 153.

Sanctuarium quando perfectum fuerit, p.250.num.2. erigitur. pa. 251.num.3. quæ fuerint in ſancto, & quæ in atrio, num.4.5. diu diuinitus conſeruatur in Silo, pag. 328.c.1.pr.

Sanctuarium populo denuntiatur à Moſe, pag.248. numero 239. populi in illud liberalitas, ibid.

Sanctuarium in Silo collocatum, p. 297.n.2.

Sanctum ſanctorum caruit luminibus. p.479 n.15.

Sapientia Dei in productione mundi, p.11.n.1.2 &c.

Sapientes ſeptem floreni, pagina 656. mutua eorum beneuolentia & exiſtimatio, n.1.

Sapientes ſeptem, eorumque patria, pag. 618.col.1.n.1.

Saræ ortus, pag. 87. fine. & pag.88. num. 3. non fuit filia Thare, ſed Arani, n.4. cur dicatur filia Tharæ, num.5. nubit Abrahæ, p.90. col.1.n.1. eius pulchritudo, p 95. n.10.

Saræ promittitur filius ab Angelis, p.105.n.12.

Sara ad regem Ægypti deducitur, p.96 col.1. n.1. pro ea Ægyptius vexatur; c.1.nu.2. redditur viro, n.3.

Saram cur rex Geraræ optaret vxorem, pag 109. numero 33. quam reddit intactam, num.35.

Saræ filiæ Raguelis luctus, p. 594. col 1.fi. ducitur à Tobia Iuniore, p.595.n.5.6

Saraias Pontifex, pag.617.col.1. fine, occiditur, pa.638.num.6.

Saræ obitus, & funus, p.115.col.2. n.1.2. locus, pagina 116. num.4. & 5.

Sardanapalus, pagina 554. numero 1. quotus fuerit, ibidem, duæ eius vrbes, pag. 555. col.2. med. obſidetur à coniuratis, pag. 558. columna 1. numero 1. & 2. mittit filios in Paphlagoniam, nu.3. ſe ſuaque abſumit incendio, c.2. n.1.

Sardæis captæ & incenſæ ab Athenienſibus, pag.683. col.2. n.2.

Sardæis expugnat Cyrus, pag. 663. n.4.

Sardiniam Romani addunt, pagina 851.num.2. & pag.853.num.1. iterum tumultuantur, pag. 854 nu.4.

Sardinia & Sicilia per prætores adminiſtratæ, pag 855. num. 2.

Sarug naſcitur, pag.75.col.2.num. 2. obit, pagina 90. columna 1. fine.

Saturnalia, pag.691.n.6.

Saulis regis initium cum Samuele, pagina 369. num. 1. adit Samuelem, pag.370.num 10. &c. coniuratur cum eo, pag.371.num.13. & ſecreto inungitur. n.14.15.16. tribus ſignis confirmatur eius electio, n.17.

Saul mutatur corde, pag.372 num. 21. ſors in eum adit in comitiis, pagina 373. num.4. iterum inungitur, numero 5. diſſimulat contemptum ſui, pag.374.num.7. & 8. venit auxilio labeſitis, contra Ammonitas, numero 10. & 11.

Saul vincit Ammonitas, pag. 374. 13. & 14. eius manſuetudo, pag. 375. nu.14. regnum ei confirmatur in Galgalis, num.15. quales primi duo eius anni, p.375. nu.1. aſſumit militare præſidium, pag. 376.n.2.

Saulis filii, pag. 365. num.15.

Saulis expeditio in Philiſthæos, pa. 376.num.4. eiuſdem metus, nu. 5. num ſacrificarit, num.6. à Deo repudiatur, ibidem, nihilominus perſeuerat rex, vſque ad culpam contra Amalecitas, num.8. & 9.

Saul ad arma conclamat cõtra Philiſthæos, pag. 378. nu.16. quos perſequitur ad veſperam indicto ieiunio, nu.18. an recte, ibidem, & an recte filium occidere voluerit, p.379. num.19. ceſſat perſequi hoſtem, n.20.

Saulis expeditio contra Moabitas, pag.380.num. 2. Ammonitas, Idumæos, reges Soba, Philiſthæos, Amalecitas, num.2.3. & 4. quod eis diuinitus mandatur, p.381.nu. 2. vincit Amalec. & regem capit, pag.382.num.5. & ſeruat ex commiſeratione, ibid.

Saul adit Carmelum & Galgalam, pag.382.num.7. reprehenditur à Samuele, pa. 383. num 10. & 11. non agnoſcit culpam, n.2. regno abdicatur, & quatenus, num.13. 14 denique culpam ex humano timore agnoſcit, n.15.16. ſcindit pallium Samuelis, pa.384 n.17.

Saulis de bello contra Philiſthæos ſollicitudo, pag.415. numero 12. Dominum fruſtra conſulit, pag. 416. numero 19. & pagina 417. numero 22. vim hoſtibus expauit, pag.416 nu.19. adit Pythoniſſam, pagina 417.n.24. & ſeqq. exanimatur ad Samuelis colloquium, & ſumpto cibo redit ad ſuos, n.32.

Saulem malus ſpiritus inuadit, pagina 386. num 12. nec ſtatim agnoſcitur, pagina 387. numero 13. denique agnoſcitur, num.1. euocat Dauidem, num.4. Saulis in Dauidem callida conſilia. pag. 393. n.1.2. nominatim in nuptiis filia, n.3.4.

Saulis miſera inuidia, foras erumpit, pag. 394. inuitat domeſticos ad mortem Dauidis, n.2. rurſus à malo ſpiritu corripitur, pag.395. ei adeſt Dauid magno ſuo periculo, n.7.

Saul & lictores ptopherant, pagina 396. numero 14. & pag. 397. inuiti, numero 15. & 16. præſertim Saul, qui & ſpoliauit ſe, nu.16. mox reconciliatur Dauidi nu. 17. & iterum in eum coniurat n.18.

Saul Ionathæ excuſationem pro Dauide accipit cum contumelia, pagina 398. numero 23. & 24. Agnoſcit Dauidem eſſe in ſaltu Hareth, pagina 402. num. 8. 9. de ſuis acerbe conqueritur, præſertim de Ionatha, num 9.10.

Saul nouit fœdus Dauidis cum Ionatha, pagina 402. numero 11. fruſtra perſequi cupit Dauidem in Ceila, pagina 404. numero 20. & 21. eiuſdem ardor in perſequendo Dauide in deſerto Ziph. pag.405.n.7. pugnat contra Philiſthæos, p.406.n.10.

Saul agnoſcit culpam ſuam in perſequendo Dauidem, pagina 407. numero 9. 10. & 11. redit ad ingenium, pagina 411. numero 1. & 2. caſtrametatur in colle Hachila, num.3. vbi mortis periculum adit dormiens, num.4. & 5.

Saul agnoſcit culpam ſuam & Dauidem ad redirum inuitat, p.412. numero 11. & 12. poſtremum vtriuſque colloquium, pagina 413. numero 12. vexat Gabaonitas, p. 414.n.8.

INDEX.

Saulis proles appensa patibulis, pa. 462.n.4.
Saulis filii occiduntur in montibus Gelboë, pag. 419.num.37 Saul fugit, vulneratur, num. 38. ab armigero suo mortem exposcit, p. 420. num.39. se ipse confodit, ibidem, quem armiger imitatur, num. 40. eius salus desperata, ibid.
Scæuolæ integritas, p.986.n.3. & p. 988.c.1.n.2
Scauri genus, p.977.n.4. & authoritas, ibid.
Scaurus male acceptus à Cimbris, p.980.n.4.
Schisma Iudæorum & Samaritanorum, p.785.n.4
Scientia Adami, vide *Adam.*
Scientiæ arbor, p.17.n.24. hic effectus non fuit ei naturalis, numero 25. fuit singularis speciei, ibid.
Scipionis res gesta in Numantiam, pag. 965. num. 3. & ad deditionem cogit, p.966.num.4. nomen Numantini obtinuit, p.966.n.2. vide *Africanus.*
Scipionis minoris legatio, pag.962. n.5.
Scipio occurrit Annibali, tam ad Pyreneum, quam ad Alpes, pag. 861. num. 5. 6. nec feliciter pugnat, num. 6. rem bene gerit in Hispania contra Hannonem, pa. 862. num. 3. & pa.863. num.11. & contra Asdrubalem, p.866 nu.7. & p.867.num. 10. duorum Scipionum in Hispania cædes, pag. 871.num.10. 11. & seqq filius P. Scipionis, P. Scipio bellum suscipit in Hispania, pa.873.num 7. sibi conciliat Hispanos, pag.875 n.8. Carthaginem nouam expugnat, n 8.9. eius in victos humanitas, n.10.
P. Scipio magna clade Asdrubalem vincit, p.876.num. 6. L. fratrem Romam mittit, p.879 num. 7. & pa. 880.num. 4. semel & iterum vincit Asdrubalem, pa.880.num. 2. 3. Syphacem sibi adiungit, pa. 880 num.4. Scipionis morbus & inde seditio, & pœna seditiosorum, numero 6. fœdus init cum Masanissa, nu. 7. Romam venit, ibique fit Consul, pa.881.num. 9. & 1. Adit Siciliam ibique probat diligentiam suam, nu. 2. Locros recuperat, p 882.nu.5.
Scipio adit Africam, pa.883.num.6. 7. Ei se iungit Masanissa, num.8. studia Romanorũ in Scipionem, p.884.nu.3. Pœnorum castra incendit, n.4. ipse nauale damnum accipit, p.885.n.6.
Scipionis in bello Punico fiducia contra Annibalem, p.886.num.3 consentit paci, & cur, pa.887.n.5. Romæ triumphat de Pœnis, pag. 888. num. 4. eius cum Annibale colloquium, p.896.n.3
Scipio Minor Masanissæ amicus, p. 949.num.2. Himilconem cum copiis ad defectionem adducit, ibidem, num.3 ante ætatem fit Consul, & Africam extra sortem accipit, pa.951.num.5. Manilium liberat, & Megaram occupat, num. 6. pugna ancipiti victoria nauali, nu. 7. Carthaginem oppugnat & inuadit, p 952. ... 2 inget eius supremam cladem, p.953.n.6
Scipio Africanus maior vltro abit in exiliũ, & quomodo in iudicio se gesserit, p.904.numero 5. & 6. eius frater L. damnatur, mox tamen mittitur legatus in Asiam, num.7. Africani mors, pag.905. n.3.
Scopas Syriam capit & Iudæam, p.886.n.1. vincitur ab Antiocho Magno, p.890.n.1.
Scopas regi suo mortem molitur, & præuentus occiditur, pag.893. n.3.
Scripturæ translatio per Septuaginta, pagina 833. num. 4. & seqq.
Scuta & peltæ Salomonis, aliaque suppellex aurea, pag.484.num.2. & 3.
Scythiarum ad Darium Hystaspis munera, p.682.co.2.n.2.
Seba dux seditionis contra Dauidem, p.460.num. 11. obsidetur à Ioab, & interficitur, pag. 461. n.16.
Secessio, vide *Plebs.*
Sedeciæ regis ortus, pag.619.col.1. num 3 fit rex, pag.628.num.7. sectatur impietatem, ibidem, adit Babylonem, pa.630.num. 1. eum adeunt varii legati pro defectione, num 3. deficit à Chaldæis, pa. 633. col.2. num. 3. auxilium ab Ægypto petit, ibid. adit Ieremiam, p.634.n.3
Sedecias consulit Ieremiam, pag. 634.num.3. & pag.636.nu. 4. cui suadet deditionem, ibidem, Metus Sedeciæ & Iudæo. pag.637.n. 6. fugit ex vrbe, num. 8. comprehenditur, num. 9. sistitur Chaldæo, num. 10. à quo occisis filiis excæcatur & deportatur, nu. 11.
Sedeciæ deportatio in Babylonem, d.639.num.9. mors eius, & quæ illius causa, p.642.n.3. non fuisse violentam, num. 4. an perierit, ibid.
Sedecias pontifex sub rege Amasia, p.549.c.2.med.
Seditio ob frumentum Geleonis, p. 695.col.1 nu.2. alia, p.703.col.2. n.2.
Seditio Romæ pro lege Comitiali, pag.704. col.1. num.2. & col.2. nu.3.
Seditio Romæ pro ære alieno, pag. 818.c.2.n.3. & vide etiam.p.840. n.3.
Seditio Core, vide *Core*, eadem seditio redintegratur, p 268.num. 13. numerus cæsorum, pag. 269. n.15.
Sehon rex Hesebon, p.774. nu.21. 22.
Setani mors, p.1099.n.9. & p.1010. n.10. & 11. & totius familiæ ipsius, ibid.
Sela filius Iudæ nascitur, p.143.ca.1. n.2.
Seleucus Callinicus filius Antiochi Dei & Laodices regnare incipit, p.849.c.1.n.1.
Seleuci Ceraunni regnum, p.855.co. 2. num. 3. res ab eo gesta, pag. 856.n 1 &c. mors eiusdem, p.857. c.1.n.1.
Seleucus rex Asiæ & Syriæ, pa.818. num.1. occiditur, pag. 831. col.1. n.1.
Seleucus filius Demetrij à matre occiditur, p.970.nu.2.
Seleucus Antiochi filius Eumenem vexat, p.900.num.5. regnare incipit, pag. 903 num.1. suscipit filium Demetrium, qui fuit obses Romæ annos tredecim, pagina 904.n.1.
Seleucus mittit filium Demetrium obsidem Romam, & liberat Ant. Epiphanem fratrem, pa.911.co.2. n.1. occiditur ab Heliodoro Seleucus, p.912.n.1.2.
Seleucus ab Antigono Babylone fugatur, pag.809 num.5. pugnat cum eius filio Demetrio ad Bazam, vincitque, pag.811.n.2. opera Ptolemæi Babylonem recipit, pa.811.col.2.num.4.& 5. vincit Antigonum, pag.818.num.1. & 2.
Seleucidarum æra, eiusque initium p.812.n.1. Solis eclipsis insignis, p.813.c.1.n.1.
Seleucus condit Antiochiam, pag. 819 num.4. quam à patre nominat, ibidem fauet Iudæis, pa.825. col.2.prin. in Demetrium feliciter pugnat, pa.827 c.2 nu.1. mox vincit eum & deditum mittit in custodiam, n.2.3.
Seleucus Grypi filius, pa.987 num. 1.col.1. perit in Cilicia, p.988..n. 3 eiusdem frater moritur, col.1. n.1.
Sellum regnum Israelis occupat, pa.563.col.1.num. 2. interficitur à Manahem, ibidem, numero 2.
Semeiæ vaticinium, pag.501. numero 3.
Semei maledicit Dauidi, pag.455.n. 12. qui mortem eius prohibet, ibidem, officiosè ambit veniam à Dauide, p.459.n.3. 4. repellitur ab Abisai, num.4. Salomonis in eum iudicium, p 474.n.7. violat præceptum sibi datum, p.480.n. 2. & occiditur, n.3
Semeias, & Ieremiæ contra eum vaticinium, 629. col.1. num.2. & 3.
Semi ortus, pag. 63. fuisse natu maximum, nu.1.2. ei Noe bene precatur, p.71.n.
Semiramidis regnum, pag.87.col.2. fine, non regnasse pro filio, pa 88. num.2 Babylonem instaurat, pa. 88 num.3. alia eiusdem gesta, pa. 89.col.2.num.2.& pa.90.c.1.n.2. & c.2.nu.2. eius crudelis libido, ibid.
Semiramis bellum in Indos parat, pag.91.col.1.pr.& med. vincitur, & abit in Bactra, ibid. moritur, n.3.
Senatus Romæ constituitur, pa.575. c.1.n 2.
Senatoriæ sedes in ludis discretæ, p. 895.n 3 & p 896.n.1.
Senatus Pompeio fauet contra Cæsarem, p.1025.nu.2.3. eiusdem in Cæsarem victorem prærogatiuæ, p.1029.n.1.& p.1033.n. 9. occiso Cæsare paci studet, & antiquat Dictaturã, p.1037.n. 9. hostem iudicat Antonium, p.1038. n. 2. & Lepidum, pag.1039. fauet valde coniuratis, n.3.
Senatus Consultũ quot requireret Senatores, p.1069.c.1.n.1
Senatores non administratum Rempub. post Iosue, & ante Othonielem, p.301.n.3.

INDEX.

Sennaar Babylonicus ager, pag.77. n.6.
Sennacherib quid egerit in Ægypto, p.587.num.1.2.magna clade affecti Ægyptii & Æthiopes, n. 3.redit in Iudæam, p.588. num.1. eius copiæ circa Ierusalem exduntur, nu. 2. 3. cur ibi rex ipse non perierit, num.4.fæuit in Iudæos in patria, n. 5. ibique moritur, n.6.7.
Sennacherib regnat, pa.583.col.1. num.1.fine, parat copias in Ezechiam, p.584.col.1 n.2. venit in Iudæam, num.3.& inde in Ægyptum, ibid. deditionem ab Ezechia per Rabsacem postulat, p. 585.n.6 eius in Deum blasphemię & importunitas, n.8.
Sennacherib expugnat vrbes Iudæ,p.585.num.9. vult audire Ierusalem, n.10 & mutato consilio Ægyptum petit, & literis vrget Ezechiam, numero10.& 12.
Sephora vxor Mosis circuncidit infantem, p.159 num.16.redit ad suos, ibid.
Septuagenaria captiuitas Iudæorum prædicta a Ieremia, p.724. n.3.quando inchoata est & finita num.2.& seqq. & p.670.nu.2.3. &c.
Septuaginta Hebdomadæ Danielis,vnde incipiant, p.723.c.2.n.2. & 3.
Septuaginta noui prophetæ, pag 259 n.49.
Sepulchra concupiscentiæ. p. 258 num. 43.&c. ibi multi pereunt, & sepeliuntur, pag. 261. num. 55.
Serpens horrendus in Africa, pag. 845.c.2.pr.
Serpens organum diaboli, pa. 34 num.3. & 5. cur dicatur callidus n 4 & 6. quid cum eo Iudex agat p.37 n.22.
Serpentis damnatio & pœna cuiusmodi, pag..17 num 23. eine an dæmoni conueniat, num.24. & 25. hominis cum serpente inimicitiæ,p 38.num.26 insidiatur ei, n.27.
Serpentes castigant murmur Hebræorum, p.274.n.20.
Sertorii exordia.p.997.num 3.col. 1 initium belli Sertoriani, p.999. num.5. vincit Metellum aliosque duces, ibidem, & pa.1001.num. 4.Sertorii prudentia, ibidem, ei Perperna iungitur contra Pompeium, num. 2. bellum eius illustre & varium, pa.1001 num.5. & pa.1002. nu.1.init fœdus cum Mithridate, p.1002.num 3.Metellus eius licitatur caput, num. 4.
Sertorii res labefactantur, p.1002. col. 2. num.3. eius gloria, apud Celtib.& Mithridatem, p.1003 c.1.n.3. a Perperna occiditur. pa. 1004.n.3.
Seruiliani crudelitas, p 959.num.3. pacem init cum Viriatho, num. 4.
Seruile bellum Euno duce,pa.964. nu 4 & 966.nu. 5. debellatum a Rupilio, p.967.n.3.
Seruilis tumultus Romæ oppressus, p.891.col.1.n.4
Seruitus Ægyptia Israelitarum prædicitur Abrahæ, pa.101.nu.7.8.& eiusdem finis quarta ætate, pag. 102.n.9.
Seruile bellum a Lucullo in Sicilia gestum,pag.983. nu.4. & p.984. nu.5.& p.985.c.1.nu.4. eius reliquiæ, p.986.n.5.
Seruitutis Israelitarum initium, p. 179.col.2.num.1. eius causæ, nu. 2.3.& pa.180. nu 4.5. &c. fuit fere centum annorum, pag. 181. n 11.
Seruitutis Ægyptiæ alter gradus, p. 182. col. 2. num.1.tertius gradus, p.183. n. 1. edictum de mergendis infantibus, nu.3.quibus impositum, n.4.
Seruitus sexta omnium longissima, p.343.col.2.num.1.quæ terminatur in morte Samsonis, nu.2 & in sexto Abesani inchoatur, p. 344. num.3. fuit tributaria Philisthæorum, n.4.& 5
Seruitus prima Israelitarum sub Cusan, pa.310.num. 1.2.3. ab ea post octo annos liberantur, pag. 311.num 2.3. altera sub Eglone, pag 313.col.2.num.2. pecuniaria fuit,p.314.c.1.n.3 eius finis, co.1 fine.
Seruitus tertia sub Iabino, pa.317. col.2. num. 2. Quarta sub Madianitis, pag.321.num.3.4 ad sex annos, num.1. perquam acerbos, num. 2. initium Ammonitricæ seruitutis, pa.336.c 2.num 1 eius modus, p.337.n.2.diuturnitas.n.5.
Seruos dimissos retrahunt Iudæi in seruitutem, p.634.n.4 & ideo Chaldæi repetunt obsidionem Ierusalem, ibid.
Seruorum in vrbe coniuratio, pag 843.n.2.
Seruorum Abrahæ multitudo, pag. 98 num.5. & aliorum, numero 6.
Seruius Tullius regnat, pa.657.c.1. num.1. opera socrus Tanaquilidis, num. 2. quasi tutor regiorum puerorum, ibidem, ter de Etruscis triumphat, p.657.nu.3 fine.
Seruius Tullius Romanos censet, pa.658 co.2. fin. & digerit in sex classes,p.659.n.3.occiditur, pag. 673.n.3.4.
Sesac rex Ægypti venit contra Roboam,p.501.num.1.2. dedititiam Ierusalem deprædatur, pag.501. n.1.
Sethi ortus, p.48.num.4. ratio nominis eius, ibid. institutio & raptus,pa.49.num.5.eiusdem coniugium & liberi,num 1. eiusdem obitus, pa.57.num.1. depranatio nepotum eius, n.2 & commistio cum Cainitis, n.3.
Sethus figura Christi, pag.59.num. 11.
Sextilis mensis dictus Augustus, p. 1070.n.1.
Siba procurator Miphiboseth, p. 442.n.5.occurrit Dauidi,pa.455. n.10.
Siba calumniatur herum, & decipit Dauidem, p.455.num.10 qui pro eo male iudicat in damnum Miphiboseth, pag. 459. numero 7.
Sibyllina carmina, pag 1001. num. 4.
Sichem a fratribus Dinæ clade maxima afficitur, p.138.nu.3.4.&c. quantum fecerit id crimen, p.139. n.6.7.
Sicarii regum detestabiles, pa.314. n.2.
Siceleg datur Dauidi ab Achis Gethæo, p.414 nu.4. vastatur ab Amalecitis, pag.416. numero 20. 21.
Sicilia turbatur valde post mortem Hieronis, p.868.n.7. & p.869.n. 11.12. Romani totam occupant, p.874.n.7.
Sicilia ægrè à Romanis aditur, p. 841.n.4.
Siciliam Pœni recuperare satagunt, p.875.n.1.
Siculum bellum renouatur,p.1045. nu.1.2. & pag 1046. num.1. col. 2.
Siculum bellum ab Athenienſibus suscipitur, pa.740.col.2.num.1. 2.classe Siciliam petunt, p.741. num.3. bellum inchoatur.n.4.& col.2.n.1.pr. geritur cum magno Athenienſium damno, p.742.n. 2.3.& seqq.
Siculi iuuant Lacedæmonios contra Athen.pa.743. num. 10. Sicilia à Carthaginenſ. magnam accipit cladem,p.745.n.2.&p.747. n.7. Sicilia tyrannide liberata, p. 780 c.1.n.2.
Simeon detinetur in carcere in Ægypto, p 153.n.15.
In Simeonis tribu quæ gesta, p.305. c.2.n.1.
Simeon moritur, pa.173 c.2.n.1. eius mores, n.2.
Simonis & Oniæ tertii querelæ, p. 905. nu 2. Simon prodit sacrum ærarium, ibid. nec resipiscit ad Heliodori verbera, p.906. exulat,ibid.n.1.
Simon recipit Romæ legatos, pag. 961.num.2. filiis militiam committit, p.963.n.2.qui & rem bene gerunt, num.3. mors Simonis ex ambitione generi, pa 964 col.1.num.1.Sidete conscio, ibidem.
Simon occupat Bethsuram, p.955. num.5. conseritur Ioppen, pag. 956.n.4. loco Ionathæ eligitur, p.957. n.3. eius prudentia contra Tryphonem,p 958.n.4. adhæret Demetrio, nu.6.Gazam domat & purgat, num.1. recipit arcem Sionis, p 959. nu.2. filium suum constituit militiæ ducem, ibid. quæ ab eo gesta in pace, & pro Dei cultu, n.2.cum Romanis & Spartanis, n.3.
Simon pontifex Iudæorum dictus Iustus filius Oniæ. p.819.num.1. in Scriptura laudatur, pag.826. n.2.
Simon secundus pontifex, p.854.c. 1.n.1.
Simonis in Iudæa pontificatus, p. 1060.c.2.n.3.
Simonides, p.663.c.1.med.
Simulacrum Luci, pa.598. numero 2.
Sinæ montis terrificus apparatus, p.219. nu.137. quo die eo peruenerint Israelitæ, pag.228. num. 232.
Sionis arx,à Dauide obsidetur, pa 431. numero 12 eius captæ modus,p.432.n.4 construitur. n 5 eadem ciuitas Dauid, eiusq; amplitudo, ibidem defertur Arca, vide Arca.

INDEX.

Sisaræ, siue Iabini copiæ, p.319.n.4. territæ diuinitus vincuntur, pa. 320.n.4.5. Sisara fugit, n. 6. & à Iahele occiditur, n.7.
Smerdes Magus inuadit Persarum imperium, p.678.col.1.num.1. agnoscitur, col.2. num.1. cum fratre occiditur, pagina 679.col.1. n.2.
Socialis belli principium, p.771.pr. & finis, n.4.
Socratis ortus, pagina 705 numero 1.
Soctatis mors, p.751.n.2.
Sodi flumen, pa.643 n.6
Sodomorum clades quando contigerit, p.105 n.9.
Sodomitarum quæ fuerunt peccata p.106.n.16 obsidet Loti domum, n.17.cæcitate percutiuntur, pag. 107.n.20.vrbes subuertuntur, p. 108.n 26.& seqq.
Sogdianus, siue Secundianus rex Persarum ad 6. menses & dies 15. p 937.c.1 n.1.
Sol & Sydera cuius naturæ, p.18.n. 1.& p.19.n.2.&c.
Sol & Luna iussu Iosue consistunt, & quandiu, pag.292. numero 43.
Solis sub Ezechia prodigium, pag. 586.n.17.
Solonis cum Epimenide amicitia, p. 648.c.1.n.1. Athenis princeps & legislator, p.649 c.2.nu.3.recusat tyrannidem, nu.4.gemina eius peregrinatio, pagina 659. n.1.
Solon repugnat Pisistrato tyranno, p.659 n.1.moritur, nu.2.eius fœdi mores, ibid.
Somnus Adami qualis, p.29.num. 48.
Sophoclis ortus, p.696 c.1.n.3 clarescit, p.705.n.2.
Sophoclis mors, p.747.n.7.
Sophonias propheta, p.612.col.2. n.3.
Sophonisbam Masanissa ducit vxorem, p.885.num.7 moxque eam Scipionis voluntate deserit, nu. 8.ea veneno perit, & regnum Syphacis Masanissæ à Scipione datur, n.9.
Sors filiorum Noe in diuisione terræ p.74.n.4.5. vbi facta sortitio, pa.75.n.6.
Sortitio partium terræ in tribus aliquot, p 298.n.7.8.
Spartæ conditus, pag.163.col.1. nu.1.
Spartanorum regum initia, pa.368. nu.4.
Spartæ reges inter se contendunt, p.688.c.1.fi.
Spartam inuadit Demetrius, p.820. n 2.
Spartanorum & Achæorum dissidia, p.903.n.3.
Spartaci bellum gladiatorium, pa. 1004.nu.4. c.1.& c.2 n.4.crebro cladem à Crasso accipit, p.1005. num.3.occumbit cum suis, num. 4.
Speusippi mors ex impio Diogenis consilio, p.787.n.1.
Spinæ ab initio productæ, p.15. nu. 10.&c.
Spiritus sanctus incubat aquis, p.10. n.2.
Statoris qui vota ædes, p.823.c.2. prin.
Statua Nabuchodonosor, explicatur à Daniele, p.646.nu.5.6. &c. statua aurea ab eodem erecta, p. 647.n.1.eius magnitudo, n.2.dedicatio, n.3.
Sterilitas in Iudæa ob ædificandi templi negligentiam, p.678.nu. 4.
Sterilitas terræ in pœnam Adami, p. 39.n.34.
Sterilitas septennij in Ægypto, p. 151.n.1.
Stipendium militi Romæ de publico dari cœptum, pag.748.nu. 4.
Stratagema insigne L. Marcii in bello contra Hispanos, pag.871. n.12.
Strato Lampsacenus Theophrasti successor moritur, pag.830.col.1. nu.1.
Stratonice vxor Seleuci priuigno Antiochi nubit, pag 823. col.1. nu.1.
Successio hereditaria apud Hebræos, 278.n.40.
Sunamitis excipit hospitio Elisæum, p.527.num.3.ei impetrat filium, p.528.nu.4.is moritur, nu. 5.ab Elisæo denique excitatur, n. 7. 8. redit ex septenni peregrinatione, p.535.n.5. recipit bona sua, n.6.
Susannæ senes improbi, p.628. n.10. & p.629 c.2.n.1.
Syllæ Dictatoris ortus, pag. 961. n 6.
L. Sylla Marii Quæstor, p.981.n.2. Origo belli inter Syllam & Marium, p.981.n.3.
Syllæ concilii obtigit bellum Mithrydaticum, p.991.n.3. morque ei abrogatur, ibidem, reuersus in vrbem talibus sæuit, n.3.4. Græciam adit, & pugnat contra Archelaum ducem Mythridatis, p. 994 pr.& col.2.num.5 Syllæ periculum in Græcia.p.995.n.3. pace facta res Asiæ componit, pag. 996.c.1.n.1.
Syllæ in vrbem venientis copiæ, & Coss. in eum apparatus, p.996.c. 2.num.2. & 3. & p.997.c.1. n.2. Coss. Norbanus ab eo vincitur, & Scipio exercitu spoliatur, ibid.
Syllani hostes iudicantur opera Carbonis, p.997.nu.2. Marium Consulem vincit qui se interimit, num.2. Vrbem adit Sylla, ad eamque pugnat & victor ingreditur, nu.3 & quæ tum ibi gesta, ibid. Syllæ in Samnites odium, p.997.num.4. eius immanis proscriptio, p 998 n.6. populi in Syllam adulatio, num.7. fit dictator ibid.
Sylla quæ Romæ constituerit, pag. 996. n. 2. triumphat de Mithrydate, p 999.n.3. quæ gesserit secundo Consulatu, c.2.n.1. deponit dictaturam, n. 3. qua fiducia, n. 4. secedit in Cumanum, ibid. delicijs se dedit, & morbum contrahit pedicularem, p.1000.n.2. eius epulum, n.1. interitus cruentus, nu.2. eius funus & felicitas, n.3.
Synedrium, quid differat ab aliis magistratibus, p.249.n.148.
Syphax deficit ad Pœnos, p.883 n. 6. eius copiæ, nu. 8. à Masanissa capitur, eiusque regnum occupatur, p.885.n.7.
Syphax Numida se iungit Romanis, p.870.n.3.
Syracusæ conditus, pag.600.numero 1.
Syracusarum expugnatio, p.871.n. 7. contentio eorum cum Marcello, p.874.n.2.& 4.
Syri contra Dauidem bellum gerunt, p.440.& vincuntur, nu.4. spolia eorum aurea, num. 5. Syri trans Iordanem subiiciuntur Dauidi p.443.n.3.
Syri cæcitate percussi ducuntur in Samariam, p.532.nu.4. dimittuntur, n.5.
Syri vexant Israelem, p.540 n.2.3. & p.544. n.1.c.1. gemina eorum expeditio, p.546.c.1.n.1.fi. Ioas redimit ab iis pacem, n.2.
Syrus redit contra Iudam, & vincit, p.547.nu 1. principes necat, regemque male mulctat, n.2.gemina de Syris victoria, p.551.n.3. 4.tertia, c.1 pr.
Syriæ regni finis, p.1009.n.6.

T.

TAbernaculum, eiusque partes geminæ, p.334.n.165. velum quadruplex, n.160. eiustres ligneæ parietes n 167 Tabularum binæ bases, &c. dispositio, n.168
Tabernaculum, intus tantum auro tectum, p.235.n.169.
Tabernacula triplicia apud Patriarchas, p.123 n.2.
Tabernaculum Dei perfectione conseruatum, p.591.n.3.
Tabernaculorum festum cum miraculo ignis, p.726.nu.17.18.19.
Tabernaculum tunc inuentum, p. 727.n.20.21.
Tabernaculum abductum à castris quale fuerit, p.244.n.221.& 222.
Tachos & Nectanabus Ægyptii, ille à Persa, hic à patre deficit, p. 769.n.3.& inter se pugnant, ib.& p.770.c 1.n.3.
Talionis pœna in Adonibezec, pa. 303.n.8.
Tarentum deficit ad Annibalem, p. 870.nu.1.2. ibi fit Roman. cædes indicta, ibid. A Fabio expugnatur, p 876.n.3.5 & 877.n.2
Tarentini belli causa, p.830.c.2.n. 2. Pyrrhum accersunt, nu.3. hoc bellum cunctanter suscipitur à Romanis, p 831.c.1.n.2. pacem ineunt cum Romanis, pa 837.c.1. nu.2. decennio durauit hoc bellum, p.838.n.8.
Tarquinij Romam demigrant, pag. 619.c.2.n.1.
Tarquinius Priscus fit rex, p.631.n. 8. auget Senatum & Equites, ibid. pugnat in Sabinos, p.632.c.1.n.1. Romæ construit mœnia & cloacas, p.649 c.1.n.3
Tarquinii consilia contra Iocetum regem, p.665.n.5. eum Tullia ad coniugium per cædes inuitat, pa. 666.n.5.
Tarquinii frater moritur, ipse viduam ducit vxorem, 4669.n.22. eum rex Servius arguit, p.672.c. 2.n.2.
Tarquinius Superbus regnum inuadit, p.673.n.2. Seruii de gradibus cutiæ deicit, nu 3. & filia regis suadente interficit, & carpento ptoculcatur, n.3.4.cur dictus Superbus, p.675.c.2.n.1.
Tarquinius bellum gerit contra

INDEX.

Ardeates, p.684.col.2. fine, violata Lucretia Roma pellitur cum ſuis, pa.685.num.3, 4. incetat Etruſcos contra Romanos, pag. 686.num.2.& pugnat, num.5. eius auxilia irrita, pag.690.num. 4.

Tarquinii filius à patre verberibus affectus ad Gabinos tranſit, eoſque patri prodit, pag.680.num. 10.

Tarquinii & reliquorum exulum finis, p.692.n.4.

Tarquinius Priſcus à filiis Anci Martii occiditur, p.656.n.3.

Tarquinius Super. tyrannicè regnat, p.674.num.3. Herdonium per calumniam interficit, p.671. num.5.bellum gerit in Sabinos & Volſcos, p.676.n.2. & 4. & co.2. nu.2. Capitolii fundamenta iacit, p.676.nu.3. bellum gerit in Gabinos, p.677.n.3.

Tectoſages victi à Romanis poſt datam cladem, p 912.n 8.

Teleutias egregius Spartanorum imperator, p 755.c 1.n.1.& p 756 c.1.n 1.vincit Olynthios, p.759 c.1.n 1.

Teleutiæ audax facinus in Athenienſi portu, p.756.c.1.n.2. Olynthios vincit & occumbit, pa.759. col.1.n.1.& c.2 fin.

Templi locus Dauidi oſtenditur, p.465.n.6 parantur opifices pro ſelyti, nu 7.paratur materia, pa. 466.col 1.n.3.templi fabrica diuinitus tradita, p.470.nu.7.parantur fundamenta, pa 475.nu. 16.

Templi fundati annus, p.475.n.1.2. locus in monte Moria, p.476.n. 3.4. fundamenta & ſubſtructiones templi, p.476.n.5.6. eiuſdem peribolus & cæteræ partes, pag. 477.n 1 2.3.& ſeqq.

Templi tres partes, p.478. veſtibulum, n.11 Sanctum, p.479.n.12. Sanctum ſanctorum, ſiue Oraculum, n.15.& ſeqq.quanto tempore templum fuerit ædificatum, p.481.n.1.eius dedicatio, nu.2.3. qui arca & cætera ſupellex templi collocata, n.3.ad 9.

Templi inſtaurationem curat Ioas p.543.c.1.n.1 2. & col.2.nu.1.2. curat & Ezechias mundari, pag. 577.n.5.

Templum cum Vrbe ſuccenditur p.638.nu.2. an templum ab Ezechiele viſum idem ſit cum Salomonico, p.649 n.2

Templi emundatio ſub Ioſia, pag. 614.nu.2.3. renouatio eiuſdem, tam vaſorum, quam ædificiorum, p.617.n.2.3.

Templi Apollinis incendium, pag. 663.c.1 fi.

Templi noua fundatio, p.671.n.1. dedicatio altaris, & ſacrificiorum inſtauratio, num. 8. Templi conſtructionem æmuli Iudæorum iuuare volunt, pa 672.n.3. & repulſi eam impediunt, numero 4.

Templum nouiſſimum priore gloriosius, p.680.n.7. eius exædificatio, p.681.c.2.n.1.

Templum Zorobabelis an. 46. annis conſtructum, p.683.col.1.n.2 eius dedicatio, ibid.

Templum Samaritanum, pa.789. nu.4.

Templum Iouis Capitolini abſoluitur ac dicatur, p.687 n.4.

Templi expilatio ab Ant. Epiphane, p.921.num.9.eius emundatio p.929.n.1.2.& p.930 n.

Templum Ieruſalem à Craſſo ſpoliatur, p.1020.c.2.n.1.

Templum Hieroſolymitanum Herodis eiuſmodi, 1063.n.1.2.3.& ſeqq.

Tennes rex Sidoniorum Perſis ſuos prodit, p.776.c.1.n.3. male petit cum ſuis ibid.

Tenebrarum plaga in Ægypto, & ſex eius mala, p.20.num.16.18. &c.

Tentatio diaboli qualis, p.34.n.1.2. 3.eius organum ſerpens, n.3.quomodo tranſacta videatur, p 35.n. 7.8.& ſeqq. fuſe.

Teribazus in Euagoram victum durior, pa.759.c.1. n.1. Orontis calumnia opprimitur, ibid. in iudicio abſoluitur, cum Orontis ignominia, p.760.n.2.

Terra ex nihilo producta, p. 9 c.2. n.1.cur dicta inuiſibilis & incompoſita, p.10.n.3. eius creatio n.4. quomodo & cur aquis nudata, p.14 n.2 3.

Terræ diſpoſitio ab ortu rerum, p. 14.n.5. quomodo ſuperior aquis p.14.n.7 iubetur germinare, p. 15.nu.9. ad herbas noxias, & arbores infrugiferas, n.10.

Terræ motus ab Amos memoratus, quando contigerit, p.561.n. 1.2.

Terræ motu Coloſſus Rhodi corruit, p 857.n.4.

Terræ diuiſio duplex, p.74.nu.1. prior cõtigit in monte Phaleg, n. 2.diuinitus inſtituitur. nu.3. ſors trium filiorum Noe, n 4.&c.

Terra abſorbet ſeditioſos, & in via inferorum moriuntur, pag.268. n.11.

Terræ diuiſio diuinitus iubetur, p. 296. num. 2 & dat Dominus tribus Iuda ſedem ſuam, n.4. noua terræ diuiſio, p.298 n.4. nouiq; metatores, ibid.

Terræ motus, & incendium Romæ p.897 n.9.

Terræ motus Spartæ, p.709.n.4.& Athenis, p.735.num.6, & Romæ, ibid.

Terræ-motus, inundatio & fames Romæ, an. Chr 6 n.2.& 2.3.n.1. & in Iudæa, p.1053.c.2.n.1.& p. 1084.c.1.n.2.& c.2.n.1.

Terror panicus Romanorum in Iſtria, p.911.c.1.n.2.& ſeqq.

Teuta regina in Illyrico, pag 855. nu.5.

Thala vrbs Numidiæ expugnatur & incenditur, p.980.n.3.

Thaletis ſapientis ortus, p.618.c.1. n 1.moritur, p.663.n.1.

Thamar nubit Her filio Iudæ, pa. 149.c.2. n 3.& Onan, p.150.nu. 1. Iudas non dat ei tertium filium, nu.3. furtim liberos ex Iuda ſuſcipit, pag. 151. num.3.4.& 5. dominatur & abſoluitur, ibidem.

Thamar parit Phares, pag. 154. n.2.

Thamar à fratre opprimitur, pag. 448. num. 4. & mox expellitur. ibid. crimen eius luctæ propalatur, n.5. Luctuoſus eius ſtatus, p. 448.n.5.

Tharæ ortus, pa 76.num.1. eius filii quando nati, p.81.n.1. vxores duæ, p.88.n.5.6.

Thare mors & funus, p.93.n.1 eius initia deteriora, finis laudabilis, nu.3.

Thariſis quid, p.585.n.6

Thartan mittitur à Sennacherib. in Palæſthinam, p.84.n.3.quam occupat, n.4.

Theatrum Marcelli & Balbi, itemque ludi ab Auguſto, p.1067.c.1. nu.3.

Theatrum Pompeii, eiuſque dedicatio, p.1019.n.5.

Thebanum bellum contra Spartanos, p.762.n.1.2. &c. fuſe.

Thebanorum arx Cadmæa occupatur à Spartanis. pagina 758. n.6.

Thebani Cadmæam recuperant, n. 2.3.Spartam inuadunt, pa.766. co.1.num.2. Perſis gratioſi, col. 2.n.1 in Aſia vincunt, pag.775. nu.3.

Thebanos Alexander Magnus delet, p.786.n.4.

Theglatphalaſar vaſtat Iſraelem ſub Phacee, p.566.n.1.2.quanta fuerit ea clades, num.5. & quæ eius cauſa, p.567.n.4.moritur, p. 578.n 12.

Themiſtoclis conſilium de Perſis inuadendis, p.619.n.5. eius ſtratagema ad Græcos ad pugnam compellendos, num.7.eiuſdem induſtria pro muris Athenarum, p.701.c.1.n 2.eis maris imperium parat, p.701.co.2.num.1.exercitat Pireæum, ibidem, oſtraciſmo vrbe pellitur, p.704.col.1.nu.1. fugit, p.706.col.1.n.2.& col.2. nu.1.

Themiſtocles migrat in Aſiam, pa. 707.nu.4.eius opes, ibid. eius ad Artaxerxem literæ, p.708.nu.4. regem adit apud quem multum gratia valet, p.709.n.1.3. regis in eum liberalitas, ibid.

Themiſtocles ne bellum inferat patriæ ſe interimit, pagina 701. nu.5.

Theodorus præfectus Syriæ à Philopatore deficit, pag.859 num.1. quam tradit Antiocho Magno, p.860.n.1.

Theognis clareſcit, pag.663.col.2. num.1. & pag.674. columna 1. prin.

Theophraſtus moritur, p 817.n.4. et Strato ſuccedit, ibid.

Ad Thermopylas pugna Perſarum cum Græcis, p.699.n.3.

Theſei regnum, pag. 335. num.

Theſpis poeta, p.672.n.3.

Thola ſeptimus Iudex à populo electus, p.332.col.1.pr.obitus, pa. 336.

Thou rex Emath, Dauidi gratulatur victoriam de Syris, pa. 440. n.6.

Thronus Salomonis eiuſmodi, p. 484.n.4.5.

Tiara pontificis, p.238.n.185. eiuſque Lamina, ibid.

Tiberii Cæſaris ortus, p.1024.n.1. abit Rhodum, p.1072. c.2. [illegible] ſimulat ſe coactum imperare, p. 1089.n.6. legata Augusti vt perſoluerit p.1089.c.2. [illegible] Romæ pont. n. 2. eius [illegible] infelices, p.1092.n.1.

Digitized by Google

INDEX.

Tiberio data priuilegia, p.1060.n. 1. Annonæ ab Augusto præfectus, pag.1601.c.2. Agrippæ sufficitur, vincitque Pannonios, pag. 1068.n.5.& Dalmatas, p.1068.c. 2 n.2.

Tiberii Consulatus & triumphus, p.1071.n.1.

Tiberii modestia Rhodi, pa.1073.c. 1.nu. 1. Ibi moratur inuitus, pag. 1079.n.2.redit inde, pa.1082.c.2. nu.1. recusat adoptionem Augusti, & tribunitiam potestatem metu Caii, p.1083. pr. vtramque recipit, c.2 n.2.3.repetit Germaniam, n 3.p.1094.& pa.1086.c.2. n.1. vrbem sæpe repetit, pa.1084. nu. 3. pugnat contra Marcomannos p.1084.c.2.nu.2.eius periculum, p.1087.n.4.

Tiberius Agrippam iuniorem necat, p.1089.n. 6. Germanicum æmulum in Orientem destinat, pa. 1090.c.2. nu. 2. Tiberii timor in morte Seiani, p 1107.n.11.

Tibialia Sacerdotum, pa.238.num. 188.

Tigranis initia, p.996, col.2.n.1. regnum Syriæ ad eum transit, ibid.

Tigranem Lucullus adit, p.1006.n. 3.4. Tigranis clades ingens, nu.5.

Tigranes non recipit Mithridat. p. 1009 n.5. duo Tigranes inter se conciliantur à Pompeio, ibid.

Tigranocerta expugnatur, p.1006. nu.1.

Timasithei religio Deo grata, pag. 755.n.3

Tintinnabula, p.238.n.184.

Tissaphernes de pace agit cum Agesilao, p.752.nu.1.c.1. ei bellum denunciat, p.753.num.3.proximo anno victus, iussu regis capite truncatur, ibid.

T. Liuii mors, an.Chr.18.nu.3.pag. 1091.pr.

T. Tatius collega Romuli moritur p.580.c.2.n 1.

Tiridates succedit Tissapherni, p. 753.nu.4. de pace agit cum Græcis, ibid. suscitat bellum contra Lacedæmones, n.4

Tobiæ senioris ortus, p.565.c.1.n.2. pr. ducit vxorem, p.579.c.2.n.2.

Tobias cæcus vexatur à suis, p.592. c.2.spoliatur fortunis, nunc illuminatur, pagina 594. num.1. & p.595.nu.8.eiusdem patientia, pa.594.c.1.n.2.c 2 n.3.

Tobias iunior mittitur in Medos, p.594. nu. 4. periclitatur à pisce, ibid.accipitur hospitio à Raguele, n. 5. eo absente eius parentes lugent, p. 595. n. 7. ipse cum Raphaele præit, nu.8.domum perueniunt, moxque tota familia, nu.9.

Tobiæ senioris ætas & mors, pag. 607.co.2.fi. vaticinatur de clade Ninive, p.608.c.1.nu.2. de reditu Iudæorum & vocatione gentium n.3.obitus & laus, nu.4.

Tobias Iunior nascitur, pa.580.c.1. n.2.captiuitas patris, p.581.n.4.

Tobiæ in captiuitate pietas & charitas, p.581.c 1.fi. & pa. 583. nu. 5. gratiosus apud Salmanasar, pag. 581.n.1.dat argentum Gabelo, p. 582.c.2.n.2.

Tobias vexatur à Sennacherib. pag. 581 n.5.excæcatur, pa.592.c.1.nu. 1.2.

Tobias iunior moritur, quotennis p.616.nu.1.col.1.

Tonsio signum luctus & lætitiæ, p. 147.n 8.

Torquatus egregie recusat consulatum, p.875.n.1

Torquatus filium victorem perimit, p.782.n.5.

Transmigratio Iudæorũ cum Ioachino, p.628.n.6. fuerunt variæ, n.9 eorum mores, p.631. n.3. alia est à desolatione, p.649

ad Trebiam & Thrasymenum pugna cum Annibale, p.861.nu.8.& p.862.n.6.7.

Tribuni plebis primum creati, pa. 674.n.3.

Tribunitia potestas à Sylla oppressa, p.998.n.2 à Pompeio restituitur, p.1006.n.2

Tribuni plebis Romæ geminantur p.715.n.5.eorum potentia, p.716. c.1.n.2.

Tribunus Consulem mittit in carcerem, p.961.n.6.

Tribuum locus circa Tabernaculum, p.254.n.18.

Tribuni militares Romæ creari cœperunt, p.718.nu 1. & 2. communicantur plebi, pag 752.n.3

Tribus Romæ auctæ, p.759.c.1 n.3.

Tribui nouæ Romæ, p.790.n.10.& p.840.n.2.

Tricennalia fœdera inter Laced. & Athenienses, p.723.c.1.n.1

S. Trinitas in hominis productione manifestatur, p.13.n.11.12.ei similis homo, p.25.n.25

Tripus aureus, deque eo certamen inter sapientes, p.656.n.1.

Triumphi 4. Romæ eodem anno, p.851.n.5.

Triumviratus Crassi, Cæsaris & Pompeii, p.1014.n.4. eorum lex agraria, p.1015 n. 3. & 4. Triumuiratus Cæsaris, Antonij & Lepidi, p.140.n.14.15.

Troia, Iliũ, Dardania, p.270.c.2.fi.

Tryphon res nouas molitur, pag 954.n.4.coronat Antiochum, & Demetrium victum fugat, p.955. nu.3.occupat Antiochiam, nu.4. cogitat de perdendo suo pupillo Antiocho, & Ionatha, p.957.n.1.

Tryphon Ionatham deceptũ comprehendit, p.957.n.2.altera fraus Tryphonis, n.4. occidit Ionathã & filios eius & Antiochum, pag. 958.n.5.occupat tyrannidem, n. obsidetur ab Ant.Sidete, pa. 961. num.1. fugit Orthosiadem, pag. 962.nu.2.ibique moritur, p.965. n.1.

Tubæ argenteæ & earum duplex vsus, p.256.n.32. Sacerdotes erãt tubicines, n.33 alii tubarum vsus ibid.

Tubalcain, p.58 n.8.

Tulli Hostilii regnum, p.609 co.1. n.2, ter triumphat, p.610.num.4. moritur, p.618.num.2 ex magico incendio, ibid.

Tunica pontificia, p.237.n.183. eius materia & forma, p.184. interior, p.238 n.186.

Turris Babylonicæ moles & modus, p.77.n.7.disiecta dicitur pa. 79.n.11. Turris gregis, p.140.n.6.

Tygris fluuius, p.18.n.30.

Tyrannidis à regno discrimen, pag. 649.n.4

Tyranni 30. Athenis fœuiunt, pag. 750.n.3. Theramenem occidunt n.3. Thrasybulus in eos insurgit, moxque exautorantur, ib. mors eius, p.756.c.2.n.1

Tyri ortus & antiquitas, pa 327.co. 1,nu.1. & frequens instauratio n. 2. crebro afflicta à Babyloniis & Græcis, ibid.

Tyrus obsidetur à Nabuchodonosore annis 13. p. 627. col.1.n. 1. 2. & fin. vide p.636 n.5.&640. n.18.

Tyrum Alexander obsidet, pa.789. n.2.3.expugnatque, n.5.

V

VAti conditio & mores, p.1085 c.1.n. Variana clades, pag. 1086.n.4.

Varronis mors, pag.1057. col. 2. nu. 3.

Varronis alterius fœlix constantia p.1101.n.9.

Vasa templi ab incendio seruantur p.638.nu. 2. profanantur in conuiuio Balthazaris, pag.667.prin. Cyrus ea restituit, p.671.n.6

Vasthi reginæ epulum, p.710.n.3. repudiatur à Rege Longimano, n.3 4.mox pro illa anxius, pag. 711.n.2.

Veientes & Volsci ab Anco Marcio victi, p 623.nu. 5. contra eos pugnat aliquot annis Tarquinius Priscus.p.635.nu.1. Romani contra eos infeliciter pugnant, p. 701.c 2.n.3.

Veientes à Romulo victi, p.548.ca. 2.n.1.2.& ab Anco Marcio, p.622 c.2.n.4.

in Veios decennale bellum Romanorum, p.749.n. 6. illuc colonia Romæ à Tribunis postulatur, pa. 754.n.6.& p.755.c.1.n.2.& col.2. nu.2.

pax cum Veientibus ad annos 40. p.703.c.2.pr.

Vela Tabernaculi multiplicia, pag. 234.n 166.& p.235.n.171.

Veneficia Romæ, p.791.n.5

Ventidius Parthos vincit, pa.1045. n.10. turbat in Vrbe vt Ciceronem capiat.pa 1038. nu. 5. rursus Parthos vincit, p 1046. nu. 3. vbi Pacorus occiditur, de Parthis triumphat, p 1047 n.4

Verbum Dei maxime proprie filius Dei patris, p.25.n.26.

Vespasiani ortus, pagina 1085. nu.1.

Vestalium autoritas, pag.957 num. 6.

Vestalis Pompilia viua defoditur, p.697.c.2.n.2.

Vestalis Vrbinia corrupta causa pestilentiæ, pa.704. columna 1. n.2.

Vestalis Posthumnia causam dicit de incestu & cur, pagina 739. nu.4.

Vestes Sacerdotales, p.236.nu.175. 76. &c.

Vexellodunum siti expugnatur à Cæsare, p.1024.n.4

Vineæ plantatio quando contigerit, pag. 71. num. 1. qui vites in diluuio manserint, pagina 72. nu.2.

Virga Mosis miraculorum instrumentum, p.198 n.20. in colubrũ versa, p 197.n.16.& pa. 202 num. 40.& 41. mare aperit. pa.219.nu. 83.

Digitized by Google

INDEX.

Virginia ab Appio decemviro vindicatur in seruitutem, p.722.n.3. à patre occiditur, & decemviri exaurorantur, ib.
Virgilii ortus, p.1006.nu.6. obitus, p 1064.c.2.pr.
Virgines honorat Augustus, a.Chr. 10.n.4.
Viriathus emergit, p.946.n.6. multos Romanos duces vincit, pag. 947.num.2.& p.949.n.10.p.950. n.7 pugnat cum Metello, pa.951. num.8.contra Lælium, p.954.n. 5.contra Fabium Cos.nu.6.fugatur, pag.956.numero 7. eius pugna cum Quintio, pa..957. num. 6.
Viriathus pugnat contra Seruilianum, p.958.num.7.& cum eo pacem init, p.959.nu. 4. Cæpio pacem cum eo dirimit, p.960.n.5. & eum per sicarios interimit, ib. eius mors nu.6.
Vitæ arbos, eiusque fructus, pag.17. n.22.cui efficacitas natalis, num. 23.fuit singularis speciei, num. 25.
Vituli aurei confectio, p.239.n.192. eum populus adorat, pa.240.nu. 196.Dominus rem Moysi aperit, ibidem, pro ea Moses Dominum orat, nu.197.& veniam dissimulanter obtinet, nu.198. reuersus in castra confringit tabulas, & vitulum dissipat, n.200. fueritne vitulus integer, an vituli caput, p.241.n.201.
Vituli adorati rei potione proditi, p.240.nu.200. & spoliatione inaurium, pa.241.nu.203 à Leuitis cæduntur magno numero, num. 204.
Vlyssis fuga, p.347.n.6
Volumnius rex à Cornelio Cosso occisus, p.370.c.1,n 2
Vota patris & propria Asa persoluit, p.506.co.1 n.3.
Vrbes Leuiticæ p.280.nu.55. cur ita dictæ, ibid.& p.299.n.10.
Vrbes fugitiuorum, p.280.nu.56. & p.299.n.9.
Vrias propheta à Ioakimo occiditur, p.622.n.4
Vrias euocatur à bello, p.444.n.6. nec persuadetur adire vxorem, n.7. remittitur in bellum interficiendus, p.445.n.8. occiditur, ibid.
Vrias pontifex tempore Achaz, pag. 570.n.2.
Vrim & Thumim, p.237.nu.180. & seqq.
Vtica importune se dat Romanis, p.947.n.2.
Vxores Salomonis, pagina, 485. numero 9.

X

Xantippus Lacædemonius vincit Regulum, pag 845.num. 2.
Xenophontis obitus, p.770.col.2. n.4.
Xenophanes Colophonius, p.664. c.2.n.1
Xerxes succedit Dario Hystaspis, pag.696.col.2.num.1.& p.695 n. 2. incitatur ad bellum contra Græcos & Ægyptios, num. 3. de eo deliberat, pa.696.col.2.num. 1.apparatus expeditionis, pag 697.col.1.nu.1. Sardibus hiemat & Pythii in eum magnificentia, p.698.n.3.Isthmum perfodit, & ponte iungit Hellespontum, n.4.
Xerxes transit Hellespontũ, p.698. c.2.n.1.& p.699.nu.3. eius in Pythium ingratitudo, ibidem, soli sacrificat, n.2. victus fugit, p.699. n 8 fugit in Ecbatana, pag.701.c. 1. pr.
Xerxis obitus, pag.707.col.1. num. 2.
Xerxes 2. rex Persarum ad 45. dies, pag.737.num.1.

Z

Zabulonis ortus ex Lia, p.132.c. 2.n.2.
Zabulonis obitus, pagina 176. nu.3.
Zachariæ prophetæ filius prænunciatur, p.1074.nu.4.& 5. non fuit pontifex, nu.5
Zacharias arguit regem & populum idololatriæ, p.546.col.1.nu. 1.pr.& pa.547. num.2.col.1.lapidibus obruitur cum regis consensu, nu.2 3.Deum requirit vltorem, n.4.
Zacharias alter tempore Oziæ. pag. 556.col.2.n.2.fuit nepos Ioiadæ, ibidem.
Zacharias rex Israelis, pa.562.co.2. fine.
Zachariæ prophetæ mors, pag.695. num 1.
Zama à Metello in Numidia obsidetur, p.980.n.4
Zamarum Indus in ignem vltro se coniicit, pag.1063. columna 1. prin.
Zambri crimen & pœna, pag.277. n.38.
Zambri regnum occupat, & delet domum Baasæ, p 510.c.2, nu.1.2. qui mox ad cædem sui compellitur, n.2.
Zara ex Thamare nascitur, pa.154. n.3.
Zebi Madianitæ cædes, p.325.num. 11.
Zebina suscitatur à Ptolemæo Euergete contra Demetrium, pag 969.nu.2.quem vincit, pag.970. num.1.
Zebinæ cædes opera Ptolemæi, pa. 971.n.1.eius sacrilegia, fuga, &c. nu.2.
Zelpham ducit Iacob à Lia persuasus, pa.132.col.1. nu.1. parit Gad, p 132.num.2.& Aser, col.2.nu.1. prin.
Zelus Saulis iniustus in Gabaonitas, p.414.n.8.punitur, p.462.nu. 2 morte 7. filiorum, nu.4
Zelus Asa contra Idololatriam, pa 506.col.1.num.2
Zelus Phinees Deo acceptus, pag. 278.n 39.
Zelus Iosue pro Mose, pag. 260. nu.50.
Zelus Saulis inconsultus, pag.379. nu.22.
Zelus animarum Abrahæ, pag 95. nu.9.
Zelus malus filiorum Iacob pro Dina, p.139.n.7.
Zenonis mors & mores, pag. 841. nu.6.
Zephæi latebras Dauidis Sauli renunciant, pa.405 n.6. & pa. 406. num.3.produnt Dauidem, p.411. nu.2.
Zona pontificia, pag.238.numero 167.
Zopyri stratagema contra Babylonios, p.681.c.1.n.2.3.
Zoroastris ortus, pa.73.nu.5. Nemrodi æqualis, ibidem, bellum contra eum, pag.87.num.12.eiusdem mors, nu 3.
Zorobabel Hierosolymis ædificat, p.680.n.6.
Zorobabel dux populi à captiuitate, p.671. nu.10. repetit Babylonem, & se in regem insinuat, pag. 679.n.4
Zorobabelis mors & laus, pag.696. col.2.num.2.

FINIS.

Digitized by Google

Prem. Libreria Editrice
ACHILLE MOTTORE
Via Gran[illegible] - Napoli

Digitized by Google

Digitized by Google